Digitized by Google

6
40 10
13

N 275 — 283

C. J
S. B
D. 2
N. 5 — 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICI
SACRI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICI SACRI:

SIVE

ANNOTATA

DOCTISSIMORUM VIRORUM

IN

VETUS AC NOVUM

TESTAMENTUM.

QUIBUS ACCEDUNT

TRACTATUS VARII

THEOLOGICO - PHILOLOGICI.

Editio nova in novem Tomos distributa, multis
Anecdotis Commentariis, ac Indice ad totum
Opus locupletissimo, aucta.

AMSTELÆDAMI Excudunt
HENRICUS & Vidua THEODORI BOOM, JOANNES & ÆGIDIUS
JANSSONII à WAESBERGE, GERHARDUS BORSTIUS,
ABRAHAMUS à SOMEREN, JOANNES WOLTERS;
Et Ultrajecti GUILJELMUS van de WATER. MDC XCVIII.

Cum Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
FREDERICO III.

MARCHIONI BRANDENBURGICO,

SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI, PRUSSIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM VANDALORUMQUE, NEC NON IN SILESIA, CROSNÆ ET SCHWIBUSSÆ DUCI, BURG-GRAVIO NORIBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERÆ, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DOMINO IN RAVENSTEIN, LAUENBURG, ET BÜTOU, &c.

PAtere, Sereniſſime ac Potentiſſime Elector, ut hæc BIBLIA CRITICA, olim quidem felicibus auſpiciis Magni Regis Britanniæ CAROLI II. edita, nunc verò noſtra cura iterum impreſſa, multiſque novis additamentis aucta,

Digitized by Google

AUGUSTO TUO NOMINI inſcribantur. Magna ea ſunt, ſi ex ſuo merito; mediocria, ſi ex TUA DIGNITATE; exilia, ſi ex noſtro munere; non omnino rejicienda, ſi ex noſtro animo ſpectentur. Non provocamus hic ad unum vel alterum celeberrimorum Theologorum, non ad hanc vel illam inter Chriſtianos αἵρησιν: omnes uno ore, unanimique conſenſu clamant Hoc OPUS & noſtra opera fuiſſe digniſſimum, & in omnem memoriam fore clariſſimum. Quod cum ita ſit, Suo quidem merito & magnitudine magnum ſibi quærit Patrocinium; at longè infra TUAM DIGNITATEM eſſe lubenti agnoſcimus animo, utpote quem tum propter magna & naturæ & fortunæ decora, tum propter ingentem præclaræ eruditionis amorem, facilemque doctorum virorum promotionem longè majora decerent. Accedebant ad hæc noſtra nulla in TE merita, quibus Tuum favorem ac gratiam Operi noſtro conciliare potuiſſemus. Qua de re non immerito verebamur, ne noſtro hoc munere qualicunque moleſti potius quam officioſi eſſe videremur. Vicit tamen hæc omnia & ſumma Tua Humanitas, qua indigniora; & inuſitata Clementia, qua immerentes; & inaudita Benignitas, qua timidos excipere ſoles. Quo circa hoc noſtro Opere ad pedes Tuos devoluto, etiam atque etiam petimus, ut, quicquid eſt, oculis benigniſſimis velis adſpicere, Tuo validiſſi-

mo

Digitized by Google

mo Patrocinio roborare, nosque Tua Clementia & Gratia haud indignos æstimare, quibus hoc unum semper ardentissimis in votis, ut *serus in Cœlum redeas, diuque lætus intersis populo* ac Regno Tuo, utpote quem in paucis novimus hoc nostro seculo FIDEI REFORMATÆ DEFENSOREM, LITTERARUM BONARUM ÆQUUM ÆSTIMATOREM, DECUS & PRÆSIDIUM, adeoque dignum, cujus

Virtutes in ævum
Per titulos, memoresque fastos

æternemus. Quibus omne in ævum perseveraturi sumus

Amstelædami die XII Junii
A°. MDCXCVIII.

Augustæ SERENITATIS TUÆ

humillimi Cultores

BIBLIOPOLÆ BATAVI.

Digitized by Google

EDITORES HUJUS EDITIONIS

AD

LECTOREM.

NON est, Benevole Lector, quod hic quædam à nobis hujus Operis præstoleris encomia, quibus id facillimo negotio optimoque jure efferre possemus. Ex quo enim illud ex Anglia ad nos perlatum est, nemini eorum ignotum esse arbitramur, qui in bonis libris ac literis sunt assidui, quam avidè ab omnibus Eruditis hi CRITICI SACRI fuerint excepti, quantumque addiderint Bibliothecis decus & ornamentum. Qui in eis colligendis primam collocarunt operam, rationem ac methodum totius Operis pluribus exposuerunt in Præfatione huic nostræ suffixa, quapropter Lectorem eò remittimus edocturi eum duntaxat inpræsentiarum, quibus augmentis immutationibusque id exornare complacitum fuerit. Dudum est quod novam CRITICORUM SACRORUM parare editionem mente conceperimus, illecti præcipuè ea, qua hactenus non parum laboravimus, Anglicæ Editionis inopia & caritate, variisque Drusii & Amamæ Manuscriptis nobis tunc temporis oblatis, Criticisque augendis veluti sua sponte se insinuantibus, quorum ante quosdam annos mentionem etiam injecit in quadam Præfatione Clarissimus BALTH. BEKKERUS p. m. Quod propositum, quamvis longo tempore neglectum, adeò non in vanum ac fumum abire voluimus, quin potius serio de eo cogitare, idque in effectum deducere omni ope jam nixi simus. Qua in re stimuli nobis ingentes additi sunt cum id nostrum institutum non tantum à præcipuis Theologis valdè probari, verum etiam à nonnullis & consilio & variorum Manuscriptorum ad insigne hujus Operis augmentum suppeditatione adjutum iri intelligeremus. Quorum alterum prompta sua Conditionum nostrarum subscriptione testati sunt, alterum quilibet fere cujusvis Tomi titulus abundè loquitur, præsertim quod spectat quosdam Testamenti Veteris libros. In eos enim præcipuè augmenta quædam quæsivimus, quoniam paucos ab illis, qui priorem Editionem pararunt, collectos fuisse reperiebamus, adeò ut priores Tomi posterioribus mole longe cederent. Reliquis verò Libris nihil addi posse censuimus, nisi in molem ingentem eos excrescere voluissemus. Quod ad distributionem Tomorum attinet, eundem quidem numerum, quem Anglica Editio habet, retinuimus; Tractatus au-

autem varios, quibus in priore Editione ultimi duo Tomi ſcatebant, ita per totum Opus diſtribuimus, ut vel ſuis locis, pro ut res exigebant, ſint inſerti, vel iis affixi libris, aut Tomis, ad quos potiſſimum ſpectare nobis videbantur. Qui vero in hunc ordinem propter varias verborum & rerum explicationes redigi nequibant, eos ad ultimum Tomum rejicere placuit. Hinc, quæ inter Tractatus extabant LUCÆ BRUGENSIS in *Variantia SS. Bibliorum loca Notationes*, ſuis quælibet locis inſertæ ſunt. Idem præſtitimus in *Variis Sacris*, quæ à SIMONE DE MUIS variis è Rabbinis *contexta* ſunt. *Collationem* autem, quam inſtituerat PAULUS FAGIUS, *Tranſlationum præcipuarum Veteris Teſtamenti*, cum iiſdem contulimus, quæ ad Paraphraſin Chaldaicam Pentateuchi annotavit, quorum cum quædam iiſdem verbis nonnunquam reperiremus tradita, ea repetenda non eſſe arbitrati ſumus, ſedulo tamen caventes, ne cæterorum quidquam omittatur, quin potius loco commodo ea inſeruimus, vel, ſi quid peculiare continebant, aut tranſlationem verborum Hebraicorum præcedentium, vel ipſum tranſlatorum verborum textum habebant, quod non ſemel factum apparebit, ſumma hæc omnia cura præcedentibus ſub novo Titulo ſubjecimus. Cæterum ingens & ornamentum & augmentum hic faciunt NOTÆ MAJORES JOHANNIS DRUSII, ob quas unas Primum Tomum in duas diſpartiti ſumus partes. Conſcriptæ illæ erant, ut ipſe accurate ad calcem ſingulorum librorum notaverat, initio hujus jam decurrentis ſeculi, atque juſſu Illuſtriſſimorum Ordinum Hollandiæ, ut videre eſt ex ejus vitæ delineatione Tomo Sexto præfixa. Ipſe quidem ingenti flagravit deſiderio eas cum publico communicandi, verum ob multa, quæ hinc inde recenſet, incommoda impeditus partem tantum eorum quaſi ſpeciminis loco edidit, ſub nomine *Commentarii ad difficiliora Loca S. Scripturæ*. Totum vero Opus, quod orſus erat, nec ad umbilicum deducere, nec in lucem emittere morte præventus potuit. Tentavit id quidem ſerio poſt eum Sixtinus Amama; verum inani conatu, quia, ipſo confitente, Bibliopolarum fere nemo inveniebatur, qui impenſas faceret, nec quiſquam occurrebat, qui moleſtiam legendi ſcripturam Druſianam perferre volebat, adeo ea omnium ferme oculos deterrebat. Quæ poſterior ratio nos quoque initio non parum commovit, at cum noſtrum ſubiret animum aſſiduo labori nihil non cedere, bono animo eas aggreſſi ſumus, tantamque brevi temporis ſpatio adepti ſumus facilitatem in eis legendis, ut de felici tandem eventu nulli deſperaremus. Verſio ejus Latina, quæ primo ſeſe offerebat, in primis retinenda ac imprimenda videbatur, tum quod ea, non ut reliquorum Criticorum, jam typis deſcripta erat, ſed hactenus eruditum orbem latuerat, tum quod ſine ea Notæ quoque non nunquam obſcuræ & mancæ videri poterant. Præterea Notas ipſas cum

illis

illis, quæ jam impressa & ab Anglis congesta erant, diligentissime contulimus, & sicubi quædam iisdem verbis inveniebamus expressa, ea non veriti sumus delere, hac tamen cum cautione, ut semper Lectorem ad præcedentia remittamus, quibus ea etiam adjunximus, si quando uberius quædam tractaverat. Dubii hærebamus omnino, an quidem è re esset *Notas* ejus in *Vulgatam Versionem ad Prophetas quosdam Minores* adjicere, quia nobis conscriptæ videbantur ante Commentarium ejus in illos Prophetas, eademque interdum occurrebant, quæ pluribus jam ab eo erant expensa. Fecimus tamen hoc, quia nemo huc usque Criticorum Vulgatam in eos Prophetas recensuit, & ne quid eorum desideraretur, quæ ad absolutum Scriptorum Drusianorum opus quicquam conferre possent. Quas præterea dedimus ejus LECTIONES in aliquot Prophetas, eæ quidem præ se ferebant authorem Amamam; verum satis apparebat ejus non esse, quia manus & ratio commentandi verius innuebant Drusium; quocirca etiam eas illi restituere haud nefas duximus. In tractatibus, quos scripsit de *Nomine Elohim & Tetragrammato* textui notæ subjectæ sunt, cæteris, quæ vel Notis vel Textui accesserunt, uncis inclusis. Quorum ultimo etiam restituimus *Dedicationem ad Status Generales*, quam Angli omiserant, nec in editione Antwerpiana in quarto inveniebatur. Secundum hujus editionis augmentum suppeditarunt nobis Scripta SIXTINI AMAMÆ, quæ, quamvis ad prelum planè non viderentur parata, sed potius memoriæ juvandæ gratia ab eo conscripta ad alios viva voce docendum, tanti tamen momenti sunt ut lectorem haud pœnituerit ea aliquando delibare, cum multas raras & eruditas contineant animadversiones, eoque gratiores, quo breviores, nullisque verborum phaleris implicitas. His jure merito adjunximus, quam jam olim ipse vulgaverat *Censuram Vulgatæ versionis quinque Librorum Mosis*, quia diu iste liber desideratus fuit. Non possumus etiam silentio præterire, quod ad *Notas in Ecclesiasten* ab eo notatum deprehendimus, scilicet hanc extremam ejus voluntatem fuisse ut nemo eas Notas in lucem ederet, nisi à se de novo describerentur, ad finem usque recognoscerentur, notisque Massoreticis augerentur. Verum enim verò cum præ cæteris hæ eleganter essent descriptæ, multæque notæ ad finem usque ex Rabbinis in primis & peculiaribus schedis & ad marginem adjectæ, id ipsum ab eo præstitum esse arbitrati sumus, quare & has publico denegare noluimus. Tertium augmentum constituunt ANDREÆ MASII *Notæ in quædam capita Deuteronomii, in Josuam, in aliquot loca Jeremiæ & Euangelistarum*, quas vel verbo commendare supervacaneum esset, quæ originem suam debent Viro, secundum Thuanum, *sincero, candido & aperto ingenio, adhac rara & recondita doctrina prædito*. Huic quoque debemus *Tractatum de Paradiso à Mose Barcepha* lingua Syriaca elaboratum, & à Masio Latinè factum, qui

Se-

Secundæ Parti Tomi primi adjunctus est. Is olim quidem typis Plantinianis exscriptus fuit, ac triplici privilegio munitus, at ex eo tempore tam rarus factus est, ut ejus vix ac ne vix quidem vel peritissimi talium librorum cognitionem habuerint. Quod idem dicendum de *Octaplo Psalterii* AUGUSTINI JUSTINIANI, Prædicatorii Ordinis, Episcopi Nebiensis, cujus *Scholia* vel *Annotationes sparsas & intercisas* Psalmis Davidis subjunximus. De quo, quid statuendum sit, alienis verbis edisserere malumus quàm nostris. Ita enim ad eum scribit, postquam *Octaplum* suum ediderat, Baptista Fliscus:

Reverendo Augustino Episcopo Nebiensi Baptista Fliscus Ju. U.D. S.D.

Nescio, Augustine Pater, quid potissimum mirer in tuo hoc Psalterio: tene unquam cogitasse tam multifariam linguarum seriem in re universis gentibus necessaria, an adgressum fuisse cogitatam; perfecisse tam immanes ausus, an incepisse; secreta tot linguarum indagasse, an indagata non pro te modo didicisse, sed universis discenda esse impetitum; denique voluisse an valuisse rem tot seculis desideratam, sed à nullo vel tentatam vel præstitam, & perficere & perfectam tanto labore & sumptu, cunctis præbere inspiciendam, & ad cujusque volentis usum & profectum accommodandam. Tot curis monasticis addictum hominem, & ipsam paupertatem ac alienis nutibus obnoxiam vitam, solenni voto professum, tum omnium linguarum una Latina excepta ignarum, potuisse tam brevi temporis spatio & tot linguarum peritiam comparare, & comparatam omnibus percipiendam proponere & exarare. Nimirum fuit nedum difficile & arduum, sed pene impossibile & vires humanas excedens. Adde quod in tanta linguarum mixtura, & tam multijuga connexione vix credibile est non sæpissime fuisse erratum, non mendosam creberrimè impressionem evasisse: dum & ministri hujuscemodi artis impressoria quam vocant, ignari sint bonarum literarum & tu omnia unus corrigere & emendare non sufficis: & tamen ego, quantum quidem valui revolvere & excutere, quæ ad Latinam linguam pertinent præter pauca admodum, nihil ferè offendi, in quo insignis menda appareat, videant reliqua qui cæteras linguas callent. Nam mihi vel earum linguarum ignorantia vel moles ipsa curarum forensium adimit facultatem tot varietates vocum & literarum scrutandi. Tu verò perge divinum complere negotium, & quod Psalterio Davidico tribuisti, confer cæteris quoque Sacræ Scripturæ partibus, ut ea tot nationum auribus accommodata, invitetur universus orbis ad tantarum rerum notitiam. Neque enim deerit Spiritus Domini bonus, qui difficilia et dura emolliat, et involuta et clausa reseret, et aspera et confragosa complanet. Tum Leo ipse Pontifex maximus, cui tu Opus ipsum dicasti, pro sua erga omnes benignitate et munificentia non deerit tibi quoque in cunctis

operi

Digitized by Google

operi necessariis, præsertim adeo utiliter navanti operam ei cujus vices gerit in terris. Ego verò quicquid video, quicquid sum, ero itidem paratus tibi in multo, sicut fui in modico. Vale.

Has literas eo lubentius hic subjicere voluimus, quia ad finem Notarum sunt omissæ & Lectorem aliquatenus docere possunt quinam ille fuerit utpote cujus memoria à tot annis ferè intermortua est. Notior est CHRISTOPHORUS CARTWRIGHTUS, Anglus, cujus *Electis Thargumico-Rabbinicis, sive Annotationibus in Genesin et Exodum* hic quoque locum dedimus, cum antea tantum ejus *Mellificium* datum esset. Nec dubium ullum, quin multa docta inventuri sint, qui eruditionis Rabbinicæ sunt amantes. Porro etiam hoc Lectorem B. scire cupimus, nos in hac Editione non esse secutos HUG. GROTII Editionem Parisiensem, quam Angli habent, sed auctam & emendatam, quæ typis Blavianis prodiit, & ubique Græcarum & Hebraicarum vocum interpretationem adjunctam habet. In Novo Testamento vix aliquid immutare visum est, præterquam quod GUALTPERIUM, JAC. CAPPELLUM & HENRICUM STEPHANUM singulis capitibus inseruerimus, Grotiique *Commentationi* ad 2 Thess. II. *Notas* SIMPLICII VERINI (sub quo nomine latere voluit CLAUDIUS SALMASIUS) opposuerimus. In Tractatibus verò id nobis sumpsimus, prævia tamen cum Viris Eruditis consultatione, ut ejectis Tractatibus, MATTH. WREN *contra Catechesin Racov.* & H. GROTII *de Veritate Religionis Christianæ* (quorum prior ad polemica magis spectat quam ad exegetica; alter in omnium fere manibus versatur) eorúm loco substituerimus Clarissimi atque doctissimi Viri D. HUETII *Tractatum de Paradiso Terrestri*, emendatum & auctum, nec non ejusdem *Commentarium de Navigatione Salomonis*, cujus ipse nobis, pro sua humanitate, copiam fecit. Denique locupletissimo Indice Opus absolutum dedimus, haud quidem ignari, totum Librum Indicis loco esse; verum cum crebra observatione perspectum sit nobis, multa loca occasione unius verbi vel phrasis aliquando elucidari, prætereaque in diversis Tractatibus quam plurima, posthabito omni ordine, explicari, id potissimum operam dedimus, ut omnia loca hujus indicis ope statim evolvi possent, cupidusque Lector etiam hac in parte eo labore levaretur, quem insumere deberet, si ullum ex Tractatibus hoc Opere comprehensis vellet percipere fructum. Monendum autem est, ne quis frustra laborem suum collocet, numerum alium Tomorum hic initum esse, quam prima eorum pagina præ se fert. Nimirum ad Novem Tomos in eo Lector remittitur, cum tantum Octo percensuerimus, primo in duas partes diviso. Hæc itaque sunt, quæ de hac nostra Editione dicenda erant.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

Editionis Primæ, quæ Anglorum cura prodiit.

LECTORI PIO & ERUDITO.

P*Rodiit nuper, & nunc inter manus hominum versatur, Librorum optimus,* BIBLIA *scilicet* ΠΟΛΥΓΛΩΤΤΑ, *editionem feliciter procurante Viro admodum Reverendo* BRIANO WALTONO S. T. D. *aliisque Viris Cl. de Religione & S. literis quàm optimè meritis: En jam prodit tibi, Lector pie & erudite, (Tibi enim soli utrinque & seritur & metitur, tibi soli utrunque prelum insudavit, & Waltonianum, & Nostrum) prodit, inquam, Liber (si ità loqui fas sit)* δευτερόπρωτος, *primo tantum posterior, optimoque proximus,* CRITICI *nimirum* SACRI. *Quid enim post literas natas melius, quid optabilius, quàm ut primùm S. Scripturæ Textus originales unà cum Versionibus antiquis* ὑπὸ μίαν σύνοψιν *redigerentur, adeò ut simul ac semel omnia & conspici & conferri possent; dein & ejusdem S. Scripturæ sensus, quem vocant, Literalis & Grammaticus, qui ipsissima Scriptura est atque ipsummet Dei Verbum, à Viris eruditione, ingenio, judicio instructissimis erueretur? Illud autem viri quos modò dixi, Viri sapius, semper memorandi, summa cum accuratione ante triennium præstiterunt; Hoc verò præcipuè* CORNELII BEE, *hominis ad antiquiores melioresque literas juvandas nati, curæ & impensis acceptum ferimus. Is enim verè* φιλόπονος *quicquid vel ex suapte peritia vel ex indicatione aliena dignum compererat, id omne sedulò conquisitum in hunc Thesaurum Sacrum, in hanc Catenam Biblicam, vel, si mavis (nec enim facile est tantum Opus satis amplo titulo cohonestare) in hanc Bibliothecam Hagiocriticam, sicut Apis* puro distendit nectare cellas, *congessit et in tuos usus recondidit. Enimvero quotquot uspiam* ἀξιομνημονευτότερα *in Divinis Voluminibus occurrunt, Res, Personæ, Actiones, Loca, Tempora, Regiones, Urbes, Templa, Instrumenta, Vasa, Pondera, Mensuræ, Nummi, Habitus, Gestus, Munera, Ritus, Leges, Consuetudines, omnia, doctè hîc et dilucide enarrantur. Hîc non solùm explicantur Typorum mysteria, Prophetiarum et Parabolarum ænigmata, adeoque universa S. Textûs loca difficiliora, quin et insuper vocum ipsarum origines, usus significata, imò apices nonnunquam et minutiæ pensiculatius examinantur. Hîc exhibetur quicquid ad Divinas paginas vel Synagogæ Rabbini vel Ecclesiæ Doctores subtilius annotarant. Hîc componuntur Sacrosancta Dei Oracula cum exterorum monumentis, Hebræorum Leges cum institutis Gentilium, Odæ Davidis, Solomonis Parœmiæ, aliorumque Scriptorum* θεοπνεύστων *Gnomæ cum Ethnicorum Poëtarum, Rhetorum, Philosophorum sententiis parallelis. Hîc denique (quod optimum est interpretandi genus)*

** *videre*

videre est mirum SS. Codicum consensum concentumque, alteriusque ut Alter poscit opem locus, & conjurat amice. Sed non opus est ut hederam hîc nostram prætexamus: Inspice Catalogum, & invenies Nomina omni lauro, omni laude majora. Quis singulorum fuerit Annotatorum scopus, quod consilium negotiumque, ex ipsorum, quas Catalogo subjunximus, Præfationibus constabit meliùs, optimè ex Opere. ANNOTATIONES, quæ in septem usque Tomos excreverunt, duobus insuper TRACTATUUM Tomis cumulantur: de quibus hoc tantùm nos dixisse sufficiat, Hi etiam & ipsi Annotationes sunt, idque & Criticæ, & Sacræ, saltem dignißimi qui Annotationibus ejusmodi quasi Appendix & ἐπίμετρα adjiciantur. Jam quæ nostræ in hoc Opere partes fuerint restat ut exponamus: quod, nè te diutiùs moremur, paucis accipe. Hoc in primis tibi penitus persuasum iri cupimus, imò expetimus, & exspectamus; Nos non cinnum hîc commiscuisse, aut consarcinasse centonem, verùm Autores tibi exhibere integros & illibatos. Adeò enim nobis penè religio fuit ipsos mutilare, ut etiam ubi alterius verba usurpat unus, & item alter, deinde tertius, atque ità ad eundem locum eadem non sensu tantum sed & verbis plures commentantur, nos eadem verba, licèt aliquantulum gravatè, identidem reposuerimus, veriti scilicet, si ullibi vel superflua omisissemus, nequis alibi & necessaria nos omisisse suspicaretur. Aliquid tamen juris nobismetipsis permisimus, idque è re tua, utì speramus, & cum bona venia. Nam non solùm quamplurima quæ oscitabundi Typographi χύδην & promiscuè ediderant, sed quædam etiam quæ Autores ipsi in alieniorem locum rejecerant, nos opportuno & suo collocavimus. Sic quatuor illi Annotationum rivi quos tumultuario quodam impetu magnus ille eruditionis torrens JOHAN. DRUSIUS in N. F. profudit, jam in unum alveum collecti leni cursu labuntur. Sic quæ H. GROTIUS ὁ πάνυ ad Decalogum, ad Ephes. 1: ad 2 Thessal. 2. vers. 1----12. ad Jac. 2. 14, &c. ad 1 Joh. 2. 18---24. et 3. 9. et 4. 1--5. item ad Apoc. 13. et 17. fusiùs disseruit, et certas ob causas Annotatis ad Euangelia subjunxit, in hac nostra Editione proprias singula stationes obtinent. Ejusdem Viri Cl. Appendix ad interpretationem locorum N. Test. quæ de Antichristo agunt aut agere putantur, Annotata ad Apocal. 17. immediate subsequitur. Reliquorum quæ sparsim interseruimus sedes tibi indigitabunt Catalogi. Optima semper exemplaria secuti sumus; veruntamen ad errata ipsorum corrigenda, et supplendas lacunas, pejora non rarò nobis subsidio fuerunt. Quæ in Catalogo asteriscis præfixis insigniuntur, nunc primùm in lucem prodeunt: reliqua antea excusa nos denuò tibi repræsentamus. Loca vel ex SS. Scripturis vel aliunde citata diligenter examinavimus, atque inibi deprehendimus multa mendarum millia, quas aut preli incuria fuderat, aut Scriptores, ut fit, nimium properantes parum caverant. Omnia summa quâ potuimus cura recensuimus: Quæ in manifesto errore tenebantur, purgavimus; ubi res erat in dubio, conjecturis dun-

Digitized by Google

duntaxat adhibitis, liberum tibi reliquimus judicium. Characteres, quoties opus fuit, ritè variavimus, & pravis interpunctionibus sublatis substituimus aptiores, atque ità locis obscuris & involutis emphasin suam dedimus & perspicuitatem. Denique non pudet, imò juvat, meminisse quantum negotii nobis facesserint minutiæ Typographicæ, quodque per integrum ferè sexennium literulis, numerorum notis, punctis, accentibus intenti fuerimus, & tantum non immersi. Hæc enim utcunque nugæ videantur, tamen seria ducent in mala *ubi fuerint neglecta; & quicquid tuo commodo poterit inservire, nos nec nimis durum unquam judicabimus, nec nobis indignum. Vale; utere, fruere nostris laboribus, eosque boni consule.*

JO. PEARSON Archidiaconus Surriensis.

ANT. SCATTERGOOD Ecclesiæ Lincolniensis Canonicus.

FRA. GOULDMAN Ecclesiæ Okendon australis in Comitatu Essexiæ Rector.

RIC. PEARSON Coll. Reg. Socius.

Digitized by Google

CATALOGUS
CRITICORUM SACRORUM,
QUORUM
ANNOTATA & TRACTATUS
in hoc opere continentur.

In Vetus Testamentum.

Sebastiani Munsteri *Annotationes in Vetus Testamentum.*
Pauli Fagii *in Paraphrasin Chaldaicam Pentateuchi succinctæ Annotationes.*
Ejusdem fusior Expositio quatuor priorum capitum Geneseos.
Ejusdem Translationum præcipuarum Veteris Testamenti inter se variantium Collatio.
Francisci Vatabli *Annotata in libros Canonicos Veteris Testamenti.*
Claudii Badvelli *Annotationes in libros Apocryphos.*
Sebastiani Castalionis *Annotata in Vetus Testamentum.*
Isidori Clarii *Annotationes in Vetus Testamentum.*
Lucæ Brugensis *in Variantia SS. Bibliorum loca Notationes.*
* Andreæ Masii *Annotationes in Deuteron. Cap.* XVIII. *& sequentia.*
* - - - *in aliquot loca Jeremiæ.*
- - - *in Josuam Annotationes & Commentaria*, quibus accesserunt * *Additamenta Nova ex MS.*
Joannis Drusii *Annotationes in Pentateuchum.*
- - - *Josuam.*
- - - *Librum Judicum.*
- - - *Ruth.*
- - - *Libros Samuelis.*
- - - *Estheram.*
- - - *Jobum.*
- - - *Coheleth, seu Ecclesiasten.*
- - - *XII Prophetas minores.*
- - - *Ecclesiasticum.*
- - - *Tobit.*
- - - *Lib. I. Machabæorum.*
- - - *Veterum Veteris Testamenti Interpretationum Græcorum Fragmenta.*
* - - - *Notæ Majores in Genesin, Exodum, Leviticum & priora XVIII. Cap. Numerorum.*
* - - - *Scholia in Versionem Hieronymi Psalmorum priorum LIV.*
* - - - *Commentatio in Psalmos XIX. priores.*
* - - - *Salomonis Sententiæ juxta ordinem Alphabeti per Locos Communes digestæ cum explicatione ejusdem.*
* - - - *Annotationes in Versionem Vulgatam Hoseæ, Joëlis, Amosi, Michææ, Habacuc & Sophoniæ.*
* - - - *Lectiones ad Michæam, Habacuc, Zephaniam & Zachariam.*

* Sixtini

Digitized b

CATALOGUS ANNOTATORUM.

* Sixtini Amamæ *Censura Vulgatæ atque à Tridentinis Canonizatæ Versionis Quinque Librorum Mosis.*
* - - - *Ejusdem Notæ in Libros Historicos, Psalmos, Proverbia & Ecclesiasten.*
Simeonis de Muis *Varia Sacra in Pentateuchum & quædam loca Judicum, ut & 1 Samuelis.*
Philippi Codurci *Annotationes in Jobum.*
Rodolfus Baynus *in Proverbia Salomonis.*
Francisci Forerii *Commentarius in Jesaiam.*
Edovardi Livelæi *Annotationes in Oseam.*
- - - *Joelem.*
- - - *Amosum.*
- - - *Abdiam.*
- - - *Jonam.*
Davidis Hœschelii *Notæ in Ecclesiasticum.*
Hugonis Grotii *Annotationes in Vetus Testamentum.*
* Christophori Cartwrighti *Electa Thargumico-Rabbinica sive Annotationes in Genesin & Exodum.*
Joannis Pricæi *Annotata ad Psalmorum Librum.*

TRACTATUS INSERTI.

Joannes Drusius *de Mandragoris.*
Hugo Grotius *in Decalogum.*
Josephus Scaliger *de Decimis.*
Sixtinus Amama *de Decimis.*
Ludovicus Cappellus *de Voto Jephtæ*
- - - *Ejusdem Excerpta ex Villalpando.*
Martini Helvici *Diatribe de LXX Hebdomadis Danielis.*
Alberici Gentilis *ad 1 Machæorum Disputatio.*
- - - *De Linguarum mixtura Disputatio Parergica.*
Joannis Drusii *Tractatus de Hasidæis.*

TRACTATUS SUFFIXI.

Joannis Drusii *Elohim cum Notis ex MS.*
- - - *Tetragrammaton cum Notis ex MS.*
- - - *De Patriarcha Henoch.*
* Mosis Bar Cephæ *Syri Commentarius de Paradiso ex Interpretatione* Andreæ Masii.
Christophori Helvici *Desiderium Matris Evæ.*
- - - *Protevangelion Paradisiacum.*
Johannis Buteonis *Libellus de Arca Noë.*
Matthæi Hosti *Inquisitio in Fabricam Arcæ Noah.*
Martini Helvici *Sceptrum Judæ.*
Francisci Moncæji *Libri duo de Vitulo Aureo.*
Petri Pithœi *Mosaicarum & Romanarum Legum Collatio.*
Georgii Rittershusii *Tractatus de Jure Asylorum.*
Matthæus Hostus *in Monomachiam Davidis & Goliathi.*
Michaëlis Rothardi *Samuel redivivus & Saul* αὐτόχειρ.
Leonis Allati *de Engastrimytho Syntagma.*
Gasparis Varrerii *de Ophyra regione Disputatio.*
Wilhelmus Schickardus *de Festo Purim.*

Digitized by Google

C A T A L O G U S

Augustini Justiniani *Episcopi Nebiensis Glossemata in Octaplum Psalterii.*
Joannis Drusii *Additamenta ad Initium Jesaiæ.*
Ludovici Cappelli *Templi Hierosolymitani Delineatio triplex una cum * Iconographia*, quæ huic editioni accessit.
Benedicti Ariæ Montani *Antiquitates Judaicæ accuratis figuris æneis illustratæ.*
Bonaventura Cornelius Bertramus *de Republica Hebræorum.*
Petrus Cunæus *de Republica Hebræorum.*
Gasparus Waserus *de Antiquis Numis Hebræorum , &c. cum figuris.*
- - - *de Antiquis Mensuris Hebræorum.*
Edouardi Brerewood *de Ponderibus & Pretiis Veterum Numorum.*

C A T A L O G U S

CRITICORUM SACRORUM,

Q U O R U M

ANNOTATA & TRACTATUS

in hoc opere continentur.

In Novum Testamentum.

Sebastiani Munsteri *Annotationes in D. Matthæi Euangelium Hebraicum.*
Laurentii Vallæ *De Collationibus Novi Testamenti Libri II.*
Jacobi Revii *Notæ in* Vallam.
Erasmi Roterodami *Annotationes in Novum Testamentum.*
Francisci Vatabli *Annotationes in Novum Testamentum.*
Sebastiani Castalionis *Annotationes in Novum Testamentum.*
Isidori Clarii *Annotationes in Novum Testamentum.*
Nicolai Zegeri *Annotationes in Novum Testamentum.*
* Andreæ Masii *ad quædam Loca Euangelistarum Notæ.*
Lucæ Brugensis *Notationes ad Novum Testamentum.*
Henrici Stephani Κεφάλαια *D. Matthæi & D. Marci.*
Ejusdem Interpretatio Latina obscuriorum vocum & Phrasium Novi Testamenti.

Joannis Drusii *Præteritorum lib. X.* - - - *Ad voces Ebræas Novi Testamenti Commentarius Prior & Posterior.* - - - *Annotata in Novum Testamentum. Pars altera.*	*Omnia in unum Corpus collecta, & ad Capita ac Versus instar perpetui Commentarii redacta.*

Josephus Scaligeri *Notæ in Novum Testamentum.*

Isaaci

Digitized by Google

ANNOTATORUM.

Isaaci Casauboni *Notæ in Novum Testamentum.*
Joannis Cameronis *Myrothecium.*
Jacobi Cappelli *Annotationes in Novum Testamentum.*
Ludovici Cappelli *Spicilegium.*
Othonis Gualtperii *Sylloge vocum exoticarum Novi Testamenti.*
Abrahami Sculteti *Annotata in Epistolas ad Timotheum.*
- - - *Titum.*
- - - *Philemonem.*
Hugonis Grotii *Annotationes in Novum Testamentum.*
Joannis Pricæi *Annotata ad Euangelium D. Matthai.*
- - - *D. Lucæ.*
- - - *D. Johannis cap. X. & XI.*
- - - *Acta Apostolorum.*
- - - *Epistolas D. Pauli ad I Corinth. cap. XII.*
- - - *Timotheum.*
- - - *Titum.*
- - - *Philemonem.*
- - - *D. Jacobi.*
- - - *D. Johannis.*
- - - *D. Judæ.*
- - - *Apocalypsin.*

TRACTATUS INSERTI.

Ludovici Cappelli *Corban.*
Nicolaus Faber *de Myrrhata potione & peccato in Fratrem.*
Guilielmus Klebitius *de Buccella intincta, quam comedit Judas.*
Marquardus Freherus *de Numismate Censûs.*
Jacobus Usserius *de Cainane Arphaxadi Filio.*
Matthæus Hostus *de Sex Hydriarum capacitate.*
Johannis Antonii van der Linden *Exercitatio* Vini pleni.
Ludovici Cappelli *Historia Apostolica.*
Prologus in XIV. *Epistolas Pauli.*
* Claudii Salmasii *sub ficto nomine* Joannis Simplicii, *Notæ in H. Grotii Commentationem ad 2 Thessal. II.*
Jacobi Gothofredi *Sacræ Exercitationes de Ecclesia & Incarnatione Christi 1 Timoth.* III. 14, 15, 16.
Philippus Codurcus *de Testamento ad Hebr. IX.*

TRACTATUS SUFFIXI.

Abrahami Sculteti *Exercitationes Euangelicæ.*
Guilielmus Ader *De Ægrotis & Morbis in Euangelio.*
Joannis Drusii *Parallela Sacra.*
Jacobi Lopidis Stunicæ *Annotationes contra Erasmum Roterodamum, in Defensionem Tralationis Novi Testamenti.*
Erasmi Roterodami *Apologia, ad Jacobum Lopidem Stunicam.*
Angeli Caninii *Disquisitiones in Loca aliquot Novi Testamenti obscuriora.*
Petrus Pithœus *de Latinis Bib. Interpretibus.*
Nicephori Patriarchæ *CP. Canon Scripturarum.*

Adriani

CATALOGUS ANNOTATORUM.

Adriani *Isagoge SS. Literarum & Antiquissimorum Græcorum in Prophetas Fragmenta cum Notis Davidis Hæschelii.*

Bon. Cornelii Bertrami *Lucubrationes Franktallenses, sive Specimen expositionum in difficillima Utriusque Testamenti Loca.*

Antonii Nebrissensis *Quinquagena, sive Quinquaginta S. Scripturæ locorum Explanatio.*

Joannis Drusii *Animadversorum Lib.* II.

- - - *Observationum Sacrarum Lib.* XVI.

- - - *Quæstionum Ebraicarum Lib.* III.

- - - *Proverbiorum Classes* II.

- - - *Scholia in Proverbia Ben-Syræ.*

- - - *Adagia Hebraica.*

- - - *Miscellanea Locutionum Sacrarum.*

- - - *De Quæsitis per Epistolam.*

Nicolai Fulleri *Miscellaneorum Sacrorum Lib.* VI.

Samuelis Petiti *Variæ Lectiones in S. Scripturam.*

Johannis Gregorii *Notæ & Observationes in aliquot SS. Scripturæ loca.*

Christophori Cartwright *Ebor. Mellificium Hebraicum, sive, Observationes ex Hebræorum antiquiorum monumentis desumptæ.*

Johannis Cloppenburgi *Collationes Criticæ Sacræ per Epistolas cum Ludovico de Dieu.*

* Petri Danielis Huetii *De Situ Paradisi Terrestris.*

* - - - *Commentarium de Navigationibus Salomonis.*

CRITI-

Digitized by Google

CRITICORUM SACRORUM

SIVE

ANNOTATORUM

AD

PENTATEUCHUM.

TOMI PRIMI PARS PRIMA

AD

GENESIN & EXODUM.

I.

Digitized by Google

ANNOTATORES
IN
GENESIN & EXODUM.
SUNT

SEBASTIANUS MUNSTERUS.

PAULUS FAGIUS.

Ejusdem Notæ in Paraphrasin Chald. 4. priorum cap. Geneseos.
——— Translatio præcipuarum Veteris Testamenti inter se variantium Collatio.

FRANCISCUS VATABLUS.

SEBASTIANUS CASTALIO.

ISIDORUS CLARIUS.

LUCAS BRUGENSIS.

JOHANNES DRUSIUS.

* Ejusdem Notæ Majores.

* SIXTINUS AMAMA.

SIMEON DE MUIS.

HUGO GROTIUS.

* CHRISTOPHORUS CARTWRIGHTUS.

Tractatus inserti.

JOH. DRUSIUS de *Mandragoris* Cap. xxx. Genes.

HUGO GROTIUS in *Decalogum* Cap. xx. Exod.

Digitized by Google

DEDICATIONES ET PRÆFATIONES
ANNOTATORUM
IN
VETUS TESTAMENTUM.

CHRISTIANO ET PIO LECTORI
SEBAST. MUNSTERUS S. D.

ETiamsi mortalis nostra natura, candide Lector, variis obnoxia facta sit malis ex primi hominis peccato, multasque contraxerit labes & corruptelas, primas tamen videtur tenere illa mentis nostræ instabilitas atque animus sibi nunquam satis constans; quo malo etiam plerosque qui columnæ videbantur in præcipitium ruisse experti sumus. Siquidem postquam primus noster parens animum ab immutabili avertit Deo, & אין תקע יתד במקום נאמן, ut Hebræorum habet proverbium, protinus illum peccantem & totam ejus posteritatem hæc consecuta est pœna ut in nulla re quantumlibet bona, pulchra & delectabili animus variis æstuans cupiditatibus, & desideriorum flagrans illecebris, fluctuansque inter tentationum illectamenta, diu hærere velit aut possit, quin ea aliquantisper perfruitus atque ad fastidium satiatus mox ad aliam & aliam æstuet, qua se ad horam quoque oblectet. Exemplo tibi esse potest panis ille cœlestis, quo Israelitæ in deserto ad tempus pasti & saginati rursus desideraverunt pepones & cepas Ægyptias. Facit hoc pessimum malum & יצר illud execrandum ut adulter sua attædiatus in proximi hinniat uxorem, dives rebus suis non contentus per fas & nefas aliorum inhiet bonis. Incitatur alius Satanico hoc sessore ut muneribus & quibus potest technis suam transcendere conetur sortem, ut in altum subvectus gradum cæteros veluti è sublimi despiciat loco. Et ut semel dicam, facit hæc teterrima innata pestis ut curiosus animus semper varius sit, & gratia Dei destitutus in vetita nitens, ægerrime in unum, certum & solidum cogi possit studium: usque adeo versipellis ille domesticus hostis semper cupit insolescere, & nullis coerceri legibus. Cum nova superveniunt, displicent vetera; & cum nova ipsa inveteraverint, rursus vetera abolita repetuntur: jam placet illud, & paulo post aliud, ut plane nihil sit hæc mortalis vita quam vanitas quædam vanitatum. Atque cum hæc ita sese habeant in rebus illis externis quæ carni blandiuntur, id quod nemo inficiari potest, mirum est ut rursus multorum animus tam pertinax & immobilis inveniatur in rebus Divinis quibus semel est initiatus, ut etiam omnium rerum dispendium, imo mortem ipsam, subire eligat quam sacram hanc dimittere ancoram, & recedere à cœlestibus semel susceptis disciplinis: id quod sanctorum martyrum probat exsilium, carcer & sanguis. Quin & Judæus, sed & Turca mavult Vulcano devoveri aut jugulum sicario præbere quam sacrum suum immutare. Usque adeo pertinaces reddit homines semel ex corde suscepta Deorum religio. Nec est tam effeminatus animus in his quæ carni blandiuntur, quin pertinacior sit in his quæ Dei sunt. Et laudanda quidem summopere est in homine is zelus atque hæc constantia, magnisque extollenda præconiis; sed quando est secundum scientiam, & quando est pro Domino exercituum: alioquin si saniori noluerit acquiescere doctrinæ, & primam illam perpetuo retinere voluerit salivam, nil proderit zelus ille, imo non est zelus sed pervicacia. Et Judæi quidem vehementer videbantur zelare pro Domino exercituum & pro domo Dei cum Christum ejus fastidirent & ad mortem usque persequerentur, sed perversus fuit zelus ille, cum non fuerit secundum scientiam, sed procedebat ex odio rationem excæcante; unde furore magis in illum debacchati sunt quam Dei zelo. Et in hac pervicacia in hunc usque diem misera illa gens usque adeo obstinata manet, ut nullis Prophetarum oraculis quantumlibet claris & apertis, nullis rationibus, sed neque minis & terroribus à præcipitio & ab errore reduci possit: id quod Isaias ante futurum prædixit, *Impingua*, inquiens, sive *obstina cor populi hujus*, & *aures ejus aggrava*, *atque oculos ejus obline*, *ne forte videat oculis*, &c. Apud Jeremiam quoque magno in speciem zelo dicebant, *Templum Domini*, *templum Domini*, *templum Domini*, & tamen Deus dicebat illis per eundem Prophetam, *Non habeatis fiduciam in verbis istis mendacibus.* His simillimi sunt qui humanas constitutiones, veterum decreta & insolitas consuetudines pluris faciunt quam ipsa mandata Dei, excolantes scilicet culicem, & camelum glutientes. O perversum judicium & à Christiano pectore summopere arcendum! Et tamen qui ejusmodi sunt audent dicere se zelo Dei moveri, etiam quando grassantur & tyrannice sæviunt in proximi necem ob violatam humanam constitutiunculam, cujus quidem observantia nec tantillum meliorem reddit animum aut ejus promovet salutem. Tali quoque zelo aut potius invidia laborabant plurimi D. Hieronymi temporibus, nullibi non insidias struentes viro sancto, non ob aliam causam quam quod opus pium & sanctum moliretur, nempe V. Instrumenti sinceriorem versionem. Videbat namque vir pius & doctus Latinos vera & genuina Legis atque Prophetarum destitutos lectione. Nam Septuaginta interpretum editio, quæ tunc ubique locorum receptissima erat apud Græcos & Latinos, nedum perperam in plerisque locis versa fuit, verum & per scriptores atque sciolos plurimum corrupta; id quod & hodie facile patet conferenti editionem illam juxta Hebraicam veritatem: ut interim taceam illos non admodum peritos fuisse Hebrææ linguæ, id quod vel inviti cogimur fateri, alioquin in plurimis locis non tam fœde lapsi fuissent. Videbat, inquam, id Hieronymus, sicut & Aquila, Symmachus, Theodotio atque multi alii studiosi viri, & hujusmodi erroribus corrigendis animum adjecerunt, quisque pro virili sua; indignum rati quod, cum in omnibus rebus abesse debeat depravatio,

vatio, Sacri codices impuritatem admixtam haberent, qui tamen in primis illustrandi & extergendi erant atque in nito-
rem suum vindicandi. Nec tamen sic omnia ad vivum resecarunt, quin posteri semper aliquid adhuc emendandum
deprehenderint. Nam qui in Hebraica lingua vel mediocriter est doctus, facile videbit interpretem nostrum, quicun-
que tandem is fuerit, interdum non satis oculatum fuisse. Sensit id Nicolaus Liranus, Paulus Burgensis, Jo-
annes Reuchlinus, Santes Pagninus, Martinus Lutherus, & Augustinus Steuchus, etiamsi is plerumque se vidisse
dissimulet. Sed & Judæi nostram in nonnullis locis irrident editionem, dicentes eam Hebraicæ veritati non per omnia
& adamussim respondere. Advertimus & nos jam à 20. annis, à tempore quo sub Conrado Pelicano fidelissimo præ-
ceptore nostro Hebraicari cœpimus, labes quasdam intolerabiles irrepsisse, non tam interpretis culpa, quam scripto-
rum vitio. Et certe non est perpetuo ad hæc connivendum. Quanquam verear ne si quis diligentius illa conetur
emendare, sicuti omnes pro Domini verbo zelare tenemur, totus contra illum commoveatur orbis, excitentur tragœ-
diæ, clament omnes, vociferentur, ingemiscant, & nemo moribus & vita tam alienus sit à Christo qui hic non osten-
tet se zelum gerere pro verbo Domini, etiam si nunquam opere & veritate illud implere studuit. Qua in re si cum
talibus expostulare cœperimus, quærentes quanam ratione sic insaniant, nihil habent quod respondeant nisi quod per
veteres communis illa editio sit probata. *Tanta est* enim *vetustatis consuetudo*, ut D. Hieronymi utar verbis, *ut etiam
confessa plerisque vitia placeant.* Nemo non novit quantus tumultus superioribus annis excitatus fuerit contra Erasmum,
quod corrigere ausus fuerit, sic enim illi loquuntur, S. Euangelium, & violare rem tam sanctam. Idem mihi
eventurum scio, multorum calumnias haud obscure prævidens, qui in hoc theatrum ingredi præsumpserim, & V.
Testamenti novam tentarim versionem; etiamsi sciam me hujus viri comparatione nihil esse. Sed solatur me id interim,
quod sciam viros bonos & pios nihil agere absque judicio. Sycophantarum & Postellorum est, nedum quæ non
legerunt damnare, verum & quæ bene dicuntur, aut quæ non intelligunt, reprehendere. Solatur etiam me con-
scientia mea, quod non in gloriam meam & veterum reprehensionem, quibus etiam maximam debemus gratiam, post-
quam id egerunt quod præstare potuerunt, præsertim in tanta librorum penuria, hunc subierim laborem, & quod aliud
non deprompserim quam quod Hebraicum textum habere deprehendi, testibus Rabbinorum commentariis. Quod si
interdum in una sententia etiam apud Hebræos diversam inveni lectionem, (siquidem & inter illos nonnunquam dissidia
inveniuntur, aliis alia existimantibus) indicavi id in Annotationibus. Nec protinus omnia quæ apud illos inveni, more
aliquorum, pro oraculis habui, sed cum judicio, ut par erat, legi. Non enim ignoro quibus Cabalisticis deliramen-
tis sint addicti, & quam extortas nonnunquam afferant expositiones, præcipue ubi Meschiæ inciderit mysterium: Illic
enim deprehendimus eos esse pertinacissimos: nec cessant usque in hunc diem torquere ad sua placita Divinas lite-
ras, quo suos tueantur errores: Id quod peculiare esse non ignoramus omnibus errantibus qui sanæ doctrinæ auscul-
tare nolunt. Hi enim, ne errasse videantur, usque adeo impudentes fiunt ut etiam audeant erigere cristas con-
tra apertam Dei veritatem, conscientia propria testimonium ferente contra eos. Sæpe etiam usu venire videmus,
ut quo quis est in statu, ita interpretandam Scripturam S. ut sua conservet, mordicus contendat. Hinc fit
ut quæ sunt propria, illa transsumptive, & quæ sunt transsumptiva, illa proprie interpretetur, tortis utens expo-
sitionibus, ne nihil scivisse videatur. Ex. gr. Quæ de uxore diligenda & regenda scribuntur, ille non proprie sed
transsumptive accipit. Cæterum nos in hac nostra editione hoc unum præcipue spectavimus, ut dimissa Latinitatis
elegantia, quæ etiam in plerisque locis haud observari potuit, simpliciter Hebræam veritatem pro virili nostra produ-
ceremus, & quantum fieri potuit, interpretatio ipsa Hebräismo è regione posito juxta Hebræorum mentem responde-
ret, Hebraismi studiosis potissimum hoc nostro labore inservire cupientes: etiamsi aliis æque usui esse possit qui linguam
hanc negligendam ducunt. Existimo autem neminem, nisi sycophantas, oblatratorum, cum omnino nobis in animo
fuerit talem parare editionem quæ etiam Hebræis displicere non posset, nisi fortasse in his locis ubi contentio est inter
nos & ipsos de Christi mysterio. Consuluimus ob id in Pentateucho ex Hebræis scriptoribus Chaldæum interpretem,
R. Salomonem, D. Kimhi, Aben Ezram, R. Menahem, Abraham Hispanum autorem Fasciculi myrrhæ, Seder
Olam, R. Mosen de Cozi, Mosen Gerundensem, Arba Tura, & quosdam alios: & cujus expositio in obscuriori-
bus locis nobis commodior visa fuit, hunc secuti sumus. Recitamus etiam non raro quid ipsi sentiant, suspendentes
judicium nostrum, & lectori suum liberum permittentes. Ubi vero verba adeo obscura sunt ut ad varia torqueri possint,
ibi Hebraica tantum producimus, ut liceat cuilibet pro arbitrio quem velit ex iis elicere sensum, præsertim si ex
Hebræis scriptoribus certi nihil nec solidum aliquid haberi possit. Studuimus quoque agere juxta hanc appositissimam
Hebræorum sententiam, מי שאינו יודע מה למעלה ומה למטה בספרים הופך דברי אלהים חיים, h. e.
Qui non advertit quod supra & infra in libris scribitur, is pervertit verba Dei viventis. Juxta quam regulam Moses Ge-
rundensis, Kimhi & Aben Ezra cautissime Scripturam exponunt. Quare meo judicio inepte illi agunt qui contemptis
Hebræis scriptoribus pergunt interpretari libros V. Instrumenti. Certe ego id ex eis didici, ut sæpe monitores sint ve-
ritatis, etiamsi ipsi interim in tenebris & erroribus versentur. Sicut & Bileam filiis Israel benedixit & prospera ex
spiritu Dei prophetavit, errorem autem suum & futuram interfectionem prævidere non potuit. Verum suo loco osten-
dam quam hallucinati sint quidam qui citra Hebræorum suppetias Hebraicum textum nostro ævo interpretari conati
sunt: id quod D. Hieronymus tentare noluit, qui semper conductitium apud se habuit Judæum, qui illi in difficilio-
ribus locis Rabbinorum suggereret expositionem. Nec est quod causeris periculum esse consulere glossas talium in-
fidelium hominum in libris Sacris, modo cognitionem Christi adjungas peritiæ linguæ. Possem innumera
ostendere loca quæ perperam à recentioribus sunt reddita interpretibus, qui citra sufficientem linguæ peritiam & Rab-
binorum lectionem præsumpserunt vertere libros Sacros, perinde quasi satis sit cognito Christo interpretem agere
Hebraismi. Vale Lector, & laborem nostrum boni consule.

PRÆFATIO SEBAST. MUNSTERI

In Vetus Testamentum.

NEmo ignorat, pie Lector, in orbe non inveniri librum aliquem in quo scribendo, vertendo & exponendo plura sudarint ingenia quàm in codice Sacrorum Bibliorum. Laborarunt in eo ante captivitatem Babylonicam Sacerdotes Judæorum sub piissimo Rege Josia, & post captivitatem Ezra scriba, & paulo post Septuaginta interpretes, deinde post Hasmonæos Pharisæi & Sadducæi; quin & Samaritani ex Assyria olim translati, qui studebant suis quoque diebus Meschiam quærere in lege Domini. Et post Christum, nascente jam prima Ecclesia, magna quoque fuit interpretum varietas, unde tandem nata fuerunt Hexapla exemplaria; In quibus scilicet primo omnium Hebraica ponebantur; & secundo loco etiam Hebræa, sed Græcis literis descripta: Tertia columna continebat Aquilæ editionem; quarta, Symmachi; quinta, Septuaginta interpretum; & sexta Theodotionis.

dotionis. Post istas versiones dicuntur & aliæ factæ usque ad tempora D. Hieronymi, qui ultimam ante nostra tempora ex omnibus quæ ante eum editæ fuerant paravit. An vero illa pura & impermixta manserit, nostrum de hoc aliquando expressimus judicium. Vides, Lector, antiquorum Biblicorum scriptorum diligentiam & labores. Horum obliviscuntur, aut certe illarum rerum ignari sunt, qui hodie tantopere obstrepunt piis eruditorum laboribus quos in Bibliis sacris illustrandis suscipiunt. Quosdam enim aiunt Græcæ versioni nimium addictos, & alios Hebraicæ phrasi sic deditos ut Latina lingua in ipsorum versione propter relictos Hebraismos à sua degenerarit proprietate. Certe hi non cogitant plurima verba & idiomata receptiora & notiora esse, atque ab Apostolis usurpata, quam ut mutari conveniat aut necesse sit; Deinde Scripturam suos ubique habere tropos & locutiones figurativas, metaphoras, catachreses, allegorias, ænigmata, metalepses, metonymias, synecdochas, periphrases, epitheta, hyperbata, pleonasmos, hyperbolas, antonomasias, &c. quæ apud inexercitatos non modicam pariunt obscuritatem, imo non raro perversam Scripturæ interpretationem. Nam cum quis id quod tanquam proprie sit dictum accipit, carnaliter sapit: nihilque nocentius est in Scriptura quam carnalem sensum ex spirituali eruere. Exemplum habes in Capernaitis. Via ergo sternenda qua modus inveniendæ locutionis, propriane sit an transsumptiva, in promptu habeatur. “Est igitur iste omnino modus, ut docet Augustinus, ut quicquid in sermone Divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet. Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt, quorum ad charitatis pastum enucleanda secreta sunt. Exemplum Johannis 12. de unguento pretioso à muliere effuso. Item, plurimas uxores viri ducebant. Si præceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Prov. 25. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit. Sed quod sequitur, *hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, malevolentiæ facinus putes juberi, ne igitur dubitaveris figurate dictum. Et cum possis bifarie interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas *carbones ignis* esse urentes poenitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus qui dolet se inimicum fuisse hominis à quo ejus miseriæ subvenitur. Hujus generis est etiam illud Eccles. 12. 4. *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem:* intelligendum ergo est figurative dictum, *peccatorem* pro *peccato*, ut non suscipiatur peccatoris peccatum.” Sunt etiam multa in Sacra Scriptura quæ in diversis locis diversam accipiunt interpretationem, ne putemus ut quod res aliqua per similitudinem in aliquo loco significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione Dominus posuit Fermentum, cum diceret, Matth. 16. 6. *Cavete à fermento Pharisæorum*, & in laude, cum diceret, Luc. 13. 21. *Simile est regnum cælorum mulieri quæ abscondit fermentum.* Hujus generis est etiam *Leo*, qui & Christum & Diabolum significat. Item *Serpens*, *Panis*, &c. Sunt etiam nonnulla quæ incerta sunt in quam accipi debeant partem, ut illud Psal. 75. 8. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* Incertum enim est an iram Dei aut gratiam Scripturarum exprimat. Quædam etiam res non in contraria sed tantum in diversa significatione ponuntur, ut *Aqua* significat populum Apoc. 17. 15. &, Spiritum Sanctum, Joh. 7. 38. 39. Mutantur quoque sæpenumero verborum significantiæ: id quod proprium esse Scripturæ Divinæ fateri cogimur, ut Exod. 20. 18. *Videt populus vocem Dei*; pro *audivit*. Psal. 16. 4. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, pro, *non exprimam nomina eorum.* Item, *De vultu tuo prodeat judicium meum*, pro, *de mente tua.* Gen. 22. 12. *Nunc cognovi*, i. cognoscere feci, *quod diligas Dominum.* Ponuntur etiam quædam ordine præpostero: ut Psal. 86. 7. *In die tribulationis meæ clamavi ad te, quoniam exaudisti me.* Matt. 1. 25. *Non cognovit eam donec peperit Filium suum primogenitum.* Item quædam explicantur diversis similitudinibus ad majorem emphasim, cum tamen eundem exprimant sensum: ut in Abdia, 18. *Erit domus Jacob ignis; & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula*, &c. Zach. 10. 3. *Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo*, &c. Esa. 11. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*, &c. Quem loquendi morem Hebræi per hæc verba exprimunt, ענין אחד במלות שונות: item una res diversis appellatur nominibus, ut Christus dicitur *Deus Admirabilis*, *Fortis*, *Leo*, *Germen*, *Sol*, *Justus*, *Sanctus*, *Dux*, *Virga*, *Surculus*, *Rex*, *Filius David*, *Ovis*, *Sacerdos*, *Vermis*, *Fructus terræ*, *Signum populorum*, *Mediator*, *Sponsus*, *Propheta magnus*, *Panis vitæ*, *Pastor bonus*, *Radix Jesse*, &c. Sic Ecclesia vocatur *mater*, *vinea Domini*, *Zion*, *mons*, *sponsa*, *amica*, *Jerusalem*, *templum*, *domus Jacob*, *civitas Dei*, &c. Et fideles nuncupantur *filii Dei*, *genus electum*, *gens sancta*, *sacerdotium sanctum*, *filii lucis*, *corpus Christi*, *cives sanctorum*, *domestici Dei*, *semen Abrahæ*, *lapides vivi*, *templum Spiritus sancti*, *peculium Domini*. Euangelium vocatur *mensa*, *farina*, *fons aquæ vivæ*, *aqua salutaris*, *lux magna*, *aurora*, *virtus Dei*, *sceptrum regni*, *virga virtutis*, *cornu salutis*, &c. Sic Scriptura S. appellatur *vinum*, *lac*, *pabulum*, *panis vivus*, *lumen*, *lucerna*, *vox*, *spiritus oris*, *brachium*, *malleus*, *margarita*, *potentia Dei*, *via salutis*, *vita æterna*, &c. Fides vocatur *lumen*, *justitia*, *veritas*, *scutum*, *regnum cælorum*, *granum sinapis*, *vestis nuptialis*, *lucerna corporis*, &c. Diabolus vocatur *leo*, *draco*, *serpens*, *lupus*, *Leviathan*, *Satan*, *Belial*, *tentator*, *homicida*, *aspis*, *latro*, *lucifer*, *potestas tenebrarum*, &c. Infernus vocatur *abyssus*, *gehenna*, *umbra mortis*, *lacus mortis*, *vermis conscientiæ*, *terra oblivionis*, &c. Spiritus Sanctus vocatur *aqua*, *ignis*, *signaculum*, *unctio*, *oleum lætitiæ*, *Paracletus*, *Consolator*, *aqua viva*, *digitus Dei*, *Spiritus veritatis*, &c. Idolum vocatur *fornicatio*, *adulterium*, *Baalzebub*, *Baal-phegor*, *vanitas*, *dolor*, *mendacium*, *Bel*, *hortus*, *quercus*, &c. Antichristus vocatur *adversarius*, *bestia*, *fur*, *pseudopropheta*, *persecutor*, *iniquus*, *fraudulentus*, *filius perditionis*, *meretrix Babylonis.* Credere capitur pro *aspergi sanguine Christi*, *obedire verbo Dei*, *subjectum esse Christo*, *edere*, *bibere*, *induere Christum*, &c. Poenitentia vocatur *jejunium*, *cinis*, *saccus*, *planctus*, *humiliari in conspectu Dei*, *converti ad Deum*, &c. Sic de multis aliis quæ explicata invenies in libello Elocutionum Sacrarum Scripturarum, unde ista desumpsimus, cujus autor est Jacobus Greuschelius, diligentissimus indagator troporum Scripturæ Sacræ. Ut autem una & eadem res multis & diversis vocabulis exprimitur, ita rursum uno nomine vel verbo multæ & diversæ significationes sæpe explicantur. Ideo diligenti opus erit consideratione, ne dictionem aliquam tropicam propriam faciamus, aut propriam tropicam: sic enim magis perverteremus quàm sincere exponeremus Scripturam. Hinc etiam manarunt nobis tot interpretum diversitates, ut illè hoc alter illo significatu aliquam dictionem verterit, contenderitque fideliter genuinum reddidisse intellectum: etiamsi sciamus non satis esse nativam alicujus dictionis significationem tenere, si tropicum intellectum ab ea quis pro temporis & loci ratione semoverit. Exemplo uno & altero res ipsa tibi manifestior fiet. *Deus* non semper & constanter accipitur pro summo, vero & æterno Bono; sed nonnunquam usurpatur pro Angelo, aliquando pro idolis, aliquando pro judicibus, aliquando pro felicitate terrena, ut est illud *Quorum Deus venter est*, q. d. Quorum summa felicitas gula est. Sic *Angelus* usurpatur pro justo, 1 Cor. 11. 10. item pro diabolo, 1 Cor. 6. 3. Item *Benedictio* usurpatur pro eleemosyna, pro munere, pro prolificatione, &c. Sic *Caro*, aliquando pro iis qui carnali sunt subjecti legi, aliquando pro uxore; sicut & *spiritus* pro marito: Ille enim imperare debet, & illa servire. Capitur & per synecdochen *caro* Rom. 3. 20. pro omni homine: item

pro

pro membro virili, Lev. 15. 2. Item *Peccatum* vocatur apud Apoſtolum Rom. 6. pro injuſtitia: & ſæpe *peccata* dicuntur ſacrificia pro peccatis, quale Chriſtus fuit *peccatum*, 2 Cor. 5. 21. Nedum autem in ſimplicibus dictionibus, verum & in compoſitis & integris ſententiis diverſi & ſæpenumero tropici inveniuntur ſenſus, ubi ſcilicet genuina interpretatio non eſt ea quam nudæ dictiones offerunt, ſed quam mens ſcriptoris intendit: ut eſt, *Deus deorum*, pro uno & vero Deo; *Vituli labiorum*, pro gratiarum actionibus, Hoſ. 14. 2. *Portare peccatum ſuum*, pro luere pœnas peccati ſui, Lev. 20. 17. 19. 20. *Filius arcus*, pro ſagitta; *Accingere lumbos*, pro ſtrenue agere; *Turpitudinem revelare*, pro concumbere; *Declinare ad dextram vel ad ſiniſtram*, pro commoveri proſperitate, libidine & voluptatibus, vel frangi convitiis & adverſitatibus; *Regiam* autem *tenere viam* eſt recte incedere, & non ſuperari commodis vel incommodis. Huc pertinet quoque quod multa de Deo dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, i. *hominum more*: ut, *Oculi Domini ad juſtos, & aures ejus ad clamores eorum*, Pſal. 34. 15. *In omni verbo quod egreditur de ore Dei vivit homo*; *Apud memetipſum juravi, dicit Dominus*; *Facta eſt ſuper eum manus Domini*; *Inclinavit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus*. *Domine, ne in furore tuo arguas me*, &c. *Avertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus*: *Odoratus eſt Dominus*; *Conſurge, quare dormis, Domine?* Sic quoque Prophetæ & homines ſancti frequenter ſolent obſecrare Dominum per conſuetudines hominum, ut in Threnis Jeremiæ, *Recordare, Domine, quid acciderit nobis*; *Sint aures tuæ intendentes*; *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, & multa hujuſmodi loca paſſim in Scriptura lectori occurrunt. Præterea quam familiares ſint eidem Scripturæ S. figuræ tum elocutionis quam ſententiæ, neminem latere arbitramur qui in bonis autoribus verſatus acumen ingenii transfert ad Sacra. *Figuram elocutionis* vocamus, quæ diſtractis aut immutatis verbis, vel ordine non ſervato, non manet; ut eſt Anaſtrophe: Et *figuram ſententiæ*, quæ immutato vel tranſlato verborum ordine, nihilominus manet; qualis eſt, Ænigma, Auxeſis, Tapinoſis, Emphaſis, Hypallage, Paronomaſia, Parabola, Metabole, &c.

¶ *Hebræorum Commentarii non contemnendi.*

Docemur ex D. Hieronymi ſcriptis, Hebræorum ſcripta non omnino contemnenda ab eo qui ſacros Hebraicos codices conatur Latinos facere; cum vir ille, talis & tantus, non dedignatus fuerit Hebræos habere præceptores, imo fatetur ſe Biblia S. neutiquam potuiſſe interpretari citra illorum ſuppetias. Expoſuit etiam ob eam rem nummos plurimos, ut illi eſſent à ſubſidiis. Nec dubito, ſi Hieronymo fuiſſet vel Aben Ezræ, aut Moſi Gerundenſis, aut Ben Gerſom, aut David Kimhi commentarius, vivo præceptore opus non habuiſſet. Nunc autem in tanta librorum penuria caruit etiam Sacro codice qui notulis & punctis eſſet diſtinctus: Quæ res non parum interpretibus impoſuit, ut ſæpiuſcule unam dictionem pro alia legerint, ſicut & Racanati ait, ידוע הוא כי האותיות כשאינן נקודות יש להן פנים הרבה: אמנם כשהם נקודות אין להם רק משמעות אחד כפי הנקודה h. e. *Certum eſt, quando litera non punctantur, poſſunt vario legi modo; quando vero habent puncta adjecta, unum duntaxat præ ſe ferunt ſenſum juxta punctationis formam.* Et addit, בעת הקריאה קורין בספר תורת כפי הקבלה שנאמר למשה בסיני *Quando vero legunt*, inquit, *in libro legis, legunt ſecundum acceptionem illam qua Dominus locutus eſt in monte Sinai ad Moſen.* Non ſunt igitur puncta vocalia novum quoddam Judæorum inventum (ut illud hic obiter commemorem) ſicut Steuchus & quidam alii ſibi ſimiles exiſtimant; cum ſecundum Rabbinorum ſententiam per Ezram ſcribam nedum puncta vocalia, verum & accentuum figuræ Sacris codicibus ſint adjectæ. Etiamſi ſint alii qui aſſerant puncta à Judæis Tiberiadis commorantibus adinventa, qui ſemper in lingua Sancta cultiores & politiores fuerunt. Quare vero olim tempore Hieronymi Biblicus textus punctis non fuerit diſtinctus, reddit R. Menahem hanc rationem, ספר תורת שיש בו הרבה פנים אינו נקוד Sicut & alio loco, nempe Exodi 21. dicit, דברי תורה יש להם פנימי וחיצון גלוי ונסתר imo Aben Ezra dicit quod Lex præter דרך הפשט *literalem ſenſum*, habeat שבעה פנים, *ſeptem modos intelligendi*, quod hic nolumus diſcutere. Olim igitur omnes fere Sacri codices punctis deſtituebantur, ſicut & hodie volumen Legis quo Judæi in Synagogis utuntur punctis caret: nec niſi qui inſigniter docti erant, poterant illos recte legere & intelligere: eratque acceptio quædam Cabaliſtica, quam ſacerdotes ſcire tenebantur, & plebeis hominibus explanare. Cum vero temporum ſucceſſu, demerentibus eorum peccatis, multæ irruerent tribulationes, & paſſim per orbem diſpergerentur, doctique imminuerentur, coacti ſunt multa calamo excipere quæ prius ſolum traditione ſciebantur. De qua re videre poteris Rabbi Moſen de Cozi, in præfatione ſuper librum Mitzvoth majorem, cujus libri ſummarium ſuperioribus diebus in ſtudioſorum commodum evulgavimus. Et hinc eſt quod propria nomina quæ paſſim in Bibliis Latinis inveniuntur, ſæpenumero alia habent quam Hebraici codices vocalia: ut *Rebecca* pro *Ribka*, *Eva* pro *Hava*, *Mariam* pro *Miriam*, *Salomon* pro *Schelomo*, *Jeruſalem* pro *Jeruſalaim*, *Iſaac* pro *Jizhac*, *Noe* pro *Noah*, *Neptali* pro *Naphthali*, &c. Sed & in dictionibus appellativis, quæ eiſdem ſcribuntur literis ſed diverſis punctis, ut חלב ſi legas חָלָב *halab* eſt *lac*, ſin legas חֵלֶב *helab*, eſt *adeps*. Similis imo major nonnunquam contigit error, cum una dictio pro alia fuerit uſurpata; id quod Geneſis 36. 24. factum conſtat, ubi tranſlator noſter חמים legit pro יַמִּים *jammim*, vel מַיִם *maim*, vertitque *aquas calidas*; cum Hebræi ibi legant יֵמִם *jemim*, quod *mulos* ſignificat. De qua re in Annotationibus dicam, ubi negotium poſtulaverit. Nunc vero ad Hieronymum redeo. Is cum exemplar haberet punctis deſtitutum, nullaque illi eſſent Hebræorum commentaria, ſed nec Chaldaica editio Onkelos vel Jonathan, duplici nomine illi conducendi erant Judæi à quibus erudiretur. Nam ſunt multa loca in Scriptura adeo obſcura & perplexa ut citra Hebræorum traditionem non facile intelligi poſſint, quicquid naſuti hic ganniant. Nec dedignatus eſt vir tantus & tam celebris per orbem rurſus fieri diſcipulus, etiam illorum qui inimici erant crucis Chriſti & nominis Chriſtiani. Ubi & hoc monendum duximus, eos non audiendos qui putant Hebræos ſcriptores contemnendos, quod nihil boni habeant, & ſi quippiam habent, præſertim in obſcuris locis, id à Chriſtianis habeant. Potiſſimum autem Steuchus toties inculcat Rabbi Salomonem, quod ille interpretationem ſuam pro majori parte ſuffuratus ſit ex Hieronymi tranſlatione. Id ſi verum eſt, & Judæi non poterant interpretari Sacra Biblia tempore Rabbi Salomonis, atque ante ævum ejus, a quo, quæſo, didicit Hieronymus Legis & Prophetarum interpretationem? Nonne à Judæis? Quomodo igitur hic dicit, Hebræos minus habere cognitum in Scriptura quàm omnes gentes? Vel ſaltem linguam noverunt, tenent linguæ idiotiſmos, interpretationem à majoribus veluti per manus traditam non omnino ignorant, etiamſi præcipuum ſcopum Scripturæ ignorent, quem nobis Chriſtus & Apoſtoli oſtenderunt. Nec tamen uſque adeo infelices ſunt quin non raro olfaciant myſterium Chriſti, ſed ſub craſſo ænigmate, ut nos ſuis quibuſque oſtendemus locis, largiente Domino, præſertim in Prophetis, quorum aliqui etiam ore rotundo de Chriſto noſtro oracula ſancta cecinerunt. Hoc unum ſcio, multa eſſe apud D. Hieronymum in commentariis quæ aſſerit ſe didiciſſe à Judæis, quæ & ego in R. Salomone inveni. Et putas Hieronymum hominem Chriſtianum ab Hebræis didiciſſe quod poſteri Hebræorum à majoribus ſuis non didicerant? Si Hebræorum ſcriptores & præſertim R. Salomon, qui inter recentiores

antiquior est; Nam fuit ante 400. annos; id quod ex Judæis Wormacienfibus habeo, ubi aliquandiu commoratus est, cùm alioqui natione Gallus fuerit: si, inquam, Judæi nihil sciunt quàm quod à Christianis habent, ergò nec Biblia Hebræa habent nisi à Christianis. Aut si custodire potuerunt oracula illa Divina, atque totum Bibliorum corpus, ut nihil corruptionis illis accederet, idque in commodum nostrum; & Magistrorum interpretationem, sive Seniorum traditionem, quam Hieronymi temporibus habuerunt, & quâ Hieronymus ipse usus est, conservare non potuerunt? Unde, quæso, ad nos pervenit utraque Chaldaica editio, quam Hieronymus non vidit, cùm nunquam illius mentionem faciat, & tamen longè ante illum facta fuit? nonne per Judæos? Quomodo igitur Judæi conservare potuerunt Biblia sacra & Chaldaicam translationem, imo & Thalmud ipsum, non autem Patrum expositiones, sed rursum coacti sunt illas à Christianis emendicare? Quod si dixeris, à temporibus Hieronymi usque ad tempestatem R. Salomonis Judæis non fuisse viros doctos, sed fuerunt interim solùm custodes S. codicum, veluti canes ad præsepe, destituti Legis & Prophetarum explicatione, respondeo, Ex capite tuo id somnias. Lege, si potes, librum Seder Olam, quem edidit R. Abraham Levites F. David, quem de illustribus scripsit Judæis & de quibusdam Judæorum gestis, incipiens ab anno mundi ter millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quo tempore mortui sunt Ezra scriba, Haggæus, Zacharias & Malachias, qui ultimi fuerunt Prophetæ, extenditque librum illum usque ad annum mundi quater millesimum nongentesimum nonum, & invenies in eo multos insignes Rabbinos, quos Judæi habuerunt in Hispania, Africa, Ægypto & aliis regionibus, qui libros scripserunt, & non opus habuerunt rursus à Christianis repetere quod Hieronymus nummis non parvis se fatetur mercatum ab illis. Dico insignes Rabbinos secundùm hujus scriptoris existimationem, ne hic quisquam malignandi occasionem contra me accipiat. Nihil itaque, Christiane Lector, tibi oberit Rabbinorum lectio atque interpretatio, si Christum purè didicisti; imò proderit, sive illi nobiscum consentiant sive dissentiant. Vide, quæso, Jesaiæ 7. & 9. quid mihi obfuerit lectio inimicorum crucis Christi, quorum expositio in his locis ex diametro pugnat cum Christianorum interpretatione. Sed de hoc satis. Cæterum quid de Vulgatæ editionis autore sentiam jam dicam. Videtur mihi cum Paulo Mittelburgensi eam esse vel Theodotionis, vel Aquilæ, vel Symmachi, aut omnium istorum, sed quam Latinus aliquis Hebraicè indoctus cultiori adornavit stilo. Conjecturam præbet locus ille qui Ecclesiastæ primo scribitur, quem Symmachus, ut Hieronymus refert, sic vertit, *Pertransivi universa sensu meo, scire & discere & investigare sapientiam.* Et hunc locum factitius ille interpres, sive Ruffinus fuerit, sive quicunque alius, Latiniorem in hunc modum fecit, *Lustravi universa animo meo, ut scirem & considerarem & quærerem sapientiam.* Idem sentiendum censeo de toto V. T. Fieri etiam potuit ut æmulus aliquis Hieronymi in angulis Hieronymianam legens editionem, illam pro voto suo emendaverit, aut magis corruperit, & prætextu præfationum Hieronymi nomine Hieronymi illam venditarit. Haud enim fieri potuit ut scriptorum vitio omnia illa errata irrepserint quæ hodie in Vulgata editione inveniuntur. Certum est, Hieronymi temporibus, antequam ille suam parasset editionem, fuisse V. Testamentum in omnibus Ecclesiis Latinis per Italiam, Africam, Hispaniam & Galliam constitutis; & facilè fieri non potuit ut rejecto priori exemplari, sive Septuaginta illud fuerit, sive Symmachi aut Theodotionis, novum illico acceptarint, & cum magnis expensis describi curaverint, præsertim cùm Hieronymi versio tot tunc habuerit obtrectatores, & unum exemplar tunc non tam facilè in multa millia potuerit multiplicari, sicuti nostro ævo, quando admirabile illud excudendorum voluminum artificium superorum beneficio adinventum in patria mea, ut & id obiter commemorem, nempe in Moguntia, urbe Rhenensi vetustissima, & in qua usque in hunc diem tot visuntur Romanorum miræ antiquitates. Voco autem eam urbem parentem meam, non quòd illa me genuerit, sed haud procul hinc in Ingelhemia, ubi olim Caroli Magni habitatio fuit, & ejus palatii ruinæ adhuc exstant, patre dulcissimo Andrea Munstero piæ memoriæ natus sum. Sed redeo ad Hieronymum. Non tibi mirum videri debet, Lector, si dixero Hieronymi tralationem in universum interiisse, præter unum Ecclesiasten & Psalterium, qui suo ævo tot habuit æmulos; & exstincto uno exemplari, facilè tunc fieri potuit ut universus ejus perierit labor: id quod multis ejus commentariis quoque accidisse nemo non novit qui Hieronymum legit, qui tamen tot æmulos non leguntur habuisse. Sed de hac re aliorum quoque cupio audire judicium. Fieri enim non potest quin collatis multorum judiciis unum cæteris præstantius inveniatur.

¶ *Quâ ratione consilióve hac facta sit Editio.*

UT tandem rationem aliquam habeas, Christiane Lector, hujus suscepti nostri laboris, visum fuit tibi compendio tradere quo usi fuerimus consilio, & quem secuti simus ordinem, cùm hunc moliremur laborem; posteaquam in omni re tractanda ordo præcipuè spectetur, qui rebus per se alioqui obscuris lucem soleat & claritatem afferre. In primis noveris Hebraica in hoc libro haud secùs posita quam in Judæorum inveniuntur codicibus scripta, nisi quod ea amputanda censuimus quæ Judaicis inserviunt ceremoniis & superstitionibus; utpote distinctiones magnas, quas ipsi פרשות vocant, ut sunt, אלה תולדות *Istæ sunt generationes Noah*, ויאמר יהוה *Et dixit Dominus ad Abram, &c.* quas ipsi legunt in synagogis suis per singula sabbata, donec in anni spatio totum compleverint Pentateuchum. Simili fere ordine distinxerunt Prophetas majores & minores; vocantque sectiones illas הפטרות, quas legunt sabbato in templis sicut Parsioth. Denique literas Samech & Pe, quas intra Mosaicum contextum quidam libri habent scriptas, veluti Judæorum figmentum resecuimus, quicquid ipsi dicant de traditione Mosi & Ezræ. Ajunt autem Samech significare סתומה *spatium clausum*, & Pe פתוחה *spatium apertum & liberum.* Accentus præcipuos, h. e. qui sententiam in membra & subdistinctiones dividunt, non omisimus: reliquos vero veluti parergos neglexirmus, præsertim cum & Judæi ipsi fateantur se propter peccata sua ignorare vires particulares accentuum. De quo vide, si libet, R. Calonymum, in libro quem De accentibus inscripsit, & adjectus est Grammaticæ Abraham de Palmis. Cæterum quod Magistri Hammasoreth difficultatem quandam moverunt de dictionibus plenis & defectivis in Vau & Jod, nos quoque veluti rem inanem Magistris illis labyrinthum illum cum crassis illis mysteriis dimittimus, habentes in hoc Aben Ezram, virum apud Hebræos magnæ autoritatis, patronum, qui nihil putat subesse mysterii, sed הכותב פעם יכתוב המלה מלאה ופעם יחסר אות נעלם לאות דרך קצרה *scriptor pro arbitrio aliquando dictionem scribit plenam, aliquando causa brevitatis unam resecat literam:* quod tamen de literis Vau & Jod intelligi debet, quarum prima non raro in Holem, & altera in Hirec quiescere solet. Unde quando D. K. dicit 3 Reg. 17. & in Præfatione, quam præmisit Prophetis prioribus, בגלות ראשונה נשתבשו הנסחאות והיו מוציאין בנסחא אחת כך ובנסחא אחרת כך ולא עמדו על בירורם וכתבו האחת מבפנים והאחרת מבחוץ: גם אבדו הספרים ונטלטלו והחכמים יודעי המקרא מתו ואנשי כנסת הגדולה שהחזירו התורה ליושנה מצאו מחלוקת בספרים והלכו בהם אחר הרוב לפי דעתם ובמקום שלא השיגה דעתם על הבירור כתבו האחד ולא נקדו או כתבו מבחוץ ולא כתבו מבפנים: h.e. *In captivitate prima corrupta sunt exemplaria, eliciuntque ex uno exemplari sic, & ex alio aliter: & non clarum non potuerunt habere sensum, scripserunt unam dictionem intra contextum, & aliam ad marginem. Perierunt quoque exemplaria & distracta sunt. Et morientibus sapientibus, qui tenebant Scripturæ sensum, conati sunt*

sunt hi qui erant de synagoga magna restituere Legem ad vetustatem suam; invenientesque dissensiones in exemplaribus, adhibuerunt fidem pluribus exemplaribus consentientibus. Ubi vero claram cognitionem habere non potuerunt, scripserunt unam dictionem absque punctis, aut scripserunt in margine, & non intra contextum. Hanc Kimhianam & aliorum RR. opinionem impugnat R. Jacob F. Hajim, de Regno Thunesii, quod in Africa situm confine est provinciæ Carthaginis; scribitque contra eos in hunc modum, עצתם רחוקה מני כי איך אוכל בנפשי להאמין ואיך אעלה על שפתי שמצא עזרא הסופר ספר תורת האלהים וספרי נביאיו מסופקים בהפסד ובלבול: ודעתי היא כי עזרא וסיעתו מצאו ספרי התורה בשלומתם ותמותם ועזרא הבין בדעתו איזה ספרים נכתבו בחכמה יתירה ולמה נכתבו האותיות החסרות והיתרות והלשונות הזרים והניחם ככתב כבפנים כמו שנכתבו והשים מבחוץ פירוש הכתוב הזר כפי טבע הלשון; h.e. *Sententia illorum longe est à me. Nec enim adduci possum ut credam & labiis confitear, Ezram scribam librum legis Divinæ atque libros Prophetarum dubios, corruptos & confusos invenisse: quin magis sententia mea est, quod Ezras & collegæ ejus invenerint Biblia S. integra & illæsa, quodque Ezras judicio suo cognoverit qui libri scripti essent per sapientiam illam excellentem, & quare quædam literæ scriberentur, quædam vero non, quare etiam dictiones quædam extraneæ scriptæ essent: dimisitque eas in ipso textu ut scriptæ erant, adjiciens in margine veluti glossam, quæ naturam explicaret vocabuli extranei.* Tantum de Hebraicis: reliqua in Annotationibus indicabimus. Porro in Latina versione hoc unum spectavimus, ut quoad fieri potuit Latina Hebraicis responderent, nisi quod aliquando quasi per parenthesin adjecimus unam aut alteram dictionem quæ ad explicationem obscurioris faceret sententiæ, id quod summe necessarium videbatur in Prophetis. Sententiarum distinctiones fecimus, ut apud Hebræos habentur, etiamsi sciremus id apud Latinos in quibusdam locis dure sonare. Phrasim quoque Hebraicam & idiotismos ipsos non semper immutavimus præsertim qui Christianis auribus hodie non sunt horrori, nisi interdum nostri obliti Hebraismum crassiorem irrepere permisimus, sicut Gen. 2. 23. contigit, ubi scripsimus, *Huic vocabitur Virago*, pro *Huic dicetur Virago*, vel *Hæc vocabitur virago.* Porro Hebraismi quibus Christiani sunt assueti, sunt isti, & plures eis similes. ¶ *Placuit verbum in oculis meis*, pro, *collibitum fuit mihi.* ¶ *Abraham plenus dierum mortuus est*, pro, *grandævus.* ¶ *Venit in dies*, pro, *ad senectutem pervenit.* ¶ *Ecce ego*, pro, *adsum*, vel *audio.* ¶ *Percutere animam*, pro, *occidere hominem*, vel, *eripere vitam.* ¶ *Aqua pedum*, pro, *lotio*, sive *urina.* ¶ *Contegere pedes*, pro *purgare alvum.* ¶ *Invenire gratiam in oculis*, pro *placere*, vel *impetrare gratiam.* ¶ *Factum est post verba ista*, pro, *his gestis factum est.* ¶ *Filius triginta annorum*, pro, *vir triginta annorum.* ¶ *Filius mortis*, pro, *dignus morte.* ¶ *Os sacci*, pro, *foramen sacci.* ¶ *Percussus est in ore gladii*, pro, *acie gladii.* ¶ *Pater noster est in pace*, pro, *sanus est*, sive, *recte habet.* ¶ *Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas*, pro, *valde multiplicabo.* ¶ *Contestando contestatus sum vobis*, pro, *certissime contestatus sum.* ¶ *Magnus nimis*, pro, *maximus.* ¶ *Locutus est Deus per manum prophetæ*, i. *per ministerium.* ¶ *Locutus est in auribus eorum*, pro, *audientibus eis.* ¶ *Constituerunt eum in regem*; *Duxit eam in uxorem*: ubi præpositio *in* redundat. ¶ *Ire ad dextram vel sinistram*, pro, *declinare à recto.* ¶ *Populus formicarum*, pro, *turma.* ¶ *Filius armenti*, pro, *vitulus.* ¶ *Mater avicula.* ¶ *Declinare judicium*, pro, *pervertere judicium.* ¶ *Ascendere in cor*, pro, *cogitare*, seu *diligenter perpendere.* ¶ *Universa terra delebit*, pro, *cuncti habitatores terræ*, &c. ¶ *Onus Babylonis*, pro, *prophetia dura contra Babylonem.* ¶ *Posui animam meam in manibus meis*, h.e. *periculo vitæ me exposui.* ¶ *Accinge lumbos tuos*, pro, *strenue exsequere negotium.* ¶ *Comedere panem & bibere aquam*, pro, *transigere vitam ex lege Domini.* ¶ *Suscitavit verbum quod locutus est*, pro, *Re exhibuit quæ locutus est.* ¶ *Fecit sibi nomen*, pro, *Adeptus est nomen magnificum.* ¶ *Illumina faciem tuam*, pro, *Ostende serenum vultum tuum.* ¶ *Civitas super quam invocatum est nomen tuum*, pro, *Urbs quæ gerit nomen tuum.* ¶ *Non in justitiis nostris prosternimus preces nostras*, pro, *Non in precibus quas effundimus allegamus nostram justitiam*, &c. ¶ *Comedentes panem in mensa ejus*, pro, *Domestici & familiares ejus.* ¶ *Judicando judicabit*, pro, *jus dicet.* ¶ *Magnificasti misericordiam tuam mecum*, pro *prosecutus es magnifica bonitate tua.* ¶ *Moriendo morieris*, pro, *certissime morieris.* ¶ *Aperuit vulvam*, pro, *reddidit fœcundam.* ¶ *Juravit Deus per animam suam*, pro *juravit per semetipsum.* ¶ *Ponam vos in nomen & laudem*, pro, *reddam vos celebres & laudatos.* ¶ *Levantes vocem fleverunt*, pro, *ploraverunt alta voce.* Hos & multos alios similes idiotismos nec Vulgatæ editionis autor ubique & semper vitavit; quemadmodum & collectiva specierumque nomina nonnunquam more Hebraici sermonis copulavit verbis pluralibus. Alioquin paraphrasten in plerisque locis verius egit quam interpretem: id quod nobis non agendum visum fuit, quando Hebraismi studiosos semel juvare instituerimus. Quicquid tamen obscuritatis propter Hebraismos ipsos invectum est, id Annotationum beneficio dilucidavimus. Quare nolumus ut hæc editio absque Annotationibus usquam locorum excudatur. Non ignoramus quidem majorem vim orationis sitam in locutionibus & loquendi proprietatibus quam in ipsis vocibus. Scimus & interpretis esse officium, non tantum verborum transferre significationes, verum & locutiones atque phrases immutare, ne quod in una lingua venustum & clarum est, in altera fiat obscurum, sicut & Aben Ezra monet, עבריים ישמרו הטעמים ולא המלות: Sed cogitamus etiam interim quod non possumus scire sensum nisi illum per verba discamus, ut Hieronymus dicit Eccles. 1. Cogitamus denique in Scriptura S. non pro arbitrio ludendum, ut in aliis profanis libris. Cogitamus nec jota unum aut apicem unum frustra in ea positum; ut piaculum sit illi vel minimum quid superaddere aut adimere. Ut interim taceamus quosdam, qui ante nos conati sunt Biblicos vertere libros, non satis dextre nonnullos reddidisse idiotismos, ut satius fuerit illos non vertisse quam sic perperam reddidisse. Nomina illorum hic occultanda censuimus, ne ab æmulis temerarius proclamer censor. Nec admodum moveor illorum verbis qui ajunt horrorem Hebraici sermonis omnino tollendum, & apposite Latino sermoni accommodare, cum plerumque id non possis facere citra magnam periphrasim aut sententiæ violationem. Idem judicium est de quibusdam Hebraicis vocibus, quibus in aliis linguis nullum respondet vocabulum; ut sunt *Jubileus*, *Mamzer*, *Ephod*, יבם שכמה, *Urim*, *Thummim*, *Ephi*, *Minha*, & aliæ multæ his similes. Fateor nihilominus quasdam esse in Hebræo loquendi proprietates quæ adeo peculiares sunt Hebraismo ut citra magnam absurditatem in aliam linguam transferri non possint: ut ex. gr. Ezech. 1. scriptum est אשה אל אחותה *mulier ad sororem suam*; & Exod. 26. איש אל אחיו *vir ad fratrem suum*: qui loquendi modus usurpatur pro *una ad alteram*, & *unus ad alterum*. Est & id peculiare Hebraismo, ut sæpenumero verbum substantivum subintelligere oporteat; ut Gen. 13. 8. *Viri fratres nos*, subaudi, *sumus*. Utitur & sæpiuscule figura Appositionis, nulla interposita copula. Denominationes quoque non raro ponuntur in ea lingua pro rebus denominatis. Est autem Denominatio quæ rem totam simpliciter complectitur, & Denominatum, quod partem complectitur denominationis, quod scholastici Doctores vocant *abstractum* & *concretum*: ut *mons sanctitatis*, pro *mons sanctus*; *vir mortis*, pro *vir morte dignus*; *propheta falsitatis*, pro *propheta falsus*. Est denique & hoc peculiare Hebraismo, ut vel per Metabolem vel per Emphasim unam & eandem sententiam plerumque bis explicet, sed aliis & aliis verbis; id quod creberrimum est apud Prophetas, & non parum lucis obscurioribus præbet sententiis. Pro exemplo sit tibi caput Jesaiæ 62. quod sic incipit, *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non silebo, donec egrediatur quemadmodum splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas fulgeat.* Insimulat propterea Steuchus sermonem Hebraicum, & dicit illum in hoc peccare quod tam sæpe utatur tautologia, frequentiusque eadem inculcet absque ulla necessitate; & propterea interpres noster prudenter egit, ut quæ semel inculcata fuerunt illa non repetiverit, ut Hebraismus facit. Potissimum autem Jes. 55. est mira verborum copia & repetitio, quam interpres

noster

noster paucissimis absolvit verbis. Nos tamen, qui versionem nostram è regione Hebraismi posuimus, noluimus ab Hebraismo recedere, etiamsi Steuchus centies de nobis dicturus sit quod de Sante scripsit, quòd ille conspurcavit universam Veteris Testamenti Scripturam fœdissimâ illâ barbarie & barbarâ referciens fœditate. Coegit autem nos interdum Hebraismus ipse ut, quò fideliùs Scripturam redderemus, compositionem Latinam faceremus Latinis auribus inconsuetam, ut est *herbificare* pro *herbam producere*, *reptificare* pro *reptile multiplicare*, & similia. Abstinuimus tamen ab iis quæ citra apertam cacophoniam Latinis auribus obtrudi non possunt, ut est האזין *aurisavit*, ורם *vermifavit*, Exodi 16. & similia. Proinde quomodo Hebraismus futura usurpet pro præteritis aut præsentibus, & participia atque infinitivos pro futuro, neutra pro passivis, atque activa pro neutris, non est ut hic explicem, cùm in Grammaticis Hebraicis hæc doceantur. Quos vero potissimùm secuti fuerimus in hac nostra editione, suprà in epistola præliminari obiter indicavimus, nempe quòd solos Hebræos consuluerimus scriptores postquam nobis in animo fuit talem parare editionem quæ per omnia Hebraismo esset conformis. Contulimus tamen obiter Santis in Pentateucho duntaxat editionem, Lutheri recognitionem, Steuchi Annotationes juxta Hebraicam veritatem, & Oecolampadii particulares versiones, & quid in quolibet desideretur facilè advertimus. Santes opus habet majore luce, præsertim cùm editionem suam absque annotationibus emiserit. Sunt in eo plurimi omissi versus, sicut & in Lutheri recognitione: quod non ob aliam causam hic refero quàm quòd cupiam quosdam typographos esse diligentiores, præsertim in libris sacris. Fortasse non deerunt qui etiam in nostra editione invenient quod ipsi videre non potuimus, etiamsi nihil eorum omiserimus quæ ad summam requiri possunt & debent diligentiam. Quod siquis carpere voluerit, is priùs consulat Chaldaicam editionem & Rabbinos, quos suprà citavimus, & si deprehenderit me secùs vertisse quàm ipsi interpretati sunt, incessat pro voto, modò Christiano id faciat animo. Clamet me temerarium, audaculum & arrogantem, si talem invenerit. Facimus autem sæpiusculè Chaldaicæ editionis mentionem, quòd illa sit veluti asylum Hebræis, ad quam confugiant quando aliquid obscurum & senticosum occurrit. Nam illa luculenter explicat quod in Divinis libris minùs clarum positum invenitur, ut sæpe in nostris monstrabimus Annotationibus.

¶ *De Canonicis libris V. T. & eorum ordine.*

CAnonica Scriptura est quæ citra controversiam afflatu Sancti Spiritûs prodita est, irrefutabilis exsistens autoritatis, & de cujus fide nefas est dubitare. Atque hæc dividitur in Vetus Testamentum & Novum. Vetus Judæi vocant à numero librorum עשרים וארבע i. 24. Et hos 24 libros secernunt in quatuor ordines, videlicet in תורה *Legem*, נביאים ראשנים *Prophetas priores*, נביאים אחרנים *Prophetas posteriores*, & כתובים *scripta* sive *hagiographa*, quòd veluti de sanctis rebus a sanctis viris prodita sint. Lex, quæ & חומש, i. *quinarius*, à numero librorum vocatur, sicut & à Græcis eâdem ratione πεντάτευχον appellatur, complectitur *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros* & *Deuteronomium*. Inter Prophetas priores continentur *Jehosua*, quem nostri *Josue* vocant, *Liber Judicum*, *Samuel*, qui Primus & Secundus est *Regum*, *Melachim*, qui Tertius & Quartus est *Regum*. Per *Prophetas posteriores* intelligunt Prophetas majores & minores. Majores hi numerantur; *Jesaias*, *Jirmeia*, *Jehezkel*. Minores, qui à numero תרי עשר, i. *duodecim*, vocantur, hi sunt; *Hosea*, *Joel*, *Amos*, *Obadia*, *Jona*, *Micha*, *Nahum*, *Habacuk*, *Zephania*, *Haggi*, *Zecharia*, *Malachi*. Hagiographa complectuntur sequentes 11 libros: Primus est *Paralipomenon*, i. Prætermissorum, qui ab Hebræis דברי הימים, i. *Verba dierum*, dicitur. Et hunc Latini in duos distinxerunt libros, qui apud Hebræos est unus. Secundus est תהלים, i. *Hymnorum* seu *Psalmorum*; tertius, משלי *Proverbia*; quartus, *Job*; quintus, *Ruth*; sextus, קהלת *Ecclesiastes*, septimus, איכה *Threni*; octavus, שיר השירים *Canticum canticorum*; nonus, *Esther*; decimus, *Daniel*; undecimus, *Ezra*. Intra hunc numerum concluserunt & Hebræi & prisci Christiani volumina V. T. & nefas erat de eorum fide dubitare. Nunc verò receptus est in usum Ecclesiasticum Sapientiæ liber, quem quidam suspicantur esse Philonis Judæi; & alius qui dicitur *Ecclesiasticus*, quem putant esse Jesu filii Sirach: Receptus est & liber *Tobia*, *Jehudith*, & *Machabæorum* libri duo: Receptæ sunt & duæ historiæ quæ Danieli annexæ sunt, una de *Susanna*, & altera de *Belo & Dracone*: Accesserunt & duo alii libri ad librum Ezræ, Tertius & Quartus. Et hos omnes Hebræi ignorant, licèt de Machabæis, quos ipsi חשמני vocant, nonnihil in historiis habeant, sicut superioribus annis edito libello ex Josippo ostendi. Tenebimus itaque in hac editione hunc librorum ordinem, ut imitatione Hebræorum primo loco ponamus Pentateuchum, & huic mox subjiciamus Prophetas priores, & post istos, Prophetas posteriores, atque ultimo loco Hagiographa: etiamsi non ignoremus librum Ruth historiæ ordine tenere locum ante librum Samuelis, & Paralipomenon post librum Regum.

¶ *Quo studio sint legendi libri V. T.*

FUerunt hactenus multi insignes viri qui de usu Veteris Testamenti præclarissima scripserunt, illorum retundentes ora qui dicunt libros illos solùm Judæis scriptos, & nihil præter historias quasdam veterum continere, atque nihil in eis præter allegorias quærendum. Hi toto errant cœlo: cùm Christus & Apostoli toties monuerunt revolvendos libros Mosaicos & Prophetarum: *De me*, enim dicit Christus Joannis 5. 46. *Moses scripsit.* Et Paulus Rom. 1. 2. docet *Euangelium in Scripturis à Deo promissum.* Non igitur est contemnenda lectio Veteris Testamenti, sed summo studio prosequenda, unde Apostoli, imò & Christus ipse, testimonia doctrinæ suæ adduxerunt, illiúsque autoritate Euangelium ipsum confirmaverunt. Quid enim est aliud Euangelium quàm aperta quædam prædicatio sententiarum & promissionum Veteris Testamenti, quæ per Christum sunt completæ? Sic enim & Judæi doctiores sentiunt, Prophetas potissimùm locutos ad tempora Meschiæ. Magni igitur æstimandi sunt libri Veteris Testamenti, quòd sint ceu fundamentum quoddam quo Novum nititur Testamentum, unde certa argumenta Novi Testamenti peti possint: Siquidem nihil traditum est in Novo Testamento, quod non antea Mosaicæ legis typis fuerit adumbratum, ac Prophetarum oraculis prædictum, quibusdam etiam evidenter expressis: quod genus sunt ista, Non esse plures Deos; Ab uno conditum hunc mundum; Gentes passim vocandas per verbum Domini, Isa. 2. Deos gentium abolendos; Christum per miraculum ex virgine nasciturum, Pro carnis circumcisione cordis requirendam munditiam, Christum omnium nostrûm ablaturum peccata, Fide hominem justificandum, &c. Fuerunt rursum alia tam obscurè adumbrata ut, nisi à Christo vel à viris sanctis reserata fuissent, nemo intellexisset. Quis enim intellecturus erat serpentem æneum in

stipite

ſtipite ſuſpenſum præfiguraſſe Chriſtum crucifixum, niſi Dominus ipſe dignatus fuiſſet exponere? Quis porro ſuſpicaturus erat Jonam devoratum à ceto ac tertio die vivum redditum adumbraſſe Chriſti ſepulturam ac reſurrectionem? Sed & quis non videt quam obſcure in Veteri Teſtamento myſterium Trinitatis fuerit inſinuatum, ut à nemine niſi qui Spiritu Dei plenus fuit cognoſci potuerit? Ecce myſteriis illis & gratiis plenum eſt Vetus Teſtamentum, quantumvis à nobis in eo multa ſimplicia & ſtulta eſſe videantur, quæ tamen ſunt Divinæ majeſtatis, potentiæ & ſapientiæ verba, opera, judicia & facta. Hæ ſunt literæ quæ ex ſapientibus & prudentibus ſtultos faciunt, & quas non niſi parvuli & ſtulti aſſequuntur. In his cum verſaris, non tuum judicium aut rationem ſequaris, ſed quid Spiritus velit adverte, & puta te tractare res pretioſiſſimas, ingreſſumque in poſſeſſionem ampliſſimi cujuſdam theſauri. *Qui enim me invenerint*, dicit Sapientia Divina, *invenient vitam, & haurient ſalutem à Domino.* Et Propheta ait, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalutis*, Iſa. 12. 3. Hujus theſauri pretium nemo ſatis æſtimare valet, unde ſapientia hauritur Divina. Voluit autem Deus ſimpliciter nobis ſuam ſapientiam in his proponere libris ut ſuperbiam & arrogantiam noſtram penitus retunderet & doceret in ſimplicitate cordis illam quærendam. Porro ſcopus Veteris Teſtamenti eſt, ut proponat leges, peccata oſtendat & arguat, exigatque à nobis bona opera, legibus adjiciens quaſdam magnificas promiſſiones & ſententias de Chriſto, quibus ſervati ſunt ſancti Patres qui ſub Lege ante revelatum Chriſtum vixerunt: ſicut è diverſo Novum Teſtamentum hoc præcipue agit, ut gratiam & pacem per remiſſionem peccatorum in Chriſto nobis annunciet. Verum hæc copioſius apud alios invenies, à quibus iſta mutuavimus. In hiſtoriis vero ſimplicibus, quæ ſemper majoris ſunt faciendæ allegoriis, docetur ſemper ſervatas minas Dei atque promiſſiones, unde non tam fides quam timor Dei alitur in cordibus. Exempla præterea ſunt, quod nullus vel potentia, vel ſapientia, vel opibus, vel gloria abuti debet ad ſuam libidinem, ſi non velit ſubmergi cum Pharaone, aut conculcari cum rege Babylonis, aut in cineres redigi cum Sanherib, aut ad inſaniam venire cum Salomone, &c.

אמר הצעיר זבשטיאנוס מונשטר אל תלמידי לשון הקודש.

יתעלה.
שם הבורא אשר ברא את העולם ומלואו בחכמתו ובתבונתו ובדעתו כמ׳ ה׳ בחכמה יסד ארץ כונן
שמים בתבונה וכל עייני העולם ברא בשבעי האדם ולצרכו למצא בהם קורת רוח בתאוותיו
ותשמישיו אשר ישתמש בהם האדם ויהנה מהם כאשר יאות כאמר אנכי עשיתי ארץ ואדם עליה בראתי
ואמר והארץ נתן לבני אדם : וכל זה כדי שידע האדם אלהיו ממעשיו ויתן הודאה ושבח לשם קדשו כי אין
בידינו מאומה ודבר אחר לגמול ליהוה תחת כל טובותיו כי אם הודאה ושבח כשנכתב זובח תודה יכבדני
ושם דרך אראנו בישע אלהים : והיא התודה והאמת אשר עליה תראה בישע אלהים שתהי לך אמונת
שלמה באלהים חיים ומלך עולם שהוא יש בורא ומנהיג העולם : ותהי לך אמונה שלמה בתורה ונביאים
וכתובים וכל מה שכתוב בהן שלא לחנם נכתב ואין בהם דבר ריק או דבר טעות אפילו נקודה אחת או
אות אחת או תג אחד ואין ריבוי ומיעוט בתורה אלא הכל לצורך לדרש ממנו וליישב המקראות על אופניו
שאין מקרא יוצא מידי פשוטו : אע״פ שהתורה נמשלת לפטיש יפוצץ הסלע אבל מכל מקום אין
המקרא יוצא מידי פשוטו : גם תהי לך אמונה שלמה שהבורא ית׳ אחד ושמו אחד בלי ראשית ובלי
תכלית ולו העוז והממשלה והוא אל חי וקיים נורא ומרום וקדוש הוא מלך בטרם יצר נברא הוא קדמון לכל
דבר אשר נברא ואין ראשית לראשיתו הוא מלך המלכים ואלהי אלהים ואדני האדנים ואין דבר נעלם ממנו
וכל מה שהיה והוה ויהיה הכל מאת השם ית׳ ואין דבר נסתר ממנו הן כבר הן קל : הוא מן התהו
ובהו ברא את השמים וכל צבאם והארץ וכל אשר עליה הים וכל אשר בם : וגם להאמין שלש מדות
ושמות לו ואין שום חילוק ביניהם ומציאות אחד הוא וכח אחד ויסוד אחד ורשות אחד הוא ואין לאחד כח
יותר מחברו וכל הבריאות והוויות אחד הוא : אב שלח בנו המיוחד בתוך נערה טהורה והיה מתפעל
בחוכה ונולד ממנה בלא צער והבלה כדרך הוולדות אלא ע״י נס נולד והאמת אין זו אפשר להעשות כי כל
דבר מופלא מבני אדם הוא אפשרי לאלהים ויש יכולת בידו להבריאות גוף בתוך גוף ולתת בו רוח ונשמה :
גם אפשרות בידו להשפיע רוח הגבור בתוך בתולה טהורה ולהתפעל בתוכה כמו ילד ולהולד ממנה בלא
צער והבלה וממנו שנמצא כדרך כך פלא ממנה ונשארת בתולה מתחלה ועד סוף ואחר הולד שהוא שם הגבור
הלך על הארץ ל״ג שנים כדי להושיע את אדם כי נשלח לבני ישראל לגאל אותם אבל הם היו עם קשי ערף
ולא רצו לקבל אותו ולא שעו בכל האותות אשר עשה אנוש כמותו ובאו הנוים וקבלוהו באהבה ובחר אותם
יהוה ית׳ במקום ישראל לעם סגולה ונעשו בני אברהם בעבור אמונתם : וזה היה המשיח שנבאו עליו
כל הנביאים והוא הלך על הארץ ל׳ שנים קודם שהיה מתגלה לבאי עולם אבל מיד היה מתגלה לישראל
איך הוא משיח ה׳ ועשה נסים ונפלאות אשר לא עשה שום נביא כמוהו והיה מאיר לכל העולם איך הוא בא
לפדות את האדם מן העון כמו שנ׳ בישעיהו והוא מחולל מפשעינו : וכרת עמנו ברית חדשה כמו שנ׳
בירמיהו הנה ימים באים נאם יהוה וכרתי את ישראל ואת יהודה ברית חדשה ולא כברית אשר כרתי
את אבותם כי נתתי את תורתי בקרבם וגו׳ : משמע מן המקראות האלו שכריתת יהוה עם בני ישראל
בריתה חדשה ולא כברית אשר כרת עם אברהם שכרת עמו להמול כל זכר אבל זאת הברית יהיה ברית
אחרת והיא המיכול ששוה אצל זכר ונקבה ונתן להן תורה חדשה אחר שנתמלאה תורת משה כי תורת
משה לזמן נתנה כמו שהמצא בתלמוד במסכת ע״ז שהתורה לא נתנה אלא לאלפים וז״ל שש אלפים
העולם קיים אלפים תהו ובהו פי׳ שלא נתנה תורת משה אלא אחר אלפים שנה : אלפים בתורה אלפים
משיח ואחר כך יחזור העולם לתהו ובהו : והנה עברו אלפים שנות התורה ועוד יותר מאלף שנים ולא
בא משיח כמו אומרים היהודים : והנה היהודים מתפללים ערב ובקר בכל תפלתם לשלוח להם
משיח ונואל ועומדין ביום הכפורים משחר ועד ערב תועקין ומתפללין בכל לבם ונפשם לה׳ לשמע אותם
ולשלח להם משיח ואין חדוש כדבר כי שבין התפלות שפתח שערי שמים וקבל אותם מחיים וכ״ש לשלח
להם המשיח ואפילוהכי לא נראה ולא נשמע לא קול ולא חזון שיבא להם משיח : והרי מוחו של
הק״בה לשמע אל תפלת הצדיקים שאי אפשר לפי דבריהם שהם אומרים כי אמונותיהם אמת שלא היה
צדיקים בכל הדורות הללו מיום החורבן ועד עתה שהק״בה היה שומע את תפלתם לשלוח להם משיח
בזכותם או שלא עלה להן נס אחד או שנראה חזון ונשמע קול שיש צד שיבא : ועוד למה משיח
כל כך מתאחר לבא ולפדות אתם : ואיך הוא ה׳ זה כמן הארוך כמהתם אשר עליהם בגלות ולא
יושיע אתם מצרותיהם ואין עשה משפט באויביהם : ולמה הניח אתם כן לנוד אילך ואילך כמו הצאן

מבלי

מבלי רעה ולא יש להם שמירה : ולמה תה אתם זה כמה שנים ולא יזכור אתם כמוברת : והוי כשהיה האל ית׳ מיסר
אבותיהם על עונם מיד שהיו מתודים לפניו ומתפללים לפניו והיו מכניעים מלפניו גלות במהרה הילם אפי׳ כשהיו שנכרין
ע״ז ועבר על תורת משה וחללו שבתות ומועדים והפירו את ברית אברהם אפילו הכי כשהיו חוזרין ומתודים לפניו מיד שמע
את תפלתם וינחם עליהם וישיע אתם ושלח להם נביאים בכל יום ויום לנחם אתם בגלותיהם אע״פי שהיו יודעין הקץ מן
הגלות שלא יהיו בגלות רק שבעים שנה : וגלות זה היה מאריך יותר מאלף וחמש מאות שנה והלא בידוע שלא היו
עוברין ע״ז בבית שני ולא עשו אחד מן העבירות אשר עשו בבית ראשון ואפילו בגלות זו אין נמצא עבד לאלילים כמו שעשו
בימים ראשונים : אפילו הכי לא נראה ולא נשמע שום נחמה אפי׳ בת קול אחרת : ומה היתה הזאת חטאתם אשר בעבורה
היתה גלות הזה אחר בית שני אריך מגלות בית ראשון אלא כי כשבא משיח לארצם מאנו לקבל ולשמע אתו אבל רדפו אחריו
עד מותו אפילו כשראו מעשיו נפלאים ונוראים אשר לא עשה אנוש כמותו והם לא האמינו בו : ולכן אין להם תח׳
כפרה ומהלכים בחשך ותלמודם ואבדן לעולם עד שיחזרו ומודן אליו : מורה כנער מורה : והנה רבותיהם מתעים את
פתאים היהודים עד היום הזה שאינם מבינים את הדבר באמרם חכה מעט שם ומעט שם והנה אין להן תשועה ולא תגאלה
וכן לעולם ותשו אתם באמרם הנה בזה הזמן יבא המשיח וכשמאחר לבא זה הזמן או אומרים בזה זמן יבא : עד מתי
אתם עורים מאמינים לדברי שקר : הנה אין לכם מחסה והישועה היא רחוקה מכם ואין לכם שום נחמה לעולם : ועתה
אבא לענין ספר תורה : כאשר תלה ארון הכל לתת תורה תחת השמים ושמי השמים על הר סיני בקולות ולפידים נוראים
ונתן למשה עבדו את תורה כתובה בלוחות האבן אשר בה מצות עשה רמ״ח כמנין אברים של אדם ומצות לא תעשה
ש״סה כמנין ימי התמורה : והיא נקרא תורת משה כי משה לקח אותה מאת יהוה ולמד בני ישראל והוה גואל אתם והוציאם
ממצרים במצוות ה׳ ית׳ : וכאשר אמרתי לעיל התורה נתנה לזמן כמו שאמר הנביא זכרו תורת משה עבדי ולא
אמר שמרו תורת משה עבדי כי בזמן המשיח נתקיימה היא ונתבלא עקרה : ואם תאמר למה צוה השם את יהודים תור
עליהם כמה מצוות וחקים החמורות שאין בהם טעם ואין הדעת יכול לסבלו כגון אכילת חזיר או ארנבת ולבישת שעטנז :
יש לומר כדי ליסר ולהכניע אתם מלפניו כמו שנאמר וישמן ישרון ויבעט כי כשהיה להן כל טוב וישבין בשלוה ובהשקט
היו מבעטין ביתיה והיו עוברים ע״ז לפיכך היא מחמיר עליהם : כי מה איכפת ליה להק״בה אם ישראל אכלים חזיר או
לא : וכן משה כשחזר להן התורה והמצוות לא עשה אלא כדי להזהיר אתם ולאסור כאיסורים כדי שלא יטעו אחרי עבודה
זרה לכן הכביד עליהם עבודה וכן הוה מוכיח אתם בתוכחות כבדות וחמורות לפי שהיה לבם רחוק כעבר׳ זרה והיו להוטים
אחריהם : ומשם תבין כי לא נכתבו כמה מצוות שיחשב אדם שעליהם יוצא שכר מהשם כי בדבר זה טועין היהודיים
שהם סבורים שעל ידי שמירת התורה יקבלו שכר אבל כל שמאמינים כלל באלהים ובמשיחו הם ינחלו עולם הבא בין הם
ישראל בין גויים ומי שלא יאמין הוא יורד לגיהנם : גם טעו חכמי היהודיים באשר כי הוסיפו על הרוחותיהם תמורתות יתירות
ומשכו והדלו העם לילך אל דרך הישר כל מוריהם והדרשתיהם ובאו תלמידיהם אחריהם ושתו סמיהם רעים ועבדיו ועשו גם
הם גדרות להתורות והחמירו על המון בתמורתות יתירות כדי לסמי את עיני ישראל עד שבא משיח יהיה הוא פקח עיני
עורים ופתח אזני חרשים וכתב את תורתו ובריתו חדשה אין בלוחות האבן כאשר עשה קודם כי אם נתן בלב האדם כמו
וכרתי את ישראל ואת יהודה ברית חדשה ולא כברית אשר כרתי את אבתם כי זאת הברית אתן בקרבם ועל לב
אתננה : והוא בא לפדות האדם אין ממצרים כמו עשה משה אלא מן העון ומדיני ומיסורין של גיהנם שיהיה לנו שלום
לעולם הבא דכתיב שלומנו עליו ובחברתו נרפא לנו : והוא הקיל מעלינו מצוות וחקים החמורות שאין בטבע ואין הדעת
יכול לסבלו וחוב הזיכור אין יכלין לעמוד בו אבל כל המצוות שהן בטבע והדעת יכל לסבלו החמיר עלינו בכל החמורות כמו
שתמצא באונגליון שהזהיר את בני האדם על המצוות והחקים שהן בטבע לגזור עליהם כגון גנבה רציחה נאופה וחמסות להן :
ועתה אדבר אליכם היהודים למה אתם עושים רעה גדלה על נפשתיכם להכרית לכם איש ואשה עולל ויונק מתוך יהודה
ולבלתי היתיר לכם שארית להכעים את השם במעשה ידיכם לבלתי להאמין בדברי הנביאים שנבואתם נתקימו בזה שנשלח לכם
בשמי להושיע אתכם ומאנתם להאמין בו ובאותותיו אשר לא עשה שום נביא או חוזה : והלא אתם רואים שאין
תפלתכם נשמעת ותקותכם הבל כי עברו כל הקצים ולא לכם עוד תוחלת וישועה שאתם מצפים עליו לבא אליכם :
והלא כבר בא בזמנו כאשר הבטיח לכם ה׳ ע״י נביאיו וכל הנחמות אשר נבאו הנביאים כלם נתקימו בגלות בבל :
ורבותיכם משנים המקראות לפי רצונם אשר עינים להם לראות ולא ראו ואזנים להן לשמע ולא שמעו כי בית מרי המה :
והלא אתם כשנת יש״ב לפ״ק עשתכם תשובה בכל מושבתיכם ובכל הארצות בכל הגולה אך משיח יבא בסתם
שנת השמטה נער וזקן טף ונשים אשר לא נעשה מימיהם תשובה זו : אפילו הכי לא נתגלה לכם אפילו אות
אחת או רמיזה : והלא יש דבר זה פליאה גדולה ושתיקה זה וסיפוק ידים לכל החכמים שלא יועילו לכם
לא תורה לא תשובה לא תפלה ולא צדקה שתעשו בכל יום ויום אלא בודאי יש הוא המשיח שבא כבר :
גם הנה אתם האומ׳ ומבינים שאין משיח בדברי רבותיכם כי הם שנים מסופקים בדבר ונבוכים בדבר :
חד אמר משיח לא בו או בחור שכלו זכאי או בחור שכלו חייב : ר׳ אליעזר אמר אם ישראל עשין
תשובה מיד נגאלין : והנה כבר אמרנו שאין תשובה מועלת : אך על הדברים האלה אעשה
ספר אחד טוב ואבאר בו שמלך משיח בא לפי חשבון דניאל וכל הנביאים ושהוא כאמרת זה בן
אלהים : גם הוכיח אוכיח שכל הנחמות קאין על גלות בבל ופירשוני היהודיים טועים ולא מפרשים אמת כשאמרו כי
עתיד להבנות בית שלישי ואוכיח כי משיח בא בבית שני : גם אכתוב על פ״ז תשובות שהיהודים מנגדים את המשיחיים
ומי הם הדברים שמונעים וגורמים היהודיים שלא יאמינו במשיח הגואל וזאת דברים אחרים טובים ויפים אכתב אם יעזר ה׳ :
ועתה אראה לך בשביל מה קבלתי עלי יגיע הספר הזה : הנה אמנם קנה רופסים בעיר באזל לכבם להדפיס עשרים
וארבע ובאו אלי ואמרו לי אזור נא כגבר חלציך והעתיק את מכתב הקודש תורה ונביאים וכתובים כנגד לשון
הקודש כי הטפנו להדפיס כ״ד כאופן זה שיהיו שנים לשונות זה כנגד זה ואחת תוסיף פי׳ קצר במקומות הזרים וקשים
מכתבי העבריים אשר אולי למען ירוץ קורא בו למצא מבוקשו : וכראותי מה בקשו ממני האומנים האלו הבקיאים בחכמת
הדפוס חרדתי מאד ויראתי לשלוח ידי בדברי המדברים ברוח הקודש כי ידעתי שאנכי צעיר השכל ודעת התבונה וחכמת
איש אין עמי אע״פי שהטבע עורר את נפשי הצעירת מנעורי לאהוב החכמה ואהבית כל ימי חלדי ועל כן כשראיתי כי
הדבר הטוב נחוץ ותועלת גדולה משם יבא לנתרים להראות לכל אדם יופי ומעלת תורה ואין נתקימה עד בא משיחנו
שמתי כל כחי להעתיק אתה היטב בכמה שאפשר ובכמה שהשיגה כח עניות דעתי לשם שמים ולהועיל לבני עמנו המשיחיים
ולא נסוגותי אחור בשביל הטורח הרב כי משך שנה נתתי לעיני לשכוב הן בחרף הן בקיץ ולא חששתי לקום בבקר לקור וזולתו
כי חפצי וכוונתי היתה לראות לתכלית המלאכה מלאכת הקודש ועל כן לא עזרתי כחי לתנועה אל מחוז חפצי ביד ה׳ השוכח
עלי כי ממנו הכל : הוא יעזרני להשלימה :

נכתב פה בעיר באזל בשנת ת״ד לפ״ק בחדש אדר :

PAULI FAGII

Præfatio ad Expositionem IV. priorum Cap. Gen.

DOCTO VIRO JOANNI MARBACHIO

ARTIUM MAGISTRO,

Simulatque pio ac diserto Theologo, Domino & amico suo,

P. FAGIUS S.D.P.

CONstat sanè ex scriptis Mosaicis, Doctissime Marbachi, variam multiplicémque materiam pro varia Tabernaculi supellectile à populo Israelitico, cùm jam olim illud ab ipso Mose juxta exemplar illi in monte Sinai ostensum pro domicilio Divinæ præsentiæ (quàm Hebræi שכינה vocant) illic sese ad salutem populi Judaici exserturæ exstruendum esset, allatam fuisse. Alius enim aurum & argentum, alius gemmas & ligna, hic hyacinthum, purpuram & coccum, ille linum, pilos caprarum, pelles arietum, & id genus alia, pro ut cujusque הושיט ידו, ut Hebræus inquit, in medium conferebat. Quis jam est qui modò paululùm in Divinis literis exercitatos sensus habet, qui ignorat hoc ipsum typum fuisse spiritualis illius Tabernaculi, Ecclesiæ, inquam, Christi? In qua quisque qui membrum est, donum sibi à Deo concessum, quale quale illud est, non ad vanam nominis gloriam amplificandam, non ad proprium commodum augmentandum, sed ad illustrandum nomen Christi, ad promovendam salutem proximi, &, ut Apostolus inquit, *ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi* uti debet. Neminem enim tam abjectæ sortis in Ecclesia Christi esse arbitror cui non suum talentulum ab Homine illo Euangelico peregrè profecto sit contributum atque concreditum: quod ubi redierit non sine fœnore reposcet, severissimè videlicet animadversurus in eum servum qui minam suam in sudario reposuerit. Quemadmodum videmus in corpore humano nullum esse membrum utcunque vile quod non habeat suum officiolum quo certè corpus ipsum commodè carere minimè potest. Modò quisque diligenter advertat qualenam sit membrum in corpore Christi, & quo in loco Dominus illum habere velit, h.e. quâ functione Ecclesiæ maximè prodesse possit, & ad quod munus subeundum ritéque administrandum sit omnium maximè idoneus. Quo de ubi constiterit, ut in id postea quò gnaviter exsequatur totis viribus incumbat. Non enim postremam hominis felicitatem esse puto, probè quenque nosse neminem sibi sed aliis nasci, ità & neminem sibi vivere debere sed aliis, h.e. inprimis ad laudem & gloriam summi Numinis, ad cujus imaginem conditi sumus, & commodum salutémque proximi; diligenter denique expendere quâ re istud ipsum omnium pulcherrime præstare possis; quod ubi cognoveris in id nunquam non imploratâ ope Divinâ summo studio incumbere. Infelicissimos siquidem homines esse puto qui totum vitæ curriculum otio, torpore vanisque carnis voluptatibus transigunt, sic viventes ut & sibi & aliis semper plùs obsint quàm prosint, *numerus tantùm, & fruges consumere nati*; nihil quod dignum sit homine Christiano, quódque Christi Spiritum, qui nostræ salutis causâ nihil non fecit, nihil non pertulit, redoleat designantes. Hæc humanissime Marbachi, cùm mecum expendo, cogitavi quomodo & ipse pro exstruendo conservandóque spirituali illo Tabernaculo, Ecclesia, inquam, Christi, & meum adferam munusculum, ut appareat me in corpore Christi non esse prorsus inutile membrum, neque in Vite salutifera illa, Christo, inquam, palmitem esse arescentem. Cujus ut significationem aliquam exhibeam, rursum aliquam portiunculam talentuli mei à Domino mihi concrediti ad communem multorum utilitatem in lucem profero, communicando videlicet cùm tibi tum aliis Hebraicæ linguæ studiosis lucubratiunculas in quatuor prima capita Geneseos à me congestas; in eum videlicet usum, ut indè aliqua ex parte liqueat quantum Hebrææ linguæ cognitio ad intelligendas S. literas momenti habeat, præsertim si ipsas voces Hebraicas, quibus Spiritus S. Divina oracula sua orbi patefecit probè intellexerimus. Cujus sanè rei hoc libello si non plenum usum tamen gustum aliquem tradere volui, si fortassis istâ ratione ad studium S. linguæ Hebraicæ plures accendantur, pleniùs videlicet cognitâ ejus utilitate: *Ignoti* enim *nulla cupido*. Et mihi certè indignissima res homine Theologo videtur eam ignorare linguam quæ fons est sincerioris Theologiæ, & unde omnes quotquot in S. Biblia extant Translationes originem habent; de quibus sanè nemo Hebraicæ linguæ expers unquam rectè judicabit, sed sæpe tanquam cæcus de colore: semper alienis auribus audire, alienis oculis videre, alienis pedibus ingredi cogitur. Quod quia alio in loco, nempe in Annotationibus meis quas in Biblia paro, manifestum facere statui, אי״ה, ob id hac de re hîc fusiùs tractare intermitto. Modò tantùm specimen quoddam Hebraicæ linguæ amatoribus exhibere volui, unde energiam, usum ac utilitatem ejus in explicandis Divinis literis aliquo modo perspicere possint, simulatque videre quid etiam Hebraicorum Commentariorum (quæ illi פירושים vocant) lectio sensum ac tractationem Scripturæ juvet, modò quis ea cùm judicio legat ritéque applicet. Ut enim certè mihi illi non tantùm desipere sed planè impii esse viderentur qui nihil in Hebræorum scriptis rejiciendum sed omnia amplectenda contenderent, (quod planè apud illos ipsos bis miseros Judæos non minima causa est deplorandæ ipsorum cæcitatis, dum videlicet quævis RR. suorum commenta & somnia sine judicio non aliter quàm si Dei oracula essent suscipiunt ac venerantur, nullum habentes delectum inter ea quæ Spiritus ille veritatis [illegible], qui solus mentiri & fallere nescit, dictat, & ea quæ antiquus ille veterator & impostor pater mendacii suggerit, humanaque ratio assuit) ità quoque temere & imprudenter mihi illi facere videntur qui Hebræorum Commentaria in universum exsibilanda & explodenda judicant, cùm hoc ausim affirmare, neminem sine illorum lectione & adminiculo ad solidam Hebraicæ linguæ cognitionem unquam perventurum: Qua de re aliàs copiosiùs, uti dixi, differam. Et quia scio multos à legendis Hebræorum Commentariis abstinere ob ridiculas, stultas, sæpéque impias fabulas quas admixtas habent, quibus subinde sacrosanctam Scripturam turpissimè conspurcant (quod artibus Satanæ factum esse nemo dubitet, quò isto pacto totam linguam invisam & contemptam reddat) cogito certè quomodo Hebræorum Commentaria repurgari possint, ut quemadmodum & aliis linguis, Græcâ videlicet & Latinâ doctas piásque Sacrarum literarum habemus explanationes, sic quoque eas & in lingua Sancta haberemus. Quod meo judicio ità fieri posset, si ex multis iisque præcipuis Hebræorum Commentariis unum quoddam fieret, rejectis Judaicis næniis atque cavillis, & reservatis quæ alicujus pensi atque momenti essent. Sic nimirum futurum esset ut plures ad Sanctæ linguæ studium animum applicarent, nec facilè Sancta lingua (quòd aliàs formidandum) iterum concideret penitúsque interiret. Quod

si

si quis in hoc studii curriculo me antevorterit, tam non ægre feram ut à me magnam laudem sit reportaturus. Porro, mi Charissime Marbachi, quod tibi potius quam aliis hanc meam Exegesim dedicare placuit, facio meo more, quo hactenus libellos Hebraicos à me editos non Principibus, non Episcopis, non Prælatis, non diviti alicui Mæcenati, unde magna spes lucri esset ad me rediturі, quod plerique suis dedicationibus maxime spectant, sed bonis amicis, studiosis, doctis, in primis autem his qui S. linguæ, quam unice promotam cupio, intelligentiam & cognitionem habent, dedicare solitus fui. Jam ab eo tempore quo superioribus diebus me Isnam convenisti, ut mecum per aliquot dies de ratione & studio literarum Hebraicarum nonnihil conferres, mox incredibili amore earum te accensum esse intellexi. Qui sane in te amor etiam non inanis fuit: sed sicut improbus labor amorque, ut vulgo jactatur, omnia superant, ita is in te quoque effecit ut, fundamento Hebraicæ linguæ feliciter jacto, in penetralia ejus magna cum animi oblectatione magnoque tuorum studiorum fructu indies penitius magis ac magis ingrediaris. Hæc cum in te probe animadverterim, idoneus profecto mihi patronus visus es cui has meas Hebraicas explicationes in aliquot Mosis capita consecrarem, non tam quod sciam quam acriter eas defensurus sis contra quosvis vitilitigatores, quam ut ista ratione studium ac diligentiam tuam quam in Hebraicis literis recte addiscendis adhibes magis inflammem: Tametsi fortassis nihil opus esset equo ultro currenti calcaria adjicere. Ut enim singulari Dei instinctu atque impulsu factum non dubito, quod postquam in melioribus artibus ac disciplinis circulum pulchre feceris, neglectis omnibus aliis facultatibus, ad Theologiam te ultro contuleris; quod certe fit præter morem hujus seculi, ubi inter tot mille homines vix unum invenias qui non velit citius quidvis agere quam operam suam Theologiæ locare atque Ecclesiæ Christi inservire: Sic quoque singulare Dei donum esse judico, quod tuo Theologico studio & S. linguæ cognitionem adjeceris; nimirum agnoscens quantum ea ad intelligendas S. literas lucis adferat, quo ita nobis ab omni parte absolutus non semitheologus prodeas. Quam magnam enim de te exspectationem multis Ecclesiis feceris, testantur doctæ ac piæ tuæ conciones quibus jam aliquot apud nos ex verbo Domini cum magna multorum admiratione ad pietatem erudiisti. Sicut enim olim in veteri populo Deus Opt. Max. quos sibi in Prophetas adlegebat, mox in ipsa juventute (paucis exceptis, Aarone scilicet & Mose, ut Hebræi ferunt) Spiritu suo adflabat: quod ea ætas, testantibus Hebræorum Sapientibus, ad subeunda Spiritus S. munia propter animi alacritatem ac fervorem magis sit apta atque idonea. *Nescit enim* (ut ille inquit) *tarda molimina S. Spiritus gratia.* Unde est & vulgo hæc apud Hebræos jactata sententia, רוח הקדש אין שורה אלא מתוך שמחה, *Spiritus S. non quiescit nisi super hominem alacrem.* Sic certe nemini dubium esse potest, certissimum argumentum esse te in Ecclesia Christi organum non vulgare futurum, posteaquam in ipsa juvenili etiamnum tua ætate tam manifestos cœlestis in te agentis Spiritus radios emittas, adeo ut licet ætate vix sis adhuc juvenis, eruditione tamen, animi modestia, gravitateque morum senex esse videaris. Christus te nobis & Ecclesiæ suæ diu incolumem conservet והוא יזכה אותך להגדיל את שמו הגדול ולגלות ולדרוש את מעשיו נפלאותיו לרבי׳ כדי שתטול׳ את שכר אשר הקב״ה יתן ביום הדין לכל׳ המשכילי׳ עם ויבינו לרבים כמו שנאמר והמשכילים יזהירו כזהר הרקיע ומצדיקי הרבים ככוכבים לעולם ועד אמן אמן. Vale, Ex Isna, *Mense Augusto*, Anno 1542.

Pauli Fagii Præfatio ad succinctas Annot. in Paraphrasin Chaldaicam Pentateuchi

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMOQUE PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO FRIDERICO,

Palatino Rheni, Duci Bavariæ, S. Rom. Imperii Archidapifero & Electori, Domino suo clementissimo, S.

Cum fere mos iste obtinuit, illustrissime Princeps, ut qui libros alicujus momenti in lucem emittant, sibi quoque fideles patronos & defensores quærant qui eos contra malevolorum obtrectatorum linguas & morsus, qui nunquam desunt, tueantur ac propugnent, visum est mihi me non male agere si istud ipsum & ego secutus huic meo libro jam primum in lucem emergenti tutelarem aliquem Deum fidelemque Patronum quæram. Hunc autem quod tuam Illustrissimam Clementiam præ omnibus aliis elegerim, revera non una tantum sed plures causæ sunt. Prima est hæc, Quod persuasus sum patrocinii beneficium, quod hic abs tua Illustrissima Benignitate contendo, mihi minime defuturum, postquam sit quod nos aliquo modo arctius conjungat, meque de te Clementissimo Principe meo bene sperare, teque mihi benefacere merito jubeat; puta jus & imperium quoddam quod alter in alterum usurpare sibi posse videtur. Neque enim tacendum mihi arbitror, te meum in terris verum, germanum, legitimum, clementissimumque Principem esse, qui jura dominii in me habeat, cujusque dominium merito etiam atque lubens agnoscam. Patria siquidem mea cum ex matre tum ex avo & avia Heidelberga est, urbs Illustrissimæ Benignitatis tuæ celebris & inclyta. Ex quo facile liquet quomodo nobis invicem obstricti simus, quidque nobis mutuo debeamus; Tu videlicet, ut tanquam bonus Princeps me tuum humilem ac obsequentem subditum in clientelam & fidem tuam clementer suscipias; ego vero, ut de tanti Patroni clementia atque ope nihil diffidam, ipsiusque jussa in omnibus obedientissime capessam. Nec pudet me hic obiter enarrare quomodo majores mei majoribus tuæ Illustrissimæ Clementiæ obsequiis addicti fuerunt. Olim enim cum Illustrissimus Dux Fridericus Palatinus, celebris memoriæ, rerum gubernacula teneret, avus meus illius minister fuit, ordinis Equestris, & is quem, ut αὐλικῶς loquar, *ministrum ab ephippiis* appellant; Qui in bello contra tres Principes Germaniæ non vulgares pro defensione patriæ tum suscepto, quam illi penitus depopulatam cupiebant, non sine gloria strenue quoque militavit. Quam enim præclaram gloriam Duces Palatini ex ea victoria reportarint, in recenti hominum memoria adhuc hodie habetur, nec facile unquam, cum sit immortalis, obliterabitur. Sed ut ad avi mei facta revertar, non tantum Duci Friderico, sed & successori ejus Domino ac Patri tuo generosissimo Illustrissimoque Principi Palatino non minus fideliter servivit. Vixit is in aula multis annis, miles alacer & strenuus, atque ad omnia Eques expeditissimus; ut ab audacia, fortitudine animi, robore corporis aliisque dotibus non vulgaribus, & factis ab eo non sine laude gestis, nomen illi à Principe mutatum sit. Cum enim alias *Henricus Jeger* vocaretur, *Heintz Hirn* nomen illi inditum est, nimirum propter commemoratas jam virtutes ejusque facta memorabilia, à quibus Equestris or-

ordinis homines in primis commendari solent. Qua de re Serenissimus Princeps luculentissimum singularis amoris sui argumentum erga ipsum declaravit, eò quòd ubi semel cum acutissimo morbo, febri inquam, conflictaretur, non dedignatus fuit vel ex arce sua in urbem ubi commorabatur descendere, ægrotantem in casis suis humilibus clementer invisere, illique plùs quam Principalem benignitatem ultro offerre. Quæ res sanè cùm fidelis ministri tum probi Principis, ministri erga se fidem & observantiam agnoscentis, manifestum fuit indicium. Ad illa & hoc quoque accedit, quòd Princeps Præfecturam illi eâ parte Palatinatus quæ vulgò *Zenth* appellari solet committi fecit, quam ille tanto studio, diligentiâ & fidelitate administravit ut ab humanitate, clementia & misericordia in subditos æternam nunquámque interituram memoriam sibi conciliarit, adeò ut ejus occasum adhuc multi hodie doleant, nec sine lacrymis ipsius subinde reminiscantur. Cujus rei testes etiamnum superstites cùm producere possem multos, tamen in præsentia tantùm unum eúmque fidelem producam, nempe venerandum senem virúmque gravem & honestum D. Martinum Hienervogt Præfectum in Germerthaim, Illustrissimæ Dominationis tuæ fidelem ministrum, quo, ut audio, inter omnes hodie qui tuæ Illustrissimæ Clementiæ servitiis devincti sunt non alius antiquior exsistit. Cum hoc sanè Præfecto olim dulcissimo avo meo suavissima intercessit familiaritas; atque is vel solus de omnibus quæ hic refero verissimum testimonium perhibere potest. Hic quidem valdè jucundum foret porrò commemorare quæ ex avia quoque dulcissima aliquando audiverim, quæ jam annum centesimum & decimum sextum ætatis egressa antequam è terris ad superos migraret, multa certè præclara de statu Ducum Palatinorum referre poterat; à quibus tamen hic recensendis mihi temperandum duco, cum multa alia Illustrissimæ Benignitati tuæ lectu magis utilia necessariáque esse sciam. Tamen dabis interim veniam, Illustrissime Princeps, quòd commemoratione istorum aures tuas oppleverim, qui non ignoras quàm gratum & jucundum sit majorum exempla virtutum præclarorúmque factorum memoriâ complecti, quæ posteritatem ad imitationem meritò invitare debent. Sed jam transeo ad causam alteram. Ea est, Quòd si quid ex istiusmodi librorum nuncupatione honoris vel ipsi patrono vel patriæ accedit, nemini hunc magis debeo quàm tibi legitimo Principi meo, patriæque cui nascimur, juxta illud Philosophi dictum, *Partem ortûs nostri patria, partem amici sibi vendicant.* Accedit & tertia, quæ est, Quòd audio illustrissimam tuam Clementiam gravissimam habere consultationem quomodo Academiam Heidelbergensem, quæ præsenti rerum perturbatione unà cum aliis nonnihil collapsa erat, denuo reformetur ac restauretur, ut quemadmodum olim inter Germaniæ Gymnasia partes non postremas habuit, ità modò summas & præcipuas acquirat. Quo sanè instituto nihil præstantius, nihil utilius, nihil denique laudabilius excogitari potest. Quomodo enim bonas artes ac disciplinas, quæ his postremis seculis singulari Dei dono felicissimè emerserunt, retinebimus; quomodo etiam sinceram & veram Christianam religionem & tuebimur & conservabimus, nisi perpetuò optimè institutæ scholæ sint, è quibus tanquam ex fontibus viri docti, sapientes, prudentes & pii hauriri possint, quorum alii Ecclesiæ Dei, alii Reipublicæ utiliter præfici possint? Nunquam certè, testantibus quoque Hebræis, respublica Judæorum habuit meliùs quàm cùm nulla ferè urbs, nullum penè oppidum, nullus fermè pagus esset qui non suos בתי כנסיות *Bathe Chenesioth* & בתי מדרשות *Bathe Midraschot*, ut illi vocant, h. e. *synagogas & domos concionatorias*, in quibus Lex & Prophetæ publicè docebantur, haberet. Imò & ipsi Prophetæ Dei in eum videlicet usum scholas suas habebant ut ipsis decedentibus, discipuli ipsorum, qui ibi erudiebantur, in locum munúsque propheticum succederent; quò respublica Israelis semper Prophetas suos haberet, qui legem Dei puriùs docerent, verum Dei cultum conservarent, idololatriam à populo arcerent, pseudoprophetis resisterent, peccata & scelera populi virtute Spiritûs prophetici taxarent. Et hi sunt qui in Sacris literis alibi *filii prophetarum* vocantur. Ex his, inquam, scholis cùm jam etiam Principes literis imbuti prodirent, magna certè cum laude postea populum Israeliticum & prudentissimè & tranquillissimè gubernare potuerunt: id quod in Davide, Salomone, Ezechia, aliísque Regibus patet. Quin & Ethnici viderunt quàm utile rebus publicis sit si Rectores & Principes habeant doctos & sapientes. Plato enim tum demum orbem beatum judicavit *cùm aut Philosophi regnarent aut Reges philosopharentur.* Conditio autem Principum Germaniæ nostræ cùm hodie ferè ejusmodi sit ut præpediti curâ administrationéque rerum temporalium non omnes ad bonas humanioresque literas aspirent, tamen non parva felicitatis illorum pars est secum habere præclaras & eruditas Scholas, è quibus, cùm opus sit, viros sapientes, peritos ac pios eligere possint, quorum operâ & consiliis cùm Reipublicæ, tum Ecclesiæ pulchrè subvenire queant. Quod quàm verum sit res ipsa clamat: Et habemus hodie passim multa hujus egregia exempla. Ego enim non paucos viros insignes & eximios novi qui hoc nostro seculo ex Academia Illustrissimæ Benignitatis tuæ Heidelbergensi prodierunt, qui postea certè cùm patriæ suæ tum scholis publicis & privatis, cùm Ecclesiis tum universæ Reipublicæ Christianæ plurimùm profuere: Quorum pars vitâ feliciter defuncta est, pars verò summa cum laude multorùmque utilitate adhuc ea suavissimè fruitur. Quàm enim, dii boni! incomparabilis Theologus Johannes Oecolampadius (piæ memoriæ) fuit! cujus similem à multis seculis orbis non habuit; cujusque multiplicem eruditionem vel infensissimos antagonistas ipsius profiteri non pudebat. Nimirum magna laus fuit quæ ab hoste venit. Quam item maximum & singulare decus literarum sit D. Philippus Melanchthon doctissima piissimaque scripta ejus contestantur, quibus universus ferè orbis tanquam amœnissimum pratum omnis generis odoriferis flosculis refertum suavissime redolet: Cui viro quantum omnes Scholæ omnesque Ecclesiæ debeant verbis exprimere nequeo. Quid præterea dicam de præstantissimis viris summisque Theologis D. Johanne Brentzio & D. Martino Frechto præceptoribus meis colendissimis, quorum uterque gymnasio Heidelbergensi magna cum laude multâque cum fruge multis annis præfuit, quique modò in sua quisque patria, Christum summam sapientiam unicamque salutem nostram candide, pure sinceriterque prædicant? Nec patriæ suæ tantum prodesse volunt, postquam multa utilia piaque scripta subinde in lucem emittunt, quibus pluribus Ecclesiis simul prodesse queant. His adjungere merito debeo doctissimum virum D. Martinum Bucerum compatrem meum ut suavissimum ita præceptorem venerandum, Argentinensis modo Ecclesiæ antistitem, Christique præconem fidelissimum ac prudentissimum, qui (quod tamen pace aliorum dixerim) tanto ingenii acumine solertiâque præditus esse videtur ut vel solus ipse religionem Christianam contra omnes ejus hostes, Judæos, inquam, Turcas, & hæreticos, egregie tueri propugnareque possit. Sed revera iniquus essem si hic ornatissimum virum D. Hartmannum Legum insignem Doctorem Illustrissimæque Clementiæ tuæ prudentissimum Cancellarium præterirem, cujus varia eruditio suavissimaque consilia quantum in Rep. tua utiliter administranda valeant, Illustrissima Benignitas tua quotidie experitur. Hos omnes præclaros viros & multos alios, quorum nomina brevitati studens hic supprimo, mater Academia Heidelbergensis nobis peperit: Quorum honorificam mentionem merito hic facere debui, quo tua Illustriss. Benignitas ad restaurationem collapsæ nonnihil Academiæ magis exstimuletur, cum videt quantum ex ea bene instituta emolumentum proveniat. Quam rem strenue conficiendam maxime quoque urgeat gratissimus situs & commoditas loci, annonæ facilitas, aliaque id genus multa commoda, propter quæ hæc tua reliquis multis Germaniæ Academiis præferenda videtur; adeo ut si doctis, piis dignisque in omni genere disciplinarum Professoribus recte denuo instruatur, & ita reflorescendo pristinum suum nitorem recuperet, non dubium est quin brevi futura sit celeberrima & frequentissima; cum nemo non sit qui filios suos bonis literis recte informandos malit in vicinia degere quam ad regiones procul dissitas mittere, maxime vero omnium civitates & respublicæ quæ sunt nobis viciniores. Qua de re sapientes homines sæpe disputare

putare ipse audivi, atque adeo in summis votis adhuc habeo. Ignoscas mihi, quæso, Benigniss. Princeps, quod in rebus tuis instituendis consultoris hic quodammodo provinciam mihi desumere videor, id quod alius quispiam forte mihi vel arrogantiam vel temeritatem interpretabitur, postquam ipse abunde viros industrios, sapientes rerumque peritos & prudentes tecum habeas qui quæ vel ad splendorem gloriæ tuæ vel ad Scholæ totiusque Reip. tuæ utilitatem attinent, prudenter & in tempore ipsi videre, consultare salubriterque decernere possunt. Nam affectum hunc certe non malum naturalis singularisque amor cum erga te Clementiss. Principem meum tum erga dulcissimam patriam extorsit, cui nisi optime consultum cuperem, ingratitudinis vitio, quo non aliud detestabile magis, juste accusari possem. Alumnus autem cum & ego sim tuæ Academiæ, cujus reformationem jam prudenter & pie meditaris, Illustrissime Princeps, ut quæ mihi prima fundamenta bonarum literarum sub colendissimis quos tum habebam præceptoribus, præcipue vero D. Johanne Brentio & D. Martino Frechto Theologis nostræ ætatis celeberrimis, doctissimis atque piissimis, non omnino infeliciter, ut puto, suppeditavit, dignum & æquum esse judicavi ut istius in me collati beneficii non sane vulgaris memoriam (multum enim referre existimo à prima ætate optime imbui) nunquam animo meo excidere patiar. Quin potius vel aliqua significatiuncula gratitudinem meam in præsentia declarandam esse censui in patriam, in scholam, in præceptores, atque in te Clementissimum meum Principem, cui merito quoque si quid in me eruditionis est acceptum refero. Tua enim Illustrissima Benignitate Schola hæc, in qua bonæ literæ utiliter traduntur, liberaliter admodum fovetur. Hanc vero debitam animi mei gratitudinem cum mea ipsius præsentia sive aliquo docendi munere (quod tamen tenuitatis meæ bene gnarus mihi non sumo) sive quocunque alio officiolo, quo fortasse Scholam istam opella mea juvarem, acceptamque ab ea primam literarum sementem cum fœnore redderem, testatam facere non possem, (visum est enim Deo Opt. Max. qualicunque opera mea hoc tempore in Ecclesia & Schola inclytæ urbis Argentinensis uti) in medium tamen specimen aliquod producere volui quo cognoscatur me neque Scholæ vestræ beneficium mihi exhibitum parvi duxisse, neque præceptorum meorum perpetuo observandorum operam in me instituendo perire omnino passum fuisse, imo probe me adhuc memorem esse quid & quantum vobis omnibus debeam. Hujus itaque rei argumentum evidens profero, simulque Illustriss. Benignitati tuæ offero nova hæc Sacra Biblia ex Chaldæo à me Latine facta, idque in communem utilitatem omnium qui Sacrarum literarum candidati sunt. Quæ quantum lucis cum intelligendis tum explicandis Divinis Scripturis adferant, penes doctos omnes esto judicium. Quia vero Sacrarum literarum professio etiam in Illustriss. Benignitatis tuæ Schola locum non postremum habet, volui & ego quamvis absens eam pro talentulo mihi à Domino concredito hac nova Bibliorum editione aliquo modo promovere atque illustrare. Nequaquam enim alienum à pietate esse judico literatum quid sive Theologicum vel Principi offerre atque dedicare. Alius forte argentum, aurum, pretiosas gemmas, fulgentia arma, elegantes, alacres & superbos equos vel de gestis præclaris Regum, Cæsarum atque Principum jucundas lectu historias, vel de ratione recte instituendæ & gubernandæ Reipublicæ, Principem decere magis arbitrabitur: Sed is sciat nos non alia nec viliora hic offerre. Si enim vel argentum, vel aurum, vel pretiosissimæ gemmæ, aut aliquid aliud magnificum spectatur, en præstantius quid his omnibus offerimus, quocum nullum argentum, nullum aurum, nullæ denique margaritæ comparationem habere possunt; attestante hoc ipsum omnium sapientissimo Rege Salomone, qui in Proverbiis sic inquit, *Beatus homo qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus ejus. Pretiosior est cunctis opibus sapientia, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari*, &c. Quod si bella, cædes, & victoriæ quæruntur, exempla hic in Abrahamo, Jacobo, Mose, Josua, aliisque Heroibus exstant valde præclara, quæ sane plus veritatis Divinæque eruditionis quam omnes profanæ historiæ habent. Si denique imaginem optime institutæ reipublicæ quis intueri cupit, quæ, obsecro, unquam respublica apud cunctos populos exstitit absolutior ea quam ipse Deus omnium sapientissimus in populo suo instituit? adeo ut si Principes nostri suas politias ad illius formam instituerent, non possent non felicissime gubernare. Jam quantum Sacræ historiæ pia & diligens lectio cum ad res politicas tum ecclesiasticas rite administrandas conferat, vel hinc maxime liquet, quod Deus olim Regem populi sui illam describere, nocturna, diurnaque manu versare voluit atque adeo præcepit, sicut videre est Deuteronomii 17. 18, 19. Nec sane Regi populi Dei dedecus fuerat, sed potius summum decus & gloria, certis temporibus suggestum conscendere, & ex illo Legem Moysis universæ & promiscuæ multitudini publice promulgare, Levitis interim per totam urbem Hierosolymam tubis populum ad auditionem Legis convocantibus. Magnum certe ista pondus legem Dei populo commendandi habebant. *Sunt* enim, ut scite & prudenter dicitur, *Doctor & Magistratus anima legum.* Referunt quoque & ipsi Hebræi de Rege Salomone, quod omnem sapientiam suam ex libris Mosaicis hauserit; nec aliunde Regnum illius tam augustum & tranquillum fuisse quam quod omnia ad voluntatem Dei quam in lege sua expressit instituerit: Quam opinionem vel ipsemet in Sententiis suis confirmat, ubi sic inquit, *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam*, &c. Ex his jam omnibus, Illustrissime Princeps, manifestum esse arbitror me nihil indignum aut alienum à pietate admittere quod tuæ Clementiæ ac Benignitati sacrum hoc volumen dedico, postquam in eo vel studiosissimus pietatis Princeps exemplum habet absolutissimum, quomodo ad nutum & voluntatem supremi æternique Principis, Regis Regum, Dominique dominantium, non solum res politicæ verum etiam ecclesiasticæ administrari salubriter debeant, qua re certe bono Principi prius nihil habendum duco. Quod autem tibi Clementissimo Principi meo magis quam alii cuiquam hoc opus nuncupo, quas commemoravi causas me habere justas & pias omnino existimavi. Hoc jam postremum addam; Suppliciter rogo ut hoc meum qualecunque chartaceum munusculum Illustrissima tua Benignitas vultu sereno à me accipiat, cui & me in omnibus quoque humillime commendo. Benignitatem tuam Dominus Jesus felicem & incolumen diu conservare dignetur. Argentorati, Anno ab orbe redempto 1546. mense Martio.

Illustriss. Clemen. tuæ

deditissimus

PAULUS FAGIUS.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

SI forsan mireris, optime Lector, quod post tot sacra Biblia quæ hodie exstant, ex quibus satis abunde quæ ad æternam salutem consequendam cognitu necessaria sunt haberi possunt, hæc nova quoque ex Chaldæo à me in Latinum versa in lucem proferam, Causam mox dicam. Quemadmodum his postremis seculis videmus nihil fere esse in omni genere disciplinarum bonarumque artium quod ab hominibus studiosis non ad vivum usque quam diligentissime pervestigetur, eruatur è tenebris atque in medium proferatur, ita etiam nihil fere in S. Theologia esse videmus quod non pari studio & diligentia discutiatur & in apricum producatur. Quæ sane res,

meo

meo judicio, seculi nostri non postrema est felicitas. Uti enim Divina Theologia inter omnes scientias merito supremam arcem primasque partes obtinet, sic quoque & inter præcipuos habendos judico qui in ea promovenda illustrandaque magis quam in aliis studiis sese exercent. Quid enim prodest scientiarum omnium cognitionem habere, interim autem carere ea, sine qua æternum beati esse non possimus? Merito itaque Deo Opt. Max. summas indesinentesque gratias agere debemus, quod his postremis temporibus æternam voluntatem suam nobis ex verbo suo tam clementer revelat, omniaque quæ ad salutem nostram pertinent clare, affatim & opulenter nobis suppeditat. E quibus sane præclaris donis Dei & hoc unum est, quod sacrosanctam Scripturam suam in ipsis primis & nativis linguis suis, quibus illa primum omnium prodita fuit, intueri, legere atque explicare clementer nobis donat. Ut enim semper purior aqua ex ipsis fontibus magis quam ex lacunis inde derivatis hauritur, ita semper puriora quodammodo sunt quæ ex ipsis primis linguis, in quibus Dei oracula nobis tradita fuere, tanquam ex limpidissimis fontibus, hauriuntur. Inter has linguas autem cum Chaldaica una quoque sit, in quam primum omnium post Septuaginta versionem S. Biblia translata fuerunt, eaque ad intelligendas explicandasque S. literas valde magnum momentum habeat, existimavi omnibus S. Theologiæ studiosis ac candidatis rem gratam me facturum, si Paraphrasim Chaldaicam quæ in Biblia exstat, Latinitate donarem; ut illa non tantum Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ peritis, sed & his qui harum expertes Latinæ Linguæ solummodo cognitionem habent, usui esse possit. Sunt autem tres præcipuæ causæ propter quas hæc Chaldaica Biblia merito nobis commendatissima esse debent: Prima est ipsa Antiquitas, quæ certe majestatem rebus non parvam addit. Constat enim cum ex Hebræorum tum Latinorum scriptis, hunc nostrum Paraphrasten Chaldæum, quem ONKELOS appellant, cui Translatio Pentateuchi adscribitur, filium fuisse sororis Titi Imperatoris, nec diu post devastationem secundi Templi Paraphrasim suam conscripsisse: Alterum vero Paraphrasten, quem JONATHAN F. Uzielis vocant, cui Prophetas tribuunt, ante devastationem Templi sua scripsisse. Tametsi sint qui velint utrumque tota Biblia in linguam Chaldaicam transtulisse. Sed audiamus hac de re testimonium doctissimi viri Galatini, qui l. 1. De arcanis catholicæ veritatis contra Judæos c. 3. sic scribit, *Per idem ferme tempus, anno scilicet ante Christi natalem circiter 42. Jonathas Uzielis F. Hillelisque auditor, atque Simeonis Justi, qui Christum infantulum suscepit in brachiis, Condiscipulus, totum V. Instrumentum in Chaldaam vertit linguam atque exposuit; ita sensum è sensu traducens, & ita obscurissima quæque exponens vocabula, ut quæcunque de Messia dubia & latenter scripta erant certa atque clarissima reddiderit; adeo ut ejus editio non tam interpretatio quam glossa atque expositio videatur. Quam Hebræi* Thargum, i. Translationem, *nuncupant. Tantaque apud eos est authoritatis, ut non solum ei contradicere nemo audeat, sed non minus quoque fidei quam ipsi textui passim omnes eidem adhibeant, tum ob viri sanctitatem ac peritiam, tum maxime ob ipsius interpretationis expositionisque veritatem. Ideo quotiescunque aliquid ambiguum aut difficile intellectu in textu S. Bibliorum inveniunt, semper ad eandem translationem recurrunt. Unde de eodem Ionatha (ut in* בבה בתרה Bava Bathra *legitur) dixerunt Magistri, Quod in hora qua eidem editioni & expositioni vacabat, si musca aut quodcunque volatile super eum vel super chartam volasset, illico absque ulla ejus aut chartæ læsione cœlitus exurebatur.* De Onkelos vero paulo post sic scribit, *Tota proculdubio Biblia Ionathas in Chaldæum, ut prædixi, transtulit: sed translatio ejus in Pentateuchum rarissima est; idcirco ab iis qui eam non viderunt, negatur. Ego vero ipsam semel vidi: Quæ sic incipit;* מן אולא ברא יי ית שמיא וית ארעא. *Ea autem quæ Onkelos est, sic,* בקדמין ברא יי ית שמיא וית ארעא. *Hic etiam Onkelos tota Biblia in Chaldæum vertit atque exposuit: Cujus editio atque expositio, quamvis nunc præterquam in Pentateuchum vix alibi reperiatur, non minoris tamen apud Iudæos est pretii quam illa, de qua nunc meminimus, Ionathæ: Quam etiam Thargum appellant, quod Chaldaica quoque sit, sicut & illa, etsi utraque Hebraicis scripta sit elementis.* Hactenus ille. Non desunt porro qui putant Onkelum fuisse quem nos *Aquilam* vocamus, quod sit nonnulla nominum affinitas; & Jonathan Theodotionem fuisse, eo quod idem etymon utrique nomini sit. Quod enim Græcis *Theodotion*, *Dei donum* significat, idem quoque & Hebræis יונתן *Ionathan*, compositum scilicet vocabulum ex יה *Iah*, quod *Deum*, & נתן *Nathan*, quod *dedit* significat: hinc יונתן *Ionathan*, i. *Deus dedit*, vel *Dei donum*. Sed hæc per conjecturam (ut opinor) tantum à quibusdam dicuntur. Altera causa est, quod, ut jam ex Galatino quoque audivimus, omnes fere loci qui in Bibliis Hebraicis nonnihil obscuritatis & difficultatis habere videntur, in Paraphrasi Chaldaica sublata omni obscuritate pulchre explicantur, maxime ubi sunt vaticinia de regno Christi. Ubicunque enim in veritate Hebraica tecto nomine de Christo agitur, ibi fere semper in veritate Chaldaica expressum nomen *Messiæ* ponitur, sicut facile patet locos inspicienti & conferenti ad utramque veritatem. Tertia causa est, Authoritas quam etiam apud ipsos Judæos habet, qui non minorem fidem Chaldaicæ quam Hebraicæ veritati habent; adeo ut non aliunde suorum errorum magis convinci possint quam ex Paraphrasibus Chaldaicis: Quod testatur & Nicolaus Lyranus p. m. qui utriusque linguæ cognitionem habuit. Is in Commentariis suis super Esaiam Prophetam cap. 8. sic scribit, *Translatio Chaldaica, quæ apud Hebræos dicitur Thargum, est tantæ authoritatis apud eos quod nullus fuit ei ausus contradicere. Est etiam in passibus obscuris declarativa veritatis Hebraicæ.* Hæc ille. Debet porro & hoc nobis Biblia Chaldaica non parum commendabilia facere, quod hæc lingua, quæ eadem cum Syriaca est, tempore Christi & Apostolorum vernacula lingua fuit, qua tum ipse tum Apostoli sui usi fuere, sicut videre est ex multis locis N. T. Imo adhuc hodie quatuor Euangelistarum in hac lingua scripta exstant: Cujus rei fidelissimum testem profero præclarissimum doctissimumque virum DD. Albertum Vuidmenstadium à consiliis Illustrissimo Principi Duci Bavariæ, qui hunc thesaurum secum reconditum habet, mihique per amantissimas, quas ad me dedit literas, spem fecit fore aliquando, ut hic thesaurus in lucem prodeat: Quod ut brevi fiat noctes & dies toto pectore opto, non dubitans quin magna hinc lux quoque scriptis Euangelistarum accessura sit. Sed jam consilium ostendam quod in transferendis his Bibliis Chaldaicis secutus sum. Primum, quod versionem attinet, non spectavi elegantiam linguæ Latinæ: Qui enim hanc quærit, Ciceronem non Mosen adeat, sed operam dedi ut non multum discederem à verbis, idque propter collationem, ut qui textum Latinum cum Chaldæo conferre volunt, eo facilius id possint. Quo factum est, ut forte multa Latinis auribus dura & aspera sonent. Verum hoc scias, amice lector, quod ubicunque in ipso textu obscuritas aut difficultas aliqua esse videtur, aut phrasis aliqua horridior, eam semper in Annotationibus in singula ferme capita adjectis explicuimus. Quod etiam ut eo facilius deprehendat lector, hujusmodi locos in ipso textu semper stellula aliqua signavimus. Imo ubicunque occurrit aliquis locus qui videtur habere nodum & difficultatem aliquam, illam semper in Annotationibus attigimus, Hebræorum sententias fideliter citavimus, Phrases quoque & idiotismos linguæ exposuimus. Si quæ & Paraphrastes Hierosolymitanus habet quæ ad rem aliquo modo facere videbantur, ea etiam adducere non neglexGimus. Ritus præterea, si qui sunt observatu digni, quorum cognitio ad intelligendas S. literas multum habet momenti, ex Antiquitatibus Hebræorum ubicunque habere potui diligenter quoque indicavi. Et ut semel dicam, ea tantum annotare studui quæ utilitatem aliquam habere videbantur, quæque ad intelligentiam textus faciunt: ita ut sperem Annotationes quas adjeci, utcunque breves, plus sæpe lucis quam multa prolixa commentaria allaturas. Absit invidia dicto. Ex scriptis Hebræorum non aniles fabulas & superstitiosa cavilla, quorum multa habent, sed tantum quæ certam utilitatem habent, adduximus. Imo stultas illorum superstitiones impiosque errores sæpissime impugnavi ac refutavi, ut in multis locis videre est. Porro quia Onkelus non ubique Paraphrasten agit, sed tantum in quibusdam locis, alias Hebraicæ veritati ferè ad verbum respondens, idcirco ope-

ram

ram dedi ut ubi textus Chaldaicus variat ab Hebraico, vel plus vel minus vel aliud habens, notis & signis incluserim, ut lector primo intuitu, statim ubi Paraphrasis Chaldaica aliquid aliud à veritate Hebraica habet, videre possit. Omnes præterea versus per numeros in margine adjectos notari feci; quæ res memoriam aliquo modo juvat, collationi servit, & facit ut citius & facilius invenias quæ in Annotationibus adducuntur, scilicet utrinque numeris observatis. Tantum te rogatum volo, candide Lector, ut hunc meum qualemcumque laborem boni consulas gratoque animo suscipias, cogitans quam jucundum sit S. Scripturam in ipsis primitivis linguis intueri, genuinumque sensum ejus ex ipsis fontibus haurire posse. Quare magna ingratitudo est donum linguarum, per quod misericors Deus his novissimis temporibus obliteratam veritatem verbi sui tam clementer nobis restituit, aut negligere aut plane contemnere. Id quod multi, proh dolor! faciunt, qui, cum per otium & ætatem linguas adeò expositas quasi sine labore addiscere possent, interim turpiter negligunt & fastidiunt, tanquam hi qui semper alienis pedibus ingredi, alienis auribus audire, alienis oculis videre quam propriis malunt; ingrati & iniqui profecto in largam Dei beneficentiam, & digni certe qui titubent, hallucinentur, impingant, atque turbulentissimas lacunas pro liquidissimis fontibus bibant. Et licet multæ causæ sint quæ ad discendas linguas nos moveant, vel hæc sola, si nulla alia, nos merito movere deberet, quod in tanta translationum varietate ex ipsis linguis, ut fontibus, quid sequendum, quid amplectendum, quidve relinquendum, certius cognoscere, judicare & statuere possemus. Jucundum est rerum cognoscere causas, ità quoque jucundum est ex ipsis linguis causas videre posse cur interpretes, alius hoc, alius illo modo vertit. Qua in re ut S. literarum studiosi per me aliqua ex parte juvari possint, Collationem translationum præcipuarum propediem in lucem emittendam quoque conscripsimus, in qua causas variationis in locis præcipuis ex veritate linguarum ostendimus; quo labore apud multos fastidium, quod illos propter diversitatem versionum vexabat atque molestabat, levatum iri speramus. Tu interim, amice Lector, hoc primo Bibliorum Chaldaicorum Tomo, quem suasu consilioque doctorum, antequam tota Biblia absolverentur, ne utilitate ejus tamdiu privareris, seorsim evulgare voluimus. Quod si has meas lucubrationes tibi gratas esse intellexerimus, quæ adhuc reliqua sunt eo celerius maturabimus. In Prophetis enim demum quantam Paraphrases Chaldaicæ S. Scripturæ, maxime in Prophetiis de Christo sonantibus, lucem adferant, videre licebit. Vale, sincere & Christiane Lector, Christumque, sine quo nihil possumus, pro me roga, quo quæ ad ipsius gloriam Ecclesiæque suæ ædificationem conor atque laboro, ipso adspirante feliciter & utiliter elaborare quoque valeam. Ex libera & inclyta Argentina. Anno salutis 1546. mense Martio.

PAULI FAGII

Translationum Precipuarum Veteris Testamenti Inter se variantium COLLATIO.

PRAEFATIO ad LECTOREM.

QUantum inter se variant hominum etiam doctorum judicia non tam de rebus profanis quam sacris vel hinc facile cognoscere potes, candide Lector, quod tanta est dissimilitudo & varietas Translationum quæ exstant in S. Biblia, quæ vel olim à Viris doctis editæ sunt, vel adhuc hodie in lucem eduntur, ut multos audias conqueri se, (tanta est Interpretum diversitas,) in intelligendis S. literis non tam juvari quam impediri, dum non certo sciunt quid tuto sequi debeant & possint. Qua de re nonnihil & D. Augustinus disserit De Doctr. Christ. lib. 2. cap. 12. Sed quia non minus utile quam jucundum rerum cognoscere causas, utilissimum & jucundissimum erit causam posse videre quæ S. Bibliorum interpretibus ansam in multis locis variandi dederit. Qui enim hoc videre non potest, sæpe hallucinatur, impingit, quod falsum est approbat, quod verum est improbat, hominum doctorum labores & studia temere sugillat, inique damnat. Arbitratus igitur sum me operæ pretium non pœnitendum facturum, neque rem ingratam omnibus S. literarum studiosis, si præcipuos S. Scripturæ locos, quibus cum interpretandis tum exponendis variant translatores, in peculiarem librum congererem, atque ex veritate Hebraica causas variationis ostenderem. Quod sane præstare non potest qui linguæ Hebraicæ ignarus est: nam ex lingua Hebræa tanquam ex fonte omnes manare Translationes nemo inficiari potest. Jam cui fontem adire non est datum, quomodo obsecro de Translationibus interpretum judicabit quisnam scopum veritatis magis attigerit? Imo qui linguarum sunt expertes, maxime Hebraicæ, sæpe amplecti coguntur de quo tamen non sunt certi, & adhuc dubitant: semper alienis auribus audiunt, alienis oculis vident, alienis pedibus ingrediuntur. Et sæpe profitentur, cujus interrogati certam rationem reddere non possunt. Quare si nulla alia causa esset quæ S. Theologiæ studiosos incitet, vel hæc sola moneat, ut linguarum beneficio eo melius & exactius cum de Translationibus tum Enarrationibus quæ in S. literas vel scripta sunt vel adhuc hodie scribuntur judicare possint: & ut hominum doctorum labores & lucubrationes contra maledicorum detractationes eo fortius defendere queant. Non enim satisfeceris calumniatori si dixeris, Ego sic teneo, Istud sequor, Huic adstipulor, nisi & tuam vel alterius sententiam ex veritate linguarum convincere possis; atque inde contradicenti os obturare valeas. Sunt multi qui Septuaginta translationem (si modo illorum est quæ hodie illorum nomine circumfertur) tam mordicus defendunt ut nolint eos vel in quoquam à veritatis tramite deviasse: alii secus sentiunt. Est qui Latinam Vulgatam editionem à veritate Hebraica multum dissentire clamitat. Est alius qui illi tantam fidem & autoritatem tribuit, ut post eam nullam aliam desiderandam censeat: unde igitur vel nimis superstitiosum vel nimis temerarium Judicem reprimes, si illi, ubi erratum sit vel secus ex primis linguis in quibus divina eloquia primum omnium tradita fuere monstrare non potes. Ego certe hoc de Latina Vulgata Editione pronunciare ausim, eam primo Autori suo, quisquis fuerit, non temere excidisse, ut plerique existimant. Hic enim, si diligenter excusseris, deprehendes, si alicubi non secutus Hebræum, vel Thargum, (h. e. Paraphrasim Chaldaicam) vel Septuaginta, vel aliquem Hebræum Commentatorem secutum fuisse: quod qui videre non possunt, sæpe temere & imprudenter rejiciunt & damnant. Quod igitur ad dijudicationem Translationum & Enarrationum S. literarum attinet, imprimis linguarum, maxime He-

Hebrææ, cognitio est necessaria, sine qua certè judicium tuum de illis erit tanquam cæci de colore, ut est Germanis in proverbio. Admoneo igitur, quotquot ad S. literas adspirant, sibi Hebraicæ linguæ peritiam concilient. Sic fiet ut fastidium, quod ex diversitate Translationum suboritur, pulcrè tollatur, judicium exactiùs formetur & conformetur, omniaque sint certiora & planiora: multa enim fugiunt linguarum imperitos; & etiam turpe est Theologum sæpe tractare & profiteri, in quo non est certus & apud se etiamnum dubitat. Verùm quantum conferat ad intelligendas S. literas Hebræa, omnium facilè princeps & regina, in alio libro pleniùs & copiosiùs ostendam, nempe in Annotationibus meis Hebraicis in S. Biblia, quas, volente Deo, brevi in lucem dabo; ubi singulariter imprudentibus Hebraicæ linguæ contemptoribus respondere statui. Quod vero sancta lingua à multis etiam plerisque Theologis spreta & contempta jacet hæ mihi videntur esse potissimum causæ; prima, ignorantia utilitatis, *Ignoti enim nulla cupido*; altera, librorum Hebraicorum penuria; postrema, raritas idoneorum Professorum, per quos certe multos à studio sanctæ linguæ potius absterreri quàm allici crediderim, dum perpetuo in crepundiis linguæ, h. e. primis rudimentis, & tricis Grammaticis inhærent, nec penitus in ipsam linguam ingrediuntur nec altius assurgunt, ut discipulos suos etiam ad legenda Commentaria instituerent, atque ex illis quæ ad linguæ peritiam & intelligenda Biblia faciunt cum judicio eruere docerent: Nam etsi in Hebræorum scriptis multa sunt Judaica cavilla, frivola & impia, tamen insunt & multa bona, sine quibus nunquam recte, vere & solide Sanctam disces linguam. Licet enim Christum unicum Servatorem nostrum, qui S. Scripturæ unicus scopus est, nucleus & medulla, pernegent, ideoque multos, sæpe clarissimos, locos de illo scriptos data opera obscurent, violenter torqueant & falso interpretentur; interim tamen, quod ad vim & significationem vocum attinet, schemata & idiotismos, &c. sine quibus non recte discitur lingua, multum afferunt illorum scripta, ut certe non sint penitus, ut quidam putant, explodenda. Recte ergo monet D. Augustinus De Doct. Christ. lib. 2. cap. 14. *Quæ ex alienis linguis veniunt, ab earum linguarum hominibus quærenda esse.* Quotus autem quisque est Hebraicorum qui eo usque progrediuntur ut etiam in Commentariis Hebræorum versari inoffense possint, atque inde proferre quæ pie, cum pro Commentatione, tum rectæ linguæ perceptione, facerent. Ego multos novi (absit invidia dicto) qui multis annis operam dederunt linguæ Sanctæ, nec tamen vix unam atque alteram lineam recte legere nedum intelligere possunt; atque hi sæpe sunt qui omnium maxime Hebræorum scripta exsibilant: alii in spinetis Grammaticorum omnem ætatem terunt, nec amplius progrediuntur, quo fit ut multos à vero studio linguæ Sanctæ, uti dixi, absterreant, qui nolunt istiusmodi tœdia perpetuo devorare, & putant nihil utilius, nihil præstantius, Sanctam habere linguam. Ego itaque quo modo huic malo occuri possit cogito, nempe eo pacto ut idonei libri in lucem edantur; unde Hebraicæ linguæ utilitas, fructus verusque usus, quantumque ea ad intelligendas S. literas conducat, luculenter perspici possit; si vel istâ ratione ad ejus studium plures accenderentur. Et quia Hebræa lingua potissimum S. literarum intelligentiæ servit, ita ut ad hanc rem & nullam aliam sola nata, & à Deo Opt. Max. tradita esse videatur, nemo sane ejus usum rectè tradet, aliisque digne commendabilem faciet, qui non etiam in Divinis literis judicio valet, ut inde quatenus ea ad S. Scripturam applicanda sit demonstrare possit. Quæ propterea dico, non quod ego hac in re mihi nonnihil arrogantius vendicem, sed ut tantum umbellam aliquam ostendam, aliisque doctoribus, qui judicio ingeniique acrimoniâ plus valent, occasionem præbeam, ut linguæ Hebraicæ scientiâ instructi longe majora & solidiora præstent. Indigna siquidem mihi res videtur homine Theologo, eam ignorare linguam quæ fons est sincerioris Theologiæ, ut à qua quotquot exstant in S. Scripturam Translationes originem trahunt. Ut igitur mearum lucubrationum quibus linguæ Sanctæ studium utcunque promovere cupio interim specimen habeas, amice lector, placuit hoc opusculum, in quo quædam translationes præcipuæ ad veritatem Hebraicam examinantur, in apricum proferre: Ex quo nimirum vel mediocriter doctus facile videbit quid Hebræa lingua ad intelligendas S. literas pensi habeat. Quod si hunc meum laborem doctis non displicere intellexero, operam dabo, vitâ comite, Deo juvante, ut istiusmodi Translationum collationem in reliquos quoque Scripturæ libros habeant. Tu interim, quisquis es Sanctæ linguæ amator, feliciter vale, & istis meis lucubrationibus utere & fruere ad tuum commodum atque Christi unici redemptoris gloriam, quem, ut conatibus meis benigniter adspiret, ardenter pro me ora. Vale ex Isna oppido Algoiæ Imperiali, Anno Salutis 1542.

PIO ET VERE CHRISTIANO LECTORI
ROB. STEPHANUS

Gratiam & pacem à Deo Patre per Jesum Christum.

NUllum vertendorum Bibliorum finem fieri, Christiane lector, & non minus varias eorum interpretationes quam varios interpretes hodie exstare, jampridem multi queruntur: qui quidem è re Ecclesiæ esse existimant, certam aliquam, cui non nimium morosi homines acquiescant, ex tanto numero deligere; nimirum eam quam in Veteri Testamento Hebraici sermonis, in Novo Græci vestigiis propius quam cæteras videamus insistere. In hac cum & nos opinione essemus, eorum pariter & nostro desiderio si non omnino, saltem ex parte satisfacere jamdudum conati sumus. Sed cum hæc res semel atque iterum tentata ex animi sententia non succederet, eam in hoc tempus rejiciendam existimavimus; quo tandem, iis fere omnibus copiis quæ necessariæ videbantur comparatis, hæc editio à nobis suscepta est. In ea autem quæ accipias, sigillatim visum est exponere. Veteris interpretis tralationem in interiori paginæ parte minutioribus literis excusam damus, ad vetustissima exemplaria (quorum nomina Bibliis anno 1540. & 1546 majore volumine à nobis impressis indicata sunt) accuratissime emendatam, versibusque, ut in Hebraicis codicibus, distinctam. In exteriori autem parte interpretationem Sanctis Pagnini (quam potissimum, ut maxime fidam, omnes uno ore laudant) crassioribus literis excusam damus; sed hanc quidem certe multis partibus ea quam in aliis editionibus habes meliorem. Nacti enim sumus duo ex prima illius editione exemplaria, in quibus non solum typographica errata non pauca, nec levia, manu propria ipse author correxerat, sed multos etiam locos diligentius & accuratius quam antea examinatos recognoverat. Venerunt etiam in manus nostras ejusdem Sanctis in V. T. Annotationes, ex quibus itidem omnia quæ ad hujus interpretationis recognitionem pertinebant sedulo excerpsimus. Ejus præterea linguæ Hebraicæ Thesaurum, non sine magno fructu in consilium fere semper adhibuimus. Sed nihilne, dicet aliquis, præter Sanctis laborem & industriam hæc editio nobis affert? Imo vero duorum doctiss. virorum in hanc ipsam interpretationem collatas operas accipis. Nam cum illum

lum Franciscum Vatablum, tanto tempore Lutetiæ tanta cum hominum admiratione literas Hebraicas professum; à Sanctis interpretatione non raro discedere solitum, nunquam tamen sine optima & manifestissima ratione, animadvertissemus, ejus quoque labore magnum huic translationi adjumentum attulimus. Siquidem ex ejus prælectionibus, quas Bertinus (qui etiam in illius locum postea doctrinæ ergo suffectus fuit) ex ejus ore fideliter exceperat, & exceptas cum illo ipso communicaverat, non solum ii loci in quibus Sanctes minus perspicax fuerat à nobis castigati fuere, sed etiam sæpenumero apertiora & usitatiora dicendi genera in locum obscuriorum quorundam & ab usu Latini sermonis remotiorum substituta: adeo ut illius interpretationis inchoatæ atque rudis expolitio huic uni Vatablo accepta ferri debeat. Jam vero quoniam Hebraica lingua est hujusmodi, ut quo magis in ea interpretanda verbum verbo reddit, eo magis illius simplicis & inaffectati sermonis dignitatem retineat, sed interim multas loquendi formas, quas *Hebraismorum* nomine intelligimus, non parum obscuras relinquat, nos huic incommodo mederi volentes, ea licentia quam nonnulli in ipso contextu sibi permiserant, in Annotationibus uti minus periculosum esse judicavimus. Siqua igitur in contextu, servata Hebraica phrasi, fideliter quidem sed paulo obscurius conversa fuerant, ea ad Latini sermonis consuetudinem revocantes (præfixis semper Hebraicis vocibus) apertissima effecimus: si quod item Hebraicum vocabulum non satis significanter uno Latino in contextu redditum fuerat, nec reddi potuerat, operam dedimus ut ejus vim multis Latinis synonymis, quantum fieri posset, exprimeremus. Præterea vero quia multarum vocum Hebraicarum, quod sint *πολύσημοι*, diversæ interpretationes à diversis allatæ fuerunt; ea quam doctiorum judicium comprobaverat in contextu posita, reliquas in his Annotationibus additas, varias lectiones (nimium generali fortasse vocabulo) appellavimus. Nec tamen iis quæ ad exactam verborum interpretationem pertinebant contenti, illa quæ ad sensum difficilium locorum intelligendum necessaria erant neglecimus, sed varias expositiones ex eruditissimis Hebræorum Doctorum commentariis petitas insuper annotavimus; adeo ut vix quicquam in illis reperiatur, ex iis quidem quæ lucem aliquam contextui afferre possunt, quæ non inde à Sancte ac potissimum à Vatablo (qui in his etiam Annotationibus primas tenet) summo studio summaque cura & diligentia erutum, & ex illius quidem *αὐτογράφῳ*, hujus autem dictatis à nobis descriptum & in has Annotationes translatum fuerit. Quinetiam in locis obscurioribus, præter Hebræos Doctores, omnes propemodum qui Biblia enarraverunt (qui quidem aliquo loco inter doctos haberi solent) maxime vero illos de quorum eruditione, judicio & fide in Sacris literis explicandis publicum habemus testimonium, non sine magna utilitate consuluimus, & eorum sententiam quam brevissime adscripsimus. Hactenus de Veteri Testamento. Quod autem ad Novum Testamentum attinet, Theodori Bezæ interpretationem excudimus; quam te aliter sequi nequaquam volumus quam si certissimis argumentis in suis Annotationibus illi fidem facere visus tibi fuerit. Quam autem de ea rationem iniverit, tu ex ipsius præfatione, in qua consilii sui rationem diligenter exponit, multo melius quam ex me cognoscere poteris. In transferendis autem Apocryphis libris suam nobis operam navavit Claudius Baduellus, Complutensem editionem (quod emendatior nulla extaret) secutus. Addidit ad suam interpretationem & Annotationes, quibus cum alia obscura, tum Hebraismos quos Græcus interpres usurpavit, quo fusius eo apertius explicat. Ad finem totius operis libellum qui Hebræorum, Chaldæorum Græcorumque propriorum nominum interpretationem continet, adjecimus: in quo etiam quantam diligentiam adhibuerimus, ut emendatiora nunc illa prodirent, liber ipse cum posteriore editione collatus testari poterit. Pro indicibus duobus in utrumque Testamentum, quos aliquando Bibliis postposueramus, ut tum ferebant tempora, nunc tibi seorsum dedimus librum Concordantiarum, novum prorsus & integrum, in quibus quemvis Scripturæ locum facile reperire atque in promptu habere possis, si modo vox una aut altera Veteris interpretis tibi succurrant. Hæc fere sunt, Lector, ea quæ ista nostra editio ad Bibliorum lectionem adjumenta tibi affert: quibus majora in eo & versionis & annotationum genere, à nullo quidem ad hunc usque diem allata esse certo scio, sed afferri posse (facile enim est inventis addere) non nego. Quare mecum Deum Opt. Max. ora per ejus Filium Servatorem nostrum Jesum Christum, ut quas mihi vires ad inchoandum hoc opus ministravit, easdem alii ad perficiendum, & ad ea in quibus (ut homines) erravimus, emendanda, pro sua benignitate aliquando suppeditet. Interim hos libros solos Christiano homine dignos Nocturna versato manu, versato diurna.

Vale.

SEBASTIANUS CASTALIO

EDUARDO SEXTO

Angliæ Regi clarissimo, Salutem.

CUM Sacrarum literarum libros à me in Latinum sermonem conversos in lucem emitterem, Serenissime Rex Angliæ, suaserunt amici ut eos tuæ Majestati dedicarem; idque ut facere vellem tribus rationibus persuaserunt; Primum, quod dicerent, nulli convenientius S. literas offerri posse quam ei cujus Regnum asylum esset eis qui propter S. literarum studium atque defensionem vexarentur; Deinde, quod tu nuper hanc eandem transferendi libros S. provinciam hominibus doctis mandavisses, sed unius obitu impeditus fuisses; Postremo, quod præter cæteras disciplinas atque linguas, etiam Latinitatis vel in primis (cujus nos hic nonnullam rationem habuimus) studiosus esses, & ad eam rem magistrum eruditum haberes. His causis adductus sum ut tibi Regi illustrissimo ego infimæ conditionis homo vigilias meas offerre auderem, sperans fore ut quanto in altiore dignitatis fastigio te Dei benignitas collocasset, tanto clementius tenues admitteres, amore Christi, qui cum Deo foret æqualis, non dubitavit ad infimos se demittere. Quod si placet, & si hanc translationem, Rex, legere non recusas, exponam tibi jam quod fuerit in hoc negotio meum institutum. Ego operam dedi ut fidelis & Latina & perspicua esset hæc translatio, quoad ejus fieri posset; ne quem deinceps orationis obscuritas aut horriditas, aut etiam interpretationis infidelitas ab horum librorum lectione revocaret. Sed perspicuitatis & fidelitatis potissimam rationem duximus. Nam quod ad Latinitatem attinet, est oratio nihil aliud quam rei quædam quasi vestis, & nos sartores sumus. Res quidem manet eadem, nec orationis elegantiâ fit melior, nec vilitate deterior: neque rem vere amat is quem ab ea cognoscenda retrahit inculta oratio. Quinetiam videmus Euangelii arcana nobis tradita esse verbis impolitis & è media indoctorum plebe desumptis, ne quid inde hominum eloquentiæ tribueretur. Cæterum quoniam in hoc studio versantem necesse erat non solum verba sed etiam res ipsas (sine quibus verba sæpe intelligi non possunt) per-

pendere,

pendere, ſiquid interim animadverti obſcurius, non ſolum quod ad verba, ſed etiam quod ad rem pertineret, id conatus ſum paucis illuſtrare. Atque in verbis quidem declarandis fui aliquanto confidentior. Verum res ut parcius attingerem in cauſa fuit partim præſens transferendi inſtitutum, quod circa verba verſatur, partim, & quidem multo magis, ignorantia mea. Cum ſint enim hi libri de rebus Divinis ſcripti, neceſſe eſt nos, quanto magis homines ſumus, tanto minorem horum intelligentiam habere. Ex profecto, ſi verum fateri volumus, eſt adhuc noſtrum ſeculum in profundis ignorantiæ tenebris demerſum: Cujus rei certiſſimum teſtimonium ſunt tam graves, tam pertinaces, tam perniciosæ diſſenſiones; tam multi & iidem irriti conventus de hiſce controverſiis, tantuſque numerus quotidie naſcentium librorum, & eorum inter ſeſe toto cœlo diſſidentium. Si enim unus Dei Spiritus & una veritas eſt, neceſſe eſt, in quibus idem Spiritus eademque veritas inſit, eos unum eſſe, idemque ſentire ſpiritualibus in rebus: & ſi nobis clariſſimæ veritatis orta dies eſſet, nunquam tot obſcuras librorum accenderemus lucernas. Atque equidem mihi hujus ignorantiæ cauſam quærenti videbatur inventu difficilis. Neque enim tribui hæc literarum & artium ignorationi poteſt, cum noſtro ſeculo nihil fieri poſſit eruditius; & tamen tantis ſtudiis, tanta linguarum cognitione, tot artibus, per tot annos, tantum abeſt ut multum profectum ſit, ut indies in deterius abeant res. Itaque cum attentius hanc rem conſiderarem, viſus ſum mihi hujus ignorantiæ unam veriſſimamque cauſam inveniſſe, vitioſitatem ac impietatem. Itaque dicit Danieli Angelus 12. 10. *Impie agent impii, nec intelligent ulli impii.* Et David contra, Pſal. 25. 14. *Jova metuentibus patefit eius arcanum.* Et Eſaias 8. 16. *Preme oraculum, obſigna diſciplinam apud diſcipulos meos.* Quod ſi Jovæ arcana in his libris occultata noſſe volumus, metuendus nobis & colendus Jova eſt, eique obediendum, ut decet ejus diſcipulos. Hæc vera ad Divinarum rerum cognitionem via, hæc una ad hoc Divinorum arcanorum ſigillum aperiendum clavis eſt: quam qui habebit, nullam aliam requiret; qui non habebit, fruſtra cæteras admovebit huic ſeræ. Quod ſi eſſet in nobis verus Dei amor atque metus, & ſi tantum ſtudii & operæ in eo poneremus quantum alii in comparanda pecunia, alii in literis, alii in diſciplinis, alii in honore, alii alia in re ponunt, non ſolum abeſſet craſſa hæc (liceat mihi dicere quæ ſentio) craſſa hæc, inquam, quæ tenet ſeculum, ignorantia, verum etiam tantæ eſſet Jovæ cognitionis, h.e. veræ pietatis, plena terra, quanta nobis, ſi ſapimus, promiſſa eſt: atque ita naſceretur illud vere aureum ſeculum quo eſſent *omnes Divinitus docti*; fieretque quod armipotens Jova pollicitus eſt his verbis, Mic. 4. 3, 4. *Cudent ex enſibus ſuis vomeres, & ex ſpiculis falces: nec gentes alia aliis arma inferent, nec amplius bella diſcent, degentque ſub ſuis quiſque vitibus ac ficubus, exterrente nullo; quoniam Jova armipotentis os loquitur.* Et illud Eſa. 11. 6, 7, 8, 9. *Verſabitur cum agno lupus, accubabitque pardus hœdo, copulatoſque vitulum & leonem & taurum ducet puer parvulus; & vacca urſuſque compaſcentur, concubantibus eorum pullis; & leo more boum palea veſcetur: & ludet ſuper aſpidis foramen lactens infans, ſuperque viperæ cavernam deliculus puer manum agitabit. Nuſquam male aut nequiter fiet in meo ſacro monte: quoniam tanta erit Jovæ cognitionis plena terra, quantis operitur aquis mare.* Item illud ad Hieroſolymam, h.e. ad Chriſtianorum rempub. dictum, Eſa. 60. 14--22. *Ad te ſeſe recipient humiliter homines qui te afflixerint, & tuorum pedum veſtigia venerabuntur omnes tui convitiatores: teque Jovæ urbem, Sionem Auguſti Iſraelitarum appellabunt. Pro eo quod deſerta, inviſa & inacceſſa fueris, efficiam ex te ſublimitatem æternam, voluptatem perennem: adeo ut cæterarum gentium lac, regumque ſugas ubera, ſcieſque me Jovam eſſe Servatorem Vindicemque tuum, Jacobæorum Numen. Pro ære inducam aurum, pro ferro inducam argentum, pro lignis æs, pro lapidibus ferrum: efficiamque ut pro tui adminiſtratione ſit pax, & pro magiſtratibus juſtitia. Non jam crudelitas in tua terra, non vaſtitas aut calamitas in tuis finibus audietur: tuoſque muros ſalutem, & portas laudem appellabis. Non amplius tibi ſol interdiu lumen præbebit, neque luna ſplendor illucebit; ſed erit tibi Jova lux æterna, Deuſque tuus decori. Non occumbet amplius tuus ſol, tuave luna occidet: nam Jova tibi lux erit æterna, finita tui luctus die. Tuus autem populus, juſti omnes, ſemper terram poſſidebunt, à me ſata ſtirps, manuum mearum opus, quod mihi ſit honeſtamento. Minimus in mille, minutiſſimus in populoſam gentem excreſcet: id quod ego Jova ſuo tempore accelerabo.* Item illud Ezech. 36. 24. *Acceſſam vos ex gentibus, & ex omnibus collectos terris adducam in veſtram patriam; puraque conſperſos lympha, ut ab omnibus veſtris fœditatibus purgemini, ab omnibus veſtris vos expiabo ſtercoreis divis; vobiſque & cor novum & ſpiritum novum in pectora dabo; & exempto de corporibus veſtris lapideo corde, vobis carneum cor dabo; & dato in corpora veſtra meo ſpiritu, faciam ut inſtitutis meis pareatis, meaſque ſententias conſervetis; quo faciendo, manebitis in terra quam ego dedi majoribus veſtris; & vos mihi populus, & vobis ego Deus ero, voſque ab omnibus veſtris impuritatibus vindicabo.* Hæc eſt in his multiſque aliis locis, & maxime in Apocalypſi c. 20. promiſſa Chriſtianis felicitas, ô Rex, & perfecta Dei cognitio ac obedientia: Quam equidem quo magis evolvendis S. libris conſidero, eo minus hactenus præſtitam video, utcunque illa oracula intelligas. Sed exſiſtunt ignavæ diffidentium voces, qui pro inſano habent, ſi quis audeat ſperare meliora noſtris: quaſi vero Dei ſit vel *decurtata manus*, vel *auris obtuſa*, Eſa. 59. 1. aut quaſi ideo deſperandum ſit quia nunquam ita fuit; ac non potius ideo ſperandum ſit quia non fuit, & is promiſit qui neque mentitur unquam, & poteſt etiam mortuis vitam reddere. Equidem aut hæc futura eſſe fatendum eſt, aut jam fuiſſe, aut Deus accuſandus mendacii. Quod ſi quis fuiſſe dicet, quæram ex eo quando fuerint. Si dicet, Apoſtolorum tempore; quæram, cur nec undiquaque perfecta fuerit, & tam cito exoleverit Dei cognitio ac pietas, quæ & æterna & marinis undis abundantior fuerat promiſſa. Sin dicet, Noſtro tempore; mirabimur hanc pacem, quæ ex vomeribus falcibuſque noſtris cudat enſes, & ſupellectilem domoſque convertat in bombardas & propugnacula. Sed eſt, credo, hæc pax in literarum proceribus & populi Magiſtris. Unde igitur linguarum & calamorum longe nocentiora bella quam ferri? Unde tot tam graves controverſiæ, quæ neque tot jam ſeculis, tot diſputationibus componi potuerunt, & fere in ſanguinem imbecilliorum erumpunt? dum nemo eſt qui de ſuo judicio dubitet, nemo eſt qui non alios damnet. Invidemus, maledicimus: non ſolum malum malo, ſed ſæpe bonum malo penſamus: & ſi quis à nobis in aliquo religionis vel puncto diſſidet, eum damnamus, & per omnes terrarum angulos linguæ ſtylique jaculo petimus, & ferro & flamma & undis ſævimus, & ex rerum natura indefenſos & inopes tollimus: & nobis non licere quenquam interficere dicimus, & tamen Pilato tradimus, & ſi hunc dimittat, amicum eſſe Cæſaris negamus: & quod eſt omnium indigniſſimum, hæc omnia Chriſti nos ſtudio & juſſu & nomine facere clamamus, & lupi feritatem agnina pelle tegimus. O ſeculum! Scilicet Chriſti ſtudio ſanguinarii erimus, qui ne aliorum ſanguis effundendus eſſet, ipſe ſuum effudit. Chriſti ſtudio zizania exſtirpabimus, qui, ne frumentum exſtirparetur, juſſit uſque ad meſſem relinqui zizania? Chriſti ſtudio alios perſequemur, qui juſſit ut ſi nobis feriatur mala dextera, obvertamus ſiniſtram? Chriſti ſtudio inferemus aliis malum, qui nobis ut pro malo bonum redderemus præcepit? Ubi erit ergo illa nobis tantopere commendata Charitas 1 Cor. 13. *ſine qua, licet & hominum teneas & Angelorum linguas, & omnia ſcias, & fide vel montes transmoveas, & omnia tua largiaris, atque adeo tuum ipſum corpus comburendum tradas, nihil es?* Quod ſi quis de charitate ſeſe jactat, conſideret num fructus charitatis habeat, & ea præſtet quæ charitatis eſſe tradit Paulus. *Charitas benigna eſt*, inquit, *charitas temeraria non eſt, non tumet, non ſe gerit turpiter, non ſibi ipſi ſtudet, non eſt irritabilis, non male cogitat, non gaudet injuſtitia, ſed veritate lætatur; omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet; charitas nunquam intercedit. Nunc quidem manet fides, ſpes, charitas; ſed harum trium maxima eſt charitas.* Atque in ea ſita eſt *legis perfunctio*, Rom. 13. 10. Denique *charitas multitudinem tegit peccatorum*, eiſque medetur. Quod ſi hodie ea ita refrixit ut in ejus loco regnet odium, & tamen promiſit Deus pium illud juſtumque ſeculum quod ſupra commemoravi, fatendum omnino eſt, multa atque

adeo

adeo maxima in oraculis promissa nondum esse perfecta. Cujus rei ignoratio in causa est ut Dei dona admodum jejuna, exilia & macra faciamus; & Vatum oracula pleraque inepte, ne dicam ridicule, interpretemur: dum quæ futura sunt, & non nisi ab iis qui vel Divinitus vel rei eventu sint edocti possunt intelligi, ea & sine Spiritu & sine eventu declarare conamur, metuentes videlicet ne quid ignorare videamur. Cum hæc ita sint, ô Rex, & cum ætas nostra in tanta adhuc ignorantiæ caligine cæcutiat, etiam atque etiam nobis cavendum esse censeo, ne quid imprudenter committamus. Quod si quæ sunt in religionis negotio controversiæ (sunt autem plurimæ) in his sequendum Judæ Machabæi & suorum factum judico, qui de ara solidi sacrificii cum quid statuerent non haberent, ejus *lapides in monte templi loco opportuno posuerunt donec adveniret vates aliquis qui de iis oraculum referret*, 1 Mach. 4. 46. aut potius Mosis, cui disertis verbis modo præceptum erat, ut si quis contra legem data opera commisisset, is capite pœnas daret, Num. 15. 30. & tamen eum qui in die Sabbati lignatus erat interficere noluit, nisi relato super ea re nominatim oraculo, Num. 15. 34, 35. Et erat Moses fidus Dei minister, & ejus Spiritu non parce præditus. Ut interim nihil dicam de consilio Gamalielis Act. 5. 38, 39. qui ostendit, *si ea res ab hominibus est, dissolutum iri; sin à Deo est, non posse dissolvi, ne forte contra Deum pugnetur.* Quod si has res nobis esse notiores putamus quam illa Mosi fuit (quando ea sunt tempora ut nemo se errare putet) at certe non debemus iidem & accusatores esse & judices; potiusque parendum est Paulo ita præcipienti, Rom. 14. *Si quis imbecilla fide est, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini. Tu quis es, qui alienum famulum damnes? Suo domino stat, aut cadit. Consistet autem: potest enim Deus eum stabilire. Tu vero cur tuum fratrem damnas? aut tu cur tuum fratrem despicis? Nostrum quisque causam pro se dicet apud Deum. Quamobrem ne jam damnemus alius alium.* Nam *si damnabimus, damnabimur; & eadem mensura nobis rependetur.* Præstiterit, meo quidem judicio, Romanorum legem de vindiciis sequi, quæ erat hujusmodi, Si quis, qui se hactenus pro libero gessisset, vocabatur in jus ab aliquo qui eum servum esse assereret, interea dum causa pendebat vindiciæ dabantur secundum libertatem; h. e. is, cujus libertati periculum creabatur, manebat in eadem conditione qua liberi, donec in judicio planum factum ac pronunciatum esset utrum is liber an servus foret. Et merito: cum enim de ejus conditione dubitaretur, si forte liberum esse contigisset, & interea pendente lite serviliter habitus esset, facta foret homini libero gravis injuria. At quanto id in capitis causa fieri æquius est? præsertim in religione, in qua peccatur gravissime? Exspectemus justi Judicis sententiam: & operam demus, non ut ipsi alios damnemus, sed ut nihil committamus quamobrem nobis metuenda sit damnatio. Obediamus justo Judici, & zizania usque ad messem sinamus, ne forte frumentum, dum supra Magistrum sapere volumus, exstirpemus. Neque enim adhuc ultimus mundi finis est; neque nos Angeli sumus, quibus hæc sit mandata provincia. Adde quod absurdum est spirituale bellum terrestribus armis geri. Christianorum hostes sunt vitia, contra quæ virtutibus certandum est, & contrariis remediis contraria mala curanda: ut doctrina ignorantiam pellat, injuriam vincat patientia, superbiæ modestia resistat, pigritiæ opponatur diligentia, contra crudelitatem pugnet clementia, simulationem prosternat sincera & se Deo probans religiosa mens, animusque purus, & qui uni Deo placere studeat. Hæc sunt vera Christianæ religionis, & vere victricia arma: non ut carnifici mandetur provincia doctoris, & exteriora poculi prius quam interiora purgentur. Atque hæc de religione duntaxat à me dici volo. Nam quod ad facinora attinet, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, & hujusmodi reliqua, quæ Deus & puniri jussit & quo pacto punienda forent præcepit, ea in controversiam non vocantur. Neque de iis obscure præcepit Deus, & ad bonorum defensionem pertinent; nisi velimus in nostris cubilibus jugulari, ut quidem nunc sunt tempora. Neque vero periculum est ne, si Magistratus à Deo ad bonos defendendos constitutus aliquem homicidii convictum tollat in crucem, virum bonum interficiat. Neque quisquam defendit unquam homicidium, ne homicida quidem. Sed religionis & intelligentiæ S. literarum longe est alia ratio. Cum sint enim hæc obscure & sæpe per ænigmata tradita, & de his jam per mille amplius annos disputetur, nec dum componi res potuerit, neque componi absente omnium controversiarum diremptrice & ignorantiæ fugatrice Charitate possit, & ea de causa innocente sanguine repleta terra sit, debemus profecto, quamvis nobis omnia scire videamur, debemus, inquam, metuere ne inter latrones, quos merito crucifigimus, etiam Christum immerito crucifigamus. Et si non modo Turcas & Judæos (quorum illi Christum parum amant, hi etiam capitaliter oderunt) vivere patimur apud nos, verum etiam maledicos, superbos, invidos, avaros, impudicos, ebriosos, & cætera hominum flagitia ferimus, & cum iis vivimus, epulamur, lætamur, debemus saltem communem hunc aerem & spiritum iis concedere qui idem Christi nomen nobiscum profitentur, & nemini nocent, eoque sunt animo ut mori malint quam aliud dicere aut facere quam quod dici aut fieri debere arbitrantur. Ut interim non dicam, quod nullum hominum genus minus metuendum est. Qui enim vitam mavult amittere quam dicere quod non sentit (peccaret enim, si faceret: & qui cogit, peccare cogit) non est, credo, metuendum ne is pecunia possit aut alia re corrumpi. Atque equidem illud mihi persuasi, nullos esse Principibus & Magistratibus obedientiores quam eos qui simpliciter Deum metuunt, & in eo quod sciunt fideles sese præstant. Cæterorum quidem obedientia ficta est, neque durat diutius quam vel metu cogitur vel utilitate allicitur. Sed qui conscientia ad obediendum impellitur, quique docente Deo didicit Magistratibus & Potestatibus obediendum esse, etiam iniquis, nedum justis, hujus veram & æternam esse obedientiam necesse est, quoniam Deus, qui ei obedientiæ causa est, verus manet & æternus. Illud quidem (ut ad propositum redeamus) citra controversiam verum est; Ad pœnitendum properat, cito qui judicat: & multos judicasse pœnituit, judicium suspendisse non pœnituit. Et qui ad clementiam propensior est quam ad iram, is Dei naturam imitatur, qui cum sciat nos esse sontes, tamen differt sententiam diu, & exspectat dum fiat vitæ correctio. Qui enim continuo necat, nullum relinquit pœnitentiæ locum. Quod si quis his contradicere audebit, necesse erit ut fateatur sanguinem a se oppugnari, a nobis defendi. Utrius autem facilior futura sit causæ dictio apud Judicem Deum, si quis ignorat, audiat Solomonem ita dicentem Prov. 12. 6. *Impiorum verba insidiantur sanguini, at proborum os eum defendit.* Illud perspectum habeo, clementiæ, patientiæ, benignitatis, obedientiæ non posse pœnitere quenquam, crudelitatis & temerarii judicii non posse non pœnitere. Quod si illa tutissima via est, hæc periculorum plena, insanum esse oportet qui se sciens volensque in pericula præcipitet. Neque vero hæc ideo tibi dico, Rex illustrissime, quod aliquid sinistrum de te acceperimus. Cum sis enim ejus adhuc ætatis quæ sub tutorum cura custodiatur, tuum ingenium, nobis præsertim tanto terrarum intervallo disjunctis, cognitum esse non satis potest. Dicunt quidem qui illthinc veniunt, eam esse tuam indolem ac humanitatem ut omnia de te sperent optima, quorum nos spei adeo accedimus ut speremus & optemus etiam optimis (si fieri possit) meliora. Cum igitur videamus nostra corpora vobis Regibus esse in manum à Deo tradita, vestros autem animos esse in manu Dei, movemur exemplis, & periculo pro virili parte obviam ire conamur, malumque nunquam nimis mature declinari posse judicamus. Itaque Deum oramus, vobis ut eam mentem injiciat, ut vos de vestris animis, qui in Dei manu sunt, tanto magis sitis soliciti quam ii sunt de suis corporibus qui videat suam vitam vobis in manu esse positam, quanto animi interitus gravior est quam corporis. Cupimus, inquam, vos esse tales quales esse jubet Deus his verbis, Deut. 17. 18, 19, 20. *Cum acciderit Regem in regni sui solio sedere, hanc sibi legem à sacerdotibus Levitis in Libro exscribito, eamque apud se habeto, & legito per omnem vitam suam, ut discat Jovam Deum suum vereri, curetque ut omnibus verbis hujus legis at-*

que

quæ his institutis pareat, ne contra suos consanguineos animo insolescat, neve de disciplina ad dextram aut sinistram deflectat, ut diu vivat in regno suo tum ipse, tum ejus nati, inter Israelitas. Item Solomo, de bono Rege loquens, his verbis, Prov. 10. 12, 13, 14, 15, 16. *Oraculum habet in labiis Rex, cujus os crimen in jure non committit. Impie agere, regibus est invisum: nam justitia solium aptum est. Placent regibus justa labra; & probe loquentes amant. Regia bilis est mortis nuncius, & eam vir sapiens diluit. In serenitate vultus regis vita est, ejusque favor est quadam quasi serotina nubes. Habere sapientiam longe est præstantius quam aurum.* Est autem sapientiæ caput, Dei metus; qui nobis debet ob oculos dies noctesque versari, & ad mala frænum & ad bona calcar esse. Hæc habui in præsentia, Rex, de quibus te monerem, non equidem ut vates, non ut missus Divinitus, sed ut unus de multis, qui dissidia & lites oderim, & religionem charitate magis & animi pietate quam quæstionibus & rebus externis exerceri cupiam. Neque vero me præterit, nihil à me dici quod non ab aliis ante me dictum sit. Sed recta quæ sunt, ea & à multis, & tamdiu dici donec eis pareatur, non est inutile. Accipe igitur, Rex, nostrum hunc laborem comiter & humane: & si vacat (debet autem vacare) & si placet (debet autem placere) lege S. literas animo pio ac religioso: & te ad regendum regnum sic præpara, tanquam mortalis, & rationem redditurus immortali Deo. Opto tibi Mosis clementiam, Davidis pietatem, & Solòmonis sapientiam. Vale. Basileæ, Mense Februario, Anno 1551.

AD LECTORES ADMONITIO.

Novum Fedus de Græco transtulimus; Vetus de Hebræo, exceptis Juditha, Sapientia, Ecclesiastico, tertio Esdræ, Epistola Jeremiæ, Barucho, Machabæis, & parte Esdræ & Danielis, quæ, cum in Hebræo non exstent, de Græco transtulimus. Sunt & in Daniele capita sex Syriace scripta, videlicet à secundo ad septimum; & in primo Esdræ quatuor, à quarto ad septimum; quæ nos, quoniam Syriacum sermonem non didicimus, ex aliorum translationibus sumus interpretati. Quartum Esdræ ex Latino in Latinum transtulimus, quoniam in alio sermone non invenimus. Quod si quid in Græca aut Latina vetere translatione libri alicujus qui Hebraice exstaret reperimus quod in Hebræo non esset, id interseruimus, & Græca prænotavimus litera *G.* Latina autem, litera *L.* aut utraque ambabus, G. L. usque ad H. qua significetur fieri ad Hebræum sermonem reversio. Atque idem fecimus in libris de Græco translatis, si quid in Latino amplius invenimus. Et quoniam Bibliorum historia mutila est (quippe quæ nihil contineat earum rerum quæ ab Esdræ temporibus usque ad Machabæos, itemque à Machabæis usque ad Christum gestæ sunt) eam supplevi ex Josepho scriptore Judæo, qui Græce scripsit, vixitque quo tempore excisa est Hierosolyma ab Imperatore Vespasiano. Neque vero id feci quo supplementum hoc pro Sacris literis habeatur, sed ut iis satisfacerem qui temporum illorum gesta libenter cognituri sint, cum in eis magnæ acciderint in Judæorum repub. mutationes, & Judæi in Romanorum potestatem (sub quibus Christus crucifixus est) venerint. Quod si cui tamen displicebit hoc supplementum, licebit non legere. Cæterum quia is Josephus alicubi longior est quam pro argumento nobis proposito, scribitque aliena quædam ab historia Sacra, eum nos in hujusmodi locis contraximus. Itemque quoniam in libro de Bello Judaico (in quo eadem scribit) nonnunquam apertior est, aut aliquid ad rem pertinens dicit quod in libris Antiquitatum, ex quibus nos hæc excerpsimus, desit, illo nos alicubi usi sumus. Cæterum ut sciatis quatenus meæ translationi fidendum sit, aut diffidendum, sciendum est in his libris multam esse difficultatem, partim in verbis, partim in re, partim in utroque. Verborum difficultas aut est simplicium, aut compositorum. Simplicia verba plerumque obscura sunt, earum rerum quæ vel raro vel duntaxat usurpantur, non etiam describuntur; ut sunt pleraque stirpium & animalium; itemque earum rerum quarum forma vel natione vel tempore mutatur, ut vestium, & vasorum, & instrumentorum. In his nos sæpe quid affirmemus non habemus, non magis quam qui Catonem interpretantur nesciunt quid apud eum sit *nassiterna*, *scutriscum*, *urpex*, & alia quædam; aut apud Ciceronem quid sit *lessum facere*, id quod ipse Cicero ignorare se fatetur. Itaque quod alicubi *vespertilionem*, & *mergum*, & *ardeolam*, & cætera quæ sunt ejus generis, interpretamur, in his interpretationem nostram pro certa haberi nolumus: tantum quod verisimile est sequimur, & nobis veniam dari postulamus; præsertim cum in hujusmodi verbis errare non sit usque adeo periculosum. Sed hujusmodi dubitationes intellige in Hebræis verbis esse. Nam quod ad Græca pertinet, quoniam ea lingua magis culta magisque cognita est, in ea minus dubitamus. Atque hæc de verbis simplicibus. Compositorum autem verborum difficultas plerumque à rei difficultate pendet, ac nisi cognita re discuti non potest: qualis est in Esaiæ 27. 7. *Nunquid eum cadet simili cæde cæsoris sui?* aut, *Nunquid occidetur simili occisorum suorum occisione?* Ibi enim propter ignorantiam rei nescio an pro *Sui* & *Suorum* sit ponendum *Ejus*; quoniam Hebræum relativum ambiguum est, ut & Gallicum, si ad verbum transferas, *Son tueur.* Atque hujusmodi difficultates nonnunquam à Vatibus adhibentur de industria. Nos aliquoties in margine significavimus, ne quem falleret interpretatio nostra. Sunt autem res aliæ humanæ, aliæ Divinæ. Humanas voco, quæ humano ingenio, etiam sine fatidico spiritu possunt intelligi; cujusmodi sunt ceremoniæ, & Mosis tabernaculi descriptio, & templi Solomonis ac Ezechielis, & Vatum visiones, & Christi similitudines, & Apocalypsis tota. Sunt enim narrationes rerum gestarum, aut quasi gestarum; quæ quid significent quamvis non intelligas, non tamen obstat ea ignoratio quo minus hæc in quem velis sermonem transferre possis. Itaque si quæ exstiterunt in hoc genere difficultates, fuerunt explicabiles. Quanquam fieri potest ut alicubi aliquod verbum significantius adhiberi possit ab eo cui res nota sit. Divinas autem res eas appello quæ humanarum rerum umbra teguntur ac delineantur; cujusmodi est quod docet Moses, *Circumcidenda esse corda*; & David, *Verum sacrificium esse animum abjectum & afflictum*; & Christus, *Renascendum esse*; & Paulus, *Moriendum mundo*, &, *Abjiciendum malitiæ fermentum*, & cætera hujusmodi in quibus Sacrorum librorum fructus & finis situs est, & sine quibus Sacras literas legere tam nihil prodest quam inutilis est corporis circumcisio aut lotio si animus sit incircumcisus ac illotus. Sed hic meminisse decet quod scribit Petrus in capite 1. epistolæ 2. *Habemus*, inquit, *firmiorem fatidicum sermonem, in quem recte facitis quod estis intenti, tanquam in lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in vestris animis: dum tamen hoc primum intelligatis, nullum fatidicum scriptum privatæ explanationis esse. Non enim hominis voluntate editum est unquam oraculum; sed Sancti Spiritus instinctu locuti sunt homines divini.* Ex his Apostoli verbis intelligi potest, Sacrarum literarum mentem Divinumque sensum nullis artibus, nullis scientiis, nulla humana industria, aut memoria, aut ingenio posse percipi. Res est Divina, quam unus Dei Spiritus, idem qui dictavit, novit, atque docet; & quidem eos fere docet qui sunt hominum indoctissimi, infirmissimi, contemptissimi, pauperrimi, ac ignobilissimi; ne quid inde nostræ eruditioni aut artibus & excellentiis arrogemus. Itaque ego, qui fatidicum illum spiritum non habeo, res illas sacras in Annotationibus non fere attingo, nisi quatenus pertinent ad intelligendum orationis cursum. Aut si quando extra hos limites egredior (id quod facio ut qui volet sciat ecquid animadverterimus) rationem illam sequor quæ quarta est in oratione, de qua nonnihil in 1 Cor. 14. scripsimus;

mus, quæ cum sit periculosissima si à cæteris destituatur, id non nisi parce & multis evidentibusque rationibus inducti facimus; ac ne nostris quidem rationibus temere credendum judicamus, quoniam sæpe laboramus ignorantia, & nobis bonæ rationes videntur esse quæ non sunt. Itaque si quis meliora habebit, licebit, quod ad nos attinet, Annotationes nostras omittat, & nuda translatione utatur. Quod autem alicubi scribo, me aliquem locum non intelligere, id non ita accipi volo quasi cætera plane intelligam, sed ut sciatur, me in aliis aliquid saltem obscuræ lucis habere, in illis nihil; tum autem ut meæ translationi in quibusdam hujusmodi locis non nimium confidatur. Neque tamen ubique quid non intelligam, ostendo: esset enim hoc infinitum. Rursum quod in Vatibus quædam oracula explano, ut in Esaia de Emanuele, de Cyro, de Senacheribo, & talia, non ita declaro quasi nihil ibi abstrusius ac Divinius lateat, sed humana, & verbis aut eventu ostensa, expono, & diviniora, quæ ibi tecta sunt, iis relinquo quibus Deus Spiritum suum largius impertiverit. Interea mea nulli obesse, meo quidem judicio, poterunt; præsertim cum profitear me non esse vatem, sed vatum & veritatis studiosum. Superest ut te, Lector, orem ut nostrum hunc laborem boni consulas. Quod sicubi tibi minus satisfacio, da veniam; feci quod potui: & quod tibi displicebit, id alii forsitan placebit: & rursum, quod tu probabis, id alius damnabit. Quod sicubi errorem aliquem nostrum invenies (erunt autem in tam difficili tamque longo opere fortasse non pauci) da veniam, & admoneto nos amice, sicuti nos tibi amice prodesse studuimus: aut si noles, aut non licebit, saltem alios, quos hac translatione uti videbis, admoneto erroris nostri quamprimum, præsertim si in eo erit aliquid periculi. Neminem enim fallere volumus, si fieri potest. Itaque quanquam in hoc opere multos annos, continenter, summo otio, prospera valetudine, magna alacritate usi, elaboravimus, tamen deinceps, volente Deo, dabimus operam, ut si quid erratum, vel ab aliis moniti, vel per nos ipsos cognoverimus, id corrigamus. Quod si quis meliorem translationem proferet in lucem, ei libenter cedemus.

Quæ via sit recta ad intelligendas Sacras Scripturas.

Quemadmodum homo constat ex corpore & anima, ita ut sit corpus animæ domicilium, ita constant Sacræ literæ ex litera & spiritu, ita ut sit litera quoddam quasi spiritus domicilium. Et quemadmodum hominis corpus videre & vocem audire possunt bestiæ, sed ejus animum aut orationem perspicere nequeunt, quippe quæ non sint eadem anima præditæ, cujus oculis ita cernere valeant; sic Sacrorum scriptorum (quæ ad verum hominem instituendum atque condendum prodita sunt) literam videre & verba audire possunt impii, sed quis sit literæ spiritus & quo spectet Divina mens, ii soli intelligunt qui eo spiritu præditi sunt. Impii quidem non magis eum vident quam bestiæ sermonem hominum, quorum tantum voces paucas & eas vix intelligunt, exclamationes, increpationes, adhortationes, minas. Sic impii vident in S. literis quid narretur, quid jubeatur aut vetetur, sed spiritum & quasi medullam literæ non habent. Ut enim hominis negotia solus hominis spiritus novit, sic Dei negotia nullus scit nisi Dei Spiritus, 1 Cor. 2. 11. & quem Spiritus docuerit. Docet autem is Spiritus neminem nisi docilem, h. e. eos qui per fidem ad Christum justitiam nostram accedunt, humiles, demissi, & parati, relicto judicio carnis & sua voluntate, Dei voluntati obtemperare. Hæc demonstrari possunt multis oraculis & exemplis, ex quibus nonnulla adducam, ut ostendam peccatum humanamque sapientiam & amorem sui in causa esse ut homines res Divinas non intelligant, & quo quisque longius ab iis recedit, eo magis rerum Divinarum esse peritum. Primum & maximum oraculum est, quod Adam antequam peccavit habebat Dei Divinarumque rerum cognitionem, adeo ut bestiis nomina secundum suam cuique naturam indiderit, & ortum feminæ ex sua dormientis costa creatæ statim cognoverit, ac de ea vaticinatus fuerit. Idem postquam peccavit, carnisque judicium & sensum secutus est, incidit in tantam ignorantiam ut sese à Dei conspectu absconderet inter arbores; quæ certe magna cæcitas erat, velle Dei omnia videntis oculos latere. Ac quod in Adamo, idem in ejus quoque posteritate deinceps factum est, ut si qui fuerunt Deo credentes & obedientes, hos Deus asciverit, & suam voluntatem eis patefecerit; aliis non item. Exemplo sunt Henochus, qui cum secundum Dei voluntatem viveret, raptus est ad Deum: & Noa, qui cum esset sui seculi justissimus, ostendit ei Deus suum de diluvio institutum, rem sane maximi momenti: quod idem fecit postea in Abrahamo, ut ei suam circa Sodomam & Gomorram voluntatem patefaceret, cujus rei causam ipse Deus tradit hanc Gen. 18. 17, 18, 19. *Egone ut Abrahamum celem de eo quod sum facturus! cum sit Abrahamus gentis maxima & potentissima futurus author, cumque in eo omnes orbis nationes sint felicitandæ. Nam certo scio fuis eum liberis & porro sua in posterum stirpi præcepturum esse ut ad Jovæ normam vitam dirigentes, justitiam colant atque jus, ut Jova Abrahamo promissa præstet.* Idem scripsit David Psal. 25. 12, &c. *Si quis homo est*, inquit, *qui Jovam metuat, huic ille viam demonstrabit quam eligat, & ipse in bonis versabitur, & ejus posteritas terram possidebit. Jova metuentibus patefiet ejus arcanum atque fœdus.* Item illud Psal. 119. 98, &c. *Sapientiorem me quam sunt hostes mei reddidit tua disciplina, quam perpetuo habeo. Plus sapio quam mei doctores universi, quod oracula tua mea sunt meditatio. Senes intelligentia supero, quod tua mandata teneo. Ab omni via mala contineo meos pedes, ut tuis dictis paream, &c.* Item Solomo Prov. 1. 7. *Jovæ metus*, inquit, *caput est scientiæ: sapientiam disciplinamque stulti contemnunt.* Et idem 4. 5. *In malitiosum animum non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Sanctus enim disciplinæ spiritus fugit dolum, & ab imperitis cogitationibus abigitur, & injustitia adventu confutatur.* Et Siracides Eccl. 1. 16, &c. *Sapientia plenitudo est metuere Dominum, eaque homines fructibus suis exsaturat. Suam domum omnem suis deliciis, & cellas proventibus replet, quod utrumque Dei muneris est ad felicitatem pertinens. Sapientiæ corona est Domini metus, pacem germinans & salutarem incolumitatem: cujus amatores gloria abunde exhilarat. Sapientiæ radix est, metuere Dominum; rami autem, grandævitas.* Item Eccl. 3. 19. *Multi quidem præstantes sunt: sed modestis patefiunt arcana.* Item Eccl. 43. 33. *Fecit omnia Dominus, deditque piis sapientiam.* Et Esai. 8. 16. *Prome oraculum; obsigna disciplinam apud discipulos meos.* Et idem 29. 10. Postquam in Israelitarum flagitia invectus est, quæ in causa erant ut Divinam doctrinam intelligere non possent, sic loquitur, *Nam vos Jova ea veternis aura obruit.* Item in Ezech. 43. 10. post descriptionem Templi (in quo Christianæ religionis arcana adumbrantur) sic Vatem alloquitur Deus, *Tu homo expone Israelitarum generi templum, &c.* Et Dan. 12. 10. *Expurgabuntur, dealbabuntur & explorabuntur multi: & impie agent impii, nec intelligent ulli impii; at periti intelligent.* Et Oseæ 14. 9. *Quis sapiens & prudens erit, &c.* Item in Novo T. eadem traduntur. Christus externos non nisi per parabolas, h. e. figuratis & tectis verbis, alloquebatur; suis autem discipulis, h. e. credentibus, charitate præditis, obedientibus & eum sequentibus, omnia postea seorsum exponebat, Matth. 11. 7. Joh. 5. Paulus ipse rem totam paucis verbis absolvit 1 Cor. 2. 11. *Nam quis hominum scit hominis negotia, &c.* usque ad finem. Ex his aliisque multis locis apparet, Dei mentem & arcana consilia in S. literis latentia solis fidelibus, piis & religiosis Deique Spiritu præditis esse nota. Est enim Deus Rex qui sua consilia non nisi fidelibus amicis suis patefaciat, quemadmodum Reges ipsos mundanos facere videmus. Itaque licet observare ab orbe condito non nisi pios admissos esse in Dei consilium. Supra commemoravi Henochum, Noam, Abrahamum: Idem licet dicere de Isaaco, Jacobo, Josepho, Mose, Josua, Samuele, Davide, cæterisq; Vatibus & Apostolis Dei servis, quibus, sive illiterati sive literati fuerunt, voluntatem suam patefecit Deus, & *mentem ad intelligendas Scripturas aperuit*, Luc. 24. 45. Impii

Digitize

Impii vero & suo judicio nitentes, etiamsi omnes literas tenuerint, literarum spiritum nunquam intellexerunt, sed potius persecuti sunt, quemadmodum eis exprobrat Stephanus Act. 7. 51. *O duricervici*, &c. Quod si quando impii vaticinati sunt, aut de rebus Divinis & spiritualibus locuti sunt, quales commemorari possunt Balaamus, Saulus, Caiaphas, Scribæ & Pharisæi, tamen ii Dei mentem & spiritum non vere intellexerunt, sed sic de rebus sibi ignotis locuti sunt, ut si quis Gallus, Germano verba præeunte, Germanice dicat ea quæ ipsemet non intelligat. Videtur hoc indicare Christus dum dicit, *In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, dicunt enim, & non faciunt.* Atque idem de iisdem alibi, *Sinite eos: cæci sunt, cæcorum duces:* jubetque eorum fermentum caveri. Quasi hoc dicat, Quod Mosis præcepta docent, eis obediendum est: sed quod eorum præceptorum mentem & spiritum, qui à me profertur, non vident, sed repudiant, cæci sunt. Ex. gr. Scripsit Moses, *Honora tuum patrem atque matrem*; hoc dum docent, obediri debet. Sed dum hoc idem præceptum suis sophismatis adulterant, & natos à vera parentum honoratione sua falsa & avara interpretatione abstrahunt, cæci sunt, Deique præceptum violant, Matt. 15. Iidem dum docent ritus & sacrificia ex præscripto Mosis obeunda, sequendi sunt: sed dum me, qui illorum rituum & sacrificiorum mentem & spiritum aperio, rejiciunt, & literæ inani scientia inflati eam tenacius retinent, literæ veritatem atque sensum & Dei voluntatem repudiant, neque legem vere intelligunt: si enim intelligerent, certe Christum, qui finis legis est, non reciperent. Neque vero solum impii non intelligunt Dei spiritum, sed & si quis est cui sit aliqua data ejus cognitio, is nisi in ea dat operam ut crescat, amittit eam ipsam quam habuit cognitionem: id quod indicat Dominus dum jubet *ei qui non fæneravit eripi minam, & ei dari qui habet decem. Nam habenti dabitur, & ab eo qui non habet etiam hoc ipsum quod habet auferetur.* Id videmus accidisse Saulo, qui cum Dei spiritum haberet, eo propter suam inobedientiam privatus est, evasitque propterea septies deterior quam fuerat unquam. Quæ cum ita sint, ego omnes qui animum ad S. literarum studium cognoscendamque Dei voluntatem applicare volunt, exhortor ut id faciant qua via quoque modo fieri debet. Primum ut vera esse credant quæ ibi scripta sunt: nam nisi credent, non intelligent, sed sacras literas profanas ducent. Deinde (qui fidei fructus est) ut voluntatem suam voluntati Dei subjiciant, parati facere quidquid jusserit Deus, sive id sit dulce sive amarum, sive leve sive grave, sive facile sive difficile. Est enim ea natura fidei (per quam servari nos oportet, & sine qua Deo placere non possis) ut hominem non solum justificet, & ei peccatorum remissionem per Christum conciliet, sed etiam novum ei conciliando spiritum, eum potestati diaboli eripiat, & Dei servitio emancipet. Fides, inquam, corda purificat, hominemque ex injusto reddit justum, ex inobediente obedientem, ex carnali spiritualem, ex terrestri cœlestem, ex impio pium, breviter ex vetere homine & filio tenebrarum facit novam creaturam & lucis filium, qui abjectis operibus tenebrarum induat arma lucis, & justitiæ fructificet, sicut antea fructificavit injustitiæ. Hac igitur fide & mente & voluntate si quis præditus ad S. literarum studium accedet, is sive eruditus erit sive ineruditus, sive pauper sive dives, sive mas sive femina (personarum enim rationem non habet Deus) eas vere intelliget, & cum fructu leget, fietque inde indies melior, & ibi eos cœlestis sapientiæ thesauros latere mirabitur quos nunquam suspicatus erat. Sin aliquis voluntati suæ obedire, & humanam, h. e. stultam, sapientiam retinere, neque suis vitiis & peccatis renunciare volet, sed tantum vel credere vel exsequi quantum ejus libidini & carni libebit, is sua prava voluntate cæcatus S. literarum spiritum non videbit, sed eas non sequens, verum ad suam libidinem trahens atque torquens, & inde suis peccatis præsidia & tegumenta & patrocinia undique conquirens, nihil aliud consequetur quam inanem literæ cognitionem, qua inflatus reddetur in dies *quo peritior eo perditior*, ut habet Germanicum proverbium. Hoc accidisse videmus Scribis & Pharisæis, qui cum S. literas profiterentur, & in earum lectione & studio essent assidui, tamen quia vitiis & voluntati & judicio suo renunciare noluerunt, ab earum mente & spiritu usque adeo aberrarunt ut Christum earum verum divinumque Interpretem crucifixerint: atque hoc idem accidet omnibus sic animatis & sic compositis ut illi fuerunt. Quare agite, ô vos omnes qui sacros hos libros in manus sumitis, abjicite profanos animos, credite Deo, renunciate voluntati vestræ, & vos summisso, sequaci, obsequenti & plane puerili, h. e. docili, animo sic informandos Deo tradite, ut puer ludimagistro facit; atque eodem animo Deum assidue orate; nec prius desistite quam optata fueritis consecuti: nam *quisquis quærit invenit, & qui petit obtinet, & pulsanti aperitur.* Hac una via Dei voluntatem percipietis, & secundum eam viventes, vestramque repudiantes, & contra vos ipsos pugnantes, per fidem in Jesu Christo Servatore mundi collocatam pervenietis ad vitam æternam.

Judicia doctorum virorum de Bibliis Castalionis.

Andreas Hyperius Lib. 2. De Ratione studii Theologici.

LAudantur etiam quod magna cura nec minori religione interpretati sint Biblia, Theologi Tigurini, & Sebastianus Castalio.

Fridericus Furius Ceriolanus in libro de Sacris literis in linguam vernaculam vertendis.

QUid de Castalionis translatione dicam? Annon hic omnes interpretes, quicunque libros sacros in Latinum converterunt, ita vicit, ut soli ipsi primæ merito deferri debeant? Certe hujus ego viri industriam, laborem, diligentiam quam in convertendis Bibliis posuit tanti facio, ut cum ad manus meas ejus translatio pervenisset, non potuerim mihi temperare quin in ejus laudem hosce facerem versiculos,

Nescio quis veterum voluit, sermone Latino
Biblia cum priscis ut loquerentur avis.
Tentavit, fecitque suis pro viribus omnem
Conatum: at fantur Biblia barbarice.
Eusebius tentavit idem, tentavit Erasmus:
Frustra opera est, fantur Biblia barbarice.
Pagninus tentavit idem cognomine Sanctes:
Frustra opera est, fantur Biblia barbarice.
Tentarunt hoc ipsum alii, sed non bene cessit:
Frustra opera est, fantur Biblia barbarice.
En tibi Castalio tentat, cœlo auspice: idipsum
Successit, ponunt Biblia Barbariem.
O opus egregium: Latio sermone loquuntur
Biblia nunc tandem Castalionis ope.

Si nemo unquam fuisset aliquid de Græco peregrinis verbis persecutus, ubi hujus viri translationem vidisset, non dubitaret, certo scio, an è Græco eleganter, fideliter & vere in aliam linguam verti posset.

Phi-

Philippus Melanchton Sebastiano Castalioni S. D.

ETsi hactenus ad te nihil scripsi (nam in hac & varietate & barbarie negotiorum parum mihi superest temporis ad illud genus literarum dulcius quo magis delector; sæpe etiam languefecit me intuentem horribiles confusiones inter eos qui sapientiæ & veritatis studiosi videri volunt ingens mœstitia) tamen conspecta forma orationis tuæ, semper te magnifeci. Est enim, ut scis, ingenii, prudentiæ, judicii & veræ etiam virtutis index recta & elegans oratio. Scis autem illud Musarum canticum, ὅτι καλὸν φίλον ἐςί. Quare cum illa tua ornamenta considerarem, ne fieri quidem potuit quin te diligerem, etiamsi familiaritas nulla fuit: suntque multi testes meorum sermonum quos de te honorificos sæpe inter amicos habeo, &c.

Ex literis Christophori Carleili Angli ad Castalionem Anno 1562. 3. *Kal. Maji datis.*

IN altero qui in te invehitur tum majorem in judicando æquitatem tum in reprehendendo modestiam desiderassem. Convitia dedecent Christianum, & immanitas hominem. Legi quidem tua omnia studiose, & quotidie lego, unde uberrimum & salutarem percipio fructum. Johannem Checum Latine, Græce & Hebraice perbene scientem, equestris ordinis virum, nonnunquam sum adortus, & reperi semper tua legentem Biblia. Percontabar de tua in interpretando fide & eloquentia. Tum ille ridendo, ut erat affabilis, *Mehercule*, inquit, *majorem percipio fructum in legendo Castalionem quam in evolvendis omnium scriptorum commentariis. Oratio facilis est, explicata, dilucida, suavis, concinna & diserta: verba pura & Latina, & quæ propius naturam notationemque Græcæ Hebræicæque locutionis attingunt.* Martinum Bucerum audivi explanantem Psal. 119. & cum omnia exposuisset quæ Græci, Latini & Hebræi Doctores de ea quam tractavit sententia præclare scripsissent, monuit audiendum Castalionem, *Qui*, inquit, *ut est tum pius tum eruditus, ita de Hebræis tum gravius tum diserte convertit in hunc modum.* Atque hoc fecit me præsente in Academia Cantabrigiensi, &c.

Laurentius Humfredus Anglus, lib. 1. *De Ratione convertendi authores.*

NEc sua laude fraudandus est Sebastianus Castalio, vir in linguis doctissimus, qui omnes opes Latinæ linguæ ad Dei verbum omni instrumento oratorio exornandum deprompsit. Si quid erravit, errarunt & alii: nec verum semper dicunt qui ad carpendum alios sunt promptissimi: nec statim melius dicit qui reprehendit acrius. Errores humani sunt, & sane Biblia, sacrosancta Dei oracula & mysteria, sine omni errore in aliam linguam posse transferre, humani ingenii & eloquentiæ non est. Quis enim hominum Dei linguam, ut est, propria sua & germana specie exprimere poterit? Nec Græcorum quisquam hoc fecisse legitur, nec, quod sciam, Latinorum. Quare homines debemus in errores hominum non sævire. Nec ideo erravit quisquis erravit, quod Latine & eleganter studuerit S. libros traducere. Errorum aliæ sunt causæ: eloquentiam nullo modo accusandam censeo. Cur enim alibi compti, hic incompti; alibi politi, hic polluti; alibi Cicerones, hic Scoti & Barbari erimus? Cur cæteræ artes humanæ & profanæ nitescere, sola vero Scriptura horrere debet? Si rem recte existimare velimus, hic finis omnium est, Dei gloria; quæ illustratur, si illustrior ejus reddatur oratio. Huc Rhetorum expolitiones, huc linguarum cognitio, huc quicquid est disciplinarum omnium & doctrinarum tanquam ad scopum unicum & ultimum referuntur, &c.

Item in eodem libro.

CAstalio multos annos domi suam versionem, ut audio, suppressit, trutinavit, expendit, elimavit, Hebraicas phrases cum Latinis diligentissime, & Græcismos item cum probatissimis authoribus linguæ Romanæ conjungendo, ut quam appositissime idiotismum redderet, & Hebraismos explicaret.

Quidam.

CAstalio natione Sabaudus obiit Basileæ anno 1563. 29. Decembris, anno suæ ætatis 48. ubi 18. annos Græcas literas docuit. Bibliorum interpretationem Genevæ aggressus 1542. perfecit anno 1550. i. 9 annis, magna animi alacritate in eis vertendis, & prospera valetudine semper usus, sæpe à Deo locorum obscurorum intelligentiam vehementibus precibus efflagitans. Ex qua ejus translatione id commodi lector percipiet, quod & Biblia facile intelliget, & linguam Latinam una eademque opera discet.

ISIDORUS CLARIUS
CHRISTIANO LECTORI S.

NUllam ego rem quæ vehementior ad vim homini adhibendam ac magis efficax sit, candide Lector, hactenus expertus mihi videor quam amicorum vel preces vel imperium, eorum præsertim quorum ea est authoritas ut ab eorum consiliis discedere non audeamus. Quare plerunque fit ut minorem interdum honoris ac famæ, dum eis obsequi volumus, rationem habeamus; quod quidem tum demum reprehensione caret, aut etiam dignum laude est, quando est cum pietate conjunctum, quod mihi nunc usu venisse à candidis animis agnoscendum spero. Cum enim anno superiore nescio quid instituissem quod mihi duntaxat ac familiaribus meis usui esse posset, cujus rei testes habeo locupletes, coactus sum privatum opus commune facere, &, quod ne somniare quidem ipse per me ausus essem, id efflagitantibus amicis negare non potui, qui dicerent non decere

Christia-

Digitized by Google

Christianum hominem privatum sibi aliquid cum proximi cujusdam damno retinere. Et quidem si id tantum spectandum fuisset, nihil erat negotii, etiam sine ullis amicorum persuasionibus, hac uti liberalitate, cum non ignorem facta nostra omnia nunquam suos habere numeros nisi cum proximi cujusque utilitate conjuncta sint. Sed multa erant quæ me ab hoc proposito deterrerent, atque duo in primis, & rei videlicet novitas, & hujus eruditissimi seculi supercilium. Cui tamen cogitationi breviter respondebatur; Primum, non tam cogitandum nova sit necne res quam quis aggreditur quam quid vel utilitatis vel damni secum sit allatura; Deinde, quod ad hujus ætatis judicium pertinet, non debere eum qui cum pietate aliquid parat, timere, præsertim ab eruditis viris, cum is doctorum hominum, & qui veram eruditionis laudem sint assecuti, esse mos soleat, ut quo doctiores sunt, eo faciliores atque candidiores habeant mores, dum in omni re illud semper cogitant quod Poeta ille de versibus ait,

Verum ubi multa nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Alterius autem generis homines non curandos, qui se tum demum doctrinæ atque eruditionis nomen adeptos esse putant cum de aliorum eruditione detraxerint: atque hujuscemodi mastigias jam ab optimo quoque agnosci, qui apertam sui ingenii significationem ipsi faciunt, dum nihil scribere unquam norunt nisi illud quod scribunt totum maledicentia & felle commaculent. Hæc etsi vera ego esse intelligebam, maluissem tamen periculosam hanc aleam declinare; quod quidem hoc pacto me assecuturum sperabam, si impetrassem ut sine meo nomine lucubrationes istæ foras darentur, quod unum hac in re perfugium exspectabam. Verum ne hoc quidem, quod mihi pro maximo munere fuisset, licitum per eosdem amicos fuit, qui illud admonerent, solere hac maxime ætate ea scripta in quibus nomen taceretur authoris in hæreseos suspicionem venire. His ego angustiis circumseptus, cum hauriendum mihi omnino hunc calicem intelligerem, veni in memoriam Servatoris nostri Dei, qui dum saluti generis nostri consuleret, crudelissimum ac teterrimum mortis genus subire non recusavit. Quanquam non despero fore ut hoc quod à me factum est apud æquos rerum æstimatores in bonam partem accipiatur, si vel unum illud secum reputaverint, quod nulla me laudis & gloriæ cupiditas ad hoc negotium exstimulavit, sed post principem illam deliberationem, satis mihi tantum faciendi, communis præterea accessit utilitatis cogitatio. Et hæc quidem, quod ad vulgandi hujus operis rationem spectat, dicta breviter sint. Nunc eadem cum brevitate meum in hoc facto consilium explicabo. Multa quidem docte & superioribus seculis tractata in Divinos libros sunt, & hac ætate nostra, quam ego hoc nomine auream appellarem nisi se Ægyptii cum Israelitis permiscuissent. Et alii nova in Latinam linguam Versione, alii Commentariis, alii utraque re Christianam remp. ditare pro se quisque conati sunt. Sed duo mihi deesse adhuc videbantur. Nam in his horum omnium studiis atque laboribus editio illa qua totus Christianus orbis utitur, ac semper, ut facile conjecto, usurus est, nondum squallorem suum deposuerat, nec ei quisquam errores, quibus innumeris bene scatebat, adimere adhuc curaverat; quæ res eo magis reprehensione digna mihi videbatur quo eorum major esset hac ætate copia qui huic malo mederi potuissent. Alterum erat quod desiderabam, ut scilicet ea loca quæ in utroque sunt Testamento obscuriora, & aliqua egent luce, ita plana fierent, atque ea brevitate explicarentur, ut nihilominus uno volumine S. Bibliorum opus claudi posset: quod non mediocri sane futurum fuisset adjumento, non multitudini solum, cui minus suppeditat ■ librorum supellex, verum iis etiam quibus locupletioris bibliothecæ copia est. Cum enim quis in promptu atque in ipso Divinorum librorum volumine habet unde sese ex incidentibus in litera difficultatibus explicet, tranquilliore tum animo, quasi complanata via & sublatis offendiculis, conficit sua spatia, & jucundius piis immorari meditationibus potest. Hanc ego geminam provinciam, & corrigendæ videlicet hujus editionis, & lucis afferendæ locis difficilioribus, aggressus sum, atque ea ratione ut viri docti qui in utraque hac parte sese exercuerunt amare me de hac re debeant, qui profitear me ex eorum lucubrationibus non exigua accepisse adjumenta, præsertim in ipsa Bibliorum correctione, ut quicquid hic profectum sit ipsis eorumque vigiliis referri acceptum velim: quanquam accedere & ipsi, quæ Dei est benignitas, ad Hebræos fontes possumus: sed & tutius & minus invidiosum fuit hac ingredi via, ne plus aliquid unus quam tot eruditi viri, qui hactenus scripserunt, viderer sapere voluisse. Verum, quod ad Castigationes pertinet, consilium id fuit meum, non ad vivum, quod aiunt, omnia resecare, sed ubi vel nihil vel perparum immutaretur de sententia, indulgendum consuetudini judicavi: atque hisce tamen locis admonere lectorem in Scholiis soleo quo pacto Hebræa se habeant: alioqui si statera aurificis, & non populari potius quadam trutina, uti voluissem, offensæ fuissent omnino Ecclesiæ aures, neque id quod cogitaveram esset consecutum, ut scilicet Vulgata editio agnosceretur. Neque vero id à me sine exemplo factum est, atque adeo validissima authoritate, cum illi ipsi Apostoli atque Euangelistæ frequentissime, cum proferunt Scripturarum testimonia, minime curent exactam illam Hebraicæ veritatis explicationem; ut nonnunquam diversa atque Hebraica habent, si verba tantum contemplere, scripsisse videantur: quæ tamen res ingentem præ se, quod scilicet ab ipsis staret veritas, ferebat significationem. Verum etsi ea quam diximus usi fuerimus moderatione, loca tamen ad octo millia annotata atque emendata à nobis sunt. At vero quod reliquum esset, optarim ego ut primates Christianæ reip. patres, siquid minus à me in hac parte perfectum est, operam darent ut, quando maxima jam laboris pars confecta est, quicquid restat absolveretur. Nam fieri non potest ut unus assequi possit omnia, idque in tam bene præcipiti (non mea tamen magis quam aliorum culpa) festinatoque negotio. Quale igitur cunque id est quod communi Ecclesiæ Christi largiri jussus sum, peto à te, pie Lector, ut utiam his meis laboribus, qui sane non mediocres fuere, vicem rependas, ut eo pectore ac mente quemadmodum à me offeruntur accipias & legas. Vale.

HEN-

Digitized by Google

HENRICO INFANTI PORTUGALLIÆ.

S. R. E. Reverendissimo Cardinali, Archiepisc. Eburensi, &c.

F. FRANCISCUS FORERIUS S. D.

TOt sunt, Serenissime atque optime Princeps, tibi à Deo Opt. Max. dona impertita, ut omnes qui pietatem colunt te diligant atque admirentur: Sed in regnis Portugalliæ nullus est qui mentis ac judicii compos sit quin tibi pene uni acceptum referat quod tutus vivat in patria, otio fruatur, jus suum obtineat, ac denique domi militiæque bene rem gerat. Quæ vero à te ineatur ratio in rebus tanta prudentia administrandis, nec est hujus mei instituti nunc explicare, nec, si esset, tu pro tua singulari modestia facile ferres. Sed unum tantum volo omnibus compertum esse atque testatum, alios quidem Lusitanorum nominis tibi multa ac magna, me vero omnia minima, vel maxima debere. Simulac enim ex Gallia redii, quo me cum æqualibus meis quamplurimis Rex ille animi plane regii, frater tuus JOANNES III, studiorum causa miserat, cujus memoria cum maximo desiderio in animis omnium bonorum semper inhærebit, statim me in fidem tuam recepisti, tantoque studio prosecutus es, quod ad hanc usque diem semper apparuit illustrius, ut veteribus beneficiis nova continenter addendo mei vehementer ornandi te nec animus nec ratio unquam defecerit. Cum igitur tuus ego sim totus, nihilque habeam boni quod tibi jure optimo non adscribatur, ad te etiam Jesaias meus deferatur necesse est. Nam etsi scio te nullum non tempus habere nimis occupatum, propter rerum molem quibus præes, & curas quæ te maxime distrahunt, dum Regina, quæ sanctitate ac prudentia omnium fidem superat, ad maximas omnes res gerendas tuo consilio utitur; neque posse de tuis occupationibus tantum temporis detrahere quod satis sit ad hunc librum perlegendum; tamen cum Sacrarum literarum studio nihil tibi sit antiquius, in quibus maximos fecisti progressus, si quid inciderit in lectione Jesaiæ, ut usu solet accidere, (in re præsertim tantis tenebris circumfusa) in quo hæreas ac nostram sententiam requiras, dare poteris aliquot operas subcisivas huic nostro commentario: deinde cum ejus partem quam voles attigeris, si tibi videbitur, trades juvenibus illis qui sunt in Academia Sacrarum literarum, quam tu cum summa tua laude atque impensa incredibili in tua civitate Eburensi instituisti: cui etsi viros præfeceris, ut par erat, doctrina & sanctitate excellentes, (qui velim pro sua singulari probitate ac maxima benevolentia, qua eorum societatem propter religionem & vitæ rationem semper habui conjunctissimam, ut, si quæ fuerint obtrectatorum calumniæ, me ab omnibus vindicent) tamen studiosis illis juvenibus industriam nostram atque operam non inutilem aut parum jucundam spero fore. Habes, Princeps optime, ac religionis Antistes, Assertor & Vindex, voluntatem meam: Tu pro tua singulari humanitate ac studio, quo me semper es prosecutus, eo animo hæc meque ipsum accipies quo à me tibi traduntur, quod te facturum omnino, cum cupio, tum etiam confido.

F. Franciscus Forerius ad Sanctis S. Patres in Concilio Tridentino congregatos.

CUm superioribus annis, Patres amplissimi, in Regnis Portugalliæ à Principibus nostris, qui semper summa prudentia circumspiciunt ne qua prava doctrina in animos suorum irrepat, libris quærendis atque examinandis præfectus essem qui ab exteris gentibus ad nos afferuntur, omniaque scriptorum genera perlegerem, plerosque hujus ætatis viros bonos ac doctos animadverti id genus scribendi sequi quod nostrorum patrum memoria fuerat usurpatum, nimirum subortas hæreses impugnare, hæreticorum hominum errores evertere ac penitus tollere, pro Ecclesia Christi propugnare, ut veritatem Christianæ doctrinæ, velut a majoribus acceperunt, sartam tectam conservarent, adversariorum scripta impugnando, & collatis signis cominus cum hostibus manus conferendo. Dolent enim nimis atque acerbissime ferunt viri Christiana pietate præstantes fratrum suorum calamitatem: & quamvis eos videant à vera Catholicæ Ecclesiæ sententia abstractos ad hostes totius humani generis defecisse, non possunt de illorum interitu soliciti non niti summo conatu ut è diaboli laqueis exemptos ad sanam castamque doctrinam perducant. Hoc scribendi genus tam diligenter, tam docte, tam copiose atque enucleate superioribus temporibus nonnulli persecuti sunt ut in hac parte nihil jam catholici viri desiderare, neque ullam excusationem miseri illi & plane perditi suorum errorum afferre possint, in quibus obstinatissimi persistunt, non tam quod se recte sentire intelligant quam ut opinionem retineant quam sine ulla ratione tueri cœperunt: nec desistent quoad imperitæ plebeculæ probarint se esse verborum Dei veros interpretes ac sacrosanctæ Scripturæ sensum tenere, sibique Divinitus omnia transfundi. Sperant enim illi diabolica superbia obcæcati, quamdiu nobis occentent, & priorem suam interpretationem apud indoctos inculcent, nihil de sua existimatione detractum iri. Cujus rei cum ego eorum scripta volvendo certissima viderem argumenta, non poteram facile pati, præsertim sentiens Divinis oraculis ac sanctissimis scriptis tantam injuriam fieri, quæ Deus Opt. Max. pro summo beneficio tanquam lignum vitæ adversus mortem, tanquam ad afferendam lucem adversus tenebras, tanquam fontem aquæ jugis in solitudine, ac singulare perfugium in maximis angustiis reliquit, ab hominibus ad suam & cæterorum pestem atque æternos cruciatus animorum transferri. Quæ res, sanctissimi Patres, effecit, ut me operæ pretium facturum existimarem, si omnes libros Prophetarum, ac Job, Davidis & Salomonis explicarem, ac germanam catholicamque sententiam summa diligentia ac studio, singulis dictionibus examinatis, dicendique formulis Hebræorum observatis, elicerem ac promulgarem. Opus sane spissum est atque operosum, quod etiam haud scio an unquam unus homo præstare possit: tamen cum Ecclesiæ Christianæ charitas me impulerit, ac desiderium maximum quo teneor ut fratres in deviis errantes & ad interitum festinantes ad rectam viam & salutis certissimum portum revertantur, non arbitror mihi temeritatis notam inurendam à piis viris ac vestri similibus, præsertim cum viderint me operam non omnino lusisse. Nam in singulis libris locos complures obscurissimos ita illustravi ut nemo amplius hærere possit. Sunt alii pene innumerabiles quibus

Judæi atque hæretici hujus temporis utebantur ad doctrinam Christianam labefactandam; nosque veram verborum significationem interpretantes, adversariis arma nec opinantibus abstulimus. Hanc belli gerendi rationem non parum commodam puto qua aditus atque exitus hostibus præcluduntur, commeatus intercipiuntur, aquæ derivantur, & fine sanguine illorum vires penitus exhauriuntur: hoc ipsum facere mihi videntur qui è S. literis veram germanamque sententiam elicientes, locos omnes quibus impiorum perfidia convinci possit, qui in pravum sensum omnia detorquent, illustrant, atque ita interpretandos esse ex similium collatione confirmant: ex quo aut quantumvis refragantes veritatem fateri compellimus, aut eo detrudimus ut cum omnium hominum tanti sceleris detestatione dicant, à Spiritu S. pugnantia afferri. Quam rationem eo libentius amplector, quod non solum præsentes ac superiorum temporum hæreses tollit, sed etiam cæteras omnes quæ in posterum ab inferis possint emergere. Nihil enim diabolica fraus specie religionis animis sceleratorum vel imperitorum affixit aut affiget quod non aliquo modo locis quibusdam Divinorum oraculorum aut decurtatis aut perverse interpretatis tinctum sit, eorumque auctoritate confirmari videatur. Quod verissimum esse testatur vel hæresis ea quæ nuper exorta est, ex quasi abortis Lutheri, quæ Spiritui obsequendum esse jubet, ac scripta Divina omnia habet nauci, & ab ipsa Scriptura robur petit. Si quis igitur difficilioribus omnibus locis maximeque obscuris lucem attulerit, ac sincerum sensum & literalem, ut vocant, promulgarit (quem Deus quasi intra viscera verborum inclusit, quo uno adversus hæreticos pugnamus) non parum adjumenti Christi Ecclesiæ attulisse videbitur. Præterea apud neminem vestrum controversum esse, sed apud omnes, ut pios decet, certum atque concessum puto, eam operam non esse parum laudandam quæ summo studio suscepta est ad pristinam auctoritatem veteris, docti ac sanctissimi interpretis confirmandam; quam hoc tempore impiorum iniquitas labefacere conata est, præsertim cum superioribus annis hoc idem sanctissimum concilium, ut par erat, nulla ex parte diminutam esse voluerit. Quæ ego certe si non perfeci, saltem volui: ob eam enim causam rursus Hebræa in Latinum sermonem converti, ut verbum pro verbo reddens, quoad ejus fieri potuit, ostenderem in Commentario sententiam quam Vulgatus interpres reddidit ab Hebraicis verbis non abhorrere. Non tamen eo inficias esse aliquot locos qui ab eo fortasse magis commode converti potuerint; sed iidem ipsi qui in eum illudunt, & tragœdias maximas excitant, mea sententia, sæpe ita verterunt ut fœdius verti vix possint; ob eamque rem nihil est causæ cur eorum nomine de ejus auctoritate vel minimum quidem detrahatur, quod ut quasi legentibus ob oculos ponerem, interdum in examinandis dictionibus fui longior, in primis præsertim capitibus. Facillimum enim esse ajunt verbis tenus veteris interpretis auctoritatem tueri, sed si scripta scriptis conferantur, id fieri posse nullo pacto contendunt. In primis igitur nos capitibus accuratius verba contulimus, ut in reliquis & apud Jesaiam, & apud cæteros Prophetas, licet locos tantum difficiles explicemus, tamen eandem industriam posuisse omnes existiment; neque verbum quidem esse omissum cujus significationem atque usum non perpenderimus. Hæc vero à nobis nemo eo animo dicta esse existimet quo vel tantulum de cæterorum industria detrahatur, aut gloriolam ullam inanem, & quasi nebulam ad solis calorem brevi evanescentem, aucupemur. Tantum enim abest ut hujusmodi vanitatibus trahar, ut quam miserrimos eos omnes judicem qui harum rerum studio tenentur, & fructum alium laborum suorum exspectant quam eum qui omnibus apud Dominum JESUM est repositus, idemque singulis pro factis est reddituros: quem, veluti spero, & ejusdem pietate fretus exspecto, reddat & mihi & ceteris omnibus qui ipsum, ut par est, pie & caste coluerint, atque omnia sua studia ad laudandam tanti nominis Majestatem converterint. Quamobrem si nostram operam vobis, sanctissimi Patres, probari intellexero, reliquos libros, quos habeo jam absolutos, propediem foras dabo: sin minus vestro judicio admonitus recondam; mihique satis erit meum studium erga Christi Ecclesiam atque hoc sanctissimum Concilium semel esse testatum.

Valete. Dat. Tridenti Kal. Martii.

Ejusdem ad Amicos in Commentarium Jesaiæ

PRÆFATIO.

ANte quam ad institutum meum venio, vobis, fratres atque amici, qui me aliquod opus vigiliarum mearum edere compulistis, reddenda est ratio meæ voluntatis atque propositi: cæteri enim, qui me non norunt, ex ea intelligent quid à me in hoc commentario sit exspectandum: ac si forte institutum meum probaverint, ad reliqua legenda aggredi poterunt; sin minus, operam suam alio transferent. At vobiscum loquar confidentius: non enim mihi ullo pacto persuaderi potest quin hujusmodi labores nostri vobis pergrati futuri sint, præsertim cum ob eam potissimum causam suscepti fuerint, ut qui nondum certam rationem studiorum tenent, hanc sequi possint, ex qua plurimum mihi felicitatis (quod Deo semper acceptum feram) provenisse nunquam diffitebor. Sed scio ex vobis esse nonnullos qui a me multo majora exspectarint: nam, ut non ex animo meo nunc loquar, sed ex vestris verbis, ut sæpe in sermonibus mihi dixistis, quidam magnam de me opinionem conceperunt ex concionibus quas per viginti annos in aula regia & apud cives meos Ulyssiponenses aut præsentes audiere aut absentes fortasse, ut sæpe fit, ab iis qui adfuerant vehementer laudari intellexerunt. Videbar enim (absit arrogantia verbis, & omnia Divinæ bonitati adscribantur) juxta Pauli doctrinam recte tractare verbum veritatis, ac locos ex Scripturis citatos commode interpretari atque ad Christianorum & fratrum dilectionem satis apte accommodare. Studium, ingenium meum ac dexteritatem quandam vehementer laudando, me persæpe rogastis ut ad communem reip. Christianæ utilitatem tandem efficerem ut aliquod opus exstaret laborum meorum. Mihi vero difficillimum videbatur negare iis quos unice diligerem, quibusque me carissimum esse sentirem, præsertim adeo justa petentibus, ac præclara cupientibus, ut sine maxima omnium invidia diutius deberi non possent. Sed cum multum cogitassem quid primum edendum esset, conscientia me admonuit ut ab iis scriptis initium facerem quibus ratio studiorum meorum pateret, per quam quantum ipsi putatis ego profecerim, quæ etsi intelligebam non ab omibus excipienda fore illo applausu quem eorum exspectatio ac de me prius concepta opinio promittere videbatur, tamen malui in periculo versari meæ existimationis minuendæ quam conscientiæ non plane satisfacere. Neque debet alicui vestrum mirum videri cur ita loquar: nam longo usu doctus id fere evenire intelligo. Novi libros qui probari soleant: novi studiorum genera, hominum mores; sciebam etiam, si lucubrationes meas ederem in Euangelia quæ per totum anni curriculum leguntur, velut a me pro suggestu in concionibus ad populum exposita sunt, aut eas quas in reliquos Prophetas habeo, in quibus tantummodo loci difficiles explicantur, multo plures fore qui eos libros legerent, meoque nomini melius consultum iri. Verum cum me meaque Domino Jesu dediderim, à quo omnia accepi, ejusque gloria mihi nihil sit antiquius, id ipsum nomen statui, quantum sui muneris largitas mihi permittet, illustrare, propagare atque in omnium animis

mis infigere, & eorum præfertim qui non credunt; iisque non parum utilitatis afferre qui in ſtudium S. literarum incumbunt, ac Spiritus Dei verba in aures hominum tranſmittunt: quibus prodeſſe cùm vehementer ſtuderem, pro iis muneribus quæ mihi largita eſt Domini noſtri ſumma benignitas, ad delicta mea, quæ ſunt innumerabilia, conniventis, operæ pretium facturus mihi videbar, ſi ſcripto aliquo teſtarer, iis præcipue qui mihi plus æquo tribuunt, qua ſtudiorum ratione pervenerim ad earum rerum notitiam quam illi, ut ajunt, admirantur. Coram Chriſto loquor, à quo eadem accepi, me quidquid eſt quod vel ipſi laudant vel laudari intellexerunt, quidquid in meis concionibus populum tenet atque afficit, quidquid eſt eloquentiæ, ſuavitatis, gravitatis, omnemque facultatem quam mihi in dicendo tribuunt, hac ratione eſſe aſſecutum quam in interpretando Jeſaia ſequor. Cum enim cognoviſſem magnam partem difficultatis in verbis conſiſtere, donec Hebraice neſciebam, ad aliorum converſiones, annotationes ac ſcholia me conferebam; ubi vero Hebræa ego ipſe conſulere potui & cum Latinis conferre, adhibitis omnibus quorum copiam mihi habere licuit Lexicis, atque examinatis locis quos citant ad verborum ſignificationes comprobandas, maximis vigiliis Lexicum mihi ipſi confeci: quod incredibile dictu eſt quantum negotii mihi facesſierit; nunc autem præteritos labores continenti utilitate compenſat: Eo enim inſtructus ad lectionem Prophetarum accedo, dictiones certo judicio pondero, obſervo dicendi formulas, tralationum uſum, ac cætera quæ a me in commentario notantur: Vulgatam etiam interpretationem, quam jure ſemper feci plurimi, cum Hebræis verbis confero; deinde ſenſum, Divina prius ope implorata, conor elicere. Quoad ea quæ vehementer ſtudeo non aſſequor, inſuaves nimirum ſunt labores mei; animus quodammodo languet, neque ad Divinum amorem impellitur; mihique inter ſentes verſari videor: ſed ubi quod volebam obtinui, quis dicat quam ſuaves fructus percipiam? jam ſpinæ illæ roſas & colore & odore maxime delectantes feliciſſime protuliſſe mihi videntur. Hac dulcedine perſuſus iterum inter ſpinas conjici pervelim. Hujuſmodi ſunt meæ curæ, fratres, hujuſmodi vigiliæ, hæc ratio ſtudiorum meorum, hinc illa emanarunt, quæ, ut vos dicitis, admiramini: quæ vel ſi vera eſſent, & majora etiam quam prædicatis, non tanti unquam facerem ut iis bonis conferrem quæ ex hac ratione mihi provenerunt hactenus, & in dies, ſi Deus juvarit, magis magiſque provenient, quæ ſi plane poſſem, non tamen explicarem: timendum enim eſſet ne idem mihi eveniret quod Regi Ezekiæ, cum ad ſe legati Babylonii venerunt. Hæc à me non eo dicuntur ut alicui fucum faciam: volo enim etiam atque etiam eſſe teſtatum me optime noſſe, ſi quid eſt in me boni, nihil eſſe cauſæ ut gloriari poſſim: totum enim ab eo accepi qui etiam ſubito poteſt auferre. Loquor perinde atque ſimplicitas Chriſtiana poſtulat, ac Spiritus ſuadet: dici enim non poteſt quantopere cupiam ut omnes ad hauriendas aquas ſalutares mecum concurrant. Nunc veriſſime hujuſmodi ſtudiis videor mihi id conſecutus quod in libro Sapientiæ promittitur, cum ait, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*; nam etiam hic *vita æterna eſt, ut cognoſcam* Dominum *Deum, & quem ille miſit Jeſum Chriſtum.* Quin & illud quod in Euangelio legitur, mihi accidiſſe poſſum affirmare, Invento theſauro in agro, me omnia vendidiſſe ut mihi agrum illum compararem. Hunc ergo agrum maxima cum hilaritate colo; nec ab opere quod inſtitui deſiſtam, niſi cum ex hac vita migraro. Hujus culturæ argumentum ac rationem, fratres chariſſimi, apud Jeſaiam habetis. Si oratio mea parum ſuavis videbitur, condonandum eſt homini inter vepres ambulanti; ſi inelegans, quis à ruſtico elegantiæ ſtudium atque ornamenta deſideret? Præterea non eſt cur mihi vitio vertat aliquis quod dum Prophetæ verba pondero, interdum ſim longior. Cum enim ſtare fere ab antiquo interprete ac pro eodem pugnare decreverim, res pluribus exponere neceſſe habui, & ea refellere quæ illi objiciunt qui ejus auctoritatem tentare conantur. Sæpe etiam dum leges commentarii tranſgredi vereor, Grammatici, Hiſtorici, Philoſophi, Aſtrologi ac Geographi perſonam ſuſtineo: interdum etiam ingenio meo indulſi, ut qualis eſſet ſtudiorum meorum ratio legentibus aperirem. Sed ut ad id redeam quod paulo ante dicebam, in hoc commentario neque verborum delectum habere conſtitui, neque ornamenta ulla quærere, ut legentes voluptate perfundant. Qui hæc in S. literarum commentariis deſiderant, nondum ſatis habent cognitum quantas in verborum quaſi ruditate ac ruſticitate quodam modo quæſita Spiritus Domini jucunditates incluſerit. Digreſſionibus, ut lectores permoveam, non utor, niſi rarenter & verecunde: id enim munus meum hoc tempore vix unquam patitur ut fiat; egoque meis partibus cumulate arbitror me ſatisfeciſſe, ſi ita ſententiam Prophetæ expoſuero ut clare pateat. Qui vero inflammari maxime cupiunt cum verborum ſenſum ex commentario intellexerint, ad lectionem Prophetæ eo relicto ſe convertant, à quo tantus ignis paulatim excitabitur ut ſibi intra viſcera ardere videantur.

Sunt etiam quædam alia lectoribus ſignificanda, & illud in primis, Me non aliam ob cauſam rurſus Hebræa vertiſſe quam ut veteris interpretis auctoritatem confirmarem: Ille enim fere, ut docti homines facere ſolent, non tam verba quam ſenſum expreſſit, & eo nomine à nimium curioſis ac parum doctis mentiſque fortaſſe non bonæ ſæpiſſime male ſolet audire, qui ſatis probaſſe exiſtimant quæ dicunt, cum Judæos teſtes adhibent qui affirmant verba Hebræa in veteri noſtra interpretatione ſæpe expreſſa non eſſe. Ob id non inutile judicavi, ſi verbum pro verbo reddens, quoad licuit, oſtenderem Vulgatum interpretem in locis innumerabilibus ſententias doctiſſime atque optime expreſſiſſe, & eos qui ipſum accuſant in illis eiſdem locis longiſſime à veritate diſcedere. Addixi ſemper me verbis ipſis Hebræis, niſi cum tam inſolens erat oratio ut nullo pacto à Latinis intelligi poſſet. Hebraiſmos retinui; ordinem verborum vix unquam mutavi; dictiones non addidi, niſi aliquot in locis ſubſtantivum verbum, ut appellant, ac relativum, quæ Hebræi frequenter omittere ſolent; quod ob eam rem feci libentius, ut oſtenderem quantam libertatem reliqui interpretes ſibi vendicarint, vel, ut verius loquar, temeritatem. Nam ſi quis in quovis orationis membro dictionem aliquam addat, is omnino Scripturam fideliter haudquaquam interpretabitur, ſed pervertet. Habes, Chriſtiane lector, ſententiam meam. In interpretatione mea nihil aliud velim ſpectes niſi religionem ac fidem. In nominibus propriis fere à Vulgato interprete non receſſi, quod uſu jam recepta ſint, neque video ullam utilitatem ex hujuſmodi novatione provenire. Quædam tamen mutavi, quod ea potius librariorum negligentia mendoſe legi exiſtimarem, quam interpretem ita ſcripta reliquiſſe: ſed neque hac in re nimis diligens eſſe volui. Pauca, vim literæ צ ſecutus, per *t* ac *c* ſcripſi; tum quia præceptor meus Angelus Caninius, Anglarienſis, qui ad linguas docendas natus eſſe videbatur, atque Hiſpali mortuus eſt, ita pronuncianda cenſebat; tum etiam ut lector, ſi vellet originem nominum inveſtigare, intelligeret quibus literis in Hebræo ſcriberentur.

In nominibus Dei hoc obſervavi, ut nomen illud quatuor literarum quod Judæi infandum volunt eſſe, nempe יהוה, ubicunque inveniretur, immutatum retinui. Nam cum nomen id tantum nulli creato convenire poſſit, non parvi momenti rem eſſe judicavi, ſi lector intelligeret ubi id nomen eſſet, ubi non eſſet, præſertim cum in oratione ſæpius, ſi aliud pro illo ponas, vix intelligere poſſit ullus quid ſibi velit Propheta. Ut unum tantum è multis afferam, quis aliud intelliget, cum ita dicit, *Ego Dominus; hoc eſt nomen meum*, quam *Domini* nomen? & tamen de alio nomine fit ſermo, ſcilicet יהוה, quod quidem idem ſignificare quod nomen *Dominus* nemo unquam dixit, ſed *eum qui eſt*. Hic dicet aliquis, Cur ergo antiquus interpres, cujus judicium tanti eſt apud te, id nomen nunquam retinuit, ſed ſemper nomine *Domini* commutavit? Huic ita reſpondendum videtur, Ipſum hac in re LXX interpretes ſequi voluiſſe, qui tantæ erant auctoritatis ut ſi quis ejuſmodi nomen aliter enunciaſſet quam illi tradidiſſent nefas videretur; qui tamen non aliam ob rem ab ejus nominis enunciatione abſtinuerunt quam propter Hebræo-

rum

rum superstitionem: quos tamen sancti Dei adeo laborabant ut ad viam veritatis reducerent, ut vel ipsi Apostoli in citandis locis Scripturæ, & hoc ipso nomine, caverint ne Judæos offenderent; qui si nomen, quod pene post hominum memoriam infandum esse acceperant, à Christiano proferri vidissent, per religionis contemptum id fieri existimassent: eaque una res perficere poterat ut illi à fide abhorrerent. Nostris vero temporibus cum passim sanctissimum id nomen late manaverit promulgatumque sit, jure optimo, ubi ubi inveniatur, pronunciandum videtur, ne temere scriptum fuisse judicari possit. ADONAI *herum* significat, sive *eum qui familiam nutrit ac tuetur*: pro eo *dominum* reddidi. SADAI conservavi, quia ejus nominis interpretatio in dubium revocatur. Vide Iesaiæ 13. JAH etiam retinui, quod à JEHOVAH differre non putem. El, & ELOHIM, quæ à *fortitudine* dicuntur, nomine *Dei* reddidi. Quantum vero momenti afferat in interpretatione scire quod nomen sit expressum, ex nostro commentario lectores intelligent.

Versus pene ubique cum Hebræis distinxi: in aliquot tamen locis ostendi divisiones seu interpunctiones male à Massoritis, aut quicunque illi tandem fuerint, adhibitas fuisse. Dictiones quasi aliis motionibus vocalibus scriptæ essent quam nunc leguntur in Bibliis sæpe interpretatus sum: nam is qui puncta adhibuit ac divisiones interpretis officio functus est: quare ut interdum decipi potuit, sic apud me & plerosque viros doctos non majorem vim obtinent quam Rabbinorum interpretationes, præsertim cum videam apud illos ipsos Rabbinos hac in re vehementer variari; ac non eodem modo omnes, quemadmodum neque antiqui interpretes, & paraphrastes Chaldæus, eandem vocem protulerunt, ita fit ut liberior sit interpretatio: ex quo plurimum boni interdum oritur, ut videre licet in nostro commentario, singulis fere capitibus.

Quædam non eodem modo in omnibus locis converti, quod non erat opus, nonnulla aliter vertissem nisi commentarium edidissem; ob eamque rem obscuritatem non evitavi, modo Hebræa exprimerem. In declarandis vocum significationibus, quandocunque licuit, S. literarum testimonio usus sum: ubi id defuit, cognatas dictiones, orationis filum atque antiquos interpretes in consilium adhibui: ex quo sæpius colligebam à Rabbinorum, & eorum qui Lexica hactenus condidere, sententia plerunque discedere, non modo non temerarium esse sed etiam valde Christianum. Hæc erant quæ lectores præmonitos esse volebam, ut si quid minus usitatum in interpretatione nostra legissent, scirent me non temere & sine ulla ratione id posuisse; quare ad Prophetam explicandum aggrediamur.

CATHOLICO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMOQUE REGI

PHILIPPO CAROLI V. IMPER. F.

ANDREAS MASIUS S. D.

SUnt quidem plurima & pene innumerabilia summi atque perpetui in remp. studii tui monimenta, Philippe Rex Catholice, quibus vita tua erit ad posteritatis memoriam quam celeberrime commendata: sed nescio an ullum præclarius, diuturnius quidem certe nullum fore arbitror, atque illud est quo Sacra, ut vocamus, Biblia, h.e. universum Divinæ & cœlestis sapientiæ thesaurum, omnibus præcipuis linguis, quibus ille nobis est Divinitus commendatus, & tanquam adnumeratus, ita accurate consignari, & in tabulis pulcherrimis inscriptum elaborari nuper curasti, ut nullum ipsi posthac periculum vel ab hæreticorum, ut appellantur, malitia, vel a librariorum inertia, vel denique ab imperitorum hominum temeritate futurum esse videatur. Hujus enim facti tui laudabilissima & publice privatimque utilissimi memoriam omnis doctorum virorum posteritas summa cum caritate animoque gratissimo usurpatura est, &, ut auguror, magnificentissimas quasque atque maximas ad rem literariam juvandam molitiones, quæ olim ab aliis præstantissimis viris suscipientur, tanquam proverbio abs te nato, *Philippicas* appellatura: quod de Philadelpho Ptolemæo proditum à Philone est. Sed ego hoc tuum munus, quod reip. universæ, cujus bona salutis pars in Sacrarum literarum incorruptæ integritatis conservatione posita est, maximum atque optimum attulisti, nunc pluribus verbis non prosequar. Erunt enim satis multi quibus hoc unum opus erit ut istud atque alia divina benefacta tua copiosissimis suis orationibus in clarissima luce ponant. Mea vero ista huc modo pertinebat commemoratio, ut intelligeres, quæ me potissimum causa adduxerit ut hosce meos labores, non illos quidem egregios, aut tanta tua Majestate dignos, sed certe ab isto tuo pulcherrimo studio minime alienos, tibi dedicarem. Ad quem enim potius mitti debeant quæ ad alicujus Sacrarum literarum partis correctionem emendationemque pertinent, quam ad eum Regem cujus præclarissimi ad illam rem studii manebit testificatio sempiterna celeberrimis consignata monimentis? Quanquam mihi quidem privatim etiam summa fuit ratio ut hoc facerem. Nam cum ego de tua voluntate certior factus à Consiliario tuo, viro insigni pietate, summa prudentia, incredibili denique omnium artium disciplina linguarumque peritia ornatissimo, Benedicto Aria Montano Theologo, libellos conscripsissem duos de Syrorum lingua; quorum altero ejus literarum cognitionem, sive, ut vocamus, Grammaticam, altero vocabulorum vim significationemque explicavi; qui libelli ad Apparatum pulcherrimæ illius Bibliorum editionis tuæ, quam modo dicebam, pertinerent; atque insuper typographum tuum Plantinum Chaldaicis quibusdam exemplaribus, raræ illis quidem & emendatissimæ integritatis, quæ manuscripta in mea supellectile libraria habebam, libenter, ut debui, adjuvissem; tu magnificentissimo & plane regio munere me donasti atque cohonestasti: pro qua tua in me regia liberalitate & munificentia nisi aliquam darem grati animi mei significationem, essem profecto in te maximum Regem ingratissimus. Ad hæc, nemo, opinor, tam hebes est qui si modo præclarissimas virtutes tuas cum rebus Divina ratione ab Josua gestis, quatenus fas est, contulerit, non intelligat te unum esse inter Principes omnes ad quem potissimum sanctissimi illius Imperatoris historiam mittere consentaneum fuerit. Tu enim cum in bellis gerendis tum in antiqua puraque religione tuenda sic adhuc versatus es, ut unus præ cæteris omnibus eximie atque etiam singulariter tibi Josuæ exemplum ad imitandum proposuisse possis existimari. Sed mihi nunc, ut dixi, non est operæ tuas laudes in ista mea oratione ponere. Quapropter hujus meæ dedicationis causas, satis, opinor, justas, dixisse contentus, subjiciam, ut potero, paucissimis rationem omnem quam sum in opere ipso, quod tuæ Majestati merito dedicavi, secutus. Enimvero quantam auctoritatem atque fidem rerum Sacrarum scriptores explanatoresque, quotquot præsertim ante D. Hieronymi ætatem vixerunt, aut ejus fuerunt æquales, Græcæ interpretationi Septuaginta duorum Seniorum adjunxerint, minime est obscurum. Cum enim plerique Hebraice nescirent, quæ lingua in S. literis optimo jure principatum tenet, illam unam interpretationem, quippe cujus secundum Hebraicam veritatem maxima erat auctoritas, omnes, sive illi Latini fuere sive Græci, sunt secuti, nec pauci etiam ut Divinitus dictatam atque prophetico scriptam sensu admirati veneratique. Quam ob rem summam

mam laudem merita fuit habuitque apud omnes ea opera quam Hesychius magnam, Lucianus majorem, Origenes maximam in illa interpretatione emendanda conservandaque consumpserunt. Horum ergo virorum, sane præstantissimorum, ego æmulatus utilissimum studium, illam LXXII Seniorum interpretationem, sicut Adamantius universam sartam tectam suo seculo tradiderat, sic in una Josuæ historia rursus sinceram integramque meo seculo tradere, tanto intervallo, sum conatus, cum interea in nulla sui parte vitium non fecerit. Nam ut nihil dicam de corruptis ubique verbis, verborumque complexionibus; quæ vitia quam multa, quam fœda, quam mendosa in ea sint, incredibile dictu est; quis aut nostra aut avorum nostrorum memoria ullum vidit codicem in quo superessent asterisci atque obelisci? quibus notis passim appositis Origenes illam interpretationem utilissime distinxerat atque illustrarat, quod est à me alibi satis, opinor, explicatum. Ego igitur in Josua & menda omnia, quoad ejus à me fieri potuit in tanta pravitatis vetustate, correxi, & asteriscos obeliscosque suis locis restitui. In ea autem correctione emendationeque cum aliorum vetustissimorum codicum, & præsertim ejus qui in Vaticana bibliotheca habetur, fidem sum secutus, tum interpretem Syrum ubique autorem certissimum habui, qui ea Græca ad verbum expressit ante annos nongentos quæ in Adamantii Hexaplis ab Eusebio in nobili illa Cæsareensi bibliotheca fuere collocata. Sed de istis rebus dixi plura in iis quæ de Græcis interpretibus à me prolixius sunt disputata. Nolim enim suspicari quenquam, meo me fisum ingenio, quadam perspicacitatis opinione, vel literam unam mutasse. Pertimescere enim deberem in re maxima periculosam temeritatis existimationem. Porro ista mea quæ trado sarta tecta in Josua, quem unum tuendum susceperam, si illi probabunt quibus ea cognoscendi judicandique potestatem tu permissurus es, ego in non paucis etiam aliis Sacrarum literarum libris similia exigi à me patiar, & pari fide officioque, si vita suppetet, tibi tradam. Habeo enim ab illo interprete Syro etiam Judicum historias & Regum; præterea Paralipomena, Ezdram, Esther, Judith; denique Tobiæ, & Deuteronomii bonam partem. Neque vero me deterrebit ab ea opera, quam acceptam apud te esse intelligam, quorundam absurdissimorum hominum contentio, qui, quod pene incredibile & portenti simile videri potest, eam Græcam editionem quæ in vulgus mendosissime est pervulgata tam esse sacrosanctam volunt ut propemodum Hebraicæ veritati anteferre audeant; neque ipsos quidquam pudeat Origeni in magno crimine ponere, quod manum ei, cum esset etiam tum perversissima, admovere ausus, obeliscis ea veluti jugulaverit quæ Hebraice non essent dicta. Sed nimirum, ut quidam febre, cibi suavitatem non sentiunt, sic isti stulta superstitione ex diuturno pravæ Scripturæ usu imbuti, rectioris sensum nullum capere possunt, maluntque errare, & quæ semel adamaverunt pugnacissime defendere, quam, si non libenter, at saltem patienter, quæ melius constantiusque dicuntur audire. Et hactenus meæ correctionis emendationisque ratio reddita esto. Quod porro ad explanationem Sacrorum verborum attinet; eam enim adjeci etiam; non erat illa quidem ab initio mihi proposita: alioquin comprobatam ab Ecclesia Latinam interpretationem secutus in ipsa essem. Sed cum mihi studiose diligenterque & accurate Græca cum Hebræis conferenti, & utramque linguam, illorum gratia qui eis non satis eruditi essent, prope ad verbum Latine reddenti, alia atque alia notatu, ut videbantur, digna occurrerent, in iisque seorsim conscribendis, cum sæpe Divinarum rationum cogitatio jucunditate maxima perfunderet mentis meæ sensum, proveherer longius, excreverunt tandem illæ ipsæ annotationes ad instar commentariorum, paululumque deinde à me interpolatæ evaserunt, quæ tuæ Majestati humiliter & demisse offero, commentaria. In quibus quid præstiterim atque effecerim, relinquo in aliorum existimatione, mihi quidem certe ipsi nulla otii, quodcunque nactus essem, oblectatio aut jucundior, aut utilior, aut huic etiam ætati mihi aptior obtingere potuit. Quid enim possit homini in omni vita videri suavius, quam sanctissimorum virorum divinis consiliis actionibusque, atque adeo Dei ipsius sermonibus, tanquam præsentem interesse, & frui coram? quid utilius, quam ea quæ beatos nos sola efficere possunt, percipere? quid denique ætati provectæ magis consentaneum, quam bonitatis Dei atque erga humanum genus effusæ benignitatis meditatione commentationeque gaudia æternæ beatitudinis jam propinquæ quodam modo præcipere? Hæc autem omnia longe facilius perfectiusque nos assequi cum Sacras literas scribendo pertractamus explicamusque minutatim, quam si lectione percurramus modo, nemo est qui possit dubitare. Jam vero ne quis admiretur unde hoc de rebus Divinis commentandi studium nobis subito exstiterit, nos cum à primo tempore ætatis tum Latinis, tum Græcis, Hebraicisque literis utcunque eruditi essemus, & si ea fuit vitæ nostræ ratio ut aliis deinde studiis, mox etiam actionibus civilium rerum implicaremur distringeremurque; tamen animi nostri quadam propensione, quidquid usquam unquam nobis otii vacuique temporis concessum est, id omne libenter in Sacrarum literarum doctrina percipienda consumpsimus, atque in eorum librorum lectione quibus libris illæ quam rectissime ad veræ antiquitatis normam & pulcherrimum Ecclesiæ consensum concentumque explanatæ viderentur. Sed nihil attinet omnem vitæ nostræ nunc rationem cuivis reddere aut exponere: satis enim habebo, si tuæ Majestati ista grati adversum se animi mei testificatio non fuerit ingrata. Vale, Rex maxime, feliciterque regnato. Ex musæo meo Zeveneriano, Anno Christi, 1571. ante diem septimum Calend. Novemb.

Argumentum in lib. Josue.

JEsus filius Nave, typum Domini non solum in gestis, verum etiam in nomine gerens, transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ, cælestisque Jerusalem spiritalia regna describit.

PRÆFATIO ANDREÆ MASII
IN GRÆCAM EDITIONEM JOSUÆ, ATQUE ANNOTATIONES SUAS.

OPtime lector, ut eam rationem quam in Græca editione secuti sumus, quamque his nostris Annotationibus consignabimus, plane & penitus cognosceres, prædicenda nobis esse nonnulla existimavimus, de ipsis primum Græcis interpretibus, deinde vero etiam de interpretationibus iis quæ LXXII interpretum nomine sunt in vulgus pervulgatæ, denique de obeliscis, asteriscis atque limniscis, quibus notis Origenes olim istas interpretationes distinxerat. Vetus opinio est, jam inde à primis nostræ religionis ducta temporibus, eaque non solum Græcorum & Latinorum verum etiam Hebræorum firmata consensu, Septuaginta duos viros ab Judæorum

rum Pontifice Eleazaro ad Ptolemæum Ægypti Regem (sive is Lagus fuit, quod pauci, sive Philadelphus, quod plerique tradiderunt) fuisse missos, qui Sacros libros ex Hebræo in Græcum sermonem huic id flagitanti verterunt. Et Latini quidem atque Græci istius rei auctores, non sane illi contemnendi aut leves, sed quos pene vetustissimos, post Apostolos, laudare possumus religionis nostræ explanatores & testes, in omnium manibus sunt; Justinus Philosophus, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Tertullianus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, alii. Neque vero etiam obscurum est quid ex Hebræis Philo, quid Josephus de hac re prodiderint. Sed præter hos, quæ sit jam olim communis Synagogæ opinio, certissimum nobis testimonium dicit Talmud, in principio ejus tractationis qua disceptatur de modis scribendarum sacrarum literarum; Judæi מסכת סופרים vocant. Sic enim illic scriptum est, ut verbum è verbo exprimam; *Ptolemæus Rex convocavit* LXXII *senes, collocavitque in totidem ædiculis: cumque nondum eis aperuisset qua de re convocati essent, ingressus ad singulos ait, Scribite mihi legem Mosis Magistri vestri. Porro Deus ita cujusque illorum mentem dirigebat, ut cum scriberent singuli, eandem unam undiquaque legem omnes scriberent; unoque concentu in tredecim locis ab Hebræo discederent.* Hæc illic Talmud. Cæterum locos illos tredecim in quibus rem ipsam illi scientes, ut ait Talmud, dissimulaverunt, ne Regem offenderent, nihil attinet adscribere: In multo enim pluribus id ab ipsis esse factum, testatissima res est. Sed solosne Mosis quinque libros, an universa, ut vocantur, Biblia sacra illi sint interpretati; tum seorsimne singuli, parietibus disclusi, an vero in conclavi consessuque uno, collatis sententiis; non est de istis rebus una nostrorum hominum opinio. (Nam Judæi Talmudem suum sequuntur; in quo & de Mosis modò lege, & de diversis ædiculis mentio est.) D. enim Hieronymus pluribus in locis [Procemio tradit. Heb. in Gen. in Ezech. 5. in Mich. 2.] scriptum reliquit, Præter universam Judæorum scholam, ipsum etiam Aristæum atque Josephum prodidisse, *solos quinque Mosis libros ab illis esse conversos traditosque Ptolemæo:* quod sibi quoque videri credibilius, & si non obscure ille quidem præ se fert, tamen rem usquequaque certam minime dijudicat. Ad diversas autem cellulas quod attinet, eas ridet aperte, & fabulis, non re, fabricatas in Pharo esse ait; negatque vel Aristæum vel Josephum de eis quidquam prodidisse. Sed contra, Justinus Philosophus è nostris eruditissimus, & cum primis vetus atque probatus, alios etiam sacrorum vatum libros esse ab illis Græce redditos existimavit. Nam Disputatione cum Tryphone Judæo ex Isaia quædam profert sic à LXXII illis viris, ut ait, interpretata. Idque ab aliis etiam Bibliorum explanatoribus, tum Græcis, tum Latinis, passim factitatum esse, nemo nescit, qui quidem in eorum est scriptis versatus. Et vero Clemens ille Alexandrinus diserte propheticos libros addidit, cum diceret, ἑρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφάς, τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικάς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν φασίν, ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου, &c. Strom. l. 1. Idque etiam Irenæus Lugdunensis Pontifex non paucis annis ante scripserat. Seorsim autem unumquemque illorum Seniorum operam dedisse interpretationi, usque adeo non esse fabulam putavit Justinus, quem modo dicebam, ut ipsum se, cùm fortè Alexandriæ esset, vidisse ædicularum vestigia in Pharo etiam tum reliqua scripserit, atque etiam de incolis, tanquam à majoribus acceptam rem, audivisse; simulque testem laudarit Philonem, atque etiam ab Hieronymo pro se nominatum Josephum, Parænet. ad Græcos. Idque Justino rursus assentitur Irenæus; & Irenæi verba secutus, ut videtur, Clemens Alexandrinus; qui hoc insuper addunt, Interpretationem istam esse veluti Ἑλληνικὴν προφητείαν. Philo autem, istis non parvo temporis intervallo vetustior, etsi ædicularum mentionem nullam ille quidem in suis, quæ ad nos pervenerunt, scriptis fecit, tamen hanc ipsam satis prodidit aperte sententiam, cum scriberet, Senes illos, tanquam Divino inflatu, protulisse, non alia alios, sed eadem omnes, tum nomina, tum verba, similiter atque si singulis occulte quispiam omnia suggessisset, atque dictasset; De vita Mosis. Ad hæc, satis notum est illud Tertulliani nostri, Adversus gentes Apolog. Menedemum Philosophum providentiæ Divinæ vindicem illos Senes de sententiæ communione suspexisse; quod sane mihi ille videtur de singulorum interpretatione cum cæteris consentiente dicere; quanquam, qui idem ante dixerat, Josephus de alia re verba Menedemi esse interpretatus videatur. Denique Epiphanius Cyprius, non ille quidem singulos, sed certe binos fuisse in divisis conclavibus disclusos scripsit. Idque etiam Justinianus sancivit Novellis suis constitutionibus, Constit. 146. Non levem igitur res istæ quæstionem habere, & in partem utramque graviter disputari posse videntur. Etsi enim Hieronymus contrariarum sententiarum numero longe vincitur, tamen pondus testimonii Aristæi, quo ille nititur, multo maximum existimari debet; quippe qui unus rebus istis præsens interfuit, primusque, ut gestæ essent, literis consignatas monimentis mandavit. Tum si ratione adversus auctoritatem, in rebus præsertim longa vetustate obliteratis, pugnare fas est, nequaquam destitutus firmissimo præsidio videri poterit Hieronymus. Nam præter Mosis legem, si reliquos libros spectes, usque adeo perversa est plurimis in locis ea interpretatio quæ LXXII illis Senioribus adscribitur, ut verisimile videri nequeat, viros LXXII primarios, quales misisse Ptolemæo Pontificem est proditum, tam ineptos fuisse, tamque imperitos, et ab interpretandi munere imparatos, atque omnino absurdos, ut sic hallucinarentur. Neque enim in verbis solum maximi errores, tanquam ex paragrammate nati, apparent, dum alia sæpe pro aliis interpretantur; verum etiam non raro in bene longis verborum circumscriptionibus. Neque vero ego jam, quos dico errores, de ea scriptura judico quæ nunc est in Hebraicis codicibus; ne mihi aut novos librariorum interductus, aut mendas, aut denique Judæorum interpunctiones, atque vocalium accentuumque, ut vocantur, appositiones, quas בעלי המסרת fecisse dicuntur, aut etiam (quod quidam facere non dubitant; quibus ego sane nondum assentior) istorum sceleratam perfidiam opponas, quasi de industria ipsi mutarint multa in librorum Hebraicorum scriptura. Ipsæ illæ quæ tractantur res sæpe verborum atque orationum, quibus illi interpretes usi dicuntur, absurdam discrepantiam satis planam faciunt: imo ea non raro etiam dilucide vestigia apparent, quæ secuti illi in errores sunt delati. Jam vero quis illud credat, viros LXXII diversis inclusos conclavibus, iisdem prorsus erroribus omnes implicari; aut, quod non absurdum modo, sed etiam nefas dictu est, non ut interpretes, sed ut sacros vates, afflatu cœlesti aliena ab rebus ipsis dicere potuisse? Verum enimvero, ut ut ista sunt, quid ego sentiam si quis me roget, non dissimulabo, mihi interpretationem istam, cum eam lego, multis in locis ineptissimam, & tantis viris plane indignissimam videri; at in nonnullis rursus Divinam, & à vatibus potius quam interpretibus dictatam: Et quia hisce difficultatibus non solum in cæteris libris (quanquam fatendum est multo plures in iis esse errores, atque etiam turbulentiores confusioresque) verum etiam in Mosis Pentateucho, ut vocamus, afficior; neque potest de nihilo esse nata quæ de Ptolemæo deque illis interpretibus ab omnibus refertur historia; propensiorem ad veritatis similitudinem esse eorum existimare me opinionem, qui dicunt non solam Mosis legem, sed reliquos etiam historicos, & sacrorum Vatum libros, rogatu Ptolemæi ab Hebræis illis esse conversos. Quæ enim potuisset movere Ptolemæum causa, qui studio incredibili tenebatur omnia antiquitatis monimenta comparandi, quæ quidem literis consignata essent, ut Mosis leges à Pontifice posceret, cæteras gentis nobilissimæ admirandas historias & prophetica oracula prætermitteret negligeretque? præsertim cum jamdudum omnia non dispersa, dissipata, confusa in annalibus, atque à Mosis institutionibus separata, ut antea, sed ab Ezdra collecta dispositaque, & tanquam in uno codice compacta fuerint. Sane ea est in omnium fere hominum animis insita curiositas, ut si qua forte fama de Vatum, vel obscurorum, prædictionibus ad ipsos est allata, eorum illico prædictionum cognoscendarum desiderio magno inflammentur; aliarum autem nationum leges, quamvis sæpe multo utiliores, non perinde curent percipere. Ad hæc, Deme-

Demetrius Phalereus bibliothecæ regiæ præfectus, qui istius petitionis auctor Regi fuit, interroganti huic, Quinam libri adhuc sibi deessent, respondit per epistolam, Judæorum non solum legis, sed etiam aliarum rerum libros deesse; si quidem verum est epistolæ exemplum quod nobis Josephus reliquit, Antiqu. l. 12. c. 2. Non est ergo credibile (quod etiam Hilarius noster censuit) solam Legem ad Eleazaro flagitavisse Ptolemæum. Nam ad Hieronymum quod attinet, nusquam ille, ut dixi, aperte hanc controversiam judicavit. Quod autem refert, Aristæum & Josephum scribere, *quinque solos Mosis libros à* LXXII *senioribus Ptolemæo esse conversos traditosque*, id non ut dictum sed ut sensum ab eo est debere accipi opinor. Neque enim illos id verbis disertis scripsisse, ex iis qui supersunt ipsorum monimentis satis apparet. Sed cum *Legis* verbo illi essent usi, dixissentque, Hebræorum legem redditam Græce à Senioribus illis fuisse rogatu Ptolemæi, Hieronymus hoc vocabulum ad suam causam accommodavit, sicque interpretatus est ut Judæi solent, de Mosis quinque libris. Id igitur modo dicere voluit Hieronymus, Aristæum atque Josephum de Mosis libris scripsisse, aliorum librorum non meminisse. Cur autem Aristæus, (nam Philonem & Josephum inter Judæos censeo) cur, inquam, ille, primus historiæ istius auctor, nominatim Legem diceret, in promptu causa est. Nimirum propter illustrem & pervagatam legislatoris Mosis gloriam, apud externos præsertim populos, judæorum sacri libri *Legis* fere nomine dicebantur. Neque vero, ut hoc ita esse doceam, multis mihi adjunctis exemplis opus est. Illud enim unum Christi dictum satis magno argumento fuerit, cum apud Joan. 15. 25. & 10. 34. ait, *in* Judæorum *lege scriptum esse* id quod non in Mosis libris sed in Davidis versibus scriptum est. Sed quæ, inquies, ratio induxit Talmudicos, quorum commenta Judæi omnes nullo judicio sequuntur, & tanquam dictata reddunt, ut solam Mosis legem conversam fuisse scriberent? Dicam, & quidem, nisi fallor, probabilissimam. Ipsa eos superstitio, ut sic existimarent, movit; qua cum semper alias gentis illius animi singulariter fuere occupati, tum plus quam aniliter ineptire cœperunt non paucis annis ante Christi adventum, cum purior religio jam tum prope esset exoleta. Putabant enim stulti homines ut præter Mosis legem cæteri quoque libri sacri interpretatione pervulgarentur, ne Deum quidem ipsum fuisse passurum. Et ne ista sine auctore effingi à me existimes, dicam, ut potero, Latine Talmudis verba, quæ in מסכת מגלה, ubi de legenda historia Hester tractatur; capite primo, sub ipsum initium scripta exsistunt. Sunt autem ea fere hujusmodi, ut verbum è verbo exprimam; *Ait Rabbi Jeremias, sive Rabbi Hiia, Abba filius, Legem Chaldaice interpretatus est Oncelus advena, ex ore Rabbi Eleazaris, & Rabbi Josue. Prophetas autem convertit Chaldaice Jonathan Uzielis filius ex ore Haggai, Zacharia, & Malachiæ. Quod cum iste faceret, movit terra Israelitarum per quadringentas parasangas: auditaque est vox dicentis, Quis ille est qui arcana mea enunciare ausus est hominibus? Jonathan autem insistens pedibus suis respondit, Ego is sum qui tua arcana patefeci hominibus: tu vero non nescis, id me neque mea, neque parentis mei, sed tua gloria causa fecisse, ne dissensiones multiplicarentur in Israele. Cum porro ille etiam eos libros qui vocantur* כתובים, *id autem est, Hagiographa, vellet interpretari, edita rursus vox est, monentis ut se abstineret: satis enim esse. Quamobrem? Quia in Hagiographis expressus est terminus venturo Messiæ præstitutus. Sed quæ causa est cur cum Lex interpretaretur non moverit terra, cum autem Propheta, moverit? Quia legis verba aperta atque explicata sunt; at Prophetarum partim quidem explicata, alia vero signis consignata.* Hæc illic pene ad verbum Talmud. Cæterum quod de Messiæ adventu in Hagiographis definito dicit, id R. Salomon ejus explanator ad Danielis historiam spectare ait. Judæi enim Danielem una cum Prophetis non annumerant. Et hactenus de Mosis lege, solane, an cum cæteris libris sacris conversa ab illis Senioribus fuerit. Porro ad alteram partem quod attinet, In unone conclavi de communi omnium sententia facta sit illa interpretatio, (quod Josephus Antiqu. l. 12. c. 2. aperte scriptum reliquit) an in diversis ædiculis, atque seorsim à singulis aut binis (quod plerique alii prodiderunt præter Hieronymum) equidem nihil fere habeo quod dicam, nedum quod constituam. Negare tamen non possum, si Aristæus, qui, ut jam semel iterumque dixi, primus rem istam literis consignavit, diversarum ædicularum non meminit, rei cum primis memorabilis, & quæ admirationem erat habitura apud omnem posteritatem merito maximam, imo vero, similiter atque eum secutus Josephus, in communi consessu una omnes operam dedisse interpretationi scripsit; ut sane eum scripsisse proditum absque omni dubitatione ab Hieronymo est, Apolog. contra Ruffin. & Præf. in Pentateuchum, non possum, inquam, non fateri, inclinare me ut existimem rem istam à Judæis esse confictam: ut sunt illi jam olim in hujusmodi commentis toti, dum se putant talibus nugis sacræ doctrinæ gloriam multum illustrare; quæ alioqui per se clarissima luce satis ipsa splenderet, si ejus Divina sensa ad veritatem explicarent: id quod minime profecto faciunt. Nam Justinum, commonstratis nescio quibus veterum ædificiorum obscuris vestigiis, non mirum est si inducere potuerunt Judæi qui tunc Alexandriæ habitabant, ut id crederet quod à suis majoribus acceptum ipsi non solum credebant, verum etiam ejus memoriam gentili quadam superstitione colebant anniversario festo; ut ait Alexandrinus Philo De vita Mosis; cum hoc ille, vel opinione saltem, non sibi modo sed omnibus hominibus persuasissimum plane esse cuperet; quippe cui adversus & Judæos & gentes cæteras auctoritate illius Græcæ interpretationis assiduo esset pugnandum. Porro Justini, tanti viri, testimonium deinde nostri, sive Græci, sive Latini, libentissime secuti sunt. Nempe omnibus; Hieronymum excipio, qui primus Hebræa ipse convertere ausus est; sed cæteris omnibus eadem illa de causa utilis erat illa opinio atque existimatio tanquam vaticinationis ex divisis cellulis nata. Sed superest id quod pro Hieronymo dicebatur, de maximis erroribus qui passim in ista interpretatione apparent. Hoc enim, cum non solum singulares illas ædiculas subvertat, verum plane contra omnem opinionem non modo de Septuaginta duobus primariis viris, sed de quovis uno bono interprete pugnet, aut prorsus refelli, aut certe dilui atque excusari debet. Et refelli quidem non patitur clarissima veritatis lux. Excusandum igitur est: idque ego satis firma posse fieri ratione puto. D. enim Hieronymus diserte testatus est Præfat. in Josuam, & Præfat. in Ezdram, sua memoria *tot pene fuisse illius interpretationis exemplaria quot codices: & unum quemlibet pro suo arbitrio vel addidisse vel subtraxisse quod ei visum fuisset.* Est ergo existimandum, multiplices illos, & sæpe etiam absurdissimos, errores, quos dicebam, nequaquam illorum virorum esse, qui, ut alibi idem ille Hieronymus fatetur Præfat. secunda in Paralip. afflati Spiritu sancto, quæ vera erant, interpretati fuerant; sed eorum partem maximam imperitorum hominum temerariæ audaciæ, multos etiam librariorum culpæ atque inertiæ imputari debere. Nam ut rem ab ipsis initiis repetam; Prius quam Alexander Macedo rerum potiretur (id autem erat ante Ptolemæi illius principatum) Sacras literas Græcè exstitisse, Platonemque in ipsis versatum esse, testem laudat Aristobulum Judæum Clemens noster Alexandrinus, Strom. l. 1. Post Ptolemæum vero, atque magnificam illam & præclaram interpretationem à LXXII senioribus jam factam, multos insuper alios alias facere ausos esse, parum autem fideliter plerosque, satis certum est. Imperante enim apud Romanos Ælio Adriano, Aquila quidam Sinopita Ponticus, cum natu jam grandis à Christianis ad Judæos defecisset, ipsaque Hebræorum elementa tum demum discere cœpisset, Christianorum odio novam condidit interpretationem, ea mente ut de superioris illius sanctæ interpretationis, qua Christiani nitebantur, existimatione detraheret; imo vero ut eam, si posset, funditus subverteret. Post Aquilam autem, annorum aliquot intervallo, idem facere aggressus est Symmachus, homo Samaritanus, cum suorum popularium odiis exagitatus, Ebionitarum semijudæorum, ut sic dicam, esset sectam secutus; non ille quidem fortasse ut Christianis noceret, cum quibus nihil ipsi erat rei, sed certe ut ejus qua tum Samaritani utebantur interpretationis pondus atque auctoritatem minueret, levaret, abjiceret. Usos autem fuisse illis temporibus etiam Sama-

Samaritanos plurimum illa quæ ab illis LXXII viris fuerat elucubrata, credibile est; cum esset ea tempestate Hebraicæ linguæ scientia in paucissimis, Græce autem omnes scirent. Porro Symmachi perfidiam brevi secutus est quidam Theodotion; sive ille Ephesinus fuit, quod apud Irenæum legimus; sive Ponticus, quod apud Epiphanium. Quam autem etiam iste ab omnibus bonis rebus imparatus rem tantam sit aggressus, facile hinc conjicias. Etenim cum diu in Marcionis hæresi volutatus, ætate jam provecta esset, eamque sectam fastidire atque odisse cœpisset, ad Judæorum ritus animum inconstantem adjecit. Quibus demum per circumcisionem initiatus, cœpit etiam ipse Hebraicas ab elementis literas discere, iisque tinctus, ut Marcionitarum, à quibus transfugerat, Sacros libros falsi argueret, omnes in quibus aliquid se videre existimabat locos de LXXII interpretatione mutavit; ceteros integros intactosque reliquit. Itaque quarta ab eo facta Græcæ interpretationis editio est. Denique non ita multis post Theodotionem annis, cum apud Romanos imperaret Caracalla, inventa est etiam quinta interpretatio; & post quintam, sexta; & porro, septima; atque etiam fortasse plures; sed istæ omnes incertis auctoribus. Jam vero in tot interpretationum magna dissensione quid sibi permiserint illi quibus nova placebant, sordebant vetera! quorum hominum semper quidem magnus est proventus; at nunquam major atque uberior, neque immoderatiore intemperantiâ, contumaciaque insolentiore, quàm iis tempestatibus quibus Ecclesiæ dogmata in controversia atque contentione versantur: Quales tempestates fuere sane inde ab illis interpretibus & diutinæ & turbulentissimæ. Igitur quantam pro sua libidine vel singula veteris illius interpretationis verba demutandi licentiam sibi homines multi tunc permiserint, cum eam tam multarum discrepantium interpretationum tenerent occasionem, facile potest quivis existimare, &, ut certius aliquid dicam, non jam qualemcunque conjecturam sed firmum etiam judicium potest facere ex Suidæ verbis quæ de Luciano martyre, Origenis æquali, apud ipsum scripta leguntur [in verbo *Lucianus martyr.*] *Lucianus*, inquit, *cum animadvertisset S. libros plurimum esse vitiatos; quippe ipsum tempus multa in eis corruperat, & perpetua aliorum in alia commutatio; quin etiam homines quidam pessimi Græcarum superstitionum patroni, cum vellent ea quæ in illis sunt sensa pervertere, plurima in ipsis falsa atque adulterina supposuerant: Lucianus igitur libros illos ex Hebraico sermone ingenti labore restituit. Hanc enim etiam linguam maxima ex parte callebat.* Sic Suidas. *Græcarum*, inquit ille, *superstitionum patroni plurima adulterina* pro veris *supposuerant.* Quid multo acerbiores Ecclesiæ hostes Judæos, quid his etiam longe acriores impudentioresque hæreticos fecisse censebimus? Sed Lucianus omnia restituit in integrum. Credo, fecit vir optimus quod potuit: verum quantum effecerit hinc existimari licet, quod ejus correctionis exemplaria non longius quam inde ab Antiochia, in qua ille scripserat, usque ad Constantinopolim sunt recepta atque probata. Nam Ægyptus & Alexandria (ut Hieronymus testatum reliquit Præfat. in Paralip.) Hesychii, mediæ autem inter Antiochiam & Ægyptum provinciæ Origenis Adamantii emendationes amplectebantur; *totusque orbis illiusmodi trifaria varietate* (ut idem Hieronymus ait) *inter se compugnabat.* Ex qua vel sola etiam dissensione effectum brevi est, quod superius verbis Hieronymi dicebam, ut tot exsisterent exemplaria, quot codices, cum quisque pro suo arbitrio, nullo judicio, adderet, subtraheret, demutaret, quod ipsi visum esset. Sed jam nimis fortasse multa de interpretibus atque interpretationibus universe dixi. Ad ipsas igitur pervagatas LXXII interpretum nomine Græcas interpretationes veniamus. Igitur Origenes, cum etiam ipse similiter atque æqualis suus Lucianus intelligeret veterem illam LXXII Seniorum interpretationem multis modis esse violatam, neque tamen, sive religione quadam, sive parum absolutæ cognitionis linguæ Hebraicæ conscientia prohibitus, vellet eam audacius corrigere; grandis enim natu demum literas Hebraicas discere cœperat; tetrapla, & hexapla, atque etiam heptapla, & octapla excogitavit: in quorum librorum singulis paginis, cum eas per quatuor, aut sex, vel septem, octove spatia, tanquam columnas, distinxisset, Hebraicum primo textum, deinceps vero illas quas ante commemoravi Græcas interpretationes, singillatim, in suo quamque spatio inscripsit; ut harum omnium inter se atque cum Hebræo collatis sensis, ipsa facilius dilucidiusque veritas appareret. Quæ res tota est luculenter ab Epiphanio explicata lib. De mensuris & ponderibus. Sed ille tanta diligentia non contentus, ut magis etiam eorum in quibus esset studium Sacrarum literarum utilitatibus commodisque serviret, ipsam LXXII illorum interpretationem, quæ una in vulgus recepta probataque adhuc erat, sic concinnavit ut ex ea sola, uno aspectu, quid omnino in Hebræo esset, quidque non esset, judicare studiosi possent. Nam cum certum esset, illos interpretes passim multa de suo addidisse, explicandarum rerum quæ tractantur gratia, multa etiam tanquam supervacanea consulto omisisse, atque insuper plurima partim ab inertibus librariis, partim ab ineptis atque etiam malignis emendatoribus irrepsisse vitia; quæcunque supra id quod Hebræo continebatur addita esse videbat, ea appositis obeliscis veluti jugulavit atque confodit: Quæ vero detracta esse animadvertebat, ex Theodotionis interpretatione accepta ascitaque in contextum asteriscis sive stellulis notavit; propterea quod locum, cæteroqui imminutum & præcisum, veluti illustrarent: Denique diversas scripturas appositis limniscis indicavit. Sed enim cur à Theodotione potius quam ab Aquila, vel Symmacho, aut aliis etiam interpretationibus mutuaretur Origenes quæ deesse videbantur, hanc ei fuisse causam opinor, quod Theodotion inter veterem illam LXXII virorum interpretationem & novas, quas dixi, medius incederet, ut scriptum est apud Hieronymum Præfat. in Euangelia. Quanquam ab Aquilæ quoque, Symmachique, & aliorum verbis non prorsus eum abstinuisse, cum ita res ferret, satis certum est. Unam igitur hujusmodi interpretationem, veluti aptam ex duabus mistamque, cum sic Adamantius concinnasset, ut per appositas, quas dixi, notas ipsa illa vetus interpretatio LXXII Senum, cujus auctoritatem Ecclesia Christianorum jam tum comprobaverat, tanquam integra & intacta videretur conservata, mox usque adeo placere illa cœpit omnibus ut in ipsa etiam templa atque in sacros cœtus ad preces lectionesque admitteretur. Neque vero id mirum est, cum ea una instar hexaplorum atque octaplorum illorum esset qui libri nisi sumptu & labore maximo parari à nullo potuere; & insuper in illa, non item in his, quid Hebræum haberet, quidque non haberet, dijudicatum conspiceretur. Itaque cum hanc interpretationem omnes describerent, hac una contenti essent, brevi cæteræ omnes neglectæ jacuerunt, atque paulatim interciderunt etiam; usque adeo, ut Hieronymus absque dubitatione dixerit Epist. ad Augustin. tom. 2. sua memoria in omnibus Ecclesiarum bibliothecis vix unum atque alterum inventum iri potuisse librum in quo illa *τῶν ἑβδομήκοντα* interpretatio simplex, & absque asteriscis, h.e. non suppleta Theodotionis verbis superesset. Verum enimvero illæ notæ, etsi utilissimæ essent tum ad germanam, neque alienæ interpretationis verbis contaminatam, LXXII editionem agnoscendam, tum ad ipsum Hebræum plane repræsentandum, tamen librariorum pigritia, non ita diu post apponi prorsus desierunt, ut earum etiam memoria prope jam aboleverit. Hæc igitur ea interpretatio est quam ego in meis Annotationibus Mistam voco, atque hujus exemplar secuti sunt in sua editione Complutenses; quanquam non planissime ubique. At altera illa Græca apud omnes pervagata, & sæpe typis edita in vulgus, est illa quidem simplicis interpretationis LXXII Seniorum exemplum sed haud purum, neque ab omni admistione verborum Theodotionis liberatum. Hoc enim facile intelligit, quisquis eam cum codice Vaticano, multo sane integriore exemplari, confert; de quo dicam oportuno loco: quippe peregrina illa, cum viderentur utilia, ut sunt sane utilissima, postquam semel ab Adamantio admissa sunt, nunquam deinde penitus potuerunt ab ullis codicibus vel prohiberi, vel ejici. Et ne quis me putet augurantem levibus conjecturis, meæque opinionis commenta sequentem, judicium hoc nunc facere, habeo aliquot sacræ historiæ libros, qui & conversi in linguam

Syricam, & scripti sunt Alexandriæ, anno ab Alexandro Magno novies centesimo vicesimo septimo, h.e. ante hos nongentos & quinquaginta annos: sunt, inquam, conversi ad verbum de Græco exemplari, quod manu Eusebii ad Origenis libros, qui in Cæsareensis Ecclesiæ bibliotheca asservabantur, fuerat emendatum; cum huic ad eam rem adjutor fuisset suus Pamphilus. In quibus libris meis Syricis, cum omnes ubique notæ, quas dixi, summa cura atque incredibili diligentia sint appositæ, neque magno labore neque ullo errore deprehendi à me judicarique ea quæ modo dicebam potuerunt. Et hactenus de vulgatis etiam interpretationibus. Porro notæ ab Adamantio excogitatæ, quarum multa jam mentio à me facta est, fuere hujusmodi. Obeliscus aut Veru linea erat sive virgula longiuscula, tanquam telum, aut, ut ait Augustinus l. 8. De civit. Dei, qualis nota unciæ, ducta supra dictionis vel orationis, quæ veluti jugulanda fuit, initium. Sed in meis libris Syricis sub ea linea media punctum ubique subscriptum est, cujus tamen puncti non meminit, quod equidem sciam, Hieronymus, aut Epiphanius, vel Augustinus. Asteriscus vero radiantis stellæ formam imitabatur. Denique Limniscus, ut certe ab Epiphanio describitur, virgula erat qualem Obeliscum fuisse dicebamus; sed ejus medium puncta duo, alterum supra, subter alterum, veluti includebant; verum Syrus in meis libris lineam istam non rectâ ducit, ut Obeliscum, sed utrinque leviter in partes diversas inflectit. Ego vero Syrum meum, ut debui, in pingendis his signis sum imitatus. Terminabat autem istarum notarum vim atque efficacitatem nota alia cuneoli effigie, ad finem verbi aut verborum complexionis apposita. Sed vero Epiphanius insuper Hypolimniscum prodidit, & quidem plane qua forma Obeliscum esse formatum à Syro dixi. Ego vero apud Syrum invenio interdum Limniscum suis illis duobus punctis carentem: Eam igitur notam pro Hypolimnisco illum usurpasse conjicio. Significabat autem Hypolimniscus, quantum certe de Epiphanii verbis conjici licet, diversam quidem scripturam, ut Limniscus, sed pauciorum testimonio codicum confirmatam. Nam quod ille ait, Hypolimniscum verbi indicium fuisse, quo verbo unicum par Seniorum illorum, uno inclusum conclavi, fuerat diverso usum à cæteris; Limniscum vero, quo plura paria; id mihi, pace tanti viri dixerim, parum esse firmum videtur. Primo enim non satis certum est binos fuisse disclusos diversis ædiculis illos interpretes, aut etiam singulos. Deinde à quibus proditum memoriæ est, vel singulos, vel binos separatim collocatos fuisse, ab iisdem pro miraculo quoque affirmatum illud est, nullius interpretationem vel verbo uno cum alterius discrepasse. Et ut demus illos sententiis quidem prorsus consensisse, eamque rem admirationem habuisse, cæterum verbis pauculis usos diversis fuisse, quis credat eorum verborum memoriam ad Origenem usque mansisse? vel, ut manserit etiam memoria, illud sciri potuisse, uniusne solius illorum interpretum, vel paris unius, an vero plurium ea verba fuerint? Et hæc quoque hactenus.

Nunc porro paululum de me deprecabor, petamque à lectoribus, ut ne, cum dicam, sive in Commentariis, sive in Annotationibus meis, interpretes, aut Græcos, aut Latinum errasse, ipsos me viros, aut eorum, ut ab ipsis scriptæ editæque sunt, interpretationes arguere putent, sed eam quæ nunc habetur depravatam scripturam. Nam etsi negare nemo potest, homines illos fuisse, tamen in res vetustatis auctoritate probatas petulantius invehi, easque contumacius labefactare & pervertere velle, hominis esse confidentis seque gloriose ostentantis ego certe existimo; A quibus vitiis semper abesse & volo, & videri cupio quantum qui longissime. Sed Græcam interpretationem esse multis depravationibus perversam confusamque, demonstratum à me superius est. Latinam autem existimo illam quidem, ut vulgo etiam creditur, D. Hieronymi esse: sed quin jam olim idem illud ei acciderit quod de Græca diximus, mihi nulla est dubitatio. Quæ enim ante eam aures omnium atque animos occupaverant Latina, de Græcis expressa, quis non existimet multis in locis, quadam præjudicata confirmataque opinione, placuisse magis, præsertim hominibus qui nullum adhibere judicium ipsi possent, Hebraicæ linguæ prorsus rudes? Et, si non in eorum quæ Hieronymus reddiderat locum passim supposita, at certe hic, illic, in margine adscripta fuisse; unde post, librariorum errore, magna sit nata scripturæ confusio? Verum ut ut ista sunt, mihi propositum est neminem, præter paucos jam olim re atque existimatione damnatos homines, insectari inimice; sed quæ mihi meliora visa sunt, ea amice atque benevole monere modo. Quod dum facio, si judicium meum usquam aberrat à vero & recto, certe animus meus nusquam discedit à justa debitaque verecundia atque modestia. Quapropter eandem gratiam ut ipse ab aliis quoque habeam, æquum esse puto. Neque enim, quin multi in multis à me dissentiant, recusare aut possum, aut volo: sed meum judicium, in quo magnam esse infirmitatem ingenue confiteor, omnium doctorum judicio, & præsertim sacrosanctæ Ecclesiæ, ejusque summo Pontifici Romano submitto.

ANDREÆ MASII
COMMENTARIORUM IN JOSUAM
PRÆFATIO.

XEnophon communium rerum humanarum & bello, & pace peritissimus vir, persuasum se esse scribit Cyri exemplo Instit. l. 1. qui Persa cum esset, maxime hominum, civitatum, nationum multitudini facile imperavit; ut de sententia sua decederet, qua ante existimaverat, hominem facilius quibusvis animantibus quam hominibus imperare posse: jamque statueret, ne laboriosum quidem esse munus, homines regere, nedum, ut sic dicam, impossibile: modo ut arte quis id agat. Et sane animi industriam plurimum conferre momenti, ad recte, & facile etiam, gubernandos populos, cum ipsa ratio dictat; tum, quod ad propositum argumentum pertinet, ostendit Deus; quando successorem flagitanti ante suum excessum Mosi, respondet: *Cape tibi Josuam filium Nun, virum in quo est spiritus*, Num. 27. 28. Nam spiritum dicere videtur, animi industriam, perspicacitatem, prudentiam; sicut Malac. 2. 15. cum Israelitarum redarguit intemperantiam; qui suæ libidini exemplum Jacobi opponebant, cum dicerent, excellentiore eum spiritu prædítum fuisse. Sed nobis Christianis persuasissimum esse debet, non tam humana prudentia homines bene feliciterque moderari hominibus, quam Christi nutu, & gratia; qui est æterna Dei patris sapientia, per quam *reges regnant, & principes statuunt quæ justa sunt*, Prov. 8. 15. Atque haud scio, an ulla alia in re Dei curatio, qua ille res humanas regit, quam in imperiis appareat luculentius. Quis enim nescit, quanta ambitione mortalium omnium animus, suo quodam instinctu, non solum vivendi libertatem, sed etiam aliis imperandi potestatem affectet? Qui fit ergo, ut non solum civitates, sed nationes etiam, & amplissimæ gentes se unius homunculi imperio subjiciant? cujus sæpe ne nomen quidem per famam ad ipsas est allatum, nedum magnæ virtutes: nisi quia illum Deus sua, quadantenus, majestate amplificavit: atque terrore simul & gratia reverendum à suis parentibus reddidit. Certe imperiorum regnorumque statum omnem prorsus ex Dei arbitrio pendere; non

 autem

autem in mortalium esse manu, vel unus Daniel satis locuples, & certus testis est 4. 22, 29. Et ornet Xenophon suum Cyrum, quantis velit virtutibus, per quas illum existimet maxima sibi imperia vindicasse. Nos ex Isaia c. 45. 1. accepimus, illum non naturæ suæ bonitate, aut animi sui prudentia; sed prorsus Dei consilio, ductu, ope tanta patravisse facinora. Sed quorsum ista? Nempe cum Josuæ maximum imperium; quod ille apud Israelitas, gentem cum primis pervicacem, per multos annos, ad vitæ suæ finem usque agitavit; explicare instituerim; ne quis vehementius admiretur, quibus tandem virtutibus fretus id ille perpetuo ἀναίτιος, καὶ ἀνεπίληπτος tueri & conservare potuerit; & quidem temporibus difficillimis: quando Mosen hominem Divinum, toties non solum querelis suorum popularium, sed vitæ etiam suæ periculis objectum fuisse testata res est. Nimirum Deus ejus viri actiones omnes recto, neque usquam impedito cursu dirigebat, cujus administratione volebat piorum hominum animis regnum filii sui Jesu Christi adumbrare. Illeque vicissim se ad divinæ voluntatis ductum ubique sedulo applicabat. At Mosen, qui senticosæ, inviæ, & infirmæ per carnem legis, neque eo quo spectabat perducere valentis fuit administer, mirabile non est, si cum plurimis difficultatibus luctari est passus. Est igitur hujus sacri commentarii, quem Deo præeunte conabimur explicare, argumentum; Josuæ imperium, h. e. Sacra historia, complectens ea quæ populo Dei, à Mosis excessu, prope ad Judices usque, quorum primus fuit Othoniel; acciderunt per annos complures: quorum summam rationemque suo loco explicabimus. Inscribitur autem JOSUÆ nomine, quia ejus, ut dixi, imperium agitur. Neque enim ille scriptor est, ut multis ostendemus argumentis, opportunis locis. Quare futilis, commentitiaque est veterum Judæorum sententia; quam in suo Talmude scriptam reliquerunt de Sacrorum librorum autoribus, his fere verbis. *Moses scripsit librum suum, & historiam Balaam, ac Job; Josua scripsit librum suum, & octo postremos versus, qui in lege habentur. Samuel scripsit librum suum, & historiam Judicum, ac Ruth. David scripsit librum Psalmorum, ex sententia decem senum, Adami, Melchizedec, Abrahami, Mosis, Heman, Jeduthun, Asaph, denique trium librorum Chora. Jeremias scripsit librum suum, & librum Regum, atque Lamentationes. Ezechias, & ejus familiares scripserunt vaticinationes Isaiæ, Proverbia, Cantica canticorum, & Ecclesiasten. Viri synagogæ magnæ scripserunt prædictiones Ezechielis, & duodecim prophetas minores, ac insuper Danielem, & volumen Esther. Ezdras scripsit librum suum, & genealogias libri Paralipomenon, usque ad eum locum, in quo suam ipse cognationem ostendit, cætera absolvit Nehemias.* Hæc fere ad verbum Talmudici capite primo Babæ batræ, quam recte, alii judicent. Mihi certe ea est opinio, ut putem, Ezdram, sive solum, sive una cum æqualibus, insigni pietate & eruditione viris, cœlesti spiritu afflatum, non solum hunc Josuæ, verum etiam Judicum, Regum, alios, quos in Sacris, ut vocant, Bibliis legimus libros ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilasse: in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redegisse atque disposuisse. Quin ipsum etiam Mosis opus, quod vocant πεντάτευχον, longo post Mosen tempore interjectis saltem, hic, illic, verborum & sententiarum clausulis, veluti farcitum, atque omnino explicatius redditum esse, conjecturæ bonæ afferri facile possunt: nam ut unam, exempli causa, dicam, Cariath-arbe sæpe illic Hebron nominatur; & tamen hoc illi urbi nomen à Calebi filio Hebrone impositum esse graves autores tradiderunt. Quapropter neque divus Hieronymus, in actione contra Helvidium, aliter de Pentateuchi scriptore sentire videtur. Cæterum priscis temporibus apud Ecclesiam fuisse diaria, & annales; in quibus res gestas, ut quæque notatu dignissimæ, & ad doctrinæ sacræ propagationem utilissimæ videbantur, continuata serie inscribebant ii, qui quoque tempore eleganti eruditione, pietateque præstantes in populo Dei vivebant; satis docent, cum aliæ quæ sæpe laudantur, quamvis jam interciderint, Regum historiæ; tum liber bellorum Domini, & liber Recti; in quo & Josuæ nostri, & Samuelis, Saulisque gesta fuisse inscripta certum est. Quin ipsæ sacræ literæ eos tales annalium sive diariorum scriptores המושלים *Moschelim*, appellant, h. e. argutos, scitos, facetosque homines, & subtiles ac elegantes scriptores. משל *Maschal* enim dicendi, scribendive genus est urbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Nimirum isti, res omnes, quæ memorabiles usquam in cœtu Dei eveniebant; prout magis, minus, insignes erant, partim ligata oratione, alias soluta, conscribebant. Quis quæso non stultus, & stupidus existimet Samuelem, cum Saulis se quærentis ipsa verba esset recitaturus, sic esse præfatum, 1 Reg. 9. 9. *Eum qui hodie Propheta dicitur, vocabant olim Videntem*, ac non potius hæc esse verba scriptoris res priscas, & à suo sæculo longe remotas narrantis? Verum enim vero non est magnopere contendendum de scriptore; modo ut credamus, sicut ipsarum rerum gestarum, ita & verborum, per quæ ad nos illæ sunt propagatæ; autorem esse Deum, ut inde congruenter ad ipsius voluntatem vivendi normam discamus: perpetuamque ipsius de suo cœtu, & nostra salute providentiam propius agnoscamus; eoque ad ipsum magis magisque amandum, observandum, colendum excitemur. Sed ut prius, quam propositæ historiæ verba aggredimur explicare, pauca repetamus, quæ extra hunc commentarium de Josua sunt sacris literis prodita: fuit ipse genere Ephraimita, h. e. ex dilectissimo Josepho prognatus, patre Nun: quem Græci diducto nomine in syllabas duas, *Navì*, *Nave*, vocant. Fuisse autem eum inter suos tribules virum primarium, constat ex Num. 13. 3. Neque enim è Cadesbarne, nisi qui in quaque tribu principes erant, ablegabantur. De corporis quidem præstantia nihil, quod sciam, est sacra narratione proditum, at animi vigorem imperio dignum fuisse, planum nuper faciebam, vel Deo teste. Porro cooptavit eum Moses in suam familiam, idque, ut credibile est, postquam rubi ostento monitus, in Ægyptum à Madianitis revertisset, quo tempore quadragenario minor ille esse non potuit, quod suo loco explicabimus; sed profecto non sine cœlesti instinctu cooptavit. Nimirum ut qui Dei populum esset aliquando recturus, ipse prius ab omnium mortalium ea ætate optimo sanctissimoque Imperatore regeretur. Qui enim bene imperaturus est, ut bene aliquando paruerit est necesse. Quapropter etsi complures alios haberet ille ministros, qui in Num. 11. 28. vocantur, בחוריו, quasi *electos illius pueros* dicas, hunc tamen unum in rebus arcanis comitem adhibuisse, & conscium memoratur. Nempe is est benignissimi Dei erga suam Ecclesiam liberalissimus amor, itaque hujus commodis semper ille prospicit; ut nunquam deesse ipsi bonos pastores ducesque patiatur, sed mature alios sufficiat post alios; nisi nos ipsi nostra improbitate talibus indignos præstemus. Quam enim aliam Mosi causam fuisse existimabimus, adversus eos, qui primi occurrebant, Amalecitas, Josuam Imperatorem dicendi, Exod. 17. 9. nisi ut Dei consilium, de futuro felicissimo hujus imperio, jam tum, quadantenus, populo patefaceret; eoque ad spem meliorem, in rebus adversis, cum cæteram multitudinem, tum in primis Josuam ipsum, excitaret? Certe Deus ipse; dum mox post pugnam jubet rem gestam, h. e. victoriam non tam militari virtute, quam divina ope partam, in scriptum monimentum referre, & singulariter in Josuæ aures indere, tantum non digito ostendit, eum esse, quem post Mosen ad rerum communium gubernacula destinavisset. Exod. 24. 13. Non ergo obscurum jam est, quid Mosen moverit, ut hunc unum quam cæterorum quenquam altius, atque ad Deum propius subduceret in montem Sinæum, Num. 13. 9. Missus est deinde è Cades-Barne, cum aliis undecim viris, speculatum Chananæam; non quidem ut Mosis minister; sed ut inter suos tribules Primas, & non tam Mosis, quam populi suffragio ad id munus delectus; quantum ex Deut. 1. 22, 23. apparet. Fuisset enim alioqui fides ipsius suspecta; cum ea referret, quæ, ut heri sui Mosis pulchre votis respondebant; ita populi universi, modo unum Calebum excipias, libidini plane adversa videbantur. Sed enim hic rursus animadvertenda est divina providentia; quæ ita & Mosis, & populi animos comparavit, ut Josuam, inter alios, hostilis terræ situm, soli naturam, incolarum atque urbium vires, & propugnacula, exploratum mitteret: nempe, ut per regionem ante perspectam, exercitum ipse olim cautius duceret, & terræ ubertate, bonorumque

que omnium copia subinde verbis proposita, suos animare milites sciret: atque adversus consideratos semel hostes audacia majore procederet. Nihil enim est, quod æque vel præstantissimorum Imperatorum virtutes impediat, atque locorum & hostium ignoratio. Verum quanta & probitate, & animi magnitudine illud speculatoris munus sit ille exsecutus, ipsa testatur Sacra historia, quæ in Num. 14. est perscripta. Porro annos circiter quadraginta familiaritate intima Mosis usum; atque de arcanis Dei consiliis, ut credibile est, satis edoctum; iisque quas diximus virtutibus populo spectatum, probatumque Josuam Deus tandem nominatim successorem Mosi designavit, Num. 27. 18. cum his, ut erat parentium amantissimus; sub vitæ suæ excessum, successorem aliquem supplex flagitaret. Neque vero designavit modo nominatim, sed ad illas virtutes, quibus, ut dictum est, egregie ante ornatus ille erat, per impositam Mosis manum; qui solennis semper fuit consecrationis ritus; cum addidit virtutum cumulum, quo tantum ille munus tenere, atque explere posset. Sed dices, Moses de suo populo post se solicitus, ducem à Deo flagitans, nullo verbulo Josuam præ quovis commendat: non igitur conscius ante fuisse videtur, quod nuper dicebamus, consilii Dei de Josua sufficiendo. Atqui Moses prudenter Josuæ nomen tacet, ne per humanam gratiam ea ille auctus dignitate videri possit; sed Dei judicio consilioque creatus, tum imperii majestatem apud populum illibatiorem obtineat, tum apud suum ipse animum, à quo illa amplificatus sit, propius semper reputet, eoque majore cum sedulitate & cautione officio suo fungatur. Huc etiam pertinent illa: quod ipsum Deus, imposita Mosis manu consecratum, ut jam dixi, spirituque sapientiæ auctum, in ipso sacro tabernaculo cum Mose sistit; palam ipsi illic, quæ opus sit, præcepturus: quodque mox in nube, quæ circumfusa delubro hærebat, apparens; inspectante universo populo, multa ad utrumque verba facit; quæ in Deut. 31. 14. leguntur. Sed quando ex Sacris literis certum est, fuisse tempus, cum ille, non Josua, sed Hoseas vocaretur: & hoc nomen cum priore commutatum à Mose esse, non fuerit fortassis à nostro argumento alienum hac de re paucis disserere. Igitur illud observatum est, nemini in Sacra historia nomen consulto aut impositum ab initio, aut post cum altero nomine mutatum esse, quin magnæ cujuspiam rei, & singularis, quæ illo futura esset, præsagium fuerit. Ut autem hoc exemplis propositis ita esse constet, decurremus leviter per omnes Ecclesiæ πολιτείας & constitutiones, quas omnino sex, pro numero dierum, quibus universa hæc mundi machina est effecta; alteram alteri successisse, mihi visus sum animadvertere. Illam enim beatam vivendi rationem, quæ condito Adamo in Paradiso designata à Deo fuerat, ego primam Ecclesiæ politiam, & statum fuisse existimo. Illam vero, quam infelix Adam, propter peccatum Paradiso ejectus; ac mortalitate, & iis quæ hanc comitantur, ærumnis plurimis damnatus, in mundo, cum suis ad diluvium usque nepotibus, durissime & miserrime egit, secundam facio. In harum autem utraque antistes qui fuit, ipse Adam, quamvis non ex solo terreno corpore, sed divino etiam, & cœlesti animo, parte multo quam illud est præstantiore, compositus esset, tamen ab humo, Adam, h. e. homo statim ut conditus fuit, appellatus à Deo est; quod nomen signum fuit, homines corporis studio atque cupiditati magis, quam animi deditos fore. Hoc autem nimio plus quam oportuit verum esse, quis est qui nesciat? Post illum secundus humani generis parens Noa, à quo tertius Ecclesiæ status initium cepit; cum recens natus esset, neque dum ullam de se singularis indolis spem præbere, præ tenella ætate, posset; augustissimo illo nomine נח *Noa*, h. e. *quiete*, sive *consolatione*, vocatus est à parente suo Lamecho, Gen. 5. 22. quod nomen novam & lætiorem mundi faciem pollicеretur, mitigata nonnihil terræ malignitate; qua pro divina exsecratione affecta, mira contumacia adhuc mortalium labores fuerat frustrata. Et vero præsagium pulchre eventus comprobavit; cum post diluvium Deus mundum instaurans, se non amplius exsecraturum terram, hominis causa, promitteret; sed fore, ut perpetua vicissitudine, post sementem messis, post frigus calor, post hiemem æstas succederet, Gen. 8. 21, 22. cumque ipsi Noæ, & filiis benedicens, ipsos procreata sobole augescere juberet, Gen. 9. 1. denique cum animalium feritati rursus novum frænum sui verbi imponeret, & in summa, cum post Adæ peccatum, novo fœdere, veluti jam placatior, se humano generi primum obligaret. Quanquam longius etiam spectasse hoc tam lætum *Noa* nomen equidem existimo; atque ejus potissimum sive consolationis, sive requietis spem animis piorum jam tum proposuisse; qua in Christo, tanquam piaculari hostia, quæ irato patri genus humanum esset tandem aliquando reconciliatura, recumbere possent; ne amissæ in Paradiso felicitatis desperatione fatiscerent. Cum porro gradatim Ecclesiam suam clementissimus Deus ad perfectionem informans, segregare jam eam à reliqua mortalium turba, per circumcisionis notam vellet; eaque de re quartam politiam institueret; sevocato Abrahamo, quem ad id gratuito delegerat inter idololatras degentem, nomen quoque commutavit; & ejusmodi indidit, quo parens multarum gentium ille futurus ostenderetur, Gen. 17. 5. vir jam tum annos natus circiter centum, uxorisque nonagenariæ maritus; neque tamen ullius ingenuæ prolis adhuc pater. Sed sane evenit, quod nomen promittebat. Nam, ut Ismaelitas, cæterasque ex uxore Cettura propagatas gentes tanquam alienas, prætercam; ipsæ duodecim tribus, totidem profecto populi potuere videri. Verum hic quoque augustius aliquid tam fausto nomine prænunciatum existimari debet, quod, ut illa Noæ requies, consolatiove, in postrema Ecclesiæ constitutione esset eventurum, scilicet innumerabilem diversarum gentium ex toto orbe multitudinem Abrahæ fidei vestigiis insistentem, Rom. 4. 12. qua fide ille nondum circumcisus crediderat Deo; esse veluti in gentem nomenque Abrahæ concessuram. Jam verò cum visum esset æterno Dei consilio, Ecclesiam, non modo resecti præputii signo ab reliquis hominum cœtibus separare, verum etiam peculiaribus vivendi legibus, & religionis ritibus: eoque quintam moliretur πολιτείαν, cujus administrum facere Mosen constituebat; ejusce notionis nomine hunc insigniri procuravit, Exod. 2. 10. quod haud obscurum liberandæ Ecclesiæ ex summis calamitatibus, & fluxa religione; quibus malis illa tum in Ægypto laborabat; certissimum esset præsagium. Moses enim *aquis extractum* significat, quarum natura fluxa est quæque in sacris literis miserias atque ærumnas significant. Porro cum neque hæc quinta h. e. ante ultimam proxima Ecclesiæ constitutio, quantumvis multis instructæ legibus; beatam omnino suorum civium vitam efficere posset, Heb. 7. 19. neque ipsos ad amissam illam Paradisi felicitatem reducere; & proinde sexta opus esset politia; quæ utpote postrema, ab Hebræis, אחרית הימים, h. e. *dies novissimi*, vocatur, & temporis plenitudo: cujus antistes *non secundum legem constitutionis carnalis, sed secundum potentiam vitæ indissolubilis crearetur*, Heb. 7. 16. voluit clementissimus Deus, hujus tam optabilis politiæ; & quæ inde post violatam primam, cæterarum omnium scopus fuerat; tanto maturius, tantoque certius præsagium populo suo exhibere, tum per nomen, tum per res gestas Josuæ, quanto ille qui Mosis principatu fuit, status, ob legum multitudinem difficultatemque gravior; hic vero alter exoptatissimus vicinior erat. Nam adhuc non nisi obscurissimis adumbratum fuerat figuris mysterium restituendæ cœlestis illius hæreditatis per Jesum Christum, quam primus parens amiserat. Igitur Hoseam filium Nun in medium produxit; eumque cœlesti suo instinctu Josuam, h. e. Jesum vocari jussit, ut ille postremæ politiæ antistitem & administrum, Jesum Christum, non solum factis adumbraret, sed ipso etiam nomine clare referret. Nam quem Hebræi, יהושע, *Josuam* vocant, eum à Græcis, Ἰησοῦν, *Jesum* dici, nemo dubitare potest, qui sacram historiam vel præteriens aspexit. Quod enim Talmudici, & hos cæcos duces secuti Judæi, Servatoris nostri nomen, non יהושע, sed præcise & paucioribus literis, ישו, notant, id nefarii homines per contumeliam faciunt; & simul, ne, quem dixi, typum agnoscere cogantur. Quæ vero Petrus Galatinus, pro nomine ישוע asserendo prodidit, in Opere arcanorum catholicæ veritatis, ea parum firma sunt: ut illud Judaicum, & superstitiosum; quod alii, de accepto, atque ascito ex nomine illo divino, quod τετραγράμματον vocant, nos *quadrilitterum* dicere possumus; elemento uno Jod,

pro

pro grandi mysterio jactant. Quin Justinus philosophus, & scriptis, & sanguine suo fidei nostræ assertor, non dubitat apud Tryphonem suum, illa Dei ad Ecclesiam verba, quæ in Exod. 23. 20. scripta sunt, *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam*; & quæ sequuntur, atque his tandem verbis concluduntur, *Quia nomen meum est in ipso*, ista, inquam, verba non dubitat Justinus huic nostro Josuæ accommodare; ut qui Dei Christi Jesu nomine appellatus, populum perduxerit in terram patribus olim promissam. Et sane non est absurda illa interpretatio; quanquam fatendum est, eadem dicta in Christum ipsum perfectissime quadrare: ut in quo fuerit Dei nomen, h. e. ipsa, ut sic dicam, Dei essentia, quæ nomine illo quadrilitero יהוה *Jehova* quadantenus significatur. Sic enim Paulus sensit, cum Christum fuisse diceret, eum qui Israelitis per desertum præibat, 1 Cor. 10. 9. Nam usitatum est in sacris literis, quæ de Christo ipso, deque ejus regno, atque dispensatione, ut vocamus, produntur, ea simul aliis personis accommodare, quæ illam, κατ' ἀναγωγὴν, adumbrant; tametsi hæ narrationis veritatem non usquequaque tueri, ac sustinere possint. Sed ut eo revertamur unde sumus digressi; qualia modo veteris testamenti exempla, de nominibus consulte aut impositis, aut mutatis protulimus, talia in novo quoque plurima occurrunt. Simonem enim, Cepham, à Christo esse vocatum, h. e. *Petram*, Mar. 3. 16. propter Ecclesiæ fundandæ mysterium, testatur divus Cyprianus. Et Joannes tonitru filius merito est appellatus, qui aliquando plenus numine, oraculum illud cœleste, quasi ex ipso æterni patris abditissimo sinu, esset intonaturus apud mortales, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c.* sed hæc satis sunto. Quid enim opus pluribus, in re non dubia? Porro cætera quæ ad Josuæ vel magnam indolem, vel imperandi felicitatem, vel denique personam in rebus gerendis, qua Christum adumbravit, attinent; ea suis quæque locis in explicando hoc Commentario ostendentur. Sed enim postularet de more hic locus, ut conquisita & proposita, quoad ejus fieri posset, maxima utilitate, quosvis ad præsentis libelli lectionem invitarem. Sed quando D. Paulus sacros libros universe omnes semel nobis satis commendavit, tanquam θεοπνεύστους, & à Dei spiritu dictatos, utilesque ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad disciplinam justitiæ; denique ad ita comparandum hominem pium, ut ad omnem probitatem sit instructus, eruditusque ad salutem, quam per fidem, quæ Christo Jesu habetur, consequi possit; qua utilitate nulla sane major excogitari queat, non puto magnum operæ precium fore, si in ea re prolixior sim. Quare tribus hunc locum verbis expedam. Anni erant elapsi circiter quadringenti, ex quo Abrahæ primum id promissum fuerat à Deo, quod hic jam ipsius posteris præstari videbimus; qui tamen interea tam dissimiles sæpe illi suo parenti fuerant, ut videri potuerint operam multam dedisse, quo se illis promissis facerent indignos. Primum igitur in hac historia, quasi in speculo, apparebit admirabilis Dei, in tuenda verbi sui veritate, constantia: potius enim immensa bonitate adversus nostram contumacem vitiositatem ille diu multumque decertat, quam sua promissa patiatur cadere ad irritum, quanquam esse non possunt illa quidem certe unquam, quoad ipsum, irrita; etsi à nobis interdum impediantur. Atqui ne sic quidem prorsus eventu carent, sed novis quibusdam modis ab illo ad rem conferuntur. Sed hoc suo loco pluribus disputabitur. Præterea Josuæ persona nusquam non repræsentabit nobis præcipuas, quæ bonum Imperatorem decent, virtutes. Quarum summa est, Deum in omni re religiose consulere, à quo, ut diximus, principum omnium autoritas dependet, & felicitas, rerumque gerendarum successus; quique solus novit quæ facto, aut non facto opus sint; eorumque benigne illos, qui se rite colunt, admonet: cæteroqui si, neglecto Deo, humana consilia illi sectentur, nihilo certiora agant, quam si sortis casum. Denique illud etiam luculenter ostendetur, per probam religionem popularium res publicas maxime conservari; ac proinde Imperatorem, atque adeo principem quemlibet; debere non solum se ipsum præstare probum piumque adversus Deum; verum etiam, ut parentes sanctissime religionem tueantur & colant, procurare. Ad hæc, subjicietur oculis universæ Chananææ descriptio. Quæ, etsi ignotorum nominum multitudine lectori molestior, quam utilior videri possit, mirifice tamen utilis, immo necessaria est, ad intelligendas recte plurimas in sacris literis historias. Sed hoc quoque suo loco dicetur explicatius. Postremò, hujus libri narratio, non tam Josuæ filii Nun res gestas, quam Jesu Christi sacramenta, ϗ οἰκονομίαν, nobis proponet; ut ait Adamantius: & nos passim ostendemus, pro nostri ingenii mediocritate. Nam, ut ante diximus, Josua & nomine, & rebus gestis Christum adumbravit; pulcherrimoque exemplo docuit, nos, quotquot Christo nomen dedimus, nisi per continuas difficilesque certationes adversus septem præcipua, quæ probitati nostræ perpetuo infesta sunt, vitia susceptas, cœlestem nostram hæreditatem adipisci non posse. Sed hæc hactenus. Puto enim ex his perspicuum satis esse; maximis hunc sacrum commentarium abundare utilitatibus. Quare ad ipsam ejus interpretationem accedamus, virtute auspicioque veri Josuæ, h. e. Jesu Christi nitentes, fidentesque.

EPISTOLA DE MORTE ANDREÆ MASII.

HENRICUS A WEZE, Illustriss. Duci Clivensi à consiliis, CHRISTOPHORO PLANTINO S. P.

ORnatissime vir, amice carissime, tristissimus hæc scribo: Jacturam enim fecimus gravissimam; si jactura est dicenda tanti viri amissio. Nam cum carissimus & conjunctissimus frater & affinis meus D. Andreas Masius, uti ex ipsius ad te literis nuper intellexisti, initio mensis Januarii in morbum incidisset, difficultate spirandi tussi, dolore capitis, insomniaque fere continua diu graviterque vexatus & afflictus, ita corpusculum ejus, quod alioqui, ut scis, erat rarum & macilentum, debilitatum & extenuatum fuit, ut nihil nisi pellem & ossa cerneres & contrectares. Non quidem interim neglexit valetudinem; sed quantum potuit, Principis mei Ducis Cliviæ expertissimorum Medicorum opera diligenti usus fuit, eorumque præscriptis & consiliis sedulo studioseque morem gessit. Accessit adamatissimæ uxorculæ nunquam intermissa solicitudo, quæ ægrotum maritum quibuscunque officiis, rationibus, juvit, fovit, levavit, nunquam ab ejus lectulo latereque cedens. Ego vero pro meo erga ipsum fraterno amore & conjunctione nihil omisi quod ad recuperandam ejus pristinam valetudinem ullo modo conducere arbitrabar. Cum autem ipse à medicis se hydrope ascite, quæ raro curari solet, laborare intellexisset, nihilo effectus commotior, Deus, inquit, quod Divinæ ejus voluntati videbitur de me statuat. Cæterum longam hanc & pertinacem valetudinem, vimque morbi totius æquissimo tulit animo summaque patientia. Constantissimus semper fide in Christum ad extremum usque spiritum sæpissime ejus magnam misericordiam piissimis precibus imploravit, eique prorsus

ac-

acquievit. Et vero, quanquam festo nuper præterito Paschatis sacrosancto Christi corpore pastus fuisset, tamen cum morbum indies ingravescere animadverteret, magna pietate iterum voluit, quinto scilicet die antequam naturæ satisfaceret (cum prius Sacerdoti Christiano ritu de peccatis confessus esset) eodem sanctissimo viatico, sacrique olei extrema unctione (ut verum Christianum & Catholicum hominem decebat) se communire. Quibus sacramentis religiose perceptis, subinde se Deo commendare non cessabat; atque ita firmissima fide, spe & charitate, Christi Jesu meritis confisus, ejusque se justitiæ involvens, septimo tandem hujus Aprilis die, cum uxori paulo ante, mihi amicisque præsentibus à Deo Opt. Max. bona quæque precatus fuisset & valedixisset (erat enim etiam tum animo valido, & firmo intellectu) placidissima morte obiit, pulchreque in Christo obdormivit. Judicasses eum, mi Plantine, ad optatam quietem & somnum se componere: ità ut dubium esse non possit quin Deus pro sua singulari clementia ac misericordia animam ejus æterna beaverit requie. Corpus, ut jusserat, & moris est, Christianis ceremoniis sepulturæ tradidimus, quod Christus extremo die resuscitare dignetur, ut una cum anima felicitate fruatur sempiterna. Facile nunc ipse conjecturam facere potes in quantum luctum & mœrorem uxorcula ejus, neptis vero mea ex fratre, amisso tam charo dulcique marito, cum quo quindecim prope annos summa concordia vixerat, proruperit: quæ sane nullum genus consolationis admittit; adeo ut verear ne & ipsa in gravem aliquem morbum incidat, & de vita quoque periclitetur. Porro exprimere verbis non possum quam acerbum vulnus ego acceperim; fuimus enim ab ineunte fere ætate inter nos animis conjunctissimis, fraternoque amore invicem complexi, non aliter quam si ex utroque parente procreati fuissimus. Amicitiam enim semel contractam, quod quidem non sine delectu judicioque faciebat, sanctissime colebat. Nihil in eo fictum aut simulatum: Quod sentiebat loquebatur, quod loquebatur sentiebat, perpetuo sibi similis, sincerus, candidus, apertus, simplex, absque ullo fuco. Si quid mihi adversi, dubii accideret, habebam quo tuto confugerem, ubi acquiescerem, cujus in sermone & suavitate omnes curas doloresque meos deponerem. Auget hanc animi mei ægritudinem communis quoque literatorum omnium jactura, quam ejus viri morte summam accepimus, qui suis eruditissimis scriptis & lucubrationibus toti reipub. Christianæ hactenus non parum profuit, & in posterum (totus enim deditus erat studiis, præsertim Sacrarum literarum) plurimum profecto utilitatis attulisset, si longior ei vita suppetisset. Nam vix puto alium in vivis esse qui quibusdam in rebus illud præstabit quod ille facile & potuisset & voluisset: nimirum cum esset studio indefesso, ac multarum linguarum, præcipue sanctæ, cognitione, variarumque rerum eruditione supra modum absolutissimeque præditus atque dotatus. Quare docti quique homines ex Italia, Germania, Hispania, Belgio, aliisque locis, frequenter illum literis suis conveniebant: si quid illis in re literaria dubii, obscuri occurrisset, consulebant; si quid abditi, abstrusi incidisset, ad illum undicunque tanquam ad Oraculum confugiebant. Quanta vero ipse ingenii mirifica dexteritate, perspicaci maturoque judicio nodos quosque difficiles maxima omnium admiratione expedire & dissolvere solebat! Suum J O S U A M typis tuis, mi Plantine, excusum, sæpius, dum ægrotaret, videre desideravit, ut doctorum de eo judicium audiret. Quamobrem te etiam atque etiam oro, ut quam primum poteris illum mundo exhibeas. Erit sane liber (siquidem ego aliquid judicare possum, qui eum diligenter ante quam ad te mitteretur perlegi) lectu dignissimus. Habebat præterea alia quædam præ manibus, quæ morte præventus imperfecta reliquit; quo etiam nomine doctis omnibus dolendum. Sæpenumero quidem mecum loqui consuevit, idque subinde in hoc suo morbo repetebat, de hujus exulceratissimi seculi calamitosissimo tempore; beneque actum cum illis prudenter judicabat qui à Deo hisce malorum fluctibus eriperentur. Paucis vero diebus ante decessum, Ego, inquit, mi frater (eo enim nomine nos mutuum appellabamus) corpusculo, ut vides, sum infirmissimo, cupioque dissolvi, & esse cum Christo: si tamen Deo ita foret visum, tantisper vitam mihi prolongari optarem, non ut luxum, voluptatem, aliasque istiusmodi vanas ac mundanas illecebras sectarer, aut me rebus ullis fragilibus & caducis oblectarem, sed ut iis meis lucubrationibus quibus nunc sum intentus, studiosis, ut puto, profuturis, extremam manum addere liceret; non in meæ, sed magni verique Dei spem gloriæ. Sin minus, fiat voluntas Domini. Princeps meus Dux Cliviæ, cujus, ut scis, fidum optimumque Consiliarium Masius noster egit, totusque Senatus graviter ejus obitum molesteque tulerunt, communemque eam calamitatem, ut certe est, existimaverunt. Nec dubito quin te quoque, quem Masius, piæ memoriæ, dum viveret, non vulgari amore benevolentiaque prosequebatur, istud de ejus morte nuncium pari molestia atque dolore afficiet. Idem etiam haud dubie reliquis ipsius amicis accidet, quos variis in locis plurimos, etiam principes viros, summa sua doctrina, virtute, probitate sibi comparaverat. Præcipue vero acerbissimum vulnus ex amicissimi hominis obitu accipiet reverendus vir, pietate, virtute ac doctrina præstantissimus, D. Benedictus Arias Montanus, quem inter præcipuos noster Masius amabat colebatque vel maxime, cui me meaque officia de meliore nota commendare non graveris. Hoc unum in hisce communibus doloribus me consolatur, quod Christianissimè optimi Masii beata anima hinc evolaverit, eamque Deus in sinum Abrahæ (ut pie credimus) collocaverit, quodque tantarum miseriarum, quibus hac tempestate mundus iste immundus justo Dei judicio obruitur, spectator esse desierit. Quod vero hunc meum dolorem in sinum tuum liberius effuderim, quæso te, mi Plantine, in meliorem interpretêre partem. Si qua in re tibi tuisque omnibus gratum aliquod officium præstare unquam potero, habebitis me perpetuo paratum & addictum. Bene vale.

Raptim, Zevenera, 15. Aprilis,
Anno M. D. LXXIII.

NOTATIONES IN SACRA BIBLIA,

Quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur;

AUCTORE

FRANCISCO LUCA BRUGENSI,

S. Theolog. Licentiato.

ILLUSTRISSIMO S. R. E. CARDINALI GULIELMO SIRLETO.

JAM demum prodeunt, Amplissime Præsul, secunda Bibliorum editione, quæ à quinquennio primæ editioni jungendæ fuerant, promissæ Notationes. Meritò notandum me existiment aliqui non statim ab initio servati promissi, quod Bibliorum illorum, nostra tunc opera expolitorum, margines absque Notationibus his, ad quas etiam Lectorem remittunt, intelligi nequeant. Cæterum facile me culpa exsoluturus est qui causas intellexerit. Etenim cum primum rem animo concepissem, trium mensium arbitrabar opus esse, trimestri à me in ea quæ tractanda acceperam loca scribi posse. At cum rem cœpi & investigandis, penetrandis explicandisque locorum varietatibus me dedi, tantam inveni, etiam ubi minime exspectaveram, rei difficultatem, quantam nemo, nisi qui ipse experientia didicerit, facile autumet, ita ut triennium operi diligentissime tributum, nedum trimestre, haudquaquam suffecerit, si exacti aliquid, cujusmodi sit oportet id quod hoc exulceratissimo quidem sed argutissimo seculo prodire audeat, ederetur. Verum an exactum id sit quod à nobis editur, aliis judicandum relinquimus: nos certe laboribus nullis pepercimus, ita ut, si non res, at conatus laude dignus esse posse videatur. Accesserunt porro ad operis difficultatem alia non raro literaria negotia, quæ nunc à majoribus demandata, nunc ex officio incumbentia, cum prætermitti non possent, operis hujus editionem tardarunt. Denique bellorum ortæ tempestates cum nos Lovanio ejecissent, atque in patria nihilo jam magis tranquilla exsules esse compulissent, diu manus à tabulis prohibuerunt, servientium piorum consolationi, sacris concionibus, sacra excipienda exomologesi, aliisque sacris ministeriis, atque exspectantium interim si forte pacatis Divina dignatione rebus Lovanium, ubi librorum copia suppetebat, liceret reverti. Verum cum longa nos exspectatione falli & suavi spe frustrari misere cerneremus, id quod reliquum erat aggressi, à medio prioris epistolæ B. Petri deinceps, quo modo potuimus, ad finem perduximus, atque ad editionem universa paravimus. Sed erunt, sat scio, qui hæc nostra ridebunt, atque ut frivola adspernabuntur, ii nempe qui, aut Scripturam ipsam sacram, aut illius præcipue Vulgatam Latine editionem, ob styli humilitatem atque incomptas ac nativas phrases parvipendunt; nec curæ ipsis sunt quæ occurrunt subinde codicum varietatulæ. At eorum ego nihil movebor sententiis qui & Scripturam ipsam sacram, & Vulgatam illius Latinorum versionem, antiquissimam illam, & SS. Tridentinæ Synodi declaratione præ cæteris universis authenticam, eo prosequor honore, ut longe faciam pluris unum hic, etiam minimum, suæ integritati locum restituisse, quam Ciceronis, Sallustii, Virgilii, Horatii, aut cujuscunque alterius hujus ordinis, quinquaginta. Et si qui laudi sibi ducunt horum editiones à mendis vindicasse; longe ego majori dignum laude censeo qui hic id operæ collocarit. Non ita vero id operæ hic desidero, quasi Scriptura sacra erroribus obnoxia sit, quæ à prima veritate profecta veritatis regula est, sed quod in codices, sive apographa ipsa, Græca maxime & Latina, per frequentem exemplarium in exemplaria transfusionem, nunc librariorum, nunc lectorum, oscitantia, incuria, inscitia, temeritate, labeculæ, errata depravationesque subinde irrepserint, quæ aliorum codicum sive apographorum collatione mutari, corrigi, auferri debeant. Id cum in ipso Scripturæ fonte acciderit (perspicuum est in N. Testamento Græco: nam de veteri Hebræo nihil dicere volumus) longe magis in translatione accidisse potuit. Quare, quod nobis objectant alii, cum vetus editio Latina, à Tridentino concilio probata atque Authentica pronunciata sit, nulla amplius opus esse castigatione, ridiculum prorsus est. Neque enim Concilium editionis hujus exemplaria erratorum expertia esse judicavit, neque etiam certum aliquod editionis exemplar sequendum omnibus proposuit; sed editionem ipsam cæteris quæcunque exstant Latinis editionibus prætulit, & authenticam definivit. Hanc qui voluerit ex Hebræo aut Græco mutare, aut suo pro judicio corrigere, correctamque pro ipsa Veteri editione emaculata proponere, is Synodi sententiæ proculdubio adversetur. Non enim veterem servat, sed suam obtrudit editionem. Cæterum qui ex variis ipsius Veteris editionis exemplaribus illi emendandæ & primævæ lectioni germanæque Interpretis scripturæ restituendæ operam navet, tantum abest ut menti Synodi adversetur, ut, ipsa ad hoc Synodo hortante, ex mente Synodi faciat. Statuit enim ut hæc ipsa Vetus & Vulgata editio quam emendatissime imprimatur; emendate autem imprimi haud posse videtur nisi, collatis variis illius exemplaribus, menda deprehensa eliminentur, sincera lectio admittatur. Qua in re ut Synodi desiderio satisfaceret Theologica Facultas, & D. Hentenio olim, & post nobis, hoc operis demandavit: quanquam à nobis textus ut ab Hentenio est editus verbis neutiquam mutatus sit. Non enim ex Hebræo, Græco, Chaldæo aut Syro Vulgatam emendare studuimus versionem:

Digitized by Google

nem: sed cum variare reperta essent Vulgatæ versionis exemplaria, adhibita sunt Hebræa & Græca, plerumque etiam Chaldæa & Syra, ut dignosci posset quæ exemplaria lectionem servarent germanam. Nam qui solam adfert Latinorum exemplarium variationem, nihil nisi scrupulum injicit lectoris animo: hæret enim animi dubius quid amplectatur, donec aut ex fontibus, aut ex antiquis aliarum linguarum editionibus, aut ex Tractatorum commentariis, aut ex locorum circumstantiis, & aut ex ipsa exemplarium spectata integritate, aut denique ex his simul omnibus, quod inter exemplaria ipsa discernat, adferatur. Hoc conati sumus cum in marginibus Bibliorum, tum maxime his in Notationibus. Usque adeo vero à nobis abfuit animus vel minimum recedendi ab ipsa Veteris Interpretis scriptura, ut is scopus noster fuerit ipsam quærere Interpretis scripturam, non tantum in rebus majoris ponderis, verumetiam in minutis, &, quod amplius est, etiam ubi ipsa Interpretis scriptura minus forte commoda videri poterat: ita ut nihil perinde verear quam ut nimiæ me anxietatis multi notent. At quare hæc? non aliam ob causam quam ut pura puta haberi possit, quam Synodo visum est præscribere, Vetus editio: quæ si quid subinde minus commode fortasse vertat, non aliunde ipsa emendetur, sed ex doctorum virorum id scriptis discatur. Quare & cum in dubium de germana Interpretis scriptura quovis pacto veniremus, non ipsi sententiam diximus, sed iis quæ pro singulis facerent partibus in medium allatis, ferendam sententiam aliis reliquimus. Quin & alias, cum re satis perspicua nostram ausi sumus sententiam explicare, in omnes æque partes ita ut ferebat unaquæque disseruimus, ut si quem plus forte alterius partis movere possint rationes, eam præ nostra liber amplectatur opinione. Cupimus enim melioribus subjecta sententiis quæ à nobis judicata sunt; nec tantum, verumetiam quæcunque aut dicta aut scripta. Quamobrem olim decrevimus alicui Præsulum Ecclesiæ has nostras lucubrationes inscribere: non quod iis dignas censeremus, sed quod eorum proprie sit certum ejusmodi de rebus judicium ferre. Porro ab ipso initio non alius occurrit cui meliori viderentur ratione offerri posse quam V. D. Amplitudo, Cardinalis Illustrissime, quem pietatis junctæ eruditioni nota celebrem nobis, charum observatumque reddiderat. Ut enim auctoritate polles, ita & eruditione præstas, & quod huc facit, linguarum cognitione excellis, quodque proxime urget, earum peritus & studiosus es rerum, cujusmodi hic tractare conati sumus. Id loquuntur doctissimæ vestræ in Græcum Psalterium observationes Regio Bibliorum operi junctæ, & quas præ manibus R. V. habet, quarum non exiguam ipsi vidimus & legimus partem, exactissimæ in librum Ecclesiastici Notationes, quibus alia consimilia plura D. V. industriam meditari intelleximus. Quare quidquid hoc est quod de lectionum S. Scripturæ varietate scripsimus, parum utique, si respiciantur quæ & nobis ipsis & aliis adhuc relicta sunt, amplis. D. T. exhibemus ac dedicamus, ut sub tui nominis auspiciis editum, & à te benigne in tutelam acceptum, si quid erroris habeat, tua auctoritate corrigatur; si quid boni, tui nominis accommodatione adversus æmulos defendatur; si quid lectu dignum, tuæ eruditionis celebritate commendetur. Universa enim quæ dicta à nobis sunt tuæ & sanctissimi Patris nostri Romani Pontificis atque Ecclesiæ Catholicæ censuræ perpetuo submissa volumus. In his porro elaborandis adfuit præcipue nobis Reverendus in Christo Pater, S. Theologiæ Licentiatus, P. Joannes Wilhelmi Harlemius, Collegii societatis Jesu Lovanii colendissimus Rector, ac per Belgium Viceprovincialis dignissimus, vir summa eruditione, qui divino quo præcellebat ingenio, linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ atque Arabicæ, difficultates superaverat, & Theologicorum mysteriorum intima penetraverat; ea adhæc vitæ puritate, ea morum suavitate ornatus, ea animi ad juvandos quoscunque promptitudine, eà denique in Deum perpetuo ferventi pietate præditus, ut homini bono voluptatis summæ loco esset ejus frui alloquio, sacrisque simul ac doctis sermonibus resici. Testari possum, qui eo præceptore, institutore, patre, quinetiam quæ ejus erat humanitas, familiari, septennio & eo amplius usus sum: nec quidquam ita deploro ut quod ignorabam ultimum id esse vale quod, Scotis hæreticis Lovanium ingressis, turbataque universa ac suos dimittente Academia, tristis dicebam. Flagrantis cœlesti amoris igne animæ corpusculum lœmicus, Deo operante, ignis solvit, ut cum à corporis miseriis, tum à mundi, qui ea dignus non erat, nunc certe, si unquam alias, totus in maligno positus, malis libera, ad cœlestem dilecti thalamum admissa, tota *ἀπερισπάστως* in mellifluis ejus amplexibus versaretur, ita ut non mors ipsius, sed nostra nobis deflenda sit derelictio. Non grave tibi arbitror esse, Serenissime Cardinalis, bonorum virorum audire laudes, quinimo volupe, hujus præsertim, cujus fama non incognita, scio, D. V. fuit, qui hujus, quod A. V. exhibemus, operis scribendi fere auctor nobis fuit, & consilio persæpe juvit, ac librorum, quibuscunque opus habuimus, copiam ex instructissima societatis Jesu Lovaniensi Bibliotheca subministravit, quin & legit hæc pleraque omnia, suum eis calculum additurus si vita comes fuisset; ut & delecti à Facultate Theologica Doctores, ii qui Bibliorum editioni subscripserunt, nisi jam à nobis mutuo sejuncti, vix an in vita superstes sit, alter de altero intelligere possemus. Adfuit porro etiam singulariter ad hæc conficienda sua nobis ope, qui ea ipsa excudit, Regis Architypographus, Christophorus Plantinus: tulit enim sumptus non mediocres, quibus & me scribentem minusque solida cum valetudine fere colluctantem fovit, & aliis, qui aut aliunde MSS. codices advexerunt, aut ea quæ in Adversaria jeceramus accurate descripserunt, aut alio quocunque modo auxilio fuerunt, liberaliter satisfecit, emptis etiam à se nonnullis atque è propria officina missis libris. Quare, si quid his aut fructus aut ornatus Ecclesiæ Catholicæ allatum esse potuit, vel meriti quid boni ipso conatu apud Deum comparatum, ad cujus sane gloriam animus respexit, suas sibi hi vendicant partes, Harlemius & Plantinus, ipsi inter se conjunctissimi, & mihi pro beneficiis in me collatis suo ambo merito colendi. Te itaque, pietate atque eruditione Ornatissime Cardinalis, obnixe oro ut hæc, quæ Illustrissimæ T. D. dicamus, qualiacunque scripta æqui boni consulas, atque in tuam benignè tutelam accipias: ut intelligenti id quod primum ediderim tibi cæterisque Ecclesiæ Præsulibus gratum esse, ad plura tentanda animus addatur. Meipsum porro benevolentiæ humanitatis tuæ etiam atque etiam commendo, & tuorum à te numero adscribi opto. Dominus Deus Ecclesiæ suæ diu Te incolumem servet. Brugis Flandrorum, die B. Laurentii martyrio celebri, IV. Idus Augusti, Anni CIↃ.IↃ.LXXIX.

Amplissimæ D. V. observantissimus,

Franciscus Lucas.

AUTORIS
AD CANDIDUM LECTOREM
PRÆFATIO.

CUM commissum mihi esset, eas quæ in Lovaniensium Bibliorum marginibus adnotatæ erant lectionum varietates ad fontes & veterum commentarios revocare, &, siquidem concinerent, marginalibus id notis signare, ut quoquo modo germana ab adulterina discerni posset lectio; animadverti sæpenumero fieri haud posse ut notis id in margine indicaretur, quod fontes vel ambigui vel obscuri essent, aut ad dignoscendam germanam lectionem quædam facerent, quæ cum verbis exprimenda essent, tot exprimi non possent quot marginis angustia posset capere. Quamobrem consilium subiit, ad calcem Bibliorum brevibus ejusmodi annotari posse. Quod cum ad R. P. Harlemium, qui hoc in negotio præerat, retulissem, probassetque ille, adscripsi in Bibliorum margine, ad ea loca in quæ visum erat aliquid annotare, signum Q. n. quod esset, *Quære notationes*. Cum vero, eo quod in Bibliorum margine laborandum erat confecto, Bibliisque ipsis ad Typographiam missis, me ad scribendas in ea loca notationes dedissem; quia animum temperare haud potui quin exacte id conarer facere quod incumbebat; nec paucis, quemadmodum statueram, absolvere potui, ut ad calcem Bibliorum adjici possent, nec cito, uti speraveram, ut una cum Bibliis prodirent: Quare nunc seorsum, secunda cum Bibliorum editione, prodeunt, necessariæ quidem ad intelligenda marginalia annotata Bibliorum illorum nostra opera adauctorum; quippe ad quas illa remittant, sed quæ à marginalibus illis annotatis ipsæ non pendeant, quibuscunque Bibliorum editionibus atque exemplaribus adhibitis servientes. In his porro textum, initio singularum notationum, ita fere proposuimus ut in Lovaniensibus est Bibliis; quem deinde cum aliis Latinis exemplaribus, impressis & scriptis, contulimus. Habuimus impressa exemplaria semper octo aut novem; scripta XXXII aut XXXIII, ut minimum, sæpe plura; ea quæ statim descripturi sumus; propria dico, præter ea quæ ante nos Parisienses, Hentenius aliique annotaverant. Sæpe enim in uno invenias quod non in multis aliis: & frequenter de genuina Interpretis scriptura plus ex Latinis codicibus quam aliunde intelligere licet, dum, inter varia exemplaria, quem legendi modum vulgaria sequantur, in quem conspirent emendatiora, conspicitur. Dehinc, consuluimus commentaria, enarrationes, scholia, translationes, primæ, mediæ, postremæ ætatis, auctorum Græcorum & Latinorum, quoscunque habere potuimus; ut si quid usquam esset quod ad nostrum faceret institutum, quoad ejus à nobis fieri posset, in medium adferremus. Posthæc adhibuimus, in V. quidem Testamento, Hebraicum, Græcum & Chaldaicum, textus; in Novo, Græcum & Syriacum: &, ne forte horum exemplaria sibi mutuo quandoque non constarent, lecta sunt Græci textus antigrapha complura, cæterorum saltem duo. Postremo, si quid vel ex locorum circumstantiis, vel ex locis similibus, vel aliunde, de lectionis varietate intelligi posset, omne perscrutari conati sumus; &, si non ipsi judicium ferre, certe aliis dare unde aut ferre possent, aut suo quamque momento lectionis varietatem æstimare. His autem sensum sæpenumero addidimus, aliquando singularum varietatum, maxime vero ejus quæ vero simillima erat, ut ne forte, ob minus perspicuum sensum, id quod fere accidit, reprobaretur. Horum porro occasione sæpe etiam antecedentia & subsequentia proxime tractavimus loca; &, si quæ Græcorum, Chaldaicorum aut Syriacorum apographorum occurreret variatio, etiam ea edisserta est: quin & difficultates quæ vel ex his vel ex Hebraico oriuntur, pro virili nostra enodatæ sunt; nec prætermissum esse arbitror, id quod multi desiderant, quo modo Hebraice Latinus & Græci Interpretes legerint, dum eorum translationes ab Hebraica scriptura, ut nunc punctis vocalibus adfecta exstat, discrepare videntur. Cæterum non deterreant Lectorem, linguarum forte imperitum, quæ frequenter his admiscentur Hebraici, Chaldaici, Græci, Syriaci, textuum verba: id enim fieri ita debuit, ut fides dictis haberetur, fereque ita interjecta sunt ut, salvo atque integro loci sensu, transiliri ab eo qui non intelligat possint. Porro varietates quæ in MSS exemplaribus, ejus varietatis quæ discutienda erat, occasione, quippe loco vicinæ, repertæ sunt, cum tractandæ non viderentur, ad marginem sunt notatæ, iis signis quæ in Bibliis frequentata & declarata sunt. Sunt vero notationes, juxta librorum S. Scripturæ capitum versiuumque ordinem, sese mutuo sequentes; ita ut nullo indice opus sit, nisi eorum locorum quæ occasione aliunde explicanda aliquando se obtulerunt; quem & ad calcem libri invenies. Quod reliquum est, Lectorem obsecro ut hæc mediocritatis nostræ scripta eo accipiat & legat animo quo scripta & data sunt, candido, & veritatis non contentionis studioso, qui in sectari alios abhorreat, &, sicubi erret ipse, lubens monstratum errorem corrigat, si quid ignoret, discere gaudeat, nec suam velit usquam opinionem meliori sententiæ præjudicium ferre.

CATALOGUS
Eorum quibus usi sumus S. Scripturæ Librorum.

Compl. R.] Complutensia, & ex Complutensibus expressa, Regia Biblia, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, &, quod Regiis proprium est, Syrica.

Ven.] Hebraica & Chaldaica Biblia magna, Venetiis excusa.

Neb.] Psalterium Augustini Nebiensis, quinque linguis, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica atque Arabica.

Angel. Port.] Psalteria Hebraica MSS. duo, unum Collegii Lovaniensis Societatis Jesu, alterum D. Clementis Angli, & tertium Portugallicum, ex fide reverendissimi D. Lindani citatum.

Syricum Novi Testamenti MS. Coloniense, ex Orientis partibus allatum.

Syrica N. T. editio, sumptibus Ferdinandi Imperatoris, & Johannis Widmanstadii opera, Viennæ Austriacæ edita.

Ald.] Græca Biblia Aldi Manutii, anno 1517 impressa.

Argent. Vat.] Græca V. T. Biblia Argentorati edita, collata cum duobus Græcis Vaticanæ Bibliothecæ antigraphis, quorum variæ lectiones ad marginem adnotatæ sunt, jussu reverendissimi Cardinalis Granvellani.

Bas.] Græca V. T. Biblia Basileæ excusa anno 1550, cum Latina interpretatione.

Torn.] Psalterium Græcum, Latinis literis, Tornaci, olim in cœnobio S. Martini scriptum.

Psalterium Græcum Parisiis impressum, ex S. Victoris codice emendatum. Alterum Parisiis à Chevallonio excusum; Tertium, Antverpiæ à Stelsio.

Digitized by Google

N. T. Græcum Basileæ excusum, cum Vaticano codice, in Euangeliis collatum, quondam D. Werneri Atrebatensis Collegii Lovanii Præsidis.

N. T. Græcum Basileæ impressum anno 1536, cum lectionum varietate: & alia aliquot alibi excusa, quæ quia Lovanio longe abfumus, commemorare haud possumus; ut nec cæteros libros exacte, ita ut facere deceret, describere.

α, β, γ, δ, ε, &c.] N. T. Gr. Parisiis editum, ad xvi Græca exempl. à Parisiensibus collatum, signata Græcis numeris, α, β, γ, δ, ε, ς, ζ, η, θ, ι, ια, ιβ, ιγ, ιδ, ιε, ις. quorum primum Complutense est exemplar; secundum ex Italia transmissum fuit; octavum, cum cæteris, ex Bibliotheca Regis Francorum sumptum.

Di. o. l. Ge. o. l. p. au. ar. Do. Pau. Su. Con. Cor. au. V. S.] Vetusta Lat. MSS. quibus ad castigandum Parisienses sunt usi; Cœnobii S. Dionysii oblongum & latum, S. Germani oblongum, latum, parvum, aureum & argenteũ, Donatianicũ, Paulinũ, Suessoniense, Constantiense, Corsendoncense, Aureum, S. Victoris exempl. & Sorbonicum correctorium.

Latina Bibl. quæ ad castigationem D. Johannes Hentenius adhibuit, descripta ab eo in præf. Bibl. à se editorum.

Brug.] MSS. Lat. Bibl. duobus magnis voluminibus comprehensa, Cathedralis Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis, antiquitate simul & integritate paucis aut nullis secunda, quæ à clarissimo viro D. Jac. Pamelio, Bibliothecæ D. Donatiani præfecto, Lovanium transmissa fuerunt.

Lob.] Alterum Bibl. duobus tomis contentum, MS. exemplar, similiter vetustate & integritate venerandum, à R. D. Ermino Fransoys, Cœnobii Lobiensis S. Petri Abbate, commodato missum, scriptum ut ad calcem libri diligens scriptor notavit, à F. Goderanno, Anno 1084 indictione 7, concurrente 1, Epacta 11, rege Henrico æque Henrici Cæsaris filio jam trienni obsidione urbem Romam graviter premente, concluso in ea Gregorio Papa, qui & Hildebrandus, anno 9 præsulatus Henrici Ecclesiæ Leodicensis, 8 autem Gerardi Cameracensis, 6 quoque Arnulfi Abbatis ejusdem Lobiensis cœnobii S. Petri. Habet hoc exemplar, triplex tribus columnis distinctum, ut & alii quidam veteres codices, Psalterium, Gallicum, Romanum & Hebraicum. Gallicum, nostra est vulgata editio, ab Hieronymo castigata, & obeliscis atque asteriscis notata. Romanum, ea est qua Romani ante Hieronymi castigationem videntur usi. Hebraicum, Hieronymi est ex Hebræo versio.

Leod.] Tertium his simile MS. 4 aut 5 tomis, ex Leodiensi S. Jacobi Abbatia allatum: cui hoc unum deest, quod plerisque locis, posteriori alicujus præpostera cura, antiqua ac germana erasa, vulgaris lectio substituta sit.

A, B, C, D, &c.] Viginti MSS. Bibl. exempl. contribuit, quem suum nuper Lovanii diem obiisse intelleximus, M. N. Aug. Hunnæus, piæ memoriæ, signata Alphabeti literis: suntque, ut juxta præstantiæ ordinem ea numeremus, O, Q, T, E, N, P, L, H, G, A, M, V, I, K, B, C, D, F, R, S. Cæterum, T & N fragmenta sunt duntaxat; T Acta Apostolorum, Epistolas D. Pauli, & Catholicas veteri scriptura continens; N Job, Proverbia, & eos qui deinde sequuntur libros usque ad Ezechielem, literis miræ magnitudinis, emendatum ante 300 annos, ex Caroli magni Bibliis undequaque collectis, jussu, ut præfatio habet, F. Jordani Magistri ordinis Prædicatorum, & F. Hugonis Prioris Provincialis in Francia, à Prædicatoribus S. Dominici Fratribus, quorum & emendationum rationes sub libri finem leguntur, ad quas textus aurea marginis nota remittit. O, Q, E, lectissima sunt antigrapha; sed in Psalmis O, cum Hieron. ex Hebr. translationem habeat, multum ab aliis ejusdem translationis antigraphis discrepat. H in libris Regum præstat; P in Psalmis, &, in quibus excellit etiam L, Sapientis libris. I & K sæpe adnotant lectionem veriorem. V quod signamus, & ipsum Q litera, à M. N. Hunnæo insignitum est. Habuimus ab Hunnæo & Breviarium pervetustum, quod quandoque citamus: denique præter alia, id quod maximi facimus, MS. Bibl. correctorium, ab incerto auctore, quem Epanorthoten aut Correctorem fere vocamus, magna diligentia ac fide contextum, secuto, uti oportet, antiquos nostræ editionis codices, eosque cum Hebræis, Græcis, & vet. Patrum commentariis, sedulo collatos, qui liber Gen. 8. 7. latius à nobis descriptus est. Hos porro MSS. codices, jam à morte D. Hunnæi, opinor Collegii Societatis Jesu esse; reliquerat enim illos Collegio, cui olim commodato miserat, nisi ante mortem repeteret.

So. ru. So. au. Harl. So. lon. So. al. So. au. So. la. Pl. m. Pl. ang. Pl. la. Pl. par. Pl. long.] Collegium Societatis Jesu duo sua subministravit MSS. Bibl. apographa, minori forma, quorum unum Societatis rubrum, alterum appellavimus aureum sive Harlemense, eo quod auro ornatum Harlemio à Plantino donatum fuerit. Plura subministravit Collegium Societatis fragmenta Bibliorum, eaque spectatæ antiquitatis, quæ idcirco à confractione P. Harlemius redemerat; unum continens Octateuchum, unum libros Regum & eos qui subsequuntur usque ad Ezræ, id quod Societatis longum diximus; duo, Societatis album & aureum, codices sunt Euangeliorum: quartum, Societatis latum, Paulinas habet epistolas, easque glossematis illustratas. Christophorus Plantinus quinque miserat MSS. Biblia, quæ suo ære à confractione servarat, vocata à nobis Plantini medius codex, angustus, latus, parvus, & longus: quæ quo ordine à nobis numerantur, eo censenda sunt.

Atr. Atr. s.] Atrebatensis Collegii Præsidens, præclarissimus M. N. M. Cornelius Reineri Goudanus, duo commodaverat MSS. Biblia, quorum unum Atrebatense, alterum Atrebatense sericatum diximus: quibus exemplaribus, ut & eo quod proxime sequitur, etiam Hentenius usus fuit.

Bess.] Ex majori Theologorum Collegio habuimus exemplar quondam Bessarionis Cardinalis, quod ille à Juliano, Cardinali S. Angeli, Florentini consilii Præside, ut epigraphe habet, dono acceperat, id quod, in libris Regum maxime, veram lectionem sæpe notat in margine.

Busl. sive Tril.] Collegium Buslidianum seu Trilingue etiam unum dederat scriptum, uti coronide addita adnotatum est, anno 1432, annis 8 ante typographicæ artis inventionem.

Mal. Mal. ma. Mal. mi.] Ex Abbatia Malmundariensi accepimus miræ vetustatis libellos, qui plerique magis eam qua veteres Patres, quam qua nos utimur, editionem referunt; unum Psalmorum, unum Sapientiæ & Ecclesiastici, unum Machabæorum, unum Epistolarum Catholicarum & Apocalypseos, duos epistolarum D. Pauli, quorum alterum majorem, alterum minorem, à literarum magnitudine, vocavimus. Minor nostræ editionis studiosus est; major veterem sectatur, eam quæ ante Hieronymi castigationem.

Torn.] D. Pamelius commodavit nobis, quod Tornaco allatum fuit, vetustissimum atque lectissimum cœnobii S. Martini Psalterium, A. D. 1105 scriptum: id quod quatuor columnis quatuor Psalterii editiones exhibet, Gallicam, Romanam, Hebraicam, Græcam. Græca ipse est Græca translatio, Latinis literis scripta.

Got.] Usi sumus & Psalterio ex Cameraco allato, Gotticis literis scripto; in cujus lectione Reverendissimus D. Lindanus repuerascendum sibi fuisse scripsit: id quod Romani Psalterii exemplar esse deprehendimus.

Tor.] A D. Lævino Torrentino habuimus Glossam ordinariam in Prophetas minores manuscriptam.

And.] A D. Nicolao Michaelis, Rev. monasterii S. Andreæ juxta Brugas Abbate, unum tomum MSS. Bibliorum quæ ea habet Abbatia insignium: quo uno MS. perficientes Brugis id quod à Lovaniensi fuga restabat, usi sumus. Legimus atque adduximus aliquando & alia quædam MSS. exemplaria: quibus quia continue usi non sumus, suis ea locis nominasse sufficiat.

Mog. Colo. Nuren. Ven. Lugd. Quent.] Typis excusa Latina Biblia, quibus perpetuo usi sumus, hæc sunt; Excusa Moguntiæ anno 1472, quam primam esse accepimus Bibliorum à Typographis editionem (quanquam aliam illa priorem quidam se vidisse dicant) Coloniæ anno 1479, Nurenburgi anno 1478, Venetiis anno 1497, Lugduni, cum lectionum varietate, anno 1522, Coloniæ apud Quentelium anno 1529, Parisiis castigata anno 1557, & Benedicti scholiis aucta, anno 1573.

Enarratorum atque auctorum quibus usi sumus, longum esset catalogum texere: ex iis quibus aliquando nominantur locis, poterunt intelligi. Cæterum post epistolam ad Romanos, non omnes legimus quos adhuc statueramus, præter spem Lovanio exsules.

- • Significat eorum quibus præfigitur additionem;
- -- Eorum rejectionem;
- *MS.* Exemplaria MSS. Lat. quorum numerus fere adjungitur.
- *R.* Indicat lectionem concordare cum Bibliis Græcis.
- *Rab.* Sic Rabanum legere significat,
- *Aug.* Augustinum,
- *Hier.* Hieronymum,
- *B.* Bedam,
- *Greg.* Gregorium,
- *Hil.* Hilarium,
- *Am.* Ambrosium,
- *Rad.* Radulphum,
- *Pr.* Primasium.
  Nomen vero expressius positum, ut *Hieron.* insinuat ex ejus colligi Commentariis ita lectum, licet in ejus textu legatur aliter: & sic in reliquis.
- *C.* Chald. Paraphrasim indicat.
- *G.* Ostendit lectionem congruere textui Græco Bibliorum Regiorum,
- *Gq.* Cum aliis quibusdam Græcis exemplaribus.
- *H.* Lectionem Hebræo textui conformem esse, vel propius accedere, commonstrat.
- *S.* Syriacum textum Regii operis significat.
- *o.* Significat lectiones illas esse exigui momenti.

Illustrissimis, Ampliss. Præpotentibus, vereque Magnificis

ORDINIBUS PROVINCIARUM FEDERATARUM:

Reformatæ religionis Antistitibus, Omnisque politioris literaturæ Promotoribus:

Bello paceque clarissimis Heroibus:

Quorum AUSPICIIS conscriptus & editus est,

COMMENTARIUM HUNC,

ABELUS CURIANDER Authoris gener,

LIBENS MERITOQUE,

Ex Officio, Animo & Debito libabat dedicabat.

A. CH. M. DC. XVII.

PRÆFATIO S. AMAMA

Ante J. DRUSII Commentarium ad loca difficiliora

PENTATEUCHI.

Lectorem benevolum & rerum Sacrarum studiosum havere jubeo S. A.

PRodiit anno præterito primus fœtus posthumus Clarissimi Viri Johannis Drusii Commentarius, nempe duplex ad voces Ebraicas Novi Testamenti una cum Annotationum in idem parte altera. Jam secundus opera & cura nostra tibi exhibetur. De utroque magnifice dicere nostrum non est: Suspectum enim nimis esset discipuli de tam bene merito præceptore & decessore judicium. Tu æque, tu benevole Lector judicabis, & hoc ipsum ut cum judicio, aures mihi paululum substringe paucula monituro quorum tua, mea & Authoris interest. Authoris symbolum à teneris fuit illud Ben-Syræ, *Offam quod cecidit in sorte tua rode illud.* Cui geminum illud Græcorum, Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Hoc ipsum quam presse servarit, norunt omnes qui ipsum. Ex quo professio Ebrææ linguæ ei obtigit (anno ætatis 22. Oxonii) quam tantum ad Sacra manuducere noverat, isti circo se inclusit, omnem Ebraismi, Chaldaismi, Syrismi, Græcismi cognitionem, & quæ in Latinis fecerat spatia, huc tantum conferens, ut corrupta in Sacris restitueret, obscura illustraret, abstrusa aperiret.

Et

Digitized by Google

Et licet ex Anglia reduci, antequam Leidæ Professio ei obtingeret, honores Politici (qui opimiores esse solent Academicis in his locis) in patria fuerint oblati, repudiavit tamen, multum dissimilis iis qui eo ruunt & feruntur quo sordida utilitas vexillum explicat. De Sacris literis bene mereri, Academiisque in quibus vivebat nomen famamque conciliare in magno opere habebat, quod ejus studium condulcabat bonorum doctorumque favor & applausus. Jam 18 integros annos in hac palæstra desudaverat, jam scriptis suis (quæ omnia circa Sacras literas occupabantur) orbi literato innotuerat, cum Illust. Ordines Federati de nova Translatione Belgica ad exemplum Gallicarum Ecclesiarum cogitarent. Hic cum viri linguarum periti, iisque donis quæ ad tantum opus consummandum requiruntur instructi quærerentur, noster Drusius in eum censum venit, dignusque habitus cui juxta cum D. Marnixio, Helmichio, aliisque paucis ea cura demandaretur. Hoc autem quo minus Belgicas Ecclesias compotiverint labore, nec per eum nec quempiam eorum stetit, sed duricervicibus aliquot imputandum; qui nisi quod ipsi faciunt nil rectum putant. Hæc ergo spes cum decollasset, Illustrissimi Ordines Generales, ut sibi nihilominus Sacra curæ esse declararent, D. Drusium liberali stipendo invitarunt ad commentationum sacrarum continuationem: impositaque fuit ei provincia commentarium in reliquorum librorum Veteris Testamenti loca difficilia conscribendi, versionesque Græcas, Chaldaicas, Latinas, veteres, & recentiores examinandi. Hic vero nihil ei antiquius fuit quam ut spei de se conceptæ responderet. Post editam itaque novam-veterem (cujus appellationis rationem infra dabimus) translationem & perpetuum Commentarium in Ruth, Esther, & τῶν Ἁγιογράφων priores novem, item Tobiam, Ecclesiasticum, & primum Machabæorum tandem aggressus est reliquos Veteris Testamenti libros; & quamvis ad difficiliora tantum commentari teneretur, tamen & hic novam-veterem versionem, & cum ea Annotationes magnas, & prædictarum versionum examen dare conabatur. Atque hoc præstitit in Jobum, Proverbia, Psalmos, Koheleth, Genesin, Exodum, Leviticum, & octodecim priora capita Numerorum. Sed hic repigratus fuit ejus impetus, siquidem præcipitans senectus aurem ei vellebat, & de colligendis vasis velisque complicandis monebat. Videbat commentarios illos usque ad decimum octavum caput Numerorum pertextos (à Lege enim incepturus erat Editionem suorum laborum) jam in eam molem excrevisse ut reliqua paucorum annorum spatio pertexi posse, & ea quæ jam pertexta erant duobus crassis voluminibus in folio compingi posse desperaret. Videbat etiam haud facile repertum iri Bibliopolas qui suis sumptibus sumptuosum illud opus excudendum susciperent. Accedebat Calumnia & Invidia. Quia enim jam annos aliquot liberali Illustrissimorum Ordinum Generalium stipendio fructus erat, & pauca adhuc lucem aspexerant, licet nunquam otio indulgeret, & singulos libros confectos Illustrissimis Ordinibus offerret; criminabantur tamen multi & mussitabant eum ceu immunem fucum sedere ad publica pabula. Hinc factum est ut de alia ineunda via cogitaret. Et cum hic animi penderet, mentis istum tumultum consilia primariorum aliquot augusti istius Concilii virorum sequestrarunt. Aggressus itaque est ex magnis illis Annotationibus jam confectis & in reliquos Veteris Testamenti jam adfectis concinnare Commentarium breviorem, eumque ad loca difficiliora sine versione. Tentabat etiam seorsim edere versionem suam cum brevioribus ad difficiliora notis marginalibus, cujus specimen ad aliquot capita Geneseos mea manu descriptum ipsius nomine me olim exhibere memini viro inter Hollandos ministros primario. Sed tantum abest ut hunc laborem perficere potuerit ut in illo libros Samuelis ad umbilicum perducere non licuerit. Jam enim tantum primum Samuelis prætervectus erat, cum invida Parca manum injiceret. Hinc tibi damus tantum his nundinis Pentateuchum, sequentibus אי״ה submissuri Josuam, Judices, & primum Samuelis. Nobis quidem difficile non esset ex Manuscriptis & Commentariis adfectis & iis quæ jam prodierunt eundem laborem in reliquos libros continuare, sed tum quia magnas illas Annotationes speramus brevi edendas, tum quia talium conatuum in his locis nulla præter odium invidiamque sunt præmia, isto labore supersedebimus. Tu, Lector, si quid hinc commodi persentisces, gratias age Deo & Illustrissimis Ordinibus Generalibus, qui sperarunt hoc modo majori compendio, si forte benignius aliquod astrum affulgeret, translationem posse haberi puriorem. Et sane si novæ Anglicanæ versionis authores (quos viros omni laude majores fuisse arguit accurata illa & ad invidiam aliarum gentium elaborata versio) si illi, inquam, iis scriptis Drusii quæ tum exstabant & ad eos pervenerant multa ferunt accepta, quid iis laboribus beati Senis, qui prioribus posthumarunt, non debebunt illi qui aliquando, ubi hæc animorum vulnera coaluerint, (spero siquidem aliquando fore ut nimietatis senio relentescant lassescantque isti animorum motus) sacrum illud opus & hactenus non sine publica ignominia intermissum resument? Quam in proclivi erit, quæso te, post collatos Drusii Latinos, Marnixii & Helmichii Belgicos labores, viris judicio & linguarum Originalium cognitione præditis & in vernacula exercitatis, vulgatam corrigere. Dico *corrigere*, idque ex mente præceptoris, ad cujus palatum nunquam fuere totales istæ versionum vernacularum, etiam ubi quoad sensum ab Originali non exorbitant, refictiones. Ubi sensus bene expressus, nihil mutatum; ubi locus dubius & disputabilis, variisque Interpretum opinationibus involutus, nec ibi quippiam mutatum volebat, sed veterem lectionem relinqui, reliquas in margine poni suadebat; ubi vero manifesto ab Autographo discessum (incredibile autem quoties & quam crasse hoc in Prophetis & Poeticis factum) ibi tantum refingi urgebat; idque hoc consilio, ne nimia immutatione offenderentur Laici, Pastoribusque labor omnis ediscendis locis juxta vulgatam insumptus periret, majore relicto. Utinam vero hic πολυπράγμονες fuissent Ecclesiarum Ministri, utinam hic institissent, utinam eos hic labor delassasset! non ità sævitum fuisset ruendo in mutua vulnera, nec infandis ita laxata fuisset fibula; ad summam, non ea esset quæ hodie est Ecclesiæ facies,

Νῦν δ' ἑτέρως ἐβόλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες,

& hoc manebat Ecclesiam luxuriantem numero, mirabiliumque Dei oblitam:

Τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος, ἠδ' ἔτι δώσει.

nisi modum ponamus iis unde hæc fundi calamitas.

Sed quid ego hæc mecum nequicquam mente revolvo,

& non potius linquo ea quæ *Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*; Linquo itaque & confero me ad ea quæ valitura apud te scio Authori ad veniam, imo & ad gratiam. Cogita Authorem hæc scripsisse ægrum à corpore, cum continuis vigiliis corpus jam attritum fatisceret; cui accessit & vires addidit animi non levis ægritudo ex variis orta. Et ut ex magno acervo duo in sinum tuum evaporem; Videbat publico eoque pudendo schismate lacerari Ecclesiam; conscius sibi erat, conscii nos, conscii & ex Pastoribus Holland: utriusque partis non infimæ notæ, quid ipsi hic fuerit animi, & quam vel sanguine Ecclesiæ pacem redimere paratus fuerit, & tamen apud multos videbat se eo loco haberi ac si oleum infunderet in hunc ignem: quod ipsi non exiguum pariebat cordolium. Aliud erat, sed priori levius, & cujus ipsi per me, cum Oxonii studerem, indicium factum doleo, nempe nupera illa Inquisitorum Hisp. in ipsum ipsiusque libros Censura. Cum enim à controversiis semper abstinuisset, & de hostibus etiam bene mereri studuisset, vidit sibi hanc gratiam referri ut hæretici & damnati titulo insigniretur; vidit ex libris suis multos prohiberi: hoc ipsum parum cruciabat. Vidit quosdam permitti, sed purgatos ad illud sacrum præscriptum, in quo multa jubentur deleri adeo callide ut si tum denuo verba & sen-

ſententias connectas, videas dici contraria prioribus, & affingi authoribus ea quæ nunquam ſomniarunt: hæc etiam ægritudo coquebat, & verſabat ſub pectore fixa. Sed quo minus hæc & ipſius & aliorum doctorum in omni literarum genere eveniant ſcriptis, providebit cum Deo Alma Oxonienſis, & in ea Reverendiſſimus Vir Thomas Jameſius Doctor Theologiæ & Bibliothecæ Bodlæanæ Protobibliothecarius, providebit, inquam, laborioſo quidem ſed adverſarios jugulaturo ſtratagemate. Æger itaque fuit & à corpore & ab animo cum hæc ſcriberet, & tamen ſcripſit, hac ſpe ut, ubi priores Prophetas abſolviſſet, ea ſub incudem revocaret & ſerio recognoſceret, quod non licuiſſe ex ipſa lectione facile cognoſcet Lector qui in ſcriptis Druſianis non omnino hoſpes eſt. Valebit itaque hoc, ſi quicquam, ad veniam, ſicubi aliquid exſpectationi tuæ non reſpondeat. Diſſentit aliquando & in aliquibus à communi ſententia, ſed in rebus ad fundamentum fidei & ſalutis nihil pertinentibus. Quis hanc libertatem tollet aut adimet literatis? Et tamen ego in me recipio & ſpondeo nihil eſſe quod non tantum rationibus probabilibus ſed & authoritate noſtrorum Theologorum non infimi ſubſellii poſſit ſtatuminari.

In Junii & Tremellii verſione examinanda ſubinde liberior fuit. Putavit hoc ſibi liberum eſſe, quia hoc magnus ille Textualis Piſcator libere fecit, quia ipſis impune & liberum fuit ab aliis ſecedere, quia denique nullo decreto hoc prohibitum eſt hactenus. Hoc tamen te moneo, ne erres, ipſum uſum Editione una ex prioribus, ea nempe quæ edita eſt Londini anno M. D. octuageſimo quinto, ni fallor, unde quædam reprehendit quæ ab ipſo Clariſſ. Junio poſtea in ſuis recognitionibus mutata eſſe repperi. Putaret aliquis dolo malo hic egiſſe Druſium, ſed ego affirmare poſſum aliam Editionem nunquam ipſi fuiſſe tractatam. Ut ut ſit, non offenderis, Lector. Acerbitas abſuit, Fel abſuit. Si quid diſplicet, ſi ſe læſos alicubi putabunt aliqui, non eſt operæ ut ego aut iis ſupplicem, aut in lacrymas eundo pro eo culpam deprecer. Compendi faciam laborem illum, & introducam ipſum authorem te alloquentem ſupplicue iis verbis quibus ſua Præterita obſignavit, *Quod ſupereſt*, inquit, *ſcripſi hæc animo juvandi, non lædendi. Si læſi quempiam, jam nunc pœnitet. Si offendi pias aures, monitus libenter mutabo. Si erravi uſpiam, monſtretur mihi error, non ero pertinax. Denique provoco ad judicium Eccleſiæ Catholicæ, cui me meaque omnia ſubjicio, à cujus recto ſenſu diſſentire neque volo neque debeo. Sic mihi Deus faciat, ſic addat.* Quibus iſta non faciant ſatis, næ iſtis cornea fibra, & Chalybe durius quid circa pectus eſt, & viderint quomodo ſe componant ad excipiendam decretorii illius diei legem. Multa diverſis modis expreſſerat. Capita multa bis, ſed in eadem & continuata ſcheda, & quidem paululum immutato rei tractatæ ordine, poſuerat, judicio ſuo in recognitione vel editione, ut ſolebat, uſurus. Hic nos præſtitimus quod nobis ſimili caſu præſtari ex animo cuperemus. Ubi aſteriſcos videbis, cogitabis ibi aut mentem authoris ob inſignem ejus κακογραφίαν nos aſſequi non potuiſſe, aut ea tractata fuiſſe quæ aut paulo ante iiſdem verbis dicta fuerant forte immemori, aut quæ ſecum ſepulta & ſupparo ſacri ſilentii velata voluiſſe τὸν μακαρίτην nullo modo dubitamus.

Tractat noſter author Annot. ad Lev. 13. 49. de duplicatione literarum Ebraicarum. Iſtis ego non pigrabor aſcribere regulam Abenezræ quam ex ejus Commentario in Pſal. 45. nuper à me erutam tui judicii facio. Sic autem habet ad vocem יפיפית. *Sunt qui dicunt duplicatam eſſe vocem, ut* שחרחרת *Subnigra,* אדמדמת *Subrufa, &* סחרחר *Palpitat, ad imminutionem ſignificationis. Si ſic ſe res habet, quomodo hic quadrabit illud* יפיפית *in diminutivo? Reſponſio, Duplicatio* ע *&* ל*, media & tertia radicalis, eſt ad diminutionem, Verum τῶ* פ *&* ע*, id eſt, primæ & ſecundæ radicalis, eſt ad auxeſin. Docebit hoc vox* תשגשגי *Jeſ. 17. 11. quæ plus dicit quam* תשגי. Hactenus Rabbinus ille, quem σοφὸν cognominant. Sed ne ultra te detineam, Lector, gratus tibi ſit hic labor,

Ut eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet
Jam jam cadentis,

Sic hoc ſcriptum eſſe debet. Orandus eſt Deus ut Illuſt. Ord. Generalibus, ſine quorum auſpiciis nihil hic tentatum, ne titulus quidem ipſe conceptus eſt, animos addat, quo alacriter bona ſtudia fovere, boniſque ingeniis favere pergant. Vale.

Franekeræ Friſiorum, 5. Kal. Auguſti,
Anno ultimæ Dei patientiæ, 1617.

Sixtinus ab Amama

Ebraicarum literarum Profeſſ. publ.

J. DRUSII PRÆFATIO,

De libris V. T.

VEtus Teſtamentum continens libros 22, aut, ut alii, 24, partiuntur Ebræi Doctores in Legem, Prophetas, & Hagiographos, quos כתובים appellant, quia ſcripti per Spiritum S. In his ponunt Davidem & Danielem, magnos alioqui Prophetas. Partitionis hujus autor, ut ex hiſtoria Ebraica diſcimus, fuit Ezras cum ſociis, qui vocantur *viri Synagogæ magnæ.* Ab his & Canon. Fuerunt autem numero 120, & inter eos Daniel cum ſociis, Nehemias, Zorobabel, Mardochæus, & Joſua F. Joſedeci; quibus annumerant Prophetas poſteriores, Haggæum, Zachariam, & Malachiam: nam ſine his nihil auſi fuiſſent in re tanti momenti. Adhibe priorem Machabæorum, quos *Haſamonæos* nuncupant, cap. 4. com. 46. Siquidem Prophetæ Deum conſulebant, unde & illud conſequitur, Partitionem hanc eſſe à Spiritu Dei. Quocirca male faciunt, meo judicio, qui eam immutant. Ipſe Chriſtus approbare videtur cum ait, *Scriptum eſt in Lege, Prophetis & Pſalmis*, nomine *Pſalmorum* reliquos ejuſdem ordinis comprehendens. Legimus etiam, *Dixit David in Spiritu*, & alibi, *in Spiritu ſancto.* Quod non intelligunt qui neſciunt gradus eſſe in Prophetia. Primus eſt Prophetia proprie dicta; ſecundus eſt Spiritus ſanctus, de aliis alias. Ut David ſic etiam Daniel fuit in ſecundo gradu Prophetes, ac proinde ponitur in ordine tertio, qui eſt Hagiographorum. Nam Prophetæ proprie dicti ſunt in ordine ſecundo. Forſan ideo exempti fuerunt ex ordine Prophetarum, quia non obierunt munus Propheticum: nam David Rex fuit, & Daniel homo politicus. Sic dico, Fuerunt quidem Prophetæ, quia futura prædixerunt; ſed non munere aut miſſione functioneve: ut ſi quis hodie è numero Theologorum eximat eos qui profeſſione Theologi non ſunt. Vidit hoc è Scholaſticis Doctoribus qui ſcripſit Prophetam tripliciter conſiderari, ut videlicet ſit Propheta officio, miſſione, vel gratia: *Quamvis igitur*, inquit, *David & Daniel ſpiritu & gratia fuerunt Prophetæ, non tamen officio vel miſſione: ideo libri eorum inter Prophetales non computantur.* Cæterum diſcrimen quod inter Prophetiam & Spiritum S. indicat

R.D.

R. D. Præf. in lib. Psalmorum, cujus verba non pigrabor Latina facere, *Ajunt in Spiritu S. dictum esse librum Psalmorum: ideo posuerunt eum inter Hagiographos, & non inter Prophetas. Non enim dicta sunt verba ejus in prophetia, sed in Spiritu S. Nos autem declarabimus differentiam quæ inter Prophetiam & Spiritum S. Ea est, Quod Prophetia res sit quæ evenit homini qui est sapiens perfectus in moribus suis. Evenit ei prophetia in somnis: & quo tempore venit ei prophetia, abolentur vires ejus sensuales, & abducuntur ab omnibus viis seculi hujus, & videt in visione prophetica ac si vir aliquis loqueretur cum eo qui ei dicat sic & sic, aut videt similitudines in visione illa, aut non videt ullam similitudinem, sed audit vocem loquentis secum. Spiritus vero S. est quod videt homo integer, occupans se in verbis Dei, perfectus in omnibus sensibus suis, non aboletur unus ex eis, & loquitur id quod loquitur juxta morem hominum, nisi quod excitat eum Spiritus supremus, & apparere illi facit res: In lingua ejus verba sunt laudis & confessionis, quibus confitetur Deo suo laudans eum.* (*) *Etiam loquitur de futuris ope Divina per virtutem loquentis, & cunctis viribus eorum qui loquuntur, h. e. rationis participes sunt. Porro in hac virtute dictus est liber Hymnorum iste. Et quanquam vocentur Prophetæ qui dixerunt eos, (prout dicitur de Davide, qui vocatur* Vir Dei, *quod non dicitur nisi de Propheta: præterea legimus,* Idithun propheta, & Heman videns regis in verbis Dei: *item,* Filiis Asaph, & Heman, & Idithun, prophetis) *nihilominus prophetia eorum fuit eo modo quo diximus. Nam Prophetia dividitur in gradus, quorum hic illum excedit. Et licet Daniel viderit visiones in somnis, tamen cum expergisceretur non pervenit virtus ejus & scientia ejus ad illas visiones juxta virtutem Jesaiæ, Ezecielis & reliquorum Prophetarum. Ideo non est scriptus liber ejus in ordine Prophetarum; sed in ordine librorum qui vocantur Hagiographi, qui fuerunt scripti per Spiritum Sanctum.* Dixi Ebræos dividere V. Instrumentum in tres partes, videlicet in Legem, Prophetas, & Hagiographos. Contra eunt Theologi qui asserunt Judæos illud tribuere in partes quatuor, secundam, quæ & media, in duas subdividentes, quod etiam faciunt Typographi propter magnitudinem ejus partis. Nam in secunda parte ponunt Prophetas priores, & in tertia posteriores, & in quarta Hagiographos. Peccant igitur peccatum eorum qui subdivisionem ponunt utentes ea pro divisione. Nam Prophetæ subdividuntur in priores & posteriores: Posteriores rursum, in majores & minores. Majores tres sunt, minores duodecim; qui rursum dividuntur in priores & posteriores. Posteriores nunc voco, qui vixerunt post Babylonicam deportationem: Sunt autem Haggæus, Zacharias & Malachias. Hæc qui convellere aut infirmare volet debet ostendere ullum esse Judæum ἀξιόπιστον qui aliter sentiat. Nam argumentum quod à Typographis petitur non tanti est momenti aut ponderis ut ei soli debeamus aut possimus inniti.

Omnes libros canonicos non esse propheticos liquet ex eo, quia libri Hagiographi sunt canonici, non tamen prophetici, accipiendo nomen *propheta* in eo sensu quo accipitur in partitione Veteris Pacti, ubi ordo Prophetarum alius est ab ordine Hagiographorum. Aliquo tamen sensu verum esse potest *Omnes libri canonici sunt prophetici.* Ut hoc intelligas, sciendum *Propheticum* librum dici qui scriptus est à Propheta. Cum autem duo sunt genera Prophetarum, *liber Propheticus* dupliciter accipi potest; Uno modo ut significet eum qui scriptus à Propheta proprie dicto, qui Propheta est in gradu primo; Alio modo ut etiam comprehendat gradum secundum, in quo David, Job, Daniel, Salomo rex, &c. nam tales etiam Prophetæ vocantur, & sunt revera. Ex dictis patet syllogismum illum qui vulgo producitur contra priorem Machabæorum quatuor terminos habere,

Omnes libri canonici sunt prophetici,
Hic liber non est propheticus,
Ergo nec etiam canonicus.

Nam ut major vera sit, debet ibi nomen *Propheta* late sumi, ut etiam Hagiographos comprehendat; ut cum legimus, *Habent Mosen & Prophetas.* Minorem autem probant ex 1 Mach. 4. 46. *Non erat propheta in Israel.* Ubi nomen *propheta* anguste sumitur; ut cum legimus *ultimum Prophetarum fuisse Malachiam*, in quo clausa fuit Prophetia proprie dicta. Vidit hoc obscure & quasi per transennam Hugo de S. Victore, quem laudat Matthias Doring in Replica contra Paulum Burgensem Episcopum, ita scribens, *Propheticus liber secundum Hugonem de S. Victore dupliciter dicitur, vel quod scriptus stilo prophetico, scilicet de futuris vel naturaliter ignotis, vel quod scriptus à Propheta. In prima acceptione David & Daniel & Job libri prophetici dici possunt.* Clarius hoc diceretur, vel quod scriptus à Propheta proprie dicto in angusta significatione, vel quod scriptus à Propheta qui Propheta est in lata significatione: quo sensu & Hagiographi Prophetæ fuerunt. Hoc qui dicit verum dicit: & tamen sunt qui falsum præferunt vero, pluris facientis mendacium quam ipsam Veritatem, h. e. Christum, qui dixit, *Ego sum via, vita & veritas.* Talia sunt tempora. Meliora optare possumus, sperare vix debemus.

Qui scripserunt ante aliquot annos De principiis Christianorum dogmatum inter alia recensuerunt & illud, *Omnes libri apocryphi scripti sunt originaliter Græce.* Quod aperte falsum esse docet Præfatio in Ecclesiasticum, quam nepos composuit, qui librum avi ex Ebræo Græcum fecit. Lege, si placet, & deprehendes me nihil præter verum dicere. Scriptus enim fuit liber ille ab avo originaliter Ebraice, nec propterea canonicus est, licet canonici omnes V. T. scripti sint originaliter Ebraice. His addi posset primus Machabæorum, quem Hieronymus se Ebraicum vidisse testatur. Ego suspicor eum esse qui in historia illius gentis vocatur *liber Hasamonæorum:* siquidem quos Christiani *Machabæos* appellant, eos Ebræi vocant *Hasamonæos*, à Matthathia Sacerdote, cui cognomen erat *Hasamonæus*; unde filii ejus omnes dicti sunt *Hasamonæi*. Quippe *Machabæus* cognomentum erat solius Judæ 1 Mach. 2. 4. Singuli enim filii Matthathiæ sua cognomina habebant, & Judas peculiariter *Machabæus* vocabatur: Quo cognomine Christiani usi vel potius abusi sunt (nam Ebræorum nemo, si Josephum excipias, unquam ita locutus fuit, quod sciam) ad significandum omnes posteros Matthathiæ, etiam eos qui tempore illo dura passi sunt à Gentibus, in queis Hannæ filii septem, de quibus Josephus librum composuit, quem ideo Μακκαβαϊκὸν inscripsit. Josephus dico, qui Judæus fuit ex Judæis, unde discimus appellationem illam perantiquam esse, cujus occasionem dedit, ut suspicor, celebritas viri. Sic à Juda uno filiorum Israel posterior ætas omnes Israelitas Judæos appellavit. Quod notius est, quam ut probari debeat. Nam oleum & operam perdit, qui hoc facit. Nemo sanus lucernam accendit in meridie.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino,

D. JOHANNI WHITGIFTO,

Archiepiſcopo Cantuarienſi, & totius Angliæ Primati ac Metropolitano.

EX quo primum in tuam domum veni, Reverendiſſime Pater, nihil habui prius quam ut aliquo munere literario animum erga te meum oſtenderem. Multa obſtiterunt quo minus id ſtatim præſtare potuerim. Imprimis curæ domeſticæ, quæ me hoc illuc varie diſtrahunt. Sed & bellum funeſtum patriæ meæ, ut bona & prædia omnia, ita mihi ademit omnem ſcribendi alacritatem. Acceſſit ad hæc mala peregrinatio, quæ animum meum à libris ſic abalienavit ut vix cum iis in gratiam redire potuerim. Factum igitur eſt à me ſerius quam putaram ut hoc munus ad te veniret: munus, ſi à dignitate tua ſpectetur, perexiguum; ſi ab animo meo, magnum. Commentarius eſt in librum Ruth; Quem de multis aliis libris Veteris Inſtrumenti, in queis ſimiliter commentati ſumus, ideo potiſſimum delegimus quod à pauciſſimis in eo explicando deſudatum ſit: Præterea propoſitum mihi nunc fuit duntaxat ſpecimen & quaſi imaginem exhibere operis univerſi quod majores vigilias poſtulat: In quo cum aliquouſque progreſſa ſit induſtria noſtra, haud difficulter illud ad finem perducemus, ſi noſtris laboribus & Divina benignitas & tua benevolentia, quaſi propitium numen, adfuerint. Sic enim fiet ne qua prorſus in difficultate, ne quo in ſcopulo unquam hæreamus. Ac de Divina quidem benignitate, quæ honeſtis conatibus non favere non poteſt, optime ſperamus: De tua vero benevolentia dubitare nos non patitur anteactæ vitæ tuæ ratio; quam ſic inſtituiſti, ut omnia te literarum & honeſtarum artium cauſa velle haud obſcure ſignificaveris. Cujus rei teſtes ſunt & erunt in ſempiternum noſtræ Muſæ tam benigne tam humaniter à te exceptæ; quæ hoc nomine immortales tibi gratias agunt, quin plurimum ſibi gaudent, plurimum gratulantur te patrono; quo auſpice nihil eſt quod non ſperent ſe poſſe efficere: Et efficient profecto non vulgaria, ſi modo otium ipſis reſtituatur, quod vel hominum improbitas, vel, ut alio culpa derivetur, fatalis bellorum calamitas eripuit: quod ut fiat, imis à Deo precibus oramus. A te vero petimus, Præſul ampliſſime, ut in hac egregia ac nunquam ſatis laudata erga literas voluntate perſeverans munus noſtrum hilari, quemadmodum ſperamus, fronte recipias; neve illud æſtimes aut ab ipſa re, aut à viribus meis, ſed potius ab animo devotiſſimo Amplitudini tuæ; Cui nos noſtraque omnia dicamus, conſecramus.

Lambethi, anno poſt natum Chriſtum. 1584.

AD LECTOREM.*

SAtis conſtat, ad rerum cognitionem neceſſariam eſſe cognitionem verborum. Neque obſcurum, imo vero ipſe Uſus optimus magiſter, nos quotidie docet, fruſtra quæri de ſenſu alicujus loci niſi prius conveniat de veritate interpretationis. In quo demonſtrando ſi longiore oratione utar, videbor fortaſſe quibuſdam in re minime dubia laborare. Tantum dicam, qui contra ſentiunt, ignorare eos quibus in linguis Divina myſteria nobis tradita ſint. Quod ſi, uti eſt, magnam partem Ebraice primum ea prodita fateantur, hoc quoque concedant neceſſe eſt, ei qui in iis myſteriis cum fructu verſari velit totam ejus linguæ vim ac naturam tenendam eſſe. Cujus ignoratione cum peccari ſæpenumero, multaque in occulto latere viderem, mihi Sacras literas enarrare cupienti viſum eſt in Ebræorum potiſſimum dictione operam ſedulam ponere. Itaque phraſes & locutiones quas ei genti peculiaris eſſe ſcirem cum cura explicui. Antiquam ſcripturam, quod ea neglectim vulgo habeatur, diligenter ubique inculcavi. De varia interpretatione, quæ mihi vera videretur aut certe veræ proxima, quantum in me fuit, indicavi. In hiſtoria vero rebuſque Ebræorum, quæ vix extremis digitis alii attingunt, tam multus fui ut verear ne ſint qui me in hoc genere nimium fuiſſe dicant. Quod reliquum eſt, cum editio Complutenſis inter omnes Græcas quæ exſtant longe optima cenſeatur, tamen, collatione facta, comperi Germanicum exemplar, quo domi utor, ad veritatem Ebraicam interdum propius accedere. Hæc quoque & alia in illam editionem cum fide notavi. Quæ ſi probas, Lector, & ſi ex laboribus meis fructum aliquem percipis, ora Deum ut mihi ſimilia in omnes V. Inſtrumenti libros meditanti Spiritus ſui gratia benignus adſit, ad eamque rem otium & valetudinem largiatur. Vale.

AD NOBILISS. AMPLISSIMOSQUE ORDINUM FRISIÆ DELEGATOS &c.

FActum eſt à me prope dixerim neceſſario, VIRI AMPLISS. ut cum edendus eſſet hic commentarius eum veſtræ tutelæ commendarem. Atque in hanc neceſſitatem me partim pollicitatio mea, partim propenſio erga literas earumque ſtudioſos veſtra deduxit. Diu eſt ex quo me quibuſdam veſtrum hujuſmodi quid pollicitum eſſe memini. Itaque ſi nunc aliter facerem, nec promiſſa præſtarem, graviſſime peccare mihi viderer, & peccarem certe. Quid enim turpius quam promittere quæ præſtare aut nolis propter ignaviam, aut non poſſis propter imperitiam? Erat quidem ſtatutum cum animo ac deliberatum majus quiddam vobis offerre, nec deerat etiam facultas; nam majora in meo literario cenſu viderunt apud me amici; ſed duo obſtiterunt: Primum anguſtia rei familiaris, quæ ab iis, qui mihi qua publice qua privatim nihil non debebant, tractata adeo injurioſe inciviliterque fuit, ut poſt amiſſum patrimonium, quo me per ſeptennium aut eo plus in publico munere apud * magna ex parte ſuſtentaveram, uxorem & liberos, nedum amanuenſem, qui male ſcripta mea meliore manu deſcriberet, alere nullo modo potuerim: Deinde typographia, qua utor, ut videtis, ſatis quidem eleganti; ſed in qua typi Ebraici, qui mihi ad graviora opera edenda neceſſarii ſunt, deſiderantur. Quocirca diu animi dubius fui, jamne promiſſi me liberarem, an

an tempus illud exspectarem, quo & res meæ paulo expeditiores, & typographus esset cui mea committere commodius possem. Hac ancipiti cura dum vexarer, ac in utramque partem ita multa succurrerent ut difficilis admodum deliberatio esset, vicit ad extremum ea sententia quæ ut quod in manibus habebam, qualecunque tandem illud esset, vobis potius quam aliis inscriberem suadebat. At eam rem adductus sum eo libentius, quod videam vos ita erga literas affectos esse ut à vestra humanitate æqua omnia sperare nobis liceat. Quid? Erexisse scholam publicam hoc tempore, invitare eo Frisicam juventutem omni genere liberalitatis, exiguumne illud est? Hoc certe affirmare non verear, maximo beneficio vestro nonnullos id esse consecutos, ut domi in patria invenerint quæ peregre invenire non potuerunt. Itaque paucorum mensium spatio plus in literis profecerunt quam sperare etiam ab optimis ingeniis liceat. Tantum potest Amplissimorum virorum favor, ut etiam quæ in medio sunt summis æquentur. Nec vero minimum illud est, imo maximum, benignitatis vestræ argumentum, cogitare vos etiam de exterorum inopia in studiis sublevanda. Est hoc Frisium: Est hoc Reipub. vestræ proprium. Hinc doctorum hominum tanta in his locis copia. Frisiamque multis alioqui ornatam dotibus, hac præcipue alias omnes Belgii provincias antecedere quis non agnoscit? Hic pietas, hic ardens benemerendi de religione studium viget, à Deo ut hoc vobis concessum esse privilegio videatur. Sed quid ago? Non hujus est neque loci neque temporis laudes Reip. vestræ decantare. Forsan erit, erit forsan cum hoc opportunius à me fiet. Interim hoc exiguum munusculum, observantiæ meæ erga vos qualecunque testimonium, certe animi non prorsus ingrati signum, sereno ac hilari vultu accipere ne dedignemini. Deus Opt. Max. vosque & Remp. vestram ita conservet itaque fortunet ut sub patrocinio vestro literæ Divinæ parem cum aliis splendorem, quemadmodum spero, brevi recipiant.

AD LECTOREM.

EN tibi, Lector, quod jamdiu promisi: notas dico ad historiam Sacram Estheræ: quas cum pararem emittere, judicavi operæ pretium me facturum si adjungerem interpretationem S. Pagnini, quæ inter omnes Latinas una maxime doctis probatur. Ejus editiones aliquot cum cura ipse contuli. Variantem lectionem ad finem adjeci, appellatis etiam nominibus editionum, ne levis apud te fides mea esset. Porro in margine notavi ex libris meis à me editis loca omnia quibus lucem facio huic historiæ. Denique ad finem adjeci etiam quæ Apocrypha in hunc librum vulgo audiunt, & scholia ad singulos versus.

LECTORI SALUTEM.

ANnus est & quod excurrit, Candide Lector, ex quo prodiit Cl. Viri D. Johannis Drusii *Coheleth*. Nunc tibi ejusdem *Jobum* damus, utrumque eodem ab authore modo conscriptum & concinnatum. Utrobique enim primus ejus labor fuit in adornanda nobis nova ac pura ex ipsis fontibus versione, alter vero in apponendis succinctis in declarationem textus notis sive scholiis. In quo scribendi genere quid potuerit author, quibusque donis undique instructus fuerit, nolo hic pluribus ire probatum, cum ipsa scripta, quæ magno numero multis retro ab hinc annis emissa sunt in lucem, abunde satis id demonstrent. Non opus est verbis ubi rerum adsunt testimonia. Faceret quidem hoc non parum ad commendationem præsentis operis. Ut enim patrum virtus filiis gratiam & amorem apud alios conciliat, sic ingeniorum fœtus ab authorum suorum donis summopere commendantur, & emptoribus lectoribusque suis eo solent esse gratiores magisque accepti quo illi doctrinæ probitatisque encomia fuere illustriores. Verum enimvero cum illud hisce præconiis ad conciliandos sibi emptores non egeat, quibus abunde per se instructum animos eorum allicere potest, isti negotio supersedebo. Vetus nec minus verum proverbium est, *Vino vendibili suspensa hedera nihil opus. Invendibili merci oportet ultro emptorem adducere*, inquit Plautus in Pœnulo: atque tunc juxta illud Horatii,

Largius æquo
Laudat venales qui vult extrudere merces.

Proba merx facile & per se emptorem reperit. Quare omisso eo, pauca quædam de hoc tantum opere in medium proferam. Et quidem stylum Jobi quantum attinet, ille arduus admodum, atque ob abruptam sermonis brevitatem pluribus Labyrinthis impeditus & quasi inextricabilis est, de quo sic Hieronymus in Præfat. super Jobum, *Obliquus apud Hebræos totus liber fertur & lubricus, &, quod Græci Rhetores vocant, ἐσχηματισμένος, dum qui aliud loquitur aliud agit; ut si velis anguillam vel murænulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis; cujus doctrina an aliquid profecerim nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari nisi quod ante intellexeram.* Quæ cum ita sint, non immerito tanti viri judicium, quod omni exceptione est majus, lectoribus calcar addet, ut ambabus (quod ajunt) manibus hæc scholia una cum versione planissima, ubi difficultates ferme omnes perspicue succincteque explicantur, amplectantur. Argumentum vero quod pertractandum in se Jobus suscepit tam illustre ac præclarum est ut homine pio dignius nihil, nihil præstantius, possit inveniri. Agit enim de fidelium in cruce rebusque adversis patientia; Cujus occasione sæpe altissime disserit de Dei providentia, sapientia, bonitate, potentia, justitia & misericordia, atque ita per consequens de firmissima piorum fiducia quam collocare in illum solum debent, committendo & submittendo se plene planeque sanctissimæ ipsius voluntati. Adeo ut nescias plusne emolumenti fructusque hinc Theologus an vero Philosophus sit percepturus. Sane *in hoc libro* (ut H. Bullingerus, in Expositione quæ de S. Scripturæ libris eorumque præstantia ac dignitate Bibliis Tigurinis præfixa est, ait) *plus sinceræ Philosophiæ traditur quam in omnibus libris omnium Philosophorum; Quorum nulli de hoc negotio quicquam puri tradiderunt: Epicurei autem à cruce vocant ad delicias: Peripatetici inter summa mala morbos, egestatem & ignominiam numerant: Stoici quidam periculis circumventos vel præcipitio sibi vel laqueo aut sica violentaque morte consulere, ac se malis subducere suadent: Alii vero aliis stultiora docent.* Porro quod Notas & Versionem attinet, de hac quidem nihil aliud dicam quam quod Hieronymus de sua loco supra dicto, *Quapropter*, inquit, *audiant canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea quæ in illa aut obscura sunt aut omissa, aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent.* Cujus rei cum alibi tum in his ipsis Scholiis aliquoties non obscure meminit. De notis vero hoc assevero, quod si quem tenet desiderium & voluptas diversa interpretamenta uno in loco contuitu uno conspicere, hic luculenter habiturus sit quo animum suum oblectare plurimum possit. Videbit enim hic Hebræos, Græcos & Latinos interpretes nunc pulchre ad unum collimantes scopum, nunc vero mira va-

varietate in diversa abeuntes & toto (quod ajunt) cœlo aberrantes & inter se distantes, Inter quos quidem cum recentes tum antiquos primum locum assignavit Hieronymo sive Vulgato interpreti, cujus versionem plenis verbis sæpe descripsit; Subjunxit qui putantur LXX interpretes, item Aquilam, Symmachum, & Theodotionem; Denique ultimo loco paraphrasten Chaldæum Josephum Cæcum posuit: Quorum posteriores purissime in Latinam linguam convertit, omnes vero Scholiis perspicuis breviter correxit atque illustravit. Ut nihil dicam de illis Notis quas propriæ versioni stabiliendæ explicandæque subnectit, quæ ut aliis illis longe sunt fertiliores, ita homini Philologo non poterunt non esse gratissimæ & utilissimæ. Quod superest, quoniam labi humanum est, & in humanis nihil omnibus numeris perfectum absolutumque reperiri potest, rogatum te velim ut errores tum graviores, quos in revisione annotatos partim præfationi partim ipsi operi subjunximus, tum leviores, quos cujusque industriæ committendos omisimus ultro, non gravate emendes & restituas. Vale Franekeræ Frisiorum 10. Cal. Quint. Anno Christi 1636.

Bernhardus Fullenius Junior Hebr. L. Professor.

In Majore Hebræorum Chronologia cap. 15. legitur,

לעת זקנת שלמה סמוך למיתתו שרתה עליו רוח הקודש ואמר שלמה ספרים הללו משלי
שיר השירים קוהלת.

Quod ex interpretatione Genebrardi Latine sic sonat,

Sub senium Salomon prope mortem Spiritum S. habuit inhabitantem, & dictavit libros istos, Proverbia, Canticum Canticorum, & Ecclesiasten.

Candido Lectori S. P. D.

EN tibi, Candide Lector, alium Cl. Viri Johannis Drusii fœtum posthumum, Versionem Ecclesiastæ novam, & breves in eandem Annotationes. Si putes hunc nimis gracilem, quasi justi voluminis mensuram implere nequeat, brevi illud, volente Deo, compensabit longe floridior alter, dilucidus in perplexum illud Jobi scriptum, quo non agnoscit Scriptura difficilius, Commentarius. Nulla hic conquerendi ansa tibi relicta. Est aliud quod te pejus habebit. Cum per aliquot annos hæ in Coheleth Annotationes & alia Drusii scripta sint suppressa, quiritabis non immerito de jactura illius temporis quo hujus senis utilissimis laboribus caruere non sine magno eorum desiderio viri literati. Hic paria tecum, C. L. facio, &, si quis alius, gravissime doleo, tum ob commune illud damnum, tum maxime quod hujus viri scriptis non gavisi fuerint illi, quorum usibus ea potissimum erant destinata. Illos intelligo qui ad conficiendam nobis novam Bibliorum ex ipsis Criginalibus in linguam Belgicam Versionem ab Ecclesiis Belgicis fuere designati, ita ut hoc respectu non modo oleum sed & opera (ut proverbio dici solet) hic fere periisse simul videantur. Nam, ut paulo longius digrediar, cum ad concinnandam novam Belgicam Versionem diversis temporibus diversi ab Illustr. Ordin. Generalibus essent adsciti, & negotium hoc cum ob exortas in Ecclesiis Belgicis dissensiones tum ob quorundam interpretum obitum parum feliciter procederet, Illust. Ord. Generales, ne laudabile hoc opus plane intermitteretur, D. Drusium, quem antea quoque inter Interpretes adsciverant, sub annuo 400 florenorum stipendio ad Commentationum sacrarum continuationem invitant, ita tamen ut non nisi ad difficiliora V. Testamenti loca, collatis & examinatis aliarum linguarum versionibus, Notas conscriberet. Obtinent quoque per literas ab Ampliss. Frisiæ Ordinum Deputatis, quo plenis, quod ajunt, velis pergere possit, nullis eum alienis curis ab hoc opere avocantibus, ut ab omnibus Academiæ oneribus eximeretur. Drusius, ut exspectationi de se satisfaceret, impiger & indefessus ad extremum usque vitæ halitum in hoc studio & stadio decurrit. Testes locupletes sunt scripta ipsius partim ab ipso, & post obitum ejus à D. Amama p. m. edita, partim adhuc (si Deus clementer annuat) edenda: in quibus non modo quod impositum illi erat abunde præstitit, sed & hanc ultro & de industria subiit molestiam, ut de novo puram ex ipsis fontibus Versionem & magnas in eandem Annotationes concinnaret. Igitur illi sumptus liberaliter impendendo, hic labores alacriter conferendo, utrique hoc strenue promovere satagebant, ut, si quod benignius aliquando astrum de cœlo affulgeret, felicius & facilius Belgis suis per alios ex his prius confectis nova Bibliorum Versio adornaretur. Sed eventu sic satis infelici, ita ut, quemadmodum modo retuli, illi oleum, hic vero operam fere perdiderit, & neuter finem quem sibi proponebat plene fuerit assecutus. Quippe adspirante Divino Numine res eo nunc deducta est, ut non modo viri idonei & in linguis Orientalibus versatissimi ad concinnandam novam è fontibus Versionem sint deputati, sed (pro quo post Deum tum Illustriss. Ord. Generalibus tum his nostris Interpretibus immortales nos Belgæ debemus gratias) hi suum ferme pensum absolverint, cum necdum ea scripta omnia quæ in eorum commodum & subsidium erant ante elaborata lucem aspexerint. Restat enim, ut alia tanquam minoris momenti scripta silentio præteream, uberior ejus in Jobum Commentarius; Cujus scripti genus quale sit lubet hic adscribere Hieronymi verbis: Sic ergo ille in Præf. super eundem, *Obliquus etiam apud Hebræos totus liber fertur & lubricus, &, quod Græci Rhetores vocant, ἐσχηματισμένος, dum qui aliud loquitur aliud agit; ut si velis anguillam vel murænulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis, cujus doctrina an aliquid profecerim nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari nisi quod ante intellexeram.* Hactenus ille. Ego, L. C. hoc certo affirmare audeo, si nostri hi Interpretes supradicto Drusii, qui primas quoque inter nostri seculi Doctores Hebræos tenebat, Commentario fuissent instructi, illos gratiam longe ab Hieronymo aliam præceptori suo relaturos, utpote cujus beneficio periculosissima loca placide sine discrimine fuissent prætervecti. Verum quidem est, quod manuscripta ejus ab ipsis haberi potuerint, imo ea, ni fallor, habuerint: sed ea, credo, propter insignem eorum κακογραφίαν, quam vel exercitatus in iis non nisi divinando assequitur, ipsis infrugifera exstitisse, aut certe laborem ipsorum plus auxisse quam minuisse. Verum hæc prolixius quam statueram, dum me dolor in transversum abripit, prosecutus sum. Nunc paucis accipe quid in causa exstitisse existimem quod hoc & alia Drusii scripta serius prodeant in lucem. Omissis aliis, potissimam moræ causam hanc affero. Cum tot & tanta Drusius scripta post se reliquerit, ut non incommode illud Theognidis illis aptari queat, *οὐ μία ναῦς ἄγει, non una vehit navis*, fieri non potuisse judico ut uno prælo citius evulgarentur. Quod si duo præla eis imprimendis instructa fuissent, jamdiu ante absolvi ea potuissent. Nunc autem, cum vix inveniantur typothetæ qui scripturam authoris lectione assequi possint, cum etiam solus noster Typographus egregie

in

in ea legenda sit versatus, factum est ut nullus alius ad hæc typis mandanda præter ipsum sit conductus. Quod autem à morte Cl. Viri D. Amamæ p. m. nihil hactenus sit editum, accidit, quod una cum Professione non redierit ad me D. Drusi libraria supellex, sicut tota illa D. Amamæ obvenerat. Illam hæredes continuo repetunt. Ego vix unum atque alterum non dico manuscriptum, sed authorem Hebræum, quem me alibi non ità facile comparaturum sciebam, precario ab iis obtinebam. Postquam vero Nobiliss. & Ampliss. hujus Provinciæ Deputati ex solita in Academiam suam liberalitate, procurantibus id Ampliss. DD. Curatoribus, ære suo ab hæredibus totam eam redêmerunt, & in bibliothecam suam non ità pridem intulerunt, animadverti plurima eorum desiderari quorum in Catalogo operum Drusii mentio fit. Ab illo tempore, quoniam verebar ne scripta hæc nobis perirent, cœpi studiosius in illa inquirere. Ita cognovi, has in Coheleth Annotationes Typographum nostrum inter abjectas suas chartas de improviso invenisse; Commentarium in Jobum magno Ultrajecti in auctione Joh. Jansonium redemisse; Magnas denique in libros Mosis Annotationes penes dictum Jansonium requiescere. Quare, cum me suspicio teneat plura fortè deesse, omnes & singulos hic oro & obsecro ut quocunque jure aliquid ex scriptis D. Drusii possideant, illud Academiæ nostræ in usum publicum restitutum eant. Hoc qui fecerit, nobis non modo quam quod gratissimum est faciet, sed nos ad parem gratitudinem simul obligabit, cum illa typis exarata emittentur. Vale.

Franekeræ Frisiorum 6. Id. Febr. Anno Christi 1635.

Bern. Fullenius Junior
Hebr. L. Professor publ.

AMPLISS. DOCTISS. PRUDENTISS. ET SPECTATISS. DOMINO

D. MATTHIÆ OVERBEQUIO,

Pacem & gratiam à Domino nostro Jesu Christo, &c.

QUærenti mihi eruditum & gravem aliquem virum cui has parentis mei b. m. lucubrationes, quarum pars magna nunc demum lucem aspicit, inscriberem, tu, Amplissime Domine, inter paucissimos hujus ævi Musagetas princeps occurristi. Quis enim adeo hospes in his locis est cui non notus OVERBEQUIUS? Tu ille es qui non cœco quodam impetu viros doctos amas foveſque, sed eos in omni literaturæ, qua sacræ, qua exoticæ, parte fecisti progressus ut de ingeniis accurate possis judicare. Philosophiæ præceptis institutisque abundas, & cum his ipsis studiis SS. Literarum assiduam & attentam lectionem conjungis. Præclara ingenia tua liberalitate fovisti, erexisti, & jam inter clientes tuos numeras qui Philosophiam & Theologiam publice docent. Adhæc etiamnum tuo ære, rarissimo exemplo, bona ingenia non uno loco foves & sustentas. Inde mihi fiducia hoc patris mei scriptum tuæ Amplitudini non fore ingratum. Atque hæc mei voti summa est, ut serena & erugata fronte illud accipias, &, si patrocinio tuo dignum censebis, adversus omnes qui barbarici sacramentum dixere defenses. Vale, Vir Amplissime: Deus O. M. faxit ut quam diutissime supersis, 21 Febr. 1627.

Nomine filii

JOH. DRUSII.

SIXTINUS AMAMA

Lectori Salutem.

DAmus tibi, Lector, Lectiones seu Commentarios Cl. Drusii in δωδεκαπροφήτων, i. Prophetas minores 12. Ex illis 8. ante complures annos editi & distracti. Qui nunc demum lucem vident, sunt Michas, Haggæus, Zacharias, Malachias; Sed duo postremi sine conjectaneis ad Græcam Editionem: ea enim inter τοῦ μακαρίτου MSS. non reperimus. Fragmenta Veterum Interpretum Græcorum quæ in prima Editione comparent hic omisimus, quia ea ad universum V. T. ante annos 5. peculiari volumine exhibuimus. Illud etiam scire te volo, Lectiones quas nunc evulgamus in 4 istos Prophetas ante complures annos ab authore fuisse habitas & conscriptas. Unde videbis in istis nonnullas sententias & expositiones à quibus ipse postea diversus abiit, nobis non libuit quippiam immutare. Quod si ipsi authori licuisset hæc vel ad prælum recognoscere, nonnulla limatiora prodiissent. Vale, Lector, & ubi otium erit lege hanc Epistolam quam sequentibus pagellis implendis adjecimus.

Digitized by Google

Eruditissimo Viro,

D. MARINO MARSENNO,

Ordinis Minimorum Francisci à Paula,

Theologo, temporalem & æternam felicitatem precatur

SIXT. AMAMA.

IN prolixum istum Commentarium tuum, eruditissime Marsenne, quo octo prioribus *Geneseos* capitibus facem allucere voluisti, sero admodum incidi. Et certe absque Reverendo & Clarissimo Theologo D. Andrea Riveto fuisset, etiamnum nomen tuum juxta cum ignarissimis ignorassem. Ex quo enim decumani isti bellorum fluctus Germaniam cœperunt pulsare, rarissime in hoc Belgii angulo Nundinarum Francofurtensium Catalogos vidimus. Is quem modo nominabam Theologus ante sesqui-annum, cum Leida Hagam iturus eum forte itineris nancisceret comitem, primus ejus rei mihi fecit indicium, & pro eximia sua humanitate & propenso erga me animo exemplar communicavit. In eo dum evolvo indicem, & adeo loca super quibus disputationis serram inter nos reciprocamus, video te ex professo in meam *Censuram*, qua Vulgatam Pentateuchi versionem ante aliquot annos iveram examinatum, stilum tuum distrinxisse. Video te præstantissimorum Heroum non solum Euangelicorum sed & Pontificiorum tergis petulanter inequitare, in quosvis, ad quorum eruditionem tu necdum assurrexisti, prælicenter arietare, quasi tu solus saperes, & præter te omnes ceu leves umbræ, volitarent. Qui ocimum olim serebant, felicius id ad interjecta convitia nasci nescio qua superstitione autumabant: Sic tu quicquid adversus Euangelicos asseris, asperis dicteriis rigas. Quæso te, mi Marsenne, estne ea via ad reducendos errantes compendiaria? An eam cum errantibus agendi viam nobis prævivere & præscripsere Apostoli? Estne hoc suæ professionis esse memorem? Seculo jampridem repudium misisti. Ordine *Minimorum* tuum nomen inseris. In Præloquio *omnium te hominum minimum* appellas. Protestaris, *te verbum nullum dicturum quod non faciat ad nominis Divini gloriam*. Quid est ridere Deum & homines, si hoc non est? Ut enim nihil jam dicam de Philosophis & Mathematicis celeberrimis, quos ceu obscuros aliquot tenebriones depretias, ne à defunctis quidem maledicum dentem abstinens, quis excuset te cum in Theologos, S. literarum interpretes & linguæ Ebrææ peritos incurris? Quod enim ad tuam Theologiam attinet & Sacri contextus interpretationem, quæso te, quam didicisti Theologiam præter illam rancidam, spinosam, barbaram & litigiosam Scholasticam? quæ non tam Sacris literis quam Aristoteli, Lombardo, Thomæ, &c. superstructa est. Quomodo S. paginam interpretaris? Ausim in quodvis pignus vocare, multos vestrarum partium Theologos istam interpretandi rationem quodlibeticam detestari. Non secus enim illam interpretaris ac si *πανσπερμία* quædam Anaxagoræ esset; adeo transversum te abripit pestilens ille allegorizandi pruritus, insuper habitis gravissimis admonitionibus Riberæ, Senensis, Serarii & aliorum, quas propediem tibi ob oculos ponam. Dum ergo Theologos & Pontificios & Euangelicos censoria virga notas, extra territorium tuum jus dicis. Quis vero ferat te Mercero, Drusio, Schindlero aliisque, qui in Ebraicis literis principatum tenent, Ebraismi ignorantiam objectare? Quis non paulo etiam inter vestros cordatior te sine populi suffragio Præturam gerere pronunciabit? Te, inquam, qui ipsius grammaticæ & Conjugationum Ebraicarum ignorantiam prodis. Et ne putes me hic ad exemplum tuum paratragœdiare, quæso te, in qua Grammatica didicisti τὸ יחל in Præterito Hiphil formare הוחיל cum Tzeri in fine? Quo Lexico, quo Scripturæ loco evinces יחל habere *incipiendi* significationem? Sed ad rem. Cum adeo indigne magnos illos viros quorum ὑπερφερέστατος fama omnem jam invidiam supergressa est, tractes, minus admirari potui me hominem certe inglorium & indoctum adeo contemptim à te haberi. Vocas me *jejunum nimisque juvenem Vulgatæ versionis censorem, pecus Arcadicum, qui Dictionarium non legerim, unius noctis fungum*. Impingis mihi non semel, ubi rem ipsam dico, & obsignatis tabulis ago *mendacium*. Quoties nomen meum usurpas, inuris fronti meæ elogium *Hæretici*, aliquando & *blasphemi, impii*, &c. Aspergis subinde alia maledicentiæ excrementa, quæ nunc non libet ruspando ventilari. Quorsum hæc ergo? inquies. Hoc volui te scire, diu mihi animum διάνδιχα μερμηρίξαι, utrum operæ pretium esset tecum conserere manus, tecum, inquam, cum quo videbam me in isthac maledicentiæ palæstra non posse facere paria. Tandem vero istas cogitationes præpotuisse quæ tibi ut responderem suadebant, illudque superiori æstate à me præstitum. Apologiæ autem meæ evulgationem primum distulit exspectatio Commentarii tui in reliqua Geneseos capita: sic enim sperabam fore ut omnes meas ad Genesin Censuras adversus tuas Vindicias uno libello defenderem. Cum vero frustra eum exspectarem, ac jam in eo essem ut quæ ad 8 priora capita commentatus eram ederem, illud commodum in mentem mihi venit, ea ipsa, quæ pauculas tantum schedas fuissent completura, non inepte libro secundo *Antibarbari* mei *Biblici* posse inseri. Hæc causa est, Marsenne, cur mea Apologia necdum lucem aspexerit. Ubi operi isti suprema manus fuerit imposita, operam dabo ut tu illud inter primos videas. Hoc scire te volui, ne à silentio meo animum & spiritus sumeres. Quam idoneus tu Vulgatæ versionis & decreti Tridentini, quod ceu pomum aliquod Eridos tantas in Hispania & alibi inter ipsos Theologos contentiones excitavit, defensor sis, faxo, σὺν Θεῷ καλῶς, ut etiam tui intelligant. Quod si tibi quoque reliqua *Antibarbari* nostri *Biblici* arrodere prolubium erit, age,

Γευσόμεθ' ἀλλήλων χαλκήρεσιν ἐγχείῃσι.

Si de argumento operis quæras, sic habeto. Primus liber continebit primarios fontes omnis Barbariei quæ superioribus seculis Sacras literas ceu pestilens aliquod sidus afflavit & indignis modis deturpavit. Erunt autem isti 6.

1. Græcam Interpretationem V. T. quæ LXXII Interpretibus ascribitur esse θεόπνευστον.

2. Vulgatam Latinam Spiritus S. mentem ubique accuratè expressisse, atque adeo authenticam esse, ut nullo prætextu rejici debeat aut possit. Hic vero pressius figam pedem, & ostendam in hac materia Ecclesiæ Romanæ & Pontificum bonam fidem, infallibilitatem & concordiam.

3. Fontes hæreticorum & Judæorum malitia ita esse depravatos ut non amplius norma Christianorum dogmatum esse possint.

4. Linguarum istarum quibus originaliter exaratæ sunt Sacræ literæ, totiusque adeo politioris literaturæ studia esse supervacanea. Ubi illud quoque exteri cognoscent, quid ab aliquot retro annis Belgicarum Provinciarum Synodi in propulsanda barbarie præstiterint.

5. Bibliorum lectionem Theologiæ studioso non esse admodum necessariam; vel, Posse aliquem Theologiæ studere, & Theologum esse, etiamsi non legat Sacras literas.

6. Omni

6. Omni Scripturæ textui, ſingulisque locis, aut ſaltem pleriſque, duplicem ineſſe ſenſum, literalem & myſticum; Circa illum verſari Theologiam craſſam, circa hunc occupari Theologiam ſecretiorem & ſpiritualem. Quin & uni loco plures ſubeſſe poſſe ſenſus literales.

De his generalibus erroribus primus liber aget. In alterum vero convectabo non quaſlibet cujuſlibet obſcuri ſcriptoris ineptias, ſed lapſus & ex iſtis fontibus circa particularia Scripturæ loca ortos errores ejuſmodi ſcriptorum, quorum lucubrationes multorum manibus teruntur, qui eam in Eccleſia obtinent authoritatem ut vel ſolius nominis ſplendore alios in erroris ſocietatem poſſint abripere, ſive Patres illi fuerint, ſive Synodi, ſive Pontifices, ſive Canoniſtæ, ſive Scholaſtici, ſive Neoterici. Omnes, omnes,

Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Id autem non eo à me fiet animo quaſi velim ſcriptores iſtos ἀθυγραφίζειν, aut de juventutis manibus eorum ſcripta excutere, qui hos nævos præclaris ingenii dotibus penſarunt, ſed ut medicinam faciam huic ſeculo, & noſtræ juventuti ad oculum demonſtrem, præſtantiſſimis illis ingeniis vix quicquam præter Sacrarum linguarum peritiam defuiſſe, quam ſi illis Deus O. M. indulſiſſet, aut valde fallor ego, aut pleriſque qui poſt renatas literas S. Scripturæ illuſtrandæ operam egregiam impenderunt otia feciſſent. Gratificabor etiam non nihil operæ Evangelicis quibuſdam, qui nonnullis in locis linguarum ſtudia eum in modum oderunt ut in veterum Monachorum, quos magnus Eraſmus coætaneos habuit, veſtigia pedes ſuos mihi ponere videantur. Illi ſi noſtra legere dignabuntur, tanquam in ſpeculo quodam videbunt quantas fruſtrationes linguarum ignorantia Patribus attulerit; Videbunt quanta ipſos caligo in hac literarum luce etiamnum circumſtet; Intelligent quam indiligenter, quam à mente Spiritus S. aliene multa Scripturæ loca ex Verſionibus & Poſtillis citare ſoleant; Agnoſcent denique quodnam ſuorum conatuum, queis Sacrarum linguarum promotioni remeliginem injiciunt, à poſteritate elogium exſpectandum habeant. Cæteri, queis vel per occaſionis defectum vel communem errorem linguarum ſtudiis litare non licuit, modo φιλομαθεῖς ſint, ſuum errorem nunc demum intelligentes, duplex ex iſthoc labore conſequentur emolumentum. Primo enim ex iſto errorum ſyllabo ſupplebunt aliquo modo id quod ipſis deeſt, modo cereos adducant animos & pertinaciæ cauſas procul habeant. Deinde etiam S. Scripturæ teſtimonia majori cum accuratione & ad Spiritus S. mentem magis appoſite proferri diſcent. Habebunt enim, opinor, viris eruditiſſimis & Orthodoxis quos mihi Advocatos deligam, ceu in ſua arte verſantibus, fidem, iiſque ſuas non illibenter aures ſubſtringent. Illis vero qui jam Ebraica & Græca ſtudia delibarunt magnum compendifaciam laborem, dum in iſtoc opere collecta videbunt quæ per varios authores, quos non omnium Bibliothecæ habent, disjecta & ſparſa ſunt. Omnes vero in univerſum liquido cognoſcent, quanto adhuc intervallo à perfectione ſua abſit ſacra Philologia, quantum adhuc in S. literis & lingua S. ignoremus, ac proinde quam præclare de Eccleſia meriti ſint qui ſanctiſſima iſta ſtudia promoverunt, quantum denique inſtar in eo ſitum ſit ut eadem magis magiſque excitentur, colantur & quaſi fugitiva ſiſtantur. Habes Marſenne, *Antibarbari* mei *Biblici* argumentum & ſcopum. Utrumque prolixius expoſui, ut intelligeres quam non aliene ea quæ pro mea *Cenſura* elaboravi in illud opus convectaverim. Si quid interim tuarum lucubrationum ad reliquum Geneſeos aliumve Moſis librum prodierit quo meæ *Cenſuræ* dentem illides, operam dabo cum bono Deo ut ibidem reſponſum invenias. Sin hæc Epiſtola editionem reliquorum anteverterit, rogo te ne ſinuoſa iſta Commentationum tuarum volumina meæ *Cenſuræ* refutatione auctum eat. Nec enim patiuntur cujuſlibet fortunæ tantam pecuniæ vim in craſſa iſta volumina effundere. Quin hoc potius tenuioribus gratificare, ut Vulgatam verſionem adverſus Cenſuras meas & editas & in *Antibarbaro* edendas peculiari libello defenſes. Quicquid feceris, rogo te obteſtorque per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ut inſignem iſtam κακολογίαν, qua eruditum tuum ſcriptum immane quantum collutulaſti, mittas. Mitte male loqui, & rem ipſam dic. *Hæreticum* me perpetuo vocas atque id genus floſculis univerſa tua vernat oratio. Cui bono, mi Marſenne? Jampridem occalluimus ad hoc convitium, & rident cordatiores. Crimen *læſæ majeſtatis* ſub Tyrannis unicum eorum erat qui omni vacabant: In illius locum ſucceſſit hodie crimen *hæreſeos*. Retaliare poſſem ego; ſed quis finis? Ego tibi hæreticus? Tu mihi. Quid reciprocamus hanc ſerram? Quid hoc ſtigma nobis inurimus invicem? Si nullus hæreticus niſi qui pertinax, ego me hæreticum eſſe confidenter nego. Convince me, non Eccleſiæ Romanæ, ſed S. Scripturæ authoritate, & dabo manus. Illud etiam indignari deſine, non enim intermittam iſtum meum morem, me veſtrates vobis objicere, ſicubi à vobis diſſentiant. *Impia*, inquis, *hæreticorum progenies, qui dum noſtri D D. aliquid afferre videntur, eos ſtatim veluti cataphractos milites objiciunt; quos ſi nobis favere vident, perpetuum ſilent.* Sed nunquid vos non idem factitatis, Marſenne? An vero dum vos hoc facitis, pietas eſt; dum nos, impietas? Ecce, mi Marſenne, hoc Jeſuita Serarius me docuit, cujus inſigne ſuper hac re monitum in primo *Antibarbarorum* produximus. *At cum nobis favent*, ſiletis, inquis. Et vos idem facitis. Pares ergo ſumus. Sed quid mirum, Marſenne, Pontificium Pontificiis favere? Illud magis mirum, eam eſſe vim veritatis ut etiam Pontificiis, communi Eccleſiæ Romanæ conſenſu ſpreto, ſubinde liberam confeſſionem exprimat; eum denique quorundam animis inſidere candorem, ut Concilii Tridentini Canonibus & Pontificis bullis res ſuas ſibi habere juſſis, libere id quod ſentiunt & quod res eſt ediſſerant. Pro clauſula, commendo tibi aurea illa Nazianzeni verba, digna profecto quæ omnium Theologorum & Paſtorum cathedris uncialibus literis inſcribantur, *Non inceſſimus adverſarios*, inquit, *convitiis & contumeliis, ſicuti pleriqne faciunt, rationum & argumentorum infirmitatem maledictis obtegentes, non aliter ac ſepias atramentum ante ſe vomere ajunt ut Piſcatores effugiant. Verum nos pro Chriſto bellum gerere hoc argumento palam facimus, quod ſecundum Chriſtum, qui mitis & pacatus eſt, dimicamus.* An dememiniſti graviſſimæ ſententiæ B. Jacobi? *Si quis inter vos videtur religioſus eſſe, non frænans linguam ſuam, hujus vana eſt religio*, c. 1. 26. Ita judicat Apoſtolus, ita judicant omnes pii, quorum oculi Saturninas iſtas lemas non habent. Crede, Marſenne, homines iſti quos partium ſtudium non ſideravit, Theologum maledicum & ſubroſtranum ſcurram juxtà æſtumant. Fibulam ergo pone linguæ, &, quod longe facilius factu eſt, calamum ſufflamina. Quod ſi hac mea & tuorum quoque admonitione deſpreta eodem talo perrexeris, vide ne iſthæc convitiandi conſuetudo tandem tibi in naturam vertat. An neſcis quid Ben-Sira dicat? *Qui laborant lingua morbo ſanari non poſſunt, nec in hoc nec in futuro ſeculo.* Principiis ergo obſta, & venienti morbo occurre. Ad benedicendum nati, non ad maledicendum ſumus. Lingua maledica mentis malæ index eſt. Bonaſus animal cornua habet implexa, nec valet quenquam lædere; fimum ergo verſis calcibus ejaculatur, quo ſequentes adurit. Egregiam vero laudem ex ſpurciſſimi animalis imitamento reportaveris. Mihi illud decretiſſimum eſt, non ingredi hanc convitiandi palæſtram, aut maledictis cernere. Alius fortaſſis cum Homerico illo dixerit,

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipſe.

Vel cum Plautino, *Contumeliam ſi dices, audies.* Aſt ego ex animi ſententia iſta Sophoclea effabor,

Μήτ' ἐμοὶ παρέστιος
Γένοιτο, μήτ' ἴσον
φρονῶν, ὃς τάδ' ἔρδει.
Ne mihi amicus neque ſocius
Sit, qui hæc facit.

Atque hic finio. Vale, vir eruditiſſime. Dabam 20. Febr. 1627. Franekeræ Friſiorum.

SIXTINUS AMAMA

Ebr. Lit. in Acad. Franek. Professor Lectori Philologo, S. P. D.

DAmus tibi, benevole Lector, veterum Interpretum Græcorum in universum V. T. quæ exstant Fragmenta magno labore & industria à Cl. b. m. Viro *Joh. Drusio* collecta & necessariis Notis illustrata; opus S. literarum studiosis nec inutile futurum nec ingratum. Ut tirones autem discant quinam hi fuerint Interpretes & Interpretationes, placuit subjungere ex Quæsitis Authoris per Epistolam duas, vid. 41, & 42. quarum prima de Aquila, Theodotione & Symmacho, altera de Quinta & Sexta editione agit.

EPIST. XLI.

J. DRUSIUS

Alexandro Noello.

SUmma tua humanitas fecit, Noelle, meumque perpetuum de tua virtute judicium, ut magni mea interesse putarim & studia mea tibi nota esse, & non ignorari à te quanti te faciam. Utrumque præstabit hæc epistola, quam idcirco in tuo nomine vulgavi, ut intelligeres non solum me adhuc vivere, sed etiam tuorum in me meritorum memorem esse.

Aquilæ patria Sinope fuit clarissima Ponti civitas. Constat hoc ex Theodoreto, Epiphanio & Euthymio monacho Sigabono. Verba Theodoreti; Ἀκύλας τις ἀπὸ Σινώπης τῆς Πόντου ὁρμώμενος. Unde epitheta ei tributa *Sinopeus* & *Ponticus*. Addit Theodoretus, Ἕλλην ὢν ἐβαπτίσθη ἐν Ἱεροσολύμοις, *cum esset Gentilis, baptizatus est Jerosolymis.* Græca è verbo sonant, *cum esset Græcus.* Nam Ἕλλην *Græcus:* sed hic pro *Gentili* sumitur. Est enim Pontus regio non Græciæ, sed Asiæ. Christianus evasit ex hac causa; Cum Jerosolymis degeret, ab Ælio Hadriano, qui tum Urbem instaurabat, operibus præfectus, contraxit notitiam cum Christianis qui ibidem agebant. Horum vita ac moribus adductus religionem mutavit. Sed non diu in nostra perseveravit. Nam reprehensus à præconibus gratiæ quod studiis profanis nimium addictus esset, defecit ad Judæos, à quibus etiam circumcisus fuit. Quamobrem ab Hieron. *Judæus* in Comment. Hab. 3. 13. *Proselytus*, epist. De opt. gen. interp. quæ ad Pammachium; & ab Augustino Steucho Eugubino Σινωπεύς. *Proselytus* vocatur etiam ab Ebræis, qui ejus crebram mentionem faciunt. Ac sunt qui dicant eundem esse cum Onquelo, qui Pentateuchum in linguam Chaldaicam convertit, Titi Imperatoris, ut ajunt, è sorore nepos. Quod an verum sit nescio. Nam de genere nihil mihi compertum, nisi quod Epiphanius autor eum fuisse πενθερίδην Hadriani, cujus supra meminimus. Præceptorem habuit Aquibam Pharisæum, qui in bello Chozibæ periit. Hieron. Comment. Jes. 8. *Duas domos Nazaræi duas familias interpretantur Sammai & Hellel, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, quorum suscepit scholam Aquibas; quem magistrum Aquilæ Proselyti autumant.* Versiones edidit duas, quarum posterior κατ' ἀκρίβειαν dicitur. Hieron. Comment. Ezec. 3. 15. *Secundam Aquilæ editionem Ebræi κατ' ἀκρίβειαν vocant.* In vertendo tam fuit superstitiosus ut non verba sed verborum etymologias transtulerit. Itaque *calorem* alibi pro *sole* posuit, & alibi *albam* pro *luna*; quod ille Ebraice חמה, hæc לבנה diceretur. Meo judicio, non bene. Nam hujusmodi verborum κακοζηλία rerum intelligentiam obscuram reddit. Hieron. ep. ad Pammach. *Aquila proselytus & contentiosus interpres non solum verba sed etymologias verborum transferre conatus est.* Et Comment. in Jes. 49. 5. *De Aquila autem non miror, quod homo eruditissimus lingua Ebraica, & verbum è verbo exprimens*, &c. Idem epist. 74. dicit *multa esse in ipsius editione quæ ad nostram fidem pertinent roborandam:* & alibi, *Isti semi-Christiani* (intelligit Symmachum & Theodotionem) *Judaice transtulerunt, & Judæus Aquila interpretatus est ut Christianus.* Floruit anno 12. Hadriani Imp. qui est Christi 129, & editionis Septuaginta, quæ facta anno 7 Ptolemæi, 430, ut Theodoretus scribit. Cæterum Epiphanius addit menses 4. Interpres vero Euthymii videtur legisse τριακόσια pro τετρακόσια, si non erratum in numeris. Tantum de Aquila. Sequitur Symmachus; Quem Samaritem fuisse testantur Epiphanius & Theodoretus, itemque Euthymius. Hic cum apud suos quantum honoris optabat non assequeretur, Judæos adiit, & rursum ab iis circumcisus est. Nam ita moris erat. Qui à Judæis ad Samaritanos transibat, & contra ab his ad illos, iterum circumcidebatur: Autor Epiphanius. Per *Judæos* intellige eos qui ex Judæis in Christum crediderant. Quos *Judæos* ideo vocabant quod simul ceremonias Legis observabant. Peculiariter autem dicebantur *Nazaræi.* In his erant Ebionitæ. Itaque Hieron. *semichristianum* vocat, & alibi *Ebionitam.* Euseb. Ἀποδείξ. l. 7. Λέγεται δὲ ὁ Σύμμαχος Ἐβιωναῖος εἶναι· αἵρεσις δέ ἐστιν οὕτω καλουμένη τινῶν Ἰουδαίων εἰς Χριστὸν πιστεύειν λεγομένων, ἐξ ὧν ὁ Σύμμαχος ἦν. Interpretatus est Scripturam sub Severo Imp. annis L V I post editionem Aquilæ. Quod factum ab eo ajunt πρὸς διαστροφὴν τῶν Σαμαρειτῶν, *ad eversionem Samaritanorum*, à quibus defecerat, ut dictum est. Hujus editio hodieque exstat in Græcia. Duas autem olim fuisse docet Hieronymus: quem vide, si placet, Jer. 32. & Mich. 3. Idem Amos 3. *Symmachus non solet verborum κακοζηλίαν sed intelligentiæ ordinem sequi.* Et Jes. 3. 15. *Symmachus autem more suo manifestius.* Scripsit & ὑπομνήματα quædam quorum meminit Eusebius Hist. Eccl. l. 6. c. 17. An hunc secutus sit Theodotio tertius interpres, videbo. Nam sunt qui præcessisse putant annis aliquot. Ut ut sit, ejusdem fuit sectæ cum Symmacho. Hieron. Hab. 3. 13. *Theodotio quasi pauper & Ebionita, & Symmachus ejusdem dogmatis.* Domo fuit Ponticus, ut Epiphanius prodit; aut Ephesius, ut Hieronymus. Est autem Ephesus civitas non Ponti, sed Ioniæ. Ephesio oriundum scribit etiam Euthymius. Marcion quidam hæresin excitaverat, quæ dicta Marcionitarum: ex ea erat Theodotio priusquam ad Ebionitas transiret. Creditur autem interpretatus esse S. literas ad eversionem sectæ suæ. Quod notatum à Theodoreto, *Semichristianum* vocat Hieron. quia ex parte tantum Christianus erat. Qua ratione appellari posset etiam *semijudæus.* De hoc Hieron. epist. 120. *Theodotio inter novos ac veteres medius incedit*, & Comm. in Cohel. 2. LXX. *& Theodotio sicut in pluribus locis ita & in hoc quoque concordant*, & Procemio in Danielem, *Illud quoque*

lecto-

lectorem admoneo, Danielem non juxta Lxx. *Interpretes sed juxta Theodotionem Ecclesias legere.* Funccius eum conjicit in annum Domini 180. quo tempore Smyrna urbs Asiæ terræ motu corruit. Si verè, præcessit Symmachum. Nam Symmachus vixit circa annum Domini 200. quo tempore Clemens Alexandrinus clarus habebatur. Quod ita esse liquet ampliùs ex Theodoreto & Euthymio, qui scribunt eum vixisse sub Commodo Imp. qui præcessit Severum aliquot annis, vel certè mensibus. Nam Pertinax qui inter eos fuit, teste Epiphanio, tantùm imperavit mensibus 6. Unde & illud sequitur; non esse hunc Theodotionem interpretem Chaldæum qui *Jonathan* vocatur: quod video nonnullos existimasse; nominis etymo deceptos. Nam *Jonathan* Græcè sonat *Theodotio:* Qui condiscipulus fuisse creditur Simonis ejus qui Christum in ulnis suscepit. Certè quin Pollionis discipulus fuerit nullum est omnino dubium. Vixit autem Pollio ante tempora Christi, videlicet sub Herode M. Quocirca non potest esse Theodotio, cùm anni intercedant ferè 200. Quanta ætas non cadit in hominem illius temporis. Claudam epistolam, si priùs adduxero locum Hieronymi de his tribus interpretibus. Præfat. in Job ait, *Apud Græcos Aquila, Symmachus & Theodotio vel verbum è verbo, vel sensum è sensu, vel ex utroque commixtum & mediè temperatum genus translationis expresserunt.* Vide eundem Epist. 109.

EPIST. XLII.

J. DRUSIUS

Thomæ Cartwrighto.

CUM & mihi conscius essem quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam non semel expertus essem, non dubitavi ad te hanc epistolam dare, ex qua intelligeres studia ista quæ olim tecum in Anglia tractavi, licèt contempta vulgò, adhuc apud me in pretio esse. De tribus editionibus earumque autoribus dictum est satis superque. Cæteræ editiones Græcæ, quarum ignorantur autores, appellatæ sunt à Prima, quæ fuit Lxx. interpretum, *Quinta, Sexta* & *Septima.* Quinta inventa fuit imperante Antonino Caracalla Severi F. dolio inclusa in urbe Jericho, anno Christi 219. Theodoretus, Ἡ πέμπτη δὲ ἔκδοσις ἐν πίθοις εὑρέθη ἐπὶ Καρακάλλου τοῦ βασιλέως, ἐν Ἱεριχῷ. Euthymius Monachus Sigabonus, interprete Philippo Saulo, *Quinta certum non habet autorem. Inventa est autem in Jericho dolio operta sub Caracalla Imp.* Eusebius Hist. Eccl. l. 6. c. 17. Μετὰ τὰς ἐπισήμους τέσσαρας ἐκδόσεις οὐ μόνον πέμπτην, ἀλλὰ καὶ ἕκτην καὶ ἑβδόμην παραθεὶς ἑρμηνείαν, ἐπὶ μιᾶς αὖθις σεσημείωται, ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης ἐν πίθῳ κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ Σεβήρου. Epiphanius περὶ μέτρων, Ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ αὐτοῦ ἔτει (loquitur de Antonino Severi F. quem ait cognominatum fuisse *Getam* & *Caracallam*) εὑρέθησαν καὶ βίβλοι τῆς πέμπτης ἐκδόσεως ἐν πίθοις ἐν Ἱεριχῷ κεκρυμμέναι μετὰ ἄλλων βιβλίων Ἑβραϊκῶν καὶ Ἑλληνικῶν, i. *Septimo anno ipsius inventi sunt libri Quintæ editionis in doliis, in Jericho absconditi, cum aliis libris Ebraicis & Græcis.* Sexta reperta est Nicopoli apud Actium sub Alexandro Mammæo circa annum Christi 228. Theodoretus, Καὶ ἡ ἕκτη δὲ ὁμοίως ἐν πίθοις εὑρέθη κεκρυμμένη ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμμαίου παιδὸς, ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίοις. Euthymius, *Sexta sine autoris nomine reperta est Nicopoli apud Actium, sub Alexandro Mammæo Imp.* Eusebius Hist. l. 6. c. 17. Τοῦτο μόνον ἐπισημήνατο, ὡς ἄρα τὴν μὲν εὕροι ἐν τῇ πρὸς Ἀκτίῳ Νικοπόλει. Epiphanius περὶ μέτρων, Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσεν Ἀλέξανδρος ὁ Μαμμαίας παῖς ἔτη ιγ΄. ἐν μέσῳ τῶν χρόνων τούτων εὑρέθη ἕκτη ἔκδοσις καὶ αὐτὴ ἐν πίθοις κεκρυμμένη ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίᾳ, i. *Post Antoninum alterum regnavit Alexander Mammææ cum ageret annum 13. His temporibus inventa est Sexta editio, quæ in doliis abscondita erat, Nicopoli apud Actium.* Hinc medicinam facies Hieron. Epist. 151. Quæst. 12. *Quintam editionem Origenes in Actiaco littore invenisse se scribit.* Nam est vitium memoriæ pro *Sextam editionem:* Unde & illud probabiliter colligimus, Inventorem harum editionum fuisse Origenem. Nam de hac dubitare nullo modo possumus. De Septima Euthymius Præfat. in Psalmos; *Septima prodiit à Luciano M. eremita & martyre: Qui omnibus his editionibus visis, & cum Hebraica veritate diligentissimè & magno cum labore collatis, propriam editionem nihil mancum & nihil habentem superfluum Christianis tradidit: Quæ apud Nicomediam manu ejus conscripta reperta est in turre quadam apud Judæos calce illita, post ipsius Luciani certamen, & post persecutionem quæ à Diocletiano & Maximino facta est, sub magno Imp. Constantino. Hæc cum* Lxx. *interpretum editione consentit, & quæ ab aliis depravata fuerant reprobavit.* De hac editione non idem omnes sentiunt. Plerique enim, teste Hieronymo, eandem faciunt cum editione Vulgata, quæ κοινὴ dicitur, *Ipsa est,* inquit, *quæ &* Lxx. *Sed hoc interest inter utramque, quòd κοινῆς pro locis & temporibus & voluntate scriptorum corrupta editio est, ea autem quæ habetur in ἑξαπλοῖς ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata* Lxx. *interpretum translatio reservatur.* Verba hæc Hieron. habentur in epist. ad Suniam & Fretelam. Idem scribit additam fuisse cæteris editionibus in nonnullis libris, & maximè in his quæ apud Ebræos versu compositi sunt. Hoc scribit Comm. in Epist. ad Titum c. 3.

Hactenus Cl. Drusius. Postremis Epistolæ 42. verbis adde testimonia duo, alterum Hieronymi, Præf. in libros Paral. Alterum Eusebii. Hieronymi, Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat authorem, Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat, mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus evulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. *Eusebii, de Luciano Martyre*, Ipse omnes libros sacros rursus sumpsit & ex lingua renovavit Ebraica, quam ipsam sciebat quoque accuratissimè, in iis corrigendis plurimum laboris conferens. *Hæ sunt editiones illæ ex quibus sua Hexapla & Octapla concinnavit Eruditissimus Origenes. In Hexaplis enim sex columnas per singulas paginas ita distinxit ut in prima columna ipsum textum Ebræum Ebraicis, in secunda eundem Græcis Characteribus exhiberet, tertiam columnam editioni Aquilæ, quartam Symmachi, quintam τῶν* Lxx, *sextam denique Theodotionis interpretationi assignaret. Ob hanc compositionem, inquit Eusebius, exemplaria sua ἑξαπλᾶ nominavit; quæ tamen nonnullis, testibus Suida & Zonara, τετραπλᾶ dicta sunt*, i. Quadrupla, *viz. propter 4 editiones Græcas,* Lxx. *Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, duarum columnarum textum Ebræum exhibentium nulla ratione habita. In octaplis ejus ad prædictas sex columnas accesserunt duæ, quarum una editionem Quintam, altera Sextam exhibebat, illi litera E, numeri quinarii apud Græcos Indice, huic numeri senarii nota, quam* Episigmon *Græci vocant, ϛ præfixa. Dimittam te, Lector benevole, si illustrando loco Epistolâ Drusianâ 41. de iterata circumcisione paucula addidero. Sic est profectò, ut author ait de Symmacho agens. Quin & Apostolorum ævo reperti homines malè superstitiosi qui, cùm ex Judaismo sese in Christianismum transferent, utor verbis Cl. Canai,* usque adeò

nulla

nulla Judaici ritus superesse vestigia in corpore suo voluere, uti præputia, quæ infantes amiserant, repararent viri. *Quid clarius loco Apostoli?* Περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη; μὴ περιτεμνέσθω, Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat (*vulg.* adducat) præputium. In præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur. Circumcisio enim, *ut subjicit Apostolus*, nihil est, præputium nihil est, *&c. Miror magnum illum Hieronymum in expositione hujus loci adeo turpiter hallucinatum ut vel mediocriter eruditis ludibrium merito debeat. Illi enim* adducere præputium *est* uxorem ducere. *Sed apponam ejus verba*, Eo tempore quo vocatus es & credidisti, si circumcisus, i. cœlebs, eras, noli ducere uxorem, i. noli adducere præputium, ne circumcisionis & pudicitiæ libertatem oneres sarcina nuptiarum. *Atque ut allegoricam hanc interpretationem firmet, non veretur asserere* haud esse potestatis nostræ præputium adducere post circumcisionem. *Quid ergo dicemus de Symmacho? quid de aliis quos pelliculam arte chirurgica sibi reparasse historia tradunt? quid ad locum primi capitis primi Machabæorum? ubi de apostatis agens author diserte ait*, καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, Et fecerunt sibi ipsis præputia, *ne vid. ulla in re Græcis essent dissimiles. Sed hoc de filiis nascentibus, non patribus, dicit ais Hieronymus: ut vid. non in suis ipsorum sed filiorum corporibus præputia fecerint, dum legis Divinæ præscriptum de circumcidendis masculis insuper habuere. Quis tam coactam interpretationem admittat? Diserte Josephus historiam eandem narrans*, τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες, i. Verendorum circumcisionem texerunt (*Gelenius*, adduxerunt sibi ipsis præputia) ut nudi quoque Græcis non essent dissimiles. *Epiphanius autem ulterius progreditur, & ostendit quâ arte, quo instrumento hæc, ut sic dicam, repræputiatio fieri consueverit. Verba Epiphanii*, Τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσχασθέντες, ῥαφέντες τε καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες, ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτὴν ἀποτελοῦσιν, i. Arte medica, per instrumentum quod σπαθιστῆρα vocant, membri pellicula subducta & deligata, glutinatoriis quibusdam circumdatis, ipsum præputium rursus superinducunt. *Verissime autem id dictum ab Epiphanio docebit Celsus, qui l. 5. c. 25. modum glandem tegendi, si pellicula vel a natura vel circumcisione desit, distincte tradit. Cave autem huc referas locum Josuæ 5. 2.* Para tibi cultros acutos, ac iterum circumcide filios Israël. *Nec enim hic cultros Evangelicos & mundationem animorum cum Hieronymo intelliges, nec existimabis in iisdem personis circumcisionem iteratam: Sed is sensus est quem Cl. Junius in Notis aperuit. Nihil enim aliud mandat Deus quam ut circumcisionem in deserto neglectam in usum denuo revocet. Confer v. 7. De loco Jer. 9. 25.* ἐπίχρι. *Confer, benevole Lector, ea quæ Cl. Viri Drusius & Cunæus ad eum notarunt, & quidem ille in Annot. ad 1 Cor. 7. 18. hic de Rep. Ebr. 3. 5. Postremo, ut actionem illam* ἐπισπασμὸν, *ita repræputiatos* ἐπισπαστὰς *Græci*, משוכים *Ebræi vocant. Non morabor te amplius, Lector. Vale & fruere.*

JOH. DRUSIUS.

SAlve, Lector, quisquis es. Meâ interest te scire quid in hac editione præstitum sit: Ergò sic habe. Ante omnia exscribendum curavi Tobiam ex editione Romana. Hanc deinde contuli cum aliis libris excusis. Usus autem sum editis ad exemplar Complutense, Basileensibus duobus, & uno Veneto. Ex his correxi quæ corrigenda mihi videbantur. Nihil ex conjectura mutavi, præterquam uno in loco, ubi κατίσχοντας primus scripsi, cùm in Veneto & Basileensi altero κατέσχοντας reperissem. Quod reliquum est, hanc opellam navavi amico qui de me bene meritus erat, cui felicia omnia opto; & te valere jubeo.

HUMANISSIMO VIRO

PETRO VECKEMANNO

Ludi literarii apud Amstelodamenses moderatori diligentissimo

JOH. DRUSIUS

S. P. D.

ECce tandem persolvo, Vir humanissime, quod promiseram, vel, ut veriùs loquar, plusquam promiseram præsto. Satis enim non promisso meo solum, verum etiam desiderio tuo factum erat, si textum Græcum cura mea aliquatenus emendatum tibi transmisissem. Verum animo meo satisfieri hac ratione non potuit; cui dum obsequor, feci quod antea nemo, ut collatis inter se optimæ notæ voluminibus, quoniam inter ipsa sæpe variabatur, hanc varietatem diligentissime notatam haberes. Id autem ut majore cum fructu à me fieret, adhibito judicio, quod sane exiguum mihi est, quid in ea diversitate placeret, quidve minus rectum aut sincerum videretur, indicavi. Adhæc loca quædam injuria temporis vitiata fide optimorum codicum in integrum restitui. Nonnulla etiam ex opinione castigavi, usus ad hoc duobus Ebræis codicibus, cum editione Hieronymi, quam Vulgatam dicimus; quæ nos sane in aliquibus mendis tollendis plurimum juverunt. Quid autem his meis laboribus profecerim, non est meum commemorare, ideo quod facile seipsum quisque fallit, & ipsa scripta indicabunt. Tanta quidem certe diligentia usus sum, ut interdum, ne putida videatur, in mentem veniat subvereri, ita minima quæque persecuti sumus, nec solum elaboravimus ut Græcum exemplar emendatius nostra opera prodiret, verum etiam interpretati sumus locos obscuriores, hactenus partim male intellectos, partim non intellectos omnino, dedimusque operam quæ falsi speciem haberent ut ea quantum in nobis esset excusaremus. Quod vitio nobis verti non debet, cum liber iste ab Ecclesiasticis viris olim receptus, publiceque in Ecclesia lectus, ac tantum non pro divino habitus semper fuerit. Quæ omnia qualiacunque sint visum est in tuo nomine publicare, non ideo solum quia primus ad textum edendum me hortatus es, sed quia futurum putavi ut, si tibi inscripta exirent, significationem aliquam darent amoris in te mei. Nam ut omittam tua in me merita, quæ sane pauca non sunt, tua me summa pietas, singularis humanitas, egregia doctrina & suavissimi mores ad amandum alliciunt. Huc accedit incredibilis ad juvanda studia poti-

Digitized by Google

optimorum adolescentum propensio, de qua testari possunt quotquot hic sunt Reip. vestræ alumni, Johannes Sylvius, Lucas Ambrosii F. Jacobus Bruno, Nicolaus Johannides, & alii, ut morum probitate sic ingenio præstantes, & diligentia singulari adolescentes, quondamque discipuli tui; inter quos Jacobus Montanus divinæ spei juvenis, & mihi propter domesticam consuetudinem unice charus. His igitur & plurimis aliis de causis hoc quicquid est muneris tuæ humanitati offero, teque rogo ut donum quidem ipsum, sed magis donantis animum, complectaris. Vale, & fac me certiorem de profectu Samuelis tui; cui sic faveo ut qui maxime. Faxit Deus ut aliquando evadat in virum talem qualem eum esse ego & tu optaremus.

Significationes literarum quibus usi sumus in his castigationibus.

A.	Aldus, sive editio Veneta.	*E.*	Ebræum exemplar.
B.	Basileensis ea quæ in octavo folium complicat.	*E. F.*	Exemplar Ebræum Fagii, sive à Fagio editum.
B B.	Basileenses editiones, quarum altera in folio complicat.	*E. M.*	Exemplar Ebræum editum à Munstero.
C.	Complutensis, vel potius libri editi ad exemplar Complutense.	*LL. AA.*	Libri antiqui.
		R.	Romana editio.
		V. E.	Utrumque Ebræum exemplar.

Cyprianus serm. 4. De Mortalitate.

TObias post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa & gloriosa præconia, cæcitatem luminum passus, timens & benedicens Deum in adversis per ipsam corporis sui cladem crevit ad laudem.

Ambrosius Offic. l. 3. c. 14.

Tobias quoque formam expressit honestatis evidentius, cum relicto convivio mortuos sepeliret, & ad cibos pauperis mensæ invitaret inopes.

Augustinus in De quæstionibus ex utroque mixtim, c. 119.

Dei famulus sanctus Tobias post Legem exemplum nobis datus est, ut quæ legimus quomodo fiant sciamus, & si tentationes advenerint à Dei timore non recedamus, neque auxilium aliunde quam à Deo speremus, memores scriptum esse, *Pusillus fui, etenim senui, & nunquam vidi justum derelictum; & semen ejus quærens panem.*

Idem in De cura pro mortuis gerenda.

Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur.

Bullingerus in tractatu De libris sacris, eorumque dignitate ac præstantia.

Inter Historias in plerisque exemplaribus primum locum tenet liber Tobiæ, qui mea quidem sententia multo felicius Xenophonte & Aristotele OEconomiam tradit. Nam & exemplis vivis omnia demonstrat, & præceptis saluberrimis nec minus perspicuis instituit. Tobias enim senior paterfamilias adversam experitur fortunam & secundam tam in corpore quam in fortunis, attamen in illa rerum vicissitudine nihil bono patrefamilias indignum committit. In summa paupertate & afflictione integram retinet religionem & innocentiam, & justitiam, nullibi confugiens ad fraudes aut dolos, quibus farciat inopiam; imo in maxima egestate beneficia præstat, dum in eo quod potest officium faciens, sepelit mortuos. Dictis & factis, i. exemplo sanctissimo, versatur in domo sua, imperium æquum retinens in uxorem, filium, familiam. Præterea condit testamentum, instituit filium plenissimè, posteritati consulit, gratum se erga Deos & homines exhibet, & ubique boni patrisfamilias munere defungitur. Cæterum Tobias junior senioris filius pietatis in parentes exemplum præferens, religiosus est, & sancte parentibus obsequitur, quos in omnibus colit & reveretur. Idem laboriosus est, sedulus, humanus, sobrius, castus, & in omnibus religiosus. Præterea celebratur hoc libro nuptiarum honestas: docetur quam sancte oporteat contrahere matrimonia, & servare contracta; item quam male cedat si nuptias non dextro & religioso pede accedamus. Docet noxia à domibus & familiis nullo præsentiore remedio quam studio pietatis depelli; Crucem quoque sanctorum felicissimum sortiri eventum; Impios perpetuo in sua impietate perire, ac his sanctissimis similia multa.

Munsterus de Tobia à se edito.

Libellus est vere aureus & juventuti accommodissimus, ex quo pietatem, quæ ad omnia valet, ac vitæ innocentiam discere poterit. In quo enim alio Biblico libro V. T. invenies tam efficaces ad opera pietatis monitiones, quæ habeant tam vividissima adjuncta exempla, ut in hoc libro? Ubi usquam locorum invenies tam sinceras, paternas & omni acceptione dignas instructiones, qualiter te geras erga Deum, erga parentes, erga pauperes, præsertim domesticos fidei, erga conjugem, denique erga cunctos mortales, atque erga defunctos ipsos, ut in hoc Tobia? Ediscendus esset liber a pueris haud secus quam Decalogus, & in imo pectoris diligentissime condendus, in quo non nisi mera pietatis semina, imo flores & fructus inveniuntur.

Bullingerus Præfat. in Versionem Leonis Judæ.

ECclesiasticus, qui Jesu F. Sirach inscribitur, pleraque cum Proverbiis Salomonis habet communia, nisi quod hic noster copiosior est & minus habet difficultatis. Ex eo certius & minore cum periculo discent moralem Philosophiam studiosi quam ex ullo Platone aut Aristotele.

Digitized by Google

AMPLISS. ET REVERENDISS. DOMINO

D. JOHANNI WHITGIFTO

Archiepiscopo Cantuariensi, Angliæ totius Primati ac Metropolitæ, Regiæ Majestati à secretis sacrisque Consiliis,

JOHANNES DRUSIUS.

COhortatione tua motus, Amplissime Præsul, aggressus tandem sum librum Jesu filii Sirach, qui vulgo *Ecclesiasticus* vocatur. Hujus inscriptio in exemplari Romano est Σοφία Σειράχ· quod ita breviter & compendio dicitur pro eo quod in aliis libris Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ. Cur autem *Ecclesiasticus* vocetur, unus optime nosti: nam es harum rerum peritissimus. Dicam tamen propter alios. Antiqui dividebant libros V. T. in quatuor ordines: Primus erat librorum Mosis; secundus, Prophetarum; tertius, Hagiographorum; quartus, Ecclesiasticorum, quos nunc *Apocryphos* appellant, quia non sunt in Canone Judæorum. Inter eos cum emineret præcipue Sirachides, factum est ut κατ' ἐξοχὴν *Ecclesiasticus* diceretur; quod nomen hodieque adhuc retinet: cæteri libri qui ejusdem cum eo sunt ordinis, illud amiserunt. Hieronymus nos admonet de alio titulo. Nam scribit se vidisse exemplar avi cum hac inscriptione, *Parabola Jesu filii Sirach.* Avi exemplar voco, quod ille initio Ebraice conscripsit. Nam quod nunc habemus versum est à nepote in linguam Græcam. Uterque Jesus *filius Sirach* nominatur. Unde perspici potest error eorum qui hunc librum Græce scriptum fuisse primitus contendunt: Error nimis crassus; quem non tollunt, qui hoc scriptum partim Ebraicum avi, partim Græcum nepotis esse tradunt; nisi forte loquantur de præfatione, quæ absque dubio nepotis est. Restat nunc ut scias quid à me in hoc opere præstitum sit. Nam laborem in eo sustinui sane quam improbum molestumque, & qui valetudinem meam non parum afflixit. Primum enim textum Græcum ex editione Germanica descriptum correxi ad exemplar Romanum, adjectis iis quæ deesse videbantur, quibus ideo asteriscum præfixi ut lector sciret aliunde illa sumpta esse. Deinde converti textum illum in sermonem Latinum; & quia inter vertendum aliqua quædam occurrebant minus, ut tunc judicium erat, probanda, iis ad marginem rejectis, in eorum locum substitui alia quæ magis arridebant. Postremo adjeci Castigationes sive Notas. Usus autem sum, præter exemplaria nominata, codice quodam à Plantino excuso ad exemplar Complutense, utroque Camerarii, Veneto Aldi, & Bibliis Roberti Stephani, quæ vulgo Vatablo attribuuntur. Accesserunt postea, cum ad caput vigesimum pervenissem, notæ variantis lectionis Heidelberga mihi missæ, procurante V. Cl. Jano Grutero amico meo singulari. Hujus enim hortatu Jacobus Kimedoncius junior, adolescens non à multis, qui hoc nomine magnam apud me gratiam iniit, codicem Palatinæ bibliothecæ vetustissimum membranaceum cum editione Camerarii anno 1578. Lipsiæ cusa diligentissime contulerat. His igitur codicibus usus omnem varietatem, quanta fieri potuit diligentia, notavi. Aliquando judicium meum interposui, aliquando id non feci, liberum relinquens ut quisque eligeret quod vellet & quod maxime probaret. His non contentus, locos obscuriores, qui in hoc autore quamplurimi erant, pro virili mea illustravi, Ebraismos difficiliores ritusque antiquos non solum indicavi sed etiam explicavi, denique nonnulla restitui ex conjectura quæ in libris Græcis omnibus corrupta erant. Ad hanc audaciam me impulit cum res ipsa tum interpres Latinus quem Vulgatum dicimus: nam is quandoque habuit libros notæ melioris. Quæ omnia visum mihi fuit, Reverendissime Pater, sub amplissimi nominis tui patrocinio in lucem emittere, partim quod hunc laborem meum A. tuæ gratissimum fore confiderem, cum ejus suscipiendi mihi præcipue auctor fueris, literasque ea de re ad me dederis, ac nonnihil etiam facultatibus tuis juveris; partim ut ostenderem nihil de antiqua observantia erga A. tuam mea temporis aut locorum intervallo imminutum aut immutatum esse. Quod reliquum est, precor quæsoque ut hoc meum qualecunque studium boni consulas, & me similia in alios libros Sacros meditantem quibuscunque rebus poteris (poteris autem plurimis) juvare porro pergas.

JOH. DRUSIUS

Lectori S.

CUM alioqui vacatura essent hæ paginæ, placuit adscribere testimonia eorum qui de auctore hujus libri, ut à vulgo dissenserunt, ita rectam & veram sententiam tenuerunt: Inter quos primus occurrit Epiphanius, cujus verba alibi produximus. Secundus est Hieronymus, qui se codicem Ebraicum Parabolas prænotatum vidisse scribit; cujus sententiam approbat Rabanus, Prologo in hunc librum. Tertius est Damascenus, quem vide, si placet & si vacat, De fide orthod. l. 4. c. 18. Quartus est Isidorus, Orig. l. 6. ita scribens, Ecclesiasticus apud Ebræos reperitur, sed inter Apocryphos habetur. *Quintus est Nicolaus a Lyra cujus hæc sunt,* Liber Ecclesiasticus primo fuit Ebraice scriptus: *& aliquanto post,* Igitur si in processu hujus Postillæ dicitur quod autor hujus libri scripsit ipsum Græce, intelligitur de translatore primo. Sed primus principalis scriptor (sub Deo tamen) fuit Jesus F. Sirach, ut habetur in Prologo hujus libri. *Sextus est Jansenius Theologus, vir sane doctus,* Constat, *inquit,* Jesum illum qui hunc librum Ebraice scripsit fuisse circa ea tempora quibus vixerunt LXX. interpretes, atque hujus libri interpretem fuisse circa tempora Machabæorum aut paulo ante. *Septimus est Joachimus Camerarius, quod testantur hæc ipsius verba,* verum interpres edidisse se ait opus translatum quidem opere & studio suo de Ebraica lingua in Græcam, sed compositum ab avo ad doctrinam civium suorum, ne his deessent præcepta virtutis & vitæ sanctæ atque religiosæ. *Octavus est Bonaventura Cornelius Bertramus, in eo libro cui titulum fecit* Lucubrationes Franktallenses *ita scribens,* Cæterum etiam illud magnopere miror, vulgo omnes scriptores Chri-

Christianos cum Græcos tum Latinos, quos adhuc videre licuit, ita probare Præfationem alteram incerti autoris, quæ ad hujus libri frontem Prologo Jesu nepotis à quibusdam subjicitur, & ab aliis præfigitur, ut faciant nepotem ipsum consarcinatorem & autorem libri ipsius Ecclesiastici, avum verò prætereant & negligant; cùm illum verum nepos ipse totius istius Sapientiæ Panareti autorem prædicet, se verò duntaxat metaphrasten & translatorem agnoscat. *Idem paulo ante in persona interpretis*, Cum 38 annus ageretur ex quo liber ille ab avo meo Jesu Ebraico sermone conscriptus fuisset, egoque jam dudum sub Evergete Rege in Ægyptum advenissem, ibique aliquamdiu jam commoratus fuissem, comperi librum illum Ebraico sermone conscriptum tantam tamque insignem eruditionem exprimere & quasi ex vero effingere, ut maximè necessarium arbitratus sim ut ipse studii aliquid & laboris ad librum illum Græco sermone interpretandum conferrem.

JOSEPHUS SCALIGER

De Emendat. Temp. l. 5.

PRius volumen Machabæorum Ebraicè scriptum fuit ab authore, eximium opus, ex quo omnem Machabæorum historiam hausit Josephus. Utinam ipsum Ebraicum exstaret. Jam diu enim est cùm periit.

Illustrissimis, Ampliss. Præpotentibus, vereque Magnificis

ORDINIBUS PROVINCIARUM FOEDERATARUM,

QUOS

STATUS GENERALES VOCANT.

ADfero ad vos, Viri Amplissimi, librum Hasmonæorum, qui vulgò *prior Machabæorum*, Commentario sive Notis meis illustratum, & ex Græco in Latinum sermonem à me conversum. Ut eum Notis illustrarem autor mihi fuit princeps Josephus Scaliger; cujus unius judicium pluris est apud me quàm omnium sciolorum μικολόγων, qui se suaque tantùm admirantur, cætera omnia ex alto contemnunt. Ut vobis offerrem multæ causæ fuerunt. Primùm enim in more positum est ut qui ad Numen aliquod accedunt munuscula quæpiam secum ferant. Sic Divinum numen vulgò colitur. Sic ego vestrum mihi putavi demerendum esse favorem oblato munere levidensi ex literario meo censu, quando alia ratione grati animi significationem edere non possum. Si novi, saltem animus hic meus vobis placebit, si reliqua displicebunt. Deinde movit me benignitas vestra & propensio in studia humanitatis. Literæ profanæ luculenter expertæ sunt; expertæ sunt & Sacræ, &, ut spero, ampliùs experientur. Cùm enim bellum Domini geratis, debetis RELIGIONEM omnibus modis promovere. Id vobis honorificum, piis omnibus gratum & jucundum erit. Religionem dico, quæ se veritate tuetur, non falsitate ac mendacio; quæ est religio Christiana, à CHRISTO sic appellata, qui est ipsa Veritas; *Ego sum via*, inquit, *veritas, & vita*. Ubi non est veritas, ibi non est religio, ibi non Christus. Valeant ergo qui religionem à veritate separant, qui sic amant errores suos quos semel imbiberunt ut malint apertè falsa defendere quàm perspicuè vera antea ipsis ignorata (nè quid nescisse videantur) approbare. Accedit ratio studiorum meorum, quæ neglecta ab iis qui eam potissimùm curare deberent, se diutiùs tueri non potest in his locis sine ope vestra, sine auxilio vestro. Quibus addo, quòd in hac Historia bellum refertur libertatis pietatisque causa susceptum, quale & vestrum est; in quo tam multa conveniunt ut jure merito vos appellare quis possit hujus ævi Hasmonæos, quorum ope & auxiliis nostri temporis Machabæus, adjutus è cœlo & à fratribus, quorum plerique pugnando fortiter occubuerunt, leges patrias vindicavit adversùs hostem præpotentem. Ei successit filius patre in bello felicior, cujus ductu (temporis opportunitate usi) rempub. vestram ad eam felicitatem perduxistis ut major in terris sperari non possit. Deus det ut sit perpetua, si quid perpetuum esse potest in rebus humanis. Sed pecco in commoda populi vestri qui vos tam longâ oratione detineo. Finiam igitur, si priùs hunc meum laborem sanè improbum de meliore nota commendavero: Quem si in patrocinium vestrum suscipere & adversùs invidos tueri non gravabimini, ego me summa omnia consecutum putabo. Quòd si insuper intellexero, aut ullo indicio id mihi exploratum fuerit, hoc qualecunque animi mei studium non omnino vobis improbari, ità testor, ità affirmo, me in hoc immenso ac profundo verbi Divini pelago, me, inquam, ad navigationem omni ex parte quàm optimè conficiendam præterea alios neque ventos neque remos magnopere requisiturum.

Digitized by Google

JOSEPHUS SCALIGER J. DRUSIO S.

Mitto tibi opus meum de Emendatione Temporum. Maturiùs habuisses, si maturiùs exisset. Mea non est hæc culpa, sed operarum Typographicarum. Quid tui sit judicii de hoc nostro labore exspecto. Utinam parem operam impendas in priorem Machabæorum quam in Siracidem impendisti. Quia potes, debes; & quia ad illud te hortor, noli laborem illum detrectare. Tu præstantiam ejus libri jamdudum scis, quæ res maximi momenti est ad opus aggrediendum. Quod ut facias, iterum rogo. Vale. III. Kal. Febr. Julianas. Lugduni Batavorum.

J. DRUSIUS JOSEPHO SCALIGERO S.

Ne te diu promissi mei exspectatione suspensum tenerem, Josephe Scaliger Vir Illustrissime, ultro ac libenter Commentarium meum in priorem Machabæorum evulgari nunc sum passus. De altero absolvendo quem in posteriorem inchoavi, an cuncter, & me dem iis Commentariis edendis quos in libros quosdam Canonicos conscripsi, vel an omnino me à scriptione omni sustineam, vehementer animi pendeo. Etenim tantam experior quotidie hominum ingratitudinem ut propemodum beatos ducam qui sibi tantùm canunt & Musis. Vereor quidem certè, nisi tu me subinde incitaveris, ut paulatim hic scribendi fervor aut refrigescat aut penitus exstinguatur. Enimvero si ut pergam meque bono animo esse jusseris, & si necessaria non defuerint, in hoc amplo ac spatioso, quod ingressus sum, rerum Sacrarum pelago, ad reliquum cursum rectè conficiendum, aliud præterea nihil desiderabo. Neque industriæ meæ obtrectatores, licèt equis virisque hoc conentur, me ab incepto unquam deterrebunt. Candidos homines & eruditos novi quàm plurimos, quibus non displicemus, quos amamus & colimus, & illis nostra lucubramus, non autem sycophantis istis malo publico natis, & portentis (ità tu vocas) generis humani.

Vale, & nos ama.

Honoratissimo Viro,

DOMINO

FRANCISCO WALSINGHAMO, EQUITI AURATO,

Majestatis Regiæ Secretario primo, ac Ducatus Lancastrensis Cancellario.

Ab eo usque tempore, Honoratissime Vir, quo de Sacrorum librorum translatione judicare posse cœpi, hoc semper meum judicium fuit, Si perfecta quæratur, eam non paucorum, nedum unius alicujus hominis, quantumvis magni & excellentis, opus esse. Etenim si unus aliquis tanto oneri fuisset par, non Hieronymus solùm nihil omisisset quod sequentes ætates desiderarent, sed multi etiam alii præstantes viri, qui totis suis viribus in eam rem incubuerunt, Ecclesiæ Christi fecissent satis. Jam verò ità est, neminem hactenus repertum esse qui Divinarum literarum mentem tam plenè pureque enucleavit quin adhuc earum plenior & absolutior interpretatio requiratur. Ob eam causam id contigisse crediderim, quod quæ res multorum, adeoque (si fieri posset) omnium, doctorum conjunctas operas postulavit, in ea vel singuli vel nimis pauci elaboraverunt. Neque tamen hoc à me dictum est cujusquam eorum reprehendendi causâ qui S. Scripturam ex lingua primæva traduxerunt: Etenim neminem esse ex illis puto qui non optimè de Ecclesia meruerit, cuique non magna laus tribuenda sit. Primum enim omnes hoc sibi propositum habuerunt, ut Christianæ Ecclesiæ laboribus suis prodessent: Deinde nullus profectò ex illis invenietur qui non aliquid saltem ad clariorem verbi Divini intelligentiam attulerit, ac suam quasi symbolam pleniori illius interpretationi non contulerit. Septuaginta interpretes qui vocantur, ut antiquitate, ita vera germanæ sententiæ declaratione quandoque sequentes omnes antecedunt. Hieronymus interdum reliquis ab eo dissentientibus melior est. Est ubi Lutherus palmam habet; est ubi Calvinus. Sua Castalioni nonnunquam laus est. Tremellio & Junio qui multa deberi negat, næ ille aut judicii expers videtur aut invidus. Idem de Pagnino, Munstero, Isidoro Clario, Vatablo, Leojuda, Mercero judico; scilicet unumquemque eorum quod priores lateret aliquid vidisse. Quamobrem, sive illorum voluntates & pia vota spectemus, magnâ laude digni sunt, quòd communi totius Ecclesiæ bono studuerint; sive ipsum tam sancti laboris fructum intueamur, maximæ illis gratiæ haberi debent, quòd sudore suo sacræ interpretationis opus tantum promoverint. Hoc solum optaverim, cùm magna inter eos dissensio sit, nec ullus eorum unus versionem ediderit quæ non suas maculas ha-

Digitized by Google

habeat, ac errorum quasi zizania inter puræ veritatis triticum, ut plurimi tandem periti artifices ad eam omnibus suis numeris absolvendam labores suos jungant. Nam tum demum ab omni parte beatam fore arbitror, si multorum collatis cum summa diligentia studiis, ex puris primarum linguarum fontibus, in opem etiam adductis præcedentium interpretum rivulis, derivata fuerit. Ut verò cum eo qui optandus est successu linguarum periti huc suos animos adjungant, summorum Principium ac magnorum procerum ad eos deligendos & convocandos authoritatem accedere necesse est: Eorum enim maxima ex parte hoc opus est. Ad quod si illius gloria, magnitudo & excellentia eos extimulare possit, est (ut alicubi Bibliander affirmat) non solùm templo Salomonis præstantius, sed omnibus aliis operibus majus, quæcunque vel potentissimi populi vel magnificentissimi Reges construxerunt. Ego verò quæ hujus tantæ rei spes sit, haud satis scio. Verum interea uniuscujusque officium esse statuo, sacræ versioni expoliendæ & Divinis eloquiis intelligendis quodcunque possit adjumenti suppeditare. Suppeditaverit autem plurimum, qui in tanta opinionum varietate, tenebris discutiendis, falsis refellendis, dijudicandis ac probandis veris lucem attulerit. Quapropter, cum post multam operam in Hebrææ linguæ studio collocatam, quod eo pertineret nonnihil observasse viderer, decrevi pro concessa mihi à Domino scientiæ mensura, his in rebus quam potero opellam studiosis dare. Illius vero specimen in quinque ex minoribus Prophetis explicandis præbui. Ac primùm quidem quod ad eorum translationem attinet, maxima ex parte Tremellianam retinui. Veruntamen, ut Poëta ait,

Nullius addictus jurare in verba magistri,

non ità me ei astrinxi quin, proposito Hebræo exemplari, libere quandoque vel meo ipsius judicio uterer; vel alterius alicujus sententiam sequerer, prout quæque primæ veritati aptior visa est. Deinde etiam annotationes adjeci, leviores illas quidem multorum opinione (est enim hoc explicationis genus ferè Grammaticum, quod à plurimis contemni solet) sed quas mihi persuasi ad veram multorum locorum intelligentiam utiles fore. Quod quidem sæpe aliàs quoque contingit, ut quæ viliora sunt ac parvi æstimantur usum maximè necessarium habeant. Hieronymus in suo galeato principio de interpretatione sua loquens, *In templo Dei*, inquit, *unusquisque offert quod potest. Alii aurum, argentum & lapides pretiosos, alii byssum & purpuram & coccum offerunt & hyacinthum: Nobiscum bene agitur si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur & ciliciis: ardoremque solis & injuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent.* Hæc ille. Quæ sane me multum confirmaverunt ut vel leviculum istud interpretationis quasi cilicium in Ecclesiæ usum offerre auderem, atque sperarem illud S. literarum studiosis profuturum esse. Quod si ità esse reipsa tandem comperero, stimulo mihi erit, volente Deo, quo provocatus alacriùs ad eundem modum pergam. Quid me ad istas lucubrationes in lucem emittendas adduxit, vides, Amplissime Vir. Ut vero eas tuo nomini dicarem & inscriberem, quæ me moverent multa erant. Tantum enim tuum est Euangelicæ veritatis studium, ea cura religionis, is erga literas amor, ea in literatos benignitas, ut vel his nominibus dignissimus viderere cui se literæ hoc genus officii debere testarentur. Atque hæ quidem causæ mihi cum aliis communes sunt. Alia est quæ me propiùs attingebat, atque huc potissimum impellebat, nimirum singularis tua erga me beneficentia. Cui enim potiùs quàm tibi, quibuscunque officiis potero, me observantiam debere profitear, qui optimè de me meritus es, & perliberali pensione meis rebus consuluisti? Cui potius quam tibi literarum munus à me consecrari oportuit, cujus benignitate his ipsis studiis ac literis meis meliùs est? Te igitur oro, Honorande Vir, ut pro tua quàm plurimis nota humanitate hoc qualecunque εὐχαριςίας erga te meæ monumentum boni consulas. Quod si, ut spero, feceris, priorem illam tuam erga me benevolentiam maximum incrementum cepisse putavero, quo tibi adhuc sim factus devinctior. Deum optimum precor ut te suis optimis donis abunde cumulatum diutissimè Ecclesiæ suæ nostræque Reipub. incolumen servet. Vale. Cantabrigiæ, quinto idus Januarii, Anno Christi MDLXXXVII.

Honori tuo addictissimus,

EDWARDUS LIVELEUS.

Indicium compendiorum quibus in Notis utimur.

Al. Aldina Biblia Venetiis impressa, A. 1518.
Ar. Argentorati, A. 1526.
B. Basileæ, A. 1545. *B. alt.* ibid. formâ 8. Anno 1551.
C. A. Cod. Augustan. M. S.
Co. Biblia Compluti edita in Hispania, A. 1517.
D. Sirachus à Jano Drusio editus A. 1596. Franekeræ.
E. Cod. M. S. Elect. Palatini.
Fr. Fragmentum M. S. variæ lectiones aliquot capitum è schedis Frid. Sylburgii.
H. Biblia typis H. Commelini, A. 1587.
L. Sirachus à Joach. Cam. editùs Basileæ. A. 1551. & Lipsiæ cum interpretatione, A. 1568.
M. Sirachus interprete Matthia Bergio, excusus Holmæstadii, A. 1580.
N. Notæ. verbi gratia, *N. R.* Notæ Romanis Bibliis adjectæ.
P. Biblia typis Chr. Plantini, Antverpiæ, A. 1572.
Q. l. Quidam libri è Notis Rom. Bibl.
R. Biblia edita Romæ, A. 1587.
St. Biblia Parisiis impressa à R. Stephano, A. 1555.
W. Biblia è typographeio Wechelorum, A. 1597.

Magni-

Magnifico Domino, Virtute ac Prudentia ornatissimo,

ANDREÆ BOHEMO

N. seniori, Mæcenati literarum honorando,

DAVID HOESCHELIUS

AUGUSTANUS

S. P. D.

QUod Philosophus ille Peripateticus scribit, *Non parum referre hocne an illo à pueris modo assuescamus, quin totum in eo positum esse*; quodque Academiæ inquit Princeps, *Ab ineunte statim ætate junioribus inculcandum, Non esse eis fas aurum foris gestare, neque omnino possidere, cum ornatum intus in animis auro contra longe insigniorem habeant*; id scite quidem dicitur, verum ex illorum myrotheciis & officinis peti nunquam potest. Nam eruditorum in Latio coryphæus, qui ex istorum Magistrorum fontibus doctrinam hausit omnem, diurnis & nocturnis studiorum laboribus perfunctus, tantum sibi adhuc deesse animadvertit ut non dubitaret scribere, *Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa quæ aliqua ex parte cerni videantur hebetes & obtusi.* Unde igitur salutaria vitæ ac morum præcepta erunt sumenda, quibus ætas puerilis à teneris unguiculis imbuatur? unde decus atque ornamentum animi, auro & gemmis pretiosius apiscendum? non è Lyceo, non ex Callirrhoe Attica, non ex hortis ejus qui noluit subveniri erroribus, sed ex Academia cœlesti illa ex fontibus Israëliticis, è Sacrarum literarum paradiso. Hinc enim habere licet oracula, non ab Apolline Delphico (qui Ἀπολλύων & est & dicitur) edita, sed Mosi, Prophetis atque Apostolis à Numine vere Divino dictata. Id genus liber est etiam *Ecclesiasticus*, ab autore ita concinnatus ut nulli non hominis ætati viam & apertam & directam ad bene beateque vivendum sternat, quæ sola est vera sapientia. Hujus aurei opusculi nactus exemplum ex Augustana Bibliotheca vetus, hinc, nec non è Clem. Alexandrino, Jo. Chrysostomo & aliis qui Siracidæ utuntur testimoniis, loca quædam illustrare sum conatus; Quam feliciter, ex Notis æquus lector judicium faciat. Cum porro præter M. S. Cod. Aug. variæ mihi & Bibliorum & Sirachi seorsum expressi editiones ad manum fuerint, Romanam vero sim potissimum secutus, lectione libri veteris vel ad oram annotata, vel contextui quidem inserta, sed asterisco & literis C. A. margini adpositis, ubi ab hac nostra aliæ vel facerent vel dissiderent, indicari operæ pretium duxi. Non autem sum omnium ubique testimoniis usus (nam Complutensia, Antverpiana, Commeliniana sibi respondere invicem, ut & Aldina, Argentoratensia, Basileensia, conferendo animadverti) sed quando alicubi diversum quid à cæteris suppeditatum fuit. Hæc sub tuo, Vir præstantissime, nomine prodire in lucem volui, cum constet hoc te librorum genere non tantum quam maxime delectari, sed nulli etiam sumptui parcere quo in pietatis & literarum disciplinis bonæ indolis ac spei adolescentuli subinde exerceantur. Quod si plura ejusceemodi opera edi, aut nova erui & à situ vindicari exoptes, fac, quæso, ut qua tua liberalitate tot in hunc usque diem aluntur liberalia ingenia, eadem provehantur & juventur labores etiam typographici. Quo beneficio Remp. literariam tibi æternum devincies, imitatus in hoc (ne longius abeam) nobiliss. & ampliss. Viros, M. Velserum Duumvirum Augustanum, Bonaventuram Bodeccerum Elcoviæ, & Carolum Rehlingerum in Burkwalden Dominos; quorum munificentia, ut & ornatissimi viri Melchioris Erhardi, hic non pauca sunt impressa. Plura non addo, ne de animo tuo ad bene merendum de Ecclesia & Scholis promptissimo subdubitare videar. Quod igitur reliquum, Deum Opt. Max. precor ut te bonarum literarum patronum quam diutissime incolumem conservet. Augustæ Vind. 13. Cal. Junii, A.S.N. MDCIV.

ATHANASIUS Synopsi S. S.

Ὁμοῦ τὰ κανονιζόμενα τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία κβ', ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι τῶν Ἑβραίων. τοσαῦτα γὰρ εἰσι παρ' αὐτοῖς τὰ στοιχεῖα· ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία τῆς αὐτῆς παλαιᾶς διαθήκης, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις, ταῦτα, Σοφία Σολομῶντος, οὗ ἡ ἀρχὴ, Ἀγαπήσατε δικαιοσύνην οἱ κρίνοντες τὴν γῆν· Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ, οὗ ἡ ἀρχὴ, Πᾶσα σοφία παρὰ Κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα. Sunt itaque Canonici V. T. libri 22, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alii ejusdem V. T. libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur; SAPIENTIA SALOMONIS, cujus exordium est, *Diligite justitiam qui judicatis terram*; SAPIENTIA JESU FILII SIRACH, cujus initium est, *Omnis sapientia à Domino est, & cum ipso est in seculum.*

Ἐκ τῆς λθ'· ἑορταστικῆς ἐπιστολῆς τοῦ αὐτοῦ.

Ἀλλ' ἕνεκά γε πλείονος ἀκριβείας προστίθημι καὶ τοῦτο, γράφων ἀναγκαίως, ὡς ὅτι ἐστὶ καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις, καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον, Σοφία Σολομῶντος καὶ Σοφία Σιρὰχ, καὶ Ἐσθὴρ, καὶ Ἰουδὶθ, καὶ Τωβίας, καὶ Διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων, καὶ ὁ Ποιμήν. Sed majoris evidentiæ causa adjiciam & hoc, necessario scribens, Quod etiam alii libri sint extra hosce enumeratos, qui non quidem Canonem constituunt, sed propositi sunt à Patribus legendi eis qui primum accedunt & simpliciter edoceri volunt sermonem pietatis; Sapientia Solomonis, & Sapientia Sirach, & Esther, & Judith, & Tobias, & Doctrina quæ vocatur Apostolorum, & Pastor.

EPI-

Digitized by Google

AD NOTAS IN ECCLESIASTICUM.

EPIPHANIUS l. 1. contra hæreses.

E'Iσὶ δὲ καὶ ἄλλαι δύο βίβλοι παρ' αὐτοῖς [τοῖς Ιεδαίοις] ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἡ Σοφία τοῦ Σιράχ, καὶ ἡ τοῦ Σαλομῶντος. Sunt & alii duo libri apud Judæos controversi, Sapientia Sirach, & Solomonis.

GEORG. CEDRENUS.

ΠΤολεμαῖος ὁ Ευεργέτης, ὁ Φιλαδέλφε καὶ Αρσινόης, ἐβασίλευσεν ἔτη κς'. [κδ'. Epiphan. p. 563.] κατὰ τούτες τοὺς χρόνες Iησοῦς ὁ τῦ Σιράχ, ὁ τὴν Σοφίαν συγγράψας, παρ' Ἑβραίοις ἐγνωρίζετο. Ptolemæus Euergetes Philadelphi & Arsinoæ F. regnavit annos 26. [24. Epiph.] Eo tempore Jesus Sirachi F. qui Sapientiam scripsit, apud Hebræos celebris fuit.

IDEM.

ΠΤολεμαῖος ὁ Ευεργέτης. ἐφ' οὗ τὴν πανάρετον Σοφίαν συντάξας Ἑβραίοις Iησοῦς ὁ τοῦ Σιράχ ἐγνωρίζετο. Ptolemæus Euergetes, sub quo Jesus Sirachi F. innotuit, qui librum de Sapientia præstantissimum Hebræis composuit.

CYPRIANUS Exposit. Symboli Apostol.

SCiendum tamen est quod & alii libri sunt qui non sunt Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus adpellati sunt; ut est Sapientia quæ dicitur Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Sirach: qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo *Ecclesiasticus* appellatur, quo vocabulo non auctor libelli sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Judith, & Machabæorum libri. In Novo vero Testamento libellus qui dicitur Pastoris sive Hermes, qui adpellatur Duæ viæ, vel Judicium secundum Petrum: quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.

D. HIERONYMUS.

FErtur & Panaretos Jesu filii Sirach liber, & alius pseudepigraphus qui *Sapientia Salomonis* inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non *Ecclesiasticum*, ut apud Latinos, sed *Parabolas* prænotatum. Cui juncti erant Ecclesiastes & Canticum canticorum: ut similitudinem Salomonis non solum librorum numero sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet: & nonnulli Scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit; sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

D. AUGUSTINUS, l. 17. c. 20. De Civitate Dei.

PRophetasse etiam ipse [Salomon] reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in authoritatem Canonicam, Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum canticorum. Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem ut Solomonis dicantur obtinuit consuetudo: Non autem esse ipsius, non dubitant doctiores. Eos tamen in autoritatem maxime Occidentalis antiquitus recepit Ecclesia.

IDEM libro De cura pro mortuis.

LIber Ecclesiasticus, quem Jesus F. Sirach scripsisse traditur, & propter eloquii nonnullam similitudinem Salomonis pronunciatur.

IDEM, l. 1. q. 2. ad Simplicianum.

ESt locus quidam Scripturæ ad rem de qua nunc agimus maxime necessarius, eadem quæ tractata sunt mira contestatione confirmans, in eo libro qui ab aliis Jesus Sirach, ab aliis Ecclesiasticus dicitur.

ATHANASIUS Synopsi S. literarum.

IΗσοῦς οὗτος [a] Σιράχ μὲν ἦν υἱὸς, ἔγγονος δὲ Ιησοῦ ὁμωνύμε αὐτῷ· οὗτος οὖν ἐν χρόνοις [b] κάτω γέγονε μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν καὶ ἀνάκλησιν, καὶ μετὰ τοὺς προφήτας [σχεδὸν] ἅπαντας. Ὁ οὖν πάππος αὐτοῦ Iησοῦς, καθὰ [καὶ] αὐτὸς μαρτυρεῖ, φιλόπονός τε γέγονεν [ὁ] ἀνὴρ [ἐν Ἑβραίοις] καὶ φρονιμώτατος· ὃς οὐ μόνον τὰ ἑτέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ συνετῶν ἀνδρῶν ἀποφθέγματα συνήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἴδιά τινα ἀπεφθέγξατο πολλῆς συνέσεως καὶ σοφίας γέμοντα. Ἐπεὶ οὖν τὴν βίβλον ταύτην ὁ πρῶτος

Iησοῦς

[a] σιράχ. [b] γέγονε κάτω.

Digitized by Google

Magnifico Domino, Virtute ac Prudentia ornatissimo,

ANDREÆ BOHEMO

N. seniori, Mæcenati literarum honorando,

DAVID HOESCHELIUS

AUGUSTANUS

S. P. D.

QUod Philosophus ille Peripateticus scribit, *Non parum referre hocne an illo à pueris modo assuescamus, quin totum in eo positum esse*; quodque Academiæ inquit Princeps, *Ab ineunte statim ætate junioribus inculcandum, Non esse eis fas aurum foris gestare, neque omnino possidere, cum ornatum intus in animis auro contra longe insigniorem habeant*; id scite quidem dicitur, verum ex illorum myrotheciis & officinis peti nunquam potest. Nam eruditorum in Latio coryphæus, qui ex istorum Magistrorum fontibus doctrinam hausit omnem, diurnis & nocturnis studiorum laboribus perfunctus, tantum sibi adhuc deesse animadvertit ut non dubitaret scribere, *Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa quæ aliqua ex parte cerni videantur hebetes & obtusi.* Unde igitur salutaria vitæ ac morum præcepta erunt sumenda, quibus ætas puerilis à teneris unguiculis imbuatur? unde decus atque ornamentum animi, auro & gemmis pretiosius apiscendum? non è Lyceo, non ex Callirrhoe Attica, non ex hortis ejus qui noluit subveniri erroribus, sed ex Academia cœlesti illa ex fontibus Israëliticis, è Sacrarum literarum paradiso. Hinc enim habere licet oracula, non ab Apolline Delphico (qui Ἀπολλύων & est & dicitur) edita, sed Mosi, Prophetis atque Apostolis à Numine vere Divino dictata. Id genus liber est etiam *Ecclesiasticus*, ab autore ita concinnatus ut nulli non hominis ætati viam & apertam & directam ad bene beateque vivendum sternat, quæ sola est vera sapientia. Hujus aurei opusculi nactus exemplum ex Augustana Bibliotheca vetus, hinc, nec non è Clem. Alexandrino, Jo. Chrysostomo & aliis qui Siracidæ utuntur testimoniis, loca quædam illustrare sum conatus; Quam feliciter, ex Notis æquus lector judicium faciat. Cum porro præter M. S. Cod. Aug. variæ mihi & Bibliorum & Sirachi seorsum expressi editiones ad manum fuerint, Romanam vero sim potissimum secutus, lectione libri veteris vel ad oram annotata, vel contextui quidem inserta, sed asterisco & literis C. A. margini adpositis, ubi ab hac nostra aliæ vel facerent vel dissiderent, indicari operæ pretium duxi. Non autem sum omnium ubique testimoniis usus (nam Complutensia, Antverpiana, Commeliniana sibi respondere invicem, ut & Aldina, Argentoratensia, Basileensia, conferendo animadverti) sed quando alicubi diversum quid à cæteris suppeditatum fuit. Hæc sub tuo, Vir præstantissime, nomine prodire in lucem volui, cum constet hoc te librorum genere non tantum quam maxime delectari, sed nulli etiam sumptui parcere quo in pietatis & literarum disciplinis bonæ indolis ac spei adolescentuli subinde exerceantur. Quod si plura ejuscemodi opera edi, aut nova erui & à situ vindicari exoptes, fac, quæso, ut qua tua liberalitate tot in hunc usque diem aluntur liberalia ingenia, eadem provehantur & juventur labores etiam typographici. Quo beneficio Remp. literariam tibi æternum devincies, imitatus in hoc (ne longius abeam) nobiliss. & ampliss. Viros, M. Velserum Duumvirum Augustanum, Bonaventuram Bodeccerum Elcoviæ, & Carolum Rehlingerum in Burkwalden Dominos; quorum munificentia, ut & ornatissimi viri Melchioris Erhardi, hic non pauca sunt impressa. Plura non addo, ne de animo tuo ad bene merendum de Ecclesia & Scholis promptissimo subdubitare videar. Quod igitur reliquum, Deum Opt. Max. precor ut te bonarum literarum patronum quam diutissime incolumem conservet. Augustæ Vind. 13. Cal. Junii, A.S.N. MDCIV.

ATHANASIUS Synopsi S. S.

Ο'Μῦ τὰ κανονιζόμενα τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία κβ, ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι τῶν Ἑβραίων. τοσαῦτα γὰρ εἰσι παρ' αὐτοῖς τὰ ϛοιχεῖα· ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία τῆς αὐτῆς παλαιᾶς διαθήκης, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις, ταῦτα, Σοφία Σολομῶντος, οὗ ἡ ἀρχὴ, Ἀγαπήσατε δικαιοσύνην οἱ κρίνοντες τὴν γῆν· Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ, οὗ ἡ ἀρχὴ, Πᾶσα σοφία παρὰ Κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐςιν εἰς τὸν αἰῶνα. Sunt itaque Canonici V. T. libri 22, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alii ejusdem V. T. libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur; SAPIENTIA SALOMONIS, cujus exordium est, *Diligite justitiam qui judicatis terram*; SAPIENTIA JESU FILII SIRACH, cujus initium est, *Omnis sapientia à Domino est, & cum ipso est in seculum.*

Ἐκ τῆς λθ' ἑορταςικῆς ἐπιςολῆς τοῦ αὐτοῦ.

Α'Λλ' ἕνεκά γε πλείονος ἀκριβείας προςίθημι καὶ τοῦτο, γράφων ἀναγκαίως, ὡς ὅτι ἐςὶ καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις, καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον, Σοφία Σολομῶντος καὶ Σοφία Σιράχ, καὶ Ἐσθὴρ, καὶ Ἰουδὶθ, καὶ Τωβίας, καὶ Διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποςόλων, καὶ ὁ Ποιμήν. Sed majoris evidentiæ causa adjiciam & hoc, necessario scribens, Quod etiam alii libri sint extra hosce enumeratos, qui non quidem Canonem constituunt, sed propositi sunt à Patribus legendi eis qui primum accedunt & simpliciter edoceri volunt sermonem pietatis; Sapientia Solomonis, & Sapientia Sirach, & Esther, & Judith, & Tobias, & Doctrina quæ vocatur Apostolorum, & Pastor.

EPI-

Digitized by Google

AD NOTAS IN ECCLESIASTICUM.

EPIPHANIUS l. 1. contra hæreses.

Ἐισὶ δὲ καὶ ἄλλαι δύο βίβλοι παρ' αὐτοῖς [τοῖς Ἰουδαίοις] ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἡ Σοφία τοῦ Σιράχ, καὶ ἡ τοῦ Σολομῶντος. Sunt & alii duo libri apud Judæos controversi, Sapientia Sirach, & Solomonis.

GEORG. CEDRENUS.

Πτολεμαῖος ὁ Ἐυεργέτης, ὁ Φιλαδέλφου καὶ Ἀρσινόης, ἐβασίλευσεν ἔτη κς'. [κδ'. Epiphan. p. 563.] κατὰ τούτους τοὺς χρόνους Ἰησοῦς ὁ τοῦ Σιράχ, ὁ τὴν Σοφίαν συγγράψας, παρ' Ἑβραίοις ἐγνωρίζετο. Ptolemæus Euergetes Philadelphi & Arsinoæ F. regnavit annos 26. [24. Epiph.] Eo tempore Jesus Sirachi F. qui Sapientiam scripsit, apud Hebræos celebris fuit.

IDEM.

Πτολεμαῖος ὁ Ἐυεργέτης. ἐφ' οὗ τὴν πανάρετον Σοφίαν συντάξας Ἑβραίοις Ἰησοῦς ὁ τοῦ Σιράχ ἐγνωρίζετο. Ptolemæus Euergetes, sub quo Jesus Sirachi F. innotuit, qui librum de Sapientia præstantissimum Hebræis composuit.

CYPRIANUS Exposit. Symboli Apostol.

SCiendum tamen est quod & alii libri sunt qui non sunt Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus adpellati sunt; ut est Sapientia quæ dicitur Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Sirach: qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo *Ecclesiasticus* appellatur, quo vocabulo non auctor libelli sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Judith, & Machabæorum libri. In Novo vero Testamento libellus qui dicitur Pastoris sive Hermes, qui adpellatur Duæ viæ, vel Judicium secundum Petrum: quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.

D. HIERONYMUS.

FErtur & Panaretos Jesu filii Sirach liber, & alius pseudepigraphus qui *Sapientia Salomonis* inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non *Ecclesiasticum*, ut apud Latinos, sed *Parabolas* prænotatum. Cui juncti erant Ecclesiastes & Canticum canticorum: ut similitudinem Salomonis non solum librorum numero sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet: & nonnulli Scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit; sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

D. AUGUSTINUS, l. 17. c. 20. De Civitate Dei.

PRophetasse etiam ipse [Salomon] reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in authoritatem Canonicam, Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum canticorum. Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem ut Solomonis dicantur obtinuit consuetudo: Non autem esse ipsius, non dubitant doctiores. Eos tamen in autoritatem maxime Occidentalis antiquitus recepit Ecclesia.

IDEM libro De cura pro mortuis.

LIber Ecclesiasticus, quem Jesus F. Sirach scripsisse traditur, & propter eloquii nonnullam similitudinem Salomonis pronunciatur.

IDEM, l. 1. q. 2. ad Simplicianum.

ESt locus quidam Scripturæ ad rem de qua nunc agimus maxime necessarius, eadem quæ tractata sunt mira contestatione confirmans, in eo libro qui ab aliis Jesus Sirach, ab aliis Ecclesiasticus dicitur.

ATHANASIUS Synopsi S. literarum.

Ἰησοῦς οὗτος, Σιρὰχ[a] μὲν ἦν υἱός, ἔγγονος δὲ Ἰησοῦ ὁμωνύμου αὐτῷ· οὗτος οὖν ἐν χρόνοις[b] κάτω γέγονε μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν καὶ ἀνάκλησιν, καὶ μετὰ τοὺς προφήτας [σχεδὸν] ἅπαντας. Ὁ οὖν πάππος αὐτοῦ Ἰησοῦς, καθὰ [καὶ] αὐτὸς μαρτυρεῖ, φιλόπονός τε γέγονεν [ὁ] ἀνὴρ [ἐν Ἑβραίοις] καὶ φρονιμώτατος· ὃς οὐ μόνον τὰ ἑτέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ συνετῶν ἀνδρῶν ἀποφθέγματα συνήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἴδιά τινα ἀπεφθέγξατο πολλῆς συνέσεως καὶ σοφίας γέμοντα. Ἐπεὶ οὖν τὴν βίβλον ταύτην ὁ πρῶτος

Ἰησοῦς

[a] σιράχ. [b] γέγονε κάτω.

Ἰησοῦς σχεδὸν τι συνειλεγμένην καταλιπὼν ἐξ ἀνθρώπων ᾤχετο, Σιρὰχ [a] οὗτος μετ᾽ αὐτὸν πάλιν λαβὼν τῷ οἰκείῳ παιδὶ κατέλιπεν Ἰησοῦ· ὃς δὴ ταύτης λαβόμενος, εἰς ἓν ἅπασαν ἐναρμόνιον σύνταγμα [b] συνήγαγεν, Σοφίαν ἐπί τε [τῷ] αὐτοῦ, καὶ τῷ τοῦ πατρὸς, [ἀλλὰ μὴν] καὶ τῷ [τοῦ] πάππου ὀνόματι [c] κεκληκὼς, ἐξ αὐτοῦ τοῦ τῆς Σοφίας ὀνόματος ἀγαπητῶς μᾶλλον ἔχειν τὸν ἀκροατὴν πρὸς τὴν αὐτῆς τῆς βίβλου μελέτην ἐπισπώμενος. Λόγους οὖν Φρονήσεως, αἰνίγματά τε καὶ παραβολὰς περιέχει, καὶ μερικάς τινας παλαιὰς θεοφιλεῖς ἱστορίας περί τε ἀνδρῶν εὐαρεστησάντων τῷ Θεῷ, καὶ εὐχὴν καὶ ὕμνον [d] αὐτοῦ· ἔτι δὲ ὧν ὁ Θεὸς εὐεργεσιῶν ἠξίωσε τὸν λαὸν αὐτοῦ, καὶ ὧν ἔπλησε κακῶν τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν· Ὁ παῖς τοῦ Σολομῶντος οὗτος ὁ Ἰησοῦς [e] γέγονεν, οὐδὲν ἧττον ἐκείνου περὶ τὴν σοφίαν καὶ παιδείαν [f] εὐδοκιμήσας, πολυμαθὴς ἀληθῶς καὶ ὢν καὶ καλούμενος.

[a] ὁ υἱὸς μετ᾽. [b] ποιησάμενος. [c] ἐπικέκληκεν. [d] αὐτῶν. [e] γεγονώς. [f] ἠρίστευσε.

JESUS hic Sirach quidem fuit filius, nepos autem Jesu ejusdem nominis sibi. Hic igitur temporibus inferioribus fuit post captivitatem & revocationem, & post Prophetas (fere) omnes. Ergo avus ejus Jesus, sicut & ipse testatur, laborisque amator fuit vir inter Hebræos & prudentissimus: qui non solum aliorum qui ante eum prudentum virorum sapienter dicta collegit, sed & ipse propria quædam dictavit multæ intellectionis & sapientiæ plena. Postquam igitur librum hunc primus Jesus fere collectum relinquens ex hominibus abiit, Sirach [a] hic post illum rursus accipiens suo filio reliquit Jesu: qui quidem eum amplectens, in unam omnem concinnam constructionem collegit, Sapientiam tam suo quam patris atque etiam avi nomine vocans, ipso Sapientiæ nomine ut auditor ad majorem libri hujus curam amanter suscipiendam alliceretur. Sermones igitur prudentiæ, ænigmataque & parabolas continet, & particulares quasdam antiquas Divinas historias, deque viris qui bene placuerunt Deo, & orationem & hymnum [b] ejus: Præterea quibus Deus beneficiis dignatus sit populum suum, & quibus repleverit malis inimicos eorum. Sectator Salomonis hic Jesus fuit, nihilo minus illo ob sapientiam & disciplinam approbatus, multiscius verè & existens & vocatus.

[a] *Filius post.* [b] *Eorum.*

CENSURA
VULGATÆ

Atque à Tridentinis Canonizatæ

VERSIONIS

Quinque Librorum Mosis.

Ubi non tantum centeni aliquot errores ordine deteguntur: ex fontibus, antiquorum Interpp. Græcorum & Chaldæorum collatione, collectisque ipsorum Papistarum confessionibus, convelluntur: Dogmata ex iis in Papatu orta ostenduntur: Sed & quid difficilioribus in locis tenendum sit, docetur: aliaque ad SS. Literarum intelligentiam pertinentia traduntur.

AUCTORE

SIXTINO AMAMA Frisio.

Illu-

Digitized by Google

Illustri & Generoso Heroi,

GULIELMO LUDOVICO,

Comiti Nassoviæ &c. Frisiæ, Groningæ, Omlandiæ, Gubernatori.

NEC NON

Illustribus, Præpotentibus & Nobiliss. Illustriss.

FRISIÆ ORDINUM

DEPUTATIS.

ITEMQUE

Nobiliss. Magnificis & literatiss. viris,

ACADEMIÆ PATRIÆ

CURATORIBUS,

Dominis & Patronis meis colendiss.

Has laborum primitias

L. M. Q. D. D. D.

SIXTINUS AMAMA.

Generose D. Comes,

Illustres & Magnifici Viri,

QUoties patior oculum cogitationum mearum expatiari in Historiæ Ecclesiast. campos, toties demirari illud soleo, quid Rom. Ecclesiæ superstitionem tot populis superinduxerit, quidve eam à tot jam retro annis tot vulneribus sauciatam, tot membris truncatam, atque indies magis magisque defetiscentem, etiamnum fulciat & sustentet. Omnia *παχυτέρως* consideranti, post occulta Dei judicia, exhibet se humana major quædam fraus, eaque adeo multiplex, adeo serpentina, ut digito & visceribus Dei ascribendum putem, Germanos, Belgas, Anglos, Danos, Bohemos, aliosque aliquot præterea populos ex his plusquam Cimmeriis Ægyptiacisque tenebris tandem fuisse eluctatos. Ecce enim primo ab Eccl. Romana verbo divino assuti sunt (*a*) libri quidam, (*b*) Patribus & plerisque Scholasticis habiti, Apocryphi, (*c*) *& lacera quædam lacinia, pannosaque additamenta*, nec non (*d*) Traditiones Pseudo-Apostolicæ; atque ut hæc omnia pari cum indubitato Dei verbo passu incederent, sancitum. 2. Ne sic quidem fiduciam & securitatem sibi spondere ausa, Primigenia divinitusque inspirata Scriptura res suas sibi habere jussa, obtrusa (*e*) vulgata quædam (*f*) incerti authoris versio, eaque sola in omni salutis negotio jussa recipi, cautumque ne ullo prætextu rejiceretur. Quo denique versioni isti novum illud maneret æstimium, in fontes strenue, quasi è plaustro, convitia jacta sunt, (*g*) persuasumque vulgo, eos Judæorum perfidia collutulatos & infectos esse, (*h*) Hæreticos & Judæos evadere, quotquot linguas Originales discerent: (*i*) Paulum & Joh. barbarum & inquinatum quiddam Græce, Prophetasque inurbanum quiddam & rusticum Ebraice sonuisse. 3. Omnem Scripturæ authoritatem ab (*k*) Ecclesia pendere inculcatum; cautumque, ne quis eam adversus (*m*) Matris Ecclesiæ i. (*n*) Concilii vel Papæ (hic enim semper desinit speciosus ille Ecclesiæ obtentus) mentem explicare præsumeret. Quod stratagema ut felicius succederet, à parte Papæ id egere magno molimine, populus ut crederet, (*n*) Papam errare non posse, eumque id privilegii possidere, ut, (*o*) *licet adeo illiteratus sit, ut Grammaticam nesciat*, (*p*) *infallibiliter definiat tamen, sive in judicando diligentiam adhibeat, sive indiligens sit;* (*q*) *& licet in mediis & argumentis*

Digitized by Google

hallucinari possit, in concludendo tamen nunquam impingat, ut (r) concilia nulla ullius authoritatis esse queant, nisi ab ipso approbata. A parte Scripturæ, omnes ingenii vires advocavere, quo Scripturæ (s) obscuritatem & (t) insufficientiam exaggerarent, nihilque reliquum factum, quod faceret absterrendis à Scripturarum lectione Laicorum animis. 4. (u) Juris Canonici decretum, quo omni de Religione collatione Laicis omnibus erat interdictum, severe fuit observatum. Et quia merito dubitari poterat, plusne hic liceret Laico, etiam in Sacris versatissimo, quam clerico illiterato, (x) definitum est, legem illam strictissime observandam, Laicumque habendum omnem, qui nullis Ecclesiasticis ordinibus esset initiatus. Quinto, Nec enim hic impudentia, postquam ei semel laxatæ habenæ, substitit, ut Gregi Dominico omnino excuterentur Scripturæ, prohibitum est, ne ipsa illa vulgata, nedum originalis & θεόπνευστος textus, in Linguas vernaculas transfunderetur. Quippe (y) Gregorius VII. Uladislao Bohemorum duci scribens, diserte prohibuit, Scripturam in Bohemicam linguam transferri. Et (z) Hispaniæ Reges sub gravissimis pœnis prohibuere, ne quis S. literas in vernaculam transferret, aut translatas retineret. Et nostro ævo (1) Azorius Jesuita non erubuit asserere, præclare id factum, (2) MINIMEQUE EXPEDIRE, *ut S. Litera in vernaculas linguas transferantur*. Quid enim hoc aliud, quam non expedire ut Laici Scripturam legant? At videntur postmodum Pontifices non exigua necessitate huc tandem compulsi, ut aliquantulum de hac tyrannide remitterent. Insurgebant nationes integræ, sibique negari non posse urgebant, quod Dalmatis, Ruthenis &c. olim concessum fuit, & quidem, si (3) Æneæ Sylvio & (4) Crommero credimus, non sine numine. Referunt enim illi, & ex illis non contradicens (5) Azorius, cum Romæ essent qui Pontifici persuadere satagerent, ne ea in re gentibus illis gratificaretur, auditam coelitus vocem, *Omnis Spiritus laudet DOMINUM & omnis lingua confiteatur ei.* Hæc & alia expugnavere tandem Pontificis pertinaciam hactenus, ut ex duobus malis eligendum sibi minimum ratus, S. Literas vernacule jam versas & impressas, quibusdam in locis, non cuivis sine discrimine, sed (6) paucis quibusdam legendas permiserit. Unde & illud evenit, ut status controversiæ postmodum à quibusdam mutatus sit, conclusumque à plerisque, *versiones vernaculas nec damnandas simpliciter, nec quoque simpl. permittendas; non expedire ut à QUOVIS SINE DISCRIMINE legantur.* Cujus rei vel (7) solus Bell. testis esse potest. Ut vel hinc appareat, eo ferri purpuratos illos Gnathones, quo Papa vexillum explicat. Quales autem esse debuerint, quibus licuit adire hanc Corinthum, Regula ista jam sub litera f. in margine annotata edisserit, vid. quos Episcopus aut Inquisitor, adhibito in concilium Parocho, non damnum sed utilitatem inde percepturos judicaret, & facultate in scriptis instrueret. Ubi & Bibliopolis posita severa Lex est, ne limites istius facultatis excederet hominum, ut illi vocabant, curiositas. Hæc autem facultas, si bene capio (8) Azorium, omnino postea fuit revocata. Docet enim, in Indice Clementis VIII. jussu edito, ad prædictam Regulam Pii IV. hanc additam observationem, vid. per impressionem eam & editionem, nullam de novo tribui facultatem Episcopis vel Inquisitoribus, vel Regularium superioribus, concedendi licentiam, emendi, legendi aut retinendi vulgaria Biblia, *cum hactenus*, hæc ejus formalia sunt, *mandato & usu S. Romana & universalis Inquisitionis sublata iis fuerit facultas concedendi talem licentiam &c.* Et eodem capite sic ait Azorius, *Quæres, an Bibliorum libri & capita in vulgari lingua translata permittantur? Respondeo, primo aspectu in 4. Regula prohiberi solum, ne Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur legi: In Hispania tamen, in Indice librorum prohibitorum ibi edito authoritate Inquisitoris Generalis, regula VI. sic habet*, Prohibentur Biblia vulgaria cum omnibus suis partibus. *Et in Indice recenti, jussu Clementis 8. edito, sublata est facultas concedendi licentiam legendi vel retinendi Biblia vulgaria aut alias Scriptura tam N. quam V. T. (9) partes, quavis vulgari lingua editas.* Nihil jam dicam de tot ὑποβολιμαίοις, sanctisque Patribus & Conciliis suppositis (10) scriptis, de (11) castratis & ad Pontificum libidinem recoctis Patrum lucubrationibus. Nihil de tot prohibitorum librorum & expurgationum Indicibus, quibus ceu novi Ægyptii Israëlitarum tot fœtus contrucidarunt. Prætervehar quoque (12) edicta sanguinaria, intentatos & passim accensos rogos, cottidiana vivicomburia, quibus librorum prohibitorum, inter quos ipsa SS. Biblia, invectiones, venditiones & lectiones coercere sategerunt. Ea enim quæ à nobis relata jam sunt, illud evincunt, nihil ipsis fuisse propositum aliud, quam ut poculo isto abominationis inebriati tot populi profundissimo isto ignorantiæ veterno æternum manerent sepulti. Nos clariss. virorum hortatu ex præcipuis, quæ *ὡς ἐν παρόδῳ* jam attigimus, Religionis Rom. principiis, satis superque à Theol. nostris subversis, Vulg. versionem, novo scriptionis genere, aggressi sumus, prioremque nostri laboris partem, cum bono Deo, jam evulgamus.

Eam autem cur vobis, Generose D. Comes, Illust. & Mag viri, inscripserim, non est quod prolixe narrem, qui tot auctoramentis vobis obstrictus sum. Illud solum deposco, ut labor hic meus G. T. atque AA. VV. acceptus sit, propter materiam, quæ sacra; causam, quæ omnibus Euangelicis Ecclesiis communis; animumque meum, qui ad bene de Ecclesiis Reform. in hoc meo circo merendum est promtissimus. Eum si T. G. atque AA. VV. aliisque pie doctis probavero, aliorum περιεργολόγων securus sinam præterfluere judicia. Illud enim mihi persuasissimum, ex quorumlibet judiciis lætitiæ dolorisve causas sumere, eorum demum esse, qui turpissimæ Ambitioni, quam ego procul habeo, dixere sacramentum.

Valete viri Magni & feliciter gubernate. Franekeræ Fris. Nonis Martiis, 1620.

FRAN-

(a) *Concil. Trid. Sess.* 4. (b) *Eorum catalogum videre est apud Tuall. Rain. Lubbertum, Witaker. Morton. &c.* (c) *Formalia sunt Sixti Senensis Monachi, Biblioth. lib.* 1. *Sect.* 5. (d) *Concil. Trid. Sess.* 4. *Bell. cont.* 1. *l.* 4. (e) *Concil. Trid. ibid. Bell. cont.* 1. *lib.* 2. (f) *Videantur Prolegomena nostra cap.* 1. *ut add. Titelm. præf. in Epist. Pauli.* (g) *à Lindano, Cano & aliis, vid. Proleg.* (h) *Vid. Proleg. c.* 1. *& præf. Bernh. in orig. L. Latinæ.* (i) *Eudæmon. Joh. contra Casaub.* (k) *Concil. Trid. Sess.* 4. *Bell. contr.* 1. *l.* 2. (m) *Ibidem decret.* 2. (n) *Bellar. de Conc. & Papa. item Canus in locis Theol.* (o) *Alph. de Castro, loco in Proleg. cap.* 1. *citato.* (p) *Greg. de Valent. Anal. Fid.* 8. 3. (q) *Staplet. de Princ.* 8. 14. (r) *Bellarm. de Conc.* 2. 11. *& de Papa* 4. 1. (s) *Bellarm. de verbo Dei lib.* 3. (t) *De ea ex professo scripsit Card. Perron.* (u) *Cap. Quicunque §. Inhibemus, de Hæret.* (x) *Azorius Jes. Inst. Moral.* 8. 26. (y) *Olaus lib.* 16. 39. (z) *Alph. de Castro lib.* 1. *de cap.* 13. *de Hæresib.* (1) *Lib.* 8. 26. (2) *Sic quoque Harding. art.* 15. *Sect.* 5. *Molanus de Pract. Theol.* 3. 27. *& alii.* (3) *Cap.* 13. *hist. suæ.* (4) *De Rebus Polon. lib.* 3. (5) *Loco jam ante citato.* (6) *Regula* 4. *à Pio* IV. *& Deputatis Conc. Trid. facta.* (7) *De V. D. lib.* 2. 15. (8) *Loco jam citato.* (9) *Nominatim Evang. & Epistola dominicales, nec non precationum horariarum libelli, qui Psalmum vel Canticum aliquod ex S. Literis continent.* (10) *De his videndi Erasm. Capellus pro Casaub. Perkinsius in Probl. & qui ex professo hac de re nuperrime doctiss. Rivetus.* (11) *Videatur vel sola præf. Junii in Ind. Expurg.* (12) *Edict. Albani anno* 1570. *&* 1571.

Digitized by Google

FRANCISCUS GOMARUS

D. SIXTINO AMAMA.

S. P. D.

CEnsuras tuas, Eruditissime AMAMA, ad Vulgatam Pentateuchi Mosis versionem ad me missas, non sine fructu meo, nec sine voluptate magna, percurri. Quippe in iis non obscura pietatis, doctrinæ & modesti candoris, documenta elucere comperi: quæ, ut rara hoc ævo, sic in juvene, majorem admirationem & benevolentiam, promerentur. Pietatis enim non vulgaris esse duco, quod nec laboris, nec odii metus, neque operis, ære tuo excudendi, sumptus deterruerint, quominus, ad S. Literarum authoritatem vindicandam, vulgatæ versionis errores, à Conc. Tridentino profane stabilitos, retegeres, & confutares. Doctrinam verò, ut operis exordium, varia utilique lectione conditum prodit; sic par illius progressus, & linguæ & materiæ sacræ peritiam, spirat. Modestiam denique & candorem interpretor, partim, quod nonnulla Vulgato Interpreti, æquitatis studio, condonas: partim, quod rectè ab aliis observata suis auctoribus accepta feras, & inprimis clariss. doctoribus, Junio, Witakero, Sibrando, pro re nata, meritam laudem impertiaris. Quibus omnibus nominibus uti tua mirificè arrisit industria ac studium; sic nullus dubito, quin hic foetus eruditionis tuæ piis doctisque sit placiturus: adeoque stimulus accessurus justissimus, ut cœpta expolias, & reliqua, sancto gnavoque ausu prosequaris. Quod, uti reip. litterariæ nomine exopto, ita Deum quæso, ut Spiritu suo sanctis tuis conatibus aspiret, remque universam benè vertat. Vale. Groningæ, Anno MDCXX. Jan. XI.

SIXTINI AMAMA

IN

CENSURAM SUAM

PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

In quo æstimio apud Patres & Scholasticos veteres fuerint fontes. Ut sequiori ævo cum Latina versione commutati sint. Ejus rei occasio & caussæ. I. Ignorantia ling. & Barbaries. Quanta ea fuerit in Clero, etiam inter Inquisit. Episc. Papas & in Conciliis: testes producti Canus, Espenc. Bell. Alph. de Castro. II. Pertinax propositum hæreticis nihil concedendi. Pagnini versio cur non canonizata. Cur vulgata præ aliis. Speratum ex ea patrocinium errorum, quorum aliqui recensentur. An sit Hieron. dissensus Papistarum. Ubi Hieron. minus favet Papistis, minus fuit illustratus à Spir. S. Canonizationis canon ipso Alphonso judice hæreticus. Pugna Pap. de recursu ad fontes. Stupenda Eccl. Romanæ privilegia.

UNiversa (a) antiquitas, & post eam plerique Dd. Scholastici, textum Originalem V. & N. Foederis, constanter Ebraicæ, Græcæque veritatis titulo, condecorarunt, pulcherrimaque contesseratione eas prærogativas fontibus tribuerunt, quas omnes Protestantium Theologi, eis tribuendas hactenus contendere. Quin & ipse (b) Gratianus, tantæ apud Pontificios authoritatis vir, Canonicorum librorum fidem, ex Ebræis Græcisque voluminibus examinandam esse affirmavit. Verum sequiori ævo, Pontificum dominatione erroribusque paulatim incrementum sumentibus, ut in plerisque aliis, quæ prisci benè tradiderant, ita & hic, versæ sunt rerum vices. Ecce enim fontes à Judæis, hæreticisque corruptos temeratosque fictum est, vulgata nescio qua aut cujus substituta, in eamque omnes fontium prærogativæ translatæ sunt. Cujus

(a) *Eusebius Præp. Ev. 8. 2. Eus. Hist. Eccl. 3. 10. Orig. 8. apud Hier. in Jes. 6. August. de Civit. 15. 13. & contra Faust. 12. 13. & de Doct. Chr. 2. 11. Hier. ad Sun. & Fret. & in Zach. 8. & contra Helv. & Præf. in Pentat. Hilar. Ps. 119. in Lamed. Ambros. de Sp. S. 2. 6. Lyra. Burgensis, Doring. &c. passim.* (b) *Distinct. 9. cap. ut veterum. Vide & Dist. 76. cap. Jejunium.*

Cujus rei occasionem, causas progressumque paulò altius arcessere, ipsisque Papistarum verbis; ubi id fieri poterit, proponere est animus.

Circa Reformationis initia, ea adhuc inter Clericos dominabatur linguarum Originalium ignorantia & barbaries, ut, teste (c) Episcopo Espensæo, *in Latinis authoribus Græcè nosse suspectum fuerit, Ebraicè prope hæreticum. Lutherani contra*, ut refert Canus ex Cochlæo, *de peritia linguarum superbiebant. Quod si quis novitatibus eorum contradiceret, prætendebant statim lectionem Græcam vel Ebraicam, & continuò in Græcarum & Hebraicarum litterarum ignaros plenis conviciorum plaustris invehebantur.* (e) *Authores Scholasticos CCC integris annis linguarum ignorantia sola Latina contentos esse coëgerat; Et tamen hi in dogmatibus Theologicis confirmandis multum contulerant.* Ideoque nec hæreticæ pravitatis inquisitores decebat his esse Sapientiores. Nec videbantur itaque (f) *cogendi, ut in puniendis & refutandis hæreticis ad Græcam & Ebraicam VERITATEM, QUAM MINIME NOVERANT recurrerent.* Indignumque semper habitum est, (g) *à re PRORSUS INCOGNITA, gravissimi Tribunalis pendere judicium. Absurdumque Patribus istis visum, a nostratibus ad alienos. i. Ebræos & Græcos appellare, nec non Impium, ad Judæorum & Schismaticorum Senatum, referre Catholicæ fidei consultationem.* Quin & hoc maximè obstabat, quominus Catholici hæreticis hac in parte quicquam gratificarentur, (h) *quod hæretici, per Latinæ vulgatæ infirmationem, nihil aliud moliri viderentur, quam ut Inquisitores, qui Græcæ atque Ebraicæ linguæ ignorantia tenebantur, Scholastici, qui vulgato Interpreti fidem suam alligarunt, Sancti denique prisci, qui Ebr. linguæ peritia caruere, contemptui haberentur.* Porro si indicendum aliquando Concilium esset, metuendum erat, ne Episcopi & Abbates à cultu ventris abstracti, priusquam ad Concilium irent, linguam Ebræam & Græcam discere cogerentur. Et jam conciliorum aliquot, quæ se invicem exceperant, experientia docuerat, verissimum esse quod Bell. argumento IV. ad asserendam Vulgatæ versionis necessitatem & authoritatem affert, vid. (i) *In conciliis generalibus Ecclesiæ, aut paucissimos, aut interdum nullos, esse linguæ Ebrææ peritos.* Nec meliora de sui ævi Clero promittere sibi ausus fuit Paulus III. Ipsi Patres conscripti suæ tenuitatis sibi hac in parte probè conscii erant. Quàm inconsiderate & temere itaque fecissent, istas Editiones, quas illi ne legere quidem poterant, quas hæretici semper crepabant, quas plerisque erroribus suis obstare, vel ex nova Pagnini translatione colligebant, Si istas inquam Editiones declarassent authenticas? Quia vero sine authenticis Scripturæ Tabulis Ecclesiam esse non posse videbant, providendum Ecclesiæ de tali aliqua Editione putarunt, quam non omnes Laici (ἕως ἕως ἐςὶ βέβηλοι) sed omnes Episcopi intelligerent. LATINAM ergò delegerunt, quam ab omnibus Episcopis intelligi hoc ipso nobis voluere persuasum, licet (k) Alphonsus de Castro de plerisque Papis Episcoporum Episcopis asserat, *adeò fuisse illiteratos, ut Grammaticam* (Latinam arbitror eum intelligere) *penitus ignorarint.* Sed nec Latinam sine delectu. * Variæ Editiones Latinæ circumferebantur. *Pagninus ex ordine Præd. Monachus: cum animadvertisset* (verba sunt Senensis) *Vulgatam, vel temporum injuria, vel hominum incuria, maxima ex parte fuisse corruptam, Leone X. † HORTANTE, consultis optimis Ebræorum exemplaribus, quanta valebat fide & industria, omne V. T. ex Ebraica veritate, Latinitate donaverat.*

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ.

Nec eam instituto suo convenire arbitrabantur Patres. Quin & si forte convenisset, & hoc modo considerata, cum vulgata æquis passibus ambulasset, tamen honorem istum Pagnino ejusque versioni invidisset livor, qui tantum abest, ut ab Ordine sacro exulet, ut potius in eo, tanquam fundo hæreditario, sedem suam fixisse omnium sæculorum docuerit experientia. Ordinem quoque Prædicatorum (quæ tot jam retrò annis inter Ordines æmulatio) plus nimio tali Alumno superbiturum veriti sunt. Itum ergo ad Latinam veterem est, quam, annorum aliquot usu, plerisque Erroribus egregiè patrocinari, didicerant. Irrepserat in ejus Codices vox IPSA Gen. 3. Unde Invocationem Mariæ τῆς θεοτόκου stabiliverunt: Ex locis Gen. 6. & Luc. 2. 14. pravè conversis, viribus liberi Arbitrii quæsitum fuit velamentum. (l) Missam, (m) purgatorium, (n) Limbum, (o) Meritum congrui & condigni, (p) adorationem Sanctorum, (q) imaginum, (r) rerum sacrarum, (s) infallibilitatem conciliorum, (t) incertitudinem Gratiæ, & alios præterea errores, loca ejus aliquot, vel manifestè, vel in speciem statuminabant, quibus omnibus eadem loca in Originali nihil præstare potuissent Patrocinii. Quò denique plus authoritatis ei conciliarent, universam Antiquitatem, hac usum fuisse prodidere. Quod ipsum, licet ad authentiam nihil omnino faciat, tamen falsissimum esse docuit (v) noster Witakerus. Alii hoc ipso fine universam eam Hieronymo ascripsere, quam audaculam Eugubini aliorumque assertionem (w) ipsi Pontificii flagellarunt, qui tantùm ex parte eam Hieronymo assignarunt, authoritatemque ejus, non ab authore, sed ab Ecclesia approbante, pendere docuerunt. Unde ea, quæ ipse Hier. in Vulg. emendarat, (x) insuperhabita sunt, hoc obtentui sumpto, (y) Hieronymum majore & pleniore luce inter vertendum, quam inter commentandum, fuisse illustratum. Eò itaque tandem primi Tridentini devenere, ut humanum scriptum, nihil enim jam dicam gravius, Canonizarint, fontibusque non dico æquarint, sed (z) prætulerint. Sic enim habet Decretum 2. Sessionis 4. Ebrææ Græcæque veritatis plane immemor.

Sacrosancta Synodus, ut innotescat, quænam Editio ex omnibus Latinis Editionibus &c. pro authentica habenda sit, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ &c. in publicis Lectionibus, disputationibus prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam, (1) *quovis prætextu, rejicere audeat vel præsumat.*

Quo decreto prohibitum esse ad fontes recurrere, ex iisque liquorem proferre, non mentitur Calvinus, quod verbum Bellarmino subinde suggerit splendida bilis, sed verissimè prolocutus est. (2) *Nullum enim prætextum admittit, qui quemvis excludit.* Unde non erubuit Canus, postquam aliquoties conclusionem hanc iterasset, (3) *Nunc temporis ad Græca & Ebræa exemplaria ut quæ depravata sint* (locis vid. V. teste Bell.) *non esse recurrendum*, in hæc verba erumpere, (4) *sanioris consilii esse limpidam aquam ex defæcatis lacunis* (i. Vulgata versione) *quam ex turbato fonte liquorem obscænum bibere.* Portentosum certè & (5) hæreticum decretum, & cui non nisi ab authoritate Ecclesiæ, eamque repræsentantis Concilii, & qui supra hoc ipsum est, Papæ, quærere audent obtentum. Nihil dissimulant Indicis Hispani Expurgatorii compilatores, quorum hæc sunt verba, *Licet ea quæ Augustinus & Hieronymus docuerunt*, nempe de incorrupta veritate fontium, *vera sunt, tamen post Concilii Tridentini* (en caput Medusæ) *decretum, non licet Vulgatæ versionis testimonia, quovis prætextu, rejicere.* Nec latebras hic quærit Bellarm. dum fatetur (6) *Vulgatæ versionis authores errare potuisse, sed in hac versione non errasse, quia eam Ecclesia approbavit.* Et (7) Azorius, quasi ex præscripto, *Etsi per hypothesin concedamus Interpretem in Interpretatione labi potuisse, non tamen potuit Ecclesia, in approbanda Vulgata errare aut decipi.*

CAP.

(c) *Comm. in 2 Tim. 3. quem Genebr. Chronol. lib. 4.* ait ab hæreticorum futiis fuisse alienissimum. (d) *Canus Episc. Canariensis Loc. Theol. l. 2. c. 13.* (e) *Ibid. p. 108.* (f) *Ib. p. 109.* (g) *Ibidem.* (h) *Ibidem.* (i) *De verbo Dei l. 2. c. 10.* (k) *Adversus hær. l. 1. c. 4.* * *Senensis Bibl. sancta l. 4. in litera S. Santes Pagnin.* † *Imo* jubente, *inquit Stenchus præf. in Recognitionem, quo nomine Pontificem reprehendit. vide Ibidem.* (l) *Gen. 14. 19.* (m) *Gen. 23.* (n) *Gen. 37. 25.* (o) *Gen. 4. & Ebr. 13. 16.* (p) *Gen. 48. 16.* (q) *Ebr. 11. 21.* (r) *Ps. 99.* (s) *Job. 14. 26.* (t) *Eccl. 9. 1.* (v) *De Script. Contr. 1. Quæst. 2. c. 7.* (w) *Bell. l. 2. c. 9. Maldon. Luc. 16. Sacrobuscus p. 1. c. 3. Azorius Inst. Mor. 8. 3. Lindan. de Opt. gen. Interp. Stapul. præf. in Epist. Pauli.* (x) *Bell. c. 9. l. 2.* (y) *Ribera in Abd. num. 114.* (z) *Vide Canum in locis Theol. 2. 13.* (1) *Vel* quocunque, *ut apud Greg. de Valent. Anal. Fidei l. 8. 5.* (2) *Morton. Apol. parte 2. lib. 1. c. 10.* (3) *De locis Theol. 2. 13.* (4) *Cap. 14. in princip.* (5) *Alphonsus de Castro de Hæres. l. 1. c. 7.* Velle humanas scripturas in divinarum ordinem connumerare (*nedum divinis præferre*) hoc ego dixerim hæresin. (6) *De verbo Dei l. 2. c. 11.* (7) *Inst. Mor. Tom. 1. l. 8. c. 3. §. 2.*

CAP. II.

Transitur ad decretum Trid. de emendandâ Vulgata. Quam stricte illud acceptum à Papistis. Emendatiss. versio canonizata priusquam extitit. Quam lentè processerit correctionis negotium. Sixtus V. manum admovit. Lucæ Brugensis opusc. Diu Eccl. Rom. fuisse sine authenticis Script. tabulis. Clemens VIII. resumpsit & Sixtina recognovit. Bellum Papale D. Jamesii. Sixti V. insueta Papis diligentia. Pia fraus Clementis, quo ab errandi possibilitate vindicetur Sixtus. Lucæ Brug. catalogus alter errorum in Emendatissimâ adbuc extantium. Bell. & Bandini testimonia, quam oscitanter Papæ Scripturam tractârint.

DUm vero in eodem decreto parte 3. sanciunt Patres, ut non quævis Vulgatæ Editio, sed quam *emendatissima*, pro authenticâ habeatur, aliquam prudentiæ laudem tribuendam iis putârit aliquis, nisi hoc ipsum ita explicarent pontificii, & comprobasset Experientia, (*a*) *ut ea tantum à mendis veterum librariorum & pravarum Emendationum erroribus repurgaretur, idque post insignium Academiarum Theologorum labores; qui in vulgatâ pristino nitori restituendâ non parum laboraverant.* Et certè opus videbatur, ut ex variis Lectionibus, quarum plaustra congesserant Lovanienses, certam aliquam interpositâ authoritate, & infallibili suo judicio, signaret Pontifex. Atque adeò quivis videt, non observatam hic fuisse (*b*) Acostæ Jesuitæ Hispani regulam; *tum*, videlicet *demum habendam interpretationem bonam cum concordat originali linguæ*, cujus tamen potissima habenda fuisset ratio.

Emendatissima itaque versio authentica in Conc. Trident. pronunciata est, priusquam extitit. Ut autem videant Lectores, quot annis post hoc decretum versio ea emendatissima prodierit, contraham historiam ejus paritudinis, quam prolixè descripsit præfator in Biblia Clementis. * Narrat itaque primo *Pium IV. & post eum Pium V. in hac emendatione laborasse, negotio dato lectissimis aliquot Ecclesiæ R. Cardinalibus. Verum Conventum istum ob gravissimas Romanæ sedis occupationes jamdudum intermissum Sixtum V. ad Pontificatum evectum revocasse, & opus tandem confectum publicasse.* Unde hoc mihi videor necessariò inferre posse, *Tot annis Ecclesiam R. fuisse sine authenticis Scripturæ tabulis, aut habuisse Tabulas corruptissimas pro authenticis.* Quantum enim Errorum suo judicio sustulerit Sixtus, si videre gestit animus, non suaserim ut ejus Editionem cum prioribus conferas, Molestum nimis hoc esset; Compendifecit tibi laborem istum Lucas Brugensis Theologus & Decanus Pontificius, in libello; cui titulum fecit, *Romanæ correctionis loca aliquot insigniora.* Sed ulterius eamus (*c*). Biennio post, cum jam Sixtus mortalitatem explesset & in fata quoque concessissent * Urbanus VII. Gregorius XIII. & Innocentius IX. Clemens Octavus alia nova Biblia edidit jussu suo recognita & à crassioribus mendis in Sixtinâ relictis purgavit. Quantum rursus errorum suo judicio ex Sixtinâ Clemens sustulerit, ostendit Thomas Jamesius Doctor Theologus & Bibliothecæ Bodlæanæ Oxonii Proto-Bibliothecarius, amicus noster benemeritus, qui variis Lectionibus ex solâ Sixtinæ & Clementinæ collatione, pro Catalogo satis crassum volumen explevit, cui titulum fecit *Bellum Papale.* Sed ne post Clementis quidem ejusque delegatorum Curas & expurgationes hanc ipsam versionem satis emaculatam esse, ut testimonio ingenuo Bellarminus, ita multorum locorum allegatione Lucas Brugensis supra nominatus ostendit luculentissimè. Hic enim post edita loca insigniora Correctionis Romanæ sub utroque Papâ Sixto & Clemente elaboratæ, edidit alium Libellum sive potius Catalogum, quo exhibuit complures alias Lectionum varietates, ex vetustis MM. SS. exemplaribus collectas, *quibus posset*, hæc ejus verba sunt, *perfectior reddi feliciter cœpta correctio, si accederet Pontificis authoritas.* Nos eas ad V. libros Mosis excerptas ad calcem hujus libri adjecimus. Bellarmini hac de re testimonium extat in præfatione Brugensis ad prædictum libellum Jacobo Blasæo Episcopo Audomarop. inscriptum. Citat enim hoc Epistolæ Cardinalis Fragmentum, datæ Capuæ 6. Decembr. 1603. *De libello ad me misso gratias ago, sed scias velim, Biblia vulgata non esse a nobis accuratissimè castigata, multa enim de industria justis de causis præterivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Eundem in modum Joh. Baptista Bandinus præfectus Vaticanæ Typographiæ Card. Bellarmini jussu ad Moretum scripsit his verbis, *Fateor in Biblis nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possent, quædam etiam nescio quo pacto impressa reperiuntur, ut E. G. 1 Reg. 2. 17.* retrahebant homines à sacrificio, *cum libri omnes & impressi & MS. habeant*, detrahebant homines Sacrificio, &c. Et tamen (*d*) Sixtus, ut ad eum recurrat oratio, sua illa Biblia pro authenticis & emendatissimis ediderat. *Hac nostrâ*, inquit, *perpetuò valiturâ constitutione de venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium deputatorum consilio & assensu, & ex nostrâ certâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus ac declaramus, eam Vulgatam sacræ tam Vet. quam N. Test. paginæ Latinam Editionem, quæ pro authenticâ à Concilio Trid. recepta est, sine ulla controversia censendam hanc ipsam, quam nunc evulgamus.*

Sed Sixtum excusat is, qui præfatus in Clementinam est, aitque vitia illa per Clementem ex Sixtinâ sublata fuisse tantùm Typographica, *præli vitio irrepsisse, ipsique Sixto observata postea fuisse, ipsumque decrevisse opus sub incudem revocare, at morte præventum id præstare non potuisse.* O miserum Pontificem, qui cum hoc privilegio gaudeat, (*e*) ut, sive in Judicando diligentiam adhibeat, sive non adhibeat, infallibiliter definiat, hic tamen in corrigendo non cernat acutius quam vel ego, vel alius aliquis ex fæce homuncio. Ipse enim Sixtus (notate hoc Lectores tanquam insuetæ Pontificum diligentiæ exemplum) in præfatione suorum Bibliorum sic disertè profitetur, *quo magis incorruptè res perficeretur, nostrâ nos ipsi manu correximus, si quæ prælo vitia obrepserant.* Quin & (*f*) Angelus Roccha Sixti familiaris addit, *eum universa Biblia sic emendata & recenter impressa de integro perlegisse, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent.* Tunc itaque tempestivum adhuc fuisset indicare, si quæ postea observasset errata: at non indicavit, nec Roccha, quod sciam, ullam ejus rei mentionem facit.

Videte itaque Lectores & perpendite, nunquid piâ, ut vocant fraude, excogitatus sit hic à Clemente prætextus. Inspicite D. Jamesii bellum papale, videbitisque quamplurima à Clem. mutata talia esse, ut Typographicorum sphalmatum prætextus futurus sit ex maximè ridiculis. Atque hic respondeant vel tandem Adversarii, utra pro Authenticâ habenda sit editio, & emendatissima, Clementina an Sixtina? Clementinam quidem dicit Præfator ejus. Sed cum correctionis Clementinæ prætextum ab ipso falsi argui, jam à nobis ostensum sit, quid aliud restat, quam ut Sixtus manifesti Erroris convincatur, aut stupendæ in corrigendo cœcitatis, si prætextum illum potius lubet linquere in integro.

CAP.

(a) *Præfatio in Edit. Clem. 8.* (b) *De Chron. revelato lib. 2. 15. initio.* * *Pius IV. Pius V. Sixtus V.* (c) *Vide eandem præfationem.* * *Urban. VII. Greg. XIIII. Innoc. IX. Clem. VIII.* (d) *Sixtus in Bullâ Bibliis suis præfixâ.* (e) *Gregorius de Valentia. Anal. Fid. 8. 3.* (f) *Comment. de Bibl. Vaticana à Sixto V. condita, Pag. 19.*

C A P. III.

Ex lentitudine Correctionis duo illata Consect. An Papæ potuerint vulgatam omni ex parte correctam dare? An dederint? An & quatenus Errore careat Vulgata, dissonantia Papistarum. Magnum Rom. Eccl. Privilegium, tunc etiam errare non posse cum Errores Canonizantur. conquiruntur variantia Papist. suffragia de puritate Vulg. versionis. duo loca ad Fidem pertinentia allegantur, ubi Vulg. ipsis Papistis judicibus erravit.

ATque ita ostensum est, (*a*) XLVI. annos (*b*) emendatissimam hanc versionem Ecclesiam Romanam parturivisse. Ex quibus duo illa quoque conficiuntur. I. Nimium temporis intercessisse, quo neque certam, nec constantem, neque veram & authenticam Editionem Romana habuerit Ecclesia, dum illâ usa aut abusa est, quam corrigendam à tot mendis ipsi tandem vidêrunt & confessi sunt Patres.

II. Nimis probabiliter ac verisimiliter astrui, plurimùm quoque errare potuisse atque errasse à vero eandem, cum, quam sequeretur certò constanterque in veri investigatione ac dijudicatione, Cynosuram ac normam non haberet, ac indubitatò authenticoque Textu careret.

Videamus jam obiter, quam concordes, in interpretanda hujus versionis authoritate, se præbeant Adversarii, qui post Concilium Trident. scripsere. Æquum & requisitum necessarium id esse videtur, ut illud quod authenticum est, quodque sub Anathematis pœna ab omnibus secundum omnes sui partes pro Canonico & authentico haberi debet, omni omnino errore, si fieri id ullo modo queat, & depravatione, careat. Quo enim alio argumento hanc prærogativam fontibus detrahunt Pontificii? Jam verò quis Pontificiorum inficiari ausit, & si forte ausit, quo colore, Papæ, in cujus pectore omnes sapientiæ Thesauri clausi sunt, vires excedere, vulgatam versionem, ab omnibus erroribus & depravationibus, repurgare? Et tamen Præfator in Clementinam, sumpta ultra Jesuitam, audacia dicam, an modestia, asserit *difficile esse pro humana imbecillitate affirmare, eam omnibus numeris absolutam esse.* At si Papa, qua Publica persona est, errare non potest, * *& si hujus decreti executio, Scripturarum integritas & puritas*, ut ipse dicis, *ad curiam Apostolicæ sedis potissimum pertinet*, Cur hanc versionem omnibus numeris absolutam dare non potuit? Potuisse quidem, sed noluisse Papam, innuere videtur Præfator, Dicit enim, † *multa, quæ mutanda videbantur, immutata relicta, eò quod propositum ipsi non fuerit antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare, sed ipsum à mendis veterum librariorum & pravarum Emendationum erroribus repurgare*; quod quam feliciter præstitum sit, jam ostensum est, & suo loco amplius apparebit. An ergo præter librariorum & pravarum Emendationum errores, nulli observati sunt ipsis alii? Certe, observati videntur. Quid enim aliàs illa sibi volunt, *quæ mutanda videbantur, &, ulla ex parte corrigere*? Corrigere enim præsupponit pravum. Hi ergo erunt errores interpretis, nec enim video quod tertium hic dari possit. Sed cur id ipsis propositum non fuit? An quod loca illa, in quibus exorbitavit Interpres, minoris momenti sint? Illud verò in progressu nimis fiet manifestum. Hîc in genere tantùm aurea illa Basilii ad Amphilochium expendantur verba, *nihil esse in Scriptura, quod non magni momenti sit, utcunque nobis nihil aut parum esse videatur.* Et verissimè Possevinus, cujus vel solum nomen apud suos fidem mereatur. ‡ *In Ebraica Scriptura, tot esse sacramenta, quot literæ; tot mysteria, quot puncta: tot arcana, quot apices.*

Sed convertat se Oratio ad alios. (*c*) Gregorius de Valentia & (*d*) Christoph. à Sacrobosco & (*e*) Ribera asserunt, *in vulgata tantum inesse lapsus Typographorum, alias emendatissimam ab omni errore esse.* Sed quomodo lapsus Typographorum boni viri? Hos utique potissimùm tollere tot Sanctissimi Papæ annisi sunt, & potuisse hoc eos præstare creditis. Sed hæc surdis. Ego ταχύς τις ἂν sic colligo, Si tantùm insunt lapsus typographorum, nulli ergo Interpretis, ne quidem in locis extra fidem & mores. Quid ad hæc alii? *Multi*, inquit (*f*) Azorius Jesuita *qui post concilium Trid. scripsêre, ut (g) Vega, (h) Sixtus Senensis (i) Payva (k), Lindanus, (l) Canus, fatentur aliquos esse in Vulgatâ Latina errores, non solum vitio scriptorum, sed etiam ipsius Interpretis incuria vel ignorantia.* Ubi hoc obiter observa Lector, Ex his iisque quæ supra ex Bellarm. & Azorio prodidimus, necessario hanc resultare assertionem, *Ecclesia Romana seu Papa errare non potuit in Canonizanda & approbanda ea versione, cujus author ex Ignorantia subinde erravit.* Magnum profectò privilegium, tum quoque ab errore immunem esse, quando error approbatur, confirmatur, Canonizatur, ac universo mundo propinatur pleno poculo. O verè poculum abominationum! Et ne quis Jesuita in his contradictoriis distinguat tempora, observandum est Azorium paulo post eodem capite, de eadem versione sine ulla temporis distinctione hæc pronunciare, *Mihi autem verior videtur eorum opinio, qui existimant Latinam non modo in rebus fidei & morum, sed & in cæteris OMNIBUS errore carere.* Quæ verba evidenter meam ex Valentiani verbis deductionem statuminant. Atque hanc Azorii assertionem, proculdubio Possevinus amplectitur, dum vulgatam vocat Columnam veritatis, & portum ad quem ex tot dissentientium versionum fluctibus debeamus appellere. Et certè aut ratio Decreto Tridentino constare non potest, aut sic statuendum est, laudoque candorem istorum, qui sine verborum involucris dicunt quod sentiunt.

Ut itaque tandem suffragia colligamus. 1. Quidam asserunt nullos omnino esse in eâ errores Interpretis. 2. Alii fatentur quidem, esse in ea errores interpretis, sed in locis fidem & mores non concernentibus. 3. Adduci non ex infimo subsellio possent qui & in istis, quæ fidem moresque concernunt, locis, errores Interpretis agnoscunt. Quot enim sunt qui Gen. 3. *Ipse* legendum docuêre atque evicere? At Clemens *Ipsa* probavit, quo ipso non in librariorum aut exscriptorum, sed ipsius Interpretis nomen, vox *Ipsa* data est. Si enim à Typographi vel librarii aberrante manu illud esse credidisset, sustulisset proculdubio. Locum autem istum ad fidem pertinere ipsi Pontificii ostendunt, dum eum ad tanti, ut ipsi existimant, momenti negotium toties totiesque citant. Quin & Psalm. 2. in fontibus *Osculamini Filium* esse, (*m*) Bellarm. prodidit, eumque locum adversus Judæos invictum esse docet. Additque ex vulgato *Apprehendite disciplinam* adversus eos adduci nihil posse. Hunc autem locum ad fidem pertinere quis ausit ire inficias? Et tamen hic aut Interpres lapsus est, aut si lapsus non est, Judæi locum, nihil adversus eos facientem, de industriâ corruperunt in prophetiam, ex qua invictum contra ipsos argumentum peti potest: quod nec hic nec alibi ab iis factum, tam egregiè pro nobis, iisdem in libris, disputat Bellarminus. Ac talia sane complura occurrent.

C A P.

(a) *Decretum illud factum est Anno 1546. Clementina prodiit Anno 1592.* (b) *Si id elogii meretur versio, in qua multa sunt quæ in melius mutari possent.* * *Præfator Ibidem.* † *Ibidem.* ‡ *In Bibliot. Sel. lib.* (c) *Analys. Fid. lib. 8. cap. 5.* (d) *Defens. decreti Tridentini pro vulg. vers. part. 2. cap. 9.* (e) *Ad Habac. 1. num. 13. non puto fas esse credere, Ecclesiam pati in Edit. vulg. aliquid, quod non sit dictatum à Sp. sancto, &c.* (f) *Inst. Moral. lib. 8. cap. 3. Tom. 1.* (g) *Ad Conc. Trid. 15. 9.* (h) *lib. 8. ad finem.* (i) *Def. Conc. Trid. lib. 4.* (k) *lib. 2. 12. & lib. 3. cap. 10. 11. 12. de Opt. genere Int.* (l) *Lib. 2. 13. Loc. Theol.* (m) *Lib. 2. de Verbo Dei cap. 2.*

C A P. I V.

Anacephalæosis præcedentium. Laudantur Theologi qui huic decreto contrà ivêre. Eorum scopus quis fuerit. Nostræ scriptionis quæ occasio, quis scopus. Witakeri votum.

EX his omnibus cum luce meridiana clarius evadat, Vulgatæ versionis Canonizationi (utor, in re monstrosa, voce monstrosa) linguarum Originalium ignorantiam, & errorum Papisticorum speratum patrocinium occasionem præbuisse; Cum ostensum quoque sit, quam portentosa hujus authenticæ Scripturæ fuerit paritudo, quam lentè ea processerit postquam tot jam annis ante Canonizata esset, quàm inextricabili difficultati involverint hoc decretum posteriores Clementis curæ, quàm varie hanc authentiam extenderint varii inter ipsos Dd. Eorum semper honos, nomen laudesque manebunt, qui huic decreto (a) se masculè opposuêre, qui non tantum hoc sibi agendum putarunt, ut incorruptam textus Ebr. veritatem astruerent; sed etiam ostenderent,

> *Eam versionem quæ corrupta est, vitiosa, ambigua & ob id sæpe periculosa, eam inquam versionem quæ multis locis vana, superflua, mutila, barbara, quæ Spiritus S. mentem nec Majestatem assequitur; nec sensum explicat, quæ denique satis lucis in se non habet ad Scr. phrasin sententiamque illustrandam, nullo modo posse esse authenticam.*

At cum Syllogismi, cujus hæc major fuit, minorem, *Vulgatam vid. talem esse*, nullus Theologorum quod ego quidem sciam ex Professo susceperit probandam, seriò aliquoties cogitatum à nobis fuit, nunquid cum fructu in singulos libros vulgatæ versionis censura institui posset, atque in unum volumen redigi, tum quicquid in eam fortè à Theologis tam Euangelicis quam Pontificiis sparsim & per occasionem noveramus animadversum; tum quicquid ab iis posterorum industriæ videbatur relictum. † Hic postquam Theologi quidam ex Anglia consiliis & incitamentis nos animassent, succurrit etiam judicium Cl. Theol. Witakeri; qui in accuratiss. suis de Scriptura disputationibus Cont. 1. Quæst. 2. cap. 10. circa finem, postquam aliquot errores Vulgati ex Genesi obiter indicasset, sic tandem desinit, *Et vero cum multi SS. Literas ex fontibus in varias linguas transtulerint, hujusque vulgatæ Editionis errores in suis versionibus correxerint, ii mihi sane laborem perutilem præstare viderentur, qui librum de hujus versionis Erroribus separatum diligenter & accurate conscriberent, Ex hoc enim labore omnes id commodi perciperent, ut quantum inter Ebraicæ veritatis purissimos fontes & hujus cœnosos rivulos interesset, videre possent.* Quod judicium viri magni cum ad supradictorum Theologorum consilia accessisset, eò tandem descendimus, ut Deo Opt. Max. voverimus laborem istum, dummodo vitam & otium concederet humerosque confortaret oneri isti ferendo. Descriptis his Mosis libris diu in dubio stetit animus, num mox pergeremus. Multis ultrò citroque pensatis, placuit nonnihil subsistere, atque in hoc specimine experiri doctorum judicia. Si placebit noster hic labor, non recusabimus vel cum valetudinis dispendio, ea quæ in reliquos jam observata & affecta sunt, conficere; Licet, ut ingenuè fateamur, dispari alacritate accessuri simus ad Prophetas, Jobum, Psalmos, aliosque difficiliores libros, qui in vulgatâ versione totidem quasi Augeæ stabula sunt, quibus vix Hercules totidem repurgandis sufficiant. Quod vel ideo notandum duximus ut non fascinatus præjudicio Lector judicet, quo loco ea versio habenda sit, quæ in libris Mosis, præ libris istis, facillimæ phraseos ac dictionis, tot erroribus scateat.

(a) *Inter quos primas suo merito tenent, viri Clarissimi D. Lubbertus; præceptor meus observandus, & Whitakerus Anglus, quorum lucubrationes omnium manibus teruntur.* † *Occasio scriptionis.*

C A P. V.

Observanda Lectori proponuntur nonnulla. 1. Crassiora sphalmata tantum detecta. Pontificiorum Confessiones cur allegatæ. Serarii laus. Linguarum proprietas. Quo fine producti veteres Interp. Ariæ Montani & Pagnini sors. Ejus judicium & vaticinium de Jesuitis. Quæ Editio nobis usurpata. Fidei correctorum Rom. specimina aliquot.

* SEd antequam telam illam exordiar, quædam adhuc præmittere animus est, ut Lector Consilii nostri non plane sit ignarus.

1. Crassiora Sphalmata deteximus, productis non rarò ipsorum Pontificiorum testimoniis, & quæ incautis extra disputationis calorem sæpissime excidêre, confessionibus. Antesignani hic sunt Hieron. ab Oleastro Inquisitor Ulissiponensis, qui & ipse Concilio Tridentino interfuit, cujus commentarium in Mosem Cl. Gomarus nobis utendum dedit, Cardinalis Cajetanus & Augustinus Steuchus Eugubinus, Episc. Xisamensis & Bibliothecæ Pontificis Præfectus, cujus lucubrationes habuimus ex Bibliotheca doctiss. Ministri Eidonis Campegii. Atque hic profitemur nos Minerval debere † Serario, à quo edocti sumus, his potissimum casibus hæreticos nominandos & citandos esse, 1. Cum committendi inter se Ægyptii sunt. 2. Cum sententiæ alicui ut firmior apud alios Novatores sit, quædam veluti ἐρείσματα & anterides astruendæ, ut eorum, ne illam duntaxat oppugnent acrius, linguarias cohibeat machinas. Multa, quæ ipsi illi Pontificii aliique in eâ carpsere, transmisimus, non quod putemus ea injuste censoriâ Virgâ notata esse, sed primò, quod aliquod velamentum ipsi prævidérimus, quo ea aliquatenùs tegi & obvolvi possent. 2. Ne videremur nimiâ carpendi prurigine καὶ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς laborare. 3. Quod prævidebamus vel sola inexcusabilia & crassissima sphalmata satis fore, sic satis crasso volumini implendo. Paucula tamen quædam periculo verbisque ipsorum Papistarum, E. G. Cajetani Cardinalis, Augustini Steuchi, Joh. Benedicti Theologi, ut Senensis eum indigitat, celeberrimi Parisiensis, Lyræ &c. taxavimus, cujus rei, quotiescunque id factum à nobis est, rationes non frivolas habuimus. Sciens volensque nusquam prævaricatus sum, nullumque locum meis verbis castigavi, de cujus conciliatione post

* *Observanda in hoc opere.* † *Minerval lib. 1. cap. 6.*

post seriam Meditationem non desperavi, nisi forte novum Lexicon, novamque Grammaticam Ebr. nobis procuderet Omnipotens illo Canonizator, aut alius Clementior Sixto, præ octavo illo. Sed, ut eò redeat, unde digressa est oratio, dico & profiteor, *me, istis, quæ ullo modo excusabilia videbantur, relictis, ea solummodo persecutum esse, quæ manifestè vitiosa, corrupta, superflua, mutila & periculosè ambigua, quæ denique eam lucem ad Sp. S. mentem exprimendam non habent, quam habere possent, quæque in Interpretem cadere posset.* Quamvis nec ea semper exagitavimus, ubi sc. Sp. S. mentem non plene satis assecutus est, non quod parum id esse arbitremur, sed quod sciamus ita comparatum esse cum fontibus, ut quantalibet fide & industria in alienas linguas transfusi & q. percolati, plurimum de nativo succo & ingenita ἐνεργείᾳ amittant, & per consequens etiam de authoritate. Velim te & hoc notare Lector, ex erroribus sæpius iteratis nos fere semper eum, in quo primo occurrebat, locum, tantummodo annotasse, ne assidua repetitione nimis excresceret hic libellus.

2. Passim etiam annotavimus, quinam errores apud Papistas, ex depravata versione aliqua, vel ortum, vel incrementum, sumpserint. Parce tamen & timide hic falcem agitavimus, tanquam in alienam messem.

3. Sæpe à nobis producti Interpretes veteres. Græci LXXII. Fragmenta Aquilæ, Theodotionis, Symm. &c. nec non Chaldaicæ Paraphrases, & inter eas, ea quæ Onkeli est: Non quod vitiosum arbitremur quicquid ab iis diversum est, sed ut hoc modo occurreremus, si quis forte regereret, vulgatam versionem quidem his & illis locis ab Ebræo textu, ut nunc legitur, dissidere, sed olim Ebræum textum isthic aliter fuisse lectum, quod tunc erubescet asserere Adversarius, si viderit eos Interpretes, quorum plerique, ut Chaldæus Onkelos & Lxx. vulgato antiquiores sunt, ita legisse, ut hodie Ebraica leguntur.

4. Ariam Montanum & Xantem Pagninum rarissime citavimus, eo quod præclaros istos viros impudentioribus Papistis eodem fere cum Hæreticis ordine habitos atque etiamnum à plerisque haberi non ignoremus. Ariam Montanum certe ob præclaram illam Bibliorum Regiorum editioni insumptam operam, variarum hæresium apud Romanum Pontificem postulatum, ex Apologia ejus constat, quam Hispanice scriptam Latine vertere universoque orbi communicare mihi coram aliquando doctissimus Theologus Anglus promisit. Quid verbis opus est & quid ad ἀνέκδοτα confugio? Vel ex sola ejus in Biblia Interlinearia præfatione liquet, quam laborum gratiam ei retulerint Jesuitæ. Eos enim ab ipso perstringi plane indubium est, *Erostratus*, inquit, *quia Pagninum vivum habere non potuit, nostrum pro aliis omnibus nomen proscindendum suscepit, nactus fortassis opportunitatem in quorundam animis & consiliis, qui cum soli sapere, soli bene vivere, JESUMQUE (nota) propius insequi & comitari sibi videantur, atque id palam professi jactitent, me qui minimum atque adeo inutilem Jesu Christi discipulum ago, odio habuerunt gratis. Hi aliorum, quos ad eam rem occulte inducere possunt & ingeniis & nominibus abutuntur. Horum autem nos nec artes fallunt nec gregem prodere aut cognomen indicare juvat.* † *Utuntur illi quidem magno & inaccessibili ad suas agendas res mysterio, sed quod facile pelluceat, quodque non post multos annos* (Prophetamne egisti Aria?) *tandem aperiendum est virtute illius, qui illuminat abscondita cordis & occulta tenebrarum.*

5. Secuti sumus Textum vulgatum quem Clemens VIII. recognovit & ab innumeris mendis, ut ipse profitetur, repurgavit post Sixtum. Minus enim ingenuum videbatur ea exagitare, quæ illi sustulerant. Atque hic διεξοδικῶς illud monere lubet, ad fontes vix quicquam ab ipsis correctum, ubi non simul præstantiorum Codicum Latinorum eos coëgit authoritas. Ex. Gr. Exod. 17. 16. *Solius* emendarunt *solii*, non tam quod in Ebræo esset כס, quam quod præstantiora exemplaria legerent *solii*. Sic Ex. 22. 6. *spicas* correxerunt *spinas*: Contra pleraque ab ipsis in mendo relicta, ubi & fontes, & alii vulgatæ Codices ad correctionem manifeste cogebant. E. G. Gen. 8. 7. & fontes & exemplaria 6. MSS. *magnæ authoritatis*, inquit Sacroboscus, *Codices* non legunt negationem. Et tamen his non obstantibus, (*a*) *Correctores Romani* à Papis delegati *non judicarunt notam negationis esse omittendam.* Similiter Exod. 20. 23. Ebræa, *ne faciatis mecum Deos argenteos.* Sic & Codices MSS. item & aliud, *coram me.* Quid Romani Correctores? Exterminarunt vocem *mecum. Non judicarunt*, inquit Lucas Brugensis *addendum mecum, etsi Ebraice legatur*; Esa. 40. 2. Ebraice legitur, *quia completa est* צבא * *militia ejus*, quo sensu vox צבא Job 7. occurrit, *Vita hominis* צבא *militia est super terram*, Ea vox in vulg. corrupta est in *malitia.* ‡ At *Romani Correctores non judicarunt corrigendum esse, militia. Job.* 21. 22. *Si eum volo manere* habent Græca, Id corruptum in *Sic.* MSS. Græcus, S. Chrysostomus, Cyrillus, legunt *Si.* Jansenius, Erasmus, Benedictus aliique monuerunt de mendo. Nihilominus Romani correctores retinuerunt, *Sic eum volo manere*, nescio quo sensu, si vitabunt errorem, cui ipse Euangelista immediate post occurrit. Sed quandoquidem de his suo loco prolixius actum est & agetur, hic ea solummodo innuisse suffecerit.

6. Ubicunque velamentum aliquod frivolum prætendi posse prævidi, ipse occupavi & præveni, idque adeo fideliter, ut Papistis defensionis argumenta à me suppeditata, calumniaturi sint fortassis malevoli homines.

7. Quicunque per punctorum vocalium aliam ordinationem vel subjectionem aliorum excusari possent, vix attigi. Non quod à punctis, sive consonantibus coæva sint, sive postea addita, discedere fas putem, sed ne disputationem illam de punctorum antiquitate cogerer ingredi, in qua ipsi Pontificii (conferantur tantum Præfationes Genebrardi in Psalmos & Marci Marini Brixiani in arcam Noæ) in contrarias partes eunt. Hoc tamen monitus sit Lector, me nec hoc velamentum admittere, ubi vel τῶν Lxx, versio, vel Chaldæa, vel alia aliqua, vel antiquior, vel coæva, istas vocales, quibus nostra exarata sunt exemplaria, expressit. Cur enim his minor habenda fides quam vulgato? An quia vulgatum Ecclesia approbavit? Sic illi quidem. Sed quid si rogem, num & istas potuisset Ecclesia approbare si voluisset? Utrumcumque dixerit Jesuita, involvet se vix extricabili Labyrintho. Addo & hoc, me dum in prædicto vocalium casu aliquantulum subinde ipsis largior, tamen literis consonantibus arctissime inhærere, nec unquam vel transversum unguem ab iis secedere. Quod dum fit, sæpe tenentur Vulgati Patroni, dum punctorum aliorum obtentum quærunt. Sæpe enim illa applicari consonantibus non possunt, nisi eæ vel augeantur vel minuantur vel transponantur.

8. Rogo te lector, ut ad notulas marginales tam his in prolegomenis quam in ipso scripto animum advertas. In eas enim studio sæpe retulimus, sine quibus ipsum textum non assequeris.

CAP.

† NB. *Vaticinium Ariæ de Jesuitis.* (a) *Verba Lucæ Brugensis in Locis insignioribus Romanæ correctionis.* * *Per militiam putamus hic intelligi tempus præfinitum. In militia enim, maxime sacra, certum tempus à Deo fuit præfinitum. Velim itaque locum Jobi sic refecthi, nunquid militia (i. tempus præfinitum) est homini super terram? Sic enim est in Ebr. ad verbum.* ‡ *Verba ejusdem Brug.*

y Google

C A P. VI.

Textus Ebr. nobis Regula examinis. Ad eam ipsi Pontif. provocant cum ipsis utile est. Ex Bell. ejus incorrupta veritas ostensa. Tikkun Sopherim. IV. fontes quibus docet Bell. recurrendum esse ad fontes. In eandem rem citantur Joh. Isaac, Arias, Acosta. Oleastri consilium de corrigendis Bibliis ad fontes. Quam religiose Judæi ab omni ævo Biblia habuerint, ex Bell. & Isaaco ostenditur. Concluditur.

QUandoquidem vero ex iis quæ jam dicta sunt & quæ in ipso opere dicentur, satis constabit, regulam ad quam vulgatum examinamus, omnesque versiones examinandas putamus, à nobis Ebræum textum haberi, quem impudentiores malitiose à Judæis corruptum clamitant, non adeo alienum fuisset pro ejus incorrupta veritate hic ex professo decertare. At quia id abunde præstitum est à Clariss. Theologis, qui adversus Bellarmini Controvers. 1. scripsere, idemque pollicitus non ita pridem in privata ad me Epistola sit Cl. vir Joh. Buxtorfius, unicus hodie Ebraïzantium Phoenix, noluimus actum agere. Hæc paucula tantum, nec omnibus forte adeo obvia, indicasse sufficiet.

† Primo, Ipsos Pontificios ad textum Ebræum confugere quoties in eo plusculum præsidii arbitrantur esse situm, quod insigni exemplo ad Dan. 2. ex (*a*) Bellarm. ostensuri sumus.

2. Perpendant fontium hostes verissima illa Bellarmini verba, quibus Responsionem suam ad objectionem de Tikkun Sopherim obsignat, (*b*) *Ex quo*, inquit, *apparet, imprudenter quosdam, dum se Ebraos oppugnare credunt, Ecclesiam ipsam oppugnare.* Nec non ista ejusdem Bellarmini lib. 2. cap. 2. De Verbo Dei, quibus præfatur in disputationem adversus fervidiores Papistas, *Aliis etiam occurrendum est*, inquit, *qui zelo quidem bono, at non secundum scientiam, omnino contendunt Judæos in odium Christianæ fidei studiose corrupisse & depravasse multa scripturarum loca*, &c.

3. Notentur & IV. isti Casus quibus (*c*) Bell. ad fontes recurrendum esse tradit, qui ejusmodi sunt, ut non tantum authoritatem fontium supra vulgatam ponant, sed eam simpliciter & absolutè stabiliant. Nec silentio transmitti ea debent, quibus idem Bell. lib. 2. cap. 2. disputationem suam de Textu Ebræo claudit. Postquam enim enumerasset v. loca suo judicio corrupta, dicit se mediam sententiam amplecti, hanc sc. *Ebraicas Scripturas non esse omnino puras, nec in universum depravatas, opera vel malitia Judæorum, sed habere tantum suos errores quosdam, partim incuria librorum, partim ignorantia Judæorum obortos.* Et addit, *Cæterum non tanti momenti sunt ii errores, ut in iis quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ integritas desideretur.* Ad quæ omnia acutissimè notavit Witakerus, Bellarminum causam Pontificiam prodidisse. Ut enim decreto Tridentino ratio constet, non probandum erat textum Ebr. esse corruptum, sed vulgato corruptiorem; Nisi enim fontes corruptissimi sint (non autem esse jam dedit Bellarm.) sequitur turpissimè corruptam vulgatam, utpote quam à fontibus, etiam in facillimis libris, tanto intervallo discrepare cum bono Deo ostendemus.

4. Legatur doctissimus iste Joh. Isaaci Linguæ S. apud Colonienses, dum viveret, Professoris, libellus, quem adversus Lindanum, pro textus Ebr. incorrupta veritate, scripsit.

5. Legatur præfatio & commentatio Ariæ Montani, quam Bibliis Interlinearibus præmisit, nec non præfatio ejusdem in varias Lect. Veteris Test. Tomo 8. Bibl. Regiorum. Ex quibus nihil hic libuit describere, tum quod Biblia Interlinearia passim extent, tum quod integra Biblia Regia in singulis ferè Bibliothecis reperire liceat.

6. Idem fontibus tribuisse oportet Cajetanum, Lyram, Burgensem, Pagninum, Isid. Clarium, Vatablum, Joh. Benedictum, Vallam, Erasmum, aliosque Pontificios, dum adeò audacter vulgatam taxant & exorbitantem ad fontium regulam corrigunt.

7. Et quis negarit Acostam Jesuitam Hispanum plus fontibus tribuisse quam ulli versioni, dum jam ante ex eo hæc verba produximus, *Eam demum habendam Interpretationem bonam, quæ concordat Originali linguæ.*

8. Quis idem cum admiratione non asserat de Inquisitore Lusitano, Hieronymo ab Oleastro, cujus præfationem ad Comment. suos in v. libros Mosis cum voluptate aliquando legimus Oxonii & descripsimus, quòd constaret nobis librum istum hic rarum esse. Ille enim postquam ostendisset nullum extimescendum scandalum, nullum incommodum fore, si ad instar Damasi, Sanctiss. D. Paulus IV. Vulgatam versionem ad fontes corrigendi provinciam viris linguarum peritis demandaret, & rationem reddidisset cur vulgata rejecta Ebraicam veritatem sibi interpretandam sumpsisset, sic ait, *neque enim plus D. Hieronymo tribuendum puto in sua Editione, si tamen illius est, quam sibi velut ipse tribuit. Ipse verò utpote vir Sanctus se aliquando hallucinatum ingenuè profitetur suamque versionem in multis emendasse, ut videre est in ejus Comm.* Jes. 19. Cujus loci retractationem postquam ex Hieron. posuisset sic pergit, *Quæ non in eum finem produximus, ut virum Sanctum traducamus, sed ut sentiamus, eum non prophetam, sed hominem fuisse.*

9. Quemadmodum Bellarm. ex Patribus disputat per dilemma, nec ante nec post tempora Christi Biblia fuisse corrupta, ita & ego quæsierim num ante Hieron. (cui ferè tribuitur vulgata) an vero post eum textus Ebr. corruptus sit? Si dixerit Adversarius, *ante Hieron.* opponam (*d*) Riberam Jesuitam qui diserte ait, *tunc & hæc Ecclesiæ nostræ editio utpote ex Ebræa deprompta, depravata esset, quo nihil turpius, nihil insanius.* Si dixerit *post Hier.* opponam Acostam & istum Jesuitam dicentem, (*e*) *dubitari non posse quin Ebraica editio authentica sit, & quamvis Judaica perfidia*, inquit, *conata sit tantum nobis bonum eripere fontemque ipsum inficere, non tamen licuisse ipsis quod libuit, nunquam defuisse in Ecclesia viros doctos quorum studio Codices Ebræi conservati sint*, &c. Quin & illud quod Acosta de nefario Judæorum conatu innuit, subvertunt Elogia ista honorificentissima; quibus & Apostolus & Patres, ipse Bellarm. (*f*) Joh. Isaacus, (*g*) Senensis, Arias Montanus &c. Judæos condecorarunt. Centies mori mallent, inquit Bell. quam Legem in aliquo mutari paterentur. Si cui Codex Sacer manibus excidat, publicum jejunium indicunt. Et illud constat ab iis credi, Si forte ex ignorantia, vel malitia, vel uni-

† *Observanda quædam de incorrupta Textus Ebræi veritate.* (*a*) *De Invocat. l. 1. 13.* (*b*) *Lib. 2. de verbo Dei c. 2.* (*c*) *Lib. 2. c. 11. 1. Quando in Latinis codicibus error aliquis librariorum est. 2. Cum varia lectio, 3. cum aliquid anceps vel in verbis vel in sententia. 4. Cum in versione energia & proprietas vocum intelligi nequit.* (*d*) *Comm. in Hos. 9. num. 20.* (*e*) *De Chron. revelata l. 2. c. 16.* (*f*) *In dedicatoria libri sui contra Lind. Ubi Judæos Christianorum gerulos vocat fidemque Ebraicorum codicum incorrupta dicit.* (*g*) *Biblioth. lib. 8. Hær. 2.*

unicum vocabulum mutaretur, periculum fore, ne totus mundus, quem propter solam Scripturam conditum tradunt, periret, atque in Tohu vabohu verteretur. Unde & à Magistris eorum traditum decretumque est, Librum Legis, vel propter unicam voculam, seu additam, seu detractam, seu corruptam, de facto fieri חול i. profanum, & mox vasi fictili impositum in ædibus studiosi doctique cujusdam viri sepeliendum esse, ne quisquam eo in posterum utatur unquam, hoc solo casu excepto, Si judæus quispiam ad extremam inopiam redactus illum petat. Atque hic alia restrictio rursus addita, Liberos solummodo ex isto libro instituendos esse, nec unquam in Synagogam afferendum, ullive mortalium copiam ejus faciendam. Ex quibus aliisque quæ hic congeri possent, quivis judicabit insignem veteribus Judæis fieri injuriam, dum tam horrendi criminis eos arcessere non erubuere Papicolæ. Ego enim invictum argumentum hoc æstimo, Si hodierni Judæi tam, dixerim ferè, superstitiosè S. Scripturæ Integritatem conservant, multò magis hoc veteres religiosè præstitere. Fundamentum hoc habeo, In cæteris omnibus Judæos de seculo in seculum ruisse in pejus, ut hodie apud ipsos vix habeantur Crimina, quæ olim ultricibus flammis expianda credebantur: In unico autem hoc, eoque principali eos in melius mutatos, vix asseruerit, nisi qui omnem præ studio partium

Attrita posuit de fronte pudorem.

Sed satis superque hac oberratum Chorda est. Duo te monebimus Lector, 1. Hanc operam non eo animo à nobis navatam, quasi in vulgato nihil sani bonique agnosci vellemus, nec enim adeò transversos nos agit studium partium, quod in Adversariis carpimus, sed potius ut ostenderemus justam eorum indignationem esse, qui cum Romana Ecclesia expostulant, anathemate feriri eos, qui vulgatam cum omnibus suis partibus pro authentica recipere tergiversantur. 2. Dum subinde liberius in Vulgatam quicquam diximus, ne in beatum Hier. id dictum existimet. Satis enim superque id ostensum in ipso opere puto, horum librorum versionem ab Hieronymo toties taxatam ipsius Hier. esse non posse. Si quid ergo in authorem hujus versionis dictum liberius, ita acceptum velim tanquam in eos, qui hanc versionem finxere, refinxere & authenticam fecere, *non adhibita eâ diligentia*, ipsissima verba Bell. sunt, *in correctione*, *qua adhiberi potuisset*, quasi nullum hujus diligentiæ & operæ futurum fuisset pretium. Non sic boni Critici, qui in profanorum quoque authorum recognitionibus ex professo susceptis minutissimas etiam minutias τεμαχίζουσι. Et quæso te, ubi vel fando auditum, ut quis ab indiligentiæ professione diligentiam & fidem suam, in sacris præsertim, Lectoribus probare studuerit?

Illud restat, ut à te petam Lector, benevolus mihi ut sis i. ne culpes aut succenseas, si quid omisi, sicubi lapsavi in via hac intrita. Mone, Corrige & lapsantem leva benigna manu. Si quid juvare potes nostros conatus, aliorum authorum, vel brevioris alicujus viæ modique indicio, conferetur beneficium illud in hominem nec ingratum nec suatim sapientem. Vale.

APPENDIX

Cujus in Prolegominis mentio fit, excerpta ex libello altero.

FRANCISCI LUCÆ BRUGENSIS,

Theologi & Decani Audomaropolitani, Continens alias lectionum varietates in Bibliis Latinis ex vetustis MSS. exemplaribus collectas, Quibus post geminam Sixti V. & Clem. VIII. expurgationem possit perfectior reddi feliciter cœpta correctio, si accedat Romani Pontificis auctoritas.

In Pentateuchum Mosis.

GENESIS.

CAp. 11. vers. 13. *Trecentis tribus annis.* Alii libri consentaneè Ebræo & Chaldæo scribunt *quadringentis* pro *trecentis*, id est, augent numerum uno centenario.

Cap. 18. 28. &c. Vide suo loco in censura.

Cap. 34. 52. *Procidens adoravit.* Complura MSS. eaque fide digna omittunt, *procidens.*

Cap. 30. 40. *Et posuit virgas in canalibus.* Alia MSS. fide digna omittunt hic illud, *in canalibus*, quod legitur supra vers. 38. & infra vers. 41.

Cap. 32. 17. *Aut quo vadis aut cujus sunt ista?* Quidam codices loco duplicis *aut*, legunt duplicem *Et.*

Cap. 36. 2. *Et Oolibama filiam Ana filia Sebeon.* Pro Genit. *Filia*, alii legunt *filiam*, alii Genit. masculinum *filii.* Legantur Notationes nostræ in varias Lectiones Bibliorum.

Cap. 37. 24. *In cisternam veterem.* Non absque causa omittitur ab aliis MSS. nomen adjectivum *veterem.*

Cap. 39. 14. *Vocavit ad se.* Alii Cod. omittunt, *ad se.*

Cap. 40. 13. *Recordabitur Pharao ministerii tui.* Quædam MSS. habent *magisterii.*

Cap. 41. 24. *Narravi conjectoribus somnium.* Quidam codices pro accusat. sing. legunt Genit. pluralem *somniorum.*

Cap. 44. 27. *Ad qua ille respondit.* Quidam Codices *at ille respondit.*

Cap. 45. 23. *In itinere.* Quidam conjiciunt legendum, *in iter.*

Vers. 26. *Joseph filius tuus vivit.* Multi codices omittunt, *filius tuus.*

Cap. 47. 11. *In optimo terra loco.* In aliis egregiis libris pro *loco* legitur, *solo.*

EXODUS.

Cap. 2. 16. *Greges patris sui.* Videtur præferri posse singulare *gregem.*

Vers. 22. *Alterum &c.* Hunc versiculum, quamvis absit à quibusdam Latinis MSS. ab Ebr. & Chald. libris, quinetiam à Græca Sixti Editione, adeoque repetatur ab omnibus infra 18. 4. non tamen omiserunt hoc loco Correctores, forte quod in nonnullis Græcis libris legatur.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 12. 23. *Transcendet ostium domus.* MSS. quædam omittunt voculam *domus.*
Cap. 15. 19. *Ingressus est enim Eques Pharao.* Alii malunt legere *equus* pro *Equitatus*, quam *Eques.* Vide Notas nostras.
Vers. 27. *Venerunt autem in Elim filii Israël.* Non temerè libri quidam omittunt *filii Israël.*
Cap. 21. 14. *Evelles.* Alii boni libri, *avelles.*
Cap. 23. 20. *Angelum meum.* Multa bona MSS. omittunt pronomen *meum.*
Cap. 29. 2. *Quæ conspersa sit.* Quidam LL. *sint.*
Vers. 18. *Odor suavissimus victima Domini.* Quædam bona MSS. legunt *victima.*
Cap. 32. 28. *Ceciderunt que quasi viginti tria millia hominum.* Pro *viginti tria* quod est in quibusdam libris, in quibusdam legitur amplius, *triginta tria.* In quibusdam minus, nempe *tria.* His postremis favent Ebræa, Chaldæa & Græca & inter authores Rabanus diserte, ubi enarrat hunc locum, Ambros. Epist. 56. Thom. in Summ. 2. 2. Quæst. 14. a. 3. & Quæst. 97. Art. 4. præter alios.
Cap. 36. 29. *Et in unam compaginem.* Alii Latinè scribunt *compagem.*
Vers. 34. *Fusis basibus earum argenteis.* Hæc περιοχὴ ut non legitur Ebraicè, ita nec Latine, ab antiquis bonis libris MSS.

L E V I T I C U S.

Cap. 20. 5. *Fornicaretur.* Alii boni libri *fornicarentur.*
Cap. 25. 12. *Oblata.* Alii libri *ablata.* i. vocalem primam pro quarta.

N U M E R I.

Cap. 8. 2. Vide in margine loci.
Cap. 18. 28. *Et universis quorum accipitis, primitias offerte Domino.* Sic monent quidam interpungendum, ut *primitias* referatur ad *offerte*, & *quorum* sub. *decimas.*
Cap. 20. 6. *Clamaveruntque ad Dominum*, &c. Vide Censuram suo loco.
Cap. 25. 12. *Loquere ad eum.* Alii libri supplent *ad eos.* Neutrum enim Ebr. legitur.

D E U T E R O M.

Cap. 12. 21. *Si procul fuerit.* Clarior esset Oratio, omissa *si.*
Cap. 25. 3. *Abeat frater tuus.* Unum MSS. pro *abeat* legit *habeatur.* alterum monstrat signum varietatis. Verisimilis est conjectura legendum *jaceat.*
Cap. 26. 10. *Et adorato Domino tuo.* Boni libri omittunt copulam. *Et* hoc loco, ut initio versus seq. addunt, *Et epulaberis.*
Cap. 28. 20. *Et partem corporis.* Quædam ex nostris insignibus MSS. habent casum sextum *parte*, & supple, *percutiat te.*
Vers. 48. *Et omni penuria.* Verisimiliter conjiciunt quidam legendum *omnium:* quo facit quod in insigni MSS. Clarimarisci sit, *Et omnium rerum penuria:* in alio quodam, *omnium penuriarum.*

Syllabus Authorum & virorum doctorum qui in his libris citantur.

A.

ABenezra.
Abenmelech.
Acosta. Agellius.
Æschilus. Ælianus.
Albertus M.
Albinus.
Alphons. de Castro.
Ambrosius.
Andreas Laurent.
Ant. Fonseca.
Andradius.
Aquila. Aristot.
Arias Montanus.
Athenæus. August.
Azorius.

B.

BAndinus. Basilius.
Becmanus.
Bellarminus.
Bertramus.
Beza.
Bernardus.
Bereschit Rabb.
Biblia Ebrai. Chald. Græc. Gall. Angl. Belg. & Tigur.
Brodæus. Buxtorfius.

C.

CAlvinus.
Campianus. Canus.
Cajetanus.
Capellus.
Canisius.
Carbonarius.
Castalio.
Casaubonus.
Cassianus.
Chemnitius.
Chrysostomus.
Christophorus à Sacrobosco.
Cicero. Clemens 8.
Clemens Alexand.
Costerus. *Cochlæus.*
Const. L'Empereur.
Conc. Trident.
Cortesius.
Crocquetius.
Cyrillus. Curtius.

D.

DAmascenus.
Drusius.

E.

ECcius.
Erasmus.
Essenses.
Epiphanius.
Eusebius. Eucherius.

F.

FAgius.
Felisius.
Ferus. Festus.
Franc. Georgius.
Fullerus.

G.

GAlatinus.
Genebrardus.
Gesnerus.
Glossarium V.
Gomarus.
Gratianus.
Guido Fabritius.

H.

HArtus.
Hector Pintus.
Henr. Stephanus.
Hesychius.
Hilarius. Hismith.
Hieron.
Hugo Card.
Hugo de S. Vict.
Hugutio.
Humfredus.

I.

ILlyricus.
Joh. Isaac.
Jonathan.
Josephus.
Joh. Bened.
Isid. Clarius.
Junius.

K.

KImchi.

L.

LAncelottus.
Lindanus.
Lippomanus.
Lovanienses.
Lubbertus.
Lucas Brug.
Lyra.

M.

MArtinus Delrio.
Matthæus Galenus.
Massora.
Masius.
Macrobius;
Matth. Doring.
Marcus Marinus:
Mercerus.
Mortonus.
Moses Gerundensis.
Moses Ægyptius.
Munsterus.

N.

N*Azianzenus.*

O.

OLeastrius.
Onkelos.
Origenes.

P.

PAræus.
Pagninus.
Paulus Burgensis:
Pererius.
P. Faber.
Phesittha.
Philo.
Plinius.
Plautus.
Placus.
Portus.
Piscator.
Possevinus.
Polyd. Virgilius.

R.

R*Abanus.*
Rainoldus.
Rivetus.
Renchlinus.
Ribera. R. Eliezer.
R. Levi.
R. Menahem.
R. Isaac.
R. Salomo.
R. Saadias.

S.

SCaliger F.
Scindlerus.
Serarius.
Seneca.
Septuaginta.
Sixtus Senensis.
Sixtus V.
Seldenus.
Stapulensis.
Strabo. Steuchus.
Sulpitius Severus.
Suidas. Suares.
Sutlivius.
Symmachus:

T.

T*Acitus.*
Theophrastus.
Thargum Jerosolym.
Thalmud. Theodotio.
Theodoretus.
Thomas.
Tremellius.
Turnebus.

V.

V*Atablus.*
Valentia: Varro.

W.

WAserus.
Witakerus.

IN CENSURAM VERSIONIS VULGATÆ

Clarissimi ac Doctissimi Viri,

DOMINI

SIXTINI AMAMA

FRISII.

SÆpè mihi variis ardescere pectora curis,
Varium beati Belgii dum hostem intuor.
Hinc novus insidiis tentat Socinus honores,
Obrepere infausto satagens ludibrio.
Inde graves luxus, atque invidia, ambitus excors,
Discordiarum fomites, palam irruunt.
Hispanis opibus insultat at Anti-Christus
Utraque parte, cor populi petens Vafer.
Sic conjurata coëunt in prælia pestes
Necem innocenti cogitantes cœtui.
At paucos videas justo libramine Clavum
Videas tenere, & Dexteras conjungere,
Prodiga ne bellis pereat civilibus ætas,
Nostra & suis ne Belgica viribus ruat:
Hæ, quibus immensum pelagi terraque parari
Potest, & altis septiceps in collibus
Quæ sedit Meretrix, palam ostentarier Orbi,
Et quæ pudere dedidicit, metuere.
Hoc opus, hæc virtus, hæc summa cautio curæ,
Dudum bonorum vota sic expostulant.
Illâ confertas dispellere luce tenebras
Populisque mentem acuere attonitis decet.
Quin te igitur memorent & ament Sixtine Cathedræ,
Hæ, quæ beatis consonant laboribus;
Qui parte hac Babylonis opes tentare quietas
Pridem & superbas dissidentibus bonis
Magno equidem potuisti animo, majora juventa
In flore, dignaque viris dare conscius.
Perge alacris, supera invidiam, perge hostica corda
Exenterare, infesta castra sua his dare.
Perge, laborantem Pater admirabilis ille
Lucis benignus Spiritu æterno fovet.

L. M. P.

TIM. FABER JCtus.

AD

SIXTINUM AMAMA

CENSURAM SUAM EDENTEM.

SIxte Palestinæ Vindex clarissime linguæ,
Delicium Patriæ, Gymnasiique decus,
Unice Drusiadæ surgens de funere Phœnix,
Et Cathedram tanti scandere digne senis.
Qui vix dum quinti superas confinia lustri,
Vixque tibi vestit florida barba genas:
Tot claros genii fœtus, tot scripta dedisti,
Ut, qui non novit, te putet esse senem.
At nunc excutiens sublimes pectoris æstus,
Et superans ævi spemque fidemque tui,
Censuram in veteris turpissima σφάλματα textus
Stringis, & errorum stigmata mille notas:
Quæque Tridentina synodo, cœloque recepta est,
Quam scabra, & quam sit, versio, prava doces.

Quæ

Quo ruis ah? quo te veri rapit Entheus ardor?
  Numquid Romani fulmina dira Jovis,
Quæque Lojolitæ mittent (velut agmine facto)
  Tela venenato cuspide, SIXTE, times?
O audax pietas nulli tentata priorum,
  Fervidus ô sanctæ relligionis amor!
Ætatis sunt ista tuæ Semestria primæ,
  Quanta senectutis seria cura dabit?
DI tantum servare decus patriæque, Scholæque;
  Obliget ut meritis ferus utramque suis,
Et quod divino cœpit fœliciter ausu,
  Perficiat longi grande laboris opus.

Affinis Affini meritissimo scripsi

SIBRANDUS SICCAMA JCtus.

SIXTINUS AMAMA.

I I SUMMA TAXANS.

Lingua imperiti Hebraïca
In plurimis errant, licet
In cæteris sint præditi
Variis satis scientiis.
Hinc sæpe sensus spiritus
Sancti vacillat in sacro
Verbo: Fides hinc purior
Fœdatur istis sordibus.
Sed is meretur optime
De Ecclesia, & verbo DEI,
Quicunque dirigit suos
Prudens labores impigros
In commodum lectoris, &
Laudem Dei, & verbi ipsius.
Hinc veritatis integræ
Sensum optimum sic eruit,
Dogma ut Sophisticum cadat,
Fallaciæque corruant.
I SUMMA TAXANS, I cate;
Nunc explicatis vocibus
Hebraïca linguæ sacræ
Ut eruto sensu magis
Sic veritas reluceat.
Quare tuis laboribus
I macte TAXANS dogmatum
I SUMMA falsorum, nihil
Adversus hanc mendacia, ut
Candela lucet clarior
Emuncta: per Sophisticas
Strophas magis sic veritas
Clarescit ipsa obscurior.
I SUMMA TAXANS, I cate.

JOH. ARCERIUS

Pastor Eccl. Reform. apud Hamburgenses.

SIMEONIS DE MUIS

AURELIANENSIS

VARIA SACRA

VARIIS E RABBINIS CONTEXTA.

LECTORI.

ERANT in manibus meis *Varia* sive *Adversaria*, quæ in Mosis *Pentateuchum*; (vulgò enim sic vocant) reliquosque sacros libros amicorum consilio impulsus dudum adorno, cùm is liber cui titulus *Exercitationis Biblicæ* allatus ad me cœptum opus invitum & reluctantem intermittere coegit. Multò enim mihi & honestius & utilius ducebam ad oblectationemque aptius quod cœperam persequi, quàm id genus certaminis denuo aggredi, ubi victoria rarò laudem habet, præsertim cum eo viro qui, ut est homo, nescio an à sententia quæ semel animo insedit revocari unquam possit. Revertor nunc igitur lubens ad intermissum laborem, *Varia*que mea, quæ ut nunc exhiberem, huicque meæ Hebraicæ veritatis assertioni annecterem, plurimæ, nec leves, causæ, quas silere modestia jubet, impulerunt. Consilium in his concinnandis *Variis*, ut semel scias, hoc secutus sum. Non è nostris, sed ex Hebræorum duntaxat Doctoribus, neque his etiam omnibus, sed iis præsertim qui literalem, quem appellant, sensum attingunt, illa ferè contexui; non quod Hebræos nostris præferam (absit hoc à me) sed quia professionis meæ limites exire religio fuit: nec libuit arare bove simul & asino, agrumque diversis permixtisque seminibus conserere. Ità autem Hebræorum sententias refero aliasque aliis compono, meum etiam interdum, si, quod meum est, interponens judicium, nihil ut præjudicatum nedum fraudi esse, Græcorum Latinorumque Sanctorum Patrum præsertim, opinionibus atque interpretationibus velim. Ipsa Hebræorum verba sæpius recito, sed ità ut statim eorum qui Hebraicè nesciunt gratia

Digitized by Google

gratia Latinè reddam, sensum scilicet, non verbum è verbo, quæ postrema interpretandi ratio inepta atque inscita ab omnibus semper habita est. Rabbinicas fabellas somniave, quæ parùm sobriorum hominum interdum videri possint, si quando huic scripto delectamenti causa fortè inteximus, illico refelluntur, si tamen digna sunt quæ refellantur, ac non ipsa per se sponteque satis corruunt. Penè exciderat quod jam dictum oportuit, me in promendis S. Scripturæ locis non Vulgatæ versionis sed Hebraicæ potissimùm veritatis fidem secutum, servato tamen, quoad ejus fieri potuit ac per veritatem Hebraicam licuit, Vulgatæ versionis, quam summè ac sanctè veneror, germano contextu. Habes, Lector, satis explicatam consilii mei rationem. Vale.

HUGONIS GROTII PRÆFATIO

Ante Annotata ad VETUS TESTAMENTUM.

LECTORI.

Consilium initio fuerat, ea tantum quæ ad oram librorum Veteris Instrumenti meos ad usus notaveram, facere publici juris. Sed dum contextum relego, studium juvandi posteros provexit me longius, ut quæcunque obscuritatis aliquid habere viderentur, iis quantum possem lucis adferrem. Annotavi autem quæ annotanda duxi ad Latinam versionem, pridem receptam, quam semper feci plurimi, non modo quod nulla dogmata insalubria contineat, verum etiam quod multum in se habeat eruditionis, quanquam in dicendi genere satis horrido, ad cujus explicationem verbis interdum usus sum nitidioribus: Interdum etiam sensum studui reddere clariorem ex Hebraicis libris, sive quales nunc habemus opera Masoreticorum, sive quales olim habuere LXX. Interpretes, assumpto etiam auxilio eorundem & aliorum Græcorum interpretum, non raro & Chaldæorum, inspectis & recentioris ævi versionibus, quarum præcipuæ sunt Tigurina ac Tremelliana. Veterum qui commentarios scripsere utilissimum reperi Hieronymum, ob linguæ Hebrææ locorumque ac historiarum notitiam. Et tamen in quibusdam plus ipso vidit Chrysostomus, Judæorum ope quos Antiochiæ noverat. Sunt & nostræ ætatis non spernendi labores Vatabli, Francisci Junii, atque eorum quos multos legit, contractosque nobis, additis & suis præclaris cogitatis ob oculos posuit Johannes Stephanus, Menochius. Ex his nunc hunc, nunc illum, secutus sum aliquando, aliquando ea quæ mihi videbantur, additis rationibus. In lege sensum & causas præceptorum & mores eo pertinentes, ab antiquis Judæorum Magistris maxime sumpta, addidi. In Prophetiis plurimum posui operæ, ut singulas ad respondentes ipsis historias referrem: in quo quid præstiterim, æqui lectoris erit æstimatio. In hac parte locos nonnullos, quos veteres ad Christum & Euangelii tempora retulere, retuli ad historias ævo Prophetarum propiores, sed quæ tamen involutam habent Christi & Euangelicorum temporum figuram. Feci autem hoc, quod, ni id fieret, viderem male cohærere verborum rerumque apud Prophetas seriem, quæ cæteroqui pulcherrima est. Et talia quidem loca nobis Christianis Dei consilium patefaciunt, qui non per verba tantum sed & per res nobis Messiam & beneficia per ipsum exhibenda adumbraverit. Judæis autem convincendis vel pauca, Christum & tempus quo is venturus erat directe describentia, sufficiunt. Sententiis Hebræorum moralibus aut civilibus similes addidi ex præstantissimis scriptoribus Græcis & Latinis. Attuli etiam ex historiis externis quicquid ad Sacræ historiæ confirmationem aut explicationem pertinet. Si qui autem ad sibi nota, aut eadem repetita sæpius nauseabunt, eos oro ne mihi succenseant, si quamplurimorum profectus adjuvare, labores autem minuere studui. Si quis vero hæc nostra utiliter legere volet, is necesse est sibi comparet quæ de Veritate Religionis Christianæ scripsimus cum annotatis, item de Jure Belli ac Pacis cum annotatis, & quæ ad Euangelia annotavimus: sæpe enim lectorem ad ista rejicimus. Calendis Martiis anni CIↃ IↃC XLIV.

Sere-

Digitized by Go

PETRI GROTII DEDICATIO AD COMM. H. GROT.

Sereniſſimo & Potentiſſimo

PRINCIPI AC DOMINO,

CAROLO II.

D. G.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ

ET

HYBERNIÆ

REGI,

FIDEI DEFENSORI,

PETRUS GROTIUS.

AUT nulli mortalium, aut ſoli Tibi, CAROLE REGUM AUGUSTISSIME, debetur hujus operis inſcriptio. Quippe ſi hinc materiarum quæ in eo tractantur excellentiam, inde auctoris in iiſdem explicandis diligentiam, judicium & fidelitatem ſpectamus, ſola ſe dignitate ſua, & unius veritatis clypeo tueri abunde poterit. Si vero depravatiſſimi ſeculi malignitatem, maximorum in ſanctiſſima etiam facultate virorum invidiam, & inimicorum, quos idem auctor bene de Patria & tota Rep. Chriſtiana merendo ſibi & ſuis excitavit, odium intuemur, jam non ſimplici, aut privata tantum, ſed publica, ſed eminenti, id eſt, Regia protectione ac defenſione indigebit. At cujus ſe fidei, cujus ſe protectioni, cujus ſe defenſioni committet tutius, quam Tuæ Rex idem terra marique potentiſſime, &, ſi puritatem reformati Chriſtianiſmi conſideramus, etiam Chriſtianiſſime. Tu enim inter omnes Reges unus ille es quem protectorem ſuum pars Chriſtiani orbis ſi non major, ſanior certe jam diu agnoſcit. Tu idem ille cujus ſe fidei ac defenſioni ipſa ſe Fides Chriſtiana non invita ſubjecit, cujus potiſſimum in regnis is ſacrarum literarum intellectus, is divini Numinis cultus, is in exercenda nimia illa diſputandi de arcanis Fidei dogmatibus licentia receptus eſt modus, quibuſcum convenire ſe auctor idem & parens meus jam pridem teſtatus & publice ſcriptis ſuis profeſſus eſt. Accipe itaque Rex Sereniſſime & Majeſtatis Tuæ radiis tuere opus tot Tibi, & quidem ſoli Tibi, nominibus debitum. Deus Opt. Max. qui Sacram Majeſtatem Tuam pro jure imperii ſui fortiſſime dimicantem inter mille pericula incolumem præſtitit, vitam è faucibus mortis ereptam non ſine miraculo ſervavit, regnum avitum à perduellibus occupatum manu reſtituit, nunc pacis inter potentiſſimos Chriſtiani orbis Principes & populos arbitrum elegit, eandem illam vitam, idem illud regnum Tuum eadem Tibi benignitate ſua porro conſervet ac protegat. Regimen, ſubditos, omnes denique actiones, omnes conatus Tuos ſoſpitet. Inchoatum auſpiciis Tuis pacis negotium ad optatum finem ſub nomine Tuo perducat. Et ne quid gloriæ Tuæ deſit, majoris etiam illud pacificationis opus tam diu ab omnibus vere Chriſtianis deſideratum, à tam multis tentatum, à nullo confectum Tibi ſoli reſervatum, Te ſolo auctore perfici ſinat; adeo ut poſt conciliatos Reges, pacatos populos, redditam agris culturam, commerciis libertatem, omnibus otium & quietem, pacem etiam Eccleſiarum, concordiam animorum & veram illam charitatem tantopere à Domino & Servatore noſtro commendatam, tam diu per diſſidia nihil minus quam Chriſtiana oppreſſam, Tuæ tandem Majeſtatis cura & labore reſtitutam omnes boni ſentiant, omnis terrarum orbis agnoſcat.

Prid. Kal. Febr.
M DC LXXVIII.

Digitized by Google

LECTORI S.

PRodeunt tandem in publicum universa Hugonis Grotii Opera, quæ quidam ad Theologiam spectant, eoque auctiora & ornatiora, quo diutius à multis expetita. Variis ea cum calamitatibus luctata fuere; ut non dissimilis parenti suo proles videatur. Cum enim publica hujus belli calamitas, quæ patriam hanc nostram juxta ac universam Europam concussit, magnam huic novæ editioni moram injecerit, tum publicæ huic privata clades accessit, quod idem ille, qui celeberrimam toto orbe Parentis nostri τῦ μακαρίτε typographiam in cineres redegit, feralis ignis etiam partem hujus editionis absumpserat, quam nunc è flammis ereptam & fati faucibus restitutam vides. Fuere hæc ante aliquot annos tum apud nos tum apud alios per partes excusa, quibus suus semper honos & pretium constitit apud omnes, qui eruditionem cum pietate, pacem cum veritate sectantur. Solent qui Cl. Virorum scripta in lucem proferunt, multa de auctoribus eorumque scriptis præfari, quo ea Lectoribus commendent: verum, cum hic Scriptor satis superque omnium eruditorum manibus tritus sit, & nominis sui famam longe lateque diffuderit, nos merito huic labori supersedemus. Enimvero quid de eo senserit, & quanto eum in honore habuerit literatus orbis, testimonia Scaligeri, Rutgersii, Vossii, Barlæi, utriusque Heinsii aliorumque tam apud Batavos, quam apud exteros abunde satis ostendunt. *Grotius es* (scribebat Auctori nostro literatorum ocellus Erycius Puteanus) *maximus es, & hoc satis est, ut intelligas nihil tibi deesse.* Et vere: nam, cum D. O. M. omnibus sapientiæ donis perfuderit fere neminem, noster hic Scriptor omnium scientiarum capax omne punctum tulit, & omnes eruditionis numeros implevit. Erat enim jurisprudentiæ & historiarum peritissimus, in linguis versatissimus, ad poësin natus, stilo cultus, eloquentia promptus. His omnibus accedit, quod tam profundo humanarum artium studio immersus, & mundanis honoribus cinctus, & tantum non obrutus, tantam tamen rerum divinarum scientiam sibi comparaverat, ut cum summis ævi nostri Theologis certare, imo multorum judicio palmam iis præripere videretur. Antequam vero te ad legendum accingas, paucis à nobis de iterata hujus editionis præstantia præmonendus es, amice Lector. Nimirum ubi sua in Sacras Literas annotata in lucem edidisset Auctor, nonnihil videbat obstare, quo minus hæc ab omnibus æquali cum fructu volverentur, cum enim multa illis loca Hebraica, multa Græca inseruisset, quæ undique è Rabbinis & Græcis Auctoribus collegerat, nec omnes idem cum ipso eruditionis fastigium attigissent, paucique admodum in linguis Orientalibus essent versati, statuit ipse peregrina loca Latinitate donare totique præterea operi ultimam manum adhibere. Id cum in Vetus Testamentum & quatuor Euangelia peregisset, mors finem vitæ imposuit & labori. Exinde parens noster p. m. tum ipse, tum impulsu amplissimi viri Petri Grotii dignissimi tanto patre filii, in animum induxit opera prædicta denuo prælo subjicere. Itaque cum primum rescivit, in Germania latere Annotationum in Vetus Testamentum & quatuor Euangelistas exemplum Auctoris ipsius manu emendatum, qui & peregrina loca latine verterat, non destitit, priusquam exemplo hoc potiretur, & voti compos factus illico excudendum curavit. Jamque ad primum Euangelii Johannis caput pervenerat, cum ecce flamma typographiam & bonam impressi operis partem absumpsit, Deus autem, qui Grotium in vivis non semel ab interitu vindicaverat, non sivit id opus hoc incendio totum perire. Cum enim impressorum exemplar unum, quod formando indici inserviret, penes alium esset depositum, nihil ex iis periit, quæ Auctor verterat & emendaverat, præter duo aut tria Lucæ capita, quæ tum forte sub prælo desudabant. Ea nos ex priori editione suppleri & Latinam versionem subjungi curavimus. Eandem operam adhibuimus circa loca peregrini idiomatis quæ in Actis & Epistolis Apostolorum se offerebant, impense annixi, ut in omnibus Auctoris scopus tangeretur, quinimo in multis versionem ipsius Auctoris sumus secuti, undecunque ea ex aliis ejus scriptis hauriri posset. Carminum Græcorum Grotianam versionem ex Stobæo & excerptis ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis collectam Cl. Viro Petro Wassenario debemus, qui Ultrajecti ad Rhenum summa cum laude Medicinam exercet. In vertendis S. Scripturæ locis Vulgatæ editioni, quod & Auctor fecerat, nisi cum ab ea ipse dissensit, adhæsimus. Cæterorum locorum translationes ex aliis interpretibus conquisitæ, & sicubi opus visum, emendatæ, quæ reperiri non potuere, quanta potuit fide, adornatæ; quotquot porro huic editioni, præ cæteris, accessere his notis [ ] distinctæ.

VITA
HUGONIS GROTII.

FUisse ante secula aliquot plures in agro Delphensi, vulgo Delphlandia, illustrium familiarum arces, seu domos gentiles, quæ per injurias bellorum, tam finitimorum, quam civilium, partim incendiis, partim devastationibus periere, apud eos constat, qui illorum temporum res scriptis suis complexi sunt. Neque dubium illis est, fuisse inter eas & arcem Crayenburgiam, cognomini genti propriam, Delphos inter & Hagam sitam ad orientem illius fossæ, quæ Corbulonis creditur & Lugdunum Batavorum ducit, eodemque vel non longe ab illo loco, ubi hodie ea conspicitur domus, quæ Crayenesta vulgo dicitur, & à viro amplissimo Herberto Beaumontio, Proceribus Hollandiæ & Westfrisiæ à Secretis possidetur. Ut & hanc domum, Crayenburgicam puta, illam fuisse, ex qua originem suam traxit, vel potius una eademque cum illa fuit ea familia, quæ hodie Grotiana dicitur, ex non obscuris indiciis colligitur, desumto Grotii nomine ex Belgico *de Groot*, quod propriè Magnum significat, & jam quadringentis abhinc annis illi familiæ inditum fuit ob eximium aliquod, uti credibile est, in patriam meritum; nam fuisse eos jampridem, qui ex eo stemmate nati sunt, ut patriæ suæ amantissimos, ita & juris publici strenuissimos, vel cum periculo suo assertores, ex pu-

ed by Google

publicis monumentis satis constat. Hi, destructa cum pluribus aliis arce Crayenburgia, cum tutiores sibi sedes quærerent, in proximam tandem urbem, Delphos dictam, se recepere, ibique honorifice excepti, & ad primarias urbis dignitates admissi, perceptos honores, sub eodem Magni cognomento in posteris suis ad ætatem usque nostram continuavere, retentis semper Crayenburgicæ gentis insignibus, quæ etiamnum familiæ Grotianæ, & quidem ei soli propria sunt, tanquam certissimis originis suæ documentis. Ex hac progenie ortus Hugo Grotius, apud Belgas, *de Groot*, natus est in urbe Delphis Batavorum, quæ inter primas est earum civitatum, penes quas esse jus supremæ in Hollandia potestatis, extra controversiam est. Natalis ei fuit dies decimus mensis Aprilis anni millesimi quingentesimi octuagesimi tertii, resurrectioni Dominicæ eo tempore sacer. Patrem habuit Joannem de Groot, ejusdem urbis Consulem, & Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorem, ad quem exstant Lipsii epistolæ, illustris Viri Jani Dousæ versus, & non pauca aliorum monumenta ejus nomini inscripta. Matrem habuit Alitam ab Overschie, ex primoribus ejusdem civitatis ortam. Avus ei fuit ille Hugo de Groot, qui ex illustri Cornetziorum gente prognatus, primus Grotianum nomen in familiam suam transtulit. Quippe cum circa annum trigesimum seculi decimi quinti in Diderico de Groot ejusdem itidem civitatis Consule, & non paucis deputationibus satis claro, defecisset stirps masculina, filia ejus Ermgarda de Groot, domus satis opulentæ hæres, viro Nobilissimo Cornelio Cornetzio, qui genus suum ex ea Cornetziorum prosapia ducebat, qui sub Ducibus Burgundiæ ex Gallia in Belgium migraverant, nuptura, matrimonium non iniit, nisi facta conditione, ne, qui ex eo nascerentur masculini sexus liberi, alio quam Grotiano nomine nuncuparentur; ita natus Hugo de Groot, ejus Hugonis, de quo loquimur, avus, vir supra quam ea tempora ferebant, Latinarum, Græcarum & Hebræarum quoque literarum sciens. Utriusque familiæ Grotianæ scilicet & Cornetzianæ, nomina, insignia, facultates & honores conjunxit, redintegratisque in eo pristinis Grotianæ domus dignitatibus, quæ jam ante tria secula in ea familia velut hæreditaria fuerant; & in parentem ejus, extra Hollandiam natum, conferri non potuerant, Senatoria & Consularia munia magno cum populi applausu accepit & gessit. Uxorem duxit Elselingam Heemskerkiam, ex ea Heemskerkiorum domo ortam, quæ antiquitus inter nobilissimas Hollandiæ habita, præter alios eminentes viros & Jacobum Heemskerkium patriæ dedit, qui rem strenue gerendo ad Calpen occubuit. Per liberorum suorum matrimonia nobilissimis etiam domibus, ut sunt Almundana, veniens è Toparchis Stridenis in Hollandia, Renessia atque Utenengia apud Trajectinos se innexit. Sed ut ab avo ad nepotem, id est, Hugonem nostrum redeamus; vix credi potest, quam ingentia à prima infantia sua liberalis indolis, eminentis spiritus, & indefessæ industriæ specimina dederit: neque à parente viro literatissimo in tanta spe neglectus, sed ante septimum ætatis annum præceptoribus erudiendus datus, tantos apud eos profectus fecit, ut ante nonum vitæ suæ annum versus fundere inceperit, ante duodecimum in Academiam Lugduno Batavam deductus fuerit, ubi non tantum Philosophiæ, Astrologiæ & Matheseos, sed & Theologiæ, & Jurisprudentiæ tam fidelem navavit operam, ut tribus annis ibidem transactis, omnibusque, quibus se applicuerat studiis absolutis, vix quindecennis in comitatum Illustrissimi viri Joannis Oldenbarneveldii Reipublicæ Hollandiæ Assessoris, & ad invictissimum tunc Principem Henricum Magnum Legati in Galliam proficiscentis se dedit. Ibi gradum in Jure consecutus, & ab Augustissimo Rege non torque tantum aurea, sed & effigie regia, ob incomparabilem in ista ætate eruditionem donatus, ingentem sui & profuturam aliquando existimationem reliquit; in patriam reversus forensibus se rebus admovit. Ante decimum septimum ætatis annum causas publice egit, & ante vigesimum quartum ad Fisci advocationem ab Hollandiæ Zelandiæque Ordinibus vocatus est. Eo in munere tanta se prudentia, cura, atque integritate gessit, ut non tantum auctum ei à Proceribus Hollandiæ salarium, sed & ultro in superiore Judicum consessu locus promissus sit. Sed ad altiora natus, & Majorum uti apparuit exemplo, rebus publicis destinatus, vacantem per obitum Eliæ Oldenbarneveldii, qui fratri Joanni Oldenbarneveldio tunc Procerum Hollandiæ Assessori in hoc munus successerat, adsessuram Civitatis Rotterodamensis à Rectoribus ejusdem urbis, quæ secundum Amstelodamum plurimum in ærarium publicum confert, oblatam ex amicorum consilio & assentientibus Hollandiæ Proceribus, accepit anno post mille sexcentos decimo tertio, & ætatis suæ trigesimo. Diviserat jam tunc temporis, non plebis tantum, sed & Magistratuum, Procerumque animos, orta ante annos aliquot de prædestinatione & annexis ei quæstionibus controversia, aliis absolutam ex Joannis Calvini, aliis conditione subnixam ex Erasmi, Castalionis, Philippi Melanchthonis & aliorum sententia amplectentibus. Fovebaturque non Pastorum tantum, sed & aliorum hominum res novas molientium artibus ea dissensio, adeò ut non obscurè pateret, magni aliquid per discrepantias illas tentari & non minùs Reipublicæ quàm Ecclesiæ vim intendi: quibus perpensis & collatis cum iis, quæ in casu non absimili Lycestrianis temporibus agitata erant, oblati sibi ministerii functionem exercere recusavit vir perspicacissimus, nisi sub conditione, ne in potestate Magistratûs Rotterodamensis foret, eum unquam invitum ab eodem removere. Hac lege initam adsessuram tantâ diligentiâ tantâque fidelitate exercuit, ut neque legitimi, id est, veteres, neque novi Magistratus quidquam in ministerio ejus invenerint, quod carpere aut accusare possent. Per eam functionem non in conventum tantùm Ordinum Hollandiæ introductus, sed & pars factus est consessûs Curatorum Reipublicæ, qui velut vicariam Ordinum Hollandiæ potestatem exercent, eorumque nomine, & Fœderatorum Conventum frequentare solent. Cùmque jam ante annos aliquot in gratiam navigationis Indicanæ de jure istius commercii libellum scripsisset, maximæque super ea re contentiones Anglos inter & Batavos mercatores ortæ essent, componendis eorum controversiis, in Britanniam (1613.) missus est; ubi & ab ipso Rege Jacobo sapientissimo sui seculi Principe, & ab eruditis ejus insulæ viris non exigua benevolentiæ signa accepit, propteremque amicitiam contraxit cum viro doctissimo Isaaco Casaubono, quem hactenus non nisi per literas suas coluerat. Gliscebant interim crescebantque indies super diversitate dogmatum discrepantiæ. Jam pervenerant factiosæ dissensiones à Pastoribus ad plebem, à plebe ad Magistratum, à Magistratu ad Ordines Hollandiæ veros & summos Reipublicæ Rectores, ab Ordinibus ad Principem Mauritium, (cujus parens Guilhelmus Arausionensium Princeps in eadem præfectura constitutus, quoties ad eum similes de Religione quæstiones delatæ erant, semper testatus erat, earum cognitionem non ad se, sed ad Ordines cujusque Provinciæ pertinere;) à Mauritio ad Delegatos fœderatorum, quibus nihil juris esse in singularum nationum subditos, jam sæpe demonstratum erat, & demonstratum est apertiùs, nemine postea contra nitente. Neque deerant inter ipsos Magistratus, ipsosque Reipublicæ Proceres, qui incontestabile in res Ecclesiasticas Ordinum Hollandiæ arbitrium ad eosdem Delegatos deferrent. Illi auctoritate Principis Mauritii nixi, omnia jura in se trahere, Proceres Hollandiæ, qui plus quàm dimidiam partem subsidiorum in ærarium publicum conferebant, quorumque opibus nonnulli eorum ad commune fœdus perducti erant, subditorum instar habere, optimum & fidissimum quemque è sede Magistratûs (29 *Aug.* 1618.) depellere, Oldenbarneveldium, Hogerbetium & Grotium hunc nostrum, illum universæ Hollandiæ, horum alterum civitatis Lugdunensis, alterum Rotterodamensis Assessores in custodias trahere, delegatos illis judices dare, illegitimo modo accusare, indefensos damnare; Oldenbarneveldium septuagesimum secundum ætatis annum agentem capitali supplicio plectere, reliquos duos ad perpetuos carceres mittere, & omnia eorum bona publicare: nitentibus contra & vim auctoritati suæ inferri frustra clamantibus ipsis Hollandiæ

diæ Ordinibus, donec optimis quibusque à muneribus suis dimotis, novisque in eorum loca contra leges impositis, omnia pro libidine eorum agi cœpêre qui istius novitatis auctores erant. Ita captus Hugo Grotius, vir innocentissimus & patriæ suæ, libertatisque publicæ amantissimus, postquam novem per menses detentus Hagæ fuisset, eorumque sex elapsi essent in conquirendo infensissimos quosque, quibus judicum munus tutò committerent, tresque reliqui in formandis accusationum capitibus essent conjuncti, interdicto interim uxori, liberis, parentibus, consanguineis & amicis, ne adire, alloqui aut ullam operam præstare captivo, quamvis periculosè ægrotanti, ne quidem coram ipsis judicibus liceret. Damnatus tandem (18 *Maji* 1619.) ad carceres perpetuos, bonaque ejus publicata sunt. Quod cùm ostensum judicibus esset per leges patriæ non licere, nisi in damnatos Majestatis, anno (6 *Jun.* 1620.) post latam sententiam pronuntiatum ab iis est, sibi, dum ferrent sententiam, nullam aliam mentem fuisse, quàm Grotium, aliosque Majestatis fuisse reos. Inde Lupesteynium Hollandicæ ditionis castellum in confinio Geldriæ inter flumina Mosam & Vahalim situm, finiendæ in pedore carceris vitæ (6 *Jun.* 1619.) transportatur. Ubi postquam ultra sesquiannum sustentatus bonis uxoris, aspernantis judicum largitionem, qui vicenos & quatuor in diem asses alendo captivo, totique ipsius familiæ assignaverant, studiis præcipuè impendisset, plurimasque ab iis, qui custodiæ ejus præerant injurias perpessus fuisset, tandem Dei Opt. Max. indignam viri sortem miserantis beneficio, & uxoris Mariæ Reygersbergiæ, ex primariis Zelandiæ familiis ortæ, Petrique Reygersbergii Veriani Consulis, qui non inutilem Patriæ & Nassaviæ domui navaverat operam, eamque ob causam Lycestrianis temporibus ab inimica factione ejectus oppido exulaverat, filiæ, virilis animi, & supra sexum sapientis Matronæ, operâ pristinæ libertati redditus est; inclusus quippe cistæ quæ transportandis libris jam aliquoties inservierat, & à custodibus ipsis in navem (22 *Mart.* 1621.) deductus Gornichemum proximum castello oppidum vectus, & in domum delatus est optimi ibidem civis Davidis Daetzelarii, dignissimi vel ob hoc unum in perditissimis temporibus factum, cujus nomen omnibus bonis innotescat. Ibi sumtis cœmentarii cujusdam vestibus, primùm Antverpiam, inde Lutetiam se recepit, ubi per absentiam Regis ab ipsius Ministris, postea & à Rege ipso benignissimè exceptus, & annuo donativo honestatus, sedem quieti & studiis suis posuit, semper intentus patriæ & popularibus suis, ubi quid negotii illis apud aulam eam esset, consilio, operâ, & quâ pollebat apud nonnullos Ministros regios gratiâ inservire ac prodesse; quamvis non ignoraret, eos, qui ibi res Federatorum curabant, nihil intentatum relinquere, quo Regis animum ipsi infestum redderent, sed frustra laborabant apud Principem nihil ignorantem eorum, quæ annis CIƆ IƆC XVIII & CIƆ IƆC XIX in Hollandia acta erant: quin dixisse non semel fertur, mirari se virtutem hominis, qui tam malè in patria habitus, non desineret tamen ei, subditisque ejus benevelle, imo quocunque etiam posset modo benefacere. Primum operum, quod post receptam libertatem edidit, fuit Apologeticus sive defensio, non tam sua, qui non potuerat peccare in exsequendis iis, quæ sibi à Superioribus suis mandata erant, quàm eorum, qui legitimo modo creati, legitimo jure Reip. Hollandicæ annis decimo octavo & nono præfuerant. Quo comperto Federatorum Delegati, neque ignorantes suas in eo libro artes, illatamque Hollandiæ vim detegi, cùm nihil haberent, quo expressam in eo veritatem redarguere aut refutare possent, usitatâ jam diu violentiâ utentes, proscriptionibus eum persecuti sunt: quod brutum fulmen, cùm per Christianissimi Regis tutelam, qui eum in fidem suam receperat, evanuisset, nihil aliud eo actum est, quàm quod Grotio vita securior reddita, typographorum eos libros vendentium duplicatum lucrum, & aucta adeò sit legentium curiositas, ut, defæcatis multorum regentium oculis, eorum auctoritas non tantum publica, sed & in conventu ipsorum Procerum, imo & contra ipsos federatos postea valuerit. Mansit ibi per annos undecim, amatus universim, consultusque sæpe a Prioribus regni super rebus maximi momenti. Donec pertæsus vitæ nimis otiosæ, postquam plus semel ad ministeria publica, non à Serenissimo tantùm Daniæ Rege Christiano Quarto, sed & à Gustavo Magno vocatus esset: certus sedes mutare, primùm in patriam redire constituit, ubi mortuo Mauritio Arausionensium Principe, frater ejus Fredericus Henricus ad gubernaculum Reipublicæ admotus, non mitioris tantùm regiminis, sed & pristinæ in administranda Republica libertatis spem dederat, ipsique jam pridem Grotio animi sui affectum per literas testatus erat, credebaturque à non paucis, quæsiturus sibi gloriam ex tanti viri tam injustè damnati in integrum restitutione; sed ut plerumque apud animos eorum, qui Principum consiliis præsunt, utilia honestis prævalent, neque deessent, qui ipsi ante oculos ponerent, quàm periculosum rebus suis foret, hominem, tam pertinaciter libertatis ac patriæ suæ amantem, iterum ad Rempublicam admittere, potentiæ suæ quàm existimationi consulere maluit, & Proceribus super mansione Grotii, in Hollandiam reversi circa finem anni CIƆ IƆC XXXII deliberantibus, iis accessit, qui interdicendam illi in patria habitationem opinabantur: ita coactus iterum patriâ suâ excedere illustris exul Hamburgum Hanseaticarum urbium præcipuam se contulit, mansitque ibi, captus amœnitate loci, & affluentium undique eruditorum virorum allocutionibus, donec, post multas diversorum Germanici Imperii Principum requisitiones honestis modis excusatas, tandem, sed mortuo jam Gustavo Magno, Reginæ regnoque Sueciæ operam suam sub nomine Consiliarii Regis, & ad Christianissimum Galliarum Regem Ludovicum decimum tertium Legati (1634.) obstrinxit. Sic iterum in Galliam reversus est, non tam dignitate legationis, quàm eruditionis & virtutum famâ conspicuus. Invitis quidem & contra nitentibus, quos in patria habebat, adversariis, qui omnes vires apud Regem, ejusque Ministros (1635.) intendebant, ne damnati apud se hominis actiones per admissionem in eam dignitatem justificarentur; sed frustra, ut jam dictum est. Laborabant apud aulam, non ignaram eorum, quæ super hac re contra ipsius Regis consilia, toties per Legatos suos patefacta, apud Batavos acta erant. Neque adeò obscurè scriptus erat ipsius Grotii Apologeticus, ut quenquam, vel mediocriter humanarum rerum gnarum, latere posset, quàm iniqua in eum sententia lata esset. Et tunc quidem officii sui credidit Rotterodamensis urbis Rectores acceptæ à se Legationis certiores reddere, quò scilicet liberati ab iis, quas cum eo pepigerant conditionibus, vacanti ab eo demum tempore urbis suæ adsessuræ providere possent: uti fecere, eligendo in ejus locum amplissimum ac disertissimum virum Simonem Beaumontium, Herperti Beaumontii, de quo supra locuti sumus, patrem. Mansit itaque ibi, & iis, à quibus, & ad quos missus erat pariter gratus, præcipuum tempus suum impendebat partim ministerio Legationis, partim studiis, partim allocutionibus eorum, qui videndi eum & consilia sua cum eo sociandi gratia ab omnibus Europæ partibus confluebant. Omnibus fores, omnibus mensa, omnibus officia ipsius patebant, ne iis quidem exceptis, quorum parentes, post multas illatas ipsi injurias, & carceris & exsilii authores fuerant. Ibat in annum undecimum ejus Legatio, cùm Majorenni jam & ad Regni administrationem vocatæ Christinæ Gustavi Magni filiæ ministerii sui rationem redditurus in Suediam proficiscens Grotius per Hollandiam iter carpsit, jamque Rotterodamum veterem habitationis suæ sedem pervenerat, magno ibi civium applausu & favore exceptus, cùm inimici non contenti iis, quibus eum tamdiu persecuti opprobriis & injuriis erant, obire suarum partium domos, quos poterant ad se trahere, omnem lapidem movere, ne Ordines Hollandiæ, tunc fortè congregati, per terras & urbes suas transire Grotium impunè paterentur: sed mutata erat rerum facies. Plurimi eorum, qui anno CIƆ IƆC XVIII statum Reip. concusserant, jam è vivis decesserant, nonnulli eorum, qui eodem anno à dignitatibus suis dimoti fuerant, moderatione Principis Frederici Henrici revocati ad pristina ministeria erant, quique novi ad Remp.

Remp. accesserant, ut factionibus non interfuerant, discernendæ veritati magis capaces erant. Ita factum est, ut referenti in conventu Procerum Hollandiæ Jacobo Catsio, eorum tunc adsessori, quid sibi super ea re dictitatum esset, responsum à Proceribus sit, vano timore liberaret homines, nimiùm meticulosos, ipsis curæ fore, ne quid Respublica detrimenti caperet. Amstelodamum interea pervenerat Grotius, inde Hamburgum petiturus; neque enim affectabat ullis se civitatibus videndum præbere, nisi quarum transitum evitare non poterat. Consulatum in ea civitate eo tempore obtinebant viri sapientes & moderati Petrus Hasselarius, Andreas Bickerus, Gerbrandus Pancratius, & Guilhelmus Backerus, qui de adventu in urbem suam Grotii certiores facti, neque dissimulare cupientes, quanti facerent virum, tam solide eruditum, tam bene de patria meritum, tamque illustri per totum terrarum orbem famâ celebrem, sine cunctatione eum adiere, optima quæque officia ei obtulere, publico convivio excepere, & navem itineri ipsius aptari curavere: ita rursum patriâ nunquam sibi postea videndâ excessit vir excellentissimus. Hamburgum maritimo, terrestri itinere Lubecam petens, honorificè à Magistratibus utriusque civitatis exceptus fuit. Inde Wismariam Pomerani Ducatûs oppidum, Suedicis præsidiis occupatum, pervenit. Erat eo tempore non longè ab ejus portu cum ingenti classe Wrangelius Comes, Regni Suedici Archithalassus, qui de adventu tendentis in Suediam Grotii certior factus, continuo navem bellicam, promovendo ipsius itineri, ad eum misit, eâ Calmariam Grotius venit, inde Holmiam petiturus; quo comperto Regina, quæ tunc forte Upsaliæ erat, magnoque jam diu videndi Grotii desiderio tenebatur, reditum suum in eandem urbem, Imperii sui sedem, properavit. Posterâ die ad alloquium Reginæ admissus Grotius, postquam multa, rebus ac tempori convenientia, disseruisset, Legationis suæ partes exposuit, actionum suarum rationem reddidit, pro favore tamdiu percepto gratias egit, dimissionemque à ministerio suo petiit. At Christina, ut erat omnium rerum, cognitionem suam merentium, gnara, literarumque & literatorum amantissima, ipsiusque Grotii, editorumque ab eo operum perspicacissima æstimatrix, ad reliquas orationis ipsius capita benigniter, ad ultimum, ubi de dimissione sua locutus erat, non nisi per ambages respondit. Adeò ut non obscurè pateret circumstantibus, mentem Reginæ esse, Grotium apud se detinere, propiusque consiliis suis admovere: sensit hoc & ipse Grotius, neque dubitavit hoc unum sufficere ad irritandam invidiam illam, quam a principio adventûs sui in nonnullis regni Proceribus animadverterat. Quare, cùm nihil minùs propositum ei esset, quàm in ea terrarum parte habitationis suæ sedem figere, ubi non minus cum ingeniis hominum tam malè sibi volentium, quàm cum aëris inclementia luctandum quotidie foret, non destitit coram Regina, quoties ad eam accederet, dimissionem suam & veniam ad suos revertendi efflagitare. Illa, quæ neque diversas terrarum regiones, neque discrepantes hominum mores ignorabat, eoque minùs dubitare poterat, quàm difficile esset, animum non avaritiâ, non ambitione distractum, sed solis studiis & virorum eruditorum collocutionibus contentum, ex eo, sub quo tamdiu respiraverat cœlo, in eam mundi plagam trahere, quæ vix ipsi, ibi natæ, ibi educatæ, ibi regnanti, imo ne vix quidem placeret, statuit tandem desiderio ipsius morem gerere, virumque non malè de se meritum, laudibus, muneribus, singularisque affectûs demonstrationibus cumulatum dimittere: ita, quamvis ægre consentiente Reginâ Holmiâ decessit Grotius, corpore jam minùs validus, contractâ, uti credebatur, infirmiore valetudine, partim ex tædio tardati tamdiu itineris, partim ex rigore aëris, minùs naturæ suæ convenientis: sed sperabant, qui ei aderant, tam validam in eo futuram spem revisendæ propediem conjugis & familiæ suæ, ut præcipuam partem doloris, quam ex eorum absentia contraxerat, dissipare posset. Cœlo sereno, ventisque satis faventibus è portu Dalerensi solvit navis, quæ transvehendum Lubecam Grotium susceperat, sed brevis fuit illa aëris serenitas, sequenti quippe die vehemens tempestas contrahere vela jussit, ingravescensque magis magisque circa vesperam majorem malum disjecit, ejusque pondere submersum pene navigium, adeo contrariis undique ventis concussit, ut fracto & altero malo tandem ad oram Cassubiæ lacerum & perfluum littori impegerit. Octavo, postquam e portu solverat, die, descendit in arenam cum comitatu suo Grotius, non longe a vico Ryha dicto, decem & quatuor milliaribus Germanicis à Dantisco sito, non minùs animo, quam corpore æger: cumque ne unum quidem diem curando ac reficiendo corpori à festinante ad suos redire animo obtinere posset, rustico, quod ægre ibi nactus erat, vectabulo, iter per medios imbres & ventos continuavit per aliud octiduum, donec consumtis per nimias agitationes & lassitudinem viribus, tandem Rostochium pervenit, & lecto non resurrecturus incubuit. Postero die accersitus ad eum venit Medicinæ Doctor Stockmannus, qui pulsu venæ observato ejusque debilitatem soli lassitudini imputavit ac requie & nutrientibus cibis reficiendum eum judicavit; ast ubi idem sequenti die (28 *Aug.* 1645.) rediit, auctamque debilitatem, sudoremque lethalem, & reliqua deficientis naturæ signa agnovit, actum esse de ejus vita, jamque in agone mortis versari pronunciavit, in eo cùm esset statu circa nonam vespertinam vocatus ad eum accessit Theologiæ Doctor ac Professor, nec non Verbi Divini ibidem Minister Joannes Quistorpius, qui post habitos aliquos cum eo sermones super fragilitate humana, multifariis mortalium peccatis, necessariâ eorum pœnitentiâ, Deique Opt. Max. in iisdem condonandis propter merita Christi immensâ clementiâ, quæque his similia morientibus proponi solent, ad preces se convertit, quarum verba complicatis manibus, submissâ voce secutus Grotius, paulatim deficere, auditumque primò, mox & visum perdere incepit, nec multò post sub ipso puncto mediæ noctis placidè exspiravit. Intestina ejus æneo vasi inclusa ibidem in loco honoratissimo Ecclesiæ cathedralis sepulta sunt. Corpus ipsum balsamo conditum in urbem patriam Delphos Batavorum transportatum, ibique non sine ingenti exsequiarum pompâ proavûm sepulchro, quod in choro ædis novæ à dexteris celeberrimi Arausionensium Principum momenti reperitur impositum est. Erat formâ corporis vulgarem non multùm excedente, facie satis pulchrâ, colore nitido, naso in aquilinum verso, oculis splendidis, vultu sereno, membris compactis, & robustis adeò, ut in ambulando, currendo, saltando, in eâ quâ erat ætate, vix quenquam sibi parem reperiret. In rebus agendis serius, apud amicos hilaris, apud omnes affabilis erat: quâ verò industriâ, quo ingenio, quo judicio, quâ pietate in Deum, amore in proximum, charitate in patriam præditus fuerit, apertiùs ex ipsius scriptis, quàm ex aliorum testimoniis colligetur. Liberos discedens reliquit quatuor, filios tres, & filiam unicam, quorum Cornelius ac Didericus, ille natu maximus, hic minimus post obitos in militiâ Tribunatus, aliasque cum laude dignitates ambo jam olim cœlibes obiere. Filia Cornelia, etiamnum superstes post obitum patris nupsit Joanni Barthoni Vicecomiti de Mombas, primariæ apud Pictones nobilitatis & illustrissimis Galliæ familiis insito. Hic à primâ adolescentiâ, more Gallicæ nobilitatis, nomen suum militiæ dedit, & post varios gestos in patriâ honores ac dignitates tandem ad Tribunatum equestrem evectus, in gratiam uxoris, aërem Gallicum non ferentis, in Hollandiam migravit. Ubi vir ingenio pollens, manu strenuus, rei militaris longâ experientiâ subactus, inter primos equitum Magistros adscitus ad majores dignitates assurgebat, sed incertum, suo an ejus, cui se per matrimonium innexerat, familiæ fato, captus, damnatus, vix difficili fugâ capitali se periculo (1672.) subduxit. Petrus de Groot ejusdem Hugonis filius secundus, patriæ suæ luctuoso funere nuper admodùm ereptus apud bonos triste sui desiderium reliquit. Hunc parens à teneris patriæ suæ ac togæ dicaverat, idcirco ut gentis suæ moribus ac genio imbueretur, eum in Hollandiam anno CIϽ IϽC XXIX. misit, illic sub Theodoro Schrevelio, Scholæ Lugdunensis Rectore, studiorum suorum fundamenta jecit, deinde adultior in Philosophia Casparum Barlæum,

in

in Historiis & Politica Gerardum Vossium, & in Jurisprudentia Joannem Corvinum audivit. Posthæc anno CIↃ IↃC XXXVII. omnigenâ eruditione instructus in Galliam ad patrem reversus est; ubi non tam annis, quàm præcoci ingenio ac judicio rebus agendis maturior, non inutilem parenti sæpe præstitit operam, tam in visitandis amicis & expiscandis aulæ arcanis, quàm componendis legationis literis, cum temporis angustia aut absentia patris id exigerent. Anno sequenti in patriam reversus, aliquamdiu rebus forensibus animum admovit, publicis tamen commodis quàm privatis inservire propensiorem. Sed nulla spes erat, ut ad Reipublicæ clavum tantorum stemmatum patritius juvenis admitteretur ab iis, qui parentem virum integerrimum, ad perpetuos carceres damnaverant. Idcirco vitam privatam egit, donec pace Monasteriensi restitutus in Palatinatum suum Serenissimus & Sapientissimus Princeps Carolus Ludovicus, Sacri Romani Imperii Elector hoc nostro uti voluerit, qui res suas apud Præpotentes Fœderati Belgii Proceres administraret. Cùm paulatim in patriâ verteretur rerum facies, tandem anno CIↃ IↃC LX oblatam sibi adsessuram civitatis Amstelodamensis septem annos summâ fide ac industriâ gessit. Anno LXVIII à Fœderatis Ordinibus Legatus ad Reges Septentrionales missus, primùm Hafniam appulit. Postquam Ordinum mandata esset exsecutus, à Daniæ Rege Frederico Tertio, benignissimè exceptus & dimissus, Holmiam pervenit. Hic à Carolo XI, & universo regni Senatu, magno honore habitus, ultra annum permansit, cùm mortuo in Galliâ Legato Guilielmo Boreel ad Christianissimum Regem ab Ordinibus Delegatus domum evocaretur, ubi Adsessuram Civitatis Rotterodamensis, paternam olim provinciam, à Rectoribus ejus oblatam, suscepit. Legationes omnes, præcipuè Gallicam, summo labore, summâ industriâ, & mirificâ vigilantiâ, non sine magno Fœderatorum Procerum applausu obivit, quibus utpote spectata erat ejus fides & sedulitas, hostium arcana, & insidias, vimque, quam in patriam molirentur, indagare sagax, ac patriæ Rectoribus significare prompta. Tandem in patriam reversus, & in Conventum Fœderatorum Delegatus, ex eo honorum culmine à fatali illo Bataviæ turbine, quem rabida, & tumultuans plebs conciverat, deturbatus, & cum optimis & sapientissimis patriæ Rectoribus dignitatibus suis est exutus. Nec sic satiatus est furor; nam vix eluctatus manibus sicariorum, qui pugiones in necem ejus acuerant, amicorum consilio, & circumstrepentibus undique periculis, persuasus est tempori cedere, & aliquamdiu, donec istæ consilescerent turbæ, patriam relinquere. Primùm Antverpiam celeberrimam Brabantiæ Civitatem se contulit, & non sine ingenti vitæ discrimine vixit sub præsidio illustrissimi Comitis Monteræi, Regis Hispani Gubernatoris, qui non semel ipsum monebat, ne marendo diutiùs in urbe, Hollandiæ tam vicina, irritaret animos eorum, qui in cædem ejus conjuraverant; itaque ne se diutiùs adversariorum telis exponeret, primò Leodium, inde Aquisgranum, postremò Coloniam Agrippinam, urbem non tantùm naturâ, sed & propter Legatos pacis ibi negotia tractantes, tutissimam, profectus est; ubi partium arcana expiscando, & perferendo ad Legatos Fœderatorum, non inutilem patriæ suæ operam præbuit. Post exactum biennium reversus est, cùm non pauci paulatim furore defœcati ac sedatiores, rectæ rationi ac veritati oculos aperirent. Jam innocentia ejus gaudebat vultum erectum & pectus nullius flagitii conscium adversariis offerre; pertæsa etiam more maleficiorum diutiùs extorris à patrio solo, de quo tam præclarè meruerat, fugitivam vitam trahere. Primò tranquillè, nemine obstante, in villâ ætatem agebat; sed cùm se Hagam conferret, à Fisci procuratore accusatus, quod cum Abrahamo Vicquefortio, Serenissimi Ducis Brunsvicensis ad Fœderatos Proceres publico ministro, literarum commercia habuisset, quodque detecta hostilium Legatorum secreta de pacis negotio ad Legatos Fœderatorum detulisset, solâ judicum integritate, vitam, famam, facultates, quibus simul inhiabant inimici, conservavit. Sic tandem bona causa triumphavit, mussante plebe. Posthæc ne adversarios adspectu suo ureret, migravit cum familiâ in villam, quam non procul Harlemo sitam habebat; ubi liberos suos educando, auctores bonos terendo & amicos excipiendo Scipionis Africani & illustrium aliquot virorum exemplo, vitam nemini gravem, sibique nec injucundam nec indecoram coluit. Cùm sic privatus quietè ac tranquillè ætatem ageret, morbo correptus, annum agens septuagesimum, mortem constanti ac hilari vultu excepit, utpote, quæ in tutam stationem deduceret à teneris jam plurimis vitæ procellis agitatum. Ubi livor, qui pascitur in vivis, sese consumserit, & partium studia deferbuerint, honoribus intaminatis fulgebit hujus viri decus, ejus virtutes ac gesta, quæ summatim attingimus, posterorum annales loquentur, idcirco pauca quædam de corporis habitu, & mentis dotibus delibare animus est. Corpore erat procero & obeso. Papulæ, quas parens ejus ad Benj. Maurerium de nostro scribens, ait fuisse velut abortivum partum effœtæ pestilitatis, faciem ejus deformaverant, & alterum pedem ita contraxerant, ut totam vitam claudicaret. Ulyssem ferunt non formosum, sed facundum fuisse, & in Periclis labris Suadæ Deam sessitavisse, quæ verè in nostrum competebant. Animo autem erat candido & niveis moribus, in prosperis ejus comitas, in adversis constantia, in omnibus vitæ actionibus intemerata fides elucebat. Post divinam suprema illi lex erat salus patriæ. De Republica benemereri, amicos colere, inimicos beneficiis sibi devincire, illi summa voluptas & studium fuit.

De Illustrissimo viro Hugone Grotio, Petro Grotio filio, & reliqua ejus familia hæc summatim attigimus; ut autem, quæ de Hugone Grotio, de quo præcipuus hic sermo, diximus, majorem habeant fidem, adjunximus literas Frederici Henrici Arausionensis, Fœderati Belgii Gubernatoris, ac Reginæ Christinæ, quorum amplissima testimonia effœtæ jam senio & lumine veritatis præstrictæ maledicentiæ prævalebunt.

COPIE

de la Lettre escritte le IV d'Aoust 1622. par F. Henry Prince d'Orange, au Sr. Hugo de Groot.

MONSIEUR,

Je vous remercie des bons offices que vous m'avez rendu par dela vers quelques-uns du Conseil du Roy: ce que je vous supplie de continuer tant vers les susdits, que autres que vous jugerez à propos, vous asseurant que je recognoistray cette bonne volonté en toutes occasions, où j'auray le moyen de vous servir. Je vous supplie aussi de faire estat de mon affection: & vous asseurer, que je vous la continueray toujours, y estant obligé par celle que vous m'avez tesmoignée de tout temps. J'ay prie vostre beau-frere le Sieur Reigersberg de vous escrire particulierement sur quelque sujet, sur lequel je seray fort aise d'entendre vostre advis: vous m'obligerez fort de me l'envoyer, comme vous avez desja faict par le memoire que vous m'avez envoyé, dont je vous remercie bien fort. Je souhaiterois de pouvoir estre utile en vos affaires par deçà, & m'y employerois de tout mon cœur, mais vous sçavez la constitution des affaires estre telle, que ny moy, ny vos autres amys, ne pouvons vous y servir, comme nous desirerions bien. Je veux esperer que le temps y pourra apporter du changement, & que je vous pourray revoir en ce pays estimé & honoré comme vos rares qualitez le meritent: dequoy je ne recevray pas moins de contentement que j'ay fait de vostre liberté. Cependant je vous souhaite en vostre eloignement de vostre patrie

tout

tout le contentement, heur & proſperité que vous ſçauriez deſirer. Ce que je prie à Dieu de vous donner, & à moy l'occaſion de vous faire paroiſtre par effect que je ſuis,

MONSIEUR,

De la Haye le 17 d'Aouſt. 1622.

Voſtre tres-affectionné à vous faire ſervice

FR. HENRY DE NASSAU.

DOMINE,

Ago gratias pro bonis iis officiis, quæ mihi apud quoſdam præſtitiſti, qui Regi ſunt à conſiliis; rogoque ut ſic pergas tam apud eoſdem, quàm alios, quos non inidoneos judicabis, meam dans fidem, me non immemorem futurum hujus benevolentiæ, ſed qualiſcunque ſe occaſio offerat, operam tibi daturum. Oro etiam, ut perſuaſum habeas meum erga te favorem, quo te ſemper proſequar, inductus eo affectu, quem mihi omni tempore feciſti teſtatiſſimum. Rogavi affinem tuum D. Reygersbergium, ut ad te definitè & diſtinctè de rebus quibuſdam ſcriberet, ad quas intelligere ſententiam tuam geſtio, hanc ſi miſeris, magno beneficio me tenebis obligatum, ſicut nuper, cùm memoriale ad me mitteres, pro quo gratias ago maximas. Utinam hic poſſem rebus tuis utilem operam afferre, eam ſane ex animo impenderem; ſed nihil te fallit eum nunc eſſe rerum ſtatum, ut aut ego aut reliqui amici commodis tuis ex voto inſervire nequeamus. Spero tamen, quòd tempus mutationem hiſce inferet, quodque te brevi videbo exiſtimatione & honoribus iis florentem, quos eximiæ dotes tuæ requirant. Unde non minor mihi voluptas ſuborietur, quam olim ex tua libertate. Interim dum extorris à patria vivis, exopto tibi omnia grata, fauſta, proſpera, ipſi tibi quæ optare poſſis. Precor Deum, hoc ut tibi donet, mihique occaſionem, ut tibi queam reipſa oſtendere, quòd ſim

Omni affectu tibi inſervire pronus

F. HENRICUS à NASSAU.

Reſponſe de la Reyne Chriſtine à feu Madame Grotius.

MADAME,

J'ay appris de voſtre lettre du 16 Juillet, comme quoy mon Ambaſſadeur à executé les ordres, que je luy avois donné touchant les livres de feu Monſieur Grotius voſtre Mary; & que nonobſtant les offres, que des autres avoyent faictes, pour s'en rendre poſſeſſeurs, vous avez eu plus de conſideration pour mes deſirs, que pour les avantages, que l'on vous faiſoit eſperer de ce coſté là. J'advoüe, que dans le plaiſir, que je prens à la lecture des bons autheurs, je ſuis tellement amoureuſe des eſcrits de Monſieur Grotius, que je ne m'eſtimerois pas contente, ſi je me voyois deſcheuë de l'eſperance de les aſſocier à ma Bibliotheque. Mon Ambaſſadeur vous peut avoir dict une partie de la haute eſtime, que je fais de ſon admirable intelligence, & des bons ſervices qu'il m'a rendu: mais il ne ſçauroit vous exprimer parfaictement a quel poinct ſon ſouvenir m'eſt cher, & les effects de ſes travaux conſiderables. Que ſi l'or & l'argent pouvoyent contribuer quelque choſe à rachepter une ſi belle vie, il n'y auroit rien en mon pouvoir, que je n'employaſſe de bon cœur pour cet effect. Jugez de là, que vous ne ſçauriez mettre ces beaux monumens & reliques entre des mains, dont ils ſoyent mieux receus & traictez, que les miennes: & puiſque la vie de leur autheur m'a eſté ſi utile; ne ſouffrez pas, que ſa mort me prive entierement des fruicts de ſes illuſtres peines. J'entens, qu'avec les livres, que d'autres ont faicts, vous me faſſiez tenir tous ſes memoires manuſcripts & extraicts, ſuivant la promeſſe, que vous m'en faites dans voſtre lettre. Vous ne me ſçauriez jamais mieux témoigner voſtre bonne volonté, qu'en ce rencontre, & j'ay, Dieu mercy, dequoy le recognoiſtre, & vous en recompenſer, ainſi que mon Ambaſſadeur vous donnera à entendre plus particulierement, auquel me remettant, je prie Dieu, qu'il vous maintienne en ſa ſaincte grace.

à Stockholme ce 12 d'Aouſt, 1648.

CHRISTINE.

Reſponſio Reginæ Chriſtinæ ad Mariam Reygersbergiam piæ memoriæ, H. Grotii uxorem.

EX litteris tuis decimo ſeptimo Kal. Aug. ad me datis, intellexi quo pacto Legatus meus juſſa mea ſit executus in conciliandis mihi mariti tui Domini Grotii p. m. libris, quodque neglectis aliorum, qui eorum poſſeſſores eſſe ambiebant, oblatis, majorem habueris rationem, meis deſideriis ut morem gereres, quàm propriis commodis, quorum ſpes ab altera parte affulgebat. Equidem inter voluptates iſtas, quas ex bonorum authorum lectione capio, D. Grotii ſcripta ita depereo, ut ſi ſpe mea fruſtrata nequeam iſta Bibliothecæ meæ adjungere, nunquam me voti compotem arbitratura ſim. Legatus meus fortaſſe tibi retulit partem ſummæ illius exiſtimationis, qua vigent apud me ejus admirabile ingenium, & egregia, quæ mihi præſtitit, officia; ſed perfectè non potuit exprimere, ejus memoria mihi quàm ſit cara, & ſcriptorum monumenta quàm ſuſpicienda. Sane ſi in auro & argento aliquid eſſet momenti ad redimendam vitam tam claram, quidquid eſſet in manu mea animo lubenti in hunc finem conferrem. Ex hiſce colligas, quòd egregia hæc monumenta & reliquias non poſſis committere manibus, à quibus meliùs excipiantur, & habeantur, quàm meis. Cùm horum author vivus mihi fuerit adeo utilis, ne patiare, ut ejus morte illuſtrium ejus laborum fructu planiſſimè priver. Sic intelligo, ut unà cum aliorum libris mihi omnium memoralium manuſcriptorum & breviariorum facias copiam, ſecundùm promiſſa per literas tuas mihi facta. Nunquam mihi poſſes teſtatiorem facere tuam benevolentiam, quàm hac occaſione; nec deeſt mihi, gratia Deo, unde hanc gratiam rependere teque remunerari queam, quorum Legatus meus te certiorem faciet, cui acquieſcens Deum rogo, ut te ſanctiſſimâ ſuâ gratiâ protegat.

Holmia prid. Idus Auguſti 1648.

CHRISTINA.

HU-

Digitized by Google

HUGONIS GROTII
ALLOQUIUM
ad Arcam, quâ è carcere elatus est.

DUlces latebræ, temporis domus parvi
Angusta, laxo quæ viam facis cœlo,
Clausum parumper spiritum manumittens;
Onus quod ægrè congregum manu multâ
Interquiescens pertulit ferus miles,
Tandemque cœcum tradidit rati pignus,
Lati vehendum Vahalis impetu prono;
Quas Arca grates, quas tibi feram laudes?
Tibi fugata victa servitus cessit,
Tolerata septem post biennium menses.
Quod celsa tueor ostia libero vultu,
Quod durus aures non ferit feræ stridor,
Obicesque multi, barbarique custodes:
Sed læta turba comiter salutantium,
Blandique amici, tincta litteris corda,
(Quales Thuanus, quo probatior nemo,
Puteanus, & mens erudita Tileni)
Fastidiosas ire non sinunt luces:
Tibi hæc, & aliud si quid est boni nobis,
Et si quid ultra restat, Arca, debemus.
Quæ merita verbis si libêret æquare,
Opus tot esset, ferre quot soles, libris.

Ejusdem Scazontes Albo cujusdam inscripti.

QUos matris alvus Carcer edit in lucem,
Queis corpus animum more Carceris vincit,
Quos morte functos terra Carcer exspectat,
Nunquam nimis timere Carcerem debent.
27 *Martii* 1621.

Idem in SILVA ad
FRANCISCUM AUGUSTUM THUANUM,
JAC. AUGUSTI F.
cIↄ Iↄc xxI scripta.

NOs quoque, si quisquam, multum debere fatemur
Conjugio. memini, post tot tua vota precesque,
Cynthia cum nonum capto mihi volveret orbem,
Qualem te primum, conjunx fidissima, vidi
Carceris in tenebris: lachrymas absorpserat ingens
Vis animi, neque vel gemitu te luctus adegit
Consentire malis. rursus nova vincula, sed quæ
Te socia leviora tuli, dum milite clausos
Nos Mosa & tristi Vahalis circumstrepit unda.
Heic patriam toties & inania jura vocanti
Et proculcatas in nostro corpore leges,
Tu solamen eras. heic jam te viderat alter,
Et post se media plus parte reliquerat annus,
Cum mihi jura mei per te, solerte reperto,
Reddita. tu, postquam jam cæca acceperat alvus
Dulce onus, oppositis libabas oscula claustris:
Atque ita semoto foribus custode locuta es.
Summe Pater, rigido si non adamante futurum
Stat tibi, sed precibus potis es gaudesque moveri,
Hoc quod nostra fides lucem servavit in istam
Accipe depositum, tantisque exsolve periclis.
Conjugii testor sanctissima jura, meæque
Spem sobolis, non huc venio pertæsa malorum,
Sed miserata virum: possum sine conjuge, possum
Quamvis dura pati. si post exempla ferocis
Ultima sæviciæ nondum deferbuit ira,
In me tota ruat: vivam crudele sepulchrum
Me premat & triplicis cingat custodia valli,
Dum meus ætheriæ satietur pastibus auræ
Grotius, & casus narret patriæque suosque.
Dixerat, atque oculis fugientia vela secutis
Addit: Abi conjunx, neque te nisi libera cernam.
Quod mea si auderet famam spondere Camœna,
Acciperet quantis virtutem laudibus istam
Posteritas? nomen non clarius illa teneret,
Admeto regina suos quæ tradidit annos,
Quæque super cineres jecit se arsura mariti,
Dignaque tam Bruti thalamis quam patre Catone
Porcia, & in letum magno comes Arria Pæto.

LIBERATO GROTIO.

HActenus invisa detentus carceris umbrâ
Ereptum ulterius non tulit Hugo diem.
Fata viam inveniunt. tabulis concluditur arctis,
Quemque capax mundus non capit, arca capit.
Navigat, & liber, simul & captivus, & inter
Spemque metumque suum laudat & odit opus.
Aut Solem mihi reddet, ait, fraus ista priorem,
Aut iterum ingenio sum miser ipse meo.
Quid fortuna stupes? toti mirabilis orbi
Non nisi vult miris liber abire modis.

LIBERATRICI GROTIÆ.

DIscite jam Belgæ Pietas quid possit & uxor,
Quam faciat gratas docta virago vices.
Fœmina capta manet dimisso læta marito,
Miraturque suos ingeniosa dolos.
Non humeris fert illa virum. fraus vilior ista est.
Asseribus tantas mancipat uxor opes.
Devehit impositum fatalis machina pondus,
Jamque minor parvâ Grotius æde latet.
Non audita canam. ignaro portatur ab hoste,
Ipsaque custodum dextera præbet opem.
Capta fuit ligno fallacis Breda carinæ;
Liberat hic captum lignea cista virum.
Secula magnanimas sileant antiqua maritas,
Omnibus his majus Grotia nomen habet.
Raptim, C. BARLÆUS.

JOHANNIS RUTGERSII
Epigrammata de
HUGONE GROTIO.

Dies 29 Augusti mensis Grotiano carcere nefastus.

HÆc est illa dies, quæ tanti conscia luctus
Grotiacas vidit vincula ferre manus:
Nec flevit scelerata nefas, sed lumine sicco
Admisit radios, aurêe Phœbe, tuos.
Desine felices inter, Lux impia, luces
Formoso nebulam spargere velle die,
Sed qualis Latiis damnata est Allia fastis,
Invisum populis tu quoque nomen habe.

In Liberationem GROTII.

QUam bene conveniunt simili duo numina fato,
Isacidum ductor, Grotiadesque meus?
Evasit latitans angusta Grotius arcâ:
Servatus texto viminis ille fuit.
Huic Vahalis placidas substravit fluminis undas:
Hoc Nilus, Mose, fecerat ante tibi.
Excipit hunc Celtes; illum regina Canopi:
Et reus hic patriæ est; & fuit ille, suæ.

Par

Par quoque principium similis fortuna sequetur:
Nam populo leges hic dabit, ille dedit.

ARCA.

HÆc ea, quæ Domini solita est portare libellos,
Grotiadæ fuerat pondere facta gravis:
Mutatum neque sensit onus. Quod enim illa ferebat,
Id quoque, sed spirans, bibliotheca fuit.

JOH. RUTGERSIUS.

DAN. HEINSIUS DE HUGONE GROTIO, ab uxore carceri, in quo ad vitam damnatus erat, erepto.

COnjugis auspicio superas effertur in auras
Grotius, & geminum munus amantis habet.
Pro tenebris lucem, cum lucis munere vitam;
Quæ cum luce simul penè negata fuit.
At vos, ô Proceres, jam pœnam mittite & iras,
Sub vobis pereat ne pietatis amor.
Æneæ licuit medios gestare per ignes
Intactum Grajis dulce parentis onus.
Eripuit tenebris proscriptum casta maritum
Thuria: nec fraudi res fuit illa viro.
Jam mortem, morti modo non vicinus, & ipso
In tenebris letho non leviora tulit.
Post vitam suus est. è morte renascitur ipsa.
Nascenti legem dicere nemo solet.

NIC. HEINSIUS in Elegia sua ad J. Aug. Thuanum DE HUGONE GROTIO.

TU quoque dura minus, mea patria, vatibus esses.
Fallor? an admonitâ stat tibi fronte rubor?
Quis color excuset, quæ dedecus eluat unda?
Sit precor hac fastis ne sua parte fides.
Ille tui plausus, certæque, Batavia, laudes
Grotius, ille lyrâ maximus, ille togâ:
Cui nil post æquale dabis, nil ante dedisti,
Actus ab austerâ tene parente reus?
Nec stetit hoc in fine nefas. non digna jubentur
Tam tibi devotæ vincula ferre manus.
Unde novercalis labem tibi, patria, noxæ?
Heu oblita tui, nunc pia mater ubi est?
Mater ubi est? ad te fugitiva revertere mater;
Pectora si nomen ferrea mite trahit.
Ne sciat hoc infensus Iber. odiosior hoste es.
Cæca subis partes illius, ille tuas.
Materno elapsum vix carcere fovit, & ultro
Obtulit hospitium come cruentus Iber.
Nobile fers nostri spolium, gens victa, pudoris:
Maxima de salvo gloria vate tibi est.
Sed melius domui mox creditur ille Thuanæ,
Qua patet adflictis jam vetus ara reis.
Exsulis hæc cœpere fugam penetralia magni;
Totque sacrum meritis detinuere caput.

IN OBITUM HUGONIS GROTII.

SIstite cantandi rabiem, celeberrima, Musæ,
Numina & afflictam dilacerate chelyn.
Pegaseos subverte apices & culmina & omnes,
Queis passim coleris, subrue, Phœbe, domos,
Et Claron & Pataram Tenedonque, & quicquid amœnum
Et toto sacrum Vatibus orbe fuit.
Vile poëtarum est, prostrato Principe, nomen,
Et tuus Illustri funere marcet honos.
Diva Themis, sileant leges & rostra, feroxque
Damnet & attonitos negligat hora reos.
Jam Minöe carent. justique interpres & æqui
Vult tibi, vult profugis legibus ire comes.
Gallia, quæ Gothicis misces tua tela sarissis,
Jam caussas, Gothico cum Jove, litis habes.
Cur, Tethys malesana, furis? tibi nexa refringens
Vincula, liberius per Mare stravit iter.
Nunc jus omne tuum, Mavors, rescinde. furori
Do veniam. tanti destina juris obit.
Optima Pax, terris nimium crudelibus exi.
Ille tuus, læso Numine, doctor abit.
Belgica, Hyperboreis irascere fluctibus. & tu
Æole, flagranti crimine, conde caput.
Barbarus es. docto claram Pharon eripis orbi.
Sceptraque præcelsæ mentis egere facis.
Infelix Europa, tuo pars ista dolori
Additur & decori deficis ipsa tuo.
Nec laudum jam vecta tubâ per regna, per urbes,
Gentibus hunc monstras, DELFA superba, virum.
Doctrinæque facem cunctis ostendis Athenis,
Et nostro exortum grande sub axe jubar.
Exequias comitatur Arabs, Chaldæus & Assur,
Hebræusque suum suspicit autor opus.
Cunctorum vox hujus erat. tot scripserat annis,
Et puer hæc dixit, quæ stupuere senes.
Quo quondam latuit tenebroso carcere, fulgens
Et celebris captæ Palladis Aula fuit.
Hic secura suas mens exspatiata per artes,
Tot veterum secum sola recoxit opes.
Reddita libertas. angustis finibus, ingens
Quem Famæ spatium non capit, arca capit.
Tunc Batavûm spissis Solem latuisse tenebris
Vidit & obstupuit Sol pater ista geri.
Tunc Vahalis, tunc Mosa ipsi jurasse salutem
Creditur, & ventos increpuisse truces;
„Et dixisse: vehis contractum capsula Magnum,
„Qui mox, in Sueonum commoda, major erit.
Et fuit, & tantæ motus ac pondera caussæ,
A sera voluit posteritate legi.
Posthuma nascentes ibunt in secula libri.
Et tua prælustris prælia, Belga, leges,
Excussumque Tagi Dominum, partosque triumphos,
Assertamque inter busta necesque Fidem.
Lux Prisci, lux ille Novi, se subtrahit Ævo.
Scriptoremque necant tempora scripta suum.
En, Moses sine nube patet, sine tegmine Christi
Pagina, & hoc totus discitur ore Deus.
Non, GROTI, me teste, viges. te purpura dudum
Extulit & Regum crevit honore tuus.
In te Borbonius nostræ miracula terræ,
Et Patriæ potuit fata notare tuæ.
Docta Caledoniæ tetigisti sceptra coronæ,
Parrhasiumque tibi, Maxime, favit ebur.
Quem venerata fuit totis Sapientia castris,
Undique tot mundi Regibus horror eras,
Et sacrum caput Augustis. quo sospite forsan
Bella suum poterant dedidicisse nefas.
Indoluit sors læva tuisque asperrima rebus,
Invidiam in partes traxit iniqua suas.
Subductumque suis, non jam subduxit Olympo.
Unius spolium sed finit esse Dei.

C. BARLÆUS.

Digitized by G

ELECTA THARGUMICO-RABBINICA; SIVE ANNOTATIONES IN GENESIN.

Ex triplici Thargum, seu Chaldaïca Paraphrasi, nempe Onkeli, Hierosolymitana, & Jonathanis; item ex R. Salomone, & Abenezra, aliisque Hebræis pariter ac Hebraïzantibus excerptæ, unà cum Animadversionibus subinde interspersis. Quin & LXX. Interpretum Versio, nec non (quoad fieri potuit) Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, item Vulgata-Latina passim expenditur, ejusque vel cum Hebræo textu convenientia, vel ab eo discrepantia ostenditur.

AUCTORE
CHRISTOPHORO CARTWRIGHTO
EBORACENSI.

ALMÆ MATRI CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSI.

NOn sine admiratione quadam (Alma Mater!) observavit (a) vir multis nominibus illustris, *rara videri vestigia te retrorsum spectantia, cùm infinita a te profecta sint.* Ità sanè res habet; innumeri sunt, qui eruditionem suam Tibi acceptam ferre debent; pauci autem, qui eruditionis suæ monumentis Tibi dedicandis id testatum faciunt. Cùm igitur de *Annotationum* mearum dedicatione non nemo mecum ageret, Tui statim animum meum subiit cogitatio, nec (quod hanc rem attinet) quicquam mihi prius aut antiquius fuit, quàm ut hæ Laborum meorum primitiæ sub Tuo nomine in lucem prodirent. Vereor equidem nè arrogantiam quandam, ac inanem mei ostentationem sapere videatur hoc meum erga Te obsequium, quod *Dignitati Tuæ*, (fateor) haudquaquam respondet. Verùm enimverò cùm mecum in animo revolvam Tua in me merita, quàm indulgenter nimirum, ac materno planè affectu per multorum annorum spatium (non minùs certè, credo etiam diutiùs, quàm *Jacob* avunculo suo pro utrâque filiâ se in servitutem tradidit) me in gremio Tuo fovisti, non committendum censeo, ut me pudentem potiùs ac verecundum, quàm pium ac gratum pro virili præbere studeam. Quid? quòd cùm adhuc apud Te essem, non solùm Hebræas Musas ab ipso (quod ajunt) limine salutavi, ac in isto studiorum genere licèt exiguos, haud prorsus tamen pœnitendos progressus feci; verumetiam ex *Rabbinorum* aliquot in Sacram Scripturam *Commentationibus* non minimam eorum, quæ nunc publici juris facio, partem excerpsi: ut vel hoc nomine operis hujus dedicatio Tibi potissimùm debita videatur. Ad hæc & illud insuper accedit, quod ad Te compellandam me non parùm impellit, hinc nimirum opportunitatem mihi offerri, quà cùm universum rerum Tuarum statum, tristi ac luctuosâ hâc tempestate, multò, quàm quæ Sorori Tuæ contigit, secundiorem, Tibi gratuler, tum istam præcipuè felicitatis Tuæ partem, quòd *Hebraæ simul ac aliarum Orientalium Linguarum studium* apud Te viget ac floret; uti ex *Arabicarum literarum Professione*, pluribus quidem abhinc annis, sed tamen ex quo ego à Te discessi instituta, nec non ex alumnorum Tuorum non ità quidem, imò nuperrimè editis operibus haud obscurè apparet. Magnum procul dubio hoc divinæ in Te benignitatis τεκμήριον etiam optimis temporibus existimari deberet; quantò autem magis ut nunc sunt tempora, cùm id multi moliantur, ut non solùm alia pessum eant, sed etiam, quò monstrosas suas opiniones, ac iniquas agendi rationes commodiùs tueantur, omnis in universum literatura, ac præsertim Linguarum cognitio obruta penitus, & extincta jaceat. Sperandum est honoratissimos Regni Ordines pro ipsorum in Rempublicam pariter ac Ecclesiam affectu, nefariis istiusmodi conatibus fortiter atque animosè obviam ituros. Et ut spes ista sit confirmatior, illud plurimum facit, quòd non contemnendam pecuniæ summam, cùm ad splendidiorem Tibi *Bibliothecam* exstruendam, tum ad *Hebraicos*, atque alios id genus libros

in

(a) *Verulam. Sapient. Vet. in Epist. dedicat. ad Acad. Cantab.*

Digitized by Google

in usum tuum emendos, decreverunt. Deus Optimus Maximus Tibi felicitatem tuam perpetuam esse velit, Te ab omni perversorum dogmatum (quæ licenter nimiùm nunc dierum grassantur) veneno immunem servet, ac dotibus suis omnigenis indies magis magisque locupletet. Vale.

Tibi in perpetuum

deditus ac devotus

CHRISTOPHORUS CARTWRIGHTUS.

PRÆFATIO.

QUantum ad sacras Scripturas intelligendas conducat linguæ Hebrææ cognitio, ut ii optime norunt, qui ea imbuti sunt, ita etiam ex iis nonnulli, qui ejus penitus expertes fuerunt (nominatim (a) Augustinus) agnoverunt. Ac multis sane nominibus ad hanc rem utilis est hujus linguæ cognitio.

Primo, ut rectius certiusque de Interpretibus ac Commentatoribus judicium ferri possit. Ii enim varii sunt, ac plurimum sæpe inter se differunt, unde fit, ut qui ipsum Hebræum textum inspicere nequit, de multorum locorum sensu fluctuare necesse habeat, nec quem Interpretem vel Commentatorem præ cæteris sequatur, intelligat. Ob hanc potissimum rationem, quæ Interpretum diversitatem spectat, Hebrææ linguæ pariter ac Græcæ cognitionem necessariam censuit Augustinus. Multa in hanc rem dici possent, multisque exemplis ostendere in promptu esset, quam longe à S. Scriptorum mente aberrarunt viri alioquin eruditissimi, ea duntaxat de caussa, quod linguæ istius, in qua primitus scripta fuere Dei eloquia, ignari fuerunt. Ego autem duntaxat Hieronymi, qui de hac re optime judicare valuit, verba adscribam. (b) *Magnorum* (inquit) *sumptuum, & infinitæ difficultatis est, exemplaria posse habere omnia: deinde etiam qui habuerint, & Hebræi sermonis ignari sunt magis errabunt, ignorantes quis e multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit, ut interdum Scripturæ sensum relinquens, uniuscujusque Interpretis sequeretur errorem.*

Secundo, Versiones S. Scripturarum cujuscunque demum sunt generis, sive Græcæ, sive Latinæ, sive Vernaculæ, sæpe Librariorum ac Typographorum vel inscitia, vel incuria sunt depravatæ, nec nisi textus originalis inspectione possunt corrigi. Ut exemplis aliquot hoc perspicuum reddam. In 70. Interpretum versione, 1 Sam. 14. 5. est ὁδὸς, i. e. *via*, quod proculdubio debet esse ὀδοὺς, i. e. *dens*, cum in Hebræo sit שן *Shen*, quod *dentem*, non *viam*, denotat. Sic in eadem versione, Jos. 10. 1. est Ἀδωνιβεζὲκ βασιλεὺς Ἱερουσαλήμ, cum non *Adonibesec*, sed *Adonisedec* rex Hierusalem fuerit. Similiter in vulgata Latina versione, Prov. 20. 25. pro *devorare*, non Interpretis, sed Librarii culpa, est *devotare*. Sic Isai. 40. 2. est *Malitia* pro *Militia*. In nostra etiam Vernacula versione Rom 9. 29. & Jac. 5. 4. pro *Saboath* multi codices habent *Sabbath*, cum hoc requiem, illud autem exercitus significet.

Tertio, Etiamsi sensus Scripturæ satis recte ac fideliter ab Interpretibus sit redditus, sæpe tamen Hebræus sermo eam habet vel emphasin, vel elegantiam, quam aliæ linguæ haudquaquam possint assequi. Exempli gratia, *El* reddi solet *Deus*, *Jehova* (liceat mihi sic efferre, etiamsi quid docti de nomine isto censeant, non ignorem) *Dominus*; neutrum quidem male, nec tamen vis Hebraicarum vocum interpretationibus istis exprimitur, cum *El* proprie *fortem* denotet, *Jehova* autem *eum qui est*, quique aliis, ut sint, largitur. Quod autem elegantiam ac venustatem sermonis spectat, plurimæ sunt in Hebræo paronomasiæ, quas Interpretes versionibus suis non possint exprimere. Gen. 11. 3. והחמר היה להם לחומר. Isai. 5. 7. est gemina paronomasia, ויקו למשפט והנה משפח לצדקה והנה צעקה. Multa hujus generis notari possent. Vide, si libet, Gen. 9. 27. & 49. 8, 16, 19. Jer. 1. 11, 12. Amos. 8. 2. Mic. 1. 10, 11, 13, 14, 15.

Quarto, occurrunt sæpe in S. Scriptura nomina personarum, & locorum, quorum ratio ex Hebræa lingua desumpta est, ac propterea nisi ab iis, qui linguæ istius gnari sunt, intelligi non potest. Pauca hujus generis recensebo. Gen. 3. 20. Prima mulier vocata est חוה *Eva* (ut vulgo pronuntiatur) quod *omnium viventium mater esset*: nempe חוה *uti* & חיה *vivere* significat. Sic Gen. 16. 11. puer appellatur *Ishmael*, quod *Deus afflictionem matris audivisset*. Illud utique nomen componitur ex שמע *Shama*, audivit, אל *El*, Deus. Istiusmodi infinita possent afferri. Vide Gen. 28. 17, 19. Et 32. 2, 30.

Quinto, In Græco Veteris pariter ac Novi Testamenti textu reperiuntur voces, ac loquendi formulæ, quæ absque Hebrææ linguæ subsidio intelligi nequeunt. 2 Reg. 3. 4. in Græco sic legitur, Μωσὰ βασιλεὺς Μωὰβ ἦν Νωκὴδ, ubi Νωκὴδ plane est Hebræum נקד, i. e. *armentarius*. (c) Drusius monet istic mendose in Græcis Bibliis legi ὠκὴδ; at quam ille Editionem ita habere deprehendit, haud scio; in Romana ego Νωκὴδ invenio, nec alterius lectionis vel à Scholiaste, vel à Nobilio ulla fit mentio. Sic Gen. 35. 16. Græca Biblia habent εἰς χαβραθὰ, ubi Hebraïce est כברת de qua voce vide in Annotat. ad locum 2 Reg. 5. 19. depravate legitur δεβραθὰ pro χαβραθὰ, quomodo nonnullos libros habere testatur Scholiastes; atque ita in Bibliis Complutensibus legi notat Nobilius. Similiter Theodotion Ezech. 9. 2. & 3. habet κάστυ, cujus vocabuli significatio apud Græcos frustra quæritur; est enim Hebræum קסת *Ceseth*, nisi quod in Græcam formam mutatur. Idem Interpres Ezech. 9. 4. habet θαῦ, quod ipsissimum est Hebræum תו, quod signum indicat. In Novo itidem Testamento multa reperiuntur vocabula, vel pure Hebraïca, ut *Hosanna*, *Halleluia*, *Sabaoth*, *&c.* vel Hebraicis multum cognata, nempe *Syriaca*, ut *Raca*, *Golgotha*, *Gabbatha*, *&c.* Quin & à 70. Interpretibus pariter ac Novi Testamenti Scriptoribus Græca vocabula alio interdum sensu, quam apud Græcos, usurpantur, cujus ratio Hebraice intelligentibus patet, aliis non item; Deut. 32. 33. θυμὸς δρακόντων ὁ οἶνος αὐτῶν, καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος. Et Psalm. 58. 4. (juxta Græc. 57. 5.) θυμὸς αὐτοῖς κατὰ τὴν ὁμοίωσιν τοῦ ὄφεως. In hisce locis, uti & alibi in ista versione Græca, θυμὸς, non est *ira*, seu *furor*, ut perperam Latine redditur, sed *venenum*. In Hebræo est חמה *Chema*, quod & *iram*, & *venenum* designat; ac cum θυμὸς priori significatione ei proprie respondeat, ideo & in altera nempe veneni significatione, ab Interpretibus istis usurpatur. Atque in hunc etiam modum sumitur θυμὸς Apoc. 14. 8. uti ad locum istum erudite ostendit *Medus* noster, licet vulgatus *iram*, Beza excandescentiam verterit. Certe Deut. 32. 33. θυμὸς in veneni notione reperitur, ubi in Hebræo non tantum est חמה *Chema*; sed & ראש *Rosh*, quod venenum interdum, iram autem vel excandescentiam nunquam denotat. Si-

(a) *Aug. de doct. Christ. lib. 2. cap. 10. & 11.* (b) *Hieron. Præfat. in Esd. & Neh.* (c) *Drus. Observat. lib. 6. cap. 22.*

Digitized by Google

militer δωρεὰν, quod proprie est *gratis*, seu *gratuito*, nonnunquam idem valet quod *frustra*, *sine caussa*, *&c.* Sic usurpatur Psal. 35. 7. & Gal. 2. 21. Ratio est, quod Hebraice חנם *Chinnam* utrumque significat. Præterea in eo etiam interdum *Hebrææ linguæ idiotismum* 70. Interpretes, & post eos Novi Testamenti Scriptores imitantur, *quod fœminino pro neutro utuntur.* Psal. 118. 23. & Matth. 21. 42. παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, ubi αὕτη est pro τοῦτο, nempe, quia in Hebræo ita זאת *Zoth* usurpatur. Sic Psal. (juxta Gr. Edit. 26. 8.) μίαν ᾐτησάμην, pro ἕν, quia Hebræum אחת *Achath* est fœmin.

At multi forte erunt, qui hisce quæ hactenus de Hebrææ linguæ cognitione, ejusque usu & utilitate dicta sunt, haud gravate assentient, nec tamen Hebræorum scripta tanti facienda esse concedent. Ita sane res habet, passim pene ab omnibus Judæorum scripta adeo insuper sunt habita, ac si nihil bonæ frugis in se haberent. Quotusquisque fere est, qui si de Rabbinis mentionem faciat, non de iis ita se sentire ostendat, quasi præter commenta ac fabulas frustra quicquam in eis quæreretur. At nimis profecto iniqua est hæc opinio; ac subit hic mihi in mentem illud Martialis de Lucano distichon; Lucanum ipsum ita de se loquentem inducit; *Sunt quidam, qui me dicunt non esse Poetam: Sed qui me vendit, Bibliopola putat.* Ita sane quicquid alii de Rabbinis censent, Bibliopolæ, qui eos vendunt, non ita contemnendos esse authores sciunt. Si quicquid studii eis impenditur, perditum esset, haud ita, opinor, eveniret, ut eorum libri tam caro venderentur. At, inquies, res ipsa loquitur, imo clamat, quam-plurima Rabbinorum commenta adeo stolida esse ac inepta, ut risu, seu potius sibilis excipi mereantur. Ego vero is non sum, qui Rabbinorum in universum patrocinium in me suscipere vel possim, vel velim. Novi equidem (*d*) Apostolum Judæos, tanquam fabulis deditos notasse; & etiamsi minus quam mediocriter in eorum scriptis versatus sim, id tamen facile perspectum habeo, eos, præterquam quod Christo, ac Christianæ religioni ex professo adversentur, non raro insigniter nugari. Multa tamen in eis adeo utilia deprehendo, ut cur laboris in eorum lectione insumpti me pœniteat, haud videam. Certe qui penitus in Hebræorum adyta ingressi sunt, multa inde in apertum protulerunt, quibus se suaque monumenta eruditis non parum commendarunt. Quinetiam multi, ad judicium hic ferendum maxime idonei, sententiam de hac re suam exposuerunt, ac data opera id egerunt, ut Judæorum scripta ab iniqua plerorumque censura vindicarent. Vide inter alios *Galatinum* de Arcanis Catholicæ Veritatis lib. 1. cap. 7. *Buxtorfium* Lex. Talm. in præfatione: *Helvicum* de Chaldaïcis Paraphrasibus, cap. 4. Et *Shikardum* in Bechinath Happerushim, pag. 106. &c. Ex hisce authoribus duo primi speciatim Talmudica scripta, quibus maxime videtur opus esse patrocinio, tuentur: tertius de libris Judaïcis indefinite disserit; quartus denique paulo districtius agit, ac notat ingentem differentiam esse inter commentarios istos, quos vocant *Midrashim*, & eos quos appellant *Perushim*; illos nempe longius evagari, ac lectorem fabulosis narrationibus demulcere; hos autem textum pressius sequi, singula verba excutere, linguæ idiotismos explicare, parallelas phrases adducere, per illas genuinum contextus sensum elicere, sæpe multa nulli Christianorum observata (NB.) monere, adeoque bonorum Interpretum officio ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ fungi, parcius extravagari &c. Atque hæc certe ego mea qualicunque huic literarum generi navata opera, vera esse comperi. In eandem autem sententiam citat Shikardus Munsterum in præfatione Bibliorum à se versorum, & Fagium in præfat. exegesf. 4. cap. Gen. & in clausula comment. Kimchi in 10. Psalmos primos à se versorum. Nec me continere profecto possum, quin Fagii verba quædam ab eo citata (neque enim ista Fagii opera, uti nec Munsteri, mihi sunt ad manum) huc transscribam. *Si ex præcipuis* (inquit) *Hebræorum commentariis unum quoddam fieret, rejectis Judaïcis naniis, atque cavillis, & reservatis, quæ alicujus pensi atque momenti essent, futurum esset, ut plures ad S. linguæ studium animum applicarent, nec facile S. lingua, quod alias formidandum, iterum concideret, penitusque interiret.* Hæc apud Shikardum Fagius, cujus unius judicium pluris apud me est, quam omnes omnium Hebræo-mastigum censuræ. Id quidem mihi persuasum habeo, ac sine cujusquam injuria dici posse arbitror, paucos admodum reperiri, qui acriorem in Rabbinos sententiam tulerunt, quin id vel ex imperitia vel ex immodico erga vulgatam Latinam versionem studio, fortasse ex utroque profectum sit, aut certe censores isti ex seipsis possint refelli. Ribera Jesuita passim in commentariis suis in 12. Prophetas, Hebræos carpit ac vellicat, imo quasi fungi essent ac stipites, superciliosè fastidit; potissimum autem in Procemio in Sophoniam suum de eis judicium profert; nullum unquam scilicet Scriptorum genus esse indoctius; nullum nugarum & fabularum appetentius; ab omnium disciplinarum studio abhorrere &c. linguæ ipsius Hebraïcæ proprietatem, & vocabula quam-plurima ignorare: Esse quidem in Hebræis magistris, quæ prosint, sed tot esse quæ noceant, ut abjicienda etiam censeat utilia, ne legantur noxia. In hunc modum adeo fidenter de Hebræis pronuntiat, ac si in eorum scriptis esset versatissimus, cum quantum ex commentariis ejus colligere possum, ne facillimum quidem Rabbinorum Hebraice legere atque intelligere potuerit; ut de ejus erga veterem Latinum Interpretem affectu, quem ubique præ se fert, ac in procemio totius operis aperte profitetur, nihil dicam. Quid quod Riberam ex Ribera licet refellere. Is enim procem. in Zach. notat Hieronymum (quem ob Hebraïcæ literaturæ peritiam omnibus Scripturæ Expositoribus præferendum censet) in Commentariis Prophetarum, dum historiam exponit, ea maxime nobis tradere, quæ accepit ex Hebræis; & ex Hieronymo locos aliquot affert, qui ipsius opinionem refutandam egregie faciunt, ac propterea huc eos transscribere haud erit alienum. *Testis est mihi Dominus* (inquit (*e*) Hieron.) *Me omnia, quæ secundum Hebraïcum edissero, non de proprio sensu loqui, quod arguitur in pseudoprophetis, sed Hebræorum sequi expositionem, à quibus non modico tempore eruditus, debeo meis simpliciter indicare quæ didici.* (*f*) Item, *In hoc loco* (inquit) *nostrorum multi multa dixerunt, & inter se dissonantia &c. Cogimur igitur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quam de rivulis quærere; præsertim cum non prophetia aliqua de Christo, ubi tergiversari solent, & veritatem celare mendacio, sed historia ex præcedentibus & sequentibus ordo texatur.* Alibi etiam, *Semel*, inquit, *proposui arcana eruditionis Hebraïcæ, & Magistrorum Synagogæ reconditam disciplinam, eam duntaxat, quæ scripturis S. convenit, latinis auribus prodere.* Hæc Hieron. uti eum istic citat Ribera, qui etiam addit Hieronymum aliquando historicam expositionem, quam ipse sequitur, & probat, vocare Judaïcam; ut Nah 2. Hisce Hieronymi locis libet annectere alium à (*g*) Serario laudatum; Ipse Origines (inquit apolog. 1. in Ruffin.) & Clemens, & Eusebius, atque alii complures, quando de scripturis aliqua disputant, & volunt approbare quod dicunt (NB) sic solent scribere, *Referebat mihi Hebræus*; &, *Audivi ex Hebræo*; & *Hebræorum ista sententia est*, *&c. & mox de Origine loquens*, *nec dedignatur*, inquit, *Hebræam scripturam interpretans, per singula loca quid Hebræis videatur, inserere.* Sic Hieron. qui etiam passim in Prologis pariter ac commentariis suis, quantum Hebræis deferebat, ostendit. (*h*) Jo. Morinus (Rabbinis non nimium favens) ex ipsius Hieronymi scriptis colligit, eum quinque Judæorum opera ac institutione variis temporibus usum esse. Ego unum duntaxat, aut alterum Hieronymi locum adnotabo; nempe illum epist. 65. ubi refert, se *Barrabanum quendam Judæum*, quem Ni-

(d) Tit. 1. 14. (e) *Hieron. in Nah.* 2. (f) *Hieron. in Zach.* 8. 1. (g) *Serar. de Rabb. lib.* 1. *cap.* 35. (h) *Morin. Exercitat. Bibl. lib.* 2. *exer.* 3. *cap.* 2. *sect.* 2.

Nicodemi instar metu Judæorum noctu venisse ait, magno labore simul ac pretio habuisse præceptorem. Et istum præfat. in Job, *ubi iisdem se Hebræum quendam præceptorem ob libri istius intelligentiam non parvis nummis redemisse testatur.* (*i*) At regerit Ribera, recentiores Hebræos haudquaquam cum eis, qui ætate Hieronymi fuerunt, esse comparandos. At unde id ei constat? Num ille utrosque evolvit, ut de utrisque censuram possit facere? *Reuchlinus*, alias *Capnio* appellatus, vir Hebraice haud paulo peritior Ribera, longe aliam de modernis Hebræis habuit sententiam, qui (uti refert (*l*) Amama) *præceptori Judæo pro singulis horis singulos aureos persolvit.* Quin & qui vel modice in Judaïca historia exercitati sunt, norunt inter Judæos *Hebræam eruditionem intra sexcentos hosce annos plurimum viguisse.* Nec illud prætereundum, Hieronymum ea ipsa sæpe ex Hebræis afferre, quæ in posterioribus Rabbinis reperiuntur, ac nonnunquam fabulas ac commenta, quæ ego recitatione haud digna existimarem. Atque hæc Riberæ dicta sufficiant. Fuit etiam quidam Dominicus Garsias, Hebrææ linguæ (ut fertur) Complutensis Professor, qui in libro, cui titulus, *Propugnacula Christianæ Religionis adversus perfidiam Judæorum*, vehementius in Rabbinos insurgit, sed cum eorum solertissimum exquisitorem sese venditet falso eum ridet (*m*) Morinus. *Prudenter*, inquit, *ille Lectorem de hac re monuit, Nemo enim nisi præmonitus, ipsius libri lectione id unquam divinasset.* Nec dubitant etiam doctissimi viri imperitiæ notam innuere (*n*) Jo. Forstero, Augustano, Theologiæ Doctori, & Hebraicæ linguæ in Academia Wittebergensi olim Professori, de quo fusius mihi est dicendum, quod omnium, quos vidi, acerrime juxta ac fusissime in Rabbinos invehatur. Asserit se totam vitam in Hebrææ linguæ studio consumpsisse, ac præceptorem habuisse Capnionem, cujus etiam non vulgare de ipso encomium profert: mirum igitur ni viri adeo Hebraïcis literis penitus imbuti de Hebræis sententia magni sit æstimanda. In ipso autem statim libri titulo Rabbinos vellicat, asserens Dictionarium suum non ex Rabbinorum commentis descriptum; in præfatione vero pleno ore in eos debacchatur. *Sæpe* (inquit) *vehementer demiratus sum Nostratium (ut pace ipsorum dicam) socordiam, qui absque ullo judicio commentaria Judæorum, in quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus spiritus, nulla ullius disciplinæ, seu artis vera ac solida scientia, nulla linguarum, ac ne quidem Hebrææ linguæ est cognitio, amplecti maluerunt, quam ut ipsi considerarent voces, ac earum significationes.* Et mox, *quod ad sacræ Scripturæ intelligentiam* (ut jam dixi) *atque etiam linguæ Hebrææ cognitionem attinet, præstiterunt, quod laudem mereatur, omnino nihil. Nam Dictionaria & Commentaria ipsorum plus obscuritatis, & errores in Ecclesiam Christi invexerunt, quam lucis & veritatis.* Deinde immensa sui fiducia inflatus, omnes in universum Judæos, ut cum ipso in arenam descendant, & de Hebrææ linguæ peritia decertent, provocat. *Dicant* (inquit) *mihi universa ipsorum Synagoga, comportatis omnibus suis libris, quid proprie hoc nomen* פֶּתַח *significet, & quæ sit ipsius etymologia; similiter quæ sit etymologia, & significatio nominis* [illegible] *&c.* Plurima ille alia vocabula recenset, & plus quam mille themata se commemorare potuisse jactat, quorum genuinam significationem (ipsi scilicet cognitam) nec Dictionaria, nec Commentaria Rabbinorum possint ostendere. Hæc atque alia istiusmodi multa in Rabbinorum vituperium ac contemptum effundit Forsterus, cujus equidem labori, ac existimationi per me quicquam detractum nolim; tantum tamen ejus fastum, tantamque insolentiam haud ferendam censeo. *Jo. Isaacus* ex Judæo Christianus, injuriam genti suæ, imo veritati illatam, vindicandam judicavit. In Grammatica enim sua Forsterum excipit, ac hominem tantis ausibus plane imparem fuisse ostendit. Locum ante aliquot annos, dum aliud agerem, obiter inspexi, nec tamen nunc, cum librum (hac ipsa sane de caussa ab amico comparatum ac missum) habeam, eum invenire possum. Credo hujus libri editionem, quæ quarta esse dicitur, ab ea, in quam ante incidi, ita differre, ut nonnulla, quæ in ista extiterunt, in hac desiderentur. Quicquid sit, illud scio, me aliquando id, quod dixi, casu reperisse, nunc autem frustra quærere. Sed ut Isaacum missum faciam, (*o*) *Wilhel. Shikardus*, Forsteri in Professione Hebræa octavus (ut ait) successor, nullo in hominem livore motus (quippe qui de eo candide ac honorifice loquitur, peritissimum, & Hebraïce alioqui non indoctum appellans) sed ipsa veritatis vi coactus, nimis iniquum ac præcipitem censorem eum arbitratus est. Postquam dixisset Forsterum in Præfatione ista sua, totum in Rabbinos furere, ac quædam ex ea citasset, hæc subjicit; *Qua inclementi censura sua multos ab hoc studio abalienavit: ut & ego ipsemet olim illius viri authoritate præoccupatus aliter senserim, Rabbinicisque scriptis, non ex ulla propria cognitione quam nondum possidebam, sed mero, & vulgari præjudicio* NB. *iniquior fuerim. Cujus immaturi judicii mei, quod tunc* Tabel. 25. *mearum institut. Hebr. præpropere tuli, merito me nunc dispudet. Jam enim postquam per Dei gratiam in quotidiana illorum lectione, inter medias nugas multa quoque præclara, & Christianismo nostro contra ipsos Judæos plurimum profutura reperio, illis longe factus sum æquior, nec possum quin a Cyclopico quorundam Ignorantiæ fratrum contemptu vindicem.* Hæc vir ille eruditissimus, nec Forstero fidem habet, dum fastuose admodum sese venditat, inquiens, (*p*) *Si quis est, qui facultates suas in Rabbinos profudit, qui in ipsorum Synagogis longo tempore versatus est, qui domi propriis impensis præceptores aluit, qui ipsorum commentaria studiose evolvit, Forsterus est, & tamen (Deum & conscientiam meam testor) nihil eximii, & quod singulari laude dignum esset, reportavi. Eram illis initio adeo addictus, ut alius quisquam, sed quo olim illis fui addictior, hoc nunc sum factus infensior, quod omnem operam & oleum me perdidisse, vere, sed non sine dolore fateor.* Sic Forsterus; at contra (*q*) Shikardus, *De hujusmodi*, inquit, *Rabbinis* (nempe, *qui vernacula lingua nugacissimos scribunt libellos*) *Dominum Forsterum intelligo.* Nam *quod veteres, & qui Hebraice in Biblia commentati sunt, evolverit, id mihi quidem non tam facile persuadet. Non ita crebro, & interdum pueriliter impegisset, (ignoscant mihi beati manes ipsius, &c.) si Rabbinicarum commentationum vel solum exordium legisset, non potuisset eum fugisse, quod Abenezra statim in frontispicio Gen. 1. 5. ad vocem* לילה *rectissime notavit,* הה״א לילה נוסף כי הוא מלעיל ולעולם לשון זכר הוא, i. e. *He dictionis Lajelah, est paragogicum;* ratio, *quia vox illa est penacuta, & proinde semper generis masculini. Si, inquam, hæc obiter saltem inspexisset, vocem* ליל *frequentius in forma fœminina* לילה legi, p. 416. *sui Lexici, nunquam scripsisset, nec se tironum risui exposuisset.* Plura lubens abstineo, &c. Sic Shikardus; ac memini sane & Jo. Isaacum hanc ipsam vocem לילה, citatis etiam istis Abenezræ verbis, in exemplum afferre, quo Forsterum imperitiæ reum perageret, & inanem ejus gloriationem reprimeret. Sed &, nisi mea me fallit memoria, idem Isaacus Forsterum Rabbinorum scripta vel non legisse, vel non intellexisse ex eo ostendit, quod Forsterus de voce *Sela* agens, asserat R. Davidem ad Psal. 3. dicere, vocem istam nihil significare; id quod verbis R. Davidis Hebraïce citatis, falsum esse probat Isaacus. Atque in hoc quidem Forsterum errasse haud dubito, etiamsi plures secum errantes habeat. (*r*) *Ribera* (de quo antea) ait hinc cerni insignem R. Davidis errorem, & inscitiam, quod dicat *Sela* nihil significare. Sed & Steuchus ad Psal. 3. asserit, R. Davidem affirmare, nullum sensum hanc vocem habere. Imo (*s*) Shindlerus vir Hebraice doctissimus ita R. Davidem intellexisse videtur. Verba autem R. Davidis, quæ istud innuere visa sunt, ita habent ואני אומר כי איננה מלת ענין, quæ sic interpretantur, (*t*) *At ego dico, eam non esse dictionem sensus, seu significativam*; ego vero sic interpretanda censeo, *At ego dico, eam non esse dictionem sententiæ*: Ut mens R. Davidis sit, *Sela non esse partem aliquam sententiæ, cui adjungitur; sed absque eo sententiam esse comple-*

(i) *Ribera Proæm. in Sophon.* (l) *Amama in Antibarb.* (m) *Morin. Exercit. Bibl. lib. 1. exer. 1. cap. 2.* (n) *Forster. in epist. Dictionario præfixa.* (o) *Shikard. in Bechinath. pag. 107. &c.* (p) *Forster. in Præfat. sub finem.* (q) *Shikard. ubi supra.* (r) *Ribera in Hab. 3. num. 23.* (s) *Shindl. Pentagl. in voce Sela.* (t) *Vide Appendicem Præfationis.*

tam, Sela autem in alium finem, quam ut ſententiam expleat, nempe ut melodiæ inſerviat, eſſe adſcriptum. Quomodo enim dicere potuit R. David, Sela nihil ſignificare, quum verbis citatis immediate ſubjiciat, Sela ſignificare elevationem (לשון מגבוה) ab illo (Iſai. 62. 10.) סולו המסלה *elevate aggerem*; ac iſtic, ubi legitur Sela, vocis in canendo elevationem fuiſſe? Sed ex eo, quod Forſterus in Dictionario ſuo de hac ipſa dictione Sela diſſerens, de Abenezra refert, illum haud ita in Rabbinorum ſcriptis verſatum fuiſſe, ac præ ſe tulit, manifeſtum mihi videtur. Primo notat R. Davidem ad Pſal. 3. aſſerere, Abenezram dicere, *Sela* ſignificare אמת, i. e. *veritatem*; poſtea autem, Mihi, inquit, ſententia R. Abraham Benezdra maxime omnium probatur, ut à Burgenſi loco ſupra citato (Addit. 3. ad Pſal. 46.) & quidem aliter quam à R. David Kimchi recitatur, quod dictio סלה non ponatur ſignificative, ſed tantum ad ſupplendum modulamen cantùs, ſicut copula Vau, & aliæ ſyllabæ, & voculæ in Pſalmis ſæpenumero otioſæ ſunt, nullaque ſignificandi neceſſitate, ſed tantum carminis gratia ponuntur. Hæc Forſterus, qui hoc ipſo ſe in Rabbinis peregrinum fuiſſe oſtendit; quod eos non niſi ex aliorum teſtimonio citat. Cur non ipſe Abenezram inſpexit, ut ejus ſententiam certius recitare potuiſſet, (*u*) neque enim inopiam libri, opinor, cauſari potuit, cum in celebri Academia Profeſſorem Hebræum ageret. Certe vel Forſterus Burgenſem (quem mihi nunc non licet conſulere) vel Burgenſis Abenezram haudquaquam intellexit. Tantum enim abeſt, ut iſta ſit ſententia Abenezræ, ut eam ex profeſſo impugnet. Abenezræ ad Pſal. 3. verba hæc ſunt, המתרגם ספר התהלות לערלים אמר כי מלת סלה אין לו טעם וגו׳, i. e. *Qui tranſtulit librum Pſalmorum pro incircumciſis, dicit dictionem* Selah *nullam habere ſenſum, (ſeu nullam ſignificationem) ſed tantum melodiæ inſervire, &c.* Deinde addit, והנכון כי טעם סלה כמו כן הוא או כנה אמת הדבר נכון הוא, h. e. *Illud autem rectum eſt, ut ſenſus vocis Sela ſit, Ita eſt, res vera eſt, ac certa.* Similiter Forſterus (*x*) de voce יקהת agens, aſſerit R. Salomonem vocem iſtam à קה deducere, cum ego in R. Salomone iſtiuſmodi nihil inveniam. Deducit ille potius à יקה, aſſerens Jod eſſe de radice ut in יפעתך Ezech. 28. 5. quod eſt à יפע, ut ipſe agnoſcit in Lexico ſuo Forſterus. Verba autem R. Salomonis, quæ id, quod dixi, innuunt, hæc ſunt, יקהת עמים, אסיפת, שהיו״ד עיקר היא ביסוד כמו יפעתך, Forſterus hoc nomen יקהת (ſic in Lexico ejus ſcribitur, quia ſic in Bibliis, cum ea tamen ſit regiminis forma, extra regimen autem ſcribi debeat יקהה) miro quodam modo deducit à קהל, quod cœtum ſeu concionem deſignat, ut יקהת ſit pro ילקהת, ubi primo ex קהל literarum Metatheſi fit לקה, deinde præfixo Jod, & addito in fine He, fit ילקהה. in regimine ילקהת, extrito autem Lamed, ejuſque defectu per dages ſuppleto, יקהת. In hunc modum Forſterus; cujus profecto derivatio adeo longe petita, adeoque torta, ac violenta eſt, ut mirer ſi quiſquam in ejus ſententiam conceſſerit. Hoc tamen vocabulum illud eſt, quod primo ſtatim loco inter alia plurima Forſterus affert, ac de ejus ſignificatione pariter ac etymologia univerſam Judæorum Synagogam ad certamen provocat. Nec minus nugatur ac ineptit Forſterus, cum nomen אבן (cujus etiam ſignificationem & etymologiam Judæis ignoratam, ſibi autem compertam gloriatur) à בנה, quod eſt ædificare deducat, ac lapidem ædificiis extruendis idoneum duntaxat ſignificare contendat; cum certum ſit אבן de quovis exiguo lapillo, cujus in ædificando nullus uſus, imo de lapide pretioſo, ut Exod. 28. 17. uſurpari: nec niſi omnibus omnium Grammaticorum regulis valedicere velimus, Aleph in אבן Heemanticam, & non radicalem eſſe ſtatuere poſſimus. Certe ſi ſic cum Forſtero nominum radices ac etymologias fingere liceat, quidlibet ex quolibet ſtatim oriri poterit, nec video cur non exclamem, *Reddat mihi minam, qui me Hebræam docuit Grammaticam.* Si paullò diligentiùs Dictionarium Forſteri excutiatur, haud dubito quin plurimis iſtiuſmodi exemplis oſtendi poſſit, quemadmodum ille, dum Rabbinorum commenta (ſcilicet) inſectatur, ſua obtrudit ſomnia. Sed quàm parvi ejus de Hebræis, eorumque ſcriptis faciendum ſit judicium, abundè demonſtratum arbitror. Certè quid tantâ Rabbinorum inſectatione lucratus ſit, neſcio, niſi quod Pontificiis nonnullis gratum fecit, qui tamen ipſi, cùm in Rabbinorum ſcriptis haud paullò eſſent exercitatiores, ejus uſquequaque ſententiam probare non potuerunt. (*y*) *Serarius* deprimit quidem, quantum poteſt, Hebræorum ſcripta, atque in hunc finem multa ex Forſteri Præfatione adducit; inter alias autem rationes, cur ità de Rabbinis ſentiat, hanc affert, quòd ad eorum, quàm ad Eccleſiæ Catholicæ amuſſim attendant noſtri temporis hæretici libentiùs ex cœnoſis eorum lacunis tot hactenus novas Bibliorum verſiones Latinas & vernaculas, tot & tam inſulſas expoſitionum paludes hauſerint ac derivârint. Quòd denique Rabbini unius alicujus viliſſimi nomen atque authoritatem, pluris quàm Chriſtiani alicujus doctiſſimi ſanctiſſimique Patris faciant. Revera hic ulcus ſuum aperit Serarius; hinc ſcilicet illæ lachrymæ, hinc Pontificiorum in Rabbinos odium, quòd eorum ope adjuti Proteſtantes (quod multi magnique viri etiam inter Pontificios fecerunt Pagninus, Vatablus, Maſius &c.) vulgatæ Verſionis errores detegant, ac Pontificiorum dogmata, ex erroneâ iſtâ verſione ſtatuminata, convellant ac dejiciant. Cùm autem Serarius (quod ipſius ſcripta arguunt) in Hebræorum ſcriptis non modicè verſatus eſſet, facere non potuit, quin multò æquiorem quàm vel Ribera, vel Forſterus, ſe iis præberet. (*z*) Fatetur enim nonnihil bonæ frugis Hebræis ſcriptoribus ineſſe, ac eorum lectionem aliquantulum poſſe prodeſſe Chriſtianis, id quod exemplis Hieronymi, Lyræ, Burgenſis, Maſii, Oleaſtri, ac aliorum aſtruit. Similiter Morinus*, etiamſi id ſtrenuè agat, ut Hebræorum authoritatem elevet, atque ideo etiam non pauca ex Forſtero recitet, inquiens, Vide & attende, quid de Rabbinorum ignorantiâ pronunciaverit Forſterus in eo ſtudio bene (ſcilicet) exercitatus; non tamen auſus eſt Forſteri ſententiam in ſe tuendam ſuſcipere, ſed illico ſubjungit; Longè remiſſiùs de eorum ignorantiâ cenſemus eſſe ſentiendum. Utiles enim Grammaticas, utilia Dictionaria compoſuerunt: utiliter etiam plerunque dictionum Hebraicarum nativæ ſignificationi eruendæ operam ſuam commodaverunt. Hæc ille. Atque hæc quidem, quæ jam diximus, iniquæ nonnullorum de Hebræorum ſcriptis cenſuræ refellendæ poſſent ſufficere. Sed quo evidentiùs pateat, Hebræorum ſcripta ad Scripturæ intelligentiam non planè nihil, nec parùm, ſed multùm, imò plurimùm conferre, paulò preſſiùs ac diſtinctiùs eſt agendum. Hebræorum igitur ſcripta multis nominibus ad hanc rem uſui eſſe poſſunt.

Primò plurima Veteris Teſtamenti loca, quæ Chriſtum ſpectant, ex Hebræis nonnulli verè planeque Chriſtianè interpretantur, ut Judæorum teſtimonia adverſùs ipſos Judæos non rarò proferre liceat. Quemadmodum ad Chriſtianæ fidei dogmata confirmanda Hebræorum monumenta conducant, Ficinus, Porchetus, Galatinus, Morneus, & Grotius luculenter demonſtrârunt. Hìc etiam aſſentientem habemus (*a*) Serarium, qui de Hebræis loquens, *ex iis*, inquit, *de Chriſto Domino, de Deo trino & uno, de aliis Chriſtianæ fidei myſteriis, & ceremoniis vera & utilia promi poſſunt non pauca, uti à Galatino, Genebrardo, & aliis prompta.* Sic ille. Ego ex iis, quæ ipſe obſervavi, loca aliquot annotabo, in quibus vel Chaldæi Paraphraſtæ, vel Rabbinorum nonnulli de Chriſto rectè ſolideque ſermonem eſſe intelligunt. De loco Geneſ. 49. 10. vide Annotat. ad loc. Pſalmum ſecundum R. Salomon, ipſe quidem de Davide exponit, non tamen diſſimulat veteres de Meſſiâ expoſuiſſe. ורבותינו דרשו את הענין של מלך המשיח, i. e. *Rabbini noſtri myſticè expoſuerunt ſenſum de rege Meſſiâ.* Obſervatu etiam digniſſima ſunt ejuſdem R. Salomonis verba ad Mich. 5. 2. ממך יצא לי משיח בן דוד וכן הוא אומר אבן מאסו הבונים i. e. *Ex te exibit mihi Meſſiah filius Davidis.* Et ſic ille (ſcil. David. Pſal. 118. 22.) dicit, *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, &c.* Vides, Lector, hunc Rabbinum, à Chriſtianâ religione utcunque abhorrentem, non ſolùm illum Michææ lo-

(u) *Vide Appendicem Præfat.* (x) *De voce* יקהת *vide ad Gen. 49. 10.* (y) *Serar. de Rabb. lib. 1. cap. 35.* (z) *Serar. ubi ſuprà.* * *Morin. Exercit. Bibl. lib. 1. exerc. 6. cap. 3. in fine.* (a) *Serar. ubi ſuprà.*

locum, verùm etiam istum Davidis de Christo intelligere. Illud tantùm addam (nam infinita hujus generis afferri possent) locum illum πολυθρύλλητον. Isai. 53. (cujus unius lectione se ad fidem Christianam conversum fuisse testatur (b) Jo. Isaacus) à Jonathane Paraphraste Chaldæo de Messiâ exponi; itaque à priscis Hebræorum Doctoribus expositum fuisse agnoscit Abrabaneel (c): imò refert se vidisse prophetiam istam sic expositam à R. Mose Nachmanide (qui & Gerundensis appellatur) inter recentiores magni nominis Rabbino. Quin & istud Isai. 52. 12. *Ecce servus meus* (ubi Chaldæus habet, servus meus Messiah) *prosperabitur; is exaltabitur, & extolletur, & sublimis erit valde*; Abrabaneel fatetur priscos Hebræorum sapientes de Messiâ in hunc modum interpretatos esse, Messiam exaltandum supra Abrahamum, extollendum supra Mosen, ac ipsis denique angelis fore sublimiorem. Secundò, ad vim ac proprietatem verborum intelligendam Judæi multùm conferunt. *Pellicanus* (d), in Judæorum scriptis egregiè versatus, de Judæis loquens, ait eos non sine Dei beneficio & gratiâ per Chalcographorum operas, & novum Dei bonitatis in orbe donum, nobis contigisse, ad sermonis Hebraici, & verborum vim exactiùs introspiciendam. Morinus etiam (verbis antea citatis) Hebræos nobis ad hanc rem utiles esse agnoscit; & certè hoc adeò in aperto est, ut id inficiari, non mediocris vel imperitiæ, vel impudentiæ meritò habeatur. Illud quidem verum est Hebræam linguam, à multis jam seculis, Judæis vernaculam esse desiisse; cùm tamen omnem in eâ perdiscendâ operam à teneris (quod ajunt) unguiculis insumant, ac plurimis ad id adjumentis instructi sint, ejus præ aliis gnaros peritosque esse rationi est consentaneum. Certè nec olim Hieronymus, nec nuper viri in hoc genere eruditissimi, Pontificii pariter ac Protestantes, nisi Judæorum vitulâ arâssent, multa Hebrææ linguæ ænigmata tam facilè ac feliciter explicare potuissent. Morinus (e) ubi Rabbinis nonnihil tribuit, nè tamen scenæ suæ non satis serviat, addit eorum labores 70. Interpretum, & S. Hieronymi Translationibus nequaquam præferendos. At si Hieronymo, Judæis præceptoribus uso à 70. Interpretibus non rarò discedere licuit; quidni & aliis interdum ab ipso Hieronymo discedere liceat?

Tertiò, ad ea, quæ Judæorum ritus, consuetudines, ac historiam spectant, cognoscenda, magno sæpe usui sunt Judæorum scripta. Hanc etiam rationem reddit Serrarius (f), quare Rabbinos non planè rejiciendos censeat; *quia* (inquit) *vel ingenii aliquâ bonitate, vel aliquâ majorum traditione afferunt interdum aliquid, quod ad Scripturæ interpretationem; ritûs alicujus in vetere Synagogâ politiaque usurpati, nobis autem jam ignoti, explicationem; ad aliquam denique doctrinæ ubertatem, atque varietatem faciat.* Sic ille; ac res sanè ex Hieronymo, Lyrâ, Burgensi, multisque recentioribus est perquam manifesta. Ego unum duntaxat atque alterum è Novo Testamento locum afferam, qui non nisi ex Hebræorum scriptis satis potest intelligi. 2 Tim. 3. 8. *Jannes* & *Jambres* dicuntur restitisse Mosi; quinam autem isti fuerunt, frustrà alibi quàm in Judæorum libris quæritur. At *Jonathan Paraphrastes* Exod. 7. 11. ubi de Ægyptiorum magis, qui similiter ac Moses miracula facere videbantur, est sermo, *Jannem & Jambrem* nominat. Et Exod. 1. 15. *asserit eos principes Magorum fuisse.* In Talmude etiam horum fit mentio, sed appellantur Jochanne & Mambre, ut ad 2 Tim. 3. 8. notat Tremellius. Utrumque nomen variè apud Hebræos scribi docet Buxtorfius (g), qui etiam ex Hebræis fusè de Magis hisce disserit, multaque de iis cognitu nec injucunda, nec inutilia observat. Similiter expositio loci istius Matth. 15. 5. δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, non aliunde quàm ex Hebræorum monumentis petenda est, ut Lud. Capellus in eruditissimâ de loco isto Diatribâ abundè comprobavit.

Quartò, sæpe in Novo Testamento sententiæ occurrunt, quas inter Judæos proverbiales fuisse ipsorum libri ostendunt; ego paucas aliquot recensebo. Matth. 10. 25. ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. Aben Ezra ad Hos. 1. 2. Hebraicè ità effert, די לעבד להיות כרבו, i. e. *satis est servo, ut sit sicut dominus suus.* In Talmude etiam lib. de Benedictionibus cap. 9. Et in lib. Musar. cap. 20. proverbium istud reperiri testatur Drusius. (h) Matth. 7. 2. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. In libro Sanhedrin (referente (i) Drusio) sic ajunt, במדה שאדם מודד בה מודדים לו, i. e. *Quâ mensurâ quis metitur aliis, eâ vicissim ei metientur.* Et in Rabbinorum Commentariis frequens est illud, מדה כנגד מדה, i. e. *Mensura pro mensurâ, seu par pari.* 2 Thessal. 3. 10. εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω. (k) Drusius ex Beresbith Rabba citat, דלא לעי לא נגים, & ex Ohel Moed כל מי שאינו מתעצ אינו אוכל, i. e. *Quisquis non laborat, non comedit.* De verbis istis ex Beresbith Rabba allatis paullò fusiùs atque accuratiùs agit Buxtorfius in Lexico Talmudico, radice עמ, Matth. 19. 24. *Facilius est camelo pertransire foramen acûs, &c.* (l) Drusius ex Gemarâ hæc affert, לא פילא דעייל בקופא דמחטא, i. e. *Non est elephas, qui intrat per foramen acûs.* Item ista, דלמא מפומבדיתא את דמעיילי פילא בקופא דמחטא, i. e. *Fortè tu ex Pumbeditha es, ubi traducunt elephantem per foramen acûs.* Addit Drusius, cùm notior vulgo in Judæâ esset camelus, ideo fortè camelum elephanti loco à Christo esse positum. Hasce etiam Judæorum sententias recitat Buxtorfius (m), ac monet eas proverbialiter usurpari ad rem impossibilem, seu incredibilem significandam. Sed & alia etiam huc spectantia habet, ac notat Christum hoc proverbium imitatum esse, pro פיל *elephanto*, ponendo גמלא *camelum*.

Quintò, ad conservandam Veteris Testamenti sinceritatem Hebræorum opera atque industria plurimum præstat. (n) Helvicus inter alia ad hoc etiam notat necessaria esse Judæorum scripta. Libri (inquit) Judaici sæpe necessarii sunt ad explicandos ritus, consuetudines, historias, genuinam vocabulorum significationem, & omnino literalem textûs Biblici sensum investigandum; ad cognoscendam ἀκεραιότητα & integritatem textûs Hebræi. Hæc ille. Nec quisquam ferè est, qui Hebræas Musas vel à limine (quod ajunt) salutavit, quin ei, saltem ex famâ & aliorum commendatione, cognita est admiranda illa Judæorum Critica, quæ Masora appellatur, de quâ vir in Hebraicâ literaturâ incomparabilis Jo. Buxtorfius Senior, integrum librum conscripsit. Morinus, qui de aliis non nimium candidè solet loqui, hanc tamen laudem Buxtorfio tribuit, eum primum & solum Christianorum hactenus hanc Criticam intellexisse. (o) De Ariâ autem Montano non dubitat asserere, eum etiamsi linguæ Hebraicæ valdè peritum, in Masorethicâ tamen Criticâ nihil quicquam intellexisse, ac nè alphabetarium quidem in hâc re fuisse. Non est igitur, quòd meam hîc ignorantiam me fateri pudeat: nonnihil tamen quasi per transennam in Masorâ vidi, nec quid alii peritiores de eâ pronuntiârunt, nescio. Judæorum pariter ac Christianorum complurium de Masorâ, ejusque usu ac utilitate testimonia vide, si libet apud Buxtorfium in Tiberiade, seu Commentario Masorethico cap. 20. Ut autem horum Masoretharum (quos vocant) stupendam diligentiam, Lector, aliquantulum perspicias, cogita quid Aben Ezra (p), de verbo תיעשה Exod. 25. 31. agens dicat; Inspexi (inquit) libros, quos explorârunt Sapientes Tiberiadis: Et jurejurando affirmabant quindecim ex Senioribus ipsorum, quòd ter attentè considerabant singulas dictiones, & singula puncta; omne plenum, & omne defectivum: & ecce scriptum fuit Jod in voce תיעשה, etiamsi non ità scriptum inveni in libris Hispanicis, & Gallicis, & Transmarinis. Shikardus (q) qui etiam de Masorâ fusè tractat) postquam hunc Aben Ezræ locum citasset, continere se non potuit, quin exclamaret, O incredibilem in minutissimis quoque diligentiam! O singulare numinis beneficium! O mirandam tot exemplarium, per omnes Europæ, Africæ, Asiæque

que

(b) *Isaac. advers. Lindan.* (c) *Abraban. ad loc.* (d) *Pellican. in Præfat. in Vet. Testam.* (e) *Morin. ubi suprà.* (f) *Serar. ubi suprà.* (g) *Buxtorf. Lex. Talm. col. 945, &c.* (h) *Drus. de Adag. Hebr. dec. 5. adag. 9.* (i) *Ibid. dec. 7. adag. 5.* (k) *Ibid. decur. 2. adag. 3.* (l) *Ibid. decur. 1. adag. 3.* (m) *Buxtorf. Lex Talm. radice פיל.* (n) *Helvic. de Chald. Paraph. cap. 4.* (o) *Animadvers. in Censur. Exercit. Samarit. pag. 367. & 368. & 370.* (p) *Aben Ezra ad Exod. 25. 31.* (q) *Shikard. in Bechin. pag. 52.*

que angulos dispersorum, per tot secula ad nos usque propagatorum, ac salutarem harmoniam! Hæc ille, ac in eandem sententiam alia multa, quorum illud non prætermittendum censeo, quòd cùm ex adverso objecisset, multas nihilominùs in Hebraicis Bibliis esse lectionum varietates, respondet, illas Masorâ esse antiquiores, utpote à quâ omnes accuratè notantur. Shikardo alterum duntaxat addam, qui itidem post Buxtorfium scripsit, quique etiamsi Pontificius, tamen adversùs Pontificium Morinum pro Hebraicâ veritate fortiter, ac animosè pugnavit. Is est *Simeon de Muis* (a), qui de Masorâ disputans, eamque contra Morini cavillationes propugnans sic ait, *Porro adeò non errandi occasionem præbet Masora, ut ea potius nobis Biblica volumina sarta tecta servârit, aeternumque servatura sit. Licèt enim quibusdam in locis Librariorum vitio depravata fuerit, cuivis tamen istius artis vel mediocriter perito semper in promptu fuit Masoram per Masoram, & ex Masorâ emendare. Quod ne minimus etiam apex de Bibliis Hebraicis periit Masora beneficium est. Atque illud non sine caussâ à Rabbinis dictum haud injuriâ probant Catholici,* מסורת סייג לתורה *Masora est sepes Legis.*

Sextò atque ultimò, Rabbini ingenii sui bonitate (ut loco verbisque antea memoratis fatetur Serarius) interdum, imò sæpe loca Scripturæ obscura & difficilia non infeliciter explicant. Ac Rabbinos non prorsus obesæ naris esse, ex hoc nostro opere facilè perspectum exploratumque fore spero. Illud insuper dicam, me aliquoties observâsse, Hebræos hosce Magistros in notandis conciliandisque iis Scripturæ locis, quæ inter se pugnare videntur, admodum esse perspicaces. *Manasses Ben Israël*, Judæus hodiernus, librum Latinè edidit, cui titulus est, *Conciliator*, in quo loca Pentateuchi ἐναντιοφανῆ ex Rabbinorum scriptis conciliare conatur: multa ad hoc non inutilia indè peti possunt, & quædam in Annotationibus nostris ex libro isto sunt relata. Hic autem unicum duntaxat locum in exemplum afferam, nempe illum (qui me aliquamdiu non parùm torsit) Num 3. 39. ubi dicitur omnes Levitas à Mose numeratos fuisse vicies & bis mille; cùm tamen ex versibus antecedentibus eos tot, & præterea trecentos fuisse appareat. Et quod adhuc difficultatem auget, cùm primogeniti Israëlitarum vicies & bis mille, & ducenti septuaginta tres fuerint, Vers. 43. tamen Vers. 40. & 47. dicitur eos numero ducentorum septuaginta trium Levitas excessisse, ac propterea totidem certâ quâdam pecuniæ summâ redimendos, cùm alioqui Levitæ primogenitorum loco Deo essent consecrati. Quemadmodum hæc, quæ mihi prorsus ἀσύςατα videbantur, inter se convenire possent, in nonnullis nostrorum commentationibus frustrà quæsivi; ad Rabbinos igitur me recepi, eosque consului; ac statim in R. Salomone pariter ac Aben Ezrâ reperio, cùm dubii hujus notationem, tum ejus non contemnendam solutionem; nempe trecentos Levitarum fuisse primogenitos, ac propterea Vers. 39. non numerari, quòd cùm ipsi, utpote primogeniti, jam Dei essent, in eorum numero, qui primogenitorum loco Deo erant tribuendi, comprehendi non debuerunt. Ad hunc quoque modum in Gemarâ nodum istum solvi refert Manasses in Concil. in Num. quæst. 3. Atque hæc de Hebræis Hebræorumque scriptis in genere dixisse sufficiat; speciatim nunc de iis, quorum in Annotationibus passim fit mentio, nonnihil dicam oportet.

Ac primò de Thargumistis, seu Chaldaicis Paraphrastibus verba faciam. תרגם *Thirgem* Chaldaicè est παραφράζειν, seu *interpretari*; & תרגום Thargum est παράφρασις, seu *interpretatio*. Licèt autem hoc nomen Thargum sit generale, tamen (ut notat Helvicus (b)) ad Chaldaicam Veteris Testamenti Translationem restringi solet. Plures fuerunt Thargumistæ, seu ii, qui Chaldaicè Vetus Testamentum interpretati sunt; ego de eis duntaxat loquar, qui in Annotationibus citantur. Primus autem ac præcipuus appellatur אונקלוס *Onkelos* (c); hunc Judæorum plerique volunt proselytum fuisse, ac Imperatoris Titi sororis filium. Sunt autem qui putant hunc esse Aquilam, qui etiam proselytus fuisse dicitur, & Vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transtulit. Hanc quorundam opinionem refert Fagius Præfat. in Chaldaicam Paraphrasin Pentateuchi à se Latinè versam; atque hanc ejus rationem reddit, quòd sit nonnulla nominum affinitas; sed ista ratio haud magni ponderis videtur. Serarius tamen (de Rabbinis lib. 1. cap. 16.) arbitratur unum eundemque virum fuisse Onkelum hunc Chaldæum Paraphrasten, & Aquilam illum Græcum interpretem; quòd nomina & tempora utriusque conveniant; item uterque proselytus, & scriptor non incelebris, & tamen de Onkelo ferè semper in Rabbinorum suorum Catalogo Judæi, de Aquilâ verò aut nihil, aut perparùm, sed contrà, nomina satis sunt diversa Onkelos & Aquila, seu Hebraicè עקילס *Akilas*; nec tempora satis conveniunt, si Onkelos Titi temporibus (quanquam Shikardus (d) eum multò putat antiquiorem) vixerit, Aquila autem (quod de eo perhibent) Adriani. Utrumque autem fuisse proselytum, ac scriptorem non incelebrem, non obstat quò minùs diversi fuerint. Nec mirum est raram apud Judæos Aquilæ mentionem esse factam, cùm non adeò meminisse solent, nisi eorum, qui Hebraicè vel Chaldaicè scripserunt. Addit Serarius, nonnullos ex Hebræis pariter ac Christianis ità sentire, atque eam videri Patrum vetustiorum sententiam, qui Aquilæ sæpe meminerunt, alterius autem distincti Onkeli nunquam. At nec istud quicquam valet; apparet enim Hieronymum (qui tamen inter Patres in Hebræorum scriptis erat versatissimus) hunc Paraphrasten ignorâsse, quippe qui Paraphrasis ejus nullam unquam mentionem facit. Unde Ribera (e) etiam Jonathanem (qui Chaldaicè Prophetas transtulit, & Onkelo antiquior fuisse perhibetur) Hieronymo recentiorem fuisse existimat, quanquam ratio ista ad hoc astruendum haud satis valeat. De Bereshith autem Rabba, id est, Commentario quodam antiquo in Genesin, quem citat Serarius, eum deceptum fuisse autoritate Gerhardi Veltvici ostendit Helvicus (f), ac contrarium ex Bereshith Rabba probari à R. Davide in libro Zemach fol. 41. Quisquis autem fuit iste Onkelos (quem eundem cum Aquilâ fuisse, cur existimemus haud video) ejus Paraphrasis, quæ tantùm in Pentateuchum habetur, à Judæis juxtà & Christianis magni æstimatur. Imò multi ferunt Judæos eam tanti facere, ut parem ei ac Hebræo textui autoritatem tribuant. Ità Helvicus de Chald. Paraph. cap. 4. Et in epist. dedicat. testatur Lyram & Burgensem idem de Judæis asserere. Similiter Galatinus de Arcanis Catholicæ Veritatis, lib. 1. cap. 3. Et ex eo Fagius Præfat. in Chald. Paraph. At certè Rabbini in Commentariis suis Chaldæum Paraphrasten sæpè deserunt, ac longè alio sensu Scripturam exponunt, uti notat Serarius de Rabb. lib. 1. cap. 33. nec diffiteri loco citato potuit Helvicus. Vide etiam Buxtorf. de Antiq. Punct. lib. 1. cap. 10. pag. 136. De Onkelo satis: proximus ei erit ille *Anonymus*, cujus *Paraphrasis* vocatur *Hierosolymitana*, vel ab urbe unde prodiit, vel à linguâ in quâ est conscripta, uti conjicit Shikardus (g). Non est autem hæc Paraphrasis continua, & integra, sed interrupta & mutila. Planè apparet (uti meritò censuit Helvicus (h)) fragmentum esse integræ cujuspiam versionis, cùm sæpe in versiculi medio deficiat, aut postremam tantùm particulam versûs interpretetur; nec verisimile sit, autorem ità mutilatè versum interpretari voluisse. Nec adeò verbis sensuique textûs Hebræi astricta est hæc Paraphrasis, ut illa Onkeli, sed sæpe est liberior, nec rarò commentis, fabulisque Judaicis referta, uti & illa, quæ dicitur Jonathanis, de quâ jam agendum.

De Jonathane autem Paraphraste quæstio est inter eruditos agitata, utrum *Jonathan* iste, qui Paraphrasin in Prophetas scripsit, quique Christo antiquior fuisse dicitur, (etiamsi nonnulli eundem cum Theodotione Græco Veteris Testamenti Interprete faciunt, quod Jonathan & Theodotion idem significent, nempe Dei donum; quod

(a) *Simeon de Muis in Censurâ exercit. Samarit. pag. 148. & 149.* (b) *Helvic. de Chald. Paraph. cap. 1.* (c) *Vide præter alios, Buxtorf. Biblioth. Rabbin. Helvic. de Chald. Paraphr. Shikard. Bechin.* (d) *Shikard. in Bechin. pag. 25.* (e) *Ribera in Abd. num. 110.* (f) *Helvic. de Chald. Paraph. cap. 2.* (g) *Shikard. Bechin. pag. 35.* (h) *Helvic. de Chald. Paraph. cap. 2.*

quod leviusculum videtur) idem sit cum illo, qui hujus Paraphrasis in Pentateuchum, quæ non ità pridem sub nomine Jonathanis prodiit, autor fuit. Ità sensisse videtur Galatinus de Arcan. lib. 1. cap. 3. Et Serarius de Rabb. lib. 1. cap. 16. istamque opinionem tuetur ac propugnat Helvicus de Chald. Paraphr. cap. 4. Shikardus etiam in Bechin. pag. 31. testatur Judæos ita sentire; & quæstionem in utramque partem diu multumque ventilatam tandem in medio relinquit. Ego verò non possum non concedere in sententiam Buxtorfii (a) qui in Abbreviaturis ת״י & תיב״ע censet hanc in Pentateuchum Paraphrasin falsò tribui Jonathani, nempe ei, qui Prophetas interpretatus est. Ac præterquam quòd alia sunt, quæ hoc suadent, quibus utcunque respondere conantur Helvicus & Shikardus, illud planè, ut ità sentiam, cogit, quòd Exod. 26. 9. Jonathan iste supposititius meminit sex סדרי משנה, i. e. partium Talmudicarum, quæ ducentis annis post Christum natum primùm factæ feruntur. Nam quod Shikardus respondet, Talmudicas Traditiones vero Jonathane esse vetustiores, ac à Servatore nostro aliquoties reprehensas, ac propterea haud mirandum si Talmudicarum Traditionum à Jonathane mentio fiat; hoc planè nihil esse videtur; Non enim earum traditionum, quæ in Talmude continentur, mentionem facit hic Paraphrastes loco citato, sed partium Talmudicarum, earum nempe partium, in quas liber iste, qui dicitur Talmud, dividitur; ut omnino necesse sit, eam non modò traditionibus Talmudicis, sed & ipso Talmude (quem tamen ducentis penè post Christum annis primo conscriptum concedit Shikardus) fuisse posteriorem. Cujuscunque autem tandem authoris, & antiquitatis sit hæc paraphrasis, rectè censet Shikardus eam nobis plurimùm profuturam, cùm aliis nominibus, tum eò quòd (ut iste notat) loca quædam, quæ alii aliò detorquent, de Messia exponit. Hanc autem sub Jonathanis nomine in Pentateuchum Paraphrasin nuper admodum vulgò innotuisse apparet. (b) Galatinus ejus mentionem faciens, atque initium ejus recitans, ait rarissimam esse, seque semel (NB.) vidisse. Eliæ Levitæ, etiamsi Judæo, planè ignota fuit, nisi quòd alicubi ejus mentionem factam viderat, uti notant Helvicus, Shikardus, & Serarius. Fagius ac Mercerus Hierosolymitanæ Paraphrasis sæpè meminerunt; at de hâc, quæ dicitur Jonathanis, altum est apud eos silentium; nisi quòd Mercerus ad Gen. 3. 21. ex Recanati (seu R. Menahem Recanatensi) hujus paraphrasis mentionem facit, sed ita, ut eam apud nos non extare asserat. Id duntaxat de hâc paraphrasi addam, eam (quod ab Helvico etiam & Schikardo notatum) cum Hierosolymitana ita sæpe convenire, ut eadem penè cum illa verba habeat. Haud sane autem intelligo quid (c) Drusius, vir Hebraice doctissimus, sibi voluit, cùm sic scripserit. Locus iste [Eliæ Levitæ] me confirmat in ea sententia, in qua olim fui, & adhuc sum, videlicet, Targum istud, quòd Jonathæ attribuitur esse Targum Hierosolymitanum. Nam in Jonatha hîc habetur eadem vox (אשקף) quam Elias citat ex Hierosolymitana. Sic ille, at ut magna sit inter hasce Paraphrases similitudo, non adeò tamen sunt similes, ut per omnia conveniant; sed, sæpe inter se differant. In ipso quidem initio differunt; Nam Hierosolymitana Paraphrasis pro בראשית habet בחוכמא i. e. *in sapientia*; at Paraphrasis Jonathanis, מן אולא i. e. *in principio*, præterea Targum Jonathanis est integrum, cùm Targum Hierosolymitanum non sit nisi fragmentum.

De Chaldaicis Paraphrasibus earumque autoribus quod instituto meo sufficiat dixi: jam de Rabbinis istis, ex quorum commentariis Annotationes præcipuè sunt collectæ, nempe R. Salomone & Abenezra, aliquid est dicendum.

R. Salomon cognomento *Jarchi* (abbreviatè רש״י *Raschi*, seu *Rasi*) natione Gallus fuisse dicitur, ac duodecimo post Christum seculo floruisse. In universum vetus testamentum commentatus est, & quantum scio, antiquissimus est eorum, qui simplicem ac literalem sensum secuti sunt, Judæi eum reliquis omnibus expositoribus anteponunt, uti testatur (d) Buxtorfius, atque *κατ' ἐξοχὴν* eum appellant המפרש, i. e. *interpretem legis.* Est autem sæpe obscurus, ac Talmudica commentariis suis non raró admiscet. Hinc fit, ut fabulis etiam commentisque Judaicis nimium indulgeat, unde nostris se minùs gratum reddidit. (e) Pellicanus gravi cum censura notat, asserens eum Talmudicis fabulis infectum & juratum Canonicos libros non tam declarasse, quàm contaminasse. Ego eum haud excusandum, mitiori tamen Censura dignum arbitror. Multa siquidem habet utilia, id quod ex Annotationibus, spero, facilè constabit. Munsterus præf. in Biblia (referente (f) Shikardo) asserit multa esse apud Hieronymum in Commentariis, quæ à Judæis se didicisse testatur, quæ & ipse in R. Salomone invenit: atque id etiam ego nonnunquam observavi.

(g) De *Abenezra* autem, est & is magni nominis inter Hebræos, Hispanus fuit, & R. Salomonis non multo junior. Nomen ejus fuit Abraham; pater ejus dictus est Meir, avus Ezra; unde ab avo vocari solet Abenezra, seu filius Ezræ. Quamvis autem (inquit (h) Shikardus) Judæi hunc Ezram Jarchæo postponant, tanti tamen faciunt nihilominus, ut *κατ' ἐξοχὴν* denominent חכם *sapientem*, sicut nos Philosophum pro Aristotele, & pro Virgilio Poëtam nominamus absolute. Sic ille; Ego non memini legere sic absolutè appellatum, sed R. David de eo loquens, solet sapientis titulo eum insignire, in hunc modum, החכם ר' אברהם בן עזרא, i. e. Sapiens ille R. Abraham filius Ezræ. Sic ad Hos. Nostri eum ut eruditum pariter ac sobrium interpretem magni æstimant (ad Psal. 2, 8. & 87. 6.) ac eo nomine R. Salomoni præferendum censent, quòd nihil ferè Judaicarum ineptiarum Expositionibus suis admixtum habeat. R. Abraham Abenezra (inquit (i) Pellicanus) astrologiæ philosophiæque Peripateticæ studiosus, & Hebraïcæ Grammaticæ non indiligens exactor: is prudens Judaïcas fabulas vel contemnens, vel dissimulans, brevitate verborum multa non aspernanda, ut Judæus tamen, commentatus est. Similiter (k) Shikardus, cùm dixisset R. Salomonem omnibus à Judæis præponi, At, inquit, si me arbitro res ista disceptaretur, palmam ego deferrem sequenti Abenezræ, quia non tantùm magis perspicuus est, methodicus, & in stylo multo elegantior, scripturæque idiotismorum tenax, sed etiam prudentior, cautior, & nugarum parcior, &c.

Sunt & alii ex Rabbinis, quorum in Annotationibus fit mentio; sed quia vel rariùs, vel ex aliorum duntaxat fide memorantur, de eis dicere supersedeo. Ab Hebræis igitur ad Hebraïzantes me confero; ac primùm hic se offert *Hieronymus* de quo nonnihil est dicendum; nam major est ejus celebritas, quàm ut de eo multa dicere sit necesse. Is omnium confessione cùm in omni literarum genere, tum Hebraïcè fuit eruditissimus: atque eò sanè est celebrior, quòd inter antiquos Ecclesiæ Doctores vix quisquam præter eum Hebraïcæ linguæ cognitione imbutus fuit. (l) Pellicanus de priscis illis Doctoribus loquens, ait se haud scire, an quisquam sermonem Hebraïcum probè calluit D. Hieronymo excepto. Et (m) Cunæus, vir Hebraïca literatura valdè instructus, postquam Origenem cum Hieronymo conjunxisset, ac dixisset, illos solos ex Veteribus Hebraicè intellexisse, statim subjungit, se nimium fermè dixisse, innuens hanc laudem non nisi Hieronymo

(a) *Cum Buxtorfio etiam quod hanc rem spectat, sentit Lud. Capellus de Antiq. Punctor. lib. 2. cap. 3.* (b) *Galatin. de Arcan. lib. 1. cap. 3.* (c) *Drus. ad difficil. loca Num. c. 25.* (d) *Buxtorf. in Abbrev.* רש״י. (e) *Pellican. Præfat. in V. Testam.* (f) *Shik. de Bechin. pag. 111. & 112.* (g) *Vide Abenezram in fine Comment. in 12. Prophetas.* (h) *Shik. ibid. p. 175.* (i) *Pellican. ubi supra.* (k) *Shik. Bechin. p. 172.* (l) *Pellican. ubi supra.* (m) *Cunæus de Rep. Judæor. l. 1. c. ult.*

ronymo duntaxat tribuendam. Certè Origenem contra ætatem, gentisque suæ naturam Hebræam linguam edidicisse, testatur ipse (n) Hieronymus; nec facilè fieri potuit, ut decantata ista Hexapla absque nonnulla Hebrææ linguæ cognitione conficeret: sed fortè adeò tenui hujus linguæ cognitione imbutus fuit, ut præ Hieronymo nullus habeatur. Ut sit, magna Hieronymi laus est; quod ab orbe condito primus, & per multa deinceps secula solus fuit, qui Biblia ex Hebræo in Latinum vertere aggressus est; quod tamen plurimum, ut usu venire solet, invidiæ ei conciliasse, ejus apologiæ, epistolæ, ac præfationes apertè indicant. (o) Ipse Augustinus, etiamsi, pectoris candidissimi cùm esset, Hieronymum appellat hominem doctissimum, & omnium trium linguarum peritum; quin & ejus tam literatum laborem Judæos falsos veracem esse testetur, nimio tamen erga 70 Interpretes studio abreptus, de ejus labore admodum jejunè sensisse videtur. Hieronymi etiam inter alios, seu potiùs præ aliis, industriæ debemus, quòd multa veterum Græcorum Interpretum, nempe Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quorum versiones temporum injuria perierunt, fragmenta, quorum sæpe non exiguus est usus, adhuc supersunt. Ejus traditiones, vel (ut etiam appellantur) Quæstiones Hebraïcæ in Genesin (quæ in Annotationibus sæpe citantur) nonnulla quidem nimium insipida, sed plura tamen valdè idonea, & utilia in se continent. Hoc ipso sanè nomine Hieronymum laudat Pellicanus (p), quòd cùm alia multa utilissima protulit, tum Judæorum Traditiones prodidit, quas etiamnum bona ex parte vulgo Judæorum persuasas esse, ipsorum commentaria, & interpretatio Chaldaïca ostendunt. De Hieronymo satis. Huic (longo licèt intervallo) proximus est *Lyra*, seu *Lyranus*, vel *Nicolaus de Lyra*, ex Judæo Christianus. (q) Cl. Buxtorfius Junior, paternæ eruditionis ex asse hæres, ut de eo meritò censet Constantinus L'Empereur, libro nuperrimè edito asserit Lyram, cùm Judæus esset, dictum fuisse R. Salomonem Levitam, idque observasse Abrabaneelem in Isai. 34 fol. 54. col. 4. Non equidem ausim me tali tantoque viro opponere, id tantùm dicam, me inspecto hac ipsâ de causâ Abrabaneele, hoc (quæ mea forsan est imperitia) non posse perspicere. Lyræ quidem istic mentionem facit Abarbinel, Nicolaum (ניקולו) eum appellans, atque ait eum fuisse inter Christianos מפרש גדול *Interpretem seu Expositorem magnum, sive celebrem;* quin & aliquot ejus expositiones, quas usui suo inservire existimavit, commemorat. Quod autem mox sequitur, שמו לפנים שלמה הלוי, i. e. *Nomen ejus antea fuit Salomon Levita*, quantum mihi judicare licet, non de Lyra sed de ejus æmulo Burgensi dicitur, qui & ipse ex Judaïsmo ad Christianam fidem conversus est, ac in Lyram Animadversiones (ita enim plerunque sunt, licèt ipse appellet Additiones) quasdam conscripsit. Posteaquam de Lyra locutus fuisset *Abrabaneel* de *Burgensi*, qui in expositionibus istis ab Abrabaneele citatis, ut alibi passim, se Lyræ opponit, mentionem facit, ac dicit eum fuisse Judæum, ac religionem Judaïcam in regno Hispaniæ deseruisse, cùm antea Salomon Levita vocaretur. Hæc de Burgensi dicta esse, ea, quæ deinde sequuntur, verba mihi manifestum reddere videntur, ונעשה אחר כך שר וגדול בין הנוצרים * אגמון בורגנשש, i. e. *Et factus est postea princeps, & magnus inter Christianos, Episcopus Burgensis.* De isto, non de Lyra, arbitror Abrabaneelem dixisse, eum antea (nempe cùm in Judaïsmo esset) Salomonem Levitam fuisse appellatum. Quod autem Lyram spectat, Pellicanus (ubi suprà) non modicè eum laudat; nec non Serarius (de Rabbinis lib. 1. cap. 33.) asserit eum multò, quàm quibusdam videtur, meliorem esse auctorem, atque ex Rabbinis emolumenti non parùm Ecclesiæ attulisse. Atque huic quidem ego facilè assentior, etiamsi ubique ferè R. Salomonis vestigiis insistit, unde à nonnullis R. Salomonis simius appellatur; nec rarò etiam in iis, quæ nimiùm sunt inepta, se illius sequacem præbeat.

De Lyra satis, nec de Burgensi plura dicam, cui ex adverso occurrit in Lyræ defensionem quidam *Matthæus Doring*, vir in Theologicis quidem (quantum hactenus judicare valeo) non indoctus, Hebraïcè autem nihil quicquam intelligens; unde ad istiusmodi, quam suscepit, provinciam minimè fuit idoneus, ac eruditis interdum risum movit. Nonnihil asperiùs de eo alicubi in Annotationibus scripsi, sed si cum eo conferatur, quod de eo scripsit Amama in censura sua ad Exod. 2. 11. & ab Amama istic citatus Steuchus, haud ità asperum, opinor, videbitur.

Ad *Porchetum*, cujus etiam aliquoties Annotationes meminerunt, transeo. Anno demum 1520. prodiit ejus liber ab Augustino Nebiensi Episcopo editus, qui inscribitur *Victoria adversus Judæos*, omnigena eruditione Hebraica refertissimus. Ipse Nebiensis, vir Hebraïcè doctissimus, ait se non semel demiratum esse, quomodo homo Christianus, Christianis natus parentibus, sed & Genuæ, qua in urbe ob religionis reverentiam Judæis interdicitur habitatione, potuerit omnia lustrasse, quæ apud Hebræos habentur, quando penè infinita recenseantur.

Sed quantum Porcheto, cujus liber diu ἀνέκδοτος, atque hodie etiam est rarissimus, debeatur, ex Galatino, cujus liber de Arcanis Catholicæ Veritatis est notissimus, abundè liquebit. (r) Buxtorfius ait *Galatinum* cujusdam Martini Ramundi (authoris nondum editi) compilatorem fuisse; quod & alii nonnulli de Galatino censent; at si Porchetum vidissent, aliter haud dubiè existimassent. Mihi certè, qui Porchetum evolvi, ac cum Galatino non prorsus segniter contuli, haud ambiguum est, Galatinum Porcheti, qui Ramundo isti multa se debere ingenue agnoscit, scrinia compilasse. Hac de caussa Galatinum aliquoties in Annotationibus perstringo. Neque enim non stomachari subinde potui, cum viderem hominem alteri penè omnia surripere, nec ejus tamen unquam mentionem facere. Mea sane hæc est sententia, cuique curæ esse oportere, ne (quod ait Horatius)

- - - moveat cornicula risum,
Furtivis nudata coloribus. - - -

Imò plurimum mihi semper arrisit illud Plinii Senioris, (s) *Est benignum, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Item illud, quod statim addit, *Obnoxii profectò animi, & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim fors fiat ex usura.* Quòd si quis Galatinum (cujus eruditioni atque operi ego, si quis alius, faveo) duriùs à me exceptum existimet, videat velim ac perpendat quid de eo scribit Morinus; (t) *Quæcunque*, inquit, *habet Galatinus toto libro suo, à Porcheto Carthusiano desumpsit, nec Porcheti vel de nomine mentionem facit. Plagium sanè portentosum, & cui vix simile unquam factum est. Nam Galatini liber nihil aliud est, quam Porcheti exscriptio, ipsissimis Porcheti verbis, atque etiam Hebræorum textuum translationibus conservatis; hoc si excipias, quod elegantiæ caussâ quædam verba & verborum constructiones immutantur. Est enim Porcheti phrasis Galatiniana multò simplicior. Deinde alius est ordo Galatini, & minutiùs distinctus; ideo ex uno Porcheti capite duo vel tria capita componit, & variè digerit, in qua dialogica sermocinatione aliquo*

(n) *Hieron. lib. de viris illustr.* (o) *August. de Civit. Dei, l. 18. c. 43.* (p) *Pellican. ubi supra.* (q) *Buxtorf. de Antiq. Punctor. p. 155.* * *Sic in codice habetur, cum debeat potius esse* הגמון*, i. e.* ἡγεμὼν*, ut ex Eliæ Thisbite, & Buxtorfii Lexico Talmudico apparet.* (r) *Buxtorf. in Præf. Lex. Talmud.* (s) *Plin. in Præf. Nat. Hist.* (t) *Morin. Exerc. Bibl. l. 1. Exerc. 2. c. 2.*

alium paullo colorem inducit, &c. Et mox, *Verba Galatini legisti, Lector, cum Porcheti retulimus.* Non id *tantum semel deprehendimus, sed toties quoties periclitati sumus, mirati sanè Galatinum Porcheto recondita Judæorum historia nihil superaddere, præter frequentia testimonia ex libello* גלי רזיא *Gale Razeia, quem librum Judæi omnes ignorant. - - - Citat præterea pauca quædam ex R. Simeone filio Jochai, hoc est, ex Libro Zohar; non est enim autor ille tam tractabilis, quam illius Gale Razeia, &c. Nonnulla alia μικρολογίας Porcheti sententiis interseris Galatinus; sed ubi Porcheti dictata supergreditur Galatinus, Galatinum deserunt autores Hebræi, qui sententiam confirment, parumque Hebraicis animadversionibus hoc Scipione subducto sæpe innititur.* Hæc Morinus, quem paullo fusius recitare libuit, nè quis me Galatino iniquiorem fuisse censeat: nec Morini tamen authoritate fretus Galatino notam inussi, sed quòd Galatini cum Porcheto collatione facta ita eum meruisse comperi. Post Galatinum sequitur Fagius, quem omnes Hebraicè mediocriter docti, ἑβραϊκώτατον fuisse intelligunt. Adscribam duntaxat testimonium, quod ei Elias(a) Levita, Judæus sui temporis doctissimus, perhibuit. Is cùm alia in laudem Pauli Fagii dixisset, hæc addit; באמת ראוי הוא שבני קמו יקרא עליו כמו שאנו קורין על רבינו משה בן מיימון ממשה עד משה לא קם כמשה כן יאמרו עליו מפאולוס עד פאולוס לא קם כפאולוס, i. e. *Et verè dignus est, quem prædicent populares ejus, quemadmodum nos prædicamus Magistrum nostrum Mosen filium Majemonis, nempe quòd à Mose usque ad Mosen non surrexit sicut Moses* (ille Maimonides;) *ita dicant illi, à Paulo ad Paulum non surrexisse sicut Paulus (ille Fagius.)* Cùm alia ejus opera eruditis admodum probantur, tum præcipuè ejus *Annotationes in Targum Onkeli in Pentateuchum*, quod Latinè reddidit. Liber est comparatu haud facilis, sed auro contrà non carus: ego ei adjunctum habeo & alterum Fagii opus, cujus in Præfatione pariter ac in Annotationibus in Targum nonnunquam meminit, nempe, *Collationem præcipuarum quarundam Translationum cum Hebraico textu libri Geneseos;* sed & primi capitis, ac penè secundi libri Exodi. Ibi autem, nescio quo casu, liber deficit; quousque ulterius Collatio ista processit, non habeo dicere. Neque enim alibi usquam, quàm in Codice meo, opus istud vidi, nec de eo plenam alicubi apud Scriptores, quamvis diligenter quæsiverim, mentionem factam invenire potui. Gesnerus quidem in Bibliotheca sua, & (ni fallor) Melchior Adamus in vita Fagii Collationis in Genesin meminerunt; de Collatione autem in Exodum (cujus ego partem aliquam, licèt perquàm exiguam habeo) prorsus silent. *Gualtperius* (cujus etiam nomen in Annotationibus interdum occurrit) istiusmodi Collationem in Genesin conscripsit, sed pleraque ex Fagio desumpsit, nec ipse Rabbinos, quorum tamen expositiones crebro affert, intellexisse videtur: nam interdum nimis crassè hallucinatur, uti liquido demonstravi.

Præter hosce jam commemoratos complures etiam sunt alii, ex quorum lucubrationibus Annotationes hasce locupletare studui; *Mercerus, Drusius, Amama*, atque alii; de quibus singulis si vel tantillum dicerem, in nimiam profectò molem cresceret Præfatio; sentio me jam longiùs quàm cogitabam, progressum, & vereor nè prolixitate mea Lectori sim tædio.

Cùm autem Græcæ 70 Interpretum versionis, & vulgatæ Latinæ sæpe in Annotationibus mentionem faciam, de eis nonnulla sunt dicenda. Et quod 70 *Interpretes* attinet, etiam summam ac planè divinam autoritatem eis conciliare nititur (b) Morinus; omnes tamen eruditi, sive ex Pontificiis, sive ex Protestantibus, de istius versionis ab Hebræo textu aberratione sæpissime conqueruntur; quin & ipsius Hieronymi in scriptis suis ea passim est querela. Plurima proculdubio injuria temporum, ac librariorum incuria in Translationem istam menda irrepserunt; sed & ipsorum Interpretum multa pariter sunt errata. Ac mirandum sanè est, hominem Hebraicè doctum, qualis fuit Morinus (nam Augustino aliisque veteribus, viris quidem illis eximiis, sed Hebraicæ tamen literaturæ prorsus expertibus venia est danda) adeò otio ac ingenio suo abuti voluisse, ut istius Translationis hyperaspistem ageret. Facilè quidem me sibi suffragantem habet (c) Helvicus, Græcam versionem, etiamsi innumeris locis fœdè aberret à veritate Hebraica, tamen non esse repudiandam, aut detestandam, quia in multis Hebræa rectè interpretatur, & ab Apostolis quoque propterea rejecta non fuit. Imò nonnunquam versio ista, etiam cum ab Hebræa veritate aberrat, in Novo Testamento citata habetur, nec tamen propterea, nè in iis quidem ipsis locis, ab errore immunis censenda est: atque ad hoc demonstrandum egregiam operam navavit Bootius unà cum Taylero nostrate, libello hac de re adversùs Morinum edito; ad quem scio Morinum more suo, canina scilicet eloquentia (pugnacem stylum libri approbatores appellant) respondisse; sed non propterea leviùs de isto opere sentiendum est. Præterea quod hanc rem attinet, observatu dignissimum arbitror, quod idem (d) Bootius in alio libro scribit; De loco Esai. 53. 8. ejusque Græca versione agens, sic inquit; *Quod autem* Act. 8. 33. *iisdem verbis hic locus allegatur, id haud satis firmum est pro eorum (70 Interpretum) erratis patrocinium; quum Spiritus Sancti scopus ibi fuerit, non tam singula Hebraici textus verba repræsentare, quam sensum ex tota periocha exsurgentem ad præsens negotium accommodare; ad quod accurata singularum vocum pensiculatio haud usque adeò est necessaria; ideoque imperfectior etiam versio in tali casu allegantis scopo inservire potest; qua de re tota olim in peculiari super ipsa tractatu, ante aliquot annos edito, copiosè à nobis actum fuit.* Hæc ille, digitum intendens ad libellum anteà memoratum, quem in Præfatione libri indicat non nisi exiguam quandam partem fuisse ejus operis, quod adversùs Morini Exercitationes in Samaritanum Pentateuchum elaboraverat, etiamsi id nondum edidit. Quàm vellem integrum istum librum in lucem prodire, ac publici juris fieri? Nam istiusmodi libris jam editis sui specimen exhibuit Bootius, ut omnia summa de eo meritò mihi polliceri audeam: nec quicquam ferè in hoc genere est, quod impensius cupiam, quàm ut Morinus, vir ille quidem eruditus, sed qui eruditione sua ad intolerandam Hebræi textus injuriam ac ignominiam nefariè est abusus, plenè solideque refutetur. Multum quidem adversùs eum præstitit ex Pontificiis *Simeon de Muis*, multum ex nostris Hottingerus (quorum utriusque in Annotationibus fit mentio) sed & adhuc quod præstari possit atque debeat, multum restat: nam Morini Exercitationes Biblicas, quæ plurimum in se veneni habent, nemo, quod sciam, attigit. Audio *Jo. Croium*, virum eximiè doctum, ut ex Observationibus ejus in Novum Fœdus apparet (etiamsi Heinsio se nimis iniquum præbeat) contra Morinum scripsisse, sed quod scripsit nondum evulgasse. Haud profectò æquum est istiusmodi lucubrationes adeò utiles ac necessarias, quò minùs lucem aspiciant, supprimere; imò hoc plurimùm dolendum censeo, hac præsertim tempestate, quâ tot inanes & fumivenduli libelli, imò planè pestiferi, ac perniciosi, passim volitent. Si hæc quæ scripsi in doctissimorum illorum virorum (Bootii ac Croii) manus venerint (nam & adhuc in vivis eos esse arbitror, utque diutissimè sint opto) & nonnihil apud eos valuerint, ut ingenii ac eruditionis suæ monumenta in publicum emittere velint, erit certè quod mihi, imò Ecclesiæ Christi, gratulari possim atque debeam. Sed ut unde digressus sum redeam, cùm vulgata Latina versio à LXX. Interpretum versione sæpissimè dissideat, ac cum Hebræo textu consentiat, caussam dicere non possunt Pontificii, quin Græcam istam Translationem à veritate deviam esse fateantur. De LXX. Interpretibus non

(a) *Elias in Præfatione prosaïcâ libri Thisbi à Fagio Latinitate donati.* (b) *Morin. in Exercit. Bibl. passim. Et in Præfat. Græc. Bibl. Edit. Rom.* (c) *Helvic. de Chald. Paraph. cap. 4.* (d) *Boot. in Animadv. l. 1. c. 10. §. 1.*

parum honorifice interdum loquitur Ribera; ad Habac. 3. num. 9. asserit negari non posse, nec debere, eos in multis Christi mysteriis valde illustratos fuisse à spiritu S. ipse tamen ut vulgatæ versioni adhæreat, 70. interpretes non raro cogitur deserere, idque interdum ubi de Christi mysteriis agitur. Zach. 12. 10. vulgatus Interpres recte habet, *Et conspicient ad me quem confixerunt*; 70 autem longe alio sensu, *καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο*, legentes scilicet in Hebræo רקדו Rakedu pro דקרו Dakeru (istic propter pausam Dakaru) ob similitudinem literarum ר & ד, Ribera ad hunc locum notat, eum unum ex iis esse, quibus Hieronymus de defensoribus Lxx. Interpretum triumphat, & irrefragabilem Evangelistæ autoritatem (vide Joan. cap. 19. 37. & Apoc. 1. 7.) ab Hebræo textu adversus Græcam versionem stare. Scio (1) Morinum nullum non movere lapidem, ut Lxx. Interpretibus hic, ut alibi se patronum præbeat. Sed revera quicquid molitur, Sisyphi saxum volvit, multum sudat, nec proficit hilum. Imo etiamsi in omnes sese formas vertat, nunquam tamen efficiet, ut interpretes isti hic (ut alibi non raro) manifesti erroris non sint convicti. Nam quod dicit, apud Hebræos istic duplicem fuisse lectionem; si ita esset, quid inde lucri faceret? Ista siquidem lectio, quam secuti sunt Lxx. Interpretes, si vera sit illa quam secutus est vulgatus interpres, imo Evangelista Joannes, falsa sit necesse est; nam certe cum adeo inter se discrepantes sint istæ lectiones, ambæ veræ esse non possunt. (2) Morinus quidem id agit, ut Translationem Græcam ac Latinam, utcunque inter se dissentiant, utramque tamen veram ac authenticam esse probet; nec dubitat asserere duas diversas lectiones, quanquam certum sit alterutram tantum esse natura sua divinam, ambas tamen authenticas Ecclesiam pronuntiare posse; quin & Scribarum errores & cæcutientias (ipsius utor vocabulis) adeo sæpe felices esse, ut textus non depravationes, sed illustrationes sint habendæ. Ad hujusmodi monstrosas opinionum absurditates se Morinus adigit, ne vel Græcam Versionem, cui sua sponte est devotus, vel vulgatam Latinam, cui ex autoritate Synodi Tridensinæ est obstrictus, à veritate usquam aberrasse concedat. De isto Zachariæ loco agens præter ista superius memorata addit apud 70. Interpretes variam fuisse lectionem, Hieronymum autem parum iis æquum, lectionem, quæ ab Hebræo dissentiebat, avide arripuisse, alterius non meminisse. At quis non hic existimabit Morinum parum æquum esse Hieronymo? Numquid verisimile est, Hieronymo vel scientiam, vel candorem ita defuisse, ut vel aliter 70. Interpretes reddidisse, si ita esset, ignoraret; vel si sciret, dissimularet? Græcus quidem Scholiastes, & ex eo Nobilius, notat in nonnullis codicibus fuisse, *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*, ac in nonnullis hanc simul & alteram translationem fuisse conjunctam. At cui hic non statim in animum subibit, verba ista *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν* (quæ genuina est Hebræi textus interpretatio) ex aliorum Græcorum Interpretum (quos ita transtulisse Græca itidem Scholia testantur) versione margini versionis 70. Interpretum primo fuisse adscripta, ac deinde (ut fieri solet) in ipsum textum devenisse? Nec quicquam in defensionem 70. Interpretum facit, quod (ut observat Morinus) Cyprianus & Tertullianus locum istum Zachariæ citantes, habent *in quem transfixerunt, vel quem pupugerunt*. Nam cum aliorum Græcorum versiones haberent, easque istic cum autoritate Novi Testamenti melius congruere viderent, idque in re tanti momenti, non mirum est, si relictis 70. interpretibus illos sequi maluerint. Id etiam alibi, ubi minus oportuit, fecit * Tertullianus; nam cum Ezech. 9. 4. Lxx. habeant *σημεῖον*, id est signum, Tertullianus missa ista interpretatione (quæ tamen vera est ac genuina) Theodotioni adhæret, qui (ut antea notatum) ipsum Hebræum nomen θαῦ in versione sua reliquit; atque hinc, opinor, factum est, ut iste Scripturæ locus tam alieno sensu acciperetur; de quo plura dicere nunc non vacat.

De Vulgata autem Latina Versione, cujus ea sit, inter eruditos haud satis constat. Illud quidem in confesso est, Hieronymum Vetus Testamentum Latine vertisse, utrum autem vulgata versio Hieronymi sit, nonnulli dubitant. (a) Cl. Rivetus ait vix quenquam esse, qui neget Hieronymum vulgatæ versionis in Pentateuchum fuisse autorem. At cum interdum etiam in Pentateucho (quod in Annotationibus est animadversum) Hieronymus & vulgatæ versionis autor à se invicem dissentiant, hinc improbabili plane argumento, Hieronymum istius versionis non fuisse autorem, colligi videtur. Apud (b) Riberam hæc ratio parum valet; existimat enim Hieronymum in expositionibus haud raro à Translatione sua recedere; ac multa loca se observasse ait, quæ Hieronymus melius transtulit, quam exposuit. Et facile quidem fieri potuit, ut Hieronymus postquam Scripturam, prout tum oportere judicavit, transtulisset, aliter interdum in Commentariis eam transferendam censeret. Nihil enim est vulgarius, quam ut unius ejusdemque hominis, licet alioquin eruditissimi, variis temporibus varia sit sententia. Quod autem Ribera hoc ad autoritatem vulgatæ versioni conciliandam facere existimat, vehementer ab eo dissentio. Dixi, inquit, Hieronymum ipsum melius quædam interdum transtulisse, quam exposuisse; ex quo valde Translationis nostræ præstantia cognoscitur. At, inquam, hæc mira videtur ratiocinatio, ideo versionem aliquam præstantiorem esse habendam, quod autori suo minus placuit. Hinc ego potius solidissime evinci posse arbitror, versionem istam haud tantæ autoritatis esse debere, quin eam ad examen revocare, & quandoque corrigere ac emendare liceat; quod à multis viris eruditis, iisque Pontificiis factum novimus. Novi quid in adversum dicat (c) Ribera, nempe Ecclesiam per tot secula vulgatam versionem non fuisse approbaturam, nisi fuisset inculpata. At quem, quæso, ista movebit ratio, qui non ignorat vix quenquam in Ecclesia vel ante, vel à multis seculis post Hieronymum, qui quicquam Hebraice intellexit, fuisse? Præterea si ea valeret ratio, pro Lxx. Interpretum versione adversus Vulgatam Latinam esset valida. Nam ante Hieronymi ætatem Græca Lxx. Interpretum versio, vel Latina ejus Translatio duntaxat in Ecclesia obtinuit; quod tamen Hieronymum quo minus ex Hebræo in Latinum transferendi laborem susciperet, non detinuit. Sed nec ipsum (d) Riberam hoc detinuit, quo minus Lxx. Interpretum versionem, ut Vulgatæ Latinæ se præberet sequacem, desereret. Ut autem de Vulgatæ Versionis autore quod sentio dicam; haud dubitandum puto, Versionem istam totius Veteris Testamenti (exceptis Psalmis, quos è Græco conversos nemo non videt: Hieronymus autem & istum Scripturæ librum juxta Hebraicam veritatem transtulit, ac inter opera ejus ista extat Translatio) esse Hieronymi; nec tanto viro eam indignam judico, etiamsi in alia potius omnia eundum censeam, quam ut *θεόπνευστος*, nec errori obnoxia habeatur. *Σφάλματα* hujusce Versionis plura sunt, ac apertiora quam ut vel negari vel defendi possint: id quod multi demonstrarunt, ac præ aliis Cl. Vir Sixtinus Amama in libro quem inscripsit, *Censura Vulgatæ Versionis, &c.* Sed & in Annotationibus hisce id passim ostenditur. At quomodo alius quispiam præter Hieronymum versionis hujus autor existimari possit, non video, cum Hieronymum istiusmodi versionem elaborasse constet, nec quisquam præterea per longum seculorum decursum provinciæ isti idoneus repertus fuerit. Cum igitur nonnulli eruditi viri hanc versionem non esse Hieronymi existiment, id forte solum volunt, ab Hieronymo, qualis jam extat, non esse profectam, sed interpolatam esse, ac immutatam; qua ratione etiam Græcam versionem, quam habemus, 70. Interpretum non esse vix est quod dubitemus. Quod Lxx. Interpretes, sive Io-

(1) *Vide Morin. Bibl. Exercit. exerc. 3. c. 5.* (2) *Morin. ibid. exercit. 6. cap. 12.* * *Tertul. advers. Marcion. lib. 3. cap. 22.* (a) *Rivet. in Gen. exercit. 144.* (b) *Ribera ad Hag. 2. num. 71. & ad Hos. 11. num. 29.* (c) *Ribera ad Abd. num. 114.* (d) *Vide Riberam ad Hos. 9. num. 19. Et ad Jon. 3. num. 11. &c.*

Interpretationem, quæ illorum nomen hodie gerit, attinet, constat doctissimorum virorum hanc esse sententiam, frustra tam specioso nomine adeo corruptam, & manifeste infinitis in locis depravatam interpretationem ornari. Buxtorf. de Antiq. Punct. lib. 1. cap. 9. pag. 122. vide ibid. plura.

Atque hactenus de Hebræa lingua, Hebraicisque Scriptoribus, quin & de Hebraïzantibus aliquot, item de LXX. Interpretum versione, & vulgata Latina, pro instituti mei ratione, disserui. Erunt fortasse qui mirabuntur aliorum etiam versiones ac expositiones à me non esse commemoratas; iis autem hoc responsum velim, me alios etiam Interpretes ac commentatores forte commemorare voluisse, si licuisset; multos autem de industria prætermisisse, non quod eos insuper habendos putem, sed ne alias in immensum opus cresceret, & quod ea duntaxat, quæ non ubivis obvia, perscrutari ac persequi mihi fuit propositum. Id præcipue in animo habui, ut Hebræorum interpretationes, ac glossas, quæ vel amplectendæ, vel non aspernandæ videbantur, afferrem. In eum finem delectum facere conatus sum, etiamsi nonnunquam ex R. Salomone, & aliis quædam ineptiora, ut eorum saltem specimen Lectori exhiberetur, deprompserim. Sed & multa forte utilia, à me prætermissa, in his Chaldaïcis Paraphrasibus, & Rabbinorum commentariis, quos scrutatus sum, observari possunt. De Paraphrasi, quæ dicitur Jonathanis, id monendum censeo, dimidiam plus minus operis partem absolvisse, antequam ejus mihi facta esset copia; unde quædam, prout licuit, in † margine, quædam in Appendice Annotationum ex ea addita reperiuntur. Ipsorum Paraphrastarum ac Rabbinorum verba Chaldaïce ac Hebraïce sæpe adduxi, sæpius (opinor) eorum duntaxat sensum Latine reddidi. Verebar enim si liber Chaldaïcis Hebraïcisque sententiis esset refertus, ne Typographum labore, emptorem sumptu nimis oneraret; facere tamen non potui, quin multa Chaldaïce ac Hebraïce afferrem; *primo*, ut citationis fides melius certiusque constaret: *deinde*, ut si alicubi forte ab autoris mente aberrarem (quod viris etiam doctissimis interdum accidit) ex ipsius autoris verbis statim posset corrigi. Ipsa *denique* autoris citati verba nonnunquam elegantiora visa sunt, quam ut Latine tantum reddita adscribi deberent. Ne te diutius, Lector, in vestibulo detineam, id scias velim, me, quod pro curta mea librorum supellectile potui, præstitisse; mira siquidem in Borealibus hisce nostris Angliæ partibus Hebraïcorum Scriptorum est inopia, quibus si fuissem instructior, imo si vel unius Abrabanelis (quem mirifice laudat vir Laudatissimus * Constantinus L'Empereur, asserens plura ex eo, quam ex omnibus Hebræorum Doctoribus addisci posse) Commentarium in Legem habuissem, locupletiores hæ Annotationes esse potuissent. Si hæc, quæ nunc exhibeo, non ingrata fore perspexero, ut ulterius adhuc in hoc stadio decurram, Deo optimo Maximo vitam ac valetudinem largiente, mihi animos addet.

† *Hic paginis sunt subjecta.* * *Constant. L'Emp. in Middoth. cap. 5. sect. 2.*

APPENDIX.

IN Præfatione narratur quemadmodum Forsterus ex Burgensis Additione tertia ad Psal. 46. Abenezræ de voce *Selah* sententiam recitet, cum revera Abenezra plane contrarium de voce ista se sensisse ostendat. Ipso autem Burgensi postea inspecto, non nisi unam duntaxat ad Psal. 46. additionem, nec de *Selah* ullam omnino mentionem factam invenio. Ibidem etiam de R. Davidis verbis ad Psal. 3. hanc ipsam dictionem spectantibus nonnihil differitur, cumque monuissem non solum Riberam & Forsterum, sed & alios Hebraïcarum literarum callentiores, ita R. Davidem intellexisse, ac si *Selah* nihil significare assereret, me haudquaquam cum eis sentire professus sum. Addo jam ipsum Fagium ista R. Davidis de *Selah* verba, אינה מלת ענין ita interpretari, non est dictio significativa, prout me * amicus de hac re consultus certiorem fecit: nec tamen à priori mea sententia divellor, nempe verbis istis id R. Davidem velle, *Selah* non esse dictionem sententiæ, quemadmodum in Præfatione exposui. Atque hanc esse R. Davidis mentem, præter ea quæ superius dicta sunt, clarissime patet ex eo, quod de hac dictione idem Rabbinus scribit in commentario ad Psal. 7. Verba ejus ita habent, ומלת סלה פירשתיה שהוא הרמת הקול בנגון ואין לה טעם בענין שהוא בו, i. e. *Dictionem autem* Selah *exposui (nempe ad Psal. 3.) denotare elevationem vocis in modulatione, nec est ei sensus in sententia in qua est.* Hic observandum primo, R. Davidem non simpliciter dicere *Selah* sensum non habere, seu nihil penitus significare; nam è contra hic pariter ac ad Psal. 3. aperte dicit, *Selah* vocis elevationem denotare, quod certe non est nihil; id tantum dicit, *Selah* non habere sensum in sententia ista, in qua est, hoc est, sententiæ istius in qua ponitur, non esse partem, nec ad sententiæ sensum perficiendum esse positam. Deinde in hisce Kimchii verbis vocabulum ענין apertissime significat † sententiam, non significationem; neque enim ista, ואין לה טעם בענין שהוא בו ullo modo exponi possunt, nec est ei sensus in significatione in qua est, quemadmodum illa ad Psal. 3. אינה מלת ענין à Fagio ac aliis exponuntur, non est dictio significationis, seu significativa; Fagius quidem hæc ita interpretari fertur, neque significat rem per se subsistentem, quæ interpretatio quomodo verbis conveniat, fateor me nescire: omnino eo, quo dixi, modo sunt exponenda, nec est ei sensus, vel, nec habet sensum in sentenia, in qua est. Ac similiter quod dicit ad Psal. 3. *Selah* non esse מלת ענין, exponi debet, non esse dictionem sententiæ, prout exposui.

* *D. Leigh, qui Critica Sacra, ut & alia industriæ ac eruditionis suæ monumenta edidit.* † *Ita usurpatur vocabulum* ענין *ab Elia Levita Lib. de Accentibus,* על המשכת הענין, *i. e.* ob protractionem sententiæ. *Vide Buxtorf. de antiq. Punct. pag. 240. & 241.*

 ELECTA

Digitized by Google

ELECTA
THARGUMICO-RABBINICA;
SIVE
ANNOTATIONES
IN
EXODUM.

Ex triplici Thargum, seu Chaldaica Paraphrasi, nempe Onkeli, Jonathanis, & Hierosolymitana; item ex Commentariis Rabbinorum, nempe Salomonis Jarchi, Abenezræ, & Abrabaneelis; nec non ex Libro Radicum, seu Lexico R. Davidis Kimchi, & ex aliorum vel Hebræorum, vel Hebraizantium scriptis excerptæ, una cum animadversionibus subinde interspersis. Græcorum porro Interpretum Versiones, & Vulgata Latina, passim expenduntur, earumque vel cum Hebræo textu convenientia, vel ab eo discrepantia ostenditur.

AUCTORE
CHRISTOPHORO CARTWRIGHTO
EBORACENSI.

Reverendissimo Viro

JACOBO USSERIO
ARMACHANO.

Reverendissime Vir,

QUI id solum spectat, ut eximiam tuam, & toto orbe merito decantatam in omni literarum genere præcellentiam cum tenuitate mea conferat, is proculdubio mirabitur, me eo audaciæ provectum esse, ut tantillus tantum virum compellem, & sub tam illustri nomine lucubratiunculas meas in publicum emittendas censeam. Verum enimvero qui te totum norunt, nec solum nominis tui celebritatem, sed etiam humanitatem tuam, qua vel infimi subsellii homuncionum studia ac conatus fovere soles, sibi ob oculos contemplandam posuerint, nihil hic à me temere aut insolenter, nihil non recte, atque ordine factum (spero) judicabunt. Quod ad me sane attinet, cum mecum in animo reputo, ita fere comparatum esse, ut qui insigni aliqua eruditione se imbutos sciunt, magnifice statim de se sentiant, atque alios quibus curta magis est supellex, tanquam humi repentes, ac terræ filios, præ se despiciant, facere profecto non possum, quin et eruditionis tuæ splendorem suspicio, atque veneror, ita niveo illo animi tui candore, & benevolo affectu, quo non solum insigniter eruditos, verum etiam minus quam mediocri ingenio ac doctrina præditos prosequeris, in admirationem pariter ac amorem tui totus rapiar. Quid quod non uno nomine privatim tibi adeo sum devinctus, ut publica hac nominis tui usurpatione, nec à modestia, nec ab officio quicquam me alienum facere existimem? Nam ut illud missum faciam, quod à nonnullis, atque iis quidem fide non indignis, mihi nuntiatum est, te non solum candide, sed & honorifice (absit verbo invidia) de opusculis meis antehac editis loqui solere, id certe tacere nec possum, nec debeo, tanti me abs te habitum esse, ut aliquot eruditissimæ tuæ industriæ monumentis, non ita pridem in lucem emissis, me donaveris; ac libri etiam cujusdam pretiosissimi, nec vel prece vel pretio facile comparandi, nempe *R. Davidis Kimchi Radicum*, seu Lexici Hebræi, quod Hebraicæ literaturæ locupletissimum thesaurum, & cornucopiæ non immerito appelletur, mihi copiam feceris; unde non contemnendam Annotationibus meis accessionem factam, in Additamentis (neque enim aliter licuit, cum Annotationes antea non solum confectæ, sed etiam longe à me dissitæ essent) Lector inveniet. Rarum profecto humanitatis exemplum, & quod non facile reperiatur, ut vir tot nominibus illustris, in obscurum homi-

Digitized by Google

minem, & ne de facie quidem cognitum, istiusmodi benevolentiæ *τεκμήρια* conferat. Non est igitur quod quis miretur, clarissimo tuo nomini labores hosce meos dicatos esse, cum non solum de omnibus in universum bonarum literarum studiosis, verum etiam de me speciatim ita meritus sis, ut nisi gratitudinis jura violarem, hoc officii atque observantiæ erga te meæ testimonium negligi non potuerit. De Hebræorum autem scriptis, unde potissimum Annotationes meas desumpsi, cum in Præfatione Annotationum in Genesin copiose de eis disseruerim, non est quod nunc fusius agam. Cum autem nunquam non reperiantur, qui se adeo vel imperitos, vel importunos præbent, ut nihil bonæ frugis, nihil non blasphemum ac impium, vel saltem frivolum ac ineptum apud Rabbinos haberi clamitent, ad hanc iniquissimam censuram, & putidissimam calumniam retundendam nonnihil dicam. Ut in omne genus Scriptoribus, ita in Rabbinis delectus est habendus. Alia namque Talmudicorum, alia Commentatorum est ratio: quin & de Talmudicis pariter ac Commentatoribus distingui oportet, cum & illa Talmudis pars, quæ *Misna* appellatur, ab ea, quæ *Gemara* nomine insignitur, multum discrepet; & Commentarii, quos vocant *Perushim*, ab iis, qui *Midrashim* nuncupantur, longe sint diversi. Si hæc probe, ut par est, animadversa ac perpensa fuerint, præjudicio isti, quo Rabbinica monumenta gravari solent, satis (opinor) occursum erit, nisi eo forte quis ingenio sit, ut à concepta semel opinione ne luculentissimis quidem in contrarium factis demonstrationibus se divelli patiatur. Quam portentosa sunt, & prorsus execranda, quæ de Talmude refert * Sixtus Senensis, citatis etiam locis, ubi singula possint inveniri? Cum tamen in *Misna*, quæ prima & præcipua Talmudis pars est, eorum plane nihil reperiri posse arbitrer. Quin & mystici illi Commentarii, quos vocant *Midrashim*, (ut de Cabbalistarum nugis nihil dicam) ineptiis sæpe referti sunt: at Expositiones, quas appellant *Perushim*, ab insulsis istiusmodi commentis plerumque immunes esse apparet. Imo ex Hebræis sunt, qui præterquam quod ex Hebraicarum literarum peritia plurima tradant, quæ vix, ac ne vix quidem alibi reperiantur, adeo in Sacri textus sensu investigando, (Prophetias, quæ Christum spectant, semper excipio) & in difficultatibus, quæ occurrunt, explicandis, sanos, sobrios, acutos, ac diligentes sese exhibent, ut inter optimæ notæ Expositores non immerito numerentur. Ita sane de *Abenezra*, *R. Davide Kimchi*, & *Isaaco Abrabanele* me sentire profiteor; ut *R. Salomonem Jarchi* insuper habeam, cui tamen Lyra, (Commentator non contemnendus) quod ad Hebraica attinet, in quibus præcipua ejus laus consistit, pene omnia debet; quique etiamsi nimirum sæpe ineptiat, ob multa tamen, quæ habet, utilia, magni merito est æstimandus. Abrabanelis in Exodum (ut & in reliquos Mosis libros) Commentationes non nisi ante paucas hebdomadas nactus sum; unde quæ ex illo notata sunt, in posterioribus Auditamentis ponere necesse habui. Librum istum vir Cl. D. Seldenus, alterum rei literariæ in gente nostra columen, pro summa sua humanitate mihi dono dedit; id quod hic grata mente recolo atque testor. Est autem *Abrabaneel* (seu, ut alii scribunt, *Abarbinel*, nonnulli etiam *Abravanel*) magni apud suos nominis, magni apud Christianos; etiamsi serius in horum manus venisse, vel saltem illis palam innotuisse videatur, cum apud Fagium & Mercerum, viros in Hebræorum scriptis versatissimos, nulla usquam (quod sciam) ejus mentio fiat, sed nec in Gesneri Bibliotheca (prout à Simlero edita est) eum memoratum invenio. Qui ejus *Shaaloth*, ut appellat, seu Quæstiones, quas more suo ante singulas Sectiones proponit, probe animadverterit, næ is virum diligentissimum pariter ac perspicacissimum fuisse facile deprehendet. Circa annum à Servatoris nostri nativitate, millesimum & quingentesimum floruit. *David Ganz* in Chronologia sua refert eum obiisse anno à Creatione 5269. id est, anno Domini nostri 1509. At ipse *Abrabaneel* in fine Commentarii in † Genesin dicit se eum absolvisse [illegible] *anno quinquies millesimo ducentesimo, octogesimo secundo*, id est, anno Domini 1522. Quemadmodum ista inter se conciliari possint nescio: ex diversa autem annorum supputatione, quam authores isti secuti sunt, ista inter eos repugnantia orta esse videtur. Sed ne diutius te (vir Reverendissime) detineam, si hæc quæ ad rem literariam, & S. Scripturarum intelligentiam pro virili mea promovendam, publici juris facio, limatissimo tuo judicio luce non indigna visa fuerint, non est quod vel imperitorum censuras, vel fastuosorum supercilia, vel invidorum denique obtrectationes multum morer. Deus Opt. Max. ad Nominis sui gloriam, & Ecclesiæ reique publicæ literariæ emolumentum te adhuc vivum, vegetumque conservet. Ita ex animo precatur

Reverentiæ tuæ

observantissimus

CHRISTOPHORUS CARTWRIGHTUS.

* *Lib. 2. Bibl. 5.* † *Post reliquos Mosis libros in Genesin scripsit, uti ex ipso apparet.*

Doctorum quorundam virorum de Rabbinis eorumque scriptis Testimonia.

Enimvero Judæos magistros sequebar, quorum est persæpe in Biblico contextu interpretando admiranda industria. Cunæus de Repub. Heb. lib. 3. cap. 3.

Homines enim Hebræi, egregia eruditione, sagacique ingenio, cum Sacri Codicis sensa patrio sermone evoluta nobis darent, multa fœliciter repererunt, quæ aliorum nunquam assecuta esset industria. Ibid. c. 5. & mox, *Hac enim parte* (nempe quatenus simplex verborum sententia explicatur) *soli Judæi, ingratiis omnium gentium, tenent quendam principatum.*

Ego ita sentio, Judæos qui leget cum judicio, leget non sine fructu. Drusius ad difficilia loca Gen. cap. 81.

Ita est: Ebræos qui cum judicio leget, leget non sine fructu. Nam quod quidam scribit, οὐδὲν ὑγιὲς in illis esse, præstabo hominem illum aut nunquam legisse scripta eorum, aut si legit, non intellexisse. Drus. Observat. lib. 2. cap. 22.

Cur mendaces appellent Rabbinos, nescio. Non facerent, scio, si eos legissent. Plura illis debemus, nos præsertim, qui accuratum istud interpretandi genus sectamur, quam quisquam existimet. Ibidem lib. 15. cap. 6.

Non omnia Rabbinorum, ô bone, est delirare: aut si adeo, breve est, & paucarum linearum delirium. Simeon de Muis in Censura pag. 176.

Non puto quenquam esse, qui aliquatenus scripta Rabbinica legere possit, qui ea in locis obscurioribus non consulat, &

Digitized by Google

& id quidem non in cassum, & sine fructu. Sunt enim homines illi in Scriptura S. lectione exercitatissimi, atque ex ea, & diligenti locorum similium collatione, significationis vocum, & phraseon plerumque sunt peritissimi, ut eorum expositionibus non parum juvari possit Christianus in genuino Scripturæ sensu literali percipiendo. Quis nisi imperitus, id neget? Lud. Cappellus Defens. Crit. Sect. 42.

Ita enim interpretandum esse illum locum monet Salomon Jarchi, & esse Rabbinorum sententiam ex præstantissimi Interpretis, Davidis Kimchi testimonio manifestum est. Rainold. de Apocryph. Prælect. 53.

Rabbi David Kimchi Doctorum Hebræorum peritissimus, saltem post Abenezram, &c. Ibid. Prælect. 72.

Minus quidem hoc esset mirandum in R. Salomone Jarchi, homine tam nugaci. R. David Kimchi gravis est autor, doctior, prudentior. Ibid. Prælect. 77.

Sic verba ista accepit Abarbanel doctis suis in Exodum Commentariis, &c. Constantinus L'Empereur in Middoth, cap. 3. Sect. 4.

Abarbenelis sententiam adscribere non gravabor, eoque libentius, quo autorem istum omnibus commendatiorem reddam: quia ex ipso plura quam ex omnibus Hebræorum Doctoribus addisci possunt, quippe si quid in Sacris literis obscurius sit, feliciter (nisi cum contra veritatem Christianam cum suis obnititur) enarrante. Idem ibidem in cap. 5. Sect. 2.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATA AD GENESIN.

CAP. I.

MUNSTERUS.

1. *IN principio creavit Deus cœlum & terram*] Dicunt Hebræi, ante conditum mundum septem fuisse creata, nempe גן עדן ותורה וצדיקים וישראל וכסא הכבוד וירושלים ומשיח, i. *paradisum*, *legem*, *justos*, *Israël*, *solium majestatis*, *Jerusalem*, *& Messiam*. Id cùm manifestè sit contra Scripturam, exponit R. D. K. hanc Rabbinorum sententiam, quòd ad literam non sit intelligenda, sed quòd hæc septem finis fuerint principalis quare Deus creaverit mundum: quasi verò Deus non omnia propter semetipsum fecerit, ut sit ipse & causa effectiva atque finalis. Variant alii parùm ab his qui hujus sunt sententiæ, scribuntque de primò creatis in hunc modum, שבעה דברים נבראו קודם בריאת העולם תורה וגן עדן וגהינם ושמו של משיח וכסא הכבוד ובית המקדש והתשובה : תורה דכתיב יי קנני ראשית דרכו. גן עדן דכתיב ויטע יי גן עדן מקדם. גהנם דכתיב כי ערוך מאתמול תפתה. כסא הכבוד דכתיב כסא כבוד מרום מראשון. התשובה דכתיב בטרם תחיל ילדה וגו׳ תשב אנוש עד דכא. Haud secus probant ex Scriptura, hoc est, non probant, quando dicunt decem res creatas in vespera sabbati inter luces, nempe, Iridem, Manna, Puteum petræ, Columnam nubis, Columnam ignis, Scripturam, Tabulas, Baculum Aaronis cum Floribus & Amygdalis ejus. Quidam magis delirantes adjiciunt Dæmones & Sepulcrum Mosis. Scribunt autem sic, עשרה דברים נבראו בערב שבת בין השמשות. הקשת והמן והבאר ועמוד הענן ועמוד האש והכתב והמכתב והלוחות ומקלו של אהרן ופרחיה ושקדיה ויש אומרים את המזיקין וקברו של משה רבי ע״ה. Mosi simplicissima sententia est, Omnia quæ sunt, esse creata à Deo, ac principio primi diei creatam esse rudem molem terræ & nebulæ seu aquæ, quibus per reliquum diei spatium infudit Deus lumen, & fecit apparere diem. Et quia omnia adhuc erant confusa & perturbata, vocatur cœlum nomine *aqua & abyssi*, quæ hic accipiuntur pro tenebroso illo & rudi corpore quod postea illuminatum & distinctum est verbo Dei. Hæc obscura ac alta abyssus, ceu densissima nebula, circumfudit terram seu lutum illud unde erat terra formanda. Cumque recepisset aliquam lucem, cœpit moveri; alioquin quomodo constituisset primum diem? Et sicut ex informi & rudi primo cœlo factum est cœlum ornatum, sic rudis illa lux primæ diei perfecta est, & transfit in splendorem solis.

Deus] Hebraicè אלהים, quod est plurale à singulari אלוה. Unde textus Hebraicus habet, *In principio creavit Dii cœlum & terram*; Sicut & infrà dicitur, *Faciemus hominem*, in plurali numero: & mox subditur in singulari, *Et creavit Deus hominem*. Insinuatur igitur ab exordio Scripturæ in Deo esse & pluralitatem & unitatem, quantumlibet Judæi id hic conentur frivolè refellere, dicentes, hunc loquendi modum esse פרוך הלשון *de proprietate linguæ*, nempe quòd minores plurali numero & reverentiæ causâ loqui soleant cum majoribus, & quòd majores de seipsis quoque loquantur perinde ac si multi essent.

2. *Informis*] Secundùm Hebræos תהו ובהו ferè unum & idem significant. Nam est *tohu*, quod neque formam habet neque figuram, sed in propinqua est dispositione ut illam recipiat: id quod Græci הױלי, i. ὕλην, vocant. Alii verò vocant חומר הראשון *materiam primam*. Et intelligitur per terram confusio quatuor elementorum, quam Moses Gerundensis vocat תבלול. Onkelos Chaldæus interpres sic vertit, *Et fuit squalida seu desolata atque vacua*. Primâ die fuit hæc prima materia creata, rudis scilicet massa cœli & terræ, cui postea addita est lux; Secundâ verò die creatum est firmamentum; Tertiâ die, terra cum fructibus suis; Quartâ, ornatus cœlorum, creatio scilicet solis & lunæ atque stellarum; Quintâ die, pisces maris, & volucres cœli; Sextâ die creata sunt animalia terræ, & conditus est homo quoque ipse. De his dedit nobis Deus generalem quandam notitiam, ut sciremus mundum conditum esse ex nihilo. Alia omnia in particularibus sunt obscura.

3. *Movebat se*] Hebræi verbum רחף exponunt pro נוד & נע. Chaldæus verò interpretatur נשב *flabat*. Idem enim est flare ventum & moveri ventum. Et est hic participium in Piel. Sed quomodo potuit flare ventus, cùm nondum esset ventus? Rectiùs ergò sentiunt, qui dicunt Spiritum sanctum incubasse confusis corporibus cœli & terræ, sicut gallina incubat ovis, ut illa calore suo calefaciat & animet.

6. *Firmamentum*] Sonat vox Hebræa רקיע non *firmamentum*, sed *extensionem*, juxta illud, *Extendit cælum sicut pellem*. Nam ex aquis & nebula fecit rem extensissimam & sphæras quasdam, quas æquè ut cœlum summum, quod primò creavit, שמים vocat. Hebræi tamen inferiorum cœlorum machinam vocant מרכבה. Et quod sequitur, *Aridam vocavit terram*, dicunt quidam Hebræi, *aridam* vocatam, quòd omni destitueretur fructu; terram verò ארץ ab רצה dici, quòd jugiter appetat ferre fructum.

11. *Germinet*] Hebraica vox תדשא propriè sonat, *Herbificet terra herbam virentem*. Est enim futurum Hiphil. Porrò דשא est herba tenera & quæ recens ex terra nascitur: עשב verò est herba grandiuscula, & quæ semini ferendo jam sit propinqua.

13. *Vespera*] Vocat Hebraismus vesperam ערב, i. *mixturam*, quòd tunc confusio quædam fiat figurarum, & res una ab alia, ut in clara die, tam facilè discerni nequeat, sicut & primordium lucis matutinæ vocat בקר ab inquirendo rerum differentiam.

14. *In stata tempora*] Significat מועד tempus statutum, & quod aliquid testatur. Nam est à verbo יעד. Hinc solennitates quædam legales, ut Pascha, Succoth, novilunia, & aliæ similes, vocantur מועדים. Hic verò per *moadim* intelliguntur ver, quod est tempus seminationis, messis, hyems & æstas. Et quod additur, solem factum in dominium diei, hoc intelligendum est de luce, quam administrat diei. Idem sentiendum de luna. Et quando dicitur, *luminare minus*, colligunt hinc Thalmudistæ absurdissimam opinionem, quam etiam doctissimo viro filio Sirach asscribunt, nempe lunam soli æqualem in luce creatam, sed propter ejus insolentiam minutam. Unde inquiunt, שמש וירח היו שוין בקומה ובתואר ועל שהלשינה הלבנה לשמש הורה יי במאורה והשפילו לשמש. De hac absurda opinione multa scripsi in Calendario Hebraico. Volui hoc & similia quædam alia attingere, ut videamus diaboli malitiam, qui tam absurda suggerit hominibus, maximè Christum negantibus.

20. *Reptificent*] Seu *scaturiant*. Utitur Hebraismus verbo & nomine ab una radice derivatis. Et est שרץ quasi שורץ רץ, i. *quod currit & semper movetur*. Comprehenduntur que aves quadrupedes inter reptilia. Aves verò bipedes vocantur עוף כנף *aves pennatæ* seu *alatæ*.

21. *Cetos magnos*] Est תנין draco: sed sunt dracones terrestres & marini. Marini sunt maximi pisces maris. Et scribitur hic plurale masc. absque Jod: unde Judæorum dementia argumentum sumpsit, Deum mox hanc speciem mutilasse, occisâ scilicet fœmellâ, quæ & salita reservatur justis in futuram vitam; nè si belluæ istæ per generationem multiplicatæ fuissent, totum mundum subvertissent. Vide Rabbi Sal.

25. Per בהמה intelliguntur species animalium quæ herbas comedunt, sive sint domestica sive sylvestria. Per *bestiam* verò *terræ* intelliguntur animalia quæ carnibus vescuntur, ut lupi, leones. Hæc Gerundensis. Et capiuntur nomina specierum plerunque in singulari pluraliter.

26. *Faciemus hominem*] Premit hic locus mirum in modum perfidos Judæos; & varia adferunt expositionum commenta. Nam sunt qui Deum cum Angelis dicunt habuisse sermonem. Alii asserunt Deum cum seipso locutum, more illorum qui summis funguntur officiis, qui plurali numero loquuntur de seipsis. Autor libri Nizahon miris sannis hic deridet Christum nostrum. Moses Gerundensis ait Deum locutum cum Terra, quòd scilicet

terra produceret corpus hominis, ipse verò daret spiritum; Et quod sequitur, *In imagine nostra*, referendum quoque sit ad Deum & ad terram. Sed mox sequitur quod Judæorum confundit errorem, *In imagine Dei creavit eum:* Non scribitur ibi, *In imagine terra fecit eum.* Quando verò subjicitur, *Crescite & multiplicamini*, hoc refertur ad corpus, de quo Hebræi sic scribunt, ששה דברים נאמרו בבני אדם שלשה כמלאכי השרת ושלשה כבהמה. מהלכין בקומה זקופה ומדברים בלשון הקדש ויש בהם דעת ובינה כמלאכי השרת. ושלשה כבהמה אוכלין ושותין ופרין ורבין כבהמה: *In tribus*, inquit, *conformatur homo angelis, in statura erecta, loquela sancta, & intelligentia. Animalibus verò similis est in edendo, bibendo, & multiplicando per generationem.*

FAGIUS.

1. *IN principio*] Vox Chaldaica בקדמין ambigua est ad tempus & ad ordinem. Unde & bifariam reddi potest; vel, *In principio*, hoc est, olim, cùm omnes res creatæ suum illud primum exordium sumerent. unde & Hebræi majores veteresque suos קדמונים *kadmonim* appellant: vel, *In primis creavit Deus*, &c. ut ordinem significet; q. d. Ante omnia, cùm nihil adhuc in rerum natura existeret, creavit Deus cœlum & terram.

2. *Desolata*] Quòd desolata fuerit adhuc clariùs dicit Paraphrasis Hierosolymitana, quæ habet, תהו מן בני אנשא וריקניא מכל בעיר i. *Et vacua erat hominibus & jumentis.*

Et spiritus à facie Dei &c.] Vox רוחא æquivoca est ad Spiritum sanctum, & ad ventum elementalem: unde in utrumque sensum etiam ab Hebræis exponitur. Thargum Hierosolymitanum videtur Spiritum sanctum intellexisse: legit enim, ורוחא דרחמין מן קדם ה' הוה מנשבא על אפי מיא i. *Et spiritus*, seu *ventus, misericordiarum*, sive *gratia, flabat super facies aquarum.* Onkelos omnino videtur ventum elementalem intellexisse: Unde addit, *Flabat super facies aquarum.* Dicitur autem à facie Dei flare, quòd, ut Hebræi inquiunt, in hoc peculiariter missus fuerit ut exsiccaret aquas, quò appareret terra: Alii; quòd ventus vehemens & tempestuosus fuerit. Quæ enim vehementia, magna & eximia sunt, appellatione *Dei* sæpe veniunt in sacris literis: unde sunt istiusmodi locutiones, *Cedri Dei*, *Montes Dei*, *Ninive civitas Dei*, &c.

5. *Dies primus*] Imitati sumus commentatorem Hebræum Aben Ezram, qui hunc locum ex Hebræo sic legit, היה ערב גם היה בקר של יום אחד i. *Fuit vespera, & fuit mane diei primi.*

6. *Sit expansum*] Vox Hebræa & Chaldaica רקיע *Rakia* non propriè *firmamentum*, ut ferè nostri interpretes vertunt, significat, sed magis *expansionem* sive *extensionem.* רקע *Raka* enim Hebræis *expandere*, *extendere*, *diducere* significat, vel ut aulæa, cortinæ, & tentoria extenduntur, vel ut lamina malleo extenuatur ac diducitur. Hinc cœli à nimia illa expansione quâ super universam terram porrecti sunt רקיע vocantur.

In medio aquarum] Hinc colligunt Hebræi tantam esse distantiam aquarum supercœlestium à firmamento quanta est terrestrium aquarum ad firmamentum: quod pro magno miraculo ducunt, quòd ita virtute Divinâ pendulæ sunt.

10. *Locum autem congregationis aquarum*] In Chaldæo ad literam est, *domum autem congregationis* &c. Per *domum* verò intelligit locum & alveum illum amplissimum & capacissimum, oceanum continentem. In Hebraismo enim & Chaldaismo vocabulum *domus* transfertur ad omnia loca & vasa in quibus aliquid continetur. Hinc sunt istæ locutiones, בית יד *domus manûs*, i. chirotheca; בית זרע *domus sementis*, i. ager; בית חץ *domus sagitta*, i. pharetra; בית כנישתא *domus congregationis*, i. ecclesia, &c.

11. *Gramen & herbam*] Licèt in Chaldaico sicut etiam in Hebraico textu non sit conjunctio copulativa *&*, tamen nos adjecimus, quòd ea non rarò in Hebraismo subaudiatur; ut Hab. 3. שמש ירח עמד זבלה, i. *Sol luna stetit in tabernaculo*, pro, *Sol & Luna*, &c. ita & in præsenti loco, *gramen herba*, pro, *gramen & herba.* Quidam legunt, *herbam virentem*, sicut habet & vetus Latina editio: verùm mihi videtur Scriptura hic non unam tantùm rem, sed duas distinctas res innuere. Et Hebræi inter דשא *Desche* & עשב *Escheb* (quæ vocabula hic ponuntur) sic distinguunt, ut *Desche* significet herbam teneriusculam, *Esscheb* verò grandiusculam, cùm ad justam jam succrevit magnitudinem, & seminifera est. *Desche* etiam generale esse dicunt nomen ad omnia gramina & herbas, *Esscheb* verò speciale nomen.

Cujus semen seminari possit] In Chaldæo ad verbum legitur, *Cujus filius seminis ejus seminari possit.* Intelligit autem per *filium* grana quæ in ipsis seminibus sunt. Et verbum מזדרע conjugationis est Hithpael reciprocæ significationis, unde etiam verti posset, *Cujus semen seipsum seminet*, ut intelligas eum maximè loqui de graminibus & herbis quæ suâ sponte crescunt & nascuntur.

Arborem quoque fructiferam, &c.] Ad literam est, *arborem fructuum:* Quod bifariam intelligi potest; vel quòd ejusmodi arbores terra proferre debeat quæ vim habeant proferendi fructus suo tempore, vel quòd tales arbores proferat quæ mox atque productæ sunt fructibus sint onustæ. In autumno enim mundum conditum esse quorundam Hebræorum tenet opinio.

20. *Movere faciant*] Chaldaicum verbum ירחשון non tam copiosam productionem quàm ipsam motationem significat, quæ, ubi viventium animantium magna copia & multitudo est, apparet. Latini vix habent vocabulum quod respondeat verbo Hebraico שרץ *scharaz*, vel Chaldaico רחש *rachasch.* Germani ferè exprimunt, cùm dicunt, Wimslen / gredlen / &c. quod dici solet de his quæ in magna copia proveniunt, seseque movent.

Juxta faciem expansi cœlorum] Ad literam est, *super faciem* &c. sed præpositio על pro *juxta*, *prope*, non raro etiam accipitur. Estque sensus, *sub cœlo in aere*, vel, *juxta*, i. proximè, *cœlum. Facies* enim *cœli* dicitur quæ se ad nos vertit, nobisque conspicua est.

21. *Dracones ingentes*] Vox Hebræa *Thaninim*, & Chaldaica *Thaninajah*, dracones & serpentes significat. Unde & in Exodo ponitur, ubi Moses commemoratur virgam in serpentem vel draconem mutavisse. Sunt autem duplices, terrestres & aquatiles. Qui in aquis degunt, ingentes pisces sunt, sic dicti quòd formam quandam draconum sive serpentum referant. Hæc Hebræi.

30. *Commodum*] Vox Chaldaica תקין *rectum*, *aptum*, *conveniens*, *pulchrum*, *elegans* & *commodum* significat.

IDEM.

1. בְּרֵאשִׁית *In principio*] Variant Hebræorum commentatores in exponenda hac voce; verùm sententia R. D. K. mihi præ aliis probatur, qui in libro Radicum simpliciter ad hunc modum exponit; בראשית ברא אלהים פירוש בתחלה ברא אלהים השמים ואת הארץ ואח"כ התולדות ואח"כ ספר כי בתחלת בריאת הארץ היתה תהו ובהו, i. *In principio creavit Deus*, &c. Hoc est, *In principio creavit Deus cœlum & terram, & dein ea quæ ex illis prodierunt. Post quæ narrat (Moses) quòd in principio creationis terra fuerit inanis & vacua.* Hactenus ille. Ex quo vides R. D. K. in ea esse sententia, quòd ordo rerum creatarum (quod quidam tamen nolunt) à Mose hic indicetur; Nempe, quòd primum omnium Deus creavit cœlum & terram, ac dein ea quæ ex illis tanquam ex præjacente materia producta fuere; Quæ autem fuerit prima terræ facies & conditio, hoc ipsum à Mose in secundo versu significari, cùm dicit, *Terra autem erat inanis & vacua.* Non dubium est, Mosem studio hanc vocem בראשית & non aliam æquipollentem usurpasse, quòd ea ad mysteria magis sit accommoda. Unde & Scriptura postea in aliis locis, ubi de conditione rerum creatarum mentionem facit, ad eam respicit. Ut, Salomo Prov. 8. loquens de æterna ac mirifica Dei Sapientia, quæ illi ab æterno adfuit, quæque in condendis creaturis præstò fuit, יהוה קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז מעולם נסכתי מראש מקדמי ארץ: i. *Dominus possedit me in initio viæ suæ, ante opera sua ab antiquo. Ab olim constituta sum & ab initio, ante primordia terra*, &c. Est ראשית nomen abstractum à primitivo ראש, quod *caput* significat, unde ראשית non simplex initium sive principium significat, sed primum illud capitale & admirandum omnium rerum initium, quo ex nihilo aliquid esse potentiâ Dei cœperunt. Cùm ergò Moses de principali illo omnium rerum creatarum exordio loqui voluit, appositè, in loco, & non sine magna emphasi usus est vocabulo ראשית.

בָּרָא *Creavit*] *Creandi* vocabulum Scriptura bifariam usurpat. Primò, significat aliquid ex nihilo creare, quod Hebræi vocant להוציא יש מאין: Secundò, ubi non ex puro nihilo, sed ex præjacente materia, novum aliquid, eximium, egregium, præclarum, magnificum, singulari Dei virtute & potentiâ factum, in lucem profertur; simul atque ejus rei magnitudo ac præstantia indicatur. In prima significatione omnes Hebræi scriptores in præsenti loco exponunt, præsertim R. Nachmanni, qui in suo commentario super Genesim sic scribit, אין אצלנו בלשון הקדש בהוצאת היש מן האין אלא לשון ברא: i. *Non exstat apud nos in lingua sancta (vocabulum) quo productionem alicujus ex nihilo significamus, nisi* ברא. Item R. D. K. in libro Radicum, כל לשון בריאה הוא התחדש הדבר והוצאו מאין ליש: i. *Omnis interpretatio creationis est innovatio rei, & egressio ejus à non esse ad esse.* Statuunt porrò Hebræi differentiam inter ברא, יצר & עשה, *creavit*, *formavit*, & *fecit. Creare*, dicunt, est ex nihilo aliquid facere; *Formare*, enti creato figuram inducere; *Facere*, membra singula ordinare. Atqui hæc tria verba discriminatim ponuntur in isto loco Esaiæ, כל הנקרא בשמי ולכבודי בראתיו יצרתיו אף עשיתיו:

עשיתיו i. *Omnis qui vocatur in nomine meo, hunc ego pro gloria mea creavi eum, formavi eum, atque feci eum.* Quem locum R. D. K. in Radicibus suis sic explicat, תחלה בראתיו הוצאתיו מאין ליש ואחר כי יצרתיו שהעמדתיו על תכונת הצורה ואחר כך עשיתיו שפירושו תקנתיו כי לשון עשיה הוא תיקון הדבר והשלמתו לפיכך אמר אף עשיתיו; i. *Primùm creavi eum, (hoc est) produxi eum de nihilo ad esse; Dein formavi eum, eò quod feci eum exsistere dispositione formæ; Postremò feci eum, hoc est, disposui seu ordinavi eum. Nam vocabulum* עשיה *dispositionem rei, & perfectionem ejus significat: ideo dicit, Etiam feci eum.* In secunda significatione accipitur infrà, ubi Moses dicit, ויברא אלהים את התנינים *Et creavit Deus cetos magnos*, &c. Item, ויברא אלהים את האדם *Et creavit Deus hominem in imagine sua*, &c. Nam constat, cetos marinos incredibili esse magnitudine. Et inter omnes creaturas excellit homo ratione, intellectu, animâ rationali, & quòd ad imaginem similitudinemque Dei factus est.

אלהים *Deus*] Plurale est à singulari אלוה, quod quia multitudinis numero in divinis literis Deo uni tribuitur, nostri hinc colligunt Trinitatis mysterium. Trinitatem enim Personarum in Divinis nomine *Elohim*, unitatem verò substantiæ ex adjuncto verbo singulari innui adserunt. Nam ubicunque in sacris veteris instrumenti literis unius Dei essentia insinuatur, semper ferè ibidem & trium Personarum pluralitas innuitur; & è contrà, quocunque in loco Personarum trinitas exprimitur, semper penè eodem quoque in loco & Divinæ substantiæ unitas explicatur; nè aut propter singularis Dei unitatem Personarum trinitas à Divina natura excludatur, aut propter Personarum trinitatem plures Dii esse credantur; sed sic in altero tres ipsæ Divinæ hypostases absque confusione ab invicem distinctæ credantur, ut in altero ipsius Dei unitas omnino salvetur. Cæterùm Judæi dicunt, *Elohim* plurali numero de Deo dici, על דרך הכבוד i. *honoris causâ*, idque כלשון בני אדם i. *humano more*, quo principes, reges, & magnates vel de seipsis, propter eminentiam quâ cæteris præstant, pluraliter loquuntur, vel ab inferioribus multitudinis numero compellantur. Pro qua sententia confirmanda citant hos Scripturæ locos; Gen. 42. filii Jacob de fratre suo Joseph sic loquuntur, דבר האיש אדני הארץ i. *Locutus est vir ille dominus terræ*, &c. Et iterum, ויאמר אלינו האיש אדני הארץ i. *Et dixit ad nos vir ille qui est Dominus terræ*, &c. ubi אדני pluralis numeri constructivi est, & juxta Grammaticam sonat *domini*. Item Esai. 19. וסכרתי את מצרים ביד אדנים קשה i. *Et tradam Ægyptios in manum Domini duri*. ubi אדנים pluralis numeri est, & significat *dominorum*. Ad hunc modum volunt & אלהים de Deo dici. Aben Ezra putat Deum אלהים dici propter angelos, qui & ipsi in divinis literis veniunt appellatione אלהים, eò quòd Deus illorum ministerio opera sua exsequatur. Ad quem modum sentit & verba *labium* vocari, quòd per illud tanquam instrumento verbum hominis perficitur; similiter animam *cor* dici, non quòd sit res corporea, sed quòd corde tanquam præcipuo vehiculo anima utatur. Mihi certè non improbatur Nachmanni sententia, qui אלהים quasi אל הם, i. *robur eorum*, scilicet creaturarum, denominari arbitratur; eò quòd sit, ut ille inquit, כח הכחות *virtus virtutum*, i. suprema illa vis unde suam vim & substantiam habet quicquid est uspiam in rerum natura. Est enim, ut & Aben Ezra monet, אלהים non Dei nomen substantivum, quo illius Divina substantia propriè indicatur, sed potiùs nomen formale, quo potentia ejus infinita significatur. Nam ab אל, quod *robur* & *fortitudinem* significat, אלהים originem ducit. Quæstionem movent Hebræi, cur Moses אלהים potiùs quàm sacro nomine tetragrammato יהוה uti voluerit. Ad quæ ego respondeo, Mosem in hoc loco usum esse אלהים, quo vocabulo ineffabilis Dei potentia, quâ cuncta ex nihilo tam mirabiliter produxit, significatur. Hoc enim in usu habet Scriptura, ut ponat vocabulum אלהים ubi singularis Dei potentiæ & virtutis se in aliqua re exserentis mentionem facit; ut fit in præsenti loco. Quis enim non videt mirabilem Dei potentiam relucere in tam mirifica mundi machina & dispositione? Est quoque & hoc ratum apud Hebræorum sapientes, præsertim Cabalistas, sacro Dei nomine יהוה misericordiam Dei (quam מדת הרחמים vocant) in divinis literis significari, אלהים verò judicium ejus, quo sontes plectit, & insontes defendit; quod illi מדת הדין nominant.

אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ *Cœlum & terram*] Vocula את apud Hebr. non tantùm est simplex casuum nota, sed quæ simul & ipsissimam rei substantiam demonstrat atque significat. Id quod sapiens R. A. E. his verbis enuntiat, טעם את כמו עצם הדבר והוא כמין עצם המעשה i. *Sensus (dictiunculæ)* את *est, quod substantiam rei significat, simul atque opus operatum demonstrat.* Idem sentit R. D. K. post illum, in Radicibus suis sic inquiens, המלה הזאת תורה על עצם הדבר הנפעל i. *Dictio hæc* (scilicet את) *substantiam rei factæ significat.* quasi dicat Moses, In principio creavit Deus cœlestem & terrestem substantiam, hoc est, tale quiddam ex quo postea cœlum & terra, ut modò exsistunt, facta sunt. Et veteres Rabbini, cujus & R. Nachmanni meminit, את ab אתה, i. *veniendo*, deducunt. Et volunt eo non tantùm & simpliciter unam rem aliquam, ejusdemque nudam substantiam, sed plures, omniaque quæ ad ejus rei absolutam perfectamque integritatem pertinent & requiruntur, insinuari. Unde dicunt appellatione *cœli & terræ*, propter adjectam particulam את, omnes cœlestes ac terrestres creaturas venire; puta solem, lunam, stellas, arbores, herbas, animantia, & si quæ sunt alia. Porrò *He*, quod præservit voci השמים & הארץ, est *He* emphaticum & demonstrativum, quod Hebræ vocant *He* הידיעה, i. *He notificationis*, seu *demonstrationis*. Loquitur enim Moses de hoc ipso visibili cœlo quod supra nos est, deque terra quam subtus nos pedibus calcamus: id quod & Aben Ezra annotavit. Cæterùm שמים vox est composita ex שם & מים, quòd ibi sunt aquæ; vel, ut sentit R. Nachmanni, ex ש & מים, quia sunt aqua; vel ex נשא & מים, i. *sustine aquas*, quòd cœlum aquas sustinet; vel ex אש & מים, quòd scilicet ibi est ignis & aqua, vel quòd Deus ignem & aquam commiscendo, ex utroque elemento cœlum confecerit. Annotavit & Aben Ezra שמים *altum & supra* significare, idque probat ex lingua Ismaëlitica, quæ multum habet affinitatis cum lingua Hebræa. Hinc nimirum est, quòd & in sacris literis *cœlum* metaphoricè pro re longinqua, remotaque aëris summitate accipitur: qua de re, si lubet, consule R. D. K. in Radicibus suis. Habent Hebræi præter הארץ & alia vocabula quibus terram nuncupant, nempe אדמה & תבל; sed ארץ inter ea generalius est; complectitur enim totum terrarum orbem, cùm habitabilem, tum eum qui non est habitabilis. Atque ארץ deductum volunt à verbo רוץ, quod *currere* significat, propter sphæricum illud corpus supernum, quod terram perpetuo cursu jugiter ambit. Alii derivant a verbo רצה, i. *voluit, concupivit*, eò quòd terra jugiter appetat afferre fructum. Disputant circa hunc versum cùm nostri, tum Judæorum interpretes, utrum prius factum sit, an cœlum an terra. Et sunt quidam inter nostros qui sentiunt cœlum ante terram exstitisse, eò quòd priùs cœli quam terræ hic mentio fit. In qua sententia est & D. Chrysostomus, qui homiliâ primâ in Genesim sic scribit, *Attende nunc quando ex ipso opificii modo Divinæ naturæ dignitas enitescat. Nam Deus, contra humanum morem suum perficiens ædificium, priùs cœlum extendit, postea & terram substernit; priùs culmen, & postea fundamentum*, &c. Hæc ille. Sed infirmiusculum videtur hoc argumentum, velle ex ordine vocum *cœli & terræ* hoc ipsum inferre, cùm simili argumentatione dici potest, terram ante cœlum exstitisse, eò quòd Moses infrà cap. 2. ubi summatim opus creationis perstringit, priùs terræ quam cœli mentionem facit, cùm dicit, אלה תולדות השמים והארץ בהבראם ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים i. *Ista sunt generationes cœlorum & terræ, cùm crearentur; in die cùm faceret Dominus Deus terram & cœlum.* Tu itaque, quisquis es linguæ Hebraicæ studiosus, diligenter nota, hanc esse linguæ sanctæ in divinis literis proprietatem, ut si quando duorum vel plurium simul mentionem facit, posteriori loco ponat id quod primùm explicare statuit. Id quod Hebræi Hebraicè sic loquuntur, משפט לשון הקדש באשר יזכיר דברים יחיל לעולם בהשני שהוא קרוב: i. *Mos est linguæ sanctæ, cùm commemorat duas res, semper incipit à secunda, quæ proxima est*, scilicet ad sequentem contextum. Idem fit & in præsenti loco, ubi cœlum præponitur, & terra postponitur, quòd nimirum à terra sequentem historiam texere statuerit, indicando videlicet illius naturam & ingenium, qualis illa à principio conditionis fuerit. Hanc linguæ Hebraicæ phrasin si probè noveris, facilè solves multos Scripturæ nodos; Qualis & iste est apud Evangelistam, Matth. 1. qui in describenda genealogia Christi Davidem Abrahamo præponit, cùm tamen Abraham illo tempore prior fuerit: Quod ut explicarent quidam, hoc factum esse dicunt propter manifestiores promissiones ipsi Davidi factas; Alii, propter regiam dignitatem. Sed tu scias schema esse Hebraicum, quo Evangelista ab Abraham prosapiam Christi commodè exorsurus, illum Davidi regi postponit. R. Nachmanni ordinem conditionis sic tenet; Nempe cœlum & terram, quorum appellatione veniunt & quatuor elementa, primùm omnium ex mero & puro nihilo facta fuisse, eaque primùm tenuissima quædam materia impalpabilis, (quam Græci, ὕλην, Hebræi תהו nominant) diversæ tamen naturæ, ita ut cœlum cœlestis, terra terrestris fuerit, atque ex illis postea, tanquam ex præjacente materia, omnia condita fuisse.

2. תֹהוּ וָבֹהוּ *Inanis & vacua*] R. S. תהו à תוהה, quod *admirari & stupere* significat, deducit; בהו verò per *vacuitatem, inanitatem & vastitatem* exponit; q. d. Terra erat res quædam stupenda, idque propter vastitatem & vacuitatem. Horrore enim animi percelluntur, qui vasta & deserta loca subeunt. Onkelus

Chal-

Chaldæus *Thohu & Bohu* reddidit per צדיא וריקניא i. *desolata & vacua.* R. D. K. in Radicibus suis, de virtute vocabulorum תהו & בהו sic scribit, תהו ובהו ענין שממון וריקות והוא תבורת הוא לכד הנעלי: ואמרו חכמי המחקר כי תהו הוא הדבר שאין לו דמות וצורה והוא מוכן ומעותד לקבל כל דמות וכל צורה וקורין לו בלשון יוני היולי ובהו הוא הצורה והוא הדבר שיש לו כח תמורה להלביש את היולי דמות והצורה וההתחברם ברצון האל היתה בריאת העולם: i. *Thohu & Bohu desolationem & vacuitatem significant. Et sapientes, qui scrutantur rerum naturas, dixerunt, Thohu est res cui non est similitudo ac figura, sic tamen disposita & præparata ut quamvis recipere possit similitudinem & formam; ad quod Græci ὕλην vocant: Cæterum Bohu est ipsa forma, hoc est, res cui inest vis & potentia ipsum Thohu induendi similitudine & forma: Ex quibus Divina voluntate conjunctis mundi creatio exstitit.* Hactenus ille. Similia ferè scribit & Nachmanni, nisi quòd ex בהו facit dictionem compositam בו הוא, q. d. *in eo est aliquid:* dicit enim formam seu figuram quam induit materia prima, in lingua sancta בהו vocari. Thargum Hierosolymitanum hunc versum sic transtulit, וארעא הות תהיא ובהיא וצדיא מן בני אנשא וריקניא מכל בעיר i. *Et terra erat inanis & vacua, vasta scilicet à filiis hominum, & vacua ab omni jumento.* hoc est, Nulli adhuc erant homines, nullaque animantia, quæ terram incolerent. Causa mox subjicitur ab ipso Mose; *Et tenebræ erant super faciem abyssi,* i. terra nondum habitabilis & composita erat ad inhabitandum; sicut & Septuaginta expresserunt, *At terra erat invisibilis & incomposita;* idque propter immensitatem aquarum, quæ undique terram occupabant, quam Moses תהום. i. *abyssum,* vocat. His consentit & Aben Ezra, qui sic scribit, הטעם כי בתחלת בריאת הרקיע והיבשה לא היה בארץ ישוב כי היתה מכוסה וכן שם אלהים כח תולדותה להיות למכסה המים: i. *In principio creationis cæli & terra nondum erat in terra locus habitabilis, quòd esset cooperta (aquis.) Talem enim illi Deus naturæ indolem indiderat ut sub aquis esset.* R. Salomon per תהום simpliciter aquas intelligit: sic enim scribit in suo Perusch. *Tenebræ erant super faciem aquarum, quæ erant super terram.* R. D. K. in Radicibus dicit, cùm ipsum locum ubi multitudo aquarum continetur, tum ipsam aquarum multitudinem, תהום vocari: Sunt enim hæc ipsius verba, תהום הוא מקום המים הרבים ורבוי המים בכלל הוא שיקרא תהום. R. Nachmanni תהום exponit *aquas pulverulentas* sive *pulvere mixtas:* sentit enim aquas turbidas fuisse, quòd adhuc pulvere seu luto terræ permixtæ erant. Erat enim adhuc confusio quædam elementorum, quam & ipse הבלבול vocat.

וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם *Et Spiritus Dei ferebatur super facies aquarum*] Diversa hic est lectio apud Hebræos, propter ambiguitatem vocis רוח, quæ & *ventum* & *spiritum* significat. Plerique Hebræorum per רוח ventum elementalem intelligunt, quem ob vehementiam quâ ingentem illam aquarum molem ultro citroque exagitarit, quodque in eum usum à Deo missus fuerit, רוח אלהים *ventum* seu *spiritum Dei* dici asserunt. Cui sententiæ accedit & Onkelus Chaldæus cum sua paraphrasi, ורוחא מן קדם יי מנשבא על אפי מיא i. *Ventus, seu spiritus, à præsentia, sive à conspectu, Domini flabat super facies aquarum.* Certum est, ea quæ eximia & magnifica sunt, in divinis literis venire appellatione *Dei.* Hinc sunt istiusmodi locutiones: *Montes Dei,* ob altitudinem; *Cedrus Dei,* ob proceritatem; *Ninive civitas Dei,* ob magnitudinem. Quod R. D. K. circa radicem אל Hebraicè sic tradit, כל דבר שרוצה להגדילו סמך אותו אל השם כמו כהררי אל: עיר גדולה לאלהים: ותהי לחרדת אלהים: נפתולי אלהים גבור ציד לפני יהוה: i. *Quamcunque rem (Scriptura) vult amplificare, eam conjungit cum nomine* DEI: *ut, Sicut montes Dei; Civitas magna Dei; Fuitque terror Dei; Luctationibus Dei; Robustus venator coram Domino.* Similem ob causam volunt *ventum* seu *spiritum Dei* dici. Rabbi Nehemanides רוח aërem exponit, quem sentit jungi cum nomine *Elohim* propter subtilitatem, quâ cæteris elementis omnibus sit superior. Namque quòd supra aquas & proximè eas fertur, dicit non ex natura venti esse, sed ex verbo Dei præcipiente. Alii per רוח אלהים *Spiritum Dei* intelligunt consilium, deliberationem, mentem, & voluntatem, qua se ad disponendam adornandamque rudem indigestamque illam cœli terræque molem Divinum numen accinxit. Quam sententiam sequitur author Fasciculi myrrhæ, sic inquiens, ורוח אלהים מרחפת על פני המים זהו רצונו: i. *Et Spiritus Dei ferebatur super facies aquarum, hoc est, voluntas ejus.* Idem sequitur & Thargum Hierosolymitanum, qui hunc locum sic reddidit, ורוחא דרחמין מן קדם יהוה מנשבא על אפי מיא: i. *Et Spiritus misericordiarum à conspectu Domini flabat super facies aquarum.* Quam lectionem si sequi malis, juvabit te verbum מרחפת, quod non simpliciter motionem, agitationem & superlationem significat, sed ejusmodi, quam milvus, aut alia avis, peragit, pendens in aëre, cùm fœturam descendendo cupis prædæ incumbere, ut scribit Capnio (piæ memoriæ) in Rudimentis suis; Vel qualem columba perficit, cùm ovis ad excludendum pullos incubat; ut annotavit Rabbi Selomo; Vel qualem aquila facit, dum ad volandum pullos suos provocat; ut de ejus natura loquendo, S. Scriptura idem verbum usurpat Deut. 32. כנשר יעיר קנו על גוזליו ירחף יפרש כנפיו יקחהו ישאהו על אברתו: i. *Sicut aquila excitans nidum suum, & super pullos suos volitans, expandensque alas suas, tollit illos, & portat eos in alis suis,* &c. In hac ergo significatione si accipias verbum מרחפת, pulchrè significabit vim illam Dei fotricem, ex ruditate omnia formantis: Sin verò pro simplici venti commotione, sensus erit, Vehementem ventum flatu suo immensam illam aquarum abyssum ultro citroque, ut etiamnum fit in magna tempestate, exagitasse.

4. וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים בֵּין הָאוֹר *Et divisit Deus inter lucem*] Verbum Hebraicum הבדיל separationem & distinctionem rerum alioquin conjunctarum significat. Erat autem conjunctio lucis & tenebrarum, quòd primùm adhuc confusa quodammodo ac permixta erant: Tenebræ enim omnia caligine replebant; Lux verò quantum poterat illas dispellebat, non aliter atque si densissima in nocte ac caligine lumen accendas. Ut igitur unumquodque suam vim potentiùs sine impedimento & obstaculo alterius exsereret, separavit alterum ab altero, cuique suam regionem, metam, tempus ac terminum præscribens; luci scilicet diem, tenebris noctem constituens.

5. וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר יוֹם *Et vocavit Deus lucem Diem, &c.*] יום hic solis cursum, quem interdiu terrarum orbem ab ortu ad occasum usque illustrando conficit, significat; Quod spatium nostri *diem artificalem* appellant. Complectitur tamen & יום aliquando noctem cum die, hoc est, spatium illud viginti quatuor horarum, quo revolutio primi mobilis absolvitur; Quod nostri *diem naturalem* vocant; Quo significatu & hoc in loco quoque accipitur, cùm dicitur, *Et fuit vespera & fuit mane dies primus.* Hæc ex Radicibus R. D. K.

וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד *Et fuit vespera & fuit mane dies unus*] Annotavit R. A. E. ערב, i. *vespera,* à verbo ערב, quod *permiscere* significat, derivatum esse; quòd tum scilicet rerum formæ permiscentur & confunduntur; בקר verò, quod ejus contrarium est, à בקר i. *noscitando,* deductum esse; quòd tum rerum formæ se iterum aperiunt, & quasi explanantur. Eadem scribit Nehemanides, similiter & R. D. K. in Radicibus suis, נקרא העת אחר ביאת השמש ערב מפני שהוא עת החשך ויתערבו הדברים שלא יכיר אדם ולא יפריד בין דבר לדבר ולפי שהערב יחלק הלילה מן היום נקראת הלילה ערב: i. *Vocatur tempus post occasum solis ערב vespera, eo quòd est tempus tenebrarum, quo res permiscentur, ita ut non possit eas homo planè dignoscere, neque unam ab alia discernere. Et quia vespera dividit noctem à die, ob id & nox vespera vocatur.* De vocabulo בקר idem sic scribit, מן הענין הזה נקרא בקר כי בבקר יתבקר כל דבר לאור היום והפכו הערב שיתערבו כל הדברים ולא יכירם אדם: i. *Ab isto significato* (puta בקר quod *inquirere* & *explorare* significat) *vocatur* בקר. i. *mane. Mane enim inquiritur omnis res ad lucem Dei. Ejus contrarium est ערב vespera, sic dicta, quòd tum res confunduntur, ut eas homo non possit agnoscere.*

יוֹם אֶחָד *Dies unus*] Dicendum erat juxta grammaticam יום ראשון i. *dies primus.* Habent ergò varias hic Hebræi opiniones & cogitationes; Verùm omnium simplicissima est Nehemanidis sententia, qui dicit *unum,* & non *primum* (quod ordinem notat) meritò dici debuisse, cum nondum secundus dies exstiterit, cujus respectu dicatur primus. Potest etiam dici, numerum cardinalem pro ordinali positum esse. quod non rarò fit in divinis literis.

6. יְהִי רָקִיעַ *Sit firmamentum*] רקיע Hebræis, teste Aben Azra, est דבר נמתח i. res *extensa* sive *expansa,* Germanicè ein ausspreitung; ita vulgò Judæi exponunt. Est enim nomen deductum à verbo רקע, quod *extendere, expandere, ampliare,* & *attenuare* significat, vel eo modo quo aulæa expanduntur, vel quo argentum malleo diducitur & attenuatur. Ad vim & naturam istius vocabuli Scriptura in multis locis alludit, ut Psal. 104. נוטה שמים כיריעה, id est, *extendens cælum velut cortinam.* Esa. 40. הנוטה כדק שמים וימתחם כאהל לשבת, i. *Ipse extendit velut pellem cælum, & expandit illud sicut tabernaculum, ut inhabitetur.* Cœlum igitur Hebræis ab extensione רקיע, & quòd aquea quædam materia est, שמים dicitur.

בְּתוֹךְ הַמָּיִם *In medio aquarum*] תוך Hebr. aliquando *in* vel *intra,* aliquando verò medium alicujus rei significat: qua in significatione Onkelus Chaldæus reddit, במציעות מיא: i. *in medio aquarum.* Ex hoc loco colligunt Hebræi aquas cœlestes, quas supra firmamentum esse asserunt, quas etiam æquali distantiâ à firmamento cum aquis terrestribus abesse dicunt, easque non sine magno miraculo, virtute Divinâ, in sublimi suspensas ac pendulas esse. Idem quoque colligunt ex eo quod dicitur, ויהי מבדיל בין מים למים

ויבדל לכים i. *Et faciat distinctionem inter aquas & aquas.* Item, ויבדל בין המים אשר מתחת לרקיע ובין המים אשר מעל לרקיע i. *Distinxitque inter aquas quæ erant sub firmamento & inter aquas quæ erant supra firmamentum.* Ubi R. Salomo observavit, dici מעל i. *desuper* vel *supra*, & non על i. *super*: Unde iterum argumentatur, aquas supra firmamentum esse, easque illud non contingere, sed virtute verbi Divini pendulas esse, ideoque dici מעל & non על. Videtur ergò R. Salomo ejusmodi discrimen statuere inter על & מעל quale est apud Latinos inter *super* & *supra*, quorum illud loci cum locato contiguitatem, hoc verò distantiam rei ad rem significat.

וִיהִי מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם *Et faciat distinctionem inter aquas ad aquas*] Annotavit Aben Ezra, discrimen rerum naturâ differentium significari voculâ בין quando sequitur Lamed, ut hic, בין מים למים, vel quando duo בין se invicem sequuntur, hoc modo, בין ובין, ut etiam hic fit, ויבדל בין המים אשר מתחת לרקיע ובין המים אשר מעל לרקיע, vel hoc modo, ביניכם לבין אלהיכם i. *Inter vos & inter Deum vestrum.* Unde dicit aliam naturam, vim & indolem aquas illas cœlestes quàm terrestres habere.

7. וַיְהִי כֵן *Et factum est ita*] Non tam simplex rei existentia quàm soliditas, firmitas, atque perpetua ejus duratio & subsistentia hâc locutione exprimitur. Nam vocula כן a verbo כון, quod *firmare & stabilire* significat, originem habet. Unde ויהי כן perinde valet q. d. *Et factum est firmum, solidum, stabile, & perpetuo sic durabile.* Quibus enim rebus creatis ac productis hæc clausula additur, ea, juxta Hebræorum sententiam, sic ut primum omnium conditæ fuerunt, sine alteratione & corruptione ad consummationem usque seculi durare debuerunt. Id quod Nachmanni Hebraicè sic tradit, למה הוסיף ויהי כן אבל הוא לאמר שיהיה כן תמיד כל ימי עולם i. *Cur additum est*, ET FACTUM EST ITA? *Ad innuendum scilicet, quod sic durare debeat omnibus diebus seculi.* Hinc dicunt Hebræi, hanc clausulam suprà ubi de creatione lucis mentio fit, à Mose non adjici: Non enim dicit, ויהי כן *& factum est ita*; sed, ויהי אור i. *& facta est lux*, ob alterationem scilicet circa lucem factam propter expansum firmamentum, quo mundum iterum obscuratum fuisse sentiunt, sic ut necesse fuerit lucida corpora in eo collocare, puta solem, lunam & stellas, per quæ lux illa prima radios suos ad illustrandum inferiora illa mundi diffunderet.

9. יִקָּווּ הַמַּיִם *Congregentur*] Aben Ezra exponit per יתחברו, i. *consocientur*. Disjectæ enim erant aquæ super faciem universæ terræ; unde collegit eas in unum locum, qui dicitur oceanus, hoc est mare magnum. Veteres Hebræi hoc verbum à nomine קו, quod *regulam, amussim & perpendiculum* significat, deducunt; quasi dicat Deus, *congregentur aquæ ad unum certum locum, tanquam ad amussim & regulam*: ut fit in exstruendis ædificiis, ubi omnia, quò arctiùs & firmiùs consistant, ad mensurarum directoria coæquantur. Videtur ergò Moses non sine magna emphasi hoc verbum usurpasse, nimirum ad exprimendam infinitam verbi Dei potentiam, quâ fluxum & vagum illud elementum totam superficiem terræ occupans, tanquam ad amussim & perpendiculum, in unum locum coëgerit. Huc Scriptura alludit in multis locis, præsertim in istis; Job. 26.: חק חג על פני מים עד תכלית אור עם חשך, i. *Statuit limitem per circuitum superficiei aquarum, usque consummationem lucis & tenebrarum.* Psal. 104. גבול שמת בל יעברון בל ישובון לכסות הארץ: i. *Terminum posuisti, quem non præteribunt, nec revertentur ut operiant terram.* Psalm. 33. כונס כנד מי הים נותן באוצרות תהומות i. *Ipse congregat, quasi in cumulum, aquas maris, & ponit velut in thesauris abyssos.* Annotat Nachmanni aquas primùm pulverulentas & turbidas fuisse, ideoque תהום dictas fuisse; Cæterùm Dei jussu factum, ut contra sui naturam in unum locum secesserint, quò appareret arida; Non enim ex natura terræ esse (cùm ponderosa sit) quòd supra aquas emineat, sed ex virtute verbi Divini, quâ vel tantillùm cessante, ilicet aquæ totam terram inundando cuncta rursum depopularentur; sicut dicit Job cap. 12. הן יעצר במים ויבשו וישלחם ויהפכו ארץ: i. *Ecce cohibet aquas, & arescent: & rursum dimittit eas, & subvertunt terram.*

10. וּלְמִקְוֵה הַמַּיִם *Et congregationem aquarum, &c.*] מקוה Hebræis non tam aquarum collectionem quàm alveum ipsum & fundum aquas continentem significat. Unde & Onkelus Chaldæus ita reddidit, ולבית כנישת מיא i. *& domum collectionis aquarum*, hoc est, locum.

קָרָא יַמִּים *Vocavit maria*] Nehemanides vocem ימים ex ים & מים componit, q. d. ים מים i. *fundum* seu *solum aquarum vocavit maria.* Nam eodem teste ים alicubi *fundum*, qui aliàs Hebraicè קרקע vocatur, significat. Porrò *maria* pluraliter dici asserit propter alvei amplitudinem capacitatemque. R. Salomo *maria* plurali numero dici sentit propter diversitatem naturæ, quam aliam atque aliam in diversis locis oceanus habet: unde & diversa etiam nomina à continente sortitur. Aben Ezra *maria* dici putat, quòd non sit mare unum quod universam terram ambiat.

11. תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב *Germinet terra gramen & herbam*] Verbum תדשא per תצמיח, quod *germinare & suppullulare* significat, exponunt. Atque דשא teste Nachmanni & R. D. K. propriè herbam teneriusculam ac recentem adhuc significat; עשב verò, ubi ad justam succrevit magnitudinem, ut jam sit seminifera. Neque de herbis tantùm primùm suppullulantibus dicitur דשא, sed & de arboribus: quam ob causam Scriptura verbum תדשא & non תעשב usurpat. Porrò diversa hic est lectio. Quidam enim sic legunt ut עשב adjectivè exponatur, hoc modo, *Germinet terra herbam virentem*, alii verò substantivè, hoc sensu, *Germinet terra gramen & herbam*, Atque hæc posterior lectio videtur esse magis genuina. Nam etsi Vau conjunctio copulativa non expressè ponitur, tamen על דרך הלשון i. *ex more linguæ*, in Hebraismo non rarò subauditur; Ut, Hab. 3. שמש ירח עמד זבלה i. *Sol, luna stetit in tabernaculo*, pro, שמש וירח i. *sol & luna.* Sic quoque & in præsenti loco dici potest, דשא עשב dictum esse pro דשא ועשב.

עֵץ פְּרִי *Lignum, seu arborem, fructûs*] *Lignum fructûs*, Hebraismus est pro *lignum fructiferum*, hoc est, arbores fructiferas. Talem enim genitivum pro nomine adjectivo non rarò usurpat Hebraismus. Vel sensus esse potest, עץ פרי *arborem fructûs*, pro, *arbores cum fructibus*; ut intelligas, quòd terra non tantùm arbores fructiferas, quæ suo tempore fructus suos ferant, proferat, sed arbores quæ modò onustæ sunt fructibus suis. Unde & Hebræi dicunt mundum in mense תשרי i. in Septembri, cùm omnia ad maturitatem tendunt, conditum fuisse.

לְמִינוֹ *In genere suo*] Determinatio est prioris, nè scilicet quævis arbor quodlibet, sed duntaxat juxta genus suum proferat.

12. וַתּוֹצֵא הָאָרֶץ *Et prodire fecit terra*] Ex vi verbi יצא, quod est conjugationis Hiphil, Aben Ezra & Nachmanni colligunt, antè à Deo terræ vim & indolem (quam תולדה nominant) inditam fuisse proferendi ad jussum Dei herbas, arbores, & reliqua crescentia. Nam ab origine conditionis inanis & vacua fuit, ut Moses dicit v. 2. והארץ היתה תהו ובהו.

14. יְהִי מְאֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם *Sint luminaria in firmamento cœlorum*] Cur luminaria quarto die condita fuerint, Nehemanides hanc assignat causam, nempe, lucem primo die creatam, quarto die per extensionem firmamenti denuo impeditam fuisse, quò minùs radiis suis orbem illum inferiorem illustrare potuerit; Idcirco Deum in ipso firmamento loca quædam, per quæ lux illa prima tanquam per instrumenta radios suos in terram diffunderet, paravisse. Unde idem author distinguit inter אור & מאור, ita ut אור significet lucem illam primam per sese lucentem, מאור verò corpus per quod lux illa prima splendorem suum demittit; Atque hanc ob causam solem & lunam מאורות non אורים vocari. Et certè juxta rationem grammaticam constat, per Mem literam ejusmodi nomina denominativa constitui quibus tanquam instrumento actio verbi perficitur; ut מפתח instrumentum quo aperitur, i. clavis; מפח quo flatur, i. follis; מזרה quo ventilatur, i. vannus; מגן quo defenditur, i. clypeus. Sic מאור i. instrumentum lucidum.

וְהָיוּ לְאֹתֹת *Et sint in signa*] In signa prognostica, vel quæ malum orbi portendunt, juxta illud Jer. 10. ומאותות השמים אל תחתו i. *A signis cœli ne timeatis.* (Et אות nonnunquam etiam pro מופת i. portento, in Divinis literis usurpari, testis est R. D. K. Sic R. Salomo exponit.) vel quæ tempestates significant, quas scilicet agricolæ in agricolando & serendo, & nautæ in navigando observare debent. Aben Ezra per אותות etiam momenta temporisque puncta intelligi posse scribit.

וּלְמוֹעֲדִים *Et in certa tempora*] מועד propriè certum & statutum tempus designat, à verbo יעד quod testari significat deductum. Per מועדים quidam Hebræorum statas Judæorum solennitates intelligunt; ut sunt Pascha, Succoth, novilunia, & alia similes, quæ juxta lunæ revolutionem computantur. Aben Ezra per מועדים horas intelligit; Nehemanides, tempora sive partes in quas partitur annus, ut sunt bruma, ver, æstas, autumnus, quæ solstitiis & æquinoctiis certis currunt atque recurrunt.

וְשָׁנִים *Et annos*] Scilicet solares & lunares. Constat autem annus solaris, testantibus R. S. & Nehemanide, ter centum sexaginta quinque diebus: Tanto enim spatio Zodiacus, quem Hebræi מזלות appellant, cursum suum absolvit. Annum verò lunarem, ut Nehemanides inquit, triginta dies conficiunt.

וְיָמִים *Et in dies*] Onkelus Chaldæus legit, לממני בהון יומין ושנין i. *ut numerentur per ea dies & anni.* Thargum Hierosolymitanum habet, ויהון לאתין ולזמנין ולמקדשא בהון רישי ירחין ושנין i. *Et erunt in signa & tempora, & ad sanctificandum per ea initia lunationum & annorum.*

16. שְׁנֵי הַמְּאֹרֹת הַגְּדֹלִים *Duo luminaria magna*] Luminaria magna vocantur, non à corporis mole & quantitate, cùm juxta Mathe-

Mathematicos reliquæ stellæ, paucis exceptis, sole & lunâ majores sunt; sed ob splendoris amplitudinem & claritatem, quâ reliquis syderibus præstant.

18. וְלִמְשֹׁל בַּיּוֹם וּבַלַּיְלָה *Et ut dominarentur in diem atque in noctem*, &c.] Per משל, quod Hebræis propriè *dominari & potestatem habere* significat, R. Nachmanni distinctum à luminarium splendore, quo orbem illustrant, officium intelligit; ita ut per illud ממשלה i. *dominium*, non tantùm significetur ea vis luminarium quâ suo exortu, occasu & immutatione inferiora illa vel crescere vel decrescere ac perire faciunt, puta, solem arida & sicca, lunam humida & frigida; sed & ea quâ in naturas inferiorum, etiam hominum, dominantur, moderantia & inclinantia ea suâ influentiâ (ut Mathematici docent) vel ad bonum, vel ad malum. Pro qua sententia confirmanda citat illud Deut. 4. ופן תשא עיניך השמימה וראית את השמש ואת הירח ואת הכוכבים כל צבא השמים ונדחת והשתחוית להם ועבדתם אשר חלק יהוה אלהיך אותם לכל העמים תחת כל השמים i. *Et ne forte eleves oculos tuos in cælos, & videas solem, lunam, atque stellas, cum universo exercitu cælorum, & impulsus adores atque colas ea, quæ distribuit Dominus Deus tuus omnibus populis sub universo cælo.* Item illud Davidicum, Psalm. 148. מונה מספר לכוכבים לכלם שמות יקרא i. *Ipse supputat numerum stellarum, atque omnibus eis nomina vocat.* Ibi per *nominum vocationem* intelligit peculiarem vim ac potestatem cuique stellæ exserendi eam in inferiora à Deo contributam. Cæterùm nostri Theologi fatentur quidem astra signa esse, sed in sublunaria tantùm, non in animam hominis, quæ superiùs ac penitiùs est nata. Quare frivolum esse putant, quæ de faustis & infaustis diebus, de Ægyptiacis stulta prodidit gentilitas.

20. יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם *Producant aquæ*] Verbum שרץ Hebr. non simpliciter producere significat, sed copiosè & in multitudine, sicut & R. D. K. in Radicibus; ענין שרץ התולדה עם הרבוי i. *Scharaz procreationem quæ fit cum multitudine significat.* Thargum per רחש, quod *agitari & in sese moveri* significat, transfert. שרץ igitur, quod communiter *reptile* vertunt, juxta Nehemanidis sententiam non tantùm parvis animalculis, quæ vicina solo gradiuntur, & quasi repunt, ut sentit R. S. competit; sed generale nomen est ad omnia animantia sensitiva & sese moventia, etiam ad homines; ut infrà patet ex cap. 9. ubi Deus ad Noah dicit, ואתם פרו ורבו שרצו בארץ ורבו בה i. *Vos autem fructificate, & multiplicamini, prolificate in terra, & multiplicamini in ea.* שרץ ergò non tantùm aliquorum animantium, sed simul omnium crebrâ agitatione sese moventium copiosam productionem significat. Idem quoque Nachmanni שרץ compositum esse putat ex ש & רץ quòd super terram currat, repat, seseque moveat: Unde & Thargum semper per רחש vertit.

נֶפֶשׁ חַיָּה *Anima viventis*] *Nephesch*, teste Aben Ezra in suo commentario, generale nomen est omnium quæ gignunt, ignis, aqua, terra, & homo. Adjicitur autem hic חיה ad differentiam eorum quæ & ipsa quidem veniunt appellatione נפש, sed non habent animam sensitivam & motivam, ut sunt arbores, plantæ, &c. quæ dicuntur habere animam vegetativam: Constat enim & ipsa habere vitam, cùm nascantur, crescant, & pereant. Observavit Nehemanides circa terræ crescentia tertiâ die producta, non esse positum vocabulum נפש, eò quòd illis non insit tanta vis ut animantibus, quæ sentiunt & moventur. Idem quoque distinguit inter animam brutorum & hominum: Animam enim brutorum statuit ex vento elementali; hominis verò, ex adflatu Divino, ideoque immortalem, juxta illud infra cap. 2. *Et inspiravit in nares ejus spiraculum vitæ.*

וְעוֹף יְעוֹפֵף עַל־הָאָרֶץ עַל־פְּנֵי רְקִיעַ *Et avem quæ volet in facie firmamenti cæli*] Ad verbum sonat, *super faciem firmamenti cæli.* Est autem sensus, *in aëre, juxta*, vel *proximè, firmamentum*, vel *sub firmamento.* Nam *cælum*, sive *firmamentum* (quod *cæli* appellationem obtinuit) pro quovis loco qui supra nos est accipitur: Unde & *aves cæli* dicuntur, quòd supra nos in aëre volitent. Nec desunt inter Hebræos qui על hoc in loco per עם i. *juxta*, exponunt. Et *superficies cæli* dicitur quæ patet nostro aspectui; sicut & cujuslibet alterius rei superficies vocatur, quâ se ad nos vertit.

21. אֶת־הַתַּנִּינִם הַגְּדֹלִים *Cetos ingentes*] R. S. exponit, *ingentes pisces qui sunt in mari*, similiter & Nehemanides. R. D. K. duo genera Thaninim ponit; terrestres, qui sunt de genere serpentum, & marinos, quos dicit esse ingentes pisces, similes tamen aliquo modo serpentibus sive draconibus.

וְאֵת כָּל־עוֹף כָּנָף לְמִינֵהוּ *Et omnem avem alatam juxta speciem suam*] Nehemanides distinguit inter עוף כנף & עוף שרץ Nam *oph scheretz* refert ad quadrupedia, quòd scilicet reptilium instar terram pedibus contingant, iisque sese moveant; *oph canaph* tribuit bipedibus, & iis alatis, quòd scilicet agitatio eorum potissimùm fiat alarum remigio.

22. וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים *Et benedixit eis Deus*] *Benedicendi* verbum Hebræi exponunt, ut sit תוספת הטובה i. *augmentatio boni*, sicut קללה & מארה, quod contrarium ejus est, per מניעת הטובה i. *privatio boni*, exponunt. Atque hæc benedictio fuit, quod eis vim prolificandi & ex se simile gignendi, propagandique facultatem concessit. Atque hinc est quòd adhuc hodie in tanto numero & multitudine, omnis generis animantia subsistunt.

פְּרוּ וּרְבוּ *Fructificate & multiplicate*] Explicatio sunt benedictionis. Aben Ezra per futura exponit. Non statim enim fructificarunt & sese multiplicarunt, sed vim ac facultatem à Deo acceperunt in posterum fructificandi. Et verbum פרה non ad corporum quantitatem augmentandam attinet, sed ad prolificationem seu fructificationem.

וּמִלְאוּ אֶת־הַמַּיִם בַּיַּמִּים *Et replete aquas in maribus*] Nehemanides bifariam intelligit, vel quòd aquas maris inprimis replere debeant; atque hinc esse quòd mare magis abundet piscibus reliquis fluviis. Vel, quòd non tantùm maris sed & omnium aliorum fluviorum ac stagnorum aquas replere debeant. Nam & quamlibet aquarum congregationem Hebræi *mare* vocant.

וְהָעוֹף יִרֶב בָּאָרֶץ *Et avis multiplicetur in terra*] Adverte hic aves contra rationem originis, in terris, non in aquis unde prognatæ sunt, sese multiplicare: quod planè fit virtute verbi. Hoc & Nehemanides observavit.

24. בְּהֵמָה וָרֶמֶשׂ וְחַיְתוֹ־אֶרֶץ *Jumentum, reptile, & bestiam terræ*] Per בהמה Aben Ezra intelligit animalia domestica, quæ homini ad varios usus, necnon & in cibum serviunt; ut sunt equi, asini, cameli, oves, boves, & similia. Nehemanides pro quibuslibet cùm domesticis, tum sylvestribus, herbis tamen vescentibus, accipit. חיה verò Aben Ezra & Nehemanides *bestias* seu *feras* exponunt quæ in campis locisque desertis degunt, & carnibus vescuntur; ut lupi, ursi, leones, &c. Porrò per רמש R. Salomo dicit significari, animalcula minutiora, depressa, humique reptantia. in qua sententia est & Aben Ezra, qui sic inquit, רמש הם הקטנים ההולכים על הארץ i. *Remes, parva sunt animalia, quæ super terram gradiuntur.* Verùm ab his dissentit Nehemanides, contendens רמש non tantùm de reptilibus, iisque parvis, sed generatim de omnibus dici animantibus, idque probat Scripturæ locis, ubi רמש generaliter accipitur: Neque רמש corporum quantitatem & staturam in animantibus significare, sed potiùs incessum eorum, gradationem, & agitationem, quam dum gradiuntur, terramque pedibus contingunt, perficiunt. Et verbum רמש idem valere adserit, quod רמס, quod *calcare* significat, mutato scilicet per communem symbolismum Samech in Sin. atque huic adstipulatur & R. D. K. in libro Radicum.

26. נַעֲשֶׂה אָדָם *Faciamus hominem*] Judæi, nè sacrosanctam Personarum in Divinis Trinitatem fateri cogantur, varias in hunc locum inferunt commentationes. R. Salomo putat Deum angelos, tanquam cooperatores, per ταπείνωσιν allocutum fuisse, quò minùs erga hominem zelotypiâ laborarent, quem in illorum similitudine formare statuerat. Alii sentiunt Deum de seipso pluraliter loqui humano more, sicut magnates, principes, & qui in eminentia sunt constituti, quique summis funguntur officiis, de se pluraliter loquuntur. Quidam נעשה per *fiat*, sive *factum sit*, exponunt. Sed ridet hos Aben Ezra, qui נעשה pluraliter dici ait, ad exprimendam hominis dignitatem & præstantiam, quæ est, quòd non, ut reliquæ creaturæ, ex sola terra vel aquis productus est, sed singulari Dei angelorumque operâ factus; q. d. Deus, Non terra nec aquæ in condendo homine sint occupatæ, verùm nos ipsi. Item propter animam immortalem, quæ similitudinem quandam cum Deo habeat, eò videlicet, quòd, sicut Deus universam mundi machinam replet, sustentat, moderatur atque gubernat, ità corpus humanum, quod est instar עולם קטן i. *parvum mundum*, ab anima regitur. Alii *faciamus* dici arbitrantur, propter quatuor elementa, ex quibus secundùm corpus sit formatus, quæ Deus, tanquam artifices, ad exhibendam materiam pro fingendo corpore humano compellarit, ideoque etiam dici בצלמנו כדמותנו i. *ad imaginem & similitudinem nostram.* Utroque enim participare hominem: Deo secundùm animam immortalem: elementis, secundùm corpus. Hactenus Judæorum commenta. Verùm nos synceriùs & veriùs interpretabimur, *Faciamus*, dictum esse, ut primò agnoscamus Divinam naturam in Personarum proprietate; Secundò, ut discamus nostram nobilitatem ac dignitatem. Nam tametsi ex terra factus est homo, tamen Deus fecit eum suâ manu, ut videamus quantùm dignatus sit Deus hominem, ut soli Creatori homo serviat, hunc unum colat, huic uni fidat ac hæreat, non terræ, non soli, non aquæ, &c.

אָדָם *Homines*] Singulariter vel pluraliter reddi potest, *hominem*, vel *homines*; ut sit genus pro numero. Nam in uno homine cœpit totum genus humanum. Sed pluraliter potiùs legendum

dum esse, monet quod statim sequitur, *Et dominentur in pisces maris*, &c.

בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ *In imagine nostra, secundum similitudinem nostram*] Habent quoque & hic Judæi varias de Imagine & Similitudine, juxta quam homo primùm factus fuit, expositiones. Quidam enim referunt ad animam immortalem, quâ Deum immortalem Creatorem suum repræsentet: Alii, ad unitatem; quòd sicut Deus unus est in cœlestibus, ità & hominem unum in terris fecerit: Alii ad effigiei similitudinem, quam esse dicunt, quòd sicut Deus nullum sibi similem habet, ità & hominem condiderit, ut inter tot mille nè unus quidem inveniatur qui alterum effigie habituque corporis per omnia exprimat: Alii, quòd masculus & fœmella factus sit, quo repræsentet cœlestem imaginem, quæ sit, quòd sicut angeli à Deo supremâ virtute, quæ ipsorum officii sunt, per gradus quosdam, tanquam per modum generationis, suscipiunt, ita & fœmellam prolificandi vim à viro acciperet. Alii ad dominium supra creaturas referunt, quòd homo cunctis veluti Deus præsit. Nec desunt inter Judæos qui dicunt, *In imagine nostra, juxta similitudinem nostram*, Mosis verba esse, non Dei. unde sequentia verba, *Creavit itaque Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei creavit eum*, &c. sic legunt & exponunt, *Creavit itaque Deus hominem in imagine sua, scilicet humana, cum imagine Deus creavit eum*; referentes Vau in בצלמו ad hominem: non ad Deum: Et אלהים in nominativo legunt, ut cohæreat cum verbo *creavit*, non in genitivo, ut cohæreat cum בצלם. Sed refutat hanc impiam lectionen Aben Ezra, & meritò quidem. Vide, Christiane lector, quàm miserè cœcutiat gens Judaica in præcipuis S. Scripturæ locis, in quibus summa salutis nostræ tanquam in cardine vertitur: quàm nihil enim sapiunt & intelligunt de imagine & similitudine illa Dei, quæ est, quòd in summa sapientia, justitia & innocentia homo à Deo primùm creatus fuit, quam per inobedientiam amissam, Christus, qui est imago Paternæ substantiæ, per suam obedientiam nobis iterum recuperavit: Ad quam per fidem in Christum regenerati & justificati indies magis atque magis accedimus. Sic certè Apostolus nobis imaginem Dei explicat, maximè in his locis: Ephes. 4. *Vos autem non sic didicistis Christum, siquidem illum audistis, & in eo docti estis, quemadmodum est veritas in Jesu, deponere juxta priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta concupiscentias erroris, renovari verò spiritu mentis vestræ, & induere novum hominem, qui juxta Deum conditus est, per justitiam & sanctitatem veritatis*, &c. Col. 3. *Ne mentiamini alius adversus alium, posteaquam exuistis veterem hominem cum factis suis, & induistis novum, qui renovatur ad agnitionem & imaginem ejus qui condidit illum*, &c. Eadem habes & 1 Cor. 15. Porrò R. D. K. in lib. Rad. scribit, צלם aliquando significare formam sensibilem seu corpoream, aliquando verò insensibilem & incorpoream, ubi viz. aliquid cum alio imaginem & similitudinem habet, ratione dignitatis & præstantiæ; & in hac significatione accipi in præsenti loco: sed placet verba ejus adscribere: ענין צלם כענין דמות והוא פעמי׳ נופל על הצורה המרגשת והענינים על הצורה שאינה מורגשת אלא צורה מחשבית וז״ל ערך ודמיון כמו הוא בצלם אלהי׳ בצלמנו כדמותנו.

וְיִרְדּוּ בִדְגַת הַיָּם *Et dominentur in piscem maris*, &c.] R. Salomo verbum ירדו bifariam exponit, activè & passivè, ut non tam in alium dominari quàm alterius dominio subesse significet, hoc sensu; Si innocenter vixerint homines, dominabuntur in animantia: Sin, illa in eos dominium habebunt. Hujus diversæ interpretationis occasionem præbuit verbum ירדו, quod juxta Grammaticos Hebræorum compositum esse creditur, ex conjugatione Kal, & Piel. Et רדה juxta Nachmanni ejusmodi dominium & potestatem significat qualem habet dominus in servum, non quà illo abutitur, sed quâ illius operâ ad suos usus, idque cum æquitate, utitur: sic quoque & omnibus aliis creaturis Dei, etiam brutis animantibus, idque cum gratiarum actione, homo ad necessarios usus suos uti, & illis non tyrannicè abuti debet. Nam, ut Salomo inquit, ידע צדיק נפש בהמתו ורחמי רשעים אכזרי i. *Agnoscit justus animam jumenti sui: viscera autem impiorum crudelia sunt.*

בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם *In piscem maris, & in volucrem cæli*, &c.] Hæc quidem in singulari forma leguntur, sed pluraliter exponuntur & intelliguntur. Est enim frequens in Hebraismo, præsertim בכיעשה בראשית i. *in materia creationis*, ut genus vel species pro numero ponatur, ut *homo* pro *hominibus*, *arbor* pro *arboribus*, *bestia* pro *bestiis*, *jumentum* pro *jumentis*, *piscis* pro *piscibus*, *avis* pro *avibus*, &c.

28. וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים *Et benedixit illis Deus*] Nehemanides distinguit inter hanc benedictionem & eam quâ suprà animantibus benedixit: Illic enim pro facultate prolificandi à Deo animantibus concessa accipit; hìc verò propriè exponit, pro bona precatione quâ Deus hominibus, ultra vim procreandæ sobolis concessam, illis omnia læta, fausta ac prospera quoque precatus fuit.

פְּרוּ וּרְבוּ *Fructificate & multiplicate*] Veteres Hebræi volunt hic commune & generale præceptum omnibus hominibus positum esse contrahendi matrimonii, implendique præceptum prolificandi; quod illi vocant מצוה פריה ורביה: ideo dicunt, כל מי שאינו מקיים פריה ורביה אין לו חלק לעולם הבא i. *Omnis qui non confirmat præceptum de procreandis liberis, non est ei pars in futuro seculo.* Quod ego non simpliciter ab illis dictum fuisse puto, sed in scortatores & contemptores statûs matrimonialis; de quibus & S. Scriptura pronuntiat, quòd non habeant partem in futuro seculo, 1 Cor. 6. Heb. 13.

וְכִבְשֻׁהָ *Et subjicite eam*] Verbum כבש non simpliciter *subjicere* significat, sed *vi ac violentiâ*: Id quod & R. D. K. dicit in lib. Radic. ענין כבש הרדיה והתפישה בכח i. *Verbum* כבש *ejusmodi dominium ac captionem significat, ubi aliquid vi ac violentiâ capitur & subjicitur.* Respicit enim Scriptura hâc voce nimirum ad hoc, quòd terra nihil edit nisi probè exercita, præsertim modò, post maledictionem quam sustinet ob peccatum hominis.

31. וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד *Et vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat valde bonum*] Admonet Nachmanni per *dicere Dei* productionem rerum creatarum significari; per *videre Dei*, complacentiam & approbationem ejus, quâ rebus creatis ac productis perpetuam subsistendi durandique vim addidit. Verba ejus sunt hæc, הוצאת הדברים אל הפועל יקרא אמירה: והקיום יקרא ראיה i. *Productio rerum ad actum vocatur Dicere Dei; & subsistentia vel duratio vocatur Videre Dei.* Et iterum, הענין להורות כי קיומם בחפצו ואם יתפרד החפץ רגע מהם יהיו לאין i. *Per hoc quod dicitur; Et vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat valde bonum, &c. significatur, Rerum creatarum subsistentiam ac durationem proficisci à complacito ac benigna voluntate Dei, quâ vel uno momento cessante omnia iterum in nihilum redigerentur.*

VATABLUS.

Primum istum Mosis librum Lxx. interpretes Γένεσιν inscripserunt, i. *generationem, procreationem, & originem*; quòd in eo ostendatur mundum à Deo conditum fuisse, neque illum esse creationis expertem, ut nonnulli Philosophi existimarunt; aut quòd generis humani, reliquorumque animantium ortus & generatio, in summa, omnium quæ terra capit, hoc libro comprehendatur. Hebræi verò בראשית à prima totius libri dictione, suo more appellaverunt: (*Beresith* enim significat *In principio*) quem tamen in plures lectiones partiti sunt, ut suis locis indicabimus.

1. IN *principio creavit Deus*; בראשית ברא אלהים] *Initio creavit Deus.* Sic quidam ex doctoribus Hebræorum. Alii subaudiunt הכל, ut vertas, *Primum omnium creavit.* Frequens enim est Hebræis in rebus non ambiguis aliquid subticere, ut Job 3. 10. *Quia non clausit ostia ventris mei.* ubi non exponitur quis clauserit. & Jes. 8. 4. *Accipiet opes Dammesec.* & non dixit quis acciperet. Alii dicunt בראשית conjunctum esse (quod aliàs vocant *esse in regimine*) cum sequente verbo ברא, & vertunt, *In principio creandi Deum*, i. In principio quo creavit Deus; hoc est, *Quum primum creavit Deus*, &c. *tum terra*, &c. ut referatur ad sequentem versum. Tunc autem ברא erit ac si esset scriptum ברא. & ו in principio secundi versûs accipietur pro *Tum*, aut redundabit. Utriusque versionis idem est sensus. Dilucidè sic vertas, *Initio quum creavit Deus cælum & terram, tum terra*, &c. Per *cælum* intelligit omnia corpora cœlestia; per *Terram* autem, terrestria. Proponit initio rem totam, ut author ejus agnoscatur, & quòd mundus non fuit ab æterno (ut existimasse philosophos quosdam diximus) deinde ex nihilo Deum aliquid creasse. Chaldæus paraphr. vertit, *In sapientia*, i. sapientissimè. Quidam vertunt, *prius*. Quod ad ברא attinet, doctus inter Hebræos dicit propriè significare aliquid è nihilo facere, sive excellentissimum in suâ specie. ¶ *Deus*, אלהים] Unum est ex Dei nominibus, quo solo utitur in hac creationis descriptione Moses. Est autem plurale ab אלוה. Alter ex doctoribus Hebræorum scribit Mosen plurali uti pro more linguæ. nam quum inferior de majore loquitur, plurali numero uti solet. Sic Jesai. 19. 4. *Tradam Ægyptum in manum dominorum duri*; pro *domini duri*. Exod. 22. 10. *Et accipiet domini ejus*, pro *dominus*. Vocantur etiam Angeli *Elohim*, per quos sua opera facit Deus: sic & domini, judices, & principes, quòd Dei judicium exerceant. Hinc quidam Hebræorum dicunt אלהים vocari Deum, quòd sit Dominus & Judex omnium. ¶ *Cælum*, השמים] Pluralis tantùm numeri est hæc dictio, ut apud Latinos *arma* & *divitiæ*. unde factum est ut interpretes vertant modò *cælum*, modò *cælos*.

שמים

שמים autem dictos cœlos fuisse dicunt docti inter Hebræos quasi שם מים *illic aqua.* Nam paulò pòst v. 6. dicitur, *Sit firmamentum in medio aquarum, & separet aquas ab aquis.* Formâ autem duali scribitur, ob duplices aquas, superiores & inferiores, quas dividit firmamentum.

2. *Terra autem,* והארץ] Terram hîc vocat per præoccupationem; ac si dicat, Id quod Deus postea vocavit terram. quum scilicet nudata fuit aquis, ut paulò pòst dicit, v. 10. ¶ *Desolata & inanis,* תהו ובהו] Ad verbum, *desolatio & inanitas.* vel, *solitudo & vacuitas.* Substantiva pro adjectivis, *desolata & inanis,* sive *solitaria & vacua.* i. massa quædam ac moles rudis & indigesta. Voces istæ ferè unum & idem significant; nempe terram fuisse informem, incultam, & vacuam, quòd nullis adhuc vestita esset plantis, nullis herbis, vel arboribus ornata, ut exponit alter ex doctioribus Hebræorum. ¶ *In superficie voraginis* על־פני תהום] *Super faciem abyssi.* Vel, *super abyssum.* i. tenebræ immensam aquarum vim ac profunditatem tegebant. ¶ *Et Spiritus Dei agitabat sese,* ורוח אלהים מרחפת] Quidam Hebræorum intelligunt de vento: atque ita vertunt, *spiritus Dei volitabat,* vel *movebat se,* aut (ut alii) *incubabat,* ut columba nido. Chaldæus paraph. *Ventus à conspectu Dei sufflabat,* &c. Spiritum Dei vocat ventum à Deo excitatum: juxta illud Psalm. 147. vers. 18. *Flabit spiritus ejus, & fluent aqua.* Vel dicitur *Spiritus Dei,* ventus magnus. Quum enim Hebræi magnitudinem alicujus rei significare volunt, adjiciunt hoc nomen *Deus.* Psal. 36. vers. 7. *Justitia tua sicut montes Dei.* Et Psal. 80. 11. *Et rami ejus ut cedri Dei.* Vide infrà cap. 30. 8. Doctioribus magis placet ut de Spiritu Divino intelligatur; q. d. Spiritus Dei arcanâ suâ virtute fovebat substantiam illam aqueam rudem & indigestam, ut stabilis permaneret ad tempus.

3. *Dixitque,* ויאמר] *Dicere* pro *jubere* & *præcipere* utuntur Hebræi. Alii accipiunt pro *velle* vel *decernere.* ¶ *Sit* יהי] Fut. Heb. pro imperat. Alii vertunt, *Fiat.* Alii, *Existat.* ¶ *Lux,* אור] Hebræi solis fuisse lucem intelligunt, quòd sol sit fons & origo lucis: quòd autem infra dicitur sol creatus die quarto, id per repetitionem dici. Doctioribus magis placet, hîc per *lucem* significari à Mose lucem subobscuram, & numeris suis nondum absolutam, quæ postea creato sole, illustrior & splendidior reddita sit.

4. *Viditque,* וירא] i. *Intellexit, Sensit, Agnovit.* ¶ *Bona,* טוב] *Suavis, amœna, delectabilis, utilis, amabilis.* His omnibus exprimunt interpretes vocem istam Hebraicam. ¶ *Et divisit,* &c. ויבדל וגו'] Ad verbum, *Et divisit Deus inter lucem & inter tenebras.* Alii vertunt, *Et distinxit* (vel *distinctionem fecit*) *Deus inter lucem & tenebras.* i. sejunxit ac separavit lucem à tenebris.

5. *Vocavitque,* ויקרא] *Appellavitque.* i. Effecit ut postea homines vocarent lucem ipsam, Diem. ¶ *Fuitque,* &c. ויהי וגו'] i. vespera & mane coaluit in diem unum naturalem. sive, ex vesperâ & mane completus fuit primus dies. Alii, *Fuitque vespera & fuit mane diei primæ.* Nam pro *primo, unum* usurpant Hebræi. q. d. Atque ita transactus est dies primus. Meminit priùs vesperæ quàm mane, quod Hebræi diem naturalem à vesperâ incipiant.

6. *Expansio,* רקיע] *Extensio, distensio, diffusio.* Unde Jesaias dicit, cap. 42. 5. *Creans cælos, & extendens illos.* Et capite 40. 22. *Qui extendit velut telam cælos, & expandit cælos velut tabernaculum ad habitandum.* Psalm. 104. 2. *Qui extendit cælum velut cortinam.* Sit igitur expansio diffusum quoddam corpus aëris inter aquas supernas & infernas. Corpus autem illud aliquando ab Hebræis dicitur שמים, aliquando רקיע. Distinguitur verò in duas partes, in partem superiorem, quæ appellatur *æther,* i. ignis; & in partem inferiorem, quam vocarunt *aërem.* Rursum aërem ipsum diviserunt in tres partes, in supremam, mediam, & infimam regionem. quæ infima regio distinguit aquas marinas & fluviatiles ab illis quæ sunt in media regione aëris. Licèt enim aliquando cœlum nostrum sit serenum, ita ut nullæ sint in eo nubes, nunquam tamen fit ut cœlum totum careat nubibus. LXX interpretes vocarunt *στερέωμα,* quod Latini reddiderunt nomine *firmamenti.*

8. *Et fuit vespera,* &c. ויהי־ערב וגו'] i. Vespere & mane coaluit in diem secundum. Alii, *Et fuit vespere & fuit mane diei secundæ.* i. Ita transactus est secundus dies. vide quintum versum.

9. *Dixit autem* ויאמר] *Dixerat autem.* vel, *Jam verò dixerat.* quando scilicet fecerat expansionem illam. Istud enim pertinet ad opus secundi diei. De commutatione temporum apud Hebræos dictum est in Psalm. 1. 1. ¶ *Et fuit ita,* ויהי כן] *Et factum fuerat ita.*

10. *Vocavitque,* ויקרא וגו'] *Vocaveratque Deus ipsam aridam, Terram: congregationem verò aquarum illarum appellaverat Maria.*

11. *Germinet terra,* &c. תדשא הארץ וגו'] Ad verbum, *Herbificet terra herbam, herbam seminificantem semen.* Singularia pro pluralibus, *Producat terra herbas, herbas producentes semen.* per appositionem dictum. i. quæ tandem evadant in herbas. Aut subaudi ET; *& herbas producentes semen.* דשא significat herbam tenellam quæ nuper producta est, neque dum habet semen. עשב verò significat herbam quæ producto semine jam adolevit. ¶ *Arborem fructiferam.* עץ פרי] Ad verbum, *Arborem fructûs,* i. arborem fructiferam, sive producentem fructus. Vice enim adjectivi utuntur sæpe Hebræi altero substantivo, quod Latinis per genitivum redditur. Præterea singulare est pro plurali, *arbores facientes fructum juxta genus suum, quarum semen sit in eis ipsis.* ¶ *Juxta speciem suam.* למינו] *Juxta genus suum.* & sic postea. *Genus* & *species* nonnunquam apud Hebræos confunduntur. ¶ *Cui insit semen suum* אשר זרעו בו] Ad verbum, *cujus semen ejus in ipsa,* sub. *herba,* vel in ipso germine. Sic versu sequenti.

13. *Et fuit vespera,* &c. ויהי ערב וגו'] Vide annotationem 5 & 8 versûs.

14. *Dixit etiam Deus,* ויאמר אלהים] Juxta Latinorum & Græcorum opinionem sol quarto die creatus est, & ante eum lux, herbæ, & arbores; nè homines sibi persuaderent solem esse caussam lucis, generationisque herbarum & arborum, atque ita acciperent ansam idololatriæ. Hebræi verò dicunt solem & lunam creatos fuisse primo die, ut dictum est v. 3. Mosemque, quum primo die cœpisset narrare creationem rerum cœlestium, omisisse, tanquam res minùs notas, velutque incognitas, & descendisse ad creationem rerum terrestrium magis notarum nobis; postea quarto die repetiisse omissa, ornatum nempe earum rerum cœlestium. nam primo die creatus fuit sol. Tunc autem sic vertendum erit, *Jam autem dixerat Deus, Fiant,* &c. ut præteritum vertatur per plusquamperfectum. Ex sacris tamen literis non possis dicere quo tempore creata fuerint luminaria illa, & creatæ stellæ illæ: solùm habes, hæc omnia fuisse creata intra diem quartum. ¶ *Sint luminaria,* יהי מארת] Ad verbum, *Sit luminaria.* verbum sing. pro plur. ¶ *In expansione cæli,* ברקיע השמים] i. in ipso corpore cœlesti, sive in ipso cœlo. ¶ *Ut dividant,* &c. להבדיל וגו' Ad verbum, *ad dividendum inter diem & inter noctem.* ¶ *In signa,* &c. לאתת וגו'] Quidam intelligunt per *signa,* momenta ipsa; per *tempora,* horas: ut per motionem illorum corporum cœlestium designentur momenta, horæ, dies, & anni. Alii quædam subaudiunt, hoc pacto, *in signa* serenitatis aut tempestatis; *& tempora,* nempe veris, æstatis, autumni, & hyemis. Alii per *signa* intelligunt miracula & prodigia, ut Jos. 10. 12. & Jes. 38. vers. 7. per *tempora* autem, solennitates & festa.

15. *Sint inquam luminaria.* והיו למאורת] i. luceant in ipsa expansione cœli. ¶ *Ut illuminent terram.* להאיר על הארץ] Ut luceant super terram.

16. *In dominium diei,* לממשלת היום] *In dominatum diei,* i. ut præesset diei. Istud intelligendum est de luce quam administrat sol diei. Idem sentiendum est de luna: hoc est, ut interdiu luceret sol, & luna noctu. Quod Jeremias explicat cap. 31. 35. *Qui dedit solem in lucem per diem, & statuta lunæ & stellarum in lucem noctis.* Etiam id præcedenti versu & sequenti explicatur, *Ut illuminent terram;* sive luceant super terram.

17. *Ea,* אתם] Nempe solem, lunam, & stellas.

18. *Utque dominarentur* ולמשל] Vide paulò antè in v. 16. eandem vocem.

20. *Producant,* ישרצו] Significat producere in magna abundantia. Alii, *Repere faciant.* ¶ *Reptile anima viventis.* שרץ נפש חיה] Sing. pro plur. i. reptilia animata viventia; hoc est, pisces maris & fluminum. Reptilia dicuntur quæcunque pedibus carent, aut quæ breves admodum pedes habent, ita ut pedes illi non sint apti ad gradiendum in terra. Sunt autem reptilia terrestria & aquatilia. ¶ *Et volatile volet,* ועוף יעופף] Sing. pro plur. *Volatilia volent,* sive *volitent.* Quidam vertunt, *& volatilia quæ volabunt,* vel *volitabunt.* i. quorum natura ac proprietas sit volare. Non quòd ex sola aqua creata fuerint volatilia (imò partim ex aqua, partim ex terra facta fuerunt. siquidem infrà 2. 19. dicit Deum *finxisse volatile ex terra*) sed quòd substantia illa purissima aquæ fuerit præcipua caussa materialis. Aquæ enim sunt principium passivum, sol activum; Deus verò, præcipua caussa agens & efficiens. ¶ *In superficie expansionis* על־פני רקיע] *Coram expansione.* vel, *ante conspectum expansionis cæli.* i. in parte altissima aëris. Quidam, *sub cælo ipso.*

21. *Cetos magnos* התנינם] Hæc vox propriè significat animalia illa oblonga super terram quæ præ se ferunt formam serpentis: hic tamen accipitur pro animalibus aquatilibus immensæ magnitudinis. ¶ *Et omnem animam viventem* ואת כל נפש החיה]. Hebraismus, pro, *& omnia animalia viventia.* ¶ *Produxerunt,*

runt, שרצו] *Produxerunt in magna abundantia.* Alii, *repere fecerant.*

22. *Benedixitque*, ויברך] Benedictio in sacris literis significat abundantiam. q.d. Dedit illis fœcunditatem verbo suo. Postea seipsum explicat, quid per *benedicere* intelligat, quum dicit, *Crescite*, sive *fructum edite.* ¶ *Crescite*, פרו] *Fructificate*, sive *fructum edite.* Hebræi dicunt esse imperativa pro futuris, *Crescetis*, &c.

23. *Et fuit*, &c. ויהי ערב] Vide suprà v. 5.

24. *Producat*, תוצא] *Educat, Gignat.* ¶ *Animam viventem*, נפש חיה] Sing. Heb. pro plur. *animalia viventia.* Seipsum postea declarat, quid per *animam viventem* intelligat, quum mox dicit, *Jumenta* &c. ¶ *Jumenta*, &c. בהמה ורמש] Sing. Heb. pro plur. ut & sequenti versu. בהמה significat species animantium quæ herbas comedunt, sive sint domestica, sive sylvestria. Per *bestias terræ* intelligit feras & animalia quæ carnibus vescuntur, ut lupi, leones, & ejusmodi.

25. *Terræ*, הארץ] Hoc addidit ad differentiam reptilium aquatilium, de quibus paulò antè, v. 20.

26. *Faciamus hominem*, נעשה אדם] Plurali numero utitur Moses, ut significaret plures subesse in Deo Personas, & Patrem in creatione hominis advocasse in consilium Sapientiam suam, & Virtutem sive Spiritum. Hoc autem loco אדם non est nomen proprium, sed nomen speciei, ut & infrà: & singulare pro plurali: nam mox sequitur verbum plurale, *dominentur*, sive *præsint.* ¶ *Ad imaginem nostram.* בצלמנו] Ad verbum, *in imagine nostra.* ¶ *Secundum similitudinem nostram.* כדמותנו] *Juxta similitudinem nostram.* Quidam subaudiunt Et, *& juxta*, &c. Vocibus *imaginis* & *similitudinis*, sive *simulacri*, ejusdem significationis, maximam similitudinem significat. q.d. nobis simillimos, ut quantum fieri poterit accedant ad naturam nostram. Intelligit autem similitudinem non corporis sed animi, quæ consistit in immortalitate, innocentia, justitia, & sanctitate, reliquisque animi dotibus. Paulus dicit nos per Evangelium *transfigurari*, sive *transformari, in imaginem Dei*, 2 Cor. 3. 18. Et secundùm ipsum regeneratio spiritualis nihil aliud est quàm ejusdem imaginis instauratio, Col. 3. 10. Ephes. 4. 23. ¶ *Et toti terræ*, ובכל הארץ] i. feris, quæ dicuntur *bestiæ terræ.* ut sit continens pro contento, hoc est, ut profligatis feris, inhabitent homines quamcunque voluerint terram. nam regiones redduntur inaccessæ propter feras. Vel, *toti terræ*; i. colant terram, & velut cogant sibi reddere fructum, omnibusque reptantibus in terra.

27. *Dei*, אלהים] Antecedens pro relativo, *suam.* ¶ *Illum*, אתו] i. unumquemque eorum.

28. *Et benedixit eis*, ויברך אתם] Benedictio significat omnem favorem, copiam, & fœcunditatem; ut v. 22. Sexto igitur die creati fuerunt vir & mulier; alioqui non diceretur, *Et benedixit eis Deus.* Quomodo autem creati fuerint, dicitur à Mose sequenti capite per repetitionem. ¶ *Crescite*, פרו] Vide suprà v. 22. ¶ *Et subjicite eam*, וכבשה] i. reddite eam vobis habitabilem, subjugatis feris. vel, *Domate illam*, i. colite illam & quasi cogite vobis reddere fructum. ¶ *Reptanti*, הרמשת] *Gradienti, incedenti.*

29. *Ecce*, הנה] Apud Hebræos pro *Sanè*, vel *utique* ponitur. ¶ *Dedi*, נתתי] Præt. Heb. pro præs. *do.* i. permitto vobis ut comedatis omnem herbam, &c. ¶ *Producentem*, זרע] Ad verbum, *seminificantem.* ¶ *Et omne lignum*, &c. את כל העץ עץ] Hebraismus, pro *omnis arbor pomifera*, i. omnis fructus arboris pomiferæ.

30. *Omne olus herbæ*, כל ירק עשב] i. Omnis herba virens. Quidam vertunt, *universus viror herbæ.*

CASTALIO.

5. *Extitit ex vespere & mane dies primum*] i. exstitit dies primus, qui constat ex nocte & die. Hic enim pars pro toto ponitur, ut apud Danielem *vesperomatutina* pro *diebus*, & apud poetas *quatuor autumni* pro *quatuor annis* dicuntur. Incipit autem dies à vespere, quòd tenebræ ante creatam lucem fuerunt. eumque ità Hebræi auspicantur: quod idem olim facere Gallos tradit Cæsar, & Germanos Cornelius Tacitus.

6. *Liquidum inter aquas*] רקיע, à *diducendo* dictum, significat liquidum, quòd tantum ab aëre sive cœlo differt, quantum lux à die, aqua à mari, siccum à terra. Nam cùm hoc aquam superiorem ab inferiore dividat, & constet aquam inferiorem esse mare, necesse est ut hoc liquidum sit aër; qui etiam à poetis Latinis *liquidus* vocatur, Hebraico more: quod elementum mari conjunctum est. Quod enim duo extrema vel disjungit, vel conjungit, id utrumque tangit. Aqua autem superior, est pluvia, quæ quanquam supra totum liquidum, id est, supra totum cœlum, non est, tamen ut supra liquidum dicatur, satis est si habet infra se liquidum. Nec vero consentaneum est, Mosem, cùm hic de aquis nominatim loqueretur, nullam fecisse pluviæ mentionem, quæ res est non parvi momenti, & cujus mentionem Sibylla de mundi creatione loquens fecit. necnon Josephus Mosem interpretans dicit cœlum factum esse pluvium. Nec aliud est, pluviam supra liquidum dici, quàm Latinè aquam cœlestem. Itaque Plinius principio libri 31. de aquis ità loquitur, *Scandunt in sublime, & cælum quoque sibi vendicant, ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant, quæ causa fulmina elicit, ipso discordante mundo. Quid esse mirabilius potest aquis in cælo stantibus?* Hæc Plinius. Eodem modo in 2 Reg. 21. dicitur aqua de cœlo destillare, hoc est pluvia. Est autem animadvertendum, quod Græcè aër & æther & οὐρανὸς dicitur, id ab Hebræis uno *liquidi*, sive *cæli*, nomine comprehendi. Latini quoque totum hoc *cæli* nomine comprehendunt. Quòd si quis pervicaciùs negat, hoc de quo hîc Moses loquitur, id esse quod Græcè *aër*, Latinè *cælum* dicitur, ostendat quidnam sit id quod mare à superiore aqua dividit, & quomodo vocent Hebræi aërem. Aliud quod aquas dividat nihil est. Aërem Hebræi nomine Græco hodie vocant. Quid, antequam esset lingua Græca, id est, ante turrim Babel, cùm sola esset Hebræa, nullumne rei tam vulgaris habebant nomen? aut si habebant, cur non exstat in sacris literis? At exstat profectò: estque tam idem רקיע & שמים i. *liquidum* aut *aër* & *cælum*, quàm *siccum* & *terra.* nec alia de causa שמים, i. *cælum*, ab aquis deductum nomen habet quàm quòd pluviæ sedes est. Itaque scribit Moses in diluvio *apertos fuisse cæli meatus.* Hinc *volucres cæli*, i. aëreæ. Cœlum autem secundo die fuisse creatum ostendit Moses, qui dicit, Deum jussisse secundo die, ut exsisteret liquidum. atque idem docetur 4 Esdr. 6. his verbis, *Secundo die aëris auram creasti.* Nam quòd in propositione Moses cœlum terræ præponit, dignitatis, non creationis, habet rationem. Idem enim cap. 2. dicit, *Cum terram cælumque fecisset Deus.* ubi terram cœlo anteponit. Ex quo patet, verborum ordinem non semper eundem esse quem temporis. Et vero consentaneum est, terram, tanquam fundamentum, priùs esse factam. Nec necesse est cœlum, quia sit præstantius, propterea priùs esse creatum. nam & bestiæ & stirpes, quæ sunt homine viliora, tamen ante hominem sunt creata.

9. *Appareret siccum*] Quod Latini per neutrum, id Hebræi, qui neutrum genus non habent, aliquando per fœmineum dicunt. Hanc ob causam Vetus interpres vertit *arida*, & Græcus ξηρά.

11. *Pareret terra stirpes*] In Hebræo est תדשא. quod, si licet verbum fingere, significat *stirpare*, i. stirpes creare; ut si dicas, *Stirpet terra stirpes.* quomodo dixit Aristoteles 3. de Generat. animal. ἀνεμιαῖα τίκτει ᾠά. quomodo & *vivere vitam* dicimus. qualia sunt hæc Gallica, *enfanter, veler, cochonner*; quæ Latinè sic redderentur, *puerum, vitulum, porcellum parere.* Multa sunt in sacris literis talia, ut *jurare jusjurandum, peccare peccatum*, quæ sunt Latino more dicenda: id quod semel annotasse, sit satis. Sunt autem stirpium tria genera, arbores, frutices, & herbæ: sed frutices in arboribus comprehendit Moses. Vocat autem *arbores fructiferas*, & *herbas frugiferas*, non quòd sint omnes fructuosæ, (quamvis omnes semen habeant) sed quia earum proprium est fructus ferre: ut cùm pisces dicunt *squamigeros* poetæ, quòd piscium propriæ sunt squamæ, non tamen omnium. Præterea his verbis fœtifica vis datur stirpibus eodem momento quo creantur; quæ vis animalibus separatim data est.

20. *Natatiles animantes*] Græci ἑρπετὰ, Latini *reptilia* verterunt. Sed eodem verbo utuntur etiam in eis quæ ex terra quarto die orta sunt, ut reptilia & ex aqua & ex terra orta esse videantur; id quod absurdum est. Hebræum est שרץ, quod Lev. 11. dicitur de piscibus, & de volucribus multipedibus, deque serpentibus. Nos tam latè patens verbum non habemus. Sunt tamen hæc ut rei naturâ, ità verbis quoque apud Latinos etiam confinia. Nam & *nare per aëra* aves poeticè dicuntur, & Dædalus *remigio alarum Insuetum per iter gelidas enavit ad arctos.* Igitur ex aqua orti sunt pisces, & volucres tum bipedes tum multipedes; ex terra autem pecora, bestiæ terrestres, & serpentes. quæ serpentes verbo רמש significantur: quod tamen alibi *moveri* significat, & Psal. 104. *natare.*

26. *Faciamus hominem*] Videtur cum Filio suo loqui. de quo sic Sibylla lib. 8.

Hujus consilio namque olim primitus usus,
Sic ait Omnipotens, Faciamus imagine, fili,
Ambo de propria mortalia semina ducta.
Nunc ego curabo manibus, tu denique nostram
Effigiem verbis, ut opus commune struamus.

Qui dominetur] In Hebræo est in plurali, *Dominentur.* Sed cùm de toto genere loquatur, nihil refert utro numero utare, dum loquendi consuetudinis rationem habeas.

CLARIUS.

1. *IN principio*] Sunt quibus videatur, ex illis Mosis verbis, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, non colligi manifestè, mundum non ab æterno factum: verùm, ut cætera prætermittamus, unum illud satis mihi videtur esse posse ad tollendam illam æternitatis opinionem, quòd de primi hominis creatione fit mentio, cui assignantur certi vitæ anni, cæterisque qui deinceps gignuntur; ut colligatur, ab Adam ad diluvium tot annorum numerum intercessisse, & à diluvio ad Mosen, &c. Porrò, hominem cum ipsis nascentis mundi exordiis factum fuisse quis dubitet, cùm ejus unius causâ hæc mundi fabrica facta videatur? At otiosum, inquient, Deum in tanta æternitate manere quî oportuit? Quibus illud Pauli aptè possumus respondere, *Atqui, O homo, tu quis es, qui ex adverso respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic?* Quis enim hominum audeat dijudicare, utrum magis Divinæ majestati atque omnipotentiæ fuerit consentaneum, ab æternóne, an post secula infinita, mundum construxisse? præsertim cùm, quæ de mundi vel æternitate vel tempore dicuntur, eadem de ipsius magnitudine dici possint, cur scilicet longè majus & magis dignum illâ Divinâ infinitate spatium ei non sit datum, atque adeò cur non potiùs mundi constructi sint plures? nam nè punctum quidem exiguum est hæc, quæ videtur, mundi vastitas, si cum Authore suo conferatur. Sed meminisse nos oportet sæpe in ipsis nostris ratiocinationibus, quid Deus ipse dicat; *Non enim cogitationes meæ*, inquit, *cogitationes vestræ, neque via mea via vestra. Quoniam quantum distant cœli à terra, tantum distant cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & via mea à viis vestris.* Præterea, qui imaginantur coæternum Deo esse mundum, ut qui ab eo quidem proficiscatur, sed ita illum continuò consequatur ut umbra corpus, aut fulgor lampadem, non deerunt nè iis quidem quæ eis scrupulum moveant, atque illud in primis, quòd videbitur à necessitate potiùs quadam quàm à Divina voluntate profectus: Nam si hoc non fuit necessarium, cur sine mundo esse potuisse aliquando Deum judicare non audent? Sin ex ejus voluntate atque arbitrio factus est mundus, quænam hæc est necessitas introducendæ æternitatis? Sin dicant, volentem quidem Deum fecisse mundum, sed decuisse, atque adeò oportuisse, ut ab æterno ea res fieret, eodem revolvuntur, & re quidem ipsâ, quamvis appareant verbis evadere, necessitatem introducunt. Etenim umbra corpus, fulgor lampadem, vestigium pedem sequuntur necessariò, neque in ea re aut eligentis aut formatricis voluntatis fit cogitatio: ut mittam, quod paulò antè diximus, imbecillas nimis esse humanas ratiocinationes, si, quid Deum deceat, quidve oporteat, velint disputare. Audiamus vel Platonem, qui monet, de Divinis rebus solis filiis Dei esse credendum. *In principio* ergò *creavit Deus cœlum & terram*, contra eos (ait Magnus Basilius) qui sine principio & ab æterno mundum fuisse crediderunt, alioqui dicendum potiùs fuisset: *In principio erat cœlum & terra*, ut Joannes de Filio dixit, *In principio erat Verbum*. Vel dixit, *In principio* (ait idem Basilius) ut intelligeremus, Deum sine intervallo temporis omnia fecisse. Principium enim temporis nondum est tempus; neque ullum principium idem est ei cujus est principium. Videtur etiam posse sic accipi, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, pro eo ac si dixisset, Principium creaturarum Dei fuit cœlum & terra. Quòd si de Angelis quæstio moveatur, respondebitur, Propositum fuisse Mosi de hac visibili tantum fabrica disserere. Thargum Hierosolymitanum, quod Jonathæ ascribitur, magnæ apud Judæos authoritatis, habet, *In sapientia creavit Deus cœlum & terram.* Meminit autem extremorum Moses, cœli videlicet ac terræ, quæ media omnia complectuntur. ❡ *Creavit Deus*] Textus Hebraicus habet, *In principio creavit Dii cœlum & terram*; sicut & infrà dicitur plurali numero, *Faciamus hominem*; & mox subditur in singulari, *Et creavit Deus hominem.* ut ab ipso Scripturæ exordio agnosceremus cum unitate Divina Personarum esse distinctionem, quamvis Judæi hîc conentur id frivole refellere.

2. *Inanis*] Vel *informis*; quod de illa quam *primam vocant* materiam externi philosophantur, vel quia confusa erant adhuc omnia. Septuaginta verterunt, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *invisibilis & incomposita.* nam & ornatus illi suus deerat, & undique operiebatur aquis. Vide, hoc præsertim loco, Hexaemeron Basilii, ubi pulchrè atque eruditè, ut omnia, eorum sententias confutat philosophorum qui materiam non genitam introducunt. ❡ *Abyssi*] Terra, Abyssus, Aqua pro eadem re posita sunt, ut mollem, obscuram & incompositam intelligeremus. Alii nomine *aquarum* accipiunt elementa tenuiora. ❡ *Spiritus Dei ferebatur*] Fovebat, ut cùm ova foventur ab alite: significatque virtutem inditam germinandi atque gignendi. Alius intelligit vehementiam aquæ agitasse etiam ipsas aquas, ità ut omnia hinc indè confusa agerentur.

5. *Appellavitque lucem Diem.*] Nunc verò post factum solem dies est, dum aer à sole illustratur, in hoc super terram hemisphærio; & nox, obumbratio terræ, sole delitescente facta: tunc autem non secundùm solarem motum fiebat dies & nox, sed vel effuso primogenito illo lumine, vel rursum contracto, prout præfixa à Deo mensura fuerat. Postea verò solare corpus factum est, tanquam vehiculum illius lucis, quod explicatiùs etiam tempora mortalibus distingueret. Invenies & hunc locum in eodem Hexaemero divinum in modum tractari. Et omnino hoc caput non scholiis sed voluminibus eget, si ulla tamen hominum volumina tantæ rerum magnitudini queunt respondere.

6. *Firmamentum*] Sonat vox Hebræa *extensionem*, ut illud, *Extendit cœlum sicut pellem.* Nam ex aquis fecit rem extensissimam, & sphæras quasdam, quas eodem vocabulo cum cœlo summo vocat, quod primò creavit. Putant autem quidam, angelos, & quæ superiora sunt, à Mose signari per *aquas supra firmamentum*, sive ob copiam, sive ob elementi puritatem; per *aquas* verò *sub firmamento*, elementa, & quicquid sublunare est, sive aërem & locum nubium. Alii censent à Mose fieri mentionem hujus tantùm corporei mundi, atque idcirco hîc intelligi, in medio aquarum aquas quasdam solidatas, & factum firmamentum, quod cohibeat aquas superiores & inferiores, ne istæ ascendant, illæ descendant, & ex aquis quæ supra firmamentum sunt, crystallinum, quod vocant, cœlum esse, aquas concretas. Quòd verò secundo die de more non benedixerit, præter vulgatam illam & à philosophis acceptam sententiam, quòd s. binarius primus sit qui ab unitate discedat, faciatque divisionem, quodque materiam formamque significet, & à Divina similitudine disjungatur, alia ratio videtur literæ magis consentanea, quòd distinctio illa aquarum, quæ secundo die inchoata fuit, tertio demum die fuerit completa, atque idcirco bis dictum sit ipso tertio die, *Vidit Deus quod esset bonum.*

10. *Aridam*] Dicunt Hebræi *aridam* vocatam, quòd omni fructu destitueretur; terram verò, quòd jugiter appetat ferre fructum. Nam Hebrææ dictiones id significare videntur.

14. *In signa & tempora*] Vox Hebræa *Moad* significat tempus statutum, & quod aliquid testatur. nam venit à verbo *Jaad*, quod testari significat. Hinc solennitates quædam legales, ut Pascha, Tabernacula, Novilunia, & aliæ similes, vocantur *Moadim.* Hîc verò per *Moadim* intelligunt ver, messem, hyemem, & æstatem. Porrò, *signa*, ut serenitatis & pluviæ, & quæ humanis usibus inserviunt.

20. *Sub firmamento cœli*] In prospectu cœli, ut cùm dicitur, *sub divo.*

27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*] Ex hoc loco Magnus Basilius arguit libertatem arbitrii, cùm non repetita sit illa dictio, *ad similitudinem*, quæ dictio superiùs fuerat posita. Vide ipsius Hexaemeron: nam res est quæ parùm aptè scholio arctari possit.

29. *Ecce dedi vobis*] Anticipatio est. nam Deus duobus hîc loquitur; cùm posteriùs Evæ productio describatur.

DRUSIUS.

1. QUi navem conscendet mare hoc sacrum sulcaturus, ante omnia vitare debet scopulum qui naviganti primus occurrit, in quem tot viri magni gravesque impegerunt & naufragium passi sunt: Moses ait, *In principio creavit Deus.* Hebraicè, creavit *Elohim.* Hîc mysterium latere putant, pluralitatémque innui asserunt personarum. Quo argumento? Quia nomen plurale construitur cum verbo singulari. Hoc partim verum, partim falsum est. Verum est, quoad terminationem, falsum quoad sensum. Nam Elohim quando de uno dicitur, sensum habet singularem. Dicitur autem de uno Deo passim, & de uno angelo, vitulo, idolo, homine. Quæ probata mihi aliàs. Proinde Hieronymus de Quæst. Ebra. & epist. 136. iterumque Procopius in Genesin scribunt esse nomen communis numeri, quòd & unus Deus ità vocetur & plures. Si verum hoc, ut est verissimum, corruit argumentum quod à numero ducitur. Quis enim nomen liberorum, quando de uno usurpatur, dixit habere unquam sensum pluralem? Quis plures Athenas, Thebas, Salonas, quia dicimus Athenæ, Thebæ, Salonæ? Quis neget unum cœlum esse supremum, quod Apostolus tertium, & David cœlum cœli vocat, quoniam Ebraicè vocatur SCHAMAIM numero duali: Aut, ut Hieron. mavult, plurali? Nonne helleboro curandus est qui ex numero illo colligit duos tantùm cœlos creatos esse? Quid? An ideo plures tenebræ, quoniam in Latio non auditur tenebra numero singulari? Quis ad hujuscemodi ineptias non pelvim poscat? Si

Elohim

Elohim vi numeri pluralitatem innuit, cur non etiam Adonim? Nam eadem utriusque ratio; *Si Adonim ego*, inquit Deus apud Prophetam, *ubi timor mei?* Malach. 1. Ecce par mysterium quod tamen nemo hic agnoscit: ne in plurali quidem בעלים *Baalim*, qui aliquando de uno domino dici reperitur, ac tunc habet sensum singularem, ut etiam Adonim, cum de uno Deo sermo est. Sed constructio nos aliud docet. Nihil minus. Nam talia construuntur vel singulariter vel pluraliter. Si singulariter, habetur sensûs ratio, ut in, *creavit Deus*: si pluraliter, habetur ratio terminationis, ut in קדושים אלהים *Deus sanctus*, cui subnectitur הוא, quod ad sensum refertur. Quod verùm ברא BARA spectat, significat hic ex nihilo creare, & alibi ex præjacente materia, ut cùm homo dicitur creatus ex limo terræ. Similiter pisces grandes quos τὰ κήτη vocant, creati memorantur. Interdum idem valet quod gignere, ut Proverb. 8. in codicibus Græcis, *initio viarum suarum creavit me*, ἔκτισε, i. genuit. In Hebraicis est *acquisivit*: idem aliter. Nam acquirit pater quem gignit. Sic sapientia creata legitur apud Syracidem. Quod fortè an in mentem habuerunt antiquissimi Ebræi, cum dicerent Messiam ante mundum creatum fuisse. Scio quid recentiores de Messia sentiant: sed profectò ante mundum nihil fuit creatum. Mundum appello cœlum ac terram. Hoc significat Moses cum ait, *In principio creavit*, &c. hoc est, interprete Philone, primum omnium creavit cœlum ac terram, q. d. nihil ante creavit. Non ergo Messiam. Aut igitur falsum est quod illi asserunt: aut creavit, i. genuit. Quomodo sanè Virgilius, *Sulmone creatos*, dixit pro genitos: quos procreatos usitatiùs alii memorant.

¶ *Cœlum ac terram*] vel, *cœlos*. Nam tres cœli in his literis, Infimum, medium, supremum. Infimum continet omnes regiones aëris, in queis & aër imus, qui peculiariter ac propriè SCHAMAIM vocatur, quod sit in medio aquarum: unde & *aves cœli*, & *cœlum sudum, pluvium, serenum*, &c. Medium est cœlum, in quo sol, luna & stellæ. Supremum est, quod Hymnographus *cœlum cœli* vocat, sedes Dei & beatorum spirituum, in quod se raptum fuisse testatur ὁ μακάριος Paulus, & cœlum tertium appellat. Dictio שמים dualis est, sed cùm de uno cœlo dicitur sensum habet singularem: cùm de pluribus, pluralem. Unde ex numero nihil inferri potest, nec refert cœlum dicas an cœlos, cùm vox Ebraica semper terminationem habeat dualem: quam Hieron. ideò pluralem appellat, quod sit pluralis etiam duorum, quem propriè dualem nuncupamus. Si alia fuit mens Hieron. non excuso. Viderit ipse & qui ei supra verum addictus est.

2. *Spiritus Dei*] Ambiguè dicitur. Nam & ventum denotat & Spiritum S. Ventus ità vocatur, vel quià Deo immissus, vel qui vehemens. Sic *arbores Dei*. Dei enim nomen adhibetur ad auxesin. Sic dico, quicquid in suo genere præstat, Deo tribuitur. Hoc modo Ninive vocatur *civitas magna Dei*. Nam quod Deo magnum, id sanè magnum sit oportet. Hoc posito, videamus quo sensu accipi debeat apud Mosen Gen. 1. 2. Nam de vento interpretari coactum videtur, cùm ventus nihil aliud sit quam aër impulsus, cujus meminit posteà cùm ait, *sit expansum in medio aquarum*, ubi codex Ebræus habet רקיע quod propriè de aëre dici perhibent. Vide quæ scripsimus ad vers. 6. Malim igitur ut de Spiritu S. locus intelligatur. Nota, si placet. In fonte *spiritus Elohim*. Si Elohim vi numeri pluralitatem insinuat, ergo Spiritus S. sui ipsius spiritus est. Nam pluralitas in Deo nihil aliud quàm Trinitas. Quid igitur? nomen Elohim, ut etiam θεὸς, & Deus, modo essentialiter sumitur, ac tum comprehendit in se omnes tres personas: modò personaliter, ac tum significat unam aut duas personas ut hîc, & cùm Christus dicitur genitus ab Elohim, hoc est, à patre. Ergo Spiritus Elohim qui tam à Filio procedit, quàm à Deo Patre. Huc refer אלהים אלהיך, ô Deus, Christe, Deus pater unxit te supra omnes consortes tuos. Dicere verò Patrem impropriè vocari Elohim, tam ἀθεόλογον est, quàm quod maximè. Nam in Elohim significatio judicii. Quis autem unquam dixit, aut cui hoc in mentem venit, ut diceret Patrem impropriè Judicem esse hujus universi?

5. A vespera diem incipiunt Ebræi. Vide Observat. lib. 8. cap. 9. c. 13. 1. Unde Gen. 1. 5. primùm vespera nominatur, deinde mane. Vespera mane significat spatium illud quod Græci vocant τὸ νυχθήμερον diem & noctem comprehendens: qui simul efficiunt justum diem viginti quatuor horarum. Hoc indicat Moses, cum ait, *Fuitque vespera & fuit mane dies unus*. Siquidem per vesperam significat noctem, & per mane diem, figura loquendi quam synechdochen appellant. Scivit hoc S. Augustinus ad locum, *vespere autem sabbathi*, sic scribens, *Nomine vesperis noctem designat, à parte totum intelligens: Vesper enim principium noctis est*. Imò diei civilis, qui etiam noctem in se complectitur. Nam solaris dies, qui est duodecim horarum, principium habet ipsum mane. Ad hunc locum Origenes, *Non dixit primus, sed unus, quia tempus nondum erat antequàm esset mundus, tempus autem esse cœpit cum mundo*: & Hyppolitus Romæ, *unam diem dixit & non primam, ut hanc per circulum revertentem atque hebdomadam perficientem, cum tamen una eademque esset, declaret*. Nodum in scirpo quærunt. Simplex sensus est, unus, i. primus. O Grammatica divina, quàm ineptiunt sæpè qui te negligunt aut contemnunt! Sic dico, unus valet primus, præsertim cum sequitur secundus, ut hîc & infrà 2. 11. *Nomen unius Phison* i. primi. Nam sequitur, *nomen secundi Gihon*. Sed & aliter ita usurpatur. Videsis Observat. libr. 8. capit. 8. Nam cùm alterum אחד sequitur, tunc priore loco significat *unus*. i. primus, & posteriore loco שני i. secundus. Exempla obvia in priore librorum Samuelis, & alibi. Videsis Exod. 18. 4. Sic Marc. 16. μιᾷ τῶν σαββάτων, primus Sabbathi, vel si mavis, Sabbathorum, est primus dies hebdomadæ, quam feriam primam vocant. Hodie dies dominicus vocatur, & olim κυριακὴ ἡμέρα. Ut *unus sabbathi*, qui Ebræis חד בשבא vel אחד בשבת (Ita loquitur Gerundensis Exod. 12. 2.) sic Hag. 1. 1. μιᾷ τοῦ μηνὸς, uno mensis, quod pro eo habendum ac si dixisset, primo mensis. Unus enim ordinem designat. Sic alibi *uno & sexcentesimo anno*, pro quo in Thargum, *sexcentesimo & uno*. Exod. 2. 18. *usque ad diem unum & vigesimum*. Quomodo & Cicero de senectute, *qui uno & octogesimo anno scribens mortuus est*. Grammatici vocant enallagen, quia cardinalis numerus pro ordinali ponitur. Sic, *in anno duorum*. i. secundo. Vide Gen. 18. 13.

6. *Sit expansum in medio aquarum.*] Prius erat, *sit firmamentum*: Quod aëri fluido minùs rectè convenit, de quo hic locus intelligendus esse, salvo tamen aliorum judicio, mihi videtur. Nam is medius est inter aquas superiores, hoc est, pluvias, quæ in media regione aëris, & inferiores, hoc est, marinas, &c. Sanè vox Ebræa רקיע RAKIA à verbo רקע est quod expandere, extendere, diducere significat, veluti cùm pellis aut aulæum extenditur, aut metallum malleo deducitur & attenuatur. Alibi est נטה eodem significatu, ut ibi, *qui extendis cœlum sicut cortinam*: & Jes. 42. 5. *creans cœlos & extendens eos*. Utrobique est נטה in fonte, quod extendere significat. Idem רקיע, quanquam Senes illud reddunt verbo στερεῖν, unde στερέωμα, quod firmamentum sonat. Hoc expansum postea cœlum vocavit i. שמים, cujus appellatio ab aquis, de quibus diximus, in quarum medio situm est. Cœlum aëreum appellant & cœlum simpliciter, ut cùm dicimus *cœlum serenum, nubilum*: & *aves cœli*, i. *aëris*. Eucherius, *Aliud est cœlum aëreum, & aliud cœlum æthereum. Cœlum quippe aëreum terræ est proximum, unde aves cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus*. Augustinus de Agone Christiano cap. 3. *Scriptura vocat aves cœli & volatilia cœli, cùm manifestum sit aves in aëre volare, & nos in consuetudine hunc aërem cœlum appellamus. Nam cùm de sereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus, qualis est aër? Et aliquando, quale est cœlum?* Idem de natura boni, cap. 33. *Aër quandoque & cœlum dicitur, non illud in quo sunt sidera, sed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant. Nam & cœlum nubilum dicitur, & volatilia cœli appellantur*. De cœlo hactenus: Videamus nunc an expansum tribuatur aëri. Sanè aëris vocabulo usus fuit Chaldæus paraphrastes, Psal. 19. 1. ubi codex Ebræus רקיע habet. David Ebræus cognomento Camius existimat hanc esse propriam hujus vocabuli significationem. Nam in comment. ad Psalm. 27. 20. *Vocatur*, inquit, *aër in veritate sua RAKIA*. i. expansum. In veritate sua, hoc est, verè ac propriè. Mentio suprà cœli ætherei, quod & sidereum, in quo sol, luna & stellæ: De quo capiendum illud, vers. 14.

Sint luminaria in expanso cœli.

Ubi non malè cum veteribus leges, *in firmamento cœli*, ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ. Siquidem ea cœli pars in qua sunt luminaria, rectè στερέωμα vocatur propter soliditatem. Sanè quidem Plato, ubi dicit Astrologiam versari circa στερεοῦ φορὰν, per στερεὸν cœlum intelligit. Significat autem στερεὸν, firmum, solidum, stabile. Qua ratione Homerus χάλκεον οὐρανὸν dixit, & χαλκοβατὲς δῶμα, & quandoque σιδήρεον οὐρανόν. Quæ omnia docent cœli regionem illam supremam firmissimam & solidissimam esse. Siquidem ære ac ferro nihil solidius. Videndus Eusebius [illegible] lib 11. pag. 304. edit. Rob. Steph. ubi ait Mosen cœlum vocasse στερέωμα, quia corporeum τὸ γὰρ σῶμα φύσει στερεόν: & addit ità vocasse cœlum ἑπόμενος τῇ Ἑβραίων γλώττῃ. Quod ideò fecisse mihi videtur quia רקע vetusta declaratione στερεῶ, i. firmo, solido, stabilio. Næ Psal. 136. 6. לרקע LXX τῷ στερεώσαντι: & Hiero. *qui firmavit*. Sic Jesa 24. 5. רקע הארץ LXX. ὁ στερεώσας τὴν γῆν: Hier. *firmans terram*. Et 44. 24. LXX. καὶ [illegible], Hiero. *stabiliens*. Similiter Job. 37. 18. תרקיע Sym. ἐστερέωσε.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA [illegible]

7. Gen. 1. 1. ubi vulgò, *creavit Deus*, Græci legunt ἐποίησεν ὁ θεὸς fecit Deus: quæ translatio magni erroris occasionem quibusdam obtulit, inquit Procopius. *Facere namque de his prædicatur, quæ ex quadam materia producuntur, ut ex ferro falx, & alia quæ nobis artifices efficiunt. Hinc quidam in hunc errorem provoluti sunt, ut vociferarentur Mosen ab Ægyptiis edoctum credidisse ex præjacente materia hoc universum conditum, eamque sententiam statim in sui operis initio nobis inculcare, cùm utatur verbo fecit.* Hæc Procopius. Quid Senes moverit, ut ità eum locum redderent, me latet. Nam in mundo erat ἔκτισε. An nihil aut parum interesse putarunt? Sanè legimus in illa editione, Gen. 1. 2. ἐποίησεν ἄνθρωπον, & Deut. 4. 32. ἔκτισεν ἄνθρωπον. Utrobique est ברא in fonte, quod propriè significat *creavit*. Nam *fecit* עשה dicitur, quæ autores Ebræi sic distinguunt, ut ברא sit *creare*, hoc est, facere aliquid ut sit ex eo quod non est, sive ex nihilo id fiat, sive ex præjacente materia, nihil refert: עשה verò sit *ornare* & *perficere*: quibus addunt יצר, quod significat rei creatæ formam indere. Quæ tamen interpretes LXX. confundunt. Nam sæpissimùm ברא reddunt verbo ἐποίησε, & semel עשה verbo ἔκτισε, videlicet Jes. 44. 2. ὁ θεὸς ὁ κτίσας σε, ubi in fonte עשך *qui fecit te*. Quum igitur ברא denotet rem ex nihilo creare in illo loco Geneseos, debemus & ἐποίησε eodem sensu accipere. Nam fontes semper in talibus consulendi, & ex iis statuendum de mente autoris, non ex ipsis rivulis. Præclara sanè fuit veterum opinio de his interpretibus, quam ego illis detractam nolim. Sed tamen, meo judicio, injuriam facit Sp. S. qui eorum versionem illi tribuit, tam sæpe a veritate Ebraica divertentem. An dicemus eum a seipso toties dissentire? μὴ γένοιτο.

26. *Faciamus hominem* &c.] Hic locus ex iis est quæ doctores Ebræi traditione à majoribus acceptâ scribunt à LXX. senibus immutata esse. Nam pro *faciamus*, ajunt eos edidisse ποιήσω *faciam*. Hoc ideò ne rex Ptolemæus, cui eam editionem parabant, hinc elicieret pluralitatem esse in divinis, cùm Judæi semper unum Deum creparent, ut hodieque Mahumedani. Quod noto, quia in Græcis codicibus, quos vidi, hodie legitur ποιήσωμεν: Tum etiam ut ostendam non planè vanum esse quod Theologi nostri hìc inferunt. Antiquissimi, qui ex Ebræis, prodiderunt eum ita locutum fuisse ad domum judicii sui. Quænam domus judicii ejus, si non Filius & Sp. S.? Nam angeli esse non possunt, quoniam & ipsi inter creaturas. Quomodo enim deliberaret de creando homine cum iis, qui ipsi creati fuerunt? Nam creatores eos appellare prorsus ἀθεόλογον est. Creatores autem sunt, si una cum Deo fecerunt hominem. Porrò cùm dicit *faciamus hominem*, & alibi, *creavit hominem*, clarè demonstrat differentiam illam, quam ponunt inter hæc duo verba, non esse perpetuam. Quo minus mirum, si Græci translatores eam confundant.

IDEM.

1. בראשית A. *in capitulo*. Sym. & Theod. ἐν ἀρχῇ: *in principio*. Hiero. Quæst. in Genesim. *LXX. Interpretes & Symmachus & Theodotio, in principio, transtulerunt, quod Aquila interpretatur, in capitulo.* Puto Græcè fuisse ἐν κεφαλίδι, id enim idem reddit modò *in capite*, modò, *in capitulo*. In capite reddit loco modò citato, *Unde in Psalterio*, inquit, *de seipso ait, In capite libri scriptum est de me*, i. *in principio Geneseos*. Græcè ἐν κεφαλίδι. Locus est Psalm. 39. In capitulo reddit Zach. 5. 1. *volumen, quod Ebraice* מגלה *à Symmacho dicitur* κεφαλὶς, *i. capitulum, juxta illud quod in Psalmo legimus, In capitulo libri scriptum est de me.* Suidas, Κεφαλὶς βιβλίου ὅπερ τινὲς εἴλημα φασὶν, ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. Vulgò malè ἔλημμα. Innuit autem Aquilam, qui Psal. 39. vertit ἐν εἰλήματι, quod LXX ibi reddunt, ἐν κεφαλίδι. An potius ἐν κεφαλαίῳ. Utrumque sonat, in capitulo, & variant Theologi qui hæc producunt. Basilius in Hex. pag. 5. τὸ ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ἕτεροι τῶν ἑρμηνευόντων σαφέστερον τὸν νοῦν ἐκδιδόντες εἰρήκασιν, ἐν κεφαλαίῳ ἐποίησεν ὁ θεὸς, τουτέστιν ἀθρόως καὶ ἐν ὀλίγῳ. Ambrosius Hexaem. lib. 1. cap. 4. *Alias ἐν κεφαλαίῳ, in capite, quo significatur in brevi & exiguo momento summa operationis impleta.* Sanè Gen. 49. 3. ראשית אוני reddit κεφάλαιον λύπης μου. Favet hæc interpretatio iis qui censent omnia creata fuisse à Deo simul. Dixi Theologos variare. Nam in schedis meis p. 214. Aquila, ἐν κεφαλίδι ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Vis interponam judicium meum? בראשית meliùs redditur ἐν ἀρχῇ, quàm ἐν κεφαλίδι. Nam ἐν κεφαλίδι, id est, בראש, si modo κεφαλὶς est caput, & non principium. Quod hìc potius significare videtur. Sic sanè caput aliquando principium dicitur, ut, *Caput sapientiæ timor DOMINI.* Cicero, *Caput est omnium Græcorum concionatorum.* [illegible] etiam est κεφάλαιον, i. summa, ut, *Tolle caput filiorum Israel.* ראשית & principium designat à quo quid incipit, quod תחלה propriè dicitur; ut ראשית שמנים præstantissimum unguentum. Quo referunt nonnulli, *principium sapientiæ*; & fortasse ille hoc in animo habuit qui vertit, *caput sapientiæ*. Minùs se probat mihi.

ברא A. ἐποίησεν, *fecit*. Suprà ex Aquila produximus ἐν κεφαλίδι ἐποίησεν, quod citatum suspicor propter ἐν κεφαλίδι. Nam eò labor ut credam eum transtulisse ἔκτισεν, *creavit*, non ἐποίησεν, *fecit*. Aliud facere, aliud creare. Deus initio creavit mundum ex nihilo, posteà fecit, i. disposuit in eum ordinem quo nunc visitur. Siquidem in principio cùm creasset cœlum ac terram, terra erat sine forma, rudis indigestaque moles, quam chaos vocant. Accedit quod τὸ *fecit* errandi caussam præbuit nonnullis qui crediderunt mundum creatum fuisse ex præexistente materia. Procopius disertè, *Quod LXX. interpretes inquiunt* fecit, *certè occasionem quibusdam magni erroris obtulere. Facere enim de his prædicatur, quæ ex quadam materia producuntur.* Lege sequentia. Abenmelech Hebræus annotat creare & facere usurpari etiam de rebus incorporeis, formare de corporeis tantùm. Nam profectò legimus, *formavit hominem pulverem e terra.* Vide Michlal Jophi. Liber est Hebraicus Constantinopoli editus, quem ex Aleppo Syriæ accepi, beneficio præclari & nunquam satis laudati adolescentis Davidis de Willems sive de Gulielmis.

אלהים τὸ σαμαρειτικὸν, hoc est, editio quâ usi olim Samaritani, ברא אשימא *creavit Asima*. Aben Ezra proœmio in commentarium super Esther, *Chuthæi sive Samaritani pro creavit Elohim, scripserunt, creavit Asima.* Quid hoc verbi? Deus Hemathitarum ita vocatur 2 Reg. 17. 30. Reposuerunt ergo nomen idoli sui pro eo quod in fonte Elohim, i. Deus. Quod ne Persæ facerent in Megella, (sic vocant librum Esther) Mardochæus autor ejus, ut ipse opinatur, de industria studioque abstinuit à nomine Dei. Hæc ille: cujus fides mihi hìc suspecta. Primùm, quia numen Chuthæorum non Asima, sed Nergal dicebatur. Deinde, quia Hieron. ait, Samaritanos Pentateuchum totidem quibus Ebræi literis scriptitare, figuris tantùm & apicibus discrepantes. Hoc ait præfatione in libros Regum. Quod si verum, non potest esse verum quod scribit Aben Ezra. Calumnia igitur est, in quam proclives nimiùm sectæ, quando de religione contraria vel adversa loquuntur. Cæterùm Asima Judæi hircum interpretantur, qui glaber sit. Baal Aruch compositor lexici Thalmudici, *Viri Hemath fecerunt Asima. Est autem Asima hircus glaber absque lana, qui est quasi glaber. Vocatur ergo Asima quoniam privatus erat lanâ.* Verbum è verbo, *desolatus*, quod est שמם in lingua Mosis, unde שמם desolatus. Concinit ei R. David cognomento Camius in commentario suo super libros Regum ità scribens, *Asima est hircus glaber.* Nota hircum hìc תיש dici, Hebraicè עז. Ergo subjicit, *Hircus hoc est* עז *vocatur Asima eo quod lanâ careat & ipse est quasi desolatus: & in Jerosolymitano Asima* אימרא. i. *agnus.* Sumpsit ex Aruch, quæ pleniùs ibi leguntur. *Jerosolymitanus in Gemara, capite, Omnes imagines, Asima* אימרא *agnus.* Significat autem Thalmud Jerosolymitanum. Quod noto ne quis de Thargum accipiat, quæ, ut notum, editio Chaldaica est, ab Urbe sic nuncupata. R. Salomo nihil dissidet à jam dictis, *Asima*, inquit, *similitudinem habet hirci, quem sic appellant in lingua sua omnes & singulæ nationes: & sic exposuerunt doctores nostri in Sanhedrin.* Ab his omnibus diversus abit Elias Levita Germanus, qui אשימא simiam interpretatur, fortè propter affinitatem nominis.

2. תהו ובהו A. κένωμα καὶ οὐθέν. Sym. ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον. Th. κενὸν καὶ οὐθέν.

Κένωμα *Inanitas*] i. תהו Sic exponitur in edit. Rom. ut & in vulgatis Lexicis. Alioqui potiùs significat evacuamentum. In schedis meis notatum ex Aquila ἡ δὲ γῆ ἦν κενότης καὶ οὐθέν: *inanitas & nihil.* Quod etiam dicunt τὸ κενὸν substantivè. Vide sequentia.

Nihil] οὐθὲν an οὐδὲν dicas pluma non interest. Hieron. super Jes. in fine l. 11. *Cæteri transtulerunt, terra autem erat inane & nihili.* Puto leg. & nihil. i. οὐθὲν, quod Hebraicè diceretur אין. In Notis ad edit. Rom. Lat. *Potuerunt autem Aquila & Theodotio dictione οὐθὲν & οὐδὲν, non tam propriè nihil, quàm absentiam unitatis & compositionis significare.*

Ἀργὸν *incultam*: καὶ ἀδιάκριτον & *indiscretam* sive *indistinctam*. Ἀργὸς propriè otiosus q. ἀεργὸς, & ἀργὸς γῆ terra otiosa & inculta, cui opponitur ex adverso, εἰργασμένη καὶ κατεργός γῆ.

Κενὸν] *inanem*, i. res inanis. Interpres vetus, *Terra autem erat inanis.* Cæteri transtulerunt, terra autem erat inane & nihili. Hieron. in Jes. pag. 135. col. 1. leg. & nihil οὐθέν. Hæc habentur in fine lib. 11.

מרחפת Syrus, *incubabat* aut *fovebat*. Quis iste Syrus? An Ephrem

Ephrem Syrus, quod existimavit Picus Mirandula? Verba ejus habentur in Heptaplo cap. 2. *Super hunc ferebatur, aut, ut veritas habet Hebraica, & Syrus Ephrem transtulit, incubabat huic spiritus* DOMINI, *&c.* Vide quæ scripsimus Miscel. cent 1. cap. 50. Quibus addo ex Augustini primo de Genesi ad literam, *Spiritus* DOMINI *ferebatur super aquas, secundùm Syra linguæ intellectum, quæ vicina est Hebrææ (nam hoc à quodam docto Christiano Syro fertur expositum) non superferebatur, sed fovebat potius intelligi perhibetur, sicut ova foventur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur per quendam in suo genere dilectionis affectum.* Ambrosius in Hexaemero lib. 1. cap. 8. *Denique Syrus qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisque & congruit, sic habet, & spiritus Dei fovebat aquas, id est, vivificabat ut in novas cogeret creaturas & fotu suo animaret ad vitam.* Sumpsit ex Basilio. Fagius in Exegesi sua, רחף *sig. agitationem sive motionem quam milvus aut alia avis peragit pendens in aere, cum furtim descendendo cupit prædæ incumbere: vel qualem columba perficit, cùm ovis ad excludendum pullos incubat: vel qualem aquila facit, dum ad volandum pullos suos provocat, ut Deut.* 32.

3. וַיַּרְא A. καὶ συνεῖδε & *intellexit.* Procopius, *Aquila in sua translatione adjecit verbo* vidit *præpositionem* σὺν, *quæ in compositione* cum *sig. ac si diceret contuitus est, conspexit.*

9. יִקָּווּ A. & Sym. malunt, συστήτω: *constituatur, coeat, consistat.*

12. מַזְרִיעַ זֶרַע לְמִינֵהוּ A. σπερματίζον εἰς τὸ γένος αὐτῶν.

Σπερματίζω semen reddo vel emitto: item semen in folliculis concipio. Quo significatu usi sunt οἱ ὁ. Exod. 9. Plinius sementare dixit lib. 18. cap. 28. *Est omnino inutile nasci herbas sementaturas.* In editione Romana Latina, *ferens semen in genere ipsorum.* Theodoretus scribit Aquilam hîc vertisse σπειρόμενον (aliàs ἐσπαρμένον) σπέρμα: quod reddunt seminatum semen. Certum est Aquilam duas ἐκδόσεις edidisse, *forsan* in una hoc fuit, & in alia illud. Quod tamen mihi non videtur.

Εἰς τὸ γένος αὐτῶν] למינהם.

29. זֹרֵעַ זֶרַע A. ἐσπαρμένον σπέρμα i. e. זֶרַע satum semen. Ἐσπαρμένον] זרע. Theodoretus in Genesin. Quæst. 51. τὸ δὲ σπεῖρον σπέρμα, ἐσπαρμένον σπέρμα ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσεν. Sed quis hujus interpretationis sensus? An leg. ἐσπαρμένου σπέρματος, ut dicat, omnem herbam sati seminis? verius puto, *omnem herbam, satum semen* per oppositionem: vel omnem herbam & satum semen, ut sit ἀσύνδετον, nam seminibus quoque vescebantur. Sed nihil statuo.

30. אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב. Sym. *omnem herbam viridem* absque copulante. Vide Procopium pag. 44. Abundat itaque conjunctio (&) in hac oratione. *Omnem herbam viridem dedi vobis in cibum.* Nam & Sym. absque conjunctione locum illum proloquitur.

NOTÆ MAJORES.

Vers. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

In principio] Lxx. ἐν ἀρχῇ. Sic etiam Symm. & Theod. Id Philo apud Eusebium explicat πρῶτον, hoc est *primum*, ut dicat primùm omnium creata fuisse Cœlum & Terram, cum nihil adhuc in rerum natura existeret. Ex quo & illud consequitur, nihil ante creatum fuisse. Non ergo Angeli, non Paradisus, ut quidam volunt. Nam quod ajunt, Messiam ante creatum fuisse, ita loquendo *creare* usurpant pro *gignere.* Quo significatu & Poeta dixit, *Sulmone creatos*, id est, *genitos.* Sunt qui hunc versum cum sequenti connectunt, hac sententiâ, *Initio cum Deus crearet Cœlum & Terram, Terra* &c. Cave spernas. Hanc interpretationem primus Aquila immutavit. nam interpretatus fuit, ut ajunt, ἐν κεφαλίδι. Erasmus in quadam epistola: *Breschith Aquila interpretatur* ἐν κεφαλίδι, *hoc est, in capitulo.* In schedis meis: A. ἐν κεφαλίδι ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· ἡ δὲ γῆ ἦν κενώμα καὶ οὐθέν. Huc refer ἐν κεφαλαίῳ, quo significatur inquit Ambrosius Hex. l. 1. c. 4. in brevi & exiguo momento summa operationis impleta. Hoc hausit à magno Basilio: Τὸ ἐν ἀρχῇ &c. Ἀθρόως i. *summatim universimque.* Quod optimè quadrat cum illo Syrachidis, c. 18. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Ubi Græcus codex habet κοινῇ, id est, *communiter.* Verba Ambrosii: *In principio alius dixit* ἐν κεφαλαίῳ. Suspicor Aquilam fuisse. Hieron. in libro Quæst. Ebraicarum, *In principio Aquila dixit in capitulo.* Scire licet, duas olim Aquilæ translationes fuisse. mirum si non in una posuit ἐν κεφαλίδι, & in altera ἐν κεφαλαίῳ. Potest etiam esse memoriæ lapsus in Erasmo. nam schedis meis nolim nimium tribui. Possum & ego falli. diu est cum illa notarem. De Græcis satis superque: transeamus nunc ad interpretes Chaldæos, qui tres fuerunt, Onkelos, Jonathan, Author Jerosolymitanæ. Onkelos à nonnullis Aquila esse putatur. Jonathan is qui Mosen convertit apud me quidem est dubiæ fidei. Autor editionis Jerosolymitanæ quis fuerit ignoratur. Mihi saltem non liquet. Igitur Onkelos, optimus interpres, hic edidit בקדמין, quod teste Fagio tam ad tempus quam ad ordinem referri potest. Alibi habet בְּרֵישׁ. Id ambiguè dicitur. nam sign. *in capite* & *in principio.* Jonathan filius Uzielis, מִן אַוְּלָא Sic Jesaiæ. 1. בראשית *in principio.* Idem interpretatur אולא מן. Eodem sensu lectum Hos. 9. 10. כְּאַוַּל Est autem אַוַּל sive אַוְּלָא *principium*, qua voce usus in Arabica sua Saadias homo Judæus scribit אַוַּל, ubi & אַוַּל מָא pro eo quod in fonte בראשית. Hanc Arabicam editionem habeo descriptam manu Francisci Raphelengii senioris, quem honoris & amoris caussa nomino. Author Jerosolymitanæ בְּחָכְמָא *in sapientia.* Quid vidit cum ita verteret? Utrum in mente habuit alium significatum vocis Ebraicæ, quo quod præcipuum in re aliqua est, ראשית vocant? Ut quum dicunt, *principium unguentorum*, id est, unguentum præstantissimum, quodque in suo genere excellit. Aut potiùs respexit ad sensum: nam Deus fecit omnia *in sapientia*, id est, sapienter, ut David ait, vel si placet, *in sapientia*, id est, in Christo, qui est sermo & sapientia Patris. Davidis locus habetur Psal. 104. 24. Theodoretus: ὁ δὲ Θεοδοτίων τὸ ἐν ἀρχῇ βούλεται, ἀντὶ τοῦ ἐν σοφίᾳ, τουτέστιν ἐν υἱῷ. Videndus Hieronymus de Quæst. Ebraicis in Gen. Hilarius in expositione cujusdam Psalmi affirmarat, in Ebræo haberi, *In filio fecit Deus cælum & terram.* Id aliter esse docet ibi Hier. *Et magis, inquit, secundum sensum, quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest.* Nam *in filio*, id est, בְּבֵן. Vid. seq. Origenes super Genesin. *In principio fecit Deus Cælum & Terram. Quod est omnium principium, nisi DOMINUS & Salvator omnium Christus Jesus primogenitus omnis creaturæ.* Augustinus de Genesi ad litteram. *Secundùm historiam quæritur quid sit, In principio? Utrum in principio temporis? an in principio, in ipsa sapientia Dei? quia & ipse Dei filius principium se dixit, quando ei dictum est, Tu quis es? & dixit, Principium quod & loquor vobis.* Cum venia, Augustine, τὴν ἀρχὴν ibi potiùs est adverbium, quemadmodum ante me viri docti observarunt. Cæterum ab hac prima voce librum Geneseos Ebræi vocant *Breschith.* Hieron. in Quæst. *Sed & hoc sciendum, quod apud Ebræos liber hic Breschith vocatur, hanc habentes consuetudinem, ut voluminibus ex principiis eorum nomina imponant.* ❡ *Creavit*] ברא est facere ut aliquid sit quod prius non erat. Id pro ratione loci aliter atque aliter accipitur. Nam *creavit mundum* ex nihilo: *creavit cetos & hominem* ex certa materia: *creavit Messiam*, i. genuit. Hoc sensu capias, Prov. 8. 22. *Dominus creavit me*, id est ἔκτισε, quod in editione vulgata qua Græci utuntur. Sic etiam Syrachides locutus est. Lxx. ἐποίησε. Similiter Aquila & alii. Usurpant ἐποίησε pro eo quod apud Josephum ἔκτισε. Probarem, nisi utrumque simul occurreret Gen. 2. 3. & Jes. 43. 7. ubi etiam יָצַר: unde apparet aliquid esse discriminis inter hæc verba. Si Ebræis credendum, בָּרָא est *creare*, יָצַר *formare*, עָשָׂה *facere*, id est, ornare & absolvere. Quod certè huic loco non convenit. ❡ *Deus*] אלהים. De hoc nomine Hieronymus *Epist.* cxxxvi. *ad Marcellam. Scire autem debemus, quod ELOHIM communis numeri sit, quod & unus Deus sic vocetur & plures.* Et in Quæst. Gen. 6. *Verbum Ebraicum* אלהים *communis est numeri, & Deus quippe & Dii similiter appellantur: propter quod Aquila plurali numero filios Deorum ausus est dicere, Deos intelligens sanctos sive Angelos.* Ut hæc benè intelligas, sciendum est, nominis hujus terminationem pluralem esse; sensum verò modò pluralem, modò singularem. Pluralem quum de pluribus dicitur: singularem, quum de uno. Dicitur autem de uno Deo, hîc & alibi passim: de una persona in divinitate; Psal. 45. 8. de uno vitulo; Exod. 32. 31. de uno Mose, qui vocatur *Deus Pharaonis.* Ex. 7. 1. Ergo ELOHIM *Deus* πληθυντικῶς. Scio & אֱלוֹהַּ inveniri ἑνικῶς: Etiam illud scio, utrumque usurpari de Deo. frequentius tamen Deus vocatur אֱלֹהִים Sic אֲדֹנִים dicitur, unde & אֲדֹנָי nomen ubique obvium. Ipse de seipso loquens Malach. 1. אִם אֲדֹנִים אָנִי inquit, id est, *Si Dominus ego sum. ad quam similitudinem* (verba sunt Hieron. ad Marcel.) *cælum quoque appellatur & cæli*, id est, שמים; *unde sæpe interpretes variant, cujus exemplum nos in lingua nostra habere possumus, Athenas, Thebas, Salonas.* Mens horum verborum; ut *Athenæ*, ut *Thebæ*, ut *Salonæ* de una urbe; sic ELOHIM de uno Deo usurpatur. Hic locum habere debet proprietas linguarum, quarum unaquæque usum peculiarem habet, cujus ratio reddi nequit; velut quum Latini dicunt *liberi* de uno filio, & *tenebræ* quod Græci σκότος, & Ebræi חַיִּים, quod nos *vita*, & מַיִם quod nos *aqua*, & alia sexcenta. His annumerari posset אֱלֹהִים, nisi etiam אֱלוֹהַּ inveniretur, & numerus pluralis facere aliquo modo videretur ad amplitudi-

nem

nem divinæ majestatis. Nam qui asserunt significari eo numero pluralitatem personarum, in eo me non habent sibi assentientem. Primum, quia id nomen tribuitur singulis personis. Vide *Quæsita mea.* Secundò, quia Spiritus sanctus vocatur *Spiritus Elohim.* Tertiò, quia Christus legitur genitus à Deo Elohim. Adverte animum. Si ELOHIM vi numeri significat τὴν τριάδα, ecce Spiritus sanctus erit sui ipsius Spiritus, & Christus dicetur à seipso genitus, & quod absurdissimum est, in singulis personis erit aliqua, ut ita dicam, pluralitas. Sabellii hæresis damnata fuit olim à patribus, quod personas in divinitate confunderet. Ab hac non longè absunt isti, qui nobis etiam tres *Elohim* id est, Deos fabricant. Si pia mente hoc dixit nostra memoriâ vir doctus, non tamen æmulari debemus. Nam impia locutio est. *Substantias* nonnulli vocant, quas Græci ὑποστάσεις appellant: nos hodiè *personas* dicimus: unde quidam veterum tres dixit in deitate substantias esse. Quis ita loquentem nunc ferre posset? Non quid ab unoquoque dicatur, sed quomodo aut qua ratione videndum est. Nihil peccat, qui loquitur ut Scriptura loquitur. Ceterùm qui plura scire desiderat de hoc nomine, legat libellum meum, quem *Elohim* inscripsimus. ¶ *Cælum*] אֵת הַשָּׁמַיִם id est, τὸν οὐρανὸν, ut quidem Græci reddunt. Nam אֵת articulo carent, æquè ac Latini. Gallica editio recentior, *les cieux*, idest, *cælos*: videlicet tum illud in quo sunt stellæ, tum hoc citerius, quod aëris nomine censetur. Nos singularem adhibuimus, quia Cæsar in libris de analogia negat *cælum* multitudinis significationem pati. Interpretes tamen *cælum* & *cælos* dicunt promiscuè. Theodoretus *in Quæstionibus.* πληθυντικῶς ἡ θεία γραφὴ τοὺς οὐρανοὺς ὀνομάζει λέγουσα, οἱ οὐρανοὶ τῶν οὐρανῶν· ἐπειδὴ τῶν ἑβραίων ἡ γλῶττα καὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὸ ὕδωρ οὐδὲν ἑνικῶς ὀνομάζει· Hoc partim verum, partim falsum est. Verum est, non dici ἑνικῶς: falsum dici πληθυντικῶς. Nam שָׁמַיִם usurpatur δυϊκῶς, non πληθυντικῶς. Sed Theodoretum excusat editio Græca pro duali usa numero multitudinis. Possumus etiam dicere, duplicem esse pluralem, duorum unum & alterum plurium. De illo, qui propriè dualis vocatur, capiendus Hieron. *in Comm. super Jesaiam. Pro cælo Ebraicum SCHAMAJIM cælos sonat plurali numero, maxime cum audire dixerit, id est,* שָׁמַיִם *quod plurali effertur numero, non singulari. Quidam volunt pluraliter quidem dici cælos, sed singulariter intelligi; juxta illud quod singulas civitates Thebas & Athenas vocamus.* Sequitur in Theodoretô, ὅροι δ' ἄν τις τοιαῦτα πολλὰ καὶ ἐν τῇ ἑλλάδι φωνῇ. Ἀθήνας γὰρ τὴν πόλιν οὐδεὶς ἑνικῶς ὀνομάζει, ἀλλ' Ἀθήνας πληθυντικῶς καὶ Δελφὸν πάλιν τὴν πόλιν, οὐδεὶς καλεῖ Δελφὸν, ἀλλὰ Δελφοὺς πληθυντικῶς· οὐ τοίνυν ὡς πολλῶν ὄντων οὐρανῶν ἡ θεία γραφὴ, ἀλλὰ τὸ ἰδίωμα φυλάξασα τῆς ἑβραΐδος φωνῆς. Et in Hieronymo. *Estque Ebraici characteris idioma, ut omnia quæ in IM syllabam finiuntur, masculina sint & pluralia.* Videtur ignorasse quod jam ipsi pueri sciunt. nam in AIM terminata dualia sunt, non pluralia. Ex his est SCHAMAIM *cælum*, quod tantum reperitur in numero duali. Quod autem quidam inde colligebat, duos tantum cœlos creatos esse, & se dubitare dicebat an tertium cœlum creatum dici possit, nimis dilutum est. Inter Creatorem & creaturam nullum est medium. Deus creavit etiam quæ sub aspectum nostrum non cadunt, in queis est cœlum illud, quod beatorum dicitur. Quamquam Moses aspectabilis duntaxat mundi meminerit. Quod Angelos attinet, quidam arbitrantur eos creatos simul cum cœlo illo. Ab his diversi abeunt Ebræi, qui Angelos altero die creatos opinantur. In his est Moses Gerundensis. Legimus quoque in Genesi magno (liber est ejus nominis) *Quando creati fuerunt Angeli? R. Jochanan dicit creatos fuisse die secundo. R. Hanina verò die quinto. Et scito quod secundum verba utriusque Angeli conditi fuerunt una cum aquis, hoc est die secundo, quia scriptum, Sit expansum in medio aquarum: & die quinto, quia lectum, Producant aquæ, &c.* Hæc ibi. Unde saltem illud discimus, de tempore creationis Angelorum non omnes idem sensisse; de quo quia Moses tacuit, & nobis tacendum esse judico. Inquirant ista qui otio abundant: nos alio properamus. ¶ *Et Terram*] Qualem describit versu proximo qui sequitur. Nam latè sumit nomen Terræ, ut etiam Aquam comprehendat, quæ tunc nondum à Terra segregata erat. Sic dico, nomine Terræ significat mundum hunc inferiorem, & Cœli vocabulo illum superiorem, in quo est Aër.

Vers. 2. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant in superficie abyssi* (vel *in abysso*) *& Spiritus Dei ferebatur in superficie aquarum* (vel *super aquas.*)

Inanis & vacua] Vel *inane & vacuum*, id est, res inanis & vacua. (Vide Fullerum lib. 3. c. 3.) Quale illud, *triste lupus stabulis* pro res tristis. Ad verbum, *inanitas & vacuitas*: nam Ebræa nomina substantiva sunt. *Inane*, idest, κενόν. Sic olim Theodotio transtulit, *Inanitas*, id est κένωμα vel κενότης. Interpretamentum hoc Aquilæ est. Ceterum lectio variat. Nam alibi κένωμα, ut in edit. Rom. & alibi κενότης. Vide locum quem ex Aquila supra produximus. (Vers. 1. in *Breschith.*) Pro *inanis & vacua*, quod est Interpretis nostri, alii substituerunt, *res informis & inanis*. Informis, non quod omnino sine forma esset, sed quod eam formam non haberet, quam post consecuta est: & inanis, quia vasta & inculta, inornata. Nondum enim Deus eam fecerat, id est ornarat, ut nec formarat, id est, formam suam dederat, quod verbo יָצַר significari diximus. Licet etiam vertere, *rudis & indigesta*, nempe ex illo Ovidii:

Ante mare & terras & quod tegit omnia cælum
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos, rudis indigestaque moles.

Id est תֹהוּ וָבֹהוּ: quorum posterius Aquila & Theodotio interpretati sunt οὐδὲν sive οὐθέν; quod non admodum se probat mihi. Nam profectò aliquid erat. Quis enim dixerit Deum nihil creasse? Symmachus ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον, idest, *incultum quid & indistinctum.* Ἀργὸς pro ἀεργὸς, *cessans ab opere*, & peculiariter de terra ἀεργὸς γῆ, idest, otiosa, inculta, inarata, cui opponitur ἡ εἰργασμένη vel κατειργασμένη sed κάτεργος, id est, culta, arata. LXX. ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *invisibilis*, sive non aspectabilis, *& incondita* seu infabricata, aut, ut Ambrosius olim convertit, *incomposita.* Quomodo invisibilis? An quia voragine aquarum obtecta sensum omnem effugiebat oculorum? Itaque plerique censent. Theodoretus: ἀόρατος ἦν ἐπικεχυμένου τοῦ ὕδατος. Sic & alii. Sed sunt qui improbant. Severianus Gaballorum. *Non me fugit, multos sanctorum patrum dixisse, Terram invisibilem dici quia aquis operta esset, quod quidem tametsi pium sit, minimè tamen verum est. Aquila enim transtulit, Terra autem erat inanitas & nihil. Id autem idem cum invisibili. Nam quemadmodum dicimus aliquem informem esse, non quia forma expers sit, sed quia turpi sit forma, & mutum illum dicimus, qui malæ vocis est: sic Terra invisibilis, id est, sine ornatu, minime aspectu & visu digna, utpote quæ nondum fructibus, plantis, fluminibus, fontibus, reliquisque quæ eam lætam & jucundam efficiunt, ornata esset. Nam & Scriptura quum de triginta fortissimis David loqueretur, ait, Hic percussit virum Ægyptium ὁρατὸν, id est visibilem, ac per hoc visu dignum ac speciosum.* Hactenus ille. Gallica editio recentior; *sans forme & vuide*, id est, informis & inanis sive vacua. Santes, *solitudo & inanitas.* תהו interpretatur *solitudo* post Davidem Hispanum, qui Camius cognominatur. nam dicit esse שממה ... Est autem שממה *vastitas, solitudo* (Psal. 107. 40. בתהו Hieron. *in solitudine.* LXX. ἐν ἀβάτῳ.) Quo pertinet declaratio Aquilæ Chaldæi *desolata & inanis*, sive *vasta & vacua.* Quod plenius ac planius elucidant Jonathan & auctor Jerosolymitanæ, *desolata hominibus & vacua omnibus bestiis aut jumentis.* Malim ego צדיא *vasta*, quia nullis animalibus culta, & ריקניא *vacua*, quia nullis plantis ornata. ¶ *Et tenebræ erant in superficie abyssi*] Vis in hoc sermone ut si diceret, Et lux non erat in abysso. Nam absentia lucis tenebræ vocantur. Ubi non est lux, ibi sunt tenebræ. Sicut enim silentium nihil est, sed ubi sonus non est, ibi silentium est: sic tenebræ aliud nihil sunt quam lucis defectus aut privatio. Significat ergo abyssum lucis expertem fuisse. Harum tenebrarum meminit Poemander Hermetis per hæc verba: ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ, καὶ ὕδωρ, καὶ πνεῦμα λεπτὸν νοερὸν δυνάμει θείᾳ, ὄντα ἐν χάει: *erant tenebræ infinitæ in abysso, & aqua, & spiritus tenuis intelligibilis, quæ divina virtute erant in ipso Chao.* ¶ *In superficie abyssi*] עַל־פְּנֵי תְהוֹם *super faciem abyssi.* Facies abyssi, ut *facies cæli*, *facies terræ*, *facies maris*, *facies deserti.* Sic Ebræi vocant externam faciem & quasi vultum cujusque rei: quomodo etiam auctores Latinos loqui solere ostendit A. Gellius lib. 13. cap. 28. Hunc Ebraismum Græci neglexerunt dum verterent, ἐπάνω τῆς ἀβύσσου, *supra abyssum.* Hermes quoque dixit ἐν ἀβύσσῳ omisso nomine *faciei.* Sic mox interpres noster habet *super aquas*, ubi nos posuimus *in superficie aquarum.* ¶ *Spiritus Dei*] Πνεῦμα Θεοῦ LXX. רוח אלהים Saadias. *Spiritus à conspectu Domini.* Onkelos. vult dicere, qui à DOMINO procedebat. Pleniùs Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *Spiritus miserationum à conspectu DOMINI.* In Breschit Rabba vocatur Spiritus Messiæ. רוח אלהים quandoque de vento dicitur, ut Psal. 147. 18. *Flat spiritus ejus & diffluunt aquæ.* Sed hic Spiritum Sanctum potiùs intelligimus, ut Job. 26. 13. *Spiritu suo cælum ornavit*, & 33. 4. *Spiritus Dei fecit me.* In qua sententia vel illud me confirmat, quod quum cœli nomine venit etiam aër, eo adhuc confuso, cum nondum esset expansum cœli, non potuerit ventus flare, qui aliud nihil est quam aër impulsus & commotus agitatus. Accedit verbum sequens [illegible], *quod nos appellare possumus*, inquit

quit Hieronymus, *incubabat sive confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto, qui & ipse vivificator omnium à principio dicitur. Si autem vivificator, consequenter & conditor. Quod si conditor, & Deus. Emitte enim ait Spiritum tuum, & creabuntur.* Huc usque Hieronymus. ¶ *Ferebatur*] ἐπεφέρετο. id est, agitabat & movebat se aquis incubans. Ea vis verbi Ebraici, quam exprimunt duæ interpretationes *incubabat*, & *motabat se*. Quarum prior est Tremellii: posterior Ariæ. Quæ dixi, robur accipiunt ex duobus locis Scripturæ. Unus est Deut. 32. 11. alter Jerem. 23. 9. tum etiam ex observationibus Patrum. Locum Hieronymi supra produximus. Ante Hieronymum Basilius admonitus à Syro quodam hac de re ita scriptum reliquit. τὸ ἐπεφέρετο ἐξηγεῖται, inquit, ἀντὶ τοῦ συνέθαλπε καὶ ἐζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις. Et Ambrosius. *Denique Syrus, &c.* ut supra. Et Diodorus. *Ebraa vox per metaphoram significat Spiritum veluti gallinam aquis incubantem, easque tanquam alis confoventem.* Græca sunt, ut postea citata inveni apud Steuchum, βέλτιστα ἡ ἑβραϊκὴ λέξις ἡ τοῦ ἐπεφέρετο σημαίνει, ὅτι καθάπερ ὄρνις ᾠὰ θάλπει ταῖς πτέρυξιν ἀπαλῶς ἐφαπτομένη, εἰς τὸ ζωογονεῖν, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα ἐπεφέρετο τοῖς ὕδασι ζωοθαλπεῖν. Sed & Augustinus in primo de Genesi ad Literam. His adde, si placet, commentum R. Salomonis, cujus maxima Autoritas apud Judæos, *Solium gloriæ*, inquit, (id est, *Deus gloriosus*) *stabat in aëre & movebat aquas Spiritu oris sui & verbo suo, sicut columba quæ se movet super nidum pullis incubans*, *quod vernacule dicitur* escouveter. Porrò autem Santes, qui vertit *flabat*, secutus mihi videtur autoritatem Chaldæorum, quorum duo מנשבא, unus Jonathan אמנשבא edidit, sin in thau versa. ¶ *Insuperficie aquarum.*] Docte LXX. ἐπάνω τοῦ ὕδατος, & Hier. *Super aquas.* Verbum è verbo, *super faciem aquæ.* Facies aquæ, ut *vultus salis placidi*, i. maris. Sic *vultus naturæ.* Illud Virgilius dixit, hoc Ovidius.

Vers. 3. *Dixitque Deus, sit lux, & fuit lux.*

Dixitque Deus] Qui dicit, *sit lux*, sive *fiat lux*, jubet ut sit lux. Vis ergo jubendi non tam in verbo *dixit* quam in illo, *Sit lux.* Quanquam dicere etiam jubere significat. Sane legimus apud Davidem, *Ipse jussit & creata sunt.* Psal. 148. 5. Vide quoque Psal. 33. 9. Basilius in Hex. *Verbum in Deo imperium præceptumque intelligimus.* Alii explicant, *dixit*, *sit lux*, decrevit ut esset lux. Eucherius & Albinus *dixit* interpretantur fecit, & usum putant Mosen eo verbo, ut celeritatem & facilitatem operis divini ostenderet, cui dicere est facere: imo dicto citius facit quæ facit. Moses filius Nahaman exponit, voluit ut esset lux. *Nam dicere*, inquit, *velle denotat*, ut ibi, *Quod dixerit anima tua faciam tibi.* i. voluerit. Sunt etiam qui significari putant sermonem illum, per quem omnia facta sunt. Quo accommodant & illud Davidis Psal. 33. 6. *Verbo DOMINI cæli facti sunt & spiritu oris ejus omnes exercitus eorum.* ¶ *Sit lux*] יְהִי אוֹר Hier. *fiat lux.* Sic etiam Græci, γενηθήτω φῶς. Sic in Oratione legitima, γενηθήτω τὸ θέλημά σου. יְהִי רְצוֹנָךְ Chaldæi addunt articulum, aut potius litteram, quæ vice articuli est apud eos יְהֵי נְהוֹרָא, γενηθήτω τὸ φῶς. ¶ *Et fuit lux*] Lux diei videlicet, quam paulo post diem vocat. Videtur autem Moses hanc lucem distinxisse à luce solis contra placita Philosophorum, qui omnem lucem à sole manare tradunt. Ambrosius, *Diem sol clarificat, lux facit. Frequenter cœlum nubibus tegitur, ut sol tegatur, ne ullus radius ejus appareat: lux tamen diem demonstrat & tenebras abscondit.* Zanchius opinatur fuisse nubeculam quandam lucidam, quæ motu suo circulari ab oriente in occidentem diem noctemque confecit; ex qua postmodum condensata & perfecta corpus solare immediate formatum fuit. Opinionem Junii de hac luce refutat Fullerus, & illam approbat Miscel. lib. 1. c. 12. Vide si placet.

Vers. 4. *Viditque Deus lucem quod bona esset, & separavit Deus inter lucem & tenebras.*

Viditque Deus lucem, quod bona esset] Aut vidit, i. intellexit lucem bonam esse: aut vidit eam libenter, & quasi approbavit eo quod bona esset. Nam videt Deus & quæ approbat, ut Habac. 1. 13. *Purior es oculis quam ut videas malum.* i. ut approbes, vel ut videas libenter & cum voluptate. *Non enim Deus est volens iniquitatem.* i. qui delectetur iniquitate. Sic *videre vanitatem.* Psal. 119. 37. *Quare facis ut videam iniquitatem.* Hab. 1. 2. Adhibe lectiones meas. Sic *videre diem alicujus* est voluptatem capere ex die, qua quis in miseria est. Abd. 12. *Videre malum alicujus*, est lætari calamitate alicujus. Abd. 13. *Non debuisses videre ipsius malum*, i. miseriam, ærumnas, infortunium. Bonum autem dicit τὸ συμφέρον, i. utile, commodum, expediens: aut pulchrum, elegans, decorum. Quo significatu & Latini Autores usurpant. Terentius, *uti ni vix boni in ipsa inesset forma, hac formam extinguerent.* Sic καλὸν utrumque & bonum & pulchrum denotat. ¶ *Lucem*] אֶת־הָאוֹר τὸ φῶς, cum articulo. ¶ *Quod bona esset*] כִּי־טוֹב, ὅτι καλόν, & subintelligitur *esset*, quod nos etiam in translatione nostra expressimus. ¶ *Separavit inter lucem & tenebras*] Separavit sive discrevit lucem à tenebris. Hoc LXX. dixerunt, διεχώρισεν ὁ Θεὸς ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους: & Hieronymus, *divisit lucem à tenebris*: alii, *distinxit inter lucem & inter tenebras.* Quod Mercerus negat Latine ita dici. Consule, si vacat, doctissimum ipsius commentarium, quem in hunc librum composuit. Utinam ad hoc exemplum ceteri, præsertim Theologi, suos commentarios conscriberent. ¶ *Separavit*] Loco, tempore, motu, etiam nominibus: nam lucem appellavit diem & tenebras noctem. Loco, quia simul nunquam sunt in uno eodemque loco. Ubi tenebræ, ibi non est lux, & contra. Tempore, quia per temporum vices sibi invicem succedunt. Motu, quia lux facta in motu. Ex continuo enim lucis motu circa terram fit dies & nox.

Vers. 5. *Et vocavit Deus lucem diem & tenebras noctem, fuitque vespera & fuit mane dies unus.*

Vocavit lucem diem &c.] Voluit aut decrevit, ut illud tempus, quo lux est in nostro orbe, dies vocaretur, & illud quo tenebræ sunt in nostro hemispherio nox diceretur. Sanè latinè loquentes diem lucis, ut noctem tenebrarum nomine significamus. Contra diem & noctem dicimus, ut solam lucem, solas tenebras intelligamus. Cicero, *Centesima lux hæc est ab interitu Clodii.* i. centesimus dies. Qua forma loquendi & soles appellant ipsos dies. nam sol diem efficit secundum Philosophos. ¶ *Diem*] Naturalem, (hoc est, spatium illud ab orta luce ad lucem occidentem) qui proprie dies appellatur. Nam civilis, qui etiam noctem includit, magis ex usu loquendi dies vocatur, quam ex rei veritate. nox certè propriè loquendo dies dici non potest, ut nec tenebræ lux. ¶ *Fuitque vespera & mane*] Cur prius vesperæ meminit? An quia prius tenebræ, postea lux? verum puto. • Siquidem una cum luce dies cœpit. Ante diem tenebræ erant, quas post noctis nomine affecit. Atque hæc caussa, nisi fallor, cur diem Ebræi à vespera inchoent, quo vocabulo totam noctem interdum designant. Ut Ebræi, sic etiam Athenienses diem civilem auspicabantur à sole occidente ad solem iterum occidentem. aliis aliter observatum. ¶ *Mane*] Dies naturalis. Synecdoche. Sic vespera interdum tota nox vocatur, ut diximus. Atque hinc *lupi vespertini*, qui noctu grassantur. ¶ *Dies unus*] Non eo modo nunc appellatur dies quo superius cum diceretur, *Et vocavit lucem diem*: sed eo modo quo dicimus, verbi gratia, triginta dies habere mensem. Hic enim nomine diei noctem quoque comprehendimus: superius autem ita dictus est dies ut à nocte secluderetur. ¶ *Unus*] i. primus, ut rectè interpretatur autor Jerosolymitanæ. Nihil hac enallage tritius. nam & Latini Autores eam usurpant, ut mirer interpretes qui nescio quas hic argutias quærunt.

Vers. 6. *Et dixit Deus, sit expansum in medio aquarum, & sit separans inter aquas & aquas.*

Expansum] רָקִיעַ expansum, vel expansio. (Fullerum vide lib. 1. c. VI.) licet etiam vertere, *diffusum*: idque aëri melius convenit. LXX. interpretati sunt στερέωμα, quos Hieronymus sequitur referens *firmamentum.* Quærenda ratio hujus interpretationis. Hanc notavit Eusebius Præparat. lib. 11. pag. 304. πάλιν Μωσῆς τὸν οὐρανὸν ἐπώνυμος τῇ ἑβραΐδι γλώσσῃ στερέωμα προσηγόρευσε, καθὰ τὸ πρῶτον ἀνὰ μετὰ τὴν ἀσώματον καὶ νοητὴν οὐσίαν τόδε τὸ κόσμου στερεὸν καὶ αἰσθητὸν σῶμα. & rursum p. 322. τὸν οὐρανὸν ὁ δημιουργὸς ἐπώνυμος στερέωμα προσηγόρευσεν, ἅτε σωματικὸν ὄντα. τὸ γὰρ σῶμα φύσει στερεόν. Quod ait ἐπώνυμος τῇ ἑβραΐων γλώσσῃ, verum non videtur: non tamen abs eo temere scriptum est. Scire licet רקע vetusta declaratione sonare στερεῶ, i. firmo, &c. ut supra. ¶ *In medio aquarum*] LXX. ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος: *in medio aquæ.* prætuli, *in medio aquarum*, non modo quia nomen Ebræum formam dualem habet, sed etiam quia expansum sive diffusum istud est inter duas aquas, ut omittam quod Hieron. ita verterit, à quo temere discedendum non est. ¶ *Sit separans*] Separet, discernat, distinguat, dividat. ¶ *Inter aquas & aquas*] Inter aquas superiores, quas מים עלאין vocant, & inferiores, quas appellant מים ארעאין i. terrestres aut תתאין, i. inferiores. Illas non male quis etiam vocet cœlestes aut supernas: item pluvias. Ceterum aquas Jonathan hoc loco מי appellat, quomodo & Ægyptii eas vocant, si credendum Josepho in etymo nominis Μωυσῆς.

Vers. 7. *Et fecit Deus expansum, separavitque inter aquas, quæ sub expanso, & aquas quæ supra expansum: & fuit sic.*

Fecit] Non creavit (ante enim creaverat. Siquidem sub cœli nomine aërem contineri diximus, cujus materia initio rudis & im-

& impolita confuſaque & aquis permixta) ſed fecit, hoc eſt, perfecit, abſolvit, extremam manum adhibuit, & in eum ſtatum in quo nunc eſt redegit. ❡ *Separavitque*] Deus an expanſum? Si *expanſum*, non male reddes latinè, *quod ſeparavit*, & Græcè ὃ διεχώριζεν. Supra, *ſit ſeparans inter aquam & aquam*. Hæc enallage inſolens non eſt apud Ebræos. Quanquam in editione τῶν ό. καὶ διεχώρισεν ὁ Θεός: & ſeparavit Deus. ❡ *Inter aquas quæ ſub expanſo*] Inter aquas inferiores, quæ terræ alveo continentur. ❡ *Sub*] מִתַּחַת de ſub, ut מֵעַל de ſuper: ſic מֵרָחוֹק de procul ſive de longe. libenter enim geminant hoc modo præpoſitiones. תַּחַת ſub, ſubter. *de ſub* obſervatum inveniri apud Florum hiſtoricum. ❡ *Et aquas quæ ſupra expanſum*] Et aquas pluvias, quæ ſupra aërem noſtrum. dico aërem noſtrum, in quo vivimus, quæ eſt infima aëris regio, ſecundum Philoſophos. *Supra expanſum.*] מֵעַל לָרָקִיעַ Mercerus annotat עַל propriè uſurpari in contiguis, ut מֵעַל in non contiguis: *& ita differunt*, inquit, *in Latio ſuper & ſupra*. ❡ *Et fuit ſic*] וַיְהִי כֵן & fuit ita. id exponunt, fuit ratum, firmum, ſtabile. Quid ſi, *fuit rectum*? nam כֵּן rectum Cohel. 8. 10. & Num. 27. 7. Hieron. *& factum eſt ita*: כֵּן נַעֲשָׂה nempe ex ambiguo Græco καὶ ἐγένετο οὕτως: quod tamen exemplaria τῶν ό legunt in verſu qui hunc antecedit.

Verſ. 8. *Et vocavit Deus expanſum cælum, fuitque veſpera & fuit mane dies ſecundus.*

Expanſum] לָרָקִיעַ Sententia eſt, Voluit ut expanſum illud de quo dictum eſt, cœlum vocaretur. i. שמים nomine duali, quaſi dicas, *ibi ſunt aquæ*: שָׁם ibi, מַיִם aquæ. Quod nomen ſingulari caret, & etiam plurali. ſimiliter & מים tantum δυϊκῶς invenitur. Hic locum habet illud, *Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.* Alii alias etymologias adferunt אֵשׁ & מַיִם ignis & aqua: שָׂא & מַיִם tolle aquas. nos illam his probabiliorem indicavimus. ❡ *Cælum*] Ita Hieron. Senes quoque οὐρανὸν dixerunt numero ſingulari, quem temerè mutant Santes & editio Gallica. nam loquitur de uno cœlo, non de pluribus, hoc eſt, de cœlo aëreo, quod aquas inferiores à ſuperioribus diſtinguit. Sic latinè utimur nomine cœli, ut cum dicimus *cælum ſerenum, cælum nubilum, cælum temperatum*: & *aves cæli*, i. e. aëris. Auguſtinus de agone Chriſtiano cap. 3. *Cælum enim dicitur & iſte aer, ubi venti & nubes & procellæ & turbines fiunt, ſicut etiam Scriptura dicit in nonnullis locis, Et intonuit de cælo DOMINUS: & aves cæli & volatilia cæli, cum manifeſtum ſit aves in aëre volare, & nos in conſuetudine hunc aërem cælum appellamus. nam cum de ſereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus, Qualis eſt aer? & aliquando, Quale eſt cælum?* Idem de natura boni cap. 33. *Aër quandoque & cælum dicitur, non illud in quo ſunt ſydera, ſed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant. Nam & cælum nubilum dicitur, & volatilia cæli appellantur.* Eucherius in libros Regum pag. 175. *Aliud eſt cælum aëreum, & aliud cælum æthereum. Cælum quippe aëreum terræ eſt proximum: unde aves cæli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus.*

Verſ. 9. *Tum dixit Deus, Congregentur aquæ, quæ ſub cælo, in locum unum, & appareat arida: & fuit ſic.*

Tum dixit [vel, *dixerat autem*, videlicet ante abſolutum opus diei ſecundi. Quod ſi admittimus, quæ deinceps ſequuntur uſque ad verſ. XI. pertinent ad præcedentem ſecundum, non ad ſequentem tertium diem. ❡ *Congregentur aquæ*] vel, *congregetur aqua* i. συναχθήτω τὸ ὕδωρ, quod LXX. ita poſuerunt. ❡ *Quæ ſub cælo*] τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ. In fonte deſideratur relativum אשר, quod Hiero. & alii ſupplent. ❡ *In locum unum*] LXX. εἰς συναγωγὴν μίαν. videntur legiſſe מקוה pro מקום. Porro ut unum eſſe mare dicimus, & nihilominus multa maria legimus: ſic unus locus aquarum & multa loca, quæ aquam contineant, velut ſunt maria, lacus, ſtagna, fontes &c. Sic unam terram & multas terras legimus, & orbem terrarum qui & orbis terræ. Sic denique unum cœlum & tres cœli memorantur, unde Apoſtolus ſe raptum eſſe dicit in cœlum tertium. Sunt autem 1. aëreum. 2. ſydereum. 3. beatorum. ❡ *Appareat*] ὀφθήτω. Conſpiciatur, inquit, terra, quæ prius erat ſecundum LXX. ἀόρατος, i. non aſpectabilis ſive inviſibilis. Quanquam ſunt qui ἀόρατος aliter exponant, ut ibi diximus. Ὁρατὸς quidem certè interdum ſignificat virum ſpectabilem, ut etiam Procopius annotavit. ❡ *Arida*] ἡ ξηρά, & ſubintelligitur γῆ. Sic in nomine adjectivo יבשה ſubintelligitur ארץ vox fœminina. nos diceremus τὸ ξηρόν: ſiccum ſive aridum: nam fœminina Ebræi uſurpant pro neutris quibus carent. ❡ *Et fuit ſic*] In editione τῶν ό. poſt verba illa καὶ ἐγένετο οὕτως ſequitur hoc loco, καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά: i. *& congregata eſt aqua, quæ ſub cælo, in congregationes ſuas, & apparuit arida.* Quæ antiquitus obelo prænotata erant, ut annotavit Baſilius hom. 4. Eſt etiam ubi legatur, *in congregationem ſuam.*

Verſ. 10. *Vocavit autem Deus aridam, terram, & congregationem aquarum vocavit maria: & vidit quod bonum eſſet.*

Terram] hic aliter accipit nomen terræ quam ſupra cùm diceret, *In principio creavit Deus cælum & terram.* Siquidem ibi etiam τὸ ὑγρὸν complectitur: hic τὸ ξηρὸν tantum intelligit. Id partiuntur in orbem habitabilem, quam Ebræi תֵּבֵל Græci οἰκουμένην appellant, & in partem inhabitatam, quam ἀοίκητον vocant. ❡ *Congregationem aquarum*] ut ſunt varii ſinus Oceani: item lacus & ſtagna. Hiero. in Quæſtionibus, *Notandum quod omnis congregatio aquarum, ſive ſalſæ ſint ſive dulces, juxta idioma linguæ Ebraicæ maria nuncupentur: Fruſtra igitur Porphyrius Euangeliſtas ad faciendum ignorantibus miraculum eo quod Dominus ſuper mare ambulaverit, pro lacu Geneſaret mare appellaſſe calumniatur, cum omnis lacus & aquarum congregatio maria nuncupentur.* ❡ *Congregationem*] vel, *congregationes.* Quod in Editione noſtra Vulgata. Græci quoque legunt τὰ συςήματα τῶν ὑδάτων i. congregationes ſive collectiones aquarum. Supra יִקָּווּ. A. Sym. συςήτω. Onkelos & Jonathan, *locum congregationis aquarum.* ❡ *Maria*] Cur non dicit mare? An quia יָם propriè alveus maris? ita quidam opinantur. Suſpicor ego potiùs ipſum ſignificare voluiſſe ſinus maris, qui à gentibus quoque maria nuncupantur, ut mare Ponticum, Caſpium, Mediterraneum &c. ❡ *Vidit*] pro εἶδε quod in LXX. Aquila repoſuit συνεῖδε, i. e. intellexit. Cui rei auctor Procopius. Quadrat autem optimè cum iis quæ ſupra de ſenſu verbi ראה annotavimus. ❡ *Quod bonum eſſet*] totum opus ſecundi diei videlicet.

Verſ. 11. *Poſtea dixit Deus, Germinet terra germen, herbam ſementantem ſemen, arborem fructiferam edentem fructum ſecundum genus ſuum, in quo ſuum ſemen ſit ſuper terram: & fuit ſic.*

Poſtea] die tertio. ❡ *Germinet*] βλαςησάτω. Alii, *producat* i. תוציא quomodo locutus eſt infra verſ. 12. Germinet valet germen emittat. Ut à germine, germino, & à frutice, frutico: ſic à nomine דֶּשֶׁא, quod germen ſignificat, eſt verbum תדשא germinet. Nam herbificet quod pro eo repoſuerunt nonnulli latinum non eſt. Ceterum germino uſitatè הצמיח dicitur & germen צֶמַח i. e. βλαςὸν. Sed nos ſecuti ſumus Hiero. cum melius nihil occurreret. ❡ *Germen*] aut *gramen.* Job. 6. 5. דֶּשֶׁא Sym. χλόη, *gramen, herba virens.* Santes, *gramen.* דֶּשֶׁא עֵשֶׂב Hiero. *herba virens.* LXX. βοτάνην χόρτου. Id reddunt *herbam fœni*: alii, *herbam pabuli*, prætulerim ego, *herbam virentem*; Sanè χόρτος legitur de virenti herba Matth. 13. & de virenti gramine ac herba quavis 1. Petr. 1. דשא עשב propriè viror herbæ, quod idem cum illo, herba virens. דשא generalius accipitur apud Magiſtros, ut cum dicunt, die tertio creatas eſſe arbores herbas, i. דְּשָׁאִים & hortum. Vide Moſen Gerundenſem in hunc locum. ❡ *Herbam.*] & herbam. ἀσύνδετον. עשב propriè herba adulta, ut דשא tenera & virens, primumque è terra pullulans. דשא עשב poſſet etiam verti, *herbam graminis.* nam עשב gramen ſive deſectum fuerit, ſive non. Pſal. 102. 12. כעשב איבש *tanquam gramen exarui*, vel *ſicut fœnum exarui.* Herba graminis. Livius in primo ab urbe condita, *Fæcialis ex acie graminis herbam puram attulit.* ❡ *Sementantem ſemen*] σπερμάτιζον σπέρμα. Sic olim Aquila edidit. Hiero. *& facientem ſemen* עשה זרע. LXX. σπεῖρον σπέρμα, מַזְרִיעַ זֶרַע, quod invenies infra verſ. 29. Santes, *ſeminificantem ſemen*, quod barbarum eſt. Onkelos דְּבַר זַרְעֵהּ מִזְדְּרַע cujus ſemen ſeminatur, vel ſeipſum ſeminat. בר זרעא propriè filius ſeminis. Ita loquendo granum ſignificavit quod in ſemine, aut ipſum ſemen. Jonathan דְּבִזְרֵהּ מִזְדְּרַע cujus ſemen ſeipſum ſeminat. Innuit herbas quæ ſua ſponte creſcunt. בזר & בזרא ſemen. Vox eſt Arabica. In tractatu de cultu extraneo בזרא דכרפסא ſemen apii. Licet etiam vertere, cujus ſemen ſeminatur. Eadem vis in verbis illis מזריע זרע ſemen habentem quod ſeminari poteſt. ❡ *Arborem fructiferam*] LXX. ξύλον κάρπιμον. vertunt. *lignum fructiferum.* Sed ξύλον in lingua Helleniſtarum *arbor.* Malim igitur arborem fructiferam. i. e. καρποφόρον. Hieronymus, *lignum pomiferum.* id valet fructiferum. Nam poma dicuntur omnes fructus, qui ex arboribus eſui apti proveniunt. Et lignum, i. e. arbor, ut in illa editione paſſim; ſic *lignum vitæ*, arbor vitæ. Dictio עץ utrumque ſignificat. Chaldæi *arborem fructuum*, i. fructiferam. Fructus autem dicunt פירין ſive פירא. Hoc Jonathan uſurpat, illud Onkelos. ❡ *Edentem fructum*] vel, ferentem fructum. nam *facientem fructum* βαρβαρίζει. hoc adjectum quia quædam arbores, licet frugiferæ ſint, tamen fructus non ſemper ferunt: aut potius quod iſtæ arbores tum fructibus onuſtæ

stæ essent. nam in autumno mundum conditum perhibent. Solent autem eo anni tempore arbores fructus suos edere. ¶ *Secundum genus suum*] κατὰ γένος αὐτοῦ. pronomen desideratur in LXX. לְמִינוֹ alii reddunt *in genere suo*. Ad verbum, in genus suum: quod Aquila quondam transtulit εἰς γένος αὐτῶν. nam forte præcessit δένδρα κάρπιμα sive καρποφόρα. Quis hoc negare ausit? Hieron. *secundum speciem suam*. hic notabis ל valere *secundum*, i. e. κατά. Igitur κατὰ Ματθαῖον Ebraicè diceretur לְמַתַּי quod olim ita conjeci, nec adhuc pœnitet. מִין genus sive species: item hæresis, unde מִינִים & Minæi i. est hæretici. ¶ *In quo semen sit*] אֲשֶׁר זַרְעוֹ בוֹ. cujus semen sit in eo. Id LXX. transtulerunt οὗ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ: & Hieron. *cujus semen in semetipso sit*. Onkelos, *cujus semen in eo sit*: nam זרעיה בי est ipsum semen, ut diximus.

Vers. 12. *Et protulit terra germen, herbam sementantem semen, secundum genus suum, & arborem edentem fructum in quo suum sit semen secundum genus suum: & vidit Deus quod bonum esset.*

Protulit] produxit, ἐξήνεγκε. ¶ *Genus*] Sunt qui omnia sponte nascentia significari putant. ¶ *Secundum genus suum*] Hiero. *juxta genus suum*. Alibi habet, *secundum speciem suam*. idem aliter. non male etiam vertes, *in genere suo*: Ex hoc loco Græci legunt supra vers. 11. σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος, &c. Iidem de suo addiderunt utrobique, καὶ καθ' ὁμοιότητα: & secundum similitudinem. mirum unde sumpserint.

Vers. 13. *Fuitque vespera, & fuit mane dies tertius.*

Sunt qui legunt, *fuitque vespera, & fuit quoque mane diei tertii*. Sic *& fuit mane diei primi: Secundi* &c. Quod ex Abenezra hauserunt, qui non putat recte diem vesperam dici, cum vespera & mane constituant diem civilem, qui ex nocte & die naturali sive solari constat. νυχθήμερον Græci vocant. Vide sis Abenezram ad vers. 5. hujus capitis.

Vers. 14. *Dixit præterea Deus, Sint luminaria in expanso cæli, ut separent inter diem & noctem, & sint in signa, & in stata tempora, & in dies & in annos.*

Sint] existant. Prius ergo non extiterant. Si prius non extiterant, nec die primo creata sunt, ut quidam arbitrantur. Hier. hic habet, *fiant luminaria*, & LXX. γενηθήτωσαν. ¶ *Luminaria*] מְאֹרֹת absque articulo, i. e. φωστῆρες. Hinc argumentum petunt ad probandum prius, hoc est ante diem quartum, hæc luminaria non fuisse. Alioquin, inquiunt, dixisset הַמְּאֹרֹת adhibito articulo, hoc est, οἱ φωστῆρες. Targum utrumque, hoc est Onkeli & Jonathæ נְהוֹרִין i. lumina. Cicero in somnio Scipionis, *subter mediam fere regionem sol obtinet dux & moderator luminum reliquorum*, i. e. lunæ stellarumque. nam stellæ etiam inter luminaria sive lumina, quæ מְאֹרֹת dicuntur, cujus singularis מָאוֹר i. φωστὴρ quasi φωτιστὴρ dictus ab eo, quod terram illuminet; aut formatur tanquam à tertia persona pass. πέφωσαι, ἀπὸ τοῦ φώσκω, luceo, illucesco. Lexicon Hesychii φωστήρ. θυρίς. ¶ *In expanso cæli*] vel, in expansione cæli. hic non malè leges cum veteribus, *in firmamento cæli*. ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ. Siquidem ea pars cœli, in qua sunt luminaria, rectè στερέωμα vocatur propter soliditatem. Sane quidem Plato, ubi dicit Astrologiam versari circa στερεοῦ φορὰν, per στερεὸν, cœlum intelligit. Significat autem στερεὸν firmum, solidum, stabile. Qua ratione Homerus χάλκεον οὐρανὸν dixit & χαλκοβατὲς δῶμα, & quandoque σιδήρεον οὐρανόν. Quæ omnia significant cœli regionem illam supremam firmissimam & solidissimam esse. Siquidem ære ac ferro nihil solidius. Nec obstat expansi vocabulum aut etiam cœlorum vox, quæ hic aliter accipuntur quam supra. Ibi enim ad aërem infimum restringi diximus: hic latius extenduntur ad locum superiorem, quem τὸν ἄνω τόπον appellat Aristoteles, h. e., ad omnia ea quæ supra nos sunt. Enimvero quam longè lateque prospiciunt oculi nostri, totum illud spatium (in quo puri ac sereni aëris serenitas viget, in quo item iste aër turbulentus & procellosus agitatur) ab Ebræis רָקִיעַ & שָׁמַיִם appellatur. ¶ *Ut separent inter diem & noctem*] Prius lux separaverat diem à nocte? quid ergo sole opus erat? An prima illa lux, quæ ante per se lucebat, nunc non nisi per solem lucet? ita multi opinantur, & probabile videtur. Quanquam sunt qui distinguant inter lucem solis & lucem diei: *quem sol illustrat, dies sane*, ut ait Ambrosius. Basilii verba sunt hac de re in catena Patrum digna legi, *Si lucis*, inquit, *ortus solem anticipavit, cur nunc sol ut illuminet terram exortus dicitur esse? non adversantur hæc illis sane quæ de luce dicta sunt. Tunc enim ipsa natura lucis orta, nunc autem hoc solis corpus extructum est, ut illi primogeniæ luci vehiculum esset. nam uti alia diversaque sunt, & non eadem ignis atque lucerna, & ignis quidem illuminandi vim obtinet, lucerna autem ideo facta est, ut ignem eorum caussa gerat, quibus illo opus est: sic & illi purissimæ, sincera materiaque vacanti luci, vehicula nunc ipsa luminaria sunt extructa.* ¶ *In signa*] in signa tempestates indicantia, cujusmodi nautæ & agricolæ diligenter observare solent. Augustinus de Genesi ad litteram, *Neque enim illa dicit signa quæ observare vanitatis est, sed utique utilia & hujus vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aëris qualitates per æstatem & hyemem, & autumnalem vernalemque temperiem.* Isidorus Orig. lib 3. col. 84. *Quædam stellæ idcirco signa dicuntur, quia eos nautæ observant in gubernandis navigiis, contemplantes aciem fulgoremque earum. Sed & omnes homines ea intendunt ad prævidendum aëris qualitates per æstatem & hyemem vernalemque temperiem.* (leg. *autumnalem vernalemque temperiem*, ex August. loco modo citato.) *Ortu enim vel occasu suo certis stationibus temporum qualitates significant.* Abenezra intelligit ecclipses & saltus stellarum. Quo sensu accipi putarim Jerem. 10. 2. *A signis cæli ne terreamini.* & Luc. 21. 25. *Erunt signa in sole & luna.* Quod alibi, *Sol obscurabitur & luna mutabitur in sanguinem.* ¶ *In stata tempora*] vel *in solennitates*, quas alia translatio nominat, inquit Procopius, stata festa, quemadmodum & Sirach de luna verba facit dicens c. 43. 7. & 8. *Et lunam fecit ad stationem, ad tempus suum, indicium temporum & signum seculi. A luna est signum festorum, lumen sive luminare in fine decrescens.* Onkelos לְזִמְנִין in tempora. Sic etiam Hiero. Santes & alii. LXX. εἰς καιροὺς, quæ vox non tam tempus significat, quam ipsum articulum temporis, hoc est, opportunitatem rei agendæ. Florem temporis, teste Steucho, i. e. ἄνθος τοῦ χρόνου, appellat Plato. Jonathan לְזִמְנֵי מוֹעֲדַיָּא in tempora solennitatum. Autor Jerosolymitanæ לְמוֹעֲדִין in solennitates. *In tempora*, id est, לְעִתִּים. Aliud עֵת aliud מוֹעֵד. moneo tamen עֵת aliquando καιρὸν significare. Sic tempus in latio, & legimus apud Terentium, *in tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.* עֵת tempus denotat, veluti cum dicimus quatuor esse anni tempora, hyemem, æstatem, autumnum, & ver. מוֹעֵד est tempus certum, statutum, quo homines convenire solent alicujus rei & potissimum sacrorum caussa. Sunt autem hujusmodi tempora secundum quosdam in Lege, Pascha, Pentecoste, Festum tubarum, Festum expiationum, Festum tabernaculorum, Octava tabernaculorum. ¶ *In dies & in annos*] Onkelos, *ad numerandum per illa dies & annos.* In eandem sententiam vertit etiam Jonathan. Autor Jerosolymitanæ, *Ad sanctificandum per illa capita mensium & annorum.* Jonathæ verba quia paucis lecta aut visa, etiam latinè reddam, *Ad numerandum per illa* (luminaria) *rationem dierum, & ad sanctificandum capita mensium & capita annorum, embolismos mensium & embolismos annorum, & revolutiones solis & coitum lunæ, dierumque conversiones, quæ מחזורין vocantur.* Cyclos vocant, ut cum dicunt lunam cursum suum absolvere per reciprocam revolutionem annis novendecim, & solem annis viginti octo. En duo cycli. Prior vocatur cyclus minor: posterior, qui solis est, appellatur cyclus major. Addit Elias Judæus à condito mundo usque ad tempus quo suum Thesbi edidit effluxisse cyclos centum nonaginta & annos novem. Vide, si placet, in radice חזר. ¶ *In dies*] Dies civilis tribuitur in diem & noctem. Dies aliud nihil est quam aër illuminatus à luce sive à sole, hoc est spatium illud quo sol in hemisphærio nostro moram trahit. Nox est cum luna & stellæ lucent, luce, ut creditur, aliena. nam lumen suum à sole mutuantur. Porro dierum nomine & menses designat, qui ferè lunares erant apud Ebræos, ut etiam apud Græcos, unde μὴν & μήνη, quorum hoc lunam, illud mensem denotat. Sic apud Ebræos יָרֵחַ est luna & יֶרַח mensis & πληθυντικῶς יְרָחִין menses. Est autem spatium triginta dierum, quod luna motu suo conficit abeundo à sole & ad eum redeundo. Theodor. ἐκ δὲ τοῦ δρόμου τῆς σελήνης τῶν μηνῶν μανθάνομεν ἀριθμόν. διὰ τριάκοντα γὰρ ἡμερῶν μῆνα προσαγορεύομεν, ἐπειδὴ καὶ τὴν σελήνην προσαγορεύομεν μήνην: *at verò ex lunæ cursu mensium numerum discimus. Triginta enim diebus* (sex horis minus) *cursum suum conficit, quem mensem appellant*, id est, μῆνα, *videlicet ab ipso lunæ nomine, quæ μήνη dicitur.* ¶ *In annos*] Sol ad idem punctum unde abeundi initium fecit reversus annum constituit solarem, ut luna duodecies suo curriculo confecto eum quem lunarem appellitant, qualis erat olim annus Judæorum. Sunt etiam errantes stellæ, quas planetas vocant Astrologi, quæ majores annos suo circuitu faciunt, quando ad eundem cœli locum redeunt. Junilius, *Stella quæ Saturni dicitur, triginta annis, quæ Jovis, duodecim annis, quæ Martis, duobus annis fertur solaribus, circuitu cæli expleto, ad eadem loca syderum, quibus fuerant ante, redire. Luna quoque cum duodecies spatia sui cursus peregerit, annum facit communem dierum 354. Et ut anno solari possit concordare circuitus, tertio quoque vel secundo anno, tertium decimum addunt mensem, quem embolismum vocant calculatores, & fit dierum 384.*

Verſ. 15. *Et ſint luminarium loco in expanſo cœli ad illuminandum ſuper terram: & fuit ita.*

Luminarium loco] לִמְאוֹרֹת in luminaria, hoc eſt, pro luminaribus, ſive qui vicem luminarium præſtent. Quale illud, *fuit ei in uxorem* i. pro uxore aut uxoris loco. Sic dicunt *in nutricem eſſe.* Purus putus Ebraiſmus, quem non aſſecuti ſunt qui vertunt, *Sint inquam luminaria.* וְהָיוּ מְאֹרֹת abſque lamed. LXX. καὶ ἔστωσαν εἰς φαῦσιν. Eſt autem φαῦσις ipſa lucendi actio. Interpretes *illuminationem* reddunt. Auguſtinus, *ſplendorem*, ſupra εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, quod in uno vetuſto codice εἰς φαῦσιν τῆς γῆς. Hier. *ut luceant.* lectio varians, *& luceant.* Ut luceant לְאוֹר. Et luceant וְאוֹר vel ſi placet וְאוֹרוּ. Uterque Chaldæus וִיהוֹן לִנְהוֹרִין *& ſint in luminaria*, i. luminum loco ſive pro luminibus. ¶ *Ad illuminandum ſuper terram*] לְהָאִיר עַל הָאָרֶץ ut illuminent ſuper terram. Prius erat in edit. Hiero. *ut illuminent terram* לְהָאִיר הָאָרֶץ LXX. ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς. Sic alter Interpres Chaldæor. Jonathan. nam לְאַנְהָרָא ad lucendum. Sic Ezech. 43. 2. הֵאִירָה Santes poſt Hiero. *ſplendebat*: & LXX. ἐξέλαμπε. Item Pſal. 118. 27. וַיָּאֶר לָנוּ LXX. καὶ ἐπέφανεν ἡμῖν. Santes, *& illuxit nobis.* Similiter Exod. 25. 37. וְהֵאִיר Hiero. *ut luceant.* In his locis האיר verbum eſt ἀπολελυμένον i. neutrum & abſolutum, ſi non fallunt nos Interpretes illi. Igitur לְהָאִיר tàm poteſt reddi *ut luceant*, quàm *ut illuminent*, & potius *ut luceant*, cum ſequatur עַל הָאָרֶץ & non הָאָרֶץ hoc pono, non ſtatuo. Docti expendent. Ceterum in Onkelo eſt לְאַנְהָרָא ad illuminandum. Quod fugit, non effugit. מארת למארת aliis apicibus ſonat לִמְאֵרַת in maledictiones. Tradunt autem hunc diem maledictum eſſe, in quo ſynanche ſive angina maximè pueros infeſtet. Quocirca eo die inſtituerunt jejunium. R. Salomo, *deeſt vau in ſcriptura nominis* מארת, *quia dies eſt maledictus quo ſynanche cadit in pueros, hoc eſt quod tradiderunt doctores, In quarto jejunabant propter anginam ne irrueret in pueros ſive infantes.* Anginam אַסְכָּרָה appellat. Elias Thisbites, *In monumentis doctorum noſtrorum pia memoria ſcriptum eſt, Die quarto jejunant propter anginam quæ caderet ſuper infantes.* vult dicere ne eo die, ut ſolet, corriperet eos. De hoc morbo idem ibidem, אסכרה *eſt morbus qui obturat os aſperæ arteriæ quæ in gutture eſt, unde moritur homo* לפי שעה *in hora ſive momento.* Hinc lucem facies illi loco Euangelii, *Jejuno bis in Sabbatho.* Nam & die ſecundo jejunabant, ſed ob aliam cauſſam. Adi ad Quæſita mea.

Verſ. 16. *Fecit igitur Deus duo luminaria magna: luminare majus in dominatum diei, & luminare minus in dominatum noctis; & ſtellas.*

Duo luminaria magna] ſolem & lunam intelligit. luna vocatur luminare magnum ratione habita ſtellarum, quæ minora luminaria dici poſſunt, etiam reſpectu lunæ. Primum quia minora apparent: deinde quia minus lucent. ¶ *Luminare majus*] אֶת־הַמָּאוֹר הַגָּדוֹל luminare illud magnum, id eſt, ut LXX. interpretantur τὸν φωστῆρα τὸν μέγαν, & Onkelos יַת־נְהוֹרָא רַבָּא lumen illud magnum. ¶ *In dominatum diei*] vel, *ad dominium diei.* hoc eſt, interprete Hiero. *ut præeſſet diei*: LXX. εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, in principatum diei. Fortè legerunt לְמֶמְשֶׁלֶת aliis apicibus quam nunc legunt Ebræi: aut legendum in eorum libris εἰς ἀρχὴν τῆς ἡμέρας. Quomodo ſane legiſſe videtur Auguſtinus in ſecundo de Geneſi ad literam: itemque interpres Origenis. nam uterque habet, *in principatum diei.* Pro quo Pſal. 135. εἰς ἐξουσίαν legitur, i. in poteſtatem. τὸν ἥλιον εἰς ἐξουσίαν ἡμέρας. Ceterum ambiguitas vocis ἀρχὴ quibuſdam impoſuit ut verterent, *in principium diei*, ſive *in inchoationem* aut *initium.* Onkelos & Jonathan לְמִשְׁלַט בִּימָמָא *ut dominetur in diem.* לְמְשׁוֹל בַּיּוֹם ¶ *Luminare minus*] אֶת־הַמָּאוֹר הַקָּטֹן luminare illud parvum, τὸν φωστῆρα τὸν ἐλάσσω. Parum autem dicit comparatum ad ſolem, quod alioqui per ſe aut comparatione ſtellarum magnum eſt. ¶ *In dominatum noctis*] *ut præeſſet nocti*, interpres vetus. Præeſt autem nocti, quia noctem aliquantum illuſtrat, beneficio mutuati, ut ajunt, à ſole luminis: quod tamen ei commune cum ſtellis. Hoc tantum intereſt quod lunæ lumen majus ſit lumine ſtellarum. ¶ *Et ſtellas*] καὶ τοὺς ἀστέρας, Nomen Ebræum כּוֹכָבִים etiam ſidera denotat, quæ ex ſtellis pluribus conſtant. Ideo malim, *& ſidera.* Nam ſidus quandoque pro ſtella ponitur, ſed non contra. כּוֹכָב autem utrumque ſignificat: Sidera, h. e. τὰ ἄστρα: quo nomine interdum ſtellæ ſingulæ veniunt: contra ἀστὴρ pro ἄστρον uſurpatur. Inter aſtra & ſidera Iſidorus ita diſtinguit: ſidera, inquit, ex ſtellis pluribus conſtant, aſtra ſunt ſtellæ grandiores. Neſcio quam rectè. Dixi ſtellam non uſurpari pro ſidere. Id muto, ſi apud Ovidium milvius eſt aut olor Arati, aut Aquila. Verba Ovidii ſunt in tertio Faſtorum.

Stella Lycaoniam vergit declivis ad Arcton
Milvius: hæc illa nocte videnda venit.

Verſ. 17. *Et poſuit ea Deus in expanſo cœli ut illuminarent ſuper terram.*

Verſ. 18. *Et ut dominarentur in diem & in noctem, atque ſepararent inter lucem ac tenebras: & vidit Deus quod bonum eſſet.*

Verſ. 19. *Fuitque veſpera & fuit mane dies quartus.*

Ea] luminaria. Hiero. Santes & alii, *poſuit eas*, nempe ſtellas. Græca tranſlatio ambigua eſt, καὶ ἔθετο αὐτούς. nam pronomen referri poteſt tam ad τοὺς ἀστέρας, quam ad τοὺς φωστῆρας. i. luminaria. Talis ambiguitas & in Ebræo. ¶ *Et poſuit*] וַיִּתֵּן & dedit. Sic Chaldæus alter וִיהַב dare & ponere viciſſim permutantur. Jonathan וסדר, & ordinavit. Alius, *& collocavit.* Infra in hoc libro, *quia poſuit eum Deus pro Habel*, i. dedit. Poſuit, i. ἔθετο. *Dicta ſidera*, inquit Varro, *quia inſidunt.* *inſidunt* i. ἐστήρικται: unde ἀστέρες. Hinc fortè & στερέωμα quod in eo ſidera ἐστήρικται. ¶ *Ut illuminarent ſuper terram*] Hieron. *ut lucerent ſuper terram.* Cur hic ita: alibi aliter vertit? An quia להאיר utrumque ſignificat? Vide quæ notavimus ad verſum decimum quintum hujus capitis. Nam Græci & Chaldæi nihil variant. Biblia Vatabli, *ut illuminarent terram.* לְהָאִיר הָאָרֶץ ¶ *Et dominarentur in diem ac noctem*] LXX. καὶ ἄρχειν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτός. ὥστε ἄρχειν i. למשלט quod in Thargumin dicunt etiam ἐξουσιάζειν eodem ſenſu. licet etiam vertere, καὶ κυριεύειν. Hiero. *& præeſſent diei ac nocti.* ¶ *Et ut ſepararent lucem inter & tenebras*] Aut aliud eſt *dominari in diem ac noctem*, & *ſeparare lucem à tenebris*: aut, ſi idem eſt, copula (&) hic ponitur ἐξηγητικῶς: id eſt, ut ſepararent lucem a tenebris, ſive quod idem, diem à nocte. Quanquam ſunt, qui diſcrimen ponunt inter hoc & illud. Ut ut ſit, dominatus iſte potiſſimum in luce conſiſtit, quam luna & ſtellæ, ut Philoſophi tenent, à ſole mutuantur; cujus beneficio tenebras noctis aliquantum ſuperant. Quo facit illud Jer. 31. 35. *Sic dicit DOMINUS qui dedit ſolem ad lumen interdiu, ſtatuta lunæ ac ſtellarum ad lumen noctium.* ¶ *Fuitque veſpera*] Hiero. *Et factum eſt veſpere.* i. בָּעֶרֶב adverbialiter: quod Græci dicerent πρὸς ἑσπέραν. non ſe probat mihi: non aliis, qui veſpere mutarunt in veſpera.

Verſ. 20. *Et dixit Deus, Producant aquæ reptile animæ viventis, & aves volent ſupra terram in ſuperficie expanſi cœlorum.*

Producant] יִשְׁרְצוּ producant more reptilium, hoc eſt, in magna copia & abundantia. Verbum שרץ latiſſimè patet. nam uſurpatur de avibus, jumentis, reptilibus, Gen. 8. 17. de hominibus 9. 7. de ranis, Exod. 7. 28. Pſalm. 105. 30. Rurſum de hominibus, Exod. 1. 6. וַיִּשְׁרְצוּ ubi Aquila ἐξείρπυσαν, & Symmachus ἐξήρψαν, ereperunt, proreptarunt. LXX. hic habent ἐξαγαγέτω, Hiero. *producant*: quem ſecuti ſumus: Onkelos & Jonathan, יִרְחֲשׁוּן id eſt, interprete Fagio, movere faciant. Certe רחש ſignificationem habet תנועה, ut Moſes Gerundenſis obſervat. Scribo autem יִרְחֲשׁוּן potius, quam יַרְחִישׁוּן ut in Jonatha legitur. Santes, *reptificent*; quod plane barbarum eſt. malim *reptent*, id eſt, reptilium in morem edant ſive producant. ſane verbum *repto* interdum cum accuſativo conſtruitur. Plautus, *reptant caput.* Tacitus, *& adhuc reptabat Africam Tacfarinas.* ¶ *Aqua*] Jonathan, מן רקקי. Eſt autem רקק lutum, cœnum, πηλός. Tenent autem Ebræi aves partim ex aqua partim ex terra factas eſſe, hoc eſt, ex cœno quod ex aqua & terra mixtum. ¶ *Reptile animæ viventis*] id eſt, reptile animatum. licet etiam vertere, *reptile, animam viventem*, ut ſit appoſitio. LXX. ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν: reptilia animarum viventium & animantia ſive animata. ¶ *Reptile*] שֶׁרֶץ Hiero. vertit, *reptile*: nec mutant interpretes præter unum, qui transfert, *natatiles animantes.* Scire licet præterea quæ ἑρπετὰ dicuntur, hoc nomine & aves & piſces contineri. Itaque legimus Levit. 11. 10. שֶׁרֶץ הַמַּיִם reptile aquaticum, i. νηκτόν, natatile, & verſ. 20. שֶׁרֶץ הָעוֹף reptile avium i. volatile, volucre. Appellatio ab aſſiduo motu: nam שרץ moto vel moveo. Idem רחש in lingua Chaldæorum, unde רִחֲשָׁא quo uſi ſunt hoc loco interpretes ejus linguæ. R. Salomo שֶׁרֶץ inquit, *vocatur omne animans quod non admodum ſupra terram elevatur, ut in avibus muſca: in reptilibus formica, ſcarabæi, vermes: in beſtiis, muſtela vel felis, mus, limax vel teſtudo, & omnes piſces.* Ceterum ut piſces repere dicuntur: ſic è contrario aves nare per aëra, & Dædalus remigio alarum inſuetum per iter gelidos enavit ad Arctos. ¶ *Animæ viventis*] vivere proprium eſt animæ; nam omnis anima vivit. Cur ergo addidit *viventis*? An eſt epitheton perpetuum? ſcilicet נפש uſurpari de corpore mortuo. Adhæc occidere animam dicitur qui vitam alicui adimit. ¶ *Et aves volent*] וְעוֹף יְעוֹפֵף *& avis volet.* Quidam, *Producant aves*, עוף אשר יעופף quæ volent

volent, id est, *πετεινὰ πετόμενα*; ut interpretantur LXX. volatilia volantia. Id Hiero. dixit *producant volatile.* Cave rejicias. Nam etiam Onkelos habet, יפרח עופא avem quæ volet: & Jonathan, פרחין עופא quod in idem recidit. Omitto veteres Ebræos, qui hinc eliciunt aves ex aqua factas. Quod ita declarant, ut dicant, etiam ex terra factas, videlicet ex luto quod in fundo maris. lutum enim ex terra & aqua constat. ¶ *In superficie expansi cælorum*] vel, *in expanso cæli*, hoc est, in aëre. Hunc sensum expressit, qui vertit, *per aërem.* LXX. *κατὰ τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ.* Id alii reddunt, *secundum firmamentum cæli*; alii, in queis Ambrosius, *secus firmamentum*: alii denique, ut Tertullianus adversus Hermogen. *per firmamentum.* Notum ut על etiam *secus* denotet. Nam eadem particula ibi, *Et erit sicut arbor plantata secus rivos aquarum.* Hieron. *sub firmamento cæli*: תחת רקיע Tremellius, itemque Gallica Editio, *versus superficiem expansi.* Sic interpretantur Exod. 9. 22. *extende manum tuam* על השמים versus cœlum. Quod Ebræi enarrant אל השמים ad cœlum i. cœlum versus. Jonathan, על אויר רקיע שמיא in aëre expansionis cœli.

Vers. 21. *Et creavit Deus cetos ingentes, & omnem animam viventem, quæ motat, quam produxerant aquæ, secundum species suas, & omnes aves alatas, secundum species suas: viditque Deus quod bonum esset.*

Creavit] non ex nihilo, sed ex materia. Sic infra legimus hominem creatum ex limo terræ. LXX. *καὶ ἐποίησε*, & *fecit.* Usurpant ἐποίησε pro ἔκτισε, ut supra vers. 1. ubi ea translatio quibusdam ansam erroris præbuit, ut putarint mundum initio ex certa materia creatum fuisse. ¶ *Cetos ingentes*] vel, *cetos magnos*, Hiero. *cete grandia.* LXX. *τὰ κήτη τὰ μεγάλα* nam Græci *τὸ κῆτος* dicunt: unde est cetos in recto apud Celsum. Κῆτος κήτη: ut βῆλος, βέλη. Virg. *tum varia comitum species, immania cete.* Quæ Græca declinatio est, inquit Servius, nam latinè sic declinari non potest. R. Salomo, תנינים sunt pisces magni qui in mari. Vox Ebræa etiam *dracones* exponitur Psal. 148. 7. Sic Jesa. 27. 1. ubi Hiero. *occidit cetum qui in mari*, LXX. *τὸν δράκοντα.* retulerunt i. draconem. Quam interpretationem duo testes fide digni confirmant. Primus est Jos. Gorione natus, qui draconem illum, quem Daniel occidit תנין appellat. Alter est Avicenna Medicus draconem marinum Arab. *Thennin bahari* nuncupans. *Thennin*, i. תנין quod nunc scribunt תנין *Thannin.* Similis varietas in מלכי צדק & *Melchi sedec.* hinc est quod quidam faciant duo genera draconum. Unum eorum quos dracones terrestres appellant; alterum est eorum quos marinos vocant. Hi sunt pisces cetacei generis, inter quos θύννος, i. thunnus sive thynnus ab Ebræo תנין, ut credibile est, ita dictus. Athenæus lib. 7. *νομίζω δὲ γενομένην θύννον. ἔτι δὲ μείζονα ὄρκυνον. ὑπερβαλόντως δὲ αὐξανόμενον, κῆτος.* Quanquam enim non propriè cetus sit, ut qui pulmonibus careat (testis Gesnerus) inter cetaceos tamen pisces numeratur, qui magnitudinis suæ respectu, quanquam branchias habeant, ut propriè dicti pisces, cete vocantur. ¶ *Ingentes*] Aut est epitheton perpetuum, aut additum, ut in eo genere qui magnitudine præstabant, significarentur. Quod affirmat Theodoretus per hæc verba, *κήτη γὰρ ἅπαντα τὰ ἐν τοῖς ἐνύδροις ὑπερμεγέθη καλεῖ, κἂν διαφορά τις φαίνηται ἐν αὐτοῖς, ὅθεν προσέθηκε τὰ μεγάλα.* ¶ *Quæ motat*] Alii, *quæ repit* sive *repentem.* repo רמש dicitur: רמש latius patet. Ideo verti *quæ motat.* Ante Hieronymus ediderat, *atque motabilem.* Idem in Comment. Habac. 1. רמש *vocatur propriè τὸ κινούμενον, omne videlicet quod moveri potest.* Et Psalm. *In ea movebuntur omnes bestiæ agri*, ubi רמש in Ebræo, & R. David interpretatur הלך. Similiter hoc in loco Abenezra. רומש, inquit, id est הולך *incedit*, *ambulat.* Sunt etiam qui רמש per sin, confundant cum רמס per samech, quod propriè *calcare* significat. ¶ *Quam produxerant aquæ*] circumloquitur pisces reliquos. Est enim piscis aliud nihil quam animal motabile natatile ex aqua productum. Sic non malè quis ex hoc loco definiet. Hic duo notanda. Primum falli eos qui verbum ברא ad cetos & hominem restringunt: deinde quod supra vertimus, *& aves volent super terram*, id ex hoc loco firmari potest. nam sequitur, *& omnes aves alatas secundum* &c. ¶ *Secundum species suas*] *κατὰ γένη αὐτῶν*, secundum genera sua. Ita certe LXX. nam quod in Hiero. *in species suas*, minus se probat mihi. mox idem edidit, *secundum genus suum.* ¶ *Omnes aves alatas secundum species suas*] כָּל־עוֹף כָּנָף לְמִינֵהוּ *omnem avem alæ juxta speciem suam*, vel si mavis, *secundum genus suum.* Avis alæ i. alata, sive quod idem, *pennata* i. *πτερωτός.* Ennius dixit, *genus pennis decoratum.* Unde & *pennipotentes*, avium epitheton vel quod pennis valeant, vel quod pennis potiantur.

Vers. 22. *Et benedixit eis Deus, dicendo, Fructum edite & multiplicamini & implete aquas in maribus, & aves multiplicentur in terra.*

Vers. 23. *Fuitque vespera & fuit mane dies quintus.*

Benedixit] vim prolificam indidit, hoc est, fœtum & prolem procreandi. ¶ *Fructum edite*] Fructus animalium aliud nihil est quam fœtus; itaque alii reddunt, *fœtificate*, quod mihi non displicet. nam *fructificate* latinum non est. siquidem non dicimus *fructum facio*, quemadmodum rectè dicimus fœtum facio. Hiero. *Crescite*: quod ambiguè dicitur: nam crescit & qui major fit & qui numerosior evadit, hoc est, qui numero augetur. Sic crescit pecunia quando augetur. Expressit ergo quod in Græco *αὐξάνεσθε* quod reddunt crescite. ¶ *Fœtificate & multiplicamini*, i. fœtus multiplices procreate. ¶ *Aquas in maribus*] אֶת־הַמַּיִם בַּיַּמִּים *τὰ ὕδατα ἐν ταῖς θαλάσσαις*, id est, aquas marium. maria autem dicimus, ut exempli gratia mare Caspium, mare Ponticum, mare Mediterraneum, &c. item lacus & stagna. Sic mare quandoque in Latio pro quacunque grandiore aqua usurpatur, ut frustra sit Porphyrius, qui hinc Euangelistis calumniam fecit. Minus rectè Hiero. *aquas maris.* nam si hoc voluisset Moses, dixisset מֵי הַיָּם ¶ *In terra*] nam pleræque in terra degunt, ex terra victum quærunt: omnes in terra fœtum edunt.

Vers. 24. *Dixit quoque Deus, Producat terra animam viventem secundum speciem suam, jumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas: & fuit ita.*

Producat] תּוֹצֵא *ἐξαγαγέτω.* ¶ *Animam viventem*] animalia. ¶ *Secundum speciem suam*] vel, *juxta genus suum*, LXX. *κατὰ γένος.* Hiero. *in genere suo.* ¶ *Jumenta*] בְּהֵמָה jumentum, i. e. *κτῆνος.* Alibi latè sumitur pro quavis bestia. Jumentum dicitur à juvando. nam homines adjuvat aut vectando aut arando. Inter בהמה & חיה quidam ita distinguunt ut בהמה sit bestia domestica & cicur: חיה verò bestia fera. LXX. hic habent *τετράποδα* i. quadrupes aut quadrupedia, ut animalia subintelligatur. Sic Græci *τετράποδα ζῶα*, & sine adjectione *τετράποδα.* Moses is quem Gerunda genuit, nomine בהמה ait proprie designari eas bestias, quæ gramine ac fœno vescuntur, sive domesticæ fuerint sive agrestes aut etiam sylvestres: חיה autem feram dici quæ carnibus vescatur. Cui informando est quod in sequentibus bestiis terræ communem cum בהמה i. jumentis herbæ pastionem assignat, tum etiam quod legitur Jerem. 9. *dedi cadavera eorum in cibum avibus cæli* וּלְבֶהֱמַת הָאָרֶץ *& bestiis terræ.* ¶ *Et reptilia*] Secutus sum Hiero. Græci quoque *καὶ ἑρπετά.* Nec vidi adhuc qui mutaret. רֶמֶשׂ ergo reptile, i. רחש. Utrumque Chaldæi per רחש interpretantur. R. Salomo, רמש *appellantur reptilia quæ humi repunt seque motant ac trahunt & serpendo ita procedunt ut incessus eorum nos lateat.* Est tamen discrimen aliquod. nam רֶמֶשׂ latius patet. Quippe ad terrestres quoque animantes quæ pedes attollunt gradiendo super terram extenditur. Quanquam hoc in loco strictè reptilia denotet. ¶ *Bestias terræ*] חַיְתוֹ אֶרֶץ nove dixit pro חַיַּת אֶרֶץ i. bestias terræ sive terrestres. Quo nomine comprehendit omnes bestias præter jumenta & reptilia. In editione τῶν ό. *καὶ θηρία τῆς γῆς.* verto, *& bestias terræ.* Lex. vet. *θηρίον*, bestia, fera. *θηριομάχος*, bestiarius. Onkelos, חַיַּת אַרְעָא. Jonathan, וּבְרִיַּית אַרְעָא. Est autem בְּרִיָּא, quod hinc primum erui, bestia. Itaque R. Salomo inter חיה recenset mustelam sive felem & murem & testudinem sive limacem. Gen. 1. 20.

Vers. 25. *Sic fecit Deus bestias terræ secundum species suas, & jumenta secundum species suas, & omne reptile terræ juxta speciem suam, & vidit Deus quod bonum esset.*

Sic fecit] vel, *fecit igitur*, in Ebræo est, *& fecit.* Copula ו tam varium usum habet, ut nescias aliquando quomodo latinè reddenda sit. Quocirca nonnulli eam perpetuo per (&) interpretantur: quod sæpe orationem obscuram reddit. ¶ *reptile terræ*] non idem nomen nunc est in fonte atque supra cum diceret, *Et fecit Deus bestias terræ.* Nam ibi terra ארץ vocatur: hic verò appellatur Adama i. אדמה nempe à genuino ejus colore, qui rufus est, si credendum Josepho. Josephi verba sunt Antiqui. lib. 1. cap. 2. Ubi cum dixisset hominis appellationem esse à terra, quandoquidem *ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει*: subjicit, *Τοιαύτη γάρ ἐστιν ἡ παρθένος καὶ ἀληθινὴ γῆ.* Hinc sumpsit Hesychius, nisi fallor, *Ἀδαμὰ παρθένος καὶ γῆ*, Plinius, *terra alia est rufa, alia cineracea.* Interdum etiam pullus terræ color: qualem se ferè exhibet cum aquis madefacta est.

Vers. 26. *Et ait Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, & dominentur in pisces maris, & in aves cæli, & in bestias, & in omnem terram, & in omne reptile quod repit super terram.*

Faciamus hominem] sic alibi, *Descendamus & confundamus ibi labium ipsorum.* locus habetur Gen. 11. 7. Est ubi reperiatur, *Faciam ei auxilium*, videl. Gen. 2. 18. Ita modo singulariter, modo pluraliter loquitur. Ceterum hominem hoc in loco אָדָם vocat à terra, unde formatus fuit, quæ Ebræis Adama dicitur. Sic homo ab humo, ut quidam opinantur. Dicitur & אנש, unde אֱנָשָׁא quod Onkelos usurpat, cum in ceteris sit אָדָם. ¶ *Hominem*] utriusque sexus, nam etiam fœmina אדם, id est, homo vocatur infra 5. 2. Et *vocavit nomen eorum homo.* Num. 31. 35 *Anima hominum è mulieribus, quæ non cognoverunt coitum masculi.* Vulg. *animæ hominum sexus fœminei, quæ non cognoverunt viros.* Hinc intelligimus, cur Jonathan Jes. 44. 13. nomen אדם interpretetur per nomen אִתְּא quod fœminam sive mulierem denotat. ¶ *Ad imaginem nostram*] ita Hier. quem secutus sum. alii, *in imagine nostra*, & sic est in Ebræo ad verbum. ב enim propriè sonat (*in*) non (*ad*) LXX. κατ' εἰκόνα ἡμετέραν. legerunt, ut apparet, Caph pro Beth. Forte an & Hiero. ita legit. nam ad imaginem i. κατ' εἰκόνα. Onkelos, בצלמנא *in imagine nostra.* Sic etiam Jonathan & auctor Jerosolymitanæ. R. Salomo explicat בדפוס שלנו *in typo nostro.* Igitur צֶלֶם typus. Moses Gerundensis, *in forma nostra.* Formam autem תאר vocat. Eadem צורה dicitur. Qua voce utuntur cum dicunt, *nomen hominis cadit in formam non in materiam.* Verba sunt apud Manahemum Ricinensem fol. 13. שם אדם נפל על הצורה לא על החמר sententia est, homo dicitur non id quod videmus, sed anima hominis. hoc intelligendum de homine creato ad imaginem Dei. nam etiam materia אדם dicitur, ut ibi, *Et formavit Deus hominem pulverem è terra.* Huc pertinet illud Syriani à Steucho laudatum, ὁ νοῦς ὁ ἐν ἡμῖν ἄνθρωπός ἐστι κυρίως. i. *mens quæ in nobis propriè homo est.* Denique Plato huc respexit cum diceret humanam formam θεοειδῆ esse, ut & Sybilla, cujus iste versiculus circumfertur εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμὴ λόγον ὀρθὸν ἔχουσα. Ut hic homo, sic apud Apostolum Coloss. 1. Christus appellatur εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου: nempe quia in eo incarnato Deus suapte natura inconspicuus conspiciendum se hominibus præbuit. Εἰκὼν τοῦ Θεοῦ i. צֶלֶם אלהים imago aut simulacrum. Lactantius de origine erroris lib. 2. cap. 11. *Tum fecit ipse sibi simulacrum sensibile atque intelligens, hoc est ad imaginis suæ formam qua nihil potest esse perfectius.* Ceterum imago, de qua hîc sermo, in tribus potissimum consistit, in vitæ innocentia integritateque, in mente sive intellectu aut ratione & dominio. Quod postremum notavit ex Ebræis Saadias Doctor excellens, unde intelligentiam habet locus Apostoli 1. Corinth. 11. 7. *vir imago & gloria Dei est: at mulier gloria viri est.* Theodoretus, *Homo ad imaginem Dei dicitur, quia sicut Deus principatum ac regnum tenet, ita & homo iis quæ super terram & volatilibus & piscibus dominatur. Et quanquam vir & mulier sint ad imaginem Dei, qui ambo dominantur, propriè tamen à S. Paulo vir imago & gloria Dei esse dicitur, quia vir nulli præterquam Deo subjectus est, femina autem viro tanquam capiti subjecta est.* ¶ *Secundum similitudinem*] καθ' ὁμοίωσιν. Inter imaginem & similitudinem quidam ita distinguunt, ut imago ad intellectum & imperium: similitudo ad vitæ integritatem referatur. Sic dico, εἰκὼν vocatur τὸ νοερὸν καὶ τὸ ἀρχικόν: at ὁμοίωσις τὸ ἐν ἀρεταῖς τέλειον. Sic interpres Gregorii, cujus verba reperies apud Steuchum in recognitione Veteris Testamenti ad veritatem Ebraicam. Vide quoque Mosen Ægyptium in More Nebochim. lib. 1. cap. 1. ubi & צלם imaginem à תאר i. forma discriminat. Sciendum autem pro צלם quod in versu qui proximè sequitur, autorem Jerosolymitanæ usum fuisse voce דְמוּת i. similitudinis, quod non fecisset, si aliquid inter ea vocabula discriminis esse putasset. ¶ *Et dominentur*] vel, qui dominentur dominium istud, licet imminutum sit, non parum tamen adhuc durat, nec amissum penitus est, ut quidam opinantur, siquidem in ipsas quoque feras dominatur, quum vult, quas ingenio atque solertia facile superat. ¶ *Et in bestias*] Sic Hiero. Diximus vocem Ebræam בהמה ambiguam esse ad bestias & jumenta. Ergo alii referunt, *& in jumenta.* Græci quoque καὶ τῶν κτηνῶν. & interpretes Chaldæi, ובבעירא *& in jumentum.* ¶ *Et in omnem terram*] Infra vers. 28. *replete terram & subigite illam.* Qui nomine בהמה jumenta designari putant, hunc locum ita explicant ac si scriptum esset, *& in omnes bestias terræ.* Notum ut terra ponatur pro hominibus terram incolentibus: an etiam pro ipsis bestiis? Infra, *Dominamini in pisces maris & in aves cæli & in omnem bestiam quæ motat super terram.* ¶ *Quod repit*] vel, *quod motat.* Sed angustius accipio. Hiero. *quod movetur:* LXX. καὶ πάντων τῶν ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων. in omnia reptilia repentia. ¶ *Super terram*] ἐπὶ τῆς γῆς, in terra.

Vers. 27. *Creavit ergo Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum: masculum & feminam creavit eos.*

Vers. 28. *Benedixitque illis Deus & dixit illis Deus: Fructum edite & multiplicamini & replete terram & subjicite illam, & dominamini in pisces maris, & in aves cæli, & in omnem bestiam quæ motat super terram.*

Ad imaginem suam] Qui pronomen (*suam*) ad hominem referunt, indigni sunt quibus respondeatur. ¶ *Masculum & fœminam*] Quid ad hæc μισόγυνοι, qui ab hominis appellatione fœminam excludunt? Errant quoque qui ex hoc loco colligunt hominem initio fuisse hermaphroditam sive androgynum, hoc est, marem & fœminam; item qui dicunt eum initio duas facies habuisse, quas postea Deus diviserit. Sequitur enim certe, *creavit eos* & non *eum.* Jam verò hominem dicit האדם cum articulo i. τὸν ἄνθρωπον, quia nomen hoc ita proprium est Adamo ut etiam commune sit toti speciei. ¶ *Fructum edite*] fœtificate, crescite. Sed cresco latius extenditur. licet etiam vertere, *fœtate.* Verbum est à פרי nomine quod fructum significat, derivatum. Fructus autem in hominibus est fœtus eorum, qui usitate & communiter fructus uteri dicitur. ¶ *Et multiplicamini*] Hic est effectus benedictionis divinæ. Qui negant in paradiso institutum fuisse conjugium ex hoc loco convinci possunt erroris. vide quæ scripsimus infra 2. 24. ¶ *Et subjicite illam*] Id supra dixit, *Dominamini in omnem terram*, & Græci hic legunt κατακυριεύσατε αὐτῆς. ¶ *Quæ motat super terram*] Alii, *quæ repunt sive reptant.* ita & nos interpretati sumus vers. 26. hic aliter vertimus, sensu ita exigente. Verbum enim רמש ibi auguste sumebatur pro *repere:* hic sumitur in lata significatione. Quamquam Hiero. utrobique per verbum *moveo* id exponat. ¶ *Super terram*] in terra.

Vers. 29. *Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam seminantem semen quæ est in superficie totius terræ, & omnem arborem, in qua fructus arboris seminans semen: vobis erunt in cibum.*

Vers. 30. *Et omnibus bestiis terræ, & omnibus avibus cœli, & omnibus quæ reptant super terram, in quibus anima vivens, (dedi) omnem viriditatem herbæ in cibum: & fuit ita.*

Vers. 31. *Viditque Deus omnia quæ fecerat, & ecce bona erant valde: fuitque vespera & fuit mane dies sextus.*

Dedi] id est, do. Præt. pro præsenti. Non enim certè ante dederat. Sic interpretantur Gen. 21. 23. נָתַתִּי כֶּסֶף do pecuniam, & alibi, הֲרִימֹתִי יָדִי i. מֵרִים attollo, elevo. Quod notatum in Hiscuni. ¶ *Omnem herbam*] tacuit carnes, quæ primum concessæ fuerunt post diluvium, unde & illud sequitur, ut homines initio, ita etiam bestias abstinuisse à carnibus. sic dico, Quæ nunc vescuntur carnibus, vescebantur tum herbis & fructibus arborum. De quo cibi genere intelligendum puto locum qui est Gen. 6. 21. ¶ *Seminantem semen*] זֹרֵעַ זֶרַע. Herbæ tribuit, quod proprium hominis. Quippe homo seminat, herba semen producit. itaque alii referunt, *producentem semen.* Interpres noster qui à vulgo nomen accepit, *afferentem semen:* מבא זרע. Vidi etiam qui verterent, *sementantem semen:* מַזְרִיעַ זֶרַע, quomodo supra locutus est. Vis autem utrobique eadem esse videtur. LXX. πάντα χόρτον σπόριμον σπεῖρον σπέρμα: omnem herbam quæ seminari potest seminans semen. Onkelos & Jonathan, *omnem herbam cujus semen seminatur*, vel si placet, *cujus semen seipsum seminat.* siquidem בר זרע est semen: unde forsan בְּרִיָּא quasi בר זרעא contractum ex duobus integris. ¶ *Omnem arborem in qua sit fructus arboris*] nomen loco pronominis. Nos diceremus, *in qua sit fructus ejus.* Simile, *Dixit Moses Socero Mosis.* Ejusdem generis est, *Et dixit* DOMINUS, *Ascende ad* DOMINUM. ¶ *Seminans semen*] legitur &, *seminantem semen*, quod ad arborem referunt. ego ad fructum retuli. Hiero. *& omnia ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui.* prius LXX. καὶ πᾶν ξύλον, ὃ ἔχει ἐν ἑαυτῷ καρπὸν σπέρματος σπορίμου: & omnis arbor quæ habet in se ipsa fructum seminis, quod seminari potest. Ceterum זרע cum apices absunt, ut olim aberant, tam legi potest זֹרֵעַ ut nunc legitur in codicibus Ebræorum, quam זָרוּעַ ut quondam Aquilam legisse verisimile est. ¶ *Vobis erunt in cibum*] Vobis erunt pro cibo, vel cibus, seu, ut alii reddunt, *esca.* Et dicit, *vobis*, non *tibi*, ad significandum hanc concessionem ad virum pariter & fœminam pertinere. ¶ *Quæ repeant*] vel, *quæ motant*, ut generale sit, & etiam jumenta complectatur: quæ alias nomine bestiarum comprehendi possent, ut hic de reptilibus duntaxat agatur. ¶ *Omnem viriditatem herbæ*] omnem viridem sive virentem herbam. Viriditas herbæ, *ut superbia viri* pro vir superbus. ¶ *In cibum*] לְאָכְלָה reddi potest, *ad vescendum*, ut sit gerundium in Kal. ¶ *Bona erant valde*] Optima erant. Etiamne serpens qui callidus erat præ cæteris animantibus? respondeo etiam serpentem bo-

num

num fuisse. Calliditas enim in serpente non est malum, sed naturalis inclinatio ad vitandum malum, qua qui prædîti sunt cauti & callidi vocantur. Stoici ἐκκλίσιν ἢ κακοῦ appellant. *Dies Sextus*] יוֹם הַשִּׁשִּׁי novè dixit pro יום ששי aut יוֹם הַשִּׁשִּׁי, ut si græcè dicas, ἡμέρα ἡ ἕκτη, quod in LXX. ἡμέρα ἕκτη. hunc diem Ebræi appellant vesperam sabbathi, ut cum dictitant, *Qui non colligit in vespera sabbathi, non comedet in sabbatho.* de quo vide, si vacas, Adagia mea.

AMMMA.

Vers. 6. Ebr. *Sit* רָקִיעַ Vulg. *Fiat firmamentum.*

INterpretamentum Græcum, a στερέωμα. Vulgatus vertit *firmamentum.* Cum nec in voce Ebræa nec in Themate ejus significationis ullum vestigium vel vola appareat. Conniveri ad hoc posset nisi ea versio Philosophis quibusdam & interpretibus errandi occasionem dedisset. Cum enim vox *Firmamentum* apud Philosophos ferè sumatur pro sphæra octava stellifera, hinc collectum est à priscis interpretibus, & Scholasticis, supra 8. sphæram esse cœlum aliquod aqueum vel aquas, de quibus iterum non una fuit opinio. Qua de re consule sis Lyram, Cajetanum, Mercerum, Drusium, Paræum, &c. in hunc locum, nec non Illyric. in clavi. voce *Aqua*. Certè non intellecta vox *Firmamenti* videtur Augustinum induxisse ut lib. 13. Confess. cap. 32. scriberet firmamentum factum esse inter aquas spirituales superiores & corporales inferiores, quod tamen retractat Retract. lib. 2. 6. Nec non Origenem, per Aquas superas intelligentem bonos Angelos, per inferas, malos. De quo Epiph. in Epist. ad Joh. Jerosolym. Et Hieron. Epistolâ ad Pammachium. Sciendum itaque רָקִיעַ proprie significare b *expansum* a רָקַע expando, extendo, & non tantum dici de orbibus, ut postea, *Fiant luminaria* ברקיע השמים. sed etiam de aëre, & quidem de infimâ ejus regione. Confitentem in re clarâ habemus Cajetanum Cardinalem, cujus hæc sunt ad vers. 20. hujus capitis, *Appellatione extensionis* (רָקִיעַ) *cælorum Moses non tantum orbes comprehendit, in quibus sunt astra, sed & orbes ignis & aëris.* Nec non Ant. Fonsecam ejus annotatorem, *Biblia passim aërem vocant cælum & Firmamentum* i. רָקִיעַ. Ex ipsa ergo Papistarum confessione liquet duas illas voces רקיע *expansum* & שמים *cælum* pari hac ex parte decurrere orbitâ. c Ut enim dicimus *aves cæli* a Matth. 6. 26. Sic infrà vers. 20. dicitur, *Et volatile volet in superficie* רקיע i. *expansi cælorum.* Quibus locis eò adducor ut credam *expansum cælorum* esse locutionem ἐν ἀλλήλοις, ut *Terra pulveris, lutum cœni, pars portionis, Volumen libri* Psal. 40. & similia. Abenezra etiam hic interpretatur אויר aërem, Chaldæus etiam Psal. 19. 1. d Quibus positis in confesso est quid intelligat per aquas superiores, nempe aquas pluvias, vel nubium, quæ sunt in mediâ aëris regione.

20. Ebr. *Et volatile volet super terram e super facies expansi cælorum.* Vulg. *Et volatile super terram sub firmamento cæli.*]

Dupliciter peccatum. Primò enim omissum verbum יְעוֹפֵף *volet* & per consequens hoc dicere videtur vulgata editio *quod aquis datum sit etiam aves producere*, quem sensum audacter damnat Cajetanus dicens Mosen hic tacere productivum avium. Secundò, posterius עַל i. *super* convertit *sub*, dicendo *sub firmamento cæli.* Unde patet eum supra vers. 6. & rursus hic, vocem Firmamentum, non pro aëre, ne dum infima ejus regione, sed pro 8. sphæra accepisse. Quæ enim alias necessitas, quæso te, interpretem ad tam coactam versionem coëgisset? Dic aliquem Patrone colorem, aut ostende עַל *supra* unquam significare תַּחַת *sub* in literis mysticis.

30. Leve quidem, si quid leve in sacris, at inexcusabile tamen est, quod hîc commisit vulgatus. Distinguit Deus pabulum bestiarum a cibo hominis. Herbas & arbores fructiferas vers. 29. assignavit generi humano, hic omnes virides herbas bestiis in alimentum dat. Sic enim habet textus, *At omni bestiæ* אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב i. *omnis viriditas herba erit in cibum*, i. omnis herba viriditatis vel viridis per Hypallagen, aut ut alii, *omne olus herba.* At Vulg. tantum vertit vocem לְאָכְלָה *ut habeat ad vescendum.* Et ne quis forte obtendat exemplaria Ebr. olim ea verba non habuisse, discat ex LXX, eâ ætate illa fuisse lecta, sic enim illi, καὶ πάντα χόρτον χλωρὸν εἰς βρῶσιν: Et seculo Onceli, qui ea sic convertit, ית כל ירוק עסבא,

a *Sic Psal.* 136.6. *Jes.* 42. 5. & 44. 42. & *Job.* 37. 18. *vocem* רקע *verterunt* στερεῶν. *Vide Merc. ad locum Jobi.*

b *August. Steuchus, Vox Ebraa extensionem significat aut id quod extenditur, ut vela, cortina &c. Vide & Pagnini Thesaur.*

c *Sic & Psal.* 8.

d *Kimchi ad Psal.* 27. 20. *Aër verè ac proprie vocatur* Rakiang.

e *Id est, in superficie &c. i. in aëre, per aërem, vel secus, vel versus superficiem. Has enim expositiones patitur part.* על.

DE MUIS.

6. *Dixitque quoque Deus, Fiat firmamentum* [*sit expansum*] *in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.*

7. *Et fecit Deus firmamentum,* [*expansum*] *divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his* [*aquis*] *quæ erant super firmamentum* [*expansum*:] *& factum est ità.*

8. *Vocavitque Deus firmamentum* [*expansum*] *cælum: fuitque vespera, & fuit manè dies secundus.*

DIxit quoque Deus, Fiat firmamentum, &c. Quid sit *firmamentum*, seu רקיע, i. *expansio*, seu *expansum*, cujus hic fit mentio, valde cùm inter Philosophos tum inter Theologos est controversum. Abarbanel putat hàc voce significari sphæras omnes cœlestes præter primam: cùm enim hæc primo die sit creata, & quidem יש מאין מוחלט *ex nihilo absoluto*, seu *absolutè*, illas secundo esse conditas, & quidem è prima illa. Idcirco, inquit, dicitur hic, *Et fecit Deus firmamentum*, non autem *Et creavit*, &c. Vult nempe Abarbanel primo die solummodo creata principia cùm inferiorum tum superiorum corporum: quatuor scilicet elementa, ut essent principium rerum sublunarium seu inferiorum, primamque ac supremam illam sphæram, ut esset principium superiorum corporum; quibus ex principiis secundùm vim illis impressam subsequentibus postea diebus à Deo facta sint cætera. Neque verò, inquit, primo statim die conveniebat inferiores sphæras unà cum suprema illa condi & fabricari, quòd istum diem creandis duntaxat è nihilo principiis destinasset Deus, qui מעטים מהנמצאות אשאפשר *quàm fieri potuit paucissima* ממציא מאין *è nihilo perfectè existere voluit.* Satis hæc philosophicè & probabiliter, si pariter expediret cætera. Equidem vererer nè ridiculus essem si alia, quæ subtiliter & argutè philosophatur, percensere vellem: adeò mihi videntur aliena & absurda, si tamen satis capio ejus mentem. Missis tot ferè opinionibus quot interpretum sunt capita, ac plerisque omnino derídiculis, breviter meam & ipse proponam, nihil tamen, ut in re admodum dubia & perobscura, affirmans. Igitur post Rambam, Abben Tibbon & alios Hebræorum, *firmamentum* seu *expansum* interpretor infimam hanc aëris regionem quæ nos attingit & in qua mortales vivimus, supra quam nubes, quæ sunt מים בכח *potentiâ aquæ*, existunt, infrà illam verò מים בפועל *ipsæ aquæ actu*, nempe maria, flumina & fontes. Ante secundum diem confusa adhuc & indistincta erant omnia elementa, quæ mihi probabile est primo mundi die unà cum terra creata, sicuti sentire Abarbanelem notavimus ad v. 1. hujus cap. Die igitur secundo cœpit Deus illa distinguere ac secernere: ac primò quidem aërem sic distribuit ut aquas inferiores inter & superiores, i. nubes, quæ media sunt aëris regio, hæc ultima atque infima aëris pars, ceu expansum ac diffusum quoddam corpus, ambiens undique terræ atque aquarum inferiorum globum, existeret. Nihil aliud sanè puto significari tribus his versibus. Atque hæc sententia mihi videtur simplicior, paucioribusque involuta ambagibus. Occurres, Si ita res habet, uti dicis, in descriptione originis mundi, nulla speciatim fiet mentio supremæ aëris regionis atque ætheris. Responderi potest, ea tantum quæ oculis cernerentur, & quæ vulgus per se capere nulloque negotio intelligere posset, ex more Scripturæ, quæ tam ad indoctos quam doctos pertinet, hoc in capite explicata, & ad rudis vulgi captum certè, nec admodum, ut palam est, ex arte philosophica aut Mathematica, ut illud forsitan, quod v. 16. de duobus majoribus luminaribus, Sole nempe & Luna, scribitur, cùm tamen revera Luna aliis stellis multo minor sit, ac tantummodo oculis major appareat, ut in infimo ac ultimo orbe posita. Scio Ezram & alios alio quodam modo, quod de majoribus luminaribus duobus dicitur, interpretari, neque malè profectò, sicuti fortasse à nobis alias observabitur commodius. Non aliena est porro, neque indigna quæ referatur, eorum sententia qui *expansi* vocabulo intelligi volunt quicquid supra terræ & aquæ globum cernere est, nimirum triplicem illam aëris regionem, infimam, mediam, supremam, deinde ætherem seu ignem, & orbes cœlestes omnes, quæ omnia die secunda ajunt creata. Si excipiatur suprema illa spæra, quam unam saltem ex omnibus cum Abarbanele primo mundi die è puro nihilo unà cum terræ & aquæ globo, uti videtur convincere hujus capitis v. 1. fabricatam existimo, huic opinioni lubens subscribam. Non enim absurdè expli-

explicat qui illa compago superiores aquas ab infimis disjungat, nempe non se tota, qua usque ad primam illam sphæram, seu, juxta alios, ad extremum mundi patet, sed eâ tantùm sui parte quæ infima aëris regio dicitur, quæ quidem, uti pars firmamenti seu expansi illius, *firmamenti* quoque nomine haud abs re appellari potest.

7. *Et fecit Deus firmamentum*, &c.] Dum dixit, *Sit firmamentum*, &c. *Fecit*, nempe verbo. Nihil enim aliud est hic versus quam expositio præcedentis ampliorque declaratio. Sed qui *fecisse* dicitur quod jam erat factum? Nam *terræ* vocabulo, quæ primo die condita est, omnia elementa contineri ex Abarbanele docuimus ad vers. 1. hujus cap. Respondeo; fecit ut aëris quædam portio esset firmamentum, i. expansum & exporrectum quoddam corpus, aquas inferiores inter & superiores constitutum ac veluti firmatum, id quod antea non erat. *Fecit* secundùm quid, i. aptavit. Hoc sensu *faciendi* verbum accipitur 1. Sam. 12. 6. necnon Deut. 21. 12. ubi dicitur, *radet cæsariem*, ceu *caput suum*, ועשתה *& faciet* (i. præcidet) *ungues*. Rasi, non tamen de aëre sed de cœlis, qui cùm antea essent לחים i. *humidi*, seu *liquidi ac fluxi*, postea sunt densati, interpretatur, תקנו על עמדו, i. in eo statu posuit in quo esset permansurus. Deinde universa illa aëris, ætheris & cœlestium orbium compages, excipiatur tamen semper prima sphæra, die secundo forsan, ut alii sentiunt, de novo edita, cùm ejus nihil antea esset. An tamen è nihilo puro, quod Abarbanel negaret, exstructa fuerit nec ne in medio relinquo, nec quisquam certo definire potest. Quanquam mihi videtur probabilius negari, ob eam causam potissimum quæ paulò ante ex Abarbanele observata est.

8. *Vocavitque Deus firmamentum* (seu *expansum*) *cœlum*. Cur firmamentum vocarit Deus, h. e. voluerit vocari שמים *cœlum*, non satis liquet, nisi quia quicquid esset supra hominum caput, communi *cœli* vocabulo voluerit nuncupari, in eo scilicet ad captum vulgi, qui quæ supra caput sunt non satis distinguit sed in unum confundit, descendens seseque accommodans. *Cœlum* in consuetudine S. literarum pro aëre appellari notum est certè omnibus, ut pro mere exempla nihil opus sit. In posteriore sententia, à qua ipsi non abhorremus, universa illa aëris, ætheris & orbium cœlestium compago non absurdè *cœli* vocabulo appellabitur, à potiore & digniore sui parte, quæ est cœlum. Quærit Rasi, cur hujus diei, secundi videlicet, operi non sit adjectum, itidem ut aliorum dierum operibus, *& vidit Deus quod esset bonum*; respondetque, לפי שלא היה נגמר מלאכת המים עד יום שלישי והרי התחיל בה בשני ודבר שלא נגמר אינו במלואו וטובו, *quod aquarum opus, nisi tertio die, non fuerit absolutum, etsi cœptum fuerat secundo: quicquid autem minimè absolutum est, nec plenum* (seu *integrum*) *nec bonum est*. Pergit; ובשלישי שנגמר מלאכת המים והתחיל וגמר מלאכה אחרת כפל בו כי טוב שני פעמים אחת לגמר מלאכת השני ואחת לגמר מלאכת היום: *In explicando verò diei tertii opere, quo die aquarum opus est absolutum, aliudque præterea cœptum & perfectum, bis repetitum est*, Et vidit Deus quod esset bonum, *semel ad complendum aquarum opus, iterum verò ad absolvendum opus istius diei*, nempe terræ fœcundationem. Fecit Deus quod boni artifices solent, qui non prius sua approbant opera nec deponunt è manibus quàm perpolita perfectaque ac satis ex arte elaborata cognoverint. Illud enim, *Et vidit Deus quod esset bonum*, aliud nihil est quàm cujusque operis approbatio.

16 *Fecitque Deus duo luminaria magna*, &c.] Scribitur Deus *fecisse duo luminaria magna*, nempe Solem & Lunam, quorum *ille diem*, *hac* verò *noctem moderaretur*. Qui hoc intelligendum, cùm Lunam Planetis stellisque omnibus magnitudine longè cedere doceant Astrologi, etsi excipiunt quidam Mercurium & Venerem? 2. Vulgò solet responderi *magna luminaria* dici Solem & Lunam, quod præ reliquis stellis, etsi Luna, uti diximus, stellis ferme omnibus longè minor sit, talia oculis appareant. Scriptura, ajunt, hic, ut sæpe alias, ad rudiorum & vulgi captum descendit. Ezra, cui subscribunt Abarbanel & alii, censet non dici *magna* ratione corporis sed luminis; אין פי׳ גדולים על פרוש בגשם רק על אורם *Non*, inquit, *magna dicuntur ratione mensura* (seu *molis*) *corporea, sed ratione luminis*. Addo ex iisdem, Quamvis Sol & Luna multò inter se sint impares lumine, tamen utrumque appellari *luminare magnum* comparatè ad alias stellas, non secus atque 1 Sam. 17. 13. filii Isæi tres dicuntur *magni*, etsi Eliabus maximus natu esset, nec inter se pares ætate essent.

GROTIUS.

1. *IN principio creavit Deus*] Melius *in principio creare Deum*, id est, priusquam crearet sive formaret Deus. Bene autem legibus præposuit Moses historiam à Mundo condito. Mundus enim legi, lex Mundo concinit, ut ait Philo.

Cœlos & terram] id est universum hoc quale nunc est. Id enim Hebræi duabus illis vocibus exprimunt. Unde & Mundus futurus hoc nomine appellatur 2 Petri III. 13. At sequente versu terra dicitur ipsa abyssus, sive prima moles; ὕλη [*Vorago*] Phœnicibus: qua de re totaque creatione vide quæ à nobis congesta ad librum primum de Veritate religionis Christianæ.

Terra autem erat] *tunc terra erat*, &c. Terram vocat totam molem ex parte nobis notiore, quam statim dicet ἄβυσσον (*abyssum*.)

2. *Inanis & vacua*] Ita rectè explicari voces תהו ובהו apparet ex Jeremia IV. 23. Sic de Mundi interitu Sophocles: γῆ δενδρέων ἐρημος [*tellus inanis arborum.*]

Spiritus Dei] ἡ δύναμις ἡ διαπλαστικὴ (*vis formativa*,) sive ut Chrysostomus loquitur ἐνέργεια ζωτικὴ [*efficacia vivifica.*] Vide quæ ad dictum librum de Veritate religionis Christianæ, & adde Jobum XXVI. 13.

Ferebatur] מרחפת, id est, supervolitabat, ut hic interpres hanc vocem vertit Deut. XXXII. 11. Ἐμφέρεσθαι [*superferri*] hoc ipsum dixit Numenius, Tertullianus *supervectari*.

Super aquas] Quæ ut leviores obtegebant terram. Vide Strabonis locum à nobis productum. Ex his attenuatis aër: unde aquæ pro aëre infrà 20. Mosi οὐρανὸς νότιος καὶ ὑετώδης [*cœlum humidum & imbriferum*,] ait Josephus. Cicero de Natura Deorum secundo aërem esse ait vaporem ex aquis.

3. *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux*] De his verbis vide Dionysii Longini locum, quem in dictis Annotatis protulimus. Τὰ πρῶτα τρία σώματα, γῆ, ἀὴρ, πῦρ [*Tria prima corpora, terra, aër, ignis*,] Plut. & illa Parmenidis principia *lucidum & tenebrosum*.

4. *Quod esset bona*] id est, proposito suo congruens. Pherecydes: Ζὰς ποιεῖ φᾶρος μέγα τε καὶ καλὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν καὶ ὠγηνὸν καὶ τὰ ὠγηνοῦ δώματα [*Juppiter fecit velum magnum & pulchrum, in quo pinxit terram & Oceanum & Oceani domos*]. ubi Oceani domos insulas intellige. Platoni καλὸς ὁ κόσμος [*pulcher est mundus.*] Seneca epistola LXV. de Deo: *bonus est*, *bona fecit*.

5. *Vespere & mane*] vide dicta Annotata ad librum primum de Verit. relig. Christ.

6. *Fiat firmamentum*] Vox רקיע propriè redditur *tasis extensio*,] qua voce Plato in Timæo hac ipsa de re utitur. Videtur autem similitudo sumpta à tentorio, quod funibus quibusdam sustinetur ne decidat. Vide Psal. CIV. 2. dicitur autem non tantum de cœlo astrifero, sed & de cœlo qui dicitur aër, ut Lucretii verbis utar. Prior significatio apparet infra 14. altera infra 21. apud Chaldæum Paraphrasten Psal. XIX. Kimchi ad Psalm. LXXVII.

Aquas ab aquis] Plinius libro 31. *Quid esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus?*

7. *Super firmamentum*] Quod supra cœlos dixit Psalm. CXLVIII. 4. Hinc cataractæ cœli, infra VII. 12.

9. *Dixit vero Deus*] Hebræi exponunt: *Cùm dixisset Deus*, ut sit ἐπάνοδος [*Retrogressio*.] Putant enim hoc factum die secundo. Hebræis idem Præteritum modò perfecti, modò imperfecti, modò plusquamperfecti habet significationem. Sic mox II. 2. *complevit*, id est, *compleverat*.

12. *Herbam virentem*] in Hebræo est עשב דשא quorum hoc tenellam herbam, illud robustiorem significat.

Facientem semen] מזריע sementantem, ut Plinius loquitur.

14. *In signa*] Homerus:

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ᾽, ἐν δ᾽ οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν·
Ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα τά τ᾽ οὐρανὸς ἐστεφάνωται.
[*Fecit ibi mare fluctivagum terrasque virentes,*
Fecit ibi cœlum cœlique ardentia signa.]

Aratus de Deo:

Αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ᾽ ἐν οὐρανῷ ἐστήριξε.
[*Ipse etenim in magno defixit sidera mundo.*] Idem:
Αἳ μὲν ὁμῶς ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες· ἀλλὰ ὀνομασταὶ
Ἦρι καὶ ἑσπέριαι, Ζεὺς δ᾽ αἴτιος, εἱλίσσονται,
Ὅς σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐπέλευσεν, ἐπερχομένου τ᾽ ἀρότοιο.
[*Illa non multo cum lumine, sed bene nota*
Vespere [*nam voluit Deus hoc*] *& mane feruntur.*
Idem illas hyemis venientis jussit & astus
Signa dare, & quando terras sit tempus arandi.]

Et tempora] Sidera ὄργανα τοῦ χρόνου (*instrumenta temporis*,) vocat Proclus Theologiæ VI.

16. *Ut præesset diei*] ἥλιος ἄστρον ἡμεροφανὲς [*Sol astrum de die lucens*]. Aristoteles Top. VI. 3.

20. *Reptile*] νηκτὸν [*natatile.*]

20. *Fa-*

26 *Faciamus*] Mos eſt Hebræis de Deo, ut de Rege loqui. Reges res magnas agunt de conſilio Primorum. 1 Reg. XII. 6. II. Paral. x. 9. Sic & Deus 1 Reg. XXII. 20. Vid. & infra XI.

Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram] Frequens Hebræis jungere voces idem ſignificantes ἐξηγητικῶς [*explicando*], ut Homerus πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι [*bellare atque edere pugnas.*] Utrumque conjunctum etiam de humana generatione quæ liberos producit parentibus congeneres, legas infrà v. 3. Seorſim autem ad ſimilitudinem Dei. Gen. v. 1. ad imaginem Dei IX. 6. *ad effigiem* dixit Ovidius. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν [*nos genus illius*], Aratus. Sic & nova creatio, κατ᾽ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος (*ſecundum imaginem ejus qui creavit illum*). Coloſſ. III. 10. id eſt, κατὰ Θεόν [*ſecundum Deum*]. Eph. IV. 24. In quo autem homo creatus ſit ad Dei inſtar, explicant ſequentia, ut & apud Ovid. *Et quod dominari in cætera poſſet.* Nimirum διὰ τὸ ἐπιστημονικὸν [*ob ſcientiarum capacitatem*], de quo vide Galenum in exhortatione ad artes, & Baſilium hoc loco. Antiphon:

Τέχνῃ κρατοῦμεν ὧν φύσει νικώμεθα.
[*Natura quorum ſuperat, arte hac vincimus.*]

Euripides:

Βραχύ τοι σθένος ἀνέρος,
Ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾷ φῦλα πόντου,
Χθονίων τ᾽ αἰθερίων τε παιδεύματα.
[*Vis exigua eſt, quamcunque homini*
Natura dedit, ſed conſiliis
Variis artes, quæ nata mari,
Et quæ terra cœloque domant.]

Latius id explicatum legere qui volet, adeat Plutarchum de Fortuna, & Oppianum de Piſcatu quinto. Homo Dei ſimulacrum etiam Platoni. Vide Lucianum de Imaginibus.

27. *Maſculum & feminam creavit eos*] Mirum quam conveniant Rabbinorum ſuper hac re explicationes, & ea quæ Plato habet in Convivio: quæ tamen, undecunque profecta ſunt, vana eſſe non dubito. Eſt enim πρόληψις [*Anticipatio*] ejus, quod dicitur infra II. 21. quæ figura ut aliis ita his libris frequens.

29. *Ut ſint vobis in eſcam*] Cætera alimenta homini cum animantibus aliis communia. Sed quæ de arboribus naſcuntur, homini propria.

30. *Ut habeant ad veſcendum*] Herbas nempe, quod hic in Hebræo additur. Non ergo ab initio animantia animantibus veſcebantur, ſed tum demum id cœptum fieri, cum non homines tantum, ſed & alia animantia viam ſuam corruperunt. Geneſ. VI. 7. 12.

31. *Dies ſextus*] Qui numerus φύσεως νόμοις γεννητικώτατος [*natura legibus maxime genitalis*], ut ait Philo: Veneri ob id attributus, ut ait Capella. Adde τὰ Θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς [*librum: quæ ad Arithmeticam Theologica dicuntur*], ubi in hoc numero dicitur ἐνεψυχῶσθαι καὶ καθηρμόσθαι τὸν κόσμον, τυχεῖν τε ὁλότητος καὶ διαμονῆς [*animatum & ordinatum mundum adeptumque ſuam integritatem ac durationem*]. addit idem liber hunc numerum vocari κόσμον [*mundum*].

CARTWRIGHTUS.

IN principio, בְּרֵאשִׁית] R. Sal. ait ſimplicem & literalem ſenſum eſſe, quod cùm primùm crearentur cœlum & terra, terra erat informis & vacua, &c. Nec ſcopum Scripturæ eſſe, indicare ordinem creationis, ſcil. iſta primò fuiſſe creata; tunc enim dicendum fuiſſe בראשונה: aſſerit enim vocem ראשית nunquam in Scripturâ inveniri niſi in regimine; ac propterea בראשית ברא hic eſſe quaſi בראשית ברוא. i. e. *in principio creandi:* Et ſimile huic eſſe illud Hoſ. 1. 1. תחלת דבר יהוה בהושע, ubi itidem תחלת eſt in regimine, & דבר præteritum; q. d. תחלת דבור של הקבה בהושע, i. e. *principio locutionis Domini, vel cùm primùm loqueretur Dominus per Hoſeam*, dixit &c. Similiter Aben Ezra, etiamſi eos qui dicunt ראשית ſemper eſſe in regimine, oblitos eſſe dicat ejus, quod alicubi legitur, viz. Deut. 33. 21. וירא ראשית לו, tamen exiſtimat hic eſſe in regimine; nec mirum eſſe, quod proximè ſequatur verbum præteritum; ita enim eſſe Hoſ. 1. 1. (verba ſunt antea citata) & Iſa. 29. 1. קרית חנה דוד, ubi קרית *civitas*, eſt in regimine, ſequente verbo præterito חנה *habitavit*. At rara admodum eſt iſtiuſmodi conſtructio, nec ad eam hic confugere ulla nos cogit neceſſitas, cùm ראשית & extra regimen, & in regimine eandem planè formam habeat; ac etiamſi alibi plerunque in Scripturâ, ac fortaſſe ſemper in regimine inveniatur, id tamen haud obſtat quo minùs hic abſolutè uſurpetur, ut ferè omnes accipiunt, ut ſenſus ſit, Deum cùm primùm aliquid crearet, creaſſe cœlum & terram. In hunc modum Kimchi in Rad. exponere teſtatur Fagius in Collatione tranſlationum, בתחלה ברא אלהי׳ את השמים ואת הארץ ואחר כן תולדותיהם i. e. *In principio creavit Deus cœlum & terram; ad deinde ea, quæ ex illis prodierunt.* Id vult, Deum primum omnium cœlum ac terram ex nihilo creaſſe, dein reliqua ex illis tanquam ex præjacente materiâ.

In principio.] Hieronymus Tradit. in Gen. ait pleroſque (inter quos, nominat Tertullianum & Hilarium) exiſtimaſſe in Hebræo haberi, *In filio*; quod falſum eſſe ipſius rei veritatem comprobare aſſerit. In Hebræo enim non eſſe בבן Beben, *i. e. in filio*, ſed בראשית Bereshit, quod Septuag. Symachus & Theodotion tranſtulerunt, *in principio*; Aquila autem, *in capitulo*. (ראש, unde ראשית caput ſignificat.) Magis itaque ſecundùm ſenſum, quàm ſecundùm verbi tranſlationem de Chriſto accipi poſſe ait, qui tam in ipſa fronte Geneſeos, quæ caput Librorum omnium eſt, quàm in principio Joannis Evangeliſtæ, cœli ac terræ conditor appellatur. Unde & in Pſalterio de ſeipſo dicere, *In capite libri ſcriptum eſt de me*, i. e. *in principio Geneſeos.* Atqui, ut certiſſimum eſt, omnia Filium unà cum Patre creaſſe, ita fruſtrà procul dubio ſunt, qui id ex hac voce Bereshith, *i. e. in principio*, comprobatum eunt: licet Targum Hieroſolymitanum pro, In principio hic habeat בחכמתא *In ſapientiâ.* Buxtorf. in Lexico Syro-Chaldaico, in radice אל aſſerit Targum Jonathanis, & Targum Hieroſolymitanum pro בראשית habere באולא, *i. e. in principio*; at in Targum Jonathanis invenio מן אולא, *i. e. à principio*; in Targum autem Hieroſolymitano בחכמא, *i. e. In ſapientia*; atque ita legit Fagius *in* Collat. (a) Porchetus contra Judæos parte 2. cap. 3. aſſerit principium in hoc loco eſſe Dei genitam ſapientiam; & citat Prov. 8. 22. *Dominus poſſedit me principium* (Hebraicè reſhith) *viæ ſuæ.* Sic ille legit, cùm potiùs legendum ſit principio, vel in principio, ut *reſhith* ſit pro *bereſhith.* Sic omnes (quos ſcio) interpretantur, & ipſe Porchetus eo ipſo capite legit, *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum.*

בָּרָא *creavit.*] Aben Ezra ait pleroſque interpretes in ea eſſe ſententia, quod hoc verbum ſignificat להוציא יש מאין *producere rem ex nihilo* (in hanc ſententiam Fagius citat Nachmanidem & Kimchi) aſſerit autem eos haud meminiſſe iſtud Verſ. 21. ויברא אלהים את התנינים. *Et creavit Deus cete.* Et illud, Verſ. 27. ויברא אלהים את האדם, *i. e. Et creavit Deus hominem.* Quin & tenebras, quæ non ſunt niſi privatio lucis, à Deo creatas dici, Iſa. 45. 7. Fagius in Collat. notat duplicem hujus verbi uſum eſſe in Scripturâ. Primò enim ſignificare *ex puro nihilo producere*; atque ita hoc in loco accipere doctores Hebræorum. Secundò, uſurpari etiam hoc verbum, ubi aliquid non ex mero nihilo, ſed *ex præjacente materiâ*, ſed quod magnum, eximium, præclarum, & novum quiddam ſit, quodque ſingulari Dei virtute ac potentiâ in lucem profertur. Atque hinc eſſe, quod Scriptura hoc verbo utitur, ubi cetorum, & hominis conditionem proponit. Atque etiam Numer. 16. ubi de hiatu terræ, & abſorptione Dathan & Abiram agitur. Sic Mercerus ad loc. ait ברא, cum ſignificat ex præjacente materiâ creare, notare inſigne aliquid, & novum, ac artificioſè facere. Septuag. hic pro ברא habent ἐποίησε, *fecit.* iſtud puto poſſe obſervari, hoc verbum *Bara* nuſquam in Scriptura niſi de Deo uſurpari. Vide plura ad Cap. 2. Verſ. 3.

אֱלֹהִים *Deus.*] Eſt nomen plurale; nam ſingulare eſt אֱלוֹהַּ. Aben Ezra ait, *honoris gratiâ*, plurale pro ſingulari uſurpari, cùm de magnate aliquo ſit ſermo, ut Iſa. 19. 4. אדנים קשה *Dominus* (*ad verbum, Domini*) *durus.* Burgenſis ait Aben Ezram velle ſignificari pluralitate virtutum ſeu potentiarum à Deo procedentium. Sed ego iſtud in eo non invenio. Idem Burgenſis (ut & alii plurimi) ex hâc conſtructione nominis pluralis Elohim cum verbo ſingulari *Bara*, exiſtimat *pluralitatem Perſonarum* intelligi; ſed hoc aliis, quibus me potiùs accedere fateor, haud firmum videtur, propterea quod alibi in Scripturâ, ubi de Deo ſermo non habetur, eadem conſtructio reperiatur. Vide *Sixtum Senenſem* Biblioth. S. lib. 5. annotat. 1. Nomen Elohim quandoque *Angelis* tribuitur, Pſal. 8. 5. Quandoque *hominibus*, ſcil. authoritate ac poteſtate præditis, Exod. 22. 28.

2. Terra autem erat תֹהוּ וָבֹהוּ *informis & vacua.*] Septuag. ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *inviſibilis, & incompoſita.* Aquila, κένωμα καὶ οὐδέν, *inanitas & nihil.* Symmachus, ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον, *iners & indiſcretum quiddam.* Theodotion, κενὸν καὶ οὐθέν, *inane & nihil.* Potuerunt autem (inquit Nobilius) Aquila & Theod. dictione οὐδέν, & οὐθέν, non tam propriè *nihil*, quam abſentiam unitatis, & compoſitionis ſignifi-

(a) *Galatinus de Arcan. lib. 3. cap.* 3. Porchetum ſequitur, ſeu potiùs tranſcribit.

ſignificare. (a) Chald. צדיא וריקניא, *deſolata & vacua.* R. Salom. vult תהו ſignificare *ſtupendam quandam deſolationem*, à תהה *ſtupere* in linguâ Chaldaicâ; בהו autem *inanitatem & deſolationem.* Fullerus Miſcell. lib. 3. cap. 3. de voce Tohu cum R. Salomone idem planè ſentit; *Bohu* autem ſignificare rem pudendam, à בהה, unde בהת quod Chaldaicè *erubeſcere*, & *pudere* denotat. Ut ſenſus ſit, terram, h. e. primam illam molem indigeſtam (quam antiqui chaos vocarunt) initio fuiſſe *tohu* & *bohu*, i. e. rem ſtupendam & pudendam, non ſimpliciter, ſed reſpectu admirabilis ordinis, & pulcritudinis ſequentis, abſolutâ demum rerum omnium creatione. Aben Ezra ſubſcribit Chaldæo Paraphraſtæ, & ait *Bohu fratrem eſſe τῶ Tohu*, i. e. idem cum illo ſignificare: atque idem etiam ſentit Mercerus. Alibi etiam hæc vocabula in Scripturâ conjunguntur, ut Iſa. 34. 11. & Jerem. 4. 23. quibus in locis horrenda vaſtitas & deſolatio vocabulis iſtis deſignatur.

Et tenebræ erant ſuper faciem תְהוֹם *abyſſi.*] Druſius in Præter. ad Apoc. 9. 11. ait תהום tria denotare, ſcil. *aquæ molem terræ permixtam.* Gen. 1. 2. *Aquas maris*, quæ in alto. Jon. 2. 5. *Fundum maris.* Pſal. 106. 9. Iſa. 63. 13. Mercerus ad Amoſ. 7. 4. ait Gen. 1. *Tehom* ſignificare indigeſtam illam rerum omnium molem, cœli, terræ, & aquarum; quum alibi aquarum tantum confuſam molem ſignificet. At ad hunc locum ait ſignificare *Tehom*, & ipſam aquarum voraginem, ac profunditatem immenſam; & locum illius voraginis. Hic autem pro loco ſumit, ne hoc idem ſit cum eo quod ſequitur, עַל פְּנֵי הַמָּיִם. At ego in hoc nullum video periculum; & ipſe fatetur utrumque eodem penè recidere. Arbitror *Tehom* non niſi duplici iſto modo, prout hic notavit Mercerus, uſurpari; hoc autem in loco pro aquarum voragine accipi, quæ propria eſt vocis ſignificatio; quemadmodum mare & fluvius primò ac proprie aquas denotant, licet metonymicè etiam pro loco aquarum, ſeu alveo uſurpentur. Quòd autem hic cum aquis alia erant permixta, id ex accidenti fuit, nec novam aliquam vocis acceptionem arguit.

וְרוּחַ אֱלֹהִים *Et ſpiritus Domini.*] Sic Vulg. & Septuag. καὶ πνεῦμα θεοῦ. Targ. Hieroſolym. (b) Et ſpiritus miſericordiarum à facie Domini. רוח autem & *ventum* ſignificat, atque ita Onkelos hic accepiſſe videtur, ורוחא מן קדם יי מנשבא על אפי מיא, i. e. *Et ventus à conſpectu Domini flabat ſuper faciem aquarum.* Fagius etiam teſtatur pleroſque ex Hebræis hic ventum intelligere, qui cum ob vehementiam, quæ aquarum molem agitavit, tum quod à Deo in eum finem miſſus eſſet, Ventus Dei hic appelletur. ita quidem Aben Ezra ait vocari *Ruach elohim*, *ventum Dei* בעבור היותו שלוח בחפץ השם ליבש המים, i. e. *propterea quod miſſus eſſet voluntate Dei ad exiccandas aquas.* R. Salom interpretatur רוח פיו ומאמרו, i. e. *Spiritum oris, & verbum ſeu mandatum ejus.* Hunc locum ad ventum retuliſſe multos Græcos & Latinos Expoſitores teſtatur Senenſis, Bibl. S. lib. 5. annotat. 7. Eorum autem ſententiam ſequendam arbitror, qui de Spiritu ſancto intelligendum cenſent.

מְרַחֶפֶת *Movebatur, vel incubabat, &c.*] Septuag. ἐπεφέρετο, *ferebatur ſuper, &c.* Et ſic vulg. Chald. מנשבא (c) *flabat.* Et ſimiliter Aben Ezra, מנשבת R. Nathan in Concordantiis ait verbum רחף *motionem ac agitationem* ſignificare. Fagius ex ſententia Salomonis ait denotare ejuſmodi motionem, qualis eſt columbæ, cùm ovis ad excludendum pullos incubat. R. Salom. more ſuo conciſè loquitur, כיונה המרחפת על הקן, i. e. *ſicut columba, quæ incubat nido*; vel, *quæ movet ſe ſuper nidum.* Reſpexiſſe videtur ad illud Deut. 32. 11. ubi tamen de aquila ſermo habetur, & Deuter. על גוזליו ירחף *agitabit ſe ſuper pullos ſuos.* Movendi ac agitandi ſignificationem iſtic habere videtur. Hieron. Tradit. in Gen. exponit, incubabat, ſive confovebat, in ſimilitudinem volucris, ova calore animantis. Ex quo (inquit) intelligimus non de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli interpretantur, ſed de Spiritu ſancto, qui & ipſe vivificator omnium à principio dicitur: ſi autem vivificator, conſequenter & conditor, quod ſi conditor, & Deus. Grotius in annot. in lib. 1. de verit. religione Chriſt. ait hanc vocem propriè incubitum columbæ ſuper ova ſignificare. At quare columbæ potiùs quàm alterius avis, non intelligo. Sed nec incubitum magis quàm motionem & agitationem ſignificare videtur, ut colligere licet ex Jer. 23. 9. רחפו commota ſunt omnia oſſa mea. Et ex Deut. 32. 11. Ex his locis Mercerus colligit & agitationem, & incubitum verbo hoc denotari. Eorum certè uno non niſi agitatio. altero autem etiam fortè incubitus ſignificatur.

(a) *Jonathan. & Hieroſol. Paraphraſtes, deſolata à filiis hominum, & vacua omni beſtiâ.*

(b) *Et ſic Targum Jonathæ.*

(c) *Sic omnes tres Paraphraſtæ.*

3. *Et dixit Deus, Sit lux, & fuit lux.*] Longinus (referente Chamier. tom. 1. lib. 11. cap. 2.) περὶ ὕψους, i. e. de ſublimi dicendi genere, hunc locum in exemplum iſtius dicendi generis affert, ac indicat Moſen hiſce verbis Dei potentiam egregiè expoſuiſſe, quippe qui verbo ſolum quidlibet efficere potuit. ὁ τῶν Ἰουδαίων (inquit) θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, εἶπεν ὁ θεός, φησί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο.

Et fuit lux.] (d) Manaſſes Ben Iſrael in Conciliatore, quæſt. 2. refert quoſdam ex Rabbinis, per *lucem* hic *angelos* intelligere. Atque ita etiam ex noſtris nonnulli exiſtimârunt; ſed eos ſaniùs ſentire arbitror, qui non Angelorum, ſed rerum duntaxat viſibilium creationem à Moſe memoratam cenſent. Vide Aquin. part. 1. qu. 67. art. 4. Nonnulli ex Rabinis, ut ibid. etiam teſtatur Manaſſes, volunt lucem hanc fuiſſe lucem Solis, ac Solem ideò dici quarto die creatum, vel quia tunc virtutem ſuam exercuit in plantas; vel quod priùs per aëra in gyrum proceſſit, ac quarto demum die in ſphærâ ſuâ fixus fuit. Mihi autem ſimplicitati Scripturæ accommodatius videtur, Lucem primo die creatam, à luce Solis, qui quarto die factus eſt, fuiſſe diverſam. Fullerus Miſcell. lib. 1. cap. 6. probat ſententiam Zanchii, nempe lucem primi diei fuiſſe nubeculam quandam lucidam, quæ motu ſuo circulari ab Oriente in Occidentem diem noctemque confecit: ex quâ poſtmodum condenſatâ & perfectâ corpus ſolare immediatè formatum fuit. Fateor equidem hoc probabilius videri, quàm quod Junius (ut ibi refert Fullerus) opinatur, nimirum lucem hanc ab igne elementari, in ſuâ ſede locato, profectam eſſe. Argumentum autem Fulleri, quo probat lucem primi diei eandem eſſe cum luce Solis, quia ſcil. dies non alia eſt lux, quàm quæ primo die condita fuit; lux autem illa, quâ die quarto corpora cœleſtia mundum perfuderunt, dies eſt; hoc, inquam, argumentum, admodum videtur infirmum. Id enim pro conceſſo ſumit, quod probandum erat, diem nempe non aliam eſſe lucem, quàm quæ primo die fuit condita.

5. *Factumque eſt veſpere & mane dies unus.*] (e) Loquitur (inquit Lyra) de die naturali, qui eſt 24. horarum, & complectitur diem & noctem: & ideò dicit, factumque eſt veſpere, &c. In veſpere enim completur dies artificialis, qui eſt prima pars diei naturalis, & in mane diei ſequentis completur nox, quæ eſt ſecunda pars diei naturalis. Et ideò præponit veſpere ipſi mane, ut oſtendat completionem diei naturalis, exprimendo terminos diei artificialis, & noctis, quæ ſunt partes integrantes diem naturalem. Similia habet Ambroſius Hexam. lib. 1. cap. 10. ubi eos redarguit, qui exiſtimant noctem diem præceſſiſſe. Certum autem eſt ex Levit. 23. 32. & ex eo quod tribus diebus, totidemque noctibus in ſepulcro Chriſtus fuiſſe dicitur poſterioribus ſeculis Judæos à veſperà diem incepiſſe. Utrum verò ita ex hoc loco ab exordio mundi fuiſſe intelligatur in medio relinquo.

Dies unus.] i. e. *primus.* Nachmanides (teſte Fagio) ait, *unum*, non *primum* vocari, quod adhuc nullus dies ſecundus extiterit, cujus reſpectu dicatur primus. At iſtud nihil in ſe habet ſolidi; nam id in Scripturâ dicitur *primum ante quod nihil*: primogenitus dicitur ante quem nullus eſt genitus, etiamſi fortè ſit unigenitus, ut notant Expoſitores ad Matth. 1. ult. Illud igitur quod à plurimis obſervatur, rectum eſt, ſcil. numerum cardinalem pro ordinali poni. Sic Matth. 16. 2. & 28. 1. Luc. 24. 1. Joan. 20. 1. Act. 20. 7. & 1 Cor. 16. 2. Ex hoc Hebraiſmo μία pro πρώτη uſurpatur.

6. *Sit* רָקִיעַ *firmamentum.*] Sic vulg. Septuag. στερέωμα. Nomen autem Hebræum, ut notat Aben Ezra, ſignificat דבר נטוי, i. e. *rem extenſam*; Recentiores vertunt *expanſum.* Fagius ait cœlum ſic appellari, ab expanſione illa, quâ ſuper terram porrectum eſt. Ad vim hujus vocabuli reſpicitur Pſal. 104. 2. & Iſai 40. 21. Mercerus putat Septuag. voci Hebraicæ Rakia, Græcam στερέωμα oppoſuiſſe, ut oſtenderent, cœlum etſi rarum ſit & expanſum, ſtabile tamen & firmum eſſe ſuâ ſubſtantiâ, ſcil. verbo & juſſu Domini. Fullerus Miſc. l. 1. cap. 6. poſt alias aliquas rationes excogitatas, quare Septuag. ſic verterint, nihil aptius, aut quod vero propius abſit, exiſtimat, quam eos ad Syriacam linguam reſpexiſſe, in quâ רקע perſpicuè denotat πιέζειν, i. e. *premere, comprimere, conſtipare, com-*

pin-

(d) *Jonathan.* מן יד הוה נהורא *Et ſtatim fuit lux.* ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον. Dictum factum.

(e) *Aben Ezra notat veſperam dici* עֶרֶב *à* עָרַב *miſcere, quod in eâ forma rerum miſceantur ſeu confundantur. Mane autem vocari* בֹּקֶר *à* בָּקַר *quærere, quod tunc inter formas quærere ſeu diſcernere & diſtinguere liceat.*

pingere, ut Luc 6. 38. pro πεπιεσμένον est מרוקע. Quin & hanc primariam verbi Hebræi significationem esse autumat, ex quâ altera illa extendendi ac dilatandi fluxerit. Etenim quæ extenduntur & dilatantur, urgente prementis vi plerumque extendi & dilatari; quemadmodum cernitur in ductilibus laminis æris, argenti, auri. Atque huc applicari posse putat illud Ezech. 6. 11. & 24. 6. רקע ברגל, quod verè proprieque declarare videtur *premere (terram) pede*. Kimchi percutere exponit; pressi autem est quasi continuata percussio. Quin & ex Chrysostomo in Psal. 136. notat Græcum quendam Interpretem vertisse ירקע πιλήσας, πίλησιν autem dicit non temerariam quamvis & evanidam compressionem esse, sed accuratam & stabilem. Et citat Aristotelem, Meteor. l. 4. cap. 9. πηκτὰ definientem esse ὅσα τ πιεσῶν μόνιμον ἔχει τὴν πίεσιν, illa duntaxat pressilia, quæ firmam & constantem obtinent compressionem. Hæc aliaque in hanc sententiam vir iste eruditissimus istic de hoc verbo habet; quæ si Amama & ipse vir doctissimus cognita, vel saltem cogitata habuisset, haud opinor, in Censurâ suâ dixisset, nec in voce Hebræâ, nec in themate, στερέωμα, seu firmamenti ullum vestigium, vel volam apparere. Probabilia certè mihi videntur, quæ scribit Fullerus, etiamsi interim fatear verbum רקע plerumque in Scripturâ extensionem denotare.

7. *Et divisit aquas, quæ sub firmamento, ab aquis* אשר מעל לרקיע *quæ desuper firmamentum.*] R. Salom. notat non dici על הרקיע super firmamentum, sed מעל הרקיע (sic in Editione (a) Buxtorfii legitur, fortè pro מעל לרקיע, prout in textu habetur) desuper firmamentum. Rationem hanc assignat, לפי שהן תלוים באויר, i. e. *Propterea quod aquæ istæ in aëre pendeant.* Id vult (ut ejus mentem explicat Fagius) aquas esse supra firmamentum, easque id non attingere, sed virtute divinâ pendulas esse. Paulò ante dixerat, הא למדת שהם תלוים במאמרו של מלך, i. e. *Ecce didicisti, aquas istas verbo seu mandato Regis (Dei) esse pendulas.*

8. *Dies secundus.*] De opere hujus diei non dicitur, quemadmodum de operibus aliorum dierum, Deum vidisse bonum esse: de opere autem tertii diei bis istud dicitur. Rationem hujus R. Salom. hanc reddit, quod usque ad diem tertium opus aquarum, quod die secundo fuit inchoatum, non erat perfectum; die autem tertio non solum opus aquarum perficiebatur, verum etiam aliud opus inchoatum pariter ac perfectum fuit. Maimonides in More Nebochim, parte 2. cap. 30. hujus rationis meminit, eamque probat; sed & alias addit, quæ minus commodæ videntur Hieron. adversus Jovin. hoc adversus nuptias (quibus in libro isto est iniquior) torquet; Cùm Scriptura, inquit, in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die: expletis operibus singulorum dixerit, Et vidit Deus quia bonum est, in secundò die hoc omnino subtraxit, nobis intelligendum relinquens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat, & præfiguret fœdera nuptiarum. Hanc Hieronymi rationem meritò improbat Lyra, eique rationem à R. Salomone redditam, quicquid in adversum dicat Burgensis, longè præferendam judicat. Illud autem notandum Septuag. etiam de secundo die hæc verba habere, καὶ εἶδεν ὁ θεός, ὅτι καλόν: nec à Scholiaste, vel à Nobilio quicquam ad ista verba est annotatum.

9. *Et dixit Deus,* יִקָּווּ *congregentur aquæ.*] Aben Ezra exponit per יתחברו, i. e. *consocientur, vel congregentur.* Septuag. συναχθήτω, *congregetur*, scil. *aqua*. Aquila & Sym. συστήτω, *coëat, consistat*. Fagius notat veteres Hebræos deducere à קו, *lineâ, regulâ, amussi, perpendiculo*, q. d. Congregentur ad unum certum locum, tanquam ad amussim & perpendiculum. Fullerus, Misc. l. 3. cap. 4. notat קו significare *lineam*, seu *filum*, quod fit ex lino, cannabe, cæterisque istiusmodi inter se contortis, implicatis, atque collectis: unde & verbum קוה haud injuria collectionem seu congregationem significare censeri. Addit autem, cum קו perpendiculum vel amussim, i. e. lineam rectam denotet, non ineptè קוה notionem etiam recti motûs obtinere; rectus autem motus cum sit brevissimus; ideoque ad incitandam celeritatem aptissimus, hoc verbo non obscurè intelligi, quàm promptè & alacriter obtemperârint aquæ mandato creatoris: rectâ namque & celerrime discessisse omnes in alveos suos.

Et fuit sic.] In Edit. Rom. τῶν Septuag. hæc sunt addita, καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ, τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν (forte pro αὐτοῦ) καὶ ὤφθη ἡ ξηρά. i. e. *Et congregata est aqua, quæ sub cælo, in congregationes suas, & apparuit arida.* Sed *ista omnia sunt addititi*a, & Basilius (uti monet Nobilius) testatur in Græcis exemplaribus accuratis obelo notata, nec à cæteris Græcis Interpretibus allata fuisse.

10. *Et congregationes aquarum vocavit Maria.*] Lyra notat Hebraico sermone quamlibet magnam aquarum congregationem vocari Mare; unde in Evangelio frequenter memorari *mare Tiberiadis, & mare Galilææ*, cùm tamen non esset nisi *lacus*, ac proinde interdum appellari *stagnum Genesareth*. Vide Matth. 8. 24. ac confer cum Luc. 8. 23.

11. *Proferat terra* דֶּשֶׁא עֵשֶׂב *gramen (&) herbam.*] In Hebræo non est copulativa particula, uti nec in Chald. tamen (ut notat Fagius) sæpe subauditur. Septuag. βοτάνην χόρτου, *herbam graminis*. Vulg. *herbam virentem*. Fagius autem existimat Scripturam hìc non unam tantùm rem, sed duas distinctas res innuere. Ac notat Hebræos inter דשא & עשב sic distinguere, ut דשא significet *herbam tenerinsculam*, עשב verò *grandiusculam*, cùm ad justam jam succrevit magnitudinem, & seminifera est. Quin & דשא dicere generale esse nomen ad omnia gramina, & herbas; עשב verò speciale nomen. Mercerus ex R. Salom. notat דשא primam quasi investituram terræ denotare, cum primùm virore vestiri incipit, & ex ea nescio quid tenellum, quod adhuc vix agnoscas quid, aut quod genus herbæ sit, aut fruticis, vel arboris, prodire. Unde (inquit R. Salom.) non dicitur דשא פלוני *gramen* tale, sed עשב פלוני *herba* talis. Vernaculè exponit *herbâsse*, cùm primùm ille viror à terra prodiens, nondum certò quid sit agnoscitur.

14. *Et erunt* לְאֹתֹת *in signa.*] An hoc quicquam faciat pro Astrologiâ Judiciariâ, vide Sixtum Senens. Bibl. S. lib. 5. annotat. 15. & 81. & lib. 6. annot. 10. Vide Jerem. 10. 2.

וּלְמוֹעֲדִים *Et in solennitates.*] Vox *Moadim* pro festis solennibus usurpatur. Unde R. Salom. ait hoc futurum respicere, atque ideò dictum esse, quòd postea de festis istiusmodi Israelitæ erant præcepta accepturi; quæ festa juxta ortum Lunæ (למולד הלבנה) essent computanda. Sed *Moed* generalius est, & quodvis statum tempus denotat; à יעד *tempus*, aut locum certum constituere. Unde & Moadim de locis usurpatur, Psal. 74. 8.

16. *Et fecit Deus* אֶת שְׁנֵי הַמְּאֹרֹת הַגְּדֹלִים *duo magna luminaria.*] Aben Ezra non ineptè notat, hæc luminaria non vocari *magna*, על מדתם כגופם רק על אורם, i. e. ratione corporalis ipsorum quantitatis, sed *ratione luminis* ipsorum; itâ enim Lunam quâvis stellâ esse majorem, magis scil. nobis luminosam apparere, idque propterea quod terræ sit propinquior.

20. יִשְׁרְצוּ *Producant copiosè.*] Verbum שרץ (ut notat Fagius) non simpliciter *producere* significat, sed *copiose producere*. ענין שרץ התולדה עם הרבוי inquit Kimchi in Rad. id est, *Sharats copiosam productionem denotat.* Hoc verbum usurpatur Exod. 1. 7. ubi de copiosa Israëlitarum in Ægypto multiplicatione agitur.

שֶׁרֶץ *Reptile.*] Nomen Latinum reptile Mercerus notat arctius esse Hebraico Sheretz, quod in universum omnia, quæ sese trahunt, in quocunque tandem versentur elemento, complectitur. Sic R. Salom. ait, *Sherets significare omne vivens, quod non altiùs supra terram attollitur.* Addit istiusmodi, *inter volatilia* esse *muscas, inter reptilia immunda,* (בשקצים) *formicas, & scarabæum* (חפושית) *& vermes; & inter alias creaturas* (בבריות) *mustelam & murem, & limacem*, & similia: ac denique omnes pisces.

וְעוֹף יְעוֹפֵף *Et volucris volet, &c.*] Chald. ועופא דפרח & volucrem, quæ volat. Fagius vertit, & avis volitet, videtur legisse ויפרח, ex lectione autem ista דפרח (b) (quam exhibet in Editione sua Buxtorfius) apparet Chaldæum hunc locum itâ intellexisse, ac si aves etiam ex aquis essent creatæ; quasi in Hebræo subaudiretur אשר (quæ) ועוף אשר יעופף, & volucrem, quæ volabit. Sic Septuag. καὶ πετεινὰ πετόμενα, &c. Et vulg. Et volatile super terram, &c. Vide ad cap. 2. 19.

21. *Et creavit Deus* הַתַּנִּינִם *cete*] R. Salom. (c) exponit תנים גדולים שבים, id est, pisces magnos, qui sunt in mari. Eodem etiam modo interpretatur Nachmanides, teste Fagio, qui etiam refert, Kimchi duo genera facere τῶν Thanninim; unum terrestre, de genere serpentum; alterum marinum, ingentes scil. pisces, qui aliquo modo similes sunt serpentibus, sive draconibus. Septuag. τὰ κήτη τὰ μεγάλα. Vulg. *Cete grandia.* Mercerus notat *Thinni* nomen ad Hebræum *Thannin* accedere; ac Plinium tradere immensæ magnitudinis esse Thynnos, qui etiam balænas superent. Exod. 7. atque etiam alibi תנין pro serpente vel dracone usurpatur. Et Drusius in

(a) *Ita etiam Editio Veneta in octavo habet.*

(b) *Ita etiam habet Editio Veneta in quarto, Jonathan etiam similiter.*

(c) *Vertit,* ועופא דפרח *i. e. Et volucrem quæ volat.*

Præter. ad Apoc. 12. 3. asserit Arabicè draconem Thennin vocari.

22. פְּרוּ וּרְבוּ *Fructificate & crescite*] Ista imperativa (ut notat Aben Ezra) habent vim futurorum; idem valent, quod תפרו ותרבו, i. e. *fructificabitis & crescetis*, ut Deut. 32. 50. ומות בהר, *& morere in monte*, i. e. *& morieris.* Sic Virgilius,

Nos te marmoreum pro tempore fecimus, at tu
Cum fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

(i. e. *eris.*

24. *Producat terra* נֶפֶשׁ חַיָּה *animam viventem.*] Hoc generale esse, & ea, quæ sequuntur, sub se complecti, rectè notatur ab Aben Ezra, scil. בְּהֵמָה bestiam, jumentum; quod ea denotat animalia, quæ inter homines vivunt, atque eorum usui inserviunt. רֶמֶשׂ *reptile*, quod parva animalia, quæ super terram ambulant, significat. Et חַיְתוֹ אֶרֶץ bestiam terræ (ו est paragogicum) quo nomine feræ intelliguntur, animalia ista, quæ in agris vivunt, ubi nulla est hominum habitatio. Sic ille distinguit. Mercerus ait inter Hebræos de discrimine inter בהמה & חיה non satis convenire; maximè autem eorum sententiam probat, qui בהמה animans domesticum, & cicur, quod cum homine versatur, intelligunt; חיה autem feram, seu agreste animal, quod ab hominis consortio remotum est. Monet autem sæpè generale nomen esse בהמה, sicut & חיה, ubi sola ponuntur. Genebrardus etiam in Psal. 148. 10. aït *Behemah* bestias domesticas, & cicures; *Chaijah* autem feras propriè comprehendere. Septuagint. illud vertunt τετράποδα. Vulg: jumenta: hoc autem illi θηρία, Vulg. bestias.

26. נַעֲשֶׂה אָדָם *Faciamus hominem*] Aben Ezra refert quendam dixisse נעשה hic esse participium in Niphal, *factus*; & quæ sequuntur, *in imagine nostrâ, juxta similitudinem nostram*, esse verba Mosis: hanc expositionem meritò stolidam & insensatam appellat. Idem refert Haggean (R. Saadiam) dicere נעשה faciamus, hic numeri pluralis esse quòd sic reges loqui soleant. Ipse autem vult Deum hic (a) Angelos alloqui; quod cur cuiquam arrideat, non intelligo. Illud interim rectè observat, hanc locutionem esse לכבוד האדם, i. e. *in honorem hominis*, q. d. Nos ipsos in faciendo hominem occupemus, & non aquam, aut terram, ut in reliquorum animalium productione. Dicemus (inquit Manasseh Ben Israel in Conciliatore, quæst. 6. in Gen) plerumque id, quod majoris momenti videtur, majori quoque studio & deliberatione nos aggredi: ideòque Scripturam in creätione hominis, peculiari modo loqui in plurali, *faciamus*; quod verbum videtur imperantis sibi ipsi, & ad suscipiendum ac faciendum aliquid incitantis. Idem refert LXX. transtulisse, *faciam hominem*: at in Edit. Rom. est ποιήσωμεν, nec alterius lectionis ulla fit mentio. Porchetus contra Jud. part. 2. cap. 5. refert in Midras Cōheleth scriptum esse, *Deus S. & Benedictus, & domus judicii ejus fecerunt Adam.* Hoc autem ipse Porchetus ita interpretatur, Deus S. & Benedictus est Pater; & domus judicii ejus, Filius & Spiritus S. Ibid. cap. 13. testatur in Bereshith Rabba scriptum esse quod R. Ammai dixit, Deum dicendo, Faciamus hominem, iniisse consilium cum corde suo. Mysterium Trinitatis hic innui censent plurimi, quod Mercero atque aliis eruditis pariter ac orthodoxis, haud placet. Nec mihi sanè hujusmodi locis ad impugnandum adversarium inniti, sat tutum videtur. Illud interim observo, alibi aliquoties in Scripturâ plurale de Deo usurpari cùm de eo tanquam hominis conditore fit sermo. Eccles. 12. 1. *Memento Creatoris tui*; Hebraice est, בּוֹרְאֶיךָ i. e. *Creätorum tuorum.* Et Job. 35. 10. Ubi est *Deus factor meus?* Hebr. est עֹשָׂי, i. e. *Factores mei.*

27. *Marem & fœminam creävit eos*] Manasses in Concil. Qu. 8. in Gen. refert ex Hebræis quosdam itá interpretari, quòd mulier non *actu*, sed *potentiâ* creäta sit cum homine, *viz. in costâ illâ*, ex quâ postea Deus Evam formavit. Alios autem existimare Adamum & Evam primò fuisse concorpores, & corpus hoc vocatum Adam, quæ vox marem & fœminam simul denotat. Illud igitur, *Et sumpsit Deus unam ex costis ejus*, juxta hanc opinionem vertendum ait, *unum ex lateribus ejus*, quia vox צלע etiam latus significat, Exod. 26. 20. ac sensum esse, Deum dissecuisse illud corpus, & unum ab altero divisisse. Pro hac opinione citat R. Salom. & Aben Ezram. Et quidem Aben Ezra itá sensisse videtur; ait enim האדם נברא בתחלה בשני פרצופין, i. e. *Homo creatus fuit initio duabus personis.* Et mox, ואדם נברא זכר ונקבה, i. e. *Et creatus fuit mas & femina.* R. Salom. autem etiamsi hujus commenti mentionem faciat, asserit tamen simplicem Scripturæ sensum esse, ambos, nempe Adamum & Evam, die sexto fuisse creatos, quemadmodum autem creati fuerunt, non hoc in loco, sed alibi explicari. Mercerus ad cap. 2. 18. ex voce illâ לבדו, i. e. *solus*, opinionem istam de duabus personis refellit; at ego eam nè refutatione quidem dignam censeo: & tamen (si Deo placet) etiam inter nostros reperti sunt, quibus hoc commentum placet, ut apparet ex Mercero, itémque ex Senensi Bibl. S. lib. 5. cap. 45.

(a) Sic Jonathan, *Et dixit Dominus Angelis, qui ministrant coram ipso, qui creati fuerunt die secundo creationis mundi, Faciamus hominem, &c.*

A D D E N D A

A D

F A G I U M.

1. בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ *In principio creavit Deus cælum & terram,*]

LIcèt in vocum redditione non sit hic magna, aut ferè nulla interpretum discrepantia, tamen quia in sensu & intellectu est apud Commentatores nonnihil variationis, volui quoque & hunc locum annotare. Et primùm variant in voce בראשית, quam licèt omnes ferè *in principio* vertant, tamen alii ordinis esse volunt, h. e. per eam significari, hæc scilicet, cœlum & terram ante omnia primo loco fuisse condita. Alii secùs judicant, non ordinis sed temporis notam esse. Et in genere ibi significari, omnia accepisse initium, cœlestia & terrestria, quæ veniunt appellatione *cœli & terræ.* Mihi probatur sententia R. D. Kimhi, qui in libro Radicum hunc locum paucis explicat, cujus verba supra habes. Habet quidem sancta lingua & alias voces, quæ principium, initium & exordium significant, sed hâc uti Moses magis voluit quòd ad multa mysteria quæ hinc erui possunt magis sit apposita, magis emphatica, & ad præsens institutum valde accommoda. ראש enim Hebræis *caput* significat, hinc ראשית nomen abstractum, i. *principium, initium, exordium:* sed non simplex ibi principium significat, sed primum illud capitale & admirandum omnium rerum principium, quo cuncta quæ sunt in rerum natura ex nihilo existere omnipotentiâ Dei primùm omnium cœperunt. Unde & Aquila (teste Hieronymo) בראשית interpretatus est, *in capitulo.* Cùm ergò Moses de primo & principali illo omnium rerum creatarum exordio loqui vellet, appositè, in loco, & non citra magnam emphasin, usus est vocabulo ראשית. Hinc & Scriptura in aliis locis, ubi de conditione rerum creatarum loquitur, libenter vocem בראשית usurpat, ut Prov. 8. ubi de æterna Dei sapientia quæ illi ab æterno adfuit, quæque in condendis creaturis præstò fuit, mentio fit; Nec desunt inter Hebræos qui ראשית pro *sapientia* exponunt: itá enim habet paraph. Chaldaica Hierosolymitana, בחכמא ברא ה׳ i. *In sapientia creavit Dominus*, &c. Atque huc nimirum respexerunt qui ex nostris, *in principio*, exponunt, *In filio creavit Deus cœlum & terram:* Filius enim Dei *sapientia Dei* non raró in Scripturis dicitur. Et quod hic per *principium* Filius Dei, qui est Jesus Christus Dominus & Servator noster, possit intelligi, non omnino eludit etiam D. Hieronymus, qui in Quæst. suis Hebraicis super Gen. sic scribit, *Magis itaque secundùm sensum quam secundùm verbi translationem de Christo accipi potest, qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput librorum omnium est, quam etiam in principio Johannis Euangelistæ, cœli & terræ conditor approbatur. Unde & in Psalterio de se ait, In capite libri scriptum est de me, i. in principio Geneseos: Et in Euangelio, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hæc Hieronymus. Sed placet etiam huc referre, quomodo admirandæ eruditionis vir, Picus Mirandulanus, olim in hac voce בראשית piè philosophatus fuerit: sic enim scribit, *Ex hac voce* בראשית *si tertiam literam primæ conjungamus, fit dictio* אב. *Si geminatæ primæ secundam addamus, fit* בבר. *Si præter primam omnes legamus, fit* ראשית. *Si quartam primæ & ultimæ connectamus, fit* שבת. *Si tres primas quo jacent ordine statuamus, fit* ברא. *Si primâ omissâ tres sequentes, fit* ראש. *Si omissis primâ & secundâ duas sequentes, fit* אש. *Si tribus primis omissis quartam ultimè copulemus, fit* שת. *Rursus si secundam primæ, fit* רב. *Si post tertiam quintam tum quartam statuamus, fit* איש. *Si primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit* ברית. *Si ultimam primæ, fit ultima dictio & duodecima, quæ est* תב, *verso, quod frequentissimum apud Hebræos est, Thau in Thet elementum. Videamus autem quid primo hæc Latinè significent. Tum quæ per ea non ignaris Philosophiæ de tota natura mysteria revelentur.* אב patrem *significat.* בבר in

filio

filio & per filium, (*utrumque enim significat Beth præpositio*) ראשית principium. שבת quietem & finem. ברא creavit. ראש caput. אש ignem. יסד fundamentum. רב magni. איש hominis. בברית fœdere. טוב, bono. *Et totam si ordine consequenti orationem texamus erit hujusmodi: Pater in filio, & per filium principium, & finem, sive quietem, creavit, caput, ignem, & fundamentum magni hominis fœdere bono. Hæc tota oratio ex prima illius dictionis resolutione & compositione dissultat.* Hæc Mirandula. Secundò, Variatio est in verbo ברא *creavit.* Quidam enim volunt significare productionem ex nihilo. Alii tamen reclamant, & non volunt hoc esse perpetuum, eò quòd Scriptura ubi loquitur de cetorum & hominis conditione quoque usurpat *creandi* verbum, qui tamen ex præjacente materia facti sunt, ceti ex aquis, homo ex luto. Sed tu scias duplicem usum esse *creandi* verbi in Scripturis. Primò enim significat aliquid ex puro nihilo creare ac producere, qua in significatione hoc in loco accipiendum esse docent etiam doctiores Hebræorum. Ità enim scribit Commentator Hebræus Nehemanides, & R. D. Kimhi, quorum verba supra sunt citata. Secundò, usurpat, etiam Scriptura *creandi* verbum ubi aliquid non ex mero nihilo sed ex præjacente materia, sed quod magnum, eximium, præclarum, & novum quiddam fit, singulari Dei virtute ac potentiâ in lucem profertur. Atque hinc est quòd eo utitur, ubi cetorum & hominis conditionem proponit. Sunt enim ceti vastæ & portentosæ quodammodo magnitudinis. Homo ob eximias dotes omnibus creaturis præstat, imò omnium creaturarum quasi caput & princeps est. Hanc quoque vim significandi *creandi* verbum in Numeris habet cap. 16. ubi de absorptione Corah, Dathan & Abiram agitur. Ibi enim Moses sic loquitur, ואם בריאה יברא יהוה ופצתה האדמה את פיה ובלע אתם, &c. i. *Sin recens quicquam creaverit Dominus, aperueritque terra os suum, & devoraverit eos*, &c. h. e. si novum, insolitum & magnificum quiddam fecerit Dominus, ut erat diruptio terræ, & devoratio hominum. Porrò scias Hebræos inter hæc tria verba, ברא *creavit*, יצר *formavit*, & עשה *fecit*, distinguere, quod ante ostensum. Postremò variatur quoque in nomine Dei אלהים. Hoc nomen, quod formam attinet, pluralis numeri est, cujus singulare est אל, vel אלה, i. *Deus*, hinc *Elohim*, i. *dii*. Et quia multitudinis numero Deo uni in Divinis literis tribuitur, hinc nostri scriptores Trinitatis mysterium non malè colligunt. Perfidi & excæcati Judæi, nè sacrosanctam Trinitatem fateri & concedere cogantur, triplici ferè expositione vocem Elohim obscurare conantur. Quidam enim dicunt tam voce quàm significatione esse singularis numeri, unde pro *Deo* & non pro *diis* exponunt. Quos multi etiam ex nostris secuti sunt; sed eò magis tolerabiliter, & minori veritatis periculo, quòd propterea sacram Trinitatem non, ut impii Judæi faciunt, pernegant, qui hâc impiâ expositione suæ impietati & perfidiæ patrocinium quærunt. Falsò enim & contra linguæ sanctæ naturam loquitur, quisquis est, qui dicit vocem Elohim singularem esse, & singulariter exponendam: cùm ejus usitatum singulare sit אל vel אלה, Elohah, unde formatur plurale Elohim. Quodcunque enim nomen terminatione multitudinis suum singulare habet usitatum à quo formatur, id pro singulari re nunquam accipitur nisi figuratè. Alii Elohim tam voce quàm significatione multitudinis esse dicunt. Verùm non significare Dei personam, naturam ac substantiam, sed potiùs Dei virtutes ac qualitates, quæ quia multæ sunt, ob id venire appellatione Elohim pluraliter elato. In qua sententia fuisse videtur R. Nachmanni, qui Elohim dici putat, quasi אל הם, i. *robur*, seu *fortitudo*, *eorum*, quòd scilicet Deus sit כח הכחות, i. *virtus virtutum.* Idem sentit & post illum R. Bachai, sic scribens, אלהים על דרך הפשט לשון אלוה ופירושו בעל הכחות כלם ומה הטעם לא אמר אל ולא אלוה כי אם אלהים בלשון רבים, i. Elohim *juxta simplicem sensum Divinitatem significat, cujus expositio est, Dominus omnium virtutum. Quæ etiam causa est cur non dixerit* אל, *neque* אלה, *sed* אלהים *in plurali.* Hæc quidem suo in loco de Deo non impiè dicuntur & prædicantur. Quis enim inficiabitur illum omnium virtutum supremam esse, h. e. ab eo solo & non aliunde vim suam habere quicquid validum, robustum & forte est, sive in cœlo sive in terra? Sed quòd hoc sibi velit nomen Elohim ob id pluraliter elatum ut plures in Deo virtutes significet, non minùs falsò dicitur quàm quòd alii voce & significatione singulare esse contendunt. Si enim cujusque rei vocabulum ob plures ejus virtutes quas in se continet pluraliter efferre velles, quæ, obsecro, erit confusio sermonis? quod hinc prodibit portentosum genus loquendi? Quòd si perfidus Judæus dicit, hoc tantùm valere in voce Elohim, hoc ipsum violenter ex se dicit & fingit, cujus causam convenientem & solidam nullam ex Divinis literis ostendere potest. Postremò, sunt qui Elohim *honoris causâ* de Deo pluraliter dici ajunt; idque *humano more.* Pro qua sententia confirmanda citant hos Scripturæ locos: Gen. 42. Item Esaiæ 19. In quibus locis אדני & אדנים non sunt singularis sed pluralis numeri, & tamen singulariter significant. Hanc sententiam maximè tenet Aben Ezra, quam etiam confirmare conatur consuetudine linguæ Ismaeliticæ, apud quos dicit, homines existimatione eximiâ, ut sunt Reges, &c. de se loqui numero multitudinis. Verùm tu noveris, Christiane Lector, hanc expositionem, utcunque Judæis plausibilis est, maximè Aben Ezræ, æquè incertam & infirmam esse, ut priores duas. Quod enim Scriptura vocem Elohim perpetuò de Deo pluraliter honoris causâ usurpet, hoc ipsi quidem Judæi dicunt, sed ex Scripturis probare non possunt. Et ut ità in usu sit numerus multitudinis apud exteras linguas, quid ad sanctam linguam Barbarorum barbaries, cui puritas & simplicitas peculiaris est, & fucus omnis displicet? Idem quoque Aben Ezra Elohim de Deo plurali numero dici sentit propter Angelos, qui & ipsi in Divinis literis veniunt aliquando appellatione Elohim: eò quòd Deus illorum ministerio opera sua exsequatur. Sed & istud pari autoritate quâ dicitur refutatur. Nos igitur Christiani, quod res est & fundamentum veritatis, quòdque nullis argumentorum Judaicorum arietibus concuti potest, firmiter teneamus, Elohim nomen rei esse, non rei adhærentis, h. e. personam, naturam & substantiam Dei eo significari. Et semper multitudinis, ad ostendendum tres personas in una Divinitate, Patrem, Filium, & Spiritum S. Verbo autem adjuncto singulari Divinæ naturæ atque essentiæ unitatem indicari.

2. והארץ היתה תהו ובהו, *Terra autem erat informis & inanis.*] Variatio est non in sensu, sed tantùm in redditione vocum *Thohu & Bohu:* nam quod ad sensum attinet, omnes translationes in idem recidunt. Porrò voces תהו & בהו, licèt (teste Aben Ezrâ) ferè idem significent, tamen quidam eas sic distinguunt, ut בהו sit res omni formâ carens, ut est materia prima, & תהו aptitudo habendi, sive desiderium quod movet materiam ad omnem formam naturalem. Unde R. Nachmanni בהו compositam dictionem esse sentit, ex בו & הוא, q. d. בו הוא, *in eo est aliquid.* R. D. Kimhi in libro Radicum hæc duo vocabula sic explicat. Alii, quos & R. Schlomo sequitur, Thohu à תהה quod *admirari, attonitum esse, & obstupescere* significat, deducunt. q. d. Terra erat res quædam stupenda & horribilis, ut est materia illa prima, dum est denudata formarum affectibus. Cui accedit & Onkelus suâ Paraphrasi. LXX. qui Thohu & Bohu per *invisibilis* & *incomposita* reddiderunt, respexerunt ad id quòd terra aquis adhuc undique circumfusa erat, nullis dum plantulis, herbis & arboribus adornata, neque ad inhabitandum accommoda. Quam lectionem sequitur & F. Josephus Antiq. Jud. lib. 1. sic inquiens, *Sed dum terra ad aspectum non veniret, & profunditate ac tenebris celaretur*, &c.

Ibid. ורוח אלהים מרחפת על פני המים, *Et spiritus Dei movebat se super facies aquarum*,] Variatur hîc ab interpretibus in voce רוח, propterea quòd ea ambigua & anceps sit, cùm ad S. Dei Spiritum, qui tertiam in Divinis constituit personam, tum ad ventum elementalem. Unde fit quòd in utramque partem cùm à nostris tum Hebræorum commentatoribus & redditur & exponitur. Qui inter Hebræos pro vento elementali accipiunt, sentiunt ventum validum, vehementem ac impetuosum fuisse, in hoc ut exsiccaret aquas à Deo missum, ideòque dici *Dei ventum*, seu *spiritum.* Quæ enim magnifica, valida & eximia sunt, in Divinis literis sæpe appellatione *Dei* venire solent. Ut, *Cedri Dei*, &c. Similem ob causam & *ventum*, seu *spiritum Dei* dici volunt. R. Nehemanides non malus autor apud Hebræos, sentit *ventum*, seu *spiritum*, *Dei* dici, ab eo scilicet quòd & subtilior & superior sit reliquis elementis. Quod enim proximè aquas spirat, hoc dicit non esse ex sui natura, sed ex verbo Dei. Alteram sententiam ferè nostri sequuntur Commentatores, qui per *spiritum Dei*, S. Dei Spiritum, ornatorem & perfectorem inchoatæ materiæ, intelligunt. Est porrò & variatio in voce מרחפת. Alii enim pro simplici venti agitatione & commotione eâque impetuosiore, ut etiamnum fit in magna tempestate, exponunt. Alii per eam effectoriam ac fotricem vim Divini Spiritûs ex ruditate miro Divinoque consilio ac sapientiâ omnia formantem intelligunt. Nam licèt verbum רחף *agitationem*, *commotionem*, & *superlationem* significat, tamen non simplicem significat, sed ejusmodi qualem milvus aut alia avis

avis peragit, pendens in aëre cùm furtim descendendo cupit prædæ incumbere, vel qualem columba perficit cùm ovis ad excludendum pullos incubat. Vel, qualem aquila facit dum ad volandum pullos suos provocat, ut de ejus natura Sacra meminit Scriptura Deut. 32. Quem locum & Rakenatensis pro explicatione præsentis loci citat. Pro majori hujus loci intellectu adferre etiam licet quæ D. Augustinus habet, cujus hæc sunt verba, *Materia*, inquit, *spiritus artificis superferebatur. Non ita superferebatur ut oleum aqua, vel aqua terra, i. quasi contineretur. Sed si ad hoc de visibilibus exempla capienda sunt, sicut superfertur lux ista Solis aut Lunæ, his corporibus quæ illuminat in terra, non enim continetur illis, sed cùm cælo contineatur istis superfertur. Item cavendum, nè quasi locorum spatiis Dei Spiritum superferri materiæ putemus, sed vi quadam effectoria & fabricatoria, ut illud cui superfertur efficiatur & fabricetur, sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei aliæ subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet. Et hæc similitudo cùm sit omni corpore excellentior, parva est tamen, & prope nihil ad intelligendum superlationem Spiritûs Dei subjectæ sibi ad operandum mundi materiæ.* Hæc Augustinus. Porrò si quem fortè etiam audire delectat pias & sanctas cogitationes in hunc locum, incomparabilis eruditionis viri, D. Wolfgangi Capitonis Fabritii (piæ memoriæ) præceptoris mei fidelissimi nunquam obliviscendi, cujus certè obitûs sine maximo dolore nunquam recordor, dum cogito quantum ille adhuc mihi tum omnibus Sanctæ linguæ studiosis, imò universæ reipub. Christianæ, prodesse potuisset, (Sed sit נפש אדוני צרורה בצרור החיים) illas tibi depromo ex Hexamero suo; ubi sic scribit, *Hebræi duas voces flatum vel ventum significantes habent,* נשמה רוח: *Prior illa flatum leniorem, posterior autem ventum cum impetu latum. Transfertur utraque ad hominem & ad Deum. In homine quidem sæpenumero iracundiæ commotionem significat, interdum autem animam immortalem, ut,* Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, נשמת חיים Gen. 3. *Et,* Spiritus redit ad Dominum qui dedit eum. *Mortalem autem quæ in sanguine & spiritibus sedem habet, quæ quidem cum corpore interit, eam* נפש *vocant, quam vocem* Animam *plerumque vertunt, & pro homine ipso & vita corporis accipitur. Utraque vox Deo, ratione nonnihil commutatâ, tribuitur interdum. Nam aut iracundiæ aut substantiæ vim repræsentat. Ira quidem est, ut 2 Sam.* 22. Detecta sunt fundamenta terræ ex increpatione Domini, מנשמת רוח אפו, propter flatum spiritûs iræ ejus. *Vocabulum autem* רוח *substantiam notat dupliciter; quia interdum naturam significat, ut;* Deus spiritus est, *h. e. naturam habet spiritualem tribus personis communem: interdum verò personam, à Patre & Filio diversam. Quando autem persona sit Spiritus, ex adjuncta Patris & Filii persona ferè intelligitur, quod quidem fit sæpenumero explicate, ut,* Paracletus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Quo in loco Patrem audis in nomine Filii mittentem Spiritum S. ad docendum omnia quæ humanis viribus & universæ creaturæ captu majora sunt, ut quæ ad Resurrectionem mortuorum & futuram illam Corporum immortalitatem pertineant. Igitur Spiritus Deus est, cùm creaturam omnem excedat; & à Patre, & à Verbo illum ablegantibus, quia mittitur, alius est. Interdum fit occulta mentio aliarum personarum, expressa Spiritûs, ut,* Oportet ut adimpleatur illa Scriptura quam prædixit Spiritus S. per os Davidis. *Hæc de varia vocabuli* Spiritus *acceptione, nunc applicabimus quæ dicta sunt ad nostrum institutum. Spiritus Dei qui ferebatur super aquas non est subtilis flatus, quod* elementum aëris *vocant, quia nusquam aër dictus est* Spiritus Dei, *& natura vocum excogitationi repugnat. Spiritus enim non quivis flatus est, sed ventus validus atque impetuosus, si vox propriè usurpatur: & adjunctio genitivi* Dei, *vim ejus vocis amplificat, ut intelligas ventum, siquidem libet cogitatione naturalibus inhærere, ventum excellenter impetuosum. Qui quidem nullus fuerat in principio, quia neque aër neque spatium, quod aërem validè agitatum exciperet, neque adeo luminare Solis tum erat quod vaporibus in altum sublatis materiam & generationem venti illius absolveret. Non igitur appellatio* Spiritûs *in significatu naturali manet, sed transfertur ad Deum, quam translationem appositio vocis* Dei *declarat. Atque creatura esse non potest ea res quæ principium rerum antevertit, propterea quod pugnet creaturam esse & esse extra principium creaturarum, cùm* in principio nihil *erat, i. ante principium nihil exstitit aliud quam unus Deus in se sempiternus, & solus omnium creaturarum initio superior.* Hactenus beati Capitonis verba recitavimus.

6. יהי רקיע בתוך המים, *Fiat firmamentum in medio aquarum,*] Tametsi nulla ferè in vocum redditione apud Interpretes sit varietas, tamen adducere libuit hunc locum propter vocem Hebraicam רקיע, quam cùm omnes Interpretes *firmamentum* transferant, *extensionem*, sive *expansionem*, tamen propriè significat: q. d. *Sit extensio* (sive *expansio*) *in medio aquarum.* רקע enim Hebræis *expandere*, *extendere* significat, vel, ut aulæa sive tentoria extenduntur atque expanduntur; vel, ut lamina malleo diducitur ac extenuatur. Et ad hujus vocis naturam alludit Scriptura in multis locis, ut Esa. 40. Habet ergò cœlum apud Hebræos duo nomina; vocatur enim רקיע ab *expansione*, quòd scilicet extensum sive expansum sit super universam terram, unde Judæi vulgò ein ausspreitung exponunt: & vocatur שמים, vel, quòd sit aquea quædam materia, consolidata tamen; vel, quòd ibi sint aquæ. שמים enim conflatam dictionem esse dicunt ex ש litera, & מים q. d. שמים i. *quia*, vel *quòd sunt aquæ.* Vel ex שם & מים Majim, *ibi sunt aquæ.* Vel ex אש *ignis* & מים *aqua*, q. d. אשמים *ibi est ignis & aqua.* Vel ex נשא *sustine* & מים, quòd scilicet cœlum aquas sustineat. Quod vocem Græcam στερέωμα attinet, quam Lat. interpres *firmamentum* reddidit, sunt qui arbitrantur eam esse novam, & primùm inventam à LXX, formatam scilicet à verbo στερεόω, quòd *firmare* significat. Hinc cœlum à stabilitate, firmitate & soliditate στερέωμα appellasse, idque κατ' ἐξοχὴν *per excellentiam*: quòd cœlum suâ stabilitate & soliditate omnia alia stabilia, firma & solida quodammodo vincere videatur; ideòque præ aliis mereri hoc nomen στερέωμα. Non desunt tamen qui putant cœlum στερέωμα non à στερεόω quod *firmare* est nuncupatum, sed potiùs à στερέομαι, quod *privare* significat. Latinè *separamentum* sive *tabulatum*, Germanicè ein Underschlacht, quòd scilicet separet superiora & cœlestia illa ab inferioribus & terrestribus. Sed judicium esto penes pium lectorem. Mihi tamen magis probatur quòd Græci voce στερέωμα ad stabilitatem & firmitatem respexerint. Quandoquidem videmus & profanos autores cœlo soliditatem & stabilitatem tribuere. Homerus in suis rhapsodiis cœlum sæpe appellat χάλκεον οὐρανὸν *æreum cœlum*, h. e. solidissimum; & χαλκοβατῆ δώματα *æneas domos*, aut *ære stratas*; quandoque σιδήρεον οὐρανὸν *ferreum cœlum*. Plato quoque in Legibus Astrologiam versari dicit circa στερεοῦ φορὰν *solidi motum*, per *solidum* cœlum intelligens. Cœlum quoque etiam solidum videtur Aristoteles sentire: primo enim Meteororum scribit, *à corporis solidi motu scindi aërem*, &c. Porrò quod dicitur *in medio aquarum*, quidam Hebræorum ità intelligendum esse docent, ut scias firmamentum, cœlum sive expansum illud ità constitutum esse ut aquas ab invicem separaverit, partem supra se, partem infra se retinendo, idque æquali distantiâ: ità ut quantum aquæ terrestres à firmamento distent, tantum quoque ab eo distent quæ supra illud sint, nec sine magna Dei virtute, potentia ac miraculo quodam pendulas esse. Et huic sententiæ adstipulari videtur Onkelus suâ Paraphrasi. Quòd si fortè hæc rationi contraria, & maximè sententiis Mathematicorum & Astronomorum adversari videntur, meminerimus S. Scripturam multa hujusmodi habere quæ superant rationem humanam, & à quibus meritò stupere & ignorantiam suam fateri cogitur. Disputatur quoque hîc de usu istarum aquarum cœlestium, inter quæ istud quod adfertur plus probabilitatis habere videtur, quòd dicunt supercœlestes illas aquas à Deo ibi asservatas esse, hominibus in terrorem, ut sciant Deum ibi habere quo homines punire possit si mereantur illorum peccata. Sicut factum est, inquiunt, tempore Diluvii, ubi cœli cataractis sive fenestris apertis aquæ magnâ vi & impetu distillarunt, ad delendum homines propter peccata sua. Eandem ob causam & ignem ibi asservari dicunt, ad exurendum & repurgandum mundum in novissimo die, juxta illud Petri Apostoli, *Veniet autem dies Domini sicut fur in nocte, quo cæli procellæ in morem transibunt, elementa verò æstuantia solventur, terráque & quæ in eo sunt opera exurentur*, &c. Sed sinamus illa otiosis ingeniis cogitanda; nos enim hoc in libro aliud tractare instituimus. Placet tamen adhuc hoc addere, quòd quidam hunc nodum sic solvunt, dicentes, per רקיע, quod *firmamentum* redditur, hîc intelligi aërem. Et duplices esse aquas; alias marinas & fluviatiles, alias in media regione aëris, quæ sunt nubes, aquæ potentiâ, quas dividi dicunt ab istis inferioribus per aërem. Convertit enim Deus aquas illas quæ circumdabant terram in corpus illud extensum quod est inter cœlum & terram, i. vertit in aërem. Et cum illis sentit & Commentator Hebræus Aben Ezra, qui ob insignem eruditionem sapiens Aben Ezra dici meruit.

26. נעשה אדם בצלמנו כדמותנו, *Faciamus hominem in imagine*

magine nostra, secundùm similitudinem nostram,] Volui & hunc locum annotare, non quòd magna adeò apud Interpretes in redditione ejus sit variatio (nisi quòd LXX. omissum est pronomen in altera parte כדמותנו, *juxta similitudinem nostram,* quod illi legunt *ad similitudinem.* Quod tamen incuriâ scriptoris potiùs omissum crediderim) sed quòd videam Commentatores Hebræos hunc locum multis nominibus impiè in suum sensum detorquere, nè sacrosanctum Trinitatis mysterium, quod nostri scriptores hinc rectè, verè & piè colligunt, fateri cogantur. Primùm, quidam dicunt verbum נעשה *faciamus* non esse futurum sed participium præteritum: q. d. *fiat* (seu *factus esto*) *homo*, &c. Sed ridet, impugnat & eludit hanc interpretationem ipsorum Commentator Aben Ezra: sisiut & illud quòd quidam dicunt hæc verba, *in imagine nostra, secundum similitudinem nostram*, non esse Dei verba sed Mosis. Alii Scripturam hîc sequi putant morem humanum, quo fit ut magnates, principes, reges, & qui in eminentia constituti sunt summisque funguntur officiis, de se ipsis pluraliter loquantur. Alii Scripturam hîc pluraliter de Deo loqui sentiunt, propter angelos, quos Deum allocutum dicunt cùm formaturus esset hominem. Et ad exprimendam hominis dignitatem ac præstantiam, quòd non ut reliquæ creaturæ ex sola terra vel aquis productus sit, sed singulari Dei angelorúmque operâ: q. d. Deus, Non terra nec aquæ in condendo homine sint occupatæ, verùm nos ipsi. Alii fieri putant propter quatuor elementa, ex quibus corpus humanum fictum est; quæ Deus quodammodo alloqui & exhortari voluerit, ut exhiberent materiam pro fingendo corpore humano. Eáque etiam de causa dici, *ad imaginem & similitudinem nostram*, non *ad imaginem & similitudinem meam*: quòd scilicet duobus participet homo, Deo secundùm animam immortalem, & elementis secundùm corpus. Hactenus Judæorum opiniones recensui. Verùm longè rectiùs & veriùs sentiunt nostri Commentatores. *Faciamus* non *faciam* dictum, ad exprimendam Divinam naturam in personarum proprietate. Dein, ut agnoscamus quoque nostram nobilitatem ac dignitatem. Nam tametsi ex terra factus sit homo, tamen Deus fecit eum suâ manu, ut videamus quantum Deus dignatus sit hominem, ut soli Creatori homo serviat, hunc unum colat, huic uni fidat ac hæreat, non terræ, non Soli, non aquæ, &c. Non minùs quoque variant Judæi in exponenda imagine & similitudine juxta quam homo creatus est. Alii enim dicunt hanc imaginem esse animam immortalem, quâ homo Deum quodammodo repræsentet. Alii ad unitatem referunt, quòd sicut Deus unus est in cœlestibus, ità & hominem unum primùm in terris fecerit. Alii de effigie hominis accipiunt, quòd sicut Deus nullum sibi similem habet, ità & hominem condiderit, ut inter tot mille nè unus quidem inveniatur qui alterum effigie habitúque corporis per omnia exprimat. Alii, quòd masculus & femella factus sit, quò repræsentet cœlestium imaginem, angelorum scilicet: quòd sicut angeli à Deo supremâ virtute, per gradus quosdam tanquam per modum generationis, quæ ipsorum officii sunt accipiunt, ità & feminam prolificandi vim à viro accipere. Alii de dominio quod super creaturas homo habet exponunt, quòd homo cunctis rebus veluti Deus quispiam præsit. Et pro stabilienda hac sententia citant quod mox sequitur, *Et dominentur in piscem maris, & in volucrem cœli, & in jumentum, & in omnem terram, & in omne reptile quod reptat super terram.* Vide quàm nihil sapiat cæca gens Judaica de illa vera imagine & similitudine quæ est, quòd in summa sapientia, justitia & innocentia homo primùm à Deo conditus fuit, quam per inobedientiam & transgressionem amissam Christus, qui est imago paternæ substantiæ, per suam obedientiam nobis iterum recuperavit. Ad quam per fidem in Christum regenerati & justificati, indies magis atque magis accedimus. Sic certè Apostoli nobis imaginem Dei ad quam homo conditus est explicant. Eph. 5. Et ad Colos. 3. Eadem habes & 1 Cor. 15. Hæc confirmant etiam aliquo modo quæ de natura & proprietate significandi vocis צלם, quæ *imaginem* significat, R. D. Kimchi scribit in libro Radicum, ubi sic inquit, (verba Hebr. supra habes) ZÆLÆM *similitudinem significat, & interdum corpoream & sensibilem, interdum verò incorpoream & insensibilem, quæ mente & cogitatione tantùm percipitur: h. e. æstimationem & similitudinem, quâ aliquid alicui in præstantia & dignitate simile est, significat. Et hoc quidem hoc in loco, Faciamus hominem in imagine nostra, juxta similitudinem nostram.* Item *in imagine Dei creavit eum.* Ab his quoque non multùm abludunt quæ scribit R. Moses צלם *imaginem* hic significare *substantialem*, quam Philosophi εἶδος aut *ἰδέαν appellent*, non illam quæ lineamentis atque coloribus exprimitur; eam enim appellari תאר, i. corporis qualitatem.

CAP. II.

MUNSTERUS.

3. QUando ab initio hujus capitis dicitur, *Dominum sanctificasse diem septimum*, vult Scriptura ostendere, septimum diem præcipuè applicatum cultui Divino. Sanctum enim est, quod Deo est applicatum, & ab omnibus profanis usibus separatum. Hinc *sanctificare*, est deligere ad sacros usus. ¶ *Quod creavit ut faceret*] Seu, *quod faciendo Deus creaverat*, ut nostri interpretantur. R. Abraham autor libri *Zeror Hammor*, scribit in hunc locum, *Per id quod dicitur,* QUOD CREAVIT UT FACERET, *significari dæmones illos familiares, ut sunt fauni, satyri, incubi, penates, & similes, qui quidem sunt creaturæ sed imperfectæ, quod Deus vesperâ sabbati præventus illos non perfecit. Et hinc est quòd fugiunt sabbati sanctitatem, quærentes montes & tenebrarum latibula, in quibus delitescunt usque ad finem sabbati, & tunc revertentes, homines infestant, atque damna illis inferre moliuntur.* Scribit & alia multa absurda de שדים & רוחין atque לילין, quæ hîc omittimus. In hoc tamen bene scribit, quòd is locus quoque intelligatur de כח hoc est, *vi*, quam Dominus in creatione creaturis indidit, ut rerum species subinde conservarentur, & ipse à novis condendis abstineret. Unde D. Augustinus; *Deus res conditas sic administrat, ut eas propriis motibus agere sinat.* Utitur mediis certis, & sua miracula sic temperat, ut ministerio naturæ & mediis naturalibus utatur. Et exigit id à nobis, nè organa naturæ abjiciamus, (id enim esset tentare Deum) sed ut mediis paratis & à se oblatis cum gratiarum actione utamur. Sic medicinæ usus licitus est, imò necessarius; est enim conditum medium ad conservandum valetudinem.

4. *Dominus Deus*] Hîc primùm scribitur nomen Dei tetragrammaton. Aliqui Hebræi hanc adferunt rationem: Cùm perfectum esset opus Dei, perfecta quoque Dei adhibetur appellatio.

5. *Antequam*] Onkelos exponit טרם pro עד לא. Adhuc non erant germina in terra, nisi tenera ex radice nata.

6. *Vapor*] Chaldæus interpretatur *nubem*; quod tamen idem est.

7. *Factus est in animam viventem*] Sensus est, Recepit homo vitam animalem, quæ est edere, bibere, generare, augescere; sed quam Deus posthac vivificaturus erat sine animali vita, immortalitate scilicet, translaturus hominem sine molestia de animali vita ad immortalem & spiritualem vitam, sicut nos jam per mortem transferimur in illam cœlestem vitam.

8. *Eden*] Sunt qui *Eden* non pro voluptate, sed pro regione sic appellatâ accipiunt, cujus mentionem facit Esaias cap. 37. in qua Dominus hortum amœnissimum & deliciis plenum plantavit, hominíque ad inhabitandum, colendum & custodiendum tradidit. Ubi autem is hortus sit, & num adhuc in terra sit, habent tam Ecclesiastici quàm Hebræorum Doctores varias opiniones, & nullus non proprium aliquod affert figmentum. Ex catholicis quidam ajunt, eum situm in Oriente extra Tropicos: Alii volunt positum sub Æquatore temperatissima regione. Alii designant locum ejus in altissimo monte, ut sit extra omnes turbationes aëris, in quo Henoch & Elias adhuc vivi servantur. Fuerunt alii qui totum Orientem Paradiso assignârunt: Et alii putant illum certas quasdam Orientis regiones occupasse, Puta Syriam, Damascum, Arabiam felicem, Ægyptum, &c. Comprehendit enim latissimum, non angustum terræ spatium, mansitque usque diluvium, munitus à Deo per custodiam angelorum. Cùmque per diluvium mundus unà cum hominibus & pecudibus aboleretur, hic tam nobilis hortus etiam periit. Et quando Christus in Evangelio dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, locutus est de allegorica Paradiso, quam etiam Scriptura appellat *sinum Abrahæ.* Habebant enim animæ ante Christi adventum pacem & quietem, exspectantes in illa quiete futuram vitam & gloriam: sicut & Adam in innocentia plenus fuit pace, securitate, & omnibus donis, quæ abundant ubi non est peccatum. Quamvis autem tota terra ante peccatum culta fuerit & fœcunda, propter primæ creationis benedictionem & opulentiam, (nondum enim

fuerunt tribuli & steriles arbores) tamen Hortus Paradisi habuit meliorem cultum præ cultu totius terræ, fuitque melior pars terræ. Plantaverat quoque Deus in eo multò nobiliores arbores quàm in reliqua terra, quæ suppeditassent homini victum delicatum & optimum. Fructus autem arboris vitæ fuisset ceu pharmacum quoddam, qui conservasset in homine perpetuam juventam, ut non sensisset senectutis incommoda, non rugas contraxisset frons, nec membra ætate languidiora facta fuissent, sed mansissent homini beneficio hujus fructûs vires integræ, donec tandem translatus fuisset ex corporali vita ad spiritualem. Porrò arbor scientiæ boni & mali fuit à Deo designata, ut in ea Adam præstaret Deo debitam obedientiam, atque in ea cognosceret verbum & voluntatem ejus. Fuit ea arbor certum signum cultûs & reverentiæ erga Deum. Cum enim homini omnia tradita essent, ut iis pro arbitrio frueretur, requirit tandem Deus ab eo in hac arbore obedientiam, & quasi exercitium cultûs sui. Et si Adam non peccasset, fuisset hæc arbor ceu templum quoddam, ad quod homines confluxissent: sicut postea cùm natura corrupta est, certus locus cultui Divino destinatus est, tabernaculum scilicet & templum Hierosolymitanum. Habuit autem hæc arbor nomen *Scientia boni & mali*, propter infelicem & miserabilem eventum qui consecutus est peccatum Adæ: quando non solùm expertus est, quid boni amiserit, sed in quantam calamitatem per inobedientiam suam conjectus sit. Nec natura hujus arboris fuit occidere hominem, sed per verbum Dei definitum fuit ut ad gustum ejus homo propter transgressionem verbi moreretur. De fontibus fluviorum è Paradiso manantium nihil certi dici potest, nisi, sicut in diluvio tota facies terræ mutata fuit, ità quoque fluvii & fluviorum fontes mutati sunt, quædam scaturigenes penitus obturatæ, & quædam novæ excitatæ. Quatuor tamen memorati fluvii tanquam reliquiæ manserunt, sed fortassis non in eodem loco, nec ex iisdem hodie profluunt fontibus, quibus ante diluvium. Hæc ex Catholicorum scriptis de Paradiso. Nunc quid Hebræi sentiant de Gan Eden, & quàm portentosa somnia confinxerint, quæ etiam Luciani figmenta superant, brevibus ostendam. Et quoniam Hebraicæ linguæ studiosis cupimus ubique opem ferre, ut assuescant etiam modo loquendi Rabbinorum, visum fuit hîc assuere historiam quam somniant de Paradiso & justis in eo agentibus. Scribunt autem sic in libello מעשה שאירע לר' יהושע בן לוי, i. *in historia quæ contigit R. Jehosuæ filio Levi.* היה ר' יהושע צדיק גמור וכיון שהגיע זמנו לפטר מן העולם אמר ה' למלאך המות׃ אמור אל ר' יהושע הגיע זמנך לפטר מן העולם אבל כל דבר שאתה מבקש אני עושה לך׃ ואמר ר' יהושע אני מבקש ממך שתראני מקומי בגן עדן אמר מלאך המות׃ לך עמי ואראנו לך. אמר לו ר' יהושע תן לי החרב שלך שלא תבהלני מיד נתן לו והלכו שניהם עד שבאו אצל חומות גן עדן מיד קפץ ר' יהושע מן החומה ונפל לתוך גן עדן ואחז מלאך המות בכנף טליתו ואמר לו צא מכאן ונשבע ר' יהושע שלא יצא ולא היתה רשות למלאך המות להכנס בתוכו. אמרו מלאכי השרת לפני הקב"ה ראית מה עשה יהושע בן לוי בזרוע נטל חלקו בגן עדן׃ אמר להם ה' לכו ובדקו ממנו אם נשבע שבועה קודם ואת היתה ספר אותה אף זה יפיר ואם לאו לא יפיר אותה׃ יצאו ובדקו שמימיו לא עבר שבועה׃ אמר להם ה' אם כן לא יצא משם׃ כיון שראה מלאך המות שלא היה לו יכולת להוציאו מגן עדן אמר לו תן לי החרב שלי ולא רצה לתת לו עד שיצאה בת קול ואמרה׃ תן לו החרב שלו שהוא צריך לבריות׃ אחר כך הלך אליהו עם ר' יהושע בן לוי ומצא לרבי שמעון בן יוחאי ומלאך המות הלך ומצא לרבן גמליאל ואמר לו כך וכך עשה ר' יהושע׃ אמר לו רבן גמליאל׃ יפה עשה לך אלא בא ואשלחך אליו ואמר לו׃ מבקש אני ממנו שיחפש גן עדן ושיכתוב הכל ושישלח כתב אלי ואראה אם יש מאומות העולם בגן עדן או אם יש מישראל בגהנם׃ הלך מלאך המות לגן עדן לר' יהושע ונגד לו את כל דברי רבן גמליאל ואמר ר' יהושע כן אעשה והלך וחפש גן עדן כלו ומצא בו שבעה בתים ובכל בית שנים עשר רבוא מילין בארך וברחב׃ עמרה מילין הבית א' כנגד הפתח הראשון ויושבים שם גרים שבישראל׃ וכשבאתי לסדור אותה עמדו כל הגרים לראות אותי ועובדיהו הצדיק הוא ממונה עליהם׃ הבית השנית כנגד הפתח השני והוא בנוי מכסף ויושבים בו בעלי תשובה ומנשה בן חזקיהו ממונה עליהם׃ הבית ג' כנגד הפתח השלישי והוא בנוי מכסף וזהב ויושבים בו אברהם יצחק ויעקב וכל ישראל היוצאים ממצרים ודור המדבר ומשה ואהרן ממונה עליהם ושם כל בני דוד חוץ מאבשלום ושם כל מלכי יהודה חוץ ממנשה שהוא ממונה על בעלי תשובה׃ הבית ד' כנגד הפתח הרביעי והוא בנוי יפה כאור כבית אדם הראשון׃ הבית ה' כנגד הפתח החמישי והוא בנוי מכסף ומזהב וכפז ושוכבים בו משיח בן דוד ואליהו ואפריון מעצי הלבנון ובתוך האפריון משיח בן דוד שוכן בו ואליהו נוטל ראש של משיח ומניחו בחיקו ואומר לו החרש כי הקץ קרוב הוא ואבות העולם משה ואהרן ודוד וכל מלך מישראל באים אליו ומחזיקים אותו׃ הבית ו' יושבים בו מתי מצוה׃ הבית ז' יושבים בו מתי חלאים מיסורין בשביל עונותיהם של ישראל׃ כל זה ראיתי בגן עדן׃

Vides, lector, quibus figmentis doctiores Hebræi simpliciores in errore retinent. De inferno, quem idem R. Jehosua lustravit, similem fabulam confinxerunt. Verùm hæc de Paradiso dicta sufficiant.

11. *Pison*] Aliqui interpretantur Gangem, alii Nilum. Sicut etiam duplex est *Havilah*, una in Africa, quam putant Getuliam, alia in India.

12. *Bdellium*] Hebræi interpretantur chrystallum: alii putant esse unionem. ¶ *Onychinum*] Josephus dicit esse Sardonychum.

14. *Hiddekel*] est Tigris, sic dictus quod aquæ illius sint חדין וקלין, *claræ & leves.* *Gihon* quidam putant esse Nilum: Alii fluvium esse contendunt in Mesopotamia, & quòd *Cusch* hîc non Æthiopiam sub Ægypto significet, sed aliam in Arabia; sicut & Madianitæ *Æthiopes* vocantur.

18. *Ut sit Adam solus*] Ut sit sine uxore, quæ est viri bonum, auxilium, gaudium, donum, benedictio, corona: hæc enim omnia prædicantur in Scriptura de muliere bona. Et quando textus dicit כנגד, voluit Dominus per id significare, quòd uxor semper & ubique debet esse coram marito, non sicut brutalis fœmina, quæ semel in anno quærit virum, & non perpetuò cohabitat viro suo, sed uxor cohabitat semper tanquam caro una. Etiam si Adam in innocentia perstitisset, filii ductis uxoribus migrassent à parentibus, habitassentque in quodam proprio hortulo, & ibi vixissent cum uxoribus simul colentes terram (citra sudorem tamen) & educantes liberos in cognitione Dei, quæ excellens fuisset in homine propter imaginem Dei & similitudinem ejus, unde ratio fuisset illuminata, & voluntas conformis voluntati Dei facta. Post peccatum verò omnia sunt confusa in homine.

19. *Ad ipsum hominem*] Hebraicè scribitur האדם cum articulo He, quam Hebræi propriis nominibus nunquam adjiciendum dicunt: ideo pro *Adam* plerumque verti *hominem*.

22. *In mulierem*] Nomen mulieris apud Hebræos ducitur à viri nomine; quam analogiam si nos sequeremur, à *viro vira* dicendum esset, sicut אשה ab איש.

24. *Deseret vir patrem suum*] Hebræorum Magistri judicant hominem qui ad dies maturos venit, effusorem humani sanguinis, si uxorem non duxerit, docentes ex lege, prophetis, & hagiographis, Domini gratiam & voluntatem adesse sancto matrimonii contractui, quod ipsi זוג vocant. Docent etiam id quod Paulus docuit, ut vir diligat uxorem suam tanquam corpus suum, & plùs honoret quàm proprium corpus, propter significationem illam & mysterium לרמה לברית זו אדם העליון יתברך Cujus mysterii & Paulus meminit, qui nos Christo desponsatos docet. Frivola verò judicamus quæ hîc docent de loco & hora concubitus, nempe quòd eligenda sit שעה מפלגות לילי & quod lectus inter aquilonem & meridiem constitutus, hoc est, capite ad meridiem porrecto, masculi generationi inserviat. Amplectimur & id quòd sicut semen virile à cerebro capitis descendit per venulas, quæ sese ramificant per dorsum hominis; & hinc in Hebraismo concubitus ipse *cognitio* vocatur, quia semen à loco cognitionis propagatur: ità Deus est caput nostrum, à quo si in nos fluat semen gratiæ, nascimur filii ejus. Hanc comparationem apud R. Menahem invenies. Cujus mysterii & D. Paulus meminit, cùm Christum caput ponit, & homines membra.

25. *Erubescebant*] Hebraicè est, *si confusibiles durabant.* Est enim verbum *Hithpael* reciprocam habens significationem. Duplicatur autem tertia radicalis loco Dages.

FAGIUS.

1. O*Mnisque exercitus eorum*] Solem, lunam, stellas, herbas, plantas, arbores, animantia, &c. *Cæli & terra exercitum* vocat Scriptura; propterea quòd in illis mirabilem ac infinitam suam potentiam atque sapientiam Deus ostendit, exserit atque declarat, non aliter atque rex seu princeps aliquis, qui per copias suas quid possit & valeat declarat. *R. D. K.* author Hebræus minimè contemnendus, duplici nomine Deum *Dominum exercituum* in Scripturis vocari sentit; 1. Quia solus ipse Dominus est omnium cœlestium & terrestrium; 2. Quòd licet magna vis insit exercitibus, tamen ipse ubi volet facilè dissipat, sternit, & in nihilum redigit; nihilque possunt utcùnque robusti & validi, nisi ipse quoque adspiret.

3. *Ut faceret*] Hoc est, ut ad certum suum usum destinaret. q. d. Non tantùm ex nihilo creavit ac produxit, sed & absol-

absolvit, certo usui suo deputando. Faciendi enim verbo Hebræis עבדא תקון, i. *ordinatio*, *dispositio*, *adaptatio* atque *perfectio* rei significatur. Sic enim distinguunt inter hæc tria verba, ברא, יצר & עשה, *creare*, *formare*, & *facere*, ut creare sit à non esse ad esse aliquid producere; *formare*, enti creato formam seu figuram inducere; *facere*, perficere, absolvere & ad certum usum aptare. Exstat locus Esa. 43. ubi tria hæc verba in uno versu simul discriminatim ponuntur.

5. *Et omnes arbores agri nondum erant in terra, &c.*] Duplex hic lectio est. Quidam sic legunt & intelligunt, quasi nullæ adhuc justæ magnitudinis plantæ, herbæ & arbores exstiterint. Nam quæ tertio die terræ nascentia condita commemorantur, adhuc tenella fuisse sentiunt; demùmque ad justam magnitudinem succrevisse, quando Deus terram pluviâ cœlesti humectare cœpit, hominemque qui eam excoleret, è limo terræ condidit atque produxit. Unde & quidam sic se extricant, Quòd Scriptura hic non loquatur de herbis & arboribus tertio die enatis, sed de illis quæ virtute luminarium, i. solis, lunæ ac stellarum operatione & influentiâ, necnon & hominis operâ & culturâ proferuntur: atque ejusmodi adhuc nullas fuisse. Et huic suæ sententiæ patrocinium quærunt ex vocibus שדה & חקלא, quas cultum agrum propriè significare volunt. Alii voce עד per *antequam*, *priusquam* interpretantur: unde præsentem locum sic legunt, *istæ sunt generationes cælorum & terræ, quando creata fuerunt, in die quo fecit Dominus Deus terram & cælos; Omnes quoque arbores agri antequam germinarent*, &c. Volunt enim hæc verba Mosis epilogum quodammodo & recapitulationem esse creationis quam in primo capite descripsit, ità ut hic rursum summatim perstringat, omnia solius Dei Opt. Max. virtute & potentiâ, non luminarium, non pluviarum operatione; nec hominis culturâ, (cum nihil adhuc istiusmodi rerum, cùm Deus mundum crearet, exstaret) condita atque producta fuisse: Quomodo verò tandem pluvia cœlestis, per quam terra postea fœcunda effecta est, quomodo item hominem, per quem excolenda tellus erat, formavit, in sequentibus persequitur Moses. Atque hæc posterior sententia probabilior esse videtur.

6. *Et nubes ascendebat de terra*] Paucis describit quomodo Deus pluviam naturaliter fecerit, nempe vapore luminarium virtute & operatione è terra educto, qui mox atque in mediam aëris regionem ascendit, à circumstante frigore in nubem condensatus, in pluviam resolutus fuit. Cujus physicæ rationis & Job meminit cap. 36. *Ipse quidem subtrahit stillas aquæ, & rursum stillant in pluviam propter nubem ejus. Resolvuntur enim nubes, & rorant super homines copiosè*, &c. Quòd verò Paraphrastes noster *nubem* potiùs quàm *vaporem* posuit, usus est posteriori pro priori; nubes siquidem ex terræ vaporibus causatur.

7. *Pulverem de terra*] Sic habet ad literam textus: & magis emphaticum est, quàm si legas, ut communiter habent nostri interpretes; *Et creavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Innuitur enim Deum singulariter quodammodo pulverem illum priùs congessisse ac apparavisse unde hominem formaturus erat. Proponit siquidem Moses Deum ut humanum artificem, ut figulum, qui testam facturus, sibi priùs de materia, luto scilicet, sive de argilla, prospicit. Et fortiùs etiam nos movet ad considerandam miseram nostram, fragilem, caducam ac perituram conditionem, cùm meminerimus nos nihil nisi pulverem factos esse; juxta illud quod infrà dicitur, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* ¶ *Et flavit in nares ejus flatum vitæ*, &c.] Vox Hebraica נשמת *Nischmath*, & Chaldaica, נשמתא *Nischmetha*, anhelitum, flatum, spiritum & animam significat. Et licet quidam putant significare omnem flatum, spiritum ac respirationem animalium viventium, tamen multum placet mihi sententia Aben Ezræ insignis commentatoris Hebræi, qui scribens in septimum caput Genesis, sentit נשמה *Neschemah* ad hominem tantùm referri debere. Sunt item qui hanc vocem à שמים, quod *cœlum* significat, derivatam esse volunt, quòd anima hominis immortalis divinum quiddam sit, cœlitus profectum. Tria ergò hic sunt quæ animæ immortalitatem statuunt. 1. Insufflatio illa Dei. Qui enim insufflat in aliquem, e suo aliquid illi contribuit. Quod observavit etiam Hebræus author Nehemanides. Unde & Christus Servator noster volens discipulis suis Spiritum Sanctum communicare, fecit illud cum insufflatione, significando, se divinum & de suo quiddam illis contribuere. 2. Vox נשמת *Nischmath*, quæ divinum & celeste quiddam significat. Et poetæ animam hominis *particulam divinæ auræ* vocant. 3. Vocabulum חיים *Hajim*, quod cùm Hebræis sit pluralis vel potiùs dualis numeri (quare & nos ad exprimendam ejus vim pluraliter vertimus) non simpliciter vitam, sed longævam significat: &, ut quidam volunt, præsentis & futuri seculi vitam, quod solùm animæ hominis competit, designat. Est igitur נשמת חיים *Nischmath Hajim* flatus seu spiritus divinus, cœlestis, vitalis, immortalis ac æternùm durans; Quibus vocibus pulchre discernit inter animam hominis immortalem & animam brutorum animantium: Hæc enim terrena est, illa verò divina & cœlestis; hæc vento elementali constat, illa spiritu divino & cœlesti. ¶ *In spiritum loquentem*] Quia sermo soli homini proprius est, indeque maxime vivere cognoscitur, illudque est quo potissimùm à brutis animantibus discernitur; ideo Paraphrastes Chaldæus pro eo quod est in veritate Hebraica, *Et factus est in animam viventem*, posuit, *Et factus est flatus ille in homine in spiritum loquentem.*

8. *Hortum in Eden antea*] Vox Chaldaica מלקדמין *Malkadomin*, sicut & Hebræa קדם *Kedem*, æquivoca est ad tempus & ad locum, id est, plagam orientalem. Qui ad tempus referunt, variant quoque. Quidam enim putant Onkelum respexisse ad sententiam illorum qui tenent paradisum cum quibusdam aliis adhuc rebus ante conditum mundum exstitisse: Quod non ità crassè juxta literam, ut recentiores Judæi stultè putant, intelligi voluerunt, sed quòd æterna vita ac beatitudo, cujus paradisus ille terrenus quodammodo typus fuit, ab æterno ante conditum mundum pro electis extiterit, juxta illud dictum Apostoli Ephes. 1. Quòd *Deus Pater cœlestis nos in dilecto Filio suo elegerit antequam jacerentur fundamenta mundi*, &c. Sic rectè multa dixerunt veteres Hebræi, quæ juniores Judæi ridiculè & inepte juxta literam accipiunt. Alii ad exordium orbis conditi referunt; quòd scilicet mox atque mundus principium suum accepit, hortus ille quoque factus fuerit. Simplicissima sententia est, si ad hominem referas, hoc sensu; Quòd Deus antequam hominem fingeret, hunc hortum paraverit.

12. *Lapis onychinus*] Ad literam est, אבני בורלא, i. *Lapides Burla.* *Burla* autem affinitatis nonnihil habere videtur, cum gemma quæ nostris *Beryllus* dicitur. Sed magna est in lapidum nominibus interpretum discrepantia: Et Hebræi etiam quales hi lapides sint se nescire fatentur.

14. *Ipse est Phrates*] הוא פרת Duæ sunt partes, quas corruptè videntur copulasse, & fecisse nomen *Euphrates.*

15. *Tulit itaque Dominus Deus hominem*] Non est quòd imagineris quasi Deus hominem humeris suis in paradisum gestaverit ac collocaverit. Sed verbo ac jussu suo divino effecit ut homo mox atque conditus erat eò se reciperet. Istud volunt innuere verbum Chaldaicum ודבר, sicut etiam observavit commentator Hebræus, R. S. qui in commentario suo ita scribit, לקחו בדברים נאים ופתהו לכנס i. *Tulit eum verbis blandis, ac ità persuasit ei ut ingrederetur.* Ità & nos, si verbo Dei verè credimus, in verum illum ac cœlestem paradisum æternæ beatitudinis tandem transferemur.

18. *Sustentaculum quod sit penes eum*] Omnia sunt mirè emphatica. Alluditur enim ad eos qui in sublevandis oneribus sibi mutuas manus porrigunt auxiliatrices. Tale sustentaculum & vicarium auxilium Deus vult esse uxorem marito: in hunc usum maximè condita est mulier. Hoc pulchrè exprimunt verba Chaldaica. Nam סמך *semach* sustentaculum, fulcrum, appodiamen, cui aliquid innititur, significat. Dein כקבליה *khekhible* quod proximè penes aliquem est denotat: q. d. Ad manum sit uxor marito, ut adjuvet eum, auxilietur, consoletur, ac sublevet laboribus: quemadmodum & *R. D. K.* in libro Radicum breviter & eleganter hunc locum ex Hebræo ita explicat, אעשה לו עזר כנגדו כלומר שתהיה לנגד לעמוד לשרתו תמיד i. *Faciam ei adjutorium quod sit coram eo, & penes eum semper ad ministrandum ei*; sicut servi & ministri adstare solent dominis suis, auscultantes quid jubeant, quid præcipiant. Vulgatus Latinus interpres, qui vertit, *Adjutorium simile sibi*, motus esse videtur ad hanc suam versionem literâ servili quæ præservit vocibus כקבליה & כנגדו, quæ aliquando etiam similitudinis nota est. Verùm Doctiores Hebræi dicunt Caph hoc in loco esse, ut ipsi loquuntur, כף האמתת שבאה על הענין לאמת הדבר i. *Caph verificationis seu confirmationis*, quod cùm accedit ad dictiones, veritatem, certitudinem & confirmationem importat: q. d. Deus, Faciam homini auxilium, sive fulcrum, seu sustentaculum, non vanum, sed verum, certum, ac solidum; Sicut etiam revera est, si cui אשת חיל, i. *uxor prudens*, seu *fortis*, (ut Scriptura loquitur) à Deo contingat. Vide quàm amplissimam materiam vis verborum hujus loci suppeditet, ubi de officio & obedientia uxorum erga maritos differendum est.

20. *Cæterum ipsi homini non invenit*] Sensus est; Homo sibi

sibi ipsi non invenit inter omnia sibi adducta animantia cum quo vitæ consuetudinem habere posset.

23. *Hoc semel os de ossibus meis*, &c.] Ad literam est, הפעם זאת, i. *Nunquid hoc tempore os*, &c. q. d. Certè jam semel video os de ossibus meis. Sunt tamen qui ex הזאת *Hada* demonstrativum feminini generis faciunt, & legunt, *Hac nunc os de ossibus meis*, &c. atque ità habet Complutensis editio. ¶ *Hac vocabitur virago*] Ad literam est, *Ad hanc*, sive *huic*, *vocabitur Virago*. Ea enim est natura verbi *vocandi* apud Hebræos, ut ad dativum vel accusativum adstruatur, mediante literâ Lamed constituente præpositionem *ad*, vel *in*, vel *propter*. Unde & quidam legunt, *Propter hoc vocabitur* Virago.

24. *Relinquet homo lectum patris sui*, &c.] Dixi supra *Domus* vocabulum Hebræis referri ad omnia loca, vasa, instrumenta & receptacula quibus aliquid continetur. Ità etiam hoc in loco Chaldaismus *domum lecti* vocat ipsum lectum, in quo cubatur; vel ipsum cubiculum, quod lectum continet. Alluditur autem ad hoc quòd pueri in parentum cubiculis cubarent donec elocarentur: tum enim a consuetudine & convictu parentum separabantur, ita ut novam domum instituerent. ¶ *Et adglutinabitur uxori suæ*] Ad verbum est, *Et hærebit in uxore sua*. Emphasim habet Beth litera servilis, præpositionis *in* constitutiva. Est enim Beth quod Hebræorum Grammatici בית הדבק או הנגישה, i. *Beth adhæsionis*, *sive accessionis*, vocant. Quare hìc non studium carnalis libidinis in uxore explendæ, sed potiùs pudicè amandi eam, fovendi, tuendique studium præcipitur: Ad affectum ergo, convictum & consuetudinem conjugalem, quâ maritus uxorem complectitur, fovet ac defendit, potiùs quàm ad fœdæ libidinis expletionem referendum est.

IDEM.

1. כָּל־צְבָאָם *Et omnis exercitus*, sive *militia eorum*] Hebræi per *exercitum cœli* duo luminaria, stellas & omnia sidera, necnon & angelos, atque animas hominum, intelligunt; Per *terræ exercitum*, hominem, animalia, & omnia terræ crescentia: Quæ omnia veniunt appellatione *exercitûs*, eò quòd Deus per illam vim suam divinam infinitámque potentiam, non aliter atque rex aliquis per copias suas exserit. Hinc postea in divinis literis, maximè in Prophetis, natæ sunt istiusmodi Dei appellationes, יהוה צבאות : אלהי צבאות i. *Dominus exercituum*, *Deus exercituum*; quòd scilicet ipse sit Dominus exercituum, cùm cœlestium, tum terrestrium, qui eos pro nutu suo agit, regit & moderatur, sine quo nihil efficiunt; sicut exponit R. D. K. in Radicibus suis: Cujus verba hæc sunt, יהוה צבאות: אלהי צבאות: כלומר אדון החילות החילות מעלה וחילות מטה והטעם כי אף על פי שהכח והעוצמה עם החילות כשהסכימו כלב אחד והתאספו יחד אף על פי כן הוא אדון ומושל על כלם ולא יצליחו בכחם כי אם בכחו וברצונו i. *Dominus exercituum*, *Deus exercituum: q. d. Dominus exercituum, cùm eorum quæ suprà in cœlis sunt, tum eorum quæ infrà in terris sunt. Estque sensus, quod licet magna insit vis & robur exercitibus unanimiter conspirantibus atque collectis, nihilominus tamen ipse Deus est qui dominatur omnibus, adeò ut nisi ipse vim suam benigniter addat, propriâ virtute nihil prospere agant.* Vocantur item & Angeli aliquando *exercitus cœli*, quòd & per illos Deus virtutem suam exserat. · Similem ob causam & populus Israëliticus *exercitus Dei* vocatur, mirificè enim Deus sæpe in illo potentiam suam contra hostes suos declaravit.

2. וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי *Et consummavit Deus in die septimo*, &c.] Torquent se hìc interpretes, quomodo explicent quod Moses dicit, Deum in ipso die septimo opus suum complevisse. Veteres Hebræi (quos & R. S. secutus est) dicunt, hâc formulâ loquendi innui, Deum in ipso momento quo sabbatum intravit opus suum consummasse: Soli enim Deo momenta ac temporis puncta nota esse; secus verò homini, cui ob id מחול על הקודש, i. *de profano ad sacrum* addere necesse est, unde & Judæi adhuc hodie sabbatum tempestiviùs auspicantur, & tardiùs desinunt. Alii contendunt Beth literam servilem ביום vim habere præpositionis קודם i. *ante*; ut sit sensus, Et complevit ante diem septimum, hoc est, die sexto, opus suum, ut quiesceret in die septimo. Quam lectionem secuti sunt LXX, qui habent, *Et perfecit Deus in die sexta opera sua*, &c. Verùm Aben Ezra dicit non opus esse hâc expositione, cùm operis completio non sit opus: Præterea, Mosen hâc locutione simpliciter velle indicare, Deum planè nihil operatum fuisse in ipso die septimo, sed in sex Diebus omnia fecisse, ut in septimo die omnia essent absoluta. Verùm quod mox sequitur, *opus suum quod fecerat*, sic explicat, *quod fecerat scilicet in die sexto*. Et hanc sententiam nostri sequuntur, dicentes, *Et complevit in die septimo*, ejusmodi esse locutionem, qualem & nos habemus cùm dicimus, Der rust sich und macht alle ding aus uff den Sunnentag: quâ locutione Dominicum diem excludentes, significamus absolutionem operis fieri in sabbato: Sic Deum universum opificium suum absolvisse in diem septimum, hoc est, sexto die, ut septimo quieti se daret: Ità, ut quod Germanicè dicimus uff/ Hebræi per Beth præpositionem exprimant.

מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ *Ab omni opere suo*] Hoc est, ut & Aben Ezra exponit, cessavit à novis operibus creandis; Non autem ab ea operatione quâ suis creaturis semper adest, regit, gubernat, & in esse conservat, de quo loquitur & Christus Joan. 5. *Pater meus ad hoc usque temporis operatur, & ego operor.* Nec enim sinit creaturas suas fortuitò ferri, nec destituit eas, ut humanus artifex, qui ab exstructa domo abit, & nunquam in eam revertitur; sed Deus suam machinam perpetuò fovet ac conservat.

3. וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיְקַדֵּשׁ אֹתוֹ *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit eum*] *Benedicendi* vocabulum Hebræi sic exponunt, ut significet additionem boni. Bonum autem Sabbato additum sentiunt, quòd corpus hominis in eo plus vigeat, & anima plus sapiat. Hinc est quòd in Sabbato magis quàm in aliis diebus Judæi procreandis liberis operam dare solent, quòd putant efficaciorem esse vim generandi (quam כח תולדה nominant) propter sabbatum, juxta vulgatam sententiam, השבת נותן קיום לכל דבר, i. *Sabbatum tribuit robur omni rei.* Quæ sententia non impiè dicta est, si rectè accipias, nempe quòd sabbatum illud quo feriamur à peccatis, & meditamur in lege Domini, robur largiatur cunctis rebus, hoc est, ab eo pendeat omnis rerum fœlicitas. Quo sensu nimirum dixerunt veteres Hebræorum sapientes, tametsi juniores Judæi hæc & alia multa tectè dicta crassissimè juxta literam intelligant. Cæterùm *benedicendi* & *sanctificandi* voces tu simpliciter accipias, videlicet, quòd Deus septimum diem benedixerit, i. magnificarit & singulari laude extulerit; dein, quòd sanctificarit, i. ad specialem cultum elegerit, separarit & dedicarit. Quæ in significatione *sanctificandi* verbum & in aliis locis accipitur: ut Jos. 20. ויקדשו את קדש בגליל, i. *Et sanctificarunt Kadesch in Galilæa*, &c. ubi Thargum habet, ואזמינו, i. *& paraverunt*, i. elegerunt, separaverunt hanc civitatem pro homicidis, ut hìc liberi & tuti essent ab ultore sanguinis. Consistit autem cultus sabbati in eo, non ut otio defluamus, sed ut liberiores ab omni opere eo die conveniamus, beneficia Dei cum gratitudine recolamus, legem & verbum ejus audiamus, ipsum colamus, ei serviamus, deinde ut proximorum curam agamus. Id quod & Hebræorum sapientes hoc dicto testantur, השבת נתנה להבין מעשי אלהים ולהגות בתורתו, i. *Sabbatum datum est ad intelligendum opera Dei, & ad meditandum in lege ejus.* Quòd igitur sabbatum benedicitur & sanctificatur, non ideo fit quòd hic dies per se cæteris diebus sit melior & sanctior, quin potiùs propter finem cujus gratiâ sabbatum est institutum, hoc est, propter hominem, quò is in eo sanctiùs vivat. Hoc enim sanctius est sabbathum, quo nos illo die sanctiores fuerimus. Cui sententiæ accedunt & quidam ex Hebræis, sabbati benedictionem & sanctificationem potiùs ad ipsum hominem quàm ad sabbatum referentes: unde dicunt, שברכת השבת וקדושה שב על השומרים שיהיו מבורכים וקדושים, i. *Sabbati benedictionem & sanctificationem ad cultores ejus redire, qui inde benedicti & sanctificati erunt.*

אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת *Quod creavit Deus ut faceret*] Hæc Nehemanides sic exponit, שבת מכל מלאכתו אשר ברא יש מאין לעשות ממנו כל המעשים הנזכרים בששת הימים: והנה אמר כי שבת מבריאה ומעשיה מן הבריאה שברא ביום הראשון ומן העשיה שעשה בשאר הימים: i. *Cessavit, sive quievit ab omni opere suo, quod ex nihilo creavit, ut faceret ex eo omnia opera quæ memorantur in sex diebus. Et ecce dicit, quod quieverit à creatione, & ab opere creationis; quod creavit in die primo, & ab opere quod fecit in cæteris diebus.*

4. אֵלֶּה תוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ *Ista sunt generationes cœli & terræ*] Dicunt Hebræi, כל מקום שנאמר אלה פסל את הראשונים ואלה מוסיף על הראשונים, i. *In quocunque loco dicitur* אלה, *dirimit præcedentia à sequentibus; ubi verò dicitur* ואלה, *conjungit sequentia præcedentibus.* Est igitur אלה hìc non ad sequentia sed ad præcedentia referendum, hoc sensu; Hæc scilicet prædicta, generationes sunt cœli & terræ, sicut & R. S. exponit. Epilogus enim est prædictorum, quo Moses summatim & breviter omnia complectitur; q. d. Hæc est series, hæc summa, hæc ratio totius creationis. Et תולדות etiam non semper *generationes*, sed & *eventa* & *res gestas* significat. Unde & hìc legi potest, *Has sunt eventa cœli & terra*, hoc est,

Hæc

Hæc sunt quæ gesta sunt cum cœlo & terra. Porrò placet, Christiane lector, te hîc admonere, hanc vocem תולדות ubique in Bibliis Hebraicis defectivè, hoc est, sine Vau altero, scribi, exceptis duobus locis, præsenti videlicet, אלה תולדות השמים, & eo qui exstat Ruth. 4. 18. ואלה תולדות פרץ, i. *Et ista sunt generationes Peretz*, &c. In quibus tantùm duobus locis תולדות, uti vides, integrè scribitur, aliàs semper sine Vau, cum puncto Holem loco Vau posito, hoc modo, תולדת, vel תלדות. Causam nostri hanc assignant; Omnes generationes imperfectas esse, præter generationem cœli & terræ à Deo productam, & generationem Messiæ, qui juxta carnem è familia Peretz, unde & rex David prodiit, natus est: Qui Deus & homo est, & ab incorrupta Virgine, operatione Spiritûs sancti, absque omni peccatorum labe, in hunc mundum editus. Nihil tale enim edit caro & sanguis. Et veteres etiam doctiores Hebræi perhibent תולדות hîc integrè scribi, propter Messiæ ex familia Peretz oriundi nativitatem, quòd ea futura esset absque omni defectu, ut nulla alia.

בְּהִבָּרְאָם *Cùm crearentur*] Argutantur Hebræi in hac voce dicentes, per duas literas Jod & He conditos esse duos mundos, præsentem & futurum: quod colligunt ex isto loco Esaiæ, cap. 26. בטחו ביהוה כי ביה צור עולמים; Quem locum sic exponunt, *Sperate in Domino, quoniam per Jod & He creavit secula.* Atque inferiorem hunc mundum per He literam creatum dicunt, eò quòd sit corruptibilis; Quæ corruptibilitas significetur per He, quæ litera cùm undique clausa est, infrà aperta & corrupta est.

יְהוָה אֱלֹהִים *Dominus Deus*] Hebræi hæc duo nomina Dei conjuncta, *Adonai & Elohim*, שם מלא. i. *nomen Dei plenum* sive *perfectum* vocant, quòd hîc demum à Mose post impletionem omnium operum ponitur. Dicunt enim perfectam Dei appellationem adhiberi debuisse, cùm perfectum esset opus Dei: id quod Hebraicè sic efferunt, נקרא שם מלא על עולם מלא.

5. וְכֹל שִׂיחַ הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִהְיֶה בָאָרֶץ *Et omnem plantulam agri, antequam esset in terra*] Locus iste aliquantulùm subobscurus est; unde cùm nostri, tum Hebræorum interpretes in eo explicando laborant. Nostri sic legunt ut cohæreant cum præcedentibus, hoc sensu; Mosen indicare Deum authorem esse omnium rerum, non tantùm cœli & terræ, sed arborum ac herbarum, quæ primùm omnium, non virtute cœlestium pluviarum, cùm nullæ adhuc fuerant, neque hominis labore, cùm is nondum esset formatus, sed solius Dei operatione condita ac producta fuerunt. Verùm aliter legunt Hebræi, qui hic novæ sententiæ initium faciunt, hoc modo; *Et omne virgultum, sive arbor, agri nondum erat in terra*, &c. Causa; *quia nondum pluerat Dominus Deus super terram.* Quòd si rogas quomodo conveniat hoc cum eo quod cap. 1. dicitur, tertio die producta fuisse terræ crescentia, respondent Hebræi, quos & R. S. sequitur, terræ nascentia tertio die producta, adhuc tenera ad solum terræ constitisse: quæ postea, mox atque pluvia esse cœpit, prodierunt, atque ad justam magnitudinem succreverunt. Nachmanni nodum istum sic solvit; Mosen in præsenti loco non loqui de terræ crescentiis tertiâ die præcipiente Deo enatis, sed de herbis & arboribus, quæ cœlestium pluviarum, hominisque operatione enascuntur: & istiusmodi arbores & herbas nullibi adhuc locorum extitisse: Idque urget & probat ex vocula שיח, quam distinguens ab ארורה *agrum cultum* propriè significare dicit. שיח Teste R. D. K. modò *herbas*, modò *arbores* significat. Aben Ezra hîc pro עץ, i. *arbore*, exponit. טרם R. S. contendit ubique pro עד לא i. *nondum*, exponendum esse; & utitur autoritate Onkeli, qui transtulit, וכל אילני חקלא עד לא הוו בארעא, i. *Et omnes arbores agri nondum fuerunt in terra.* Sed secus sentit R. D. K. qui טרם idem valere dicit, quod קודם, i. *antequam, priusquam.*

כִּי לֹא הִמְטִיר יְהוָה אֱלֹהִים עַל הָאָרֶץ *Quia non pluere fecerat Dominus Deus super terram*] המטיר verbum est transitivum in conjugatione Hiphil, & significat *fecit pluere.* Quo certè innuitur Deum esse authorem pluviæ. Nam tametsi pluvia naturaliter generetur operatione solis & astrorum, cùm scilicet vapor calidus, humidus, fumosus & grossus ad supremam partem infimi, aut inferiorem partem medii interstitii aëris ascendendo, à frigore circumstante in nubem densatur, & nubes in aquas resolvitur, & ob gravitatem cadit; tamen Deus est qui hæc omnia disponit & ordinat, sine cujus nutu & arbitrio nihil tale fit; Id quod testatur hîc Moses, cùm dicit, *Quia non pluere fecerat Dominus Deus super terram.* Hinc sunt postea istiusmodi promissiones, in lege & prophetis; Deut. 11. 14. *Et dabo ego pluviam terræ vestræ in tempore suo: pluviam temporaneam & serotinam, ut congregare possis frumentum tuum, vinum tuum, & oleum tuum.* Et iterum, Deut. 28. 12. *Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum, nempe cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo, & ut benedicat universo operi manûs tuæ*, &c. Item, Jer. 5. 24. *Qui dat pluviam matutinam & serotinam in tempore suo, hebdomadas statutas pro messe custodit nobis*, &c. Pulchrè itaque verbo המטיר duo hæc ostenduntur; 1. Deum esse præcipuam causam pluviarum. 2. Ad faciendam pluviam Deum uti solis operatione nubísque resolutione: Sicut & in Job legimus cap. 36. כי יגרע נטפי מים יזקו מטר לאדו אשר יזלו שחקים ירעפו עלי אדם רב, i. *Ipse quidem subtrahit stillas aquæ, & rursum stillant in pluviam propter nubem ejus. Resolvuntur enim nubes, & rorant super homines copiosè.* Porrò quòd Deus nondum pluerit super terram, R. S. hanc assignat causam; Quòd nondum fuerit homo, qui pluviæ necessitatem ac utilitatem agnosceret, atque pro ea Deum rogaret.

6. וְאֵד יַעֲלֶה מִן הָאָרֶץ וְהִשְׁקָה אֶת כָּל פְּנֵי הָאֲדָמָה *Et vapor ascendebat de terra, & irrigabat universam faciem terræ*] Sunt ex nostris qui אד *fontem* exponunt, & synecdochicè intelligunt, ut sit genus pro numero: Non quòd unus aliquis fons fuerit qui universam terram irrigarit, sed quòd Deus terræ vim & ingenium dederit, attrahendi & colandi stillulas, unde postea fontes & fluvii promanarint, ad irrigandam universam superficiem terræ. Sed aliter Hebræi legunt: Nam אד non *fontem* propriè, sed *vaporem, fumum*, sive *nubem*, ut Onkelos Chaldæus reddidit, significat. Unde sic exponunt, præsertim Aben Ezra & R. D. K. quòd vapor operatione luminarium è terra ascenderit, qui in pluviam resolutus terram fœcundarit. Est tamen insignis quidam Rabbi apud Hebræos, qui negativè sic legit, *Et neque vapor ascendebat de terra*, &c. Contendit enim negativam אין non tantùm ad hominem, sed & ad vaporem referendum esse, hoc modo; *Et homo non erat qui coleret terram, neque vapor adhuc erat qui terram irrigaret*; (Et certè negativa in principio sententiæ posita, in Hebraismo non rarò ad plura refertur) ut sit sensus, Arbores, herbas, & alia primùm omnium non hominis culturâ, non pluviarum beneficio, sed solius Dei potentiâ ac providentiâ plenissimè producta fuisse. Et hæc sententia multùm placet R. D. K. cujus verba huc ex libro Radicum adscribere placet: ואד יעלה מן הארץ : פירוש ענן כלומר על ידי גשם שהשקה את כל פני האדמה הצמיח הקב"ה העשבים והעצים· אד הוא הענן העולה מן הארץ בעבור החום והוא אד יעלה מן הארץ כי כאשר יעלה אותו האד מן הארץ יתעבה בעבים ויהיו הגשמים : משל לעשן העולה מן הקדירה כשעולה לכסוי יהיו מיד מים : ופירש סעדיה ז"ל ואד יעלה ולא אד ואין עומד במקום שנים וכן פירש כי לא היה בתחלת העולם לא אדם שיזרע ולא אד שיעלה אלא ברא הקב"ה בגזרתו הכל מתוקן וזה הפירוש מכל אשר מפרשים בו i. *Et vapor ascendebat de terra, hoc est, nubes: q. d. Operâ pluviæ, quæ irrigavit universam faciem terræ, egerminare fecit Deus herbas & arbores,* אד *fumus est, qui de terra ascendit propter calorem: & talis erat vapor, qui de terra ascendebat. Cùm enim talis vapor de terra ascendit, & pervenit ad nubes, descendunt pluviæ. Exemplo est fumus de olla ascendens, qui ubi ad cooperculum pervenit, statim defluit aqua. Porrò R. Saadiah, piæ memoriæ, illud,* ET VAPOR ASCENDEBAT, *&c. sic legit,* NEQUE VAPOR ASCENDEBAT, *&c. ita ut negativa* אין *ad duo referatur, Hoc sensu; Non fuit in principio mundi, neque homo qui seminaret, neque vapor qui ascenderet, sed Deus omnia providentiâ suâ aptissimè creavit. Atque hæc expositio magis quadrat quàm omnes aliæ expositiones quas expositores huc adferunt.* Hactenus R. D. K.

7. וַיִּיצֶר אֱלֹהִים אֶת הָאָדָם *Et formavit Deus hominem*] Propriè id verbi ad figulinam pertinet, &, ut suprà dictum est, enti creato formam inducere significat. Proponit enim Moses Deum ut humanum artificem, ut figulum, qui ubi formam alicujus vasis mente concepit, admotâ manu argillæ, antitypon ejus in rota effingit. Ità & Deus suâ Divinâ mente conceptam hominis imaginem, juxta illud suprà, *Faciamus hominem*, jam admotâ manu affingit atque format. Et quidam Hebræorum sentiunt vaporem, unde pluvia fieret, virtute luminarium in eum usum potissimùm excitatum fuisse, quò terræ lutum seu pulvis humectaretur, eóque habilior foret ad facturam hominis. Cæterùm nota; In verbis ubi prima litera radicalis est Jod, eam in futuro, accedendo alio Jod servili, ferè exteri; Id quod non fit in præsenti verbo וייצר, in quo duo Jodin concurrunt; Quod non temerè fieri autumat R. S. nempe ad significandam eo duplicem hominis formationem; alteram quæ est hujus seculi, quam vocant, יצירה לעולם הזה; alteram quæ est seculi futuri, quam vocant יצירה לתחיית המתים, cùm scilicet homo in novissimo die resurget ex mortuis, & formabitur ad vitam immortalem atque perennem: De qua formatione loquitur & Apostolus Phil. 3. 20. *Nam nostra conversatio in cœlis est, ex quo & servatorem exspectamus, Dominum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile*,

mile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, &c. Et quia in illo die hominum tantùm, non etiam brutorum animantium resurrectio erit, ob id dicit idem R. S. verbum יצר, ubi infra de formatione animantium sermo fit, tantùm uno Jod scribi, non duobus. Adverte in hominis formatione iterum poni nomen Dei plenum יהוה אלהים, quod & Nachmanni observavit, nempe hoc fieri propter hominis præstantiam & dignitatem. Est enim verè ineffabilis Dei misericordiæ opus, quod hominem ex pulvere terræ tam mirabiliter fingit, atque eum præ omnibus terræ animantibus ratione, intellectu, animâque immortali tam magnificè donat.

עָפָר מִן־הָאֲדָמָה *Pulverem de terra*] עפר propriè tenuissimum & vilissimum pulverem significat. Et licèt quatuor hæc vocabula ארמה, עפר, תבל, ארץ pro eodem aliquando accipiuntur, tamen nonnihil habent discriminis: ארץ enim generale nomen est, universum orbem, cùm habitabilem tum non habitabilem, complectens; תבל verò tantum orbem habitabilem, quem aliàs ישוב vocant Hebræi; עפר & ארמה *lutum* & *pulverem* significant, sed rariùs ארמה quàm עפר. Habent autem Hebræa magnam Emphasim atque epitasim, nempe quòd Deus hominem non tantùm *ex pulvere terræ* fecerit, sed *pulverem*. Licèt enim homo non pulveris, sed hominis, id est, carnis & sanguinis, imaginem præ se ferat, tamen re ipsâ in se nihil est nisi lutum & pulvis, juxta illud infrà, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quòd igitur Deus hominem non simpliciter, nec quamvis fortuitò terram, sed pulverem, hoc est, tenuissimum & vilissimum quod in terra est, fecerit, meritò omnem elationem, omnem ferociam atque superbiam apud nos premat, modestiámque pariat, dum videlicet cogitamus unde constitutionis suæ initium natura nostra acceperit, & perpendimus qualitatem substantiæ nostræ, quales modò sumus, & quales tandem futuri sumus; Id quod & Hebræorum sapientes hâc sententiâ pulchrè admonent, הסתכל בשלשה דברים ואין אתה בא לידי עבירה דע מאין באת ולאן אתה הולך ולפני מי אתה עתיד ליתן דין וחשבון מאין באת מטפה סרוחה ולאן אתה הולך למקום עפר רמה ותולעה ולפני מי אתה עתיד ליתן דין וחשבון לפני מלך מלכי המלכים הקדוש ברוך הוא: i. *Considera tres res, & non venies in manus transgressionis. Cognosce unde veneris, & quò tandem sis abiturus, coram quo etiam oportebit te tandem actæ vitæ rationem reddere. Unde venisti? ex guttula sordida. Quo tandem abis? ad locum pulveris & vermium. Coram quo futurum est ut rationem reddas? coram Rege omnium regum, qui scilicet est sanctus Deus benedictus.* R. S. colligit, pulverem illum collectum fuisse à quatuor plagis terræ; Quod ideo factum sentit, ut terra, ubicunque locorum homo moreretur, illum humandum reciperet.

וַיִּפַּח בְּאַפָּיו *Et insufflavit in nares ejus*] Quòd inspiravit in nares ejus, hinc est, inquit Aben Ezra, quòd spiritus vitalis maximè in naribus relucet. R. Nachmanni piè & verè monet, *inspirandi* verbo distingui inter animam brutorum, quæ ex quatuor elementis constat, & animam hominis, quæ constat ex adflatu Divino, qui processit ex ore Dei. *Qui enim*, inquit, *insufflat in aliquem, de suo, hoc est, de substantia sua, aliquid illi contribuit; Sic & Deus in nares hominis inspirando, de suo divinum aliquid ei largitus fuit; atque id erat anima immortalis.* Hinc nimirum est quòd & Christus Salvator noster Apostolis suis Spiritum sanctum communicando, insufflavit in eos, dicens, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Etiam Author Hizkuni in commentario suo, illam inspirationem de sacro Dei Spiritu intelligit, sic inquiens, בנפיחתו של הק״בה שהיא רוח הקדש נפח שלא נפח בשום אף בריה. i. *Cum sua inspiratione, quæ est Spiritus sanctus, inspiravit Deus in hominem, qualiter non spiravit in nares ullius creaturæ.* Atque hinc nimirum est quòd Christus in cruce dicit; *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, & non *animam meam.* Christus certè juxta Scripturam omnia semper propriissimè & dixit & fecit. Sed in quo Spiritus & Anima differant, mox infrà audies. Et Poëta Horatius animam hominis immortalem aptissimè *portiunculam divinæ auræ* vocat.

נִשְׁמַת חַיִּים *Flatum vitæ*] R. D. K. in libro Radicum dicit omnem spiritum vitam habentium נשמה vocari. Sic enim scribit in hunc locum Gen. cap. 7. כל אשר נשמת רוח חיים באפיו i. *Omne quod flatum spiritus vitæ in naribus suis habebat*, דומה כי כל רוח בעלי חיים יקרא נשמה ולפיכך נסמך אל רוח כלומר כל שיש לו נשמת רוח כלומר התנועה i. *Videtur quòd omnis spiritus habentium vitam vocatur* נשמה, *& ideo junctum est spiritui; q. d. Omne cui est flatus spiritus vitæ, i. motus.* Hactenus Kimhi. Verùm Aben Ezra, in eundem scribens locum, in ea est sententia, quòd נשמה ad hominem tantùm referatur. Et multi Hebræorum, teste etiam Kimhi, volunt נשמה à שמים derivatum esse, quòd sit flatus cœlitus proficiscens; nihil obstante quòd diversæ sunt radices, quia multa istiusmodi sunt in Scriptura. Porrò quod additus חיים, quæ vox formam habet nominum quæ dualitatem significant, & in *aim* desinunt, emphasim habet. Volunt enim quidam eo significari duplicem illam vitam, præsentis & futuri seculi. Et Hiskuni in suo commentario annotavit, חיים adjici, ad significandam animæ immortalitatem, quòd ea in æternum vivat, & non intereat sicut corpus: Sic enim exponit, נשמת חיים נשמה שהיא חיה לעולם ואינה כלה כמות הגוף.

לְנֶפֶשׁ חַיָּה *In animam viventem*] *Anima vivens* corpus est animatum cum suis conditionibus, quæ notæ sunt, nempè edere, bibere, videre, sentire, prosequi appetitum, fugere abhorrens, atque id genus. Sic in animam viventem Adam factus est. Ex quo facilè intelligimus illud 1 Cor. 15. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, extremus Adam in spiritum vivificantem.* Juxta R. S. homo factus esse dicitur in animam viventem, propter rationem sive intellectum, & sermonem, quibus præ aliis animantibus præditus fuit. Aben Ezra putat hâc locutione significari, Adamum mox atque post formationem spiritu Divino adflatus fuit, ingressum fuisse ut cætera animalia, neque ut puer sese habuisse, qui priusquàm inambulare incipiat, multo eget tempore. Onkelus Chaldæus legit, והות באדם לרוח ממללא, i. *& fuit*, sive *factus est, in homine in spiritum loquentem*; vel, ut quædam exemplaria habent, והוה אדם לרוח ממללא, i. *& factus est homo in spiritum loquentem*, quæ licèt diversitas in verbis sit, tamen in eundem sensum recidunt. Et ad hanc lectionem motus esse videtur Interpres Chaldæus, ex eo quòd in corpore humano & sensitivo, Loqui præcipuum esse videtur, quo differt homo & præstat brutis animantibus, quódque indè etiam maximè vivere videtur homo. Sed objiciat fortè hîc aliquis, quomodo ex præsenti loco animæ immortalitas astrui possit, quâ etiam parte homo bestias excellat, cùm post insufflatum spiraculum vitæ nihil ampliùs accepisse videatur quàm animam illam sensitivam & motivam, quam & bestiæ habent, à qua & ipsa vocantur נפש חיה. Sic enim habet ordo verborum, *Et insufflavit in nares ejus flatum vitæ: factusque est in animam viventem?* Ad quæ respondeo, animæ immortalitatem rectè & verè probari ex præsenti loco, nempe ex verbo *inspirandi*, vocabulo נשמה & חיים, ut declaratum est. Et ex eo quòd dicitur, *Et factus est in animam viventem*, non sequi נפש חיה, i. *animam viventem*, idem esse quod נשמת חיים, i. *spiraculum vitæ*; sed Scripturam eo velle indicare, animam illam sensitivam & motivam, quam homo cum bestiis communem habet, simul cum anima immortali, quæ *Nischmath Chaim* vocatur, inditam fuisse. Quòd autem prior anima immortalis homini inspiratur, quam mox anima sensitiva subsecuta fuit, antequæ homo ex pulvere formatus nihil nisi inanimis quædam imago erat, operatione carens, & ad nihil utilis, commendat animæ immortalis nobilitatem ac dignitatem, quòd ipsa scilicet è summo cœlesti throno profecta, corpus illud animatum cum omnibus membris suis sibi subjicere debeat, illi præsidere, regere, & non nisi ad cœlestia dirigere. Quæ certè meditatio, si diligenter, ut dignum est, ordinem formationis nostræ expenderimus, multùm valet ad reprimendum impuros carnis affectus ac voluptates, & ad cœlestia mirè rapit. Discrimen Animæ & Spiritûs paucis sic accipe. Quod nos vulgò *animam* vocamus, intelligentes animam immortalem, Germanicè die seel / spiritus est, qui superest nobis vitâ defunctis; Atque is a Mose hîc vocatur נשמת חיים. Anima verò quam Scriptura נפש vocat, longè aliud est; unde etiam *animalis* aliud 1 Cor. 2. 14. Hæc enim nihil aliud est quàm corpus vitâ præditum, cum omnibus suis affectibus & conditionibus, ut eæ corpori adhærent; hoc est, homo ille naturalis qui videt, sentit, movetur, edit, bibit, egerit, digerit, &c. Ità per *animam* Scriptura vitam præsentem cum suis conditionibus intelligit, quam etiam pecudes vivunt. Hinc illud Christi, Mat. 16. 25. *Qui enim voluerit animam suam servare, perdet eam; rursus qui perdiderit animam suam meâ causâ, inveniet eam.* Discrimen itaque animæ sensitivæ & spiritûs, nec non & mortalitas atque immortalitas eorum, patent ex origine. Nam animæ vitales ex terra & aqua producuntur; anima verò immortalis ex afflatione Dei, extra materiam. Quicquid enim non ex aqua & terra exsistit, cœleste & divinum est. Omnis effectus sequitur causam suam. Hinc cætera animalia, quia pro causa habent terram & aquam, ideo sunt mortalia: secundùm quam causam & homo mortalis est; Idem verò ex origine spiritûs, immortalis. His cognitis, facilè intelligis tres hominis partes, quarum Apostolus meminit 1 Thes. 5. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos. Et integer vester spiritus, & anima, & corpus, ità ut in nullo possitis culpari, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.*

8. ויטע יהוה אלהים גן בעדן מקדם *Plantavit quoque Dominus Deus hortum in Eden ab oriente.*] Hebræi duplicem hîc habent sententiam. Quidam enim tenent, hortum istum non de novo demum, sed tertio die plantatum fuisse, idque peculiari in loco, certâ arborum serie electiorum atque herbarum adornatum; Explicari autem hic demum propter sequentem Hominis historiam. Fit enim non raró in Divinis literis ut primùm in genere proponatur, quod postea particulariter explicatur; Quod Hebræi Hebraicè sic efferunt, כלל שלאחריו מעשה הוא פרטו של ראשון, Et hoc unum esse dicunt ex triginta duobus modis secundùm quos lex exponatur. Atque sententiam hanc sequitur R. S. necnon & Aben Ezra, qui hæc in præterito plusquam-perfecto sic legit & exponit, *Et plantaverat antea Dominus hortum in loco, qui vocatur Eden, & plaga orientali.* Alii intelligunt hortum illum, quem paradisum vocamus ante mundum exstitisse; Dicunt enim veteres Hebræi septem ante mundum fuisse, inter quæ numerant & גן עדן, i. paradisum. Sed semel atque iterum dixi, multa sapientes Hebræorum tectè & ænigmaticè dixisse, quæ juniores & indoctiores Judæi crassissimè ad literam intelligunt. Mihi enim videntur eo significare voluisse, æternam illam futuri seculi fœlicitatem, cujus nimirum typus fuit hortus ille paradisi in terris amœnissimus (unde & postea in sacris literis paradisi nomen æterna beatitudo obtinuit; dicente Christo ad latronem, *Hodie mecum eris in paradiso*) ab æterno, æterno Dei consilio, pro justis & electis præparatum fuisse. Quod planè convenit cum eo quod scribit Apostolus Ephes. 1. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; quemadmodum elegit nos in ipso antequam jacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram ipso per charitatem; qui prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum,* &c. Item cum dicto Christi Math. 25. 34. *Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis ab exordio mundi.* Sive igitur, juxta quorundam Hebræorum sententiam, præsentem locum sic accipias, ut hortus paradisi ante mundum, sive ab exordio mundi, hoc est, tertio die, exstiterit; de hoc tamen non dubium est, quin ante conditum hominem exstiterit: Quo certè citra omnem controversiam adumbratum fuit; summam illam futuri seculi fœlicitatem, cujus hortus paradisi typus fuit, non ex merito operum, sed ex electione ac gratia homini contingere. Porrò diversam hujus loci interpretationem ex parte etiam peperit ambiguitas vocis מקדם, quæ *ab antea*, vel *à principio*, (ut eam Onkelos reddidit, & quam lectionem secuta est Latina vulgata editio) vel *ab oriente* significare potest. עדן *Eden* Hebræis *voluptatem & delicias* significat. Hinc hortus iste à voluptate, amænitate & deliciis nomenclaturam *Eden* accepit. Et sunt etiam qui *Eden* non pro voluptate, sed pro regione sic appellatâ accipiunt, cujus mentionem facit Esaias 37. cap. in qua Dominus hortum amœnissimum & deliciis plenum plantavit, hominique ad habitandum, colendum & custodiendum tradidit. Etiam Aben Ezra pro loco exponit: Sic enim inquit in suo commentario, ונבר נטע גן במקום שנקרא עדן מפאת מזרח. i. *Et antea plantaverat hortum in loco qui vocatur Eden à plaga orientali.* Author Latinæ vulgatæ editionis *Eden* ubique pro *paradiso voluptatis* exponit. Est autem *paradisus* vox Persica, teste etiam Xenophonte; *Hortos*, inquit, *quos illi paradisos appellant.* De hoc nomine vide quoque Thisbiten Eliæ Levitæ Hebræi.

וישם שם את האדם *Et posuit illuc hominem*] Abraham Hispanus conjecturam hinc facit, hortum illum non longè abesse à loco terræ in quo erat Adam conditus.

9. ויצמח יהוה אלהים מן האדמה *Fecit etiam Dominus Deus germinare de terra*] Ex eo quòd Scriptura dicit, Deum plantavisse hortum, & fecisse ibi efflorescere omnis generis arbores, colligit Nachmanni, arbores paradisi non ex alio loco huc translatas fuisse, sed in hoc ipso loco Eden appellato virtute Divinâ productas fuisse, quas certâ ratione & serie, instar areolarum, terra proferebat. Sentit quoque paradisi arbores ejus fuisse conditionis, ut perpetuos ferrent fructus, nunquam sterilescerent, nunquam perirent & vetustate consumerentur, neque opus haberent hominis culturâ. Quòd enim postea homo à Deo jubetur operari & custodire hortum illum, sic accipit, quod debuerit & potuerit hortum istum colere, serere frumenta, arare, areolas facere, & id genus; necnon & custodire ab externa vi & incursu bestiarum noxiarum.

ועץ החיים בתוך הגן *Et arborem vitæ in medio horti*] *Arbor vitæ*, i. vitalis; sicut dicitur *vir mendacii, vir veritatis*, i. mendax, verax. Nam in lingua Hebræa denominata non inveniuntur, sed eorum loco denominationibus utuntur. Nachmanni putat *arborem vitæ*, appellatam fuisse quòd fructus ejus vescentibus longævam vitam dederit: Sic enim scribit in suo commentario, ועץ החיים אילן פרי נותן באוכליו חיים ארוכה Sunt item ex nostris in ea sententia, quòd Adam per esum arboris vitæ usque ad terminum præscriptum à Deo vitam continuasset, donec ad transformandum in vitam immortalem profectus fuisset.

ועץ הדעת טוב ורע *Et arborem scientiæ boni & mali*] Onkelos Chaldæus sic reddidit, ואילן דאכלי פירוהי חכמין בין טב לביש i. *Et arborem cujus fructus manducantes cognoscunt inter bonum & malum.* Eadem ferè habet & Thargum Hierosolymitanum, ואילן דעתה כל מן דאכיל מניה ספרש בין טב לביש, i. *Et arborem scientiæ, de qua quicunque edit, discernit inter bonum & malum.* Exstant inter Hebræs qui *arborem cognitionis* appellatam sentiunt, quòd gustatio fructuum ejus appetitum coeundi, quem Hebræi תאות המשגל vocant, excitarit: quos ut hanc sententiam amplecterentur movit, quod alicubi in Scripturis *cognoscendi* vocabulum pro *coire & concumbere* usurpatur. Sed non probatur hoc Nehemanidi, qui vocem הדעת hoc in loco pro רצון, חפץ & בחירה, i. *voluntate, desiderio, & electione* exponit, citans locos Scripturæ ubi ידע hac in significatione accipitur, nempe hos; Exodi 33. 12. 17. ידעתיך בשם, i. *Novi te ex nomine*, hoc est, בחרתיך מכל האדם *Elegi te ex omnibus hominibus.* Item Psal. 144. 3. מה אדם ותדעהו, i. *Quid est homo quòd cognoscis eum:* Sensus est; תחפוץ ותרצה בו, i. *desideras & bonam voluntatem habes erga eum.* Est itaque Nachmanni ea in sententia; Si Adam in justitia originis perstitisset, omnia opera sua naturaliter quodammodo citra peccatum confecisset, non aliter atque omnes reliquæ creaturæ, cœlum, terra, &c. naturali quodam impulsu ad actiones suas feruntur: Itá & homo naturæ impulsu & ductu, citra omnem impuram carnis titillationem, debito tempore, cum conjuge sua, causâ procreandorum liberorum, coivisset; fuissentque membra genitalia æquè honesta & aliena à pudore quàm sunt hodiè manus & facies: Verum ex gustatione vetiti pomi naturam depravatam fuisse; & hoc illi accessisse, quòd jam homo judicio, electione, voluntate & voluptate quâdam hoc vel illud agat, sibi vel aliis benè aut male faciat; quæ Deo veriùs quam homini competant, cùm in hominem citra peccatum, vitio malæ concupiscentiæ, cadere non possint. Hactenus ex Nehemanide. Nostri *scientiæ boni & mali arborem* vocatam sentiunt, quòd Deus hominem per illam admoneret voluit, nè quid bonum, quid malum, à seipso, sed à solo Deo discere & scire tentet; nè sua consilia, néque quæ sibi recta aut curva viderentur, amplecteretur; nè unquam sibi fideret, suisque consiliis niteretur. Nam tametsi intellectu, voluntate & scientiâ præditus sit homo, boni tamen & mali cognitionem non nisi Deo revelante habere potest. Deus enim solus bonus est, solusque novit quid sit bonum, quid malum.

10. ונהר יצא מעדן *Et fluvius egrediebatur de Eden,* &c.] De quatuor fluviis paradisi, item de gemnis, magna est discrepantia apud interpretes. R. S. פישון, *Pison* dicit esse Nilum, dictum à פשה quod *crescere, expandi & diffundi* significat, eò quòd certis temporibus exsuperando alveum in agros excurrat, irrigans & fœcundans totam terram Ægypti; Vel à פשתה, i. *lino*, cujus magnam copiam crescere faciat in Ægypto, quod colligunt etiam ex isto loco Esa. 19. 9. ובשו עובדי פשתים שריקות, *Et qui operantur in lino reticulata facientes opera confundentur.* A nostris, præsertim Eusebio, & Hieronymo, in Quæstionibus Hebraicis, Pison, Ganges magnum Indiæ flumen habetur. A Josepho lib. 1. cap. 2. Jud. Antiq. *Getha* vocatur. Ex *Gihon* גיחון nostri Nilum fluvium Ægypti & Æthiopiam circumeuntem faciunt, ab *eductione & irrigatione* sic dictum. Verùm Aben Ezra scribit, Gihon proximè terram Israël ab Oriente meridiem versùs labi; id quod colligit ex isto loco, 1 Reg. 1. והורדתם אותו אל גיחון. R. S. *Gihon* à נגח, quod *cornu petere* significat, deducit: eò quòd magno cum impetu & sonitu fluat, aquasque suas propellat. *Hidekel* חדקל à nostris Tigris exponitur, sic dictus, juxta R. S. quòd aquæ ejus sint חדים וקלים, i. *claræ & leves.* *Phrat*, פרת, fluvius Assyriæ, & terminus Chananææ, à nostris *Euphrates* vocatur. Estque verisimile duas dictiones in unam copulatas esse, hoc est, הוא פרת, i. *ipse est Phrates*, ab antiquis factum esse *Euphrates*.

14. הוא ההלך קדמת אשור *Hic vadit ad orientalem plagam Assyriæ,*] Errant qui legunt, *contra Assyrios*, ut habet vulgata editio Latina. Nam קדם hic non est præpositio, sed nomen significans orientalem plagam, & cum He locali dicitur קדמה, quod hic propter regimen mutatur in Taph. perinde enim valet קדמת אשור, q. d. לקדמה של אשור i. *ad orientalem plagam*

Assyriæ, uti R. S. exponit. Hæc Aben Ezra & Hizkuni quoque monuerunt.

15. וַיִּקַּח יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם *Tulit itaque Dominus Deus ipsum Adam*] Non quidem corporali gestatione super humeros portando, sed amicis & blandis verbis jussit & imperavit ut paradisum ingrederetur. Hæc ex R. S. qui hunc sensum colligit ex translatione Onkeli, qui pro ויקח legit ודבר, quod, ut idem R. S. alibi in commentario suo scribit, non simpliciter *accipere* significat, sed *verbis*, hoc est, persuadere alicui, & trahere in suam sententiam. Sic quoque Deus nos Verbo suo æterno, quod Christus est, qui nobis per verbum externum & vocale prædicatur & manifestatur, cùm illi fidem habemus, in æternum æternæ beatitudinis paradisum ex hoc mundo transfert.

לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ *Ut coleret & custodiret ipsum*] Suprà ex Nehemanide audivimus quo pacto Adam hortum paradisi colere & custodire debuit. Aben Ezra etiam simpliciter accipit לעבדה pro *irrigare*, & לשמרה pro *arcere bestias ab ejus devastatione.* Veteres tamen Rabbini, ut habetur in Breschith Rabba, hæc non ad externum & profanum horti cultum, sed ad spiritualem & sacrum referunt, hoc est, ad קרבנות, i. *sacrificia*, quæ Adam in paradiso immolare debuit, ut indè Deus placatus terræ debito tempore pluviam largiretur. Dicunt enim sapientes Hebræorum, קרבנות, i. *sacrificia*, causam esse pluviarum, & ut omnia sidera ritè influant in inferiora; nullam enim stellam esse quæ non habeat vim & dominium in creaturas inferiores. Quod Hebraicè sic loquuntur, כל הכוכבים יש להם כח וממשלה על יצורים ועוד אין לך כל עשב ועשב מלמטה שאין לו מזל מלמעלה מכה אותו ואומר לו גדל, i. *Omnes stellæ habent vim & dominium supra creaturas inferiores.* Item, *Nulla est herba infrà (in terra) cui non sit sidus in supernis, quod verberet eam, & dicat ad eam, Cresce.* Hæc certè non usque adeò impiè dicta sunt, si per קרבנות *cultum Dei* intelligas. Hinc enim, & non aliunde, cùm terra tum homines in ea degentes bene & tranquillè habent, secundùm istam Hebræorum sententiam, על שלשה דברים העולם עומד על התורה ועל העבודה ועל גמילות חסדים, i. *Super tribus rebus mundus consistit, super lege, super cultu, & super pietate.* Quòd in hunc sensum veteres Hebræi præsentem locum interpretati sunt, ansam dedit quòd עבד & שמר alicubi in Divinis literis usurpantur, ubi de sacrificiis & cultu Dei mentio fit. Fuerunt item inter Hebræos qui לעבדה ולשמרה non ad hortum paradisi, sed ad terram retulerunt, quos refutat Aben Ezra, quibus nimirum imposuit He mappic relativum fœminini generis, non satis attendentes, quòd גן Hebræis non tam masculini quàm fœminini generis extat, unde & pluralem numerum גנים & גנות format.

16. אָכֹל תֹּאכֵל *Comedendo comedas*] Emphasim habet verbi repetitio: Quales locutiones crebræ sunt in sacris Scripturis. Plenariam enim hâc figurâ loquendi homini de qualibet arbore edendi potestatem tribuit, dempto ligno scientiæ boni & mali.

17. לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ *Non comedas ex illa*] Videtur ממנו pleonasmum redundare; Verùm Hebræi dicunt expositionis sive declarationis causâ additum esse; quod vocant תוספת הביאור Vel potest esse diminutivum, quomodo etiam exponit Aben Ezra, אפילו מעט לא תאכל ממנו i. *Nec parùm etiam ex ea comedas.* Potest quoque ממנו vel ad arborem, vel ad fructum referri. Nachmanni tamen ad fructum referendum esse dicit; sic enim scribit in hunc locum, מן הפרי יזהירנו העץ איננו נאכל וכן אמר לאשה מפרי העץ אשר בתוך הגן וכמהו ואכלו איש גפנו ואיש תאנתו וכן בעצבון תאכלנה תאכל פריה, i. *A fructu prohibet eum; arbor enim non editur. Sic quoque infrà dicit,* (cap. 3.) De Fructu Verò Arboris Quæ Est In Medio Horti, &c. *Similis locutio est* 2 Reg. 18. 31. Et Comedat Quisque De Vite Sua, Et De ficu Sua, &c. *Item*, In Dolore Comedes Eam, *hoc est, fructum ejus.*

כִּי בְּיוֹם אֲכָלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת *In quacunque die comederis ex ea, morte morieris*] *Dies* pro tempore: *In quacunque die*, i. Quandocunque, quocunque tempore, quocunque momento. Deinde, *Morte morieris*, Hebraismus est; Quâ verborum reduplicatione vehementia & certitudo significatur: *Morte morieris*, i. Certissimè morieris. Disputatur hîc etiam ab Hebræis de conditione hominis, Num etiam mortalis fuisset si non peccasset? Et fuerunt quidam in ea sententia, Nunquam moriturum hominem, si non edisset de pomo vetito; Quod probare volunt hoc dicto, cap. 3. 22. ועתה פן ישלח ידו ולקח גם מעץ החיים ואכל וחי לעולם; i. *Et nunc ne fortè mittat manum suam, & accipiat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Sed non adstipulatur his Aben Ezra, qui dicit, לעולם hoc in loco non לעולם ועד, i. *sempiternitatem*, significare, sed tantùm temporis longitudinem; qua in significatione non semel & in aliis locis usurpatur. Nec improbat medicorum argumenta, quibus, etiamsi homo perstitisset in innocentia, mortalem tamen fuisse contendunt, eò quòd ex materia corruptibili conditus & compositus fuerit. Et nostri etiam Theologi sentiunt, Adamum non peccando, & gustando de fructibus arboris vitæ, continuasse vitam innoxiam usque ad præscriptum terminum, quo etiam cum corpore migrasset in immortalitatem. Cæterùm quis sit verborum istorum sensus, *Moriendo morieris*, variè ab Hebræis exponitur. Quidam enim hunc putant subesse sensum, *Tunc incipies esse mortalis:* Alii; *Statim morieris*, dicunt enim Adamum post admissum peccatum mox moriturum fuisse, si non egisset pœnitentiam. Alii; *Reus eris mortis*, i. Morte punieris. Nehemanides sic exponit, *Moriendo morieris, hoc est, Citiùs morieris quàm aliàs. In meo siquidem arbitrio erit te occidendi quocunque tempore voluero, sic ut non attingas terminum vitæ præscriptum.* Et citat locos Scripturæ, in quibus hæc loquendi formula hoc sensu accipitur; ut 1 Reg. 2. 36, 37. וישלח המלך ויקרא לשמעי ויאמר לו בנה לך בית בירושלם וישבת שם ולא תצא משם אנה ואנה: והיה ביום צאתך ועברת את נחל קדרון ידע תדע כי מות תמות דמך יהיה בראשך. i. *Et mittens rex vocavit Simei, dixitque ad eum; Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi, & non egredieris huc vel illuc. Quacunque enim die egressus fueris, & transieris torrentem Kidron, sciens scias quod morte morieris, eritque sanguis tuus in capite tuo.* Quâ locutione, ut inquit Nehemanides, rex Salomo Simei significare voluit, non quòd deberet scire se mortalem esse, & aliquando moriturum, (cùm, ut Ecclesiastes dicit cap. 9. 5. החיים יודעים שימותו כלם, i. *viventes sciant se morituros omnes*) neque quòd statim & è vestigio morte plectendus esset, si Jerosolymâ discederet, sed quòd vellet eum è vita tollere quocunque tempore placeret, qui aliàs eum vivere permisisset usque ad præscriptum à Deo vitæ terminum. Atque similem vim *moriendi* verbum dicit habere & in istis locis; Num. 4. 18. 19. 20. אל תכריתו את שבט משפחת הקהתי מתוך הלוים: וזאת עשו להם וחיו ולא ימתו בגשתם את קדש הקדשים אהרן ובניו יבאו ושמו אותם איש איש על עבדתו ואל משאו: ולא יבאו לראות כבלע את הקדש ומתו, i. *Non exterminabitis tribum cognationis Kehaticæ de medio Levitarum. Hoc verò facite eis, ut vivant & non moriantur, cùm accesserint ad sancta sanctorum: Aharon & filii ejus ingrediantur, & deponant eas, unicuique pro ministerio suo, atque pro onere suo. Ipsi autem non introeant, ut videant cùm sancta involvuntur, ne moriantur.* Item Levit. 22. 9. ושמרו את משמרתי ולא ישאו עליו חטא ומתו בו כי יחללהו, *Custodiant igitur custodiam meam, ne propter hoc portent peccatum, & moriantur ob ipsum, si profanaverint illud.* Ego, si philosophari & argutari liceret, dicerem hâc reduplicatione duplicem mortem animæ & corporis indicari, sicut & Hebræi istiusmodi reduplicationes non rarò ad duo referre solent. Sed על דרך פשט, ut Hebraismus dicit, i. *juxta simplicem sensum*, sancta lingua hâc proprietate loquendi certitudinem, vehementiam & accelerationem significat. Porrò duplici morte Adamum periisse, animæ scilicet & corporis, nec Hebræi omnino negant; Id quod simili ad hoc institutum haud inconvenienti docent, quo volunt utrumque in homine peccavisse, animam scilicet & corpus, ideóque & utrumque punitum fuisse. אלו הבשר חוטא בלא רוח מדוע הנפש נענשת וכי זה חוטא וזה נענש אלא כן הדבר שניהם חוטאים כאחד משל לחגר וסומא שומרי הפרדס. מעשה במלך אחד שהיה לו פרדס נאה מאד וכל מיני פרות נטועים בו ושומרי הגן אוכלו הפרי הגן עד שלא נמצא שומרים נאמנים לשמור הפרדס ולא יאכלו הפירות לסוף עלה ברעתו והכניס בפרדס חגר וסומא ואמר כי החגר לא יוכל לעלות באילנות והסומא אם יעלה אינו יכול למצוא הפרי. לימים נתייעצו יחד החגר והסומא והרכיב הסומא החגר על כתפיו ונשא ליקח הפירות מן האילנות ושניהם חטאו i. *Si caro peccat absque spiritu, cur anima punitur? Num aliud est quod peccat, & aliud est quod punitur? Quin potiùs sic se res habet quòd ambo unà peccant. Exemplum accipe de claudo & cæco, qui custodiebant hortum arboribus consitum. Accidit enim ut rex quidam hortum haberet amœnissimum, & in eo omnis generis fructus plantatos. Verùm custodes horti fructum ejus perpetuò absumebant, adeò ut non posset invenire custodes fideles, qui custodirent hortum & de fructibus ejus non ederent. Tandem in mentem ejus subiit, ut introduxerit in hortum claudum & cæcum, sic apud se cogitans, Claudus non poterit conscendere arbores; & cæcus, si ascenderit, non poterit invenire fructum. Post aliquot dies inter se consultarunt claudus & cæcus, ut cæcus per claudum in humeros suos sublatum fructus de arboribus carperet. Atque ità factum est ut ambo peccarint.* Hactenus Hebræi.

18. לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ *Non est bonum ut sit Adam solus*] Onkelus Chaldæus habet, לא תקין, i. *Non est aptum,*

conve-

conveniens, rectum, congruum. Sicut Græci καλόν, & Latini *bonum* aliquando pro *pulchro, honesto, commodo* & *utili* usurpant, ità subinde & Hebræi voculam טוב. Est certè vitæ commoditas præcipua causa contrahendi matrimonii. Quæ autem illa sit, colligit Aben Ezra ex Eccles. 4. 9. &c. ubi sic legitur, טובים השנים מן האחד אשר יש להם שכר טוב בעמלם: כי אם יפלו האחד יקים את חברו ואילו האחד שיפל ואין שני להקימו: גם אם ישכבו שנים וחם להם ולאחד איך יחם: ואם יתקפו האחד השנים יעמדו נגדו והחוט המשלש לא במהרה ינתק, i. *Meliorem conditionem habent duo quàm unus, quippe qui habent mercedem bonam in labore suo. Nam si ceciderint, unus eriget socium; & væ ei qui unicus est: si enim ceciderit, non adest secundus qui erigat eum. Quod si duo pariter dormierint, calor est eis: & uni quomodo calor suppeditabitur? Et si prævaluerit ei unus, duo stabunt adversus eum; & filum triplicatum non facilè rumpetur.* Hebræi circa hunc locum laudes conjugii amplissimè prosequuntur; in Arba Turim autem lib. 3. omnium copiosissimè. Hinc sunt vulgò apud eos jactatæ illæ sententiæ, אין טוב אלא אשה, i. *Nihil est bonum nisi mulier:* Item, כל מי שאין לו אשה אינו אדם, *Cuicunque non est uxor, is non est homo.* Item, כל מי ששרוי בלא אשה שרוי בלא טובה בלא שמחה בלא ברכה בלא דירה בלא תורה בלא חומה בלא שלום, i. *Quisquis habitat,* seu *manet, absque uxore, manet sine bono, sine gaudio, sine benedictione, sine habitatione, sine lege, sine muro, sine pace,* &c. Quibus sententiis significare volunt, magnum esse solatium habere commodam uxorem, talem nempe qualem Salomo describit Prov. 19. 14. בית והון נחלת אבות ומיהוה אשה משכלת, i. *Domus & divitiæ sunt hæreditas relicta à parentibus; à Domino autem est uxor prudens.* Item cap. 18. 22. מצא אשה מצא טוב ויפק רצון מיי, i. *Qui invenit uxorem, rem bonam invenit, & favorem à Domino impetravit.* Quâ sententiâ Hebræi Salomonem ad præsentem locum respexisse putant; q. d. Qui invenit commodam uxorem, invenit bonum illud de quo Deus dixit, *Non est bonum hominem esse solum: faciam ei adjutorium quod sit coram eo.* Quantum denique donum Dei sit uxor, facilè liquet ex epithetis, quæ Scriptura illi tribuit, ut quòd ea dicitur *viri bonum, auxilium, gaudium, donum, benedictio, corona, ornamentum domus,* &c. quæ omnia de muliere bona in Divinis literis prædicantur.

אעשה לו עזר כנגדו *Faciam ei adjutorium quod sit coram eo*] עזר, i. quod adjumento sit ad familiam, rem familiarem, ac totam domum constituendam. Non enim ad sobolem procreandam duntaxat, sed ad omnes carnis commoditates: hoc est, hujus vitæ necessitates, viro conjuncta est uxor, ut sit socia vitæ. Author Latinæ vulgatæ editionis quisquis fuerit, qui legit, *Adjutorium simile sibi,* non satis expressit vocem Hebraicam כנגדו, quæ ad vicarium auxilium quod mulier viro esse debet, potiùs quàm ad similitudinem respicit. נגד enim Hebræis *quod oppositum, coram & è regione est,* significat, & כנגד, propter adjectam literam Caph, *quod proximè adest,* cujus contrarium est מנגד *quod procul abest.* Omnino enim Caph præfixum eam vim hic habet, quam apud Latinos præpositio *secundùm,* propinquitatem & approximationem significans; Germanicè bey / nach; unde כנגדו, i. *juxta eum, penes eum,* vel *proximè coram eo,* Germanicè bey ihm / umb ihn / sicut & LXX. verterunt, κατ' αὐτόν, *secundùm eum.* Vel, ut R. D. K. in Radicibus scribit, Caph istud est Caph האמת i. *Caph veritatis,* hoc est, confirmativum & veritatis expressivum; ut sit sensus; Faciam ei adjutorium quod sit verè coram eo, vel penes eum; hoc est, quod verum sit auxilium non vanum. Duo ergò habet vocabulum נגד, præsentiam & auxilium. Præstò enim esse debet mulier in conspectu viri, ut auscultet, observet quid velit, quid jubeat, præcipiat & imperet, quemadmodum servi in conspectu dominorum suorum ad capessenda jussa adesse solent. Dein, præsens esse debet mulier ad præstandum auxilium in rebus agendis, cujus mutuâ operâ ad levandos labores vir uti possit. Ità & R. D. K. in libro Radicum explicat: nam circa radicem עזר super hunc locum sic scribit, כי היא עזרת האדם תמיד ומשמשתו i. *ut auxilio sit homini jugiter, & ministret illi.* Eadem scribit circa radicem נגד, שתהיה לנגדו ולעיניו תמיד לשרתו, i. *ut sit in conspectu ejus, & coram eo jugiter ad ministrandum ei.* Onkelos Chaldæus interpres vim & energiam vocum עזר & כנגדו eleganter quoque expressit in sua paraphrasi, אעביד ליה סמך כקבליה i. *Faciam ei fulcrum,* seu *sustentaculum, è regione illi.* Quod scilicet adjumento sit, perinde ac si duo in levando magno aliquo onere sibi mutuas manus porrigant auxiliatrices. Qui ex nostris כנגדו vertunt *simile sibi,* Caph literam pro nota similitudinis habent, quam Hebræi vocant כף הדמיון. Sed priorem lectionem magis sequuntur Hebræi. R. S. argutatur in voce כנגדו. Sic enim scribit, זכה עזר לא זכה כנגדו להלחם. Sensus est; *Si vir innocenter vixerit, adjutorium erit ei uxor; sin, contra illum stabit ad præliandum.*

19. ויצר יהוה אלהים מן האדמה *Et formavit Dominus Deus,* &c.] Suprà cap. 1. aquas ad jussum Dei aves produxisse legitur, hic verò ex terra factas esse commemoratur. Hebræi hunc nodum ità solvunt; Dicunt aves ex tenuissimo luto, sive lutulenta aqua, quæ proxima fundo est, quod רקק vocant, exstitisse; Sexti autem diei animantia ex terra sicciori. Alii, ut Hizkuni, ex utroque, i. aquis & terra, aves factas dicunt, quòd quædam in aquis & terris simul degunt, quæ nos amphibia appellamus, quædam tantùm in terris.

ויבא אל האדם לראות מה יקרא לו *Adduxitque ad ipsum hominem, ut videret quomodo appellaret illud*] Interrumpitur materia de conditione Evæ, & interponitur formatio & adductio animantium ad ipsum Adamum, ut etiam, juxta Hebræorum sententiam, indè agnosceret quàm verè dictum sit, *Non est bonum hominem esse solum,* útque magis suspiceret Dei beneficium quod in adjuncta uxore ipsi præstitum est. Qua de causa, ut Hebræi referunt, ex omnibus animantibus paria, hoc est, masculum & fœmellam ejus, Adamo adduxit. Sic enim scribit R. S. כשהביאן הביאן לפניו כל מין ומין זכר ונקבה אמר לכלם יש בן זוג ולי אין בן זוג מיד ויפל וגו׳: i. *Quando adduxit ea, adduxit singulas species, masculum scilicet & fœmellam. Tunc dixit* (*Adam,*) *Cuique est sua conjunx, mihi verò non est conjunx. Statim illabi fecit Deus soporem in Adam,* &c.

וכל אשר יקרא לו האדם נפש חיה הוא שמו *Et omne quod vocabat ei homo anima viventis, ipsum est nomen ejus*] R. S. hunc textum sic collocandum putat, כל נפש חיה אשר יקרא לו האדם שם הוא שמו לעולם, i. *Omnis anima vivens, cui vocabat ei homo nomen, ipsum nomen ejus in æternum.* Aben Ezra scribit literam Lamed quæ præservit לו etiam ad נפש referendam esse, hoc modo, *Et omne quod vocabat ei, scilicet viventi, erat nomen ejus.* Dicit enim הלמ״ד esse תוספת הביאור, i. *expositionis causâ,* adjectum. Ex hoc loco colligunt Hebræi Adamum insignem philosophum fuisse, qui naturas omnium animalium probè tenuerit, ut inde juxta naturam ac proprietatem suam cuique suum nomen indiderit, ex quo nimirum sapientia & perspicuitas ingenii Adami patet.

20. ולאדם לא מצא עזר כנגדו *Et Adæ,* sive *homini, non invenit adjutorium quod esset coram eo,* &c.] *Adam ipsi Adæ,* vel, *homo ipsi homini, non invenit,* &c. Hebraismus est, pro, *Adam,* vel *homo, sibi ipsi,* vel *pro se, non invenit adjutorium.* Sic legit & Aben Ezra, cujus verba hæc sunt, והטעם לאדם לא מצא ולנפשו לא מצא כי כן מנהג לשון הקדש *Sensus est; Homini non invenit, id est, sibi ipsi non invenit. Sic enim est mos linguæ sanctæ,* scilicet ut de seipso loquens aliquis, faciat in tertia persona, tanquam de tertio aliquo loquens.

21. ויפל יהוה אלהים תרדמה על האדם ויישן *Et fecit illabi Dominus Deus soporem in Adam*] Etiam Hebræi in hac sunt sententia, Animalia ideo ad ipsum Adamum adducta fuisse, ut cùm in omnibus creaturis non inveniret cum quo commercium & consuetudinem habere posset, ex hac inopia desiderium ad consequendum adjutorium in illo excitaretur, quò posset pleniùs gratias agere Domino de accepta conjuge. Proinde post indigentiam agnitam, statim ad ædificandam uxorem Deus se accingens, immisit soporem Adæ. Hebræi tres voces habent quæ somnum significant, תנומה, שנה & תרדמה. Prima capitis gravedinem, cùm homo nutare incipit, significat; altera, plenum somnum; tertia, profundissimum somnum. Quare, teste Hieronymo in Quæst. Heb. Aquila καταφοράν, Symmachus κάρον, i. gravem & profundum soporem, interpretati sunt. LXX. per *extasim* reddiderunt. Id ipsum verbum & in Jonæ stertentis somno positum est, ויונה ירד אל ירכתי הספינה וישכב וירדם, i. *Jona verò descenderat ad latera navis, & jacens sopore oppressus erat.* Discrimen horum vocabulorum indicavit & Aben Ezra in suo commentario, sic scribens, תרדמה יותר משינה ושינה יותר מתנומה, i. *Thardema plus est quàm Schenah & Schenah plus est quàm Thenumah.* Similiter & R. D. K. in Radicibus suis, ubi sic inquit, התנומה איננה חזקה כמו השינה רק היא מעט מעט ותרדמה היא שינה חזקה i. *Thenumah (dormitatio) non tam fortis est ut Schenah (i. somnus) sed paulatim tantùm dormire significat. Thardemah est somnus fortis.* Porrò tres causæ feruntur cur Deus volens Adamo costam adimere, priùs somno profundo eum oppressit: I. Quò minùs doleret quòd pars corporis avelleretur; II. Ut Divinitus tantum donum non animadvertenti contigisse posthac agnosceret; III. Nè ablatione costæ dolorem sentiret. Quod postremum habet & Hizkuni in suo commentario. Sic enim scribit, חס הקב״ה על אדם הראשון שלא להכאיבו לפיכך הפיל עליו תרדמה i. *Pepercit Deus homini primo, nè dolere eum faceret; ideo illabi fecit super eum soporem.*

וַיִּקַּח אַחַת מִצַּלְעֹתָיו *Tulitque unam ex costis illius*] Hebræi cùm veteres tum posteriores צלע hoc loco non pro *costa*, sed pro *latere exponunt*; & citant locum Exod. 26. ubi צלע pro *latere* tabernaculi accipitur. Atque imaginantur hominem initio conditum masculum & fœminam fuisse: Quod colligunt ex cap. 1. ubi dicitur, *Masculum & fæmellam & creavit eos.* Verùm tu noveris, צלע propriè *costam* significare, & non nisi metaphoricè pro *latere* accipi. Quia enim costæ sunt in utroque latere animalis, dextrò videlicet & sinistro, ideo latus cujuslibet rei appellatur hoc nomine. Hinc est quòd & צלע ad *trabes* domûs transfertur, quòd scilicet trabes domui sunt quod costæ corpori. Similiter & claudus צולע vocatur, quòd ex lateribus alteri innititur. Hæc ità invenies apud Kimhi in Radicibus. Rectiùs ergò & veriùs nostri hunc locum exponunt, qui צלע pro *costa* accipiunt quibus nonnulli & veterum Hebræorum priorum adstipulantur. Nam R. Josua inquit, ex ea parte corporis desumptam mulierem quæ stanti viro brachiis operitur, quo admoneatur verecundiæ atque animi latere cupientis. Prosequuntur quoque hic & alia quædam de officio mulieris, quomodo scilicet se domi continere, testudinis more, & marito adhærescere debeat, quia desumpta sit ex latere ejus. Potest etiam locus iste sic legi, *Et tulit unam* (subaudi *portionem*) *de lateribus ejus*, pro, *aliquam portionem ex uno laterum ejus*: ut sit Hebraismus similis huic, *Sepultus est in urbibus Juda*, pro *in una urbium*, ubi plurale pro uno è pluribus accipitur.

וַיִּסְגֹּר בָּשָׂר תַּחְתֶּנָּה *Et clausit carnem pro ea*] Sicut ademturus costam priùs Adæ somnum immisit, nè quid mali sentiret, ità pro adempta costa mox carnem restituit. Non enim vult Deus ut qui adhuc innocens erat ullum detrimentum acciperet.

22. וַיִּבֶן יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הַצֵּלָע *Et ædificavit Dominus Deus costam*] Singulare studium & conatus Dei in paranda muliere hoc verbo significatur; quæ etiam cum mater fit, plurima in ea contingunt miracula, quæ & propheta admiratur. Quidam Hebræorum putant positum esse *ædificandi* verbum, eo quòd mulier similis sit ædificio, in eo videlicet quòd propter concipiendi habilitatem infernas partes latas, superiores strictiores habet. Colligunt quoque ex hac voce mulierem esse fundamentum domus. Nec desunt inter Hebræos qui ויבן ad intelligentiam & prudentiam referunt, atque hinc esse dicunt quòd puellæ masculis ferè sunt astutiores & ingeniosiores.

לְאִשָּׁה *In mulierem*] i. להיות אשה, *ut esset mulier*. Similis locutio est, Judic. 8. 27. *Et fecit ipsum Gideon in Ephod*, i. ut esset Ephod sive cinctorium. Hebræorum grammatici istiusmodi Lamed quod præservit לאשה, vocant Lamed התכלית, i. *quod finem rei significat*; q. d. בנה את הצלע לשם תכלית להיות אשה i. *Ædificavit costam in hunc finem ut esset mulier*, sive *uxor*. Similem vim habet ubi infrà dicitur, *Et erunt in carnem unam*, לבשר אחד.

וַיְבִאֶהָ אֶל־הָאָדָם *Et adduxit eam ad Adam*] Quia Adam putabat sibi mulierem aliunde adductam esse, idcirco Scriptura dicit, *Et adduxit eam*, &c. Sic quidam Hebræorum exponunt, & dicunt similem orationem esse, Jos. 2. 7. *Viri verò civitatis persecuti sunt eos per viam Jordanis*, &c. Non quòd revera persecuti fuerint eos, sed quòd putabant se illos persequi. Alii sentiunt mulierem extra paradisum ædificatam, ac deinde Adamo adductam fuisse. Verùm nos simpliciter accipiamus, quòd revera adducta fuerit Adamo ab ipso Deo, quo magis agnosceret Dei donum. In hoc enim gloria Dei potissimum est, ut homo cognoscat beneficium Dei sibi Divinitus collatum. Et certè verbum ויבאה non simpliciter *adduxit* significat, sed ità ut ex ea liberos susciperet, operaque ejus ad omnem usum utilitatemque uteretur. Discamus porrò ex præsenti loco, Deum esse qui adhuc hodie omnes, qui juxta verbum suum matrimonia capessunt, conjungit.

23. זֹאת הַפַּעַם עֶצֶם מֵעֲצָמַי וּבָשָׂר מִבְּשָׂרִי *Hæc vice os de ossibus meis, & caro de carne mea*] Sic ferè omnes nostri legunt. Verùm aliter Hebræi, referentes זאת ad mulierem, hoc sensu; Hæc, hâc vice os ex ossibus meis, q. d. Mihi tandem adjutorium reperi, quod non inveni hactenus cuncta animantium genera recensens.

לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *Huic vocabitur virago*] Bifariam legitur. Nam sensus esse potest, *Huic*, vel *ad hanc*, vocabitur, i. Huic erit appellatio, *Virago*. Vel, *Propterea vocabitur*, i. Propter hanc rem; sicut exponit & Aben Ezra in suo commentario per זאת בעבור. i. *propter hoc*, vel *hanc rem*, &c.

אִשָּׁה *Virago*] Si sermo Latinus pateretur, dicendum esset *vira* à *vir*, sicut à *herus hera*, à *dominus domina* dicitur. Nam sic apud Hebræos adjectione unius literæ mulier denominata est à viro. Illi enim virum sive maritum איש dicunt, & mulierem sive uxorem אשה, sicut igitur mulier à viro sumpta est, ità & nomen illius. Ex hoc loco colligunt Judæi linguam Hebræam primam fuisse linguam, quâ Deus mundum condidit, quamque primùm omnium homines locuti fuere. Philosophantur porrò Hebræi in voce איש & אשה hunc in modum, quòd si maritus & uxor castè & innocenter vixerint, fidemque matrimonii sanctam servaverint, Deum illis adesse, atque inter eos habitare, quod significatur per Jod literam, quæ una est ex nomine tetragrammato יהוה, atque media est in voce איש, quam si iterum demas, ut fit in אשה, manet אש quod *ignem* significat. Quo innui dicunt, quòd si conjuges non sanctè vixerint, Deum illos destituere, quo facto, omnia replentur jurgiis, rixis & altercationibus, & impletur illud poeticum,

Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.

Quòd si illa & Hebraicè sonare cupis, sic accipe, איש ואשה אכו זכו ללכת דרך ישר זו וזה בלא ניאוף הקדוש ברוך הוא בינהם שורי חלק שמו ושכנו בינהם לא זכו אש אכלתן שהקדוש ברוך הוא מסלק שמו מבינהם ונמצא אש ואש, i. *Vir & mulier si innocentes fuerint, & ambulaverint in via recta, uterque abstinentes ab adulterio, Deus inter eos est. Nam ecce impertit eis nomen suum, & habitare ipsum facit inter eos. Quòd si non innocentes vixerint, ignis devorat eos. Siquidem Deus aufert nomen suum ab eis, tum remanet* אש, i. *ignis*.

כִּי מֵאִישׁ לֻקֳחָה־זֹּאת *Eo quòd de viro sumpta sit ipsa*] Non extra virum, ut reliquorum animalium fœmellæ, facta est mulier, non ex terra, vel aqua, vel tenuissimo luto, sed ex ipsa viri substantia, costa nempe lateris ejus, quo cum marito uxor arctiùs cohæreat: nec alterius viri consuetudinem admittat. Hæc Hebræi. Porrò אשה non simpliciter mulierem significat, sed eam ferè quæ jam est uxor, & maritum habet; Cui accedit & Onkelus cum sua versione, qui habet ארי מבעלה נסיבת, i. *quia de marito suo sumpta est*.

24. עַל־כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת־אִמּוֹ וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ *Propterea relinquet vir patrem suum & matrem suam, & harebit in uxore sua.*] Hebræi, præsertim R. S. hæc à Spiritu Sancto prolata esse sentiunt. Cui adstipulatur & Christus Matth. 19. 4. *Annon legistis quod is qui fecit ab initio, masculum & fæminam fecit eos? Et dixit, Propterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori*, &c. Verbum דבק Hebræis non simpliciter *adhærere* significat, sed amanter & conjugali affectu: unde & R. D. K. in Radicibus per *associari* exponit. Quare & Scriptura non rarò, ubi veri & casti amoris mentio fit, idem verbi usurpat. Non ergo de carnis libidine in uxore explenda hæc adhæsio intelligi debet, sed de amore potiùs conjugali, quo maritus uxorem, tanquam os & carnem suam, complecti, fovere, & nutrire debet, ut habet Epistola ad Ephes. cap. 5. Atque huc etiam respexit Onkelus cum sua paraphrasi, על כן ישבוק גבר בית משכבי אבוהי ואמיה וידבק באנתתיה, i. *Propterea relinquet vir domum lecti patris sui, & matris suæ, & harebit in uxore sua*, &c. Ut intelligas domesticam consuetudinem cum patre & matre intermittendam esse. Nam maritus cum uxore novam domum constituit. Adhuc tamen integrum manet præceptum de honorandis parentibus. Sunt qui putant Onkelum allusisse ad morem qui fuit olim, ut filii in cubiculis parentum cubarent donec adulti elocarentur: Quæ parentum cura ac studium erga liberos, si adhuc hodie locum haberet, meliùs educarentur pueri, & non tam citò, ut sæpe fit, juventus corrumperetur.

וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד *Et erunt in carnem unam*] i. Erunt velut una caro & unum corpus. Non est ergò *caro* hîc carnalis illa copula, ut quidam stultè exponunt, verùm arctissima illa consuetudo & societas vitæ, quæ illis jam omnium rerum est quædam communio & consortium. Unde & in aliis locis multis per *carnem* Scriptura consuetudinem & necessitudinem intelligit; ut Esa. 58. 7. *Carnem tuam nè despexeris.* R. S. dicit, ideo vocari *unam carnem*, quòd proles nascatur ex concursu seminis utriusque; Helias orientalis, quod non de alia carne animantis, sed de sua, hominem gignat; Nehemanus, quòd non ampliùs discedat ab uxore sua, sicut faciunt bruta animantia post conceptum. Sed prima expositio naturalior est.

25. וַיִּהְיוּ שְׁנֵיהֶם עֲרוּמִּים הָאָדָם וְאִשְׁתּוֹ וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ *Fuerunt autem ambo illi nudi, Adam & uxor ejus, & non erubescebant.*] Causam Hebræi assignant hanc, Quia adhuc innocentes

tentes erant, & carebant affectione pravâ, ex quâ corporis partes aliquæ pudendæ factæ sunt. Primùm enim sic conditi erant ut eos nuditatis suæ nihil puderet, quemadmodum non erubescimus, si quis faciem nostram cæteraque membra patentia aspiciat. Sic ergò dicunt Hebræi, לא נתן בו יצר הרע עד אכלו מן העץ תכנס בו יצר הרע וידע מה בין טוב לרע i. *Non est data in homine affectio prava, donec comedit de arbore: tum enim intravit in eum concupiscentia mala, & cognovit quid esset bonum & malum.*

I D E M.

4. אלה תולדות השמים והארץ בהבראם ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים וכל שיח השדה טרם יהיה בארץ וכל עשב השדה טרם יצמח *Istæ sunt generationes cælorum & terræ, cùm crearentur, in die cum faceret Dominus Deus terram & cælos, Et omnem plantulam agri antequam esset in terra; & omnem herbam agri antequam germinaret,*] Locus iste nonnihil obscuritatis & difficultatis habere videtur, quæ nata esse videtur ex voce טרם, quam alii per *priusquam*, *antequam* exponunt. Alii per *nondum*, ut Chaldæus Paraph. reddidit, exponendum esse contendunt. Ideòque pro diversa ejus lectione cùm nostri tum Hebræorum scriptores in explicando eo desudant. Nostri sic legunt & exponunt, ut illa, *Et omne virgultum agri*, &c. cohæreant cum præcedentibus, *istæ sunt generationes cæli & terræ*; &c. hoc sensu, Quòd Moses jam rursum quasi per recapitulationem indicet Deum autorem esse omnium rerum, non tantùm cæli & terræ, sed & omnium terræ crescentium, quæ primùm omnium non cœlestium imbrium virtute, cùm nulli adhuc fuerant, nec hominis operâ, cùm is nondum conditus erat, sed solius Dei operatione ac virtute producta fuere. Quidam Hebræorum interpretum sic legunt quasi hic nova sententia incipiat, *Et omne virgultum agri nondum erat in terra*, &c. Sentientes Mosen his verbis significare, nullam adhuc arborem, herbam, terræque fructum subnatum fuisse; causa, quia nondum pluerat Dominus Deus super terram, neque homo erat qui coleret terram. Quòd si forte objicias, quomodo cum hac sententia conveniat quòd cap. 1. tertio die terræ crescentia producta fuisse commemoratur: respondet R. Salomo, Arbores & herbas tertio quidem die ad jussum & verbum Domini ad pavimentum terræ ut efflorescerent constitisse, sed nihil adauctas fuisse, neque ad justam magnitudinem succrevisse donec pluvia fieret, & homo existeret qui terram excoleret, ad cujus preces pluvia demum fieri & concedi debebat. R. Nehemanides hunc nodum sic solvit, Quòd Moses hic non loquatur de terræ crescentiis tertio die ad præceptum Domini suâ sponte enatis, sed de iis quæ pluviæ cœlestis virtute atque hominis operâ egerminarunt, atque istiusmodi arbores & herbas nondum ex terra succrevisse. Et hunc sensum colligit ex voce שרה, quam dicit propriè *cultum agrum* significare. Mihi probatur eorum sententia qui volunt hunc locum generalem epilogum esse, quo rerum natura exponatur, qualisnam à principio fuerit adeòque nunc exsistat.

6. ואד יעלה מן הארץ והשקה את כל פני האדמה *Et vapor ascendebat de terra, & irrigabat universam faciem humi,*] Hallucinati sunt LXX. & Autor Lat. Vulg. editionis in voce Hebraica אד, quòd eam pro *fonte* interpretati sunt, cùm revera *vaporem*, sive *nubem*, ut Onkelus reddidit, non *fontem* significet. R. D. Kimhi in Radicibus suis hunc locum pulcrè explicat. (Extant ejus verba cum interpretatione in antecedentibus.) Qui ergò LXX. & Vulg. edit. sequentes אד pro *fonte* accipiunt, sic intelligunt, non quasi unus aliquis fons fuerit qui universam terram irrigarit, sed quòd multi fontes variique fluvii fuerint qui terram humectarint, ut sit genus pro numero, & singularis numerus pro plurali. Sed ut dixi, אד Hebræis nequaquam *fontem*, quin potiùs *vaporem*, *exhalationem*, *fumum*, seu *nubem* significat. Quare is est genuinus hujus loci sensus, quòd Moses postquam paulò antè scripsit, nec pluviam exstitisse quâ terra irrigaretur, nedum hominem qui eam excoleret; jam paucis describit, quomodo Deus naturaliter pluviam fecerit: nempe vapore luminarium virtute atque operatione è terra educto, qui ubi in mediam aëris regionem ascendit, à circumstante frigore in nubem condensatus, mox in pluviam resolutus fuit. Cujus physicæ rationis & Job meminit cap. 36. כי יגרע נטפי מים יזקו מטר לאדו אשר יזלו שחקים ירעפו עלי אדם רב *Ipse quidem subtrahit stillas aquæ, & rursum stillant in pluviam, propter nubem ejus. Resolvuntur enim nubes, & rorant super homines copiosè*, &c. Quòd verò Onkelus Chaldæus אד *nubem* reddidit, posterius pro priore posuit, quia nubes tandem fit ex terræ vaporibus, ut modò dixi. Omnino autem hæc causa modò pluviæ fuisse videtur, non tantùm ut eâ terra fœcundaretur, sed & ut eâ humectata eò habilior esset ad fingendum inde hominem. Proponit siquidem Moses Deum ut humanum artificem, h. e. figulum, qui primùm de materia cogitat, quam comparatam humectat, ut conveniat ollæ fingendæ. Ita & Deus Opt. Max. primùm pulverem congerit, quem mox imbre cœlesti humectat, ut istâ ratione habilis fiat ad fingendum ex ea corpus humanum. Propterea dicit Moses, *Et vapor ascendebat*, &c.

8. ויטע יהוה אלהים גן בעדן מקדם, *Et plantavit Dominus Deus hortum in Eden, ab oriente,*] Variatio est hic in vocibus בעדן & מקדם, eò quòd ambiguæ significationis sunt. Nam עדן vel *voluptatem*, vel *locum* sic à *voluptate & amœnitate denominatum*, significare potest. Quòd autem pro nomine loci hic potius accipiendum sit, colligitur ex translatione Chaldaica & LXX. item ex phrasi Hebraica. Nam si legendum esset, *Hortum voluptatis*, ut habet autor Lat. Vulg. editionis, dicendum erat, גן עדן, vel גן העדן. Sed dicitur, גן בעדן, *hortum in Eden.* Præpositio ergò *in* arguit *Eden* hic locum significare. Sic quoque & מקדם vocabulum ambiguum est, quod modo ad locum, i. orientalem plagam, refertur, modo ad tempus, *principium*, vel *antea*, *olim*, *antiquitus* significans, ut reddidit Paraph. Chaldæus, מלקדמין *ab antea*, vel *à principio*, quem fortè secutus est Vulg. Lat. Interpres. Eorum autem qui ad tempus referunt duplex est sensus. Quidam enim sic intelligunt quasi hortus ille ante mundi constitutionem exstiterit. Alii verò, quòd mox ab exordio & ante ipsum hominem plantatus fuerit. Unde & ויטע legunt in præterito plusquamperfecto, q. d. *Et jam antea plantaverat Dominus Deus*, &c. Mihi tamen magis probatur eorum lectio qui מקדם pro *plaga Orientali*, ut & LXX. accipiunt: quam lectionem confirmat illud infra cap. 4. *Egressusque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra, ad orientalem plagam Eden.* Porrò quia de Paradiso variæ sunt autorum opiniones; placet & meas hac de re cogitationes obiter hic in medium adferre. Primùm, Paradisum locum in terris, non extra terram esse, ex Scripturis sic colligo: Adam ex pulvere terræ formatus in Paradisum transpositus commemoratur: ergò in terris erat, alias Adam extra terram translatus fuisset. At non erat conditus ut extra terram, sed in ipsa terra quàm jucundissimè viveret. Patet id quoque ex eo quòd hortum illum colere & custodire jubetur, nimirum ab incursu noxiarum bestiarum; sed quid opus erat custodire, si eo loco fuit quo certè nullæ bestiæ poterant pervenire? Adam præterea pulsus Paradiso ad terram priorem unde factus erat revertitur. Sed quomodo in terras nostras pervenisset si extra nostrum orbem is esset? Cherubim quoque ad custodiendum Paradisum collocati id ipsum docent. Ideò enim custodiunt nè homini indè ejecto illuc rursum aditus pateret: ergò Paradisus & via ad illum hominibus nota fuit, quemadmodum & alicubi D. Chrysostomus scribit, *ante Diluvium & Paradisum & viam quæ duceret ad ipsum notam hominibus fuisse; post Diluvium penitus ignoratam.* Cain quoque profligatus ad orientalem plagam Eden habitasse narratur, ergò non procul à patre suo, qui propè Paradisum morabatur. Quatuor denique fluvii argumento sunt Paradisum in terris esse. Jam quâ regione terræ sit Paradisus, & quam cœli partem spectet, nec hoc tacet Scriptura, sed manifestissimè indicat, præsertim hoc in loco, ubi dicit, *Et plantavit Dominus Deus hortum in Eden ab oriente*, &c. En regionem Eden. En cœli plagam, Ortum scilicet. Modo ubi terrarum sit Eden regio vel ex 27. cap. Ezech. facilè colligere licebit: ubi Propheta mentionem facit nationum & populorum qui merces suas in Hierusalem importabant, inter quos numerat Eden & Charan, sic inquiens, *Negotiatores tui Eden & Charan*, nomina videlicet locorum pro ipsis incolis potens. Et quoniam illi per ordinem loci & populi numerantur, clarissimè patet, cùm simul Charan, & Chenna, & Eden recenseantur, istum Eden prope Charan atque ei vicinum fuisse. Charan verò scimus locum esse in Chaldæa, vel certe Judææ propinquum, i. Mesopotamiam, de quo Gen. 12. sic habetur, *Eduxitque Dominus de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, veneruntque usque Charan.* Ibi ergò apparet fuisse decantatissimum illum Paradisum. Cui rei & fidem faciunt profani scriptores, præsertim Græci, qui istum locum prædicant à nobilissimis Paradisis: Vocabulum item *Paradisus*, quod ab aliis Persicum esse prohibetur. Quòd verò hodie ignoratur, ratio est, quòd procul dubio locus ille, sicut & reliqua loca, per Diluvii inundationem devastatus fuit, sicut & Chrysostomus tenet, ut supra

ſuprà memini. Nec eſt quòd mireris hunc amœniſſimum locum nunc planè incultum jacere, cùm conſtet & alia loca, in quibus longè Diviniora opera perpetrata à Deo ſunt, quàm in Eden creatio Adæ fuerit, temporis diuturnitate abolita eſſe. Hinc & Hieruſalem civitas Dei everſa eſt, & Sion mons Dei, necnon & arca Dei tandem vetuſtate contabuit, ità & Paradiſus tandem peccatis hominum hoc ipſum demerentibus planè diſſipatus fuit. Hæc brevia ſunt &, ut puto, S. Scripturæ conformia. Vana ergò ſunt quòd quidam Paradiſum extra orbem ponunt. Alii ſub Æquinoctiali eſſe, & ad ſidera uſque pertingere ſomniant. Quòdque nonnulli etiam hortum Paradiſi totam terram faciunt: contra quod eſt, quòd hortus ille à Deo peculiariter plantatus dicitur, quòd in illum tranſlatus Adam, & quòd indè rurſum ejectus ad priorem redit terram, quam multis laboribus & exercitio ad ferendas fruges habilem facere cogitur. Verùm quicquid ſit tandem quòd de Paradiſo dici poteſt, nunquam non memores ſimus illius dicti Auguſtini, *Semper plus referre, ut ſic inculpatè vivamus, quo tandem mereamur audire & vocem illam Chriſti,* HODIE MECUM ERIS IN PARADISO, *quàm ut de illo ubi ſit, & quid ſit, curioſiùs diſputemus.*

18. אעשה לו עזר כנגדו, *Faciam illi adjutorium quod ſit coram eo,*] Septuaginta & Latina vulgata editio diſſentiunt à veritate Hebraica in verbo *faciamus*, quod Hebræis eſt ſingularis numeri, ſicut & Onkelus Chaldæus reddidit. Et Lat. vulg. editionis autor non ſatis expreſſiſſe videtur vim & energiam vocis Hebraicæ כנגדו, quam per *ſimile ſibi* reddidit, cùm ea potiùs mutuum & vicarium auxilium quàm formæ ſimilitudinem ſignificet. Nam ſi ad verbum interpreteris, ſonat, *ſecundum, coram eo*, vel *penès & proximè juxta eum*, mutui ſcilicet auxilii ferendi gratiâ, ſicut & LXX. rectiùs traduxere, κατ' αὐτὸν *ſecundum eum.* Verùm quia hunc locum prolixiùs tractavi in Annotationibus meis ſuper Biblia Chaldaica, quæ evulgavi, ideo te illuc remitto, quæ videre & legere quæſo te non pigeat.

VATABLUS.

1. ET *omnis exercitus eorum,* וכל צבאם] *Et omnis ornatus eorum.* Quòd in exercitu ſervetur ordo. i. Omnia quæ ſunt in cœlis & in terra, & quicquid intra illa capitur, perfectum fuit tranſacto illo ſexto die. Significat mundum ſuis omnibus ornamentis inſtructum fuiſſe.

2. *Et perfecit,* &c. ויכל וגו'] *Et finem impoſuit diei ſeptimo*, vel, *finivit*, &c. Alii, *Perfecerat autem ante diem ſeptimum*, aut, *appetente die ſeptimâ.* Ità etiam doctiores Hebræorum. ¶ *Quievitque,* וישבת] i. Ceſſavit à creando. Quies iſta ſignificat ſimplicem ceſſationem ab opere; non enim trahit ad ſe defatigationem ullam. Quia nihil ad perfectionem mundi deſiderari poterat, deſtitit creare novas rerum facies.

3. *Et ſanctificavit illum,* ויקדש אתו] Hic ו pro *id eſt* poſitum eſſe ſcribunt doctiores: ut ſe ipſum exponat Moſes quid per *benedicere* intelligat. *Sanctificare* Hebræis eſt ſegregare ex vulgi numero. Benedixit igitur, ſive ſanctificavit diem ſeptimum, h. e. ſolennem, ac ſanctum, venerabilémque eum haberi voluit. Cœpit tamen ſanctus ac celebris haberi datâ Lege, non priùs. ¶ *Ut faceret,* לעשות] i. Ut opus illud eo ordine quo nunc eſt diſponeret.

4. *Iſta* ſunt *generationes* אלה תולדות] *Hi ſunt natales*, vel, *Hi ſunt ortus*; vel origines; q. d. Cœlum creatum fuit unà cum terra eo quo diximus modo; vel ut תולדות accipiatur activè: acſi dicat, quæ ſuprà dicta ſunt, ea ſunt quæ genuerunt cœlum & terra poſtquam creata ſunt à Deo. ¶ *Die quâ fecit,* ביום עשות] Iſtam verſùs particulam adjecit Moſes, nè putemus Deum non eſſe cauſam iſtorum inferiorum; acſi dicat, Quamvis videamus aliqua creata fuiſſe ex terra tanquam materiali cauſa & paſſiva, & ſole tanquam cauſa efficiente & activa, tamen omnium horum ſola eſt cauſa Deus. In priore parte *Cœlum* accipitur pro toto corpore cœleſti; in poſteriore verò pro toto illo corpore expanſo à terra uſque ad cœlum ipſum. Notandum autem eſt, quæcunque dicuntur in hoc capite, per repetitionem dici: ideo verba vertimus per præterita plusquam-Perfecta. ¶ *Jehovah,* יהוה] Incipit meminiſſe nominis יהוה quod deducitur a radice היה *fuit*, quod quidem non potuit ante abſolutionem operis perfecti. De hoc vide Pſal. 1. 2.

5. *Et omne virgultum,* וכל שיח] Subaudiendum nonnihil ex præcedenti verſu, ſic, *Quo die, inquam, fecit Deus omne virgultum,* &c. i. omnes arbores pomiferas quæ creſcere ſolent in agro, quæ priùs non erant in terra ipſa. Quidam vertunt, *Et omnem plantam.* Significat hæc vox etiam *arborem*, ut vides infrà, 21. 15. ¶ *Orietur,* יצמח] *Germinaret, pullularet.* ¶ *Nec quiſquam erat qui coleret,* ואדם אין לעבד] Ad verbum, *Et homo non ad colendum.* Dominus nondum demiſerat pluviam; ne quis poſſet dicere imbrem fuiſſe cauſam herbarum & omnium fructuum qui proveniunt in terra: neque erant homines qui colerent terram ipſam.

6. *Porrò vapor,* ואד] In hac voce deeſt י pro איד, quæ ſignificat *vaporem:* pro qua alii *fontem* vertunt; alii *nubem*, ut Chaldæus paraphraſtes, quia nubes fit ex vaporibus eductis è terra calore ſolis, qui aſcendunt in mediam regionem aëris; ubi propter ejus frigiditatem converſi in aquam, deſcendunt, & irrigant terram. Declarat creationem pluviæ, & ad quid creetur, nempe ut irrigetur terra: quomodo item creetur, nempe ex vaporibus è terra aſcendentibus.

7. *E pulvere terræ,* עפר מן האדמה] Ad verbum, *pulverem è terra.* Præpoſitio poſtpoſita, quæ priori dictioni inſervire debet: quod ſatis frequens eſt Hebræis. E pulvere igitur, ſub. jam macerato ac temperato imbre qui deciderat. q. d. ex maſſa quadam terræ madefacta. ¶ *Inſpiraveràtque,* ויפח] *Inſufflaveràtque*, i. injecerat, ſive immiſerat. ¶ *In faciem ejus,* באפיו] *in nares ejus*, h. e. in corpus ejus. ¶ *Spiraculum vitæ,* נשמת חיים] i. ſpiritum vitalem. ¶ *In animam viventem,* לנפש חיה] Hoc eſt, factus eſt homo animatus, & vivere incœpit vitâ temporali. Sic Paulus exponit, cùm 1 Cor. 15. 45. antitheſin ſtatuit inter hanc *animam viventem* & *ſpiritum vivificantem*, quem fidelibus confert Chriſtus.

8. *Plantaverat autem,* &c. ויטע וגו'] *Plantaverat autem Jehova Deus paradiſum in Eden*, i. juſſerat naſci arbores in Eden regione Orientali, in finibus Arabiæ & Meſopotamiæ. Sequenti verſu ſeipſum declarat Moſes, cùm dicit, *Germinare autem fecerat Jehova Deus è terra omnem arborem,* &c. Locum illum vocat *hortum* ob elegantiam ſitûs & formæ pulchritudinem. Vetus interpres non ineptè *paradiſum* tranſtulit, quandoquidem פרדסים Hebræi cultiores hortos nominant: à qua dictione Græci ſuum παράδεισον formarunt.

9. *Concupiſcibilem viſu,* &c. נחמד למראה וגו'] *Deſiderabilem viſu, & ſuavem in cibum*, i. pulcherrimam quamque arborem, afferentem ſuaviſſimum fructum. De hac dictione טוב vide cap. 1. 4. ¶ *Arborem quoque vitæ,* ועץ החיים] Ab effectu ſic dicta fuit: non quæ vitam homini conferret, quâ jam antè præditus fuerat; ſed ut ſymbolum ac memoriale eſſet vitæ Divinitus acceptæ: ut quoties fructum illius arboris guſtaret, ſe agnoſceret, non propriâ virtute, ſed Dei unius beneficio vivere, & perpetuò victurum, ſi ſe in obſequio Domini contineret. Arbore autem ſcientiæ boni & mali à qua juſſus eſt abſtinere, admonebatur ne plus ſapere appeteret quàm decebat, & nè proprio ſenſu confiſus, excuſſo Dei jugo, arbitrum ſe boni & mali ac judicem conſtitueret; nec hoc vel illud tentando, ſuæ prudentiæ periculum faceret, ſed uni Deo addictus, ſaperet tantum quantum eſſet illi juſſum. Per eam igitur probandus erat, an obediens eſſet Deo.

10. *Et indè,* ומשם] i. cùm incipiebat influere in hortum. ¶ *Capita,* ראשים] Qui mihi rectiùs ſentire videntur de loco horti iſtius, ubi collocatus fuerit, dicunt *capita* ſignificare tam principia ex quibus naſcuntur fluvii Euphrates & Tigris, quàm oſtia quibus ſe in mare exonerant.

11. *Unius,* האחד] i. Primi. ¶ *Piſon,* פישון] Fluvius eſt, ut quidam ſcribunt, qui *Paſitigris* dicitur Plinio, cujus meminit & Q. Curtius lib. 5. qui ab accolis dicebatur *Phaſis.* ¶ *Havilah,* החוילה] Regio eſt Perſidi vicina, ut doctis quibuſdam placet: nam infrà, cap. 25. narrabit Moſes Iſmaëlitas habitaſſe ab Hevilah uſque ad Sur, quæ contigua eſt Ægypto, quà itur in Aſſyriam. Opponitur terminus *Hevilah* termino, *Sur*, quam Moſes Ægypto propinquam facit, & quidem Aſſyriam verſus.

12. *Bdellium,* הבדלח] Quidam dicunt eſſe nomen lapidis pretioſi. Alii nomen arboris. Scribit enim Plinius bdellium eſſe arborem quæ creſcit non longè à ſinu Perſico, in finibus Meſopotamiæ. Unde colligitur, partem Meſopotamiæ eſſe paradiſum: ſaltem paradiſum in Meſopotamia eſſe.

13. *Gihon,* גיחון] Tractus inferior Euphratis, illabens in ſinum Perſicum, à parte regionis Chus ſive Æthiopiæ, putatur quibuſdam doctis eſſe qui *Gihon* hîc dicitur.

14. *Hiddekel,* חדקל] *Tigrim* omnes exponunt. Dicunt dictionem eſſe compoſitam ex duabus quæ *rapidum* & *velox* ſignificant. ¶ *Perath,* פרת] LXX. & alii omnes *Euphratem* vertunt.

16. *Comedendo comedes,* אכל תאכל] i. Facio tibi comedendi poteſtatem. Prorſus licet tibi per me comedere ex fructu cujuſque arboris horti.

17. *Ex ea,* ממנו] Hoc adjecit ad majorem expreſſionem. ¶ *Moriendo morieris,* מות תמות] Hebraiſmus, incurres in neceſſi-

necessitatem moriendi, sive morti obnoxius eris. Mortem corporis & animæ significat.

18. *Dixerat autem*, ויאמר] Sub. die sexto: quo die fuit creata mulier. Repetit enim creationem Hevæ, describens ejus creationis rationem quam prætermiserat. ❡ *Non est bonum*, לארעוב] *Non est conveniens*, vel *commodum*. *Non decet*, *non convenit*. ❡ *Quod sit coram eo*, כנגדו] Ad verbum, *juxta illum*, vel, *tanquam è regione ipsius*. Nam כ nota est similitudinis, h. e. per omnia correspondens & conveniens; aut (ut reddidit vetus interpres) *simile sibi*. Aliquid enim æquabile notare voluisse videtur Moses. Doctus autem inter Hebræos dicit כ esse veritatis expressivum, h. e. rem affirmare. Alii exponunt, *quod sit coram illo*, ut scilicet ministret ei. Ut sit defectiva oratio, similis illi perfectæ quæ legitur in Ezechiele 44. 11. de Sacerdotibus loquente, *Ipsique stabunt in conspectu eorum ut ministrent eis.* Cui etiam imperfecta respondet apud Danielem, 1. 5. *Ut exactis illis, starent coram Rege.* Doctoribus tamen magis probatur prima interpretatio.

19. *Illa*, לו] Sing. Heb. pro plur. *illud*, pro *Unumquodque illorum.* ❡ *Et quicquid*, &c. וכל אשר וגו׳] Sing. Heb. pro plur. Dilucidiùs sic vertas, *Et quodcunque nomen inderet illis homo ipse*, nempe *animalibus*, *esset nomen eorum.* i. hoc nomine appellarentur. Alii vertunt, *Quodcunque enim nomen homo viventibus indidit, hoc nomine nominabantur.* Alii, *Omne enim quod ipse homo vocabat in anima vivente, illud nomen ejus erat.*

20. *At homini*, &c. ולאדם וגו׳] Hebraismus elegans. De se loquitur in tertia persona. Pro, *at sibi non invenit auxilium simile sibi.* Ut paulò antè v. 18.

21. *Cadere*, &c. ויפל וגו׳] Hebraismus, pro, *Immisit ergò Jehova Deus somnum profundum in hominem.* ❡ *Unam e costis ejus*, אחת מצלעתיו] *unum ex lateribus*, i. massam quandam carnis ex altero laterum ejus. Vel, *unam* portionem *ex uno laterum ejus.* ❡ *Et clausit*, &c. ויסגר וגו׳] i. carne replevit locum ademptæ illius costæ, vel massæ.

22. *Et ædificavit*, &c. ויבן וגו׳] Hebraismus, pro, *Et fecit ex ea mulierem.*

23. *Hac vice*, הפעם] sub. deprehendo, ac video, vel agnosco Deum mihi fecisse auxilium simile mihi. Ratio, *Est enim* os ex, &c.

24. *Caro una*, לבשר אחד] *In unam carnem.*

CASTALIO.

QUæ in hoc toto capite traduntur, ea ante Sabbatum suis quæque diebus facta sunt: Sed Moses volens operi sexti diei perpetuam historiam attexere, cùm in Sabbati commemoratione interpellaretur, sexto die creationem hominis breviter perstrinxit, quam eandem iterum post commemoratum Sabbatum aggreditur majore exordio. Non enim quod post Sabbatum commemoratur, idem post Sabbatum factum est, cùm omnia sex diebus facta sint.

3. *Creaverat, feceratque*] Ad verbum, *creaverat faciendo* (nam Lamed sæpe gerundium facit; ut 2 Reg. 19. לאהבה *amando*) ubi duo verba ejusdem notionis ponuntur; ut in 1 Cor. 12. ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, pro ἤγεσθε καὶ ἀπήγεσθε. Quale est Ciceronis illud, *De manibus audacissimorum civium delapsa arma ceciderunt:* hoc est, *delapsa sunt, & ceciderunt.*

4. *Jova Deus*] *Jova* sacrosanctum Dei nomen est, à verbo quod *esse* significat deductum, ut ipse Mosi in rubo declarat; nomen tantæ majestatis, ut Judæi, si quando id legendum occurrat, *Adonai* legant, quod *Dominum* significat. Hinc factum puto ut Septuaginta Κύριον sint interpretati; quorum interpretationem secuti sunt Apostoli. Docebant enim religionem, non linguam. Nos autem, qui (quoniam vita brevis est) linguam cum religione conjungere conamur, nobis interdictum non putamus, nè cum illis in vita consentientes, in sermone disertos sequamur, & Dei nomen proprium Hebræum (nè quid de ejus majestate decedat) adhibeamus: quod cùm in aliis propriis nominibus quavis in lingua fieri soleat, id nobis in hoc denegari iniquum videtur. Nam quod negant quidam hoc sacrum nomen fas esse legi, hoc superstitioni Judaicæ relinquamus. Si enim Mosi scribere fas fuit, & nobis legere fas est. Neque enim scripsit non legenda. Qui autem dicunt hæc puncta vocalia, quibus notatur, non esse ejus propria, facilè refelluntur verbis indè deductis *Josaphat*, *Joram*, *Halelujah*, *Esaias*, &c. Quanquam nihil hoc refert. Neque enim verbi vis in Latino sermone sita est, quomodocunque efferas, neque in Hebræi sermonis punctis vocalibus, sed in etymologia, quæ manet eadem, utcunque pronuncies. Cæterum si quis hoc nomen reformidat, per me licet Judæos imitetur: & ubi *Jovam* inveniet, legat *Dominum*, sicut illi *Adonai*. Hoc quidem commoditatis habebit in translatione nostra quòd non dubitabit ubi *Jova*, ubi *Adonai* scriptum sit in Hebræo: quod faceret, si *Jovam* interpretati essemus *Dominum*.

6. *Exhalavit ex terra vapor*] Videlicet die tertio, cùm jussit Deus stirpes nasci.

16. *Eique ità præcepit*] Utrumque alloquitur. Nam & cap. 1. ubi res eadem breviter attingitur, dicitur Deus *eis*, non *ei*, esum permisisse stirpium. & cap. 3. Eva plurali numero dicit, Deus *nos* gustare vetuit. Quemadmodum Lotus respicere prohibetur, cùm tamen id ad uxorem quoque pertinere, pateat ex pœna. Est autem hic narrationis ordo: Adamum Deus finxit; deinde adductis ad eum bestiis, Evam formavit; postea eos in pomarium intromisit, ubi fructuum esum permisit. Quæ omnia die sexto facta sunt.

17. *Nam si ea vesceru*] ביום pro *si* ponitur, & alias sæpe, & 4 Ruth. & 2 Reg. 2.

23. *Os de ossibus, & caro de carne*] Poteram vertere (ut & primùm feceram) *membrum de membris, & corpus de corpore.* Nam עצם & בשר non semper *os* & *carnem*, sed sæpe *membrum* & *corpus* significant: ut Psal. 6. & 37. ubi dicit vates, se ossibus & animo ægrum esse. Neque enim ægrota sunt ossa, quæ cùm nervos non habeant, non sentiunt. Et in Levitic. sæpe jubet Deus homini *lavare carnem suam*, i. corpus. Quid illud quod verterunt, *Ossa mea sicut cremium aruerunt?* Nam membra morbo, non ossa, arescere dicuntur. Item, *Et exsultabunt ossa humiliata:* i. membris & corpore exsultabo. Jam mulier viri membrum, & corpus de viro sumptum rectè dicitur, quæ & integrum corpus est, & caput habet virum. Itaque Paulus 1 Cor. 6. sic interpretatur. nam & μέλη, hoc est, *membra*, vocat, quæ hic verbo עצם declarantur. & σῶμα & σάρκα idem vocat, ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, ἓν σῶμά ἐστιν. Ἔσονται γάρ, φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Quod ad verbum sic sonat, *Qui copulatur cum scorto, unum corpus est, Erunt enim, inquit, duo in carnem unam.* Sed quia ex osse, id est, ex costa facta est Eva, malui sic transferre.

23. *Hæc vocabitur mulier*] Hebraici verbi ea ratio est, quasi tu à *viro* dicas *viraginem*. Et paulo post quod *uxorem* vertimus, idem verbum est. Sed quia *mulier* pro *uxore* latinè dici non solet, cùm Hebræum verbum utriusque sit commune, alio nobis utendum fuit.

CLARIUS.

1. ORnatus eorum] In Hebræo est, *exercitus eorum.* sed interpres sensum transtulit: nam exercitus ille siderum est cœlorum ornatus.

2. *Et requievit*] More hominum Scriptura loquitur, perinde quasi Deus requiete egeat peracto suo opere.

3. *Quod creavit Deus ut faceret*] Omissis hoc loco anilibus Judæorum quorundam fabulis, de Faunis & Satyris, & hujusmodi, quos fingunt Deum vesperâ sabbati præventum non perfecisse, sunt qui bene interpretentur de vi quam Dominus rebus indidit in creatione, ut rerum species subinde conservarentur, & ipse à novis condendis abstineret.

4. *In die quo fecit Dominus Deus*] Hic primùm scribitur nomen Dei tetragrammaton, ut perfecto opere Dei, perfecta Dei appellatio adhibeatur.

5. *Antequam oriretur in terra*] Docet Divinam esse virtutem quæ producat omnia, cùm tunc sine imbribus & opere humano hæc omnia solo Dei jussu nascerentur.

6. *Vapor*] Chaldæus interpretatur *nubem*; quod tamen idem est.

7. *Et inspiravit in faciem ejus*] Ut hominis animam à reliquis distare significaretur. Nam reliquorum animantium animæ de materia eductæ sunt; idcirco dixit, *Producant aqua reptile animæ viventis*: & *Producat terra animam viventem:* at hominis anima foris inspirata est.

8. *Paradisum voluptatis à principio*] Vel, *in Eden ab Oriente.* Sunt enim qui *Eden* non pro voluptate, sed pro regione sic appellata accipiant, cujus mentionem facit Esaias cap. 37. in qua Dominus hortum amœnissimum & deliciis plenum plantavit, hominique ad inhabitandum, colendum & custodiendum tradidit.

9. *Lignum scientiæ boni & mali*] Non quòd illa arbor, quasi prædita ratione, haberet hanc vim, sed quia futurum erat, ut homo ex ea contra præceptum vescens, disceret non solùm

y Google

solùm quàm bonum esset parere mandatis Dei, verùm etiam quàm perniciosum contemnere.

11. *Phison*] Aliqui interpretantur Gangen, alii Nilum. Sicut etiam duplex est *Evilach*, una in Africa, quam putant Getuliam, alia in India. Sic *Gihon* quidam putant esse Nilum; alii fluvium esse contendunt in Mesopotamia, dicentes non hanc esse illam Æthiopiam sub Ægypto, sed aliam in Arabia: sicut & Madianitæ *Æthiopes* vocantur. Nam & apud Homerum duas Æthiopias reperies.

17. *Morte morieris*] Incipies eâ ipsâ die esse mortalis & corruptioni obnoxius, ut vita futura sit quædam prolixior mors.

18. *Adjutorium opportunum*] Hebraismus habet, *adjutorium quod sit coram eo.*

19. *Omne quod vocavit Adam*] Opinor ex hoc loco Platonem venisse in eam opinionem, ut diceret in libro de Recta nominum ratione, videri sibi eam naturam, quæ rebus nomina imposuerit, celsiorem fuisse hâc humanâ. Nam cum indidit Adam animantibus nomina, nondum legitur fuisse à sua præstantia lapsus. Impositio autem nominum significat, & quòd Adam naturas animantium perfectè calluerit, (nam id demum, aut potiùs id solum, proprium cujusque rei nomen est, quod illius naturam exprimit) & quòd ipsa animalia hominis imperio subjecta essent. Etenim imponere solemus nomina iis, quæ juris sunt nostri.

21. *Et replevit carnem pro ea*] Costâ osseâ ereptâ carnis mollitiem induit Adam: & ex mulierum consuetudine virilis constantia imminuitur.

22. *In mulierem*] Nomen mulieris apud Hebræos à viri nomine ducitur: Quam analogiam si nos sequeremur, à *viro vira* dicendum esset.

24. *Relinquet homo*] Hunc locum Apostolus de mysterio Christi & Ecclesiæ interpretatur, Ephes. 5. ¶ *Adhærebit uxori*] Lege Dei ac naturæ unus uni tantum copulandus uxori decernitur.

25. *Et non erubescebant*] Erat eis pro vestimento divina quædam gloria; cujusmodi & in resurrectione futura est.

DRUSIUS.

2. VEtus interpres, *Complevit Deus die septimo opus suum*] Si *complevit*, fecit opus. Nam completio operis est opus. Si fecit, ergo non quievit per totum illum diem. Falsum ergo quod sequitur, *quievitque die septimo ab omni opere quod fecerat.* Hunc nodum ità solverunt olim LXX. Senes, ut diem septimum mutarint in diem sextum καὶ συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Mentio hujus in Thalmude. Nam juris Ebraici prudentes id factum existimant de industria, ne gentes opinarentur Deum eo die aliquod opus fecisse. Quod verba Ebraica innuere videntur. Qua de re Hier. Quæst. in Gen. ita scibit, *Pro die sexta, quod in Græcis exemplaribus habetur, in Ebræo diem septimam habet. Arctabimus igitur Judæos, qui de otio sabbathi gloriantur, quod jam tunc in principio sabbathum dissolutum sit, dum Deus operatur in sabbatho complens opera sua in eo, & benedicens ipsi diei, quia in illo universa complevit.* Omnia hæc per se corruunt, imò in fumum abeunt, si legas, *compleverat die septimo.* Nam præteritum Ebræum tam reddi potest per plusquamperfectum, quàm aliter. Hoc notum ex Grammatica, cujus cognitionem multi levem indicant & probri loco nobis objiciunt, sed profectò levia hæc, si ignorentur, viris gravibus magnas tenebras offundunt. Sic est profectò, unum duntaxat præteritum habent Ebræi, quod pro cunctis ejus speciebus usurpatur. Itaque pro ratione loci & sensus debet reddi modò per imperfectum, modò per plusquamperfectum, & ita accipiendi sunt interpretes quando per præteritum perfectum illud exponunt, & sententia est vel de imperfecto, vel de plusquamperfecto, ut hoc loco.

6. וְאֵד יַעֲלֶה מִן הָאָרֶץ *Et vapor ascendebat è terra*] Prius erat, *sed fons ascendebat è terra.* Sic Græci quoque πηγὴ δ' ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς. Certum est fontem in ea lingua עין aut מעין dici. Hic autem est אד in Ebræo, quæ vox non fontem, sed vaporem designat. Aquila ἐπιβλυσμὸν reddidit. Theodoretus, *nullo hominum terram colente, neque cœlesti pluvia eam irrigante, irrigationis loco habebat vaporem, qui in terra remanserat post aquarum è terra separationem. Aquila namque vaporem pro fonte transtulit.* Eusebius quoque, teste Lippomanno, quendam Ebræum sibi retulisse ait, non fontem haberi Ebraicè, sed quoddam vaporis genus. Interpretes Chaldæi Onkelos & Jonathan ענן, i. *nubem* exponunt. Satis de voce. Sensum controversum faciunt nuperi translatores qui vertunt, *Nec vapor ascendebat è terra.* Quæramus unde hauserint? Deus novit Judæum illum; quem Aben Ezra laudat & הגאון vocat. Credo Saadiam innui, qui κατ' ἐξοχὴν *Haggaon*, i. *excellens doctor* cognominetur. Fuit autem ex illis doctoribus qui peculiariter *Gaonim* dicuntur. Is exponendum dicit hunc locum ita, *& vapor non ascendebat è terra.* Testis mihi ille, quem modo nominavi, Aben Ezra. Jam videmus unde hauserint Tremellius & Junius. Nam ab iis Galli acceperunt. Sed hi vulgatam versionem notarunt in *margine.* Sæpius hoc modo peccarunt interpretes illi. Ego sic censeo, ubi dubitatio est, nihil mutandum in textu. Dubitationem voco quando res certa non est. Nam tunc hæremus & dubitamus. Sanè quod Tremellius vertit, *aut vapor ullus ascenderat è terra*, nolim factum. Nam autoritas Saadiæ non est tanti. Adhæc dubito; an negatio repeti posset ab uno versu in alium? Quippe nullum exemplum occurrit. Quòd si dicas quandoque id fieri uno eodemque versu, nihil te hoc juvat. Probandum est versibus duobus: neque si probaveris, illicò sequitur quod vult Saadias. Alia ratio accedat oportet. Me quod attinet, ut hanc versionem non damno, ità veterem & usu receptam temerè mutandam esse non puto. Qui aliter sentit, fruatur per me judicio suo. Tantùm dico quid mihi videatur.

23. *Vocabitur virago*] Emendavi olim in Quæstionibus meis, *vocabitur vira.* Nam virago propriè γυνὴ ἀνδρεία. i. viro digna gerens, mulier fortis, quæ viro similis sit, & virilia opera faciat. LXX. κληθήσεται γυνή, *vocabitur mulier.* Nec hoc placet. Nam mulier nullam habet etymologiam cum viro, qui Ebraicè איש dicitur, unde אשה, ut à *viro vira.* Symmachus κληθήσεται ἀνδρίς pulchrè in Græco etymon expressit, si modò ἀνδρίς mulier. Nam non extat in Lexicis Græcis. Puto factum ab eo, imò efficium. Quod insolens non est in interpretibus illis. Ergo ἀνδρίς vira. Sic fœminas antiqui vocabant. Festus, *sed fœminas quas nunc dicimus, antiqui viras appellabant, unde adhuc permanent virgines & viragines.* Usus fuit hac voce Nicolaus, sed eam Latinam esse ignoravit. Quòd declarant hæc ipsius verba, *Vocabitur virago quia de viro sumpta est: ista est locutio impropria, quia virago non signat mulierem de viro sumptam vel derivatam, sed magis mulierem viriliter agentem: & ideo magis propriè diceretur vira, si sermo latinus pateretur. Ista autem derivatio magis apparet in Ebræo, ubi dicitur* ISSCHA, *i. mulier, quod nomen derivatur ab* ISCH, *quod signat virum.* Addam corollarii vel mantissæ loco ex Quæst. Hiero. *Theodotio aliam etymologiam suspicatus est dicens, hæc vocabitur assumptio, quia ex viro sumpta est. Potest quippe* ISSCHA *secundum varietatem accentuum & assumptio intelligi.* Opinor in Græco fuisse λῆμμα, & mox, pro *sumpta est*, ἐλήφθη. Nihil ineptius. Nam ut demus ISSCHA mulierem ita dici ἀπὸ τοῦ נשא λαμβάνω, sequitur ecce in textu Ebræo לקחה, quod est participium generis passivi non à נשא, unde ille אשה derivatum suspicatus est, sed à לקח accepit, tulit, sumpsit. Notum hoc pueris & iis qui leviter gustarunt has literas. Nec audio hîc Hiero. dicentem posse *Isscha* secundùm varietatem accentuum & assumptionem intelligi. Nulli enim sunt accentus, qui hic Hieronymo faveant, aut pro eo faciant.

25. *Adam & uxor ejus*] Quædam editiones, *homo & uxor ejus*; unde derisores μισόγυνοι colligunt fœminam non esse hominem. Hoc aliquo sensu verum est, & aliquo falsum. Verum est, si per hominem intelligas primum hominem, qui κατ' ἐξοχὴν האדם, ὁ ἄνθρωπος vocatur. Hic mas erat. Ergo, qui dicit, *fœmina non est homo*, dicit, *fœmina non est mas*: quo nihil verius. Falsum est, si de specie accipias. Siquidem fœminam hominem esse hoc sensu, si nihil aliud, docet locus qui habetur Gen. 1. 27. *Creavit Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei creavit eum: Marem & fœminam creavit eos.* Locus adeò clarus, perspicuus adeò, ut alio argumento ad hoc probandum non sit opus. Unum duntaxat addam. Vocatur אדם, homo non tantùm vir, sed etiam ipsa fœmina, & quidem sola, ut alias à me declaratum fuit exemplis aliquot.

IDEM.

6. וְאֵד יַעֲלֶה מִן־הָאָרֶץ וְהִשְׁקָה אֶת־כָּל־פְּנֵי־הָאֲדָמָה *Et vapor ascendebat è terra, & irrigabat omnem superficiem terræ.* Versum hunc Aquila quondam ita transtulit. καὶ ἐπιβλυσμὸς ἀνέβη ἐκ τῆς γῆς, καὶ ἐπότισε πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς χθονός. *Et scatebra sive scaturigo ascendet è terra, & irrigavit universam faciem terræ.* Descripsi ex editione Romana. Nam in Theo-

Theodoreto; unde Romanenses descripserunt, habetur hodie ἐπιφλυγμός:

Locus est Quæst. 22. Priùs erat πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν. i. ואד Non celabo te, lector quisquis es, quicquam. Saadias Hebræus præter alios omnes hîc repetit negationem ex versu qui antecedit, & legit, *nec vapor ascendebat.* Quod notavit Aben Melech: & quanquam exemplo caret hujusmodi repetitio ex uno versu in alium, tamen Aben Melechus eam probare videtur. An quia antè distincta per capita & versus Biblia, lex tota unus tantùm versus erat? videtur. Abenezra, *Hagaon dicit vertendum esse, Et vapor non ascendebat e terrâ.* Quis Hagaon iste? haut dubie Saadias, qui sic cognominabatur propter excellentiam doctrinæ. David Camius in libro Radicum, *Doctor noster Saadias piæ memoriæ exposuit, Et non vapor. Dictio* אין *non, servit pro duobus: & sic exponit, non erat initio mundi neque homo qui seminaret, neque vapor qui ascenderet: sed creavit Deus, qui benedictus est in decretis suis, omnia bona & apta. Cæterùm hæc interpretatio recta est præ omnibus aliis quas adducunt interpretes.* Sic ille: persuasit aliis, non mihi. Quippe durum est repetere negationem ab alio versu. Possum falli: homo enim sum; nam sunt quæ me fugiunt. Ut ut sit, ubi commoda sententia, quid necesse aliquid subaudire? Omitto antiquitatem quæ hic nullam negationem agnoscit, ab ea temere discedendum non est.

Ἐπιφλυγμὸς] In editione Romana ἐπιβλυγμός: & mox ἐπόνεσε pro ἐπίνευεν. Sed hoc leve. Reperio & ἐπιβλυσμὸς, videlicet Prov. 1. 26. in edit. Aquilæ, ubi similiter איד in Hebræo. Utra scriptura melior ac verior sit, aliis dijudicandum relinquo. Ἐπιβλυγμὸς possit reddi *scatebra.* Nam βλύζω scaturio. In edit. Rom. latina redditur, *scaturigo abundans.* Ἐπιφλυγμὸς autem videtur esse eruptio, à φλύω, bullio, ebullio, erumpo. Cæterùm איד ἐπιβλυσμὸν interpretatur Symmachus Job. 30. 12. Nam ubi Senes habent τρίβους ἀπωλείας, ex ipsius editione citatum invenio, ἐπιβλυσμοῦ.

באפיו *In nares ejus.* A. & Sym. μυκτῆρας.

Μυκτῆρας] εἰς τὸν μυκτῆρας αὐτοῦ, in nasum ejus: vel si mavis, in nares ejus, μυκτὴρ enim utrumque significat. Est sanè μυκτὴρ tam naris quàm nasus. Alioqui *in nares ejus*, potiùs diceretur, εἰς μυκτῆρας αὐτοῦ. Quomodo dictos interpretes edidisse putârim. Sed non affirmo hoc tamen.

8\. גן־בעדן *Hortus in Eden.* Symmach. *paradisum florentem.*

Hieron. Quæst. in Genesin, *Pro paradiso in Hebræo hortum habet.* i. גן. *Porrò Eden deliciæ interpretantur, pro quo Symmachus transtulit, paradisum florentem.* Priùs erat, παράδεισον ἐν Ἐδέν. interpretatio in omnes partes melior.

מקדם *ab oriente.*] Aq. ἀπὸ ἀρχῆς. Sym. ἐκ πρώτης. Theodot. ἐν πρώτοις.

Idem ibidem, *Quod in Hebræo* מקדם *scribitur, Aquila posuit* ἀπὸ ἀρχῆς*: id nos ab exordio possumus dicere: Symmachus vero* ἐκ πρώτης, *& Theod.* ἐν πρώτοις*: quod & ipsum non orientem, sed principium significat. Ex quo manifestissimè comprobatur, quòd prinsquam cælum & terram Deus faceret, paradisum antè condiderat, sicut & legitur in Hebræo, Plantaverat autem Deus paradisum in Eden à principio.*

Ἀπὸ ἀρχῆς] Æmulatus est vetus interpres, referens *à principio:* & est sensus, à principio mundi conditi. Nam quod Hieron. inde colligit, parùm solidum est. Sic קדם sumitur Psal. 55. 20. in edit. Hieron. *qui judex est ab initio.* Sic Satan dicitur fuisse calumniator ἀπὸ ἀρχῆς. Hodiè legunt, *ab oriente*, & meliùs, meo judicio.

Ἐκ πρώτης] subintelligendum putârim ἀρχῆς, aut aliquid tale. In Notis ad edit. Rom. Lat. *Aquila* ἀπ' ἀρχῆς. *ab exordio, ut vertit S. Hieron. Sym.* ἐκ πρώτης *à prima: Theodotio,* ἐν πρώτοις, *in primis.* Jonathan hic habet, *ante creatum mundum.* Onkelos autem מלקדמין quod Fagius reddit, *anteà:* & explicat, *antequam hominem formasset.* Idem Onkelos בראשית interpretatur בקדמין quasi dicas ἐν πρώτοις, quod Jonathan dixit מן אולא à principio.

12\. הבדלח βδέλλιον: *Bdellium.*

Sic etiam interpres vetus. Legitur hoc nomen & Num. 11. 7. quem locum Josephus enarrans, ὅμοιον, inquit, τῇ τῶν ἀρωμάτων βδέλλῃ. Reperio & βδέλλα, quæ vox propiùs accedit ad vocabulum Hebraicum. Est quoque bdellius lapis, cujus meminit Benjamin in Itinerario, *Hinc nave conscensa decem diebus in Kathipham sum devectus, ubi Israelitarum quinque millia sunt: hoc loco bdellius lapis invenitur, miro naturæ opere confectus. Quippe 24. mensis Nisan ros in aquas quidam decidit, quem collectum incolæ involvunt & conclusum in mare conjiciunt sua sponte demergendum ad fundum usque maris. Medio autem Thisri duo homines funibus in mare ad fundum usque demissi reptilia quædam collecta in auras deferunt: è quibus fossis & ruptis lapides illi proferuntur.* De bdellio Serapio Arabs lib. Aggregat. cap. 294. *Bdellium Judaicum est gummi arboris, quæ nascitur in terris Arabum, & melius ex eo est illud quod est odoris boni, tenax interius cita dissolutionis, ad albedinem declinans, non habens in se ligna neque sordities aliquas, & quando fit fumigium cum eo, profert odorem bonum similem odori blattæ Bizantiæ, &c.* Hieron. in Quæstionibus, *Pro carbunculo & lapide prasino, bdellion & onyx alii transtulerunt.*

Sunt qui בדלח chrystallum interpretantur, in queis David de Pomis sive Pomariis. Videndus quoque Dioscorides.

השהם Aq. σαρδόνυξ, *Sardonyx.* Sym. & Theod. ὄνυξ, *Onyx.*

Σαρδόνυξ] Sic etiam Josephus vertit. Colligo ex his verbis Hieron. de vestitu sacerdotali, שהם *Josephus sardonychas vocat cum Hebræo Aquilaque consentiens, ut vel colorem lapidum vel patriam demonstraret.*

Ὄνυξ] *Lapis onychinus*, interpres vetus. Hieron. de veste sacerdotali, שהם *ab Aquila, Symmacho & Theodotione Onychini, à LXX. Smaragdi transferuntur.* Puto legendum *ab Aquila Sardonyches: à Symmacho*, &c. In hac opinione me confirmant verba illa quæ modò produxi, *Josephus Sardonychas vocat cum Hebræo Aquilaque consentiens.* Imò tollunt omnem omnino dubitationem, nisi fortè in uno loco vertit, *onychinus*, & in altero *sardonyx.* Ut שהם, ità etiam בדלח Hebræi recensent inter genera lapidum: unde forsan bdellius lapis de quo suprà. Porrò βδέλλιον non lapis gemmave, sed arbor est aut lachryma ejus nominis.

15\. בגן־עדן *In horto Eden.* Sym. ἐν παραδείσῳ τῆς ἄλσης.

Sic habetur in editione Rom. Apud Hieron. est, ἐν τῷ παραδείσῳ, cum articulo, i. בגן. Verba sunt, *Symmachus, qui paradisum paulo antè florentem transtulerat, hic posuit,* ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς ἄλσης, *quod & ipsum amœnitatem & delicias sonat.*

Ἄλσης] Suspectum mihi de mendo. Quid si ἀλσοσύνης? Lexicon Hesychii ἀλσοσύνη, ἡδονή. H. Stephanus scribit ἁλοσύνα, cum spiritu aspero. Ἄλση quid sit adhuc quæro? An in mente habuit ἄλσος? id sig. lucum. Hesychius, ἄλσος, σύνδενδρος τόπος, locus arboribus consitus.

17\. לא תאכל ממנו Sym. *Non comedes ex eo.*

Priùs erat, *non comedetis*, οὐ φάγεσθε. Mutavit ergo numerum. Sic mox, *Quâ die manducaveris ex eo, mortalis eris.* Quod notavit Ambrosius de Paradiso, cap. v. Vide, si vacat. Ego parum referre puto hoc an illud legas. Nam אדם, quem hic alloquitur, utrunque sexum comprehendit.

כי ביום אכלך ממנו מות תמות Sym. ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, θνητὸς ἔσῃ: *quo autem die comederis ex eo, mortalis eris.*

Hieron. Quæst. in Gen. *In quacunque autem die comederis ex eo, morte morieris. Melius interpretatus est Symmachus, dicens, mortalis eris.* Quare meliùs? Nam verba Hebræa hoc non significant. Quid igitur? *moriendo morieris*, hoc est, certò & indubitanter morieris. Ità est profectò: mortuus est simul ac peccavit, si non morte naturali, quæ post secuta est, at morte peccatorum & calamitatum. Vita enim misera, qualis hæc nostra est, non vita est, sed mors, & tunc incipit homo mori quando nascitur. Scitè vir doctus, *Incipimus enim, si forte nescis, tum mori cùm primùm incipimus vivere, & mors cum vita protenditur, tuncque primùm desinimus mori cùm à corpore mortis hujus per carnis mortem absolvimur.* Picus Mirandula de Ente & Uno.

21\. תרדמה *Soporem.* Aq. καταφορὰν. Sym. κάρον.

Hieron, *Pro ecstasi, i. mentis excessu, in Hebræo habetur* תרדמה, *quod Aquila* καταφορὰν, *Symmachus,* κάρον, *i. gravem & profundum soporem interpretati sunt.*

Καταφορὰν] Sic reddit idem vocabulum Jesa. 29. 10. & Proverb. 19. 15. Symmachus mutat. Nam est ubi ἔκστασιν edidit cum Theodotione, videlicet in loco Proverbiorum modò allegato.

Κάρον] i. Soporem, propriè soporem cum gravedine significat: sed usurpatur pro sopore simpliciter, ut תרדמה in lingua Hebræorum. Plutarchus in Antonio de Cleopatra, καὶ

 μέσον

μόνον ἔνεγκε τὸ δῆγμα τῆ ἀσπίδος ἄνδω σπασμοῦ κάρον ὑπνοίδη καὶ καταφορὰν ἐφελκόμενον. Hic simul nominat *κάρον* & *καταφοράν.*

23. זאת הפעם עצם מעצמי Sym. & Th. *τοῦτο ἅπαξ ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν μου: Hoc semel os ex ossibus meis.*

Ἅπαξ] Procopius, *Sym. & Theod. pro nunc posuere semel, dictionem nunc per semel interpretantes.*

לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה זאת Sym. *αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη. Ipsa vocabitur vira, quoniam ex viro suo sumpta est ipsa.* Th. *Hæc vocabitur assumptio, quia ex viro sumpta est.*

Ἀνδρίς] Nomen effictum à Symmacho, ut apparet. Ut à viro vira, & ab איש est אשה: sic *ἀνδρὶς* dicitur *ἀπὸ τοῦ ἀνδρός*, quæ vulgò *γυνὴ* appellatur.

Ἀνδρὸς αὐτῆς] Pronomen redundat, nec est in Hebræo, nec in versione Latina Hieronymi, cujus verba fidei meæ causâ nunc adscribam, *Symmachus pulchrè etymologiam etiam in Græco voluit custodire, dicens, αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς, &c. Quod nos Latinè possumus dicere, Hæc vocabitur virago, quia ex viro sumpta est.*

Assumptio] *λῆμμα* fortè, & אשה tanquam à נשא *ἔλαβεν*, assumpsit. Longè petitum. Vehementer improbo. Hieron. *Porrò Theodotio aliam etymologiam suspicatus est, dicens, Hæc vocabitur assumptio, quia ex viro sumpta est. Potest quippe* ISSCHA *secundum varietatem accentus & assumptio intelligi.* Ego non video qua ratione אשה, salvo Mosis etymo, possit deduci à נשא, aut assumptio intelligi, quocunque accentu legatur. Viderit ergo qui hoc scripsit. Sæpe in eo desidero judicium, cujus inopiâ mutavit priscam interpretationem τῆ *ἑβδομήκοντα* non semel. Nam certè מקדם optimè redditur, *ab oriente*, ubi paradisus erat in Eden. Eden enim in oriente. At ipse maluit *à principio*, & ut error errorem trahit, ità mala versio pertaxit eum in opinionem erroneam, quam suprà notavi. Legendus ergo circumspectè & cum judicio, ut omnia Patrum scripta.

NOTÆ MAJORES.

1. *Igitur perfecti sunt cæli & terra & omnis exercitus eorum.*

Perfecti sunt] Absoluti, completi, consummati, ad finem perducti sunt. q. d. opus creationis universum his sex diebus peractum & absolutum fuit. Sic est profectò. Deus postea nihil novi condidit. ¶ *Cæli*] vel *cælum.* sic Græci *ὁ οὐρανός.* ¶ *Et terra*] latè sumendum ut etiam mare contineat, in quo pisces, qui sub exercitu terræ comprehenduntur. ¶ *Omnis exercitus eorum*] *πᾶσαι αἱ στρατιαὶ αὐτῶν*, vel si mavis, *πάντα τὰ στρατεύματα αὐτῶν.* צבא interpretante Aquila, est *στρατιὰ* i. exercitus vel copiæ militares. *δυνάμεις* Lxx. vocant. Latini malè virtutes reddiderunt. Nam virtus pro exercitu non ponitur quod sciam. *Δύναμις* autem exercitum denotare notius est quam ut probari debeat. Chaldæi חילין dicunt, vel חילן quod est plurale fœmininum. Illo usus est Onkelos: isto Jonathan. Est autem חילא proprie *δύναμις* i. חיל potentia, exercitus. LXX. hîc *πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν*: quos sequendo Hieron. vertit olim, *Et omnis ornatus eorum.* Quid viderunt cum ita verterent? Nam צבא non significat unquam ornatum. An satis illis quod sensum aliquomodo expresserint, quem si secuti sunt, assecutos esse negare non possumus, nos præsertim, qui scimus exercitus cœli & terræ nihil fere aliud esse quam ornatum eorum, cujusmodi in cœlo sunt, Sol, Luna & stellæ; in terra animalia & plantæ: in mari, quod sub terra contineri diximus, pisces.

2. *Perfecerat enim Deus die septimo suum opus quod fecerat, quievitque die septimo ab omni opere suo quod fecerat.*

Perfecerat enim] ויכל *& compleverat*, ita vertendum non ut translatio nostra habet, *& complevit.* Nam si complevit opus suum, igitur operatus est. Completio enim operis est opus. Quod pugnat cum eo quod statim sequitur, *& cessavit* (*sive quievit*) *die septimo.* Ideo Græci diem septimum cum sexto commutarunt, cujus & alibi meminimus. Vide Quæsita mea. Hic enim certe legunt, *καὶ συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ.* Hic mirum in modum se torquent interpretes: sed frustra. Notum ut præteritum perfectum ponatur pro præterito plusquamperfecto. Hoc jam ipsi pueri sciunt. Grammatica hæc solutio solida est. Cave spernas. nec te moveat Hieron. Quæstion. in Genesin, ita scribens, *Juxta græca exemplaria* &c. ut suprà. Quod Hier. hic affirmat, alii Theologi constanter negant; & bene negant. Nam si quievit die septimo, utique non fecit opus. Violat quoque sabbathum qui aliqua parte illius diei in opere est. Non est necesse ut totum diem in opere faciendo consumat. ¶ *Opus suum*] מלאכתו *τὸ ἔργον αὐτοῦ* i. opera sua. Quod Lxx. ediderunt sensum reddentes. Nam qui suspicatur eos legisse מלאכות numero plurali, sciat in Ebræo esse מלאכתו & non מלאכותו i. e. *τὰ ἔργα αὐτοῦ.* ¶ *Quod fecerat*] Ita Hieron. prius erat in Lxx. *ἃ ἐποίησε*, *quæ fecit.* Est ergo enallage præteriti. Unum pro altero ponitur, hoc est, perfectum pro plusquamperfecto. Et *fecerat*, non *creaverat.* Nam qui prius dicit, posterius intelligit. Qui enim cœlum & terram fecit, primum ea creavit ex nihilo. ¶ *Quievitque*] vel, *cessavitque.* Sed *quievit* magis implet aures meas. Verbum Ebræum שבת utrumque significat. Cessavit ut Jos. 5. 12. Tob. 32. 1. & alibi. Quievit ut Levit. 26. 34. & hic. Sane Græci interpretantur *κατέπαυσε*, & Hieron. noster, *requievit.* Cui firmando est quod in decalogo legimus וינח, & alias וינפש recreatus sive refocillatus est. Quod humano more dictum. Nam in Deum non cadit lassitudo aut defatigatio. Huc facit sabbathi nomen quod interpretantur *ἀνάπαυσιν* sive quietem (*ἀνάπαυσις*, requies ab opere, intermissio à labore) Joseph. Orig. l. 1. cap. 2. Psalm. 2. Philo in 2. allegor. Leg. & in Lib. nomin. Rursum Josephus in altero contra Appionem. Eusebius *προπαρασκευ.* Lib. 13. Hier. in nom. ex episto. ad Corinthios & alii. Postremo locum hunc ita citat Apostolus Ebræo. 4. 4. *καὶ κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ: & requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.* vide sequentia. ¶ *Quod fecerat*] Hieron. *quod patrarat.* Sic Plautus, *Te quoque ipsum haud faciam magni, si hoc patro*, i. facio aut perficio.

3. *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum, quia in eo quieverat ab omni opere suo quod creaverat Deus faciendo.*

Benedixit diei septimo] Qui ante homini benedixerat, nunc benedicit diei septimo, haud dubie propter hominem, quem rebus divinis vacare illo die præcipuè voluit. Et *benedixit*, id est, *εὐλόγησεν*, quod idem ferè cum eo quod sequitur *ἡγίασεν.* Sic dicimus benedicere mensæ & consecrare mensam pro eodem. Sic *poculum cui benedicimus* 1 Corinth. 10. 16. vult dicere, quod consecramus, sive, ut Oecumenius explicat *ὃ εὐλογοῦντες καλλωπίζομεν* i. cum laude & gratiarum actione adornamus. Benedixit ergo i. sanctificavit: aut beavit & felicitavit eum i. faustum ac felicem fecit, quem ea prærogativa ornavit ut præ cæteris quieti hominum & cultui divino esset consecratus ac devotus. ¶ *Et sanctificavit illum*] segregavit ab aliis diebus hebdomadæ & divino cultui peculiariter mancipavit. Sic dico, voluit ut pro die sacro haberetur, divinis nimirum usibus consecratus. Ut hic, *sanctificare diem septimum*: Sic Matth. 23. 17. *sanctificare aurum.* Nam sanctificat aurum, qui Deo illud consecrat. Deo autem consecrat, qui ad res divinas eo utitur, sive qui in sacra impendit. Ceterum *ἡγίασεν*, quod in editione τῶν ό. Theodoretus explicat *ἀφώρισεν* i. separavit, segregavit, *τὸ μὲν*, inquit, *ἡγίασεν αὐτὴν, ἀντὶ τοῦ ἀφώρισεν τέθεικε.* ¶ *Quieverat*] vel, *cessaverat.* Quies enim in his locis aliud nihil est quam cessatio ab opere, *ἢ ἀνάπαυσις* i. intermissio laboris. Quod autem Hiscuni & alii negant שבת quietem denotare, iis cum alii adversantur, tum interpretes Chaldæi Onkelos & Jonathan. Ambo enim hic & supra interpretantur verbo, נח, id est, quiesco, requiesco, *ἡσυχάζω.* ¶ *Quod creaverat faciendo*] pro eo habendum ac si dixisset, quod creaverat & fecerat: primum creaverat, deinde fecerat. nam facere est aptare, ornare, expolire, absolvere. Quidam explicant, quod creaverat die primo, & fecerat diebus aliis: sed an rectè, viderint. Nam aliis quoque diebus creaverat, ut quinto cetos, & sexto hominem.

4. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die qua fecit* DOMINUS *Deus terram & cælum.*

Istæ sunt generationes cæli & terræ] generationes i. natales, origines: aut hoc vult, Istæ sunt res quas cœlum & terra genuerunt, ut verbi gratia generationes cœli sunt expansio, sol, luna, stellæ &c. generationes terræ, animalia & plantæ: item pisces, qui in mari, quod sub terra contineri diximus: hanc expositionem firmat lectio quorundam codicum Græcorum quem secutus est Augustinus 2. de Gen. contra Manich. cap. 1: & 5. de Gen. ad Litt. cap. item primo, *Hic est liber creaturæ* (alias facturæ) *cæli & terræ.* Creaturæ, id est, *κτίσεως*: facturæ i. *ποιήσεως.* Sciendum autem in Lxx. nunc esse, consentientibus libris, quos vidi, *αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς: Hic est liber generationis cæli & terræ.* Liber i. recensio, catalogus, ut, *liber generationis Adam* Gen. 5. 1. *liber generationis Jesu Christi filii Dei* Matth. 1. 1. Hinc forte inscriptio Græca hujus libri, quem Genesin vocant, quod in eo *γενέσεις οὐρανοῦ καὶ γῆς* commemorentur, & exponantur. ¶ *Quando creata sunt*] cœlum ac terra videlicet. Alii, *quando creata sunt*: & generationes subintelligunt. minus placet. Quod autem

autem in Lxx. ὅτε ἐγένετο, male reddunt, meo judicio, *quando factum eſt.* reddi debet, *quando facta ſunt.* Facta autem dicit pro creata, ut cap. 1. ver. 1. *In principio fecit Deus cælum & terram.* Quanquam ibi ἐποίησε. nam ἐγένετο ambiguum eſt ad *facta ſunt & fuerunt.* In Ebræo nulla hujuſmodi ambiguitas. ¶ *In die qua*] prius erat, *in die quo.* id mutavi duabis de cauſſis. Primum ut loco moverem lapidem ad quem multi offenderunt, qui putant hic ſermonem eſſe de uno die ſingulari. deinde quia nomen *dies*, quando tempus denotat, fœmininum eſt: inde & diecula pro exiguo tempore. Ergo in die qua i. in tempore quo, ſive quo tempore. Quod in nonnullis editionibus. Sign. autem totum tempus creationis. ¶ *Fecit terram & cælum*] Supra, *creavit cælum & terram.* Cur mutat ordinem? An quia prius terram plantis ornaverat? Sane עשה ornare & aptare ſignificat. i. תקן. In Thanchuma ſive Ilmedenu (commentarius eſt antiquus in Geneſin, quem domi habeo) *In creatione præceſſit cælum, ſed in factura & aptatione terra.* In aptatione i. בתקון. Interpretamentum ejus quod expreſſit בעשיה in factura. Hiſcuni, *Verbum* עשה *in opere creationis ſignificationem habet* תקן i. *aptandi & ornandi, expoliendi.* ¶ DOMINUS *Deus*] יְהוָה אֱלֹהִים quod legunt Jehova Elohim. male. legi debet *Adonai* Elohim: & eſt nomen, ut ajunt, plenum atque abſolutum. Quocirca eo utitur primum poſt abſoluta opera creationis. Quod notatum in commentariis Ebræorum. Eſt & illud notatum, Elohim, inquiunt, nomen eſt judicii: Adonai, clementiæ. Creavit mundum in judicio. Non vidit poſſe ita ſubſiſtere. Itaque adjecit miſericordiam ſive clementiam: Quæ neceſſaria erat ad conſervandum mundum jam creatum & abſolutum. Hæc Rabbini. Dixi malè legi hodie יְהוָה Jehova. nam apices illi ſunt nominis Adonai. יהוה non habet proprios apices. Ideo vera & genuina lectio nobis ignota eſt. Si divinare liceret, divinarem antiquos legiſſe יַהְוֶה vel יַהְוֹה quod non longè abit à lectione Samaritanorum, qui יַהְוֶה Jave pronuntiabant, e pro a legentes, contra quam fit in Malchi-ſedec & Melchi-ſedec. Nam Ebræi nunc legunt Malchiſedec: veteres autem legebant Melchiſedec, ut liquet ex editionibus illorum. Lectio iſta Samaritanorum extat apud Theodoretum. nam alii Javo legebant i. יַהְוֹ quod Græci, qui vau conſonante carent, ἰαὼ & ſcribunt & pronuntiant. Dicebant etiam ἰεουὰ i. יֶהְוֹ Jevo. Appellatio ab הָיָה fuit. nam ſignificat puram Dei eſſentiam. Quam Plato innuere volens Deum vocat τὸ ὂν & ὄντως τὸ ὄν. nam ſolus verè eſt. Eſt enim ſolus æternus. Qui ab הוה deducunt, indigni ſunt quibus reſpondeatur. De punctatione hujus nominis compoſui librum ſingularem, quem his diebus miſi ad Joh. Utenbogardum virum, ut dicam quod res eſt, optimè de me, optimè de Eccleſia meritum. Deus illi gratiam referat. Nam ego qui poſſum, cui pulices & pediculi nullam ad hoc quietem concedunt? Cibi, potus, ſomni, omnium rerum ſatietas eſt: deberet etiam eſſe τῆς συκοφαντικῆς. In qua arte quo quis magis excellit, eo magis refert communem generis humani hoſtem diabolum, qui nomen habet non à ſcorto, non à temeto, non à furto, non ab homicidio; ſed ἀπὸ τοῦ, quo unicè iſti delectantur, διαβάλλεσθαι.

5. *Et omne virgultum agri antequam eſſet in terra, omnemque herbam agri priuſquam germinaret: non enim pluerat DOMINUS Deus ſuper terram, nec homo erat ad colendum terram.*

Omne virgultum agri] כל שיח השדה *omne virgultum agri.* Ita Hier. Santes & alii. Malim, *omnem fruticem*, vel certe, *omnem arborem agri.* Nam ab herba hoc loco diſtinguitur. Jonathan certe & Onkelos כל אילני חקלא *omnes arbores agri.* Frutex inter arborem & herbam medius eſt. non eſt arbor, quia non aſſurgit ad magnitudinem arboris: non eſt herba quia non demoritur neque areſcit ut herba. Ceterum arbor uſitatè עץ dicitur. Lxx. πᾶν χλωρὸν ἀγροῦ כל ירק השדה quicquid viret in agro. Munſterus, *omnem plantulam agri.* Alius, *nulla adhuc in terris planta.* Hæc interpretatio nimium generalis eſt. nam etiam herbam comprehendit, à qua שיח hoc loco manifeſtè diſtinguitur. Tremellius, *& omnis ſtirpis agri quæ nondum fuerat.* Hic duo notanda. Primum שיח ſtirpem reddit. Deinde ſubaudit ἀπὸ κοινοῦ nomen תולדות, id eſt, generationes, ut dicat, *iſta ſunt generationes omnis ſtirpis agri.* Stirps alio nomine truncus appellatur, & eſt firmiſſima pars arboris. שיח aliud ſignificat, ut diximus. R. David in libro ubi vocum ſenſa collegit, שיח *modo herbam modo arbores denotat.* Gloſſarius Philonis, Seon, *germen inutile.* שיח germen. און inutile i. ἀνωφελής. Orig. hom. 12. in Num. *Seon duplicem habet interpretationem, ſive arbor infructuoſa ſive elata.* שיח arbor: און inutile, infructuoſum. ¶ *Antequam eſſet in terra*] Quidam ita conſtruunt, *Antequam eſſet ullum virgultum agri in terra, & priuſquam germinaret illa herba agri &c.* Pro *antequam eſſet* Hiero. edidit, *antequam oriretur.* Trem. *quæ nondum fuerat* טרם יהיה עד לא היה Lxx. πρὸ τοῦ γενέσθαι ἐπὶ τῆς γῆς. Onkelos, עד לא הוו donec non eſſent. Jonathan עד כדו לא הוו antequam eſſent: Ad verb. *donec non eſſent.* Nam idem dicit cum Onkelo. Munſterus Onkelum aliter intellexit, *Onkelos*, inquit, טרם *pro* עד לא *exponit, Adhuc non erant germina in terra niſi tenera ex radice nata.* Sic etiam Fagius, qui tamen nos admonet de alia interpretatione, quam ipſe probabiliorem eſſe putat. Vide doctiſſimas ejus Annotationes in Thargum illud. Ceterum Tremellii verſionem comprobat Maſius Comment. in Joſuam cap. 2. 8. ita ſcribens, "*Voculam* טרם *interpretatus ſum* nondum. Sic enim ſæpe uſurpatur, præſertim cum verbo temporis futuri conſtructum ut Gen. 2. 5. *Et nulla planta agri adhuc erat in terra: nec ulla herba agri adhuc germinabat.* Et 1 Reg. 3. 7. *Et Samuel nondum agnoſcebat* DOMINUM*: neque adhuc patefactum ei fuerat verbum Domini. ceteroqui reddi ſolet priuſquam, vel Græcè πρὶν ἤ.* Ego cauſſam nullam video cur in dictis locis non poſſit etiam reddi per *antequam* ſive *priuſquam.* Sic Exod. 10. 7. הֲטֶרֶם תֵּדַע ubi Aquila, ἆρα οὔπω οἶδας: profectò nondum ſcis, Samariticum habet πρὶν γνῷς, antequam cognoſcas. Onkelos, *An hucuſque ignoras?* Puto reddi poſſe; *An priuſquam cognoſcas periit Ægyptus?* ſed non improbo, *An nondum ſcis quod perit Ægyptus?* R. David, *An priuſquam dimittas eos ſcire vis & ipſa experientia magiſtra cognoſcere, quod periit Ægyptus?* non diſplicet. ¶ *Herbam agri*] i. agreſtem. Sic *virgultum agri* i. agreſte, ſive quod in agris naſcitur. Nam quod in hortis provenit, hortenſe dicitur. Sic *herba horti* i. hortenſis: עשב גן. ¶ *Priuſquam germinaret*] Interpretatio hæc Hieronymi eſt. Santes vertit, *antequam oriretur*; Olim Lxx. ediderant πρὸ τοῦ ἀνατεῖλαι, antequam exoriretur ſeu exortum eſſet: צמח germino. Idem ἀνατέλλω: unde ἀνατολὴ germen i. צמח. Vulgo reddunt, *oriens ex alto*, quod in fonte, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Id hinc intelligentiam habet. nam in Ebræo צמח ממרום. ergò ἀνατολὴ germen: & per conſequens, ἀνατέλλω, germino. Igitur πρὸ τοῦ ἀνατεῖλαι, antequam germinaret. Onkelos עד לא צמח donec non germinaret. ¶ *Non enim pluerat*] οὐ γὰρ ἔβρεξεν. Hiero. Lxx. Sic Amos 4. 7. והמטרתי Hiero. *& plui.* Lxx. καὶ βρέξω & Job. 20. 23. וימטר Hiero. *pluet.* Sym. βρέξει. Tribuitur etiam nubibus Jeſ. 5. 7. *Et nubibus mandabo,* מהמטיר *ne pluant.* Quod diligenter notandum. nam Santes & alii hoc loco habent, *pluere fecit.* Cave ſequaris. Deus quidem facit ut nubes & cœlum pluant: ſed verbum המטיר ita non ſignificat. nam ſi hoc ſignificaret, non diceretur de nubibus. ¶ *Ad colendum terram*] vel, *qui coleret humum*, i. אדמה, unde Adam dictus. Sic homo ab humo, ut placet Grammaticis, licet eam etymologiam irrideat Quintilianus lib 1. cap. 6. *Etiamne hominem appellari quia ſit humo natus? quaſi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen impoſuerint terræ quam ſibi.*

6. *Et vapor aſcendebat è terra, qui rigabat omnem ſuperficiem terræ.*

Et vapor] *Sed vapor*, ut Vau ſit adverſativa. Ita Hieron. Idem pro vapore *fontem* poſuit, nempe quia in Græcis πηγὴ legerat. Mirum eſt quam hæc verſio torſerit interpretes. Profecto verum illud eſt: Mala grammatica facit malum Theologum. Fons מעין dicitur. אד aliud eſt. Onkelos, Jonathan, R. David, *nubem* interpretantur. Abenezra & Hiſcuni *fumum.* Nam עשן fumus. Sic loquendo nebulam intelligunt, quæ vernacule *bruine* ſive *brouee.* Nebula raro gignit aquam: ideo prætuli vaporem. ¶ *Aſcendebat*] vel *aſcendere faciebat*, nempe Deus. Senſus eſt, Deus faciebat, ut aſcenderet vapor qui univerſam terram irrigabat. Notatum hoc in Hiſcuni. Ne ſperne. ¶ *Qui rigabat*] וְהִשְׁקָה & irrigabat. *Et* pro *qui* i. אשר notius eſt quam ut hic probari debeat. Vide libellos meos Grammaticos de literis ſervilibus. Sunt qui prætulerunt, *ut irrigaret* להשקות. Hier. *irrigans.* Aquila, καὶ ἐπότισε: & *irrigavit.* Lxx. vero ἐπότιζε: *irrigabat.* Nam ποτίζω, rigo, irrigo, ut 1 Corinth: 3. ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν. *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Proprie potum præbeo. Idem השקה ſig.

7. *Finxerat autem* DOMINUS *Deus hominem pulverem è terra, & inſpiravit in nares ejus ſpiraculum vitæ: ita fuit homo anima vivens.*

Finxerat autem] וייצר Lxx. καὶ ἔπλασεν & *finxit*: Hiero. *formaverat igitur.* Quod certa de cauſſa rejeci. יצר fingo, figuli more formo i. πλάσσω ſive πλάττω: unde יוצר πλάστης i. fictor, & יצר πλάσμα i. figmentum. Onkelos & Jonathan וברא *creaverat autem.* Confundunt יצר fingo cum ברא creo:

quæ

quæ tamen interpretes distinguunt supra 1. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* ¶ *DOMINO*] scripsi majusculis literis, quod semper facturus sum post hac quando in fonte erit nomen tetragrammaton, quod vocant. ¶ *Hominem*] Corpus hominis. Qua ratione & γηγενὴς dicitur, i. terrigena sive terra genitus. ¶ *Pulverem è terra*] Lxx. χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς. id reddunt, *pulverem de terra*: alii, *limum de terra*. Α'χοῦς est χοϊκὸς, id est, terreus vel limaceus. Tertul. de resurrect. carnis, cap. 49. *Primus homo de terra choicus* i. limaceus. Suidas χοϊκὸς, γήϊνος, πήλινος. Sic etiam Hesychius. Quo respexit Nonnus cum ait πηλὸν ἰχνόεντα ἀνδρογόνοιο. Ergo χοῦς limus. Etiamne עָפָר? Hiero. *de limo terræ*. Sed limus חֹמֶר dicitur; unde בָּתֵּי חֹמֶר Job. 4. τοὺς κατοικοῦντας οἰκίας πηλίνας. Hæc interpretatio aliam ob causam mihi displicet. Nam qui dicit *pulverem è terra*, sig. hominem nihil aliud esse quam pulverem. Quocirca vocatur *pulvis ac terra*: item *pulvis ac cinis*. Et notum illud, *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Lex. Lat. Græc. vetus χοῦς, ἡ γῆ rudis, χοῦς, ὁ κονιορτὸς, Pulver, Pulvis. ¶ *E terra*] vel, *ex humo*. Nam est אדמה in Ebræo, unde & Adam, ut homo ab humo. ¶ *Inspiraverat*] spiritu sive flatu immiserat, quod alii dicunt sufflaverat, aut insufflaverat, & Græci ἐνεφύσησε, quod apud Euangelistam Joh. 20. interpres noster convertit, insufflavit. Thema, ἐμφυσάω. i. נָפַח. ¶ *In nares ejus*] Alii vertunt, *in faciem ejus*. Sunt autem Lxx. Hieron. & Onkelos. Nam בְּאַפּוֹהִי Chaldaicè *in faciem ejus* absque ulla ambiguitate. In Lexico Eliæ citatur ex hoc loco בְּאַנְפֵּהּ quod mihi se non adeò probat. Jonathan בְּנַחִירוֹהִי id valet *in nares ejus*. Puto Aquilam & Symmachum quoque vertisse εἰς τοὺς μυκτῆρας αὐτοῦ. Quamquam in editione Romana μυκτῆρα in singulari. Quod sumtum ex Theodoreto. Verba Theodoreti habentur quæst. 39. in Genesin, περὶ μὲν ὃν ὁ μυκτὴρ λέγεται τοῦ Α'κύλα καὶ Συμμάχου παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ὁ πεπλασμένος. Verba nonnihil suspecta. Augustinus Steuchus in eo libro ubi vetus testamentum ad veritatem Ebraicam recognovit, *Nomen Ebraicum* אַפָּיו *significat & faciem ejus & nares ejus. In nares autem fortasse magis esset consentaneum, quod in his respiratio sit posita, & inde halitus hauriatur, & eo divina penetrarit afflatio; atque ideo Aquila & Symmachus μυκτῆρας vertunt i. nares.* corrige μυκτῆρας. Nam μυκτῆρες Græcum non est. Lex vet. μυκτῆρες, *hæ nares, singulare non habet*. Falsum. Nam dicimus, *homo emunctæ naris*. μυκτὴρ etiam nasum designat, ut verti possit εἰς τὸν μυκτῆρα αὐτοῦ, in nasum ejus. ¶ *Spiraculum vitæ*] id est, spiritum vitalem. Spiraculum vocat Hiero. quod Græci πνοὴ i. flatum aut spiritum. Nam πνοὴ idem est cum πνεῦμα. Alio significatu Virgilius dixit, *sævi spiracula ditis*, id est, aditus, inquit Servius. Spiraculum pro ipso spiritu nescio an latinè dictum. Quocirca malim, *inspiravit spiritum vitæ*: vel certe, *insufflavit flatum vitæ*. Quippe spiritus communiter & usitate רוּחַ dicitur, quod πνεῦμα reddunt. Hic est נְשָׁמָה in fonte, & significat animam, flatum, spiritum. Sunt qui proprie significare putant animam hominis. Idem sunt spiritus, anima, halitus. Ps. 18. 16. נִשְׁמַת Lxx. ἐμπνεύσεως. Hieron. *inspiratio*. 1 Sam. 6. 1. Lxx. πνοὴ: alius ἀναπνοὴ respiratio, Hier. *quod spirat* Jes. 57. 16. ubi Santes, & *animas ego feci*, vulgatus habet, & *flatus ego faciam*. Ebræis autem נְשָׁמוֹת. Hiero. in comment. *Nasamoth flatus sonat*. ¶ *Anima vivens*] לְנֶפֶשׁ חַיָּה *in animam viventem*. i. anima vivens. Tale est, *erunt in carnem unam*, pro caro una. Ebraismus notus. Notandum vero quod in Thargum Onkeli, & *fuit* (flatus ille videlicet) *in homine in spiritum loquentem*. i. spiritus loquens. Cui consentanea Jonathan interpretatur, & *fuit flatus ille in corpore hominis in spiritum loquentem*. Brevius & melius autor Jerosolymitanæ, & *fuit homo anima vivens*, neglecto Ebraismo; quod mirum in oculis meis. *Anima vivens*. i. animal vivum aut vitæ particeps. *Spiritus loquens* i. anima rationalis. Hiscuni, נשמה חיים *dicitur quæ vivit in æternum, non moritur una cum corpore*. Ergo נשמה anima immortalis, quam rationalem vocant. Sic usurpant in Levitico magno, *Quo tempore homo dormit corpus dicit* לנשמה *animæ rationali, & anima rationalis dicit* לנפש *animæ sensitivæ, & anima sensitiva dicit angelo*. Quam sententiam Abenezra confirmat Gen. 7. *Non invenitur*, inquit, *nomen animæ nisi de anima hominis, quam multi opinantur ita dictam esse quod sit* מן השמים *e cœlo, licet radices diversas habeant*. Sic ille: Cui tamen in eo non assentior. magis arridet quod R. David de hac voce scripsit: *Videtur quod omnis spiritus animalium* נשמה *vocetur.* Verba hæc habentur in Libro Radicum, ubi etiam in margine נשמה anima, halitus, flatus, spiritus.

8. *Plantaverat autem DOMINUS Deus hortum in Eden ab Oriente, & posuerat ibi hominem quem finxerat.*

Plantaverat autem] die tertio videlicet, cum ejus jussu terra herbas & arbores produceret. Pro *plantaverat*, quod humanitus dictum, quidam ediderunt, *plantis ornaverat*, usi paraphrasi minime necessaria, ne dicam inepta & absurda, si quis ea utatur in illo sermone passim obvio, *Plantare arbores, vineam, populum* &c. ¶ *Hortum in Eden*] Lxx. Παράδεισον ἐν Ἐδέμ. Vix credo ita scripsisse interpretes illos. Non est obscurum legendum ἐν Ἐδὲν. Mendum quale μαδιὰμ pro μαδιὰν. Talia scribis imputanda. Hieronym. *Paradisum voluptatis*. Omisit præpositionem quæ in בְּעֵדֶן hoc primum: deinde nomen loci proprium interpretatur ac si appellativum esset. Consimilem errorem (si error dicendus est) erravit Symmachus, qui teste Hieronymo transtulit, *Paradisum florentem*. Ab עֵדֶן est ἡδονὴ, ut videtur. Quod pro Hier. facit. Nam ἡδονὴ voluptas. Sed adversantur ea quæ dixi. Adhæc etymologia fallax est. Neque sequitur ab Eden est Græcum ἡδονὴ, ergo Eden voluptatem significat. Ipse Hieron. in Quæst. Eden non voluptatem, sed delicias interpretatur, quas עֲדָנִים dicunt, quod singulari caret. Idem paulo post vs. 15. *Et posuit eum in Paradisum voluptatis. Pro voluptate in Ebræo, habet Eden. Ipsi igitur* Lxx. *Eden interpretati sunt voluptatem. Symmachus vero, qui Paradisum paullo ante florentem transtulerat, hic posuit ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς ἀκμῆς, quod & ipsum amœnitatem & delicias sonat.* ¶ *Hortum*] Priscæ versiones, *Paradisum*. Quod non potest non placere. Nam in hoc horto arbores erant & omne genus animantes. Tales hortos Græci proprie παραδείσους vocant: Itaque vivaria exponunt. A. Gellius, *Vivaria quæ nunc vulgus dicit, sunt quos παραδείσους Græci vocant.* Autor Lexici Veteris, quod H. Stephanus edidit, *Pometum* sive *Pomarium* interpretatur. Vox est barbarica, ut Pollux ait, & est Persica, ut Xenophon annotat, aut Ebraica. Nam Salomo usus est. Forte à Persis acceperat, פַּרְדֵּס certe forma est peregrina, non Ebraica. Hic est גַּן in Ebræo: ideo hortum vertimus. siquidem גַּן proprie hortus. ¶ *In Eden*] בְּעֵדֶן Eden nomen loci esse docet præpositio: Tum etiam membrum sequens *ab oriente*, quod etiam situm ejus indicat. Sunt qui locum hunc circa Babylonem & Seleuciam fuisse contendunt, ubi Strabo Lib. 2. tradit Euphratem & Tigrim flumina coire. Et certe si qua est sub cœlo regio, pulchritudine, fructuum omnium copia, fœcunditate, deliciis, & aliis dotibus excellens, eam maxime celebrant scriptores. Scribitur autem עֵדֶן cum quinque punctis, quotiescunque aut de hoc loco, aut proverbialiter de loco amœno usurpatur. Alias scribitur עֶדֶן cum sex punctis, ut cum est nomen urbis Ezech. 27. 23. aut regionis. Esa. 37. 12. & 2. Reg. 19. ¶ *Ab oriente*] Lxx. κατ' ἀνατολὰς, quod reddunt, *ad orientem*: alii, *contra orientem*: alii, *secundum orientem*. Hieron. *a principio*. Sic Onkelos, מִלְקַדְמִין Et Aquila ἀπὸ ἀρχῆς *ab exordio*. Et Symmachus ἐκ πρώτης. Et Theodotio ἐν πρώτοις. Quæ omnia non orientem, sed principium significant. *Ex quo manifestissime comprobatur, quod, priusquam cœlum & terram Deus faceret, Paradisum ante condiderat, sicut & legitur in Ebræo, Plantaverat autem Deus Paradisum in Eden à principio.* Verba hæc Hieron. sunt. Quod ait in Ebræo haberi, *à principio*, id ex iis est, quæ hodie in controversiâ sunt. Quod autem idem scribit ex eo manifestissime comprobari, Paradisum ante cœlum & terram fuisse, vanum est. Nam potest sensus esse à principio creationis, hoc est, die primo aut tertio. Apertius loquitur Jonathan, qui asserit hortum hunc plantatum ante creationem mundi. Idem alii in ea gente affirmant. Quod à majoribus acceptum per manum alii aliis tradiderunt. Sane inter ea, quæ ante cœlum & terram fuerunt, paradisum recensent, eo nomine locum beatorum intelligentes, qui destinatus fuit electis ante mundum conditum. Id posterior ætas aliter intellexit. Sed error est meo judicio de terrestri Paradiso talia opinari. Quocirca melius vertunt qui vertunt, *ab oriente*. Nam קֶדֶם orientem significat, ut infra 3. 24. & 4. 16. ¶ *Et posuerat ibi hominem*] die sexto. ¶ *Quem finxerat*] Quem figuli more formaverat in paradiso, ut quidam volunt: extra Paradisum, ut alii. Quos adjuvat nonnihil verbum *posuerat*. Sed tamen ex eo non evincitur quòd illi volunt, & credibilius est in Paradiso formatum fuisse. Antiquissima editio Græca hic habet, ὃν ἔπλασεν. Id reddunt, *quem plasmaverat*. malim, *quem finxerat*. Siquidem *plasmo* latinum non est. Onkelos, *quem creaverat*. Jonathan, *quum creasset eum*.

9. *Et germinare fecerat DOMINUS Deus omnem arborem desiderabilem ad aspectum, & bonam ad vescendum, & arborem vitæ in medio horti, & arborem scientiæ boni ac mali.*

Germi-

Germinare fecerat] Exoriri seu existere fecerat, quod Græci dicunt ἐξανέτειλεν, & Hieron: *produxit*, & Jonathan רבי crescere fecerat, & alius, *fecerat ut germinaret*, & alius, *procreaverat*. Sed הִצְמִיחַ verbum est à nomine צֶמַח quod germen significat deductum, aut potius nomen illud derivatur à verbo צָמַח germino. Dicitur autem herba germinare: item terra germinat herbam, i. producit, procreat, active. Quomodo Plinius dixit, *fœtus capillum germinare*. Deus autem in tertia significatione הִצְמִיחַ facit ut humus sive terra germinet. Quod Onkelos dicit וְאַצְמַח. Pro ἀνατέλλειν Græci etiam dicunt ἀναφύειν, facere ut aliquid exoriatur & germinet. ¶ *Omnem arborem*] Id est, omne genus arbores. Lxx. πᾶν ξύλον. Et Hieron. *omne lignum*. Antea monuimus in Lingua Hellenistarum ξύλον *arborem* significare, quod posthac non repetam. Hinc intelliges quid sit *lignum vitæ*, *lignum scientiæ boni ac mali*. Aloisius Lippomannus in Catena Patrum: *Observandum est moris Ebræorum esse, ut ligna arbores ipsas* (apud Ebræos עץ tam arborem quam lignum significat. Quocirca falluntur qui hic Ebraismum constituunt.) *appellent. Cum ergo lignum vitæ dicitur, non est de materia illa arida sentiendum, ut crasse quidam credunt; sed de arbore quæ ejusmodi fructus ederet. Arbor quoque in eadem lingua pro fructu ponitur*. ¶ *Desideratam ad aspectum*] ad aspectum εἰς ὅρασιν, & *desideratam* i. desiderabilem aut expetendam seu expetibilem. Nec malè ad sensum alii, *pulchram*. Nam arbores illæ tam pulchræ erant, ut ipso aspectu desiderium sui excitarent, siquidem quæ pulchra, eadem expetibilia sunt. Sed pulchrum id est נָאוֶה, ut ὡραῖον, quod hic in editione τῶν ο׳ נחמד speciosum. Vidi etiam qui verterent, *delectabilem*. ¶ *Bonam ad vescendum*] לְמַאֲכָל magis sonat *ad cibum* sive ad *escam* i. εἰς βρῶσιν, ut Lxx. convertunt. ad *vescendum* i. לֶאֱכֹל Quod Chaldæi dicunt לְמֵיכַל ad comedendum. לְמַאֲכָל ἐδωδή. טוֹב לְמַאֲכָל ἐδώδιμος, quæ vescendo est, edulis. Hic perspicue arbor pro fructu ponitur. Nam arbor non editur. Arbor quæ esui est vel esculenta, differt aliquantulum ab ea quæ hic vocatur טוב למאכל Itaque Græci referunt καλὸν εἰς βρῶσιν, & Hieron. *ad vescendum suave*. Galli dicerent, *bon à manger*: & nos Belgæ, goet om t'eeten. Nam potest aliquid vescendo esse, quod tamen non sit bonum ad vescendum. ¶ *Et arborem vitæ*] Germinare quoque fecerat arborem vitæ & arborem scientiæ boni ac mali. Alii, *Et arbor vitæ erat &c.* Arbor vitæ, quæ vitam præstat. Vitam dico vel jocundam ac facilem & cum bona valetudine conjunctam: vel longam, vel denique sempiternam. Vita pro vita jocunda, notius est, quam ut probari debeat. Nam & vivere dicunt pro jocunde vivere. Pro longa vita sumitur in illo; *Momentum in ira ejus; vita in benevolentia ejus*. Psal. 21. 5. *Vitam petiit à te*: mox sequitur, *longitudinem dierum*. Moses Gerundensis, *Arbor vitæ est arbor cujus fructus conciliat vescentibus eo vitam longam*. Qui exponunt de vita sempiterna, cujus symbolum videtur fuisse arbor illa, habent quo se tueantur. Nam vita passim designat vitam æternam. Ut Prov. 3. 18. *Sapientia est arbor vitæ tenentibus eam*: & alibi, *fructus justitiæ est arbor vitæ*. Notum illud, *Hoc fac & vives*. Quod ad vitam jocundam restringere non debemus: multominus ad longam. Quanquam & ea promittitur piis. Quæ dixi firmantur autoritate Jesu filii Sirach, qui hanc arborem vocat, δένδρον ἀθανασίας, hoc est, arborem immortalitatis sive immortalem. Sirach. 19. 18. siquidem ἀθανασία & vita æterna se mutuo explicant. Nam qui æternum vivunt, nunquam moriuntur, ac proinde immortales sunt. In Thargum Jonathæ אִילָן חַיָּיא videtur vitium esse pro חַיֵּי id est חַיִּים vitæ. Si tamen vera lectio est, erit vertendum, *arbor viva* i. immortalis, ut *Deus vivus* i. æternus: *aqua viva* i. perennis. Sic *flumen vivum*, *lacus vivus*, *fons vivus*. Nam quia aquam vivam continet, ideo vivus dicitur, alibi *terra viva* i. naturalis. ¶ *In medio horti*] Intra hortum an in ipso medio? Sic interpretantur Onkelos, Jonathan, R. Salomo, Moses Gerundensis. Quippe באמצע medium. Quod tamen non ita præcise capiendum. Nam & cor pro medio ponitur, & legimus Christum fuisse in corde terræ tres dies & tres noctes: non utique in ipso centro, sed intra terram; hoc est, in sepulchro. ¶ *Et arborem scientiæ boni & mali*] Scire est sentire, experiri, ut, *Qui transfert montes & non sciunt*, i. sentiunt. Sic interpretor יְדוּעַ חֹלִי expertus morbum. Quanquam à Camio exponitur, *contritus morbo*. Igitur *arbor scientiæ boni & mali*. vult dicere experientiæ boni & mali, qua qui vescebatur sciebat hoc est experiebatur quid esset bonum & malum. Hoc experimentum humano generi magno constitit. Dicam eadem apertius. Scientia duplex est, alia per cognitionem, per experientiam alia. Adam simul ac conditus fuit ad imaginem Dei, sciebat per cognitionem bonum & malum: non sciebat per experientiam. Id primum didicit post gustatum pomum, à quo abstinere jussus erat. Dico pomum; & late id nomen accipio, ut etiam ficum comprehendat. Nam de ficu Theodoretus, alii multi divinant: sunt qui vitem & quidem Indicam: sunt qui frumentum fuisse suspicentur: sunt qui citrum. Dices, quid refert hoc sciamus necne? Parum, fateor: sed tamen cum hodie pictores malum pingant in paradiso, sciant nullo nos testimonio veterum id probare posse. Pomum Galli vocitant quod Latini malum. Hinc illa consuetudo, nisi fallor. Veniamus nunc ad aliorum interpretationes. Onkelos, *Et arborem cujus fructu, qui vescuntur, sapienter discernunt inter bonum & malum*. Jonathan, *& arborem cujus fructum qui comedunt sciunt inter bonum & malum*. Jerosolymitana, *& arborem scientiæ: omnis qui comedit ex ea discernit inter bonum & malum*. Lxx. καὶ τὸ ξύλον τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ i. interprete Augustino in 1. locutionum, *& arborem ad sciendum cognoscibile boni & mali*. vult dicere, quod cognosci potest de bono & malo.

10. *Fluvius autem egrediebatur ex Eden ad irrigandum hortum, qui inde dividebatur, & erat in quatuor capita*.

Fluvius] non fons, quem hic nonnulli frustra quærunt: sed flumen sive fluvius i. ποταμός. Nam fons מעין dicitur. ¶ *Egrediebatur*] Sic interpretati sunt sequendo Hieronymum. Nam etiam Onkelos retulit נָפֵק הֲוָה erat egrediens i. egrediebatur. Quod noto quia in Ebræo est יֹצֵא egrediens. Unde Lxx. ediderunt ἐκπορεύεται, & Jonathan נפק, & alius, egreditur. Sunt etiam qui hæc omnia usque ad versum 15. parenthesi circumcludunt. ¶ *Ex Eden*] Ex regione Eden, in qua Paradisus. Lxx. ἐξ Ἐδέμ. Mendum perpetuum pro Ἐδέν: Mendum, inquam, librariorum, non interpretum, quale in μαδιάμ. Quis enim credat interpretes legisse mem pro nun, cum nulla inter has literas affinitas similitudoque sit? Hieron. *ex loco voluptatis*. Vult dicere, ex loco qui à voluptate nomen accepit. Est autem Eden quod prisca interpretatione sonat voluptas. Quod nota, ne quis per locum voluptatis ipsum paradisum intelligat. Non enim certe fluvius iste egrediebatur ex paradiso, sed irrigabat Paradisum. ¶ *Inde*] Ex horto quem irrigaverat, an ex Edene? Utrumque simul verum esse potest. Nam hortus ille erat in Edene. ¶ *In quatuor capita*] Lxx. εἰς τέσσαρας ἀρχάς. *in quatuor initia*. Josephus, εἰς τέσσαρα μέρη: *in quatuor partes*. Onkelos & Jonathan, *in quatuor capita fluminum*. Sensus est, in 4. flumina præcipua. Sic *capita Patrum*. i. ἄρχοντες, ut interpretatur Josephus. Quod mihi non improbatur, ut capita dicat præcipuos amnes & maxime illustres insignesque. Ceterum *dividebatur & erat in 4. capita*. Sermo est ἀπτοτιάζων pro, *dividebatur in 4. capita*.

11. *Nomen unius Phison: hic est qui circuit totam terram, Hevila ubi aurum est*.

Unius] i. primi, ut Gen. 1. 4. ¶ *Phison*] Pasitigrim esse putant: cui firmando quod apud Q. Curtium. Lib. 5. *Indigenæ illius regionis illum vocant Phasim*. Nam loquitur de Pasitigri. Sane Phasin inter & Phison exiguum discrimen. Ajunt & urbem esse Phison nomine, quam Procopius in Mesopotamia collocat. Eusebius, Hieron. Augustinus Gangen interpretantur. R. Salomo, Moses Gerundensis & alii Nilum. Illis imposuit Josephus. His R. Saadia. Aben Ezra appellat somnium Saadiæ. Non enim certe potest esse Ganges Indiæ, nec etiam Nilus Ægypti. Neuter enim circuit terram Hevila, quæ regio est Arabiæ, ut mox dicam. Adhæc bdellium Arabicum à Galeno & Paulo Ægineta laudatur non minus quam Scythicum. Dioscorides βδέλλιον, δάκρυον δένδρου σαρακηνικοῦ: lacryma est Arboris Arabicæ. Auro autem Indico, quod nonnulli objiciunt, oppono aurum Sabæ, quæ regio est Arabiæ, cujus mentio apud Davidem. Meminit quoque fluvii Phison Jesus filius Sirach: *qui implet* (ripas alvei sui scilicet, ut de Jordane legimus Jos. 3. 13.) *ut Phison sapientiam*. Locus est Sirach. 24. 30. ¶ *Totam terram*] Totam regionem. Terra pro regione ponitur etiam in Latio, ut cum dicunt, terra Italia, terra Gallia, terra Græca. ¶ *Hevila*] Antiquitas lectionis pro Havila. Nam Εὐιλάτ, quod in codicibus Græcis, ex ea consuetudine est, qua scribebant Nasaret pro Nasara, & Elisabet pro Elisabe. Aut est error librariorum. Nomen accipit ab Hevila filio Jectam, qui fuit ex posteris Sem. Gen. 10. 29. *Saba & Ophir & Hevila*. Fuit alius hoc nomine, Chus patre prognatus, à quo Getulia Africæ regio, teste Josepho, appellata, Gen. 10. 7. Porro scriptum הַחֲוִילָה cum articulo, ac si nomen appellativum esset. Scire licet aliquando articulum præponi etiam nominibus propriis locorum & fluminum. Jonathan hic habet, הוא דמקיף ית כל ארע הנדיק. Is est qui circuit totam terram Hassaddice, i. e. justorum, si

modo he, quòd in capite, articulus est, & non litera radicis. Forte legendum מרוח tamen unius literæ immutatione i. Sadducæorum. Nihil affirmo, tamen fieri potest, ut in hac Arabiæ parte olim Sadducæi multi habitaverint. Nam Arabiæ regionem esse, non Indiæ aut Ægypti, docet locus Gen. 25. 18. *Habitavit autem* (Ismäel, à quo Arabes Ismaelitæ dicti) *ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyriam*, eum descripsi ex editione vulgata. Non enim vacabat fontes adire. Alias id faciam. Adde si placet locum, qui habetur 1 Sam. 15. 7. in eadem editione, *Percussitque Saul Amalec ab Hevila donec venias ad Sur quæ est è regione Ægypti.* Nec me movet locus Gen. 10. 29. ubi cum Ophir etiam Saba commemoratur, à quo Sabæi Arabes. Quin ex eo probabiliter colligo Sabam illam Havilæ vicinam & conterminam fuisse. Hoc tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum.

12. *Et aurum terra illius bonum est; ibi bdellium, & lapis Onychinus.*

Et aurum] Aurum זהב dicitur & est nomen generis. Interdum זהב vocatur quicquid in suo genere purum est. Itaque & de aëre sereno, & de vino & de oleo dicitur. Quod noto, quia Eusebius in locis, *Evila*, inquit, *ubi aurum purissimum, quod Ebraicè dicitur Zahab.* Utrum aurum ita dicitur, an aurum purissimum? Prius controversia caret: de altero quæri potest. ¶ *Terra illius*] Aurum Sabæ memoratur Ps. 72. 15. Unde colligimus aurum illius regionis præstans fuisse. Est autem regio Arabiæ. Igitur Arabicum aurum celebre, non minus quam Indicum. Nam Indicum commendatur à Scriptoribus, maxime quod è Gange Indiæ eruitur. *Nec ullum*, inquit Plinius, *absolutius cursu ipso tritùque perpolitum.* ¶ *Bonum*] id est, καλὸν. Lex. vet. καλὸς, bonus. Significat etiam *laudabilis.* Hiero. *optimum.* plus dicit quam sit in Ebræo. Alius, *præstans.* ¶ *Bdellium*] Ita Hiero. post Aquilam, Symmachum & Theodotionem. Nam & illi βδέλλιον ediderunt. Quod colligo ex his Hiero. verbis ex libro Quæstionum, *Pro carbunculo bdellion alii transtulerunt.* Nam in Lxx. ὁ ἄνθραξ carbunculus. Id alii correxerunt, & pro eo βδέλλιον transtulerunt. Favet huic interpretationi Josephus enarrans locum Num. 11. 7. ubi eadem vox in Ebræo, ὅμοιον, inquit, τῷ τ̃ ἀρωμάτων βδέλλῃ. Siquidem βδέλλη sive βδέλλα est bdellium. Onkelos ברולחא, bdelcha sive bdolchon, quod corrupte βολχὸν in Dioscoride. Ebræi omnes in lapidem consentiunt. Dicunt esse nomen lapidis pretiosi sive gemmæ. Quidam Adamantem interpretantur: alii aliter. Steuchus existimat unionem eo nomine significari, quod manna huic lapidi comparetur. A quo non longè abit Saadias, qui ait ita dici lapides exiguos rotundos ex aqua prodeuntes, qui subtiles sint. Nam videtur uniones innuere. In libro radicum, *Sunt qui tradant esse lapidem rotundum, ex quo perforato connexis inter se lapillis faciunt torquem.* Cæterum in correctionibus Eliæ legendum בידליו i. bdellio. Nam proclivis sane lapsus de Daleth in Resch. Hujus lapidis meminit Benjamin in Itinerario per hæc verba, *Hinc nave conscensa decem diebus in Kathiphin sum devectus, ubi Israelitarum quinque millia sunt. His in locis bdellius lapis invenitur, miro naturæ opere confectus. Quippe 24. Mensis Nisan ros in aquas quidem decidit, quem collectum incolæ involvunt & conclusum in mare conjiciunt, sua sponte demergendum, ad fundum usque maris. Medio autem Thisri duo homines funibus in mare ad fundum usque demissi, reptilia quædam collecta in auras deferunt: e quibus fissis & ruptis lapides illi proferuntur.* Hæc fide interpretis. nam Ebræum exemplar non habemus. ¶ *Lapis onychinus*] Ita Hiero. Prius erat in Lxx. καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος: Et lapis Prasinus. Id primum immutavit Aquila: deinde alii i. Symmachus & Theodotio. Hier. in Quæst. *Pro lapide prasino, onyx alii transtulerunt.* Idem de veste sacerdotali, שהם *ab Aquila, Symmacho & Theodotione onychini, à Lxx. smaragdi transferuntur. Josephus Sardonyches vocat, cum Ebræo Aquilaque consentiens, ut vel colorem lapidum vel patriam demonstraret.* Quæ verba suspecta esse possunt iis, qui sciunt apud Josephum legi ὄνυξ. Præterea si verum quod ait, ab Aquila transferri שהם onychinum, quomodo postea dicit Josephum, qui sardonycha transtulerit, cum Ebræo Aquilaque consentire? Hoc alii disquirent. Interea moneo apud Hiero. ferè esse lapis onychinus: apud Lxx. Exod. 25. 8. λίθος σάρδιος, ut hic λίθος πράσινος, quæ est viridis & porracei coloris gemma, & uno nomine πράσινος appellatur. Sardonyx ex onyche constat & sardâ, unde ei nomen. Onyx autem vocatur si non ab שהם. at ex eo quod ejus candor similitudinem ad unguem humanum habere videatur. Idem vocatur Onychites. In Thargum Onkeli, ואבני ברולחא & lapides burla, quæ vox affinitatem habet cum beryllo nostro. Jonathan ואבנין בורלין & lapides pretiosi burlin dicti. Pro quo Exod. 28. 10. βηρύλλιον in edit. Græca τ̃ ό. Et tamen an ברולא sit beryllus, incertum. Nec certius quid habemus de voce Arabica, אלבלור, nisi quod suspicamur, eam esse gemmam quæ à Chaldæis burla nuncupatur literis inversis. Sardium autem esse שהם eo minus credibile est, quod is lapis alio vocabulo אדם dicatur, in quo significatio rubedinis. Job. 19. 6. legitur cum epitheto *Onyx pretiosa.* Vide etiam qui hoc loco vertendum contenderant *lapis onyx*; prætuli, *lapis onychinus*, ad verb. *lapis onychus.* Quod ita dicitur, ut *herba lapathi*, *Urbs Romæ &c.*

13. *Et nomen fluvii secundi Gehon; ipse circuit omnem terram Æthiopiæ.*

Gehon] vel Gihon. illud antiquum: hoc recenti consuetudine lectum. Reperitur & Geon, nempe ex Græco γεὼν sive γεῶν vel γηών. Nam Græci dictiones in medio non aspirant. Inter ea flumina numeratur, quæ certo tempore exundant. Quod colligunt ex Sirachide. Verba unde id colligunt habentur cap. 24. vers. 32. Nilum esse credidit Antiquitas, qui est fluvius Ægypti. Sed sciendum duos esse fluvios Ægypti. Unus communiter & usitate יאר מצרים i. e. Rivus Ægypti vocatur, & tunc Nilum designat. Alter dicitur נהר מצרים & Palæstinam ab Ægypto disterminat. Vocatur etiam נחל ערבה, id est, torrens deserti, vel, ut alii, torrens campestrium. Item נחל מצרים torrens Ægypti 1 Reg. 8. 66. ubi vetus interpres, *Rivus Ægypti.* Rabbanus, *Rivus iste non est Nilus, sed alius qui juxta Rhinocoruram influit in mare.* Albinus in Genesin, *A fluvio Ægypti; non à fluvio magno, hoc est à Nilo, sed à parvo qui dividit Ægyptum & Palæstinam.* Hic fluvius per eas oras labitur, quæ sunt Palæstinæ confines, quibus nomen Chus est attributum. de Chus mox dicam. Gehon Judæam terminat ea parte qua spectat Ægyptum. Dicitur & Sihor Jerem. 2. 18. ut quidam volunt. Erat alius rivulus prope Jerusalem Gehon dictus, quod hortos urbi vicinos irrigaret. Hujus fontem legitur Ezekias obstruxisse, sub adventum Sennacheribi. In Chronico majore, *Ante adventum Sennacherib, obturavit Ezekias aquam Gehon.* ¶ *Terram Æthiopiæ*] vel *terram Æthiopiam*, quod ita dicitur, ut terra Judæa, terra Græcia. Licet etiam vertere *terram Chus.* Id rectè accipies de regione Arabiæ, quæ a nonnullis Chusæa vocatur, Madianitis contermina: Unde uxor Mosis, quæ propterea Chusith i. Æthiopissa vocatur. Ex eadem creditur fuisse zara Æthiops, cujus memoria usurpatur 2 Paralip. 14. 9. Sunt qui Madianitarum regionem in hac Æthiopia fuisse dicant, eâque de caussâ filium Principis Madiam appellari Æthiopissam Num. 12. 1. Utut sit, non potest hic locus intelligi de Æthiopia quæ supra Ægyptum, quam australem Æthiopiam vocant, quod hæc remotior sit à regione Eden: Cui altera illa Æthiopia, quam Orientalem appellant, vicina. Utriusque Æthiopiæ meminit Homerus, ut observatur à Viro docto.

14. *Et nomen fluvii tertii, Tigris: ipse est qui* (tendit) *vadit ad orientem Assyriæ: Fluvius autem quartus est Euphrates.*

Tigris] Non est dubitandum quin חדקל sit Tigris. Nam etiam Lxx. reddunt τίγρις. Dubitationem omnem tollunt interpretes Chaldæi Onkelos & Jonathan. Siquidem in utroque דיגלת legitur. Qui non est alius à Tigri. Josephus Ant. hist. lib. 1. cap. 2. τίγρης ἢ διγλάθ, ἐξ ὧ φράζεται τὸ μῆ στένωσις ὀξύ. Quod Gelenius in latinum convertit, *Tigris autem Diglath, quod interpretatur angustus simul & velox.* Antea monui. Non Diglath hoc interpretatur, sed Hiddekel. חד ὀξὺ i. velox, קל levis. Igitur appellatio à velocitate. Nomen cum re convenit. Curtius lib. 4. de hoc fluvio. *Nec sanè alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur, multarum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens. Itaque à celeritate quâ defluit, Tigri nomen est inditum, quia Persica lingua Tigrim sagittam appellant.* Plin. lib. 6. cap. 27. *Sed & de Tigri ipso dixisse conveniat. Oritur in regione Armeniæ majoris, fonte conspicuo in planitie, loco nomen Elongosine est. Ipsum, quà tardior fluit, Diglito: unde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam.* ¶ *Ipse est qui vadit*] הוא ההולך *ipse est qui tendit.* Alii, *ipse vadit.* הוא הלך. ¶ *Vadit,*] Fluit, labitur. Verbum הלך non solum de fluminibus dicitur, sed etiam de navibus, ut apud Davidem, *ibi naves vadunt.* ¶ *Ad orientem Assyriæ*] קדמת אשור ad orientem Assur i. למדינחא של אשור, ut interpretatur R. Salomo. Hiscuni putat ה in קדמת quod loco ה ibi ponitur, motum ad locum designare. Sanè קדמת in lingua Ebraica valet, ut si dicas לקדם. Itaque Onkelos interpretatur למדינחא דאתור ad Orientem Assyriæ, & Jonathan למדינחא אתור quod eodem recidit. *Ad orientem* i. ad orientalem plagam. Minus rectè Hiero. *contra Assyrios.* Videtur Lxx. secutus qui vertunt κατέναντι Ἀσσυρίων: è regione Assyriorum, vel coram Assyriis. Quomodo

modo Arias Santem emendavit referens, *ante Assyrios.* Contra accipies ut in illo Virgilii, *Italiam contra.* ¶ *Euphrates*] Εὐφράτης. Hunc Ebræi & Chaldæi פרת indigitant. Josephus habet φορὰ: & Ruffinus, *Foras*: utrumque defendi potest ex antiquitate. Nam φορὰ pro φορὰθ, ut Sabba pro Sabbath, Golia pro Goliath. Additum deinde sigma in Phoras. Sic Judas dicebant pro Juda. Aut ultima nominis barbari θ in σ. mutavit. Ad quod exemplum Græci efferunt Annibas, Annibal. Quia nullum nomen græcum desinit in θ. Ambrosius de Paradiso, Cap. 3. *Ejus aqua vitalis asseritur, & quæ foveat atque augeat. Unde Auxen eum Ebræorum & Assyriorum prudentes dixerunt, contra quam fertur esse aqua alterius fluminum.* Auxen i. פרה. Nam פרה fructus edo, cresco, augesco.

15. *Accepitque DOMINUS Deus hominem & collocavit eum in horto Eden ad colendum eum & ad custodiendum eum.*

Accepitque & collocavit.] Vel, *acceperat autem & collocaverat.* Nam hæc facta sunt die sexto: & hominem האדם i. τὸν ἄνθρωπον. Lxx. addunt de suo ὃν ἔπλασε, quem finxerat. Iidem ויקח interpretantur, καὶ ἔλαβε. Hiero. *Tulit ergo.* R. Salomo, Cepit. i. flexit. Sic alibi, *Capit animas sapiens*, quod exponunt, flectit, allicit: & *animas* i. homines aut animos hominum. ¶ *Collocavit*] posuit, reliquit, ἔθετο. Hinc quidam colligunt hominem fuisse creatum extra paradisum. Sunt qui in agro Damasceno creatum divinant; sunt qui in monte Moriâ, in queis Jonathan. Vid. sequentia. ¶ *In horto Eden*] Lxx. ἐν παραδείσῳ τῆς τρυφῆς, in paradiso deliciarum. Hiero. *In paradiso voluptatis.* Idem in quæstionibus, *Symmachus, qui Paradisum paullo ante florentem transtulerat, hic posuit ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς ἄλσους, quod & ipsum amœnitatem ac delicias sonat.* ¶ *Ad colendum eum*] Colit hortum non qui incolit, sed qui rigat, qui plantat, qui conserit eum. Custodit autem qui feras arcet & omnia nocitura. Jonathan totum hunc versum ita παραφράζει, *Et duxit DOMINUS Deus hominem ex monte sanctuarii loco ubi creatus fuerat, & collocavit eum in horto Eden, ut excoleret legem & custodiret præcepta.* Montem sanctuarii vocat טור פולחנא quod in eo divinus cultus celebraretur. Ebræi etiam montem domus appellant, quod plenè diceretur *Domus DOMINI.* Nam in eo templum post extructum fuit à Salomone.

16. *Et præcepit DOMINUS Deus homini dicendo, Ex omni arbore horti comedendo comedes.*

17. *Ex arbore vero scientiæ boni ac mali non comedes; quia quo die comedes ex eâ moriendo morieris.*

Homini] τῷ Ἀδὰμ, id est, tam viro quam fœminæ. ¶ *Ex omni arbore*] Arborem dicit fructum arboris, quod tritum in hac linguâ. Sic 2 Reg. 18. 31. *Comedite unusquisque vitem suam & ficum suam.* ¶ *Comedendo comedes*] Lxx. βρώσει φαγῇ, quod interpretantur, *escâ comedes.* Nam βρῶσις esca, cibus. Hic potius est ipsa comedendi actio. Cibus autem אכל dicitur. Hiero. *comedet*: תאכל. Aliis, *libere comedes.* Cæterum *comedes* pro eo babendum ac si diceret, permitto ut comedas, facio tibi potestatem comedendi. ¶ *Non comedes*] Lxx. mutarunt numerum οὐ φάγεσθε, quia sermo est ad utrumque sexum. Symmachus, *non comedes ex eo*, retinuit Pleonasmum qui in Ebræo. Notatum hoc in Ambrosio de Paradiso. Cap. v. ¶ *Quia quâ die comedes ex eo moriendo morieris.*) Sym. ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπ' αὐτοῦ, θνητὸς ἔσῃ. Quocunque die comederis ex eo mortalis eris. Ἀπ' αὐτοῦ videlicet τοῦ ξύλου, quod in editione Romanâ. Hiero. in Quæst. *In quâcunque autem die comederis ex eo, morte morieris. Melius interpretatus est Symmachus, mortalis eris.* ¶ *Moriendo morieris*] morti eris obnoxius, morti, inquam, tam primæ, quæ est separatio animæ à corpore quam secundæ quæ est separatio animæ & corporis à creatore. *Morieris*, id est, miseram vitam traduces. Nam vita misera mors quædam, ut è contrario vita jocunda & hilaris vita. Moses Gerundensis explicat, *eris filius mortis*: &, *eris reus mortis.* Quomodo & Jonathan תהי חייב קטול eris obnoxius occisioni vel morti. Sunt qui dicunt mortem, quæ alioqui naturalis est, ex peccato pœnam factam esse. Cajetanus, *Nos ergo non dicimus hominem ante peccatum fuisse immortalem, quoniam mors naturalis est homini ex necessitate materiæ, sed dicimus quod fuisset servandus à morte divinâ beneficio, quo homo privatus est merito peccati inobedientiæ, & propterea mors quæ absolute erat homini naturalis; effecta est etiam pœna peccati primi hominis: ita quod nunc mors est nobis & naturalis & pœna peccati.* Augustinus, *Illud autem corpus ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat: id est, mortale, quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Alind est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori. Secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, à quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui si non peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat, quamvis & immortale ideo quia & mori non poterat.*

18. *Dixerat quoque DOMINUS Deus, Non est bonum esse hominem solum, faciam ei auxilium, quod ex adverso ei respondeat.*

Dixerat] Eodem die quo hominem creaverat. ¶ *Non est bonum*] Non est utile, commodum, expediens i. συμφέρον. Sic accipitur ea vox 1 Corint. 7. 1. *bonum est homini mulierem non attingere*: & vers. 26. *Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem.* ¶ *Solum*] sine socia vitæ, sine uxore. Hinc lucem accipiet illud, *Veh soli.* Quanquam & aliter intelligi potest. ¶ *Hominem*] virum, ut 1 Corint. 7. bonum est homini, ἀνθρώπῳ i. viro, ἀνδρί. Contrà vir i. ἀνὴρ pro ἄνθρωπος usurpatur. ¶ *Auxilium*] Lxx. βοηθὸν, quod interpretantur *adjutorium* i. βοήθειαν. Malim, *adjutricem.* Lex. Græc. Lat. vetus, βοηθὸς, *adjutor, auxiliator, adjutrix*: item *auxiliarius Patronus.* Onkelos סמך sustentaculum, adminiculum. Jonathan סמיך quod idem est. Hinc סמך argumentum probabile, ut ראיה certum & evidens alicujus rei documentum. Hoc Græci τεκμήριον, illud σημεῖον dicunt. ¶ *Quod ex adverso ei respondeat*] auxilium ex adverso respondens, βοήθεια ἀντίστροφος. Quod autem in editione Lxx. βοηθὸν κατ' αὐτὸν, ut ita accipio ac si diceret, auxiliatricem, quæ ei conveniat, quæ ei sit accommoda. Minus rectè Hiero. *simile sibi.* דומה לו. Onkelos & Jonathan כקבליה: sed legendum puto כקבלה, ut idem sit cum כנגדו ex adverso ei respondens. Nam uxor & vir invicem sibi respondent. Quocirca maritus etiam dicitur עזר i. adminiculum sive adjutorium, vel si placet βοηθὸς, adjutor, opitulator uxoris. Quo accommodabis illud 4 Esr. 16. 34. *Lugebunt filiæ earum non habentes adjutorium: sponsi earum in bello consumentur.* Santes hic habet, *faciam ei auxilium, quod sit coram eo* i. לנגדו. Alii, *quasi coram se ipso esset*, id est, *tale auxilium, quod sit velut alter ipse.*

19. *Finxerat autem DOMINUS Deus è terrâ omnes bestias agri, & omnes aves cœli, adduxeratque eas ad hominem, ut videret quod nomen imponeret cuique, & omne nomen quod imposuit homo animæ viventi, id est, nomen ejus.*

Finxerat] figuli more formaverat. ¶ *E terra*] ex humo. ¶ *Bestias*] jumenta, feras, reptilia. ¶ *Ad Hominem*] אל האדם i. πρὸς τὸν Ἀδὰμ: ad Adam sive Adamum. Sic mox, *omne nomen quod imposuit Adam.* nam est nomen hoc loco individuum, non speciei. ¶ *Ut videret*] Deus an homo? ¶ *Cuique*] vel, *eis.* ¶ *Animæ viventi*] i. animanti. Minus rectè Hiero. *animæ viventis.* Lxx. ψυχὴν ζῶσαν. Iidem habent in principio hujus versus, καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς ἔτι, si modo ἔτι ab aliis non est additum. nam sententiam pervertit, non enim certe bis creavit animantia.

20. *Et imposuerat homo nomina omnibus jumentis & avibus cœli & omnibus bestiis agri: homini vero non invenit auxilium quod ex adverso responderet ei.*

Imposuerat nomina] ויקרא שמות & vocavit nomina. Quod à Græcis redditum, ἐκάλεσεν ὀνόματα. Hiero. maluit, *appellavit ea nominibus suis*, videlicet singula secundum naturam suam. ¶ *Homo*] האדם ὁ ἄνθρωπος. ¶ *Jumentis*] κτήνεσι, quod reddunt *pecoribus*, cum κτῆνος etiam sit jumentum. Hiero. *animantia*, לכל חיה. ¶ *Et avibus cœli*] Ebræi hic repetunt כל ἀπὸ κοινοῦ. Sic Græci Lxx. καὶ πᾶσι τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ. Hiero. quoque, & *omnia volatilia cœli.* ¶ *Homini vero*] i. sibi. nomen loco pronominis. Tale est, *dixit Moses socero Mosis* i. suo. Sic alibi, *Et dixit DOMINUS, ascende ad DOMINUM*, pro *ad me.* Alii, *Deus non invenit.* Lxx. τῷ δὲ Ἀδὰμ οὐχ εὑρέθη. Hiero. *Adæ vero non inveniebatur.* Inflectit Adam, Adæ, ut Goliath, Goliæ: Mariam, Mariæ. ¶ *Auxilium*] adjutorium, adminiculum, sustentaculum, adjumentum. Hiero. *adjutor*, nempe ex Græco βοηθὸς.

21. *Immisit ergo DOMINUS Deus soporem in hominem, cumque obdormisset accepit unam è costis ejus & conclusit carnem pro ea.*

Immisit] injecit, cadere fecit. prius haustum è Græco ἐπέβαλεν i. ויפל, quod Chaldæi ורמא dicunt. Quo verbo usi sunt hoc loco Jonathan & Onkelos. ¶ *Soporem*] bene ita reddit Hiero. nam תרדמה sopor, & נרדם sopitus. Soporis vocabulum accipio ut differat à somno. Quo significatu Plinius usur-

pat lib. 21. cap. 18. *Hujus feminæ somnium aliud: sed modum servandum ne sopor fiat.* Quod noto, quia non nemo hic legit, *soporem altum*, quod idem cum illo, *somnum altum.* Altus somnus est תרדמה quem soporem diximus. Porro *immittere soporem* Ebræa phrasis est pro inducere Soporem, aut collocare aliquem in soporem. Redeo ad תרדמה. Id Lxx. transtulerunt ἔκστασιν i. mentis excessum. Sic interpretantur Sym. Th. Proverb. 19. 15. Theodotio Jes. 29. 10. & 1 Sam. 26. 12. Aliter interpretatur hoc in loco Hiero. in Quæst. *Pro ecstasi &c.* ut supra. Usus est eodem interpretamento Aquila Proverb. 19. 15. & Symmachus 1 Sam. 26. 12. ubi Aquila καταφορά & Lxx. θάμβος. Lex. vetus ἔκστασις ἢ λογισμῶ, pavor, excessus. Qui volet ἔκστασιν soporem reddere, se tueri poterit autoritate Hellenistarum, qui certe vocem illam pro תרדמה usurpant. ¶ *Cumque obdormisset*] ויישן & obdormiunt, καὶ ὕπνωσε. ¶ *Unam e costis*] μίαν τῶν πλευρῶν αὐτοῦ: *unam costarum ejus.* nam πλευραὶ costæ. Sign. etiam latera, & sunt qui legant *unum e lateribus ejus.* Quod refutatum à Mercero. Item, quod fugerat, non effugit. Vocem תרדמה Onkelos reddit simpliciter שינתא i. somnum. Jonathan vero addit epitheton עמיקתא i. profundum. Idem hoc loco, *sumpsit unam e costis ejus, videlicet costam decimam tertiam ex latere dextero.* Unde hoc scivit? ¶ *Conclusit carnem pro ea*] replevit carnem pro ea. Hiero. Onkelos. ἀνεπλήρωσε σάρκα ἀντ' αὐτῆς Lxx. *univit in carnem*, Jonathan.

22. *Et ædificavit DOMINUS Deus costam illam quam acceperat ex homine in mulierem, & adduxit eam ad hominem.*

Ædificavit costam illam in mulierem] Sermo ἑβραΐζων. Latini dicerent, Extruxit vel condidit aut fabricatus est ex ea costa mulierem. ¶ *Ex homine*] malim, *ex Adam*, ut mox *adduxit eam ad Adam.* ¶ *In mulierem*] R. Salomo explicat, *ut esset mulier*, aut *uxor*: & benè ita explicat. Sic alibi, Jud. 8. *Et fecit illud Gedeon in Ephod.* sensus est להיות אפוד ut esset Ephod. Quo referri posset, *Aurum quod fecerunt in Baal*, ut esset Baal. ¶ *Adduxit eam*] humano more loquitur, ac si vicino aliquo in loco mulierem condidisset ac post ad Adamum exporrectum eam adduxisset.

23. *Dixitque homo, Hæc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: hæc vocabitur vira quia ex viro sumpta est hæc.*

Hæc nunc] זאת הפעם hæc hac vice i. nunc. הפעם hac vice. sic dicimus הלילה hac nocte, היום hodie. Santes & alii, *hac vice.* הפעם הזאת vel simpliciter הפעם ut diximus. Hiero. *hoc nunc.* nam fœm. pro neutris usurpant. Sic Græci Lxx. τοῦτο νῦν: hoc videlicet quod ad me adducitur i. hæc mulier. Symmachus & Theodotio τοῦτο ἅπαξ, *hoc semel.* הפעם accipiunt pro פעם אחת vice una i. semel. q. d. non amplius ex ossibus viri sumetur, sed per generationem deinceps propagabitur. Hiscuni, *Nunc vira à viro prodit, sed deinceps non ita erit, quia vir à vira, hoc est, fœmina prodibit.* ¶ *Hæc vocabitur vira quia à viro sumpta est hæc*] Sym. αὕτη κληθήσεται &c. ut supra. Augustinus Eugubinus hoc Aquilæ tribuit, *Fuerunt* inquit, *etiam apud Græcos qui Ebraicam analogiam secuti sunt. Nam Aquila novum excogitavit nomen Græcis antea inauditum. Siquidem ab ἀνὴρ hoc est vir, deduxit ἀνδρὶς quasi vira: alii, ex Ebraico & Græco unum nomen fecerunt ἰσσανδρα.* Nos Hiero. secuti sumus, cujus verba supra citata. ¶ *Hæc vocabitur*] לזאת יקרא huic nomen erit. αὕτη κληθήσεται, hæc vocabitur, hoc Hiero. illud Lxx. ediderunt. Alii, *propterea vocabitur.* Qui sic interpretantur secuti sunt Abenezram, cui לזאת valet בעבור זאת propter hoc, ut alibi legimus, אמרי לי *dic de me*: quod exponunt בעבורי propter me. Nos secuti sumus priscos interpretes, à quibus temerè discedendum non est. ¶ *Vira*] Nescio an in ulla alia lingua tam commode reddi possit hic locus. Nam ἀνδρὶς vocabulum est effictum à Symmacho aut ab Aquila. Vira probum & antiquum est. Ut Isscha est ab Isch: sic à viro vira. Qua de re pridem vos monui. Adite ad Quæstiones meas, mirum vero est quam in hoc loco reddendo se torserint interpretes. Omnes frustra fuerunt. Nam γυνὴ non ducitur ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, ut nec mulier à viro. Virago autem aliud significat. Virissa, quo Santes usus, barbarum est. Assumptio, id est, λῆμμα, tam alienum est à mente Mosis, quàm quod maximè. Ceterum ex hoc loco colligunt Judæi primos parentes usos fuisse lingua Ebræa, qua & mundum conditum esse dicunt. ¶ *Sumpta est hæc*] Pronomen redundare videtur: itaque omissum fuit & à Hiero. & à Lxx. in fonte לקחה זאת quod etymologiam Theodotionis planè convellit. non enim certe à לקח accepit, potest esse nex assumptio.

24. *Quamobrem relinquet vir patrem suum & matrem suam; & adhærebit uxori suæ: eruntque caro una.*

Quamobrem] idcirco, propterea. Lxx. ἕνεκεν τούτου: hujus rei gratia vel caussa, vult dicere, quia uxor ex viro est: tum etiam quia à Deo ei tradita in matrimonium. ¶ *Relinquet*] derelinquet, deseret, καταλείψει. ¶ *Vir*] איש. minus probo quod in antiquis editionibus ἄνθρωπος, homo. nam licet איש interdum pro אדם accipiatur, tamen hoc loco sexum notat. Itaque Chaldæi גבר transtulerunt, quod proprie virum denotat. ¶ *Patrem suum & matrem suam*] *cubile patris sui & matris suæ.* Onkelos. *relinquet vir & separabitur à cubili patris sui & matris suæ.* Jonathan. *relinquet vir cubile patris sui & matris suæ.* Jerosolymitana. Cubile autem dicitur ab Onkelo בית משכבי: à ceteris בית כרסא. Quanquam in Jonatha בית מדמכה דאבוהי. Mercerus, *domum cubilis*: alii, *lectum* sive *domum lecti* exponunt: & allusum putant ad priscam consuetudinem, qua liberi in cubili parentum, dum matrimonio jungerentur, cubare soliti erant. Porro *relinquet* quidam enarrant, relinquere debet. Quale illud, *filius honorabit patrem*, i. honorare debet. ¶ *Et adhærebit*] ודבק verbum à visco sive glutine, quod דבק vocant, deductum. Unde melius Græci, προσκολληθήσεται, quod sonat ut si dicas, *adglutinabitur.* hoc est firmissime adhærebit, ut quæ glutine conjuncta sunt. Onkelos retinuit. Jonathan יתחבר associabitur q. d. erit ei socius individuus. ¶ *Eruntque*] Hiero. *& erunt duo.* Sic Græci καὶ ἔσονται οἱ δύο. Jonathan quoque ויהון תריהון *& erunt ambo illi.* Quod necessario subaudiendum. Nam & Christus extulit in euangelio. ¶ *Caro una*] לבשר אחד *in carnem unam* i. caro una: & *caro* i. corpus. Tacitus de moribus Germanorum, *Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam* &c. Sic Apostolus usus fuit hac voce. nam cum ait, *Non omnis caro eadem: alia quidem hominum, alia autem pecoris, alia volucrum, alia piscium*, apertissime carnem appellat corpus terreni ac mortalis animantis. Quod ipsum Augustinum non latuit. Vide sis de Civit. Dei lib. 14. cap. 2. Hinc scies quid sit *vita carnium.* nam *carnium* i. corporis & *vita* i. bona valetudo. Ebraismum retinuerunt Lxx. εἰς σάρκα μίαν. mutavit Hiero. *in una carne*: quod alium sensum habet. Ebræi hoc dicerent כבשר אחד. Vide etiam qui referunt, *coalescent in unum corpus*, ad sententiam non male.

25. *Erant autem ambo illi nudi, homo & uxor ejus, & non erubescebant.*

Erant autem, &c.] Hiero. *erat autem uterque nudus.* Lxx. καὶ ἦσαν οἱ δύο γυμνοὶ: & erant ambo nudi. Hinc οἱ δύο migravit in versum qui antecedit, ut quidam volunt. Jonathan, *& erant ambo illi sapientes.* ערום callidus, versutus, sapiens i. σοφὸς. Ita Lxx. interpretantur Gen. 3. 1. ערום nudus. Pluralis ערומים. cum puncta aberant ambiguitas erat. hanc ambiguitatem sustulerunt critici Ebræorum legentes ערומים cum nudos denotat per dages. Unde dicunt, ערומים דגשין חכימין רפיין. Sensus est, ערומים per dages i. nudi: ערומים absque dages i. sapientes, versuti. Recte igitur Onkelos hoc loco habet ערטילאין nudi, sententia id mirabiliter comprobante, ne dicam exigente. ¶ *Non erubescebant*] *nesciebant quid esset pudor.* Jerosolymitana. *non pudebat eos.* alia recentior. οὐκ ᾐσχύνοντο. Lxx. ולא בהתין Jonathan.

AMAMA.

VErsu 2. Leve itidem & multis commune erratum à Vulg. commissum est hoc versu, dum ויכל convertit per præteritum perfectum *& complevit.* Quod notare non duxissem operæ, (nec enim ea nos incessit contradicendi carpendique prurigo) nisi antiquissimos simul & doctissimos viros ea lectio in errorem induxisset. Fidem hujus rei facient Hieron. & Galatinus, quorum iste Quæst. Ebraicis in Genesin dicit *hinc arctari Judæos & ostendi jam tum in principio ab ipso Deo Sabbathum dissolutum, dum in Sabbatho Deus operatur, complens in eo opera sua* &c. Quæ ad verbum descripsit Galatinus in, De arcanis Catholicæ veritatis lib. XI. cap. 10. Quæ etiam suo calculo approbasse videtur Joh. Benedictus Theol. Parisiensis, dum hæc Hieronymi verba sine ulla censura margini suorum Bibliorum interposuit. At omnia isthæc in fumum abeunt & dispalescunt, inquit Cl. Drus. (a) si hoc futurum quod conversum in præteritum est, exponas per plusquamperfectum, *& compleverat*, quod & Vatablus & Mercerus notarunt. Præteritum enim unicum Ebræorum omnes species præteritorum complectitur. Distinguit Cajetanus, ut nodum solvat, inter actionem positivam & negationem ab-

stinere

(a) *Cap. 8. ad loca difficil. Genes.*

ulteriore operatione: Et Lyra inter perfectionem quâ assequitur aliquid formam debitam & eam quâ exit aliquid in operationem sibi debitam. Sed quorsum conjicias te in eas angustias, ubi unica eaque certissima observatione Grammatica res expediri potest? Lxx. hic loci habent καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ &c. *Et complevit DEVS die sexto.* Quo nomine ita passim ab authoribus perstringuntur, ut tantum non sacrilegii arcessantur. Ego sic opinor, reprehendendos quidem, quod cum in promptu esset vocis Græcæ plusquamperfectum *septimum* verterint in *sextum*, at reprehendendos fuisse magis si vertissent ἡμέρᾳ ἑβδόμῃ. Vidisse mihi illi videntur quod tot oculos fugit. Quis enim non videt ad sensum idem sonare has duas propositiones,

Compleverat Deus die VII. omne opus suum, &
Complevit Deus die VI. omne opus suum.

Si enim compleverat die VII. quando complevit, quæso te, nisi die sexto?

6. Ebr. *Sed vapor ascendebat.* Vulg. *Sed fons ascendebat.*]

Vulgatum decepere οἱ LXX. qui hic habent, καὶ ἡ πηγὴ &c. At Ebræa habent ואד *& vapor*. Steuchus & Cajetanus ajunt illos vaporem interpretatos fontem, non quod revera fons esset, sed quod instar fontis omnia inundaret. Sed cum in promptu esset vox *Vapor*, quid opus erat ad hanc κατάχρησιν descendere? Chaldæus rectius ענן *nubem* vertit. & Joh. Bened. Parisiensis Theologus reposuit *Vapor*. Quam versionem Steuchus non obscurè alteri præfert. Dicit enim Philonem, & Hugonem de S. Victore ex Vulgata lectione deceptos, dum ille locum hunc exponit de fontibus ex visceribus terræ surgentibus, hic verò de subterranea quadam abysso.

8. Ebr. *Hortum in Eden ab Oriente.* Vulg. *Paradisum voluptatis à principio.*]

Dupliciter ab Originali exorbitavit Interpres. Primo enim quominus vertas *hortum voluptatis* obstat litera ב ante עדן, בעדן, ut ut detur עדן aliquando pro deliciis & voluptate sumi. Hic certè locum proprium significare, ex collat. Genes. 4. 16. ostendit Cl. VVitak. in suis Disput. adversus Bellarm. Nec solùm ille hoc urget, sed & duo rigidi Pontificii Cajetanus & Steuchus, uterque ad hunc locum. LXX. etiam versionem nostram stabilitum eunt, dum vertunt ἐν Ἐδὲν: Et Chald. בעדן גנתא hortum in Eden. Alterum in quo peccatum ab Interprete est, quod cum קדם tam prioritatem loci quam temporis significet, posteriorem hic elegerit, quod commune ei cum Aquila, qui vertit, ἀπὸ ἀρχῆς. Fateor hoc excusari posse commodeque exponi, ut sensus sit, *a principio* vel *exordio* mundi sc. conditi, ut præceptor & decessor meus Cl. Drusius in Fragmentis Veterum Græc. Interpretum ad hunc locum notavit, quomodo & Satan in N. T. dicitur fuisse homicida ἀπ᾽ ἀρχῆς, a principio sc. originis suæ, ut hoc modo intelligatur ad exiguum tempus in integritate sua perstitisse. Notandum tamen ideo duxi, tum quia Lxx. quos alias sequi solet noster Interpres, hic rectius, κατὰ ἀνατολὰς, tum quod hæc versio ipsum Hieron. in avia traxerit. Dicit enim in Quæstionibus *hinc manifestissime comprobari quod priusquam cœlum & terram Deus conderet, Paradisum ante condiderat.* Ut frustra sint Senensis & Mercerus, qui Hieronymum hic excusare satagunt, quem ipse Steuchus non alia ratione quivit excusare, quam asserendo. *Hieronymum non semper in ea opinione perstitisse.* Quam vellem locum Retractationis ex ipso Hieron. annotasset! Nam Albinus Quæst. in Gen. & Eucherius comm. in Genes. ingenue profitentur eam fuisse Hieronymi mentem quam verba præ se ferunt. Franciscus Georgius Minorita Tomo 1. Problem. ex his conatus fuit nobis persuadere a suis partibus stare Hieron. & sensisse Paradisum non fuisse in visibili hac terra situm. *His enim consideratis*, inquit Georgius, *Hieronymus pronunciavit Paradisum ante cœlum & terram conditum. Nimirum ut his verbis significaret Paradisum Mosis non esse in hac visibili terra situm, sed in illa terra viventium, quæ ante hunc visibilem mundum in invisibili mundo creata est.* Unde & hoc elucescit, quam facile versio hæc adhiberi posset ad recoquendum veterem illum dudumque sepultum errorem, quo creditum est multis ante hunc visibilem mundum sæculis alium invisibilem mundum creatum, & in ipso Angelicam naturam. De quo videndus Senensis lib. 5. Biblioth.. annot. 5. Ibi enim crimini istius erroris reos peragit Basilium, Origenem, Nazianzenum, Ambrosium, Hilarium, Damascenum, Cassianum, Isidorum, & alios, productis ad firmandum fidem suam singulorum testimoniis. Ea indidem pete. Hoc tantum nota Lector, ex his & similibus locis pullulasse stultissimum illud Judæorum delirium de septem rebus ante mundum creatis, in quorum censu & Paradisum locarunt. De quo vide Mercerum ad hunc locum.

Vers. XXIII. Ebræa, *Hac vocabitur* אשה ISSCHA, *quoniam* מאיש *de* ISCH *sumpta est.* Sic inquam, Ebræa habent vel ipso Cajetano teste. LXX. hæc nullo modo assecuti sunt, dum verterunt, αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη. i. *hac vocabitur* γυνὴ *mulier quia de* ἀνδρὸς *viro sumpta est.* Quid enim affinitatis est inter ἀνὴρ & γυνὴ; mulierem & virum? Dum itaque vocabulum ἀνδρὶς cum Symmacho fingere noluerunt, non ostenderunt quid traderet Scriptura. Vulgatus paulò magis apposité, *Hac vocabitur Virago, quia de viro sumpta est.* Virago a viro, ut ISSCHA ab ISCH. Non culparem nisi ipse Cajetanus & Steuchus culparent. Et jure merito culpant. Nam Virago proprie fœminam cordatam & robustam, quæ animum virilem gerat, significat, & in Latio erat vox *Vira*, quam Cajetanus, Steuchus, Lyra, & alii substituerunt, licet Latinam esse ignorarint. At probam vocem esse primus Interpretum, ad hunc saltem locum: docuit Cl. Drusius in Quæst. suis ex Festo, cujus hæc sunt, *Fœminas quas nunc dicimus, antiqui Viras appellabant, unde adhuc permanent Virgines & Viragines.*

DE MUIS.

2. ET *ædificavit Dominus Deus costam illam quam tulerat de Adam* (seu *homine*) *in mulierem*,] Etsi satis supérque sit mortalibus ingeniis scire quid à Deo esse factum, nec satis pium aut tutum interdum, cur aut qui factum velle investigare, nihilominus tamen opera Dei Opt. Max. quà possumus, examinare haudquaquam prohibemur, modò intra modum consistamus, nec ultrà quàm possit mens humana, minimum autem potest, adnitamur; illud semper tenentes, nimiùm esse in Dei operibus quod religiosè admiremur, silentióque ac fide veneremur, nihil aut parùm quod satis capiamus, nedum verbis explicare possimus. Ingenuè fateamur nescire nos quæ nescimus, nec dum mortales sumus scire possumus. Dei opera eorúmque causas scrutari, nec nimiùm tamen solicitè, forsan liceat, nunquam de iis certò pronunciare quisquam audeat. Quis jure reprehendat si quis expendens fortè hunc versum Gen. 2. *Et ædificavit Dominus Deus costam illam quam tulerat de Adam, in mulierem*, quærat 1. Quare non eodem modo mulier quo homo seu Adamus creata est, nec quo modo cæterorum animantium feminæ, quæ unà cùm maribus editæ sunt, sed è costa Adami jam creati? 2. Quare non usurpet hoc loco S. Scriptura verbum *creandi*, aut *formandi*, sed *ædificandi*? Denique an costa illa quæ ab Adamo sublata est ad constructionem illius corporis fuerit necessaria, an superflua? Nam si necessaria astruatur, sequatur defuisse postea aliquid corpori Adami: si verò fuit superflua, jure quis arguere videatur monstrum fuisse Adamum, quòd ejus corpus membris redundaret. Hæc quærere humanarum est argutiarum, de his certò respondere non itidem humani est acuminis. Si quis tamen suas conjecturas, sed nihil aliud quàm conjecturas, de his & ejusmodi in medium proferre velit, non est, meâ quidem sententiâ, rejiciendus. Abarbanelem virum utique doctum, sagacem & acutum inter alios Hebræorum audiendum censeo, cujus quidem verba Latinè ad hunc modum utcunque expressi; nimis enim longum esset Hebraica referre; *Visum est Deo ut crearet mulierem è costa hominis; neque eam seorsum ac separatim condere voluit, quemadmodum cæterorum animantium feminas, & ipsum Adamum, propterea quod cæterorum animalium femina maribus, nisi procreandi ergò duntaxat, non conjunguntur, ac nihil præterea illis cum maribus sit, ut quæ seorsum vitam agant. At verò homini feminâ est opus, cùm ad alia multa, tum ad cibos parandos & alia domestica officia*, [Addo, *ac præsertim ad vitæ societatem*,] *ideóque homini subjaceat obediátque necesse est. Oportuit idcirco mulierem partem esse illius corporis, ut ceu pars suo toti conjungeretur adhæreretque, firmius ipsum amaret tueretúrque quoad posset. Detraxit igitur Deus* unam de costis *Adami*, & replevit *seu* clausit carnem *in corpore Adami* pro ea, *ex eaque mulieris ædificium exstruxit, sicuti dicitur* Gen. 1. 21. Et ædificavit Dominus Deus costam illam, *&c.* Nonnullis interjectis pergit, *Neque vero creavit Deus mulierem ex Pedibus, quæ abjectior in homine pars est, nè illam haberet pro ancilla, neque ex Capite, nè illa sibi videretur domina, sed ex Costa quæ medio in corpore jaceret, ut doceretur utrique parem in domo locum ac dignitatem competere. Quod ad alia membra attinet, adferuntur etiam quædam mystica rationes. Videtur mihi porrò eodem tempore quo Adamus creatus est, creata & illa costa, præter costas ad corporis constru-*

constructionem necessarias. Neque tamen illa fuit superflua aut otiosa. Est enim aliquid inutile cuipiam singulari, quod tamen est necessarium speciei. Sic semen superfluum est ratione individui, ipsum tamen charum habet natura conservátque ad procreationem generisque propagationem. Similiter statuendum de costa illa, fuisse inutilem primo homini, ast necessariam ad mulieris procreationem. Neque verò dubium quin ea costa mixta carne fuerit, ex illáque ossa, ex carne verò caro exstiterit in muliere. Fieri autem non potuit vi ac viâ naturæ ut capitis membra, cor, medulla, jecur, nervi etiam, arteriæ, venæ, tum ex carne tum ex osse tantum exstiterint. Hinc est quòd Sacer Textus mulieris è costa creationem Dei voluntati ac potentiæ ascribat, his verbis, Et ædificavit Dominus Deus costam illam quam tulerat de homine, in mulierem. *Utitur verbo* ædificandi, *non* creandi, *propterea quòd è nihilo mulier non fuit, neque* formandi, *quoniam illius forma non fuit nova forma sed hominis forma: utitur, inquam, verbo* ædificandi *quasi opus Divinæ artis mulier sit.*

23. *Hâc vice os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, &c.*] Adamus somno qui Divinitus immissus fuerat experrectus mulierem ex suarum costarum una constructam cùm vidisset, *Hâc vice*, inquit, *os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*, &c. Quid hoc, *Hâc vice?* Bechai sic exponit, על דרך הפשט זאת הפעם בלבד היא שלקחה עצם מעצמי אבל מכאן ואילך לא יצטרך לקחת אשה מצלע אלא תהיינה יתעסקו בפריה ורביה: *Si sensum sequaris literalem, Hâc vice tantummodo assumpta est* mulier *os ex ossibus meis. Verùm deinceps haud necesse erit extrahi mulierem è costa; sed procreationi liberorum studebunt homines:* nascetúrque mulier כמנהגו של עולם *secundùm morem mundi*, ut Isaacus Karus loquitur. Ità interpretatum esse Rasi autor est Bechai, qui tamen locum non indicat. Certè ista interpretatio non exstat in Comment. Rasi in h. l. Hoc observat idem Bechai ex allegoricis, mulierem duram esse naturâ quòd ex osse sit condita, hominem verò seu virum facilem quòd ex pulvere sive humo, quæ est facilis; ideóque dici de homine paulò antè, comm. 7. *Formaverat igitur Dominus Deus hominem*, &c. quòd fuerit instar luti, quod facilè figuli manibus cedit; de muliere verò, comm. 22. *Et ædificavit*, &c. non secùs ac quispiam ædificium è duris lapidibus excitat: indéque esse quod Psal. 103. 13. legitur, *Quomodo miseretur pater filiorum*; ubi misericordia patri tribuitur, cùm contrà מדת הדין *conditio* (sive *proprietas*) *judicii* matri, ut Prov. 31. 1. *Prophetia quâ erudivit* (seu *castigavit*) *eum mater ipsius.* Rasi istis verbis, זאת הפעם doceri censet, שבא אדם על כל בהמה וחיה ולא נתקררה דעתו בהם: *Adamum ingressum super omnia animalia, neque mente in iis acquievisse.* Quæ explicans Isaacus Karus חס ושלום, inquit, שבא בפועל אלא אחר שקרא לכל הבהמות והחיות שמות הראויות להם בחכמתו ראה שאין שם נקבה שלהם מסכים עמו, *Absit, quod reapse* (sive *actu*) *ingressus sit: sed posteaquam universis jumentis & feris convenientia indidisset nomina, vidit pro sua sapientia nullam eorum femellam sibi congruere.*

GROTIUS.

2. **E***T omnis ornatus eorum*] צבא שמים *exercitus cælorum* modo sunt stellæ Deut. IV. 19. Esaiæ VII. 26. modo Angeli 1 Reg. XXII. 19. Hic prior significatio præferenda, quia Mosem non nisi de rerum quas conspicimus conditu agere probabilior sententia est.

3. *Ut faceret*] id est, faciendo ἐξηγητικῶς (*per explicationis modum*). Sæpe enim עשה *facere* ponitur pro ברא *creare*. Sic ὁ ποιήσας (*qui fecisti*) Act. IV. 24.

4. *In die quo fecit* Dominus *Deus cælum & terram*] Dies hic tempus significat. Sic ביום [*in die*] Num. VIII. 17. de tempore nocturno.

5. *Omne virgultum agri*] שיח [*planta*] etiam arbores comprehendit. Et sic interpres hic vertit Gen. XXI. 15. ubi Græci ὑποκάτω ἐλάτης [*sub abiete*].

6. *Sed fons ascendebat è terra*] In antiquissimo codice, quo usus est Saadias, apposita hic erat negans particula, quod non improbem, si adsit plurium codicum consensus, ut rationem reddat Moses cui hortum illum, de quo jam aget, Deus inter magna flumina constituerit, nempe quia de cœlo adhuc suam puritatem retinente, non cadebant imbres, & recens facta aquarum à terris in suos alveos discessione, nullæ novæ scatebræ è terra ebulliebant. Nam quod hic in Hebræo est אד, πηγή est LXX. interpretibus, & fons Latinis: ἐπιφλυγμός [*ebullitio*], ut hic posuit Aquila, aut ἐπιβλυσμὸς [*scatebra*], ut Symmachus, Job. XXX. 12. & Prov. I. 26. Frequens autem est illis LXX. ut & Novi Testamenti scriptoribus, πηγὴν [*fontem*] ponere pro qualicunque humoris eruptione. Vide quæ dicta nobis ad Marcum V. 29.

7. *De limo terræ*] *Lutum* dixit Martialis, πηλὸν Callimachus bis: Hesiodus γαῖαν ὕδει φύρειν [*tellurem lymphâ miscere*].

Aspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ] Quanquam & aliorum animantium spiritus à Deo esse aliquo sensu dici potest, non tamen sine caussâ speciatim hoc de hominis spiritu, ut diviniore, dixit Moses, & Job. XXXIII. 4. Neque vero hic spiritus in nares inditus dicitur, sed in faciem totam, mentis indicem, & loquendi capacem, qua de causa spiritum loquentem hic posuit Paraphrastes Chaldæus. De immortalitate vero animi separatim hic non agi videbit qui contulerit inter se, & consideraverit loca Jobi. XXXIV. 14. Psal. CIV. 29. Actor. XVII. 25. Ecclesf. XII. 7. Nimirum hoc non primæ, sed novæ est creationis: sive ad statum sæculi futuri pertinet.

9. *Lignumque scientiæ boni & mali*] Vide quæ hac de re annotavimus ad cap. II. libri II. de Jure belli ac pacis. φυτὸν ὀξύνοιας διανοίας [*plantam ad subtilitatem mentis*], vocat Josephus. Scientiam homo secum non adfert, nec ideo miser est. quin dicere ausus Euripides:

> Ἐν τῷ μαθεῖν γὰρ οὐδὲν ἥδιστος βίος,
> Ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς.
> [*Nil quippe scire, vita jucundissima est,*
> *Discas priusquam gaudia & luctus pati.*]

qui & alibi:

> Ὁ μηδὲν εἰδὼς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει.
> [*Qui nil scit, is profectò delinquit nihil.*]

Cicero tertio de natura Deorum, prudentiam constare ait ex scientia rerum bonarum & malarum, & nec bonarum nec malarum: cui autem mali nihil est, ei nihil opus delectu bonorum & malorum. Et postea dicit, calliditate perpaucos benè uti, qui tamen ipsi sæpè à malè utentibus opprimantur: innumerabiles autem malè uti, ut donum hoc ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur. At naturaliter homo sicut sciens non est, ita omnis etiam non necessariæ, sæpe nec utilis, scientiæ est appetens. Vide Aristotelem initio τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ [*eorum quæ post Physica tractantur*]: & Plutarchum libro, Non posse suaviter vivi secundum Epicurum. Illo igitur tempore, rebus cæteris affluentibus, nulla potuit homini adferri tentatio efficacior.

10. *Et fluvius egrediebatur*] Fluvius hic ponitur pro magna aquarum copia. Sunt enim alioqui amnes quatuor, ut jam sequitur. Apparet id evidenter commate 14.

Dividitur in quatuor capita] In Hebræo magis proprie *dividitur, & est in quatuor capita.* Ubi *in* abundat, ut Matth. XIX. 6. Apparet autem ex duobus non dubiis amnibus Euphrate & Tigride hos hortos illis in locis fuisse, de quibus Dionysius Periegetes:

> Ὅσση δ' Εὐφρήτου καὶ Τίγριδος ἔνδοθι γαῖα,
> Τήνδε περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσι.
> Οὐ μέν τοι κείνης γε νομεὺς ὀνόσαιτο βοτῆρας,
> Οὐδ' ὅστις σύριγγι κεράοχον Πᾶνα γεραίρων
> Μήλοις ἀγραύλοισιν ἐφέσπεται. οὐδὲ μὲν ὕλην
> Παντοίην φυτοεργὸς ἀνὴρ ἀθερίζεται καρπῶν.
> Τοίη ἐπὶ κείνης ἄροσις πέλει. ἐν μὲν ἀέξων
> Ποίην, ἐν δὲ νομὸς διαειδής. ἐν δὲ καὶ ἀνδρῶν
> Φῦλον καλλιστόν τε καὶ ἀθανάτοισιν ὁμοῖον.
> [*Quæ jacet Euphrate contenta & Tigride tellus,*
> *Hanc inter fluvios prisci dixere coloni.*
> *Bubsequa non ejus contemnat pascua terræ,*
> *Nec qui Pana canens & arundine lætus agresti*
> *Nocturnas custodit oves. non consitor horti*
> *Omnigenum ingentes pomorum spernat acervos.*
> *Tanta illic messis. felicia pascua florent,*
> *Et frondent herbæ, & forma supereminet omnes*
> *Gens ea pulchra virûm, Dis immortalibus æqua.*]

Curtius lib. V. *Inter Tigrim & Euphratem jacentia tam uberi & pingui solo sunt, ut à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto ferè solo per venas aquarum resudante.* Ubertatem ejus soli & Plinius prædicat libro V. cap. 26. libro autem XVIII. 17. *Babylone tamen bis secant, tertiò depascunt, alioquin folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas soli: verum diligentioribus cum centesimo. Neque est cura difficilis. Quum diutissimè aquari gaudent, ut prepinguis & densa ubertas diluatur. Limum autem non invehunt Euphrates & Tigris, sicut in Ægypto Nilus. nec terra ipsa herbas gignit. Ubertatis autem tanta sunt, ut sequente anno restibilis fiat seges impressis vestigio seminibus.* Hieronymus notat in Mesopotamia

mia oves bis parere. Inde toti illi tractui nomen Heden, id est ἡδονῆς [*voluptatis*]. II Regum XIX. 12. Ezech. XXVII. 23.

11. *Phison*] Hunc, quia Tigridi jungitur, servatâ nominis antiquitate Pasitigrin vocant. Vide Plinium libro VI. 29. Curtium dicto libro V. Strabonem libro XV.

Omnem terram Hevilath] In Hebræo est החוילה *Chavila*. sed Syri pro ה ponunt ת ut sit חוילת [*Chavilath*], & sæpè addito א dicunt חוילתא [*Chaviltha*]: unde Χαυιλαῖοι Eratostheni apud Strabonem. Phisonis fluminis inter Nisibim & Aspam meminit Haitho.

12. *Bdellium*] Rectiùs *margarita*, ut voluit Kimchi & Benjamin, ubi Catipham describit.

13. *Gihon*] גיחון Nomen est quod non uno in loco reperitur. Vide I Reg. I. 33. II. Paralip. XXXII. 30. XXXIII. 14. Significat enim ἐκβολήν, id est, divertigium fluminis. Est autem aut Armalca Plinio, sed corruptè, nominatus libro V. cap. 26. rectiùs Ammiano Marcellino Naar malcha נהר מלכא [*flumen regis*] duobus locis libris XXIII. & XXIV. Straboni ex Syriaco in Græcum translato nomine βασίλειος ποταμός, & sic eidem illi Marcellino dicto libro XXIII. sed alio loco, flumen regium: aut si id minus placet, quod à regum aliquo factus is credatur alveus, & inde nomen habere, Chaboras: quem cum Euphrate conjungi Ptolemæus testatur. Vide & Strabonem. Flumen Gichon nomine cum Tigride nominat Persica historia. Vide Teixeram.

Æthiopia] Hebræis כוש [*Chus*], unde Κίσσιοι [*Cissii*], Æschylo apud Strabonem.

14. *Tygris* [In Hebræo חדקל [*Hidekel*], unde cum additamento Syriaco, de quo jam aliquid diximus, factum חדקלתא [*Hidiklito*], & prima gutturali, quæ facile perit, extrita, Diglito, quod nomen est apud Plinium libro V. 27. Inde Græci corrupta pronuntiatione Tigridem fecere. Vide quæ dicemus ad II Reg. XV. 29.

Ipse vadit contra Assyrios] In Hebræo קדמת אשור id est, in conspectu Assyriæ, quo sensu κατέναντι [*contra*], quod hic LXX. Interpretes habent, sæpe sumitur: ideo aliis in locis vertunt ἐνώπιον [*in conspectu*].

Euphrates] In Hebræo הוא פרת [*ille Pherath*], ille eximius amnis nomine Pherath aut Phrahatis dictus. nam sunt & alibi amnes eo nomine, à fœcunditate appellati. Ex illo articulo excellentiam designante, & ex nomine illo communiore, factum Græcum nomen, Euphrates.

15. *Tulit*] suasione. Rabbi Solomo hic. Sic ἀνήχθη [*abductus est*] Matth. IV. 1.

16. *Ex omni ligno paradisi comede*] Homerus:

—— ἐσθλὰ δὲ πάντα
Τοῖσιν ἔην. καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον.
[—— *Illis cuncta fluebant*
Prospera: frugem etiam tellus inarata ferebat
Sponte sua, multam, egregiam.]

17. *In quocumque enim die comederis*] id est: cum primum comedes. Simile loquendi genus Dan. III. 5. 15.

Morte morieris] Vires tuæ, sustentatæ ante per arborem vitæ, deficient: quæ via est ad mortem. Syri interpretes hic habebant, *mortalis eris*: quod notant Ambrosius & Hieronymus.

18. *Adjutorium simile sibi*] Hebraice כנגדו coram ipso, id est ut ministret ipsi. Sic ponitur I Sam. XXIX. 8. I Reg. X. 8. Sensum expressit Paulus I Cor. XI. 9. vide & infra III. 12. Cicero ex Oeconomicis Xenophontis: *Maritale conjugium sic comparatum est natura, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima vitæ societas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret. propter hoc mas cum femina est conjunctus: deinde ut ex eadem hac mortalitate adjutoria senectutis, nec minus propugnacula præparentur.* Ubi vides ipsam adjutorii vocem.

19. *Ut videret quid vocaret ea*] Est id dominii signum, ut recte notavit Chrysostomus. Manifestum id ex Psal. CXLVII. 4.

21. *De costis ejus*] Chaldæus vocem צלע exposuit *partem*: ut observavit Maimonides: sic & Græci μέρος [*partem*] verterunt Exodi XXVI. 26. 35. XXXVI. 27. Ægyptii costas in somniis ad uxores referebant, teste Achmete.

23. *Os ex ossibus meis*] Velut de me genita. Servius ad illud IV. Æneidos:

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Sane Punici ex ossibus dicunt oriri posteros: quos nos ex sanguine. Punica lingua Hebrææ proxima, ut notatum & aliis, & nobis alibi. Adde I Cor. XI. 8.

Virago] Viras Romani olim feminas vocabant. Notatum Festo. Sic veteribus Germanis à *man*, quod virum significat, *minne*, id est femina, quomodo nunc nutrices vocantur. Inde *meerminne*, femina maris, Siren sive Nereis: inde verbum *minnen*, γυναικοφιλεῖν, quod postea laxius usurpatum. Symmachus cum in Græca lingua nihil reperiret simile, finxit vocem ἀνδρίδα. Hoc rectius quam quod Theodotion אשה derivat à נשא, quod interdum significat assumere.

24. *Adhærebit*] Græci magis proprie προσκολληθήσεται [*agglutinabitur*], ut & Matthæi interpres XIX. 5. Marcus X. 7. Paulus Ephes. V. 31.

Et erunt duo in carne una] Illud *duo*, quod hîc habet Latinus, ad sensum plenius exprimendum addendum censuere & Græci, & Samaritanus, & Matthæi interpres XIX. 5. Socratis sententiam sic refert Aristoteles II Polit. IV. ἐρῶντας συμφῦναι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα [*Qui se amant mutuo, eos ambos ex duobus unum quid fieri*]. Plutarchus Sympoliacis: ὥστε δύο ὄντας ἕνα γενέσθαι [*Ita ut qui duo fuerant, unum fiant*].

Ovidius Tristium IV. 4.

Qui duo corporibus, mentibus unus erant.

CARTWRIGHTUS.

1. ET *omnis exercitus eorum*, (a) וְכָל צְבָאָם] Chald. וכל חיליהון, quod idem sonat solem, lunam, stellas, herbas, arbores, animantia, cœli & terræ exercitum (inquit Fagius) vocat Scriptura, quòd in eis mirabilem suam potentiam atque sapientiam Deus ostendit. LXX. καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν. Vulg. *Et omnis ornatus eorum*. Et verum quidem est cœlum ac terram rebus istis antea commemoratis ornata esse; vox tamen צבא sæpe alibi in Scripturâ pro exercitu, nunquam autem (quod sciam) pro ornatu usurpatur. Camero (ut est in Myroth. ad Luc. 2. 13.) ait צבא primò quicquid ordinis rationem habet, significare, atque ità de tempore certo ac constituto dici. Et Graserus, exercit. 1. in Dan. ait, propriè ordinem, sive dispositam seriem indicare, earum sive rerum, sive temporum, quæ sub uno genere comprehenduntur. Et Exercit. 4. ait hanc, quâ eam exercitum interpretamur, non esse hujus vocis propriam versionem, sed eam, quam Exercit. 1. tradiderat, nempe earum rerum, quæ sub uno aliquo genere comprehenduntur, ordinem sive distributas species hâc voce significari. Cujusmodi rerum creatarum species sive ordines cùm infiniti sint, Deum Opt. Max. peculiari majestatis & omnipotentiæ suæ indicatione יהוה צבאות, *Dominum seriesrum*, sive, ut vulgò, *exercituum* vocari. Addit hanc propriam significationem multas translationes habere, atque inter alias hanc, quâ radix hæc de officiis Templi, déque iis usurpatur, qui illius munia per certas & dispositas vices obeunt. 1 Sam. 2. 22. Numer. 4. 3. Ego verò cùm videam vocem hanc plerunque de exercitu dici, rariùs autem pro tempore constituto usurpari, in Merceri (ad Job. 7. 1.) sententiam potiùs eo, nempe צבא propriè exercitum & militiam significare; deinde sumi pro ipso militiæ tempore, quanto tempore quis meretur, & stipendia percipit; & denique generaliter pro stato & præfixo temporis spatio, & præscripto termino accipi. Illud addo, ideo hanc vocem de officiis Templi usurpatam videri, quòd opera illic navata quasi sacra quædam fuit militia. Ità Timotheus speciali quadam ratione, utpote ad ministerium Euangelii adscitus, miles Christi ab Apostolo appellatur. 2 Tim. 2. 3.

2. וַיְכַל *Et consummavit, vel consummaverat Deus in die septimo, &c.*] R. Salom. refert, R. Simeonem dicere, *homines, propterea quod tempora & momenta non nôrunt, necesse habere addere de profano ad sacrum*; Deum autem cùm tempora ac momenta exactè cognita habeat, in eo ipso die (בו ביום, eo ipso momento, quo Sabbathum intravit, uti interpretatur Fagius) opus suum persecisse. Aben Ezra ait, quorundam sententiam esse (eam autem insulsam vocat) dies fuisse creatos, ac tum demum cùm septimus dies creatus esset, opus creationis fuisse perfectum. Addit alios velle ב in בשביעי idem valere quod קודם, i. e. antè, prout sumi existimant Deuteron. 25. 4. ubi dicitur, *Non obturabis os bovi*, בדישו. Et Exod. 12. 15. ביום תשביתו, *cessare facietis fermentum, &c.* Sed quid, inquit, his opus est? Opus consummatum non est opus (scil. quod jam fit.) Sensus est, non fecit opus, scil. in die septimo. LXX. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, in die sexto. Porchetus, parte 2. cap. 16. & Galatinus, l. 11. cap. 10. referunt in Bereshith Ketanna scriptum esse, hunc esse unum ex iis locis,

(a) *Psal. 33. 6. Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris ejus* כל צבאם omnis exercitus eorum. *Sic Aquila*, πᾶσα στρατιὰ αὐτῶν. *LXX.* δύναμις. *Vulg. virtus. Sym.* διακόσμησις, ornatus.

tis, quos Lxx. mutaverunt. Pro die sextâ (inquit Hieron. tradit. in Gen.) in Hebræo diem septimam habet. Arctabimus igitur Judæos, qui de otio Sabbati gloriantur, quòd jam tunc in principio Sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in Sabbato, complens opera sua in eo, & benedicens ipsi diei, quia in illo universa compleverit. Hæc ille, in quibus (salvâ tanti viri reverentiâ) vix quicquam ὑγιές. Certum enim est, Deum sex diebus omnia creasse, nec quicquam die septimo fecisse, sed ab opere creationis quievisse. Quod ad sensum attinet, Lxx. (utut minimè hìc excusandi) haud errârunt. Nam (ut notavit Amama in Cens.) hæ propositiones idem sonant, Compleverat (ità ipse post Mercerum, Drusium atque alios ויכל non immeritò exponendum arbitratur) Deus die septimo omne opus suum; &, Complevit Deus die sexto omne opus suum. Si enim compleverat die septimo, quando complevit nisi die sexto? Vide, si libet, Manassen Concil. quæst. 13. in Gen. Et Senensem Bibl. S. lib. 5. annotat. 23.

3. *Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.*] R. Salom. vult hoc per Prolepsin seu anticipationem dictum esse. (*a*) Benedixit (inquit) ei in Manna, quæ reliquis diebus ità descendit, ut unicuique esset Omer; die autem sexto (in honorem scil. diei septimi) panis fuit duplicatus. Sanctificavit etiam eum in Manna, quæ (die septimo) omnino non descendit. R. Saadia (referente Aben Ezra) aït benedictionem & sanctificationem hujus diei redire ad eos qui eum observant; ipsos nempe benedictos ac sanctos fore. Fagius etiam illud Hebræorum citat, השבת נתנה להבין מעשי אלהים ולהגות בתורה, i.e. Sabbatum ideo datum fuit, ut homines intelligerent opera Dei, & in Lege meditarentur.

3. אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת *Quod creâvit Deus ut faceret.*] Fagius in Chald. Par. hìc facere interpretatur absolvere, & certo usui suo deputare. Asserit faciendi verbum Hebræis תקון הדבר והשלמתו, i. e. ordinationem, dispositionem, adaptationem atque perfectionem rei denotare. Ac notat Hebræos inter hæc tria ברא creare, יצר formare, & עשה facere, sic distinguere, ut *creâre* sit à non esse ad esse aliquid producere; *formare*, enti creâto formam sive figuram inducere: *facere*, perficere, absolvere, & ad certum usum aptare. Isai. 43. 7. hæc tria verba simul reperiuntur. Mercerus etiam similia habet ad cap. 1. vers. 1.

4. אֵלֶּה תוֹלְדוֹת *Hæ sunt generationes, &c.*] Porchetus, parte 1. cap. 18. ex Veelle Shemoth Rabba (i. e. commentario antiquo in Exodum) ostendit Hebræos observare vocem Toledoth (i. e. generationes) semper defectivè scribi, scil. sine Vau, תולדת, excepto hoc loco, & Ruth. 4. 18. Hìc autem plenè scribi, quia Deus creâvit seculum suum, & non fuit angelus mortis in seculo. Postquam autem Adam peccâsset, diminutè scribi: quia verò Christus ex Phares ortus est, per quem mors destructa est, ideo ubi de generationibus Phares agitur, plenè scribi. Eandem observationem ex Hebræis etiam habent Fagius & Mercerus. De Galatino vix attinet dicere, cùm omnia Porcheti, tanquam sua, accipiat, nisi quòd (de Arcan. lib. 6. c. 11.) idem etiam in Midras Ruth observari testatur. Lxx. autem hìc habent, αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς, Hic est liber generationis cœli & terræ.

In die quo יְהוָה אֱלֹהִים *Dominus Deus fecit, &c.*] Aben Ezra ad vers. 15. observat hìc primum nomen hoc gloriosum & terribile (השם הנכבד והנורא sic appellat nomen Jehova) usurpari: atque addit verba antiquorum Rabbinorum admodum esse pretiosa, נקרא שם מלא על עולם מלא, i. e. nomen plenum, seu perfectum, legitur de mundo pleno, seu perfecto. De hoc nomine יהוה multi multa dixerunt, imò integri libri ac tractatus de eo scripti sunt. Quod de Carthagine Sallustius, id ego de hoc nomine, *Præstat tacere, quàm pauca dicere.* Galatinum primum omnium hoc nomen pronuntiasse Jehova, asserit Drusius; quod an verum sit, nescio; illud scio, Porchetum (à quo omnia mutuatur, seu potiùs suffuratur Galatinus) interdum Jhova (fortè lectio mendosa est pro Jehovah) interdum autem Jhovah scribere.

6. וְאֵד יַעֲלֶה *Ascendebat autem vapor, &c.*] Lxx. πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν, *fons autem ascendebat.* Et sic Vulg. At אד propriè vaporem, non fontem denotat. Chald. ועננא הוה סליק, Et nubes (sive nubecula) ascendebat, &c. Fagius notat Paraphrasten posteriori usum pro priori, nubem enim ex terræ vaporibus gigni. Aben Ezra aït sensum esse, vaporem vi astrorum ascendisse è terrâ, ac humum irrigâsse. Refert autem R. Saadiam contrario sensu exposuisse, ולא אד יעלה, i. e. neque vapor ascendebat (vel ascenderat, &c.) repetitâ scil. לא ex ולא, negativâ particulâ, quæ vers. 5. reperitur. Atque hanc expositionem (uti Fagius & Mercerus testantur) Kimchi in Rad. reliquis præferendam judicat. Novum autem non est, neque insolens particulam לא, i. e. *Non*, sic subintelligi, ut videre licet Prov. 30. 3. & Psal. 35. 19.

7. וַיִּיצֶר *Et formavit, &c.*] Mercerus aït Hebræos velle hoc verbum cum gemino Jod hìc scribi, ad significandam duplicem hominis formationem, terrestrem, & cœlestem; corporis, & animæ: infrà (*b*) autem cum unico Jod scribi, ויצר, ubi de reliquorum animalium formatione agitur, quòd non ad vitam immortalem, sed simpliciter ad hanc vitam sint efformata. Respexit, opinor, ad glossam R. Salomonis, qui duplici Jod in verbo וייצר innui putat duplicem hominis formationem, scil. יצירה לעולם הזה, i. e. *formationem ad vitam hujus seculi*; Et יצירה לתחית המתים, i. e. *formationem ad vitam in resurrectione mortuorum*; cujus resurrectionis cum reliqua animantia non sunt capacia, ideo de eorum formatione duplex Jod non adhiberi.

וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים *Et flavit in nares ejus flatum vitæ.*] Vulg. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* De verbis hisce, vide Senensem Bibl. S. Annotat. 27, 28, 29, 30, 31, 32. Quod autem spectat vocem נשמה, Aben Ezra (*c*) ad cap. 7. v. 22. existimat non nisi de homine usurpari; atque aït multos existimare sic dictam esse hominis animam, quòd sit מן השמים à cœlo. Fagius in Chald. Par. aït hanc sententiam sibi multùm placere. At locus iste, cap. 7. v. 22. quem ad hominem duntaxat referre frustrà (ut mihi videtur) conatur Aben Ezra, contrarium arguit, nempe Neshama generaliter de omni animante usurpari; quod & sensit Mercerus.

8. *Et plantaverat Dominus Deus* גַּן־בְּעֵדֶן *hortum in Eden.*] Lxx. παράδεισον ἐν Ἐδέμ. Symmachus (teste Hieronymo in Tradit.) transtulit, *Paradisum florentem.* Vulg. *Paradisum voluptatis.* At quò minùs ità exponi debeat, obstat litera Beth in בעדן, ut notat Fagius in Collat. atque etiam Amama in Cens. Quin & locum proprium hìc significari, patet ex cap. 4. 16. Ipsi autem Lxx. infrà v. 15. & cap. 3. 24. interpretati sunt voluptatem. עֵדֶן enim Hebraicè voluptatem significat, atque inde Græcum ἡδονὴ ortum videtur; hic autem loci nomen esse haud dubium est, licèt à voluptate sic dictum fuisse, sit verisimile. Mercerus notat usque ad Ezechielis tempora fuisse in Oriente loci nomen עדן Eden, non procul ab Haran, id est, Charis, urbe Assyriæ: per sex autem puncta scribi, cùm est loci, qui extaret, nomen, cùm pro horto, Eden semper quinque punctis scribatur. Vide, si placet, Senensem Bibl. S. lib. 5. annotat. 34. &c.

מִקֶּדֶם *Ab Oriente.*] Sic Lxx. κατ' ἀνατολάς. Vulg. autem, *à principio.* Et sic Aquila, ἀπ' ἀρχῆς. Sym. ἐν πρώτοις. Theodot. ἐν πρώτοις. Ex quo (inquit Hieron. in Tradit.) manifestissimè comprobatur, quòd priusquam cœlum & terram Deus faceret, Paradisum antè condiderat, sicut & legitur in Hebræo, Plantaverat autem Deus Paradisum in Eden à principio. Sic (*d*) Hieron. in quo excusando (inquit Amama in Cens.) frustrà sunt Senensis & Mercerus; nec ipse Steuchus aliâ ratione quivit excusare, quàm asserendo Hieronymum non semper in eâ opinione perstitisse. Chaldæus habet מלקדמין, quod Fagius vertit, antea in annotat. autem aït, vocem ambiguam esse ad tempus & ad locum, i. e. plagam Orientalem. At haud putò קדמין unquam Orientem denotare, sed tantùm principium, unde pro בראשית Chald. בקדמין, nec aliam hujus vocis significationem notat in Lexico suo Syro-Chaldaico Buxtorfius. Hìc autem מקדם, uti etiam cap. 3. v. ult. pro ab Oriente poni haud dubitandum videtur; atque ità interpretantur R. Salom. & Aben Ezra, qui etiam notant id quod hìc de plantatione hujus horti dicitur, jam antea fuisse factum, scil. ante hominis creationem, atque hoc forsan solummodò voluerunt, qui מקדם transtulerunt à principio, excepto Hieronymo, qui mentem suam aliter explicavit.

9. *Et arborem scientiæ boni & mali.*] Dicit (inquit Lyra) (*e*) Josephus, quod fructus illius arboris habebat virtutem accelerandi & acuendi usum rationis: sed hoc est falsum; quia ad hoc non se extendit virtus corporalis. Et ideo dicunt Doctores Catholici, quòd dictum est lignum scientiæ boni & mali *ex eventu consequenti*, quia per esum illius ligni homo experimentaliter cognovit quanta esset distantia inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ.

11. Et

(*a*) *Jonathan, Et benedixit Dominus diei septimo, præ omnibus diebus septimanæ.*

(b) *Scil. v.* 19. (c) *Aben Ezra etiam ad Eccles.* 7. 4. *aït Neshema esse animam homini peculiarem.* (d) *Et similiter Jonathan in suâ Paraphrasi.* (e) *Vide Aug. de Civit. Dei, lib.* 14. *cap.* 17.

11. *Pishon.*] R. Salom. ait hunc esse Nilum, atque sic appellatum à פשה Pasha, *expandi*, vel *diffusum esse*, propterea quòd aquæ ejus ascendant super terram Ægypti, eámque irrigent. Addit autem deduci posse à פשתה Pishte, *i. e. lino*, quod producit; & citat illud Isai. 19. ובשו עבדי פשתים, *Et confundentur qui operantur linum.* R. Saadia etiam (teste Aben Ezra) ait Pishon esse fluvium Ægypti. Alii Gangem esse volunt, Indiæ flumen; hoc autem multis refellit Mercerus.

13. גִּיחוֹן *Gihon.*] Aben Ezra notat hunc fluvium fuisse prope terram Israël, ut apparet ex 1 Reg. 1. 33. Moschopulus vult Gihon esse Nilum; Γεὼν ὄνομα ποταμοῦ, ὃς καὶ Νεῖλος λέγεται. R. Salom. deducit à נגח, *cornu petere*, quòd magno impetu sonitúque fluat.

14. חִדֶּקֶל *Hiddekel.*] Aben Ezra ait interpretum sententiam esse, hunc alterum esse fluvium, qui unà cum Euphrate transit per Bagdad. R. Salom. ait sic dictum, quòd ejus aquæ sint חדין וקלין, i. e. acutæ & celeres. Lxx. Τίγρις. Vulg. Tigris.

הוא פְרָת *is est Pherath, seu Euphrates.*] Fagius & Mercerus putant ex הוא פרת hu Pherath ab antiquis factum esse nomen Euphrates.

16. וַיְצַו יְהוָה אֱלֹהִים עַל הָאָדָם *Et præcepit Dominus Deus homini.*] Aben Ezra asserit verbum צוה cum עַל constructum, negativum præceptum denotare.

17. וּמֵעֵץ *De arbore autem &c.* לא תאכל ממנו *non comedes ex eâ.*] Hic ממנו ex eâ, redundare videtur; sed (ut notat Aben Ezra) vel ad sensum magis perspicuè declarandum additur, vel emphasin habet, ut sit sensus, nè minimum quidem ex eâ arbore esse comedendum.

מות תמות *moriendo morieris.*] Lxx. in plurali θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, *morte moriemini.* Hieron. in Tradit. præfert interpretationem Symmachi, θνητὸς ἔσῃ, *mortalis eris.* Eadem phrasis usurpatur 1 Regum 2. 37. Atque ex isto loco hunc exponit Gerundensis, uti testatur Buxtorfius in Appendice ad Dissertat. 2. ubi etiam citat R. Bechai sic explicantem, *Intentio horum verborum non est, quòd eo ipso die, quo comederit, sit moriturus, sed quòd filius* (i. e. (f) *reus*) *mortis sit futurus.* Nam ex sententiâ Rabbinorum nostrorum, Nisi peccâsset Adam, non fuisset moriturus in æternum, sed perpetuò mansisset vivus, sicut Angeli ministeriales. Vide Senensem Bibl. S. lib. 5. Annotat. 43. & 52.

18. (g) *Faciam ei auxilium* כְּנֶגְדּוֹ *ipsi conveniens.*] Ad verb. *tanquam coram ipso.* Lxx. κατ' αὐτόν. Vulg. simile sibi. (h) Chald. כקבליה, quod sit penès eum, ut vertit Fagius; qui refert Kimchi in Rad. breviter atque eleganter explicare in hunc modum, שיהיה לפניו ולעומתו תמיד לשרתו, i. e. ut sit coram eo, & penès eum semper ad ministrandum ei. Mercerus similiter exponit; Quòd sit eam vir habiturus velut coram se, è regione sui, paratam sibi ad omnia, ad totam vitæ communionem præstò, ut se alterum. Mentem locutionis (inquit Drusius Hebr. quæst. 59.) capio, sed in Latinum transferre conanti hæret aqua. Hoc vult, faciam auxilium, quod ex adverso ei respondeat; βοηθὸν ἀντικείμενον αὐτῷ. Sic Aristoteles dixit τὴν διαλεκτικὴν ἀντίστροφον τῇ ῥητορικῇ. R. Salom. argutatur, זכה עזר לא זכה כנגדו להלחם, i. e. Si justus fuerit, erit ei auxilium; si non fuerit justus, erit ei ex adverso, ut cum eo pugnet.

19. *Et omnem volucrem cæli.*] Hoc repugnare videtur ei, quod Deut. cap. 1. 20. dicitur. R. Salom. hæc ità conciliat, ut dicat volucres factas fuisse מן הרקק, i. e. *ex luto, sive ex terrâ aquâ mixtâ.* Manasses Concil. quæst. 5. in Gen. refert alios etiam Rabbinos hæc loca similiter in concordiam redigere, ac inter alios citat Aben Ezram, in quo, quod ad hanc rem attinet, nihil invenio. Testatur autem Manasses nonnullos sentire, aves non nisi ex terrâ fuisse productas; nec repugnare locum cap. 1. 26. cùm ibi non dicatur, & *avem quæ volet*; sed, & *avis volet.* Alios autem contendere, aves duntaxat ex aquâ provenisse, ac hunc locum sic interpretari. Et formavit Dominus Deus è terrâ omnia animalia campi: & præterea formavit omnes aves cœli; ut hoc referatur non ad formationem è terrâ, sed ad nudam Dei creationem. Mihi sanè ex capite 1. 20, 21. constare videtur, volucres ex aquis fuisse procreatas, atque ideo vel hanc ultimam expositionem, vel illam R. Salomonis amplectendam censuerim.

20. *Adamo autem non invenit, &c.*] i. e. sibi ipsi non invenit, ut exponit Aben Ezra, qui alienum putat hoc ad Deum referre; ac notat morem linguæ sanctæ esse, ut quis de seipso, tanquam de aliâ aliquâ personâ, loquatur. Citat illud 1 Sam. 12. 11. Et misit Dominus Jerubbaal, & Bedan, & Jephtha, & Samuel, inquit ipse Samuel. Similis etiam est locutio Gen. 4. 23.

21. *Immisitque Dominus Deus* תַּרְדֵּמָה *soporem.*] Sic Vulg. Lxx. ἔκστασιν. Aquil. καταφορὰν. Sym. καρον. i. e. *gravem & profundum somnum*, ut interpretatur Hieron. in Tradit. ubi notat hoc ipsum verbum in Jonæ stertentis somno positum esse. Aben Ezra monet תרדמה plus esse quàm שינה, & שינה plus quàm תנומה, cùm tamen omnia hæc tria vocabula pro somno usurpentur.

22. וַיִּבֶן *Et fecit, seu formavit, vel fabricavit, &c.*] Ad verb. *Et ædificavit.* Sic Vulg. & Lxx. ᾠκοδόμησεν. R. Salom. ait hoc verbum usurpari de formatione mulieris, quòd mulier instar ædificii facta sit latior deorsum, & angustior sursum, nempe ut fœtum meliùs in se contineat. Similia habet Lyra, qui R. Salomonem libenter sequi solet. Simplicissimum est, ut ædificare hîc idem sit quod facere; ut pro יבנה, i. e. ædificavit, 1 Paralip. 17. 10. est יעשה, i. e. faciet, 2 Sam. 7. 11.

23. לְזֹאת יִקָּרֵא *Hæc vocabitur.*] Sic Vulg. & alii. Potest autem exponi, propterea vocabitur; sic Aben Ezra, בעבור זאת propter hoc.

אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לֻקֳחָה זֹּאת *Mulier, quia de viro sumpta est.*] Ex istâ Paranomasiâ, quæ est in Hebræo, R. Salom. colligit linguam Hebræam omnium esse antiquissimam. Hieron. in Tradit. refert Symmachum etymologiam etiam in Græco voluisse custodire, αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη, Quod (inquit) nos Latinè dicere possumus, *Hæc vocabitur virago, quia ex viro sumpta est.* Et sic vulg. Lyra notat *viraginem* non quamvis mulierem denotare, sed *mulierem viriliter agentem*, atque ideo meliùs verti posse, *Hæc vocabitur Vira*, si id Latinus sermo pateretur. At *vira* (quod Lyra videtur ignorâsse) Latinum est, etiamsi obsoletum, ut viri docti ex Festo annotârunt. Addit Hieron. Theodotionem aliam etymologiam suspicatum esse, dicentem, *Hæc vocabitur assumptio, quia ex viro sumpta est.* Potest enim (inquit) ישא secundùm varietatem accentûs, & assumptio intelligi. Id vult, opinor, Hieron. אשה posse deduci à נשא assumere; at textus Hebræus planè indicat deductum esse ab איש, ut frustrà sint, qui aliunde etymologiam petant.

24. *Et erunt* לְבָשָׂר אֶחָד *in carnem unam, vel caro una.*] R. Salom. exponit hoc esse ratione sobolis, quæ ab utroque parente provenit, & in quâ caro utriusque coalescit. Hanc expositionem tanquam alienam rejicit Aben Ezra, nec tamen meliorem ipse affert. Vide 1 Cor. 6. 16.

25. *Et non erubuerunt, seu confusi sunt.*] R. Salom. ait eos adhuc ignaros fuisse pudoris, nec expertos esse quid intersit inter bonum & malum. Etiamsi enim Adam scientiâ præditus esset, quâ animalibus nomina imposuit, à pravâ tamen concupiscentiâ immunem fuisse, uque dum de arbore vetitâ comedisset: indè autem in eum pravam concupiscentiam intrâsse, ac quid inter bonum & malum discriminis sit, expertum esse.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. E*Tiam si dixit*] Onkelos pro אף vertit בקושטא, *verè.* Kimhi verò dicit truncatam esse sententiam. Id quod frequens est in Scriptura. Nam inter cætera quæ serpens ad mulierem dixit, puta, *Deus vos odit, aut non erigit ad congruam dignitatem subjunxit, Etiam quia dixit, Non comedetis de omni arbore*, &c.

6. *Ad prudentiam comparandam*] Hebraicè, להשכיל, *ad prudenter agendum*; vel, *ad prudentem faciendum*; vel, *ad prudentiam consequendam.*

8. *Ad ventum diei*] Gerundensis hunc locum sic exponit: *Ventus qui spirabat in paradiso erat suavis & lenis; sed cùm Dominus adveniret, solito vehementior inhorrescere cœpit, ut etiam illi sibi timerent.* Jarhii verò putat *ventum diei esse*, qui spirabat ab illa plaga in qua sol erat, videlicet ab occasu: sicut & Onkelos dicit Deum deambulasse לנח, *ad quietem diei.* Quiescit autem dies quando sol occumbit. Ex nostris quidam putant locum istum simpliciter exponendum, ut sit sensus; Ità pavidi fuerunt ut in clara luce diei metuerint à sonitu venti. Quid accidisset si Deus in tenebris & nocte venisset, quando terror longè major est? Amissâ itaque fiduciâ in Deum propter transgressionem, cùm spiritum seu ventum audirent, statim cogitabant Deum adesse ultorem; fugiunt propterea & abscondunt se inter medias arbores. Quid horribilius dici potest, quàm fugere Deum, & velle abscondi ab

(f) *Jonathan*, חייב קטול *eris reus mortis: ad verb. interfectionis.* (g) *Lxx.* ποιήσωμεν. *Et vulg. faciamus.* (h) *Sic Lxx. Vers.* 20. ὅμοιος αὐτῷ.

ab eo? Tentant impossibilia, dum conantur Deum fugere, quem non possunt fugere. Deinde stultè fugiunt ad arbores, ubi se tutos credunt, quos muri ferrei & montium ingentes moles non poterant salvare. Sic fugit homo sine fine à Deo, & excusando mendaciter peccatum peccato addit, donec veniat ad blasphemiam & desperationem. Sic peccatum pondere suo semper secum trahit ad peccatum, & facit æternam ruinam, ut etiam peccator Deum potiùs accuset quam agnoscat peccatum suum. Sic Adam dixit, *Mulier quam dedisti mihi sociam*, &c. Necessarium ergò fuit, ut Deus statim post primum peccatum medicinam daret, & revocaret peccatorem. Quando præterea hic dicitur, serpentem locutum cum muliere, sciendum serpentem illum verum fuisse serpentem, sed obsessum à Satana, qui per serpentem loquebatur. Et quæ Deus loquitur ad serpentem, serpens non intellexit, quia Dominus loquebatur ad Satan. Est enim usitata synecdòche, ut intelligamus sub instrumento ipsum autorem. Cogitur tamen serpens portare partem pœnæ, quo Satan ad peccatum abusus fuit, malediciturque ut inter omnes bestias odiosissimus sit, qui antea fuit pulcherrimum animal, homini gratum, & erectâ staturâ incedens, sicut reliqua scilicet quadrupedia animalia: at post maledictionem mutatur in turpissimam formam, cogiturque repere in terra sine pedibus. Sic Satan condemnatus, apertâ vi non invadit, insidiis utitur, sed non potest tantum nocere Ecclesiæ quantum cupit. Additur ergò magna consolatio, nasciturum scilicet semen quod caput ejus conterat. Hominis calcaneus in periculo est, caput est salvum: Contrà per semen mulieris, non cauda sed caput serpentis conculcandum dicitur. Hanc primam consolationem, tanquam fontem omnis misericordiæ & omnium promissionum scaturiginem, primi parentes & eorum posteri summâ diligentiâ didicerunt. Non ergò agit hìc Moses de serpente naturali, sed loquitur de diabolo, cujus caput sunt mors & peccatum, quæ cùm sint per Christum sublata, quid restat quam ut filii Dei salvemur? Satan per mulierem seduxit virum, ut dominus ejus esset propter peccatum, at Deus vicissim dicit se insidiaturum ei per idem instrumentum: Arripiam, inquit, mulierem, & dabo ex ea semen; & illud conteret caput tuum. Tu corrupisti, & morti obnoxiam fecisti carnem per peccatum; sed ego ex illa ipsa carne producam talem virum, qui te quoque & omnes vires tuas atterat. Ab illa itaque hora, quâ promissio hæc facta est, semen illud exspectabatur, & pii se consolabantur contra Satanam. Esaias nonnihil lucis attulit ad eam promissionem, cùm diceret virginem parituram. Mansitque in obscuro hæc promissio donec Maria peperit Christum; cujus partûs testes fuerunt Angeli, & post Angelos pastores ac magi, donec per Apostolos hic partus fuit divulgatus in totum orbem terrarum. Multi itaque fuerunt in veteri Testamento, qui exspectaverunt Christum nascendum in hunc mundum, & liberaturum genus humanum, sed modum nativitatis nesciverunt. Hoc enim novo Testamento tanquam clariori luci erat reservandum. Postquam autem hæc promissio sic in genere fuisset proposita, atque paululum restricta, per Abraham autem primùm ad certam gentem, deinde per Jacob patriarcham ad certam tribum Judæ alligata, diabolus de aliis populis & tribubus securus fuit, & mirabili crudelitate ac insidiis hanc unam lineam, unde Christus erat nasciturus, persecutus est, donec Christi tempore ad extremam mendicitatem redacta est, factaque tanquam desperatus truncus, unde nec fructus nec folia exspectantur. Sed quia Deus mentiri non potest, efflorescit radix illa sic desperata, deligiturque ad Filii Dei conceptionem pauper Maria, quæ longe vivebat à Jerusalem in ignobili oppido Nazareth. At nec sic quiescit Satan à crudelitate sua contra semen mulieris: Nam in cunis positum per Herodem quærit, ut etiam Christo inter gentes in Ægypto vivendum esset. Postea omnia conatur ac tentat, donec Judæis objiciat ac cruci affigat. Et nunc cùm videt ad dexteram Dei sedere, sævit omni genere furoris contra membra ejus & Ecclesiam; & quod per seipsum non potest, agit per semen serpentis, hoc est, per impostores & tyrannos, qui semen sunt diaboli, juxta illud, *Venit inimicus homo, & superseminavit semen malum.* Sic enim semen serpentis & membra Satanæ mordent calcaneum seminis benedicti, hoc est, membra Christi, sicut Cain momordit Habel, Judæi Christum, & mali bonos.

16. *Conceptum tuum*] Ut הרה significat mulierem gravidam, ita הרן gemitum, seu, ut R. S. dicit, צער, angustiam illam quam habet mulier à conceptu usque ad partum. Nam totum illud tempus gravibus & variis excipitur morbis. Statim suboriuntur dolores capitis, vertigo, nausea, & fastidium cibi & potûs, dolor dentium, & vitium ventriculi appetentis cibos, à quibus incolumis natura abhorret. Proinde, pro, *desiderium tuum*, Aben Ezra exponit משמעתך, *obedientiam.*

17. *Comedes eam*] Hoc est, quicquid ex ea natum fuerit, comedes, siquidem propter peccatum tuum quicquid habet miseriarum invectum est. Quia comedisti vetitum pomum, eripiuntur tibi omnia, & nihil relinquitur quàm herbæ & semina. Ex hoc loco videtur posse evinci, homines ante diluvium non butyro, non lacte, non ovis, non caseo, nec carnibus usos, sed oleribus & seminibus. Et hæc fuit frugalitas primi seculi, simplicissimus cibus cum aqua. Hæc simplicitas ciborum reddidit corpora salubria, non obnoxia illis morbis quos hodie crapula conciliat. Et quando subditur in textu, *In sudore vultus tui*, &c. quidam Hebræi in alium quoque torquent sensum, quem Scriptura hìc nequaquam habet; *Sex*, inquiunt, *sunt quæ conducunt ægroto, sudor, somnus, sternutatio, secessus viscerum, occursus* (scilicet seminis) *& somnium.* Sed quàm apte illud ex Scriptura probent, audi:

ששה דברים יפים לחולה זיעה שנה עיטוש חלוץ מעים קרי חלום:
זיעה דכתיב בזעת אפיך תאכל לחם שנה דכתיב ישנתי אז ינוח לי עיטוש
דכתיב עטישותיו תהל אור קרי דכתיב יראה זרע יאריך ימים חלוץ מעים
דכתיב ממהר צועה להפתח חלום דכתיב ותחלימני והחייני:

20. *Heva.*] Hebræi legunt *Hava*, sicut & pro *Abel* legunt *Habel*; quod interpretatur *vanitas*. Primum filium vocavit *Cain*, quod est *possessio*, vel *acquisitio*: secundum *Habel*; quia possessio hominis est vel similis vanitati. Hæc Moses Gerundensis.

24. *Laminam*] Significat להט Flammam, & laminam politam, quæ flammam ejicere videtur. Atque tali splendore Dominus voluit accedentes cohibere. Pro *versatili* quidam Hebræorum interpretantur gladium hunc fuisse ancipitem, & in utramque partem acutam. Porro quod sequitur, *Adam cognovit uxorem suam*, quidam Hebræorum impiè hic sentientes dicunt, כי קין נולד מן הזוהמא שהטיל הנחש בחוה. Quod quia absurdum est, interpretari nolo. Quod si hoc verum esset, omnes sic nasceremur, cùm omnes filii iræ nascamur, cunctique ex illa prima infecta prodeamus radice: Sed relinquamus Judæis errantibus errores suos.

FAGIUS.

1. V*Erumne est*] Chaldaica ad verbum sonant, *In veritate quod dixit Dominus:* hoc est, *Verène*, seu verùmne est? ut interrogativè accipiatur. Atque ità etiam Capnio, piæ memoriæ, interpretatur: quem si placet vide in Rudimentis suis, in Radice אף. Alii affirmativè exponunt, & volunt hæc verba non fuisse principium colloquii serpentis quod cum muliere habuit, sed multa alia plura locutum fuisse, quibus tandem subjecerit ista. Cui sententiæ adstipulatur & R. D. K. qui in libro Radicum super hunc locum ita scribit, *Dixit serpens ad mulierem & alia verba. Et verisimile est quod ita dixerit ad eam, Odio vos habet Deus, tametsi præstantiores sitis reliquis creaturis, eo quod non facit vobis talem & talem dignitatem. Quod maxime ex eo liquet, quod præcepit vobis ne comedatis de omni arbore horti. Inde cognoscitis quod vos odit. Nec durum tibi videatur hoc additamentum: Non enim potest ullo alio modo commode exponi, nisi hoc addas, propter voculam אף, quæ semper aliquid addit præcedentibus. Ad hæc mos Scripturæ est finem alicujus sermonis ponere, unde intelligas principium ejus. Id quod liquet ex verbis exploratorum quos misit Jehosuah, qui reversi dicebant,* Quoniam tradidit Dominus in manus nostras omnem terram. *Nec convenit hoc fuisse initium sermonis ipsorum, nam particula כי, id est,* quoniam, *rationem reddit ejus quod ante dictum est. Verum comprehendit Scriptura finem verborum, unde principium eorum intelligi potest.* Hactenus Kimhi, cujus verba si mavis Hebraicè legere, vide in libro ejus citato.

5. *Tanquam magnates*] Chaldæis רברבין *principes, magnates, majores & proceres* significat. Intelligunt autem Hebræi hic angelos.

6. *Quod salutifera esset oculis*] Sentiunt quidam Hebræorum, Adam & Evam cæcos fuisse, istam autem arborem habuisse vim medendi oculis, & auferendi cæcitatem. Sed tu scias nihil agi de corporali cæcitate, verum de ea quâ nihil adhuc mali videbat, neque ipsis nuditatem suam turpem & vitiosam esse sentiebant.

8. *Vocem verbi Domini*] In Chaldæo additur *verbum*, ad innuendum quòd non simplex vox fuerit, sed ejusmodi quâ Dominus illius conscientiam legis annunciatione percellere, rursumque Evangelii prædicatione de Semine benedicto futuro in spem erigere volebat. Porrò illud *deambulantis* potest etiam legi

legi in accusativo, ***deambulantem***, ut ad ipsam vocem referatur: ut sit sensus, Vocem illam Dei sensim magis atque magis intensam quodammodo atque auctam fuisse, ad territandum percellendumque animum Adami. Et in aliis quoque locis Scripturæ *ambulandi* verbo auxesis & incrementum rei significatur: ut infra cap. 8. de aquis diluvii dicitur, *Et aquæ ibant ac decrescebant*, hoc est, sensim magis decrescebant, ac imminuebantur. Sic & Exod. 19. legitur, *Et factum est cùm vox tubæ procederet ac fortissima fieret*, i. cùm paulatim magis ac magis intenderetur. Quo sensu & in præsenti loco quidam Hebræorum accipiunt. ¶ *Ad quietem diei*] Vesperam intelligit; quam *quietem* vocat, quòd tum æstus solis ac diei quiescere ac remittere incipiat. Non caret mysterio, quòd ad vesperam adest misericors Deus, & in viam revocat perditum hominem. Adumbratus siquidem eâ re fuit adventus Christi, qui factus est sub vesperam mundi; per quem solum afflictis ob peccata credentium animis vera quies & tranquillitas contingit. Ad vesperam quoque columba ad Noah reversa est, quæ virenti folio, quod in ore adferebat, aquarum diluvii plenam absorptionem annunciabat, ejusdem videlicet mysterii repræsentatrix. ¶ *Intra arborem*] Quidam hoc referunt ad arborem in qua deliquerat, quasi sub eadem sese abdiderit. Sed magis convenit, ut de quibuslibet arboribus in genere intelligatur, sub quibus sese absconderit miser Adam, fugiens de una arbore ad aliam vocem illam Dei ipsum insectantem. Frequens enim est in Hebraismo, ut genus pro numero accipiatur, *arbor* pro *arboribus*.

15. *Inter filium tuum, & inter filium ejus*] Magnam hæc habent emphasim, quòd in singulari numero efferuntur. In Christum enim pulchrè conveniunt, qui *filius mulieris* rectè & verè dicitur, quòd ex incorrupta virgine sine virilis seminis admixtione verus homo natus est. Serpentis autem filius est ipse Antichristus, cum omnibus membris suis. ¶ *Erit memor istius, &c.*] In Chaldæo ad verbum est, *Erit memor tibi.* Et nos Germani ità loquimur, Er wirt dir das gedencken / hoc est, Erit aliquando tempus quo reddet tibi talionem, & ulciscetur illatam injuriam. ¶ *Olim*] Vox Chaldaica מלקדמין etiam reddi potest, *à principio*, *ab antiquo*; q. d. Memor erit ejus quod fecisti ei mox ab exordio, ab antiquo, olim, & ante multa secula. Tempus edax rerum non antiquabit & obliterabit hoc malum. ¶ *Et tu observabis eum ad finem*] Duplicem hæc possunt habere sensum: Prior; ut referatur ad finem illum dierum quo Christus in mundum venit; Cujus dies *novissimi* & *postremi dies* in Scripturis vocantur. Unde & Apostolus inquit 1 Cor. 11. *In quos fines seculorum devenerunt.* Tum enim antiquus ille serpens & veterator Satan vim suam maximè in Christum per membra sua exseruit, quando illum in crucem, adeóque ad mortem adegit. Posterior; ut per *finem*, hîc continuum & indesinens Satanæ odium, inimicitia & persecutio erga Christum & sua membra intelligatur: q. d. Sine intermissione ad finem usque seculi tibi insidiabitur. Quamdiu enim mundus durat, Satan non cessat persequi Christum in membris suis, donec illum Christus claritate novissimi adventûs sui penitus abolebit, atque in æterna tartara præcipitabit. Quòd autem & veteres Hebræi hunc locum de inimicitia, quæ inter Christum & Satanam est, intellexerint, videre est ex Paraphrasi Hierosolymitana, quæ sic habet, *Et erit, quando filii mulieris operam dabunt legi, & fecerint præcepta, tunc studebunt tibi conterere caput, & occident te. Cum verò deseruerint filii mulieris præcepta legis, nec servabunt mandata, tu operam dabis ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ità noceas eis. Veruntamen remedium erit filiis mulieris; tibi verò serpenti nullum erit remedium: quandoquidem futurum est, ut amoveant morsum qui factus est in calcaneo, in fine dierum, in diebus scilicet Regis Messiæ.* Hactenus in Thargum Hierosolymitanum; Quod propterea hîc commemorare libuit, ut videamus quàm longè major sinceritas & dexteritas fuerit veteribus illis Hebræis in explicandis Divinis literis, quàm hodie sit recentioribus illis Judæis.

17. *Quia acquievisti verbo uxoris tuæ*] Ad literam est, *Quia suscepisti verbum uxoris tuæ, &c.* Est autem verbum קבל *Kibbel*, quod hîc ponitur, pro certo & indubitato aliquid recipere, credere, fidem habere. Unde & *Cabala* Hebræis dicebantur traditiones & dogmata, quæ per successionem aliis alii tradebant, de quibus nihil planè dubitabatur. Nihil obfuisset Adamo audire vocem uxoris suæ ad prævaricandum Sollicitantis; sed quòd acquievit, fidem habuit, & tanquam cabalisticum quiddam ab ea recepit, atque ità paruit, hinc se suósque successores omnes miserè perdidit. ¶ *Cum labore frueris eâ*] Ad verbum est, *cum labore comedes eam*, hoc est, proventus ejus. Est enim דרך קצרה, ut vocant Hebræi, i. *elegantia*, & quasi Laconismus, *linguæ sanctæ*. Similis locutio est hæc, *Et posuisti servum tuum cum comedentibus mensam tuam*, i. *cibos mensæ tuæ*, 2 Sam. Sam. 19.

19. *Comedes panem*] לחם *Lechem*, non tam panem quàm cibum significat. Est enim ut Hebræi dicunt, שם כלל לכל מאכל i. *generale nomen ad omnem cibum.* Pro pane autem ferè accipitur, cùm ille inter cibos præcipuum locum habet.

21. *Vestes honoris*] Ità vocat eos, quòd istis jam tegere possent nuditatem suam, quæ jam illis propter peccatum turpis & vitiosa facta erat. Alii legunt, *vestes pretiosas.*

22. *Ecce Adam unicus est in mundo*] Thargum Hierosolymitanum hùnc locum adhuc clariùs habet, ad hunc nempe modum, *Et dixit verbum Domini Dei, Ecce Adam, quem creavi unicum in seculo meo, quomodo & ego unicus sum in cœlis excelsis: futurum est ut populi multi proveniant ex ipso. Ex ipso prodibit populus qui novit discernere bonum. Nunc itaque bonum est ut ejiciamus eum ex horto Eden, priusquam extendat manum suam & accipiat etiam de arbore vitæ, & & edat, & vivat in æternum.*

24. *Cherubim*] Sic dictos volunt, eò quòd formam puerorum sive adolescentum præ se tulerint. Caph literam enim notam esse dicunt similitudinis, & רביא *Rabia* puerum seu adolescentem significare. Testis hujus est R. D. K. qui in libro Radicum ità scribit, ר״ז ל שמו הכף משמשת שאמרו כי פירוש כרוב כרביא כי כדמות נערים הוו i. *Rabbini nostri, bonæ memoriæ, ponunt Caph literam servilem, & dicunt Cherub idem significare quod Cherubia*; i. *Quasi puer seu adolescens; quod scilicet puerorum formam habeant.* Per *gladium acutum* adumbratam esse sentiunt gehennam & æternam pœnam, quâ tandem afficiendi sunt impii.

IDEM.

1. וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם *Et serpens fuit callidior*] Exstant inter Hebræos qui *serpentem* hîc simpliciter accipiunt pro *bestia*, cujus linguam, id est, sibilationem, quid sibi eâ serpens voluerit, Eva intellexerit; sicut & omnium aliorum animalium linguas similiter intellexisse à quibusdam creditur. Alii per Serpentem Satanam intelligunt, maximè Cabalistæ, quem נחש ab *ariolando & divinando* dictum volunt. Sed reclamat Aben Ezra, qui putat non convenire nec competere in Satanam, quòd serpens maledicitur, & caput ejus à semine mulieris conculcandum pronunciatur, quódque super ventrem ingredi jubetur. Verùm nos simpliciter verbis inhæreamus, & dicamus primùm de vero & naturali serpente, animali illo noto, quod veneno inficit atque interficit, Scripturam loqui; sic tamen ut serpens per se non sit locutus, sed Satan per eum, tanquam organum suum, sicut & angelus per linguam asinæ formabat sua verba. Quomodo enim potuisset serpens, brutum animal, ex se ipso tam subtiliter loqui & disputare de Deo & præceptis ejus, nisi veterator ille impurus spiritus linguam ejus movisset? Cui sententiæ & veteres Hebræi Cabalistæ accedunt. Est quoque & Scripturæ ratio, quòd efficientem, agentem & instrumentum pro eodem accipit, per figuram metonymiam sive synecdochen.

עָרוּם *Callidior*] ערום Hebræis æquivocum est, ad nuditatem, astutiam, versutiam & calliditatem: Quod vocabuli quia hîc repetitur, in diversa tamen significatione, elegantiam linguæ Hebraicæ esse dicit Aben Ezra, cujusmodi & istæ locutiones sunt, Jud. 15. 16. בלחי החמור חמור חמורתים, i. *Cum maxilla asini acervum acervorum*, scilicet *feci*: ubi חמור, quod *acervum* significat, redigitur ad formam חמר, causâ allusionis. Item Jud. 10. 4. רכבים על שלשים עירים ושלשים עירים להם, i. *sedentes super triginta pullos, & triginta oppida eis, &c.* Ubi *aselli* & *oppida* eâdem voce in Hebræo scribuntur. Serpenti hîc & in aliis locis astutia tribuitur; Quæ autem illa sit, à naturæ exploratoribus non exprimitur. De astutia serpentis passim à scriptoribus hoc adducitur, quòd petitus, totum corpus periculo objicere soleat, modò caput illæsum servet; quo servato, facilè etiam læsus curatur; Ità & nos debere operam dare, ut caput, i. fidem in Christum, integrum servemus, citiùs vitam & omnia in discrimen adducentes, quàm ut illam nobis, quâ solâ demum vera & perpetua nobis contingit salus, eripi sinamus. Quò & Christum respexisse volunt Matth. 10. Apostolos serpentinæ prudentiæ admonentem. Alibi in Psalmis dicitur, quòd aurem obturare soleat serpens à voce incantatoris: Sic, inquiunt, decet & pios aures obturare à falsis doctoribus, qui non adferunt verbum Domini. Fertur quoque de serpentis natura, quòd certis temporibus veterem pellem exuat, ac novam recipiat; Quod quidam eò trahunt ut indè & nos moneamur veterem Adamum exuere, ac novum hominem induere

induere, qui juxta Deum conditus est. Quidam Hebræorum dicunt, serpentem primum recto corpore incessisse, atque humanis affectibus etiam præditum fuisse, indéque astutiâ superasse cuncta animantia. Serpentes quidam putant ob id appellari prudentes, quòd longissimè cernant. Dracones certè Græcè à δέρκω, quod *acerrime cerno* significat, vocantur. Unde fit & ὀξυδερκέω, i. *acutè intueor*.

וַיֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה *Et dixit ad mulierem*] Nimirum tentatore Satanâ linguam ejus movente. Hinc est quòd Scriptura *Evam per serpentem seductam esse* dicit; & rursus, *per invidiam Diaboli introiisse peccatum in mundum*. Metonymicôs enim organum pro ipso agente accipitur.

אַף כִּי־אָמַר אֱלֹהִים *Etiam quod dixit Deus*] Nostri interpretes אף כי per interrogativam causam rei inquirentem reddiderunt. Verùm Hebræi affirmantis esse particulam, quæ amplificat & auget aliquid, contendunt, & idem valere quod ככל מקום, i. *quanto magis*. Et nunquam ponitur in principio orationis, sed semper in fine: & semper indicat aliquid præcessisse. Unde & hîc volunt præcessisse, quomodo serpens enumerarit omnia animalia viribus præstare homini; idque per invidiam Dei accidisse; Qui ultra hoc etiam homini vetuerit edere de arbore scientiæ boni & mali, nè ipsi similes evaderent. Sed audi R. D. K. in Radicibus suis hunc locum enarrantem; ופירוש הפסוק אמר לאשה דברים אחרים ודומה שאמר לה כי הקדוש שונא אתכם אף שאתם גדולים משאר היצורים שלא עשה לכם מעלות כן וכן וכל שכן שאמר אליכם אל תאכלו מכל עץ הגן לזה תבינו ששונא אתכם ואל יקשה עליך התוספת הזה כי לא יתכן לפרשו לשום פירוש בעולם בבלי תוספת אחר לפי שאמר אף ואף לעולם מוסיף על אשר אמר ועוד כי דרך הכתוב לאחז תכלית הדברים ומתכליתם תבין ראשיתם וכן בדברי המרגלים ששלח יהושע שאמרו כי נתן יי בידינו את כל הארץ ולא יתכן שזה היה תחלת הדבריהם כי מלת כי נותנת טעם לאשר אמר אלא אחז הכתוב תכלית דבריהם ומהם תוכל להבין הראשית, i. *Sensus istius versûs est; Dixit serpens ad mulierem & alia verba. Et verisimile est quòd ita dixerit ad eam, Certè Deus odit vos, etsi præstantiores sitis reliquis creaturis, eo quòd non facit vobis talem & talem dignitatem. Et quanto magis quod dixit ad vos, Non comedatis de omni ligno horti. Inde cognoscitis quòd vos odio habet. Nec durum tibi videatur hoc additamentum. Non enim convenit ipsum exponere ullo alio additamento; idque propter voculam* אף, *quæ semper aliquid addit præcedentibus. Præterea mos est Scripturæ, comprehendere finem verborum, unde intelligas principium eorum. Id quod patet ex verbis exploratorum, quos amandavit Jehosua, qui reversi dixerunt,* Quia dedit Dominus in manum nostram omnem terram. *Ubi non convenit istud fuisse principium sermonis eorum. Nam dictio* כי, *i. quia, rationem reddit ejus quod antea dictum est. Verum complectitur Scriptura finem sermonis eorum, ex quo principium ejus intelligere potes.* Hactenus Kimhi.

אָמַר אֱלֹהִים *Dixit Deus*] Satan studiosè usurpat vocem *Elohim*; quæ vox ad severitatem & judicium Dei refertur.

מִכֹּל עֵץ הַגָּן *De omni ligno horti*] Callidè dicit Satan, quasi omnibus arboribus interdixerit, ut ità in colloquium pertrahat mulierem super arbore vetita scientiæ boni ac mali.

3. וְלֹא תִגְּעוּ בּוֹ פֶּן־תְּמֻתוּן *Neque contingetis illam, nè fortè moriamini*] Mulier mota oratione serpentis, bifariàm depravat verbum Dei. Addit enim illi, & simul detrahit; quod prohibitum est, juxta illud, Deut. 12. 32. לא תסף עליו ולא תגרע, i. *Non addes quicquam super ipsum, nec minues ab eo.* Addit, quòd dicit, *Neque contingetis*: nihil enim nocuisset arborem contingere, si non de fructu ejus comedissent. Detrahit, eò quòd dicit, *Ne fortè moriamini*. In dubium enim vertit quod apertè & manifestò dixerat Dominus, *Quacunque die comederis ex ea, moriendo morieris*.

4. לֹא־מוֹת תְּמֻתוּן Notatur hîc perfidia Satanæ, qui ubi animadvertit mulierem dubitare de veritate verbi Divini, mox constantissimè verbum Domini ut dictum erat inficiatur: hùc enim totus suâ astutiâ contendebat Satan. Contra quem nullum aliud est remedium, quàm constans fides de veritate verbi Domini. Quidam Hebræorum sentiunt Satanam eâ usum fuisse versutiâ; Postquam audiverit ex muliere Deum præcepisse ut neque contingerent arborem, mox eam ad contingendum impulisse; cúmque videret mulier se ad contactum arboris non statim mori, dixisse serpentem, Quemadmodum non es mortua contingendo arborem, sic quoque non morieris edendo de fructibus ejus.

5. כִּי יֹדֵעַ אֱלֹהִים *Sed scit Deus*] Non tantùm negat verbum Domini Satan, sed & contrarium asseverat cum maxima blasphemia Dei, quæ est quòd illum invidiæ insimulat, ex qua hominibus arbore scientiæ boni ac mali interdixerit, juxta vulgò jactatam sententiam, כל אומן שונא את בני אומנותו, i. *Omnis artifex odit filios artis suæ.* Quod convenit cum illo, *Invidet figulus figulo*, &c.

וִהְיִיתֶם כֵּאלֹהִים *Et eritis sicut Dei*] i. Deo pares. Nam in invidiam Conditorem pertrahere moliebatur, q. d. Non vult illi vos pares fieri. Onkelus pro אלהים posuit רברבין, *Eritis sicut magnates, principes, prudenter discernentes inter bonum & malum.* Nam tali prudentiâ præditi esse debent qui populo præsunt. Alii אלהים pro angelis exponunt. Utrumque enim significat vox *Elohim*.

6. וַתֵּרֶא הָאִשָּׁה כִּי טוֹב הָעֵץ *Et vidit mulier quòd bona esset arbor*, &c.] Mulier pendens à verbo Domini longè aliud judicium de arbore vetita habuit quàm modò excluso verbo Domini. Priùs enim credebat, & rectè quidem, arborem illam noxiam esse cum fructibus suis: quare operam dedit ut nec de ea ederet, nec contingeret, nec curiosiùs contemplaretur: Modo autem repudiato verbo Domini, longè aliter sentit & judicat. Triplici siquidem cupiditate titillatur: judicat enim idoneam esse ad cibum, ad oblectationem oculorum, & ad prudentiam comparandam. Habet ergò emphasim, *Et vidit*, &c. Oculis enim & mente in arborem à qua sibi antea tantopere timebat tota intenta fuit. Describitur ergo hîc assensus peccati & malæ concupiscentiæ, quæ etiam per visum mentísque considerationem magis atque magis accendebatur, donec tandem admotâ manu vetitum pomum decerperet ac degustaret. Rectè igitur orat David, Psal. 119. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Nam, ut sapientes Hebræorum dicunt, הראיה תחלת העבירה שהעין רואה והלב חומד וכלי המעשה גומרין, i. *Visus principium est transgressionis. Oculus enim videt, & cor concupiscit, & instrumenta operis* (i. membra) *perficiunt.*

וְכִי תַאֲוָה־הוּא לָעֵינַיִם *Quòd desiderium esset oculorum*] i. Concupiscibilis oculis. Thargum Onkeli habet, *Quòd sanitas esset oculis*, i. quòd sanaret oculos. Est autem *sanare oculos* Chaldaicum adagium, pro *pascere oculos*. Sunt qui indè colligunt arborem istam habuisse vim medicam. q. d. Et vidit quòd salutifera esset arbor oculis.

וַתִּקַּח מִפִּרְיוֹ *Et accepit de fructu ejus*, &c.] Hoc est quod dicitur Jac. 1. *Concupiscentia, postquam concepit, parit peccatum; peccatum vero perfectum progignit mortem*, &c. Quòd enim tentamur & titillamur à concupiscentia, nihil nocet, modò non assentiamur: cùm verò assentimur, & edimus de concupiscentia, tum certè mortem incurrimus. Et nota hîc ordinem & gradus peccati: 1. est Incredulitas; 2. Addere & detrahere verbo Domini; 3. Blasphemia; 4. Contrarium dicere quàm habeat verbum Dei; 5. Cupiditatis seu concupiscentiæ sensus; 6. Ipsum opus, quod sequitur sensus mortis.

וַתִּתֵּן גַּם־לְאִישָׁהּ *Et dedit etiam viro suo*, &c.] Ea est natura peccati ut & alios ad casum solicitet, juxta illud, *Gaudium est miseris socios habere pœnarum.* Quódque dicitur, לאישה עמה, i. *viro suo qui secum erat*, hinc colligunt Hebræi, Adamum præsentem fuisse quando serpens Evæ locutus fuit, eámque ad peccandum incitavit. Taxatur ergò negligentia & ignavia Adami, qui non fecit suum officium, avocando mulierem à malo; nam caput illius erat; sed invertit ordinem & institutum, parendo mulieri ad malum sollicitanti.

וַיֹּאכַל *Et comedit*] Emphasim habet. Nam mulieris prævaricatio nihil ad posteritatem attinuisset, sed transgressione Adæ etiam qui non ad similitudinem illius peccarunt, peccato & morti obnoxii redditi sunt. Nam in hoc tanquam capite tota natura humana, dum præceptum daretur, erat.

7. וַתִּפָּקַחְנָה עֵינֵי שְׁנֵיהֶם וַיֵּדְעוּ כִּי עֵירֻמִּם הֵם *Et aperti sunt oculi amborum, & cognoverunt quòd nudi essent*] Ex hoc loco, & ex eo ubi suprà dicitur, *Et aperientur oculi vestri*, &c. quidam Hebræorum colligunt, homines illos primos cæcos fuisse, quæ cæcitas ablata fuerit esu pomi vetiti, quòd scilicet ad eam rem medicam quandam vim habuerit. Sed nimis crassè hoc dictum videtur. Clausi quidem oculi eorum erant ante prævaricationem, non quòd ad corporalem visum attinebat, sed quòd nihil ejusmodi miseriarum & calamitatum ante peccatum, ut post peccatum experti fuere. Placet itaque R. Salomonis sententia, qui verbum ותפקחנה ad animum & mentem potiùs referendum esse censet quàm ad corporalem oculorum aciem. Unde & פקחים in Scripturis vocantur qui in judicio causas discernunt, quid verum, æquum, justum, aut secus sit cernentes, ut Exo. 23. 8. השחד יעור פקחים ויסלף דברי צדיקים, i. *Munus excæcat videntes, & pervertit verba justorum.* Confirmat hanc sententiam quod sequitur, *Et cognoverunt quòd nudi essent.* Nunquid & antea sciverunt se nudos esse,

eum

Di

cum & cœcus, quique planè oculis captus est, sciat se nudum esse? Vult dicere, Jam demum cœpit illis displicere ipsorum nuditas, quæ antea non solùm turpis non erat, sed & decora innocentibus. Modò verò admisso peccato, sentiunt atque re ipsâ experiuntur se delusos à Satana, omnia secus accidisse quàm veterator ille promiserat. Sentiebant revera se mente & corpore à priore vita decidisse, destitutos videlicet spiritu, & concupiscentiâ se jam jam turpiter per membra ipsorum exserente. In summa, videbant se terque quaterque miseros cum tota posteritate. Quod & Hebræi sic efferunt, נסתכלו והבינו כמה שהראה להם הקב״ה כמה דורות אבדו בשבילם i. *Consideraverunt & intellexerunt id quod ostenderat eis Dominus, nempe quàm multa generationes periissent propter eos.* Porrò observa vocem עירמים, quæ in præsenti loco planè scribitur cum Jod litera, suprà verò in fine capitis secundi, ubi nuditas illorum qualis ante lapsum fuerit describitur, defectivè ponitur: quod non caret emphasi juxta Hebræorum sententiam. Nam nuditas illorum illis tum non vitio erat, ut modò, ubi turpis esse cœpit propter concupiscentiam sese in membris eorum fœdè exserentem. Accedit ergò in עירמים Jod litera per epitasim & auxesim, ad significandam turpitudinem quæ nuditati post peccatum accessit.

וַיִּתְפְּרוּ עֲלֵה תְאֵנָה וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם חֲגֹרֹת *Et consuerunt folia ficulnea, feceruntque sibi cinctoria*] Quidam hinc conjiciunt arborem scientiæ boni & mali ficum fuisse. Sed improbat istud R. Aben Ezra. R. Thanchuma scribit, Non disertè nominari arborem in qua peccarunt parentes nostri, ne, si homines aspicerent eam, contemnerent bonam Dei creaturam, dicentes, Hæc est arbor quæ homini peccandi occasionem dedit. Porrò fici foliis se adhuc hodie tegunt, quotquot nuditatem ac turpitudinem suam, hoc est malam conscientiam & peccata sua variis operibus extra Christum obvelare conantur: Hi, ubi increbescet vox judicii, sentient se non posse consistere, quemadmodum nec Adam & Eva audientes vocem Domini.

8. וַיִּשְׁמְעוּ אֶת־קוֹל יְהוָה אֱלֹהִים מִתְהַלֵּךְ בַּגָּן *Et audierunt vocem Domini Dei, &c.*] Diversa hîc est lectio Hebræorum. Quidam enim verbum מתהלך referunt ad vocem Dei quæ ambulaverit in paradiso. Nam & *ambulandi* verbum alibi & voci tribuitur; ut Exo. 19. 19. ויהי קול השופר הולך וחזק מאד, i. *Et factum est, cùm vox tubæ procederet & fortissima fieret, &c.* Est ergò *vox ambulans*, quæ intenditur & aures acutè percellit. Alii מתהלך ad Deum referunt: sed quod sensum attinet, in idem recidunt. Nec desunt qui ad Adam referunt: qui audiverit vocem Domini cùm in horto obambularet. Sed prior lectio magis quadrat. Onkelus habet, ושמעו ית קל מימרא דיי אלהים מטייל בגינתא, i. *Et audierunt vocem verbi Domini deambulantis in horto.* Prosequitur Moses quo ordine primi parentes ad gratiam redierint. Quemadmodum enim excusso verbo Dei mors ingressa est, ita redeunte illo atque in animum admisso vita reparatur, hoc videlicet ordine; Primùm, terretur ac consternitur Adam voce verbi Divini, adigiturque ad peccati agnitionem, ut videat se nihil proficere suis præcinctoriis, quibus miser homo fœditatem ac turpitudinem suam obvelare conabatur; deinde, dejectâ falsâ ipsius in præcinctoria fiduciâ, & humiliatâ conscientiâ, verum reparandæ salutis medium ex semine mulieris proditurum ostenditur.

לְרוּחַ הַיּוֹם *Ad ventum diei*] R. Jona רוח à רוח, quod *respirare* significat, deducit. q. d. *ad respirationem diei*, i. tempore quo est respiratio & refrigerium diei, hoc est, refrigerium aëris. Alii simpliciter accipiunt רוח pro *vento & aura*, intelligentes tempus quo dies inclinatur, atque ventus sese attollere solet, hoc est, sub vesperam. Onkelus habet, למנח יומא, i. *ad quietem diei*, hoc est, postquam efferbuisset æstus diei. Alii sentiunt non fuisse ventum solitum & consuetum, qui ferè sub vesperam ab occidentali parte exsurgere solet, sed impetuosum, qui præsentiam Divinitatis, quam Hebræi שכינה vocant, ferè antecedere solet. Quod probant ex istis locis; 1 Reg. 19. 11. *Ecce Dominus transit, & ventus magnus atque validus, dirrumpens montes ac confringens petras ante Dominum, &c.* Psal. 18. 10. *Et volavit super pennas venti, &c.* Job. 38. 1. *Respondit autem Dominus ipsi Job ex turbine, &c.* Verùm quia hîc dicitur, *Ad ventum diei*, omnino simpliciter accipiendum esse videtur. Cæterùm non caret mysterio, quòd Deus revelaturus sese primis parentibus nostris post prævaricationem, id facit per vocem, cùm adest ventus diei, idque sub vesperam. Quis enim dubitat eâ re adumbratum fuisse adventum Christi in hunc mundum, qui solus Vox est illa cœlestis de qua Pater dixit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est; ipsum audite.* Is ad vesperam diei, i. novissimis temporibus venit, atque meruit nobis Spiritum à Patre, cujus solius est refrigerare; i. consolari consternatas ac desperabundas ob peccatum conscientias.

וַיִּתְחַבֵּא הָאָדָם *Et abscondit se Adam*] Magna est cœcitas & insania, fugere quem non potes effugere, cujus oculis omnia sunt resupinata, qui videt omnia quæ in cœlis & in terra sunt. Unde est quòd David dicit Psal. 139. 7. *Quò fugiam a spiritu tuo?* Magna denique cœcitas, fugere conspectum ejus, ad quem potiùs in nulla non tribulatione confugiendum est, quique solus eripere potest, extra quem nulla est lux & consolatio, sed meræ tenebræ, ipsissimaque mors. Sed sic non confundit atque alienat à Deo peccatum. Observa hic quoque, quàm incorruptus judex sit conscientia nostra, quam certè nobiscum, quocunque terrarum sumus, in sinu nostro circumferimus: ea etiam est quæ fugat, terret, accusat & damnat parentes nostros: Certissimum testimonium, Deum tandem ultorem futurum omnis mali.

בְּתוֹךְ עֵץ הַגָּן *In medio ligni horti*] i. In medio arborum horti. Hebraismus est, *Lignum* pro *arbore*, & singularis numerus pro plurali. Et תוך non semper *medium* significat, sed *intra*, *inter*; Quo significato hîc commode accipitur, ut sit sensus; quòd Adam cum uxore sua sub vel inter arbores horti sese occultarit, fugiens de una arbore ad aliam, à voce Dei insectantis. Sed magna stultitia imò impietas est, relicto Deo ad creaturas confugere, & apud illas consolationem quærere. Sed hi sunt fructus incredulitatis & inobedientiæ. Sic hactenus Moses opera & consilia primorum hominum, quibus post lapsum sibi ipsis subvenire, sed frustrà, cogitarunt, perstrinxit. Quæ præcipua sunt; Propriis operibus peccatis se velle liberare, Judicium Dei velle effugere. Qui hoc facit, ab Hebræis nuncupatur כופר בעיקר, i. *negans Deum.*

9. וַיִּקְרָא *Exclamavit*] Observarunt Hebræi non carere emphasi, quòd scribitur, *Et vocavit*, & non, *Et dixit*; nempe significandi causâ, quàm longissimè primi homines per peccatum à Deo alienati fuerint, ut illos magnis clamoribus ad se demum vocare coactus fuerit. Nam ἀνθρωποπαθῶς Scriptura de Deo loquitur. Actum igitur erat de salute hominis, nisi Deus illi, proditorio animo ad aliena castra desciscenti, perniciterque fugienti, per infinitam misericordiam suam ultrò adfuisset, atque in gratiam iterum recepisset.

אַיֶּכָּה *Ubi es tu?*] Rogat Deus hominem ubinam sit? non quòd ignoret, sed ut istâ ratione eum ad agnitionem & confessionem peccati adigat; juxta illud in Proverbiis, מכסה פשעיו לא יצליח ומודה ועזב ירחם, i. *Qui celat iniquitates suas, nihil prosperum habebit; qui autem confitetur, & deserit, huic fit misericordia.* Hoc est, Qui agnoscit peccata sua coram Deo, & petit veniam, huic misericordiam impertit Deus. Nam etsi Deus priùs noverit peccata tua, & secreta cordis tui, tamen exigit à te, ut te agnoscas peccatorem. Quare & Hebræi hunc locum sic explicant, כי שאדם מודה עונותיו לפני בוראו ועוזב מעלליו הרעים הוא ירחם, i. *Qui confitetur iniquitates suas coram Creatore, & desistit ab operibus suis malis, is misericordiam consequetur.* Atque hæc est vera confessio quæ ex sacris literis habetur. Sunt autem crebræ ejusmodi interrogationes Dei in Sacrâ Scripturâ; ut infra cap. 4. de Cain, *Et dixit Dominus ad Cain, Ubi est Habel frater tuus? &c.* de Bileam, Num. 22. *Qui sunt viri isti apud te? &c.* de Hizkijahu, 2 Reg. 20. *Quid dixerunt viri illi, & unde venerunt ad te? &c.* quæ omnes à Deo fiunt, uti Hebræi dicunt, כדי לבא עמהם בדברים, i. *ut veniat cum eis in colloquium, atque ita ad confitendum errorem ac peccatum suum urgeat.* Sunt autem qui איכה per Sarcasmum dictum volunt, ut inde melius agnosceret quantâ fœlicitate excidisset. Sic enim adclamare solemus eos, qui ultra vires suas res arduas temere & parùm consideratè ordiuntur, dum vel cum pudore à coeptis desistunt, aut se in periculum aliquod suâ culpâ injiciunt.

10. אֶת־קֹלְךָ שָׁמַעְתִּי בַּגָּן וָאִירָא וגו׳ *Vocem tuam audivi in horto, & timui, &c.*] Quæ patent nec dissimulari possunt agnoscit, sed causam hujus supprimit, nimirum peccatum. Hæc tenent & veteres Hebræi: hinc est quòd dicunt, מכסה פשעיו לא יצליח זה אדם הראשון שאמר כי עירום אנכי ולא אמר שהיה בידו מעשה מחויל לכסות מעשה, i. *Qui celat iniquitates suas nihil prosperum habebit. Hic fuit homo primus qui dixit, Quia nudus ego, & non dixit, Timui propter peccatum meum; itaque celavit peccatum suum.*

11. מִי הִגִּיד לְךָ *Quis indicavit tibi?*] Quasi dicat, Hoc non habes ex prima illa naturali conditione tua, quod modò nuditatem tuam agnoscis, & pro re turpi habes; juxta illud, *Et non erubescebant*, sed aliunde hoc profectum est, nempe ex trans-

transgressione præcepti. Unde sequitur, *Numquid de ipsa arbore, de qua præcepi tibi, ut non comederes ex ipsa, comedisti?* Objicit præceptum in hoc, ut agnoscat peccatum, ex quo nuditatis ignominia existit. Nam hic usus præcepti Dei est erga prævaricatores.

לְבִלְתִּי אֲכָל *Ut non comederes*] לבלתי idem valet quod שלא *ut non.* Quod Hebraicè sic effertur, לבלתי עם למד כמו שלא vel, לבלתי קשר עם למד הוא כמו שלא i. לבלתי *cum Lamed sensum habet* שלא, vel, לבלתי *conjunctum cum Lamed idem valet quod* שלא, *ut non.*

12. הָאִשָּׁה אֲשֶׁר נָתַתָּה עִמָּדִי *Mulier ipsa quam dedisti mihi ut mecum esset*] Adhuc durius responsum primo, dum videlicet peccatum non tantùm non liberè fatetur, sibique totum illud malum adscribit, ut debebat; verùm in Deum ipsum quodammodo transferre conatur, ut qui aut malignus, aut malè providus fuerit, qui mulierem dederit in adjutorium, quæ causam exitii præbuerit. Et talem Hebræi vocant כופר בטובה, vel, כפר בטובה, i. *ingratum, qui negat & inficiatur bonum in se collatum, imo bonum malum esse dicit, sicut Adam.* שהרי הקדוש ברוך הוא נתנה לו לטובה והוא חשבה לרעה, i. *Nam Deus benedictus ipse dedit ei* mulierem *in bonum, & ipse reputavit in malum.* Et certè emphasim habet vox עמדי, i. *mecum.* Nam etsi idem significet quod עמי, tamen majorem habet epitasim; præsertim hoc in loco. Est enim deductum à verbo עמד, quod non semper simpliciter *stare* significat, sed emphaticùs; ut infra de Abrahamo cap. 18. cùm angelos hospitio accepisset, dicitur, *Ipse vero stabat juxta eos sub arbore,* &c. quod non est intelligendum quasi immotus Abraham steterit instar stipitis, sed sicut ministri mensæ adstant ad mensam: illi enim jam currunt, jam huc illucque respiciunt, quid desit, quid parandum, quid exportandum sit considerantes. Item eodem capite, *Et Abraham adhuc stabat coram* vel *ante Dominum,* &c. Ubi quoque non simpliciter coram Domino Abraham stetit, sed supplex Dominum rogavit, ac pacis reconciliandæ studiosus intelligebat Dominum perditurum esse hanc gentem; anxius ergò adhæret Domino, & sequestrem agit. Sic quoque emphaticum est עמדי vocabulum in præsenti loco; q. d. Adam, Mulier quam dedisti mihi ut adstaret: juvaret, obsecundaret, essetque vicarium auxilium, ipsa autor hujus mali existit. Supra, ubi dicitur, *Et dedit etiam viro qui secum erat,* habetur vox עמה, & non עמדה. Aliter enim Adam uxori adesse debebat, nempe tanquam caput, cujus imperio ipsa subjecta erat, aliter quoque ipsa viro adesse debebat, nempe tanquam serva & ministra: sed hunc ordinem uterque perverterunt, contra verbum Domini.

13. מַה־זֹּאת עָשִׂית *Cur hoc fecisti?*] Emphasin habet pronomen זאת. Nam non tantum simpliciter ad præcedens refertur, sed ad totam illam tragædiam de qua Dominus cum Adam agit. q. d. Cur transgressa es legem? & cur etiam eò impietatis pertraxisti maritum? &c. Sed quæstio hic suboritur, Cur ad Evam potiùs dixerit Deus, *Cur hoc fecisti?* cùm non Eva, sed Adam legem à Deo acceperit? Ad hoc respondetur ab Hebræis quoque, Etiam Evæ, quia os de ossibus Adæ, & caro de carne ejus fuerit, legem datam fuisse: Ad Evam verò potiùs quam ad Adam dicit, *Cur hoc fecisti?* quòd velit eam agnoscere & confiteri peccatum suum & non culpam rejicere in alium; quod detestatur & odit Dominus.

הַנָּחָשׁ הִשִּׁיאַנִי *Ipse serpens seduxit me*] השיא Hebræis *incitare, persuadere & seducere* significat. Unde & Onkelus vertit, אטעני, i. *errare me fecit.* Judæi exponunt, er hat mich geleicht, i. Vanâ spe me lactavit, & ità perdidit.

14. כִּי עָשִׂיתָ זֹּאת *Quia fecisti hoc*] Quòd Deus à serpente non causam peccati, ad quod primos parentes nostros pertraxerat, ut ab illis, perquirit sed mox illi maledicit, atque pœnam infligit, in causa est, quòd malum istud ex sese per invidiam & malitiam, nemine ad hoc ipsum instigante & compellente, fecerit, sicut & Scriptura testatur, Sap. 2. *Invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Atque ex præsenti loco colligunt Hebræi, alii ad peccatum idololatriæ incitanti ac solicitanti (quem מסית vocant) non esse dandum locum sese excusandi; Quod Hebraicè sic efferunt, אין מהפכין בזכות של מסית i. *Non controvertitur* in judicio *de innocentia incitatoris,* juxta id quod dicitur Deut. 13. *Si incitaverit te frater tuus,* &c. *Non acquiesces ei, neque audies eum, non parcet ei oculus tuus, neque propitius eris, sed nec occultabis eum, quin occidendo occides eum,* &c. Discimus ergò semper graviori pœnâ dignum, qui alios ad casum solicitat & instigat. Quia & hoc serpens fecit, ideo non meretur audire, *Cur fecisti hoc?* Sed, *Quia fecisti hoc,* &c. ne habeat quod prætendat, & se excuset. Est itaque Serpenti, hoc est, Satanæ, negata pœnitentia, quæ Adamo & Evæ proposita fuit. Cui sententiæ adstipulantur & quidam Hebræorum, cùm dicunt, *In venturo seculo omnia medelam ac restitutionem recepturos, excepto Serpente & Gabaonitis.* Per Gabaonitas autem intelliguntur hypocritæ, & illi qui toti caro sunt, nec quicquam habent spiritûs. Sicut enim Gabaonitæ dolo ingerebant se in populum Israëliticum, sic quoque hypocritæ irrepunt in Ecclesiam, non veste nuptiali vestiti. Dicunt quoquè sapientes Hebræorum, שלשה כתות אינם רואים פני שכינה חנפים לצנים ושקרנים i. *Tres sectæ non vident faciem Dei, Hypocritæ, illusores, & mendaces* sive *impostores.*

אָרוּר אַתָּה מִכָּל־הַבְּהֵמָה *Maledictus es præ omni jumento*] Ut Hebræi per *benedictionem* intelligunt הוספת הטובה, i. *accessionem & augmentationem boni,* ita per *maledictionem* intelligunt מגרעת הטובה, i. *privationem boni, & accessionem mali.* Maledictionem autem serpentis, quam sustinet præ aliis animantibus, quidam Hebræorum esse dicunt, quod tardiùs parturit. Septem enim annis uterum gestare affirmant. Sed quia nihil hujus Scriptura habet, maximè præsens locus, dicamus quod res est, Maledictionem serpentis in eo esse, quod modò humi repit, qui antea sublimis erecto corpore incedebat; Pulveres edit, qui antea herbas communes habebat cum animantibus: Denique serpentem ante lapsum nihil horrebat homo, sicut nec reliqua animalia: modò invisum animal est homini; cujus caput tandem prorsus conterendum prædicitur. Hæc si jam ad spiritualem illum serpentem, Satanam inquam, quam Hebræi נחש קדמוני vocant, qui in serpente bruto animante tanquam instrumento egit, referamus, ut certè debemus, significant, Veteratorem illum adversarium nostrum dejectum & consternatum esse, qui antea sublimis incedebat; pulveres edere, hoc est, terrenos homines, qui affectibus dediti sunt, consumere. Nihil enim potest in piis, qui neglectis terrenis, cœlestibus dediti sunt. Satan spiritus est; talem ergò oportet habeat cibum: hic sunt peccata, quibus illi sedatur fames. Ut enim serpens terrâ repit, terrâ vivit, terræ incumbit; sic ingenium Satanæ est ad terram trahere, ad terrena rapere homines, & à supernis avocare. Et sicut serpens in imis ac obscurissimis terræ cavernis angustis admodum versatur, in quas sese insinuat & abdit, ita & Satan miris artibus, dolis & illecebris sese in corda hominum insinuat, quos ad peccandum solicitat. Cum illo perpetua pugna est homini, juxta illud, Eph. 6. 12. *Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spiritales astutias in cœlestibus,* &c. Sed semen mulieris, quod Christus est, conteret illi caput, secundùm illud in Canonica Johannis, cap. 3. *Ad hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* Per serpentem ergò hic (nam utitur Deus similitudinibus & rebus quæ cognationem quandam habent cum his quæ agit) pulchrè adumbrata & significata est perpetua Diaboli damnatio, ità ut nunquam sit resurrecturus, nullaque illi prorsus sit spes salutis in æternum.

מִכָּל־הַבְּהֵמָה *Præ omni jumento*] Si serpens plus quàm omnia jumenta & feræ maledictus est, consequitur & omnia alia pecora & animalia maledicta esse, & per consequens omnes alias creaturas, idque propter peccatum hominis. Huc facit locus Pauli Rom. 8. *Omnis creatura congemiscit,* &c.

כָּל־יְמֵי חַיֶּיךָ *Omnibus diebus vitæ tuæ*] Dies vitæ Satanæ sunt omne tempus usque ad consummationem seculi, & adventum Christi. Tum enim præcipitabitur cum omnibus ministris suis in ignem æternum, Matth. 25. 41.

15. וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה *Inimicitiam ponam inter te & inter ipsam mulierem*] מדה כנגד מדה, inquit Hebræus, i. *Mensura pro mensura,* hoc est, *Per quæ quis peccat, per ea & punitur,* ut est in libro Sapientiæ. Per mulierem seduxit serpens, per mulierem iterum perditur & devastatur, hoc est, per semen quod ex illa proditurum promittitur. q. d. Deus, Mulier infirmum quidem vasculum est, & talis quæ idonea tibi visa est per quam artes & insidias tuas exerceres; sed utcunque illa imbecillis, [illegible] apparet in oculis tuis, tamen ex illa semen prodibit quod tibi comminuet caput. Porrò *inimicitia* est perpetua pugna carnis & spiritus, atque insidiæ Satanæ quibus nos adoritur. *Circuit enim,* ut D. Petrus ait, *sicut leo, quærens quem devoret.* In hac autem pugna omnis victoria Christi est, non hominis. *Semen* enim, inquit, *conteret caput serpentis.*

וּבֵין הָאִשָּׁה *Et inter ipsam mulierem*] האשה Emphasin habet propter He Hajedia, i. *demonstrationis,* præfixum. Loquitur enim de certa & nota muliere: q. d. Hæc ipsa mulier,

[illegible]

cujus imbecillitate tam turpiter abusus ês, causa erit tui interitûs. Vel potest referri ad Mariam virginem, ex qua natum est benedictum illud Semen quod caput serpentis conculcavit, juxta illud Esa. 7. *Ecce virgo impregnata pariet filium, & vocabis nomen ejus Immanuel.*

וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ *Inter semen tuum & inter semen illius*] Semen mulieris Christus est, & omnes credentes in eum: Semen serpentis semen Diaboli est, hoc est, omnes qui eum audiunt, & qui ei obsequuntur; Sicut Christus dicit Joan. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo estis*, cùm se semen Abrahæ jactarent.

הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב *Ipse conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum*] Ipsum scilicet semen, quod Christus est. Nam הוא Hebræis relativum est, masculini generis & refert זרע. Error igitur est quod legitur in Latina vulgata editione, *Ipsa conteret*, in f. gen. Tametsi leviculum hoc esse videtur, tamen multum detrahit gloriæ Christi, si ad alium quàm ad ipsum referatur. Meliùs ergò LXX. reddiderunt, qui αὐτὸς habent, *Ipse.*

יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ *Conteret tibi caput*] שוף Hebræis propriè *percutere, frangere, & contundere* significat. Estque sensus; *Ipse percutiet, franget, contundet*, seu *conteret tibi caput*, vel *te in capite; & tu conteres ei calcaneum*, vel *in calcaneo*; ut subaudiatur ב litera in עקב, juxta Aben Ezra. Pulchrè autem opponuntur *caput & calcaneum.* Caput superior pars est in corpore humano; Calcaneum, inferior. Christus igitur est qui caput serpentis petit & conterit, id est, potentiam & tyrannidem diaboli, quæ per *caput* Hebraico more intelligitur, destruit: Ipse verò, si maximè nocet, tantùm calcaneum lædit, inferiorem partem, quæ est Christi humanitas, quæque a Diabolo tentata, & in crucem tandem per suos ministros acta fuit; Sed quâ re nostra salus potissimum promota fuit: Quòd enim & Christus veteratoris illius tentationes sustinuit ac vicit, hinc & nos in ipso vincimus; quòd denique mortem gustavit, vitæ hinc nos restituit. Nec emphasi etiam carent quòd hæc in singulari numero dicuntur, *Inter semen tuum*, &c. Nam hæc propriè & verè in Christum competunt, qui solus & unus est qui Satanam divicit, juxta illud Joh. 14. 30. *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Quidam recentiorum Judæorum, quæ de inimicitia seminis serpentis & mulieris hic dicuntur, crassissimè juxta literam accipiunt, atque ità intelligunt quasi hæc inimicitia nihil aliud sit quàm quòd serpens notum illud animal hominem morsu suo inficit atque interficit, quódque homo, conspecto serpente, mox illum occidere cogitat. Sed frivolè ac impiè hæc dicuntur. Meliùs igitur ac verius veteres Hebræorum sapientes locum istum intellexerunt, qui ad Christum & ad Satanam referunt, sicut est videre in Onkelo, & in Thargo Hierosolymitano. Onkelus enim Chaldæus Paraphrastes ad hunc modum reddidit, ודבבו אשוי בינך ובין אתתא ובין בנך ובין בנהא הוא יהא דכיר לך מה דעבדת ליה מלקדמין ואת תהא נטר ליה לסופא i. *Inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter filium tuum & inter filium ejus: Ipse observabit tibi quod fecisti ei à principio; & tu observabis ei in finem.* Sic habet Complutensis editio. Thargum Hierosolymitanum; ויהי כד יהון בניא דאתתא לעין באורייתא ועבדין פקודיא יהוון מתכוונין ומחיין יתך לרישך וקטלין יתך וכד ישבקון בניא דאתתא מצוותא דאורייתא ולא יעבדון פקודיא תהוי מתכוין ונכית יתהון בעקבהון ומכאיב יתהון ברם יהוי אסו לבנהא דאתתא ולך חויא לא יהוי אסו ברם עתידין הינון אלין לאלין למעבד שפיותא בעקבא בסוף עקב יומיא ביומי דמלכא משיחא i. *Et erit cùm filii mulieris operam dederint legi, fecerintque præcepta, tunc attendent ut percutiant te in capite, atque ita occidant te. Cùm verò deseruerint filii mulieris præceptum legis, neque fecerint mandata, tu operam dabis ut mordeas eos in calcaneis eorum, & infirmitate percutias eos. Verumtamen medela erit filiis mulieris; Tibi autem serpenti non erit medela. Utique futurum est ut alii aliis faciant contritionem in calcaneo, in fine calcanei dierum, in diebus Regis Messiæ.* Hactenus Thargum Hierosolymitanum; Quæ propterea huc adjicere libuit, ut videamus majorem sinceritatem fuisse apud veteres Hebræos in interpretatione Scripturarum quam sit hodie apud recentiores Judæorum scriptores, qui sæpe datâ operâ clarissimos eosque præcipuos, Scripturæ locos depravant & in suum sensum malignè detorquent.

16. הַרְבָּה אַרְבֶּה *Multiplicando multiplicabo*] Repetitio verbi Hebræis frequens est, & certitudinem rei, continuationem, multitudinem, iterationem & frequentiam significat, maximè si fiat per infinitivum; Quod Hebræorum Grammatici sic efferunt, ובא כן המקור לחזק הפעולה i. *Et venit sic infinitivus ad fortificandam actionem.* Est igitur sensus; haud dubiè vehementer sæpiusque iteratis vicibus augebo & accumulabo ærumnas tuas.

עִצְּבוֹנֵךְ *Dolorem tuum*] עצבון Hebræis propriè העמל והיגיעה; i. *laborem qui adjunctam molestiam & dolorem habet*, significat; Sicut & Græcis, πόνος, *laborem & dolorem.* Nam alterum ex altero nascitur. Et licet *On* terminatio in nominibus formam diminutivorum constituit, tamen aliquando & auxesim facit, sicut & in præsenti loco. Et Aben Ezra etiam annotat, Nun literam superadditam in הרון innuere molestiam & fastidium quod habet mulier ex uteri gestatione.

הֵרֹנֵךְ *Conceptum tuum*] הרון Hebræis non tam *conceptum* quàm *uteri gestationem* significat, hoc est, angustiam illam quam experitur mulier à conceptu usque ad partum. Id quod R. D. K. in Radicibus sic explicat, כל ענין הרה על זמן הריון הוא העיבור בבטן אמו ועל יציאתו מבטן אמו. i. *tempus significat quo fœtus exsistit in utero matris suæ, nec non & egressionem ejus ex utero matris suæ.* Et quia Hebræi sæpe conjungunt duo substantiva per copulativam *Et*, quorum alterum vim habet genitivi casus, hinc est quòd quidam pro *dolorem tuum & conceptum tuum* legunt, *dolorem conceptûs tui.* R. S. hunc locum sic explicat, עצבונך זה צער גידול בנים והרונך זה צער העבור: בעצב תלדי בנים זה צער הלידה i. Dolorem tuum: *Hæc est molestia educationis liberorum.* Et conceptum tuum: *Dolor est gestationis uteri.* In dolore paries filios: *Est dolor partûs.* Tu observa עצבון genus esse, cujus species sunt conceptus & partus. Enutritionem verò & educationem Hebræi etiam ad parturitionem referunt. Est igitur calamitas muliebris sexus, quòd habeat cruciatus per menses singulos, quòd magno fastidio fœtum conceptum gestet, (nam gestatio est molesta & tædio plena) præterea ut maximè pariat cruciatu, nec minori molestiâ quod peperit alat. Nam ipsa nutricatio more Scripturæ ad nativitatem pertinet. Præterea cupiditate suâ ad virum fertur, hoc est, illi vel iniquiori animo adhæret, atque illius imperium nolens patitur. Hebræi quoque istas pœnas inflictas mulieri respondere putant cupiditatibus quibus titillata de vetito pomo comedit; & *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum*, respondere huic, *Et vidit mulier quòd bona esset arbor in cibum*; *In dolore paries filios*, illi, *Et oculis concupiscibilis*; *Et ad virum tuum erit desiderium tuum*, huic, *Desiderabilis quoque esset ipsa arbor ad prudentiam comparandam.* Quod si hæc Hebraicè magis legere cupis, ex Zeror Hamor sic accipe: אל האשה אמר הרבה ארבה עצבונך והרונך שלש לה הענש כנגד שלש הנאות שהתענגה באכילת העץ כאומרו ותרא האשה כי טוב העץ למאכל וכנגד זה אמר הרבה ארבה עצבונך והרונך מהתענוג המאכל בעצב תלדי בנים כנגד וכי תאוה הוא לעינים לפי שהבנים הם מחמד עיני של אדם ואל אישך תשוקתך כנגד ונחמד העץ להשכיל כי האדם עץ השדה והתשוקה תמורה i *Ad mulierem dixit*, Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum, *&c. Triplicavit ei pœnam, respectu voluptatis peccati quâ delectata fuit in esu arboris, juxta illud quod dicitur*, Videns itaque mulier quòd bona esset arbor illa in cibum. *Contra quod dicit*, Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum, *propter voluptatem cibi.* In dolore paries filios, *opponitur illi*, Et oculis concupiscibilis, *eò quòd filii sunt desiderium oculorum hominis.* Et ad virum tuum desiderium tuum, *Opponitur huic*, Desiderabilis quoque esset ipsa arbor ad prudentiam comparandam. *Nam Adam arbori agri assimilatur; Et desiderium opponitur* החמדה. Hactenus Zeror Hamor.

וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ *Et ad virum tuum erit desiderium tuum*] Quidam referunt ad appetitum, hoc sensu, Etsi viri consuetudo tibi multarum afflictionum causa erit, nec sic tamen refugies congressum ejus, quin semper desiderium, cupiditas & amor tuus ad illum erit. Scribunt enim Hebræi, כי זאת היא קללה גדולה לאשה שכל זה העצבון והצער בא לה מצד הבעל ועם כל זה ואל אישך תשוקתך כי זה חוץ מן הטבע שיאהב אדם למי שעושה לו רע ולכן אהבת הנשים היא כמפורשת כאשר אהבות ולכן אמר דוד נפלאתה אהבתך לי מאהבת נשים לפי שמלכות היה של יהונתן ודוד לקחה ממנו ועם כל זה היה אוהב לדוד שלא כמנהג העולם וזהו נפלאתה אהבתך לי כמין אהבת הנשים שאוהבות לבעליהן ורוצות שיהיו בעליהן עמהן בשעת הלידה אף על פי שיודעות שמהם בא להם זה הרע וחבלי הלידה i. *Magnam esse maledictionem mulieri, quod omnis isthæc afflictio & angustia obvenerit illi ex parte mariti, & nihilominus tamen cupiditate suâ ad illum tota fertur. Præter naturam enim est, hominem diligere eum qui sibi malum facit. Unde mulierum amor excedit reliquos amores. Atque hinc est quòd dicit David*, 2 Sam. 1. 26. Mirabilis factus est mihi amor tui super amorem mulierum; *Eò quod regnum ipsius Jonathæ fuerat, quod licet David abstulisset ab eo, nihilominus tamen Jonathan diligebat*

ligebat

ligebat David: quod erat contra consuetudinem hujus mundi. Ideo dicit, Mirabilis factus est mihi amor tui super amorem mulierum, *quæ sic amant maritos suos, ut cupiant illos sibi etiam adjunctos tempore partus, tametsi sciant ab ipsis esse malum istud, simul atque partus dolores*, &c. Alii ad opem, cujus causâ à viro pendet mulier, referunt. q. d. Pendebis à viro tuo, nunquam non suspiciens opem & axilium ejus, sine quo nihil rectè efficies. Est enim misera mulieteularum conditio. Et Apostolus in sua Canonica mulierem vocat *infirmius vasculum*, 1 Pet. 3. 7. Alii de obedientia & subjectione, quâ uxor marito in omnibus subdita esse debet, intelligunt: Quod sequitur Aben Ezra, qui sic exponunt, תשוקתך משמעתך שתשמע כל אשר יצוה עליך כי את ברשותו לעשות חפצו i. *Desiderium tuum, obedientia tua, Et sensus est; Et tu obedies omnibus quæ præceperit tibi, quia tu es in potestate illius, ut facias voluntatem ejus.* Lxx. *legunt*, ἡ ἀποστροφή σου, i. *conversio tua.* Quicquid enim sub alicujus potestate est, ad ipsum semper spectat, semperque id intuetur, id semper exoptat; præsertim si non in voluntate sed natura ea subjectio facta sit. Ita enim fert natura ut semper majora appetamus.

וְהוּא יִמְשָׁל־בָּךְ *Et ipse dominabitur tibi*] Supra cap. 1. idem verbi Moses usurpat, ubi de sole, luna & stellis loquitur, quomodo diei & nocti *dominari*, i. præesse, debeant. Sicut igitur ibi non intelligitur violenta quædam vis ac dominium, sed naturalis quædam virtus illis à Deo indita, quâ influunt in inferiora illa, eaque quodammodo regunt & moderantur; Sic quoque & in præsenti loco per *dominium* mariti non tyrannis, quâ sibi mulierem violenter & inhumaniter subjiciat, intelligi debet, sed sicut D. Petrus monet, viri mulieribus, tanquam infirmiori vasi, cum judicio & secundùm scientiam cohabitent, regant & instituant in verbo Domini. Quod imperium non vicissim uxorem in maritum habere permittit Spiritus Sanctus: 1 Tim. 2. 11. &c. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Cæterùm mulieri docere non permitto, neque autoritatem usurpare in viros, sed esse in silentio. Adam enim prior formatus est, deinde Eva. Et Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta.*

17. כִּי שָׁמַעְתָּ לְקוֹל אִשְׁתֶּךָ *Quia audivisti in*, vel *ad, vocem uxoris tuæ*, &c.] Nihil obfuisset Adamo audire vocem uxoris ad esum vetiti pomi solicitantis, modò non audivisset *in vocem* ejus, i. non acquievisset & obtemperasset. Est enim Hebraismus *audire in vocem*, pro *adsentiri, acquiescere, obedire & morem gerere*. Talem enim vim habet *audiendi* verbum apud Hebræos, si sequatur propositio *in* vel *ad*. Aliud igitur est Hebræis *audire vocem*, & aliud *audire in vocem*.

אֲרוּרָה הָאֲדָמָה בַּעֲבוּרֶךָ *Maledicta terra propter te*] העולם כלו לא נברא אלא בשביל האדם ואחר שהאדם חטא האדמה חסרה שלמותה inquit Hebræus, i. *Totus mundus tantum propter hominem conditus est. Postquam igitur homo peccavit, diminuta fuit terra perfectio.* Est ergò sensus: *Maledicta est terra propter te*. i. propter peccatum tuum. Hominis enim, non suo, peccato maledicta est. *Maledictio* apud Hebræos sterilitatem significat, sicut *benedictio* copiam & abundantiam. Unde & Aben Ezra exponit, לא תוציא תבואה רבה. i. *non proferet proventum multum.* Discamus ergò hinc, terræ sterilitatem atque frumenti inopiam ex peccatis nostris esse.

בְּעִצָּבוֹן תֹּאכֲלֶנָּה *In dolore comedes eam*] i. Fructus ejus. Est enim תאכלנה, ut inquit Aben Ezra, דרך קצרה. i. *Laconismus Hebraicæ linguæ*, juxta illud; 1 Reg. 2. 7. והיו באוכלי שלחנך i. *Et erunt inter comedentes mensam tuam*, hoc est, inter convivas mensæ tuæ, qui scilicet cibis mensæ tuæ vescuntur. Porrò עצבון laboriosum & molestum illud terræ exercitium significat, quo homo multo labore & sudore illam sibi ad proferendas fruges habilem facere cogitur, proscindendo, arando & conseminando; Quæ tamen sæpe utcunque probè culta, non respondet labori, sed spinas & tribulos profert. עצב laborem cum solicitudine conjunctum significat.

18. וְקוֹץ וְדַרְדַּר תַּצְמִיחַ לָךְ *Spinam ac tribulum faciet crescere tibi*] קוץ teste Aben Ezra. spina major est; דרדר, minor. Dicitur autem *Dardar* à דור *habitando*, quòd sparsim inter bonas herbas nascatur. R. Eliezer novum opus benignitatis Dei esse ait, quòd è terra nobis alimonia suppeditatur. *Nisi enim de novo*, inquit, *benedixisset, nihil nisi spinas & tribulos ex maledictione Dei proferret.* Et citat Psal. 136. 25. *Qui dat cibum omni carni*, &c.

וְאָכַלְתָּ אֶת־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה *Et comedes herbam agri*] *Herba* amplissimè accipitur, ut cujus appellatione veniunt omnes plantæ & omnia esibilia, alles gewechs. Aben Ezra עשב hic pro pane qui ex frumentis conficitur accipit. Dicit autem signanter, עשב השדה *herbam agri*, quòd ante transgressionem fructibus paradisi, qui suâ sponte citra hominis laborem crescebant, vesceretur; jam verò ob peccatum herbas agricum jumentis & bestiis, ad quorum ingenium accesserat, communes habet.

19. בְּזֵעַת אַפֶּיךָ תֹּאכַל לֶחֶם *In sudore vultùs tui vescêris pane*] Hebraismus est, pro *Victum comparabis tibi sudore.* q. d. ut scribit Kimhi in radicibus, בעמל גדול כי ביגיעה תצא הזיעה והפנים i. *labore magno. Nam ex nimio labore sudor in facie excitatur.* Et Aben Ezra refert ad eos labores quibus maximè sudor excitatur, ut est Ventilatio, Commolitio, Subactio farinæ, Pinsio, Coctio, & id genus alia; Quibus omnibus in comparandis cibus suis non opus habent reliqua animalia. לחם etiam generale nomen Hebræis est ad omnem cibum & edulium, ut etiam K. in Radicibus tradit, הורגל הלשון הזה על הלחם יותר משאר המאכלים לפי שהוא עיקר מאכל האדם *Quòd autem usitatius est panis vocabulum quam reliquorum ciborum, ideo fit quod panis præcipuus cibus est quo vescitur homo.* Solicitudo victûs viro pro se & aliis hic imposita est. Damnatur otium & inertia fomentum peccati. *Otia* enim *dant vitia*; &, *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.* Hæc perpendant ventres pigri, ad nihil aliud quàm ad fruges consumendas nati.

עַד שׁוּבְךָ אֶל־הָאֲדָמָה כִּי מִמֶּנָּה לֻקָּחְתָּ *Donec reverteris in humum. Quoniam ex ea sumptus es*] Præcipitur hic ut laborem ferat homo ad mortem usque. Væ ergò his qui vitam otio & ignaviâ transigunt, Cùm hoc certò præceptum de labore generale sit, ad omnes mortales pertinens, quo nemo hominum se eximere debet, qui modò Deum timet ac veretur.

כִּי־עָפָר אַתָּה וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris*] עפר Hebræis *pulverem, lutum, humum* ac *terram* significat. Quare legi potest, *Lutum enim es, & in lutum reverteris*; Vel *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; Sive, *Terra es, & in terram reverteris.* Magis tamen עפר *pulverem* significat, sicut testatur etiam R. D. K. in Radicibus suis, עפר יקרא הדק ברוב i. *Aphar plerumque vocatur tenuissimus pulvis.* Germanicè, los, luck, auffgeworffne Erd. Constat certè homo juxta philosophos (quibus & Hebræorum sapientes adstipulantur) ex quatuor elementis; Sed quia principaliter ejus pars humus est, ideo *pulvis* dicitur: Quod Aben Ezra Hebraicè sic tradit, אחר שידענו שהאדם נברא מהד׳ שרשים מה טעם כי ממנה לקחת והתשובה כי העצמות תולדותם מעפר ועל כן הם כבדות ואין להם הרגש והם מוסדי הגוף i. *Postquam scimus hominem conditum esse ex quatuor elementis, quâ de causa è terra sumptus esse dicitur? Resp. Eò quòd ossium natura sive conditio ex pulvere constat. Atque hinc est quòd gravia sunt & insensibilia, nec non & fundamentum corporis.* Admonetur certè hic homo, ut inter occupationes ac curas hujus vitæ etiam memor sit finis & mortis: nam omnino quærendi modus juxta vitæ terminum est moderandus: Dein, ut cogitet, quàm nihili & momentanea sit hæc vita, juxta illud, *Pulvis & umbra sumus.* Quæ certè cogitatio in nobis meritò omnem elationem, ferociam atque superbiam premat, juxta dictum Ecclesiastici, *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quod & Hebræi illa sententia efferunt, quam ad Capitis secundi versum septimum exscripsimus. Hactenus Moses pœnam temporariam, seu crucem potiùs, quam Deus homini, adeoque utrique sexui, propter peccatum imposuit, descripsit; Mulieri videlicet, ut in multis doloribus & molestiis concipiat, uterum gestet, liberos pariat & educet; Viro, ut cum magno labore & difficultate victum pro se & suis quæritet. Causæ hujus impositæ crucis maximè hæ sunt: I. Ut nunquam non admoneatur admissi peccati, ejusque causâ amissæ felicitatis; atque indè sese semper humiliet, veramque resipiscentiam meditetur. II. Ut reliquiæ peccati, hoc est, prava illa affectio quam Hebræi יצר הרע vocant, quæ est ex depravata natura, quæque perpetuò hominem ad peccandum solicitat, per impositam crucem supprimantur, ut caro refrænata spiritui promptius pareat. III. Ut sit exemplum aliis, quò cautiùs agant, & minùs pressiusque peccent. Beatus ergò homo qui hæc diligenter expendit, atque indè impositæ a Domino cruci humeros volens subdit. Sic enim fiet ut effugiat pœnam æternam, dum, videlicet temporariam, in quam æterna illa immensâ gratiâ Dei commutata est, patienter & æquanimiter sustinet. Hinc Apostolus mulieres consolatur 1 Tim. 2. *Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta obnoxia facta est transgressioni. Salva tamen fiet per generationem liberorum, si manserint in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate.* Sic totus hic locus facit pro commendatione crucis. Unde & Christus dicit, *Qui vult post*

esse discipulus accipiat crucem suam, i. ea mala quæ Dominus cuique imponit leniter & æquo animo ferat. Porrò quæstio circa præsentem locum movetur, num Adæ vel Evæ imputandum sit, quod nos conjecti sumus in inimicitiam cum Deo, & ferre cogimur propter unum peccatum molestias quotidianas, &c? Resp. Verisimile est Evam causam horum omnium fuisse: Primo enim comedit de fructu vetito, & peccavit; Insuper ad peccandum solicitavit maritum Adam, quo etiam auxit peccatum: Verùm propterea ex his non consequitur, gravius fuisse peccatum Evæ quam Adæ. Graviùs enim peccavit Adam, eò quod ipse acceperat præceptum à Domino; Dein quòd consilio & viribus plus valebat, præstantiorique & pleniori rerum cognitione præditus erat. Locus igitur PAULI, quòd *mulier prior seducta fuit*, de imbecillitate ejus, non de gravitate peccati, intelligendus est. Et Rakenatensis scribit peccatum Adæ in omnes homines derivatum esse.

20. וַיִּקְרָא הָאָדָם שֵׁם אִשְׁתּוֹ חַוָּה *Et vocavit nomen uxoris suæ Havæ*] R. S. חזר הכתוב לענינו הראשון ויקרא האדם שמות ולא הפסיק אלא ללמדך שעל ידי קריאת שמות נזדווגה לו חוה כמו שכתוב ולאדם לא מצא עזר כנגדו, i. *Redit Scriptura ad præcedentem materiam, Et vocavit Adam nomina, &c. Non enim distinctionem fecit, nisi ut doceret te, quòd per impositionem nominum contigerit ei Eva, sicut scribitur, Et homini non invenit auxilium quod esset cum eo, &c.* Hactenus R. S. Philosophantur porrò Hebræi in voce חוה. Quidam enim putant mulierem חוה à *vita* emphaticè appellatam fuisse; quòd sicut vita nihil aliud est quàm ærumna & mutatio, ità mulier & ærumnosa sit & inconstans, ad omnem ventum mutabilis, velut vita & luna. Alii חוה à Chaldæo quod *annunciare* significat deducunt, & voluunt חוה dictam mulierem eò quòd serpentis sermonem temere effutierit, Adæque denunciarit, sicque ad prævaricandum eum provocarit. Unde & דברנית, i. *loquacem*, nominant. nam vitium loquacitatis adhæret mulieribus: Hæc Hebraicè sic efferunt, על שהיא דברנית ומצפצפת ודברה עם הנחש דברים שלא לצורך עד שנתפסה בדבריה וחטאה והחטיאה לבעלה וע״כ קראה שמה חוה i. *Eò quòd loquacula & garrula fuit, locutaque est cum serpente verba inutilia, donec comprehensa fuit in verbis suis, atque ità peccavit; simul atque peccare fecit maritum suum, vocavit eam* חוה. Sed certius est quod Scriptura habet, *Havam*, sive *Evam*, ut nostri legunt, à *vita* denominatam fuisse, *quòd mater esset omnium viventium*, i. *filiorum hominis*, ut Onkelus reddidit, ארי היא הות אמא דכל בני אנשא, i. *eò quod mater esset omnium filiorum hominis*. Est ergò *omnium viventium* synecdochica locutio. Nam non fuit mater luporum, sed viventium hominum. Nec dubium est quin Adam imponendo uxori id nominis, ad promissionem de Semine serpentis caput conculcaturo respexerit, quâ spem animo conceperat, suam illam conjugem eam fore. Ideo eam חוה, quod nos *Eva* dicimus, nominavit, q. d. *vivificatricem*, quòd mortuum genus hominum per ipsius partum vivificandum foret. Dicitur חוה *Hava*, non חיה *Chajah*, ad differentiam חיה, quod *feram* & *bestiam* significat. Quòd præterea Adam uxori nomen indit, argumentum est quòd Adæ plus fuerit datum potestatis. Qui enim nuncupat rem, major & excellentior est re nuncupatâ.

21. וַיַּעַשׂ יְהוָה אֱלֹהִים לְאָדָם וּלְאִשְׁתּוֹ כָּתְנוֹת עוֹר וַיַּלְבִּשֵׁם *Et fecit Dominus Deus ipsi Adam & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*] Diversa hîc lectio est. Quidam enim legunt *tunicas pelli adhærentes*. quam lectionem sequitur Onkelus in sua paraphrasi, ועבד יי אלהים לאדם ולאתתיה לבושין דיקר על משך בסריהון ואלבישנון i. *Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos.* Alii legunt *tunicas de pelle sumptas*, i. laneas, vel de pellibus factas. Duo hîc potissimum consideremus: I. Hominem tergoribus pecorum atque ferinis pellibus indui, ad significandum quantâ felicitate exciderit, quomodoque ad brutorum animalium naturam, ingenium, indolemque accesserit, obsequendo carnalibus affectibus, quibus homo bestiis assimilatur: II. Immensam Dei bonitatem ac misericordiam erga hominem, etiam post transgressionem, quâ non tantum de cibo sed & de vestitu illi prospicit. Sic providentia Divina necessaria nobis vel incogitantibus in tempore tribuit.

22. הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ לָדַעַת טוֹב וָרָע *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, ad sciendum bonum & malum*] Ironia est, quâ Dominus ad considerandum damnum, quod peccato dedit, hominem commovet. nam ea cogitatio resipiscenti necessaria est. q. d. Vide quam vera promiserit serpens, quam factus sis par Deo, sciens bonum & malum. Imo nihil minùs es. Judæi hinc statuunt liberum arbitrium, qui & eis præcipuus locus est, imitati videlicet Onkelum, qui sic interpretatur, הא אדם הוה יחידי בעלמא מיני לפרוש טב וביש, i. *Ecce Adam factus est unicus in seculo, ex eo est ut sciat bonum & malum.* Quod si peccato liberum arbitrium accessisset, sequeretur prævaricationem bono illi fuisse; quod est contra Scripturam hujus loci. Sed placet hic fusius nonnihil indicare quid Hebræi sentiant de arbore scientiæ boni & mali, quaque de causa sic fuerit appellata. Quidam עץ הדעת *arborem cognitionis* dictam autumant, eò quòd, ut ipsi dicunt, fructus ejus appetitum coeundi, quem תאות המשגל vocant, in homine pepererit; atque inde esse quòd primi homines statim post esum vetitum pomum membra genitalia obvelare cœperint. Sed non probat hanc sententiam R. Nehemanides, objiciens illud serpentis dictum, *Et eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, &c. Quomodo enim convenit hoc de Deo adseverare? Ipse igitur sic sentit; Arborem illam עץ הדעת denominatam fuisse, eò quòd ex esu fructuum ejus homini voluntas, electio sive arbitrium quoddam accesserit, ut cum animi quadam oblectatione modo vel hoc faciat, vel illud cum fastidio respuat. Quam voluntatem, electionem, sive judicium dicit esse כח אלהים, i. *divinum quiddam*, & in Deum veriùs competere; malum enim homini esse propter יצר הרע, i. *malam concupiscentiam*, quæ illi modò ex peccato adhæret. Dicit enim omnia hominis opera ante lapsum naturalia quodammodo fuisse, non aliter atque cœli, terræ, solis, lunæ, stellarum, & omnium aliarum creaturarum; sic ut etiam cum uxore suo tempore coivisset, causâ tantum procreandorum liberorum, absque ulla fœda carnis titillatione; modò verò mala esse hominis opera propter adhærens peccatum. Verbum ידע igitur, unde arbor illa vetita עץ הדעת dicta est, Nehemannus per רצה & בחר, i. *velle & eligere* seu *approbare*, hic exponit: Et citat locos Scripturæ in quibus in hac significatione accipitur, nempe hos, Psal. 144. 3. מה אדם ותדעהו ר״ל תחשוב ותרצה בו, i. *Quid est homo quod cognoscis eum? hoc est, quod delectaris eo, & bene affectus es erga eum.* Exod. 33. 12. 17. ידעתיך בשם ר״ל בחרתיך מכל האדם i. *Novi te cum nomine, hoc est, elegi te ex omnibus hominibus.* 2 Sam. 19. 35. האדע בין טוב לרע אם יטעם עבדך את אשר אכל ואת אשר אשתה אם אשמע עוד בקול שרים ושרות ונו׳. i. *Nunquid discernere possum inter bonum & malum? nunquid gustare potest servus tuus qua comedo & qua bibo? nunquid audire potest amplius vocem cantorum & cantatricum? &c.* ר״ל שאבד ממנו כח הרצון לא היה כוחו בדבר חפץ בו והיה אוכל מבלי שיטעם ושומע מבלי שיתענג i. *Vult dicere quod perierit in eo vis sensitiva, sic quod nullius rei sensum nec voluptatis nec fastidii amplius haberet, comedens videlicet absque gustu, & audiens cantica absque delectatione.* Verùm mihi placet nostrorum sententia, qui tenent arborem Cognitionis boni & mali atque arborem Vitæ sic denominatas esse, quòd similitudinem quandam habeant earum rerum quas Deus parentes nostros per eas docere voluit. Et sic explicant, nempe quod Deus hic hominem admonere voluit, nè, ut solet, quid bonum, quid malum à seipso, sed à solo Deo discere & scire tentet. Nam tametsi intellectu, voluntate & scientiâ præditus sit homo, boni tamen & mali cognitionem non nisi Deo revelante habere potest, unde per Prophetam increpantur qui bonum malum & malum bonum dicunt. Exemplum ergò cœcitatis & temeritatis humanæ in Adam proponitur, qui, cùm à Deo nè de fructu scientiæ boni & mali edat prohiberetur, id est, nè sua consilia, neque quæ sibi recta aut curva viderentur protinus amplecteretur, præterito mandato, Deus fieri maluit (Deus enim solus bonus est, solusque novit quid sit bonum, quid malum) & æternam incurrit mortem. Cum ergò solicitudinem ac curam paternam erga filium suum exprimere, eumque, nè unquam sibi fideret, suisque consiliis niteretur, sed totus à summo illo penderet, præmonere vellet, pulcherrimâ hac orationis figurâ usus est optimus Pater, ab arborum plantatione sumptâ: quas dum aut fructibus onustæ sunt, vel vetustate casum minantur, fulcris sustinemus. Sic Deus duabus illis arboribus hominis casum & reparationem adumbrat. Dum enim homo in se reversus vocis Dei obliviscitur, morte moritur; deinde per lignum vitæ, Christum scilicet, reparatur. Dicis, Ergo arbor scientiæ boni & mali mala est. Minimè, Lex enim spiritualis est, & bona: sed quòd bonum erat homini per abusum malum fit. Vinum bonum est, sed abutenti pessimum. Qua de re clarius, & copiosius tractat Paulus Rom. 7. Jam translatione & insitione arborum una ex alia propagatur: Ita omnes nos ex uno patre Adam peccatores nascimur, & in eo tanquam in radice tota humani generis soboles infecta & mortua est. Nam arbor mala fructus bonos non potest

teſt edere, nec mortuus vivum aliquid generare. Hactenus noſtri. In ſumma, per arborem Scientiæ boni & mali & per arborem Vitæ adumbratum fuit. I. Omnis boni cognitionem à ſolo Deo, non ex nobis, eſſe; II. Peccatum ex Adam in totam poſteritatem humanam demanaſſe, ſicut arbor ab arbore propagatur; III. Quod ut alieno peccato omnes morimur, ita alienâ juſtitiâ, nempe ſolius Chriſti, vivificamur & ſalvamur.

וְעַתָּה פֶּן־יִשְׁלַח יָדוֹ וְלָקַח גַּם מֵעֵץ הַחַיִּים *Et nunc nè forte mittat manum ſuam, & accipiat etiam de arbore vitæ.*] Sunt inter Hebræos qui putant conciſum eſſe ſermonem, ſic abſolvendum, ועתה ראוי הוא לחיות נגרש מכאן פן ישלח ידו i. *Et nunc dignus eſt ut expellatur hinc, nè fortè extendat manum ſuam,* &c. Alii dicunt emphaſin habere vocem ועתה, quâ ſcilicet ipſe homo ad reſipiſcentiam admoneatur. Dicunt enim ſapientes Hebræorum, אין ועתה אלא תשובה. Senſus eſt; *Non ponitur vox* ועתה in Divinis literis *niſi ubi pœnitentia proponitur*. Pro qua ſententia confirmanda citant illud Deut. 10. 12. ועתה ישראל מה יהוה אלהיך שואל מעמך כי אם ליראה את יהוה אלהיך ללכת בכל דרכיו ולאהבה אותו ולעבד את יהוה אלהיך בכל לבבך ובכל נפשך וגומר i. *Et, Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ut ambules in cunctis viis ejus, diligas eum, & ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua? &c.* Eandem quoque vim habere dicunt ועתה in præſenti loco. Quod enim ejecit eum paradiſo, הראה לו דרכי תשובה i. *oſtendit ei vias pœnitentiæ*, inquiunt Hebræi.

וָחַי לְעֹלָם *Et vivat in æternum*] i. Multo tempore, multis annis. Nam לעולם Hebræis temporis durationem juxta materiam ſubjectam de qua agitur ſignificat. Hinc eſt quod aliquando *æternitatem* ſignificat, præſertim ſi adjectam habeat voculam עד, aliquando verò אורך זמן, *longum tempus*, ut hoc in loco Hebræi quoque Latinis ſcriptoribus in hoc aſſentiuntur, quòd tenent, Si Adam in ſtatu innocentiæ permanſiſſet, per eſum ligni vitæ continuaſſet vitam in multos annos, donec ſenſim transformatus fuiſſet in immortalitatem, animo completo & conſummato imagine Dei. Sed quid juvabat vitam perpetuare in corrupta illa natura? Bono ergò homini fuit poſt peccatum mortalem eſſe & citò mori. Nam *corpus quod corrumpitur aggravat animam*, i. quod his affectibus ut nos ſumus præditum eſt. Summum ergò Dei beneficium opuſque miſericordiæ ejus fuit, quòd hominem poſt prævaricationem paradiſo expulit, quò videlicet ipſi ampliùs peccandi occaſio adimeretur, & ut per terræ labores impoſitamque crucem peccati nunquam non admoneretur, atque ità ad meditandam veram reſipiſcentiam diligentiùs adſpiraret.

23. וַיְשַׁלְּחֵהוּ *Et emiſit eum*] Emphaſin habet verbum שלחו in conjugatione Piel, atteſtantibus etiam Hebræis. Non enim ſimpliciter *emittere & dimittere* ſignificat, ſed ſic ut nunquam ſis recipiendus. Nam hoc verbo lex repudii utitur, quæ permittit dato libello repudii uxorem dimittere, nec unquam recipere. Et Aben Ezra annotat verbum שלח, ſi ipſum ſequatur præpoſitio מ, ejectionem, ac expulſionem quæ cum ignominia fit ſignificare. Verba ejus ſunt hæc, כל שלוח שאחריו מם כמו גרוש והוא לגנאי כמו שלח מעל פני ויצאו. Senſus eſt, *Quoties verbum* שלח *ſequitur Mem* litera *ignominioſam expulſionem ſignificat: ut* Jer. 15. 1. *Ejice eos à facie mea.*

מִגַּן־עֵדֶן לַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה *De horto Eden ad colendum terram*] R. Nehemanides ex hoc loco colligit paradiſum in terris eſſe. Sic enim ſcribit, דע והאמן כי גן עדן בארץ ובו עץ החיים ועץ הדעת ומשם יצא הנהר ויפרד לארבעת הראשים הנראים לנו כי פרת בארצנו ובגבולנו ופישון הוא נילוס מצרים כדברי הראשונים i. *Scias & credas hortum Eden in terra eſſe, in quo ſunt arbor vitæ & arbor cognitionis. Atque indè egreditur fluvius qui dividit in quatuor capita, quæ à nobis conſpiciuntur. Nam Euphrates in terra noſtra & in termino noſtro eſt: Et Piſon Nilus Ægypti eſt, ut dicunt priſci ſcriptores.* Hactenus ille.

לַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה *Ad colendum terram.*] Ut ſcilicet perpetuâ cruce admoneretur peccati, necnon & damni propter illud accepti, & ſic corrigetur in melius. אלה הם דרכי השם כשמראה לאדם הדרך הטוב ואינו רוצה לילך בו לפנות מכנו אותו הטוב כי אחר שנטה מדרך הטוב ראוי שלא יהיה בגן עדן כי אין זה מקום ראוי לו אלא שיחזור למקומו הראשון אשר לוקח משם. i. *Iſta ſunt viæ Dei. Cùm oſtendit homini viam bonam per quam non vult ingredi, iterum aufert ab eo bonum iſtud. Poſtquam enim* Adam *declinavit à via bona, dignum fuit ut non eſſet in horto Eden. Non enim conveniebat ei locus iſte, quin potiùs ut rurſum rediret ad priſtinum locum ſuum unde ſumptus erat.* Hæc Hebræi.

24. וַיְגָרֶשׁ אֶת־הָאָדָם *Et expulit ipſum hominem*] Aben Ezra ſic legit, כאשר גרש השכין הכרובים וגומר. i. *Poſt quàm expulit eum, collocavit Cherubim, &c.* Verbum גרש Hebræis propriè *repudiare* ſignificat, quemadmodum maritus uxorem rejicit. Pulchrè ſibi Deus hominem aſſociaverat, quem tanquam ſponſam quoque variis & præclariſſimis donis ornaverat. Verùm quia ille fidem non ſervavit, Diabolóque plùs quàm Deo credidit, dignum fuit ut repudiaretur. Et certè poſtulabat facinus ejus ut ſeveriſſimè cum ipſo Deus ageret, ſed miſericorditer cum eo agit. Commeruerat æternam mortem; ipſe duntaxat ejicit eum ex paradiſo, in temporalem miſeriam & calamitatem ponens, qui nullâ gratiâ ſed æternâ pœnâ dignus erat: Denique in mediis calamitatibus promittit ei liberatorem. Sic ſemper major & amplior eſt מדת הרחמים quàm מדת הדין, i. *miſericordia & gratia Dei quàm judicium Dei*, ut rectè dicunt Hebræi; Ipſúmque colligunt ex verbis decalogi, ubi dicitur, *Quia ego Dominus Deus tuus, Deus æmulator, viſitans iniquitatem patrum in filiis, in tertiam & quartam uſque* generationem *eorum qui odiunt me; & faciens miſericordiam in millibus, his qui diligunt me, & obſervant præcepta mea.* Ubi vides quòd miſericordia ejus longiùs & in plures ſeſe extendit quàm judicium ejus quo animadvertit in ſontes. Quod Hebraicè ſic dicitur, מדה טובה יתרה על מדת פורענות. i. *Bonitas Dei major* ſive *abundantior eſt vindictâ ejus.*

וַיַּשְׁכֵּן מִקֶּדֶם לְגַן־עֵדֶן אֶת־הַכְּרֻבִים *Et collocavit à plaga orientali horti Eden Cherubim*] Poſt hunc locum primus in Divinis literis eſt in Exodo de factura Cherubim ſuper arcam; dein Ezech. 1. & 10. cap. Quid autem Cherubim hîc fuerit non planè conſtat, niſi quòd ſimpliciter credendum eſt, fuiſſe tale quiddam quo apertè abarcebatur homo à paradiſo. Aben Ezra כרוב *Cherub* generalem vocem eſſe dicit ad omnem figuram, hic autem per *Cherubim* notos angelos ſignificari; Quorum ſeptem eſſe volunt; idque probant indè, quia hîc ſit terminatio pluralis, quæ ad minimum duos ſignificat; præterea literam ה à fronte additam quinque deſignare. Sed quàm firmum hoc ſit, ipſi viderint. Alii *Cherubim* Arabicam vocem eſſe dicunt, ex Caph litera ſervili, quæ ſimilitudinem ſignificat, conflatam; Hinc *Cherubim* dictos, quod formam & figuram habuerint puerorum. Cæterum per Cherubim miniſterium verbi ſignificatur, undè & *Cherubicum miniſterium* vocatur, ſicut colligitur ex Ezech. 3. ubi Cherubim gloria Dei inſidet, quibus à templo ſublatis gloria Dei aufertur, id eſt, adminiſtratio ejus, quæ fit per verbum adminiſtrationis. Nam ea illic ſignificatur transferenda eſſe ad gentes. Omnino hæc tria neceſſaria fuerunt homini poſt prævaricationem: Crux nempe, ut ſubinde admoneretur peccati; dein, ut ſciret inevitabilem eſſe mortis neceſſitatem; Poſtremò, ut haberet verbum prædicationis, quod per Cherubim adumbratum fuit, quorum officii erat, viam homini occludere ad arborem vitæ, atque oſtendere illi ad eam non eſſe reditum, niſi per eum qui factus eſt via, oſtium & vita. R. S. Cherubim exponit מלאכי חבלה, i. *angelos devaſtatores.* Porrò quorundam veterum Hebræorum ſententia eſt, Angelos ſecundo die creatos fuiſſe, & mox quemque ad ſuum munus & officium deputatum, ità & Cherubim; Verùm tertio demum die hortum paradiſi conſtitutum fuiſſe; ideoque angelos ante hortum paradiſi extitiſſe. Unde ſic legunt, *Et collocavit antequam eſſet hortus Eden Cherubim.* Cui ſententiæ adſtipulatur Onkelus cum ſua verſione, ואשרי מלקדמין לגנתא דעדן ית כרוביא i. *Et collocavit priuſquam hortus Eden eſſet Cherubim*, &c. Sic habet exemplar Venetianum. Aliter verò Complutenſis editio, ואשרי מקדמוהי לגנתא דעדן ית כרוביא i. *Et collocavit ad Orientem horti voluptatis Cherubim*, &c. Atqui hæc poſtrema lectio omnium ſimpliciſſima eſt, ut intelligamus Cherubim conſtitutos ab Oriente paradiſi, qui fuerat aliquis locus in terris, ut מקדם ſignificet *ab orientali plaga.* Quam lectionem R. S. & Aben Ezra ſequuntur.

וְאֵת לַהַט הַחֶרֶב הַמִּתְהַפֶּכֶת *Et flammam gladii verſatilis*] Duplex hîc lectio eſt. Quidam legunt *flammeum gladium*; alii, *laminam gladii*, i. laminam politam quæ flammam ejicere videtur. Diverſam hanc lectionem parit vox להט, quæ *flammam & laminam* ſignificat. Et המתהפכת alii *verſatilem*, alii *ancipitem* gladium & *in utramque partem acutum* intelligunt, ut Aben Ezra, qui המתהפכת exponit per חרב שני פיות. Onkelus habet, ודחרב שנן חרביא דמתהפכא. i. *Et acutum gladium verſatilem.* Sunt qui putant hos angelos non unum habuiſſe gladium, ſed plures ſtrictos enſes ſplendentes & fulgentes admodum; poſitumque eſſe ſingulare pro plurali. Quod ad myſterium attinet, gladius iſte flammeus & acutus duplicem typum verbi Dei oſtendit, ignis, Luc. 12. 49. & gladii, Heb. 4. 12.

לִשְׁמֹר אֶת־דֶּרֶךְ עֵץ הַחַיִּים *Ad custodiendum iter arboris vitæ.*] Significatum est; Neminem ad cœlestia regna, æternam vitam ac felicitatem perventurum nisi qui eo per Christum contendit, imò æternùm periturum qui aliunde viam quærit. Et Hebræi rectè dicunt, שלא יכנסו בגן עדן אלא הצדיקים כמו שנאמר זה השער ליהוה צדיקים יבאו בו. i. *Non intraturos in hortum Eden nisi justos, juxta id quod dicitur*, Psal. 118. 20. Hæc est porta Domini, justi intrabunt per eam. Sed in hoc cæcutiunt, quòd non intelligunt hoc verè dici de justificatis per fidem in Christum. Commemorant circa hunc locum quoque Hebræi, quomodo per Cherubim adumbratum fuerit ministerium summi sacerdotis in Lege. Quòd, si non rectè administravit tempore quo in sancta sanctorum intravit, flammeo gladio è medio Cherubim qui super arcam erant prodeunte absumptus fuit, atque ità periit. Quòd si hæc Hebraicè magis audire gliscis, sic accipe, וכנגון היו הכרובים במקדש ובשעה שהיה נכנס כהן גדול ביום הכפורים וכה היה נכנס בשלום לא זכה מבין כי הכרובים יוצא להט החרב המתהפכת ושורף אותו מבפנים ומת׳ i. *Collationem cum his habuere Cherubim qui fuerunt in sanctuario. Nàm si tempore quo summus sacerdos in festo expiationis in ipsum sanctuarium ingrediebatur, innocens fuit, in pace quoque ingressus fuit: Si verò nocens fuit, de medio duorum Cherubim egrediebatur flammeus gladius & versatilis, qui exurebat eum, sic ut in ipso sanctuario moreretur.* Constat certè ex scriptis Hebræorum, aliquot pontifices in sanctuario periisse, quòd non rectè administrassent ministerium suum, vel quòd dolo sese in illud ingessissent. Atque hi maximè erant ex Sadducæis, qui non veram fidem habebant Legi & Prophetis, nec juxta legem & verbum Domini incensum offerebant, ingredientes in sanctuarium. Sed de his aliàs fusius. Hæc tantùm ex Hebræorum scriptis adferre libuit, ut videas & illos, maximè Cabalistas, Cherubicum officium ad ministerium verbi aliquo modo referre.

IDEM.

1. ויאמר אל האשה אף כי אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן, *Et dixit ad mulierem, Etiam si dixit Deus, Non comedetis de omni ligno horti?*] Variatio est in vocibus אף כי, quas Græcus & Vulg. Lat. interpres per interrogativum causam rei inquirentem reddiderunt. Verùm tu noveris אף כי Hebræis potiùs Asseverantis esse, per amplificationem, quàm interrogantis. Cùm enim apud Hebræos voculam אף sequitur particula כי, idem valet quod כל שכן, i. *quantò magis*. Unde Hebræi dicunt אף כי hoc in loco non initium orationis serpentis, sed finem fuisse. Ut scilicet sit truncata oratio, cujusmodi non raræ exstant in S. Scriptura, ità ut post multa alia quæ serpens ad mulierem dixerit, tandem & illud adjecerit, *Etiam quod dixit Deus*, vel, *Quanto magis quod dixit Deus, Non comedatis de omni ligno horti*, &c. Sed audi R. D. Kimhi in Radicibus suis hunc locum meo quidem judicio non ineptè sic explicantem, פירוש הפסוק אמר לאשה דברים אחרים והמה שאמר לה כי הסקום שתא אתכם אף על פי שאתם גדולים כשאר הצורים שלא יעשה לכם מקלרת בן וכן וכל שכן שאמר אליכם אל תאכלו מכל עץ הגן לזה תבירו כי שתא אתכם ואל׳ יקשה עליך התוספת הזה כי לא יתכן לפרש לשם פירוש בעולם מבלי תוספת אחר לפי שאמר אף ואף לעולם מוסיף על אשר אמר ועוד כי דרך הכתוב לאחוז תכלית הדברים ותכליתם תבין ראשיתם וכן בדברי המגלים שלח יהושע שאמרו כי נתן יי׳ בידינו את כל הארץ ולא יתכן שיה היה תחלת דבריהם כי כלת כי נותנת פעם לאשר אמר אלא אחז הכתוב תכלית דבריהם ומהם תוכל להבין הראשית, Versionem vide in præcedentibus.

8. וישמעו את קול יהוה אלהים מתהלך בגן לרוח היום: *Et audiverunt vocem Domini Dei deambulantis in horto, ad ventum diei.*] In Translatione Septuaginta & in Vulg. edit. redundat illud, *in meridie*, sive, *post meridiem*: nam textus Hebraicus non habet, sed tantùm לרוח היום, i. *ad ventum diei.* Estque sensus, Sub vesperam, quando dies inclinatur, atque ventus sese attollere solet. Cui sententiæ adstipulatur & Onkelus suâ Paraphrasi, qui habet, לניח יומא, *ad quietem diei*, i. postquam efferbuisset æstus diei.

15. ואיבה אשית בינך ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב: *Et inimicitias ponam inter te & inter ipsam mulierem, inter semen tuum & inter semen ipsius: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ejus calcaneum.*] Autor Latinæ Vulg. ed. hallucinatus est in pronomine relativo הוא, quod in feminino genere reddidit, referendo ipsum ad *mulierem, ipsa conteret*, &c. Cùm tamen Hebræis sit masc. generis, & referat זרע, i. *semen*, quod est Christus, qui solus nemóque alius contrivit & adhuc conterit in electis suis caput serpentis: quare rectiùs verterunt LXX, qui legunt αὐτὸς, *ipse*, Christum nimirum intelligentes. Leviculum fortè hoc alicui esse videri potest, sed expendat interim pius lector quantum derogetur gloriæ Christi si in feminino genere, *ipsa conteret*, legas. Aut ergò præposterâ quadam religione in honorem Mariæ virginis, pro *ipse* vel *ipsum*, *ipsa* positum est, aut vitio & incuriâ scriptoris irrepsit. Vide quæ in h. l. annotavi in Bibliis meis Chaldaicis.

17. ארורה האדמה בעבורך, *Maledicta est humus propter te.*] Græci & Vulg. Lat. interpres impegerunt in dictione בעבורך, decepti nimirum similitudine literarum, Res pro Daleth inspicientes, ac si scriptum esset, בעבודך i. *in operando te*, vel *dum operatus fueris*, deductum à verbo עבד quod *operari terrámque colere* significat. Sed בעבורך præpositio est cum affixo pronominali, i. *propter te*, sicut & Onkelus rectè transtulit בדילך.

22. הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע: *Ecce ille homo fuit quasi unus ex nobis, ut sciret bonum & malum.*] Variatio est in voce ממנו, quæ cùm anceps sit ad tertiam personam sing. *ex eo* significans, & ad primam personam plur. i. *ex nobis*, ideo variandi occasionem Interpretibus dedit. Nostri interpretes omnes *ex nobis* legunt, & per ironiam exponunt, quâ Deus ad considerandum damnum quod peccatum dedit, hominem commovere voluit: q. d. Vide quàm vera promiserit serpens, quàm factus sis par Deo, sciens bonum & malum, imò nihil minùs es. Onkelus Chald. singulariter transtulit מיניה, i. *ab eo*, vel *ex se*, ut habet Complutensis. Cujus versionis duplex sensus esse potest. Prior, Ecce Adam solus est in mundo ab eo, scilicet Deo, factus, ut sciat bonum & malum: quem sensum sequitur R. Schlomo, sic explicans, *Ecce quemadmodum ego solus sum in cœlestibus, sciens bonum & malum, sic & homo in terris solus simili cognitione præditus est; ne tamen eâ ad majorem sui perniciem abutatur, consultum est ut Paradiso expellatur.* Eandem sententiam habet & autor Paraphrasis Hierosolymitanæ, qui hunc locum ità transtulit; ואמר מימרא דה׳ אלהים הא אדם דברית יתיה יחידי בגו עלמי היך מה דאנא יחידי בשמי מרומא עתידין אינון למקם מיניה הקום אינה דידעין למפרשא בין טב ובין טב ובישא ודיהוי בן גנתא דעדן קדם עד דלא יפשוט ידיה ויסב לחוד מן פירי אילנא חייא וייכל ויחי לעלם, Versionem supra habes. Alter, *ex se*, vel, *ex eo*, scilicet *Adam*, vel *homine* est, *ut sciat bonum & malum*, &c. Atque hinc colligunt & statuunt Hebræi liberum arbitrium, sed minùs feliciter: nam si peccato liberum arbitrium accessisset, sequeretur prævaricationem bono illi fuisse, quod est contra naturam hujus loci. Mihi probatur sententia nostrorum, qui hunc locum sic legunt, intelligunt & exponunt, ut sit Ironia cum insultatione quadam, quâ Deus Adæ ferit conscientiam, atque illi stultitiam & temeritatem suam ob oculos ponit. Ironiæ enim vehementes sunt.

24. ויגרש את האדם וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים ואת להט החרב המתהפכת לשמור את דרך עץ החיים, *Itaque expulit illum hominem, & collocavit à plaga orientali horti Eden Cherubim, & laminam gladii versatilis, ad custodiendum iter arboris vitæ.*] Translatio Græca abundat in eo quod habet, *Et collocavit eum ante paradisum voluptatis*, quasi Adam ad plagam Orientalem ejectus fuerit, quod non disertè dicit Scriptura, neque habet textus Hebraicus, tametsi indè etiam colligi possit. Dein variatio est in voce מקדם, ob ejus ambiguitatem, unde autor Lat. editionis per *ante* reddidit. Alii *plagam Orientalem* exponunt, quibus accedit Thargum edit. Complutensis, quod habet, מכדנח לגינתא דעדן *ab orientali plaga horti Eden.* Thargum exemplaris Venetiani transtulit מלקדמין, quod & ipsum bifariàm redditur, vel, *à principio horti*, i. mox à principio cum ipso horto Eden Cherubim constitutos fuisse (sentiunt enim quidam Hebræorum hortum Eden ante mundum exstitisse) vel, priusquam hortus Eden exsisteret: מלקדמין enim alii pro *antequam, priusquam* exponunt, ut sit sensus, Cherubim conditos & ordinatos fuisse ante hortum constitutum. Nam quorundam veterum Hebræorum sententiâ Angeli secundo die conditi sunt, hortus autem in Eden tertio die. Porrò להט Hebræis *flammam & laminam politam, quæ flammam ejicere videtur*, significat: hinc Græc. & Lat. vulg. interpres per *flammeum gladium* verterunt, Onkelus *gladium acutum.* Porrò cùm audis Hebræos dicere Paradisum ante mundum exstitisse, non est ut istud crassè juxta literam dictum sentias, sicut quidam ex recentioribus Judæis stultè faciunt; sed cùm per Paradisum æterna felicitas ac beatitudo, cujus ille typus erat, intelligatur, voluerunt veteres illi Hebræi hâc sententiâ innuere vitam æternam, quæ in Divinis literis venit appellatione *Paradisi*, ab æterno Dei consilio, antequam mundus exsisteret, pro justis & electis præparatam fuisse. Quod convenit cum eo quod scribit Apostolus Eph. 1. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione in cœlestibus*

Christo : quemadmodum elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram ipso per charitatem, qui prædestinavit nos ut adoptaret in filios per Jesum Christum, &c. Item cum dicto Christi Matt. 25. *Venite, benedicti patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis ab exordio mundi*, &c. Hæc ideo ex Hebræis referre placuit; ut sciamus veteres illos Hebræorum sapientes multa sub ænigmatibus mysteria proposuisse, quod quia multi ignorant, sæpe illorum dicta & scripta temere rident atque exsibilant. Sunt ergò cum judicio quæ illi hoc modo scripserunt legenda. Tempus erat tum umbrarum, typorum & figurarum, ænigmaticos ergò & obscurâ occultâque quadam ratione multa altissima mysteria tradiderunt.

VATABLUS.

1. *Serpens verò* והנחש] Hebraicè est articulus præpositivus ה, emphasin habens, q. d. *Ille verò Serpens* : ut intelligamus Mosen loqui de serpente noto. ¶ *Etiámne* אף כי] Videtur truncata fuisse sententia, ut post alia multa quæ Serpens dixerit mulieri, subjunxerit, *Etiámne est verum quòd*, &c. Verti etiam potest, *Multo magis* miror *quod prohibuerit nè*, &c. q. d. Miror Deum vos privasse magnis bonis: multò magis demiror quòd dixerit vobis, *Ne*, &c. Chaldæus paraphrastes vertit, *Verumne est quòd Deus*, &c. quem doctiores sequuntur, vertentes, *Itáne dixit*, &c.

2. *Arborum* עץ] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Vescimur* : נאכל] Fut. Heb. pro præs. i. *vesci nobis licet*.

4. *Non moriendo moriemini* : לא מות תמתון] Hebraismum sic quidam reddunt, *Nequaquam moriemini*. Nam *Morte mori*, est certissimè mori, & sine dubio. Alii sic interpretantur, Nequaquam verum est vos esse morituros eâ horâ quâ comedetis ex eo fructu : sed ideo vetuit, non quòd mors sequatur esum fructûs, sed ut tollat à vobis scientiam perfectissimam.

5. *Sicut Dii*, כאלהים] Sicut Angeli. Posset etiam verti, *sicut Deus*.

6. *Bona* esset *arbor* טוב העץ] i. aptissimus esset fructus illius arboris ad esum. Nomen verbale Heb. pro verbo. ¶ *Desiderabilis* תאוה] Ad verbum, *desiderium*, i. gratissima. Alii, *desiderabilis arbor ad videndum*, vel *ad contemplandum*. i. quòd oculos contemplantium se remoraretur præ pulchritudine & elegantia. ¶ *Et concupiscibilis ad intelligendum* : ונחמד העץ להשכיל] *Et expetibilis arbor ad faciendum intelligere*, sive *ad prudentiam conferendam*. Ità Hebræi; quos sequuntur doctiores.

¶. *Secum*, עמה] i. ut unà cum ipsa ederet. ¶ *Et comedit*. ויאכל] sub. homo.

7. *Tunc aperti sunt* ותפקחנה] Ad verbum, *Et aperti sunt*, i. malum suum cœperunt sentire; tametsi nondum seriâ culpæ suæ notitiâ tanguntur. Nam nuditatis suæ tantùm eos pudet; non se humiliant, nec metuunt Dei judicium. ¶ *Folia* עלה] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Cingulos*. חגרת] *subligacula*, quibus scilicet contegerent pudenda.

8. *Ad auram diei* : לרוח היום] Ad verbum, *ad ventum diei*, i. sub vesperam ipsam, quo tempore solet ventus attollere sese. ¶ *Arborum* עץ] Sing. Heb. pro plur. i. inter arbores ipsius horti, sive in ea parte horti quæ densissima erat propter arbores.

10. *Et abscondi me*. ואחבא] Hic ו &, pro *ideo* positum.

13. *Cur hoc fecisti?* מה זאת עשית] *Quid hoc* est quod *fecisti?* q. d. Quale facinus perpetrasti! Admirativè legendum.

14. *Ventrem tuum* גחנך] *pectus tuum*.

15. *Præterea inimicitias* ואיבה] Ad verbum, *Et inimicitiam*. ¶ *Et inter semen tuum*, ובין זרעך] Hic ו declarat, *id est*, *inter semen*. ¶ *Ipsum conteret te in capite*, vel *percutiet*, aut *vulnerabit*. *Ipsum*, subaudi *semen*, qui est Christus. LXX verterunt αὐτὸς, Christum intelligentes; aut αὐτὸς refert non σπέρμα, sed τὸ αὐτὸ, quod sit ejusdem cum dictione σπέρμα significationis : idque Hebraico more. Christus (inquit) filius Virginis destruet opera tua, & te victo liberabit Christianos à ditione tua. Rom. 16. 20. *Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris*. ¶ *Conteres ei calcaneum*. תשופנו עקב] *percuties ipsum* in *calcaneo*. Alii à שאף deducentes, quod *sufflare* significat, vertunt, *mordebis ipsum* in *calcaneo*: quia serpens morsurus sufflare, sive sibilare solet. i. nocebis ei quacunque in re poteris : ut solent serpentes, qui insidiosè appetunt ac mordent incautos.

16. *Dolores tuos*, & *conceptus tuos*, עצבונך והרנך] Duo substantiva copulata, quorum alterum Latinis esset genitivi casûs sine copula. Singularia item Heb. pro plur. *dolores conceptuum tuorum*. Conceptum autem hoc loco pro uteri gestatione accipere debemus, quod etiam ipsa vox Hebræa הרן significat. Vertere potes, *Haud dubiè augebo dolorem tuum, dolorem inquam qui tibi erit ex conceptu & uteri gestatione*: vel, *Iterando iterabo dolorem tuum, dolorem inquam conceptus tui*, i. iterabo tibi eum dolorem quem senties in primo tuo conceptu, sive uteri gestatione tua prima. q. d. Multis vicibus afficiam te dolore, nempe quoties concipies. Seipsum statim declarat, cùm dicit, *In dolore paries*. Complectitur quicquid molestiæ sustinent mulieres ex quo gravidæ esse incipiunt, fastidium cibi, deliquia animi, lassitudines, aliaque innumera, usquedum ventum est ad partum, qui acerbissima tormenta secum affert. ¶ *Desiderium tuum*, תשוקתך] *appetitus tuus*. q. d. Tibi non aliud appetendum erit nisi quod volet maritus tuus. Negat eam fore liberam ac proprii juris, sed mariti sui imperio addictam, ut ab ejus nutu pendeat. Alii exponunt, *In dolore paries filios: & nec sic tamen refugies congressum viri tui*. Quàm autem rectè, ipsi viderint.

17. *In labore* בעצבון] *in dolore*. i. cùm summo labore & ærumnis.

18. *Spinásque ac tribulos* וקוץ ודרדר] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Herbas agri*. את עשב השדה] Sing. Heb. pro plur. i. *vesceris herbis campestribus*.

19 *Et in pulverem* ואל עפר] Quidam ו &, vertunt per *itaque*; sive *propterea*: *itaque in pulverem*, &c.

20. *Havah*, חוה] i. *viventem*. ¶ *Sit* היתה] *futura esset*. Ut sit præt. pro fut. respiciendo ad tempus quo hæc scripta sunt.

22. *En homo iste* הן האדם] Ironia est; q. d. *Aliter se res habet*. ¶ *Sciendo* לדעת] *sciens*; *ad sciendum*. i. quod ad cognitionem boni & mali attinet. Causam miseriæ exprimit, quòd scilicet Adam sorte suà non contentus, altiùs tentaverit ascendere quàm licebat, perversâ illicitæ scientiæ appetentiâ. ¶ *Ne forte mittat manum suam*, פן ישלח ידו] Sub. *cavendum est*; vel, *cavete, ô vos Angeli, ne mittat*, &c. Arbor vitæ sacramentum erat & figura quâ immortalem vitam ipsi Adæ obsignaverat Deus, si non recederet à præcepto ejus. Postquam autem defecit à Domino, morti illum adjudicavit; simúlque arborem ei abstulit quæ poterat ei esse fiduciæ materia de vitæ perpetuitate quam amiserat. Acsi diceret, Nè vanâ fiduciâ fruatur si promissionis meæ symbolum teneat, excutiatur illi quod spem aliquam immortalitatis facere posset.

24. *Cherubim*, את הכרובים] Ex doctioribus Hebræorum alter scribit, *Cherub* nomen esse universale ad omnem figuram: nisi quòd Cherubim quorum meminit Lex, humanam habebant effigiem, ut nunc depinguntur: quorum verò Ezechiel, quatuor animalium ibi descriptorum habebant figuram. Prisci Hebræorum doctores (ut annotat doctus inter illos) putaverunt כ in כרוב notam esse similitudinis, & idem significare quod כרביא i. *sicut puer*, quò sint instar puerorum. ¶ *Et aciem gladii*, &c. ואת להט החרב וגו'] & *laminam*, vel *lamellam*, *ensis versatilis*, vel, *flammeam*: ità dicitur à fulgore. Gallicè dicimus, *l'allumelle*. Chaldæus paraphrastes *acutum gladium versatilem*. i. cui duæ erant acies. Sunt qui putant istos Angelos non unum habuisse gladium, sed plures strictos enses splendentes & fulgentes admodum : positúmque esse singulare pro plurali. q. d. Angelos habentes formam humanam, qui apparebant strictis ensibus fulgurantibus ac splendentibus, quos ipsi versabant & agitabant more militum, custodientes nequis accederet ad arborem vitæ.

CASTALIO.

16. *Ærumnis*] הרן est pariendi dolor, qui Græcè ὠδὶν vocatur: nos ejus proprium nomen non habemus.

20. *Viventium omnium mater*] Hebræis homines à *vita* aliquando denominantur, Latini *mortales* appellant. Sed hîc propter nominis rationem *mortales* dicere non licuit. Adde quòd in nomine *Vivens*, sive de homine, sive de Deo dicatur, multa possunt intelligi quæ in nomine *mortalis* non possunt.

22. *Periculum est nè*] Ad verbum, *Et jam nè*: quæ reticentia est. Hoc modo loquuntur aliquando Galli. Tale est illud Matth. 25. μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν, *Ne fortè non satis sit nobis & vobis*. Et illud Rom. 9. μήπως οὐδὲ σε φείσεται. & Aristot. ἠθικ. νικο. ἐν τῷ κ. cap. 1. μήποτε δ' τοῦτο οὐ καλῶς λέγεται. & cap. 3. μήποτ' οὐ λέγουσι τί ἄτοπον.

CLARIUS.

1. *SErpens erat callidior*] Opinantur quidam tunc aliam figuram fuisse serpentis quàm nunc sit. Leguntur tamen quædam serpentum genera erecto collo incedere. Certè quod infrà in pœnam dicitur, *Super pectus tuum gradieris*, indicat, aliquid in eo immutatum esse.

5. *Sicut Dii*] Ponitur hoc loco idem vocabulum penitus cum illo quod paulò antè positum est, *Scit enim Deus*, &c. Participium *scientes* non est referendum ad vocabulum *dii*, sed ad Adam & Eva.

6. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum*] Si antequam gustasset, hoc vidit, ut ex textu apparet, dicendum est, illam id judicasse ex specie & decore fructûs.

7. *Cùm cognovissent se nudos*] Quasi turpe aliquid corpori humano Creator indidisset. Vitium ergò in causa est, ut quæ per se non sunt turpia, quasi parùm honesta contegere cogamur, in naturæ jam olim corruptæ significationem.

8. *Ad auram diei*] Humani moris locutio, quasi ad refrigerium diurni caloris deambularet. Quidam interpretantur, *ad quietem diei*, hoc est, ad occasum: Quiescit autem dies, quando sol occumbit. Vel, *ad auram*, hoc est, sub vesperam. Vocabulum quod hîc ponitur, significat ventum, spiritum, auram.

15. *Semen tuum*] Semen serpentis impii sunt, qui illius veneno infici se patiuntur, & quodammodo ab eo generari. Quare Servator dixit quibusdam Judæis, *Vos ex patre diabolo estis, & voluntatem ejus vultis facere.* ¶ *Ipsum conteret caput tuum*] Ipsum semen mulieris Christus Dominus contrivit caput serpentis, hoc est, regnum peccati: Ipse verò serpens non caput, sed calcaneum contriturus dicitur, hoc est, extremos quosque duntaxat: vel cùm in Christi humanitatem desævit. Pulchrè autem pœnæ infliguntur. Serpentis arrogantiæ apponitur, ut super ventrem gradiatur: in muliere deliciæ puniuntur doloribus partûs; ignavia *Adæ* excitatur laboribus.

16. *Conceptus tuos*] Vox Hebræa significat gemitum, seu angustiam illam, quam habet mulier à conceptu usque ad partum. ¶ *Sub viri potestate eris*] Vel, *ad virum tuum erit desiderium tuum*, sive *obedientia tua*. Colligitur ex his verbis, mulieri ob peccatum fuisse multum de naturali dignitate detractum, ut quæ æqualis esse viro potuisset, nunc ei subjiciatur.

20. *Eva*] Hebræi legunt, *Hava*; quia nullus post eam homo natus est vel conditus sine muliere.

22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*] Ironia videtur. Objicit enim illi stultitiam. Nunc verò, inquit, saltem nè in illa semper vivat miseria, prohibeamus accessum ad lignum vitæ. Sic Deus etiam mortis pœnam homini non sine summa misericordia inflixit.

24. *Flammeum gladium*] Dictio Hebræa significat flammam, & laminam politam, quæ flammam ejicere videatur. Atque tali splendore Dominus voluit accedentes cohibere. Pro *versatili* quidam Hebræorum interpretantur gladium hunc fuisse ancipitem & utrâque parte acutum.

LUCAS BRUGEN.

15. *IPsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*] Latina exempl. pleraque scribunt, *Ipsa conteret caput tuum.* S. Germani oblongum & Sorbonicum correctorium, à Parisiensibus notata, legunt *Ipse conteret caput tuum.* Harum lectionum posterior Hebræo conformior est: legitur enim הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב. Eadem lectio Græcæ translationi similis est: sic enim habet, *αὐτός σε τειρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τειρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. Ipse tuum conteret caput, & tu conteres ejus calcaneum.* Ità exempl. Complutense & Vaticanum. Germanicæ verò editiones cum Aldina, *αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. Ipse tuum observabit caput, & tu observabis ejus calcaneum*; id quod à Patribus ferè lectum est, atque adeò Hieronymo, qui si in aliis codicibus *τηρεῖν* legi comperisset, η nimirum primam syllabam formante, id proculdubio prætulisset. In Hebraicis namque super Gen. Quæst. productâ Interpretum LXXII. translatione, *Ipse servabit caput tuum, & tu servabis ejus calcaneum*, annotat, *Melius habet in Hebræo*, Ipse conteret caput tuum, & tu conteres ejus calcaneum; *quia & nostri gressus præpediuntur à colubro, & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter.* Quibus in verbis etiam conspicitur Hieronymum, lectioni prædictæ conformiter, *Ipse* vertere. Fortassis autem commodius neutro genere transferatur, *Ipsum conteret caput tuum.* Est enim Hebraicè pronomini הוא cum præcedente nomine זרע quod *semen* significat, debita convenientia, ut vocem quæ subaudiatur aliunde accersere necesse non sit. Hoc modo (neutro, inquam, genere) in Latinis quibusdam exemplaribus haberi, insuper ità D. Leonem legisse, Aloysius Lippomanus docere videtur. Dum enim Leonis magni in hunc locum verba Catenæ suæ copulaturus esset, præmisit, *Vel juxta alia exemplaria, Ipsum conteret caput tuum.* Tum ipsius verba ex Serm. 2. De nativitate Domini subjunxit; *Deus omnipotens & clemens*, &c. *statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata mortalibus suæ pietatis remedia*, &c. *præsignavit; denuncians serpenti, futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominemque signans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorruptâ nativitate damnaret.* Quibus ex verbis à Leone hoc modo locum hunc lectum vero non est absimile. Isidorus Clarius hoc ipso modo sua Biblia emendavit, *Ipsum conteret*, &c. Minimè verò contemnenda est ea Latinorum exemplarium lectio *Ipsa conteret caput tuum*, tum quod in omnibus penè Latinis codd. legatur (nos certè post D. Hentenium nullum Vulgatæ editionis codicem potuimus reperire qui diversum legeret: nam Parisiensium sunt quos pro *ipse* Hentenius adfert: neque constat de Sorbonico correctorio, qui alter est Parisiensium, an ex Hebræo, an ex Latinorum codicum auctoritate sic legendum doceat; ut neque de Aloysii exemplaribus, an nostræ sint editionis, cujus certè Clarii Biblia, quæ *ipsum* habent, non sunt) tum quòd à Veteribus, & iis qui vulgatâ ex Hebræo, &, quod magis est admirandum (dissonant enim Græca exemplaria) iis qui vulgatâ ex Græco editione usi sunt, agnoscatur atque exponatur. Augustinus lib. 2. De Genesi contra Manichæos cap. 18. *Observat*, inquit, *ipse plantam mulieris, ut si quando illicita labitur delectatio, tunc illam capiat: & illa observat caput ejus, ut eum in ipso initio malæ suasionis excludat.* Similis est Gregorii lib. 1. Moral. cap. 38. Eucherii, Bedæ ac Rabani lectio atque expositio. Neque verò hæc lectio Hebræo repugnat. In primis enim potuerit Interpres היא femininum pronomen pro הוא masculino legisse, ut nonnulli conjiciunt. Deinde femininum pronomen nonnunquam eo modo scriptum reperitur quo masculinum הוא, quanquam היא legatur: atque ità hoc loco accipiendum & legendum esse היא nonnulli existimant. Hinc Guido Fabricius, Pici Mirandulani principis auctoritate nixus, in Hebraicis illis Bibliis Regio operi adjunctis, quibus Latina interpretatio inter contextûs lineas inserta est, excudi curavit היא, quanquam errore propositum sit הוא. Nec rejicienda est ista lectio quòd masculini generis verbum pronomenque sequantur, verbum ישוף pronomen נו: nam & alibi phrases hujusmodi reperiuntur. Esth. 1. 10. וכל הנשים יתנו יקר לבעליהן, Eccles. 12. 4. וישחו כל בנות השיר Potest autem hæc lectio, ad eum ferè sensum quo superiores exponuntur, de Christi matre intelligi, ut *serpentis caput contrivisse* dicatur, qui eum genuit qui contrivit, qui diabolum suâ morte divicit, & nos ex ejus tyrannide in libertatem asseruit.

Locus iste à Chaldæo Paraph. ad hunc modum redditus est, *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter filium tuum & inter filium illius: ipse erit observans* [*memor* Exemplar Venetum] *tibi quod fecisti ei à principio, & tu eris observans ei in fine.* Atque in hac Paraphrasi observetur & illud, quòd, illi Græcæ lectioni conformiter, quæ & olim & hodie multorum est codicum, *τηρῶν*, per η in prima syllaba, transferatur *observans*, nè cum & hæc accedat ratio, à quoquam facile rejiciatur. Porrò, etsi exemplar Venetum priore loco דכיר יהי habeat, posteriori tamen, Complutensi & Regio conformiter, נטר יהי legit; atque expositio esse videtur דכיר יהי, ejus quod in Complutensi & Regio est נטר יהי.

DRUSIUS.

5. *ERitis sicut dii*] Hunc locum perdifficilem quidam enarrant, *Eritis sicut Angeli.* Nam Angeli etiam *dii* vocantur, suntque spiritus scientes bonum & malum, perindè ut Deus, licet non adeò perfectè. Quod autem sequitur, *sicut unus ex nobis*, hoc dici putant propter Messiam, qui *Angelus fœderis* & *magni consilii Angelus*, & simpliciter *Angelus* vocatur. Sed alii malunt, *eritis sicut judices* aut *principes*. Nam judices debebant scire bonum & malum, unde

Magiam discebant, ut possent de Magis rectiùs judicare. Legimus autem, *Deus in medio deorum judicat.* Deorum, i. *judicum*; ut ibi, *adduces eum ad Deos*: Quod explicant πρὸς τοὺς κριτὰς, *judices.* Moneo locum verti etiam posse, *eritis sicut Deus.* Nam Elohim tam Deum significat, quam Deos. Est enim communis numeri, ut diximus. Procopius in Genesin, pag. 27. *Ajunt Ebraeos iisdem literis eodemque numero scribere & Deus & Dii. Proinde quidam legunt, eritis ut Deus, non, eritis ut Dii. Verùm quia praesens locus additum habet, ut unus è nobis, satis liquet eandem dictionem & supra in plurali numero esse enunciatam.* Scire licet nomen hoc quando essentialiter accipitur omnes tres personas in se comprehendere: quâ ratione dici non absurdè posset habere sensum pluralem, non quidem vi terminationis, sed acceptionis, ut cùm Deus ita sumitur. Sic ὁ Θεὸς eo modo sumptum quandam pluralitatem insinuat, nempe tres personas: quarum fortasse respectu post ait, εἰρωνευόμενος, *Ecce Adam factus est sicut unus è nobis.* Dicam eadem clariùs. Qui sic loquitur *Deus est aeternus*, dicit, Pater est aeternus, Filius est aeternus, Sp. S. est aeternus. Sic qui dicit, *Deus creavit coelum ac terram*, dicit; Pater creavit, Filius creavit, Sp. S. creavit. Nec negamus in hoc sensu nomen Elohim significare pluralitatem; nam ubi plures personae, ibi pluralitas aliqua. Quid igitur? Negamus id fieri vi terminationis, cum etiam Deus eo significatu denotet quandam pluralitatem. Ut ut sit, pessimè hunc locum exponunt, qui exponunt *eritis sicut divina persona.* Nam si divinae personae vocantur dii, quid obstat quò minùs possimus dicere plures Deos esse? Quis enim itâ cum Scriptura loquentem culparet? Quod si hoc impiè sonat in auribus nostris, non minùs impium est, meo judicio, dicere tres Elohim esse, cùm unus tantum sit. Sed ille qui hoc dixit excusandus est. Nam secutus fuit Magistrum Sententiarum, qui sic locum illum olim exposuit. Id nos peculiari libello refutavimus, qui nunc in omnium manibus versatur. Legat qui volet; nos dicta ibi non repetemus hoc loco. Tantum annotamus Chaldaeos interpretes ipsosque adeò Ebraeos communiter de angelis locum enarrare. An eadem fuerit mens Graecorum & Hieronymi nostri, nescio. Hoc scio, in eorum libris legi ὡς θεοὶ, *sicut dii.* Mirum autem si de vero Deo intellexerunt, cur usi sint numero multitudinis, cum alias semper nomen hoc itâ acceptum reddant θεὸς, *Deus.* An peccaret, qui sic argumentaretur? LXX & Hier. nomen Elohim quando verum Deum denotat, etiam cùm essentialiter sumitur, semper convertunt ὁ θεὸς, *Deus*; ergo hic, ubi referunt ὡς θεοὶ, *sicut dii*, non intellexerunt de vero Deo, & per consequens de tribus personis. Hoc solvi optarim ab iis, quibus hic locus prora & puppis est pro contraria sententia, quo tanquam ariete utuntur ad expugnandum nostram, hoc est, veram.

8. *In medio arboris horti*] Johannes Temporarius ex numero collegit ficum Indicam fuisse sub qua Adam cum uxore delituerit, & cujus foliis postea se texerit: Nam sub ea arbore commodè hominem latere posse. Sed responderi potest, *arboris* ibi positum esse pro *arborum*, ut Exod. 10. 15. *Omnem fructum arboris, quem reliquum fecerat grando.* Sic rana pro ranis, locusta pro locustis, miles pro militibus.

IDEM.

1. והנחש היה ערום מכל חית השדה אשר עשה יהוה אלהים
A. καὶ ὁ ὄφις ἦν πανοῦργος ἀπὸ παντὸς ζώου τῆς χώρας, οὗ ἐποίησε κύριος ὁ θεός. *Et serpens erat callidus prae omni animante regionis, quam fecit Dominus Deus.*

Ὁ ὄφις] In edit. Rom. ὄφις absque articulo.

Πανοῦργος] Sic etiam Theodotio. Hieron. Quaest. in Gen. *Pro sapiente in Ebraeo habetur ARUM; quod Aquila & Theodotio πανοῦργον interpretati sunt, hoc est, nequam & versipellem. Magis itaque ex hoc verbo calliditas & versutia, quàm sapientia demonstratur.* Quid ais Hieronyme? ergo serpens erat nequam? si nequam, quomodo verum erit illud; *Vidit ille quae fecerat, & omnia erant valde bona?* Ego imbibi duo in serpente consideranda esse, & quatenus erat instrumentum diaboli, & quatenus erat serpens. Quatenus erat organum diaboli, dici potest nequam & versipellis. Quatenus erat serpens, in eo ערום non erat nequitia, sed naturalis inclinatio ad vitandum malum, quam Stoici ἔκκλισιν τοῦ κακοῦ, interpretes sacrorum appellant astutiam, calliditatem, hoc est, πανουργίαν, prudentiam, sapientiam. Calliditatem sive astutiam vocant ibi, *Astutus videt malum*, &c. Ebr. ערום, i. callidus, cautus. Hinc bona calliditas apud Basilium, quam nuncupat καλὴν τὴν ἀγαθὴν πανουργίαν. Hinc etiam illud, *Ego sapientia cohabito astutiae.* Prudentiam appellant LXX. Senes in hoc ipso loco. Quod significant voce φρονιμώτατος, sive, ut est in aliis codicibus, φρονιμώτερος. Quo respexit ὁ σωτὴρ, cum ait, *Estote prudentes sicut serpentes.* Sapientiae vocabulo usus fuit hoc in loco Jonathan, & legitur in Massora ערומים *cum dages, nudi*, ערומים *absque dages, sapientes.* Sic ערום sapiens, i. חכם. Abenmelech, *Quando sapientem significat habet schurec, quando nudum, holem.* Nam ערום nudum, ערום astutus, sapiens. Non est omittendum in Jonatha haberi *sapiens ad malum*, sicut Apostolus dicit, *qui sunt sapientes ad malum.* Tales propriè versuti versipellésque vocantur.

Quam fecerat] Ad animantem referendum, non ad regionem. Quanquam ad hanc quoque referri posset. Verba enim Ebraea ambigua sunt. Quam ambiguitatem ego retinui, cùm animans etiam femininè dicatur.

8. לרוח היום *Ad ventum diei.* A. ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας *in vento diei.* Sym. διὰ πνεύματος ἡμέρας· *per spiritum diei.* Th. ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας.

Hieron. à quo haec habemus; *Porrò Theodotio manifestiùs, ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας, ut meridiano calore transacto refrigerium aura spirantis ostenderet.* Abenmelech ad hunc locum, *R. Jona exposuit in sensu refrigerii, ac si diceret quo tempore dies refrigeratur. Id fit cùm aer ejus refrigeratur. Possumus etiam exponere ut verba sonant in significatione venti flantis, ut si diceret, Quo tempore dies se flectit ad vesperam, quando ventus flat. Porrò participium,* מהלך *ambulantem, redit ad ventum, aut ad vocem. Vide* Jerem. 46.

13. השיאני Alii interpretes, ἠπάτησέ με· *seduxit me.* Meminit Augustinus Eugubinus in recognitione textûs vulgati.

Seduxit me] Ita Steuchus. Est cur malim, incitavit vel impulit me: vel, si placet, persuasit mihi, quod Ebraei dicunt פתה. Graeci verbo πείθειν idem innuunt. Licet etiam vertere, *flexit me.*

16. תשוקתך A. *Societas tua.* Sym. *Appetitus* vel *impetus.*

Hieron. *Pro conversione* (ἀποστροφὴ est in LXX) *Aquila societatem, Symmachus appetitum vel impetum transtulerunt.*

Societas] i. חבר vel חברה. Priùs erat in LXX. *conversio tua* תשובתך.

Appetitus] Optimè & rectissimè. Nec aliter Ebraei. Sic etiam Onkelos & Jonathan.

17. ארורה האדמה בעבורך A. *Maledicta humus propter te.* Theod. *Maledicta Adama in transgressione tua.*

Adama] i. *terra.* Vox merè Ebraica. Hesychius Ἀδάμα, παρθένος γῆ· *terra virgo.* Hinc Adam appellatus. Sumpsit partim ex Theodotione, partim ex Josepho. Josephus Orig. Judaic. lib. 1. cap. 2. Ἄδαμος, σημαίνει δὲ κατὰ τὴν γλῶτταν τὴν Ἑβραίων, πυῤῥὸν, ἐπειδὴ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει τοιαύτη γάρ ἐστιν ἡ παρθένος γῆ καὶ ἀληθινή.

In transgressione tua] בעברתך.

NOTAE MAJORES.

1. ET *Serpens erat callidior cunctis bestiis agri quas fecerat* DOMINUS *Deus, qui dixit ad mulierem, Quid? quod dixit Deus, Non comedetis ex omni arbore horti.*

Et serpens] LXX. ὁ δὲ ὄφις: serpens autem. In Ebraeo est והנחש Hier. *sed & serpens.* Uterque Chaldaeus חויא quod antiqui legebant Heua; unde Εὔα apud Clementem & Eusebium, ubi vulgo Εὔα ἑρμηνευομένη ὄφις θήλεια i. serpens femina. Hinc disces vocem esse merè Chaldaicam, de qua lingua intelligenda sunt verba haec Eusebii κατὰ τὴν οἰκείαν τῶν Ἑβραίων φωνήν. Nam scilicet veteres Chaldaeum sermonem etiam Ebraeum vocasse. Sic in Evangelio aliquoties. Vid. nunc si placet, Animadversiones meas lib. 1. cap. 33. ¶ *Callidus*] ita Hiero. Aquilam & Theodotionem secutus. Siquidem πανοῦργος, callidus, astutus, versipellis. Quae ferè in malis ponuntur. ערום μέσον est, & tam in bonam, quam in malam partem usurpatur. Interpretantur astutus, vel cautus. Prov. 12. 13. LXX. συνετός. Hiero. *versutus.* Optime & rectissimè. Quippe Nonius ait versutos non solum ad malitiam callidos, verum & rectè peritos intelligi posse: & pro exemplo adducit ex Plauto, *Homini versuto, si quid recte curatum velis, mandes:* item: *nec magis versutum, nec quo caveas agrius.* Hinc est quod Graeci vertunt hoc loco, φρονιμώτατος, vel, ut alia exemplaria habent, φρονιμώτερος. Apud Theologos veteres reperio, *prudentissimus, prudentior: sapientissimus, sapientior.*

tior. Igitur ערום prudens, sapiens: ex quo & illud, *Estote prudentes sicut serpentes.* i. φρόνιμοι. Jon. חכימין לאבאשא, sapiens ad malum, sive ad malitiam. Sic apud Prophetam, σοφοί εἰσι τοῦ κακοποιῆσαι: sapientes sunt ad malè faciendum. Huc pertinet, *Ego sapientia cohabito astutiæ.* Sirach. 1. 6. πανουργεύματα τῆς σοφίας. Ex dictis patet sapientem & callidum se invicem explicare. Nam & sapiens pro callido ponitur: & contra callidus pro sapiente. Ceterum prudentia in serpente, quatenus animal est, aliud nihil est, quam naturalis inclinatio ad vitandum ea, quæ nocent: Quam Stoici vocant ἔκκλισιν τοῦ κακοῦ: in diabolo autem est astutia sive calliditas ad decipiendum comparata, quæ nunquam laudabilis est. ❡ *Cunctis bestiis*] quævis bestia vel fera. Nam inter feras serpens. Licet etiam vertere, *quævis animante.* Quod Aquila dixit ἀπὸ παντὸς ζώου. ❡ *Quid? quod dixit*] אף כי quid? quod. Sic Græci Lxx. τί ὅτι? quos nunc secutus sum. Alioquin hæ particulæ in communi usu sig. quanto magis, & interdum, prælata negatione, ut Proverb. 17. quantò minus. Quod eorum sententiam confirmat, qui putant aliquid abesse. Sanè quidem serpentem plura verba cum muliere commutasse, si non planè certum, valdè tamen credibile est: Videamus nunc aliorum interpretationes. Nam quot interpretes, tot sententiæ. Igitur Hiero. vertit, *Cur dixit?* Santes, *verè.* Jon. הקושטא *verone?* vel, si mavis, *verumne?* On. ברם הקושטא *verè quod.* Trem. *etiam quod.* R. Salo. שמא *forsan, fortè.* Hiscuni אף אם *etiamsi, licet.* Hunc Munsterus mihi secutus videtur. Nam transfert *etiamsi.* Vide Davidem cognomento Camium in libro ubi vocum sensa collegit, in voce אף. Gallica editio postrema, *Voire, que Dieu ait dict.* ❡ *Non comedetis ex omni arbore*] Hoc Deus non dixerat. Calumnia igitur est. Disce hinc ingenium calumniatoris. Semper aliquid vero addit, aut demit. Ipse non semel expertus sum. Scripseram licuisse Davidi ducere plures uxores. Et verum est. Licuit, si non per legem, at per consuetudinem. Hoc qui negat, negat solem lucere in meridie. Et tamen hinc mihi calumnia facta. Quidam Drusius, inquit, defendit polygamiam. Moneo te lector, quisquis es, ne lividi hujusmodi homunciones te moveant, neve calumniis istis temerè fidem habeas, memor illius Menandri; *Calumniis quisquis fidem prabet cito, Aut ipse mente moribusque est improbus, Aut mente eadem cassus, & prorsus puer.*

2. *Et dixit mulier serpenti, De fructu arborum horti comedimus.*

3. *Sed de fructu arboris, quæ est in medio horti, dixit Deus, Non comeditis ex eo, neque attingetis illum, ne moriamini.*

Arborum horti] Hiero. *Lignorum, quæ sunt in paradiso.* Ceteri reddunt per numerum singularem, ut Lxx. τοῦ ξύλου τοῦ παραδείσου: ligni, sive arboris Paradisi. Similiter On. & Jon. Nam in Ebræo עץ הגן *Arboris horti*; & est enallage numeri. ❡ *Comedimus*] vel potius, *vescimur*, quod licet idem sit, tamen magis implet aures meas. Sensus autem est, ut si diceret, vesci nobis licet. Quod indicat Jon. referens רשו אית לנא למיכל Non est nobis fas edere, sive potestas edendi. ❡ *Arboris, quæ est in medio horti*] quum in fonte sit העץ ὁ δένδρῳ, videtur potius vertendum esse, *hujus arboris*, quam fortè demonstrabat, quia in medio horti erat etiam arbor vitæ. Frustra igitur, ac nequaquam hinc colligitur, Evam procul ab hac arbore tentatam fuisse. ❡ *Non comedetis*] vel, *non vescemini. Dixit, non vescemini*, idem cum illo *vetuit vesci*, aut, *præcepit ne vesceremur*, sive, ut Hiero. *comederemus.* Quod noto, ne quis existimet hic aliquid à muliere mutatum esse, ut sunt, qui opinantur non optima fide hæc referri. ❡ *Neque attingetis illum*] edendi causa videlicet. Nam simpliciter non vetuit tangi. Sic alibi, *nolite tangere Christos meos.* Sensus est, nolite lædere. Nam etiam Medicus tangit, qui curat, aut medetur. Sic tangere puellam dicunt pro violare, vel comprimere illam. On. & Jon., *neque accedetis*, vel si placet, *appropinquabitis ad illum.* Multi putant Hevam hoc addidisse præcepto. Quod mihi non fit verisimile. ❡ *Illum*] fructum: aut *illam*, arborem. Parum refert hoc an illud amplectaris. ❡ *Ne moriamini*] Hiero. & alii, *Ne fortè moriamini.* Sed פן non semper est dubitantis. Ideo secutus sum Lxx. qui vertunt h. l. ἵνα μὴ i. ne. Licet etiam vertere *ne quando* i. μήποτε. Uterque Chaldæus דילמא quod Mercerus interpretatur, *ne, ne forte.* Sic sanè interpretatur hanc particulam in Grammatica sua Chaldaica. ❡ *Moriamini*] dixi accipi posse de morte calamitatum. Addo sumi etiam posse de morte peccatorum. Nam qui peccat, moritur, unde peccatores mortui vocantur. Nam de morte prima dubitari potest. Primùm quia non eô die, quo peccavit, mortuus est: Deinde, quia Doctores credunt Adamum, etiamsi non peccasset, tamen placidè moriturum fuisse in Paradiso. Tertio quia mortem, quam Adam invexit, Christus abolevit. At non abolevit mortem primam. Ergo &c. De hac re Theologi censebunt. Ego mea omnia subjicio censuræ rectè sentientium, à quibus dissentire mihi religio est. Utantur rationibus, si qui aliter sentiunt: non ero pertinax.

4. *Et dixit serpens mulieri, Moriendo non moriemini.*

5. *Scit enim Deus, quod in die, qua comederitis, ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes boni ac mali.*

Moriendo non moriemini] לא מות תמתון *non moriendo moriemini* i. nequaquam moriemini. Apertè contradicit Creatori. Creator enim dixerat, *Moriendo morieminí.* Lxx. οὐ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. Hiero. *nequaquam morte moriemini.* Sciendum מות in hac repetitione Ebraica infinitum esse. Itaque On. & Jon. interpretantur לא ממת תמותון ❡ *In die quo*] vel, *quocunque die.* ❡ *Aperientur oculi vestri*] Apertum iri dicit oculos qui patebant. Sed capiendum de oculis animi, qui non patebant. Aperiuntur autem ad aliquid intuendum & considerandum, quod antea nunquam adverterant, veluti hoc loco Adam & Heva post comesum cibum vetitum, pudenda quæ essent, tunc primum intellexerunt. Augustinus in primo locutionum, *Quod scriptum est de Adam & Heva, Aperti sunt oculi eorum, cum absurdè credatur eos in paradiso cæcos vel oculis clausis prius oberrasse, locutionis est, qua etiam de Hagar scriptum est, Aperuit oculos suos, & vidit puteum. Neque enim clausis prius oculis sedebat. Et quod in fractione panis aperti sunt oculi eorum, qui cognoverunt Dominum post resurrectionem. Neque enim per viam cum illo clausis oculis ambulabant.* Hæc Augustinus. Quibus addes ex libro Regum, ubi aperti dicuntur oculi pueri Elizæi, qui vidit legiones armatas Angelorum, quas initiò non viderat. Sic Davit ait, *Aperi oculos meos, ut videam mirabilia Legis tuæ.* Sic alibi, *videntes non videbunt.* ❡ *Aperientur*] ונפקחו Quod idem cum פתח. Quidam פקח propriè mentis esse putant; falluntur. Nam פקח apertus, cui oculorum meatus non sunt occlusi, & cæco opponitur. ❡ *Eritis sicut Dii*] omnes editiones, quas vidi, habent *sicut Dii.* Chaldaicas excipio. Nam in On. כרברבין quod interpretantur, *sicut magnates*: & in Jon. כמלאכין רברבין sicut Angeli magni. Quomodo & Rabbini exponunt, *eritis sicut Angeli.* Ebræa reddi etiam possunt, *eritis sicut Deus.* Nam Elohim communis numeri est, & tam Deum, quam Deos notat. Infra vers. 22. *Et dixit DOMINUS Deus, Ecce homo quasi unus ex nobis.* Hic locus dubitare nos non sinit de interpretamento, *eritis sicut Dii.* Nam qui angelos exponunt, Deum excludunt. Jam verò illud ex eo consequitur, cum dicat *unus ex nobis*, aliquam esse in Deo pluralitatem, quæ sanè non est alia quam Trinitas personarum: quam hinc melius & rectius elicias, quam ex plurali nomine ELOHIM. ❡ *Scientes boni & mali*] γινώσκοντες καλὸν καὶ πονηρὸν Lxx. *scientes bonum & malum.* Hiero. *sapientes inter bonum & malum.* On. vult dicere, periti discernendi inter bonum & malum. Jonathan ad Angelos refert, *qui sapientes*, inquit, *sunt ad cognoscendum inter bonum & malum.* Sensus est, ad discernendum bonum à malo.

6. *Videns igitur mulier bonam esse arborem illam ad vescendum & desiderium oculorum & expetitam arborem ad intelligendum accepit de fructu illius & comedit, dedisque etiam viro suo secum, qui comedit.*

Arborem] fructum arboris. ❡ *Ad vescendum*] למאכל propriè ad cibum, quod Græci dixerunt εἰς βρῶσιν. Nos Hiero. secuti sumus, qui sensum eleganter expressit. Sic etiam editio Chaldaica למיכל. Scilicet nomina interdum transire in naturam infiniti, ut ליראה ad timendum, לאהבה ad amandum. Sic fortè למאכל ad vescendum. ❡ *Desiderium oculorum*] Id Galli dicunt, *souhait aux yeux.* Quod pro eo habendum, ac si diceret, desiderabilem visu aut aspectu. Gallicè *souhaitable à voir.* Affine est apud Ciceronem, *Hem mea lux, meum desiderium.* Nam ut uxor desiderata vocatur desiderium, sic arbor quoque, cujus fructum appetimus & desideramus. Lxx. hic legunt ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς i. gratum oculis. Quibus additum in libris ἰδεῖν, ad videndum. Mihi duæ interpretationes esse videntur. Nam *gratum oculis* idem cum illo ἀρεστὸν ἰδεῖν. Hiero. *pulchrum oculis* i. יפה. On. אסו הוא לעינין i. sanitas q. d. salubrem oculis. Sic etiam Jon. nisi quod pro לעינין oculis, in eo est לנהורין i. lumini. ❡ *Expetitam*] expetibilem seu expetendam, desiderabilem. Lxx. ὡραῖον i. Hiero. *adspectu delectabile.* Ad corpus retulit, quod alii [illegible] animum. ❡ *Arborem*] fructum arboris, ut supra. ❡ *Ad intelligendum*] להשכיל verti *ad intelligendum*, quod in edit.

Græca

Græca τοῦ κατανοῆσαι, & duabus Chaldaicis לְאִסְתַּכָּלָא sig. hanc arborem fuisse optabilem omnibus scientiæ studiosis. Nam הַשְׂכִּיל ἐπιστήμη i. Scientia. Vulgo intellectum reddunt, ut Psal. 2. 10. הַשְׂכִּילוּ intelligite. Sed Aquila ἐπιστημονίσῃ, quod est verbum à nomine ἐπιστήμη scientiam significante deformatum. Hinc מַשְׂכִּיל sciens, peritus, intelligens, ἐπιστήμων. Tremellius maluit, *ad afferendum intelligentiam*, et Gallica edit. ult. *ad dandum scientiam.* Nam verbum hoc sæpius transitivum est. Et tamen qui judicio pollent, prius magis probabunt, scio. Sane quidem optabilis erat hæc arbor ad comparandum scientiam potius quam ad afferendum. ❡ *Secum*] Utrum qui secum erat, an qui secum una vesceretur? Bona mulier voluit hujus suæ voluptatis sola particeps esse. Decepta à serpente, decepit maritum, qui si continere se potuisset Deoque potius obtemperasset, optime posteris consuluisset: quos nunc infinitis calamitatibus involvit. Fons autem omnis mali est inobedientia. Felices qui ex Dei præscripto vitam instituunt.

7. *Aperti ergo sunt oculi amborum, cumque cognovissent se nudos esse, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi subligacula.*

Aperti sunt oculi amborum] Quomodo aperti si patebant, ut certe patebant? Non enim clausis oculis erant, aut cæci ante lapsum. Apertos dicit oculos aut ad videndum quod antea non viderant, aut ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod inciderant. Unde arbor, qua vesci ipsis prohibitum, nomen accepit ut diceretur arbor scientiæ boni ac mali. Sic dico, aperti sunt oculi eorum ad cognoscendum, quod prius nunquam cognoverant. Nam pudendum quid esset tunc primum intellexerunt. Antea non pudebat eos nuditatis suæ. Quapropter? Quia nesciebant se nudos esse. Agnitio ergo nuditatis est pœna peccati, quam consequitur pudor & ignominia. Ut hic, *aperti sunt oculi amborum*, sic Gen. 21. 19. *Aperuit oculos ejus Deus & vidit:* & alibi, *Aperi oculos meos & videbo mirabilia ex lege tua.* Sic in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum, qui cognoverunt DOMINUM post resurrectionem. Non enim per viam cum illo clausis oculis ambulaverant. Vide quoque Num. 22. 25. & 2 Reg. 6. 17. ❡ *Cumque cognovissent*] Per experientiam videlicet. Potuisset dicere, *vidissent*, sed elegit *cognovissent*, ut simul ostenderet sermonem esse de oculis animi, qui proprie cognoscunt ea quæ oculi corporis vident & aspiciunt. ❡ *Se nudos esse*] corpore an animo? Jonathan, *quia nudati fuerunt veste imaginis* (nam צלמא imago) *in qua conditi erant: ideo viderunt pudenda sua.* ❡ *Consuerunt*] ἔρραψαν, וחטו. ❡ *Folia ficus*] Vel, *folia fici.* Quod legitur in Augustini de civitate Dei Lib. 14. cap. 17. Sic *arbor fici* apud Cicer. ❡ *Folia*] עָלֶה folium. Sing. pro plur. Duo autem sunt quæ sic scribuntur. Quanquam in emendatis quibusdam עֲלֵי folia. Quod notatum in editione Veneta altera. ❡ *Ficus*] Nulla causa est cur hinc statuant arborem scientiæ boni & mali ficum fuisse. Qua de re traditio est cujus meminit Isiodorus Pelusiotes per hæc verba, *Quædam tamen & secreta ratio hanc quoque rem comitatur, quæ à senioribus atque majoribus nostris nobis tradita est, Arborem scilicet transgressionis Adam ficum fuisse, ex cujus etiam foliis sese texerit.* Eandem approbat Theodoretus ita scribens, *Arborem fici puto fuisse, ex qua præceptum fuerit Adam ne comederet, cujusque ex foliis consutis tegumenta sibi pudendorum confecerint.* ❡ *Subligacula*] vel, *subligaria.* Græce περιζώματα. Quo vocabulo & Hier. utitur. Sunt autem tegumenta verendorum. Suidas hinc sumpsit, περίζωμα, τὸ ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα. Augustinus de civit. Dei Lib. 14. cap. 17. *Fecerunt sibi campestria i. succinctoria genitalium. Nam quidam interpretes succinctoria posuerunt. Porro autem campestria latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quod juvenes qui nudi exercebantur in campo pudenda operiebant: Unde qui ita succincti sunt campestratos vulgus appellat.* Sunt qui referant, *fecerunt sibi cingulos vel cingula.* Nam חֲגוֹר cingulum. Onkelos זְרָזִין, quod reddunt cinctoria. Nam זרז cinxit. Jonathan, קַמוּרִין i. cingula: unde apud Hesychium καμάρας, quod interpretatur ζῶναι στρατιωτικαί, i. zonæ militares. Autor Jerosolymitanæ אִצְטְלָוָן i. stolas.

8. *Audiverunt autem vocem DOMINI Dei ambulantis in horto ad auram diei, & abscondit se Adam & Uxor ejus à facie DOMINI Dei in medio arborum horti.*

Ambulantis in horto] vel, *ambulantem in horto*, ut ad vocem referatur. Quod inter Ebræos Abenezra notavit. Prior interpretatio melior, meo judicio, quam etiam interpretes, quos vidi, ad unum omnes ediderunt. Quod autem ajunt הלך verbum quandoque voci tribui solere, verum est: sed nescio an ex eo sequatur quod volunt. Nam non הלך hic est in fonte, sed מתהלך in conjugatione ultima, quam Hithphael vocant. Videndum an illud quoque de voce usurpetur. ❡ *Ad auram diei*] vel, *ad ventum diei.* vult dicere (ita quidam opinantur) matutino tempore. Nam tunc ventus naturaliter excitari solet. Vocatur autem ventus diei, quia mane initium diei, ut vespera initium noctis. Sane tempus hoc nocti deputatur, ut illud diei. Alii aliter opinantur. Lxx. τὸ δειλινόν, quod reddunt *ad vesperam.* Hiero. *ad auram post meridiem.* (δειλινός pomeridianus. Hinc illud Hiero: *post meridiem.*) Ad vesperam i. לָעֶרֶב *Ad auram post meridiem*, לְרוּחַ אַחַר צָהֳרַיִם Aquila ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας, in vento diei. Utrum hoc vult, interdiu cum ventus spirat? Symmachus, διὰ πνεύματος ἡμέρας, per spiritum diei, vel in vento diei. Nam πνεῦμα ventus, & διὰ per (*in*) sæpe redditur. Nihil dico si non hic coaluerint duæ interpretationes. Una est, ἐν τῷ πνεύματι i. לְרוּחַ: altera πρὸς καταψύξιν, ad refrigerationem. Id Ebraice aliis apicibus לִרְוָח diceretur. Onkelos & Jonathan, לִמְנַח יוֹמָא ad quietem diei, hoc est interprete Fagio, ad vesperam, cum etiam de aurora intelligi possit. Nam vespera potius quies noctis. Forte ad crepusculum diei ut sign. crepusculum matutinum sive diluculum, quod ἀγχαυγὲς dicunt, quo matutini flatus spirant. Sane כמנח ערב quidam interpretantur crepusculum vespertinum. Sed nihil statuo. Thargum quod ab urbe nomen accepit לתוקפא דיומא ad robur diei. Innuit meridiem, nisi fallor. ❡ *In medio arborum horti*] inter arbores horti sive paradisi. Verbum è verbo, *in medio arboris horti.* Quod interpretantur Græci, Hiero. & Onkelos Chaldæus. Unus Jonathan habet, *arborum horti*, & rectè, meo animo. Nam hic עֵץ positum pro עֲצֵי ut supra עָלֶה folium pro עֲלֵי folia. Nihil tritius hac enallage. Falluntur autem de animi mei sententia, qui significari putant arborem scientiæ boni ac mali, quam ideo nonnulli ficum Indicum fuisse statuunt, sub qua facile quis delitescere potest. Videndus Johannes Temporarius in Chronologia quam edidit anno nonagesimo sexto.

9. *Vocavitque DOMINUS Deus Adam, & dixit, Ubi tu es?*

10. *Qui dixit, Vocem tuam audivi in horto & timui quia nudus eram: ideo abscondi me.*

Ubi tu es?] Non est ignorantis, sed amplius cum eo expostulandi occasionem captantis, aut confessionem culpæ extorquentis. Qualia sunt, *ubi est Habel frater tuus?* infra 4. 9. *Quinam sunt viri isti qui tecum sunt?* Num: 22. 9. *Quid dixerunt viri isti? Aut unde venerunt ad te?* 2 Reg. 20. 14. ❡ *Et timui &c.*] vel, *itaque extimui eo quod nudus essem, & abscondi me.* Agnoscit nuditatem, qui deberet peccatum suum agnoscere. Nam nisi peccasset, nunquam se nudum esse cognovisset, aut si cognovisset, nuditas ei pudenda non fuisset. ❡ *Abscondi me*] abdidi me, ἐκρύβην.

11. *Cui dixit, Quis indicavit tibi quod nudus esses? An ex arbore de qua præceperam tibi ne comederes comedisti?*

Cui dixit] DOMINUS videlicet. ❡ *Quod nudus esses*] vel, *te nudum esse.* ❡ *An ex arbore* &c.] Hic rursum quærit, quod probè sciebat, nempe ut interrogando eum adduceret quo volebat, hoc est, ad agnitionem peccati. ❡ *Ex arbore*] ex fructu arboris.

12. *Dixitque Adam, Mulier quam dedisti ut esset mecum, ipsa dedit mihi ex arbore & comedi.*

Mulier] ἡ γυνή. Licet vertere, *Uxor quam dedisti.* Vox Ebræa, ut etiam Græca, utrumque significat. ❡ *Quam dedisti ut esset mecum*] אֲשֶׁר נָתַתָּה עִמָּדִי quam dedisti mecum. Sensus est להיות עמי ut esset mecum i. apud me, vel ut esset mihi auxiliatrix. Aliter, *quam posuisti mecum* sive *apud me*, videlicet in horto. Nam dare & ponere vicissim permutantur. Sic δοῦναι & τίθεσθαι.

13. *Tunc dixit DOMINUS Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et mulier, Serpens, inquit, decepit me & comedi.*

Quid hoc fecisti?] מה זאת עשית. Verbum admirantis. Vetus interpres, *Quare hoc fecisti.* i. למה: quod interrogantis est. Quidam, *Quid hoc est quod fecisti?* Cave sequaris. Lxx. τί τοῦτο ἐποίησας, Onkelos & Jonathan, מָה דָא עֲבַדְתְּ quid hoc fecisti? ❡ *Decepit me*] vel, *seduxit me.* Lxx. ὁ ὄφις ἠπάτησέ με. Onkelos, אטעייני errare fecit me, in errorem induxit me. Jonathan, *Serpens decepit me sapientia sua & in errorem induxit me improbitate sua.* השיאני id est אטעני. Idem verbum legitur Abd. 4. *Superbia cordis tui decepit te.* Abenezra explicat פתני persuasit mihi. Minus dicit quam est in Ebræo. Neque enim omnis, qui persuadet aliquid, fallit aut decipit. השיאני in fraudem induxit me.

14. *Et dixit DOMINUS Deus serpenti, Quia fecisti hoc maledictus tu præ omnibus jumentis & præ omnibus bestiis agri:*

agri: super pectus tuum gradieris, & pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.

Quia fecisti hoc] Non quærit an fecerit quod tacendo se fecisse serpens agnoscebat. Nam qui tacet consentire videtur. Erat enim certè præsens cum Heva diceret, Serpens decepit me. ¶ *Maledictus*] diris devotus, execrabilis, ἐπικατάρατος. ¶ *Tu*] sub. es vel eris. Quidam referunt *maledictus esto.* ¶ *Præ omnibus jumentis*] vel, *quam omnia jumenta* & magis subintelligitur. Magis maledictus i. maledictior. sic supra vers. 1. *Et serpens erat callidus quam omnes bestiæ agri* i. callidior omnibus bestiis. Est autem Paronomasia aliqua in ARUM callidus, & ARUR maledictus. Onkelos & Jonathan מכל בעירא· Hiero. hic habet, *inter omnia animantia* מכל חיה. Late sumit vocem בהמה quam alii strictius accipiunt, in queis & Lxx, qui hic ediderunt ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν. Quam interpretationem magis probo, cum sequatur, *& præ omnibus bestiis.* ¶ *Bestiis agri*] Hiero. *bestias terræ.* sic etiam LXX. τῶν θηρίων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς: bestiis quæ sunt in terra, חית הארץ vel si placet החיה אשר על הארץ· Onkelos & Jonathan חיות ברא bestiis agri, vel potius fera agri. Sic מכל חית שדה præ omni fera agri, ut בהמה sit bestia cicur, & חיה fera. ¶ *Super pectus tuum*] ita Hiero. Alii, *super ventrem tuum.* Sed venter בטן dicitur, גחון si Eliæ Germano credendum, est proprie venter serpentium & reptilium. In editione τῶν Lxx. ἐπὶ τῷ στήθει σου, καὶ τῇ κοιλίᾳ. Hiero. in Lib. Quæst. *Alia litera, super pectus tuum & ventrem tuum ambulabis. Ventrem Lxx. interpretes addiderunt. Ceterum in Ebræo pectus tantum habet, ut calliditatem & versutias cogitationum ejus aperiret, quod omnes gressus nequitiæ essent & fraudes.* Alii censent in Ebræo esse κοιλίᾳ, & à Lxx. additum στήθει. Mihi videntur esse duæ interpretationes. Una est ἐπὶ τῷ στήθει σου. Altera ἐπὶ τῇ κοιλίᾳ σου: quæ forte an ex Aquila desumpta. Nisi potius dicamus Theodotionem ita olim edidisse. Potest fieri ut omnes tres ita verterint. Ut ut sit, mihi non fit verosimile Lxx. initio utrumque posuisse. Hujusmodi glossemata plurima sunt in editione illa. Lippomanus existimat redundare *pectus.* Nam in fonte scilicet esse super ventrem tuum. *Ideo autem*, inquit, *forte interpres noster vertit pectus, quod in serpentibus nullum prope discrimen sit pectoris ad ventrem, suntque adeò utraque commissa, ut alterum pro altero facile in his accipi possit. Atque hæc est causa, quod Lxx verbum unicum Ebraicum duobus exprimere voluerunt.* Ceterum גחון ventrem interpretantur etiam Onkelos & Jonathan. Siquidem על מעך latine sonat, super ventrem tuum. ¶ *Pulverem*] עפר verti pulverem. Nam terra, quod in antiquis editionibus, ארץ dicitur aut אדמה· Uterque Chaldæus עפרא habet. Hiero. in Quæst. *Aphar nos favillam possumus dicere aut pulverem.* favillam i. אפר: pulverem i. עפר· Job. 42.6. על עפר A. ἐπὶ χοΐ, in pulvere 14.8. בעפר A. Th. ἐν χοΐ, ἐν χώματι. 5.6. מעפר Sym. ἀπὸ κόνεως, de pulvere vel cinere. Psal. 103. 14. Lxx χοῦς in edit. Ro. Alibi est χνοῦς, videlicet Ps. 7.6. Ceterum pulverem comedere dicitur serpens, non tam quod eo vescatur, quam quod semper in pulvere humi repat, ut eum quasi edere videatur. Quo facit illud Mich. 7.17. *Lingent pulverem ut anguis ut serpentes terræ* i. se humiliter demittent ac dejicient pronique in terram prosternent. Sic alibi apud Davidem, *Et inimici ejus pulverem lingent.* Sed hem! pœne exciderat. Quidam ex eo quod hic legitur, *super ventrem gradieris*, putant serpentem initio pedes habuisse, qui post decurtati & amputati ei sunt. Alii censent sine pedibus erectum fuisse. Alii dicunt quod naturale erat à principio, id postea ei pœnæ loco inflictum fuisse, nempe ut super ventrem ambularet, more reptilium. Hic locum habet Academicum illud ἐπέχω. Nam in talibus temere aliquid affirmare insipientia est. ¶ *Omnibus diebus vitæ tuæ*] quamdiu vives.

15. *Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & inter semen tuum, & semen ejus: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.*

Inimicitias ponam] i. conciliabo, excitabo. Quod noto, quia latinis autoribus *ponere inimicitias* aliud est. Dicitur enim ponere inimicitias, qui eas deponit. Cicero, *cavendum tibi erit ne parum simpliciter & candide posuisse inimicitias videaris.* Græce ἔχθραν ἀποτίθεσθαι. ¶ *Inimicitias*] איבה ἔχθραν, simultatem, inimicitiam. Quanquam Cæsar plurali semper numero inimicitias dicendas putat. Singulari usus est Cicero in 4. Tuscul. *Inimicitia, ira ulciscendi tempus observans.* Etiam Ennius. Vide A. Gellium Lib. XIX. cap. VIII. Chaldaice, דבבו· ¶ *Inter semen tuum*] Semen, serpentis appellat progeniem serpentis: & recte Jonathan interpretatur, *inter filios tuos.* vult dicere, inter posteros tuos. Sic enim certe filii nomen usurpant. Sic semen Satanæ vocantur ipsi reprobi, quos & filios Satanæ dicimus, nempe quia facta Satanæ æmulantur. Quo significatu legimus semen Abrahæ, qui & filii Abrahæ. Augustinus, *Si semen cujusque non appellaretur nisi quod ejus carne nasceretur, nec nos appellaret Apostolus semen Abrahæ, qui certe originem carnis ab illo non ducimus: sed imitatione fidei semen ejus facti sumus, credentes in Christo, cujus caro ex illius carne propagata est.* ¶ *Et semen ejus*] *& filios ejus*, Onkelos. recte sane. Nam semen mulieris & nati mulieris se invicem explicant. Semen i. σπέρμα, quod peculiariter de Christo dici accipiebant. Adi sis Galatinum de Arcanis Catholicæ veritatis Lib. 6. cap. 15. ¶ *Ipsum*] הוא Pronomen masculinum. Nam זרע ad quod refertur, masculinum est. Græca editio αὐτός ipse. Constructio sensu congrua non voce. Nam semen mulieris i. homo aut Christus. Ille conterit caput serpentis, ut iste diaboli sive satanæ. Putarim aliquando scriptum fuisse αὐτὸ ipsum, videlicet semen mulieris. i. σπέρμα γυναικός. Nihil tamen affirmo. Nam antiqui Patres videntur αὐτὸς legisse. Quod argumento est scripturam hanc antiquam esse. Latini plerumque codices, *ipsa conteret caput tuum.* In aliis est *ipse*: in aliis, ipsum. Quod Leo indicat per hæc verba, *Ipse conteret caput tuum: vel juxta alia exemplaria, ipsum conteret caput tuum, scilicet semen mulieris.* Verba hæc habentur in Catena patrum: inde ea descripsimus. Libri Ebræi nihil variant. Omnes in הוא consentiunt. Excipio Bibl. Regia. Canem & furcam qui ausus fuit היא scribere. Intolerabilis audacia. Quis te Guido Fabrici adeò dementavit? Nam autoritas Pici tanta esse non debuit, ut contra codicum omnium fidem & consensum locum tam insignem depravares. Si voluisti gratificari Catholicis, scias & nos Catholicos esse qui ejusmodi audaciam detestamur. ¶ *Conteret tibi caput*] Hiero. *conteret caput tuum:* alius, *conteret te in capite* ישופך ראש. Græca exemplaria variant. Complutense σου τηρήσει κεφαλήν: tuum conteret caput. Romanum, Venetum & Germanicum σου τηρήσει κεφαλὴν tuum servabit caput. Quod fere patres legerunt, etiam Hiero. qui cum in Ebræo haberi dicat, *ipse conteret caput tuum &c.* ex interpretum 72 translatione citat, *ipse servabit caput tuum & tu servabis ejus calcaneum.* Cui lectioni firmandæ est editio Onkeli Chaldæi in exemplari quod Complutense vocant, *Ipse erit observans tibi, quod fecisti ei ab antiquo, & tu eris observans ei in finem.* Dico in exemplari Complutensi: Nam Venetum pro יהא נטיר erit observans, יהא דכיר habet. i. erit memor aut memineris, quod fortasse melius דכיר scriberetur. Paullo post in utroque ואת תהא נטיר ליה tu eris observans ei: σὺ τηρήσεις αὐτοῦ. Thargum Jonathæ, *Accidet autem quando filii mulieris observabunt præcepta legis, erunt observantes & percutientes te in capite tuo, & quum relinquent præcepta legis, tu eris observans & percutiens eos in calcaneis eorum. Verum illis erit medela & tibi non erit medela. Futurum enim est, ut illi medeantur calcaneo (sanitatem faciant in calcaneo) in diebus Regis Messiæ.* ¶ *Conteres ei calcaneum*] vel, *conteres eum in calcaneo.* בעקבו significat plus periculi esse serpenti ab homine, quam sit homini à serpente. Huc respexit Apostolus, quum ita scriberet. Rom. 16. *Brevi Dominus Satanam conteret sub pedibus vestris.* Hiero. hic habet, *tu insidiaberis calcaneo ejus.* Nulla caussa est cur nunc ita, & alibi aliter vertat, cum idem utrobique verbum sit in fonte.

16. *Mulieri dixit, Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum: cum dolore paries filios, & ad virum tuum appetitus tuus, & ipse dominabitur in te.*

Mulieri dixit] Deest copula, quam Senes addiderunt de suo καὶ τῇ γυναικὶ εἶπε. Hier. hic edidit, *Mulieri quoque dixit.* Alii, *mulieri autem dixit.* ¶ *Multiplicando multiplicabo*] Lxx πληθύνων πληθυνῶ, multiplicans multiplicabo. Onkelos, אסגאה אסגי augendo augebo. Alii, *cumulate sive admodum augebo.* Hæc repetitio Ebraica emphasin habet quam interpres noster penitus neglexit. *Dolorem tuum & conceptum tuum*] i. dolorem conceptus tui. Endiadis. Quale est, *arma virumque cano.* Pro *dolorem tuum* licet vertere, *laborem tuum*, ut significet labores quos fœminæ subeunt in educandis liberis. Vox Ebræa utrumque denotat. Sic πόνος in lingua Græcorum: Hier. *ærumnas tuas.* Lxx. τὰς λύπας σου. Onkelos צעריך dolores tuos. Jonathan, צעריכי afflictiones tuas. ¶ *Conceptum tuum*] Hiero. *conceptus tuos.* Lxx. τὸν στεναγμόν σου, gemitum tuum. i. gemitus tuos, suspiria tua. Gemitus אנחה dicitur. Hic est הרון in Ebræo, cujus thema הרה concepit. Itaque Onkelos interpretatur עדויך conceptus tuos. Sic etiam Jonathan. *Innuit autem*, inquit R. Salomo, *dolorem quem mulier sentit toto illo tempore quo prægnans est, & uterum gestat.* ¶ *Cum dolore*

dolore paries] בְּעֶצֶב תֵּלְדִי in dolore paries. עצב & עצבון, synonyma sunt. Dolor partus proprie חיל dicitur. Item חבלי יולדה vocantur nixus parturientium. Nihil hoc dolore acerbius, nihil gravius, unde proverbium, *dolor parturientis* de acerbo dolore. Vide Proverbia mea. ❡ *Filios*] liberos i. τέκνα. ❡ *Ad virum tuum appetitus tuus*] Hoc Hiero. explicat, *sub viri potestate eris:* dubito an bene. Mihi non videtur assecutus mentem autoris. Lxx πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου: ad virum tuum conversio tua i. תְּשׁוּקָתֵךְ. Aut in mente habuerunt שוק radicem cognatam cum שוב. ἡ ἀποστροφή σου quidam interpretantur renisus tuus: ὅπερ ἐστὶ, ait Chrysostomus καταφυγὴ καὶ λιμὴν καὶ ἀσφάλεια καὶ ἀγάπη: refugium, & portus & securitas & charitas. ❡ *Appetitus tuus*] Onkelos תְּאוּבְתֵּיךְ desiderium tuum. Jonathan תיאובתיך idem. Radix שוק desideravit, concupivit: unde תְּשׁוּקָה desiderium. Cant. 7. 11. Aquila, *societas* i. חֶבֶר Symmachus, *appetitus vel impetus.* Legitur & Sym. *desiderium.* Impetus i. ὁρμή. Quidam enarrant, appetes virum ejusque dominium, nec ab eo te absterrebunt dolores partus.

17. *Adæ vero dixit; Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti ex arbore illa de qua præceperam tibi dicendo, Non comedes ex ea, maledicta terra propter te, cum dolore comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ.*

Adæ vero dixit] vel, *homini vero dixit.* Nam est וּלְאָדָם in Ebræo, & quæ hic dicuntur, pertinent ad omnes posteros Adæ hoc est ad totum humanum genus. ❡ *Audisti vocem*] ἤκουσας τῆς φωνῆς. Audire vocem hoc loco est obedire & auscultare voci. Sic dicimus, *non audit parentem* pro eo quod est non auscultat ei, non est ei morigerus. Sic dico, audire hoc loco est auditis parere, quod proprie auscultare dicunt. ❡ *Non comedes ex ea*] Prohibentis est, ne comede ex ea. Simile לא תגנב non furaberis. ❡ *Maledicta terra propter te*] Aquila, *maledicta humus propter te.* אֲדָמָה humus. Theodotio *Adama:* retinuit vocabulum Ebraicum. ❡ *Propter te*] בעבורך. Varie interpretantur. Hiero. *in opere tuo.* Videtur legisse Resch pro daleth בעבודך. Quanquam hoc Ebraicum non est. Nam dicerent בעבודתך propter opus tuum. Aut sensum expressit ut Græci ἐν τοῖς ἔργοις σου. Siquidem *propter te* pro eo habendum ac si dixisset propter opera tua, ob peccatum tuum. Nam עבודה potius cultum denotat. Theodotio, *in transgressione tua,* בעברך. Sed transgressio עֲבֵרָה dicitur. Onkelos בְּדִילָךְ propter te. Cave recedas ab hac interpretatione. ❡ *Cum dolore*] vel, *cum labore.* Jonathan & Onkelos בעמל quod laborem molestum designat. Hiero. *in laboribus.* Alius, *cum molestia.* Santes, *in labore.* LXX. ἐν λύπαις, in doloribus. Quum autem vox עצבון ambigua sit, ut diximus, eo labor ut credam rectius verti, *cum labore* quam *cum dolore.* Quanquam labor comitem fere habeat dolorem. Sed vide sodes, quæ notavimus ad vers 19. ❡ *Comedes eam*] i. fructus ejus. Sic forte capiendum, *& pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Id habetur supra vers 14. Hiero. *comedes ex ea.* Prius legebatur in editione τῶν LXX. φαγῇ αὐτήν, comedes eam. Alius, *comedito ex ea.*

18 *Et spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam agri.*

Spinas & tribulos] קוֹץ וְדַרְדַּר spinam & tribulum i. spinas & tribulos. Quod interpretatur Hiero. ut etiam Græci ἀκάνθας καὶ τριβόλους & Onkelos כובין ואטדין. Jonathan habet כובין & Jerosolymitana ודרדרין. ❡ *Tribulos*] Tribulus herba est inimica frugibus, & à Plinio inter terræ pestes numeratur. Unde Apost. Ebræor. 6. de terra infrugifera ἐκφέρουσα δὲ ἀκάνθας καὶ τριβόλους. Refertur inter eas herbas quæ secundum spinam folia habent. Tremellius, *Et spinam & carduum proferat tibi.* ❡ *Tibi*] Tuo malo ac damno. ❡ *Comedes herbam agri*] Qui antea herbam & fructus paradisi comedebas. *Herbam agri* i. agrestem, sub quo nomine & frumentum continetur.

19 *In sudore vultus tui comedes panem, donec revertaris in terram: quia ex ea sumptus fuisti: Nam pulvis es & in pulverem reverteris.*

In sudore vultus tui] Supra, *cum dolore comedes eam,* ubi anxietatem victus parandi & solicitudinem doloris vocabulo significari putant, ut hic laborem corporis gravem ac molestum, unde sudor proveniat in facie. Itaque Jonathan בליעות *in lassitudine volæ manus tuæ.* ❡ *Comedes panem*] pane i. cibo vesceris, victumque parabis. ❡ *Donec revertaris in terram*] ad mortem usque. Nam mors est separatio animæ à corpore. Anima ad Deum redit, qui eam dedit. Corpus in terram resolvitur unde sumtum erat. Quod autem corporis proprium, id toti homini nunc tribuit κατὰ κοινωνίαν ἰδιωμάτων. ❡ *In terram*] אֶל הָאֲדָמָה in humum. ❡ *Nam pulvis es*] non dicit *ex pulvere,* sed *pulvis:* quod emphaticoteron est. Sic alibi, *finxit Deus hominem pulverem e terra.* Vocatur etiam cinis: Unde illud, *Memento te cinerem esse, & in cinerem reversurum* i. עָפָר, ut Mich. 1. 10. *in domibus Aphra Aphar* i. *cinere consperge te.* Alioqui cinis proprie אֵפֶר appellatur, & utrumque κόνις in lingua Græcorum. ❡ *Ex ea sumptus fuisti*) i. ἐλήφθης. Id Onkelos & Jonathan elucidant, *ex ea creatus,* vel *conditus fuisti.* Addit Jonathan, *quia pulvis es & in pulverem redibis: Nam ex pulvere resurges ad reddendam causam & rationem, omnium eorum quæ fecisti, in die judicii magni.* Lxx ὅτι γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ: terra enim es & in terram abibis.

20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Heva: ipsa enim fuit mater omnis viventis.*

Et vocavit] vel, *vocaverat autem,* nempe quum nomina imponeret animantibus Gen. 2. 20. *Vocavit nomen uxoris suæ* Ebræa dictio est. Latine, *nominavit uxorem suam,* aut, *imposuit uxori suæ nomen.* Quo jus ac potestas declaratur quam habebat in uxorem suam. ❡ *Heva*] olim חַוָּה: nunc legunt חַוָּה Hava. ne longe abeam, talis diversitas in מלכי צדק & Melchi-sedec. Appellatio à vivendo. Proinde in editione τῶν Lxx. καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ ζωή: & vocavit Adam nomen uxoris suæ vita. Lectio varians. Εὔα, ὅπερ ἐστὶ ζωή. Exstat homilia 18. in Chrysostomo, quam sic interpretatur B. Augustinus, *vocavit nomen mulieris suæ Eva, id est vita.* Non admodum laudo. Nam vita חיים dicitur. חַוָּה autem est vivens: unde חַיָּה joth in vau mutata. Nam erat mater viventium i. mortalium, sive hominum, ut interpretantur Onkelos & Jonathan. Leg. apud Eusebium, Εὔα διαστρέψαντος ὄφις θήλεια. Videamus an verum sit. חִוְיָא sermone Chaldæo serpens. Id esset ἕυα: unde fortean εὐάζειν verbum, de quo in Quæstionibus. Vide, si otium est & si libet. ἕυα quod nunc leniter scribunt, aspirari debet. Nam prima ejus nominis Heth, quæ aspiratio duplex est, qua Græci & Latini carent. Decepit ergo patres vicinitas quæ inter חוה & חויא, quorum hoc serpentem, illud Hevam primam nostram parentem designat. Nihil verius. ❡ *Omnis viventis*] omnium viventium. Quod anguste capiendum pro hominibus. Nam certe non erat mater bestiarum. Quæ tamen inter viventes, quando late id nomen sumitur, numerantur. Simile ut cum caro ad solos homines restringitur, ut ibi, *Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Sic creatura sumitur in illo, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Etiamne piscibus? etiamne avibus? Credat hoc S. Franciscus & persuadeat suis fratribus: mihi nunquam persuadebit.

21. *Et fecit DOMINUS Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.*

Tunicas pelliceas] tunicas ex pellibus animalium, non ex corticibus arborum, ut quidam arbitrantur. Hujusmodi tunicas Græci vocant χιτῶνας δερματίνους. Onkelos, *vestes honoris super cute carnis eorum.* Jonathan, *vestes preciosas ex corio serpentis.* Absurda interpretatio. Primum quia dictio tunicas significans, est in statu regiminis: deinde quia nulla est particula sive præpositio in Ebræo. ❡ *Et induit eos*] quibus induit eos. Quæ de corticibus arborum dixi, ne quis à me fictum existimet, probabo autoritate patrum. Igitur Gennadius ita scribit, *Tunicas pelliceas intelligimus, quas sibi ex corticibus quasi pellibus arborum confecerunt.* Sed & Theodorus, *Cum ergo quæritur quænam essent pelliceæ tunicæ, si dixeris ex pellibus animalium, huic opinioni repugnat, quod nulla animalia sacrificari jussa erant: aut si in sacrificium jugulata essent, animantium illorum genus defecisset. Masculum namque tantummodo & fœminam fecerat Deus. Neque ex nihilo factas esse dicere possumus: jam enim requieverat Deus ab operibus suis. Quid ergo? Dicendum cortices arborum pelles quoque rectè dici, non eas tantum quæ animalibus detrahuntur. Ex his igitur sibi tunicas confecerunt, id illis divina bonitate suggerente.* Verius ac sanius hac de re sensit Theodoretus, *Tunicas pelliceas,* inquit, *nonnulli ex corticibus arborum factas tradunt: alii mortalem carnem intelligi volunt. Ego vero neutrum horum sequor, propterea quod alterum curiositatem sapit, alterum fabulosum est. Scripturam itaque sequi & amare debemus. Unde sciendum est omnium rerum opifici nihil difficile esse, ejusque infinitam bonitatem nos admirari debere, qui prævaricatores legis non despexerit, & nuditati eorum tam pie tamque clementer providere dignatus sit.* Et Diodorus, *Pelliceas tunicas dedit illis Deus ex suis ineffabilibus thesauris. Quare minime quærendum est unde eas attulerit.* Quos sequendos esse puto.

22. *Dixitque DOMINUS Deus, Ecce homo evasit, quasi unus ex nobis, sciendo bonum & malum. Nunc igitur, ne quando*

quando mittat manum suam & sumat etiam ex arbore vitæ, & comedat, & vivat in seculum.

Homo] Adam. ¶ *Evasit*] היה fuit, γέγονε, factus est. ¶ *Quasi unus ex nobis*] Hoc dicit εἰρωνευόμενος. Supra, *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* ממנו ἐξ ἡμῶν. Signif. etiam *ex ipso*. Quod Onkelos expressit, referens, *Ecce Adam evasit unicus in seculo, ex ipso est, ut sciat bonum & malum.* Paulo aliter Jonathan, *Ex ipso, qui sciunt discernere inter bonum & malum.* [illegible]thargum quod ab urbe nomen accepit, *Ex ipso surget natio, quæ novit distinguere inter bonum & malum.* ¶ *Ne quando*] μήποτε. ¶ *Mittat manum suam*] LXX. ἐκτείνῃ τὴν χεῖρα αὐτοῦ. Extendit manum suam. Quod æmulatus est recentior interpres Tremellius: *Ne extensa manu sua accipiat etiam ex fructu.* ¶ *Ex arbore vitæ*] ex fructu arboris vitæ; quæ vitam præstabat & longam & jucundam lætamque. Saltem symbolum erat vitæ longævæ, ut altera signum erat scientiæ boni & mali. ¶ *In seculum*] in longum tempus. Seculum aliquando dicitur de spatio 50 annorum, & erant qui semper æternitatem hoc nomine significari putant. Hic aliquid desideratur. Nam defecta oratio, quam supplebis, si *videndum* aut *periculum* est, aut tale quid subaudias. Licet etiam hæc cum sequentibus connectere. Quanquam hoc durum mihi videatur. Placet magis, ut sit aposiopesis figura propria & usitata iis, qui animo commotiores sunt. *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.* Intelligentes intelligunt me.

23. *Itaque emisit eum DOMINUS Deus ex horto Eden ad colendum terram, unde sumptus fuerat.*

Emisit] ἐξαπέστειλεν. Alii, *demisit.* malim *dimisit.* nam demitto, i. deorsum mitto. *Emisit* i. ablegavit, amandavit. Jonathan, *expulit eum*, sive mavis, *ejecit eum.* Nam id sonat ושלחיה in lingua Chaldæorum. ¶ *Ex horto Eden*] LXX. ἐκ παραδείσου τῆς τρυφῆς. Hiero. ex Paradiso voluptatis. Male Eden, quod est proprium loci, interpretantur τρυφή, voluptas. ¶ *Ad colendum terram*] ἐργάζεσθαι τὴν γῆν: ut operaretur terram. Consequa verba, *unde sumptus fuerat*, indicant ipsum extra Paradisum conditum fuisse. Cui firmando est Jonathan, cujus hæc sunt, *Et ejecit eum ex horto Eden, qui abiit & habitavit in monte Moria, ad colendum terram, unde conditus fuerat.*

24. *Expulit ergo hominem, & collocavit ab oriente horti Eden Cherubos, & laminam gladii versatilis ad custodiendum viam arboris vitæ.*

Expulit] vel, *ejecit.* Quod Græcus dicit ἐξέβαλε: & Ebræus ויגרש & Onkelos ותריך & Jonathan טרד. ¶ *Collocavit*] κατῴκισε: habitare fecit. ¶ *Ab oriente horti Eden.*] מקדם verto, *ab oriente*, ut Gen. 2. 8. Alius, *ab anteriore parte.* LXX. ἀπέναντι, e regione sive contra. Hiero. ante paradisum. Quod non nemo exponit, antequam conditus esset paradisus. Onkelos מִקַדְמִין לְגִנְתָא, i. interprete Fagio, *ante hortum.* Jonathan מן לקדמין Author Jerosolymitanæ. מן לקדמין מגינתא לגינתא à principio ab oriente horti. R. Salomo. *in oriente horti Eden, extra hortum.* Abenezra ממזרח ἐξ ἀνατολῆς. ¶ *Cherubos*] את הכרבים Cherubim. Hanc terminationem servat Hiero. post LXX. qui χερουβίμ ediderunt. Sed latina declinatio est Cherubus; unde Cherubi & Cherubos, quos perperam Cherubinos vel Cherubinios appellant. Ceterum τὰ χερουβίμ, quod in editione των LXX. ita dicitur, ut τὰ σεραφίμ. Nam πνεύματα subintelligitur. Hinc *beata Seraphim* in cantionibus Ecclesiasticis. Cui sententiæ contradicit non nemo, sed frustra. Fallitur, aut ego in magno errore sum. Jonathan hic habet תרין כרובין duos Cherubos. Sic & autor Jerosolymitanæ. ¶ *Laminam gladii versatilis.*] Hiero. *Flammeum gladium atque versatilem.* LXX. φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην. Flammeam romphæam quæ vertitur. Pro eo habendum ac si diceret, versatilem aut vibratilem. Trem. *Mucronem gladii sese vibrantis.* Santes, *aciem gladii versatilem.* Alius, *Flammeum ensem vibrantem.* ¶ *Laminam.*] i. folium gladii. Verutum vocatur ab Hadriano Junio, ut ὀβελίσκος à Polybio. Vulgo למש inquit R. Salomo. Quæ Gallica vox est *lame.* Belgæ mei lemmet dicunt. לַהַט proprie (ita Mercerus) ipse gladii fulgor & splendor qui in lamina apparet flammam ignis referens. Onkelos שנן חרבא quod potius aciem denotat. Dicitur & לַהַב חֶרֶב & אִבְחַת חֶרֶב ¶ *Versatilis*] המתהפכת qui se vertit aut sese vertentis. Sunt qui gladium ancipitem sive bipennem designari putant. ¶ *Viam arboris vitæ*] quæ ducit ad arborem vitæ. Sic *via vitæ*: quæ ducit ad vitam: *Via mortis*, quæ ducit ad mortem.

A M A M A.

15. Hebr. *Ipse.* Vulg. *Ipsa. Ipsa conteret tibi caput.* Hanc lectionem Idololatricas B. Virginis laudes & has subsecutam ejusdem invocationem in Christianismum invexisse Theologi nostri prodiderunt. Duos Ms. Ebræos, Chaldæos, Græcosque codices pronomen Masc. habere ipsi Lovanienses in Catalogo variarum Lectionum fatentur, eamque lectionem ex Papistis quamplurimi non infimi subsellii ceu germanam approbarunt, inter quos Canus, Andradius, Cajet. Steuchus (†) Pagnin. Arias Mont. quorum loca indicantur apud Cl. Viros Witak. & Lubbertum in Disp. adversus Bellarmini Controversiam 1. His addo ex Rainoldi Præfatione in libros suos de Idolat. Rom. Eccles. Felisium Elucid. Decal. præc. 1. cap. 49. Riberam in Habacuc. 1. 13. & de templo lib. 2. c. 2. Addo & Pererium in Danielem & Hartum, Colloquii cum Rainoldo cap. 6. Si de origine corruptelæ me quæras, fateor eam Interpretis nec malignitati nec imperitiæ imputandam, sed potius descriptorum incuriæ, temporum fatali cæcitati, supinæ denique Cleri socordiæ & imperitiæ, quæ omnia eum in modum excreverant, ut non tantum fontes non consulti, sed ne Latina quidem Exemplaria inter se collata fuerint. Atque hactenus malitiosæ corruptelæ nota Ecclesiæ Pontificiæ inuri non potuit. At ex quo Sixtus V. & Clemens VIII. vocem IPSA authenticis editionibus inseruerunt, temeratæ Scripturæ crimen admisit nunquam eluendum, non mare si totum velit eluere omnibus undis. Sed redeat eo unde digressus est sermo. Bernardum ex hoc loco in erroneam illam de B. Maria opinionem delapsum, quam Hom. 2. super *Missus est* ex professo tractat, ipsis Bernardi verbis docebo. Ecce enim post collatas inter se Evam & Mariam, sic tandem affatur Evam, *Curre Eva ad Mariam, curre Mater ad filiam, Filia pro Matre respondeat, Filia patri pro Matre satisfaciat, quia ecce si vir cecidit per fæminam, jam non erigetur NISI per fæminam.* Et paucis interjectis, *Scrutare scripturas & proba quod dico, visne ut ego ex his aliqua testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse videtur Deus, quando ad Serpentem ait, Inimicitias ponam inter te & Mul. Et si adhuc dubitas an de Maria dixerit, audi quod sequitur,* Ipsa *conteret caput tuum. Cui ergo hæc victoria servata nisi Mariæ? Ipsa contrivit venenatum caput Serpentis* &c. Quo tanquam certissimo fundamento strato ad laudes B. Virginis animosius digreditur hortaturque Auditores ut ad hanc stellam Jacob stellam hanc maris (sic enim imperitè satis ἐτυμολογίζει vocem Ebr. Mirjam) in periculis confugiant, hanc invocent, hanc cogitent. Cæteris verò hunc ipsum locum eundem errorem errandi occasionem præbuisse disertissimis verbis (a) Franciscus Georgius Minorita professus est. Ita perniciosi erroris semina jacta sunt, qui postquam radices altiores indies egit, everruncari non potuit. Maluerunt enim Pontifices & impudentiores eorum (b) Parasiti non tantum Græcum & utrumque Chaldæum, sed & Ebræos codices corruptos censeri, quam locum hunc pristino nitori restituere. Quæ pertinacia hoc persuadet non de nihilo hanc lectionem adeo mordicus ab iis retineri. Costerus certe nisi hac lectione errorem suorum fulciri crederet, (c) Tropæum conculcati serpentis cum adjecto hoc elogio *ipsa conteret caput tuum*, Mariæ, quasi hoc modo hæreticos urens, nunquam erexisset. Nec etiam (d) Suarez hinc quintum suum argumentum extruxisset ad probandam hanc thesin, Mariam a peccato Originali fuisse præservatam, nec unquam ex capite Serpentis peccatum originale fabricasset ingeniosus artifex. Quod vero Bellarm. Vulgatam hanc cor-

(†) *Pronomen itaque non refertur ad mulierem, sed ad ejus semen, qua interpretatione plerique decepti malam expositionem invexere in hunc locum. Et quia sunt, qui quod hic dicitur accommodent ad Jesum Christum, qui ex semine Evæ natus sit, contrivitque caput serpentis, vides quam juventur hi, si Ebraica ita ut se habent legantur &c. Vide hic quoque Oleastr.*

(a) *Tomo 1. Problematum, Probl. 55. Verba ejus hæc sunt;* ex falsa tradductione quâ habetur, ipsa conteret caput tuum, Latini communiter tribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum. Quæ licet sublimior sit quam dici queat, tamen dabimus victori triumphum hunc cui ex veritate literæ debetur.

(b) *Canisius de Maria Virg. lib. 5. c. 9. Valentia Analis. Fidei lib. 8. c. 5. Carbonarius in suo tractatu ad hunc locum Genes.* (c) *In libello sodalitatis B Virginis & in propylæo Enchiridii Controvers. præcip. nostri temporis in gratiam Sodalit. B. Virginis.* (d) *Disput. ad 3. partem Thomæ tomo 2. Disp. 3. Sect. 5.*

ruptam lectionem defendat adversus tot DD. Pontificios, inde etiam est quod geminæ illius Editionis Pontificum Sixti V. & Clem. VIII. quorum tempora plerique istorum non attigerunt, authoritate constringatur.

Sed, ut finem aliquando his περιλογομαχίαις ponamus, dabimus duo argumenta adversus hanc corruptelam & obiter ad κενοφωνίας Bellarmini respondebimus.

Primò, omnes Ebræi codices in hunc usque diem legunt הוא ipse, & ante Christi tempora sic fuisse lectum τῶν Lxx. versio evincit. Respondet Bell. primò se in uno codice legisse הִיא. At cum codicem non nominet, quis dubitat quin codicem Bibliorum interlin. apud Plantinum 1572. excusum intelligat, ubi non הוא ut Bellarm. citat, sed (ad corruptelam accedente Typographi vel e correctoris errato) היא reperitur, & quidem cum nota Kethib, ac si τὸ Keri esset הִיא, ut Exod. 3. 8. & hoc ipso capite vers. 12. Sed cum (f) sacrilegium ii qui secundæ Editioni eorundem Bibliorum 1584. præfuerunt detestati sint & veram lectionem restituerint, Bellarminus rectius fecisset, si Camarinam hanc nunquam movisset. Quid enim hoc aliud fuit, quam ut (g) Campianus adversus nostros loquitur, in cœleste Chirographum temulento impetu involare? Secundò respondet הוא remotis punctis posse legi הִוא, & hoc ipsum sæpe poni pro הִיא. Fateor, undecim locis exceptis, pronomen hoc fœmininum in V. Libris Mosis scribi semper per Vau הוא, sic enim Massora magna in voce הוא, *Per totam Legem scribitur* הוא *præter undecim quæ scribuntur* היא, *recensenturque in Sectione*, Et sedit, Gen. 38. 27. Sed hoc ibi observandum, Chiric tunc scribi sub ה, hoc modo הִוא, sequi nomina vel verba Fœminina, eaque loca à Massoritis notata esse. At hoc in loco, nec Chiric sub ה nec sequuntur Fœminina, imò contra omnia Masculina; nec etiam hic locus à Massoritis unquam notatus reperitur. Secundum Argumentum nostrum hoc est, posito, per errorem vel hominum incuriam in aliquot exemplaria irrepsisse vel היא vel הִיא obstaret tamen isti lectioni, imò configeret eam antecedens Mascul. זֶרַע semen, sequens verbum Masc. יְשׁוּפְךָ & denique eodem versu occurrens affixum Masc. in תְּשׁוּפֶנּוּ. Objicit Bellarminus (h) loca aliquot unde hoc probare studet, novum aut insolens non esse ut cum nominibus Fœmininis jungantur pronomina aut verba Masculina. Ad quæ loca cum solidissime responderit (i) Cl. Junius & alii, nos nihil reponemus (k) Bellarmino præter illud quod ipse in simili casu de personarum mutationibus ait, *Si libet*, inquit, *personarum sine causa fingere mutationes, nihil certi unquàm ex S. literis colligi poterit.* Claudemus verbis Epiphanii cedro dignissimis, ἴσῃ βλάβῃ, inquit, τῶν κατευτελιζόντων τὴν ἁγίαν παρθένον καὶ τῶν ὑπὲρ τὸ δέον δοξαζόντων. Quæ verba docent par detrimentum veræ religioni afferre eos qui vilem habent beatam virginem, eosque qui ultra fas gloriam ejus adaugent.

17. Ebr. *Maledicta terra propter te* בַּעֲבוּרֶךָ Vulg. *Maledicta terra in opere tuo.*

Error ortus videri posset ex affinitate literarum ד & ר, si in usu esset nomen עֲבוּד pro opere. Atqui ea vox nusquam extat. Dicunt enim Ebræi עֲבוֹדָה. Similiter lapsi hic sunt Lxx. ἐν ἔργοις σου. Et Theodotion, licet diverso errore, *in transgressione.* Id enim esset בעבירך ut cum dicunt שכר עבירה עבירה *Transgressio merces transgressionis*, peccatum pœna peccati. Acutiùs omnibus hic vidit Aquila, *propter te* reddens & Chald. בדילך. At operæ erit videre obiter quomodo Bellarm. & Steuchus locum hunc cum fonte concilient. *In opere tuo* sc. præterito, inquit Bell. Jam vero *in opere tuo præterito* positum dicet pro *propter opus tuum*, usurpatumque Ebraismum τοῦ *in* pro *propter*. Cum autem opus illud præteritum fuerit peccatum, sensus erit, propter peccatum tuum. i. *propter te*, peccati efficientem. Hæc ergo mens Bellarmini, a Vulgato sensum fideliter expressum. Sed quis unquam sensum expressurus Ebraismum adhibet & quidem adeo obscurum, nec hoc solùm, sed & talem qui eo loco qui vertitur non extat? Futilia ergo hæc sunt & Nævii bubuibata. Nec solidiora sunt quæ Steuchus excogitavit. Dicit Hieronymum pro בעבור legisse בעבודך Gerundium. At hoc eum hilum non juvat. Hoc enim Gerund. cum affixo ך constructum non potest ullo modo scribi ut Vau remaneat, sic enim scribendum esset בעבדך *begnobdecha.* aut בעבדך *bagnabodcha.* Quod illis notum qui vel a limine has Musas salutarunt.

(e) *Fieri potest ut & alius volens id fecerit. Ut ut sit, Deo providente Typographicum hoc erratum admixtum est ut ego quidem arbitror, voluit enim Deus hoc ipso quasi remorari & tardare Lectorem ut dum de hoc vitio Typographico cogitaret Lector, tempus quasi linqueretur ad sacrilegium illud animum advertendi.* (f) *Non casu aut errore sed consultò factum testatur Lucas Brugensis, notationibus ad Biblia Gen.* 3. Guido Fabricius excudi curavit הוא licet errore positum sit הִיא. (g) *Rat.* 1. *de Sacris literis, ad Humfred. pag.* 297. (h) *Ruth.* 1. 8. *Esth.* 1. 20. *Eccl.* 12. 6. (i) *Animadv. in Bell. de Verbo Dei lib.* 2. *c.* 12. § 7. (k) *Bell. de Christo lib.* 1. *cap* 5.

DE MUSIS.

Historia serpentis qui inierit colloquium cum Eva, eamque ad vetiti pomi esum solicitarit, describitur Gen. 3. unde petendam censeo: longum enim esset ac tædiosum illam hoc loco referre, præsertim cùm omnibus nota sit.

Circa eam quæritur, Quomodo serpens, qui linguæ ac sermonis expers est, colloqui cum muliere potuerit. Variè, ut de re dubia prorsus atque incerta, respondent Hebræi. Sunt qui dicant initio rerum serpentem intellectu fuisse præditum sermonisque habuisse usum, erectoque incessisse corporis statu, sed quòd peccasset Evam decipiendo, destitutum intellectu sermonéque, abrasósque ac præsectos ei pedes, scilicet ab Angelis ministerii (adeò delirant) qui statim ac Deus pronunciavit ipsum deinceps in ventrem incessurum, è cœlo delapsi sint Deo operam navaturi. Si ità esset, cur istorum in serpentis execrationibus nulla mentio, cùm iis quæ illic dicuntur longè graviora sint. Deinde hanc sententiam rerum naturas palam est evertere. Alii, in quibus Saadias, existimant Satanam fuisse qui locutus cum muliere sit, indutum scilicet atque ementitum speciem serpentis. Sed nullâ probabili nituntur ratione, nec explicant qui in Satanam convenire possint quæ in serpentis execrationibus dicuntur, *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias agri:* (nam quod, quæso, animalis genus Satanas?) *super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, &c. v. 14. 15. Lepidi hi videntur porrò cùm observant נחש *serpentem* שטן *Satanam* idem valere in numeris, etsi uno saltem, aut 701. ob finale ן, hoc illud excedit. Ramban, autore Abarbanele, nullum censet dari istius historiæ literalem sensum, אבל [illegible] סוד [illegible] החכמה [illegible] האלהית *sed eâ sapientiam innui, cùm naturalem tum divinam.* Fateor hoc non capere me. Non desunt etiam qui credant locutum angelum serpentis ore. Quod si esset, non peccasset serpens, causaque esset nulla cur pœnas innocens luisset; proque angelo vapulasset serpentum genus. Tum autem non decuit angelum id facere. Quosdam esse intelligo qui affirmant Evam scivisse ac novisse omnium bestiarum linguas, ac, si ità fas loqui, idiomata & dialectos. Itaque explicant illud versus primi, *& dixit* serpens ברמזים, i. *nutibus & signis*, vel בצפצוף, i. *sibilo.* Verùm ut demus ità esse, quis tandem aut quid induxit serpentem ut Evam falleret? Et quis eum modum aut artem docuit quâ circumveniri capive posset? Qui scire, quæso, potuit serpens quid homini Deus edixisset aut vetuisset? Anne Dei Adamum alloquentis verba alicunde exceperat? Acutissimè omnium sensisse mihi videtur Abarbanel, qui negat mulierem unquam allocutum serpentem huicque illam respondisse, quòd neque serpens sermonis particeps sit; neque, ut de Balaami asina quæ verè locuta est, hîc dicatur ullibi, *aperuitque Dominus os serpentis*; adeò ut neque propriæ naturæ vi, neque præter naturæ vim locutus serpens dici possit. Vult igitur is quem modò nominavi, hoc sensu scribi allocutum serpentem ipsam Evam, quòd cùm serpens in arborem scientiæ boni & mali iterum atque iterum ascendisset, indéque non semel vidente atque inspectante Evâ fructus decerpsisset, edissétque, ac nihilo tamen duriùs haberet, nedum mortuus esset, cœperit Eva apud se cogitare, non esse noxios nedum lethales ejus arboris fructus quibus impunè serpens vesceretur: idque perinde fuisse ac si mulieri dixisset serpens. *Nequaquam morte moriemini*, & cætera quæ locutus scribitur. Ejusmodi prosopopœiæ sunt in S. literis innumeræ, ex. gr. Psal 148. 7. *Laudate Dominum è terra dracones & omnes abyssi*; Job. 28. 14. *Abyssus dicit, Non est in me sapientia: & Mare loquitur, Non est mecum.* Mitto sexcenta alia exempla, quibus nihil necesse implere paginas, quia legenti passim obvia sunt. Hoc ipso in capite v. 14. & qui sequitur, Deus dicitur cum serpente sermonem habuisse. Quasi verò Deus serpentem mutum animal & rationis expers sit allocutus. Quòd dicatur v. 6. *Vidit igitur mulier, quòd bona esset arbor ad vescendum*; &c. non autem, *Audivit igitur vocem serpentis*, aut fidem habuit ejus verbis, indè probari evidenter existimat quem laudavi Abarbanel; serpentem minimè sermonem habuisse cum muliere neque hanc cum illo, sed mulierem duntaxat serpentis facto esúve ex inter-

dictæ

dictæ fructu arboris impulsam quæ hîc scribuntur animo secum agitasse. Sed si ità est ut serpens minimè sit locutus cum muliere, neque eam ipse deceperit, cur igitur punitus est dirisque imprecationibus à Deo acceptus? Respondet idem Abarbanel, Quòd serpens pro ingenio callido quo erat præditus, herbis & graminibus quibus vescebantur reliquæ bestiæ, quæque erant ei à Deo concessa in cibum, non contentus ascendisset in arborem ut indè fructus decerperet ederétque, idcirco eum punitum esse à Deo.

Sed quando in hujus rei mentionem incidimus, operæ pretium etiam erit quærere, quæ fuerit serpentis pœna, cùm hæc res ad eam de qua mox diximus non parùm pertineat. Respondet laudatus Abarbanel, בשנות הקב״ה טבע נחש ותכונתו ועשהו ארצי, *In eo quòd mutavit Deus naturalem ejus indolem & constitutionem, eumque effecit terrestrem.* Nam notati capitis v. 14. *Et ait Dominus Deus ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias agri: super pectus tuum gradieris, & terram* (seu *pulverem*) *comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, ita accipiendum docet ut non vesci ampliùs debeat serpens, sicut antea solitus erat, oleribus herbisve, quemadmodum faciunt alia terrestria animantia, sed pulvere. Atque hanc unam serpentis exsecrationem esse vult, ut terrestris maximè efficiatur: unde consequatur necessario, ut terrâ seu pulvere deinceps in cibum utatur, ideóque in ventrem semper ac pectus incedere debeat, pastum nempe naturali suæ conditioni convenientem humi quæsiturus. Sic igitur explicat hoc ejusdem versûs, *super pectus tuum gradieris*, quasi diceretur, Non ascendes ultra in arbores, sed cibus tuus deinceps solus erit pulvis; ideoque super pectus tuum incedes, in pulvere cibum quæsiturus. Versum autem 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum*, sic explicat, ut Quia serpentis post peccatum primorum parentum mutata naturalis conditio est, prorsusque terrestris effecta, ideóque ab naturali hominis conditione, quæ in summa temperatione posita est, longissimè distans, eam ob rem perpetuas gerat inimicitias serpens cum homine, homóque cum serpente, sic ut ille huic caput, hic illi semper calcem conetur illidere, nempe propter summam antipathiam & mutuam repugnantiam ex diversa & prorsus differente naturali conditione exsurgentem. Ita ferè philosophatur Abarbanel, satis subtiliter sane nec omnino absurdè, meo judicio. Nihil affirmo tamen, nec meum est.

5. *Sed scit Deus quòd in die qua comederitis ex eo* fructu, *aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum & malum*,] Serpens etiam legitur hoc dixisse mulieri, *Sed scit Deus quòd in die qua comederitis*, &c. ut mox. Quasi verò serpens Deum nosset, boníque & mali discrimen. Et qui mulieri, nisi prorsus amens fuisset, persuadere ille unquam potuisset Dei mentem scire se? Ipsa, ipsa ergò potiùs, ut videtur, estque Abarbanelis opinio, sibi hoc persuadebat serpentis facto impulsa. Verùm quæ tandem hujus versiculi sententia, & quid Eva hîc sibi voluit, & quomodo ex facto serpentis tale quid ei in mentem venit? Sic existimare aliquis posset. Quia fructum quo vesci à Deo fuerat vetita exemplo serpentis non esse lethalem Eva didicerat, cœpit cogitare nihil aliud Deum movisse ut ejusmodi fructûs esu sibi viroque interdiceret quàm nè, si fortè eo vescerentur, ipsi similes evaderent, tantaque mentis acie pollerent quantâ ipse, absolutamque illam ac perfectam boni & mali scientiam quæ soli Deo propria est adipiscerentur, aut ad eam certè quam proximè accederent. Hoc autem ideo venit in mentem illi, quod à Deo ipso *arbor scientiæ boni & mali* appellata fuisset illa arbor cujus fructu interdicebatur; húcque pertinet notati capitis versus 5. *Vidit igitur mulier quòd bona esset arbor ad vescendum*, quia nimirum serpens impunè ejus fructu usus esset; *quódque desiderabilis esset oculis*, quia pulcra: ונחמד העץ להשכיל, *& concupiscibilis arbor ad intelligendum:* quòd enim esset vocata ipsius Dei ore *arbor scientiæ*, indè colligebat ejus arboris beneficio consecuturam se omnium rerum scientiam: sic enim interpretabatur *scientiam boni & mali*, & quidem præter Dei mentem, qui *arborem scientiæ boni & mali* (sic enim cum plerisque nostris existimo) ab eventu potius per prolepsin appellat, quòd ejus gustato fructu intellecturi essent Adamus & Eva quot & quanta se in mala posterósque suos miseri conjecissent, quotque & quantis à bonis excidissent.

GROTIUS.

1. SErpens] Hinc, puto, ille serpens malorum aureorum custos apud Poëtas. נחש Ægyptiis Νεός.

Callidior] Sic & Aquila, πανοῦργος ὑπὲρ παντὸς ζώου [*callidior omni animali*]. Sic πανουργίαν [*astutiam*] serpenti tribuit Paulus 1 Cor. xi. 3. & Hebræum ערום per πανοῦργον [*callidum* sive *astutum*] vertunt Græci ubique in Iobo & Proverbiis. At LXX. hic φρονιμώτερος [*prudentior*]. Solet enim vox φρόνιμος [*prudentis*] & in bonam & in malam partem sumi, ut apparet Luc. xvi. 8. in sensu medio ponitur Matt. x. 16. ubi Christiani jubentur esse φρόνιμοι [*prudentes*] ut serpentes. Vide de aspide Psal. LVIII. 5. 6. Notandum vero quod Servius notat ad II Georgicon, serpentium alios repere toto corpore, alios erigi corporis parte, ubi & Lucani hunc versum citat:

Et contentus humum cauda sulcare pareas.

Iaculum, serpentis genus, ex arborum ramis vibrari tradit Plinius libro VIII. cap. XXIII. Hic Arabum *volucer serpens* dicitur Lucano libro VI. eidem libro IX. *Iaculique volucres.* Eodem libro:

Ecce procul sævus sterilis sub robore trunci
Torsit & immisit (Iaculum vocat Africa) serpens,
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit. rapuit cum vulnere fatum.
Deprensum est quæ funda rotat, quam lenta volarent.
Quam segnis Scythicæ strideret arundinis aer.

Græce dicuntur ἀκοντίαι. apud Agatharchiden, Strabonem, Diodorum Siculum. Paulùm alatos dixit Herodotus. Respondet imago rei suæ. nam & diabolus, Samuël Judæis, נחש [*Serpens*], ὁ ὄφις ἀρχαῖος [*Serpens antiquus*] Apoc XII. 9. XX. 2. callidissimus II Cor. II. 11. & XI. 14. Ephes. VI. 11. 12. Apoc. XII. 9. & superbus 1 Tim. III. 6. & celer 1 Petri v. 8. Pherecydæ Syro ὀφιονεὺς [*ophioneus* id est *Serpentinus*] mali princeps.

3 *Et ne tangeremus illud*] Male recitat legem, nam de tactu nihil Deus dixerat: mox tactum experta innoxium, idem de gustu speravit,

4. *Nequaquam morte moriemini*] quasi dicat, nihil in eo pomo est mortiferum.

5. *Scit enim Deus*] Est in Hebræo כי, sed ejus particulæ sæpe adversativa est significatio, ut recte per *sed* vertas.

Eritis sicut dii scientes bonum & malum] Divinum est scire quamplurima. Homerus de Jove: πλεῖστα ᾔδει [*plurima norat*]. Et alibi: θεοὶ δέ τε πάντ' ἴσασιν [*omnia namque sciunt Dii*]. Epicharmus:

Ὁ δέ γε τᾶς τέχνας ἁπάσαις σύνεστ' ἀεὶ θεῖος λόγος.
[*At divina ratio est artis opifex & comes omnibus*].

Scientia, Deorum vita Ciceroni in Hortensio. Hoc donum, quantum opus erat, à Deo precibus impetrare debuerant in usum imperii sibi divinitus dati, non autem id per se sumere. Pro hac arbore ignem substituerunt Poëtæ; instrumentum quippe artium prope omnium & victus delicatioris. Conjunxit utrumque Claudius Neapolitanus apud Porphyrium libro de Abstinentia primo. Adde Moschionis carmen apud Stobæum titulo de Tempore.

6. *Aspectuque delectabile*] In Hebræo נחמד להשכיל [*gratum consideratu*], in Græco ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι, id est, salubre, quantum ex aspectu conjectari poterat.

7. *Cumque cognovissent se esse nudos*] Id est, didicissent quis maris, quis feminæ usus. Nuditas Hebræis τὰ ἀσχήμονα [*partes genitales*]. Vide 1 Corint. XII. 23. & dictum locum de Jure belli ac pacis. Pudorem non esse viri perfecte boni dicit Aristoteles fine quarti Nicomacheorum.

Consuerunt folia ficus] Ferme ut Ulysses Homericus Odysseæ ζ'.

Ὣς εἰπὼν θάμνων ὑπεδύσετο δῖος Ὀδυσσεύς·
Ἐκ πυκινῆς δ' ὕλης πτόρθον κλάσε χειρὶ παχείῃ
Φύλλων, ὡς ῥύσαιτο περὶ χροῒ μήδεα φωτός.
[*Hæc ubi fatus erat de luco prodit Ulysses,*
Frondosumque manu decerpsit ab arbore ramum;
Ut partes tegeret quas nudas ferre vetat mos].

8. *Ad auram*] Cum motu quodam aëris insolito, qui signum divinæ præsentiæ. 1 Reg. XIX. 12. Act. II. 2.

Post meridiem] Aut ipso meridie כחם *de die:* solet enim pars potissima totius nomen induere. Eo tempore visa & Græci expectabant. Theocritus Idyllio 1.

Οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες.
[*Non nobis calamos animare in carmina, Pastor,*
Sole licet medio. Pan est metuendus].

Ovidius Fastorum IV:

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum medio cum premit arva die.

11. *Quis enim indicavit tibi*] Id est, indicaverat. Vide supra I. 9.

14. *Super pectus tuum gradieris*] Repressa illa agilitate.

Et terram comedes] Id est, solo pulvere pasceris, Esaias LXV. 25. Ejectus è paradiso non ultra arborum pomis frueris. Allegoricum sensum vide Micheæ VII. 17. Psal. LXXII. 9. Esaiæ XLIX. 23.

15. *Inter te & mulierem*] Mulier enim ad talia viro magis meticulosa. Sensum allegoricum vide Apoc. XII.

Et semen tuum] Omne serpentum genus. Allegorice impii. Joh. VIII. 44. Act. XIII. 10. 1 Joh. III. 8. Sic Cananæi semen serpentis, Abarbanieli ad hunc locum.

Et semen illius] Semen mulieris, sive nati ex muliere, sunt homines extra Adamum omnes. Jobi XIV. 1. XV. 14. XXV. 4. Matth. XI. 11. Luc. VII. 28. Sirachidæ X. 17. Idem est σπέρμα [*semen*] quod γέννημα [*progenies*], diciturque etiam de mulieribus, ut infra IV. 25. Sicut allegorice mulier Ecclesia, ita semen mulieris, singuli qui ad Ecclesiam pertinent. Gal. IV. 26.

Ipsa conteret caput tuum] Quasi de muliere ageretur, sensu non malo. Sed Hebræus textus, quem nunc habemus, masculinum præfert, tum in pronomine, tum in verbo, ut appareat referri ad semen זרע quod Hebræis est generis masculini. Et sic hunc locum explicat Irenæus III. 38. LXX. αὐτός [*Ipse*] posuere ex Hebræo, quanquam apud Græcos σπέρμα [*semen*] neutrius est generis. Itaque sic constructionem fecere, quasi præcessisset non σπέρμα, sed, quod idem significat, σπόρος [*satus*]. Eos sequitur Irenæus IV. 78. Et Cyprianus Testimonio XI. libri II. adversus Judæos. Tales ubique multæ sunt constructiones πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad significatum relata*]. conteret caput tuum ישופך ראש συντρίψει [*conteret*]. Rom. XVI. 20. Caput calcare est contemtus nota, Ezech. XXXIV. 18. Inde qui præsidio divino confidunt, dicuntur aspidem calcare Psal. XCI. 13. πατεῖν ἐπάνω ὄφεων [*calcandi supra serpentes*] Luc. X. 19. Potestatem calcandi super colubros & scorpios dixit Tertullianus adversus Marcionem IV. Idem, *urgere bestiam calce*, in Scorpiaco. In capite enim serpentis vis maxima mali. Ecclesiastici XXV. 21. Sic Christo duce, diabolo facile resistunt, eumque superant Christiani. Jac. IV. 7. 1 Pet. V. 9. 1 Joh. II. 13. 14.

Et tu insidiaberis calcaneo ejus] Ita solent serpentes. Genes. XLIX. 17. Nicander de chelydro:

> Ἤ μιν ὅτ' ἐν κνήμῃσιν ἢ ἐν ποδὸς ἴχνεϊ τύψῃ.
>
> [*Si talum pupugit, pedis aut vestigia læsit*].

Ovidius Metam. X:

> *Occidit in talum serpentis dente recepto.*

Inde nomen solpugæ. Claudius Neapolitanus: οἱ ὄφεις πατηθέντες δάκνουσι [*serpentes calcati mordent*]. Sic diabolus postquam de Imperus & vi cogente decidit, ex insidiis maxime agit. II Cor. II. II. XI. 3. 14. Ephes. VI. II. Illud vero *insidiaberis* videtur esse ex lectione Græca τηρήσεις, pro quo alii codices habent τειρήσεις, id est, mordebis, quod propius accedit ad Hebræum תשופנו.

16. *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos*] Id est, ærumnas ex conceptu, prægnantium scilicet mala. Frequens sacris literis figura ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*]. Vide quæ notavimus ad Joh. III. 5.

In dolore paries filios] Nam si legi divinæ obsecuta esset, arbor vitæ faciliores ei fecisset partus quam ulla aristolochia. Nunc inter omnia feminini sexus animantia maxime in partu vexatur mulier: quod notatum Aristoteli de Historia animantium VII. 9.

Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi] Hebræum illud אל אישך תשוקתך ad verbum, *ad virum tuum appetitus tuus*, optime expressit hic interpres, ut & Abenesdra: significat enim ea locutio libertatis ejus quam homo naturaliter appetit imminutionem, ut infra de jure primogenitorum IV. 7. Sensus est: non semper cum mulieribus mariti agent amice, & κατὰ συγκατάβασιν [*sese accommodando*]. Sæpe imperabunt quæ uxoribus displicent: tamen patendum erit ex lege generali humani generis. Libertas est facultas ejus quod cuique facere libet, ut Romani definiunt. Zeno libertatem definit ἐξουσίαν αὐτοπραγίας [*facultatem pro sua voluntate agendi*]. Persius:

> *An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam*
>
> *Cui libet ut voluit?*

Dion. Prusæensis oratione XIV. τὸ ἐλεύθερον, τὸ μηδενὸς ὑπήκοον, ἀλλὰ πράττειν ἁπλῶς τὰ δοκοῦντα ἑαυτῷ [*Liberum est quod nemini paret, sed plane agit quod ipsi visum est*]. Et mox: ἔχων αὐτὸς τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράττειν ὡς βούλεται ἢ μὴ ἐλεύθερος; [*Qui facultatem habet agendi quæ vult, quomodo non sit liber?*] Arrianus in Epictetēis: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὐκ ἔστιν ἀναγκάσαι οὔτε κωλῦσαι, οὔτε βιάσασθαι [*Liber est qui vivit ut vult, quem nemo possit cogere, aut prohibere, aut vi compellere*]. Aristoteles Politicorum VI. 2. τὸ ζῆν ὡς βούλεταί τις· τοῦτο γὰρ τῆς ἐλευθερίας ἔργον εἶναί φασιν, εἴπερ τοῦ δούλου ὄντος τὸ ζῆν μὴ ὡς βούλεται [*Ita vivere ut lubet; id enim dicunt esse opus libertatis; sicut contra servi, non ita vivere uti vult*]. Est sane aliqua servitus, non posse facere quod velis, quia nolit id alius: sed hæc servitus, post amissam illam primævam simplicitatem atque innocentiam, humano generi perquam necessaria est, & ob id placide ferenda. Vide de mulieribus Paulum 1 Cor. XI. 3. 8. 9. Ephes. V. 22. 23. 24. Col. III. 18. 1 Petri III. 1. de civili obedientia. Rom. XIII. 1 Petri II. 13. 17. de domestica, Ephes. VI. 12. Col. III. 20. de Ecclesiastica. Hebr. XIII. 17.

17. *Maledicta terra*] Non erit qualis Paradisus, qui te sponte natis alebat vegetumque præstabat, sed subacta multo labore ne sic quidem puras fruges proferet, ut sequentia exponunt: & Hebr VI. 8. Habet enim κατάρα [*devotio*] terræ, ut & rerum aliarum, suos gradus. Vide infra III. 17. Lev. XXVII. 24. 38. 39. 40. 42.

In opere tuo] Ex Græco ἐν τοῖς ἔργοις σου [*in operibus tuis*]. Hebraice בעבורך, id est, quod ad te attinet, molesta tibi erit. Hesiodus:

> ——— Οὐδέποτ' ἦμαρ
>
> Παύονται καμάτου καὶ ὀιζύος, οὐδέ τι νύκτωρ
>
> Φθειρόμενοι· χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας.
>
> [——— *Illis ærumna laborque*
>
> *Non surgente die, non declinante recedent:*
>
> *Quippe graves curas di perpetuasque dederunt*].

18. *Comedes herbam terræ*] עשב quod χόρτον [*fœnum*] vertunt Græci, Latini herbam, etiam frumentum in se comprehendit, opponiturque illis beatarum arborum fructibus.

19. *In sudore vultus tui vesceris pane*] Plerumque pœna peccato respondet. Qui in cibo peccaverat, in cibo punitur. Notatum id Maimonidæ.

Quia pulvis es] Infra XVIII. 27. Psal. CIII. 14. Ecclesiastæ XII. 7.

Et in pulverem reverteris] Psal. CIV. 28. CXLVI. 4. XXII. 16. Sic Homerus:

> Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
>
> [*At vos in tellurem omnes abeatis & undam.*]

Euripides Hypsipyle:

> ——— Εἰς γῆν φέροντες γῆν.
>
> [——— *Reddenda terra terra.*]

Idem Supplicibus:

> ——— Πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
>
> Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.
>
> [——— *Spiritus cælo redit,*
>
> *Corpusque terræ.*]

Quæ eadem prope verba cum illis Ecclesiastæ. Cicero de Republica libro III. *Neque enim natura pateretur, ut id quod esset de terra, nisi in terra maneret.* Ergo Deus tunc amota vi superna naturæ res suas agere permisit.

20. *Heva*] Græci bene ζωὴ [*Zoe* id est vita], quod nomen muliebre apud Græcos. At Philo Byblius vertit αἰῶνα [*Ævum*] ubi in Sanchoniathone fuit, חוה.

22. *Ait*] Angelis. Vide supra I. 26.

Quasi unus ex nobis] Est enim scire multa, ut diximus, divinum & angelicum: sed homines id plerumque à potioribus distrahit. Ecclesi. XII. 12. 13.

Nunc ergo ne forte] Aposiopesis properantis. Intelligitur, prospiciendum nobis erit. Generatione reperta, si simul adfuissent contra mortem remedia, nimis sibi placiturum, hæsurumque rebus terrestribus fuerat humanum genus.

23. *Ejecitque Adam & collocavit*] Id est, ejecto verò eo collocavit.

Cherubim & flammeum gladium] Mos Hebræis omnia Dei opera quibus extra ordinem Deus utitur, appellare Angelos, ut ventos & ignem Psal. CIV. 4. sic quod in Psal. XVIII. 11. Deus insidere Cherubino dicitur. Psal. CIV. de ventis exponit. Est ergo & hic ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*]. Cherub & flammeus gladius, pro Cherub, id est flammeus gladius. Pro flammeo gladio Hebræus textus habet להט החרב, id est, flammam machæræ. Machæra autem hic significat divisionem, ut Matthæi X. 34. collato loco ejusdem dicti Lucæ XII. 51. Nam quod ibi est, μάχαιραν [*macharam*], hic est διαμερισμὸν [*separationem*]. Solent autem Græci promiscue pro חרב ponere μάχαιραν [*macharam*], aut ῥομφαίαν [*rhom-*

[*rhompheam*]. Sensus ergo est; igne impervio obseptum paradisum. Est in Babylonia campus interdiu flagrans Plinio memoratus libro II. c. CIX. & in eadem Babylonia tractus naphthæ plenus, cui magna ignium cognatio, ut præcedente capite dixerat idem Plinius. Curtius iisdem in locis cavernæ meminit ingentem vim bituminis effundentis. Id bituminis genus ignis rapidissimum Naphtha vocabant Babylonii: de quo vide Strabonem libro xv. Multa de eo Plutarchus in vita Alexandri: hæc inter alia: Οὕτω δὲ σύντροφός ἐστι πρὸς τὸ πῦρ ἐστιν, ὥστε πρὶν ἢ θίγειν τὴν φλόγα, δι' αὐτῆς τῆς περὶ τὸ φῶς ἐξαπτομένης αὐγῆς τὸν μεταξὺ πολλάκις ἀέρα συνεκκάειν. [*Ita autem igni cognatum est, ut sæpe cum flammam non attigerit, concepto tantum lucis splendore vicinum aerem accendat*] Addit: καὶ γὰρ ἔστιν ἡ Βαβυλωνία σφόδρα πυρώδης, ὥστε τὰς μὲν κριθὰς χαμόθεν ἐκπηδᾶν καὶ ἀποπάλλεσθαι πολλάκις, οἷον ὑπὸ φλεγμονῆς τῶν τόπων σφυγμοὺς ἐχόντων. [*Adeo ignita est omnis Babylonia ut hordeum sæpe de terra exsiliat atque cribretur, locis illis scilicet ob internum ardorem pulsus quosdam patientibus*]. In illis igitur locis paradisus fuerit, estque bitumen ibi, non minus quam apud Sodoma, ignis divinitus immissi reliquiæ.

CARTWRIGHTUS.

1. S*Erpens autem, &c.* והנחש] Aben Ezra ait, nonnullos dicere, mulierem calluisse sermonem animalium (לשון החיות) atque illud, & dixit serpens; ità interpretari, quòd serpens innuendo (ברמיזה) locutus sit. Alios autem refert per serpentem intelligere Satanam: quos refelli putat ex iis quæ sequuntur, ubi de pœnâ serpenti inflictâ agitur. Asserit denique sibi videri, verba ut sonant, esse intelligenda, ac serpentem primitus loquendi facultate fuisse præditum, atque erecto corpore incessisse. Satanam autem in serpente locutum esse, haud dubium est; 2 Corinth. 11. 3. cum Apoc. 12. 9. & 20. 2.

ערום מכל *Callidior omni, &c.*] Pulcrè & eleganter R. Salom. לפי עכבות גדולתו היתה מפלתו ערום מכל ארור מכל, h. e. *pro calliditate ac eminentiâ ejus, fuit ruina ejus*; ut callidus præ omni bestiâ, ita & præ omni bestiâ maledictus. Alludit ad illud Ver. 14. Lxx. φρονιμώτατος πάντων, &c. (a) Hieron. in Tradit. refert Aquilam & Theodotionem interpretatos esse πανοῦργον h. e. *nequam & versipellem*. Magis itaque (inquit) ex hoc verbo (scil. ערום *arum*) calliditas & versutia, quàm sapientia demonstratur. Lyra ait hanc calliditatem principaliter referendam esse ad dæmonem, qui in serpente apparebat; ad serpentem autem non referri, nisi in quantum calliditate dæmonis agebatur; sicut lingua hominis alicujus dicitur erudita, quia prudenter movetur ab intellectu. At cùm constet serpentem naturali quâdam calliditate præ aliis bestiis præditum esse, (unde illud, *Estote prudentes ut serpentes*) hoc potius ad serpentem ipsum est referendum, ut intelligatur quare diabolus serpentem potiùs quàm aliam bestiam, ut sibi ad fallendam mulierem organum esset, adhibuerit.

(b) אף כי *Itane vero?*] Aben Ezra interpretatur, קל וחומר, quantò magis? atque ait hinc constare, serpentem alia quædam mulieri antea dixisse. Fagius refert Kimchi in Rad. fusiùs explicasse, nempe serpentem cum muliere colloquentem hujusmodi verba fecisse; *Certè vos Deus odio habet, etiamsi præstantiores sitis reliquis creaturis, eo quòd non contulit in vos talem ac talem dignitatem: & quantò magis, quando vobis dixit, ne comedatis, &c.* Asserit Kimchi aliter exponi non posse, quia אף semper aliquid addit præcedentibus; ac notat morem Scripturæ esse, comprehendere finem verborum, unde intelligatur eorum principium, ut Jos. 2. ubi exploratores dicunt כי נתן יהוה, *Nam dedit Dominus, &c.* Non enim convenire ait, ut hoc sit sermonis initium, quia dictio כי reddit rationem ejus quod antea dictum est. Lxx. τί ὅτι. Vulg. Cur? Verum (inquit Fagius in Collat.) tu noveris אף כי Hebræis potiùs asseverantis esse, per amplificationem, quàm interrogantis. Chald. בקושטא ארי אמר, Verùmne est quòd dixit, &c. Atque ità Capnio (uti testatur Fagius) in Rudimentis suis interpretatus est.

3. *Nec eam tangetis.*] R. Salom. ait mulierem Dei mandato aliquid addidisse. Et similiter Aben Ezra. Quin & Lyra, Illud (inquit) addit mulier de suo. Non enim Deus prohibuerat ligni *tactum*, sed tantum *gustum*. Aben Ezra ait uxorem Manoæ etiam aliquid addidisse, nempe istud, usque ad diem mortis ejus, Jud 13. 7. At vel utriusque non est eadem ratio, vel Eva, quod ad sensum præcepti attinet, nihil addidit. Nec sanè video cur Evæ verba non ita exponantur, ut non simpliciter tactus arboris, sed tactus ad comedendum prohibitus dicatur.

פן תמתון *Ne moriamini.*] Fagius exponit, *Nè fortè, &c.* atque ait mulierem, ut antea addidit, ità hîc detraxisse, in dubium scilicet revocando quod Deus apertè ac disertè dixerat, cap. 2. 17. Similiter Lyra, *Apponit* (inquit) *de suo, forte, quod est adverbium dubitandi, cùm tamen Deus assertivè præcepisset.* At certe פן non semper dubitationem indicat, ut videre est Psal. 2. 12. & 50. 22. Lxx. ἵνα μὴ ἀποθάνητε, ut non (vel nè) moriamini. Vulg. nè fortè.

5. כאלהים *Sicut Dii.*] Chald. כרברבין *sicut magnates, vel principes.* (a) Aben Ezra כמלאכים *sicut angeli.* R. Salom. meliùs de Deo Opt. Max. interpretatur, ac innuit serpentem hîc Deum invidiæ accusare, proverbiale illud afferens (ad quod serpentem allusisse putat) כל אומן שונא את בני אומנתו, i. e. *Omnis artifex odit eos, qui ejusdem sunt artificii.* Istud etiam adagium habet Jonathan in suo Targum.

7. *Et amborum oculi aperti sunt.*] R. Salom. monet de oculis mentis, non corporis intelligendum esse. Similiter Augustinus de Civit. Dei, Lib. 4. cap. 17. *Aperti sunt* (inquit) *oculi amborum, non ad videndum; nam & antea videbant; sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, in quod ceciderant.*

Et consuebant. עלה תאנה *folia ficulnea.*] Hinc R. Salom. ait eos ex arbore ficu comedisse. Et Aben Ezra ait multos opinari arborem scientiæ fuisse ficum, eò quòd dicuntur folia ficûs consuisse. Ipse autem existimat duas istas arbores, scil. scientiæ boni & mali, & vitæ nusquam terrarum esse, nec fuisse, nisi duntaxat in horto Eden: id quod ego libentius senserim.

8. לרוח היום *Ad ventum diei.*] Lxx τὸ δειλινὸν, ad vesperam. Hieron. in Tradit. ait plerosque Latinos codices habuisse, *post meridiem*, quia τὸ δειλινὸν ad verbum transferre non liceat. Addit Aquilam transtulisse, ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας, *in vento diei.* Sym. διὰ πνεύματος ἡμέρας, *per spiritum diei.* Theodot. ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας, ut (inquit Hieron.) meridiano calore transacto, refrigerium auræ spirantis ostenderet. Chald. למנח יומא, *ad* (b) *quietem diei*, i.e. (ut explicat Fagius) *ad vesperam*, cùm æstus solis ac diei quiescere, ac remittere incipiat. Fagius ait hoc non caruisse mysterio, adumbratum siquidem fuisse adventum Christi, qui factus est sub vesperam mundi. Idem in Collat. ait, ad ventum diei, esse sub vesperam, quando dies inclinatur, atque ventus sese attollere solet. Omnino de loco hoc consulendus est Fullerus Miscel. lib. 3. cap. 5. ubi copiosè pariter ac eruditè eum tractat, ac tandem asserit verisimillimum sibi videri ל hîc non tam denotare *tempus*, quàm motum ad locum, sicuti sæpe solet; vel consilium sese moventis, ut hoc modo reddantur verba illa, ambulantis ad ventum, vel, ventum versùs illius diei; vel, ad auram, scil. captandam; hoc est, ad loca idonea, in quibus auræ captetur. Nam ut Filius Dei (inquit) primis parentibus humanâ formâ apparuit, ità ἀνθρωποπαθῶς hæc ei attribuuntur.

9. *Ubi es?*] Certum est, Deum hac interrogatione usum esse, non quòd ignoraret ubinam Adam esset, sed לכנס עמו בדברים (ut loquitur R. Salom.) i.e. *Ut in colloquium cum eo intraret*; ut esset פתחון הדברים (ut exponit Aben Ezra) i. e. *sermonis introductio.* Eâdem etiam de causâ Cain, ubinam esset frater ejus Abel, interrogavit.

11. *Quis indicavit tibi te nudum esse?*] i. e. ut non insciè explicat R. Salom. *Unde istud tibi evenit, ut nuditatem tuam pudendam esse intelligas?*

12. *Mulier quam dedisti* עמדי *mecum, seu, ut esset mecum, &c.*] R. Salom. hîc Adami ingratitudinem notat; כאן כפר בטובה, i.e. *hic* (inquit) *negat beneficium, quod in ipsum collatum fuit.* Ipsi sanè Deo, quod mulierem ipsi dederat, casum suum attribuere videtur. Id innuit Aben Ezra, qui sic explicat, אתה נתת הנותנת לי, i.e. *tu dedisti eam, quæ dedit mihi.* Asserit autem עמדי idem esse quod עמי, i. e. mecum; non tamen inveniri ד insertum nisi cum affixo primæ personæ singularis numeri. At Mercerus mavult ד esse de radice, ut scil. sit à עמד stare, ac majorem vim habeat quam עמי, nempe ut significet adjunctam ut adstaret, & perpetuam præstaret viro operam, prout suprà dictum fuit עזר כנגדו. Sic Vulg. quam dedisti

(a) *Vide* 2 *Cor.* 11. 3. *Jonathan,* חכים לביש *sapiens in malum.* (b) *Jonathan,* הקשטא ראמר *Num verum est, quod dixit, &c.*

(a) *Jonathan,* כמלאכין רברבין *sicut angeli & principes.*

(b) *Ita etiam Jonathan & Hierosolymitanus* לתוקפא דיומא *in robore diei. Eadem verba habet cap.* 18. 1. *ubi in Hebræo est* כחום היום *i.e. circa æstum diei.*

disti mihi sociam. At Lxx ἣν ἔδωκας μετ᾽ ἐμοῦ, quam dedisti mecum. Et Chald. עמי mecum.

14. *Super ventrem tuum ambulabis.*] (b) Vel super pectus tuum. עַל־גְּחֹנְךָ, Lxx ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ, &c. Super pectus tuum, & ventrem, &c. Hieron. in Tradit. aït Lxx addidisse ventrem, ac in Hebræo pectus tantùm habere. R. Salom. hinc colligit, *pedes, quos antea Serpens habuit, fuisse excisos.* (c) Aben Ezra (ut suprà ad ver. 1. notatum) *existimat Serpentem antea erecto corpore ambulâsse.*

15. הוא ישופך ראש *Ipse tibi caput conteret, &c.*] Lxx. αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, &c. ipse servabit caput tuum, &c. Meliùs (inquit Hieron. in Tradit.) habet in Hebræo, ipse conteret caput tuum, &c. Quia & nostri gressus præpediuntur à colubro, & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter. Hæc Hieron. unde manifestum est eum vulgatæ versionis, quæ hic habet ipsa, non esse authorem. Notandum autem in Complutensi Editione (uti monet Nobilius) pro τηρήσει & τηρήσεις (quæ potiùs verterem *observabit*, & *observabis*) esse τειρήσει, conteret, & τειρήσεις, conteres; quam lectionem magis esse genuinam nullus dubito. Mercerus testatur veteres Hebræos hunc locum de Messiâ intelligere, & Satanâ, quem etiam נחש הקדמוני, i.e. serpentem illum antiquum (prout appellatur Apocal. 12. 9. & 20. 2.) vocant: quin & Targum Hierosl. apertè hoc loco Christi (d) meminisse.

16. *Et ad virum tuum erit* תְּשׁוּקָתֵךְ *desiderium tuum.*] Sic Chald. תאובתך appetitus tuus. Gualtperius in Collatione suâ vertit, *Conversio tua.* Legit enim תתובתך à תוב converti, cùm legendum sit תאובתך à תאב desideravit. Ità Fagius legit, & Buxtorfius, ut videre est in ejus Lexico Syro-Chaldaïco, in radice תאב. Eodem etiam modo R. Salom. qui Chaldæum plerumque sequitur, exponit תשוקתך per תאותך, i.e. desiderium tuum; & ad coitum hîc restringit, quod haud placet. Hunc enim mulieris ad virum appetitum generaliorem esse, ac ad alia etiam se extendere arbitror. Aben Ezra autem interpretatur משמעתך, i.e. *subjectio, seu obedientia tua*; ac sensum esse vult, mulierem in viri potestate esse, ut ejus voluntati pareat. Hanc expositionem firmat id quod sequitur, והוא ימשל בך, *& ille dominabitur tibi.* Sic Vulg. *sub viri potestate eris.* Lxx ἡ ἀποστροφή σου, conversio tua. Hieron. in Tradit. refert Aquilam societatem, Symmachum autem appetitum vel impetum transtulisse. Ità etiam interpretatur Kimchi in Rad. teste Fullero, Miscel. lib. 3. cap. 15. ubi præfert interpretationem τῶν Lxx, Ad virum tuum erit ἡ ἀποστροφή σου, recursus tuus, vel, apud virum tuum erit tibi receptus, aut perfugium, q. d. Quoniam naturâ vas infirmius es, &c. ubique verò, non tam adjutore indigebis, quàm authore ducéque; maximè verò quoties malum aliquod urgebit, aut ullum tibi periculum imminebit, tum omnino necesse habebis fidem ejus implorare, ad ejus opem confugere, ut in ipsius tutelâ ac præsidio lateas. Cant. 7. 10. hoc vocabulum usurpatur, ועלי תשוקתו, Et erga me est appetitus ejus: sic vulgò exponunt, at Fullerus Christi erga Ecclesiam curam istic vult denotari. שוק enim, unde תשוקה, idem vult significare quod שקק, scil. huc illuc discurrere; quia verò discursus iste aut validioris ad infirmiorem est, aut contrà, quorum illud auxilii afferendi cura efficere solet, hoc auxilii implorandi desiderium cogit; hinc תשוקה modò curam, modò receptum, aut recursum significare. Hæc ille, atque alia (ut loco citato videre est) eruditè (ut solet) de hac voce annotat. Infrà etiam occurrit, cap. 4. 7.

17. *Maledicta est terra* בַּעֲבוּרֶךָ *propter te.*] Lxx ἐν τοῖς ἔργοις σου. Vulg. *in opere tuo.* Videntur legisse ד pro ר, uti censet Fagius in Collat. & post eum Gualtperius; etiamsi (ut notat Amama in Censf. non עבור sed עבודה) pro opere usurpetur. Hieron. in Tradit. de translatione τῶν Lxx. loquens aït, opera hîc non ruris colendi, ut plerique putant, sed peccata significare; ut in Hebræo (inquit) habetur, & Aquila non discordat, dicens, Maledicta humus propter te. Addit Theodotionem vertere, in transgressione tuâ. Quasi nimirum esset, בעבירתך, utcunque sit, deduxit à עבר *transgredi.* Chaldæus planè cum Hebræo consentit, בדילך, i.e. *propter te.*

19. *Nam pulvis es, & ad pulverem reverteris.*] Jonathan, *Nam pulvis es, & ad pulverem reverteris*; futurum siquidem est, ut *resurgas*, ad rationem reddendam de omnibus, quæ fecisti, in die judicii magni.

20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ* חַוָּה *Evam.*] à חוה idem significante quod חיה, *vivere*, ut הוה idem quod היה, *esse. Vau* enim *& Jod*, ut notat Aben Ezra, מתחלפים, i.e. *inter se permutantur.* Ac, ut idem etiam monet, ideo hoc nomen cum Vau potiùs quàm cum Jod legitur, quòd aliàs discrimen non esset inter illud, & חַיָּה quod *vitam*, atque *animal* significat. Baal Turim hîc, ut solet, ineptum se præbet, deducens חַוָּה à חוה, prout (Chaldaicè præsertim) significat, *indicare, monstrare, &c.* ac mulierem à loquacitate, ad quam proclivis est, sic dictam vult, illud vulgi dicterium afferens, י׳ קבין שיחה ירדו לעולם תשעה נטלו נשים, i.e. *Decem cabi* (mensuræ sic dictæ) *sermonis descenderunt in mundum, novem abstulerunt mulieres.* Lxx καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, Ζωή. i.e. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Vita.* At cap. 4. 1. Ἀδὰμ δὲ ἔγνω Εὔαν, *Adam cognovit Evam.* Lyra aït Evam in Hebræo sonare vitam, pœnalitatibus tamen subjectam. At ut rectè monet Burgensis, vitam sonat simpliciter, nec quòd pœnalitati sit subjecta, vel non subjecta, connotat.

22. *Sicut unus ex nobis.*] Aben Ezra aït sermonem esse ad (f) Angelos. At optima est (ut rectè Gualtperius) nostrorum Theologorum sententia, asserentium ironiam esse; q. d. Quàm bellè consecutus est Adam divinitatem inobedientiâ suâ quæsitam? Quam egregiè scil. similis factus est Deo?

23. וַיְשַׁלְּחֵהוּ *& ejecit eum*] Aben Ezra asserit verbum שלח, i.e. *mittere*, sequente מן, ut hoc in loco, semper sumi לגנאי, i.e. in contemptum, seu in deteriorem partem, atque ejectionem seu expulsionem denotare; nec ut insignis quidam Doctor Hispanus censuit, honoris gratiâ verbum illud hîc usurpari. Tunc enim honorem reliquæ terræ majorem fore honore horti Eden. Quòd si quis objiciat, Quare statim dicitur, ויגרש את האדם, Et expulit hominem, si וישלחהו idem sit quod ויגרשהו, respondet, sensum esse, Deum postquam expulisset hominem, collocâsse Cherubinos istos, de quibus fit mentio. Certè illud ויגרש את האדם apertè indicat וישלחהו idem valere quod ויגרשהו, tantum est, ut quicquam inde in contrarium possit colligi; nec ullam præ se fert probabilitatem, verbum וישלחהו quicquam honorificum hîc sonare.

24. *Et ejecit Adam, & collocavit, &c.*] Lxx καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδάμ, καὶ κατῴκισεν αὐτόν, &c. Et ejecit Adam, & habitare fecit eum è regione Paradisi voluptatis, & constituit Cherubim, &c. At (ut bene monet Hieron. in Tradit.) alius multò sensus est in Hebræo, nempe Dominum ejecisse Adam, & collocâsse ad Orientem horti Eden Cherubim, &c. ad custodiendum scil. hortum, nè quis posset intrare. Vide Senensem Bibl. S. lib. 5. annotat. 56.

וַיַּשְׁכֵּן מִקֶּדֶם לְגַן־עֵדֶן אֶת־הַכְּרֻבִים *Et collocavit* (ad verb. & habitare fecit) *ab Oriente horti Eden Cherubim, &c.*] Fagius ex Hebræis notat Cherubim sic dictos, quòd formam puerorum sive adolescentium præ se ferrent. Literam enim Caph notam esse similitudinis, & רביא Rabia (Chaldaicè) puerum sive adolescentem significare. De Cherubinis hisce vide Senensem Bibl. S. lib. 5. annotat. 57. & 58.

(b) *Vide Vorstium ad Capit. R. Eliezer, pag. 165.* (c) *Idem sensit Jonathan.* (d) *Ejusdem etiam & Jonathan meminit.*

(f) *Atque ità Jonathan.*

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. ACquisivi] Gerundensis sic interpretatur, *Filius iste erit mihi possessio Dei, ut cùm nos moriamur, ipse loco nostri colat Creatorem suum. Ipse rectius se geret quàm ego & maritus meus nos gessimus in Paradiso. Est vir Dei, à Deo promissus & exhibitus.* Sperabat Heva Cain esse per quem, vel per cujus semen, Deus finem imponeret calamitatibus in quas lapsi fuerant. Sed erravit in persona, non autem in promissione Dei, quam sciebat certam esse. Et quoniam in Cain putabant redemptionem esse in foribus, imposuerunt illi lætum vocabulum, quippe qui reparaturus esset omnia. De Habel nulla spes erat, ideo *vanum* illum appellabant. Sed fallitur plurimùm judicium humanum. Habetur Cain à parentibus pro magno thesauro, quòd esset primogenitus, rex & sacerdos: Habent eum pro benedicto semine: at Deus abjicit eum, eligítque Habel, & dat illi illustre testimonium justitiæ in Scriptura.

7. *Si bene egeris*] Verbum quod hîc ponitur שאת est infinitivus, & significat *levare*, *tollere* atque *remittere peccatum.* Quidam igitur sic volunt intelligere hunc locum; Si bene egeris, remittetur tibi peccatum tuum. Tua superbia te perdidit. Venisti inflatus gloriâ primogenituræ, ac putasti te ideo Deo acceptum fore: sed quia es sine fide in Semen benedictum, non es levatus peccato. Et hæc videtur esse genuina interpretatio hujus

jus loci. Alii sic exponunt; si bene egeris, erit sublevatio vultuum tuorum qui conciderunt. Qui enim confunditur, demittit faciem suam versus terram. Gerundensis verò sic exponit, *Si bene egeris, acceptabilior erit oblatio tua quàm oblatio fratris tui: tu enim es primogenitus. Et si non bene egeris, ad januam domûs tuæ peccatum tuum cubabit, ut in nullo itinere non sis offensurus; siquidem peccatum, seu potius* יצר הרע *suggestio & inclinatio peccati, appetet tibi jugiter adhærere. Sed tu dominaberis illius, si volueris, & bonas feceris vias tuas.* Alii per *fores* intelligunt cogitationem cordis: alii sepulchrum, in quo peccatum accubat donec venerit dies judicii & ultionis. Nostri veram hujus loci intelligentiam hanc dicunt esse; *Peccatum cubat ad fores*, i. in loco non quieto. Nam per fores ingredimur & egredimur. Quiescit quidem peccatum; sed in loco inquieto diu quiescere nequit. Nihil enim opertum quod non reveletur. Impius putat quiescere peccatum, sed non quiescit diu; producetur tandem in publicum. Sic quievit peccatum Cain, sed non diu, donec scilicet venit vox dicens, *Ubi est Habel frater tuus?* &c. Sic quando dicitur, *Ad te appetitus ejus*, sensus est; Appetitus peccati ad te est; Peccatum est in membris tuis: concupiscit enim caro adversùs spiritum. Sed non ob id damnaberis quia sentis hunc peccati motum. Si peccatum te solicitat, cohibe te, dominare ei per fidem, nec sine ut tibi dominetur, nè pereas. Et quod subditur, *Et dixit Cain ad Habel*, R. Mose putat referendum ad id quod mox subjicitur, *Et fuit, cùm essent in agro*; quòd scilicet dixerit illi, *Egrediamur in agrum.* Secundum Aben Ezra, recitavit Cain fratri omnia improperia quibus Dominus illum redarguit, & postea eductum in agrum percussit pugnis aut lapidibus, cùm nondum esset usus armorum. Et quod sequitur, *Maledicta terra, quæ aperuit os suum & devoravit sanguinem fratris tui*, sensus est; Te homicidam debebat devorare. Bona est terra bonis & piis: sed impiis plena est hiatibus. Utitur atrocibus verbis ad terrorem homicidarum, ut homines fugiant homicidium, & vivant in timore Dei. Sanguis fratris, quo perfudisti terram, impediet vim & virtutem terræ, ut etiam à te culta nihil tibi proferat. Abundant hic Hebræi sensu suo, & plus quàm pueriliter maledictionem terræ interpretantur montes & valles. Scribunt autem sic, כשעה שברא הי את עולמו היתה הארץ רחוכה ושוה בכלי החרים כשעמד קין והרג את הבל אחיו היתה מכסה דמו בארץ וקללה הב״ה ונעשו הרים ובקעות

12. *Mobilis & vagus*] Hoc est, Non quiescit cor tuum in ullo loco. Hæc enim est prima pœna homicidarum exsulatio. Altera fuit, conscientiæ stimulus; quemadmodum dixit, *Major est iniquitas mea* מנשוא, i. מסלוח, *quàm ut remittatur*, vel *remitti debeat.* Conscientia ejus sic terrore & desperatione oppressa fuit, ut non potuerit cogitare de spe veniæ. De clamore sanguinis nonnihil scribam in Deut. 21.

15. *Septuplum vindicabitur*] Hoc est, secundum Hebræos, Qui occiderit Cain, ille in septima generatione punietur, quòd ausus fuerit interficere eum in quo Deus signum posuit nè à quoquam occideretur. Gerundensis verò dicit, *Videtur mihi esse hæc sententia, quòd septempliciter punietur is qui occiderit Cain, quem ego assecuravi nè ab ullo occideretur. Noluit Dominus quod primus ille homicida mox interficeretur, sed ut multis generationibus esset in exemplum, in quem Dominus tam execrabile posuit signum, & infamem homicidii notam, quæcunque tandem illa fuit, quæ hic non exprimitur, & quam ille nullâ pœnitentiâ potuit abolere, sed coactus est hanc notam ira Dei tanquam pœnam homicidii ferre, præter exsilium, præter maledictionem, præter illum membrorum tremorem*, &c.

16. *Et habitavit in terra Nod*] Quæ sic ab illo denominata est, quia semper fuit נוד *vagus & instabilis*, etiam cùm sororem uxorem duxisset, cùm liberos genuisset, & civitatem exstruxisset. In his omnibus fuit vagus & solitarius projectus à conspectu Dei, privatus hæreditario jure primogenituræ, semotus à consortio parentum. Onkelus tamen exponit hic dictionem *Nod* appellativè pro נד i. *mobilis*.

20. *Pater inhabitantis tabernaculum*] *Patrem* Hebræi appellant principem, reique alicujus autorem. Fuit Lamech vir in omni arte prudentissimus; quippe qui primogenitum docuit rem pecuariam, juxta naturas jumentorum & pecorum; Secundum verò docuit usum & modulationem instrumentorum musicorum; Et tertium instituit ut disceret artem fabrilem, & faceret gladios, lanceas & alia instrumenta bellica. Quapropter uxores illius timentes nè puniretur, qui occasionem ad homicidia præbuerat, imitatus in hoc malam artem tritavi sui, cùm scilicet filius esset homicidæ in sexta generatione, respondit illis, *Ego non occidi virum in vulnus meum, neque adolescentem in livorem meum, sicut fecit Cain.* Et hanc expositionem huc retuli ex Gerundensi. Ex nostris sunt qui putant Lamech post mortem primi Patriarchæ Adam conatum ad se transferre totum mundi imperium, & occidisse aliquem insignem virum, atque puerum aliquem de generatione justorum, sicut pater ejus Cain occiderat Habel: Et cum ob hoc factum reprehenderetur ab uxoribus, & quod sibi metuenda esset pœna, contemptim respondit, *Occidi virum; sed quid ad vos? Est id in meum vulnus, non in vestrum. Occidi adolescentem, sed in livorem meum. Ego plectar, non vos.* Interim tamen vult videri justam causam cædis habuisse; ideo longè majorem pœnam minatur vindicaturo cædem illam quàm quæ Divinitus statuta fuerat in interfectorem Cain.

FAGIUS.

1. A *Domino*] Chaldaicè ad literam est, מן קדם ״ i. *De coram Domino*; sive, *à facie, à conspectu, Domini*; hoc est, Dei gratiâ & favore acquisivi hunc filium; ut agnoscat & fateatur Dei dono ac munere sibi hunc filium contigisse. Quædam exemplaria non habent præpositionem מן sed tantum קדם ״, *coram Domino*, sicut & Complutensis editio habet. Unde quidam hunc subesse sensum putant; *Acquisivi virum coram Domino*, hoc est, qui nobis defunctis Dominum Deum timeat, colat, adeoque verum Dei cultum conservet. Et hunc sensum sequitur non malus author apud Hebræos Nehemanides, qui in commentario suo super hunc locum ita scribit, *Conveniens mihi videtur, quòd dixerit, Filius iste erit mihi possessio Domini; quoniam cùm nos moriemur, erit loco nostri, ad colendum Creatorem suum. Et hæc quoque sententia est Onkeli, qui dicit*, Coram Domino. Hactenus ille. Quomodo ego hunc locum ex veritate Hebraica intelligendum putem, consulere potes librum meum cui nomen feci, *Collatio translationum*, quem favente Christo in lucem quoque propediem edituri sumus.

3. *Et accidit post aliquot dies*] Ad verbum est, *Et factum est à fine dierum*, מקץ ימים i. *post aliquot dies.* Habet enim præpositio מן *Min* apud Hebræos eam quoque vim significandi quam apud Latinos *à*: ut, *à mensa, à lectione*, i. *post mensam, post lectionem.* Alii non simpliciter hic dies, sed annum intelligunt. Nam non rarò annus in Scripturis per *dies* significatur, maximè si ימים *Jamim*, i. *dies*, absolutè ponatur, non addito numero. In qua significatione & hic quoque accipiendum esse contendit Aben Ezra, qui in hunc locum ità scribit; *Meo judicio, integer annus* ימים, i. *dies, vocatur; sicut in istis locis*; Per dies anni erit redemptio ejus; & Ascendit vir ille de civitate sua à diebus in dies, *id est, ab anno in annum, hoc est, singulis annis.* Annum autem idem scribit ימים *dies* vocari, quod iidem longiores & breviores revertuntur & recurrunt. Juxta hanc ergò lectionem sensus erit, Quod Cain revoluto anno, certo & statuto tempore, munus suum ad certum locum qui cultui Divino publico destinatus erat, attulerit: ut ita annua solennitas, quâ ad colendum Deum publicè conveniebant, hâc locutione per ימים significetur.

4. *Et de adipibus eorum*] Bifariam legunt; Quidam substantivè, intelligentes adipem seu pinguedinem eâ ratione ab illo concrematam fuisse ut postea in lege concremari Dominoque consecrari præcipiebatur. Alii adjective accipiunt, hoc sensu, Quod ex pinguibus ovibus pinguiores quasque acceperit, Dominoque obtulerit, quò fidem animique sui gratitudinem ergà illum plenius testaretur. 5. *Et fuit complacentia apud Dominum*] Hoc est, placuit Domino, gratum & acceptum illi fuit munus Abelis. Id quod declaravit igne (ut Hebræi dicunt) cœlitus demisso, qui oblatum munus absorpsit; Quod & verbo Hebraico ישע, quod respicere & amanter se ad aliquid convertere significat, innui volunt. Referunt quidam ex Hebræorum traditionibus, in illo igne sacrificia absumente leonis faciem conspectam fuisse; Quod si verum est, quis dubitat eâ re adumbratum fuisse Leonem illum de tribu Juda, qui est Jesus Christus Dominus noster & Salvator, cujus omnia sacrificia typus fuerunt, in quo sola omnia sacrificia nostra Deo placent & grata sunt; quique & seipsum veram & unicam hostiam pro peccatis nostris in ara crucis obtulit.

5. *Et dejecti sunt vultus ejus*] Dejici seu inclinari vultus alicujus dicuntur, quando quis non hilari & exporrectâ fronte, sed tristi, demissoque in terram capite incedit, dolorem, tristitiam, iram, aut tale aliquid in vultu præ se ferens.

7. *Numquid si emendaveris opus tuum*] Quia עבד Hebræis non tam operari quam colere Deum significat, ideo quidam

hic cultum, hoc est, sacrificium quod Deo obtulerat, intelligunt. Quasi Dominus eum admonere voluerit, ut majori fide & pietate, ad exemplum Abelis, sacrificia sua posthac offerre velit, si modo grata & accepta esse cupiat. Quem sensum Lxx. secuti esse videntur, qui legunt, Οὐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, i. *Non si recte obtuleris, recte autem non diviseris*, &c. Vide, si placet, quæ D. Chrysostomus scribit in hunc locum, homil. 17. super Gen. Alii ad bona opera vitæque emendationem referunt, hoc sensu, Si correxeris & emendaveris opera tua & vitam tuam, placebunt mihi quoque sacrificia tua: Nihil moror externa illa, ubi deest animus pius & fidelis, vitæque innocentia. Malus, impius & hypocrita erat Cain, & tamen confidebat prærogativâ primogenituræ: Verùm Dominus requirit ab illo fidem & pietatem, sine quibus abominatio illi sunt victimæ, ut Salomo in proverbiis, *Victima impiorum abominabiles Domino; vota justorum placabilia.* Sed placet etiam hic annotare quomodo Thargum Hierosolymitanum hunc locum habeat; *Nonne si emendaveris opera tua in seculo isto, condonabitur & remittetur tibi in seculo futuro? Quod si non emendaveris opera tua in seculo hoc, ad diem judicii magni peccatum tuum conservabitur, & ad ostium cordis quiescit. Veruntamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentia mala: & tu dominare ei, sive ad bonum, sive ad malum.*

8. *Et locutus est Cain Abelo*] Quid ille locutus fuerit non exprimitur in textu: hinc variant commentatorum opiniones. Aben Ezra putat Cain narravisse Abelo fratri suo omnia verba quibus objurgavisset eum Dominus. Alii sentiunt eum amicè & fraternè locutum fuisse Abelo, dissimulando odium, quò facilius ipsum in rus pertraheret, atque ita incautum ibi opprimeret. Author paraphrasis Hierosolymitanæ hunc locum ita explicuit; *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, Veni, & egrediamur in agrum. Et accidit cùm egressi essent ambo in agrum, respondit Cain. Non est judicium, nec judex, nec seculum aliud nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis; nec Dei misericordiâ creatus est mundus, nec Dei misericordiâ regitur mundus, eo quòd suscepta est oblatio tua cum beneplacito, mea verò non est suscepta cum beneplacito. Respondit Abel & dixit ad Cain, Est judicium, est judex, estque seculum aliud; merces item bona pro justis, & pœna pro impiis. Misericordiâ quoque Dei conditus est mundus, atque misericordiâ illius gubernatur: utique propter opera bona gubernatur. Quia enim meliora fuerunt opera mea tuis, suscepta est oblatio mea cum beneplacito, tua verò non est suscepta cum beneplacito. Cumque duo isti contenderent in agro, insurrexit Cain contra Abelem fratrem suum, & occidit eum.* Hactenus ille. Ex quibus etiam apparet unde vel Lxx. vel vulgata Latina editio desumpserint illud quod ipsi habent, *Egrediamur foras*; nempe ex Paraphraste Hierosolymitano. Quare satis temere agunt, qui sicubi Latinam illam vulgatam editionem non ad literam per omnia textui Hebraico correspondere vident, exsibilant eam, damnant, rejiciunt, atque penitus explodunt, non attendentes quid vel quem secutus fuerit ejus author. Hoc enim ferè semper deprehendo, quòd si quando à veritate Hebraica dissentire videtur, eum vel Lxx, vel paraphrasin Chaldaicam, vel aliquem ex Rabbinis Hebræorum secutum fuisse. Non est ergo temere nata vulgata Latina editio, ut quidam scioli stultè & impudenter clamitant.

10. *Vox sanguinis familiarum*] Ad literam est, *Vox sanguinis seminum*, &c. Intelligit autem liberos & posteros qui ex illo nasci debebant.

12. *Robur suum*] i. Tantum quantum bene posset.

15. *Imò omnis qui occiderit Cain*, &c.] Quidam per reticentiam hæc dicta volunt, hoc sensu, quasi Deus dicere ad Cain voluerit, *Non sic erit, Cain, ut tu opinaris, imo qui te occiderit, sic & sic punietur*, Per reticentiam scilicet genere supplicii ac pœnæ suppresso, quod usitatum est in hujusmodi locutionibus. Et quod additur, *In septem generationes vindicta sumetur ab eo*, &c. Sic legunt & intelligunt, quasi innuat Dominus ipsum Cain non tum mox periturum, ut ipse timebat, sed in septimam usque ætatem ac seculum duraturum, quo demum futurum sit ut pœnas luat sui homicidii; Quod factum dicunt quando à Lamech (ut Hebræi tenent) jaculo pro fera occisus fuit. Verùm simplicissima hujus loci sententia hæc esse videtur; quòd multiplex gravissimaque pœna hic significetur quam daturus sit qui Cain occiderit. Quem, impium licèt homicidam, ideo Dominus in terris diutius exstare voluit, ut aliis exemplum ac terror esset, quo sibi diligentius caverent ab homicidiis: Unde & signum in eo Deus collocat, nè quis facile & temere eum opprimat. *Septem* ergò *generationes* pro *multas* posuit, more Scripturæ; Quod Hebræi sic efferunt, דרך המקרא לזכור שבע ושבעה להכבון רב לפי שכל ימי העולם שבועות, i. *Mos Scripturæ est Septenarium numerum pro Multo usurpare, eo quod omnes dies seculi in hebdomadas distribuuntur.* Huic sententiæ & R. D. K. adstipulatur, sicut est videre in Radicibus ejus.

16. *Et egressus est Cain a conspectu Domini*, &c.] Sensus est, Discessit ab eo loco ubi Dominus illum convenerat, ubi tum erat Ecclesia & cœtus piorum ad cultum Dei confluentium, atque ultro citroque oberravit in terra quam antea coluerat prope paradisum.

19. *Nomen uni Adah, & nomen alteri Zillah*] Hebræi sentiunt hæc nomina non fortuitò mulieribus istis contigisse, sed ab eventu; Adah enim nomen suum indè sortitam esse, quòd postquam à marito gravida facta est, cum eo non ampliùs commercium & consuetudinem habuerit, atque ità ab eo, donec peperisset, *separata*, tanquam vidua sola habitaverit. Altera verò, Zillah, ab *umbra* nomen obtinuit. צל enim *umbram* significat; quod scilicet sub umbra mariti, hoc est, penes maritum, semper fuerit, quâ maritus non ad procreandos liberos, sed ad explendam libidinem suam utebatur: unde &, marito ut magis placeret, adornabatur pretiosis vestibus, & delicatis cibis ad augendam & retinendam formam nutriebatur; simul atque, nè conciperet ac gravida fieret, poculo sterilitatis potabatur. Ferunt enim morem fuisse eo tempore, ut qui duas haberent uxores, alterâ ad progignendos liberos, alterâ ad carnis voluptatem exsatiandam uterentur.

20. *Doctor alendi pecoris*] מורה *dominum* & *doctorem* significat. Sic vocat eum, quòd rationem alendi pecoris primus invenerit & tenuerit.

23. *Non occidi virum*, &c.] Quidam Hebræorum hunc locum sic explicant; Quòd uxores Lamech à commercio & consuetudine illius ideo abstinuerint quòd primus armorum inventor exstitisset; unde putabant illum pœnas Domino daturum. Lemech ergò, ut uxores suas sibi rursum copularet, amicè alloquitur eas, atque ità negotium exponit; Etsi arma eorumque usum primus adinvenerit, nullum tamen adhuc se occidisse, ut Cain fecerit; non ergò esse ut sibi hinc male metuant: Quòd si omnino propter hoc aliquid mali sustinendum sit, id in multos annos dilatum iri, quandoquidem ipsi Cain sua pœna in septimam usque generationem protracta fuerit. Alii aliam adferunt expositionem. Quod si plura nosse cupis, vide meam Collationem. ¶ *Ut propter eum ego portem peccata*, &c.] *Portare peccatum*, Hebraismus est, pro *reum fieri* & *pœnam peccati sustinere*. Unde & Christus in Evangelio *Agnus Dei, qui peccata mundi portaverit*, dicitur, i. qui pœnam peccatorum totius mundi sustinuerit.

26. *Ut non orarent in nomine Domini*] Tenent quidam Hebræorum, Seth filium suum Enosch ita vocavisse, quòd tum miserum & calamitosum seculum esset, degenerantibus scilicet hominibus à vero Dei cultu ad idololatriam, impiâ ac flagitiosâ vitâ magis atque magis apud illos invalescente: quod nomine *Enosch* innui putant. *Enosch* enim Hebræis non simpliciter *hominem*, sed *afflictum*, *miserum*, *deploratum* ac *calamitosum* significat. Quod si miraris quod Onkelus contrariam à veritate Hebraica sententiam reddiderit, scias hoc accidisse ex ambiguitate vocis הוחל *huchal*, quam alii pro *incipere*, alii pro *violari* & *profanari* exponunt. Postremum verò secutus esse videtur Onkelus, quasi ità legerit, *Tunc profanata est invocatio nominis Divini*. Complutensis tamen editio convenit cum textu Hebraico: ita enim habet, בכן שריו בני אנשא לצלאה בשמא דיי, i. *Tunc cœperunt homines orare in nomine Domini.*

IDEM.

1. וְהָאָדָם יָדַע אֶת־חַוָּה *Adam verò cognovit uxorem suam*] *Cognoscendi* verbum pudicum est, pro *concumbere* & *rem habere*; Quod ideo Scripturam usurpare Judæorum quidam dicunt, quòd coitus debeat fieri animo sobrio & bene constituto: alii, שזיוג הצדיק עם אשתו הוא קדוש וטהור ונקיות i. *eò quòd conjugium justi cum uxore sua sanctum, mundum & purum sit.* Quod autem lingua Hebræa res obscœnas honestis & pudicis vocabulis circumloquitur, hinc *sanctam linguam* appellari adserunt. Alii concubitum *cognoscendi* vocabulo efferri dicunt, eò quòd semen virile à capitis cerebro descendat per venulas, quæ sese ramificant per dorsum hominis; Quod postea ex nostris quidam ad mysterium trahunt: Quod simili modo, si semen gratiæ Divinæ à Deo Capite nostro in nos fluat, nascamur filii Dei R. S. verbum ידע in præterito plusquamperfecto exponit, *cognoverat*, hoc sensu, Quod ante prævaricationem & ejectionem è paradiso Eva, ab Adamo, mox atque illi

illi adducta fuit, cognita fuerit; imitatus veteres Judæos, qui ſentiunt Evam primo congreſſu multos concepiſſe & edidiſſe. Dicunt enim quòd *bini aſcenderint lectum, & ſeptem deſcenderint.* Sed Judaicus hic error eſt. Non enim tum furioſâ illâ libidine accenſus erat Adam ut nunc ſunt adoleſcentes. Alia erat tum ratio quàm hodie ſit. Diſputatur à quibuſdam circa hunc locum, Conjugium conſummari & impleri per carnalem copulam, ut ipſi loquuntur: quod infirmum eſt. Nam verum conjugium conſummatur per conjunctionem illam, quæ fit ex verbo Domini & juxta verbum Domini, quam Hebræi חפה *Chuppa* nominant, nos *nuptias.* Probatur hoc ex Deut. 22. ubi pro uxore habetur virgo deſponſata & nondum cognita. Hinc & verum conjugium fuit inter Joſephum & Mariam. *Chuppa* autem olim locus apud Hebræos dicebatur, in quo ſub velamine ſponſus cum ſponſa ſeſe abdebat, & colloquebantur, ut mutuo colloquio animi arctius coaleſcerent, matrimoniumque initium magis corroboraretur; Quod & tum demum, non antea, ratum & confirmatum habebatur, cum ſponſus ex Chuppa prodibat; ex quo ſtatim etiam magno gaudio circumſtantium excipiebatur. Ad quem morem & conſuetudinem propheta David reſpexit, Pſal. 19. 6. ubi de ſole ſic canit, והוא כחתן יצא מחפתו ישיש כגבור לרוץ ארח i. *Ipſe autem tanquam ſponſus egreditur de thalamo ſuo, exſultabit ut gigas ad currendam viam ſuam.* q. d. Sicut ingens gaudium eſt cum ſponſus ex Chuppa prodit, ſic & ſol ſuo exortu & progreſſu magno gaudio & lætitia homines afficit. Quod pulchrè in verum illum ſolem juſtitiæ, Chriſtum inquam, verum Sponſum, ac ſponſam ſuam, Eccleſiam, competit, ſi myſticè interpreteris. Adhuc hodie apud Germanos Judæos matrimonium ſub Chuppa, id eſt, operimento quod quatuor vectibus tenetur, ante Synagogam confirmatur. Ubi verò nulla eſt Synagoga, veſtem, quam כלה vocant, ſuper ſponſum & ſponſam in memoriam veteris conſuetudinis expandunt.

וַתַּהַר וַתֵּלֶד אֶת־קַיִן *Et concepit, & peperit Cain*] *Concipere* Hebræis non id tantum quòd Latinis & Græcis, verum omnem illum צער laborem & moleſtiam quam mulieres gravidæ experiuntur, ſignificat. Sicut & *pariendi* verbum non tam *parturitionem*, quàm curam illam quam matres in fovendis ac educandis infantibus ſuſtinent, ſignificat.

קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה *Acquiſivi virum ipſum Dominum*] קנה Hebræis non tam *emere* quàm *quâvis ratione acquirere & comparare* ſignificat. Unde hic dicunt, קניתי אינו קנין ממש אלא דבר המושג בהשתדלות. i. *Verbum* acquiſivi *hic non ſimpliciter emere ſignificat, ſed rem ſtudio partam & acquiſitam.* Variè autem legitur exponiturque vocula את ab Hebræis hoc in loco. Quidam enim legunt, *per Dominum.* Quam lectionem ſequitur author Latinæ vulgatæ editionis; ut ſit ſenſus, *favente Domino, Dei dono ac munere.* Alii, *à Domino*; ut idem valeat quod præpoſitio מן. Alii, *cum Domino.* i. auxiliante Domino, ut R. S. qui ſic exponit, q. d. Eva, Me & maritum meum Dominus ſolus creavit, verùm in condendo Cain & nos adhibuit ſibi cooperatores. Nehemanides legit, *coram Domino*, hoc ſenſu, *Filius iſte erit mihi poſſeſſio Dei, ut cum nos moriamur, ipſe loco noſtri colat Creatorem ſuum.* Et probat hanc ſuam ſententiam paraphraſi Chaldaicâ, quæ habet, גבר קדם ״ i. *virum coram Domino:* & ſic habet editio Complutenſis. In Venetiano vero exemplari legitur, גברא מן קדם ״ i. *virum à Domino.* Diverſæ huic lectioni occaſionem dedit vocula את, quæ æquivoca eſt ad omnia præmemorata ſignificata. Et quia quiſque ſuo abundat ſenſu, abundabo ego quoque & meo, ſimpliciſſimè accipiendo dictiunculam את, ut ſit nota articuli, ſimul atque demonſtrationis, ipſiſſimam rei ſubſtantiam cui jungitur denotans, hoc ſenſu, *Poſſedi*, ſive *acquiſivi, virum, nempe ipſum Adonai,* q. d. Acquiſivi illum ipſum virum qui eſt Adonai, i. Deus ſive Dominus; quem ſcilicet pollicitus eſt mihi Dominus, cum dixit, *Semen tuum conteret caput ſerpentis.* Quia enim credidit Eva promiſſioni de ſemine mulieris, ſine dubio exiſtimavit hunc illud eſſe ſemen per quod caput ſerpentis eſſet conculcandum. Nec video quid obſtet quò minus ad hunc modum exponatur, cùm nulla Scripturæ fiat injuria, nec ſit violenta longeque petita expoſitio: omnia enim manent in ſimplici ac naturali ſua ſignificatione. Et ſi hunc ſenſum ſequimur, pulchre elucet Chriſti Divinitas ex nomine *Adonai*, quod ſoli Deo competit; eſtque validum argumentum contra impietatem ac perfidiam Judæorum Chriſti Divinitatem negantium. Nec impedit hanc expoſitionem, quod Eva dicit, *Acquiſivi virum*, &c. cùm איש hîc, ut & in aliis locis, emphaticôs accipiatur, non ſimpliciter virum ſignificans, ſed inſignem, nobilem, egregium, præclarum. Unde & Deus appellatione *viri* venit in Divinis literis, ut Exod. 15. 3. Ubi Moſes in cantico ſuo Deum vocat איש מלחמה i. *Virum bellatorem.*

2. וַתֹּסֶף לָלֶדֶת אֶת־אָחִיו אֶת־הָבֶל *Et addidit parere fratrem ejus Habel*] Hebraiſmus eſt, *Et addidit parere*, pro, *Et rurſum peperit*, hoc eſt, more mulierum gravida facta eſt à viro. Et quidam Hebræorum tenent quod uno partu plures enixa ſit Eva, cum Cain gemellam quoque edidiſſe, cum Hebel duas; Idque colligunt ex articulo את, qui hic ter ponitur, & ex verbo ותסף, *& addidit*, ſive *adjecit*, ſed Judaica hæc ſunt. הבל *Hebel* Hebræis *quod inane, vanum, ſupervacaneum & ſuperfluum eſt*, ſignificat. Hinc ſecundum filium Hebel nuncupatum volunt, quod experta eſt Eva ſe non in Cain poſſidere promiſſum ſemen, adeoque ſuas cogitationes eſſe vanitatem. Alii *Hebel* dictum autumant ab eo quòd putarit Eva hunc filium abundare & ſuperfluum eſſe, rata ſe ſatis habere in Cain; hinc ſecundum filium *Hebel* vocat, quaſi ex ſuperabundanti & affluentia datum. Diſcimus certè hinc, quam ratio & prudentia humana ſæpe ſuis conſiliis fallatur. Eva putat Cain illum eſſe in quo ſperanda ſit ſalus; ob hoc exſultans ait, *Poſſedi hominem per Deum:* alterum velut contemnens, *Hebel* vocat. Sic videmus Deum rejicere quos extollimus nos: contra, quos nos contemnimus, hos Deus non rarò ad ſumma evehit. Nehemannus *Hebel* appellatum putat, ad ſignificandum quòd omnis poſſeſſio hominis vana ſit, juxta illud Eccleſ. 1. 2. הבל הבלים הכל הבל i. *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Verum prima ratio, quam noſtri commentatores ſequuntur, ſolidior eſt.

וַיְהִי־הֶבֶל רֹעֵה צֹאן וְקַיִן הָיָה עֹבֵד אֲדָמָה *Fuitque Hebel paſtor ovium; Cain verò fuit cultor terræ.*] Conſilium Spiritus in Divinis literis eſt, deſcribere curſum verbi Dei, quo pacto Deus agat cum hominibus, quem in modum diſcernat pios à reprobis, & ut formet etiam vitam eorum. Patet hoc in Cain & Abel, qui fuerunt typus mundi, & diſcriminis vaſorum, hominum ſcilicet electorum & reproborum. Cain attentus erat ad rem, ſectans lucrum temporale; Abel verò, contemptis rebus terrenis, Deo vacabat, ſectans juſtitiam; Ad quam rem accommoda erat vita paſtoralis, quò liberius divinis cogitationibus operam dare poſſet. Et opiliones etiam mitiori ingenio eſſe creduntur, & paſcendi munere vivacius admonentur Dei ac beneficiorum illius. Hinc Rakenatenſis, *Moſes*, inquit, *paſcens oves memor eſt Petræ robuſtæ quæ paſcit Iſraël, eoque paſcenti in rubo illo apparuit. Ejuſdem memor in paſtura ovium Abel reſpicitur ab eodem.*

3. וַיְהִי מִקֵּץ יָמִים *Et factum eſt à fine dierum*] קץ *Kez*, ut Hebræi dicunt, eſt סוף הזמן, *finis temporis.* Eſtque ſenſus, *à fine dierum*, i. *in fine*, aut *poſt finem dierum*; ſicut & Latini dicunt, *à funere*, i. *poſt funus* &c. Et quia ימים *Jamim* non ſemper *dies*, ſed ſæpe *annum* ſignificat in Divinis literis, eò quòd annus per dies, certoque curriculo dierum conſtituatur, (ſicut & Hebræi ſcribunt, על שם שכל הימים חוזרין לסדרן כבתחלה בארכה ובקצרה i. *eo quod omnes dies revertuntur juxta ordinem, ſicut in principio, in longitudine & in brevitate.* Et Kimhi in Radicibus, כי לא השלם לנו החדש והשנה כי אם ביום שלם לא בקצת היום ולפיכך נקראת השנה ימים i. *Non enim perfectus nobis fit menſis & annus, niſi die perfecto, non parte diei, & ideo vocatur annus* Jamim.) Hinc Hebræi ימים hoc in loco pro *anno* quoque accipiunt; præſertim Aben Ezra, qui ſic ſcribit, ולפי דעתי כי נקראת השנה תמימה ימים i. *Et juxta meam ſententiam integer annus vocatur* ימים. Citatque hoſce locos quibus id probat; Lev. 25. ימים תהיה גאלתו *Per dies anni erit redemtio ejus.* 1 Sam. 1. ועלה האיש ההוא מעירו מימים ימימה *Et aſcendit vir ille de civitate ſua ab anno in annum.* Gen. 41. ויהי מקץ שנתים ימים, *Et factum eſt poſt duos dierum annos.* כלומר שנים שלמים, hoc eſt, *exactis duobus integris annis.* Eſt ergo ſenſus hic, מקץ ימים, *poſt annum exacto anno*, vel *poſt aliquot annos*, ut quidam legunt. Et omnino mihi placet ut certum & ſtatutum tempus per מקץ ימים intelligatur, quo ad cultum Dei convenerint. Semper enim ordo fuit in Eccleſia Dei per diſtributa tempora etiam ante legem. Et hanc ſententiam confirmat etiam vocula קץ; quæ non ſimpliciter *finem* ſignificat, ſed certum, præciſum, & determinatum.

וַיָּבֵא קַיִן *Et adduxit Cain*] אל מקום שקבע להתפלל i. *ad locum deſtinatum orationi*, ut inquit Aben Ezra. In certo enim loco (quod hinc colligitur) conveniebant, in quo ſacris ſolenniter operabantur, Deumque colebant, audiendo verbum ejus, orando, & ſacrificando. Vides ergo Eccleſiam incepiſſe ſtatim ab orbe condito, ſemperque fuiſſe celebres ac ſolennes conventus hominum piorum; Quos quicunque negligunt & contemnunt, non erunt participes promiſſionum Dei, quæ tantum in Eccleſia valent & efficaces ſunt, non extra Eccleſiam.

Quod certè & veteres Hebræorum tenuerunt: hinc dixerunt, המבזה את המועדות אין לו חלק לעולם הבא i. *Qui contemnit solennes Ecclesiæ cœtus; non habebit partem futuri seculi.* Hæc notent sectarii. Sed unde habuerunt Cain & Abel quod sacrificiis Deum honorant? Nimirum à patre suo, penes quem tum erat rerum potestas, functio sacerdotii, ac verbi ministerium, quo familiæ suæ præibat, instituens eos in verbo Domini, & explicans illis promissionem factam de semine mulieris caput serpentis conculcaturo. Unde & Hebræorum quidam sentiunt quòd sacrificia sua ad patrem attulerint.

מִפְּרִי הָאֲדָמָה *De fructu terræ*] Quod Cain de terræ fructibus, Abel de primogenitis ovium suarum Domino munera offerunt, monet nos, quemque de suo & juxta vocationem suam Domino servire debere, quatenus verbo Domini congruerit. Hebræi maximè putant Cain cum suo munere à Deo rejectum fuisse, quòd in adferendo eo non justam diligentiam ac studium adhibuerit: dicunt enim quod non juxta legem obtulerit; dein, quòd obiter de frugibus terræ, ut ut illi ad manum venerunt, non de adipibus; quòdque non de primitiis frugum, sed de reliquiis anno completo, ממותר מאכלו, ut Hebræi dicunt: quod colligunt ex vocibus מקץ ימים & מפרי. Hæc quidem non usque adeo impiè dicuntur, modò addas, sacrificium Cain non ideo repudiatum fuisse quòd non fuerit satis splendidum, magnificum aut rectè dispositum; sed ob id potissimum quòd illi defuit primum & præcipuum quod in omnibus sacrificiis & ceremoniis requiritur, nempe fides, veraque animi gratitudo de Dei beneficiis. Sunt enim sacrificia gratiarum actiones, deditiones in obsequium Dei, animique attestationes sese Deo mancipantis, ac de gratuito favore gratiam habentis. His certè carebat Cain; ideo repulsam passus est, nimium securus apud se de prærogativa primogenituræ. Quòd si quid à Cain negligentià & non rectà dispositione sacrificii peccatum est, ut Hebræi arbitrantur, ea certè ex incrudelitate & indigentia fidei profecta est, sine qua omnia nostra opera non tantum non sunt grata Deo, sed & peccata & abominatio in conspectu Dei, juxta illud Apostoli, Rom. 14. 23. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.*

מִנְחָה לַיהוָה *Munus Domino*] De ratione sacrificii, quod Hebræis מנחה *Mincha* dicitur, habes Lev. 2. Quidam à נחה *adducendo & adferendo* dictum putant. Offerebatur enim simila, adeps scilicet, frumenti purissimus fructus. Alii, *oblationem consolationis* exponunt; alii, *munus placationis*, ab הניח. Alii, à *quiescendo*. Tum enim maximè quiescit animus, ubi de favore Dei certus est, & venit ad plerophoriam fidei. Cultus spiritualis per *Mincha* intelligitur, qui est Deo gratias agere de remissis peccatis & de reliquis donis. Quidam ex nostris sentiunt utrumque, Cain & Abel, quod ad rationem & naturam sacrificiorum attinet, justum sacrificium obtulisse, imò Caini sacrificium in speciem splendidius fuisse quàm Abelis, quia erat Mincha; dein, ipse erat primogenitus; tertiò, Domino offerebat, non idolis; Sed ideo rejectum, quòd non in fide obtulerit. Animus enim ejus erat hypocriticus, & confidens propter jus primogenituræ; Abel verò erat animo demisso, non in se, sed in misericordia Dei, atque adeò promissione de Semine facta, confidente, propter quod voluit etiam Domino suo sacrificio gratias agere.

4. וְהֶבֶל הֵבִיא גַם־הוּא מִבְּכֹרוֹת צֹאנוֹ וּמֵחֶלְבֵהֶן *Sed & Hebel quoque adduxit de primitiis ovium suarum, & de adipe illarum*] Quòd Abel non simpliciter de primogenitis, sed & de adipe sive pinguedine illarum sacrificasse dicitur, hinc colligunt Hebræi Abelis sacrificium fuisse pacificatorium, quod ipsi שלמים *Schlemim* nominant, Græci τὸ τελειωτικόν, q. d. *perfectivum.* Nec obstat quod mox additur, *Et respexit Dominus ad Abel* ואל מנחתו i. *& ad munus ejus.* Nam etiam in fine sacrificii libatio fieri solebat, juxta morem sacrificii quod *Mincha* nominatur. Nostrorum quidam per *primogenita*, optima intelligunt, & per *adipem* pinguia quæque, hoc sensu, quòd ex optimis optima elegerit, sicut & D. Chrysostomus hunc locum explicat. Magnus certè Deus erat in corde Abelis, magna igitur quoque Deo pinguissima & optima obtulit, volens indè animi sui fidem in Deum, animique sui gratitudinem erga dona illius testari; quæ potiùs etiam quàm opus ipsum respexit Deus, ut habet Epistola ad Hebræos.

וַיִּשַׁע יְהוָה אֶל־הֶבֶל וְאֶל־מִנְחָתוֹ *Et respexit Dominus ad Hebel & ad munus ejus*] וישע i. *Et convertit se*, er kehret sich. Nam שעה idem valet quod פנה. Est certè שעה Hebræis, ubi quis delectum facit nutu oculorum, hoc est, favorem nutu & oculis indicare & amanter aspicere. Quæ enim amamus, & quæ grata sunt nobis quibusque delectamur, ad ea nos convertimus, libenterque ea aspicimus. Hinc est quod Onkelus vertit, והוה רעוא קדם יי בהבל ובקורבניה *Et fuit beneplacitum coram Domino in Hebel & in oblatione ejus.* Vel, ut habet editio Complutensis, וקביל יי ברעוא להבל ולקורבניה i. *Et suscepit Dominus cum beneplacito Hebel & munus ejus.* Fuit autem respectus sive conversio Domini ad Abel, (nam כלשון בני אדם, ut Hebræus inquit, i. *humano more*, Scriptura de Deo loquitur) quòd ignem cœlitus misit, qui sacrificium Abelis absumpsit, sicut scribit Aben Ezra, & post illum Author fasciculi Myrrhæ; וירדה אש מאת יי ותאכל את החלבים i. *Et descendit ignis à Domino, & consumpsit adipem* sive *pinguedinem.* Atque ità benevolentiam suam erga Abelem & munus ejus declaravit. Nec desunt inter Hebræos qui dicunt, in igni illo cœlesti sacrificia absumente semper apparuisse leonis faciem; Quod si verum est, quis dubitat typum fuisse Christi, qui est Leo ille de tribu Juda, qui in sacrificiis illis ante legem & in lege adumbratus fuit: Qui tandem inedicibili charitatis igni & amore, vera pro nobis factus hostia in ara crucis, sordes peccatorum nostrorum exussit, Patri nos reconcilians; in quo solo etiam, & nullo alio, spirituales nostræ hostiæ, quas per illum Deo Patri offerimus, gratæ sunt, ut habet prior epistola Petri cap. 2. & epistola ad Hebræos c. 13. Nota autem quòd persona priùs respicitur, deinde sacrificium; Quod argumentum est, per fidem oportere nos priùs justificatos esse, si opera nostra Deo grata esse debent.

5. וַיִּחַר לְקַיִן מְאֹד *Et iratus est Cain valde*] Hebræi octo vocabula habent quæ iram & indignationem significant, nempe, זעם, אף, חמה, כעס, רוגז, קצף, עברה, חרון, inter quæ vehementius est חרה, quod irâ totum accensum esse significat. Notatur hîc natura hypocriseως, quæ est, quòd benignitate Dei erga alios ad blasphemias & fraternum odium irritatur. Pia autem simplicitas gratias Deo pro fratre habet, & ad preces pro simili dono consequendo, quatenus vocationi suæ congruit, incitatur.

וַיִּפְּלוּ פָּנָיו *Conciderunque vultus ejus*] שכן דרך הנכלמים שלא ישאו ראשם ונמצא פניהם נופלים inquit Hebræus, i. *Sic enim mos est eorum qui ignominiâ affecti sunt, ut non attollant capita sua, atque sic concidunt vultus eorum.* Vultus certè animi index est. Et quæ simulata sunt, diuturna non sunt. Hinc Cain animi indignationem etiam externis signis prodit. Cadere vultus dicitur cùm quis demisso capite tristis incedit.

6. לָמָּה חָרָה לָךְ וְלָמָּה נָפְלוּ פָנֶיךָ *Quare succensus es tu? & quare conciderunt vultus tui?*] Observa verum esse quod dicit David, Psal. 5. 4. *Non est Deus volens iniquitatem*, &c. Non certè delectatur peccatis nostris. Et neminem ad peccatum cogit. Hinc est quòd venit ad Cain, & hortatur ut deponat animum hostilem, quem conceperat contra fratrem invitans, eam ad pœnitentiam pollicitatione præmii & comminatione pœnæ.

7. הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *Nonne, si bene egeris, superior eris? Quòd si non bene egeris, ad ostium peccatum cubat, &c.*] Locus iste variè & legitur & exponitur à commentatoribus cùm nostris tum Hebraicis. Et variandi occasionem dedit, quòd omnia hîc concisè & vocibus ambiguis dicuntur. Nam verbum שאת æquivocum est ad multa significata. Modò enim significat *auferre præmium*; (quo sensu accipit Latina vulgata editio. *Nonne, si bene egeris, recipies?* subaudi *mercedem*) Modò *condonare & remittere peccata*; ut sit sensus, *Si bene egeris, condonabitur*, seu *remittetur tibi peccatum tuum*: quem sensum secutus est Paraphrastes Chaldæus, qui sic habet, הלא אם תיטיב עובדך ישתבק לך ואם לא תיטיב עובדך ליום דינא חטאך נטיר ועתיד לאתפרעא מינך אם לא תתוב ואם תתוב ישתבק לך i. *Nonne, si bene egeris opera tua, dimittetur tibi? Et si non bene egeris, in diem judicii peccatum tuum servatum est, in qua futurum est ut ulciscatur de te, si non converteris: & si converteris dimittetur tibi.* Sic habet editio Complutensis. Idem sequitur & R. D.K. in Radicibus, אם תטיב מעשיך יהיה לך כפרה i. *Si emendaveris opera tua, erit tibi expiatio.* Aliquando *offerre, sacrificare*, & *in sacris operari* significat, (quo significato accipit Nehemanides;) interdum *attollere & levare*; hoc sensu, *Nonne si bene egeris, attolles?* subaudi *vultum*; hoc est, recto vultu incedes, vivesque in gaudio & lætitia. Et hanc sententiam amplectitur Aben Ezra: ut sit antithesis illius, *Cur concidit facies tua?* Nonnunquam *exaltari & superiorem esse* significat: qua in significatione maximè hîc accipiendum videtur. In simili enim forma & significato infrà quoque ponitur in prophetia Jacob, ubi de superioritate, prælatura & dignitate fit mentio, c. 49. 3. ראובן בכרי אתה כחי וראשית אוני יתר שאת ויתר עז i. *Reuben primogenitus meus. Tu virtus mea, & principium roboris mei, excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis*, &c. Ubi certè Jacob patriarcha per שאת dignitatem sacerdotii, quâ Reuben, ut primogenitus, alios excellere debebat, intelligit. Quem in modum

dum & Onkelus reddidit, ראובן בוכרי את חילי וריש תוקפי לך הוה חזי למסב תלתא חולקין בכירותא כהונתא ומלכותא על דאזלתא לקבל אפך את כמיא ברם לא אהניתא חולק יתיר לא תסב ארי סליקתא בית משכבי אבוך בכן אחילתא לשוויי ברי סליקתא i. *Ruben, primogenitus meus es tu, robur meum, & principium fortitudinis meæ. Tu accepturus eras tres partes, primogenituram scilicet, & sacerdotium, & regnum: sed quia secutus es voluntatem tuam, sicut aqua effusa, non proficies; neque accipies portionem super excrescentem, quoniam ascendisti cubile patris tui. Tunc, fili mi, violasti, quando ascendisti stratum meum.* Hactenus Onkelus. Ex cujus versione facilè liquet quæ sit vis, sensus & genuina significatio vocis יתר hoc in loco; quod item jus prærogativæ, quod penes primogenitum erat. Jam quia & Cain primogenitus erat, confisus jure primogenituræ, putabat munus suum gratius fore Domino munere fratris. Sed quia diversum fieri videt, se videlicet rejici & fratrem acceptari, iratus ac dolens nè prærogativa ad fratrem transferretur, mox de fratre necando cogitat, ut sic, sublato fratre, penes sese, tanquam primogenitum, superioritas rerumque potestas remaneret. Quod ubi animadvertit in eo Dominus, adest, avocans eum à malo proposito, proponens præmium, si vitam emendet; secus, si malus esse pergat. Dicit ergò, Nonne si emendaveris vitam, superior eris, nec est quod tibi aliquid decessurum timeas: Si vero impius esse perges, nec vitam emendaveris, non impunè abibis, sed dabis pœnas.

לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *Ad fores peccatum cubat*] Variant quoque & in his exponendis Scriptores. Quidam sic interpretantur, quasi hac formulà loquendi significetur fore ut Cain mox post perpetratum paricidium pœnas luat; sicut & factum est: nam statim à Domino in exilium relegatus fuit. Et hunc sensum secutus est author Latinæ editionis vulgatæ, *Statim in foribus peccatum aderit*, i. Pœna peccati, sive punitio, in foribus est, & remanet. Alii sic intelligunt, Etiamsi nemo sit qui pœnam à te sumat si fratrem occideris, (nam nondum erat usus gladii) non tamen ob id impunè abibis. Erit tempus quo pœnas exsolves, nempe in die judicii, quo peccatum tuum, etiamsi hic aliquandiu occultum maneat, revelabitur. Et hanc sententiam amplectitur Onkelus in sua paraphrasi.

וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ *Et ad te appetitus ejus, & tu dominaberis illi*] Hæc quidam ad peccatum referunt, hoc sensu, Utcunque te יצר הרע, i. *mala illa concupiscentia*, ad occidendum fratrem solicitat & incitat, cave illi des locum, quin potiùs omnibus modis resiste, nè ab illa opprimaris; imo tu eam opprime, vince, & dominare, juxta illud Pauli, *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Alii ad Abelem referunt, eò quod relativa *ejus* & *ille* apud Hebræos sint masculini, *peccatum* verò fœminini generis; idque duplici sensu: Prior, ut sit sermo objurgatorius; q. d. Deus ad Cain, Num Abelis desiderium & suspectio ad te esse debet, quemadmodum mulieris ad maritum? Num tu dominus ejus? Caput ejus es? Minimè. Alter, Non est, mi Cain, quòd timeas tuæ prærogativæ, quæ debetur tibi ex jure primogenituræ. Nam etsi munus fratris tui susceperim, tuum autem excluserim, nihilominus tamen penes te tanquam primogenitum erit rerum potestas, *ad te appetitus ejus.* i. Sub tua potestate Abel erit, & tu eris illius Dominus. Non est ergò cur fratri tantopere irascaris. Depone hostilem animum, & cave nè quicquam illi noceas. Videtur ergò hujus loci is simplex esse sensus, Nonne, si bene egeris, hoc est, si vitam & mores emendaveris, pietatique ex animo studueris (nam verbum היטיב transitivum est: Unde alii ad vitæ innocentiam, alii ad sacrificium referuntu) superior, excellentior & dominus eris? Nec est quòd tibi tantillum decessurum formides. Quòd si non benè egeris, & malus esse perges, etiamsi superior futurus sis eo quod primogenitus es, non tamen propterea impunè evades. Erit aliquando tempus quo crudelissimè punieris. Da ergò operam ut pravæ illi affectioni ad peccandum te usque solicitanti fortiter resistas, & vincas, nec ullo modo permittas ut erumpat & grassetur. Quòd si postremam clausulam ad Abelem potiùs referre libet, sensus erit quem paulò antè indicavi. Ut ita tria sint quibus Deus iratum Cain mitigare, & ab hostili in fratrem odio avocare voluerit; Pollicitatio præmii, comminatio pœnæ, & fratris subjectio. Sed abundet quisque suo sensu, modò non contra analogiam fidei.

8. וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־הֶבֶל *Et dixit Cain ad Hebel fratrem suum*] Concisus sermo esse videtur; non enim exprimitur quid dixerit. Latina vulgata translatio adjectum habet, *Egrediamur foras*; Quod à sciolo aliquo adjectum esse videtur, cum non sit in textu Hebraico, neque etiam legatur in vetustis quibusdam Latinis scriptis codicibus. Nonnulli sic explicant, quod Cain Abeli narraverit omnia quæ dixerat ei Deus, ut se resipuisse significaret: In quam sententiam inclinat & Aben Ezra, qui sic scribit; והקרוב אלי שאמר לו כל התוכחות שהוכיחו השם i. *Videtur mihi quod dixerit ei omnes objurgationes quibus objurgavit eum Dominus.* Alii, quod duris verbis sit eum allocutus, ut indè haberet occasionem insurgendi in eum. Et præpositio אל aliquando adversativa est. q. d. *Et locutus est contra fratrem suum*, &c. Alii sentiunt quòd amica verba dixerit ad fratrem, quibus paricidalem animum contexerit, ut sibi minùs caveret Abel, atque ità incautus opprimeretur. Cain ergo typus est omnium hypocritarum, quorum natura est celare consilium suum. Ore quidem Deum fatentur, sed corde negant. Porrò in Thargo Hierosolymitano commemoratur Cain & Abelem hunc in modum inter se collocutos fuisse, ואמר קין להבל אחוי איתא ונפוק לאפי ברא והוה כד נפקו תרויהון לאפי ברא עני קין ואמר להבל אחוי לית דין ולית דיין ולית עלם אחרן ולית למתן אגר טב לצדיקיא ולית לאתפרעא מן רשיעיא ולא ברחמין אתברי עלמא ולא ברחמין הוא מדבר מן בגלל מה אתקבל קרבנך מנך ברעו ומני לא אתקבל ברעוא עני הבל ואמר לקין אית דין ואית דיין ואית עלם אחרן ואית מתן אגר טב לצדיקיא ולאתפרעא מן רשיעיא וברחמין אתברי עלמא וברחמין הוא מדבר ברם כפירי עובדין טבין הוא מדבר על דהוון עובדיי תקנין מן דידך אתקבל קרבני מני ברעוא ומינך לא אתקבל ברעוא והוו תרויהון מנצין באפי ברא וקם קין על הבל אחוי וקטל יתיה. i. *Et dixit Cain ad Hebel fratrem suum, Egrediamur in agrum. Et factum est, cùm egressi essent ambo ipsi in agrum, dixit Cain Abeli fratri suo, Non est judicium, neque judex, neque seculum aliud: Neque merces bona dabitur justis, nec ultio sumetur de impiis: Nec ex misericordia Dei creatus est mundus, neque misericordiâ ejus gubernatur: Eò quòd suscepta est oblatio tua à te cum beneplacito, à me verò non est suscepta. Respondit Hebel & dixit ad Cain, Est judicium, & est judex: Est seculum aliud: Estque præmium bonum quod manet justos, & ultio quæ impios manet. Insuper & per misericordiam Dei creatus est mundus, cujus misericordiâ ab eodem regitur. Veruntamen propter opera bona gubernatur. Quia opera mea meliora sunt tuis, ideo suscepta est oblatio mea à me cum beneplacito, à te verò non suscepta est cum beneplacito. Cùm ita inter se duo isti rixarentur in agro, insurrexit Cain contra Hebel fratrem suum, & occidit eum.* Hactenus Thargum Hierosolymitanum.

וַיָּקָם קַיִן אֶל־הֶבֶל אָחִיו וַיַּהַרְגֵהוּ *Consurrexit Cain in Hebel fratrem suum, & occidit eum*] Colligunt Judæi ex *surgendi* verbo Abelem viribus præstantiorem primo congressu stravisse ipsum Cain; quem tùm ex commiseratione non occidit, verùm iterum surgere passus fuit, Cain denuo invasit Abelem, atque ita occidit. Verum tu noveris *surgendi* verbum non semper ejus esse qui jacet, sed aliquando ejus qui ad opus sese accingit, & contra aliquem insurgit. Qua significatione hoc in loco accipitur. Causa hic expendenda est hujus odii. Ea nimirum est, quod propter gratiam ac fidem in Deum fratrem occidit. Typum igitur habes persecutionis piorum.

9. אֵי הֶבֶל אָחִיךָ *Ubi est Hebel frater tuus?*] Magnum est quod Deus Cain, postquam occidit fratrem, iterum convenit. Atque de illo rogat ubinam locorum sit, non quòd ignoraret, sed ut (sicut Hebræi sentiunt) ipsi Cain confitendi & agnoscendi flagitium suum occasionem daret, quò adhuc misericordiam inveniret. Adeo non vult perire hominem Deus. *Non enim*, ut Propheta inquit, *Mortem vult peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Hæc R. S. Hebraicè sic tradit, אי הבל אחיך להכנס עמו בדברי נחת אולי ישוב ויאמר אני הרגתי וחטאתי לך. Sensus est, *Deum ideo tam blandè interrogasse Cain de fratre, si fortè resipisceret, ac diceret, Ego occidi eum, & peccavi contra te.* Sed quia impudenter negat & dissimulat peccatum suum, misericordiam flocci pendit, nec in tempore resipiscit, hinc postea, ubi peccatum ejus à Deo producitur & manifestatur, ad desperationem adigitur. In tempore ergo desistendum à malo, agnoscendum peccatum, & meditanda est vera pœnitentia.

וַיֹּאמֶר לֹא יָדַעְתִּי הֲשֹׁמֵר אָחִי אָנֹכִי *Et ait, Nescio: numquid custos fratris mei sum ego?*] Non tantum non fatetur & agnoscit peccatum suum, sed & Deo turpiter illudit, arguentem irridet, atque cum indignatione & sannis contemnit. Sic se habent qui Deum in corde suo abjecerunt, & verbum ejus non audiunt. Magna certè blasphemia contra Deum est, sic vivere quasi Deus nihil curet res humanas, opera tua nullus videat, curet & animadvertat. Talis ab Hebræis vocatur גונב דעת העליונה, *qui suffuratur scientiam Divinam.* Et talem Cain fuisse dicunt. De quo & sic scribunt, שלשה הם שבעטו בקורה ומצאן ערום של מינו תולים קין וחזקיה ובלעם קין לא ידעתי השומר אחי אנכי היה לו לומר רבונו של עולם הלא כל הנסתרות גלויות לך בלעם שאמר לו המקום מי האנשים האלה עמך: היה לו לומר יהוה אלהים

אמר ירמיה כמו שאמר יחזקאל והוא השיב באמת בלק בן צפור מלך מואב שלח אלי והרבה מבקשים. יש לי תקוה הרה לו להשיב לישעיה אתה נביא של מקום והוא שואל אלי ומהלל מתוכה ואמר מארץ רחוקה באו אלי לכן נענש ועל שמחה עליהם והאכילם על שולחנו i. *Tres sunt quos scrutatus sive sciscitatus est Deus, & reperit eos tanquam matulam urinalem, Cain, Ezechiam, & Bileam. Cain dixit, Nescio: num custos fratris mei sum ego? Cum potius respondere debebat, Domine, nonne omnia occulta manifesta tibi sunt? Ad Bileam dixit Deus Num. 22. Qui sunt viri isti tecum? Ad qua respondere debuit, Deus, tu novisti; sicut Ezechiel fecit; Verum arroganter respondet, Balak filius Zipper rex Moab misit ad me, qui de multis me interrogarunt. Ezechiam quoque respondere decebat Esaia, Tu propheta Dei es, & interrogas me? sed cum fastu quodam cœpit respondere illi, dicens,* Esa. 39. *De terra longinqua venerunt ad me. Ideo punitus fuit, & quod gaudium ab iis conceperit, mensaque sua convivas fecerat.* Hactenus Hebræi. Quæ propterea adduxi, ut videas etiam illos agnoscere quam ægrè ferat Deus si quis peccatum suum dissimulet, juxta illud in Proverbiis, מכסה פשעיו לא יצליח ומודה ועזב ירחם, *Qui celat iniquitates suas, non bene habebit: qui vero confitetur, & desistit, gratiam consequetur.* Exemplo est Cain, qui, ut Hebræi dicunt, eo quod negavit admissum peccatum, in duplo peccavit, והראה כביכול בהשגחת השם i. *Et visus est tanquam is qui negat & inficiatur curam sive providentiam Dei.*

10. מֶה עָשִׂיתָ קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה *Quid fecisti? Vox sanguinum fratris tui clamat ad me de terra*] *Quid fecisti?* Hac dura interrogatione exaggerat ei facinus. q. d. Quid fecisti, quod amicam meam admonitionem de remittendo odio erga fratrem contempsisti? Quod pœnam qua comminatus sum peccatum tuum, si pergas, non inultum fore, non horruisti? Et quod non reveritus es etiam germanum fratrem tam crudeliter occidere, qui in nullo te læsit? Quod item non magis dolet tibi te tam horrendum flagitium designasse? Quod denique ipsum celas, negas, inficiaris, quasi ipse ignorem, & fratris tui curam prorsus nullam habeam? Quid hoc aliud est quam Deum ipsum negare, totumque illum, cum sua providentia, qua cuncta subsistunt, velle planè è medio tollere? *Vox sanguinum fratris tui*, &c. Rei inanimatæ tribuitur vox. q. d. Sanguis fratris tui à te effusus in terram testatur te illum occidisse. Consoletur hic locus omnes pios qui propter justitiam Dei à mundo occiduntur, se adhuc vivere apud Deum, illique maximè curæ esse. *Est enim pretiosa mors sanctorum in conspectu ejus.* Hinc & Christus in Evangelio dicit, *Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi*, &c. Et Epistola ad Hebræos habet cap. 11. *Per fidem uberiorem hostiam Abel obtulit Deo quam Cain; per quam testimonium meruit quod esset justus, testimonium perhibente de donariis illius Deo. Et per hanc mortuus adhuc loquitur.*

צֹעֲקִים אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה *Clamat ad me de terra*] Q. d. Etsi fraternum cruorem terra diligenter abdidisti, putans illum nunc latere, cum nullum supersit vestigium cædis, apertus est tamen oculis meis. Falleris ergò miserè cum tuo perverso judicio.

11. וְעַתָּה אָרוּר אָתָּה מִן־הָאֲדָמָה *Et nunc maledictus es tu à terra*] Q. d. Ex parte ipsius terræ, respectu ipsius terræ. Hoc est, Terra quam coles erit maledicta. Quæ jam maledicta est propter peccatum primi parentis, iterum propter te maledicetur. Quid autem sit terram maledici exponit cum dicit, *Cum operatus fueris terram*, &c. Vel sensus est, *Maledictus es à terra, quæ aperuit os suum*; &c. Hoc est, Terra quâ abusus es ad contegendum effusum fratris cruorem, ipsa testabitur te hominem maledictum esse, eo quod, cum illam excolueris, non respondebit labori tuo: Dein non habitationem suppeditabit tibi; sed exsul & extorris eris.

12. כִּי תַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה לֹא־תֹסֵף תֵּת־כֹּחָהּ לָךְ *Cum excolueris terram, non addet dare tibi vim suam*] i. Non tantum dabit quantum bene posset. Etiam optime culta, malignè votis respondebit. Facies quidem multam sementem, parvam autem messem. Terræ igitur sterilitas ex peccato est.

נָע וָנָד תִּהְיֶה בָאָרֶץ *Mobilis & vagus eris in terra*] עונש רוצחים גלות, i. *Pœna homicidarum exsilium est*, inquit Nehemanus. נע ונד tametsi idem significent, tamen putant nonnihil differre, sicut נד vehementius quiddam sit quam נע. Unde Judæi נע Germanicè exponunt ein wagler; נד, ein wandler. Sunt etiam inter Hebræos, teste Aben Ezra, qui verbum נד pro קונן, quod *lamentari*, *lugere* & *mærere* significat, exponunt. q. d. Luctuosus eris semper mœrens fratris cædem. Natura peccatorum post revelatum & agnitum peccatum hic describitur. Est enim hæc instabilitas & inquietudo etiam ad conscientiam referenda. Et Græci legunt, στένων καὶ τρέμων ἔσῃ ἐπὶ τῆς γῆς i. *Suspirans & tremens eris super terram.*

13. גָּדוֹל עֲוֹנִי מִנְּשֹׂא *Major est iniquitas mea quam ut remittatur*] Magna peccati hæc est confessio, sed inutilis, quia coacta & intempestiva. כל דבר חביב בזמנו, inquit Hebræus, i. *Omnis res grata est quæ fit suo tempore.* Item, עבר זמן בטל קרבן, i. *Cum tempus præteriit, inutilis est oblatio.* Quibus dictis significare volunt, omnia, ut inquit Ecclesiastes, habere suum tempus, quo si fiant, grata sunt; Ita & peccatorum nostrorum agnitionem, confessionem ac pœnitentiam; quæ, si Deo grata esse debent, oportet ut fiant congruo tempore; Illud autem est, cum nos ad resipiscentiam vocat per verbum & ministros suos, ut scilicet non sit coacta, violenta, intempestiva & nimis sera. Nam *sera pœnitentia*, ut vulgo dicitur, *raro vera.* Præclara quidem res est pœnitentia, ut etiam Hebræorum sapientes testantur, sed quæ parùm habet utilitatis si æquo diutiùs differatur. Rectè ergò monent Hebræi, שוב יום אחד לפני מיתתך, i. *Resipisce uno die ante mortem tuam*; Quo monere volunt, in tempore pœnitendum esse. Nam tota hominis vita tanquam unus dies est. Nescis an in crastinum usque sis supervicturus. Singulis diebus, horis ac momentis tibi exspectanda mors; Qua nihil certius, horâ vero mortis nihil incertius. Nam, ut iidem Hebræi eleganter dicunt, אין דבר שאין בו ספק והוא ודאי כמו המות, i. *Nihil est tam certum in quo nihil dubii sit; & tamen videtur esse dubium, cum certè nihil planè in eo dubii sit, sicut ipsa mors.* Quæ certè si seriò perpenderentur, nemo facilè rectam vitæ institutionem salubremque à peccatis resipiscentiam procrastinaret, multò minùs in extremum usque vitæ finem differret. Quod igitur Cain ad Deum dicit, *Major est iniquitas mea quam ut veniam mereatur*, vox desperantis est, non pœnitentis. Non enim ullum Evangelium audit. Observa quomodo Cain ad promissiones & minas Dei primùm pervicax & ferox fuerit, adeò ut nullo modo ab hostili odio erga fratrem avocari potuerit, (Consilium enim Dei egregiè contemnit, peccatum admissum audacter negat) modò vero, ubi protrahitur scelus ejus ac manifestatur, sentit judicium Dei, illumque iratum, nullumque videt effugium, turpiter concidit ac desperat. Quod idem tandem usu veniet omnibus impiis ac hypocritis, quorum pater est Cain, qui nullis rationibus sese ab impietate sua avelli sustinent. Simile exemplum desperationis habemus & in Juda proditore. Sapiens R. Abraham Aben Ezra עון *Avon* vocabulum hoc in loco pro pœna peccati (qua in significatione aliquando in Scripturis usurpatur) exponit, hoc sensu, *Major est pœna quam mihi infligis, quam ut eam ferre possim.* Ea autem est, quod eo loco qui paternum solum erat, & ubi erat Ecclesia hominum piorum, in quo singulariter gratiam suam erga suos declarabat Deus, discedere coactus fuit. Et hanc suam sententiam probat ex eo quod mox sequitur. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra*, &c. Verùm nostri Scriptores priorem sententiam sequuntur.

14. הֵן גֵּרַשְׁתָּ אֹתִי הַיּוֹם *Ecce ejecisti me hodie*] Idem verbum hîc ponitur quod suprà, ubi de ejectione Adami è paradiso mentio fit; Ubi dixi verbum גרש non simplicem ejectionem & expulsionem significare, sed ignominiosam, & qualem mulier adultera sustinet cùm à marito repudiatur. Quia enim Cain offenderat non tam Deum quam Ecclesiam suam, quæ sponsa ipsius est, & ex verè credentibus constituitur, ideo meretur etiam ex ea repudiari. Porrò verbum Hebraicum גרשת præteritum est, & sonat *ejecisti me.* Est autem frequens hoc in lingua Hebræa, quod ea quæ imminent, quæque mox & certò futura sunt, per præteritum, & nonnunquam per participium præsens, enunciantur. Est ergò sensus, *Hodie ejecisti*, i. jam jam, sine ulla mora & dilatione.

מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה *A facie terræ*] Emphatica sunt, q. d. *à facie hujus terræ*, in qua hactenus egi, quod est solum paternum, ubi est Ecclesiæ conventus, & ubi sensi cum aliis tuam benignitatem. Unde sequitur, *Et à facie tua abscondar.* Quomodo autem à facie Dei abscondi potuit Cain, cùm oculis ejus omnia sint resupinata, cùm cœlum & terram repleat? de quo item dicit David, *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?* Ad hoc non ineptè respondent Hebræi hunc in modum; Cain de hoc maximè dolere, quod ex eo loco depellatur & profligetur, in quo præ aliis locis Deus gratiam ac misericordiam suam erga homines exserebat, idque propter Ecclesiam, quæ tum illic erat ubi coibant homines ad colendum Deum præsentem. Et hanc sententiam etiam Aben Ezra habet; cujus verba hæc sunt, וטעם ומפניך אסתר שיש מקום שיקבל כח ותראה בו גבורת השם ואם הכל מלא כבודו. i. *Et sensus est*, A facie tua abscondar, &c. *Eo quòd est locus qui recipit virtutem* cœlitus, *& in quo sese singulariter exserit potentia Dei, tametsi omnia plena sint gloriâ ejus.*

ejus. Est ergo à facie Dei abscondi, extra Ecclesiam esse; non sentire gratiam & favorem Dei, Deum habere iratum, conscientiam denique trepidantem & desperabundam. Qui conscientiæ cruciatus, ipsissima mors & infernus, per vagum Cain exsilium adumbratur.

וְהָיִיתִי נָע וָנָד בָּאָרֶץ *Eróque mobilis & vagus in terra*] Hoc est, Non apparebo posthac in conspectu tuo, offerens aliquid. Ero enim vagus, &c.

וְהָיָה כָל־מֹצְאִי יַהַרְגֵנִי *Et erit, omnis qui invenerit me, occidet me*] Potest & sic legi, *Quicquid*, sive *quodcunque*, *invenerit me*, sive homo sive bestia, *occidet me.* Sentit enim omnem creaturam sibi adversam esse. Discamus hinc, I. Malos non esse ferendos in Ecclesia & cœtibus piorum; II. Quantis in periculis versentur, & quam expositi sint Satanæ & omnibus malis, qui extra Ecclesiam sunt constituti. Quod sensit & timuit ipse Cain: unde tantopere dolet se Ecclesiâ Dei depelli. Et in hoc aliis in exemplum proponitur.

15. לָכֵן כָּל־הֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם *Propterea omnis occidens Cain septuplum punietur*] Quod Deus Cain non statim vult perire & è medio tolli, verùm aliquamdiu adhuc superstitem esse, non ipsius sed aliorum bono & causâ fit; Nempe ut ità alii ejus exemplo sibi ab homicidio & peccatis cavere discant. *Felix* enim *quem faciunt aliena pericula cautum: & optimum est alienâ frui insaniâ*, ut est in proverbio. Vocabulum לכן bifariam exponitur; ab aliis negativè, *Nequaquam, minimè*, ac si sit dictio composita ex לא & כן, i. *non sic*; hoc sensu, Nequaquam ita fiet ut tu putas; ego aliter disponam; nullus te impunè feriet; nam ultio mea est. Ab aliis affirmativè, *Imò, profectò*, vel *propterea, propter hoc*; ut idem valeat quod על כן, sicut exponit Kimhi in Radicibus: ut sit conflata vox ex Lamed servili & adverbio affirmandi כן, q.d. *Propterea, imò, omnis occisor Cain septuplicitèr punietur.* Variatur quoque in voce שבעתים. Nam alii per *septuplum*, sive *septuplicitèr*, exponunt, ut sit certus numerus pro incerto; hoc sensu, *Septies graviore pœna interficietur qui occiderit Cain*, hoc est, gravissimas dabit pœnas: & hunc sensum amplectitur R. D. K. qui in libro Radicum sic explicat, נקמה רבה יקח ממי שיהרגהו, i. *Vindictas multas sumet ab eo qui occiderit eum.* Secùs verò intelligunt veteres Hebræi, qui שבעתים pro *septima generatione* exponunt; hoc sensu, *Septima demum generatione ad ultionem vocabitur Cain.* Septima enim generatione plerique Hebræorum Cain à Lemech jaculo occisum esse aiunt. Quos etiam Onkelus secutus est sua versione, בכן כל דקטיל קין לשבעא דרין יתפרע מיניה i. *Propterea omnis qui occiderit Cain, in septima generatione vindicta sumetur de eo.* Quod si שבעתים adverbialiter pro *septuplum* vel *septuplicitèr* legis, gravitas pœnæ homicidio debitæ exponitur; si vero pro *septima generatione*, longanimitas Dei erga parricidam ostenditur. Observandum quoque hoc in loco, Non licere privato cuique vel paricidam occidere: nam ultio Domini est. Qui vero gladium gestant, & ministri sunt Dei ad vindictam malorum, ii gladio ferire sontes impunè possunt, imò debent. Id infrà quoque cap. 9. in paraphrasi Chaldaica eleganter explicatur, hunc in locum, שופך דם האדם באדם דמו ישפך, i. *Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur*, &c. Onkelus; דישוד דמא דאינשא בסהדין על מימר דינא דמיה יתשד, i. *Quicunque effuderit sanguinem hominis, cum testibus per sententiam judicum sanguis ejus fundetur.*

וַיָּשֶׂם יְהוָה לְקַיִן אוֹת לְבִלְתִּי הַכּוֹת־אֹתוֹ כָּל־מֹצְאוֹ *Et posuit Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis inveniens eum*] De signo posito in Cain multa nugantur Hebræi. Quidam cornu fuisse dicunt: alii, canem, qui semper præcurrerit ad monstrandam viam qua tutus ingredi posset. Alii literam ex nomine suo in frontem ejus positam sentiunt: idque colligunt ex vocula אות, quæ Hebræis & *signum* & *literam* significat. Alii temporarium signum aliquod fuisse putant: Secus vero Nehemanides, qui firmum, durabile & perpetuum signum fuisse dicit: quod urget ex eo quod dicitur, *Et posuit*, & non *Et dedit.* Idemque signum istud fuisse tenet, quod truculento torvoque fuerit aspectu, ità ut omnes quotquot eum aspexerint in fugam mox conversi fuerint. Sed sunt istæc omnia incerta. Ego, si quid hîc statuendum esset, mallem his adstipulari qui sentiunt signum istud fuisse membrorum tremorem. Quod conjiciunt ex eo quod dicitur, *Vagus & profugus eris*, &c. Quod LXX. reddiderunt, *Suspirans & tremens eris super terram.* Hoc teneamus; Dominum ipsum Cain manifesto signo qualicunque prodidisse, ut omnes quòd ipse sceleratus ille esset agnoscerent, sibique ejus exemplo à fundendo sanguine omnibus modis caverent; dein, quod Dominus hoc signo certiorem eum reddere voluit, se non à quolibet interimendum. Nam suam benignitatem erga maledictos interim declarat. Et hanc sententiam etiam habet Aben Ezra, qui in hunc locum sic scribit, ואחרים אמרו שנתן חזק בלבו והסיר פחדו ממנו ומוכן בעיני שהשם עשה לו אות עד שהאמין והכתוב לא גלה זה, i. *Alii dicunt quod dederit fortitudinem in corde ejus; & abstulerit metum ab eo. Mihi autem videtur, quod Deus fecerit ei signum donec crediderit. Scriptura autem non exprimit illud.*

16. וַיֵּצֵא קַיִן מִלִּפְנֵי יְהוָה *Et egressus est Cain à facie Domini*, &c.] Oculos Dei nemo effugiet. Nam, *Cœlum*, inquit, *& terram ego impleo.* At egreditur è conspectu Dei damnatus peccator quia à loco & cœtu populi Dei discedit. Nam ab initio mundi per omnem Scripturam semper Ecclesia aliqua fuit, in qua suam benignitatem Divina providentia præcipuè declaravit. Ergo *exire de facie Dei* est ab Ecclesia fidelium exsulare. Huic sententiæ accedit Helias orientalis, qui *exire* dicit ejus esse qui à loco clauso & communito exit. Dicitur ergo *à facie Dei exire Cain*, cum à loco Ecclesiæ Dei congregatæ, in quo Deus suis præsens adest, egreditur. In Ecclesia certè locus ille munitus est; contra quem omnes portæ inferorum nihil valent; extra illam verò nulla salus, nullum refugium & consolatio. Ad confirmandam istam sententiam pulchrè etiam facit vocabulum מלפני, si naturam ac vim ejus probè intelligas. Hoc *à facie*, sive *à conspectu*, exponunt. Habet enim duas literas serviles à fronte contrariæ significationis, nempe Mem, & Lamed. Mem elongationem sive motum à loco significat; quod Hebræi vocant מם מורה הריחוק, i. *Mem elongationis:* Lamed approximationem sive motum ad locum significat; quod appellant למ״ד מורה הקירוב, *Lamed approximationis.* Istæ ambæ literæ præserviunt voci פני *Pene*, quæ *faciem, conspectum*, seu *coram* significat. Hinc מלפני, si ad verbum interpreteris, sonat *ab ad faciem*, sive *ab ad coram:* Estque sensus, Cain à loco præsentiæ Divinæ egressum fuisse, hoc est, à loco Ecclesiæ congregatæ, &c. Similem vim habet vox מלפני & in aliis locis, ut Jonæ 1. 3, ויקם יונה לברח תרשישה מלפני יהוה, *Et surrexit Jona ut fugeret in Tharsis à conspectu Domini*, &c. hoc est, כמבורח שהוא לפני יהוה והוא מקום קיבל הנבואה i. *ut fugeret à loco qui erat coram Domino. atque is erat locus ubi acceperat prophetiam:* sic explicat R. D. K. in Radicibus.

וַיֵּשֶׁב בְּאֶרֶץ־נוֹד קִדְמַת־עֵדֶן *Et habitavit in terra Nod, versus Orientem Eden*] Duplex hîc lectio est. Quidam vocem נוד appellativè accipiunt, hoc sensu, *Et habitavit profugus in terra*, ut habet Latina vulgata editio, & Paraphrastes Chaldæus exempli Venetiani, ויתיב בארעא גלי ומטלטל i. *Et habitavit in terra vagus & mobilis.* Atque huic sententiæ accedit & Nehemanides; sic enim scribit in suo commentario, וטעם וישב בארץ נוד שלא הלך בכל העולם אבל בארץ ההיא ישב נודד ונע ולא יוכל בשום מקום כלל ולכן נקראת ארץ נוד על שם לעולם. *Sensus est*, Et habitavit in terra mobilis, *Non quod oberrarit in toto mundo, sed quod in ea ipsa terra jugiter ultro citroque migrarit, sic ut in nullo loco ejus terra quietem habuerit: à quo ipsa terra Nod perpetuum nomen sortita est.* Nec desunt, teste R. S. qui putant terram, quocunque locorum venerit, sub eo tremuisse; quo conspecto, homines dixere, *Fugite; is est crudelis ille homicida qui fratrem suum occidit.* Alii *Nod* pro nomine proprio loci exponunt, qui ab eventu, i. perfugio ipsius Cain, sic denominatus fuerit; Quæ lectio & mihi magis probatur; nam sequitur, קדמת עדן, i. *versus orientalem plagam Eden.* Et huic lectioni adstipulatur Thargum editionis Complutensis, ויתיב בארעא נוד לקדמות עדן i. *Et habitavit in terra Nod, ad Orientem Eden.* Quod vero primi parentes nostri, simul atque Cain, ad Orientem ejecti fuere, quod denique ערי מקלט i. *civitates refugii*, ad quas homicidæ confugiebant, ad Orientem sitæ erant, non caret mysterio: Typus enim fuit, Ab Oriente tandem, hoc est, à summo throno cœli, adventurum, qui homicidarum, i. peccatorum, unicum asylum ac refugium esse debebat; Qui est Jesus Christus Dominus noster benedictus in secula; De quo canit Zacharias in cantico suo, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus nos visitavit Oriens ex alto.*

17. וַיֵּדַע קַיִן אֶת־אִשְׁתּוֹ *Et cognovit Cain uxorem suam*] Jam sequitur posteritas Cain. Mos enim Scripturæ est primùm impios, dein electos prosequi. Et eleganter hîc Moses perstringit studia hominum mundanorum, rationemque vitæ quam cum suis Cain modo auspicatur. Primùm omnium enim dat operam liberis procreandis: hi mox artes excogitant huic seculo congruentes; civitates exstruunt, quo tutior sit illorum tyrannis ac violentia; inhiant rei augendæ; operam dant voluptatibus, quæ comitantur opes; Usum denique armorum adinveniunt, & ita se ad vim parant. Hæc sunt studia, artes, vitæque ratio filiorum hujus seculi.

וַתֵּלֶד אֶת־חֲנוֹךְ *Et peperit Hanoch*] חנך Hebræis *instruere, erudire*, & *imbuere* significat; Sic nimirum appellatus, quod paternis moribus egregiè fuerit imbutus ac instructus.

וַיְהִי בֹּנֶה עִיר *Et erat ædificans civitatem*] Dicunt Hebræi hoc modo loquendi difficultatem significari, quòd scilicet magno molimine ædificarit. Secùs enim pleraque cadunt quæ impii destinarunt. Interim tamen permittit Deus unum ac alterum illis succedere, quò infinitam suam misericordiam etiam erga impios declaret.

וַיִּקְרָא שֵׁם הָעִיר כְּשֵׁם בְּנוֹ חֲנוֹךְ *Et vocavit nomen istius civitatis ex nomine filii, Hanoch*] Vocat civitatem nomine filii sui ex naturali amore, quo in liberis etiamnum vivere videmur. Præterea, quia nomen ejus ex libro vitæ deletum erat, quem Scriptura *memoriale Dei* vocat, nomen in terris stabilire conatur.

18. וַיִּוָּלֵד לַחֲנוֹךְ אֶת־עִירָד *Porrò ipsi Hanoch natus est Irad*] Adserunt Hebræi, propter septimam generationem quâ punitus fuerit Cain recenseri hanc genealogiam. Verùm certius est ut dicamus, propterea fieri ut videamus quomodo filii hujus seculi primum emineant. Colligunt quoque Hebræi ex etymo istorum nominum *Mechujael* & *Methuscael*, ante diluvium illud generale, quod fuit tempore Noach, oceanum terram inundasse ob peccata & flagitia hominum, tertiamque ferè partem mundi abstulisse. Sed cum videret Deus istâ ratione se parùm vel nihil proficere, communi & universali cataclysmo totum genus humanum perdere statuit, dempto Noach cum suis. מחויאל *qui à Deo deletus est* significat, vox composita ex nomine אל *Deus* & verbo מחה, quod *pulverem* vel *sordes aquis abstergere* significat. Quod verbi & infra Scriptura c. 6. usurpat, ubi Deus dicit, אמחה את האדם, i. *Delebo hominem, quem creavi*. q. d. Immundus pulvis factus est homo, & nihil quàm sordes, ob enormia flagitia sua: videbo ergò quomodo istum pulverem aquis semel abstergam funditusque deleam.

19. וַיִּקַּח־לוֹ לֶמֶךְ שְׁתֵּי נָשִׁים *Et accepit sibi Lemech duas uxores*] *Lemech* sonat quasi מלך *Melech*, per methathesim literarum; i. *Rex*. Adserunt enim Hebræi Lemech fuisse præclarum virum; Quod hinc etiam liquet, quòd duxit duas uxores: hoc enim erat potentum, principum & regum; ut etiam postea in lege. Atqui Hebræi morem fuisse dicunt ætate ante diluvium duas habere uxores; Alteram procreandorum liberorum causâ, cum qua postquam gravida esset nihil amplius commercii habebat maritus; sed semota à viro & lugubriter vestita tanquam vidua sola habitabat. Eam ex duabus uxoribus Lemech Ada fuisse dicunt; cui id nominis à *sejungendo* & *separando* inditum esse volunt: alteram libidinis explendæ gratiâ. Hæc splendidè vestiebatur ornabaturque, &, nè conciperet gravidaque fieret, atque ita formam amitteret, poculo sterilitatis potabatur: cum illa semper agebat maritus. Hanc צלה Zilla fuisse ajunt: quæ ob assiduam viri cousuetudinem, quasi sub umbra illius sedens, ob umbratili vita nomen sortita est: nam צל Hebræis *umbram* significat.

20. הוּא הָיָה אֲבִי יֹשֵׁב אֹהֶל וּמִקְנֶה *Ipse fuit pater inhabitantis tabernaculum, & peculii*] *Pater* pro *authore*, *inventore* & *institutore* accipitur; quem Hebræi alias מתקן & ממציא vocant. Est autem sensus, Quòd invenerit rationem pascendi & alendi pecoris, transferendique pro opportunitate alio tabernacula, dum pascua uno loco depasta sunt. Hoc est, rei quærendæ studium habuit. Ante diluvium omnes opes erant in re pecuaria, ut postea apud Romanos in agricultura. Alii putant Scripturam hæc ideo indicare, ut videas quòd ex pessimo patre non omnino malus filius prognatus sit. Fit enim ut ex pessimis parentibus boni nascantur filii, & è contra ex optimis perditissimi; Quod Deus nimirum fieri permittit, ut videamus, quòd filii vel boni vel mali sint, non à carne & sanguine esse, sed à Deo. Tamen רוב על, ut Hebræus dicit, i. *plerumque fit*, ut ex bonis boni, ex malis mali nascantur.

21. אֲבִי כָּל־תֹּפֵשׂ כִּנּוֹר וְעוּגָב *Pater omnis contrectantis citharam & organum*] Jubal inventor musices est. Partis enim opibus, ad deliniendas aures animum transferimus.

22. תּוּבַל קַיִן לֹטֵשׁ כָּל־חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת וּבַרְזֶל *Thubal-Cain: qui expoliebat quodcunque artificium æris & ferri*] Patris nomen illi quoque pro parte imponitur, quòd nimirum patris ingenium bellè expresserit. תבל Hebræis, teste R. S. *condire, parare* & *disponere* significat. Hinc dictus est *Tubal Cain*, quòd id videlicet quod adhuc deerat paternæ ferocitati ac crudelitati adinvenerit, nempe usum armorum, expoliendo chalybem & ferrum, & fabricando arma bellica: hoc est, effecit ut essent instrumenta gerendi belli. Nam ex divitiis & otiosis voluptatibus æmulationes & odia inter homines nascuntur. Hujus soror est Naema, hoc est *pulchra*; quòd formæ studium & fœda libido martiales animos comitetur.

23. שְׁמַעַן קוֹלִי נְשֵׁי לֶמֶךְ *Audite vocem meam, uxores Lemech*] *Uxores Lemech*, Hebraismus est, pro *uxores meæ*. Solent enim Hebræi de se loqui in tertia persona.

כִּי אִישׁ הָרַגְתִּי לְפִצְעִי וְיֶלֶד לְחַבֻּרָתִי *Quoniam virum occidi in vulnus meum, & puerum in livorem meum*] Locus hic nonnihil obscurus & difficilis est: quare Hebræi varias in eum inferunt expositiones. Quidam uxores Lamech ab ejus commercio abstinuisse dicunt ob interfectum Cain, quem in silvis reptantem, & ob fratris cædem pœnitentem, à Lamech pro fera casu & ignoranter jaculo occisum plerique Judæorum credunt. Lamech ergò, ut uxores suas placet, sibique denuò jungat, exponit illis homicidium suum quatenus factum, non studio dataque opera, sed casu; non ergò magnum esse timendum periculum. Si enim Cain impio sceleratoque homicidæ sua pœna in multos annos suspensa fuerit, fore ut & sibi pœna in multò plures annos suspendatur. Alii uxores Lamech consuetudinem ejus devitasse arbitrantur, quod jam jam septima instaret generatio, ætas seu seculum, quo semen ac posteritatem ipsius Cain ob fratris necem prorsus delendam esse credebant; Quod ubi animadvertit Lamech, ad hunc modum sibi illas rursum adjungere ad augendam sobolem, sicque mitigare conatus est, Se videlicet nec virum nec adolescentem, ut Cain Abelem, interfecisse; non igitur esse cur sibi tantopere timeant? Quod si omnino patris nomine aliquid mali & supplicium ferre ipsum oporteat, tamen illud in multos adhuc annos prorogatum iri, cum ipsi Cain primo parricidæ sua pœna in septimam usque generationem protracta fuerit. Et hanc sententiam Onkelus secutus esse videtur; לא גברא קטלית דבדיליה אנא סבל חובין ואף לא עולימא חבלית דבדיליה [illegible] ארי שבעה דרין אתליאו לקין הלא ללמך בריה שבעין ושבעא, i. *Non occidi virum, ut propter eum ego portem peccata: Neque etiam adolescentem perdidi, ut propter eum consumatur semen meum. Si septem generationes suspensæ sunt Cain, nunquid Lamech filio ejus septuaginta & septem?* Alii *occidi*, verbum præteritum, ex more linguæ pro futuro positum esse contendunt, hoc sensu, *Sane interficerem hominem in vulnere meo, etiam adolescentem in livore meo*. h. e. Si à quoquam, etiam viro fortissimo, vel ab adolescente, qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem: valeo enim viribus. Non est igitur quòd mihi aut liberis vestris timeatis, ô vos uxores meæ. Videbat enim uxores suas tristes. Et quod sequitur, *Septuplum ultio sumetur de Cain; de Lemech vero septuagies septies*, ad hunc modum explicant, *Scitote*, inquam, *quod septuplum vindicabitur Cain; at Lemech septuagies septies*. i. Scitote quod gravissimè punietur à Domino ille qui Cain interfecerit; multo autem gravius, qui me. q. d. Si Deus affirmavit se gravissimè puniturum eum qui occiderit Cain, multò magis est eum puniturus qui me interfecerit, cùm neminem occiderim, sed nè vulneraverim quidem. Gerundensis sentit uxores Lemech sese ab illo separasse, quod primus invenisset instrumenta bellica, gladios, lanceas, &c. Unde timebant nè ob id puniretur, quod occasionem ad cædes & homicidia præbuisset; Quo metu ut eas liberaret, hoc pacto sese excusavit, Etsi armorum usum primus adinvenerit, minimè tamen ob id puniendum, cum neminem interfecerit, sicut Cain. Vide quam varient Hebræorum interpretes in exponendo hoc loco. Nostrorum certè Scriptorum lectio & expositio mihi omnium maximè probatur, qui tenent Lemech duplex homicidium designasse, quos autem occiderit Scripturam non exprimere. Istud jam uxorculis suis ultro confitetur, conscientiâ videlicet sibi male consciâ, & ad hoc ipsum adigente. Est enim ea incorruptus judex, quem nobiscum circumferimus, quocunque terrarum sumus: nec enim destituit nos, simus utcunque feroces, duri, præfracti, opulenti, voluptuosi; sed adest tandem, accusat, terret, damnat, & ad desperationem adigit. Quodque dicit, *Septuplum vindicabitur Cain, & Lemech septuagies septies*, certus numerus pro incerto ponitur, more Hebræorum. Sic Matth. 18. 22. *Non dico tibi, Usque septies; sed, Usque septuagies septies*. Magnitudinem vero peccati, nec non & pœnæ cui longè majori quàm tritavus suus Cain obnoxius factus sit, hoc sermone significare voluit, quod exemplo Cain sibi non caverit à cæde & homicidio. Posteriorum enim peccata semper graviora sunt. Atque hæc postrema lectio, quam nostri sequuntur, proximè accedit ad textum Hebraicum.

25. וַיֵּדַע אָדָם עוֹד אֶת־אִשְׁתּוֹ *Cognovit autem iterum uxorem suam*] Referunt Hebræi Adamum propter expulsionem è paradiso, & occisum filium Abelem, per aliquot annos in luctu fuisse, sic ut parum rei cum uxore habuerit: quod & verisimile est. Jam vero rursum, ut Scriptura dicit, cum uxore coit, non libidinis exercendæ sed procreando-

rum

rum liberorum causâ, qui in cultu Dei ipsis atque Abeli extincto succedant. De electis ergò jam agit; Qui sequuntur, velut posthabiti, etsi primi sint apud Dominum.

ויקרא את־שמו שת *Et vocavit nomen ejus Seth*] *Seth*, i. *fundamentum. Est enim justus fundamentum seculi*, ut inquit rex Salomo, Prov. 10. 25. Merentur pii & justi magnificos titulos in Scripturis, quòd magno in pretio sint apud Deum, idque propter Christum, quem referebant & adumbrabant; Cujus & Seth, sicut & Abel, typus fuit. Ipse enim, Christus inquam, fundamentum illud est de quo Apostolus scribit, 1Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere prater hoc quod positum est, quod est Jesus Christus*: & Esaias 28. 16. *Ecce ego pono pro fundamento in Zion lapidem probatum, angulum pretiosum, fundamentum solidum: qui credit non festinet*, &c. Patres filiis suis nomina imposuerunt, quibus admonerentur beneficiorum Dei, atque sic exercerent fidem suam. Hinc & Eva hunc filium *Seth* à *ponendo* nuncupat, quòd datus & positus esset ille à Domino loco Abelis; Per quem iterum admoneri debebat promissionis de semine mulieris serpentis caput contrituro; ad quod & pii semper respexerunt.

26. ויקרא את־שמו אנוש אז הוחל לקרא בשם יהוה *Et vocavit nomen ejus Enosch. Tunc cœptum est invocari nomen Domini.*] Duplex est hujus loci expositio etiam apud Hebræos. Quidam enim sic intelligunt; Quòd cultus Dei, qui per impiam Cain sobolem collapsus fuerat, per Seth & Enosch iterum fuerit restauratus. Nam Adam cum paucis suis Deum quidem colere nunquam intermisit; Sed jam profertur prædicatio verbi etiam ad alios, ut impii illud ad judicium audiant. Atque huic sententiæ adstipulatur paraphrasis Chaldaica editionis Complutensis; וקרא ית שמיה אנוש בכן שריו בני אנשא לצלאה בשמא די i. *Et vocavit nomen ejus Enosch. Tunc inceperunt filii hominum orare in nomine Domini.* Et quidam Hebræorum ipsum Seth nomen *Enosch*, quod *hominem* significat, filio suo indidisse putant, quòd ante illum natum homines tanquam bruta animantia, sine Deo, h. e. vero Dei cultu, in mundo vixerint; Nunc autem, cum cultus Dei, qui Abele interfecto nonnihil conciderat, operâ Seth & Enosch rursum in publicum usum redit, mereri homines appellationem *Enosch*. Alii sic explicant; Quod nato Enosch verus Dei cultus ac pietas inter homines laborare cœperit, impiâ Cain stirpe omnia cæde & rapinis replente; Indè Seth, propter afflictum, calamitosum & exulceratum illud seculum, filium suum אנוש *Enosch*, quod non simpliciter *hominem*, sed *miserum*, *afflictum*, *damnatum*, *&* *calamitosum* significat, nuncupasse. Et qui hanc sententiam amplectuntur, verbum הוחל per *profanatum est* exponunt, *Tunc cœpit cultus Dei profanari & prostitui*; eò videlicet quòd sacrum Dei nomen ad homines & idola quæ colerent transtulerunt. Quam sententiam habet paraphrasis Chaldaica exempli Venetiani, בכן ביומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא די i. *Tunc in diebus ejus cœperunt*, sive *profanati sunt*, *homines*, *ut non amplius invocarent nomen Domini.* Item post illum Kimhi in Radicibus, ubi præsentem locum sic tractat, כי בימי אנוש טעו אחר עבודה זרה וקריאה בשם יי אז הוחלה ויש מפרשין אז ענין התחלה מדרש כי אז החלו בני אדם לקרא שמות הגלולים והעצבים בשם יהוה i. *Eo quod in diebus Enosch erraverunt post idololatriam, & invocatio nominis Dei tunc profanata fuit. Sunt item qui verbum* הוחל *per* incipere *exponunt, hoc modo, Tunc inceperunt homines vocare nomina simulacrorum & idolorum nomine Dei.* Hactenus Kimhi. Vides jam diversam hujus loci interpretationem natam esse ex verbo הוחל, quod æquivocum est ad *incipere*, *profanare* seu *violare*.

I D E M.

7. הלוא אם תיטיב שאת ואם לא תיטיב לפתח חטאת רבץ ואליך תשוקתו ואתה תמשל בו, *Nonne si bene egeris, erit sublevatio, & si non bene egeris, ad fores peccatum cubat? & ad te appetitus illius, & tu dominaberis ei.*] Locus iste variè & legitur & exponitur cum à nostris tum Hebræorum Interpretibus ac Commentatoribus &c. Vide supra. Lxx. interpretes, quia omnino alienam à veritate Hebraica lectionem habent, placet hoc referre quomodo D. Chrysostomus eam explicet. QUARE TRISTIS FACTUS ES? QUARE CONCIDIT VULTUS TUUS? *quia & in facie mœroris magnitudinem ostendis: quare itate invasit? quare non à te ipso quod oportebat fieri, considerasti? Num homini sacrificium obtulisti, qui falli possis? Ignoras quod mihi non est opus ut aliquid offeratur, sed sanam offerentium mentem volo?* QUARE CONCIDIT VULTUS TUUS? NONNE SI RECTE OBTULISTI, NON AUTEM RECTE DIVIDAS? *Hoc quidem quod in animum accepisti esse offerendum laude dignum est; quod vero non recte dividis, oblati repudiationem operatum est. Oportet enim offerentem Deo, in discernendo magnam adhibere diligentiam. Et quantum differunt qui offert & qui accipit, tanta & in discretione diversitas facienda est: at horum nihil tu cogitasti, sed ut fortuito contigit obtulisti, atque idcirco non potuerunt esse accepta. Nam sicut intentio tua cum qua oblationem fecisti, nihil distare existimans, rejectanea fecit quæ à te sunt oblata, sic fratris tui animus qui rectus fuit, dignumque in discernendo studium habuit, accepta ejus dona fecit. Veruntamen neque sic pœnam delicti repeto, sed ostendo duntaxat delictum, & consilium adfero; quod si accipere volueris, & peccatum emendabis, & te ipsum gravioribus malis non involves. Quomodo peccasti & graviter peccasti? sed non punio propter delictum, misericors enim sum, &* NOLO MORTEM PECCATORIS, SED UT CONVERTATUR ET VIVAT. *Igitur quia peccasti, quiesce, tranquillitatem fac tuarum cogitationum, & libera mentem à procellis fluctuum inundantium. Cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato gravius aliud, ne consilium accipias, ut medicina posthac nihil prosit, ne teipsum maligno dæmoni captivum tradas.* PECCASTI, QUIESCE. *Sciebat ab initio quod fratrem hic adoriturus esset, & ideo antea verbis reprimit. Deus enim, cui etiam arcana sunt cognita, quia sciebat cordis ejus motus, multum admonendo, & verba ejus infirmitati accommoda proferendo, congruam ei narrationem protulit, sua omnia faciens, tametsi ille repulso medicamento in fratricidii profundum se præcipitarit.* PECCASTI, QUIESCE. *Ne putes, inquit, licet tuum aversatus sim sacrificium ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideo primatu te destituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam licet honore ego illum prosecutus fuerim, acceptaque fuerint ejus dona; veruntamen* AD TE CONVERSIO EJUS, ET TU IPSIUS DOMINABERIS. *Atque post peccatum hoc permitto ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate & dominio esse jubeo.* Hactenus D. Chrysost. Variatur quoque in illo לפתח חטאת רבץ, *ad ostium peccatum cubat.* Et circa illa, ואליך תשוקתו ואתה תמשל בו *Et ad te appetitus ejus, & tu dominaberis illi*, &c. Vide supra.

8. ויאמר קין אל הבל אחיו, *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum.*] Septuaginta & Lat. Vulg. editio in hoc discrepant à veritate Hebraica & Chaldaica quòd plus habent, nempe illud, *Egrediamur in agrum*, seu *foras*; quod non exstat in Hebræo & Chaldæo, & adjectum ab illis videtur ad absolvendam sententiam, quæ alias concisa & imperfecta esse videtur, cùm non exprimatur quid Cain locutus fuerit cum fratre suo; unde nonnulli sic explicant, quòd Cain Abeli narraverit omnia quæ dixerat ad eum Deus, ut se resipuisse significaret. Alii putant quod duris verbis eum lacessiverit, ut insurgendi contra eum atque occidendi occasionem haberet. Alii sentiunt, quod amica verba dixerit ad fratrem, quibus parricidalem animum contexerit; ut sibi minùs caveret Abel, atque ita incautus opprimeretur. Thargum Hierosl. consentit cum Lat. Vulg. editione; sic enim habet, ואמר קין להבל אחוי איתא ונפוק לאפי ברא, *Et dixit Cain ad Hebel fratrem suum, Veni, egrediamur foras*, sive *in agrum* &c. Quod propterea huc adfero nè quis temere & imprudenter Vulg. edit. Latinam rideat, exsibilet, explodat atque planè condemnet, sicubi illam à veritate Hebraica forte dissentire invenerit. Hoc enim fere deprehendo, quod ubi ea veritatem Hebraicam non sequitur, aut Lxx. aut Thargum Onkeli, vel Jonathæ, aut Hierosolymitanum, aut aliquem ex Commentatoribus Hebræorum sequitur. Adeo ut ejus translationis autor, quisquis fuerit, non temere ex suo capite finxerit, si qua in re à textu Hebraico discrepare videtur.

15. לכן כל הרג קין שבעתים יקם, *Imo quicunque occiderit Cain, septuplum vindicabitur.*] Variatio est in voce לכן, quam Græci & Latinus interpres negativè reddiderunt, pro, *non sic*, & *nequaquam*, perinde ac si duæ dictiones essent, לא כן, *non sic*, vel composita ex corrupto & integro, לכן, pro לא כן: sed secundum Hebræos composita dictio est ex Lamed litera servili, & כן, q. d. *propter sic*, & exponunt per *ideo*, *propterea*, ut idem valeat quod בעבור זה *propter hoc.* Dein variatur in vocabulo שבעתים, quod Lxx. & Lat. Vulg. editio per *septuplum* vertunt, hoc sensu, *Quicunque occiderit Cain, septuplum punietur*, i. gravissimas dabit pœnas: accipitur enim numerus certus pro incerto, q. d. septies graviorem pœnam luet quam si aliquem

alium

alium interficeret. Ad quem modum & R. D. Kimhi in libro Radicum exponit; נקמות רבות יקח ממי שיהרגהו, *vindictas multas sumet*, scilicet Deus, *ab eo qui Cain occiderit.* Secus vero intelligunt veteres Hebræi, qui שבעתים pro *septima generatione* exponunt, ut sit sensus, Septima demum generatione ad ultionem vocabitur Cain. Septima enim generatione plerique Hebræorum Cain à Lamech jaculo occisum esse affirmant. Et huic sententiæ adstipulari volunt Onkelum sua paraphrasi. Quod si שבעתים adverbialiter accipias, pro *septuplum*, vel *septuplicitter*, gravitas pœnæ homicidio debitæ exprimitur. Si vero pro, *septimus generatione*, ætate & seculo, longanimitas Dei erga parricidam ostenditur. Mihi prima lectio & expositio magis probatur.

26. ויקרא את שמו אנוש אז הוחל לקרא בשם יהוה *Et vocavit nomen ejus Enosch: tunc cæptum est ad invocandum in nomine Domini.*] Græca & Lat. Vulg. editio dissentiunt à veritate Hebraica in vocula אז, quam pro demonstrativo pronomine masc. generis, *hic*, *iste*, reddiderunt; cum ea Hebræis potiùs sit adverbium temporis, idem valens quod אז ההוא *illo tempore*, *tunc*. Præterea verbum Hebraicum הוחל passivum est, non activum, *cæptum est*, non *cæpit*, significans, ut sit vera juxta Hebraicam veritatem lectio, *Tunc cæptum est invocari nomen Domini*, quomodo & Capnio (piæ memoriæ, primus in Germania S. linguæ instaurator) hunc locum in Rudimentis suis emendavit, circa radicem חלל. Expositionem hujus loci supra habes.

VATABLUS.

1. COgnovit ידע] Rem alioqui turpem honesto exprimit vocabulo Lingua sancta. ¶ *Quæ concepit & peperit Cain: tunc dixit* ותהר ותלד את קין ותאמר] Ad verbum, *& concepit, & peperit Cain: & dixit.* ¶ *Acquisivi*, &c. קניתי וגו׳] *Possedi*, i. nacta sum, *hominem cum Jehovah*, h. e. favente Domino, sive Dei dono & munere.

2. *Rursumque peperit* ותסף ללדת] Ad verbum, *Et addidit ut pareret*; Hebraismus. ¶ *Fuit agricola*, היה עבד אדמה] *Erat agricola.* Ad verbum, *fuit colens terram.*

3. *In fine dierum*, מקץ ימים] Hebraismus, *Post aliquot annos. Dies* pro *annis* hoc loco ponuntur, ex sententia Hebræorum. Legitur, *à fine dierum:* sed מ pro ב positum esse dicunt Hebræi. ¶ *Ut adduceret* ויבא] *ut offerret.* Sæpius *Adducere* pro *offerre* in Sacris literis reperias.

4. *Pecudum suarum*] צאנו *Gregis sui.* ¶ *Et de adipe earum.* ומחלבהן] *& de pinguedine ejus.* Sub. *gregis.* Vel *earum ovium.* Quædam exemplaria habent ומחלביהן *& de pinguedinibus*, q. d. Etiam pinguissimas oves obtulit. Quidam volunt hanc particulam versus positam esse vice adjectivi, *Adduxit*, sive *obtulit*, *de primogenitis ovium suarum, iisque pinguissimis.* ¶ *Respexit autem*, &c. וישע וגו׳] Hebraismus, *Fuit Abel gratus Domino, & oblatio ejus.*

5. *Et iratus est* ויחר] *Unde exarsit ira.* Vel *excanduit.* ¶ *Concidit que vultus ejus.* ויפלו פניו] Ad verbum, *& conciderunt facies ejus.* i. pudore suffusus est. Vel cœpit esse vultu demisso, more tristium hominum. Describit habitum ac gestum hominis mœsti, ac tristitiâ magnâ affecti.

6. *Succensa est ira tibi?* חרה לך] Excanduisti?

7. *Erit acceptatio?* שאת] Sub. *coram Deo.* Infinitivum est, vel nomen à נשא, quod *tollere*, *attollere*, *elevare*, *ferre*, sive *portare* significat, *parcere* item sive *remittere*; præterea *suscipere*, *accipere*, aut *acceptare.* Hinc illa interpretationum varietas. Vero proprior est illa quam posuimus versio, quæ & Theodotionis est. Acceptio, sive acceptatio opponitur rejectioni. Præterea de sacrificiis loquitur, quod illa Deus suscipiat ubi ritè oblata sunt. Dicit igitur, Nonne si pura & legitima fuit tua oblatio, suscipietur à Deo, tanquam grata & boni odoris? Doctus inter Hebræos vertit, *erit remissio*, aut *venia?* q. d. Si studueris rectè agere, & emendare opera tua mala, remittet tibi peccatum tuum Deus: tumque gratas habebit oblationes tuas, ut gratas habuit fratris oblationes. Alii, *elevatio erit. i. Elevabis*, sive *attolles*, sub. *vultum tuum*, & non incedes vultu demisso more hominum tristium. Alii, *exaltatio erit?* Vel *gloria.* q. d. Non est cur fraterno honori invideas: quia si te rectè gesseris, in eundem honoris gradum te quoque evehet Deus, qui nunc tuis peccatis offensus ignominiæ damnavit. ¶ *In foribus peccatum cubat?* לפתח חטאת רבץ] Valde emphatica oratio: quia Deus non modò refellit injustam querimoniam, sed ostendit nihil fore ipsi Cain magis adversum, quam proprium peccatum quod intus alit. Acsi diceret, Nihil tua obstinatione proficis: nam ut te non persequar, peccatum tuum nihil relaxationis dabit quin te acriter exagitet, persequatur, urgeat; neque patietur elabi quantumcunque dissimules peccatum. Cum ad exitum venies, illic peccatum occurret, suas excubias agent, tunc deprehendetur conscientia quæ se priùs solutam putabat, & duplices moræ pœnas solvet. Hebræi dicunt *peccatum* significare *pœnam peccati.* q. d. Quod si non benefeceris, si non corrigas vitam tuam, pœna debita peccato cubat, jacet præstoque est, & cupit tibi adhærere. Certitudinem supplicii indicat. ¶ *Et ad te erit appetitus*, &c. ואליך תשוקתו וגו׳] Omnes ferè referunt hæc ad peccatum; ut sit velut admonitio ad cohibendas pravas libidines quæ hominis animum solicitant ac impellunt; hoc sensu, Si peccatum insurgit ut te subjiciat, cur indulges, ac non magis laboras in eo cohibendo ac frænando? tuum est domare quos sentis Deo immorigeros & rebelles esse in carne tua affectus. Alii volunt de Abele hoc dictum esse; tanquam Deus objurget, arguatque ipsum Cain invidiæ quam conceperat adversus fratrem. Acsi dicat, Nulla tibi est causa invidiæ adversus fratrem, quod illius sacrificia sint mihi acceptiora quam tua: cum te justior sit, & jure primogenituræ semper remaneat tibi jus & imperium in ipsum: ipse permanebit in potestate tua, & tu tanquam primogenitus illi dominaberis. Locutio Hebræis frequens, *desiderium*, sive *appetitum*, *alicujus ad alterum esse*, pro *alterius arbitrio subjectum esse.* Vide idem genus dicendi & cap. 3. 16.

8. *Et dixit Cain*, &c. ויאמר קין וגו׳] Quidam subintelligunt has dictiones, *Egrediamur in agrum.* Alii *Dixit* interpretantur *Narravit.* Nempe quæ dixerat ei Deus. Alii *Et locutus est Cain cum Hebel fratre suo.* Ut scilicet occasionem haberet invadendi eum. Defectiva certè oratio est, & aliquid subaudiendum: quid tamen revera sit illud, incertum est.

9. *Qui respondit*, ויאמר] Ad verbum, *Et dixit.*

11. *De terra* מן האדמה] i. Ex parte ipsius terræ, sive respectu ipsius terræ. h. e. Terra quam coles erit maledicta, quæ jam maledicta est propter peccatum primi parentis, cui dictum fuit, *Maledicta terra propter te*, cap. 3. 17. Iterum propter te maledicetur. Quid autem sit terram maledici, exponit cum dicit, *Quando coles terram*, &c.

12. *Non dabit*, &c. לא תסף וגו׳] Ad verbum, *Non addet dare vim suam.* i. Facultates suas, fructus ac proventus suos.

13. *Quam ut remittat.* מנשא] Infinit. Heb. *quam ut parcat.* sub. *Deus mihi.* Alii vertunt, *Major est pœna iniquitatis meæ quam ut feram.* i. Quam ut eam ferre possim.

14. *Ejecisti* גרשת] Præt. Heb. pro præs. *Ejicis. Expellis.* ¶ *Et à facie tua abscondar*, ומפניך אסתר] i. Non apparebo posthac in conspectu tuo offerens aliquid: oportebit enim me abscondere.

15. *Propterea quisquis* לכן כל] *In veritate* [certè] *quisquis.* ¶ *Septuplum vindicabitur.* שבעתים יקם] i. multas ultiones capiet de eo qui illum occiderit. Vel gravissima vindicta sumetur de eo. Alii, *Septuplum punietur.* i. Pœna septupla. Numerus certus pro incerto. q. d. *Dabit gravissimas pœnas.*

16. *Nod* נוד] Quidam putaverunt esse nomen appellativum, & verterunt, *In terra perfugii.* i. In terra in qua erat perfugium ipsis profugis.

17. *Ædificavitque* ויהי בנה] Sub. *Cain.*

20. *Pater inhabitantium*, &c. אבי ישב וגו׳] Sing. Heb. pro plur. Hebraismus, *Hic primus habitavit in tabernaculis ut pasceret gregem suum*: h. e. Primus adinvenit artem pastoritiam. Solent enim pastores ambulatoriis tabernaculis uti.

21. *Pater omnium*, &c. אבי כל וגו׳] Ad verbum, *pater omnis apprehendentis* (*tractantis.* i. pulsantis) *citharam & organum.* q. d. Fuit author musices. Sing. Heb. pro plur.

22. *Acuentem*, &c. לטש וגו׳] *expolientem, omne opus æris & ferri.* i. Quod fit ex ære & ferro. q. d. Is fuit author artis fabrilis. Hebraismus.

23. *Lemech*, למך] i. *mea.* Hebræi solent loqui de se in tertia persona. Antecedens pro relativo. ¶ *Occidero in vulnere meo*, &c. הרגתי לפצעי וגו׳] Præt. Heb. pro fuit. Et indefinitè acceptum. Sanguinarii homines ut aliis sunt terrori, ita passim omnibus sunt exosi. Propterea terrebat uxores Lemech mariti violentia, toti humano generi intolerabilis; ne facta conspiratione, omnes eum opprimerent; & de hac re admonuerunt maritum: qui tantum abfuit ut blanditiis uxorum mitigaretur sævus & ferox, ut potiùs se magis ad crudelitatem acueret ac confirmaret, adeo ut uxoribus patefecerit crudelitatem suam, jactando sibi satis animi esse, roboris & violentiæ ad fortissimum

quem

quemque hostem occidendum, siqui ipsum aggredi auderent. Ac si dicat, Si à quoquam, etiam viro fortissimo, vel ab adolescente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem. Non est igitur quòd mihi, vobis, aut liberis vestris timeatis. Videbat enim uxores suas tristes. Quidam vertunt, *occidere in vulnus meum, & puerum in livorem meum:* hoc sensu, Ego in caput meum securè recipio si quid est periculi. Meo periculo accidat quicquid poterit: quia mihi in promptu est ratio qua evadam.

24. *Quod septuplum,* &c. כי שבעתים וגו׳ Sub. *Scitote inquam.* Deus voluerit Cain horribile aliis fugiendi homicidii esse exemplum: in hunc finem eum fœdo stigmate notaverat. Ne quis tamen ejus scelus imitaretur, septuplo gravius puniendum esse dixerat quisquis eum occideret. Hanc Dei sententiam impiè pervertens Lamech, illius severitati illudit: nam inde arripit majorem peccandi licentiam, acsi Deus homicidas singulari aliquo privilegio donasset: non quod serio ita sentiat: sed quia vacuus omni pietatis sensu impunitatem sibi promittit, ac interea per jocum obtendit Dei nomen. ¶ *Septuagies septies:* שבעים ושבעה] Sicut numerus septenarius in Scriptura multitudinem designat, ita septuplicatio pro ingenti incremento capitur. Sic Matth. 18. 22. *Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.*

26. *Cœptum est invocari* הוחל לקרא] i. Cœperunt homines invocare Dominum, h. e. Cœpit restitui verus Dei cultus, qui propter impietatis diluvium ferè interierat. *Invocandi* enim verbum generaliter complectitur totum Dei cultum; qui cultus aptè sic denominatur à præcipua sui parte. Doctus inter Hebræos exponit, *Tunc inquinatum, sive profanatum est, nomen Domini:* quia (inquit) in diebus Enos erraverant post idola, & invocatio nominis Domini polluta erat.

CASTALIO.

5. SUblaberetur] Macresceret, scilicet præ invidia.

7. *Certè si rectè facies, litabis*] Hebraicè, *Si rectè facies, elatio*; scilicet erit, i. impetratio. Quem Hebraismum Galli exprimunt, cum dicunt *exaltari* pro *litare*, i. sacrificando aut supplicando impetrare, *être exaucé*. Est autem hæc sententia; Certè (hoc enim significat הלוא, nec semper est interrogantis) si rectè facies, sicuti frater tuus, ego te, sicut eum, respiciam. Sin minùs, noxa, & peccati pœna, & ipsum adeò peccatum tibi, tanquam foribus accubans, imminet; quod peccatum à tuo pendebit imperio. Nam rectè faciendo id superabis, ut tuus frater, qui ab eo non læditur: pravè autem faciendo, superaberis. Quare si vis fraternæ socius esse felicitatis, esto & virtutis. Ut enim qui peccat servus est peccati: ita qui rectè vivit, peccati dominus est. Hujusmodi locutio est Num. 32. *Nisi ita feceritis, scitote vos in Jovam peccare, futurumque ut vestrum peccatum vos inveniat:* i. ut pœnas detis. Esse autem masculini generis חטאת, patet ex adjectivo רבץ, nè quis fortè neget cum relativo posse convenire.

10. *Sanguis ipse*] Ad pœnam moveor quadam quasi sanguinis querela. Vide Hab. 2. 12. Ezech. 24. 9.

19. *Qui primus tabernacula habitavit*] Principio pastores tabernacula habitabant, & subinde locum mutabant, ex quo *Scenitæ* dicebantur, ut est apud Plinium. Hujus ergo rei autorem hunc tradit Moses.

23. *Si quem ego hominem plagis*] Moses in recensendis Caini posteris insignia eorum facta aut dicta obiter annotat. Igitur Lamechi nobile documentum narrat hoc: Homicidium ita nefarium habetur Deo, ut statuerit, si quis etiam Cainum hominem fratricidam occiderit, eum tanto esse supplicio dignum, ut si septies mori possit, septies sit interficiendus. Quid ergo æquum est fieri in cæde hominis non homicidæ? Si ego hominem plagis, si quem mortalem vulneribus interficerem (geminata sententia est, ut in sententiosis dictis fieri solet) id est, si quis hominem aliquem interficeret (utitur enim prima persona pro quavis, ut Paulus, ubi ait, *Si linguis hominum loquerer, & Angelorum,* &c.) Cum Cainum, hominem nefarium, occidere tam detestabile sit, ut septuplione sanciatur, profectò (sic enim literam Vau interpretor, quæ sæpe est concludentis, ut Ezech. 33.) in Lamecho, i. in eo qui hominem quempiam non homicidam occideret, pœna esset multo gravior. Quod autem verto, *Si interficerem,* cum sit in Hebræo præteritum, sciendum est, Hebræos præterito uti pro conjunctivo, ut & alibi fit, & Job. 3. & Psal. 44. & Jud. 8. & Jer. 37. Item quod verto *mortalem,* in Hebræo est ילד, à nascendo denominatum: quod quanquam ferè *juvenem* significat, tamen hîc non ætatis habetur ratio, sed nascendi conditionis. Quemadmodum cap. 16. dicuntur *omnes* ילד *domus* Abrahami circumcisi, id est, omnes vernaculi, cujuscunque essent ætatis. & Num. 13. 29. ילדי הענק, i. *Enaquini:* ut sit idem quod בני הענק, ut paulò post dicuntur. Et Esa. 2. 6. ילדי נכרים, i. *extranei.* Nec absurdum est, *omnes natos* dicere pro *omnes mortales,* hic, ubi cum eadem sententia diversis verbis iteraretur, cum verbum significantius in priore parte esset occupatum, in posteriore satis fuit aliquod poni quod esset cognatum: id quod fit in Psalmis frequenter. Apud Esdram quoque lib. 4. cap. 4. sic legitur. *Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his?* i. Quis mortalium? Id quod ex Hebræo videtur esse translatum.

CLARIUS.

1. CAin] Primum filium vocavit mater *Cain,* quod est *possessio,* vel *acquisitio*; secundum, *Abel,* quod est *vanitas*; quia possessio hominis est similis vanitati. ¶ *Possedi hominem per Deum*] Vel, *acquisivi virum à Deo.* Sed quia Hebræa dictio, quæ etiam significat *ab,* vel *per,* est frequenter articulus accusativi casus, potest etiam verti, *Possedi hominem Deum,* hoc est, qui sit Deus & homo. Nam & Cabalistica traditio meminit promissionis de Messia primis parentibus factæ.

7. *Nonne, si bene egeris, recipies?*] Verbum Hebræum significat *levare, tollere,* atque *remittere peccatum.* Quidam igitur sic intelligunt, Si bene egeris, remittetur tibi peccatum tuum. Alii sic, si bene egeris, erit sublevatio vultuum tuorum, qui conciderunt. Vel sic, si bene egeris, acceptior erit oblatio tua quam fratris tui. Tu enim es primogenitus. Quod si non bene egeris, ad januam domus tuæ peccatum tuum cubabit, ut in nullo itinere non sis offensurus; siquidem peccatum, seu potiùs suggestio & proclivitas peccati, appetet tibi jugiter adhærere; sed tu dominaberis illius, si volueris, & bonas feceris vias tuas. Targum Jonathæ sic exponit, *In manum tuam tradidi arbitrium fomitis, & tu dominus illius eris.*

8. *Egrediamur foras*] Hæc verba non sunt in Hebræo, sed videntur subintelligenda. D. Hieronymus censet intelligendum per id quod ait, *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum,* ipsum Cain recitasse Abel fratri ea quibus Deus illum redarguerat, & postea eductum in agrum percussisse pugnis aut lapidibus, cum nondum esset usus armorum.

15. *Septuplum punietur*] Hoc est, multipliciter. Alii ad septem generationes retulerunt. De hoc, & de eo quod infra sequitur, *de Lamech septuagies septies,* latiùs scribit Hieronymus in Epistola ad Damasum. ¶ *Posuit Dominus in Cain signum*] Quale id fuerit signum, ignoratur.

16. *Habitavit profugus*] Vel *vagus & mobilis.* Alii nomen loci accipiunt, sic, *habitavit in terra Nod ab oriente Eden.*

20. *Qui fuit Pater*] *Patrem* Hebræi appellant rei alicujus authorem. Fuit Lamech vir in omni arte prudentissimus; quippe qui primogenitum docuit rem pecuariam, juxta naturas jumentorum & pecorum; secundum vero docuit usum & modulationem instrumentorum musicorum; & tertium instituit ut disceret artem fabrilem, & faceret gladios, lanceas, & alia instrumenta bellica. Quapropter uxores illius timentes nè puniretur, qui occasionem ad homicidia præbuerat, imitatus in hoc malam artem tritavi sui, cum scilicet esset fili[illegible] homicidæ in sexta generatione, respondit illis, *Ego non occidi virum in vulnus meum, neque adolescentem in livorem meum, sicut fecit Cain,* &c.

26. *Iste cœpit invocare nomen Domini*] In Hebræo est, *Tunc cœptum est invocari nomen Domini.* Significat autem ejus temporibus instauratum esse cultum Dei. *Enos* hominem significat, deductumque est à verbo *debilitare,* sive *debilem & infirmum esse.* ut illud; *Quid est homo,* sive *Enos: quod memor es ejus?* q. d. Nihil, vel, res nullius momenti.

LUCAS BRUGEN.

4. DIxitque Cain ad Abel fratrem suum, Egrediamur forás.] Quod in Latinis codd. legitur, *Egrediamur forás,* in Hebræis & Chaldæis non reperitur. In Græcis habetur διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, *transeamus in campum.* Hieronymi in Hebr. Quæst. hæc notatio est; *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, subauditur, ea quæ locutus est Dominus. Superfluum ergo est quod in Samaritanorum & nostro volumine reperitur, Transeamus in campum.* Hâc ut videtur Hieronymi notatione motus Rabanus prædicta verba omisit: & F. Magdalius Gaudensis, cujus exstat Bibliæ correctorium anno 1508.

1508. Coloniæ excusum scripsit. *EGREDIAMUR FORAS non est de textu, nec habetur in Hebraico.*

DRUSIUS.

1. QUæsitum sæpius à me fuit an verum sit id quod multi opinantur, Hevam cum Cain pareret existimasse se Messiam peperisse qui contriturus esset caput serpentis. Nam dicit *Acquisivi virum Dominum.* Respondi Hevam hoc non dicere, sed *acquisivi virum cum Domino.* Nam si hoc voluisset, dixisset את איש את יהוה τ̃ ἄνδρα τ̃ κύριον, nunc cum dicat איש את יהוה vertendum sine ulla omnino dubitatione, *virum cum Domino.* Virum, i. marem, ut Gen. 7. 2. *Virum & fœminam ejus:* Quod reddunt, *marem & fœminam ejus.* Nam gaudebant de sexu virili magis quam de muliebri. Hoc notum in vulgus. Jam verò quàm insulsum est dicere illam hoc existimasse, cum Messias promittatur futurus semen mulieris tantum: Cain autem fuerit etiam semen viri. An hoc illo ævo ignoravit mulier? Magis mirum doctis illa in mentem venisse cum talia scriberent. Sed profectò ita est, *nonnunquam bonus dormitat Homerus.* Nemo horis omnibus sapit. Ætas ætatem docet & vir virum. Alii me, & ego fortasse nunc illos. Quid invidemus? Laicus cum scriptura loquens contra totam Synodum audiendus est. *Cum Domino*, i. Domini ope & auxilio, quod etiam dicunt, *cum Deo*, & Græci σὺν τῷ θεῷ. *Cum Deo*, i. עם אלהים legitur 1 Sam. 14. 45. i. Deo duce & auspice, vel Deo juvante & opitulante. Verba sunt, *cum Deo fecit Jonathan.* Repetitio autem particulæ את obvia in eodem capite, vers. 2. את אחיו את הבל τ̃ ἀδελφὸν αὐτῷ τ̃ Ἄβελ. Similiter Zach. 11. 10. את מקלי את נעם τὴν ῥάβδον μου τὸ κάλλος, *baculum meum decorem*, qui decor vocatur. i. נעם, quod potius jocunditatem & amœnitatem denotat. Igitur *cum Domino*, h.e. *Domino* veluti duce præeunte, pro quo Joh. 3. 21. ἐν θεῷ. Abenmelech, *Feci ut existeret in mundo vir qui non fuit creatus sicut unus è nobis, & acquisivi eum cum Domino. Nam ipse posuit in eo partem suam inspirando animam in ipsum.* Minus se probat mihi quod in Gerundensi, *acquisivi virum Domino* id est ליהוה, ut sit את pro Lamed. Cui firmando quod autores Hebræi observant tres concurrere ad creationem hominis, Patrem, Matrem, & Deum. Nam Deus animam infundit, quæ potior & honoratior hominis pars est: qua sine homo esse non potest. Nam homo est non id quod videmus, sed anima quæ in eo. Latini autores animum appellant. R. Juda compositor libri Musar, cap. 5. *Tres concurrunt ad creationem hominis, Deus laudandus, pater ejus & mater ejus. Pater seminat album, unde ossa & nervi & ungues & medulla quæ in capite, & albumen oculi: mater seminat rufum, unde caro & sanguis & pellis & nigrum quod in oculo: Deus autem benedictus ponit in eo virtutem spiritus & animam & aspectum faciei & visum oculorum & auditum aurium & sermonem labiorum & incessum pedum & intelligentiam & scientiam & intellectum. Quum venit tempus ejus ut dissolvatur & moriatur homo, Deus aufert partem suam, & relinquitur pars parentum projecta coram eis. Sanè ob hanc concurrentiam sive communicationem dicit Heva cum peperisset Cainum, Acquisivi virum cum Domino: את in hoc loco valet* עם *cum, ut apud Salomonem in libro Proverbiorum. Qui ambulat* את חכמים *cum sapientibus, fit sapiens.* Hucusque Rabbinus ille, quem adduxi firmandæ sententiæ meæ de hoc loco, quam vulgavi ante multos annos, priusquam liber ille c[illegible] Abenmelechi, Michlal Jophi, ad manus meas pervenisset. Post usus eo sum ex dono clarissimi & doctissimi viri Joh. Buxtorfii Professoris Basileensis, optimè de his literis & de me meriti. Quæ sequuntur descripta sunt ex libro periculorum, quem olim scripsi in mediis periculis, cum me theologi non theologi miris modis vexarent & in summum periculum adducerent non solùm famæ, sed etiam vitæ. Scitum illud Diomedis, *industria parit virtutem, virtus gloriam, gloria inimicitias, inimicitia pericula.* Gen. 4. 1. קניתי איש את יהוה. Verba illa את יהוה variè multisque modis exponuntur. Græca editio διὰ τ̃ θεῦ. Sic etiam Latina nostra vulgata *per Deum.* Quanquam in quibusdam libris *per Dominum* legitur. Quæ lectio magis respondet textui Ebræo. Puto tamen germanam esse priorem. Solitum enim interpreti nostro post Græcos nomina ista hoc modo confundere. Doctè Ambrosius ad hunc locum, *Quæ acquirimus, ex quo & à quo & per quid acquiramus considerari solet. Ex quo tanquam ex materia: à quo, quis autor: per quid, tanquam per aliquod instrumentum. Nunquid hic sic dicit, acquisivi hominem per Deum, ut Deum intelligas instrumentum? Non utique, sed ut intelligas autorem & operatorem Deum. Unde magis Deo detulit, cum dixit, acquisivi hominem per Deum, ut & nos cum aliquid acquirimus, vel omnes eventus secundos Deo magis deferre quam nobis arrogare debeamus.* Quibus addo *acquirere* hic idem esse quod parere. Sic pater acquirit quem gignit. Thargum Onkeli, *à Domino*: quomodo Tremellius & Gallica editio postrema. את pro מן notant Grammatici. Exempla alia producunt, de quibus alias. Ego dixerim defectum esse ex pleno מאת. Ut ut sit, causa est cur existimem meliùs legi, *cum Domino.* Sic legunt ex Ebræis R. Salomo & Manahen Ricinensis. Notum ut את pro עם ponatur. Quod exemplis probare, est candelam accendere in meridie. *Cum Domino*, vult dicere, Domino volente ac decernente, vel, si placet, opitulante. Græci hic dicerent σὺν τῷ θεῷ. Sic locutus est Compositor librorum Samuelis, 1 Sam. 14. 45. *cum Deo fecit hodie.* i. Dei ope & auxilio usus. Non sic depono manum de hoc loco. Moses Gerundensis probat magis, *coram Domino.* Idem laudat Onkelon qui ita verterit. Quod noto quia Onkeli exemplaria variant. Nam in Veneta à *coram Domino*: sed מן abest à Complutensi. *Coram Domino*, idem exponit, qui nostram vicem serviat Domino ubi vita functi fuerimus. Hæc talia sunt ut non indigeant confutationis. Superest ultima expositio Fagii & Forsteri. Fagii verba sunt, *Acquisivi virum ipsum Dominum, sive qui est Dominus, quem scilicet pollicitus est mihi Dominus cum dixit, Semen tuum conteret caput serpentis.* Forsterus in Dictionario suo Ebraico; *Acquisivi virum ipsum Dominum. Putabat enim Hava se nunc matrem seminis illius promissi, quod contriturum erat caput serpentis.* Judicet peritus lector. Si hoc Moses voluisset, dixisset potius, meo animo, את איש את יהוה τ̃ ἄνδρα τ̃ Κύριον. Nihil temere adfirmo. Præstans doctrina vir Gulielmus Baudartius per literas quæsivit, quid mihi de hac sententia videretur. Nunc respondeo & ipsi & aliis qui idem quæsituri sunt, duram & coactam mihi videri. Tamen Jonathan Uzielides amplexus eam videtur, à quo forsan illi primum habuerunt. Sic enim certè locum elucidat, קניתי לגברא ית מלאכא דיי. i. *Acquisivi virum angelum Domini.* ל Abest in Manahemo. Quæ de Christo intellecta validum argumentum præbent contra impietatem & perfidiam Judæorum Christi divinitatem negantium, ut Fagius observavit. Cedamus ergo Fagio & Forstero: quibus adversari οὐκ ἀσφαλὲς, in his præsertim locis, ubi optima quæque in calumniam rapiuntur. Nam quia scripsi per nomen Elohim vi terminationis non significari τὴν τριάδα, traducor ab istis tanquam Arianus, cum ipsi potius Sabelliani dicendi sint, qui Sp. S. faciunt sui ipsius spiritum, & Christum asserunt à seipso genitum, & quod absurdissimum, pluralitatem constituunt in singulis personis. Nam licèt hoc disertè non dicant, tamen ex eorum sententia hæc omnia necessariò consequuntur. Usque adeo verum est illud,

Stulti dum vitant vitia in contraria currunt.

Sic est profectò. Imperiti dum vitant errores incidunt in contrarios.

25. *Quia posuit mihi semen pro Habel,*] Onkelos explicat, *quia dedit mihi filium.* Nec aliter Jonathan. *Ponere* igitur hic est *dare.* Contra *dare* usurpatur pro *ponere.* Quod notius est quam ut probari debeat. *Semen* i. *filium.* Sed nescio an ponere filium eo sensu inveniatur. Hoc scio, Ezræ 10. 44. *posuerunt filios* legi pro *genuerunt.* A ponendo igitur dictus est Seth quasi positus, i. datus. Nam *Sath* pono, i. שום. Sed & שום usurpatur in ea significatione. Sanè legimus Jes. 42. 12. *ponent Domino gloriam:* & Jos. 7. 19. *pone gloriam*, i. da. Verbum est שית quod eodem modo interpretantur. Vide igitur an Hos. 10. 1. *fructum quem ponit ei*, possit exponi, *quem dat ei.* Sic tria verba quæ *ponere* significant in *dandi* significatione reperiuntur. Obiter noto, in loco Geneseως non esse *semen* simpliciter, sed *semen aliud:* & est sensus, *Filium alium*, vel potius *prolem* aut *sobolem aliam.* Nam *semen* tam de filia dicitur quam de filio. Non hic subsisto: sed observo ampliùs, *Semen* de uno usurpari. Quod robur addit argumento Apostoli locum illum, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, de Christo interpretantis. Cæterùm Exod. 10. 1. *ut ponam signa mea*, *ponere* est *edere*, vel, si Hieronymus eum locum bene vertit, *facere.*

26. אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה. Diu me torsit hic locus, & etiamnum torquet. Video quos fugiam, non video quos sequar. Tot ferè sunt interpretationes quot interpretes. Græca habebat, οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα Κυρίου. Eam olim correxit Aquila Ponticus hunc in modum, τότε ἤρχθη καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι Κυρίου, *Tunc cœptum est vocari in nomine Domini*, & bene meo judicio. Nam הוחל non significat unquam *sperare*, quod potius הוחיל dicitur, cujus thema sive radix יחל *speravit.* Gallica editio posterior, *Tunc cœptum est appellari nomine Domini.* Ovum ovo non est similius. Dices illam ex Aquilæ expressam. Sententia est, videtur certè, Tunc inceperunt

perunt homines pii vocari nomine Domini. Nam dicebantur *filii Dei*. Vidit hoc Emesenus Eusebius cum ita scriberet, *Speravit invocari nomine Domini, h. e. Deus dici & filius Dei. Justi enim, qui erant ex semine Seth, filii Dei vocabantur.* Sic est profecto. Vocantur *filii Dei* Gen. 6. 2. sed an etiam *filii Domini*? Parum hoc me moveret, si esset in Ebraico, לקרא שם יהוה, nempe, בהם, ut loquitur Gen. 48. 16. *& vocabitur in eis nomen meum*: vult dicere, Vocabuntur nomine meo, i. filii mei. Verba diversa diversum sensum pariunt. לקרא בשם יהוה potius valet, *invocare nomen Domini*; quod Vulgatus noster expressit, alias parùm probandus. Nam transtulit, *iste cœpit invocare nomen Domini*. Videtur legisse זה pro אז, quomodo & Græci, & הוחל pro החל *cœptum est*. Cæterùm *Domini* nomen invocat, qui *Dominum* precatur & ab eo auxilium petit. Ergo Onkelos vertit, ut quidem habetur in editione Hispanica, quam Complutensem appellant, *Tunc incœperunt homines precari in nomine Domini.* Significat certas precandi formulas tunc fuisse conceptas, aut eos in precibus suis adhibuisse nomen tetragrammaton Jod, He, Vau, He: quod ineffabile vocant. Non est omittendum in Thargum Onkeli, quod Veneti excuderunt, haberi, ביומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא דיי. Quæ verba sic in Latinum sermonem convertit interpres Fagius, *In diebus ejus incœperunt filii hominum ut non orarent in nomine Domini.* Perperam. חל non significat *incipere*, sed *profanum esse*. Igitur vertendum, meo animo, *in diebus illius profani fuerunt homines ut non precarentur in nomine Domini.* Sententia plana est. Tam profani, inquit, eo tempore homines erant ut nunquam Deum precarentur, vel certè in precibus suis sanctissimum ejus nomen usurparent. Hæc sententia se meliùs tueretur, si Moses לקרא scripsisset. Nam הוחל tam potest reddi *profanatum est* quam *cœptum est*. Illo modo exponit R. D. ita scribens, *Tunc profanatum fuit invocando nomen Domini. Hoc significat, In diebus Enos errarunt homines post idola, & invocatio nominis Divini tunc fuit polluta & profanata.* Sequitur ibidem, *Sunt qui* הוחל *accipiunt in significatione Incipiendi, hac sententia, Tunc cœperunt homines vocare nomina deastrorum & idolorum de nomine* Domini. Jonathæ interpreti non optimo Deus optimus ignoscat. Is locum interpretatur ad hanc posteriorem sententiam, *In diebus illis cœperunt idola colere, & fecerunt sibi deos erroneos, quos cognominabant de nomine sermonis* Domini. Obiter noto מימרא דיי est λόγος Κυρίου. Sic loquendo significant ipsum *Dominum*. Peculiariter autem usurpant de Christo, qui & ὁ Λόγος simpliciter. Ita solitum loqui antiquis: & sermo brevis est pro λόγος Κυρίου, ut alibi ἡ ὁδὸς pro ὁδὸς Κυρίου, & ἐντολὴ pro ἐντολὴ Κυρίου. Nunc ad propositum. Ejusdem quoque opinionis fuit R. S. quod docet expositio ejus, quæ talis est, *Tunc incœperunt vocare nomina hominum & nomina idolorum de nomine Dei laudandi, faciendo eos deastros, vocandoque Deos.* Nec aliter veterum plerique. Hieronymus l. Quæstionum Ebraicarum, *Tunc initium fuit invocandi nomen* Domini. *Licet plerique Ebræorum aliud arbitrentur, quod tunc primum in nomine* Domini *& in similitudine ejus fabricata sint idola.* Videndus Nicolaus, quem his diebus didici domo Brabantum fuisse. Nam se Brabantinum dicit. Apagite ergo Angli, qui eum vobis vendicatis. Puto Lira oppido Brabantiæ oriundum fuisse, unde *Liranus* & *de Lira* cognominatur. Editio Tremellii prima, *Tunc cœptum est profanari invocando nomine* Domini. Conjungit utramque significationem: quam rectè, judicent eruditi. Mihi sic videtur; Si הוחל hoc loco significat *cœptum est*, non significat *profanatum est*: & contra si significat *profanatum est*, non significat *cœptum est*. Nunc tempus est ut interponam judicium meum. Puto vertendum, *Tunc incœptum est invocari nomen* Domini; ut dicat eo tempore ritus certos colendi Deum institutos fuisse, quos observarent filii Dei, h. e. membra veræ Ecclesiæ, quam in posteris Seth hæsisse multi arbitrantur. Ut ut sit, invocat Deum, qui colit: Unde Invocatio pro toto cultu usurpatur, qui tunc potissimùm consistebat (nondum enim Sacramenta instituta erant) in quatuor generibus, videlicet Invocatione, Gratiarum actione, Prædicatione verbi, & Confessione. Cæterum ne quis omnino scrupulus remaneat, לקרא in Kal interpretatus sum *invocari* passivè, ut Psal. 51. 6. בשפטך *cum tu judicaris*, Prov. 25. 5. טוב אמר, *bonum est dici.* i. melius, satius. Sic ἀναλῦσαι pro ἀναλύεσθαι Phili. 1. 23. h. e. לפטור pro להפטר.

I D E M.

4. וישע *Et respexit.* A. ἀπεκηλήθη vel ἀπεκλίθη. Interpres Procopii solationem accepit παρεκλήθη. Vide ipsum Procopium in Gen. pag. 82. Sym. ἐτέρφθη. Th. ἐνεπύρισεν. Editio Syra, εὐδόκησεν.

Ἀπεκηλήθη] *Delenitus fuit.* Nam κηλέομαι delinior, mulceor, demulceor, promulceor: item delector, oblector. Qui sensus verbi est in שעשע quod à שעה deducunt; unde hic est וישע. Sane Psal. 119. 117. ואשעה. Hieron. vertit; *& oblectabor.*

Ἀπεκλίθη] Suspicor esse mendum ab imperitis librariis, quibus ἀπεκηλήθη displicebat. Tamen non affirmo.

Ἐτέρφθη] *Oblectatus est, delectationem cepit.*

Ἐνεπύρισεν] *Inflammavit.* Hieron. *Unde scire poterat Cain, quod fratris ejus munera suscepisset Deus & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera est quam Theodotio posuit, Et inflammavit Dominus super Habel*, &c.

Εὐδόκησεν] Onkelos & Jonathan הוה רעוא quod Græcè reddunt, εὐδόκησεν.

5. ואל־קין ואל־מנחתו לא שעה *Ad Cain & munus ejus non respexit.*] Th. *Super Cain & super sacrificium ejus non inflammavit.*

Non inflammavit] οὐκ ἐνεπύρισεν.

ויחר לקין מאד ויפלו פניו A. καὶ ὀργίλον τὸν Κάιν σφόδρα, καὶ ἔπεσεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ: & *iratus fuit Kain valde, & recidit vultus ejus.*

Τὸν Κάιν] malim τῷ Κάιν: ut mox εἰς τί τὸ ὀργίλον σοι.

6. ויאמר יהוה אל־קין למה חרה לך A. καὶ εἶπε Κύριος πρὸς Κάιν, εἰς τί τὸ ὀργίλον σοι, *& dixit Dominus ad Kain, cur ita iratus es?*

Τὸ ὀργίλον] i. ὀργιλότης. Verbum è verbo, *Cur iracundia tibi?* Sumpta hæc sunt ex Quæstionibus Theodoreti in Genesin. Quæst. 45. In edit. Rom. εἰς τί ὀργίλον σοι.

7. שאת Th. *acceptabile erit.*] Hieron. *Nonne si benefeceris, dimittetur tibi omne delictum tuum, sive ut Theodotio ait, acceptabile erit? Munus tuum suscipiam, ut suscepi fratris tui?*

8. ויאמר קין אל־הבל אחיו *Et dixit Kain ad fratrem suum.*] Posthæc verba hiatus est in codicibus Ebræis & apud interpretes. Excipio Lxx. Hieron. & Samariticum exemplar: quibus addo Thargum Hierosolymitanum cum Jonatha. Senes habent. διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Hieron. *transeamus in campum.* Cyrillus, παρ' οὐδενὶ τῶν λοιπῶν κεῖται τὰ ῥήματα τοῦ Κάιν πρὸς Ἄβελ, ἀλλ' οὐδὲ παρ' Ἑβραίοις. μόνοις δὲ τοῖς ἑβδομήκοντα κεῖται. ἔχει δὲ αὐτὰ καὶ τὸ Σαμαρειτικόν. Hieron. quæst. in Genesin. *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum, subauditur, ea quæ locutus est Dominus. Superfluum ergo est, quod in Samaritanorum & nostro volumine reperitur.* Thargum, hoc est editio Chaldaica, quod ab urbe nomen habet, *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum, Veni & exeamus foras* (verbum è verbo *in faciem agri*) *& fuit quum egressi fuissent ambo foras, respondit Cain & dixit* (Latine, *exorsus loqui dixit*) *ad Habel, non est judicium, neque judex, neque seculum aliud, neque dabitur merces bona justis, neque pœna sumetur ab improbis, neque in miserationibus conditus est mundus, neque per miserationes ipse gubernat, eo quod accepit oblationem tuam à te cum benevolentia, & à me non accepit cum benevolentia. Respondit Habel & dixit ad Cain, Est judicium, & est judex, & seculum aliud, & dabitur merces bona justis, & pœna sumetur de improbis, & in miserationibus conditus fuit mundus, & per miserationes ipse regit, verum secundum fructus operum bonorum ipse gubernat, quia fuerunt opera mea tuis rectiora & meliora, accepta fuit oblatio mea à me cum benevolentia, & a te non fuit accepta cum benevolentia. Sic ambo rixabantur in agro.* Jonathan filius Uzielis, vel si ita vis, Pseudo-Jonathan, *Dixit Cain ad Habel fratrem suum, veni, exeamus ambo foras. Et fuit cum egressi fuissent ambo foras, respondit Cain & dixit ad Habel, Video ego in miserationibus creatum esse mundum, sed non secundum fructus operum bonorum ipse gubernat: quippe acceptio personarum in judicio est, propterea quod accepta fuit oblatio tua, & oblatio mea à me non fuit accepta cum benevolentia: respondit Habel & dixit ad Cainum, in miserationibus creatus fuit mundus, & secundum fructus operum bonorum ipse gubernat, & acceptio personarum non est in judicio & quia fuerunt fructus operum meorum meliores quam tui, & antevertunt tuos, accepta fuit benevole oblatio mea. Respondit Cain & dixit ad Habelem; non est judicium, neque judex, neque seculum aliud, neque dabitur merces bona justis, neque pœna sumetur de improbis. Respondit Habel & dixit ad Cain, Est judicium, & est judex, & seculum aliud & dabitur merces bona justis, & pœna sumetur de improbis. Propter has res rixabantur in facie agri, surrexitque Cain contra*

Habel fratrem suum, & impegit [immersit] lapidem in frontem ejus, & occidit eum.

12. נָע וָנָד *Vagus & profugus.*] Οἱ ἄλλοι, σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν. Τουτέστι, μὴ μένων ἐν ἑνὶ τόπῳ. Theodoretus, τὸ τρέμων, ἢ κατὰ τοὺς ἄλλους ἑρμηνευτὰς, ἀκαταστατῶν. Alios interpretes vocat, nisi me fallit augurium, A. Sym. & Th. qui verterint ἀκαταστατῶν, quod in Lxx. prius erat τρέμων *tremens.*

Σαλευόμενος] *Fluctuans.* Hieron. quæst. in Gen. *Quod* Lxx. Naid *transtulerunt, in Ebræo* Nod *dicitur, & interpretatur* σαλευόμενος, *i. fluctuans & instabilis ac sedis incerta.* Prov. 27. 8. נודדת idem Sym. μετακινούμενος. נע autem verbo σαλεύειν reddunt Lxx. cum alibi tum Job. 28. 5. & Psal. 106. 27.

Ἀκαταστατῶν] i. ἀκατάστατος, instabilis ac sedis incertæ, cui opponitur, ἐγκατάστατος. Hos. 8. 6. שבבים Sym. ἀκαταστατῶν, alias ἀκατάστατον, i. interprete Hieron. *Inconstans & instabile.* Procopius pag. 84. *Ebraica veritas habet, ut ex aliis interpretibus didici,* eris mobilis & instabilis, *non manens fixis sedibus in uno loco, sed errabundus & vagabundus in orbe vives. Sane hæc expositio vera est, & ab omnibus catholicis recipitur.*

15. וַיֹּאמֶר לוֹ יְהוָה לָכֵן כָּל־הֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם A. *Et dixit ei Dominus, Propterea omnis qui occiderit Cain septempliciter ulciscetur.* Sym. *Et dixt ei Dominus, non sic, sed omnis qui occiderit Cain hebdomas sive septimus vindicabitur;* Th. *Et dixit ei Dominus, non sic; sed omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet.*

Non sic] לכן melius redditur ab Aquila *propterea.* Sed in sono est לא כן quod valet *non sic.* Id Senes dixerunt οὐχ οὕτως: quos Theodotio & Symmachus secuti sunt.

Sed omnis qui occiderit Cain] *Sed* non est apud Lxx. tantum πᾶς ὁ ἀποκτείνας Κάϊν: *Omnis qui occiderit Cain.* Fortè additum fuit ab Hiero. quem vide, si placet, quæst. 1. epist. 75. quæ ad Damasum, ubi hunc locum explicat.

Septempliciter] ἑπταχᾶ vel ἑπταχῇ: vel certe ἑπταπλάσιον, quod ita redditum invenio Jes. 30. 26. in editione vulgata. Apud Procopium Gazæum pag. 86. *Aquila, septies vindicabitur:* & pag. 90. *Omnis qui interfecerit Caimum, septies vindicabitur.* Ad quæ loca te adire velim. *Septies vindicabitur.* Græce diceretur ἑπτάκις ἐκδικηθήσεται. Hier. epist. 125. ad Damasum, *De eo autem quod Aquila posuit, septempliciter; & Symmachus, hebdomas, sive septimus ulcisceter, majorum nostrorum sententia est, quod putent in septima generatione à Lamech interfectum Cain.*

Hebdomas, sive septimus] In Quæstionibus est *septimum*, & apud Procopium pag. 90. *septimus pœnas dabit.* Quanquam pag. 86. *septies dabit pœnas.*

Septimus] ἕβδομος, & *septimum* ἕβδομον. Sed Hebdomas, quod Græce dicitur ἑβδομάς, magis denotat septenarium numerum, unde septimana *hebdomas* vocatur.

Per Hebdomadem] Hieron. in quæstio. *Theodotio per* hebdomaden *interpretatus est, super quo capitulo extat epistola nostra ad episcopum Damasum.* Quod noto, quia in epistola illa, Lxx. *& Theodotio, septem vindictas exsolvet:* ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει. Prius firmatur autoritate Procopii, apud quem, *Illi sententiæ adstipulatur Theodotio sic præsentem locum transferens, per septenarium ulciscetur.* Nam idem est cum illo, *per hebdomadem.* Hebdomas enim, ut dixi, septenarium numerum denotat.

Septem vindictas] Descripsi ex ea quam ad Damasum exaravit. Aliter in quæst. *Pro septem vindictis, Aquila septempliciter interpretatus est: Symmachus, septimum: Theodotio, per Hebdomadem.*

25. וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ שֵׁת כִּי שָׁת־לִי אֱלֹהִים זֶרַע אַחֵר Aquila, *& vocavit nomen ejus Seth, dicens: Quia posuit Dominus mihi semen alterum.* Laudat Hieron. in Quæst. Ebraicis. *Et vocavit:* Heva videlicet. Verbum enim Ebræum fœmininum est. *Dicens* non est in fonte: subaudiendum tamen. *Posuit*, i. dedit. Dare enim & ponere se invicem explicant. *Alterum:* vel aliud. Studiosa juventus, vosque omnes qui hæc mea legetis, notate hic morem imponendi nomina filiis per matres; quo nescio an ullus antiquior sit.

26. אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה Aquila, τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖν ἐν ὀνόματι κυρίου, *tunc cœptum est vocare in nomine Domini.*

Τοῦ καλεῖν] In editione Romana τοῦ καλεῖσθαι i. *vocari.* Sententia est ut si diceret, tunc cœptum est invocari nomen Domini. Interpretatio auro contra non cara. Vide Theodoretum in Gen. 47. Hieron. Quæst. in Genesin, *Enos juxta Ebræa linguæ varietatem homo vel vir dicitur: & pulchrè, quia hoc vocabulum habuit, de eo scriptum est,* Tunc initium fuit invocandi nomen Domini: *licet plerique Ebræorum aliud arbitrentur, quod tunc primum in nomine Domini, & in similitudine ejus fabricata sint idola.* Credibile est tunc primum certos ritus constitutos fuisse colendi Dominum. Siquidem invocandi verbo totus cultus designatur aliquando. Quid ergo mirum si idem hoc loco fiat? Nam tunc primum invocatum fuisse nomen Domini non est verisimile. Qui postremam opinionem, quam ait Hieron. esse plerorumque Ebræorum, sequuntur, legunt Ebræa interpretantes, *tunc pollutum fuit invocando nomen Domini:* quam interpretationem ut non sperno (verbum enim Ebræum ad utrumque ambiguum est) ita meliorem judico priorem: fruatur quisque judicio suo. Alius fortasse magis probaret illud Theodoreti, *tunc primum posteri Seth cœperunt vocari filii Dei aut Domini:* i. tunc cœptum est denominari de nomine Domini. Quot homines tot sententiæ. Quod autem in nupera editione, *Tunc cœptum est pollui invocando nomen Domini*, antea explosum à me fuit. Quippe verbum Ebræum utrumque simul in eodem loco significare nequit.

NOTÆ MAJORES.

1. *Porro Adam cognovit Hevam uxorem suam, quæ concepit & peperit Cain dixitque, Acquisivi virum cum DOMINO.*

Cognovit Hevam uxorem suam] i. Congressus est aut rem habuit cum ea. Cæsar Lib. 6. de bello Gallico dixit fœminæ notitiam habere. Sic cognoscere virum dicitur quæ cum eo coit aut rem habet. Ovidius, *Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.* Hiero. Mich. 4. *Cognitionis verbum coitum significat quem Græci συνουσίαν vocant: ut, Cognovit Adam uxorem suam: Item Jacob cognovit Leam uxorem suam: Et de Sunamite puella, non cognovit eam David.* Epiphanius Ancorato, τὸ ἀλλήλοις συναφθῆναι γνῶσιν εἶπεν ἡ γραφή, i. congressum mutuum viri cum fœmina cognitionem appellat Scriptura. ¶ *Concepit*] gravida fuit. ¶ *Et peperit Cain*] Peperit filium, cui nomen indidit Cain. ¶ *Acquisivi*] vel, possedi. Cain ergo à קנה non a קן. Nam Moses qui hoc affirmat, omni exceptione major est. Sic Noach à consolando, quod est נחם Qui aliter sentiunt, non sunt audiendi, velut est is qui patrum memoria Adami etymon ex Brabantia usque deduxit. ¶ *Virum*] Lxx. ἄνθρωπον & Hiero. *hominem.* ¶ *Cum DOMINO*] σὺν τῷ κυρίῳ. Nam את hic valet עם sic alibi עם אלהים (cum) Deo i. Deo auxiliante. Quod Græci dicunt σὺν τῷ Θεῷ. Porro את cum significare notius est quam ut probari debeat Lxx. διὰ τοῦ Θεοῦ Hiero. *per Deum*, alias, *per DOMINUM.* eodem redit. Tremellius, *à Jehova* יהוה מאת. de Jehova alias. An את pro מאת accipiatur valde dubito. Dubitandi causa, quoniam exempla, quæ à Grammaticis rei probandæ adducuntur, parum firma sunt. Nam יצא את העיר ita dicitur, ut in Latio, egressus est urbem. Quod idem quidem cum illo, egressus est ex urbe, tamen ex eo non sequitur quod illi volunt. De hoc loco plenius in periculis nostris, quæ scripsimus in mediis periculis, cum aper ex Lipsii barbaria populum adeo efferasset, ut cum ipsis Læstrigonibus de palma certare posset. Tum expertus sum verissimum esse illud, *Industria parat virtutem, virtus gloriam, gloria invidiam, invidia odium, odium simultates, simultates pericula.* Pro clausula addam scholion Græcum in hunc locum, quod tradit Ebraice & Syriace haberi, ἐκτησάμην ἄνθρωπον ἐν Θεῷ. Quod verum esse potest. Nam ἐν Θεῷ idem cum illo σὺν Θεῷ. Solitum enim Ebræis ἐν pro σὺν usurpare.

2. *Et addidit parere fratrem ejus Habel: fuitque Habel pastor ovium: Cain vero erat agricultor.*

Addidit parere] rursum peperit, denuo peperit. Sunt qui putant Cain & Habel geminos fuisse, quos Ebræi תאומים, Græci διδύμους appellitant. ¶ *Fratrem ejus Habel*] fratrem ejus quem Habel nominavit. Græci hoc nomen leniter scribunt Ἄβελ. Sic etiam Latini: Unde manavit interpretatio Ἀβελ, πένθος. i. luctus. Quæ extat apud Josephum Lib. 1. Cap. 3. Theodoret. Quæst. in Gen. pag. 41. Origenem in 23. Matthæi, Philonem, Hieronymum, Eusebium, Præparat. Lib. 11. cap. 4. & alias. Multitudo errantium non præjudicat veritati. Scribi debet *Habel* cum aspiratione. Id sonat vanitas aut vapor. Vanitas i. ματαιότης. Vapor i. ἀτμὸς vel ἀτμίς: Utrumque reperitur & in Philone. Dicimus etiam הֶבֶל הפה halitus oris. ¶ *Pastor ovium*] ποιμὴν προβάτων. Ita Lxx. Satis erat dicere ποιμὴν, qui proprie ovium pastor sive opilio. Sic Apostolus Christum vocat τὸν ποιμένα τῶν προβάτων: pastorem ovium. Nam ποιμένα aliquando bubu-

bubulus i. pastor boum. ¶ *Agricultor*] עבד אדמה. cultor terræ i. agricola. גבר פלח בארעא, Chaldaice.

3. *Fuit autem post aliquot dies ut adduceret Cain ex fructibus terræ munus DOMINO.*

Post aliquot dies] מקץ ימים à fine dierum. Male Santes, *in fine dierum*. nam *in fine* i. בקץ *A fine* valet post finem. Sic cum dicimus, *a prandio* sensus est, post prandium. Sic *a lectione*. Editio Græca μεθ' ἡμέρας: post dies. Nos supplevimus quod desiderari videbatur, *post aliquot dies*. Quod idem cum illo, *Aliquanto tempore post*. Hiero. maluit *post multos dies*: quod non rejicio. Nam sæpe adjectivum hoc modo subintelligitur. Abenezræ scholion est, *post dies*, post annum. dies enim in plurali, hoc est ימים, pro anno usurpatur, ut Levit. 25. 29. ימים תהיה גאלתו, anno pleno erit redemptio ejus: 1 Sam. 1. 3. מימים ימימה, de anno in annum. i. quotannis. ¶ *Ut adduceret*] ut offerret. Quod in vulgata nostra. Græci quoque reddunt ἤνεγκε: ויבא adduxit, הקריב obtulit. Duo verba, eadem sententia. Uterque Chaldæus ואיתי adduxit, venire fecit. ¶ *Ex fructibus terræ*] ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς. מפרי ad verbum, *de fructu*. enallage numeri. ¶ *Munus*] Alii, *munera*: alii, *oblationem*. Lxx. θυσίαν. i. מנחה. Quod hic reddes sacrificium, non hostiam aut victimam. Siquidem victima proprie animalium erat. Hoc munus ideo de terræ frugibus offerebatur. Et est מנחה proprie fertum sive oblatio dapalis. Abusive sumitur pro ovium victima. Interdum pro quovis munere usurpatur. Onkelos habet קרבנא quæ vox oblationem denotat.

4. *Habel vero adduxit etiam ipse de primogenitis ovium suarum, & de adipibus earum: respexitque DOMINUS ad Habel & ad munus ejus.*

Adduxit] obtulit, ἤνεγκε. ¶ *Etiam ipse*] dictio (*etiam*) arguit Cain obtulisse primitias frugum. Quod affirmat Jonathan ita scribens, *& adduxit Cain de fructibus terræ de semine lini oblationem primigeniorum*. Contrarium tamen sentit Fag. in Exeg. ¶ *De primogenitis ovium suarum*] צאן verti oves, ut supra רעה צאן pastor ovium. Ne quid celem, generale est ad minora pecora. Nam etiam capras comprehendit. Lxx. ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων τῶν προβάτων αὐτοῦ: de primigenis sive primigeniis ovium suarum. Hiero. *de primogenitis gregis sui* i. צאנו. Sic & alii. Nimis latè, meo judicio. בכור πρωτότοκος. Dicitur de eo qui vulvam aperit. Itaque Christus vocatur primigenius sive primogenitus. Nec tamen ex eo sequitur quod plures fratres habuerit. Cave Helvidium. ¶ *De adipibus earum*] מחלבהן male vertunt qui vertunt, *de adipe illarum*. Nam est nomen plurale. Proinde in Libro radicum habetur scriptum cum Joth מחלביהן. Singularis est חלב formæ חלב. (חלב adipatus i. pinguis & succulentus, opimus) R. David existimat esse nomen adjectivum quod interpretatur post Onkelon משמיניהון de pinguibus earum. Quanquam in Onkelo, ומשמיניהון. Jonathan quoque habet משמיניהון de opimis sive pinguibus earum. Non est omittendum adipis vocabulum tribui etiam inanimis. Vide quæ scripsimus Observat. Lib. 10. c. 1. Nam quod optimum est in suo genere, ut exempli caussa in tritico, vocatur adeps tritici. Sic adeps musti, olei, terræ. Quomodo Latini dicunt *flos nardi* pro nardi odore & unguento suavissimo: *flos salis* pro salis parte optima: *flos cœnæ* pro delicatissima cœna. Sic forte *adeps ovium*, vel adipes *ovium*, non στέαρ, sed oves opimæ ac pinguissimæ. Docti dijudicent. ¶ *Respexitque*] וישע & respexit. Ita Hiero. Santes & alii. Lxx. καὶ ἐπεῖδεν: & intuitus est. Vide supra. ¶ *Ad munus ejus*] Lxx. ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ. Est autem δῶρον munus. Sed & sacrificium ita vocatur in lingua Hellenistica. Rabbini scribunt דורון & דורונא. Quod postremum pro sacrificio legitur Psal. 20.

5. *Sed ad Cain & ad munus ejus non respexit: quamobrem excanduit Cain vehementer & concidit vultus ejus.*

Ad Cain & ad munus ejus non respexit,] Theodotio, *super Cain & super sacrificium ejus non inflammavit*. ¶ *Excanduit Cain*] ויחר לקין, *& incanduit Caino* sub. ira. Plus est quam quod in vulgata nostra, *iratusque est Cain*. Nam Græci qui vertunt ἐλύπησε Κάϊν, sensum verbi non sunt assecuti. Quidam, *accensa est ira Caini*. Alius, *ira fuit Caino*. חרון potius est excandescentia. ¶ *Non respexit*] Senes hic habent οὐ προσέσχε, non attendit. ¶ *Et concidit vultus ejus*] ויפלו פניו, & conciderunt facies ejus. Signum animi affecti vel pudore vel mœstitia. Seneca epist. XI. *Artifices Scenici qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repræsentant, hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos & deprimunt*. Lxx. συνέπεσε τῷ προσώπῳ αὐτοῦ: concidit vultu suo. Idem aliter.

6. *Et dixit DOMINUS Caino, Quare incanduit tibi* (animus), *& quare concidit vultus tuus?*

DOMINUS] יהוה quod est nomen clementiæ i. רחמים: ut אלהים judicii ac severitatis. ¶ *Quare incanduit tibi* (animus) vel, quare excanduisti? Versum hunc cum eo qui antecedit Aquila olim ita connectit, καὶ ὀργίλον τῷ Κάϊν σφόδρα, καὶ ἔπεσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. 6. καὶ εἶπε Κύριος πρὸς Κάϊν, εἰς τί τὸ ὀργίλον σοι. *Et iratus fuit Cain valde, & cecidit vultus ejus. 6. Et dixit DOMINUS Caino, Cur ita iratus es*. Pro τῷ Κάϊν legerem τοῦ Κάϊν, ut mox, εἰς τί τὸ ὀργίλον σοι; Sumta hæc sunt ex Quæstionibus Theodoreti in Genesin. Quæs. 41. τὸ ὀργίλον. i. ὀργιλότης. Verbum è verbo, Cur iracundia tibi? ¶ *Animus*] ira. Sic apud Horatium, *Animum rege* i. θυμόν. ¶ *Quare concidit vultus tuus?*] vultus collapsus signum est, ut dixi, mœroris. Mœror iste comitem habebat iram & odium in fratrem, quod post se exeruit. לכה חרה לך Senes interpretantur ἵνα τί περίλυπος ἐγένου, quare tantopere doles? cur supra modum tristis es?

7. *Nonne si bene egeris, elatio, & si non bene egeris pro foribus peccatum cubat: ad te erit appetitus ejus & tu dominaberis in illud.*

Elatio] Usus est compendio sermonis. שאת elatio pro שאת פנים elatio vultus. Id duobus modis intelligi potest. Uno modo sic: Si recte egeris, non ita collapso & in terram demisso eris vultu: sed erecto & in cœlum sublato capite incedes. Vultus elatus signum est animi sibi bene conscii. Contra vultus collapsus indicium est animi mœsti ex recordatione delicti. Scitum illud, *Conscientia mille testes*: &, *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*. Alio modo intelligi potest ita. Suscipere faciem alicujus nota locutio est. Id Ebræi dicunt נשא פנים: unde hic nomen est an verbum infinitum? שאת elatio vel susceptio. Si ergo, inquit, bene egeris, non est cur ita mœstus sis: ego tui rationem habebo, te respiciam sicut ad fratrem tuum respexi, & sacrificium tuum mihi acceptum erit. Harum duarum expositionum utra melior veriorque sit tui judicii facio. Quod autem quidam interpretantur שאת remissio sive condonatio, haud facile probaverim. Primum quia Cain nullum adhuc manifestum crimen commiserat: deinde quia bene agenti nulla opus remissione. Potius dixisset, *Si male egeris, remissio*, hac sententia, Si tibi conscius es alicujus malefacti, non est, quod abjicias animum aut mœrore te conficias propterea. Nam venia erit resipiscenti, si ex animo resipueris. Videamus nunc aliorum interpretationes. Editio latina vulgata: *Nonne si bene egeris, recipies?* Hic subaudio præmium aut mercedem: cui respondet in proximo membro *peccatum* i. pœna peccati. Cave spernas. Chaldaica Onkeli, *Nonne si bona feceris opera tua, remittetur tibi?* Id Fagius retulit, *Num quid si emendaveris opera tua?* Secundum hanc interpretationem, *bene agere* i. היטיב est vitam in melius commutare. Targum Jonathæ, *Nonne si bona reddideris opera tua remittetur tibi debitum tuum?* i. peccatum. Jerosolymitanum, *Nonne si bona feceris opera tua in seculo hoc, solvetur & remittetur tibi in seculo venturo?* ¶ *Si non bene egeris*] pro eo habendum ac si dixisset, si male egeris, hoc est si peccaveris. ¶ *Pro foribus*] vel, *ad fores*. quasi dicat, in propinquo est, imminet tibi. Vide nunc, si placet, Proverbia mea. ¶ *Cubat*] רבץ. Constructio sensu congrua, non voce. Nomen enim חטאת fœmininum est, & participium רבץ masculinum, ut & pronomina quæ sequuntur. Quanquam Hiero. scribit, peccatum, id est חטאת in Ebræo generis masculini esse. Hoc scribit in libro Quæstionum, quas in Genesin composuit per hæc verba, *Quod autem in Lxx interpretibus fecit errorem, illud est quia peccatum, id est Hattath, in Ebræo generis masculini est, in Græco fœminini. Et qui interpretati sunt, masculino illud* (*ut erat in Ebræo*) *genere transtulerunt*. Ego hoc fieri enallage generum potius dixerim, vel quia ejus synonymum חטא masculinum est, vel sane quia habetur ratio sensus. Pœna enim, id est עון, quæ hic intelligitur, Ebræis masculinum dicitur. Ceterum רבץ cubans, proprie de brutis usurpatur, ut שכב de hominibus. Cubat ergo ut leo qui ad fores cubat observans quis egrediatur. ¶ *Peccatum*] vel pœna peccati, vel ipsum peccatum, quo nemo habet infestiorem hostem. *Prima est*, ait Juvenalis, *hæc ultio quod se judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis Gratia fallacis prætoris vicerit urnam*. Dixi שאת hic sumi pro נשא פנים. Quod arbitrarium esse volo, nolo ut sit certum. Locus mire ambiguus est. Id facit una hæc dictio שאת quam per futurum quidam reddunt, *attolles*, vel *suscipiam*, nempe vultum tuum. Hoc ita probo ut tamen non improbem expositionem eorum qui ad sacrificia referunt, quasi dicat, Si bene egeris, accipiam munus tuum, vel acceptum erit sacrificium tuum. Quod Theodotio, *acceptabile erit*, reddidit. Hiero. verba hæc de re sunt in Quæstion. *Nonne si bene feceris, demittetur tibi omne delictum tuum, sive, ut Theodotio ait, acceptabile erit i. munus*

tuum

tuum suscipiam, ut suscepi fratris tui. Sic est profecto. Non litat, qui manibus impuris sacrificat. Manus autem impuras habet quicunque improbe ac nequiter vitam instituit. Si ergo vis litare, si vis Deo gratus esse, da operam ut bene te geras, ut puris manibus ad sacrificandum accedas. ¶ *Ad te erit appetitus ejus*] pronomen (*ejus*) alii ad peccatum, alii ad Habelem referunt. Qui ad peccatum referunt hanc sententiam eliciunt, Debes, inquit, efficere ut peccatum sub tua potestate sit, eique imperes: aut hanc, Peccatum nihil aliud appetet quam ut te sui juris faciat: verum tu debebis ei resistere, operamque dare ut Dominus ejus sis. Turpe enim est viro à peccato vinci aut superari. Qui ad Habelem referunt, ita exponunt, Quia junior est, naturæ lege: quia frater, affectu te colet. Placet magis prior expositio. ¶ *Dominaberis*] debebis dominari. Tale est, *filius honorat patrem*, debet honorare. Nam pauci hoc faciunt.

8. *Dixitque Cain Habeli fratri suo, cumque ipsi essent in agro, insurrexit Cain in Habelem fratrem suum & occidit eum.*

Dixit Habeli] εἶπε τῷ ἄβελ ἤτοι πρὸς ἄβελ. Sic interpretes quos vidi. Unum excipio è recentioribus, qui habet, *collocutus est cum Habel.* וידבר עם הבל. nolim sequi. Quid autem dixerit, incertum. Nam non habetur in codicibus Ebræis. Critici Ebræorum annotant 28 versus esse, in quibus talis defectus in medio sit. Editio Græca quæ nomen præfert interpretum Lxx. καὶ εἶπε Κάιν πρὸς Ἄβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, id est, transeamus in campum. Vulgata nostra, *egrediamur foras.* Unde habuerunt? An ex Samaritico? Cyrilli Scholion est in editione Romana. Inde hauries quod huic opinioni firmandæ. Eadem habentur in Jerosolymitana, quæ Romæ adservatur. Sed & in Veneta quæ penes me, *Et dixit Cain fratri suo Habel, Veni, exeamus in campum, cumque exivissent ambo in campum (vel foras.* Ad verbum, לאפי ברא *in superficiem agri) exorsus est Cain dicere fratri suo Habel, Non est judicium, neque judex neque seculum aliud &c.* Nam alibi ea recensuimus. Jonathan paullo aliter, quem etiam alibi adduximus. Vide nunc, si vacat, libellos meos. Hiscuni, *Id dixit Cain Habeli fratri suo*, nempe quod modo Deus illi dixerat, fore videlicet ut in fratrem suum dominaretur & potestatem haberet. ¶ *Cumque essent in agro insurrexit*] In Ebræo est ad verbum, *Et fuit cum essent in agro ut insurgeret.* Nos sensum expressimus, nisi fallimur. *In agro*] foris extra urbem. Quidam arbitrantur Henochiam tum conditam fuisse, cujus mentio per prolepsin in sequentibus. In agro Chaldaicè בחקלא. Ita Onkelos. Ceteri habent אפי ברא, i. ruri. ¶ *Insurrexit in Habelem*] aggressus est eum. Sic Abd. 1. *Surgite & insurgamus adversus eam prælio*: Latinè, aggrediamur eam bello aut prælio. Nam quod hinc eliciunt, Cain primum in terram à fratre prostratum fuisse, & postea surrexisse, minus dilutum est.

9. *Et dixit DOMINUS Caino, ubi est Habel frater tuus? qui dixit, nescio: an custos fratris mei ego sum?*

Et dixit] postea dixit. ¶ *Caino*] vel, *ad Cain.* Quod in aliis editionibus, sed nescio an satis latine. Nam *ad populum dicere*, quod obvium passim, aliud videtur. ¶ *Ubi est Habel frater tuus?*] non est ignorantis, sed ejus qui quod scit quærit ut à reo confessionem extorqueat eumque ad agnitionem culpæ adducat. Sic supra. 3. 9. *Ubi es?* ¶ *Nescio*] לא ידעתי non novi. Hic locum habet illud, *Si negasse satis est, quis erit nocens?* Pars sanitatis est confiteri morbum suum. Qui negat factum improbum quod commisit dupliciter peccat. Primum faciendo quod improbum erat: deinde negando quod verum est. ¶ *An custos fratris mei ego sum?*] satis proterve. Itane Deo responsas? testa figulo? non eras custos: at esse debebas. Convenit enim ut major curam agat minoris.

10. *Et dixit, quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Et dixit] DOMINUS videlicet. ¶ *Quid fecisti?*] cum admiratione legendum. ¶ *Vox sanguinis fratris tui clamat*] Verbum è verbo, vox sanguinum fratris tui clamant. Hic duo notanda. Primum est plurale דמי, quod ad sanguinem refertur, non ad vocem, ac si diceret, sanguines voce clamant. Deinde sanguines poni numero multitudinis pro cæde. Nam sententia est, cædes fratris tui. Siquidem in cæde sanguis effunditur. Pluralis iste, *sanguines* non est in usu, ideo singularem usurpavimus. Tribuit autem sanguini vocem cum sit res inanima: Quòd novum non est in his litteris. Sic, *cæli enarrant gloriam Dei*: &, *lapides loquentur*: &, *lapis de tigno clamabit.* Cognata sunt, *vox malitiæ, vox conjurationis.* Cicero, *neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios, neque privata domus parietibus continere vocem tuæ conjurationis potest.* ¶ *Ad me*] in cœlum usque. ¶ *De terra*] ubi effusus est. Locus iste ostendit curæ Deo pios esse etiam post mortem.

11. *Nunc igitur maledictus tu ex ipsa terrà, quæ aperuit os suum, ad excipiendum sanguinem fratris tui e manu tua.*

Ex ipsa terra] Sensus est ut si diceret, maledictio ista tibi ex terra proveniet, quæ non dabit fructus suos, cum eam coles. Scholion Abenezræ, quod Mercerus laudat, hanc sententiam continet, מצד הארץ ex parte terræ. Nec alia mens ejus quod in Hiscuni, מסבת הארץ ratione terræ. Sic R. David ait Judæos castrari posse מסבת חולי, ratione morbi aut infirmitatis, & non alias. Alii, *præ terra*, quod nullo modo se probat mihi. Hiero. *super terram* על האדמה. Lxx. ἀπὸ τῆς γῆς *ab ipsa terra.* Quomodo & Tremellius. Non admodum laudo. Nam maledictus à terra intelligi potest, cui terra maledicit. Alia hic mens, alia sententia. ¶ *Quæ aperuit os suum*] detestata paricidium tuum. Aperuit autem os non ad loquendum, sed ad excipiendum gremio tegendumque sanguinem quem effudisti. ¶ *Fratris tui*] non caret emphasi. Gravius enim certe peccat qui fratrem occidit quam qui alienum interficit. ¶ *E manu tua*] nam manu scelus patratum. Quia vero tunc adhuc nullus erat usus armorum, ideo quidam existimant lapide occisum esse.

12. *Cum coles terram, non addet dare vim suam tibi: vagus ac profugus eris in terra.*

Non addet dare] non amplius dabit. Hæc maledictio particularis est & ad solum Cain ejusque posteros restringi debet. Secus opinandum de maledictione qua propter hominem terræ maledictum, quæ ad totum genus mortalium extenditur. ¶ *Vim suam*] vel, *robur suum.* Sensum expressit Hiero. qui vertit, *fructus suos*: & Jonathan, in quo *robur fructuum suorum.* i. tantum fructuum quantum alioquin posset dare. ¶ *Tibi*] q. d. tibi non dabit, aliis dabit. Discamus hinc causam sterilitatis à nobis esse, hoc est à peccatis nostris. Nam nisi essent peccata, non essent flagella. ¶ *Vagus & profugus*] נע ונד, vagus ac profugus. ita interpres noster. alii aliter interpretantur. Lxx. στένων καὶ τρέμων: gemens ac tremens. Ceteri σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν: fluctuans & instabilis. Huc facit scholion Græcum, ὁ Ἑβραῖος καὶ ὁ Σύρος, σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν, τουτέστι, μὴ μένων ἐν ἑνὶ τόπῳ. i. non manens in eodem loco. Recte sane. Nam ἀκατάστατος instabilis ac sedis incertæ: & ἀκαταστατεῖν, vagari, nusquam consistere. Onkelos, מטלטל וגלי vagus & erro. גלי qui migrat de loco in locum. Fagius reddit, *exul.* Ad hunc modum & Jonathan interpretatur. Abenezra scribit נד esse fratrem נע: quo significat aut nullum aut exiguum inter hæc nomina discrimen esse.

13. *Et dixit Cain DOMINO, Major est iniquitas mea quam ut ferre possim.*

Iniquitas mea] pœna iniquitatis. Sic accipitur id nomen Levit. 5. 17. & 10. 17. Item Zach. 3. 9. legimus, *amovebo iniquitatem terræ illius*, quod enarrant, calamitates quæ sunt pœnæ iniquitatum. Sed & Gen. 15. 16. *Non est completa iniquitas Amorrhæorum hucusque*, quidam interpretantur, pœna iniquitatis. Sunt qui accipiunt non pro pœna, sed pro ipsa iniquitate, quam ἀνομίαν vocant Græci: in sequenti autem membro legunt, *quam ut condonari possit.* Quod est desperantis, nisi pronuntiatione juvetur, *quam ut condonari possit?* q. dicat, An tanta est ut nullam veniam mereatur? ut nulla spes veniæ supersit? Sic fere antiqui. Lxx. μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με: major est culpa mea quam ut dimittar. i. veniam consequar. Hieronymus, *major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Onkelos, *magnum est debitum meum quam ut remittatur.* Ne quid celem, in aliam sententiam abit Jonathan. Nam vertit, *Validior est rebellio mea quam ut sustinere possim.* Sed & autor Jerosolymitanæ, *majora sunt debita mea quam ut portare possim. Veruntamen potes tu dissolvere & remittere mihi.* ¶ *Quam ut ferre possim*] quam ut ferendo sim, aut sustinere valeam. Hæc pœna, inquit, quam irrogas, mihi est intolerabilis.

14. *En ejecisti me hodie à superficie terræ & à facie tua abscondar, eroque vagus & profugus in terra: & omnis qui invenerit me, occidet me.*

En] הן ἰδὲ ecce. Ab eo est (en) Latinorum. Lxx. εἰ, si. Quod הן significat in lingua Chaldæorum. Onkelos & Jonathan הא en, ecce. ¶ *Ejecisti*] גרשת expulisti. Hoc præteritum alii reddunt per præsens, ut Hiero. *ecce ejicis me*: alii per futurum, ut Lxx. ἐκβαλεῖς με σήμερον: ejicies me hodie. Sed libri variant. Nam in editione Romana ἐκβάλλεις ejicies, expellis. ¶ *A superficie terræ*] מעל פני האדמה, à facie terræ. Facies

cies terræ, ut facies cœli, facies campi, facies maris. Ita loquendo significant externam speciem & quasi vultum rei cujusque. Quo sensu Virgilius dixit, *Vultum salis placidi.* Vid. A. Gell. Lib. 13. C. 28. ❡ *A facie tua abscondar*] Facies DOMINI providentiam innuit; vel illam generalem, quæ se extendit ad omnes ubique, ut ibi, *A facie tua quo fugiam?* vel eam quæ propria & peculiaris est populo suo, ut in his verbis, *à facie tua abscondar.* i. à cura & providentia tua. Hæc inclusum continet favorem divinum. Quocirca & pro favore ponitur, ut Psal. 42. 7. & 16. 11. & 21. 7. Hinc intelligentiam habet, *Quousque abscondis faciem tuam à me?* Psal. 13. 2. Nam hoc dicit, Quousque subtrahis favorem tuum? Faciem enim certe avertit, qui ab aliquo alienior est. Sic Dei faciem videre dicitur qui eum habet propitium ac benevolum Ps. 17. 15. *In justitia videbo faciem tuam.* ❡ *Et omnis qui inveniet me*] והיה כל מצאי *& erit omnis inveniens me* sive *qui invenerit me.* Hic post והיה nulla sequitur copula. Quod rarum in his libris. Licet etiam vertere, *Et erit ut omnis qui invenerit me occidat me.*

15. *Et dixit DOMINUS, Propterea omnis qui occiderit Cain septuplo punietur: posuitque DOMINUS Caino signum ne percuteret eum quisquis invenisset eum.*

Propterea] לכן unica dictione, quomodo & interpretes Chaldæorum legerunt. Ceterum in sono vocis est לא כן. Id Ebræi dicerent לא כן non sic. Quod noto, quia in Lxx. οὐχ οὕτω: & in Symmacho Theodotioneque *non sic*: & in Hyeronymo, *nequaquam ita fiet.* ❡ *Septuplum.* i. ἑπταπλασίως. Numerus certus pro incerto. Videtur hoc velle, Qui occiderit Cain multo gravius punietur quam ipse punitus fuit. Licet etiam vertere, *septifariam.* Quod ita dicitur ut multifariam: quemadmodum dicimus septempliciter & multipliciter. In Ebræo est שבעתים quod Psal. 12. 7. Lxx. exponunt ἑπταπλασίως, & Hiero. *septuplum.* Hinc forte in Lex. vet. ἑπταπλασίως, *septuplum.* Moses Gerundensis שבע פעמים septem vicibus: & alibi שבעה חלקים septem partibus; Paulo post legitur in editione Hiero. *Septuplum ultio dabitur de Cain.* Hæc interpretatio ceteris melior est. Nam *septimus*, id est שביעי, & *per hebdomadem* כשבע: *post septem ætates*, לשבעה דרין. Hoc postremum extat in Onkelo & Jonathan, *Propterea omnis qui occiderit Cain, post septem ætates vindicta de eo sumetur.* Alii habent, *septima ætate sive generatione.* Alii, in queis Abenezra, עד שבעה דורות. *Usque ad septem ætates.* q. d. non ante punietur. Deus, qua est clementia, differet pœnam in longum tempus. Satis coactum hoc est. ❡ *Punietur*] יקם vindicabitur, vindicta sive ultio de eo sumetur. ❡ *Posuit Caino signum*] quodnam signum? Ne quæras scire quod Deus te scire noluit. Si enim voluisset nos scire procul dubio expressisset. Nunc quia tacuit, & nobis tacendum est. Vox Ebræa etiam litteram denotat: Unde quidam arbitrantur certam litteram fronti ejus inustam fuisse, sicuti olim calumniæ damnatis inurebant R. in fronte. Hoc ut demus verum esse, tamen אות utrumque simul significare non potest. Nam si sig. litteram, non significat signum, & si significat signum, non sig. litteram. ❡ *Ne percuteret eum*] לבלתי הכות ut non percuteret eum. i. occideret. Quod Onkelos dixit, בדיל דלא למקטל יתיה & Lxx. τοῦ μὴ ἀνελεῖν αὐτόν: & Jonathan בגין דלא למקטל יתיה ut non interficeret eum. Percutere autem hoc sensu ponitur in illo, *Percute pastorem* &c. Item Psal. 138. *Qui percussit reges magnos.* Mox se explicans ait, *qui occidit Reges inclytos.* Similiter autores latini percussorem vocant eum qui aliquem occidit, maxime si ad hoc fuerit conductus. Sic dico, percussorem ponunt pro interfectore. ❡ *Invenisset eum*] i. incidisset in eum. Affine est, *Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.* Sic, *invenerunt eum mala multa.* Latine, incidit in multas calamitates. Est tamen discrimen aliquod.

16. *Egressusque Cain à conspectu DOMINI habitavit in terra Nod, ad orientem Eden.*

A Conspectu DOMINI] מלפני יהוה à coram DOMINO. hoc est à loco ubi DOMINUS ipsum allocutus fuerat. Hiero. *à facie DOMINI* מפני יהוה. Id aliud est. Quanquam & Lxx. ἀπὸ προσώπου θεοῦ: *à facie Dei.* Confundunt quæ diversa sunt. Supra *à facie tua abscondar*, exposui ut exposui. Vide num melius sit, *à facie tua* i. metu tui? Sic, *fugit à facie Absolomi filii sui*, metu Absolomi. ❡ *Habitavit*] ᾤκησεν. ישב habito. proprie sedeo. Sedere pro habitare latine non dicitur, quod sciam. Sedes tamen pro habitatione ponitur. Quod notum in vulgus. ❡ *In terra Nod*] *In terra*, hoc est in regione. Lxx. ἐν γῇ Ναΐδ, in terra Naid vulgo Ναΐδ, quod scribunt Ned. Sed Naïd etiam Hiero. quondam legit, qui putat appellativum esse נד σαλευόμενος. i. fluctuans & instabilis ac sedis incertæ. Unde in vulgata nostra, *habitavit profugus in terra* וישב נד בארץ Nolim sequi. Quanquam in Onkelo, ויתב בארעא גלי ומטלטל. *Et habitavit in terra vagus & erro.* In *Naid* agnosco Joth pro Van. ניד Sæpe ita errant interpretes illi. Appellatio à vagando. Forte nomen accepit ab hac historia. Quis hoc negare ausit? Et est figura nota quam prolepsin vocant, qua sæpe utuntur sacra Scripta. Quid igitur absurdi si etiam hic dicamus prolepsin esse? ❡ *Ad orientem*] ad orientalem plagam, sive in ea parte orbis quæ ad orientem Eden. ❡ *Eden*] horti an regionis? Ego de horto potius acceperim. Cui sententiæ firmandæ sunt Onkelos & Jonathan. Lxx. κατέναντι Ἐδέν: contra Eden: minus probo.

17. *Et cognovit Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch: & fuit ædificans urbem & vocavit nomen urbis illius juxta nomen filii sui Henoch.*

Cognovit uxorem suam] rem habuit cum ea. Vide quæ scripsimus ad versum primum hujus capitis. ❡ *Peperit Henoch*] peperit filium cui Henoch nomen indidit. ❡ *Henoch*] חנוך quod nunc legunt חֲנוֹךְ Hanoch. Ita nos docuerunt critici Ebræorum Massoritæ. Sic variant in Heva & Hava, quod scribunt Havva, v geminata. Græcis exiliter enunciant ἐνώχ. Id emendandum esse puto. Nam vitium est scribarum non interpretum. In Josepho Græco Ἄνωχος id est Henosus vocatur, & civitas Ἀνώχα Henosa. Sic etiam vocatur in Annii Beroso. Sed Rufinus habet Henoch & Henochia. Quod magis probo. Enos alius est. Pseudo Berosus appellat domicilium gigantum, an recte viderit. Nam Anacim aliunde dicti. Siquidem Ebræi scribunt ענקים. In Annio nugarum plena sunt omnia. Somnium hominis mera somnia somniat, quæ orbi obtrusit & multis imposuit. Nam mundus decipi vult. Sic est profecto. Hodie pluris fiunt tales quam qui solide docti sunt. Parum hoc esset, nisi solida omnis eruditio odio ac fenio quibusdam esset, nisi ab ea juventutem quantum in se est deterrerent. Quid refert? Non facit, inquiunt, ad salutem. Quasi vero ad salutem faciat inscitia & imperitia ullius rei nedum scientiæ divinæ. Magni Rabbini sciunt quæ Deus pater filio in aurem dixit, & obvia quæque in sacris literis ignorant. Sed taceo, nam dum irrito crabrones istos, nil proficio & mihi periculum creo. ❡ *Et fuit ædificans urbem*] καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν. Sic Græci Lxx. Hiero. *& ædificavit civitatem.* Alius, *& erat ædificator urbis* i. בנה עיר per Tseri in ultima, quod in editis, quos vidi, per segol scribitur בֹּנֶה ædificans, extruens, condens. ❡ *Juxta nomen filii sui*] vel, *de nomine filii sui*, quod Hiero. dixit, *ex nomine* & Lxx, ἐπὶ τῷ ὀνόματι. Sed hi videntur mihi legisse בשם per beth: quod nunc legunt כְּשֵׁם κατὰ τὸ ὄνομα: secundum nomen. ❡ *Henoch*] Hæc urbs omnium totius orbis antiquissima est. Vani ergo Ægyptii qui Diopolin, quæ sunt Thebæ, tempore alias omnes antecedere asseverant. Vani Græci qui Cecropiam arcem, postea Acropolin dictam, à Cecrope primum conditam fabulantur. Hinc etiam convinci potest Strabo scribens Argos prius à Phoroneo conditam, quod Homerus Pelasgicon nominat.

18. *Porro natus est Henoch Irad, & Irad genuit Mehujael & Mehujael genuit Methusael, & Methusael genuit Lamech.*

19. *Et accepit sibi Lamech duas uxores, nomen unius Ada & nomen alterius Sella.*

Porro natus est] vel, *natus autem est.* Verbum è verbo, *& natus est*: Quod Græci dicunt καὶ ἐγεννήθη: Chaldæi, ואתיליד male autem Hiero. *Porro Henoch genuit Irad.* Nam ut legerit ויולד, tamen ei adversatur לחנוך quod arguit lectionem illam prorsus ineptam esse. Quocirca critici Ebræorum scripserunt ויִּוָּלֵד ❡ *Natus*] vel *genitus.* Nam ילד cum de viris dicitur i. gigno. Proprie pario. Ergo ubi legimus, *Irad genuit Mehujael* &c. pro genuit, in Ebræo est proprie peperit. Sic Homerus ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς: & Cicero, *Oenei partu edita.* Sic Psal. 2. *ego hodie peperi te.* i. genui, ילדתיך ❡ *Irad*] את־עירד Hic את patienti servit ut Hos. 10. 6. אותו לאשור יובל *ipse deportabitur.* Sic acceperim in illo ולא ימס את לב אחיו *& non liquefiat cor fratrum ejus.* Quanquam Santes, *& non dissolvat cor fratrum ejus.* Ceterum pro עירד quod nunc ita legunt & scribunt, olim Lxx. legerunt γαιδάδ i. גידד: primum Daleth pro Resch: deinde αι pro (י) longo: postremo Ain expresserunt per γ. ut in γομόῤῥα, γαιβὴλ, γάζα & similibus. ❡ *Mehuzael*] מחויאל Mehujael vel Mahujael, pro quo Hiero. Maviael. Senes autem permutarunt cum alio nomine μαλελεὴλ, Maleleel. Maujael legi debet per u vocalem & j consonam. ❡ *Mehujael genuit*] Hic est מחייאל in Ebræo, id est Mehijael. Nec alibi ita scriptum invenitur. ❡ *Methusael*] vel, *Mathusael.* Quod ita lectum scriptum in vulgata nostra. Senes habent μαθουσάλα, מתושלח. Id aliud nomen est. Vide infra 5. 21. Puto interpretes initio scripsisse μαθουσαήλ. Nam hujusmodi menda scribis libentius imputarim. Tamen nihil affirmo. Potuerunt & ipsi errare. Homines enim fuerunt.

La-

¶ *Lamech*] לָמֶךְ est in pausa. Hanc formam retinent Græci & Latini λάμεχ. Ceterum extra pausam sive distinctionem majorem לֶמֶךְ scribitur i. Lemech. Alius est ejus nominis. Gen. 5. vs. 25. ¶ *Accepit sibi duas uxores*] contra institutionem divinam, in quam & ceteri peccarunt qui post duas aut plures uxores duxerunt. Quod licuit veteribus si non lege, at consuetudine: Nam de lege dubito. David ait, *Legem tuam custodivi*, & tamen octo uxores habuit, nec usquam eo nomine reprehenditur. Sic licebat Judæis repudiare uxorem ob leves caussas, quod nunc non licet. Peccabant, fateor: qui temere divortium faciebant: sed lex hoc permittebat propter duritiem cordis ipsorum. Tantum jubet dare libellum repudii. Nam intercedebat autoritas Magistratuum. Ut uxorem repudiare citra causam adulterii, ita licebat olim plures ducere. Etiamne hodie? minime. Nam consuetudo illa jam abolita est. Hæc scripsi antea, nec unquam aliter scripsi, & tamen audio defensor Polygamiæ. Deus condonet primis autoribus hujus calumniæ. Nam post natam calumniam non fuit unquam major calumnia. Ego & hæc & alia graviora ferre possum. Imo jam contemnere incipio. Conscientia mihi mille testes. Est aliquid lydio lapide probari, & sic conformem fieri imagini ejus qui cum esset agnus ipsa puritate purior, tamen audivit à Pharisæis seductor plebis, vinipotor &c. Non est discipulus supra Magistrum, nec servus supra dominum. Etiam Domine judica inter me & calumniatores meos, de quibus David ait, *Linguam suam acuerunt sicut serpentes, venenum aspidis sub labiis eorum.* Ceterum R. Salomo tradit morem fuisse ætate diluvii, ut duas uxores haberent: unam ad coitum & explendæ libidinis causa; alteram ad propagandam tantum sobolem. Priorem exornabant & belle tractabant, eique propinabant poculum עקרים quo sterilis fieret. Alteram raro frequentabant, nec nisi cum suscipere prolem vellent, ea contemta & squalida erat & perpetuo luctu, ut vidua. Hæc R. Salomo. Fides penes ipsum esto. Nam unde hoc scire potuit? Quia quod de poculo sterilitatis dicit, ex hoc ipso loco refutari potest. Sane quidem ex Sella, quam libidinis causa duxisse scribit, prolem suscepit Lamechus, ut ostendit versus, qui ab hoc tertius. ¶ *Ada*] ἀδά. ¶ *Sella*] σελλά. Vetustas lectionis pro Silla i. צִלָּה quod nunc in codicibus Ebræorum. Sic Hellel pro Hillel. Quod adeo crebrum in antiquitate ut nunquam fere aliter legerint.

20. *Et peperit Ada Jabal: ipse est pater habitantium in tabernaculis, & pecorum.*

21. *Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit pater omnium tenentium citharam & organon.*

Et peperit] καὶ ἔτεκε. Quod est ילד proprie. Hiero. hic habet, *genuitque Ada Jabel.* Nam gigno & pario permutantur. Sic Luc. 1. 57. ἐγέννησε τὸν υἱὸν Elisabetha. ¶ *Jabal*] יָבָל. Nec aliter Onkelos & Jonathan. Græci scribunt Ἰωβὴλ & autor vulgariæ *Jabel*. In Jobel agnosco morem antiquum, quo (ָ) per ο efferebant. Et hoc more invenies ἀδὰμ pro Adam apud Josephum & Lecho pro Lecha, item Attho pro Attha apud Hieronymum. ¶ *Pater habitantium in tabernaculis*] primus eorum qui habitarunt in tabernaculis sive tentoriis, quales erant Arabes illi quos Scenitas & Nomades vocant. Sunt qui tradunt eundem primum tabernacula confecisse, artemque fabricandi tentoria, quam σκηνοποιΐαν vocant Græci, docuisse. Quod verum videtur. ¶ *Et pecorum*] pater pecorum. i. Magister pecorum, qui a Chaldæis hoc loco vocatur רַב מָרִי & alibi רב מרי videlicet Amos 1. 1. In editione Hiero. est, *pastorum.* i. ποιμένων, sive רֹעִים. Græci habent κτηνοτρόφων, quod reddunt, *pascentium pecora.* Scire licet, cum supra legatur, *Habel erat pastor ovium*, esse recentiores & nuperos interpretes qui hic legant, *is fuit autor degentium in tentoriis & pecuariæ.* Autor pecuariæ qui primus invenit aut docuit pecuariam sive artem pascendi pecora. Sic dicunt בעל מקנה qui pecuariam exercet. ¶ *Jubal*] יוּבָל quod scribunt ἰουβάλ. Lexicon Hesychii, Ἰουβάλ, κύριον ὄνομα τοῦ καταδείξαντος κιθάραν. Nam primus citharam pulsavit, ut sequentia declarant. ¶ *Pater omnium tenentium citharam*] Hiero. *pater canentium cithara.* LXX. ὁ καταδείξας ψαλτήριον: qui monstravit psalterium. Et est sensus, qui primus monstravit. Onkelos & Jonathan, *Princeps vel Magister eorum omnium qui constituti sunt ad canendum cithara.* Pater ergo. i. primus aut princeps: item autor, inventor. Hoc significatu sumitur Jacob. 1. 17. *à patre luminum* i. ab eo qui autor est istius lucis. Sic, *pater Edom.* i. autor generis: *pater verbi.* i. autor verbi. Ruffinus de Hieronymo in prologo περὶ ἀρχῶν, *Sed ille, ut video, in stilo proprio placens rem majoris gloriæ sequitur, ut pater verbi sit potius quam interpres.* ¶ *Tenentium*] pulsantium, tractantium. Alibi, *tenere bellum* est tractare arma: *tenere falcem*, falcem adhibere aut ea uti: *tenere nomen DOMINI*, jurare. ¶ *Citharam*] ita Hiero. quem sequuntur Santes & alii. Græci hic ediderunt ψαλτήριον. Onkelos, *qui constituti sunt super nablium, & periti sunt canendi cithara.* Nablium i. נבלא quæ & nabla, & putatur esse eadem cum psalterio. כנורא factum ex Ebræo כנור quam Galli *violon* interpretantur. Non hic solum, sed etiam Ps. 81. 2. & 149. 3. ubi Hiero. cithara, & Lxx. similiter ψαλτήριον. Alibi convertunt בכנור ἐν κιθάρᾳ, videlicet Psalm 147. 7. Hujus pluralem כנרות Psalm. 137. 2. Lxx. reddunt ὄργανα. alius κιθάρας, & alius λύρας. Hiero. *citharas.* ¶ *Et organon*] עוּגָב. Lxx. καὶ κιθάραν. Onkelos & Jonathan, ואבובא & fistulam sive tibiam. Hiero. *& organo.* Hunc secuti sumus. Psal. 150. 4. בעגב Lxx. καὶ ὀργάνῳ: alius, διὰ κιθάρας. Quod si עגב est organon, עגב תופש erat is quem vulgus organistam vocat. Porro hunc versum ita olim interpretatus est Josephus, τούτων Ἰώβηλος μὲν ἐξ Ἀδᾶς γεγονὼς, σκηνὰς ἐπήξατο, καὶ προβατείαν ἠγάπησεν. Ἰουβάλος δὲ ὁμομήτριος ὢν αὐτῷ, μουσικὴν ἤσκησε καὶ ψαλτήριον καὶ κιθάραν ἐπενόησε: id est, Ruffino interpretante, *Horum quidem Jabel qui fuit de Ada, tabernacula fixit, & greges amavit* (malim, rei pecuariæ studiosus fuit). *Jubal consanguineus ejus existens, musicam coluit, & psalterium citharamque laudavit.* Videtur legisse ἐπῄνεσε pro ἐπενόησε, excogitavit.

22. *Et Sella etiam ipsa peperit Thubal-Cain, politorem omnis opificii æris ac ferri: Soror autem Thubal-cain Naama.*

Etiam ipsa] גם היא, Etiam ipsa, vel ipsa quoque. Lxx. σελλὰ δὲ καὶ αὐτὴ: Sella vero & ipsa. Hiero. *Sella quoque.* ¶ *Peperit*] ἔτεκε. i. יָלְדָה. Hiero. *genuit*, הוֹלִידָה. Vide quæ scripsimus ad vers. 20. ¶ *Thubal-Cain*] nomen ex duobus conflatum, videlicet ex Thubal & Cain. Cain Græca declinatione Καΐς, apud Josephum. Quandoque nomina ex tribus vel pluribus componuntur, ut נבוכדנאצר Nabuchodonosor. In Lxx. τὸν θόβελ: excidit Καΐν, culpa, ut reor, librariorum. Pro θόβελ est cur malim θοῦβελ. ¶ *Politorem omnis opificii æris & ferri*] vel *acuentem* i. erodientem, *omnem opificem æris ac ferri* i. omnem fabrum ærarium ac ferrarium. Hiero. *qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris ac ferri.* לטש כל חרש. Lxx. καὶ ἦν σφυροκόπος, χαλκεὺς χαλκοῦ καὶ σιδήρου: & fuit malleator, faber æris ac ferri. σφυροκόπος *qui malleo aliquid cudit, qui malleo tundit aut percutit.* Onkelos, *magister (vel princeps) eorum omnium qui sciunt opera æris ac ferri.* Posses legere, *polientem omnia & fabrum æris ac ferri*, ut sit ἀσύνδετον. Jonathan, *Magistrum vel principem omnium fabrorum qui sciunt opificium æris & ferri.* ¶ *Opificii*] חֹרֵשׁ opus fabrile. Nam חָרָשׁ faber. R. Salomo exponit תקון artificium. Sic etiam R. David in libro ubi vocum sensa collegit. Ad quod exemplum est יֹתֵר residuum. 1 Sam. 15. 15. sive præstantia i. יִתְרוֹן Cohel 7. Alias participium est generis activi, חֹרֵשׁ fabricans, quod pro nomine usurpatur. 1 Reg. 7. 14. חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת faber æris i. ærarius. ¶ *Æris*] χαλκοῦ. Chald. נְחָשָׁא. Sunt qui chalibem, quod est ferri genus durissimi, eo nomine significari tradunt, usi hoc argumento quod ex hac materia olim arcus fierent. Antea monui. Argumentum hoc parum solidum est. Vide Quæst. meas. Mercerus tam æs quam chalybem denotare putat. Non assentior. ¶ *Naama*] νοεμὰ Lxx. & *Noema* Hier. *Uxor Noe.* Genesis magna, Νοεμὰ i. נֹעֲמָה: Sed est cur malim Nooma. Sic Noomi rectius legitur, quam Noemi. Nam in fonte נָעֳמִי.

23. *Dixitque Lamech uxoribus suis Ada & Sellæ, Audite vocem meam uxores Lamech, & auribus percipite sermonem meum: Nam virum occidi pro vulnere meo, & puerum pro livore meo.*

Uxores Lamech] i. meæ. Nomen loco pronominis. Simile, *Dixit Moses socero Mosis.* Ejusdem farinæ est, *Et dixit DOMINUS, Ascende ad* DOMINUM. ¶ *Auribus percipite*] ἐνωτίσασθε. ¶ *Nam virum occidi pro vulnere meo &c.*] Locus difficilis si quis alius in hoc libro, quem varie interpretantur. Onkelos, ut ab eo nunc incipiam, *Non occidi virum ut propter eum ego pœnam mortis subeam, nec etiam adolescentem perdidi, ut propter eum deleatur semen meum.* סבל חובין לממת, verbum è verbo, *portem debita ad moriendum.* Ego sensum expressi, nisi fallor, quem Fagius non percepit, qui vertit, *ut propter eum ego portem peccatum.* Jonathan, *Quia non occidi virum ut occidi debeam pro eo, nec etiam corrupi adolescentem ut propter eum perdatur semen meum.* Lxx. ὅτι ἄνδρα ἀπέκτεινα εἰς τραῦμα ἐμοὶ, καὶ νεανίσκον εἰς μώλωπα ἐμοί. Hiero. *quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum.* Ceterum negatio nulla in fonte. Quod autem Chaldæi eam addunt, in caussa est quia legerunt Ebræa cum interrogatione, *Virum occidi pro vulnere meo? aut natum pro*

livore

livore meo? Quod idem cum illo, *Non occidi*. Nam interrogationis nota sæpe desideratur. Pro exemplo erit, ut unum adducam è sexcentis, *Et tu Bethleem Juda minima es ut sis in Chiliadibus Juda*? Sensus est, nequaquam es minima. Quomodo sane retulit interpres omni exceptione major. Is est Evangelista Matthæus. Recensui antiquas interpretationes. Videamus nunc recentiores. Santes, *Si virum occidero in vulnere meo, & puerum in livore meo.* כי pro אם id est si, non memini legere. Unicus locus est 2. Sam. 19. 7. כי אינך יוצא quem interpretantur, *si non fueris egressus*, sed in eo loco defectus est particulæ אם & reddi debet, *Quod si non fueris egressus* כי אם אינך יוצא. ita mihi videtur. Tremellius, *certe virum occiderem propter vulnus meum, etiam adolescentem propter livorem meum.* Munsterus, *Si virum occidi in vulnus meum & puerum in livorem meum.* Gallica editio ultima, *je tuerai un homme moi étant navré, voire un jeune homme moi étant meurtri.* Et in margine, *ou je tuerai un homme le navrant, voire un jeune homme le meurtrissant.* In hac interpretatione כי redundat, ut ὅτι in illo ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται: Nazaræus vocabitur. Quanquam in hoc postremo loco potestesse pars testimonii. § *Occidi*] malim *occiderem*. Si quis, inquit, me duntaxat vulneraret, ego illum protinus occiderem. Hæc jactantia declarat quale fuerit ingenium illo ævo, qualisve indoles posterorum Cain. Alia interpretatio & fortasse melior (mihi certe præ ceteris arridet) *Occidi* i. occidam, & est sensus, si occidero. Nam (*si*) particula hoc modo sæpe desideratur. Sic accipio Malach. 1. *Ipsi ædificabunt & ego destruam*, pro, si ædificaverint. Exempla sunt in his libris alia multa. Sententia hujus loci, Post repertaarma cum viro metuerent uxores ne iis abusus sibi periculum crearet, dicit nihil esse metuendum. Nam, inquit, etiamsi occiderem quempiam, tamen nullum mihi inde periculum propterea quod pœna gravissima manet eum qui Lamechum occidet. Id indicant consequa verba, *Nam septies vindicabitur Cain & Lamech septuagies septies.* § *Puerum*] vel, *adolescentem*. i. νεανίσκον: aut *juvenem*. Virum & juvenem. i. virum juvenem, ut de uno eodemque sermo sit. Quod inter alios Theodoretus censuit. Aliter יֶלֶד & natum i. hominem, qui plenius ילוד אשה natus ex muliere. Ut à moriendo mortales. i. מתים denominati, sic à nascendi conditione ילודים i. nati dicti sunt, ut 4 Esdr. 4. *Quis natorum poterit facere ut me interroges de his?* quis mortalium? similiter Plautus Mostellaria Scena, *Habeo Neptune &c. natus meis in ædibus* i. homo. Sic Gen. 16. ילידי בית מקנת vocantur omnes ejus vernaculi, cujuscunque tandem ætatis essent. Sic Num. 13. ילידי הענק dicuntur ipsi Anacim, qui & בני ענק paulo post. § *Pro livore meo*] secutus sum interpretem nostrum cui חבורה est livor. Aliis est vibex i. μώλωψ. Sane Lxx. ediderunt εἰς μώλωπα ἐμοί, quod livorem reddunt, ego vibicem malo. Est autem vibex verberum in cute vestigium. Lex. vet. *Vibices*, μώλωπες ἀπὸ πληγῶν. *Vibices*, μώλωπες. Sunt qui vulnus à livore ita distinguunt ut פצע sit vulnus unde sanguis exit: חבורה livor unde non exit sanguis. Abenezra Jes. 1. 6. חבורה *est plaga cum sanie, sive cui sanies juncta.*

24. *Quia septies vindicabitur Cain, & Lamech septuagies septies.*

Vindicabitur Cain] vindicta sive ultio sumetur de eo qui occiderit Cain. Hoc Hiero. dixit, *ultio dabitur de Cain*: & Lxx. ἐκδεδίκηται ἐκ Κάϊν. Si legas, *punietur Cain*, sententia erit *occisor Cain*. Sic *Lamech* i. occisor Lamech. Quod coactum mihi videtur. Onk. & Jon. תלו לקין suspensum fuit Caino. Quod pro eo habendum ac si dixisset, suspensa sive delata fuit pœna ipsius. Præcedit autem, in septem ætates. § *Septies*] ἑπτάκις. i. multoties: vel *septuplo* i. ἑπταπλασίως. Hoc Hiero. illud Senes ediderunt. § *Septuagies septies*] vel, *septuagecuplo septuplo*. Huic loco illustrando est dictum Christi Matth. 18. 22. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Græca sunt ἕως ἑπτάκις, ἀλλ' ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. Nam quin huc respexerit ὁ σωτήρ, nullum mihi dubium est.

25. *Cognovit autem Adam adhuc uxorem suam, quæ peperit filium, & vocavit nomen ejus Seth, inquiens, Quia posuit mihi Deus semen aliud pro Habel, quem occidit Cain.*

Cognovit autem] vel, *postea cognovit*. In Ebræo est ad verb. *& cognovit*. § *Adam*] homo. § *Adhuc*] amplius, denuo, iterum ἔτι. § *Uxorem suam*] In edit. Græca Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ: Evam uxorem suam. Videtur ex ἔτι, quod in ea editione nunc desideratur, per incuriam librariorum & scribarum factum Εὔα i. Heva. Sic enim antiquitus legebant pro Hava sive Hayva. § *Quæ peperit filium*] ותלד בן & peperit filium: Lxx. καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκεν υἱόν: & quum concepisset peperit filium. Vau pro אשר cum alibi accipitur, tum etiam in illo, *Ecce ego mitto angelum meum* ופנה *& complanabit*. Nam sensus est vel Matthæo interprete, qui complanabit. § *Et vocavit nomen ejus*] Quis vocavit? haud dubie mater. Nam verbum, quod in Ebræo, fœmininum est: & nomina imponebant filiis non pater solum, sed etiam mater. Quod hodie non nemo negat, sed frustra. § *Seth*] שֵׁת, quod interpretantur *positus* i. datus: aliis שת est θέσις positio. Hiero. in Quæst. *Seth proprie* θέσις *i. positio dicitur. Quia igitur posuerat eum Deus pro Habel, propterea Seth i. positio appellatur.* Ceteræ interpretationes folia farferi sunt & Nævii butubata. *Seth, poculum sive gramen aut semen seu resurrectio vel permutatio.* In libro nominum, Seth, *positio vel positus, aut ponere vel posuit.* Ponens: שת pro שאת. Posuit, שת. § Inquiens] abest in Ebræo: nos addidimus. Quod ante me fecit Hiero. *Dicens*: & Lxx. λέγουσα: & uterque Chaldæus ארי אמרת nisi quod in Onkelo אמר pro אמרת: nam dixit. § *Posuit*] שת *Sath* posuit. i. dedit. Nam dare & ponere se mutuo explicant. Sic interpretantur Onkelos & Jonathan. יהב לי יי *dedit mihi* DOMINUS. Ergo שת datus, sicut dicimus, *A Deo datus*, Qui sensus verbi est in Jonathan & Theodotio. Nam Jonathan, DOMINUS *dedit.* Aquila hunc locum sic olim exposuit, *Et vocavit nomen ejus Seth, dicens: Quia posuit* DOMINUS *mihi semen alterum.* Seth quasi Sith i. שית positus, qui & שית a verbo שת posuit. § *Semen aliud*] σπέρμα ἕτερον. i. prolem aliam. Nam semen Ebræis aliud nihil quam proles latinis, ut in illo Virgilii,

Et pulchra faciat te prole parentem.

Onkelos & Jonathan, בר sive בר אחרן, i. *filium alium*. Porro זרע semen nomen est collectivum, quod hic uni tribuitur. Dignum nota vel propter locum Apostoli, *Non dixit in seminibus, sed in semine.* Verba Mosis sunt, *in semine tuo benedicam*, de uno Christo. § *Quem occidit Cain*] ὃν ἀπέκτεινε Κάϊν. Sic etiam Hiero. Sed & uterque Chaldæus. Verba Ebræa sunt כי הרגו קין quæ non male etiam reddes, *quia occidit eum Cain.*

26. *Sed & ipsi Seth natus est filius; & vocavit nomen ejus Enos: tunc cœptum est invocari nomen* DOMINI.

Sed & ipsi Seth] ולשת גם הוא & *Setho etiam ipsi natus est* &c. Hic habes הוא in casu obliquo, quod quia rarum, diligenter notandum est. § *Vocavit nomen ejus*] ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Satis erat ἐπωνόμασεν αὐτόν. Hiero. *quem vocavit*, malim, *quem nominavit.* § *Enos*] Ἐνώς. In libro nominum *Enos*, *homo.* Nunc interpretantur *Enos*, *mortalis*, eodem redit. Eusebius, ἀληθὴς ἄνθρωπος: verus homo. Alibi ἐπιλήσμων, obliviosus. Nomen cum re quadrat. Nam facile Creatoris sui obliviscitur. Quo accommodant illud, *Quid est Enos ut ejus memorsis?* id est homo, quia ὑπὸ τῆς λήθης appellationem accepit. Aliis Enos ἀπὸ τοῦ ANAS doluit. Quæ notatio verior existimatur. Enos ergo homo miser & ærumnosus propriè. Nam dictus ita ἀπὸ τῆς συμφορᾶς. Voluit autem vir pius (videtur certè) hac appellatione filii nobis in memoriam revocare humanæ conditionis fragilitatem. Siquidem nihil homine fragilius, nihil ærumnosius. In memorato libro nominum, *Enos*, *violentus sive desperatus.* Violentus i. אנס: desperatus אנוש. Qui sonus verbi est in Græco ἄνους, amens. § *Tunc cœptum est invocare nomen* DOMINI] Verbum è verbo, *Tunc cœptum est vocari in nomine* DOMINI. Hoc Hieronymus dixit, *Tunc initium fuit invocandi nomen* DOMINI: & interpres Aquilæ, τότε ἤρχθη τὸ καλεῖν ἐν ὀνόματι Κυρίου: tunc cœptum est vocare in nomine DOMINI. Ne quid celem, in edit. Rom. habetur τοῦ καλεῖσθαι i. vocari: quæ lectio in omnes partes melior est. Onkeli exemplaria variant. Nam in aliis, *Tunc inceperunt homines orare in nomine* DOMINI: & aliis, *Tunc profani fuerunt homines, ita ut non precarentur in nomine* DOMINI. Nam הוחל tam potest exponi, *profanatum est*, quam *cœptum est.* Utrumque simul conjungit Tremellius, *Tunc cœptum est profanari in invocando nomine Jehovæ.* Sed meo judicio non benè, Nam si sig. *cœptum est*, non significat *profanatum est*; contra si significat *profanatum est*, non sig. *cœptum est.* Utrumque simul significare non potest, aut ego in magno errore sum. Quod autem Græci ediderunt, οὗτος ἤλπισεν, *iste speravit*, error est interpretantium הוחיל pro הוחל. Nam זה speravit. Autor vulgariæ nostræ, *Iste cœpit invocare nomen* DOMINI: legit זה pro אז tunc, & הוחל pro הוחל cœptum est. Aquilæ declaramentum, quod modo allegavimus, aliter exponas, *Tunc inceptum est vocari de nomine* DOMINI, ut sensus sit, Tunc homines cœperunt vocari Dii & filii DOMINI. Quam sententiam expressit Gallica editio posterior per hæc verba, *Alors on commença d'appeller du nom du Eternel.* Vide nunc, si placet, Pericula mea.

AMAMA.

8. *ET dixit Kain ad Habel fratrem suum, egrediamur foras.* Hîc superfluæ sunt duæ voces ultimæ, quæ nec Chaldæus Onkelos legit. Videtur autem Vulgatus ea ex Lxx. suæ versioni interseruisse, qui habent, *διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον.* Non ignoro Chaldæos Paraphrastas Jerosolymitanum & Pseudo-Jonatham hic prolixa colloquia interpolasse, sed ex humano cerebro conficta. Ea ubi videris apud (a) Drusium in eandem sententiam mecum condescendes. Hier. in Quæstionibus subaudit, & dixit K. ad Hab. *ea quæ locutus erat DOMINUS.* Ferè in eundem modum Abenezra בכל התוכחות שהוכיח השם. i. omnes increpationes quibus increpitaverat eum DOMINUS. Sed si vertas, *Et locutus est* i. sermones habuit vel *collocutus est Cain cum Habel*, tum ad sententiam mihi nihil videtur deesse. Fateor tamen & sic in dubio linqui, quid sermonum rixarumve inter eos fuerit. Commutata inter eos fuisse verba rixæ ipse Moses non obscure innuit. At quænam illa fuerint nos celavit & ipsummet Mosem forte magnus ille dictator. Quid ergo ad nos attinet hæc scripturarum abdita scrutari? Nescire velle quæ Magister maximus docere non vult, quæque te scire nihil juvat, erudita inscitia est. Atque hinc forte est illud in Ebræis codicibus intervallum & quasi hiatus hic loci præter morem, quo Massora respexit dum in margine Edit. Venetæ in folio sic notavit כ״ח פסו' פסק' באמצע פסוק i. 28. versus sunt in quorum medio interstitium vel quasi Pausa quædam est.

13. Vulg. *Majus est peccatum meum quam ut veniam merear.* Hæc versio, si non peperit, saltem aluit opinionem Pontificiorum de merito congrui, vide Morton. Apol. part. 2. lib. 1. cap. 12. At Ebræa licet ambigua sint, tamen hanc sententiam omnino non habent. Sic enim ea, Major est iniquitas mea מנשוא. Vox Ebræa נשא verè *πολύσημος* aliq. significat, *tollere, auferre, remittere peccatum*, hoc sensu מנשא *Minnefo* putarim positum esse pro מהנשא *Mehinnase, quam remitti.* i. quam ut remitti queat, ut versu ultimo hujus cap. לקרא *likro* pro להקרא *lehikkare.* Significat aliq. & *ferre, portare*, & tunc עון *iniquitas* Metonymice accipitur pro *pœna iniquitatis*, hoc sensu, Major est pœna iniq. meæ quam ut ei sim portandæ. Potest ergo ut vides utrumque significare hoc loco, vel *veniam alicui facere*, vel, si sumatur passivè, *veniam consequi, condonari.* At *veniam mereri* proprie nuspiam extat. Sed vide Steuchum & Cajetanum qui pulcram nobiscum hic tenent contesserationem.

15. Redundant illa verba, *Nequaquam fiet.* Eoque obelo configenda. Error communis ei cum Lxx. *οὐχ οὕτως*, Theodotione & Symm. *non sic.* Effinxerit hoc fortean aliquis ex voce לכן, quam resolvet in לא *non* & כן sic. Sed respondeo 1. לא non esse Ebr. sed Chaldæum. 2. Talis ferruminationis non extare ullum exemplum. Opponet forte בגד Gen. 30. 2. quod quidam positum volunt pro בא גד venit fortuna; sed præterquam quod ibi בא Ebr. & per consequens dissimile, adeo variis opinionibus involuta vox illa est, ut eo confugere sit lucem e tenebris velle accendere. Optime hic Aquila, *Propterea.* Et Onkelos בכן, ut & B. Hieron. Epist. 75. quæ ad Damasum. Quin & Cajetanus & Steuchus fatentur לכן non *nequaquam* sed *ideo* vel *imo* significare. Non autem insolens esse in sacris ordiri sermonem ab hac particula, quoties difficultati aut interrogationi præcedenti respondetur vel occurritur, docuit hoc loco adductis duobus locis 1. Sam. 3. Isai. 7. præstantissimus Mercerus.

16. Ebr. *In terra Nod.* Vulg. *Profugus in terra.*

Vulg. *Egressusque Kain à facie DOMINI habitavit profugus in terra* &c. At in Ebræo, *& habitavit* בארץ נוד i. fatente etiam Cajetano, *in terra Nod.* Nisi vox *Nod* plene scripta esset. i. cum Vau Holem, regeret scio adversarius aliquis Interpretem legisse sine punctis נד, quod vel cum Holem defectivo, Nod, vel (ד) legi posset נד *Nad.* i. profugus. Ast bene se habet quod exemplaria scribant cum Vau, unde & sepes Legis non immerito dicta Massora hîc notat ל׳ מלא. ל׳. i. לית וכלא. i. *non occurrit amplius & plenè scribitur:* plene i. cum Vau. Si enim sic scriptum fuisset נד, jam חסר. i. defectivum fuisset. Unde Lxx. quoque pro nomine loci acceperunt, licet voce aliquantulum corrupta, *ἐν γῇ Ναΐδ.*

26. Ebr. :אז הוחל לקרא בשם יהוה: Vulg. *Iste* (*Enos*) *cœpit invocare nomen DOMINI.*

Licet locus hic, si quisquam, sit *πολυθρύλλητος*, tamen haud scio qua fronte huic versioni patrocinium præstari queat. Primo enim אז non significat *ipse* sed *tunc.* Diserte magnus ille Vulgatæ Patronus Steuchus, אז *non refertur ad personam sed ad tempus. Nec ulla apud nos*, inquit, *extat ratio quam afferamus cur Lxx.* (*quos* sc. hic secutus Vulgatus) *ita verterint.* Et Cajet. Cardinalis, *explicat Moses non personam sed tempus.* Dicet aliquis τὸ Lxx. & Vulgatæ Interpretationis codices olim habuisse, *Tunc*, sed illud ex Nazianzeno jam ante refutavit Steuchus. Secundo, הוחל non Signif. *incepit*, sed, *cœptum est*: Unde Aquila, *τότε ἤρχθη*: Et Hieron. *Tunc initium fuit invocandi* &c. Et Onkelos resolvens impersonale, *in diebus ejus cœperunt filii hominum* &c. Et cui persuadebimus eum Enoso incepisse adorationis cultum? Si urgebis ut ego pronunciem qui hunc locum vertendum putem, licet id jam ex professo non agamus, tamen sic habeto, me ob varia non posse non amplecti eam Interpretationem quam secuti sunt Theodoretus, Aquila, Galli, Angeli in novæ suæ versionis margine. Piscator, Bertramus Lucub. Franckt. cap. 1. & alii, quæ hæc est, *Tunc cœptum est denominari de nomine DOMINI.* q. d. Tunc dissectum est & quasi divisum abiit genus humanum in duas partes, quarum una, piorum scilicet, appellata fuit de nomine Dei, ut cum cap. 6. vocantur בני אלהים: Altera impiorum, sc. de nomine Adam. Sic est profecto, sicuti dicimus *vocari nomen alicujus super aliquem* Jes. 4. 1. Et, *vocari nomen alicujus in aliquo* Gen. 48. 16. Et, *vocare super aliquem in nomine alicujus* Psal. 49. 12. pro denominari vel denominare aliquid de nomine alicujus, sic etiam *vocare* & *vocari* seq. ב i. *in aliquo.* Jes. 48. 1. & 47. 7. & 65. 1. Non ignoramus ab aliis alias afferri interpretationes, sed quia eæ coactiores, in ea quam jam exhibuimus impræsentiarum acquiescimus. Nota, quam absurde ex mala versione ab Enoso vitæ Monasticæ originem arcessat Bell. libro de Monachis cap. 5.

DE MUIS.

1. 2. *ADam vero cognovit uxorem suam Hevam, quæ concepit & peperit Cain, dicens, Acquisivi virum à Domino* (*seu ipsi Domino.*) *Rursumque peperit fratrem ejus Habel. Fuit autem Habel pastor ovium, & Cain agricola.*] Primi mortalium nati fuere Cainus & Habel, quorum illi Caino nomen fuit, huic Habeli: illud *acquisitum Deo*, hoc *vanitatem* sonat.

Quæritur quid moverit Adamum, sive Evam, (ipsa enim est quæ liberis imposuit nomina, at de mariti sententia, ut videtur) ut minori natu filio infaustum malique ominis nomen inderet, præsertim cum primogenito faustum indidisset. Quæri item possit, Cur prioris nominis etymon explicetur, posterioris vero non. Ita ferme respondet Isaacus Karus, Adamum postquam peccati pœnituisset, statuisse apud se ut qui primus sibi filius nasceretur, Divino cultui, secundus vero rebus domesticis, quæ ad Dei cultum mera vanitas sunt, applicaretur, ideoque illi Caino quod sonat *acquisitum Deo*, huic vero Habeli quod *vanitatem*, nomen esse voluisse: ac propterea etiam illius nominis caussam assignasse, hujus vero non; quod ut colendo & celebrando Deo filium gignere gloriosum, ita exercendis rebus vanis inglorium. Quandoquidem autem ubi semel quis peccavit secus ei res accidunt quam sperarit, longè Adamum fefellit eventus. Cainus enim evasit parricida, proque Dei cultore avarus agricola; Habel contra relictâ rerum domesticarum curâ, לקח אומנות רעיית צאן שהיא אומנות נקיה שהצדיקים מתעסקין בו יעקב ומשה ודוד והשבטים לפי שבהן מתבודדים בשדות כדי להתבונן בכחות האלהים, *artem coluit pastoritiam, genus artis innocuum, quod viri justi ac pii, Jacobus, Moyses, David, Tribuumque patres sunt secuti: quod eam exercendo artem solis interim in agris procul à strepitu liceret rerum Divinarum contemplationi ac studio vacare.* In hujus sententia קניתי איש את יהוה vertendum, *Acquisivi virum Domino*, non ut vulgo, *à*, vel *cum Domino.* Ramban ita accipit, probatque את interdum pro ל & præpositione אל usurpari. Ajunt alii una cum Caino editam sororem gemellam, ejusdem olim futuram uxorem, cum Habele vero binas, ejusdem quoque scilicet futuras uxores; ideoque fuisse hunc pusillo admodum corpore cum est editus in lucem, ac propterea à *vanitate* nominatum.. Somnia, quæ nulla probabili nituntur ratione. Quasi vero septem aut novem post mensibus natæ non potuissent esse illorum uxores. Sed enim haud ineptè quis dixerat Habelem à *vanitate* appellatum, quòd jam tum cum hic natus est Divini afflatu numinis præsentisceret Eva, sive Adamus, quid illo tandem futurum esset, nempe illum miserè necandum à fratre.

Adam verò (seu *homo*) *cognovit uxorem suam.*] Nescio qui fit ut ea quæ turpia re non sunt, verbis flagitiosa existimentur: illa autem quæ turpia sunt, nominibus vocentur suis. Latrocinari, mentiri, occidere, re turpe est; sed dicitur non obscœne; liberis dare operam re honestum est, nomine obscœnum

(a) *In notis ad Sulp. Severum, nec non in Frag. Vet. Interp. ad V. T. p. 88.*

num dictuque fœdum. Cic. 1. off. In hoc scilicet imitata est hominum verecundia ipsam naturam, quæque illa, utpote aspectum deformem habitura atque turpem, contexit atque abdidit, eadem omnes qui sanâ mente sunt removent ab oculis: quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes neque earum usus suis ac propriis nominibus appellant. Neque vero alienum est quod Talmudici statuunt, Datos idcirco homini digitos instar clavorum acutos, ut si forte verbum parum honestum audiat, figere statim in aures suas digitos possit, ne quid illæ turpe & obscœnum admittant. Ac si profanis etiam auctoribus paulo severioris notæ quasdam partes earumque usus ac venerandum illud concubii pudici secretum propriis vocabulis efferre religio fuit, quid mirum quod Sacer textus, dum Adamum cum uxore consuetudinem iniisse aut habuisse significare vult, ידע, i. *cognoscendi* verbum usurpat? *Adam verò*, seu potius *homo* (propter ה emphaticum, quod propriis nominibus non adhibetur; in Hebræo enim האדם) *cognovit uxorem suam*, ait Sacer textus. Sed cur tandem, quærat aliquis, hoc potius quam aliud verbum usurpavit? Ecce tibi Bechai, qui ad hoc sic habet, דע כי התשמיש בלשון התורה נקרא ידיעה והטעם לפי שהזרע בא מן המוח שהוא מקום החכמה והדעת ועוד תאות התשמיש היתה סבתה עץ הדעת ולכן נקרא בשם ידיעה: *Scito lecti officium in usu sacrarum literarum* COGNITIONEM *vocari, propterea quod semen e cerebro, quod est sapientiæ & cognitionis sedes, desluat: deinde libidinis causa fuit arbor scientiæ seu cognitionis: idcirco usus uxoris nominatur* COGNITIO. Postremo modo etiam Ezra ad v. 6. cap. 3. Gen. Mihi non videtur tam alte repetenda hujusce rei ratio. Quod enim nusquam magis quam tum vir pro viro cognoscatur, femina pro femina, uxor pro uxore, idcirco videtur Scriptura viri cum muliere seu uxore consuetudinem eo verbo significasse.

Quæritur etiam hic an cum adhuc versaretur in horto voluptatis Adamus uxorem cognoverit, an extra hortum. Rasi putat in horto voluptatis concepisse Evam ac peperisse: ideoque exponendum censet hunc locum, *Adam autem* (seu *homo*) *cognoverat uxorem suam*, per præt. plusquam perfectum, quod ex eo intelligendum vult quod nomini *Adam* verbum subjungatur, id quod secus esset si nomini verbum præfigeretur. Quam regulam unde hauserit Rasi, nescio. Certè est omnino incerta. Ezra igitur existimat extra hortum id factum כאשר ראה שלא יחיה בגופו כנגזו לעולם הוצרך להחזיק המין *Cum videret Adamus se non perpetuo victurum in corpore per seipsum, necesse habuit propagare speciem*; nempe id tantum animadvertit ac sensit ex beato illo horto expulsus, nimirum post peccatum. His si existimat non daturum operam liberis fuisse Adamum si non peccasset, falsus est. Legi enim à Deo latæ de propagando genere obsecutus dubio procul fuisset etsi nunquam peccasset. Sed id si vult, tum demum solum de ea re cogitasse postquam se mortalem factum intellexisset, non repugnarim certe.

15. *Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.*] Cainus postquam ex invidia, quæ inter fratres frequens malum est, Habelem fratrem interemisset, à Deo vehementer objurgatus, assiduaque per orbem terrarum oberratione damnatus, timere cœpit, ac timorem ipse suum Deo exposuit, ne ab obvio quoque interficeretur. Ast Deus securum ipsum esse jussit, signumque etiam ei apposuit nè a quoquam necaretur. Sacri textus verba sunt hæc, *Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.*

Quodnam illud signum fuerit, quæritur. Respondet Rasi sui nominis literam aliquam Caini fronti inscripsisse Deum. Quidam ejus capiti affixum cornu censent. Alii fortem illi animum & audaciam Divinitus inditam, sic ut nihil timeret. Ezra signum prodigiumve aliquod in oculis Caini edidisse Deum, quod illi fiduciam attulerit. At hanc sententiam ex eo refellit Ramban, quod *ponendi* verbum fixum aliquid notet & stabile. Non enim dicitur *dedit* (aut *fecit*) *Caino signum*, sed *apposuit illi signum*, quod perpetuo scilicet una cum illo maneret. Sunt qui putent nescio quid Caini vultui impressum à Deo quod terrorem horroremque cæteris animantibus subitò incusserit, ut nulla ad illum auderet propius accedere. Sunt qui lepram in ejus fronte aut vultu effloruisse suspicantur: alii canem ei datum qui viam præiret latratuque admoneret adesse qui lædere ac nocere possent, ac procul arceret etiam. Alii aliud divinant: nec mirum; cum nihil de isto signo exprimat Scriptura. Sic ego sentio, Nesciri posse neque sciri necesse esse quod qualeve illud signum fuerit, sed quodcunque aut qualecunque fuerit, tale fuisse ut quicunque oculis viderit, aut quo alio pacto deprehenderit, manus aut vim Caino adferre non ausus sit. Quanquam ipsum tandem à Lamecho atnepote sed cœco interfectum esse (ita vix unquam pœnam in terris etiam effugit homicida) existimant Hebræorum nonnulli, freti autoritate v. 23. c. 4. Genes. ubi virum quempiam à se occisum videtur dicere Lamechus. Verum ut occisus sit à Lamecho forsan aliquis, quod ex citato versu non tamen convincitur, qua de re alter erit dicendi locus, non sequitur statim fuisse Cainum, nec est probabile signum Divinitus ei inustum ipsum quoquo modo fefellisse.

23. *Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum & adolescentulum in livorem meum.*] Hunc versum quo facilius exponant Hebræorum Magistri hujusmodi ferme comminiscuntur fabulam, Cæcum fuisse Lamechum, solitum autem cum voluptatis ergo more principum, tum pellium quibus indueretur comparandarum gratiâ, in agros ad venandum proficisci, ducem autem itineris ei adfuisse parvulum quendam puerum, qui cum semel latitantem medias inter arbores Cainum procul conspexisset, suspicans esse feram, quod Cainus prolixiore esset comâ, Lamechum admonuerit ut eam in partem arcum dirigeret ubi erat Cainus. Quod cum fecisset Lamechus, percussum ab eo esse Cainum, quo statim præ dolore altius vociferante, e vestigio accurrisse Lamechum una cum puero, cognitoque Cainum atavum suum esse, arcum quem habebat in manibus subitâ irâ permotum in caput pueri adeo graviter incussisse ut ille moreretur. Quo audito Lamechi uxores, Adam & Sellam, non sustinentes cum viro versari diutius, quod duorum simul hominum interfector esset, ab eo voluisse discedere: verum his verbis conatum illas retinere, *Audite vocem meam, auscultate sermonem meum*, ac ne rebellate in me, quandoquidem estis uxores meæ, ego autem maritus vester: *quoniam* si *virum occidi*, nempe Cainum, illud vertet *in vulnus* ac malum *meum* q. d. ego puniar, non vos; ac si adolescentulum interfeci, hoc quoque ad me attinet, non ad vos: sua enim quemque manet pœna. Cur igitur mihi pergitis esse molestæ? sufficiat mihi dolor meus. Hæc est plerorumque ex Hebræis circa hunc versum sententia, quam probat Abarbanel. Alii, in quibus Tanchuma, teste Rasi, paulo aliter hoc tradunt, divinantes puerum illum quo itineris duce uteretur Lamechus fuisse Tubalcainum ejus filium, eumque à Lamecho inter complosiones manuum, cum nempe, cognito Cainum *atavum suum* à se occisum, præ dolore, ut fit, manum manui fortius incuteret, interfectum. Atque istum sensum hujus versus esse volunt, ut Lamechus uxores suas à se quod duorum hominum interfector esset divortium facere volentes deliniat his verbis, *Audite vocem meam: nonne* (particulam enim כי sic interpretantur) *virum occidi in vulnus meum*, i. data opera, ita ut ejus mors mihi imputari istud crimen ac vulnus meum dici debeat, *& puerum in livorem meum*, perinde ac si dicat, plagâ, aut vibice qui meus, seu à me inflictus, dicendus sit? Nonne errans & imprudens feci, non autem malo animo, nec de industria? Non est istud vulnus aut crimen meum, neque livor meus; ac si diceret, non mihi vertendum crimini quod accidit, quia imprudens feci. Accipe Hebraica, ut referuntur e Rasi; שמען קולי שהיו נשיו פורשות ממנו מתשמיש לפי שהרג את קין ואת תובל קין בנו שהיה למך סומא ותובל קין מושכו וראה את קין תרמה לו כחיה ואמר לאביו למשוך בקשת והרגו וכיון שידע שהוא קין זקנו הכה כף אל כף וספק את בנו ביניהם והרגו והיו נשיו פורשות ממנו והוא מפייסן שמען קולי להשמע לי לתשמיש וכי איש אשר הרגתי לפצעי הוא נהרג וכי אני פצעתיו מזיד שיהא הפצע קרוי על שמי וילד אשר הרגתי לחבורתי נהרג כלומר על ידי חבורתי בתמיה והלא שוגג אני ולא מזיד לא זהו פצעי ולא זהו חבורתי: Cupiam scire ex istis, quo ex oraculo didicerunt Lamechum fuisse cœcum, nec hoc modo, sed præterea venandi adeo studiosum doctumque, ut cœcus posset jaculo sagittave feras configere. Quis etiam de Tubalcaino inter complosiones manuum interfecto revelavit? O miram apocalypsin! Nihil enim ejusmodi rerum in Sacro codice. Aliud annotat Rasi ex lib. cui tit. *Midras Bereschit Rabba*; לא הרג לא כלום ונשיו פורשות ממנו משקיימו פריה ורביה לפי שנגזרה גזרה לכלות זרעו של קין לאחר שבעה דורות אמרו מה אנו יולדות לבהלה למחר המבול בא ושוטף את הכל והוא אומר להן וכי איש הרגתי לפצעי וכי אני הרגתי את הבל שהיה איש בקומה וילד בשנים שיהיה זרעי כלה בשביל אותו עון ומה קין שהרג נתלו לו שבעה דורות אני שלא הרגתי לא כל שכן שיתלו לי שביעיות הרבה. i. *Non interfecit Lamechus quenquam: uxores autem ejus volebant ab eo divortium facere, cum jam liberos edidissent, quod audierant à Deo edictum, Caini genus post septem ætates (seu generationes) esse delendum. Cur ajebant, dabimus operam liberis misere perituris?* (ad verb. לבהלה, ad

ad terrorem) Instat diluvium, quod inundabit universa. Ipse autem sic ad illas, Et num virum occidi in vulnus meum? & num ego occidi Habelem, staturâ quidem virum, annis verò puerum? Quid? Ipsi Caino percussori in septem usque ætates (seu *generationes*) *dilata est sua pœna; mihi, qui neminem occidi, quoties septem ætates differtur?*

Quam bene ac solide ex vers. 15. cap. 4. Gen. in septimam usque ætatem differendam Caini pœnam colligant Hebræi, quivis potest facile judicare qui locum adeat. Ezra haud felicius hujus loci nodum solvit, qui veritas ait Lamechi uxores procreare liberos, בעבור שיהיו שביעיים לקין ויהרגו או ימותו, *quod septimi à Caino futuri essent, interficiendique aut morituri*; ideoque uxoribus suis dixisse Lamechum, Ego sum certe ille septimus: quod si quis me pulsare aut mihi manus velit afferre, tam vir quam puer, confodiam illum atque interficiam. (Vult enim הרגתי, quod est *interfeci*, pro futuro hic usurpari, probatque similibus exemplis.) Ac si in septimam ætatem dilata est Caino pœna, Lamecho in septuagesimam septimam est rejicienda: ille enim sponte & consultâ operâ fratrem interemit, ego vero neminem interfeci. Volebat nempe, inquit Ezra, uxoribus significare ac persuadere כי כבר נסלח הגזרה על קין *factum irritum de Caino decretum*; cum vere tamen Lamechi filii universaque ejus posteritas Diluvio perierit, nec Caino relictum sit nomen ob manus fratri illatas. Sic ludunt interdum Hebræi in interpretandis S. literis, sibique, modo utcunque se expediant, nihil non licere arbitrantur. Quanto satius esset à S. literis abstinere manum quam eas si tractes eo pacto habere? Religioso silentio adoranda potius in iis tot incognita mysteria, nec semper curiosius perscrutanda. Voluit Deus mortales animos latere multa, quæ suo tempore aperiantur. Ecce tibi autem rursum aliud ex Bechai novum, qui sic habet, הביא למך החרב והרציחה בעולם ומעשה אבות יעשו בנים כי הוא בנו של קין הרוצח הראשון והוליד שלשה בנים הבן הבכור למדו ענין המרעה כפי טבעי הבהמות הבן השני למדו חכמת הנגון הבן השלישי למדו כלי המלחמה בחרבות וברמחים ולטוש נחשת והנשים שלו היו מתפחדות ממנו שלא ימות בעונש חטאו לפי שהביא הרציחה בעולם ועל כן היה אומר להן וכי איש הרגתי לפצעי או ילד לחבורתי שעשיתי בו כמו שעשה קין וכתנו לומר כי האדם יוכל להרוג בלא חרב ואין החרב סבת הרציחה ואף על פי שהוא הביא בעולם אומנות אין עליו עונש כמו כי אפשר להמית במיתה קשה מן החרב, i. *Invexit Lamechus gladium, atque adeo cædem in orbem. Exempla parentum imitantur filii: ipse enim filius (abnepos) Caini primi mortalium sicarii: habuit autem tres filios; quorum primogenitum docuit artem pascuariam juxta cujusque animalis naturam atque indolem: secundum docuit artem musicam; tertium artem conficiendi arma, enses, lanceas, ærisque expoliendi. Lamechi porro uxores illi metuebant, ne morte peccati lueret pœnas, qui in orbem cædis instrumenta induxerat. Propterea igitur illis ajebat,* Et num virum occidi in vulnus meum, *aut* puerum in livorem meum, *idemque vobis videor fecisse quod Cainus? Hoc volebat scilicet, posse aliquem alium interficere absque gladio, neque gladium causam esse cædis: ideoque haud fore se puniendum, qui novam artem hominum generi tradidisset: siquidem durius mortis genus inferri possit quam quod gladio.* Satis probabiliter quidem diceret Bechai, nisi Sacer textus repugnaret, qui docet non a Lamecho sed à filiis inventas istas artes. Consulamus nunc Latinos, siquid forte melius de hujus versus mente nos doceant. In varias quoque sententias circa hunc locum distrahi video Latinos interpretes: nec mirum; cum Textus Lamechi duplicem cædem videatur notare quidem, nec tamen hic aut uspiam alibi quos quaque de causa occiderit vel leviter designet. Ex omnibus melius mihi videntur sensisse qui durum atque inhumanum fuisse Lamechum conjectant, multosque suâ ferocia & tyrannide oppressisse, ideoque metuisse uxores ejus ne quando omnes, impetu facto, in illum ruerent ac male mulctarent, deque hac re ab iis admonitum Lamechum adeo non mitigatum, ut potius se magis ad crudelitatem accenderet, jactando apud uxores, sibi satis animi esse viriumque ad fortissimum quemque interficiendum, si qui ipsum aggredi auderent: ac si diceret, Non est quod mihi metuatis, ô uxores meæ; nam quemvis virum aut etiam adolescentem nullo negotio possum confodere, si quis me aggredi ausit. *Occiderem*, (vel *occiderim*, seu *occidero*) *in vulnus meum, in livorem meum*, i. si quis mihi vulnus velit infligere aut me plagâ afficere. Aut *in vulnus meum, in livorem meum*, perinde est ac si diceret; Ego in meum caput recipio si quid est periculi; meo periculo fiat quicquid fiet. Vatablus sic ferme interpretatus est. Mitto aliorum expositiones, quas longum esset referre.

GROTIUS.

1. PEr *Deum*] Sic & Græci hoc loco את, per διὰ vertunt. Dei enim beneficium singulare est fœcunditas. infra XXX. 2.

2. *Abel Pastor ovium & Cain agricola*] Antiquissima duo vitæ genera, ut notat Dicæarchus apud Porphyrium de Abstinentia IV. & Servius initio ad Virgilium.

3. *Ut offerret Cain*] non ullo Dei jussu, sed dictante ratione honorem Deo etiam conspicuum habendum, idque optime fieri posse datis Deo iis quæ homini sunt carissima. Vide responsum ad Orthodoxos inter Justini opera CXIX. & quæ nos ad librum V. de Veritate Religionis Christianæ.

De fructibus terræ] Sagmen forte, cujus antiquissimus apud omnes gentes usus in sacris. Vide Porphyrium de Abstinentia secundo.

Obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum] Cum nihil Deo sacrari soleat, nisi quod in usu sit hominum, animantibus autem vesci ante diluvium, ut probabilior fert sententia, permissum non fuerit, dici posset, oblatam lanam & lac pinguissimum, quod hic חלב [*pinguedo*] vocetur. Nam חלב per γάλα transtulere LXX. Genes. XVIII. 8. XLIX. 12. Exod. III. 8. 17. XXIII. 19. Levit. XX. 24. Num. XIII. 28. XIV. 8. Deuter. VI. 3. XIV. 21. XXVI. 9. 15. 27. XXXI. 20. XXXII. 14. & in aliis libris sæpe. Vetustissimum autem morem fuisse lanam & lac offerendi, ex multis historiis docet Porphyrius. De lacte habes apud Virgilium: de lana locus est Sophoclis Polyido:

> Ἦν μὲν γὰρ οἰὸς μαλλὸς, ἦν δὲ κ' ἀμπέλου
> Σπονδή τε καὶ ῥὰξ εὖ τεθησαυρισμένη.
> [*Vesti inerat ovium vellus: inerat vitium*
> *Latex, & uva cui suus perstat vigor.*]

Pausanias de Cerere Phygaliensi: Ἔθυσαν τῇ θεῷ καθὰ οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσιν οὐδέν. τὰ δὲ ἀπὸ τῶν δένδρων τῶν ἡμέρων τά τε ἄλλα καὶ ἀμπέλου καρπὸν, καὶ μελισσῶν τὰ κηρία καὶ ἐρίων τὰ μὴ εἰς ἐργασίαν που ἥκοντα, ἀλλ' ἔτ' ἀνάπλεα τοῦ οἰσύπου, ἃ τιθέασιν ἐπὶ τὸν βωμὸν ᾠκοδομημένον πρὸ τοῦ σπηλαίου. θέντες δὲ καταχέουσιν αὐτῇ ἔλαιον [*Offerebant Deæ nihil eorum quæ alii earum regionum homines solent: sed à mansuetis arboribus tum alia, tum vitis fructum, & apium favos, & lanam nondum laboratam sed adhuc succidam: quæ omnia imponunt aræ ante speluncam structæ: impositis vero superfundunt oleum*]. Simile quid habet Plato VI. de legibus: Θύματα δὲ οὐκ ἦν τοῖς θεοῖσι ζῶα, πέλανοι δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι, καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα [*Offerebantur autem diis non animalia, sed mola salsa, & fructus melle delibuti, & quæ sunt alia sacrorum pura*]. Empedocles de temporibus antiquissimis:

> Ταύρων δ' ἀκρήτοισι φόνοις οὐ δεύετο βωμός.
> [*Sanguine taurorum innocuo nondum ara madebat.*]

Primogenita autem quæ hic dicuntur ex Hebræo בכרת liceat interpretari ea quæ eximiæ erant magnitudinis ac formæ. Sic בכור מות morbus maxime lethalis, בכורים ficus maxime fructiferæ, בכרה camelus velocissimus. Hæc quidem sic non improbabiliter dici possunt: At Thalmudistæ omnino illis primis temporibus antequam carnibus homines vescerentur holocausta in usu fuisse putant, unde nihil ad homines perveniret, & per quæ Deus rerum omnium vitæque ac necis Dominus agnosceretur. Itaque & post legem ab alienigenis incircumcisis victimas ad holocausta tantum accipiebant, non ad sacra alia per legem instituta.

4. *Respexit Dominus*] Theodotion ἐνεπύρισεν [*inflammavit*], id est, igne de cœlo immisso oblata consumpsit, ac sic grata sibi esse probavit. Probabilis sane interpretatio, quæ & Juliano placuit. Confer historiam Levit. IX. 24. Jud. VI. 21. I Reg. XVIII. 38. II Paralip. VII. 1. Servius ad XII Æneidos: *Apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Scriptor ad Hebræos XI. 4. μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ θεοῦ [*Testimonium perhibente muneribus ejus Deo*].

5. *Concidit vultus ejus*] Signum pudoris, cui opponitur infra 7. שאת vultus erectus, bonæ conscientiæ signum.

7. *Recipies*] In Hebræo שאת. id autem non minus erectionem quam acceptionem significare potest, & sensum quem jam diximus facile admittit.

Statim in foribus peccatum aderit] *Culpam pœna premit comes*, ait Horatius. Nam peccati nomine μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] pœnam significare frequens Hebræis.

Longe

Longe aliter Hebræa hæc legêre Græci, οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον [*Nonne si recte obtuleris, non recte autem diviseris, peccasti? tace:*] quam interpretationem sequitur & Julianus, nisi quod pro ἥμαρτες [*peccasti*], recitat ἁμάρτημα [*peccatum*] sensu eodem. Sensisse autem videntur illi, oblata quidem à Caino quæ fas erat offerri, sed non sui generis optima, aut certe minus decima, quæ ab antiquissimis sæculis Dei portio: infra xiv. 20. xxviii. 22. Vestigia manent etiam in Græcis Latinisque historiis passim.

Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei] Repetendum ex eo quod præcessit: *Si bene egeris*: ut sensus sit, si bene egeris Abelis voluntas tuo imperio subjecta erit, ut fratris minoris. Ita illa: *Sin autem male, statim præ foribus peccatum aderit*: erunt dicta παρενθετικῶς [*per parenthesin*], qualia & in his libris multa occurrunt. Vide Exod. xxxv. 29. & Numer. iv. 7. Psal. xcix. 6. 7. Primogeniti enim per patris aut mortem aut absentiam, paternam quodammodo auctoritatem in fratres habebant: sed hoc jus peccato amitti poterat, ut apparet infra xlix. 3. 4. i. Paral. v. 1. Adde 1 Reg. i. 25. & sequentia.

8. *Egrediamur foras*] Græce διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον [*eamus in campum*], quod addidit & Samariticus, ut notatum & Hieronymo & Cyrillo. Addidere & Syrus & Hierosolymitanus & Jonathan. In Hebræo per compendium id omittitur, quia ex his quæ sequuntur, quid Cain dixerit satis intelligi potest. Reticentias tales supplendi libertatem non inutilem sæpe sibi sumunt interpretes. Convenit huic historiæ illud Ovidii:

Fratrum quoque gratia rara est.

9. *Num custos fratris mei sum ego*] Id est, παιδαγωγὸς [*pædagogus, sive pueri ductor*], quo sensu apud Horatium est,

Imberbis juvenis tandem custode remoto.

12. *Vagus & profugus eris super terram*] Orestes in Iphigenea Taurica apud Euripidem:

—— διαδοχαῖς δ' Ἐρινύων
Ἠλαυνόμεσθα, φυγάδες, ἔξεδροι χθονός,
Δρόμους τε πολλοὺς ἐξέπλησα καμπίμους.
Ἐλθὼν δὲ σ' ἠρώτησα, πῶς τροχηλάτου
Μανίας ἂν ἔλθοιμ' εἰς τέλος, πόνων τ' ἐμῶν,
Οὓς ἐξεμόχθουν περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα.
[—— *Furiarum impetu*
Agitabar exsul, patrio extorris solo:
Multosque flexus cursuum impleram miser,
Cum te rogavi, quomodo finem assequi
Possem vagi furoris & cruciatuum
Quos Græcia omnis terminos obiens tuli.]

Minerva eidem Orestæ:

—— πόνων τε σῶν
Οὓς ἐξεμόχθεις περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα
Οἴστροις Ἐρινύων.
[—— *Ærumnis tuis*
Quas pertulisti Græciam circumvagans
Erinnyum œstris.]

14. *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*] Ex naturæ dictato:

Εἴ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
[*Quæ fecit, si quisque ferat, jus fiet & æquum.*]

Vide quæ de hoc loco, & iis quæ sequuntur dicta à nobis libro primo de Jure belli ac pacis cap. ii. §. 5. & in Annotatis.

16. *In terra*] Omissum hic nomen terræ נוד Græcis Ναὶδ [*Naid*]. Factum autem hoc postquam Deus pœnam perpetuæ fugæ in mitiorem exsilii sedentarii mutavit, sed adscriptis illi locis durioribus, qualis erat Arabia deserta: ubi latrocinari cœpisse primus omnium dicitur Josepho.

17. *Uxorem suam*] Eandemque sororem, quæ Save seu Azaa Epiphanio; at Chrysostomo, Ripha.

19. *Ada*] Nomen muliebre quod apud Caras mansit.

21. *Et Organo*] Hebraice עגב, Græci κιθάραν [*citharam*]. At Chaldæus אבובא [*abuba*]. Scholiastes Horatii: *Ambubajæ dicuntur mulieres tibicinæ lingua Syrorum. Etenim Syris tibia sive symphonia ambubaja dicitur.*

25. *Vocavitque nomen ejus*] Mater scilicet. Est enim verbum quod femininis jungitur.

26. *Iste cœpit invocare nomen Domini*] Aut *cœpit appellari nomine Dei*. Quem sensum Cyrillus probat, ut velut Dei ad homines legatus, propterea Dei nomen acceperit, ut Angeli solent. Et ideo infra vi. 2. & 4. Filios Dei idem Cyrillus interpretatur Enochi posteros. Aquila videtur hoc voluisse, cum transtulit: τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου [*Tunc cœpit vocari Dei nomine*]. Favet huic sensui Irenæus. iv. 30.

CARTWRIGHTUS.

1. P*Ossedi, vel acquisivi virum à Domino* קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה] Ut את sit pro מאת, ut Mic. 3. 8. veruntamen ego *repletus sum robore* מלאתי כח את רוח *à Spiritu Domini*. LXX. διὰ τοῦ θεοῦ, *per Deum*. Et sic Vulg. ubi in margine est, Dominum. Chald. מן קדם יי *à conspectu Domini*, i. e. (ut Fagius explicat) *Dei gratia & favore*. In quibusdam autem exemplaribus Chaldaicis legi dicitur, קדם יי *coram Domino*, atque ita habere Complutensem editionem. Atque ita Gerundensem exponere refert Fagius in (a) Collat. ut sit sensus, *Filius iste erit mihi possessio Dei, ut cum nos moriamur, ipse loco nostri colat creatorem suum*. Ipse autem Fagius (quem & Gualtperius, ut ferè solet, sequitur) mavult sensum esse, *Acquisivi virum Dominum*; quasi existimasset Eva, hunc esse semen illud promissum, cap. 3. 15. At hæc expositio Mercero contorta videtur; & Drusius asserit, si iste esset sensus, dicendum fuisse, קניתי את איש את יהוה, R. Salom. hic sumit את pro עם, i. e. *cum*, ut quandoque sumitur; q. d. Deus per se solus me virumque meum creavit; at in hoc homine producendo nos cum illo conjuncti sumus. Prima expositio, quam Mercerus, Drusius atque alii secuti sunt, mihi omnium videtur simplicissima.

3. *Et afferebat Cain, &c.*] Aben Ezra ait eum attulisse munera sua ad locum שקבע להתפלל, i. e. quem tibi ad orationem constituit? ac eorum sententiam improbat (quæ tamen haud minus videtur verisimilis) qui aiunt Cain ad patrem oblationem suam attulisse.

4. וַיִּשַׁע *Et respexit.*] R. Salom. exponit פנה & *convertit faciem suam*, scil. ad aspiciendum. Atque ait ignem descendisse, ac sacrificium consumpsisse. Similiter Aben Ezra exponit per קבל, i. e. acceptavit, acceptum habuit; & ait forsan ignem descendisse, ac in cinerem redegisse oblationem Abel, non autem oblationem Cain. Atque hoc quidem valdè est verisimile. Unde (inquit Hieron. in Tradit.) scire poterat Cain, quod fratris ejus munera suscepisset Deus, & *sua repudiasset*, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotion posuit, *Et inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus; super Cain vero, & super sacrificium ejus non inflammavit?* Ignem autem ad sacrificium devorandum solitum venire de cœlo, & in dedicatione Templi sub Solomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.

7. הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *Nonne si bene egeris, acceptatio* (tui erit)? *Et, si non bene egeris, peccatum ad ostium cubat?*] LXX. οὐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον, i. e. *Nonne si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti? quiesce.* At hæc adeò longè ab Hebraicorum verborum sententia recedunt, ut Chamierus (tom. 3. lib. 3. cap. 14.) non immeritò dicat, ea neque cœlum, neque terram, quod aiunt, attingere. Senensis etiam Biblioth. S. lib. 5. annotat. 65. dicit, LXX. hic omnia perturbasse, & à veritate Hebraici contextus vehementer deviasse. Ita & Steuchus (referente Chamiero) fatetur horum nihil in Hebraico esse, & Sibylla indigere. Quin & Hieron. In Tradit. notat nunc multo alium in Hebræo sensum esse, nempe hunc; *Nonne si bene egeris, dimittetur tibi? Et, si non bene egeris, ante fores peccatum tuum sedebit?* Quod autem (inquit) dicit, hoc est, Quare irasceris, & invidiæ in fratrem livore cruciatus, vultum dimittis in terram? Nonne si bene feceris, dimittetur tibi omne delictum tuum? Sive, ut Theodotion ait, acceptabile erit, id est, munus tuum suscipiam, ut suscepi fratris tui? quod si male egeris, illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali janitore comitaberis? Chaldæus in hunc sensum reddidit, Nonne si emendaveris opera tua, remittetur tibi? & si non emendaveris opera tua, in diem judicii peccatum tuum reservatur? Tunc futurum est, ut ultio de te sumatur, si non resipueris; at si resipueris, remittetur tibi. R. Salom. Chaldæo astipulatur, inquiens כתרגומו, i. e. prout interpretatus est Chaldæus Paraphrastes, ita est ejus expositio. (b) Aben Ezra ait, Interpretes hic exponere שאת, remissionem peccati, sibi autem videri *de elevatione vultus* (שאת פנים) esse intelligendum; quia præcessit, ויפלו פניו, *& cecidit vultus ejus*. Sen-

(a) *Et in Chald. Paraph.* (b) *Jonathan, Nonne, si bona feceris opera tua, remittetur tibi peccatum tuum? & si non bona feceris opera tua in hoc mundo, ad diem judicii magni peccatum tuum reservatur, & ad ostium cordis tui peccatum cubat?*

Digitized by Google

sum igitur ait esse, *Si bene feceris, attolles faciem tuam*, prout dicitur Job. 11. 15. כי אז תשא פניך ממום, i. e. Tunc enim *attolles faciem tuam absque macula.* Aben Ezræ consentit Mercerus, cui & ego assentiendum arbitror.

וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ *Et ad te erit appetitus, vel subjectio ejus, & tu dominaberis ei.*] R. Salom. istud ad peccatum refert, quasi sensus esset, in hominis potestate esse concupiscentiam suam frænare, eique dominari. In eundem etiam sensum exponit Aben Ezra, referens nonnullos ad Abelem referre. Sic & Hieron. in Tradit. Verùm (inquit) quia *liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum, sed tu peccato domineris.* (c) Quin & ipse Mercerus mavult sensum esse, *ad te est appetitus peccati*, q. d. tui vincendi desiderio tenetur; nil aliud cupit, quam te in suam sententiam pertrahere: sed tuum est illi dominari, non sinere te ab eo vinci. Id tamen sollicitè cavet Mercerus, nè locus hic ad libertatem arbitrii astruendam quicquam faciat, adducens illud Augustini, *Da, Domine, quod jubes, & jube quod vis*; & monens hoc intelligendum esse, ut passim alia jubentur in Scriptura. Quod autem quidam hanc expositionem redarguere conantur ex eo, quod חטאת est fœminini generis, affixum autem in תשוקתו, & in בו masculini; id facilè refellit, quia חטאת hic conjungitur cum רובץ quod itidem est masculinum. Atque hoc quidem ita se habet; magis tamen mihi arridet, ut ad Abelem pronomina referantur, quemadmodum ex Hebræis nonnullos, & inter nostros Chrysostomum interpretari testatur Mercerus; ut sensus sit, *non esse quod in fratrem excandescat, aut ei invideat, quippe quem sibi subjectum habeat, & cui jure primogenituræ dominetur.* Cur hanc expositionem frigidam putaret Mercerus, & à sensu totius loci alienam, causam non video. Quod enim objicit, hoc potius Cain in fratrem animaturum fuisse, ac odium ejus accensurum; ita quidem ejus vitio ac pravitate fieri potuit; at si rectè rem putasset, animum potius ejus placare debuit. Etiamsi igitur Merceri expositionem admitti posse non negaverim, alteram tamen potiorem senserim, ut nimirum appetitus seu subjectio Abelis ad Cain hic significetur, quemadmodum cap. 3. 16. mulieris ad virum appetitus seu subjectio eadem phrasi denotatur.

8. וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־הֶבֶל *Et dixit Cain ad Abel, &c.*] Vel, Et locutus est Cain cum Abel, &c. ut אמר *dicere*, hic idem valeat cum דבר *loqui*. Glassius in Philolog. S. lib. 1. tract. 1. monet sic usurpari Psal. 4. 5. (al. 4.) & 139. 20. R. Salom. ait Cain cum fratre suo *objurgatorie collocutum esse*, ut occasionem ejus occidendi captaret. At fortè placidè ac amicè collocutus cum eo est, quo minùs Abel sibi ab illo metueret. Aben Ezra existimat Cain fratri suo omnes illas increpationes, quibus ipsum Deus increpaverat, recitasse. Idem etiam sentit Hieron. in Tradit. ubi superfluum ait esse, quod in Samaritanorum, & nostro volumine habetur, Transeamus in campum. Ita quidem Lxx. διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, & Vulg. Egrediamur foras: quæ superfluè addita esse etiam Senensis asserit, Biblioth. S. lib. 5. annotat. 66. Ubi etiam refert Origenem dicere, ista in arcanis Hebræorum scriptis haberi. Intellexit fortè Origenes Samaritanum codicem, in quo ista repeṙiuntur, sed (quicquid in adversum contendat Morinus) superflue, ut rectè censuit Hieronymus. Targum quidem (d) Hierosolymitanum & ista verba, & bene longum colloquium inter Cain & Abel habitum recenset, ut videre est apud Fagium in Chald. Par. At Onkelos, autor istius Paraphraseus, quæ maximè est in pretio, Hebræo planè consentit.

9. *Ubi est Abel frater tuus?*] Non inconcinnum est quod hic habet R. Salom. scil. Deum placida hac sermonis introductione uti, ut Cain peccati sui confitendi ansam arriperet.

10. קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים *Vox sanguinis fratris tui clamat, &c.*] Ad verb. *sanguinum*. Et, (e) *clamant*; nam צעקים numero convenit cum דמי. R. Salom. ait plurale, sanguinum, usurpari, ut tum de sanguine ipsius Abel, tum de sanguine seminis ejus (nempe quod habiturus erat) intelligatur. Chaldæus, ut notat Aben Ezra, interpretatur de filiis, quos Abel genitŭrus erat, si vixisset. קל דם זרען דעתידין למפק כן אחך, i. e. *Vox sanguinis seminis (ad verb. seminum) seu posterorum, qui egressuri erant ex fratre tuo, &c.* Addit autem R. Sal. & aliam expositionem, nempe quod Cain fratrem suum multis vulneribus affecit, nesciens quodnam ex iis esset lethiferum.

12. נָע וָנָד *Profugus & vagus, &c.*] Aben Ezra refert quosdam exponere נד per סקנן, i.e. *lugens, lamentans*; ipse autem putat נע & נד esse συνώνυμα. Ita etiam R. Salom. cujus hæc est glossa, אין לך רשות לדור במקום אחד, i.e. Non licebit tibi in uno aliquo loco habitare. Similiter Chald. מטלטל וגלי תהי, i. e. *vagus & exsul eris, &c.* Vulg. *vagus & profugus, &c.* Lxx. στένων καὶ τρέμων, *gemens & tremens.* Senensis Biblioth. S. lib. 5. annotat. 65. ait eos verba Hebræa parum consonè vertisse; atque hinc ortam apud Græcos Expositores opinionem, Cain post interfectum fratrem suum, nunquam à lacrymis ac gemitibus cessasse, sed perpetuo corporis tremore fuisse excruciatum; dissoluta compage membrorum, ob commissum fratricidium. Græca Scholia, notant Hebræum, ac Syrum habere, σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν, τουτέστι, μὴ μένων ἐν ἑνὶ τόπῳ, jactatus, & nusquam consistens, id est, non manens in eodem loco.

13. גָּדוֹל עֲוֺנִי מִנְּשֹׂא *Major est iniquitas mea, quam ut remittatur.*] Vel, *Major est pœna mea, quam ut ferre possim.* Nam עון licet proprie iniquitatem, interdum tamen iniquitatis pœnam denotat. Et נשא vel condonare, vel ferre significat. Hoc posteriori modo exponit Aben Ezra, זה העונש גדול לא אוכל לסובלו, i. e. *Hæc pœna magna est, non possum eam tolerare.* Alii autem, ut ipse refert, priorem sensum sequuntur. Sic Chald. סגי חובי מלמשבק, i. e. *Majus est peccatum meum, quam ut remitti possit.* Et Lxx. μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με, *Majus est crimen meum, quam ut remissionem obtineam.* Vulg. Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Verbum *mereri* apud priscos Ecclesiæ Doctores *pro obtinere* ponitur, unde illud, Felix culpa, quæ talem meruit redemptorem.

14. וּמִפָּנֶיךָ אֶסָּתֵר *a facie tua abscondar.*] Chaldæus interrogativè videtur accepisse, quippe qui negativè reddit, ומן קדמך לית אפשר לאטמרא, *Et à conspectu tuo fieri non potest ut abscondar; vel impossibile est abscondi.* Aben Ezra intelligit de loco, ubi Deus vim potentiamque suam exhibet, etiamsi alias omnia loca ejus gloria sint repleta. Sunt qui per faciem Dei hic intelligunt Ecclesiam; quod Mercerus non probat, asserens hunc dicendum fuisse מלפניך. Hæc ratio mihi minus valida videtur, (vide ad Ver. 16.) assentior tamen Mercero sic exponenti, *à facie tua*, id est, *à favore tuo & præsidio.* Sic enim vox facies usurpatur cum alibi, tum Prov. 29. 26.

15. לָכֵן *Propterea quicunque occiderit Cain.*] Lxx. οὐχ οὕτω, *Non ita.* Vulg. Nequaquam ita fiet. Videntur legisse לא כן, i. e. *Non sic.* Chald. בכן. Fagius vertit, *imo.* at Buxtorfius, *propterea, idcirco*; quod cum Hebræo congruit. Mercerus testatur Hieronymum in quadam ad Damasum epistola legere, *ideo.*

שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם *Septies sive septuplex de eo ultio sumetur.*] שבעתים pro *septies* usurpatur Psal. 12. v. 6. Et pro *septuplici*, Isai. 30. 26. Lxx. ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει, *septem vindictas exsolvet.* Hieron. in Tradit. refert Aquilam interpretatum esse, *septemplicitèr.* Sym. *septimum.* Theodot. per hebdomadam. Vulg. *septuplum* punietur. Chald. לשבעא דרין יתפרע מניה, *in septem generationes vindicta de eo sumetur.* R. Salom. ista verba, Propterea quicunque occiderit Cain, ita accipit, ac si aliquid subaudiatur, nempe, sic vel sic punietur: deinde id quod sequitur, ita exponit, ac si sensus sit, non nisi septima demum generatione futurum, ut de Cain vindicta sumatur, tunc enim à Lamech esse occidendum. Fortasse id etiam voluit Chaldæus. Ita certe & Aben Ezra ait sensum esse, *Deum iram suam in Cain ad septimam usque generationem dilaturum.* At scriptura, nisi ei vim inferre libeat, aperte loquitur de pœna, non ipsi Cain, sed ei, qui Cain interfecerit, infligenda. Ego igitur cum Fagio simplicissimam hujus loci sententiam esse arbitror, quod *multiplex gravissimaque pœna hic significetur, quam daturus sit, qui Cain occiderit.* Ita Kimchi in Rad. (ut refert Fagius) נקמות רבות יקח ממנו שיהרגהו, i. e. *Vindictas multas (vindictam gravissimam) sumet (Deus) de eo, qui illum (scil. Cain) occiderit.*

15. *Et posuit Deus in Cain signum*] Aben Ezra ait quosdam dicere, signum hoc fuisse cornu; alios velle, Deum in corde ejus robur posuisse, ac metum ei ademisse. Ipse autem putat Deum signo aliquo fidem ei fecisse, eumque confirmasse. Fagius refert nonnullos opinari hoc signum fuisse literam (f) (quia אות signum, etiam pro litera apud Rabbinos usurpatur) in fronte Cain positam. Ipse autem iis potissimum astipulatur, qui membrorum tremorem fuisse sentiunt. Lyra cum de horribili membrorum tremore, tum de signo in facie posito exponit. Sed cum Scriptura sileat, nobis divinare haud tutum existimo.

16. *Et exiit Cain* מִלִּפְנֵי יְהוָה *à facie, vel conspectu Domini.*] i. e. ab eo loco, ubi Dominus ei apparuit, ut exponit Mercerus;

(c) *Et in manu tua posui potestatem in concupiscentiam malam, & penes te erit desiderium ejus, & tu dominaberis ei, sive ut justus sis, sive ut pecces. In eundem etiam sensum, iisdemque pene verbis Hierosolymitanus Paraphrastes.* (d) *Targum Jonathanis hæc etiam fusius persequitur quam Hierosolymitanum.* (e) *Quasi unaquæque gutta sanguinis clamaret.*

(f) *Jonathan, Et signavit Deus in facie Cain literam de nomine magno & glorioso.*

rus; qui notat Satanam etiam Job. 1. dici exiisse מלפני יהוה; cum accepta facultate affligendi Job, exiit ad hoc exequendum. Monet etiam aliud esse מלפני, aliud מפני. Nam מפני יהוה egredi non potuisse, at מלפני potuisse. Atque in hunc quidem modum Kimchi ad Jon. 1. 3. (ubi Jonas dicitur fugisse, מלפני יהוה) distinguit inter מלפני & מפני. Sed vereor ne hæc subtilia magis quam solida videantur. Si enim quis abscondi queat מפני יהוה, ut vidimus Ver. 14. quidni etiam & מפני יהוה possit quis egredi, vel fugere?

בארץ נוד *in terra Nod.*] Lxx. in terra Naid. Hieron. in Tradit. ait Nod interpretari σαλευόμενος, i. e. *fluctuans, & instabilis, ac sedis incerta.* Non est igitur (inquit) terra Naid, ut vulgus nostrorum putat, sed expletur sententia Dei, quod huc atque illuc vagus & profugus oberravit. Sic vulg. habitavitque profugus in terra. Chald. בארעא גלי ומטלטל, *in terra exul & vagus.* R. Salom. exponit, in terra, ubi omnes exules vagantur. Mercero simplicius videtur Nod loci nomen esse, sed qui ab ejus vagatione, quod in eo oberravit, sic dictus sit. Et intelligit Cain per illam terram vagatum, non certo loco constitisse. Eadem videtur sententia Aben Ezræ, qui ait terram istam dictam Nod, בעבור שהיה נע ונד, i. e. propterea quod (in ea Cain) vagus fuit ac profugus. At huic vagationi nonnihil repugnare videtur id quod Ver. 17. de urbe à Cain ædificata dicitur, nisi forte dicendum sit, Cain uxorem ac liberos istic collocasse, ipsum autem ibi non constitisse, sed huc illuc oberrasse. Heb. ויהי בנה Et fuit ædificatus. Unde nonnulli colligunt eum ædificare quidem cepisse, sed opus ad exitum non perduxisse.

19. *Duas uxores.*] R. Salom. ait homines istius seculi solitos habere duas uxores, unam ad procreandos liberos, & alteram לתשמיש, i. e. ad coitum, vel voluptatem; ei autem quæ coitus duntaxat gratia habebatur, propinatum fuisse poculum in eum finem, ut sterilesceret, atque instar sponsæ ornatam fuisse, & delicatè vixisse; cum interea altera in squalore ac luctu instar viduæ esset. In hanc sententiam accipit illud Job. 24. 21. Sed ea istius loci expositio nimium videtur aliena.

23. כי איש הרגתי לפצעי וילד לחברתי *Nam occidi* (vel occidam) *virum in* (a) *vulnere meo, & puerum* (seu adolescentem) *in* (b) *livore meo.*] Locus est valde obscurus, & cui parum lucis Hebræi afferunt. Chaldæus per interrogationem dictum putavit, ut qui per negationem explicat, לא גברא קטלית. Non (c) occidi virum, ut propter eum ego portem peccata; nec adolescentem perdidi, ut propter eum deleatur semen meum. Sic & R. Sal. interrogative accipit, ac sic exponit, Num occidi virum data opera (seu præsumptuosè, מזיד) ita ut vulnus istud meum merito dicatur? Num ita occidi puerum, ut plaga ista mea merito dici debeat? Hæc Rabbinus iste autumat Lamech dixisse uxoribus suis, ad eas placandas, cum scilicet ab eo alienatæ essent, propterea quod primo Cain, deinde Tubal-Cain, utrumque tamen per errorem interfecerat. Lyra fabulam Rabbinicam, quam hic innuit R. Sal. planius pleniusque narrat; ea autem sic se habet. Lamech cæcutiens ductorem habuit puerum Tubal-Cain, cumque more suo in campum venandi gratia exiisset, Cain inter frutices latitantem, monstrante puero, qui bestiam fuisse suspicabatur sagitta trajecit; cognito autem errore, puerum, quo authore cædem istam perpetraverat, interfecit. Et hoc est (inquit Lyra) quod dicitur, *Occidi virum* i. e. *Cain, in vulnus meum*, i. e. *per vulnus à me illatum*; Et *adolescentulum, sc. me dirigentem; in livorem meum*, i. *per livorem à me inflictum*; quia non occiderat eum vulneratione, vel gladio, sed per ictus graves sine effusione sanguinis, qui faciunt carnem nigrescere sub cute. Sic Lyra. At Burgensis mavult sequi Gerundensem, qui (ut etiam Fagius in Collat. refert) existimat uxores Lamech ab ipso se separasse, quod primus invenisset instrumenta bellica, gladios, lanceas, &c. Inde enim eas trepidasse, ne propterea à Deo puniretur, quod occasionem ad cædes & homicidia præbuisset. Quo metu ut illas liberaret Lamech, hoc pacto se excusasse ait quod etsi armorum usum primus invenerit, minimè tamen ob id puniendus sit, cum neminem occiderit, sicut Cain fecerit. At unde, quæso, colligitur Lamech instrumenta bellica primum invenisse? Id sane de Tubal-Cain potius innuit Scriptura, atque istud ei attribuere Hebræos testatur Lyra ad Ver. 22. Quod enim Burgensis ait Lamech filios suos instruxisse in artibus mechanicis, frivolum est, cum Scriptura non ipsi Lamech, sed filiis ejus istarum artium inventionem attribuat. At Fagius iis potissimum astipulatur, qui existimant Lamech revera homicidam fuisse, suaque sponte hoc uxoribus confiteri, conscientia ipsius eum ad id impellente: illis autem verbis, Si Cain vindicabitur septuplum, Lamech septuagies & septies, putat Lamech magnitudinem peccati pariter ac pœnæ, cui longe majori, quam tritavus suus Cain, obnoxius sit, significare voluisse. At hæc parum videntur quadrare; neque enim ad indicandam gravitatem pœnæ, quam sustineret Cain, sed ad metum ejus auferendum dixit Dominus, Quicunque occiderit Cain, punietur septuplum. Melius igitur hic Gualtperius, De peccato (inquit) ut apparet, adeo non dolet (Lamech) ut impunitatem sibi exemplo Cain videatur promittere. Sic enim videtur ratiocinari, Si Deus prohibuit occidere Cain fratricidam; quanto minus me permittit occidi, qui unum & alterum ex communi hominum multitudine interfeci, non fratrem, agnatum, aut alium sanguine mihi junctum? Osiand. Omnes autem hæ expositiones (excepta illa Chaldæi Paraphrastis, & Gerundensis) pro concesso sumunt Lamech homicidium perpetrasse; at Aben Ezra alio sensu verba Lamech interpretatur, ut nimirum gloriabundus dicat, non quid fecerit, sed quid facere possit, ac si provocatus fuerit, facturus sit. Sic enim exponit, quasi dicat Lamech, Si quis grandi ætate (ארם שהוא נדול) me vulneraverit, aut adolescens quispiam mihi plagam inflixerit, ego tunc eum occidam (scil. etiam plaga ac vulnere affectus.) הרגתי in præterito positum ait pro אהרוג in futuro. Atque hæc quidem expositio mihi omnium maximè videtur verisimilis. Qua autem occasione in hæc verba erupit Lamech, incertum est. Aben Ezra ait uxores Lamech metuisse ne si filios ei parerent, interficerentur, aut (subito) morerentur, quod septima à Cain essent generatio; ideoque Lamech eos hoc modo allocutum, ut bono animo essent; se enim septimum esse à Cain, nec tamen de se ita metuendum. Sed hoc nullo alio fundamento nititur, quam perversa expositione illorum verborum, Quicunque occiderit Cain, &c. Ver. 15.

26. אז הוחל לקרא בשם יהוה *Tunc cœperunt* (ad verb. cœptum est) (d) *invocare nomen Domini.*] Aben Ezra ait, הטעם שהחלו להתפלל, i. e. Sensus est, quod *tunc cœperunt orare* (scil. publicè conventus ad colendum Deum agere.) Atque addit, si de profanatione nominis Domini (ut alii interpretantur, quia חלל unde הוחל ea etiam significatione usurpatur) hic sermo esset, tunc (e) nomen, non verbum cum הוחל fuisse conjungendum. In significatione autem profanandi accepisse videtur Chaldæus, qui sic habet, בכן ביומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא דיי, tunc in diebus ejus profanabant filii hominum, nè orarent in nomine Domini. Fagius vertit, inceperunt ut non orarent, &c. Et in Collat. inceperunt non amplius orare, &c. Asserit tamen Chaldæum hic הוחל pro profanare accepisse. Monet autem in Edit. Complut. aliter legi, scil. שריאו בני אנשא לצלאה, i. e. *cœperunt filii hominum orare.* Quod cum expositione Aben Ezræ plane convenit. R. Salom. profanationem nominis divini hic significari intellexit; sic enim commentatur, אז הוחל לקרא את שמות האדם ואת שמות העצבים בשמו של הקב"ה לעשות ע"ז, i. e. *Tunc cœperunt vocare nomina hominum, & nomina herbarum, nomine Dei benedicti, ut istos idola facerent.* Eodem etiam modo exponit hunc locum Kimchi in Rad. uti citat Fagius in Collat. Lxx. οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι, &c. Hic *speravit invocare, &c.* Quasi הוחל esset à יחל, *sperare, confidere.* Sed & pro אז *tunc*, videntur legisse זה *iste.* Et sic Vulg. Iste cœpit invocare &c. Aquil. τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου. Hieron. in Tradit. Tunc initium fuit invocandi nomen Domini. Licet (inquit) plerique Hebræorum aliud arbitrentur, quod tunc primum in nomine Domini, & in similitudine ejus fabricata sint idola. Amama in Cens. ait, se non posse non amplecti eam interpretationem, quam secuti sunt Theodoretus, Aquila, Galli, Angli in novæ suæ versionis margine, Piscator, Bertramus Lucubrat. Franek. cap. 1. & alii, quæ hæc est, *Tunc cœptum est denominari de nomine Domini*; q. d. Tunc dissectum est, & quasi divisum abiit genus humanum in duas partes, quarum una, piorum scil. appellata fuit de nomine Dei, ut cum cap. 6. vocantur בני אלהים, i. e. filii Dei; altera impiorum, scil. de nomine Adam. Sic (inquit) est profecto, sicut dicimus, *Vocari nomen alicujus super aliquem*, Isai. 4. 1. Et *vocari nomen alicujus in aliquo*, Gen. 48. 16. Et *vocare super aliquem in nomine alicujus*, Psal. 49. 12. *pro denominari, vel denominare aliquid de nomine alicujus.* Sic etiam vocare, & vocari sequente ב in aliquo; Isai. 48. 1. & 47. 7. & 65. 1. Hæc vir ille eruditissimus, atque istam, quam amplectitur expositionem commodissimam esse censeo.

CAP.

(a) *Vel, in vulnus meum.* (b) *Et in livorem meum.* (c) *Eodem modo & Jonathan interpretatur.*

(d) Vel, *vocare in nomine Domini.* (e) *Jonathan, quod in diebus ejus cœperunt errare, & fecerunt sibi idola, & appellarunt idola sua nomine verbi Domini, i. e. nomine Domini. Verbum enim Domini pro Domino usurpare solet.*

CAP. V.

MUNSTERUS.

2. M*Asculum & fœminam creavit eos*] Ex hoc loco arguunt Hebræi de matrimonio seu conjugio in hunc modum, כל אדם שאין לו אשה אינו אדם שני׳ זכר ונקבה בראם ויקרא את שמם אדם · ועוד נראה פה כי הנשמות נבראו זוגות זוגות זכר ונקבה ובאין לעולם השפל איש ואשה ובחיבורן נקראין אדם ומכאן תבין עונש הבא על אשת איש כי פוסק ומפריד הזווג והיחוד העליון והשגת סוד בראשית: Unitas, inquit, matrimonii fit per Deum, qui æterno suo consilio hunc & illam copulandos disposuit. Ideo qui alterius violat uxorem, is violat & disjungit id quod Deus univit & conjunxit. De descensu spirituum non est ut hic disseram, cum Christiani id ut Judaicum figmentum exsibilent. ¶ *Benedixit illis*] Hoc est, dedit illis vim procreandi liberos sibi similes, quemadmodum subditur, *Genuit in similitudine & imagine sua.* Fuit Adam creatus ad imaginem & similitudinem Dei; non autem fuit in eo generata hæc similitudo, cùm non habuerit parentes: Sed in hac imagine non mansit; excidit ab ea per peccatum. Seth verò non nascitur ad imaginem Dei, sed ad imaginem patris sui, similis illi exsistens in omnibus conditionibus animi & corporis, moribus, ingenio, &c. Et hæc imago includit peccatum originis & pœnam mortis æternæ, inflictam propter peccatum Adæ. Sicut autem Adam per fidem in futurum Semen benedictum recuperavit imaginem amissam, ita Seth & posteri ejus.

12. *Vixit*] Quod Christiani tam longe discrepant ab Hebræis in temporum supputatione à mundo condito (siquidem illi hoc Christi anno MDXXXIII. numerant quinque millia ducentos nonaginta tres annos, cum Latini computent sex millia annorum & ferè septingentos) alia res in causa non fuit nisi quod codices nostri hoc loco corrupti fuerunt. Facile enim fieri potuit ut his numeris aliquid adderetur vel subtraheretur, præsertim cum majores nostri linguarum peritia destituerentur. Nec anni lunares, quibus Hebræi utuntur, in causa sunt hujus diversitatis, cum ipsi singulis duobus aut tribus annis per embolismos & epactas illos adæquent annis solaribus, quemadmodum id in Calendario nostro Hebraico ostendimus.

22. *Ambulavit cum Deo*] Hoc est, fuit vir justus, & *raptus est ne malitia immutaret intellectum ejus.* Et quidem Scriptura dicit Deum illum *tulisse*, & non *transtulisse*: & hinc Aben Ezra & R. S. putant illum per mortem ante tempus suum excessisse, juxta illud, *Tolle animam meam*, Jonæ 4. Hic itaque Henoch vir justus & pius vixit in summa religione, fide & patientia, prædicans verbo & ostendens exemplo aliam esse vitam quam hæc sit. Et quantumlibet genus humanum damnatum fuit propter peccatum Adæ ad mortem, tamen in hoc sancto viro argumentum nobis exhibetur à Deo futuræ resurrectionis & immortalitatis, quodque Deus post hanc vitam præparaverit aliam suis sanctis, in qua cum ipso vivant. Asserunt nostri hunc Henoch cum corpore & anima translatum in Paradisum, sicut & Eliam. Hebræi autem garriunt novem ex hoc mundo translatos. Et sunt ista verba eorum, תשעה נכנסו לגן עדן בחייהם ולא טעמו טעם מיתה: נעמן כן יעקב כלאב בן חור סרח בת אשר בתיה בת פרעה אליעזר עבד אברהם ועבד מלך הכושי ומשיח ואליהו ויעבץ בנו של ר׳ יהודה הנשיא · ויש אומרים אף רבי יהושע בן לוי: חנוך לפי שהיה צדיק כמוהו ולא היה כמוהו והוא חי בגן עדן: De R. Jehosua Ben Levi habes supra, ubi opinionem Judæorum de Paradiso recensuimus.

29. *Consolabitur nos*] Non nominatus est Noah à verbo *consolationis*, sed *quietis.* Siquidem נח, quod significat *quiescere*, & נחם, quod significat *consolari*, diversæ sunt radices: verum habent inter se allusionem quandam; Qua Scriptura sæpe utitur, potissimum in Prophetis. Etiamsi נחמה & נחת, i. *consolatio* & *quies cordis*, fere idem sint, imposuerunt ei *quietis* nomen, quia sperabant futurum ut per eum liberatio à maledictionibus peccati contingeret.

FAGIUS.

23. F*Uerunt autem omnes dies Hanoch*] Hæc in Chaldæo ad literam in singulari numero sic leguntur, *Et fuit omnis dies Hanoch*, &c. Quod fieri dicunt propter vitæ ejus brevitatem, quod scilicet dies vitæ ejus collati ad dies aliorum quasi unus tantum dies fuerit.

24. *Et non ipse: quia non mori fecit eum Dominus*] conveniunt hæc cum illis quæ leguntur Hebr. 11. 5. *Per fidem Enoch translatus fuit, ne videret mortem: nec fuit inventus, propterea quod transtulerat illum Deus. Priusquam enim transferretur, testimonium meruerat, quod placuisset Deo.* His quoque adstipulatur Thargum Hierosolymitanum, ופלח חנוך בקשטא קדם ה׳ והא ליתוהי עם דיירי ארעא ארום אתנגיד ואסתלק במימר מן קדם ה׳ i. *Et coluit*, sive *servivit*, *Hanoch in veritate coram Domino: & non ipse; quia subtractus est per verbum à conspectu Domini.*

IDEM.

24. ויתהלך חנוך את האלהים ואיננו כי לקח אותו אלהים, *Et ambulavit Hanoch cum Deo, & non ipse: quia tulit eum Deus.*] *Ambulare coram Deo* Hebraismus est pro, Divinam vitam vivere, ad nutum & voluntatem Dei. veræ pietati & unius Dei cultui vacare. Hunc sensum expressit Onkelus Chald. suâ Paraphrasi, *Et ambulavit Hanoch in timore Dei.* &c. Item LXX. qui legunt, *Et placuit Enoch Deo*, &c. Dein variatio est in voce ואיננו *& non ipse*, & in לקח *tulit.* Hebræorum Commentatores ferè omnes sic intelligunt; *Hanoch non diu vixisse inter mortales, sed præmatura morte fuisse præventum, ne malitia mundi mutaret intellectum ejus.* Pro qua sententia confirmanda citant locos Scripturæ, in quibus verbum לקח *accepit*, pro *mori* usurpatur, ut ועתה יהוה קח נא את נפשי ממני כי טוב מותי מחיי, *Nunc itaque, Domine, tolle quæso animam meam à me, quoniam melior est mors mea quàm vita mea*, Jonæ 4. Item הנני לוקח ממך את מחמד עיניך במגפה, *Ecce ego tollo à te desiderium oculorum tuorum in ipsa plaga*, Ezech. 24. Ubi per *desiderium oculorum* uxor Prophetæ intelligitur, quam Dominus per mortem è medio tulit, ut mox sequitur, *& mortua est uxor mea*, &c. R. Salomo scribit, *Scripturam celerem è vivis emigrationem significare per hujusmodi repetitionem*, ET NON IPSE, QUIA TULIT EUM DEUS. Nostri Commentatores hunc locum sic intelligunt, non quod revera mortuus fuerit Enoch, sed quod è terris ad astra instar Heliæ prophetæ translatus fuerit; ut habet Epistola ad Hebræos cap. 11. *Per fidem Enoch fuit translatus, ne videret mortem, nec fuit inventus, propterea quod transtulerat illum Deus: priusquam enim transferretur, testimonium meruerat, quod placuisset Deo*, &c. Atque huic sententiæ accedit & Onkelus Chaldæus sua versione, qui legit, *quia non occidit*, seu *mori fecit, eum Dominus.* Mihi videtur, Scripturam hunc modum loquendi usurpare, cum non constat de morte alicujus, ignoratur quo quis pervenerit, dubitatur an adhuc in vita sit necne ut infra cap. 42. de Joseph dicunt ipsius fratres, שנים עשר עבדיך אחים אנחנו בני איש אחד בארץ כנען והנה הקטן את אבינו היום והאחד איננו, *Duodecim fratres servi tui sumus, filii unius viri in terra Chanaan, & ecce junior est hodie cum patre nostro, atque unus non ipse exstat.* Et rursum eodem cap. ויאמר אליהם יעקב אביהם אתי שכלתם יוסף איננו ושמעון איננו *Et dixit ad eos Jacob pater eorum, orbum me fecistis: Joseph non exstat, nec Simeon adest*, &c.

VATABLUS.

1. L*Iber generationum* ספר תולדות] Hic ספר *liber*, pro *catalogo & enumeratione*, vel ut quidam Hebræorum volunt, *enarratione*, Hebraica phrasi dicitur. *Generationes* continuam successionem generis, vel continuam progeniem significant. Dicit igitur, *Ista est enumeratio liberorum Adæ*, h. e. Posteritatis Adæ. ¶ *Dei* אלהים] Antecedens pro relativo, *suam.* Iterum repetit Moses quod ante docuerat, Fuisse Adam formatam ad imaginem Dei. q. d. Adam iste caruit patre & matre, sed Deus creavit eum: nullumque habuit patrem in similitudine præter Deum solum.

2. *Vocavitque, &c.* ויקרא וגו׳] Individuam mariti & uxoris societatem commendat. Hoc enim dicendi genere significat post ordinatum conjugium fuisse virum & uxorem instar unius hominis.

3. *Ad similitudinem suam*, &c. בדמותו כצלמו] Ad verbum, *in similitudine sua, juxta imaginem suam.* Primum ad originem naturæ refertur: secundum, *Juxta imaginem suam*, notat corruptionem & vitiositatem quæ ab ipso contracta per defectionem ad omnes posteros defluxit.

4. *Et genuit filios & filias.* ויולד בנים ובנות] Hac locutione significat multos alios liberos genuisse.

5. *Nongenti & triginta anni*] תשע מאות שנה ושלשים שנה] Ad verbum, *novies centum anni & triginta anni.* Sic in

in sequentibus bis ponitur dictio *Anmer*, quam omisimus ne lectori non assueto Hebraismus tædium pareret.

22. *Ambulavit autem Hanoch cum Deo*, ויתהלך חנוך את האלהים] Hebraismus. Ne hominum corruptelis abduceretur, habuit unius Dei respectum, ut pura conscientia, tanquam sub ejus oculis, probitatem coleret. q. d. Piè & inculpatè vixit. Similis videtur esse locutio cum ea quæ Deut. 13. 3. legitur, *Post Dominum Deum vestrum ambulabitis.*

24. *Postea esse desiit*, ואיננו] Ad verbum, *& non ipse*, i. nusquam comparuit. ¶ *Tulit* לקח] *rapuit.* i. Translatus fuit in cœlum, donavitque eum immortalitate. De quo Apostolus Heb. 11. 5.

29. *Noah, dicendo, Iste consolabitur nos* נח לאמר זה ינחמנו] Etymologia nominis נח non est petenda a verbo נחם, nisi literam ם supervacuam esse dicamus: ut interdum in compositione quædam literæ redundant. נח significat *quiescere*; נחם vero, consolari. A priore verbo deducitur nomen *Noah.* Quare vel est literæ unius in alteram transmutatio, vel allusio est duntaxat ubi dicit Lemech, *Iste consolabitur nos ab opere nostro.* Ex doctioribus Hebræorum alter ita scribit, *Dicendum videbatur* (*ut nominis servaretur etymologia*) ינחנו Requiescere faciet nos, *& non*, ינחמנו Consolabitur nos. *At requiescere ab opere & dolore, & consolationem accipere ab opere & dolore, re, etsi non verbo, est idem. Consolatio enim est requies à dolore cordis. Hebræi enim sensum & non verba observant*, inquit ille. Utcunque sit, sibi levationem aut solatium à laboribus promittit. ¶ *Et à dolore, &c.* ומעצבון ידי] *& de molestia manuum nostrarum è terra.* Vel, *ex parte terræ*, q. d. Nos post multos labores tempore suo melius habituri sumus opera istius. In *labore manuum*, est synechdoche: quia sub una specie comprehendit miserum statum in quem deciderat humanum genus. Rarum aliquod & insolitum auxilium à tam misera, tristi & solicita vita, cui addictus fuerat Adam, Lamech à filio sperabat, idque tanquam Divinitus promissum credebat. Hebræi ad agriculturam referunt, *Laborem colendi agros cessare faciet*, sive *Cessare nos faciet à labore agriculturæ:* fuit enim inventor instrumentorum quibus colere solent terram.

32. *Quum vero esset, &c.* ויהי נח בן'] Ad verbum, *Et fuit Noah filius quinque centum annorum, & genuit Noah, &c.* Hæc dicta sunt per hysteron proteron: evenerunt enim postea quam Deus tulit sententiam de perdendis hominibus. Non servatur autem semper in Sacris Literis ordo historiæ. Illud *Noe* secundo loco repetitum, quod durius esset Latinis auribus, cum conjunctione præcedente verbum omisimus, juxta proprietatem linguæ Latinæ.

CLARIUS.

2. **B***Enedixit illis*] H. e. Dedit illis vim procreandi liberos sibi similes, quemadmodum subditur, *Genuit in similitudine & imagine sua*, h. e. ad illam similitudinem & imaginem quam à Deo acceperat. ¶ *Vocavit nomen eorum Adam*] Ut ipsâ appellatione discerent non insolescere, cum se è terra, tanquam vasa figulina, constare recordarentur. Significat enim *Adam terrenum*: significat & *rubrum.*

3. *Vixit autem*] Quod nostri tam longe discrepant ab Hebræis in temporum supputatione à mundo condito, alia res in causa non fuit, nisi quod codices nostri hoc loco corrupti fuerunt. Facile enim fieri potuit ut his numeris aliquid adderetur vel subtraheretur, præsertim cum majores nostri linguarum peritiâ destituerentur. Nam Hebræi à mundo condito usque ad Christi annum MDXL. numerant quinque millia & trecentos annos, cum nostri super hos addant circiter mille quadringentos. Summa vero annorum mundi ab Adam ad diluvium est mille sexcentorum quinquaginta sex annorum juxta Hebræos. ¶ *Genuit filium ad similitudinem & imaginem suam*] Adam ipse ad similitudinem Dei factus erat; sed quia illam peccando corruperat, posteri illius non habebant eam primam similitudinem Dei, sed quatenus per Adam corrupta fuerat. Hanc Christus in credentibus restituit, potestatemque dedit propius ad veram sive spiritualem similitudinem Dei perveniendi quam Adam unquam accesserat, Col. 3. & 2 Cor. 3. in fine.

22. *Ambulavit cum Deo*] Heroicam aliquam consuetudinem cum Deo habuisse creditur, quem raptum ferunt, ne malitia immutaret intellectum ejus. Et quidem Scriptura dicit Deum illum *tulisse*, & non *transtulisse*: & hinc quidam putant illum per mortem ante tempus suum excessisse, juxta illud, *Tolle animam meam.*

29. *Iste consolabitur nos ab operibus*] Ferunt hunc primum levasse agriculturæ molestias, jungendo aratro animalia.

DRUSIUS.

24. **A***Mbulavit Henoch cum Deo, & non fuit, quia tulit eum Deus*] *Ambulare cum Deo* est *vivere cum Deo.* Quod Persius dixit, *vivere cum Jove.* Significat autem vitam sanctè & ex præscripto Dei instituere. Nam qui aliter vivit, non vivit cum Deo, sed cum diabolo. Quidam existimant Henochum inconstanter vixisse, modo bene, modo malè. Deum autem cum bene viveret rapuisse illum, ne vitiis seculi sui corrumperetur. Quod significat author libri qui *Sapientia Salomonis* inscribitur, quem compositum fuisse opinantur a Philone, qui vixit Caii Imperatoris ævo; falluntur. Nam fuit alius Philo senior, qui librum de Anima composuit, cujus mentio in libro Johasin. Hic Philo, si autor est illius libri, vixit tempore Templi secundi; & pro illo, *ne videret mortem*, retulit, *ne malitia mutaret intellectum ejus.* Siquidem improbi mortui vocantur, etiam dum vivunt: nam mortui sunt in peccatis: Qui enim peccat moritur. *Et non fuit*, in vivis videlicet. Sic *non esse* dicitur etiam qui mortuus est; ut ibi, *Rachel plorans filios suos noluit consolationem accipere, quia non sunt*, h. e. non vivunt. *Esse* enim dicitur qui vivit, & *non esse* qui non est in vita. *Tulit*, i. abstulit, rapuit ante justam & maturam ætatem. Sæpenumero miratus sum & adhuc miror Judæos, (nam de Christianis nunc non loquor) quid eos moverit cur ex hoc loco collegerint Henochum adhuc vivere. Nam ut concedamus hoc verum esse, tamen ex his verbis non potest colligi quod illi volunt. Siquidem *non esse* dicitur qui mortuus est, & *rapi* sive *tolli* qui morte immatura abripitur. Hoc qui negat, ostendit se in his literis puerum esse. Forsan eo adducti fuerunt, quoniam Scriptura non utitur verbo *moriendi*, ut in cæteris Patriarchis. Sic dictitant, *Jacob pater noster non fuit mortuus.* Quare? quia Scriptura, cum de ipsius excessu loquitur, utitur verbo *exspirandi* & non *moriendi.* Qui exspirat, moritur; non tamen omnis qui moritur, exspirat. Nam exspirat proprie qui placidâ & levi morte defungitur. Nihilominus dicunt eum non fuisse mortuum. Sed quis unquam dixit Jacobum adhuc vivere? Ne illi quidem qui eum mortuum esse negant. Apostolus autor Melchisedecum sine patre, sine matre, καὶ ἀγενεαλόγητον fuisse. Verum est, si recte intelligatur. Nam quia parentum & generis ipsius nulla mentio in historia sacra, ideo hoc scribit. Si aliter intelligas falsum est. Nam Angelum fuisse è cœlo delapsum, quod credidit olim Origenes, tam alienum est à vero quam quod maxime. Quorsum ista? nempe ut ostendam non necessario sequi ex hoc textu Henochum adhuc vivere. *Ambulavit*, inquit, *cum Deo, &c. non fuit; quia tulit eum Deus.* Audio *non fuisse*, non audio *vivere.* Audio *sublatum esse*, non audio *vivum esse* in paradiso aut in cœlo. Sane qui vitam cum morte commutavit, *non esse* etiam dicitur, ut modo probatum fuit. Sic Joseph *non esse* dicitur à fratribus suis, qui eum arbitrabantur mortuum. Saltem patri persuaserant a fera dilaniatum esse. *Tolli* etiam dicitur qui moritur, ut, *Tolle animam meam à me*: &, *In medio dierum meorum ne tollat me.* Sic Virgilius, *Quis Deus Octavi, te nobis abstulit:* Paulo post raptum eum dicit. Ergo, inquies, Henoch fuit mortuus? Absit ut contradicam Apostolo asseveranti *translatum esse ne videret mortem.* Mortem videt qui moritur. Sed est mors quædam peccatorum, de quo si Apostolus non est locutus, tamen autor Sapientiæ pro eo dixit, *ne malitia mutaret intellectum ejus.* Verba satis clara. Rapuit eum ne vitiis seculi sui corrumperetur, h. e. ne simul cum improbis videret mortem. Sed hoc pono, non statuo. Potius inclino ut credam immutatum fuisse. Tales moriuntur quidem, sed non more communi hominum, ac proinde *non mori* dicuntur. Si aliter mortuus est, & si adhuc vivit, Deus novit. Ego hic *ἐπέχω*, nec temere aliquid asserendum puto. Tantum dico quid mihi videatur: & quia hic dissentio à multis, relinquo unicuique suum judicium; imo meum subjicio judicio Ecclesiæ catholicæ orthodoxæ. Quod de Henoch, idem Ebræi affirmant de Elia, quem adhuc vivere credunt & venturum sub tempora Messiæ, cum Christus eum jam venisse testetur. Venit certe Johannes in spiritu Eliæ, quem Propheta ideo *Eliam* appellat. Erat enim quasi alter Elias. Cui simile,

Atque iterum ad Trojam alter mittetur Achilles.

Hoc si Judæis persuaderi non potest, tamen Christianis est persuasissimum. Non omnia vera quæ vulgus credit.

IDEM.

25. Lxx. *Et vixit Mathusala centum annos & sexaginta & septem, & genuit Lamech. Et vixit Lamech octo & octuaginta & centum annos, & genuit filium, & vocavit nomen ejus Noe*] Hieronymus, *Famosa quæstio & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quod juxta diligentem supputationem quatuordecim annos post diluvium Mathusala vixisse referatur. Et enim cum esset Mathusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech; Rursum Lamech, cum esset annorum centum octoginta octo, genuit Noe; & fiunt usque ad diem nativitatis Noe anni vitæ Mathusala trecenti quinquaginta quinque. Sexcentesimo autem anno vitæ Noe diluvium factum est, ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala diluvium fuisse convincitur. Cum autem supra nongentis sexaginta novem annis vixisse sit dictus, nulli dubium est quatuordecim eum annos vixisse post diluvium; & quomodo verum est quod octo tantum animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo ut quomodo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero: siquidem in Ebræis & Samaritanorum libris ita scriptum reperi,* 25. Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. 28. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noe. *A die vero nativitatis Mathusala usque ad diem nativitatis Noe sunt anni trecenti sexaginta novem. His adde sexcentos annos Noe, quia in sexcentesimo vitæ ejus anno factum est diluvium, atque ita fit ut nongentesimo sexagesimo nono anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno quo cœpit diluvium.* Hucusque Hieronymus. Augustinus paulo aliter, *Nam non solum*, inquit Quæst. in Gen. *in Ebræis aliter invenitur, verum etiam in* Lxx. *interpretatione, Mathusalem in codicibus paucioribus, sed verioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus.* Rursum in De civit. Dei, lib. 15. cap. 13. *Nam in quibusdam etiam codicibus, Græcis tribus, & uno Latino, & uno etiam Syro, inter se consentientibus inventus est, Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctus.* De his codicibus, quoniam hodie non exstant, nihil possumus dicere. Hoc tantum, ubi à veritate codicis Ebræi dissentiunt, non esse recipiendos, vel ipso Augustino judice: qui rectè fieri nullo modo dubitat, *ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Mihi nullum dubium quin Hieronymi calculatio verior sit, quandoquidem cum Ebræis & Samaritanorum codicibus concordat, scribentis ipso anno diluvii Mathusala defunctum, cum ageret annum nongentesimum sexagesimum nonum. Salmanticensis Judæus autor libri Johasin scribit Mathusala sepultum fuisse anno mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, perduxisseque ætatem usque ad diluvium, tum etiam quinque annis ante sepeliisse filium suum Lamech. Addit deinde quæ, si rectè capio, valde stabiliunt opinionem Hieronymi. Nam ait defunctum septem diebus antequam inciperet diluvium. Cui firmando quæ in Genesi magno (liber est qui Ebraice vocatur *Beresith rabba*) sectione *Noach*, ad locum, *Et fuit post septem dies, Docet* (hic locus) *Deum suspendisse illis septem dies luctus Mathusala justi, quo agerent pœnitentiam & non egerunt.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Hic est liber generationum hominis: quo die creavit Deus hominem, in similitudine Dei fecit eum.*

Hic est liber generationis hominis] Vulgata, *Hic est liber generationis Adam.* Videtur legisse תולדת in singulari. Sic etiam legerunt Græci & Chaldæi. Editio τῶν Lxx. αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων. Onkelos, *Iste est liber generationis Ada.* Jonathan, *Hic est liber genealogiæ generationis Adæ* sive *Adami.* Nam תולדת singulare est, nisi legas תּוֹלְדֹת cum (ִ) in ultima, ut sit constructum, sive regimen ex תּוֹלְדוֹת sive תּוֹלְדֹת generationes. Id eo magis credo quod Grammatici annotant תולדת singularem non habere. Quanquam utriusque linguæ non eadem ubique ratio. Santes, *Iste est liber generationum Adam.* Alius, *Hæc est enumeratio generationum Adami.* ¶ *Liber generationum hominis*] i. Adæ sive Adami. Non Adam, homo. ספר. Hæc est series eorum, qui ab Adam descenderunt. ספר i. recensio nominum sive catalogus, aut enumeratio. Nam ספר numeravit. Ciceroni *libellus nominum.* תולדת autem tam de posteris dicitur, quam de majoribus. De posteris ut hic: de majoribus, ut Matth. 1. 1. *liber generationis Jesu Christi*, i. series majorum, à quibus Christus descendit. Hic passive, ibi active sumitur. ¶ *Generationum hominis*] i. generis Adæ i. eorum qui ab eo geniti sunt. Sic accipies Gen. 6. *Istæ sunt generationes Noe:* & Gen. 37. *Istæ sunt generationes Jacobi.* Sic, *generationes cœli ac terræ:* quæ cœlum & terra genuit. Alibi vocantur, *exercitus cœli & terræ.* ¶ *Quo die creavit*] vel, *in die quo creavit.* Sed melius interpres noster, *In die qua creavit.* Nam dies pro tempore ut plurimum fœmininè usurpatur: unde diecula pro exiguo tempore. Verbum è verbo, *In die creandi Deum hominem.* ¶ *In similitudine Dei*] i. sua. Similitudo i. דְּמוּת: Jonathan interpretatur דְיוֹקְנָא i. εἰκὼν, imago, effigies. Simul leguntur hæc duo nomina Gen. 39. in Salomone Jario דמות דיוקנו של אביו similitudo effigiei paternæ. Lexicon Chaldaicum Eliæ Levitæ דיוקנא similitudo i. דמות. Psal. 39. *Veruntamen in imagine ambulat homo.* Ebraicè בצלם. Joseph Cœcus habet בדיוקנא די in similitudine Dei. ¶ *Fecit eum*] עֲבַד יָתֵהּ Onkelos, & עַבְדֵיהּ Jonathan. Hinc disces עבד Chaldæorum lingua idem esse cum eo quod Ebræi עשה dictitant.

2. *Marem & fœminam creavit eos, & benedixit eis, & vocavit nomen eorum Adam, quo die creati sunt.*

Marem & fœminam] vel, *Masculum & fœmellam.* Interpres vulgatus, *masculum & fœminam.* Sic Plautus, *Bona fœmina & malus masculus hic te volunt.* Lxx. ἄρσεν καὶ θῆλυ. Dicimus autem ὁ καὶ ἡ ἄρρην sive ἄρσην: cujus neutrum τὸ ἄρσεν. Similiter ὁ καὶ ἡ θῆλυς fœmineus, & neutrum τὸ θῆλυ. subintelligitur autem γένος. *Fœmineum genus* i. fœmina. Lexicon Hesychii, θῆλυ, ἀσθενὲς, γυνή. Glossarium vetus, θῆλυ, fœmella, ac si diminutivum esset. Quod vero ait, *marem & fœminam.* ita loquendo haud obscure innuit unam tantum fœminam viro datam fuisse. Nam si plures dedisset, dixisset, meo judicio, marem & fœminas. Si unam tantum dedit, ergo & una contentus esse deberet. ¶ *Vocavit nomen eorum*] nominavit eos. *Nomen eorum*, τὸ ὄνομα αὐτῶν, quod in libris veteribus. Sed in vulgatis, etiam in ed. Rom. τὸ ὄνομα αὐτοῦ, nomen ejus. Mendum ab iis, qui putarunt solum marem dici Adam, cum id nomen utrique sexui commune sit. ¶ *Adam*] usurpatur de viro tantum Gen. 3. 8. de fœmina tantum Num. 31. 35. & Jes. 44. 13. de viro & fœmina simul, ut hic & alibi passim. ¶ *Quo die creati sunt*] Hiero. *in die quo creati sunt.* Sic On. & Jon. ביומא דאתבריאו quod leges cum punctis vocalibus דְאִתְבְּרִיאוּ quo creati fuerunt. Lxx. ᾗ ἡμέρᾳ ἐποίησεν αὐτούς: quo die fecit eos בְּיוֹם עֲשׂוֹתָם. Ceterum in Ebræo est ad verbum, *in die creari eorum.* ¶ *Benedixit eis*] Jonathan hic habet, *Et benedixit eis in nomine sermonis sui.* Quod notandum vel præter illud Evangelii: *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum &c.*

3. *Vixit autem Adam centum triginta annos, & genuit in similitudine sua, in imagine sua: vocavitque nomen ejus Seth.*

Et genuit] καὶ ἐγέννησε: subintelligitur autem בן i. υἱόν. Quem defectum supplevit interpres noster, *Et genuit filium.* Jonathan habet, *& genuit Seth, qui similis erat imagini ejus, &c.* ¶ *In similitudine sua, in imagine sua*] Lxx. κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ: secundum speciem suam & secundum imaginem suam. Legerunt utrobique Chaph loco Beth. Hiero. *Ad imaginem & similitudinem suam.* דמות vertit imaginem. Libri quidam *ad similitudinem & imaginem*, quæ lectio verior est, meo judicio. Sic etiam Jonathan. Nam איקונין i. imago, videlicet εἰκὼν. Græcum enim est. On. *& genuit in similitudine sua similem sibi.* Tremellius, *in imagine sua, secundum similitudinem suam.* i. כצלמו per Chaph: quod præferunt duo Veneta in folio. Nec aliter Mercerus. Santes, *ad similitudinem suam, ad imaginem suam.* Munsterus, *In similitudine sua, juxta imaginem suam.* Magis probo. Nam דמות similitudo, & צלם imago. Sed confundi scias. Κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ verti, *secundum speciem suam.* Licet etiam vertere, *secundum genus suum.* Romanenses maluerunt, *ad figuram suam.* ¶ *In imagine sua*] בצלמו per Beth, editio Veneta secunda. Ceteræ habent כצלמו per Chaph, etiam ea, quæ impressa, cum commentariis Hiscuni. Venetam secundam secuti sunt Antverpienses in Bibliis interlinearibus, nec non illi qui Mosen Gerundensem Venetiis ediderunt. Habeo & Stephani, quæ in quarto folium complicat, quæ perspicuè Chaph præfert. Nam alias non inspexi. ¶ *Vocavit nomen ejus*] nominavit eum, nomen ei dedit, aut imposuit. Mirum autem cur dicat genuisse Seth ad imaginem suam, ac si Cain & Habel ad aliam imaginem genuisset. An quia natio piorum propagata per Seth, ideo hoc nunc commemorat? Verum videtur: Nam Habel non suo fato periit: & Caini genus improbum pravumque. Porro dicit, *ad imaginem suam*, & non *ad imaginem Dei.* Quippe primus homo

homo ante lapsum gerebat imaginem Dei, quam post amisit. Itaque filium gignit non ad imaginem, qua conditus fuit; sed ad imaginem, qua post lapsum indutus fuit. Ea vocatur imago hominis, non Dei, quod in ea imagine magis hominem referret, quam Deum.

4. *Et fuerunt dies Adam, postquam genuisset ipse Seth, octingenti anni: genuitque filios & filias.*

Dies Adam] anni vitæ ejus. Hoc dicit, post genitum Seth, vixit annos 800. ❡ *Postquam genuisset ipse Seth*] μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σήθ. ❡ *Octingenti anni*] Græci hic legunt ἔτη ἑπτακόσια: anni septingenti. Error, ut apparet, ex numeris ortus. Supra ubi nos posuimus, *vixit autem Adam centum triginta annos*; iidem habent, τριάκοντα καὶ διακόσια ἔτη triginta & ducentos annos. Hic recordor proverbii, *Vara vibiam sequitur*. Nam unus error alium traxit. ❡ *Genuitque*] Autor Jerosolymitanæ, Et in illis annis gignebat filios & filias.

5. *Sic fuerunt omnes dies Adam, quibus vixit, nongenti triginta anni: & mortuus est.*

Omnes dies Adam quibus vixit] i. omnes dies vitæ ipsius, membrum illud *quibus vixit*, tollit ambiguitatem, quæ in nomine dierum. Quippe dies alicujus dicuntur interdum adjuncta diei, ut Psal. 116.2. *In diebus meis clamo*. Vult dicere, in calamitate mea sive rebus meis adversis. Sic Cohol. 5. 19. *Non multum recordabitur dies* i. ærumnas *vitæ suæ*. Mich. 1.4. *dies speculatorum tuorum*, quo speculatores tui in calamitate sunt. Sic dico, dies alicujus declarat spatium quo vixerit aliquis, aut insigne quippiam ipsi vel facere vel ferre contigerit. ❡ *Nongenti triginta anni*] τριάκοντα καὶ ἐννακόσια ἔτη: triginta & nongenti anni. Sed majorem numerum Ebræi præponunt, & pleonasmo utuntur, quem nos vitavimus, *nongenti anni & triginta anni*. Onkelos, *nongenti & triginta anni*. Vulgatus, *anni nongenti triginta*.

6. *Vixit quoque Seth centum quinque annos & genuit Enos.*

7. *Et vixit Seth, postquam genuisset ipse Enos octingentos septem annos, genuitque filios & filias.*

8. *Et fuerunt omnes dies Seth nongenti & duodecim anni, & mortuus est.*

Centum quinque annos] vel, *centum & quinque*: vel propius ad fontem, *quinque & centum*. Nam in Ebræo *quinque annos & centum annos*. Prior ordo latinis usitatior. In Lxx. πέντε καὶ διακόσια ἔτη: quinque & ducentos annos. Onkelos, *centum & quinque*. ❡ *Enos*] de quo supra 4.26. ❡ *Octingentos septem annos*] In Ebræo est, *septem annos & octingentos*. Nam Ebræi numerum minorem fere præponunt. Quod semel notandum fuit. On. *octingentos & septem annos*. Lxx. ἑπτὰ ἔτη καὶ ἑπτακόσια: septem annos & septingentos. Qualis error & supra in annis Adami. ❡ *Omnes dies Seth*] quibus vixit Seth. ❡ *Nongenti & duodecim anni*] vel, *nongentorum & duodecim annorum*. Lxx. δώδεκα καὶ ἐννακόσια ἔτη. Codex Ebræus, *duodecim anni & nongenti anni*. De quo pleonasmo vos supra monuimus.

9. *Et vixit Enos nonaginta annos, & genuit Cenan.*

10. *Et vixit Enos, postquam genuisset ipse Cenan octingentos & quindecim annos, genuitque filios & filias.*

11. *Sic fuerunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est.*

Cenan] Antiquitas lectionis *Cainan* id est קֵינָן quod malè scriptum Καϊνᾶν in editione Romana. Scribi debet Καινᾶν ut sit dissyllabum. Nam Καϊνᾶν cum duobus apicibus trisyllabum est, quod Ebraicè scriberetur קַיִנָן & contra consuetudinem & contra analogiam. Ceterum *Cenan* id est קֵינָן etiam On. & Jon. ediderunt. ❡ *Nonaginta*] ἑκατὸν ἐνενήκοντα. Lxx. i. centum nonaginta. ❡ *Octingentos & quindecim annos*] Lxx. πεντεκαίδεκα ἔτη καὶ ἑπτακόσια: quindecim annos & septingentos. Quod hic deest, in versu qui hunc antecedit, superest. ❡ *Nongenti quinque anni*] On. Jon. *Nongenti & quinque anni*. Nam Chaldæi servato naturali ordine, majorem numerum præponunt: contra ac Ebræi. Nam in fonte, *quinque anni & nongenti anni*. Legi etiam potest, & fortasse melius, *octingentorum & quindecim annorum*.

12. *Et vixit Cenan septuaginta annos, & genuit Malaleel.*

13. *Vixitque Cenan, postquam genuisset Malaleel, octingentos & quadraginta annos, & genuit filios & filias.*

14. *Sic fuerunt omnes dies Cenan nongenti decem anni, & mortuus est.*

Malaleel] Ita Hiero. Græci variant nonnihil. Nam pro Malaleel scribunt Μαλελεὴλ i. Maleleel, מַלְלְאֵל. Ebræi vero & Chaldæi מַהֲלַלְאֵל habent i. Mahalaleel. In Græca lectione duo observanda. Primùm (e) pro (a), ut in Melchisedec, quod nunc scribunt ac legunt Malchisedec: deinde contractio nominis Maleleel pro Mahalaleel. ❡ *Septuaginta*] ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν est in ed. τῶν ό. ❡ *Octingentos & quadraginta annos*] In eadem editione habetur τεσσαράκοντα καὶ ἑπτακόσια ἔτη: quadraginta & septingentos annos. ❡ *Nongenti decem anni*] Lxx. δέκα ἔτη καὶ ἐννακόσια. In summa numeri conveniunt cum Ebræis: in ceteris dissident.

15. *Et vixit Malaleel sexaginta quinque annos & genuit Jared.*

16. *Vixitque Malaleel postquam genuisset Jared octingentos triginta annos, & genuit filios & filias.*

17. *Et fuerunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est.*

Sexaginta quinque] πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν Lxx. ❡ *Jared*] τὸν Ἰάρεδ. Hic est יָרֶד in fonte propter pausam, hoc est accentum majorem distinguentem. Alias est Jered, prima brevi i. יֶרֶד. Interpretes Græci & Latini nihil variant. Sic הָבֶל perpetuo Habel extulerunt perinde ac si in pausa esset. Sic פָּלֶג Phaleg. ❡ *Octingentos triginta*] τριάκοντα καὶ ἑπτακόσια: septingentos triginta. Quod hic deest, in superiore numero superest. ❡ *Octingenti nonaginta quinque*] πέντε καὶ ἐνενήκοντα καὶ ὀκτακόσια.

18. *Vixitque Jared centum sexaginta duos annos, & genuit Henoch.*

19. *Et vixit Jared, postquam genuisset Henoch, octingentos annos, genuitque filios ac filias.*

20. *Et fuerunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est.*

Centum sexaginta duos annos] δύο καὶ ἑξήκοντα ἔτη καὶ ἑκατόν. Hic Græci nihil variant ab Ebræis. ❡ *Henoch*] perperam ἐνὼχ in codicibus Græcis. Nam aspirari debet in principio. Critici Ebræorum scripserunt Hanoch, & est nomen monosyllabum in ea lingua. ❡ *Octingentos annos*] ὀκτακόσια ἔτη.

21. *Porro Henoch vixit sexaginta quinque annos, & genuit Mathusalam.*

22. *Et ambulavit Henoch cum Deo, postquam genuisset Mathusalam, trecentos annos, genuitque filios & filias.*

23. *Et fuerunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.*

Mathusalam] Casus est obliquus a recto Mathusala, quod Græci scribunt Μαθουσάλα: utrumque Josephus & Sulpitius. Reperitur & Mathusale: unde Mathusalem. מְתוּשֶׁלַח Mathusale, ut תֶּרַח Thare. Hoc nomen confusum est in quibusdam libris cum nomine Mathusael i. מְתוּשָׁאֵל. ❡ *Et ambulavit Henoch cum Deo*] Quid sit ambulare cum Deo, docebunt nos interpretes. Primum Onkelos, qui vertit, *& ambulavit in timore DOMINI*. Deinde Jonathan & autor Jerosolymitanæ, qui habent, *Et servivit in veritate coram DOMINO*. Postremo Græci Lxx. interpretantes εὐηρέστησε τῷ Θεῷ: *placuit Deo*. Ceterum Deo placet, *qui in timore DOMINI ambulat*, i. qui piè ac sanctè vivit: item, *qui DOMINO in veritate servit*, sive *qui DOMINUM vere colit*. Verè, inquam, & non ficte aut simulate. Sic infra 6.9. *cum Deo ambulavit Noe*. Eadem sententia in illo, *post DOMINUM Deum vestrum ambulabitis*. Sunt qui יִתְהַלֵּךְ exponunt per אִתְרַגֵּל assuevit. Meminit Abenezra. *Assuevit cum Deo* i. Dei consuetudine usus est, sive conversatus est cum Deo. ❡ *Ambulavit*] Trem. *ambulavit continenter*. Idem supra 3.8. *cum audiret vocem Iehovæ Dei itantem per ipsum hortum*. ubi est מִתְהַלֵּךְ in Ebræo. Cujusmodi verba Latini frequentativa nuncupant. Nam *itare*, frequenter ire. ❡ *Trecentos annos*] In edit. τῶν Lxx. διακόσια ἔτη: ducentos annos. Supra iidem habent πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη: centum sexaginta quinque annos. Qui simul efferunt πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακόσια ἔτη: trecentos sexaginta quinque annos.

24. *Et ambulavit Henoch cum Deo & non fuit ipse: quia abstulit eum Deus.*

Et ambulavit cum Deo] ambulavit, inquam, cum Deo, ut sit repetitio, vel, cumque ambulasset cum Deo, non fuit ipse i. non amplius extitit. Mercerus explicat, *cum se ad ambulandum cum Deo composuisset*. *Ad ambulandum* i. ad vivendum, nempe in altera vita. הֹלִיךְ deduxit, ambulare fecit. הִתְהַלֵּךְ ambulare se fecit. Ea vis esse videtur in hac conjugatione. Onkelos, *& ambulavit in timore DOMINI*. הָלַךְ ambulavit. Licet etiam vertere *deduxit se*. Sed hoc durum in auribus meis. Jonathan, *servivit in veritate coram DOMINO*. Sic etiam est in Thargum, qui ab urbe nomen habet. Antea explicuimus. Lxx. καὶ εὐηρέστησε τῷ Θεῷ: *& placuit Deo*. Quo verbo usus est &

Syracides 44. 18. Ἐνὼχ εὐηρέστησε Κυρίῳ καὶ μετετέθη, ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς: *Henoch placuit DOMINO & translatus est: exemplum resipiscentiæ ætatibus.* Et autor sapientiæ 4. 11. εὐάρεστος τῷ θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη, καὶ ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη. Apostolus Ebræo. 11. 5. πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτοῦ μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ: priusquam enim transferretur testimonium obtinuerat, quod placuisset Deo. ¶ *Et non fuit ipse, quia abstulit eum Deus*] On. *& non erat ipse, quia non affecerat eum morte DOMINUS.* Quidam hunc locum ita citant, ut pro ואיננו *non erat ipse*, legisse mihi videantur, והוא *erat ipse.* Corrumpendo loco fuit quod sequitur, *non affecerat eum morte DOMINUS.* Nam si non obierat, ergo erat. Esse enim dicitur, qui in vivis est: & contra non esse qui obiit diem suum. Verior interpretatio, *non erat ipse*, non extabat amplius inter homines. Quomodo Jonathan interpretatur, *Et ecce non erat ipse cum habitatoribus terræ, quoniam subtractus erat & ascenderat in cœlum per sermonem coram DOMINO.* Et autor Jerosolymitanæ, *Ecce non erat ipse, quia subtractus erat per sermonem à DOMINO.* Non est de nihilo, quod hi duo interpretes addiderunt de suo הא ecce: quod adverbium usurpare solent in re nova & improvisa, inopinata. Græci LXX. καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός: & non inveniebatur, quoniam transtulerat eum Deus. Hinc Apostolus Ebræ. 11. 5. πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον. Καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός: *fide Enoch translatus fuit, ne videret mortem: nec fuit inventus, eo quod transtulerat eum Deus.* Autor Sapientiæ de eodem, ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη. ἡρπάγη μὴ κακία ἀλλάξῃ σύνεσιν αὐτοῦ ἢ δόλος ἀπατήσῃ ψυχὴν αὐτοῦ. Vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia immutaret ingenium ejus, & dolus deciperet animam ejus. Conferamus hæc duo testimonia inter se. Nam in causa translationis sive raptus variare videtur. Apostolus ait, *translatus fuit, ne videret mortem.* Autor Sapientiæ, *raptus est ne malitia immutaret ingenium ejus.* Quæ facile concilio. Nam Apostoli locus ambiguus est. Videt mortem phrasi Ebraica qui moritur. Moritur qui vitam cum morte commutat, & qui in calamitates incidit, & qui peccat. Sane peccatores mortui vocantur, & legimus hoc significatu, *Sine, ut mortui sepeliant mortuos.* Igitur *ne videret mortem* exponi potest, ne malitia immutaret ingenium ejus, sive ut vetus interpres habet, intellectum ejus. An Apostolus ita intellexerit nescio. Magis inclino, ut credam aliter intellexisse, præsertim cum ex Ebræis sint, qui teneant ipsum mortuum non esse morte communi & ordinaria, more videlicet aliorum Patriarcharum, qui eum vel præcesserunt, vel secuti sunt. Cui firmando est innovata formula loquendi ואיננו *& non ipse*, cum alias dicat וימת *& mortuum est.* Quis credat temerè Mosen ita nunc locutum esse? Sed quæritur utrum Henoch adhuc vivat, quod multi opinantur? Ego immutatum fuisse putarim & per consequens mortuum. Nam omnibus semel moriendum est, & immutatio illa pro morte habetur. Quis est homo, inquit ille, qui non videat mortem? Vidit ergo mortem etiam Henoch. Sed non illam, quæ proprie mors appellatur, quæ est separatio animæ à corpore. De hac Apostolus intelligendus est. Videamus nunc aliorum sententias. R. Salo. ad hunc locum, *Et ambulavit Henoch cum Deo,] justus erat & mente levis, ut facile redire potuerit ad vitam improbam: ideo properavit Deus ipsum auferre, & morti dare ante tempus. Quæ etiam causa & ratio est, cur Scriptura mutet sermonem in morte ipsius, scribendo, Et non erat ipse, videlicet in hoc seculo sive mundo ad implendum annos suos. Quoniam abstulit eum] ante tempus suum, ut ibi, Ecce ego aufero à te desiderium oculorum tuorum.* Huc usque Rabbinus ille. Quid ceteri? Hiscuni Scholion est quo illustrat hunc versum, *Quia fuit brevis ævi ad alios comparatus, videtur perinde esse, acsi non fuisset. Dicit ergo, & non fuit ipse, quia rapuit eum Deus. Onkelos interpretatur, & erat ipse, quia non mori fecerat eum Deus.* O Nεs, *Ecce ipse perstat & superest, quia ecce Deus laudandus non affecit eum morte. Sed & venturus est cum Elia, tempore redemtionis. Ceterum omne* אין *&* אינו *quod in Talmud, sensum habet ab hoc* ואיננו *diversum. Thargum autem Jerosolymitanum habet, & ecce non erat, quia subtractus fuit per sermonem à DOMINO. Secundum hoc Thargum dicendum est verbum* לקח *abstulit accipi debere in significatione mortis ut accipitur in illo, Tolle nunc animam meam: & alibi, Deus redimet animam meam e manu Saulis, quia tollet me.* Hactenus Hiscuni, quo me aliquando donarunt Ord. Gen. Belgii. Deus illis pro hoc munere gratiam referat. Nam ego, qui possum? Bonum meum, ut cum David eloquar, nequaquam ad illos. Idem scribit honoris causa, quoniam justus erat Henoch, Scripturam novo hoc genere sermonis usam. Quod amplius confirmat Abenezra per hæc verba, *Abstulit eum Deus per mortem. Sic enim certe* לקח *accipitur, ut, Aufer* (vel *tolle*) *nunc animam meam: & Ezech. 24. 16. ecce ego aufero à te desiderium oculorum tuorum. Nam post ait seipsum explicans, & mortua est uxor ejus. In hac assumtione Henochi nulla mentio plagæ aut mortis. Ratio exposita est in verbis illis Asaphi, Post gloriam assumsit sive abstulit me. Et sic in Psalmo filiorum Core, Deus redimet animam meam è manu Saulis, quia tollet me Selah. Intelligens intelligit, quid velim.* R. David in comment. 2. Reg. 2. 1. *Vulgus nostrum, etiam sapientes nostri tenent Eliam ingressum paradisum cum corpore, ibique vivere in eo statu, in quo erant primi parentes nostri ante lapsum. Sic quoque Henoch intravit Paradisum. Unde in Dras, Quatuor ingressi sunt Paradisum, Adam, Heva, Henoch & Elias.* Hanc sententiam amplexi sunt plerique Christiani. Nolim factum. Nam terrestris Paradisus ubi nunc est? Si nusquam est, nec in eo sunt Henoch & Elias. R. Aquila in Alphabeto: *Subduxit eum Deus in turbine* (de Henoch loquitur) *sicut Eliam, cujus fausta est memoria. Sane* לקח אותו אלהים *in Gematica valent* ברוח סערה העלהו *cum vento tempestatis ascendere fecit eum.* R. Levi filius Gerson, *Henoch ambulavit in viis DOMINI, postquam genuit Mathusalam. Innuit ipsum prius non ambulasse in viis DOMINI, sed in viis seculi sui. Post tulit eum Deus: vult dicere, posuit animam ejus in horto Eden, juxta illud, post gloriam tolles me. Et ecce ob hanc causam non meminit in ejus historia mortis, cujus tamen mentionem fecit in aliis, qui commemorantur cum illo.* ¶ *Et non fuit ipse*] ואיננו *& non ipse.* subintelligitur autem *erat*, aut, *fuit.* In ואיננו pronomen obliquum recti casus naturam induit. Nam pro eo habendum, ac si diceret אין הוא. Sic אותו interdum valet ipse. Sic ליתוהי quod in Onkelō, & ליתיה quod in Jonatha, explicantur per לית הוא, quod in Thargum Jerosolymitano. Ceterum esse dicitur, qui vivit, & contra non esse, qui è vivis excessit, ut Gen. 42. 13. והאחד איננו & unus non est ipse. i. mortuus est ut loquitur infra 44. 20. Sic alibi, *Rachel plorans filios suos noluit consolationem accipere, quia non sunt.* Hinc fuisse dicuntur mortui, & *fuit* idem est cum illo, mortuus est. Plautus, *nunc illud est cum me fuisse, quam esse nimio mavelim* i. vixisse, quam vivere. Nam etiam *vixit* dicunt de mortuo. Sic *abiit.* Huc refer, *Quando nos sumus, mors non est: quando nos non sumus, mors est.* Verba sunt Lactantii lib. 3. cap. 17. Eodem pertinet, quod apud Demosthenem περὶ στεφάνου: ζώντων Ἀθηναίων καὶ ὄντων i. superstitibus, quod vulgo dicimus esse in natura. Psal. 103. 16. ad locum, *Ventus transivit per eum & non fuit*, R. David ואיננו explicat איננו בין החיים non est inter vivos. Hæc omnia adversantur iis, qui negant Henochum mortuum esse. Non est mortuus ea morte, de qua Apostolus loquitur: At potuit alia morte mori. Nam moritur & qui placide migrat ex hac vita, & qui demutatur, sive qui exuit corruptibilem naturam, & qui in peccatis moritur. Tales quoque non esse dicuntur, ut Esth. 14. 11. *Ne tradas sceptrum tuum iis, qui non sunt*, i. impiis. Nam impii pro mortuis habentur. ¶ *Abstulit*] לקח accepit, transtulit, assumsit, rapuit. Sed rapuit proprie, טרף. Transtulit autem i. μετέθηκεν: unde μετετέθη, in locis ante commemoratis. Reperitur etiam ἀνελήφθη i. assumptus est Sirach. 49. 19. Autor vulgariæ nostræ, *quia tulit eum.* Sic etiam Santes & alii. Hoc verbo usus est Spiritus sanctus de raptu Eliæ 2. Reg. 2. 9. & de morte uxoris Ezechiel, Ezech. 24. 16. Quod autem Jonathan transtulit, *quia morte non affecerat eum DOMINUS* id dupliciter intelligi potest, vel ut neget animam à corpore diremptam, quæ proprie mors vocatur; vel ut innuat placide migrasse ex hac vita, & sine iis incommodis, quæ mortem comitari solent, obiisse. Nam tales quoque non mori dicuntur. Sic dico, accipi potest de morte dolorum & calamitatum, ut ibi, *Justitia liberat à morte* i. Interprete Sirachide ἐκ πάσης κακώσεως.

25. *Et vixit Mathusala centum octoginta septem annos, & genuit Lamech.*

26. *Vixitque Mathusala, postquam genuisset ipse Lamech, septingentos octoginta duos annos: & genuit filios & filias.*

27. *Sic fuerunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni & mortuus est.*

Lamech] qui & Lemech, ut Jared & Jered, Habel & Hebel, Phaleg & Pheleg. ¶ *Septingentos octoginta duos annos*] Hic Græci codices habent, δύο καὶ ὀκτακόσια ἔτη: *duos & octingentos annos*, ut ante i. versu qui hunc antecedit, ἑπτὰ ἔτη καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατόν, *Centum sexaginta septem annos*, ubi nos habemus, *octoginta septem.* ¶ *Mortuus est*] eo anno, quo cœpit diluvium. Hieronymus, *res ipsa sexto anno ante diluvium.* Augustinus ex quibusdam codicibus Græcis duobus,

duobus, uno latino, & uno etiam Syro inter se consentientibus *decimo quarto post diluvium*. Alii ex corrupta Græcorum codicum editione. Quod notavit idem, quem supra nominavi Hiero. Vide, si placet ejus Quæst. in Genesin.

28. *Et vixit Lamech centum & octoginta duos annos & genuit filium.*

29. *Et vocavit nomen ejus Noe, dicendo; iste consolabitur nos ab opere nostro, & à labore manuum nostrarum, ratione terræ, cui maledixit DOMINUS.*

Centum octoginta duos] ὀκτὼ καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. Lxx. i. centum octoginta octo. ¶ *Noe*] Νῶε. Quod alii scripserunt Noa vel Noach. Id latine declinatur Nochus, Nochi, non ut vulgo Noachus, Noachi. Cave vulgum in eo sequaris. ¶ *Iste consolabitur nos*] זה ינחמנו : *iste consolabitur nos.* Ita Hiero. quem secuti sumus, libenter enim sequimur quando licet. *Consolabitur nos* i. παρακαλέσει ἡμᾶς. Sic reddunt Job. 7. 13. ינחמני παρακαλέσει με: *consolabitur me.* Hic reddunt οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς: iste reficiet, aut quiete interposita refocillabit & recreabit nos. Vulgo, *Iste quietem præstabit nobis*, aut *requiescere nos faciet.* Nicolaus à Lyra, *In Ebræo habetur quietabit nos.* Hic locus arguit Nicolaum illum non admodum doctum fuisse Ebraice. Nam *quietabit nos* i. ינחנו. Hiero. in Quæst. *Iste consolabitur nos. Alia litera, Iste requiescere faciet nos. Noe requies interpretatur. Ab eo igitur, quod sub illo omnia retro opera quieverunt per diluvium, appellatus est Noe i. requies.* Restat aliqua difficultas. Nam à נחם non videtur recte deduci נח. Sunt qui dicant haberi rationem sensus & non vocis. Siquidem consolamur aut re aut verbis. Re consolamur, quando opitulamur alicui præstamus. Id reficere aut refocillare dicunt; & est editio quædam, quæ hic habet *recreavit nos.* Addo etymologiam inter & artem grammaticam quandoque dissidium esse. Testis Cain, qui non à lamentando i. קין sed à possidendo i. קנה nomen sortitus est. Porro sensus ratio habetur (Autor Abenezra) & in Jerubosheth, qui & Jerubaal. Nam Baal pudendum idolum. Pudor autem בשת dicitur. ¶ *A labore manuum nostrarum*] idem cum illo, *à labore nostro.* Ab opere & à labore i. ab opere laborioso. Male Lxx. ἀπὸ τῶν λυπῶν τῶν χειρῶν ἡμῶν. Nam quod additum, *Manuum nostrarum*, satis docet עצב hic non significare dolorem, sed laborem sive molestiam. ¶ *Ratione terræ*] מן האדמה accipio ut supra, Gen. 4. 11. *Maledictus tu* מן האדמה i. ex parte terræ. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Quidam elegerunt, *propter terram.* Hiero. *in terra*, בארמה. Lxx. ἀπὸ τῆς γῆς. Consolabitur, inquit, nos de terra, cui DOMINUS maledixit. Non omnino spernendum. In notis ad Gallicam edit. ultimam, *à labore manuum nostrarum, qui è terra manat.* ¶ *Cui maledixit DOMINUS.*] Gen. 3. 17.

30. *Et vixit Lamech postquam genuisset ipse Noe quingentos nonaginta quinque annos & genuit filios & filias.*

31. *Et fuerunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est.*

Noe) vel Noan, vel certe Noen, qui est quartus casus à recto Noe, ut Penelope, Penelopen legitur apud Hilarium. Vel à recto Noes. Noe Noes, ut Ause Auses. ¶ *Quingentos nonaginta quinque*] πεντακόσια καὶ ἑξήκοντα καὶ πέντε est in Lxx. i. quingentos & sexaginta & quinque. ¶ *Septingenti septuaginta septem*] Eadem editio ἑπτακόσια καὶ πεντήκοντα τρία: Septingenti & quinquaginta tres. Chaldæi nihil variant ab Ebræis.

32. *Erat autem Noe quingentorum annorum, & genuit Sem, Cham & Japhet.*

Erat Noe quingentorum annorum & genuit.] Vel, *quum esset quingentorum annorum genuit*, q.d. Non prius genuit. Quod sane capiendum. Nam non omnes simul genuit: Sed primum eum, qui maximus natu erat, deinde alios genuit post annum ætatis quingentesimum. Sane Sem, qui biennio post diluvium, quando genuit Arpha ad annum agebat centesimum, ut habetur Gen. 11. 10. Natus primum est anno Noe quingentesimo secundo videlicet post Japhetum fratrem majorem. Gen. 10. 21. Ceterum in Ebræo est ad verbum, *Erat autem Noe filius* 500. *annorum*, quem Ebraismum retinent interpretes Chaldæi. ¶ *Et genuit Sem*] Ebræi & Chaldæi repetunt hic nomen Noe: quod in Latio redundat: ideo illud omissum. Vide Salmanticensem in Johasin. fol. 3. p. 1. ¶ *Sem, Cham, & Japhet*] opinio quorundam est, maximum natu fuisse Japhet: minimum autem Cham, & inter hos medium Sem. Quæ si vera, dicendum est, Sem fuisse secundo genitum, qui tamen hic & infra 10. 1. primo loco recensetur. Respondent hoc fieri propter dignitatem generis. Nam ab eo descenderunt Patriarchæ, Abraham, Isaac, & Jacob: item David & Christus. Hæc opinio firmatur tribus locis Scripturæ. Primus est Gen. 10. 21. qui tamen valde ambiguus est. Nam tam potest reddi *fratre Japhet minore*, quam *fratre Japhet majore* i. maximi natu. Alter est Gen. 9. 24. *Et cognovit quæ sibi fecerat filius suus minor sive minimus natu.* Nam loquitur de Cham. Tertius est Gen. 11. 10. *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluvium.* Ecce ait Sem biennio post diluvium egisse annum 100. Noe autem cœpit gignere anno ætatis 500. Igitur non Sem maximus natu, sed Japhet: Nam Cham minimus erat, ut diximus.

AMAMA.

22. NOtant Witakerus, Lubbertus aliique superflua esse illa verba, *Et vixit Henoch.* Certe si ea demas, omnia longe esse ἐμφατικώτερα docebit te Mercerus comm. ad hunc locum.

DE MUIS.

5. *Et genuit Adamus ad similitudinem & imaginem suam, vocavitque nomen ejus Seth,*] CUR hoc additum, *ad similitudinem & imaginem suam*: Nonne enim satis experientia docet quicquid in animalibus generatur ad similitudinem generantis generari? Quidni vero hoc etiam de Caino & Habele dictum? Respondet Isaacus Karus, Quandoquidem venire poterat in mentem, primum hominem, utpote ad Dei similitudinem effictum, similem sui non potuisse efficere, esse enim tantum tamque excellens opus ipsiusmet Dei, idcirco additum fuit, *ad similitudinem & imaginem suam.* Porro autem quod Cainus & Habel excisi sint, (ille cum universa posteritate Diluvio, hic à fratre) de iis haud dictum hoc, ast bene de Setho, שממנו הושתת העולם, *ex quo fundatus & constitutus mundus est.* (Noachus enim generis humani conservator è Sethi progenie fuit) Ramban ait, Quod summa Adami dignitas posita esset in expressione ad Dei similitudinem atque exemplar, dicuntur hic ejus quoque posteri eandem similitudinem retinuisse, etsi hoc neque de Caino neque de Habele dicitur, sed de Setho, ex quo propagandus mundus erat. Addit או מפני שאדם נברא בתכלית שלמות היצירה הזיר בשרו כי הירה כבחו כבח ובויו, *Aut propterea quod Adamus creatus esset atque effictus, quam fieri potuit, perfectissimo modo, de Setho dicitur, quod ei geminus ac similis fuerit cum robore tum forma dignitate.*

GROTIUS.

18. CEntum sexaginta duobus annis] De multis discrepantiis quæ in hoc & sequentibus capitibus circa numeros annorum apparent in codicibus Hebræis, Samaritanis, Græcis, nihil melius quod dicam habeo, quam quæ dixit in Critico sacro eruditissimus Capellus.

22. *Et ambulavit Enoch cum Deo*] Id est, ut Græci, & hic & vers. 24. vertunt εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ θεῷ [*placuit Enoch Deo*]. Idem sensus apud Syrum. Scriptor ad Hebræos XI. 5. μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ [*testimonium habuit placuisse Deo*].

24. *Et non apparuit quia tulit eum Deus*] Samaritanus: *Accepit eum Angelus ejus.* Onkelos: *Non occidit eum Deus*: id est, non passus est mori. Jonathan: *Sublatus fuit, & ascendit in cœlum ex mandato coram Domino.* Scriptor ad Hebræos: πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεὸς [*Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus*]. Josephus, ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον [*recessit ad Deum*]. Idem de Enocho & Elia: ὅτι γεγόνασιν ἀφανεῖς [*factos fuisse extra conspectum*]. *Translatus est in Paradisum*, ait Arabs dicto ad Hebræos loco.

27. *Nongenti sexaginta novem anni*] Præter testimonia hujus longævitatis quæ apud Josephum exstant, etiam Varro ex historiis notavit antiquos ad mille annos vixisse, sed male ipse pro annis accepit menses; in quo nihil esset mirandum. Vide Lactantium Institutionum libro II. c. 13.

29. *Iste consolabitur nos*] Sensus idem, sed etymologia nomini non respondet: itaque rectius Græci pro ינחמנו legerunt ינחנו: verterunt enim διαναπαύσει [*quiescere faciet*], quod originem nominis exacte ostendit. Sic & Philo citato libro, Pejorem insidiari meliori. In Hieronymiano nominum indice: *Noe, cessatio, requies.* Samaritanus paraphrastes: *Sustentabit*

tabit opera nostra, & oppressionem manuum nostrarum, id est, erit ad ruris opera vicarius noster.

Et laboribus manuum nostrarum] Chaldæus *à lassitudine*. Sic vocem עצב recte sumi apparet Prov. x. 22. & xiv. 23.

CARTWRIGHTUS.

3. ET *vixit Adam* 130 *annos &c.*] Lxx. 230 annos. Sciendum (inquit Hieron. in Tradit.) quod usque ad diluvium, ubi in nostris codicibus, ducentorum, & quod excurrit, annorum genuisse quis dicitur, in Hebræo habeat centum annos, & reliquos qui sequuntur.

4. 800. *anni*] Lxx. 700. anni. Quia (inquit Hieron.) in ducentis erraverat, consequenter hic posuit septingentos, cum in Hebræo hic habeat octingentos, & supra centum Senensis Biblioth. S. lib. 5. annotat. 68. ait Septuaginta Interpretes, cum multis in locis corrupti deprehendantur in hoc potissimum capite mendosos esse, ac à verissimâ supputatione contextus Hebraici recessisse. Augustinus de Civ. Dei lib. 15. cap. 10. 11, 12, 13. de hac inter Hebræos Græcosque codices in supputatione annorum, quibus prisci isti patres vixerunt, differentia, prolixe disputat, ac etiamsi magna erga Lxx Interpretes reverentia affectus, tandem tamen concludit (utinam id sobrie serioque cogitasset Morinus) ei potius linguæ credendum, unde est in aliam per interpretes facta translatio.

22. וַיִּתְהַלֵּךְ חֲנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים *Et ambulavit Enoch cum Deo*] Et sic vers 24. Chal. בדחלתא דיי, i. e. *in timore Domini*. Et sic cap. 6. vers 9. Lxx. εὐηρέστησε τῷ Θεῷ, placuit Deo. Atque ita Apostolus ad Heb. 11. 5. Sic cap. 6. 9. & alibi passim Lxx. pro *ambulare cum Deo*, habent *placere Deo*. Jonathan & Hierosolymitanus, Et (*a*) *coluit* Enoch *in veritate coram Domino*.

24. וְאֵינֶנּוּ כִּי־לָקַח אֹתוֹ אֱלֹהִים *Et non erat, quia sumpsit eum Deus*] Chald. וליתוהי ארי לא אמית יתיה יי. *Et non erat, quia non mori eum fecit Deus*. Hoc bene convenit cum eo quod dicitur Heb. 11. *translatum*, scil. *eum fuisse, ut non videret mortem*. At contrario sensu exponit Aben Ezra, *sumpsit eum Deus* i. e. *mortuus est*. Ut 1 Reg. 19. 4. *Sume quæso animam meam*. Et Ezech. 24. 16. *Ecce ego sumo à te desiderium oculorum tuorum*. Ita etiam R. Salomon de morte interpretatur, atque ait, Enoch justum quidem fuisse, sed mente instabili, ac ad impie agendum propensâ (*b*) (קל בדעתו לשוב להרשיע) ac propterea Deum celeriter, ac præmatura morte eum abstulisse. Jonathan, *Et ecce non fuit cum habitatoribus terræ, quia subtractus fuit, & ascendit in firmamentum verbo Domini*; במימר קדם יי ad verb. *verbo coram Domino*.

25. 26. 27. *Et Methushela vixit* 187 *annos, & genuit Lamech; & Methushela vixit postquam genuit Lamech* 782 *annos &c. Et fuerunt omnes dies Methusela* 969 *anni.*] Lxx. Et vixit Methushela annos 167, & genuit Lamech. (*c*) Et vixit Methushela postquam genuit Lamech annos 802. &c. Famosa quæstio (inquit Hieron. in Tradit.) & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quod juxta diligentem supputationem, quatuordecim annos post diluvium Mathushela vixisse referatur—Restat ergo, ut quomodo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero; siquidem & in Hebræis, & Samaritanorum libris ita scriptum reperi, *Et vixit Mathusuela* 187 *annis, &c.* Atque ita fit, ut nongentesimo sexagesimo nono anno vitæ suæ Mathushela mortuus sit, eo anno, quo cœpit esse diluvium. Vide ad cap. 7. 4. Nota autem Hieronymum hic asserere annos Mathushelæ in Hebræis, & Samaritanorum libris eodem plane modo se habuisse. At Morinus, Exercit. 4. cap. 10 specimen exhibet Samaritani codicis, ubi Mathushela vixisse dicitur 67 annis antequam genuit Lamech, & postea annis 653. Scaliger autem (uti refert Simeon de Muis in Censura exercitationum Morini in Pentateuchum Samaritanum) affirmat in Samaritico exemplari, quod habebat esse annos 77 nempe quos vixit Methushela, quando genuit Lamech. Hoc sane plurimum facit adversus sinceritatem istius codicis Samaritani, de quo tantopere gloriatur Morinus. Quis enim (ut recte Muisius) hinc non colligat, aliud fuisse exemplar Samariticum Hieronymi, aliud Morini, aliud Scaligeri?

29. *Et vocavit nomen ejus* נֹחַ *Noah, inquiens,* זֶה יְנַחֲמֵנוּ *iste consolabitur nos.*] Noah is à נוח, i. e. *quiescere*; (*d*) *Consolatio* autem *est requies à mœrore animi*, ut hic notat Aben Ezra, qui insuper monet Hebræos vocum significationes potius quam voces spectare; ac proinde alibi Jerubbaal & Jerubbosheth (quia scil. Baal fuit Bosheth, i. e. res pudenda) promiscue usurpari. Lyra ait in Hebræo esse, *iste quietabit nos*. At certe fallitur; nam ינחמנו non est à נוח *quiescere*, sed à נחם *consolari*. Asserit insuper Lyra Hebræos dicere, quod hoc non dicitur proprie propter reparationem seculi post diluvium, sed (*e*) quia ante tempus Noë homines multum laborabant in agricultura, quia propriis manibus terram colebant, ipse autem invenit artem arandi, in quâ plus laborant animalia, quam homines. Burgensis ait, istam Hebræorum expositionem fundamentum in litera non habere. Quod enim dicitur cap. 9. 20. Et Noe incepit esse agricola, de plantatione vineæ post diluvium dicitur. At verba quæ hic subjuncta sunt, expositionem istam probabilem reddunt.

Sem, Ham, & Japhet.] R. Salom. ex Bereshith Rabba asserit *Japheth fuisse primogenitum, sed primo loco recenseri Sem, quod justus esset, & ab eo descenderet Abraham.* Vide, si libet Manassen, Concil. qu. 20. in Gen. Vide etiam ad cap. 10. 21.

(*a*) *Vel*, cultum exhibuit. (*b*) *Vide librum Sapient. cap.* 4. 11. (*c*) *Vide Aug. de Civit. Dei, lib.* 15. *cap.* 13.

(*d*) LXX. Οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν, &c. *Iste requiescere nos faciet, ab operibus nostris, &c.*

(*e*) *Similiter exponit R. Salom.*

CAP. VI.

MUNSTERUS.

2. V*Ideruntque filii Dei*] Sunt qui *filios Dei* intelligunt filios Seth, qui patris pietatem æmulati sunt, & quibus data erat promissio seminis benedicti, & habebant veram Ecclesiam; sicut è diverso qui à Cain originem duxerunt, paternam referebant impietatem, & hi *filii hominum* appellantur, habebantque Ecclesiam malignantium. Alii *filios Dei* opinantur filios judicum ac potentum. Est enim familiare Scripturæ, ut illud quod est magnificum vocet *divinum*; sicut *montes Dei, cedri Dei, filii Dei*, &c. h. e. magni montes, altissimæ cedri. Unde dicit Kimhi, Omni rei quam Scriptura vult magnificare, subjicitur nomen אל, sicut & in propheta legimus, עיר גדולה לאלהים, *civitas magna Deo*, i. civitas magnificentissima. Aben Ezra intelligit per *filios Dei* homines Deum agnoscentes, & qui erant de Ecclesia justorum. Hi indulgentes carni, accipiebant uxores ex generatione Cain, item pellices quot & quas volebant; & cum essent de generatione piorum, prolapsi sunt in voluptates, tyrannidem, idololatriam & alia vitia, similes facti impiis filiis Cain, & ex filiis Dei facti sunt filii diaboli.

3. *Rixabitur*] R. S. hunc locum sic exponit, *Non rixabitur & tumultuabitur spiritus meus intra me in seculum propter hominem, num illum perdam aut illius miserear.* Joseph vero Kimhi ita exponit; *Non erit spiritus meus cœlestis, quem spiravi in hominem, diu in illa rixa quam habet cum corpore, cum non delectetur voluptatibus illis animalibus quas quærit corpus. Prolongabo igitur illi tempus usque ad centum & viginti annos, si forte pœnitentiam agat homo: sin minus, perdam eum de terra.* Alii sic exponunt hunc locum, *Non sedebit tanquam judex spiritus, quem ego dedi in corpore hominis in æternum.* Nostri simpliciter sic exponunt, *Non judicabit spiritus meus in homine amplius*, i. cum frustra homines doceantur pietatem, & non emendentur, nolo posthac verbum meum dare hominibus. Non judicabuntur neque arguentur spiritu doctrinæ meæ: mittam famem verbi, ut vadant in præcipitium, quia incurabiles sunt. Conceduntur tamen anni centum & viginti, si intra hoc spatium velint pœnitere & resipiscere; quia Deus non libenter punit: malitia hominum cogit illum durum esse. Et nota quod dictio בשגם componitur ex גם & duabus servilibus literis. Homo, inquit, caro est, i. mihi contrarius, pergit in sua carnalitate, ridet verbum & monitiones Dei, persequitur & odit spiritum meum in his qui fideliter verbum meum docent: Oportet igitur ut cessem, & sinam hominem sic perversum ire vias suas: vult esse caro.

4. *Gigantes*] Hebraicè נפלים, cujus etymologia ducitur à *cadere*. Kimhi dicit homines illos qui vasto & grandi fuerunt corpore sic appellatos, quod cæteri homines pavore illorum ceciderint; Sicut & horribiles quidam populi vocati fuerunt אימים, à *terrendo*. Gerundensis autumat gigantes sic vocatos, quod lapsi essent à communi corpulentia, & excessissent patres suos in statura atque potentia. Alii putant eos sic dictos, non à magnitudine corporis, sed à tyrannide & oppressione, quod vi grassati sint, nulla habita ratione legum aut honestatis, qui neque Deum neque homines timent, ut sunt tyranni & oppressores.

Illa genuissent] R. S. sic reddit hunc locum, *Licet homines illius generationis viderent orbis depravationem & futuram cladem, non tamen continuerunt se, sed juncti sunt filiabus hominum, & genuerunt filios qui potenter rebellarunt Deo, & ex tyrannide sua celebres facti sunt in mundo.* Gerundensis dicit hanc sententiam, *Hi fortes fuerunt à seculo*, in proverbium abiisse post diluvium, ut quoties viderent hominem magno corpore, dicerent, *Jam in seculis præteritis fuerunt robustiores gigantes.*

6. *Pœnituit Dominum*] In Hebræo passive hoc verbum scribitur, *Pœnitudine ductus est.* Et loquitur Scriptura de Deo more hominum. Adeo enim exacerbaverunt & contristaverunt spiritum ejus peccatis suis, ut more irati hominis deliberaverit delere hominem à terra. Et quod sequitur; *Dolore tactus est*, dicit Aben Ezra, *Ut Deus gaudere dicitur cum homines optimè vivunt, & Deum propitium habent; sic dolere dicitur, cum pessime vivunt, & illum ad puniendum provocant.* Desipiunt hic Sapientes Hebræorum, qui scribunt Deum pœnitere ob quinque à se creata; scribunt autem sic, חמשה דברים הב״ה מתחרט אלהים שבראם כשדים ישמעאלים יצר הרע ועל ישראל שגלו Vide quam blasphemi sint in Deum, ut etiam idololatriam à Deo factam scribant. Quantum vero attinet ad locum istum, quod *Deus pœnituerit se fecisse hominem*, id non dicitur de Deo seu natura sua propria subsistente, sed de Spiritu sancto in corde piorum hominum gemitus excitante. Sic cum textus dicit, *Vidit Deus malitiam hominum, & pœnituit*, i. Noah, qui habuit spiritum Dei, vidit malitiam hominum, & per illum spiritum concitatus est ad dolorem. Sic enim ait Paulus Ephes. 4. 30. Spiritum sanctum contristari in piis propter malitiam hominum. Sic Noah dolet, & optat hominem potius non esse quam sic malum esse. Quod si ita referas ad voluntatem substantiæ Divinæ, quod Deus ab æterno hoc statuerit, periculosa erit disputatio de prædestinatione, quæ supra captum nostrum est. Tutius ergo est ut consistamus in humiliori loco, & sentiamus Noah & alios patres summo dolore affectos, postquam eis hanc Dei iram Spiritus revelavit.

11. *Violentia*] Significat חמס Hebræis propriè *rapinam & violentam extorsionem, vim & injuriam*, sublato omni jure & æquitate, ubi quod libet licet, & non jure sed vi geruntur omnia. Et quando ibidem dicitur, *Omnem carnem corrupisse viam suam*, putant quidam etiam bruta animalia corrupisse viam suam, & se commiscuisse cum diversis speciebus: quod tamen verisimile non est, quia in bestiis manet natura sicut creata est. Sunt tantum conditæ ad hanc corporalem vitam; ideo non audiunt verbum, nec pertinet ad eas verbum. Referendus ergo est hic locus simpliciter ad hominem, *Omnis homo corrupit viam suam*, i. Omnes homines fuerunt impii, vixerunt in idololatria & falsa religione, abjectoque timore Dei contaminaverunt se omnibus vitiis. Quod autem bestiæ tulerunt pœnam peccati cum homine, hoc factum est, quod Deus voluit hominem perdere non solum corpore & anima, sed etiam cum possessionibus. Sic Dathan & Abiram atque Core pereunt cum omnibus suis, Num. 16.

14. *De lignis pineis*] Est גפר una ex quatuor speciebus abietis, quam Rabbini cedrum esse putant, lignum scilicet leve, & ad fluitandum super aquam aptissimum. Porro pro *bitumine* quidam Hebræorum interpretantur טיט, *cementum*; alii זפת, *picem.*

17. *Diluvium*] Vocant Hebræi diluvium מבול, cujus etymologia secundum R. S. ducitur à בלה, *confundere*; quia per ipsum hæc inferiora omnia fuerunt confusa. Kimhi vero ducit à radice נבל, quod significat *defluere & marcescere.* Et quando illico subjicitur, *Erigam pactum meum tecum*, Significat hoc pactum promissionem Seminis contrituri caput serpentis; Quod Deus confirmat ipsi Noah, ut certo statuat Christum ex sua posteritate nasciturum, & Deum in tanta ira relicturum seminarium Ecclesiæ. Et hæc est secunda promissio de Christo. Postea vero clarior facta est ad Abraham.

20. *Bina venient*] Notat hic Gerundensis, Noham tam varia & præsertim sylvestria animalia non venatione ex desertis & insulis collegisse, sed illa propria sponte, imo jussu Divino venerunt ad ipsum; exceptis illis quæ in aquis generantur & nutriuntur, & quæ ex masculi atque fœmellæ conjunctione non nascuntur: hæc enim intra arcam non sunt recepta. Sequenti capite fit mentio de *septenis & septenis*, & non de *binis & binis*, ut hic. Sed dicendum quod bina & bina sunt introducta de immundis, de mundis autem septem singularum specierum individua, tres masculi, & tres fœmellæ, deinde septimus masculus, quo uteretur Noah ad sacrificium. Sunt autem pauca animalia quadrupedia munda & sacrificio apta.

FAGIUS.

2. *Videruntque filii magnatum*] רברבין *magnates, proceres & principes* significat. Per hos vero alii angelos à Deo ad tutelam ac cultum hominum missos, eorumque consuetudine atque Satanæ insidiis paulatim ad vitia pertractos, mulierumque congressu inquinatos, intelligunt. Vide Lactantium Firmianum l. 2. c. 15. Alii, homines justos ac pios, qui videlicet à parentibus suis in vera religione ac cultu unius Dei probe instituti erant, quique ex linea ac gente illa erant, unde promissum ac benedictum illud Semen futurum erat; Sicut è contra per *filios hominum* eos qui de parricida Cain geniti erant intelligunt. Quidam principes, judices ac magistratus significari volunt, innuendo quod & apud illos, quorum officii erat vitia ac flagitia arcere atque punire, omnis honestas, justitia & æquitas in pessum iverit. Nec desunt qui per istos *magnates* gigantes illos robustos ac proceræ staturæ homines; de quibus mox sequitur in textu, designari volunt. Quæ enim magna, fortia, præclara & eximia sunt, appellatione *Dei* sæpissimè veniunt in Divinis literis; ut supra etiam monui cap. 1. Eligat lector quod sibi vero magis consonum videtur. Et si quis plura in hunc locum nosse cupit, videre potest meam Collationem.

4. *Gigantes fuerunt in terra*] In Hebræo *Nephilim* vocantur. Quos ita nominatos sentiunt doctiores Hebræorum, quod reliquum hominum vulgus propter immodicam eorum proceritatem, coram illis quasi cadere videbatur. נפל enim *cadere* seu *ruere* significat.

5. *Omnisque affectio cordis ejus*, &c.] Vocabulum Hebraicum יצר & Chaldaicum יצרא proprie *fictionem* sive *figmentum* significat. Est enim derivatum à verbo יצר, quod *fingere & formare* significat. Hinc יצר vox certe convenientissima qua pravitas cordis humani, quam *malam concupiscentiam* vocant, quæ ex peccato originali secuta est, significatur. Sicut enim figulus ex impurissimo luto varii generis ollas sive testas effingit, ita & cor humanum mirabilis artifex ac figulus est, quod nunquam non mirabiles ollas, seu testas impuras ac fragiles, fingit formatque, hoc est, vanissima quæque usque cogitat ac meditatur: ita ut pravitas, malitia ac nequitia cordis humani aptissimè hac voce significetur. Scias tamen (ut hoc quoque addam) Hebræos vocabulum יצר in utramque partem usurpare, in bonam & malam: Bonam enim cordis affectionem יצר הטוב, malam vero יצר הרע nuncupant.

IDEM.

2. ויראו בני האלהים את בנות האדם כי טובות הנה *Videruntque filii Dei filias hominum quod elegantes essent.*] In redditione vocum nihil fere variationis est, nisi quod Onkelus Chaldæus illud בני האלהים, *Filii Dei*, reddidit, בני רברביא, *filii magnatum, potentum.* Qui vero hi *filii Dei* sint, variant Commentatores hujus loci. Quidam enim per *filios Dei* intelligunt homines justos ac pios, qui videlicet à parentibus suis in religione ac cultu unius ac veri Dei probe educati erant, quique ex linea ac gente illa erant unde promissum ac benedictum semen illud futurum erat. Sicut è contra, *filios hominum*, eos qui de parricida Cain geniti erant intelligunt. Et hos, inquam, filios Dei quoque exorbitasse sentiunt, ita ut adfectibus dediti, violantes matrimonia, promiscuam libidinem cum filiabus hominum exercuerint. Quem sensum sequitur & R. D. Kimhi in Radicibus suis, ubi sic scribit, בני אלהים החסידים הם בנים לשם שהוא אוהב אותם כמו האב את הבן, FILII DEI *sunt sancti, seu pii, & ipsi sunt filii Dei, quia ipse diligit eos sicut pater diligit filium.* Alii *filios Dei*, Judices, Magistratus & Principes exponunt: nam appellatione ELOHIM non raro in Divinis literis, Judices, Principes & Magistratus veniunt, ut sit sensus, in tantum hominum increvisse malitiam ut omnis justitia, æquitas atque honestas, apud judices ac magistratus, quorum officii erat animadvertere in flagitia hominum, quoque interierit, qui & ipsi facti sunt scortatores, adulteri, raptores, &c. Et hanc sententiam secutus videtur Paraph. Chaldæus. Alii de Angelis exponunt, quos à Deo ad tutelam ac cultum hominum missos, illorum consuetudine atque Satanæ insidiis, paulatim ad vitia pertractos, mulierumque congressibus inquinatos fuisse dicunt: de quo vide apud Lactant. Firmianum lib. 2. cap. 15. A qua sententia nec quidam Hebræorum abhorruerunt, sicut apparet ex R. Salomonis commentariis, ubi inter cætera sic scribit, בני אלהים הם השרים ההולכים בשליחותו של מקום אף הם היו מתערבין בהם *Filii Dei sunt principes, qui fungebantur legatione Dei, qui & ipsi commiscuerunt se cum filiabus homi-*

hominum. Verum quia Scriptura in usu habet ut quæ magna, ingentia & valida sunt, conjungat cum nomine Dei, ut, *montes Dei, credri Dei*, &c. sicut supra quoque capite primo in hunc locum, *Et spiritus Dei ferebatur super aquas*, annotavi, idcirco per *filios Dei* hic quoque intelligi possunt gigantes illi robusti qui hoc tempore vivebant, quique in hoc capite propter vastam corporis proceritatem *filii Dei* dicuntur, ut infra. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*: postquam enim *ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt; isti sunt potentes a seculo, viri famosi.* Porrò variandi occasionem Expositoribus dedit vocabulum Elohim, quod æquivocum est ad Deum, Judices & Angelos.

3. לא ידון רוחי באדם לעלם בשגם הוא בשר והיו ימיו מאה ועשרים שנה, *Non rixabitur spiritus meus in homine in perpetuum, eo quod ipse caro est, eruntque dies illius centum & viginti anni.*] Variatio hic potissimum est in verbo ידון, quod Lxx. & autor Lat. Vulg. editionis per *permanebit* reddiderunt, cum proprie Hebræis hoc verbum *judicare, contendere, disceptare, litigare* & *rixari* significat. Unde lectio genuina sic est, *Non contendet* (seu *disceptabit*) *spiritus meus*, &c. Varie autem explicatur hic locus: qui enim Lxx. & Vulg. editionis lectionem sequuntur, hunc tenent sensum, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, i. non diu vivet. *Spiritum suum* vocat Deus quem dedit homini, juxta illud Ecclesiast. 12. *Et spiritus redibit ad Deum qui dedit illum.* Unde & illud quod mox sequitur, *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, &c. non ad pœnitentiæ, sed ad vitæ humanæ annos referunt, quasi posthac nullus hominum diutiùs 120 annis supervicturus sit. Et in hanc sententiam inclinat & Josephus Historiographus, apud quem lib. 1. Antiq. c. 5. in Latina versione sic legitur, *Condemnavit autem non solum illorum malitiam, sed & omne genus humanum. Quod dum ei disperdere placuisset, & aliud constituere genus malignitate privatum, & minuere hominum vitam, annisque non tantis quantis prius vixerant, sed usque ad centum viginti esse mensuram, tunc aridam convertit in maria, & sic universi inundatione perierunt.* Hæc ille. Alii non ad hominis spiritum illum immortalem quo spoliandus sit referunt, sed ad S. Divinum Spiritum, quo Deus *mundum arguit de peccato*: q. d. Deus, Non perpetuo digladiabitur cum homine spiritus meus docendo, admonendo & castigando illum verbo meo, cujus tamen video illum contemptorem esse, sed semel funditus perdam eum, idque brevi; satis diu patienter eum tuli, sed frustra; video quod totus carnalis est, malus, perversus, & totus adfectibus deditus. Atqui hæc omnino videtur esse vera & germana hujus loci sententia, cui & Hebræi fere adstipulantur: R. Salomo enim sic exponit, לא ידון רוחי באדם לא יתרעם ויריב רוחי עלי בשבילי האדם לאורך ימים : הנה רוחי נדון בקרבי אם להשחית אם לרחם לא יהיה מדון זה ברוחי לעולם כלומר לאורך ימים, *Non tumultuabitur & contendet spiritus meus intra me propter hominem diu. Ecce spiritus meus disceptat intra me, num perdam eum, aut illius miserear. Non erit contentio hæc cum spiritu meo in æternum, q. d. multis diebus*, &c. Hactenus ille. R. Joseph. Kimhi, ut R. D. K. in libro Radicum annotat, sic explicat לא יהיה רוחי העליוני שנפחתי באדם במריבה עד לעולם עם הגוף כי הוא אינו נהנה בתאוות הגוף והגוף נמשך לתאוות הנכספות חרה כאשר הוא בשר ובתולדות הבשר שקועות וקבועות התאוות אאריך קצי שנה אם ישובו בתשובה ואם לא אכלה אותם מן העולם, *Non erit spiritus meus, qui è supernis est, quem spiravi in hominem, in perpetua illa contentione quam habet cum corpore. Quoniam ipse non delectatur concupiscentia corporis; corpus enim sequitur adfectus brutales, quod inde provenit, quod caro est. Et in nativitate illa carnali immersi ac infixi quodammodo sunt adfectus illi: differam ergo adhuc 120 annis, si forte pœnitentiam agerent; quod si non, tollam eos de mundo.* Hactenus R. Joseph. Porro nec desunt apud Hebræos qui verbum ידון à nomine נדן, quod *vaginam* significat, deducunt: q. d. *Non vaginabit spiritus meus in homine*, i. non erit tanquam in vagina detentus spiritus meus in homine, *corpus* enim (inquiunt) *est veluti vagina spiritus.* Et huc nimirum respexerunt Lxx. cum sua versione, quam & Lat. Vulg. editio sequitur, qui legunt, *Non permanebit spiritus meus in homine*, &c. D. Hieronymus in Quæst. suis Hebraicis hunc locum sic tractat, *In Hebræo ita scriptum est*, Non judicabit spiritus meus homines istos in æternum: quia carnes sunt, *h. e. quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus; sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator pro suo scelere visitatur, unde & iratus Deus loquitur ad quosdam*, Non visitabo filias earum cum fuerint fornicatæ, & sponsas earum cum adulteravint. *Et in alio loco*, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum; veruntamen misericordiam meam non auferam ab eis. *Porro ne videretur in eo crudelis esse, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adjecit*, sed erunt dies eorum centum viginti anni, *h. e. habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta est; sed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati sunt. Siquidem invenimus quod post Diluvium Abraham vixerit annos 175, & cæteri amplius 230 annis. Quia vero pœnitentiam agere contempserunt, noluit Deus tempus exspectare decretum, sed 20 annorum spatiis amputatis, induxit Diluvium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.* Hactenus D. Hieronymus. Capnio (piæ memoriæ) in Rudimentis suis Hebraicis hunc locum in Latinis Bibliis ad veritatem Hebraicam emendans: sic scribit, *Hebraica veritas habet secundum R. Salomonem & Lyram, Non disceptabit spiritus meus in æternum, quod ex Chaldaica expositione licet intelligere, Non erigetur generatio putrida contendere coram me in æternum.* Hæc propterea ex Capnione huc referre libuit, ut scias illum hallucinatum in citatione textus Chaldaici, idque in voce דרא, quam verbaliter pro *contendere* vertit, cum ea sit pronomen demonstrativum, respondens antecedenti vocabulo דרא, i. *generationi*, hoc modo, *Non consistet, durabit* (seu *permanebit*) *generatio mala hæc coram me in æternum*, &c. Attende postremo (etsi fortè leviculum hoc sit) variari quoque in vocabulo באדם, quod alii singulariter, *in*, vel *cum, homine*, alii pluraliter, *in*, vel *cum, hominibus* vertunt: cujus causa est, quod אדם Hebræis sub eadem forma utriusque numeri est. Singulariter tamen hic potius accipiendum esse, argumentum est illud quod mox sequitur, *Eò quod ipse est caro.* Item, *Et erunt dies ejus centum*, &c.

16. תחתים שנים ושלשים תעשה, *Cum interstitiis inferioribus, mediis, & tertiis facies eam.*] Latinus Vulg. Interpres minus habet quam Hebræa: sic enim reddidit, quasi Arca duo tantum habitacula habuerit, cum tamen tria fuerint, solum, medium, & supremum. Sicut Onkelus & Lxx. recte intellexerunt.

VATABLUS.

2. Viderunt ויראו] *Consideraverunt. Contemplati sunt.* ¶ *Filii Dei filias hominum, &c.* בני האלהים וגו'] *Filios Dei* vocat filios piorum, quos Deus tanquam reconditum thesaurum ab aliis segregaverat: quales erant filii Seth, in cujus domo cultus Dei erat purus & legitimus: cujus tamen filii degeneres erant, qui promiscue vagabantur, pro sua libidine ruentes, & Cainitis aliisque profanis gentibus se permiscentes, filias illorum profanorum assumebant sibi in matrimonium contra Dei præceptum. Quidam vertunt, *filii principum*, aut *magnatum*, aut *nobilium*. Alii, *filii Deorum*, vel *Angelorum*. Prior interpretatio doctioribus magis placet.

3. *Et dixit* ויאמר] Sub. *apud se*. i. Statuit ac decrevit: quasi dixisset, *Non*, &c. ¶ *Non disceptabit*, &c. לא ידון וגו'] *Non contendet Spiritus meus de homine in æternum.* i. longo tempore, q. d. Non potest animus meus diutius ferre inobedientiam ac pervicaciam & nequitiam hominis quin illum puniam, sed tandem decernam quidnam facturus sim de eo. Defessus obstinatæ mundi pervicacia præsentem vindictam denuntiat, quam hactenus distulerat. Quantisper enim pœnam suspendit Dominus, quodammodo disceptat cum hominibus, præsertim si vel minis, vel levium castigationum exemplis ad resipiscentiam sollicitet. Sic rixatus fuerat jam aliquot seculis cum mundo, qui tamen subinde deterior fiebat. Nunc quasi tædio affectus, declarat sibi non esse animum litigandi diutiùs: ac si Gallice quis diceret, *C'est trop plaider.* In hac significatione est à דין, quod *judicare*, & etiam *litigare* significat. Alii deducunt à נדן *neden*, quod *vaginam* significat, vertentes, *Non permanebit tanquam in vagina spiritus meus in homine perpetuo.* Ad verbum, si Latine dici posset, *non vaginabitur*: tanquam si Deus spiritum suum nolit amplius teneri captivum in corpore humano, quasi inclusum in vagina. q. d. Non vivet diutius. Violenter nimium detorta est hæc expositio. ¶ *Eo quod sit etiam caro*: בשגם הוא בשר] Hoc est (ut exponit ex doctis Hebræorum alter) non modo propter hanc iniquitatem, verum etiam quia caro est. *Carnis* nomine homines Deus appellat, quos tamen initio formaverat ad imaginem suam. *Carnem* vocat, rationis non capacem, Psal. 78. 39. *Recordatusque est quod caro essent; spiritus vadens, & non rediens.* ¶ *Erunt tamen* והיו] Ad verbum, *& erunt*. i. Tempus intra quod resipiscere poterit, erunt centum & viginti anni: non enim intelligitur de duratione vitæ hominis.

4. *Gigantes erant* הנפלים היו] Præt. perf. Heb. vertendum per

per imperf. נפילים a נפל *cadere* deducitur, ideo quod (ut quidam existimant) ab eorum conspectu caderet vulgus hominum ob vastam corporis molem; vel quod terrore suæ magnitudinis omnes alios prosternerent. Verior mihi videtur eorum sententia, qui similitudinem esse dicunt sumptam à labe vel impetuosa procella; nempe quod sicut tempestas & labes violenter cadens agros vastat & perdit, ita suis irruptionibus latrones isti perniciem & vastationem mundo intulerint. Nec vero inusitata fuisse corporis altitudine exprimit hic Moses, sed tantum fuisse robustos. Alibi scio, eadem voce notatur staturæ proceritas quæ formidabilis erat exploratoribus terræ Chanaan, Num. 13. 34. Sed Moses eos de quibus in præsenti loco disserit; non tam corporum mole à reliquis discernit quam latrociniis & grassandi libidine. ❡ *Atque etiam ex quo* וגם אחרי כן] *Quin etiam adeo:* nam primo narrat Moses tunc fuisse gigantes: deinde subjicit, nonnullos quoque fuisse ex sobole illa promiscua, ex quo se filii Dei miscuerant filiabus hominum. ❡ *Illis* להם] nempe gigantibus. i. Tunc omnia erant plena gigantum rapina, quia illi pollebant viribus, neque poterat quisquam illis resistere. ❡ *Potentes* הגברים] *heroes, fortes illi, robusti.* ❡ *A seculo,* מעולם] i. *antiqui. Seculum* enim fere pro *vetustate* accipitur: ac si dixisset Moses, primos exercuisse tyrannidem in mundo per potentiam, & nimis licentiosam ac effrænem dominandi cupidinem ab illis cœpisse. Sunt tamen qui exponunt, *A seculo, coram mundo:* nam hoc quoque significat vox Hebraica עולם. Nonnulli proverbiali figura dictum hoc fuisse existimant; quia posterior ætas quæ diluvium secuta est similes non protulit. Prior expositio simplicior.

5. *Quodque omnis imaginatio* וכל יצר] *& omne figmentum.* Alii, *desiderium.* Alii, *concupiscentia.*

6. *Jehovam* יהוה] Antecedens pro relativo *ipsum.*

7. *Fecerim ea.* :עשיתם] *fecerim illos.* sub. *homines.*

8. *Invenit gratiam, &c.* מצא חן וגו'] Hebraica est phrasis, quæ significat Deum illi propitium fuisse ac faventem: sic enim loqui solent Hebræi, *Si inveni gratiam in oculis tuis,* pro eo quod est, Si tibi gratus sum, vel me dignaris benevolentia & favore.

9. *Istæ sunt generationes* אלה תולדות] Hebraismus, *Hæc sunt gesta,* sive *quæ contigerunt ipsi Noe,* ut exponunt doctiores inter Hebræos. Et sic infra cap. 37. 2. *Istæ sunt generationes Jaacob:* juxta illud Prov. 27. 1. *Ignoras quid* ילד *pariat dies,* i. quid eventurum sit in die. Hæc vero interpretatio non probatur cuidam Hebræorum: *Non est* (inquit) *rectum quod quæ homini accidunt, vocentur Generationes: nam dicit,* Istæ sunt generationes, *ut & infra cap.* 10. 1. Istæ sunt generationes filiorum Noah, & 25. 12. Et istæ generationes Ismael. *Dicit igitur,* Istæ sunt generationes Noe, *& sequenti versu repetit,* Et genuit Noah tres filios, &c. *quia posuerat per parenthesin,* Noah vir justus, &c. *ut commonstraret cur illum jussisset ædificare arcam.* Prior tamen opinio doctioribus magis probatur. Hebræi libros Legis in varias sectiones dividunt, cuique sectioni à primo aut rariore verbo primi versus nomen dantes. Hanc hujus libri secundam sectionem vocant נח, quod quæ ipsi Noe acciderint hic describantur. ❡ *In generationibus suis,* בדרתיו] i. in ætatibus illis quibus vixit, sive inter homines sui seculi, nempe in ætate præcedente diluvium, quo tempore hominum mores erant corruptissimi; & in ætate sequente diluvium, q. d. Quamdiu vixit, [fid]eliter coram Deo vixit, & coram hominibus inculpate. Emphaticum autem est quod dicit, *In generationibus suis:* quod mirabile esset constantiæ exemplum, inter tam corruptos & impios homines integritatem servasse. ❡ *Cum Deo, &c.* את האלהים וגו'] Ad verbum, *cum Deo ambulavit Noah:* antecedens pro relativo. Iisdem verbis utitur Moses cap. 5. 22. dicens, *Henoch ambulavit cum Deo.* Vide eo loco annotationem.

11. *Corrupta autem erat, &c.* ותשחת הארץ וגו'] *Jam vero corrupta erat terra coram Deo. Terra* pro *incolis terræ* sumitur: sequenti versu se ipsum exponit, dicens, *Omnis caro corruperat viam suam. Coram Deo,* h. e. vidente & sciente Deo: quibus verbis longa Dei tolerantia commendatur. ❡ *Iniquitate,* :חמס] *vi, violentia, rapina, fraude, calumnia,* hæc omnia significat vox ista.

12. *Vidit itaque* וירא] *Contemplatus est itaque. Consideravit.* ❡ *Terram,* את הארץ] h. e. incolas terræ, quos *carnem* mox vocat, sicut & Esa. 40. 5. *Videbit omnis caro gloriam Domini.*

13. *Venit coram me:* בא לפני] *venit in conspectum meum.* Hebraismus, Decrevi ac proposui me deleturum omnem carnem. ❡ *Iniquitate* חמס] Eadem vox quæ paulo ante v. 11. ❡ *A facie eorum* מפניהם] Hebraismus, *propter ipsos* i. propter opera ipsorum hominum, per eos, iis authoribus, h. e. repleverunt terram rapinis & calumniis. ❡ *Itaque ego, &c.* והנני וגו'] Ad verbum, *& ecce ego disperdo eos cum terra.* Præsens pro fut. i. paratus sum perdere illos una cum ornatu ipsius terræ, puta arboribus, plantis, &c. Alii vertunt, *de terra,* ut sit את pro מן.

14. *Gopher,* גפר] Genus est ligni levissimi; ad fluitandum super aquam aptissimi, quod nunquam putrescit. Et hæc vox alio loco non reperitur in Sacris literis, ut ajunt doctiores inter Hebræos. Chaldæus paraphrastes *cedrion* vocat. Quidam existimant esse pinum; alii, abietem. ❡ *Nidos facies in ea arca,* קנים תעשה את התבה] *nidulos facies eam,* vel, *domunculas facies eam,* q. d. Totam arcam distribues ac partieris in mansiunculas. Vox Hebræa proprie *nidum* significat; & per translationem pro *mansiuncula* accipitur. ❡ *Bituminabisque eam, &c.* וכפרת אתה וגו'] *picabis eam extrinsecus & intrinsecus pice.* Bitumen in illis locis Armeniæ est vice picis.

15. *Et hoc modo facies eam:* וזה אשר תעשה אתה] Sermo est imperfectus, ut admonent Hebræi, & *subaudiunt Mensura,* sic, *Et ista est mensura quâ facies eam.* i. Hac ratione compones illam arcam, talisque illius erit proportio.

16. *Ipsi arcæ,* לתבה] *in ipsa arca.* ❡ *Consummabis eam superne:* תכלנה מלמעלה] *finies eam in summo,* vel, *summitate,* h. e. Facies in cacumine illius arcæ fenestram quæ habeat longitudinem unius cubiti. Latitudinem fenestræ non describit Moses, quam fuisse minimam oportuit. Quidam colligunt ex longitudine, latitudinem fuisse sextæ partis unius cubiti. ❡ *In latere ejus* בצדה] i. in altero laterum ejus.] *Inferiora, &c.* תחתים וגו'] Ita Hebraice, ut vertimus: nisi quod potes vertere, *facies eam,* i. distingues eam in tria interstitia: h. e. facies in ea tria tabulata, infima, media, & suprema.

17. *Ego vero, ecce ego* ואני הנני] q. d. Quod ad me attinet, en ipse adducturus sum, &c. Ad verbum legitur, *Et ego, ecce ego.* Alterum redundat. ❡ *Adduco* מביא] Præs. Heb. pro fut. *adducturus sum,* vel *inducam,* protinus scilicet ut perfeceris arcam illam. ❡ *Omnem carnem, &c.* כל בשר וגו'] Hebraismus, *Caro in qua spiritus vitæ,* pro *omni carne vivente:* q. d. Non solum homines, sed etiam omnia animalia.

18. *Statuam tamen* והקמתי] *Stabiliam tamen:* Ad verbum, *Et surgere faciam: Statuam,* sive *Stabiliam, pactum meum,* i. Efficiam ut quod pepegi tecum, sit stabile ac firmum, ratumque. Ex hoc intelligimus Deum illi promisisse quod non moreretur aquis diluvii, ut scribit alter ex doctioribus Hebræorum: quod tamen non refertur à Mose. Quia difficillima erat arcæ fabrica, & innumera subinde obstacula supervenire poterant quæ abrumperent inceptum opus, addita promissione servum suum Deus confirmat. Summa autem pacti, sive promissionis hujus erat, Noah futurum incolumem quamvis totus mundus diluvio periret. *Itaque ingredieris* ובאת] Ad verbum, *& ingredieris.*

19. *Et ex omni vivente universæ carnis,* ומכל החי מכל בשר] Ad verbum, *Et ex omni vivente, ex omni carne.* Singul. Heb. pro plur. *Et ex omnibus viventibus universæ carnis,* i. ex omnibus animantibus, sive animalibus. ❡ *Ut vivifices,* להחית] Ad verbum, *ad vivificandum,* i. ut conserves in vita, & serves illa tecum incolumia, vel, ut conserventur in vita, aut viva.

21. *Ut sit,* והיה] Ad verbum, *& erit.*

22. *Et fecit Noah, &c.* ויעש נח וגו'] Hebraismus, pro, *Quod fecit Noe prorsus ut præceperat ei Deus,* &c.

CASTALIO.

2. Hominum *potentissimi*] In Hebræo est, *Deorum filii:* Sed utuntur substantivis sæpe pro adjectivis, quæ rariora habent: ut sint *Deorum filii,* pro Divinis, i. præstantibus: ut etiam in Psal. 82. *dii* sive *divi* vocantur judices, & aliorum gubernatores; & Job. 41. potentes: sicut Galli à Deo ea denominant quæ in suo genere excellunt; ut *ignem Dei* pro luculento; *hominem Dei,* pro divino & religioso: quemadmodum & Latini *divinum* Platonem dicunt. *Filii* autem vocabulum sæpe idem est quod *homo:* ut *filii Israel,* i. homines, aut viri Israelitæ; *filii hominis,* i. homines, ut Galli dicunt, *enfant de Lyon,* pro Lugdunensi; *enfant de ville,* pro cive; *enfant perdu,* pro homine profligato: & Græci, *υἷες Ἀχαιῶν,* pro Achæis, & *ἰατρῶν παῖδες,* pro medicis. Sic hoc loco *Deorum filios* putavi appellatos. Si quis tamen veriorem aliquam interpretationem habet, nolo ut meæ hæreat: nam verba sunt ambigua, & ego dubito.

3. *Non perpetuo contendam*] Indignum existimavit se, qui esset animus & Deus, cum hominibus, qui essent corporei & mortales,

mortales, tamdiu rixari. Propterea statuit hominum vitam decurtare. Dicitur autem cum hominibus contendere & pugnare Deus, cum eorum sceleribus (quibus nihil est Divinitati repugnantius) irritatur. Cum igitur homines essent, qui & vitam, quam ducebant longissimam, & vires, quas immensas habebant, & multitudinem, qua plurimum poterant, ad omne flagitiorum genus conferrent, & indies deteriores fierent, statuit Deus huic malo occurrere, præfinito breviore vivendi spatio, ut minus diu vivendo minus multa flagitia possent committere: sicuti solent quædam civitates suorum magistratuum tyrannidem brevitate aut infirmitate potestatis impedire. Sed primum diluvii remedium tentavit, vita statim ad semissem fere accisa: nam post diluvium nati ante quingentesimum annum moriebantur, cum ante superarent nongentesimum. Deinde linguarum fecit divortia. Postremo, cum illa non satis essent, fecit quod erat minatus. Itaque Abrahamus sexagenarius senex est, cum ejus tritavus Heber CCCCLXIV annos vixerit. Habes vitæ brevitatem. Nec impedit, quod nonnulli etiam post Abrahamum centum viginti annos excesserunt. Nam & multi Mosis tempore octoginta annos superabant, quem tamen vitæ humanæ modum statuit ille Psalmo 90. Satis est enim, hunc esse justum & vulgarem vivendi modum: nec ita exiliter ad calculum revocandi sunt anni, non magis quam littora. Hunc locum eodem modo interpretatur Josephus. Adde quod hæc unius hominis ætas occulte indicare videtur totius humani generis ætatem, si fiant anni Jubilæi.

14. *Ex terebinthina materia*] Terebinthum tradunt materie esse lenta, & fideli ad vetustatem, in Syria proceram, apud Damascum insignem: quæ materies sola ungi velit meliorque oleo fiat, ejusque baccas esse sulphurosas, id quod ad nominis rationem pertinet: nam hæc arbor *Gopher*, sulphur autem *Gophrit* dicitur. His rebus adductus, *terebinthum* verti. Nam pinus (hanc enim putant esse quidam) aliud nomen habet: neque tamen de terebintho prorsus affirmo, sed certius nihil habeo.

15. *Longitudo trecentos cubitos pateat, &c.*] Hujus arcæ dimensionis eadem proportio est quæ hominis supini jacentis, ut me quidam Italus docuit: Idem ait & ostendit Augustinus lib. de Civit. Dei 15. c. 26. Erat enim ea arca imago quædam hominis mortui jacentis, & tamen revicturi ac resurrecturi. Qua de re vide 1 Pet. 3. ad finem; item quæ à Paulo scripta sunt de baptismo.

16. *Ipsam arcam superne in cubitum absolvito*] Hunc locum antea non intelligebam, idque in tribus primis editionibus in margine annotatum est. At nunc in libellum incidi Joannis Butheonis Delphinatis, impressum Lugduni 1559 cujus libri titulus est, De arca Noe. In quo libello totam arcæ rationem, bene vereque, meo judicio, explicat, ut hunc quoque locum declarat. Itaque secundum ejus sententiam locum hunc sic explano. Facito ut tecti (quo arcam absolves) culmen assurgat in unum cubitum, nimirum sic. Sit hæc frons latitudinis arcæ, cujus altitudo sit A. B. fastigium autem supra hanc altitudinem sit unius cubiti, B, C. Arcæ autem forma est hæc.

CLARIUS.

1. V*Identes filii Dei*] Sunt qui *filios Dei* intelligunt filios Seth, qui patris pietatem æmulati sunt, & filios Enos, cujus tempore cœptum est invocari nomen Domini; sicut è diverso, qui à Cain originem duxerunt, paternam referebant impietatem, & hi *filii hominum* appellantur. Alii *filios Dei* opinantur filios judicum ac potentum: est enim familiare Scripturæ, ut id quod est magnificum vocet *Divinum*; sicut *Montes Dei*, *Cedri Dei*. Hi ergo quibus plus esset quam cæteris ingenii ad perpetranda mala, postea quam averterunt ingenia sua à Deo ad formas mulierum, evaserunt sceleratissimi.

3. *Non rixabitur.*] Non disceptabo, inquit, perpetuo quid hoc homine faciam, perdamne illum an servem? Alius sic exponit; Non erit spiritus meus cœlestis, quem spiravi in hominem, diu in illa rixa quam habet cum corpore, cum non delectetur voluptatibus illis animalibus quas quærit corpus. Sed variæ sunt hujus loci interpretationes. Quod vero ait, *Eruntque dies illius centum & viginti annorum*] significat fore, ut tantum temporis usque ad diluvium intercedat, quo tempore agere possint pœnitentiam; Quam quia non egerunt, viginti annorum spatiis computatis, induxit diluvium anno centesimo, &c.

4. *Illa genuerunt*] Quidam Hebræorum sic reddit hunc locum, *Licet homines illius generationis viderent oculis depravationem & futuram cladem, non tamen continuerunt se, sed juncti sunt filiabus hominum, & genuerunt filios, qui potenter rebellarunt Deo, & ex tyrannide sua celebres facti sunt in mundo.*

6. *Pœnituit eum.*] Loquitur Scriptura de Deo more hominum, qui delere res solent, prioris facti pœnitentiâ.

7. *A reptili*] Vel, *Usque ad reptile.*

11. *Repleta est terra iniquitate*] Vel, *violentia & rapina.* Id enim vox Hebræa significat.

14. *De lignis levigatis*] Videtur interpres voluisse significare ligna quæ conglutinari fortiter potuerint, vel fluitare aptè possent. In Hebræo est, *de lignis Gopher.* Quod alius vertit, *de lignis pineis.*

15. *Trecentorum cubitorum*] De cubito Origenes contra Celsum dicit ex traditione Hebræorum, hic designasse Mosen cubitum Geometricum, qui constat cubitis communibus sex, & facit longitudinem novem pedum, ut fuerit longitudo arcæ duum millium & septingentorum pedum; Latitudo, quadringentorum quinquaginta; altitudo, ducentorum septuaginta.

20. *Bina ex omnibus ingredientur*] h. e. ex omnibus masculus & fœmina ob conservationem generis venient ad te sua sponte, & Divino jussu; exceptis illis quæ in aquis generantur & nutriuntur, & quæ ex masculi ac fœmellæ conjunctione non nascuntur. Hæc enim intra arcam non sunt recepta.

[illegible] RUSIUS.

2. A*Cceperunt sibi uxores.*] Accipere uxorem ex infima plebe, aut quæ sit diversæ religionis, videtur leve crimen esse, præsertim cum hujusmodi matrimonia nondum prohibita essent. Scire licet in fonte haberi verbum לקח, quod significat aliquando *capere per vim*, sive *rapere*. Utrum igitur hoc dicit, *rapuerunt eas*? Certe *capere* & *rapere* permutantur, & unum aliud explicat. Id crimen gravissimum est, & postea חמס vocatur, i. *violentia*, propter quam diluvium paulo post immissum fuit, eoque humanum genus deletum. Ebræi tradunt gentes non puniri nisi propter tale crimen. Ut ut sit, *capere* significat *rapere*, Gen 34. 2. *Et cepit eam*, ubi Hieronymus, *& rapuit eam.* Sic Job. 5. 5. *capiet eam*, idem interpretatur *rapiet.* Contra Psal. 7. 3. *Ne quando rapiat*, i. יטרף, vertit, *ne forte capiat.* *Capere* pro *rapere*, unde *raptus mulierum*, etiam sumi videtur 1 Sam. 8. 11. & Job. 40. 19.

4. *Nephilim*] Verbum נפל *cado* inter alia significat *deficio*, ut Jer. 37. 13. *Ad Chaldæos tu cadis.* & 14. *Non cado ego ad Chaldæos.* Sic. 38. 19. *Qui ceciderunt ad Chaldæos.* i. defecerunt. Hinc הנפלים *cadentes.* i. deficientes, defectores, ut 2 Reg. 25. 11. *Defectores qui defecerunt ad regem Babel.* Ad verb. *Cadentes qui ceciderant.* Ab eodem verbo est נפלים, quod reddunt *gigantes.* Optima interpretatio, quam temere nimis solicitant qui pro ea reponunt *defectores.* Nam defectores potius הנפלים dicerentur. Deinde *defectorum*, vel, si mavis, *apostatarum*, nomen nimis generale est quam ut ei loco conveniat. Nam præter familiam Noæ omnes defecerant à via recta. Hic certum genus hominum significatur, ut Num. 13. 33. *Ubi vidimus Nephilim filios Enac de gigantibus.* Ecce Nephilim è posteris Enac de genere gigantum: Non ergo defectores aut apostatæ, [illegible] genus quoddam gigantum. Moses Gerundensis opinatur tres filios Enac ita vocari, idque colligit ex illo loco Numerorum. Autor Phesichtæ scribit quatuor esse nomina gigantum, *Raphaim*, *Enacim*, *Nephilim*, & *Zomzommim.* Quibus nonnulli addunt *Emim* אמים. Quæ potius nomina sunt diversarum nationum. Dicti נפלים quasi ἐμπίπτοντες, *irruentes.* Quod verbum נפל significat Psal. 10. 10. *Cadit validis suis* (sub. membris aut lacertis) *in turbam attritorum.* *Cadit*, i. irruit. Aut appellati sic quod terrorem injicerent hominibus ob vastam corporis molem, juxta illud Jos. 2. 9. *Cecidit terror vester super nos.* Phesichta 70. 1. *Nephilim, quia omnes cadunt coram eis.*

21. *Colliges ad te*] h. e. Recipies ad te in arcam. Sic verbum אסף accipitur Jud. 19. 15. *Nemo erat colligens eos in domum.* Quod idem cum illo, *ad se*, Contra, *ivit ad Pompejum*, i. ad domum Pompeji. Sic 1 Sam. 14. 52. *Vidit Saul omnem virum fortem & strenuum, & collegit eum ad se.* Item Num. 11. 30. *Collegit se Moses ad castra ipsa, & omnes seniores Israel.* Latine, *recepit se.*

IDEM.

I D E M.

2. בְּנֵי־הָאֱלֹהִים A. υἱοὶ τῶν θεῶν *Filii Deorum*, Sym. οἱ υἱοὶ τῶν δυναστευόντων. *Filii potentum*,

Υἱοὶ τῶν θεῶν.] Filii Deorum. Hieron. *Verbum Ebraicum* Elohim *communis est numeri: & Deus quippe & Dii similiter appellantur. Propter quod Aquila plurali numero, filios Deorum ausus est dicere, Deos intelligens sanctos sive angelos.* Τῶν θεῶν] i. *principum*, ut sit idem cum illo Symmachi, τῶν δυναστευόντων. Principes enim & Magistratus, & qui cum imperio sunt, aut Judices, vocantur *Dii*, i. *Elohim*. Sed & sancti eo nomine veniunt. Unde illud, *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes vos.* Angeli quoque; itaque Psal. 8. מֵאֱלֹהִים quod reddi potest *à Deo*, Senes & Apostolus interpretatur, *ab angelis*. Qui & *filii Dei*: quod in quibusdam codicibus Græcis. Vide notas ad edit. Rom. Lat. Sed & meas in Sulpicium.

Δυναστευόντων] *potentum*. Idem Hiero. *Unde & Symmachus istiusmodi sensum sequens, ait, Videntes filii potentum filias hominum, & reliqua.* Sic etiam Jonathan בני רברביא. Nec aliter Onkelos, quem nonnulli Aquilam vocant. Procopius, *Filii potentum Sym. vertit*, i. *Sanctorum, qui divino auxilio muniti audent resistere adversariis.*

3. לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם Sym. οὐ κρινεῖ τὸ πνεῦμά μου τοὺς ἀνθρώπους αἰωνίως; *Non judicabit spiritus meus homines æternum.* Quod Hiero. approbat & enarrat in Quæst. „ Alia „ littera, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in „ æternum quia carnes sunt. In Ebræo scriptum est, Non ju- „ dicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam „ caro sunt. Hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non „ eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam quod „ merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legi- „ tur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo sce- „ lere visitatur. Unde & iratus Deus loquitur ad quosdam, „ Non visitabo filias eorum cum fuerint fornicatæ, & sponsas „ eorum cum adulteraverint. Et in alio loco, Visitabo in virga „ iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum, veruntamen „ misericordiam meam non auferam ab eis. Porro ne videretur „ in eo esse crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non „ dedisset, adjecit, Sed erunt dies eorum centum viginti anni. „ Hoc est, habebant 120 annos ad agendam pœnitentiam. „ Non igitur humana vita, ut multi errant, in 120 annos con- „ tracta est, sed generationi illi centum viginti anni ad pœni- „ tentiam dati sunt. Siquidem invenimus, quod post diluvium „ Abraham vixerit 175. & ceteri amplius ducentis & trecentis „ annis. Quia vero pœnitentiam agere contempserunt, noluit „ Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spa- „ tiis amputatis, induxit diluvium anno centesimo, agendæ pœnitentiæ destinato. „ Οὐ κρινεῖ] Prius erat in LXX. οὐ μὴ καταμείνῃ, *non permanebit*, nempe in corpore, ut gladius in vagina, quæ נדנה dicitur. Sane corpus est tanquam vagina animæ. Ceterum κρίνειν animadversionis & pœnæ habet significationem, ut ibi, *gentem cui servierint judico ego, dicit Dominus*, i. punio. Verbum Ebræum significat etiam *judicio experiri* sive *contendere, litigare*, quod Græci κρίνεσθαι d[illegible]nt, ut Cohel. 6. 10. μὴ δυνήσεται κριθῆναι μετὰ τοῦ ἀδικο[illegible] in fonte דין. Unde & κρίσις est *lis, jurgium*; & κρίσεις *lites*, Prov. 15. 18. ¶ Τὸ πνεῦμά μου] *Spiritum à me datum homini.* Sic loquitur Salomon in Ecclesiaste, *Spiritus redit ad Deum qui dedit ipsum.* Quæ expositio optime convenit cum verbo *contendendi*. Alioqui sensus esse potest, Non judicabo ego. Simile, *quem credidit esse meum cor*, quod pro eo habendum ac si dixisset, *quem ego credidi.* Sic, *Non judicabit spiritus meus*, i. Ego non judicabo. ¶ *Æternum*] Vel, *in sempiternum*, quod in Hieronymo. Romana editio habet *sempiterne*. Alibi est εἰς τὸν αἰῶνα, eodem significatu.

4. הַנְּפִלִים *Gigantes*. A. Οἱ ἐπιπίπτοντες, Sym. οἱ βίαιοι. Οἱ ἐπιπίπτοντες] i. *Irruentes*. Siquidem נפל etiam *irruo* denotat, ut ibi נפל בעצומיו *irruit validis suis*. Locus est alibi apud Davidem. In editione Romana, A. οἱ ἐπιπίπτοντες; οἱ βίαιοι. Hoc postremum Symmachi est. Sequitur tamen ibidem, Sym. οἱ δυσίατοι βίαιοι. Quod mihi pariter suspectum. Οἱ βίαιοι] *violenti*. Hieron. *Pro cadentibus sive gigantibus, violentos interpretatus est Symmachus.* Ex quo emendabis locum in editione Romana, quem modo citavimus. δυσίατοι. i. sanatu difficiles. *Cadentes* autem נפלים, quod melius exponitur *irruentes*, ut nos supra exposuimus. *Cadentes*, i. πίπτοντες. Edit. Rom. *Ut videatur illud ἐπιπίπτοντες apud ipsum esse Cadentes.* De Hieronymo loquitur.

6. וַיִּנָּחֶם *Et pœnituit*. A. καὶ μετεμελήθη. Sym. καὶ ἀπέστρεψεν. Diodorus ἢ κατὰ Ἀκύλαν, καὶ μετεμελήθη ὁ θεός: *pœnituit Deum*. Citat Steuchus. Μετεμελήθη] *Pœnituit eum, pœnitentia ductus fuit*. Μεταμέλομαι] post rem factam sollicitus & anxius sum, pro quo Latini dicunt pœniteo. καὶ ἀπέστρεψεν] Sic etiam Onkelos & Jonathan ותב במימריה *& reversus est in sese*. Ad verbum, *in sermone suo*. Aliter exponas, *& reversus est*, i. *pœnituit eum*. (Nam תב etiam *pœnitere* significat) *cum sermone suo*. i. una cum filio, qui est sermo patris. Hoc pono, non statuo. Scitum illud; *Ego & pater unum sumus.* Procopius Gazæus, *Illud* ἐνεθυμήθη (ita LXX.) *dictum est pro* κατενύγη, σύννουν ἔσχε λογισμόν, *Indoluit, Tristem suscepit cogitationem. Aquila*, μετεμελήθη, *pœnituit*, Sym. ἀπέστρεψεν, *aversatus est*. Et rursum, *Alibi vero sicubi habet* μετεμελήθη *pœnituit, significat* παρεκλήθη, *revocavit sese.*

7. כִּי נִחַמְתִּי A. ὅτι μετεμελήθην: *quoniam pœnituit me*. Quod in veteribus libris editionis LXX. καὶ μετεμελήθην. translatum ego putarim ex versione Aquilæ, qui supra וינחם verterat καὶ μετεμελήθη, ut interpres vulgatus eum secutus, *pœnituit eum*; qui etiam hic habet, *pœnitet enim me fecisse eos.*

9. אֶת־הָאֱלֹהִים הִתְהַלֶּךְ σὺν τῷ θεῷ περιεπάτει: *cum Deo ambulabat*. Sumptum e Scholio. Vide sis edit. Rom. Aliud scholion τῷ θεῷ ἐπηκολούθησεν. *Deum secutus est*. Hieron. in Quæst. *Cum Deo ambulabat Noe, hoc est, ipsius vestigia sequebatur.*

13. קֵץ *finis*. A. τέλος. Sym. πέρας. Τέλος] βίου, vel ζωῆς videlicet. i. *finis vitæ*: unde βίος dicitur τέλος λαμβάνειν id est *finem accipere*, quando homo moritur. Idem πέρας denotat. Πέρας] Ezech. 7. 6. τὸ πέρας ἥκει, ἥκει τὸ πέρας, *finis venit, venit finis.*

14. עֲצֵי־גֹפֶר *Ex Lignis Gopher*. Schol. ἐκ ξύλων ἀσήπτων, *ex lignis imputribilibus*: ἢ κεδρίνων, *aut cedrinis*: ἢ πυξίνων, *aut buxeis*. Κεδρίνων] ita Onkelos & Jonathan reddunt. Sed & autor Hierosolymitanæ. LXX. τετραγώνων. i. *quadratis*. גפר putatur esse cedri species cariem non sentiens. Hieron. *Pro quadratis lignis, bituminatis legimus in Ebræo*: confundit גפר cum כפר. Siquidem כפר bitumen. Interpres vetus, *levigatis*. R. David ait esse genus ligni levissimi. Vide sodes. Abenmelech addit, *super aquam*, vel *in aqua*. *Et Onkelos*, inquit, *interpretatur* קדרום. *Cedrus. Dicunt nostri doctores, quatuor genera cedri esse* ארז *&* קדרום *&* שמן עץ *&* ברוש. Hæc ille. Sed hæc omnia incerta sunt. Præstat ἐπέχειν, quam temere aliquid affirmare.

קִנִּים תַּעֲשֶׂה Sym. καλιὰς ποιήσεις, *nidos facies*. Procopius pag. 97. *Nidos Symmachus appellat Tuguria*] Schol. τὰς εἰς νεοττοτροφίαν ἐπιτηδείους ἐχούσας καταλύσεις. Olim erat in LXX. νοσσιὰς ποιήσεις. Lexicon Suidæ, καλιά, νοσσιά, ἢ οἶκος ξύλινος. κᾶλα γὰρ τὰ ξύλα ἐξ ὧν σύγκειται. Abenmelech קנים *domuncula erant distincta, quales faciunt columbis in columbario.*

¶ וְכָפַרְתָּ בַּכֹּפֶר] *& bituminabis bitumine*. A. ἀλοιφήσεις ἀλοιφῇ, *linies tectorio*.] vel *lines*. Id Græce dicitur ἀλείφω, pro quo hic est ἀλοιφοῦ, verbum ab ἀλοιφὴ deductum; unde & ἀλοίφωσις, *ipse actus liniendi*, sive, ut Hieron. interpretatur, *stannatura*. Sane Amos 7. 7. חומת אנך idem reddit *murum stannatum* sive *litum*. Vide Fragmenta ad illum locum.

16. צֹהַר תַּעֲשֶׂה *Fenestram facies*. Sym. διαφανὲς ποιήσεις] In edit. Rom. Lat. *Sym. perlucidum facies, Aquilas μεσημβρινόν, meridianum.* Scrupulum movet Procopius Gazæus pag. 98. comment. in Genesin ita scribens, *Primo præcepit Deus Noeho ut pararet ostium ab aliqua parte arcæ. Theodotion transtulit Januam: sed Aquilas vertit Ostium sive Fenestram vel Valvam aut quandam apertionem.* Quem qui eximet, *ne* ille mihi erit *Campis dives Apollo Myrenais*. Διαφανὲς, *dilucidum*. i. fenestram per quam clarum & dilucidum lumen introeat. Hieron. *Pro eo quod est, Colligens facies arcam, in Ebræo habetur, Meridianum facies arcæ. Quod manifestius interpretatus est Symmachus, dicens* διαφανὲς *i. dilucidum facies arcæ, volens fenestram intelligi.* Vide Quæstiones meas. ¶ שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים. Sym. κατὰ δίστεγα καὶ τρίστεγα, *per duo & tria tecta*. Vel, *per binas ternasque contignationes*: Procopius, Sym. *Facies ipsam duorum aut trium tectorum*, pag. 97. Δίστεγον, *alteram contignationem habens*; τρίστεγον, *tertium tectum*, vel *triplici opertum tecto.*

19. מִכָּל־הַחַי A. & Sym. ἀπὸ παντὸς τῶν ζώων, *ab omnibus animantibus*] Prius erat θηρίων pro ζώων, sed minus recte.

NOTÆ MAJORES.

1. *Porro cum cœpissent homines multiplicari super faciem terræ, & filiæ natæ essent illis.*

2. *Viderunt filii Dei filias hominum pulchras esse, & acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

Homines] אָדָם pro בְּנֵי אָדָם· Certe On. edidit בְּנֵי אֱנָשָׁא, & Jonathan בְּנֵי נָשָׁא· Est autem נָשׁ & נָשָׁא idem cum אֱנָשׁ & אֱנָשָׁא homo. ❡ *Super faciem terræ*] vel, in superficie terræ. Quod idem cum interpretamento Græco ἐπὶ τῆς γῆς & latino, *super terram.* Porro facies terræ, ita dicitur ut facies cœli, facies montis, facies maris. A. Gellius lib. 13. cap. 28. *Facies est forma hominis & modus & factura quædam corporis totius à faciendo dicta, ut ab aspectu species & à fingendo figura. Itaque non solum in hominum corporibus, sed etiam in rerum cujusque modi aliarum facies dicitur. Nam montis & cœli & maris facies, si tempestive dicatur, probe dicitur. Salustii verba sunt ex histo. secunda, Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in orientem, quam in occidentem latior prominet. Plautus quoque in Pœnulo faciem pro totius corporis colorisque habitu dixit.* ❡ *Et filiæ natæ essent illis*] vel, *filiæ natæ sunt illis.* ❡ *Natæ sunt*] ἐγεννήθησαν, genitæ sunt. Nam est יֻלְּדוּ non נוֹלְדוּ· ❡ *Filii Dei*] On. & Jon. *filii magnatum.* R. Salomo, *filii Principum & judicum.* Lxx. υἱοὶ τοῦ θεοῦ: Filii Dei. Sic etiam interpres noster. Abenezra, *Filii judicum, qui faciebant in terra judicium Dei. Sunt qui dicunt, filii Sanctorum aut ipsi Sancti: & sunt qui dicunt, filii Seth; & filias hominum, quæ ex familia Cain. Et rectum mihi videtur, ut filii Dei dici accipiantur, qui callent scientiam altissimi.* Hiscuni, *R. Simeon filius Jochai dicit fuisse filios judicum, & maledicit ei, qui dicit fuisse filios Dei i. angelos. Sed quare scriptura vocat eos filios Dei? R. Jonathan & R. Levi dixerunt, Quia multos annos vixerant absque vexatione & castigationibus.* Levi ben Gerson, *Filii Dei vocantur Filii Anacim, nempe propter magnitudinem & robur eorum. Deo enim attribuitur quicquid in suo genere excellit, ut montes Dei, flamma Domini.* Moses Gerundensis, *Filii Dei Salomoni Jario sunt filii principum & judicum, & sic in Genesi magno. Si recte, ait judices qui debebant jus exercere, inter se committere crimen, quod* חָמָס *vocatur* [*violentiam interpretantur*] *nemine eos prohibente.* Plerique veterum per filios Dei significari putarunt angelos: in queis Josephus, Lactantius & alii. Sed & Philo in libro de gigantibus. Unde in quibusdam codicibus editionis Lxx. pum υἱοὶ τοῦ θεοῦ olim legebatur & ἄγγελοι τοῦ θεοῦ. Testis August. de Civit. Dei lib. 15. cap. 25. ita scribens, *Et Lxx. quidem interpretes & angelos Dei dixerunt istos & filios Dei. Quod quidem non omnes codices habent: nam quidam nisi filios Dei non habent. Aquila autem quem interpretem Judæi ceteris anteponunt, non angelos Dei, nec filios Dei, sed filios deorum interpretatus est.* Quæ varietas non aliunde manavit, quam ex eo, quod quidam nomine filiorum Dei angelos intellexerint. Erat igitur illud ἄγγελοι θεοῦ purum putum glossema. Lactantius Lib. 2. cap. 15. narrat angelos, quos in custodiam generis humani princeps ille delegaverat Deus, cum esset eis præceptum, ne terræ contagione maculati substantiæ cœlestis amitterent dignitatem, paulatim consuetudine fœminarum pollentes cum illis inquinatos esse, tum in cœlum ob peccata, quibus se immerserant, non receptos cecidissent in terram. Quæ hausta ex fabulis Judæorum. Manahen Ricinensis, *Antea cognovisti quæ commenti sunt Doctores nostri felicis memoriæ de angelis, qui ceciderunt e loco sanctificationis suæ, è cœlo. Dicunt ibi, ait Doctor, angelos, qui ceciderunt è cœlo vidisse filias ætatis suæ filias Cain quæ incedebant nudæ, oculos stibio pictos, vel ut cum Hiero. loquar, fulginatos habentes sicut meretrices solent. Quid accidit? erraverunt post eas, & acceperunt sibi ex illis uxores, quemadmodum dicitur, Viderunt filii Dei filias hominum. R. Josua filius Corcha, Angeli, inquit, sunt ignis flammans, juxta illud, ministros suos ignem flammantem.* „ Verum ea ipsa hora, qua ciciderunt è cœlo fa„ cta est substantia eorum sicut filiorum hominum & induerunt „ corpus terreum. In libro Zohar. Dicit R. Isahac, *Aza & Azael, quem cecidisse è loco sanctificationis suæ è supernis, viderunt filias hominum & peccarunt i. scortati sunt cum eis, & genuerunt filios. Isti sunt gigantes de quibus scriptum est:* Et gigantes erant in terra. In Homiliis R. Hanina, *Viderunt filii Dei. Aza & Azael duo Angeli erant qui accusabant Dominum suum. Ideo deturbabat eos Sanctus benedictus è loco sanctificationis eorum è cœlo &c.* Meminit horum & R. Aquila in Habdala. Manahen de quo supra, *Dixerunt magistri nostri, quorum fausta sit memoria, Duo Angeli Aza & Azael concupiverunt filias terræ & corruperunt vias suas in terra donec suspenderet eos (Deus) inter terram & cœlum.* Sed ἄλις ἀρύος. Addam corollarii vice. Hilarius in Psal. 132. *Hermon mons est in Phœnice, cujus interpretatio Anathema est. Quod enim nobis anathema nuncupatur, id Ebrais Hermon dicitur. Fertur autem id, de quo etiam nescio cujus liber exstat,* (Liber erat apocryphus, qui Henochi titulum præferebat, Tertulliano laudatus) *quod angeli concupiscentes filias hominum, cum de cœlo descenderent, in hunc montem maxime convenirent excelsum.* Et mox: *Certe hodie gentes montem hunc profana religione venerantur, & interpretationem nominis sui, quod est anathema, ipsa illa impiæ superstitionis sede testantur.* ❡ *Filias hominum*] Quid an judices & qui in magistratu sunt, non sunt homines? Scire licet nomen אָדָם aliquando restringi ad infimam plebem & vulgus promiscuum. Hoc sensu legimus, *Filii viri & filii hominum.* Filii viri i. nobiles & honoratiores cives: filii hominum i. promiscua plebs. Si ergo *filii Dei* sunt principes, recte intelligemus *per filias hominum* puellas ex vili & infima plebe. Has rapiebant potentes per vim: quod peccatum חָמָס vocatur, ob quod inductum fuit postea diluvium. Sed forte significat fœminas ex Cain ejusque posteritate prognatas. Cum autem Caini posteritas peculiariter אדם i. homines vocabulo appelletur, causa non est obscura. Nam אדם ab humo dictus. Humi repunt, qui in peccatis hærent; contra cœlestem naturam induunt, qui pietatem & religionem colunt. Tales enim cum Deo conversantur: cujus consuetudine Dii efficiuntur, hoc est divini homines. Cum autem & hi quoque consuetudine fœminarum illius seculi corrumperentur, nulla causa fuit, cur Deus mundo diutius parceret & peccata tam enormia impunita sineret. ❡ *Pulchras esse*] כִּי טֹבֹת הֵנָּה, *quod bonæ essent* i. pulchræ. Ita Hiero. Prius in Onkelo erat שַׁפִּירָן. Quomodo & Jonathan. Lxx. habent καλαί: quod reddunt *bonæ:* malim, *pulchræ.* Nam καλὸς pulcher, formosus. Ratio nominis ἀπὸ τοῦ καλεῖν. Nam pulchritudo cuncta vocat & trahit ad se. Nihil verius. שפירן ergo i. pulchræ. Id proprio vocabulo dicunt יָפוֹת, quo usus est in explicatione hujus loci R. Levi. Hiero. in Quæst. Ebraicis, *quia bonæ sunt.* Sic etiam Augustinus in De civit. Dei, ubi etiam annotat consuetudinem scripturarum esse speciosos corpore bonos appellare, i. καλοὺς. Nam καλὸς etiam bonus. Sic Latini bonam formam dicunt: & Terentius, *ut ni vis boni in ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.* Item in Eunucho, cum rogaret Gnatho, *Quid tibi videtur hoc mancipium?* Respondet Parmeno, *non malum* i. non deforme. *Bonæ* igitur i. pulchræ, formosæ. Sic alibi, כִּי טוֹב הוּא i. *formosum.* Plenius hoc ipsum enuntiant טוֹב תֹּאַר *bonus forma* vel טוב מראה *bonus aspectu.* ❡ *Acceperunt sibi uxores*] Sine delectu & nulla habita ratione religionis aut pietatis. Sed hoc crimen leve videtur. Neque propterea homines diluvio perdendi erant. Nondum enim certe lex extabat, quæ talia matrimonia vetaret. Igitur Ebræi enarrant, acceperunt per vim. i. שנשאו ולקחו בחזקה Sic R. Levi filius Gerson, Hiscuni, & alii. Verbum Ebraicum לָקַח hoc modo sumitur Gen. 34. 2. i. וַיִּקַּח אֹתָהּ & rapuit eam. ❡ *Quas elegerant*] vel, *quas eligebant.* Jonathan, *quæ illis placebant.* Lxx. ἀπὸ πασῶν ὧν ἐξελέξαντο.

3. *Et dixit DOMINUS, Non contendet Spiritus meus cum homine in seculum: eo quod etiam ipse caro sit: sed erunt dies ejus centum viginti anni.*

Non contendet spiritus meus cum homine] Lxx. [illegible] καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις. Libri veteres οὐ καταμένει: non permanebit. Quam lectionem secutus videtur interpres vulgatus, qui habet, *Non permanebit Spiritus meus in homine.* Mens horum verborum, non diu superstes erit: quasi diceret, auferam spiritum meum ab eo. Sic David ait, *Auferes spiritum tuum & expirabunt.* Hic spiritum Dei dicit spiritum quo vivimus, quem vitalem indigetant. Nam quia Deus eum dedit, ideo Dei spiritus vocatur, qui alioqui & hominis spiritus dici potest. Onkelos aliis verbis eandem sententiam expressit, *Non stabilietur ætas hæc mala coram me.* יִתְקַיַּם stabilietur i. stabilis erit, perdurabit, permanebit. Quid hos movit, ut ita verterent? An legerunt יָדוּן? Sunt ex Ebræis, qui ידון cum ידון confundunt: à quo נדנה vagina. לא ידון ergo non manebit, ut in vagina. Sane corpus quasi vagina spiritus est. Sic dico, Spiritus corpore continetur itidem, ut ensis vagina. R. Levi, יָדוּן significationem habet judicii quod דין dicitur. Addit Abenezra, *Quippe spiritus judex est in corpore.* Ego iis accedo, qui accipiunt in sensu ריב litis ומדון & contentionis. Itaque verti, *non contendet* i. לא יריב, quod in Salomone Jario. ❡ *Contendet*] litigabit, disceptabit, contendet judicio. ❡ *Spiritus meus*] qui agebat Prophetas & homines sanctos vitia seculi sui acriter reprehendentes: qualis erat Henoch, cujus fragmentum aliquod extat in epistola Canonica Judæ Apostoli; aut *spiritus*

ritus meus, ipsi Prophetæ & homines Θεόπνευςοι, qui cum impiis contendebant de moribus depravatissimis ævi sui. Ut hic *Spiritus Dei*: sic alibi *os Dei* vocantur Prophetæ veri, ἢ μὴ ψευδεῖς. ¶ *Cum homine*] cum humano genere. Sic & verbum רִב construitur Hos. 2. 1. רִיבוּ בְאִמְּכֶם *contendite cum matre vestra*. Hieronymus, *in homine*. Quomodo & Lxx. nam in fonte בָאָדָם quod reddi potest vel in homine, vel in hominibus. Græci significantius exprimunt, ἐν τοῖς ἀνθρώποις. R. Salomo, *propter hominem*. Mens & sententia, *Non contendet secum spiritus meus propter hominem*. Non admodum probo. Nam *secum* desideratur in fonte, & durum est hoc subintelligere. Ita mihi videtur. Si aliis aliter videtur, nolo propterea contendere. Suum cuique. ¶ *In seculum*] semper, aut in longum tempus. Sic accipies, *& vivat in seculum*. Nam non erat æternum victurus: nisi dictionem *æternum* ad finitum tempus restringas, ut in illo Horatii, *serviet æternum* i. quoad vivet. Credo ego moriturum fuisse hominem, etiamsi non peccasset. Sed de hac re alias. ¶ *Eo quod etiam ipse caro sit*] Hiero. *quia caro est* כִּי בָשָׂר הוּא. Lxx. διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας: *eo quod ipsi carnes sint*. Onkelos, בְּדִיל דְּאִנּוּן בִּשְׂרָא *propterea quod ipsi caro sint*. Jerosolymitana, מִן בְּגלל דְּאִנּוּן בְּשַׂר. Gallica edit. ultima, *car aussi bien sont-il chair*. בְּשַׁגָּם Hiscuni explicat בַּעֲבוּר שֶׁגַּם propterea quod etiam. Nam ב quandoque significat בַּעֲבוּר. R. Salomo addit nove dici בְּשַׁגָּם pro בְּשֶׁגַּם. recte sane. Nam literæ ש quando pro אשר usurpatur, proprium punctum est Segol. ¶ *Etiam*] Superare videtur. Sane ab antiquis Interpretibus omissa fuit. Recentiores retinent, nec tamen ejus sensum explicant. Utrum addita, quia etiam bestia caro est: aut *etiam ipse* dixit de filiis Seth, quorum natura non minus corrupta tunc erat, quam filiorum Cain? ¶ *Caro*] nomine carnis significatur humana natura, & quatenus infirma & quatenus corrupta. Nunc igitur intelligemus conditionem hominis corruptam, sensu ita postulante. Hoc significatu in opposito habet spiritum Joh. 3. 6. Imbecillitatem naturæ humanæ notat Psal. 78. 38. *memor eos carnem esse* i. miseros mortales, in quibus nihil constantiæ, nihil firmitatis. Hiero. ad hunc locum, *quoniam caro sunt* i. quia fragilis est in homine conditio. Sic etiam Hiscuni. ¶ *Sed erunt dies ejus 120 anni*] tolerabo eos adhuc 120. annos. Nisi interea resipuerint, sumam de illis supplicium ob meritam noxiam. Hanc sententiam expressit Onkelos per hæc verba, *propterea quod ipsi caro sunt, & opera eorum mala, spatium dedimus illis 120 annorum si pœnitentiam agerent*. Nec aliter Jonathan, cujus hæc sunt, *Ecce dedi illis spatium 120 annorum, ut pœnitentiam agerent & non egerunt*. Quæ habentur & in Thargum Jerosolymitano. Ceterum Hiero. arbitratur ex memorato numero resectos annos 20, ob hominum, ut ita dicam, impœnitentiam. Mihi probabilius videtur, ut dicamus decretum hoc factum fuisse viginti annis ante natum Japhetum, quem Noe genuit, ut communis opinio est, anno ætatis quingentesimo. Nec te moveat ordo Narrationis. Nam figura est, quam hysteron proteron vocant. Ea frequenter utuntur Ebræi. Sic legimus Gen. 11. 32. *Mortuus est Thare in Haran*: & post, *Dixit DOMINUS ad Abraham, Egredere de terra tua* &c. *Scimus autem*, inquit Abenezra, *Haran vixisse, dum Isahac ageret annum trigesimum quintum*. Sunt qui hunc locum enarrant de spatio vitæ cujusque, quos alii abunde refutarunt, ut non sit necesse bonas horas in eo collocare. ¶ *Dies ejus*] spatium vitæ hominis, quo nomine denotari diximus humanum genus. Sic mori populus aliquis dicitur, quando penitus deletur & extinguitur.

4. *Gigantes erant in terra in diebus illis, & etiam postea, cum ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, quæ pepererunt illis: Isti sunt potentes, qui à seculo viri celebres.*

Gigantes] γίγαντες. Sic Hiero. & Lxx. Onkelos quoque גִּבָּרַיָּא i. *gigantes*. Aquila, οἱ ἐπιπίπτοντες i. irruentes. Siquidem נפל, etiam irruo denotat. Sym. οἱ βίαιοι i. violenti. Male in edit. Ro. οἱ ἐνδιάστως βίαιοι. In Ebræo est הַנְּפִלִים. Appellatio à cadendo an irruendo? Cadere dicitur & qui deficit à Deo. R. Salomo, *Dicti Nephilim eo quod cadebant & cadere faciebant mundum. Ceterum in lingua Ebraica vox Nephilim significat Anacim i. gigantes*. Abraham Hispanus ab effectu appellatos existimat. Nam qui videbant vastam eorum molem præ admirationum animo concidebant. Sic alibi אֵימִים vocantur, quod terrori essent aliis. Idem addit filios Enacim, qui post diluvium memorantur, ex prosapia filiorum Dei fuisse. Quod verum esse potest. Siquidem Noe ex eadem quoque prosapia erat. Unde gigantem appellat pseudo Berosus. Sed hoc arbitrarium esse volo. Nolo ut sit certum. R. Levi, *Nephilim, sunt filii Dei, & Anacim*. Alienum est, quod in Hiscuni Nephilim quasi נִפְלָאִים i. mirabiles, nempe ob corporis magnitudinem. Nam sic esset נִפְלָאִים aliis apicibus. Miror interpretes nuperos, qui pro gigantibus *defectores* reposuerunt: quod, meo judicio, nimis generale est. Nam tota ætas illa, excepto Noe & filiis, defecerat à Deo. Hic certum genus hominum designatur. Qui hoc non videt nihil videt. Nimis nimis in novando audaces sumus. Recepta sordent: recentia ipsa novitate placent, præsertim apud imperitum vulgus; qui de his rebus pessime judicant. Nam autoritate ducuntur, non judicio, aut ratione. Vide sis Theodoretum in Quæstionibus ad hunc locum. Augustinum de Civit. Dei lib. 15. cap. 23. & in Quæstion: super Genesin. ¶ *Et etiam postea, cum*] vel, *postea quam*. Hic locus evincit gigantes fuisse priusquam filii Dei cum filiabus hominum congressi fuissent. Non ergo ex eo congressu geniti primum, ut quidam arbitrantur. ¶ *Postea, cum ingressi sunt*] ita verti, quia in אַחֲרֵי כֵן postea, distinctionis nota apud Ebræos. Est autem accentus major, quem Rebia vocant. Sic Græci Lxx. καὶ μετ' ἐκεῖνο, ὡς ἂν εἰσεπορεύοντο. Hiero. maluit, *postquam*. quod non plane improbamus. Sic accipio וְאַף בָּתַר כֵּן דְּעָלִין quod est interpretamentum Onkeli, & וּמִנַּף בָּתַר כֵּן דְּעָלִין, quod est Jonathæ. ¶ *Ingressi sunt ad filias hominum*] congressi sunt aut coiverunt cum illis. Sic, *qui ingreditur ad uxorem proximi*, qui rem aut consuetudinem habet cum illa. Honeste ita circumloquuntur coitum i. τὴν συνουσίαν ἀνδρὸς μετὰ γυναικός. ¶ *Quæ pepererunt illis*] וְיָלְדוּ לָהֶם, *& pepererunt illis*. Hiero. *illæque genuerunt*. Licet etiam vertere, *& genuerunt sibi*. Nam ילד de viris usurpatur. Quod notum jam pueris. Editio Græca καὶ ἐγεννῶσαν αὐτοῖς, id vertunt, *& generabant illis*. Malim *sibi*. Nam est αὑτοῖς cum spiritu denso sive aspero. Onkelos, וְיָלְדָן מִנְּהוֹן i. interprete Fagio, *liberos susceperunt ex eis*. Jonathan edidit לְהוֹן illis pro מִנְּהוֹן ab illis. Sed turbat me יָלְדָן. Nam esset יְלִידָא pepererunt, ut קְרִיבָא dicimus i. accesserunt. Utrum igitur Nun est loco Aleph? ¶ *Isti sunt*] videlicet quos filiæ hominum pepererunt filiis Dei. ¶ *Potentes*] הַגִּבֹּרִים οἱ δυνατοὶ, potentes illi. גִּבּוֹר potens, robustus. Chaldaice גִּבָּר. Holem in Camets versa: unde גִּבָּרִין & גִּבָּרַיָּא. Ea vox etiam gigantes notat. Hinc in Græca edit. οἱ γίγαντες. Nam sensa vocum sæpe petunt ex lingua Chaldaica. In Thargum Jonathæ perperam scriptum גִּבָּרִין pro גִּבָּרִין gigantes. Nam גִּבָּרִין aliud est. ¶ *A seculo*] jam olim. ¶ *Viri celebres*] אַנְשֵׁי הַשֵּׁם viri nominis i. ὀνομαστοὶ, ut recte Lxx. interpretantur i. celebres, clari, nobiles. Vulgo *viri nominati*. Minus recte. Nam *nominatus* respondet τῷ ὀνομασμένῳ. Hiero. *viri famosi*. Nam Hiero. ætate hoc nomen in bonam partem accipiebatur. Quid dico Hieronymi? Etiam Plinius Junior & Tacitus usurpant famosum pro celebri. Ciceronis ævo semper in malam partem sumebatur. Dicit auem gigantes illos ex immanibus flagitiis & sceleribus nomen sibi parasse æternum: quale genus hominum audax & turbulentum ad præsens usque seculum perdurat, orbis infame incommodum, onus intollerabile bonis, infaustum & execrabile. Ex hoc genere Cyclops quidam populum mihi notum adeo efferavit, ut jam cum ipsis Læstrigonibus de palma certare posset. Dixi Græcum interpretamentum καὶ ἐγεννῶσαν αὐτοῖς vertendum potius, *& generabant sibi*. Id confirmat August. de Civ. Dei lib. 15. cap. 23. ita scribens, *Quod autem ait, secundum aliam litteram, & generabant sibi, satis ostendit, quod prius antequam sic caderent filii Dei, Deo generabant non sibi, i. non dominante libidine coeundi, sed serviente officio propagandi, non familiam fastus sui, sed cives civitatis Dei.*

5. *Vidit autem DOMINUS multam esse malitiam hominis in terra, & omne figmentum cogitationum cordis ejus duntaxat malum esset omni die.*

Vidit DOMINUS] Onkelos, *revelatum fuit coram Domino*. Alias, *revelatum, patefactum fuit*. Nam est גְּלִי in apographo. Jonathan וַחֲזָא & vidit. ¶ *Malitiam*] κακίαν, quæ virtuti sive bonitati contraria est, quam Cicero vitiositatem appellat. *Malo vitiositatem*, inquit, *quam malitiam appellare, quam Græci κακίαν appellant: Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium*. Chaldaice בִּישָׁא pravitas, perversitas, improbitas. ¶ *Hominis*] vel, *Hominum*. Hominis, i. humani generis. ¶ *Multam esse*] vel, *magnam esse*. Nam רַבָּה utrumque significat: unde רַב μεγιστὰν magnus, qui & רבי & plur. רַבְרְבִין magnates. Quod noto propter edit. Gallicam, quæ hic habet *être tres grande*. Licet etiam vertere, *Vidit autem Deus multiplicari*, sive, *augescere malitiam hominum*. Quod Senes dixerunt ὅτι ἐπληθύνθησαν αἱ κακίαι τῶν ἀνθρώπων: auctas fuisse malitias hominum. ¶ *Omne figmentum cogitationum cordis ejus malum*] Hiero. *Cuncta cogitatio cordis ejus intenta esset ad malum*. Infra 8. 21. יֵצֶר לֵב הָאָדָם idem interpretatur, *sensus & cogitatio humani cordis*. יֵצֶר proprie πλάσμα i. figmentum, & sic reddunt οἱ ό Psal. 103. 14. item natura & indoles cujusque, quæ vel bona vel mala

est:

est: unde יצר טוב figmentum bonum, & יצר רע figmentum malum. Camio definiente in Comment. ad Psal. 103. *est cupiditas bruta & corporalis.* Eliæ in Thisbite, *cogitatio & concupiscentia cordis.* ¶ *Cogitationum*] מחשבת Nomen plurale. Olim cum puncta aberant, legi poterat מחשבת. Quomodo forte legit Hieronymus. Nam vertit, *cogitatio cordis.* Figmentum cogitationis i. cogitatio. Non displicet. Onkelos & Jonath. מחשבתא quod plurale erit, si legas מחשבתא cum Camets in ultima. ¶ *Duntaxat*] vel *tantummodo.* q. d. nihil aliud quam malum est. Ubi ergo figmentum bonum? an malum est natura sua, & bonum gratia Dei? Nam bonum figmentum memorat Gorionides hist. suæ lib. 4. c. 33. Ubi Alexander Rex de Pharisæis, *Novi ego figmentum (indolem) eorum bonum esse: Nam simultatem non servant.* i. non diu exercent, aut colunt inimicitias. ¶ *Malum*] i. vitiosum. Alioqui cogitatio mala dicitur, & quæ nos male habet. ¶ *Omni die*] Hiero. *omni tempore* i. semper. Onkelos, *Omnibus diebus.* Lxx. πάσας τὰς ἡμέρας: Alii, *toto die*: Alii, *quotidie.* Videndus Mercerus.

6. *Et pœnituit DOMINUM, quod fecisset hominem in terra, & contristatus est apud cor suum.*

Pœnituit] vide supra. Ceterum pœnitentia alia est ex recordatione delicti, quæ non cadit in Deum, ut nec ipsum delictum. Alia est cum nos pœnitet alicujus facti, quod per se bonum ac laudabile est, veluti si quis beneficium conferat in eum quem post ingratum experiatur, & eo nomine doleat, factumque nollet, quod fecit. Hoc sensu de Deo legimus, *& pœnituit eum,* quanquam improprie. Neque enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. ¶ *In terra*] superare videtur. R. Salomo ad hunc locum, *solatio ei fuit* [sic interpretatur וינחם) *quod fecisset hominem in terra & non in cœlo.* Logi. ¶ *Contristatus est apud cor suum*] vel potius, *in corde suo.* Hieronymus, *tactus fuit dolore cordis intrinsecus.* Huc pertinet κατενύγη, σύννουν ἔσχε λογισμόν, quod supra ex Procopio produximus. Κατενύγη contristatus est, indoluit. Sane Hesychius κατανένυγμαι exponit λελύπημαι. Eidem κατάνυξις est λύπη i. dolor, quo animus hominis ceu lancinatur & compungitur. Ceterum Deus proprie non contristatur. Ideo additum Scholion, ut puto, σύννουν ἔσχε λογισμόν: tristem suscepit cogitationem, nempe de delendo per diluvium genere humano. Nam quia impense amat opus suum, ideo tristis ei fuit cogitatio illa. Discamus hinc, quanto amore nos prosequatur Creator, qui non nisi tristis accedat ad puniendum sontes. ¶ *Apud cor suum*] apud animum suum, apud se ipsum.

7. *Et dixit DOMINUS, Delebo hominem quem creavi,* (vel *homines quos creavi*) *è facie terræ, ab homine usque ad bestiam & usque ad reptile, & usque ad aves cœli: quia pœnituit me quod fecerim eum.* (In Ebræo est *eos.*)

Et dixit) dixit apud se. *Contristatus est & dixit,* idem cum illo, σύννουν ἔσχε λογισμόν, & *dixit delebo,* cogitavit delere. ¶ *Delebo*] ἐξαλείψω, sive, ut est in Lxx. ἀπαλείψω. Jon. אבטל abolebo. מחה proprie per aquam deleo. Usus est hoc verbo & Onkelos. ¶ *Ab homine usque ad bestiam*] i. bestias. Delebo, inquit, tam hominem, quam bestias. Sed quare bestias? haud dubie propter hominem, in cujus usum conditæ erant. ¶ *Bestiam*] jumenta & feras. ¶ *Reptile*] in quo genere sunt & pisces. Sed strictius hic sumitur. Nam pisces deletos non legimus. ¶ *Cœli*] aëris. ¶ *Pœnituit me*] μεταμελήθην legitur in uno vetusto codice & aliquot impressis. Scriptum autem puto ex editione Aquilæ. Nam in vulgatis ἐνεθυμήθην, quod interpretantur *magna me tangit cura.* Est etiam ubi reperiatur ἐθυμώθην, ut apud Augustinum & Ambrosium, *iratus sum.* Onkelos & Jonath. תבית במימרי, reversus sum ad me i. pœnitentia ducor. Nam תב etiam *pœnitere* sig.

8. *Noe autem invenit gratiam in oculis DOMINI.*

9. *Istæ sunt generationes Noe, Noe vir justus integer fuit in ætatibus suis: cum Deo ambulavit Noe.*

Noe] Augustinus Steuchus ad hunc locum, *Mirum cur hæc vox apud Græcos & Latinos in sacris literis corrupte legatur, apud Berosum tamen legitur ut legenda est. Appellat itaque eum Noach, & Ebraice quoque profertur.* Quem locum adduxi propter juventutem nostram. Nam hæc legens putaret Noe corruptum esse. Non est magis corruptum quam Thare, quam Jared, aliaque sexcenta. Noach autem legitur quidem in Beroso Annii, sed an etiam in vero Beroso? Hoc probandum erat. Annius quo tempore vixerit non est obscurum. Mirarer si in antiquis Noach extaret. Neque tamen improbo. Sed ab eo non recte dicitur Noachus, cum Nochus dici debeat. Nam a furtivum, quum aliquid additur, penitus perit. ¶ *Invenit gratiam*] adeo gratus fuit Deo ut eum è publica orbis clade & communi supplicio eximeret. Hoc fecit partim ob viri pietatem & virtutem, partim ut esset seminarium humani generis. Nam si ad unum omnes delevisset, de novo creare hominem iterum debuisset. Porro *invenire gratiam* is dicitur, qui in gratia est apud aliquem, licet eam nunquam quæsiverit. ¶ *Gratiam*] Onkelos רחמין misericordiam, vel potius miserationes. Autor Jerosolymitanæ חינא ורחמין gratiam & misericordiam. Quæ indicant hanc gratiam, quam adeptus est Noe, ex mera Dei misericordia manasse. ¶ *In oculis DOMINI*] coram DOMINO, vel apud DOMINUM. Multi gratia valent apud homines, sed non apud Deum. Justus iste in gratia erat apud Deum, sed non apud homines. Nam ridebatur ab iis. Quod sig. Augustinus per hæc verba, „Tametsi omni hominum generi quod „tunc erat non esset gratus, neque amabilis, eo quod nolebat „eandem incedere viam quam illi, favit tamen illi is, qui corda „scrutatur, & qui illius mentem approbavit. Deinde subnectit, Et quid damni dic, oro, hinc nascetur viro, quod ab „hominibus subsanatur & irridetur, cum is, qui finxit corda „hominum & intelligit omnia opera eorum, prædicat illum & „coronat? Et quæ utilitas homini, si ipsum totus orbis admiretur & laudet, conditor autem omnium & judex qui decipi „nequit, in die illo terribili condemnaturus sit? Quomodo igitur nunc erit admiratione & laude dignus justus ille, qui ea quæ „Christus adveniens docuit, prius ipse à lege naturæ, edoctus, „deditissima opera adimplevit, laudemque humanam per virtutem contemnendo, gratiam apud Deum invenire studuit? ¶ *Generationes Noe*] i. filii ex Noe generati, videlicet Sem, Cham, & Japhet: aut ea, quæ ipsi evenerunt ante & post diluvium. Sane Abenezra exponit, מקרה i. eventa. Quod sumptum ex illo, *nescis quid paritura sit dies.* Nam sensus est, quid eventurum sit. In Ebræo est מה ילד. Unde vocabulum תולדות quod aliquando non posteros, sed ipsos προγόνους declarat, ut Matth. 1. 1. Ceterum pro eventis accipitur Gen. 37. 2. in illo, *Istæ sunt generationes Jacob.* ¶ *Justus integer*] i. justus & integer, ut sit διὰ δυοῖν: & *justus* vita, *integer* animo i. sincerus & candidus, nullo simulationis fuco tectus. Aliter exponas, *justus integer* i. integre. Quale est, *ambulans integer,* in quo perspicue nomen pro adverbio ponitur. *Justus integre* idem cum illo *vere justus,* i. optima fide, & Sine ullo fuco. Talis vocatur etiam justus coram Deo. Cui fucum facere nemo potest. Huic opponitur hypocrita & simulator. ¶ *Vir justus*] vir bonus & virtute præditus. Chaldaice זכי. Sic interpretor *in via justitiæ,* in via virtutis. Locus est apud Salomonem, *Corona decora Senectus, in via justitiæ invenietur.* ¶ *Integer*] Lxx. τέλειος. Lex. Vet. τέλειος *perfectus, integer.* Hiero. *perfectus.* On. & Jon. שלים. Moses Gerundensis צדיק שלם vel שלם בצדקו integer in justitia sua. Psal. 15. 2. תמים. Lxx. ἄμωμος. Hiero. *sine macula.* Sic Exod. 12. 5. *agnus integer.* R. Salomo, בלא מום absque macula. Nec aliter Abenezra. Integer ergo i. תמים & in quo nihil vitii, & à quo dolus malus abest. R. David in Comment. ad Psal. 15. תמים *dicitur, qui res suas agit sincere, non callide aut fraudulenter* Itaque תם Job. 4. 6. ab Aquila redditur ἁπλότης, simplicitas: & תמימים Prov. 2. 2. à Hiero. *simplices,* ab alio ἄκακοι i. minime mali. Non sic deponam manum ab hoc loco. צדיק תמים absque copula legunt Lxx. On. & Jon. ut cum copula Hiero. Jonathæ verba sunt, *Noe erat vir justus, integer in operibus bonis erat.* Abenezra, *justus in operibus suis: integer in corde suo.* Jam pergamus. ¶ *In ætatibus suis*] nam plures ætates vixit, in omnibus autem justus integer fuit, sive, ut noster interpres habet, perfectus. Perfectam justitiam intelligo quando vita proba est & cum ea animus concordat. Nam quando animus quoque probus est, nihil deesse videtur. Alioqui perfecte justus nemo est apud Deum. Ceterum ætas dicitur, ut exempli causa infantia, pueritia, adolescentia, juventus &c. Ita sunt septem ætates. Solon decem fecit ætatum ordines. Alio modo ætas dicitur spatium vitæ hominis, sive tempus, quo in hac vita versatur. Id communiter est, teste Davide 70. aut 80. annorum. Sunt qui annos triginta, sunt qui centum ætati attribuant. Interdum hoc nomine appellantur homines unius ætatis qui simul nascuntur, & simul occidunt. Quæ significatio huic loco non male convenit, ut dicat eum justum fuisse inter homines quibus cum vixit. Quod ad laudem ipsius ita facit ut nihil magis. Nam incorruptam vitam docere inter corruptissimos, non est cujusvis. Tales proverbio dicuntur rosæ inter spinas. Recte Chrysostomus, *Bene agere inter virtutis hostes & inter eos, qui virtutem prohibent, majus semper virtutis pondus testatur. Unde hac ratione justus ille majores laudes nactus est.* ¶ *Cum Deo ambulavit Noe*] Lxx. τῷ θεῷ εὐηρέστησε Νῶε, Deo placuit Noe.

Alius

Alius, σὺν τῷ θεῷ περιεπάτει cum Deo ambulabat. Alius, τῷ θεῷ ἐπηκολούθει: Deo est obsecutus. Hiero: in Quæst. *Cum Deo ambulabat Noe, hoc est ipsius vestigia sequebatur.* Vide quæ notavimus supra cap. 5. vers. 22.

10. *Et genuit tres filios, Sem, Cham & Japhet.*

11. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est terra violentia.*

Sem, Cham, & Japhet] de ordine horum filiorum jam dictum est. Cham, qui & Ham, nomen dedit Ægypto, quæ antiquitus, teste Hiero. Ham dicebatur. Japheth, sive Jephet (nam utrumque dicitur) Græca & Latina declinatione Japetus, ut Joseph ἰώσηπος, i. Josephus, aspirata in tenuem conversa. Meminit hujus Japeti Proclus in Theologia Platonica. ¶ *Corrupta est*] paulatim deterior evasit. ¶ *Terra*] habitatores terræ. Jonathan, *corrupta est terra propter incolas ejus, qui deflexerant sive recesserant à viis quæ recta sunt coram DOMINO.* Terra pro hominibus accipitur cum alibi, tum in illo, *Terra cum peccaverit in me*: & ibi, *Universa terra venit in Ægyptum.* ¶ *Coram Deo*] quidam explicant, *palam ac publice.* Sed quæ publice fiunt, *etiam coram hominibus fiunt. Ergo alii prætulerunt *clam* sive *occulte.* Nam occulta solus Deus novit. Nec hoc placet. Quid igitur? Gravius peccat servus, qui præsente Domino peccare non veretur. Ergo additum ad augendum crimen. Aut *coram Deo* i. mirandum in modum. Quale illud, *civitas magna coram Deo.* Nam Dei nomen adhibetur ad auxesin. ¶ *Repleta est terra*] repetit *terra* vocabulum, quod hic aliter accipitur, aliter cum ait, *corrupta est terra.* ¶ *Violentia*] On. & Jon. חטופין rapinis. Autor Jerosolymitanæ, חטופין חמסנין violentis & rapacibus hominibus. R. Salomo, גזל *rapina.* Abenezra, *rapina, & oppressione & raptu fœminarum.* Nec aliter ceteri. Hæc Ebræi. Quid nostri? Lxx. ἀδικίας. Hiero. *iniquitate.* Proverb. 8. 36. חמס Hiero. *lædit.* A. & Sym. ἀδικεῖ injurius est. Rursum Prov. 4. 17. ויין חמסים A. & Sym. οἶνον ἀδικιῶν. Porro חמס vocatur omne sceleris genus ad intervertendum res alienas comparatum. Lucianus in Dea Syria, ubi refert, quæ à Syris didicerat de orbis diluvio, ὑβρισταί, inquit, κάρτα ἐόντες, ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον. Nam neque jusjurandum servarunt, neque hospites receperunt, neque supplicum miserti sunt. Hæc ille.

12. *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat: quippe corruperat omnis caro viam suam in terra.*

Vidit terram] ac si ante non vidisset. Atqui semper vidit. Notum illud, *Oculi DOMINI ubique, speculantes tam bonos, quam malos.* Videre dicitur, & cum adhibet mentem ad aliquid faciendum, veluti cum legimus, *Vidi, vidi afflictionem populi mei.* Cum hoc diceret, jam statuerat eum liberare: itaque interpretantur, respexi. Contra nunc ait, *vidit terram* i. homines terræ, quia eos delere decreverat. Loquitur ergo more hominum. Sane judex videre dicitur reum, cum de ejus caussa cognoscit. ¶ *Et ecce corrupta erat*] & hoc humanitus dictum, quasi præter opinionem accidisset, ut videret homines ita corruptos. ¶ *Omnis caro*] omnis homo. ¶ *Viam suam*] mores suos. ¶ *In terra*] vel, *super terram.* Pro, *omnis caro* On. habet כל בסרא אנש omnis caro hominum. Sic interpretando excludit aves aliasque animantes diluvio deletas, quæ non peccaverant.

13. *Et dixit Deus ad Noe, Finis omnis carnis venit coram me, quia impleta est terra violentia propter eos: ideo ecce perdo eos cum terra.*

Et dixit] itaque dixit. ¶ *Ad Noe*] vel Nocho: quod imperite Noacho scripserunt, qui antiqua nomina temere immutarunt, ne dicam corruperunt. ¶ *Finis*] finis vitæ. Lxx. καιρὸς i. עת. Rectius Aquila πέλας, & Sym. πέρας i. finis, & intelligitur βίου sive ζωῆς. Jonathan סופא i. finis. ¶ *Omnis carnis*] omnium hominum. ¶ *Coram me*] apud me. ¶ *Propter eos*] propter opera eorum mala. Sic interpretantur On. & Jon. In Ebræo est verbum è verbo, *à facie eorum*: quod Græci reddunt ἀπ' αὐτῶν i. ab illis. Valde probo, ut dicat ab hominibus illius ævi terram impletam fuisse violentia & rapinis. Nihil verius. Jam vero מפני pro simplici מן usurpari, notius est, quam ut probari debeat. Igitur ex Ebraismo *à facie eorum*, quod in vulgata nostra valet, *ab eis.* ¶ *Perdo*] perdam brevi. Tale est, *quo ego abeo* i. abiturus sum. Nec dissimile, *Ecce ego commoveo cœlum & terram.* ¶ *Cum terra*] cum bestiis terræ, cum fructibus terræ. את hic valet עם, ut alias sæpe. Sic On. Jon. & Hiero. Lxx. ἰδοὺ καταφθείρω αὐτοὺς καὶ τὴν γῆν. eodem recidit. Recentiores, *ecce perdo eos à terra* מן הארץ. Scio את exponi à Grammaticis per מן, sed dubito an bene. Nam יצא את העיר, quod pro exemplo adducunt, ita dicitur ut in Latio, *egressus est urbe.* Quod idem cum illo, *egressus est ex urbe.* Neque tamen inde sequitur, quod illi volunt. Intelligentes intelligunt me.

14. *Fac tibi arcam è lignis Gopher; mansiunculas facies in ea, & illines eam intrinsecus & extrinsecus bitumine.*

Arcam] תבה navigii genus absque remis & velis, arcæ in modum constructum tectumque. Lxx. κιβωτὸν vocant: Josephus λάρνακα: Chaldæi תיבותא: unde θιβωτὰ in Clemente Strom. lib. 5. Hinc etiam θίβη, qua voce usi sunt Senes Exod. 2. θίβη παπυρίνη, fiscella scirpea. Videndus Sudas sive Suidas, itemque Hesychius. Hujus λέξεις, Θίβα, πόλις Βοιωτίας ἢ κιβώτιον. recte. תבה proprie κιβώτιον, ab eo Thebæ dictæ sunt. Cadmus enim Thebarum conditor à navicula, qua vectus in Europam trajecit, nomen urbi imposuit. Ergo κιβώτιον naviculæ genus. Ut Josephus arcam λάρνακα, ita etiam Lucianus appellat, quam proluvii tempore Deucalion conscendit. ¶ *E lignis Gopher*] Lxx. ἐκ ξύλων τετραγώνων: ex lignis quadratis. Hiero. *de lignis levigatis.* Quid viderunt cum ita verterent? Nam גפר neutrum significat si credendum Ebræis, qui dicunt esse genus arboris. Chaldæi cedrum interpretantur & de lignis cedrinis. Cedrum autem קדרוס vocant, quod legunt Cadros, cum possit legi Cedros i. Cedrus. Græcum Scholion est ex antiquis editionibus, ut puto, desumtum. Vox Ebræa alibi non reperitur. Videamus nunc quid Ebræi de ea scribant. R. Levi ait esse lignum, quod longo tempore durat, *& est*, inquit, *species cedri, quemadmodum exposuerunt Doctores nostri felicis memoriæ.* R. Abraham Hispanus, *Nomen est ligni levissimi.* Eadem scribit R. David. quod noto propter interpretem nostrum, in quo, *de lignis levigatis*, ut diximus. In Genesi magno (liber est ejus nominis, quem Brefchit Rabba indigitant) *ligna Gopher sunt* ארזי קדרינא i. *ligna cedrina.* Sane in Thargum Onkeli, ubi vulgata exemplaria קדרוס ediderunt, alia ארזין קדרין habent. Quod notatum à Camio Ebræo. In Thanchuma sive Ilmedenu R. Josua filius Corcha scribit קדרוס quo in loco hujus ligni meminit. Camii λέξεις, *Dixerunt Doctores nostri, Quatuor sunt species cedri* ארז *&* קדרוס *&* עץ שמן *&* ברוש. R. Salo. hoc nomine innui putat, quod sulphure perdendi essent. Nam Sulphur גפרית appellari. Cujus opinionem firmat Hiscuni ad hunc modum scribens, *Gopher, unde Sulphur exit, non consumitur in aqua. Præcepit autem ut uteretur ligno isto ad ostendendum quo supplicio digni essent.* ¶ *Mansiunculas facies in ea* קנים תעשה את התבה *nidos facies arcam* i. in arca: aut facies arcam nidos nidos i. multorum nidorum: aut facies nidos una cum arca. Nidos autem dicit i. קנים, parvas mansiones, quas mansiunculas alii, alii domunculas appellant: R. Levi, חדרים קטנים cubicula parva, recipiendis animantibus accommodata. Nidus quandoque pro domo sumitur, i. בית ut Job. 29. 18. *Cum nido meo expirabo*: & Sirach. 36. 24. ἄνθρωπος μὴ ἔχων νοσσιάν: *non habens nidum* i. domum. Contra domus pro nido usurpatur, ut *domus avium.* ¶ *Mansiunculas.*] Lxx. νοσσιάς. Hiero. contra Jovinianum *nidulos & mansiones.* On. מדורין mansiones. Trem. *multarum mansionum.* קנים קנים. Gallica editio, *par loges.* Alius, *loculatam.* Symmachus καλιὰς ποιήσεις i. nidos. Lex. Suidæ καλιά, νοσσιά, ἢ οἶκος ξύλινος· Καλιὰ γὰρ τὰ ξύλα ἐξ ὧν συγκεῖται. Græci hunc locum hoc Scholio illustrant, τὰς εἰς νεοττοτροφίας ἐπιτηδείους ἐχούσας καταλύσεις: diversoria apta ad pullorum nutritionem. ¶ *In ea*] partim Græcorum exemplarium ἐν τῇ κιβωτῷ: in arca. Sic & Latina olim quæ ex Græc. August. in locut., *Quod habent latini codices plurimi nidos facies in arcam, cum Latina locutio sit non in arcam, sed in arca, Græci nec in arcam, nec in arca habent, sed nidos facies arcam, quod intelligitur ut ipsa arca nidi essent.* Jonathan, *Centum quinquaginta cellas facies arca in sinistra ejus, & triginta sex in latitudine ejus, & decem domos in medio ad reponendum in illis commeatum*, & quæ sequuntur. ¶ *Illines eam bitumine*] Nam certe à כפר bitumen: itaque recte Lxx. ἀσφαλτώσεις αὐτὴν τῇ ἀσφάλτῳ. Id verbum è verbo sonat, *bituminabis ipsam bitumine.* Apud Ambrosium, cap. 6. *illinies* legitur, ut apud interpretem nostrum, *bitumine linies.* Quod temere mutarunt recentiores, qui pro eo picem reposuerunt. Quanquam in significatione picis utantur. Nam maxima est picis cum bitumine similitudo. Aquila ἀλείψεις ἀλοιφῇ: linies tectorio, vel, ut alii, unges unguine. Ἀλείφω lino sive linio, idem videlicet, quod ἀλείφω. ¶ *Bitumine*] בכפר On. בכופרא. Nihil variat à Græcis & Hiero. Siquidem כופרא bitumen. Arabes Chaph in Coph vertunt. Jon. בקירא quod similiter bitumen transfertur. Ebræi זפת dicunt. A quo non multum abludit חמר lutum. Abenezra, *Sunt qui dicunt* כפר *i. bitumen simile pici esse, & sunt qui dicunt esse lutum in terra è pulvere quod adhæret, & consistit ut pix. Et sunt qui dicunt esse, quod in lingua Ismaelitica sive Arabica* קפר *appellatum, Chaph in Coph versa.* Plinius lib. 35. cap. 15. *Bitumen alibi limus, alibi terra. Limus è*

Judæa

Judææ lacu emergens: terra in Syria circa Sydonem oppidum maritimum. Rabbanus, *Bitumen est ferventissimum & violentissimum gluten, cujus est hæc virtus, ut ligna, quæ ex eo lita fuerint, nec vermibus exedi, nec solis ardore, vel ventorum flatibus, aut aquarum possint assiduitate dissolvi.* R. David in libro Radicum, כֹּפֶר *est id, quod Arabice* קיר *vocatur, & similitudinem habet cum luto: & sunt qui exponant* זֶפֶת *ex monumentis Doctorum nostrorum, qui picem* כופרא *vocant.* In his est R. Salo. quem sequuntur Tremell. Castalio, & alii. Nohim factum.

15. *Et sic facies eam, trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo ejus, & triginta cubitorum altitudo ejus.*

Et sic facies eam] i. hac magnitudine sive dimensione aut proportione facies eam. Hoc Ebræus dicit וזה אשר תעשה אותה, & hoc est, quo facies eam. Trem. *Hæc autem est forma, qua facies eam.* Lxx, καὶ οὕτω ποιήσεις τὴν κιβωτόν. Hiero. *& sic facies eam* כֹּה תַּעֲשֶׂה אֹתָהּ. Abenezra, *Hæc est mensura, qua facies eam.* ¶ *Trecentorum cubitorum erit longitudo ejus*] vel, *Trecentorum cubitorum longitudinem ejus.* Sub. facies, quod repetendum ex superioribus. Cum autem varii cubiti sint, merito quæritur de quo cubito hic locus accipiendus sit. *Nam est cubitus regius major eo quo pro mensura utimur*, inquit Herodotus, *tribus digitis*: & cubitus virilis Deut. 3. 11. quem On. eundem facit cum cubito regio. Est & cubitus Geometricus, & vulgaris sive communis. Geometricus tantum valet, quantum sex alii. De hoc loqui Mosen censet Origenes, cujus hac de re verba sunt in Catena Patrum. *Sed adhuc nos quæ à prudentibus viris & Ebraicarum traditionum gnaris, atque à veteribus Magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Ajebant ergo majores, quod Moses, qui (ut Scriptura testatur de eo) omni sapientia Ægyptiorum fuerat eruditus, secundum artem geometricam, quam præcipue Ægyptii callent, cubitorum numerum hoc in loco posuit. Apud Geometras enim secundum eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, ex solido & quadrato vel in sex cubitos unus deputatur, si generaliter, vel trecentos, si minutatim deducatur. Quæ utique ratio, si observetur in hujus arcæ mensura, invenientur & longitudinis & latitudinis tanta spatia quæ vere totius mundi reparanda germina & universarum animantium capere rediviva seminaria potuerunt.* Hanc opinionem approbat Augustinus de Civit. Dei lib. 15. cap. 27. Quam & ego probarem, nisi scirem Mosen ubique se accommodare ad captum vulgi. Quo circa non est credibile eum nunc locutum esse de cubito geometrico, cujus mensura eruditis tantum nota erat. Neque causa est, cur eo confugiamus, cum simpliciter numerus horum cubitorum ut à Mose positus est, sufficiat ad omnes animantium species capiendas & eorum in annum alimoniam, & spatium etiam reliquum supersit, ut doctè Buteo quidam rationibus geometricis & Mathematicis ostendit. Buteo iste scripsit de Fabrica arcæ, quem nondum mihi videre contigit. Mercerus, qui vidit, valde commendat. Idem cubitos intelligit vulgares, sive communes, quales erant hominum illius temporis. A quo non longe abit Moses Gerundensis, qui Mosen loqui existimat de cubito ipsius Noe. *Sed tamen*, inquit, *cum ejusdem magnitudinis essent homines illius ævi, & multa essent animalia, arcam capere sine miraculo omnia non potuisse.* Vide illum, si vacas. Noe certe præstitit, quod potuit, reliquum Deus supplevit.

16. *Lumen facies arcæ, & in cubitum consummabis eam superne, & ostium arcæ in latere ejus pones: inferiores, secundas & tertias facies in ea.*

Lumen] i. fenestram, per quam lumen introeat. צֹהַר proprie clarum lumen. Hiero. *Fenestram* חַלּוֹן. Lxx. συνάγων *colligens* Sym. διαφανὲς dilucidum sive pellucidum. Aquila μεσημβρινόν, meridianum. Hiero. in Quæst. *Pro eo quod est, colligens facies arcam, in Ebræo habetur, meridianum facies arcæ, quod manifestius interpretatus est Sym. dicens διαφανὲς ποιήσεις i. dilucidum facies arcæ, volens fenestram intelligi.* Quod ait in Ebræo haberi, meridianum, verum videtur, siquidem meridies צהרים dicitur. Sed צֹהַר ut reor, aliunde appellationem accipit. Salomo Abrahami filius deducit ab Arabico verbo צהר quod videre significat. Thargum Onkeli habet נְהוֹר i. lumen: quod nomen etiam Latini pro fenestra usurpant. Nam in ædes lumen intromittit. Cato cap. 14. *lumina sex* i. fenestræ, ut observatur à Turnebo. Cicero de oratore, *Memoria fundamentum: lumen, actio* i. fenestra. R. Salomo, *Sohar alii fenestram esse dicunt, alii lapidem pretiosum, qui lumen illis præbebat.* Nicolaus noster (jure ita voco) *Pro fenestra Ebræi habent lucernam. Et dicunt aliqui, quod ista lucerna erat lapis pretiosus suo lumine illustrans arcam, sicut carbunculus. Alii autem dicunt, quod fuit fenestra crystallina, ut lumen reciperet & aquas prohiberet.* Hiscuni, *Sohar est fenestra, quam aperuit Noe cum columbam & corvum emitteret. Cum autem clausa esset, posuit ibi lapidem pretiosum, qui illuceret eis, qui intus erant. Atque ita verum esse deprehenditur, quod Magistri de hac re scripserunt, aliis fenestram, aliis lapidem pretiosum interpretantibus.* Ceterum Rabbinus iste Sohar dictum putat, à יצהר quo oleum significant. Abenezra & Levi filius Gerson, post Aquilam a nomine צהרים deducunt i. meridies. Quo forsan & Galli respexerunt cum verterent, *Tu bailleras clair jour à l'arche*: clarum diem facies arcæ. ¶ *Arcæ*] לַתֵּבָה Hiero. *in arca* בַּתֵּבָה Lxx. τὴν κιβωτόν. את התבה. ¶ *In cubitum consummabis eam*] perperam hoc nonnulli ad fenestram referunt. Nam genera obstant quæ in Ebræo. Siquidem nomen SOAR masculinum est: pronomen vero *eam* fœmininum. Proinde referri debet ad arcam, quæ תבה dicitur eodem genere. Decepit interpretes nomen *fenestra*, in cujus locum nos ideo *lumen* substituimus. ¶ *In cubitum*] ἐπὶ πῆχυν, quod Ebraice est אֶל אַמָּה pro quo Hiero. *in cubito* i. באמה. On. habet לאמתא & Jon. לגרמידא. Lexicon Chaldaicum גרמידא *Cubitalis mensura*, Jud. 3. Hic est גֹּמֶד in Ebræo. id exponunt אמה דזרוע, cubitum brachii. Adi sis ad Scholia Eliæ Germani, quæ scripsit in librum Radicum Davidis Camii Ebræi. Ceterum cubitus & cubitum utroque genere in usu est apud autores latinos. Quod ignorasse videtur Hieron. Nam in Comment. Ezech. 40. ita scribit, *Quod cubitos genere masculino & non neutrali cubita dicimus juxta regulam Grammaticorum, & in superioribus docui non nos ignorantia hoc facere: sed consuetudine propter simplices quosque & indoctos quorum in congregatione Ecclesiæ major est numerus.* ¶ *Consummabis*] absolves, perficies. ¶ *Eam*] arcam, cujus operculum in coni figuram fastigiatum erat, hoc est in acutum ascendebat, donec staret in cubito. Superne ἄνωθεν, desuper, à superiore parte. ¶ *In latere ejus*] בְּצִדָּהּ On. reddit בִּסְטְרַהּ pro quo Jon. edidit בציטרא nisi mendum in libris Lxx. ἐκ πλαγίων quod redditum, *à latere*. Quidam tamen libri olim habebant, *ex transverso*. Dicunt etiam ἐκ τῶν πλαγίων eodem sensu. Hiero. *ex latere* מִצִּדָּהּ ¶ *Inferiores secundas & tertias*] Sub. contignationes aut aliquid tale. Vulgo *tabulata* subintelligunt, & legunt, *inferiora, secunda & tertia*. Onkelos & Jonathan מדורין i. mansiones: quod minus probo. Nam plures erant mansiones in arca, quas supra nidos vocavit. Hiero. *deorsum cœnacula & tristega facies in ea.* Heu pravam interpretationem. Nam cœnacula potius עליות dicuntur: deorsum autem i. לְמַטָּה aut מתחת. Lxx. κατάγαια aut ut est in aliis exemplaribus, κατώγαια, διώροφα καὶ τριώροφα: inferiora, bicamerata & tricamerata. Symmachus κατὰ δίστεγα καὶ τρίστεγα: per binas ternasque contignationes, sive per duo & tria tecta. Δίστεγον alteram contignationem habens: τρίστεγον tertium tectum, vel triplici opertus tecto. ¶ *Facies in ea*] Ad verb. *facies eam*. Quod ita dictum ut *nidos facies arcam* i. in arca. Nam quod explicant, *multorum nidorum facies arcam*, id ex hoc loco infirmari potest.

17. *Nam ego ecce ego adduco diluvium aquarum super terram, ad perdendum omnem carnem in qua spiritus vitæ de sub cælo: quicquid in terra expirabit.*

Nam ego ecce ego] ut iterat pronomen. Est hoc ex elegantiis linguæ. Horum pro nominum prius recti casus est, posterius obliqui. Sed pro recto usurpatur. ¶ *Adduco*] adducturus sum propediem. ¶ *Diluvium aquarum*] המבול מים dixit pro המבול מבול מים *diluvium aquarum*. Aut legendum, *ecce ego adduco diluvium, aquas super terram.* (Vide infra vers. 6. *& diluvium fuit, aquæ super terram* sub. fuerunt.) Sic Græci Lxx. ἰδοὺ ἐπάγω τὸν κατακλυσμόν, ὕδωρ ἐπὶ τὴν γῆν: *ecce adduco diluvium, aquam super terram.* Edit. lat. quæ à vulgo nomen accepit, *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram* i. מֵי הַמַּבּוּל Porro diluvium. On. טוֹפָנָא appellat, Jon. autem שובענא Quod in Lexicis non invenitur. Apud magistros דרא דטובענא est ætas diluvii. ¶ *Omnem carnem*] omne animans. Sic, *qui das panem omni carni*: omnibus animantibus. ¶ *Spiritus vitæ*] i. vitalis. ¶ *Expirabit*] Lxx. τελευτήσει, & On. ימות i. morietur. Nec alius sensus est in Jonathæ יִגְוַע quod reddunt deficiet, expirabit. Job. 29. 18. אֶגְוַע Hiero. *Moriar.* Sym. γηράσω consenescam. Santes, *moriar.* Arias, *expirabo.* Lxx. γηράσω. Psal. 88. 16. גֹּוֵעַ Santes, *deficiens.* Arias, *moribundus.* Hiero. *ærumnosus.* Lxx. καὶ ἐν κόποις. Alius, *expirabundus* q. d. animam agens perpetuo i. proximus morti. R. David הולך ומת quod Belgæ mei dicerent, gae al sterbende. Hinc גויעה expiratio quam Moses Gerundensis interpretatur, dicens esse mortem absque morbo dolore afficiente & absque castigationibus.

18. Et

18. *Et statuam fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu & filii tui & uxor tua & uxores filiorum tuorum tecum.*

Statuam] στήσω. Alii, stabiliam, firmabo: aut feriam, inibo. Ab hoc verbo Chaldæi fœdus קְיָמָא appellant. Ergo אָקִים יָת קְיָמִי latine reddas, *paciscar pactum meum* & Græce στήσω συνθήκην μου, nisi malis συνθήσω. Nam συντίθεσθαι dicuntur, qui inter se paciscuntur & constituunt aliquid. ¶ *Fœdus meum*] cujus conditiones erant fore ut illæsus cum suis arcam ingrederetur, & ibidem incolumis conservaretur communi periculo exemptus: tum etiam ut per illum repararetur genus humanum. Lxx. pro *fœdus meum* τὴν διαθήκην μου ediderunt, hoc habentes in consuetudine ut διαθήκην pro συνθήκην usurpent. Atque hinc testamenti vox Latinis Theologis usitata pro fœdere. ¶ *Uxor tua*] non dicit, *uxores tuæ*. Quippe unam tantum habuit. Hanc nonnemo Noegiam vocatam scribit. Pseudoberosus Tyteam appellat.

19. *Et ex omni vivente, ex omni carne bina ex omnibus induces in arcam ut conserventur tecum: mas & fœmina erunt.*

Ex omni vivente] ex omni animante, sive ut est in vulgata nostra, *ex cunctis animantibus*. Hic *vivens* pro animante ponitur: alibi ad homines restringitur, ut cum Heva dicitur mater omnium viventium. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Ex omni carne*] idem aliter: vel, *ex omni vivente* (sive quod vivit) *de omni carne* i. ex omnibus animantibus vivis. Hoc rectum mihi videtur. Supra vers. 17. *Omnem carnem in quo spiritus vitæ*. Ceterum caro pro animante sumitur & in illo Davidis, *Qui dat panem omni carni*. Hiero. *ex cunctis animantibus universæ carnis*. Malim, *ex cunctis viventibus universæ carnis*. Id ambo Chaldæi dixerunt מִכֹּל דְּחַי מִכָּל בִּסְרָא ex omni quod vivit de omni carne. ¶ *Induces*] εἰσάξεις. ¶ *Ut conserventur tecum*] לְהַחֲיֹת *ad vivificandum*. Sensus est, ut conserventur in vita. לְהַחֲיֹת præter alios verto, *ut conserventur*. Nam infinitum activum significationem habet passivam interdum, ut ibi, *Tunc cæptum est* לִקְרֹא *invocari nomen DOMINI*. Sic Prov. 25. 6. טוֹב אֲמָר לְךָ *Satius est tibi dici*: & Psal. 50. 6. בְּשָׁפְטֶךָ interprete Apostolo, *cum tu judicaris*. Alii, *ad conservandum ea in vita tecum*. Hiero. *Ut vivant tecum* לְהַחֲיוֹת. Lxx. ἵνα τρέφῃς μετὰ σεαυτοῦ: ut nutrias tecum. Onkelos & Jonathan לְקַיָּמָא עִמָּךְ *ut conserventur in vita tecum*, nisi malis, *ut conserves ea in vita tecum*.

20. *Ex avibus secundum genus suum & è bestiis secundum genus suum, ex cunctis reptilibus terræ secundum genus suum, bina ex omnibus venient ad te ut in vita conserventur.*

Ex avibus] Lxx. ἀπὸ πάντων τῶν ὀρνέων τῶν πετεινῶν. Hiero. *de volucribus*. τὰ πετεινὰ sicut volatilia. ¶ *Secundum genus suum*] vel, *juxta speciem suam* i. species suas. Sic *secundum genus suum* i. genera sua. Lxx. κατὰ γένος. ¶ *E bestiis*] è jumentis & feris. Interpretes angustius accipiunt pro altera specie. Sane Hiero. vertit, *de jumentis*: & On. מִן בְּעִירָא: & Jon. מִבְּעִירָא: & Lxx. ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν. ¶ *Venient ad te*] occulto naturæ instinctu Deo ad hoc illas impellente. Quod Jonathan dixit, *Venient ad te ductu angeli qui manu prehensas adducet illas ad te: & tum venient cum videbunt omnia aquis compleri.*

21. *Tu autem cape tibi de omni cibo, qui comeditur, & colliges ad te ut sit tibi & illis pro cibo.*

22. *Fecit igitur Noe juxta omnia, quæ præceperat ei Deus, sic fecit.*

Qui comeditur] Qui esui sive vescendo est, quo vesci licet. ¶ *Colliges ad te*] *Colliges* dixit pro collige sive congrega, aut congere aut comporta: & *ad te*. i. in arcam. ¶ *Et illis*] animantibus. In his erant bestiæ carnivoræ, quibus alii carnes ovium & aliarum pecudum, quibus vesci solent reservatas existimant: alii censent eas herbis vixisse. ¶ *Pro cibo*] לְאָכְלָה in cibum i. pro cibo, vel si placet cibus. Simile, *fuit ei in uxorem* i. pro uxore aut uxor. Hiero. *in escam*. Lxx. φαγεῖν. On. & Jon. לְמֵיכַל ad comedendum. ¶ *Fecit juxta omnia*] Hiero. *fecit omnia*, & Lxx. ἐποίησε πάντα. Parum interest hoc an illo modo legas. ¶ *Sic fecit*] q. d. Nihil aliter fecit.

A M A M A.

3. Ebr. *Non* יָדוֹן *disceptabit Sp. meus cum homine in æternum*. Vulg. *Non permanebit Sp. meus in homine &c.*

Cum ea jam esset nascentis mundi malitia, ut & illi qui ex sancta progenie Sethi (in qua erat Ecclesia) descenderant, unde & Filii Dei dicuntur vers. 2. Ut inquam illi propria libine eo se abripi passi fuerint, ut uxores e familia Cainitica quæsierint imo rapuerint ad libidinem suam explendam (certe verbum לקח hic usurpatum Genes. 34. 2. significat *rapio*) hoc versu Moses Deum sic introducit loquentem לֹא יָדוֹן *non* (*a*) *disceptabit Spiritus meus amplius cum homine*. ad verbum, *in homine*. (בְּ pro עִם passim adhibetur, ut Exod. 10. 9.) q. d. non possum me continere quin severissime puniam & visitem hanc malitiam. Quantisper enim inquit Vatablus, pœnam suspendit Deus, quodammodo disceptat, præsertim si vel minis vel levioribus castigationibus homines ad pœnitentiam sollicitet. Hunc egregium & auro contra non carum sensum obscurat Vulgatus sic vertendo, *Non permanebit spiritus meus cum homine in æternum*, secutus τοὺς Lxx. Quid? an דִּין unquam significat maneo? לִין eam interpretationem forte admittat, at nunquam יְדוּן Atqui dixerunt aliqui (*b*) Thema non esse דִּין sed נדן unde נְדָן vagina & Chald. נִדְנָה idem, & Metaph. *corpus*. quod id spiritui idem sit quod vagina gladio, q. d. non vaginabitur, non permanebit Sp. meus in homine diutius captivus sicut in vagina. Sed tunc Grammatica postularet non יָדוֹן sed יִדּוֹן. Ut a נָפַל fit (*c*) יִפּוֹל Melius conjectavit Cl. Theologus Fr. Gomarus, eos legisse יָדוּר Quicquid sit, pro ea quam Ebræi codices constantissime habent, lectione, atque a nostris partibus stat Hieron. in Quæst. ubi vertit *judicabit*, licet paulo diverso sensu. Et R. Sal. לֹא יִתְרַעֵם וְיִדוֹן non disceptabit aut litigabit. Et Steuchus credit in Vulg. Latinam *permanebit* ex LXX. irrepsisse. Quin & S. Senensis Bibl. lib. 5. annot. 74. ex professo docet locum hunc male versum. Et Cajetani hæc sunt verba, *Quia non desunt dicentes impossibile esse verbum Ebr. deduci a vagina, tutius est illos sectari qui interpretantur*, judicabit. *Hæc enim carere videtur contradictoribus*. Sed admodum vererer Cajetane, ne per Jesuitas & Inquisitores liceret tibi, si superesses, tuto dixisse illud *tutius & sine contradictione*. Adeo mutata sunt tempora, mutati mores. Atque hoc modo quivis videt non designari hic Spiritum intellectilem & cœlestem, divinæ particulam auræ, qui Dei Spiritus vocari posset quippe à Deo infusus, sed eum spiritum quo per sanctos Patres jam toties coarguerat Deus degeneres mortales.

5. Ebr. *Et figmentum cogitationum cordis tantummodo malum esse omni die*. Vulg. *Et quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

Vulg. non satis expressit sensum mentemque Sp. S. quam hic facile assequi potuisset, si modo textum Ebræum κατὰ πόδα reddidisset. Illic enim omnia ἐμφατικώτατα. Plus est esse malum & quidem tantummodo malum, quam pronum esse ad malum. Plus est dicere figmentum cogitationum cordis, quam cogitationes simpliciter. Vox enim יֵצֶר ipsas etiam incompletas cogitationes videtur includere. Textus itaque Ebræus, utor verbis (*d*) Cl. Junii, exponit habitum & conditionem cordis humani in se: Vulgatus autem actum & affectionem ejus ad intentum finem, etiamsi boni aliquid in eo esse possit. Prolixe etiam hæc deduxerunt cæteri Theologi nostri Witak. Lubb. Chemnitius, Mercerus &c. ut nihil amplius ad ea addi possit. Objicient fortassis aliqui ex eo hominum genere, queis bonas dextras, malas sinistras natura dedit, & Belgicam nostram hic deficere. Esto, non excusamus; tantum abest ut eam pro authentica habeamus, ut nullo prætextu ei contradici queat, licet Vulgata multis modis purior sit. Semel hoc audi quicunque Vulgatum plusculum æstimas, audi inquam, κᾂν σοὶ φρενὶ βάλλεο σῇσι, non odimus Vulgatam, non contemnimus quod errores nævosque suos habeat; habent quippe singulæ suos & nulli hac ex parte licuit tam esse felici: Sed, eam Ecclesiis pro authentica obtrudi, idque cum Anathematis denunciatione, si quis ullo prætextu eam rejicere audeat vel præsumat, illud est quod indignamur. Hoc tantum addam Chaldæum fidelissime Ebræa ad verbum expressisse, בַּל יִצְרָא מַחְשְׁבַת לִבֵּהּ לְחוֹד בִּישׁ כָּל יוֹמָא.

G R O T I U S.

2. *Quod essent pulchræ*] Oculis magis quam auribus de uxore judicantes. Xenophon: Κἄπειτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ, μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι [*Deinde fieri genus humanum pejus indies, ideo quod misceatur meliori id quod deterius est*].

3. *Non permanebit*] Id est, nolo diu permaneat. Græci οὐ μὴ

(*a*) דִּין non tantum significat judicare, quod judicis est sed & litigare, disceptare quod partium est. Ut & שפט in Niphal. (*b*) Aben. ad Dan. 7. (*c*) Eppol. (*d*) Animadvers. in Bell. contr. 1. lib. 2. cap. 12. §. 8.

οὐ μὴ καταμείνῃ [*ne maneat*], vel οὐ κατασχεθῇ. Spiritus a me datus homini non manebit in homine diu inclusus velut in vagina, quippe nulli bono usui non magis quam ensis tectus. Nam נדן est vagina, 1 Paralip. XXI. 27. & corpus Chaldaice sic dicitur. Dan. vers. 15. nempe quod spiritum intra se contineat. Hinc interpretari liceat illud 1 Petri. III. 19. τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι [*spiritibus in vagina*] illis spiritibus humanis, quos velut in vagina detineri inutiles Deus querebatur: ut ad πορευθεὶς [*profectus*] subintelligas ex sequentibus, Νῶε [*Noe*]: Sic *animam* ex sequente subintelligitur Psal. CIX. 31. Philargyrus ad II Georgicon: *Syllepsis ex assumtione casus, nam ex ablativo assumendus nominativus.* Spiritus Christi ita in Noe fuit, ut in Prophetis, 1 Petr. I. 11.

In homine] Græci ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις [*in his hominibus*], in hujus ævi hominibus.

In æternum] לעולם id est, per multa tempora.

Qui caro est] Carni pascendæ & oblectandæ studet sine Dei timore. Hoc de humano genere illius ætatis, paucis valde exceptis, dicitur. Vide Matth. XXIV. 38.

Eruntque dies illius centum viginti annorum] Vulgo interpretantur de curtato vitæ humanæ spatio. Et hinc fama etiam inter Gentes prodita; Mosi à Deo id patefactum, neminem ultra id temporis spatium provicturum. Vide Josephum capite VII. libri primi Antiquæ Historiæ, & vitam Cæsaris Claudii ejus post Gallienum imperavit. At Græci hic: ἔσονται δὲ αἱ ἡμέραι αὐτῶν ἑκατὸν εἴκοσιν ἔτη [*Erunt autem dies eorum centum & viginti anni*]. Quod sensum facit optimum, non ultra tot annos Deum dilaturum τὴν πανωλεθρίαν [*internecionem*] ejus ætatis adeo corruptæ hominum.

4. *Gigantes autem erant*] Tales homines quales Græci sub Gigantum aut Titanum nomine describunt. Symmachus non male οἱ βίαιοι [*violenti*]. Aquila, qui origines addicte sequitur, οἱ ἐπιπίπτοντες [*invasores*]. Lucianus in Dea Syria de iisdem hominibus: ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες ἀθέμιστα ἔργα ἔπρησσον. οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέχοντο, οὔτε ἱκετέων ἠνείχοντο, ἀνθ' ὧν σφίσιν ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀπίκετο [*Valde contumeliosi cum essent iniqua facta edebant. Nam neque jusjurandum servabant, neque excipiebant hospites, neque curabant supplices; ob quæ magna eis calamitas supervenit*].

Isti sunt potentes] הגברים quod mutatione levi literæ affinis potest dici הכבירים οἱ κάβειροι [*Cabiri*], dii magni Virgilio, ut Servius notat, Græcis θεοὶ δυνατοὶ [*dii potentes*], in augurum libris, ut Varro notat libro IV. divi potes, repertores navigationis, & ob id in Samothrace culti, tanquam ventorum marisque domini: piratæ haud dubie, quales posterioribus seculis, Jupiter Cretensis & filius ejus Minos.

6. *Pœnituit eum*] Onkelos & Jonathan בממריה ותב *reversus est ad verbum suum*: id est: *in se*. Ita enim loquuntur Chaldæi: Symmachus ἀνέστρεψεν [*redit*]. At Aquila μετεμελήθη [*pœnitentia ductus fuit*].

Repleta est iniquitate] Rapinis, Chaldæus.

12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*] Fœdis libidinibus.

14. *Fac tibi arcam*] Id antiquissimum navium constructarum nomen ex similitudine ad quam factæ erant: κιβωτὸν [*arcam*] dixere hic LXX. & Matthæi interpres XXIV. 38. & Lucas XVII. 27. & Petrus I. III. 20. At λάρνακα eodem plane sensu Apollodorus in Bibliotheca, Lucianus in Dea Syria, Alexander Polyhistor productus à Cyrillo, & Josephus. Sic de Danaë navigante Simonides: λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ [*in arca bene fabricata*]. De his, deque omni historia Diluvii, vide quæ ex omnium gentium monumentis congessimus ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ.

16. *Cœnacula & tristega facies in ea*] Cœnaculum nomen est generis. Id hic interpres posuit pro contignatione sub tabulato navis, tristegon pro infimo. Incipit enim à summo. In Actis XX. 9. τρίστεγον, id est ab imo tertia contignatio, tertium cœnaculum interpreti dicitur. Symmachus hoc loco διὰ τῶν διστέγων καὶ τριστέγων [*per contignationes secundas & tertias*]. In Hebræo ad verbum, *inferiora secunda & tertia.*

CARTWRIGHTUS.

2. *Et viderunt filii Dei filias hominum, &c.*] Chald. בני רברביא, *Filii* (a) *magnatum sive principum.* Eo enim sensu vox Hebræa *Elohim* quandoque sumitur. Sic R. Salom. בני השרים והשופטים, i.e. *Filii principum & judicum.* Hieron. etiam testatur Symmachum transtulisse, *Filii potentum*: Aquilam autem, *Filii deorum*, deos intelligentem sanctos sive angelos. R. Salom. etiam refert exponi de angelis, qui se cum mulieribus commiscebant. Portentosa sane expositio, etiamsi eam secutus sit Josephus, Antiq. l. 1. cap. 4. & Lactant. lib. 2. cap. 15. eamque tueri conetur Burgensis, cum Lyra eam merito explosisset. LXX. ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, &c. Ita nunc eorum versio habet; at Senensis Biblioth. S. lib. 5, Annotat. 70. asserit in vetustiori editione esse οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, atque inde quosdam, ut Lactantium, putasse significari bonos angelos, qui tum primum cum mulieribus peccarunt, & ob id ex cœlo lapsi sunt: alios autem, angelos apostatas, sive dæmones statim ab orbe condito de cœlo dejectos, qui coeuntes cum fœminis gigantes genuerint, sic Eusebium existimasse. Aben Ezra *Filios judicum* intelligit, refert autem quosdam hic nomine *Elohim* pro sacrosancto Dei nomine accipere, & *per filios Dei* intelligere *sanctos*; alios vero *filios Dei* interpretari *de posteris Seth*, & *filias hominum de posteris Cain.* Hæc sane expositio germana ac genuina videtur, nec multum à præcedente diversa; nisi fortè prior illa expositio de vere sanctis intelligatur, quemadmodum intellexisse videtur Kimchi, qui (referente Fagio in Collat.) filios Dei exponit החסידים i. e. *Sanctos, quia Deus eos diligit sicut pater diligit filium.* At ex textu apparet hosce Dei filios professione potius quam reipsa sanctos fuisse. Vide Aug. de Civit. Dei lib. 15. cap. 23.

3. לא ידון רוחי *Non disceptabit Spiritus meus.*] R. Salom. optime videtur exponere לא יתרעם ויריב רוחי עלי בשביל האדם i. e. *Non tumultuabitur & contendet Spiritus meus in me propter hominem.* Et mox, *Ecce Spiritus meus disceptat intra me, utrum perdam, an parcam; non erit hac disceptatio in Spiritu meo in perpetuum, &c.* Fullerus, (Misc. lib. 5. cap. 5.) ait doctiores omnes hanc sententiam à R. Salomone expressam amplecti. Chald. לא יתקים דרא בישא הדין קדמי לעלם, *Non stabilietur mala hac generatio coram me in æternum.* Sensum potius quam verba expressit. LXX. οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου, &c. Vulg. *Non permanebit Spiritus meus in homine, &c.* Amama in Cens. probat conjecturam Gomari, scil. LXX. & Vulg. legisse ידור pro ידון. Fullerus autem putat eos legisse ידון, sed interpretatos esse è voce Syriaca דון, *durare, perdurare, perseverare.* At cum Aben Ezra referat nonnullos deducere ידון à נדן vagina (corpus enim quasi animæ vagina est) *Non vaginabit spiritus meus in hominem, &c.* fortasse LXX. & Vulg. huc respexerunt; id quod existimat Fagius in Collat. Sed si radix esset נדן debuit esse ידן, cum daghes, non ידון quod procul dubio est à דון *judicare, disceptare, contendere.* Præterea anima hominis, quam Deus corpori indidit, nomine Spiritus Dei haud commode hic intelligitur. Nec enim (ut observat Fullerus) ita loqui solent scripturæ; nusquam enim (b) anima hominis vocatur spiritus Dei. Quin (ut idem argumentatur) sensus ipse inanis videtur, *Non permanebit spiritus meus* i. e. *anima humana perpetuo in homine.* Ab ipso enim pene initio, simul ac peccavit Adam decretum fuit ne permaneret. Ad hoc tamen responderi posset, hisce verbis significari, omnes in universum homines simul esse perituros. Hieron. in Tradit. legit, *Non judicabit* (c) *Spiritus meus istos homines in sempiternum, &c. Hoc est* (inquit) *quia fragilis est in homine conditio*, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non *severitatem*, ut in nostris codicibus legitur, sed *clementiam Dei* sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Unde & iratus Deus loquitur ad quosdam, Non visitabo filias vestras cum fuerint fornicatæ, &c. Recte vidit ידון significare *judicabit*, in reliquis autem à vero loci sensu aberravit.

3. *Et erunt* (vel, sed erunt) *dies ejus* 120 *anni.*] Josephus Antiq. lib. 1. cap. 4. hoc ita intelligit, ac si vita hominis jam ad 120 annos esset contracta. Sed verum loci sensum vidit Chaldæus, qui sic reddit; Spatium dabitur eis 120 annorum, si resipiscent. (d) Et R. Salom. qui sic exponit; Usque ad 120 annos iram meam in eos differam, & si non resipiscant, inducam in eos diluvium. Eodemque modo explicat Aben Ezra, rejecta altera expositione, nempe 120 annos hominibus in vitæ terminum esse constitutos, quia Sem 600 annos vixit, atque alii longe ultra 120 annorum spatium vitam produxerint. Ita igitur hoc intelligendum putat, quemadmodum istud, Adhuc 40 dies, & Nineve destruetur. Quod si quis objiciat ex quo Noah gignere cœpit, non nisi centum annos fuisse ad diluvium; R. Salom. respondet, hoc viginti antea annis à Deo dictum fuisse; in Lege (seu scriptura) non esse מוקדם ומאוחר, prius & posterius, i. e. ordinem temporis in Scriptura non semper observari: non eo semper ordine res, quo gestæ fuerunt, in Scriptura commemorari. Simi-

lis

(a) *Et sic Jonathan.*

(b) *At vide Job.* 27. 3. (c) *Symmachus etiam* οὐ κρινεῖ τὸ πνεῦμά μου τοὺς ἀνθρώπους αἰωνίως. (d) *Vide Aug. de Civit. Dei, lib.* 15. *c.* 52.

lia etiam habet Aben Ezra. Atque hoc multo magis mihi arridet, quam quod habet Hieron. in Tradit. ubi cum recte exposuisset illud, sed erunt dies ejus 120 anni, hoc est (inquit) habebunt 120 annos ad agendum pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in 120 annos contracta est, sed generationi illi 120 anni ad pœnitentiam dati sunt, siquidem invenimus, quod post diluvium Abraham vixerit annos 175. & cæteri amplius ducentis & trecentis annis: Cum inquam, sic recte exposuisset, addit, Quia vero pœnitentiam agere contempserint, noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatiis amputatis induxit diluvium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.

4. *Et erant* הַנְּפִלִים *i. e. gigantes in terra.*] Lxx. *οἱ γίγαντες.* Vulg. *Gigantes.* Chal. גבריא (e) *fortes, robusti.* Fagius reddit gigantes. R. Sal. ait eos sic dictos, nempe *Nephilim* (à נפל *cadere*) quod & ipsi ceciderint, & mundi etiam casum attulerint. Melius Ab. Ezra, *Dicuntur Nephilim, quia cadet cor ejus, qui eos aspicit,* adeo altitudinem staturæ eorum admirabitur. Inepte Burgensis *Nephilim* exponit *de Dæmonibus, qui de cœlo ceciderunt,* & de hominibus giganteis, quod dæmones isti procrearunt. Aquila interpretatus est, *οἱ ἐπιπίπτοντες, οἱ βίαιοι, qui irruunt, violenti.* Prius interpretamentum vocis etymologiam, posterius sensum duntaxat respicit. Symmac. *οἱ δυσίατοι, βίαιοι, incurabiles, violenti.* Sic in Græcis Scholiis habetur; at Hieron. in Tradit. Hebræum Nephilim vertens cadentes, addit Symmachum interpretatum esse violentos, nec alterius interpretationis ullam facit mentionem.

5. וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ *Et omne figmentum cogitationum cordis ejus, &c.*] Lxx. *καὶ πᾶς τις διανοεῖται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ πάσας τὰς ἡμέρας, Et unusquisque cogitat in corde suo studiose super maligna omnibus diebus.* Vulg. Et *cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Hebræa sunt *ἐμφατικώτερα.* Nam (ut notat Amama in Cens.) plus est dicere figmentum cogitationum cordis, quam cogitationes simpliciter. Vox enim יצר ipsas etiam incompletas cogitationes videtur includere. Textus itaque Hebræus (inquit Junius Animadvers. in Bellarm.) exponit habitum & conditionem cordis humani in se; vulgatus autem actum, & affectionem ejus ad intentum finem, etiamsi boni aliquid in eo esse possit. Fagius in Chald. Paraph. notat vocabulum יֵצֶר (Chaldaice יצרא) proprie significare fictionem, sive figmentum, à יָצַר fingere & formare. Et Jetser vocem esse convenientissimam, qua pravitas humani cordis significetur. Sicut enim (inquit) figulus ex impurissimo luto varii generis ollas effingit; ita & cor humanum, mirabilis artifex ac figulus est, quod nunquam non mirabiles ollas, seu testas impuras, ac fragiles fingit, formatque, hoc est, vanissima quæque usque cogitat, & meditatur; ita ut pravitas, malitia ac nequitia cordis humani aptissime hac voce significetur. Monet autem Hebræos vocabulum Jetser in utramque partem usurpare; bonam enim cordis affectionem יצר הטוב, malam vero, יצר הרע nuncupare.

6. וַיִּנָּחֶם יְהוָה *Et pœnituit Dominum, &c.*] Recte Aben Ezra דברה תורה בלשון בני אדם, i. e. *Lex loquitur lingua hominum, seu more humano, ἀνθρωποπαθῶς* de Deo loquitur. Qui enim perdit ac destruit id quod fecerat; eum facti pœnitere videtur. Sic Manasses Concil. qu. 23. in Gen. Quando Deus (inquit) pœnitentia duci dicitur, accipiendum est de effectu, quatenus hominem, quem creaverat, diluvio sustulit. Lxx *ἐνεθυμήθη ὁ θεὸς, cogitavit Deus.* Sic Augustinus legit, de Civit. Dei, lib. 15. cap. 24. Procopius (ut notat Scholiastes) ait *ἐνεθυμήθη* hic idem esse quod *κατενύγη, compunctus fuit,* seu (ut vertit Nobilius) *indoluit.* Et *σκυθρωπὸν ἔσχε λογισμὸν, tristem suscepit cogitationem.* Idem Procopius, *ἐνεθυμήθη, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει, διενοήθη, ἢ προσέσχεν, ἐνταῦθα μόνον· ἀλλαχοῦ δὲ ὅπου ἔχει, μετεμελήθη δηλοῖ, παρεκλήθη.* Nobilius Latine sic reddit; Hebraicum habet, *consideravit, vel attendit, hoc loco duntaxat. Alibi vero sicubi habet μετεμελήθη pœnituit,* significat *παρεκλήθη, revocavit se.* At ut Procopius non recte interpretatur verbum Hebraicum ינחם, cum dicit hic significare *διενοήθη,* vel *προσέσχεν* ita nec recte mihi videtur Nobilius interpretari Procopium, qui non id, opinor, vult, alibi si occurrat *μετεμελήθη,* significare *παρεκλήθη,* sed verbum Hebraicum ינחם alibi semper præterquam hoc in loco significare *μετεμελήθη,* i. e. pœnituit; vel (f) *παρεκλήθη,* i. e. consolationem accepit; id enim significat *παρεκλήθη,* non autem (ut Nobilius vertit) revocavit se. Ac verum est verbum נחם in Niphal, ubicunque reperiatur, ne hoc quidem loco excepto, significare vel pœnitere, vel consolationem accipere. Aquila hic interpretatur *μετεμελήθη,* Vulg. pœnituit. Sym. *ἀπεστράφη, aversatus est.*

7. כִּי נִחַמְתִּי *Nam pœnitet me.*] Lxx. *ὅτι ἐνεθυμήθην, quia cogitavi,* ut Ver. 6. At Græca Scholia testantur antiquos codices habere, *μετεμελήθην, pœnitet me;* alios autem codices habere, *ἐθυμώθην, iratus sum:* atque ita Augustinum, Originem, & Philonem legere. Nobilius autem refert interpretem Origenis homil. 2. habere *pœnitet me;* Philonem vero in libro, Quod Deus sit immutabilis, *ἐθυμώθην, iratus sum;* atque ita Augustin. de Civit. Dei, lib. 15. cap. 24. Et Ambros. lib. de Noe, cap. 4.

אֶמְחֶה *Perdam.*] Ad verb. *delebo.* R. Salom. ait hoc verbum usurpari, quod cum pulvis esset, supervenientibus aquis deletus fuerit.

9. תָּמִים *Et perfectus.*] Sic Vulg. Mercerus ait non significare perfectum, sed *integrum, sincerum, non fucatum.* (g) Atque hoc quidem verum est, si vox perfectus rigidè sumatur; sed non video quare non meliore ac molliore sensu usurpetur, æque ac Græcum *τέλειος,* quo hic utuntur Lxx, ut & ipse Apostolus, Philip. 3. 15. Lxx autem cap. 17. 1. pro Thamim habent *ἄμεμπτος, inculpatus;* quæ vox etiam de Sanctis in N. Test. usurpatur, Luc. 1. 6. Philip. 2. 15. Vide August. de Civit. Dei, lib. 15. cap. 26.

In generationibus suis.] Aben Ezra monet dici in plurali, quia Noah tum ante, tum post diluvium vixerit. R. Salom ait, quosdam hoc ita intelligere, ac si dictum sit in laudem Noe, nempe ut sensus sit, etiamsi inter nequissimos viveret, tamen justum fuisse ac integrum; quanto magis, si inter justos vixisset? Alios autem existimare hoc potius in ejus vituperium (לגנאי) esse dictum, quasi dicatur Noam pro ratione quidem seculi in quo vixit, fuisse justum; ac si seculo Abrahami vixisset, pro justo non fuisse habendum. Deteriorem hanc expositionem sequi videtur Hieron. in Tradit. Signanter (inquit) ait, *in generatione sua,* ut ostenderet non juxta justitiam consummatam, sed juxta generationis suæ eum justum fuisse justitiam.

11. *Et corrupta erat terra coram Deo.*] Aben Ezra ait quosdam illud, *coram Deo,* exponere, *aperte, palam;* alios autem è contra, *occulte, clanculum,* ita ut nemo præter Deum nequitiam eorum cognosceret. Ipse priori sententiæ accedit, ac existimat hoc ad exaggerandam istorum hominum nequitiam dici, idque more humano. Servum enim, qui in ipsius domini conspectu, omni ejus metu ac reverentia, excussa, peccatum perpetrat, pro sceleratissimo haberi. Hanc ejus expositionem veriorem esse non dubito; dicitur enim terram repletam fuisse violentia, ac proinde de occulta impietate hic locus intelligi non potest.

13. קֵץ כָּל־בָּשָׂר *Finis omnis carnis, &c.*] Vel, ut vulg. universæ carnis. Lxx. *καιρὸς παντὸς ἀνθρώπου, tempus omnis hominis.* Melius Aquil. *τέλος.* Et Sym. *πέρας,* finis. Sed & caro ad hominem non recte restringitur, cum diluvio alia præter hominem animantia perierint.

Nam terra repleta est חמס *i. e. violentia, seu rapina.*] לא נחתם גזר דינם אלא על הגזל inquit R. Salom. i. e. Non consignatum fuit decretum judicii eorum (decretum de eorum perditione) nisi ob rapinam.

מַשְׁחִיתָם אֶת־הָאָרֶץ *Perdam eos è terra.*] Ut את sit pro מאת, vide ad cap. 4. 1. Sic R. Salom. exponit מן הארץ, i. e. è terra. Hæc expositio confirmatur ex cap. 7. 4. At Chald. עם ארעא, cum terra, ut cap. 5. 22, 24. את pro עם, cum usurpatur. Sic vulg. cum terra. Lxx. eodem sensu, *καταφθείρω αὐτοὺς καὶ τὴν γῆν, disperdo ipsos, & terram.* Atque ita Aben Ezra existimat משחיתם *ἀπὸ κοινοῦ* esse repetendum, Perdam eos, & perdam terram. Per salsedinem aquarum diluvii, ipsam terram pejoratam esse dicit Lyra. Et *Lutherus* (teste Gualtperio) *existimat ante diluvium tenuissima olera præstantiora fuisse quam hodie sint pretiosissima nostra aromata.* Lyra etiam refert Hebræos dicere, tres palmos de superficie terræ per aquas fuisse tabefactos, & in aquam conversos. Mercerus autem non immerito dicit Hebræos in hoc nugari, ac simplicissimum esse ut את per מן exponatur, è terra.

14. *Fac tibi arcam.*] Quare, inquit R. Salom. occupavit Deus Noam in hoc opere? Ut homines istius seculi videntes eum ita per 120 annos occupatum, quærerent ab eo quid sibi vellet, atque audientes Deum diluvium allaturum, inde forsan ad resipiscentiam adducerentur. Mercerus observat nomen תבה Theba, quod hic arca exponitur, non usurpari nisi ubi de diluvio agitur, & Exod. 2. ubi arcæ, in qua servatus fuit Moses, fit mentio. Videri itaque ait aliud fuisse ab ארון Aron (quod pro arca, quæ fuit in Tabernaculo, & Templo, usurpatur) à

Q 2 Rab-

(e) *Vide Num.* 13. 33. *ubi vox* Nephilim *bis usurpatur.*
(f) *Ut in Procopio legatur, μετεμελήθη δηλοῖ, ἢ παρεκλήθη.*

(g) *Aben Ezra sic distinguit inter* צדיק justus, *&* תמים integer, *ut illud ad opera externa, hoc ad internum animi affectum referatur.*

Rabbinis tamen usurpari ad arcam in genere significandam.

Ex lignis Gopher.] Lxx. ἐκ ξύλων τετραγώνων, *de lignis quadratis.* Vulg. *lævigatis.* Hieron. in Tradit. bituminatis. Chald. דְּקַדְרוֹס קְרָיוֹן, *ex lignis cedrinis.* Sic Græca Scholia in versionem τῶν Lxx. ἐκ ξύλων ἀσήπτων, ἢ κεδρίνων, *ex lignis imputribilibus, vel cedrinis.* Fullero (Miscel. lib. 4. c. 5.) hæc interpretatio non displicet, magis tamen ei placet, ut cypressus intelligatur, cum ob materiæ firmitatem ac præstantiam, tum multo magis propter manifestam nominis similitudinem. Etenim omissa terminatione adventitia, quid aliud (inquit) est Cuper, aut Guper, quam Hebræum Gopher? Nam mutationem G in C, ph in p, o in u, nihil moror. Gualtperius in eorum maxime propendet sententiam, qui (*h*) Gopher pinum interpretantur, præsertim vero de ea specie, quæ *larix* appellatur. Hanc interpretationem, quæ Munsteri est, spernendam non esse dicit Fullerus, observans ex Avenario pinum Germanice vocari Kijfer, quod proxime accedit ad Hebræum Gopher. Aben Ezra generaliter tantum exponit, asserens Gopher esse nomen ligni levis, quod super aquas fluitat. Eodemque plane modo Kimchi, uti refert Fullerus. Quid sibi R. Salom. velit, nescio, qui ait lignum hoc vocari Gopher, à גפרית Gophrith, i. e. *sulphure*, שנגזר עליהם לכלותם ב, i. e. *quod Deus eos sulphure delere decreverat.*

קִנִּים תַּעֲשֶׂה אֶת־הַתֵּבָה *Nidos facies arcam.*] Sic Lxx. νοσσιὰς ποιήσεις τὴν κιβωτόν. Scholiastes notat nonnullos codices habere, κατὰ τὴν κιβωτὸν sed altera lectio exacte respondet Hebræo, quod intelligitur (inquit Augustinus à Nobilio citatus) ut ipsa arca nidi essent. Scholion quoddam Græcum sic explicat, τὰς εἰς νεοσσοτροφίαν ἐπιτηδείους ἐχούσας καταλύσεις, diversoria (seu loca quædam) apta ad pullorum nutritionem. Sed loca ista nec tantum avibus, nec ad nutriendos pullos fuerunt destinata. Rectius R. Salom. ait varia loca variis animalibus fuisse assignata. Aben Ezra ait singulas animantium species, marem ac fœminam, nidos peculiares habuisse, ac per se solas ab aliis sejunctas fuisse. Sed id haud videtur verisimile. Vulg. *mansiunculas in arca facies.*

16. צֹהַר תַּעֲשֶׂה לַתֵּבָה *fenestram facies arcæ.*] Lxx. ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν, colligens facies arcam. Quod ab Hebræo nimium discordat. Pro eo (inquit Hieron. in Tradit.) quod est, Colligens facies arcam, in Hebræo habet, Meridianum (צהרים significat *meridiem*) facies arcæ: quod manifestius interpretatus est Symmachus, dicens, διαφανὲς, hoc est, *dilucidum facies arca*, volens intelligi fenestram. Sic Vulg. fenestram, &c. Et R. Salom. ait nonnullos interpretari חלון, i. e. *fenestram:* alios autem lapidem (*i*) pretiosum, qui illis lucem præberet. Aben Ezra exponit צהר esse מקום שיבוא ממנו האור, i. e. *locum, quo lumen ingrediatur.* Cap. 8. 6. Noah dicitur aperuisse החלון, i. e. *fenestram arcæ*, quam fecerat. Dubium non est, quin istic חלון, & hic צהר idem sint.

תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂהָ *Cum interstitiis inferioribus, mediis & tertiis facies, scil. arcam.*] Lxx & Chald. cum Hebræo conveniunt; an item vulg. dubitari potest. Fagius in Collat. ista tantum verba refert, Cœnacula & tristega facies in ea; atque ait sic redditum esse, ac si arca duo tantum habitacula habuerit. At videtur vulgatam versionem minus advertisse, quæ sic habet, deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea. Voce, opinor, *deorsum* exprimit Hebræum תחתים. Ly deorsum (inquit Lyra) conjungitur cum litera sequenti. Amama igitur in Censura vulgatæ versionis, hunc locum prætermittendum censuit.

19. שְׁנַיִם מִכֹּל *Bina ex omni genere, &c.*] i. e. ut rectè R. Sal. bina ad minimum, scil. masculum & fœminam.

20. *Venient ad te.*] Scil. sua sponte; ut non necesse haberet Noah quærendo sese fatigare. Sic Aben Ezra. Vide ad cap. 7. 9. Jon. Intrabunt ad te per manum angeli, qui ea capiet, & introducet ad te, ut in vita conserventur.

21. *Et sume tibi de omni cibo, &c.*] חסרי רוח (inquit Aben Ezra) i. e. errantes spiritu, stulti interrogant, quid tunc omnes volucres comedebant, omnesque bestiæ, nominatim Leo, qui carnibus vesci solet. Sed hæc quæstio (inquit) nulla est. Ubi enim deest caro, comedent herbam, & fructus arborum, quando esuriunt. Vide Aug. de Civit. Dei, lib. 15. cap. ult.

(*h*) *Cum* גפרית *Gophrith significet sulphur, non est improbabile, per Gopher intelligi Teribinthum, cujus fructus est sulphurosus, & lignum incorruptum, teste Theophrasto de hist. plant. lib. 3. cap. 15. Jonathan & Hierosolymitanus cum Onkelo consentiunt.* (*i*) *Margarita quædam suspensa erat in arca, quæ lucem præbebat omnibus creaturis, instar lucernæ valde splendentis, quia dicitur, Lucem facies in ea. Pirke Eliezer, cap 23.*

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. IN *arcam*] Vocat Scriptura ingens illud ædificium, in quo tot conservatæ sunt animalium species, *arcam*, & non *navem*, quòd caruerit remis, & magis figuram habuerit arcæ quàm navis. Et quod sequitur, *Te vidi justum coram me*, magnificum est testimonium probitatis Noah, qui solus stat corruptis omnibus, non deflectens ad dexteram vel sinistram, retinens veram Dei cultum atque doctrinam puram, & vivens in timore Dei. Fuit justus per fidem erga Deum, credens generali promissioni de Semine mulieris, credens quoque verbo Dei de mundo per diluvium perdendo; & servanda sua posteritate. *Integer* dicitur, quia ambulavit in timore Dei, cavens homicidia & alia peccata, quibus se impii contaminabant.

4. *Substantiam*] Venit dictio יקום à radice קום, i. *surrexit*: & dicit Kimhi, שהוא שם כלל לכל חי על הארץ, *quod sit nomen generale omnis rei quæ vivit super terram.*

11. *Mense secundo*] Dubium est apud Hebræos num is mensis sit Marhesvan vel *Jiar*. Nam statuunt duplex initium anni. In rebus profanis inchoant annum à novilunio propinquiori æquinoctio autumnali: & vocatur primus mensis *Tisri*, secundus *Marhesvan*, tertius *Kislef*, &c. Pro sacris verò exordiuntur annum ab incensione quæ vicinior est æquinoctio vernali: & vocatur primus mensis *Nisan*, secundus *Jiar*, tertius *Sivan*, &c.

18. *Prævaluerunt*] Aut, si mavis, *fortes fuerunt*, videlicet suâ fortitudine arbores eradicantes, & fortissima ædificia dejicientes, ut Moses Gerundensis exponit. Sentiunt quoque communiter Hebræorum Rabbini, aquas illas invalescentes fuisse ferventes, unde mortui sunt pisces, cùm Scriptura dicat, omne animans exstinctum aquis diluvii. Verùm cùm Scriptura hîc nunquam recordetur piscium, de Suo Magistrijed videntur addidisse, quòd aquæ illæ fuerint calidæ. Nec consentit illis R. S. Et quando dicitur, *Factum est diluvium quadraginta diebus*, id sic intelligendum docet Aben Ezra, *Cùm durasset diluvium quadraginta diebus elevata est arca supra terram*; quia in fine hujus capitis dicitur, quòd aquæ diluvii *prævaluerunt super terram centum & quinquaginta diebus.* De *cataractis*, seu *fenestris cœli*, *apertis fontibus abyssi* sic est intelligendum, Quòd aquæ supernæ & infernæ simul descendentes & ebullientes cooperuerunt terram. Constat enim aquam contra naturam suam retineri verbo Domini, nè transeat terminos sibi à Deo constitutos. Et sicut sunt aquæ subtus nos, ità sunt & super nos & super cœlum, quæ si pro natura sua descenderent, in momento omnia extinguerent super terram; sed in verbo Domini retinentur. Jam cùm pluit, videtur aqua tanquam ex poris imbrium destillare: sed tempore diluvii non per poros, sed veluti per fenestras, magnâ vi demissa est pluvia. Oceanus quoque quasi ebulliens, per rimas terræ penetrans, stagnavit superficiem terræ, atque omnia inundavit. Et interim deletum est quicquid in terra hominum & animalium vixit. Arca natat in aquis, concutitur undique fluctibus & flatibus. Ibi non potuit sperari portus aliquis in quem appelleret arca; sed inclusi pauci homines, ut exsules & quasi ex orbe expulsi, rapiuntur & jactantur fluctibus & ventis hinc indè. Quanti clamores, quantus dolor & ejulatus tunc fuit quando homines per universum orbem tam miserè in aquis interierunt, & nemo alteri subvenire potuit, non pater aut mater infanti, nec filii parentibus, non profuit conscendere in sublimiores partes domorum aut turrium, non cacumina montium subsidio esse potuerunt.

FAGIUS.

16. ויסגר יהוה בעדו, *Et clausit Dominus circa ipsum,*] Variatio est in voce בעדו, quæ non propriè *foris*, ut Septuaginta & Autor Lat. Vulg. editionis transtulerunt, significat, sed potiùs *circa eum, pro eo, ante eum*, ut Capnio legit in Rudimentis suis Hebraicis. Ut sit sensus, Dominum undique Arcam communivisse, nè ingrederentur aquæ & suffocarent Noah, unà cum omnibus quæ in Arca erant. Unde & Onkelus, sensum magis quàm verba reddens, legit, *Et protexit Dominus*, &c.

VATABLUS.

1. TE *vidi justum, &c.* אתך ראיתי צדיק] Vide eadem c. 6. 9.

2. *Septena*, שבעה שבעה] Ad verbum, *septem septem*: Sic se-

sequenti versu. ¶ *Masculum & femellam* איש ואשתו] Ad verbum, *virum & virissam ejus.* Sequenti versu seipsum explicat.

3. *Ad vivificandum*, לחיות] Hebraismus, pro *ut conserves in vita semen.*

4. *Pluam* ממטיר] Præs. Heb. pro fut.

6. *Quum autem, &c.* ונח בן'] Ad verbum, *Et Noah erat filius sexcentorum annorum, & diluvium, &c.*

7. *Venit itaque* ויבא] *Accessit itaque.* i. Appropinquavit arcæ, quum videret futurum propediem diluvium : nam eo die non est ingressus.

9. *Bina* שנים שנים] Ad verbum, *duo duo.* ¶ *Ingressa sunt* באו] ultro scilicet & sua sponte. Vide paulo post v. 15.

10. *Septimo die* לשבעת הימים] i. quum illuxisset dies septimus. Chaldæus paraphrastes *post tempus septem dierum.* ¶ *Inundarent* היו] Ad verbum, *fuerunt.*

11. *Mense secundo*, בחדש השני] Non de ætate Noe, sed de ordine mensium ipsius anni intelligitur. Mensem istum secundum doctiores interpretantur Martium. ¶ *Mensis*, לחדש] Antecedens pro relativo, *ejusdem.* ¶ *Voraginis mag. &c.* תהום רבה נב'] *abyssi ingentis.* Per *abyssum* intellige immensam illam & profundam aquarum copiam quæ est subter terram. *Fontes* autem *abyssi* sunt abyssi scaturigines : *Fenestræ cœli* sunt nubes q. d. Mare inundavit, & aquæ in terra multiplicatæ sunt supra modum : erumpebant enim undique : præterea nubes cito condensatæ sunt, & versæ in magnam vim aquarum; descenditque pluvia magno impetu, velut fenestris cœli apertis.

13. *In ipsomet die* בעצם היום הזה] Ad verbum, *In articulo*, vel *substantia, diei ipsius*, i. hoc ipso die, nempe decimo septimo. ¶ *Filii Noah*, בני נח] Antecedens pro relativo, *filii ejus.*

14. *Et omnis bestia, &c.* וכל החיה למ'] Singularia Heb. pro pluralibus, *omnia animalia, omnia jumenta, omnia reptilia, omnia volatilia* : hoc est, omnes volucres, & quicquid habet alas.

15. *Venerunt ergo, &c.* ויבאו אל נ'] i. sua sponte & ultro, ita volente Deo, venerunt ad Noe, ut introduceret ipsa in arcam. Dominus quicquid voluit salvum manere, de manu (quod ajunt) in manum ipsi Noe porrexit & obtulit. ¶ *In qua erat spiritus vitæ*, אשר בו רוח חיים] Vide cap. 6. 17.

16. *Quæ autem ingressa sunt*, והבאים] *Et quæ veniebant.* Ad verbum, *Et quæ ingredientia.* ¶ *Et clausit*, &c. : ויסגר יהוה בעדו] *& conclusit eum Jehovah*, vel, *& clausit Jehovah ostium post eum*, i. illo jam ingresso. Alii, *clausit Jehovah pro eo* : non enim poterat Noe extrinsecus claudere ostium.

17. *A terra*, מעל הארץ] Ad verbum, *de super terram.*

18. *Et roboraverunt se*, ויגברו] *Et prævaluerunt.* Alii, *Et inundaverunt.* Alii, *Et fortificata sunt.* ¶ *Et ferebatur*, ותלך] Ad verbum, *& ambulavit* : i. natare, sive fluitare cœpit.

19. *Mirum in modum*, מאד מאד] *supra modum maximè* : Ad verbum, *valde valde.* ¶ *Et operti sunt* ויכסו] *adeo ut tegerentur.*

21. *Tam de volatili quàm de jumento*, בעוף ובבהמה] Ad verbum, *in volucri, & in jumento*, &c. Quidam vertunt, *in genere volucrum, & jumentorum*, &c. Singularia pro plur. ¶ *Et omni homine* .וכל האדם] *& omnes homines.*

22. *In quorum*, &c. אשר נשמת רו'] Phrasis Hebræa, pro *quæcunque vivebant & degebant in terra, perierunt.*

23 *Substantiam*, היקום] sub. *viventem* : universale nomen est ad omnia viventia.

24. *Et roboraverunt se*, ויגברו] *& prævaluerunt*, ut paulo ante v. 18.

CLARIUS.

1. *IN arcam*] Vocat ingens illud ædificium, in quo tot conservatæ sunt animalium species, *arcam*, & non *navim*, quod caruerit remis, & magis figuram habuerit arcæ, quam navis.

2. *Septena*] Tria scilicet paria de mundis animalibus, unum verò quod sacrificaretur post diluvium pro tota specie.

11. *Mense secundo*] Dubium est apud Hebræos quis hic sit secundus mensis. Nam statuunt duplex initium anni. In rebus profanis inchoant annum à novilunio propinquiori æquinoctio autumnali, pro sacris verò exordiuntur annum ab incensione quæ vicinior est æquinoctio vernali. ¶ *Cataracta*] *Cataracta* dicuntur aquarum descensus ex eminentissimo loco cum maximo fragore, veluti si cœlum pateat, & aquæ, quæ super cœlos sunt, effundantur. Ideo alii verterunt, *Et fenestræ cœli apertæ sunt.*

17. *Factum est diluvium quadraginta diebus*] Sic intellige; Cum durasset diluvium quadraginta diebus, elevata est arca super terram; quia in fine hujus capitis dicitur, quod aquæ diluvii prævaluerunt super terram centum & quinquaginta diebus.

DRUSIUS.

11. אֲרֻבֹּת הַשָּׁמַיִם A. & Sym. *αἱ θυρίδες τοῦ οὐρανοῦ, fenestra cœli*] ante *οἱ καταῤῥάκται* : cataractæ. idem aliter. Nam cataracta, sive cataractes, teste Hieron. foramen est in pariete, quale illud per quod fumus transit. Vide Frag. in Hoseam. Jes. 60. 8. *ut columbæ* אל ארבתיהם, A. Sym. *εἰς θυρίδας αὐτῶν, ad fenestras suas.* Θυρίδες] Sic etiam LXX. Jesa. 24. 18. *ὅτι θυρίδες ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἠνεῴχθησαν, fenestræ cœli apertæ fuerunt.*

15. מִכָּל־הַבָּשָׂר אֲשֶׁר־בּוֹ רוּחַ חַיִּים Sym. *Ab omni carne in qua spiritus vitæ*] Augustinus in locut. Num. 20. *Non refertur in quo, nisi genus subaudias, id est, in quo genere. Nam si in carne subaudiremus, in qua fuerat dicendum : quod solus interpres Symmachus dixit.* Hoc ut intelligas, sciendum in editione τῶν ό. inveniri, ἀπὸ πάσης σαρκὸς, ἐν ᾧ ἐστι πνεῦμα ζωῆς, *ab omni carne in quo* : & est constructio sensu congrua non voce. Siquidem *carnis* vocabulo significatur homo aut animal, quo referendum, ἐν ᾧ. Non est hoc novum aut insolens in his libris.

20. גָּבְרוּ *prævaluerunt.* A. ἐπεδυναμώθη. Sym. ἐπεκράτησεν, *prævaluit*] Augustinus Quæst. in Gen. l. 1. quæst. 11. *Exaltata est aqua super terram* CL. *dies*] *Aquila, Obtinuit : Symmachus, Prævaluerunt aquæ.*

24. וַיִּגְבְּרוּ הַמַּיִם Sym. *prævaluerunt aquæ. A. obtinuit*] *Prævaluerunt*, ἐπεκράτησαν, vel, si placet, ἐπεκράτησε τὰ ὕδατα· quod ita construitur ut τὰ ζῶα τρέχει, *animalia currunt. Obtinuit*] In editione Rom. ἐπεδυναμώθη, *invaluit* : quod ita melius redditur, meo judicio, quam *obtinuit.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et Dixit DOMINUS ad Noe, Ingredere tu & universa domus tua in arcam : nam te vidi justum coram me in ætate hac.*

Dixit DOMINUS] Imminente diluvio. ¶ *Universa domus tua*] universa familia tua, sive ut On. & Jon. interpretantur, *omnes homines domus tuæ.* ¶ *Vidi*] deprehendi, perspexi, cognovi. ¶ *Justum*] virum bonum. Antea erat, *justum integrum*, quo plus dicitur. Hinc Ebræi colligunt, neminem laudandum esse in os plenè, sed ex parte tantum. Ceterum cum sequatur *coram me*, non opus erat addere *integrum.* Deo enim fucum facere, quis potest? Sanè his vocabulis *coram me* distinguitur vera justitia à simulata & adulterina. ¶ *In ætate hac*] in sæculo hoc tam corrupto : vel in pessimo hoc hominum genere. Hiero. *in generatione hac.* Quod ambiguè dicitur. Nam generatio i. תולדות. Hic est דור in Ebræo. Illud Græci reddunt γενέσεις : hoc verò γενεά.

2. *Ex omni bestia munda, capies tibi septenas virum & fœminam ejus, & è bestia quæ immunda est bina, virum & fœminam ejus.*

Ex omni bestia munda] ex omnibus bestiis mundis. בהמה & bestiam sig. & jumentum. Hic ergò bestiam intelligemus sensu ita postulante. Sanè pecudes minores, quæ inter munda animalia, jumenti appellatione non continentur. ¶ *Munda*] Nam discrimen mundorum & immundorum etiam ante latam legem viguit. Quod ex hoc loco & aliis quibusdam ita claret, ut nihil magis. *Capies*] sumes, accipies, tolles. ¶ *Tibi*] redundat, ut *vade tibi* : *scribe tibi.* Quod Græci dicunt χαῖρέ σοι. Nam etiam hac pleonasmo utuntur. Hujus loci est, *Faciamus nobis lateres.* ¶ *Septenas*] שבעה שבעה, *septem septem* i. septenas. Sic enim loqui amant Ebræi. Hiero. *septena septena.* Quod bifariam interpretantur. Alii quatuordecim innui putant : alii septem tantum : quibus ego potius assentior, ut Sex fuerint, tres videlicet mares, & totidem fœminæ, ad speciem conservandam : & unam ad sacrificium. Quod autem interpres noster edidit, *septena, septena*, intelligentiam habet ex eo quod vers. 15. *bina & bina ex omni carne.* Non enim certè quatuor erant; sed duo tantum. Græci hîc legunt ἑπτὰ ἑπτὰ, & Chaldæi, *septem septem.* ¶ *Virum & fœminam ejus*] איש ואשתו virum & uxorem ejus. Sensum expresserunt Græci ἄρσεν καὶ θῆλυ, marem & fœminam : Item. On. & Jon.

Q 3 refe-

referentes דכר ונקבא masculum & fœmellam. Hic locus declarat viri & uxoris nomen etiam de brutis usurpari. Nam marem & fœminam vocant זכר ונקבה. Potest autem esse mas & fœmina, ubi tamen non sit vir & uxor. Ideo prætuli, *virum & fœminam sive uxorem ejus.* ¶ *Bina*] שנים bina. Sic שבעה septena Lxx. δύο δύο : duo, duo i. bina. Hiero. *duo & duo.* ¶ *Et fœminam ejus*] vel potius, *& uxorem ejus.* Nam in brutis etiam conjugia. Cujus rei testes sunt elephanti, qui adulteria severe puniunt.

3. *Etiam ex avibus cœli septenis, Masculum & fœminam ad conservandum semen in superficie totius terræ.*

Ex avibus cœli] mundis videlicet, quod repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus. Sane Lxx. referunt, ἀπὸ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ τῶν καθαρῶν. ¶ *Avibus*] aut, *volatilibus.* i. πετεινῶν. ¶ *Cœli*] aëris. ¶ *Septenas*]. On. שבעא שבעא septem septem. Jon. שובעא שובעא. Lxx. ἑπτὰ ἑπτά. Hiero. *septena & septena.* ¶ *Masculum & fœminam*] supra dixerat, *virum & uxorem ejus* : idem aliter. Quanquam discrimen esse videtur. ¶ *Ad conservandum*] לחיות *ad vivificandum.* Supra est להחיות eodem significatu. Thargum לקיימא. Lxx. διαθρέψαι, ad nutriendum, ut nutriatur. Nam nutriendo conservantur individua. Hiero. *ut salvetur.* Sic dicimus *vivat rex*; pro eo quod est, *sit salvus.* Sic, *Rex in æternum vive.* ¶ *In superficie*] על פני super faciem. Sensus est in illo τῶν Lxx. ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν : super omnem terram, sive in universa terra.

4. *Nam post dies adhuc septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus : & delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terræ.*

Post dies adhuc septem] secutus sum interpretem nostrum, qui retulit, *Adhuc enim post dies septem.* Quod eo libentius feci, quia (ל) interdum vim habet præpositionis. מן à vel ex, ut in illo ליהוה הישועה quod reddunt, *Salus à DOMINO.* Notum autem ut מן Significet post. Sic in Latio, *à cœna, à meridie*, valent, post cœnam, post meridiem. Sic *à prandio* i. post prandium. Alii elegerunt, *ad dies adhuc septem*, quod exponunt, *intra dies septem.* Sanè quidem Abenezra scribit die septimo pluere cœpisse. Lxx. *Adhuc septem dies ego induco pluviam.* Cui simile, *Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur.* On. *Post tempus* (vel, *Ad tempus*) *dierum septem ego descendere facio pluviam.* Jon. *Ecce ego de vobis spatium septem dierum. Si reversi fuerint, remittetur eis, & si non fuerint reversi post* (alias *ad*) *tempus dierum denuò septem ego demitto pluviam* &c. ¶ *Pluam*] depluam : aut, *pluere faciam* : & cœlum subintelligitur. ¶ *Quadraginta diebus*] Hic numerus in sacris literis valdè celebratur. Quidam jejunio & pœnitentiæ sacrum dicunt. Nam & Moses 40. diebus absque cibo apud Deum in monte hæsit, & Elias, Christusque 40 diebus jejunavit, & 40 dies Ninivitæ ad agendum pœnitentiam habuerunt. Adhæc 40. annis Israëlitæ per desertum oberrarunt, & 40. plagis sontes cæduntur. Vide, si otium est, Augustinum, de doctrina Christiana lib. 2. cap. 16. ¶ *Delebo*] per aquam, מחה madefacere : item delere, sed adhibitâ aquâ propriè. Quod notatum à Salomone Jario. ¶ *Substantiam*] יקום nomen generale ad omnia, quæ vivunt in terra. Sic definiunt Abenezra & R. Levi. Græci transferunt ἀνάστημα, quicquid exurgit & extat super terram. Interpretantur *suscitationem.* Augustinus videtur legisse ἀνάστασιν, quod vertit *resurrectionem.* Sic etiam Ambrosius. Nam cap. 13. habet *delebo omnem resurrectionem carnis.* Reperio & ἐξανάστασιν. Suscitationem idem Augustinus alibi exponit, *conditionem & creaturam carnis.* Jon. *Omne corpus hominum & bestiarum terræ.* Appellatio à stando. Nam קם stetit. Ergo יקום omne quod subsistit. Id nos substantiam diximus post Hieronymum. Quidam à יום deducunt.

5. *Fecit ergo Noë juxta omnia, quæ præceperat ei DOMINUS.*

6. *Et Noë natus erat sexcentos annos, cum diluvium fuit, aqua super terram.*

7. *Ingressusque est Noë & filii ejus & uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo in arcam propter aquas diluvii.*

Natus erat sexcentos annos] vel, *sexcentorum erat annorum.* Quod Ebræi & Chaldæi, juxta linguæ suæ proprietatem dicunt, *filius sexcentorum annorum.* ¶ *Cum diluvium fuit, aqua super terram*] והמבול היה מים על הארץ *& diluvium erat, aqua super terram.* Figura est, *quam appositionem vocant.* Aut lege, *quando diluvium erat, diluvium*, inquam, *aquarum super terram.* Hiero. *Quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.* Lxx. καὶ ὁ κατακλυσμὸς τοῦ ὕδατος ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς : *& diluvium aquæ fuit supra terram.* ¶ *Propter aquas diluvii*] ita Hiero. quem secutus sum. Sed & Lxx. διὰ τὸ ὕδωρ τοῦ κατακλυσμοῦ. Alii, *a facie sive à conspectu aquarum*, i. motu aquarum, *diluvii.*

8. *Ex bestiis mundis, & ex bestiis quæ non sunt mundæ & ex avibus, & omni eo quod motat super terram.*

9. *Duo duo venerunt ad Noë in arcam, masculus & fœmina, quemadmodum præceperat Deus ipsi Noë.*

Ex bestiis mundis] Quidam, *ex animantibus mundis*, nimis latè: alii, *ex jumentis mundis*, nimis angustè. Nos medium tenuimus, ut etiam Gallici interpretes. ¶ *Mundis*] hoc est aptis & idoneis ad sacrificandum. Nam quæ ad hoc ineptæ erant, immundæ dicebantur. ¶ *Quæ non sunt mundæ*] i. immundis. ¶ *Ex avibus*] tam mundis, quam immundis. ¶ *Quod motat*] quod se motat, sive motitat. Alii, *quod reptat.* Hiero. *quod movetur.* Lxx. ἀπὸ πάντων τῶν ἑρπετῶν ἐπὶ τῆς γῆς : de omnibus repentibus super terram. ¶ *Duo duo*] i. bina. Sensus est, ad minimum bina. Nam ex immundis septena venerunt, in quo numero & binarius includitur.

10. *Et post septem dies aquæ diluvii erant super terram.*

Post septem dies] Sic Græci μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας. Nec aliter Hiero. in quo *cum transiissent septem dies.* Docti quidam legi volunt, *ad septem dies* i. septimo die. Quod ex Abenezra finxerunt, qui ad hunc locum annotat diluvium cœpisse ביום השביעי die septimo. Idque antea notavimus. Mihi prior sententia verior videtur. ¶ *Aquæ diluvii*] tam interiores, quam eas, quas superiores Moses appellat. Latini autores aquas pluvias vocant. ¶ *Erant super terram*] inundabant terram.

11. *Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, decimo septimo die mensis, illo ipso die rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & fenestræ Cœli apertæ fuerunt.*

Annô sexcentesimô vitæ Noë] בשנת שש מאות שנה לחיי נח anno sexcentorum annorum vitæ Noë. Vult dicere, cùm Noë ageret annum sexcentesimum. Id Græci retulerunt, ἐν τῷ ἑξακοσιοστῷ ἔτει ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε : in sexcentesimo anno in vita Noë. ¶ *Mense secundo*] Mense Jar. R. Josua, *mense Marhesvan.* R. Elieser Josephus. Alii. Jar respondet ex parte Aprili nostro, qui mensis est vernus. Ambrosius cap. 14. *secundum mensem verni esse temporis, non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fœtura se fundit.* Marchesvan perperam in Josepho Marsouane scribitur. Esset autem Marsuane i. μαρσουάνη. Huic October respondet, quem Thesri antecedit primus mensis anni civilis, quem Ægyptium vocant. Nicolaus ad hunc locum, postquam adduxisset duas opiniones, de quibus modo mentionem fecimus eam quam R. Eliezer cum suis tuetur, communiter ab Ebræis teneri scribit. ¶ *Decimo septimo*] In Lxx. ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι : vigesima septima i. עשרים pro עשר. ¶ *Rupti sunt*] ἐῤῥάγησαν, scissi, diffissi sunt, quod Chaldæi sig. verbo אתבזעו. Quidam, *ruperunt se.* ¶ *Fontes abyssi*] Socrates tartarum appellat, quem apud Platonem in Phædone ait aquarum, fluviorumque omnium circa centrum principium esse. Similiter abyssus definitur aquarum omnium è penitissimis terræ partibus origo. Quæ definitio magis insinuat fontes abyssi. Ipsam abyssum vocari altissimam primi elementi profunditatem. Aretas in Apocalypsin notavit. Ebraice dicitur תהום cujus triplex significatio. Primo denotat aquæ molem terræ permixtam Gen. 1. 2. Secundo aquas maris, quæ in alto Jon. 3. *abyssus circumdedit me.* Tertio fundum maris i. קרקע הים ut Psal. 106. 9. *Deduxit eos per abyssos tanquam per desertum* i. per fundum maris rubri: & dicit *per abyssos*, quia per medias aquas eos duxit. Aqua enim utrinque stabat immota instar muri. *Abyssi magnæ*] vel, *multæ.* Nam רבה utrumque significat. ¶ *Fenestræ cœli*] Onk. habet, כוי שמיא quod similiter interpretantur, & fenestræ cœlorum. כוה etiam Caminus. Unde Belgicum *Cave.* Flandri usitant, & peculiariter Aldenardenses. Ceteri, hoc est Jonathan & autor Jerosolymitanæ ירכי שמיא. Quæ vox etiam fenestras designat.

12. *Fuitque imber super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

Fuit] decidit, aut, ut est in utroque Thargum, הות נחית fuit descendens i. descendebat. Lxx. ἐγένετο. Hiero. *facta est. Imber*] הגשם. ceteri *pluvia.* מטרא. Imber proprie pluvia vehementior. ¶ 40 *Diebus & 40 noctibus*] vel 40 dies & 40 noctes. Hinc argumentum petes contra Abenezram, qui putat diluvii tempore non fuisse discrimen diei & noctis.

13. *In ipso die isto ingressus est Noe & Sem & Cham & Japheth filii Noe, & uxor Noe, & tres uxores filiorum ejus cum illo in arcam.*

In ipso die isto] בעצם היום הזה *in ipso die isto*, sive in hoc ipso die. Chaldæi eodem sensu dicunt בכרן יומא הדין. Siquidem כרן idem quod עצם. Alii, *in ipso die illo*: בעצם היום ההוא. Vetus interpres, *in articulo diei illius* i. ההוא : & עצם היום articulus diei. Non penitus aspernor. Lxx. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ : in die hac. ביום הזה. Trem. *eodem ipso die.* Santes, *in ipsomet die.* Arias, *in corpore diei ipsius.* malim, *in substantia* vel *in robore.* Sic עצם robur, tanquam à עצם quo

cornu

cornu & per consequens robur designant. Sed hoc pono, non statuo. ¶ *Ingressus est*] intravit. ¶ *Filii Noe*) filii ejus. Nomen locô Pronominis. Sic mox, *uxor Noe*, uxor illius. Quomodo rectè vulgatus. Tale est, *Dixit Moses Socero Mosis*. i. suo. Ejusdem farinæ, *Et dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM.* ¶ *Cum illo*] simul ergo conscenderunt arcam.

14. *Ipsi & omnes feræ juxta genus suum, & omnes bestiæ juxta genus suum, & omne reptile quod reptat super terram juxta genus suum, & omnes volucres juxta genus suum, omnes aves, omnia alata.*

15. *Et venerunt ad Noe in arcam duo duo ex omni carne, in qua spiritus vitæ.*

Omnes feræ] πάντα τὰ θηρία. Ita melius Lxx. quam alii, *omnia animantia*: aut, *omnes bestiæ*. ¶ *Juxta genus suum*] vel magis, *Secundum species suas*: & sic deinceps. ¶ *Omnes bestiæ*] in queis & jumenta, quæ Græci τὰ κτήνη interpretantur. ¶ *Omne reptile quod reptat*] Strictius accipio nunc רמש quam alias ubi verto, *quod se motat*, nempe vel rependo, vel pedibus incedendo. Lxx. πᾶν ἑρπετὸν κινούμενον. Hiero. *Omne quod movetur*. ¶ *Omnes volucres*] aut, *omne volatile*: πᾶν πετεινὸν i. omnia volatilia. ¶ *Aves*] צפור generale est ad omnes aves. Aliquando significat parvas aves. Sunt qui restrigunt ad certam speciem & passerem interpretantur. Hîc latissimè patet. Ergo Hiero. *Aves*. ¶ *Omnia alata*] כנף dixit pro בעל כנף i. pennipotentes. Quod est elegans epitheton avium, vel quod pennis valeant, vel quod pennis potiantur. Alii, *omnis alæ*, sive *pennæ* i. cujuscunque alæ. Non rejicio. Hiero. *omnesque volucres*. Onk: כל דפרח quicquid volat. Sic etiam Jonathan filius Uzielis. ¶ *Venerunt*] vel, *introierunt, ingressa sunt*. ¶ *Duo duo*] i. bina. Hiero. *bina bina*. Quod capiendum ut supra, *Septena, septena*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Ex omni carne*] ex omni animante. ¶ *Spiritus vitæ*] i. vitalis.

16. *Et quæ venerunt mas & fœmina ex omni carne venerunt, quemadmodum præceperat ei Deus: & clausit DOMINUS super illum.*

Quæ venerunt] vel, *quæ ingressa sunt*. Et mox, *ex omni carne ingressa sunt*. ¶ *Ex omni carne*] ex omne genus animantibus. ¶ *Clausit DOMINUS super illum*] locus planè similis 2. Reg. 4. 4. *Claudes ostium super te, & super filios tuos*. Interpretes variè reddunt. Quidam, *pro eo*: Alii, *ante illum*. Quibus favet Jon. referens, באנפוי *in facie ejus*. Quod idem cum illo, *coram eo*. On. עלוהי. Sic etiam R. David. Vide sodes ejus Lexicon. Hiero. *deforis*. מבחוץ. Sic Lxx. ἔξωθεν αὐτοῦ. Contra exponit R. David בעדו Cant. 4. Nam exponit מבפנים intrinsecus. Cui firmando est interpres noster 4. Reg. 4. 4. *Claude ostium tuum cum intrinsecus fueris tu & filii tui*. Munsterus, *circa ipsum*. Sic interpretantur Psal. 3. מגן בעדי clypeus circum me. Vidi etiam qui referrent *post ipsum* אחריו. Quod habetur Gen. 19. 6. Quid si, *Et conclusit DOMINUS ipsum?* ut 1. Sam. 1. 6. סגר בעד רחמה conclusit vulvam ejus, i. סגר רחמה ut loquitur paulo ante. Sic Job. 12. 14. יסגר על איש concludet virum. Sensus est, Conclusit intra arcam sic, ut ad eum penetrare aqua non potuerit. Nam & arca undique clausa erat. Vel, *clausit eum* i. arcam in qua erat. Vel, *conclusit eum*, quia nemini patebat ad eum accessus. Aliter accipies Job. 12. Nam concluduntur & quibus exitus aliunde nullus patet. Hoc sensu Comicus dixit, *Tot me nunc rebus miserum concludit pater*.

17. *Fuit ergo diluvium quadraginta diebus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & elevarunt arcam, quæ sublata est à terra.*

Diluvium] tam aquarum pluviarum è cœlo decidentium, quam subterranearum ex abysso erumpentium. ¶ *Quadraginta diebus*] In quibusdam latinis additum, *& quadraginta noctibus*. Quod haustum ex editione τῶν ό in qua τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ τεσσαράκοντα νύκτας: 40. *dies & 40. noctes*. Sed sciendum dierum nomine in Ebræo etiam noctes comprehendi. ¶ *Multiplicatæ sunt*] auctæ sunt, creverunt. ¶ *Elevarunt*] elevaverunt, extulerunt. *A terra*] Supra terram. מעל ad verb. *de super*, ut *de sub* dicimus i. מתחת. Et melius redditur *à terra*. Nam supra terram i. על הארץ.

18. *Et invaluerunt aquæ, & multiplicatæ sunt admodum super terram, & ambulavit arca in superficie aquarum.*

Invaluerunt] robur acceperunt, quod fit quando augescunt, & incrementum sumunt, ideo addidit, *& multiplicatæ sunt*. ¶ *Multiplicatæ sunt*] creverunt. *Ambulavit*] ferri aut fluitare cœpit. Verbum הלך de navibus usurpat etiam David in illo, *ibi naves ambulant*. M. Cato in libris de re rustica, *fundus eo in loco habendus est, ut & oppidum propè amplum sit & mare & amnis, qua naves ambulant*. ¶ *In superficie aquarum*] super faciem aquarum i. super aquas.

19 *Et aquæ invaluerunt nimis nimisque supra terram, & operti sunt omnes montes excelsi, qui sunt sub universo cœlo.*

20. *Quindecim cubitis sursum versus invaluerunt aquæ, & operti sunt montes.*

Nimis, nimisque] מאד מאד valdè, valde, sive quod idem *nimis nimis*. Est enim *nimis* sæpè idem quod valdè, præsertim apud comicos latinos ut, *nimis lepida mulier*. Sic, *nimis facetè, nimis doctè lusit in omnibus paginis*. Dicunt etiam *nimium nimiumque*. ¶ *Operti sunt*] ויכסו & tecti sunt. Lxx. videntur mihi legisse ויכס & operuerunt. Nam interpretantur καὶ ἐκάλυψε: obtexit sive operuit aqua. *Excelsi*] הגבהים altissimi. ¶ *Sursum versus*] vel, *sursum versum*. Lxx. ἐπάνω i. sursum. Alii, desuper i. ἄνωθεν: alii, *supernè*: quod eodem recidit. On. & Jon. לעלא unde dictio Milel, quæ accentum habet in penultima aut antepenultima. ¶ *Invaluerunt aquæ*] Lxx. ὑψώθη τὸ ὕδωρ. Id ceteri correperunt. Nam Aquila transtulit ἐπεδυναμώθη. & Sym. ἐπεκράτησεν i. invaluit. ¶ *Operti sunt montes*] Lxx. ἐπεκάλυψε πάντα τὰ ὄρη τὰ ὑψηλὰ i. ויכסו. Significat aquam altissimis montibus altiorem fuisse 15. cubitis. Quod clarius expressit interpres noster per hæc verba, *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat*.

21. *Et expiravit omnis caro, quæ se motat super terram ex avibus & ex bestiis & ex feris & ex omni reptili, quod repit super terram: & omnis homo.*

Expiravit] Lxx. ἀπέθανε. On. מית i. mortua est. Hiero. *Consumta est*. Jon. ואתמסי violenta morte rapta fuit. ¶ *Omnis caro*] omne animans. ¶ *Quæ se motat*] Alii, *quæ reptat*: quod bestiis ac feris, itemque avibus non convenit. Hiero. *quæ movebatur*, nempe cum in vivis esset. Lxx. πᾶσα σὰρξ κινουμένη ἐπὶ τῆς γῆς. Omnis caro quæ movetur. רמש generale est ad omnia animantia. *Ex avibus*] בעוף verto *ex avibus*. Autore Marcô Evangelistâ id facio qui בכל לבבך וגו׳ quod alii converterunt ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σοῦ, interpretatur Marc. 12. 20. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σοῦ ex toto corde tuo, &c. ¶ *Ex bestiis*] cicuribus. ¶ *Quod repit*] vel, *quod reptat*. ¶ *Et omnis homo*] repete, *expiravit*, ex superioribus.

22. *Et omnia in quorum naribus anima spiritus vitæ, ex omnibus quæ sunt in sicco, mortua sunt.*

In quorum naribus anima spiritus vitæ] Lxx. ὅσα ἔχει πνοὴν ζωῆς: *quæcunque habent flatum vitæ*. Hiero. *in quibus spiraculum vitæ*. Santes, *in quorum facie erat anhelitus spiritus vitæ*. Arias, *In cujus naribus flatus spiritus vitæ*. Trem. *In cujus naribus est halitus spirationis vitæ*. ¶ *Quorum in naribus*] אשר באפיו *in cujus naribus*. Siquidem אפים nares i. נחירין. Græci μυκτῆρας vocant. Eadem vox denotat faciem: unde Santes edidit, *In quorum facie*: quod minus se probat mihi. Sic variant Gen. 2. 7. in באפיו. Nam Lxx. εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Hiero. quoque & Santes, *in faciem* ejus. Alii, *in nares ejus*, & Onkelos בנחירוהי. Hic habet באפוהי quod Fagius reddit, *in naribus ejus*. Similiter Jon. באנפוי in faciem ejus. ¶ *Anima*] Halitus sive anhelitus aut flatus i. πνοή. Anima pro halitu etiam latinis in usu. Hinc *jejuna anima*. Apud Cæcilium. Plautus Aulula. *Quin cum it dormitum, follem obstringit ob gulam, ne quid fortè animæ amittat dormiens*. Pro flatu aut spiramento posuit. Virgilius in illo, *Quantum ignes, animæque valent*. Autor Macrobius. ¶ *Spiritus vitæ*] i. vitalis. On. hunc locum Chaldaicè convertit, כל דנשמת רוח חיי באפוהי. Nec aliter Jonathan, כל נשמת רוח חיין באפוי. Fagius Onkeli verba latina fecit in hunc modum, *Quicquid flatum spiritus vitæ in naribus suis habebat*. ¶ *In sicco*] vel, *in arida*. Non ergo pisces qui in mari. Qui aliter sentiunt, hinc refelli poterunt.

23. *Sic deleta est omnis substantia, quæ in superficie terræ, ab homine usque ad bestiam, usque ad reptile, & usque ad aves cœli; deleta, inquam, sunt hæc omnia è terra: relictusque est tantummodo Noë & qui cum eo erant in arca.*

24. *Et invaluerunt aquæ super terram centum quinquaginta diebus.*

Sic deleta est] in omnibus libris, quos vidi scriptum וימח cum Dagesch in Mem; ideo verti, *deleta est*. Absque Dagesch esset וימח & delevit. Quod interpretantur Hiero. Santes & alii. Arias nihil immutavit. Lxx. quoque habent καὶ ἐξήλειψε & On. ומחא & Jon. ושיצי & excidit. ¶ *Omnis substantia*] Recentior interpres, *omne corpus vivens*. Jon. *omne corpus hominum & bestiarum*. Edit. Gallica *quicquid subsistebat*, aut *vita præditum erat*. Lxx. ut supra πᾶν τὸ ἀνάστημα. Vide quæ notamus ad vers. 6. cap. 6. ¶ *Ab homine usque ad bestiam*] tam homines, quam bestiæ, quam reptilia &c. *Aves cœli*] *aves quæ volant in aëre cœli*. Jon. ¶ *Deleta, inquam, sunt*] וימחו. Sic omnes libri, quos quidem viderim. Nec aliter legerunt On. Jon. Hiero. Lxx. idque firmandæ est lectioni וימח, cujus modo meminimus, quam habent omnes libri, præterquam quod in Bibliis Reginæ est וימח cum hac no-

ta

ta in margine לית דגש i. alibi non reperitur absque Dages. Vide Sodes Mercerum. ¶ *Relictus est*] remansit in vita. ¶ *Et qui cum eo erant*] καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ. Non displicet quod in aliis, *& quæ cum eo erant.* Imo placet magis. ¶ *Invaluerunt*] Lxx. ὑψώθη. Hiero. *obtinuerunt.* On. & Jon. ותקיפו. August. Quæst. in Gen. lib. 1. Quæst. 11. *Exaltata est aqua supra terram* 150 *dies. Aquila, obtinuit. Sym. prævaluerunt aquæ.* ¶ CL *diebus*] In hoc numero inclusi sunt dies 40 de quibus supra vers. 12. Sed vide sis Mercerum, cujus doctissimas commentationes non compilo.

GROTIUS.

2. DE *animantibus verò immundis*] Non ex lege Mosis, quæ nondum data, sed ex iis quæ carne pasci cœperant. Sic animalia fœda, profana dixit Tacitus Historiarum IV.

4. *Et delebo omnem substantiam*] יקום quod hîc in Hebræo est, interpretibus Abenezra & Kimchi, significat quicquid vivit : ad originem si spectes, est quod se erigit : unde ἀνάστημα [*erectionem*] hîc vertêre Græci. At alibi ὑπόστασιν [*subsistentiam*].

11. Et *cataractæ cœli apertæ sunt*] Non dissimilis apud Senecam διατύπωσις [*delineatio*] lib. III. cap. XXVII. *Sed movet me locus ut quæram, cùm fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum magna pars terrarum undis obruatur, utrum Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exsurgat : an crebri sine intermissione imbres, & elisa æstate hyems pertinax immensam vim aquarum ruptis nubibus dejiciat : an flumina tellus largius fundat, aperiatque fontes novos : aut non sit una tanto malo causa, sed omnis ratio consentiat, & simul imbres cadant, flumina increscant; maria sedibus suis excita percurrant, & omnia uno agmine ad exitium humani generis incumbant.* Dicam de hoc Senecæ loco ipsius verbis, *Concepisti imaginem quantam debebas, obrutis omnibus terris, cœlo ipso in terram ruente.*

CARTWRIGHTUS.

2. EX *omni bestiâ mundâ.*] Quæ postea, inquit R. Salom. futura erat munda Israëlitis. Sed ista animalium in *munda*, & *immunda* distinctio ante Legem fuit, cap. 8. 20.

Accipies tibi שִׁבְעָה שִׁבְעָה *septenas.*] Nempe ut ex iis sacrificia offerret, cum ex arca exiret. Sic R. Salom. Abenezra exponit *bis septem*, scil. *septem mares*, & *septem fœminas.* Sed *septem septem*, non geminationis; sed *distributionis caussa* dictum arbitror. Ut hoc ipso capite, Ver. 9. שנים שנים bina. Sic cap. 32. 16. עדר עדר, *gregem gregem*, i. e. unumquemque gregem. Sic Mar. 6. 40. καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαί, i. e. *per areolas.* Vide ibid. Ver. 39. & Ver. 7.

3. *Et ex volucribus cœli septenas.*] R. Salom. exponit de volucribus mundis; atque ait, id quod indefinitè dicitur, scil. de volucribus, intelligendum ex eo quod explicatè dicitur, scil. de bestiis.

4. *Adhuc enim septem dies, &c.*] R. Sal. ex dictione עוד *adhuc*, vel amplius, colligit hos septem dies tempori præfinito, scil. 120 annis, fuisse additos. Atque ait septem hisce diebus eos mortem Mathuselæ deflevisse; in ejus nempe honorem Deum tot diebus diluvium distulisse. Computa (inquit) annos Mathuselæ, & invenies eos sexcentesimo anno vitæ Noæ (eo scil. anno, quo venit diluvium) fuisse completos. Sed quid tum postea? Num (*a*) aliunde constat septem diebus à morte Mathuselæ venisse diluvium? Et si id constaret, num inde sequeretur septem istos dies ad lugendum Mathuselam annis 120 fuisse additos? Abenezra ait 7. istis diebus ultro ad Noam venisse omnium generum animalia.

אֶת־כָּל־הַיְקוּם *Omnem viventem substantiam.*] Abenezra ait vocem יקום non nisi in hâc sectione inveniri, & significatu suo comprehendere omne vivens super terram. Lxx. πᾶν τὸ ἀνάστημα, quod vertunt, omnem suscitationem. Sed Nobilius putat Augustinum, cujus est ista versio, legisse ἀνάστασιν. Notat autem Ambrosium legere, omnem resurrectionem; quasi esset ἐξανάστασιν. & sic legit Gualtperius. Ego arbitror ἀνάστημα, vel ἐξανάστημα veriorem esse lectionem, ac voce istâ significari (uti explicat Nobilius) quod exsurgit, atque extat super terram. Omnino Lxx acceperunt Hebræum יקום quasi esset à קום surgere vel stare; at Jod potius radicale esse videtur. Jonathan hîc, & Ver. 23. vertit גויה, i. e. corpus, seu substantiam.

9. *Venerunt ad Noam.*] מאליהן, inquit R. Salom. i. e. *ex se ipsis, suâ sponte.* Vide ad cap. 6. 20. Et vide Aug. de Civit. Dei, lib. 15. cap. ult.

Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, &c.] Jonath. Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo; is est mensis *Marhesvan* (i. e. *October.*) Nam hactenus non numerabantur mensis nisi à *Tisri*, (i. e. *Septembri*) qui fuit principium anni, (primus mensis) in quo mundus incepit.

11. *Fontes abyssi magnæ.*] מדה כנגד מדה, i. e. *mensura pro mensurâ, par pari*; Peccarunt magna malitia, (cap. 6. 5.) & puniti sunt magna abysso. R. Salom.

Et fenestræ cœli aperiebantur.] Heb. (*a*) אֲרֻבּוֹת Aq. & Sym. αἱ θυρίδες, *fenestræ.* Lxx. οἱ καταῤῥάκται, Vulg. *catarractæ*, i. e. (inquit Lyra) fenestræ. At aliud catarractæ, aliud fenestræ. Addit Lyra, sermonem esse metaphoricum, nec de cœlo stellato, sed de cœlo aëreo, ubi generantur nubes & pluvia, esse intelligendum. Similiter Abenezra monet hoc dictum esse כלשון בני אדם ומשפטם, i. e. juxta linguam & consuetudinem hominum, i. e. metaphorice.

12. *Et pluvia erat super terram 40. diebus, & 40 noctibus.*] Abenezra ait, omnia ita fuisse confusa, ut non posset discerni inter diem & noctem; ac propterea dici cap. 8. ver. ult. diem ac noctem non amplius cessaturam : sed post cessationem aquarum, Noam ex divina revelatione intellexisse 40. dies. totidemque noctes præteriisse. Brevius dici potest, hoc, ut alia, Mosi à Deo fuisse revelatum.

16. וַיִּסְגֹּר יְהוָה בַּעֲדוֹ *Et clausit Dominus circa eum.*] Vel pro eo. Lxx. καὶ ἔκλεισε κύριος ὁ θεὸς τὴν κιβωτὸν ἔξωθεν αὐτοῦ. Vulg. *Et inclusit eum Dominus deforis.* At בעדו, ut notat Fagius, non significat ἔξωθεν, vel *foris*, sed *circa eum, pro eo* &c. Noë (inquit Lyra) intra arcam existens, non potuit ostium extra bituminare; & ideo Dominus supplevit quod homo non potuit. Unde & Hebraica litera habet, Et clausit Dominus pro eo. Chald. ואגין יי במימריה עלוהי, i. e. *Et protexit Dominus verbo suo super eum.* Fagius ait, eum sensum magis quam verba reddidisse. Fortè oculum intentum habuit ad illud Psal. 3. 3. Tu autem Domine מגן בעדי, i. e. *scutum, vel protectio circa me, vel pro me.* R. Salom. exponit בעדו primo per עליו, i.e. *super eum*; deinde per כנגדו, i. e. *ante eum, vel pro eo.* Atque asserit בעד in Scriptura semper usurpari pro כנגד, ante, vel pro. At Joel. 2. 8. ובעד השלח יפלו *Et super gladium* (vel jaculum, telum missile, à שלח mittere) *cadent*; בעד idem valet quod על, i. e. *super*; ut ipse R. Salom. ibi interpretatur; & similiter Kimchi, qui etiam citat hunc Geneseos locum, indicans hîc ea significatione usurpari. Ezech. 22. 30. בעד הארץ pro terrâ.

22. *Quicquid* נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים *flatum spiritus vitæ habebat*] Vide ad cap. 2. 7.

Ex omni quod erat בֶּחָרָבָה, i. e. *in arido.*] i. e. in terra, ut habet vulg. ולא דגים שבים inquit R. Salom. i. e. non autem pisces, qui erant in mari. Similiter Mercerus, ut scias, inquit, diluvio non fuisse exstinctos pisces. Quod autem addit Mercerus, quicquid Hebræi velint, quasi Hebræorum opinio esset, etiam pisces diluvio periisse, quosnam Hebræos intelligat, nescio. Lyra, qui Hebræos vel sequi solet, vel citare, pisces non fuisse deletos asserit.

24. *Et aquæ prævaluerunt super terram* 140 *diebus.*] R. Salom. putat istos 150 dies numerandos esse à fine descensûs pluviarum, uti notat Lyra; Et sic ex ejus sententiâ, ab initio inundationis usque ad inchoationem decrementi aquarum, fuerunt 190 dies. Et quod dicitur cap. 8. 3. *Et cœperunt minui post* 150 *dies*, exponit à fine descensûs pluviarum, scil. postquam aquæ super terram prævaluissent. At ex ver. 11. hujus cap. collato cum ver. 4. cap. 8. apparet hosce 150 dies ab initio descensûs pluviæ esse numerandos.

(*a*) *Vult septem istis diebus Deum eorum pœnitentiam expectâsse. At Ver. 10. ait, septem istos dies fuisse post luctum Mathuselæ.*

(*a*). *Onkelos.* כוי. *Jonath. & Hieroso.* כוי *i. e. fenestra.*

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

4. MEnse *septimo*] Qui scilicet est Sivan, si computes à Tisri. Et quanquam is sit octavus à Tisri, tamen Scriptura hîc numerat menses illos qui defluxerunt ab eo tempore quo cohibita est pluvia. Quod fuit in Kisleu. Decimo verò mense, qui est אב, Julio nostro & partim Augusto respon.

respondens, apparuerunt capita montium. Aben Ezra verò putat hunc decimum mensem fuisse טבת, h. e. Januarium, qui decimus fuit ab initio diluvii. Et quòd dicitur Noah aperuisse fenestram arcæ post quadragesimum diem, intelligendum est, postquam apparuerunt cacumina montium. Porrò montes Armeniæ, qui hîc commemorantur, apud Hebræos vocantur montes *Ararat*. Onkelos verò Chaldæus interpres vocat eos montes קרדו *Cardu*. Qui fortasse sunt montes *Gordi*, quos Ptolomæus in Armenia describit.

11. *Folium olivæ*] Nugantur hîc Hebræorum Magistri, quòd columbæ apertæ fuerint portæ Paradisi, unde attulerit ramum olivæ. Nam arbores in terra omnes fuerunt per aquas diluvii eradicatæ. Est alius; nempe R. Levi, qui in Genesi magna dicit columbam surculum virentem à monte Olivarum attulisse, & diluvii aquas terram Israël non alluisse. Id si verum est, dicit Gerundensis, quomodo illo indicio Noah cognoscere potuit terram ab aquis exsiccatam? Nos dicimus hæc omnia miraculosè & supernaturaliter gesta. Non enim columba tantum habet industriæ ut tantum decerpat, & eam ad arcam afferat, ut ex ea judicium faciat Noah de diminutione aquarum.

19. *Juxta familias suas*] Capitur hîc *familia* pro מין *specie*.

21. *Odorem quietis*] Est ניחח nomen ab illo verbo quod paulò superiùs ponitur, *Et requievit arca*, &c. tractum. Pro *odorem quietis* Onkelos transtulit, *Acceptavit Dominus gratâ voluntate sacrificia illius*. Racanati verò interpretatur *odorem descensus*. Significat enim נחת *descendere*. *Descendit*, inquit, *Dominus ad odorem sacrificiorum quæ devoto fiunt corde, & gratissimo acceptat animo*. Sed hæc non est radix, cùm Tau hîc non habeat locum radicis. Est hic itaque sensus, Deus nunc quievit ab ira, & placatus fuit. Fuit antea horribili fœtore impietatis offensus, nunc verò quasi recreatur; cùm videt Noah sacerdotem specimen aliquod gratitudinis exhibere, & publico opere ostendere se non esse impium, sed revereri externo indicio Deum. Alioquin cultus Dei verus in corde consistit, qui homini mandatus est in prima tabula, complectiturque timorem Dei, fiduciam in Deum, confessionem, invocationem, auscultationem verbi sui: Sacrificia verò testimonium quoddam erant hujus interioris & veri cultûs; ideo nihil sine fide profuerunt. In summa, opus propter personam placet, non persona propter opus. Exemplum habemus suprà in Cain & Habel. ¶ *Figmentum*] Formatur hoc nomen à verbo יצר, i. *formavit*. Exponunt tamen Hebræi pro תאוה, i. *concupiscentia & inclinatione*, sive ea sit bona sive mala. Locus iste secundùm Christianos describit peccatum originale, quod ab incunabilis usque ad extremam ætatem in hominem sævire non desinit. Videmus quot virgis ob reliquias hujus peccati opus sit in pueris, quousque redigantur in ordinem, & retineantur in officio. Et cùm puerili ætati succedat adolescentia, tunc major rebellio sentitur, præsertim concupiscentia & furor libidinis. Si uxorem ducas, sequitur fastidium tuæ, & furor in alienas. Si Reip. gubernatio commendatur, ibi demum magna vitiorum seges oboritur, æmulatio, ambitio, insolentia, indignatio, &c. Unde mala ista? A corrupta natura. *Figmentum*, inquit, *cordis humani malum est*. Hîc nemo excipitur. At sancti per fidem Seminis benedicti spem de remissione peccatorum retinent, & malo cordis figmento non indulgent, sed ei resistunt per Spiritum Sanctum, qui ad hoc datur ut pugnet contra hanc corruptionem naturæ, & eam vincat. Mali autem, qui sequuntur hoc figmentum, toti mali sunt; ideo damnantur. Nemo liber est ab hoc malo, siquidem naturâ filii iræ sumus, nisi quem Deus liberaverit, secundùm sententiam Christi, Joan. 8. *Liberi eritis, si vos Filius liberaverit*. Philosophia nescit unde hi horribiles impetus ad peccatum in pueris, adolescentibus & senibus exsistant: unde excusat eos, & vocat *affectus* seu *passiones*, non *corruptionem naturæ*: In magnis viris, qui moderantur hos impetus & gubernant, vocat *virtutes*: in aliis, qui fræna relaxant cupiditatibus, vocat vitia.

22. *Sementis*] Numerantur hîc sex tempora, quæ singula binos habent menses. Sementis complectitur medium Tisri, Marhesuan, & medium Kisleu: quod tempus in Romano calendario signari posset à principio Octobris usque ad diem D. Catharinæ. Deinde sequitur tempus קר, i. *frigoris*; quod gravius est quàm חרף, quod nos *hyemem* communiter appellamus. In quo scilicet tempore legumina seminantur apud Orientales. Numerantur verò hîc illa tempora, quòd tempore diluvii omnia essent confusa, sed jam in renovatione orbis iterum cursum & vicissitudinem suam habitura, ut iterum agri conseri possint, & vastitas illa desinat, quam diluvium induxerat, ut tempora currant consuetâ lege, & sementem messis, æstatem hyems, calorem frigus debito ordine sequatur. Quamdiu, inquit, steterint dies terræ, tamdiu manebunt vicissitudines sementis & messis: Cessantibus autem diebus terræ, cessabunt omnia illa, & sequentur dies cœli, qui erunt sabbatum ex sabbato, ubi non occupabimur corporalibus laboribus ad parandum victum, sed erimus sicut angeli Dei, immunes ab omni solicitudine, ab omni mœrore, languore, dolore, metu; & ab omni eo quod in hac mortali vita nobis molestum est.

F A G I U S.

4. SUper montes Cardu] i. In montibus Carduorum vel Carduenorum. Hos montes *Cardæos* appellat Q. Curtius.

7. *Qui exivit exeundo & redeundo*, &c.] Sensus est; Corvum emissum egressum fuisse, ultroque citroque volando toties reversum esse, donec siccatæ fuerint aquæ super terram. Quam sententiam commentator Hebræus Aben Ezra Hebraicè sic explicat, שלח את הערב והוא היה הולך ושב עד שיצא נח כי כן אמר עד יבושת המים שיבשה הארץ יצא נח וכל אשר אתו. i. *Emisit corvum, qui jugiter ibat & revertebatur, donec egrederetur Noah. Sic enim dicitur*, Donec siccarentur aquæ. *Et in die quo exsiccata est terra, egressus est Noah, & omnes qui cum eo erant*. Hæc ille.

I D E M.

7. וישלח את הערב ויצא יצוא ושוב עד יבשת המים מעל הארץ *Et emisit corvum: qui egressus est egrediendo & redeundo, donec siccarentur aquæ super terram*,] Septuaginta dissentiunt à veritate Hebraica ac Chaldaica, quòd hunc locum negativè habent, quasi nunquam in Arcam reversus fuerit corvus. Cùm tamen omnes codices Hebræi non habeant negativam. Autor ergò Lat. Vulg. editionis, aut LXX imitatus esse videtur, aut à sciolo quodam vel à librariis negativa in textum irrepsit, cujus conjectura est, quòd in scriptis vetustis cod. et non legitur, neque etiam in Complutensi editione. Et licet ea quoque habeatur apud Hieronymum in Quæst. Hebraicis, tamen & apud illum locus depravatus esse videtur; id quod facilè apparet ex ipsius Hieronymi verbis ibidem sic scribentis, *Post quadraginta dies aperuit Noe ostium Arcæ quod fecit, & emisit corvum: & egressus non rediit ad eum, donec siccarentur aquæ de terra; pro Ostio Fenestra scripta est in Hebræo. Et de corvo aliter dicitur, Emisit corvum & egressus est, exiens & non revertens, donec siccarentur aquæ de terra*. Hæc Hieron. Sed quomodo *aliter*, ut ille inquit, *in Hebræo dicitur*, si relinquis negationem quam Hebr. non habet? Quare & hîc apud Hier. in secunda hujus loci lectione perperam adjecta videtur. Minùs ergò firma est communis illa Expositorum opinio, quæ cùm apud Græcos tum Latinos ferè obtinuit; Corvum scilicet in aliquo cadavere devorando detentum fuisse, quod postea allegoricè ad homines mundanos, qui ventris causâ fide & ecclesiâ excidunt, trahunt. Quæ certè opinio ex malefida interpretatione nata est. Juxta veritatem ergò Hebraicam simplex hujus loci sensus is est, Corvum emissum egressum fuisse, ultroque citroque volando toties reversum fuisse, donec siccatæ fuerint aquæ super terram. Quam sententiam etiam commentator Hebræus Aben Ezra Hebraicè sic tradit; *Verba supra habes*.

11. *Et ecce folium olivæ decerptum in ore ejus*, והנה עלה זית טרף בפיה] Autor Latinæ Editionis variat à veritate Hebraica & reliquis Interpretibus, quòd pro עלה, quod *folium* propriè significat, *ramum* legit, & טרף, quod *decerptum* significat, sicut & Chaldæus paraphrastes תביר, i. *fractum* reddidit, *virentibus foliis* vertit. Ad sensum igitur magis quàm ad verba respexit. Capnio quoque in Lexico suo Hebraico hunc locum in Vulg. editione ad veritatem Hebraicam sic emendat, *Et ecce folium olivæ raptum in ore suo*.

V A T A B L U S.

1. RÉcordatus est autem ויזכר] Recordatus hîc ipsius Noe dicitur Deus, quòd quum usque ad quintum mensem fluctuaret in aquis arca, mora illa quâ passus fuerat servum suum anxiè ac miserè cruciari, quædam videri poterat oblivio. Recordatur igitur suorum, quando post longas afflictiones eripit. ¶ *Et omnis bestia*, ואת כל החיה] Singul. Heb. pro plur. *& omnium bestiarum*, i. ferarum, volatilium, & reptilium. Sic enim hic accipitur. Hinc discimus, Deum servare etiam animalia ac bestias propter hominem justum. ¶ *Immisitque* ויעבר] *induxitque, invexit*. Ad verbum, *& transire fecit*. ¶ *Et quieverunt* וישכו] *& sedatæ sunt*.

2. *Et clausi sunt, &c.* ויסכרו מעינות תהום] Hebraismus. Desierunt aquæ erumpere ex omnibus partibus terræ, desierunt præ-

praeterea nubes verti citò in aquam, & velut è foraminibus decidere in terram.

3. *De terra* מעל הארץ] Ad verbum, *desuper terram.* ¶ *Eundo & redeundo* הלוך ושוב i. euntes & redeuntes. q. d. Aquae subinde coeperunt decrescere & imminui. ¶ *In fine* מקצה] *a fine*; i. post. q. d. Aquae ipsae post centum quinquaginta dies diminutae sunt.

4. *Ararat:* אררט] Armeniam ferè omnes interpretantur.

5. *Prima* באחד] Ad verbum, *in una.*

6. *Elapsis, &c.* ויהי מקץ וגו׳] Ad verbum. *Et fuit à fine quadraginta dierum.*

7. *Egrediendo & redeundo* יצוא ושוב] i. egrediens & revertens. Latinè dixeris, *qui quidem egrediebatur & revertebatur.* ¶ *Super terram.* מעל הארץ] Ad verbum, *de super terram.*

8. *An alleviatae essent* הקלו] *an mitescerent, sedarentur, minuerentur, decrescerent.* ¶ *A terra:* מעל פני האדמה] ad verbum, *de super faciem terrae.*

9. *Quae quum, &c.* ולא מצאה היונה] Ad verbum, *Et non invenit columba:* antecedens pro relativo. ¶ *Ille verò extendit* וישלח] Ad verbum, *& emisit.*

10. *Et rursum emisit* ויסף שלח] Ad verbum, *& addidit emittere.*

11. *Folium olivae raptum* עלה זית טרף] *frons oleae decerpta.* Hebraismus. Quae reversa ad eum sub vesperam, gestabat in ore frondem quam ex olea decerpserat, &c. ¶ *Alleviata essent* קלו] *resederant. Imminutae essent.* ¶ *Super terram:* מעל הארץ] Ad verbum, *de super terram.*

12. *Exspectavit nihilominus* וייחל עוד] Ad verbum, *Et exspectavit adhuc.* ¶ *Quae non* ולא] Ad verbum, *& non.* Latinè vertes, *quae ultra non rediit ad eum.*

13. *Sexcentesimo primo anno, &c.* [illegible] באחת ושש מאות וגו׳] Ad verbum, *in uno & sexcentesimo anno, in primo, in una mensis.* Antecedens secundo loco positum, pro, *in primo mense, in prima ejusdem.*

14. *Mensis,* לחדש] Antecedens pro relativo, *ejusdem.*

17. *Tam de volatili, &c.* בעוף ובבהמה וגו׳] Ad verbum, *in volatili, & in jumento, & in omni reptili.* Singularia pro plur. h. e. Ex volucrum genere, jumentorum, &c. *Et repant* ושרצו] *Et repent.* Alii, *prolificent. Gignant. Propagent genus suum.*

19. *Secundùm species suas,* למשפחתיהם] *secundum genera sua.* Ad verbum, *secundum familias suas,* vel *cognationes.*

20. *In altari illo:* במזבח] sub. *à se constructo,* ut Deo gratias ageret de tanto beneficio accepto.

21. *Odoratusque, &c.* וירח יהוה וגו׳] *Olfecitque Jehovah odorem suavitatis.* i. Suavem, sive suavissimum. Vel, *quietis,* ut vertit noster interpres, i. quiescere facientis iram Dei. q. d. quo placatus fuit Deus. Chaldaeus paraphrastes, *Et suscepit Dominus cum beneplacito oblationem ejus.* Sacra Scriptura de Deo loquitur more humano propter nos. ¶ *Dixitque Jehovah, &c.* ויאמר יהוה וגו׳] Hebraismus; Ità decrevit apud se Dominus, non maledicam ultrà terrae. His verbis non quamlibet vindictam significat Dominus, sed quae deleat orbem terrarum, & interitum afferat tam humano generi quàm reliquis animalibus. Et ita seipsum exponit Esa. 54. 9. Quum pronuntians, se una populi captivitate fore contentum, eam comparat aquis Noah, his verbis, *Nam ut aquae Noah hoc mihi: cui juravi quòd non transirent aquae ultrà super terram, sic juravi quòd non irascar contra te, nec increpem te.* ¶ *Propter hominem:* בעבור האדם] Chaldaeus paraphrastes, *propter peccata hominum.* ¶ *Cogitatio* יצר] *figmentum:* vel *desiderium.* ¶ *Omne vivens* כל חי] Singul. pro plur. *cuncta viventia.*

22. *Adhuc,* &c. עוד כל ימי הארץ] *Ultra omnibus diebus terrae.* i. Quamdiu terra erit in rerum natura. Alii, *Posthac.*

CASTALIO.

4. SUper *montes Ararat*] Sibylla montem hunc tradit in Phrygia esse, his verbis.

Hinc ubi fatalis trabs huc illucque natavit,
Murmure cum rauco ponti jactata fluentis,
Appulit exiguae terrae, tandemque quievit.
Assurgit Phrygiae mons quidam in finibus atrae
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt,
Quod fatale fuit illic evadere cunctis.

7. *Emisit corvum, qui egressus revertit*] In Graeco & Latino negatur revertisse. Inde natum Gallicum proverbium, *Corvi nuncium:* quo notatur is qui missus non redit. Utra sit lectio verior, non affirmo. Sibylla quidem rediisse negat.

CLARIUS.

6. CUmque *transissent quadraginta dies*] Postquam scilicet apparuerunt montium cacumina.

17. *Et congredimini*] Vox Hebraea significat *reptare,* & *pascendo discurrere,* & *in magna multitudine sese propagare.* Unde alius vertit, *prolificate.*

21. *Odorem suavitatis*] In Hebraeo est, *odorem quietis.* Tam grata (inquit) fuerunt Deo holocausta sincero animo oblata, quam esset odor unguenti suavissimi naribus alicujus. ¶ *Sensus enim & cogitatio*] Vel, *figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua.* Quod exponunt Hebraei pro *concupiscentia* & *inclinatione,* sive ea sit bona sive mala.

22. *Sementis*] Judaei annum distinguunt in sex tempora, quae singula binos habent menses, quae vocant, *Floritionis, Maturationis, Caloris, Seminationis, Frigoris,* & *Hyemis. Frigus* appellant id quod gravius est quàm quod nos *hyemem* communiter appellamus. Numerantur verò hic illa tempora, quod in diluvio omnia essent confusa, sed jam in renovatione orbis iterum cursum & vicissitudinem suam habitura.

LUCAS BRUGEN.

7. MAgna est de loci istius lectione contentio. Hebraei namque libri habent, *Et emisit corvum, & exiit egrediendo & redeundo, donec arescerent aquae desuper terram.* Graeci verò codices legunt, *Et emisit corvum ad videndum si cessavit aqua, & egressus non est reversus usque siccari aquam à facie terrae.*] Quaeritur utri sequendi sint, Hebraei an Graeci codices: videntur enim inter se pugnare. Multi exclamare nihil dubitant, Hebraeos libros qui hodie sunt Judaeorum perfidiâ vitiatos esse, Graecos autem integros; ideoque hos sequendos, illos minime. Verum, quid Judaeos movisse potuerit ut hunc perverterent locum? ut corvum in Arcam reversum dicerent qui reversus non sit? an ulli Christianae fidei mysterio sua hac corruptela illudere conati sunt? At dicet aliquis, Ut multis in locis Hebraeus textus de industria corruptus est, ita contigit hoc loco corrumpi. Quid? an non praeferendi codices Graeci, quos omnes sequuntur Patres? [D. Melchior Canus lib. 2. cap. 13. multa congessit Patrum loca.] Sed hunc vicissim interrogatum volo, An rejiciendi codices Hebraei, quos nulli rejiciunt Patrum? Patres namque editionem Lxx. Interpretum, quâ tunc omnes utebantur, secuti, Hebraea aut non consuluerunt, aut consulta non rejecerunt. Hieronymus qui in Dialogo contra Luciferianos circa medium, juxta interpretes Lxx emissum de Arca corvum dicit non rediisse, in Hebr. Quaest. aliter in Hebraeo de corvo dici notat. Procopius Gazaeus, Graecus auctor, causis cur columba redierit expositis, *Sic etiam,* inquit, *ut habet Hebraicus textus, & corvus in arcam revolavit.* An [illegible] semper praeferendum est quod Lxx transtulerunt, & translatione eorum Patres usi legerunt? Quod si sic, cur SS. Synodus Tridentina Vulgatam Latinorum edit. quae ab illa innumeris locis discrepat, & Hebraeo longe conformior est, sequendam omnibus proposuit? Sed hoc nos confodere telo existimant, quod & Latina editio, quae à Catholica Ecclesia recepta est, de corvo legat, *Qui egrediebatur & non revertebatur.* Quid dicant si hujus editionis exemplaria, quae inter se putant consonare qui qua oportuit diligentia ea scrutati non sunt, varia esse ostendantur? Exemplaria S. Germani latum & oblongum, S. Dionysii oblongum, & Complutense cum Regio, *Qui egrediebatur & revertebatur* sine negatione legunt. At forte ad Hebraeos codd. haec exemplaria mutata sunt. Minime vero. Est nobis à M. N. Augustino Hunnaeo antiquum Bibliorum correctorium mutuo datum, multis annis scriptum, & pluribus forte compositum, quod & ad hunc modum legit, & hanc antiquorum codicum lectionem esset asserit. Verba ejus ascribemus: *Item b. Dimisit corvum, qui egrediebatur, donec siccarentur aquae super terram. Certissimè tene, quòd nec Hebraei, sicut dicit Hieronymus, nec antiqui Latini* (codices) *habent NON: sed est sensus, quod ibat & redibat extra Arcam circuiendo; & propter hoc utitur Interpres praeterito, non perfecto, sed imperfecto; licet Graecus habeat, puto de* Lxx. *sed sequendi sunt Hebraei, & antiqui, & Hieronymus.* Haec ibi. Ad quae quid dici possit? An quod libro fidendum non sit? Non hoc dicet qui evolverit: quae namque à nostri seculi scriptoribus ex MS. codicibus collectae sunt variae lectiones, omnes propemodum in eo comperimus, & ad fontes fideliter examinatas deprehendimus. Neque dici potest ejus libri auctorem ex iis esse qui ad Hebraeos codices Latinos mutare student: non semel enim Hebraeos sui temporis corruptos asserit, & sequen-

quendos Latinos antiquos docet, eosque qui ad Hebræa Latina mutarunt exemplaria arguit. Hæc sit libri, qui sæpe à nobis citandus erit, descriptio. In vetustissimo codice Abbatiæ Tosanæ juxta Brugas legi vidimus, *& non revertebatur*; sed recentiori manu scriptas voculas *& non*, ità ut altera omnino omissa ab initio fuisse videatur, vel *&*, vel *non*. In margine annotatum erat, *Hieronymus, Qui egrediebatur & revertebatur*. Porro quod dicit Hunnæi correctorium, atque hujus codicis margo, ab Hieronymo negationem non legi, vero simile est ex Hebraicis super Gen. Quæst. sumptum: atque hinc colligere licet, locum illum aliquando absque negatione lectum, quam & ipsa Hieronymi verba rejiciunt, quamvis in eis quæ à nobis consulta sunt Hieronymi exemplaribus legatur. Similis est corruptela in Frobeniana Josephi Historiographi edit. Lat. nam & Josephi verbis ibi addita est negatio; *Qui* (de corvo est sermo) *cuncta reperiens inundantia, non regressus est ad Noë.* Omittendam negationem & proximè præcedens ratio loquitur, & aliæ editiones cum Græcis exemplaribus testantur. Sic enim habet Josephus, ὁ δὲ πᾶσαν εὑρὼν ἔτι λιμνάζουσαν, πρὸς Νῶχον ἐπανῆλθε. Onkelos, qui paulò post Christi tempora Chaldaicâ paraphrasi Pentateuchum illustravit, sine negatione reddidit, *Et misit corvum, & exivit exiens & revertens, donec siccarentur aquæ de super terram.* Atque his ostensum sit, falsitatis non esse arguendos Hebræos codices: & inter varia Latinæ edit. exemplaria, nec ea contemnenda quæ negationem Græcis conformiter legunt, nec illa rejicienda quæ Hebræis similiter tollunt. Neque verò hæc, si rectè intelligantur, inter se pugnant; corvus enim dimissus in Arcam reversus non est, sed ad Arcæ tectum regressus, indè ad escam evolavit, eoque rediit, *donec siccarentur aquæ super terram.* Fortassis enim avis illa dimissa vidit hominum aut brutorum cadavera, præsertim cum montium revelata essent cacumina, atque ad ea, uti est immunda, invento sibi congruo cibo, perrexit & rediit. Columba verò, cui extra Arcam non fuit esca conveniens (cadavera namque abominatur, & non nisi seminibus pascitur) in Arcam redire voluit, extenditque manum suam Noë, & apprehensam intulit in Arcam. Aliud enim de corvo, aliud de columba, Moysis narratio insinuat. Quòd fortè Interpretes LXX. considerantes, ad eum modum quo dictum est transtulerunt.

D R U S I U S.

2. C*Ohibitus est imber è cælo*] i. Cœlestis: ut *panis è cœlo*: & *è cælo*, i. è media regione aeris, ubi aqua superior, quæ & aqua pluvia. Aut, *cohibitus est è cælo*, i. cœlitus. Sic *metus à Domino*, φόβος παρὰ Κυρίου, Sirach. 19. 18. *Pluit à Domino, pluviam à Domino*, ὑετὸν παρὰ Κυρίου, i. vehementem, copiosum. Plautus, *nuncius ab illo*. Lucretius, *fulgor ab auro*, i. auri. Sic dicunt, *Venit ut se mundet, adjuvant eum è cælo*, i. cœlitus: nisi potius, *adjuvant eum à Deo*, i. Divinitus. Nam inter epitheta Dei *cœlum*. Sic dico, Deus *cœlum* vocatur quia in cœlo habitat. Continens pro contento. Metonymiam vocant. Hinc opinio gentium de Judæis non vera. Nam scribunt eos cœlum adorare, ex quo illud, *cœli numen* (alias lumen) *adorant*. Non ipsum cœlum, sed Deum qui in cœlo, quem *Cœlum* vocant cum poeta qui dixit, *cælo gratissimus amnis*, i. Deo aut cœlicolis.

4. *Super montes Ararat*] i. Super unum aliquem montium Ararat. Simile, *sepultus est in urbibus Galaad*, i. una quapiam urbe; *pullus asinarum*, unius alicujus asinæ. Quis autem iste mons fuerit, docet nos Epiphanius his verbis, Μετὰ δὲ τὸ κατακλυσμὸν, ἱδρύθησαν τῆς λάρνακος τοῦ Νῶε ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀραράτ, ἀναμέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδυέων, ἐν τῷ Λουβὰρ ὄρει καλουμένῳ, (ἐκεῖσε πρῶτον κατοικίσεις γίνεται) μετὰ τὸν κατακλυσμὸν τῶν ἀνθρώπων. *Post diluvium, cum consedisset arca Noe in montibus Ararat, inter Armenios & Cardyeos, nempe in monte quodam Lubar vocato, ibi primum habitatio hominum post diluvium fieri cœpta est.* Josephi verba hac de re habentur Antiq. lib. 1. c. 4. quæ Latinè vobis exhibebo, *Diluvii hujus & arcæ meminerunt omnes barbaricæ historiæ scriptores, & in his Berosus Chaldæus. Narrans enim de hoc diluvio sic ferme scribit, Fertur autem & navigii hujus pars quædam adhuc in Armenia apud montem Cordyæorum superesse, & quosdam bitumen inde abrasum secum reportare, quo vice piamenti ad mala periculaque amolienda maxime utebantur homines. Meminit horum & Hieronymus Ægyptius, qui Antiquitates Phœnicum scripsit, Mnaseas, & alii plures. Quin & Nicolaus Damascenus lib. 96. de iis rebus narrat in hæc verba, Est super ipsam Minyada magnus mons in Armenia nomine Baris, in quo multos, cum eo confugissent diluvii tempore, servatos ferunt, ac quendam arca vectum in hujus vertice hæsisse, ac reliquias lignorum ejus longo tempore durasse. Qui fortasse is fuit de quo etiam Moses scribit Judæorum legislator.* Cæterum Gordyæi, qui & Cordæi, à Stephano *Gordochi* vocantur, & à Xenophonte *Carduchi*: unde fortasse decurtatum קרדו, quod in Thargum, esset autem קרדוח, unde *Carduchi*. Nam mos Aramæorum elidere hoc modo ultimas Het & Ain, etiam cum in medio ponuntur & in principio. *Baris* autem Hesychio est πλοῖον, unde monti nomen fortasse, quem & *Imbarum*, & *Nibarum*, & *Cubarum* appellari vir quidam doctus annotavit.

7. *Emisit corvum, qui egressus est egrediendo & redeundo*] Vel, si mavis, *qui egressus egrediebatur & revertebatur.* Locum hunc facilem difficilem reddit editio Græca, in qua, οὐκ ἀνέστρεψεν, *non revertebatur.* Conatus fui aliquando conciliare; *Revertebatur ad arcam, non revertebatur in arcam.* Hoc tum placebat; nunc displicet. Nam si non erat in arca, quis ei cibum subministrabat? An supra arcam quiescentem Noë alebat? Non est credibile; cum per fenestram eo fine columbam reversam manu receperit in arcam. Latina exemplaria hic variant: Nam in aliis, *revertebatur*; & in aliis, *non revertebatur.* Negatio à Græcis est, quam Patres enarrant suspicantes corvum insedisse cadaveri. Unde & Gallicum adagium, *Corvi nuncius*, de eo qui missus non redit. Dicunt enim, *Le Message du corbeau.* Cæterum in Ebræo fonte nulla omnino negatio: ut videatur hoc dicere, Corvum emissum subinde reversum esse in arcam, nullo signo siccatæ terræ allato. Quæ causa fuit ut Noë postea columbam emiserit. Fuit aliquando tempus cum putarem utramque lectionem hoc modo conciliari posse, si diceremus corvum quidem rediisse ad arcam, sed non in arcam. Nam cadaveribus vesci potuit; ad arcam autem redibat ut ibi quiesceret. Hoc magis mihi placeret; si exemplaria Ebraica variarent; nunc cum summus inter ea consensus sit, non est dubitandum quin vera lectio sit, *exibat exeundo & revertendo*, h. e. egrediebatur & revertebatur. Nondum scimus utrum negatio ab interpretibus addita sit, an à scribis aut librariis. Si ab exscriptoribus addita, delenda est: si vero ab interpretibus, quærenda causa cur eam addiderunt contra Ebræorum codicum fidem. Nam emendatiores codices habuisse eo minus credibile mihi videtur quod Christus & Apostoli nusquam hujus rei mentionem faciant, non tacituri, meo judicio, si Pharisæi legem corrupissent, cum alia minora crimina in iis culpent & reprehendant. Ita de hac re censeo, judico.

21. Ubi codex Ebræus, *dixit in corde suo*, Onkelos & Jonathan ediderunt, *dixit in sermone suo.* Hoc quid esset quæsitum à me fuit his diebus. Respondi idem esse cum illo, *in seipso*: quod Symmachus dixit, πρὸς ἑαυτόν. Scio sermonem Dei vocari alteram in Divinitate Personam, quæ simpliciter & absolute ὁ λόγος vocatur: sed hic aliud significat, aut ego in magno errore sum. Sic Gen. 9. 12. *Hoc est signum fœderis quod ego pono inter me & vos:* Jonathan, *inter sermonem meum & vos.* Similiter differunt, *dicere ad cor suum*, & *loqui ad cor suum.* Nam *loquitur ad cor*, qui aliquem consolatur; quod Latini autores *alloqui* dicunt: unde *alloquium* in malis, & *adlocutum eat eum*, i. consolatum. *Dicere ad cor suum*, quod Theodotio καὶ σὺ ita transtulit, εἶπε πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ, aliud nihil quam *dicere in corde suo*, h. e. cogitare apud se. Proinde Senes retulerunt διανοηθείς. Est enim, ut Plato ait, ἡ διάνοια, διάλογος ψυχῆς ἄνευ λόγου. His præmissis, videamus nunc quid sit, *dixit Dominus in sermone suo.* Nam forte sensus, *dixit per Christum*, qui est Sermo Patris. Probarem, nisi ea quæ nunc subjiciam me alio traherent. Num. 15. 32. de illo qui ligna colligebat in sabbato, *Surrexit vir e domo Joseph, dixit in sermone suo, Ibo evellam ligna in die sabbati*: i. apud se. Sic in Thargum Cohel. 1. 1. *dixit* (Coheleth) *in sermone suo*: & 2. 1. *dixi in sermone meo*, במימרי legendum pro במימרה. Ruth. 3. 8. *fixit eum seminer sermonem suum*, i. semetipsum. Vide sequentia, Job. 20. 29. *& hereditas sermonis ejus*, מאמר, ipsius. Pro clausula; Ut *sermo Dei* aliquando dicitur ipse Deus, sic *sermo hominis* ipse homo.

I D E M.

1. וישכו A. ἐστάλησαν, *constiterunt*: Sym. ἠλώφησαν, *quieverunt*] Ἐστάλησαν, στήλης τρόπον ἔστησαν, *in columnæ modum steterunt.* Quod Hesychio σταλίζουσιν dicitur, σταλῶ & σταλίζω, ut λωφῶ & λωφίζω. An hoc significatu reperiatur σταλῶν, nescio. Hoc scio, σταλάω, *stillo*, minus quadrare huic loco. Σ ἠλώφησαν, *interquieverunt & finem fecerunt crescendi*: λωφάω & λωφέω, quiesco, desino, resideo. Sic interpretatur Onkelos ונחו מיא *& quieverunt aquæ*: alias *resederunt.*

2. ויסכרו מעינת *Et obturati sunt fontes: A. ἀπεφράγησαν, obstructi sunt*] Scholion ex Aquila ἐνεφράγησαν, *Obstructi & obsepti sunt.* Sic edit. Rom. in notis: Psal. 63. 11. idem verbum Ebræum Lxx. reddunt, ὅτι ἐνεφράγη τὸ στόμα λαλούντων ἄδικα. Ex loco Hieron. supra citato, potes reponere, ויסכרו *Omnes, clausi & obturati sunt.* Et ex Scholio; *Aquila ἐνεφράγησαν. Clausi sunt, ἐκλείσθησαν: Sic Ambrosius cap. 17. & libri Græci vetusti, ἐκαλύφθησαν,* cooperti sunt: *Theodoretus, hoc est, ἐκλείσθησαν, clausi sunt. Nam & inferne crescebat aqua.* Vide Romanam Latinam.

6. את חלון התבה Libri Græci variant. Nam in aliis τὴν θύραν τῆς κιβωτοῦ, & in aliis vetustioribus τὴν θυρίδα. Non est autem dubitandum quin verior lectio sit posterior. Primum quia θυρὶς est *fenestra*, & Hieron. ait pro *ostio, fenestram,* scriptum est in Ebræo: deinde quia Senes dictionem Ebræam eo modo transferunt cum alibi, tum infra 26. 8. παρακύψας Ἀβιμέλεχ διὰ τῆς θυρίδος.

13. את מכסה התבה, A. τὸ κάλυμμα τῆς κιβωτοῦ, *operculum arcæ*] Recte sic emendavit τὴν στέγην. Nam tectum ita dicitur. Quanquam operculum arcæ *tectum* etiam appellari possit.

20. עלת Sym. ἀναφορὰς, *oblationes*] Psal. 51. 19. עולה וכליל, Lxx. ἀναφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα, *oblationem & holocausta.* Verbum est ἀναφέρω, quod inter alia sig. *offero* ut in epist. ad Ebræos. Hic ἀναφορά. Sic עולה à עלה quod in hiphil facit העלה obtulit, ἀνήνεγκε. utrum ergo ab ascendendo an potius ab offerendo? Solent alioqui Græci עלה reddere κάρπωμα, κάρπωσιν, ὁλοκάρπωσιν, ὁλοκαύτωμα & ὁλοκαύτωσιν. Sed & θυσίας interpretantur non semel. Latini fere semper *holocaustum* dicunt.

21. ויאמר יהוה אל לבו Sym. εἶπε Κύριος πρὸς ἑαυτὸν, *dixit Dominus ad seipsum.* Th. εἶπε Κύριος πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ, *dixit Dominus ad cor suum*] i. ad seipsum. Nam Deus cor non habet proprie loquendo. Simile, *Juravit Deus per animam suam,* i. per seipsum.

NOTÆ MAJORES.

1. *Postea recordatus est Deus Noe & omnium ferarum, & omnium bestiarum, quæ cum illo erant in arca, & transire fecit Deus ventum super terram, & quieverunt aquæ.*

Recordatus est Deus.] Tum recordatur, cum aut liberat, aut vindicat. Liberat ut hic & Psal. 74. 2. *Recordare cœtum tuum, quem acquisivisti ab antiquo* i. opem & auxilium ei fer. Vindicat ut Psal. 9. 13. Sic recordari dicitur iniquitates, quas punit. Contra oblivisci peccatorum, cum illa impunita sinit. Ex quo & illud, *ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Alioquin non cadit oblivio ulla in Deum ¶ *Noe*] vel *Nochi.* ¶ *Et omnium bestiarum*) cicurum. alii, *omnium animantium & omnium jumentorum.* Obiter observo. Animantes vocantur ab Ebræis בעלי חיים à vivacitate: בהמה autem cum stricte & anguste sumitur, jumentum denotare, notius est, quam ut probari debeat. ¶ *Et transire fecit*] ויעבר & fecit ut transiret. Lxx. καὶ ἐπήγαγεν: & induxit. Hiero. *& adduxit,* ויבא. Alii, *& immisit, sive transmisit.* ¶ *Ventum*] Lxx. πνεῦμα i. ventum aut Spiritum. Hiero. *Spiritum.* Jon. רוח רחמין *Spiritum miserationum.* Sic etiam Autor Jerosolym. nisi quod in eo רוח רחמין R. Salomo רוח תנחומין והנחה spiritum consolationum & requietis. Quod eo libentius noto, quia sunt ex Theologis nostris qui hunc locum enarrant de Spiritu sancto, qui Dei Spiritus vocatur Gen. 1. 2. Qua de re Theodoretus, ὑπ᾽ ἀνέμου, inquit, ὕδωρ μειοῦται, κυμαίνει δὲ καὶ περιστρέφεται, πάλαι γὰρ τὰ μέγιστα τῶν πελαγῶν ἐξηντλήκει τὸ πνεῦμα. μόνον τὸ θεῖον φησὶ, ᾧ δὲ πάντα γίνεται καὶ λήγει i. vento aqua non minuitur, sed potius fluctuat ac turbatur, jamdudum enim capacissimi sinus exhausti fuissent. Spiritum ergo divinum dicit, quo sane omnia fiunt & quiescunt. Quod ait vento aquam non minui, fallitur. Nam eo mare rubrum exsiccatum fuit. Porro inesse ventis quibusdam vim desiccandi, vaporesque in aquam resolvendi & convertendi, vel ipsa experientia magistra notum est in vulgus. ¶ *Super terram*] aquis opertam. ¶ *Et quieverunt*] וישכו exponitur ab Ebræis ונחו & quieverunt, hoc est desierunt invalescere. Quidam, *decreverunt, deferbuerunt.* Hier. *imminutæ sunt.* Lxx. καὶ ἐκόπασεν, & cessavit aqua. Aquila, ἐσιγάσθησαν, contractæ sunt, vel potius constiterunt, σχῆμα τρόπου ὄντος. Quod Hesychio σταλάζω dicitur. σαλεύω & σαλίζω, ut λωφάω & λωφίζω. Sym. ἐλώφησαν, quieverunt, interquieverunt, finem fecerunt crescendi. λωφάω & λωφίζω, quiesco, desino, resideo. Sic interpretatur & On. ונחו & quieverunt: Alias, resederunt. Jon. ונייחו & exsiccatæ sunt. Trem. *Ut sedarentur.* Edit. Gall. *& les eaux s'arresterent.* Esth. 2. 1. שכך חמת המלך cum ira regis deferbuisset. alius, *quievisset.*

2. *Et occlusi sunt fontes abyssi, & fenestræ cæli: & cohibitus est imber è cælo.*

Et occlusi sunt] ויסכרו. Lxx. καὶ ἐπεκαλύφθησαν: obtecti sunt. Aquila ἀπεφράγησαν: obstructi sunt. Ceterum in quibusdam exemplaribus editiones Lxx. ἀπεκαλύφθησαν. Quod legit olim Hiero. Nam in libro Quæst. ita scribit, *Pro revelatis fontibus, clausos & obturatos omnes interpretes transtulerunt.* Hanc lectionem ipsa sententia perspicue repudiat. סכר affinitatem habet cum סגר. Siquidem כ & ג alternant. Habent enim communem familiam. Ergo Abenezra exponit ונסגרו: Quod autem idem negat Chaph cum Gimel permutari, in eo me habet sibi adversantem. Nam זכוכית dicimus & זגוגית, i. vitrum. Sic גנה & כנה hortus. Idem fit in aliis linguis, κυβερνήτης, gubernator: κωβιὸς, gobius: ἀμοργὴ, amurca: Galbanum χαλβάνη. ¶ *Occlusi*] obturati, obstructi. Hiero. *clausi sunt.* Onkelos ואסתכרו. Jon. ואסתגרו. Quæ valde firmant ea, quæ scripsimus de permutatione harum literarum. ¶ *Fenestræ cæli*] vel, *cataractæ cæli.* ¶ *Cohibitus est*] συνεσχέθη. Sic recte Lxx. Nam ipsi Ebræi explicant ויכלא ut & Hieronymus, *prohibitæ sunt pluviæ.* Quidam recentior interpres, *cessavit pluvia.* i. ἐκώλυσεν. Alii, *clausa, conclusa est.* ¶ *Imber è cælo*] i. cœlestis, qui è cœlo hoc est media regione aëris descenderat. Aut *cohibita est à cælo,* ac si cœlum prohibuisset, ne plueret. Aut *à cælo* i. à Deo. Quale illud, *cælo gratissimus amnis* i. Deo aut cœlicolis. Grammatici Metonymiam appellant. Nam continens pro contento ponitur. Licet etiam exponere *è cælo* i. divinitus. Sic cum dicunt, *è cælo adjuvatur eum,* sensus est, divinitus adjuvatur.

3. *Et redierunt aquæ à terra eundo & redeundo, & defecerunt aquæ à fine centum quinquaginta dierum.*

Redierunt] retrocesserunt, nempe in locum unde venerant. Quidam *recesserunt,* quod non æque probo. Nam recedere dicitur & qui aliquo concedit ubi prius nunquam fuerat. Hiero. *reversæ sunt.* Jonathan ותבו quod idem cum interpretamento Onkeli ותבו redierunt. Scribes autem ἀναλόγως וישבו absque Ioth, ac si esset à שוב sive ישב. Sic שב rediens vel reversus. Qua forma participii & קם reperitur ex קום. Lxx. καὶ ἐνεδίδου τὸ ὕδωρ: quod interpretantur, *& cedebat aqua.* ¶ *A terra*] ἀπὸ τῆς γῆς. מעל הארץ. verbum è verbo, *à super terram.* Vult dicere, à terra, quam obtegebant. Tremell. *à superficie terræ:* מעל פני הארץ. ¶ *Eundo & redeundo*) Quidam exponunt, continenter redeundo, vel, si mavis, retrocedendo. Hiero. *euntes & redeuntes* הלכים ושבים. Lxx. πορευόμενον vadens. הלוכים Mercerus explicat *indies magis ac magis retrocedendo.* On. & Jon. אזלין ותייבין *euntes & revertentes.* Gallica editio, *& les eaux se retiroient de plus en plus* i. magis magisque. ¶ *Et defecerunt*] vel, *defecerant,* & est sensus, ita defecerant ut montes aperuerint, in quorum uno arca requievit, ut mox dicturus est: vel *defecerunt* i. cœperunt deficere, sive, ut Interpres noster habet, *cœperunt minui.* Ceterum deficere, quod חסר dicunt Ebræi & Chaldæi, hic est decrescere & minui. Itaque Lxx. ediderunt, καὶ ἠλαττονοῦτο τὸ ὕδωρ: & minuebatur aqua. ¶ *A fine 150. dierum*] post 150 dies, sive exactis 150 diebus. Hic perspicue מן pro (post) usurpatur. Sic in Latio (a) sumitur, ut cum dicimus, *à prandio, à cœna, à meridie.* ¶ *Centum quinquaginta dierum*] utrum innuit 150. dies pluviarum, de quibus supra cap. 7. vers. 24? an alios 150 dies qui subsecuti sunt usque ad decimum septimum mensis septimi? quo temporis spatio aqua in tantum decrevit, ut arca resederit in uno aliquo montium Ararat. Hoc significat cum ait:

4. *Et quievit arca mense septimo, decimo septimo die mensis super montes Ararat.*

Quievit] i. resedit, quod Græci dicunt ἐκάθισεν. ¶ *Mense septimo*] Thesri an Nisan? Siquidem duplex annus; Mosaicus, Ægyptius. In Mosaico primus est Nisan & septimus Thesri: in Ægyptio autem primus est Thesri; & septimus Nisan. R. Salomo, *Post 150. dies aquæ cœperunt decrescere, primo mensis Sivan. Namque 27. mensis Chaslev cessarunt imbres: ecce tres dies ex Chaslev, & 29. ex Tebeth efficiunt dies 32: deinde Sebat & Adar & Nisan 118. quæ Simul ecce constituunt 150 dies. Igitur mense septimo i. mense Sivan, qui septimus à Chaslev, in quo desiit pluere.* Ceterum in On. בירחא שביעאה pro quo in nonnullis editionibus perperam רביעאה legitur i. mense quarto pro septimo. ¶ *Decimo septimo*] *vigesimo septimo,* habet Hiero. & ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι editio τῶν ό. Quid legerunt cum hoc modo transferrent? August. is qui veterem editionem ad veritatem Ebraicam recognovit, existimat mendum esse librariorum. ¶ *Super montes Ararat*] aut, *in montibus Ararat.* Sensus est in uno aliquo monte regionis Ararat. Nam falluntur, qui ipsos montes ita vocari putant, ut

Lxx. qui

Lxx. qui ediderunt ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ ἀραράτ. Hiero. *Super montes Armeniæ.* Si rectè, Ararat erit Armenia. Quod video non nullos opinari, quibuscum consentiunt Philo in libro nominum, & Eusebius de locis Ebraicis. Porrò regionis nomen esse Ararat cum alia probant, tum loca præcipuè duo: quorum unus est 2. Reg. 19. 27. *fugerunt in terram Ararat*, ubi vetus interpres habet, *In terram Armeniorum:* Alter est Jesa 37. 38. *fugeruntque in terram Ararat*. Hunc locum Hiero. enarrans, *Cum fugisset* inquit, *in terram Ararat, quod intelligitur Armenia.* Et aliquanto post, „Ararat regio in Armenia campestris est, per„quam Araxes fluit incredibilis ubertatis ad radicem Tauri mon„tis, qui usque illuc extenditur. Ergo & arca, in qua libera„tus est Noe cum liberis suis, cessante diluvio, non ad montes, „generaliter Armeniæ delata est, quæ appellatur Ararat, sed ad „montes Tauri altissimos, qui Ararat imminent campis. Quæ verba descripsit olim Eucherius. Habentur enim certè in Commentariis ipsius super libros Regum. Alii non ipsam Armeniam hoc nomine significari censent, sed aliam quandam regionem ei vicinam & conterminam. Nicolaus Brabantinus, *Ebræus habet Ararat, & dicunt, quod non sig. Armeniam, sed aliam terram, cujus montes protenduntur usque propè Armeniam, & ideo illi montes etiam vocantur montes Armeniæ.* Thargum Onkeli, quem nonnulli eundem faciunt cum Aquila proselyto, *super montes Cardu* i. קרדו. Quo vocabulo Armeniam intelligunt alii, & alii montes à Curtio Cordæos, à Ptolomæo autem Gordyæos dictos, quos in Armenia collocat Berosus Babylonius in primo rerum Chaldaicarum ita scribens, λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. χρῶνται δὲ μάλιστα, αὐτῷ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς i. interprete Hieronymo, „Dicitur autem hujus navis propter „montem Carduenorum pars aliqua permanere, & quosdam „bitumen ex ea avellentes circumferre, quò utuntur vel maxi„me hi, qui lustrantur & se expiant. Hujus montis meminit & Nicolaus Damascenus libro 96. & Barin eum nuncupat, quam supra Miniadem (Strabo Milyaden appellat) in Armenia collocat. Arcæ autem mentionem facit Abydenus in Assyriacis per hæc verba, τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ περίαπτα ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσι ἐπιχωρίοισι παρείχετο. In Thargum Jonathæ, „Et „quievit arca mense septimo, qui est Nisan, decimo septimo „die mensis super montes Cadron. Nomen montis unius Car„dania, & nomen alterius Armena, ibique condita est civitas „Armeniæ in terra orientali. Quæ verba adduxi cum propter alia, tum ut sententiam meam aperirem de mense septimo quem Nisan fuisse autumo, Jonathæ assentiens, aliisque Ebræis veteribus, qui menses diluvii ab autumno putant, & non à vere. Sanè quidem septimo mense veteri migrarunt Ægyptum, quem septimum mensem tunc principem mensium haberi Deus præcepit.

5. *Et aquæ ibant & deficiebant usque ad mensem decimum decimo mense, primo mensis apparuerunt cacumina montium.*

Ibant & deficiebant] magis magisque deficiebant. ad verb. *erant eundo & deficiendo.* Quod bene Chaldæi reddunt, *erant euntes & deficientes.* Nam verbô infinitô utuntur vice participii quandoque. ¶ *Deficiebant*) decrescebant, minuebantur. ¶ *Usque ad mensem decimum*] Mensis decimus à Thisri est Thamuz i. Junius: à Nisan verò Tebeth i. December: ut à die quo cœpit diluvium Sabat i. Januarius, quemadmodum Abenezra observat. Ego (salvô tamen aliorum judicio) hunc mensem, ut & alios omnes diluvii putandos putarim à Thesri, à quo septimus est Nisan, quem Moses principem mensium esse voluit, quod eò mense Ægyptum Ebræi reliquissent. ¶ *Decimo mense*] vel, *quo mense:* quod Latini autores ita dicerent potius. Sed est nomen loco pronominis. Quæ figura frequens in hac lingua. ¶ *Primo mensis*] primo die mensis, & est בְּאֶחָד in fonte, quod proprie significat *in uno.* Quale illud Ciceronis, *uno & vigesimo die mortuus est.* Nam ὁ vir vigesimo primô die. Sic alibi, μία τῶν σαββάτων i. primo die hebdomadæ. ¶ *Apparuerunt*] visa sive conspecta sunt. ¶ *Cacumina montium*] ראשי ההרים capita montium i. cacumina sive vertices aut summitates montium. Hinc elicimus ante mensem decimum non fuisse conspectos montium vertices. Ex quo & illud consequitur, nec montium Ararat cacumina conspecta fuisse ante illum mensem. Igitur quando in iis arca residebat, adhuc aquis operti erant. Ceterum Steuchus & Mercerus ex Græca editione hoc loco citant αἱ κεφαλαὶ τῶν ὀρνέων i. *capita avium:* id quod ego in nullo adhuc exemplari legere memini.

6. *A fine autem quadraginta dierum aperuit Noë fenestram quam fecerat.*

A fine 40. dierum] exactis sive finitis 40. diebus. Hiero. *Cumque transissent 40. dies.* Lxx. μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας: post 40. dies. ¶ *Fenestram, quam fecerat*] Hanc supra Sohar vocari diximus. Fenestram autem interpretes Chaldæi כוא appellitant. Unde fortè Belgicum *cave* quo Caminum significant. Certe voce כוא apud Chaldæos etiam Caminus, sive fumarium denotatur. Græci habent τὴν θυρίδα. Ita libri vetustiores. In aliis est, ut apud Chrysostomum τὴν θύραν i. ostium vel januam. Valde displicet. Nam aliud ostium, aliud fenestra. Adhæc חלון nunquam significat januam. Sed & Hiero. asserit in Ebræo haberi fenestram. Nec erat necesse aperire ostium ad emittendum corvum aut columbam, cum è fenestra facile volare potuerint.

7. *Et emisit corvum, qui egressus exibat & redibat, donec exsiccarentur aquæ à terra.*

Emisit] ut avem è cavea, non ut legatum solemus: & emisit ut ejus opera cognosceret de terræ statu. Licet etiam vertere *dimisit.* Gal. edit. *lascha* i. *laxavit* ¶ *Corvum*] τὸν κόρακα. ¶ *Qui egressus exibat & redibat*] ויצא יצוא ושוב & exibat exeundo & redeundo. ὁ νῦν, subinde & exibat & redibat. Onkelos, *exibat exeundo & revertebatur.* Sic etiam Jon. Lxx. καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν: & egressus non revertebatur. Ecce contraria sententia. Libri latini variant. Nam in aliis, *& revertebatur*, & in aliis, *non revertebatur.* Vide supra. Fuit aliquando tempus cum has editiones conciliarem inter se. Nam revertebatur, sed non in arcam. Intelligentes intelligunt me. Nam circum arcam volitasse, ibique quievisse ipsi etiam Ebræi testantur. Augustinus existimat eum insedisse cadaveri. Potest ita esse: tamen eò labor, ut credam Græcos codices mendosos esse. Delenda ergo negatio, ut sit καὶ ἐξελθὼν ἀνέστρεψεν, & egressus revertebatur. Tu ex Ebræo emenda, καὶ ἐξῆλθε ἐξελθὼν καὶ ἀναστρέφων: & exibat exiens & revertens i. sæpius exibat: deinde iterum revertebatur. Hoc tantisper, dum aquæ desiccatæ essent. Qui cum negatione legunt, hanc postremam partem elucidant per similem locum, qui habetur in Evangelio, *Non cognovit virum donec peperisset primogenitum.* ¶ *Exsiccarentur*] vel, *siccata essent.* In Ebræo legitur ad verbum, *usque ad exsiccationem aquæ, sive aquarum:* עד יבשת המים. ¶ *A terra*] ἀπὸ τῆς γῆς: de terra. Verbum è verbo, de super terram. Sensus est, quæ terram operuerant, aut inundaverant. Dicitur autem מעל de super: ut מתחת de sub. Quod posterius extat in Floro. Hiero. *super terram*, על הארץ. Alius, *e superficie terræ* מעל פני הארץ.

8. *Post emisit columbam à se, ut videret, num allevatæ essent aquæ à superficie terræ.*

Post emisit] Utrum post septem dies, vel septimô die ab emisso corvo? Id colligunt ex vers. 10. & 13. hujus capitis. Certum tamen non est. ¶ *Columbam*] *Columbam domesticam.* Thargum Jonathæ. ¶ *A se*] מאתו est quod Galli dicunt *d'avec soi* i. à secum, si sic loqui liceret. Minus rectè Lxx. ὀπίσω αὐτοῦ, & Hiero. *post se* i. אחריו. Fortè sensus est, *Emisit à se* i. ex arca sua. Simile, *ivit ad Pompeium* i. ad Pompei ædes vel domum. ¶ *Num allevatæ essent aquæ à superficie terræ*] allevatæ i. imminutæ. Nam leviores fiunt, quando minuuntur. Copia secum pondus adfert. Quidam explicant per hypallagen, *Num levata esset aquis superficies terræ.* Hiero. *Ut videret si jam cessassent aquæ super superficiem terræ.* Sic etiam Græci εἰ κεκόπακε τὸ ὕδωρ ἀπὸ τῆς γῆς.

9. *Quæ cum non invenisset requiem plantæ pedis sui, reversus est ad eum in arcam (nam aquæ erant in superficie terræ) itaque misit manum suam, & accepit eam, & induxit eam ad se in arcam.*

Requiem plantæ pedis sui] ubi requiesceret planta pedis sui, vel potius, planta pedis ejus. מנוח requies sive quies i. quietis locus. Est & nomen proprium viri. Glossa Philonis, *Manne* (alias Manoe) *requies*, i. ἀνάπαυσις. Hic in Josephi Græco exemplari Manahem vocatur; sed perperam. Nam Manahem i. מנחם. Manoe aliud est. Forte ut Noë à consolando, sic Manoë à נחם. Sed hæc aliena sunt, & alterius loci. ¶ *Plantæ pedis sui*] Satis erat, *pedis sui.* Itaque Hiero. *cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus.* Lxx. quoque οὐχ εὑροῦσα ἀνάπαυσιν τοῖς ποσὶν αὐτῆς. *cum non invenisset quietem* i. quietis locum, *pedibus suis.* Ceterum כף in pede planta dicitur, ut in manu vola. ¶ *In arcam*] in arcam post à Noë intromissa fuit, ut sequentia docent: sensus ergo est: *revertebatur in arcam* i. animo intrandi arcam. Aut lege, *ad arcam.* Quod particula אל propriè significat. ¶ *Aquæ erant in superficie terræ*] adhuc tegebant superficiem terræ, q. d. nondum terra siccata erat. ¶ *Misit*] exemit, extendit, protendit: quorum illud *extendit* legitur in Hiero. Sed extendit propriè non dicitur. Esset ergo נטה. Græci quoque habent, καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα [illegible] [illegible]: & extendens manum accepit eam. Uterque Chaldæus, ואושיט ידיה & protendit manum suam. ¶ *Accepit*] prehendit, sumsit, assumsit. ¶ *Induxit*] Introduxit, intromisit, ingredi fecit, εἰσήγαγε, intulit. Quod postremum

minus

minus se probat mihi. Sed Hieronymo præ ceteris placuisse videtur.

10. *Et expectavit adhuc septem dies alios; & rursum emisit columbam ex arca.*

Expectavit adhuc septem dies] dictio *adhuc* pertinet ad verbum expectavit, non ad septem dies. Si quis tamen ad septem dies velit referre, non admodum refragabor. ¶ *Rursum emisit*] ויסף שלח & addidit sive adjecit dimittere, genus loquendi Ebraicum pro denuò dimisit. Quod non ignoravit Hiero. Nam vertit, *rursum dimisit*. Græci quoque transtulerunt πάλιν ἐξαπέστειλεν iterum emisit. ¶ *Columbam*] eandemne, an aliam? Ebræus habet את היונה. Id Græci exprimunt per articulum τὴν περιστερὰν: alius edidit, *columbam illam*, addito pronomine, ut vocant, demonstrativo. Dubito an littera ה, qua pro articulo utuntur, hic habeat vim demonstrandi. On. rectè illam omittit. ¶ *Ex arca*] Hoc supra dixerat, מאתו à se.

11. *Et venit ad ipsum columba tempore vesperæ, & ecce folium olivæ decerptum in ore ejus, tum scivit Noë allevatas esse aquas à terra.*

Venit] rediit, i. שוב. Contra verbum *redeo* usurpatur pro venio, ut in Ruthæ historia & alibi. Aut lege, *intravit*, *ingressa est*. ¶ *Ad ipsum*] in arcam. Supra, *& reversa est ad ipsum in arcam*. ¶ *Columba*] היונה quod Græci significantius dicunt ἡ περιστερὰ. Ceterum articulus hîc vim habet ἀναφορικὴν: Itaque quidam reddit *columba illa*. Onkelos edidit יונה absque Aleph, quo articuli vice utuntur, ut cum in Jon. legimus יונתא i. היונה. ¶ *Tempore vesperæ*] i. vespertino. לעת ערב aliter exponitur, & fortasse melius, *ad tempus vesperæ*. Quod idem cum interpretamento Græco πρὸς ἑσπέραν & latino, *ad vesperam*. Sensus autem est, ut si diceres, *sub vesperam*, *sub tempus vespertinum*. Nam quia pabulum non invenerat, ideò reversa putatur ad illud tempus. Chaldaicè לעדן רמשא quod ex On. Fagius interpretatur, *tempore vespertino*. ¶ *Folium oleæ decerptum in ore ejus*] Hiero. *Portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo*. עלה ramus cum foliis ut Nehem 8. Videtur autem mihi legisse רטב pro טרף. Nam רטב viresco. Lxx. φύλλον ἐλαίας, κάρφος ἐν τῷ στόματι αὐτῆς: folium oleæ, festucam (alias surculum) in ore suo. Cur festucam? puto ad nidum construendum. Quippe festucis & surculis aves nidos construunt. Columella lib. 8. cap. 15. *Festuca, surculique passim in aviariis spargendi sunt ut colligere possint aves, quibus nidos construunt*. Pro festucam Ambrosius cap. 19. *ramum* posuit: Augustinus verò in libris locutionum, *surculum*. Folium Chaldaicè טרף & טריף quo vocabulo usi sunt in reddendo hoc loco Jon. & On. Idem טרף de sententia quorundam, ut sit [illegible]: velut cum dicimus, *Terra pulveris*. Ebraicè עפר אדמה. Quod notatum in Abenezra. Fuit tempus cum suspicarer Græcos initio scripsisse τάρφος, nempe ex Chaldaico טרפא. Quod novum non est in his libris. On. טרף זיתא תביר מחית בפומה. Quæ verba Fagius interpretatur, *folium olivæ decerptum attulit ore suo*. מחית vel potius מחתא aut מיתי attulit. Malim, *detulit*. Ad verb. *descendere fecit*. Thema est נחת. In Aphel אחית demisit. Benoni מחית demittens, dejiciens, deferens. Jon. טרפא דזיתא לקים תביר ומייתי בפומה folium oleæ collegit fractum & detulit ore suo. Pro לקים scripserim libentius לקיט ut sit Benoni Kal à לקט collegit. Santes, *folium olivæ raptum erat in ore ejus*. Sic etiam Arias, *raptum in ore ejus* i. טריף. Vid. sequentia. ¶ *Decerptum*] טרף interpretatus sum ac si esset טריף raptum, dereptum, decerptum. Solent enim hôc modô nomina poni pro participio utriusque generis. Sic alibi חפץ i. volens. Abenezra hoc innuit per hæc verba, *Nomen adjectivum aliquando similitudinem habet cum participio generis activi, quod Benoni vocitant: interdum simile est participio passivo quod Paul appellatur*. Nihil verius. Bona ergo Chaldaica interpretatio תביר i. defractum; cui & nos accedimus. ¶ *Scivit*] cognovit, experientia didicit. ¶ *Allevatas*] imminutas. Nec displicet, quod in nonnullis editionibus, *allevatam esse aquis superficiem terræ*.

12. *Et expectavit adhuc septem dies alios, & emisit columbam, quæ non adjecit redire ad eum amplius.*

Et expectavit] וייחל futurum Niphal à יחל. Supra ויחל quod alii à חול derivant, alii dicunt esse contractum ex וייחל quemadmodum ייבש dicimus pro יבש, & יבש pro ייבש, siccabit. Utramque significationem habet expectandi. Proinde Chaldæi referunt ואוריך & Lxx. καὶ ἐπισχὼν, quod & ἐπέχειν: Est autem ἐπέχω inter alia, expecto, cunctor, differo, præstolor. Igitur pro eo, quod in edit. Rom. *& cum sustinuisset*, malim, *& cum expectasset*. ¶ *Septem dies alios*] vel, *septem diebus aliis*. ¶ *Et emisit*] Et rursum emisit, quod in Edit. Græca πάλιν ἐξαπέστειλε. Quid si repetamus [illegible] ex sequentibus? Aut ordo & constructio, *& emisit adhuc columbam, quæ denuò non rediit ad eum*. Cave spernas. ¶ *Non adjecit redire ad eum*] denuo non rediit ad eum: ultra non est reversa ad eum. Quod autem sequitur עוד amplius, aut [illegible] est Ebraismo, aut pertinet ad verbum emisit. Nam hujusmodi trajectiones crebræ sunt in his literis. ¶ *Amplius*] עוד adhuc, ut [illegible] Jonathan, [illegible] iterum, denuò, rursum.

13. *Igitur uno & sexcentesimo anno, primo mense, primo die mensis, siccatæ sunt aquæ de terra & removens autem Noë operculum arcæ vidit, & ecce siccata erat facies terræ.*

Uno] primo. Sic mox, [illegible] i. primo die mensis. Nam [illegible] subintelligitur. ¶ *Primo mense*] qui Thesri vocatur & ex parte septembri respondet. Sic enim certè Jon. Paraphrastes Chaldæus, *Anno sexcentesimo & uno, Mense Thesri, primo die mensis in capite anni*. Cum Jonatha consentiunt veteres Ebræi & nominatim R. Eliezer. Quanquam R. Josua diluvii menses à Nisan putat. Verba Jarii sunt ad hunc locum, *Mense primo. Secundum R. Eliezer est Thesri, & secundum R. Josua est Nisan*. Et Merceri viri sanè perdocti, & magni judicii; *Etsi non dubitem tempore Noë annum à Septembri incepisse, Moses tamen ex* DOMINI *institutione postea facta per prolepsin numerat à Nisan, qui & primum ex præscripto* DOMINI *vocat, & eodem deinceps ordine reliquos, ut septimus supra sit, qui alioqui civilis & vulgati anni primus erat: a quo sane Noë numerasset, sed Moses ordinem mutavit. Sic ego Sentio & omnino ita esse arbitror, quia sic multa per prolepsin in Mose invenies*. ¶ *Primo die mensis*] באחד לחדש uno mensis, quod Græci referunt μιᾷ τοῦ μηνός, & est sermo ἑβραΐζων, ut μιᾷ σαββάτων i. prima hebdomadæ. Sic, *fuit vespera & fuit mane dies unus*. ¶ *Siccatæ sunt*] Lxx. ἐξέλιπεν, & Hiero. *imminuta sunt*. חרבו. On. נגובו. Jon. נגבו exiccatæ sunt, quod scribunt נגבו & נגובו. ¶ *De terra*] ἀπὸ τῆς γῆς. Ad verb. *de super terram*. ¶ *Removens autem*] ויסר & removit. Lxx. καὶ ἀπεκάλυψε. Hiero. *& aperiens* ויסר. Uterque paraphrastes ואעדי abstulit, amovit. ¶ *Operculum arcæ*] את מכסה התבה. Lxx. τὴν στέγην τῆς κιβωτοῦ. Hiero. *tectum arcæ*. Tectum גג dicitur. מכסה potius est operimentum, sive operculum i. κάλυμμα. Melius ergo Aquila interpres, τὸ κάλυμμα τῆς κιβωτοῦ. ¶ *Vidit*] circumspexit. ¶ *Facies*] superficies.

14. *Mense secundo, vigesimo septimo die mensis, exaruerat terra.*

Arida erat] Aruerat, ἐξηράνθη: vel induruerat, exaruerat. Supra, *siccata erat facies terræ*. Facile concilio. Nam initio, cum aquæ abscessissent, mollior adhuc erat, quam ut homines aut bestias sustinere posset. i. non tam sicca & solida, ut apta esset ad gressum animalium, præsertim eorum, quæ corpora graviora gestant. Hoc primo mense anni 601. Nochi. Secundo mense penitus exaruerat. Itaque jubetur Noë cum omnibus quæ in arca extre. Jon. *Mense Marhesvan* 1. *Octobri*, 27 *die mensis arefacta erat terra*.

15. *Tum locutus est Deus ad Noë, dicendo.*

16. *Egredere ex arca tu & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum.*

17. *Omnia animantia, quæ tecum sunt ex omni carne in avibus & in bestiis & in omni reptili, quod reptat super terram; educ tecum, & propagentur in terra, & fœtum edant, & multiplicentur super terram.*

Ad Noë] πρὸς νῶε. On. & Jon. עם נח cum Noë. ¶ *Dicendo*] Lxx. λέγων & Hiero. dicens. ¶ *Omnia animantia*] כל החיה omne animans, vel omnis bestia. Generale est hoc loco, & tam ad cicures, quam ad feras pertinet. Proinde quod in Lxx. πάντα τὰ θηρία, reddendum puto non, *omnes feras*, sed *omnes bestias*. Lex. vetus, θηρίον, *bestia*, *fera*. Hiero. *cuncta animantia*. ¶ *Ex omni carne*,] ex omni animante. ¶ *In avibus & in bestiis* &c.] tam ex avibus, quam ex bestiis. Notum ut in pro ex accipiatur. Lxx. ἀπὸ πετεινῶν ἕως κτηνῶν i. tam volatilia, quam jumenta. ¶ *In bestiis*] vel potius, *in jumentis*. Quod elegerunt præter Lxx. On. & Jon. Sanè quidem vox בהמה utrumque significat. ¶ *Educ*] Scriptum הוצא & lectum היצא. Sic alibi variatur in הושר & הישר dirige. [illegible] tueri potest ex consuetudine antiqua, qua *Hause* dicebant pro *Hose*. Nam esset הוצא Vau quiescente in Holem. Qualia sunt in Latio, *orum* & *aurum*: *olla* & *aula*; unde Plauti Aulularia. ¶ *Et propagentur*] ושרצו & producant in magna copia, sive numerosum fœtum edant. שרץ propriè reptilium more propagare. Ceterum variè interpretantur. On. ויולדון & liberos procreent. Sic etiam Jon. Trem. *Abundè progignant*. Gallica edit. recentior, *qu'ils peuplent en abondance*. Munsterus, *ut prolificent in terra*. Hiero. *& ingredimini* ושרצו.

San-

Santes, *& repant.* Quod Arias inemendatum reliquit. Nam שֶׁרֶץ reptile. Hoc ſignificatu ſumitur Ezech. 47. ſi non fallunt nos Grammatici, qui hic legunt, *moventſe.* Prior interpretatio verior meô judiciô. Nam & capite nono hujus libri ſumitur pro terram numeroſa ſobole complere. *Fœtum edant*] creſcant, augeſcant. Creſcant propriè ſobole. פָּרָה ad verb. *fructum edant*, & intelligitur fructus ventris i. fœtus. On. & Jon. וְיִסְגּוֹן & augeſcant. Lxx. Munſteri רבו crevit, auctus eſt. Lxx. καὶ αὐξάνεσθε. Hiero. & *creſcite.* Legerunt, cum apices abeſſent, וְרָבוּ. Vide nunc, ſi placet, quæ de hoc verbo ſcripſimus, Gen. 1. 28.

18. *Egreſſus eſt ergo Noe & filii ejus & uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo.*

19. *Omnia animantia, omnia reptilia & omnes aves, omne quod ſe motat ſuper terram ſecundum familias ſuas egreſſa ſunt ex arca.*

Omnia animantia] vel, *omnes beſtiæ.* Sic etiam expones, quod in Lxx. πάντα τὰ θηρία. Nam θηρίον beſtia. § *Omne quod ſe motat*] quicquid ſe motat, vel omnia quæ motant ſe, aut quæ moventur & gradiuntur ſuper terram. Sic enim malo רוֹמֵשׂ, cum hic latè ſumatur, quam cum aliis, *quicquid repſit*, ſive *omnia quæ repunt.* § *Secundum familias ſuas*] vel, *juxta cognationes ſuas* i. per genera & ſpecies. Vetus certe interpres, *ſecundum genus ſuum.* Sed & Lxx. κατὰ γένος αὐτῶν i. למינהם. Alius interpres recentior, *per genera ſua* i. non confuſe. Abenezra, *ſecundum familias ſuas : ac ſi diceret* למיניהם *ſecundum genus ſuum* (aliàs juxta ſpecies ſuas) *Sunt, qui dicant eas generaſſe in arca & quamcunque familiam egreſſam eſſe, ita ut cum alia non permiſceretur : quod alienum non eſt.* Alii negant coiiſſe in arca. Si non coierunt, nec genuerunt. Id eliciunt ex eo, quod textus habet, *propagentur in terra.* Videndus R. Salomo.

20. *Poſt extruxit Noe altare DOMINO, & accepit ex omnibus beſtiis mundis, & ex omnibus avibus mundis, & obtulit holocauſta in altari.*

Altare extructum putatur in eo loco (non eſt credibile ſi arca quievit in Armenia) ubi antea Adam primus parens ſacrificaverat : item Habel & Cain. Quin ex ea terra Adam creatus putatur. In eodem loco extruxit Abraham, cum filium immolare vellet : & Salomo. Quod notatum in Breſith Rabba. Vide ɥoo 110. 1. § *Extruxit*] conſtruxit, ædificavit, erexit. Sed erexit i. הֵקִים. Hic eſt בָּנָה quod propriè ſignificat ædifico. Igitur Lxx. ᾠκοδόμησε, & Hiero. ædificavit. § *Altare*] θυσιαστήριον. § *DOMINO*] ad ſacrificandum DOMINO. On. & Jon. *Coram DOMINO.* Lxx. τῷ κυρίῳ. Et Domino, non idolis. § *Ex omnibus beſtiis*] Tremellius, *ex omnibus jumentis.* Minus placet. Quippe vox בהמה quam beſtiam reddidimus, etiam minora pecora comprehendit, ut ſunt oves & capræ : quæ jumenti vocabulo non ſignificantur, quod ſciam. Hiero. *& tollens de cunctis pecoribus.* בעירא quod On. & Jon. reddiderunt, non tam jumenta, quam beſtias denotat, vel pecudes. § *Ex omnibus*] quæ efferri ſolebant. Sunt autem oves & boves. Ovium vocabulo etiam hircos & capros comprehendunt. Aut *ex omnibus mundis* in genere. Nam eorum quæ offerri debebant nondum certa ratio præſcripta erat. § *Ex omnibus avibus*] ex avium genere columbæ ac turtures ſub Lege offerebantur. An alias ante legem Noe obtulerit, incertum. Hic locus arguit nullum genus exceptum fuiſſe. Erant autem avium mundarum multo plura genera, quam immundarum. Jon. paraphraſtes, *Accepit ex omni beſtia munda & ex omni ave munda & obtulit quatuor ſuper altare illud.* § *Obtulit holocauſta*] ויעל עלת obtulit oblationes, quæ à Græcis propriô vocabulo holocauſta dicuntur. Erant autem integra hoſtiarum corpora, quæ, quia tota comburebantur, ideo holocauſta nuncupata ſunt. Vocantur & holocautomata, & Ebraicè עלה eo quod in fumum aſcendant. Siquidem עָלָה propriè aſcendo & הֶעֱלָה aſcendere fecit. Sym. &c. vide ſupra. § *In altari*] i. ſuper altare, quod in Lxx. ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Ebra. במזבח cum Articulo, qui nunc vim obtinet ἀναφορικήν, itaque Jonathan מדבחא ההוא על *ſuper illud altare*, nempe quod extruxerat.

21. *Et odoratus eſt DOMINUS odorem quietis, dixitque Dominus in corde ſuo, Non addam maledicere ultra terræ propter hominem, quia figmentum cordis hominis malum eſt à pueritia ejus, & non addam ultra percutere omne vivens, quemadmodum feci.*

Odoratus eſt odorem quietis] humano more loquitur. Nam Deus non odoratur. Senſum eleganter expreſſerunt. On. & Jon. וקביל ברעוא ית קורבניה accepit cum benevolentia oblationem ejus, hoc eſt placuit & accepta ei fuit oblatio ejus. Doctè Abenezra, *Abſit ut Deus olfaciat. Sed ſenſus eſt, Acceptum, gratumque habuit holocauſtum ejus. Tralatio ab homine, qui odoratur odorem bonum i. ſuavem.* Ut hîc odorari, ſic alibi videre & audire dicitur, cum in Deum non cadat ullus omnino ſenſus. § *Odorem quietis*] i. quietem. Sic autem quietus dicitur ut pallida mors. Nam quia pallidos homines facit, ideo pallida vocatur. Sic odor quietus, quia animum quietum reddit ac placat. Alia expoſitio, *odorem quietum* i. ſuavem. Nam in eo animus acquieſcit. Quem ſenſum ſecuti ſunt Lxx. qui vertunt ὀσμὴν εὐωδίας : & Hiero. qui habet, *odorem ſuavitatis.* Sed verior expoſitio prior. R. Abraham Hiſpanus, ניחח *nomen eſt in verbo* נוח *& ſig. quietum i.* מנוחה. *In eo duplicatur ultima thematis, quemadmodum fit in* נאפופיה. *Senſus autem eſt, quod ſedaverit ſpiritum ab ira, vel quod quieſcere fecerit virtutem ſive robur altiſſimi.* § *Dixit in corde ſuo*] vel potius, *apud cor ſuum* i. apud ſe ipſum. Nam in fonte אֶל לִבּוֹ. Id Scholia Ebraica explicant עם לבו cum corde ſuo. Eadem ſententia in Onkeli & Jonathæ במימריה ואמר. *dixit DOMINUS in ſermone ſuo*, hoc eſt in ſe ipſo. Et in illo τῶν Lxx. εἶπε διανοηθείς : dixit recogitans, vel cum cogitaſſet. Sed manifeſtius Sym. interpres, εἶπε κύριος πρὸς ἑαυτόν. dixit DOMINUS ad ſeipſum. Theodotio καὶ αὐτὸς tranſtulit, εἶπε κύριος πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ : *dixit DOMINUS ad cor ſuum.* Interpres noſter, *dixit ad eum*, aliud ſecutus eſt. Nam pronomen retulit ad ipſum Noe, *dixit ad cor ejus* i. ad ipſum. Sic apud Ennium, *Quem credidit eſſe meum cor*, pro quem ego credidi. Hoc alienum & coactum mihi videtur. Quod ſenſum attinet, *dixit apud ſe* i. cogitavit. Si cogitavit duntaxat, unde ſcivit Noe? *An ex Spiritu Prophetico? Abenezra, Dixit cum corde ſuo & poſtea revelavit arcanum ſuum Nocho. Propheta enim erat.* Quidam ipſi Moſi hoc revelatum putant. R. Levi, *Dixit DOMINUS in corde ſuo, Mens horum verborum quod non patefecerit arcanum ſuum Prophetæ, quemadmodum homo, qui loquitur apud ſe & alius non audit verba ejus. Et eſt ſenſus, quod ſtatuerit, ſive decreverit non amplius perdere terram propter hominem, quemadmodum fecerat in diluvio &c.* § *Maledicere terræ*] quod antea bis fecerat. Primum Adami cauſa, poſtquam lapſus fuiſſet : deinde propter Cain parricidam. § *Propter hominem*] On. & Jon. *propter peccata hominum.* Lxx. διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων : propter opera hominum. § *Figmentum cordis hominis*] i. humani, & eſt ſenſus, quicquid cor humanum fingit, machinatur, cogitat. Hiero. certe habet, *cogitatio cordis humani.* & Lxx. ἔγκειται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ : quod reddunt, *quia permanet mens hominis diligenter ſuper mala.* § *Malum eſt*] Alibi, *duntaxat malum eſt.* Sic duntaxat malum eſt, ubi figmentum bonum? an malum natura, & bonum gratia? § *A pueritia ejus*] Hiero. *ab adoleſcentia ſua.* Lxx. quoque ἐκ νεότητος αὐτοῦ : à juventute ſua. On. מזעוריה i. interprete Fagio, *ab infantia ejus.* Jon. מטליותיה à pueritia ejus. Quidam enarrant, ab eo tempore, quo primum ſe movere incipit in utero materno. Nam tunc, inquiunt, נער dicitur. Quam verè viderint. R. Salomo, *Ex quo excuſſus fuit exeundo ex utero matris ſuæ indidit ei figmentum malum.* Ergò figmentum malum innata homini vitioſitas, quæ prona ſemper ad vitium. § *Percutere*] occidere. § *Omne vivens*] omne animans. Lxx. πᾶσαν σάρκα ζῶσαν ; omnem carnem viventem. Hiero. *omnem animam viventem.* Alias, *omnem animantem* : quod legitur in aliquot manuſcriptis. On. & Jon. *omne quod vivit.*

22 *Adhuc omnibus diebus terræ ſementis & meſſis, frigusque & æſtus, & æſtas & hyems, & dies & nox non ceſſabunt.*

Adhuc omnibus diebus terræ] Quidam, *deinceps omnibus diebus terræ.* עוד adhuc, iterum, denuò. Sig. etiam *in ævum* i. לְעוֹלָם. Sanè quidem Sym. vertit Pſal. 43. 5. εἰς ἀεί. & Pſal. 42. 6. Aquila διηνεκῶς, i. aſſiduo, continuo, perpetuo. Quidam hoc membrum ſimpliciter reddunt, *quamdiu terra erit.* Quale eſt Pſal. 146. 2. בעודי quamdiu ero. ſub. in vivis. Hiero. *cunctis diebus terræ.* Lxx. πάσας τὰς ἡμέρας τῆς γῆς : quod ad præcedentia referunt. § *Diebus terræ*] Quibus terra erit, aut ſtabit i. durabit. Sic alibi, *terra in ſeculum ſtat* i. durat, manet. Et *dies terræ*, ut *dies cœli.* Baruch. 1. *Sint dies eorum ſicut dies cœli.* Vult dicere, vivant quamdiu cœlum volvitur ſupra terram. Ita olim expoſuimus, nec adhuc pœnitet. Vide Proverbia mea. *Sementis*] Quod in Jeroſolymitana זרוע מן כדון pro עוד verto, *ex hoc tempore ſeminantes erunt.* On. prætulit זרעא, ut Jon. זרועא i. ſementis. זֶרַע propriè ſemen. Proindè in Lxx. legitur σπέρμα quod hîc accipies pro ſeminandi tempore : cui duos menſes aſſignat R. Salomo, videlicet dimidium Theſri, Marheſvan, & dimidium Chaſleu. § *Meſſis*] Meſſis inchoabatur XVI. Niſan, qui magna ex parte Martio reſpondet. Durabat autem, ſi credendum Nicolao, per totum Jar. i. Aprilem, uſque ad medium

Ma-

Majum, quem Sivan vocant Ebræi. ❡ *Frigusque & æstus*] קר וחם Lxx. ψῦχος καὶ καῦμα. On. קורא וחומא. Sic etiam Jon. Sed autor Jerosol. צינתא ושרבא frigus & calor sive æstus. R. Salo. *dimidium Chasleu & Thebeth & dimidium Sabath, frigus* i. קור. ita legendum, non חורף ut est in altera editione Veneta, quæ in folio complicat. Significat autem tempus anni, quo maximè friget. Unde dicunt קשה קר חורף. frigus durius est hyeme. 'Ο νῦν, frigus tum intensum est magis. Habetur hoc in Porta media, & est proverbium. ❡ *Æstus*] Idem Rabbi, Sunt ultimi dies solis, videli-„cet dimidum Ab & Elul & dimidium Thesri, quando mundus „calet supra modum. Unde adagium in tractatu Thalmudico, qui Joma vocatur, שילהי קיטא קשי מקיטא Extremum æstatis durius est æstate. Hinc sumpsit Nicolaus, quæ ad hunc locum „annotat, Secundum Ebræos hic dividuntur sex tempora, & „cuilibet tempori duo menses attribuuntur. Tempori sementis at-„tribuitur medietas Septembris & totus October, & medietas „Novembris. Tempori frigoris assignatur medietas Novembris, „& totus December & medietas Januarii. Tempori vero hyemis „medietas Januari: & totus Februarius & medietas Martii: & „secundum eos gravius est tempus frigoris, quam hyemis. Tem-„pori messis attribuitur medietas Martii & totus Aprilis, & medie-„tas Maii. In terris enim calidis aliqua tempestiva incipiunt col-„ligi circa finem Martii, & maximè secundum menses Judæo-„rum, quia primus mensis Ebræorum, cui correspondet Mar-„tius, semper concurrit cum aliqua parte Aprilis, & aliquando „ferè totus includitur. Tempori æstatis attribuitur medietas Maii „& totus Junius & medietas Julii. Tempori æstus attribuitur „Medietas Julii & totus Augustus & prima medietas Septembris. „Et est tempus æstus gravius in calore, quam tempus æstatis: „& ideò sic nominatur, sicut & de frigore & de hyeme di-„ctum est. ❡ *Æstas*] *tempus*, inquit R. Salo. *quo ficus colliguntur, & tempus, quo eas siccant in agris. Hinc assignant dimidium Sivan, & integrum Thammuz cum medio Julio qui Ab dicitur.* ❡ *Et hyems*] *tempus serendi hordea & legumina videlicet dimidium Sabat & Adar & dimidium Nisan.* Hæc R. Salomo. Hoc tempus ex parte in ver incidit. Ideò Lxx. hic vertunt ἔαρ. Sic etiam vertunt Psal. 73. 19. Jonathan vero hunc versum ita reddit, *Adhuc cunctis diebus terræ sementis in revolutione* (Thecupha Chaldaice) *Thesri, & messis in revolutione Nisan, & frigus in revolutione Thebet, & calor in revolutione Thammuz, & æstas & dies & hyems & nox non cessabunt.* Propriè תְּקוּפָה est exitus anni. Exod. 34. 22. Sed exitus quatuor partium anni sic vocarunt posteriores Judæi; quas Græci τροπὰς dicerent, hoc est conversiones. Vulgus Astronomorum revolutiones appellat. ❡ *Non cessabunt*] לא ישבתו id est לֹא יִפְסְקוּ non cessabunt. Id On. dixit לא יבטלון & Jon. לא יתבטלון. In Jerosolymitana verò legendum לא פסקין pro eo quod in libro quo usus sum לא כתקין. Restat Græca editio, in qua se frustra torquet Augustinus Eugubinus. Nam verba illa ἡμέραν καὶ νύκτα οὐ καταπαύσουσι latinè vertit, *diem ac noctem non sistent*, pro, *die ac nocte non requiescent.* Ita sumitur hoc verbum Ebræor. 4. 4. κατέπαυσεν ὁ θεὸς, requievit Deus. Hæc veritas interpretationis. Verba Steuchi, *Quid certe sibi velint* Lxx. *exploratum ipse haudquaquam habeo. Quid enim hyems atque æstas ad diem efficiendum? Vertunt itaque* θέρος καὶ ἔαρ, &c.

AMAMA.

4. Ebr. *Requievit arca mense* 7. בשבעה עשר יום *id est*, 17. die. Vulg. *Vicesimo septimo die mensis.*

Error manifestarius, in quo excusando subtilissimo etiam hæserit aqua. Seductus dubio procul Interpres à Græcis est, qui hic habent ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς, nulla notata varia lectione. Sed hunc jam ipsi Pontificii notarunt, ut summopere mirer pertinaciam Pontificiorum qui nihil in textu hactenus mutarunt, credo ne ulla imbecillioribus oboriretur suspicio, quidpiam falsi unquam Vulgatam habuisse. At Cajetanus ingenuè & audactèr, *Juxta Ebræum, habetur non 27. sed 17. die.* Audiamus & Steuchum, *tam in nostris, quam Græcorum codicibus, est error, subducendi enim sunt ex hoc numero decem, ut relinquantur 17. sicut habet Ebr. veritas.* Idem judicium de hoc loco est Joh. Benedicti Theol. Parisiensis. Nos Ebræam lectionem, ne quis codices hodiernos corruptos asserat, stabilitum ibimus authoritate Chaldæi Onkeli, qui sic vertit, בשבעה עשר יומא לירחא *in 17. die Mensis* & (*a*) Steuchi, cujus hæc sunt, *Neque credere par est Ebræos codices esse corruptos, quando is numerus consentit cum CL diebus, quibus terras labefactavit diluvium, & Chaldæa Editio idem testatur.* Non indigna autem quæstio quæ hic διεξοδικῶς perstringatur, quid Lxx. impulerit hoc loco ab Ebræis codicibus recedere? Sunt qui suspicantur eos שבעה עשר יום litera Vau in יום non animadversa & Mem juncta voci עשר legisse שבעה עשרים At ut doctissime notavit Mercerus, tunc Ebræi interjicerent Vau, dicerentque שבעה ועשרים Melius itaque divinat cum varietatem hanc imputat difficultati & scrupulo qui præstantissimos Interp. hic torsit. Refert Moses cap. 7. 24. Invaluisse. i. ut communiter exponunt, auctas fuisse aquas super terram CL. diebus. Hic vero dicitur arcam requievisse desiisseque natare decimo septimo die mensis septimi. Jam vero licet exordium CL. dierum sumas ab initio diluvii, videlicet, decimo septimo die mensis secundi, etiam inclusis istis 40. diebus quibus pluit Dominus, terminabuntur tamen XIX. aut XX. die mensis septimi. Si itaque aquæ increverunt usque ad XIX. diem mensis septimi, quomodo potuit biduo ante resedisse arca super montes Ararat? Cum Scriptura dicat aquas XV. cubitis altissimos etiam montes supergressas. Hic ut se expedirent Lxx. maluerunt nodum secare quam solvere. Quia enim impossibile hoc judicabant, decendii vel X. dierum spatium adjecerunt, ut hoc modo aquis spatium aliquod decrescendi adderetur. Quis Pontificius eum modum solvendarum difficultatum probaverit? Potuisse aliter curioso Lectori satisfieri Lyra, Ebræorum quorundam vestigiis insistens ostendit. Putat enim ille hic non intelligi septimum mensem anni. i. septembrem, sed septimum ab initio cataclysmi. i. octavum anni, Octobrem, vel septimum à cessatione aquarum 40. dies defluentium qui incideret in Novembrem. Verissima solutio est quam R. Isaac Ben Arama in suo עקידת יצחק & ex eo Johan. Mercerus protulit, hæc sc. verba illa versus ultimi cap. 7. ויגברו המים non significare, & *invaluerunt* vel *aucta sunt creverunt que aquæ*, sed *valida fuerunt.* i. ut Vulgatus optime expressit, *obtinuerunt aquæ terram*, quod verissime dici potuit, etiamsi circa CL. istorum dierum finem paulatim decreverint. Hæc quia à Mercero prolixius disputantur, in paucas has lineas libuit contrahere.

7. Ebr. *Dimisit corvum qui exiit exeundo & redeundo &c.* Vulg. — *qui egrediebatur & non revertebatur.*

Exiit exeundo & redeundo, hoc est, ut omnes Ebraice periti norunt, ultro citroque volitavit circa arcam, vel, indesinenter ibat & redibat, sive ad arcam sive in arcam. Lovanienses nullam hic variam lectionem notarunt in apparatu ad Biblia Regia. At in Edit. Bibliorum Plantin. 1583. notatum reperiri *sex Ms. R. H. Ch.* (id est sex manuscripta, Regia Biblia, Hebræos, Chaldæosque) *non legere negationem.* Unde & Christophorus a Sacrobosco Jesuita, defensione sententiæ Conc. Tridentini, parte 4. cap. 5. asserit *esse codices Latinos magnæ authoritatis qui sine negatione legant, ut in Ebrais habetur.* Et tamen his non obstantibus Correctores Romani (teste Luca (*b*) Brugensi) *non judicarunt notam negationis omittendam esse*, opinati dubio procul eam non librariis sed ipsi Interpreti imputandam esse. Mihi etiam dubium non est quin Interpres eam addiderit, nam & Lxx. quos plerumque noster secutus est, negationem habent καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν i. & cum exiisset non reversus est. At dicent sensum eundem esse, reversus est ad arcam, non reversus in arcam. Verum quo fundamento & qua authoritate hoc asserunt? Unde hoc iis constat? Codices Ebræi consentiunt, Chaldæus uterque astipulatur, Doctores plerique Pontif. agnoscunt additam negationem, nonnulla exemplaria expungunt, Ebræa adeo clara sunt, quorsum itaque hic quærimus κρυφὸν ζητεῖν, non alio fine quam ut Concilio Tridentino sua constet authoritas? Ut ut enim Interpretis ea mens fuerit, corvum non reversum esse in arcam scilicet, licet ad arcam, quis eam odorabitur? Et quis ex Ebræo textu non eadem firmitate & consequentia idem colligat? *Et exiit exeundo & redeundo*, ad arcam sc. non in arcam. Ingenuitatis itaque laudem meretur (*c*) Senensis, dum hunc Vulgatæ errorem fabulosissimas quæstiones invexisse asserit, ideoque subtrahendam a codicibus negationem contendit, testemque laudat (*d*) Augustinum Steuchum Episcopum Kisamensem. Cui ego addo (*e*) Pagninum & Joh. Benedictum celeberrimum illum (elogium hoc Senensis de eo est) Theologum Parisiensem in margine suorum Bibliorum.

17. Ebr. שרצו בארץ ופרו ורבו *Sharetzu baaretz uparu verabu.* Vulg. *Ingredimini super terram, crescite & multiplicamini super eam.*

Primam, quæ hic sese offert, diversitatem ponam verbis Cajetani

(*a*) *Eadem hæc verba habet Senensis Biblioth. lib. 5. annot.* 82.

(*b*) *In Catalogo locorum insigniorum correctionis Romanæ.*
(*c*) *Biblioth. lib.* 5. *annot.* 83. (*d*) *Vide ejus Recognitionem Pentateuchi. pag.* 180. (*e*) *Epistola quam novæ suæ versioni præfixit.*

jetani, *Hæc omnia*, inquit, *in Ebr. habentur in tertia persona futuri indicativi. Ita quod non sunt verba præcepti, sed explicativa actionum sive officiorum, ad quæ perficienda mandabantur exire.* Et certe impossibile est ut הוצא sit imperativus, ut ut *sharetz* שרץ & רבו quoad formam possint esse Imperativi Piel. Et licet hic pro nobis præter rationem manifestam militet Chaldæus, tamen hoc non ulterius exagitabimus, ne milium terebrando, quod ajunt, tempus exhauriamus. Majus πάρεργον est quod שרצו quod Gen. 1. 20. ipse vertit *producere*, & Exod. 8. 3. *Ebullire*, hic vertat *ingredimini*. Tutius certe hic secutus fuisset Græcos, qui in male versis eos tam industrie æmulatus est. Illi enim hoc loco habent αὐξάνεσθε. Adeo periculosæ plenum aleæ opus est, si quis aliorum laboribus tantum subnixus ad versiones S. Literarum præsumat accedere. Hinc enim fit ut dum optimam sententiam putant se sequi, pessimam plerunque adversante quasi fortuna eligant, & uniuscujusque Interpretis errorem sequantur. Sed ad rem שרץ cum intransitive ponitur significat *repere*. Ea interpretatio, licet eam hic secutus sit Pagninus & ad eam alluserit Vulgatus, stare non potest, eo quod non conveniat omnibus animalibus quorum hoc versu facta mentio, nec enim ea quæ sub בהמה *behemah* comprehenduntur dicuntur repere, ut nec homo, de quo usurpatur eadem vox Gen. 9. 7. Transitive ergo capienda. Ita proprie & ἀναλόγως eorum animantium est, quæ repunt & sese quasi trahunt & sub nomine collect. שרץ *Sheretz* continentur, ut *Natatilia* seu *aquatilia*, τὰ νηκτά, quæ Levit. 11. 10. שרץ המים *Sheretz hammajim* vocantur; Reptilia terrestria τὰ ἑρπετά, quæ specialiter רמש *Remesh* vocantur hoc eodem versu, & volatilia, quæ Levit. 11. 20. שרץ העוף *Sheretz haghnoph* vocantur. R. Sal. שרץ Sheretz *vocatur omne vivens quod non admodum supra terram elevatur.* Nota tamen quod & ad alias species subinde extendatur, nam & de Filiis Israel dicitur Exod. 1. Ubi copiosæ sobolis significatur propagatio ait Mercerus. Significat autem proprie, *cum copia & multitudine producere vel produci*: Scindlerus. *abunde progignere*, Jun. *Gignere vel gigni in multitudine*, Pagn. *ebullire*, *scaturire*, *eructare*, Mercerus. Cajet. ad Gen. 1. 20. *Nec significat purum efficere reptile, sed efficere in multitudine.* Et Steuchus ad locum similem Genes. 9. 7. pro *ingredimini* dicit vertendum *propagamini*, *pullulate*. Et Ebræus Lexicogr. שרצה היא רב התולדה significat multitudinem generationis. Onkelos יתילדון *procreent*. Sed in re clara nimis jam prolixus fui.

19. Inseruit Vulgatus vocem *jumenta*, non ex Ebr. sed Græcis, eosdemque secutus τὸ *volatile*, cujus in Ebr. & Chaldæo mentio, exterminavit.

21. Ebr. *Figmentum cordis hominis malum est à pueritia sua*, מנעריו minnegnurau. Vulg. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.*

Nimium hic sibi indulsit Interpres, quo fine novit ille qui omnia, dum vocem רע *malum* vertit *pronum ad malum*. Sed & alia se hic prodent, si ad obrussam textus Ebraici locum examinaverimus. Tria hic commissa esse docet D. Paræus, Comm. ad hunc locum, 1. quod omne figmentum cordis restringat ad sensum & cogitationem. 2. est, quod jam à nobis notatum est circa vocem רע *malum*. 3. quod τὸ מנעריו vertit *ab adolescentia sua*, ac si pueritia, quæ ætas adolescentiam antegreditur, ipsaque infantia ab hac pravitate esset immunis & exempta. Atqui non adolescentiam tantum sed & ipsam pueritiam & infantiam significat, eamque magis proprie. Adolescentia proprie בחורים & בחורה & עלמה & עלומים dicitur. Sed do fateorque vocem נעורים & pueritiam & adolescentiam complecti, cur hic tamen (*f*) *pueritiam* malim, hæ causæ sunt. 1. quod magis propria & usitata pueritiæ notio sit; 2. Etsi id non esset, paribusque passibus hæ duæ notiones ambularent, ea tamen videtur ponenda interpretatio quæ subjectæ materiæ magis conveniat. Cum autem universale axioma sit quod hic ponit Moses, rogo an non etiam puero competat, ut sic mihi liceat inferre, ergo etiam figmentum cordis pueri malum est. Quis hoc negaverit? Atqui quis sensus erit Figm. cordis pueri malum est ab adolescentia sua? Cur ergo non eam significationem sumimus, quæ omnium ætatum primam & infimam ponit, pueritiam videlicet: nam de corde Senis, viri, adolescentis, ipsiusque adeo pueri optime dixero, malum esse à pueritia sua, i. ex quo puer esse cœpit. i. ex quo natus est. Pulcre concinit Onkelos, *Et figmentum cordis hominum malum est* מזעריה *a pusillitate*, ut sic dicam, *& parvitate sua*. זעיר enim pusillum & parvum significat. R. Sal. ad ipsam vocis originationem respiciens, מעת שננער לצאת ממעי אמו i. *ex quo excussus est egrediendo ex utero matris suæ.* נער enim *excussit.*

(*f*) *Cum Cajet. quem & hic & Gen. 6. vide. Adi & Witak de pecc. Orig. 2. 11. Confer cum Gen. 6. 5. Ubi dicitur Omni die, ergo etiam diebus infantiæ. Vide & Genebr. Psal. 119. 1. Otion. 2.*

GROTIUS.

4. *SUper montes Armeniæ*] Generali nomine contentus fuit hic interpres. Sunt autem ii montes qui vetus nomen habuêre *Ararat*, quod hîc est in Hebræo, dicti postea Gordyæi, quod nomen hîc habet Josephus, duo Chaldæi interpretes, & Arabs, sed literâ unâ corrupta. Mentio eorum apud Strabonem, Curtium, Plinium, ut ad librum 1. pro Veritate Christiana notavimus. Eadem Καρδίχα ὄρη Agathiæ: Καρδ-χα Xenophonti, Sallustio montes Corduini. Nomen ipsum Ararat ad sua tempora apud Armenios mansisse ait Philostratus.

7. *Qui egrediebatur: & non revertebatur*] Sic & Græci omnes: καὶ ἀνελθὼν οὐκ ἀνέστρεψε [*& abiens non est reversus*], unde apparet olim hîc variasse codices. Hebræa lectio sic exponi potest, ut *corvus* dicatur modò longius avolasse ab arca, modò eam propius advolasse, sic tamen ut in arcam non intraret. Corvus in montibus quanquam humentibus cadavera reperiebat quibus pasceretur. *Olea* siccum amat & humile.

9. *Quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus*] Nullam in campis siccam planitiem.

13. *Viditque quod exsiccata esset superficies terræ*] Ita ut virgulta conspici possint: nondum plenè, ut mense altero. Ideo Græci hîc posuêre ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ [*defecit aqua:*] in sequenti verò ἐξηράνθη [*siccata est aqua*]. In Hebræo quoque verba differunt חרבו & יבשה.

20. *Ædificavit autem Noë altare Domino*] In locis montanis, in quibus prima post diluvium habitatio. Plato de Legibus III.

21. *Et ait*] In Hebræo hic additur *ad cor suum*: πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ, ad verbum Theodotion: pro quo Symmachus πρὸς ἑαυτόν [*ad se*]. Maimonides explicat: nemini hoc suum propositum eo tempore patefecit.

Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua] Id est, non ob id quod corrupti sunt homines, posthac puniam universos, sed sceleratiores. Benè fert hunc sensum Hebræa constructio.

Ab adolescentia sua) ἐκ νεότητος αὐτοῦ [*à juventute sua*], quomodo plerumque vertunt hanc vocem LXX. Onkelos מזעריה à parvitate. Rabbi Salomo, *ex quo exceptus est è visceribus matris suæ*, hyperbole tali qualis est Ps. LVIII. 4. LXXI. 6. Esaiæ XLVIII. 8. Job XXXI. 18.

CARTWRIGHTUS.

1. *ET clausi sunt fontes, &c.*] In nonnullis exemplaribus τῶν LXX. est ἀπεκαλύφθησαν *revelati sunt*. Sic legit Hieron. Pro revelatis fontibus (inquit in Tradit.) clausos & obturatos omnes Interpretes transtulerunt. In Hebræo est ויסכרו quod Aben Ezra exponit per ונסתמו, i. e. *Et clausi sunt*. Targ. Jonathæ ואסתגרו. R. Sal. notat antea dictum, omnes fontes fuisse apertos, hîc autem non dici, omnes fuisse clausos, propterea quòd nonnulli ex iis ad usum mundi relicti fuerint, quemadmodum aquæ calidæ Tiberiadis, & ejusmodi.

ויחסרו המים *Et defecerunt aquæ.*] i. e. התחילו לחסור, *inceperunt deficere*, ut explicat R. Salom. Sic vulg. *cœperunt minui*.

Post 150 dies.] Vide ad cap. 7. 24.

Mense septimo.] Jonath. Mense septimo; is est mensis *Nisan* (i. e. *Martius*) Septimus scil. iste est mensis, si à *Tisri*, i. e. *Septembri* numerare incipias. At R. Sal. vult hunc mensem esse *Sivan* (i. e. *Maium*) septimum scil. à *Casleu*, i. e. *Novembri*, quo mense pluviam cessasse asserit. Sed altera expositio, ut nimirum juxta ordinem mensium anni menses numerentur, multò concinnior commodiorque esse videtur; alioquin enim si modò hoc, modò illo modo numerati fuerint, nimia erit confusio.

4. בשבעה עשר יום *Die decimo septimo.*] LXX. ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι. Vulg. *Vicesimo septimo*. Videntur legisse בשבעה עשרים, ut notat Mercerus. Seu potius בשבעה ועשרים, ut ver. 14. Neque credere par est (inquit Sixtus Senensis Bibl. S. lib. 5. annotat. 82.) Hebræos codices esse corruptos, quando is numerus consentit cum 150 diebus, quibus terras labefactavit diluvium, & Chaldaica idem attestatur. Amama etiam in Cens. testatur Steuchum, atque alios ex Pontificiis ingenuè fateri, esse errorem. Josephus autem eundem errat errorem, Antiq. 1. c. 4.

Super montes Ararat. (*a*)] LXX. ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ Ἀραράτ. Chald. super

(*a*) *Jonathan, Super montes Kidron* (על טורי קדרון *fortè debet esse* קרדון) *nempe montem Kardunia, & montem Armeniæ.*

per montes Kardu. Vulg. *super montes Armeniæ.* Hanc interpretationem non alienam censet Gualtperius, quia Isai. 37. ult. Lxx. pro terrâ Ararat habent *Ἀρμενίαν*. Asserit etiam Chaldæum Jer. 51. 27. ubi in Hebræo, Græco & Latino retinetur vox Ararat, exponere, Annuntiate contra illam regnis terræ Kardu, exercitui Armeniæ & Hadeb. Ergo (inquit) ex consensu Chaldæi Paraphrastis, Lxx. & Latinæ vulgatæ, Ararat non aliam quàm Armeniæ regionem designat. Hæc porrò cùm duplex sit, major viz. & minor, dubium non est, quin in citatis Scripturæ testimoniis ea intelligatur, quæ Assyriæ & Mesopotamiæ sit vicinior, Armenia, inquam, major, Caspio mari juncta. Hæc Gualtperius. De Chaldæo autem hallucinatus esse videtur. Is enim Jer. 51. 27. pro Ararat habet קרדו *Kardu*, pro Minni autem הורמיני, vel ut in commentario Kimchii scribitur ארמיני, qua voce fortasse denotatur Armenia. Gualtperius perperam videtur existimâsse Kardu & Hurmeni à Chaldæo pro eodem fuisse posita. De Ararat autem, Josephus etiam Antiq. l. 1. c. 4. eam Armeniam interpretatur, Vide Fullerum Miscell. lib. 1. cap. 4. ubi fuse, ac eruditè (ut solet) de regione Ararat, & loco, in quo Arca requievit, disserit.

5. *Usque ad mensem decimum.*] Jonath. Usque ad mensem decimum, mense *Tammuz*, i.e. *Junium*, qui scil. à *Tisri*, seu *Decembri* est decimus. R. Salom. ait hunc mensem esse *Ab*, i. e. *Julium*, qui à *Marhesvan* seu *Octobri*, quo mense pluvia incepit, est decimus. Sed ob rationem antea allatam Jonathanis computatio præferenda videtur.

7. ויצא יצוא ושוב *Et exiit exeundo & redeundo.*] Lxx. καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψε. Vulg. *qui egrediebatur, & non revertebatur.* (b) Augustinus, Chisamensis Episcopus (uti refert Senensis Biblioth. S. lib. 5. annotat. 83.) Fecit, inquit, hic error, ut fabulosissimas quæstiones huc invexerint expositores; quærentes, quo loco abfuerit Corvus per tot dies extra Arcam, & ubi resederit, cùm aquæ siccatæ nondum essent, & an reversus sit Corvus ad Noë in Aarcam post aquarum exsiccationem; quia Moses, juxta depravatam Scripturam dicit, *Et non reversus est, donec exsiccarentur aquæ.* Subtrahenda est igitur tam à nostris, quàm Græcis codicibus negatio, & juxta Hebraïcam veritatem, & Josephi interpretationem, legendum est *Corvum rediisse in Arcam.* Aloysius autem (ut est ibid. apud Senensem) ait, locum non malè versum, ut quidam arbitrantur. Nam cùm dicitur, *Corvus egressus est egrediendo & redeundo, donec exsiccarentur aquæ super terram*, includi hanc negativam, quod postquam siccatæ sunt aquæ, non revertebatur; ità quod primo egressu circa Arcam volitabat, ac si regredi vellet, donec siccarentur aquæ; inde perfectè egressus non est reversus, sicut (inquit) nostra sonat litera cum Græcâ, & Josepho. At quid hæc sibi velint, haud scio. Non enim dicitur in versione τῶν Lxx, & vulgatâ Latinâ, Corvum non rediisse postquam siccatæ sunt aquæ, sed *donec siccarentur aquæ*, cum Aloysio ipso fatente in Hebræo pariter ac Chaldæo planè contrarium habeatur. De Josepho autem, quod dicit eum cum Lxx. & Vulg. consentire, mirum videtur, cum Josephus Antiq. lib. 1. cap. 4. apertè dicat, Corvum ad Noë esse reversum. Amama in Cens. citat Christophorum à Sacrobosco Jesuitam, asserentem esse codices Latinos magnæ authoritatis, qui sine negatione legant, ut in Hebræis habetur. Ejus autem quod in Hebræo dicitur, Exiit exeundo & redeundo, sensus (ut exponit Amama) est, ultrocitroque volitavit circa Arcam, vel indesinenter ibat & redibat, sive ad Arcam, sive in Arcam.

9. *Columba autem non invenit, &c.*] Jam antè apparuerant cacumina montium, sed ex diuturnâ morâ aquarum super terram, terra non erat desiccata adhuc, sed erat quasi lutum, in quo non libenter quiescit columba. Lyra.

11. *Et ecce* עלה זית טרף *folium olivæ decerptum, &c.*] Vulg. portans ramum olivæ virentibus foliis. Hunc locum intactum reliquit Amama; at, ut notat Senensis Biblioth. S. lib. 5. annotat. 84. Hebraica veritas *olivæ folium*, neque (c) siccum, neque virens fuisse indicat. Lxx. εἶχε φύλλον ἐλαίας κάρφος, &c. Chrysostomi Interpretes (ut monet Senensis) vocabuli κάρφος ambiguitate decepti, vertit, *habens folium olivæ siccum, &c.* In Edit. Rom. Latinè vertitur, habens *folium olivæ, festucam, &c.* Refert autem Nobilius Ambrosium κάρφος interpretari *ramum*, Augustinum vero, *surculum*. Et Senensis asserit Aben Ezram dicere idem esse folium olivæ, & Taraph, i.e. ramum. Sed Ab. Ezra tantum dicit, יש, i. e. esse qui dicant; ipsius autem sententia est, טרף idem esse quod טרוף, i. e. *raptum, decerptum.* Ità interpretatum esse Chaldæum, idque rectius quàm Lxx notat ipse Senensis.

17. ושרצו בארץ *Et copiose procreent in terrâ.*] Non autem in Arcâ, inquit R. Salom. qui hinc colligit non solum homines, verum etiam reliqua animalia, dum in Arcâ erant, à coitu abstinuisse. Mercerus ad cap. 7. 2. de hominibus hoc sentit, de reliquis autem animantibus minus putat probabile. De verbo *Sharats* vide supra ad cap. 1. 20.

19. למשפחתיהם *Juxta familias ipsorum.*] Sic ad verba sonat; rectè exponit Aben Ezra כמינם, i. e. *secundum speciem suam.* Refert autem nonnullos dicere, animalia in Arca peperisse, & non promiscue ac confuse, sed per suas quæque familias exiisse, nec hoc putat improbabile.

20. *Et ædificavit Noa altare, &c.*] Jonathan (quo fundamento nixus haud scio) ait id fuisse altare, quod exstruxerat Adam, super quo & ipse, & Cain & Abel obtulerunt; cumque aquis diluvii dirutum fuisset, à Noa fuisse reparatum.

21. *Et odoratus est Dominus* את ריח הניחח *odorem quietis.*] Lxx. ὀσμὴν εὐωδίας, *odorem suavitatis.* Græca ista phrasis ab Apostolo usurpatur Ephes. 5. 2. & Philip. 4. 18. Chaldæus sensum non infeliciter expressit, וקביל יי ברעוא ית קרבניה, i. e. (d) Et suscepit Dominus cum favore oblationem ejus. Similiter Aben Ezra, חלילה חלילה, i. e. *Absit, Absit* (inquit) *ut Deus odoretur, sed sensus est, quod suscepit holocaustum, & quod id rectum fuit in conspectu ejus, quemadmodum homo bonum odoratur odorem, eoque delectatur.*

Figmentum (יצר) *cordis humani malum est* מנעריו (e) *à pueritia ejus.*] Lxx. ἐκ νεότητος. Vulg. *ab adolescentia.* At נער etiam *puerum*, & נעורים *pueritiam* denotat. R. Salom. (ut notat Amama in Cens.) ad vocis originationem respiciens, sic explicat, משננער לצאת ממעי אמו, i. *ex quo excussus est egrediendo (vel ut egrediatur) ex visceribus matris suæ.* Chald. מזעריה *à parvitate suâ.* Vel ut Fagius vertit, *ab infantia sua.* De voce יצר vide supra ad cap. 6. 5.

22. *Sementis & messis, &c.*] Jonath. *sementis* (erit) *in revolutione Tisri*, i.e. *Septembris*; & *messis in revolutione Nisan*, seu *Martis*; & (f) frigus in revolutione *Tebeth*, i. e. *Decembris*, & (g) calor in revolutione *Tammuz*, i. e. *Junii.*

22. וקר *Frigus.*] Lxx. ψῦχος. Vulg. *frigus.* Mercerus ad Prov. 20. 4. ait קר propriè esse *hyemem.* Sic Aben Ezra ad Exod. 12. 1. ubi quatuor anni tempora sic recenset, קר וחום קיץ וחורף (eodem plane ordine, quo hic voces istæ occurrunt) per *Kor* intelligere videtur hyemem, per *Hom* æstatem, per *Kaijts* ver, & per *Horeph*, autumnum. R. Salom. ait קר קשה מחורף, i. e. *Kor* graviorem esse quàm *Horeph*; unde apparet eum vel per *Kor* intelligere *hyemem*; per *Horeph* autem aliud aliquod tempus minus frigidum; vel *Kor* accipere pro asperiore parte hyemis, & *Horeph* pro parte ejus mitiore. Atque hæc quidem ejus videtur sententia. Nam de *Horeph* loquens ait, esse *tempus, quo seritur hordeum, & legumen*, החריף לתבשל מהר, i. e. *quæ apta sunt citò maturescere*; atque id tempus esse dimidium mensis *Sebat*, & *Adar*, & dimidium *Nisan*, h. e. *à medio Januarii ad medium Martii.* Hinc apparet eum accipere *Horeph* pro posteriore parte hyemis, quæ solet esse mitior; ac consequenter *Kor* pro parte hyemis priore, quæ solet esse asperior.

וחום *Et æstus.*] Lxx. καὶ καῦμα. Vulg. *& æstus.* R. Salom. ait *Hom* esse סוף ימות החמה, i. e. *finem dierum solis* (posteriorem partem æstatis) nempe dimidium mensis Ab (Julii) & Elul (*Augusti*) & dimidium Tisri (Septembris) quod tempus ait semper esse calidius.

וקיץ *Et æstas.*] Lxx. θέρος. Vulg. *æstas.* Mercerus putat ver denotare. Et sic Aben Ezra ut notatum ad vocem קר. R. Salom. ait esse tempus, quo ficus colliguntur ac exsiccantur; atque ideo ficus ipsas appellari *Kajits.*

וחורף *Et hyems.*] Sic vulg. At Lxx. καὶ ἔαρ, *& ver.* Mercerus ad Prov. 20. 4. ait Hebræos sumere pro autumno. Ità ab Aben Ezra sumi videri, notatum antea ad dictionem *Kor.* At idem Mercerus ad Amos. 3. 15. asserit hyemem dictam esse חורף, quod tum deformentur & dehonestentur arbores, herbæ, & campi, quæ æstivo tempore florebant. חרפה enim probrum est. Ob hanc etiam causam ait Hebræos existimare tempus (h) juventutis eodem nomine appellari, quòd ea vitiis & probris sit maximè obnoxia. R. Salom. de hâc voce sententia exposita est suprà ad vocem *Kor.*

CAP.

(b) *Hieron. in Tradit. De Corvo (inquit) aliter dicitur*, Et egressus est, exiens & non revertens, &c. *At hoc idem est cum eo quod habent* Lxx *& Vulg. Ergo ut rectè censet Fagius in Collat.* Non *est expungendum. Idque etiam ex Lyra in hunc locum apparet.* (c) Neh. 8. 15. Ramum olivæ significat.

(d) *Sic etiam exponitur in Targum Jonathæ.* (e) *Vox* נער *de Mose usurpatur, cum esset infans. Exod. 2. 6.* (f) תקופת (g) תמוז. (h) *Job. 20. 4.* חורף *pro juventute usurpatur.*

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. FRuctum ferte & multiplicamini*] Repetit Deus in initio hujus capitis conjugium, & conjungit denuò post diluvium masculum cum fœmina, ut repleatur terra hominibus. Quia enim Deus peccato libidinis ante diluvium ad iram commotus erat, ideo nunc necesse fuit propter tam horribile iræ exemplum ostendere quòd Deus legitimam conjunctionem maris & fœminæ non oderit nec damnet, sed velit per eam propagari genus humanum, ut sit ceu seminarium Ecclesiæ.

2. *Pavor vester*, sive, *vestri pavor*, *erit super cunctum animal*] Fugient, inquit, cuncta animalia terræ conspectum vestrum, cognoscéntque vos non solùm habere dominium super ea, ut à principio creationis, sed & quòd ego vobis illa in cibum jam tradiderim, dederímque potestatem absolutam vitæ & mortis. Quia enim gravior servitus animalibus imposita est, vobis autem amplius dominium, animalia terrore vestro atque periculo suo permota fugient vos. Hactenus enim homines tantùm ad operas suas usi erant animalibus & ad oblationem, non ad cibum & alimonium: Sed quia Deus in diluvio abstulit eximiam illam bonitatem fructuum, seminum & herbarum, quibus solis homines ante diluvium alebantur, concessit jam ingens beneficium, ut vescerentur carnibus bestiarum, volucrum & piscium. Auctum ergo est in hoc loco hominis dominium, & animalia bruta homini ad servitutem sunt subjecta usque ad mortem, ideo metuunt & fugiunt hominem propter hanc novam & hactenus in mundo insuetatam ordinationem. Fuisset quidem pio homini ante diluvium abominatio, occidere vel aviculam ad cibum; sed cùm nunc accedit verbum Dei, intelligimus singulare hoc esse beneficium. Restringit tamen mox illam libertatem de carnibus vescendis, ne carnem comedant in anima sua, &c.

4 *Carnem in anima sua*] R. S. sic exponit, *Membrum de vivente animali abscissum non comedetis, quamdiu scilicet anima ejus est in illo: neque sanguinem ejus comedetis.* Significat enim sæpe apud Hebræos *anima* eam vitam quæ sanguine & halitu continetur. Prohibetur autem hic nè crudeles simus in bestias, & subinde hanc crudelitatem in hominem perpetremus. Totus enim hic locus de homicidio est. Et quod subditur, *De manu viri fratris sui*, quidam sic interpretantur, *De manu uniuscujusque proximum ejus requiram.* Capitur enim in Hebræo sæpe *frater* pro *proximo*, & *vir* pro *unoquoque*. Onkelos verò sic vertit, *De manu viri qui effuderit sanguinem fratris sui, requiram*, &c R. Moses de Cozi & Aben Ezra hunc locum dilucidè in hunc modum interpretantur, *Ob id quod vobis concessi esum carnium animalium, non debetis esse crudeles in bestias ipsas, ut comedatis membrum de vivo animali. Nec hinc vobis licitum putetis, ut pro qualibet causa hominem interficiatis, ac si pecus aliquod esset; cùm ille ad imaginem Dei sit formatus, non autem pecus. Imò nè bestiam vult Deus occidi, nisi religiosè id fiat, h. e. vel ad sacra, vel ad usus hominum. Multò minus vult occidi hominem, nisi autoritate Divinâ.* Scribunt Hebræi, filiis Noah data septem præcepta, quorum observatione etiam gentiles salvati fuerunt tempore currentis Legis, etiam si legalia quæ Judæis data fuerant non servaverint. Sunt autem ista: שבעה דברים נצטוו בני נח על הדינין ועל ע״ז ועל גלוי עריות ועל שפיכות דמים ועל קללת השם ועל הגזל ועל אבר מן החי *Non maledicere nomen Domini*, includit verum Dei cultum, sicut & Detestatio idololatriæ. Reliqua præcepta includuntur in secunda Tabula. Dicit itaque hic Dominus, Prohibeo vobis, 1 Nè quis seipsum interficiat: alioquin *sanguinem vestrum de animabus vestris requiram.* 2 Nè quis bestiam incitet in hominem ut illum devoret: alioquin *requiram sanguinem illum de manu cuncti animalis.* 3 Nè quis alium conducat qui nomine ejus hunc vel illum occidat; aut nè quis per se ipsum aliquem interficiat: alioquin *de manu hominis & de manu viri fratris sui requiram animam hominis.* Et quando subditur, *Qui effuderit sanguinem humanum effundetur per hominem sanguis illius*, instituit Dominus quòd homicida ab homine interficiatur; id quod ante hanc promulgationem non fuerat usitatum in mundo. Nam totum judicium sibi Deus sumpserat; ut etiam nollet Cain homicidam interfici ab homine: Sed cùm videret quotidie mundum magis ac magis corrumpi, tandem diluvio pœnas ab impio mundo exegit: Et post diluvium communicat potestatem suam cum homine, & tribuit ei potestatem vitæ & mortis inter homines; sic tamen, si sit reus effusi sanguinis. Et hic est fons ex quo manat totum jus civile & jus gentium. Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam & mortem, profectò concedit etiam potestatem super id quod minus est, ut sunt fortunæ, familia, uxor, liberi, servi, agri. Magistratus ergò hic à Deo instituitur, & gladius datur ei in manus, in vindictam malorum, & laudem bonorum.

13 *Arcum meum posui*] Negant quidam Iridem fuisse ante illud tempus: Verùm textus Hebræus indicat etiam antè fuisse, sed tum primùm signum fœderis esse cœpit, quòd diluvium amplius non esset venturum. Et nos quoties Iris apparet, aliud nihil debemus cogitare, quam quòd Deus quasi viva voce concionatur toti mundo de ira quâ Deus per diluvium totum mundum olim perdidit, & consolatur quòd deinceps benè nobis cupiat, non usurus tam horribili pœnâ erga genus humanum.

20 *Vir terræ*] Vocat Hebraismus *virum terræ* eum qui colendæ terræ est deditus, sicut *virum sanguinum* & *virum mendacii* vocat effusorem sanguinis & mendacem. Quidam hinc colligunt, ante diluvium fuisse usum vini in mundo, quòdque Noah rursum cœperit ipsum plantare post diluvium: Alii verò negant vinum fuisse in mundo usque ad Noah; & quia Noah primus invenit culturam ejus, cœptus est vocari *Janus* à יין. Significat enim *jajin* vinum: hinc *Janus* quasi *vinitor*. Quando verò à filio ridetur, ostendit filius degener se ejecisse ex animo illam reverentiam & opinionem quæ in liberis de parentibus ex mandato Dei esse debet.

22 *Nuditatem patris*] Sic enim habet Hebraismus, pudicè de verendis loquens.

27 *Dilatabit*] Exponunt communiter Hebræi hoc verbum per יפת, *dilatabit*, cùm tamen in tot locis Proverbiorum accipiatur pro *persuadere* & *verbis lactare*. Nec est verum quòd hic significet *condecorare* vel *venustum facere*, ut Steuchus ait, cùm radix ejus non sit יפה, sed פתה. Hîc verò ponitur in Hiphil. Cùm vero Noah prophetat de Japheth, non dicit, *Benedictus Deus Japheth*, sicut dixerat de Sem, quia salus ex Sem & ejus posteritate fuit. Et tamen hujus salutis Gentes etiam participes fiunt, inseruntúrque in stirpem Sem, ceu alienus surculus, ac fiunt socii pinguedinis & succi qui est in electa arbore. Frustrà ergo gloriantur Judæi quando vident patrem suum Sem solum habere promissionem benedictionis æternæ quæ est per Christum, putantes promissionem contingere ex successione carnali, & non potiùs ex fide, sicut Paulus Rom. 9. docet, filios Abrahæ non esse qui secundum carnem ex Abraham nati sunt, sed qui credunt, & qui habitant in tabernaculis Sem, hoc est, qui socii sunt ejus fidei. Et ex eo quod sequitur, *Vixit Noah post diluvium trecentis & quinquaginta*, colligunt Hebæi Noah vixisse usque ad quinquagesimum octavum annum vitæ Abram. Itaque tam bono & præclaro magistro usus Abraham potuit plurimum in religione proficere: ac non dubium quin Noah spiritu Dei plenus hunc nepotem singulari studio & amore complexus sit, tanquam unicum hæredem promissionum Sem.

FAGIUS.

6 QUi effuderit sanguinem hominis, &c.] Admodum luculenter quid sibi locus iste velit Paraphrastes expressit, Nempe, Non licere cuique privato homini impetum facere in homicidam, & occidere ipsum; sed pertinere hoc ad Magistratum; Qui & ipse in condemnando ac puniendo homicida non præceps esse debet, nisi prius adhibitis testibus causam diligenter discusserit atque cognoverit. Sed placet obiter hic commemorare quomodo Hebræi ferè totum istum locum exponunt: אמרה התורה שופך דם האדם באדם דמו ישפך זה ההורג בעצמו ואין על ידי שליח: אך את דמכם לנפשותיכם אדרוש זה ההורג את עצמו: מיד כל חיה אדרשנו ■ המוסר את חבירו לפני חיה לטרפו: מיד איש אחיו אדרוש את נפש האדם זה השוכר אחרים להרוג את חבירו i. *Dicit lex*, Fundens sanguinem hominis, per homines sanguis ejus fundatur. *Hoc intelligitur de eo qui per seipsum aliquem occidit, non per alium ad hoc subornatum.* *Veruntamen* Sanguinem animarum vestrarum requiram, *hoc dicitur de eo qui sibi ipsi mortem consciscit.* De manu omnis animantis requiram eum; *Istud intelligitur de eo qui proximum suum bestiæ dilaniandum objicit.* De manu hominis, de manu viri fratris sui requiram animam hominis; *Hoc dicitur de eo qui conducit alios ad occidendum proximum suum.* Hactenus illi. Quomodo locus iste ex veritate Hebraica simpliciter intelligendus sit, ulteriùs videre potes in mea Collatione.

22 *Qui foris erant*] חוץ *plateam & forum* significat. Quare & legi potest, *qui in foro erant.* Unde colligunt, Ham patris

patris denudationem fratribus suis in publico loco denunciasse, atque ex eo graviùs peccavisse, quòd non reveritus sit patrem suum palam ità traducere ac publicâ ignominiâ aspergere.

27. *Habitet Divinitas ejus*] שכינתו ad verbum sonat, *quies ejus*. Nomen deductum à verbo שכן, quod *quiescere* siquificat. Hinc שכינה & Chaldaice שכינתא, i. *quies*. Quo vocabulo Hebræi præsentiam Divinitatis, quæ olim in Sanctuario juxta arcam fœderis sese exserebat, appellant. Ad quod præsens locus alludit.

IDEM.

4. אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו׃ ואך את דמכם לנפשתיכם אדרש מיד כל חיה אדרשנו ומיד האדם מיד איש אחיו אדרש את נפש האדם׃ שפך דם האדם באדם דמו ישפך כי בצלם אלהים עשה את האדם׃ *Veruntamen carnem cum anima sua, sanguine suo, non comedatis. Insuper & sanguinem vestrum animarum vestrarum requiram, de manu omnis bestiæ requiram eum, & de manu hominis, de manu viri fratris sui requiram animam hominis. Fundens sanguinem hominis, per homines sanguis ejus fundetur, quia in imagine Dei fecit hominem,*] Multùm variatur circa hunc locum ab omnibus Interpretibus ac Commentatoribus, non tam in verborum redditione quàm & in ipso sensu. Primùm ergo ostendam ubi sit variatio, dein, quis mihi videatur hujus loci verus ac genuinus sensus esse. Primùm variatio est in illo, אך בשר בנפשו דמו. Quidam enim legunt, *carnem in anima sua, & in sanguine suo*. Alii, *carnem cum anima sua, & cum sanguine suo*. Cui diversæ lectioni occasionem dedit ב litera, quæ vel *in*, vel *cum*, significare potest. Sic autem explicant, quasi duo hîc prohibeat Deus; Alterum, nè quis membrum de vivo animali abscissum edat; alterum, nè & pecudum sanguis edatur. Alii verò sic legunt, quasi tantùm sanguinis esus prohibeatur, ità ut unum & idem per *animam & sanguinem* significetur, idque per appositionem schema, frequens admodum Hebræis. Dein quod mox sequitur, *Insuper & sanguinem animarum vestrarum*, &c. quidam sic legunt, *Sanguinem vestrum & animas vestras requiram*, &c. quo duo quoque vetari putant. Primum, nè quis vel suum proprium sanguinem mortem sibi consciscendo fundat; alterum, nè quis vel seipsum strangulet, aut laqueo vitam suffocet, putans hoc ipsum sibi impunè licere, cùm fiat citra sanguinis effusionem. Præterea variatur circa hæc, *Et de manu hominis, de manu viri fratris sui*, &c. Quidam enim sic explicant ut prius sit intelligendum de eo qui temere datâque operâ aliquem interficit; posterius verò de eo qui à casu aliquem opprimit, atque ità occidit. Nec desunt qui eandem rem innui volunt hâc locutione, ità ut posterius sit explicatio antecedentis, nec aliud vetari quàm nè alter alterum interficiat. Postremò variatio est circa hoc באדם. Quidam enim legunt, *per hominem*, sive *homines*, (nam אדם vox Hebræis sub una forma utrique numero servit) & intelligunt magistratum, per quem puniri debeat homicida: quem sensum sequitur Paraph. Chaldæus. Alii, *propter hominem* interfectum, sive *pro homine* interfecto: quam lectionem LXX. habent. Alii, *coram hominibus*, i. palam, ut sit exemplum ac terror aliis. Alii, *cum hominibus*, i. cum testibus. Hanc diversam lectionem peperit ב litera, præserviens voci באדם, quæ, *per, pro propter, coram & cum*, juxta sententiæ convenientiam, significare potest. Cæterùm Lat. Vulg. interpres hanc vocem penitus non expressit, tantùm enim legit, *Quicunque enim effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius*. Jam quid ipse sentiam paucis dicam. Quatuor hîc potissimùm aguntur; Primùm interdicitur esu sanguinis pecuini, ut hinc discant homines eò magis abstinere à fusione sanguinis humani: nam si non licet pecudis sanguinem edere, multò minùs licet humanum sanguinem fundere. Alterum, in tantum exsecratur Deus homicidium, quòd nè bestiæ hominem interficienti parcere velit nedum homini; unde est quòd postea in Lege taurus cornupeta occîdi præcipitur. Tertium, lex talionis ponitur, & datur gladius magistratui in manum tanquam Dei ministro, per quem homicida publicè, aliis in exemplum ac terrorem, puniri debet, sicut eleganter hunc sensum expressit Chaldæus suâ Paraphrasi. Quartum, causa redditur cur tantopere Deus homicidium detestetur, quia excellens creatura est homo, ad imaginem Dei conditus. Sed quò hæc tibi magis clarescant, Hebraismos qui hoc in loco sunt obiter quoque enarrabo. *Animam* animantium sanguinem vocat, quòd ea sanguine & halitu potissimùm contineatur. Sicut & clarus Hebæorum commentator Aben Ezra hunc in modum explicat, אך בשר בנפשו דמו כן פירושו אך בשר עם נפשו שהוא דמו לא תאכלו כטעם לא תאכל הנפש עם הבשר כי נפש כל בשר דמו בנפשו הוא והיא הנפש הצומחת והמרגשת והיא הגוף, Quorum hæc sententia est, *Veruntamen carnem cum anima sua, sanguine suo*, &c. i. *Veruntamen carnem cum anima sua, quæ est sanguis ejus, non comedatis. q. d. Non comedas animam cum carne: nam anima omnis carnis sanguis ejus in anima ejus est, atque hæc est anima vegetativa & sensitiva, nempe ipsum corpus*. Hæc ille. Asserit igitur hîc præcipi, nè animantes ipsas cum sanguine vorarent homines, propterea quod cujusque animantis anima sanguine continetur. Quod & Chrysostomus sentit, hoc loco scribens, Ὁ λόγος αἰνίττεται, ὅτι τὸ αἷμα τῶν ἄλλων ζώων, ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐστι, *Innuitur*, inquit, *his verbis, sanguinem cæterarum animantium esse earum animam*. Deuteronomii quoque cap. 12. idem apertè significatur, ubi de sanguine dicitur, כי הדם הוא הנפש, *quia sanguis est anima*; deinde dicitur, Atque ideo *non comedes animam cum carne*. Porrò *sanguinem hominis requirere de manu hominis* est Extremo supplicio afficere eum qui hominem occiderit sanguinemque ejus fuderit. *De manu viri fratris sui*, i. de manu uniuscujusque proximum ejus requiram: vel, de manu uniuscujusque qui frater & proximus erat ei quem interfecit. Frequentissimum enim est apud Hebræos *fratrem* pro proximo & *virum* pro unoquoque accipi.

25 ארור כנען עבד עבדים יהיה לאחיו *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis*,] QUOD ad verborum redditionem attinet, parùm vel nihil est discriminis, omnia siquidem in idem recidunt. In sensu verò hujus loci diversitas est. Plerique sic exponunt quasi Chanaan etiam inter servos servus esse debeat, h. e. servilissimus servus. Et ut Hebræi dicunt, עבד העולם, *servus mundi*, ut quisquis in eum incidat pro servo abutatur. Ut *servus servorum* ejusmodi locutio sit qualis illæ sunt, *Cantica canticorum, Rex regum, Dominus dominantium*, &c. quibus excellentia denotatur. Quò nimirùm & LXX. respexerunt, qui legunt, *Servus domesticus erit fratribus suis, cujus videlicet opera ad vilissima quaque trahatur*. Ab his tamen dissentit Aben Ezra, qui sic intelligit, non quòd Chanaan *servus servorum* esse debeat, i. servus inter servos, vel servis serviens, h. e. omnium vilissimus servus: sed quòd unus ex servis esse debeat, i. unus ex illis qui servituti subjici debeant. Atque similem locutionem esse dicit & illam, קדש קדשים *sanctum sanctorum*, i. unum ex sanctis.

VATABLUS.

1. ET *benedixit* ויברך] *Benedicere*, pro fœcunditatis gratiam dare, vel ablatam reddere, more Scripturæ positum est. Benedictio maledictioni opponitur, quæ sterilitatem sæpissime in Scripturis etiam significat. Quid *benedicere* significet, mox declarat Moses quum Deum loquentem inducit, & dicentem, *Crescite*, &c. ¶ *Crescite* פרו] *fructum ferte*. ¶ *Ac replete* ומלאו] sub. *prole vestrâ*.

2. *Timorque, &c.* ומוראכם וגו'] *Terrorque vester* (activam habet significationem) *ac territatio vestra*. Sive *terriculamentum vestrum*. Hebraismus, ac si dicat, Volo vos incutere terrorem animantibus quantumcunque truculentis & immanibus, & dominium habere in illa, eaque vobis subjecta esse. ¶ *Sit* יהיה] Fut. Heb. pro imperat. ¶ *Cum omnibus, &c.* בכל אשר וגו'] Fut. Heb. pro præs. & singularia pro plur. *Cum omnibus quæ moventur in terra*, Vel, *incedunt*. Ut, quæ calcant terram. ¶ *Manui vestræ* בידכם] Quidam subaudiunt *nam*, vel *quia*, q. d. Nam volo ea vobis subjici.

3. *Omne reptile* כל רמש] *Omne quod graditur*, vel *movetur*. Ut præcedenti versu. ¶ *Sicut germen herbæ*, כירק עשב] *sicut olus herbæ*. Alii, *sicut herbam virentem*. q. d. Quæcunque gradiuntur, & eadem vivunt, erunt vobis in cibum. Permitto vobis vesci carnibus omnium animalium : sicut ante diluvium permiseram vobis vesci omnibus virentibus herbis. Sic omnes ferè interpretes sentiunt, homini ante diluvium fas non fuisse vesci carnibus, sed nativos tantùm fructus terræ illis fuisse pro cibo. Quibusdam magis placet, Deum hîc non plus largiri hominibus quàm dederat, sed tantùm reddere quod fuerat ablatum, ut possessionem bonorum unde fuerant depulsi iterum cernant. Nam quum priùs mactarent Deo victimas, & jugulare illis feras liceret, ex quarum corio & pellibus vestes sibi & tabernacula conficerent, non vident quænam eos ab esu carnium religio impedierit. Quia tamen non magni refert utrumvis sentias, nihil affirmant.

4. *Cum anima ejus*, &c. בנפשו דמו] Ut exponeret Moses quid per *animam* intelligeret, addidit, *sanguinem*, quasi diceret, carnem cum sua vita quodammodo vocari, ubi sanguine suo imbuta comeditur. Quare *anima*, sive *vita*, & *sanguis*, non ponuntur tanquam res diversæ : sed unum significant. Non quòd sanguis per se anima sive vita sit ; sed quia in eo præcipuè vigent spiritus vitales, quoad sensum nostrum, quasi tes-

sera,

sera, vitam repraesentat. Et hoc sanè disertè expressum est, quò magis homines abhorrerent ab esu sanguinis. Hàc prohibitione voluit Dominus in abstinentia pecuini sanguinis homines ad mansuetudinem assuefacere; nè si in victu fero & effraeni nimium audaces essent, non parcerent etiam tandem sanguini humano.

5. *Et profectò* אך] *Et sanè.* Meliùs vetus interpres pro particula אך reddidit *enim*; ut sit causae redditio, quàm qui adversativè legunt, *Alioqui sanguinem vestrum.* Ad verbum tamen optimè sic vertitur, ut vertimus. His verbis clariùs testatur Dominus se non animalium respectu vetare usum sanguinis, sed quia pretiosam habeat hominum animam: & Legis suae finem unicum esse ut communem illis inter se humanitatem commendet. q. d. Videte autem nè dum permitto animalia occidere in cibum, & eorum sanguinem effundere, existimetis vobis etiam permitti humanum sanguinem profundere, & homines occidere. ¶ *Animarum vestrarum,* לנפשתכם] i. *Vita vestra.* Alii, *qui est in animas vestras.* Vel, *in animabus vestris.* Aut, *qui vobis est in animas.* h. e. Qui vos vivificat & vegetat quantum ad corpus. ¶ *De manu, &c.* מיד כל חיה אדרשנו] Ac si dicat Dominus, Adeò mihi displicet effusio sanguinis, caedes, & homicidium, ut etiam ferae ipsae ratione carentes daturae sint mihi poenas si hominem occiderint: vos igitur multò graviores, sic caedem admiseritis. ¶ *Et de manu hominis,* ומיד האדם] *Tum etiam de manu hominis,* &c. Alii, *quanto magis de manu hominis; &c.* Hebraismus, *Requirere sanguinem hominis de manu hominis,* pro *supplicio extremo afficere aliquem qui hominem occiderit, & sanguinem ejus fuderit.* ¶ *De manu inquam viri fratris ejus* מיד איש אחיו] Quidam sic interpretantur, *de manu unius cujusque requiram proximum ejus.* Vel, *de manu uniuscujusque, etiam si frater proximus fuerit ei quem interfecit.* Frequentissimum enim est apud Hebraeos, *fratrem* pro *proximo* accipi, & *virum* pro *unoquoque.* Quidam Hebraeorum singulare *Hominis* pro *hominibus* positum dicunt, *de manu hominum,* i. e. Si plures occiderint, omnes illi dabunt poenas propter caedem admissam. Est verò repetitio Hebraica, *De manu hominis requiram animam hominis, de manu viri fratris sui,* &c. q. d. Dabit poenas homo ille quicunque erit qui proximum occiderit. Chaldaeus paraphrastes vertit; *De manu viri qui effuderit sanguinem fratris sui, requiram.*

6. *In homine,* באדם] *Per hominem.* i. e. Operâ ac testimonio hominis: h. e. Si affuerint testes, aut testificentur homines. Alii, *propter hominem ipsum;* interfectum scilicet. Alii, *à magistratu.* Chaldaeus paraphrastes *per testes sententiâ Judicum,* Alii, *inter homines,* i. Publicè & in conspectu omnium, cunctisque videntibus. Alii referunt istud ad sequentia, *In homine fundetur sanguis ejus.* q. d. Propterea quòd hominem occidit, fundetur sanguis illius. Alii, *propterea quod hominem occiderit.* Rectiùs mihi exponere videntur qui hâc particulâ, *In homine,* sceleris atrocitatem exprimi volunt, quòd quisquis hominem occidit, sanguinem & vitam fratris sui haurit in ipso. Hoc versu homicidis mortem denuntiat, quomodocunque moriantur, sive jussu Magistratûs, sive à quocunque aliunde à Deo misso carnifice. Psal. 55. 25. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* ¶ *Dei* אלהים] Antecedens pro relativo, *meam.*

7. *Crescite* פרו] *fructificate.* ¶ *Generate* שרצו] *Gignite, Procreate, Propagate.* Sub. *genus vestrum.*

8. *Hunc in modum,* לאמר] Ad verbum, *dicendo.*

9. *Equidem ego statuo.* ואני הנני מקים] Ad verbum, *Et ego ecce ego facio surgere.* Vide infrà cap. 23. 17. Praes. Heb. pro fut. *statuam, stabiliam.* i. Quantum ad me attinet, paratus sum statuere & ratum habere pactum quod inii vobiscum ut servemini.

10. *Tam de volatili, &c.* בעוף בבהמה וגו] Ad verbum, *in volatili, in jumento, & in omni bestia, &c.* Singularia pro plur. ב pro מן *de,* sive *ex, tam ex volucrum genere quàm ex jumentis, & ex omnibus bestiis terrae.* ¶ *Ab omnibus, &c.* מכל יצאי וגו] i. Tam cum illis quae egressa sunt ex arca, quàm his quae sunt in terra, & quae futura sunt.

11. *Neque excidetur* ולא יכרת] *Quòd non delebitur,* vel *exterminabitur.*

12. *Do* נתן] *pono.* Addit symbolum quo promissionem obsignat. ¶ *In generationes seculi* לדרת עולם] Hebraismus, *per omnes aetates,* hoc est, quod in perpetuum servaturus sum.

13. *In nube,* בענן] Sub. *rorida,* in qua exprimi potest arcus ille coelestis, qui est imago colorum solis. ¶ *Eritque* והיתה] i. Ut sit vice signi foederis inter me & homines, animaliaque quae habitant in terra. Ante diluvium arcus coelestis fuit tantùm signum futurae pluviae: nunc verò post diluvium erat etiam signum foederis quod pepigi vobiscum.

14. *Obnubilavero nubem* בענני ענן] Ad verbum, (si Latinè dici posset) *quum nubificabo nubem.* i. Cùm congregabo nubes super terram in aere.

15. *Omnem animam viventem* כל נפש חיה] i. Omnia genera animalium

16. *Perpetui inter Deum* עולם בין אלהים] Antecedens pro relativo, *sempiterni inter me,* &c.

18. *Pater Chenaan.* אבי כנען] i. à quo orti sunt Chananaei qui destruendi erant.

19. *Terra.* הארץ] Continens pro contento. i. quotquot terram inhabitant. q. d. Ex illis nati sunt ac geniti qui per universam terram dispersi sunt.

20. *Agricola,* איש האדמה] Ad verbum, *vir terrae.* Hebraismi duo, *Vir terrae* pro *agricola;* & *Coepit & plantavit,* pro *Coepit plantare.* Sic igitur verti debet ut vertit noster interpres, *Coepit autem Noe,* &c. Quibus verbis non significat tunc primùm colendis agris operam dedisse Noe, sed potiùs, ipsum collecto animo, quantumvis esset senex, rediisse ad agrorum culturam & pristinos suos labores. An autem vinitor fuerit, incertum est.

22. *Turpitudinem* ערות] Ad verbum, *nuditatem:* sic pudicè verenda significat Sacra Scriptura. ¶ *In platea:* בחוץ] *foris:* egressus est foras, ut hoc renuntiaret fratribus.

23. *Tunc acceperunt,* ויקח] Ad verbum, *Et accepit,* Singul. pro plurali: quod sequentia docent. ¶ *Suum* שניהם] Ad verbum, *amborum ipsorum.* Gallicè *deux.* ¶ *Retrorsum,* אחרנית] i. aversa facie: sic mox declarat.

24. *A vino suo,* מיינו] i. excussa crapula, sive quum exhalasset crapulam.

25. *Chenaan,* כנען] Quidam subaudiunt אבי *pater,* quod paulo ante bis expressum est, *Maledictus Cham pater Chananaeorum:* nisi quis dicat patrem maledici in filio. ¶ *Servus, &c.* עבד וגו] Phrasis haec Hebraica Chanaan postremum fore, vel infimum inter servos significat: acsi dictum esset, Non tantum servilis erit ejus conditio, sed vulgari servitute deterior.

26. *Eis:* למו] Singulare pronomen, quod Hebraei dicunt poni pro להם.

27. *Dilatet* יפת] i. Faciat Dominus ut semen Japheth amplissimas regiones occupet. Vel, Numerosa sit progenies Japheth. Ita vertunt omnes fere interpretes. Alii, quia verbum istud significat etiam *lactare blandis verbis,* vel *allicere in hanc vel illam partem,* etiam propter continuo sequentia verba malunt vertere, *Blande reducet* [vel *inclinabit*] *Deus ipsum Japheth.* Nam temporale fore dissidium inter Sem & Japheth praedicit Noe; & postea futurum ut postquam dissiti fuissent posteri ipsius Japheth qui erant Gentiles, & à tabernaculis Sem (ex cujus progenie Deus Ecclesiam sibi delegerat) remoti, propius tandem accederent, & simul habitarent quasi in communi domicilio. Quod factum fuit blanda & suavi Dei voce quam in Evangelio protulit: & quotidie adhuc impletur vaticinium hoc, cum dispersas oves invitat Deus ad suum gregem ¶ *Et habitet* וישכן] sub. *Japheth,* ut praecedenti annotatione dictum est. Alii subaudiunt, *Deus:* atque in hanc sententiam Chaldaeus Paraphrastes vertit, *Dilatet Deus Japheth, & habitet gloria ejus in tabernaculis Sem.*

28. *Trecentos, &c.* שלש מאות וגו] Ad verbum, *trecentos annos & quinquaginta annos.*

CASTALIO.

5. V*Estri quidem sanguinis*] Sensus est; Hominis necem & in ipsos homines, & in bruta vindicabo, (id quod facit per magistratum, cum jubet etiam bestiam, si hominem occiderit, necari) brutorum autem necem in homines non item.

26. *Grates Jovae Deo Semi*] Semus Jovam habeat propitium ac benignum, ut ei grates agantur.

CLARIUS.

2. T*Error vester*] Fugient (inquit) cuncta animalia terrae conspectum vestrum, agnoscentque vos non solum habere imperium super ea, ut à principio creationis, verum & quòd ego vobis illa in cibum jam tradiderim.

4. *Carnem cum anima*] Intelligunt, membrum de vivente animali abscissum non comedendum, quamdiu scilicet anima ejus in illo est, neque sanguinem comedendum. Vel sic, *car-*

ized by Google

nem cum anima sua, quæ est sanguis ejus, non comedetis. Significat enim sæpe apud Hebræos *anima* eam vitam, quæ sanguine & halitu continetur. Prohibetur autem hic ne crudeles simus in bestias, & subinde hanc crudelitatem in homines perpetremus.

5. *Sanguinem enim animarum*] Idem est sensus cum Hebræo: in quo sic habetur, *Alioqui sanguinem vestrum de animabus vestris requiram, de manu cuncti animalis requiram eum, & de manu hominis,* &c. Quidam autem tria hic notari ac prohiberi dicunt: I Nequis seipsum interficiat: *alioqui sanguinem,* inquit, *vestrum de animabus vestris requiram.* II. Nequis bestiam incitet in hominem, ut illum devoret: *alioqui requiram illum sanguinem de manu cuncti animalis.* III. Nequis alium conducat qui nomine ejus hunc vel illum occidat, aut nequis per seipsum aliquem interficiat: *alioqui de manu hominis, & de manu viri fratris sui requiram animam hominis.* Sed quomodo sanguis requiritur de manu bestiæ? nisi fortè ad deterrendum ab homicidio id dictum est; quasi diceret, Si sanguinem vestrum in bestiis ulciscendum judico, multo magis in vobis, qui ratione estis præditi.

13. *Arcum meum*] Negant quidam Iridem fuisse ante illud tempus: verum textus Hebræus indicat etiam antè fuisse; sed tum primùm signum fœderis esse cœpit. Iris ab ethnicis vocatur: Quam idcirco filiam Thaumantis appellatam ait Plato, quòd ab admiratione initium acceperit naturæ rerum contemplatio. θαυμάζω enim significat admiror.

20. *Plantavit vineam*] Vinum primus ex uvis exprimi docuit: unde fuisse Janus dicitur: quia *Iain* vinum est Hebræis.

25. *Maledictus Chanaan*] Non maledixit Noe Cham filium, sed Chanaan, qui fuit ipsius Cham quartus filius, & ab impio patre malè profecit, atque in multa crimina degeneravit: & sic in filiis impiis pater maledicitur, h. e. servili conditione gravatur.

27. *Dilatet Deus Japheth*] Allusio est nominis *Japheth*, quod sonat *dilatationem.* ¶ *Habitet in tabernaculis Sem*] Hoc fuit, cum pars maxima filiorum ejus, h. e. gentilium, ad fidem veri Dei conversa est, cujus sacerdos scribitur fuisse Sem, alio nomine Melchisedech. Chananæorum autem terra ac urbes perpetuo vel filiis Sem Judæis, vel ex gentibus ad Dominum conversis, usque in præsens serviunt & subjectæ sunt.

28. *Vixit autem Noe*] Colligunt Hebræi ex hoc loco Noe vixisse usque ad quinquagesimum octavum annum vitæ Abrahæ, qui natus est ducentis nonaginta duobus annis post diluvium.

DRUSIUS.

11. NOn *exscindetur,* &c.] Lxx. οὐκ ἀποθανεῖται, *non morietur.* Aliud *exscindi,* & aliud *mori.* Qui exscinditur, moritur; non tamen omnis qui moritur, exscinditur. Nam exscinditur proprie qui moritur ante tempus; quod finiunt alii anno quinquagesimo, alii sexagesimo, alii medio inter utrumque. Liber Aboth. 79. 1. *Ribbi non mortuus per excisionem, nec tamen perveniens ad completam canitiem. Excisionem* dicit eam quæ ab aliis vocatur מיתת כרת *mors excidii.* Ea duplex; animæ & corporis. Corpore exscinduntur justi, anima improbi. In hac variant. Manahemus in Mosen 49. 1, & 2. *Mors excidii, quando aliquis moritur ante annum quinquagesimum.* Moses de Kotsi libro mandatorum 35. 3. *Qui moritur ante sexagesimum annum dicitur mori morte excidii* sive *excisionis.* Mox ait, *qui moritur inter sexagesimum & quinquagesimum annum.* Dicunt doctores, referente Manahemo, non dicitur excindi nisi cùm aliquis reus excisionis desinit esse. Moses ille quem modo nominavi, scribit septem genera incestus incurrere excisionem: 1. Qui rem habet cum sorore sua; 2. Cum sorore patris; 3. Et matris; 4. Cum sorore uxoris suæ; 5. Cum sorore fratris sui; 6. Cum uxore fratris patris sui; 7. Cum immunda, quam נדה vocant. Vide si placet, סמ"ג 35. 2.

16. *Ut recorder fœderis seculi quod inter Deum & inter omnem animam viventem*] Debuisset dicere, *quod inter me.* Nam Deus loquitur: sed est nomen loco pronominis, quæ enallage frequens in his literis. Sic, *dixit Dominus, Ascende ad Dominum,* h. e. ad me. Quo referri posset, *pluit Dominus à Domino*; ut dicat, *pluit à se.* Sic, *excindes eos de sub cœlis Domini,* i. tuis, Psal 50. 23. *Videre faciam ei salutem Dei,* i. meam. 2 Tim. 1. 18. *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum.* Huc refer, *Dixit Moses socero Mosis,* i. suo. Vide Animad. l. 2. c. 6.

27. יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת] Loci hujus tres interpretationes sunt. Prima est, *condecoret,* quæ pugnat cum Grammatica. Nam à יפה *pulcher fuit,* non potest esse יפת *condecoret.* Esset enim ייפה in futuro, vel certè יף. Secunda est, *alliciet,* i. יפתה, vel certè יפתה. Tertia est, *dilatet*: quod Ebraicè diceretur ירחיב, sed elegit יפת verbum Chaldaicum ob paronomasiam, quæ inter *Japhth* & *Japheth.* Constructio eadem. Subintelligitur autem *locum,* ut sensus sit, ut Psal. 4. 1. *in angustia dilatasti mihi.* sub. *locum,* quod Ps. 18. 19. dixit, *eduxisti me in latitudinem,* i. latum exitum mihi dedisti. Ps. 25. 17. *angustiæ cordis mei dilatarunt,* sub. *locum* aut *sedem,* q. d. Dilatarunt se in corde meo, i. plurimæ fuerunt. Prov. 18. 16. *dilatet ei,* ubi quidam *cor* subaudiunt, quod expressum Psal. 119. 32. *quia dilatas cor meum,* i. exhilaras me. Nam cor in gaudio dilatatur, ut contrà in dolore contrahitur. Sed Gen. 26. 22. *dilatavit Dominus nobis,* sub. *locum habitandi.* Ergo *dilatet,* i. latam regionem largiatur. Quod eventus postea comprobavit, sive prophetia sit, sive votum. Sed si prophetia est, tum reddi debet, *Dilatabit Deus Japheto.* Jonathan hic nos juvat vertendo *dilatet* vel *dilatabit terminum Japheto.* Hieron. de Quæst. sive Tradit. Ebraicis, *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem*] *De Sem Ebræi, de Japhet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, à latitudine, quæ Japhet dicitur, latitudo nomen accepit. Quod autem ait* [*& habitet in tabernaculis Sem*] *de nobis prophetatur, qui in eruditione & scientia Scripturarum, ejecto Israel, versamur.*

IDEM.

4. בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ A. ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ, *in anima ejus sanguis ipsius.* Symm. ὃ σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ, *ubi cum anima sanguis ejus est*] Hunc locum explicatum invenies in notis meis ad Sulpicium Severum. Vide, si habes, & si vacas.

22. עֶרְוַת אָבִיו את *verendum patris sui.* A. & Sym. τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *turpitudinem patris sui*] Hos. 2. 9. ערותה Lxx. ἀσχημοσύνη de ipsis pudendis. Reperitur hæc vox Rom. 1. 27. Sirach. 26. 7. & 29. 24. & 30. 14. Psal. 44. 16. כלמה Sym. ἀσχημοσύνης.

24. וַיִּיקֶץ καὶ ἐξυπνίσθη, *& evigilavit*] Theodoretus Quæst. 57. ἐξυπνίσθη, γάρ φησιν ὡς ἐκ τοῦ ὕπνου αὐτοῦ. Sumpsit, ut apparet, ex alia versione. Nam in Lxx. ἐξένηψε. Cæterum ἐξυπνίσθη ἐκ τοῦ ὕπνου ita dicitur, ut וישכם בבקר. Nam השכים *manè surrexit.* Vide Annotationes meas.

25. עֶבֶד עֲבָדִים A. δοῦλος δούλων, *servus servorum* i. servus vilissimus & abjectissimus. *Servus servorum* ita dicitur, ut *Dominus Dominorum,* & *Rex regum,* Lxx. παῖς οἰκέτης, i. servus perpetuus, qui nunquam manumittitur ab eo cui servit.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et benedixit Deus Noacho & filiis ejus, dixitque eis, Fœtificate, (Crescite) & multiplicamini & implete terram.*

Benedixit Noacho] fons hujus benedictionis est favor divinus, effectus autem rerum omnium prosperitas & felix successus; sed imprimis propagatio generis: ideo sequitur *Fœtificate* &c. ¶ *Fœtificate*] fœtum edite. Verbum è verbo *fructificate,* sive quod idem *fructum edite.* Sed fructus hic sumitur pro fructu ventris: ideo verti *fœtificate.* Alibi aliter. Non enim verbis adstringi volumus, dummodo sensus constet. Ceterum repetit verba, quibus usus fuerat, cum primis parentibus benediceret Gen. 1. 18. Vide quæ notavimus ad illum locum. Quod reliquum est On. & Jon. hic habent וסגו & Lxx. αὐξάνεσθε & Hiero. *Crescite.* Lexicon Munsteri סגא crevit, auctus est. ¶ *Implete terram*] quæ jam hominibus & bestiis planè vacua est. ¶ *Implete*] πληρώσατε, replete.

2. *Et timor vestri & terror vestri sit super omnes bestias terræ, & super omnes aves cœli: in omnia quæ movet terra, & in omnes pisces maris, in manu vestra* (hæc) *tradita sunt.*

Timor vestri & terror vestri] Lxx. ὁ τρόμος καὶ ὁ φόβος ὑμῶν: tremor & timor vestri. Est cur malim ὁ φόβος ὑμῶν καὶ ὁ τρόμος ὑμῶν: timor vestri & tremor vestri. Quanquam חתכם melius redditur terror vel pavor vestri. Hiero. *terror vester & tremor.* Quod ambiguè dicitur. Nam terror vester intelligi etiam potest qui vos occupat, item id quod vos terret. ¶ *Terror*] חתת terror i. אימה. Sic interpretantur. On. Jon. & R. Salomo חתכם ut פתכם i. buccea. Quidam scribunt חתכם ad exemplum τοῦ [illegible]. ¶ *Omnia quæ movet terra*] i. quæ gignit aut

sut producit. Id On. dixit אַרְעָא רָחֲשָׁא דִּי. Malè igitur Fagius vertit, *quod movetur in terra.* Sic Gen. 1. 21. שֶׁרְצוּ הַמַּיִם quæ produxerunt aquæ. Nec aliter Jon. Minus probo quod in Hiero. *cum universis, quæ moventur in terra.* Quanquam ex Ebræis quidam עַל subaudiant, & in Lxx. ἐπὶ πάντα τὰ κινούμενα ἐπὶ τῆς γῆς. Sunt qui legant, *in omnibus, quæ calcant terram* i. תִּרְמֹס ultima Samech. ❡ *Et in omnes pisces maris*] Sub. *terror vestri sit.* Quod idem cum illo, *dominamini.* ❡ *In manu vestra tradita sunt*] in potestatem vestram permissa, sive quod idem, vestri juris facta sunt. Lxx. ὑπὸ χεῖρας ὑμῖν δέδωκα i. נְתַתִּי. Alibi legitur eodem sensu, *omnia posuisti sub pedibus ejus.*

3. *Omne quod movetur & vivit erit vobis cibus : ut herbam viridem dedi vobis omnia.*

Omne quod movetur & vivit] כָּל רֶמֶשׂ אֲשֶׁר הוּא חַי omne animans quod est vivum. רֶמֶשׂ propriè quicquid se movet: & est generale ad omnia animantia. Quod nimis restringunt, qui vertunt, *omne reptile.* Non nego hoc interdum significare : sed ajo latius hîc sumi. Quidam, *omne animal gressile.* ❡ *Cibus*] לְאָכְלָה. ad edendum, vel, *in cibum* i. cibus. Ebraismus. ❡ *Ut herbam viridem*] כְּיֶרֶק עֵשֶׂב ut virorem herbæ i. herbam virentem. יֶרֶק viror, viriditas. יָרָק olus. Unde Lxx. ὡς λάχανα χόρτου: tanquam olera herbæ i. herbam oleris. Et *herbam oleris*, ut herba lapathi. Hiero. *quasi olera virentia :* quod minus se probat mihi. Sensus est, Quemadmodum primis hominibus ante diluvium concessi esum herbarum: ita nunc vobis concedo esum animantium i. carnium & piscium. ❡ *Dedi*] concessi.

4. *Veruntamen carnem cum anima sua, sanguine suo non comedetis.*

Veruntamen] Lxx. πλήν. Hiero. *excepto quod.* On. & Jon. בְּרַם verum. ❡ *In anima sua, sanguine suo*] aut est appositio, aut *in sanguine suo* additum per Exegesin, *in anima sua*, hoc est in sanguine suo : aut אֲשֶׁר subintelligitur ut sit, *cum anima sua quæ est sanguis ipsius.* Siquidem anima bestiarum in sanguine consistit. Hiero. *carnem cum sanguine* בְּדָמוֹ. Lxx. κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς : *carnem in sanguine animæ*, Vult dicere cum sanguine animati. On. בְּרַם בִּשְׂרָא בִּנְפַשְׁהּ דְּמֵהּ i. Fagio interpretante, *Veruntamen carnem cum anima sua, quæ sanguis ejus est.* Jon. *Veruntamen carnem, quæ avulsa est à bestia viva, quo tempore anima ejus in ipsa erat, vel quæ avulsa est à bestia mactata, priusquam effusa fuerit tota anima non comedetis.* Adduxi antiquas interpretationes : Videamus nunc recentiores. Santes, *Veruntamen carnem cum anima ejus quæ est sanguis ejus.* Arias, *in anima ejus, sanguine ipsius.* Munsterus, *Attamen carnem in anima sua & sanguine suo.* Tremell. *carnem cum animante eam sanguine ejus.* Gallica edit. ultima, *avec son ame, qui est le sang d'icelle :* cum anima sua, quæ est sanguis ejus. Alius, *Tantum carnem cum sua anima sanguine*, i. sanguinem qui est anima. R. Salomo, *Vetat illis ne comedant membrum ex vivo animali, acsi diceret, toto tempore quo anima ejus in sanguine ejus non comedetis carnem. In anima ejus, sanguine ejus, hoc est quamdiu anima ejus in eo est carnem cum sanguine non comedetis. Nam ecce membrum est è vivo animante. Sed & sanguinem ejus non edetis: quia ecce sanguis est è vivo animante.* Abenezra, *Veruntamen carnem cum anima ejus quæ sanguis ejus est, non comedetis. Sensus est, Non comedetis animam cum carne, quia anima omnis carnis sanguis ejus in anima ejus est. Et hæc anima vegetativa & sensitiva corpus est.* ❡ *In anima sua*] cum anima sua. Ebraismus notus. Per animam autem intelligo vitam, quæ in sanguine per operationem & virtutem. Certè anima sine sanguine impos est actionum vitalium. Quin sanguine omni effuso, vita hominis extingitur. Sic dico, Sanguis est in anima, ut in instrumento proprio ipsius. Nam cum sint duplices motus in animante, quidam dicuntur esse corporis, ut ambulare, quidam animi per se, ut irasci, gaudere, timere, erubescere. Horum est sanguis cum spiritu fluens instrumentum proprium. Psal. 30. 10. *Quæ utilitas in sanguine meo?* Ad hæc verba R. David, *In sanguine meo, hoc est, inquit, in anima mea. Nam sanguis est anima, h. e. vita qua vivimus.* Sic est profecto : Sanguis metonymicè pro anima i. vita sumitur, ex quo Virgilius, *Purpuream vomit ille animam.* Quod ab Empedocle sumsit, qui animam dicebat esse sanguinem. Cicero in 1. Tuscul. *Empedocles animam esse censet cordi circumfusum sanguinem.* Ejus verba, quibus hoc significat, habentur in etymologico, Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα : Hinc intelligentiam habet locus, qui est Levit. 17. 14. *Quoniam anima omnis carnis sanguis ejus in anima ejus est. Et dixi filiis Israël, sanguinem omnis carnis non comedetis, quia anima omnis carnis sanguis ejus est.* i. sanguine retinetur in corpore, ut sanguis sit ejus quasi vehiculum & retinaculum. Sane vigente sanguine viget animalium vita, & eo deficiente, deficit.

5. *Utique sanguinem vestrum, animarum scilicet vestrarum requiram, de omni bestia requiram illum : & de manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis.*

Utique] Supra verti אַךְ veruntamen. Hic sig. utique, certe, profectò : & alibi duntaxat, tantummodo. Lxx. nunc interpretati sunt καὶ γὰρ etenim. Hiero. *enim.* ❡ *Sanguinem vestrum animarum scilicet vestrarum*] Hoc Græci dixerunt τὸ ὑμέτερον αἷμα τῶν ψυχῶν ὑμῶν. & Hiero. *Sanguinem animarum vestrarum.* Omisit pronomen *vestrum* tanquam superfluum. Quidam *ad animas vestras*, hoc est, inditum ad animandum vos. Valde displicet. Scias autem *sanguinem vestrum*, & *sanguines animarum vestrarum* unum & idem esse. Anima enim usurpatur pro eo quod Galli dicunt *personne.* Aut, *animarum vestrarum* in quo anima i. vita vestra consistit. ❡ *Requiram*] reposcam, ἐκζητήσω. Porrò sanguinem requirit qui quæstionem instituit de cæde perpetrata : dicimus etiam *requirere sanguinem* eodem significatu : unde apud Davidem דֹּרֵשׁ דָּמִים requirens sanguines, quod non male redditur, *inquirens in cædes.* ❡ *De omni bestia*] מִיַּד כָּל חַיָּה *de manu omnis bestiæ.* Hiero. *de manu cunctarum bestiarum.* Lxx. ἐκ χειρὸς πάντων τῶν θηρίων. Licet etiam vertere, *ab omni bestia.* Hinc Lex de necando bove, qui hominem occiderit. Exod. 21. 28. יַד *è manu* tribuitur etiam inanimatis, ut Psal. 107. 2. *Quos redemit è manu angustiæ.* Quo genere sermonis usus est Syrachides 4. 22. *& tradet eum* εἰς χεῖρας πτώσεως αὐτοῦ : *in manus casus sui.* Sic in oratione legitima : *Ne inducas nos in manum tentationis:* quod vulgo, *in tentationem*, vitato Ebraismo. ❡ *Omni*] quavis. ❡ *Viri fratris ejus*] satis erat, *fratris ejus.* Est ergo pleonasmus. Sic alibi, ἄνδρες ἀδελφοί : *viri fratres.* Cui simile, *viri Athenienses.* Nam si esset, *Athenienses* tantum, nihil desideratur ad plenam orationem. Quidam explicant, *de manu viri fratris ejus*, qui ei fratris loco sit, hoc est intimus & certus amicus. Mihi hoc alienum videtur. ❡ *Animam hominis*] vitam ademptam homini.

6. *Qui effundet sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur. Nam in imagine Dei fecit hominem.*

Qui effundit] vel, *qui effuderit.* In fonte est שֹׁפֵךְ effundens, ἐκχέων. Nam ὁ ἐκχέων quod in Lxx. Ebraicè diceretur הַשֹּׁפֵךְ. ❡ *Sanguinem hominis*] i. humanum. Vel inter homines. ❡ *Per hominem sanguis ejus effundetur*] On. *Per testes sententia judicum sanguis ejus effundetur.* Jon. *Qui effuderit sanguinem humanum cum testibus* (hoc est, præsentibus testibus) *judices condemnant eum ad mortem : qui vero effuderit sanguinem absque testibus Dominus mundi vindictam sumet ab eo in die judicii magni.* Innuit nulla homicidia impunita fore. Nam vel in hoc seculo, inquit, punientur à judicibus, si testes adfuerunt, vel in altero punientur à Deo, si testes nulli fuerint. Quod in On. בְּסָהֲדִין videtur potius pertinere ad præcedentia, ut dicat, *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus.* Id noto, quia superius ad sequentia retulimus. Abenezra. בָּאָדָם sensus est, בְּעֵדִים cum testibus, aut per testes : vel לְעֵינֵי הַכֹּל, in oculis omnium : vel בַּעֲבוּר אָדָם propter hominem, cujus sanguis effusus est. ❡ *In imagine Dei fecit hominem*] Lxx. ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον i. עָשִׂיתִי. Sed suspicor initio editum fuisse ἐποίησε. Nam proclivis sane lapsus de hoc in illud. Hiero. *Ad imaginem Dei factus est homo.* Cave culpes. Sic alibi quod in Ebræo, *reputavit ei pro justitia.* Apostolus reddit, ἐλογίσθη i. reputatum fuit. Sic *nunciavit Davidi*, docte vertunt, nunciatum fuit. Nam Ebræi personalia verba usurpant pro impersonalibus. Quod ita notum ut nihil magis. Plena oratio erit si legas, *Ad imaginem suam fecit Deus hominem.*

7. *Vos autem fœtificate & multiplicamini : more reptilium gignite in terra & multiplicamini in ea.*

Fœtificate] fœtus procreate, prolificate, sobolescite. A prolifico est nomen prolificus, ut à fœtifico, fœtificus. *Fœtificate & multiplicamini* i. multam sobolem procreate. Lxx. hic legunt αὐξάνεσθε & Hiero. *crescite.* Verbum è verbo, *fructificate :* quod latinum non est. ❡ *Multiplicamini*] augescite, πληθύνεσθε. ❡ *More reptilium gignite in terra*] More reptilium i. abunde, affatim, in magna copia, q. d. numerosa sobole complete terram. Hiero. hic habet, *ingredimini super terram :* & Lxx. πληρώσατε τὴν γῆν. i. מִלְאוּ. On. & Jon. אִתְיַלְדוּ pro gignite, procreate. Trem. *abunde progignite.* Gal. edit. *croisses en toute abondance* i. crescite in magna copia & abundantia. Santes, *generamini :* Arias, *producite.* Munsterus, *prolificate.* Alius, *genus vestrum multipliciter propagate.* ❡ *Et multiplicamini in ea*] Lxx. καὶ κατα-

κυ-

κυριεύσατε αὐτῆς. An legerunt רדו בה ? nam רָדָה dominatus est.

8. *Insuper dixit Deus Nocho & filiis ejus cum eo, in hac verba.*

9. *Et ego, ecce ego stabilio fœdus meum vobiscum & cum semine vestro post vos.*

10. *Et cum omni anima vivente quæ vobiscum est ex avibus & bestiis, & ex omnibus feris terræ vobiscum: ex omnibus quæ ex arca egressa sunt, omnibus, inquam, animantibus terræ.*

Insuper dixit] vel, *dixit quoque.* ¶ *Cum eo*] qui cum eo erant. ¶ *In hac verba*] לֵאמֹר dicendo, λέγων. ¶ *Et filiis ejus*] Sunt qui dicunt hos etiam Prophetas fuisse. Alii censent Deum locutum esse ad eos per Nochum patrem, qui ἀναμφισβητήτως Propheta erat. ¶ *Et ego ecce ego*] In הִנְנִי pronomen est obliquum, quod pro recto usurpatur: itaque reddidimus, *ecce ego*, post interpretes Chaldæos, qui ואנא הא אנא ediderunt nisi quod in Jonatha abest copula Vau. Hic observabis geminationem pronominum, *ego ecce ego*: quæ ex elegantiis idiomatis Ebraici. Syris id familiarius est. Quidam וַאֲנִי explicant, *de me autem*, sive, *quod me attinet.* Sic sane Gallica editio, *& quant à moi.* ¶ *Stabilio fœdus meum*] Lxx. ἀνίστημι τὴν διαθήκην μου, quod reddunt *statuo pactum meum* & benè ita reddunt. Nam διαθήκη in lingua Hellenistarum est pactum. ¶ *Stabilio*] מֵקִים firmo, confirmo. Alius fortasse mallet, *statuo.* Nam *stabilio* i. מְקַיֵּם quod nunc in Thargum Jonathæ. ¶ *Cum semine vestro*] cum posteris vestris. Sic Ps. 89. 30. τὸ σπέρμα αὐτοῦ i. posteritatem aut progeniem ejus. *Anima vivente*] i. animante aut animali vivo. Latissimè patet. Nam etiam aves & reptilia comprehendit. Sed & de homine legimus, *& fuit in animam viventem.* ¶ *Bestiis*] restringendum ad cicures. Nam sequitur, *feris terræ* i. terrestribus. ¶ *Quæ ex arca egressa sunt*] יֹצְאֵי הַתֵּבָה *egredientibus arcæ i. arca*, vel, *ex arca*, quod Latinius enuntiant, *egressis ex arca.* Lxx. τῶν ἐξελθόντων ἐκ τῆς κιβωτοῦ. ¶ *Animantibus terræ*] nomen חַיַּת hic latius accipio, quam supra, ubi feram interpretatus sum. Hiero. *universis bestiis terræ.* Santes quoque, *& omni bestiæ terræ.* Alius, *ad omnes bestias terræ.*

11. *Et stabiliam fœdus meum vobiscum, & non exscindetur omnis caro amplius ab aquis diluvii, nec erit amplius diluvium ad perdendum terram.*

Stabiliam fœdus meum] vel, *statuam pactum meum*, quod in editione τῶν Lxx. στήσω τὴν διαθήκην μου. ¶ *Et non exscindetur*] ut non exscindatur q. d. quo fœdere cavetur vobis nunquam diluvio aut animalia omnia deletum iri, aut orbem terrarum periturum. ¶ *Omnis caro*] omnis animans. ¶ *Ab aquis diluvii*] vel, *aquis diluvii.* Licet etiam vertere, *propter aquas diluvii.* Nam in Ebræo מִמֵּי הַמַּבּוּל. Notum ut מִן etiam *propter* significet. ¶ *Non exscindetur*] לֹא יִכָּרֵת. Lxx. οὐκ ἀποθανεῖται: Non morietur לא ימות. Hiero. *non interficietur* לא יומת. ¶ *Terram*] הָאָרֶץ cum articulo, cujus ea vis ut si dicat, omnem terram. Sic enim rectè Græci referunt, πᾶσαν τὴν γῆν. Quam interpretationem approbat ipsa sententia.

12. *Et dixit Deus, Hoc est signum fœderis, quod ego pono inter me & vos, & omnem animam viventem, quæ vobiscum est in ætates seculi.*

13. *Arcum meum posui in nubibus, qui sit signum fœderis inter me & terram.*

Quod] signum videlicet. In Græco textu nulla ambiguitas τοῦτο τὸ σημεῖον τῆς διαθήκης, ὃ ἐγὼ δίδωμι ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ ὑμῶν. ¶ *Pono*] נֹתֵן propriè do: quod habent Lxx. & Hiero. On. quoque edidit יָהֵב i. do. Dare & ponere in hac lingua vicissim permutantur. Quod ita notum ut exemplis supersedendum esse mihi putem. Ceterum in Jon. legitur מקים stabilio. ¶ *Inter me*] On. & Jon. *inter sermonem meum.* Mos antiquæ Synagogæ à me sæpe notatus, ut ipsum Dominum vocent sermonem Dei. Mihi non dubium, quin inde sumserit Joannes initium Evangelii sui, *In principio erat sermo*, & quæ deinceps sequuntur. ¶ *In ætates seculi*] i. sempiternas. Quod Græci dicunt εἰς γενεὰς αἰωνίους. Minus rectè Hiero. *in generationes sempiternas.* Nam generatio etiam γένεσις dicitur. Scio interpretes generationis vocabulo uti pro γενεὰ: Sed ajo nomen hoc ambiguum esse. Porro ambiguitas omnis vitanda, quoad ejus fieri potest. Trem. *ætatibus in seculum.* i. לְדֹרֹת עוֹלָם Gallica edit. *pour durer à tousjours.* Sensum expressit, non verba. ¶ *Arcum meum*] arcum innuit cœlestem, qui à Poëtis iris vocatur, quem variis coloribus expressum in nubibus pluvio tempore conspicimus. In hac significatione Nonius scribit *arquus.* Horatius autem *arcum pluvium* appellat. ¶ *Posui*] Lxx. per præsens extulerunt τίθημι pono & Hiero. per futurum, *ponam.* Ego præteritum retinui cum Chaldæis, non solum quia in fonte est verbum præteriti temporis נָתַתִּי, sed magis quia sic loquendo innuere videtur arcum illum ante illa tempora fuisse, licet tunc primum signum esse cœperit. Sensus ergo ut si diceret, Ecce arcus, quem in nubibus posui, deinceps erit signum inter me & vos. ¶ *In nubibus*] בֶּעָנָן ἐν τῇ νεφέλῃ ita Lxx. sed & Gallici interpretes, *en la nuée.* Nec aliter On. & Jon. Ceteri pluralem ediderunt, *in nubibus.* ¶ *Qui sit*] vel *qui erit.* ¶ *Et terram*] animantia terræ, ipsamque adeo terram, hoc est orbem terrarum.

14. *Cumque obnubilavero nubes super terram, & apparuerit arcus in nubibus.*

15. *Recordabor fœderis mei, quod inter me & vos & omnem animam viventem ex omni carne: nec erit amplius aqua diluvii ad perdendum omnem carnem.*

Cum obnubilavero nubes] Græci hoc eleganter dicunt: ἐν τῷ συννεφεῖν με νεφέλας. Hiero. maluit, *cum obduxero nubibus cœlum.* Jonathan, *cum expandero nubem meam gloriosam super terram.* Tremel. *cum fecero ut sint nubes super terram.* Gallici interpretes, *cum obduxero terram nubibus.* ¶ *Apparuerit*] vel, *conspectus fuerit.* Jon. *& apparuerit interdiu.* rectè sanè. Nam interdiu, non noctu apparet. *Arcus*] iris. Dictus ita à similitudine, quam habet cum arcu, quem τόξον, Græci vocant. Vulgo Regenboge i. arcus pluvius. Porro קֶשֶׁת fœminine dicitur. Similiter arcus, quando pro iri sive iride sumitur, apud Ennium. ¶ *Recordabor*] In Thargum דְּכִירְנָא verto, *recordabor ego*, ac dubito num sit legendum דָּכִירְנָא in Benoni, ut קָטֵילְנָא occido ego. Nam קטילנא occidor ego. ¶ *Fœderis mei, quod inter me & vos*] brevius interpres noster, *fœderis mei vobiscum.* ¶ *Non erit amplius*] Novè dixit לֹא יִהְיֶה pro לֹא יִהְיוּ. Sequitur enim ecce מַיִם nomen duale. Ideo Onkelos edidit לָא יְהוֹן non erunt aquæ. ¶ *Aqua diluvii*] המים למבול aqua diluvii, ut תפלה למשה oratio sive precatio Mosis. Alii, *aqua in diluvium.* quod Græci dicunt ὕδωρ εἰς κατακλυσμόν. Non culpo. ¶ *Omnem carnem*] universum genus hominum bestiarumque hoc est omnia animalia.

16. *Eritque arcus in nubibus, & videbo illum ad recordandum fœderis æterni quod inter Deum & omnem animam viventem ex omni carne, quæ super terram.*

17. *Et dixit Deus Nocho, Hoc est signum fœderis quod stabilivi inter me & omnem carnem, quæ super terram.*

Arcus] הקשת τὸ τόξον. Idem cum illo τὸ τόξον μου, quod in editione τῶν ό: unde in vulgatam nostram emanavit. ¶ *Inter Deum*] inter me. Simile, *Dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM.* Sic alibi, *Exscindam vos de sub cœlo DOMINI.* Locutio est admodum crebra. ¶ *Quod stabilivi*] vel, *quod statui.* i. pactus sum. Hiero. rectè, *quod constitui*: & Lxx. τοῦτο τὸ σημεῖον τῆς διαθήκης ἧς διεθέμην: quod reddunt, *Hoc signum testamenti, quod disposui.* Sed est cur malim, *Hoc signum fœderis, quod pactus sum.* Nam disponere testamentum, quod legitur in Epist. ad Ebræos apud interpretem antiquum, nullô exemplô dicitur. Licet etiam vertere, *quod constitui.* Nam διατίθεμαι constituo. Ceterum Græci Bibliorum interpretes διατίθεμαι usurpant pro συντίθεμαι i. paciscor: unde 1 Reg. 11. διάθου ἡμῖν διαθήκην, paciscere nobiscum fœdus. Atque hinc διαθήκη, pactum, fœtus, ut cum dicimus ἡ καινὴ διαθήκη, novum fœdus.

18. *Erant ergo filii Noë qui egressi, sunt ex arca Sem & Cham & Japheth: Cham vero ipse est pater Chanaan.*

19. *Tres isti sunt filii Noë, & ab his dispersa fuit universa terra.*

Cham] vel *Ham*: unde Ægyptus appellata, quæ usque ad tempora Hiero. Ham dicebatur. Quod ipse sign. per hæc verba, *Sæpe Lxx non valentes Heth literam, quæ duplicem aspirationem sonat, in Græcum vertere, χ Græcam addiderunt, docentes in hujusmodi vocabulis esse aspirandum. Unde Cham transtulerunt pro eo quod est Ham: à quo Ægyptus usque hodie lingua Ægyptiorum dicitur Ham.* ¶ *Ipse est pater Chanaan*] Hoc adjecit propter sequentem historiam, quam modo narraturus est, simul etiam ut ostenderet originem gentis Chananæorum: quorum regionem Israëlitæ post occuparunt, ipsis expulsis & ejectis. ¶ *Ab his dispersa fuit universa terra*] *dispersa* i. sparsim habitata & frequentata: aut *terra* i. habitatores terræ. Qui nunc terram incolunt, inquit, ab his originem habent, dispersi per eam huc illuc, quò fata ducebant. Quam sententiam ita expressit Hiero. *Ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Ceterum dispersa terra dicitur quia homines per eam dispersi. Cui simile apud Prophetam Jonam, *& navis cogitabat frangi*, pro, qui erant in navi cogitabant eam fractum iri.

20. *Cœpitque Noë esse agricola & plantavit vineam.*

21. *Bi-*

21. *Bibensque de vino inebriatus est, & se detexit in medio tabernaculi sui.*

Cœpitque Noë, &c.] alii, *cœpitque Noë vir agricola & plantavit*, pro eo quod est cœpit plantare האדמה איש Vir terræ i. Agricultor. On. & Jon. *Vir colens terram.* Lxx. ἄνθρωπος γεωργὸς γῆς: in quo insignis pleonasmus. Nam satis erat ad plenam orationem γεωργὸς i. agricola. אדמה autem in hoc sermone sumitur pro שדה i. ager. Sic cùm dicimus עבר אדמה colens humum, non alium significamus, quam eum, qui agrum colit i. איש בר אדמה virum agricolam, & *vir agricola* ut *homo sacerdos*, ἄνθρωπος ἁλιεὺς, homo piscator, & quæ alia grammatici notarunt. ❡ *Cœpit esse*] Hic להיות subaudio cum Jonatha, qui למהוי de suo addidit, & benè meo judiciò. Alii aliter. Suum cuique, dum quod nostrum est nobis non invideant. ❡ *Inebriatus est*] ἐμεθύσθη: vel *inebriavit se.* Quod dupliciter exponi potest, vel ut plane fuerit ebrius ex nimiô potu vini, cujus vim fortasse tum adhuc ignorabat: vel ut largius & plus solito biberit, unde ei somnus obrepsit. Solet enim largior compotatio somnum conciliare. Illud in vitio ponitur, hoc aliquo modò excusari posset. ❡ *Se detexit*] vel, *retexit se*, hoc est verenda sua. Licet etiam vertere, *nudavit se.* Quod Jon. extulit ואתערטל & Lxx. ἐγυμνώθη, & Hiero. *Nudatus est*, sive, ut MS. quædam exemplaria habent, *Nudatus jacuit.* ❡ *In medio tabernaculi sui*] non in lecto, sed *in tabernaculo suo: & in tabernaculo*, non in agro aut alibi. Hoc minuit crimen, si crimen est: illud auget. Lxx. ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ: in domo sua. Quod ob certam causam displicet. Tum enim certe adhuc in tentoriis habitabant. Dubito an domos habuerint.

22. *Et vidit Cham pater Chanaan verenda patris sui, & indicavit duobus fratribus suis foris.*

Verenda] vel, *nuditatem* i. verenda nudata. Sed videre non potuit nisi nudata fuissent. Puto igitur superfluere, *nudata.* Lxx. τὴν γύμνωσιν, nuditatem, i. τὴν γυμνότητα. Alioqui γύμνωσις i. nudatio. Aquila & Sym. τὴν ἀσχημοσύνην, turpitudinem. Quomodo & Lxx. eam vocem reddunt. Hos. 2.9. Reperitur etiam Rom. 1. Sirach. 26.7. & 29.24. & 30.14. Gallica edit. *vergongne* i. בשה. Aliquando simul leguntur ערות בשה nuditas pudendorum. ❡ *Foris*] extra tabernaculum.

23. *Et accepit Sem & Japheth pallium & imposuerunt suo amborum humero, & abierunt retrorsum, texeruntque verenda patris sui, & facies eorum retrorsum, & verenda patris sui non videbant.*

Accepit] i. acceperunt. Figura est quam Zeugma vocant. Eam retinuerunt interpretes Chaldæi: mutarunt Græci. Non malè etiam vertes, *At vero Sem & Japheth acceptum pallium imposuerunt humero.* ❡ *Pallium*] השמלה Lxx. reddunt τὸ ἱμάτιον, quod & vestem significat in genere, & pallium, quod supra tunicam induitur h. e. τὸ τριβώνιον. Idem שמלה Ebræis. Ergo alii hic habent *vestimentum*, alii *pallium.* in queis Hiero. quem nunc secutus sum. R. Salomo quodam in loco interpretatur dicens significare vestem honestiorem, qualem sabbato induimus. Abenezra vero ait idem esse cum בגד large acceptum, ut vestis latinè. On. pro eo edidit כסותא i operimentum, & Jon. אצטלא i. stolam. Hôc vocabulo Græci quodlibet vestis genus significant ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι hoc est ab induendo. Latini ad honestæ Matronæ vestem restrinxerunt. Apulejus tamen pro veste sacerdotali usurpat. In Thargum Esther אצטלא דמלכותא amictus regius, stola regia. ❡ *Suo amborum humero*] vel, *humero ambo ipsi.* Siquidem Pronomen שניהם tam potest referri ad verbum וישימו imposuerunt, quam ad nomen שכם humero. Hoc Trem. elegit, illud verò Santes. Lxx. ἐπέθηκαν ἐπὶ τὰ δύο νῶτα αὐτῶν: imposuerunt duobus humeris suis. Hiero. contentus fuit dicere, *humeris suis*, omisso nomine *duo.* Mercerus, *super humerum amborum*, suum scilicet. Gall. edit. *sur leurs deux espaules.* ❡ *Retrorsum*] ὀπισθοφανῶς, in aversum. Quidam, *incesserunt retro.* Id unô verbô dicas, retrocesserunt. ❡ *Verenda*] virilia, pudenda. ❡ *Texeruntque*] pallio. ❡ *Retrorsum*] sub. *aversa erant.* quasi diceret, obversis vultibus texerunt verenda patris sui. ❡ *Et verenda patris sui, &c.*] ita ut verenda patris sui non viderint.

24. *Cumque evigilasset Noë à Vino suo, cognovit quæ fecisset sibi filius suus minimus.*

Evigilasset] expergefactus esset. Lxx. ἐξένηψε. Propriè ἐκνήφειν de ebriis dicitur, qui ex somno demum sunt sobrii. ❡ *E vino suo*] Nam bene potus obdormiverat. *& e vino suo*, quod biberat, sive quo inebrietus fuerat: vel cujus vineam plantaverat. ❡ *Cognovith*] rescivit. Et cognovit indicio filiorum, aut quia Prophetes erat. ❡ *Filius suus minimus*] minimus natu. Is erat Cham, ut diximus. Quod hinc evincitur. Nam maximus natu erat Japheth, & medius inter hos Sem. Abenezra, *Filius ejus*, nempe Cham, i. Chanaan. Infra, *Filii Cham, Mesraim & Phut & Chanaan. Quid autem Patri suo fecerit*, inquit, *nescitur.* De hac re variæ sunt Ebræorum sententiæ vel potius conjecturæ. R. Salomo, *Sunt ex Doctoribus nostris, qui dicant Chanaan primum vidisse, Patrique suo indicasse.* Abenezra, *Cham vidit, nec texit patrem. Quò auditò Chanaan fecit aliquid quod in historia reticetur. Nam de illo capiendum, Quæ fecisset sibi, &c.* Theodoretus Quæst. in Genes. Quæst. 57. Ἔφησε δὲ ὁ Ἑβραῖος ταῦτα εἰπὼν καὶ παράδοσιν τινα, ἐπιγραφὴν ἀπόδειξιν τῇ παραδόσει. ὡς ἄρα ὁ χαναὰν πρότερος εἶδεν τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ πάππου, καὶ ἀπήγγειλεν αὐτὴν τῷ πατρὶ μόνῳ καταμωκώμενος ὥσπερ τοῦ γέροντος. Vide sequentia. ❡ *Minimus*] הקטן Minimus. Filius minimus i. nepos Chanaan non Cham. Sic etiam interpretor quod in editione Græca ὁ νεώτερος, ut apud Syrachidem πρῶτος πάντων i. prima omnium. הקטן *parvus.* R. Salomo exponit, *vilis, abjectus*, ut Abd. 2. *parvum posui te in gentibus.* Quod alienum ab hoc loco.

25. *Et dixit, Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.*

Maledictus Chanaan] Jon. *Maledictus Chanaan, qui est filius ejus quartus*, scil. Chami, qui nunc in filio maledicitur. Deus enim, cujus spiritu agebatur Noë, linguam ejus ita rexit, ut licet maledictionem destinaret in filium Cham, tamen nepotem Chanaan nominaverit: à quo originem duxerunt Chananæi, in quibus potissimum hæc prophetia completa. Quidam censent ipsum filio maledixisse, quod Pater ante à Deo benedictus fuerat. (Hiscuni putat allusum esse hoc loco ad nomen Chanaan, in quo sensus humiliandi sive deprimendi. Nam כנע humilio, deprimo.) Sic enim certe legimus supra 9. *Benedixit Noacho & filiis ejus.* ❡ *Servus servorum*] On. עבד פלח *servus serviens.* Jon. עבד משעבד. idem aliter. Eliæ Thesbites, שעבד servio, humilio, deprimo. ❡ *Fratribus suis*] patruis Semo & Japeto: vel fratribus πρὸς τὸ h. e. Chus, Mesraim & Phut: a quo Lybies.

26. *Idem dixit, Benedictus DOMINUS Deus Sem, & sit Chanaan servus ei.*

Benedictus DOMINUS Deus Sem] non dicit *benedictus Sem* (quanquam & hoc voluit) *sed benedictus DOMINUS Deus Sem.* Nam Deus eam mentem illi indiderat. Est enim autor omnis boni. *Quid habes*, inquit ille, *quod non accepisti?* Jon. *Benedictus es DOMINE Deus, quia fecisti eum justum.* i. virum bonum. Discamus hinc primum Modestiam, si quid boni nobis contigat, ne ob id efferamur insolentius aut superbiamus: deinde gratitudinem erga Deum datorem & largitorem omnium, qui est benedictus in secula. Etiam ob filiorum probitatem gratias agere debemus Deo. ❡ *Benedictus*] laudandus, celebrandus. ❡ *Sit*] vel *erit.* ❡ *Servus*] παῖς οἰκέτης. Lxx. *tributum pendens.* R. Salo. ❡ *Ei*] vel *eis*, nempe fratribus suis Semo & Japeto. Nam est למו in textu Ebraico. Id Jonathan retulit ליה ei: On. להון eis sive illis. Sic etiam Santes, & Tremellius, & Gallici Interpretes. Prius ediderunt Lxx. Hiero. & Munsterus. Scias autem Syllabam מו compositam esse partim ex affixo singulari, partim ex plurali. Singulare est Vau holem, ut in דברו, verbum ejus: Purale Mem præcedente Camets, ut in דבריהם verba eorum. למו ergo vel *ei* vel *eis* reddi potest. Nos *ei* prætulimus, Quia cum prius dixisset, *servus servorum erit fratribus suis*, nunc dixit eum peculiariter serviturum Semi posteris. ita mihi videtur. Neque damno tamen aliam versionem. Suum cuique.

27. *Dilatet Deus Japeto, & habitet in tentoriis Sem, & sit Chanaan servus ei.*

Dilatet] Vide *Fullerum miscel. l. c.* 4. Hunc locum trifariam interpretantur, *dilatet, alliciat, pulchrum faciat. Dilatet* legitur in On. Lxx. & Hiero. quos nunc secuti sumus, cum etiam Abenezra exponat ירחיב i. dilatet, addens hunc sensum verbi Chaldæis familiarem esse. Quod verum est. *Alliciat*, quod in Tremellio & Gallica, se tuetur significatione recepta & usitata verbi פתה unde πείθω: quam tamen hîc aliam esse puto. *Pulchrum faciat*, habetur in Jonatha & Saadia. Cave probes. Num à יפה pulcher fuit, non potest esse יַפְתְּ. Qui hanc linguam probe callent, sciunt me verum dicere. Nota paronomasiam, quæ est inter Japhth, dilatet, & Japhet, qui latina declinatione Japetus. ❡ *Japeto*] ליפת ipsi Japheth. Jon. תחומי ריפת terminum Iapeti. ❡ *Habitet*] Deus an Iapheth? Illud amplexus videtur On. dum verteret, *& habitet divinitas ejus.* Hoc Ion. secutus est, referens, *proselyti fiant filii ejus, & habitent in concionibus Sem.* בכדרש verti, *in concionibus.* Nam דרש concionator. Licet etiam vertere, *in scholis*, quasi dicat בבתי מדרש vocatur. Sane domus aut cubiculum in quo lex docetur בית מדרש vocatur. Autor Elias is, quem Levitam cognominant. ❡ *In tabernaculis*] ἐν τοῖς σκηνώμασι. Hic libri veteres. Alii habent ἐν τοῖς οἴκοις: in domibus. Supra, באהלה ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ: *in domo sua.* Constat tabernaculum pro domo usurpari. Hic

tamen aliter usurpatur. Nam ea ætate adhuc in tentoriis habitabant. ¶ *Servus ei*] Hiero. *Servus ejus:* & Lxx. παῖς αὐτοῦ: puer ejus. Ceteri elegerunt *eis.* i. להון, etiam Ion. hoc loc. Mihi sic videtur si verbum *habitet* de Deo accipiatur, rectius legi *eis*, quam *ei*.

28. *Vixit autem Noë post diluvium trecentos quinquaginta annos.*

29. *Fueruntque omnes dies Noë nonaginti & quinquaginta anni, & mortuus est.*

Fueruntque] ויהיו & fuerunt. Ita libri omnes, quos consului: uno excepto, in quo scriptum diserte ויהי & fuit. Is est editionis Venetæ, quam secundam appellant. Ubi in Margine hæc lectio Massoritis attribuitur, qui critici erant Ebræorum, quorum traditiones in magno pretio habent. *Et fuit*, sc. numerus dierum Noë. Sed magis ut fit sing. pro plur. Quod solens fit in hac lingua. ¶ *Omnes dies Noe*] Omne tempus vitæ Noë. ¶ *Et mortuus est*] obiit anno Abrahami 58. cujus symbolum est ipsius nomen נח quod in numeris valet quinquaginta octo. Ceterum ab Adamo usque ad obitum Noë numerantur anni 2006. usque ad natum Abrahamum 1948. A diluvio ad Abrahamum 292. A condito mundo usque ad diluvium 1642.

A M A M A.

6. QUicunque *effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Omisit vocem באדם, quæ in Ebræo nullo modo vacat, quomodocunque exponas; quapropter etiam à nullo alio interprete, quod ego quidem sciam, omissa est. Ebræa, *Effundens sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur.* Quibus verbis Magistratus officium authoritatemque sanciri ostendunt Theologi nostri, quos jam aliquoties citavi. Firmat Onkelos: *Quicunque effuderit sanguinem hominis in testibus* (id est, cum, vel coram testibus) *per sermonem* (id est, sententiam) *judicum, sanguis eius fundetur.* Alii, *propter hominem*, interfectum scilicet. Alii לעיני הכל coram omnibus. Cæteras Interpretationes mitto, quia contra Accentum Zakeph Katon vocem באדם jungunt cum præcedentibus verbis. Addam verba Jonathæ, *Qui eff. sanguinem hum. coram testibus, judices condemnant eum ad mortem: Qui vero eff. s. hum. absque testibus, Dominus mundi ultionem sumet de eo in die magni judicii.*

7. Commissus error circa vocem שרצו quem supra 8. 17. taxavimus. Vertit enim *Ingredimini.* At Lxx. πληρώσατε.

D E M U I S.

20. C*Œpitque Noe agricola, & plantavit vineam.*] Qui dici Noe potest primus consevisse vineam? Nullane ante illud tempus fuerat vinea? An etiam defuerant vites? Censet Abarbanel, שאם היו שקדם המבול היו שם גפנים לאכול הענבים הנה לא היה כרם מסודר שורות שורות לעשות יין עד שבא נח שמזמורות הגפנים שהכניס עמו בתיבה נטע כרם מסודר שורות שורות כדי להוציא יין מהענבים, *Et si ante Diluvium essent illic vites unde racemi ederentur, non tamen fuisse vineam in ordines structam ad faciendum vinum, donec Noachus ex surculis vitium, quos secum in arcam tulerat, consevit vineam in ordines dispositam, quo ex uvis eliceret vinum.* Eodem ferè modo Bechai; הראשונים נטעו גפן כל אחד ואחד לעצמו אבל נח התחיל שהוא לנטוע גפנים שורות הנקראים כרם וזהו שאמר ויחל: *Primi mortalium vites seorsim ac separatim consevérant: verum Noachus eas nunc cœpit in ordines digerere, qui* כרם *vinea* (i. multitudo vitium simul consitarum) *vocantur: atque illud est quod dicitur*, Cœpitque Noe &c. Pergit Bechai; הגיד לנו הכתוב צרות רבות ורעות שהיין סבה להם כי החטיא את הצדיק התמים אשר הציל את כל העולם וגרם לו שיהיה זרעו מקולל: *Exponit autem nobis Scriptura multa magnaque mala quibus vinum causam dedit: quod nimirum ad peccandum induxit* Noachum *virum justissimum atque integerrimum, cui mundi universi salus debebatur; occasionemque præbuit, ut ejus posteri* (Chananæi scilicet, à Chanaan nepote oriundi v. 25.) *male fortunandi essent*, calamitatibusque obruendi. Certe ita est. Vinum multorum malorum causa semper fuit eritque, quod uberius haustum suo non pepercit auctori. Haud abs re est quod Baal Hatturim observat, etsi argutius, היין quod *vinum* sonat, Gematrice sive Arithmetice idem esse ac יללה *ejulatum*: (utriusque enim nominis literæ pro numeris acceptæ efficiunt 75.) quod scilicet non unam ejulatus dolorisve causam sæpe vinum attulerit. Quo pertinet illud Prov. 23. 29. & seq. *Cui væ? cui væ? cui rixa? cui murmur? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* &c.

Ut reliqua taceam quæ hic Rabbini tradunt, illud quidem certe præterire non possum quod legitur in Jalkut; אמר ליה הקדוש ברוך הוא לנח לא היה לך ללמוד מאדם הראשון שלא גרם לו אלא יין כמאן דאמר אותו אילן שאכל ממנו אדם הראשון גפן היה שאין לך דבר שמביא יללה לעולם אלא יין: *Dixit ipsi Noe sanctissimus Deus, Non debuisti exemplum sequi primi hominis, cui præter vinum non alia peccandi causa fuit: quemadmodum dixit aliquis, Arbor e qua comedit primus homo, vitis fuit: nulla enim res est quæ afferat hominibus ejulatum nisi vinum.* Non vana prorsus sunt hæc quæ in vinum dicuntur: quanquam si verum fateri volumus, quod vitium vini dicimus, nostrum est, qui immodice bibendo legitimum vini usum corrumpimus, quod modice sumptum adeo non nocet, ut animos ad hilaritatem, qua cum ad valetudinem tum ad negotia gerenda nihil melius, convertat. Haud inepte in cyatho inscripserat quisquis est, *Nemo nisi à seipso læditur*, hoc volens significare, non esse in vinum culpam conferendam quæ nostra est. Verum est profecto quod ait Seneca, *liberaliorem potionem menti vigorem dare; interdumque animum in exsultationem libertatemque extrahendum, tristemque sobrietatem removendam paulisper.* Sed nimium, nec placet, quod idem ait, *nonnunquam & usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut eluat curas.* Vini semper parcus sit vir sapiens, eoque sic utatur, ut reficiatur quidem, non impleatur: caveatque ne sibi unquam cum adolescente Terentiano dicendum sit,

At, at, data hercle verba mihi sunt; vicit vinum quod bibi:
Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulcre sobrius!
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.

G R O T I U S.

3. O*Mne quod movetur & vivit, erit vobis in escam, quasi olera virentia tradidi vobis omnia*] Videtur plane hic locus, & quæ sequitur exceptio de sanguine, indicare quod ante diximus, ante diluvium jus quidem homini fuisse in animantia, ut scilicet lacte, lana, & mortuorum suo fato exuviis uteretur, non ut in cibum ea verteret: de quo jure antiquissimo, à quibusdam etiam gentibus post diluvium servato, vide quæ ex omnibus historiis congessit Hieronymus 11. adversus Jovinianum, cui adde Porphyrium hujus argumenti libro, & quæ nobis dicta de Jure belli ac pacis libro 11. c. xx. §. 9. & in annotatis ad eum locum. Ostendit hic Deus homines à se curari singulos, aliorum animantium sola tantum genera, & imperfectiora à se ordinari in usum perfectiorum.

4. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*] In Hebræo est, *tantum carnem in anima ejus cum sanguine ipsius non comedetis.* Græci, πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε [*tantum carnem in sanguine animæ non edetis*]. Aquila, ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ [*in anima ipsius sanguinem ipsius*]. Symmachus, οὗ σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ [*cujus sanguis cum anima*]. Hebræi recentiores, &, ut credo, Christianorum odio, sentiunt vetari hic esum membri rapti de animali vivo, quales delicias & Americanis quondam placuisse video. Faciunt ejus jam olim usitati mentionem & Arnobius & alii. At certe vetustiores Hebræorum non ita interpretatos satis docet Josephus, qui ait χωρὶς αἵματος, ἐν τούτῳ γὰρ ἐστιν ἡ ψυχή [*excepto sanguine, in eo enim est anima*]: quem sensum iisdem prope verbis hic expressit Rabbi Saadias, & quidem sequuntur non ignobiles Hebræorum magistri: nimirum ut Moses primum dixerit, carnem cum anima non comedendam, deinde semet exponens addiderit, id est cum sanguine. Sanguini datur nomen animæ, quia, ut Empedocles sentiebat, ψυχὴ ἐν τῇ τοῦ αἵματος συστάσει [*anima in sanguinis compage*]. Est id animæ vitali sanguis, quod oleum lychno. Plutarchus de Homerica Poësi, τὸ αἷμα νομὴ καὶ τροφή ἐστι τοῦ πνεύματος [*sanguis pabulum & alimentum est spiritus*]. Servius ad illud: *Purpureos flores: sanguis aut anima aut animæ sedes.* Carnem cum sanguine comedere, est comedere botulos cruore distentos, ut Tertullianus loquitur in Apologetico, sectione ix. & si qua his sunt similia. Non sinit nos de sensu dubitare locus apertus Deuter. xxiii. ubi sanguinem comedere, explicatur, animam comedere cum carnibus. Sic intellexere Mosis locum Apostoli Actorum xv. 29. Nimirum ut Tertullianus loquitur libro de Monogamia: *In Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit: & libertas ciborum & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit: & repudii cohibi-*

tio

tio, quod ab initio non fuit. Idem de jejunio de hac lege agens: *Æque post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sanguine abstinendi, permisso usu caeterorum.* Sulpitius Severus in hac historia: *Dei praeceptum accepit, ne sanguine vesceretur.* De botulis illis, id est de sanguine intestinis, tanquam tunicis, infarcto, vide & Leonem Novella LVIII. His aequant Apostoli τὰ πνικτὰ [*suffocata*]; ut & Hebraei. vide librum Chulin. merito, quia ἐν πνικτοῖς [*in suffocatis*] sanguis omnis studiose asservabatur, & in carne elixabatur. vide Athenaeum. Sanguine simul cum lacte usi Troglodytae, gens effera, ut Strabo nos docet. Idem de Scythis, Concanis, aliisque barbaris proditum. Mitioribus gentibus id improbatum: Plinius libro XXVIII. in principio de sanguine agens: *Cum è plagis hunc ne ferarum quidem admoveri ori fas sit humano.* Causa praecepti partim physica est, ut infra dicemus, partim moralis, significans vitandam ultionis cupidinem, quae sanguine se pascit.

5. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*] Id est, ajunt Hebraei, puniam eos qui homines bestiis objecere.

Fratris ejus] Cognationem enim quandam inter nos natura constituit, ait Florentinus l. Ut vim. ff. de justitia & jure.

6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius*] In Hebraico, *Effundens sanguinem hominis in homine sanguis eius effundetur.* Ubi *in homine*, per hominem interpretantur Hebraei, trahuntque ad sequentia, ut sensus sit, Ex testium testimonio, judicum pronuntiato mortem homicidae inferendam. At cum lex haec lata est, nondum constituta erant judicia. Itaque naturale jus talionis hic indicari verius, quod aucto humano genere, & in gentes distributo, merito solis judicibus permissum fuit, extra casus quosdam exceptos, in quibus mansit jus illud primaevum. Vide quae nos de Jure belli ac pacis libro I. c. II. §. 5. & libro II. c. XX. §. 8. Non male igitur illud *per hominem* sic interpreteris, ut morti devotus intelligatur, non is tantum qui manu sua perpetravit homicidium, sed & is qui mandavit.

13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum foederis inter me & terram*] Etiam apud Poëtas Iris Deorum nuntia. Tres in Iride colores significant Dei severitatem, clementiam, & beneficentiam.

25. *Servus servorum erit fratribus suis*] Jure naturae servitus poena peccati gravioris. Imprudenti expedit esse sub alio. Philo in libro, omnem virum bonum esse liberum.

CARTWRIGTUS.

2. SUper omne quod movebitur (in) terra בְּכֹל אֲשֶׁר תִּרְמֹשׂ הָאֲדָמָה.] Vel, *super terram.* LXX. ἐπὶ πάντα τὰ κινούμενα ἐπὶ τῆς γῆς. Vulg. *Cum universis quae moventur super terram.* Sic Aben Ezra ait האדמה esse pro על האדמה, i. e. super terram. Addit autem ita exponi posse, ut terra sit פועלת, i. e. agens; atque ita exponit Mercerus, sumendo nimirum תרמש transitive, ut שרץ, verbum cognatae significationis, sumitur cap. 1. 20. *Eleganter* (inquit) *meo iudicio, terra dicitur movere animantia, ut aqua pisces scaturire.* Vicina enim verba sunt שרץ & רמש, illud in aquis, hoc tam in aquis, quam in terra. Quod si sensus esset, quod calcat terram, vel movetur super terram, ait tunc dicendum potius fuisse תרמש quam תרמוש, quod cum femininum sit, ad האדמה tanquam nominativum suum, referri videtur. Ego vero alteram expositionem magis probo, quod *movetur super terram*; nam ut exponatur, quod terra movet, durius culum videtur. Generis autem enallagen apud Hebraeos haud infrequentem esse, nemo nescit.

3. כָּל־רֶמֶשׂ *Omne quod movetur*] Sic Vulg. melius quam LXX. πᾶν ἑρπετόν. Nam ut recte Ab. Ezra, *remesh* hic comprehendit feras, & pecudes, & volucres, & pisces.

Erit vobis in cibum.] *Ecce* (inquit Aben Ezra) *omnia ad esum sunt concessa.* Sic (a) R. Salom. hic notat Adamo non nisi herbam fuisse concessam, nunc autem Noae ac filiis ejus liberam quodlibet comedendi potestatem à Deo factam. Lyra ait, tunc Deum concessisse homini piscibus ac carnibus vesci duplici ratione: 1. quia terra diluvio facta est deterior, unde olera non adeo nutritiva sint ac antea. 2. quia natura hominis facta est fragilior, ac lautiori propterea victu opus habeat. Alii autem existimant etiam ante diluvium homines carnibus vesci solitos. Et rationibus sane haud contemnendis haec opinio nititur. 1. Quia alias in immensum multiplicatae fuissent bestiae, atque adeo totum terrarum orbem replevissent. 2. Homines ante diluvium libidinibus admodum dediti fuerunt, ut constat ex cap. 6. ac propterea verisimile est eos non contentos fuisse oleribus, sed lautius victitasse. 3. Christus docet homines istius seculi genio indulsisse; Mat. 29. 38.

(a) *Vide ad cap. 6. 13.*

Erit vobis in cibum.] Constat (inquit Grotius de Verit. Relig. lib. 5.) post magnum diluvium, Noae ejusque posteris à Deo jus datum quolibet victu utendi. Videtur vir doctissimus in ea esse opinione, id ante diluvium homini non fuisse concessum. At praeter rationes antea allatas argumentum ab Abelis sacrificio desumptum, plurimum in se roboris habere videtur ad probandum jam tum statim ab exordio mundi homines carnibus vesci potuisse. Quorsum enim alias laudi esset Abeli, quod de optimis pinguissimisque pecoribus Deo obtulit? Certe si carnibus tunc abstinendum esset, perinde fuisse videtur, utrum pinguia quis, an macra sacrificaret. Nescio autem an id tantum voluit Grotius, tempore Noae quorundam animalium esum non fuisse prohibitum, quemadmodum postea tempore Mosis, ac deinceps quamdiu Lex ista viguit, prohibitus fuit. In Annotat. enim ad istum locum ait, *obstare videri mentionem animalium mundorum, & immundorum in diluvii historia. Sed* (inquit) *aut id κατὰ πρόληψιν dictum est ad eos, quibus nota Lex; aut immunda intelligi debent ea, quae hominum victus naturaliter defugit; quae profana dixit Tacitus, hist. 6. Nisi malis munda accipere, quae herbis aluntur; immunda, quae aliis pascuntur animantibus.* Haec ille. At ut antea notatum ad cap. 7. 2. Locus iste cap. 8. 20. omnino arguit, etiam ante Legem Mosis distinctionem fuisse animalium mundorum & immundorum, quod ad sacrificia attinet; utrum autem tunc etiam animalia quaedam ita erant immunda, ut ea comedere esset illicitum; minus certum videtur, nec quicquam reperio, quod ita rem habuisse satis probabiliter persuadeat.

4. אַךְ בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ, (b) *Veruntamen carnem cum anima, seu vita ejus, sanguine* (scil.) *ejus, non comedetis.*] R. Salom. ait Deum hic prohibuisse eos comedere אבר מן החי, i. e. *membrum de animante vivo*; q. d. Quamdiu anima seu vita ejus est in sanguine ejus, non comedetis carnem. Magis quadrare videtur expositio Aben Ezrae, quae sic habet; *Veruntamen carnem cum vita ipsius quae est sanguis ipsius* (בשר עם נפשו והוא דמו) *non comedetis.* Ac citat illud Deuteron. 12. 23. כמעם לא תאכל הנפש עם בשר, i. e. *quemadmodum dicitur, Non comedes vitam cum carne.* Fagius in Collat. (quem Gualterius hic, ut pene ubique sequitur) videtur parum advertisse verba Aben Ezrae, cum sic vertit, *Quasi dicat, non comedas animam cum carne.* Non enim est כלומר, i. e. quasi dicat, sed כמעם, i. e. juxta sensum, nempe istorum verborum (Deut. 12. 23.) *Non comedes, &c.* Locus sane est ad hunc illustrandum apprime idoneus; integer siquidem versus sic habet, Hoc solum diligenter caveas, ne sanguinem comedas; sanguis enim anima est; & animam cum carne non comedes. LXX. πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε, *Veruntamen carnem in* (vel cum) *sanguine animae non comedetis.* Quasi Hebraicè esset, אך בשר בדם נפשו לא תאכלו

5. *Veruntamen sanguinem vestrum, &c.*] R. Salom. videtur de interfectore sui ipsius duntaxat intelligere, השופך דם עצמו, i. e. *qui effundit sanguinem suum*: at de cujusvis hominis interfectione procul dubio est intelligendum. Aben Ezra sic παραφράζει, *Dedi vobis potestatem effundendi sanguinis cujusvis animalis; at sanguinis vestri, vitarum scil. vestrarum, qui homines estis, effundendi potestatem non dedi, sed requiram eum.*

מִיַּד כָּל־חַיָּה אֶדְרְשֶׁנּוּ *De manu omnis bestiae requiram eum.*] Aben Ezra sic exponit. Si qua bestia hominem interfecerit, ea ab alia bestia, Deo ita procurante, interficietur. At Deus potius homini legem statuit de interficienda bestia ista, à qua homo fuerit interfectus. Vide Exod. 21. 28.

וּמִיַּד הָאָדָם מִיַּד אִישׁ אָחִיו *Et de manu hominis, de manu fratris cujusque, &c.*] LXX obscurius, ἐκ χειρὸς ἀνθρώπου ἀδελφοῦ, *de manu hominis fratris.* Monet autem Nobilius in Graecis libris hic esse aliquas varietates. Vulg. Et de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris ejus requiram animam hominis. Chald. מיד גבר דישוד ית דמא דאחוהי, i. e. *De manu viri qui effundit sanguinem fratris sui*, i. e. *alterius cujusquam.* Et sic Targum Jonath.

6. *Qui effundit sanguinem hominis*, בָּאָדָם, i. e. *per hominem sanguis ejus effundetur.*] Chald. בסהדין על מימר דיניא דמיה ישתפיך, i. e. *per testes* (re testibus comprobata) *ex mandato seu sententia Judicum sanguis ejus effundetur.* R. Salom. eodem, opinor,

(b) *Jonathan, Veruntamen carnem, quae avulsa est ab animali vivo, quamdiu anima ejus est in eo, vel quae avulsa est ab animali occiso, priusquam spiritus ejus penitus exierit, non comedetis.*

opinor, sensu, sed brevius & obscurius; אם יש עדים המיתוהו אתם, i. e. *Si sunt testes, vos eum interficite.* Aben Ezra ait illud, באדם *per hominem*, intelligendum esse, *per testes.* Vel, in oculis hominum. Vel (ut ב sit pro בעבור) *propter hominem*, eum nempe, cujus sanguis effusus est. Fagius in Chald. Par. citat hanc totius loci Hebræorum expositionem. Dicit Lex, *Qui fundit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus fundetur.* Hoc intelligitur de eo, qui per seipsum occidit quempiam; & non per alium ad hoc subornatum. *Veruntamen sanguinem animarum vestrarum requiram.* Intelligitur de eo, qui seipsum occidit. *De manu omnis animantis requiram eum.* Illud dicitur de eo, qui proximum suum bestiæ dilaniandum objicit. *De manu hominis, de manu* (c) *viri fratris sui requiram animam hominis*; Id de eo dicitur, qui conducit alios ad occidendum proximum suum. Sed hæc expositio à vero loci sensu procul dubio est aliena. Targum Jonathæ sic habet, *Qui effundit sanguinem humanum coram testibus, Judices condemnant eum ad mortem; qui vero effundit absque testibus, Dominus mundi ultionem sumet de eo in die judicii magni.* Lxx. ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται, *Qui effundit sanguinem hominis, pro sanguine ejus effundetur.* Locus videtur corruptus, atque ita forte est restituendus, ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ ἀνθρώπου τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐκχυθήσεται, *Qui effundit sanguinem hominis, pro homine sanguis ejus effundetur.* Fagius & Gualtperius in Collationibus suis sic legunt, ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου, τὸ αὐτοῦ ἐκχυθήσεται, *Qui effundit sanguinem hominis pro sanguine hominis, ejus (quoque sanguis) effundetur.* At in Edit. Rom. verba ita se habent ut citavi, nec variæ lectionis ulla fit mentio. Vulg. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.* Prorsus omisit illud באדם *per hominem*, vel *propter hominem*, quod non immerito reprehensum est ab Amama, qui notat Theologos nostros ostendere Magistratus officium autoritatemque hisce verbis sanciri. Utrum autem Gualtperio hic prorsus assentiendum sit, haud satis scio. Ante diluvium, inquit, non permittebatur homicidam interimere, ejusque sanguinem fundere. Qua de caussa pius Adamus excommunicare quidem filium Cainum potuit; interimere ipsum, aut etiam mandare alii, ut interimeretur, non potuit. Hoc enim jus sibi soli reservarat Jehova. At vero nunc post diluvium potestatem hanc etiam cum homine communicat. Sic ille; At exemplum illud de Cain allatum, rem conficere non valet. Specialis enim ratio fuit, cur in ipso statim mundi exordio fratricida non interimeretur; at ad diluvium usque vel magistratum non fuisse à Deo constitutum, vel ad homicidas capitali supplicio afficiendos gladio non fuisse armatum, minus videtur verisimile.

11. *Et stabiliam fœdus meum vobiscum, &c.*] Aben Ezra monet ob hoc fœdus dictum esse Isai. 54. 9. Quemadmodum juravi aquas Noæ amplius terram non inundaturas, &c. Hoc sane multo magis rationi est consentaneum, quam quod putat R. Salom. nempe illud Prophetæ respicere ad Gen. 8. 21. ubi bis dicit Dominus, לא אוסיף, *non addam*, scil. terram perdere. *Non invenimus* (inquit) *de hac re juramentum, nisi hoc quod (Deus) verba sua geminaverit; id autem est juramentum.* Quasi vero omnis verborum geminatio esset quoddam juramentum. At in fœdere recte intelligi potest juramentum cum juramento fœdus stabiliri soleat, unde Chaldæis una eademque vox, scil. קים & *fœdus* & *juramentum* significat.

12. *Hoc est signum fœderis, &c.*] *Iris* (inquit Lyra) *est signum magis ad placitum*, scil. *ex ordinatione divina, &c. Ante diluvium non fuit in signum hujus, licet apparuerit, quia tale pactum vel fœdus non erat adhuc institutum; sed pacto facto Deus instituit apparitionem iridis, sive ipsam iridem de novo in signum hujus pacti vel fœderis, licet iris sit res naturalis, & ante diluvium fuerit. Sicut aliquando contingit in humanis, quod lapis magnus, qui diu stetit in aliquo loco immobilis, de novo statuitur in signum alicujus distinctionis, utpote hæreditatum, vel regnorum.* Hæc Lyra. Aben Ezra ad Ver. 13. ait nunc primum arcum in nubibus fuisse positum, ac improbat opinionem Saadiæ, qui eum ab initio factum existimavit. At opinio Saadiæ videtur verisimilior arcum nempe antea fuisse in nubibus, cum naturalem sui caussam habeat, etiamsi nunc demum in eum finem constitutus sit, ut fœderis signum esset.

18. *Cham autem est pater Canaan.*] R. Sal. putat ideo istud hic dici, quia statim narratur, quemadmodum ob transgressionem Cham, Canaan, cujus antea nulla facta est mentio, fuit maledictus. Aben Ezra ait hinc disci, ambos fuisse malos, ac secundum opera patrum fecisse filios, nempe Cananæos. Mentionem autem fieri Canaan, non Chush (qui etiam filius fuit Cham) quod maledictus futurus erat Canaan. Quin & hanc sectionem scriptam asserit, ut indicaretur Cananæos esse maledictos, ac eorum etiam filias jam inde à diebus Noæ. Inde Abrahamum noluisse filium suum uxorem habere de filiabus Cananæorum: atque ita etiam Rebeccam filias Heth aversatam esse. Quod si quis (inquit) interroget, Quid peccarunt filii Heth? Quare non aperit oculos suos? Nam & Hittæi, & Amoræi ac reliqui, fuerunt filii Canaan.

20. איש האדמה *agricola.*] Ad verb. *vir terræ.* Chald. גבר פלח בארעא, i. e. (d) *vir colens terram.* Aben Ezra, יודע עבודת האדמה, i. e. *peritus agriculturæ:* atque addit hanc magnam esse sapientiam. R. Solom exponit, אדוני האדמה, i. e. *dominus terræ.* Sed id à loci sensu est alienum.

Et plantavit vineam] Non vitem, ut vulgo putatur, (inquit Mercerus) Noë primus plantavit, sed vineam. Sic Ramban & Kimchi in Rad. & alii Hebræi sentiunt ex ratione (e) vocum. Vini ergo usum invenisse Noë non dubitarim, etsi potuerit aliquis ante diluvium vini usus esse, non ita tamen studiose elaboratus ex plantatione multarum vitium simul, quæ est vinea. Hinc & Janum Berosus & alii cognominatum putant, à יין (Jajin) vino, voce non abludente.

22. *Et Cham pater Canaan vidit nuditatem patris sui.*] R. Sal. testatur nonnullos dicere, Canaan vidisse, ac patri suo indicasse; atque ideo Canaan memorari, nec non fuisse maledictum.

23. ופניהם אחרנית *& facies eorum retrorsum erant.*] R. Sal. notat hoc denuo narrari, ejusque hanc caussam assignat, ad indicandum nempe quod cum ad patrem suum appropinquabant, ac ad eum sese convertere necesse habebant, ut eum tegerent, iterum facies suas retrovertebant.

24. בנו הקטן *Filius ejus minor.*] Ad verb. *parvus.* R. Sal. hic parvum interpretatur פסול ובזוי, i. e. *abominabilem & contemptibilem.* Ut Obad. ver. 2. *Ecce posui te* קטן *parvum inter gentes*, i. e. בזוי, *contemptibilem*; ut hic non ad ætatem, sed ad conditionem Chami referatur. Sed id minus videtur probabile. Aben Ezra per filium ejus minorem, intelligit Canaan, referens pronomen ad Cham, cujus, uti etiam filii ejus Canaan, antea facta est mentio. At nimis certe remotum est nomen Cham, ut ad eum pronomen referatur; ideoque hæc Aben Ezræ interpretatio merito mira visa est Mercero. Quod autem Mercerus asserit, Aben Ezram dicere, Cham audisse, ac magis etiam subsannasse ipsum Noë, id ego quidem in Aben Ezra non reperio; uti nec istud quod refert Gualtperus, qui ait Aben Ezram opinari, Noachum primo per Canaan fuisse retectum. Verba Aben Ezræ Latine reddita hæc sunt. Scriptura non explicat quid factum sit; is autem qui fecit, fuit Canaan. Sic autem res se habuit; Cham vidit (sc. patrem suum nudum jacentem) nec operuit eum, uti fratres ejus fecerunt, sed rem indicavit, audivitque Canaan, sed quid fecit, nescimus. Hæc Aben Ezra, quæ ab istis, quæ de eo referunt Mercerus & Gualtperius, multum sunt diversa.

25. *Maledictus Canaan.*] Filii maledictio in patrem redundat. -- *Non dubito filium ejusdem cum patre ingenii fuisse, & ipsum quoque, ut patrem, risisse Noë.* Mercer. Hoc longe sanius est, quam quod nonnulli (ut refert Aben Ezra) dixerunt, scil. Noë non filio, sed nepoti suo maledixisse, propterea quod Deus filiis ipsius benedixerat.

עבד עבדים *Servus servorum*] Aben Ezra ait sensum esse, עבד כאחד העבדים, i. e. *servus sicut unus servorum*; q. d. unus erit ex servis, unus ex iis qui servituti sunt subjecti. Sic קדש קדשים quod Levit. 10. 12. 17. & alibi occurrit, i. e. *sanctum sanctorum*, exponit *unum ex sanctis.* Quod si dictum esset, עבד העבדים tunc ait sensum fore, עבד לעבדים, i. e. *servus servis*, ut eis nempe, qui ipsi sunt servi, servus esset. Et sic ubi dicitur בקדש הקדשים, i. e. *in sancto sanctorum*, ut Exod. 36. 34. id *quod maxime, & præ aliis sanctum* fuit, significare existimat. At non videtur sive additio, sive omissio literæ istius ה, etiamsi suam habeat emphasin, istiusmodi in hac loquendi forma discrimen facere. Plerique (ut notat Fagius in Collat.) sic exponunt, ut Canaan etiam *inter servos servus* esse debeat, hoc est, *servilissimus servus*; & ut Hebræi dicunt, עבד העולם, i. e. *servus mundi*, ut quisquis in eum incidat, pro servo abutatur. Ut servus servorum, ejusmodi locutio sit, quales illæ sunt, *Canticum Canticorum, Rex regum, Dominus dominantium, &c.* quibus excellentia denotatur.

26. *Benedictus sit Dominus Deus Sem.*] Observa (inquit Mercer.) non benedicere ipsi Sem, sed Domino Deo Sem, quasi Deum agnoscat hujus probitatis filii sui Sem autorem. At

procul

(c) *Sic Fagius vertit* איש אחיו.

(d) *Ita etiam Jonathan.* (e) גפן *est vitis, at* כרם *vinea; quæ vox hic usurpatur.*

procul dubio cum Noë Dominum vocat Deum Sem, eique benedicit, non ad hanc probitatem Sem (quam nempe in reverentia sua erga patrem ostendit, quæ ei cum Japhet fuit communis) duntaxat respexit, sed id in animo habuit, posteros Sem peculiarem Dei populum esse futuros. Atque hæc magna fuit benedictio ipsius Sem, quod Dominus summe benedictus, ipsius peculiari quodam modo Deus esset. Vide Psal. 144. 15.

27. יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת *Dilatet Deus Japhet.*] (f) In Hebræo elegans est paranomasia, quæ in versione conspici non potest. Alii autem interpretantur, *Persuadeat Deus Iapheth.* Nam פתה significat etiam *pellicere*, *persuadere.* Hic autem Rabbini exponunt יפת per ירחיב, i. e. *dilatet.* Similiter Chaldæus; & Lxx πλατύναι ὁ θεὸς τῷ Ἰάφεθ. Et vulg. *Dilatet Deus Iapheth.* Et Hieron. in tradit. *De Sem* (inquit) *Hebræi, de Iaphet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, à latitudine, quæ Iaphet dicitur, latitudo nomen accepit.* Hanc etiam expositionem sequitur Mercerus. Sic Fullerus Misc. lib. 2. cap. 4. ubi fatetur sensum illum, *Alliciet Deus Iaphetum, ut habitet in tentoriis Semi*, esse eruditum ac pium; existimat tamen tutius & commodius esse vulgatæ versioni adhærescere. Nam illam alliciendi seu persuadendi significationem in Hiphil esse insolentem. Deinde פתה cum allicere denotat, accusativum ubique postulare, expresso, aut saltem subaudito את, ejusdem signo; at hic dativum adjunctum habere, uti constat ex ל vulgari illius indicio. Eandem nempe & significationem, & constructionem obtinere cum verbo הרחיב, ut Gen. 26. 22. הרחיב יהוה לנו, *Dilatavit Iehova nobis:* idque perspicue & accurate observasse Lxx transferentes, πλατύναι ὁ θεὸς τῷ Ἰάφεθ, *Dilatet Deus* (non Japhethum, sed) *Iaphetho*, ut subintelligatur habitandi locum; q. d. *amplissimam regionem Iapheto largietur Deus.* Sic autem verba esse intelligenda, rem ipsam docere; orbis namque terrarum longe maximam partem Japheto fuisse assignatam. Hunc locum à Fagio in Collatione sua prætermissum fuisse, mirum videtur.

Et habitet in tabernaculis Sem] Nonnulli hoc referunt (g) ad Japhet, ut sit pars benedictionis ejus. Alii autem sic interpretantur, & *habitabit* (est enim futuri temporis ישכן) nempe Deus, *in tabernaculis Sem.* Sic Chald. וישרי שכנתיה במשכנה דשם, i. e. *& habitabit divinitas ejus in tabernaculo Sem.* Similiter exponit Aben Ezra; nec abludit R. Sal. cujus hæc est glossa, *habitabit divinitas ejus in Israele.* Mercerus etiam mavult ad Deum referre, ut hæc sit præcipua Semi benedictio, quod in ejus posteritate Deus sit domicilium habiturus. Sic Fullerus (loco supracitato) ait non injuria τὸ ישכן referri à Chaldæo Paraphraste non ad Japhetum, sed ad Deum; & exponit de Christo, qui ex Israelitis Semi posteris carnem assumpsit, & inter eos (uti dicitur Joan. 1. 14.) ἐσκήνωσε, *habitavit.* Verbum Græcum quod usurpatur ab Hebræo, quod hic occurrit, σκηνόω, nempe à שכן Shachan, ortum videtur. Pia quidem & speciosa expositio; istud autem & Canaan erit servus ejus, arguit potius ad Japhet esse referendum.

(f) *Ionathan, Pulcram faciet Dominus terminum Iaphet; & proselyti erunt filii ejus, & habitabunt in schola seu collegio* במדרשא דשם *Shem.* (g) *Ita exponere videtur Hieron. De nobis (inquit in Tradit.) prophetatur, qui in eruditione & scientia Scripturarum, ejecto Israël versamur.*

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. HÆ *sunt generationes*] Indicatur in hoc decimo capite omnium à mundo condito seculorum series: Facileque ex eo redarguitur Ægyptiorum & Chaldæorum fabulosa mendacitas, qui sese vetustissimos temere jactant, cum tamen prima humani generis propagatio facta sit post diluvium. A creatione autem mundi ad diluvium intercesserunt mille sexcenti & quinquaginta sex anni, secundum Hebræorum veram supputationem: Et per hoc temporis spatium minimum terræ angulum homines tenuerunt. Necdum enim erant diffusi in omnes terras, sicut post diluvium, quando in orbem dispersi, regionibus & provinciis, quas primum tenuerunt, nomina sua dederunt. Successu tamen temporis omnia ferè nomina regionum sic sunt mutata, ut nemo hodie certo sciat quæ fuerit *Kittim*, quæ *Tubal*, quæ *Tiras*, quæ *Homer*, quæ *Riphath*, &c. nisi quod conjecturæ quædam afferuntur à quibusdam. De terris tamen *Mizrajim, Madai, Cusch, Chnaan, Babel, Assur*, & quibusdam aliis nemo dubitat quin nomina sua retinuerint à primis cultoribus. De aliis vero dubium est; tametsi Hebræi communiter intelligant per *Askenaz* Germaniam, per *Thogarma* Turciam, per *Tharsis* Ciliciam, &c.

9. *Fortis venator*] Ut hic varias Hebræorum opiniones omittam, quid Gerundensis sentiat obiter dicam. *Hic*, inquit, *Nimrod cœpit esse potens super homines, quippe qui primus sibi usurpavit regnum & vindicavit imperium super viros Babyloniæ, & deinde super homines Assyriæ, exstruens civitates munitas, & tyrannidem exercens. Et quod subditur*, Coram Domino, *hyperbole est, quia non fuit sub cælo aliquis sibi æqualis in potentia.* Aben Ezra vero aliter sentit, Quod scilicet Nimrod exstruxerit altaria, & obtulerit super ea animalia in holocaustum Domino. At Gerundensis opinio verior videtur, qui post Aben Ezra & Kimhi scripsit. Nostri hunc locum sic interpretantur, Quod Nimrod per tyrannidem cœperit esse potens in terra, non sine cæde & sanguine; nec contentus finibus suis, invasit quoque vicinos. Et, quod pejus fuit, non voluit esse tantum fortis venator in terris, sed etiam coram Domino: voluit quoque regnare in religione, erexit novos cultus coram Domino, usurpavit sacerdotium vi & ferro, direptor generis humani, persecutor & occisor sanctorum hominum. Non fuit venator leporum, cervorum & aprorum (sicut principes nostri, qui insano studio plerumque sic indulgent venationi ut etiam seriis negotiis eam anteponant) sed insidiabatur hominibus, præsertim justis & sanctis prophetis: invadit populum Dei, & eam lineam ex qua erat nasciturus Christus, exstruit turrim usque in cœlum, ut sibi paret nomen æternum in mundo: & postquam vidit hoc ædificium Divinitus confusum & impeditum, tunc cœpit ædificare civitatem Babel. Deinde succedentibus temporibus Assur inde egressus, ædificavit ipse quoque civitatem Ninive; & translatum est in eam imperium totius Orientis. Sed qua occasione & quibus temporibus Babylon illa vastata sit, nusquam exstat. Assur autem egressus est ex terra Sinear, quod consentire noluit in cultum idolorum à Nimrod institutum.

14. *Pelistim*] Nostri legunt, *Philistiim*; sicut pro *Hajebusi*, & *Haemori*, &c. legunt *Jebusæum*, *Amorræum*, *Gergesæum*, *Evæum*, *Arachæum*, *Sinæum*, &c. & pro *Hakkenaeni*, *Chananæum.*

21. *Filiorum Eber*] R. S. dicit hic, *Eber* non esse nomen proprium, sed accipi pro præpositione *trans* vel *ultra:* sicut & *Hebræus* non dicitur ab *Eber* proprio nomine, sed a præpositione *Eber*, quod primus Hebræus, videlicet Abraham, venerit *ultra* fluvium Euphratem. Sic Sem fuit *pater omnium filiorum qui erant ultra flumen.* De quo & sequenti capite nonnihil dicam.

FAGIUS.

9. V*Ir fortis coram Domino*] Diversa hic lectio est. Quidam enim in malam partem interpretantur, quod scilicet Nimrod tantam tyrannidem exercuerit ut nec Deum reveritus fuerit. Alii in bonam partem accipiunt, quod Deum sacrificiis, quæ ex feris quas ceperat illi paraverat, placare studuerit. Cui sententiæ adstipulatur etiam Aben Ezra, qui in commentario suo super hunc locum scribit Nimrod altaria exstruxisse, in quibus feras quas venabatur Domino in holocaustum obtulerit.

11. *Plateæ civitatis*] Ambigua quoque hic lectio est. Alii vocem רחבת, ut verti, pro *plateis* legunt: alii vero pro nomine civitatis proprio habent. Verum prior lectio certior esse videtur, eo quod vox Chaldaica רחבת formam regiminis habens ambiguitatem tollere videtur, ne pro nomine proprio sed appellativo legas.

12. *Ipsa est civitas magna*] Tametsi illa etiam ad Resen vel ad Calah referri possunt, sicut etiam admonet Aben Ezra, tamen magis probabile apparet ut ad Ninive referantur, eo quod & in aliis locis hæc urbs à *magnitudine* commendetur, ut est in prophetia Jonæ.

IDEM.

9. הוא היה גבור ציד לפני יהוה, *Ipse fuit fortis venator coram Domino.*] In sensu potius quam in vocabulorum interpretatione circa hunc locum variant Commentatores. Nostri omnes hanc de Nimrod historiam in malam partem interpretantur, quod scilicet primus omnium fuerit qui post Diluvium tyrannidem exercere inceperit: violentia enim sua quodque invadens, ad tutanda quæ rapto & latrocinio occupaverat, munitas urbes pro sui defensione exstruxit, tantæque audaciæ fuit, quod

nec Deum ob scelera sua veritus est; id quod significari volunt per istam locutionem לפני יהוה *coram Domino*. Huic sententiæ apud Hebræos adstipulantur Gerundensis & R. Schlomo, qui illi à *rebellando* nomen inditum sentit. Nam מרד Hebræis *rebellare* significat. Simulatque *venator* dictus est, quod scilicet verborum suorum illecebris homines venatus sit, quos ubi in sententiam suam pertraxit, Deo quoque rebelles esse effecit. Cæterum Aben Ezra & post illum R. D. Kimhi illud, *coram Domino*, in bonam partem accipiunt; nempe quod Nimrod altaria exstruxerit, in quibus feras quas venatus erat Domino, se ita gratum ostendere volens, obtulerit. Idem quoque Kimhi per amplificationem dictum esse putat illud לפני יהוה *coram Domino*, ad indicandum quod tum sub cœlo nemo in potentia illi æqualis fuerit. Porro diversæ hujus expositionis causa fuit schematismus Hebraicus, *coram Domino*, qui in utramque partem, bonam & malam, aliquando in Scripturis accipitur. In bonam, Gen. 27. ואברככה לפני יהוה לפני מותי, *Et benedicam tibi coram Domino ante mortem meam.* In malam, Gen. 6. ותשחת הארץ לפני האלהים, *Et corrupta est terra coram Deo.* Mihi nostrorum sententia magis probatur.

VATABLUS.

1. G*Enerationes* תולדת] Active accipiendum, *Hi sunt quos filii Noe, nempe Sem, Ham, & Japheth, genuerunt.*

2. *Gomer*, גמר] De his propriis nominibus vide libellum interpretationum nominum Hebraicorum, Chaldæorum, &c. quem fini istius operis attexuimus.

5. *Separatæ sunt insulæ* נפרדו איי) *divisæ sunt insulæ.* Intellige filios Japheth partitos inter se transmarinas regiones. Nam Græcia & Italia, aliæque terræ continentes, Hebræis non minus quam Rhodus vel Cyprus *insulæ* dicuntur propter mare interpositum. Alii vertunt, *divisi sunt* habitatores *insularum gentium.* Alii, *Ab istis dispersi sunt* in *insulas Gentium.* ¶ *Juxta linguam suam*, ללשנו] *juxta idioma suum.* Vide v. 31. ¶ *In gentibus suis.* בגויהם] *in nationibus* [*populis*] *suis.*

8. *Potens* גבר] *fortis. tyrannus.* i. cœpit usurpare imperium & dominari in gente sua. q. d. Primus omnium affectavit tyrannidem. Mediocris tunc erat hominum status, ut si qui aliis præessent, non tamen dominarentur, nec sibi imperium sumerent; sed dignitate aliqua contenti, civilem in modum regerent alios, & plus authoritatis haberent quam potentiæ. Jam dicit Moses, Nimrod, quasi oblitus foret se hominem esse, occupasse altiorem gradum.

9. *Fuit potens venator* והיה גבר ציד] *erat robustus venator.* ציד à צוד, proprie *venationem* significat: unde ad verbum vertendum esset, *fortis venatione.* Accipitur tamen sæpe pro *cibo.* Sive autem dicat Moses fuisse *robustum in venatione*, sive *in rapienda præda*, metaphorice significat truculentum fuisse hominem, & beluis propiorem quam hominibus. ¶ *Coram Jehovah*, לפני יהוה] Hebraismus; pro, *sub cœlo.* i. fortissimus erat omnium hominum qui sub cœlo erant. q. d. Nemo erat sub toto cœlo qui æquipararet eum viribus. Erat enim fortis & corpore & animo, qui auderet feras invadere. Aliis istud *Coram Domino* exprimere videtur, quod Nemrod eximere se conatus sit è numero hominum, quemadmodum superbi homines ventosa confidentia sese efferunt, & reliquos omnes quasi ex nubibus despiciunt. ¶ *Dicitur* יאמר] Quoniam verbum est futuri temporis, ita resolvi potest, Nemrod potens & imperiosus fuit, ut dicere liceat, quemlibet fortem tyrannum esse alterum Nemrod. Placet tamen veteris interpretis Versio, inde manasse proverbium de fortibus & violentis, eos esse similes Nemrod: neque dubitandum quin Deus primum tyrannidis authorem odiose per omnium ora traduci voluerit.

10. *Fuitque principium* ותהי ראשית] *Fueruntque primitiæ.* Sedem imperii Nemrod designat Moses, atque urbes quatuor illi subjectas fuisse dicit, sive earum fuerit conditor, sive justos inde dominos expulerit. ¶ *Sinear* שנער] Chaldæus Paraphrastes vertit, *in terra Babylonis*: ut sit idem *Sinear* & *Babel.* Addita est autem *Terra Senaar*, ad notam discriminis, quia altera quoque Babylon Ægypti fuit, quam hodie *Cairum* vocant. Mirum videri posset, quomodo Babylonicus fuerit tyrannus Nemrod, quum sequenti capite subjiciat Moses incœptam illic fuisse turrim quæ nomen a linguis confusis sortita est. Quidam ὕστερον πρότερον esse volunt; & quod postea de ædificio turris narrabit Moses, fuisse temporis ordine prius. Quinetiam addunt, Quia male cesserat turris structura, mutatum fuisse consilium ut urbem conderent. Alii potius existimant πρόληψιν esse, & nomen urbi tribui à Mose quod postea ex novæ rei eventu fuit impositum. Hæc conjecturæ ratio est, quod jam tunc multos fuisse ejus loci incolas probabile est, qui tantam operis molem aggressi sunt. Fieri etiam potest ut Nemrod famæ & potentiæ suæ consulens, hoc prætextu insanam eorum cupidinem accenderit, exstruendum esse præclarum aliquod monumentum quo æterna illorum memoria exstaret. Cæterum quia Hebræis tritum est, quæ breviter attigerunt, fusius deinde persequi, priorem illam sententiam doctiores non improbant.

11. *Assur* אשור] Hunc fuisse unum ex posteris Sem credibile est. Vulgo autem obtinuit opinio hæc, per occasionem hic verba de eo fieri, quod quum habitaret in vicinia Nemrod, violenter inde expulsus fuerit. Hoc modo, barbaram ferociam Nemrod notaret Moses. Alii volunt non violenter fuisse expulsum, sed quum esset Assur vir pius, ne cum homine impio habitaret, cessisse illi, quum videret eum affectare tyrannidem, & ædificasse Ninive & Rohoboth-Ir, atque Calah. Vide Mich. 5. 6. Alii legunt, *Ex hac regione egressus est in Assyriam*: ut scilicet eam subjugaret, & imperii sui fines prorogaret. Juxta istorum opinionem *Assur* non erit nomen proprium viri, sed terræ, sic ab ipso vocatæ: ita sensus erit, Nemrod amplo & opulento regno non contentum, longius sua cupiditate vagatum esse, & protulisse imperii sui fines usque in Assyriam, & illic quoque novas condidisse urbes. ¶ *Et Rohoboth civitatem* ואת רחבת עיר] *& Rohoboth-Ir.* Quidam vertunt tanquam appellativum, *& plateas civitatis.*

12. *Ea* היא] *hæc.* Nempe Ninive.

13. *Ludim*, *&c.* לודים וגו׳] Nominibus his pluralibus non tam filios Misraim recensere voluit, quam provincias populosque qui à filiis illis denominati sunt: perinde ac si dixisset, *genuit Lud, à quo denominati sunt Lydii.*

14. *Unde egressi*, *&c.* אשר יצאו וגו׳] i. *à quibus orti sunt*, quasi essent colonia illorum, & ab illis sponte migrassent Palæsthini. ¶ *Et Caphthorim*: ואת כפתרים] sub. *genuit.* i. Misraim genuit Caphthor, à quo Caphthoræi, i. Cappadoces.

16. *Et Jebusi*, *&c.* היבוסי וגו׳] Gentilia sunt nomina singularia, quibus & nomina, & provinciæ, sive populi à filiis Chanaan denominati significantur, ut dictum est paulo ante v. 13. de pluralibus. Chaldæus Paraphrastes vertit omnia per pluralem.

18. *Sparsæ sunt*, *&c.* נפצו וגו׳] *dispersæ* [*diffusæ, disseminatæ*] *sunt cognationes Chananæorum.*

19. *Terminus* גבול] *regio*, i. *Protendebatur à Sidone versus Gerar tibi pergenti, &c.*

20. *Secundum familias suas*, *&c.* למשפחתם וגו׳] Vide supra V. 5.

21. *Ipsi quoque*, *&c.* ולשם ילד וגו׳] Ordinem turbatum Hebraice, sic vertunt quidam docti, *Ipsi quoque Sem, patri omnium filiorum Eber* [i. Ebræorum] ac *fratri Jepheth majori natu, etiam nati* sunt filii. Singul. Heb. *natus est*, pro plurali, *nati sunt*: quod frequens sit usus hujus verbi, ideo indifferenter ponunt in singulari aut in plurali, i. *Sem filios etiam habuit.* Legi potest, *nata est*, sub. *proles.* Quidam vertunt *fratri Jepheth majori*, ut referatur ad Jepheth, quem putant fuisse majorem natu ipso Sem. Hic fit mentio de Japheth, non de Ham, ut confirmetur illa promissio, *Dilatet Deus*, sive potius *Blandè alloquetur Deus Japheth, ut habitet in tabernaculis Sem.* Neque vocatur hoc loco Sem frater Cham; quia resectus ex fratrum ordine, & jure suo abdicatus fuerat. Tantum inter Sem & Japheth manet fraternitas; quia tametsi divisi erant, facturum se tamen receperat Deus ut ex dissidio rursus coirent. Quantum ad nomen Eber, qui gentile esse negant, sed deducunt à *transitu*, (quod ferè omnium Hebræorum est judicium) hoc uno loco satis superque refelluntur.

25. *In diebus ejus divisa fuit terra*: בימיו נפלגה הארץ] i. variis linguis usi sunt habitatores terræ. Istud refertur ad divisionem linguarum & habitationum, de qua sequenti capite. Natus est ergo Peleg tempore quo hæc divisio facta est: vel Eber propheta erat, qui indidit nomen filio à re quæ eventura erat ejus tempore.

31. *Isti* sunt *filii Sem* אלה בני שם]. i. Hactenus recensuimus filios sive nepotes, & eos qui genus traxerunt à Sem, *secundum cognationes suas*, *&c.* i. varias habentes familias, varia idiomata, varias regiones, & nationes.

32. *Per generationes suas in gentibus suis*: לתולדתם בגויהם *secundum generationes suas in nationibus suis.* ¶ *Divisæ sunt gentes* נפרדו הגוים] i. ab istis nati sunt qui totam terram incoluerunt post ipsum diluvium.

CLARIUS.

1. H*Æ sunt generationes*] Indicatur hoc capite omnium à mundo condito seculorum series, facileque ex eo redarguitur Ægyptiorum & Chaldæorum fabulosa mendacitas, qui sese

sese vetustissimos temere jactant, cum tamen prima humani generis propagatio facta sit post diluvium. A creatione autem mundi ad diluvium intercesserunt mille sexcenti & quinquaginta sex anni, secundum Hebræorum veram supputationem: & per hoc temporis spatium minimum terræ angulum homines tenuerunt. Necdum enim erant diffusi in omnes terras, sicut post diluvium, quando per orbem omnium terrarum dispersi, regionibus & provinciis, quas primum tenuerunt, nomina sua indiderunt.

9. *Robustus venator coram Domino*] Illud *coram Domino* hyperbole est, quod non fuerit sub cœlo quisquam ei æqualis potentia. Dicunt Hebræi primum hunc cœpisse uti potestate humano generi data, in feras videlicet, & ex illis obtulisse sacrificia Domino.

10. *Principium regni ejus Babylon*] Caput regni primi Babel, h. e. *confusio*. Nam regnandi appetitio confundit omnia.

21. *Pater omnium filiorum Heber*] Post gentium familias conscriptas aggreditur genealogiam sanctam Sem, qui dicitur *pater omnium populorum qui sunt transfluviani*, Orientales scilicet, ultra Euphratem & Tigrim, quæ flumina Mesopotamiam complectuntur. Nam hoc loco *Heber* creditur esse non proprium nomen, sed præpositio, ut significet *trans*, vel *ultra*, sicut & *Hebræus* non dicitur ab *Heber* proprio nomine, sed à præpositione *Heber*, quod primus Hebræus, videlicet Abraham, venerit ultra fluvium Euphraten: ut *Hebræus* vocaretur, quasi *trajector*: in Græco περάτης legitur. Sic Sem fuit *pater omnium filiorum qui erant ultra flumen*. Nec tamen obsistit veritati & literæ, ipsum Sem Hierosolymis habitasse, in umbilico terræ, & loco à Deo præ omnibus electo, posteritati ipsius Sem promisso, Abrahæ scilicet ac semini ejus.

DRUSIUS.

11. Niniven condidit Assur; si non fallunt nos interpretes, qui vertunt Gen. 10. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven.* Sed moneo locum illum reddi posse, *ex terra illa egressus est in Assyriam*, ut sit אשור pro לאשור vel אשורה, & hoc dicat, *e terra illa egressus est Nemrod in Assyriam.* Sententia est, E Babylonia egressus Nemrodus expeditionem fecit in terram Assur, ubi Niniven condidit. Sane *Assur* significat Assyriam, Num. 24. 22. *Assur captivum abducet te*, i. Assyria. Nam est, תשבך verbum femininum in Ebræo. Ut ut sit, *egredi* eo in loco, significat egredi ad bellum, aut ad quærendum novas sedes. Ita sumitur hoc verbum Jud. 2. 15. & 11. 3. Ubi quidam egressi sunt ad quærendum novas sedes, alii egressi sunt ad pugnam. Vide notas. Videndus & R. David Jud. 2. 15. Hujus loci sunt Zach. 14. 3. *Egressus est Dominus, pugnavit in gentes.* Hab. 3. 13. *Egressus es ad salutem populi tui.* 2 Sam. 11. 1. *Quo tempore egrediuntur reges*, videlicet in expeditionem. De bellica expeditione capiendum & illud Jes. 42. 13. *Dominus ut robustus miles egredietur, ut homo militaris.* Item quod habetur Psal. 60. 10. *Non es egressus, ô Deus, cum exercitibus nostris.* & Psal. 68. 7. *Deus, egredieris coram populo tuo.* Quod de arca interpretantur, quæ cum loco moveretur, dicebant, *Surge, Domine, dissipentur hostes tui.*

14. *Unde egressi sunt Philistæi*] Hoc enarrant, Ex quo loco egressi sunt ad novas quærendum sedes. Sed vide num possit exponi, *Unde*, i. ex quo populo, *egressi*, i. orti, *sunt*. Sic dicimus, *egredi ex lumbis*, aut *ex femore alicujus*. Aut *unde*, i. ex quo viro, ut *Chasluhim* sit nomen proprium viri. *Egredi* pro *egredi ex femore* dubito an alibi reperiatur. Ideo hic ἐπέχω.

19. Ubi codex Ebræus לשע *Lesa* sive *Lasa*. Thargum Jonathæ habet קלדהי. Suspicor legendum קלרהי unius litteræ immutatione, ut sit *Calrhoi* pro *Callirhoe*, & forte legendum קלירהי aliis vocalibus. Nam scribunt Καλλιῤῥόη cum duplici ρ, i. Callirrhoe. Plinio est calidus fons circa Asphaltitem. Josephus trans Jordanem eam collocat, Antiq. l. 17. c. 8. & Captæ Judææ l. 1. c. 21. Hieronymus, *Lasa ipsa est quæ nunc Callirhoe dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare Mortuum defluunt.* Dicta putatur ab aquarum calentium pulchritudine in mare decurrentium. Vocatur etiam *Cæsarea Philippi.* Simile mendum in editione Græca, ubi Δασὰ pro Λασὰ, h. e. Daleth pro Lamed. Nam cognatio & affinitas magna inter has literas, ut mirum non sit si aliquando permutentur. Fit hoc non tam interpretum culpa quam librariorum: quanquam interpretes quoque lapsi sunt aliquando in his literis: quod ita notum ut nihil magis. Dixi Δασὰ esse de Romana & aliis. Nam in Complutensi recte scriptum Λασὰ.

21. *Omnium filiorum Eber*] i. Ebræorum, qui sic dicti ab *Eber*; ut ab *Israel*, *Israelitæ*, qui & *filii Israel*. Hoc notum in vulgus. De filiis Eber est qui dubitet, propterea quod multæ aliæ gentes ab eo propagatæ sunt. Respondeo, latum hoc nomen restringi ad posteros Jacobi Patriarchæ, ut cum iidem vocantur *Abrahamæi* & *Isacidæ*: unde *ara Isahac* sive Isacidarum, i. Ebræorum aut Israelitarum. Nam ab Isahaco etiam Idumæi ascenderunt, ut ab Abrahamo Ismaelitæ. Latius ergo patent ea nomina, si proprie accipiantur. Sed usus in angustum redegit. Sic *Adam* dictus ab Adama, ut *homo* ab *humo*, licet alia omnia animantia è terra ortum habeant. Quocirca Quintilianus frustra & nequicquam illud etymon deridet. *Viventium* nomen generale est ad omnia quæ vivunt, nihilominus Heva vocatur *mater viventium*, i. hominum. Similiter *creatura* vox restringitur ad genus humanum. Contra fit cum Ebræos sive Israelitas nuncupamus *Judæos*, cum proprie Judæi sint qui ex Juda originem ducunt. Crebrum hoc in Thargum, h. e. in editionibus Chaldaicis. Similiter *Chananæos* vocamus septem gentes; & *terram Chanaan*, earum regionem: item *Palæstinam* dicimus eandem terram, cum sit pars tantum proprie loquendo. Similiter *Machabæos* appellant Christiani quos Judæi vocant *Hasmonæos*, nomen minus late patens ad omnes posteros Matthathiæ sacerdotis extendentes, qui peculiariter *Hasamonæus* cognominabatur, cum *Machabæus* cognomen sit solius Judæ tantum. Singuli enim filiorum ejus singularia cognomina habebant. Johannan vocabatur *Caddis*, Simon *Thassi*, Eleazar *Avaran*, Jonathan *Apphus*: quod notum ex historia illius temporis; Cujus fortasse ignoratione Patres abusi sunt voce illa: aut propter celebritatem Judæ *Machabæi*, omnes qui ejus partes sequebantur dicti sunt *Machabæi*. Quomodo sane Ebræi omnes vocati sunt nomine angusto *Judæorum*: quæ appellatio hodieque obtinet apud omnes.

IDEM.

9. גבור Schol. βίαιος, *violentus*] Interpretamentum est Symmachi, ut conjicio. Causam ita conjiciendi habeo hanc, Gen. 6. 4. הנפלים idem reddit οἱ βίαιοι, *violenti*, ubi similiter Lxx. γίγαντες & Onkelos גבריא: cujus singularis גבר, i. גבור. Dialectus enim Chaldaica Holem in Camets mutat.

NOTÆ MAJORES.

1. *Ista sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Japhet: natique sunt eis filii post diluvium.*

Ista sunt generationes filiorum Noe] Ita accipio quasi dicat, Iste est catalogus eorum, quos filii Noe genuerunt, hoc est, posterorum Noe. Hunc autem Catalogum duabus potissimum de causis recenset. Una est, ut originem singulorum populorum aperiret: altera, ut gentem Dei, in qua conservata fuit vera Ecclesia, nobis commonstraret. ¶ *Filiorum*] late accipio ut etiam filios & nepotes eorum comprehendat. Siquidem, ut Proverbio dicitur, בני בנים הרי הם כבנים filii filiorum ecce sunt tanquam filii. ¶ *Post diluvium*] non ante diluvium, non in diluvio, ut quidam putant.

2. *Filii Japhet: Gomer & Magog & Madai & Javan & Thubal & Masech & Thiras.*

Gomer] in Lxx. γαμέρ. Nam cum apices aberant legi etiam poterat גֹּמֶר vel גָּמַר. Ab hoc originem trahunt Gomeritæ Asiæ populi. Beroaldus lib. 4. cap. 6. Galatæ i. Galli. Hiero. Eucherius & alii. Eucherii verba sunt, *Gomer in Genesi Galatæ, qui à candore corporis primum Galatæ nuncupati sunt: e quibus populi in orientis longinqua migrantes primum Gallogræci, nunc antiquo Gallorum nomine Galatæ vocantur.* Josephus filius Gorionis, *Filii Gomer sunt Franci, qui habitant in Francia ad flumen Franta & ad flumen Senâ.* Ceterum pro Gomer in Hiero. & Eucherio Gomer legitur, ut etiam apud vulgatum interpretem nostrum. Hinc quidam à Tacito Tuisconem appellari putant, qui fuit pater Germanorum quem carminibus celebrabant, & terra natum prædicabant. Terram autem Ertum vocabant, manifesto vestigio vocis אֶרֶץ. Filium habuit Ascenaz, à quo אשכנזים i. Germani, ut suo loco dicetur. Tacitus Mannum appellat, ut iidem arbitrantur. ¶ *Magog*] unde Magogi, qui à Græcis Scythæ sunt appellati. Josephus Orig. lib. 1. cap. 11. Hiero. Quæst. in Genesin: alii. Glossa interlinearis, Magog Scythæ qui & Massagotæ putantur. Addit Hiero. *Scio quendam Gog & Magog, tam de Genesi, quam de Ezechiel ad Gothorum nuper in terra nostra vagantium historiam retulisse: quod utrum verum sit prelii ipsius fine monstrabitur: & certe Gothos omnes retro eruditi magis Gethas, quam Gog & Magog appellare consueverunt.* Hoc ut incertum, ita satis con-

stat

ſtat gentem eo nomine innui, quam ad latera Aquilonis Ezechiel collocat cap. 38. & cap. 39. Beroaldus Chronologiæ ſuæ lib. 4. cap. 6. populum Cœloſyriæ eſſe putat: cui favet Plinius aſſerens Bambycem curvæ Syriæ urbem; quæ alio nomine Hierapolis nominatur, à Syris Magog nuncupari. Hoc ſcribit nat. Hiſt. lib. 5. cap. 23. Philo in libro nominum, *Magog, δῶμα i. tectum, vel de domate i. detecto.* De tecto i. גג. Id diviſum legendum & duabus dictionibus. Quod noto, quia Proſper legiſſe videtur *detecto*, unica voce & conjunctim. Nam ſic utique ſcribit, *Gog & Magog verba Ebræa quæ latine tectum & detectum dicuntur & ſic accipiamus detectum, quia oportet diabolum ſolvi & produci in brevi tempore.* Error natus ex ignoratione linguarum. ❡ *Madai*] Pater Medorum a quo & regio nomen accepit. Siquidem Media מדי dicitur. Res eſt, non conjectura. Græci hic legunt Μαδοὶ: ſed leg. puto Μαδαὶ. Quanquam μαδοὶ ſe tuetur exemplo κορβονᾶ, ubi (o) Scriptum loco a. Nam Ebraice dicimus קרבנא Corbana. ❡ *Javan*] Hujus filii dicuntur יונים i. Jones qui & Græci. Hiero in Quæſt. Ebraicis, *Iavan, Iones, qui & Græci, unde & mare Ionium.* Idem Sophon. 3. 1. *Iona tam columbam ſignificat, quam Græciam i. ἑλλάδα. Unde & uſque hodie Græci Iones & mare appellatur Ionium: & apud Ebræos permanet eorum vetus vocabulum.* Quod partim verum, partim falſum eſt. Nam יונה columba, non Græcia. Siquidem Græcia יון dicitur, non יונה. Jeſ. 66. 19. יון Lxx. καὶ εἰς τὴν ἑλλάδα. Hiero. *& Græcia.* Pro Javan videtur aliquando lectum fuiſſe Jon, cujus pluralis יונים abſque apicibus tam Græcos deſignat, quam columbos, vel ſi mavis, columbas. Sed columbi hodie יונים leguntur, Græci vero יונים Jevanim. Ceterum ex Jon factum literæ unius mutatione Jan, unde Ἰὰς Jonia & Attica. Strabo, ἡ γὰρ Ἀττικὴ τὸ παλαιὸν Ἰωνία καὶ Ἰὰς ἐκαλεῖτο. Sed & pro tota Græcia uſurpatur. Unde Æſchylus in Perſis Ἰάνων γῆν dixit pro ἑλλήνων i. Græcorum. Nam eſſet Ἰώνων. Suidas ἴωνες οἱ ἀθηναῖοι καὶ Ἀττικοὶ. ἀθηναῖοι. Idem Ἰωνικὸς, ἑλληνικός. Suidas & Heſychius Ἰᾶσι, ἕλλησι. Venio nunc ad textum noſtrum. Lxx. καὶ ἰωυὰν i. Jovan. Siquidem (υ) hic ponitur pro (v) conſonante, ut in Δαυὶδ & ſimilibus. Alius diceret Ἰαυάν, ex quo Joſephus Græca declinatione fecit Ἰαυάνος. Ejus verba ſunt Orig. lib. 1. cap. 7. Ἀπὸ Ἰαυάνου, Ἰωνία καὶ πάντες ἕλληνες γεγόνασι. Gorionides lib. 1. *Filii Iavan ſunt Ievanim i. Iones ſive Græci, qui habitant in terra Macedonia.* Tantum de hoc nomine. ❡ *Thubal*] תֻּבַל ſive תובל ut eſt in Thargum Onkeli, quod Senes ediderunt Θοβὲλ: unde Thobel in libro nominum. Populus vicinus Arabiæ & Syriæ. Beroaldus lib. 4. cap. 6. φασὶν εἶναι Θοβὲλ Ἴβηρας. Theodoretus Ezech. 38. *Sunt Iberi, qui & Hiſpani, à quibus Celtebri: licet quidam Italos ſuſpicentur.* Hiero. Quæſt. in Geneſin. Idem in Comment. Jeſ. 66. *Thubal ſive Thobel, aut Italia interpretatur, aut Iberia, hoc eſt Hiſpania, ab Ibero flumine: unde & hodie Hiſpaniarum regio appellatur Celtiberia. De quibus Lucanus Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberi, quos nos poſſumus Gallo-Hiſpanos dicere.* Et in Comment. Ezec. 32. *Thubal alii Iberos, alii Italos intelligi volunt.* Joſephus filius Gorionis, *Thubal ſunt qui habitant in terra Tuſcania, ad fluvium Phiſaa.* Terra Tuſcania i. Hetruria. Hiero. Jeſ. 66. *Lydorum coloni Hetruſci, qui nunc Thuſci appellantur, quondam mittendarum ſagittarum peritiſſimi.* A Thuſcis, Thuſcania dicta. Si ergo Thuſci Hetruſci, ſequitur Tuſcaniam eſſe Hetruriam. Rurſum Hieron. in Jeſaiam, *Thubal ſive Thobel, ductus ad luctum, vel converſus ad univerſa.* הובל adductus אל ad אבל luctus. תב converſus אל ad כל univerſa. Quam hæc longe petita! Et tamen his, ceu fundamento aliquo, innituntur allegoriæ veterum. ❡ *Maſech.*] antiquum eſt pro Meſech, ut Habel pro Hebel, Phares pro Pheres. Latinus vulgatus *Moſoch.* Sic etiam Græci Μοσὸχ. Hiero. in Quæſt. *Moſoch ſunt Cappadoces, unde & urbs hodie apud nos Mazaca dicitur.* Scribit eadem Joſephus Matthiæ filius, *Meſchini, à Meſcho conditi, nunc Cappadoces vocantur. Antiqua autem appellationis ſignum oſtenditur. Nam civitas quædam apud eos etiam hodie Mazaca nuncupatur.* Beroaldus arbitratur eo nomine ſignificari potius populum vicinum Cedræis Arabibus. Mercerus, *Moſchi & Moſchovita,* inquit, *ab hoc potius originem habere videntur, qui ſunt populi Septentrionales.* Porro Mazacam poſterior ætas Cæſariam Cappadociæ nominavit. Ammianus Marcellinus l. 20. *Apud Cæſaream Cappadociæ etiam tum degentem invenere Conſtantium, Mazacam antehac nominatam, oportunam urbem & celebrem.* Joſephus Ben Gorion שכוני חם בשך putarim legendum שכוני ut ſapones ſignificet. Quod tamen arbitrarium eſſe volo, nolo ut ſit certum. In Lyra pro Mazaca perperam ſcriptum lectum Mathaca, quæ vox nihil ſignificat. Ceterum Lxx. Interpretes Chaphthorim Cappadoces arbitrantur. Quod ante me alii notarunt, & in his Hiero. Vide Quæſt. ipſius. In Com. Ezec. 27. meminit horum nominum per hæc verba, *Iones, qui Ebraice appellantur Iavan: & Thubal, i. Iberes Orientales, vel de occidentis partibus Hiſpani, qui ab Ibero flumine hoc vocabulo nuncupantur: & Moſoch, quos Cappadoces intelligimus; quorum metropolis; quæ poſtea ab Auguſto Cæſare, Cæſarea appellata eſt, uſque hodie lingua eorum Mazaca dicitur.* Pſal. 120. 5. משך גרתי Joſeph Cæcus interpretatur עם אסיא ejus interpres, *cum Aſiaticis.* Judæi *cum Hetruſcis*, & citant Joſephum Gorionis filium in eam rem, ſed male, ut alibi oſtendimus. Thargum Jonathæ hoc loco, *Nomen provinciæ eorum Aſia,* quod ſcribit אסיא pro quo in Jeroſolymitana eſt אנסיא Anaſia: quod libentius punctarem אנסיא Anſia, ut Nun ſit epentheticum. ❡ *Thiras*] *à quo Thraces, quorum non ſatis immutatum eſt vocabulum.* Hiero. in Quæſt. in Gen. *Perſæ.* R. Salo. *Turcæ.* Jonathan, ſi modo תרק (Thracia potius) eſt Turcia. *Ruſſi, Boſni, Angli,* Joſeph ben Gorion. Anglos vocat אנגליס quos habitare dicit ad mare magnum i. Oceanum. Alibi *mare magnum* vocatur mare mediterraneum. Hunc verſum Jonathan ita παραφράζει, *Filii Japheth, Gomer & Magog & Madai, & Iavan & Thubal & Meſech & Thiras. Nomina vero regionum, quas inhabitarunt Africa, Germania, Media, Macedonia, Iathinia, Aſia & Thracia.* ❡ *Germania*] גרמניא & Germania. In Thargum quod ab urbe nomen habet גרמניא & Germania. ❡ *Media*] ומדי mendum manifeſtarium pro ומדי quod in Thargum Jeroſolymitano מדי qui nos de hac emendatione dubitare non ſinit. ❡ *Macedonia*] i. Græcia. Synecdoche. Alibi *Macedonia* vocatur Syria cava. Vide notas noſtras in librum Haſmonaorum. In textu Jonathæ מקדוניא in Jeroſolymitana מקדוניא Micdonia. Tu corrige מקדוניא. ❡ *Iatinnia*] Suſpicor legendum *Latinia*, ut Latium ſignificetur i. Italia. Vide quæ ſcripſimus ad nomen Thubal. In Jonatha ויתיניא. In Jeroſolymitana ויתיניא. ❡ *Aſia*] quæ & Anſia per Epentheſin literæ Nun. ❡ *Thracia*] תרק ſive תרקי. Fuit aliquando tempus cum putarem Turciam ſignificari. Nunc aliter ſentio. Lexicon Chaldaicum Munſteri תרק & תרקיא *Turcarum regio in Gen. 10. in Thargum Jeroſolymit.*

3. *Et filii Gomer, Aſchenaz, & Riphath & Thogarma.*

Aſchenaz] In Lxx. ἀσχανὰζ, Aſchanaz: in Hiero. *Aſcenez.* Ab hoc ſunt *Aſchenazæi*, quos Græci Rheginos vocant. Joſephus, Hiero. alii. Germani quos hodieque Judæi אשכנזים appellant. Terram autem ipſorum vocant ארץ אשכנז, quæ in Comment. ad Abdiam exponitur Alemania & Sclavonia: Hæc vere Judæi recentiores, quos refutat Beroaldus lib. 4. cap. 6. qui per Aſchenaz Mediæ populum innui putat. Vide, ſi vacat & ſi vis. Judæorum ſententiæ adſtipulatur, qui Aſcenaz Taciti Mannum eſſe prætendit, cui & Gomer, à quo Cimmerum eſt Tuiſco, pater Germanorum. *Dictus Aſchenaz,* inquit Becanus, *quaſi* איש כנץ *vir tanquam accipiter, argumento prædandi.* ❡ *Riphath*] Paphlagones. Joſephus. Hiero. alii. Tartari. Aloyſius Lippomanus. Britones. Joſeph ben Gorion. Verba Lippomani habentur in Catena patrum. *Riphath Hiero. Paphlagonium potius Tartari apud montes Riphæos.* Verba filii Gorionis, *Riphath ſunt Britones, qui habitant in terra Britannia ad flumen Ligerin: & effundunt ſe aquæ Sequanæ & Ligeris in Oceanum, qui eſt mare illud maximum.* ❡ *Thogarma*] *Phryges,* Hiero. *Turcæ,* alii. *Qui Barbariam incolunt,* Autor. Jeroſol. Decem familiæ, in queis *Bulgari, Turcæ & Ungari.* Joſeph ben Gorion. *Ungari & Bulgari,* inquit, *habitant ad flumen magnum qui Danubius vocatur.* Judæi hodie Turcarum Imperatorem vocant תגר. Vide Beroaldum Chronolog. lib. 4. cap. 6. Habetur hoc nomen Ezec. 38. ad quem locum Hieronymus, *Gomer & Thogarma, quos Galatas & Phrygas interpretantur:* & paulo poſt, *Domus Thogarma, qui venient de lateribus Aquilonis, qui eſt ventus frigidiſſimus.* Græci utrobique legunt Θεργαμὰ: & extat Scholion in editione Rom. hujuſmodi, Θοργαμὰ λέγει κατὰ μὲν τινας Ἀρμενίους καὶ Ἴβηρας. κατὰ δὲ ἑτέρους Καππαδόκας καὶ Γαλάτας: Thorgama dicit ſecundum quoſdam Armenios & Iberos: ſecundum alios vero Cappadocas & Galatas. In Thargum Jeroſol. additum, *Et nomina regionum, quas inhabitarunt, Aſia, Pharchevi & Barbaria.* Pro ריפת Thren. 4. ſcriptum. ריפתא in Thargum. Mercerus hic annotat, *A Thogarma Ioſepho Phryges. Iudæi hodie putant eſſe Turcas: alii Tartaros; ſed cum ſint in regione frigidiori, quomodo mulos juxta Ezechielem mittent, qui calidioribus locis gaudent? Quidam nomen affine volunt Germanis Thau detracto, ut Garmani primum, deinde voce corrupta Germani ſint dicti. Sed incerta eſt conjectura, & mages Septentrionales populi videntur in Aſia juxta Ezecielem, ubi meminit Gog & Magog.*

4. *Et filii Iavan, Eliſa & Tharſis, Chethim & Dodanim.*

Eli-

Elisa] Ab hoc Æoles orti putantur in minori Asia. Hiero. in Quæst. *De Ionibus i. Gracis nascuntur Elisai, qui vocantur Æolides, unde & quinta lingua Gracia Æolis appellatur, quam illi vocant πέμπτην διάλεκτον.* Videndus Beroaldus Chronologiæ lib. 4. cap. 6. pag. 434. In Thargum Jerosol. אלפרכיס. Hæc divisim scribenda אלס פרכיס Alas, Tharsus. Alas ab aliis אֱלִיס appellatur, unde Elias & Elisia urbs apud Historicos Græcos celebrata. Jon. scribit אֱלִס cum Dages in Lamed. Ceterum Ezec. 27. 7. pro Elisa Thargum habet Italia. Josephus is qui Gorionem patrem habuit, *Elisa sunt Alemanni, qui habitant inter montes Juba & Sibathano: & ex illis sunt Lombardi, qui trans flumina Iuba & Sibathano. Hi subigerunt terram Italiam, & habitarunt in ea usque in hodiernum diem ad flumina Padum & Ticinum.* Cum Elisa maximam affinitatem habet Elesa, quod est Insulæ nomen apud Sophianum. ❡ *Tharsis*] Hiero. in libro Quæst. sive Traditionum Ebraicarum, *Tharsis Iosephus Cilicas arbitratur, θ aspirationis literam vitiose a posteris in τ dicens fuisse corruptam, unde & Metropolis eorum civitas Tharsus appellatur Paulo Apostolo gloriosa.* Hinc hausit interpres recentior qui Psal. 72. 10. מַלְכֵי תַרְשִׁישׁ interpretatur *Reges Cilicia.* Qua in sententia est & Beroaldus, Non tam sig. Ciliciam, quam omnem illum tractum, qui Ciliciæ obtenditur. Eodem significatu sumpserim טַרְסוּס, quod in Jonatha, & טרסוס quod in Ierosol. & est nomen regionis. Saadias טרסוס scribit, & urbem esse dicit. Utrumque verum esse potest. In Gorionide ארץ טרסוס i. Cilicia: &, *Ipsi bellum gesserunt cum Ismaelitis, qui in Tharsos, i. e. in Cilicia.* Sunt qui Tartessum ita dici suspicantur: sunt qui Carthaginem Tharsis vocari putant, in queis & Lxx. unde Ezec. 38. varia lectio in libris Græcorum. Nam in aliis ἔμποροι Θαρσὶς, & ἔμποροι Καρχηδόνιοι in aliis. Eustathius in Dionysium, *Ajunt praterea quidam Sacram Scripturam Θάρσεις, non Tharsum secundum quosdam, sed Carthaginem, qua Africa prasidet, vocare.* Theodoretus in Com. Psal. 72. *Tharsis est Carthago Lybia civitas primaria.* Plura de hac voce alias. Non itero. ❡ *Chethim*] כִּתִּים i. Chetthim sive Chethim. Ion. אכאיא Achaaia: quod quid sit, ut ingenue dicam quod res est, adhuc nescio. Lxx. κήτιοι. Sunt autem Cetii Macedones, qui & μακετοί: unde μακετία Macedonia. Dicuntur & κίτιοι 1. Machab. 8. 5. Perses vocatur κιτιέων βασιλεὺς. Ceteorum Rex i. Macedonum. Paulo aliter Hiero. *Cetii*, inquit, *sunt Citii* (Cyprii ἴσως) *à quibus hodie quoque urbs Cypri Citium nominatur.* Jaṅo etiam Macedoniæ. Vide Cujacium observat. lib. 3. cap. 38. Quæ Hiero. scribit, ea didicit à Iosepho Matthiæ filio; ad quem te adire volo. Nam brevitatis studio ejus verba omitto. Eusebius de locis, *Chethim Cyprus.* Et mox, *Nam & urbs hodie Citium appellatur.* Ita legendum: Vulgo male *Cypritium.* Hos Menander Ephesius κιτιαίους vocat. Rursum Hieron. in Com. Iesa. 2. *Ite*, inquit, *ad insulas Cethim, quas vel Italia, vel occidentalium partium debemus accipere, ab eo quod terra Iudaa Cyprus Insula, in qua urbs hoc vocabulo nuncupatur, vicina sit; de qua & Zeno Princeps Stoicorum fuit.* Et Ezec. 27. *Chetiim nos in Italiam vertimus, ex ea regione qua Gracia propinquior est, omnes occidentalium Insularum partes intelligentes.* Quod non temere abs eo versum aut scriptum Num. 24. *Chethim.* Chald. Paraphrastes, רומאי i. Romanos. Iosephus Gorione natus, *Chethim sunt Romani, qui castrametantur in planitie Campania, ad Tiberim fluvium.* Quidam eo nomine & Macedonos & Italos comprehendi volunt. ❡ *Dodanim*] Lxx. ῥόδιοι. Hiero. in Quæst. *Dodanim sunt Rhodii: ita enim Lxx. Interpretes transtulerunt.* Hujus vocis manifesta vestigia in Dodana Epiri: unde Dodonæi dicti, quos nonnulli Dodanim arbitrantur. Ion. & autor Ierosֹ. דּוֹדַנְיָא Dodania. In hac legimus, *Et nomen regionis, quam inhabitarunt, Dodania.* Hanc Eusebius juxta Areopolim collocat: Meminit enim Iesaias in visione Arabiæ. Eucherius pag. 288. *Dodanim, Rhodii.* Cui firmando, quod in Paralipomenis רודנים scriptum i. Rodanim. Quod quia vel Dei nutu, vel vitio vetustatis accidit, calumnia carere debet. Nec desunt, qui *Dodania* Dardaniam esse conjiciunt. Dico conjiciunt, quia hæc meris conjecturis constant. In historia Gorionidis הרודנים הם עם דנישכי *Dodanim sunt populi Dagesce.* Quos significat? An Dacas? In eadem סלקי videntur esse Silesii, & סקלבי Sclavi, & בלגרי Bulgari.

5. *Ab his separata sunt Insula gentium in terris suis unusquisque secundum linguam suam, secundum familias suas, in gentibus suis.*

Ab his] filiis Iavan. Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebraicis, *Legamus Varronis de antiquitatibus libros & Sinnii Capitonis & Gracum Phlegonta ceterosque eruditissimos viros, & videbimus pene omnes insulas & totius orbis littora, terrasque mari vicinas, Gracis accolis occupatas, qui ut supra diximus ab Amano & Tauro montibus, omnia maritima loca usque ad Oceanum possidere Britannicum.* Eucherius pag. 288. *Ex his Gracorum nationibus extitere, qui a Tauro monte usque ad occidentalem Oceanum maritimam oram occuparunt.* ❡ *Separata*] Separatim habitatæ. Hiero: *Divisa sunt*, & Lxx. ἀφωρίσθησαν quod redditur, *segregata sunt.* ❡ *Insula gentium*] אִיֵּי הַגּוֹיִם νῆσοι τῶν ἐθνῶν. In Thargum utroque pro נְגַוַת libentius scripserim נְגָוָת. Est enim nomen plurale constructum, quod in statu absoluto facit נַגְוָן insulæ, & in singulari נַגְוָא insula. Minus recte נַגְוָון. In Lexico Munsteri. Tremell. hic habet, *Regiones gentium* i. תחומי הגוים. Nolim æmulari. Nam Regionis nomen latius patet. Insula Ebraice אי dicitur: quo vocabulo etiam Italia significatur ob interjectum mare. Ebræi enim recte regiones, quæ trans mare mediterraneum, insulas vocant. Non tamen indefinite quaslibet regiones ita appellant. Quod sensisse videtur Tremell. ❡ *In terris suis*] in regionibus suis. ❡ *Unusquisque*] ἕκαστος. ❡ *Secundum linguam suam*] hic locus evincit verba illa, *separata sunt insula gentium*, accipienda esse per prolepsin. Nam ante separationem una omnium lingua erat. Separatæ igitur sunt primum post divisionem linguarum. Quidam hic retulerunt, *Separata sunt in insulas gentium*: alii per insulas gentium intelligunt habitatores Insularum. Quod Jon. roborat interpretans גניסי נגות עממיא, prosapiæ insularum &c. ❡ *Secundum familias suas*] Lxx. ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν, quod interpres vertit, *in tribubus suis.* Non recte. Nam vertendum, *in gentibus suis.* Primum quia Ebraice est משפחה familia, gens: deinde, quia φυλὴ aliquando pro φῦλον usurpatur i. gens. Quod antea mihi observatum. Ergo Dan. 3. 3. אֻמַּיָּא Theodotio φυλαί: & vers. 31. Theodotio φυλαῖς, Hiero. *gentibus.* Psal. 44. 15. בלאמים Sym. ἐν ταῖς φυλαῖς. Amos. 3. 2. ἐκ πασῶν φυλῶν τῆς γῆς: ex omnibus gentibus terræ. Ubi similiter משפחות Ebraice. Hinc eruunt in unaquaque familia peculiarem linguam fuisse. Cum autem essent septuaginta familiæ, consequitur ex eo totidem initio linguas fuisse, quæ matres sint reliquarum (nam plures nunc esse certum est) quas verius dialectos voces, quam linguas.

6. *Filii autem Cham, Chus & Mesraim & Phut & Chanaan.*

Chus] autor gentis Æthiopum. Hiero. *Chus usque hodie ab Ebrais Æthiopia nuncupatur.* Eupolemus apud Eusebium vocat χοῦμ, quem ait fuisse πατέρα τῶν Αἰθιόπων, καὶ ὑπὸ τῶν ἑλλήνων λέγεσθαι ἀσβολον. id fuliginem sonat. Addit Iosephus. Æthiopes ab omnibus Asianis Chusæos vocitari. Chusæi. i. Χουσαῖοι. Quin & a seipsis ita vocantur, ut idem testis est Chussios hodie à Lusitanis appellari scribit Arias. Ceterum Æthiopia duplex est. Una dicitur à Ptolomæo, αἰθιοπία ἡ ὑπὸ Αἴγυπτον· Æthiopia sub Ægypto. Continet hodie regnum Abyssinorum, quod vocant Presbyteri Iohannis, cum Prestegam, unde appellatio illa, significet Apostolicum. Dicitur autem rex terræ illius Apostolicus, eo modo quo rex Hispaniarum nuncupatur Catholicus, & Galliarum Christianissimus. Hanc Benjamin Habas & Alhabas indigetat. Altera regio est Arabiæ Ægypto vicina, unde uxor Mosi Æthiopissa dicitur. Nam Madianitæ Arabes erant, qui & Ismaelitæ vocantur. Ex hac creditur fuisse Zara Æthiops cujus mentio 2. Paral. 14. 9. Hinc intelligentiam habet quod in Ionatha, Filii Cham, Chus & Mesraim; nomina autem Regionum quas inhabitarunt Arabia & Mesraim i. Ægyptus. ❡ *Mesraim*] μεσραΐμ. Male in edit. Rom. μεσραΐν. Sed novum non est, ut ν. in μ. commutetur. Contra μ. *pro* ν scribitur in μαδιὰμ, Ἐδὲμ & similibus. Talia menda libentius scribis imputaverim, quam interpretibus. Legitur & μέστρεμ Ant. hist. lib. 1. cap. 7. Cave damnes. Nam ita dicitur Mesrem pro Mesraim, ut alibi Ephem pro Ephaim. Ab hoc Ægyptus appellata, quæ Ebraice Mesraim dicitur. Philo in libro nominum, *Sed Sciendum quod Mesraim Ægyptus appellatur.* Thargum Ionathæ, *Filius Cham, Mesraim & nomen provincia ipsius Mesraim.* Iosephus Orig. lib. 1. cap. 12. (servata est Mesræis secundum appellationem prisca memoria.) *Ægyptum namque Mesrem & Ægyptios omnes Mesraos vocamus.* Græce est μεστραῖοι. Arabes dicunt מִצְר Matser: Persæ מִצְר. Æthiopes Gopso. Erat & urbs in Ægypto, quæ Mesrem dicebatur. Vide Masium in Iosuam p. 91. ❡ *Phut*] Hunc Iosephus ait appellasse de suo nomine Phutæos, qui postea vocati sunt Libyes, à Libe Mesræi filio. Idem in Mauritania amnem esse ait eodem nomine, cui regio Phutensis adjacet: cujus quidem amnis meminit Plinius lib. 5. cap. 1. Hiero. in Quæst. à Iosepho nihil diffidens ita scribit, *Phut, Libya: à quo Mauritania fluvius usque in prasens Phut dicitur, omnisque circa eum regio Phutensis. Multi scriptores tam Graci quam Latini hujus rei testes sunt. Quare autem in una tantum climatis parte antiquum Libya nomen resederit, & reliqua terra*

vocata sit Africa, disserere non hujus loci, neque temporis est. Flumen istud Mauritaniæ tabula prima Africæ apud Ptolemæum Phthuth dicitur. Ceterum Arias in apparatu Biblico Phut Mauritaniam interpretatur, quæ sic appellata sit à flumine Phut. Sic Iberia dicta ab Ibero amne. Aliis Phuth est Africa Latinis, quæ Libia Græcis. Nah. 3. 9. פוט ולובים. Hiero. *Africa & Libyes.* Sic etiam Santes & alii, quos consului. Sed Ezec. 30. 5. ubi Ebraice est *Phut & Lud.* Hiero. habet Libyam & Lydos. Sic quoque Lxx. Vide & Ezec. 27. 10. & Jerem. 46. 9. Glossarius Philonis, *Phut, Lybia, Fetefre* (פוטיפרע) *Libycus vitulus.* In editione Græca perperam est φοδ, pro φύτ. Nam Ebraice & Chaldaice פוט. Jon. *Hujus provinciæ* אליחרק *Alicharoc.* Quæramus quid hoc sit. ¶ *Chanaan*] Hinc appellationem accepit terra Chanaan: cujus duplex significatio, lata, angusta. Lata significatione designat terram septem gentium, quæ & terra promissa, & Palæstina dicitur. Angusta significatione sumitur pro Phœnice, unde apud Eupolemum Χαναὰν vocatur πατὴρ τῶν Φοινίκων. Sane una eademque gens est Chananæorum apud Ebræos & Phœnicum apud Græcos, Navicularia & ἐμπορικὴ τέχνῃ celebris ob portuosum mare quod accolunt. Quidam prodiderunt Chanaan cognominatum fuisse כנעני. Id Græce est φοίνιξ: unde Phœnice, & Phœnicia. Hiero. in libro locorum, *Chanaan filius Cham obtinet terram à Sidone usque ad Gazam, quam Judæi deinceps possederunt ejectis Chananæis.*

7. *Et filii Chus, Saba & Hevila & Sabatha & Regma & Sabathacha. Filii autem Regma, Schaba & Dadan.*

Chus] In Eupolemi χοῦμ, cujus ante facta mentio, mendum est manifestarium. Nam legendum ex hoc loco χοῦς. Conjicio aliquando scriptum fuisse χοῦν in quarto casu, & ex eo deinde factum χοῦμ errore librariorum. Hunc Græci Asbolum vocant, quæ vox fuliginem sonat. Nam ἄσβολος sive ἀσβόλη fuligo. ¶ *Saba*] vel Seba. Nam Ebraice est סבא. Sed Hiero. olim legit Saba, & Lxx. quoque σαβὰ. De hac Iosephus Ant. hist. lib. 2. cap. 5. *Saba regio Æthiopum quæ postea Meroe nominata à Cambyse sorore.* Et Forerius in Com. Iesa. 43. 3. *Saba populum illum significat, qui ingredientibus mare rubrum ex Oceano Indico ad lævam habitat: quam regionem nostri communi nomine terram Abicim nominant, qui longe lateque diffusi majori ex parte subsunt Principi Nubianorum.* Et August. Steuchus Eugubinus, *Duæ sunt urbes aut duæ regiones, quæ eodem nomine Saba à Græcis & Latinis appellantur. Altera in Æthiopia, altera in Arabia est. Quæ Æthiopiæ est scribitur apud Ebræos per S. exile, hoc modo* סבא *Seba: quæ vero in Arabia per S. crassum, sic* שבא *Scheba. Quod & ab Hiero. in Ebraicis Quæstionibus annotatur.* Verba Hiero. sunt, *Saba, à quo Sabæi: de quibus Virgilius, solis est thura Sabæis. Et alibi, Centumque Sabæo thure calent aræ.* Ecce confundit Saba cum Schaba. Nam ab hoc potius Sabæi, qui Ebraice שבאים, quorum regio thurifera, ut mox probabo. Idem Hiero. Ioel. 3. 8. (vid. inf. vers. 28.) ad locum, *filiis Sabeorum* i. שבאים. *Sabaim, inquit, gens trans Indiam dicitur, de qua fuit & regina Saba: unde & thus venire perhibetur, dicente Virgilio, Centumque Sabæo thure calent aræ: licet quidam Sabæos Arabes suspicentur.* Cum pace, Hieronyme, Sabaim gens ibi dicitur Arabiæ felicis, non procul ab ipsis sinus Arabici faucibus. Ipse in Quæstionibus Saba per ש, quomodo ibi scribitur, Arabiam interpretatur. Sunt fateor & Sabæi Indici, ab uno ex filiis Jectam dicti; sed inde non adfertur thus, dicente Poeta, *India mittit ebur, soli sua thura Sabæi.* Neque Regina Sabæ, quæ βασίλισσα νότου, i. Austri regina vocatur Matth. 12. 42. Indiæ præfuit, sed Arabiæ, quæ ad austrum sita respectu terræ Sanctæ. Ion. *Filius Chus, Saba: nomen autem provinciæ ipsius Semira.* i. סמירא. ita legendum puto. Nam סמירא quod in libris, potius Semiræum denotat. ¶ *Hevila*] vel, *Havila.* Nam Ebraice hodie חוילה. In libris veteribus Evila exiliter scriptum. Non recte. Legitur & εὐιλὰτ Evilat, cum τ in extremo. Ceterum duo Havilæ fuerunt. Prior, de quo hic sermo, unde, teste Josepho, Getulia dicta. Alter filius Jectam ex posteris Sem. Hiero. in Quæst. *Hevila Getuli, in parte remotioris Africæ, eremo cohærentes.* Eusebius de locis, *Unus de minoribus Noe Hevila dictus, quem Iosephus refert cum fratribus suis à flumine Cephene & regione India, usque ad eum locum qui appellatur Ierie, possedisse. Sed & Ismael in solitudine Hevila habitasse scribitur: quam Scriptura Sancta ait in deserto Sur contra faciem Ægypti: & inde tendere usque ad terram Assyriorum.* Hinc eruimus duas Havilas, quod Hifcum firmat Scriptor Ebræus, alteram earum prope Ophir collocans. Est autem Ophir, unde aurum optimum afferebatur, regio Indiæ. Thargum Jonathæ, *Filii Chus Saba & Hevila: Nomen autem regionum, quas incoluerunt, Sinira & India.* Sic enim Interpretor, quod Chaldaice est הינדקי. Nam India etiamnum Græcis ἰνδικὴ dicitur, quæ dividitur in Indiam intra & extra Gangem. India extra Gangem Hevila in his litteris proprie dici putatur. Beroaldo potius est regio Arabiæ felicis, juxta sinum Persicum. Alii pro regione Persidi vicina accipiunt. In tanta varietate opinionum difficile est statuere aliquid certi. Ad hoc otio & tempore opus est. Mihi nunc pergendum ad alia. ¶ *Sabatha*] סבתה Sabtha, quod Græci scribunt σαβαθὰ, & Hiero. *Sabatha.* Ab eo Sabatheni, σαβαθηνοὶ, qui Græcis dicuntur Astabarri, ἀσταβαροὶ. Josephus Orig. Judaic. lib. 1. cap. 7. *Sabatha, à quo Sabatheni, qui nunc Astabari nominantur.* Hiero. de Quæst. Ebraicis in Genesin. Apud Ptolemæum, Sabatha (alias Sabbotha) Metropolis est Arabiæ felicis unde Beroaldus colligit Sabbathæos populum esse illius tractus. Chronol. lib. 4. c. 6. Jonathan, *Nomen provinciæ ipsius Semadai*, סמראי i. Semadæi, vel si placet, Samaræi. Fuit ergo stirps gentis Samadæorum. ¶ *Regma*] ῥεγμὰ. Ebraice רעמה, Raama. Hiero. *Rhegma & Sabathaca, antiqua nomina perdidere, & quæ nunc pro veteribus habeant, ignoratur.* Jonathan, *Nomen provinciæ ipsius* לובאי *Lubaei.* Libyes nisi fallor. Beroaldus arbitratur fuisse populum vicinum Arabiæ. Alius annotat autorem fuisse populorum in Arabia felice, ad sinum Persicum, ubi Ptolomæus Regamam ponit. Sane pro Regma licet etiam legere Regama. Quod nomen non est in antiquitate. ¶ *Sabathacha*] סבתכא. Græce est σαβαθακὰ. Josephus, ὁ σαβακὰς, σαβακηνοὺς: Sabactas vero & Sabacænos instituit. Hos Ionathan זינגאי appellat i. Zinagæos. In notis ad Biblia Tremelii, *Sabteca Arabiæ felicis populorum autor ubi Sachalitæ sunt sub Sinu Persico.* Non temere assentiendum. ¶ *Filii autem Regma*] Hic Jonathan habet, ובני מזרגיטינוס *& filii Mevarithinos.* Hoc quid sit, quibus otium est, amplius quærent, investigabunt. Mihi nunc non vacat. ¶ *Schaba*] vel Scheba. Nam est שבא in Ebræo. Hunc Græci & Latini Saba vocant, communi nomine cum Saba סבא filio Chus: unde mira perturbatio apud expositores. Porro tres hoc nomine memorantur. Primus est filius Regma. Secundus est filius Iectam Gen. 10. 28. à quo Sabæi Indici, ut quidam volunt. Tertius est filius Iocsan, qui fuit ex filiis Cetura Gen. 25. 3. Hiero. in Traditionibus Ebraicis, *Interpretatur nunc Saba per ש Arabia. Nam in 71. Psalmo, ubi nos habemus Reges Arabum & Saba munera offerent, ibi in Ebræo scriptum est Reges Saba & Saba, primum per Sin; secundum per Samech.* Iob. 1. 15. שבא Hiero. Sabæi i. שבאים, qui Ptolemæo σαβαῖοι, Arabiæ populi, apud quos thus provenit. Horum Metropolis Saba, Ptolemæo σαβὴ, Arabiæ felicis urbs, quæ Solino Beata dicitur, & Græcis εὐδαίμων. Plin. certe scribit ejus incolas Sabæos olim nuncupatos. Ex hac fuisse creditur Regina Austri, quæ Regina Sabæ i. מלכת שבא vocatur, & ἡ τῆς μεγίστης γῆς venisse dicitur ut audiret sapientiam Salomonis. Sita enim est Sabæa in extremo Arabiæ felicis littore, non procul ab ipsis sinus Arabici faucibus. Fallit autem & fallitur Hieron. qui scribit esse gentem trans Indiam. Quod vel sequentia evincunt, *De qua fuit & Regina Saba: unde & thus venire perhibetur, dicente Virgilio,*

Centumque Sabæo thure calent aræ.

Nam thurifera regio Arabiæ est. Ea Schaba dicitur i. שבא. Probatur ex Ierem. 6. 20, ubi vulgo, *Thus de Saba veniet.* Sed in fonte משבא ut dubitare de eo nemo jam possit. In adversariis meis notatum, nescio unde, *Sabai per Sin sedes habuerunt ad sinum Persicum: per Samech vero ad sinum Arabicum.* Item, *Saba filius Regma, à quo Sabai Arabes Gen. 10. 7. filius Jectam, à quo Sabai Indici Gen. 10. 28. filius Jocsam, à quo Sabai Persis proximi; quorum meminit Dionysius de situ orbis.* Quæ omnia diligentiorem disquisitionem requirunt. ¶ *Dadan*] vel, Dedan i. דדן. Hic in Iosepho corrupte ἰουδαδὰς vocatur. Ibidem perperam est. ῥέγμος pro ῥαγμὸς qui & Regma. Verba sunt, ῥάγμος ἢ ῥαγμαίος ὤικισε ἢ δύο παῖδας ἔσχεν. ὧν ἰούδας μὲν, ἰουδαίων αἰθιοπικὸν ἔθνος τὸ ἑσπερίων οἰκήσας ἐπώνυμον αὐτὸ κατέλιπεν. σαβαῖος ἢ σαβαῖος. Hujus posteros collocant nonnulli in Arabia felice; quod colligunt ex mercibus Dadan, quarum mentio Ezec. 27. 15. & 38. 13. Hiero. autem, Iosephum secutus, *Dadan, inquit, gens est Æthiopiæ in occidentali plaga.* Ion. *Filii Mevarithinos Zamragad & Mezag.* זמרגד ומזג. Prior Rex etiam Smaragdum denotat Iob. 1. quod scribunt זמרגד. Arabice זמרד gemma est viridis coloris.

8. *Insuper Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra.*

Genuit] ילד peperit. Sic apud Græcos ἔτικτε usurpatur pro eo quod est ἐγέννησε i. genuit. Ebraice הוליד. ¶ *Nemrod*] Antiquitas lectionis pro Nimrod i. נמרוד. Græci habent νεβρὼδ: quomodo & Severus. Error ex antiquo charactere, qualis in συναχηρὶμ: quod Ebraice est סנחריב Sancherib. Nam in charactere

ractere illo figura eadem utriusque literæ. Sciunt qui viderunt. Reperitur & Nembroth, sed culpa manus aberrantis. Nembrod autem quod in nonnullis editionibus se tuetur exemplo Mambres, Iambres & similium. Unde dictum sit incertum. Deducunt à מָרַד quod *rebellare* significat. Nomen cum re convenit. Nam ipso autore exstructa putatur turris Babel. Autor igitur fuit rebellionis quæ inde secuta est. ¶ *Cœpit esse potens in terra*] Lxx. ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς: cœpit esse gigas in terra. γίγας i. potens. Hesychius, γίγας, δυνατός, ἰσχυρός: potens, robustus. Aliter paulò Chrysostomus, γίγαντα, inquit, τὸν τύραννον i. Tyrannus: quod minus probo. On. *cœpit esse* גְבַר תַּקִּיף, quod interpretantur, *vir fortis*. Non recte. Siquidem vir גְבַר dicitur. גִּבַּר potius denotat gigantem vel potentem. Ion. *cœpit esse potens peccato & rebellare coram DOMINO*. Chaldaice גִּבַּר ut in On. Moneo tamen in libris editis esse גְּבַר cum (ְ) in ultima. Ego גִּבָּר emendavi. Nam ejus origo גִּבּוֹר. Porro autem Holem in (ָ) mutari solet, non in (ַ) quod sciam.

9. *Ipse erat potens venatione coram DOMINO: ideo dicitur, ut Nemrod potens venatione coram DOMINO.*

Potens venatione] גִּבּוֹר צַיִד *potens venatione*, idem cum illo, *potens venator*. Sed *venator* i. צַיָּד. Quomodo forte Lxx. legerunt. Nam vertunt γίγας κυνηγός. Hiero. quoque, qui habet, *robustus venator*. Editio On. גִּבַּר תַּקִּיף gigas robustus. Ion. גִּבַּר מָרוֹדָא i. rebellis. Ierosolymitana גבר בצידא בחוטאה potens venatione, peccato. Scholion, βίαιος violentus. Supra 6. 4. הַנְּפִלִים Symmachus interpretatur οἱ βίαιοι, ubi similiter Lxx. γίγαντες & On. גִּבָּרַיָּא cujus singularis גִּבָּר idest גִּבּוֹר potens, robustus. Dialectus enim Chaldaica Holem in Cametz mutat. ¶ *Coram DOMINO*] pertinet ad auxesin q. d. divinum in modum potens aut robustus. Sic alibi, *Civitas magna coram Deo*. Sic, *Justus coram DOMINO*. Huc retulerim, *corrupta fuit terra coram DOMINO*. ¶ *Dicitur*] dici solet. Docte Hieron. *Ab hoc exivit proverbium*. Nam proverbium fuisse olim, quod ætate Mosis adhuc in usu erat, nullum omnino dubium est. Lxx. διὰ τοῦτο ἐροῦσιν i. יֵאָמַר. Vide nunc, si placet, Proverbia mea. ¶ *Ut Nemrod potens &c.*] Hujus proverbii usus hodie erit si dicas, *Alter Nemrod*, de homine præpotente, qui in suos tyrannidem occupavit; Sicut dicimus *Alter Hercules* de robusto, & *Alter Cato*, de sapiente.

10. *Fuit autem principium regni ejus Babylon & Arach & Achad & Chalanne: in terra Sennaar.*

Principium regni ejus] Urbes præcipuæ regni sive imperii ejus. ראשית sæpe dicitur principium, non à quo quid incipit, sed quod præcipuum in re quaque. Sic *principium unguentorum*; unguentum primarium ac præcipuum. Thargum Onkeli ריש מלכותיה quod non male reddes, *caput imperii ejus*. ¶ *Babylon*] בָּבֶל i. Βαβυλών. Hic rursum prolepsis est. Sunt qui hanc figuram agnoscant & in verbis illis, *Ipse cœpit esse potens venatione in terra*. Quod mihi tamen non videtur. Nam in extructione turris Ebræi primas partes illi tribuunt. Unde colligere est ipsum ante cœpisse esse quod hic dicitur. Sane paulatim sibi acquisivit potentiam, ac tandem regnum occupavit, non uno eodemque tempore. ¶ *Arach*] Ita Hiero. Malim Arech. Nam Ebraice est אֶרֶךְ Erech & Græce Ὀρὲχ pro Ἀρὲχ. אֶרֶךְ Arech, ut הֶבֶל Habel. Hiero. in Quæst. *regnavit quoque in Arech, hoc est in Edessa*. Non temere hoc abs eo scriptum. Jonathan הדס i. Hadasse sive Edessa. Nec aliter Autor Jerosol. Quæ admodum roborant conjecturam Hiero. Nam conjectura est, non res certa. Ideo arbitrarium esse volo. Ab hac Chaldæi Ὀρχηνοὶ dicti, ut arbitratur Scaliger, quem honoris causa nomino. Idem in Tibullum, *Ab Arech Gen.* 10. inquit, *est Ἀρχηνοὶ, & Arecthei campi. In illis campis est lacus ardens cujus meminit Plin. lib. 2. Campus Babyloniæ flagrat quadam veluti piscina, jugeri magnitudine. Strabo Ἀρχηνοὺς appellat: mendose sane cum sit legendum, Ἀρεχηνούς*. ¶ *Achad*] Lxx. Ἀρχάδ. male. Nam Ἀχχάδ legendum i. Acchad. Quod ita scribitur, ut Zacchæus, Macchabæus: item ut σάπφειρος, ut μαλθάκη. Nam Ebraice אַכַּד. Thargum, quod ab urbe nomen habet, itemque Jonathan Uzielis, נציבין i. Nisibis: quæ & Nisibis & Nesibis, teste Stephano de urbibus. Sonat autem נציב φύλη, ut ipse interpretatur. Vide, si vacat Hiero. in Quæst. *Achad nunc Nisibis dicitur*. Eusebius de locis, *Porro Ebræi hanc esse dicunt Mesopotamiæ civitatem, quæ hodie quoque vocatur Nisibi, à Lucullo quondam Romano consule obsessam captamque & ante paucos annos à Ioviniano Imperatore Persis traditam*. ¶ *Chalanne*] Χαλάννη. Ebraice est כַּלְנֵה Chalne. Hanc alii Seleuciam, alii Ctesiphontem interpretantur. In Jonatha est קטיספון κτησιφῶν: in Jerosolymitana vero קטיספון Ctesipho. Hiero. *Chalanne quæ postea verso nomine à Seleuco est dicta Seleucia, vel certe quæ nunc Ctesiphon appellatur*. Seleucia, quam Seleucus Nicanor ad confluentem Euphratis & Tigris condidit, etiam Babylonia dicebatur, ut ex Plinio & Strabone Ortelius refert. In ejusdem Synonymia Geographica mendose scriptum Chalame, ut & Æthisiphon, pro Ctesiphon. Meminit hujus civitatis Propheta Amos cap. 6. v. 2. itemque Iesaias dicens. *Et Chalanne ubi turris ædificata*. Autor mihi Eusebius in locis. Nam ipsum Esaiam non consului. Hinc Adagium χαλάννης πύργος, quo Nazianzenus utitur de Synodo quadam, in qua Arrii dogma probatum fuit, rejecta sana catholicorum de homousio sententia. ¶ *In terra Sennaar*] Lxx. ἐν τῇ γῇ Σενναάρ, unico. ν. Alibi scriptum Σεννάαρ, cum duplici ν. On. *in terra Babylonis*. Hoc est, in Babylonia. Nam Babel propter turris & oppidi nomen. Terra Sennaar est ea quæ à Ptolomæo Βαβυλωνία dicitur. Quod insuper confirmat autor Jerosol. in qua בארעא דבבל in terra sive regione Babel, & edit. Græca Zach. 5. 10. Nam ubi Ebraice est, *in terra Sennaar*, Græce legitur in Lxx. ἐν γῇ Βαβυλῶνος: in terra Babylonis. Unde Scholion Dan. 2. γῆ Σενναάρ τουτέστι Βαβυλῶνος, quæ Nemrodi terra dicitur apud Prophetam Michaiam. Et est regionis nomen, non campi, ut Hellanicus appellat: cujus verba memorantur apud Josephum in primo Ant. Jud. & apud Eusebium Pamphili εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς. Lib. 9. pag. 244. Infra videlicet Gen. 14. 1. *Amraphel Rex Sennaar*. On. מלכא דבבל rex Babylonis. Hinc שנער quod Sym. interpretatur ἐδόμα[?] ἐκτίσας, Aquila cum On. γαλῶν Βαβυλωνίων. Lxx. vero ποντικοί. Quod in idem fere recidit. Sane apud Plutarchum legimus, ἐμβλήματα τῶν Βαβυλωνίων. Manum deponerem de hoc loco, nisi me Jonathan remoraretur. Ejus est בארעא פונטוס *in terra Ponti*. Sic etiam interpretatur, Gen. 14. 1. *Rex Sennaar*, מלכא דפונטוס *Rex Ponti*. Quo declaramento & Hiero. usus est; Sed pro eo quod in fonte *Rex Ellasar*.

11. *E terra illa egressus est Assur, qui ædificavit Niniven & Rehoboth-ir & Chale.*

E terra illa egressus est] Terram Sennaar intelligit, quam Babyloniam esse diximus. Egressus autem est post divisionem linguarum: aut ante exstructionem turris, quod in ea ut Ebræi tradunt, consentire noluerit. Sed hæc valde incerta sunt. Fides esto penes Autores. Jonathas, *E terra illa egressus Nimrod regnavit in Atyria, quia noluit esse in consilio ætatis illius quando divisio facta est linguarum: Itaque reliquit quatuor urbes memoratas, deditque ei Deus propterea Atyriam sive Assyriam, in qua condidit quatuor Urbes alias, videlicet Niniven & Plathcath Karta & Phariath, & Thalsar sive Thalasar*. ¶ *Assur*] Ἀσσούρ. Hunc Græci Ninum appellant; unde Ninive, de qua mox. Ab Assur autem dicti Assyrii, & ipsa regio Assyria, quæ & Atyria sive Attyria. Quanquam sunt qui Aturiam, Assyriæ partem faciunt, in qua Ninus. Mihi non dubium, quin Attyria dictum sit pro Assyria, ex Dialecto Chaldaica, quæ ש Ebræorum cum Thau permutat. Cui firmando est Dio scribens Barbaros commutata ς in τ Attyriam vocitare Asiæ regionem, quæ Græcis Ἀσσυρία i. Assyria. Ergo in On. legitur Athuraah, לְאַתּוּר: & in Jerosol. Athuraja אתוריא & in Jonatha, *regnavit in Athur sive Atthur* h. e. in Assyria. Solent alioquin interpretes isti nomina propria immutata relinquere. Porro qui hunc cum Nemrod confundunt, audiendi non sunt, ut nec illi, qui ab Assurim, Assyrios dictos existimant. Nam ut alia omittam, passim in his literis Rex Assyriorum vocatur *Rex Assur*: nusquam autem *Rex Assurim*, quod sciam. ¶ *Ædificavit*] extruxit, condidit. In ויבן copula Vau vim obtinet τοῦ אֲשֶׁר i. qui. ¶ *Niniven*] נִינְוֵה i. Νινευὴ quod legunt Niniven, τεσσυλλάβως. male, cum legi debeat Ninven, δισυλλάβως, à recto Νινευὴ Ninve. Nam υ tale, quale in Λευὶ Levi: δαυὶδ, David & similibus. Ei respondet Vau consonans, apud Ebræos. In editione Romana Νινευὴ, & alibi Νινευί. Quomodo & Ptolomæus eam appellat. Dicitur & Νῖνος à Græcis. Tacitus Ninos scribit. Musala vocari tradit Niger, ut Almussal, Benjamin in itinerario, si modo Almusal est Ninive. Hanc idem Assur quondam dictam asseverat. Sunt qui Assur & Ninum eundem faciunt. Quod ei opinioni roborandæ, Nam à Nino Ninus & Ninive. Assur, qui à Græcis Ninus vocatur, maritus fuit, ut quidem Scaliger opinatur, Semiramidis. Hujus filius Νινύας, vocatus fuit eodem nomine tempus cum urbs ipsa Ninus ab Ebræis dicitur. Fuit aliquando tempus cum putarem esse nomen compositum ex נִין quod *ninus* est, & נָוֶה domicilium, habitaculum. Nam sedes fuit Nini unde nomen accepit, ita tum conjiciebam, nec adhuc pœnitet. Quidam Ninivem, non ab Assur, sed à Nemrodo conditam autumant; qui etiam hunc locum nove ac seorsum ab aliis interpretantur.

E terra illa processit in Assyriam, & condidit Niniven; nempe Nimrod sive Nemrod. Qua in sententia fuit Uzzielis filius, cujus locum supra produximus. Dictio νῖνος paulo aliter usurpatur, ut cum dicimus ἀνὴρ νῖνος. Nam in hoc sermone sig. civem urbis Nini sive Ninives i. Ninivitam. Erat & alia Ninive civitas Judææ, de qua hunc in modum Eusebius, *Ninive*, inquit, *urbs Assyriorum, quam ædificavit Assur, egrediens de terra Sennaar. Est & alia usque hodie civitas Judæorum nomine Ninive in angulo Arabiæ, quam nunc corrupte Nenevem vocant.* ❡ *Rohoboth-ir*] vel Rechoboth-ir. Nam Ebraice רחבת עיר quod alii reddunt, *Rohoboth civitatem*. Primum Lxx. τὴν ῥοωβὼθ πόλιν: deinde On. qui habet פלטיאת קרתא. Sed & Jon. in quo פלטיאת קרתא Plateath-urbium, nisi mavis Platheath-cartha. Licet etiam vertere, *Plateas urbis*, ut פלטיאת sit plurale constructum ex absoluto פלטיאן plateæ, cujus singularis פלטיא platea. Hoc rectum mihi videtur, firmaturque editione Jerosolymitana פלטיאת קרתא i. plateas civitatis: & Latina vulgata, *ædificavit Niniven & plateas civitatis*. Quam interpretationem approbat Hiero. ita scribens, *Quod autem ait, Niniven & Rohoboth civitatem, non putemus duas esse urbes, sed quia Rohoboth plateæ interpretantur, ita legendum est, ædificavit Niniven & plateas civitatis*. Hoc scribit in Quæst. sive Trad. Ebraicis. Hinc medicinam facies Eusebio in libro locorum, ubi mendose Robohoth scriptum. Verba sunt, *Rohoboth civitas Assyriorum, quam ædificavit Assur egrediens de terra Sennaar*. In eodem libro, *Rohoboth, urbs alia juxta fluvium, ubi erat Rex Edom*. leg. *Rohoboth*. & mox, *unde erat Rex Edom*. Nam Saulem sig. qui erat ex Rohoboth fluminis Gen. 36. 37. Ubi On. & Jon. *ex Rohoboth quæ ad Euphratem*. Sequitur in Eusebio, *& usque hodie est præsidium in regione Gabalena, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur*. ❡ *Chale*] vel *Chalach* i. χαλὰχ, ut Lxx. ediderunt. Nam Ebraice כלח in pausa, extra pausam esset כלח Chelach. Jon. hic habet פרנוס Phanoth: sed paulo post חדית Hadyath per Heth & Daleth. Thargum Ierosolymit. הריות Haryath, per He & Res. Est & Chalach regionis nomen, quod Ebræi scribunt, חלח i. Halach. Sic Hermon & Chermon. Dicitur & Hala sive Hale. Forte Cholchis regio Asiæ juxta Pontum, in quam olim traducti fuerunt à Salmanasare 10. tribus. Vide 2 Reg. 17. 6.

12. *Et Resen inter Ninive & Chale: hæc est civitas magna.*

Resen] רסן ea vox frenum sonat. Ceterum in Lxx. est Δασὲν & alibi Desen. putarim rectum esse Δασὲν. In Dasen duplex mendum est. Primum est librariorum, qui Δασὴμ scripserunt pro Δασὲν: quod est vitium manus aberrantis: alterum est interpretum, qui Daleth legerunt pro Res. Nam esset Rasen. רסן Rasen, ut הבל Habel, פלג Phaleg. Ion. תלסר & Thalsar, pro quo in Ierosolymitano est תלסר Thalasar. Hanc Benjamin suo tempore *Gebiagan* appellatam scribit. Vixit autem Benjamin ante annos quadringentos & eo plus. ❡ *Hæc est civitas magna*] Trem. *Illa Ninive est civitas maxima*. Pronomen היא refert ad Niniven. perperam sane, cum sit referendum ad Resen: Benjamin, *Inde profectus duobus itineribus in Giagan sive Gebiagan veni, cui nomen antiquum Resen fuit, urbi quondam magnæ atque percelebri, in qua Israëlitæ quinquies mille fere sunt.*

13. *Et Mesraim genuit Ludim & Anamim & Laabim & Nephthuhim.*

14. *Et Phethrusim & Chasluhim: unde egressi sunt Philisthiim & Chaphthorim.*

Ludim & Anamim &c.] *Nomina propria virorum*, Mercerus: *provinciarum vel civitatum*, Abenezra: *populorum aut familiarum*, alii. Trem. ad hunc locum, *Gentilia non propria sunt hæc nomina, Ludæi à Ludo, Anamæi ab Anamo &c.* Si vera hæc opinio, erit sensus, *genuit Ludum à quo Ludæi* &c. ❡ *Ludim*] Lxx. τοὺς λουδιεὶμ i. לודיים On. לודאי Ludæi. Ion. ניותאי nisi legendum נויתאי Nivatæi, quod affinitatem habet cum Nabatæi. Sunt autem Arabes ejus nominis, quos נביות vocant Ebræi. Trem. *Ludæi sunt Mareoticæ præfecturæ in Ægypto incolæ*. Beroäldus, *Africæ populi*. Sunt qui Mauritaniam, alii urbem Arabiæ Petræ significari putant. Non est omittendum, Lydos sive Lydios qui in Asia, nomen accepisse, non à filio Mesraimi, cujus posteri Ægyptum & Africam occuparunt; sed à Lud filio Sem; de quo infra. ❡ *Anamim*] ענמים Onk. ענמאי i. Anamæi. Ion. & Autor Ierosol מריוטאי i. Mareoticæ præfecturæ incolæ. Hos Trem. cum Ludæis confundit. Causa erroris, quia in Ierosolymitana desideratur vox ניותאי quam nos ex editione Ionathæ restituendam putamus. Græca edit. hic admodum corrupta est. In Romana, καὶ τοὺς νεφθαλιεὶμ, καὶ τοὺς ἐνεμετιεὶμ, καὶ τοὺς λαβιεὶμ, corrigo, καὶ τοὺς ἐνεμιεὶμ, καὶ τοὺς λαβιεὶμ, καὶ τοὺς νεφθαλιεὶμ. Mihi vix dubium, quin interpretes ita scripserint. Ἐνεμιεὶμ i. ענמים. Nam olim cum apices aberant, legi poterat ענמים unde ἐνεμιεὶμ; non ἐνεμετιεὶμ quæ vox est nihili. ❡ *Laabim*] emenda, Lahabim vel certe Lehabim. Nam Ebraice להבים On. לובאי Lubaei. Ion. לבקאי Libacæi. Thargum Ierosolymitanum פנטפוליטאי Pentapolitæi i. Pentapolitæ sive Cyrenæi, quos & Pentapolitanos vocant. Omissa vox de qua diximus, imposuit viris doctis, in queis & Mercerus, cujus hæc sunt in com. ad hunc locum, *Anamim sunt juxta Thargum Ierosolymitanum Pentapolitani, qui Cyrenaicam in Africa incolunt. Alii Anamitas in Æthiopia nomine non abludenti esse putant.* Pro Laabin perperam in Hiero. Quæstionib. *Labaim* legitur. Ab eo ait Lybies postea nominatos, qui prius Phutæi vocabantur. A quo paululum dissentit Mercerus ita scribens, *Lehabim aperte sunt Libyes, & totam Africam videtur fuisse hoc nomen proprie dictam, cum Phutæi superassent in interiori Africa. Ab inflammatione sic dicti, quod ad zonam torridam accedunt, & eorum regio cum sit calidior, femoris indicia in vultu eorum appareant; unde alicubi in Prophetis, facies eorum facies להבים Lehabim i. inflammata, ut illorum populorum.* Siquidem להב est flamma. Philo in libro nominum, *Laabim, deustæ sive flammantes.* ❡ *Nephthuhim*] vel, *Naphthuchim* i. נפתחים In edit. Rom. καὶ τοὺς νεφθαλιεὶμ. Sic etiam Biblia Basileensia ea quæ in quarto folium complicant. Veritas lectionis extat in Cod. νεφθωιεὶμ: quod manus imperita corrupit in νεφθαλιεὶμ. Sæpe autem hoc modo nomina minus nota in alia notiora commutantur. Sic Joel. 1. 1. legitur βαθουὴλ pro φαθουὴλ. Qua de re pridem vos monui. Consule libellos meos. On. נפתוחאי Naphthochæi. Jon. פנטסכינאי Pantaskinæi. Autor Jerosolym. לוטאי Lustaæ i. expositore Mercero, *Lusitani*. Mihi alii videntur. Verba Merceri, *Naphthuhim in Thargo Jerosol. sunt Lusitani, sed si cum sint in Europa à filiis Japheth occupata, alii videntur. Alii quod vicinius est, Naphtæos esse putant in occidua parte Numidiæ.* In notis ad Biblia Trem. *Naphthuchaei*] *Æthiopas Ægypto conterminos, quorum Metropolis Napatha sive Naphtha.* In Synonymia Geographica Ortelii, *Africa propria, Ptolemæo Africæ pars ad mare mediterraneum, inter Mauritaniam & Cyrenem regiones. Minorem vocat Mela. Zangitana dicitur Plinio. Naphthuhim Ebræis, teste Ario Montano. Hodie Tunetanum regnum hoc loco est.* ❡ *Phethrusim*] vel *Phathrusim* i. פתרסים Lxx. πατροσωνιεὶμ, Patrosoniim. Suspicor leg. πατροσιεὶμ Patrosiim. On. *Phathrusæi*. Ion. נסיוטאי Nesiotæ: Utrum νησιῶται, probarem, nisi hoc nomen appellativum esset. Nam Insularios designat. Videndum an aliquando sit proprium gentis. Νησιώτης ex insula oriundus sive insulæ incola. Thargum Ierosolym. פלוסאי Phlusae. Pelusii *incolæ*. Quod ante me & Mercerus conjecit. *Pathrusim*, inquit, *videntur Thargumi sunt Pelusiani. Pelusium est ostium Nili.* (Arias Montanus in apparatu Biblico *male Thresis in Ortelio*) *Alii voce non abludente Petræos Arabiæ incolas. Petra enim est urbs in ea: unde & ipsa Petræa dicta Arabia. Mihi magis videntur in Ægypto esse, eidem cum Pathros urbe, quæ in Prophetis, Jeremia si bene memini memoratur.* In notis ad Tremellii, *Pharusios Ptolemæo, Pharusios Plinio, ab autore Phathrosi. Jes. 11. 11.* Hiero. in Quæst. Ebraicis, *Exceptis Laabim, à quo Libyes postea nominati sunt, qui prius Phutæi vocabantur, & Chasloim qui deinceps Philisthiim appellati sunt, quos nos corrupte Palæstinos dicimus, cæteræ sex gentes ignota sunt nobis, quia bello Æthiopico subversæ, usque ad oblivionem præteritorum nominum pervenere. Possederunt autem terram à Gaza usque ad extremos fines Ægypti.* ❡ *Et Chasluhim*] vel Chasluhim, quæ est antiqua lectio hujus nominis. Edit. Græca καὶ τοὺς χασμωνιεὶμ. Alias καὶ τοὺς χασλωνιεὶμ. Putarim legendum καὶ τοὺς χασλωεὶμ vel si mavis χασλουχιεὶμ. On. כסלוחאי & Chasluchæi. Ion. פנטסכינאי. Scribo פנטפוליטאי i. Pentapolitæ, qui Cyrenaicam inhabitant, ut diximus. Editio Ierosol. פנטסכינאי Pentaxenæ. Hiero. in libro Quæstionum (Eadem scribit Eucherius pag. 288.) *Chasloim qui deinceps Philisthiim appellati sunt, quos nos corrupte Palæstinos dicimus.* In notis ad Tremellii, *Cassiotidis in ingressu Ægypti incolas.* Ortelius in Orthographia Geographica, *Chasluhim sunt Saraceni, ut scribit Arias Montanus; qui olim Hagareni & Ismaelitæ dicebantur, teste Sozomeno: iam Arabes & Scenitæ, autore Ammiano.* ❡ *Unde egressi sunt Philisthiim*] Hæc verba quidam parenthesi circumcludunt, ut dicat solos Philistæos ortos esse à Chasluchim: alii legunt sine parenthesi, *Unde egressi sunt Philisthiim & Chaphthorim.* Sensus est, A Chasluhim orti sunt Philisthiim, unde Philistæi & Chaphthorim, unde Chaphthorei, quos Cappadoces interpretantur. ❡ *Unde*] à quo

duo,

tino, vel à qua gente, vel certe ex quo loco. ❡ *Egressi sunt*] propriè: vel accipiendum ut in illo, *omnes qui egressi sunt ex femore Jacobi.* ❡ *Philistiim*] qui & Philistini, nunc Palæstini: item Allophyli & Alienigenæ. Eucherius pag. 288. [illegible] Phelisthan. On. Jon. Autor Jerosol. φυλιστιειμ. Lxx. Philisthiim. Hiero. R. Salomo verba illa, *unde egressi sunt*, refert, non ad Chasluhim tantum, sed etiam ad Phathrosim. ❡ *Chaphthorim*] [illegible] On. Jon. Thargum Jerosol. i. Cappadoces, Philo in libro Nominum, *Chaphthor, Cappadocia: Chaphthorim, Cappadoces.* Amos 9. 7. [illegible] Jon. & Hiero. *è Cappadocia.* Huic sententiæ opponitur locus ex Jerem. 47. 4. ubi Philisthæi appellantur residuum insulæ Chaphthor. Nam si est insula, utique non potest esse Cappadocia, quæ in continente. Itaque Cyprum interpretantur. Respondeo Insulas dici Ebræis & regiones, quæ in continente, videlicet quæ trans mare mediterraneum. Qua ratione Cappadocia quoque insula dici posset, sed nihil decerno. Moses Gerundensis autor Chaphthoræos prius habitasse cum Chasluhim, quos etiam fratres eorum appellat: Inde secessisse in Palæstinam & Philistæos ab eo tempore dictos. Locus Amosi arguit eos eductos è Chaphthor: quæ vox significationem habet malogranati. Trem. hunc locum sic interpretatur, *& unde egressi sunt Philistæi, Caphthoræos:* quos asserit esse Sethroitidos præfecturæ incolas cum finitimis. Hæc quam facile dicuntur, tam facile negari possunt. In Genesi magno relatum Chasluhim & Phathrusim solitos uxores invicem permutare, ex eoque concubitu promiscuo natos esse spurios Philistæos, ut illi ajunt, gigantes, & Chaphthorim nanos sive pumiliones. Credat Judæus apella: *ἐκ ἐγωγε.* Ortelius in Synonymis, *Pelusium olim Caphtor vocatam scribit Benjamin.* Id quærenti his diebus non occurrit. Quærat alius cui plus otii & temporis, quam mihi.

15. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, & Hethæum.*

16. *Et Jebusæum & Amorrhæum & Gergesæum.*

17. *Et Hevæum, & Aracæum, & Sinæum:*

18. *Et Arvadæum & Samaræum, & Hamathæum: & post dispersæ sunt familiæ Chananæorum.*

Sidonem] [illegible] τὸν σιδῶνα. *A quo urbs in Phœnice Sidon dicta.* Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebr. *Nunc Sidoni*, Olivarius in Melam. *Said*, Niger & Postellus. *Maritimarum urbium maxima.* Mela de situ orbis. *Syadam veni, quæ olim Sidon, urbem magnam.* Benjamin, in itinerario. Sed illa est [illegible] Ebraice, quod Arias legit Sijada, cum legi etiam posset Saida. Justinus ex Trogo *condita ibi urbe, quam à piscium ubertate Sidona appellaverunt. Nam piscem Phœnices Sidon vocant.* Verum est piscatum eo nomine designari: falsum appellationem inde habere. Nam appellata à Sidone primogenito Chanaan, ut rectè censuit Hiero. Josephum secutus, cujus verba hac de re habentur Ant. Judaic. lib. 1. cap. 12. *Sidon urbem sui nominis condidit in Phœnice. Sidon autem à Græcis appellata est.* Hinc Sidonii, quos Homerus πολυδαίδαλοι vocat: hoc est interprete Strabone lib. 16. πολυτέχνους καὶ καλλιτέχνους, q. d. artificiosos artifices: Hiero. de locis Actorum, *Sidon, inquit, urbs insignis, & ipsa artifex vitri.* ❡ *Hethæum*] vel, *Hethæum.* Ebraice [illegible] Hic interpretes Chaldæi nihil variant ab Ebræo. Lxx. καὶ τὸν χετταῖον. Hiero. *& Hethæum.* Utrum legerunt, [illegible] quod est gentile à [illegible] Hujus plurale [illegible] & *terra Hetthim.* Jud. 1. 26. i. Hethæorum. Græce est χετιν & Chaldaice [illegible] *qui inter septem gentes terræ Chanaan non numerantur*, ait R. David. Ceterum Hethæus fuit, ut alios omittam, Urias maritus Bethsabe. ❡ *Jebusæum*] [illegible] τὸν ἰεβουσαῖον. Non tam nomen est proprium, quam gentilitium: ideo præponitur articulus. Jon. [illegible] Sic etiam On. Quidam apices addidit, scripsit in Onkelo [illegible] Jebusæos, cum scribendum potius sit [illegible] Jebusæum. Hic Jebus construxit, quæ alio nomine Jerusalem dicitur. Eusebius de locis, *Jebus ipsa est, quæ & Jerusalem.* Origenes Hom. 10. in Jeremiam. *In historia refertur quod nomen loci istius fuerit Jebus, & postea commutato vocabulo nuncupata sit Jerusalem. Jebus autem Ebræorum filii tradunt interpretari conculcatam.* Gorionides cap. 82. *Nonne prius Jebus nominabaris, de nomine Jebusæi: qui cœpit constituere in terra tua urbem?* ❡ *Amorrhæum*] τὸν ἀμοῤῥαῖον. Quæ Græca nominis Scriptura est; ea prætulerim potius Amorræum, nisi mavis Amoræum, [illegible]. Nam Ebraicè [illegible] i. Emoræum. Ab hoc Amorræi appellati, ex septem gentibus terræ Chanaan, quæ propterea vocatur terra Amorræorum Amos 2. 10. [illegible] Vox Ebræa sonat λαλητικός i. interprete Hiero. *multo sermone celebratus.* Editiones Chaldæorum [illegible] i. Amorræos. Sed inclino ut potius legendum esse [illegible], & cum apicibus [illegible] Emoræum. Similiter [illegible] Gergesæum, & ita deinceps. ❡ *Gergesæum*] τὸν γεργεσαῖον. Ebraicè est [illegible]. Girgasæum, vel, si mavis, Gergasæum. Hinc Gergesæi, qui Matth. 8. 28. Gergeseni, γεργεσηνοὶ vocantur, & est Gergesa oppidum ad stagnum Genesaret: quod quidam cum Gadara confundunt. ❡ *Hevæum*] τὸν εὐαῖον: Evæum. Scribi debet cum adspiratione Hevæum. On. & Jon. [illegible] quod scribunt [illegible]. Qui apices addiderunt, mutierunt [illegible] Hevæos. Nam est pluralis à singulari [illegible]. Autor Jerosolym. [illegible] Tripolæum i. Tripolitanum. Et hic legimus [illegible] Tripolitanos. In libro nominum, *Hevæum, ferinum.* Nam [illegible] fera, quæ Chaldaicè [illegible]. Glossæ Philonis, *Hevæus, lapides colligens, quod Græce dicitur λιθολόγος.* Confundit [illegible] cum [illegible]. Sanè [illegible] est acervus lapidum. λιθώσεων Aquila reddit. Sunt, qui à serpentibus dictos arbitrantur. Sanè [illegible] est Serpens. proprie serpens fœmina i. ὄφις θήλεια, si non fallit nos Eusebius. Cognata huic gens Hurim erat i. Troglodytarum, quæ cavernas incolebat. Sic Raphaim, quasi tu dicas inferos, aut infernates & sub terra degentes. ❡ *Aracæum*] [illegible] Arcæum i. τὸν ἀρκαῖον. Quanquam in Lxx. τὸν ἀρουκαῖον [illegible]. Perperam in quibusdam libris *Arachæum* i. [illegible] quod est gentile, ab [illegible] urbe, quam Nemrod construxit; Unde & Chaldæi ὀρχηνοί; de quibus alias. Aracæus iste Arcas condidit, ut quorundam opinio est, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani situm. A quo haud procul alia civitas, nomine Sin, à Sinæo, ut credibile est, extructa: quæ postea vario eventu eversa bellorum nomen tantummodo pristinum servavit. Ceterum in Jon. legitur [illegible] i. Iracæus. ❡ *Sinæum*] [illegible]. Hic autor fuit urbis Sin, de qua diximus. Cum autorem dico, significo conditorem. Sic ea voce usi sunt Senerus & alii. In Lxx. τὸν ἀσενναῖον: unde in libro nominum, *A Seminæum, levantem me.* Quippe [illegible] interdum pro [illegible] usurpatur. Sanè in Psalmo quodam [illegible] i. tolle sive attolle. On. [illegible] Anthusæi, quod nunc legunt ac scribunt [illegible] Anthusæ. Jon. [illegible] Anthusæum, vel, ut nunc se habent apices, Anthusæos. Thargum Jerosol. [illegible] *Chaphrusæum*, sive *Chapharusæum.* In notis ad Tremell. *Sinæum i. Caparorsa incolam, quam Ptolemæus in Idumæa non procul à Jebuso collocat.* ❡ *Arvadæum*] [illegible] Arvadi i. Arvadæum: quem Hiero. noster Aradium appellat, nempe ex Græco τὸν ἀράδιον: puto autem aliquando scriptum fuisse ἀρουάδιον i. Arvadium: vel certe Vau omissa, ut ut Davus, Δᾶος. Divus Δῖος. Sic ιαω javo i. [illegible]. Nomen tetragrammaton, quod vocant Joth, He, Vau, He. Hiero. in Quæst. *Aradii sunt, qui Aradum Insulam possederunt, angusto freto, à Phœnices littore separatam.* Josephus Orig. Juda. lib. 1. cap. 12. *Aradius Aradum Insulam habuit: Aracæus autem Arcem, quæ in Libano posita est.* Dicebatur & Paria. Ortelius, *Paria Insula Phœnicæ maris, ante Joppen jam dicta Arados, inquit Plinius.* Mentio Aradiorum & Ezec. 27. his verbis, *Filii Aradii super montes tuos cum exercitu suo.* Videatur Hiero. ad hunc locum: item Borchardus in descriptione terræ Sanctæ, descriptio 1. cap. 2. §. 17. On. *Arvadæ* vel, ut ego legendum puto, Arvadai i. Arvadæum. Jon. [illegible] nisi leg. [illegible] Lutesæum. Jerosolym. [illegible] Anteridanæum, vel, Antridanæos. Nam anceps lectio, cum puncta desunt, ut olim deerant. Innuit Aradum Insulam, quam ante Vadensen vocat Curchinus. Trem. *Arvadæum incolentes Aradum & Antaradum.* Antaradus Ptolomæo Syriæ urbs quæ Volaterrano nunc Tortosa. Glossa interlinearis, *Aradium, à quo Aradii, qui Aradium Insulam tenuerunt,* leg. Aradum Insulam. ❡ *Samaræum*] [illegible] Lxx. τὸν σαμαραῖον. On. [illegible] Jon. [illegible] Homesæ. Autor. Jerosol. [illegible] Hamasæ i. Hamasæos sed leg. sane [illegible] Hamasæum. Hiero. in libro Quæst. *Samaræi quibus Edessa nobilis Syriæ celes civitas.* Hinc forte Samam, Tauri montis promontorium quod Tauros appellicant. In nonnullis codicibus antiquis edit. vulgatæ reperi, *Samariten*, & in glossa interlineari, *à quo Samaria.* Verum planè est Samaritem dici à Samaria: verum Samaria [illegible] appellatur & Samarites [illegible] cum ש in capite. Hic vero [illegible] principalem literam habet Sade, non Sin. Verius ergo ut hinc appellationem habeat Samaraim urbs tribus Benjamin, cujus memoria usurpatur Jos. 18. 22. & mons Samaraim, qui in monte Ephraim, de quo 2. Paralip. 13. 4. Nam eadem ubique litera in fonte. ❡ *Hamathæum*] Lxx. τὸν ἀμαθί. Ebraicè [illegible] i. ἀμαθαῖον, Hamathæum cum aspiratione. Ἀμαθί ergo forma nominis Ebraica est. On. [illegible] Hamathai, vel, ut nunc punctatur, Hamathæ. Jon. [illegible] Antechoé i. Antiochinos. Autor Jerosol. [illegible] Antiochia e Babylonie. Hiero. in Quæst. Ebr., *Hamath usque ad nostrum tempus, tam à Syris, quam ab Ebræis, ita ut apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones, qui post Alexandrum in oriente regnaverunt, Epiphaniam nuncuparunt. Nonnulli Antiochiam ita appellatam putant. Alii li-*

 ces

cet non vere, tamen opinionem suam quasi persimili vocabulo consolantes, Emath primam ab Antiochia mansionem Edessam pergentibus appellari putant, & eandem esse, quæ apud veteres dicta sit Emath. Ita legendum, non ut in vulgatis est Emach. Nam Ebraice חֲמָת : quod antiqui legebant חֲמָת : unde Hemathæus. Autor Catenæ Patrum, *Hemathycum, quæ & Antiochia.* In Genesi magno, qui Ebraicè vocatur Bresith rabba, exponitur אפיפניא i. Epiphania. Hiero. alibi duplicem Emath constituit, magnam & parvam. Magnam Antiochiam Syriæ : & parvam Epiphaniam interpretatur. Beroaldus verò magis probare videtur sententiam Zigleri, qui Ituræam ex eo facit. ¶ *Familiæ Chananæorum*] Thargum Jerosol. נגסי איא Insulæ gentium. Lxx. αἱ φυλαὶ τῶν χαναναίων. id alii reddunt *tribus Chana*, ego *gentes Chananæorum.* Nam φυλὴ aliquando idem quod φῦλον gens, ut ante probatum fuit. Hiero. *populi Chananæorum.* On. & Jon. זַרְעִית i. familiæ, cognationes, prosapiæ. ¶ *Chananæorum*] הַכְּנַעֲנִי Chananæi.

19. *Fuit autem terminus Chananæorum à Sidone, qua itur Geraram usque Gazam, qua itur Sodomam & Gomorram & Adamam & Seboim usque Lasa.*

Fuit autem terminus] Lxx. ἐγένετο τὰ ὅρια : fuerunt termini. Sic etiam Hiero. Est ergo Sing. pro plur. גְּבוּל terminus, limes. Chald. תְּחוּם ¶ *Chananæorum*] τῶν χαναναίων. In Ebræo הַכְּנַעֲנִי *Chananæi*, ut supra, *familiæ Chananæi* : & *populi* subintelligitur. Quod idem cum illo, *Chananæorum*, i. כְּנַעֲנָאֵי ut habent On. & Jon. Quanquam & hic legi posset כְּנַעֲנָי i. Chananæi. ¶ *A Sidone*] ἀπὸ σιδῶνος. Jon. מִן צִיתָנָן à Chothanijas. Eusebius de locis, *Sidon, urbs Phœnices insignis, olim Chananæorum terminum ad aquilonem respiciens, & postea regionis Judææ.* Hiero. ad nomina quæ de Actis Apostolorum; *Sidon, urbs insignis, olim terminus Chananæorum ad Aquilonem juxta Libani* (alias *Antilibani*) *montis ortum sita, & ipsa artifex vitri.* Dicta fuit Sidon, non à piscium ubertate, ut Iustinus ex Trogo scribit, sed ab ejus conditore Sidone, qui fuit maximus natu filiorum Chanaan. Vide quæ scripsimus ad vers. 15. hujus capitis. ¶ *Qua itur Geraram*] meridiem versus בֹּאֲכָה qua tu is, sive quum tu is i. בְּאָתָךְ ut explicant viri docti. Lxx. ἕως ἐλθεῖν εἰς γέραρα. Santes, *ingrediente te Gerar.* Hiero. *Venientibus Geraram* i. בּוֹאֲ. On. מטו *tendentibus.* Trem. *quà venis.* Ceterum בוא etiam eo significat, ut ibi, *Invenit navem euntem Tharsis.* i. בָּאָה. ¶ *Geraram*] גְּרָרָה dixit pro אֶל גְּרָר i. εἰς γέραρ sive εἰς γέραρα. Quod est plurale τὰ γέραρα : unde interpres noster Gen. 20. 1. *peregrinatus est in Geraris* : & Severus, *Isahac in Geraris ad Regem Abimelech cessit.* Glossa Ordinaria, *Isaac natus est in Geraris, ubi Bersabee usque hodie oppidum est : quæ provincia ante non grande tempus ex divisione præsidum Palæstinæ salutaris dicta est.* Vide nunc, si placet, Eusebium in, De locis Ebraicis. ¶ *Usque Gazam*] vel, *usque ad Gazam.* Quod ita capiendum, ut etiam Gaza termino includatur. Quanquam sunt, qui eam excludant, Idumææ annumerantes. Gorionides certè vocat dominam omnium urbium Edom. Idem scribit primam esse in termino Idumææ, qua respicit Ierosolymam. Vulgo Gazera dicitur. Stephanus Aza scribit, & rectè. Nam Ebraicè est עַזָּה. Id sonat valida & munita, quasi tu dicas *Valentia.* Stephano civitas est Phœniciæ, nunc Palæstinæ. Scire autem licet Palæstinam esse partem terræ Chanaan, & cum latè sumitur Phœnicia, etiam Palæstinam comprehendere. Nam Phœnix cognomen erat τοῦ Chanaan. Eusebius de locis, *Gaza, civitas Hevæorum, in qua habitavere Cappadoces, pristinis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Chananæorum juxta Ægyptum, ceciditque in sortem tribus Judæ : Sed eam tenere non valuerunt, quia Enacim i. gigantes fortissimi Allophylorum restiterunt; estque usque hodie insignis civitas Palæstinæ.* Sunt qui Gazeram extructam ferunt ubi olim fuit Anthedon, quæ Gazæ celeberrimæ urbi vicina erat. ¶ *Sodomam*] vel *Sodoma.* Nam dicimus Sodoma Sodomorum. Sane Græce est ἕως σοδόμων. Ebraice autem סְדֹמָה quod bene explicant לִסְדֹם. ita explicant On. & Jon. ἕως σοδόμων i. עַד סְדֹם Solinus Sodomum hanc urbem appellat. Similiter Gomorrum vocat, quam nos Gomorram dicimus. ¶ *Adamam*] vel, *Admam.* Nam Ebra. אַדְמָה. ¶ *Usque Lasam*] quæ sine dubio intra limitem terræ Chanaan. Ergo & Gaza. Nec obstat dictio illa, *usque ad Lasa* Ebr. לָשַׁע in pausa : extra eam esset לֶשַׁע Lesa. Jon. convertit קַלְּרְהִי ut quidem ego legendum puto : Nam in editis קַלְּדְהִי culpa, ut reor, exscribentium Daleth pro Res. קַלְּרְהִי i. Callirhoe. Eusebius de locis, *Lasa terminus Cananæorum circa Sidonem.* Est cur malim, *terminus Can ad orientem.* Nam etiam Sidon terminus erat, sed aquilonaris, sive ad aquilonem, ut Gaza ad austrum & occidentem. Locus Eusebii supra citatus arguit ipsum legisse aliud ...

... *οι* : ubi nunc *Baoi*, etiam in Rom. edit. ¶ *Seboim*] scriptum צְבֹיִם : lectum צְבוֹיִם i. σεβωὶμ sive σεβωείμ. Alibi reperitur צְבֹאִים cum Aleph loco Joth. Hanc quidam Tseboïma vocat, inepte sanè, cum dicendum potius sit Seboïm ut Brugæ, ut Athenæ, ut Thebæ. Nam ים index numeri pluralis apud Ebræos in talibus abjici debet.

20. *Hi sunt filii Cham juxta familias suas, secundum linguas suas, in terris suis, in gentibus suis.*

Filii] tam filii, quam nepotes. Sunt autem numero 30. ut Hiscuni supputat : aut 31. ut alii; videlicet, sex filii Chus & duo nepotes : octo filii Mesraim aut novem, si Phylisthiim annumeres ; 10. imò 11. filii Chanaan. Adde quatuor filios Cham, habebis 30 aut 31 & cum Cham 32. ¶ *Juxta familias suas*] aut *per familias suas*, ut mox, *per linguas suas.* Hiero. *in cognationibus.* Græci quoque ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν in populis suis. ¶ *Secundum linguas suas*] Hiero. *in linguis* & addit, *generationibus* i. לְתוֹלְדֹתָם quod non est in Ebræo, neque apud alios interpretes. ¶ *In terris suis*] in regionibus suis, quod Græci dixerunt, ἐν ταῖς χώραις αὐτῶν. ¶ *In gentibus suis*] On. *per populos suos.* Jon. hunc versum ita interpretatur, *Isti sunt filii Cham, juxta familias prosapiarum, secundum linguas suas : in sede regionum suarum.*

21. *Porro ipsi Sem nati etiam sunt, patri omnium filiorum Eber, fratri Japheth majoris.*

Nati etiam sunt] nati sunt filii aut nata est proles soboles. Ebraice יֻלַּד natum est i. suscepta soboles aut edita proles. Est הוּא pro לוֹ per enallagen pronominum, ut alias sæpenumero fit. Contra הִנְנִי usurpatur pro הִנֵּה אֲנִי quasi tu dicas, *ecce me*, pro *ecce ego.* Qui hoc pronomen cum sequentibus legunt, ipse est pater omnium filiorum Eber &c. iis adversatur ratio accentuum apud Ebræos. ¶ *Filiorum Eber*] i. Ebræorum, qui עִבְרִים dicuntur Exod. 3. 18. *Dominus Deus Ebræorum* i. Judæorum, ut habet utrumque Thargum. *Filii Eber*, ut, *Filii Israël, Filii Edom, Filii Iacob.* Ab Eber ergo Ebræi. Eber iste filius erat Sale, Arphaxadi nepos, semipronepos. Hoc negat doctissimus Theodoretus. *Nam ita*, inquit, *etiam Ismaëlitæ Ebræi vocarentur, qui ex posteris Eber erant.* Ergo alii à עֵבֶר trans significante Ebræos dictos existimant : in queis Gerundensis Moses, qui locum hunc ita exponit, *patri omnium filiorum Eber* i. eorum, qui trans Euphratem habitarunt & alius qui scripsit, *Qui cum Arphaxad transivere, Ebræi dicti sunt i. ulteriores, quod ultra Tigrim flumen Occidentem versus venissent.* Non sequor. Primum quia notum in auribus meis *Filii trans* pro iis qui flumen trajecerunt, aut trans illud habitarunt. Deinde quia interpretes omnes quos vidi, hic habent, *filiorum Eber*, tollitque omnem dubitationem Jon. referens, *filiorum Ebræorum* i. בְּנֵי עִבְרָאֵי. Postremo quia ultra Euphratem & Tigrim habitarunt, qui tamen non appellentur Ebræi. Nec valet argumentum Theodoreti. Nam & filii Abrahæ vocantur soli Ebræi, licet ex eo prognati sint Ismaëlitæ & Idumæi. Superest ut hanc sententiam meam stabiliam autoritate Augustini, *Verum est*, inquit, *quod traditur ex Eber esse se cognominatos Ebræos, tanquam Eberæos, cum & alia possit esse opinio, ut ex Abraham tanquam Abrahæi dicti esse videantur. Sed nimirum hoc verum est, quod ex Eber Eberæi appellati sunt, ac deinde una detracta littera Ebræi : quam linguam solus Israel populus potuit obtinere, in quo Dei civitas & in sanctis peregrinata est, & in omnibus sacramentis adumbrata.* Et B. Hiero. *Eber à quo Ebræi*, & Josephi Ἀρφαξάδου γίνεται παῖς σάλης τοῦ δ' Ἕβερος, ἀφ' οὗ τοὺς ἰουδαίους ἀρχῆθεν ἑβραίους ἐκάλουν. ¶ *Patri omnium*] Pater hîc est autor generis, ut cum Abraham dicitur Pater Judæorum, & Aharon Pater Sacerdotum. ¶ *Eber*] Hoc nomen Græci & Latini adspirant adversus analogiam. Nam quæ ab Ain incipiunt, leniter efferre solent, ut Emmanuel, Arabia, Elamitæ, &c. ¶ *Fratri Japheth majoris*] sic Græcè ἀδελφοῦ ἰάφεθ τοῦ μείζονος. Est *majoris* natu videlicet i. natu maximi. Sic dicunt πρεσβύτατον pro eo quod est prima omnium. Ebraicè הַגָּדוֹל i. magni sive maximi. Hiero. *fratre Iaphet majore.* Hinc sequeretur Sem natu maximum fuisse. Quod verum non videtur. Nam anno secundo diluvii centenarius erat. Gen. 11. 10. Noë autem cœpit gignere anno ætatis quingentesimo Gen. 5. 31. Jam verò constat Cham natu minimum fuisse. Hæc me ratio movit, ut prætulerim, *fratri Iapheth majoris.* i. maximi natu. Nam quod Jon. edidit, *fratri Iaphet magno in timore DOMINI*, nullo modo se probat mihi, ut nec illud Nicolai, *majore refertur ad Sem, qui major fuit aliis fratribus dignitate.* Addit Nicolaus, *Ebræi autem dicunt majoris, & tunc refertur ad Iapheth, qui secundum eos fuit primogenitus Noë.* Aliqui hoc dicunt, non omnes. Nam & Selomo dubitat, & alii multi Sem natu maximum esse asserunt. ¶ *Iapheth*] hunc

hunc honoris causa nominat. Nam aliquis erat etiam frater Cham.

22. *Filii Sem: Elam & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.*

Filii Sem] *Hi ab Euphrate fluvio partem Asiæ usque ad Indicum Oceanum tenent.* Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebra. ❡ *Elam*] à quo Elamitæ. Hiero. *Est autem Elam, à quo Elamitæ principes Persidis.* Id hausit à Josepho, qui ἐλυμαίως vocat: verba sunt, ἔλυμος μὲν γὰρ ἐλυμαίους περσῶν ὄντας ἀρχηγέτας κατέλειπεν. Nam ἔλυμος Elam. Verba illa sic interpretatur Sigismundus Gelenius, *Elymus posteros reliquit Elymos à quibus Persæ originem traxerunt.* Ruffinus interpres, *Elam Elamitas qui Persarum sunt Principes dereliquit.* Non male. Nam ἀρχηγέτης, princeps, dux i. ἄρχων & aliquando Rex i. βασιλεύς. Sunt qui Elamitas in superiore Perside collocant: alii ipsos Persas eo nomine significari putant. In Synonymia Ortelii, *Persæ Ebrais Elamitæ sunt: aut, ut Iosephus habet, Elymai.* Stephanus de urbibus, ἐλύμαις, χώρα Ασσυρίων πρὸς τῇ περσικῇ, τὸ ἐθνικὸν ἐγγὺς οἱ οἰκοῦντες, ἐλυμαῖοι. Olympiodorus, Αιλαμ (עילם) ἡ τὸ βαβυλῶνος, ἡ καὶ πᾶσαι χώρας ἧς ἦρξε Κῦρος. Erant & Elamitæ Arabiæ populi, mare accolentes, de quibus Plin. lib. 6. cap. 28. Origenes Αιλάμ, ἔθνος Αραβικόν, πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ κείμενον θαλάσσῃ. In Genesi magno, qui Bresith rabba nuncupatur, עילם Græcia i. [illegible]. Quod vocabulum Iudæi Ellenistæ pro Persarum regno usurpant. Vide quæ scripsimus in priorem Machabæorum cap. 1. ad vers. 1. ubi Alexander dicitur regnasse pro Dario in Græcia i. in Perside vel in Asia. Quem locum vulgo non intellectum, & ab interpretibus nuperis depravatum, nos primi sic enarravimus. Quam interpretationem jure mihi desponsam non dimitto: Nec enim soli Atridæ uxores suas amant, ait ille: Lexicon Hesychii, Ελαμῖται, πάρθοι: & paulo post, Ελαμίται, πάρθοι. Videntur alii esse. Nam Act. 2. *Carthi, Medi, Elamitæ*, Jesa. 22. ad locum οἱ δὲ ἐλαμῖται ἔλαβον φαρέτρας, scholion est in edit. Rom. hujusmodi: ἐλαμῖτας, τοὺς συμμαχοῦντας καλεῖ. ἐκ γὰρ τῆς περσικῆς μεθοριαζούσης χώρας. ἀπεχθῶς δὲ διακείμενοι πρὸς τοὺς Ιουδαίους, συνεμάχουν τῷ αὐτῶν ἀναγκαίως ῥωμαίοις. Ceterum Elam in Biblis Græcis ἐλαμ scribitur, cum potius scribendum esse videatur αιλαμ sive αἰλάμ. Sed novum non est ut (ι) pro (η) usurpetur in codicibus illis. Sic sane Εφρέμ alibi legitur pro Εφραίμ sive Εφραίμ. Αιλάμ i. עילם. Quod referri posset ad dialectum Chaldaicam, in qua ביתה domus ejus pro ביתו. ❡ *Assur*] Ασσὺρ i. אשור, quod Jon. dicit אתור, unde Athuria sive Attyria, ut ab Assur Assyria. Nam Dialectus Chaldaica Sin cum Thau permutat. Supra, *inde egressus est Assur qui Niniven condidit.* Hunc Græci Ninum vocitant, ut Scaliger ait. Josephus lib. 1. cap. 7. Ασσύρας δὲ, νίνον οἰκίζει πόλιν, ἤγε τοὺς ὑπηκόους, Ασσυρίους ἐπωνόμασεν, οἳ μάλιστα εὐδαιμόνησαν. Si verum hoc, erravit Cleodemus Propheta, qui & Malchus, scribens Assyros appellationem habere à Surim filio Abrahæ ex Cetura. Errant & illi, qui ab Assurim ita dictos putant. Sanè ipsa Assyria passim in his litteris אשור dicitur, & *Rex Assur* i. Assyriæ. Assur, Assyria, ut Juda, Judæa, & Edom, Idumæa. Quæ ita compendio efferuntur pro, terra Assur, Judæ, Edom. ❡ *Arphaxad*] à quo Chaldæi. Hiero. in libro Quæstionum. Cui olim Arphaxadæi Αρφαξαδαῖοι. Josephus. Natus fuit anno secundo diluvii, infra 11. 10. Verba Iosephi, Αρφαξάδης δὲ τοὺς νῦν χαλδαίους καλουμένους, Αρφαξαδαίους ὠνόμασεν, ἄρξας αὐτῶν. Sunt qui tradunt hujus ditionem à Nemrodo sive Namrodo (ita Iosephus appellat) post occupatam. Hæc omnia incerta sunt. Hinc forte Arphaxitis in Septentrionali parte Assyriæ: Arias Arphaxad Susianam interpretatur, Asiæ regionem, cujus Metropolis Susa. Chaldæi i. כשדים quod in numero unitatis facit כשד decurtatum ex כשבאר, ut quidam volunt. Cujus originis & Arbacem esse censent. Fuit alius ejus nominis, conditor Echatanæ Iud. 1. 1. quem Phraortem esse suspicantur, qui cæsus legitur ab Assyriis cum universo exercitu. Hic patrem habuit Diocen, qui autore Herodoto, Ecbatana condidit. Vocatus Rex Medorum in loco Iudithæ supra citato. Ut mihi quidem videtur, nomen est compositum ex duobus, videlicet ארף sive ארפא & כשד unde כשדים i. Chaldæi. ❡ *Lud*] Ab hoc Lydi sive Lydii, Asiæ minoris populi: οἳ λύδους νῦν καλοῦσι, λούδους δὲ ποτε, λούδους ἔκτισεν, ait Iosephus. Ludi, Lydi; ut Syria, Suria: & Ludas ut Iudas. Quippe Lud, γυλδαίοι לודיי i. Luda, unde Ludas. Sunt & Ludim, qui Ebræis לודים Africæ populi, videlicet Libyes sive Lybies. ❡ *Aram*] ἀραμ Lxx. ἄραμος. Iosephus ab eo Syria & Syri. Nam Syria ארם & Syri ארמים i. ἀραμαῖοι. Iosephus ἀραμοι, Homerus: ἀριμοι, Strabo: ἀραμμαῖοι, idem. Syria in libris veteribus etiam Suria dicitur. Syria in multas regiones dividitur ארם נהרים Syria interamnis sive Mesopotamia Iud. 3. 8. & ארם simpliciter vers. 10. פדן ארם Gen. 28. 2. quæ capite vigesimo nono vocatur terra filiorum orientis. Hujus mentio & Gen. 48. 7. Aran Dammasci 2 Reg. 8. 6. Hiero. in Quæstionibus, *Ab Aram Syri, quorum metropolis Damascus.* Syria Tsoba & Syria *Robo* ארם צובה quæ inter Libanum & antilibanum jacet. Syria Cœle sive Cœle-Syria, quæ cava dicitur ob dimissam à declivitate montium planitiem, id quod Soba Ebræis sonare perhibetur. Syria Maacha ארם מעכה à Maacha filio Hachor ex Reune uxore.

23. *Et filii Aram, Vs, & Hul, & Gether & Mes.*

Vs] עוץ quod Græci scribunt οὐζ i. Vz i. עוץ. Noli æmulari. In Latina vulgata legitur Hus cum adspiratione, & contra analogiam & contra consuetudinem. Ab hoc nomen accepit Ausitis regio, quam in Idumæa collocant. Nam legimus Thren. 4. *Gaude filia Edom, quæ habitas in terra Vs.* Sed hoc argumentum non est satis validum. Potuerunt enim Idumæi aliqui habitare in Syria vel in Arabia. Porro Syriæ regionem esse quæ Vs dicitur quidam censent. Josephus eam ponit inter Palæstinam & Syriam cavam. Verba, quibus hoc dicit, hæc sunt, τῶν δὲ ἀράμου παίδων τεσσάρων ὄντων, οὖσης μὲν κτίζει τὴν τραχωνῖτιν καὶ δαμασκόν. μέση δ' ἐστὶ τῆς παλαιστίνης καὶ κοίλης συρίας i. interprete Gelenio, *Ex Arami vero quatuor liberis Vses habitator Trachonitidis fuit Damascique conditor: ea sita est Palæstinam inter & Syriam cognomine Cœlen.* Iosephum secutus est Hiero. in Quæstion. Ebr. ita scribens, Vs, *Trachonitidis & Damasci conditor, inter Palæstinam & cœlem Syriam tenuit principatum à quo Lxx. in libro Job, ubi in Ebræo scribitur terra Vs, regionem Ausitidem quasi Usitidem transtulerunt.* rectè sanè. Nam U & Au vicissim permutantur. Aliis est regio Arabiæ, quæ dicitur Scenitis. In Synonymia Geographica, *Hus, cujus incola Jobus fuit, ut Sacræ testantur litteræ. Hæc, ut docet Matth. Beroaldus, regio Syriæ vel Arabiæ est, quæ dicitur Scenitis.* Rursum Hiero. *Job de stirpe fuit Vs, sicut scriptum est in principio voluminis ejus, Et fuit vir de terra Vs.* Malè colligit. Non enim si fuit de terra Vs, ideò etiam fuit ex stirpe Vs. Nec ut demus fuisse ex illa stirpe, tamen ex loco Iobi necessario sequitur, quod vult Hiero. Ceterum Trachonitis regio est Palæstinæ, quæ Ituræa vocatur Straboni, & Peræa Hegesippo. Græce τραχωνῖτις. ❡ *Hul*] חול Hul sive Chud. Græcè οὖλ, quod aspirandum, ut sit οὖλ. Hic apud Iosephum ὄτρος vocatur, quem ait Armeniam tenuisse Similiter Hiero. in Quæst. [illegible], inquit, *Armeni, sive Armenii.* Ariæ Montano est Æolis, quæ & Æolia, Asiæ minoris regio, in littore maris Ægei. Alii scribunt Hul sive Chul obtinuisse Palmyrenem ad Euphratem usque, ubi fuit oppidum Cholle, Ptolemæo. ❡ *Gether*] *à quo Acarnanis sive Carii.* Hiero. in Quæst. Ebraicis: *Bactriani*, Βακτριανοί: Iosephus. Ant. Iud. lib. 1. cap. 7. *Ætoli*, Arias in apparatu Biblico. *Apamenes incolæ, ubi Atergatis idolum colebatur.* Tremell. Porro in scriptura Ebraica est גתר i. Gether sive Gather: in Græca τῶν Lxx. γάτερ: sed est cur γάθερ malim. apud Hiero. Gether: in Iosepho autem γεθέρας Getheris. Gether, Gather, ut Hebel, Habel, Pherets, Pharets. ❡ *Mes*] *à quo Maones*, Hiero. *Mesanæi*, Iosephus (μησαναῖοι) Pasiori castrum in Persia esse meditur ad finum Persicum) *Mysi sive Mæsi.* Arias. *Superiorem partem Syriæ incolentes inter Ciliciam & Mesopotamiam, ad partem usque Amani montis, quem Masium vocant.* Tremell. Verba Iosephi apud interpretem Rufinum, *Mes autem Mesanæos, qua nunc Arax vocatur ab omnibus.* Græca sunt, μήσας δὲ μησαναίους. πασινὴ χάραξ ἐν τοῖς νῦν καλεῖται. Tu verte, *Pasini vallum sive castrum his temporibus vocatur.* (*Charax Paseni, Susiana oppidum Ptolemao ad finum Arabicum inter Tygrim & Eulæum flumina situm*, ait Ortelius.) Ex χάραξ fecit Arax, duplici errore. Primum enim Proprium esse putavit, quod est nomen Appellativum: deinde Charax corrupit in Arax, si modo hoc mendum est interpretis, & non potius exscribentium. Opinioni Ariæ adversatur quod scribit Hiero. in locis Actorum, *sunt autores qui dicant transisse ex Europa Mesas, & Brigas, & Hunos: à quibus appellantur in Asia Mysi, Paryges & Bithyni.* Ceterum Mes, antiqua lectio est. Nunc legunt מש i. Mas. In Lxx. autem est μοσὸχ pro μὲς sive μὰς.

24. *Et Arphaxad genuit Sale, & Sale genuit Eber.*

Græca litera habet, καὶ ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν καϊνᾶν, καὶ καϊνᾶν ἐγέννησε τὸν σαλὰ, σαλὰ δὲ ἐγέννησε δὲ τὸν ἕβερ: & Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sala: Sala vero genuit Eber. Lucas quin etiam Evangelista refert ex Arphaxad genitum Cainan, & ex Cainan Sale. Supra quoque, ubi nos posuimus, *& Lud et Aram* eadem editio, καὶ λὺδ, καὶ ἀρὰμ, καὶ καϊνᾶν. Vide si vacas. Pro καινᾶν in edit. Rom. scriptum καινάν, sed profecto perperam. Nam est nomen dissyllabum. Ebraice, קינן i. Cenan,

nan, Cainan, Cenan, ut Ailam, Elam i. עֵילָם. ¶ *Sale*] vel Sala: Quod Græci scribunt σαλὰ. Sic Thare & Thara. Ebraice est שֶׁלַח Sela, quod in pausa שָׁלַח. Unde Sale & Sala.

25. *Et ipsi Eber nati sunt duo filii: nomen unius Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra: nomen autem fratris ejus Joctan.*

Ipsi Eber) τῷ ἔβερ i. לְעֵבֶר: à quo Ebræi. Quod post Iosephum & Hiero. Nicolaus olim notavit: Paulus negat. Intelligo Paulum Burgensem Episcopum, ex Iudæo Christianum cui in hac opinione non assentior. Nam ut verum sit alios ab Eber descendisse, qui Ebræi non vocantur, non tamen inde sequitur quod vult Paulus ille. Nam & ab Abrahamo descenderunt, qui tamen non appellantur filii Abrahæ sive Abrahami. Sic aræ Isahac dicuntur peculiariter aræ Iudæorum. Licet ad Isahac etiam Idumæi genus referant. Similiter dictus Adam ab Adama i. terra quanquam eadem origo bestiarum, ut causa justa non sit Quintiliano ridendi Grammaticos, qui hominem ab humo dictum prodiderunt. Nam ut Adam ab Adama, cujus rei testis est Moses omni exceptione major: Sic homo ab humo: Sane Adama humus. Sed plura de his alias. Vide Paulum illum addit. in Matthæum. ¶ *Nati sunt*] יֻלַּד natum est: impersonaliter. ¶ *Phaleg*] nunc Pheleg. Græce est φαλὲγ in Lxx. & φαλὲκ in Iosepho. Quale est δωὴκ pro δωὴγ. Nam κ. & γ. alternant. Sed hic sequimur Codices Ebræorum, qui nihil variant. Si non aliud, hoc debemus studio linguarum, quod nomina propria emendatius nunc leguntur in Bibliis, quam olim lecta fuerunt. Nam in antiquis editionibus tam Græcis quam Latinis nihil corruptius. Qui autem Paleg emendant, ut Steuchus & alii, audiendi non sunt. Ipsa vox sonat divisionem, i. μερισμὸν, ut Iosephus interpretatur. Hiero. *Heber à quo Hebræi* (ita quoque Iosephus) *vaticinio quodam filio suo Phaleg nomen imposuit, qui interpretatur divisio, ab eo quod in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt.* Quod ait, *vaticinio quodam*, idem Ebræi quoque dicunt, qui scribunt eum Prophetam fuisse. In Seder Olam, quod est Chronicon mundi, „Abraham Pater noster quo tempore linguæ di„visæ sunt, agebat annum 48. Compertumque Nochum post „eam divisionem vixisse annos decem. Dicit autem R. Jose, „magnus Prophetes erat Eber, qui filio nomen imposuerit Pha„leg divino afflatus Spiritu. Siquidem in diebus ejus divisa est „terra. R. Salomo, *Hinc discimus Eberum fuisse Prophetam quia nominavit filium suum Phaleg, prævidens futuram divisionem linguarum.* ¶ *In diebus ejus*] Eberi an Phalegi? Iosephus, κατὰ τὸν διασπασμὸν τῶν οἰκήσεων γεγονώς. August. *Tunc ei natus est, quando per linguas terra divisa est.* R. Salomo ex Seder Olam, *In fine dierum ipsius divisi fuerunt. Non in principio: nam ecce Ioctan, qui eo minor erat, genuit plurimos filios ante divisionem. Non in medio dierum eius, quia hoc est contra consuetudinem Scripturæ.* Habentur hæc in comment. ad hunc locum. Mihi parum solida videntur. ¶ *Divisa est terra*] divisi sunt habitatores terræ, cum ob linguarum diversitatem alter alterum non intelligeret. Ab hoc eventu dicta fuit ætas illa דור הפלגה ætas divisionis linguarum. ¶ *Joctan*] יָקְטָן ita nunc legunt. Olim aliter. Nam in Lxx. ἰεκτὰν & in Hiero. *Jectan* i. יֶקְטָן. Thema est קטן, unde הַקָּטָן minor natu, cui respondet הַגָּדוֹל major vel maximus natu. Philo in nominibus ex Genesi, *Jectan, parvulus.* Iosephus habet ἰουκτὰν i. Iuctan, quod esset יוּקְטָן vel יֻקְטָן.

26. *Joctan vero genuit Elmodad & Saleph & Hasarmaveth, & Jare.*

27. *Et Hadoram, & Uzal & Decla.*

28. *Et Ubal, & Abimael, & Saba.*

29. *Et Ophir, & Hevila, & Iobab: omnes isti filii Ioctan.*

Hieronymus, *Harum gentium posteriora nomina invenire non potui, sed usque in præsens, quia procul à nobis sunt, vel ita vocantur ut primum, vel quæ immutata sint ignorantur. Possiderunt autem à Cophene fluvio, omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria.* Iosephus lib. 1. cap. 7. ὤκουν ἀπὸ κώφηνος ποταμοῦ τῆς Ἰνδικῆς καὶ τῆς πρὸς αὐτῇ συρίας ἔνιά κατοικοῦντες. Rufinus interpres vetus, *Hi à flumine Cophino, & posita circa eam Syriæ loca quædam inhabitant.* ¶ *Elmodad*] vel *Almodad*. Nam Ebraicè nunc אַלְמוֹדָד quod olim legebant אֶלְמוֹדָד per Segol i. ἐλμωδάδ. Est autem אל articulus Arabicus, non Chaldaicus. Elmodad, Almodad: ut Melchisedec, Malchisedec. Ελμώδαδος Iosephus. Porro in Modad significatio mensurandi. Proinde Ionathan פְּרַשׁוּ מְשַׁח, *Ioctan genuit Almodad, qui mensus est terram funiculis.* ¶ *Saleph*] שָׁלֶף in Athnach. Extra pausam esset שֶׁלֶף Seleph. Ionathan, *Saleph qui deduxit aquam fluviorum.* Quippe שלף educo, extraho, diduco. In Lxx. perperam σαλὲθ pro σαλὲφ. Σαλέφος, Iosephus.

¶ *Hasarmaveth*] חֲצַרְמָוֶת Antiqua lectio est Hasarmath, quod in Hiero. exiliter scriptum Asarmoth, (Αζερμαώθης Iosephus.) & in Lxx. contractiore voce τὸ σαρμώθ, ac si *Ha* articulus esset, cum sit Heth in Scriptura Ebraica, non He. Unde non potest esse articulus. Philo Judæus, *Hasarmoth, atrium mortis.* Licet etiam vertere, *pagus aut vicus mortis.* Nam חצר pagus absque muris. Id multis nominibus locorum præponitur, ut Hasar-Sual, Hasar-Gadda; Hasar-Susa &c. Sic Hasar-Moth. Syriace Hadramytum, quod ita dictum ob pestilentem tractum oræ Africanæ, quomodo apud Plautum dictum est, *Acherontis ostium est in agro nostro.* Nam Muth Pœnis erat Pluto. Ergo Hadramuth, vicus vel atrium Plutonis. Philo Bibliensis apud Eusebium, καὶ μετ' οὐ πολὺ ἕτερον αὐτῷ παῖδα ἀπὸ ῥέας ὀνομαζόμενον Μοὺθ ἀποθανόντα ἀφιεροῖ· θάνατον δὲ τοῦτον καὶ πλούτωνα φοίνικες ὀνομάζουσιν. Loci hujus & etymi mentio in Genesi magno, qui Ebraice Bresith Rabba. ¶ *Jare*] יָרַח Iare, ut תָּרַח Thare, שָׁלַח Sale. Extra pausam esset יֶרַח. Id mensem designat. Nam Luna יָרֵחַ dicitur i. Iaree. Potest legi *Iara*, ut Thara, ut Sala. In Lxx. ἰαρὰχ. Apud Iosephum vero ἰαράς: Sed in Rufino Iarach. ¶ *Hadoram*] הֲדוֹרָם Hadoram, pro quo legitur Adoram in Hiero. & Ὀδοῤῥὰ, Hodorra in Lxx & Ἀδώραμος in Iosepho. Edoramus i. אֱדוֹרָם. ¶ *Uzal*] אוּזָל i. οὐζὰλ quod imperitia corrupit in αἰβὴλ. puto aliquando scriptum fuisse αἰζὴλ, ut sit mendum legentium Iod pro Vau, quale in Αἰλὰμ, quod Ebraice עֵילָם i. αἰλάμ. Apud Iosephum Ὀυζαλης Uzalis. ¶ *Decla*] δεκλὰ. Critici Ebræorum scripserunt דִּקְלָה Dicla. Iosephus autem legit Dacla, quod scribit δακλὰς, Dacles. Nam δεκλὰς, quod in vulgatis, mendum est librariorum. Proclivis enim sane lapsus de κ. in κ. Dicla, Decla, Dacla, ut Nimrod, Nemrod, Namrod. Quod postremum in Iosepho Nabrod legitur. Sic alibi Nebrod est pro Nemrod. ¶ *Ubal*] עוֹבָל quod in Jon. עֵיבָל Obal: in Lxx. vero Ουδὰλ, perperam sane, cum Ουβὰλ, mediam habeat β quæ elidi non solet. Hiero. Ebal, quod Hebal scripsere, qui antiquæ consuetudinis parum gnari fuerunt. Legit absque dubio Iod loco Vau. Quem errorem & Iosephus erravit. Nam in eo ἔβαλος i. Ebalus. Est & Ουβὰλ nomen montis Dan. 8. ubi Scholion est in edit. Rom. Ουβὰλ ὄνομα ὄρους περσικοῦ. Nomen montis in Perside. ¶ *Abimael*] אֲבִימָאֵל quod Græci scribunt ἀβιμαὲλ, ε pro η usurpantes. Nam esset ἀβιμαὴλ, ut βαθουὴλ, ut ἰσραὴλ, ut γαβριὴλ ut μιχαὴλ, & alia ejus generis. In Josepho Ἐβιμαέλος, Ebemaëlus. Suspicor legendum ἰβιμαέλος Ebimaelus. Mendum quale in Ἰουδὶθ pro Ἰουδείθ & Τωβὶτ pro Τωβεὶτ sive Τωβίτ. Ἀβιμαὲλ autem ita scribitur, ut Ἐφρὲμ pro Ἐφραὶμ, & Ἐλὰμ unde Elamitæ pro Ἠλάμ. ¶ *Saba*] σαβὰ, qui Josepho σαβὰς ex quo manus imperita σαφὰς fecit. Saba, Sabas, ut Iuda Iudas: Messia, Messias. Ebraice שְׁבָא Scheba vel Schaba. Ab hoc Sabæi Indici. Nam Saba regio Indiæ, ut quidam opinantur. Ab hac diversa est Saba. Metropolis Sabææ in extremo Arabiæ felicis littore, quæ & סְבָא scribitur, unde putatur venisse regina Sabæ, quæ in Evangelio regina Austri vocatur. Quanquam sunt qui hanc volunt fuisse Meroes insulæ Metropolin Josephi autoritatem secuti. Plura de hoc nomine supra ad vers. 7. ¶ *Ophir*] אֹפִר absque Ioth. Alibi אוֹפִיר cum Iod: quomodo & Chaldæi hoc nomen scribunt. Lxx. hic habent Οὐφείρ, Uphir. Iosephus Ὀφίρης, Ophires. Pro Οὐφείρ legitur quoque σουφείρ, culpa, ut credibile est, scribarum. Reperio & Ὠφείρ. Eupolemus apud Eusebium Οὐρφῆ scribit, quam ait esse insulam maris rubri. Eucherius, *Ophir regio est in Indiam tendens.* Eusebius in De locis Ebraicis, *Ophir sicut in Regnorum libris legimus, est Insula, unde aurum afferebatur Salomoni. Fuit autem unus de posteris Eber nomine Ophir, ex cujus stirpe venientes à fluvio Cophene: usque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Jeria, habitasse refert Josephus: à quo puto & regionem vocabulum consecutam.* Beroaldus in Chronologia sua, *Ophir, regio Indiæ puta Zaffala, aut Taprobana, aut alia Oceani Æthiopici.* De hac peculiarem libellum edidit Gaspar Varrerius Lusitanus, in quo persuadere conatur Ophiram esse auream Chersonesum, aut potius omnem eam oram, quæ Pegusiis, Malaca, & Samatra continetur. Maffæus Jesuita in hist. Ind. lib. 1. *perque Pegusia & ejus tractus alia ditissima regna (quam terram Ophir & Tharsis quidam haud absurdis conjecturis existimant) desinit in auream Chersonesum.* Idem lib. 16. *Bouferreri, (sacerdos erat in familia Franciscana, natione Gallus) postea literis de Origine Pegusiorum acceptum, stirpem eos ab Iudæis exsulibus ducere, qui ab Salomone damnati ad Ofiranas aurifodinas ea loca primi tenuerint.* Vide nunc si placet, Iosephum Antiqui. lib. 8. cap. 2. Ortelium in Synonymia Geographica: Neandrum in Geographia pag. 7. Ariam Montanum in apparatu Biblico: Goropium Becanum in Hispania. Ortelii hæc verba sunt, *Auream Chersonesum, auri divitem olim fuisse ne-*

mo

mo veterum, quod sciam, autor est: neque nunc etiam esse ex recentioribus palam est. Ego Cephala, Æthiopicam regionem pro Ophir acciperem, si hujus Annalibus fidendum esset. Thomas enim Lopesius in sua Indica navigatione, tradit Cephalenses habere libros patria lingua scriptos, in quibus auditur Salomonem Regem hinc tertio quoque anno aurum tulisse. Abundatque hac regio etiamnum hodie adeo aurifodinis, ut nihil præter aurum, quemadmodum Lusitanorum peregrinationes testantur, exteris mercatoribus communicet. ❡ *Hevila*] Ebraice Havila i. חֲוִילָה quod veteres legebant חֶוִילָה unde Hevila sive Evila: Græce ἐυιλάλ. Nam (υ) tale quale in λευὶ Levi. Ceterum duo Havilæ fuerunt. Prior filius Chus filii Cham: à quo, teste Josepho, Gætuli γαιτῆλοι, Libyæ interioris populi, Evilæi, ἐυιλαῖοι dicti. Posterior, de quo hic sermo, regionem obtinuit prope Ophir: cujus meminit Eusebius per hæc verba, *sed & unus de minoribus Noe Hevila dictus est, quem Iosephus refert cum fratribus suis à flumine Cephene & regione India usque ad eum locum qui appellatur Ierie possedisse. Sed & Ismael in solitudine Hevila habitasse scribitur: quam Scriptura sancta esse ait in deserto Sur contra faciem Ægypti, & inde tendere usque ad terram Assyriorum.* De hac Hevila quidam intelligunt locum qui Gen. 2. 12. Rursum Eusebius, *Hevila, ubi aurum purissimum, quod Ebraice dicitur Zahab, & gemma pretiosissime Carbunculus Smaragdusque nascuntur. Est autem regio ad orientem vergens, quem circuit de Paradiso Phison egrediens, quem nostri mutato nomine Gangem vocant.* Vide quæ notavimus ad illum locum. ❡ *Iobab*] Ἰωβὰβ i. יוֹבָב. In Iosepho est Ἰόβηλος, Jobelus. Hoc nomen corrupte legitur & in Synonymia Ortelii. Nam Iobad ibi scriptum pro Iobab. Ariæ Montano in apparatu est ea novi orbis regio, quam vulgo Parias appellant. Sic dico, A Iobab appellata regio Indiæ Ophiræ & Havilæ vicina. Fuit alius ejus nominis, filius Zaræ, Rex Idumææ: quem eundem faciunt cum Iob. In hoc errore (si error dicendus est) fuerunt Augustinus & Ambrosius. Hujus mentio Gen. 36. 33. ❡ *Omnes isti*] Numero tredecim.

30. *Fuitque habitatio eorum à Mesa, qua tu venis Sepharam ad montem orientis.*

Habitatio eorum] κατοίκησις αὐτῶν. Ionathan, *domus habitationis ipsorum*, i. locus. Nam domus & locus se invicem explicant. Ergo בֵּית אֵל interpretantur alii οἶκος θεοῦ: alii τόπος θεοῦ i. locus Dei. ❡ *A Mesa*] מִמֵּשָׁא à Mesa. מִן מֵישָׁא habet Ion. Porro Mesa unico S. scribunt Ebræi & Chaldæi: duobus Græci & Latini. Nam in Lxx. ἀπὸ μασσῆ, & in Hiero. *de Messa.* Sed quid Mesa? Utrum Amani montis pars, quem Masium vocant? an Meseus Susianæ regionis fluvius, qui & Mosæus μοσαῖος? Inter Tauri montis nomina est Mazius apud Strabonem. Sunt qui Mesa locum esse dicant ita vocatum à Mes filio Aram. Eusebius de locis Ebraicis, *Messe, regio India, in qua habitaverunt filii Iectan, filii Eber.* ❡ *Qua venis*] vel, *qua tuis*, sive, *qua itur*: Nam בֹּא etiam eo significat. ❡ *Sepharam ad montem Orientis*] vel, *in Sephar montem orientis.* Lxx. εἰς σωφηρὰ ὄρος ἀνατολῶν: *ad Saphera montem Orientis.* Latina vulgata, *usque Sephar montem orientalem.* Hiero. vel magis Eusebius de locis Ebraicis, *Sophera vero mons orientis in India, juxta quem filii Iectan habitaverunt, quos Iosephus refert à Cophene flumine, & India regionibus usque ad id locorum pervenisse, ubi appellatur regio Ieria: sed & classis Salomonis per triennium hinc quedam commercia deportabat. Quis autem sit iste mons, qui quodammodo antonomastice appellatus est orientis, nescitur.* Sophera i. σωφηρά, quod nunc σωφηρά, ut vidimus. Ebraice סְפָרָה in Sephar i. סְפָר: ut recte On. interpretatur. Ion. habet לִסְפַרְוַי in Sepharvae. De hoc monte variæ conjecturæ sunt. Postellus, *Verisimile*, inquit, *esse Imaum.* Quidam Amannum esse conjectant; alii Ararat: *sed videtur magis intra Indiam ad Indicum Oceanum situs fuisse*, ait Mercerus. Eusebius certe in India eum ponit. Arias montem illum esse suspicatur qui hodie Andes dicitur Hispanis. Hic mons totius orbis maximus est. Nam à freto Magellanico Septentrionem versus totam Peruviam regionem pertransit. Tremellio potius est Siphara Ptolomæi, ad Euphratem sita, qua conjungitur montibus Chaldææ, *qui hoc loco*, inquit, *dicuntur montes Orientis*, ut Num. 23. 11. Moses Gerundensis eum collocat in Syria interamni, quam Mesopotamiam appellant. Cui firmando est locus ille, *Ex Syria duxit me Balac rex Segor, ex montibus Orientis.* ❡ *Montem orientis*]. הַר הַקֶּדֶם *montem orientis* i. orientalem, ut recte Hiero. interpretatur. On. טוּר מַדִּנְחָא pro quo Ion. טוּר scripsit. Tur, Taur; ut Uzal, Auzal: Us, Aus, unde Ausitis regio, quæ Iobi patria quondam fuit. A Taur nomen accepit mons Asiæ, Taurus, quasi κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam, ita dictus. Nam taur i. mons. Frustra ergo Dionysius à tauri capite ipsius etymon arcessit. Nec me movet Eustachius ejus commentator, qui dictum ita putat ob magnitudinem. Nam ταῦρος, inquit, *veteres omnia grandia atque robusta vocavere.* Sit hoc verum, tamen taurus animans etiam Ebraicam habet Etymologiam. Ebræi enim taurum שׁוֹר appellant, quod Syris esset תּוֹר unde Taurus; aspirata in tenuem versa. Thor, Thaur; ut orum, aurum: olla, aula.

31. *Isti sunt filii Sem secundum familias suas, juxta linguas suas: in terris suis, secundum gentes suas.*

Secundum familias suas] aut *per familias suas.* Hiero. *secundum cognationes.* Lxx. ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν: בְּזַרְעֲיָתְהוֹן. Mox, κατὰ γλώσσας αὐτῶν: quod non male reddes, *per linguas suas.* ❡ *Filii*] posteri, hoc est, filii & nepotes, qui sunt *filiorum filii.* Dicunt autem Ebræi, *Filii filiorum sunt tanquam Filii.* Vide Proverbia mea. ❡ *In terris suis*] ἐν ταῖς χώραις αὐτῶν: in regionibus suis. Singulæ enim familiæ singulas regiones occuparunt. ❡ *Secundum gentes suas*] לְגוֹיֵהֶם per gentes suas. Alibi est בְּגוֹיֵהֶם in gentibus suis. Quomodo & hic Lxx. ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτῶν: & On. בְּעַמְמֵיהוֹן in populis suis. Hiero. quoque *in gentibus suis.*

32. *Hæ sunt familiæ filiorum Noe secundum generationes suas in gentibus suis: & ab his dispersæ sunt gentes in terra post diluvium.*

Familiæ] Lxx. αἱ φυλαὶ, quod reddunt *tribus*: sed vox Græca etiam gentem significat, i. φῦλον. In hoc loco & aliis quibusdam usurpari videtur pro familia sive cognatione. ❡ *Secundum generationes suas*] κατὰ γενέσεις αὐτῶν. Licet etiam vertere, *per generationes suas.* Hiero. *juxta populos*, לְעַמֵּיהֶם. Quid vidit cum ita verteret? ❡ *In gentibus suis*] בְּגוֹיֵהֶם est in libris, non לְגוֹיֵהֶם ut legisse videntur Lxx. & Hiero. Nam illi vertunt, κατὰ ἔθνη αὐτῶν: hic vero, *juxta nationes suas.* Ceterum Beth interpretati sunt quoque On. & Jon. ❡ *Dispersæ sunt*] διεσπάρησαν. Hiero. maluit *divisæ sunt.* Severus ex hoc loco, *Sed filiis Noe ita divisus orbis fuit, ut Sem intra Orientem, Japheth Occidentem, Cham medius contineretur.* Rupertus, *Sem in filiis suis Asiam, & Cham maxime Libyam, & Japheth Europam possederunt, ut tres partes mundi a trium generatione implerentur.* Ceterum familias qui minimum 72: qui summam 73 aut 74. numerant. Unde colligunt totidem initio linguas extitisse præcipuas: à quibus reliquæ postea defluxerunt, velut à Græca lingua, quæ in familia Javanis, manarunt Attica, Jonica, Dorica, Æolica, quas nunc dialectos appellant. Sic à Latina tanquam à matre originem habent vulgares, Italica Gallica & Hispanica. Ipsa Ebræa linguarum omnium antiquissima peperit Chaldaicam, Syriacam & alias. Nec sterilis omnio fuit Syriaca: cujus quasi dialectus Punica. Pœni enim à Tyriis qui in Syria oriundi. A Teutonica, quam Germanicam appellant, genus ducunt Misnica, Danica & Saxonica, ut ab hac Belgica, in qua rursum plurimæ dialecti, Flandrica, Brabantica, Hollandica. Nam Frisii peculiarem linguam habent præter communem Belgicam, quæ paulatim vires acquirit, unde bilingues nuncupantur. Sed de linguis alias. ❡ *Gentes*] In Lxx. νῆσοι τῶν ἐθνῶν, insulæ gentium. Quod huc translatum ex vers. 5. hujus capitis. Hic perspicue Insula pro regione sumitur. Quomodo forte sumitur in illo, *reliquias insulæ Chaphthor*, ut frustra sint, qui hinc statuunt Chaphthor nomen insulę esse. ❡ *In terra*] per orbem terrarum. ❡ *Post diluvium*] anno à diluvio centesimo primo Iosephus, Augustinus, alii: centesimo trigesimo primo, Berosus: centesimo quadragesimo, nempe decem annis ante mortem Noe, Veteres Ebræi.

GROTIUS.

1. C*Ham & Japhet*] De omnium in hoc capite nominum vestigiis veteribus, vide quæ notavimus ad librum 1. de Veritate Relig. Christianæ.

9. *Robustus venator coram Domino*] Felix in venatu, quia prædæ partem Deo dabat. Abenesdra, Coram Deo fieri dicuntur aut quæ Deo pergrata sunt, aut quæ ei displicent.

CARTWRIGTUS.

2. E*T Thiras.*] Jonathan & Hierosol. תִּירְקִי. Et *Tharki*, vel *Thraki.* Junius & Tremellius dicunt Hierosolymitanum (de Jonathane silent, quippe quem, opinor non conspexerunt) interpretari *Turcos.* At rationem non video, cur תִּירְקִי non æque *Thraces* (quomodo Jun. & Tremell. ut alii fere omnes interpretantur) ac *Turcos* designet.

3. *Thogarma*]. Lxx. transpositis literis Θεργαμα.

8. *Is cæpit esse* גִּבֹּר *potens in terra.*] Lxx. γίγας. R. Sal.

Sal. ſic exponit; Is cœpit totum mundum ad rebellionem incitare. Innuere videtur eum dictum Nimrod à מרד *Marad*, quod rebellare ſignificat.

9. גבור ציד *Potens venator.*] R. Sal. allegorice interpretatur, (*a*) ut ſenſus ſit, eum verborum aucupio hominum animos inescaſſe, eosque ad rebellandum contra Deum pellexiſſe. Mercerus exponit, *Potens venatione*, aſſerens ציד non eſſe Toar, tunc enim futurum fuiſſe cum camets, ſed ſubſtantivum, ut ציד idque docere Kimchi in Rad. & ibidem Eliam.

Is fuit potens venator, &c.] Jonath. *Is fuit potens rebellione coram Domino; propterea dicetur, vel dici ſolet* (יתאמר) *Ex quo mundus fuit creatus, non fuit ſicut Nimrod, potens venatione & rebellione coram Domino.* Hieroſolymitanus ait; *eum venatum eſſe homines, ac ſuaſiſſe ut ab inſtituto Shem ſe abducerent, ac ipſius inſtituto adhærerent.*

Coram Domino] Aben Ezra ait eum extruxiſſe altaria, & feras, quas venando ceperat, Deo in ſacrificium obtuliſſe. Melius R. Salom. (*b*) מתכון להקניטו על פניו, i. e. *ſtuduit Dominum in faciem* (palam, aperte) *ad iram provocare.* Lxx. ἐναντίον κυρίου, quod nonnulli vertunt contra Dominum; alii, coram Domino, quod rectius puto. Nam Lxx. non raro utuntur voce illa ἐναντίον pro coram, vel ante; atque id plane ſignificat vox Hebræa לפני, non autem contra.

על כן יאמר *Propterea dicitur, vel dici ſolet.*] Ad verb. *dicetur.* Aben Ezra ait, Id fuiſſe proverbium in diebus Moſis. R. Salom. ait de quovis homine impudenter, & perfricta fronte (במצח פנים) impie agente, & qui ſcienter ac data opera in dominum ſuum rebellat, hoc dici ſolitum, *ſicut Nimrod potens venator coram Domino:* q. d. Is eſt inſtar Nimrod, qui erat potens, &c.

11. *E terra hac* יצא אשור, *exiit Aſſur.*] Alii interpretantur, *exiit in Aſſyriam*, ut *Aſſur* pro regione Aſſur, ſeu pro Aſſyria ponatur. Atque ita Jonath. *E terra hac exiit Nimrod, & regnavit in Aſſur, ſeu Aſſyria.*

ואת רחבות עיר *Et Rehoboth urbem.*] Vel, *& plateas urbis.* Priori modo Lxx. poſteriori vulg. Et Hieron. in Tradit. Non putemus, inquit, duas eſſe urbes, ſed quia *Rehoboth* plateæ interpretantur, ita legendum eſt, Et ædificavit Niniven, & plateas civitatis. At cujus civitatis? Si dixeris, Ninives; quid novi dicitur? Si enim ipſam civitatem, plateas certe civitatis ædificavit. Altera igitur interpretatio ſimplicior videtur, ut nimirum alia urbs, Rehoboth appellata, ab eo ædificata narretur.

12. *Ea eſt civitas magna.*] R. Sal. hoc ad Ninivem refert, quia dicitur Jon. 3. 3. *Et Ninive erat magna civitas Deo.* Aben Ezra etiam hoc maxime probat, etiamſi ut ad Reſen vel Calach referatur, non putet alienum. Verborum ſeries ſimpliciſſimum eſſe arguit, ut ad Reſen referatur.

13. *Et Mizraim genuit Luim &c.*] Aben Ezra exiſtimat hæc eſſe nomina provinciarum, ac in unaquaque provincia fuiſſe familiam; propterea nomina iſta omnia eſſe pluralia. Atque ad hoc confirmandum, validum argumentum peti poſſe ait ex iis verbis, אשר יצאו משם, *Unde egreſſi ſunt* (Philiſtæi) nam משם locum denotare.

ואת נפתחים *Et Naphtuchim*] Lxx. ſecundo loco poſt Ludim ponunt, καὶ τοὺς νεφθαλείμ. Sic ſcribitur in Edit. Rom. λ mendoſe à librario inſertum videtur. Vulg. ſuo loco atque ordine habet, *Nephthuim.*

14. כסלחים *Caſluhim.*] Lxx. τοὺς χασμωνιείμ, cum μ pro λ, & ι pro χ. Vulg. *Chaſluim.*

כפתרים *Caphtorim.*] Sic vulg. Lxx. γαφθοριείμ cum γ pro κ.

19. עד לשע *Usque ad Laſha*] Vulg. uſque Laſa. Lxx. ἕως δασαί, cum δ pro λ.

21. אבי כל בני עבר *Patri omnium filiorum Eber.*] Vel omnium filiorum tranſitus. Sic R. Salom. hic accipit עבר Eber, non pro nomine proprio, ſed appellative, ut ſenſus ſit, Sem fuiſſe patrem omnium, qui fuerant trans fluvium, ſcil. Euphraten. Hujus expoſitionis meminit Lyra, qui tamen mavult ab Heber dictos Hebræos. Hoc mihi rectius videtur, etiamſi alii, inter quos Burgenſis, aliter cenſeant. (*c*) Mercerus etiam hic Eber pro nomine proprio accipit; & cap. 14. Abraham Hebræum dictum putat, non quod Euphraten trajecerat, ſed quod ab Heber deſcenderet. Quin & alios ante Abraham ab Heber deſcendentes Hebræos dictos exiſtimat, etiamſi in Scriptura neminem ante eum ſic appellatum legamus. Eſtius in argumentum epiſtolæ ad Hebræos, ait Theodoretum quæſt. 60. in Genes. & Burgenſem addit 2. ſuper Matth. non inepte argumentari; Si denominentur Hebræi ab Heber, non ſolum eos, qui ex Abraham deſcenderint, oportebat ſic appellatos eſſe, verum etiam cæteros ab Heber originem ducentes, quamcunque terram incolerent, ac nominatim etiam poſteros Nahor, & Aran, qui in Chaldæa remanſerunt, eadem lingua utentes, quam una cum fratre Abraham à ſuis progenitoribus acceperant. Atqui (inquit) eos appellare Hebræos, à Scriptura alienum eſt: Addit rationem quare Abraham cum ſua poſteritate dictus eſt Hebræus, reddi Joſ. 24. *Trans fluvium habitaverunt patres veſtri; Tuli ergo patrem veſtrum Abraham &c.* Ad argumentum illud Theodoreti & Burgenſis quod attinet, non ego quidem id ineptum dixerim; ipſe autem Eſtius ibidem infirmum eſſe indicat. Putat enim tempore Jacobi nomen Hebræorum ultra ejus familiam fuiſſe extenſum; (quidni & de tempore Abrahami idem exiſtimari poſſit, cum Scriptura æque de utroque, quod hanc rem ſpectat, ſileat?) temporis autem ſucceſſu appellationem ſimul ac linguam apud ſolos filios Iſrael remanſiſſe. Quod autem affertur ex Joſ. 24. oſtendit id quidem Abraham trans fluvium in Canaan veniſſe; at ideo dictum fuiſſe Hebræum non oſtendit. Quod locum hunc, quem præ manibus habemus, ſpectat, ad eum illuſtrandum plurimum facere mihi videtur illud Num. 24. 24. וענו אשור וענו עבר, i. e. *Et affligent Aſſur, & affligent Eber.* R. Salom. etiam iſtic עבר appellative ſumit; ſic enim exponit, וענו אותם שבעבר הנהר, i. e. *Et affligent eos, qui ſunt trans fluvium.* Atque ita intellexiſſe videtur Chaldæus; & Fagius ait de Hebræis dictum intelligi, qui etiam propterea Hebræi ſunt vocati, quod Abraham pater eorum ex ulterioribus locis Euphratis venerit. At dura prorſus, & coacta mihi videtur iſta expoſitio, cum hæc plane ſit molliſſima & ſimpliciſſima, ut quemadmodum ibi Aſſur eſt nomen proprium, & pro Aſſyriis ponitur, ſic & Eber ibidem pro nomine proprio, & ad Hebræos ab ipſo deſcendentes, ut Aſſurii ab Aſſur, ſignificandos poſitum accipiatur.

אחי יפת הגדול *Fratri Japhet majoris*] Vel, *majori.* (*d*) Dubitari enim poteſt, utrum ad Sem, an ad Japhet referatur. Lxx. ἀδελφοῦ ἰάφεθ τοῦ μείζονος. At vulg. fratre Japhet majore. Et Auguſt. de Civit, Dei, lib. 16. c. 3. fratri Japhet majori. Ibi etiam diſerte ait Sem fuiſſe maximum filium Noæ. Lyra ait hoc, *Majore* (ut habet vulg.) referri ad Sem, qui major fuit aliis fratribus dignitate: Hebræos autem legere, *Majoris*, & tunc referri ad Japhet, qui ſecundum eos fuit primogenitus. R. Salom. ſuam hic ignorantiam fatetur; איני יודע אם יפת הגדול אם שם, i. e. *Ego neſcio utrum Japhet ſit major, an Sem.* Notat autem Noë gignere cœpiſſe, cum annorum eſſet 500. Gen. 5. ult. Anno deinde Noë ſexcenteſimo veniſſe diluvium, Gen. 6. 7. Hinc conſtare filium ejus maximum tum fuiſſe centenarium. At Sem non niſi biennio poſt diluvium ad centeſimum vitæ ſuæ annum perveniſſe; Gen. 11. 10. Aben Ezra hoc argumento probat Sem fuiſſe juniorem Japheto, atque ait Scripturam honoris gratia Sem ante Japhet nominare, etiamſi hic illo eſſet ſenior. Refert autem nonnullos exiſtimare Sem fuiſſe primogenitum, ac propterea primo loco recenſeri. Ac ad ea, quæ in adverſum afferentur, reſpondere, cum natus eſſet Sem, paucos tantum dies anni quingenteſimi Noæ præteriiſſe; Unum ſiquidem anni diem pro anno computari: veniente etiam diluvio Noam 599. annos, ac aliquot dies natum fuiſſe, nec Sem tunc annum nonageſimum nonum egreſſum eſſe: cum autem genuit (*e*) Arphaxad, fuiſſe centum annorum, ac aliquot menſium. Illud denique quod dicitur, Sem biennio poſt diluvium fuiſſe centenarium, ita intelligendum eſſe, ut annus ſecundus jam inchoatus fuerit, computatione facta ab initio diluvii. Hæc Aben Ezra non videtur improbare; aſſerit enim iſtiuſmodi computationes multas in libris Regum inveniri. At mihi haud multum placent. Nam præterquam quod nimia hic ſe prodit anxietas, non videntur omnia belle inter ſe convenire. Si enim alias ubi libuerit, dies aliquot pro anno numerari velint, cur menſes iſtos, quos centeſimo Semi anno, cum Arphaxad genuit, adjiciunt, pro nihilo duxerint, haud intelligo. Ut igitur Scriptura ſimpliciter minimeque coacte intelligatur, dicendum videtur Japhet fuiſſe primogenitum; id quod ex Scripturæ ratione, & temporum ſupputatione certius putavit Mercerus. Jonathan, אחוי דיפת רבא בדחלתא דיי, i. e. *Fratri Japhet, magno* (*ſeu majori*) *in timore Domini.*

22. *Et*

(*a*) *Vide Aug. de Civit. Dei lib. 16. cap. 4.* (*b*) *Auguſtinus de Civit. Dei lib. 16. cap. 4. ambiguitate vocis* ἐναντίον *alios deceptos dicit, qui vertunt coram, cum ipſe potius vertens, contra, ſit deceptus.* (*c*) Heber, *à quo* Hebræi. *Hieron. in Tradit. ad v. 25. cap. hujus.*

(*d*) *R. Salom. notat Sem hic vocari fratrem Japhet, quod iſti duo patrem ſuum honorabant, hic autem cum ignominia afficiebat. Sic Aben Ezra ait hic ſignificari Japhet fuiſſe bonum.*

(*e*) *Gen. 25. 9. Iſaac honoris gratia præponitur Iſmaeli. Sic etiam Jacob Eſavo, Joſ. 24. 4.*

22. *Et Aram*] Lxx. addunt καὶ καϊνᾶν, & Cainan.

24. *Et Arphaxad genuit Shelah.*] Lxx. καὶ ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν καϊνᾶν, καὶ καϊνᾶν ἐγέννησε τὸν σαλά. Atque ita habetur Luc. 3. 36. Cur Lucas 70. interpretes sequeretur, ratio esse potest quod eorum interpretatio tunc maxime esset in usu: quid autem Lxx. ipsi secuti sunt, aut quare, Cainan de suo addiderunt, divinare nequeo. 1 Paral. 1. 17. in versione τῶν Lxx. Cainan omittitur. Sic enim habet; υἱοὶ σὴμ, αἰλὰμ καὶ ἀσσούρ, καὶ ἀρφαξὰδ, σαλὰ, ἔβερ, &c. Sed locus est mutilus & depravatus, diversæque lectiones à Scholiaste & Nobilio recensentur.

25. *Nomen unius erat* פֶּלֶג *Peleg, quia in diebus ejus terra* נִפְלְגָה *divisa est.*] i. e. ut explicat R. Sal. *confusæ sunt linguæ, atque homines divisi dispersique fuerunt super terra.* Idem R. Sal. ait hinc constare Eber fuisse prophetam, propterea quod ab eventu futuro nomen filio suo imposuit. Vult enim (id quod etiam in Hebræorum Chronico, quod vocant Seder Olam, affirmatur) quod in fine dierum Peleg facta sit divisio. Si enim (inquit) dixeris eam in dierum ejus initio accidisse, hoc in contrarium est, quod Joktan frater Pelegi minor multas ante divisionem istam familias procreaverat. Quod si quis dixerit, medio tempore vitæ Peleg terram fuisse divisam, objicit Scripturam non indefinite, sed explicate seu determinate rem narrare. ([illegible]) At hæc ratio, quantum mihi videtur æque probat, divisionem non fuisse factam in fine vitæ Peleg, cum Scriptura nihilo magis hoc, quam alterum diserte enunciet. Ad id etiam, quod contra eos objicitur; qui in initio vitæ Peleg divisionem factam sentiunt, responderi potest, omnes istas familias à Joktan non fuisse procreatas ante divisionem terræ, etiamsi eas Moses recenseat antequam divisionem istam commemoret. Hieron. in Tradit. cum R. Salomone consentit; *Heber*, inquit, à quo Hebræi, vaticinio quodam filio suo *Phaleg* nomen imposuit, qui interpretatur *divisio*, ab eo, *quod in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt.* Vide si libet Buxtorf. dissertat. 2. thes. 57. &c. ubi de tempore, quo facta est confusio linguarum, atque utrum sub nativitate, an sub media ætate, an vero sub morte Peleg accidit, copiose disputat, ac varias Judæorum pariter ac Christianorum opiniones recenset. Illud non prætereundum R. Salomonem ad 1 Par. 1. 19. aliter quam ad hunc locum interpretari verba ista, quia in diebus ejus divisa est terra, nempe ut sensus sit, vitam hominum tunc fuisse divisam & dimidiatam. Cum enim tempore Arphaxad ultra quadringentos annos vixerint, tempore Peleg non multum ducentos excessisse. Manasses Concil. qu. 32. in Gen. refert etiam Aben Ezram alicubi ita interpretari. At prior interpretatio haud dubie germana est, uti ex historia quæ statim capite 11. narratur, satis est perspicuum.

26. חֲצַרְמָוֶת *Hasarmaveth.*] Lxx. τὸν σαρμώθ. Procul dubio debet esse ἀσαρμώθ uti vulg. *Asarmoth.*

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. U*Niversa terra labii unius.*] Ostendit Moses in initio hujus capitis, sermonem unum & eundem fuisse omnibus, quod non exiguum vinculum fuit concordiæ, & ad religionis doctrinam conservandam in primis utile. Nam recens memoria immensæ iræ Dei in diluvio retinebat animos in timore Dei & reverentia majorum. Hanc concordiam turbat Cham, & post eum nepos ejus Nimrod, de quo præcedenti capite Moses texit historiam. Peccatum eorum secuta est horribilis pœna, divisio scilicet linguarum. Fuit linguæ similitudo firmissimum vinculum societatis humanæ: Ubi autem linguæ diversæ sunt, ibi non solum nulla commercia intercedunt, sed etiam in animis odium nascitur ejus gentis cujus tu linguam non intelligis. Nam ex divisione linguarum apparent dissociati animi, mutati mores, mutata ingenia & studia. In summa, seminarium est omnium malorum & discordiarum, præsertim ubi Christus non agnoscitur. Sic itaque inter Gallum & Germanum est quasi naturalis occasio iræ & inimicitiæ, quod neuter alterum intelligit. At si Christum utrique intelligunt, tanquam ejus membra invicem se complectuntur & exosculantur. Ubi autem Christus non est, ibi regnat adhuc pœna Babylonica, divisio linguarum, quæ certam animorum parit divisionem.

3. *Agite*] Dictio non venit à radice יהב, *dedit*: & est מלת זרוז. *vox exhortationis*, ut dicit Kimhi: quasi dicant ad invicem, [illegible], *Ferte auxilium, ut laterificemus lateres:* sic enim habet Hebraismus. Et quod subditur, *Et bitumen habuerunt pro cæmento*, intelligi volunt de asphalto seu bitumine quod ex fontibus colligitur. Est enim illic lapidum penuria, ut non potuerint cæmentum ex calce parare: quin & lapidibus coctis uti coacti sunt. Quod sequitur, *Descendit Deus*, phrasis est Scripturæ. Descendit Deus non re seu substantia, est enim ubique; sed desiit esse longanimis, & incipit revelare peccatum, punire & arguere. Homines igitur securi, qui antea eum longe abesse judicabant, nunc præsentem esse vident ac pavent. Nam dum ferveret impiorum contemptus, & Noah vaticinium quod de dispersione populi prædicabat rideretur, Deus abesse judicabatur, & ignorare quæ à filiis Ham tentarentur. Postquam autem impletum fuit peccatum descendit Deus, i. tum demum sentiebatur adesse & irasci. Sic infra cap. 22. *Nunc cognovi quod timeas Dominum*; quasi vero antea non novisset Deus Abrahamum. Descendens vero Deus ad expugnandum eos, non utitur arietibus, quibus murosturris concutiat, non aliis machinis bellicis; confundit tantum labia. Hæc profecto mirabilis ratio expugnandarum urbium & demoliendorum murorum; sed est omnium certissima & facillima, sicut Christus in Evangelio quoque testatur, *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Si enim linguæ non fuissent confusæ, etiam animorum consociatio mansisset.

6. *Nec prohibebitur ab eis*] q. d. Nihil est futurum quod eos prohibeat, quin quod temere statuerunt exsequantur.

9. *Babel*] Derivatur hoc nomen à radice בלל, quod *confundere & commiscere* significat. Et quod paulo superius dixit נבלה, *& confundamus*, ponitur in ordine duplicatorum, debuitque regulariter Lamed dagessari, ob defectum tertiæ radicalis. Numerant autem Hebræi à diluvio usque ad divisionem linguarum annos 340. Videre id fusius licebit, in libro *Seder olam:* cujus partem in Calendario Hebraico evulgavimus. Unde patet Noah vixisse decem annos post linguarum confusionem. Et cum totius illius populi esset pater, non potuit degeneres filios cohibere à stulta illa præsumptione, qua nitebantur celebrare nomen suum ingentis turris ædificio; sed nec rebelles filios coercere potuit, quin in pessimum idololatriæ laberentur vitium, & Deum negarent altissimum. Cernimus tamen servatas reliquias per Dei misericordiam in generatione Sem, sicut & antea post Seth, reliquiæ Ecclesiæ servatæ fuerunt, Methusalah scilicet, & Noah cum familia sua. Post diluvium ergo cum subito impia posteritas Ham crevisset, & omnia impleret scandalis, Noah cum filio Sem & nepotibus gubernavit Ecclesiam, ut appareat articulum fidei nostræ verum esse, quod credimus unam sanctam & catholicam Ecclesiam omnibus seculis à principio mundi usque in finem mundi. Semper enim reservavit sibi Deus populum, qui retineret verbum & in mundo tanquam custos esset religionis & sanæ doctrinæ, ne omnia degenerarent in impietatem, & notitia Dei nulla esset inter homines. Ostendit ergo hic locus, quod Deus nunquam Ecclesiam penitus deseruerit, etsi aliis temporibus copiosior, aliis tenuior fuerit; Sicut etiam doctrina aliis temporibus purior, aliis obscurior est.

16. *Eber*] Est disceptatio inter Hebræos de nomine *Hebræus*. Quidam enim putant ipsum derivari ab hoc viro *Eber*, ut *Ibri* (sic enim ipsi legunt) sit nomen gentile: & huic opinioni subscribit D. K. dicens, quod *Hebræus sit* ממשפחת עבר, h. e. *à cognatione Eber*. Aliis vero placet *Hebræum* dici à præpositione *Eber*, i. *trans* vel *ultra*. Et hinc Abram primus dictus est *Hebræus*, quasi *trajector*, quod Euphraten Dei jussu trajecit. Ex nostris quidam subscribunt primæ opinioni, dicentes quod virtus Eber meruit ut autoritate sancti Patriarchæ Sem Ecclesia ab eo appellationem sumeret, & *Ebræi* dicerentur qui doctrinam & fidem Eber sancti patris retinerent. Ac mansit hæc appellatio Ecclesiæ usque ad Christi tempus. Ex hac Ecclesia Abraham quoque fuit, qui per omnem vitam cum hoc Eber vixit; unde & *Ebræus* dictus est, quod in promissione & fide Eber vixerit. Nam Eber anno LXIV. post mortuum Abraham mortuus decessit. Et quod ad rationem temporis attinet, vixit Abram ante divisionem linguarum quadraginta octo annis: Nam fuit in subversione Sodomæ nonaginta novem annorum; & subversio illa fuit quinquagesimo secundo anno post linguarum divisionem.

28. *In facie*] Vel, ut Hebraismus habet, *super faciem*, i. e. vivente patre filius mortuus est. Nec significat hic *Ur* ignem vel incendium, sed est locus nativitatis Abraham.

31. *Charan*] Non eisdem literis scribitur hoc nomen & nomen ejus viri cujus modo mentio facta est. Quando enim est nomen loci, scribitur cum Heth forti aspiratione; sed ut est nomen viri, habet He lenem aspirationem. In Actis Apostolorum, ubi D. Stephanus hujus nominis mentionem

tionem facit, scribitur more Græcorum duplici ρ, nempe *Charran.*

FAGIUS.

1. L*ingua unius & loquela unius*] Hæc Aben Ezra ita intelligit, quod non tantum una eademque lingua omnibus fuerit, sed & quod in ea de omnibus rebus iisdem, non aliis ac diversis vocibus inter se locuti fuerint, quod hodie non fit: alter enim & ornatius docti quam indocti, ac reliquum hominum vulgus loquuntur. Tum eadem phrasis, stylus, eademque verba omnibus fuerunt.

3. *Venite*] Verbum יהב *Jahab* propriè *dare* significat: hinc הבו *date*, q. d. Date consilium, deliberate, statuite, & vos mutuo adjuvate. Usurpant enim Hebræi hoc verbum in imperativo pro hortantis adverbio, sicut Latini *age*, *agite*. Unde & R. S. dicit. כל לשון הבה הזמנה הוא, i. *Hoc verbum* הבה *ubique significat se parare & accingere ad aliquam rem peragendam.* Et quia creber ejus usus est, ideo sub eadem forma singulariter & pluraliter, masculine & fœminine, usurpatur.

28. *Coram Therah patre suo*] Ad literam est, *Mortuus est Haran super faciem Therah patris sui*, h. e. vivente adhuc & præsente patre suo. Similem locutionem & istam in decalogo esse volunt, *Non erunt tibi dii alieni coram me*, על פני, i. me vivente & præsente, q. d. Quamdiu ergo vivo & non morior. Atque ita etiam explicat R. D. K. in Radicibus suis.

VATABLUS.

1. L*Abii unius, &c.* ודברים אחדים שפה אחת] *labium unum, & verba eadem.* Subaudienda est præpositio, *In universa terra erat labium unum & verba eadem*, h. e. Omnes unico idiomate utebantur, & omnia verba ab omnibus audiebantur ac intelligebantur.

2. *Ab Oriente*, מקדם] *de Oriente.* i. ex Armenia, erant enim montes Armeniæ in Oriente. Verisimile est, transacto diluvio posteros Noe aliquot annos mansisse in Armenia, ubi substiterat arca. Quum autem supra modum crevissent homines, coacti sunt deducere colonias ubi sedem constituerent. ❡ *Campum* בקעה] *planitiem*, *vallem*, *convallem.*

3. *Alter ad alterum*, איש אל רעהו] Ad verbum, *vir ad proximum suum.* ❡ *Agite, faciamus lateres.* הבה נלבנה לבנים] Ad verbum, *Da, lateri ficemus lateres.* Imperativum secundum rationem Grammatices; sed secundum significationem magis est hortantis quam imperativi modi. Solent enim Hebræi uti imperativis pro adverbiis hortandi. Doctus inter Hebræos exponit, *Da*, nempe *auxilium*, vel *consilium.* Verum ista expositio non potest esse vera, quum mox de Deo idem dicatur, *Agite, descendamus.* ❡ *Et igni coquamus* illos ונשרפה לשרפה] Ad verbum, *& comburamus in combustionem.* ❡ *Fueruntque, &c.* ותהי וגו] Ad verbum, *fuitque eis later in lapidem.* Sing. pro plur. Erat in ea regione penuria lapidum. ❡ *Vice cæmenti:* לחמר] Significat illitum quod fit ex terra aqua macerata ac temperata; vel ex arena & calce, i. cæmentum, aut aliquid quod est simile pici. Scribit Plinius bitumen illius regionis esse liquidum.

4. *Agite*, הבה] Ut præcedenti versu. ❡. *Cujus caput, &c.* וראשו בשמים] Ad verbum, *& caput ejus in cælo.* Hyperbolica est locutio, qua magnifice per jactantiam structuræ quam moliuntur altitudinem extollunt. Atque huc pertinet quod mox attexunt, *Paremus nobis nomen:* significant enim tale fore opus quod miraculi specie non modo spectantium in se convertat oculos, sed passim usque ad ultimos terrarum fines celebretur. ❡ *Ne forte dispergamur* פן נפוץ] i. ut liceat nobis ad illam recurrere si posthac contingat nos dispergi: vel, ut alii exponunt, id perinde est acsi dicerent fieri non posse ut crescente numero omnes ipsos regio illa semper caperet, ideo exstruendum esse ædificium quod illic stabile & perpetuum servaret eorum nomen, quamvis in diversas plagas dispersi forent.

5. *Descendit autem* וירד] h. e. reipsa patefecit sibi non esse incognitum quid Babylonii tentarent. Descensus enim iste ad homines refertur potius quam ad Deum, quem scimus loco non moveri. ❡ *Filii hominum* בני האדם] i. homines.

6. *En populus, &c.* הן עם וגו] i. Isti sunt unicus populus, & unico sermone ac idiomate utuntur, q. d. Pauci adhuc sunt, & una tantum lingua utuntur; quid igitur non audebunt si ob multitudinem in varios populos dispersi fuerint? Aliis potius videtur subesse ironia, quasi Deus difficultatem proponeret reprimendæ illorum audaciæ: ut sit sensus, Populus hic firma conspiratione conglutinatus est, eadem inter se lingua communicant: qua igitur ratione frangi poterunt? ❡ *Incipere eorum* החלם] i. quod facere cœperunt, q. d. Istud est initium eorum quæ moliti sunt: istud, *Incipere*, sedulum conatum significat una cum violento operandi fervore. ❡ *Non prohibebitur ab eis* לא יבצר מהם] Per concessionem, Deus nullam fore ædificii interruptionem dicit, rebus ita compositis. ❡ *Cogitaverunt* יזמו] *decreverunt.*

7. *Age, descendamus*, הבה נרדה] Vide paulo ante v. 3. Hic locus priori respondet ubi c. 1. v. 26. in creatione hominis dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Apte enim & concinne magno populo æternam suam Sapientiam & Virtutem Deus opponit; acsi diceret non opus sibi auxiliis alienis, sed intus sibi suppetere quod ad eos delendos sufficiat. Quare ex hoc loco non inepte probatur subesse in una Dei essentia tres Personas. ❡ *Et confundamus* ונבלה] *& confundatur.* Nam quidam volunt esse præteritum Niphal: alii futurum plurale Cal. ❡ *Labium eorum* שפתם] i. sermonem: & sic mox, *ut non exaudiant singuli labium proximi*, i. ut alter alterius sermonem non intelligat.

9. *Labium universæ terræ*, שפת כל הארץ] i. sermonem hominum incolentium totam terram.

10. *Istæ generationes* Sem, אלה תולדות שם] Repetit seriem generationis illius electæ quæ de Sem erat (tametsi ipsius Sem posteritas magna ex parte à vero Dei cultu desciverit) per quam Moses ostendit Messiam ipsum descensurum per Abraham ab Adam. ❡ *Quum natus esset centum annos* בן מאת שנה]. Ad verbum, *filius centum annorum*, Hebraismus.

11. *Et genuit filios ac filias* ויולד בנים ובנות] i. multos alios liberos, quorum nomina omittit, quod ex ipsis non erat descensurus Messias.

25. *Centum novemdecim, &c.* תשע עשרה וגו] Ad verbum, *novem & decem annos, & centum annos.*

26. *Abram*, אברם] Hic Abram primus locatur inter fratres, non quia fuerit primogenitus, sed quia Moses finem historiæ suæ spectans, non admodum fuerit solicitus in ordinandis Thare filiis. Ac fieri potest ut alios etiam filios genuerit. Quod peculiariter de tribus fratribus meminit Moses, factum fuit propter Lot, ac uxores Isaac & Jacob.

28. *Coram Therah patre suo*, על פני תרח אביו] Hebraismus, *superstite adhuc patre suo Therah.*

29. *Duxerunt autem* ויקח] Ad verbum, *Et accepit.* ❡ *Patris Milchah, &c.* אבי מלכה וגו] Hebraismus, pro, *qui fuit pater ipsius Milchah & sororis ejus Ischah.* q. d. Haran habuit duas filias, quarum alteram duxit Nachor.

CLARIUS.

1. L*Abii unius*] Videtur linguam illam Hebræam fuisse, cui omnes Orientales linguæ magna ex parte consentiunt: conservata autem ea fuit in Abraham & Dei cultoribus. ❡ *Sermonum eorundem*] Vel *rerum*, quo fortasse significatur negotiorum simplicitas; & morum similitudo atque concordia. Alii intelligunt *sermonum eorundem*, quod non tantum esset labii unius & linguæ, sed etiam illa lingua nullam haberet in qualibet regione differentiam: ut Itala lingua etsi toti Italiæ communis est, urbes tamen differentiam inter se non exiguam interdum habent.

4. *Antequam dividamur*] In Hebræo est, *Ne forte dividamur.*

5. *Descendit Dominus*] Anthropopathia est. Nam Dominus, qui ubique est totus, loco non movetur.

6. *Nec desistent*] Vel, *nec prohibebitur ab eis quicquid cogitaverunt facere*, h. e. nihil erit quod eos prohibeat quin quod statuerunt exsequantur.

7. *Ut non audiat*] h. e. non intelligat.

9. *Confusum est labium*] Numerant Hebræi à diluvio usque ad divisionem linguarum annos CCCXL. unde patet Noe vixisse decem annos post linguarum confusionem. Abraham vero vixit ante divisionem linguarum quadraginta octo annis: nam fuit in subversione Sodomæ nonaginta novem annorum, & subversio illa fuit quinquagesimo secundo anno post linguarum divisionem.

28. *Mortuus est Aran ante Thare*] Hebraismus habet, *super faciem Thare*, h. e. vivente patre, vel coram patre. Nec significat hic *Ur* ignem vel incendium, sed locum nativitatis Abraham.

LUCAS BRUGEN.

12. H*Oc loco interjicit editio interpretum LXX. generationem unam, idque ad hunc modum; *Et vixit Arphaxad*

phaxad annos 135. & genuit Cainam: & vixit Arphaxad, postquam genuit ipse Cainam, annos 430. (aut, ut quidam legunt, 330.) *& genuit filios & filias, & mortuus est. Et vixit Cainam annos 130. & genuit Sala: & vixit Cainam, postquam genuit ipse Sala, annos 330. & genuit filios & filias, & mortuus est. Et vixit Sala annos 130, & genuit Heber.* Hanc editionem S. Lucas, tertio Euangelii sui capite, v. 35, & 36. ubi Christi genealogiam scribit, sequitur, *Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad.* Hæc Cainam generatio in Hebræis, Chaldæis & Latinis V. T. cod. non invenitur, sed ab Arphaxad Sale, à Sale Heber genitus legitur: quibus Philonis & Josephi Judaicæ antiquitates consonant. Procopius Gazæus, *Hebraica*, inquit, *veritas habet, Salam genitum esse ab Arphaxad: quæ enim in medio ponuntur, obelisco signata visuntur.* Merito autem existimandum est, generationem hanc nec sine causa à LXXII. Interpretibus additam; nec sine mysterio à Moyse prætermissam; utrumque vere, utrumque prudenter factum esse; alterum & vere & prudenter Lucam secutum esse. Recensetur conformiter ab omnibus, Gen. 5. 9. alius Cainam, filius Enos, pater Malaleel, quem & Lucas suo loco numeravit. Genuit autem Arphaxad, secundum Hebræos, Chaldæos & Latinos cod. anno ætatis suæ 35. Sale: vixitque post genitum Sale 403 annis. Et Sale genuit, anno ætatis 30, Heber.

DRUSIUS.

2. CUm *profecti sunt ab Oriente*] Quomodo ab Oriente, si montes Ararat, ubi arca resedit, in Armenia? Nam Babylonia, quo proficiscebantur, in Oriente erat respectu Judææ. Si etiam respectu Armeniæ, tunc מקדם *ab Oriente* hic valebit *ad Orientem*, sive *Orientem versus*, ut Gen. 13. 11. ubi aliter exponi ea vox non potest. Nam cum Lotus ab Abrahamo discederet, proficiscebatur Sodomam versus, quæ in Oriente terræ Chanaan, mari opposita quod Occidentale vocant. Nam ubi olim Sodoma, ibi nunc mare Mortuum, quod à situ *Orientale* nuncupant. Sane 1 Sam. 14. 5. מצפון Hieronymus vertit *ad Aquilonem*, & מנגב *ad Meridiem*. Non faceret, si מן non significaret aliquando motum ad locum. Contra קדמה *ad Orientem* ponitur pro מקדם *ab Oriente*, & נגבה *à Meridie*. Vide 2 Sam. 6. 2. & confer illum locum cum alio qui est 1 Par. 13. 6. Nam מבעלי idem quod בעלתה *Baala*, & ubi in uno loco מן præpositio, in alio est בעלתה He litera in fine motum ad locum denotante, quam communiter explicant per ל aut אל *ad*. Nicolaus Fullerus Anglus annotat, in lingua Arabica, quam Ismaeliticam & Cedarenam Saracenamque vocant, usum particulæ illius hoc significatu frequentem esse. Quod verum an falsum sit, aliis ejus linguæ peritioribus dijudicandum relinquo.

5. *Quam exstruebant filii hominum*] h. e. homines in genere, vel posteri Cain, qui *filii hominum* appellantur, i. *Adam*, propterea quod terrena saperent. quo sensu legimus, *Viderunt filii Dei filias hominum.* Augustinus, *Quam ædificabant filii hominum, Hoc est, non filii Dei, sed illa societas secundum hominem vivens, quam Terrenam dicimus civitatem.* Si hoc admittimus, tunc *filii Dei*, h. e. posteri Seth, non interfuerunt cum hæc turris exstrueretur. Interdum filii hominum vocantur homines plebei & è fece vulgi, quibus opponuntur *filii viri*, i. nobiles & honoratiores cives: ut ibi, *tam filii viri quam filii hominum*, i. vulgus promiscuum & infima plebs, quos Græci τοὺς τυχόντας appellant. Pro *filii hominum* licet etiam vertere *filii Adam*, qui communis omnium nostrum parens, cujus nos omnes filii sumus. *Adam* autem ab *Adama*, i. terra: quod hic non negligendum. Nam occulte perstringit eorum temeritatem qui cum nihil aliud saperent quam terram, tamen audeant se Deo opponere, h. e. testa figulo, ut est in proverbio.

7. *Descendamus & confundamus*] LXX. *Descendentes confundamus*, καταβάντες συγχέωμεν. Si olim aliter fuit, nescio. Hoc scio, notatum esse in Chronico templi secundi, Senes reddidisse, *descendam & confundam.* Additur ratio, ne gentes existimarent plures deos esse apud Judæos. Non est ergo leve argumentum quod hinc sumitur. Cæterum aut corrupta hodie Græca exemplaria, aut Judæi non optima fide illa citant. Sic alibi, *Faciamus hominem.* Præcessit autem utrobique, *dixit Deus.* Id saniores Judæi enarrant, *Dixit ad domum judicii sui.* Moris autem ut principes, cum de se loquuntur, utantur numero multitudinis, *Volumus, jubemus, mandamus.* Eodem modo Scriptura de Deo loquitur, אדנים & בעלים & אלהים vocando, quæ nomina sunt pluralia. Aut dicit *confundamus* respectu personarum, quas ὑποστάσεις vocant Græci: aut propter angelos, qui ei ministrant. Jonathan hoc loco edidit, *Dixit Dominus septem Angelis suis qui stant coram illo.* Quid mihi de hac interpretatione videatur dixi ad locum Genesis modo citatum, qui habetur c. 1. 26. Si hic defendi potest, ibi non potest. Nam Angeli creaturæ sunt, non creatores. Solus Deus creat hominem, solus facit eum. Hoc extra controversiam est. Illud controversum hodie quod ait, *septem Angelis suis qui stant*, Vel *qui adstant*, i. ministrant, *coram eo.* Nam qui Deo inserviunt Angeli sine numero sunt. Lira distinguit inter Angelos *ministrantes* & *adsistentes.* Vide illum, si placet, Zach. 4. 10. ad, *septem oculi Domini.* Scire licet *Angelum* aliquando usurpari pro *Archangelo*, ut *sacerdos* dicitur, pro *summus sacerdos*, h. e. ἱερεὺς pro ἀρχιερεύς. Dixit ergo *septem Angelis suis*, i. Archangelis. Nam septem Archangelos esse pia credidit antiquitas: quorum unus est Raphael, qui Tob. 12. 18. *Ego sum unus ex septem Angelis*, inquit, *qui stant coram Domino*, i. ex septem Archangelis. Videndus R. David. Psal. 146. 6. Quod si quidam intellexissent, nunquam hinc fecissent calumniam huic libro. Sic est profecto, pessime excipitur Tobias à nonnullis, qui ineptis hujusmodi censuris plus sibi gloriæ apud homines sui similes pariunt quam viri docti ex aliqua egregia observatione. Tanta penuria est hominum qui de scriptis virorum eruditorum bene judicare possunt.

9. *Babel*, inquit Aben Ezra, compositio nominis est ex בא *venit* & בל *confusio*. *Bel* hoc significatu nusquam exstat. Reperitur quidem בל, sed contracte ex בעל *Beel*, quod erat olim numen Babyloniorum. *Beel*, *Bel*; ut *Baal*, *Bal*; *Bethlehem*, *Bethlem*; *Iaacob*, *Iacob*. Solitum enim Syris hoc modo elidere Ain & Heth è medio dictionis. Quæramus aliud etymon. Chaldæi בלבל dicunt, quod Ebræis est בלל *confudit*; unde בלבול *confusio*. Videtur ergo *Babel* dicta quasi *Balbel*, litera una extrita, ut in *Golgotha*, quod ita pronuntiabant Christi ævo pro *Golgoltha*, i. *cranium*, *calvaria*. Syrus interpres habet *Gagultha*. Utrobique abest litera; ut cum dicunt קלתא *Caceltha*, sive קלקלתא *Kilketha*, i. *stercus* aut *sterquilinium*. Id invenies in Thalmud, tractatu De cultu alieno, fol. 28. pag. 1. Sed & in Thargum, pro eo est חטאת in textu Ebræo. Plene autem legitur קלקלתא 1 Sam. 28. Similiter compendii causa scribunt רבו pro רברבו *magnificavit*: unde אתרבר *magnificatus fuit.* Porro confusio σύγχυσις dicitur. Id sonat *Babel*, testibus Josepho, Philone, Origene, Eusebio, Hieronymo, aliis. Quod hauserunt ex editione τῶν ἑβδομήκοντα. Nam ubi nos habemus *Babel*, Senes ediderunt σύγχυσις. Quod scribi malim Σύγχυσις per σ majusculum: nam est nomen proprium, quale Σιγών, & alia sexcenta. Nomen hoc in usu est de ipsa turri, & de urbe, & de regione, quam proprie *Babyloniam* appellant, ut urbem *Babylonem*. De turri adhuc dubito. Nam *turris Babel*, i. *Babylonis*, quæ in Babylone. Vide nunc, si placet, annotationes majores ad hunc locum.

26. *Thare autem vixit septuaginta annos, & genuit Abraham, Nachor, & Haran*] Pro eo habendum ac si diceret, Post annos septuaginta genuit filios tres, videlicet Abrahamum, Nachorem & Haranem. Ex his Haran creditur fuisse maximus natu. Abrahamum autem genitum arbitrantur anno Thare trigesimo supra centesimum. Quod ex narratione Stephani protomartyris, quæ habetur Act. 7. necessario sequitur. Siquidem Thare, cum diem suum obiret, agebat annum quintum supra ducentesimum, v. 32. Abram autem, cum egrederetur ex Haran, erat annorum septuaginta quinque Gen. 12. 4. Ante pater obierat Act. 7. 4. Deme septuaginta quinque de ducentis quinque, remanent centum triginta. Sed de hac re alii aliter opinantur, & est non parva dissensio inter Chronologos. Sunt autem anni de quibus contenditur in universum sexaginta. Nam annos Abræ alii putant ab anno Thare septuagesimo, alii ab anno centesimo trigesimo. Chronologi certant, & adhuc sub judice lis est. Neque nostrum est tantas componere lites, h. e. de tanta controversia statuere aut pronuntiare.

28. *Ur Chaldæorum*, in qua Haran mortuus est, vocatur ab Onkelo *Ur Chaldæorum*, à Josepho Οὔρη τῶν Χαλδαίων, ab Eusebio Pamphili, Lib. IX. Πρὸς τὰς πόλεις Οὐρίη, & Χαλδαίων, & *Camarina*. Καμαρίνα dicta ἀπὸ τῶν כמרים *à Cameris*, qui & *Chaldæi*, i. Philosophi, Mathematici & Sacerdotes: qualis erat Berosus Chaldæus. Nota hæc significatio doctis. *Chaldæorum* enim nomen non tantum gentis est, sed etiam artis. Nam qui Chaldaicam profitebantur, quam Abraham primus invenisse proditur, *Chaldæi* vocabantur. Tales erant sacerdotes illius gentis: unde natum ut postea Mathematici & Genethliaci *Chaldæi* dicerentur. Forte *Ur Chaldæorum*, ut *Bruga Flandrorum.* Quis hoc ausit culpare? Eusebius de locis, *Ur Chaldæorum*,

rum, ubi mortuus est Haran frater Abrahæ, cujus hodieque, sicut Josephus refert, ibi tumulus ostenditur. Verba, quibus hoc dicit Josephus, habentur Orig. Judaic. l. 1. c. 7. *In urbe Ure, quæ dicitur Chaldæorum; ubi sepulcrum ejus hucusque ostenditur,* ἐν πόλει Οὔρῃ λεγομένῃ τῶν Χαλδαίων. Cæterum quia אור etiam *ignem* significat, sunt qui referant *in igne Chaldæorum,* cujus mentio apud interpretem nostrum Neh. 9. 7. Meminerunt etiam Hieron. de Quæstionibus Ebraicis, R. Salomo, Nicolaus, & alii. Jonathan hoc loco habet, *Mortuus est Haran in fornace ignis, quam exstruxerant Chaldæi Abrahamo fratri ejus.* Nugæ, etsi non mortuaria.

IDEM.

3. חמר Schol. ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἄσβεστον φασιν, *Syrus & Ebræus calcem dicit*]. ἄσβεστος proprie *calx viva.* Sequitur in editione Rom. Τὴν ἄσφαλτον τινὲς τῶν διδασκάλων ἄσβεστον ἔφασαν εἶναι, ἀγνοοῦντες, ὡς εἰκὸς, τὰς ἐν τῇ Ἀσσυρίᾳ πηγάς, *Bitumen quidam Magistrorum dixerunt calcem esse, ignorantes, ut credibile est, fontes qui in Assyria,* Diodorus, Ἄσφαλτος εἰς οἰκοδομὴν ἄχρηστος, ἄσβεστος δὲ ἐπιτηδειοτάτη, *Bitumen ad ædificandum inutile est, calx vero aptissima & maxime idonea.* Cum pace viri docti; Semiramis bitumine, aquis sine dubio antè madefacto, calcis vice usa, Babylonem lateritio muro sepsit. Eodem Ægyptii corpora defunctorum condiunt. Hinc ἀσφαλτῖτις λίμνη, *lacus Asphaltites,* Gorionis filio אגם החמר. i. *stagnum bituminis,* dictus. Ab Ebræis tam חמר quam חומר *lutum* exponitur: sed חמר interpretantur dicentes esse lutum calcis, חומר vero lutum terræ vel pulveris. In Thargum Onkeli חמרא *bitumen,* סיד *calx.* Jonathan טינא habet ubi alii *bitumen.*

6. אשר יזמו *Quod cogitaverunt.* Schol. ὅσα ἐνενοήσαντο] Ἐννοοῦμαι, *cogito,* Bona interpretatio. Onkelos דחשיבו *quæ cogitarunt.* R. D. מחשבה זמה. Idem ait זמם & חשב synonyma esse.

NOTÆ MAJORES.

1. *Erat autem universa terra labium unum & sermones iidem.*

Terra] homines terræ, sive, ut Autor Jerosol. transtulit, *ætates terræ,* i. genera hominum in terra degentium. ¶ *Labium unum*] χεῖλος ἕν, ita Senes. Post Hiero. edidit, *Labii unius:* quod in idem recidit. Sensum expressit On. referens, *lingua una.* Alioqui lingua לשון dicitur. Hanc linguam Ebraicam fuisse putant. Jon. *Et erat universa terra lingua una, & sermo unus, & consilium unum: lingua sancta loquebantur, in qua conditus fuit mundus à principio.* Autor Jerosol. *Erant autem omnes ætates terræ lingua una, & sermo unus, & consilium unum, quoniam lingua sancta loquebantur, in qua conditus fuit mundus à principio.* Caballici annotant שפה אחת in Gematria valere לשון הקדש. Sed unum desideratur. Fac periculum. Dices me verum dicere. Hiero. Epist. CXLII. *Initium oris & communis eloquii, & hoc omne quod loquimur, Ebræam esse linguam, qua vetus testamentum scriptum est, universa antiquitas tradidit.* Cui firmando sunt nomina propria Adam, Heva, Cain, Noe, Phaleg, Babel: & appellativa איש vir & אשה vira, aliaque, quæ mihi nunc non occurrunt: Item quod idem Hiero. alibi scripsit omnium linguarum nomina in Ebraismo reperiri. Quod ita esse aliquando, Deo volente, peculiari scripto ostendemus. ¶ *Sermones iidem*] דברים אחדים verba una i. eadem. LXX. φωνὴ μία. Vox una. Hiero. *sermonum eorundem.* Idem aliter. Nam *labium* i. sermo. Quod interpretati sunt On. & Jon., ut vidimus.

2. *Cumque profecti essent ab oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & sederunt ibi.*

Cumque profecti essent] ויהי בנסעם & fuit cum profecti essent, aut cum proficiscerentur וימצאו ut invenirent &c. ¶ *Ab oriente*] à montibus Ararat, qui in oriente, in quorum uno arca restiterat. Hunc Gordræum nominant Ptolomæus & Mnaseas Damascenus: Barin, Josephus: Lubae, Epiphanius: Gibel Noe, accolæ teste Theveto. Ceterum terra Ararat, quam Armeniam interpretantur, sita est in oriente septentrionali respectu Judææ. ¶ *Campum*] aut *planitiem.* πεδίον habent Græci, quos LXX. vocant. *In terra Sennaar*] vel, *Senaar,* unico n. Sic Græci ἐν γῇ Σενναάρ: Ebraicè שנער. On. & Jon. *in terra Babylonis:* Autor Jerosol. *in terra Ponti.* Hinc intelliges quid sit apud Interpretem nostrum Gen. 14. 1. *Rex Ponti.* Quanquam ibi *Ellasar* in fonte. Vide quæ scripsimus Gen. 10. 10. ad locum *in terra Sennaar.* Terra Babylonis à Ptolomæo & aliis Βαβυλωνία dicitur: & est eadem cum terra Chaldæorum. Ceterum ex Josepho & Hestiæo colligimus Senaar fuisse regionem in Babylonia. Adi sis ad Orig. Judaic lib. 1. cap. 5. ¶ *Sederunt*] hæserunt; manserunt, morati sunt: aut habitarunt i. κατῴκησαν ut LXX. & Hiero. Verbum Ebræum utrumque significat.

3. *Et dixerunt quisque socio suo; Agite, faciamus lateres & comburamus igne: erant igitur lateres illis pro lapidibus; & bitumen erat illis pro cæmento.*

Quisque socio suo] alter alteri. Verbum è verbo; *Vir socio suo,* vel, si mavis, *proximo suo;* quod Græce est τῷ πλησίον αὐτοῦ, & in Lat. Vulg. *ad proximum suum.* On. & Jon. elegerunt לחבריה socio suo. Nam proximus proprie קרוב dicitur. Alii, *amico suo,* לרעהו. ¶ *Agite*] הבה cedo, age, agedum: Adverbium hortandi communis numeri. Hic ergo ponitur pro הבו quod retulerunt On. & Jon. Græci vero habent δεῦτε, & Hiero. *venite.* הא aut לכו. Nam hæc duo se mutuo explicant. Licet vertere, *age, coquamus lateres.* Nam *age;* quandoque plurali jungitur. Valerius Flaccus, *Vos age funereas ad littora volvite sylvas.* Plautus, *Age, licemini: age fultis.* Sic Agedum. Cicero; *Agedum conferte nunc cum aliis vitam.* Agite; & agitedum plurali semper. Livius, *Agitedum ite mecum.* ¶ *Faciamus lateres*] נלבנה verbum est à לבנה deductum, quod laterem significat, cujus pluralis לבנים ut si dicas, *laterificemus lateres.* Latine, conficiamus, aut coquamus lateres. Græci eleganter πλινθεύσωμεν πλίνθους. Nam πλινθεύω, quod & πλινθουργῶ, lateres duco aut fingo, lateres coquo. Solent enim è terra figlina coqui: unde πλίνθος ab Hesychio exponitur πηλὸς ὀπτηθείς: i. lutum coctum. ¶ *Comburamus igne*] לשרפה ad combustionem i. בשרפה combustione, incendio, igne. Jon. באתונא in fornace. LXX. ὀπτήσωμεν αὐτὰς πυρί. Quod æmulatus est Hiero. *coquamus eos igne.* Ignis proprie אש dicitur, שרפה incendium. Sed permutari scias. Nam legimus, *torris ereptus ex igne* alibi, & alibi, *ex incendio.* Quidam, *excoquamus prorsus.* Quem sensum & Galli expresserunt, *les cuisons tres bien au feu.* Exemplaria On. variant. Nam in aliis, *Comburamus eos combustione.* & in aliis, *Comburamus eos igne* i. בנורא. Hujusmodi lateres coctiles igni & aquæ, cœlique ac temporis injuriis maxime resistunt: ideo ad structuram Babylonis eos delegit Semiramis, ut profani autores testantur. Interpres vetus Juvenalis, Babylonem appellat Persarum civitatem, quam urbem Semiramis Nini uxor condidit & coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem. *Hæc sexaginta millium circuitu patet ex latere cocto circumdata muris, quorum latitudo ducentos pedes detinet, altitudo quinquaginta.* Hæc ille. Possumus legere, *comburamus comburendo,* ut sit לשרפה pro לשרוף quod sæpius dicunt שרוף. ¶ *Erant igitur illis lateres pro lapidibus*] ותהי להם הלבנה לאבן & fuit eis later ille pro lapide. Græce est καὶ ἐγένετο αὐτοῖς ἡ πλίνθος εἰς λίθον. Latine vero apud interpretem nostrum, *Habueruntque lateres pro saxis.* ¶ *Bitumen*] חמר ἡ ἄσφαλτος. Chaldaice חמרא. Eucherius, *Bitumen est ferventissimum & violentissimum gluten, cujus hæc vis, ut ligna quæ ex eo fuerint lita, nec vermibus exedi, nec solis ardore aut ventorum flatibus, aut aquarum possint assiduitate dissolvi.* His verbis describit bitumen quo utebantur picis loco. Id כפר dicitur Gen. 6. 14. ubi Jon. חמר: Hic edidit טינא i. lutum: sed minus recte. Nam lutum aliud est. חמר bitumen significat, quo Semiramis quondam calcis vice usa legitur, cum Babylonem lateritio muro cingeret. Bene igitur LXX. reddunt ἄσφαλτος & frustra est Diodorus ita scribens ἄσφαλτος εἰς οἰκοδομὴν ἄχρηστος: bitumen ad ædificationem inutile. Fallit etiam Scholion quod in Edit. Rom. ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἄσβεστον φασιν: Syrus & Ebræus asbestum dicunt. Nam *asbestus* i. calx viva, aut calx simpliciter & sub. κονία. Lex. vetus, Calx, ἄσβεστος. & alibi ἄσβεστος κονία, hæc calx: item κονία ἄσβεστος calx. Viva calx à Cassiano vocatur ζῶσα ἄσβεστος. Legimus & ἄσβεστος τίτανος apud Lucianum. Theodoretus Quæst. 58. in Genesin, Τὴν ἄσφαλτον τινὲς τῶν διδασκάλων ἔφασαν ἄσβεστον εἶναι, ἀγνοοῦντες (ὡς εἰκὸς) τὰς ἐν τῇ Ἀσσυρίᾳ πηγάς. (Locus suspectus de vitio) ἀφ᾽ ἧς ... τὸν πύργον οἰκοδομεῖσθαι. ἀκριβῶς δὲ ... ἀφικομένων μεμάθηκα, ὡς εἰσὶ πηγαὶ ταύτην ἀναβλύζουσαι τὴν ὕλην μεθ᾽ ὕδατος. καὶ ὅτι τὰς ἐν ὕδασιν οἰκοδομίας συνυφαίνοντες, διὰ ταύτης τὴν ὠπτημένην συντιθέασι πλίνθον. οὕτω τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαί φασι. καὶ δι᾽ ἀντικρυς ... τὸ μέσον ... καὶ ἀκριβῶς διηγοῦνται, ὡς ἄσφαλτος ταῖς ὀπτωμέναις ... πλίνθοις. Ἄλλως τε καὶ λίθον εἶναι σπάνιον ἐν τῇ Ἀσσυρίᾳ φασιν. καὶ διὰ τοῦτο ταῖς πλίνθοις ἀντὶ λίθων κέχρηνται. λίθων δὲ δίχα πῶς ἂν γένοιτο ἄσβεστος; In Catena Patrum sub Theodoreti nomine invenio, *Bitumen quidam e Magistris asbestum lapidem esse dixerunt, ignorantes (ut par est) fontes qui in Assyria sunt, quoque turrim illam conditam fuisse existimarunt. Diligenter enim ab iis qui inde profecti sunt didici, fontes ejus-*

modi

modi materia ibi esse, quia lateres in ædificium componantur. Nec desunt qui hujus turris partem oculis suis spectarunt hâc materiâ constructam. Quin etiam ideo lateribus usos fuisse, quod lapidum inopia maxime Assyria laboret. Addam corollarii vice verba Josephi de hac turri, ut leguntur apud interpretem Sigismundum Gelenium, *Struebant*, inquit, *lateribus coctis, ob firmitatem bitumine ferruminatis.* Ergo חֵמָר vel Josepho teste, ἄσφαλτος i. bitumen. Græca sunt, ᾠκοδόμητο ἐκ πλίνθων ὀπτῶν ἀσφάλτῳ συνδεδεμένος, ὡς ἂν μὴ τεῤῥέῃ. ❡ *Pro arenato*] לַחֹמֶר pro cæmento. ita Hiero. Alii, *pro luto.* Nam חֹמֶר ὁ πηλός. Ita Lxx. On. & Jon. לְשִׁיעַ pro calce. Ne quid dissimulem, in Lxx. est καὶ ἄσφαλτος ἦν αὐτοῖς ὁ πηλός, & bitumen erat illis, *lutum.* Sensus est, ut lutum. Simile, *nec excitatur classico miles gravi.* Nam explicant, ut miles: & benè ita explicant. Trem. hic habet, *pro intrito.* Est autem intritum sive intrita calcis genus aqua maceratum. Gallica edit. ultima, *au lieu de mortier* i. intritæ sive arenati loco. Ambrosius Calepinus, *Arenatum alio nomine intritam vocamus : Barbari etiam mortarium : Nonnulli & Cæmentum, sed perperam. Nam Cæmenti appellatione lapides significantur impoliti, vel potius lapidum frusta, quæ arenato conjunguntur.* Livius, *Cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto.* Hinc liquet vertendum potius, *pro intrita* sive *arenato*, si modo prisci illi veteres arenato usi sunt. Ideò non improbo peritus, quod in Bibliis Græcis, ὡς πηλὸς, *ut lutum.* Nam חֹמֶר usitate lutum. Arenatum alio nomine שִׂיד dicitur: quod R. David exponit lutum ex calce & arena. Chalcem סיד appellat : Lutum autem חֹמֶר. Intrita sive intritum (ita Plinius vocitat) proprie calx longiore tempore macerata. Sunt qui arenatum Græce interpretentur μάλθη. Qua voce & Magistri utuntur. Dicunt enim certe מלטה i. Maltha. Nos Flandri vocamus terras. Gallicè *ciment.* Sic & Frisii, apud quos nunc dego.

4. *Et dixerunt, Age, extruamus nobis urbem, & turrim, cujus caput in cœlum, & paremus nobis nomen, ne dispergamur super faciem totius terræ.*

Age] Agedum, agite, agitedum. Hic rursum On. & Jon. habent הָבוּ, licet in Ebræo sit הָבָה quod utroque numero usurpari diximus. Græci legunt, δεῦτε, huc adeste, huc agite. Hiero. *venite.* Thargum Jerosol. איתו כען venite nunc; cujus Singularis אִיתָא veni. Thalmudici תא dicunt. ❡ *Extruamus*] condamus, ædificemus, οἰκοδομήσωμεν. Nam *faciamus*, quod in Vulgata nostra i. ונעשה. Adhæc dubito an Latine dicatur, *facere urbem* : sicut dicimus, *statuere urbem.* Virg. *Urbem quam statuo, vestra est.* ❡ *Nobis*] לָנוּ vel redundat ex Ebraismo : vel *nobis* & non Deo. Quod argumento est propositum ipsorum non admodum pium fuisse. Lxx. ἑαυτοῖς, *nobis ipsis.* ❡ *Urbem*] cur *urbem* verterim, & non cum Hiero. *civitatem*, ratio est in verbis illis Nonii, *urbs est ædificia, civitas, incolæ* : Quæ tamen differentia non est perpetua. ❡ *Turrim*] quæ arx sive Capitolium erat urbis Babylon, & quatuor millia passuum continebat. Hiero. in locis Acto. Sunt qui putant non unam turrim, sed plures fuisse. August. de civit. Dei Lib. 16. cap. 4. *Nam nimia disponebatur altitudo, quæ dicta est usque in cœlum, sive unius turris ejus, quam præcipuam moliebantur inter alias, sive ut omnium Turrium, quæ per numerum sing. ita significata sunt, ut dicitur miles, & intelliguntur millia militum : ut rana & locusta. Sic enim appellata est multitudo ranarum & locustarum in plagis, quibus Ægypti percussi sunt per Mosen.* ❡ *Cujus caput in cœlum*] deest aliquid. Id alii supplent. Quippe Hiero. *cujus culmen pertingat ad cœlum*; & alius, *cujus fastigium assurgat in cœlum*, & Lxx. ὃ ἔσται ἡ κεφαλὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ : & On. *cujus caput pertingat ad summitatem cœlorum.* Sic etiam Jon. & Autor Jerosol. Et est hyperbola, velut cum legimus Deut. 1. 28. *Urbes magnæ & ad cœlum usque munitæ* : & Psal. 106. 26. in edit. vulgata, *ascendunt usque ad cœlos. Iste tropus*, inquit Augustinus, *i. modus locutionis fit quando id quod dicitur longe est amplius, quam quod eo dicto significatur* : lib. 16. cap. 21. de civitate Dei. Idem docet libro contra Julianum quinto, Hunc tropum adhiberi ad alios audientium promovendos. Videatur Vives ad locum illum. ❡ *Caput*] culmen, fastigium, summitas. ❡ *Paremus nobis nomen*] vel, *parabimus nobis nomen* i. famam. Ebræi hoc dicunt *facere nomen.* Unde Hiero. *faciamus nobis nomen.* & Lxx. ποιήσωμεν ἑαυτοῖς ὄνομα : & On. ונעבד לנא שום faciamus aut faciemus nobis nomen. ❡ *Paremus*] comparemus, acquiramus: vel, parabimus, consequemur. ❡ *Ne dispergamur*] פֶּן נָפוּץ Græci reddunt πρὸ τοῦ διασπαρῆναι : & Hiero. antequam dividamur: & Jon. Autor Jerosol. קדם עד לא נתבדר priusquam dispergamur. Mirari libet, cum פן alias reddere soleant, nequando i. μήποτε, aut ne forte, & Chaldaicè דִּלְמָא : quomodo sane On. hoc loco transtulit. Aliquando dubitantis est, aliquando aliter sumitur. Quod ergo metuunt, id illis evenit, juxta illud Salomonis, *repente superveniet metus vester* i. id quod metuitis. Hoc improbus dicit. Quales erant qui hanc turrim extruebant. Nam pios interfuisse, aut si quidam interfuerunt, in extructionem illam consensisse non est credibile.

5. *Et descendit DOMINUS ut videret urbem & turrim, quam extruebant filii hominum.*

6. *Dixitque DOMINUS, ecce populus unus & labium unum omnibus ipsis, cœperuntque hoc facere, & non prohibebitur ab eis omne quod cogitarunt facere.*

Descendit] quomodo descendit, qui non movetur loco, qui ubique est? *Descendere dicitur*, inquit August. de civit. Dei lib. 16. cap. 5. *cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum, mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo ostendit.* ❡ *Ut videret*] *humano more loquitur, non ut humano more intelligamus, sed ut per hoc erudiamur non temere quenquam condemnandum, nec auditu solo indicandum nisi pluribus argumentis prius certi reddamur*, ait Chrysostomus. ❡ *Filii hominum*] i. homines. Quod ita dicitur, ut *Filii Græcorum* pro ipsis Græcis. Sic *filii Medicorum*, ipsi Medici. Aliter exponas, *filii hominum*, ut Gen. 6. 2. *Videntes filii Dei, filias hominum.* ❡ *Populus unus*] Nam & una omnes lingua utebantur, & simul habitabant, & summus erat animorum consensus. Verè igitur tunc unus erat, qui post divisus est in plures populos. Lxx. γένος ἕν, genus unum. ❡ *Labium unum*] *lingua una.* On & Jon. Hem fere exciderat, Verba illa, *descendit DOMINUS ut videret*, iidem interpretantur, *Patefecit se DOMINUS ad vindicandum*, sive, *ad puniendum opus urbis &c.* ❡ *Cœperuntque hoc facere*] καὶ τοῦτο ἤρξαντο ποιῆσαι. ita Hiero. & Lxx. Verbum è verbo, *& hoc incipere eorum ad faciendum*, quasi dicat, hoc est initium eorum faciendi. On. *Hoc est quod cœperunt facere.* Valde placet. Jon. *Hoc cogitarunt facere.* Quid si, *& hic est ubi cœperunt facere?* ac si esset זֶה מְקוֹם הַחִלָּם hic locus incipiendi eorum. ❡ *Non prohibebitur ab eis omne quod cogitarunt facere*] Hiero. *Non desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Lxx. οὐκ ἐκλείψει ἀπ᾽ αὐτῶν πάντα, ὅσα ἂν ἐπιθῶνται ποιεῖν : non deficient ab illis omnia quæ conati fuerunt facere. Quæ August. de civit. Dei lib. 16. cap. 6. dicta interpretatur interrogando & comminando. Pro ὅσα ἂν ἐπιθῶνται in Scholio est, ἅπερ ἐνενοήσαντο, Melior interpretatio. Nam ἐννοοῦμαι cogito : & in Ebræo יָזְמוּ אֲשֶׁר. On. & Jon. דחשיבו quæ cogitarunt. R. David ענין מחשבה. Idem ait זָמַם & חָשַׁב Synonyma esse. ❡ *Non prohibebitur ab eis*] pro eo habendum ac si diceret, *Non prohibebuntur.* Sane יִבָּצֵר Ebræi exponunt יִמָּנַע & Chaldæi יִתְמְנַע. Sententia est, non impedientur humanis viribus, quo minus perficiant, quod in animo habent, quasi dicat, nemo mortalium cœptum opus impediet. Age igitur descendamus &c. Vide sequentia. Job 42. 2. לא יבצר Lxx. ἀδυνατεῖ δέ σοι οὐδέν. alii, οὐκ ἀφαιρεθήσεται, *non auferetur.* Hiero. *Nulla te latet cogitatio.* מבצר proprie munitio, ea hostes à se arcet. Hinc ergo נבצר, quod prohibere interpretantur. Simile יבצר רוח נגידים prohibebit spirium principum.

7. *Age descendamus & confundamus ibi labium eorum, ut non audiat vir labium socii sui.*

Age] vel, agite. ❡ *Descendamus*] On. נתגלי patefiamus. Patefit autem Deus, quando se præsentem esse declarat aliquo insigni facto. Id Ebræi descendere dicunt. *Descendamus & confundamus* ❡ *Confundamus*] נָבְלָה anomalon est pro נבלה à themate בָּלַל, & est fut. Kal cum He paragogico, quale in נָגוֹזָה ubi & Dages desideratur. ❡ *Labium eorum*] שְׂפָתָם i. sermonem eorum. Hiero. *linguam eorum.* לְשׁוֹנָם. Græci quoque τὴν γλῶσσαν & uterque Chaldæus לִישָׁנְהוֹן. ❡ *Non audiat*] לֹא יִשְׁמְעוּ. non audiant i. intelligant. Audire interdum auditis parere, interdum audita intelligere. Nam alioqui sermonem audit etiam qui non intelligit. Ita capies, *gens cujus linguam non audietis.* ❡ *Vir labium socii sui*] alter sermonem alterius. Lxx. ἕκαστος τὴν φωνὴν τοῦ πλησίον. Hiero. *unusquisque vocem proximi sui.* Sed vox קוֹל dicitur, & proximus קָרוֹב. Audire labium ita dicitur, ut alibi audire linguam. Sane vocem audit, qui tamen linguam aut labium non audit. Nam audit qui intelligit, ut dictum est.

8. *Itaque dispersit DOMINUS eos inde super faciem totius terræ, & cessaverunt construere urbem.*

Dispersit] supra, *ne dispergamur.* Quod metuebant, id accidit eis, justo Dei judicio: Scitum autem illud Salomonis,

מגורת רשע היא תבואנו

Quod pavet impius, id ei eveniet.

❡ *Inde*] ex illo loco. ❡ *Eos*] Ebræi censent dispersos numero

mero 70. fuisse. Quot homines tot linguæ initio erant. Nam unicuique peculiarem linguam tributam volunt. Ergo linguæ principales initio 70. erant, quæ tanquam matres sunt aliarum omnium linguarum, quæ nunc in orbe vigent. Hoc arbitrarium esse volo, nolo ut sit certum. Fides penes autores est. ❡ *Cessaverunt*] Destituerunt, ἐπαύσαντο. Id Jon. dixit פסקו Nam quod in On. ומנעו magis denotat prohibiti fuerunt. ❡ *Construere*] exstruere, ædificare. ❡ *Urbem*] τὴν πόλιν καὶ τὸν πύργον Lxx. i. urbem & turrim. Supplent quod brevitatis causa omissum erat. Porro Jon. hunc versum ita παραφράζει, *Et patefactus est sermo DOMINI super ipsam urbem, & cum eo 70. Angeli respectu 70. populorum, & unusquisque habebat linguam populi sui, & inde scripsit eam manu sua, dispersitque eos illinc per superficiem totius terræ in 70. linguas, ita ut alter alterum loquentem non intelligeret: itaque occidebant se invicem & cessarunt extruere urbem.*

9. *Idcirco vocatum fuit nomen ejus Babel, quia ibi confudit DOMINUS labium totius terræ: & inde dispersit eos DOMINVS super faciem universæ terræ.*

Vocatum fuit nomen ejus] ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτῆς. ita Hiero. & Lxx. & bene ita explicant, quod in Ebræo & apud alios interpretes, *vocavit nomen ejus.* Dico apud interpretes Chaldæos Onkeli & Jon. Sed quis ita vocavit? Utrum Deus, an hominum quispiam: putarim à posteris Eber ita vocatum, qui tum in Chaldæa manebant & veterem linguam immutatam retinebant. ❡ *Babel*] Chaldæi בִּלְבֵּל dicunt, quod Ebræis est בָּלַל confudit: inde בָּבֶל Babel quasi בַּלְבֵּל Balbel, litera una elisa, ut in Golgatha, גלגלתא sive גולגלתא & similibus. Sic compendii causa dicunt רבב pro רברב magnificavit, unde אתרבב· Nihil verius. Apagite igitur qui Babylonem à Belo dictam censuistis. Nec Sequendus Abenezra, qui putat compositionem nominis esse ex בא venit & בל confusio. Siquidem Bel nomen est Dei Babylonii, contractum ex בְּעֵל Beel. Confusio autem i. σύγχυσις potius בלבל diceretur, unde Babel ut diximus. Ea vox confusionem designat, testibus Josepho, Philone, Origine, Eusebio, Hiero. & aliis. Quod hauserunt ex editione τῶν ό. Nam ubi nos vertimus, *Idcirco vocatum est nomen ejus Babel.* Senes habent, διὰ τοῦτο ἐκλήθη ὄνομα αὐτῆς σύγχυσις, ubi scribi malim Σύγχυσις. Nam est nomen proprium, quale Σιαγών & alia sexcenta. Ceterum in Ebræo semper est בָּבֶל· Id Græci reddunt, Βαβυλὼν & Βαβυλωνία, latine Babylo, ut Bætulo, Βαιτύλων. Sic Plato, Meto, Solo. Nam quæ in ν. desinunt apud Græcos, in Latio abjiciunt ultimam. Vulg. tamen Babylon. Similiter peccatum in Salomon pro Salomo. Nam Ebraice שְׁלֹמֹה· Nomen Babel in usu est de ipsa turri, (de turri adhuc dubito. Nam *turris Babel* i. Babylonis quæ in Babylone,) & de urbe & de regione, quam proprie Babyloniam appellant. De turri, Josephus, *locus, in quo turrim ædificarunt nunc, Babylo vocatur, dicta propter confusionem, quam circa sermonem suum tunc habuerunt. Ebræi namque confusionem Babel appellant.* De urbe Eusebius, *Babel quæ & Babylo civitas erat regni Nemrod, in qua eorum qui ædificarunt turrim, divisæ sunt linguæ, quorum principem Josephus fuisse Nemrod affirmat.* De regione usurpatur Psal. 137. *Secus flumina Babel* i. Babyloniæ. Innuit autem Euphratem, Nahardea, Ahava, Tigrim &c. Hiero. De locis Acto. *Babylon metropolis regni Chaldæorum, à quo & regio circumposita, Babylonia vocatur. Hanc fuisse potentissimam, & in campestribus per quadrum sitam, ab angulo usque ad angulum muri, sedecim millia passuum tenuisse i. simul per circuitum sexaginta quatuor millia, refert Herodotus & multi alii qui Græcas historias conscripserunt. Arx autem i. capitolium illius urbis, est turris quæ post diluvium ædificata, quatuor millia passuum tenere dicitur, cujus post ruinam muri tantum fictiles remansisse, & ob bestias, quæ illic abundant captandas, recuperati esse traduntur.* ❡ *Confundit*] בָּלַל Balal est Ebraice: בַּלְבֵּל Balbel vero Chaldaice: & συνέχεε Græce. ❡ *Labium*] τὸ χεῖλος Lxx. לִשָּׁן On. & Jon. *linguam*, alii. ❡ *Totius terræ*] כל דיירי ארעא *omnium incolarum terræ.* Jon.

10. *Hæ sunt generationes Sem, Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.*

11. *Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, & genuit filios & filias.*

Generationes] posteri. ❡ *Erat centum annorum*] agebat annum centesimum. Hinc probabiliter colligimus non fuisse maximum natu. Siquidem Noe cœpit gignere anno ætatis quingentesimo. Agebat autem cum diluvium esset, annum sexcentesimum. In Ebræo hic est ad verb. בן מאת שנה Filius centum annorum. Hinc Ebraismum retinent Græci υἱὸς ἑκατὸν ἐτῶν· Sed & Chaldæi. Vide si vacas. ❡ *Quando genuit*] ויולד & genuit. Hic (&) redundare videtur, ut dicat, *Sem filius centum annorum genuit &c.* Sæpe Vau hoc modo ponitur. Nam convertit duntaxat, non copulat. Otium ergo agit in Latio. ❡ *Arphaxad*] qui fuit pater Chaldæorum, unde quoque appellati putantur. ❡ *Post diluvium*] Utrum à quo cœpit diluvium, an à quo desiit? Diluvium autem Ebræi vocant מַבּוּל: Græci τὸν κατακλυσμόν. On. טופנא Jon. טובענא· Latini etiam diluvium dicunt. *Quingentis annis*] vixit omnium Patrum, qui post diluvium fuerunt, quam diutissime. Nam pervenit usque ad annum Jacobi Patriarchæ quinquagesimum, quo anno Abraham diem suum obierat an. 35. Hunc in historia Abrahæ Melchisedec quidam appellari putant. Qua de re dicemus cum ad illum locum ventum erit.

12. *Et Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.*

13. *Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, quadringentis tribus annis & genuit filios & filias.*

Et genuit Sale] Chaldæi & Latini nihil variant ab Ebræis. Soli Græci Cainan interponunt: quos Lucas Evangelista secutus existimatur: unde colligere est editionem illam in magna olim autoritate fuisse. Producam nunc locum fidei meæ causa. *Et vixit Arphaxad centum triginta annos & genuit Cainan. Et vixit Arphaxad, postquam genuit Cainan annos 400. genuitque filios & filias & mortuus est. Et vixit Cainan 130 annos & genuit Sala. Vixitque Cainan postquam genuit Sala, annos 330, & genuit filios & filias, & mortuus est.* Descripsi ex Edit. Romana. A qua ceteræ non variant, nisi quod in nonnullis pro τετρακόσια, quadringentos, legitur τριακόσια τριάκοντα trecentos triginta. Editio Latina *trecentum* habet. Ceterum perperam in libris καϊνᾶν cum duobus apicibus, cum scribi debeat καινᾶν. Est enim certe dissyllabum, קֵינָן Cainan ut עֵילָם, Αιλάμ: quod legebant קֵינָן & עֵילָם· ❡ *Sale*] vel *Sala*, τὸν σαλά. ❡ *Quadraginta tribus annis*] *trecentis tribus annis*, est in edit. Hiero. Notantur quinque libri manuscripti, in quibus sit *quadringentis*. In qua lectione amplius nos confirmant editiones Chaldæorum, quas paraphrases appellant.

14. *Sale autem vixit triginta annos, & genuit Eber.*

15. *Vixitque Sale, postquam genuit Eber, quadringentis tribus annis, & genuit filios & filias.*

Quadringentis tribus] τριακόσια τριάκοντα. Lxx. *trecentum triginta*, Interpres Romanus: *trecentos triginta*, Basileensis. ❡ *Triginta annos*] ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη. Lxx. Addiderunt de suo centum annos, nisi mendum in eorum libris. Hæc sciens, minus miraberis si videas eos, qui rationem temporum investigatam ediderunt, parum inter se consentire, cum alii Græcos secuti sint, alii vero Ebræos.

16. *Vixit autem Eber triginta quatuor annos & genuit Phaleg.*

17. *Vixitque Eber, postquam genuit Phaleg, quadringentos triginta annos & genuit filios ac filias.*

Triginta quatuor] ἑκατὸν τριάκοντα τέσσαρα. Lxx. *Centum triginta quatuor.* Interpres. ❡ *Quadragintos triginta*] διακόσια ἑβδομήκοντα. Lxx. *ducentos septuaginta.* Interpres. Hic omnium eorum, qui post diluvium nati memorantur diutissime vixit. Nam Sem ante diluvium natus est, Sale autem tantum vixit annos 403. post natum Eber.

18. *Et vixit Phaleg triginta annis genuitque Reu.*

19. *Et vixit Phaleg, postquam genuisset Reu, ducentis novem annis, genuitque filios & filias.*

Triginta annis] τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη. Lxx. ❡ *Reu*] τὸν ῥαγαῦ. Iidem. Hic duplex archaismus. Prior est in ע quam per γ expresserunt, ut in γάζα, γόμοῤῥα, ῥαγουήλ, & similibus. Alter est in Vau Schurec, cujus loco αυ scripserunt, ut עוץ Aus, unde αὐσίτις. Sic עוּלָם αὐλάμ. Nam αὐλάμ i. אולם. Huc refer נוּן ναυῆ, quod exscribentium incuria in ναυῆ corruptum, littera υ in η versa. ❡ *Ducentis novem annis*] ἐννέα καὶ διακόσια ἔτη Lxx.

20. *Vixit quoque Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.*

21. *Vixitque Reu, postquam genuisset Sarug, ducentis septem annis, genuitque filios & filias.*

Reu] dissyllabum est: ideo libentius scripserim. Cum duobus apicibus hoc modo Reü, ne quis Reu legat Monosyllabως. De hac re admonendum putavi lectorem, quia in sacris litteris etiam minima errata vitanda sunt. Turpe namque homini Christiano cum foris, h. e. in literis profanis tam diligens sit, domi, h. e. in sacris negligentem esse. Nam qui nobis occinunt, *Nihil ad salutem*, indigni sunt quibus respondeatur. Neque enim certe inscitia rerum divinarum ad salutem quicquam facit. Alioqui nunquam dixisset Propheta Hoseas, *Quia sprevisti scientiam, spernam te ego ne sacerdotio fungaris mihi.* Sed taceo. Nam vatum irritabile genus, non temere provocandum. ❡ *Triginta duo-*

duobus annis] ἐκατὸν καὶ τριάκοντα καὶ δύο ἔτη. Lxx. ❡ *Sarug*] vel Serug. i. τὸ σερὺχ quod in codicibus Græcis σερὶχ, perperam sane, cum habeat Gimel in ultima, ei respondet apud Græcos γάμμα non χῖ. שְׂרוּג, Sarug, ut שְׁלֹמֹה Salomo, שְׁמוּאֵל Samuel. רְפָאִים Raphaim: מְנַשֶּׁה Manasses. Nam ubi hodie Scheva in Scriptura Ebraica, ibi veteres promiscue legebant modo (a) modo (e); ut כְּרוּבִים χερουβίμ: שְׂרָפִים σεραφίμ: יְטוּר ἰετοὺρ Jetur: יָרָבְעָם Jeroboam. Sarug ergo an Serug dicas, nihil refert. Hic primus idola formasse perhibetur. Quod Glossa Græca ex Epiphanio de Thare scribit: *Primus*, inquit, *Thara idola excogitavit à figulina scientia ut B. Epiphanius tradit.* ❡ *Filios & filias*] Græci addunt καὶ ἀπέθανε: quod in fonte certa de causa omissum putatur.

22. *Vixit autem Sarug triginta annis & genuit Nachor.*

23. *Vixitque Sarug, postquam genuisset Nachor, ducentis annis & genuit filios & filias.*

Triginta] ἑκατὸν τριάκοντα Lxx. ❡ *Nachor*] τὸν ναχώρ. Scribi potest, Nahor. Sic Rachab dicimus & Rahab, quod Græci ῥαὰβ scribunt. Nam in medio voces non aspirant. Hujus ordinis est Hermon & Chermon. ❡ *Ducentis annis*] ἔτη διακόσια. Sarug iste pervenit ad annum quo natus est Isahac. Vixit enim certe 230. annos.

24. *Porro Nachor vixit viginti novem annis & genuit Thare.*

25. *Vixitque Nahor, postquam genuisset Thare, centum novendecim annis, & genuit filios ac filias.*

Viginti novem annis] ἔτη ἑκατὸν ἑβδομηκονταεννέα. Lxx. *annos centum septuaginta novem.* Interpres. ❡ *Thare*] תֶּרַח, sed in pausa: citra quam esset, תֶּרַח Thera sive Therach. תֶּרַח Thare, ut הֶבֶל Habel. item ut שֶׁלַח Sale. In Lxx. τὸν θάῤῥα i. Tharram, in quo ρ geminata, ut in γόμοῤῥα & similibus. Græci enim eam literam in medio fere geminant, contra ac Ebræi, qui rarissime id faciunt. Sane inter consonantes, quæ Dages respuunt, etiam Resch numeratur. Porro Dages geminationis quasi symbolum est apud Ebræos. Hic Thare natus fuit, ut Moses Gerundensis annotat, trans flumen, ubi etiam duos filios procreavit Abrahamum & Nachorem. Inde concessit in Ur Chaldæorum, ubi Haranem genuit. Vocatur ἀῤῥὰ apud Eusebium Histo. Ecclesi. lib. 1. cap. 4. pro θάῤῥα sive θάῤῥα, aspirata, ut fit, in tenuem versa. ❡ *Novendecim*] ἑκατὸν ἑβδομηκονταεννέα. Lxx. *viginti quinque* Interpres.

26. *Thare autem vixit septuaginta annis & genuit Abram, Nachor & Haran.*

Haran] הָרָן. Hoc nomen Latini exiliter scribunt Aran. Forte propter חָרָן quod scribunt Haran, & est nomen urbis. Carras nostri vocant. Græci suo more ρ duplicant ἀῤῥάν, ut θάῤῥα, quod ex Ebræis codicibus scribendum Thara sive Thare. Nam Ebræi non geminant Resch, ut diximus. Moneo tamen in codice Complutensi editisque ad eum esse Ἀῤῥὰ & Ἀῤῥὰ, unico ρ. Scribo autem ἁῤῥάν, cum aspiratione. Nam ἀῤῥὰ alius est. vide Gen. 36. 28.

27. *Porro hæ sunt generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor & Haran. Haran autem genuit Lot.*

Porro hæ sunt] vel, *Hæ autem sunt.* ❡ *Generationes*] filii ac nepotes. Quanquam unum duntaxat Nepotem hic memorat videlicet Lot, & duas Neptes ex Haran Melcha & Jescha. ❡ *Abram*] אַבְרָם interpretantur *Pater excelsus*, vel *sublimis*, Philo, Hiero. Clemens Alexandrinus, alii. πατρὸς φίλος, patris amicus. Artabanus apud Eusebium ἀβραάμου, lib. 9. pag. 246. editionis R. Stephani. אַב pater, רָם excelsus, sive sublimis, aut altus. יָחִיד vel יָחִיד unicus, & elisa media יָם. Sed hoc nimis coactum meo judicio. ❡ *Haran*] ἁῤῥὰν aspirari debet. Nam Aran i. אֲרָן filius Disac, Nepos Seir: de quo alias. ❡ *Lot*] erat ergo Lot, Abrahami ex fratre Nepos, sive fratris filius, quos Ebræi fratres appellant i. consanguineos.

28. *Mortuusque est Haran in conspectu Thara patris sui, in terra nativitatis suæ, in Ur Chaldæorum.*

In conspectu Thara] עַל פְּנֵי תֶּרַח. Lxx. ἐνώπιον θάῤῥα. Optime & rectissime. ἐνώπιον i. coram. Ita Santes, *coram Thara patre suo.* Vult dicere, præsente ac spectante patre. Itaque Abenezra explicat בְּחַיֵּי תֶּרַח mortuus est, & pater ejus videbat. Et autores edit. Gal. postremæ, *en la presence de son pere* i. in præsentia patris. R. Salo. בְּחַיֵּי אָבִיו vivo patre. Hiero. hic habet *ante* (ad locum non ad tempus referri debet.) *Thare patrem suum* לִפְנֵי תֶּרַח אָבִיו. Idem עַל פְּנֵי ut videre est Num. 3. 4. ubi eadem locutio in Ebræo, *functique sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aharon patre suo.* Verba sunt ex edit. Hiero. quam vulgatam appellant. ❡ *In terra nativitatis suæ*] in natali solo, in patria sua. ❡ *Ur Chaldæorum*] vel, *Vre Chaldæorum.* Vide supra, post quæ adde: Jon., *mortuus est Haran in fornace ignis quam extruxerant Chaldæi Abrahamo fratri ejus.* Secutus est fabulam de Abrahamo in ignem conjecto, cujus etiam mininit Hiero. in Quæst. ita scribens, *Pro eo quod legimus in regione Chaldæorum, in Ebræo habetur* בְּאוּר כַּשְׂדִּים *i. in igne Chaldæorum. Tradunt autem Ebræi ex hac occasione hujusmodi fabulam: Quod Abram in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de Idololatriæ igne profugerit, quod in sequentibus scribitur egressum esse Tharam cum sobole sua de regione Chaldæorum, pro eo quod in Ebræo habetur de incendio Chaldæorum: & hoc esse quod nunc dicitur mortuus est Haran in conspectu Thare patris sui; in terra nativitatis suæ, in igne Chaldæorum: quod videlicet ignem nolens adorare, igne consumptus sit. Loquitur autem postea DOMINUS ad Abram, Ego sum qui eduxi te de igne Chaldæorum.* Fabula refertur pluribus à Salomone Jario, Nicolao, ipsoque adeo Jonatha; quæ brevitatis causa prætereo. Tantum dico Nehem. 9. 7. apud interpretem nostrum haberi, *Eduxisti eum de igne Chaldæorum:* Ubi alii legunt, *de Vr Chaldæorum:* & melius meo judicio Lxx. hic retulerunt ἐν τῇ χώρᾳ τῶν χαλδαίων: in regione Chaldæorum. Cui firmando est Manahen homo Ebræus qui אוּר significare ait (testis R. Salomo) בִּקְעָה i. vallem sive planitiem aut campum. Addit Rabinus ille

כל חור ובקע עמוק נקרא אור

Omne foramen & fissura profunda vocatur Vr.

Sane legimus, nisi fallor, in Jesaia בָּאוּרִים quod interpretantur *in cavernis.* Ceterum אוּר ignem significant, si quis dixerit esse Germanicum four, quem Belgæ mei, vuur indigitant, me non habebit sibi admodum adversantem.

29. *Acceperunt autem Abram & Nachor sibi Uxores: nomen uxoris Abræ Sarai, & nomen uxoris Nachor Melcha, filia Haran, patris Melcha & patris Jescha.*

Acceperunt] i. duxerunt, ut recte Hiero. interpretatur. Græci habent καὶ ἔλαβον: & acceperant. Non improbo. ❡ *Sarai.*] שָׂרַי Sarai, dissyllabum. In Græca edit. excidit (ι) ex σαῤῥά. Nam σάῤῥα ibi legitur i. שָׂרָה quomodo postea mutato nomine dicta fuit, ubi Græci codices habent σάῤῥα. Quam Scripturam secutus Severus de hac re ita scribit, *Tum ei atque uxori ejus, adjectione unius literæ nomen immutatum: ita nunc ex Abram Abraham, ex Sara Sarra dicitur.* Libri vulgati aliter, quos mendosos esse ajo. Credat qui volet, nunquam Severus scripsit, *ex Sarai Sara dicitur.* Nam hic non adjicitur littera, sed adimitur. Emendatio mea tam certa est, quam quæ apud Sigian. Redeo nunc ad Sarai, quæ soror erat Abrahæ ex eodem patre, sed non ex eadem matre Gen. 20. 12. Josephus autor fuisse filiam Haran, nempe secutus est eorum opinionem, qui eam paulo post Jescha, quæ fuit filia Haran, dici putant. In qua opinione fuit etiam Hiero. Quod clare docent hæc ipsius verba, *Haran filius Thare, frater Abram & Nachor, duas filias genuit, Melcham & Sarai, cognomento Jescham, διώνυμον. E quibus Melcham accepit uxorem Nachor, & Sarai Abram: Nec dum quippe inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus, etiam inter fratres & sorores initæ sunt.* Vide sequentia. ❡ *Melcha*] μελχά. priscum est. Hodie מִלְכָּה Milcha. ❡ *Patris Melcha*] Lxx. καὶ πατὴρ μελχά: quod bene ita reddes, *qui fuit pater Melcha* i. Melchæ. ❡ *Jescha*] communis opinio est Jescha cognomentum esse Sarai, uxoris Abrahæ, quam veram esse mihi persuadere non possum. Tamen autores habet viros magnos. Josephus Ant. hist. l. 1. c. 7. τούτων Ἀῤῥάνης μὲν καὶ λωτὸν υἱὸν λιπών, ὡς ὄμηρόν τε μελχάν θυγατέρας, ἐν χαλδαίων ἀπέθανεν. & mox, γαμοῦσι δὲ τὰς ἀδελφιδᾶς, μελχὰν μὲν ναχώρης, σάῤῥαν δὲ, ἄβραμος. Jonathan Uzielis, *Jescha ipsa est Sarai.* Hieron. in Quæst. *Aran duas filias genuit Melcham & Sarai cognomento Jescham.* August. de civit. Dei lib. 16. c. 10. *Iste Haran Pater Melchæ fuit & Pater Jeschæ, quæ Jescha creditur ipsa esse etiam Sara uxor Abrahæ.* Nicolaus, *Iescha fuit binomia. Nam vocata fuit alio nomine Sara.* Chronicon Ebræorum majus, *Hinc natus est Lot: sequenti demum anno Iescha, quæ & Sara.* Scribit eadem R. Salomo & alii. Vide quoque tractatum Sanhedrim. cap. 8. fol. 69. pag. 2. Mihi autem placet judicium Abenezræ ita scribentis, *Antiqui Patres nostri dixerunt Ieſcham esse Sarai. Quod si Cabbala est, recipimus ut Cabbalam.* Cabbala i. traditio. Addi nunc, si plura scire aves, ad Miscellanea mea Cent. 1. cap. 22. Quibus addo ex Baal Hatturim, שרי *in Gematria per Ethbasch efficit eundem numerum cum* יסכה *videlicet 95. Unde Sapientes dixerunt Iescha esse Saram.* Vide qua basi, quove fulcro innitatur hæc opinio. Per Ethbasch, hoc est ea literarum Alphabeti commutatione, qua ש commutatur cum ב & ר cum ג & ה cum צ i. Sade.

כ	ש	2.
ג	ר	3.
צ	ח	90.
	Summa	95.

30. *Erat autem Sarai sterilis, non erat ei proles.*

Sterilis] στεῖρα. Quidam putant etiam Abramum sterilem fuisse: sed falluntur. Nam genuit Ismaëlem ex Hagar, & postea ex Cetura alios. ❡ *Non erat ei proles*] improlis sive illiberis erat. Hoc Hiero. dixit *non habebat liberos*, & Lxx. οὐκ ἐτεκνοποίει. וָלָד τέκνον i. partus, fœtus, proles, soboles. Dicitur & יֶלֶד. Radix autem יָלַד pario, τίκτω: unde & יִלּוֹד natus & יֶלֶד natus sive gnatus. Autor Jerof. *non erat ei filius.* i. בַּר. Sed plus dicitur in Ebræo.

31. *Accepitque Thare Abram filium suum & Lot filium Haran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui: & exierunt cum illis ex Vre Chaldæorum ad proficiscendum in terram Chanaan, veneruntque usque Charan & resederunt ibi.*

Accepit] assumpsit. ❡ *Filium filii sui*] nepotem suum. Sic, *filii filiorum* i. nepotes, ut cum dicunt, *Filii filiorum sunt tanquam filii.* ❡ *Nurum suam*] τὴν νύμφην αὐτοῦ. Sic interpretes omnes quos consului. Abenezra ad hunc locum, *Qui dicunt Sarai fuisse sororem Abra, non recte dicunt, meo judicio. Nam si hoc ita esset, Scriptura potius dixisset, & Sarai filiam suam, uxorem Abra. Similiter si fuisset soror Lot, dixisset, & Sarai filiam filii sui, quemadmodum dicit de Lot.* ❡ *Et exierunt cum illis*] אתם ויצאו egressi sunt cum illis. Sensus est, Thare & Abram egressi sunt cum Lot & Sarai. Ita mihi videtur. On. & Jon. ונפקו עמהון nihil variant ab Ebræo. Lxx. καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς quos sequendo Hiero. vertit, *& eduxit eos.* [illegible] Ebraice diceretur אֹתָם וַיּוֹצֵא. Cum apices abessent tam legi poterat אתם quam אִתָּם cum eis. Quidam annotant אִתָּם adverbialiter positum esse, pro simul, una, pariter i. יַחַד. Quod durum in oculis meis. Adhæc יָצָא pro educo non memini legere. Quod tamen non nemo affirmat. Probet igitur. Quod temere dicitur, temere negari potest. ❡ *Ex Vre Chaldæorum*] Hiero. *de Vr Chaldæorum.* On. & Jon. *ex Vra Chaldæorum.* Ura & Ur synonyma sunt. Lxx. ἐκ τῆς χώρας τῶν χαλδαίων. Sed cur exierunt? An vitandæ idololatriæ? Nam Chaldæi ignem pro Deo colebant. Moses Ægyptius in More Nebuchin refert se legisse in libro quodam perveteri de cultu Ægyptiorum in quo continebatur virum quendam nomine Abram disceptasse publice cum idolorum cultoribus, asserentem non esse ignem habendum pro Deo: Regem vero quod metueret, ne averteret à se populum, carceri eum inclusisse, & postea spoliatum ditione sua ejecisse. Hæc ibi, quæ memorantur & à Paulo Burgensi Episcopo, ex Judæo Christiano: quem adire potes, si libet, & si vis. Nam is in multorum manibus versatur. Scripsit autem additiones ad Lyram, quæ excusæ sunt una cum ipso Lyra & glossa ordinaria. Vide ergo additionem primam ad hoc caput. ❡ *Usque Charan*] vel, *Charran.* Nam Græce ἕως χαῤῥάν. Hiero. *usque Haran.* Quod rejeci propter ambiguitatem, quæ nulla est in fonte. Nam Haran nomen proprium viri. Id scribunt הָרָן prima He. Hic est חָרָן prima Heth. Alioquin ut Hermon dicimus & Chermon, sic etiam dici posset Haran & Charan. Sed ambiguitas tollenda erat aliquo modo. Hanc urbem profani Scriptores Carras vocant, aspirata in tenuem versa. Sic ex Chermel sive Charmel fecerunt Carmelus. Sitæ erant Carræ in Syria interamni, quæ Mesopotamia dicitur. Quanquam Plinius in Arabia eas collocat. A Lucano Assyriæ vocantur, hoc versu, „Assyrias Latio maculavit san„guine Carras. Nam cæsus ibi fuit Romanus exercitus. Assyriam autem usurpat pro Syria. Quod & alias fieri observavimus. Vocatur etiam *civitas Nachor:* unde colligunt Nachorem una profectum fuisse. Forte locus ille *exierunt cum illis*, hanc sententiam continet, *exierunt* videlicet Thare, Abram, Lot & Sarai: *cum illis* i. cum Nachor & Melcha uxore. Josephus ei rei firmandæ est ita scribens, Θάῤῥης δὲ μισήσας τὴν χαλδαίαν διὰ τὸ ἀῤῥὰν πένθος, μετῳκίζοντο πάντες εἰς χαῤῥὰν τῆς μεσοποταμίας. *Cum autem Tharrus exosam haberet Chaldæam propter luctum Haranis, omnes simul migraverunt Carras Mesopotamiæ.* ❡ *Resederunt*] manserunt, aut, *commorati sunt.* Verbum Ebræum etiam sig. *habitaverunt ibi.* id Hiero. transtulit post Lxx. Sed legunt κατῴκησεν ἐκεῖ: *& habitavit ibi*, nempe Thare cum suis. On. & Jon. ויתיבו, quod idem cum וַיֵּשְׁבוּ. Ceterum habitare dicitur proprie, qui fixam sedem alicubi habet; commorari, qui ad tempus duntaxat ibi manet. Sic differunt κατοικεῖν & παροικεῖν apud Græcos. Sic ישב & גור apud Ebræos. Sed confundi scias.

32. *Et fuerunt dies Thare ducenti quinque anni, mortuusque est Thare in Charan.*

Dies Thare] In Bibliis Græcis additum, ἐν γῇ χαῤῥὰν in terra Charran, quod ineptum glossema huc irrepsit (videtur certe) ex fine hujus versus. Appello ineptum glossema, primum quia Thare tanto tempore non vixit apud Carras: deinde quia Charran nomen est urbis non regionis. Quanquam dictio γῆ etiam pro urbe sumi notatur. Non est omittendum in uno codice Græco, qui in octavo folium complicat, repperiri, ἐν χαῤῥὰν, quod magis se probat mihi. Ceterum editio Latina quæ ex Græca Romæ facta, *in terra Chanaan* habet: quod æque ineptum. Nam Thare non vixit unquam in ea terra. ❡ *In Charan*] i. Carris, vel Charræ.

AMAMA.

13. Ebr. cccc111. *annis.* Vulg. ccc111. *annis.*] Antiquissima exemplaria Vulgatæ versionis sic legunt: *Vixit Arphaxad postquam genuit Sale* 303. *annis.* Vide Cajet. Notant autem Lovanienses, manuscripta legere cum Ebr. & Chald. 403. Ac proinde ad eorum fidem in posterioribus aliquot exemplaribus textum Vulgatum vidimus mutatum. Verum Romani correctores errorem a Cajet. Steucho, Lovaniensibus aliisque notatum retinuere hoc loco. Versu autem 20, ubi codices legebant, Reu vixisse 35. annos, ipsi 32. juxta veritatem Ebr. reposuere. Vide appendicem.

GROTIUS.

1. E*Rat autem terra labii unius*] Eam linguam Hebræi suam dicunt: Syri suam. At Hebræa lingua, lingua est עברים advenarum è Chaldæa. Hæc enim origo nominis Hebræorum, non ab Hebero. vide Iosue xxiv. 2. 3. Lingua igitur illa Hebræa Abrahami & ejus posterum incolatu in Cananæa, [illegible] Cananæam propius semper propiusque accessit, nec differt à Punica, nisi dialecti quibusdam proprietatibus, ut à viris eruditissimis ostensum est. Quare verius primævam linguam nullibi puram exstare, sed reliquias ejus esse in linguis omnibus: nomina autem propria Adami, Evæ, & cætera Hebraico sermone à Mose expressa Hebræorum causa eodem significatu qui in primæva lingua fuerat. Sic Curtius milites quosdam ait à Persis vocatos immortales, aditum Ciliciæ ab incolis Pylas dici: qui singulis militum millibus præerant, eos vocatos à Persis Chiliarchos: angustias alias à Persis Susidas Pylas vocari: multaque ejus generis passim apud historicos occurrunt. Eusebius perperam quosdam à Phœnicibus ait vocari ἀγαθοὺς δαίμονας [*bonos Genios*]: Venerem ab Afris Οὐρανίαν [*Cælestem*], Herodianus. In Africa Pithecusæ & Ampelusiæ nomina sunt in Græcum ex Punico translata, teste Diodoro libro xx Mela libro i. Sic quæ Aspis Græcis, Clupea Latinis. Athenæus libro vi. Κελτοὶ ἐπάγονται μεθ' ἑαυτῶν καὶ πολεμοῦντες συμβιωτὰς, οὓς καλοῦσι παρασίτους [*Galli domi militiaque comites & convictores secum ducunt, quos parasitos vocant*]: id est, appellant eos Gallica voce, quæ parasitos significat. Gibbus Marcellino est quem Procopius Κυρτὸν vocat. Idem Procopius pro Venetis aurigis, dicit κυανέων. Amnis Diana, Græcis Λύκος. Et nos Latine scribentes urbem Brabantiæ vocamus Silvam ducis, & Græci interpretes sacrorum librorum, locorum nomina haud pauca Græce ponunt, ut Δρῦν ὑψηλὴν, Βαλανον πένθους, Πόλιν γραμμάτων, Σιαγόνα [*Quercum altam, Glandem luctus, Vrbem literarum, Maxillam*].

3. *Dixitque alter ad proximum suum*] Pars major id cepit consilium.

Lateres pro saxis] Coctiles muri Babylonis, Ovidio: fragili circumdata tecto mœnia, Lucano: figulis munita urbe, Juvenali.

4. *Cujus culmen pertingat ad cælum*] Sic celsæ arbores οὐρανομήκεις [*templis cælestibus æquæ*] Homero. Idem loquendi genus Deut. i. 28. tales substructiones insanas dixit Cicero.

Antequam dividamur in universas terras] An quod Deus discedere illos jusserat, ut vult Josephus, an quod prospiciebant exundaturam multitudinem aliquando, & inde inopiam venturam, si omnes uno in loco coarctarentur.

9. *Idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ*] Videtur hæc vox servata è lingua primæva, unde maneant istæ in linguis variis, βαβάλιον [*cuna*], balbus, babil. Græcorum autem fabulas, qui Babylonis fabricam Semiramidi asscribunt, benè refutat ex Beroso Josephus contra Appionem i. ex Philone Byblio, & ex Dorotheo Sidonio Julius Firmicus. Quia vero confusum est labium, ex hac causa homines Græcis Poëtis μέροπες [*diversivoces*].

32. Et

12. *Et genuit Sale*] de Cainane hic inserto, vide quæ notavimus ad Luc. III. 36.

26. *Genuit Abram*] Hic primus ponitur, non ætatis, sed dignitatis privilegio, ut & supra Sem.

31. *Ur Chaldæorum*] Mansit loco nomen ad Ammiani Marcellini usque tempora, quem vide libro xxv.

Usque Haran] חרן Carræ Romanis, quem locum nunc etiam honorant Saraceni, quod ab Abrahamo fuerit habitatus. Vide Benjaminem.

CARTWRIGTUS.

1. L*Abii unius* שָׂפָה אֶחָת] *Labium* pro *sermone* hic usurpatur, uti etiam Zeph. 3. 9. Linguam istam, quæ universo hominum generi tunc communis fuit, R. Salom. ait esse לשון הקדש linguam sanctam, seu Hebræam. (*a*) Aben Ezra id confirmat ex nominibus Adam, Eva, Cain, Seth, Peleg. Istorum enim nominum ratio non nisi in lingua Hebræa fundatur.

וּדְבָרִים אֲחָדִים *Et eorundem verborum.*] Aben Ezra ait hoc additum esse propterea quod nunc dierum in omni lingua sunt verba, quæ ab omnibus, qui lingua ista loquuntur, non intelliguntur; tunc autem iisdem plane verbis docti indoctique pariter utebantur.

2. *Et fuit cum proficiscerentur* מִקֶּדֶם *ab Oriente.*] Fullerus Miscell. lib. 1. cap. 4. hunc locum fuse edisserit. Partem illam Armeniæ majoris, unde profecti sunt, asserit à campo Babylonico recta ad Septentriones vergere; ac proinde מצפון potius quam מקדם, i. e. à Septentrione potius quam ab Oriente eos profectos esse censendos. Hunc nodum ut solvat, ait primo dici posse ab oriente, intelligendum esse respectu Judææ, aut potius deserti ubi Moses hanc historiam conscripsit. Cum autem hoc minus placeat, ex Strabone notat omnia circa Armeniam esse montosa atque aspera, atque ideo priscos illos mortales faciliorem habuisse descensum in partes Mediæ proximas, atque inde tandem per Assyriæ late patentes campos ad Tigridos ripam pertendisse probabile esse; sic autem iter illud majore sui parte, eaque præcipua, ab Oriente verissime factum judicari. Præterea monet מקדם exponi posse, Orientem versus; ut Gen. 13. 11. Denique asserit commode verti posse ἀπ' ἀρχῆς, uti Aquila reddidit Gen. 2. 8. Et Hieron. à principio. Atque ita hoc in loco Chaldæus, בקדמיתא initio: ut eodem sensu usurpetur, quo Syrorum מן קדים olim, vel ab initio. Ita Syrum Paraphrasten notat transtulisse ἀπ' ἀρχῆς, 1 Joan 2. 23. Atque ita etiam transtulit, 1 Joan. 3. 11.

3. הָבָה *Age, vel Agite.*] הזמינו עצמכם, i. e. *Parate vos ipsos*, ut explicat R. Salom. qui asserit hoc vocabulum ubique significare *se parare*, atque accingere ad aliquid agendum. Atque eadem etiam scribit ad Exod. 1. 10. Aben Ezra notat hanc vocem, *Haba* tum singulariter, tum pluraliter, ac masculine pariter ac fœminine usurpari; radicem autem esse יהב Jahab, i. e. *dedit*.

4. וְרֹאשׁוֹ בַשָּׁמַיִם *Cujus fastigium ad cælum pertingat.*] Ad verb. *Et caput ejus in cælo* (*scil. erit.*) Hyperbolica locutio, qualis est (uti hic notat Aben Ezra) ista Deut. 1. 28. *Urbes sunt magnæ, ac munitæ usque ad cælum.*

פֶּן נָפוּץ *Ne dispergamur.*] Lxx. πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἡμᾶς, antequam dispergamur. Vulg. antequam dividamur. In Hebræo (inquit Lyra) dicitur, *Ut non dispergamur super faciem universæ terræ*, i. e. *ne diluvium superveniens dispergat cadavera nostra super faciem terræ, sicut fecit de prædecessoribus nostris.*

5. *Et descendit Dominus, &c.*] Juxta modum, quo loqui solent homines (inquit Aben Ezra) dicit Scriptura (de Deo) *Et descendit*. R. Tanchuma (uti refert R. Salom.) ait, *Deum hic dici descendisse ad videndum, &c. ut doceantur Judices ne præpropere, causa nondum cognita, reum condemnent.* Istam expositionem sequitur Lyra. Chald. ואתגלי יי לאתפרעא (*b*) Et revelavit se (vel apparuit) Dominus ad puniendum. Similiter exponit R. Moses in More part. 1. cap. 10. Vide ad cap. 18. 21.

6. אֲשֶׁר יָזְמוּ לַעֲשׂוֹת *Quod cogitaverunt facere.*] Mercerus ait זמם idem esse quod חשב nec significare solum *cogitare*, sed *moliri, machinari, temere & audacter suscipere*, quod vulgo dicunt *præsumere*.

7. הָבָה נֵרְדָה *Age descendamus.*] Pulcre ac eleganter R. Salom. *Mensura pro mensura. Illi dixerunt, Age, ædificemus; ac ille eandem vicissim mensuram exhibet, atque ait, Age, descendamus.* (*c*) Lyra ac Mercerus Hebræos secuti putant hoc à Deo Angelis dictum; quod mihi haud probatur; ἀνθρωποπαθῶς potius dictum senserim.

אֲשֶׁר לֹא יִשְׁמְעוּ *Ut non intelligant.*] Ad verb. *audiant*. Et sic Lxx. ἵνα μὴ ἀκούσωσι. Et Vulg. ut non audiant. *Audire* autem ponitur pro *intelligere*, uti 1 Corinth. 14. 2. R. Salom. ait, *Unum postulasse lateres, alterum autem attulisse lutum; atque inde illum in hunc impetum fecisse, ejusque cerebrum dispersisse.* Similia habet Lyra ad ver. 8. Jonathan etiam ver. sequente ait eos se invicem occidisse.

8. *Sic dispersit eos Dominus.*] Cum illi dixissent, *Age, ædificemus, &c. ne dispergamur*, Ita (ut apposite admodum id hic citat R. Salom.) impletum est illud Prov. 10. 24. Quod impius timet, id ei eveniet.

12. *Et vixit Arphaxad, &c.*] Hic etiam, uti supra cap. 5. in annorum supputatione Lxx. ab Hebræo textu plurimum variant.

16. *Et Heber vixit 34. annos, & genuit Peleg.*] An Peleg Heberi primogenitus fuerit, dubitat disputatque Buxtorfius Dissert. 2. thes. 75. at cur aliter sentiamus, nulla videtur satis idonea ratio.

26. *Et Terachus vixit 70. annos, & genuit Abramum, &c.*] Utrum Abram Terachi primogenitus fuerit, multis discutit Buxtorfius Dissert. 2. thes. 67. &c. Quin & non fuisse primogenitum, sed honoris ac dignitatis tantum caussa primo recenseri, uti Sem inter filios Noachi multi, non improbabilibus nixi argumentis, existimant. Vide ad vers. 29. & vers. 32. Et ad cap. 12. 4.

28. *In Ur Chaldæorum.*] Lxx. ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων, in regione Chaldæorum. Vide, si libet, Fuller. Misc. lib. 2. cap. 10. Hieron. in Tradit. reddit ex Hebræo, in igne Chaldæorum. Tradunt autem (inquit) Hebræi ex hac occasione istiusmodi fabulam; quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugerit. Et hoc esse quod nunc dicitur, Mortuus est Aran, &c. in igne Chaldæorum; quod videlicet ignem nolens ignorare, igne consumptus sit. Hujusmodi (*d*) fabulam ex Midrash Agada refert hic R. Salom. nempe Abrahamum à Nimrod, non quod ignem adorare noluerit (ut dicit Hieron.) sed quod simulacra ejus consciderit (על שכתת את צלמיו) in formacem fuisse conjectum, indeque Dei ope liberatum: Haranem autem eo conjectum periisse. Addit Menahenum exponere אור Ur, בקעה, i. e. *Vallem*; atque eo sensu accipi Isai. 24. 15. באורים כבדו יהוה, Aben Ezra putat Mosen appellare locum illum Ur Chaldæorum, quod ipsius tempore ita vulgo vocaretur: tempore autem Abrahami alio nomine fuisse appellatum, cum Chaldæi (Hebraice Chasdim) ex Nahor fratre Abrahami (cujus filius fuit Chesed, Gen. 22. 22.) orti fuerint. Vide infra ad cap. 15. 7.

Et obiit Haran עַל־פְּנֵי תֶּרַח אָבִיו *coram Teracho patre suo.*] Ad verb. *super, vel contra faciem, &c.* h. e. *vivente adhuc & præsente patre suo*, uti interpretatur Fagius in Chald. Paraph. Atque addit, similem locutionem, ex Hebræorum sententia, esse istam in Decalogo, *Non erunt tibi dii alieni* על פני *coram me*, i. e. *me vivente, & præsente.* q. d. Quamdiu ego vivo, & non morior. Ita refert Kimchi explicare in Rad. Lxx. ἐνώπιον Θάῤῥα &c. *coram Tharra, &c.* Vulg. *ante Thare, &c.* Quod est ambiguum. Potest enim vel ita intelligi, in conspectu ipsius Thare, vel, antequam Thare moreretur. Atque ita Lyra, Ipso, inquit, adhuc vivente; quia alii filii Thare post patrem mortui sunt. At על פני non tam prioritatem (ut ita loquar) temporis, quam præsentiam, & conspectum denotat.

Et patris Jischa.] R. Sal. ait Jischan esse (*e*) Saram, atque appellatam esse יִסְכָּה quia סוכה contemplabatur per Spiritum S. Et quia omnes סוכין contemplabantur ejus pulcritudinem. Similia ex Talmude citat Buxtorfius Dissertat. 2. Thes. 73. Aben Ezra etiam testatur hanc veterum esse opinionem, nimirum Jischam esse Saram. Asserit autem uxorem Nahoris hic memorari, ut indicetur genealogia Rebeccæ, & Rachelis, & Leæ. Hieron. in Tradit. eorum sententiam sequitur, qui Jischam & Saram eandem faciunt, atque ait nondum inter patruos,

(*a*) *Ita etiam Targ. Hierosol. & Targ. Ionathæ. Vide Buxtorfii Dissertationem de Antiquitate linguæ Hebraicæ.* (*b*) *Ita etiam Ionathan.*

(*c*) *Ionathan, Dixit Dominus septem angelis, qui stant coram eo, Venite &c.* (*d*) *In eundem etiam modum fabulatur Ionathan.* (*e*) *Ita etiam sentit Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 7. Et August. de Civit. Dei, lib. 16. cap. 19. Targum Jonathæ hic post nomen Ischa addit, היא שרי ea est Sarai.*

truos, & fratrum filias nuptias fuisse prohibitas, quæ in primis hominibus etiam inter fratres & sorores initæ sunt. Lyra ait secundum Hebræos, & omnes alios Expositores, Saram uxorem Abrahami fuisse filiam Haran; atque inde argumentatur Abrahamum fuisse natu minimum ex filiis Thare, etiamsi propter ipsius dignitatem primo nominetur. At Aben Ezra argumentum in contrarium non inepte petit ex vers. 31. ubi Sarai vocatur nurus Terachi. Si enim filius fuisset Haran, dicendum potius esset & Sarai filiam filii ipsius, quemadmodum dicitur, Et Lot filium Haran filii ipsius. Quicquid sit, miror Burgensem, non contentum eo quod Lyra post Hieronymum dixit, Abrahamum scil. accepisse in uxorem fratris sui filiam, quia tunc temporis talis gradus non erat prohibitus, addere, in Lege vereri nunquam fuisse prohibitum. Nam Levit. 18. 14. istiusmodi conjugium diserte prohibetur.

31. *Et accepit Thare, &c.*] Aben Ezra existimat hoc accidisse postquam Dominus Abrahæ dixisset, *Exi è terra tua, &c.* cap. 12. 1. quia dicitur, Ut iret ad terram Canaan. Cum autem Thare Haran venisset, putat eum loci amore captum ibi consedisse, ac mortuum esse.

32. *Et obiit Thare in Haran.*] R. Salom. ait hoc accidisse plus quam sexaginta annis ex quo Abraham egressus ex Haran in terram Canaan venisset. Id quod sic probat; Abraham fuit 75. annorum, cum ex Haran egrederetur; Gen. 12. 4. Thare autem 70. annorum fuit, cum natus est Abraham. Gen. 11. 26. Hinc conficitur Thare tunc cum Abraham ex Haran discessit, fuisse annorum 145. Adhuc igitur multi ex annis ejus restabant; vixit enim annos 205. Ait autem Scripturam ideo prius commemorare mortem Thare, quam discessum Abrahami, ne alioqui res omnibus esset aperta, ac dicerent Abrahamum patrem suum despexisse, cum eum senem reliquerit, atque alio abierit. Addit etiam Thare propterea dici mortuum, quia *impii etiam dum vivunt, dicuntur mortui*, ut contra *justi, etiam cum mortui sunt, dicuntur vivi.* Sed dictum R. Salomonis (inquit Lyra ad cap. 12. 1.) procedit ex suppositione, quod Abram esset primogenitus ipsius Thare, quod improbatum est. Vide plura ad cap. 12. 4.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

1. E*Gredere*] Heb. *Vade tibi.* Et dicit Gerundensis, *Est* משפט הלשון, i. *proprietas linguæ.* Sicut alibi quoque invenitur, *Surgite & transite vobis torrentem.* Nimrodica Ecclesia pene absorpserat Abrahamum: sed est revocatus voce Domini admonentis ut impiam gentem desereret, & quæreret alias sedes. Hoc putamus factum per ipsum Sem, qui erat gubernator Ecclesiæ, & habebat promissionem de Christo. Is à nepotibus suis in magno honore habitus est; & Dominus per eum locutus est ad Abraham, & deinde ad Rebeccam; cum consuleret Dominum. Deus enim loquitur, cum sancti viri Spiritu sancto pleni loquuntur. Jubetur itaque hic *egredi de terra sua*, & infra cap. 15. dicitur *eductus à Domino de Ur Chaldæorum.* Quem locum & D. Stephanus citat, Act. 7. Quomodo autem fuerit eductus, & ob quam causam, Hebræi historiam de hoc scribunt in libro מעשה תורה, quam non gravabor hic annotare. Tribuat ei fidem qui vult. Mihi satis puerilis videtur, etiam si sciam Dei mirabilem esse in sanctis suis. אברהם נער אמר לתרח אביו כי ברא שמים וארץ ויאמר האלהים אשר בביתי הם עושים אמר אברהם אלך ואקריב לפניהם עגה שמא ידעתי כי הקטן נשתן על האחרים ויאמר חי וחי כמרת חלש אותה וראי יש וכן שלא אכלת הקים עצמן ואני אתן לך עגה יפה ויהי כי לא קם וילך לפני הפסל הגדול ואמר לו השיש ידך וקח נא את ברכתי וסעד לבך ולא ענה דבר מיד נחה רוח חכמה ומהרה על אברהם ואמר בלבו אם יקברו באש וראי יש בהם ממש ויבא אש ויאמר אם כח לכם תצילו עצמכם ואם לאו תשיש ויהי כי כשרפו כלם ובא תרח אביו בערב להתפלל לפסליו מצאם שרופים ויאמר לאשתו כי שרף את אלהי ויאמר לא ידעתי וישאל לאברם בנו שמעתי שנגנסת אל אלהי ויאמר אברם אבי אבי ככה וכן היו בכיתך ולא אכלו דבר והיה הקטן חלש מנת בארץ והחמתי עליו והבאתי לו עגה יפה וכשראה הגדול כן שנתתו לקטן חרה כי קנף גדול ושרף אותו וגם עצמו ענה תרח אביו ואמר שוטה גדול בני תעשה תרח עצמו על פסליו וכעס והלך אברם בנו אצל המלך נמרוד ותיק כבר נפשו לפניו ששרף את אלהיו ואמר נמרוד לאברם למה שרפת אלהי אביך ענה אברם ראיתי לקטן חלש מונח על הארץ והבאתי לפניו את עגה וחד אף הגדול ושרף אותו ואת עצמו אמר לו נמרוד הם אינם יכולים לעשות כאלה אמר לו אדוני המלך ראית והבן מה שתוציא מפיך שאינם יכולים לעשות מעשה ואתה תעבוד אלוהים חיים וכלך שלם אשר ברא את השמים ואת הארץ ותעבוד פסלי עץ ענה נמרוד לאברם אני הוא שבראתי את השמים ואת הארץ ויאמר אברם אם כדברך אתי אמר לשמש שתזרח במערב ותשקע במזרח ואני אעבוד אותך כל ימי כששמע נמרוד דבריו שהיו נכוחים תמרה מאד על נער בן אלש שנים וקרא לאצטגניניו ולהם כל הדברים האלה ויאמרו אדני המלך הלא תזכור אותו היום אשר אמרנו לך תינוק נולד לתרח ובו ביום בלע כבבו ארבעה כוכבים באשר עשהו יעשה לו וזה רצו נשרפהו באש כמו שהוא שרף את אלהיו מיד צוה נמרוד הרשע לשרוף כבשן האש והשליכוהו לכבשן ויצא כל העם והמלך ואצטגניניו מקטן ועד גדול לראות שריפות התינוק בן תרח ואמרו מלאכי השרת לפני הב"ה רבונו של עולם נמרוד הצדיק זה מכבשן האש והיו מתקוממין וזה יאמר אני אצילהו וזה יאמר אני אצילהו אמר הב"ה לגבריאל אני יחיד והוא יחידי בעולם אני ארד בעצמי להצילו ואתה גבריאל אל ירע בעיניך תציל זרעו שהם שלשה והם חנניה מישאל ועזריה ירד הב"ה בכבודו ובעצמו הציל לאברהם אבינו מכבשן האש.

2. *Ut sis benedictio*] Hebræi hunc locum sic interpretantur, *Tu eris benedictio illa qua reliqui sibi benedicent: quandoquidem dicturi sunt, Ponat te Deus sicut Abraham.* Nostri putant hic denominationem poni pro denominato; *benedictionem*, pro *benedicto*; *virum benedictionis*, pro *viro benedicto*. Et quod sequitur, *Animas quas fecerant*, Aben Ezra putat intelligendum de servis in domo natis aut pecunia emptis.

6. *Planitiem Moreh*] Secundum Gerundensem est *Moreh* nomen viri Chananæi; sicut & alius locus vocatur *planities Mamre*, à viro Amorræo sic dictus. Est autem planities Moreh in Sichem; Ubi quoque sunt montes Gerizim & Ebal, de quibus in Jehosua. Nec est hic *quercus* pro *planitie* vertendum, ut Steuchus monet, cum hic sit *elon* & non *allon*, omnesque Hebræi interpretentur מישר, præter unum Aben Ezram, qui utramque probat lectionem, nempe quod pro עצים & pro שדה sit accipiendum. Et quod sequitur, *Et transferens inde*, subaudiendum est, *tabernaculum suum*; sicut & id quod paulo post scribitur, *cum applicasset*, seu *appropinquare fecisset*, scilicet familiam suam. Sunt enim verba Hiphil, h. e. transitiva; etiamsi Kimhi dicat nihil referre si absolute capiantur. Notandum quoque hoc loco, quod Hebraismus plerunque plagam occidentalem vocare consuevit mare, ut hic, *Habens Bethel à mari*; quod mare Mediterraneum sit Judææ ad Occasum; Sicut & Aben Ezra his verbis docet, כי למערב ארץ ישראל הוא ים הגדול הספרדי, vocans mare Mediterraneum *mare Hispanicum*.

17. *Propter*] Habet textus, *super verbo Sarai.* Utuntur autem Hebræi *verbo* pro *re* & *causa*. Aben Ezra exponit pro בעבור, *propter*.

FAGIUS.

5. Q*Uas subjecerant legi*] Tenent Hebræi, Abrahamum viros, Saram vero mulieres in vero Dei cultu instituisse, atque ita eos Domino procreasse. Et hanc sententiam secutus est Onkelus.

IDEM.

6. עד אלון מורה, *Usque ad planiciem Moreh.*] Variatio est in voce אלון, quam omnes Hebræi pro *planicie*, sicut & Onkelus reddidit, exponunt. Excepto uno Aben Ezra, qui utramque lectionem probat, ut vel pro עצים *arboribus*, quod Lxx. sequuntur, *quercum* vertentes, vel pro שדה, i. *agro*, *campo* seu *planicie* exponatur. Tu vero scias אֵלוֹן Hebræis *quercum* potius quam אַלּוֹן significare. Facile est autem *Allon* pro *Ellon* legere, præsertim si vocabula non sunt punctata, quæ res nimirum & Lxx. imposuit. Cæterum *Moreh* nomen viri est, teste Gerundensi, sicut & alius locus *planicies Mamre* à viro sic denominato vocatur. Hallucinantur ergo Lxx & Vulgatus interpres, quod מורה pro nomine appellativo exponunt, quasi sit nomen verbale, à verbo ראה *aspexit*, ut quidam autumant, deductum: quasi dicas, *aspectum*, aut *spectabile & perspicuum*. Alii putant hunc locum sic appellatum, quod is sit in quo apparuerit Deus Abrahæ, eique præceperit ut iret in terram visionis, quæ & causa sit cur Lxx verterint *excelsam*, ad prospectum scilicet & visionem aspicientes.

VATABLUS.

1. D*Ixerat autem* ויאמר] Præt. perf. Heb. vertendum per plusquam perfectum, *dixerat*, quum scilicet adhuc esset in Ur Chaldim; & sic interpretatur locum istum Stephanus verba faciens ad Judæos Act. 7. 2. *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ quum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Cha-*

in Charan : & dixit ad illum, Exi de terra tua, &c. ¶ *Abi* לך לך] Ad verbum, *Vade tibi.* Redundat *tibi*, si Latine velis vertere. Gallice dicimus, *Va t'en*, quasi dicas, *Vade te hinc.* Hic incipit tertia hujus libri apud Hebræos sectio, quam denominant ab his duabus dictionibus לך לך, usque ad caput 18. ¶ *Ostendam tibi :* אראך] Ad verbum, *videre faciam te.*

2. *Faciamque te in gentem magnam*, ואעשך לגוי גדול] Hebraismus, *Efficiam ut ex te nascatur gens maxima.* ¶ *Et benedicam tibi*, ואברכך] *Benedicere*, pro *fortunatum ac felicem reddere*, atque etiam *prolem dare*, more Hebraico dicitur, de quo supra c. 1. 22. Est autem expositio præcedentis sententiæ : nam ne desperet Abram se ingentem populum ex semine suo habiturum, quod ejus uxor esset sterilis, benedictionem suam proponit Deus, quæ plus miraculo efficere poterat quam naturaliter in aliis fieri cernitur. Neque tamen ad sobolem tantum pertinet ista benedictio, sed ea etiam significat, se illi prosperos ad lætos in omnibus negotiis successus daturum. ¶ *Ac magnificabo nomen tuum, &c.* ואגדלה שמך וגו׳] Quidam convertunt ו in *ut*, vertentes, *ac magnificabo nomen tuum, ut sis benedictio.* Felicitatem tantam promittit, quæ omnes passim admiratione afficiat, ut sibi Abræ personam in formula benedicendi quasi exemplar sumant, q. d. Reddam nomen tuum celebre, & insigne, ita ut tibi omnes bene precentur; vel, ita ut quum quis posthac bene alteri precabitur, sit precaturus ut illi eveniat sicut tibi evenit.

3. *Benedicam quoque* ואברכה] Quidam nescio quamobrem per præteritum reddunt. Per futurum vertendum esse docet futurum sequens ואאר *maledicam.* Hebraismus, i. favebo ac benefaciam amicis tuis, ac de inimicis tuis sumam vindictam, q. d. Maxima pars orbis terrarum favebit tibi, pauci vero erunt tibi inimici. Mira Dei benignitas quod familiariter paciscitur cum Abraham, quemadmodum solent homines cum sociis ac paribus suis. Hæc enim solennis est fœderum inter Reges & alios formula, ut eosdem sibi fore hostes & amicos mutuo promittant. ¶ *Et benedicentur, &c.* ונברכו בך] Hebræi exponunt, *Qui aliis bene precari volet, utetur hac formula, Feliciter tibi eveniat, ut ipsi Abrahæ evenit.* Verum doctioribus magis placet ut hæc permissio sit prorsus similis illi quæ infra c. 22. 18. clarius repetitur his verbis, *Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ.* Et ipsum semen Paulus esse Christum interpretatur Gal. 3. 16. dicens, *Abrahæ dictæ sunt permissiones, & semini ejus : non dicit, Et seminibus, sed tanquam de uno, Et in semine tuo, qui est Christus. In te* igitur, i. in semine tuo : vel, *propter te*, i. propter semen tuum Christum.

5. *Ac omnem, &c.* ואת כל רכושם וגו׳] *ac omnes opes suas quas possidebant*, vel, *quas sibi comparaverant.* ¶ *Et animas, &c.* ואת הנפש וגו׳] Ad verbum, *& animam quam fecerant.* Singulare pro plur. & *Anima* pro *personis* : servos emptitios intelligit, aut certe vernaculos, h. e. domi suæ natos. Hic primum fit servitutis mentio. ¶ *Ad quam tandem pervenerunt :* ויבאו ארצה כנען] Ad verbum, *& venerunt ad terram Chenaan.*

6. *Sechem, &c.* שכם עד וגו׳] i. usque ad locum qui hac tempestate dicitur *Sichem*, qui olim tempore Abrahæ vocabatur *Quercus Moreh*, vel *Quercetum Moreh*, aut *Convallis Moreh.* Doctus inter Hebræos dicit *Elon* significare *planitiem*, vel *quercum.* Quidam eundem esse locum volunt cum eo qui & *Mamre* dicitur. ¶ *Porro Chenaanæus, &c.* והכנעני אז בארץ] Singul. Heb. pro plur. Porro Chananæi tunc temporis occupabant regionem illam.

7. *Et visus est* וירא] *Et apparuit.* ¶ *Iehova* ליהוה] i. in honorem Jehovæ. Altare istud symbolum fuit gratitudinis in beneficii memoriam, ut illic nomen Dei invocaret, & gratias ageret, ut dicit v. 8.

8. *Transtulit autem se* ויעתק] *Digressus autem :* vel *Transtulit autem*, sub. *tentorium suum* : nam verbum (quorundam opinione) potest esse transitivum, vel intransitivum. ¶ *Ab Oriente ipsi Beth-el*, מקדם לבית אל] i. respectu Bethel erat in Oriente. ¶ *Et ædificavit, &c.* ויבן שם מזבח] His verbis significat, quocunque locorum subinde venit, in externo Dei cultu sese exercuisse, tum ne communes haberet ritus cum impiis, qui passim altaria diis suis exstruebant, tum ut familiam suam in sincera pietate retineret : unde sane non parvam sibi invidiam conflavit. ¶ *Invocavitque, &c.* ויקרא בשם יהוה] *Invocavitque in nomine Iehovæ*, i. professus est verum ac purum Dei cultum, solenni ritu palam faciens, nihil sibi esse commune cum Gentium superstitionibus.

9. *Eundo ac proficiscendo* הלוך ונסוע] Hoc dicit ut ostendat Abram diu progressum fuisse antequam pedem fixisset in regione illa Meridionali ad quam pergebat.

10. *In terra* בארץ] *in ea regione :* in qua scilicet Abram tetenderat tabernaculum. ¶ *Ut peregrinaretur* לגור] *ut velut peregrinus habitaret*, q. d. non perpetuo illic habitaturus, sed ad tempus.

11. *Et fuit, quando, &c.* ויהי כאשר הקריב] *Factumque est, quum jam ingressurus esset Ægyptum.* Alii, *quum admoveret* [sub. *tentorium*] *ut ingrederetur, &c.* ut sit transitivum. ¶ *Ecce nunc* הנה נא] *Iam quidem, Sane, Profecto.* ¶ *Pulchra aspectu* יפת מראה] Hebraismus, *bona formæ*, vel *speciei*, i. formosa.

12. *Unde accidet, &c.* והיה כי יראו] Ad verbum, *Et erit, quum videbunt.* ¶ *Te vero servabunt incolumem*, ואתך יחיו] Ad verbum, *& te vivere facient.*

13. *Vivatque anima mea* וחיתה נפשי] Hebraismus, *donetur mihi vita tui gratia.*

14. *Ut contemplarentur* ויראו] Ad verbum, *& viderunt.*

16. *Benefecit* היטיב] i. multis beneficiis affecit.

17. *Percussionibus* נגעים] *plagis :* ne scilicet uxorem Abræ violaret.

18. *Cur hoc, &c.* מה זאת עשית לי] *Quid est hoc quod fecisti mihi?* ¶ *Indicasti* הגדת] *renuntiasti.*

19. *Et accepi eam, &c.* ואקח אתה וגו׳] Istud ו verti posset in *propter ea :* acsi dicat, Propterea quod affirmasti eam esse sororem tuam, non dubitavi eam ducere uxorem : permittebant enim sibi plures habere uxores.

20. *Viris*, אנשים] i. aliquot ex servis suis. Dat Abræ exeundi copiam : & custodes addit ne prædæ pateat. ¶ *Et dimiserunt eum*, וישלחו אתו] *& concomitati sunt eum.* Alii, *& honorifice deduxerunt ipsum*, sub. *abeuntem.* Significat enim aliquando *honoris gratia deducere aliquem quando abit.* Alii conjungunt præcedentibus, & ו converunt in *ut*, vertentes, *Præcepitque Pharao super eo viris ut eum cum uxore deducerent.*

C L A R I U S.

1. EGredere] Hebraismus habet, *Vade tibi.* Est autem proprietas linguæ; sicut alibi quoque invenitur, *Surgite & transite vobis torrentem.*

2. *Erisque benedictus*] Hebraismus habet, *erisque benedictio :* quod Hebræi sic interpretantur, *Tu eris benedictio illa, qua reliqui benedicendo dicturi sunt, Ponat te Deus sicut Abraham.* Nostri putant hic denominationem poni pro denominato, ut sit *benedictio* pro *benedicto*, *vir benedictionis*, pro *vir benedictus.*

5. *Animas quas fecerant*] Sunt qui putant intelligendum de servis in domo natis, aut pecunia emptis. Observa etiam hic Hebraismum, ut *anima* ponatur pro *ipso homine.*

6. *Usque ad convallem illustrem*] Alius sic vertit, *usque ad planitiem Moreh* : ferturque *Moreh* nomen esse viri Cananæi; sicut & alius locus vocatur *planities Mamre*, à viro Amorræo sic dictus. Est autem planities Moreh in Sichem : ubi quoque sunt montes Gerezim & Abal, de quibus in Josue. 8. ¶ *Et inde transgrediens*] In Hebræo est, *Et transferens inde* : subauditur *tabernaculum suum.* ¶ *Ab Occidente habens Bethel*] In Hebræo est, *à mari :* nam Hebraismus plerunque plagam Occidentalem vocare consuevit *mare*, quod mare Mediterraneum sit Judææ ad Occasum.

D R U S I U S.

1. VAde tibi] In hoc sermone *tibi* eleganter [illegible], ut cum Græci dicunt, *γράψον σοι, scribe tibi*; &, *συγχώρησόν σοι.* Sic Jos. 20. 2. *date vobis*, & 22. 4. *ite vobis.* Simile apud Plautum, *Quid ego tibi deliqui?* Nam satis erat, *Quid ego deliqui.* Aut *tibi* valet *in te*, ut, *Tibi soli peccavi.*

5. *Omnem animam quam fecerant in Haran*] Sensus est, Omnes animas quas fecerant in Haran. Gen. 14. 21. *Da mihi animam*, i. animas : & 36. 6. *omnes animas domus suæ*, ubi LXX. *πάντα τὰ σώματα*, i. omnes servos. Quidam, Omnes animas quas instituerant in religione. Sic, *qui fecit Mosen & Aharonem.* Ad hunc sensum interpretantur Onkelos & Jonathan.

13. *Vivat anima mea*] Idem cum illo, *vivam ego.* Quod pro eo habendum acsi diceret, Non moriar. Nam præcessit, *occident me.* Ut hic, *vivat anima mea*, sic alibi, *Moriatur anima mea morte justorum*, pro *Moriar ego.* Nam anima proprie dicta non moritur. Est enim immortalis. Quæ autem dicitur *mors animæ*, ea est mors secunda, in qua vivens anima pœnis inferni cruciatur. Simile apud Ennium de Hannibale, *quem credi-*

credidit esse meum cor, pro *quem ego credidi esse*. Alii, *vivat anima mea*, i. Vita mea conservetur, Maneam in vita, Non occidar. *Anima* pro *vita* notius est quam ut probari debeat. Licet etiam vertere, *vivet anima mea*.

I D E M.

6. עד אלון מורה Schol. ἕως τῆς δρυὸς Μαμβρῆ, *Usque ad quercum Mambre*] i. ממרא. Verior interpretatio, *usque ad quercum More*. Onkelos, *usque ad convallem More*. Hieron. *usque ad convallem illustrem*. Lxx, ἕως τῆς δρυὸς τῆς ὑψηλῆς, על אלון רם.

8. ויעתק A. μετῆρεν, *transtulit*] Subintelligitur, *se*, aut *tabernaculum suum*. Santes, *transtulit se*: quod Arias mutavit in, *evulsit se*. Miror. Hoc non est emendare, sed depravare. ❡ מקדם] Alius, ἀπὸ θαλάσσης, *à mari*, alius, ἀπὸ δυσμῶν, *ab Occidente*. Notum ut *mare* pro *Occidente* ponatur. Consule Observationes meas.

9. הנגבה *ad Austrum*. A. νότονδε. Sym. εἰς νότον] Νότονδε, ut οὐρανόνδε, *in cælum*. Ergo idem cum illo, εἰς νότον, *in Austrum*, sive *Notum versus*. Quod Ebraice diceretur potius לנגב. Notant Grammatici He in הנגבה & similibus vim habere ל Lamed in לנגב. Cæterum Auster נגב dicitur à siccitate. Nam ea pars mundi siccior est reliquis, idque propter æstum solis qui in meridie vehementissimus.

10. כי כבד הרעב A. ὅτι ἐβαρύνετο ὁ λιμός, *quia gravis erat fames*] Bene ita correxit quod in Lxx. ἐνίσχυσεν, i. גבר *prævaluit*.

NOTÆ MAJORES.

1. *Dixit autem DOMINUS Abramo, Exi è terra tua & è cognatione tua & è domo patris tui in terram quam ostendam tibi.*

Dixit autem] vel potius, *Dixerat autem*, nempe cum adhuc esset in Chaldæa priusquam Carras venisset. Nam ibi hoc oraculum habitum fuisse, salvo meliore judicio, arbitror: nec adversatur Stephanus Protomartyr, qui Mesopotamiæ nomen late sumit, ut etiam Chaldæam comprehendat. Testantur consequa verba, *Tunc exiit è terra Chaldæorum*. Actor. 7. 4. ❡ *Exi*] ἔξελθε. Sensum expressi. Nam in Ebræo ad verbum *Ito tibi*: quod enuntiant לך לך: in quo sermone pronomen לך redundat. Ideo prætermissum ab interprete nostro, *Egredere de terra tua*: & à Græcis quoque, ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου: qui tamen vertere potuissent ἔξελθέ σοι. Nam sic loqui solent. Dicunt συγχώρησόν σοι & γράψον σοι. Latini hanc elegantiam ignorant. Nec plane redundat in textu Ebræo, sed in Latio tantum. Ideo culpandi non sunt interpretes Latini, qui omiserunt. לך ergo i. ito, vade. Nam *exi* proprie יצא dicitur. Hujus radix ילך: ut illius הלך. ❡ *E terra tua*] è patria tua. Sic etiam Latini loquuntur: unde *conterraneus*, quem Barbari compatriotam appellant. Ovidius dixit, *qui meus est orbis*, eodem sensu. ❡ *E cognatione tua*] ἐκ τῆς συγγενείας σου Lxx. quos secutus est Evangelista Lucas Act. 7. 3. Nec aliter Hiero. & Santes. Quidam, *è terra tua h. e. è solo natali*. Nam & quandoque ἐξηγητικὸν est. Sic interpretantur Esth. 2. 10. מולדת Lxx. πατρίδα. Hiero. *patriam*. Sed Esth. 8. 6. melius redditur *cognatio*. Nam ibi non potest significare natale solum. Quid si *è terra tua & ortu tuo?* pro eo quod est è terra ortus tui i. nativitatis tuæ. Nam מולדת ortus. Grammatici Tmesin vocant. Quale illud, *Arma virumque cano*. Scire licet patriam dici & in qua quis habitat. Hoc sensu Nazareth vocatur patria Christi. Ergo non temere adjectum, *& è cognatione tua*. ❡ *Ostendam*] monstrabo, indicabo, δείξω. Sed quare non dicit *in terram Chanaan?* an ut majus desiderium ejus excitaret in animo Abrahami? Quale illud, *filium tuum unicum, quem diligis*: item, *super unum aliquem montium*: &c, *prædica contra eam prædicationem, quam ego loquor ad te*.

2. *Et faciam te in gentem magnam* (Latine, *Faciam te gentem magnam*. Sic infra, *duæ gentes in utero tuo*.) *& benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, erisque benedictio.*

Faciam te ingentem magnam] efficiam, ut evadas in gentem magnam i. ut sis pater magnæ gentis q. d. ex te magnam gentem deducam. On. לעם סגי in populum magnum sive multum: Jon. לעם רב idem aliter. Nam סגי & רב se invicem explicant. Et dicit *in gentem magnam*, quod plus est, quam si dixisset, *in familiam magnam*. Quanquam familia interdum pro gente usurpatur. Nota גוי de Israelitis dici. ❡ *Benedicam tibi*] felicitabo te, accumulaboque omni genere bonorum, h. e. animi, corporis & fortunæ. R. Salo. ad facultates restringit. *Iter*, inquit, *sive peregrinatio tria imminuere solet, generationem, opes & nomen. Ideo securum eum reddit de his tribus. De filiis cum ait, Faciam te ingentem magnam: de nummis sive opibus, inquiens, Benedicam tibi: de nomine per hæc verba, Magnificabo nomen tuum*. Ergo *benedicam tibi* sensus est, ditabo te si credendum Rabbino illi, mihi aliter videtur. ❡ *Magnificabo nomen tuum*] faciam nomen tuum magnum, reddam te celebrem & clarum. Supra, *faciamus nobis nomen*: plus est *magnifacere nomen*. Quidam explicat, *te magno nomine augebo*. Dicimur etiam, *propagare nomen*. ex quo illud, *Qui propagat nomen, amittit nomen*. Nam fama fugientem sequitur, sequentem fugit. Dictum est Pollionis Pharisæi. ❡ *Erisque benedictio*] והיה ברכה *& esto benedictio*. Quod bene Græci reddunt ἔσῃ: & Hiero. *erisque* & On. ותהי & Jon. תהי. Nam in Jerosolymitana, *& erit Abram in benedictiones multas*: cujus autor mihi legisse videtur cum apices abessent, והיה & erit. Sed nihil statuo. *Eris benedictio*, Hiero. explicat, *eris benedictus*: & Lxx. ἔσῃ εὐλογημένος. Sic etiam On. & Jon. Cave Spernas. Plus tamen dicit qui dicit, *eris benedictio*: Sic homo vocatur vanitas & mendacium & ipsa συμφορά i. calamitas. Sunt qui exponant, eris hominibus exemplum, aut formula benedictionis, hac sententia, Qui posthac alicui benedicere volet, dictitabit, Contingat ei talis felicitas, qualis olim Abrahamo contigit. Quin proverbii loco usurpabitur, *Abramo felicior*. R. Salo. *Sunt multa expositiones, sed hæc simplicissima, Homo dicit filio suo, esto sicut Abram. Cui firmando est illud, in te benedicetur Israel dicendo, Ponat te Deus sicut Ephraim & sicut Manasse.*

3. *Et benedicam benedicentibus tibi, maledicentique tibi maledicam: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.*

Benedicam] benefaciam. ❡ *Benedicentibus*] bene precantibus. Jon. *Sacerdotibus qui expandunt manus suas in precibus & benedicunt filiis tuis*. Sed extendi debet latius. ❡ *Tibi*] in quo & posteri, ut supra, *faciam te gentem magnam*. Nam ejus filii evaserunt in gentem magnam. ❡ *Maledicenti*] male precanti. Cur hic usus est numero unitatis? an ut significaret paucos fore qui Abrahamo maledicturi sint? Forsan est enallage numeri. Certe Hiero. vertit, *Maledicentibus tibi*: & Lxx. τοὺς καταρωμένους σε. ❡ *Maledicam*] Malefaciam. Jon. *Balaamo qui maledixit tibi, maledicam: quem gladio interemerunt*. ❡ *Benedicentur*] felicitabuntur, fortunabuntur. ❡ *In te*] per te, aut propter te: vel, *in semine tuo*, h. e. in Christo. Sic Apostolus. On. בדילך propter te, causa tui. Autor Thargum Jerosolymitani, בזכותך merito tuo. Quidam, *per nomen tuum*. Quippe formula, qua sacerdotes populo benedicebant, hujusmodi erat, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob benedicat tibi*: Deinde iterum repetebatur nomen Abrahami, *Deus Abrahami benedicat tibi*. Ita benedictio à nomine ejus incipiebat, & in nomen ejus finiebat sive terminabatur. Testis mihi hujus Nicolaus, quem à Lira oppido Brabantiæ, Liranum cognominarunt, qui hoc annotat ad locum, *erisque benedictio*, quem ad hunc ritum accommodant Ebræorum filii, ut dicat, usurpabit nomen tuum in benedictionibus sacerdotum. ❡ *Familiæ*] Lxx. φυλαὶ i. cognationes, aut populi, nationes, gentes. Nam φυλή, ut alibi probamus, aliquando idem cum φῦλον, quod Græcis gentem designat. ❡ *Terræ*] orbis terrarum.

4. *Et abiit Abram, quemadmodum locutus fuerat ad eum DOMINUS, abiitque cum eo Lot, erat autem Abram septuaginta quinque annorum, cum exiret ex Charan.*

Et abiit] vel, *abierat*, videlicet ante obitum Patris. Sanè præcedit, *ex domo patris tui*. Potuit tamen post mortem patris relinquere domum, hoc est familiam ejus. ❡ *Locutus fuerat ad eum*] דבר אליו. Lxx. ἐλάλησεν αὐτῷ: locutus fuerat ei. Hiero. *præceperat ei* צוה יי. Alius, *dixerat ei*: אמר ליה. Sententia eodem recidit. Nam dicere interdum jubere denotat. Quod notum iis qui libellos meos triverunt. ❡ *Abiitque cum eo*] ᾤχετο μετ᾽ αὐτοῦ. ❡ *Septuaginta quinque annorum*] natus 75. annos. Ad verb. *filius 75. annorum*. Quem Ebraismum retinent On. & Jon. ❡ *Ex Charan*] מחרן ἐκ Χαῤῥάν.

5. *Accepitque Abram Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui, & omnem substantiam eorum, quam acquisiverant, & animas quas fecerant in Charan: exieruntque proficiscendo in terram Canaan, & venerunt in terram Chanaan.*

Accepit] assumsit, ἔλαβεν. ❡ *Fratris sui*] Haran. ❡ *Substantiam eorum*] רכושם i. τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν, ut rectè Græci explicant. Hiero. usurpat vocabulum substantiæ, quo & Quin-

Quintilianus utitur, inquiens, *ut plus substantiæ filio relinquerem* i. facultatum. Lexicon vetus, οὐσία, ὕπαρξις *substantia, opes* : τὰ ὑπάρχοντα, *bona fortuna.* On. &. Jon. כל קנינהון quicquid possidebant. Ad verb. *omnem possessionem ipsorum.* Infra 31. 18. רכוש. Lxx. ὑπόστασιν. Schol. κτῆσιν i. possessionem. Hiero. *substantiam.* ❡ *Quam acquisiverant*] אשר רכשו Lxx. ὅσα ἐκτήσαντο. Hiero. *quam possederant.* On. & Jon. די קנו quam comparaverant sive acquisiverant. Verbum קנה etiam possidere significat. Sic ἐκτήσαντο reddi potest, *acquisiverant.* Hoc verbo usus est Aquila Proverb. 8. יהוה קנני κύριος ἐκτήσατό με i. possedit, vel, acquisivit. Prius erat ἔκτισε i. creavit: sed minus rectè. אשר רכשו verbum pro verbo (liceat mihi sic loqui docendi causa) *quam substantiaverant*, ut substantiare hic intelligatur pro substantiam & facultates acquirere. ❡ *Animas*] הנפש τὴν ψυχὴν, & collective sumitur. Ideo Hiero. vertit *animas*, quem secuti sumus. Nam in Lxx. πᾶσαν ψυχὴν : omnem animam. On. נַפְשָׁתָא quod in Jon. scribitur נַפְשָׁתָא. Hoc animas, illud animam denotat i. הַנֶּפֶשׁ. Eruamus nunc sensum. Exponunt vulgo, *animas* homines, quod peculiariter ad servos & ancillas restringunt. Græci hoc significatu dicerent τὰ σώματα i. mancipia. Animas pro hominibus etiam Latini Autores dicunt. Cicero, *Vos mea carissimæ animæ quam sæpissime ad me scribite.* Horatius lib. 1. Sat. 5. *Occurrunt animæ quales neque candidiores Terra tulit.* Est enim anima præstantior hominis pars, quin ab ea suum esse formamque accipit, ut si eam adimas, jam desinat esse homo. Huc refer, *Octo animæ fuerunt in arca Noe.* Sic alibi, *Capit animas sapiens.* Capit i. docet, aut allicit, flectit: & *animas* i. homines. Nihil vulgatius. ❡ *Quas fecerant*] quas pecunia sibi emerant, aut servi & ancillæ ipsis genuerant. Hos Ebræi vocant ילידי ביתו Latini vernas sive vernaculos. Græci οἰκογενεῖς. Ceterum Græci hic legunt ἐκτήσαντο i. acquisiverant, comparaverant. Quam interpretationem Abenezra roborat, scribens עשו idem esse quod קנו. Sic legimus *facere opus* pro comparare, & Latini dicunt, *facere rem* pro acquirere. On. *quas ad cultum legis adduxerant.* Jon. *quas fecerant proselytos.* En aliam sententiam, *quas fecerant*, quas acquisiverant Deo. Hoc enim est, quod Ebræi dicunt, *proselytum facere.* ❡ *In Charan*] Hinc elicies Abrahamum diutius commoratum esse Charræ, quam quidam opinantur. Erit ergo argumentum contra eos, qui eodem anno inde discessisse contendunt. ❡ *Exiveruntque*] Utrum vivo adhuc Patre, an eo defuncto? De re adhuc incerta & controversa non decerno. Sunt certè ex Ebræis, qui Tharæ post dicessum Abræ vixisse scribant annos 60. ❡ *In terram*] in regionem. ❡ *Chanaan*] nomen hoc strictè sumitur & late. Strictè pro Chananæa proprie dicta; Late pro terra septem gentium, quæ Abrahamo promissa. Hic ergo late accipiemus sensu ita postulante.

6. *Transivitque Abram per terram illam usque ad locum Sichem, usque ad planitiem Moreh : Chananaus autem tunc erat in terra illa.*

Transivit] iter fecit, quod Græci dicunt διώδευσε. ❡ *Per terram illam*] בארץ τῆς γῆς. Articulus hic habet vim ἀναφορικὴν : ideo verti *per terram illam.* Notus alioqui mihi canon ille Hieronymi, *Nomen* הארץ *i. terra de ea accipi debet regione de qua sermo est* : Lxx. addunt εἰς τὸ μῆκος αὐτῆς. Nam longitudo terræ ab Euphrate usque ad fluvium Ægypti, qui Judæam ab Ægypto disterminat. ❡ *Usque ad locum Sichem*] Sichem hic est nomen viri : ideo מקום ponitur in regimine. Sic accipies עד עיר שכם *usque ad urbem Sichem* i. Sichemi, non Sichemum, uti perperam Tremell. exponit. Et est Prolepsis. Nam Sichem Abrahami tempore nondum natus erat. Qui hoc nescit, nihil scit. מקום omnes locum interpretantur, qui Chaldaicè אתר, Græce autem τόπος dicitur. Sed nunc pro urbe sumitur, ut Moses Gerundensis annotat. Sic alibi, *in omnibus locis vestris*, & mox, *in omnibus oppidis vestris.* Idem aliis verbis. ❡ *Usque ad planitiem Moreh*] planities i. מֵישַׁר. Sic. On. & Jon. Sed hic posterior pro מישר habet מירי ממרא ut interpres noster, *usque ad convallem illustrem.* Lxx. ἐπὶ τὴν δρῦν ὑψηλήν, *ad quercum altam.* Meo judicio, Moreh est proprium viri. Cum appellativum est, tunc significat docentem vel Doctorem, ut *Moreh Nebuchim* i. Doctor perplexorum : liber est ejus nominis, quem Moses filius Maimon composuit. Hunc Arabicum vidi apud Scaligerum. Ebraicum exemplar habet, ut mihi aliquando dixit, amicus meus Thomas Bodlæus, qui aliquot obitis legationibus, optime de patria meritus est : nunc ut audio insignem Bibliothecam extruit Oxoniæ. O beatas opes, quæ talem Dominum nactæ sunt! Sed ad propositum. Quercus potius אלון dicitur. Et tamen Santes vertit, *usque ad quercum Moreh.* Ita vertendi autor ei Abenezra, qui אלון exponit per אילן & ait esse genus arborum. Fruatur quisque judicio suo. Ego malim quercetum reddere. Placet autem præ ceteris opinio eorum, qui vertendum putant, *usque ad Elon Moreh*, ut sit locus ita dictus. Qui vero More cum Mamre confundunt, iis à Mercero responsum est. Nam Elon Moreh erat prope Sichem : Elon Mamre non procul ab Hebron distabat. Jam vero More quis fuerit nescitur. Mamre vicus fuit ex fœderatis Abrahami, qui una cum illo expeditionem fecit in Persas vel Assyros. Historia nota est. Abenezra, *Sunt, qui dicunt More esse Mamre fœderatum Abrahæ: Sed rectius sentiunt qui alium esse dicunt : estque Elon Moreh nomen loci.* Contrariam opinionem secutus est Autor Scholii, quod in edit. Romana, τῆς δρυὸς μαμβρῆ. quercus Mambræ. ❡ *Chananaus*] *Chananæi.* Jon. Lxx. ❡ *Erat,*] vel, *habitabat.* Nam verbum nullum est in Ebræo. Sic in oratione legitima, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς subintelligitur ὢν vel οἰκῶν, qui es, vel qui habitas in cœlo. Rectè igitur Lxx. οἱ δὲ χαναναῖοι τότε κατῴκουν τὴν γῆν : Chananæi autem tunc habitabant in terra. ❡ *In terra illa*] Hiero. *in terra* : & intelligitur terra Chanaan, quæ & terra Chananæa dicitur, ut *terra Italia, terra Græcia, terra Gallia.*

7. *Et apparuit* DOMINUS *Abræ dixitque, semini tuo dabo terram istam : tum extruxit ibi altare* DOMINO *qui apparuerat ei.*

Apparuit] On. & Jon. *patefecit se*, nempe in visione, aut per insomnium. Est autem וַיֵּרָא futurum contractum ex integro וַיֵּרָאֶה unde & הנראה אליו qui visus ei fuerat, sive qui apparuerat ei. Hinc Propheta ראה dictus i. videns. ❡ *Semini tuo*] *filiis tuis* On. & Jon. ❡ *Dabo*] jure hæreditario possidendum. ❡ DOMINO] τῷ κυρίῳ. On. & Jon. *coram* DOMINO. קדם יי. ❡ *Qui apparuerat ei*] τῷ ὀφθέντι αὐτῷ. Hic אליו positum pro לו : quomodo & supra אל אברם dixit pro לאברם. Ubi nos posuimus, *tum extruxit*, in fonte est ויבן *&* *extruxit*, καὶ ᾠκοδόμησεν, Hiero. autem vertit, *qui ædificavit.*

8. *Et movit inde ad montem ab Oriente Bethel, tetenditque tabernaculum suum (Bethel erat ab Occidente & Ai ab Oriente) extruxitque ibi altare* DOMINO, *& invocavit nomen* DOMINI.

Et movit] ויעתק & transtulit. Hic repetunt ex sequentibus אהלו tabernaculum suum. Itaque non nemo vertit, *refixit tentorium.* Lxx. habent ἀπέστη, recessit. Hiero. *transgrediens.* Aquila vero μετῆρεν i. transtulit : optime & rectissimè. Nam est verbum transitivum in Ebræo. On. & Jon. ואסתלק i. interprete Fagio, *& profectus est.* Santes, *transtulit se inde* : quod probo. ואסתלק potest verti, *& movit se.* Nam סלק moveo, amoveo, aufero. ❡ *Ad montem*] ההרה εἰς τὸ ὄρος. Utrum ad certum aliquem montem? an ad locum, qui montibus continetur? i. in quo multi montes sunt. Sane Chananæa regio erat montosa : cujus aliqua pars הָהָר dicitur i. τὸ ὄρος Deut. 1. 7. & alibi. Interpretes Latini montana reddunt, ut Græci τὴν ὀρεινήν. Ut ergo ἡ ἵππος vocatur equitatus, & arbor ponitur pro arboreto, & olea pro oliveto : sic mons dicitur locus montosus. ❡ *Bethel*] per anticipationem ita vocat Luz sive Luzam, quæ post Bethel dicta fuit nempe cum Deus ibi Jacobo apparuisset. Sonat autem Bethel, οἶκος θεοῦ i. Domus Dei. Græce est βαιθήλ. Quæ scriptura Chaldaismum respicit. Nam Chaldæi promiscuè dicunt בֵּיתֵהּ & בֵּיתֵיהּ domus ejus. ❡ *Ab occidente*] מים à mari, quod in Scholio quodam Græco ἀπὸ θαλάσσης. Quippe in edit. τῶν ὁ erat κατὰ θάλασσαν, quod reddunt, *ad mare.* In eodem Scholio ἀπ' δυσμῶν : ab occasu. Bona interpretatio Notum ut mare pro occidente ponatur. Nam Judæa in occasu habet mare, quod magnum & Mediterraneum dicitur. Abenezra vocat mare Spanicum sive Hispanicum. Nam סְפָרַד Hispania. Ergo מִיָּם ab occidente. Sic interpretantur On. & Jon. Hiero. Abenezra & alii. Nam omnes nominare longum esset. ❡ *Ai*] nomen oppidi, quod Ebraicè הָעַי scribitur cum articulo. Nam ה articulum esse docet nos On. qui עַי scribit. Alibi est עַיָּא cum Aleph in fine, cui respondet ה apud Ebræos, quando in principio ponitur. Jon. hic in mendo cubat. Nam codex vulgatus עַי habet pro עַי vel, si placet, עַיָּא. In codicibus Græcis ἀγγαί: Aggai. Male. Αὐγὴ in edit. Romana. Similiter peccatum in Michæas, cum scribendum sit Michajas. Sic pro Jessai legitur hodiè Jessæ in exemplaribus latinis. Scripserim libentius ἀγαί unico γ, & cum spiritu aspero. Libri edit. Latin. quam vulgatam appellant Hai & contra consuetudinem & contra analogiam. Forte aspiratio ex articulo. Solitum enim veteribus Ain in medio elidere. Sic dico, potest esse Hai pro Haai, ut Jacob dicimus pro Jaacob. Hoc neque cum analogia pugnat, neque consuetudinem sibi adversam habet. ❡ *Invocavit nomen* DOMINI] capiendum ut ibi, *Tunc captum est invocare nomen* DOMINI. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Nam eadem repetere pudet pigetque. On. & Jon., *precatus est in nomine* DOMINI. Minus dicunt quam verba

ba Ebræa, quæ latè ad omnem cultum divinum extendi possunt. Nam quin sacrificarent, cum dicatur altare extruxisse, nullum omnino dubium est. Ergo etiam sacrificia eo sermone comprehenduntur. Lxx. *ἐπεκαλέσατο ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου.* Editio latina, quam Sixtus V. procuravit, *invocavit in nomine DOMINI.* Abenezra, *invocavit nomen DOMINI : sensus est aut preces fudit coram DOMINO, aut invocavit ut homines solent, quando Deum colunt.* Sane pars præcipua cultus divini est invocatio.

9. *Profectusque est Abram eundo & proficiscendo ad austrum.*

Profectusque est] ויסע. Lxx. *καὶ ἀπῆρεν*, abiit, discessit, profectus est. proprie solvit. On. & Jon. ונטל & profectus est, ut Exod. 14. 15. ויסעו ut proficiscantur. Græce *ἵνα ἀπαίρωσιν.* Ergo נָסַע *ἀπαίρω.* Utrumque significat & aufero, tollo. Hiero. *perrexitque Abram.* ¶ *Eundo & pergendo*] Ita loquendo significat eum non diu hæsisse in itinere, q. d. continenter proficiscendo. Hoc Hiero. retulit, *vadens & ultra proficiscens.* On. & Jon. אזל ונטל vadens & proficiscens. Lxx. *πορευθεὶς ἐστρατοπέδευσεν*, profectus castra habuit. ¶ *Ad austrum*] vel, *ad meridiem*; sive, meridiem versus. Ebraice הנגבה: quod On. & Jon. reddunt לדרומא, & Hiero. *ad meridiem* : & Sym. *εἰς νότον* : & Aquilas *νότονδε.* Quod ita dicitur ut *οὐρανόνδε* : in cœlum. Prius erat in Lxx. *ἐν τῇ ἐρήμῳ* : in eremo. Quippe נגב aliquando terra sicca & arida, videlicet *ἀπὸ τοῦ* נָגַב sicco vel arridus fio. Certè Gen. 8. 13. נגיבו in On. & נגובו in Jon. siccatæ fuerunt. Psal. 126. 4. בנגב. Trem. *in terram siccam.* R. David והוא ארץ יבשה. Tamen Lxx. ibi *ἐν τῷ νότῳ*, & Hiero. *in austro.* Sic alibi כי ארץ הנגב נתתני quia terram siccam dedisti mihi. Abenezra, *latus australe calidum est & per consequens aridum sive siccum. Ideo* נגב *dicitur à verbo Chaldaico* נגב *siccatus est.* Hinc intelligentiam habet Abd. 19. *οἱ ἐν νάγεβ* i. interprete Jonatha, *qui in meridie habitant, qui australem tractum incolunt.* Locus pro hominibus.

10. *Erat autem fames in terra : descendit itaque Abram in Ægyptum ad peregrinandum ibi, quia gravis erat fames in terra.*

Erat autem fames] vel tum erat, cum eo veniret, vel orta est in terra dum ibi esset. Hoc probabilius mihi videtur. ¶ *Fames*] annonæ caritas. Severus, *Ea tempestate gravis annonæ inopia terras incesserat.* Malim dixisset, *terram.* Nam etiam in Lxx. *ἐγένετο λιμὸς ἐπὶ τῆς γῆς.* ¶ *In terra*] Chananæa. Quod nomen hic late sumitur pro terra septem gentium, quæ & terra sancta & terra promissionis. ¶ *Descendit*] proprie. Nam Judæa altior Ægypto. ¶ *Ad peregrinandum*] *ut peregrinaretur.* Hiero. *ἐ παροικῆσαι* Lxx. למדור תמן On. ex quo emendabis Thargum Jonathæ. Nam לאתותבא ibi scriptum. confirmo rectum esse לאתגוררא. Thema גּוּר habito, commoror. גר magis est commorari, quasi dicat, non habitandi causa, sed commorandi ad tempus, dum annona levaretur. Hinc גר advena, peregrinus. Syri גיורא dicunt : unde Giora sive Gioras proselytus. ¶ *Gravis*] i. magna. Sic *grave pretium.* Sallustius, *cum per omnem provinciam in fœcunditate biennis grave pretium fructibus esset.* Sic *bellum grave* Jud. 20. 34. nubes gravis Gen. 12. 7. i. densa : gravis annona. On. & Jon. תקיף fortis, valida. Græci Lxx. *ἐνίσχυσεν*, & eos secutus interpres noster, *prævaluerat.* Aquila, *ἐβαρύνετο*, gravis erat, aut ingravescebat.

11. *Cumque venisset prope Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ, Ecce nunc novi te fœminam esse pulchram aspectu.*

12. *Itaque quando videbunt te Ægyptii, dicent, uxor ipsius hæc est, & occident me, teque in vita conservabunt.*

Cumque venisset prope Ægyptum] ויהי כאשר הקריב לבוא מצרימה *& fuit cum appropinquaret ad ingrediendum sive ingrediendo Ægyptum.* Latine, cum jam appropinquaret Ægypto, vel cum prope esset, ut ingrederetur Ægyptum. Sic interpres vetus. Græci ad verbum interpretantur *ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν Ἄβραμ εἰσελθεῖν εἰς Αἴγυπτον.* Abenezra nos admonet de alia interpretatione. Cum enim הקריב verbum sit conjugationis Hiphil, subaudit מחנהו ut dicat, *admovit castra sua* &c. sed sciendum verbum idem in eadem conjugatione modo transitivum esse, modo neutrum sive intransitivum. Hic ergo intransitive accipiemus, atque ita nihil subaudiendum erit. Sic sane acceperunt cum alii omnes quos consului, tum On. & Jon. Interpretes Chaldæi. Nec ipse Abenezra diffitetur, quin ita accipi quoque possit. Sit hoc ratum & certum, *Commodam interpretationem, quæ nihil subaudit, præferendam esse ei, quæ aliquid subaudit.* ¶ *Ecce nunc novi te.*] Quid? an non antea noverat pulchram esse? Quidam explicant, Nunc cum meridianas istas fœminas contemplor & te cum illis comparo. Jon. *Antehac non contemplatus sum carnem tuam, nunc novi te formosam esse.* Nugæ. Puto vertendum, *Ecce sane novi te* : aut *ecce novi te*, ut נָא otium agat. In qua sententia videtur fuisse Interpres noster, qui particulam illam omisit. Ceteri transferunt *nunc* i. עַתָּה Abenezra: כְּעַן On. כדון Jon. Excipio Græcos Lxx. in quorum editione legitur *γινώσκω ἐγὼ* i. אנא pronomen Chaldaicum. Ebraice אני ego. Quandoque נא & עתה simul leguntur, ut Jon. 4. 3. unde colligas נא non ubique significare nunc : nisi positum עתה נא *ἐν ἀρχῇ* ut latine dicimus *jam nunc.* Ut ut sit, Hosanna in quo eadem particula, Græci reddunt *σῶσον δή* : Latini, *serva quæso*, aut *serva obsecro.* ¶ *Pulchram aspectu*] יפת מראה : Chaldaice שפירת חזו pulchram visu. Talis mulier Græce dicitur *γυνὴ εὐπρόσωπος* : cui opponitur *δυσπρόσωπος*, turpis aspectu. Gallicè, *belle à voir.* Ceterum *εὐπρόσωπος* dicitur & quæ facie formosa est, & quæ membra habet apte composita. Nam *πρόσωπον* externa species rei cujusque. Interpres qui à vulgo nomen habet, *Novi quod mulier pulchra sis* i. יָפָה. Nam יָפֶה pulcher, formosus, speciosus i. *Καλός.* Chaldaice שפיר. Videtur sensum satis bene reddidisse. Sane in Latio vox *aspectu* abesse potest sine damno sententiæ. ¶ *Teque in vita conservabunt*] vel, *vivam conservabunt.* Sensus est, non occident. Servat enim & qui eum quem potest occidere non occidit. Id interpres noster dixit, *reservabunt te* : alius, *servabunt te.* Lxx. *σὲ δὲ περιποιήσονται* : quod reddunt, *te autem servabunt.* Non male. Nam *περιποιοῦμαι* aliquando idem quod *περιποιέω* servo, conservo, tueor. Ambo Chaldæi יתיך יקיימון & te vivam conservabunt. Ceterum hos duos versus quidam in hanc sententiam interpretantur. Equidem novi & certo scio, cum tam pulchra sis, ubi te viderint Ægyptii fore ut me, quem virum esse tuum dicent, occidant, te servata.

13. *Dic obsecro sororem meam esse te, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea propter te.*

Obsecro] נא pro אָנָּה i. amabo, quæso, obsecro. Id Jon. dixit בבעו. Hiero. *obsecro te.* Sic interpretantur הושיעה נא serva quæso, vel, obsecro. On. tamen, *Dic nunc* : & Lxx. *εἰπὸν οὖν* dic igitur. Ne quid celem, Hiero. habet, *dic ergo, obsecro te.* Ergo i. *οὖν* obsecro te i. נָא sive אָנָּה. ¶ *Sororem meam esse te*] אחתי את soror me tu. Desideratur ad plenam orationem כי, quod soror mea tu es. Id Jon. extulit את אחתי. Lxx. *ὅτι ἀδελφὴ αὐτοῦ εἰμι* : soror ejus sum. Nam *ὅτι* in hoc sermone redundat. De hoc facto Abrami alii aliter sentiunt. Ego non video quo pacto excusari possit. Nam non sunt facienda mala ut inde eveniant bona. Prostituere uxorem, aut ei occasionem dare scortandi non leve crimen est. Tamen Augustinus excusat per hæc verba : *Abram in Ægyptum ire famis necessitate compulsus est. Ubi uxorem suam dixit sororem suam, nihil mentitus. Erat enim & hoc, quia propinqua erat sanguine, sicut etiam Lot eadem propinquitate, cum fratris ejus esset filius, frater ejus est dictus. Itaque uxorem tacuit, non negavit, conjugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cavens, ut homo, quoniam si periculum quantum cavere poterat non caveret, magis tentaret Deum, quam speraret in Deo. De qua re contra calumniantem Faustum Manich. multa diximus.* ¶ *Et vivat*] vel, *& vivet.* Ita Lxx. *ἢ ζήσεται.* Idem cum illo, Non morietur anima mea. *Et vivat anima mea* positum pro illo, Vivam ego. Alioqui anima semper vivit, nec unquam moritur. ¶ *Propter te*] בגללך tua causa, vel propter te. Lxx. *ἕνεκεν σοῦ.* Hiero. *ob gratiam tui.* On. בפתגמיך. propter verbum tuum i. propter te. Jon. בדילך. Gal. *par ton moyen.* *Vivat anima mea*, iidem explicant, & bene ita explicant, *ma vie soit preservée* i. vita mea conservetur. On. & Jon. *subsistat anima mea.* Sic מקיים verti posset, *faciens ut tu subsistas*, vel potius, *superstes sis.* Nam קַיָּם superstes, vivus.

14. *Cum igitur venisset Abram in Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem pulchram esse valde.*

15. *Videruntque eam Principes Pharaonis, & laudaverunt eam apud Pharaonem : itaque assumta fuit mulier in domum Pharaonis.*

Venisset in Ægyptum] vel, *ingressus esset Ægyptum.* In Ebræo est ad verbum, *Et fuit cum venisset Abram in Ægyptum & viderunt* : quod non male alii reddunt, *accidit ut viderent.* ¶ *Valde*] מאד i. *σφόδρα.* Hiero. *Nimis.* Quod ei significat valde, ut apud Comicos, *Nimis lepida mulier.* Plautus Casina, *Nisi sim doctus ac dicax nimis.* Sic *nimis facete, nimis docte.* On. & Jon. לַחֲדָא singulariter i. excellenter, unice, magnopere, singularem in modum. ¶ *Principes Pharaonis*] *οἱ ἄρχοντες Φαραώ* i. Regis Ægypti. Non enim est certe nomen proprium Pharao, sed commune Regum illius regionis. Eusebius in Chronico, *Ægyptiorum Reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen; sed pro dignitate Reges tunc utebantur hoc nomine, sicut & apud nos Imperatores*

tores Augusti appellantur. Hoc nos ex libris Manethonis Ægyptii lectum posuimus. Ambrosius in Epist. ad Rom. cap. 9. *Pharao nomen Regum erat apud Ægyptios, sicut & apud Romanos Reges Augusti appellantur.* Hiero. Jes. 30. & Ezec. 29. *Pharao apud Ægyptios nomen est regiæ potestatis & unusquisque speciali appellatur vocabulo, ut Pharao Nechao & Pharao Vafre &c.* Josephus Antiquit. lib. 8. cap. 2. scribit Græce φαραών & ab Ægyptiorum lingua Regem significare. Plura de hoc nomine alias. ¶ *Eam*] formam ejus. ¶ *Apud Pharaonem*] אל פרעה πρὸς Φαραώ i. apud Pharaonem: aut Pharaoni i. לפרעה, ut recte On. & Jon. explicant. ¶ *Assumta fuit*] Hiero. *sublata est.* On. & Jon. ודברת adducta fuit. Lxx. εἰσήγαγον αὐτὴν. *Introduxerunt eam*: והביא אותה. ¶ *In domum Pharaonis*] εἰς τὸν οἶκον Φαραώ. Desideratur autem ל ut לבית פרעה quod On. expressit. Autor Ierosol. *in palatium Regis.* Ion. *in domum regni, quæ erat Pharaonis.* vult dicere, *in regiam*, sive, *in aulam Pharaonis.*

16. *Abramo autem benefecit propter illam: fuerruntque ei oves & boves, & asini, & servi, & ancillæ & asinæ, & Cameli.*

Benefecit] Pharao scilicet. Græci videntur legisse היטיב, aut certe הטיב acceperunt pro הטיבו. Ita enim solet infinitum usurpari quandoque pro præterito. Sic alibi תתן dare pro dedisti. Vertunt quidem certe εὖ ἐχρήσαντο: quos sequendo Hiero. retulit, *bene usi sunt.* Sententia eodem recidit. ¶ *Oves*] πρόβατα.] Ita Lxx. & Hiero. Quanquam צאן latius extendi posset. Nam etiam capras comprehendit. ¶ *Boves*] i. ובקר, ut On. & Ion. erarrant. Sic etiam accipies quod in Lxx. καὶ μόσχοι. Nam qui reddunt *& vituli*, nesciverunt, credo, μόσχον aliquando bovem significare. Ceterum bos proprie שור dicitur, unde תור Sin in Thau mutata. Hic est בקר in Ebræo, quod alias armentum interpretantur: unde *bucerum pecus*, & *bucerea greges.* Lucretius lib. 2.

> *Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles*
> *Buceriaque greges.*

Festus, *Bucerum*, inquit, *de bobus dicimus.* Pluralis בקרים boves: & בקר bubulcus, βόυκολος. licet vertere צאן ובקר *greges & armenta.* Nam armentorum nomine boves appellantur, ut ait Pomponius. ¶ *Asini*] חמרים ὄνοι. Chaldaice חמרין quod ita rectius scribitur, quam חמרין. Quippe singularem habet חמר ad instar בקר quæ forma in plurali, Camets invariatum servat. In tractatu de cultu extraneo repperi חמורה i. Asina. ¶ *Servi*] Lxx. παῖδες: interpres, *pueri.* Malim, *servi.* Nam est עבדים in Ebræo; quæ vox sine ulla ambiguitate servos notat. Pueri etiam οἱ τῇ ἡλικίᾳ νέοι. Idem παῖδες denotat. Hesychius παῖδες, τὸ πάλαι μὲν τέκνα ἀρσενικὰ ἢ θηλυκά. μεταποιήσεως ἢ τῆς χρήσεως νῦν καὶ οἱ δοῦλοι. ¶ *Ancillæ*] Lxx. παιδίσκαι quo vocabulo etiam נערות appellantur i. puellæ. Hic significat ancillas. Nam שפחות in fonte. Sic παῖς & נער i. puer & עבד i. servus. ¶ *Et asinæ*] ואתנת. Chaldaice ואתנן. Lxx habent καὶ ἡμίονοι & muli: quod non probo. Nam mulus Ebraice פרד dicitur. Quanquam mulus ex equa & asino: unde ἡμίονος, quasi semiasinus. Johannes Industrius, οἱ γὰρ ἄνθρωποι ὄνον ἵππῳ μίξαντες ἐπεχνήσαντο ἡμίονον ποιῆσαι. Laudat Steuchus, à quo ego habeo.

17. *Et affecit DOMINUS Pharaonem plagis magnis & domum ejus, propter Sarai uxorem Abram.*

Affecit Pharaonem plagis magnis] Hiero. *flagellavit Pharaonem plagis maximis.* Alius, *inflixit Pharaoni plagas magnas.* Lxx. ἤτασεν ὁ θεὸς τὸν Φαραὼ ἐτασμοῖς μεγάλοις καὶ πονηροῖς, quod reddunt, *afflixit Pharaonem afflictionibus magnis & sævis.* Sic edit. Latina Romana. Lexicon Hesychii, ἐτάζεσθαι, κρίνεσθαι βασανίζεσθαι. Quod si ἐτασμὸς & βασανὸς idem sunt, poterit verti, *affecerunt tormentis.* Alioqui ἐτάζω, examino, inquiro, scrutor, exploro, probo i. בחן, ut Psal. 7. 10. ἐτάζων καρδίας probans corda, quod alius dixit ἐτασὴς καρδιῶν. ¶ *Affecit*] vel, *percussit.* נגע ad verb. *tetigit.* נגע percussit, flagellavit. Tangere autem pro percutere sumitur etiam apud autores Latinos: ex quo illud, *flos tactus aratro* i. perculsus. ¶ *Plagis*]. נגעים i. מכות Exod. 11. 1. נגע Lxx. πληγήν. A. Sym. ἁφὴ i. ictus, plaga, percussio. Psal. 38. 12. נגעים Hiero. *in plagis.* Lxx. ἐν μάστιξι, flagellis. On. & Jon. hic habent בכתשין id est contusionibus. נגעים נגע ut si dicas, *& flagellavit flagellis.* ¶ *Domum ejus*] *homines domus ejus.* On. & Jon. ¶ *Propter Sarai*] על דבר שרי propter verbum Sarai. Sed דבר in Latino sermone redundat. Ideo Hiero. *propter Sarai.* Sic in Chaldaismo בפתגמי propter te On. & Jon. על עסק שרי *propter negotium Sarai.* Gall. *à cause de Sara.*

18. *Itaque vocavit Pharao Abramum, & dixit, Quid hoc fecisti mihi? quare non indicavisti mihi uxorem tuam esse?*

19. *Quare dixisti, soror mea est? & acciperem eam mihi uxorem? nunc igitur ecce uxor tua: cape & abi.*

20. *Præcepitque de eo Pharao viris, qui dimiserunt eum & uxorem ejus & omnia quæ ipsius erant.*

Vocavit Pharao Abramum] tum vocavit cum sciret uxorem ipsius esse Saram quam Sororem esse putabat. Sed unde hoc rescivit? Utrum ex indicio Saræ? an ex revelatione divina? Aliter Josephus, quem vide, si placet, Ant. hist. lib. 1. cap. 9. ¶ *Quid hoc fecisti mihi?*] quare mihi verba dedisti, dicendo sororem tuam esse; quæ uxor erat? vel, quare me in tantum periculum adduxisti? Nam propter te hæc mala persero. Si ingenue fassus fuisses uxorem tuam esse, nunquam de ea ducenda cogitassem. ¶ *Et acciperem*] i. ducerem: quod Chaldæi verbo נסב enuntiant. Possumus vertere *& accepi*, ut dicat, accepere sive ducere in animo habui. Nam non est credibile ipsum duxisse eam: saltem non habuit rem cum ea, Deo ipsius conatum impediente. Josephus, *Cognita rei veritate, Abrahamo satisfecit, sororem se putasse, non uxorem; & affinitatem contrahere, non injuriam inferre voluisse.* ¶ *Cape*] On. & Jon. דבר duc, abduc. Hic דבר aliam significationem habet atque supra ubi legimus, *& ducerem eam mihi uxorem.* Nam certe prius eam duxerat. ¶ *Viris*] hominibus certis, aut viris suis, i. aulicis. ¶ *Qui dimiserunt eum*] vel, *qui deduxerunt eum.* Hiero. *& deduxerunt eum.* Lxx. συμπροπέμψαι αὐτὸν ut una comitarentur & deducerent. Duo innuere videtur: primum dimissum fuisse, deinde deductum à certis quibusdam. Josephus addit donatum magna pecunia: tum etiam potestatem ei factam congrediendi cum Ægyptiorum doctissimis. *Quo factum*, inquit, *ut virtutis nomine in maximam existimationem apud eos veniret.*

AMAMA.

6. Ebr. עד אלון מורה *Gnad elon Moreh.* Vulg. *Usque ad convallem illustrem.*

Interpretes Ebræi dissentiunt in voce prima. Eam enim quidam quercum vel quercetum (quod proprie significant אלה & אלון *allon*) quidam planitiem, convallem reddunt, inter quos est Onkelos מישר. At nullus unquam ita ineptiit, ut *Moreh* nomen proprium verterit *Illustrem.* Certe si ulla affinitas esset inter ista duo, & ullus prætextus erroris, talium notatione me non delassarem. Si proprium non esset, significaret *Doctorem*, unde מורינו doctor noster, vel *rebellem.* Sed tunc erit à ירה alias à מרה. Aberrarunt & hic Lxx. licet alio lapsu, vertunt enim ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλὴν. At quid commune מורה cum excelso, quod Ebræi רם vocant. Nec excusari potest scholion, quod in Bibliis Græcis ἕως δρυὸς μαμβρῆ, usque ad quercum Mamre: Cum diversa loca esse tam evidenter ostenderit Mercerus in Comm. ad hunc locum. Mamre enim ille fuit confœderatus Abrahæ, locusque ille non procul situs fuit ab Hebron. At qui hic memoratur, non procul à Jordane abfuit juxta Sichem. Iam vide Cajet. & Steuchum.

GROTIUS.

1. Veni in terram quam monstrabo tibi] Dictum Pythagoricum ἕπου θεῷ [*Deum sequere*], cujus mentio apud Senecam de Vita beata c. 15. apud Hippodamum, Epictetum, Arrianum libro 11. M. Antoninum, Boethium, laudant & ex hoc loco explicant Clemens Alexandrinus Strom. 11. & Ambrosius ad hunc locum.

3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*] *In te*, id est per te *benedicentur*, id est summa bona accipient. Hoc autem ideo, quia ex Abrahami posteris erat futurus is qui gentibus omnibus ea bona erat præstiturus. Vide infra XXII. 18. XXVI. 4.

5. *Animas quas fecerant in Haran*] Mancipia quæ sibi comparaverant. Sic Apoc. XVIII. 13. ψυχαὶ ἀνθρώπων [*anima hominum*] servi, quos posterior Græcia ψυχάρια [*animulas*] vocavit.

8. *Bethel*] πρόληψις [*Anticipatio*], quales multæ in his libris. Vide infra XXVIII. 19.

Ab occidente habens Bethel] Et ad eum locum versus Deum orabat, ut quam longissime discederet à more Chaldæorum, qui solem orientem superstitiose venerabantur. Contra Christiani ad orientem versi orabant, ad exprimenda loca quædam Scripturæ de Christo agentia, tum & ut à Judæis se discernerent.

11. *Novi quod pulchra sis*] Sic & Græci omisso illo נא־הנה [*agedum*], quod audientiam sibi conciliantis est. Male ergo ex his verbis Hebræi colligunt Saram ante id tempus intactam Abrahamo. Rectius notes molestam peregrinanti fœminam formosam mulierem.

Et nuntiaverunt principes Pharaoni] Ut solent aulici etiam lenocinio gratiam sibi regum quærere. Pharaonis autem nomen Ægypti regibus mansit ad tempora Ezechielis, quem vide XXXII. 2. Forte hinc insula Pharos. Commune nomen apud Herodotum uni datur φέρων [*Pheron*]. Scribitur hoc nomen & φαραώθης [*Pharaothes*], & φερεθώνης [*Pherethones*].

CARTWRIGTUS.

1. ET *dixit*, ויאמר *vel dixerat Dominus Abramo &c.*] Aben Ezra ait hoc dictum fuisse Abrahamo, cum adhuc esset in (*a*) Ur Chaldæorum; atque ideo ei Dominum id tunc præcepisse, quod sciret futurum ut Thare, postquam egressus esset, ut iret in terram Canaan, in Haran habitaret: Thare autem non obiisse nisi post sexaginta annos ex quo Abraham ex Haran è domo patris sui exierit. Mercerus idem sentit, ac vertendum vult, Et dixerat. R. Salom. putat hoc Abrahamo dictum fuisse, cum esset in Haran; ac vult sensum esse, ut adhuc longius à terra sua, utque etiam è domo patris sui discederet. Lyra ait post mortem Thare dictum esse Abrahamo, *Egredere, &c.* ac similiter exponit illud, *Egredere de terra tua*, i. e. *longius recede ab ea.*

לך לך *Vade*] Ad verb. *vade tibi*. R. Salom. exponit להנאתך ולטובתך. i. e. *ob utilitatem ac commoditatem tuam.* Ut nimirum illud לך i. e. *tibi*, emphasin habeat, nec ad sermonis duntaxat ornatum atque elegantiam faciat. Sic Lyra, Litera (inquit) Hebraica sic habet, *Vade tibi, &c.* ac si diceret, *pro utilitate tua vade longius à terra tua.*

3. *Et in te benedictæ erunt omnes familiæ terræ.*] R. Salom. ait simplicem ac literalem sensum esse, futurum, ut quis filio suo dicat, *Sis sicut Abraham.* Id vult, Abrahamum adeo fuisse benedictum, ut qui alteri bene precaretur, eum Abrahamo similem fore optaret. Atque ita phrasin istam semper in Scriptura usurpari asserit: idque confirmat ex Gen. 48. 20. At etiamsi istic, atque etiam alibi fortasse phrasis ista ita usurpetur, hujus tamen loci certiorem interpretem, ipsum nempe Apostolum, habemus, Gal. 3. 8. Hic igitur, in te, idem valet quod, *in semine tuo*, cap. 22. 18.

4. *Erat autem Abram 75. annorum, &c.*] Hieron. in Tradit. ait indissolubilem hinc nasci quæstionem. Si enim (inquit) Thare pater Abrahæ, cum adhuc esset in regione Chaldæorum, 70 annorum genuit Abraham; & postea in Charran ducentesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est; quomodo nunc post mortem Thare, Abraham exiens de Charran, 75 annorum fuisse memoratur, cum à nativitate Abrahæ usque ad mortem patris ejus, 135 anni fuisse doceantur? Hanc quæstionem satis infeliciter solvit. Vera est igitur (inquit) illa Hebræorum traditio, quam (*b*) supra diximus, quod egressus sit Thare cum filiis suis de igne Chaldæorum; & quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus; & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum. Hoc frigidum, & à simplicitate Scripturæ alienissimum merito censet Mercerus. Simeon de Muis (in censura exercitationum Morini in Pentateuchum Samaritanum: pag. 88. &c.) ait hanc quæstionem semper sibi visam inextricabilem; nodum autem non incommode videri expedire, qui volunt Abrahamum non expectata patris morte, ex Haran solvisse. Nam quod mors Tharæ ante Abrahami ex Haran discessum narretur, prolepsin esse sacris literis familiarem. Ad id autem quod objicitur ex Act. 7. 4. responderi, non ita intelligendum esse Stephanum, quasi dicat, postquam mortuus esset Thare, ex Haran primum à Deo eductum Abrahamum, sed translatum tum demum, & collocatum in regione Cananæorum tanquam colonum, qui ante patris mortem magis ibi peregrinatus est, quam habitavit. Eos, qui in hunc modum respondent, niti ait verbo Græco μετῴκισε, quod proprie significat, colonum fecit, unde μετοικία, i. e. colonia. Si hi (inquit) non explent animum, ecce tibi, qui Abrahamum negant fuisse Tharæ primogenitum (neque enim id evincitur ex Gen. 11. 26. sed natu minimum, ac Tharæ quidem natum anno ætatis 130. Addit paullo post, Verum nescio quid sit divinare, si hoc non est, præsertim cum Abraham primus fratrum in genealogiæ contextu, & alias Genes. 11. non semel recenseatur. Hæc ille; at certe recensionis istius ordo ad hoc refellendum non videtur sufficere. Sane (inquit Mercerus) si cum Hebræis, & aliis nostrorum dixerimus, Abrahamum non expectata morte patris è carris solvisse, postquam illic aliquamdiu sedisset, anno scil. ætatis 75. nihil alienum à discursu Scripturæ Veteris Testamenti dicetur. Si quis velit Stephanum ita accipere, quasi intelligat profectum quidem, è Carris Abraham ante mortem patris, sed non nisi post ejus mortem, cum jam diu illic egisset, ejus verum inquilinum factum, ut certo loco sedes fixerit, quia ante è loco in locum migrabat, nec usquam subsistebat; non admodum repugnabo, propter illud κατῴκισε. Ita defendi posset Abrahamum esse primogenitum. Sed nostra sententia potior videtur, ut Abraham non sit (*c*) primogenitus, &c. Ludovicus de Dieu ad Act. 7. monet verbum à Luca usurpatum non esse κατῴκισε, sed μετῴκισε; atque iis verbis, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην, &c. putat non innui terram Canaan universim, sed speciatim determinari eam partem quæ tribui Judæ cesserat, in qua Judæi, quos alloquebatur Stephanus, tum habitabant; adeoque habitationem Abrahami in Mamre, & quidem postquam empto ibi prope Hebron in medio tribus Judæ agro, firmam sedem ibi fixit, quod non nisi mortuo patre contigisse ex historia colligit. Consule autorem ipsum; nam dignus est qui totus perlegatur. Vide etiam, si libet, Manassen in Concil. quæst. 35. in Gen. Illud autem non prætereundum, Morinum in Pent. Samar. exercit. 4 cap. 1. asserere in exemplari Samaritano sic legi, *& fuerunt dies Thare* 145. &c. Unde Muisius loco supra citato, Verum (inquit) quid caussæ est, quod Hieronymus ad solvendam indissolubilem, quam vocat, quæstionem, Samariticum exemplar, quod habebat in manibus, non consuluerit, ac nullam ejus saltem, ut alias interdum solet, mentionem fecerit. Non alia sane caussa esse potest, quàm istud Samariticum exemplar floccifecerit, &c. Mihi autem alia caussa videtur verisimilior, nempe in exemplari isto Samaritico, quo usus est Hieronymus, non istam fuisse lectionem, quam nobis exhibet Morinus: alioqui enim caussam non video, cur Hieronymus hic perinde ac alibi differentiam inter exemplar illud ac textum Hebræum non notaret.

5. ואת הנפש אשר עשו *Et animas quas acquisiverant.*] Ad verb. *Et animam* (singulare pro plurali) *quam fecerant.* Aben Ezra exponit de servis domi natis. Monet autem עשו *fecerant*, posse idem esse quod קנו *acquisiverant*. ut Deuter. 8. 17. עשה לי את החיל הזה, i. e. *acquisivit, vel comparavit mihi facultates seu opes hasce.* Addit nonnullos interpretari de eis, quos instituerant, ac in cultu Dei erudierant. Atque ita R. Salom. qui ait, Abrahamum viros proselytos, Saram mulieres proselytas fecisse. Interea tamen fatetur simplicem sensum esse, servos & ancillas, quas comparaverant. Chaldæus sensum μυστικώτερον sequitur, וית נפשתא דשעבידו לאוריתא i. e. *Et animas, quas subjecerant Legi.* Targ. Hierosol. וית נפשתא גיוריא, i. e. *Et animas proselytarum.* Similiter Targ. Jonathæ, *Et animas, quas proselytas fecerant in Haran.* Mercerus hoc durum putat, ac simplicius esse, *animas* pro *mancipiis & tota familia exponere.*

6. *Usque ad locum Sechem.*] Aben Ezra ait sic appellari per anticipationem; neque enim tempore Abrahami fuisse Sechem. At etiamsi postea tempore Jacobi de Sechem legamus, id haud obstat, quo minus etiam Abrahami tempore, vel antea quispiam ita appellaretur, cujus nomine etiam locus esset insignis.

עד אלון מורה *Usque ad planitiem More.*] Vel, *usque ad quercum More.* Aben Ezra ait אלון idem esse quod אלה, ac voces hasce arbores significare. Nonnullos autem refert exponere אלון per מישור, i. e. *agrum, seu campum.* Chald. מישר, i. e. *planitiem.* Fagius in Collocat. ait omnes Hebræos, excepto Aben Ezra, *Elon planitiem* interpretari. Ac monet Hebræis אלון potius quam אלון *quercum* significare. LXX exponunt δρυῒ, *quercum.* Vulg. *convallem.*

More] Aben Ezra refert quosdam existimare *More* eundem esse qui alibi vocatur *Mamre*, qui cum Abrahamo fœderatus fuit; addit autem forcasse alium fuisse, ac Elon More fuisse locum sic appellatum. LXX & Vulg. appellative acceperant, ac à ראה haud satis congrue deduxisse videntur; ὑψηλὴν, sic illi verterunt; hic, *illustrem.* In Bibliis Græcis scholion quoddam sic habet, ἐπὶ δρυὶ̈ς μαμβρῆ: cum diversa (inquit Amama in Cens.) loca esse evidenter ostenderit Mercerus. Mamre enim ille fuit confœderatus Abrahæ, locusque ille non procul situs ab Hebrone at qui hic memoratur, non procul à Jordane fuit juxta Sichem.

Et Cananæus tunc erat in (*d*) *terra.*] R. Salom. ait terram istam in portione Semi fuisse, cum Noë universam terram inter filios suos diviserit; idque ex eo probat, quod Melchisedec (quem

Semi

(*a*) *Vide cap.* 15. 7. (*b*) *Vide ad cap.* 11. 28.

(*c*) *Expeditissima nodi solutio videtur, Abrahamum non fuisse primogenitum, nec ætatis, sed dignitatis ratione primo loco inter Thare filios recenseri.* (*d*) *Targ. Jon. & Cananæi tunc erant in terra, quod nondum venerat tempus, quo filii Israel eam hæreditarent. Vide Act. 7. 5. & Heb. 11. 8, 9.*

Semi esse volunt Hebræi) rex Salem fuit. Cananæum autem ait terram istam posteris Semi eripuisse, atque ideo Dominum dixisse Abrahamo, se semini ejus terram istam daturum; facturum nempe ut terra ista ad ejus posteros, qui ex semine Semi erant, reverteretur. Aben Ezra ait, fortasse Cananæum terram istam alteri eripuisse, vel mysterium aliquod hic subesse, de quo qui sapit, non temere pronuntiet.

8. מִיָּם *Ab Occasu.*] Lxx κατὰ θάλασσαν, *juxta mare.* ים proprie significat *mare*, sed hic, ut alibi passim, pro *Occidente* ponitur, quia mare magnum, sive Mediterraneum Judææ erat ad Occidentem.

9. הַנֶּגְבָּה *Ad Meridiem.*] Lxx ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deserto.* Hieron. in Tradit. notat hic ac sæpe alibi *pro deserto* in Hebræo esse *austrum.* Aquila νότονδε. Sym. εἰς νότον, *ad austrum.*

10. *Et erat fames in terra.*] כבואו הארץ לבדה, i. e. *in ista terra solummodo*, inquit R. Salom. qui ait hoc fuisse ad tentandum Abrahamum, num Domino se morigerum præberet, qui eum in terram Canaan venire fecerat, unde jam (urgente scil. fame) illico est migrandum.

11. הִנֵּה־נָא *Ecce nunc.*] Lxx & Vulg. hæc verba prorsus omittunt. Aben Ezra ait (e) נא idem significare quod עתה, i. e. *nunc.* Sic Chaldæus vertit כען *nunc.* Et similiter ver. 13. ubi Lxx omittunt; Vulg. *obsecro te.* Atque ita Chaldæus, cap. 19. 18. בבעו, i. e. *quæso*, *obsecro.* Et R. Salom. ibi ait esse לשון בקשה, i. e. *precandi particulam.* Videtur pro ratione loci modo hoc, modo illo sensu usurpari.

Novi te pulcram esse.] Aben Ezra ait in terra unde Sara est oriunda, alias fuisse æque pulcras, in Ægypto autem, ac terra australi nullam ei parem fuisse; pro diversitate enim aëris diversas esse formas. Similiter R. Salom. ait homines inter quos Abraham & Sara tunc versati sunt, fuisse atros ac deformes, & Æthiopibus similes, inter quos rara esset mulier formosa.

19. וָאֶקַּח אֹתָהּ לִי לְאִשָּׁה *Et accepi eam mihi in uxorem.*] Similiter Chaldæus, ודברית יתה לי לאנתו, quod idem sonat. Et Lxx καὶ ἔλαβον αὐτὴν, &c. At vulg. ut *tollerem eam mihi in uxorem.* Quod ita accipi potest, quasi eam in uxorem non accepisset. Aben Ezra non male exponit, ut sensus sit, eum accepisse illam in eum finem, ut sibi uxor esset, utque cum ea concumberet, Dominum autem plagas ei infligendo, inhibuisse eum ne illam contingeret.

20. וַיְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ *Et demiserunt eum.*] Verbum שלח, *mittere*, *dimittere*, *emittere*, supra cap. 3. 23. idem valet ac ejicere; hic autem significat לויה בכבוד, ut monet Aben Ezra, i. e. *deductionem honorificam.* Ita etiam usurpari notat cap. 18. 16. Et Abraham ibat cum eis לשלחם, *ad deducendum eos.* Sic Chaldæus, ואלויאו יתיה *Et deduxerunt eum.* Cui interpretationi subscribit R. Salom.

(e) נא *cap. 22. ver. 2. non potest exponi*, *quæso*; *etiamsi R. Salom. etiam ibi ita, sed inepte admodum, interpretetur. Vide in Addendis ad cap. 27. 3.*

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

1. AD *Austrum*] Quomodo ascendit in Austrum, cum ex Ægypto contenderet in Septentrionem? Respondet R. S. *Ascendit ad locum illum ubi prius tetenderat tabernaculum suum, qui erat Australis respectu terræ Israel, sed quæ tunc erat terra Chanaan.* Et illud quod mox sequitur, *Erat dives valde.* Hebræi sic legunt, *erat gravis valde*, seu *oneratus*, armentis scilicet & pecunia.

9. *Si tu sinistram tenueris*] Utitur hic Hebraismus verbis à *sinistra* & *dextra* formatis, perinde ac si diceres, *Si tu sinistraveris, ego dextrabo.* Et quod sequitur, *Planitiem Jordanis*, Kimhi post Chaldæum interpretem exponit, מישר, ut nos quoque vertimus, *qui est* מקום צמחים *locus germinibus & plantis decoratus.*

10. *Sodoma & Gomorra*] Hebræi legunt, *Sedom*; *Æmora.*

18. *Mamre*] Fuit Mamre vir quidam Æmorrhæus, ut sequenti capite dicitur. Porro convallis Mamre fuit planities quædam arboribus consita, quales ante mœnia civitatum plantari solent, dicit Gerundensis. Venit autem dictio אלוני ab אלון, quod etiam pro מישר *planitie* exponitur, ut sequenti habetur capite. Est & aliud nomen אלון *allon*, quod pro certa quadam arbore ponitur.

FAGIUS.

3. ET *perrexit per profectiones suas*] Varie intelligunt hanc locutionem. R. S. ita accipit quasi Abraham revertens ex Ægypto in omnia illa hospitia rursum diverterit in quæ antea, cum Ægyptum intraverat, diverterat. Ad hanc sententiam nonnihil accedere videtur author Latinæ vulgatæ editionis, qui legit, *Reversusque est per iter quo venerat, a meridie*, &c. Alii sic accipiunt, quod recta perrexerit ac contenderit ad locum Bethel, gratias ibi acturus Domino, qui eum salvum ex Ægypto reduxisset. Potest etiam sic intelligi, Quod incesserit secundum turmas suas, h. e. prout copiæ & turmæ quas secum habebat progredi poterant, illis videlicet sese accommodando. Aben Ezra sentit ista locutione multitudinem turmarum, cum quibus ex Ægypto reversus fuerat, significari, q. d. *Et incessit Abraham cum multis magnisque copiis, à meridie ad Bethel contendendo.*

12. *Tetendit tentoria Sodomam usque*] h. e. ut exponit R. S. *Tetendit tentoria pro pecore ac pastoribus suis Sodomam usque.*

13. *Abutebantur divitiis suis*, &c.] Hæc in textu Chaldaico ad verbum ita leguntur, *Homines Sodomæ mali erant in divitiis suis, & peccabant corporibus suis coram Domino valde.* Sensus est; Tametsi abundarent divitiis, tamen non sublevabant pauperum inopiam; sed abutebantur ad fastum, superbiam, crapulam, omnemque vitæ luxum: Dein etiam corpora sua fœdo, impuro, atque illicito coitu & incestu contaminabant; atque ita graviter Deum offendebant. De peccato Sodomitarum habes etiam apud Ezechielem c. 16.

VATABLUS.

1. AD *Meridiem* הנגבה] h. e. ad locum ubi prius tetenderat tabernaculum suum, qui erat Australis respectu terræ Israel, sed quæ tunc erat terra Chanaan. Vide cap. 12. 9.

2. *Dives* כבד] Ad verbum, *gravis.* i. plenus opibus ac divitiis magnis. q. d. Descenderat in Ægyptum pauper, & ex illa reversus est ditissimus.

3. *Perrexitque per profectiones suas* וילך למסעיו] *Reversusque est per mansiones suas.* ❡ *Usque ad locum* עד המקום] Declaratio est. Vide c. 12. 8. ❡ *In principio*, בתחלה] *initio*, *prius*, *ante.*

4. *Et invocavit*, &c. ויקרא שם וגו] & *invocavit illic Abram in nomine Jehovæ.* Vide c. 12. 8.

6. *Erat substantia eorum multa*, והיה רכושם רב] *Opes eorum multa erant.*

7. *Unde exorta est contentio* ויהי ריב] Ad verbum, *Et fuit rixa.*

8. *Ne nunc* אל נא] *Ne quæso.*

9. *Annon universa terra*, &c. הלא כל הארץ וגו] q. d. Licet tibi eam partem regionis eligere quæ tibi placuerit: regio ista est capax plurimorum, quod sit fœcunda & fertilis. ❡ *Si teris ad sinistram*, &c. אם השמאל וגו] Ad verbum, *Si sinistram* [sub. *elegeris*] *ego dextrabo*: & *si dextram* [sub. *elegeris*] *ego sinistrabo*, i. Si delegeris sinistram, ego ad dextram proficiscar: si vero, &c. Per *sinistram* intelligit Septentrionem; per *dextram* vero, Meridiem. Chaldæus Paraphrastes vertit, *Si ad Septentrionem*, &c.

10. *Vidit* וירא] *contemplatus est*: *consideravit*, ו non vertitur. ❡ *Quod tota esset irrigua*: כי כלה משקה] Ad verbum, *quod irrigatio.* i. Quod scateret tota aquis & amnibus, & ideo amœnissima. ❡ *Ingrediente te in Soar*: באכה צער] i. & ut erat pars illa Ægypti qua itur in Soar, quæ irrigatur tota Nilo.

12. *Et tetendit tabernaculum* ויאהל] Ad verbum: & *tabernaculavit*, si Latine posset dici.

13. *Ipsi Jehovæ* ליהוה] i. Contra Jehovam, vel coram Jehovah.

15. *Usque in seculum*: עד עולם] i. longo tempore.

16. *Quia si poterit quisquam* אם יוכל איש] *Nam si possit quisquam.* Vel, *ita ut si possit quisquam.* Hyperbole est, acsi dicat, Ita multiplicabo semen tuum ut multitudine æquet pulverem terræ: nemo potest numerare pulverem terræ, sic nec semen tuum numerari poterit.

18. *In Quercubus* באלני] i. in Querceto. Chaldæus Paraphrastes *in planitie.* Vide infra c. 18. 1.

CLARIUS.

1. *AD Australem plagam*] Quomodo ascendit ad Austrum, cum ex Ægypto contenderet in Septentrionem? Respondent, eum ascendisse ad locum illum ubi prius tetenderat tabernaculum suum, qui locus erat Australis respectu terræ Israel, sed quæ tunc erat terra Chanaan.

3. *Reversusque est per iter quo venerat*] In Hebræo est, *Et ivit per profectiones suas.*

7. *Chananaus & Pherezaus habitabant in terra*] Redditur ratio cur non possent habitare simul. Sustinuisset, inquit, utrosque terra illa, nisi etiam alii populi eandem occupassent.

9. *Si ad sinistram ieris*] Utitur hic Hebraismus verbis à *sinistra* & *dextra* formatis, perinde ac si diceres, *Si tu sinistraveris, ego dextrabo.*

18. *Convallem Mamre*] Fuit Mamre vir quidam Amorræus. Convallis Mamre fuit planities quædam arboribus consita.

DRUSIUS.

5. וּבָקָר וְאֹהָלִים * καὶ βόες. καὶ σκηναί, *& boves, & tabernacula*] Habetur hoc & in editione Romana. Sed in libris veteribus κτήνη pro σκηναί, i. *jumenta.*

NOTÆ MAJORES.

1. *POst ascendit Abram ex Ægypto, ipse uxorque ejus & omnia quæ habebat, & Lot cum eo meridiem versus.*

2. *Et Abram gravis admodum erat, pecore, argento & auro.*

Ascendit] ἀνέβη. Chaldaice סְלִיק. Prius descenderat in Ægyptum, nunc ascendit ex Ægypto. Hinc probant Judæam Ægypto altiorem esse. Sic alibi, *Ego sum DOMINUS Deus tuus qui ascendere feci te ex Ægypto.* Locus est Jes. 5. 1. cui lux ex hoc loco. Nam per verba illa, *in cornu filio olei*, intelligunt terram Israel, quæ ut R. David ait, altior reliquis terris, quemadmodum cornu in animantibus extat & eminet maxime. ¶ *Uxor ejus*] Sarai. ¶ *Omnia quæ habebat*] ita Hiero. Lxx. πάντα τὰ αὐτοῦ omnia ejus. Alius, *Quicquid erat ei.* Sensus est, cum omnibus facultatibus suis. ¶ *Meridiem versus*] הַנֶּגְבָּה ad austrum i. לדרום, vult dicere, ad australem tractum terræ Israël. Nam is tractus proprie נֶגֶב dicebatur. Alioqui ascendebat aquilonem versus. Nam Ægyptus in meridie sita. Sic dico, Ægyptus australis erat respectu Judææ. Intelligens intelligit quid velim. ¶ *Gravis pecore*] Virgilius hoc dixit, *dives pecoris* Ecloga 2. ¶ *Gravis argento*] i. abundans argento. Sic *gravis auro*, abundans auro. Plautus dixit, *gravis divitiis*, eodem sensu. *Gravis argento*, inquit Festus, *dicitur eo quod ære gravi olim merentur, & penso ære non numerato debitum solvebant: unde pœnas pendere i. solvere, & pensiones dicta.* Lxx. pro *gravis* habent πλούσιος, sensum reddentes.

3. *Et ivit per mansiones suas à meridie & usque Bethel ad locum usque ubi fuerat tabernaculum ejus initio inter Bethel & Ai.*

4. *Ad locum altaris, quod fecerat ibi prius, invocavitque ibi Abram nomen DOMINI.*

Ivit per mansiones suas] quidam, *ivit itineribus suis.* Hiero. *Reversus est per iter quo venerat.* Lxx. ἐπορεύθη ὅθεν ἦλθεν: abiit unde venerat. Quod improbat Hiero. in Traditionibus ita scribens, *Denique non, ut in Lxx legimus, abiit unde venerat in desertum usque Bethel; sed, ficut in Ebræo scriptum est, abiit itinere suo per austrum usque Bethel.* ¶ *Per mansiones suas*] לְמַסָּעָיו. Sunt autem מסעים certa & definita loca, in quibus subsistunt qui iter faciunt. Græci σταθμοὺς appellant: Plinius mansiones: alii castra: nonnulli stativa. Dicuntur etiam ἀπαραὶ & ἀπάρσεις. Hiero. in Epist. ad Fabiolam, *Egressi sunt filii Israël per turmas suas, quas Græci ἀπάρσεις vocant, nos propter linguæ proprietatem significantius mansiones, sive quia de exercitu dicitur castra transtulimus.* Has mansiones Chaldæi מַטְלָנִין vocant à נְטַל profectus est; quod idem cum נָסַע unde מַסָּע mansio. ¶ *A meridie*] vel, *ab austro.* i. ab australi sive meridiano tractu. Id Ebræi dicunt נגב, Chaldæi דרומא. Dictio נגב aliquando significat locum siccaneum: unde Lxx. εἰς τὴν ἔρημον אל הנגב. Nam desertum Judææ in illo tractu. ¶ *Usque Bethel*] ἕως Βαιθήλ: quod scribes Baithel, non Bæthel. Non enim *ai* ibi diphtongus est, ut quidam volunt. Hanc scripturam tuetur Chaldaismus, in quo promiscue בֵּי & בֵּית legitur i. domus mea. Sic עֵינַי oculos meos Dan. 4. 31. ¶ *Tabernaculum*] vel, tentorium. ¶ *Initio*] בַּתְּחִלָּה. Lxx. τὸ πρότερον. Hiero. *prius*: alii, *ante.* Jon. מִלְּקַדְמִין à principio. On. בְּקַדְמֵיתָא. Pro eo quod nos diximus, *ubi fuerat tabernaculum ejus*, & Græci habent οὗ ἦν ἡ σκηνὴ αὐτοῦ, Hiero. edidit, *ubi fixerat tabernaculum.* Sic etiam On. & Jon. nisi quod pro *fixerat* habent, expenderat, tetenderat. ¶ *Inter Bethel & Ai*] ab occidente habens Bethel, ab oriente Ai. supra 12. 8. ¶ *Prius*] vel, *primum.* Id Græci dicunt τὴν ἀρχὴν: Jon. בשירויא in principio. On. בְּקַדְמֵיתָא ut supra. Ebræus בראשונה. Hinc intelliges quid sit Johan. 6. τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν: quem locum Augustinus (hunc autor Juchasin vocat הכופר מורל) olim perperam exposuit.

5. *Sed & Loto, qui cum Abramo ibat, erant oves & boves & tabernacula.*

Qui cum Abramo ibat] τῷ συμπορευομένῳ μετ᾽ Ἄβραμ est in edit. ד׳ ὁ qui una ibat, sive qui comitabatur, aut comes erat itineris. Nec alia mens verborum quæ in Ebræo. Nam quod Jon. interpretatur, *Memor ia ipsius habita fuit ob meritum Abrami*, prorsus alienum est. ¶ *Oves & boves*] vel, *greges & armenta.* צאן tam capræ quam oves: Hiero. *greges ovium & armenta.* Lxx. πρόβατα καὶ βόες. Id secuti sumus. ¶ *Et tabernacula*] καὶ σκηναί. Sic edit. Rom. In aliis est καὶ κτήνη, & jumenta. Tabernacula hic אהלים vocantur tanquam à singulari אהל qui non est in usu. On. & Jon. מַשְׁכְּנִין habent.

6. *Et non sustinebat eos terra ut habitarent simul: Nam substantia eorum multa erat: & non poterant habitare simul.*

Non sustinebat eos terra] ולא נשא אתם הארץ Hiero. *Non poterat eos capere terra.* Lxx. οὐκ ἐχώρει αὐτοὺς ἡ γῆ: non capiebat eos terra. Santes, *non ferebat eos terra.* On. & Jon. ולא סוברת non sustinebat. ¶ *Sustinebat*] capiebat. ¶ *Terra*] vel, *terra illa*, ut articulus sit ἀναφορικός. Sig. autem terram Chanaan. R. Salomo supplet מרעה pascuum, ut dicat, non sufficiebat eis pascuum terræ. *Nam dictio* ארץ, inquit, *fœmnina est.* Hoc verum est communiter ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Næ masculine invenitur cum alibi, tum Psal. 104. 6. ¶ *Substantia eorum*] bona & facultates eorum: τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν. On. & Jon. קִנְיָנְהוֹן possessiones eorum. Autor Jerosol. [illegible] peculium ipsorum. ¶ *Et non poterant*] adeo ut non potuerint.

7. *Fuitque rixa inter pastores pecoris Abram & pastores pecoris Lot: Chananæus autem Pherezæus tunc habitabant in terra.*

Fuit] ἐγένετο, orta est. ¶ *Rixa*] lis, contentio, μάχη i. pugna, jurgium. Chaldaice מצותא. Id On. usurpat. Nam in ceteris דִּינִין quod male legunt דַּיָּנִין i. judices. Reperitur & דינין eodem sensu. proprie judicia i. מִשְׁפָּטִים. Absque apicibus scribunt דינין prorsus ambigue. Sed ambiguitatem tollunt puncta. Nam דַּיָּנִין judices, דִּינִין sive דִּינִין rixæ, contentiones. ¶ *Inter pastores pecoris Abram*] מקנה pecus, tam de majoribus quam de minoribus dicitur. Quidam vertit, *interpecuarios Abram*: quod non displicet. Nam pecuarius, qui pecus pascit. On. *Inter eos qui pascebant pecus Abram.* ¶ *Pecoris*] vel, *pecorum.* Lxx. κτηνῶν. Hiero. *gregum.* Id reprobavi, quia grex עדר dicitur: מקנה aliud est. Chaldaice בְּעִיר pecus. ¶ *Chananæus & Pherezæus*] Lxx. οἱ Χαναναῖοι καὶ οἱ Φερεζαῖοι. recte. Tale est, *Romanus cedendo vicit* i. Romani.. Sic *miles* pro militibus. Ceterum singulari numero usus est On. ut plur. Autor Jerosol. & Ion. Sed quæritur quare pastores inter se contenderint. An pascui gratia? videtur. Nam quod ajunt pastores Loti abegisse pecora in agros Chananæorum & Pherezæorum &c. hoc quam facile dicitur, tam facile negari potest. ¶ *In terra*] in terra Chanaan.

8. *Et dixit Abram Loto, Ne, quæso, sit rixa inter me & te, & inter pastores meos & inter pastores tuos. Nam viri fratres nos sumus.*

9. *Nonne universa terra coram te? separate, obsecro, à me: si ad sinistram iveris, ego ad dextram ibo: si vero dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.*

Rixa] contentio, jurgium. ¶ *Quæso*] נָא quæso, obsecro: vel, *nunc* i. כְּעַן quod reddunt On. & Jon. ¶ *Inter me & te*] Nam contendentibus servis facile poterat contentio inter Dominos oriri, cum, ut par est, quisque suos defendere soleat. ¶ *Viri fratres*] ἄνδρες ἀδελφοί: & fratres i. cognati, affines, propinqui. Erat enim Lot nepos Abrami ex fratre Haran. Hoc sensu in Evangelio Jacobus appellatur frater DOMINI: Autor glossæ ordinariæ ad hunc locum, *Tribus modis dicimur fratres in Sancta Scriptura: natura, ut Jacob & Esau: cognatione, ut Abram & Lot: gente, sicut omnes Judæi.* Adde si placet religione, ut Christiani: & amicitia, ut Hiram & Salomo. ¶ *Coram te*] patet & exposita est tibi. ¶ *Separa te*] הִפָּרֶד separare. Lxx. διαχωρίσθητι. Hiero. *recede.* On. & Jon. אִתְפְּרַשׁ separa te. Recede i. סור vel פירש. ¶ *Si ad sinistram iveris*

iveris &c.] Sensus est ut si diceret, Ito in quam velis partem, ego in diversam ibo. Alii de sinistra & dextera mundi intelligunt: in queis On. & Jon. Nam uterque locum hunc sic interpretatur, *Si ad aquilonem iveris ego ad austrum ibo: & si tu ad austrum, ego ad aquilonem.* Notum ut sinistra ponatur pro septentrione, & dextera pro meridie. Quod olim notavimus in Quæst. ad quas te nunc remitto. Nam piget repetere. Huc retulerim, quod in Lxx. εἰ σὺ εἰς ἀριστερά, ἐγὼ εἰς δεξιά. Subintelligitur autem μέρη. Latine igitur vertes, Si tu ad sinistras partes deflexeris, ego ad dexteras ibo. Ceterum אֵימִנָה verbum est à nomine יָמִין dexteram significante, quasi tudicas, dextrabo. Similiter אשמאלה à nomine שמאל deducitur, in quo præter morem Aleph aliunde inserta, movetur i. legitur.

10. *Sustulit autem Lot oculos suos, & vidit universam planitiem Jordanis, totam esse irriguam, priusquam perdidisset DOMINUS Sodomam & Gomorram, sicut hortus DOMINI, sicut terra Ægypti, qua itur Segoram.*

Sustulit] levavit, erexit, i. זקף: quod in editionibus Chaldæorum. ¶ *Universam planitiem Jordanis*] Lxx. πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου: omnem regionem circa Jordanem, aut circum jacentem Jordani & sub. γῆν vel etiam χώραν. Hiero. *omnem circa regionem Jordanis.* On. & Jon. *omnem planitiem Jordanis.* Nam מישרא planities. Idem כִּכָּר si non fallunt nos interpretes. Quanquam Abenezra interpretatur כִּכַּר dicens significare מקום צמחים locum in quo germina proveniunt. Ut ut sit, planities כִּכָּר dicitur: unde forte כִּכָּר ut בָּבָה dicimus & בָּבַת i. pupilla. ¶ *Jordanis*] adjacentem Jordani. Ebraice הירדן cum articulo, quem On. & Jon. exprimunt, referentes ירדנא. Græci quoque τοῦ Ἰορδάνου. Est autem obliquus à recto Ἰορδάνης. Hodie quidam declinant Jarden, Jardenis. Dictus putatur quod ex Dan descendat. Jarden quasi יורד דן alias מרן: aut à duobus fontibus Jor & Dan, qui simul mixti Jordanis nomen efficiunt. Hiero. Matth. 16. Albinus Quæst. in Genesin pag. 456. Eucherius & alii. Ceterum pro ירדנא repperi & יורדנא videlicet Deut. 3. 17. in Jon. unde Jordanis. ¶ *Totam esse irriguam*] Hiero. *quæ universa irrigabatur*, nempe à Jordane, qui ut autor est Aristeas, circa tempus messis exundare solet, & vicina loca irrigare; perinde ut Nilus in Ægypto, מַשְׁקֶה. Nove hic sumitur pro irrigatione. *Tota erat irrigatio.* i. irrigua, quod Græci dicunt ποτιζομένη. On. & Jon. habent בית שקיא locum irriguum. R. Salo. *terram aquæ torrentibus plenam.* ¶ *Perdidisset*] igne cœlitus dimisso, cui admixtum erat Sulphur & Sal Deut. 29. 23. Ceterum interpretes hic usi sunt verbo subvertendi, quod καταστρέφω dicunt Græci. Loquor de Hiero. & Lxx. Nam Chaldæi ediderunt חַבֵּל perdo. Subverto autem potius הפך dicitur: unde מהפכת סדם eversio sive subversio Sodomæ. Verba diversa, sententia eadem. ¶ *Sicut hortus DOMINI*] Lxx. ὡς ὁ παράδεισος τοῦ θεοῦ, clare significant Paradisum terrestrem, qui olim in Eden. Similiter Hiero. *Sicut Paradisus DOMINI.* Alii, *ut hortus DOMINI*, ut hortus cultissimus. Quippe Deo tribuitur, quicquid in suo genere magnum & eximium est. Sic *arbores Dei*, altissimæ: *flamma DOMINI*, luculenta: *civitas magna coram Deo* &c. Prius verius, meo judicio. Vide nunc, si vis, proverbia mea Clas. 2. lib. 5. adag. 84. Ut hic, *hortus DOMINI*, sic alibi, *hortus Eden*, videlicet Joel 2. 3. & Ezec. 36. 35. *terra ista fuit similis horti Eden.* ¶ *Sicut terra Ægypti*] quam Nilus irrigabat. Ergo irrigua erat, ut Ægyptus: vel irrigua erat & similis Ægypto. Vult dicere tam fertilis quam Ægyptus. Pars Ebræorum, laudatas arbores habebat, ut hortus DOMINI, & semina ut Ægyptus. Jon. *& fructus ut terra Ægypti*: Si modo עללא fructus. Albinus pag. 466. *In Ægypto optima pascua sunt, quando Nilus minus excrescit. Itaque cum gravis illa fames esset sub Josepho, tamen pecoribus Ebræorum pascua non deerant.* ¶ *Qua itur Segoram*] באכה צער qua tu is Segoram. Hic rursum prolepsis. Nam eo tempore Bala dicebatur. Segor primum vocata est post excidium Sodomæ. Dicitur & Seor & Soara: quod minus recte Zoara scribunt. Græce σηγὼρ & ζογορ i. צוער. Est etiam ubi σηγὼρ reperiatur, quæ Scriptura certis de causis mihi displicet. Plura de hoc oppidulo infra vers. 20.

11. *Elegitque sibi Lot universam planitiem Jordanis, & profectus est Lot ab oriente & separati sunt vir à fratre suo.*

12. *Abram habitavit in terra Chanaan, & Lot habitavit in urbibus planitiei, tetenditque tabernaculum Sodomam usque.*

13. *Viri autem Sodomæ mali erant & peccatores DOMINO valde.*

Ab oriente] ita Hiero. Ebraice מקדם quod exponunt versus orientem, ita poscente sententia. Sic alibi, *plantavit hortum* מקדם *in orientali orbis plaga.* Videndus ad hunc locum Mercerus. Lxx. ἀπὸ ἀνατολῶν. On. בקדמיתא in principio i. prior: quasi dicat, ante Abrahamum discessit. Jon. מלמדינחא ab oriente. R. Salo. *Ab oriente occidentem versus.* Abenezra, *Sodoma est in occidua parte urbis Bethel.* Falsum: aut fallunt nos tabulæ geographicæ. Nam profecto aliud nos illæ docent. ¶ *Vir à fratre suo*] alter ab altero. ¶ *Habitavit*] vel, *habitabat.* ¶ *In urbibus planitiei*] in una aliqua urbium planitiei. Græci recte vertunt, ἐν πόλει τῶν περιχώρων i. *in urbe circumjacentium.* Sub. terrarum aut locorum. Circumjacentium, inquam, Iordani. Hoc Hiero. extulit, *in oppidis quæ erant circa Jordanem.* On. & Ion. *in urbibus planitiei.* בקירי מישרא. Unde R. Salomo, כִּכָּר *planities, juxta interpretationem Chaldaicam.* Ceterum locutio est, ut, *sepultus est in urbibus Galaad.* Certum est Lot habitasse Sodomæ, quæ una erat urbium pentapoleos in planitie Iordanis. ¶ *Tetendit tabernacula Sodomam usque.*] Quidam explicant, tendendo tabernacula, pervenit Sodomam usque, ubi sedem domicilii sibi delegit. Vide infra vers. 18. Hiero. *Habitavit in Sodomis.* Prius Græce ediderant, ἐσκήνωσεν ἐν σοδόμοις: quod ambigue dicitur. Nam σκηνόω tentorium tendo, habeo, colloco & habito. Hoc Hiero. elegit. Notum ut אֹהֶל significet etiam domum sive domicilium. Illud secuti sunt interpretes Chaldæi On. & Ion. quorum alter habet פְּרַס tetendit: alter פרס למשכנה tetendit tabernaculum suum. Hæc est veritas interpretationis. Nam pastores tum in tabernaculis degebant. Dicit autem R. Salo. hunc locum enarrans, *Tetendit tabernacula pastoribus suis & pecoribus suis.* Et R. Abraham cognomento Abenezra, *Tetendit tabernacula sua.* ¶ *Viri Sodomæ*] cives Sodomitani, Sodomitæ. Lxx. οἱ ἄνθρωποι οἱ ἐν σοδόμοις: viri qui Sodomis. Nam dicimus etiam τὰ σόδομα. Sic τὰ ἱεροσόλυμα. Hiero. *Homines Sodomitæ.* Talis pleonasmus in *homo Sacerdos*, *mulier ancilla*, ἀνὴρ ἁλιεύς. ¶ *Mali*] πονηροί. Hiero. *pessimi erant.* On. בישין בממונהון i. interprete Fagio, *abutebantur divitiis suis.* Ion. בישין בממונהון דין לדין puto sensum esse, avari & restricti erant alii erga alios. Siquidem perhibent eo ingenio fuisse Sodomitas, ut nemini omnino prodesse voluerint, ne quidem iis, quibus sine incommodo suo prodesse poterant. Unde mores Sodomitani in proverbium abierunt de sordido & avaro. In Avoth, *Qui dicit quod meum est, meum est, & quod tuum est, tuum est, hoc est ingenium mediocre, & sunt qui dicant hujus ingenii fuisse Sodomitas.* Vidi nunc quæ scripsimus in Adagio, *Sodomitani mores.* R. Salo. ex hoc loco emendandus erit. Nam libri editi, *Mali corpore suo, & peccatores pecunia sua*, cum rectum sit, ut existimo, mali i. sordidi pecunia sua, & peccatores corpore: vide sequentia. ¶ *Peccatores*] ἁμαρτωλοί. Accipio ut Psal. 1. 1. *in via peccatorum non stetit.* Hoc significatu peccator & improbus se invicem explicant. On. *peccatores in corpore suo.* Nam masculi in masculos operabantur turpitudinem. Unde vulgo Sodomita vocatur, qui aversæ Veneris nota insignis est: quod vitium apud Christianos Sodomiæ vocabulo innotuit. Ion. *peccatores erant in corpore suo, scortando effundendoque sanguinem innoxium - item exercebant cultum alienum, tum etiam contumaces erant in DOMINUM singulariter.* Severus, *Id oppidum* (de Sodoma loquitur) *infame incolis, viris in viros irruentibus, atque ob id invisum DOMINO fuisse traditur.* ¶ *DOMINO*] Lxx. ἐναντίον τοῦ θεοῦ: coram Deo. Tale est, *justus coram DOMINO.* Nec dissimile, *civitas magna Deo.* Nam utrobique Dei nomen adjectum auxeseos gratia. Notum hoc lippis ac tonsoribus. Aut *coram DOMINO*, dicit quia palam ac publice peccabant. Ion. *rebellabant in nomen DOMINI.* Nam in Ebræo ליהוה quod alii reddunt contra DOMINUM. ¶ *Valde*] & hoc ad auxesin fecit. Propemodum exciderat. In tractatu de cultu extraneo, *via peccatorum*, exponitur פרצת סדום Mores Sodomitani. Plautus vero ut mores impudicos significaret, Massiliensis dixit, *Ubi tues*, inquit, *qui colere mores Massilienses postulas?* Quo spectant Athenæi verba μασσαλιῶται δ' ἐξηλύνθησαν &c.

14. *Dixit autem DOMINUS Abramo, postquam separatus fuisset ab eo Lot, Leva nunc oculos tuos, & vide ab hoc loco ubi es ad aquilonem, ad austrum, & ad orientem, & ad occidentem.*

15. *Nam omnem terram, quam tu vides tibi dabo & semini tuo in seculum usque.*

Separatus fuisset] vel, *separasset se.* Latine, post digressum ab eo Lotum. ¶ *Leva nunc*] זקוף נא On. & Jon. *erige nunc.* Nam זקף erigo. Hiero. *Leva.* Lxx. ἀνάβλεψον. ¶ *Leva*] attolle, sustolle. ¶ *Nunc*] vel *amabo*, licet etiam vertere, *Leva sodes.* ¶ *Vide*] circumspice. ¶ *Ad aquilonem*] nunc

ad

ad septentrionem, vel septentrionem versus. Chaldaice צִפּוּנָא. Græce est πρὸς βοῤῥᾶν: ad boream. Hujus singularis βοῤῥᾶς, idem quod βορέας, pars ea mundi à qua flat boreas, pars aquilonaris. ¶ *Ad austrum*] πρὸς λίβα: ad Africum. Inter נגב & λίβα hoc interest. נֶגֶב est nomen tractus vel plagæ: λὶψ etiam ventum significat, qui latine Afrius, & adversus vulturnum flat. Ad hæc ut Plin. lib. 2. cap. 47. scribit, *A meridie Auster & ab occasu brumali Africus.* Rectius ergo Hiero. *ad meridiem.* ¶ *Et occidentem*] וימה καὶ θάλασσαν, ita Lxx. Ceteri *ad occidentem.* Nec aliter On. & Jon. Notum ut mare pro occidente ponatur. Consule observationes meas. ¶ *Tibi & semini tuo*] Quidam explicant, *Tibi, hoc est semini tuo.* Sed sciendum Abræ datam fuisse terram hanc quam fide apprehendit, suo tempore à posteris ipsius re ipsa possidendam. Infra vers. 17. *Surge, pervade terram quam longe lateque patet: nam tibi dabo eam.* ¶ *Semini tuo*] On. & Jon. *filiis tuis.* ¶ *In seculum usque*] עד עולם. ἕως αἰῶνος, h. e. usque ad tempora Messiæ. Nam tum incipiebat novum seculum, quod aliquando seculum futurum appellatur, ut in adagio, *neque in hoc, neque in futuro seculo.* Aut *in seculum* h. e. in æternum. Nam æternum eam possedissent, nisi fœdus, quod cum Deo pepigerant, toties violassent

16. *Et ponam semen tuum ut pulverem terræ, quod si poterit vir numerare pulverem terræ, & semen tuum numerabitur.*

17. *Surge, perambula terram in longitudinem ejus, & in latitudinem ejus: quia tibi dabo eam.*

Ponam] reddam. Lxx. ποιήσω: ושמתי. Sic etiam Hiero. ¶ *Et pulverem terræ*] tam numerosum, quam est pulvis terræ. ὡς ἡ: reddam innumerabile. Mox se explicat cum ait, *quod si poterit vir &c.* On. & Jon. *Ponam filios tuos multos ut pulverem terræ.* Lxx. ὡς τὴν ἄμμον τῆς γῆς: ut *arenam terræ.* כחול הארץ. Nam etiam arena ἀναρίθμητος. Sed tum potius dicitur *arena maris*, ut Hos. 1. 10. *erit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, quæ nec mensurari nec numerari potest.* ¶ *Quod si poterit vir &c.*] vel, *si possit vir &c. & semen tuum numerari poterit.* On. & Jon. *quemadmodum fieri non potest ut homo numeret pulverem terræ, sic filii tui numerari non poterunt.* ¶ *Vir*] quisquam. ¶ *Numerabitur*] numerari poterit. ¶ *Perambula*] pervade, peragra, διόδευσον. Quia totam videre, ab eo loco in quo erat, non poterat, totam nunc peragrare jubet, quam longe lateque patet. ¶ *In longitudinem ejus*] Autor Hiero. *Chananæam longitudine, quæ à Dan ad Bersabe porrecta jacet, centies & sexagies mille passus continere: latitudine vero, quam ab Ioppe ad Iordanem metimur, sexagies mille.*

18. *Tetenditque Abram tabernacula & venit & habitavit in Elone Mamre, quæ in Chebron: extruxitque ibi altare* DOMINO.

Tetenditque tabernacula & venit] tendendo tabernacula ubicunque subsistebat aut pernoctabat, pervenit tandem ad Elone Mambre, ubi sedem fixit. Hoc significat cum ait, *& habitavit ibi.* Ceterum ויאהל On. explicat נְטָה i. tetendit simpliciter; quomodo Virgilius, *Ferus hic tendebat Achilles*, pro tendebat castra aut tentoria. Lxx. ἀποσκηνώσας contrario sensu. Nam ἀποσκηνοῦν movere tentorium sive tentoria. Hinc Hiero. *movens igitur tabernaculum suum Abram.* Quod mihi sane non improbatur, ut legamus, *movitque tentorium suum &c.* Quod video præter Tremell. etiam Gallicos interpretes elegisse. Ne moveamus cuiquam bilem propterea. ¶ *Tabernacula*] vel, *tabernaculum suum.* Prætuli tamen pluralem, quia etiam pastores sua tabernacula habebant. Thargum Jonathan, *Tetendit tentorium suum* הירן אימר *bobus & ovibus aut agnis.* ¶ *In Elone Mamre*] nomen loci, ut Elon more. Quæ nonnulli confundunt: sed errare eos puto. Mamre vicus erat ex fœderatis Abræ, quorum infra memoriam usurpat. Ab hoc dicta & Hebron mamre, quæ sex stadiis, ut quidam volunt, distabat ab Elone Mamre. Alii Elone Mamre collocant in territorio urbis Hebron. Nihil hac de re mihi compertum. Tandem hoc in On. legi במישר ממרא & apud Hiero. *juxta convallem Mambre*: & in Jon. בחזוי ממרא *in visionibus Mamre*: & in Lxx. παρὰ τὴν δρῦν τῆς μαμβρῆ. Hinc recentior interpretatio, in *planitie Mamre*: alias, *in quercubus Mamre*, sive *in querceto Mamre.* Has interpretationes tantum abest ut damnem, ut lectori liberum relinquendum esse putem eligendi quam velit. באלוני est quod Galli referunt, *es plaines*, numero multitudinis, quasi tu dicas, *in planitiebus.* Hiero. in Quæst. *Sane quercus Abrahæ, quæ & Mamre, usque ad Constantini Regis imperium monstrabatur, & mausoleum ejus in præsentiarum cernitur. Cumque à nostris ibidem ecclesia jam extructa sit, à cunctis in circuitu gentibus terebinthus superstitiose colitur, eo quod sub ea Abraham angelos quondam hospitio susceperit.* *Mamre*] scribitur & Mambre, inserta b, ut in Jambre, Nembrod & similibus. Sed Mamre veritas Scripturæ. Hic infra dicitur frater Eschol & Aver. Erat autem gente Amoræus. Fuit alius eo nomine Ægyptius magus unus ex iis qui Mosi restiterunt coram Pharaone. Hic in novo Fœdere Jambre vocatur. Prior amicitiam coluit cum Abrahamo, à quo & Hebron appellata Mamre. Eusebius in libro locorum, *Mamre, hæc est Hebron, juxta quam sepultus est Abram cum Isahac & Jacob.* Albinus in Genes. pag. 461. *Mamre dicta Hebron, à quodam amicorum Abrahæ.* ¶ *In Hebron*] in tentorio Hebron, vel certe in regione Hebron. Nam etiam regionis nomen est sive montis in quo plures urbes erant: unde 2. Sam. 2. 3. *in urbibus Hebron* & 1. Mach. 5. 65. *Hebron & filias ejus.* R. Jesaias ait totum tractum illum, qui montanus est, ita vocari. Lxx. hic habent ἐν χεβρὼμ, quod mendum est, quale in μαδιὰμ, quale in Ἐδὲμ. Tu emenda χεβρὼν, Hebron, Chebron, ut Hermon, Chermon. Ebraice חברון. Eusebius de locis, *Chebron quæ quondam appellabatur Arbe, licet male in Græcis codicibus habeatur Arboch, condita fuit septem annis antequam Tanis urbs Ægypti conderetur. Fuit & metropolis Enakim, quos gigantes & potentes intelligere debemus.* Videndus etiam Eucherius in Genesin. lib. 2. cap. 16. pag. 71. Sed & Albinus pag. 461. Rursum Eusebius, *Arboch corrupte in nostris codicibus scribitur, cum in Ebræo legatur Arbee i. quatuor, eo quod ibi quatuor patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob sepulti sunt, & Adam magnus, ut in Jesu libro scriptum est: licet eum quidam conditum in loco Calvariæ suspicentur. Hæc est autem eadem Chebron, olim Metropolis Philistinorum, & habitaculum gigantum, regnumque postea David in tribu Juda, civitas sacerdotalis & fugitivorum. Distat ad meridianam plagam ab Ælia millibus circiter viginti duobus.* Et aliquanto post, *Hæc ergo primum Arbee, postea à Chebron uno filiorum Chaleb sortita vocabulum est. Lege verba dierum.* Hucusque Eusebius. Moneo autem non Arbe simpliciter dici, sed Cariath Arbe, quod latine sonat civitas Arbe sive Arbee, & videtur esse nomen proprium viri. Qua de re dicam alias, si Deus permittet. ¶ *Extruxitque ibi altare* DOMINO] Hoc est altare tertium quod Abram extruxit DOMINO, testandi animi causa, cum nihil improbius sit ingratitudine, quam etiam homines detestantur adeo ut qui aliquem ingratum dicit, omnia crimina in eum congerere putetur.

A M A M A.

2. Ebr. *In pecore, auro & argento.* Vulg. *In possessione auri & argenti.*] Hic Interpres Vulg. vocem במקנה junxit cum sequentibus, cum ipsi Cajet. & Steuch. fateantur vertendum esse, *in armento, auro & argento.* Ut enim de punctis, quæ expositioni alteri refragantur, nihil dicam, quomodo vox prior cum seq. construi potest, ut subst. cum substant. in genitivo casu, cum ב duabus posterioribus vocibus præfixa sit? Ideo Lxx. ἐν κτήνεσι, Onkelos בבעירא in jumento.

11. Ebr. *Profectusque est Lot* מקדם mikkedem. Vulg. *Profectusque est Lot ab Oriente.*

At quis ignorat Jordanem, ad cujus ripam sita erat Sodoma, ad orientem terræ Canaan situm fuisse? Ubi olim Sodoma, ibi postea mare mortuum situm fuit, quod à situ orientale vocant, mari magno, quod occidentale appellant, ex diametro oppositum. Quomodo ergo, qui ab occasu orientem versus tendit, dicitur tetendisse, vel profectus ab oriente? sed decepit eum communis usus & significatio particulæ מן in tali connexione. Oblitus est מן aliquando valere idem, quod *versus* vel *ad*, (*a*) & denotare quandoque situm sine motu, aliquando etiam cum motu: sine motu, Gen. 2. *plantavit* מקדם 2. Sam. 6. 2. מבעלי יהודה. ad Baalima Judæ, vel Baalima Judæ versus. Confer cum 1. Chron. 1. 3. 6. ubi in Historia eadem ponitur בעלתה cum ה nota ad locum. Si tumultuabitur hic Pontificiorum aliquis, inspiciat 1. Sam. 14, 5. & videbit מצפון *ad aquilonem* & מנגב *ad meridiem* in ipsa Vulgata versum. Sic & Lxx. hoc ipso cap. vers. 3. מנגב εἰς ἔρημον vertunt. Sic observo partic. ל *ad* Jes. 59. 20. *veniet redemptor* לציון, ab Apostolo Rom. 11. 26. conversum ἐξ Σιὼν. Concludimus itaque cum Jun. & Trem. verti hic debere *Orientem versus*, aut supplendum esse, *Profectus est Lot* in locum, vel regionem, sitam *orientem versus.* Apagite inepuli, qui ubi aqua vobis hæret, a literalis sensus, ut vocatis, paupertate ad allegoriarum divitias transvolatis. Abiit ab Oriente ad occa-

(*a*) *Fullerus Misc. 1. 4. ubi & alium locum ex Gen. 11. 2. adducit, sed simul ostendit eum aliter exponi posse.*

occasum, id est, ut vobis placet, relicta luce vera tetendit in occasum & perniciem suam. Jam didicimus quibus casibus liceat Allegorias sectari. At inter eos non invenimus inscitiam. Ea non debet pædagogus esse ad Allegoriam.

GROTIUS.

7. *Unde facta est rixa inter pastores*] Dicæarchus apud Porphyrium IV. de Abstinentia, ubi vetustissimam pastorum vitam describit: ἤδη γὰρ ἀξιόλογα κτήματα ἦν ὑπάρχοντα, οἱ μὲν ἐπὶ τὸ παρελθεῖν φιλοτιμίαν ἐποιοῦντο, ἀθροιζόμενοί τε καὶ παρακαλοῦντες ἀλλήλους, οἱ δ' ἐπὶ τὸ διαφυλάξαι [*Jam enim res illorum alicujus erant pretii: unde factum est ut alii operam ponerent in rapiendis alienis, multi coacta manu & hortamentis excitata, alii vero in servandis suis*]. Musonius ait, maxime convenire philosopho vitam pastoralem.

9. *Ecce universa terra coram te est*] Major dividat: minor eligat: lex vetus.

Si ad sinistram] id est, ad septentrionem.

Ad dextram] Id est, meridiem versus. Ita Chaldæus, ex familiari Hebræis & eorum vicinis locutione. Non enim illi erant Aristotelici, quibus ortus est dextrum, occasus sinistrum, Polus australis sursum, septentrionalis deorsum. Ægyptiis septentrionalia fuisse dextra, docet nos in Iside Plutarchus, australia læva: orientalia anteriora; occidentalia posteriora.

10. *Sicut paradisus Domini*] Sicut Mesopotamia. Hæc enim & Ægyptus terræ sunt fœcunditatis eximiæ.

11. *Ab oriente*] Sic & Græci ἀπὸ ἀνατολῶν. Sed notandum particulam מן Hebræis sæpe poni pro præpositione versus: ut supra 11. 8. 1 Sam. XIV. 5. II Sam. 11. 2. collato huic loco altero 1 Paralip. XIII. 6.

16. *Sicut pulverem terræ*] Sic Græci ὅσα ψάμμος [*quantus est pulvis*], & ψαμμακόσια [*pulverea*].

17. *Surge & perambula terram*] Dicis causa possessionem sume. Possessio ambulando significatur, l. possideri §. 1. de acq. poss.

CARTWRIGHTUS.

2. *Et Abraham erat* (a) *opulentus, &c.*] Heb. כָּבֵד, i. e. *onustus, gravis*. Inde כָּבוֹד *gloria*, ut ex adverso קָלוֹן *ignominia*, à קַל *levis*, uti hic notat Aben Ezra. Hieronymus hic paullo est argutior; In Hebraica (inquit in Tradit.) veritate scribitur Abram *gravis vehementer*, hoc est, βαρὺς σφόδρα. Ægypti enim pondere gravabatur, & licet videantur esse divitiæ pecoris, auri & argenti; tamen si Ægyptiæ sunt, viro sancto graves sunt. Nota autem Hieronymum hic à vulgata versione discedere, quæ habet in possessione auri & argenti; quod merito reprehendit Amama in Censf. cum in Hebræo sit, בַּמִּקְנֶה בַּכֶּסֶף וּבַזָּהָב, i. e. *in pecore, in argento, & in auro*. Vocabulum מקנה etsi possessionem quandoque denotet, hic tamen pro possessione aliqua ab argento & auro diversâ sumatur necesse est, quia præfixum est vocabulis sequentibus. Alias enim diceretur, בַּמִּקְנֶה כֶּסֶף וְזָהָב. Lxx. cum Hebræo consentiunt, κτήνεσι, καὶ ἀργυρίῳ, καὶ χρυσίῳ. Et Chald. בבעירא בכספא ובדהבא, i. e. *jumento, argento & auro*. מקנה plerunque pro pecore usurpatur; ut Gen. 46. 32. אנשי מקנה היו *viri pecoris sunt*. Vulg. *curam habent alendorum gregum*. Sic Exod. 12. 38. Et alibi.

3. *Et profectus est Abram* לְמַסָּעָיו *per, vel juxta profectiones suas*.] Lxx. ὅθεν ἦλθε, *unde venerat*. Vulg. *per iter, quo venerat*. Videtur id in animo habuisse, quod hic dicit R. Salom. nempe Abrahamum ex Ægypto revertentem, iisdem usum esse diversoriis, quibus cum è Canaan in Ægyptum proficiscebatur, usus est. Atque addit eum didicisse morem terræ, שלא ישנה אדם ממדת אכסניא שלו i. e. *ne quis mutet hospitia sua*.

מנגב *Ab Austro*] Vulg. *à Meridie*. Lxx. εἰς τὴν ἔρημον, *in desertum*. Hic præterquam quod (ut alibi sæpe; vide ad cap. 12. 9.) desertum pro austro ponunt, מן ita interpretantur, ac si motum ad locum denotaret, uti aliquando quidem sumitur, sed perquam raro: proprie enim motum à loco significat, atque ita hic sumendum esse apparet ex cap. 12. 9, 10.

6. וְלֹא־נָשָׂא אֹתָם הָאָרֶץ *Et non tulit eos terra*,] i. e. מרעה הארץ, *pascuum terræ*, ut exponit R. Salom. qui ait ideo in masculino esse נשא *tulit*, cum ארץ *terra* sit fœmininum.

7. וַיְהִי־רִיב *Et fuit contentio, &c.*] Lxx. μάχη, *pugna*. Sic μάχεσθαι, *pugnare*, pro (b) *contendere, litigare* usurpatur 2 Tim. 2. 24. Joan. 6. 52. Et μάχη pro *contentione*, 2 Tim. 2. 23. R Sal. (c) ait hoc inde accidisse, quod pastores Lot cum improbi essent, & in alienis agris pecora sua pascerent, ab Abrahami pastoribus increpabantur. Verisimile est de commoditate pascuorum eos inter se contendisse, uti cum ex ver. præcedenti, tum ex sequentibus colligitur.

11. מִקֶּדֶם *Orientem versus*.] Lxx. ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab Oriente*. Sic Vulg. Drusius in Pentateuch. cap. 30. notat מן aliquando valere *ad, versus*, nec aliter hoc in loco exponi posse, quia Sodoma in Oriente terræ Canaan sita erat, 1 Sam. 14. 5.: מצפון vulgatus vertit, *ad Aquilonem*; & מנגב *ad Meridiem*. Vide ad cap. 11. 2.

13. *Ac peccatores* לַיהוָה *Domino*.] Vulg. *coram Domino*. Lxx. ἐναντίον τοῦ θεοῦ. Hieron. in Tradit. ait hoc à Lxx. Interpretibus superflue esse additum, quia Sodomorum coloni apud homines mali & peccatores erant: ille autem dicitur in conspectu Dei peccator, qui potest apud homines justus videri. At ליהוה hic positum videtur (uti observat Mercerus) pro לפני יהוה, i. e. *coram Domino, seu in conspectu Domini*. Atque hoc additum videtur ad exaggerandam Sodomæorum impietatem; q. d. Omnem penitus Dei timorem excusserunt. R. Salom. sic exponit, יודעים רבונם ומתכוונים למרוד בו, i. e. *Sciebant dominum suum, & de industria in eum rebellabant*. Vide ad cap. 10. 9. Potest exponi, *Domino*, i. e. *in Dominum*; ut Psal. 51. 4. לך *tibi peccavi*, i. e. *in te*.

רָעִים וְחַטָּאִים *Mali & peccatores*.] Aben Ezra illud רעים, *mali*, de eorum inhumanitate interpretatur; atque ait Ezechielem hoc exposuisse, cum dicit, eos manum pauperis ac egeni non confirmasse. Ezech. 16. 49. R Salom. ait eos fuisse רעים בגופם וחטאים בממונם, *corporibus suis malos, ac divitiis peccatores*. Chaldæus prius ad divitias, posterius ad corpora refert. בישין בממונהון וחייבין בגויתהון i. e. (d) *Mali divitiis suis, & peccatores corporibus suis*. Fagius ait sensum esse, eos etiamsi abundarent divitiis, pauperes tamen non sublevasse, sed fastuosos fuisse, ac crapulæ luxuique deditos; dein corpora etiam sua fœdo ac impuro coitu contaminasse.

(a) Lxx. πλούσιος. *Vulg.* dives. *Chald.* תקיף fortis i. e. dives. *Ut* חיל robur, fortitudo, *pro divitiis usurpatur. Uti hic* כבד divitem, *ita cap.* 31. 1. כבוד divitias *significat*.

(b) *Vide infra ad cap.* 26. *ver.* 20. (c) *Similia habet Targ. Jonathæ, & Targ. Hierosol.* (d) *Similiter Jonathan, qui etiam addit eos fuisse idololatras*.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

1. Ælasar] Vulgata editio habet, *Pontus*. Quæ tamen regio longe distat à terra Chnaan, idque ad Occidentem; cum terræ aliorum regum ad Orientem sint sitæ, puta Sinear & Elam juxta Babyloniam. Non igitur Ælasar poterit esse Pontus, sed alia quædam regio aut civitas, Orientalibus regnis vicinior; Sicut & *terram gentium* Hebræi putant esse provinciam in Oriente vicinam Elamitarum & Sinearitarum provinciis.

3. *In valle Siddim*] Errat hic Steuchus, qui pro *valle amœnissimorum agrorum*, putat vertendum, *vallem desertam & devastatam*; cum *Siddim* non per Jamin punctum, sed cum Smol scribatur, & Chaldæus textus quoque habeat חקליא, quod significat *campos & agros*. Nec obstat quod sequitur, *Ubi est mare salis*; quia illo tempore quo reges illi bellum inierunt Sodoma nondum fuit subversa, nec tunc fuit ibi mare illud salsum; sed tempore quo Moses hanc historiam scripsit, jamdiu vallis illa amœna & Paradisi speciem præ se ferens in mare salsum fuit versa. Solus Aben Ezra exponit pro loco ubi סיד, i. *calx*, parabatur. Quod autem sequitur, *Horæum in montanis*, Hebræi legunt, *Horæos in monte suo Seir*, seu ut Chaldæus vertit, *Horæos, quorum mons erat Seir*.

7. *En Mispat*] Nomen est loci, quod interpretatur *oculus*, vel *fons judicii*. Et quod sequitur, *Omnem regionem Amalekitæ*, poterat etiam verti, *Omnem agrum*, &c. Et quanquam Amalek nondum tunc fuerit natus, vocat tamen Moses regionem illam illo nomine quo diebus suis appellabatur.

10. *Plena puteis*] Heb. *Vallis Siddim erat putei bituminis*. Et, ut aliis placet, ex puteis illis accipiebant cæmentum pro ædificiis.

13. *Hebræo*] De hoc nomine vide supra cap. 11.

14. *Expedivit*] Radix verbi Hebraici est רק, quod significat *educere gladium, evaginare*. Vel, ut Aben Ezra exponit, *dedit*

dedit eis arma bellica. Chaldæus habet, וזרז, *Et accinxit adolescentes suos.* Sunt autem חניכים qui assuefacti & instructi sunt in militia vel alia quapiam arte. Et quod sequitur, *Divisus est super eos*, ambiguum sensum habet in Hebræo. Gerundensis sic putat intelligendum, *Insecutus est eos usque in Dan cum toto exercitu suo. Et cum nox irrueret super eos, divisit turmam suam in duas vel tres partes, & ipse sumpta una parte persecutus est hostem, & stravit illum.* R. S. fere idem sentit, qui sic exponit hunc locum, *Cum nox irruisset, & hostes à se invicem dividerentur, divisit & Abram exercitum suum, & repentè irruit super eos*, &c.

17. *Vallis regis*] Onkelos dicit quod erat locus & stadium ubi reges ludebant & sese exercebant.

18. *Rex Salem*] Gerundensis; *Ipsa est Hierusalem, quæ jam hominibus innotescere cœpit quod ad Dei cultum esset deputanda. Et quod Malkisedek panem & vinum lassis ex itinere protulit, voluit Deus hoc indicio significare ipsi Abram, quod illic semen suum esset oblaturum decimas & sacrificia, atque benedicturum Domino.* Hæc ille. D. Paulus in Epist. ad Heb. c. 7. aliud mysterium in hoc sacerdote Malkizedec & oblatione ejus agnovit; *Fuit rex, fuit & sacerdos Dei altissimi; protulit panem & vinum*: omnia in figura Christi, qui est *Sacerdos in æternum secundum ordinem Malkizedec*, Psal. 110. Et quod subditur, *Benedixitque ei*, sensus est, Laudavit & virtutem ejus commendavit. Et quando rursum subditur, *Qui tradidit hostes tuos*, verbi radix est מגן, & non גנן, *protexit.* Quod vulgata editio me annotare coegit. Item quod sequitur, *Si à filo*, Aben Ezra sic exponit, *Si à filo quo sartores vestimenta consuunt, usque ad corigiam, quæ est* עד הקשר הנעל, *i. pellis calciamentum constringens*, &c.

F A G I U S.

3. *In planitie agrorum*] Sic appellata fuit hæc planities quod multos haberet agros aratos. Aben Ezra vocem Hebraicam שדים non à שדה *Sadeh*, quæ *agrum cultum* significat, deducit, sed à שיד, quod *calcem* & *bitumen* significat, quod hæc vallis multum bituminis habuerit; Sicut & postea sequitur, quod multi putei bituminis ibi fuerunt. Ibi postea quoque eversa Sodoma, collectum est mare Salsum. quod *à sale* qui mixtus fuit pluviæ cœlesti, qua Sodoma perdita & eversa fuit, nuncupatum fuisse Hebræorum quidam arbitrantur. Profani authores *mare mortuum* vocant, quod nihil vivum præter bitumen gignat.

7. *Ubi dirimebantur lites judicio*] Sensum ipse expressi, Nam Chaldaica ad verbum sic habent, *Et reversi venerunt in planitiem divisionis judicii.* Ita enim locus iste nominatus fuit a judiciis & causis forensibus, propter quas incolæ ejus regionis ibi conveniebant, sicut etiam R. S. Onkelum explicans, in suo commentario meminit.

17. *In vallem planam ubi erat locus exercitii regii*] Ita appellata fuit, quod nullis arboribus aliisque obstaculis impedita esset, sed tam plana ut regiis exercitiis apta & deputata esset. Chaldaica ad literam ita habent, *In planitiem vacuam. Ipse erat locus stadii regis.*

18. *Protulit panem & vinum*] Referunt Hebræi, moris fuisse, redeuntibus è bello & victoria potitis pane & vino resocillandi causa obviam ire, eosque ita excipere. Cujus rei etiam alio in loco Scripturæ exemplum habemus, nempe Judic. 8. ubi Gideon cæsis Medianitis, insectando qui supererant seque in fugam dederant, ad viros Succoth dicebat, *Date, Quæso, populo qui me comitatur massas panum; quoniam fatigati sunt: & ego persequar Zeba & Zalmuna reges Midian. Et responderunt principes Succoth. Nunquid manus Zeba & Zalmuna jam est in manu tua, ut tradamus exercitui tuo panes?* His conveniunt quæ & Fl. Josephus in hunc scribit locum, *Ministravit autem*, inquit, *Melchisedech Abrahami exercitui xenia, & multam abundantiam rerum opportunarum simul exhibuit, & super epulas eum collaudare cœpit, & benedicere Deum, qui ei subdiderat inimicos.* Hæc ille.

20. *Unum ex decem*] Chaldaismus est, pro *De decimis dedit ei unam partem*, hoc est, *Decimas dedit ei*, ut habet veritas Hebraica.

22. *Levavi manus meas per orationem coram Domino*, &c.] Horum verborum duplex potest esse sensus. Vel quod Abraham, insectaturus reges qui fratrem ex Sodomis abduxerant, prius ardentem orationem ad Dominum fuderit, qua, si Dominus victoriam concederet, juramento se obstrinxit, nihil se de bonis illorum accepturum, sed tantum homines quos captivaverant esse erepturum; atque hæc nunc commemorare Melchisedecho. Vel quod præsente jam Melchisedecho juraverit, se plane nihil de bonis illius recuperatis accepturum, adhibita simul causa, ut in textu commemoratur. Nota idiotismum, *levare manum*, manum, pro *jurare*, Modus enim rei pro ipsa re ponitur.

I D E M.

14. ומלכי־צדק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון, *Et Malkizedec rex Salem protulit panem & vinum: quippe qui erat sacerdos Dei altissimi.*] Placuit hunc locum huc quoque referre, non quod controversia aliqua sit in translationibus (omnes enim pulcre conveniunt) sed ob id maxime quod quidam ex Commentatoribus verbum הוציא per *sacrificare & offerre* exponunt, quasi Melchisedec ea de causa panem & vinum protulerit ut ea Deo sacrificaret, cum tamen הוציא non *sacrificare* proprie, sed *proferre, efferre & depromere* significat, qua significatione & hic quoque accipiendum est. Fuit enim olim celebris mos è bello redeuntibus ac victoria potitis, pane & vino resocillandi causa, obviam ire, atque ita excipere: Sicut patet etiam ex 8. cap. Judicum, ubi Gideon Madianitas insequens ad viros Succoth dicit, *Date quæso populo* &c. ut supra. Eadem invenies & apud F. Josephum lib. Antiq. 1. cap. 11. ubi sic scribit, *Ministravit autem iste Melchisedec &c.* Similia & R. Schlomo Hebræus commentator in h. l. scribit, כן עושים ליגעי מלחמה והראה לו שאין בלבו עליו על שהרג את בניו, *Sic faciebant his qui bello defatigati erant. Simulatque ostendit ei, quod nihil haberet in corde suo adversus eum, quod occidisset filios suos.*

V A T A B L U S.

1. *Fuit autem in diebus* ויהי בימי] *Accidit autem tempore*, &c. h. e. tempore quo regnabant isti. ¶ *Sinar* שנער] i. Babylonis, ut vertit Chaldæus Paraphrastes, quæ prius dicta fuit *Sinar.* ¶ *Regis Gentium* מלך גוים] i. qui dominabatur Gentibus? vel, potius Rex ejus urbis aut provinciæ quæ vocabatur *Gojim.* Reges vocat hic Moses quoscunque qui oppido aliquo & mediocri hominum cœtu primatum tenebant.

2. *Fecerunt* עשו] *Ut facerent.* ¶ *Ipsa est Soar:* היא צער] i. quæ postea dicta est *Soar.* Per occupationem enim hic dicitur *Soar* sive *Segor*, & paulo post; quum postea sic nominata fuerit, c. 19. 22.

3. *Conjuncti sunt*, חברו] *Convenerunt.* Sub, *copias.* Alii, *congregati sunt. Convenerunt.* ¶ *In valle Siddim*, אל עמק השדים] *In valle campestri.* Ita Chaldæus Paraphrastes. Doctus inter Hebræos dicit שדים significare *agros aratos.* Quidam vertunt, *in Emec-hasiddim, quæ nunc est mare salis.* Mare mortuum notat.

4. *Defecerunt:* מרדו] sub. *ab eo.* i. Negaverunt tributum quod persolvere solebant. Alii, *rebellaverunt.*

5. *Et Reges qui erant cum eo*, והמלכים אשר אתו] i. una cum Regibus sociis.

6. *Et Horæos* ואת החרי] Singul. pro plur. Horæi, qui se receperant in montem suum, nempe in Seir. ¶ *Usque ad planitiem Paran*, עד איל־פארן] *usque ad Elparan.* ¶ *Super desertum:* אשר על המדבר] Chaldæus Paraphrastes, *vicina deserto.*

10. *Plena erat puteis cæmenti:* בארת בארת חמר] Ad verbum, *putei putei bituminis.* i. Scatebat puteis sive scrobibus unde extrahebant bitumen. ¶ *Et ceciderunt ibi:* ויפלו שמה] Quidam exponunt cecidisse in puteos; quod verisimile non est, quum locorum ignari non essent. Alii dicunt servandæ vitæ causa illuc delapsos esse. Videtur autem dicere Moses, tam formidabiles illis fuisse hostium gladios, ut non dubitarent se præcipites jacere in foveas. Subjicit enim continuo post, qui salvi evaserant, fugisse in montes, unde periisse colligimus qui in foveas corruerant.

13. *Quidam qui evaserat* הפליט] Ad verbum: *evasor*, i. unus ex illis qui evaserant. ¶ *Qui tum* והוא] Ad verbum, *& ipse.* ¶ *Hi enim, &c.* והם בעלי ברית] Ad verbum, *& hi viri fœderis Abram.*

14. *Frater suus*, אחיו] i. nepos suus ex fratre. ¶ *Et armavit pueros suos.* וירק את חניכיו] *& armis instructos eduxit tyrones suos*, i. pueros quos (ut quidam volunt) instruxerat arte bellica, ac etiam Lege Divina. ¶ *Pueros domus suæ*, ילידי ביתו] i. vernaculos.

15. *Et divisit sese in eos* ויחלק עליהם] *Cumque divisisset sese in eos*, i. copias suas in duas partes, assumpta altera turma irruit in eos. Alii vertunt, *Cumque subduxisset* (vel *separasset* se) *ab aliis.* ¶ *A læva Dammesec*, משמאל לדמשק] Chald. Paraph. *in parte Septentrionali respectu Dammesec.*

17. *Ipsa*

17. *Ipsa est* היא] i. quæ postea dicta est. Quidam subanditis pauculis vertunt, *in eum locum qui dicebatur Emec-save, qui postea dictus est Emec-hamelech.*

18. *Protulit panem & vinum*; והוציא לחם ויין] i. lassum & famelicum exercitum regia liberalitate refecit. Neque enim exponendum est, ut vulgo, ipsum protulisse panem & vinum ut offerret Deo in gratiarum actionem, quod Sacerdos esset, nam duo dicit quæ necessario distingui debent, ipsum Melchisedec fuisse Regem & Sacerdotem. Quod esset Rex, Abram ac ejus comites accepit hospitio, atque aluit pane & vino. *Panis* nomine intellige omne cibi genus. Quod autem Sacerdos, benedixit jure sacerdotii, & decimas ab eo recepit. Vetus autem hic mos fuit, ut qui reges erant simul sacerdotio fungerentur.

19. *Benedixit ei* ויברכהו] Ad verbum, *Et benedixit ei*: quia pendet hic versus à posteriore parte versus præcedentis, non est vertendum: ut dilucidior sit sensus. Quomodo Sacerdotes jussi sint benedicere populo, vid. Num. 6. 23. ¶ *Benedictus Abram Deo altissimo* ברוך אברם לאל עליון] i. benedictus apud Deum altissimum. Melchisedec confirmat ratamque facit Divinæ vocationis gratiam sancto Abræ quem benedictum Dei vocat, æterni fœderis respectu; acsi diceret quasi hæreditario jure residere Dei gratiam in una familia & gente, quod unus Abram ex toto mundo selectus esset. ¶ *Possessore* קנה] *Domino*, sic paulo post, v. 22.

20. *Et benedictus Deus altissimus* וברוך אל עליון] sub. *sit* vel *est*, q. d. Dignus est ut laudetur ab omnibus Deus altissimus. ¶ *Dedit itaque ei* ויתן לו] i. Dedit Abram ipsi Melchisedec. Sunt qui intelligant datas fuisse decimas Abræ: sed aliter Apostolus, qui docet in lumbis Abræ decimatum fuisse Levi, quum Abram præstantiori Sacerdoti decimas obtulit, Heb. 7. 8.

21. *Animas, & substantiam* הנפש והרכוש] Sing. Heb. pro plur. *animam, & substantiam*, pro, *animas, & divitias*. *Animas* vero intelligit personas & homines captivos.

22. *Levavi*, הרמתי] Præt. Heb. pro præs. *Levo*, i. sublata manu juro per Dominum.

23. *Si à filo* אם מחוט] Eclipticam jurandi formam habent Hebræi, in qua subaudienda est pœnæ imprecatio. Alibi, ut 1 Sam. 14. 44. & aliis locis, plena expressio occurrit, *Hoc faciat mihi Dominus, & hoc addat*. Quia tamen horrendum est incidere in manum Dei viventis, quo major in juramentis colatur religio, abrupta ista locutio homines admonet ut secum reputent quid agant; perinde enim est acsi manum sibi injicerent, ac resisterent in medio sermonis cursu. ¶ *Ne dicas*, ולא תאמר] Ad verbum, *& non dices*, i. neque committam ut posthac dicere possis.

24. *Præter ea tantum* בלעדי רק] *His tantum exceptis*. Ad majorem exceptionem utitur duabus dictionibus idem significantibus. Non vult suam liberalitatem sociis damnosam esse. ¶ *Pueri*, הנערים] i. milites isti.

CLARIUS.

5. *Zuzim cum eis*] Vel potius, *Zuzim in Ham*. Quod approbat Hieronymus, & dicit Lxx. fuisse deceptos similitudine literarum ה & ח.

7. *Ad fontem Mispat*] Vel *ad En-Mispat*: quod est *oculus*, vel *fons, judicii*. ¶ *Regionem Amalechitarum*] Quanquam Amalech nondum tunc fuerit natus, vocat tamen Moses regionem illam eo nomine quo diebus suis appellabatur.

10. *Puteos multos bituminis*] Videtur ob eam tantum causam horum puteorum fecisse mentionem, quod mox ait duos reges ibi cecidisse, i. temere in loca illa periculosa incidisse.

13. *Abram Hebræo*] Quasi diceret. *Abram trajectori*, quia trans flumen venerat. Sic & Lxx. περάτῃ appellant. Vox est ab *Heber* derivata, ut supra diximus.

17. *Vallis regis*] Ferunt locum fuisse & stadium ubi reges ludebant & sese exercebant.

18. *Rex Salem.*] Ipsa est Hierusalem, quæ jam tum hominibus innotescere cœpit, quod ad Dei cultum esset deputanda. Et quod Melchisedech panem ac vinum lassis ex itinere protulit, voluit Deus hoc indicio significare ipsi Abrahæ, quod illic semen suum esset oblaturum decimas & sacrificia, atque benedicturum Domino.

20. *Quo protegente*] In Hebræo est, *qui tradidit hostes tuos in manum tuam.* ¶ *Et dedit ei decimas*] Ambigua quidem locutio, quis cui decimas dederit. Sed Paulus explicat; nimirum junior seniori, Abram sacerdoti.

22. *Levo manum meam ad Dominum*] Modus jurandi est.

23. *A filo usque ad corrigiam*] Quidam sic exponunt, *A filo, quo sutores vestimenta consuunt, usque ad corrigiam, quæ est cutis calceamentum constringens*, &c. Alii sic, *A filo, vel vitta scilicet capitis, usque ad corrigiam calceamenti*: *à capite ad pedes, à maximo ad minimum.*

DRUSIUS.

1. *Thadal regis gentium*] Apparet regionem fuisse cujus incolæ peculiariter Gojim, i. *gentes* dicebantur. Quænam autem ea regio fuerit, incertum. Suspicatus aliquando fui de Galilæa gentium, quæ sic dicta quod à gentibus incolerentur, quasi *regio gentium*. Nam גליל, quod reddunt *Galilæa*, significat *limitem*, unde גליל גוים quasi *terminus* aut *limes*, i. regio, *gentium*. *Terminus* enim pro *regione* poni amat. Magis hoc mihi placeret, si constaret antiquitus eos populos ita vocatos fuisse. Nam imbibi *gentium Galilæam* dictam fuisse respectu alterius Galilææ, in qua Israelitæ habitabant, quæ *Galilæa superior* etiam dicitur, ut illa *Galilæa inferior*, vicina Tyro ac Sidoni urbibus celeberrimis. Quidam hic legunt, *Regis gentium aliarum*, videlicet ab illis quæ memoratæ ibi fuerunt. Cave spernas. Nam *alius* interdum desideratur, ut Gen. 36. 6. *ivit in terram*, sub. *aliam*. Contra *alius* valet, *Deus alius*; & intelligitur, *alius à vero*, unde, *alium munerent*, Psal. 16. 4. Hæc scribenti venit in memoriam editio Symmachi vetusti interpretis, quæ non est omittenda meo judicio. Notatur autem ex v. 9. hujus capitis, Θαδγὰλ βασιλέα Σκυθῶν, *Thidgal regem Scytharum*: ubi in Scholio παμφυλίας, quod in idem fere recidit. Nam φυλὴ sive φῦλον *gens*. Notum ut populus ille variarum gentium multitudine semper abundaverit, etiam tempore Abrahami, ut mirum non sit si communi nomine *gentes* vocentur.

5. Cham unus è filiis Noe nomen dedit Ægypto, quæ ab eo dicta fuit *Ham*. Hieronymus Quæst. in Genesin, *Ægyptus usque hodie Ægyptiorum lingua Ham dicitur*. Parum refert *Cham* an *Ham* scribas, nisi quod Ham alius locus sit qui memoratur Gen. 14. 5. *& Zuzim in Ham*, ubi הם scriptum per aspirationem simplicem. Quanquam Hieron. olim legerit חם per duplicem, quomodo scribitur *Ham* quando Ægyptum significat; quæ sic appellata à Cham filio Noe, ut diximus. Verba Hieronymi hac de re sunt, בהם, *pro quo* Lxx. *dixerunt*, ἅμα αὐτοῖς, cum eis, *putaverunt scribi per He, ducti elementi similitudine; cum per Heth scriptum sit.* בהם *enim, dum per tres literas scribitur, si mediam He habet, interpretatur*, in eis: *si autem Heth, ut in præsenti, locum significat, i. Ham.* Imo in præsenti per He scriptum significat locum, & legitur Beham, in *Ham*; non Bahem, quod proprie sonat, *in eis*. Res est, non conjectura. Ham ergo locus est in quo Zuzim commorabantur: Ham vero, quando scribitur per Heth in medio, Ægyptus, quæ & *Cham* dici potest, unde Χημία *Chemia* priscum nomen Ægypti. Sic enim certe sacerdotes Ægyptiorum eam nominabant; testis Plutarchus lib. De Iside & Osiride. Ejusdem originis est χημεία, quam Suidas definit esse ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευὴν, *artificiosum argenti & auri apparatum*: unde *Alchemia*, præpositio, ut fit, articulo Arabico. Sic *Cherua* vel *Cheroe*, & *Alcherue*, vel *Alcheroe*, ricinus, quæ & *Palma Christi*, Ebraice apud Ionam prophetam קיקיון dicta, & in Thalmud קיק Kik; unde κίκι Dioscoridis, & *oleum cicinum*, i. ricinium. Diximus priscum nomen Ægypti *Chemia* originem habere ab Ham sive Cham. Nam ita promiscue scribebant, ut *Hermon* & *Chermon*, *Hebron* & *Chebron*, *Hesron* & *Chesron*. Sane literam Heth, quæ aspiratio duplex est, modo exprimebant per χ Græcum, hoc est c aspiratum, modo per *h* simplex. Vide Alphabetum meum vetus.

19. *Possessori cœli & terræ*] Qui possidet cœlum & terram. Lxx. ὃς ἔκτισε, & Hieron. *qui creavit*. Aliud *possidere*, & aliud *creare*: tamen interpretes confundunt, ut Prov. 8. 22. *Dominus possedit me initio via sua.* Lxx. ἔκτισε, i. *creavit*, ὁ νῦν, *genuit me*. Nam *creare* usurpant pro *gignere*, quod Latini autores dicunt *procreare*, & interdum *creare*: unde Virgilius, *Sulmone creatos*, i. genitos. Huc refer, *Pater tuus possessor tuus.* Nam Israel ex tribus possessionibus, quarum mentio in literis mysticis: altera est, cœlum ac terra; tertia, ipsa Sapientia, quam *acquisivit* sive *possedit*, h. e. genuit, ab omni ævo. De fœmina etiam dicitur Gen. 4. 1. *Possedi virum cum Domino*, i. peperi. Nam fœmina parit quem virgignit. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Hujus loci est, *plena est terra possessione tua*, i. rebus à te possessis aut creatis. Nam in codicibus Græcis est τῆς κτίσεώς σου, nisi legendum τῆς κτήσεώς σου. Sic apud

Salomonem quidam legunt ἐκτήσατο, i. *possedit* sive acquisivit. Nam proclivis sane lapsus de una litera in aliam. Aquila certè olim vertit eo loco ἐκτήσατο.

22. *Sustuli manum meam ad Dominum Deum supremum*] Tollit manum & qui precatur & qui jurat: Illud expressit interpretatione sua Onkelos; hoc Ionathan, quod probo. Tollebant autem utramque manum in cœlum, quod ידים dicunt, Dan. 12. 7. *Sustulit dexteram suam, & sinistram suam in cœlum, & juravit.* Dicebant etiam eodem sensu *levare manum*, quod est נשא יד Deut. 32. 40. *Nam levabo manum meam ad cœlum, & dicam, Vivo ego in seculum.* Hinc illustrabis Davidem Psal. 106. 26. *& levavit manum suam eis*, i. juravit eis. Sic R. David exponit. Vide sis Augustinum Locutionum l. 1. p. 68.

IDEM.

1. מֶלֶךְ אֶלָּסָר A. βασιλέως Πόντου, *regis Ponti*. Sym. Σκυθῶν, *Scytharum*] Interpres Vulg. *Arioch rex Ponti*, quod hinc accepit. Iam videmus unde Hiero. hauserit, *rex Ponti*. Quid Aquilam moverit ut ita verteret, aliis disquirendum relinquo. In Ebræo, *regis Ellasar*. Id immutatum reliquerunt Lxx & Onkelos. Ionathan habet מלכא דתלסר *rex Thalsar*, nisi vitium in scriptura. Idem paulo ante, *Fuit in diebus Amraphel. Is est Nemrod, qui jussit ut projicerent Abramum in ignem, idem est rex Ponti.* Procopius Gen. 15. p. 123. *Sym. interpretatus est* Ellasar *Pontum*; Elam, *Scythas*; Gentium, *Pamphyliam*. *Thalasar* habetur in Ionatha & vers. 9. qui locus tollit omnem dubitationem de menda.

מֶלֶךְ-שִׁנְעָר Ionathan, *rex Ponti*. Sic etiam Ierosolymitanus interpres vers. 9. מלכא דפונטוס, quem, ut vidimus, cum Nemrodo confundunt. Dictus interpres eodem in loco retinet *Ellasar* cum Onkelo & aliis. ¶ מֶלֶךְ עֵילָם Sym. Σκυθῶν, *Scytharum*, si non fallit Procopius. ¶ מֶלֶךְ גּוֹיִם idem, *rex Pamphyliæ*. Onkelos & Ionathan, *regem populorum*. In Genesi magno, גוים *locus ita dictus, quod eo convenissent quamplurimæ nationes quæ regem constituerunt super se, nomine Thadal.* Id Ionathan ἐτυμολογίζει, רמאה כתעלא *fraudulentus ut vulpes*. Nam תעלא *vulpes*. Quorsum hæc? nempe quia lux aliqua hinc Symmacho, qui fortasse in mente habuit nomen φυλὴ, quod interdum *gentem* denotat, ut *Pamphylia* sit regio à variis gentibus & nationibus culta ac habitata: expende. Nam nihil adfirmo.

3. חָבְרוּ A. συνέλαβον, *coiverunt*, *congressi sunt*. Sym. συνῆλθον, *convenerunt* Vel, *conjuncti sunt*: quod in Sante. Arias maluit, *convenerunt*. Mihi illud magis probatur.

הַשִּׂדִּים A. τ̃ περιπεδινῶν. Th. τ̃ ἀλσῶν] Hieron. Quæst. in Gen. *Seddin*, *Aquila*, τ̃ περιπεδινῶν. *Theod.* τ̃ ἀλσῶν, *amœna nemora significantes.* ¶ Περιπεδινῶν] *quæ circumcirca campestria erant.* Nam πεδινὸς, *campestris*. Onkelos, *in planitiem agrorum*. Jonathan, *paradisorum*. Sic etiam autor Ierosolymitanæ. ¶ Ἀλσῶν] Vetus interpres, *in vallem sylvestrem*. Τῶν περιπεδινῶν reddi potest, *eorum qui campestria seu campos aut planitiem incolunt.* Porro in edit. Rom. scriptum περιπέδινων, cum accentu in penult. Supra 2. 15. בגן עדן Sym. ἐν παραδείσῳ τ̃ ἄλσους. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Libet ariolari. Quid si ἁλῶν, i. *salis*? Sanè οἱ ὁ. τ̃ φάραγγα τ̃ ἁλυκὴν, vallem salsam. Cogitemus amplius.

5. אֶת-רְפָאִים A. ῥαφαὶμ, *Raphaim*] Sic etiam interpres Vulg. Antea erat in Lxx τοὺς γίγαντας. Thargum Onkeli & Jonathæ גבריא, i. gigantes. Nec aliter editio illa quæ ab Urbe nomen habet, quam Jerosolymitanam vocant. Glossa Philonis, *Raphaim*, *gigantes*. Atque hinc proverbiale אל רפאים, *Ad gigantes*, de quo alias.

6. עַד אֵיל Schol. ἕως δρυὸς, *usque ad quercum*] Lxx ἕως τ̃ τερεβίνθου, *usque ad Terebinthum*: איל aliis est *quercetum*, aliis *planities*. Sunt autem qui *planitiem* interpretantur, Onkelos, Jonathan, & autor Jerosolymitanæ; item R. D. Ebræus Salomo arbitratur vertendum, *usque ad Elpharam*: quod mihi non admodum displicet. Risi nuper albis dentibus: Nam quis non rideat interpretem qui vertit, *usque ad arietem Pharam*? Tales doctores ipsis pueris se ridendos propinant. Non est omittendum scholion quod in edit. Rom. ad hunc locum, ἡ πόλις αὕτη τοῦ Ἰώβ, ex quo illustrabis Hesychium Lexicographum. Τερέβινθος, πόλις Ἰὼβ, *terebinthus*, *civitas Jobi*.

9. מֶלֶךְ גּוֹיִם *Rex Gentium*. Sym. Σκυθῶν. Schol. Παμφυλίας, Pamphyliæ (Vide Procop. Gen. 15. p. 125.] Σκυθῶν; φυλὴ, tribus, gens: unde Παμφυλία q. omnium gentium. Supra אלסר idem Σκυθῶν. Vereor ut peccatum sit in exscribendo. Ubi, inquies? potius illic quam hic. Quod tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. ¶ מֶלֶךְ שִׁנְעָר Schol. Πόντου, *Ponti*] Lxx. βασιλέα Σενναὰρ. Onkelos, *regem Babylonis*. Ionathan, *regem Ponti*. Sic etiam editio Ierosolymitana.

13. הַפָּלִיט τ̃ διαφυγόντων τις, *unus ex iis qui effugerant vel evaserant*] Interpres Vulg. *unus qui evaserat*: διαφεύγω *effugio*, *evado*. ¶ הָעִבְרִי A. περάτῃ. Sym. τῷ ἰβραίῳ, *Ebræo*] Περαίτῃ idem quod περάτῃ. Est autem περάτης, *transitor*. Acacius, ἀντὶ τοῦ Ἀβρὰμ τῷ Ἑβραίῳ, Ἀβρὰμ τῷ περάτῃ, Ἑβραῖος γὰρ περάτης ἑρμηνεύεται, *Pro Abram Ebræo, Abram Transitori, Ebræus enim Transitorem interpretatur.* Potest ita esse, tamen mihi non persuadet Diodorus cum ait, Περάτην καλεῖ τ̃ Ἀβρὰμ, ὡσανεὶ πέραν οἰκοῦντα τοῦ Ἰορδάνου; Imo quod Euphratem trajecerit. Nam Elone Mamre, ubi habitabat, cis Iordanem erat, non trans eum fluvium. Schol. Ἀβρὰμ τῷ περάτῃ, τοῦτο παρὰ τῷ ἰβραίῳ κείμενον εὗρον ἰβρεῖ (alias ἰβρεῖ) ὁ γὰρ Ἀβραὰμ ἐκ τ̃ Χαλδαίων χώρας εἰς τ̃ Παλαιστίνην ἦλθεν, τ̃ Εὐφράτην ποταμὸν διαβάς. Vel potius quod ex posteris Eber esset, unde *Ebræi* appellati. Theodoretus hic in mendo cubat. Nam ubi codices vulgati, Ἑβραῖος γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ, ὅπερ Εὐφράτης ὀνομάζεται, legendum videtur, Ἑβρεὶ γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ ὅπερ περάτης ὀνομάζεται. Nam Euphrates פרת dicitur. Fortean φρατ, culpa exscriptorum in Ἑβρα mutavit. Nihil temere statuendum. Sequitur ibidem, Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ. τοῦτο δὲ παρὰ τῷ Ἑβραίῳ κείμενον εὗρον ἰβρεῖ τὸ γὰρ ἰβρεῖ ἑξελληνιζόμενον ἰβραῖος γίνεται. [Hoc scholion sumptum est ex Theodoreti quæst. 32. in Genesin] ¶ Τῷ Ἐβραίῳ] Melior interpretatio. Nam περαίτης potius עבר sive עברי diceretur.

21. הַנֶּפֶשׁ A. τὴν ψυχὴν, *animam*. Sym. τὰς ψυχὰς, *animas*] Sic & Onkelos, נפשתא. & Hiero. *animas*. Jonathan habet, *animas virorum populi mei quas reduxisti*, Lxx. δός μοι τοὺς ἄνδρας, *da mihi viros*, i. homines. Nam ἀνὴρ & ἄνθρωπος se mutuo explicant. Sic apud Ebræos איש ponitur pro אדם & contra.

23. מִחוּט A. ἀπὸ ῥάμματος, *à filo*. Sym. νήματος, *filo*] Utrumque *filum* denotat aut σπαρτίον. Augustinus in libris locutionum legit σπαρτίον, & inde fluxisse ait in Lat. interpretationem ut legeretur *à sparto*. Hiero. *à filo subtegminis*. ¶ Ῥάμματος] Jud. 16. 12. כחוט, Lxx ὡσεὶ ῥάμμα: hic habent ἀπὸ σπαρτίου, quod interpretantur *à filo*, Ergo ῥάμμα & σπαρτίον & νῆμα synonyma sunt, nisi quod σπαρτίον magis *funiculum* designat. Locus hic ita verti posset, ἀπὸ ῥάμματος ἢ νήματος ἕως ἱμάντος τοῦ ὑποδήματος, *à filo usque ad corrigiam calcei*. Prius erat in Lxx, ἕως σφαιρωτῆρος, & in scholio, τ̃ ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος, *corrigiam calceamenti*. Est autem proverbiale, quod explicamus suo loco. Vide sis Proverbia mea.

NOTÆ MAJORES.

1. *In diebus Amraphel Regis Sennaar, Arioch Regis Ellasar, Chodorlaomor regis Elam, & Thadal regis gentium.* (Forte regnabat in Gallilæa superiore, quæ Galilæa gentium vocatur. Vide Masium in Josuam 226. Jos. 12. 23. *Rex Gentium ad Gilgal unus.* Hiero. *Rex Gentium Galgal unus.*)

2. *Fecerunt bellum Bara Regi Sodomæ, & Bersa Regi Gomoræ, Senaab Regi Adamæ & Semeber Regi Seboim & Regi Balæ: ipsa est Segor.*

In diebus Amraphel Regis Sennaar] pro eo habendum ac si dixisset, *In diebus illis Amraphel Rex Sennaar* &c. Simile, *de fructu oris viri satiatur bono.* Grammatici antiplosin vocant. Nam esset, *de fructu oris sui vir satiatur bono.* Cui firmando est interpres noster, quem vulgatum dicimus, *Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel Rex Sennaar &c. inirent bellum.* Liceret etiam vertere, *In diebus Amraphel Regis Sennaar, Arioch Rex Ellasar* &c. Nisi hoc modo excludi videretur Amraphel, quem prelio interfuisse certius est quam ut probari debeat. Ceterum hos reges Diodorus Persas vocat. Josephus Assyrios fuisse scribit, penes quos imperium Asiæ tunc fuerit. Verba Diodori, τὰ ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου διηγησάμενος ὁ Μωσῆς, τοῦτ᾽ ἐστι τὸν πόλεμον, ὃν ἐπολέμησαν οἱ Πέρσαι πρὸς τοὺς βασιλεῖς τῶν Σοδομιτῶν. Severus, *Ea tempestate Reges vicinarum gentium in armis erant: cum antea nullum inter mortales certamen fuisset.* Falsum. Nam potius secundum prelium nunc commissum, si non plura fuerunt ante hoc tempus. ¶ *Amraphel*] אַמְרָפֶל Sic legit olim Hiero. Græci aliter. Nam in eorum editione ἀμαρφὰλ legitur. Chaldæi nihil variant ab Ebræo. Amarphal i. אַמַרְפַל vel si mavis אֲמַרְפֶל. Nam a & e de facili permutantur. Jon. *Amraphel est Nemrod qui dixit (jussit) ut projicerent Abramum in ignem.* R. Salo. *Amraphel est Nemrod qui dixit Abramo, Cade in mediam fornacem ignis.* אמר dixit פל cade. Inepta originatio, quæ orta ex fabula de igne Chaldæorum. Sic vara vibiam sequitur, ut est in proverbio. ¶ *Regis Sennaar*] מֶלֶךְ שִׁנְעָר

Ca-

βασιλέως σενναάρ. Jon. *Regis Babel* i. Babylonis aut Babyloniæ. Hoc malo, quia Sennaar nomen regionis: unde, *terra Sennaar* i. Babylonia. Nã Zach. 5. 10. בארץ שנער Lxx. ἐν γῇ Βαβυλῶνος. Similiter Dan. 1. εἰς γῆν σενναάρ, Scholion, Βαβυλῶνος. In Michaia vocatur terra Nemrodi; Aliter Hestiæus historicus, *in Sennaar campum Babyloniæ pervenere.* Hunc sequitur Josephus, *De campo qui in Babylonia regione vocatur Sennaar.* Sed & Eusebius in locis; *Sennaar, campus Babylonis, in quo turris extructa est*: Nondum assentior. Mihi regio non campus fuisse videtur. Hinc אדרת שנער quod Symmachus interpretatur ἔνδυμα σινάρ: A. cum On. στολὴν βαβυλωνικήν: Lxx. ποικίλην. Ne sperne; Sic apud Plutarchum ἐπίβλημα τῶν ποικίλων βαβυλωνίων. Jon. מלכא דפונטוס i. Regis Ponti. Supra 11. 2. *In terra Sennaar*, idem בארעא דפונטוס in terra Ponti. Videtur fuisse regio Babyloniæ. Paulo post, *Regis Ellasar*, Hiero. *Rex Ponti.* Hic mirum in modum se torquent interpretes. Nam non temere ita reddidit Hiero. Dies nobis certiora patefaciet. Non desperandum. Adsit modo sedula inquisitio. Utinam huic studio se manciparent bona ingenia. Nunc reperias in genere τῶν θεολογουμένων qui plane hospites sunt in iis literis, quas profitentur, in quos merito competit illud, *Adhuc Benzoma foris est.* Nam ætatem terunt, aut in Philosophia Aristotelis, aut in aliis profanis disciplinis. Ebræorum autem literas adeo contemnunt ut nihil supra. Quæ res magno illis constitit. Nam propagarunt errores propemodum infinitos: de quibus si admonentur, ægre ferunt. Clamant hæreses & scandala. Nam hæreticum illis, quicquid à magistris suis non didicerunt. Hoc est scilicet propugnare τὴν ἀλήθειαν: cujus amore nos omnia nostra amisimus. Sic me litterulas stulti docuere parentes. ❡ *Arioch Regis Ellasar*] Ἀριὼχ βασιλέως ἐλλασάρ. Ita Lxx. In Hiero. est *Arioch Rex Ponti.* In edit. Rom. scriptum ἐλλασάρ. Sed minus recte. Reperitur & Ellesar. Eusebius in locis, *Ellesar civitas Regis Arioch.* Apud Manahemum Ricinensem, *Forte civitas est Media aut Persidis.* ❡ *Chodorlaomer*] כְּדָרְלָעֹמֶר Chedorlaomer, ita scriptum hoc nomen in Bibliis Reginæ, quæ Mercerus laudat. Apposita & nota Massoritica, quæ indicat unicam dictionem esse. Cui firmando est Scheva sub Resch. Tamen in plerisque codicibus impressis כְּדָר לָעֹמֶר Inspexi tres editiones venetas in folio. Omnes mire consentiunt. Est alia penes me, quæ in octavo folium complicat, ea scribit כְּדָרלָעֹמֶר absque Scheva. On. & Jon. habent כדרלעמר unica dictione. Lxx. χοδολλογόμορ. Hiero. *Chodorlaomor*, quem secuti sumus. ❡ *Regis Elam*] vel, *Regis Elamitarum.* Lxx. βασιλεὺς Ἐλάμ. On. & Jon. *Regis Elam.* Hiero. *Rex Elamitarum.* Hinc forte sumsit Diodorus cum scriberet hos Reges Persas esse. Nam Elamitæ Persæ, aut ut alii, principes Persidis. Qua de re diximus antea. Non libet repetere. In commentario Manahemi Ricinensis, *Elam civitas est, in qua Rex factus est primus Rex Græciæ, & hinc expandit se regnum ejus per totum orbem postquam devicisset Darium. Dicunt autem Doctores nostri felicis memoriæ ipsum regnasse in Elam septem annis.* Hæc ibi. ❡ *Thadal Regis gentium*] Lxx. Θαργὰλ βασιλεὺς ἐθνῶν. Legerunt Resch pro Daleth, hoc primum: deinde Ain expresserunt per γ ut in Raguel, Gaza & similibus. On. *Thadal Rex populorum.* Jon. *Thadal tam callidus, quam vulpes Rex populorum.* Vulpes תַּעֲלָא dicitur sive תַּעַל Hinc תדעל inserta litera Daleth, ut in עמדי meum. Sic Resch inseritur in דרמשק Darmascus. Nam Damascus dicimus & Ebraice דַּמֶּשֶׂק Parum hæc solida sunt. Hiero. *Thadal Rex gentium.* Alius, *Rex Goijim*, & Gallice, *des Gojens.* Abenezra, *Nomen est provinciæ ut Elam, aut significat Regem aliarum gentium præter eas, quas commemoravit.* In Manahemi, *Rex gentium constitutus fuit super diversos populos, qui eum sibi ducem elegerunt.* ❡ *Thadal*] vel, *Thadaal.* Lectio hæc antiqua est & proba. Hodie תִּדְעָל Thidal. Josephus habet Θαργάλ, ut & Lxx. Sed in Ruffino *Thadallus.* Ceterum quatuor istos Reges Judæi veteres exponunt de quatuor Monarchiis, quarum ultima est Romana Monarchia, quam gentium vocabulo significari putant eo quod olim Romæ fuerit confluxus omnium gentium. Itaque dicunt *Thadal Rex gentium est regnum improbum, quod tyrannidem exercet in totum orbem.* ❡ *Fecerunt Bellum Bara Regi*] Sic Tacitus dixit, *bellum patriæ facere*, pro, inferre. Cicero in I. Offic. *Ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.* Possumus etiam vertere, *commiserunt prelium cum Bara Rege &c.* On. סדרו קרבא עם instruxerunt prelium cum. Jon. עבדו קרבא fecerunt pugnam. Lxx. ἐποίησαν πόλεμον μετὰ. Hiero. *ut inirent bellum contra.* i. אֶת ❡ *Bara*] אֶת־בֶּרַע cum Bara, sive ut nunc legitur, Bera. Bera Bara, ut Thera Thara. Potest scribi & Bare, ut Thare. Lxx. μετὰ βαλλά. Jon. דעובדוי בביש *cujus opera in malo.* Nam בְּרַע in malo. Βαλλὰ aliud est. Credo unum nomen, ut fit, cum altero permutatum. Bala sive Balla invenies infra 30 4. & est nomen mulieris. Ebraice בָּלָה & בִּלְהָה hæc distinguenda erant. Item Bala nomen oppidi, de quo paulo post. Glossarium Philonis, *Bara, in malitia*; ἐν κακίᾳ. ❡ *Regi Sodomæ*] Lxx. βασιλέως σοδόμων. & Hiero. *Regem Sodomorum.* Nam τὰ σόδομα dicebant, ut τὰ ἱεροσόλυμα. Hoc nomen aliquando late sumitur pro tota regione pentapolitana. Hiero. *Gomorra, una de quinque civitatibus Sodomorum, quæ cum reliquis divina ultione subversa est.* Severus, *sed adversum hos, qui bello vicina tentabant, Reges Sodomorum, Gomorræorum, vicinarumque regionum in prælium erumpunt.* Malim, *Sodomorum, Gomorræ, vicinarumque urbium.* ❡ *Bersæ*] אֶת־בִּרְשַׁע On. & Jon. עם ברשע cum Bersa. Lxx. μετὰ βαρσά. Parum interest, utrum Barsa legas an Bersa. Nam hodie Birsa enuntiant. Sic promiscue dicimus Nimrod, Nemrod & Namrod. Quod ultimum in Josepho ναμρώδ legitur. Exponunt בְּרֶשַׁע in improbitate. Ion. *Cujus opera in impietate* i. impia. Sed improbitas רֶשַׁע dicitur, non רְשַׁע. Adhæc ב in hoc nomine non magis est præpositio, quam in בִּלְעָם quod reddunt Balaam. Hæc igitur subtiliora quam veriora sunt. Qui valent judicio, alia sectantur. Sic בעור in libro nominum, *in pelle.* Nam עור pellis. Parum hoc esset, nisi his quasi basibus aut fulcris inniteretur universa Theologia allegorica, quam primus Origenes excogitavit. Allegorias non damno, si cum modo adhibeantur. Omnes probare insipientis est. ❡ *Regi Gomorræ*] Hoc oppidum Solinus Gomorrum vocat. Dicitur & Amora: Nam prima est Ain in scriptura Ebraica. ❡ *Senaab*] vel, *Senab.* Nam hodie שִׁנְאָב in Ebræo: perperam autem σενναάρ in Lxx. cum legendum sit σενναάβ, vel si mavis σενναάβ. שנאב Sennaab ut שִׁנְעָר Sennaar. Philo interpretatur *dentis pater.* שֵׁן dens, אָב pater. Ion. in mendo cubat. pro לאשכר puto legendum לאכוהי ut sensus sit, *etiam patrem suum odit.* R. Salo. שונא אביו שבשמים *odio habens patrem suum qui in cœlo.* ❡ *Adama*] vel Admæ. Nam Adama humus i. אֲדָמָה: Ideo critici scripserunt אַדְמָה cum est nomen urbis, ut hic. Nam in sono antiquo nullum est discrimen inter Adama quando est nomen commune, & quando est nomen proprium. Lxx. βασιλέως ἀδαμά. Sic Hos. 11. 8. כְּאַדְמָה ὡς ἀδαμάν, ut Adaman. Scire licet in edit. Rom. esse ἀδάμα, cum accentu in penultima. Memoratur & Deut. 29. 23. Philo, *Adama, humus vel terra.* Eusebius, *Adama in Esaia: pro quo Aquila & Sym. humum, Theodotio terram interpretantur.* ❡ *Semeber*] שֶׁמְאֵבֶר. ita legit quoque olim Hiero. Quod noto quia Lxx. aliter legerunt. Nam in eorum editione συμοβὸρ Symobor, quod mihi suspectum de vitio. Editi ad exemplar Complutense συμὸρ habent. Ion. *Senober, qui perdit membrum suum scortando.* שמ vasto, perdo, corrumpo i. שֵׁצִי in lingua Chaldæorum. אֵבֶר membrum & aliquando membrum virile. Videndus R. Salo. ❡ *Regi Seboim*] βασιλέως σεβωίμ. Ebraice צְבֹיִים quod scribunt צְבֹיִם. Alibi צבאים. Plenum esset צְבוֹיִים. Legitur & צְבִים absque Vau & unica Ioth, & Græce σεβοίμ, per o breve; item σεβωίμ. Qui Sebojimorum scribunt, indigni sunt quibus respondeatur. Nam analogia postulat Sebojarum. Sebojæ, ut Brugæ, ut Thebæ, ut Salonæ, ut Athenæ. Civis Seboita. ❡ *Bala*] בֶּלַע Bale sive Bala, ut בֶּרַע Bare sive Bara. Ebraice Bela. Hujus oppidi nomina sunt Bala, Vale, Segor, Soar, Soara, Salissa. In Bale significatio deglutiendi sive absorbendi. Hiero. Quæst. in Gen. *Vera est illa Ebræorum conjectura de Segor, quod frequenter terræmotu subruta, Bale primum & postea Salissa appellata sit.* Haud obscure innuit Bale dictam quod sæpius terræmotu absorpta fuerit: ideo forte Lot non ausus fuit ibi manere. Vale & Vala extant, nisi fallor, apud Lucherium Episcopum Lugdunensem. Nam B & V consonans invicem permutantur. Ion. interpretatur, *Regem urbis, quæ deglutit (alias absorbet) habitatores suos.* Verba sunt מלכא דקרתא דבלעת דיירהא Quod fit in terræmotu. Lxx. βαλάκ habent pro βαλά. ❡ *Segor*] σηγώρ ita Lxx. & Hiero. Hic ע per γ reddita, ut in ῥαγουήλ. Ebraice צֹעַר i. Soar vel, si mavis, Tsoar: quod Ion. זער scribit per Zai: unde Zoar & Zoara. Sed rectius Soara scribitur. Reperio & Soar, & Zogora. Sed & σηγώρ pro σηγώρ culpa, ut puto, librariorum. Hiero. Segor, *quæ & Bala, lingua Syriaca Zoara dicitur.* Imo lingua Ebraica si Soar legas non Zoar. Forte Syri Sade cum Zai permutabant. Soara scribit Iosephus Ant. hist. 1. 12. Idem appellat civitatem Arabiæ. Soara Syra terminatio est & Zoara, ut נצרי Nazoræus.

3. *Omnes hi congressi sunt in valle Seddim; quæ nunc est mare salis.*

Congressi sunt] i. συνέβαλον. Sic olim A. convertit: & magis arridet quam quod in Hiero. *convenerunt*, & in Sym. συνῆλθον.

ϑιν. Ebraice est חברו ut si dicas, juncti aut associati sunt, quod Jon. retulit אתחברו. Nam in On. אתכנשו congregati sunt. Alius edidit, *junxerunt copias.* Alius, *in societatem coiverunt*: quod postremum valde placet. Gall. edit. postrema, *se liguerent*, i. הוקמו. ❡ *In valle Seddim*] אל עמק השדים *in vallem Seddim*, sive, *Hassedim*: quæ prisca lectio est pro Siddim sive Hassiddim. Hiero. *In vallem sylvestrem.* Jon. *in planitiem sive campum paradisorum.* שדים etiam Jerosolymitana reddit פרדסיא i. Paradisos. Est autem paradisus, locus arboribus consitus. R. Salom. *Vallis Seddim dicta quod in ea essent multi agri.* Confundit שִׂדִּים cum שָׂדִים. Hujus sing. est שָׂדֶה ager. Abenezra, *in vallem calcium.* שִׂיד calx שִׂידִים calces, ut פַּת buccea פִּתִּים buccellæ. סַף limen סִפִּים limina. Calx Græce ἄσβεστος. Hujus loco bitumen olim in usu. Erat autem copia bituminis in hac valle: unde postea lacus Asphaltites nomen accepit: quem Aben Gorion אגם החמר i. stagnum bituminis appellat, vel, ut alii, *stagnum calcis.* Sane לחמר Gen. 11. 5. On. & Jon. interpretantur לשיד pro calce. Mercerus annotat ad hunc locum, שדים *sonat proprie arva, à* שדד *occavit, aratro proscidit glebas & complanavit, quasi agros aratro proscissos & complanatos dicas.* ❡ *Quæ nunc est mare salis*] ita Hiero. Ebræus habet הוא ים המלח, & Lxx. αὕτη ἡ θάλασσα τῶν ἁλῶν. *Mare salis* i. salsum. Chaldaice ימא דמלחא. Dicitur & mare mortuum; & lacus Asphaltites. Hiero. in Quæst. Ebrai. *Vallis salinarum, sicut in hoc eodem libro scribitur, in qua fuerunt antea putei bituminis, post Dei iram & sulphuris pluviam, in mare mortuum versa est, quod à Græcis* λίμνη ἀσφαλτῖτις *i. stagnum bituminis appellatur.* Et *mare salinarum.* Idem epistola CXXIX. *Jordanis mari influit salinarum, quod nunc mare mortuum dicitur.* Et, *lacus Judææ.* Galeno etiam vocatur *lacus Sodomenus.* Mare salis dicitur à sale quo æstuat. Georgius Agricola de natura Fossilium, *Æstuat sale in Judæa lacus Asphaltites, cujus sal amarus est & Sodomenus vocatur.* Aut à salsedine aquarum, quæ tanta esse perhibetur, ut nullum animal nutriat. Quin cum quis eo mergitur, statim ut inde emergit, totus salsedine aspersus apparet. Aut denique ab urbe huic lacui vicina, quæ Jos. 15. 62. עיר המלח urbs salis vocatur. Sic dico, ut à Tyberiade fuit dictum mare Tyberiadis, & ab urbe Adria, mare Adriaticum: ita forte à salis urbe mare salis, vel, si mavis, mare Malæ. nihil temere statuendum. Hier. Zach. 14. *mare mortuum vocatur eo quod nihil in aquis ejus possit vivere.* Pro λίμνη ἀσφαλτίτις, reperio & *mare Asphalti i.* ים החמר ut si dicas mare bituminis i. bituminosum. Dicitur & mare solitudinis. Eucherius in libros Regum, *Mare autem solitudinis, quod Ebraice dicitur Araba, mare mortuum designat, quod in longitudine per stadia* DLXXX. *usque ad Zoaras Arabiæ, in latitudine per* MCL. *usque ad vicinia Sodomorum pertenditur.* Perperam Hesychius, ἀσφαλτῖτις, ἡ νεκρὰ θάλασσα, puto legendum νεκρὰ θάλασσα. Ita Pausaniæ in Eliacis vocatur hoc mare. Mare rubrum aliud est. Notabis denique יָם in regimine retinere Camets: tum etiam ex Ebraismo mare pro lacu usurpari.

4. *Duodecim annos servierant Chodorlaomor, & decimo tertio anno rebellarunt.*

5. *Quarto autem decimo anno venit Chodorlaomor & Reges qui cum eo, & percusserunt Raphaim in Astharoth Carnaim, & Zuzim in Ham, & Emim in Save Carjathaim.*

6. *Et Chorræos in monte ipsorum Seir, usque ad planitiem Pharan, quæ ad desertum.*

Chodorlaomor] כְּדָרְלָעֹמֶר scriptum hoc loco cum Scheva sub Resch & absque virgula Maccaph, quæ ὑφὲν à Græcis, à Latinis vero *subunio* dicitur. Quam scripturam firmant Critici Ebræorum cum annotant unica dictione scribi oportere. Est tamen ubi scribatur divisim, h. e. duabus dictionibus per Maccaph conjunctis. ❡ *Decimo tertio anno*] τῷ τρισκαιδεκάτῳ ἔτει: tertio decimo anno: Lxx. Hiero. Nec vidi qui aliter verteret. Verba Ebræa ambigua sunt, ut etiam Chaldæa Onkeli. Nam reddi possunt, *tredecim annos rebellarant.* Hanc ambiguitatem tollit Jon. referendo בתליסר שנין. Quod Ebræi dicerent בִּשְׁנַת שְׁלשׁ עֶשְׂרֵה. Sic usitate loquuntur. Est tamen ubi aliter loquuntur, ut mox בארבע עשרה שנה decimo quarto anno. Locus plane similis, nisi quod hic desideratur ב præpositio, ut Exod. 20. 11. כי ששת ימים עשה, *Sex diebus fecit DOMINUS.* Nam plenum esset בששת. ❡ *Rebellarunt*] ἀπέστησαν, defecerunt. ❡ *Quarto decimo anno*] anni isti putandi sunt ab eo tempore quo servitutis jugum subierant. Quanquam R. Salo. eos putare videtur à tempore rebellionis, ut dicat pentapolitanos Reges serviisse 12. annis, rebellasse 13. & bello lacessitos fuisse an. 14. computando ab eo tempore quo rebellare inceperant. Nolim sequi. ❡ *Reges qui cum eo*] Reges socii qui eum comitabantur numero tres, videlicet Amraphel, Rex Sennaar &c. ❡ *Raphaim*] τοὺς γίγαντας Lxx. ית גבריא On. & Jon. i. gigantes. Secutus autem sum Hiero. qui *Raphaim* edidit, ut A. ῥαφαΐμ. Hinc forte Philo, *Raphaim, gigantes.* Nam etiam Jerosolymitana רפאיא habet. Similiter Proverb. 21. 16. רפאים Lxx. γιγάντων. A. ῥαφαείν. Sym. θεομάχων. Th. γιγαντας. Hiero. in Quæst. *Alia litera habet, & ciciderunt gigantes.* Deut. 2. 20. *Raphaim sive gigantes in ea habitarunt, quos Ammonitæ Zomzommin appellant.* Dicti Raphaim, ut quidam volunt, à gigante quodam Rapha nomine. ❡ *In Astharoth Carnaim*] Duorum cornuum i. bicornis, ut Rhenus bicornis. Lxx. ἐν τῷ ἀσταρὼθ καὶ καρναΐν, ubi ν pro μ ex Chaldaismo. Si alibi ῥαφαεὶν lectum pro ῥαφαείμ. Latina exemplaria partim *Astharoth Carnaim*, partim *Astharoth & Carnaim.* Alibi Astharoth simpliciter locus ultra Jordanem in regione Og Regis Basan, qui tribui Manasse cessit. Eusebius de locis, *Astharoth Carnaim, terra gigantum quondam in supercilio Sodomorum, quos interfecit Chodorlaomor. Sunt hodieque duo castella in Batanea hoc vocabulo, novem inter se milliaribus separata, inter Adaran & Abilan civitates.* Idem ibidem, *Astharoth antiqua civitas Og Regis Basan, in qua habitaverunt gigantes, quæ postea cecidit in sortem tribus Manasse, regionis Bataneæ, & sex millibus ab Adar urbe Arabiæ separata est. Porro Adar ab Ostra 25. millibus distat.* Rursum Eusebius an Hieronymus? *Carnaim Astaroth, nunc vicus est grandis in angulo Bataneæ, & appellatur Carnea, trans fluentem Jordanis, traduntque fuisse ibi domum Job.* ❡ *Zuzim*] vel, Hazuzim, τοὺς Ζουζαίους. Alibi non reperitur quod sciam. Vide Fullerum Miscell. sacra. p. 230. Lxx. ἔθνη ἰσχυρὰ. On. & Jon. תקיפיא i. fortes. Thargum Jeroso. זיותניא puto idem esse cum זיותן i. illustres. R. Salomo, הם זמזמים. *Hi sunt Zomzommim.* Sic filii Ammon olim appellabant Raphaim i. gigantes. Vide Deut. 1. Hiero. in Quæst. *Zozim* (antiquitas lectionis pro Zuzim) *& Emim, terribiles & horrendi interpretantur, pro quo Lxx sensum magis quam verbum è verbo transferentes, gentes fortissimas posuerunt.* Eucherius, *Zozim & Emim i. terribiles & horrendi habitarunt olim in civitate Sabe* (שוה) *quæ usque hodie sic vocatur.* ❡ *In Ham*] בְּהָם nomen loci. Lxx. ἅμα αὐτοῖς, legerunt בָּהֶם. Sic etiam legit interpres noster. Quippe vertit, *cum eis.* Sed & autor editionis quam Jerosolymitanam vocant. Nam בהון in eis, quod exponi potest *cum eis*, vel, *inter eos.* On. & Jon. בהמתא in Hemtha vel Hamtha. Ceterum nominis הם prima est He, cujus loco Hiero. quondam Heth legit, si non fallit nos ita scribens, ut supra verba habent. ❡ *Emim*] האימים τοὺς ὀμμαίους. Lxx. videntur legisse האומים, h. e. Vau pro Joth. Nam in eorum editione τοὺς ὀμμαίους, (alias ἐμμαίους, sic edit. complut.) nisi mendum in libris. Hiero. legit per Joth, h. e. Emim. On. & Jon. habent Emthane. Thargum vero Jerosol. אימתניא quod eodem recidit. Sed quid Emim? Enach gigantis nomen est, unde Enacim dicti. Hos Moabitæ Emim vocant Deut. 2. 11. quasi terrores dicas. Nam אימים terrores. Hoc significat cum nomen appellativum est. Dicti ergo eo nomine gigantes, quod terrorem inferrent ob vastam corporis molem. Sic dico, Terrori erant hominibus, qui eos adspiciebant, quorum etiam cor debilitabant: unde Raphaim dicti putantur à רפה vel רָפָה debilito; ut Jes. 5. 24. וחשש להבה ירפה *& stipulam tenuiorem flamma debilitat.* Philo in libro nominum, *Emim, horribiles vel terribiles.* ❡ *In Save Carjathaim*] nomen loci. Sicut autem Carjathaim, quod nunc legunt Cirjathaim, ut si dicas, Save duorum oppidorum. Siquidem קִרְיָה est oppidum, proprie πολίχνη i. civitatula, si non fallunt nos A. & Hiero. quos autores hujus rei habeo. שָׁוֵה in una edit. Veneta ex iis quæ in folio complicant, reperi scriptum שֶׁוֶה cum Segol. Sic etiam legitur in editionibus Chaldaicis On. & Jonathæ. Lxx. τοὺς ἐν σαυῇ τῇ πόλει. Hinc Eusebius, *Save, civitas antiqua, in qua habitaverunt Ommæi gens valida super regionem Sodomæ, quam excidit Chodorlaomor.* Thargum Jerosol., *qui habitant in ea quam extruxerunt civitate.* Nam שוה posuit, statuit. Sic Virg. dixit, *Urbem quam statuo vestra est*, pro condo, extruo. Recentior editio, *in planitie ad Kirjathaima.* Gallica quam inspexi, & quam toties laudo, *en la plaine de Kirjathaim* i. in planitie Carjathaim. Probarem. Absque Hiero. esset, qui in Quæst. Ebraicis ita scribit, *Quatuor Reges profecti de Babylone interfecerunt gigantes, hoc est Raphaim, robustos quoque Arabiæ, & Zozim in Hom, & Emim in civitate Save, quæ usque hodie sic vocatur.* Nam Carjathaim oppidi nomen esse docet Eusebius per hæc verba, *Carjathaim autem civitas, quam extruxerunt filii Ruben. Nunc autem est vicus Christianis omnibus florens, juxta Medabam urbem Arabiæ, & appellatur Coriatha, in decimo milliario supradictæ urbis contra occidentalem plagam, vicinus ejus loci, qui appellatur Bare.* ❡ *Chorræos*] malim Choræos, unica R. Nam in Ebraicis nominibus potius sequenda est consuetudo Ebraica, quæ hanc litteram raro aut nunquam fere geminat. Ab hac diversa

est

est consuetudo Græcorum: unde Chorræos. Nam in Lxx. καὶ τοὺς χοῤῥαίους. Hinc emendabis Hiero. editione vulgata, ubi perperam Corræos legitur cum C. simplici. Scribi etiam potest Horræos, Choræus, Horæus, ut Hemor, Chemor: Hermon, Chermon: Ham, Cham: Haran, Charan. Nomina enim, quæ ab Heth incipiunt, olim promiscue ita scribebantur. In Ebræo est את החרי τοὺς χοῤῥαίους: & λαὸν sub. Ideo sequitur *in monte eorum*. On. & Jon. חוראי. Autor Ierosl. חורנאי Horanæi. Ipsa vox sonat ut si dicas Troglodytæ. Nam חור foramen i. τρώγλη. Quod indicat Philo per hæc verba, *Chorræi, quos vocant troglodytas*: & alibi, *Chorræus, quam Troglodytam Græci vocant.* Ita legendum. Vulgo male τρώγλη. Ex, *Chorræi, foramen meum.* חורי. ❡ *In monte ipsorum*] בהררם. ita nunc legunt Ebræi: olim interpretes aliter legisse videntur. Nam Hiero. *in montibus*: & Lxx. τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσι: & On. proselytus בטוריא: & Jon. בטוריא רמיא in montibus celsis. Sola Jerosol. habet בטוריא in monte. Id Ebraice diceretur הָרָר, ut *in montibus* i. בְּהַרְרֵם vel certe בְּהַרְרֵים cum Joth ante ultimam Mem. Hujus regimen הַרְרֵי repertum mihi cum alibi, tum Psal. 36. Ut hic בְּהַרְרָם in monte ipsorum, ita Psal. 30. 8. לְהַרְרִי monti meo. Abenezra nove interpretatur בְּהַרְרָם cum ascenderent ipsi ad montem Seir, ut alibi בְּדַבְּרָם cum loquerentur ipsi. Non admodum laudo. Mercerus existimat, mihique non improbatur; totum illud בהררם שעיר nomen loci esse. Si recte, tum vertendum erit seorsum ab aliis, *in Harram Seir*. Cogitemus amplius. R. David annotat in quibusdam libris scribi בַּהֲרָרָם Chateph patach sub priore Resch, quod leges, *Hararam*. ❡ *Seir*] שֵׂעִיר Σηείρ, vel, ut alibi, Σηίρ. Duo Chaldæi, videlicet Jon. & Autor Jerosol. hic habent גבלא. quod in illo גְּבָלָא Gebala scribitur, in hoc גַּבְלָא Gabla sive Gabala, media correpta. Notavit hoc R. Nathan in Lexico Thalmudico. Sed & Elias in Chaldaico, ubi גִּבְלָא scripta cum Chirec sub Gimel. Erat autem regio Idumææ Gabalene dicta, sed Gabaleni sive Giblii, qui & Biblii, alii sunt. Apud Arabes Gibel significat montem, unde Gibalthar. ❡ *Usque ad Planitiem Pharan*] עד איל פארן. Hiero. *Usque ad campestria Pharan*. On. & Ion. *usque ad planitiem Pharan*, quos secutus sum. איל planities i. מישר. Sic etiam R. David interpretatur. Thargum Ierosol. עַד מֵישַׁר חוֹזָא usque ad planitiem Hazoza. Supra 12. 6. עַד אֵלוֹן מוֹרֶה eadem editio מֵישְׁרַי חוֹזָא. Munsterus interpretatur *vallem illustrem*, aut *vallem visionis*. Porro in meo codice offendi scriptum מֵישַׁר: quomodo & Munsterus laudat. Ego Eliam sequendo scripsi מֵישַׁר i. planicies numero singulari. Alibi est לְמֵישַׁר חוֹזָא pro eo quod in Ebræo אֶל עֵמֶק שָׁוֵה, Citat Elias in libro ubi vocum Chaldaicarum sensu explicat. Lxx. ἕως τῆς τερεβίνθου τῆς φαράν: usque ad Terebinthum Pharan. Sic interpretantur אֵלָה 1. Sam. 17. 2. etiam Hiero. Hos. 4. 13. Alii domum Iob fuisse dicunt in Astharoth Carnaim, quæ Carnea vocitatur. Locum Hiero. ea de re supra produximus. Piget repetere. Sunt qui referant, *usque ad arietem Pharan*. Quis hæc legens non pelvim poscat? Nam quod exponunt *promontorium Pharan*, ab ipsis autoritatem habet. Nusquam enim, quod sciam, promontorium aries appellatur. Quot homines, tot sententiæ. Mihi non displicet ut vertatur, *usque ad Elpharan*. Neque tamen assentior per omnia Jario scribenti אֵיל peculiariter dici de planitie Pharan, ut Elone usurpatur de planitie Mamre כִּכָּר de planitie Jordanis, אבל de planitie Settin, & בעל de planitie Gad. Moses Gerundensis arbitratur locum ita appellatum ab arboribus, quas אילנים vocant Ebræi, quasi quercetum dicas. Cui firmando est scholion, de quo supra ἕως δρυός. Nam δρῦς, quercus. Gallica edit. quam toties cito, *jusques à la campagne de Paran*. Est autem Pharan nomen deserti & montis, non procul ab Horeb & Sinai. Eusebius in locis, *Pharan desertum est Saracenorum supra Arabiam, ejusdem quoque nominis dicitur mons ibi.* ❡ *Quæ ad desertum*] quæ juxta aut propè desertum. On. *quæ contigua deserto.* Sic etiam Jerosol. Jon. *quæ vicina ad latus deserti.* Nam צְלַע latus; idem videlicet quod עַל. Lxx. ἥ ἐστιν ἐν τῇ ἐρήμῳ: quæ est in deserto. Hiero. *quæ est in solitudine.* Licet vertere, *supra desertum.* Id עַל communiter & usitate significat. Unde Gall. edit., *au dessus du desert.* Cave spernas. Significat autem desertum Arabiæ, in quo Israelitæ Ægypto egressi annis 40 habitarunt. Quocirca additus in Ebræo articulus על המדבר quem Græci expresserunt. Nam latini non possunt, quia eo carent.

7. *Reversique sunt & venerunt ad En-Mesphath (ipsa est Cades) & percusserunt omnem agrum Amalecitarum & etiam Amoraos habitantes in Hassasonthamar.*

Ad En-Mesphath] ita dicitur En-Mesphath, ut Engaddi, Enrogel &c. Hiero. maluit interpretari: *ad fontem Mesphath* & Lxx. ἐπὶ τὴν πηγὴν τῆς κρίσεως. עֵין oculus: inde ad fontes transfertur, qui sunt quasi quidam oculi terræ. Mesphath autem antiqua lectio est pro Misphath i. judicium. On. למישר פלוג דינא in planitiem divisionis judicii i. interprete Fagio, *ubi lites judicio dirimebantur.* Perperam Nahamani filius פלג confundit cum פלג quæ vox mere Græca est, & pelagum denotat. Jon. לאתרא דאתפליג דינא in locum ubi judicium dividebatur i. decidebatur aut dirimebatur, & judicium i. lites judicii, ut supra. Eadem utrobique sententia. Fallor. Locus integer est, *in locum ubi decidebatur judicium Mosis Prophetæ, ad fontem aquarum contentionis.* Causam reddit nominis, sed an veram? Id aliis dijudicandum relinquo, nolo interponere judicium meum. Tantum dico, nullam hic Prophetiam esse ut vult R. Salo. Potius anticipatio est quam prolepsin vocant Græci. Hiero. in Quæst. *Fons Mesphath sive judicium per anticipationem dicitur, quod postea sic vocatum est. Significat autem locum apud Petram qui fons judicii nominatur, quia ibi Deus populum judicavit.* Suum cuique. Mihi videtur prisci ævi nomen esse En-Mesphath, recentioris vero Cades, quod ideo declarationis causa, ut fit, adjectum. ❡ *Cades*] *Cadesbarne.* Hiero. Moses Gerundensis, alii. Verba Hiero. vel potius Eusebii habentur in libro de locis Ebraicis, *Cades, ubi fons est judicii & Cadesbarne in deserto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia. Ibi occubuit Maria, & Moses rupe percussa aquam sitienti populo dedit. Monstratur ibidem usque in præsentem diem sepulchrum Mariæ, sed & Principes Amalecitarum ibi à Chodorlaomor cæsi sunt.* Erat alia Cades in deserto Sin, quod Ebræi scribunt צִן per S. Sade, mansio 18. ab ingressu Pharan. Num. 33. 36. *desertum Sin: hæc est Cades.* On. & Jon. רְקַם vel רְקָם. Sic etiam hoc in loco interpretantur, ut alibi pro קדש habent לְרְקַם. Imo ubique sic interpretantur קָדֵשׁ quando est nomen loci, ait Elias in suo Methurgeman. Ceterum Cadesbarne, de qua hic sermo, chartæ geographicæ ponunt prope Gerar, montemque Sephar, non procul à mari Suph. Vide sis Deut. 1. 19. & 20. ❡ *Percusserunt*] vastarunt, depopulati sunt. ❡ *Omnem agrum*] *omnes agros*, aut, *omnem regionem.* Hoc Hiero. transtulit: illud Jon. Lxx. πάντας τοὺς ἄρχοντας. Videntur legisse שָׂרֵי h. e. Resch pro Daleth. ❡ *Amalecitarum*] העמלקי Amalecitæ i. Amalecitarum. Sing. pro plur. ut Romanus dicimus pro Romanis: aut עַם subintelligitur. *Populus Amalecita* i. Amalecitæ. Porro sing. num. usus est On. עֲמַלְקָאָה vel potius עֲמַלְקָאֵי. Plurali usi sunt Hiero. & Ion. עֲמַלְקָאֵי. In Lxx. ἀμαλὴκ i. עֲמָלֵק. *Omnem agrum Amalec.* Idem cum illo, omnem agrum Amalecitarum. Sic *terra Israël.* i. Israëlitarum. Amalecitæ Gobolitidem regionem & urbem Petram incolebant. Josephus Orig. Jud. lib. 3. cap. 2. inter Idumæas gentes pugnacissimi erant. Quorum regio Amalecitis dicebatur, in deserto ad meridiem Iudææ, trans urbem Petram euntibus Ailam. Eusebius de locis. Strabus ait Amalec fuisse filium Ismaël Exod. 17. quem prolixe ita sentientem refellit Lyra, docens fuisse filium Eliphaz primogeniti Esau. Quod firmat Iosephus lib. 2. Moses Gerundensis arbitratur antiquis temporibus fuisse quendam ex filiis Horæorum Amalec nomine, qui loco illi cum imperio præfuerit eique nomen dederit. Quod mihi facile persuaderet, nisi scirem Prolepsin crebram esse in his libris, nisi me Iosephi autoritas moveret, nisi Mosi solitum appellare nomina locorum, ut suis temporibus appellabantur, & nota erant. ❡ *Amoraos habitantes*] vel, *Amoraum habitantem.* repete διὰ κοινοῦ percusserunt. Secutus autem sum Lxx. qui verterunt, καὶ τοὺς ἀμοῤῥαίους τοὺς κατοικοῦντας. Hiero. aliter, quem qui sequi velit, debebit vertere, *& etiam Amoraorum qui habitabant.* Sententia est, percussit etiam agros sive regionem Amoræorum &c. Cave rejicias. ❡ *Amoraos*] vel *Emoraos.* Nam Ebraice הָאֱמֹרִי Emoræum. Ita nunc legunt. Antiqui videntur legisse הָאֱמוֹרִי. Græci autem scribunt ἀμοῤῥαῖον, ρ geminata. Sic pro Amora scribunt γομόῤῥα, pro Horæus, χοῤῥαῖος. Nec fere alia scriptura in eorum libris. ❡ *Hassasonthamar*] vel, *Hasasonthamar.* Sed in Ebræo חַצְצֹן תָּמָר duabus dictionibus, & cum Dages in altero Sade, quæ litteram geminat. Id scribes Hassason Thamar, media nominis Hassasan correpta. Græca vox ἀσασὸν θαμὰρ initio aspirari debet, ut & latina *Asasonthamar.* Nam exilis ille spiritus non est interpretum, sed potius librariorum; quorum imperitia omnia corrupit. Quis autem crederet Hiero. scripsisse, Asasonthamar tenuiter cum sit Heth in scriptura Ebraica, quam idem ait duplicem aspirationem esse. Vitia exscribentium non debent cuiquam fraudi esse, ut nec typographorum hodie. Alioqui pessime ageretur cum iis, qui libros edunt, si aliena culpa ipsis præstanda esset. Reperitur & חַצְצוֹן תָּמָר 2. Paralip. 20. 2. unde Hasasonthamar. Quod ita scriptum in Eusebii locorum libro. Quanquam in vulgatis Hazazonthamar. Tantum de scriptura. Veniamus ad Etymon. Nomen habet à lapillis dactylorum, ut quidam volunt, aut, ut alii censent, à densatis

densatis illic palmis arboribus. Hiero. in Quæst. Ebraicis, *Hoc oppidum est quod nunc vocatur Engaddi, balsami & palmarum fertile. Sonat autem nostra lingua urbs palmarum. Thamar quippe palma dicitur.* Quod de Engaddi ait, firmatur autoritate interpretum Chaldæorum. On. enim & Ion. interpretati h. l. sunt, עין גדי in Engaddi, quod Græci scribunt αἰνγαδδὶ & ἐνγαδδί. Palmarum Engaddi mentio Sirach 24. 12. ὡς φοῖνιξ ἐν ἐνγαδδί, ubi male vulgo ἐν γαδδί.

8. *Igitur egressi sunt Rex Sodomæ, & Rex Gomorræ, & Rex Adamæ, & Rex Seboim, & Rex Bala, ipsa est Segor, & instruxerunt cum eis prælium in valle Seddim:*

9. *Cum Chodorlaomor Rege Elam, & Thadaal Rege gentium, & Amraphel Rege Sennaar & Arioch Rege Ellasar; quatuor Reges cum quinque.*

Egressi sunt] exierunt, prodierunt obviam. Lxx. ἐξῆλθε exiit. Sic etiam On. & Ion. Nam in Ebræo ויצא. Nos numerum mutavimus ita poscente latinitate. ¶ *Instruxerunt cum eis prælium*] Instruxerunt aciem prælio cum eis decertaturi. Hoc Hiero. dixit, *direxerunt acies contra eos*: & alius, *instructi inierunt contra eos prælium*: & Lxx. παρετάξαντο αὐτοῖς εἰς πόλεμον, quod reddunt, *direxerunt aciem contra eos in bellum.* מלחמה hic exposui prælium i. קרב. Nam hæc duo vocabula se mutuo explicant. ¶ *Cum eis*] עמם i. עמהון ut habent On. & Ion. Alii, *contra eos*, עליהם. ¶ *In valle Seddim*] ἐν τῇ κοιλάδι τῇ ἁλυκῇ. Lxx. Vide quæ notavimus ad versum tertium hujus capitis. ¶ *Elam*] vel *Elamitarum*. Hos ἐλυμαίους appellat Iosephus, & eorum urbs ἐλυμαΐς dicitur, quam eandem faciunt cum persepoli. Ejus memoria usurpatur in libris Machabæorum. Ceterum an ἐλυμαῖοι iidem sint cum ἐλύμοις aliis disquirendum relinquo. ¶ *Sennaar*] Scholion, Πόντου, Ponti. Quod ex A. descriptum: videtur certe. Quanquam versu primo hujus capitis אלסר A. πόντου: etiam Hiero. Dubito an recte. Dubitandi causa ex hoc loco: tum etiam ex edit. Chaldaicis. Nam in Ion. & Ierosol., *Amraphel Rege Ponti.* Cogitemus amplius. Dies certiora proferet. ¶ *Ellasar*] ἐλλασάρ. Sic etiam On. & autor Ierosol. In uno Ionatha offendi תלסר. Thelasar, alias תלסר Thalsar aut Thalasar. ¶ *Quatuor Reges cum quinque*] potius dixisset, *quinque Reges cum quatuor.* Nam sub. *instructa acie decertarunt*: quod repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Thargum Ierosol. *Quatuor Reges contra quinque ordinarunt ordines prelii.* Id On. brevius extulit, *ordinarunt prælium.*

10. *Porro in valle Seddim putei multi bituminis: fugeruntque Rex Sodomæ & Gomorræ, & ceciderunt illuc: residui vero ad montem fugerunt.*

In valle Seddim putei multi bitu.] ועמק השדים בארת בארת חמר *& vallis Seddim putei putei bituminis* i. referta aut plena erat puteis bituminis. Dicit autem *vallis* pro in valle, ut alibi, *Novalis pauperum copia cibi* pro in Novali: & *putei putei* i. putei multi i. בארות הרבה ut recte R. Salo. explicat. *Putei bituminis.* On. *producentes bitumen.* Jon. *pleni bituminis.* Sic etiam autor Jerosol. Hiero. *habebat puteos multos bituminis.* Lxx. φρέατα ἀσφάλτου, excidit vox φρέατα, ut sit φρέατα φρέατα, τουτέστι φρέατα πολλά. ¶ *Bituminis*] ἀσφάλτου. Hinc Asphaltites lacus, & ימת חמר apud Gorionidem i. stagnum bituminis. Nicolaus ait in Ebræo haberi *cementi.* Idem bitumen scribit esse genus cementi, quod non dissolvitur nisi sanguine menstruo. Puto cementum ab eo vocari, id quod Galli dicunt *ciment.* Nam cæmentum apud autores Latinos aliud est. Hoc significatu usus videtur interpres vetus. ¶ *Ceciderunt illuc*] inciderunt in puteos illos. Qui exponunt, ceciderunt ibi in prelio, sciant Regem Sodomæ post vixisse. Nam memoratur in historia Abrami, quod non fieret, si ibi occubuisset. Credibilius est in puteis illis utrumque Regem delituisse dum hostes discessissent. Licet etiam exponere, *Ceciderunt ibi, i.* victi fuerunt. Cadere enim dicitur qui alicui cedit, & inferior evadit. ¶ *Residui vero*] והנשארים οἱ καταλειφθέντες reliqui qui remanserant aut evaserant ex prelio. ¶ *Ad montem*] ad montes, vel ad montana. Docte Lxx. εἰς τὴν ὀρεινὴν. Nam sub. χώραν: quod Latine diceretur, *ad regionem montanam*, sive, *montosam.* Sæpe hoc modo הר usurpatur. Nove autem posuit הרה pro ההרה. Id valet להר sive אל הר. Quod si certum montem significare voluisset, dixisset ההרה quod idem cum illo להר. Notat R. Salo. cujus maxima autoritas apud Judæos. Erat autem natione Gallus Tricasso urbe Campaniæ oriundus. Hoc his diebus didici ex libro Juchasin, quo me donavit vir insigniter doctus & optimi judicii Antonius Thysius. Non sic deponam manum de hoc versu. Ubi nos vertimus, *& ceciderunt illuc*, vetus interpres habet, *& ceciderunt ibi*: quod exponi potest, & diffusi sunt per illos puteos. Nam cadere interdum est, longe lateque diffundi, ut Jud. 7. 12. *Ceciderunt in valle.* Paulo aliter enarrant Psal. 91. 7. *Cadent à latere tuo mille*, castra ponent, ubi tamen potius significare videtur, cadent in prelio; ut cum dicimus, *Mutinensi prelio cecidit.*

11. *Et ceperunt omnem substantiam Sodomæ & Gomorræ, & omnem commeatum earum & abierunt.*

Ceperunt] abstulerunt. ¶ *Omnem substantiam*] omnes facultates, omnia bona. Quid hic viderunt Lxx. cum verterent τὴν ἵππον πᾶσαν i. equitatum omnem? An legerunt רכש per sex puncta? Nam רכש aliud est. Sane infra vertunt ἀποσκευὴν supellectilem & Gen. 12. 5. τὰ ὑπάρχοντα i. bona & facultates. רכש autem Ebræi exponunt; dicentes significare genus equorum. Sunt qui præstantes equos bellicosque hoc nomine proprie significari existimant. Hiero. in Quæst. *Septuaginta habent & tulerunt omnem equitatum Sodomorum & Gomorra. Pro equitatu in Ebræo habetur Rechus i. substantiam.* ¶ *Sodomæ*] vel Sodomorum. Nam etiam τὰ σόδομα dicimus, ut τὰ ἱεροσόλυμα, unde genitivus, Jerosolymorum. ¶ *Gomorræ*] i. Gomorræorum. Sic *Sodoma*, Sodomitarum. Sic *civitas* ponitur pro incolis, h. e. pro ipsis civibus. ¶ *Commeatum earum*] אכלם cibum earum, i. annonam & commeatum. Licet vertere *eorum*, ut sit constructio sensu congrua non voce. Sane pronomen masculinum est in Ebræo, & diximus ipsos cives urbium vocabulo significari. Lxx. πάντα τὰ βρώματα αὐτῶν. Hiero. *universa, quæ ad cibum pertinent.*

12. *Ceperunt etiam Lot & substantiam ejus, filium fratris Abræ, & abierunt: & ipse habitabat Sodomæ.*

Lot & substantiam ejus] Ordo & constructio, *Ceperunt Lot filium fratris Abræ & substantiam ejus*; aut lege, *Ceperunt Lot, & substantiam ejus videlicet filii fratris Abræ.* Prius se magis probat mihi: quod Hiero. secutus est. Græci etiam ordinem immutarunt, ἔλαβον δὲ καὶ τὸν Λὼτ τὸν υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ Ἀβραμ, καὶ τὴν ἀποσκευὴν αὐτοῦ: ceperunt etiam Lot filium fratris Abram & supellectilem ejus. ¶ *Fratris*] Haran. ¶ *Sodomæ*] בסדם in Sedom i. Sodomæ, vel si mavis, Sodomis. Proquo Hiero. dixit *in Sodomis* & Lxx. ἐν σοδόμοις. Hinc Severus in hist. sacra, *ac rursum reversus, Lot, præ multitudine familiæ à patruo digressus, ut laxioribus vacua tum regionis spatiis uterentur, in Sodomis consedit.* Hic locum habet adagium illud, *Veh malo & vicino ejus.* Quomodo Latini Autores dicunt, *Aliquid mali propter vicinum malum.* Sic sæpe probi ac pii homines communibus improborum calamitatibus involvuntur.

13. *Venit autem unus qui evaserat & indicavit Abræ Ebræo, qui habitabat in Elone Mamre Amoræi fratris Eschol & fratris Aner: & hi erant fœderati Abræ.*

Unus qui evaserat] הפליט qui evaserat. Chaldaice שזיבא unus ex iis qui evaserant. Hoc Lxx. dixerunt τῶν ἀνασωθέντων τις. Sym. διαφυγὼν. Idem aliter. Nam διαφεύγω, effugio, evado. ¶ *Indicavit*] nunciavit, ἀπήγγειλε. ¶ *Abræ Ebræo*] לאברם העברי Hiero. Abram Ebræo i. Ἀβραμ τῷ ἑβραίῳ. On. עבראה quod ita dicitur ut אמוראה Amorræus. Hinc emendabis Thargum Jonathæ, ubi, meo judicio, perperam עברא legitur. Error natus ex compendio scribendi עבראׂ pro עבראה. Nam omissus apex, qui indicabat literam absentem. Ita mihi videtur: Sed falli possum. Nam homo sum. עברי gentile est, ab Eber i. עבר. Quin hæc sit vera interpretatio, cur dubitemus causa nulla est. Nam quod Lxx. vertunt τῷ περάτῃ, alienum est à significatu quem habet hoc nomen in aliis locis. Sane העברים sunt Ebræi, non περάται. Transitor autem i. περάτης, potius עובר diceretur. August. in Quæst. aliam interpretationem adducit, quam vos celare nolo. Ejus verba sunt: *Juxta alia exemplaria, & nunciavit Abram transfluviali. Transfluvialem Abram appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant. Sed cur ita appellatus sit hæc videtur causa, quod ex Mesopotamia veniens transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan, & transfluvialis appellatus est ex ea regione unde venerat. Unde Jesu Naue dixit ad Israelitas, Quid vultis servire Diis patrum vestrorum, qui sunt trans flumen?* Quam sententiam roborat doctissimus Theodoretus per hæc verba, *Ego vero arbitror Ebræos dici non ab Eber, sed ex eo, quod Abram Patriarcha cum è Chaldæa in Palæstinam proficisceretur, fluvium transmiserit. Nam Ebræus Syrorum lingua transiens appellatur. Quod si ab Eber Ebræi vocantur, non eos modo Ebræos nuncupare necesse esset, sed plerasque etiam alias gentes, quæ ab Eber genus ducunt, ut alias omittam, ex eo profecti sunt Ismaelitæ, & hi qui ex Cetura & Idumæi.* Cum pace, cumque venia tanti viri, si ea causa nominis, cur non etiam Ismaelitæ, cur non hi qui ex Cetura, denique cur non Idumæi quoque Ebræi nuncupantur? Omnino statuendum licet plures ex Eber descenderint, tamen hoc nomen peculiariter tribui iis qui in fœdere manserunt, h. e. posteris Jacob, qui & Israël: unde Israëlitæ & Ebræi

se invicem explicant. Sunt autem Ebræi filii Eber, perinde ut Israelitæ, filii Israël. Hoc verum puto. Vide nunc si placet, notas meas ad Fragmenta interpretum veterum in Genesin. ¶ *In Elone Mamre*] באלני ממרא. Lxx. παρὰ τῇ δρυῒ τῇ μαμβρῇ : apud quercum Mambre. Hiero *In convalle mamre*. On. *in planis Mamre*. Jon. *In visionibus Mamre*, si modo recte capio בחזו. Nam fieri potest, ut aliud ibi significet. ¶ *Eschol*] Ἐσχώλ, quod scribunt אשכל ea vox botrum denotat. Philo, *Eschol botrus* i. βότρυς. ¶ *Aner*] ענר. male Αὐνὰν in edit. τῶν ό. Ab hoc Aner civitas nomen accepit, de quo 2. Paral. 6. Hiero. in Quæst. Ebr. *Aner ex uno de pueris Abrahæ nomen accepit, qui eo loci habitavit & sepultus est.* Malim dixisset, *de Amicis Abrahæ.* Nam amicus erat, non puer aut servus Abræ. Idem alibi, *melius in Ebræo legitur, apud quercum Mamre Amorræi fratris Eschol & fratris non Annan, ut Lxx. transtulerunt, sed Aner, ut ostenderet Mamre & Eschol & Aner Amorræos atque germanos, socios fuisse Abræ.* ¶ *Foederati Abræ*] בעלי ברית אברם ad verb. *Domini fœderis Abram.* Chaldaice מרי קימה דאברם. Ita Jon. Sed in On. אנש קיים דאברם viri fœderis Abram : Eodem recidit. Minus recte Lxx. συνωμόται τοῦ Ἀβράμ. Nam id sonat, conjurati Abræ i. conjurationis socii, conjurationis participes. Forsan Hellenistæ usurpabant συνωμότης pro fœderatus. Quod ut affirmare nolim, ita temere negandum non est. Nam in fœderibus jusjurandum adhibebant. Hiero. *Hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* Sensum expressit, non verba.

14. *Cumque audivisset Abram captum esse fratrem suum, armavit famulos suos natos domi suæ trecentos octodecim, & persecutus est eos usque Dan.*

Captum] vel magis, *captivum abductum*, quod Græci dicunt ὅτι ᾐχμαλώτευται : Ebræi כי נשבה. Chaldæi ארי אשתבי. ¶ *Fratrem suum*] agnatum suum. ¶ *Armavit*] Lxx. ἠρίθμησε, & Hiero. *numeravit*. Nos diceremus, *recensuit*. Alius, *expedivit*. Metaphora ducta ab iis, qui gladium è vagina educunt : unde non nemo, *eduxit*, nempe in aciem. Santes, *armavit*, quem secuti sumus eo libentius quod Abenezra, quem sapientem cognominant, hunc locum illustrat per hæc verba, *dedit eis vasa belli* i. arma. Quod idem cum illo, armavit eos. Id Galli dicunt *il equippa*. Jonathan alter paraphrastes Chaldæus זיין nisi legendum זריז. Nam in Lexico Chaldaico Munsteri, זיין armavit. On. habet זריז expedivit. ¶ *Famulos suos*] חניכים famuli aut servi, proprie qui domi instituuntur, ut si dicas κατηχουμένους αὐτοῦ i. catechumenos suos. Sic מחנכים sunt catechistæ qui alios instituunt, præsertim in religionis ac fidei rudimentis. Santes, *pueros suos* i. servos. Lxx. τοὺς ἰδίους : proprios. On. עולימוהי *juvenes suos*. Jon. *Iuvenes suos, quos instituerat ad pugnam.* Hiero. *expeditos*. Trem. *instructos*. ¶ *Natos domi suæ*] ילידי ביתו. natos domus suæ, i. vernas suos, sive vernaculos. Græce οἰκογενεῖς. On. ילידי ביתיה natos domos suæ. Jon. מרבייני ביתיה nutritii domus ejus. Jerosol. מרביני ביתיה. Hiero. *vernaculos suos.* ¶ *Trecentos octodecim*] Hinc lucem facies Prudentio quo in loco ita canit,

> *Nos esse large vernularum divites*
> *Si quid trecenti bis novenis additis*
> *Possint, figura noverimus mystica.*

Figura mystica est figura crucis quæ ita pingi solet T. eadem figura est literæ Tau, quæ in numeris notat 300. Addi etiam solent duæ litteræ IH ex nomine Græco Ἰησοῦς. Hæ litteræ valent 18. Simul efficiunt 318. Vide quæ scripsimus hac de re Quæst. lib. 2. Quæst. 21. ¶ *Usque Dan*] Thargum Jerosol. *Usque Dan Cæsarea.* In mente habuit Cæsaream Philippi, quæ quondam Dan & Laisa & Lesen & post Paneas appellata fuit. Theodoretus in Genesin Quæst. 109. τὴν Δὰν καλοῦσι τὴν νῦν πανεάδα καλουμένην Πανιάδα. [illegible] Phœniciæ urbs. Dicebatur etiam Cæsarea Panias. Hanc Agrippa, teste Josepho, Neroniam appellavit. Hiero. ad hunc locum, *Ad Phœnices oppidum, quod nunc Paneas dicitur, persecutus est eos. Dan autem unus ex fontibus est Iordanis.* Eusebius de locis, *Dan viculus est quarto à Paneade miliario euntibus Tyrum, qui usque hodie sic vocatur, terminus Iudææ provinciæ contra Iordanem, de quo & Iordanis fluvius erumpens, à loco sortitus est nomen.* Hæc verba docent non Paneada Dan dici, sed locum prope Paneada : tum etiam terminum esse terræ sanctæ aquilonarem. Hoc ut omni controversia caret : Ita de illo dubitare nos facit Hieron. Nam & in Comment. Jerem. 4. ita scribit, *Dan appellabatur quæ nunc Paneas.* (Πανεάς) Nescio unde descripserim, quod in adversariis meis, *Dan civitas quæ prius Laisa dicebatur. Sed mutatum nomen ab eventu, & vocata Dan, quod à parte ejus tribus expugnata & culta fuerit.* Rursum Eusebius de locis Ebr. *Laisa. Hanc filii Dan captam manu possederunt, cum esset procul à Sidone, & vocaverunt eam Dan. Fuit autem terminus terræ Iudæ contra septentrionem à Dan usque ad Bersabee tendentis. Sita est autem juxta Paneadem de qua Jordanis fluvius erumpit.* Forte Dan, quæ & Paneas, habebat fontem sibi cognominem, quatuor miliaribus ab urbe distantem : unde Jordanis appellatus quasi ירד מדן descendens ex Dan, aut, ut alii volunt, quod oriatur ex duobus fontibus Jor & Dan.

15. *Et divisit se adversus eos nocte ipse & servi ejus, percussitque illos & persecutus est illos usque Hoba, quæ est à læva Damasci.*

Divisit se adversum eos nocte] vel, *distribuit se*, i. copias suas, *contra eos nocte*. Lxx. ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτοὺς τὴν νύκτα : i. irruit super eos : ויחלק עליהם. Hiero. *divisis sociis irruit super eos nocte.* Malim, *divisis copiis aut turmis*. Docta interpretatio. Sæpe hoc modo unum verbum pro duobus usurpatur. Sic alibi, *Accepit dona in hominibus* pro, accepta distribuit. Sic, *capies carbones ignes super caput ejus* i. acceptos pones. Et in Evangelio, quod Matthæi dicitur, *Accepit eum*, pro acceptum transtulit. Hæc jam pueris nota. Quidam vertunt, *divisa est nox super eos.* Quam interpretationem, si verba non respuunt, tamen sententia repudiare videtur. Ego certe commodum sensum inde non possum elicere. Nam quæ Jon. adfert & Mercerus & R. Salo. ex Medras Aggada, & alii nonnulli, non digna sunt, quæ à me commemorentur. ¶ *Usque Hoba*] vel *Choba*. Quod in edit. Rom. ἕως χοβᾶ : unde corrigenda Complutensis ἕως χοβάλ. Sed & vitiose legitur in B. ἕως σωβᾶ : עד צובה. Unde Syria Soba, quam Sophenem interpretantur. In lingua Chaldaica חובא est debitum sive peccatum. Hinc Jon. *donec recordaretur delicti quod futurum esset in Dan, quæ ad septentrionem Damasci.* Et R. Salo. Trecensis, *nullus locus vocatur Hoba : sed Dan vocatur Hoba, propter cultum alium ibi aliquando futurum.* Quod ait nullum locum Hoba vocari, verum non est. Nam locus prope Damascum ita vocatur. Quod hic locus evidenter evincit. Cetera indigna sunt quibus respondeatur. ¶ *A læva Damasci*] משמאל לדמשק à sinistra Damasco vel Damasci. Lxx. ἐν ἀριστερᾷ δαμασκοῦ i. בשמאל. Hiero. *ad lævam Damasci* לשמאל. On. & Jon. מציפון à septentrione. Nam læva mundi pars septentrio, ut dextra meridies. Hinc læva pro septentrione ponitur, non quod in mundo aliquid lævum aut dextrum sit, sed quia orientem respicienti septentrio est ad lævam, ideo sic loquuntur Ebræi. Jam intelligimus ubi fuerit Hoba, nempe ad lævam Damasci, quæ est pars urbis qua septentrionem respicit. Nihil verius. ¶ *Damasci*] δαμασκοῦ. Codices Ebræi דמשק Dammascus, M. geminata. Sic etiam On. In Jon. est דרמשק i. Darmascus. Nam sic aliquando vocatur, etiam in textu Ebræo. Dicitur etiam Dormascith, quod scribunt דורמסקית unde R. Joses discipulus R. Eliezer magni איש דורמסקית dictus est, quia Damascenus erat, h. e. מדמשק ex Damasco, ut exponit R. Abraham Autor libri Juchasin fol. 62. Hæc urbs retro Arabiæ deputabatur, ut ait Tertull. antequam transscripta esset in Syro-Phœnicen. Eadem scribit Justinus in dialogo cum Tryphone Judæo habito. Eusebius de locis, itemque Hiero. appellant *nobilem urbem Phœnices* Jes. 7. 8. *caput Syriæ Damascus.* Quondam enim teste Hiero. in omni Syria tenuit principatum, *Et nunc Saracenorum*, inquit, *Metropolis perhibetur.* Hoc scribit in locis Actorum : Alibi interpretatur, *Damascus, sanguinem bibens* : & addit, *Ebræorum traditio est, campum in quo interfectus est Habel à parricida Cain fuisse in Damasco : unde & locus hoc insignitus vocabulo fuit.* Hæc ille in comment. Ezec. 27. Reperio & דמשק Amos 3. 12. si modo ibi Damascum denotat. Zacha. 9. 1. vocatur *requies Hadrach.*

16. *Reduxitque omnem substantiam atque etiam Lotum fratrem suum & substantiam ejus reduxit : sed & mulieres & populum.*

Reduxit] minus bene quidam, *restituit*. Nam restituimus quæ reddimus : reducimus ex itinere h. e. redire facimus. Postea tamen restituit Sodomitis, quæ illis adempta : Lotum autem ex captivitate domum reduxit. ¶ *Omnem substantiam*] omnes facultates. Lxx. πᾶσαν τὴν ἵππον σοδόμων : כל רכוש סדום. Antea notavimus רכוש potius ἵππον denotare, aut ὕπαρξιν, i. bona & facultates τὰ ὑπάρχοντα. ¶ *Fratrem suum*] τὸν ἀδελφιδοῦν αὐτοῦ i. fratris filium aut nepotem ex fratre. ¶ *Mulieres*] cum reliqua præda abductas. ¶ *Populum*] populum Sodomæ reliquarumque urbium pentapoleos.

17. *Egressus autem est Rex Sodomæ in occursum ejus, postquam rediit à cæde Chodorlaomor & regum qui cum eo fuerant, in vallem Save : ipsa est vallis regia.*

Egressus est in occursum ejus] obviam illi processit. ¶ *Rex Sodomæ*] βασιλεὺς σοδόμων. Lxx. *Rex Sodomorum*. Hiero. Credibile autem est comitatum fuisse quatuor aliis Regibus supra memoratis. ¶ *Rediit*] vel reversus esset. ¶ *A cæde Chodorlaomor*

mor & Regum qui cum eo] verbum pro verbo, *à percutiendo Chodorlaomor & Reges qui cum eo.* ¶ *In vallem Save*] אֶל עֵמֶק שָׁוֵה. Hic אֶל videtur positum esse pro בְּ. Sane Hiero. vertit, *in valle.* Hæc Enallage Latinis quoque usitata. Sed & Græcis. Itaque quod in Lxx. εἰς τὴν κοιλάδα, bene reddunt, *in valle.* On. & Jon. לְמֵישַׁר מְפַנָּא. Fagius interpretatur, *in vallem planam.* R. Salo. *Arboribus vacuam & omni offendiculo.* q. d. repurgatam & complanatam. פנוי מאילנות non sig. *liberam à lapidibus*, ut Mercerus reddidit; sed *ab arboribus.* אִילָן enim est arbor, unde אילנות. Res est, non conjectura. Thargum quod ab urbe nomen accepit לְמֵישַׁר וְחַזְוָא in vallem Hazoza. A Munstero interpretatur, *in vallem illustrem*, vel, *in vallem visionis.* Obvia eadem vox in eadem edit. Gen. 14. 6. Ubi Ebræus habet אֵיל פָּארָן Elpharan. ¶ *Save*] שָׁוֵה an שָׁוֶה scribas (Nam exemplaria variant) parum refert. שָׁוֵה i. σαβῆ. Ita exemplar vetustissimum Hillelis manu descriptum, cujus partem se vidisse testatur in Hispania R. David. Ejus mentio in libro Juchasin, in iis quæ Samuel Solemus addidit per hæc verba, *Anno 956. erat excidium ingens in regno Hispaniæ vulgo Leon dicto*, (Legionense regnum, cujus Metropolis legio Geminia alias Regia.) *Tunc extulerunt inde libros 24. qui Biblia nuncupantur, quos scripserat R. Hillel. Ex iis Bibliis castigabant omnes libros, & ego vidi partem ex iis quæ divendebatur in Africa : Meo autem tempore exacti erant nongenti anni ex quo scripti fuerant. Ceterum Kimchi scribit Pentateuchum fuisse Toledæ.* Hæc ibi. Jam ad rem. שָׁוֵה i. σαβῆ, quod in Edit. Rom. corruptum in σαβῦ i. Saby. Nam proclivis sane lapsus de η in υ. Σαβῆ autem legitur in ceteris codicibus quos consului. Gall. edit. *au val de la plaine* i. in vallem planitiei. Alius *in vallem Sava* i. planam æquam. Moneo te lector שָׁוֵה magis videri nomen proprium quam appellativum. Nam appellative hac forma non reperitur quod sciam. ¶ *Ipsa est vallis Regia*] Lxx. τοῦτο ἦν τὸ πεδίον τῶν βασιλέων: hic erat campus Regum. Hiero. *quæ est vallis Regis.* Santes, *ipsa est vallis Regis.* In hac valle Absalon sibi monumentum posuit 2. Sam. 18. 18. Unde colligere est vicinam urbi fuisse. Cum urbem dico, intelligo Jerosolymam. Nam ita καὶ ἐξοχὴν quandoque vocatur. On. הוּא אֲתַר רֵיסָא דְמַלְכָּא ipse erat locus stadii Regis, h. e. interprete Fagio, *ubi erat locus exercitii Regis.* Jon. הוּא בֵּית רֵיסָא דְמַלְכָּא. Idem aliter. Nam בֵּית locus i. אֲתַר. R. Salo. *Locus stadii unius est triginta calamorum, qui locus peculiariter attributus erat Regi ad ludendum in eo.* Videlicet equestri certamine, ut hodieque fieri solet. Autor Jerosol. הוּא בֵּית מֵישְׁרָא דְמַלְכָּא ipse est locus planitiei Regis. In editione Complutensi, τοῦτο ἐν πεδίον βασιλέως Μελχισεδὲκ : *Hic erat campus Regis Melchisedeci.* Puto mendum esse librariorum. Nam sequitur in principio vers. 18. *Et Melchisedec Rex Salem &c.* Id aberrans manus, ut fit, cum fine hujus versus confudit, deleto καὶ, quod tamen in Ebræo & aliis codicibus Græcis.

18. *Melchisedec autem Rex Salem protulit panem & vinum : & ipse sacerdos erat Dei supremi.*

Melchisedec] vel, *Malchisedec.* Nam Ebraicè nunc מַלְכִּי צֶדֶק quod antiquitus legebant מַלְכִּי unde Melchisedec. Id sonat, *Rex justitiæ* : aut *Rex justus.* Priore modo interpretatur Apostolus Ebr. 7. 2. Eusebius Ἀποδεξ. lib. 5. cap. 3. Alii. Posteriore interpretamento usus est Philo in Nom. de Genesi. Hiero. in Nom. ex Epist. ad Ebræos, Josephus Antiq. hist. lib. 1. cap. 18. Clemens Stromatum lib. 4. *Rex justitiæ* i. βασιλεὺς δικαιοσύνης, quod idem cum illo, *Rex justus*, βασιλεὺς δίκαιος. Sed & vetusta interpretatione צֶדֶק valet δίκαιος. Sic reddunt Lxx. Cohel. 3. 16. A. & Hiero. Psal. 17. 1. צֶדֶק justus, ut כֶּבֶד gravis. Nam justitia potius צְדָקָה dicitur. Aliis צֶדֶק est nomen urbis. Imo Salem & Sedec synonyma sunt. Utrumque antiquum est. Posterior ætas Jerosolymam dixit. Aben Gorion in fine historiæ suæ ita alloquitur Jerosolymam, *Nomen tuum Sedec, & de nomine tuo vocatus fuit Rex tuus Joram Malchisedec.* R. Abraham Ezræ F. in comment. ad hunc locum, *Vocatur Malchisedec, quia erat Rex urbis Sedec.* Verbum è verbo, *quia erat Rex super locum Sedec.* Notum ut locus pro urbe ponatur. Sedec ergo Jerusalem, & Melchisedec proprio nomine Joram, sive Jehoram dicebatur. Aliis Melchisedec est Sem filius Noë. Ita fere Ebræi. Quod notatum à Hiero. Primasio, Mose Gerundensi & aliis. Sed quomodo sine Patre, sine Matre, sine genere, si filius Noë? Locus Apostoli perspicuus est Ebræ. 7. 3. An quia sub nomine Melchisedec nusquam ejus genus memoratur? Nam patrem & matrem habuisse certum est. Neque omnino sine genere fuit, h. e. ut Apostoli verbo utar, ἀγενεαλόγητος. Quid igitur? Dicitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ &c. quia ejus parentes nusquam recensentur aut describuntur. Non ergo Sem, cujus Genealogia ex Mose notissima est. Magis errant, meo judicio, qui eum Angelum aut Filium Dei, non hominem fuisse asserunt. Non est omittendum pro Malchisedec, in Thargum Jonathæ haberi מַלְכָּא צַדִּיקָא Rex justus. Vide sequentia. ¶ *Rex Salem*] i. Jerusalem; de quo nos dubitare non sinit locus ille, *& fuit in Salem umbraculum ejus.* Idem interpretes confirmant. Primum On. referens, *Malchisedec Rex Jerusalem.* Deinde Jon. cujus hæc sunt, *Et Rex justus, ipse est Sem filius Noë, Rex Jerusalem.* Postremo Autor Jerosl. *Et Malchisedec Rex Jerusalem, qui est Sem magnus.* Turbat non nihil Hiero. (Epist. 126. ad Evagrium. Vide Mercerum in comment. ad vers. 20.) ita scribens, *Salem non ut Josephus & nostri arbitrantur, est Jerusalem; sed oppidum juxta Scythropolim, quod usque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam.* Sed idem alibi, (Quæstionibus in Genesin) *Rex Salem*, interpretatur Rex Ierusalem, quæ prius Salem dicebatur. Hæc opinio verior videtur, quam plerique omnes Græci Patres tenent, ut Hippolytus, Irenæus, Euseb. Cæsariensis, Euseb. Emisenus, Apollinarius, Eustathius quoque Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, qui litteris prodiderunt Melchisedecum hominem fuisse Chananæum, regem urbis Ierosolymæ, quæ primum Salem, postea Iebus, ad extremum Ierusalem appellata sit. Quæ si vera, corruit traditio Ebræorum de Semo: tum etiam illud, Sedec esse nomen urbis Salem. Nam ita tautologia esset apud Mosen nimis inepta, nisi dicamus posterius membrum additum esse per Exegesin, quod mihi non videtur. ¶ *Protulit panem & vinum*] in refectionem tam ipsius, quam pugnatorum ejus. Hiero. Epist. CXXVI. quæ inscripta Evagrio. *Obviam factus Abramo protulit ei panem & vinum.* Ion. ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον. *Protulit ei panes & vinum.* partum exemplarium Græcorum. ¶ *Protulit*] הוֹצִיא quasi è penu eduxit, quod On. dixit אַפֵּק, & Lxx. ἐξήνεγκε· Proferendi verbo usus est etiam Hiero. Quo magis miror Nicolaum, qui *protulit* exponit *obtulit.* i. הִגִּישׁ aut הִקְרִיב vel certe הוֹרִיד. ¶ *Et ipse Sacerdos erat*] Lxx. ἦν δὲ ἱερεύς: *erat autem Sacerdos.* Hiero. *erat enim sacerdos.* Quod pro iis facit, qui putant ipsum sacrificasse. Ion. *eoque ipso tempore ministrans erat coram Deo altissimo.* In Epist. ad Evagrium, *Et Melchisedec Rex Salem protulit panem & vinum : erat autem sacerdos Dei excelsi.* In Quæst. vero, *& ipse erat sacerdos Dei excelsi.* Quod noto, ne quis autoritatem Hiero. obtendat firmandæ lectioni, quæ nunc in codicibus Latinis. ¶ *Sacerdos*] מְשַׁמֵּשׁ On. & Ion. i. minister. Quam interpretationem ita laudat Abenezra, ut dicat כֹּהֵן semper ministrum denotare, pro testimonio adducens וְכִהֲנוּ לִי quo in loco verbum כהן ministrare significat. Lxx. ἱερεὺς quo vocabulo utitur quoque Apostolus Ebr. 7. 1. ubi non nemo *pontifex* reddit. Pontifex proprie ἀρχιερεύς. Ut *angelus* pro Archangelus, sic ἱερεὺς ponitur interdum pro ἀρχιερεὺς & *sacerdos* pro summus sacerdos, quem Ebræi הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל vocant. Nihil certius. An hic ita sumatur aliis dijudicandum relinquo. Christus certe, cujus typum gerebat Melchisedec, pontifex erat, non sacerdos simpliciter. Tradunt Ebræi ante legem omnes primogenitos sacerdotes fuisse. Ajunt quoque, de quo Docti homines hodie certant, & adhuc sub judice lis est, ipsum Sem primogenitum fuisse. Pro *Sacerdos Dei supremi* sequendo Abenezram possumus vertere, *erat ministrans Deo supremo.* Nam in fonte לְאֵל עֶלְיוֹן θεῷ ὑψίστῳ. ¶ *Supremi*] summi, excelsi, altissimi. Chaldaice עִלָּאָה. Eusebius Προπαρ. lib. 1. κατὰ τούτους γίνεταί τις Ἐλιοῦν καλούμενος ὕψιστος i. עֶלְיוֹן, ut ἐβραῖον i. עִבְרִי. Hujus declaramentum יֹשֵׁב בַּמְּרוֹמִים *habitans in altis* : estque epitheton veri Dei, qui solus in altis locis, h. e. in cœlo habitat.

19. *Benedixitque ei & dixit, Benedictus Abram Deo supremo, possessori cæli & terræ.*

20. *Et benedictus Deus supremus, qui tradidit adversarios tuos in manum tuam : deditque ei decumam ex omnibus.*

Benedixit] Beneprecatus aut gratulatus est. Mos sacerdotum ut populo benedicant i. beneprecentur. Cujus benedictionis formula extat Num. 6. ¶ *Benedictus Deo supremo*] בָּרוּךְ לְאֵל עֶלְיוֹן εὐλογημένος θεῷ ὑψίστῳ. Sed Græci habent τῷ θεῷ τῷ ὑψίστῳ i. לָאֵל הָעֶלְיוֹן. Jon. *benedictus Abram à DOMINO Deo altissimo.* Et sub. *est*, vel *sit.* *Sit benedictus* i. laudetur. Nam *benedictus* laudandus. Licet vertere : *Benedictus Dei supremi.* q. d. Bene sit ei à Deo, benefaciat ei Deus. *Benedictus Dei*, cui Deus benedicit i. benefacit. Aut Dei nomen additum ad auxesin, ut *civitas magna Deo.* Eodem redit, *benedictus à Deo.* Sic, *salus DOMINO*, pro à DOMINO. ¶ *Possessori cæli & terræ*] On. *cujus possessio est cælum & terra.* Ion. *qui propter justos possidet cælum ac terram.* Lxx. ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Hiero. *qui creavit cælum & terram* i. בָּרָא. Verbo

bo קנה aliquid amplius significatur. Porro in libris quos vidi, est קנה cum tseri, ideo verti *possessori*. Nam hoc modo affectum participium transit in naturam nominis. Quanquam in Bibliis Reginæ M. S. Segol in ultima, ut Mercerus annotat. קנה qui possidet. Parum refert hoc an illo modo legatur. ¶ *Benedictus Deus*] Benedicit Deo, qui eum laudat. Ergo *benedictus* i. laudandus. Lxx. hic habent εὐλογητός, non ut supra εὐλογημένος, cum tamen unum idemque vocabulum sit in Ebræo. ¶ *Qui tradidit*] מגן אשר. bene On. דמסר qui tradidit: & Lxx. ὃς παρέδωκε: & Abenezra נתן אשר, qui dedit. מגן hoc significatu sumitur Proverb. 4. 9. & Hos. 11. 8. Alii à מגן deducunt voce clypeum denotante, quo homines proteguntur. Sane quidem Hiero. vertit, *quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Aliter Ion. *qui fecit hostes tuos ut clypeum ictus recipientem.* Nolim æmulari. ¶ *Adversarios tuos*] צריך. Alii *hostes tuos* אויביך. On. & Ion. *Osores tuos*. סנאך. ¶ *In manum tuam*] in potestatem tuam. ¶ *Deditque*] ei Abram. Quod expressum in non nullis edit. Alioqui posset etiam intelligi de Melchisedeco. Nam verba Ebræa ambigua sunt. Quod indicat Hiero. Evagrio scribens per hæc verba, „Necesse mirum, si Melchisedec victori „Abram obviam processerit, & in refectionem tam ipsius, quam „pugnatorum ejus, panem vinumque protulerit, & benedixe„rit ei, cum abnepoti suo hoc jure debuerit, & decimas prædæ „atque victoriæ acceperit ab eo: sive quod habetur ambiguum; „ipse dederit ei substantiæ suæ decimas, & avitam largitatem „ostenderit in nepotem. Utrumque enim intelligi potest & „juxta Ebraicum & juxta Lxx. Interpretes, quod & ipse accepe„rit decimas spoliorum, & Abrahæ dederit decimas substantiæ „suæ. Quanquam Apost. in Epist. sua ad Ebræos apertissime „definiat, non Abram suscepisse à Melchisedec decimas divitia„rum ejus, sed de spoliis hostium partem accepisse pontificem. ¶ *Ei*) Melchisedeco tanquam sacerdoti, quibus decimas solvebant antiqui etiam ante legem, Deum hoc modo honorantes, juxta illud Salomonis, *Honora DOMINVM de opibus tuis &c.* Nam Deo hæc dari censebantur, unde illud, *Da ei de suo, quia tu & omnia tua illius sunt.* ¶ *Decimam*] decimam partem facultatum suarum, an eorum quæ Persis & Assyriis ademerat? Hiero. *decimas*. Lxx. δεκάτην. On. & Ion. חד מן עסרא unam de decem. Lege postea cautum, ut decimæ penderentur Levitis, qui ex iis decimam solvebant sacerdotibus filiis Aharon, quæ à Græcis δεκάτη ἐκ δεκάτης dicitur. ¶ *Ex omnibus*] *Ex omnibus quæ retulerat sive reduxerat* Ion.

21. *Et dixit Rex Sodoma Abramo, Da mihi animas & substantiam accipe tibi.*

Rex Sodomæ] βασιλεὺς σοδόμων i. Sodomarum. Lxx. Hiero. ¶ *Animas*] homines. Sic, *Octo animæ fuerunt in arca Noa.* Huc referunt nonnulli, *capit animas sapiens*, quod interpretantur, docet homines. Alii, capit animos i. flectit, allicit. ¶ *Substantiam*] facultates. Autor Ierosol. גולא. Ita exemplar quo usus sum. Ceterum in Lexico Eliæ legitur קנולא, quod magis probo. Nam in Ebræo הרכש cum articulo q. d. τὴν οὐσίαν, vel si placet, τὰ ὑπάρχοντα. Cohel. 2. 8. סגלת מלכים. A οὐσίας i. substantias. Sym. περιουσίαν. Malach. 3. Hiero. *peculium*. ¶ *Accipe*] קח cape, λάβε. Chaldaice סב. Cujus thema נסב. Porro in Ion. & Ierosol. דבר abduc. Hiero. habet *tolle* i. שא.

22. *Et dixit Abram Regi Sodomæ, Sustollo manum meam ad DOMINVM Deum supremum possessorem cœli & terræ.*

3. *Si à filo usque ad corrigiam calcei, & si accepero ex omnibus quæ tua sunt: ne dicas, Ego ditavi Abramum.*

Sustollo manum meam ad DOMINVM] vide supra. ¶ *Sustulo*] vel *sustuli*. Nam Ebraice הרימתי q. d. cum ad bellum irem tunc juravi &c. Alii dicunt ipsum tunc primum jurasse, quos nunc secutus sum, cum etiam in Hiero. reperiissem, *levo manum meam ad DOMINVM*, levo, inquam, non levavi. Notum ut præterit. pro præs. ponatur. Græci habent ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου: extendam manum meam. Nam etiam pro futuro ponitur. ¶ *Possessorem*] dominum, ut Ies. 1. *Bos novit possessorem suum & asinus præsepe Domini sui.* Hinc inter Dei epitheta אדון כל הארץ DOMINUS *totius terræ*. Ion. *qui propter justos possidet possessionem suam cœlum & terram.* On. *cujus possessio sunt cœlum & terra.* ¶ *Si à filo ad corrigiam calcei*] proverbiale. Vide sis Proverbia mea. Ceterum ad plenam orationem desideratur, *sim vanus, ne mihi fides habeatur, sic mihi Deus faciat, sic addat*, aut aliquid tale. ¶ *A filo*] vide supra. ¶ *Vsque ad corrigiam calcei*] ἕως σφαιρωτῆρος ὑποδήματος. Scholion, σφαιρωτῆρα καλεῖ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος i. corrigiam calceamenti. In Ion. עד ערקת סנדלא pro eo quod in Ierosol. עד רצועה דסנדלא. Est autem רצועה corrigia. On. ערקא dicitur. סנדלא vero calceus i. סנדל unde R. Iochanan Sandalarius i. Sutor calceorum. Hiero. *usque ad corrigiam caligæ.* Sic alibi, *calcea caligas tuas* i. calceos tuos.

24. *Præter quod comederunt pueri, & partem virorum qui iverunt mecum, Aner, Eschol & Mamre, ipsi accipient partem suam.*

Præter quod comederunt pueri] Lxx. πλὴν ὧν ἔφαγον οἱ νεανίσκοι. Hiero. *exceptis his quæ comederunt juvenes.* On. *præter quod comederunt juvenes.* Trem. *Penes me*, (sic interpretatur eandem particulam Gen. 41. 16.) *nihil, tantum quod comederunt hi famuli.* Ion. *non est mihi potestas in omnem prædam præter &c.* בלעדי præter, præterquam, ut אחלי utinam. בלי otium egit in sermone latino. ¶ *Pueri*] i. servi mei. Sic 1 Sam. 25. 9. נערי דוד qui paulo post, videlicet vers. 10. עבדי דוד famuli aut servi Davidis. Sic in Megella (ita vocant librum Esther) נערי המלך משרתיו pueri Regis ministri ejus. Alii, *juvenes*. Nam aliquis נער vocatur usque ad annum vigesimum quintum, aut usque ad annum trigesimum. Consule libellos meos. ¶ *Partem*] portionem. ¶ *Virorum qui iverunt mecum*] qui me comitati sunt ad hoc bellum; mox se ipse explicat, cum ait, *Aner, Eschol & Mamre &c.* ¶ *Aner*] Hic in Græca edit. αὐνὰν vocatur i. Annan, & secundo loco ibi recensetur. In eadem edit. legitur μαμβρῆ pro μαμρῆ. ¶ *Accipient*] auferent. ¶ *Partem suam*] portionem suam. Hiero. *partes suas.* Lxx. μερίδα omisso pronomine. R. Salo. ad hunc locum, *Quanquam servi mei prælio interfuerunt, Aner vero & socii apud impedimenta remanserunt, tamen hi quoque auferent partem suam. Hinc est quod David ait, jam ii qui manent apud vasa, quam qui descenderunt in prælium ex æquo pariter divident.* Addit ea de re statutum factum esse Abrahami ævo, sed quam vere, ipse viderit. Dubitari etiam potest de eo quod ait Aner & socios apud impedimenta resedisse. Nam ex Scriptura certum non est. Neque mihi constat, an hac de re traditio ulla sit apud Ebræos, & si esset, non statim verum aut recipiendum, quod ab ea gente traditum.

AMAMA.

5. EBr. בהם ואת הזוזים. Vulg. *Et zuzim cum eis.*] Excusari posset Interpres, quod codicem non punctatum secutus sit, in quo legit procul dubio בהם in iis, nisi Hieronymus, quem etiam sine punctis legisse constat, legisset vertissetque loci nomen *in Ham.* Et Onkelos & Jonath. בהמתא in Hemta. Sed ut in plerisque male versis, ita & hic Lxx. æmulatus est noster, apud illos enim ἅμα αὐτοῖς legitur. Ex hoc aliisque id genus locis illud collige Lector, versionem Vulg. Pentateuchi Hieronymi non esse, utpote qui in ea tam multa reprehendit.

10. Ebr. *Et ceciderunt* שמה, *illuc.* Vulg. *Et ceciderunt illic.*] Conniveri ad hanc diversitatem posset, nisi ad majoris momenti controversias hæc talia traherent Pontificii. (*a*) Melchior Canus locum 2 Mach. 1. 13. vindicaturus, ubi Antiochus in templo Naneæ dicitur cecidisse, ait vocabulo cadendi non semper mortem significari, sed eum dici aliquando cecidisse qui victus est, etsi superstes maneat, adducitque locum ex Jos. 7. Bellarminus eundem lapidem volvens, Canique premens vestigia, licet exemplum illud ex Jos. à Cano adductum tanquam non magni ponderis prætervehatur, hunc affert locum. Ubi cum aliis Rex Sodomæ dicitur cecidisse, qui tamen paulo post vivus occurrit Abrahamo victori, atque inde infert, non esse necesse affirmare, illic aliquem interiisse, ubi dicitur cecidisse. Quomodo ergo cecidit? Quia ejus exercitus, inquit Bell. ibi cæsus fugatusque est. Respondet Rainoldus eum dici cecidisse, quod in puteos bituminis inciderit. Hoc responsum ingerunt verba antecedanea, erant autem in ea valle multi putei bituminis, & fugientes Rex Sodomæ & Gom. &c. ceciderunt שמה, unde & Lxx. non verterunt ἔπεσον, sed ἐνέπεσον. Quis ergo non videt שמה melius converti *illuc*, quam *illic* seu *ibi*, cum etiam paragogicum illud He soleat esse locale, ut שמימה, in cœlum מצרימה in Ægyptum, ipsaque hæc vox plerunque motum ad locum significet. Dissentiunt fateor Interpp. prudentesne an imprudentes in puteos inciderint, at consentiunt in hoc quod inciderint. Vide Aben. & Vatab. qui prius illud volunt, nec non Clarium & Lyranum qui posterius elegere. Ex hoc ergo loco, quia dissimilis est, eam Bell. illationem deduci non posse quivis videt. Vide Rain. To. 1. pag. 1371. Et Oleastr. ad hunc locum.

18. Ebrai. *Et Melchizedek R. Salem* הוציא *i. exire fecit, produxit iis panem & vinum, & ipse* (והוא) *sacerdos altissimi.* Vulg. *Et Melchizedech R. Salem proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.*

19. Ebr. *Et benedixit ei &c.* Vulg. *Benedixit ei &c.*] Ex hoc loco fulcrum Idololatrico Missi- ficio

(*a*) *Libr. 2. loc. Theol. cap. 21.*

ficio quærit Romana Synagoga, ut apud (*a*) Lyram, Pererium, (*b*) Suarefium, (*c*) Bell. &c. videre eft. Olim legebatur *[illegible]*, quod licet diffimulent (*d*) Lovanienfes, non inficiantur tamen Andradius & Eccius, quorum hic in colloquio cum Oecolampadio locum fic citavit. Dupliciter ab Originali receffum. 1. Ubi textus habet præt. Vulg. participium pofuit. 2. Ubi Ebraice eft copulativa, Vulgatus habet caufalem particulam. Prius leviufculum; nec notaffem, nifi vidiffem operæ pretium vifum Epifcopo Steucho fuiffe, quod in fua recognitione obfervaret. Quin & ad pofterius conniveri poffe quidam ex noftris exiftimant, & fic accipi poffe, ut non prolationis panis & vini, fed ejus quam protulit benedictionis vel totius enunciati, quod in verbo *benedixit* abfolvitur, detur ratio. Sed quia Bellarminus contra mentem (*e*) Hieronymi, qui τὸ *erat autem* cum *benedixit* jungit, particulam *enim*, torquet quafi ratio effet ejus quod antecellit, non ejus quod fequitur, non concedenda Cardinali eft vox *enim* utpote quæ in Ebræo nufquam compareat. Et tamen vide quam fuperbe fe inferat loco citato, *vox* ENIM, inquit, *cogit ut intelligamus panem & vinum prolata fuiffe in facrificium Miffæ.* O obtufos itaque Cajetanum & Andradam, quorum ille in Comm. fic ait, (*f*) *Nihil hic fcribitur de facrificio vel oblatione, fed de prolatione feu extractione quam fcribit Jofephus factam ad reficiendos victores. Quod autem in Vulgata editione fubditur ut caufa oblationis, erat enim facerdos &c. in Ebræo non habetur ut caufa, fed ut feparata particula.* Hactenus Cajet. Andradius fimiliter cum Jofepho, Epiph. Ambr. &c. dicit Melchizedekum laffos Abrahæ milites &c. pane vinoque refeciffe. Sic itaque dico, cum fententia æque bene fluat retenta propria fignif. copulativæ Vau, oftendat Bellarminus neceffitatem cur ab ea recedi hic debeat & quid illud cogat. (*g*) Accipitur aliquando, fateor, pro caufali, fed illud in quæftione non eft.

(*a*) *Uterque ad locum hunc in comment.* (*b*) *Ad 3. partem Thom.* (*c*) *De Miffa l. 1. 6. videatur & Poffev. l. 4. cap. 13. Biblioth.* (*d*) *Lib. 4. Defenf. Concilii Trid.* (*e*) *Ep. 126. ad Evagr. Et Melchizedec R. Salem protulit panem & vinum. Erat autem facerdos excelfi, benedixitque illi. In Quæft. vero fic, & ipfe erat facerdos &c.* (*f*) *Videantur hic Witak. Lubb. Jun. Sutlivius de Miffa. 3. 13. & alii Dd. noftri.* (*g*) *Nimis operofe hoc probat Bell. loco citato.*

GROTIUS.

1. *Arioch Rex Ponti*] Ita Aquila. In Hebræo אלסר, qui videntur effe Elifari in Arabia Ptolemæo nominati.

Rex Elamitarum] Vide fupra XI. 22. & annotata à nobis ad librum de Veritate Religionis Chriftianæ.

Rex gentium] Ideft, convenarum, cui refpondet vox Græca hic à Symmacho pofita, παμφυλίας [*omnipopulanæ*]. Putem autem hos convenas fuiffe in Syria Palæftina, ubi Galilæa poftea, idque argumento loci Jofuæ XII. 23. Adde quæ ad Matth. V. 14. Vide quam vetus fit reges majores minoribus negotium facere, ut balænæ faciunt pifcibus.

3. *Mare falis*] Sic Plutarchus de alia terra in libro de Virtutibus virorum & mulierum. πᾶν τὸ πεδίον ἐξήνθησεν ἁλμυρίδα καὶ διεφθάρη, παντάπασι τῆς γῆς πικρᾶς γενομένης [*Totus campus falfuginem exundavit, planeque corruptus eft per amaritiem terræ*]. Confer Deut. XXIX. 23.

4. *Recefferunt ab eo*] Pertæfi fervitutis.

5. *Raphaim*] Græci τοὺς γίγαντας [*gigantas*], Chaldæus גבריא. vide fupra VI. 4. Erant hi homines latrocinantes, quales illi Arabes & Chaldæi Job I.

Zuzim] Ex Hebræo, ut nos nunc legimus זוזים. At LXX. legerunt עזזים ἔθνη ἰσχυρά [*gentes validas*].

Cum eis] בהם. Sic & Græci ἅμα αὐτοῖς. Chaldæus autem ut nomen loci accepit, & Syriacum in mortem producta terminatione extulit בהמתא [*Behemtha*].

6. *Ad campeftria Pharan*] Quæ fedes poftea Jobi fuiffe creditur.

7. *Ad fontem Mifpath*] Apud quem judicia inter vicinos exercebantur: id fonat vox Hebræa, & fic interpretantur Chaldæus & Rabbi Salomo.

13. *Et ecce unus qui evaferat*] Ex prælio fcilicet, ut Job. I. 15. & 17. LXX. τῶν ἀνασωθέντων τις [*eorum qui fervati fuerant*]. Symmachus τῶν διαφυγόντων [*eorum qui effugerant*]. At Rabbini, homines nimis fæpe ridiculi, hunc ajunt fuiffe Ogum gigantem beneficio magnitudinis fuæ fervatum è diluvio, è cujus pofteris fuerit ille Ogus memoratus Num. XXI. 33. & alibi.

Abram Ebræo] Bene Græci τῷ περάτῃ [*tranfamnati*], Aquila περάτῃ. Non enim, ut multi exiftimant, ab Hebero id nomen, cum tot alii parentes interceffiffent, fed ita dictus Cananæis, eorumque vicinis Abraham, quod ex locis Tranfeuphratenfibus veniffet.

Pepigerant fœdus cum Abrahamo] Multi tum patresfamilias erant αὐτόνομοι [*fui juris*].

17. *In valle Save*] Ubi rex & principes fe exercebant. שוה enim etiam κατηρτισμένου [*præparati*] vertitur. Hic occurfus, honoris fignum.

18. *Proferens panem & vinum*] ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον [*attulit panem & vinum*]. Abrahamo fcilicet: alimenta dedit Abrahamo exercituique ejus, ut hic interpretatur Jofephus & Rabbi Salomo: & Rabbi Samuel citatus in Berefchith Rabba. Id enim facere mos finitimis. Deut. XXIII. 4. Iud. VIII. 5. 6. 15. Sic explicant Epiphanius & Ambrofius, referuntque illud de facerdotio Melchifedeci ad fequentia, non ad præcedentia. Neque tamen improbabilis fententia, factum hoc facrificio præcedente: ἐπινίκια ἔθυε [*facra fecit victoriæ ergo*] ait Philo. Nam & è fimila oblatio Hebræis מנחה [*facrificium*]; Græcis θυσία [*hoftia*] dicitur, Levit. II. ut late explicatum à nobis ad Marci IX. 49. & vinum ante menfam Deo libare mos omnium gentium. Vide quæ infra ad cap. XLIV.

Erat enim facerdos Dei altiffimi] Virgilius III. Æneidos.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique facerdos. Ubi Servius: *Sane majorum hæc erat confuetudo, ut rex effet etiam facerdos vel pontifex.* Hinc domus in qua pontifex habitabat regia dicebatur, docente eodem Servio ad VIII. Æneidos, qui & fæpe notat à Virgilio omnia jura facerdotalia tribui Æneæ.

Quo protegente hoftes in manibus tuis funt] Credidit ergo Melchifedecus non minus quam Abrahamus unum Deum; ut cœli & terræ, ita & armorum ac belli potentem.

22. *Levo manum meam*] Geftus jurantium.

23. *Non accipiam ex omnibus quæ tua funt, ne dicat: Ego ditavi Abraham*] Similis majori Catoni animus, in cujus vita Plutarchus: εἰς δ' αὑτὸν ἀλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει, πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε, καὶ οὐκ αἰτιῶμαι, φησι, τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι [*Ad fe dicebat de præda nihil venturum præter quæ ediffet aut bibiffet. Nec culpo, inquit, eos qui ex talibus lucrum facere volunt: fed malo de virtute cum optimis, quam de fortuna cum ditiffimis certare*]. Talis & ante Catonem Timoleon, qui eodem Plutarcho narrante cenfuit: οὐ τὸ λαβεῖν ἐκ τοιούτων αἰσχρὸν, ἀλλὰ τὸ μὴ λαβεῖν κρεῖττον, καὶ περιουσίᾳ τῆς ἀρετῆς ἐν οἷς ἔξεστιν ἐπιδεικνυμένης τὸ δεόμενον [*Non effe turpe accipere de talibus, fed melius non accipere: nam in rebus licitis abundantia virtutis oftendit quid defit cæteris*]. Et ante eum Pittacus Mitylenæus, de quo Valerius Maximus VI. I. cum recuperati agri dimidia pars confenfu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere; deforme judicans virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere. De Paulo Æmilio idem Plutarchus: ὑπερφυῶς δ' ἦγον αὐτοῦ τὴν ἐλευθεριότητα καὶ τὴν μεγαλοψυχίαν ἐπῄνουν οἱ ἄνθρωποι, πολὺ μὲν ἀργύριον, πολὺ δὲ χρυσίον ἐκ τῶν βασιλικῶν ἠθροισμένον οὐδ' ἰδεῖν ἐθελήσαντος, ἀλλὰ τοῖς ταμίαις εἰς τὸ δημόσιον παραδόντος [*Eximie vero animum ejus magnum ac liberalem laudabant homines, ideo quod ingentem vim auri & argenti collectam ex gaza regia nec videre voluerit, fed quæftoribus dederit ut in ærarium perferrent*]. De Mummio Latinus vitarum Scriptor: *Mummius Corinthum fignis tabulifque fpoliavit, quibus cum totam repleffet Italiam, in domum fuam nihil contulit.* Plinius libro XV. *Manius Curius juravit fe è præda nihil attigiffe, præter guttum faginum quo facrificaret.*

24. *Exceptis his quæ comederunt juvenes, & partibus virorum*] Non erat ergo in rebus talibus jus poftliminii. An in hominibus id jus tum fuerit dubitari poteft ob comma 21. fupra.

CARTWRIGTUS.

1. *In diebus Amraphel* בימי אמרפל.] LXX ἐν τῇ βασιλείᾳ τῇ Ἀμαρφάλ, *in regno Amarphal.* Jonathan & R. Salom. dicunt hunc effe Nimrod, fed rationem vel nullam, vel ineptam afferunt.

תדעל *Et Tidal.*] LXX Θαργάλ. Legerunt ר pro ד. Ex reliquis etiam nominibus quædam funt depravata.

מלך גוים *Rex gentium.*] Chald. מלכא דעממין *rex populorum.* R. Salom. ait locum fuiffe dictum *Gojim*, propterea quod ex multis nationibus homines ibi congregati fuerunt, ac fuper fe regem

gem constituerunt, cui nomen erat Tidal. Aben Ezra putat accipi posse vel pro provincia sic dicta, vel appellative pro gentibus, quarum nomina non sunt expressa; intelligi autem alias gentes præter Shinaaræos, reliquasque gentes hic recensitas. Lyra ait, *Tidal appellari regem gentium, quia in regno suo erant homines congregati ex diversis nationibus.* Fullerus Miscell. lib. 2. cap. 4. ait Symmachum doctissime appositissimeque reddidisse videri βασιλεὺς Σκυθῶν, ut vox גוים *gentium* significat *populum Scythicum*, maxima variarum gentium multitudine, Abrahami etiam ætate, abundantem. Ita quidem Græca scholia testantur Symmachum reddidisse ver. 9. at hoc in loco ferunt Symmachum pro Ellasar habere Σκυθῶν. Lyræ expositio maxime videtur verisimilis.

3. *In valle Siddim*] Chald. (*a*) במישר חקליא, *in planitie agrorum.* Quasi שדים esset plurale, à שדה *ager*; at tunc esset שָׂדִים potius quam שִׂדִּים. à שדה autem etiam deducit R. Salom. qui ait vallem sic appellatam, quod ibi essent שדות הרבה, i. e. *multi agri, vel multa arva.* Potior videtur sententia Aben Ezræ, qui שדים deducit à שיד, quod calcem seu bitumen significat: hoc congruere videtur cum eo, quod sequitur ver. 10. LXX ἐπὶ τὴν φάραγγα τὴν ἁλυκὴν, *ad vallem salsam.* Ita forte ex posteriori parte versus exposuerunt. Hieron. in Tradit. *in valle salinarum.* Et refert Aquilam vertisse τῶν ἀλσωδῶν, Theodotionem τῶν ἀλσῶν, *amœna nemora* significantes. Aquila autem (ut monet Nobilius) forte *regionem campestrem* significare voluit. Vulg. *in vallem sylvestrem.*

5. בְּהָם *In Ham.*] Chald. בהמתא *in Hemtha.* Vulg. *cum eis.* Quasi esset בָּהֶם. Similiter Lxx ἅμα αὐτοῖς. Hunc errorem corrigit Hieron. in Tradit. sed non sine errore. Ait enim mediam literam esse ה, non ח, cum contra sit ה, non ח.

6. עַד אֵיל פָּארָן *Usque ad El Paran.*] LXX ἕως τῆς τερεβίνθου τῆς Φαρὰν, *usque ad terebinthum Pharan.* Scholiastes habet, δρῦς. ἡ πόλις τοῦ Ἰώβ, i. e. *quercum. Hac civitas erat Jobi.* Quæ quid sibi velint, nescio. Vulg. *Usque ad campestria Pharan.* Similiter Chald. עד מישר פארן, i. e. *usque ad planitiem Paran.* R. Salom. approbat hanc interpretationem, sed asserit vocem איל non quamvis planitiem significare, sed planitiem *Paran* sic dictam esse; atque ita *planitiem Mamre* dictam esse אלוני, ac *planitiem Jordanis* ככר; & *planitiem Shittim* אבל; & *planitiem Gad* בעל, quæ omnia à Chaldæo notat reddi per מישר, i. e. *planitiem.*

7. אֶל־עֵין מִשְׁפָּט *Ad En Misphat.*] i. e. *ad fontem* (sive *oculum*, nam עין utrumque significat) *judicii.* (*b*) R. Salom. ait locum per anticipationem hic sic appellari, propterea scil. quod Moses & Aaron postea judicandi essent ob istum fontem; nimirum quod in negotio istius fontis Deum non sanctificabant, prout legitur Num. 20. 7. &c. Chaldæus, ut idem notat, simpliciter interpretatur locum ubi homines istius provinciæ ad judicium conveniebant. למישר פלוג דינא, i. e. *ad planitiem divisionis judicii*; seu (ut Fagius vertit) ubi dirimebantur lites judicio. LXX ἐπὶ τὴν πηγὴν τῆς κρίσεως, *ad fontem judicii.* Per anticipationem (inquit Hieron. in Tradit.) dicitur, quod postea sic vocatum est. Significat autem locum apud petram, qui fons judicii nominatur, quia ibi Deus populum judicavit.

Omnem regionem Amalek.] Nondum (ut notat R. Salom.) natus erat Amalek (ab Esau enim descendit, Gen. 36. 12.) sed per anticipationem sic à Mose vocatur.

10. בֶּאֱרֹת בֶּאֱרֹת חֵמָר *Puteos multos bituminis.*] Sic vulg. Ad verb. (*c*) *puteos puteos bituminis.* R. Salom. similiter explicat, בארות הרבה היו שם, i. e. *putei multi erant ibi.* Addit terram inde ad faciendum cæmentum fuisse desumptam. Gualtperius ait בארות significare *puteum purum*, in quo scaturiat aqua clara & limpida; atque differre à בור, i. e. *cisterna*, seu *fossa*, in qua non semper est aqua, sed tantum tempore pluviali, aut alia occasione. At si putei isti aqua fuerunt repleti, quomodo in eis reges potuerunt conservari? Quod enim dicitur, eos istic incidisse, id (ut notat Aben Ezra) sua sponte fecerunt, quo melius evaderent. Vivos certe atque incolumes inde evasisse, apparet ex ver. 17. & 21. Qui, ceciderunt, interpretantur, occisi fuerunt, si per reges Sodomæ & Gomorrhæ eorum copias intelligant oportet, quod mihi minus probatur.

11. אֶת־כָּל־רְכֻשׁ סְדֹם *Omnes opes Sodomæ.*] LXX τὴν ἵππον πᾶσαν, &c. *omnem equitatum*, &c. Legerunt רֶכֶשׁ pro רְכֻשׁ. Mercerus ait Hebræos nomine Rechush proprie bona mobilia intelligere, ut pecus, aurum, &c. quæ convasari, & comportari possunt. Notat etiam vernaculum *richesse* esse Hebræo affine.

13. *Et nunciavit Abramo* הָעִבְרִי *Hebræo.*] R. Salom. ait Abramum sic dictum, שבא מעבר הנהר, i. e. *quod è regione transfluviali venisset.* Idem sensisse videntur LXX. qui vertunt Ἀβρὰμ τῷ περάτῃ, *Abramo transitori.* Similiter Aqu. περαΐτῃ. Et Hieron. in Tradit. ait עברי esse transitorem. Symm. τῷ Ἑβραίῳ, *Hebræo.* Acacius (ut in Græcis scholiis notatur) τὸ ὄνομα τὸ πατρώνυμον τοῦ Ἀβραάμ, λέγω δὲ τὸ Ἕβερ, ἐθνικὸν ὄνομα ἑρμηνευθὲν ἐπίθετ. οὐκ αὐτὸ τὸ, Ἀβραὰμ τῷ Ἑβραίῳ, Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ. Ἑβραῖος γὰρ περάτης ἑρμηνεύεται, i. e. *Gentile nomen ductum ab atavo Abrahami, nempe ab Heber, positum est, sed interpretatione redditum; nimirum pro Abramo Hebræo, Abramo transitori. Nam Hebræus, si interpreteris, est transitor.* Verum quidem est, עָבַר significare *transire*, & עֵבֶר *trans*, vel *transitum*; at עברי videtur esse patronymicum à nomine proprio עֵבֶר *Eberr*: Inde עברי *Ebræus*, ab *Eber* oriundus, ut à יהודה *Juda*, יהודי *Judæus*, à *Juda* oriundus. Atque ipse Acacius hoc asserit, *Abrahamum* ab *Heber* dictum esse *Hebræum*; id quod mihi maxime videtur verisimile. Vide supra ad cap. 10. 21.

14. חֲנִיכָיו *Servos suos, quos instituerat.*] חנך significat *initiare, dedicare, imbuere, instituere.* Inde חניך *initiatus, imbutus*, &c. Aben Ezra hic exponit de iis, quos Abraham in arte (*d*) militari instituerat. R. Salom de pia & religiosa institutione interpretatur. Atque ita quidem Abrahamum servos suos instituisse constat ex Gen. 18. 19. altera tamen expositio huic loco aptior videtur.

15. *Trecentos & octodecim.*] Rabbini (ut refert R. Salom.) ajunt solum fuisse Eliezer, ex cujus nominis literis arte quadam Cabalistica, quam vocant Gematriam, efficiunt istum numerum, nempe 318. Sed Aben Ezra id merito improbat, asserens Scripturam istiusmodi Gematria non uti; ac quemlibet ista ratione posse quidlibet efficere. Scripturam igitur, ut sonat, esse intelligendam. Mercerus refert Eucherium dicere, numerum 318. accommodari ad Tau Græcam literam, signum crucis, & Jota, & Theta (sed legendum monet Eta) literas nominis Jesu, quæ simul conficiunt numerum 318. Sed merito addit hæc esse curiosiora. Hanc curiositatem quibusdam ex Patribus arrisisse notat Cl. Seldenus noster (de Decimis cap. 1.) ac citat Prudentium (in præfat. ad ψυχομαχίαν) dicentem nos beatos fore, *Si quid trecenti, bis novenis additis, Possint, figura noverimus, mystica.*

עַד־חוֹבָה *Usque ad Hoba.*] R. Salom. ait nullum locum fuisse dictum *Hoba*, verum *Dan* (cujus fit mentio ver. 14.) ita appellari ob idololatriam, quæ illic postea perpetrata fuit. Nota חוב & חובא Chaldaice *peccatum* ac *reatum* significare.

17. אֶל־עֵמֶק שָׁוֵה *In vallem Schave.*] Seu *vallem planam, æquabilem*, uti vox שוה appellative sumpta significat. Ita Chald. למישר מפנא, *in vallem planam.* Sic & R. Salom. qui ait sic dictam, quod in ea nec arbores essent, nec quicquam, in quod quis impingeret. LXX εἰς τὴν κοιλάδα τὴν Σαυὴ. At ver. 5. est Σαυῆ, atque ita etiam hic legit Gualtperius. Vulg. in valle Save.

הוּא עֵמֶק הַמֶּלֶךְ *Ea est vallis regis.*] Chald. אתר בית ריסא דמלכא, i. e. *locus stadii regis, seu regii exercitii*, ubi rex se exercere atque oblectare solebat. Sic R. Salom. שדה מיוחד למלך לצחק שם, i. e. *propria ac peculiaris erat regi, ut in ea se oblectaret.* LXX τοῦτο ἦν τὸ πεδίον τῶν βασιλέων, *hic erat campus regum.* Sic Edit. Rom. nec ulla lectionis varietas notatur. Miror igitur unde Gualtperius legerit, τοῦτο ἦν πεδίον βασιλέως Μελχισεδέκ.

18. *Et Melchisedec, &c.*] R. Salom. ait, nonnullis Melchisedec esse (*e*) Sem filium Noë. Eam esse Hebræorum sententiam testatur Hieron. in Tradit. At Aben Ezra Hebræus eam haud probat, sed ait, Melchisedec sic appellatum, quod regnaret in loco justitiæ. *Melchisedec*, si interpreteris, est *rex justitiæ.* Heb. 7. 2. Vide insuper de Melchisedec Hieron. epist. 126. ad Evagrium. Senensem Bibl. S. lib. 5. Annotat. 90. & 91. Broughtonum nostrum in tractatu, qui inscribitur Melchisedec. Cunæum de repl. Hebr. lib. 3. cap. 3. ubi opinionem jam olim, idque meritissime, ut mihi videtur, explosam, renovare, ac confirmare conatur. Vide etiam Molinæum in Vate, lib. 4. cap. 11. &c.

Rex Salem.] i. e. *pacis*, uti interpretatur Apostolus Hebr. 7. 2. de Melchisedec loquens non tam quoad literam, quam quoad mysterium. Chald. מלכא דירושלם *rex Jerusalem.* Sic Aben Ezra

(*a*) *Jonath. & Hierosol. in planitie hortorum* פרדסיא.
(*b*) *Jonath. ad locum ubi distributum fuit judicium Mosis Prophetæ ab fontem aquarum contentionis.* (*c*) *Sic Exod.* 8. 14 *acervos acervos. Mar.* 6. 40. *areola areola.*

(*d*) *Sic Jonathan*, דחנך לקרבא *quos ad prælium instruxit.*
(*e*) *Jonathan & Hierosolymitanus dicunt, Melchisedec esse Sem filium Noë, regem Jerusalem.*

Ezra ait *Salem* esse *Jerusalem*, idque probat ex Psal. 76. 2. Idem etiam habet ad Eccles. 1. 1. ubi ait regem Jerusalem vocari (*f*) *Adonisedec*, propterea quod dominus esset loci justitiæ. Josephus etiam hic per Salem intelligit Jerusalem; atque ita omnes uno ore Hebræi, & ex nostris plerique, ut testatur Mercerus, qui tamen alium locum fuisse existimat, nempe Salim, cujus fit mentio Joan. 3. 23, uti etiam Hieron. epist. 126. Sed altera sententia longe probabilior videtur.

וְהוּא כֹהֵן *Et erat sacerdos, &c.*] LXX ἦν δὲ ἱερεὺς, *erat autem sacerdos.* Vulg. *erat enim sacerdos*; quod Mercerus, Amama & alii non immerito reprehendunt, cum in Hebræo non reddatur ratio ejus quod præcessit, sed tantum sit narrationis institutæ continuatio. Ex hac tamen depravata versione potissimum evenit, ut hinc Pontificii pro sacrificio Missæ se argumentari posse existimaverint. Miror Lyram, hominem Hebraice doctum, & qui ex Hebraica veritate vulgatam versionem sæpissime corrigit, hic versione illa niti, ac dicere, hinc patere, quod caussa pro qua *protulit panem, & vinum*, fuit ad offerendum sacrificium. Cur hic diversus abit à suo R. Salomone, quem ubique fere, interdum etiam cum minime oportet sequitur? כן עושין ליגיעי מלחמה inquit R. Salom. i. e. *Sic faciunt eis, qui bello sunt defessi.* Sic ille ad verba ista, הוציא לחם ויין, i. e. *protulit panem & vinum.* Vide Judic. 8. 5. (*g*) Refert quidem Midrash Agada velle nimis hic sacrificia ac libamina, quæ filii Abrahami essent ibi oblaturi. At præterquam quod in istis Midrashim atque Agadoth, i. e. *expositionibus*, quas sic vocant, plerunque οὐδὲν ὑγιὲς, non dicitur panem & vinum à Melchisedec in sacrificium ac libamen fuisse oblata, sed tantum sacrificia ac libamina, quæ postea offerenda erant, eis fuisse quodammodo adumbrata. Josephus Antiq. lib. 1. cap. 11. ait Melchisedec milites Abrahami hospitaliter habuisse, nec quicquam eis ad victum deesse passum, simulque ipsum adhibitum mensæ meritis laudibus extulisse. LXX (ut notat Mercerus) hic habent ἐξήνεγκε, *protulit*, non προσήνεγκε, *obtulit.* Vulg. *proferens.* Amama ait olim lectum fuisse, *obtulit.*

19. *Benedictus sit Abram à Deo altissimo,* קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ *possessore cœli & terræ.*] LXX ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, *qui creavit cœlum & terram.* Et sic vulg. Similiter R. Salom. ait קונה hic idem esse quod עושה, i. e. *factore*; ex eo enim quod Deus fecit cœlum & terram, ea ipsius esse, ac ab ipso possideri. Non igitur librarii error esse videtur (ut nonnulli existimant) Prov. 8. 22. ubi pro קנני, i. e. *possedit me*, LXX habent, ἔκτισέ με, i. e. *creavit me.* Sunt qui putant legendum ἐκτήσατο: ac præterquam quod alibi (ut videmus) LXX τὸ קנה per κτίζειν reddiderunt, miror viros eruditos non observasse ἐκτήσατο in usu non esse, sed dicendum ἐκτήσατο, prout Aquila transtulisse dicitur. Interpretationem quidem τῶν LXX istic non probo, imo valde incommodam censeo, sed tamen corruptam ac depravatam esse non existimo.

20. אֲשֶׁר מִגֵּן צָרֶיךָ בְּיָדֶךָ *Qui tradidit hostes tuos in manum tuam.*] Chald. די מסר *qui tradidit.* Sic LXX ὃς παρέδωκε. R. Salom. אשר הסגיר, *qui conclusit.* Aben Ezra, qui נתן *dedit.* Similiter ad Hos. 11. 8. אמגנך *tradam te*, ait idem esse cum אתנך *dabo te*, quod istic præcessit. Mercerus ait hoc verbum מגן plus esse quam נתן *dare*, ac significare prorsus *tradere in potestatem alicujus, & transferre pleno jure.* Vulg. quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Respexit procul-dubio ad nomen מָגֵן quod *scutum* seu *clypeum* significat; at in nomine isto מ est servile, in hoc autem verbo est radicale.

22. הֲרִימֹתִי יָדִי *Extuli manum meam, &c.*] לשון שבועה inquit R. Salom. i. e. Phrasis (*h*) ista, *Elevare manum, juramentum denotat.* Idem notat Aben Ezra, qui citat illud Deut. 32. 40. כי אשא אל שמים ידי, i. e. *Elevo enim manum meam ad cœlum, &c.* Chald. *Levavi manum meam per orationem, &c.* Observa (inquit Gualtperius) Chaldæum Paraphrasten *juramentum, orationem appellare.* At forte non juramentum, sed simpliciter orationem hic manus elevatione intellexit Chaldæus. Jonath. autem habet, *Levavi manum meam per juramentum, &c.*

(*f*) *Vide Jos.* 10. 1. (*g*) *Jonathan*, ואפיק ליה לחם וחמר i. e. Et protulit ei (*scil. Abrahamo*) panem & vinum. (*h*) *Vide Dan.* 12. 7. *Apoc.* 10. 5.

C A P. XV.

M U N S T E R U S.

1. G*Esta sunt*] Hebraice, *post verba ista.*

2. *Filius dispensationis*] Dictionem משק, quam nos pro *dispensatione* vertimus, Kimhi dicit derivari à verbo שקק quod *discurrere* significat. Ut sit משק idem quod הליכה בתמידות *jugis & frequens discursus*: ut faciunt procuratores domus, quibus omnia in domo agenda sunt commissa. Onkelos vero hic in Chaldæo vertit, בר פרנסא, i *filius cibationis.* Idem quoque sentit Eliezer fuisse Damascenum & alienigenam, quem sibi Abram adoptavit in filium & hæredem. Alii dicunt eum fuisse filium Ham filii Noah, qui cum audisset maledictionem patris sui, adhæsit Abrahamo. Et quoniam fuit vir justus, translatus est secundum Judæorum somnium in Gan Eden sine intercessione mortis.

6. *Credidit Domino*] Chal. *Credidit in verbum Domini.* Et quod sequitur, *Reputavit hoc illi in justitiam*, omnes nostri verterunt, *reputatum est*; cum tamen verbum ipsum non in passiva sed activa voce scribatur: sicut & R. S. dicit, *Deus sanctus reputavit illi in justitiam & meritum, quod crediderat ei.* Gerundensis tamen aliter sentit; nempe quod *crediderit Domino & cogitaverit quia Dominus in justitia sua daret illi semen*, &c. Nam verbum חשב significat *cogitare*, & *reputare.* Verum nescio an hæc expositio quadret cum expositione Paulina, quando Rom. 4. sic scribitur, *Qui credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.*

9. *Vitulam triplicatam, & capram triplicatam*] Est enim verbum משלשת Paul in Piel. Unde & Onkelos vertit, *vitulas tres, & capras tres*, &c. Idem sentit R. S. Aben Ezra vero sentit cum translatione nostra. Gerundensis dicit Abraham repræsentasse tria genera sacrificiorum, nempe holocaustum, oblationem pro peccato, & sacrificium pacificorum, & quod de tribus illis speciebus animalium, unum duntaxat fuerit adductum individuum, & illud vocetur *triplicatum*, eo quod singula individua fuerint מחוברים i. *simul juncta.*

14. *Judicabo*] Vel, ut Hebraismus habet, *judico ego.* Et quando dicitur, *quadringentis annis*, intelligendum est, *ab hoc tempore.* Non enim tot annis fuerunt in Ægypto; sicut in Exodo dicetur. In Medras [illegible] de hoc sic inveni scriptum apud Rabbinos, qui hunc locum diligenter expendunt; [illegible] Notanter dicit, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua.* Non dicit, *In Ægypto tot annis servient, & erunt peregrini.* Tractat & Nicolaus de Lira locum istum, citatque in genere annales Hebræorum ex quibus probat quadringentos annos, quibus filii Israel fuerunt peregrini in terra non sua, incipiendos a nativitate Isahac.

16. *Huc*] Dictio Hebræa הנה aliquando est adverbium loci, significans scilicet idem quod אל מקום הזה, i. *ad locum istum*; aliquando adverbium temporis, & tunc capitur pro עתה, *nunc.* Sicut in hoc versu invenitur in utroque significato. Et quod sequitur, *Inter divisiones illas*, est גזרים idem quod בתרים. Proinde per *fluvium Ægypti* Hebræi intelligunt שיחור *Nilum*; cum tamen rivus quidam sit Judæam disterminans ab Ægypto. Per *Cinæum* vero, *Kenizæum*, & *Cadmonæum* intelliguntur variæ familiæ Chnaanæorum; siquidem Chnaanæus undecim filios genuit, ex quibus variæ natæ sunt familiæ, quarum una peculiariter retinuit nomen *Chnaanæi*; ut sic numerentur septem gentes, Æmorræus, Hivæus, Chnaanæus, &c.

FAGIUS.

1. P*Er prophetiam*] Prophetiam Hebræi dicunt esse, quando exhibitæ fuerint visiones quædam & spectacula per quæ Deus suos rerum arcanarum ac divinarum conscios esse fecit. Hæc corroborantur aliquo modo per vocem Hebraicam מחזה, quæ *visionem* significat. Diversos quoque gradus & modos Divinæ revelationis statuunt Hebræi; Inter quos נבואה, *Prophetiam*, vocant *revelationem quæ fit per visiones quasdam*, ut modo dixi; cujusmodi Jeremias, Ezekiel, & alii prophetæ habuerunt. רוח הקדש, i. *Spiritum sanctum*, vocant *revelationem quæ fit sine spectaculis*, ut in Davide, Jobe, & aliis quos authores hagiographorum faciunt.

2. *Et filius gubernator iste*, &c.] Chaldaica ad verbum sonant, *filius gubernationis*, seu *cibationis*, *iste*, &c. Utrunque enim significat פרנס, *cibare* & *gubernare*. Est autem *filius cibationis*, seu *gubernationis*, idiotismus linguæ pro *cibator*, *dispensator*, *gubernator*, & *procurator domus*. Sic enim vocabatur qui præerat domui, & cui omnia in domo agenda commissa erant. Hunc mox quoque *filium domus* vocat, dicens, *& ecce filius domus meæ hæres meus erit*. Est igitur sensus hujus loci; Conqueritur Abraham apud Dominum quod peregrino & alienigenæ, nempe Eleazaro Damasceno, domus suæ curam committere, bonaque sua relinquere cogatur; quodque non habeat proprium filium, quem super domum suam constituat, omniumque bonorum suorum hæredem faciat.

IDEM.

2. ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר, *Et filius dispensationis meæ sit iste Damascenus Eleezer.* Omnis variatio circa hunc locum ex schemate Hebraico בן משק non probe intellecto nata est. Lat. Vulg. interpres sic intellexisse videtur quasi procurator domus Abrahæ filium habeat, quem Abraham suorum bonorum heredem futurum dicat, posteaquam sibi non sit proprius filius. Atque ita etiam Theodotio intellexit, ut est videre apud D. Hier. in Quæst. Hebraicis, ubi sic legitur, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, *filius ejus qui super domum meam est.* Verum tu noveris hunc esse hujus loci sensum germanum. Duo conqueritur Abraham; Alterum, quod sibi non sit proprius & germanus filius cui domus suæ curam demandet. Alterum, quod nec habeat verum suorum bonorum heredem; sed necesse sibi esse ut per servum alienigenam Eleazarum Damascenum domum suam procuret, eundemque tandem omnium suorum bonorum heredem futurum. Ad priorem sententiam pertinet quod dicit, ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר, *Et filius dispensationis domus meæ, ipse est Damascenus Eliezer.* Ad secundam pertinet quod mox sequitur, *Ecce filius domus meæ heres meus est.* Nota Hebraismum, *filius dispensationis* (seu *procurationis*) pro, dispensator, procurator, œconomus. Sic dicitur, *filius mendacis*, *veritatis*, *doli*, *iniquitatis*, &c. pro, mendax, verax, dolosus, iniquus, &c. Eadem locutio est, *filius domus meæ*, pro, qui præest domui meæ. Atque hunc sensum habet & Onkelus in sua Paraphrasi, בר פרנסא הדין *filius cibationis* (vel *gubernationis*) *iste*: utrumque enim פרנס & *cibare* & *gubernare* significat. Vult ergo sic dicere Abraham, tota domus mea alitur, regitur & gubernatur per alienigenam servum meum: quod si mihi filius esset, illi omnem domus meæ curam committerem, qui denique verus ac legitimus mearum facultatum heres futurus esset. Ad hunc modum quoque hunc locum R. Salomo commentator Hebræus exponit. Porro Hebræi in ostendenda vocis משק origine variant. Quidam enim, ut R. D. Kimhi, deducunt à verbo שקק, quod *discurrere* significat: hinc משק, est הליכה ושוטטות *frequens discursus*, ut solent ultro citroque cursitare œconomi, quibus omnia domi agenda commissa sunt. Alii, præsertim R. Joseph Kimhi משק à שקק, quod *relinquere* significat, deducunt: unde בן משק *filius relictionis* exponit. Quasi dixerit Abraham, בן שאעזוב כל אשר לי בידו הוא דמשק אליעזר *Filius in cujus manu relinquam omnia quæ mihi sunt; ipse est Damascenus Eliazer.* Hinc fortassis moti fuere qui ex junioribus Interpretibus משק pro *sterili* & *relicta* exposuere, remotissimo meo judicio hujus loci sensu. Græca translatio משק vocabulum sic reddidit quasi proprium nomen mulieris sit. Id quod sæpe facit & in aliis locis ubi Hebræa illi non satis manifesta fuere.

6. והאמין ביהוה ויחשבה לו צדקה, *Et credidit Domino, & reputavit hoc illi in justitiam.*] Quod verum sensum hujus loci attinet, omnia probe & eleganter ab Interpretibus reddita sunt. Tantum in verbo ויחשבה discrepantia est, sed quæ sensui plane nihil officit: impersonaliter enim reddidere interpretes, cum apud Hebræos activum verbum sit, ad verbum sic reddendum, *Et reputavit ei illam ad justitiam*: illam scilicet fiduciam, i. ob eam credulitatem quia credidit Deo liberos promittenti justus apud ipsum Deum habitus est. Sicut & R. Salomo Hebræus commentator hunc locum recte sic explicat, הקב"ה חשבה לאברהם לזכות ולצדקה על האמנה שהאמין בו, *Deus benedictus reputavit ipsi Abrahamo pro merito & justitia fiduciam quam in eo habuit.* R. D. Kimhi in libro Radicum verbum האמין *credidit*, deducit ab אמונה, quod *veritatem*, *soliditatem*, *constantiam* & *firmitatem* significat, eo quod qui alicui credit omnemque suam fiduciam in illo collocat, tribuit illi veritatem, constantiam & firmitatem, quod minime fallere possit. Quæ propterea ex Kimhi huc refero, quod videntur aliquo modo facere ad enucleationem præsentis loci. Unde enim est quod tantopere fidem & nihil prius illa à nobis requirit Deus, nisi quod fides illi summum bonum, veritatem tribuit?

16. כי לא שלם עון האמרי עד הנה, *Quia nondum est impleta iniquitas Æmorræi usque nunc.*] Nulla fere hic variatio est, nisi quod verbum Hebraicum שלם alii singulariter alii pluraliter reddunt. In voce עון exponenda Hebræorum commentatores nonnihil variant: quidam enim simpliciter pro *peccato* & *iniquitate* accipiunt, hoc sensu, Nondum perpetraverunt Amorræi ea scelera quæ perpetrari oportet, priusquam expellantur sua terra. Alii pro *pœna peccati* interpretantur, sicut *peccati* vocabulum sæpe hanc vim significandi habet. Sæpe dicitur in Lege, *Portabit peccatum suum*, pro, pœnam peccati sui. Sic quidam accipiunt illud infra de Cain, גדול עוני מנשא *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*, pro, Major est pœna iniquitatis meæ quam ut portare, ferre & sustinere queam. Hujus generis est & illud de Christo, *Hic est agnus Dei, qui portat peccata mundi.* Item, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum*, 2 Cor. 5. R. D. Kimhi hunc locum Hebraice sic explicat, ר"ל לא הגיע זמן עונש האמורי להורישם מארצם עד כלות ארבע מאות שנה על דרך שאמר כי ברשעת הגוים האלה יי׳ אלהיך מוריש אותם מפניך והזכיר האמורי כי הוא הגדול שבשבעה אומות כמו שאמר הנביא ואנכי השמדתי את האמורי מפניהם אשר כגבה ארזים גבהו וחסן הוא כאלונים, *Nondum appropinquavit tempus pœnæ Amorræi, ad ejiciendum eos de terra sua, donec consummentur 400 anni, juxta illud quod alibi dicitur, Sed propter impietatem gentium istarum Dominus Deus tuus deturbat eos à conspectu tuo. Meminit autem Amorræi eo quod ipse maximus fuit inter septem populos, sicut dicit Propheta, Et ego delevi Amorræum a facie eorum, cujus altitudo erat quasi proceritas cedrorum, eratque tam fortis sicut sunt quercus.* Hactenus Kimhi.

VATABLUS.

1. P*Ost hæc* אחר הדברים *His gestis.*] Ad verbum, *Post verba ista.* ¶ *In visione*, במחזה] sub. *nocturna* sub lucem scilicet. Fuit hic unus ex duobus ordinariis modis quibus se Dominus olim manifestare Prophetis suis solebat, sicuti habetur Num. 12. 6. Chaldæus paraphrastes, *per prophetiam.* i. Sicut solet Deus alloqui Prophetas suos. *Scutum*, &c. מגן לך וגו׳] Hebraismus, *sum* vel *ero tibi vice clypei*, h. e. Propugnator ac defensor tuus, & merces tua amplissima, propter fidem ac fiduciam quam habes in me.

2. *Quum ego incedam* ואנכי הולך] Ad verbum, *& ego vadens.* Hebraismum quidam sic vertunt, *quum ego perseverem.* Alii, *& ego abeo.* i. Quum ego consenescam. h. e. Quum jam provectus ætate sim sine liberis. q. d. Quam grata mihi fore putas omnia illa sine liberis? Locutio est metaphorica. Vitam nostram similem esse stadio scimus. Abram, quum provectæ jam esset ætatis, dicit se eo usque progressum ut pauxillum sibi ex hoc cursu restet. Jam (inquit) prope ad metam perventum est: confecto itaque vitæ cursu, orbus moriar. ¶ *Et filius procuratoris*, &c. ובן משק וגו׳] Quidam deducunt hanc vocem משק à שקק *discurrere*, & vertunt *œconomum*, vel *procuratorem*, ut hic noster interpres; quia huc & illuc ad negotia discurrat qui amplæ domus curam sustinet. Alii à משק derivant, quod *derelinquere* significat: & vertunt, *& filius derelictionis meæ.* i. Is cui omnem curam rei familiaris meæ reliqui ac commisi, œconomus, procurator, sive dispensator meus. Sunt qui *filium derelictionis* perinde accipiant acsi vocaret *filium orbitatis*: quia hoc desertæ & sterilis domus testimonium erat, hæreditatem ad hominem extraneum devolvi, qui locum vacuum & derelictum occupet. Posterior hæc opinio propius vero accedit, vertendumque, *Et filius derelictionis meæ* [i. Cui relinquam omnia administranda post mortem tanquam hæredi] *erit Eliezer Damascenus.* Acsi diceret, Ne unus quidem ex consanguineis meis

 hæres

hæres mihi obtinget; ſed homo Syrius ex Damaſco. Seipſum declarat ſequenti verſu.

3. *Filius domus meæ* בן ביתי] Sic vocat vernaculum Eliezerum. *Hæres meus eſt*: יורש אתי] Ad verbum, *hæreditans me*, pro; *hæreditabit me*. Vel, *poſſidebit me*. i. Bona mea. Sic verſu ſequenti.

4. *Dicendo*, לאמר] In hunc modum.

5. *Foras*, החוצה]. i. extra tentorium. ❡ *Addiditque* ויאמר] Ad verbum; *Et dixit*.

6. *Et imputatum eſt illud ei* ויחשבה לו] *& imputavit eam illi*. *Imputavit*; nempe Deus, *Eam*, ſcilicet fidem. i. Propterea quod credidit Deo pollicenti ſibi tantum ſemen, habitus eſt juſtus apud Deum.

8. *In quo* במה] *Unde. Quare. Qua ratione.*

10. *Per medium*. בתוך] i. In partes æquales. ❡ *Unamquamque*, &c. איש וגו'] Ad verbum, *virum partem ſuam è regione ſocia ſuæ*. i. Quamlibet partem animalium ab ipſo diviſorum è regione partis correſpondentis. q. d. Partes illas diviſas ſibi reſpondentes altrinſecus poſuit. Quod mactata animalia in partes ſecari jubet, videtur fuiſſe vetuſtus ritus in fœderibus pangendis, qui deinde ad Gentes quoque tranſiit, ſive ineunda eſſet aliqua ſocietas, ſive exercitus luſtrandi. Tranſibant autem per medias partes vel ſocii vel milites, ut ſanctius in unum corpus coaleſcerent, ſacrificio ſimul incluſi. Judæis quidem uſitatum fuiſſe hunc morem teſtatur Jeremias, c. 34. 18. Ubi Deum ita loquentem inducit, *Violarunt fœdus meum quum vitulum conciderint in duas partes, & tranſierint inter diviſiones ejus, tam principes Judæ quam proceres Jeruſalem, & totus populus terræ*. Hic res duas oſtendit Dominus ipſi Abrahæ, duram ſervitutem qua fere uſque ad interitum & lacerationem premendi erant Abræ filii; quod per occiſa animalia & in duas partes ſecta ſignificatur: Deinde redemptionem, quæ inſigne pignus foret Divinæ adoptionis, quam indicant partes è regione inter ſe coaptatæ, quia ex diſſipatione rurſus colligendæ erant. ❡ *Sed aves* ואת הצפר] Ad verbum, *& avem*.

12. *Quumque*, &c. ויהי וגו'] Ad verbum, *Et fuit, ſole occumbente*. ❡ *Terror* אימה] *horror*.

13. *Sciendo ſcias*, ידע תדע] Hebraiſmus, *Certo ſcias*, Vel, *Hoc tibi perſuaſiſſimum ſit*. ❡ *Et ſervient illis*, ועבדום] Sub. *Ægyptiis*. Plurale verbum, quia *Semen* eſt collectivum, & affixum pro ſeparato, להם.

14. *Judico* דן] Præſ. Heb. pro fut. *Judicaturus ſum*.

15. *Ingredieris ad patres tuos* תבוא אל אבותיך] Hebraiſmus, *ibis ad patres tuos*, pro, *morieris ut majores tui*. Moſes voluit exprimere non modo longam fore Abræ ſenectutem, ſed placidam, cui mors læta & pacata reſpondeat. ❡ *In ſenectute bona*. בשיבה טובה:] i. in ſenectute plena dierum: ſignificat extremam illam ſenectutem.

16. *Quia necdum completa eſt iniquitas* כי לא שלם עון] i. nondum venit tempus quo puniantur Amorrhæi ob conſummatam ipſorum iniquitatem: qui certe nullum finem ſceleribus ſunt facturi donec ultimum excidium ſibi accerſant. q. d. Donec ſuis ſceleribus promeriti fuerint ut jure pellantur, ad poſteros tuos non perveniet ejus terræ dominium.

17. *Furnus*, &c. תנור וגו'] Ad verbum, *clibanus fumi, & fax ignis*. Symbolum futuræ liberationis fuiſſe hoc, interpretantur doctiores, quod cum re ipſa congrueret. Sunt enim duæ res in ſpecie contrariæ, fumi obſcuritas, & lampadis fulgor: hinc Abram fore cognovit ut lux è tenebris demum emergeret: qua libertas ſemini ejus in media ſervitute promittitur, non potuit enim magis ad vivum depingi Eccleſiæ conditio, quam dum facem ardentem ex fumo prodire fecit Deus, ne afflictionum caligo nos obruat, ſed bonam vitæ ſpem in morte foveamus. ❡ *Inter diviſiones ipſas*. בין הגזרים:] i. inter fruſta illa diviſa.

C A S T A L I O.

16. Nondum ad ſummum pervenit improbitas Amorræorum] Non ante volo delere Chananæos quam venerint ad ſummum improbitatis; id quod non fiet ante quartum ſeculum. Propterea tuos poſteros (per quos hoc facturus ſum) non ante ex Ægypto revocabo.

C L A R I U S.

2. *Filius procuratoris*] In Hebræo eſt, *filius procurationis*: ut verti etiam poſſit, *filius procurator*, vel *diſpenſator*. Et quod ait, *Eliezer*, ſubaudi, *erit hæres meus*.

9. *Vaccam triennem*] Percuſſurus Deus fœdus cum Abram, veterem paciſcendi morem ſervavit, qui erat, ut occiderentur animalia, & in duas dividerentur partes, atque inter è regione poſitas partes ac fruſta tranſire: quibus ceremoniis dignus morte decernebatur, ſi quis fœdus aliquando rupiſſet. Obſervant autem, quod hic Abram repræſentarit tria genera ſacrificiorum; nempe holocauſtum, oblationem pro peccato, & ſacrificium pacificorum.

11. *Deſcenderunt volucres*] Quod volucres ſuper cadavera deſcenderint, & Abram eas abegerit, ſignificat, reges ac populos perſecuturos Iſraelem, &, niſi merita patrum interceſſiſſent, fuiſſe etiam conſumpturos.

13. *Quadringentis annis*] Intelligendum eſt, *ab hoc tempore*, nam in Ægypto non fuerunt niſi ducentis & decem annis, ut in Exodo dicetur. Quare cenſet Auguſtinus ineſſe hyperbatum, quod ſic aptetur, *Peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua quadringentis annis, & ſubjicient eos, &c.*

16. *Necdum enim completa*] H.e. Nondum adeſt tempus quo punire illorum decrevi iniquitates. *A fluvio Ægypti*] Hebræi intelligunt Nilum, cum tamen rivus quidam ſit Judæam diſterminans ab Ægypto. *Cinæos*] Per *Cinæos*, *Cenezæos*, & *Cedmonæos* intelliguntur variæ familiæ Cananæorum, cum Cananæus undecim filios genuerit, ex quibus variæ natæ ſunt familiæ, è quibus una peculiariter retinuit nomen *Chananæi*. Numerantur autem hic decem gentes, cum non acceperint ſub Joſue niſi tantum ſeptem. Edom enim, Moab, & Ammon poſtea Reges Iſraelitarum ſibi ſubjugarunt. Hic autem dicuntur *Cedmonæi*, *Cenezæi*, & *Cinæi*.

D R U S I U S.

2. *Ecce ego abeo*] i. morior. Hieron. in Quæſt. Ebraicis, *Ecce ego morior*. Nam eſt præſens pro paulo poſt futuro. Sic, *quo ego abeo*, i. abiturus ſum brevi. *Abire* autem pro *mori* etiam Iob uſurpat, 14. 20. *Prævales ei ſemper, & abit*. Sic Pſal. 125. 5. *abire faciet eos*, i. morti tradet aut occidet eos; verbo dicam, mori faciet eos. Latini quoque *abitionem* pro *morte* poſuerunt, ut Feſtus obſervat. Plenius dicunt, *abeo, nec revertar*; item, *abiit, nec revertetur*. Iob. 10. 21 *priuſquam abeam, nec revertar*. Sic dicimus, *Abiit illuc unde negant redire quenquam*, videlicet juxta ordinem naturæ: nam in reſurrectione, quæ contra naturam eſt, omnes revertemur: unde in ore vulgi tempore Tertulliani, *Abiit, & revertetur*. Dicunt etiam, *Abiit ad patres, ad plures, in viam patrum ſuorum, in communem locum*, εἰς τὸν ἴδιον τόπον, Act. 1. 25. *in viam totius terræ*, quæ & *via univerſæ carnis*, *in domum ſeculi ſui*, quæ & *domus æterna*, *in locum* aut *terram tenebrarum*: *&c.* De quibus alias, ſi Deus voluerit, vitamque & valetudinem conceſſerit.

6. *Credidit Abraham Domino*] Hoc Ebraiſmus dicit, *in Dominum*. Senes ediderunt, τῷ Θεῷ, & Hieron. *Deo*. Aut igitur male vertunt interpretes iſti, aut *credere in Deum* & *credere Deo* ſynonyma ſunt. Nam *in Dominum* aut *in Deum* dicas parum refert; niſi quod *Dominus* hic nomen eſt quadrilitерum, Jod, He, Vau, He: quod legitur per nomen *Adonai*. Id *Dominum* ſonat. Onkelos & Jonathan, *in ſermonem Domini*, quod idem cum illo, *in Dominum*. Notatum autem in libris quibuſdam Latinis eſſe *Domino*, quæ lectio ad veritatem Ebraicam propius accedit, ac proinde melior, verior eſt. Dixi, *credere in Deum* & *credere Deo* ſynonyma eſſe. Quod amplius firmatur teſtimonio Apoſtoli, qui hunc locum citans, ἐπίστευσεν τῷ Θεῷ, dixit, non, εἰς τὸν Θεόν. Qui diſtinguunt, hos omnes ſibi adverſantes habent. Sed & ipſum Spiritum ſanctum, qui dixit, *Crediderunt in Deum & in Moſen*. Quid obgannis? an pluris tibi homines, qui errare poſſunt, quam Deus qui errare non poteſt? In tanta luce linguarum non debemus contra tendere. Cedamus tandem, cedamus vero, à quo ſuperari honeſtum eſt. Termini Theologorum ne tanti ſint in oculis noſtris. Nam *duliam* quoque & *latriam* diſtinxerunt, quæ nunc ex fontibus linguarum confutata & communi conſenſu exploſa ſunt. Sed manum ad os. Nam *veritas odium parit*. Hæc ſcripſeram cum ad manum venit commentarius Martini Buceri in epiſtolam ad Epheſios, ubi de his locutionibus ita ſcribit, *Quod Scriptura ſuo idiotiſmo dicit* credere in aliquo *vel* in aliquem, *nos dicimus* credere alicui fidemque habere. *In ſecundo namque Moſche cap. 14. legimus*, & vidit Iſraël manum DOMINI magnam quam contra Ægyptios exercuit, & timuit populus DOMINUM; & crediderunt in DOMINUM & Moſche ſervum ejus. *Quid hoc aliud quam Verbis Moſche habuerunt fidem? Item in eodem libro, cap. 19.* Dixit DOMINUS ad Moſche, Ecce ego venio ad te in caligine nubis, quo audiat populus verba mea ad te, & etiam in te credant perpetuo. *Hoc ſane*, & etiam credant in te, *perinde fuit atque ſi dixiſſet*,

dixisset, Ut tibi credant, & verbis tuis, agnoscentes te ex mandato meo loqui, fidem habeant. Sic ergo & credere in Christo *perinde est atque* credere Christo, *verbisque ejus fidem habere.* Et mox, *Credidit Abraham in Domino, quid est aliud quam, Promittenti scilicet Deo habuit fidem, persuasus utique à Spiritu Dei.*

15. *Ibis ad patres tuos in pace*] Apud Plautum, ubi vulgo legimus, *penetrare ad plures*, Camerarius legit, *ad patres.* In fonte est תבוא *venies*, quod Senes hic vertunt ἀπελεύσῃ, & Hieron. *ibis*, i. הלך, nam hæc duo verba se invicem explicant. Jon. 1. 3. *invenit navem* באה *euntem.* Sic verbum Latinum *venio* usurpatur. Terentius, *nisi ego ad mercatum venio*, i. eo. Idem in Andria, *Id propterea nunc hunc venientem sequor*, i. euntem. Contra in eodem, *ibam ad te*, i. veniebam. Sic הלך *venio* significat interdum, & לכו *venite.* Chaldæi hic legunt, *aggregaberis ad patres tuos.* Pro *ibit in pace*, Jesaias dixit, *ibit salvus*, ubi similiter יבוא *veniet* in Ebræo. Locus est Jes. 57. 2. quem de morte interpretantur. שלום autem vulgo reddunt *in pace* בשלום. Ego seorsum ab aliis prætuli *salvus.* Sic שלום אתה *salvus tu*, quod in fine literarum sign. *Vale.*

18. *A fluvio Ægypti*] Fluvius iste alibi vocatur *torrens Ægypti*, si modo נחל ibi significat *torrentem*, & non *fluvium.* Nam vocabulum Ebræum ad utrumque ambiguum est, unde Græci modo ποταμὸν, modo χείμαῤῥον ἤτοι χειμάῤῥουν transtulerunt. Noster sæpius *torrentem* reddidit, quæ appellatio non male convenit ei fluvio, quem Nilum esse volunt. *Siquidem torrens*, ut ait Strabo Geograph. l. 1. *Amplius quam reliqua flumina pluviis augetur aquis: Nilus ipsos torrentes eo ipso superat, tanta copia aquæ, tam longo turgens tempore.* Dixi fluvium *Ægypti* Nilum esse. Hoc me docuit Jonathan, referens, *à Nilo Ægypti.* Sed & Abenezra, cui Sihor est Nilus. Sihor autem est fluvius Ægypti, quem à rivo Ægypti distinguit. Ego & rivum Ægypti Nilum esse & fluvium Ægypti non dubito; neque mirandum si diversa brachia ejusdem fluvii communi nomine vocentur interdum. Augustinus, *Non à flumine magno Ægypti*, i. *Nilo, sed à parvo, quod dividit inter Ægyptum & Palestinam, ubi est civitas Rhinocorura.* Imo parvus iste fluvius etiam Nilus dicitur, si modo Sihor est Nilus, qui μέλας veteribus, quod שחר, unde *Sihor*, Ebræis designat. Recte autem Rhinocoruram, quæ & Rhinocolura, civitatem appellat: nam urbs erat in ripa fluminis illius. Quocirca errant qui nomen hoc fluvio attribuunt: in queis Aloysius Lippomanus autor Catenæ Patrum. Sed & Nicolaus à Lira, sic scribens, *Fluvius Ægypti dividit terram Chanaan ab Ægypto, & vocatur Rhinocorura.* Ita legendum, aut *Rhinocolura*; non, ut in libris editis, *Rhinocorula.* Nec eos juvat editio Lxx. interpretum, qui Jes. 27. 12. *usque ad torrentem Ægypti*, vertunt, ἕως Ῥινοκορούρων. Nam non verba, sed sensum reddiderunt. Diserte Hier. in comment. ad eum locum, *Usque ad Rhinocoruram*] *Pro* TORRENTE ÆGYPTI *Septuag.* RHINOCORURAM *transtulerunt, quod est oppidum in Ægypti Palestinæque confinio, non tam verba Scripturarum quam sensum verborum exprimentes.* Quod si, ut illi volunt, fluvius Ægypti est Rhinocorura, igitur ea ad Ægyptum pertinebat: quod non est ita: nam spectabat ad terram Chanaan: quod indicat Strabo his verbis, *Rhinocolura in ipsa Phœnicia est ad Ægyptum.* Quanquam Hieron. eam Ægypto attribuere videatur, contra Strabonis autoritatem. Siquidem in commentario super Jesaiam lib. 5. cap. 19. *Urbem Ostracinam, inquit, & ceteras juxta Rhinocoruram & Casium civitates usque hodie in Ægypto, Chananitide, h. e. Syra, lingua loqui manifestum est.* Sane Ægypto finitima erat, cum sit inter eam & Palæstinam. Quod Siculus Diodorus indicat, cum ait, κειμένην πρὸς τοῖς μεθορίοις τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Συρίας, *in finibus Ægypti Syriaque.* Tantum de urbe Rhinocorura. Fluvius ipse vocatur *torrens deserti* Amos 6. 14. ob desertum Tsin, cujus extremitatem Austrum versus attingebat. Quidam etiam appellant *rivum Ægypti*, qui alius est ab eo qui נהר מצרים vocatur in sacris literis. Utriusque meminit Brocardus Monachus in Descriptione terræ sanctæ, cap. 13. ubi & *Syron Ægypti*, pro quo legendum *Syor*, vel certe *Sihor*, *Ægypti*, quasi tu dicas, *Nilus Ægypti.* *Nahal* enim ἀρχαϊκῶς est *Neel* & *Nel*, unde forte Νεῖλος *Nilus.* Ios. 13. 3. *Sihor, qui ad faciem Ægypti.* Vult dicere, Qui à Phœnicia dividit anteriorem partem Ægypti. Hoc modo distinguitur à reliquis Nili rivis. Est autem brachium ejus Septentrionale quod *Pelusiacum* appellant, quoniam ad Pelusium delatum (Damiatam hodie) per desertum versus terram sanctam juxta civitatem Laris intrat mare. Supra in verbis Augustini memoratur fluvius Ægypti *magnus*, quem Nilum interpretatur, & *parvus*, qui est torrens vel fluvius Ægypti. Quare ille *magnus*, hic *parvus*? An quia major aquarum vis ad Alexandriam procedit, & minor ad Pelusium? *In loco*, inquit Brocardus, *qui Delta nominatur, fluvius Nilus in duos rivos divisus totam fere Ægyptum facit insulam, in modum Δ literæ triangulariter figuratam: proceditque major aquarum vis ad Alexandriam, & minor ad Damiatam. A Delta usque ad Heliopolim tria numerant milliaria, ubi & alius rivus à Nilo segregatur, & defertur ad civitatem Pelusii, &c. Hic rivus vocatur proprie in Scriptura Rivus Ægypti, terminaturque ad ipsum sors tribus Juda. Quidam vocant eum Rhinocoluram & Sihor Ægypti, & non est navigabilis.* Hucusque Brocardus.

I D E M.

2. בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי A. ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου, *filius potum dantis domui meæ.* Th. καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, *& filius ejus qui super domum meam est*] Ποτίζοντος] משקה. In edit. Rom. Schol. ὁ δὲ συγγενής τοῦ οἴκου μου, *cognatus vero domus meæ:* alii, *dispensator domus meæ.* Uterque Chaldæus, *filius gubernatoris domus meæ.*

בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי] *potum dantis domui*, i. familiæ, *meæ.* משק pro משקה ut alibi ירב pro ירבה *multiplicabit.* Sed Benoni exemplo caret: futurum ita contractum frequens est. Ergo alii maluerunt, *filius discursationis domus meæ*, i. dispensator aut œconomus meus. Nam is discursat per domum dum ei de rebus necessariis providet. משק *discursatio*, ἀπὸ τοῦ שקק *discurso*, ut מכס *vectigal, tributum*, ἀπὸ τοῦ כסס, & ממר *amaritudo* ἀπὸ τοῦ מרר. A. מכס Rabbini fecerunt מכסן *publicanus*, qui publica vectigalia exigit aut colligit, litera servili versa in radicalem. Quod insolens non est illis Magistris. Hieron. *Quod autem dicit, hoc est, Ego sine liberis moriar: & filius procuratoris mei vel villici, qui universa dispensat & distribuit cibaria familiæ meæ, vocaturque Damascus Eliezer, hic meus hæres erit.* Quod cum Theodotionis interpretatione quadrat. Nam τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, idem cum illo, *gubernatoris domus meæ*, qui videlicet præest familiæ, eamque regit & gubernat post patrem familias: cui cura domus commissa.

9. גוזל. A. *columbam.* Th. *pullum columbarum*] i. unius alicujus columbæ; ut *filius asinarum*, unius alicujus asinæ. Abenmelech, גוזל *est filius columbæ. Usurpatur etiam de pullis aquilæ. Nam avem parvam denotat: Ceterum è columbis non offeruntur nisi parvuli.* Vide Procopium p. 127.

11. וַיַּשֵּׁב אֹתָם. A. ἀπεσόβησεν αὐτούς, *abigebat eas*] Sic interpres Vulg. Hieronymus quoque ait ex Ebræo ita vertendum esse. Theodoretus hoc factum explicans bis utitur verbo ἐξήλαυνεν, *expellebat:* sed melior interpretatio prior. Abenmelech exponit, *fecit avolare*; & thema scribit esse נשב, nec aliter Onkelos Chaldæus paraphrastes.

12. תַּרְדֵּמָה κάρος: *sopor.* Idem καταφορὰ dicitur. Hieron. *In Ebræo legitur καταφορὰ, quam supra vertimus in Soporem.* Vide quæ scripsimus ad cap. 2. 21. *Et cadere fecit Dominus Deus soporem super Adam.*

15. תִּקָּבֵר בְּשֵׂיבָה טוֹבָה, *sepelieris in canitie bona.*] Schol. ταφεὶς ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, *sepultus in canitie bona.* Infra 25. 8. A. & Sym. ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ. Hinc discimus unde domo sit scholion illud. Senes hic habent ἐν γήρᾳ καλῷ, ut etiam infra 25. 8. sed alibi ediderunt ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, ut Iud. 8. 32. & alioqui שיבה πολιὰν interpretantur Ruth 4. 15. Hosee 7. 9. Πολιὰν, substantivè. Quidam, πολιὰ θρὶξ, *canus capillus.* Sic πολιαὶ, *cani.* Idem nomen in illo, *Corona decora, canities:* alii, *senectus.* Dicitur autem de senectute ultima, ut זקן de prima & media. Sic dico, πολιὰ est cana senectus, quæ & τὸ πολιὸν. Obvia hæc vox in Lxx. & Sirach. 6. 19. ἕως πολιῶν, *usque ad canos.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Posthac fuit sermo DOMINI ad Abram in visione dicendo, Ne timeas Abram, ego clypeus tuus, merces tua multa nimis.*

Post hæc] אחר הדברים האלה post verba illa i. postea, sive post illam victoriam. Id Lxx. reddiderunt μετὰ δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα: & Hiero. *His itaque transactis.* ¶ *Fuit sermo DOMINI ad Abram*] Sic, *sermo DOMINI qui fuit ad Hoseam.* Hos. 1. 1. *Verbum DOMINI, quod fuit ad Zachariam.* Zach. 1. 1. Utrobique est דבר in Ebræo: quod interpretes promiscue nunc sermonem, nunc verbum reddunt. Sic *in principio erat sermo* dicas, an *in principio erat verbum*, parum refert. Non est propterea contentionis funis ducendus. ¶ *Sermo DOMINI*] in Lxx. ῥῆμα κυρίου, quod magis sonat *verbum DOMINI.* Alibi est, λόγος κυρίου, ut hic apud interpretem nostrum, *sermo DOMINI.* ¶ *Ad Abram*] πρὸς

ἄβραμ

ἄβραμ. On. & Jon. עם אברם *cum Abram.* Tharg. Jerosol. *fuit verbum Propheticum à DOMINO ad Abram justum.* ¶ *Dicendo*] in hæc verba. ¶ *In visione*] ἐν ὁράματι. Quidam arbitrantur hunc sermonem habitum fuisse cum Abrahamo in visione diurna: ego in nocturnam magis inclino. Primum quia sequitur, *Suspice cœlum & numera stellas.* Nam stellæ noctu dumtaxat videntur. Deinde quia in nonnullis codicibus Græcis ἐν ὁράματι τῆς νυκτός: Dico in quibusdam. Nam in C. & R. abest τῆς νυκτός. Videtur ex scholio marginali in contextum irrepsisse. Ut ut sit, non est temere rejiciendum. His adde quod visiones ut plurimum noctu fiebant Gen. 26. 32. Dan. 2. & 7. Psal. 7. & 77. Zach. 1. 8. Minus bene, ut videtur, On. habet בנבואה *in prophetia.* Nam vox illa generalior est. Sed interdum anguste sumitur pro visione. Sic Prophetæ nomen accipitur in libro Hasmonæorum. Vide Nazianzenum in oratione de Spiritu Sancto. ¶ *Ne timeas*] Certum est eum in aliquo metu fuisse. Quid autem metuerit incertum. Utrum invidiam eorum inter quos degebat? Nam virtus parit gloriam, gloria invidiam, invidia odium, odium simultates, simultates pericula. Aut metuebat Assyros & Persas, quos irritaverat magis quam oppresserat. Nam penes eos tunc imperium Asiæ erat. Facile autem fuisset illis, si reparatis viribus rediissent, minus potentem opprimere. Hoc cum timeret Abrahamus, Deus ejus animam confirmat ipsumque securum esse jubet fretum ope auxilioque suo. ¶ *Clypeus*] i. protector. Nam clypeo nos protegimus: unde מגן dicitur. Hunc sensum expresserunt Senes, ἐγὼ ὑπερασπίζω σου, *ego protegam te.* Nam sententia est, ut si diceret, *ego ero* ὑπερασπιστής *σου: protector tuus.* Porro clypeum Jon. תריס appellat, unde Græcum θυρεός. ¶ *Ego*] מימרי On. & Jon. i. sermo meus. ¶ *Merces tua multa nimis*] aut hoc dicit, *ego sum merces tua multa nimis:* aut hoc, *merces tua multa est nimis.* Hoc Lxx. retulerunt, ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα: Merces tua multa erit valde. Jon. *Merces operum tuorum bonorum servata & disposita est coram me in seculo venturo multa nimis.* Hoc noto, quia multi putant metum ipsius ex superiore victoria profectum, quo potius verebatur, inquiunt, ut amitteret mercedem seculi futuri. Laudent alii, οὐκ ἐγωγε. ¶ *Multa*] Hiero. *magna* i. גדול. On. & Jon. סגי, quod multam & magnam significat. Utro modo vertas, eodem redit sententia. *Magna valde* i. maxima, amplissima.

2. *Dixitque Abram, DOMINE Deus, quid dabis mihi? & ego abeo absque liberis, & procurator domus meæ est Damascenus Eliezer.*

DOMINE Deus] אֲדֹנָי יֱהוִה. Hic tetragrammaton habet apices nominis אלהים ideo converti *Deus.* Causa cur mutati sint apices est nomen אדני quod antecedit. Qua de re diximus alios. Errant ergo qui hic legunt Jehova: & magis qui legunt Jehevi. Nam vocales legendi sunt cum suis propriis consonantibus, non cum alienis. Qui enim legit cum alienis, perinde facit ac si pro Deus legeret Doius, qui sunt vocales nominis Dominus. Ut nos, ita olim legit Hiero. On. quoque & Jon. Soli Lxx. videntur nunc legisse אֲדֹנָי יְהוָה Adonai Adonai, quod vertunt δέσποτα κύριε. ¶ *Quid dabis mihi?*] respondet ad illam tantum partem, *merces tua multa nimis.* Ex hoc responso robur accipit versio Græca, *merces tua erit multa valde*, quam veram ac germanam esse puto. ¶ *Abeo*] brevi abiturus sum. Tale est, *Quo ego abeo, vos non potestis venire.* הלך autem de morte dicitur, ut abeo apud autores Latinos, ut cum dicunt, *Abiit & reversurus est.* Hinc & abitio pro morte. Plenius dicunt, *Abiit viam universæ terræ:* aut, *abiit in domum seculi sui.* Hanc meam expositionem firmat Jonathan referens, *ego transeo ex hoc seculo*, & autor Jerosf. *ego abeo è medio seculi:* & Lxx. qui vertunt ἐγὼ ἀπολύομαι: ego dissolvor. Quod intelligentiam habet ex illo, *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Sunt qui referunt, *ego dimittor.* Idem verbum Græcum in illo, *Nunc dimitte servum tuum in pace.* Alia expositio, *ego eo* aut *ambulo* aut *incedo* i. vitam traduco, ætatem transigo. Non adeo placet. Hiero. *vadam* אזל. ¶ *Absque liberis*] עריר orbus, solitarius, ἄτεκνος i. improlis sive illiberis. Hoc Tertull. utitur: illo alius, nescio quis. On. בלא ולד absque nato. Jon. & autor Jerosf. ולא בנין absque filiis. Hiero. *absque liberis.* ¶ *Procurator domus meæ*] בן משק ביתי verbum è verbo, *filius discursationis domus meæ.* משק discursatio. Radix שקק. Ad hoc exemplum est מַשָּׂא, quod Abenezra laudat *Filius discursationis* i. procurator. Nam is ultro citroque discurrit ad munia domus obeunda. In Scholiis Jarii Ebræi פרנסתי של i. ἐπίτροπός μου, curator sive procurator meus, qui videlicet domui meæ curandæ, aut familiæ administrandæ præfectus est. On. & Jon. *dispensator domus meæ.* Hiero. *filius procuratoris domus meæ.* Male. Theodotio, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου: *filius ejus qui est super domum meam.* Quod idem cum illo, *filius gubernationis domus meæ.* Sic interpretantur, quod in On. & Jon. בר פרנסא filius gubernatoris. Aliis פרנסא est nomen abstractum τὸ ἀπὸ τοῦ, פרנס, pasco, cibo, guberno. Id secuti supra vertimus *dispensator domus meæ.* Videatur Fagius in paraphrasin Chaldaicam ad hunc locum. Lxx. ὁ δὲ υἱὸς μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου: filius autem Masec vernaculæ meæ. מֶשֶׁק Masec, ut הֶבֶל Habel. Sunt qui exponant *filius relictionis* i. relictitius *domus meæ.* ¶ *Damascenus Elíezer*] דמשק אליעזר. Hic desideratur aliquid. Quidam sub. מן ut sit מדמשק ex Damasco. Alii repetunt בן ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus. *Filius Damasci* i. Damascenus. Quod ita dicitur ut *filius Jerusalem.* Sic vulgo dictitamus een Leitschkind pro civis Leidensis. Huic expositioni firmandæ est On. Nam דמשקאה i. Damascenus. Cæteri variant. Thargum Jon. דמשקאי Damasci: Jerosol. דרמשק Damasci. Hiero. & Lxx. Δαμασκὸς Ἐλιέζερ, *Damascus Eliezer.* Quod duobus modis exponitur. Uno modo sic, filius procuratoris mei, qui vocatur Damascus Eliezer. Addit Hiero. *Ab hoc ajunt Damascum & conditam & nuncupatam.* Alio modo exponitur, ut Eliezer sit nomen procuratoris Abræ & Damascus nomen filii ipsius. Glossa Nicolai, *Eliezer erat procurator domus Abræ, & Damascus filius ejus fuit, à quo etiam denominata est civitas Damasci.* Vis interponam judicium meum? Sic hoc voluisset Moses, dixisset potius בן אליעזר דמשק Damascus filius Eliezer. Gennadius, *Eliezer qui ex Masec Damascena ortus. Potest & de uno qui duobus nominibus appellaretur, intelligi Damascus & Eliezer. Forte etiam ex duobus integris unum effectum est, & unus tantum per ea significatur.* Hoc est oleum & operam perdere. Nam prius constare debet de veritate interpretationis. Quicquid adfertur falsæ enarrandæ, inanis labor est. Sic novi multos: [illegible] reprimam me.

3. *Et dixit Abram, En mihi non dedisti semen: & ecce filius domus meæ hæres mihi erit.*

En] הן en, ecce. Chaldaice הא. Latinum (*en*) ex Ebræo deductum videtur aspirata in tenuem versa. Lxx. ἐπειδή. [illegible] הן significat apud Chaldæos. Sic אם valet aliquando *cum.* Autores Latini (*si*) eodem significatu usurpant. ¶ *Semen*] σπέρμα i. prolem aut Sobolem. On. hic edidit ולד & Jon. בר i. natum filium. ¶ *Filius domus meæ*] בן ביתי filius domus meæ i. domesticus meus. Generalius est quam יליד ביתי natus domi meæ. Quomodo Lxx. ὁ οἰκογενής μου: & Hiero. *vernaculus meus:* & alius, *verna meus.* Videtur abesse משק ut sit בן משק ביתי procurator domus meæ. Certe Jon. interpretatur בר פרנסי ביתי filius dispensationis i. dispensator domus meæ: vel filius dispensatoris domus meæ. ¶ *Hæres mihi erit*] יורש אתי κληρονομήσει με i. hæres meus erit, ut recte Hiero. exponit. Verbum pro verbo, *hæreditat me* i. mox hæres erit. Solitum enim Ebræis participium præsens pro paulo post futuro usurpare.

4. *Et ecce verbum DOMINI ad ipsum, dicendo, non erit tibi hæres iste, sed qui egredietur ex visceribus tuis, is hæres tibi erit.*

Ecce verbum DOMINI ad ipsum] Lxx. Ἰδοὺ φωνὴ κυρίου ἐγένετο πρὸς αὐτόν. Hiero. *statim sermo DOMINI factus est ad eum*, φωνὴ κυρίου. i. קול יהוה vox DOMINI. Id aliud est, הנה ἰδού. Nam usurpatur in re subita & repentina, inopinata. Salustius, *Ecce autem ex improviso.* Varro, *ecce de improviso.* ¶ *Non erit tibi hæres*] non adibit sive cernet hæreditatem tuam. Id Græci uno verbo dicunt, οὐ κληρονομήσει. Sic mox הוא יירשך ipse cernet hæreditatem tuam. Nam hæredito, quod quidam hic usurpant, latinum non est. ¶ *Iste*] filius domus tuæ. ¶ *Qui egredietur è visceribus tuis*] vel, *qui exibit ex utero tuo* i. filius ex te natus. On. & Jon. *filius quem gignes.* Lxx. ὃς ἐξελεύσεται ἐκ σοῦ: qui egredietur ex te.

5. *Eduxitque eum foras, & dixit, Aspice nunc ad cœlum, & numera stellas, si potes numerare eos: dixitque ei, sic erit semen tuum.*

Eduxitque eum] utrum in visione, an aliter? Mercerus re ipsa eductum putat, ut cœli stellas eo liberius contemplaretur. ¶ *Foras*] extra tabernaculum. ¶ *Aspice ad cœlum*] השמימה positum pro אל השמים, ideo verti, *ad cœlum.* Ita Cicero dixit, *& simul ad Cn. Lentulum consulem adspexit.* Plautus quoque, *ad faciem eorum cum aspicies haud videntur mali.* Vetus interpres, *suspice cœlum:* non improbo. Lxx. ἀνάβλεψον εἰς τὸν οὐρανόν, quod reddunt, *respice in cœlum.* Sed ἀναβλέπω potius *suspicio* i. sursum aspicio. Cic. *& astra suspeximus.* Virg. *aut bucula cœlum suspiciens.* ¶ *Nunc*] נא nunc i. כען aut כדו ita On. & Jon. licet etiam vertere, *aspice quæso:* vel, aspice sane i. δή. ita Lxx. Quanquam interpretes omittunt. Est enim quandoque particula expletiva. In σῶσον δή reddunt *serva quæso* aut obse-

obsecro. ❡ *Numera stellas, si potes*] Stellas omnes numerare homini ἀδύνατον: non idem Deo, cui nihil ἀδύνατον. Qui non solum stellas numerat, sed etiam nomina singulis imponit. Hoc modo conciliabis locos qui pugnare videntur. Nam legimus Psal. 147.4. *Computat numerum stellarum:* & Job. 25. *An est numerus turmis ejus?* q.d. minime. Carent numero, quia nemo hominum eas omnes numeravit, aut numerare potuit. Nam quod Astrologi numerant stellas 1022. aut 1025, aut, ut R. David refert 1098. de iis intelligendum est, quæ ab hominibus videntur, cum sint innumerabiles, quæ sub aspectum non cadant. Quædam etiam singulares esse videntur, cum sint multæ, ut R. Abraham filius R. Hija observat. August. de Civit. Dei lib. 16. cap. 23. *Quanto quisque apertius intuetur, tanto plures videt. Unde & acerrime cernentibus, aliquas occultas esse merito existimatur, exceptis iis sideribus, quæ in alia parte orbis à nobis remotissima, oriri & occidere perhibentur. Postremo quicunque universum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse jactantur, sicut Aratus & Eudoxus, vel si qui alii sunt, eos libri hujus contemnit autoritas, eo quod dicit, numera stellas, si potes.* Inter eos qui stellas numerarunt, etiam Hipparchus fuit, de quo Plinius Hist. nat. lib. 2. cap. 26. *Idemque ausus, rem etiam Deo improbam, annumerare stellas.* Ut ut sit, docet hac comparatione Deus posteritatem Abrami fore innumerabilem. Ita passim, ut Gen. 22. 17. & 26. 4. & Deut. 1. 10. ❡ *Numerare*] Lxx. ἐξαριθμῆσαι, enumerare, vel dinumerare. ❡ *Semen tuum*] On. & Jon. *filii tui.* Hoc dicit, Ut stellarum cœli, sic posterorum tuorum numerus infinitus erit & ἀναρίθμητος.

6. *Credidit autem Abram* DOMINO, *qui reputavit id ei ad justitiam.*

Credidit DOMINO] האמין ביהוה sonat proprie *in* DOMINUM. On. & Jon. habent *in sermonem* DOMINI. Lxx. & Hiero. τῷ θεῷ: Deo: Quanquam in libris quibusdam latinis, DOMINO, non Deo. Patet hinc discrimen quod nonnulli ponunt inter *credere in Deum* & *credere Deo*, parum solidum esse. Jon. *habuit fidem verbo* DOMINI, *quæ ei reputata fuit pro justitia.* ❡ *Qui reputavit hoc ei*] ויחשבה לו *& imputavit,* videlicet Deus, *eam* fidem *illi* Abramo. Lxx. καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ Hiero. *& reputatum est illi.* Verbum personale reddunt per impersonale. Hoc recte: deinde omittunt pronomen *eam*, pro quo nos convertimus *id*. Nam fœminina pro neutris usurpantur. *Imputavit id*, quod credidit videlicet, i. eam fidem. Quidam, *imputavit sibi* Abram, quod Apostoli Pauli damnat autoritas. ❡ *Ad justitiam*] vel, *pro justitia.* Quod interpretes Chaldæi dicunt לזכו. Lxx. εἰς δικαιοσύνην. Hiero. *ad justitiam.* Ceterum in Ebræo est צדקה justitiam pro לצדקה ad justitiam. Addit Jon. de suo ולא אמר לקבה בכלין quod nondum bene intelligo. אמר דברים est emittere verba, loqui, ut cum dicunt הוו משיחין דברים כלפי כילה loquebantur contra excelsum. לקבה positum videtur pro לקבדה absorpto Daleth in Dagesch. In Lexico Munsteri קב accuso, impuro. Justitiam autem dicit quam autores Latini virtutem appellant: unde *viri justi* i. boni ac virtute prædîti. Sic alibi apud Salomonem, *Corôna decora senectus, in via justitiæ invenietur.*

7. *Dixitque ei, Ego* DOMINUS, *qui eduxi te Ure Chaldæorum, ut dem tibi terram hanc ad possidendum eam.*

Dixitque ei] amplius dixit ei, vel postea dixit ei. Promissioni de semine subjungit promissionem de terra Chanaan, quam posteris ipsius hæreditario jure possidendam dare decreverat. ❡ *Ego* DOMINUS] qui non mutor, qui non fallo, qui quod promitto facile præstare possum. ❡ *Ure Chaldæorum*] מאור כשדים *ex Ur Chaldæorum* i. Ure, sive ut On. *Ura Chaldæorum.* Jon. *ex fornace ignis Chaldæorum.* Tharg. Jerosol. *ex camino ignis eorum, ex Ur Chaldæorum.* Ur Chaldæorum alibi vocatur. οὐρὴ & καμαρίνη & πόλις χαλδαίων. Qua de re diximus alias. ❡ *Ut dem*] vel, *ut darem.* ❡ *Ad hæreditate possidendum eam*] Verbum ירש non tam possidere significat, quam hæreditate aliquid possidere. Proinde non nemo hic vertit, *ad possidendum eam hæreditario.* Nam possidere potius אחוז dicitur, unde אחוזה possessio. Lxx. κληρονομῆσαι לרשתה. On. & Jon. לירתותה. Nam Chaldæi ש Ebræorum cum Thau permutant.

8. *Et dixit,* DOMINE *DEUS, Quo cognoscam me hæreditate possessurum eam?*

9. *Et dixit ei, Sume mihi vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem & turturem & pullum columbæ.*

Et dixit] Abram. ❡ DOMINE *DEUS*] Ita Hiero. Legit ergo יֱהוִה Elohim, quod nunc legunt quidam *Jehovi*, nimis imperite, insciteque. Sic etiam legerunt interpretes Chaldæi On. & Jon. Græcum δέσποτα κύριε i. אדני יהוה, Latine quidam reddunt, *despota* DOMINE. ❡ *Quo cognoscam*] במה quo signo aut qua re. Hiero. *unde scire possum?* Lxx. κατὰ τί γνώσομαι. An legerunt Caph loco Beth? ❡ *Et dixit ei*] Deus. ❡ *Sume mihi*] λαβέ μοι. On. *applica coram me.* Jon. *sume mihi oblationes & applica coram me.* ❡ *Mihi*] cui ea in sacrificium offerre debes. ❡ *Vitulam triennem*] ita Hiero. Græci quoque δάμαλιν τριετίζουσαν. In fonte est עגלה משלשת quod magis denotare videtur *vitulam triplicatam* h. e. tres vitulos, ut interpretantur On. & R. Salomo. Priori sententiæ accedit Jon. referens *vitulam trium annorum.* Eandem Abenezra roborat per hæc verba, משלשת יש *sunt qui exponant tres capras. Mihi rectum videtur, ut exponamus capram trium annorum.* ❡ *Capram triennem*] vel, *trimam.* Pro capra quæ עז dicitur, Jon. hic habet ברחא caprum vel hircum. Dico hircum quia interpres Psalmorum hircos ברחין vocat. Munsterus quoque in Lex. suo Chald. exponit ברחא i. hircum. Sed hic caprum significare videtur. Sequitur in Jon. בר תלת שנין filius trium annorum i. trimus. Forte ברחא à fugiendo dictus, ut τράγος Græce dicitur à τρέχειν. Apud Sylvaticum, *graco, hircus.* Vide num legendum sit *braco* i. ברחא τράγος, tam caper quam hircus. Quæ cognata sunt adeo ut ipse Virgilius caprum pro hirco posuerit in illo, *Vir gregis ipse caper.* ❡ *Arietem triennem*] κριὸν τριετίζοντα. Jon. *capram trium annorum.* On. *arietes tres.* Arietem autem Chaldæi דִּכְרָא vocant, quia mas est ovium. Nam דִּכְרָא proprie mas sive masculus. ❡ *Turturem*] τρυγόνα. Turtur ex Ebræo dicitur. תר turtur, ut בר barbar, & inde barbarus. Chaldaice שַׁפְנִינָא. Qua voce Arabes quoque utuntur. Andreas Bellunensis *Safanim* apud Avicennam turtur. In Jerosol. est שפנינין. ❡ *Pullum columbæ*] vel, *pullum columbarum,* quod ita dicitur ut *pullus asinarum* i. unius alicujus asinæ. גוזל de aliarum avium pullis etiam dicitur: sed hic restringi debet, sensu ita postulante. Ergo On. בר יונה filius columbæ. Jon. quoque & Autor Jerosol. בר יון unde pluralis יונים in textu Ebraico. Nam à יון esset יונה. Hiero. post Lxx. qui περιστερὰν ediderunt, vertit columbam, i. יונה. Arias, *pipionem.*

10. *Sumpsit ergo sibi hæc omnia & dissecuit ea per medium, & posuit unumquodque segmentum ex adverso alterius: aves autem non dissecuit.*

Sumpsit sibi] est cur malim, *sumpsit ei*, nempe Deo, qui ei dixerat, *sume mihi.* לו ambiguum est ad utrumque. Sic vertendum putarim quod in edit. τῶν Lxx. ἔλαβε δὲ αὐτῷ: *accepit ei*, & non, *accepit sibi*, ut est in edit. Latina, quam Sixtus V. procuravit. Tres Chaldæi habent, *& admovit sive applicuit coram eo.* Sumsit ergo ei pro eo habendum ac si dixisset, ad sacrificandum ei. ❡ *Hæc omnia*] animalia quæ jussus erat sumere. ❡ *Dissecuit ea per medium*] more usitato in fœderibus. Vide Jerem. 34. 18. Hoc ritu significabant eum qui fœdus violaret dignum esse qui hoc modo dissecaretur. Transibant autem inter illa segmenta fœderati, ut ex citato loco Jeremiæ patet. ❡ *Dissecuit*] vel, *divisit:* quod Græci dicunt διεῖλεν. On. ופלג. Jon. & Autor Jerosol. ופסג quod affinitatem habet cum פסק scidit, dissecuit, quo Jon. usus est 1. Reg. 3. ubi גזר in Ebræo. ❡ *Ea*] vitulam, capram & arietem. ❡ *Per medium*] בתוך *in medio* i. per medium, ut recte Hiero. vertit. Jon. hoc dixit בפלגיא & Lxx. μέσα. *Divisit ea media* i. per medium. Ceteri non nihil recedunt à verbis Ebraicis. Nam On. בשוה i. æqualiter, & Auctor Jerosol. לפסגין in segmenta sive sectiones, quod Ebræi dicerent לבתרים. ❡ *Et posuit*] καὶ ἔθηκεν. ❡ *Unumquodque segmentum*] איש בתרו *virum segmenti sui.* Ebraismus est pro unumquodque segmentum quamlibet partem animalium dissectorum. Quidam enarrant, *dimidiatam cujusque partem.* Hiero. *Utrasque partes.* Santes, *singulas divisionis ejus partes.* On. *& posuit divisiones, divisionem* i. unamquamque *e regione alterius.* Jon. *segmentum unius è regione alterius.* Ceterum ut viri nomen hic de segmentis sive de partibus animantium dissectorum dicitur: ita quoque transfertur ad cortinas aliaque inanimata. Quod adeo notum ut exemplis mihi supersedendum esse putem. ❡ *Ex adverso alterius*] לקראת רעהו in occursum socii sui. Id On. explicat per לקבל coram aut ex adverso sive è regione. Jon. כל קבל. Autor Jerosol. לקרוביה ante socium suum. Trem. *è regione sui alterius.* Lxx. hoc totum membrum ita enarrant καὶ ἔθηκεν αὐτὰ ἀντιπρόσωπα ἀλλήλοις. Hiero. *& utrasque partes contra se altrinsecus posuit.* ❡ *Aves autem non dissecuit*] Quapropter? An quia talis mos erat sacrificiorum? Vide Levit. 1. 17. Alii alias causas adferunt, quas brevitatis causa omitto. Mos dissecandi animalia in fœderibus etiam profanis olim in usu fuit: ex quo illud, *& cæsa jungebant fœdera porca.* Mercerus annotat eos imprecari sibi solitos ut qui prior violasset fœdus non secus cæderetur ac perderetur, quam animal fœderi adhibitum cædebatur. Cui cognatum, quod Festus refert de iis, qui per Jovem lapidem jurabant: *Lapidem* inquit, *silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes, Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe atque bonis ejiciat,*

ejiciat, ut ego hunc lapidem. ¶ *Aves*] turturem & pullum columbæ.

11. *Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abram.*

Volucres] הָעַיִט sub Ain est (ּ) propter accentum, quem Tatha vocant. In uno tamen codice Veneto repperi (-). Quomodo scriptum hoc nomen, teste Mercero, in Bibliis M. Script. Reginæ. Utra Scriptura verior sit, mihi non liquet. Res non est tanti. עַיִט avis, volucris. Nomen est collectivum ut עוף· Observant proprie dici de avibus rapacibus. Radix עיט involo, ut 1 Sam. 25. Lxx. τὰ ὄρνεα. On. עופא. Autor Jerosol. עופא avis, quæ à volando sic appellata. Hiero. *volucres.* Jon. *descenderunt nationes idolis servientes, quæ similes sunt avibus immundis.* Constat inter omnes per has volucres Ægyptios innui, qui cultum & religionem Israëlitarum turbarunt annos aliquot. ¶ *Super cadavera*] Lxx. ἐπὶ τὰ σώματα: quod reddunt, super corpora, cum posset reddi *super cadavera.* Nam σῶμα cadaver, ut Luc. 17. 37. pro quo πτῶμα Matth. 24. 28. Corpus quoque pro cadavere ponitur in illo, *Vbi corpus, ibi aquilæ.* Adi lis ad vulgatam edit. Latinam locis modo allegatis. On. על פלגיא *super divisiones.* Sig. autem corpora divisa sive dissecta. Sunt qui פֶּגֶר cadaver à frangendo appellatum existimant, ut πτῶμα à cadendo. ¶ *Abigebat eas*] ita Hiero. post Aquilam qui prius ἀπεσόβησεν ediderat. Nam in Lxx. συνεκάθισεν αὐτοῖς: Sedit cum eis. וישב אתם Quis credat eos aliter legisse? Verior lectio quæ nunc in codicibus Ebræis וישב אתם: quam etiam Onkelos secutus est. Nam vertit ואפרח יתהון avolare faciebat eas. Proprie השיב est flatu abigere. Hem pene exciderat. על הפגרים versum reperi ἐπὶ τὰ σώματα. ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν. Videntur duæ interpretationes esse. Sed exemplaria variant. Nam in nonnullis καὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν, ut apud Hiero. in Quæst. sive Tradit. *super cadavera & super divisiones eorum.* Est etiam ubi reperiatur ἐπὶ τὰ σώματα τὰ διχοτομηθέντα: *super corpora quæ divisa erant.* Vide not. ad edit. Rom.

12. *Cumque Sol ad occasum vergeret, sopor cecidit super Abram & ecce terror obscuritas magna cadebat super eum.*

Cumque Sol ad occasum vergeret] verbum è verbo, *& erat Sol ad occidendum.* Nos diceremus, *sub occasum solis.* Jon. *& erat Sol prope ut occideret (propinquus ad occidendum)* Lxx. περὶ ἡλίου δυσμὰς: circa solis occasum. Autor Jerosol. *& erat Sol vergens ad occasum.* Alius, *sole inclinante.* Hiero. *Cumque Sol occumberet.* Lectio varians, *occubuisset,* quod minus probo. ¶ *Sopor*] κάρος. Hiero. Sym. ἔκστασις Lxx. *somnus.* On. *Somnus profundus* Jon. Jerosol. ¶ *Cecidit*] *irruit.* Hiero. ἐπέπεσε Lxx. *incidit.* alius. *invasit* Trem. ¶ *Et ecce*] quasi repente, & ex inopinato, improviso. ¶ *Terror*] occasus solis, terror & obscuritas innuunt res adversas, quas perpessi sunt Israëlitæ in Aegypto. ¶ *Obscuritas magna*] & obscuritas magna. ἀσύνδετον. Lxx. φόβος σκοτεινὸς, timor obscurus, aut, ut Hiero. *tenebrosus.* אימה חשכה. Mirum est Santem ita vertere. Trem. *terror & tenebræ magnæ.* Hæc omnia gesta puto in visione prophetica. Mercerus aliter opinatur, sit liberum cuique judicium suum.

13. *Dixitque Abramo, Sciendo scias peregrinum fore semen tuum in terra non sua, & servient eis, affligentque eos quadringentos annos.*

Sciendo scias] plane aut certo scias. ¶ *Peregrinum*] πάροικον. ¶ *Semen tuum*] Posteri tui. On. & Jon. ארי דיירין יהון בנך peregrinos fore filios tuos. Nam גֵּר peregrinus, advena, πάροικος. Thema גּוּר habito ut peregrinus. Aliquando simpliciter habitare significat i. κατοικεῖν. ¶ *In terra non sua*] in Chananæa & Aegypto. De Chananæa quæri potest quomodo eam vocet terram alienam, cum data esset Abrahamo & posteris ipsius. Et dicendum alienam fuisse tantisper dum in ejus possessionem posteri ipsius venissent. Antea erat terra septem gentium. ¶ *Non sua*] aliena, extera. ¶ *Serviet eis*] Lxx. δουλώσουσιν αὐτούς. Hiero. *subjicient eos servituti.* Santes quoque, *& servire facient eos.* Arias, *& servient eis.* Hæc interpretatio verior meo judicio. Nam עָבַד servio δουλεύω. Paulo post, *gentem cui servient:* ubi idem verbum in Ebræo. δουλόω potius הֶעֱבִיד dicitur. Non memini hoc significatu legere עָבַד Malim ergo καὶ δουλεύσουσιν αὐτοῖς. Sensus, posteri tui servient exteris, inter quos degent, & exteri affligent sive vexabunt eos. Thargum Onkeli ויפלחון בהון i. servitio eorum utentur. Sed On. exemplaria variant. Nam in alis וישעבדון בהון· Quomodo & Elias citat in Lexico suo Chaldaico. Fagius interpres, *ubi in servitutem redigentur.* Jon. וישעבדון בהון quod est verbum secundæ conju. magistris usitatum. Vide Thisbitein Eliæ Levitæ. ¶ *Affligentque eos*] κακώσουσιν αὐτούς. ¶ *Quadringentos annos*] non, *affligent eos 400. annos:* sed, *peregrinum erit semen tuum in terra non sua 400. annis.* Hos annos putant à nato Isahaco. Alibi est, 430. quos putant ab exitu è Chaldæa. Nam à quo Ure Chaldæorum egressus est Abram, usque ad tempus illud quo posteri ejus Aegyptum reliquerunt, anni sunt 430. In Aegypto autem peregrini fuerunt annis 210. quorum symbolum est רדו descendite. Siquidem Resch in numeris valet 200. Vau 6. & Daleth 4. Quæ simul efficiunt 210. Porro hunc versum ita distinguendum esse putarem; *peregrinum erit semen tuum in terra non sua, ubi servient eis & vexabunt eos, 400. annis.* R. Salo. *A tempore quo natus fuit Isahac, usque ad tempus illud quo egressi sunt ex Ægypto quadringenti anni sunt. Anno 60. Isahaci natus est Jacob: Jacob cum ingressus est Ægyptum agebat annum trigesimum supra centesimum. Ecce 190. anni. Porro in Ægypto fuerunt annos ducentos decem. Ecce quadringenti anni. Qui autem dicunt eos in Ægypto fuisse annis 400. falluntur. Nam ecce Caath ex eorum numero fuit, qui descenderunt in Ægyptum. Puta annos ejus cum annis vitæ Amram & Mosis, qui vixit cum ex Ægypto ascenderent, non invenies plures quam 350. Inde subtrahendi sunt anni quibus vixit Cahath post natum Amram, & quibus vixit Amram post natum Mosen.* Hucusque Rabbinus ille. Vide nunc, si placet, Mercerum & quæsita mea.

14. *Sed & gentem cui servient judico ego: & postea exibunt cum substantia magna.*

Sed & gentem cui servient] Ægyptios intelligit. Nam Chananæis non servierunt, sed tantum commorati sunt inter eos. ¶ *Et*] etiam, גַּם Chaldaice אַף sive ואף Non caret sua emphasi, ideo male omissum à Lxx. & Hiero. ¶ *Judico*] Punio i. puniam. Sed cur de futuro non per verbum fut. temp. locutus est? Nempe ad asseverandam rem, ut non futura, sed jam esse videatur, multoque plus ponderis habet ut dicamus *judico,* quam si diceremus, *judicabo.* Hujusmodi Enallage reperitur & apud autores latinos. Notum illud, *libertatem perdimus.* Quin. *Si tales milites omnes habebimus mari vicimus.* ¶ *Exibunt*] ex ea gente aut servitute, ex Ægypto. ¶ *Cum substantia magna*] cum facultatibus magnis. Ion. hunc versum ita reddit, *Et etiam populum cui servient judico ego ducentis quinquaginta plagis & postea egredientur liberi cum opibus multis.*

15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace; sepelieris in senectute bona.*

Ibis ad patres tuos] ἀπελεύσῃ πρὸς τοὺς πατέρας σου. תבוא etiam Hiero vertit, *ibis.* Sic *venio* pro *eo* usurpatur. Terent. *Nisi ego ad mercatum venio* i. eo. Contra ire pro venire ponitur. Idem Terentius, *ibam ad te.* Sic הלך & בוא vicissim permutantur. Hoc noto quia recentiores hic mutant vetustam interpretationem: *ingredieris ad patres tuos.* Malim, *venies ad patres tuos.* Et est periphrasis mortis. Uterque Chaldæus, *aggregaberis ad patres tuos.* Latini hoc sensu dicunt, *ad plures ire* i. ad mortuos qui numero plures sunt. Infra 25. 8. *aggregatus est ad populum suum.* ¶ *In pace*] vel, *cum pace.* Utrumque repertitur apud Græcos, videl. ἐν εἰρήνῃ & μετ᾽ εἰρήνης. Hoc antiqui libri habent, illud vulgati. ¶ *Sepelieris*] תקבר. Ion. *quiescit anima tua & sepelieris.* In Scholio Græco ταφεὶς ex quo forte Hiero. *sepultus.* Ceterum in vulgatis omnibus, τραφεὶς, enutritus. Sic etiam omnes vetusti codices. Unus complutensis, ταφεὶς habet. De qua lectione dubitare nos non sinit veritas Ebraica. Nam in fonte nulla omnino ambiguitas. ¶ *In senectute bona*] vel, *in canitie bona* i. ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ. Sic Aquila & Sym. infra 25. 8. Ebraice, שֵׂיבָה canities, cana senectus i. πολιὰ sive τὸ πόλιον. Idem nomen in illo, *Cani sparsi sunt in illo.* Lxx. ἐν γήρᾳ καλῷ. Hiero. *in senectute bona.* On. & Ion. בסיבו טבא quod reddunt, in senectute bona. Cave damnes. Nam שיבה de senectute ultima dicitur, ut זקנה de prima & media. Quidam שיבה in media senectute collocant. In ultima vero dicunt esse ישיש qui Græce dicitur ἐσχατόγηρως, latine, *silicernium.* ¶ *Bona*] eorum incommodorum ex parte quæ senectutem comitari solent: unde mala ætas dicitur. Sic dies mali quandoque senectutem circumloquuntur.

16. *Et ætas quarta redibit huc, quia non completa est iniquitas Amorræi hucusque.*

Ætas quarta redibit huc] In Ebræo est *redibunt.* Constructio sensu congrua. Nam *ætas quarta* i. homines ætatis illius. Alii, *ætate quarta redibunt huc* i. דּוֹר· Hiero. *Generatione autem quarta revertentur huc.* Lxx. quoque τετάρτῃ δὲ γενεᾷ. Ceteri priorem sententiam expresserunt, quam veram esse puto. Ion. *& ætas quarta filiorum tuorum.* Sunt autem ætates istæ ita computandæ, Levi, Caath, Amram, Aharon: vel potius Caath, Amram, Aharon, Eleazar. Nam Aharon non

non fuit ingressus terram promissam. Ceterum à Iuda quartus fuit Chaleb, qui una cum Josue Chananæam intravit. ❡ *Huc*] in terram hanc. Habitabat autem in Elone Mamre, qui locus erat regionis Chanaan. Mamre autem Amoræus erat: unde forte subjicit, *non completa est iniquitas Amorræi*, nempe populi quicum degis. ❡ *Non est completa iniquitas Amorræi*] improbitas Amorræorum nondum ad summum gradum pervenit. Hoc aliter dicunt, *non est completa mensura Amorræi*: Sic Matth. 24. 32. *Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum*. R. Salo. Amos 4. 4. ad locum, *Ite Bethelem*: *velut*, inquit, *si homo dicit filio nequam*, *Age*, *age*, *fac quod libet*, *donec compleatur mensura tua*. Moses Gerundensis Gen. 5. in fine, *Sed produxit eis annos donec compleretur mensura eorum*. ❡ *Iniquitas*] Lxx. αἱ ἁμαρτίαι: peccata. On. & Jon. חוֹבָא peccatum. ❡ *Amorræi*] gens Amoræorum una erat ex septem gentibus terræ Chanaan. Sed hic late sumi videtur, ut etiam reliquas comprehendat. Sic alibi, *terra Amorræorum* pro terra septem gentium, quæ & terra Chananæorum, ab una gente appellationem accipiens. Quo genere sermonis utuntur qui hodie Flandros vocant omnes Belgas, ut Galli, Itali, Hispani & alii.

17. *Sole autem occidente caligo fuit*, *& ecce clibanus fumans*, *& lampas ignis*, *quæ transibat inter segmenta illa.*

Sole occidente] ad occasum vergente, aut cum jam occidisset. בָּאָה ad verbum *eunte* i. occidente. Ire etiam Sol dicitur cum oritur. Quidam *ingrediente* nempe Oceanum. Nam in eo merge videtur. Et *eunte* i. ituro. Simile Jon. 1. 3. *invenit navem* בָּאָה *euntem* i. ituram. Eleganter ita mutant tempora. Lxx. ἐπεὶ δὲ ὁ ἥλιος ἐγένετο πρὸς δυσμαῖς: cum Sol ad occasum vergeret. Quod supra dixit לָבוֹא. Hiero. *Cum ergo occubuisset Sol*. Jon. *& erat Sol occidens*. ❡ *Caligo*] עֲלָטָה i. חֲשׁוֹךְ וְאַפֵלָה tenebræ & caligo. Ita exponunt Kimchi & Abenezra. Nec aliter Chaldæi. Hiero. edidit, *caligo tenebrosa*. Alius, *cæca nox*. Lxx. φλὸξ להבה. Sunt qui crepusculum hoc nomine significari tradunt. Hæc scripseram, & ecce inspecto textu Ebræo, repperi ibi בָּאָה cum accentu in penultima: quod arguit vertendum, sole occaso aut condito: aut Sol occiderat. Quanquam ei sententiæ adversatur scholion Abenezræ, *in principio priusquam occidisset*. Sic dico, בָּאָה δύνων occidens, participium est generis activi: בָּאָה occidit προδύνων sive penacutum verbum est præteriti temporis in Kal. ❡ *Clibanus fumans*] κλίβανος καπνιζόμενος. Lxx. Hiero. *furnus fumans*. Santes, Tremel. תנור κλίβανος, sive κρίβανος i. clibanus, qui testaceus est mobilis. Furnus qui כּוּר magistris, moveri non potest. Sic R. Salo & Moses Gerund. ❡ *Lampas ignis*] לַפִּיד אֵשׁ λαμπὰς πυρὸς i. fax, lampas, funale. לפיד Arabice לפיד: unde lampas, N in M versa. Tale est סבכא quod Arabes dicunt סנבוקא, unde Sambuca. Sic ab אבוב tibia, fistula, deductum Ambubaiarum nomen. Sic à מנפל est mamphula, panis Syriaci genus. ❡ *Quæ transibat*] Alii, *quibus transibat*, nempe Deus. Sed rectum puto *quæ transibat*, ut ad lampadem referatur, quæ Deum præsentem significabat. Sic dico, Deus in specie lampadis transibat per partes animantium dissectorum, more qui olim in fœderibus receptus erat, de quo supra diximus. ❡ *Inter segmenta illa*] Lxx. ἀνὰ μέσον τῶν διχοτομημάτων τούτων. Hiero. *inter divisiones illas*. Sic etiam On. & Jon.

18. *Die illo ferit DOMINUS cum Abram fœdus*, *dicendo*, *Semini tuo dedi terram hanc à flumine Ægypti usque ad flumen magnum*, *flumen Euphratis.*

Die illo] tunc temporis. ❡ *Ferit fœdus*] Lxx. διέθετο διαθήκην: quod minus bene vertunt, *disposuit testamentum*. Nam in lingua Hellenistarum διαθήκη est fœdus i. συνθήκη. Verti ergo debet *pactus est pactum*. Id Chaldæi dicunt גזר קים. ❡ *Ferit*] percussit, pepigit, iniit, pactus est. Dicunt etiam icere fœdus. ❡ *Dedi*] non dabo, sed dedi: quia & antea dederat, ut vidimus; & post ictum fœdus tam certus erat de illius possessione, quam si eam re ipsa possedisset. Fœdus autem juramento firmabatur: unde legimus passim jurasse DOMINUM se terram Chanaan Abramo & semini ejus daturum. ❡ *A flumine Ægypti*] quod Ægyptum à Palæstina disterminat. De hoc flumine variant interpretes. Jon. *à Nilo Ægypti*. Abenezra, *est Sihor i. Nilus*, *& non* נַחַל *i. rivus Ægypti*. Hanc sententiam probat Mercerus. Alii flumen intelligunt, qui infra Gazam urbem se in mare exonerat, ubi est oppidum Rhinocorura, quod nomen etiam fluvio tribuunt. Autor Catenæ, *Fluvius iste australem terræ partem indicans*, *Rhinocorura dicitur*, *inter Ægyptum & Palæstinam fluens*. Nicolaus, *Fluvius Ægypti*, *qui dividit terram Chanaan ab Ægypto*, *& vocatur Rhinocorura*: *& iste est terminus terræ promissionis à parte australi*. Non est omittendum, in exemplari quod penes me, Rinocorula scriptum esse. Ptolemæo ῥινοκόρουρα, Ægypti urbs, quam Strabo & Plinius Rhinocolura vocant, per L in penultima. Hæc Nigro Pharanura dicitur, teste Ortelio. ❡ *Flumen Euphratis*] ut *herba lapathi*: *urbs Roma*: ex elegantiis linguæ sanctæ. Hiero. *fluvium Euphratem*. Hic fluvius Ebraice & Chaldaice פְּרָת dicitur. Hodie Frath, teste Castaldo: aut, Apherath, ut Nicolaus annotat. Josepho dicitur Φορᾶ & apud Rufinum interpretem *Foras*. Ad quod exemplum obvia in antiquitate Sabbath, Sabba & Sabbas: Goliath, Golia & Golias. Quod autem R. Salo. notat ideo magnum dici quia vicinus erat terræ Israel, juxta proverbium, *Servus regis sicut rex*, *Adhære augusto & homines adorabunt te*, parum solidum mihi videtur. Nam erat Asiæ fluvius nobilissimus, nec alius in Syria major erat, quod sciam. Quid ergo mirum si κατ᾽ ἐξοχὴν magnus appellatur.

19. *Cenæum & Cenezæum & Cadmonæum.*

20. *Et Hetthæum & Pherezæum*, *& Raphaim.*

21. *Et Amoræum*, *& Chananæum*, *& Gergesæum*, *& Iebusæum.*

Cenæum] Hiero. *Cinæos* i. κιναίους. Quanquam in editione Græca τοὺς κιναίους. On. hic habet שַׁלְמָאֵי & Jon. שַׁלְמָאֵי. Fagius interpres Onkeli, *Schalmanæos*. Videtur legisse שַׁלְמָאֵי. Moneo autem in Ebræo esse הַקֵּינִי i. Cenæum vel Cenæos. Quod Græce rectius scriberetur τὸν κηναῖον. In Catena patrum, *Pro Cinæos & Raphaim*, *Chaldaica littera habet Salamæos & gigantes*. Sunt qui scribunt קיני fuisse unum ex undecim filiis Chanaan qui sub alio nomine memoretur Gen. 10. Quod ut non omnino certum est, ita temere negari non debet. Eusebius in locis, *Ceni*, *regio Philisthiim*. Cenæi mentio & Num. 24. 21. ubi On. שַׁלְמָאָה edidit i. Salmaah, & autor Jerosol. שַׁלְמָאֵי. Jon. vero habet *Iethro qui proselytus evaserat*. Sunt qui gentem Jethronis è Madianitis denotari putant: unde Cenæus vocatur Iud. 1. 16. Et posteri ejus Cenæi Jud. 4. & 1. Sam. 15. 6. Aliis Cenæus à Cain denominatus. Cain קַיִן ut Israel יִשְׂרְאֵלִי Israëlita, & ai in e, יַיִן vinum, יֵינִי vinum meum. Cui firmando est locus quem ex Numeris modo citavimus. 1. Paralip. 2. 55. *Hi sunt Cinæi*, *qui venerunt de Chammath patris Rechab*. ❡ *Cenezæum*] הַקְּנִזִּי τὸν κενεζαῖον. Singulari usus est etiam Ion. קְנִזָּאָה. Ceteri pluralem usurpant. Nam Lxx. τοὺς κενεζαίους: & Hiero. Cenezæos: & On. קְנִזָּאֵי. Hic populum denotat. Alibi aliter usurpatur, ut Num. 32. 12. ubi legimus, præter *Chaleb filium Iephonne Cenezæum*. Sic Iosuæ 14. Vide Masium ad hunc posteriorem locum. ❡ *Cadmonæum*] vel, Cadmonæos. Sic olim Hiero. legit. Sed & Lxx. κεδμωναίους. Cadmoni, Cedmoni; ut Malchisedec, Melchisedec. Thargum Ierosol. *omnes filios orientis*. Quippe קַדְמוֹנִי oriens. Idem קֶדֶם in lingua Ebræorum: unde *filii Cedem* i. orientes sive orientales, ut interpretatur Hiero. Ezec. 25. Eusebius de locis, *Cedem in Ezeciele Aquila & Sym. interpretantur orientem*. Abenezra censet Cedmonæos dictos esse ab uno ex filiis Chanaan, qui alio nomine supra memoratur. Novum, sane non est ut uni duo nomina tribuantur. Imo ut alia omnia vocabula, sic etiam nomina propria tempore mutantur. ❡ *Hetthæum*] הַחִתִּי. Hiero. *Hethæos* unico t. Lxx. τοὺς χετταίους. Gentile est à חֵת filio Chanaan, cujus memoria usurpatur Gen. 10. 15. ubi Hiero. Hethæum & Lxx. τὸν χετταῖον. Heth, Hethi, ut Israel, Israëli i. Israelius aut Israëlita. Ex hac gente creditur fuisse Urias maritus Bethsabe, quæ postea Davidi nupsit. Pluralis est חִתִּים & Chald. חִתָּאֵי i. Hetthæi, quos R. David negat esse ex septem gentibus terræ Chanaan Jud. 1. 26. ❡ *Pherezæum*] הַפְּרִזִּי littera Zai per Dages geminata. τοὺς φερεζαίους Lxx. Pherezæos. Hiero. פְּרִזָּאֵי On. & Ion. i. Pherizzæos. Unde dicti sint docet Andræas Masius in Iosuam, pag 275. Sonat grassatores aut agrestes ibidem. Vide quoque Mercerum Gen. 13. 7. ad locum, *Et Pherezæus erat in terra*. Hi proprie Sichem sedes habuisse perhibentur. ❡ *Raphaim*] in Lxx. ῥαφαεὶν pro ῥαφαεὶμ i. Raphaim. On. גִּבָּרַיָּא gigantes. Ion. גִּבָּרַיָּא Gebbaræos. R. Salo. *Terra Og gigantis vocatur terra Raphaim*. Eusebius in locis, *Raphaim*, *vallis Allophylorum ad septentrionalem plagam Ierusalem*. Eucherius pag. 71. *interfecerunt gigantes*, *h. e. Raphaim*, *robustos quosque Arabiæ*. Deut. 2. 20. *Raphaim in ea habitarunt*, *quos Ammonitæ Zomzommim appellant*. Rapha nomen gigantis est 2. Sam. 21. 19. Forte quondam alius fuit ejus nominis; à quo dicti sunt Raphaim. Quidam sic appellatos existimat, quod tanquam mortui sub terra in antris & cavernis habitarent. Glossæ Philonis, *Raphaim*, *gigantes*. ❡ *Amoræum*] vel, *Amorræos*. ❡ *Et Chananæum*] καὶ τοὺς χαναναίους i. כְּנַעֲנָאֵי וְיַת. Anguste hic sumitur pro Phœnicibus. Nam una eademque gens Chananæorum apud Ebræos & Phœnicum apud Græcos. Alibi late sumptum reliquas gentes terræ Chanaan comprehendit. ❡ *Et*

Gergesæum] καὶ τὲς γεργεσαίους : & Gergesæos. i. גִּרְגָּשִׁי. quod ita scriptum lectum in Ion. Nam On. habet גִּרְגָּשָׁאֵי Gergasæos. In fonte vero est הַגִּרְגָּשִׁי Gergasæum. De his alias. ¶ *Et Iebusæum*] καὶ τὲς Ἰεβουσαίους : וְיָת יְבוּסָאֵי.

GROTIUS.

1. PEr visionem] quod plus, quam per afflatum.

Et merces tua magna nimis] Mercedem facti egregii quam ex præda accipere noluisti, à me habebis.

2. *Filius procuratoris*] Lxx. משק [*Mesec*] hic pro nomine proprio ejus qui pater aut progenitor Eliezeris fuerit accepere. Nec aliter Julianus apud Cyrillum. Latinus Aquilam & Theodotionem sequi maluit.

3. *Heres meus erit*] Ex testamento, cum alium cariorem non habeam. Sic & apud Græcos vetustissimum fuisse testandi morem ostendimus ex Sophocle, Euripide, Homero ad finem capitis VI. libro II. de Iure belli ac pacis. Malum est orbitatis, heredem habere non suum.

5. *Eduxitque eum foras*] Spiritu agente, ut Matth. IV. 1. Luc. IV. 1.

Numera stellas si potes] Catullus: *Aut quam sidera multa cum tacet nox*: Ovidius: *quot cœlum stellas*.

9. *Vaccam triennem*] Non aliter Græci. At Chaldæus *tres vaccas*, parique modo vocem משלש in sequentibus interpretatur. Sequitur Rabbi Salomo. Et certe vox illa in significatione trimi non reperitur alibi, sed in significatione rei triplicis, ut Ezech. IV. 26. Ecclesiastæ XLVI. 6.

Et columbam] In Hebræo גוזל, id est pipionem. Hinc peristereon herba Pœnis *azirgozol*, apud Apuleium: חציר גוזל.

10. *Divisit ea*] Significatur hic disparatio posterum Abrahami in sedes diversas, Cananæam, Arabiam, Idumæam, Geratem, Ægyptum, Æthiopiam.

11. *Descenderuntque volucres*] Ægyptii rapaces.

Abigebat eas Abraham] Sufflando. Ita textus Hebræus quo utimur. Sic & Aquila ἀπεσόβησεν [*muscario abigere*]. At LXX. συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβραὰμ [*sedit apud eas Abraham*], facta derivatione à ישב, non à נשב. quod non improbandum, ut indicetur mora diutina Abrahami posterum in Ægypto. Auctores enim generis pro suo genere sumuntur.

12. *Sopor*] Ea est originaria hujus vocis significatio, à qua non abeunt Aquila qui καταφορὰν [*veternum*], Symmachus qui κάρον [*gravem soporem*] vertunt. At Lxx. ad simile deducto significatu ἔκστασιν [*mentis alienationem*] posuere, quibus consentit & Maimonides Ductore dubitantium II. 41. II. 45. Confer. Actor. X. 10. XI. 5. XXII. 17.

Et horror magnus & tenebrosus invasit eum] Significans postremam illam ac gravissimam posterum ipsius in Ægypto vexationem.

13. *Annis quadringentis*] Id est, usque annum ferme quadringentesimum ab hoc tempore.

16. *Generatione autem quarta*] nempe Amorrhæorum, quod ex sequentibus subintelligendum.

Necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum] Mensura judicii, ut Hebræi loquuntur. Ea ubi consummata est, mutantur regna.

17. *Clibanus fumans & lampas ignis transiens inter divisiones illas*] Significans ardentem Dei vindictam in Ægyptios jam indicatam supra 14. Accommodavit autem se Deus mori illorum temporum, cujus vestigia & serius mansere. Peleus enim occisa uxore Acasti, διελὼν τὰ μέλη διήγαγε τὸ στρατὸν [*membris in duas partes distributis exercitum traduxit medium*], ut ex veteri historia docet Apollodorus. Eumque morem Chaldæis fuisse notat Cyrillus decimo contra Iulianum. Vide talem pecudum dispartitionem 1 Sam. XI. & Ierem. XXXIV. 19. Zenobius: οἱ Μολοττοὶ ἐν ταῖς ὁρκωμοσίαις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τοὺς βόας τὰς σπονδὰς ἐποιοῦντο [*Molossi pacta jurata sanciebant bubus in fragmenta dissectis*] Livius lib. XXIX. *Caput media canis præcisa & prior pars ad dextram, posterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur.* Plutarchus quæstionibus Romanis: Βοιωτοῖς δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διελθεῖν [*Bœotis publicus expiandi mos est transire inter partes canis in duo sectis*]: nimirum à Phœnicibus hoc hauserant nati ab ipsis Bœoti.

18. *Dabo terram hanc*] Optimus acquirendi titulus donum à domino rerum omnium.

19. *Cinæos*] Qui aliter dicti Salmæi, teste hic Chaldæo. Salmas in Arabia tres ponit Ptolomæus. Salmani & Measæi Arabes apud Plinium libro V. cap. XXVI.

Cedmonæos] id est ad ortum positos, Hevæos scilicet, ut hic Chaldæus. Eorum sedes Hermon.

20. *Pherezæos*] Sic dicti qui non in oppidis, sed vicatim habitabant.

CARTWRIGHTUS.

1. IN *visione* בַּמַּחֲזֶה.] Chald. בנבואה *in prophetia*. Aben Ezra, במראות הנבואה *in visione prophetica*. Fagius notat prophetiam ex Hebræorum sententia esse, cum exhibitæ sunt visiones, per quas Deus rerum arcanarum suos conscios facit; Spiritum S. autem esse revelationem, quæ fit sine spectaculis, ut in Davide ac aliis, quos autores Hagiographorum faciunt.

שְׂכָרְךָ הַרְבֵּה מְאֹד *Merces tua copiosa valde.*] Mercerus ait egregium esse sensum, ut repetatur אנכי, i. e. *ego*: Hebræa tamen seorsim potius esse accipienda. Atque ita Lxx. ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται, *merces tua multa erit valde*.

2. אֲדֹנָי יֱהוִה *Domine Deus.*] Lxx. δέσποτα κύριε. Et sic ver. 8. videntur legisse יהוה non cum punctis τῶ אלהים, prout legi solet, quando conjungitur cum אדני, sed cum punctis ipsius אדני, ut alias solet legi. At vulg. *Domine Deus*. Nomen אדני *Adonai*, cum camets sub Nun (nisi forte ob accentum) non nisi Deo tribuitur. Deducitur ab אדן, quod *basin* significat. Inde אדון & אדני *Dominus*, quod *Dominus sit fidei suæ commissorum columen & basis*, inquit Waserus ad Psal. 110. 1. ubi notat etiam similiter Græcis *regem* dici βασιλέα, quasi βάσιν τοῦ λαοῦ, & Κύριος *Dominus*, derivari à κῦρος, voce non tam autoritatem & potestatem, quam firmamentum significante.

וּבֶן־מֶשֶׁק בֵּיתִי *Et dispensator domus meæ.*] Ad verb. *Et filius discursationis, vel procurationis domus meæ*. Chald. ובר פרנסא הדין די בביתי, i. e. (a) *Et filius gubernator iste, qui est in domo mea*. Sic Fagius vertit, & in Annotat. ait ad verbum esse, *filius gubernationis, seu cibationis iste, &c.* Nam פרנס & *gubernationem & cibationem* denotare. Malim, filius cibatoris seu gubernatoris hujus, qui est in domo mea. Nam פרנס non tam abstractum, quam concretum, quod vocant, significat. Vide Buxtorf. in Lexico Syro-Chaldaico. R. Salom. secutus Chaldæum exponit שכל ביתי נזון על פיו, i. e. *cujus mandato tota domus mea cibatur*. Aben Ezra deducit משק à שקק *discurrere*, atque ait vocem בן *filius*, esse repetendam, ut sensus sit, *Et iste filius discursationis domus meæ* (iste qui in domo mea huc illuc discurrit) est iste filius Damasci (i. e. iste Damascenus) Eliezer. Lxx. ὁ δὲ υἱὸς Μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου, *filius autem Masec vernaculæ meæ*. Quasi משק *Meshek* esset proprium nomen. Hieron. in Tradit. refert Aquilam transtulisse, ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου, *filius potum dantis domui meæ*. Theodotionem vero, ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, *filius ejus, qui super domum meam est*. Quod autem dicit (inquit Hieron.) hoc est, *Ego sine liberis morior, & filius procuratoris mei, vel villici, qui universa dispensat, & distribuit cibaria familiæ meæ, vocaturque Damascus Eliezer, hic meus hæres erit*. Porro Eliezer interpretatur *Deus meus adjutor*; ab hoc ajunt Damascum conditam, & nuncupatam. Hæc Hieron. R. David Kimchi (ut notat Fullerus Miscel. lib. 3. cap. 15.) deducit משק à שקק vel שוק *discurrere*; ut בן משק ביתי *sit filius discursus, vel stationis domus meæ*, h. e. *is, qui jugiter discurrens omnes domus meæ partes perlustrat*, ut cui totius familiæ cura & solicitudo incumbat; vel is, ad quam recurrit, aut continenter adit familiæ meæ quilibet, vita rationes ei redditurus, aut res ab eo necessarias petiturus, aut ex illius autoritate aliud quidvis facturus. Fagius in Collat. refert Josephum Kimchi deducere מֶשֶׁק à מָשַׁק *relinquere*, ut בן משק sit filius relictionis; q. d. בן שאעזוב כל אשר לי בידו, i. e. *filius in cujus manu relinquam omnia, quæ mihi sunt*. Mercerus ait Hebræos & hodie appellare procuratorem seu dispensatorem domus בן משק הבית, à שקק *discurrere*, quod huc illuc circumcurrat negotiorum caussa; ea forma qua מַסָּךְ à סָכַךְ formatur. Monet autem Hebræos istos, qui exponunt בן משק *filium relictionis*, à משק, quod in Sophonia *relinquere* putant significare, non (ut quidam recentiorum perperam existimant) intelligere eum, cui omnia sua inopia hæredis, relinquere cogeretur Abraham, sed eum in cujus manu omnia sua relinquit, cui omnia agenda permisit.

6. וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה *Et imputavit id ei in justitiam*] R. Salom. הקב״ה חשבה לאברהם לזכות ולצדקה על האמנה שהאמין בו, i. e. *Deus benedictus imputavit hoc Abrahamo in meritum & in justitiam, propter fidem, qua in eum credidit*.

7. *Qui eduxi te ex Ur Chaldæorum.*] Ab. Ezra ait hinc probari, illud Gen. 12. 1. Vade è terra tua, dictum fuisse Abrahamo, cum in Ur, non cum in Haran esset. Lxx. hic, ut supra, Ur

(a) Jonat. בר פרנסת ביתי *filius cibationis domus meæ*.

Ur χώραν, i.e. *regionem vertunt*. Manasses Concil. qu. 40. in Gen. ait verisimile esse, Ur Chaldæorum fuisse civitatem regionis Aram Naharaïm (seu Mesopotamiæ) cui nomen inditum à Chesed filio Nahor. Quamvis enim Chesed per id tempus nondum natus fuerat, Scripturam tamen per anticipationem jam à principio hoc nomen ei tribuere; quemadmodum Gen. 2. 14. Hiddekel dicitur labi ad Orientem Assyriam versus, quamvis Assyria tunc illo nomine haud nota esset. Vide ibid. plura. Vide etiam supra ad cap. 11. 28.

8. *Unde sciam, &c.*] Ramban (ut refert Mercerus) non vult signum ab Abrahamo postulari, quod hic signi nomen non exprimatur, sed tantum velle edoceri plene de hujus promissionis veritate, ut vere ac certo sciat se eam possessurum. Sed hoc eodem recidere videtur, ac si signum postularet; quod ipsum non semper incredulitatem arguere recte assent Mercerus, idque exemplo Gedeonis ac Ezechiæ astruit.

9. *Sume tibi juvencam* מְשֻׁלֶּשֶׁת *triennem.*] Sic exponit Aben Ezra, בת שלש שנים, i.e. *filiam trium annorum*. Refert autem alios existimare tres juvencas, & tres capras, &c. intelligi. Atque ita Chaldæus, & R. Salom. Mercerus ad annorum numerum mavult referri. Sic LXX δάμαλιν τριετίζουσαν, &c. *juvencam triennem, &c.* Et vulg. *vaccam triennem, &c.* Et sic etiam Jonathan interpretatur.

וְגוֹזָל *Et pullum columbæ.*] Sic Chald. ובר יונה, *& filium columbæ*. Similiter R. Salom. & Ab. Ezra, בן יונה. Notat etiam Aben Ezra, pecudes atque aves duntaxat hic memoratas pro sacrificiis offerri potuisse. Mercerus ait גוזל pullum avis cujuscunque significare; at cum ex avibus duæ tantum in sacrificium offerri jubeantur, turtur & columba, nisi in speciali quodam casu passer pro leproso; hinc disci גוזל hic esse *pullum columbæ*. Lxx. καὶ περιστεράν. Vulg. *columbam*. At גוזל non simpliciter columbam, sed pullum columbæ, sive alterius cujuspiam avis significat. Deut. 32. 11. pro pullo aquilæ usurpatur.

10. *Et divisit ea in medio.*] R. Sal. notat morem fuisse, ut qui fœdus feriebant, dividerent bestiam, atque inter partes ejus divisas transirent. Vide Jer. 34. 18.

11. וַיַּשֵּׁב אֹתָם *Et sufflaminabat eas*] *Flatu dissipabat, seu abigebat.* à נשב *flare, difflare*. Lxx. καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς, *& sedit cum eis*. Putarunt scil. ישב esse à ישב *sedere*, ac legerunt וַיֵּשֶׁב, Hieron. in Tradit. corrigit, & ex Hebræo vertit, *abigebat*. Sic Aquila, ἀπεσόβησεν. Theodoretus (teste Nobilio) ἐξήλαυνε, expellebat.

12. וְתַרְדֵּמָה *Et sopor cecidit, &c.*] In Hebræo (inquit Lyra) habetur extasis, quæ non proprie somnum significat, sed magis raptum. At etiamsi Græce, hic, ut alibi pro תרדמה sit ἔκστασις, vox tamen Hebræa somnum, eumque profundum denotat; ut notatum antea ad cap. 2. 21. Pro extasi (inquit Hieron. in Tradit.) Hebræo Thardema, id est, καταφορὰ legitur, quam supra vertimus in soporem.

Et ecce אֵימָה חֲשֵׁכָה גְדֹלָה *horror, tenebra magna, &c.*] רמז לצרות וחושך של גליות inquit R. Salom. i.e. *Innuit afflictiones ac tenebras exiliorum*. Videtur intelligere non solum de Ægyptiaca captivitate, verum etiam de aliis.

Et ecce horror, obscuritas magna cecidit super eum.] Jonathan & Hierosol. dicunt, Abrahamum vidisse quatuor imperia ipsius posteros subjugatura, nempe Babyloniorum, Medorum, Græcorum, & Persarum. Quare autem Medos ac Persas (quorum imperium conjunctum fuit) ita disterminant, nec ullam Romanorum mentionem faciant, haud intelligo.

13. *Quadringentis annis.*] R. Salom. ait à nativitate Isaaci usque ad egressum Israëlitarum ex Ægypto fuisse 400 annos, eosque sic computat. Isaac 60 annorum, cum natus est Jacob, Jacob autem 130 annorum, cum in Ægyptum descendit; hinc fiunt anni 190. In Ægypto autem ait eos fuisse 210 annis, juxta numerum literarum in verbo רדו, quo usus est Iacob Gen. 42. 2. ut prædixisse videatur Patriarcha (inquit Manasses Concil. qu. 41. in Gen.) spatium, quo in servitute Ægyptiaca posteri ejus futuri essent. Sed hoc admodum leve est, ac frivolum, ut ex isto verbo numerus annorum, quibus in Ægypto servierunt Israëlitæ, colligatur. Probat autem non inepte R. Salom. Israëlitas non potuisse 400 annis esse in Ægypto, cum *Cohath* ex iis fuerit, qui in Ægyptum descenderunt; Nam si omnes anni *Cohath*, atque *Amram*, & 80 anni Mosis numeraveris, non erunt nisi (*b*) 350. Ex iis autem necesse erit subtrahere annos istos, quos vixit *Cohath* postquam natus est *Amram*; item eos, quos vixit *Amram* ex quo natus est *Moses*. Aben Ezra ad Exod. 12. 40. ait 400 *annis* non referri ad וענו, *& affligent*, sed ad גר יהיה זרעך, i.e. *peregrinum erit semen tuum*. Sic Manasses (loco citato) ait *tres status* hic describi. 1. *peregrinationis*; Peregrinum erit semen tuum. 2. *servitii*, Et facient eos servire. 3. *afflictionis*, Et affligent eos. *Statum peregrinationis* ait incipere à Patriarchis, qui semper peregrinati sunt in terris alienis. Psal. 105. 13. Gen. 37. 1. *Servitium Israëlitas pertulisse in Ægypto* post mortem 12 Patriarcharum. Exod. 1. 9. *Statum* duræ *afflictionis* initium capere ab eo tempore, quo Pharaoh recens natos Hebræorum infantes flumine mergi jussit. His præmissis (inquit) facilis est solutio; quia à die, quo natus est Isaac, principium seminis Abrahami, ordiri debemus supputationem 400 annorum, quos Scriptura dicit, *Sciendo scies, quod peregrinum erit semen tuum, &c.* Mercerus etiam asserit à nato Isaac ad exitum ex Ægypto exacte annos 400 inveniri. At fateor me istud adhuc non invenire, nisi Israëlitas 210 annis in Ægypto fuisse (quod quomodo probari possit, non video) pro concesso sumatur. Exod. 12. 40. dicitur Israëlitas egressos esse ex Ægypto post 430 annos; Manasses ait addendos esse 30 annos ab eo tempore, quo in Canaan Abrahamo hoc vaticinium revelatum est, cum septuagesimum annum ageret. Quando autem Scriptura dicit Abrahamum septuagesimo quinto ætatis anno ex Haran egressum esse, ait Abrahamum jam in Canaan degentem, iterato Haran petiisse, ibique annis quinque moratum esse; hic autem de secundo exitu agi, nempe ubi Abraham dicitur 75 annorum fuisse cum ex Haran egressus est. At Abrahamum iterato Haran petiisse nullo (quod sciam) fundamento nititur. Probabilius igitur est quod Aben Ezra (ipso etiam Manasse referente) dicit, nempe 400 annos à nativitate Isaaci initium sumere; & 430 ab illo tempore, quo Abraham reliquit patriam suam, Ur Chaldæorum, quod accidit 30 annis ante natum Isaacum: ut nimirum patria sua septuagenarius excederet, deinde cum patre suo annis quinque in Haran moraretur; anno denique septuagesimo quinto inde in terram Canaan transiret. Quamvis autem Scriptura de revelatione Abrahamo facta postea loquatur, putat tamen antea factam, cum Abraham in Ur Chaldæorum esset; neque enim Scripturam semper ordinem temporis observare.

15. *Tu autem ibis ad patres tuos, &c.*] Hinc R. Salom. colligit Thare pœnitentiam egisse. Sed ratio est infirma. *Ex æquo* enim (ut dicit Hieron.) *boni & mali dicuntur ad patres suos venire, cum moriuntur.*

16. וְדוֹר רְבִיעִי יָשׁוּבוּ *Generatione autem quarta revertentur.*] Aben Ezra ait multos Interpretes in exponendo vocabulo דור esse perplexos; ipse autem putat significare spatium, quo quis in hac vita peregrinatur, quod aliquando longius, aliquando brevius est. Sic igitur se rem habuisse ait; Cohath peregrinatus est in Ægypto, & Amram, & Moses ac Aaron; ipsorum autem filii in terram Canaan redierunt. R. Salom. etiam ait tres generationes in Ægypto exulasse, quartam vero in terram Canaan rediisse. Jacobum siquidem in Ægyptum migrasse, atque ibi posteros ejus ad tertiam usque generationem remansisse, nempe Iudam, Pharez & Hezron; (*c*) Caleb autem Hezronis filium ex iis fuisse qui terram Canaan ingressi sunt. At de Caleb filio Iephunnæ res certa est, unde autem constet Caleb filium Ezron terram Canaan ingressum esse, nondum video.

Nondum enim completa est iniquitas Amorrhæorum.] Verba R. Salomonis sunt notatu digna; אין הקב״ה נפרע מאומה עד שתתמלא סאתו, i.e. *Deus benedictus non exercet vindictam in gentem, usquedum mensura ejus impleta fuerit*. Vide infra ad cap. 18. 20.

19. *Kinæos & Kenizæos, &c.*] R. Salom. notat decem gentes hic recenseri, Israëlitis autem non nisi septem fuisse datas. Addit tres illas, Kinæos, Kenizæos & Kadmonæos esse Edomæos, Moabitas & Ammonitas, eorumque terras Israëlitas progressu temporis esse possessuros; עתידים להיות ירושה לעתיד, atque huc applicat id quod legitur Isai. 11. 14. *Rephaim* autem interpretatur terram Og; opinor quia *Rephaim* gigantes, ex quorum numero fuit Og, solet significare. Aben Ezra ait Kinæos, Kenizæos & Kadmonæos fuisse ex filiis Canaan, ac binomines fuisse. LXX. undecim populos numerant; addunt enim καὶ τοὺς Εὑαίους, & Hevæos, quorum in Hebræo hic nulla mentio. Mercerus putat *Rephaim* hic peculiarem esse populum, nec (ut nonnulli existimant) eosdem cum Hevæis; quin & se minime dubitare ait, Cinæos & Cenezæos, & Cadmonæos à Iosua fuisse subactos, aut deinceps, etsi nusquam illorum fiat mentio, quia septem subactis isti subacti erant. Ex septem igitur nationibus, quarum terras alibi in Scriptura Israëlitæ dicuntur possedisse, ex Merceri sententia tantum sex hic sunt positæ; Nam Rephaim, Cinæos, Cenezæos & Cadmonæos, quatuor hasce gentes, ab illis septem diversas esse judicat.

(*b*) *Vide Exod. 6. 18. & 20.*

(*c*) *Ita etiam generationes hasce numerat Mercerus.*

C A P. XVI.

M U N S T E R U S.

3. A *Fine decem annorum*] *Tempus*, inquit Gerund. *est statutum pro muliere, ut, si manserit cum marito suo decem annis, & non pepererit, tenetur ille ad primam secundam ducere uxorem.* Idem dicit R. S. Quis autem statuerit hoc tempus, docet Aben Ezra per hæc verba; העתיקו קדמונינו שלא ישהא אדם עם אשתו יותר כעשר שנים אם לא ילדה: *Hinc*, inquit, *collegerunt prædecessores nostri, quod vir non moretur ultra decem annos cum uxore sua, si illa non pepererit ei prolem.* Est ergo traditio patrum. Et quando dicitur, *Si forte ædificer*, notandum quod apud Hebræos filius derivatur à verbo *ædificare*, quod sit veluti בנין i. *ædificium*; pater autem sit veluti יסוד, *fundamentum*, ut Aben Ezra exponit. Quod vero sequitur, *Vilipensa est domina ejus*, sciendum quod hic Zere ponitur loco Hirec & Dages; cum regulariter Kuph dagessari debuerit. Nam ponitur hic תקל in passiva voce.

11. *Ismael*] Hebraice, *Iismael*, quod interpretatur, *audiet Deus.* Fuit is *homo* פרא, diligens solitudines & inhians feris capiendis. Vocant autem hodie Hebræi in commentariis suis *Ismaelitas* eos quos nos *Saracenos* vocamus, qui scilicet sunt Aphri, Ægyptii, Arabes, &c.

12. *Homo sylvestris*] Exponunt hic quidam פרא pro חפשי, quod *liberum* significat; qui scilicet nemini subjici dignatur. Vel, ut Aben Ezra hunc locum intelligendum putat, erat Ismael inter homines quasi פרא *onager*; nolens quibuscunque etiam fratribus cedere, sed contra illos habitabat. Alii vero exponunt על pro עם *cum*; ut cum fratribus, filiis scilicet Keturæ, pacifice habitarit, licet manus ejus contra omnes alios fuerit.

13. *Vidi post videntem me*] Locus iste obscurus est, & varie à nostris & Hebræis exponitur. R. S. illum sic reddit, *Miror quod etiam hic in deserto vidi Dei nuncium, quæ assueta fui videre eum in domo Abraham.* Et secundum hanc interpretationem, *Post videntem me*, sic reddi debet, *Postquam ego vidi*, vel *sum videns.* D. K. aliam adfert expositionem, nempe hanc, *Nunquid hic vidi, postquam fui videns? hoc est, Cum loqueretur mecum, non cognovi illum esse angelum Dei; sed ut lapsus est subito ab oculis meis, jam cognovi quod fuit angelus Dei. Vidi igitur aliud postquam evanuit ab oculis meis quam cum loqueretur mecum.* Aben Ezra sic exponit, *An non hic vidi angelum Domini, postquam Deus vidit afflictionem meam?* Porro pro *viventis*, idem interpretatur, לאשר יחיה וי לשנה אחרת, *victuri, in anno altero*, sive *qui vivet in annum alterum.* Nam refertur חי ad fœtum, & ראי ad angelum.

F A G I U S.

5. J*Udicium mihi tecum est*] Sensus est, Habeo cujus causa tecum judicio contendam, te accusem, de te conquerar. Germanice, Ich hab mich ob dir zubeklagen.

7. *In via Hagra*] Hebraice vocatur locus iste *Schur*, ab eventu; quod scilicet Dominus ibi vidit Hagar & afflictionem ejus. שור enim Hebræis *videre* significat. *Hagar* vero Chaldaice, à nomine Hagar quæ illuc confugerat à conspectu dominæ suæ Saræ.

12. *Rebellis inter homines*] Variant hic exemplaria Chaldaica. Quædam enim habent, והוא יהי מרוד באנשא, i. *Et ipse erit onager inter homines.* Et ita legit Complutensis editio. Sunt tamen qui & מרוד *onagrum* significari volunt, citantes Job. 6. 5. ubi dicitur, *Num fremet onager super gramine?* &c. Ubi in Chaldæo habetur vox מרודא. Facile fieri potuit ut alterum pro altero poneretur, est enim magna affinitas inter מרוד & ערוד. Utrum legas, sensui nihil derogatur: Per utrunque enim significatur, Ismaelem fore hominem durum, sylvestrem, ferum, indomitum & martialem, non facile sese cuiquam subjicientem. Unde etiam quod additur, *Ipse indigebit omnibus*, &c. ad hunc modum quoque legi potest, *Ipse negocium facesset omnibus, atque etiam omnes alii homines ipsi facessent negotium*, &c. Hæc expendant hodie qui facile esse putant ut opprimatur Turca, qui ab Ismaele originem trahit.

Et in facie omnium fratrum suorum habitabit] Diversa horum verborum expositio est. Quidam ita intelligunt, quasi Ismael, utcunque homo agrestis, ferus ac bellicosus futurus sit, tamen cum fratribus suis, filiis scilicet Keturæ, pacifice sit victurus. Verum cum nihil hic sit in textu quod Ismaelis humanitatem morumque suavitatem commendet, mihi probatur eorum lectio qui sentiunt ista locutione significari, tantam Ismaelis feritatem ut eam etiam in quoslibet fratres suos sit declaraturus. Potest ergo schematismus על פני, *super faciem*, vel *in facie*, duplicem habere vim significandi; Vel ut adversitatem & contrarietatem denotet, q. d. *E regione*, seu *contra omnes fratres suos habitabit:* Tam potens erit, tamque populosum semen ejus, (sicut R. S. exponit hunc locum) ut nemo possit illi resistere. q. d. Er wird für allen seinen brüdern wol bleiben / Sie werden ihm müssen zusehen / aber nit wehren können. Vel ut præsentiam significet; hoc sensu; Præsentibus, videntibus ac viventibus adhuc omnibus fratribus suis quietem suam fortiter captabit. In ista significatione hanc locutionem quoque supra habes cap. 11.

13. *Etiam ego cœpi videre*] Sensus est, ut Hebræi exponunt, Non tantum Saræ dominæ meæ per angelos suos se conspiciendum præbuit Dominus, sed & mihi ancillæ, & id quidem in deserto. Sic fere habet Thargum Hierosolymitanum.

I D E M.

5. ותאמר שרי אל אברם חמסי עליך. *Et dixit Sarai ad Abram, Injuria mea super te est.*] Variatio est circa hæc חמסי עליך. Et quanquam verba nonnihil varient, tamen sententia eadem est. Hoc enim vult dicere Sarah, Injuria quæ mihi infertur super te est, i. tibi imputanda est, juste possum de te conqueri.

12. ועל פני כל אחיו ישכן *Et in facie omnium fratrum suorum habitabit.*] Quod ad redditionem verborum attinet, nulla fere est dissonantia, tantum in sensu reddendo apud Expositores est diversitas. Quidam sic hunc locum intelligunt; Quod Ismael, tametsi agrestis, ferus ac bellicosus homo futurus sit, qui omnibus facturus sit negotium, cum fratribus tamen suis, filiis scilicet Keturæ, pacem ipsum habiturum. Verum hic sensus mihi plane alienissimus videtur: nihil enim quod Ismaelis humanitatem morumque suavitatem commendet, hic tractatur: sed omnia nihil quam ejus feritatem ac crudelitatem ostendunt. Quare illorum sententia mihi magis probatur qui præsentem locum sic explicant, Tantam nempe fore Ismaelis feritatem, inhumanitatem ac crudelitatem, ut eam quoque in fratres suos quoslibet sit declaraturus. Omnis vis sita est in schemate Hebraico על פני, quod ad verbum sonat *super faciem*, vel *contra faciem*, vel *coram.* Gen. 11. idem schema Hebraice sic legitur, ומת הרן על פני תרח אביו, *Et mortuum est Haran super faciem Tarah patris sui.* Quo significatur Haran coram patre suo. h. e. vivente adhuc & vidente patre suo, mortuum fuisse. Hanc vim quoque habet, ועל פני כל אחיו ישכן.

13. ותקרא שם יהוה הדבר אליה אתה אל ראי כי אמרה הגם הלם ראיתי אחרי ראי, *Et illa vocavit nomen Domini loquentis cum ea, Tu Deus vides me: dixit enim, Nonne etiam hic vidi post videntem me?*] Variatio hic potissimum circa hæc est, הגם הלם ראיתי אחרי ראי, quæ ad verbum sic redduntur, *Nonne etiam hic vidi posteriora videntis me?* Primum ergo recensebo quam varie hunc locum exponant autores; dein & meam sententiam adjiciam. R. Salomo sic explicat quasi admirabunda dixerit Agar, Quis putasset, quod etiam hic in deserto vidissem Dei nuncium, puta angelum, quem in domo Abrahæ videre consueta sum? Et juxta hanc R. Salomonis sententiam, illud, אחרי ראי vertendum erit, *post videre meum*, i. postquam vidi, scilicet in ædibus Abrahami. Aben Ezra ita exponit, *Nonne etiam hic vidi angelum Dei, postquam Deus vidit afflictionem meam?* ipse enim est qui me semper videt. R. D. Kimhi aliam adfert expositionem, nempe hanc, *Numquid vidi postquam fui videns? h. e. cum loqueretur non cognovi illum esse angelum Dei, sed ut lapsus est subito ab oculis meis, jam cognovi quod sit angelus Dei. Vidi igitur aliud postquam evanuit ab oculis meis quam cum loqueretur mecum.* Alii ad hunc modum explicant, *Num etiam hic vidi post videntem me?* Interrogatio est, quæ responsionem negativam postulat, q. d. Vidine illum abeuntem qui me vidit, sive apparuit mihi? non vidi; unde cognovi esse angelum Domini: nam quamdiu colloquebatur mecum, videbam illum: mox ita disparuit ut videre non potuerim, quem abeuntem videre potuissem si homo fuisset. Vere igitur cognovi Dominum misisse mihi angelum suum qui me consolaretur. A subita disparitione collegit angelum esse Domini. Jam ut meam sententiam dicam, mihi certe Lat. Vulg. editio in hunc locum omnium maxime probatur, quæ sic habet, *Profecto hic vidi posteriora videntis*

dentis me. Nam omnino Hebræa hunc sensum habere videntur, quod Agar cum admiratione quadam, animum gratum præ se ferente, Deique beneficium agnoscente, laudibus quodammodo extulerit apparitionem illam Divinam sibi in deserto factam, quod minime speraverat. Unde & ab illo beneficio insperatoque eventu, Dominum Deum visionis appellat, quod scilicet omnia videat, maxime sanctos suos, eosque afflictos. Dicit autem, *Vidi posteriora videntis me*, eo quod ipsum Dominum, seu angelum ejus, similitudine humana viderat. Sic enim in Scripturis quibus aliqua forma aliquando Deus apparuit, *posteriora*, non faciem, *Dei vidisse* dicuntur, ut Exod. 33. dicebat Dominus ad Mosen, וראית את אחרי ופני לא יראו, *Et videbis posteriora mea: facies autem mea non videbuntur.*

VATABLUS.

1. H*Abebat autem, &c.* ולה וגו׳] Ad verbum, *& ei ancilla* erat *Ægyptia, & nomen ejus Hagar.*

2. *Conclusit me* עצרני] i. Vulvam meam, sive uterum meum, conclusit. q. d. Ecce nunc novi me sterilem esse ac infœcundam. ¶ *Filios suscipiam* אבנה] Ad verbum, *filiabor.* Vel, *ædificabor.* i. Forte ex ea filios mihi procreabis. Filius dicitur Hebræis בן *ben* à בנה *ædificavit*, quod filii sint veluti ædificium aut ædificatio patris ac matris; sive quod sint generis futuræ, & familiam ædificent.

4. *Despectui fuit, &c.* ותקל וגו׳] *& viluit hera ipsius in oculis ejus.* Hebraismus, habuit contemptui Sarai heram suam.

5. *Injuria mea super te:* חמסי עליך] Hebraismus, Injuria quæ mihi infertur, tibi jure imputari debet. q. d. Juste possum de te conqueri. Subjungit rationem. ¶ *Despectui, &c.* ואקל וגו׳] *vilis sum coram ea.* i. Me sprevit. ¶ *Judicet, &c.* ישפט וגו׳] i. Dominus judicet de mea causa, & de tua. q. d. Non deberes id ferre.

6. *Cui respondit Abram*, ויאמר אברם וגו׳] Ad verbum, *Et dixit Abram ad Sarai.* ¶ *In manu tua,* בידך] i. Est adhuc in tua potestate. ¶ *Quod bonum est in oculis tuis* הטוב בעיניך] Hebraica phrasis, pro, *quod tibi bonum videbitur.* i. Utere ea ut lubet.

8. *Undenam venis?* אי מזה באת] Ad verbum, *Ubi unde venis?* ubi est locus unde venis? ¶ *A facie Sarai* מפני שרי] *A conspectu Sarai.* i. propter Saram.

10. *Et adjecit* ויאמר לה] Ad verbum, *Et dixit ei.*

11. *Adjecit quoque* ויאמר לה] Ad verbum, *Et dixit ei.* ¶ *Ecce prægnans es,* הנך הרה] *Tu quidem es prægnans. Tu sane gestas uterum.* ¶ *Afflictionem tuam.* אל עניך] i. Preces quas fudisti in afflictione tua exaudiunt.

12. *Ferus homo:* פרא אדם] Ad verbum, *onager homo.* Vel, *onager hominum.* i. Inter homines erit veluti asinus sylvestris: h. e. Erit homo ferus & agrestis. Declarat Angelus qualis sit futurus Ismael, nempe fore hominem bellicosum & hostibus formidabilem, ut eum nemo impune lacessat. Hujus expositio mox sequitur, quum dicit, *Manus ejus*, &c. ¶ *Et coram, &c.* ועל פני וגו׳] *Et in conspectu omnium fratrum suorum figet tabernacula sua.* Quidam intelligunt, posteris Ismaelis fixam habitationem fore coram fratribus invitis: acsi diceret, violenter occupaturos terram quam inhabitent, licet obstare conentur fratres. Alii contrariam sententiam afferunt, Ismaelitis in magna hostium copia non defore tamen amicos & fratres. At potius significat Angelus, populum hunc à reliquis separatum fore: acsi diceret, Non erit pars vel membrum unius gentis, sed totum corpus efficiet, ut habeat distinctum & speciale nomen.

13. *Vocavitque* Hagar *nomen Jehovæ,* ויקרא שם יהוה] *Invocavitque nomen Jehovæ.* Chaldæus paraph. *Oravit in nomine Jehovæ loquentis ad eam.* ¶ *Videns me:* ראי] *Visionis.* Quidam non recte exponunt, *Deum visionis* vocari quod appareat ac se patefaciat hominibus. Docti inter Hebræos exponunt, *quem pii homines aliquando vident.* LXX. *qui piis hominibus apparere soles.* Chaldæus paraph. *Qui vides ac cernis omnia.* i. e. Qui te ostendere soles iis quorum curam habes & geris. Agar antea fero & indocili ingenio prædita, Dei providentiam nunc agnoscere incipit; quum prius sibi visa esset fortuito raptari per desertum, nunc sentit ac fatetur Divinitus gubernari res humanas. Qui ita sentiunt, agnoscunt *Deum visionis*, sive *respicientem nos.* ¶ *Nonne etiam, &c.* הגם וגו׳] Variæ sunt hujus loci expositiones. Alii sic exponunt. *Nunquid vidi*, aut *prosecuta sum, illum abeuntem qui apparuit mihi?* Quemadmodum solemus prosequi homines abeuntes à nobis, quandiu scilicet potest ferre visio oculorum. q. d. *Non.* Hæc enim interrogatio exigit responsionem negativam. Quia plane cito disparuit, homo vero non tam cito disparet, à subita disparitione collegit ipsa Angelum esse Domini qui sibi disparuit ut ipsam consolaretur. Alii vertunt, *An ego vidi post visionem meam?* h. e. adeo tarde ut videndo cæcutirem? Secundum eos duplex fuit visio Hagar: prior erronea, quum in Angelo nihil cœleste apprehenderet: altera autem vera, postquam tacta est Divinitatis sensu. In secundo etiam membro dissentiunt interpretes. Vetus vertit, *Posteriora videntis me.* Quod multi ad obscuram visionem referunt, ut sit metaphorica locutio. Quemadmodum enim non perspicue agnoscimus homines à tergo, ita dicuntur *videre tergum Dei*, quibus non palam neque ad liquidum se manifestat. Atque hæc opinio communiter recepta est. Alii diversa figura Mosen usum existimant. *Dorsum* enim *Dei* pro sensu iræ ejus accipiunt: sicuti *lucere* nobis dicitur *ejus facies* dum se propitium ac faventem ostendit. Ita secundum eos sensus est, Putavi me elapsam esse ne amplius Dei ferulis vel castigationi obnoxia essem, sed hic quoque mihi infensum esse sentio. Alii dicunt neminem horum interpretum Mosis mentem assecutum esse; scribuntque Hagar seipsam objurgare, quod quum prius nimis cœcutivisset, nunc quoque in deserto nimis tarde & segniter oculos ad Deum cernendum aperuerit. Sæpius (inquiunt) multis documentis experta erat se respici à Domino in domo Abræ, cœcutiens tamen contempserat ejus providentiam, acsi clausis oculis illum sibi coram oblatum præteriret: nunc se accusat quod non citius experrecta sit simul atque apparuit Angelus; acsi dicat, Antehac Deum non quæsivi, nec ad eum respexi nisi coacta: quum prior suo me intuitu dignatus esset; nunc etiam in deserto, ubi malis afflicta saltem expergefieri debueram, meo more obstupui, neque in cœlum unquam sustulissem oculos nisi prius fuissem à Domino respecta. Hæc sane expositio verior esse videtur.

14. *Vocavit,* קרא] Subaudi, is qui ei nomen indidit. Satis tritum est Hebræis, verbum sic indefinitè accipi. Quo tamen sensus clarior sit, quidam in passivum resolvunt, *vocatus est.* Attamen hæc vulgaris appellatio ab Hagar profecta fuisse videtur, quæ una simplici confessione non contenta, testatam in futurum tempus esse voluerit Dei gratiam: ideoque ejus testimonium quasi per manus tradiderit. ¶ *Viventis videntis me:* לחי ראי] His verbis testatur Hagar se à Deo vivo, vel authore vitæ, respectam esse.

16. *Octoginta sex annorum, &c.* בן שמנים וגו׳] Ad verbum, *filius erat octoginta annorum & sex annorum quando peperit Hagar Ismaelem ipsi Abram.*

CLARIUS.

2. S*I forte ex ea suscipiam*] In Hebræo est, *si forte ædificer ex ea:* qui locutionis modus pluribus Scripturæ locis invenitur, ubi *ædificare* significat *augere*, vel liberis, vel facultatibus: ut illud Ruth. 4. *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Israel.*

3. *Post annos decem*] Ferunt tempus fuisse statutum pro muliere, ut si mansisset cum marito suo decem annis, & non peperisset, teneretur ille aliam ducere uxorem.

5. *Inique agis contra me*] In Hebræo est, *Injuria mea super te est.*

11. *Ismahel*] Significat, *Audiet Deus.* Is fuit homo diligens solitudines, & inhians feris capiendis. Vocant autem hodie Hebræi in commentariis suis *Ismahelitas* eos quos nos *Saracenos* vocamus, qui scilicet sunt Aphri, Ægyptii, Arabes, &c.

12. *Ferus homo*] Vel, *homo sylvestris.* Exponunt alii pro *libero*, & qui nemini subjici dignetur.

13. *Vidi posteriora videntis me*] Heb. *Vidi post videntem me.* At hic locus obscurus est, & varie a nostris Hebræis exponitur. Alii dicunt, *Vidi post me videntem*, h. e. mei curam habentem Deum. Alii sic, *Miror, quod etiam hic in deserto vidi Dei nuncium, quem consueveram videre eum in domo Abram:* & secundum hanc interpretationem illud, *post videntem me*, sic reddi debet, *postquam ego vidi*, vel *sum videns.* Alius hoc modo, *Nunquid hic vidi postquam fui videns?* h. e. Cum loqueretur mecum non cognovi illum esse angelum Dei; sed ut lapsus est subito ab oculis meis, jam cognovi fuisse illum angelum Dei. Vidi igitur aliud postquam evanuit ab oculis meis quam cum loqueretur mecum. Alius sic, *An non hic vidi angelum Domini, postquam Deus vidit afflictionem meam?* Potest etiam esse is loquendi modus qui habetur Exod. 33. *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Atque hoc est quod Paulus ait, *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Et eodem Exodi loco, *Non videbit me homo, & vivet.*

14. *Puteum viventis vidente me*] h. e. Puteum angeli quem ego vidi. Atque is est sensus rectior quam quod alii verterunt,

Vivent-

Viventis videntis me. Pulchre autem appellat Angelum *viventem*, præſertim cum Deum referat, cui proprium eſt Vivere, ſicut & eſſe. Nam utrunque ei proprie attribuitur : ut illud, *Ego ſum qui ſum*; & Paulus, *Qui ſolus habet immortalitatem.*

D R U S I U S.

7. שור Lxx. Σοὺρ] Schol. τεῖχος, ἢ ἰθυσμός, *murus*, aut *directio*. שור quando appellativum eſt *murum* ſignificat, non ἰθυσμόν. Hic eſt nomen loci. Hieronymus ait viam iſtam per deſertum ducere ad Ægyptum. Abenmelechus, autor eundem locum *Barad* ſive *Bared* infra dici. Certe utrumque Onkelos interpretatur חגרא *Hagra*, in terra Philiſthæorum.

N O T Æ   M A J O R E S.

1. *Porro Sarai uxor Abra non pariebat ei, habebatque ancillam Ægyptiam nomine Hagar.*

Non pariebat ei] nondum pepererat ei : erat enim ſterilis. Aut verte, *Cumque Sarai uxor Abra nondum peperiſſet ei & haberet ancillam &c.* ¶ *Ei*] Abrahamo videl. Malè Hiero. *non genuerat ſibi liberos.* Nam non eſt לָהּ in fonte, ſed לו Pronomen Maſculinum. Proinde Lxx. melius, οὐκ ἔτικτεν αὐτῷ. ¶ *Habebatque ancillam Ægyptiam*] ולה שפחה מצרית erat ei ancilla Ægyptia. Quod Græci dicunt ἦν δὲ αὐτῇ παιδίσκη Αἰγυπτία : Chaldæi ולה אמתא מצריתא. ¶ *Nomine Hagar*] ושמה הגר & nomen ejus Hagar. Lxx. ᾗ ὄνομα Ἄγαρ : cui nomen Hagar. Ἄγαρ initio aſpirari debet. Quanquam in vetuſtis codicibus Agar. Similiter peccatum à librariis in Abel & aliis ſexcentis. Antea monui, Quæ ab Aleph incipiunt exiliter ſcribenda eſſe, contra quæ ab He incipiunt aſpirari debere. Nihil certius. Vocatur ab Ebræis ancilla מלוג i. mundi muliebris eo quod de peculio Saræ eſſet quam Abramo vendere non licebat. Quod Hiſcuni annotavit. Nomen accepit non à mercede, quæ אגר dicitur : ſed à verbo גר quod advenam eſſe καὶ παροικεῖν ſignificat. Clemens in primo Strom. *Interpretatur Philo Hagar incolatum* i. παροικίαν. Hiero. in nom. ex Epiſt. ad Galat. *Hagar interpretatur παροικία i. incolatus ſive peregrinatio.* Ab hac Hagareni appellati, quos David rex הגרים vocat Pſal. 83. 7. Priſci Arabes eos appellitant אל מהגרין El majerin : unde μαγαρίζειν, apud Cedrenum eſt μαομετίζειν : & μαγαρισμός, Mahometiſmus i. μαομετισμός.

2. *Dixitque Sarai Abramo, Ecce nunc concluſit me D O M I N U S ne parerem, ingredere quæſo ad ancillam meam, forte ſuſcipiam prolem ex ea : & auſcultavit Abram voci Sarai.*

Ecce nunc] נא nunc, ſane. Aut eſt expletiva particula, ut δὴ apud Græcos. Quod ſenſiſſe videntur Græci & Hiero. Itaque omiſerunt eam. ¶ *Concluſit me*] i. uterum meum aut vulvam meam. Vide infra 20. 18. On. & Jon. *prohibuit me DOMINUS ne parerem.* Lxx. συνέκλεισέ με τοῦ μὴ τίκτειν. ¶ *Ingredere ad ancillam meam*] congredere cum ea, aut commeato ad eam. Sic honeſte coitum circumloquuntur. Eadem modeſtia potius cum muliere fuiſſe quam concubuiſſe dicunt Latini. Plautus, *Ea nocte mecum hoſpitis juſſu fuit.* Sic *frequentare meretricem*, &, *itat ad eam frequentius.* Dicimus & convenire, pro liberis operam dare. Arnobius lib. VII. *Amant ſuos fœtus & gignendis conveniunt liberis.* Hinc ביאה conventus ſive conventio i. concubitus : unde illud, *ex conventu Iovis inſeminati & ſati ſunt.* Notabis hac locutione non ſemper συνουσίαν denotari, ut Jud. 4. 22. *qui cum ingreſſus eſſet ad eam* : ubi ſimpliciter in domum introire ſignificat. *Ad eam* ergo i. ad domum ejus. Quale eſt, *Ivit ad Pompejum*, pro ad domum Pompeji. Vide Auguſt. Quæſt. lib. 7. Quæſt. 28. ¶ *Quæſo*] Alii, nunc. Lxx. οὖν igitur. In Hiero. & Jon. deſideratur. ¶ *Forte*] אולי fortaſſis. Chaldaice מאים quod compoſitum videtur ex מה & אם quid ſi? & eſt dubitantis. Hiero. *ſi forte.* Lxx. ἵνα i. למען. ¶ *Suſcipiam prolem ex ea*] Lxx. τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς i. interprete Hiero. *ut habeam filios ex ea.* Lectio varians, ἵνα τεκνοποιήσῃς ἐξ αὐτῆς : ut liberos ſuſcipias ex ea. Ebraice אבנה quod verbum è verbo ſonat, *ædificabor ex ea.* Nam liberi quaſi ædificium parentum. Plautus Moſtella, *Nunc etiam volo dicere ut vos homines ædium eſſe ſimiles arbitremini. Primum dum parentes fabri liberum ſunt & fundamentum liberorum ſubſtruunt &c.* Eſt ergo tralatio ab ædificiis. Alii verbum eſſe dicunt à nomine בן filium ſignificante deductum, quaſi tu dicas, *filiabor ex ea* i. liberos gignam, prolem generabo, liberos ſuſcipiam aut procreabo : quod Græci dicunt τεκνοποιεῖν, & paſſivam vocem pro activa uſurpando, τεκνοποιοῦμαι. ¶ *Auſcultavit voci*] Alii, *audivit vocem.* Verbum שמע utrumque ſig. Hic potius deſignat auſcultare, h. e. auditis parere. Auguſtinus hoc ſenſu dixit, *obaudire vocem.* Nam obaudire veteribus idem quod obedire. Hiero. *acquievit deprecanti.* Lxx. ὑπήκουσε τῆς φωνῆς Σάρας : quod reddunt, *obedivit voci Saræ.* Onkelos & Jonathan, *accepit ſive admiſit ſermonem Sarai.* קביל למימר שרי.

3. *Et accepit Sarai uxor Abram Hagar Ægyptiam ancillam ſuam poſt decem annos quam habitaſſet Abram in terra Chanaan : deditque illam Abram viro ſuo, ut eſſet ei uxor.*

Accepit Sarai &c.] ut Gen. 11. 31. *Accepit Thare Abram filium ſuum &c.* Aliter accipitur in illo, *Accepitque Abram uxorem.* Gen. 11. 29. Sic דבר in lingua Chaldæorum. ¶ *Poſt decem annos*] מקץ עשר שנים à fine decem annorum i. exactis decem annis, ac ſi diceret, poſtquam decennium integrum in Chananæa habitaſſet, aut annis decem poſtquam ejus regionis incola eſſe cœpiſſet : videlicet anno ætatis octogeſimo quinto. Nam in Chananæam venit eodem anno quo Caras reliquerat, qui erat 75. ætatis ipſius. ¶ *Ut eſſet ei uxor*] videtur abeſſe להיות, aut aliquid tale. Aut ἐλλειπτικῶς *i. dedit eam viro ſuo uxorem.* Ita Lxx. & Hiero. לאשה *in uxorem* i. uxorem aut uxoris loco. Sed uxor erat revera. Quanquam abſque ſcripto & ceremoniis legitimis ducta : unde filii ejus hæreditatem paternam non adibant. Ideo etiam concubina dicitur.

4. *Itaque ingreſſus eſt ad Hagar, quæ concepit, cumque videret ſe concepiſſe, eviluit domina ejus in oculis ipſius.*

Ingreſſus eſt ad Hagar] vel, *ivit ad Hagar.* Dicunt etiam *accedere ad mulierem* eodem ſenſu. Notum apophtegma illud, *Lacana quædam interrogata an ad virum acceſſiſſet, Minime, inquit, ſed vir ad me.* ¶ *Concepit*] prægnans ſive gravida fuit, συνέλαβε. Mox idem verbum reddunt ἐν γαστρὶ ἔχειν: uterum ferre. ¶ *Eviluit*] תקל anomalon eſt pro תקל : & *eviluit* i. ἐφαυλίσθη. Uſus eſt hoc verbo Suetonius in Claudio cap. 15. *propter quæ uſque eo eviluit, ut paſſim ac propalam contemptui eſſet.* קל non ſolum levis, ſed etiam vilis. Id Chaldæorum interpretum unus expreſſit verbo זל pro vili habitus fuit. Lxx. ἠτιμάσθη, deſpicatui fuit. Hiero. *deſpexit Dominam ſuam.* Nihil à ſenſu aberrat. Siquidem *vilis fuit in oculis ejus*, idem cum illo contempſit ſive deſpexit eam. ¶ *Domina*] hera, ἡ κυρία. Ebraice גבִרתּה. Chaldaice רבונתא cujus maſculinum רבון dominus, unde Rabboni obvium in evangelio : quod Caninius tantum de Deo dici cenſuit. Male.

5. *Dixitque Sarai Abrahamo, Injuria mea ſuper te, ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ quum vidit ſe concepiſſe evilui in oculis ipſius : judicet D O M I N U S inter te & inter me.*

Injuria mea] quæ mihi fit. Aliter Pſal. 7. 17. *injuria ejus*, quam ipſe facit. Ebraice חמסי quod alii reddunt *iniquitas mea*: alii, *violentia mea.* Lxx. ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ. Hiero. *inique agis contra me.* On. *judicium mihi tecum (contra te).* Jon. *omnis injuria mea à te.* Alias, *omnis vexatio mea.* Chaldaice עולבני. Quo vocabulo uſus & autor Jeroſol. *Cauſa mea & injuria mea tradita ſunt in manu tua.* Gallica editio, *Contrage qu'on me fait.* i. vis quæ mihi infertur. Santes, *punitio mea.* ¶ *Super te*] q. d. tu debes eam vindicare. Sic alibi, *Bonum meum haud ſuper te.* Senſus eſt, tu non teneris mihi benefacere, nullo meo beneficio erga te mihi devinctus es. Sunt qui referant, *in te recidat.* Quale illud, *injuria ejus ſuper verticem ejus deſcendat.* Mercerus explicat, *ſuper te i. tibi incumbit & accepta ferenda eſt, tu in culpa es qui eam tolerare & defendere videaris, cum ad tantam petulantiam taces & diſſimulas.* Quid ſi legamus, *propter te*? q. d. hæc injuria mihi propter te fit, tu in cauſa es quod ita me contemnat ancilla mea. Lxx. ἐκ σοῦ i. מעליך à te. ¶ *Dedi ancillam meam in ſinum tuum*] Quidam, *poſui ac me in ſinum tuum.* Sed *dandi* verbo uſi ſunt antiqui. Jon. addidit, *ad cubandum in ſinu tuo.* Quod pro eo habendum ac ſi diceret, dedi eam tibi uxorem. Sic enim certe autor Jeroſol. retulit : Notum illud, *ab ea quæ cubat in ſinu cuſtodi fores oris tui.* Sic alibi, *ego dedi uxores Domini tui in ſinum tuum* : quod hinc lucem accipit. Nam qui exponit *in ſinum tuum*, in poteſtatem tuam, confundit בחיקך cum בידך in manum tuam. ¶ *Evilui*] aut *vilui.* Vileſcere autem eſt ſordeſcere & minoris æſtimari. Lxx. ἠτιμάσθην. Jon. *Spreta eſt gloria mea.* Hiero. *deſpectui me habet.* Thargum Jeroſol. *contemptui fuit & eviluit honor meus in facie ipſius.* ¶ *Judicet D O M I N U S inter te & me*] Ad Dei judicium ſæpe h. m. provocabant pii, ut Jephthe Jud. 11. 27. David 1. Sam. 24. 13. & 16. cives Bethulienſes Judith. 7. 13. Interdum

etiam

etiam ad judicium hominum provocabant, ut Jacob Gen. 31. 37. Hoc faciebant in re manifesta & nota hominibus: illud in re obscura & soli Deo cognita qui cor & renes scrutatur: notant autem Ebræi, qui sic temere provocant ad Deum judicem, id ei non fore impune. ❡ *Inter te*] בֵּינֶיךָ cum duplici Joth. Alibi est בֵּינְךָ cum uno tantum.

6. *Et dixit Abram ad Sarai, Ecce ancilla tua in manu tua est, fac ei quod bonum est in oculis tuis: affixit ergo eam Sarai & fugit a facie ipsius.*

In manu tua] in potestate tua. ❡ *Fac ei quod bonum est in oculis tuis.*] Hiero. *utere ea ut libet.* Videtur autem secutus interpretes quos Lxx. vocant. Nam in eorum edit. χρῶ αὐτῇ ὡς ἄν σοι ἀρεστὸν ᾖ: quod reddunt, *utere ea quemodo tibi placuerit.* ❡ *Quod bonum est*] הַטּוֹב On. & Ion. דְּתַקִּין *quod rectum.* Quod rectum in oculis tuis. Latine, quod rectum tibi videtur. ❡ *Afflixit eam*] vexavit eam, ἐκάκωσεν αὐτήν: durius habuit vel tractavit eam. ❡ *Et fugit à facie ipsius*] ita ut fugeret à facie i. metu ipsius, vel propter ipsam. Quod Chaldæi dicunt מִן קֳדָמַהָא à conspectu ejus. Fugit autem Ægyptum versus, ut sequentia docent.

7. *Et invenit eam angelus DOMINI juxta fontem aquæ in deserto, juxta fontem illum qui in via Sur.*

Et invenit eam] acsi quæsivisset aliquamdiu. ❡ *Angelus DOMINI*] malequidam, *nuncius DOMINI* i. propheta quispiam. Nam ut demus prophetam dici quandoque angelum DOMINI, juxta illud, *quia angelus DOMINI exercituum est*, tamen hic aliter accipitur. Docent consequa verba. ❡ *Juxta fontem aquæ*] עַל secus, juxta; proprie *super*: quod qui retinent obscuram orationem reddunt, ut Græci Lxx. qui vertunt ἐπὶ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος. Hinc intelliges quid sit, *super aquam fundavit eam.* ❡ *In via Sur*] qua itur ad solitudinem Sur. On. *in via Hagra.* Nec aliter Jon. Hagra regio eorum Arabum qui oram maritimam sinus Elamitici tenuerunt. Meminit Plin. lib. 6. c. 29. Thargum Jerosl. *in via Halusa* i. חֲלוּצָה. Sic ubi legimus, *ab Havila usque ad Sur*, item Thargum, *ab India usque ad Halusam.* Mox vers. 14. *inter Cades & Barad.* Onk. *inter Recam & Hagram.* i. חַגְרָא. Jon. & autor Jerosl. inter Recam & Halusam. Ergo Halusa idem cum Hagra. Sur autem deserti nomen esse indicat Eusebius per hæc verba, *Sur ubi invenit angelus ancillam Saræ Hagar inter Cades & Barad. Extenditur autem desertum Sur usque ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit.* Sunt qui à צוּר, initio Suriam & postea Syriam appellatam existimant. Sur, Syria, ut Lud, Lydia.

8. *Et dixit, Hagar ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? quæ dixit, A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.*

9. *Et dixit ei angelus DOMINI, Revertere ad Dominam tuam, & humilia te sub manibus ejus.*

Dixit] angelus. ❡ *Hagar*] ὦ Hagar. ❡ *Unde venis?*] אֵי מִזֶּה ποῖον; אֵי positum pro אַיֵּה & מִזֶּה pro subintelligitur: ex quo loco i. unde. ❡ *Quo vadis*] ποῦ πορεύῃ. ❡ *Dominæ meæ*] heræ meæ. Pro *quæ dixit*, Hiero. habet *quæ respondet.* Dicere enim & respondere se mutuo explicant. ❡ *Humilia te*] הִתְעַנִּי. Lxx. ταπεινώθητι. Hiero. *humiliare*, On. interpretante Fagio, *humilia te.* Jon. *subde te.* Alius, *abjice te.* Quid si *patere te affligi?* Supra vers. 6. *& afflixit eam Sarai*: ubi verbum idem in Ebræo. ❡ *Sub manibus ejus*] תַּחַת יָדֶיהָ. Hiero. *sub manu illius.* תַּחַת יָד.

10. *Item dixit ei angelus DOMINI, Multiplicando multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.*

11. *Item dixit ei angelus DOMINI, Ecce tu gravida es & paries filium, & vocabis nomen ejus Ismael: quoniam audivit DOMINUS afflictionem tuam.*

12. *Et ipse erit ferus homo, manus ejus in omnes & manus omnium in eum: & coram omnibus fratribus suis habitabit.*

Multiplicando multiplicabo] admodum multiplicabo, sive, quod idem, augebo. ❡ *Semen tuum*] posteritatem tuam. ❡ *Et non numerabitur*] adeo ut sit futurum innumerabile. Semen innumerabile quod numerari non potest præ multitudine, ἀναριθμητον. ❡ *Gravida es*] prægnans es, concepisti. Hoc Lxx. dixerunt σὺ ἐν γαστρὶ ἔχεις: *tu uterum fers.* ❡ *Et vocabis nomen ejus*] nam etiam matres nomina filiis imponebant. Quod vir doctus negat, sed eum hic locus aperte convincit. Sic Matth. 1. 23. *& vocabis nomen ejus Emmanuel.* Nam quod inde colligunt Christum, quatenus homo, ἀπάτορα esse, parum solidum mihi videtur. ❡ *Ismael*] יִשְׁמָעֵאל. Ἰσμαήλ: quod male aspirant scribentes Hismael. Nam quæ à Joth consonante incipiunt, leniter efferenda sunt. Philo in nom. de Gen. *Ismael, auditio Dei.* Malum, *audivit Deus.* Hinc Eucherius ponit in numero eorum qui ortu juniores sunt quam nomine, h. e. inter eos quibus nomen inditum antequam nati essent. ❡ *Audivit afflictionem tuam*] Impropria locutio. Nam afflictio non auditur. Utrum igitur hoc dicit, audivit te afflictam esse? an *audivit* i. intellexit? Sic Gen. 11. 7. *ut non audiat vir sermonem proximi sui.* Mercerus explicat *afflictionem tuam* i. gemitum afflictionis tuæ. On. *accepit preces tuas.* Jon. *retecta fuit coram eo afflictio tua.* Lxx. ἐπήκουσε τῇ ταπεινώσει σου: quod alibi, *respexit humilitatem ancillæ suæ.* Sic in Exodo, *Vidi, vidi afflictionem populi mei.* ❡ *Ferus homo*] פֶּרֶא אָדָם. Lxx. ἄγροικος ἄνθρωπος, rusticus, vel, si mavis, agrestis homo. Hiero. *ferus homo.* פֶּרֶא proprie onager: unde aliquot editiones *onager homo.* Onager, quoad ingenium & mores: homo, quoad naturam. Onagrum reddunt & Latini & Græci Job. 6. Alibi est ὄνος ἄγριος asinus agrestis, sylvestris & ferus. Alia interpretatio, *onager inter homines*, ut sit אָדָם pro בְּאָדָם. Cave damnes. On. מָרוֹד בְּאֱנָשָׁא *rebellis inter homines* Jon. *similis onagro inter filios hominum.* Siquidem פֶּרֶא onager, qui alia forma nominis פֶּרֶה dicitur Hos. 8. 9. ❡ *Manus ejus in omnes* &c.] omnibus adversabitur, & vicissim omnes sibi adversos habebit. Hoc Græci dixerunt αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἐπὶ πάντας, καὶ αἱ χεῖρες πάντων ἐπ' αὐτόν: & Hiero. *manus ejus contra omnes & manus omnium contra eum.* Aliter Onkelos, qui retulit, *ipse indigebit omnium, & etiam homines indigebunt ejus.* Jon. *manus ejus ultionem sument de hostibus ejus, & manus hostium ipsius extendent se ad malefaciendum ei.* Abenez. *Onager homo i. liber inter homines. Vult dicere non dominabitur in eum externus aut alienus à familia ipsius. Et sunt qui legunt, onager & homo, inserta copulante. Nam quia onager, ideo manus ejus contra omnes, & quia homo, ideo manus omnium contra eum. Sed rectum mihi videtur, erit inter homines tanquam onager, quia omnes petet robore suo & postea omnes contra ipsum erunt.* Hucusque Rabbinus ille. ❡ *Coram omnibus fratribus suis habitabit*) Sic infra 25. 18. *coram omnibus fratribus suis cecidit.* Quod Onk. ibi reddit שְׁרָא habitavit, aut castrametatus est. Innuit ejus posteros regionem latissimam occupaturos. Fratres autem dicit filios Ceturæ, in queis & Madianitæ, qui Ismaëlitæ vocantur, ait Abenez. in libro judicum. ❡ *Coram omnibus*] עַל פְּנֵי כָל. Lxx. κατὰ πρόσωπον πάντων, quod reddunt, *ad faciem omnium*, cum possit reddi, *in facie omnium.* Id idem cum illo, *coram omnibus.* Hiero. habet, *è regione omnium.* Gallica edit. *a l'endroit de tous.* ❡ *Habitabit*] κατοικήσει. Ebraice יִשְׁכֹּן quod alibi reddunt σκηνώσει, ut hic Hiero. *figet tabernacula.* Nam ab eo מִשְׁכָּן tabernaculum. On. יִשְׁרֵי quod interpretantur *habitabit* cum possit exponi, *castra ponet.* Ion. *commiscebitur & habitabit.*

13. *Et vocavit nomen DOMINI loquentis ad se, Tu Deus videns me: nam dixit, An etiam hic video post videntem me?*

❡ *Vocavit nomen DOMINI*] ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου: *vocavit nomen DOMINI.* Lxx. Hiero. quos secutus sum. Nam in Ebræo שֵׁם nomen, & non בְּשֵׁם in nomine. Vocare in nomine DOMINI est quod nos dicimus, invocare nomen DOMINI. Quod ab hoc loco alienum, meo judicio. Quanquam On. *Et precata est in nomine DOMINI.* Et Ion. *Confessa est coram DOMINO sermonem ejus sibi locutum esse.* Et autor Ierosol. *Confessa est Hagar & oravit in nomine sermonis DOMINI, qui patefecerat se ei.* Verba Ion. notanda sunt piis lectoribus, quia in iis manifestum discrimen inter DOMINUM & sermonem ejus. Est hic locus illustris ad probandam Christi divinitatem, quem angeli vocabulo multi nunc significari putant. ❡ *DOMINI loquentis ad se*] nunc DOMINUM appellat quem prius angelum dixerat. Quod crebrum in his literis. Sic Angelus qui apparuit Jacobo & cum eo luctatus fuit, modo אֱלֹהִים, modo מַלְאָךְ vocatur. Patres fere de Christo accipiunt, qui magni consilii angelus dicitur. ❡ *Tu Deus videns me*] אַתָּה אֵל רֳאִי quod pro eo habendum ac si dixisset רֹאִי, videns me i. respiciens me. Videre enim dicitur & eos quibus propitius est. Hiero. *qui vidisti me.* Lxx. ὁ ἐπιδών με: qui respexisti me. On. *tu es Deus videns omnia.* Jon. *tu es vivus & permanens qui vides & non videris.* Jerosol. interpres, *tu Deus vivus omnium seculorum qui vidisti miseriam meam.* Sunt qui רֳאִי nomen esse putant formæ חֳלִי ira, ut idem sit quod מַרְאֶה visus, visio. *Deus visionis* i. qui vides me meamque afflictionem. Sed & Gallica edit. habet, *tu es le Dieu fort de vision, Tu es Deus fortis visionis.* Sic etiam Tremell. *Tu es Fortis Deus visionis.* Prior sententia melior, verior, meo judicio. ❡ *An etiam hic video post videntem me?*] Sensus est, An etiam hic video eum qui me prius vidit? & est dubitantis vel potius admirantis. Sed quomodo mulier, quæ Deum vidit, non desperat vitam? Notum illud Manoe, *moriemur quia vidimus Deum.* Sic Jesaias, *Væ mihi, excisus sum*, inquit Jes. 6.

Quia regem Dominum exercituum viderunt oculi mei. An quia consueta erat videre angelos in domo Abræ? Fuit tempus cum putarem sensum esse, minime video. Nam Deus ut est in natura sua, videri nequit. Est enim ἀόρατος. Sic dico, videri nequit oculis corporeis, ac ne quidem mente comprehendi potest. Lxx. καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι: *etenim coram vidi eum qui apparuit mihi.* Hiero. *profecto hic vidi posteriora videntis me.* Quod intelligentiam habet ex illo DOMINI ad Mosen, *posteriora mea videbis, faciem autem meam non videbis.* On. *An vere hic cœpi videre postquam patefecit se mihi?* Jon. *Ecce vere hic revelata fuit gloria divinitatis post visionem.* Jerosol. *Ecce singulariter te patefecisti mihi, postquam patefecisti te Sarai dominæ meæ.* Tremell. *Nonne etiam jam video post videntem me?* הלא גם הלם Santes, *Num etiam hic vidi post videntem me?* Quæ interrogatio vim habet negationis apud Ebræos. Ideo exposuimus, ut exposuimus, suum cuique judicium relinquentes. Nam & nobis, credo, licebit retractare, si quid melius aut rectius in mentem venerit. ¶ *Etiam hic*] in solitudine ac si antea sæpe vidisset. Legendus ad hunc l. R. Salo.

14. *Propterea vocavit puteum illum, puteum viventis videntis me: Ecce inter Cades & Barad est.*

Vocavit] Quis vocavit? Nam ad Hagarem referri non potest, cum sit verbum masculinum. Vocavit ergo alius qui vocavit. Nec male reddas, *vocatus fuit puteus ille*, per verbum impersonale. ¶ *Puteum illum*] quem supra fontem dixit, & quidem fontem aquæ i. aquam habentem. Nam fons aqua carere potest, ut etiam puteus. Hic puteus aquam continebat, unde etiam fons vocatur, aut עין tam puteus quam fons, proprie oculus. Id etiam puteo bene convenit, qui est quasi oculus quidam terræ. Alioqui distat fons à puteo. Fons in summo est, puteus in imo. Plinius in Epistolis, *Puteos an etiam fontes habet. Sunt enim in summo.* Adhæc ut Cujacius observat, *ex fonte aquæductus constitui potest: ex puteo aquæ haustus, non etiam aquæductus.* ¶ *Viventis videntis me*] vel, *vivi videntis me* i. Dei videntis me. חי de Deo dicitur, ut קדוש Sanctus גבור ὁ δυνατός l. potens. Plenius esset אל חי Deus vivus. Hiero. interjicit copulam, *viventis & videntis me.* On. *Angeli viventis qui visus erat juxta eum.* Jon. *juxta quem patefactus fuit Deus vivus & æternus.* ¶ *Viventis*] Deus vivens ita dicitur, ut *aqua vivens* i. perennis. Sic, *flumen vivum, lacus vivus.* Vivere certe dicitur Deus qui perenniter vivit, quia æternus est; aut quia solus vere vivit. Nos enim in eo & per eum vivimus. ¶ *Ecce*] On. *ecce ipse est.* Jon. *ecce ipse situs est.* Lxx. ἰδού. Hiero. *ipse est.* ¶ *Inter Cades*] ἀνὰ μέσον Κάδης. On. & Jon. בין רקם inter Recam. Sic interpretantur idem nomen Num. 13. 26. & 33. 26. & Gen. 14. 7. Ait autem Elias in libro ubi vocum Chaldaicarum sensa colligit, *Ubicunque est Cades in Ebræo, ibi est Recam in textu Chaldaico.* Quid Recam? Josepho Ἀρεκέμη dicitur. Est autem Petra Arabiæ Petrææ urbs. Eusebius de locis voce Sur, *Cades solitudo est super Petram urbem.* Videtur interpres *super* pro juxta posuisse. Idem in eodem libro, *Cades, ubi fons est judicii, & Cadesbarne in deserto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia.* Num. 33. 36. *Desertum Sin: hæc est Cades.* Hanc à Cadesbarne distinguunt alii, in queis Mercerus, quem honoris causa nomino vir nunquam satis laudatus. Vide comment. ejus ad hunc locum. ¶ *Et Barad*] vel, *Bared.* Nam Ebraice ברד in pausa, quod extra eam esset בֶּרֶד Bered. Lxx. Βαράδ Hiero Barad. On. חגרא Hagra. Jon. חלוצא Halusa. Supra vers. 7. שור On. & Jon. *Hagra*: Jeros. vero, *Halusa.* Hagræ Plinius meminit. Vide quæ scriptimus ad illum locum. Addam pro corollario puteum hunc hodieque ab Ismaëlitis celebrari & frequentari, qui circa eum quotannis tripudiant & choreas ducunt, ut Abenez. observat. Vocant autem hodie באר מים, ut idem ait, qui etiam nove interpretatur לחי qui victurus est in annum alium. Quod לחי significat 1 Sam. 25. & חיה cap. 18. Vide Mercerum.

15. *Peperitque Hagar Abrahamo filium, & vocavit Abram nomen filii sui, quem pepererat Hagar, Ismael.*

16. *Abram autem erat annorum octoginta sex, quum pareret Hagar Ismaëlem Abramo.*

Vocavit Abram nomen filii sui] Jus imponendi nomina penes parentes erat: qui ex communi consensu nomina liberis indebant. Præcipue tamen hic valebat autoritas patris, sine cujus consensu nihil fiebat. Ceterum non dubito quin Hagar Abramo narraverit omnia quæ sibi accidissent in fuga sua, tum etiam angelum jussisse ut filium Ismaëlem nominaret. Quod etiam cognoscere potuit ex revelatione divina, erat enim propheta. Sed credibilius de Dei voluntate certiorem factum fuisse ab Hagare domum reversa; cui dictum fuerat, *paries filium & vocabis nomen ejus Ismael.* Nam non est dubium quin domi Abræ pepererit, Saræ reconciliata. Comperior etiam nomen inditum fuisse à vicinis mulieribus. Nam ecce scriptum est Ruth. 4. *& vicinæ imposuerunt ei nomen Obed.* Vicinas intellige quæ assistebant circumcisioni. Josephus habet, *quem Noomi eutriens de consilio mulierum vocavit Obed.* ¶ *Ismael*] Ismaël scribo, non Ismahel ex antiquis libris, tum etiam ex analogia. Quanquam in editis à Plantino Ismahel cum adspiratione. ¶ *Erat annorum 86.*] vel *natus octoginta sex annos.* Verb. è ver. *filius octoginta annorum & sex annorum.* Alibi minor numerus præponi solet, ita postulante consuetudine. Hic aliter fit, & est dignum nota, quando etiam Chaldæi hunc ordinem servant.

GROTIUS.

1. AGar] Unde Agra urbs quam in Arabia ponit Plinius. Ἀγραῖοι ἔθνος Ἀράβων [*Agræa gens apud Arabas*] Straboni, & Stephano.

3. *Dedit eam viro suo uxorem*] Potius *pro uxore*: ita enim ל Hebræum sæpe sumitur: id est, viceconjugem, ut habent inscriptiones veteres. Uxorem imitatur concubina, ait Iulianus antecessor.

5. *Inique agis contra me*] חמסי quod hic in Hebræo est, Chaldæus querelam vertit, & Græci interdum ὄνειδος [*exprobrationem*]. Habeo quod de te conquerar, quod tibi objiciam. Partus superbas solet facere feminas.

6. *Utere ea ut lubet*] Ius enim vitæ ac necis eo tempore domini ac dominæ in servos & ancillas habebant.

9. *Humiliare sub manu illius*] Quippe &
Τὰς τ̃ κραιόντων ἀμαθίας φέρειν χρεών.
[*Quippe & regentium perferenda inscitia est.*]
Ferenda regum ingenia, ait Tac. Annal. XII.

12. *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*] In Hebræo *in omnes & in eum.* Negotium omnibus facesset, & alii ipsi. Talis posteritas Agaris Saraceni Arabesque alii.

E regione omnium fratrum suorum figet tabernacula] In Hebræo *coram omnibus fratribus suis*, id est, aspectantibus Cethuræ liberis, neque impedire valentibus, extendet fines suos.

13. *Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eum*] Chaldæus, *oravit in nomine Domini loquentem ad se*, id est, Deum ipsum invocavit velut in Angelo præsentem: Tu me vides ô Deus. Hierosolymitanus: *Deus se etiam mihi, & quidem in deserto per Angelum patefecit.*

CARTWRIGTUS.

1. ET *erat ei ancilla Ægyptia, cui nomen Hagar.*] Jonathan & R. Sal. dicunt Hagar fuisse filiam Pharaonis, ac Saræ à Pharaone in ancillam fuisse datam; quod adeo ab omni probabilitatis specie alienum est, ut vix recitari, nedum refelli mereatur.

2. *Fortasse ædificabor ex ea* אולי אבנה ממנה] i.e. *filium habebo.* בן *Ben, filius*, à *Bana, ædificare*, quia הבן הוא כבנין והאב כמו היסוד, (*a*) ut loquitur Aben Ezra, i. e. *filius est instar ædificii, & pater quasi fundamenti rationem habet.* R. Salom. ait, *hinc disci, eum qui non habet liberos, non esse ædificatum, sed dirutum & destructum.* Diligenter nota (inquit Hieron. in Tradit.) quod *procreatio filiorum in Hebræo, ædificatio scripta est.* Legitur enim ibi, *Ingredere ad ancillam meam, si quo modo ædificer ex ea.* Et vide, ne forte hoc sit, quod in Exodo dicitur, *Benedixit Deus obstetricibus, & ædificaverunt sibi domos.*

3. *Et dedit eam viro suo in uxorem.*] *Ergo* (inquit Mercerus) *revera uxor fuit legitima Abrahami Hagar, &c.* Addit, פלגשים, i. e. *concubinas, etiam uxores fuisse legitimas, sed quæ sine dote & contractu matrimoniali, ut volunt Hebræi, ducerentur*; & licet ancillæ essent concubinæ, haud tamen ideo (*b*) liberas factas fuisse, sed in potestate dominarum permansisse. Josephus Antiq. lib. 1. cap. 11. ait Saram Dei monitu ancillam Abrahæ in uxorem dedisse; Sed Deum istud eam monuisse non narrat Scriptura, nec videtur verisimile; sed ex Hagaris adversus Saram insolentia, ac Saræ adversus eam querela ac indignatione, videtur potius privato consilio id fecisse, ac propterea (ut notat

(*a*) *Vide ad cap. 30. 1.* (*b*) *Male igitur Jonathan dicit, Hagar à Sara fuisse manumissam. Vide vers. 6. & 8. & 9.*

notat Mercerus) temeritatis pœnas luisse. Vide si placet, Senensem Bibl. S. lib. 5. annot. 94.

5. חֲמָסִי עָלֶיךָ *Injuria mea super te.*] LXX ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ, *injuriam ex te accipio.* Vulg. *Inique agis contra me.* Chald. דין לי אלך, i. e. *Iudicium mihi tecum est*; i. e. (ut Fagius explicat,) Habeo cujus caussâ tecum judicio contendam, te accusem, de te conquerar. R. Salom. non inepte exponit, אתה שומע בזיוני ושותק, i. e. *Tu audis contemptum meum, ac taces.* Jonathan, כל עלבני מנך, i. e. *Omnis injuria mea ex te est. Sperabam enim fore, ut tu caussam meam ageres.* Hierosol. *Iudicium meum & injuria mea in manum tuam sunt tradita*, h. e. in te situm est, & ad te spectat injuriam mihi illatam ulcisci. Id etiam forte voluit Onkelos.

7. *In deserto super fontem in via Sur.*] Gualtperius ait LXX hoc totum omisisse; at in Edit. Rom. hoc totum habetur.

11. הִנָּךְ הָרָה *Ecce gravida es.*] LXX ἰδοὺ σὺ ἐν γαστρὶ ἔχεις, *Ecce tu in utero habes.* Vulg. *Ecce concepisti.* Lyra ait in Hebræo esse, *Ecce concipies*; idem enim verbum esse, quod habetur Judic. 13. de uxore Manoæ; ac propterea Hebræos dicere, quod Agar passa sit abortum, in pœnam contemptus dominæ suæ, postea autem cum Angelo ad dominam redire jubenti auscultasset, fœtum in utero extinctum à Domino fuisse vivificatum, atque istam vivificationem conceptionem hic vocari. Hoc, ut alia pleraque, ex R. Salomone videtur hausisse, cujus hæc est glossa, כשתשובי תהרי כבתחלה ראשון מגת, i. e. *Posteaquam, vel, Quandoquidem reverteris, concipies*; quemadmodum uxori Manoæ eodem verbo dictum fuit, *Ecce concipies.* At mihi commentum haud placet. Nam vox *Hara*, prout hic usurpatur, non est verbum, nec tempus ullum ex se connotat; sed est verbale, ac gravidam denotat. Ex quemadmodum interdum conceptionem futuram significat, ut Isai. 7. 14. & Iudic. 13. 7. ita etiam interdum conceptionem præteritam, ut Gen. 38. 25. & in hoc loco. Merito igitur hic Lyræ adversatur Burgensis, nequicquam contranitente Matthia Doring, Lyræ hyperaspiste, homine Hebraicæ literaturæ prorsus imperito, ac propterea isti, quam suscepit, provinciæ minus idoneo.

12. פֶּרֶא אָדָם *Onager homo.*] I. e. *ferus homo.* Habitabit in desertis, ac bestias venabitur uti exponit R. Salom. Aben Ezra ait sensum esse, Ismaëlem fore inter homines liberum, sui juris, extraneum ei non dominaturum. Addit autem sibi placere, ut sensus sit, eum fore inter homines quasi onagrum; omnes nempe vi sua superaturum, tandem autem manus omnium in ipsum esse convertendas, atque ita in Daniele expositum esse, eum esse bestiam quartam. LXX ἄγροικος ἄνθρωπος, *rusticus homo.* Pro rustico (inquit Hieron. in Tradit.) scriptum est in Hebræo פרא *phere*, quod interpretatur *onager*. Significat autem semen ejus habitaturum in eremo, id est, Saracænos vagos incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere jungitur, incursant, & impugnantur ab omnibus. Chald. *Et ipse erit rebellis inter homines*; ipse indigebit omnibus, atque etiam omnes filii hominum indigebunt ei. Notat autem Fagius pro מרוד (*c*) *rebellis*, quædam exemplaria habere עדר *onager*; quin & ipsum מרוד posse exponi onagrum, atque eo sensu usurpari פרא Iob. 6. 5. Addit illud, *Ipse indigebit, &c.* (Chald. צריך יהי) in hunc modum legi posse, *Ipse negotium facesset omnibus, atque etiam omnes alii homines ipsi facessent negotium.* Mercerus ad Job. 39. 5. refert nonnullos velle פרא generale nomen esse, & inde nomen Latinum *fera* sumptum; ipse autem existimat peculiare feræ nomen esse, & asinum sylvestre denotare; non tamen alienum videri, nomen Latinum ex hoc ductum, quod inter feras hæc sit maxime indomita. Et ad hunc locum ait, ab Hebræo פרא Latinum *fera* dictum videri. Ribera ad Hos. 13. 15. vult onagrum vocari פרא, quia est animal solitarium, & divisum ab aliis. Hoc autem ideo dicit, quia verbum פרא istic usurpatum in Hiphil יפריא. LXX & Vulg. dividere interpretantur; at alii aliter exponunt.

וְעַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו יִשְׁכֹּן *Et coram omnibus fratribus suis habitabit.*] Aben Ezra ait per fratres Ismaëlis intelligi filios Keturæ, eosque cum in Lege, tum in libro Judicum vocari Ismaëlitas. R. Sal. asserit sensum esse, semen ejus fore numerosum. Mercerus hanc expositionem sequitur, id insuper addens, hac locutione significari, Ismaëlem nihil fratres suos formidaturum, sed intrepide coram illis acturum, eisque in faciem restiturum. Fagius in Chald. Par. & in Collat. ait quosdam ita intelligere, quasi Ismaël utut agrestis & ferus, cum fratribus tamen suis pacifice sit victurus. Hoc autem ei minus probatur; quod nihil sit in textu, quod Ismaëlis humanitatem commendet. Eorum igitur sententiam potius sequitur, qui volunt tantam Ismaëlis feritatem significari, ut eam etiam in quoslibet fratres suos sit declaraturus. Addit illud על פני seu (ut Chaldæus habet) על אפי, *super faciem*, vel *in faciem*, posse vel contrarietatem denotare; q. d. è regione, seu contra omnes fratres suos habitabit; tam potens erit, tamque numerosum semen ejus, ut nemo possit illi resistere: vel præsentiam significare scil. præsentibus, videntibus, ac viventibus omnibus fratribus suis, eum quietem suam fortiter capturum. In qua significatione phrasis ista usurpatur cap. 11. 28. Gualtperius mavult in deteriorem partem accipi, ut sensus sit, Ismaëlem fratres suos omnes potentia, imperio, tyrannide longe superaturum; nec non & adversus eosdem peculiarem immanitatem ex omni latere declaraturum. Sed haud scio an hæc interpretatio verbis conveniat; Merceri expositionem iis melius quadrare existimo.

13. הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי *Num etiam hic respexi post eum, qui me videt.*] R. Salom. ait cum admiratione hoc dictum, atque sic exponit; Num putavi fore, ut etiam hic in locis desertis viderem nuntium Dei, postquam eos vidissem in domo Abrahami, ubi Angelos videre sum solita? Ita interpretari videtur, ac si ראי esset infinitivum cum affixo, cum sit potius participium. Mercerus similiter exponit, atque ait emphasin esse in his verbis, הגם הלום, i. e. *etiam hic.* Aben Ezra ait sensum esse, Nunquid etiam hic vidi Angelum Domini, posteaquam Dominus vidit afflictionem meam? Nam ille me semper videt. At juxta hanc expositionem nulla admirationis caussa apparet. Chald. אף אנא שריתי חזיא בתר דאתגלי לי, i. e. *Etiam ego cœpi videre postquam revelavit se mihi.* Sensus (inquit Fagius) est, ut Hebræi exponunt, non tantum (*d*) Saræ dominæ meæ per Angelos suos se conspiciendum præbuit Dominus, sed & mihi ancillæ, & id quidem in deserto. LXX καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι, Nam, & *coram vidi eum, qui apparuit mihi.* Legunt sine interrogatione, & pro הלום hic, habent ἐνώπιον *coram.* Vulg. assertive legit, *Profecto hic vidi posteriora videntis me*; & pro אחרי *post*, legisse videtur אחרי *posteriora*, uti Exod. 33. 23. legitur אחרי *posteriora mea.* Fagius in Collat. ait, vulgatam versionem hic sibi maxime probari, quod in Scripturis ii, quibus aliqua forma aliquando Deus apparuit, posteriora Dei vidisse dicuntur. Et citat illud Exod. 33. 23. discrimen autem inter אחרי quod hic habetur, & אחרי quod Exod. 33. 23. occurrit, prorsus (quod miror) dissimulat.

(*c*) *Jonathan, Et erit similis* לערד *onagro inter filios hominum.*

(*d*) *Hierosol.* Ecce privatim mihi etiam apparuit, posteaquam apparuit Saræ dominæ meæ. *Jonath.* Ecce profecto hic apparuit gloria præsentiæ Domini post visionem.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

5. ABraham] Nomen est compositum ex אביר & המון fueratque dicendum *Abrambamon*; verum ad tollendam cacophoniam sustolluntur quædam literæ, sicut & in multis aliis propriis fit nominibus.

11. *Præputii vestri*] Dictio Hebræa ערלה significat rem quamcunque superfluam, & quæ rem aliam degravat, quæque digna sit ut rejiciatur, juxta Kimhi interpretationem. *In corpore autem humano, saltem perfecto, nihil superfluum invenitur*, ut scribit Gerundensis, *præter illam carnem quæ operit coronam*, sic enim veretri caput vocant Rabbini: usque adeo magnificat gens illa additamentum illud Leviathan; & propterea nos immundos judicant quod immunditia illa à nobis non sit sublata. Sed *in Christo non est circumcisio, neque præputium, sed nova creatura*, Gal. 6. Habeant illi circuncisionem suam carnalem: habeamus nos spiritualem, circuncisionem cordis; quam Prophetæ passim indicant intelligendam per corporalem.

13. *Acquisitus pecunia*] Habet hic, sicut & paulo superius, Hebraicus textus, *possessio*, vel *acquisitio*, *pecunia*, pro *acquisitus pecunia.* Et quod sequitur, *Exterminabitur anima illa de populis suis*, capitur hic נפש *anima* pro איש עם נפש *corpore animato. Exterminatio* vero est secundum Hebræos, qua quis moritur ante legitimum tempus, h. e. ante quinquagesimum secundum annum. Alii vero putant intelligendum per *exterminationem* nominis & posteritatis deletionem.

15. *Sed Sara*] Sonat *Sarai*, *principes mei*; à *Sar princeps*: à quo

à quo fit femininum *Sara*, *principiſſa*, nomen generale, quod ipſa mater conſtitueretur & princeps multitudinis gentium credentium in Chriſtum. Sumus enim omnes quotquot credimus filii Saræ ſecundum promiſſionem.

16. *Dedi*] Capitur hic עבר במקום עתיד, *præteritum loco futuri*, ſicut Onkelos quoque vertit.

19. *Vere*] Ita interpretatur Onkelos dictionem אבל Porro Kimhi exponit, *ſed & : Nedum*, inquit, *vivet Iſmael*, *verum & Sara pariet tibi filium*, *cujus nomen vocabis Jizhac*: ſic legitur in Hebræo.

23. *Filios familiæ*] Qui erant trecenti & decem & octo, ut ſupra ſcribitur; Qui omnes de familia ejus erant, miniſterio illius deputati.

26. *Ipſamet die*] Hoc eſt, Uno eodemque die circumciſi ſunt pater & filius, una cum omnibus qui nati erant ex familia ejus, aut qui aliunde pecunia empti in familiam ejus erant aſciti. Quales hodie Judæi obſervent in circuncisione ceremonias, infra in Jehoſua dicemus; & præſertim quod dicant quoque ſibi mandatam פריעה, h. e. *cutis*, quæ penem operit, *retractionem*, ne rurſum creſcens cooperiat caput penis. Adeo recutiti illi homines ſibi blandiuntur in ipſa corporis circuncisione. Porro poſt ſanatam circuncisionem ajunt etiam adhibendam in ſtagno merſionem.

FAGIUS.

12. ובן שמנת ימים ימול לכם כל זכר לדרתיכם יליד בית ומקנת כסף מכל בן נכר אשר לא מזרעך הוא : המול ימול יליד ביתך ומקנת כספך *Et filius octo dierum circumcidetur in vobis*, *omnis ſcilicet maſculus in generationibus veſtris*, *filius familiæ*, *& qui pecunia emptus eſt à quocunque extraneo filio*, *qui non eſt de ſemine tuo*. *Circumcidendo circumcidetur filius domus tuæ*, *& qui acquiſitus eſt pecunia.*] Latina Vulg. editio minus habet quam veritas Hebraica. Omiſſa enim in illa eſt hæc clauſula, המול ימול יליד ביתך ומקנת כספך, *Circumcidendo circumcidetur nativus domus tuæ*, *& poſſeſſio argenti tui*. Quæ forte propterea omiſſa ſunt quod videbantur otioſe repeti: ſunt enim hujuſmodi repetitiones crebræ in Hebraiſmo.

16. וברכתי אתה וגם נתתי ממנה לך בן וברכתיה והיתה לגוים מלכי עמים ממנה יהיו *Et benedicam ei : dedi quoque ex ea tibi filium*, *benedicam eum*, *eritque in gentes*, *& reges populorum ex ea naſcentur.*] Septuaginta & Lat. Vulg. editio in hoc diſſentiunt à veritate Hebraica, quod benedictionem iſtam ad filium referunt, reddentes pronomina relativa in maſc. genere, cum tamen ea omnia in Hebræo feminini generis ſint, & ipſam Saram referant, hoc modo, *Et benedicam eam*, *daboque ex ea tibi filium*, *& reges populorum ex ea naſcentur*. Levicula quidem hæc forte alicui videbuntur, ſed quæ revera obſcurant promiſſionem quam hic Deus Eccleſiæ ſuæ promittit, cujus typum gerit Sarah.

VATABLUS.

1. QUum autem, *&c.* ויהי וגו׳] Ad verbum, *Et erat Abram filius nonaginta annorum & novem annorum*, *& viſus eſt Jehovah Abra.* ¶ *Deus omnipotens*, אל שדי] Nomen *El*, pro quo redditur *Deus*, à *potentia* deductum eſt. Eodem pertinet שדי: acſi pronuntiaret Deus, ſe ad protegendum Abram ſatis habere virtutis. Non jactat potentiam ſuam Deus, quæ penes ipſum ſuppreſſa lateat, ſed quam explicet erga filios ſuos, ut inde materiam fiduciæ concipiat Abram.

4. *Ego*, *ecce* אני הנה] Hac locutione Deus ſe eſſe pronunciat qui loquitur, ut certa verbis ſuis conſtet authoritas. Ideo pronomen EGO vice præfationis ſeorſim legendum eſt, ut quieto animo ſit Abram, & exempta dubitatione oblatum fœdus ſuſcipiat. ¶ *Pater multarum gentium*. לאב המון גוים] Ad verbum, *in patrem multitudinis gentium*. Conſtat populos diverſos originem duxiſſe ab Abraham: nam Iſmael in magnum populum excrevit. Idumæi ex altera parte longe lateque diffuſi ſunt: ex aliis etiam filiis quos ex Cetura ſuſcepit, fluxerunt amplæ familiæ. Sed longius reſpexit Moſes, quod ſcilicet fide inſerendæ eſſent Gentes in genus Abrahæ, licet ab eo non progenitæ ſecundum carnem, ut teſtis eſt Paulus Rom. 11.

5. *Poſui te.* : נתתיך] Præt. Heb. pro fut. *conſtituam te.*

6. *Ponamque te in gentes*, ונתתיך] Hebraiſmus, Faciam ut ex te gentes multæ naſcantur.

7. *Et ſtatuam*, והקמתי] *Et ſtabiliam*, vel, *ratificabo*. Ad verbum, *Et faciam ſurgere*. Vide infra c. 23. ¶ *In generationibus ſuis*, לדרתם], i. ſuis temporibus, h. e. illis ætatibus quibus vixerint.

8. *Peregrinationum tuarum*, מגריך] i. regionem in qua nunc peregrinaris.

9. *Pactum meum cuſtodies* ואת בריתי תשמר] *pactum meum cuſtodi*. Illic *pactum* pro ſymbolo ac ſigno fœderis accipitur, nempe pro circuncisione: ut ſeq. verſu exponitur, *Et erit ſignum pacti inter me & vos.*

11. *Eritque* והיה] ſub. *iſta circumciſio.*

12. *Omnis itaque*, *&c.* ובן שמנת וגו׳] Ad verbum, *Et filius octo dierum circumcidetur in vobis*, *omnis maſculus*. Ordo inverſus & obſcurior, qui ſic conſtrui debet ut vertit noſter interpres. ¶ *In generationes veſtras* לדרתיכם] Hebraiſmus, *temporibus veſtris*. ¶ *Natus domus*, יליד בית] *verna*, aut, *vernaculus*. ¶ *Et emptus*, *&c.* ומקנת וגו׳] Ad verbum, *& comparatio argenti ab omni filio alienigena*, i. ſervus empticius quem emeris ab alienigena.

13. *Omnino igitur circumcidetur*, המול ימול וגו׳] Ad verbum, *Circumcidendo circumcidetur natus domus tuæ*, *& comparatio pecuniæ tuæ.*

14. *Utique exterminabitur*, *&c.* ונכרתה וגו׳] *utique delebitur*, *&c.* homo ille non erit particeps promiſſionum ac beneficiorum meorum.

16. *Eritque in gentes*, והיתה לגוים] Hebraiſmus, *erit mater multarum gentium*, vel, *ex ea naſcentur gentes multæ.*

17. *Nunquid centenario* הלבן מאה שנה] Ad verbum, *Nunquid filio centum annorum*. ¶ *Et an Sara*, ואם שרה] Ad verbum, *& ſi Sara? an filia nonaginta annorum?* Duæ interrogationes vice unius.

18. *Utinam*, *&c.* לו ישמעאל וגו׳] Hebraiſmus, Satis mihi fuerit ſi filius meus Iſmael ita vivat ut tibi placeat, & obediat mandatis tuis. Alii exponunt, *Vivere coram Domino* tantum valet ac *ſervari ejus præſidio incolumem*, vel *ab ipſo benedici*. Petit igitur Abraham à Domino ut quam Iſmaeli dedit vitam conſervet.

19. *Vere* אבל] *Certe*. Chaldæus paraph. *in veritate*. Doctus inter Hebræos exponit, *Imo*: q. d. Non tantummodo tibi vivet Iſmael, ſed *etiam*, aut *imo*, *Sara*, *&c.*

20. *Pro Iſmael quoque* ולישמעאל שמעתיך] *Super Iſmaele quoque*, vel *De Iſmaele quoque*, i. exaudivi preces tuas quas fudiſti coram me pro Iſmaele. ¶ *Ecce benedicam* הנה ברכתי] Præt. Heb. pro fut. *certe benedicam*. Quia promiſſiones Dei ſunt certæ, Scriptura præteritis pro fut. utitur.

21. *Statuam*, אקים] *conſtituam*, *ſtabiliam*, *confirmabo*. Ad verbum, *ſurgere faciam*. Vide infra c. 23. 17. Quicquid optabile eſt terrenæ vitæ reſpectu, Deus liberaliter & prolixe promiſit Iſmaeli: & tamen quicquid in eum donorum confert, nihili æſtimat comparatione fœderis quod ſtabiliendum erat in Iſaac, ſtatuto tempore. ¶ *Altero.* : האחרת] i. ſequente, q. d. anno elapſo.

22. *Ab Abraham.* : מעל אברהם] Ad verbum, *de ſuper*, vel *de juxta*, *Abram.*

23. *Ex domeſticis ſuis* : באנשי בית אברהם] Ad verbum, *in viris domus Abrahæ*: antecedens pro relativo. ¶ *Eo ipſo die*, בעצם היום הזה] Ad verbum, *in ſubſtantia* (vel *eſſentia*, aut *corpore*) *ipſius diei*, i. ipſomet die, ſtatim ipſo die. Sic paulo poſt v. 26.

24. *Erat nonaginta*, *&c.* בן תשעים ותשע שנה] Ad verbum, *filius nonaginta & novem annorum*: ſic ſeq. verſu.

26. *Ipſe eodem die* בעצם היום הזה] Ad verbum, *In corpore diei ipſius*. Vide paulo ante, v 23. Eodem ipſo die quo ſcilicet Deus imperaverat ut circumciderentur.

27. *Natus domus*, *&c.* יליד בית וגו׳] Sing. Heb. pro plur. *omnes domeſtici ejus*, *vernaculi*, *& empti ab extraneis.*

CASTALIO.

18. UTinam modo facias, *ut propagetur Iſmael*] Ad verbum ſic, *Utinam coram te vivat Iſmael*. *Coram* autem aut *in conſpectu* eſſe dicitur, quod eſt in poteſtate, & ab aliquo efficitur, efficive poteſt ut ſupra c. 13. dicebat Abramus Loto, *Tota terra eſt in tuo conſpectu*; hoc eſt, tibi expoſita eſt, tibi patet, utere ea tuo arbitratu. Item 2. Paral. 6. *Non deerit tibi homo de meo conſpectu qui ſedeat in ſolio Iſraelitarum*; hoc eſt, efficiam ut nunquam deſit de tuis poſteris, &c. *Vivendi* autem verbum hoc loco de generis propagatione dici, perſpicuum fit ex iis quæ mox ad hæc Abrahami verba Deus reſpondet.

CLARIUS.

5. A*Braham*] Ante promissionem Isaac nomen illius erat *Abram*, h. e. *Pater excelsus*, postea vero paternitatis illius celsitudo ornatur interpositione ejus literæ quæ inter sacratiores literas quibus nomina Dei scribuntur principalis est, & bis scripta in nomine illo ineffabili, quæ & semel ascripta nomini Abrahæ, & secundo ascripta Saræ, indicat prærogativam quandam maximam datam utrisque generandi ipsam Divinitatem aliquando de semine suo, in Christo nascituro de virgine Maria.

6. Regesque ex te egredientur] Etiam ad literam, nam Ismahel duodecim duces habuit; Esau, undecim; Jacob, duodecim.

8. *In possessionem æternam*] h. e. longo tempore.

11. *Præputii vestri*] Dictio Hebræa significat rem quancunque superfluam, & quæ rem aliam aggravet, quæque digna sit ut rejiciatur. In corpore autem humano perfecto ferunt nihil superfluum inveniri præter illam præputii pelliculam.

12. *Tam vernaculus*] Adumbratio est veræ circumcisionis, cordis scilicet, Judæis & non Judæis communis futuræ.

14. *Delebitur anima illa*] Secundum Judæos, morietur ante quinquagesimum secundum annum ætatis suæ; vel non relinquet post se semen.

15. *Sarai*] Sonat *Sarai*, *principes mei*, à *Sar*, *princeps*; à quo fit fœmininum *Sara*, *principissa*, nomen generale, quod ipsa mater constitueretur & princeps multitudinis gentium.

16. *Cui benedicturus sum*] Nempe ipsi Saræ.

17. *Risit*] Præ stupore risit felicitatis suæ admirationem.

23. *Omnes vernaculos*] Qui erant trecenti decem & octo ut supra scribitur, qui omnes de familia ejus erant ministerio illius deputati.

DRUSIUS.

1. DIcturus de etymo nominis *Saddai*, quod obvium Gen. 17. 1. moneo tres de illo sententias esse. Una est eorum qui שדי dictum putant quasi שודי à verbo שדד *vastavit*. Nam ut omnia ex nihilo condidit, ita potest omnia, cum vult, in nihilum redigere. Quod est solius Dei, qui propterea παντοκράτωρ *omnipotens vocatur*, & est interpretamentum vetus hujus nominis. Sunt tamen qui maluerunt reddere ἱκανὸς, aut ἄλκιμος, in queis Aquila Ponticus. Hieron. Ezec. 1. *Saddai Aquila, Sym. Theodotio ἱκανὸν transtulerunt, quod Fortem Potentemque significat.* In epist. 136. *Saddai Aquila interpretatur ἄλκιμον, quod nos Robustum & Sufficientem ad omnia perpetranda possumus dicere.* Scire licet Aquilæ duas editiones olim fuisse. Forte in una posuit ἱκανὸν, & in altera ἄλκιμον. aut alibi vertit ἄλκιμον, & alibi ἱκανὸν. Imo ἱκανὸς sufficiens Exod. 5. 3. באל שדי A. ἐν Θεῷ ἱκανῷ. Sic Lxx. modo παντοκράτορα eandem vocem, ut Job. 22. 25. & modo ἱκανὸν interpretantur ut Ruth. 1. 9. Ut *Saddai* שדד *vastavit*, sic *Sammai* potest esse à שמם *desolavit*: quod tamen Scaliger negat. & forte *Saddai* à שדד, ut רמי *impostor* à רמה *decepit*, & נגי *exactor* à נגש *exegit*. Sic דוי *mœstus* à דוה. Sunt qui à *mammis* nomen hoc deductum existimant, quasi *mammosum* dicas, quod omnia alat ac nutriat. Sic Diana *mammosa* & *multimammia*, quod Græce diceretur πολύμαστος. Mamma enim שד dicitur, ut quidam volunt, à שדה; & Diana *mammosa*, quoniam omnium viventium nutrix. Sic Isis *mammosa*, & Ceres *mammosa*. Verior originatio à ש *qui* & די *sufficiens*. Nam sibi sufficit, αὐτάρκης, juxta illud,

Ipsa suis contenta opibus, nihil indiga nostri.

De Natura loquitur, quæ nihil aliud est ipsi quam Deus, quem Plato propterea ἀνενδεῆ esse dixit, *nullius indigum*. Quo referri, meo judicio, debet ἱκανὸς. Lexic. vetus, Ἱκανὸς, *sufficiens, idoneus; ἱκανῶς, satis.* Sanchuniatho, compositor Historiæ Phœnicum, Deum quendam memorat, quem ejus interpres Græcus Philo Byblius ἀγρὸν & ἀγρότην interpretatur. Videtur mihi in mente habuisse hoc nomen. Nam שדה *ager*. Sed tunc esset *Sadai*, i. שדי. Sic Dagon, quem à pisce nomen habere credunt, ab eodem redditur Ζεὺς ἀρότριος, tanquam à דגן, quod *frumentum* denotat. Cæterum *Saddai* unum est ex decem Dei nominibus quorum meminit quadam in epistola Hieronymus. Non tamen semper est Dei epitheton. Nam si credendum Ebræis, aliquando est nomen profanum, ut Job. 22. *Saddai est aurum tuum*, quod reddunt *potens*, *validum*. Sic Ezech. 1. *vox Saddai*, i. *fortis*, & Jes. 13. *sicut vox Saddai*, i. *robusta, vehemens*, aut *quæ venit à potente*. Sed de his locis

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

19. Inter eos qui ortu juniores sunt quam nomine, h. e. quibus nomen inditum antequam nati essent, recenset Eucherius quatuor, Ismaelem, Isahacum, Samsonem & Josiam. Quod de Ismaele & Isahaco scribit, id sumpsit partim ex Gen. 16. 11. partim ex Gen. 17. 19. In Samsone fallitur. Putarim scripsisse *Salomonem*, qui nomen accepit à *pace*: sonat enim, ut si dicas *pax ejus*. Quibus addes, si placet, Jesum & Cyrum. Nam *Jesu* nomen antiquius ipso: sed & *Cyri*, qui nominatur apud Iesaiam diu antequam natus esset. Vocatur ibi *unctus Domini*, non quod oleo regali esset inunctus; sed quia Rex erat, ideo *unctus* vocatur.

IDEM.

8. ונתתי לך Sym. *καὶ δίδωμί σοι, & do tibi.*] Antiquitus, καὶ δώσω σοι, *dabo tibi*; & melius. *Dabo*, h. e. brevi dabo. Sic, *gentem cui servierint judico ego, dicit Dominus*. Sed in fonte, καὶ δώσω. Vau enim præteritum in futurum convertit. In hoc capite obvia vox διαθήκη, quam Aquilas amat reddere συνθήκην, & *recte*. Nam, ut bene Hieron. observat, *Ubicunque in Græco Testamentum legimus, ibi in Ebræo Sermone est Fœdus sive Pactum*, i. ברית.

NOTÆ MAJORES.

1. C*Umque Abram natus esset nonaginta novem annos, apparuit DOMINUS Abræ, dixitque ei, Ego Deus omnipotens, Ambula coram me & esto integer.*

Cumque Abram &c.] vel, *Erat autem Abram nonaginta novem annorum cum apparuit ei &c.* Inter hanc historiam & superiorem anni tredecim intercedunt. Agebat ergo tum Sarai annum 89. & Ismaël decimum tertium ætatis. Quo anno etiam circumcisus fuit, ut sequentia declarant. ¶ *Apparuit*] visus fuit, ὤφθη. ¶ *Ego Deus omnipotens*] Lxx. ἐγώ εἰμι ὁ θεός σου. אני אלהך. Hiero. *ego DOMINUS omnipotens*, אֲנִי יְהוָה שַׁדַּי *Deus omnipotens* i. אֵל שַׁדַּי. Quæ duo nomina interpretes Chaldæi immutata reliquerunt. אֵל proprie Fortis i. ἰσχυρὸς aut δυνατός. Si Eusebio credendum, τὴν ἀκρίβειαν valet ἰσχὺς ἢ δύναμις. Sane legimus לְאֵל יָדְךָ *in potestate manus tuæ*, ubi El nomen est, ut Dialectici loquuntur, non concretum, sed abstractum. שַׁדַּי omnipotens i. παντοκράτωρ. Appellatio à שָׁדַד vasto. Nam ut omnia condidit, ita omnia vastare potest, si velit. Aut est composito nominis ex ש qui & דַּי sufficiens i. αὐτάρκης. Nam suis opibus pollens nihil indiget nostri. Hiero. fere *omnipotentem* reddit, quem secutus sum. R. David in Comment. Psal. 68. 15. *Saddai valet prævalens & vincens*. גובר ומנצח. Abenez. exponit תקיף fortis, robustus, ἄλκιμος. Inter Græcas declarationes reperio & ὁ ἱκανὸς. Hunc in mente habuit Sanchumatho scribens Deum quendam à Phœnicibus ἀγρὸν aut ἀγρότην appellatum. Nam Philo interpres שַׁדַּי cum שָׂדַי, confudit. Notum ut שֶׂה agnum denotat, qui & שֵׂיָה dicitur. שַׁדַּי aliud est. ¶ *Ambula coram me*] התהלך לפני. Lxx. εὐαρέστει ἐναντίον ἐμοῦ: place sive complace in conspectu meo. Ita Patres olim. Sensus est, sic vive, ita te gere ut mihi placeas. Placet autem Deo qui ex ejus præscripto vitam instituit, h. e. qui pietatem & religionem colit. On. & Jon. פלח קדמי servito coram me, aut colito me. Obvia hæc locutio Gen 48. 15. *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham & Isahac*. Et Psal. 116. 9. *Ambulabo coram DOMINO in terris viventium*. Gen. 5. 24. pro eodem legitur *Ambulare cum Deo*. Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Esto integer*] Lxx. γίνου ἄμεμπτος: esto inculpatus sive irreprehensus. Apud Patres *esto inculpabilis*, *esto sine querela*. Nam ἄμεμπτος proprie de quo jure conqueri non potest. Alibi est ἄμωμος in hac eadem voce. Id sonat *immaculatus*, sive quod idem, *absque macula*. Hiero. & On. *esto perfectus*. Jon. *esto perfectus in corpore*: quod ad circumcisionem referunt, quasi is demum perfectus sit qui circumcisus est. Inepti homines. Nam præputium non maculat corpus, nec circumcisio suis numeris absolvit illud. Tantum erat signum fœderis. Simplicius est ut dicamus integritatem vitæ præcipi, qua qui præditus est ambulat integre vivitque sincere cum hominibus, nullo fuco simulationis tectus.

2. *Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te nimis nimisque.*

Ponam] ואתנה. Ebraice & Chald. *dabo*. Contraponere pro dare usurpatur. ¶ *Fœdus meum*] signum fœderis, quod tecum antea pepigi. ¶ *Multiplicabo te*] i. semen tuum. ¶ *Nimis*

nis nimisque] vel *nimium nimiumque*: vel, *admodum admodum*, aut, *valde valde* in σφόδρα σφόδρα. Hiero. *vehementer nimis*. On. & Jon. לחדא לחדא, *singulariter singulariter*. Supra 7.19. מאד מאד Hiero. *nimis nimis*. Lxx. σφόδρα σφόδρα. Ex quo hunc locum emendare licet. Nam in edit. Rom. σφόδρα, semel tantum. Notabis autem hic in Ebræo esse במאד מאד. Sic infra vers. 6.

3. *Ceciditque Abram in faciem suam, & locutus est cum eo Deus dicendo.*

4. *Ego, ecce fœdus meum tecum, erisque pater multitudinis gentium.*

Cecidit Abram in faciem suam] ἔπεσεν Ἀβραὰμ ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Hiero. *cecidit Abram pronus in faciem*. Vis in hoc sermone ut si diceret, adoravit DOMINUM. Nam adorantes sese in terram prosternebant. Inepte Jon. *Quia non erat circumcisus, non poterat stare: ideo procidit in faciem suam.* Nam multi circumcisi talia fecisse leguntur. Quod autem ajunt Balaamum vatem, de quo idem memoratur, supinum cecidisse, & non pronum, quam facile dicitur, tam facile negari potest. ¶ *Ego*] אני Hiero. *ego sum*. Recentior interpres, *de me*. Alius, *quod me attinet*. Sic Gall. edit. *quant à moi*. Lxx. καὶ ἐγώ. On. & Jon. אנא ego. Quidam uno spiritu legunt, *ego ecce pactum meum*: quod idem cum illo, *ecce pactum meum*. Mihi præ ceteris placet interpretamentum Hiero. *ego sum*, q. d. non mutor. Ita loquendo ipsum securum reddit ne ullo modo dubitaret de eventu eorum quæ nunc pollicetur. ¶ *Fœdus meum tecum*] sub. *est*. Nam, ut dixi, ante pepigerat cum eo fœdus, quod nunc renovat, & externo signo confirmat stabilitque. Quod fugit, non effugit. *Ergo* absolute posuit, ut quidam volunt, pro eo quod supra dixerat, *ego Deus omnipotens*. Si Deus EL. i. Fortis, & si Saddai i. omnipotens, ergo quin præstare possim quæ promitto, non debes ambigere aut dubitare. ¶ *Pater multitudinis gentium*] לאב proprie *in patrem*. Ebraismus notus המון גוים. Lxx πλήθους ἐθνῶν i. multitudinis gentium. Hiero. *multarum gentium*, On & Jon. סגי עממין. multitudinis populorum. סגי copia, multitudo, abundantia, ut סגי טובא copia boni, affluentia bonorum. ¶ *Multitudinis gentium*] sensum expressit qui vertit, *multarum gentium*. Sic On. סגי עממין. Fagius reddit, *multorum populorum* i. סגיאין עממין ad sensum non male.

5. *Nec vocabitur ultra nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham quia patrem multitudinis gentium posui te.*

Nec vocabitur ultra nomen tuum Abram] Hinc liquet morem immutandi nomina perantiquum esse. Fiebat autem nominis mutatio primum immutatione unius literæ, ut שׂרי Sarai in שׂרה Sarah: secundo adjectione Syllabæ ut אברם Abram in אברהם Abraham: tertio immutatione totius nominis, ut Iacob in Israël. Talia sunt, Gedeon, Ierobaal: Sedecias, Matthania: Nehemias, Athersatha: Esther, Hadassa: Daniel, Balthasar: Ananias, Misael, Azarias, Sedrach, Misach. Abdenago: Ioseph, Saphaneth Phanee. Ad primum genus pertinet Hoseas, Iehosua sive Iosua. Num. 13. 17. His adde Eliacim, Ioacim, quod Hebræi scribunt Jojacim & Jehojacim. Iudæi Hellenistæ ex Eliacim fecerunt Alcimus, ut ex Iesu, Iaso. Alcimus, quod Græce dicitur ἄλκιμος, fortem & robustum denotat. ¶ *Ultra*] amplius, ἔτι. ¶ *Abram*] pater altus, aut alti parens. ¶ *Abraham*] אברהם. Litera ה, quæ addita, sumpta putatur ex nomine tetragrammato. Ea cum vocali sua Syllabam efficit. Ergo auctior hæc vox integra Syllaba. Et est compositio nominis, ita mihi videtur, ex tribus integris. אב pater רב multæ המון multitudinis. Ex רב resecta, ut fit, una litera, & ex המון duæ. Alii nomini אברם simpliciter insertam volunt literam ה: alii compositum putant ex אביר & המון: quorum illud fortem & potentem declarat, ut אביר הרעים potentissimus pastorum. Cui hoc sapit, ei pectus non sapit, meo judicio. Et tamen Sophos cognominatur, qui pater hujus opinionis. Plus dicit cum dicit, *pater multæ multitudinis*, quam si diceret simpliciter, *pater multitudinis*. Nam ita loquendo sig. eum patrem esse non unius gentis, sed plurimarum. Patrem autem intellige autorem generis, ut cum legimus, *pater Syrorum*, quo is significatur, à quo Syri genus ducunt. Ceterum Abram appellatio est nominis tantum: Abraham nominis & rei simul. Nam ut nomine, ita etiam re pater erat multarum gentium. Sic Iesus & nomine & re servator erat. ¶ *Pater*] אב. On. & Ion. *in patrem*, לאב. Quod noto, ut scias inter hoc & illud nihil discriminis esse. Nam & supra etiam codex Ebræus habet, *erisque in patrem*, ubi nos vertimus, *erisque pater*. ¶ *Multitudinis gentium*] πολλῶν ἐθνῶν. Lxx. *multarum gentium*. Hiero. סגי כנשת עממין. Jon. ¶ *Posui te*] τέθεικά σε, alii, *reddidi te*] i. statui reddere inviolabili decreto. Jon. *constitui te*, מניתך. Mercerus, *constituam vel constituo jam*. On. יהבתך dedi vel posui.

6. *Fœcundaboque te nimis nimisque, & ponam te in gentes, & reges ex te prodibunt.*

Fœcundaboque] והפרתי i. fœcundum sive fructiferum faciam. Lxx. αὐξανῶ, augebo. Hiero. *crescere faciam*. פרי fructus: item fœtus, qui & καρπὸς τῆς κοιλίας i. fructus ventris: unde apud Hesychium ἄκαρπος, ἄγονος. i. infœcundus. פרי הבטן legitur Psal. 127. 3. Hinc פרה verbum, quod reddunt, fructum edo, aut fœtifico: & in conjugatione tertia הפרה fœcundo. ¶ *Nimis nimisque*] Lxx. σφόδρα σφόδρα: valde valde: aut, admodum admodum. Hiero. *vehementissime*. Tremell. *quamplurimum*. Alius, *quam maxime*. ¶ *Ponam te in gentes*] θήσω σε εἰς ἔθνη, ita Lxx. minus recte Hiero. *ponam te in gentibus*. Quanquam nec hoc nec illud latinum est. Alius, *reddam te in gentes multas*. ὁ νῦν: faciam ut ex te multæ gentes oriantur. ¶ *In gentes*] *in cœtus sive congregationes*. On. & Jon. ¶ *Reges*] *reges qui potentes erunt in populis, vel potius, qui dominabuntur in populos*. Iidem. ¶ *Prodibunt*] exibunt, egredientur.

7. *Et statuam fœdus meum inter me & te & semen tuum post te in ætatibus suis in fœdus seculi: ut sim tibi Deus & semini tuo post te.*

Statuam fœdus meum] Lxx. στήσω τὴν διαθήκην μου. Hiero. *statuam pactum meum*. On. ואקים ית קימי i. interprete Fagio, *erigam pactum meum*. Jon. ואקים ית קימי, stabiliam fœdus meum. Sic etiam Trem. & edit. Gall. ¶ *Semen tuum*] posteros tuos. ¶ *In ætatibus suis*] per ætates suas. ¶ *In fœdus seculi*] Lxx. εἰς διαθήκην αἰώνιον. Hiero. *fœdere sempiterno*. Alius, *in fœdus perpetuum*. ¶ *Ut sim tibi Deus*] ita Hiero. Recentior interpres, *me esse tibi Deum*. Alius, *quod sim tibi Deus* q. d. hæc fœderis conditio præcipua, me fore tibi Deum &c. לאלהים proprie *in Deum*. Notabimus autem On. hic habere לאלה: Jon. autem edidit לאלקא, quod scribunt לאלקא per superstitionem, He in Coph mutantes. Notabis & illud, *Statuam fœdus* cum in Ebræo sit והקמתי, rectius verti quam *stabiliam fœdus*, quod potius וקימתי diceretur. Sic dico אקים i. statuam: אקים stabiliam. Ita mihi videtur. Erigere fœdus latinum non est. Alioqui הקים etiam erigo significat.

8. *Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationum tuarum, omnem terram Chanaan in possessionem seculi, & ero illis Deus.*

Daboque tibi & semini tuo] altera conditio fœderis de possessione terræ Chanaan, quæ fere promissioni seminis annecti solet. ¶ *Daboque*] ונתתי καὶ δώσω. Vau & copulat & simul præt. in fut. convertit. Ceterum δώσω Sym. olim in δίδωμι mutavit i. do. Quidam, *& dedi* ut Vau copulet tantum, sine ulla convertendi facultate. Quod fieri potest & solet. ¶ *Terram peregrinationum tuarum*] מגריך scriptum cum Joch, quod arguit pluralem esse. Plures autem fuisse peregrinationes Abrahæ in hac terra certius est quam ut probari debeat. Quocirca non opus est confugere ad enallagen numeri. Nam quod Hiero. convertit, *peregrinationis tuæ*, potuit ille codicem habuisse in quo Joth aberat. On. & Jon. *in terra habitationis tuæ*. Habitare יתב dicitur. Hic est nomen in Ebræo quod à גור deducitur. Id peregrinari & advenam esse sig. Ergo Lxx. ediderunt ἣν παροικεῖς, in quo habitas ut advena & peregrinus, sive in qua commoraris. ¶ *Omnem*] totam. ¶ *In possessionem seculi*] i. æternam aut perpetuam. Hoc alii, illud Hiero. habet. Græci quoque εἰς κατάσχεσιν αἰώνιον. Quod pro eo habendum ac si diceret *usque ad tempora Messiæ*. Nam tunc aliud seculum incipiebat: quod aliquando seculum futurum dicitur. Qua de re dixi alias. ¶ *Et ero illis Deus*] vel *pro Deo*. Hoc Ebraismus dicit לאלהים quem Græci retinent καὶ ἔσομαι αὐτοῖς εἰς θεόν. Etiam On. & Jon. Unus Hiero. *eroque Deus illorum*, sensum expressit non verba.

9. *Insuper dixit Deus Abrahamo: tu ergo fœdus meum custodies, tu, inquam, & semen tuum post te in ætatibus suis.*

10. *Hoc est fœdus meum quod custodietis inter me & vos & semen tuum post te: Circumcidetur vobis omnis masculus.*

11. *Circumcidetis, inquam, carnem præputii vestri quod erit in signum fœderis inter me & vos.*

Tu ergo fœdus meum custodies] vel, *tu autem pactum meum custodies*. ¶ *In ætatibus suis*] per ætates suas. ¶ *Hoc est fœdus meum*] Hic perspicue *fœdus* dicit signum fœderis, h. e. ipsam circumcisionem. ¶ *Circumcidetur vobis omnis masculus*] המול circumcidi i. circumcidetur. ¶ *Omnis masculus*] Lxx. πᾶν ἀρσενικόν. Hiero. *Omne masculinum*: & subintelligitur γένος i. genus. ¶ *Circumcidetis*] vel, *circumcidite*. ¶ *Carnem præputii vestri*] τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας ὑμῶν. Caro præputii pro ipso præputio: aut hic dicit, *circumcidetis præputium carnis vestræ*. Nam caro id quo viri sumus. ¶ *Quod*

erit

erit in signum fœderis] והיה & erit vel ut sit. *In signum* i. pro signo vel signum revera. Sic vers. 8. *eroque illis in Deum* i. Deus. Quanquam enim omnium Deus est, tamen peculiari modo Deus Israelis dicitur. Qua ratione & Israelitæ vocantur populus ipsius.

12. *Et filius octo dierum circumcidetur vobis, omnis masculus in ætatibus suis: vernaculus & emptitius ex omnibus alienigenis qui non sint de semine tuo.*

Filius octo dierum &c.] ordo & constructio *omnis masculus filius octo dierum* i. natus octo dies. Lxx. καὶ παιδίον ὀκτὼ ἡμερῶν. Hiero. *infans octo dierum*, omisit copulam (&) quæ nunc redundare videtur. ❡ *Vernaculus*] ילוד בית natus domi i. verna sive vernaculus, qui Græce οἰκογενής. ❡ *Emptitius*] מקנת כסף emptio argenti sive acquisitio pecuniæ i. emptus pecunia, emptitius. Docte Lxx. ἀργυρώνητος: argento emptus. Argentum autem & Ebræi & Græci pro pecunia usurpant. On. זבין כספא emptus pecunia. Jon. זביני כספכון empti pecunia vestra. Sic versu proximo sequenti. ❡ *Ex omnibus alienigenis*] מכל בן נכר ex omni filio alieni: & sub. populi. *Filius alieni* i. alienigena, externus, ἀλλογενής, ἀλλόφυλος. Hunc interpretes Chaldæi בר עממין filium populorum noncupant. ❡ *De semine tuo*] ἐκ τοῦ σπέρματός σου. i. ex posteris tuis. On. & Jon. *ex filiis tuis*. Hiero. *de stirpe vestra*. Tales, si circumcisi fuerint, Ebræi proselytos vocant.

13. *Circumcidendo circumcidetur vernaculus tuus & emptitius tuus, eritque fœdus meum in carne vestra in fœdus seculi.*

Circumcidendo circumcidetur] omnino circumcidetur vel potius circumciditor. ❡ *Vernaculus tuus*] natus domi tuæ. ❡ *Emptitius tuus*] emptus argento tuo. ❡ *Fœdus meum*] signum fœderis mei. ❡ *In carne vestra*] in corpore vestro. Sic carnis vocabulum sumitur in illo, *Erunt duo una caro*. Sic *vita carnium* i. corporis bona valetudo. ❡ *In fœdus seculi*] in fœdus perpetuum, aut fœdere sempiterno. Lxx. εἰς διαθήκην αἰώνιον. Hiero. *in fœdus æternum*. Idem annotat, ubicunque in Græco testamentum legimus, ibi in Ebræo sermone esse fœdus sive pactum.

14. *Et præputiatus masculus qui non circumciderit carnem præputii sui, exscindetur anima illa è populis suis: fœdus meum irritum fecit.*

Præputiatus] ut capitatus, ut hastatus, ut clypeatus. Sig. autem eum qui præputium habet, sive qui nondum circumcisus est. Lxx. fere ἀπερίτμητος reddunt i. incircumcisus. Aquila vero ἀκρόβυστος: in extremitate tectus i. extremam colis partem tectam habens. Est enim præputium pellicula illa, qua glans in pudendo tegitur, quæ circumcisione amputabatur & nudabatur. Ceterum amputationem sive præcisionem vocant מילה: nudationem vero פריעה quæ propria genti Ebræorum. Nam Ismaëlitæ non prorsus nudant pelliculam. ❡ *Qui non circumciderit carnem præputii sui*] ימול accipio ut sit futurum Kal à verbo מול. Quomodo Jon. & On. יגזר circumciderit. Aliter ceteri. Nam Lxx. ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ. Et Hiero. *cujus præputii caro circumcisa non fuerit*. Et Santes, *cum non circumcidetur caro præputii ejus*. Hoc sensu erit fut. Niphal à מול. Videtur hæc interpretatio melior esse. Nam masculus non circumcidebat se ipsum, sed alius id faciebat. ❡ *Excindetur*] exterminabitur, ἐξολοθρευθήσεται. ❡ *Anima illa*] *homo ille*. On. & Jon. ❡ *E populis suis*] è consortio *populorum suorum*. vel, si mavis, *populi sui*. q. d. excludetur à cœtu sanctorum. Ceterum Lxx. h. l. habent ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ: è genere suo. Hiero. *è populo suo*. Sic etiam On. & Jon. ❡ *Irritum fecit*] הפר. Hiero. *irritum fecit*. Lxx. διεσκέδασε, dissipavit. Onkel. & Jonath. אשני mutavit. Alius, *violavit*.

15. *Et dixit DOMINUS Abrahamo, Sarai uxor tua non vocabis nomen ejus Sarai, sed Sarah nomen ejus.*

16. *Et benedicam ei, atque etiam dabo ex ea tibi filium, & benedicam ei, eritque in gentes, & reges populorum ex ea erunt.*

Sarah] vel *Sara*. Ebraice שרה cum He in fine, quod sumptum arbitrantur ex nomine tetragrammato. Hic Joth in He mutavit. Antea enim שרי dicebatur i. Sarai, δεσποινίς. Id sonat *princeps mei*. שרה autem absolute est princeps i. ἄρχουσα. Aliter paullo Hiero. *Caussa*, inquit, *ita nominis immutati hæc est, quod antea dicebatur princeps mea, unius tantum domus Mater familias, postea vero dicitur absolute princeps i.* ἄρχουσα. Et mox, *Non vocabis nomen ejus Sarah i. non dices ei, princeps mea es, omnium quippe gentium futura jam princeps est. Quidam pessime suspicantur, ante eam lepram fuisse vocitatam, & postea principem, cum lepra Saraath i.* צרעת *dicatur*. In libro nominum, *Sarai, princeps mea: Sara princeps*. Hiero. in Epist. ad Ephesios, *Sara in nostra lingua* ἄρχουσα *i. princeps interpretatur genere fœminino*. Significat etiam שרה, quando verbum est de principatu contendit. In edit. Græca, οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς Σάρα, ἀλλὰ Σάῤῥα ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς. Unde Severus, *Tum ei atque uxori ejus adjectione unius litteræ nomen immutatum, ita nunc ex Abram, Abraam, ex Sara, Sarra dicitur*. Videndi sunt Justinus in disput. cum Tryphone habita: Hiero. in Tradition. Ebraicis: Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 13. & alii. August. de Civit. Dei lib. 16. cap. 28. *De nomine autem mutato Saræ, non est reddita ratio, sed sicut ajunt qui scripserunt interpretationes nominum Ebræorum, quæ his literis sacris continentur, Sarai, interpretatur princeps mea, Sara autem virtus. Unde scriptum est in Epist. ad Ebræos, Fide & ipsa Sara virtutem accepit ad emissionem seminis*. Locus est, Ebr. 11. 11. Σάῤῥα δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβεν. Virtus ergo ἡ δύναμις. Ea חיל dicitur aut אל aut כח non שרה. Vide quid sit ab aliis pendere. ❡ *Non vocabis nomen ejus*] Lxx. οὐ κληθήσεται: non vocabitur. Legerunt יִקָּרֵא pro eo quod nunc in libris תִקְרָא καλέσεις i. vocabis. Quod legerunt On. Ion. & Hiero. Ita loquendo innuit jus mariti quod in uxorem habet. ❡ *Dabo*] נתתי dedi i. dabo vel jam do. Lxx. δώσω. Hiero. *dabo*. Jon. quoque אתן. On. יְהָבִית dedi. ❡ *Etiam*] non agit otium. Nam ut ex Hagar inquit, tibi filium dedi, ita etiam nunc dabo ex Sara legitima uxore tua. ❡ *Filium*] Lxx τέκνον. i. prolem. ❡ *Et benedicam ei*] amplius benedicam ei. q. d. Non tantum parentem eam faciam unius prolis, sed etiam gentes & reges populorum ex ea orientur. ❡ *Ei*] αὐτῇ. Pronomen ad Saram pertinet. Nam fœmininum est. Male igitur. Lxx. καὶ εὐλογήσω αὐτό: & ambigue Hiero. *cui benedicturus sum*. In verbis Ebraicis nulla omnino ambiguitas. Jon. *& benedicam ei* (Saræ videl.) *in illo* (filio). Prius dixerat, *Et benedicam ei in corpore*, i. fœcundabo eam. ❡ *Eritque in gentes*.] καὶ ἔσται εἰς ἔθνη. Ebraice והיתה & erit, Sara scil. Nam verbum fœmininum est. Hoc vult, Aliquot ex ea gentes orientur. Nam ex Saræ filio Isahaco duodecim tribus Israël, qui gentium vocabulo interdum veniunt: item Idumæi posteri Esau. On. & Jon. *in congregationes*. ❡ *Reges Populorum*] *Reges qui dominabuntur in populos*. On. Jon. βασιλεῖς ἐθνῶν: reges gentium Lxx. *reges populorum orientur ex eo*. Hiero. Innuit autem Davidem, Salomonem & alios: Sed præcipue ipsum Christum. Quanquam ejus regnum spirituale. ❡ *Ex ea*] ממנה Lxx. & Hiero. ἐξ αὐτοῦ ex eo. מִנַּהּ On. & Jon. מנה ex ea. Sententia eodem recidit. Nam hi reges ex Isahaco quoque sunt orti.

17. *Ceciditque Abraham in faciem suam & risit: & dixit in corde suo, An centenario nascetur proles? & si Sara an nonagenaria pariet?*

Cecidit] ἔπεσε, procidit, procubuit. ❡ *Et risit*] non est diffidentis, sed potius lætantis & admirantis Dei cum bonitatem tum potentiam. Itaque On. exposuit וחדי & lætatus est: & Jon. ותמה & admiratus est. Sic etiam autor Ierosol. Porro risus pro lætitia ponitur in illo, *Tunc implebatur risu os nostrum*. Locus exstat Psal. 126. 2. itaque Lxx. habent, τότε ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν: & eorum interpres, *tunc repletum est gaudio &c.* Sic interpretantur Gen. 21. 6. *Risum fecit mihi Deus*, lætitia sive gaudio me affecit Deus. ❡ *In corde suo*] apud se. Lxx. ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ, quod reddunt, *in animo suo*. Idem aliter. ❡ *An centenario*] i. nato centum annos, qui Græce dicitur, ἑκατονταέτης: Ebraice vero & Chald. *filius centum annorum*: Agebat autem Abraham cum hæc diceret, annum nonagesimum nonum. Centenarius autem genuit ex Sara filium Isahacum. ❡ *Nascetur proles*] Lxx. γενήσεται υἱός. Hiero. *nascetur filius*. Ebraice est יולד quod On. & Jon. explicant יהי ליה erit natus. i. filius aut proles. ❡ *Et si Sara an nonagenaria pariet?*] *Si, an* dictum ἐκ παραλλήλου, ut *cito, velociter, subito, derepente*. Nam *si* valet *an*, quando interrogandi nota præcedit, ut hic. Significat etiam אם quum, & forte ordo verborum perturbatus ita ordinandus est, & *quum Sara nonagenaria erit an pariet?* Vulgatus interpres, & *Sara nonagenaria pariet*, quod pronuntiatione juvandum. Nam interrogationis nota h. m. sæpe desideratur, etiam in textu Ebræo. Est autem ה quæ his duobus membris non tam interrogandi quam admirandi vim habet. Nam qui ita simpliciter interrogat, negare videtur. Lxx. καὶ εἰ ἡ Σάῤῥα ἐνενήκοντα ἐτῶν τέξεται. On. & Jon. & *si Sara an filia nonaginta annorum pariet?* nisi quod in On. אם & תליד & in Jon. אין & תוליד. quod magis denotat *gignet*. Tremell. *an etiam Sara? an nata nonaginta annos pareret?* אם גם לשרה & subintelligitur, *nascetur proles*: quod repeti debet ex præcedentibus. Non laudo. Santes, *Et an Sara filia nonaginta*

ta annorum pariet? Omisit הֲ & אִם interpretatur *an*. Sic in Latio, *Si domi est rogas?* quod exponunt, *an domi est?* Adhæc retinuit Ebraismum, *filia nonaginta annorum*, pro nata totidem annos. Minus vero mirum si ex centenario proles nascatur, quam si fœmina nonagenaria pariat. Simul ergo hæc duo membra jungenda sunt ut si diceret, An centenario proles nascetur ex nonagenaria? Nam ex juvencula, si senex prolem suscipiat, nihil mirum. Abraham certe post centesimum annum liberos procreavit ex Cetura concubina, quam ætate juvenem fuisse vel certe non adeo provectam valde credibile est. Habuit igitur corpus emortuum non simpliciter, sed respectu Saræ tantum, quæ vetula erat, & cui menses esse desierant. Ex tali si homo centenarius sobolem procreet, res est quæ naturæ repugnat, & non sine miraculo fieri potest. Proinde merito id miratur Abraham. Qua de re diximus alibi, ad quem locum te remitto.

18. *Dixitque Abraham Deo, Vtinam Ismaël vivat coram te.*

Vtinam] לוּ *Vtinam*: ita Hiero. Santes & alii, proprie אִם si. Sic in Latio, *ô si* pro utinam usurpatur, ut in illo Virgilii, nisi fallor,

O mihi præteritos referat si Jupiter annos.

Ex אִם & לוּ composita putatur particula Rabbinica אִלּוּ qua pro *si* utuntur, quasi ex παραλλήλων, ut paulo ante in textu Ebraico simul leguntur הֲ an & אִם si, duabus particulis idem significantibus conjunctis. ❡ *Vivat*] prospere agat, sit felix: aut sit salvus & incolumis. Quale illud, *Vivat rex.* ❡ *Coram te*] te vidente ac respiciente ipsum, sive, quod idem, te propitio. Nam respicere dicitur Deus quibus propitius est. Aliter exponas, *coram te*, i. tuo favore atque præsidio. Notum est, ut facies Dei pro favore ponatur. Minus recte R. Salo. *vivat in timore tui.* Quod Ebraice potius diceretur, *ambulet coram te.* Quamvis in Jon. *vivat & colat coram te.* Colat scil. pietatem & religionem. Non ea mens hujus loci. Quanquam si quis diceret Abrahamum hoc optasse, nihil inde absurde sequeretur.

19. *Et dixit Deus, Imo Sara uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Isahac, statuamque fœdus meum cum illo in fœdus seculi, semini ejus post illum.*

Imo] vel, imo vero. Lxx. ναὶ, etiam, certe. On. & Jon. בקושטא *in veritate*. i. vere. Sic etiam Santes & alii. R. quoque Salo. scribit veritatem rei significare. Ναὶ, quod interpretati sumus *etiam*, unde latinum *ne*, potest exponi, utique, immo. Quæ interpretatio huic loco melius quadrat. ❡ *Isahac*] Ita scribendum hoc nomen, non Isaac, quod à Græcis ad Latinos manavit. Græci enim scribunt ἰσαὰκ. Nam dictiones in medio non adspirant. Hoc necessitatis est, quæ peculiaris ei linguæ. Latina hic propius accedit ad Ebraicam, quam sequi debemus in vocibus Ebraicis, non Græcam. Appellatio à risu. Nam quia pater riserat, ideo Deus hoc nomen filio imponi voluit. Hinc duo elicimus. Primum est risum illum culpa caruisse. Nam si culpam habuisset, nullam ejus memoriam, ut credibile est, extare voluisset Deus. Alterum est Isahac appellatum à risu patris potius quam à risu matris, qui sine vitio non erat, ut ne dicam post eum secutum fuisse. Nam cum hæc mandaret Deus, Sara nondum riserat. Huic nomini respondent apud Græcos Γελάσιος & Χαρίας. Artabanus Γέλωτα interpretatur. Vide sis Eusebium Προπαρασκευῆς. lib. 9. pag. 246. editionis R. Stephani. Philo in libro nominum, *Isaac, risus vel gaudium.* Γέλως ἢ χαρά. Hinc intelliges quid sit Amos 7. 9. *destruentur aræ risus.* Quod Græce legitur βωμοὶ γέλωτος: Ebraice autem est במות ישחק i. altaria Isahac. Nam hoc nomen, licet frequentius per Sade scribatur ישחק scribitur tamen etiam per Sin, ut Psal. 105. & Jerem. 33. item Amos 7. 16. Hic notabis nomen quibusdam impositum fuisse antequam nascerentur. Sunt autem Ismael, Isahac, Salomo (pro quo vitiose Samson in Eucherio) & Josias. His addi posset Iesus, quod ab angelo ei inditum. Res est non conjectura. Consule Matthæum Evangelistam. ❡ *Statuamque*] וַהֲקִמֹתִי Alii *& stabiliam* וְאָקִים. Sic differunt apud Chaldæos אקים & אֲקִים. Quod postremum legitur alibi in Ion. vitio, ut suspicor, eorum qui apices addiderunt. Sane uterque interpres h. l. אקים habet, quod alii scribunt אֲקִים cum -: sub Aleph. ❡ *In fœdus seculi*] s. æternum sive sempiternum, perpetuum. ❡ *Semini ejus*] Iacobo ejusque posteris. Nam Esau exclusus fuit ex hoc fœdere. Scitum illud, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et *semini ejus*, i. e. לזרעו. Videtur dicendum fuisse, *cum semine ejus.* Nam præcedit, *cum illo.* Gall. edit. *pour sa posterité.* i. pro semine ipsius. Sic alibi *DOMINUS mihi* i. pro me. Lxx. εἶναι αὐτῷ θεὸς καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. Addiderunt de suo, *ut sim ei Deus.* Hiero. *constituam pactum meum illi & semini ejus.* On. & Ion. *Cum illo, filiis ejus post illum*, i. posteris ejus. Cave ad Iacob & Esau restringas. Videndum an filii nomen numero multitudinis, de uno dicatur, ut liberi apud Latinos.

20. *Et de Ismaële exaudivi te, Ecce benedixi ei; & fœcundabo eum & multiplicabo eum nimis nimisque: duodecim duces gignet, & ponam eum in gentem magnam.*

De Ismaële] quod Ismaëlem attinet pro quo intercessisti. ❡ *Exaudivi te*] *accepi preces tuas.* On. & Ion. ❡ *Ecce benedixi ei*] Hiero. *benedicam ei.* Sed melius Lxx. εὐλόγησα αὐτόν. Nam est verbum præteriti temporis in fonte: etiam in On. & Ion. Vide supra 16. 10. ❡ *Et fœcundabo eum*] Lxx. καὶ αὐξανῶ αὐτόν. Hiero. *Et augebo eum.* Verbum è verbo, faciam ut fructum i. fœtum edat. Nam פָּרָה fructum fero, fœtum edo. Fructus enim animantium aliud nihil est quam fœtus aut proles; unde ἄκαρπος infœcundus. i. ἄγονος. ❡ *Duces*] נְשִׂאִם pro נְשִׂיאִים Duces vel principes. Chaldaice רברבין In Lxx. ἔθνη. i. גוים Hi duces duodecim ipsius filii sunt, qui memorantur infra cap. 25. ❡ *Gignet*] γεννήσει, *generabit.* Lxx. Hiero. ❡ *Ponam*] vel *reddam.* Ebraice. וּנְתַתִּיו Lxx. καὶ δώσω αὐτόν. Hiero. *Et faciam illum.* On. & Ion. ואשויניה. Alibi verbo שִׂים utuntur eodem significatu.

21. *Et fœdus meum statuam cum Isahaco, quem pariet tibi Sara, tempore isto anno altero.*

Statuam] στήσω, ut supra vers. 19. ubi in edit. Complutensi θήσω. i. ponam, אָקִים ❡ *Tempore isto*] למועד הזה. Lxx. εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον: ad tempus hoc. Hiero. *tempore isto.* On. לזמנא הדין ad tempus illud. Ion. בזמנא הדין in tempore isto. Recentior interpres, *hoc eodem tempore.* Ceterum cum in fonte sit למועד melius redditur ad tempus quam in tempore i. במועד. Esto autem מועד proprie tempus statutum ad conveniendum; unde pro conventu ponitur & pro loco in quo convenitur. Dicitur etiam יום מועד dies constituti temporis, quo diem mortis innuunt: & בית מועד domus constituti temporis i. sepulchrum Iob. 30. 23. Alii sic appellari sepulchrum putant, quod frequens & celeberrima domus sit quam adire mortales omnes debent. Mercerus annotat proprie καιρὸν denotare, cui in eo non plane assentior. Nam καιρὸς עת dicitur, quo nomine etiam χρόνος appellatur. Sic Latini tempus usurpant pro articulo temporis, ut apud Terentium, *in tempore ad ipsum veni, quod rerum omnium est primum.* ❡ *Anno altero*] anno proximo subsequente, qui Abrahæ centenarius erat, Saræ vero nonagenarius.

22. *Cumque absolvisset loqui cum eo ascendit Deus ab Abraham.*

23. *Accepitque Abraham Ismaël filium suum & omnes vernaculos suos, & omnes emptitios suos, omnem marem ex viris domus Abraham; & circumcidit carnem præputii eorum illo ipsomet die, quemadmodum locutus fuerat cum eo Deus.*

Cumque absolvisset loqui cum eo] ויכל לדבר אתו & absolvit vel finiit loqui cum eo. In quibusdam Græcis additum ὁ θεὸς Deus: quod ex sequenti membro huc repeti debet. Hiero. *Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo.* ❡ *Cum eo*] cum Abrahamo. ❡ *Ascendit*] in cœlum. ❡ *Deus*] *gloria DOMINI.* On. & Jon. ❡ *Accepit*] ἔλαβεν, sumpsit. ❡ *Vernaculos suos*] aut *vernas suos.* Lxx. τοὺς οἰκογενεῖς αὐτοῦ. Ebraice *natos domi suæ.* Sic etiam est Chaldaice. Hiero. *vernaculos domus suæ.* ❡ *Et omnes emptitios suos*] In Ebræo est ad verb. *omnes emptos pecunia* vel argento. Quod Græci expresserunt πάντας τοὺς ἀργυρωνήτους: & Hiero. *universos quos emerat:* & alius recentior, *quæcunque emerat pecunia sua.* ❡ *Ex viris domus Abraham*] nomen loco pronominis. Nam Latine potius diceremus, *ex viris domus suæ* i. domesticis suis. Lxx. πᾶν ἄρσεν τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐν τῷ οἴκῳ Ἀβραάμ: omnem masculum virorum qui domi Abrahæ. בְּאַנְשֵׁי verb. è verbo, *in viris*, vel, si mavis, *in hominibus.* Nuperus interpres, *inter domesticos suos.* ❡ *Et circumcidit*] וַיָּמָל scribi debet cum accentu in penultima ut scriptum offendi in duobus Venetis. Nam Holem mutatum in (ָ) breve ob retractum accentum per Vau convertens. Quod si accentus ultimam obtineret, scriberetur וַיָּמֹל. Consule Grammaticos. Hoc ante me Mercerus annotavit, qui etiam scribit in Bibliis Reginæ vocem penacutam esse. Hic quæri potest utrum ipse Abraham suos circumciderit an alius, cui ea cura ab ipso demandata, ut sensus sit *circumcidit* i. circumcidi curavit. ❡ *Illo ipsomet die*] בעצם היום הזה verti, *illo ipsomet die.* עֶצֶם os: item robur. Chaldaice בכרן יומא הדין quod Fagius reddit, *in eodem die isto.* Forte קֶרֶן cornu i. קרן unde Græcum κέρας. Notum ut cornu pro robore ponatur. Lxx. ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἡμέρας ἐκείνης: *in articulo diei illius.* Hiero. *in ipsa die:* quod rejeci, quia dies, cum fœminime usurpatur, fere tempus designat; unde diecula. Trem.

ex

ex ipso die. Santes, *in corpore diei ipsius.* Gallica, *en ce mêmejour la.* Optime & rectissime.

24. *Erat autem Abraham nonaginta novem annorum cum circumcideretur ipse carne præputii sui.*

25. *Et Ismael filius ejus erat tredecim annorum, cum circumcideretur ipse carnem præputii sui.*

Cum circumcideretur carne] בהמלו בשר cum circumcideretur ipse carnem; i. את בשר, ut mox versu altero, *Circumcisus carnem*, ut *Æthiops albus dentes.* Et המלו infinitum Niphal cum affixo, quod idem cum nominibus jus retinet, ut בהבראם dum crearentur ipsi: aut ubi creati essent. Hiero. hic habet, *quando circumcidit carnem præputii sui.* i. circumcidi curavit. Nam non est credibile Abrahamum seipsum circumcidisse. Lxx. ἡνίκα περιετέμετο τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ: quando circumcisus est carnem præputii sui. On. & Ion. כד גזר i. interprete Fagio, *quando circumcidit.* Paulo post videl. vers. 26. in Ion. גזר אברהם ubi in On. אתגזר circumcisus fuit. Locus iste facit ut existimem כד גזר reddi posse, quando circumcisus est. tamen non statuo. Ampliandum censeo. ¶ *Erat tredecim annorum*] Hinc est quod Ismaelitæ non circumcidunt infantes ante annum decimum tertium ætatis. Quod manifesto pugnat cum institutione divina: quam qui violare vult, semper aliquam causam prætexit, ut hic Ismaelitæ. ¶ *Carnem præputii sui*] את בשר ערלתו. On. ית בשרא præcedit autem כד גזר quando circumcidit, si modo גזר est circumcidit, & non circumcisus fuit. Hiero. *Et Ismael filius suus tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ.*

26. *Eo ipsomet die circumcisus fuit Abraham & Ismael filius ipsius.*

27. *Et omnes viri domus ejus, tam vernaculi quam emptitii ex alienigenis circumcisi sunt cum eo.*

Eo ipsomet die] vel, *Eodem illo die.* ¶ *Omnes viri domus ejus*] omnes domestici ejus. Quidam, *in substantia diei illius.* ¶ *Tam vernaculi &c.*] ad verb. *natus domi & emptus argento à filio alieni i. ab alienigena.* ¶ *Ex alienigenis*] On. *ex filiis populorum.* Lxx. ἐξ ἀλλογενῶν ἐθνῶν: ex alienigenis gentibus. Hiero. *& alienigena* ובן נכר. Sensus est, & qui erant ex alienigenis i. proselyti, qui non erant ex semine Abrahami.

AMAMA.

13. IN Vulgata desunt hæc verba, *Circumcidendo circumcidetur natus domus tuæ & emptus argento tuo.* Quæ otiosa esse frustraque à Spiritu Sancto repetita quis asseruerit? Certe is Judæis profligatior esset, quorum illud est, *Nullum apicem esse in lege à quo non pendeant magni montes.* Ne enim servos ex hoc fœdere excluderet superciliosa & superba gens, illud denuò inculcare Abrahamo voluit Deus, ut haberent Judæi quem sequerentur. Ideo & Onkelos ea legit, nec non Lxx. prout in potioribus Exemplaribus videre est. Certe Romana Sixti V. jussu anno 87. edita repetunt ὁ οἰκογενὴς τῆς οἰκίας σου καὶ ὁ ἀργυρώνητος. Videatur hic Cajetanus. Nec non Steuchus, qui impudenter hic asserit *morem esse linguæ Ebraicæ eadem sæpe otiose inculcare.* Vix dabit hoc citra levitatis notam Possevinus, cujus illud in Προλεγομένοις citavimus, *In Ebræa lingua tot sacramenta quot literæ, tot mysteria quot apices* &c.

DE MUIS.

15. DIxit quoq; Deus ad Abraham, *Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Risi nuper, cum in eum locum incidissem ubi explicans Abarbanel causam propter quam edixit Deus ut quæ antea Sarai dicta fuerat Sara deinceps vocaretur, voluisse Deum ait quæ antea שרי *Sarai* nomine terminationis masc. diceba-tur, eam postea שרה *Saram* appellari cum ה in fine generis feminei nota, ut eo nomine deinceps palam fieret omnibus nunc eam esse feminam quæ antea ob infœcunditatem quasi non femina fuisset. Sic ferme ille, qui observat præterea veteres Hebræorum etiam dixisse, שלא היה לה אבר ההרון רל״ הנשים שנעשים *Sara defuisse id per quod feminæ evadunt matres.* Aliter vertere non sinit pudor. Scilicet Veterum illorum non alia mens videtur fuisse, quam Saram antea veluti non feminam fuisse, quæ nihil adhuc mundo liberorum edidisset. Quasi vero tantillum rei Deum moverit ut nomen Saræ immutaret. Quot autem nomina sunt mulierum etiam fœcunda prole beatarum quæ terminationem masculinam habent? Nihil opus exemplis in re perspicua. Melius Rasi, qui ad versum notatum sic habet לא תקרא את שמה שרי דמשמע שרה לי ולא לאחרים כי שרה סתם שתהא שרה על כל: *Non vocabis nomen ejus Sarai, quod sonat principem* (seu *dominam*) *meam*, (quasi שרי sit pro שרתי) *aliorum vero non; sed* שרה (i. Princeps) *absolute ei nomen erit: siquidem omnium futura est princeps ac domina.* Optime hoc sane quadrat ad Abrahami etymon, *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum Gentium constitui te*, Gen. 17.5. Observandum porro id quod Elias Orientalis, interpres Rasi, ad illud mox notati loci, שרה לי, i. *Principem meam*, annotat, פי׳ לאומתו כדאמרו בשלהי פק׳ דברכות בתחלה נעשת שרה לאומתה ולבסוף נעשת שרה לכל האומות ותרשי׳ שרי לשון יחיד משמע שרתי, i. *Principem Gentis meæ*, sicuti est in שלהי cap. 1. ברכות *Initio facta fuit Princeps gentis suæ, ast tandem facta est Princeps nationum omnium. Accipit autem Rasi* ית׳ שרי *in numero singulari, ut sonet idem ac* שרתי. Abarbanel, quem citabam antea in alia quadam sententia, interpretatur etiam שרי *Sarai, Principem meam*, ut amplius non esset dicenda unius Abrahami domina, sed שרה *Sara*, i. *Princeps*, seu *Domina*, multarum nationum.

GROTIUS.

2. P*Onamque fœdus*] Circumcisionem, ut infra 10. nempe externam τὸ ῥητῶς, [*verbotenus*]: internam μυστικῶς [*mystico sensu*].

6. *Regesque ex te egredientur*] Ab omni ævo nullus est qui cum Abrahamo comparari possit multiplice regum progenie. Ab illo fuere reges Hebræi duodecim tribuum, duarum tribuum, decem tribuum. Ab illo reges Idumæi veteres, & longo intervallo ab Herode geniti reges. Ab illo in Africa reges Cethuræ genus. Ab illo reges Saraceni in Arabia, Babylone, Ægypto, tot in Africa, tot in Hispania gentis ejusdem reges. Ab illo denique Messias rex omnium regum Christianorum.

7. *Et inter semen tuum*] Sunt enim fœdera quædam personalia: alia, ut hoc, ad successores transeuntia.

12. *Octo dierum*] Quia ante eum diem infirmior infans quam ut par sit dolori, ut notat Maimonides. Aristoteles lib. VII. c. VII. de Historia animalium, agens de infantibus, οἱ πλεῖστοι ἀναιροῦνται πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ [*plerique moriuntur ante diem septimum: unde & tunc induntur ipsis nomina, quippe majore jam fiducia concepta de ipsorum salute*]. Hæc causa cur pecudum partus ante octavum diem Deo non consecrentur, Exodi XXII. 30. Fiebat autem circumcisio de die, ut res esset notior. Præputium in pulverem projiciebatur. Poterat fieri circumcisio per sacerdotes, per Levitas, per privatos, etiam per mulieres, non tamen per exleges.

Tam vernaculus quam emptitius] Incircumcisus in terra quidem Hebræis data vivere poterat sub bonis legibus; non item in domo Hebræi alicujus, ne mores exemplo diverso confunderentur.

14. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*] Chaldæus: *qui non præciderit carnem præputii sui*: id est, qui non curaverit se circumcidi, ubi ad justam ætatem pervenerit, annum puta XIII. ut volunt Hebræi interpretes: ex eo enim tempore, si parentes & publici parentes, id est, magistratus, neglexerint, ipse obligari incipit. Male hic nescio à quo additum in Græco τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ [*die octava*], quomodo sæpe citat August. De circumcisis populis vide quæ ad librum 1. de Veritate Religionis Christianæ dicta.

20. *Duodecim duces generabit*] Ab his sunt duodecim Arabum Φύλαρχοι [*tribuum principes*] apud Strabonem. Iidem Saracenorum Phylarchi apud Menandrum Protectorem.

21. *Pactum vero meum statuam ad Isaac*] Nempe gentilitium: non mere personale, aut exigui temporis.

22. *Ascendit Deus ab Abraham*] Fulgor Dei, Chaldæus.

CARTWRIGHTUS.

1. D*Eus omnipotens* אל שדי] Aben Ezra interpretatur *Schaddai* תקיף, i. e. *validum, potentem.* Ut Ezek. 10. 5. בקול שדי. Addit multos deducere à שדד, *vastare, perdere*; ac velle *Deum ita appellari, quod omnia superet, omnibusque prævaleat.* R. Salom. putat compositum ex אשר (pro אשר ponitur ש, ut Eccles. 4. 2. שכבר) qui, & די, sufficit. Sic enim explicat, אני הוא שיש די באלהותי לכל בריה, i. e. *Ego is sum, qui Deitate mea omnibus sufficiam.* R. Moses in More part. 1. cap. 63. etiam deducit à *Dai* sufficiens, & ש pro Asher, *qui*; atque ait hoc nomen significare, *qui sufficiens est*; ac *Deum ita appellari, quod sibi sufficiat, neque opus habeat existentia alius alicujus entis, aut ut ab alio conservetur, sed existentia Dei sibiipsi sola sufficiat.* Assentior autem potius R. Salomoni, hoc nomine significari, *Deum non solum sibi, sed & aliis omnibus sufficere.* Drusius in Genes. cap. 45. refert, nonnullos deducere à שד, *mammam*, q. d. *mammosum, quod omnes alat ac nutriat.*

nutriat. Ipse autem putat veriorem originationem esse à ש & די, *qui sufficiens*, αὐτάρκης, ut Plato vocat *Deum* αὐτάρκη, atque huc referendum esse interpretamentum ἱκανός. Mercero magis placet, ut sit à שדד, *vastare, qui omnia possit subvertere*: utrumque autem etymon insigne esse asserit. Hieron. in Ezech. 10. (non ut Drusius habet, Ezech. 1.) dicit Aquilam, Symmachum & Theodotionem interpretari ἱκανόν, quod fortem potentemque interpretatur. Et epist. 136. ait Aquilam *Schaddai* interpretari ἄλκιμον, quod (inquit) *nos robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus.* Porchetus contra Judæos, part. 1. cap. 10. ait *Schaddai* nusquam apud Hebræos nisi de Deo dictum reperiri. Hoc etiam confirmat Buxtorfius in dissertatione de nominibus Dei, sect. 49. Drusius (ubi supra) ait non semper esse Dei epitheton, sed aliquando (si Hebræis credendum) esse nomen profanum; ut Job. 22. 25. Ezech. 1. 24. (citat etiam, sed mendose, Isai. 13.) Sed de his (inquit) locis Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

Ambula coram me.] LXX εὐαρέστει ἐνώπιον ἐμοῦ, *place in conspectu meo.* Vide cap. 5. 22. Chald. פלח קדמי, *servias*, *seu colas coram me.* Similiter R. Salom. qui insuper addit הדבק בעבודתי, i. e. *adhæreseas cultui meo.*

Nec amplius nomen tuum vocabitur (a) *Abram.*] Hieron. in Tradit. refert Hebræos dicere, quod ex nomine suo Deus, quod apud illos tetragrammaton est, ה literam Abrahæ & Saræ addiderit. Dicebatur enim (inquit) primum אברם Abram, quod interpretatur *pater excelsus*; & postea vocatus est, אברהם Abraham, quod transfertur *pater multarum*, nam quod sequitur, *gentium*, non habetur in nomine, sed subauditur. Porchetus contra Judæos, part. 2. cap. 12. ex tractatu Talmudico de Primitiis hæc citat; *In principio fuit pater Aram, & ideo vocatus est Abram; finaliter vero pater totius seculi, & nomen ejus fuit Abraham.* Eadem habet Galatinus de Arcan. lib. 5. cap. 13. & lib. 9. cap. 12.

10. המול *Circumcidatur.*] Est infinitivum; unde R. Salom. & Aben Ezra dicunt esse pro להמול, *ut circumcidatur.* Sic Chald. לגזור, quod idem valet. Sed quidni potius dicamus esse דרך קצרה (ut loquuntur Hebræi) i. e. phrasin concisam, pro המול ימול, i. e. *circumcidendo circumcidatur*, ut plene exprimitur, ver. 13.

14. *Et præputiatus masculus*, *&c.*] R. Salom. notat hinc disci, circumcisionem in ea corporis parte peractam fuisse, quæ marem à fœmina distinguit.

Exscindetur anima illa, *&c.*] R. Salom. de orbitate, ac prærnatura morte interpretatur. Aben Ezra sic exponit; Si fuerit filius præcepti, & non circumciderit carnem præputii sui, exscindendus est. Nam quod præcipitur de puero infante, ad patrem spectat. Quod si pater ejus eum non circumcidat, seipse circumcidet, cum in potestate sua fuerit. Excidium autem manu Dei (בידי שמים ad verb. *per manus cœli*) infligitur. Addit nonnullos perperam existimare, puerum, si incircumcisus moriatur, non habere partem in futuro seculo. LXX καὶ ἀπερίτμητος ἄρσεν, ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ τῇ ὀγδόῃ, ἐξολοθρευθήσεται, &c. *Et incircumcisus masculus, qui non circumciditur carne præputii sui die octavo, exterminabitur, &c.* Istud de die octavo de suo addiderunt. Nec poterat (inquit Lyra) ultra octo dies (circumcisio) differri; alioquin pater pueri, vel ejus tutor, si pater esset mortuus, morte debebat puniri; (de morte æterna exponit Doring) ipse etiam puer veniens ad ætatem adultam, si negligeret circumcisionem, puniendus erat morte. Vide August. de Civit. Dei, lib. 16. cap. 27. ubi versione 70 Interpretum deceptus, in hujus loci interpretatione parum commode se expedit.

15. *Non amplius vocabis nomen ejus Sarai, sed Sarah erit nomen ejus.*] Sarai (inquit R. Salom.) sonat, *domina mea*, & non aliorum; at *Sarah*, seu domina simpliciter erit nomen ejus; namque omnium erit domina. Similiter Hieron. in Tradit. *Caussa* (inquit) *nominis immutati hæc est, quod antea dicebatur* (b) *princeps mea, unius tantum domus mater familias; postea vero dicitur absolute princeps*, id est, ἄρχουσα. Sequitur enim, Dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes; & reges populorum erunt ex eo. Addit quosdam pessime suspicari, ante eam lepram fuisse vocitatam, & postea principem; cum lepra צרעת Zaraath dicatur, quæ in nostra lingua videtur aliquam habere similitudinem, in Hebræo autem penitus est diversa. LXX οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς Σάρα, Σάρρα ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς. Quasi mutatio nominis in additione literæ ρ consisteret; quod à vero longe est alienum.

(a) *Nomen Abraham compositum videtur ex Ab. i. e.* pater *& rab, i. e.* magnæ, *& hamon, i. e.* multitudinis. (b) *At Sarai potius sonat, principes mei.*

16. *Reges populorum* ממנה יהיו *ex ea erunt*] Sic Chald. מנה *ex ea.* At LXX ἐξ αὐτῆς. Et Vulg. *ex eo.* Quod ad sensum attinet, perinde esse videtur, utrum ad matrem, an ad filium referatur; nec adeo momentosum esse, quod dicit Fagius, obscurari promissionem, quam Deus hic Ecclesiæ suæ promittit, cujus typum gerit Sara. Hunc igitur locum, tanquam censura sua haud dignum, prætermisit Amama.

17. *Et risit.*] Chald. וחדי, i. e. *& lætatus est.* R. Salom. hanc expositionem probat, atque addit *Abrahami risum ex fide, Saræ autem ex incredulitate provenisse*; ac propterea Saram reprehensam fuisse, non autem Abrahamum. Jonath. & Hierosolym. ותמה *& admiratus est.*

Num centenario nascetur filius?] Ad verb. *filio centum annorum.* Sic ibidem Sara vocatur *filia 90 annorum*, i. e. *nonagenaria.* Ita passim phrasis ista usurpatur. Lyra recte notat, *Abrahamum hoc dixisse, non dubitando, sed divinum beneficium admirando.* R. Salom. notat, *prioribus seculis homines quingentorum annorum filios procreasse*; at ætate Abrahami hominum vitam adeo fuisse decurtatam, ut centenarium gignere esset pro miraculo.

20. *Et de Ismaële*, *&c.*] Ex hoc (inquit Lyra) dicunt Hebræi, & verum videtur, quod Ismaël finivit vitam suam in bono; quia de hoc Abraham rogaverat ipsum Deum. (Sic interpretatur illud ver. 18. *Utinam Ismael vivat coram te*, i. e. faciens voluntatem & beneplacitum tuum.) Vide ad cap. 25. 9. & 17.

בעצם היום הזה *In isto ipso die.*] Sic ver. 26. Non cunctatus est Abraham Dei mandatum exequi, ut notat Aben Ezra. Nec inepte idem hinc colligit, servos Abrahami, qui tam multi erant, omnesque eo ipso die circumcisi, non ab eo fuisse coactos, sed volentes, lubentesque ad Dei mandatum peragendum festinasse. R. Salom. hic argute, ut solet, ait, *Abrahamum id die, non nocte fecisse*; nimirum non metuisse sibi à gentibus & derisoribus; neve adversarii ejus dicerent, se, si vidissent, haud permissuros fuisse, ut istud Dei præceptum observaret.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

1. A*pparuit*] In Hebræo habetur, *Visus est ei*, sed quod idem est. Proinde quid Hebræi sentiant de planitie Mamre, jam supra diximus. Et quod sequitur, *Et ecce tres viri*, incessit hic Aben Ezra Christianos, mysterium Trinitatis confitentes, per hæc verba, טעו רוח אמרו כי השם שלשה אנשים והוא אחד והוא שלשה ולא יתפרד ושכחו ויבואו שני המלאכים סדומה. *Qui errant*, inquit, *spiritu, asserunt Deum habere tres Personas; & cum sit trinus, unitatem tamen non multiplicari. Hi non advertunt id quod sequitur, Venerunt duo angeli Sodomam.* Hæc ille. Id certum est, Abraham tres vidisse, & unum allocutum, *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis*; quicquid garriant Judæi. Si Abraham non agnovisset mysterium, dixisset, *Domini mei, si inveni gratiam in oculis vestris*, &c. Ostendunt Prophetæ in Deo pluralitatem Personarum, sed non explicant qualis & quanta sit. Reservabatur id gloriæ Novi Testamenti, quod personas expresse notat, quod sit in Deo Persona generans, Persona generata, & Persona ab utraque procedens. Fuit hic articulus de Trinitate inclusus in generalem fidem in qua sancti patres mortui & salvati sunt.

2. *Incurvatus est*] Hebræa vox וישתחו significat *adorare*, *geniculari*, & *incurvari prono corpore.* Nec est hic plurale propter Vau surec; sed Vau illud ponitur loco He tertiæ radicalis: Pluraliter vero sic scribitur, וישתחוו cum duplici Vau.

4. *Refocillamini*] Verbum Hebræum proprie significat *fessum corpus appodiare & sustentare*, quo quietius exhaustas recuperet vires. q. d. *innitimini.*

10. *Juxta tempus vitæ*] Gerundensis sic putat hunc locum intelligendum, *Revertar ad te tempore isto in sequenti anno: & vos eritis vivi, habebitque Sara filium.* Et illud quod sequitur, *Quod erat post illum*, nostri fere omnes neglexerunt. Habent autem hunc sensum, Stabat Sara juxta ostium, quod erat Angelo loquenti ad tergum. Item per illud, *Via*, seu *consuetudo, secundum mulieres*, intelligitur tempus conceptionis, quod Sara jam ætate sua transierat, cum ארח in ea cessasset.

14. *Mirabile*] Habet textus Hebræus, *Nunquid mirificabitur à Domino res ulla?* h. e. Nunquid tam mirabile & excellens est aliquid quod à Deo non possit fieri?

16. *Emitteret*] h. e. *Deduceret*, ut habet communis translatio.

19. *Adducat*] Impleat promissiones. Sicut &, *qua locutus est* capitur pro *pollicitus est*.

21. *Consummationem*] Kimhi sic exponit hunc locum ut nos vertimus. R. S. vero, sequens Chaldæum interpretem, hunc dicit subesse sensum, *Utrum secundum clamorem qui venit ad me fecerint, & permanserint in sua pertinacia, consummationem faciam in eis.* Et quod paulo post sequitur, *Absit à te*, Hebræa dictio, nempe חלילה, proprie significat *rem absurdam & profanam.* Aben Ezra exponit, דבר שלא יתכן, i. *res inconveniens.*

25. *Nunquid judicans*] Neminem ex nostris scio qui hunc locum bene reddiderit. Omnes ex He quæsitivo faciunt articulum; & ex *faciet*, *facies*. Est autem hic sensus, *Nunquid qui judicat universam terram, ille non faciet judicium*, scilicet æquitatis & discretionis, condemnans justos cum impiis? Et quod sequitur, *Complacuit mihi*, omnes Rabbini exponunt, רצה & חפץ. Translator noster legit, תחלתי *cæpi*, pro הואלתי *volui*.

28. *Ob quinque*] h. e. Si deficiant quinque à prædicto numero.

FAGIUS.

2. TRes viri stabant, &c.] Sentiunt Hebræi, unicuique angelorum suum certum deputatum esse ministerium & negotium quod expediat, nec uni multa simul negotia exsequenda committi: Ideoque tres Angelos missos fuisse ad Abrahamum, primus, ut annunciaret filium suscepturum ipsum ex Sara; alter, ut eriperet Lot ex Sodomis; tertius, ut everteret Sodomam cæterasque urbes. Nostri ex apparitione Angelorum Trinitatis mysterium colligunt.

5. *Idcirco enim transivistis*, &c.] R. S. hunc locum non inepte ita legit & intelligit, *Eo quod divertistis ad servum vestrum.* q. d. Quia mea causa venistis, & apud me divertistis, dignum est ut honore aliquo vos quoque excipiam. Idem adferit, istam locutionem Hebraicam כי על כן, Chaldaice ארי על כן, ubique hanc habere vim significandi, perinde ac si diceretur, על אשר, i. *eo quod.*

10. *Vos eritis incolumes*] קיים, i. *Viventes, salvi, incolumes.* ¶ *Post illum*] Scilicet Angelum: h. e. Ostium Angelo loquenti ad tergum erat. Thargum Hierosolymitanum habet, *Et Ismael stabat post ipsum.*

11. *Consuetudo mulierum*] Hoc est, Desierant ei muliebria. Non amplius secundum naturam idonea erat conceptioni.

12. *Erit mihi juventus*] Actum conjugalem caste, reverenter & honeste circumloquitur Sara. Quæ tam speciosa mulier fuit, ut etiam reges in concupiscentiam ejus exarderent, putat jam sibi indecens esse ut voluptati operam det: Quam per *juventutem* intelligit, eo quod juvenes ad eam magis sint proclives.

14. *Num occultari poterit*, &c.] i. Num Deum aliquid latet, fugit, atque illi occultum est, quod non possit efficere? Et nos Germani ita quoque loquimur, Das ist mir verborgen, significantes nos nescire, nec posse aliquid efficere.

IDEM.

10. ושרה שומעת פתח האהל והוא אחריו *Sarah vero hoc audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post illum.*] Variatio est circa hæc, והוא אחריו, &c. quod varie cum redditur tum exponitur. Quidam sic legunt, *Et Sara audiens ad ostium tabernaculi, & ipsum* (scilicet *ostium*) *post eum* (scilicet *Abrahamum*) *erat.* Aben Ezra sentit angelum fuisse post tabernaculum, in cujus ostio sedebat Abraham. Alii dicunt ostium tabernaculi ipsius Saræ fuisse post tabernaculum Abrahami. R. Salomo sic explicat, והפתח היה אחר המלאך, *ostium erat post angelum.* Atqui hæc omnino apparet hujus loci esse vera & genuina lectio, ut intelligas tabernaculum in cujus ostio Sara audiebat verba angeli cum Abrahamo loquentis illi à tergo fuisse, sic ut angelus aversa facie ab ostio tabernaculi in quo Sara erat cum Abrahamo collocutus fuerit, quod propterea refert Scriptura, ut videas angelum non ignorasse quod Sara risit, tametsi steterit à tergo ejus, nec viderit eam ridentem. Hujus loci lectio nata est ex ambiguitate vocum הוא & אחריו, quæ vel ad *angelum*, vel ad *ostium*, vel ad *tabernaculum* referri possunt.

11. חדל להיות לשרה ארח כנשים *Et cessaverat fieri Saræ via secundum mulieres.*] Septuaginta & Lat. Vulg. editio ad sensum potius quam ad verba respexere. Est autem *cessare viam secundum mulieres* Hebraismus, quo circumloquuntur mulierem effœtam, quæ propter senium non amplius patitur menses. Quidam ad mores referunt, quasi desierit esse moribus ineptis ac juvenilibus. Alii de coitu exponunt, quod ejus amplius minime adpetens fuerit. Verum prima sententia simplicissima est.

14. שוב אשוב אליך כעת חיה ולשרה בן לאשתך *Revertendo revertar ad te, juxta tempus vitæ, & ecce filius erit Saræ uxori tuæ.*] OMNIS variatio hic est circa hæc כעת חיה, quæ ad verbum si reddas, sonant, *juxta tempus vitæ*, seu, *viventis.* Quæ quidam, quod ad sensum attinet, ad *fœtum* referunt: q. d. angelus, Revertar anno revoluto, circa tempus quo natus erit filius. Alii ad *Parentes* referunt, hoc sensu, Revertar ad te tempore isto sequentis anni, quo vos omnes eritis vivi & incolumes: quam sententiam habet Onkelos Chald. in sua paraphrasi; quem sequitur & R. Salomo, & post illum Gerundensis. Nonnulli de Sara dictum putant, ut Aben Ezra, qui sic explicat, כעת הזאת בשנה האחרת ושרה חיה, *Juxta tempus hoc, in anno altero, & Sara viva erit atque incolumis.* Alii ad *Angelum* referunt, qui hæc de seipso ἀνθρωποπαθῶς dixerit, hoc sensu, Revertar ad te anno revoluto, hoc ipso tempore, si vixero. Quem sensum secutum putant autorem Lat. editionis sua hac versione, *vita comite.* R. D. Kimhi refert ad ipsum Abrahamum: in Radicibus enim suis hunc locum breviter sic explicat, כעת הזאת לשנה הבאה שתהיה חיה, *Juxta tempus istud sequentis anni, quo* ■, Abraham, *eris vivens.* Mihi prima sententia omnium maxime probatur, ut scilicet ad *Fœtum* referatur, de quo dicit angelus se rursum adfuturum posteaquam ille jam in lucem editus erit. Eadem enim loquendi formula in eodem sensu habetur 2 Reg. 4. ubi propheta Elisæus ad mulierem Sunnamitem sic dicit, למועד הזה כעת חיה אתי חבקת בן, *Tempore isto, & juxta tempus vitæ tu amplexaberis filium:* h. e. ut Hebræi exponunt, post certum tempus, quo fœtus in utero tuo vivificabitur, & ad justum membrorum robur pervenerit, atque cum in lucem editus fuerit, tu amplexaberis filium. Et mox iterum sequitur in textu, ותהר האשה ותלד בן למועד הזה כעת חיה אשר דבר אליה אלישע, *Et concepit mulier, & peperit filium in tempore illo, juxta tempus vitæ, sicut prædixerat ei Elisa.* Lxx, more suo, non solum nihil evidens attulerunt, verum etiam majores addiderunt tenebras, legentes εἰς ὥρας, quasi singulis horis adesse velit angelus. Fortassis dixerunt εἰς ὥραν ταύτην, quod fieri potest ut depravatum sit, vel à librariis, vel à sciolo quodam.

19. כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו ואת ביתו אחריו *Hoc quoque scio, quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se*, &c.] Tametsi magna est hic Interpretum, uti vides, concordia; tamen meo judicio non satis expresserunt vim verbi Hebraici ידעתיו: neglexerunt enim affixum pronominale *eum:* ad verbum enim sonat, *novi eum quod præcepturus sit*, &c. q. d. novi eum virum pium ac qui justum esse, præcepturus sit domui suæ ac posteris suis, quo à turpibus abstineant, justitiam colant; ne scilicet eodem pœnæ genere ut Sodomitæ mulctentur. Alii verbum ידעתי, non absolute pro *novi*, vel *scio*, sed transitive, per *notum facere* & *manifestare*, accipiunt, hoc sensu; Non tacebo hanc rem quam facturus sum Abrahamo, sed notam faciam, manifestabo & aperiam: idque duabus ex causis, (ut ea quæ mox sequuntur sint αἰτιολογικῶς, cur Abrahæ hanc rem non velit celare:) Prima, ut ipse hoc factum suis posteris & liberis annunciet; ut à pessimis sceleribus sibi temperent, justitiam & judicium servent. Secunda, ut Abraham & posteri ejus discant, Deum esse veracem: & quod servaturus sit Abrahamo & semini ejus quæcunque promisit. Nihil periculi est utram sententiam secutus fueris; in eundem enim finem tendunt.

21. ארדה נא ואראה הכצעקתה הבאה אלי עשו כלה ואם לא אדעה, *Descendam nunc & videbo, utrum secundum clamorem qui venit ad me fecerint consummationem; & si non, ut sciam.*] Variatio est primum in voce הכצעקתה, quod ad verbum redditum sonat, *num juxta clamorem ejus* (subaudi *urbis*,) ubi Lxx relativum ■ *ejus*, feminini generis, pluraliter & masculine reddiderunt, *eorum*, forte secuti Chaldæum paraph. qui quoque habet *clamorem eorum.* Vulg. Lat. editio relativum pronomen plane non expressit, sed simpliciter & absolute legit, *Utrum clamorem qui venit ad me*, &c. Dein variatur in vocabulo כלה, quod alii ad Sodomitas ac Gomorræos, alii ad Dominum referunt, unde duplex emergit sensus. Prior is est; Descendam & videbo num Sodomitæ & Gomorrhæi, juxta famam quæ ad aures meas delata est, omnia vere fecerint necne, ut כלה idem sit

 quod

quod כל, i. *omne, totum.* Atque hanc sententiam sequuntur Lxx & Lat. Vulg. editio; quibus adstipulatur & Hebræus commentator Aben Ezra, qui sic explicat, אראה אם עשו כלם כרעה הזאת, i. *Videbo an fecerint omnes malum istud.* Aliorum sensus qui כלה ad Deum referunt, is est, *Descendam & videbo utrum secundum clamorem qui ad me pervenit omnino fecerint:* quod si ita est, nec resipiscere voluerint, *consummationem faciam*, i. penitus & funditus delebo eos; *Sin, cognoscam*, h. e. videbo, quomodo misericorditer eos castigem. Hanc sententiam habet Chaldæus in sua paraphrasi, quam & R. Salomo sequitur. Nec desunt qui sic legunt, *Descendam & videbo num juxta clamorem qui venit ad me fecerint consummationem*, h. e. talia perpetraverint scelera quæ extrema merentur supplicia; ut *facere consummationem* Hebraismus sit, pro eo quod est tale quippiam designare quod extrema punitione dignum sit.

25. השפט כל הארץ לא יעשה משפט, *Numquid judicans universam terram, non faciet judicium?*] Septuaginta & Vulg. ed. Latina in hoc dissentiunt à veritate Hebraica, quod ex ה Admirativo, quod præservit voci שפט, faciunt relativum *qui*. Et quod verba שפט & יעשה in secunda persona legunt, *judicas & facies*, cum ea tertiæ personæ sint Hebræis. Civiliter enim sermonem suum temperat Abraham, & mutat juxta Rhetorum præcepta personam; tametsi præsens cum Deo loquatur. Non enim dicit, *qui judicas*, ut nostri fere omnes legunt, sed, *num judicans omnem terram non faciat judicium?* sic etenim Hebræa sonant. Durius enim fuisset vel coram terreno judice sic loqui, Num tu non juste judicabis? multo magis cum cœlesti.

V A T A B L U S.

1. A*pparuit autem* וירא] Ad verbum, *Et visus est.* Hic quarta est Hebræorum hujus libri sectio usque ad cap. 23, quam denominant ab hac prima capitis dictione וירא. Servi sui animum nova hac visione confirmat Deus, sicut aliis subinde atque aliis adminiculis opus habet sanctorum fides. Fieri etiam potest ut in gratiam Saræ repetita fuerit promissio. ¶ *In Quercubus:* באלני ממרא] *in Querceto.* Alii, *in Elone.* Verisimile est illic fuisse Quercetum ubi propter loci commoditatem habitaverit Abraham. Vide supra c. 13. 18.

2. *Et incurvavit*, &c. וישתחו ארצה] *Et demisit vultum in terram usque.* Hoc reverentiæ symbolum in communi usu fuit apud Orientales.

3. *Domine.* אדני] Quod unum peculiariter salutat, videtur ideo factum fuisse quod præ aliis duobus excelluerit. Scimus enim Angelos ut plurimum apparuisse cum Capite suo Christo: itaque hic in tribus Angelis unum designat Moses legationis principem. ¶ *Si nunc inveni, &c.* אם נא מצאתי וגו] Hebraismus, Si quicquam valeam gratia apud te, vel, Si tibi gratus sum, h. e. Si tibi gratum sit. ¶ *Transeas à servo tuo*, תעבר מעל עבדך] i. Ne prætereas domum sive hospitium servi tui, quin venias in tentorium meum.

4. *Capiatur* יקח] Sub. *à te domino meo*, à vobis. ¶ *Et innitimini* והשענו] *& fulcite vos.* Sub. *baculis vestris*, aut aliqua alia re, quo commodius quiescatis. h. e. fulciendo vos requiescite sub arbore: erat enim arbor ante tabernaculum.

5. *Interim accipiam* ואקחה] Ad verbum, *Et capiam.* i. interim afferam ad vos. ¶ *Et fulcite cor vestrum*, וסעדו לבכם] q. d. Confirmate corda vestra. ¶ *Ad servum vestrum.* על עבדכם] *Juxta servum vestrum.* i Juxta tentorium servi vestri. Non intelligit consulto vel data opera venisse ut hospitium quærerent; sed opportune id accidisse significat: acsi diceret, non fortuito in eum locum delapsos esse, sed Dei consilio & manu adductos. Ad Dei providentiam refert quod tam commode in locum idoneum inciderint ubi se reficiant.

6. *Festinavit itaque* וימהר] *Properavit itaque.* i. Cito cucurrit. ¶ *Festina* מהרי] i. Cito capias. ¶ *Simila* סלת] i. Farinæ purissimæ ac purgatissimæ. ¶ *Misce*, לושי] Sub. *aqua in pastam.* Alii, *subige*, sub. *In massam.* q. d. Para illis prandium, vel cœnam.

7. *Ad boves autem* ואל הבקר] *Ad armentum autem.* ¶ *Vitulum* בן בקר] Ad verbum, *filium bovis.* Sic v. seq. ¶ *Puero*, ואל הנער] Sub. suo, i. famulo, vel coquo.

8. *Et posuit coram eis:* ויתן לפניהם] *Et apposuit illis.* Ut scilicet comederent. ¶ *Et comederunt:* ויאכלו] Deus qui totum mundum ex nihilo condidit, & quotidie mirus est in formandis creaturis artifex, corpora Angelis illis ad tempus dederat, in quibus injunctum sibi munus peragerent. Unde hic dicuntur comedisse.

10. *Revertendo revertar ad te secundum tempus vitæ*, שוב אשוב אליך כעת חיה] Hebraismus, quem sic quidam exponunt, *Certissime revertar* [vel *certo scias me reversurum*] *ad te hoc tempore, vivente*, sub. *Sarah.* h. e. Sarah incolumi exsistente. Alii rectius exponunt de fœtu; ut promittat Deus se venturum justo & legitimo pariendi tempore, ut Sarah vitalis fœtus mater fiat. ¶ *Et ipsum*, &c. והוא אחריו] i. Ostium ipsum erat post illum Angelum. q. d. Angelus habebat faciem aversam ab ostio: sive angelo loquenti erat ostium ad tergum.

11. *Progressi in dies*, באים בימים] Hebraismus, provecti erant ætate. ¶ *Consuetudo*, &c. ארח כנשים] Ad verbum, *via secundum mulieres.* Vel, *sicut mulieribus.* i. Sicut mulieribus quæ aptæ sunt gignendis liberis contingere solet. Quo genere loquendi verecunde menses notat qui mulieribus fluunt. Una autem cum fluxu menstruo desinit concipiendi facultas.

12. *Erit mihi voluptas?* היתה לי עדנה] i. Daturáne sum operam voluptati?

13. *Nunquid, &c.* האף וגו] q. d. Dixitne serio Dominus me parituram, quum jam senuerim?

14. *An ergo, &c.* היפלא וגו] *Lateine Jehovam quicquam.* Vel, *An difficile est ipsi Jehovæ quicquam?* h. e. Impossibiléne est Domino quicquam? Alii, *An Jehova quicquam potest esse mirificum?* q. d. Non debet ex hominum sensu æstimari Dei facultas. Neque enim mirum est in rebus arduis nos deficere, vel succumbere difficultatibus: sed longe alia est Dei ratio, qui è sublimi despicit quæ nos altitudine sua deterrent. ¶ *Secundum tempus vitæ*, כעת חיה] Vide paulo ante v. 10.

17. *Nunquid celabo* המכסה] Præsentia Heb. pro fut. Quasi de re dubia consultat Deus in hominum gratiam: nam quid facturus esset jam ante decreverat.

18. *Quum Abraham, &c.* ואברהם וגו] Ad verbum, *Et Abraham essendo erit.* Sed copulativa particula in adverbium causale resolvi debet. Nam hæc est ratio quod Deus horribilis suæ in Sodomitas vindictæ conscium facere velit servum suum, quia peculiaribus ipsum donis ante alios omnes ornaverat. ¶ *In eo* בו] *per eum.* i. Per semen illius, qui est Christus, ut c. 26. 4. *Benedicenturque in semine tuo omnes gentes terræ.*

19. *Novi enim eum, propterea, &c.* כי ידעתיו למען אשר יצוה] *Novi enim eum, ut præcipiat.* i. Novi eum esse hominem pium, justum, ac docilem. Non inquam celabo eum. Sequitur ratio, *ut præcipiat.* Alii vertunt, *Novi enim eum quod præcepturus est*, &c. Et est secunda ratio cur sui consilii participem facere velit, quia non frustra nec inutiliter id facturum prævideat, sed fideliter boni patrisfamilias officio functurum in suis docendis. ¶ *Post se*, אחריו] i. ipso mortuo. q. d. Non modo curam suorum habebit quandiu vivet, sed etiam solicitus erit ut post mortem suam apud suos permaneat sancta vivendi ratio. ¶ *Super Abraham* על אברהם] *propter Abraham.* Aliis tamen magis placet ut vertit interpres: ut significet Moses, compotem promissæ sibi gratiæ fore Abraham, si suos erudiat in timore Domini, domumque suam probe gubernet. Observa Ut more Scripturæ hic consequentiam magis notare quam causam. ¶ *Super eum.* עליו:] *de eo.* i. ut adimpleat Dominus Abrahamo promissiones illi factas. Loquitur autem Deus de se in tertia persona, pro, *ut impleam*, &c.

20. *Quia multiplicatus est*, &c. כי רבה וגו] Hic versus sequenti jungendus, *Quia clamor Sodomorum multiplicatus est, & quia peccatum eorum aggravatum, Descendam*, &c. Quidam vertunt כי per *certe*, vel *utique*, ut sæpe in Scriptura accipitur; *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ certe multiplicatus est, & peccatum eorum utique aggravatum est supra modum.* Posteriorem partem alii vertunt, *sicut & peccatum eorum quod invaluit valde.* Quoniam talis Dei tolerantia à nobis comprehendi non potest, eum humano more loquentem inducit.

21. *An juxta clamorem ejus* הכצעקתה] sub. *urbis.* ¶ *Fecerint consummationem*, &c. עשו כלה וגו] i. an perpetraverint peccata summa, & extrema animadversione digna, ut audio illos fecisse. quemadmodum supra c. 15. 16. dixit *nondum completas esse iniquitates Amorrhæorum.* q. d. visurus sum sintne prorsus deplorati, ut qui ad extremum malorum se projecerint; an vero sint adhuc in medio cursu, unde revocari queant ad sanam mentem. Alii exponunt, *si omnes perpetraverint talia flagitia qualia audio illos illic perpetrasse.* Ex doctioribus Hebræorum alter exponit, *An juxta clamorem ejus qui pervenit ad me, fecerunt: si ita res habeat, faciam consumptionem in eis;* [i. *prorsus delebo eos;*] *sin minus, novi quid facturus sim.* Prior sensus melius quadrat.

22. *Et diverterunt* ויפנו] *Jam vero diverterant*, vel, *conver-*

Google

verterant sese. ¶ *Stabat*, &c. [עמד עוד] Primum dicit Moses viros ulterius progressos esse, significans, sermone finito, Vale dixisse Abrahæ, ut domum rediret. deinde subjicit, Abraham *stetisse coram Domino*; ut solent qui dimissi non statim abeunt, eo quod aliquid adhuc dicendum vel agendum restet. Et scite Moses, quum de itinere sit mentio, Angelis *hominum* nomen attribuit: Abraham vero non dicit coram hominibus stetisse, sed *coram facie Dei*: quia tametsi oculis cernebat hominum species, fide tamen Deum intuebatur. Et verba ejus satis demonstrant non locutum esse quasi cum homine mortali.

23. *Et accedens* ויגש] Stetit aliquamdiu rogans illum, tandem accessit ad eum. ¶ *Nunquid etiam* האף] *Utrum etiam*. q. d. Nunquid præter omnia illa quæ decrevisti facere eis, perdes, &c.

24. *Disperdes* התספה] *perdes, delebis.* sub. *urbem ipsam.*

25. *Rem talem* כדבר הזה] Ad verbum, *secundum rem istam.* ¶ *Sitque justus*, &c. [והיה כצדיק וגו'] Ad verbum, *& erit sicut justus sicut impius.* i. talis futura sit apud te conditio justi qualis conditio impii. ¶ *Non faciet judicium?* [לא יעשה משפט:] *non faciet æquitatem?* i. nonne Judex universæ terræ recte judicabit? q. d. Nonne par est & æquum ut tu, qui Judex es universæ terræ, recte judices? Ne scilicet, Domine Deus, male audias apud impios & infideles.

27. *Cœpi* הואלתי] *gestio, volo, cupio*, Præt. Heb. pro præs. ¶ *Qui sum*, &c. [ואנכי עפר ואפר:] i. tametsi sim abjectissimus. Ita præfatur Abraham obtinendæ veniæ causa.

29. *Rursus locutus est* [ויסף עוד לדבר] Ad verbum, *Et addidit ultra loqui ad eum.* ¶ *Non faciam* לא אעשה] sub. *consumptionem.* Præcedenti versu dixit, *Non disperdam.* paulo post etiam dicit, *Non disperdam.*

30. *Excandescat*, &c. [יחר וגו'] *succendatur* [sub. *ira*] *Domino meo, & loquar.* i. si loquar. Sic paulo post v. 32. ¶ *Respondit* ויאמר] Ad verbum, *Et dixit.*

31. *Cœpi loqui* [הואלתי לדבר] Vide paulo ante v. 27.

32. *Tantummodo hac vice*, [אך הפעם] *tantummodo semel.*

C A S T A L I O.

3. NOli me præterire] In Hebræo est, *Noli tuum servum præterire*: sed hunc Hebraismum lingua Latina respuit: Gallica retinet, *vostre serviteur.* Quod autem unum salutat, id facit, quoniam dominum salutare singulari numero solet Hebræa lingua, etiam si plures sint: quod idem postea facit Lotus.

7. *Qui eum facere properet*] *Facere vitulum*, pro *mactare* positum est: quod loquendi genus frequens est apud Catonem & Varronem.

10. *Anno vertente*] Heb. *Tempore vitæ*, sive *vitali*: quod (ut arbitror) significat *anno proximo*: quoniam vita, i. ætas, annis, non diebus aut mensibus numeratur. Nam & superiore capite dixerat, *Hoc proximi anni tempore.*

13. *Tum Jova Abrahamo*] Animadvertendum est hic tres esse genios sive angelos, quorum duo Sodomam mittantur, unus cum Abrahamo loquatur, & *Jova* appelletur, neque Sodomam eat: Qui quinam sit, Exodi 3. Deo volente, dicemus. *Homines* autem vocantur, quod humanas induerant figuras. Quod autem hic comedunt & bibunt, cum spiritus carnem & ossa non habeant, quæ corporeis pascantur alimentis, hoc quale sit patebit ex Tob. 12. ubi sic loquitur Raphael, *Nam quod me, quamdiu vobiscum versatus sum, comesse & bibere vidistis, species fuit quæ vestris oculis obversabatur, cum reipsa neque comessem neque biberem.*

30. *Quæso te, Domine, ne ægre feras*] Heb. *Ne ægre ferat Dominus meus.* Sed hoc in vocativum converti, ut Latino more loquerer. quod idem sæpe facio.

C L A R I U S.

10. TEmpore isto, *vita comite*] Heb. *juxta tempus vitæ.* Quod quidam sic intelligunt, *Revertar ad te tempore isto, in sequenti anno; & vos eritis vivi, habebitque Sara filium.* ¶ *Quod erat post illum*] Habet hunc sensum; Stabat Sara juxta ostium quod erat Angelo loquenti ad tergum.

11. *Muliebria*] Heb. *Via secundum mulieres.* Intelligitur tempus conceptionis, quod Sara jam ætate sua transierat.

14. *Difficile*] Vel *mirabile.* Nunquid (inquit) quicquam est tam mirabile & excellens quod à Deo non possit fieri?

27. *Quia semel cœpi*] Heb. *Ecce complacuit mihi loqui ad Dominum meum*, &c.

28. *Delebis propter quadraginta quinque?*] Heb. *ob quinque* h. e. si deficiant quinque à prædicto numero.

D R U S I U S.

2. ECce tres viri] Si Angeli erant, quomodo eos *viros* appellat? Sic Manoe pater Samsonis Angelum qui ei apparuit *hominem* vocat. Respondent hoc fieri, quia in specie virorum & hominis apparebant. Sic Satan, inquiunt, *Samuel* vocatur, cujus formam induerat. Hoc recte: sed quare non eodem modo excusant Angelum apud Tobiam, dicentem se *Azariam* esse *filium Ananiæ*, cujus formam sive speciem referebat, ut Athanasius testatur? Mendacium est, inquiunt; & hujusmodi mendacia non exstant in libris canonicis. Ego contradico, Aut non est mendacium, aut, si est mendacium, talia mendacia exstant in libris canonicis. Exempla quæ produxi fidem faciunt. Unde canon Theologicus apud Augustinum, *Species rerum appellantur de nominibus ipsarum rerum.* Non dicit, *sine mendacio*, sed tamen hoc subintelligit. Video effigiem Ciceronis: dico, Ecce Cicero: an mentior? Aliud est, inquient, *Ecce tres viri*, & aliud, *Ego sum Azarias.* Nam in prima persona mendacium est, in secunda vel tertia minime. O acumen! Ubi nunc jecur Cratetis? ubi cor Zenodoti? Angelus dicit, *Ego sum Azarias*, mentitur. Alius dicit, Angelus, qui deduxit juniorem Tobiam, Azarias erat, non mentitur. Quis ad hanc sublimitatem non obstupescat? Sic cum Deus ait, *Ego sum Elohim*, pluralitas est: cum David ait, *Elohim Elohecha: ô Deus, Deus tuus unxit te*, &c. non est pluralitas, ut cum dicit, *Ego Adonim*, Mal. 1. Nam hic altum de illa re silentium. An certo privilegio gaudet nomen *Elohim*, quo *Adonim* & *Baalim* carent?

11. Quos interpres noster vocat *ætatis provectæ*, eos Ebræi dicunt *processisse diebus*, vel certe *diebus*, Gen. 18. 11. Cicero tales *processisse* dixit *ætate*, lib. de Senectute, *cum ætate processisset.* Erasmus ad illum locum, *Qui provectæ sit ætatis eum dicit in ætate processisse.* Alii maluerunt, *progressi in diebus.* Vide Annotationes Jos. 13. 1. באים *procedentes*: nam ita etiam eo significat, ut diximus.

12. *Risit Sara in medio sui*] Jonathan & Jerosol. *in corde suo.* Onk. *in visceribus suis.* ὁ ϋῦς, Risit intra se. *Medium* & *cor* se invicem explicant. Nam cor in medio hominis: & quanquam magis vergat ad sinistram, tamen *in medio* esse dicitur, quia intra hominem. Nam quicquid intra rem aliquam id *in ejus medio* esse dicitur. Sic Tyrus sita legitur *in corde maris*, h. e. intra mare: nam non procul aberat à continente. Sic Christus sepultus fuit *in corde terræ*, h. e. intra terram. Psal. 5. 9. *medium eorum pravitates.* LXX, ἡ καρδία αὐτῶν, *cor eorum.* Jes. 16. 11. *medium mei*; alius, *cor meum.* Cor enim comprehenditur sub nomine *medii*, ait R. David: imo est in medio, ut diximus. Psal. 39. 3. *Incaluit cor meum in medio mei.* Jes. 26. 9. *etiam spiritus meus in medio mei.* Jonathan, *in visceribus meis.* Exod. 10. 1. *ut ponerem signa hæc in medio ejus.* Sensus, *in corde ejus.* Contra *cor* pro *medio* usurpatur, ut cum dicimus *cor cœli, maris, terræ, voluminis. Medium dierum* ponunt Ebræi in anno ætatis trigesimo quinto. Nam ætas hominis septuaginta anni, aut ad summum, cum homo est optimæ complexionis, octoginta. Ebræi vocant eam ætatem גבורות *robora*: unde dictitant, *natus octoginta annos ad robora*: quod ex Davide sumptum. Vide illum Psal. 90. & commentarium in Aboth, fol. 65.

22. *Et Abraham stabat coram Domino.*] Correctio scribarum est, quam vocant תקון סופרים. Prius erat, *& Dominus adhuc stabat coram Abrahamo. stabat*, i. manebat. Quid de hac correctione sentiendum sit, non est meum statuere. Quis enim ego? *Stabat Abraham*, i. orabat, precabatur, nam stantes orabant. Diserte Manahem Ricinensis, 52. 3. *Non est statio nisi precatio.* Mihi prior lectio non displicet: quam firmant sequentia, *Accessit Abraham*, nempe ad Dominum, juxta quem postea stabat. Cur igitur mutata fuit? Sunt in universum loca octodecim correcta à scribis, de quibus alias, si Deus volet. Hoc tantum nunc dicam, Aut bene correcta fuerunt, aut male: Si bene, codices Ebræi olim fuerunt corrupti; si male, nunc sunt corrupti: nam correctio est corruptionis emendatio. Dicendum est, non corrupta fuisse illa loca: sed scribæ homines nasuti, viri alioqui non indocti, judicarunt ita legendum esse quemadmodum illi correxerunt. Aliter judicarunt prisci interpretes. sed nec ipsi Ebræi semper probant eorum correctionem.

IDEM.

6. שָׁלֹשׁ סְאִים. A. & Sym. *τρία σάτα, tria sata*] Dictio *σάτον* originem habet Ebraicam. Nam dicunt סאה, ex quo Syri fecerunt סאתא. unde *σάτον*, *satum*. *Est autem*, teste Hieron. [Comment. in Mat. 13.] *mensura genus juxta morem provinciæ Palæstinæ unum & dimidium modium capiens.* Græci pro eo usurpant *μέτρον*, ut *τρία μέτρα*, & Exod. 16. 36. *τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων*, i. trium satorum.

12. וַתִּצְחַק שָׂרָה בְּקִרְבָּהּ. A. *ἐγέλασε καθ' αὐτῆς*, *risit apud se*] ❡ אַחֲרֵי בְלֹתִי הָיְתָה־לִּי עֶדְנָה. A. *μετὰ τὸ κατατριβῆναί με, ἐγένετό μοι τρυφερία*, *Postquam contrita sum, fuerunt mihi deliciæ.* Sym. *μετὰ τὸ παλαιωθῆναί με, ἐγένετό μοι ἀκμή*, Postquam vetustate consenui, fuit mihi vigor ætatis.] *Contrita*] ætate confecta, attrita senio. ❡ Τρυφερία] i. *τρυφή*. Sic *τὸ τρυφερὸν* substantive ponitur pro *delicata vita*. ❡ *Vigor ætatis*] vel, *adolescentia*. Nam à Suida exponitur *νεότης*. unde *οἱ ἐν ἀκμῇ*, *adolescentes*. In Fragmentis à me olim collectis, Sym. *postquam vetustate consenui, facta est mihi adolescentia.*

18. עָצוּם. A. *ὀστινος*, *ossea*. Sym. *ἰσχυρὸν*, *valida*] Ἔθνος ὀστινον, *gens ossea*, i. valida & potens. ❡ *Valida*] i. multa, numerosa. Docte Lxx, *καὶ πολύ*. Verbum enim עצם quandoque ad numerum refertur. Sic, *validiores fuerunt viduæ ejus arena maris*, i. plures. Consule Observationes meas.

20. כָּבְדָה. A. & Sym. *ἐβαρύνθησαν*, *gravia fuerunt*.

21. עָשׂוּ כָּלָה *fecerint consummationem*. Sym. *ἐπετέλεσαν τὸ ἔργον*] Est cur malim *ἐπετέλεσαν*, *perfecerint*.

25. חָלִלָה לְּךָ. Sym. *οὐχὶ σύ*. Hieron. *non hoc tuum est*. Suspectum. Legitur in edit. Rom.

30. אַל־נָא יִחַר לַאדֹנָי Schol. *μὴ δὴ ὀργίλον τῷ Κυρίῳ*, vide Gen. 4. 6. Videtur esse interpretamentum Aquilæ. Licet etiam vertere, *Ne quæso iracundia sit Domino.* Quæ versio melior est, & cum Ebræo quadrat. vide Gen. 4. 6. In edit. Rom. *Ne provocet obsecro iram Domini.* Quid viderunt cum ita verterent? *τὸ ὀργίλον iracundia*, hic pro *ira* sumi videtur. Donatus, *Ira de caussa est, iracundia de vitio multum irascentis.* vitium autem non cadit in Deum.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et apparuit ei DOMINUS in Elone Mamre sedenti in ostio tabernaculi, cum incalesceret dies.*

Et apparuit] Hic (&) alii reddunt, *autem*: alii, *porro*: alii, *postea*: alii, *denique*, *iterum*, *rursum*, *denuo*. In edit. Græca est *ὤφθη δὲ apparuit autem*. ❡ *DOMINUS*] in tribus angelis, quos viros appellat, quia in specie virorum ei apparebant. Amat enim Scriptura species rerum vocare de nominibus ipsarum rerum. Quod si mendacium est, tum mendacia extant in libris divinis. Absit, absit. Deus meliora. Sine mendacio appellatur species de nomine rei. Nec mentitus est angelus cum se Azariam esse diceret, quoniam ejus formam gerebat: ut recte Athanasius observat. ❡ *In Elone Mamre*] ita vocabatur locus ubi tum Abraham habitabat. Interpretes varie convertunt. Lxx. *πρὸς τῇ δρυῒ τῇ μαμβρῇ*: ad quercum Mambre: prætulerim, *ad quercus Mamre*. Forte quercum usurpant pro querceto, ut alibi arbor ponitur pro arboreto. Hiero. *in convalle Mambre*. On. *in planis Mamre*. Id secuti sunt interpretes è Sabaudia. Jon. *in visionibus Mamre*. Sic interpretor בחזוי. Si aliud sig. tum ego in magno errore sum. Santes, *in quercubus Mamre*. Tremel. *in planitie Mamre*. באלון ממרא. Scire autem licet in Ebræo esse באלוני numero multitudinis. ❡ *Sedenti*] והוא ישב & ipse sedebat: i. *sedenti*, ut Hiero. vertit: aut *καθημένου αὐτοῦ*: cum ipse sederet, ut Lxx. ❡ *In ostio tabernaculi*] in Ebræo desideratur ב ut sit בפתח האהל quod On. expressit. Licet etiam vertere, *ad ostium tabernaculi*. Lxx. *ἐπὶ τῆς θύρας τῆς σκηνῆς*. ❡ *Tabernaculi*] האהל pro eo habendum ac si diceret, tabernaculi sui: Nam articulus aliquando vim habet pronominis. ❡ *Cum incalesceret dies*] vel magis, *cum incaluisset dies*. h. e. ut Græci legunt, *μεσημβρίας* meridie. Ebraice כחם היום quod reddi etiam potest, *secundum calorem diei*, vel, *juxta æstum diei*. Nam *in æstu diei* i. בחם. Quomodo legisse videtur Hiero. qui vertit, *in ipso fervore diei*. On. כמיחם יומא quod Fagius convertit, *circa æstum diei*: ego, *quum incalesceret dies*. Jon. לתוקפא דיומא ad robur diei. Sic autor Jerosol. interpretatur לרוח יומא ad ventum sive auram diei. Gen. 3. 8. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

2. *Et sustulit oculos suos & vidit, & ecce tres viri stantes juxta eum: & vidit & cucurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi & procubuit in terram.*

Sustulit] levavit, *ἐπῆρε*. ❡ *Tres viri*] *tres angeli in similitudine virorum*. Jon. *Primus angelus missus fuit ad nunciandum patri nostro Abrahamo Saram parituram Isahacum: Secundus missus fuit ad liberandum Lot e Sodoma subvertenda: tertius missus fuit ad evertendam Sodomam & Gomorram, Adamam & Seboim. Propterea fuit sermo propheticus à DOMINO ad Abrahamum justum, & patefecit se ei sermo DOMINI in planis Hazaza, cum ipse sederet in porta tabernaculi, calescens adhuc ex circumcisione, ad robur diei.* ❡ *Stantes juxta eum*] vel, *stabant juxta eum*. נִצָּבִים (non קָמִים est in fonte, sed נִצָּבִים quod Chaldæi reddunt קָיְמִין stantes.) stantes sub. erant i. stabant. עָלָיו juxta eum. Hiero. *prope eum*. Sed non ita prope fuisse videntur, cum mox ad eos cucurrerit: nec adeo procul quin eos videre potuerit. Quidam, *ex adverso ejus*. Ion. לקבליה ante illum. Lxx. *ἐπάνω αὐτοῦ*: quod reddunt *super eum*. Id עַל proprie sig. Notum autem ut pro juxta sumatur. Hinc intelligentiam habet, *super maria fundavit eam*. Gallica edit. ultima, *venoient ad illum*, (*versus illum*) נצבים עליו. Sed in margine, se præsentarunt, se offerebant, aut sistebant. Quid si, *stabant venientes ad illum*? Nihil dico, si non veritas interpretationis, *contra illum*, i. e regione aut ex adverso illius, *ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ*. ❡ *Et vidit*] vidit, inquam: vel, quos cum vidisset. repetitio usitata, imo frequens in his literis. ❡ *Et cucurrit*] non ivit, sed cucurrit. O alacritatem viri justi & promptitudinem in excipiendis hospitibus. Quis talium hodie æmulus est? Hanc Hospitalitatem ita commendat Apostolus, ut dicat, *Hospitalitatis ne sitis immemores: per hanc enim quidam inscii exceperunt angelos hospitio.* Ebr. 13. 2. ❡ *In occursum eorum*] *εἰς συνάντησιν αὐτοῖς*: obviam eis. ❡ *Tabernaculi*] האהל *τῆς σκηνῆς* positum pro *τῆς σκηνῆς αὐτοῦ* i. tabernaculi sui. Quod in antiquis editionibus. Quanquam pronomen *sui* à nonnullis codicibus abesse dicatur. ❡ *Procubuit in terram*] Lxx. *προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν γῆν*. Hiero. *adoravit in terram*. Santes cum Tremell. *incurvavit se in terram*: ירכון. Gallica edit. *prostravit se in terram*. Sensus est, honorem eis exhibuit, qualem civiliter exhibere solebant hominibus honoratis. Chaldaice וסגיד על ארעא & procidit sive prostravit se in terram. Minus recte Fagius, *incurvavit se ad terram usque*. Tria verba sunt apud Ebræos ברך & כרע & השתחוה quæ Grammatici sic distinguunt, ut ברך sit genuflectere, quod *γονυπετεῖν* Græci dicunt: כרע vero incurvare caput cum aliqua parte corporis: השתחוה autem totum corpus in terram prosternere cum expansione manuum & pedum. Id Græci dicunt *προσκυνεῖν*: Latini, *adorare*: Chaldæi סגד. Nec solum Deo hic honos tribuebatur, sed etiam hominibus, ut nunc Abraham adorat hospites angelos quos angelos esse ignorabat. Adorat ergo ut homines, quos meros homines esse putabat. ❡ *Procubuit*] procidit, prostravit se, adoravit. Nove autem dixit וַיִּשְׁתַּחוּ pro וַיִּשְׁתַּחֲוֶה vel, וַיִּשְׁתַּחֲוּ *au* in *v* versa. Nam hæc duo alternant. Sic è contrario *v* pro *au* ponitur in עוץ Aus; unde regio Ausitis denominata. Hinc etiam ex נו factum *ναῦν*, quod imperitia an oscitantia? in *ναυή* corrupit. Nec aliunde *Αυλαμ*, quod ex אולם factum, sed exscriptores in *Αιλαμ* mutarunt: nisi sane interpretes legerunt אילם hoc est Jod pro Vau. Nihil temere statuendum. וַיִּשְׁתַּחוּ decurtatum est ex integro וַיִּשְׁתַּחֲווּ. cujus primarium thema שָׁחָה. Consule grammaticos.

3. *Et dixit, Domine mi, si nunc inveni gratiam in oculis tuis, ne quæso transeas à servo tuo.*

Domine mi] ita Santes & edit. Gall. postrema. Ebraice אֲדֹנָי quod reddi etiam potest Domine i. *κύριε*. Sic interpretantur Lxx. & Hiero. Nam unum est ex Dei nominibus. Hiero. Marcellæ, *Septimum nomen Dei Adonai, quem nos Dominum generaliter appellamus.* Recentior interpres, *Domini mei* i. אֲדֹנַי. Forte (-) in ( ) versum propter Rebia, qui unus est ex accentibus majoribus, quos pausas appellant. Ut אלהים de uno singulari, ita etiam אֲדֹנִים usurpatur: unde Malach. 1. ubi nos legimus, *Si Dominus ego sum*, in Ebræo est אם אדונים אני. Sic nomen בעלים sensum habet quandoque singularem. Hoc posito & concesso, si in אדני: Joth pronomen est, bene interpretantur qui interpretantur, *Domine mi*. Similiter Psal. 35. 23. אֲדֹנָי. Lxx. *κύριός μου*: & Hiero. *Dominus meus*. Item Psal. 16. 2. אדני אתה Lxx. *κύριός μου εἶ σύ*. Hiero. *Dominus meus es tu.* Arias & Santes, nec non Tremell. *Deus meus.* Chaldæus quoque יְיָ Hunc Aquilam alii, alii Josephum quendam fuisse ajunt, quem סגי נהור i. Cæcum cognominant. Ut ut sit, alius fuit ab On. & Jon., qui hic cum Lxx. & Hiero. conveniunt. Nam uterque habet יי quod valet אֲדֹנָי h. e. Domine. Quærendum an nomen illud etiam hominibus tribuatur. Qui vertunt *Domini mei*, putant eum initio omnes tres allocutum fuisse, postea singulos compellasse & ad

ad se invitasse. Sed hoc nimis dilutum est, meo judicio. Videndus ad h. l. Mercerus. Videndi quoque patres, quorum illud πολυθρύλητον, *Tres vidit, unum adoravit*, ex hac historia desumptum fuit. Nam de Abrahamo patriarcha hoc dictitant. ¶ *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis*] si nunc gratia valeo apud te. Sed cur unum duntaxat compellat? an quia reliquos præcedebat? Forte ceteris duobus major & honoratior apparebat. Ebræi fabulantur Rachaelem fuisse, qui medius incesserit inter Michaëlem & Raphaëlem. Qui hujusmodi nugis delectatur, legat, quæ ad hunc locum annotavit Nicol. Brabantinus. ¶ *Nunc*] Lxx. ἄρα. Jon. *Obsecro.* ¶ *Ne quæso transeas à servo tuo*] vel, *ne nunc prætereas servum tuum.* h. e. me aut tabernaculum meum. Jon. *Ne nunc ascendere facias gloriam divinitatis tuæ à servo tuo donec congregavero &c.* Sed si Deum agnovit cur ei cibum apponit? An existimavit numen vesci pane ac carnibus? Aut de angelis talem opinionem habuit homo Dei? mihi non fit verisimile. ¶ *Quæso*] vel, obsecro: quod Galli dicunt *je te prie.* On. & Jon. *nunc.* Nam eadem particula quæ supra. ¶ *A servo tuo*] τὸ παιδός σου. Lxx. *servum tuum.* Hiero. *Sermo modestiæ plenus, quo Ebræi frequenter utuntur.* Sic dicunt, *ancilla tua*, ut in Cantico Mariæ, *respexit humilitatem ancillæ suæ.* i. meam. Quidam explicant, *servum tuum*, paratum ad obsequium tuum. Porro servus aliquis dicitur tribus modis, Conditione, cultu, obsequio. Conditione ut qui servitutem servit: cultu, ut qui Deo servit. Servit autem qui eum colit: obsequio ut cum minor se appellat servum ejus qui major est, nulla alioqui servitute ei obstrictus. Hic sermo obtinet etiam inter pares. Aliquando eo utitur major erga minorem. Quod modestiæ singularis argumentum esse censent.

4. *Sumatur quæso parum aquæ, & lavate pedes vestros, & innitimini sub hac arbore.*

Sumatur] יֻקַּח Sumatur, capiatur, accipiatur, ληφθήτω. ita recte Lxx. Aliter ceteri. Nam Hiero. *afferam* אקח vel potius אַיְתֵא. On. יִסְּבוּן accipiant, sumant i. accipiatur, sumatur. Fagius maluit, *adferatur.* ¶ *Quæso*] Lxx. δή, quod reddunt jam, cum possit reddi, quæso, ut in illo σῶσον δή, serva quæso. On. כען nunc, jam: Hiero. omittit. ¶ *Parum aquæ*] Hiero. *pauxillum aquæ.* Adjecit *parum* civilitatis caussa. Ceterum aqua non solum sordes abluit, sed etiam in æstu refrigerat: unde proverb. *Quod aqua frigida animæ lassæ, id est nuncius bonus è terra longinqua.* Quo innuit Salomo aquam hujusmodi lassis & de via fessis gratissimam esse. ¶ *Lavate pedes vestros*] וְרַחֲצוּ scriptum in codicibus Ebræis, nec aliter On. legit. Lxx. videntur legisse וְיִרְחֲצוּ cum Chirec sub Resch. Nam vertunt, νιψάτωσαν τοὺς πόδας ὑμῶν, lavent pedes vestros. Quod Hiero. per impersonale reddidit, *Laventur pedes vestri.* Id civilius dictum. In August. Quæst. 34. habetur, *lavem pedes vestros*, nisi mendum impressionis i. וְאֶרְחַץ. Sic Abigail in oratione quam habuit ad nuncios Davidis, *Ecce me famulam tuam*, inquit, *ut lavem servis Domini mei pedes.* Sed quare pedes lavabant? An ob pulverem contractum ex itinere? Nam fere nudis pedibus incedebant, vel certe calceis fenestratis. Sunt qui lotionem pedum ad lassitudinem viæ minuendam facere arbitrantur. Quin moris erat, ut cibum sumpturi pedes lavarent. Sane legimus apud veterem interpretem Jud. 19. 21. *Introduxitque eos in domum suam, & pabulum asinis præbuit, ac post quam laverunt pedes, recepit eos in convivium.* ¶ *Innitimini*] וְהִשָּׁעֲנוּ Hiero. *requiescite.* Lxx. καταψύξατε, refrigerate vos. Onkel. וְאִסְתְּמִיכוּ quod Fagius reddit, *recumbite*, cum potius significet, innitimini aut fulcite vos. Gallica edit., *puis vous reposés.* Alius explicat, reclinate, recumbite. ¶ *Sub hac arbore*] תַּחַת הָעֵץ ὑπὸ τὸ δένδρον. Articulus hic vim habet demonstrandi, ut cum dicimus הַלַּיְלָה pro hac nocte. Hoc si displicet lege cum Hiero. *sub arbore.* id est, sub una aliqua arbore. Quod Galli elegerunt. Sed haud dubie notam & certam arborem designat. Veteres, teste Mercero, putarunt therebinthum fuisse, sub qua Abraham angelos hospitio exceperit, quæ ad Constantium usque in illis regionibus ostendebatur. Qua de re alibi produximus locum Hiero.

5. *Et accipiam bucceam panis, & fulcite cor vestrum, post transibitis; nam propterea transistis ad servum vestrum. Et dixerunt, Sic facias quemadmodum locutus es.*

Et] Interim, interea: vel, *post accipiam*, nempe ubi laveritis pedes vestros. ¶ *Accipiam*] acceptam adferam. Unum pro duobus. Sic in Evangelio, quod secundum Matthæum *accepit* positum notatur pro acceptum transtulit: in Proverbiis Salomonis, *capiet carbones ignis super caput tuum*, pro capiet & ponet, sive acceptos ponet. ¶ *Bucceam panis*] פַּת לֶחֶם. Hiero. *buccellam panis.* Alius, *frustum panis.* Jon. *refectionem panis.* Sic interpretor סְעִיד cum possit reddi, *fulcimentum.* Nam *panis*, ut David ait, *cor hominis fulcit*, i. יִסְעָד sustentat, reficit. Buccea proprie ψωμός i. frustum rei esculentæ, quantum bucca semel potest capere. Ceterum οἱ διδάσκαλοι פַּת pro pane usurpant, ut cum dicunt פת בן התנור panis è furno. Quod noto, quia in Lxx. h. l. λήψομαι ἄρτον: *sumam panem.* Si recte, פת לחם erit panis. i. ἄρτος, idem videl. quod לֶחֶם. Suum cuique, mihi civilius videtur ut dicat *bucceam* aut *frustum panis*, quam, si dixisset *panem* simpliciter. Par civilitas in illo, *sumatur quæso pauxillum aquæ.* Nam alioqui dixisset, *sumatur quæso aqua.* Scitum autem illud, *Justi minus dicunt, plus faciunt.* ¶ *Fulcite cor vestrum*] Id alius dicit, *reficite:* alius *recreate.* Licet etiam vertere *sustentate cor vestrum.* Nam panis cor hominis sustentat ut diximus, Hiero. *confortetur cor vestrum.* Lxx. καὶ φάγεσθε: *& edetis*, sive, ut est in edit. Rom. *manducabitis.* Ad sensum non male. Nam qui comedit, idem cor pane i. cibo reficit. Ebraice. סְעָדוּ. Quo verbo quoque On. & Jon. usi sunt: Psal. 104. 15. יִסְעָד Hiero. *roborat*, Lxx. στηρίζει confirmat. Trem. *fulcit.* 119. 117. סְעָדֵנִי. Trem. *Suffulci me.* Santes, *confirma me.* ¶ *Post transibitis*] i. pergetis. Quidam, *postea progrediemini.* Lxx. μετὰ τοῦτο παρελεύσεσθε εἰς τὴν ὁδὸν ὑμῶν: Postea transibitis in viam vestram. ¶ *Post*] אַחַר dixit pro אחרי כן Sic latini *post* usurpant pro *postea.* On. hic edidit בתר כן: Jon. בָּתַר כֵּן utrumque sonat, *postea.* ¶ *Nam propterea transistis ad servum vestrum*] Hiero. *idcirco enim declinastis ad servum vestrum.* Quod Græci dixerunt, ἐξεκλίνατε. Hic transire paulo aliter accipitur, quam supra. Nam sig. declinare, divertere. Ibi sumitur pro eo quod nos Belgæ dicimus, gaent voor by / & Galli, *passer outre.* Jon. addit de suo, בדיל לכסער *ut reficeremini.* ¶ *Sic facias quemadmodum locutus es*] vel, *Sic fac ut dixisti.* Hiero. *fac ut locutus es.* Lxx. οὕτω, ποίησον καθὼς εἴρηκας. Jon. *Recte locutus es, fac secundum verbum tuum.*

6. *Et properavit Abraham in tabernaculum ad Saram & dixit, Propera tria sata farinæ similæ: subige & fac panes subcinericios.*

Properavit] properavit ire. Quod idem cum illo, propere ivit. Hiero. eodem sensu dixit, *festinavit.* Lxx. ἔσπευσεν. Quale illud σπεῦδ' ἐκ Φρυγῶν, propera redire ex Phrygia, matura reditum ex Phrygia. ¶ *Propera tria sata*] pro eo habendum ac si diceret, propera sumere aut accipere. Sic Virg. dixit,

Pulchram properet per vulnera mortem.

Pro eo quod est, properet oppetere. Quale & illud Prudentii, *ædem properet* pro properet extruere aut propere extruat: Taciti, *deditionem properat*, pro properat facere. Sic Græci dicunt γάμους σπεύδουσιν: nuptias properant. Quod idem cum illo, nuptias urgent. Plenius diceretur, properant celebrare. ¶ *Tria sata*] Quod hic רפה סאים שלש. Matth. 13. 33. ἀλεύρου σάτα τρία: i. farinæ sata tria. Aquila quoque & Sym. h. l. habent τρία σάτα, ut Hiero. eos secutus, *tria sata.* Prius erat in Lxx. τρία μέτρα. i. tres mensuras. Similiter 1 Sam. 25, 18. חמש סאים. Aquila πέντε σάτα. Nomen mensuræ generalius est. Quanquam hic anguste sumi debet pro sato. Est autem satum genus mensuræ, quod סְאָה vocant. Syri dicunt סָאתָא unde σάτον. i. satum. Origo ergo nominis Ebraica. Quod qui negat, nulla caussa est quin idem negare possit quæ ad sagram. Hanc mensuram ter continebat Epha. Ideo Levit. 5. ubi in Ebræo, *decima pars Ephæ*, On. edidit, *decima pars trium satorum.* Porro Epha, teste Munstero capiebat sex cabos: cabus quatuor logos: logus i. לוג sex ova gallinacea communia. Sunt qui satum eundem faciunt cum modio Romano. Alii sesquimodium eo nomine significari censent. Hiero. in comment. Matth. 13. 33. *Satum genus est mensuræ juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum & dimidium modium capiens.* Idem in Quæst. sive Trad. Ebra. *tria sata* interpretatur *tres amphoras.* Venerabilis Beda in Lucam, *Satum mensura est modii & dimidii.* Anselmus in Matthæum, Ex interpretatione vocabulorum in sacris obviorum, *Satum genus est mensura juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum & dimidium capiens modium.* ¶ *Farina similæ*] Farinæ purioris quæ simila dicitur, unde panis similagineus conficitur, qui & similaceus. Ebraice קֶמַח סֹלֶת. Græce σεμιδαλίτης ἄρτος. Pro *farinæ similæ* Græci legunt σεμιδάλεως, i. similaginis. Nam similago dicimus & simila, quod Græce σεμίδαλις. Hiero. æmulatus est. Vertit enim certe *tria sata similæ.* קֶמַח סֹלֶת simila, ut פַּת לֶחֶם panis. Nescio an verti possit, *farina similaginea.* Nam panis similagineus qui ex similagine conficitur. Farina non fit ex similagine, sed cum purior est, simila vel similago vocatur. Caute loquendum est. On. קמחא דסלתא i. interprete Fagio, *farina simila.* Jon. סמידא דסולתא. Est autem סמידא ut ex h. l.

h. l. patet, farina. Nam simila סולתא dicitur. Tamen in Lex. Chald. Munsteri גריצא simila. ❡ *Subige*] alii, *depse*: alii, *consperge*. Hiero. *commisce*. In libro nominum, *Alas, fermenta, sive commisce, quod Græce dicitur* φύρασον. Glossarius Philonis, Alas φύρασον. Seneca Epist. XCI. *Tunc farinam aqua sparsit, & assidua pertractatione perdomuit, finxitque panem: quem primo cinis calidus & fervens testa percepit. Deinde furni paulatim reperti.* ❡ *Panes subcinericios*] scribitur & *subcineritios*. Nam quia sub cinere coquitur, ideo subcineritius vocatur. Alii maluerunt dicere, *placentas subcineritias*: quæ olim in deliciis erant. Ebraice עגות absque dages. ita libri meliores. Nam radix עג. Chaldaice גריצן. Græce in Lxx. ἐγκρυφίας, quod reddunt, *subcineritia*. In vulgatis Lexicis exponitur *tortulas*. Græcum nomen sonat, ut si dicas, *panes occultatitios*. Nam ἐγκρύφω occulto. Origenes ἐγκρυφίας *occultos & absconditos indicat panes.* Ceterum à Budæo interpretatur ἐγκρυφίας ἄρτος, panis subcineritius. Hos. 7. 8. עגה. Lxx. ἐγκρυφίας. Hiero. *subcineritius panis*. Jon. חררא. Alius, *placenta*. R. Salo. חררה שאופין על הגחלים placenta quam super prunas coquunt. 1 Reg. 19. 6. עגת רצפים. Santes, *panis inter prunas coctus*. Arias, *libum prunarum*. Hiero. *subcineritius panis*. Santes in Thesauro, *placenta sub carbonibus tosta*. Exod. 12. 38. עגת. Lxx. ἐγκρυφίας. On. גריצן Hiero. *panem subcineritium*. Dicitur & קליר in scriptis magistrorum: unde κολλύρα & κολλυρίς. Interpres vulgatus Collyrida dixit, nescio an bene. August. de Genesi ad litteram lib. 8. cap. 5. Una collyride pro uno pane subcineritio, quem alio nomine κολλύραν appellant.

7. *Et ad armenta cucurrit Abraham, & accepit filium bovis tenerum & bonum, deditque puero, qui properavit facere illum.*

Ad armenta] vel, *ad boves*. i. לות תורי ut On. explicat: aut εἰς τὰς βόας, ut Lxx. quod minus bene reddunt *in boves*. Puto vertendum, *ad boves*, ut εἰς pro πρὸς accipiatur. Ebraice אל הבקר ad armentum. Sensus est, ad gregem armentorum. Aut בקר posuit pro בקרים i. boves. Pomponius lib. VI. ad Senatusconsultum, *Boves magis armentorum quam jumentorum nomine appellantur.* Gen. 12. 16. בקר Lxx. μόσχοι. i. boves, ubi à camelis & asinis distinguitur. Hinc בוקר qui armenta pascit, bubulcus, βουκόλος. Sic interpretantur Aq. Sym. Theo. & autor editionis, quam quintam appellant. Hinc domo est bucerum, quod de bobus dici Festus ait. ❡ *Cucurrit*] ἔδραμεν. Chaldaice רהט. ❡ *Filium bovis*] vel, *bove natum*, ut *capra natum*. Varro lib. 1. de re rustica, *Colonus in agro surculario ne capra natum pascat.* Id autem citat ex lege Colonica, ut intelligas priscum eum latinorum sermonem fuisse. Partim interpretum exponunt vitulum subrumum, partim vitulum simpliciter. In Mercero, *vitulum vel taurum.* Ut *filius bovis* est vitulus, ita *filii ovium* sunt agni. Psal. 114. *Colles salierunt tanquam filii ovium.* Sic *filii columbæ*. i. pulli columbini. On. & Jon. בר תורי filius boum. Nam bovis vocabulo tam vacca quam taurus continetur. Aut filius boum ita dicitur ut filius asinarum i. unius alicujus asinæ. Lxx. μοσχάριον. i. parvum vitulum. ❡ *Tenerum*] ἁπαλὸν, tenellum, delicatum, mollem. ❡ *Bonum*] i. pinguem. Sic sane Jon. interpretatur. Nam שמן pinguis. Lxx. καλὸν. Hiero. *optimum*. ❡ *Puero*] τῷ παιδί. Lxx. Hiero. *Juveni*. On. Jon. *Ismaeli*. R. Salo. *uni ex servis suis*. Alii. Notum ut puer pro servo ponatur. ❡ *Qui properavit facere illum*] וימהר לעשות אתו καὶ ἐτάχυνε τοῦ ποιῆσαι αὐτό: & festinavit facere illum, h. e. parare, apparare, coquere. Hiero. certe, *qui festinavit & coxit illum.* Jon. quoque, *& properavit facere coctiones.* Quidam enarrant, *propere mactavit illum*, ut facere vitulum dicatur qui eum mactat. Quod loquendi genus frequens est apud Catonem & Varronem. Ego tam coctionem quam mactationem eo verbo significari putarim.

8. *Et accepit butyrum & lac & filium bovis quem fecerat, & posuit coram eis: ipse autem stabat juxta eos sub arbore, & comederunt.*

Butyrum] βούτυρον. Ebraice חמאה. In On. est שמן. Ita butyrum vocatur à pinguedine. Nam definitur שמן החלב שקורין בוטירו. Arabes סמן dicunt: unde apud Sylvaticum, *Assemen, Butyrum.* Vocatur & חלב vel חלב. In Jon. שמן לוחא butyrum pingue. ❡ *Et filium bovis*] & vitulum vel taurum. ❡ *Quem fecerat*] sub. puer: aut quem ipse Abraham fecerat, nempe per puerum coquentem suum. Hiero. *quem coxerat.* Jon. *quem juvenis coxerat.* Sic verto quod in Chaldaismo דעבד עולימא תבשילין. Nam facere coctiones aliud nihil est quam coquere. Quod vel hinc perspici potest. Supra ergo ubi vertimus, *& properavit facere coctiones*, ex h. l. elucidabis, properavit coquere, sive propere coxit eum. Res est, non conjectura. R. Salo. שתקן quem aptavit, apparavit. ❡ *Posuit coram eis*] apposuit eis, παρέθηκεν αὐτοῖς. ❡ *Stabat juxta eos*] παρειστήκει αὐτοῖς: adstabat eis. O. vēs, stabat ad mensam ministrans eis. Nam stare est ministrare, ut in illo, *Vivit DOMINUS in cujus conspectum ego sto.* i. cui ego ministro. Ergo Jon. edidit, *ministrabat coram eis*: & On. *ministrabat juxta eos.* ❡ *Sub arbore*] quam ilicem alii, alii terebinthum, alii quercum fuisse putant. ❡ *Et comederunt*] Jon. *videbatur illi ac si comederent.* R. Salo. *videbantur comedere* q.d. non comedebant revera, sed videbantur tantum comedere. Id quadrat cum iis quæ habentur Tob. 12. 23. πάσας τὰς ἡμέρας ὠπτανόμην ὑμῖν, καὶ οὐκ ἔφαγον οὐδὲ ἔπιον, ἀλλὰ ὅρασιν ὑμεῖς ἐθεωρεῖτε. In ea parte Thalmud, quæ vocatur Baba Media, cap. 7. *Ecce Moses ascendit in altum & non comedit, angeli descenderunt in hæc inferiora & comederunt. Noli existimare quod revera comederint, sed visi sunt tanquam comedentes & bibentes.* Alii tamen dicunt quod revera comederint, ut habetur in glossa ad illum locum. Hæc sententia non est omnino rejicienda. Nam si habebant vera corpora, si vere ambulabant, si vere movebantur, cur non potuerunt etiam vere comedere, vere bibere? Priorem sententiam tuetur Theodoretus in Genesin Quæst. 68. per hæc verba, εἰ γυμνοῦ προσέχοιτο τοῦ γράμματος, ἄνδρες οὐκ οἱ ἄγγελοι ἔφαγον. εἰ δὲ τὸν ἀναπλάσαντα μόνον φησὶν ἔφαγον. ὥσπερ γὰρ ἀσώματον ἔχοντες φύσιν, καὶ αὐτοὶ καὶ ὁ τούτων δεσπότης σώματα ἔχειν ἔδοξαν (οὕτως γὰρ ἐνεφάνησαν) οὕτως ἐσθίοντες ἀφθησαν, οὐ νόμῳ καὶ χρείᾳ τὴν τροφὴν προσενηνοχότες. οὐ γὰρ εἶχον σώματα ἀναλώσαντες δὲ αὐτὴν ὡς ἠθέλησαν. Sed & Josephus ita scribens, καὶ μόσχον θύσας καὶ ὀπτήσας, ἐκόμισεν αὐτοῖς, πρὸς τῇ δρυῒ κατακειμένοις. οἱ δὲ δόξαν αὐτῷ παρέσχον ἐσθιόντων i. speciem ei præbebant edentium. Non ergo revera edebant. Quod amplius confirmat autor Catenæ patrum, *Sed ut piæ*, inquit, *quærentium curiositati aliquatenus mos geratur, dicimus nec Deo nec angelis (esto quod ad tempus revera assumant corpora) competere proprie atque univoce cum hominibus & ceteris animantibus comedere, cum vim vegetativam ac nutritivam non habeant, nec cibus & potus, quem sumunt, in eorum substantiam extet vertibilis, sed eatenus manducare & bibere dicuntur, quod cibum ac potum insumant atque intro traiiciant. De quo idem sentiendum quod de humore à calore Solis attracto, qui consumitur quidem ab eo, nec tamen in eum convertitur. Sciendum etiam angelos, quia non uniuntur corporibus quæ assumunt, ut forma, sed solummodo ut motores, nec in se sensitivas potentias habent, idcirco non videre per oculos, nec audire per aures corporum assumptorum, nec per ea sentire aliquid, minusque corpora illa vivere.* Ego hic judicium meum non interpono: tantum dico theologum quendam perdoctum de hac re aliter & sentire & scribere. Ejus verba sunt, *Sunt qui respondeant comedentium speciem tantum præbuisse. Quod commentum ex alio errore illis in mentem venit, quia non veris corporibus, sed tantum spectris imaginantur fuisse indutos. Atqui longe aliter res habet. Primum non fuit hæc prophetica visio, ubi oculis ingeruntur rerum absentium imagines: sed re ipsa venerunt angeli in domum Abrahæ. Quare non dubium est quin Deus (qui totum mundum ex nihilo condidit, & quotidie mirus est in formandis creaturis artifex) corpora illis ad tempus dederit, in quibus injunctum sibi munus peragerent. Sicuti autem vere ambularunt, locuti sunt, perfuncti aliis officiis: ita vere comederunt. Non quod esurirent, sed ut laterent usque ad tempus revelationis. Ceterum ut Deus quæ in usum temporalem creata erant corpora extemplo in nihilum redegit: ita nihil absurdi erit si dicamus consumptum fuisse cibum una cum corporibus. Quemadmodum autem has quæstiones attingere utile est, nec ulla religio vetat, sic rursum nihil melius quam sobria solutione nos esse contentos.* August. de Civ. Dei lib. 13. cap. 22. *Neque enim in phantasmate angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt.* & mox, *sed si forte de angelis aliud credibilius disputari potest: certe fides Christiana de ipso salvatore non dubitat, quod etiam post resurrectionem jam quidem in spirituali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit.* Vives ad h. l. *Non ita edebant angeli ut nos, quorum cibus per guttur in ventriculum demissus conficitur, & succus per venas in singula distribuitur membra, aliterque corpus: Sed nec sic tamen edebant, ut oculis humanis illuderent velut præstigiis, quod movere viderentur, quod pro maxillis haberent, non moverent tamen, comminuere suis illis dentibus panem aut carnes quæ remanerent integra. Vere enim mandebant, sed non alebantur.* Hæc ibi. Quod locum Tobiæ attinet, ubi angelus dicit, *non edebam, neque bibebam*, eum commode sic exponi posse arbitror, *non edebam*, ut angelus. Nam angeli

non

non comedunt. Edebat tamen ut homo, cujus formam gerebat.

9. *Et dixerunt ei, Ubi est Sara uxor tua? & dixit, Ecce in tabernaculo.*

Et dixerunt ei] vel inter edendum, vel postquam comedissent. Quod postremum Hiero. sequendo ita hunc locum convertit, *Cumque comedissent, dixerunt ad eum.* ¶ *Ubi est Sara uxor tua*] cum Saram nominant, satis indicant sibi familiam Abrahami notam esse. Jam vero quærunt ut homines, quod angeli probe sciebant. Ceterum pro *dixerunt ei*, in editione Græca legitur, εἶπε δὲ πρὸς αὐτόν: *dixit autem ad eum.* Nam credibile est ab uno tantum hæc dicta esse, nisi putemus omnes tres simul locutos fuisse: quod non est temere statuendum. ¶ *Et dixit*] Abraham. ¶ *Ecce in tabernaculo*] sub. est: ubi sane honestam matronam esse decet, unde epitheton οἰκουρὸς ei tribuitur, & testudini assimilatur quæ domum suam circumfert. Γυνὴ οἰκουρὸς dicitur quæ domi manet & rem domesticam curat: cui opponitur יוצאה quæ frequenter domo exit & in publico versatur. Chaldæi meretricem & hujusmodi vagam mulierem appellant נפקת ברא juxta illud Salomonis, *in domo non habitant pedes ejus.*

10. *Et dixit, Revertendo revertar ad te tempore hoc vivente ea, & ecce filius erit Saræ uxori tuæ: id Sara audiebat ad ostium tabernaculi, quod erat post ipsum.*

Et dixit] unus angelorum videl. aut ipse Deus, qui per angelos hæc Abrahamo & Saræ insinuabat. Nam passim in his literis Deo attribuitur, quod angeli ab eo missi fecisse dicuntur. ¶ *Revertendo revertar*] omnino revertar. Tum autem reversus est cum promissa præstaret, h. e. cum Sara filium pareret. ¶ *Tempore hoc vivente ea*] כעת חיה circa tempus istud, vivente, h. e. salva & incolumi Sara uxore tua. חי vivus. Femininum חיה viva. On. *quo tempore vos viventes eritis* i. salvi & incolumes. Jon. *hora ventura & vos eritis vivi sive incolumes.* Hora ventura i. tempore venturo. Sic horæ vocabulum etiam in Novo Fœdere usurpatur. Lxx. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας: *secundum tempus hoc in horas.* Alibi, *& in hora:* pro quo vitam ait legi Hiero. in Ebræo. Hoc ait in libro Quæst. sive Tradit. Ebraicarum. Editio Latina vulgata, *tempore isto, vita comite*, q. d. si Deus vitam concesserit. Nam ut homo hoc dicit, quorum vita incerta. Verba Hiero. *Juxta aliam literam, Revertens veniam ad te in tempore hoc, & in hora hac & habebit filium Sara. Pro hora vitam legimus in Ebræo, ut sit ordo vel sensus, Revertar ad te in tempore vitæ, quasi diceret, si vixero, si fuerit vita comitata. Hæc autem ἀνθρωποπαθῶς, quomodo & cetera.* R. Salo. *Circa tempus hoc quo erit vita vobis, quo eritis omnes vos salvi & incolumes.* Nam חיה etiam vita, ut Psal. 143. 3. חיתי. Lxx. τὴν ζωήν μου. Hiero. & Santes, *vitam meam.* Sic Psal. 78. 50. חיתם Santes, *vitam eorum.* Hoc significatu nomen est substantivum. Qui vertunt, *tempore vitæ*, iis adversatur Cametz, quod sub Chaph in כעת. Nam articulum arguit, qui raro ponitur in regimine. Quod ubi fit, Grammatici explicant, ut exempli caussa האבן אבן הבדיל quod ajunt positum esse pro האבן הבדיל lapidem, lapidem stanni. Nunc ad rem. Abenezra, *circa tempus hoc in anno altero & Sara erit viva, ut alibi* כה לחי *sic viventi* i. ei qui sequenti anno vivet. Hisc. *Angeli sciunt in se vitam esse sempiternam, ideo dicunt, Anno altero circa tempus hoc quo vivi erimus & salvi revertar ad te.* R. Levi filius Gersom, *hoc tempore instante, post annum alterum erit Saræ filius.* Moses Gerundensis, *circa tempus hoc quum eritis in eo vivi Saræ filius nascetur.* Hactenus Ebræi. Videamus nunc interpretes superos. Igitur Santes habet, *Revertendo revertar ad te secundum tempus vitæ & ecce filius erit Saræ.* Tremel. *Certe revertar cum hoc tempus vigebit.* Nova interpretatio עת חיה tempus vivum i. vigens. *Tempus vivum ut lapides vivi Nehem.* 4. 2. Sapum vivum etiam Latini dicunt. An ita tempus vivum dicatur valde dubito. Gall. edit. *hoc ipso tempore in quo sumus*: aut, *hoc tempore vivente* i. redeunte, q. d. iterum vivente. Munsterus, *juxta tempus vitæ.* Alius, *cum revisam te, anno vertente, Sara habebit filium.* ¶ *Ad ostium tabernaculi*] πρὸς τῇ θύρᾳ τῆς σκηνῆς. Hiero. *post ostium tabernaculi.* Alii, *in ostio*: alii: *ex ostio.* ¶ *Tabernaculi*] Abraham, quod erat proxime arborem, sub qua prandebant tres illi viri. ¶ *Quod erat post ipsum*] והוא אחריו *& erat post ipsum*, angelum videl. qui cum Abrahamo loquebatur. והוא certe cum pronomen masculinum sit referri debet ad פתח ostium. Nam si Saram innuere voluisset Moses, dixisset והיא. Jam vero ad Ismaëlem referre alienius est. Tamen Jon. *Et Ismaël stabat post illud, & audiebat ea quæ dicebat angelus.* Licet etiam exponere, *post eum* i. à tergo ipsius Abrahami, qui ad mensam stabat angelis inserviens.

11. *Porro Abraham & Sara senes erant provecti ætate: desierat esse Saræ consuetudo sicut mulierum.*

Provecti ætate] באים בימים progressi in diebus. Græci hoc dicerent προβεβηκότες τῇ ἡλικίᾳ vel τῷ χρόνῳ, & sæpius προβεβηκότες i. provecti aut provectiores, absque ulla adjectione. In Lex. vet. προβεβηκὼς τὴν ἡλικίαν, eundem sensum habet. Quanquam ibi interpretatio omissa. Lxx. hic habent προβεβηκότες ἡμερῶν. In Evangelio Luc. 1. 18. προβεβηκυῖα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς i. provecta ætate, & vers. 7. καὶ ἀμφότεροι προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ἦσαν: & ambo provecti jam erant ætate. Dicimus autem provectus ætate, & provecta ætate, & provectæ ætate. Quod postremum Hiero. elegit. Vide, si placet. ¶ *Provecti*] בא non solum venio, sed etiam eo. Ire autem dicitur sol cum occidit. Sic homines. Affine quod Latini autores ire usurpant pro οἴχεσθαι. Nam & abiisse dicunt pro obiisse, ut Festus ait. Lucretius lib. 3. *Denique sæpe hominem paulatim cernimus ire, Et membratim vitalem deperdere sensum.* ¶ *Ætate*] בימים *in diebus* i. ætate. Nam dies dicunt pro dies vitæ. Quidam *progressi in dies.* Abenezra, *qui ad dies multos pertigerunt.* ימים pro ימים רבים. Sæpe hoc modo adjectivum reticetur. ¶ *Desierat esse Saræ consuetudo sicut mulierum*] Hiero. *desierant Saræ fieri muliebria.* i. ordinarii & consueti mulieribus menses. Lxx. ἐξέλιπε δὲ τῇ Σάῤῥᾳ γίνεσθαι τὰ γυναικεῖα. Alius, *desierat jam menstrua pati.* Alius, *desierat esse Saræ secundum consuetudinem mulierum* q. d. desierat pati id quod mulieres solent. Hinc Ebræi menses appellant ארח כנשים. Sciendum vero tales fœminas extra spem concipiendi esse. Non ergo temere hoc adjectum.

12. *Et risit Sara in medio sui dicendo, Postquam vetustate consenui fuerit mihi voluptas & dominus meus senex est.*

Risit] ἐγέλασε. Hic risus diffidentiæ & subsannationis est, non gaudii & lætitiæ, ut risus Abrami, de quo diximus. ¶ *In medio sui*] Lxx. ἐν ἑαυτῇ in semet ipsa. Aquila καθ' αὐτῆς: apud se. Hiero. *occulte* בקרבה. Onk. במעהא *in visceribus suis*, h. e. interpretante Fagio, *intra se.* Jon. & autor Jerosol. בלבה in corde suo. Alius, *secum.* ¶ *Postquam vetustate consenui fuerit mihi voluptas*] אחרי בלתי היתה לי עדנה. Hiero. *postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* Alius, *postquam jam victa sum, indulgebo credo voluptati.* On. *postquam consenui, erit mihi adolescentia*, sive juventus i. עולימו. Jon. *Postquam senui, erunt mihi conceptus.* Autor Jerosol. *postquam senui forte redibo ad dies juventutis meæ ut sit mihi conceptus.* ¶ *Voluptas*] vel, *deliciæ*, ut in illo, *Annus saltans menti delicias facit.* ¶ *Et Dominus meus senex est*] vel, *cum Dominus meus senex sit.* זקן potest esse verbum ad instar חפץ voluit, ut vertas, *& Dominus meus senuit*, vel, *cum Dominus meus senuerit.* Pro (&) quidam ediderunt, *deinde.* Lxx. ὁ δὲ κύριός μου πρεσβύτερος i. πρεσβύτης, senex. Hiero. *& Dominus meus vetulus est.* Tres Chaldæi סיב i. senuit. Nam senex סבא dicitur, ut in proverbio illo, *Senex in domo signum bonum in domo.* זקן *Senuit* obvium Gen. 27. Hoc malo. Jon. *Dominus meus Abraham senuit.* Quo respexit Apost. 1. Pet. 3. 6. cum ita scriberet, Ὡς Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ Ἀβραάμ, κύριον αὐτὸν καλοῦσα. Dominus meus i. אדני. Chaldaice autem רבוני: & errat Caninius qui hoc nomen de solo Deo dici scribit.

13. *Dixitque DOMINUS Abrahamo, Quare risit Sara, dicendo, An etiam vere pariam cum ego senuerim?*

14. *An difficile erit DOMINO quicquam? tempore statuto revertar ad te, circa hoc tempus vivente ea, & Saræ erit filius.*

Dixitque DOMINUS] per angelum. ¶ *Quare risit Sara*] vel, *Quid hoc quod risit Sara?* Ebraice למה זה. Chald. למא דנן. Lxx. τί ὅτι ἐγέλασεν ἐν ἑαυτῇ; quid quod risit in semetipsa? Alius, *Quid ita risit Sara?* ¶ *An etiam vere pariam?*] Hiero. *num vere paritura sum?* Sed particula *etiam* otiosa plane non est, q. d. An ut Hagar ancilla mea peperit, ita ego quoque nunc pariam? Lxx. ἆρά γε ἀληθῶς τέξομαι; quod reddunt, *num utique vere pariam?* On. & Jon. הברם בקושטא. Fagius interpretatur, *nunquid vere?* ברם verum, veruntamen, utique. ¶ *Cum ego senuerim*] ואני זקנתי & ego senui. Lxx. ἐγὼ δὲ γεγήρακα. Hiero. *anus.* זקנה. ¶ *Pariam*] אלד. Sic etiam On. Quod noto quia in Jon. est אוליד gignam vel generabo. ¶ *An difficile est DOMINO quicquam?*] היפלא מיהוה דבר. Lxx. μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ θεῷ ῥῆμα; an impossibile erit apud Deum verbum? i. res ulla. Idem plane cum illo, *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, sive ulla res. Hiero. *nunquid Deo quicquam est difficile?* On. *An occultabitur à DOMINO verbum?* Jon. *Fierine potest ut occultetur à DOMINO quicquam?* Santes, *nunquid abscondetur à DOMINO quicquam?* Verbum,

bum Ebræum tritum est in significatione rei miræ & arduæ. Nam conjuncta hæc fere sunt. Unde נפלאים mirabilia, sive miracula admiranda. Ergo Zach. 8. 6. כי יפלא. Santes, *si difficile erit.* Arias, *si mirum erit.* Tremel. quoque, *si mirabile erit.* Lxx. εἰ ἀδυνατήσει. Et Deut. 17. 8. כי יפלא ממך דבר. Santes, *si latuerit tibi aliquid.* Arias, *quum mirabile fuerit à te verbum.* Hiero. *si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris.* Psal. 118. 24. נפלאת Aquila, παράδοξον: ceteri θαυμαστὸν i. mirabile. ¶ *Tempore statuto*] vel, *tempore condicto.* Sed potius ut vertamus *ad tempus condictum.* Nam in fonte למועד quod Jon. reddit לזמן חגא *ad tempus festi*: On. לזמן *ad tempus* simpliciter. Lxx. εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον. Hiero. *juxta condictum.* Sic למינו juxta speciem suam. ¶ *Revertar ad te*] tunc reversus est cum re præstaret quod nunc verbis promittit. Vide infra Gen. 21. 1. ¶ *Circa hoc tempus vivente ea*] explicatum est. Porro qui tempus vivum ita dici putant ut structura viva 1. Paral. 11. 9. & lapides vivi Nehem. 4. 2. nescio an sint audiendi. Mihi sane diversa videntur. Aliter probandum erit. Nam & sapum vivum legimus, & flumen vivum, & lacus vivus. Tempus vivum nusquam legitur quod sciam.

15. *Et mentita est Sara dicendo, Non risi, quia timebat: & dixit, Non, sed risisti.*

Mentita est] ותכחש. Hiero. *negavit.* Idem in comment. Zach. 13, 4. ait verbo כחש & mentior & nego significari. Santes quoque hic habet, *& negavit.* Nec aliter Lxx. ἠρνήσατο. Id Jon. extulit וכפרת. Siquidem כפר negare, quod Grammatici dicunt לשון הכחשה. Ergo כחש etiam nego. Sæpius tamen denotat mentiri. Ideo verti, *& mentita est.* Quomodo & On. וכדיבת. Quanquam in Fagio, *& negavit.* ¶ *Quia timebat*] vel, *timebat enim*: ἐφοβήθη γάρ. Et timebat maritum quem reverebatur, hospitumque præsentiam à quibus suum risum detectum esse videbat. ¶ *Et dixit*] Jon. *& dixit angelus.* Quod malo, quam de Abrahamo accipere. Cum enim intra se riserit, qui potuit Abraham id rescire? Hiero. *Dominus autem, Non est, inquit, ita: sed risisti.* eodem redit. Nam angelus qui hæc dicebat, paulo ante DOMINUS vocatur, & quidem nomine tetragrammato. Quod solens fit in his literis. ¶ *Non*] לא. Lxx. οὐχί, quod vertunt, *nequaquam.* Hiero. *non est ita.* Ion. *ne timeas.* Santes, *nequaquam.* ¶ *Sed risisti*] Hic כי valet כי אם i. ἀλλά, sed: pro quo in On. בקושטא verum, in Jon. *quia vere risisti.*

16. *Et surrexerunt inde viri illi & prospectarunt versus Sodomam: Abraham vero ibat cum illis ad deducendum eos.*

Surrexerunt inde] surrexerunt à mensa & discesserunt inde. ¶ *Prospectarunt versus Sodomam*] vel, *aspectarunt contra Sodomam.* Ad verb. *contra faciem Sodomæ.* Facies Sodomæ, ut *facies terræ, facies campi.* Vultum Latini dicunt. Sed & faciem. Id alias probavimus. Hiero. *direxerunt oculos contra Sodomam.* Lxx. κατέβλεψαν ἐπὶ πρόσωπον Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας: interpres Romanus, *conspexerunt in faciem Sodomorum & Gomorræ.* Sed καταβλέπω proprie despicio i. deorsum aspicio: cui opponitur ἀναβλέπω, suscipio, sursum aspicio. Hic aliud significare videtur. Ion. *Et surrexerunt inde angeli qui erant similes viris. Ille qui nunciaverat Saræ ascendit in cœlum supremum, & duo reliqui aspiciebant contra faciem Sodomæ.* Verius est ut dicamus duos angelos profectos esse Sodomam versus, & unum apud Abrahamum remansisse. ¶ *Ad deducendum eos*] ut deduceret officii caussa. Porro incertum quousque deduxerit eos. Nam quod Ebræi colligunt ex ultimis literis harum vocum על פני סדום quæ simul juncta מיל efficiunt i. miliare, nimis diluctum est. שלח est quod Græci dicunt προπέμπω, deduco, prosequor, comitor: quod & ἀποπέμπω. Unde συμπροπέμπω & συμπροπέμπω, una deduco. Quo postremo verbo usi sunt hoc in loco οἱ ό. ¶ *Ibat cum illis*] comitabatur eos.

17. *Et DOMINUS dixit, Celabone ego Abrahamum id quod ego facio?*

18. *Abraham enim omnino futurus est in gentem magnam & validam, & benedicentur in eo omnes gentes terræ.*

Celabone Abrahamum] המכסה אני מאברהם occultone ego ab Abrahamo? q. d. non possum id facere cum adeo mihi familiaris sit, vel *tegone.* Ea est propria significatio verbi Ebraici. Lxx. μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραὰμ τοῦ παιδός μου: *non abscondam ego ab Abrahamo puero meo*, i. servo meo. Ion. *Et DOMINUS dixit in sermone suo* (i. in seipso) *Fieri non potest ut ego abscondam ab Abrahamo id quod ego facturus sum: æquum enim est ut non fiat antequam innotuerit ei.* Autor Ierosl. *Et DOMINUS in sermone suo dixit, Occultone ego ab Abraham intimo meo id quod ego facturus sum. Quandoquidem urbs Sodoma est in donatione quam ei dedi: æquum est ut non evertatur priusquam indicavero ei.* Hic notabis præsens pro futuro usurpari, ut mox. ¶ *Id quod ego facio*] i. facturus sum: aut facere cogito. Lxx. ἃ ἐγὼ ποιῶ. Hiero. *quæ ego gesturus sum.* ¶ *Omnino futurus est*] vel, *certo futurus est.* Ebraice היו יהיה essendo erit. Lxx. γινόμενος ἔσται. Hiero. *cum futurus sit.* Alius, *prorsus futurus est.* Licet legere, *Abraham erit erit.* Nam emphasis in repetitione. Sic ראה ראיתי *vidi, vidi vexationem populi mei.* ¶ *In gentem magnam*] εἰς ἔθνος μέγα. ¶ *Et validam*] i. potentem aut numerosam. Hoc Lxx. ediderunt: Illud ceteri. Sane quidem תקיף On. & Ion. ὀστέινον: *osseam*, Aquila. ἰσχυρόν, Sym. *robustissimam*, Hiero. ἔθνος ὀστέινον, gens valida & potens. Ebraice עצום. Ab hoc verbo deducitur nomen עצם quo significant os, quod & ossum. Os, dico, ossis: unde ὀστέινος osseus. Nam ὀστοῦν os. Amat enim Aquila verborum etymologias transferre, quocirca contentiosus interpres appellatur à Hiero. תקיף i. robustam, fortem. ¶ *Benedicentur*] felicitabuntur. ¶ *In eo*] *per eum*: aut *propter eum*: vel *in semine ipsius*, h. e. in Christo. ¶ *Omnes gentes terræ*] non terræ Chanaan duntaxat, sed totius orbis terrarum. Ceterum pro *in eo*, quod Ebræi dicunt בו & Græci reddunt ἐν αὐτῷ, On. & Ion. habent בדיליה i. caussa ejus aut propter eum.

19. *Quia novi eum, propterea quod præcepturus est filiis suis & domui suæ post se ut custodiant viam DOMINI, faciendo justitiam & judicium: quo adducat DOMINUS super Abraham id quod locutus est de eo.*

Quia novi eum] i. elegi, ut Amos 3. 1. *duntaxat vos novi ex omnibus familiis terræ.* Sic in Exodo Mosis dicit, *Novi te ex omnibus*: quod alii reddunt *præ omnibus.* Aut *novi* i. approbo, ut Matth. 25. *non novi vos*, Hos. 8. *principes constituerunt & non novi.* Sic Psal. 1. 6. *novit viam justorum* i. approbat Rom. 3. 15. οὐ γινώσκω. Erasmus *non probo.* Item Matth. 7. 23. Cic. in primo de legibus, *Atqui vereor ne istam caussam nullus noscat.* i. probet. paulo post, *At mehercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari.* Aliter aliquanto sumitur Nah. 1. 7. *Bonus DOMINUS, robur est tempore adverso, novit sperantes in se.* Nam sensus, curam eorum gerit. Aut, *novi eum* i. amo, complector. לשון חבה ait R. Salo. quod Hisc. confirmat, ita scribens, *Erit in gentem magnam eo quod sit dilectus in oculis meis, & constituet familias multas: ideo rectum est ut notum ei faciam judicium, quod facturus sum in Sodomam.* Nam quos probe novimus & charos habemus, iis consilia nostra indicare solemus. Quidam, *scio eum quod præcepturus sit &c.* Quale illud, *Sciam me in quibus sim gaudiis.* Grammatici dicunt antiptosin esse pro, *Scis in quibus ego sim gaudiis.* Hiero. certe, *scio enim quod præcepturus sit filiis suis* &c. Probarem si non esset למען in Ebræo. Hæc particula nonnullis occasionem dedit vertendi, *ut præciperet filiis suis.* q. d. hac fini eum elegi. ¶ *Propterea quod præcepturus est*] in On. בדיל ד quod reddunt *quod*, potest reddi *propterea quod.* Nam est idem cum Ebræorum בעבור. Itaque ubi in fonte בעבורי propter me, Jon. habet בדילי ἕνεκεν ἐμοῦ mea caussa. Nec aliud sonat בגין quod in Thargum Jon. h. l. Major difficultas in גלי קדמי quod reddunt *manifestum est coram me*, cum possit etiam reddi, *manifestus* i. *notus est coram me.* Id Ion. dixit, *manifesta est coram me pietas ejus*: q. d. probe novi eum, quam sit pius & integer: ideo non possum ipsum celare excidium Sodomæ quod meditor. Hanc expositionem Mercerus præ ceteris probare videtur. Vide igitur ne spernas eam. Nam non est ille magnus, cui Mercerus non est magnus. ¶ *Præcepturus est*] quasi testamento, quod ab hoc verbo צוה dicitur. ¶ *Filiis suis*] posteris suis. ¶ *Et domui suæ*] & familiæ suæ, vel, *domesticis suis*, hoc est, interpretibus. On. & Jon. *viris domus suæ.* ¶ *Ut custodiant*] ושמרו & custodient, καὶ φυλάξουσι. ¶ *Viam DOMINI*] ita vocatur vitæ ratio quæ nos ducit ad DOMINUM, sive qua pervenitur ad DOMINUM, h. e. vita sancta & inculpata, vita vitiorum expers. Mox se explicat cum ait, *faciendo justitiam & judicium.* On. & Jon. *vias quæ rectæ sunt coram DOMINO.* Lxx. τὰς ὁδοὺς κυρίου: vias DOMINI. Psal. 138. in notis ad edit Rom. ὁδοὶ κυρίου εἰσὶν αἱ ἀρεταὶ αἱ φέρουσαι ἐπὶ τὴν γνῶσιν τοῦ θεοῦ. Interdum ita vocantur ipsa Dei facta & gesta, præsertim plurali numero. ¶ *Faciendo*] Lxx. ποιεῖν. Hiero. *ut faciant.* Recentior interpres, *exercendo.* ¶ *Justitiam & judicium*] i. quicquid ab homine Deus requirit. Ea partiuntur in præcepta, statuta & judicia. Præcepta & statuta i. חקים sub justitiæ vocabulo contineri videntur, & utramque tabulam comprehendunt. Judicia potissimum ad forum spectant. Aut est figura loquendi quam Synecdochen vocant. Nam justitia & judicium proprie intra secundam tabulam consistunt, & tamen hic late accipiuntur, ut etiam primam tabulam complectantur. Quid autem differant inter se, videamus. Justitia quandoque pro virtute sumitur: interdum exponitur τὸ εὐθύτης

i. æqui-

i. æquitas. Judicium nihil aliud est quam ipsum jus, quando unicuique suum reddimus, & operam damus, quantum in nobis est, ne cui vis aut injuria inferatur. Aliquando justitiæ vocabulo significantur τὰ δικαιώματα i. חקים statuta aut ceremoniæ, ut. 1. Mach. 1. 14. apud interpretem nostrum. ¶ *Quo adducat*] ὅπως ἂν ἐπαγάγῃ. ¶ *Super Abraham*] minus recte Hiero. *propter Abraham*. Sensum autem expressit qui vertit, *ut præstet DOMINVS Abrahamo id quod ei promisit*.

20. *Et dixit DOMINVS, Clamor Sodomæ & Gomorræ quia multus est, & peccatum eorum quia grave est valde.*

21. *Descendam nunc & videbo an secundum clamorem ejus qui venit ad me fecerint consummationem: & si non, cognoscam.*

Clamor Sodomæ &c.] Ordo & constructio, *Quia clamor Sodomæ multus est, & peccatum eorum grave nimis, ideo descendam &c.* Potest etiam esse aposiopesis. *Clamor Sodomæ* sub. ad me pervenit, ut mox ait, *An secundum clamorem ejus qui venit ad me*. Sunt qui legant, *Clamor Sodomæ utique multus est, & peccatum eorum utique invaluit nimis*. Hiero. *Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis*. Sic etiam Lxx.° Forsan existimarunt in otio cubare. ¶ *Clamor Sodomæ*] oppressorum Sodomæ, an peccatorum quæ in Sodomis perpetrantur? mox ait, *& peccatum eorum*, quod exponunt *peccata eorum*. Alii de singulari peccato dictum accipiunt. Id Ebræi חטא appellant. Nostri fere peccatum illud significari putant, quod ab ea urbe Sodomiticum nuncupatur. Porro peccata clamant in cœlum quando enormia sunt & ad summum gradum pervenerunt. Sic alibi, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me*. Locus est, nisi fallor, Gen. 4. 10. Sic Habacuc ait de rapinis Nabuchodonosori loquens, *lapis de tigno clamabit &c.* ¶ *Et Gomorræ*] alibi Sodomam tantum, alibi Sodomam & Gomorram nominat, cum tamen universam regionem, quæ à numero quinque urbium Pentapolis vocatur, significare velit. ¶ *Peccatum eorum quia grave est*] Lxx. καὶ αἱ ἁμαρτίαι αὐτῶν μεγάλαι. Aq. & Sym. ἐβαρύνθησαν, aggravata sunt, gravia fuerunt. Chaldaicum חוביהון peccatum eorum, potest legi, peccata eorum, nisi sequeretur verbum singulare תקיפת forte fuit. i. multum, magnum, ingens. ¶ *Grave*] i. magnum, ut *gravis fames* Gen. 42. 39. *gravis annona*. Severus in hist. sacra, *Ea tempestate gravis annona inopia terras incesserat*. ¶ *Descendam*] tres Chaldæi אגלי *patefaciam me*. De hoc alias. ¶ *Secundum clamorem ejus*] pronomen in Ebræo femininum est, & ad Sodomam refertur, vel potius ad totam regionem Pentapolitanam. ¶ *Fecerint consummationem*] עשו כלה. Sym. ἐπετέλεσαν τὸ ἔργον. puto leg. ἐπετέλεσαν perfecerunt opus. Id Hiero. *opere compleverint*, retulit. Jon. & autor Jerosl. עבדו גמירא fecerint consummationem. Nam On. aliter hunc locum accipit, *Utrum juxta clamorem eorum qui venit ad me fecerint, faciam cum illis consumptionem*, i. interprete Fagio, *consumam eos penitus*. Sic etiam enarrant R. Salo. & Abenez. quibus accentus favere videntur. Trem. *fecerint facta digna consumptione*. Gall. edit. *s'ils ont entierement fait* i. omnino, penitus, plene fecerint. ¶ *Et si non, cognoscam*] vel, *sin minus, sciam*. On. *& si pœnitentiam egerint, non sumam pœnas*. Cognoscere aliquando significat punire, ex eo quod præcedit id quod sequitur. Nam pœnam præcedit cognitio causæ. Sic interpretantur Prov. 10. *stultus labiis cognoscetur* i. punietur. Hoc secutus videtur interpres ille. Ion. *& si egerint pœnitentiam, nonne ipsi sunt coram me puri ac si non cognoscerem, & non sumam pœnas*. Thargum Ierosl. *& si voluerint facere pœnitentiam, ecce ipsi sunt ac si non novissem eos*. Hiero. *an non est ita ut sciam*. אם pro an tritum est. Ita fere sumitur cum interrogatio præcedit. Lxx. εἰ δὲ μή, ἵνα γνῶ: *si vero non, ut sciam*. Hisc. *Cognoscam & miserebor, ut cognovit Deus*. Abenez. *cognoscam* i. miserebor eorum כמו וירע אלהים. *Quale illud*, inquit, וידע אלהים *& cognovit Deus. Sed secundum sententiam meam exponi debet, videbo an fecerint omnes malum hoc*. Hactenus Rabbi ille.

22. *Et diverterunt inde viri illi & iverunt Sodomam, & Abraham adhuc ipse stabat coram DOMINO.*

Diverterunt] vel, *diverterant*. Ebraice ויפנו quod alii referunt, *verterunt se*, alii, *recesserunt*. Thema פנה diverto, deflecto, declino, ut Cant. 3. 17. אנה פנה דודך quo deflexit sive divertit. Hiero. *declinavit*: & Psal. 90. 9. *dies nostri declinant*, ubi Hiero. *transierunt*. Trem. *divertunt*. Santes, *declinaverunt*. Idem h. l. habet *verterunt se*. Id Arias emendavit, *respexerunt*. Hoc non est emendare, sed pervertere. Nam פנה non modo de facie dicitur, sed etiam de cervice Ierem. 2. 27. atque adeo de toto corpore. Tum non sig. respicere, sed deflectere, sive divertere, vel si mavis, vertere se; quod Hiero. dixit *convertere*. Lxx. ἀποστρέψαντες. alius, *avertere*. ¶ *Viri illi*] non tres, sed duo tantum. Nam tertius apud Abrahamum remansit, quem DOMINUM appellat Moses, usus nomine Ioth, He, Vau, He: quod tetragrammaton vocant. ¶ *Sodomam*] alii, *Sodomam versus*. ¶ *Abraham adhuc ipse stabat coram DOMINO*] ואברהם עודנו עמד לפני יהוה. Ad hunc locum annotant critici Ebræorum Massoritæ

י״ח מלין תקון סופרים

Octodecim sunt dictiones correctio scribarum.

Sensus est, quæ à scribis correctæ sunt. R. Salo. *Scribendum erat & DOMINUS adhuc stabat juxta Abrahamum: sed correctio scribarum est*. Scribæ ergo emendarunt, *& Abraham adhuc stabat coram DOMINO*: & est unus ex illis 18. dictionibus. ¶ *Stabat coram DOMINO*] On. *ministrabat in oratione coram DOMINO*. Jon. *deprecabatur pro Lot & ministrabat in precatione coram DOMINO*. Quidam explicant, *stabat* i. manebat. Quale illud, *terra in perpetuum stat* i. manet, durat. ¶ *Coram DOMINO*] coram angelo legato DOMINI.

23. *Et accessit Abraham & dixit, Num etiam perdes justum cum impio?*

24. *Forte sunt quinquaginta justi in medio urbis: an etiam perdes? & non parces loco illi propter quinquaginta, qui in medio ejus?*

Accessit] oratum sive deprecatum pro Sodomitis. ¶ *Num etiam perdes*] etiam omisit Hiero. Ebraice האף an etiam; pro quo Jon. *An ira tua perdet?* On. *An in ira perdes?* Siquidem אף ira. Sed hic potius denotat etiam. Græci legunt μὴ συναπολέσῃς: *num una aut simul perdes?* ¶ *Perdes*] תספה consumes. ¶ *Cum impio*] vel, *cum improbo*. On. & Jon. *cum peccatore*. Notabo nunc quod non puto notum in vulgus, צדיק & רשע verba sunt forensia. Hoc significatur [illegible]: illo reus insons. Ergo ubi legimus, *cum litigabit exeat improbus*, sententia est, exeat reus sons. Sic differre videntur זכאי justus & חייבא peccator in lingua Chaldæorum. ¶ *Forte sunt*] Santes, *si forte fuerint*. Hoc Chaldæi retulerunt. Nam in utroque אולי quod reddunt, *si forte*. Caninius explicat, *quid si*, & id proprie significare videtur מה quid: אם si. Lxx. ἐὰν ὦσι, & Hiero. *si fuerint*. Supra 16. 2. idem, *si forte*. Hæc particula dubitationem designat cum spe conjunctam. ¶ *In medio urbis*] Lxx. ἐν τῇ πόλει: in urbe sive intra urbem. ¶ *Perdes*] consumes. ¶ *Non parces*] ita Hiero. Ebraice לא תשא non condonabis. On. & Jon. לא תשבוק non remittes. Lxx. οὐκ ἀνήσεις, non dimittes. ¶ *Loco illi*] i. לעיר: urbi aut oppido illi. Sic alibi, *in loco Sichem*, quod explicant in oppido sive in urbe Sichem. ¶ *Qui in medio ejus sunt*] qui in ea sunt. Ebraice אשר בקרבה. Constructio sensu congrua; non voce. Nam מקום masculinum est, ut ejus Synonymum עיר femininum.

25. *Absit à te ut facias tale quippiam, ut morte afficias justum cum impio, & sit justus sicut impius: absit à te: an iudex totius terræ non faciat judicium?*

Absit à te] vel *absit*. Verb. è ver. *absit tibi*: quod ita dictum ut *vade tibi*, *scribe tibi*, in quo sermone pronomen redundat. Jon. & R. Salo. חולין הוא לך in quo significatio rei profanæ. Nam חול profanus (חלילה profanum, nefas. Hiero. *Non est hoc tuum*. Sym. οὐχὶ σοί quod emendant οὐχ ὅσιον, non pium, aut δίκαιον, non æquum & justum. Fullerum vide Miscel. lib. 2. cap. 2.) Lxx. ediderunt, μηδαμῶς σὺ ποιήσεις: nequaquam tu feceris. On. קשוט אנון דינך quod reddunt, *vera sunt judicia tua*, cum reddi debeat, *ista sunt judicia tua*. אנון ista sive ipsa. Dicunt etiam הנון & המון, & est pronomen separatum. *Absit à te* interpretamentum Hiero. est. Id Latine sonat, procul sit à te. Latini etiam dicunt, *Deus meliora*, cum rem diram & atrocem abominantur: item *Bona verba*. ¶ *Tale quippiam*] כדבר הזה *secundum verbum istud*, aut, *juxta rem hanc*. Lxx. ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο. Hiero. *ut rem hanc facias*. מעשות כדבר הזה. ¶ *Ut morte afficias*] להמית melius redditur, *morte afficiendo* sive quod idem *occidendo* i. ממית quod Græci dicunt τὸ ἀποκτεῖναι. ¶ *Sicut impius*] pari conditione cum impio. ¶ *Absit à te*] Hic Hiero. habet, *non est hoc tuum*. Quod à Sym. sumpsit, videtur certe, referente, οὐχὶ σοί, non tuum est. ¶ *An judex totius terræ &c.*] Jon. *Fierine potest ut is qui judicat omnem terram, non faciat judicium?* Hiero. hæc aliter & legit & distinguit. Legit תעשה facies pro יעשה faciat; distinguit ita, *Non est hoc tuum qui judicas omnem terram: nequaquam facies judicium hoc*. Græci quoque legunt, μηδαμῶς· ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν, οὐ ποιήσεις κρίσιν: *nequaquam: qui iudicas omnem terram, non facies judicium?* i. משפט.

26. *Dixitque DOMINUS si invenero Sodomæ quinquaginta justos in medio urbis, parcam toti loco propter eos.*

So-

Sodoma] vel, *Sodomis:* quod in edit. Græca ἐν Σοδόμοις: Recentior interpres *Sodomi*, nempe à recto Sodomus, quomodo Solinus usurpat. ¶ *In medio urbis*] Lxx. ἐν τῇ πόλει, in urbe. Alius, *intra urbem.* ¶ *Parcam*] condonabo, remittam. ¶ *Toti loco*] *toti regioni.* Jon. ὅλῳ τῷ τόπῳ καὶ πάντα τὸν τόπον. Lxx. Diximus antea locum pro urbe poni, quod repetendum non est. ¶ *Propter eos*] quod in Jon. בגינהון. Siquidem בגין propter, & הון pro הון notius est quam ut probari debeat. Mercerus annotat hanc particulam non recipere affixa. Fallitur, fallitur. Hoc annotat in grammatica Chaldaica, pag. 94.

27. *Responditque Abraham & dixit, Ecce nunc vellem loqui ad Dominum, & ego sum pulvis ac cinis.*

Vellem] הואלתי *vellem, cuperem.* Nam הואיל voluit. i. רצה. R. Salo. Abenez. רצון R. David. Quorum sententiæ accedit Paulus episcopus Burgensis Exod. 3. addit. 3. ita scribens, *Secundum Ebraicam veritatem verbum* הואיל *univocum est & nihil aliud significat, ubicunque ponitur, nisi actum volendi.* Lxx. ἤρξάμην: Jon. שריתי incœpi. Hiero. & Santes, *cœpi.* Sic interpretantur Jud. 1. 27. & alibi. On. אסגיתי multiplicavi. Apud Fagium interpretem, *multum est quod loquar.* Gallica edit. *j'ay prins la hardiesse:* quod audaciam vel fiduciam loquendi sig. Mercerus, *sig. primum assensum, quem quis prabet alicui.* Idem annotat Rasi alibi exponere pro incipere. R. Abraham ad h. l. *Verbum* הואיל *non habet significationem* החל *incipiendi: duntaxat expositio ejus est* רצה *voluit, ut ibi,* הואיל משה *voluit Moses.* ¶ *Ad Dominum*] Scripsi literis minusculis, quia in Ebræo non est nomen tetragrammaton, sed nomen quod vocant Aleph, Daleth, h. e. אדני: quo usum ferunt Abrahamum in tota hac historia. ¶ *Et ego sum pulvis & cinis*] quamvis ego sim pulvis & cinis. Vau hic valet quamvis, tametsi. Quidam *cum ego sim pulvis &c.* Quod minus arridet. Lxx. ἐγὼ δέ εἰμι γῆ καὶ σποδός: ego autem sum terra & cinis. Terra i. ארץ aut אדמה: Ad sensum non male. Nam homo etiam terra dicitur. Alioqui עפר est pulvis i. χοῦς. Hiero. in Quæst. עפר *nos favillam possumus dicere aut pulverem.* Cinis אפר appellatur. Græce autem σποδὸς & κόνις. Hoc postremum etiam de pulvere usurpant, ut עפר de cinere; quæ tamen hic simul junguntur. Homo autem terra & pulvis & cinis, quia de pulvere sumtus, juxta illud, *formavit hominem pulverem è terra.* Eodem pertinet, *memento homo quia cinis es.* Psal. 103. 14. *Nos pulverem esse.* Ut hic *pulvis & cinis*, sic alibi habetur terra & pulvis, γῆ καὶ σποδός.

28. *Fortasse deficient quinquaginta justi, quinque, an perdes propter quinque totam urbem? & dixit, Non perdam si invenero ibi quadraginta quinque.*

Fortasse deficient &c.] deficient quinque justis, atque ita sint tantum quadraginta quinque. Hoc Hiero. dixit, *Si minus quinquaginta justis quinque fuerint.* Santes, *Si defuerint quinquaginta justis quinque.* Tremell. *Fortasse quinquaginta illos justos deficient quinque.* Lxx. ἐὰν δὲ ἐλαττονωθῶσιν οἱ πεντήκοντα δίκαιοι εἰς τεσσαράκοντα πέντε. On. & Jon. *Si forte defecerint ex quinquaginta justis quinque,* חמשין זכאין. ¶ *An perdes*] Hic est התשחית in Ebræo, quod Lxx. reddunt ἀπολεῖς: Hiero. *delebis.* On. & Jon. התחבל. ¶ *Propter quinque*] ἕνεκεν τῶν πέντε est in quibusdam codicibus Græcis, cum in aliis sit, τεσσαράκοντα πέντε: quæ lectio minus se probat mihi. *Propter quinque.* i. ob defectum quinque. ¶ *Non perdam*] non delebo.

29. *Addiditque adhuc loqui ad eum & dixit, Fortasse invenientur ibi quadraginta, & dixit, Non faciam propter quadraginta.*

Addiditque adhuc loqui] dictio *adhuc* πλεονάζει. Satis enim, *addidit loqui*, quod Latini dicerent, denuo aut rursus locutus est. Lxx. καὶ προσέθηκεν ἔτι λαλῆσαι πρὸς αὐτόν. ¶ *Ad eum*] *coram eo.* Jon. & On. ¶ *Non faciam*] non faciam quod dixi, non perdam, οὐ μὴ ἀπολέσω. On. & Jon. *non faciam consumptionem.* Sensus est, non penitus consumam aut delebo. ¶ *Propter quadraginta*] *propter merita eorum.* Jon.

30. *Et dixit, Ne nunc accendatur ira Domino quum loquar, Fortasse invenientur ibi triginta: & dixit Non faciam, si invenero ibi triginta.*

Ne nunc accendatur ira Domino] vel, *ne quæso sit ira Domino* i. ne irascatur Dominus. Sed ira proprie אף dicitur. Hic est חרה in Ebræo, quod magis sonat incandescere. Itaque malim, *ne quæso incandescat ira Domini.* Nam אף subintelligitur, quod expressum Jud. 2. 15. Hiero. *ne quæso, inquit, indigneris Domine.* In scholio Græco μὴ δὲ ὀργίλον τῷ κυρίῳ: ne obsecro ira sit Domino. Male redditur hoc scholion in ed. Ro. *Ne provocet, obsecro, iram Domini.* Puto esse desumptum ex Aquila. Supra 4. 6. ויחר לקין. A. καὶ ὀργίλον τῷ Κάϊν: & mox למה חרה לך idem ἵνα τί τὸ ὀργίλον σοι; cur ita iratus es? In ed. Ro. ἵνα τί ὀργίλος σοι; i. verb. pro verbo, *cur iracundia tibi?* Nam τὸ ὀργίλον πτῶσις ὀργιλότης. Hiero. in Quæst. Ebrai. *Ne quæso irascaris Domine, si locutus fuero.* Psal. 18. 8. חרה לו. idem, *iratus est.* On. לא כען יתקף רוגזא דיי. Fagius interpres, *ne nunc irascatur furor Domini.* In libro quo usus sum perperam legitur קדם יי. Sic etiam Jon. nisi quod pro יי habet, *Domini omnium seculorum.* רבון כל עלמיא. ¶ *Quum loquar*] ואדברה & loquar. i. *quum loquar*, vel, *si loquar.* ita fere interpretes. Hic (*si*) accipio pro *quum*, ut ibi, *Si erit Jubilæus:* & in illo Apostoli, *Si Deus pro nobis quis contra nos.* ¶ *Non faciam*] οὐ μὴ ἀπολέσω. Lxx.

31. *Rursum dixit, Ecce nunc vellem loqui ad Dominum, fortasse invenientur ibi viginti: & dixit, Non perdam propter viginti.*

32. *Tum dixit, Ne nunc accendatur ira Domino, quum loquar tantum vice hac, fortasse invenientur ibi decem: & dixit Non perdam propter decem.*

33. *Et abiit* DOMINUS *postquam consummasset loqui ad Abraham: Abraham autem revertebatur in locum suum.*

Vellem loqui] cuperem loqui. Lxx. hic habent ἐπειδὴ ἤρξάμην λαλῆσαι. Hiero. *quia semel cœpi, loquar.* Mercerus, *acquievi loqui ad Dominum.* ¶ *Ad Dominum*] Hiero. *ad Dominum meum.* Sic & alibi interpretantur nomen אדני. Lxx. πρὸς τὸν κύριον. On. *coram Domino.* Jon. *Coram Domino omnium seculorum.* ¶ *Tantum hac vice*] אך הפעם duntaxat vice hac i. semel adhuc, quod Græci retulerunt ἔτι ἅπαξ. Hiero. *adhuc semel.* On. & Jon. ברם זמנא הדא tantummodo hoc tempore. ¶ *Et abiit* DOMINUS] i. angelus in quo DOMINUS ei apparuerat. On. & Jon. *ascendit gloria* DOMINI. ¶ *Consummasset*] absolvisset, finiisset. ¶ *In locum suum*] in tabernaculum suum. Sic οἶκος & τόπος confunduntur in explicatione nominis Bethel.

A M A M A.

25. Ebr. חלילה לך *an judex totius terræ non faceret judicium?* Vulg. *Non est hoc tuum qui judicas omnem terram: nequaquam facies judicium hoc.*] Sunt verba Abrahami de Pentapolitanæ terræ impendente exitio colloquium cum Deo instituentis. Utitur autem Abraham usitata Ebræis aversandi & deprecandi formula, pro qua Rabbini amant dicere חס ושלום *parce & pax.* In voce Ebræa est notio τοῦ βεβήλου id est pollutionis & profani, vel τοῦ *nefas*, ut Vulg. 1. Sam. 14. 45. vertit. Thema חלל quod inter alia sign. pollui, profanari. Vox ea (חלילה) aliquando sola, aliquando cum aliis occurrit, ita tamen ut amplius quid semper desideretur. E. G. 1. Sam. 24. 7. חלילה לי מיהוה si faciam &c. i. *Res profana, nefas mihi,* subaudi, imputaretur *à Domino.* Atque ad hunc locum tanquam plenissimum cætera Elliptica supplenda sunt. Est enim ubi litera מ ante nomen Dei, est ubi utrumque abest, vide 2. Sam. 23. 17. &c. Lxx. aliquando μή μοι γένοιτο, vel μή μοι εἴη παρὰ Κυρίου ποιῆσαι hoc vel illud; Aliquando ἵλεώς μοι ὁ Κύριος τοῦ ποιῆσαι &c. Illud Vulgatus sic expressit, *Absit à me:* hoc, *Propitius mihi sit Dominus ne faciam.* Belgice, Godt behoede my. Atque in hac posteriori formula nomen Dei sæpe desideratur. 2. Sam. 20. 20. Ubi in Ebr. חלילה לי, Lxx. ἵλεώς μοι, *propitius mihi sit,* subaudi *Dominus* i. absit à me. Cui loco geminus est Matth. 16. 22. Ubi Petrus ad Christum, ἵλεώς σοι Κύριε, *Propitius tibi Domine,* subaudi, *sit Dominus.* Absit tibi, non erit tibi sic. Quam expositionem idiotismus Scripturæ & Syra Editio ita stabiliunt, ut recepta versio, *propitius tibi sis,* stare vix possit. Conferatur cum loco alio Gen. 43. 23. in Edit. Græca. Ubi sic Joseph ad fratres, ἵλεως ὑμῖν, μὴ φοβεῖσθε. Propitius vobis est sub. Deus, magis vobis propitius est, quam ut hoc vobis accidat, Ubi in Ebr. שלום לכם *pax vobis.* Hæc evidenter ostendit doct. Fullerus Misc. 2. 2. Illud ergo quivis videt, insignem hanc formulam nullo modo ab Interp. expressam, ut nec Gen. 44. 7. quod eo magis miror, quod vers. 17. ejusdem 44. capitis eam expresserit, per, *absit à me.* Ad verbum ergo sic vertendum, Pollutio vel res profana tibi sub. esset vel imputaretur, blasphemaretur & pollueretur nomen tuum ab hominibus, si vid. rem illam committeres. id est ad sensum, Absit tibi, absit à te, vid. ut faceres illud. Cajet. *Veta tibi.* Tigur. quoque & Bened. Absit à te. Hinc intelliges illud Pauli μὴ γένοιτο, unde domo sit.

28. Ebr. *An* התשחית bachamishsha *propter quinque &c.* Vulg. *An propter quadraginta quinque delebis universam Civita-*

vitatem?] Nihil correxerunt Romani Correctores. Multa, inquit Bellar. in Epistola quam in Προλεγομένοις citavimus, præterivimus justis de causis, quæ mutari potuissent. Ego vero stupidior aliquis non video ullam causam cur hunc errorem non correxerint, qui alios sustulerunt. Locus hic notatus à Luca Brug. inter eos qui adhuc post Clementinam Edit. corrigendi sunt. *Quædam Ms*, inquit, *cum antiquis libris Veteris nostri Epanorthota omittunt majorem numerum conformiter Ebrais & Chald. quin & Græcis quibusdam Editionibus nominatim Sixtina.* Pulcre autem notavit Genebr. ad Psal. 109. juxta ord. Ebr. *propter quinque* idem esse quod *propter defectum quinque*. Sed quod addit pro eo Vulgatum lucis causa posuisse *propter quadraginta quinque*, non capio. Non enim dicimus Deum delere civitatem, sed parcere propter quadraginta quinque justos. Sic dico, Deus delet civitatem propter defectum quinque justorum; pepercisset autem propter quadraginta quinque repertos.

D E M U I S.

19. ANgelorum trium, quorum hic mentio fit, unum tradunt nonnulli Hebræorum Doctores missum qui Saræ eam tandem futuram matrem nunciaret, duos vero Sodomam perrexisse, unum qui urbem everteret, alterum qui urbis incendio Lotum subduceret. Hoc scilicet nituntur fundamento, quod ipsi ponunt, שאין מלאך אחד עושה שתי שליחות *Angelum unum una solummodo legatione fungi, non duabus.* Ita etiam sensit Paraphrastes Hierosolymitanus, qui ad versum 2. notati cap. 18. Gen. sic habet, *Tres Angeli missi sunt ad Patrem nostrum Abraham, tresque illi missi sunt ad tria.* ארום לית אפשר לחד מן מלאכי מרומא דישתלח בידיה יתיר מן מלא חדא, *quia non potest uni Angelorum Excelsi nisi una res delegari*, &c. Sane quidem istam sententiam non parum videtur juvare, quod cum, uti observat Rasi, passim his in capitibus de illis Angelis usurpetur numerus multitudinis, ex. gr. *cumque comedissent, dixerunt ad eum*, cap. 18. nihilominus comm. 10. ejusdem cap. dicatur, *Et dixit, Revertens veniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua*: item, quod ad Sodomorum subversionem attinet, comm. 21. cap. 19. *Dixitque ad eum* [Lotum] *Etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es*: & comm. 17. mox cit. cap. *Fuitque dum educerent eos, dixit, Salva animam tuam*, &c. unde colligere est, unicum præsertim fuisse cui Loti salus curæ fuerit. Paulo aliter rem explicat Nachmanides; *Unus*, inquit, *venit qui nunciaret Saræ; unus qui Abrahamum* (è dolore scilicet recentis circumcisionis laborantem) *curaret; tertius qui Sodomam everteret. Et Raphael quidem, postquam Abrahamum curasset, abiit quo Lotum servaret*: שאין זה שתי שליחות כי היה במקום אחר ונצטוה בו אחר כן או שתיהן לאצלה: *quia neque duæ* (simul) *legationes fuerunt, quæ diversis locis ac mandatis peractæ sunt; aut si duæ fuerunt, utraque salutis fuit.*

Annotat præterea Bechai Angelos illos fuisse Michaëlem, Raphaelem, Gabrielem; ac Michaelem quidem fuisse qui venerit nunciatum Saræ, & Lotum servarit, שהם בי שליחות חסד ורחמים *quæ duæ sunt legationes misericordiæ & miserationum*; Raphaelem vero fuisse qui venerit curatum Abrahamum; Gabrielem denique venisse eversum Sodomam, hocque ipsum esse quod scribitur comm. 1. cap. 16. *Veneruntque duo illi Angeli Sodomam vespere*, &c. Michael nimirum & Gabriel; Michael, qui Lotum eriperet; Gabriel, qui Sodomam everteret, hocque esse quod scribitur com. 25. cap. 19. *Et subvertit civitates has*, non autem *subverterunt*. Quod porro a Rabbinis ponitur, *Duas legationes haud obire unum Angelum*, verum esse duntaxat כשהם זה הפך זה *cum una alteri adversatur*: siquidem minime rationi sit consentaneum Angelum הממונה על הרחמים, *miserationibus præpositum* exercere דין שהוא הפכו *judicium quod cum ea re pugnat*, sicut nec Angelum præpositum judicio exercere miserationes: verum כשהם שתי שליחות שוים של דין או של רחמים, *quando duæ legationes inter se conveniunt, suntque judicii aut miserationum*, tunc duas pluresve unum Angelum obire posse. Addit Bechai, Quod si dicas tertiam etiam legationem committendam fuisse Michaeli, nimirum Abrahæ curationem כי הכל בכלל חסד, *siquidem hæc quoque misericordiæ fuerit*; הא לא היתה הוא היה משנה מה גבול של רפאל, *Ecce istud ad Michaelem haud pertinuit; alioquin fines Raphaelis* (quæ vox *Dei medicum* Sonat) *occupasset*, ejusque munus sibi sumpsisset: ideoque unicuique datum est מה שיש בכח פקידתו לעשות ושלא להשיג גבול כי כן משפט העליונים, *illud quod ad proprium cujusque officium ac munus pertinebat, ne alter alterius fines invaderet: est enim hæc excelsorum illorum consuetudo*, ex eo quod scriptum est Job. 25. 2. *Potestas & terror, qui apud eum est, facit concordiam in sublimibus suis.* Chama Chaninæ filius tertio à Circumcisione die (quando vehementior erat dolor, juxta illud Genes. 34. 25. *Tertio itaque die, cum essent in dolore*, &c.) visitatum observat abs Deo Angelove Abrahamum. Sane vero trium Angelorum historia Abrahami circumcisioni proxima est, nihilque inter hanc & illam interjectum. Imo, quod scribatur cap. 18. 1. h. e. initio פרשה *sectionis*, *Et apparuit ei Dominus*, non autem, *Et apparuit Abrahamo Dominus*, evincere vult Bechai sectionem hanc cum præcedente cohærere, quæ scilicet hic narrantur cum iis quæ de Abrahami circumcisione præcesserunt. הכונה לומר כי בזכות המילה נראה לו השם, *Hoc nimirum significatur, ob meritum circumcisionis apparuisse Abrahamo Dominum.* Baal Hatturim suo more ex numero quem efficiunt suis literis voces hæ, והנה שלשה *& ecce tres*, probat, sane vero evidenter & perquam solide, Michaelem, Gabrielem & Raphaelem fuisse qui visi sint Abrahamo, quod cum illæ tum hæ voces, אלו מיכאל גבריאל ורפאל, h. e. *Isti sunt Michael, Gabriel & Raphael*, Arithmetice, sive, ut loquuntur, Gematrice, efficiant 701. numeroque conveniant. Hæc sunt Rabbinorum commenta, quam solida quivis facilè cernit. Mitto alia, quæ nugantur, plurima.

G R O T I U S.

2. A*pparuerunt tres viri stantes juxta eum*] Homerus Odyss. ρ'.

Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας,
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
[*Sæpe etiam similes errantibus hospitibus di*
Sub variis formis hæc atque illa oppida visunt;
Aspiciuntque hominum tam non bona quam bona facta.]

quæ confer cum Hebr. XIII. 2.

3. *Domine*] Sic & Græci κύριε. Unum alloquitur eminentem, cui alteri velut comites ac ministri aderant. Est tamen hoc plurale, sed honoris causa: ut אדנים [*domini*, pro *dominus*] Esaiæ XIX. 4. ideo sequitur verbum numeri unitatis.

5. *Ponamque buccellam panis*] Abraham, ut vir bonus, paullum pollicetur, dat multa: vide infra 8.

Iccirco enim declinastis ad servum vestrum] על־כן hic est quandoquidem. quando huc divertistis, æquum est ut cibum sumatis mecum.

6. *Ad Saram, dixitque ei*] Relinquens matrifamilias suas in domo partes.

10. *Vita comite*] Vivos reperiam.

18. *Benedicendæ sunt in illo omnes nationes terræ*] Ab ipso posterisque ejus discent unum esse Deum rerum omnium auctorem.

Ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam] Justitia cum à judicio distinguitur beneficentiam significat. His verbis comprehenditur lex illa ante legem Mosis.

19. *Scio enim quod præcepturus sit filiis suis*] Aut potius: *Scio eum præceptorem esse filiorum suorum*, id est, scio hunc morem esse illi, ut quæ didicit ipse ea doceat suos. Ideo participem eum consilii mei faciam.

21. *Descendam*] Per Angelos. Omnia hæc loquendi genera ad formam judiciorum humanorum interpretantur.

Clamorem qui venit ad me] Homerus:
Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.
[*Quorum visque nefasque poli petit ænea tecta.*]

Opere compleverint] Chaldæus: *cessare fecerint*, id est pœnitentiam ostenderint. Non male, sæpe enim כלה significat ἀπέχειν, παύειν, ἀναπαύειν [*abstinere, desinere, quiescere*]. Multa sunt loca: sufficiet videre Num XVII. 10.

An non est ita ut sciam] In Hebræo: *Si non, sciam*, id est, Chaldæo interprete: si nondum resipuerint, norim quid mihi agendum sit. Decima generatione immissum orbi diluvium: decima post id generatione punita Sodoma: signa longanimitatis.

22. *Converteruntque se inde*] Nempe duo illi stipatores Angeli.

Abraham vero stabat coram Domino] Id est, orabat, ut hic interpretatur Chaldæus. עמידה [*statio*] enim est oratio, ait Maimonides. Vide quæ notata ad Matth. VI. 5. coram Domino לפני יהוה [*coram Deo*], apud Angelum qui Dei personam referebat: unde infra XXXII. 30. Angelus appellatur פניאל [*Phaniel*], ὀφθέντα θεὸν Iosepho. Sic mox commate 26. & 33. Jud. VI. 19. & alibi Angelus dicitur יהוה [*Deus*].

30. *Non*

30. *Non faciam*] Id est, non percutiam; ex eo quod præcessit.

CARTWRIGTUS.

1. **C***Um sederet in ostio tabernaculi.*] Ut videret (inquit R. Sal.) siquis præteriret, utque prætereuntem in domum suam reciperet.

2. *Et ecce tres viri stabant.*) Fagius ait nostros hinc Trinitatis mysterium collegisse. Mercerus notat nostros hoc nomine ab Aben Ezra perstringi; Verba Aben Ezræ sunt subobscura, nempe hæc, אמרו קצת quidam dixerunt (Mercerus ait Aben Ezram scripsisse אמרו חוזי רוח, i. e. *dixerunt errantes spiritu*; in postrema autem editione Veneta sic temperatum esse אמרו קצת. Ita in editione sua habet Buxtorfius, nisi quod verborum ordo immutetur) כי השם ג׳ אנשים הוא אחד והוא ג׳ ולא יתפרדו, *tres viros* (de quibus hic sermo habetur) *esse Deum, qui & unus est, & tres*, qui à se invicem non sunt divisi. Hosce refellit Aben Ezra ex eo, quod scriptum est cap. 19. 1. nempe duos angelos (duos scil. ex hisce tribus) Sodomam venisse. Sane (inquit Mercerus) nostros oportuit in Trinitate hinc colligenda cautiores esse, ne se ita adversariis deridendos exhiberent. Ita sane res habet; Satius est istiusmodi argumenta missa facere, quæ adversarios non tam ad veritatem amplectendam, quam ad eam explodendam incitare sunt idonea. Mercerus notat Abrahamum initio ne angelos quidem esse intellexisse. Heb. 13. 2. atque ideo nimis inconsiderate dictum vulgo fuisse, quod Abraham tres viderit, unum adorarit, quasi veritatem in Trinitate agnoverit; adorandi enim verbum hic ad salutationem externam esse referendum. At ipse Mercerus ad ver. 2. quasi animo fluctuans ait, etsi Trinitatem hic non agnoverit Abraham, haud tamen alienum videri, eam hic quodammodo significatam toto progressu, cum modo unus, modo plures dicantur. Ego vero non video, quomodo ad probandum Trinitatem hic significari, hoc quicquam faciat. Quum enim tres fuerint, interdum de omnibus, interdum de uno aliquo, forte inter eos præcipuo, absque ulla mysterii cujuspiam significatione, sermo fieri potuit. Aben Ezra ait unum ex hisce angelis venisse ad annuntiandum, Saram filium habituram; duos autem Sodomam profectos, unum ad perdendam Sodomam, alterum ad liberandum Lot. R. Salom. de duobus primis consentit; tertium autem ait venisse ad sanandum Abrahamum, quem adhuc vult ægrum fuisse ex circumcisione; quod pro Rabbinico commento merito habeatur. Singulos autem Angelos (*a*) singulis officiis esse deputatos, nec unum duplicem obire legationem, ex hoc loco probat, quia cum alias dicitur in plurali, comederunt, & dixerunt, quando de annuntiatione agitur, dicitur in singulari, & dixit, *Revertendo revertar, &c.* Sic de eversione Sodomæ, *Non possum facere quicquam*, &c. Sed hæc parum firma sunt; nam in plurali dicunt, *Nos evertemus hunc locum, &c.* cap. 19. 13. Rectius igitur ex nostris nonnulli ajunt, *unum ex hisce fuisse ipsum* DOMINUM, *duos autem Angelos ministeriales.*

2. וַיַּרְא *Et vidit.*] Bis dicitur Abraham vidisse; R. Salom. ait, *prius* וירא *simpliciter ut sonat*, כמשמעו, *esse accipiendum; posterius autem esse* לשון הבנה, i. e. *de intentione animi ac consideratione intelligendum.*

3. אֲדֹנָי *Domine.*] Chald. ״, sic nomen tetragrammaton, יהוה, contracte scribi solet, in Chaldaica paraphrasi. R. Salom. ait Abrahamum eos omnes vocasse *Adonim*, i. e. *dominos*; ei autem qui inter illos erat præcipuus, dixisse, *Ne nunc* (vel, Ne quæso) *prætereas*; eoque subsistente reliquos substitisse: atque hoc sensu vocem Adonai esse profanam, i. e. de creaturis hic usurpari. Addit autem & aliam esse expositionem, juxta quam nomen Adonai hic est sacrum, i. e. Deo tributum; Abrahamum scil. ad Deum esse locutum, ut eum moraretur (quasi Deus cum Abrahamo fuisset ante horum trium apparitionem; id colligit ex v. 1. quem ita intelligit, ac si diversa apparitio istic narretur ab ea de qua ver. 2. agitur; quod à simplicitate Scripturæ nimis est remotum) donec curreret, ac ad se reciperet viatores istos, quos viderat. Etiamsi autem antea dictum fuit, Abrahamum cucurrisse, hunc tamen sermonem prius vult habitum fuisse, prout Scriptura sæpe solet alio ordine res narrare, quam quo gestæ sunt. Sed ut id verum est, ita huic loco non recte applicatur. Mercero maxime probatur, Abrahamum hic unumquempiam ex tribus allocutum, quem omnium maximum animadvertit. Sed quum Adonai cum camets, quemadmodum hic scribitur, non nisi de Deo dicatur (nisi forte ob accentum, quod hic locum non videtur habere) gravis admodum oritur quæstio, quomodo Abraham quenquam ex istis tribus ita compellare potuit, cum ut ex sequentibus elucescit, eos omnes adhuc pro hominibus habuerit. Hanc difficultatem, quæ mihi vix superabilis videtur, omnes quotquot vidi Expositores prorsus dissimulant. Junius autem eam declinasse videtur; quippe qui in plurali vertit, Domini mei. Ac fieri quidem potest, ut ob accentum pashac mutetur in camets; ac præterquam quod Chaldæus habeat ״, LXX Κύριε, vulg. *Domine* (ut Vernaculas nostras versiones prætermittam) quæ sequuntur, arguunt vocem esse singularem, i. e. singulariter de uno aliquo usurpari, *Si inveni gratiam in oculis tuis; ne quæso prætereas à servo tuo*; omnia in singulari sunt posita, ac propterea Adonai singulare esse, i. e. Dominum, non Dominos significare necesse est. Quod enim Junius ita interpretatur, ac si Abraham primo voce Adonai omnes simul compellasset, deinde singulis dixisset, Si inveni gratiam in oculis tuis, &c. adeo videtur violentum, ut mirer si cuipiam arriserit. Quid igitur? Fateor mihi aquam (quod ajunt) hærere, nec quid dicam occurrere, nisi hoc forte dici possit, Mosen ita hic Abrahamum loquentem introducere, quia etiamsi non jam statim ab initio, postea tamen ex colloquio intellexit unum aliquem ex istis esse Jehovam.

5. כִּי־עַל־כֵּן *Nam propterea, &c.*] R. Salom. sic exponit, Nam hoc a vobis peto, quandoquidem in honorem meum ad me divertistis. (*b*) Asserit enim voces istas, כי על כן, semper in Scriptura idem valere quod על אשר, i. e. *propterea quod, quandoquidem, quia.* Sic & Aben Ezra ait כי על כן עברתם juxta antiquos exponendum esse, הואיל ועברתם i. e. *quandoquidem divertistis.* Certe voces istæ כי על כן Gen. 33. 10. commodissime vertuntur, prout eas Junius vertit, *quandoquidem.* Atque ita etiam Gen. 38. 26. Hosce locos, atque etiam alium, quem invenire non possum, citat R. Salom. cujus interpretationi usus Scripturæ suffragari videtur, etiamsi ad verbum כי על כן sonet, *Nam propter sic*, quod non inepte reddi posse videtur, *Nam propterea.*

8. *Et tulit* חמאה וחלב *butyrum & lac.*] R. Salom. per חמאה videtur intelligere florem lactis, quem nos vocamus Cream. Sic enim interpretatur, שומן החלב שקולטין מעל פניו, i. e. *pinguedinem lactis, quæ in superficie ejus colligitur.* Ita ista verba (Latina intelligo) habet Shindlerus in Pentagl. sed unde habuit, non meminit. Et tamen חמאה exponit butyrum, quod certe ab ista lactis pinguedine aliud est, etiamsi ex ea conficiatur.

Et ipse stabat juxta eos.] Chald. *Et ipse ministrabat eis.* (*c*) Pulcre (inquit Gualtperius) & hospitalitatem & officium humile in Abrahamo simul commendat, quando & hospitem excipientem, & ministrum ipsum introducit. Chrysostomus (eodem referente) exclamat, *O magnitudinem hospitalitatis! O humilitatis excellentiam! O mentem oppido piam! Adstabat centenarius comedentibus illis.* — Adstitit Patriarcha quasi famulus, summum honorem suum existimans, quod præsentibus ministraret, & solaretur itineris eorum laborem.

9. *Et dixerunt* אֵלָיו *ei*] Literæ איו puncta super se posita habent. R. Simeon filius Eliezer (ut refert R. Salom.) hanc tradit regulam, *Ubicunque scriptio amplior est punctatione, quærenda est expositio scriptionis*; hic autem punctatio amplior est scriptione, atque ideo quærenda est expositio punctationis. Illi nui igitur volunt, Angelos interrogasse Saram, איו אברהם i. e. *Ubi est Abraham?* At hoc nimis est Cabalisticum, & plane ineptum. Quorsum enim de Abrahamo quærerent, ubinam esset, cum ipsis adstaret?

10. כָּעֵת חַיָּה *Secundum tempus vitæ.*] Chald. כעדן דאתון קימין, i. e. *secundum tempus, quo vos* (eritis) (*d*) *vivi, seu incolumes.* Ad eundem fere modum R. Salom. כעת הזאת, לשנה הבאה i. e. *secundum hoc tempus anni futuri.* Et paucis interpositis, כעת הזאת שתהא חיה לכם שתהיו כלכם שלמים וקיימים, i. e. *secundum tempus hoc, quo vita erit vobis, quo vos omnes sani & incolumes eritis.* Similiter Aben Ezra, nisi quod ad Saram duntaxat referat, כעת הזאת בשנה האחרת ושרה חיה, i. e. *juxta tempus hoc in anno sequenti, cum Sara erit viva.* Videtur nomen חיה non substantive, sed adjective accepisse. LXX. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας, *in tempore hoc, in horas.* Sic in Edit. Rom. Hieron. in Tradit. legit, (*e*) *in tempore hoc, & in hora.* Et pro hora ait, vitam legi in Hebræo,

(*a*) *Idem etiam dicunt Jonathan & Hierosolymitanus, qui tamen in horum officiis distribuendis cum Aben Ezra consentiunt.*

(*b*) *Vide cap.* 19 *ver.* 8. (*c*) *Ibid.* Et comedebant.] *Vide ad cap.* 19. 3. (*d*) *Similiter Hierosolymitanus. Jonathan,* Anno futuro, & vos (eritis) incolumes. (*e*) *Rom.* 9. 9. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, *quasi sensus sit, cum tempus hoc revixerit, i. e. cum anno sequenti redierit; atque ita nonnulli exponunt. Vide cap.* 17. 21.

bræo, atque ita explicat. *Revertar ad te in tempore vitæ*, quasi dixerit, si vixero, si fuerit vita comitata. Ἀνθρωποπαθῶς hoc, ut alia, dictum esse asserit. Fagius in Collat. eorum maxime probat sententiam, qui hoc ad fœtum referunt, ut dicat Angelus, se rursus ad futurum posteaquam ille in lucem editus fuerit. Et notat hanc phrasin, isto sensu usurpari. 2 Reg. 4. ubi Propheta Elizæus mulieri Sunamitidi dicit, *Tempore isto juxta tempus vitæ tu amplexaberis filium*; i.e. ut Hebræi exponunt, Post certum tempus, quo fœtus in utero tuo vivificabitur, & ad justum membrorum robur pervenerit, atque cum in lucem editus fuerit, tu amplexaberis filium. Et mox sequitur, *Et concepit mulier, & peperit filium in tempore illo, juxta tempus vitæ, sicut prædixerat ei Elisha.* Similiter Gualtperius, Juxta tempus vitæ, i.e. secundum morem, quo solet infans vivificari in utero, & nasci, ita vivificabitur, & nascetur Isaac quoque.

וְהוּא אַחֲרָיו *Et illud* (scil. *ostium*) *erat post eum, scil. angelum.*] Sic R. Salom. הפתח היה אחר המלאך, i.e. *ostium erat post angelum.* Et Fagius, Ostium angelo loquenti ad tergum erat. Ait hoc Scripturam referre, ut videas Angelum non ignorasse quod Sara risit, etiamsi à tergo ejus steterit, nec eam ridentem viderit. Lxx. videntur legisse והיא אחריו, i.e. *& illa erat post eum*; ad Saram enim referunt, Σάῤῥα δὲ ἤκουσε πρὸς τῇ θύρᾳ τῆς σκηνῆς, οὖσα ὄπισθεν αὐτοῦ, i.e. *Sara autem audivit ad ostium tabernaculi, cum esset post eum.*

12. אַחֲרֵי בְלֹתִי הָיְתָה־לִּי עֶדְנָה *Postquam consenui, eritne mihi voluptas?*] Lxx. à verbis longe discedunt, οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν, *nondum mihi factum est usque nunc.* Hieron. in Tradit. notat multo aliter legi in Hebræo, scil. *Posteaquam attrita sum, facta est mihi voluptas?* Ea autem est Aquilæ interpretatio, μετὰ τὸ κατατριβῆναί με ἐγένετό μοι τρυφερία: Symmachus sic transtulit, μετὰ τὸ παλαιωθῆναί με ἐγένετό μοι ἀκμή; i.e. interprete Hieronymo, *Postquam vetustate consenui, facta est mihi adolescentia?* Similiter Chaldæus, בתר דסיבית תהי לי עולים i.e. *postquam senui* (*ad canitiem perveni*) *erit mihi juventus?* Jonathan, *Postquam consenui, erit mihi conceptus?* Hierosolymitanus, *Postquam consenui, fierine potest, ut revertar ad dies juventutis, ut sit mihi conceptus?*

14. הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָה דָּבָר *Num à Domino quicquam abscondetur?*] Sic Chald. היתכסי, *num* (*a*) *occultabitur?* Hanc interpretationem probat R. Salom. ita tamen, ut sensus sit, nihil esse quod Deus non possit efficere. Ita (inquit) est, quemadmodum Chaldæus interpretatus est, *Num occultabitur?* Nunquid ulla res divisa, ac separata, atque occultata erit à me, ut eam efficere non possim? Sic Aben Ezra, היעלם i.e. *num abscondetur?* Addit nonnullos interpretari, *Non est quicquam*, פלא, i.e. *mirabile in oculis Domini, ut efficiat.* Asserit autem præpositionem מן in מיהוה obstare quo minus ita exponatur. Mercerus Chaldæi expositionem frigidiusculam censet, atque ait R. Salomonem utramque expositionem conjunxisse, quod vicina sint פלא in Niphal *mirum, arduum esse*, & פלה *abscondi*; quod *quæ ardua sunt & mira, sint à natura, & à nobis aliena, tecta, & occulta.* At פלה separari potius significat quam abscondi; atque eandem significationem τῷ פלא tribuit R. Salom. ad Deuteron. 17.8. כל הפלאה לשון הבדלה ופרישה, i.e. *verbum* פלא *semper significat separationem ac divisionem.* Sic Chaldæus ibi pro כי יפלא habet ארי יתכסי, i.e. *Quando separabitur?* Sed & alteram abscondendi notionem tanquam affinem adjungit R. Salom. שהדבר נבדל ומכוסה ממך, i.e. *quando res separata & abscondita à te fuerit.* Sic & hoc in loco מופרש *divisum* & מכוסה *absconditum*, tanquam Synonyma usurpat. Lxx. sensum recte expresserunt, μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ Θεῷ ῥῆμα; *Num impossibile erit Deo quicquam*; Vide Luc. 1. 37. Et nota ῥῆμα, *verbum*, istic pro *re* usurpari, procul hic usurpant Lxx. quia nimirum דבר *Dabar*, quod proprie *verbum* significat, eo sensu adhibetur.

16. וַיַּשְׁקִפוּ *Et aspexerunt versus Sodomam.*] R. Salom. ait verbum שקף semper in Scriptura usurpari in malum, præterquam Deut. 26. 15. *Tantum* (inquit) *valet eleemosyna pauperumque sustentatio, ut iram vertat in misericordiam.* Ut hoc melius intelligatur, inspice locum, Deut. 26. 12.--15.

19 כִּי יְדַעְתִּיו לְמַעַן אֲשֶׁר יְצַוֶּה אֶת־בָּנָיו *Novi eum, propterea quod præcipiet filiis suis, &c.*] *Novi*, i.e. *dilexi*, uti exponit R. Salom. לשון חבה, i.e. verbum *noscere* ait idem valere hic ac *diligere*; nec posse exponi, *Novi eum quod præcipiet, &c.* obstare enim dictionem למען i.e. *propterea.* Chaldæus autem ita interpretatus est, גלי קדמי, i.e. *manifestum est coram me.* Fagius in Collat. Hebræa sic vertit, Hoc quoque scio, quod præcepturus sit filiis suis, &c. In Annotationibus autem ait, Chaldæum, Lxx. & Vulgatum haud satis expressisse vim verbi Hebraici ידעתיו eo quod neglexerunt affixum pronominale, *eum*; ad verbum enim sonare, *Novi eum, quod præcepturus sit, &c.* q.d. (*b*) *Novi eum virum pium ac justum esse, qui præcepturus sit &c.* Addit nonnullos transitive exponere, *Notum faciam ei, ut præcipiat, &c.* Certe למען אשר significat, *Ut potius, quam quod*; at ut ידע significet *notum facere*, duriusculum videtur, etiamsi à nonnullis ita exponatur cap. 22. 12. Proprissime autem למען אשר valet, *eo quod*, vel *propterea quod*; atque ideo omnibus expensis, expositionem R. Salomonis sequendam arbitror. Mercerus Chaldæi interpretationem nimis jejunam putat; sed & ipsius expositio mihi videtur nimis aliena, nimirum ut sensus sit, Primum scio eum in se justum esse; item in justitia suos instituturum, ut post se pergant, &c.

20. *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ* רַבָּה *magnus est.*] R. Salom. ait רבה alias semper habere accentum in ultima, & significare *rem crescere*, ac indies majorem fieri; hic autem in penultima, atque indicare, clamorem Sodomæ & Gomorrhæ ad magnitudinem suam crevisse, ad summum pervenisse. Vide supra ad cap. 15. 16.

21. *Descendam nunc & videbo &c.*] R. Salom. ait, Judices hic institui, *ne* דיני נפשות, i.e. *causas capitales decidant absque summa circumspectione.* Vide supra ad cap. 11. 5. Similiter Lyra, *Ut doceantur* (inquit) *Judices non sententiare, donec diligenter inquisiverint.* Chald. (*c*) אתגלי כען *revelabo me nunc.*

22. *Abraham autem stabat adhuc coram Domino.*] R. Salom. ait scribendum fuisse, Dominus adhuc stabat coram Abrahamo, cum ex supradictis appareat non Abrahamum ad Dominum, sed Dominum ad Abrahamum venisse; hic igitur esse תקון סופרים, i.e. *correctionem Scribarum*, ac Rabbinos sic verba immutasse. Ac recte Aben Ezra, אין לנו צורך לתקון סופרים, i.e. *Non opus est nobis correctione Scribarum*; id est, *non opus est istiusmodi correctionem fingere*; Nam satis apte verba inter se connexa sunt; idque confirmat ex cap. 19. 27. *De Tikkun Sopherim*, seu correctione Scribarum, h.e. locis quibusdam Scripturæ, qui à Scribis correcti fuisse dicuntur, quasi minus commode à Mose & Prophetis scripti fuissent, alii aliter sentiunt. Vide Porchetum contra Judæos part. 1. cap. 15. Galatinum (in quo Porcheti omnia, nec aliud fere quicquam) de Arcan. lib. 1. c. 8. Senensem Bibl. S. lib. 2. §. *Stylus mendax Scribarum*; & lib. 8. hær. 2. Genebrardum Isag. Rabb. sub litera ה, Mercerum ad hunc locum; & ad Job. 7. 20. & ad Job. 23. 3. Drusium ad Gen. cap. 50. Et ad Num. cap. 47. Præcipue autem Glassium Phil. S. lib. 1. tract. 1. pag. 39. &c. ubi notat Bellarminum ipsum (de verbo Dei l. 2. cap. 2.) eos refellere, qui correctiones hasce (quas vocant) Scribarum, Sacri textus corruptiones esse existimant. Citat etiam Marinum Brix. in Præf. Arcæ Noæ sic scribentem, Judæi de his aliam sententiam habentes, id totum rident. Nam illis ratum & firmum est, Scripturam S. à Prophetis, ut nunc habetur, descriptam, nunquam immutatam fuisse, nec deinde immutandam, &c. Et in Addendis refert Buxtorfium literis ad ipsum de hac re, inter alias, scriptis sententiam suam exposuisse, nempe *Sopherim*, seu Scribas hosce fuisse ipsos autores, Mosen & Prophetas, qui nunquam aliter scripserunt, quam hodie scriptum legitur. At Sapientes Hebræorum nasutiores animadvertentes inconvenientiam quandam in istis locis, scripsisse, aliter istos autores loqui debuisse, & secundum cohærentiam propositi textus sic vel sic scribere, sed pro eo maluisse sic scribere, & id sic efferre, ut hodie in textu est. Hinc Aben Ezram ad aliquot loca ridere nasutos, dicentem nullo *Tikkun*, i.e. nulla correctione opus fuisse, id est, nihil esse, quod nasuti isti Sapientes putarint, autorem debuisse aliter ibi loqui, vel scribere. Hæc est summa sententiæ Buxtorfii, viri Hebraice longe eruditissimi, qui profecto hic rem acu tetigit. Atque istam etiam esse sententiam Hebræorum ad hunc locum refert Mercerus. Chald. משמש בצלו, i.e. *serviebat in oratione coram Domino.* Abraham autem adhuc quærebat misericordiam pro Lot, & serviebat in oratione coram Domino.

24. *Forte sunt quinquaginta justi in urbe ista.*] Jonathan putat non solum Sodomam, sed & reliquas quatuor urbes intelligi, ut sensus sit in singulis istis quinque urbibus decem justos forte posse reperiri. In eundem etiam modum interpretatur R. Salom.

25. חָלִלָה לְּךָ *Absit à te, ut juxta hanc rem facias.*] De voce חלילה vide Fullerum Misc. l. 2. c. 2. ubi multa erudite observata invenies.

29. *Forte*

(*a*) *Ita & Jonathan interpretatur.*

(*b*) *Jonath.* Revelata est coram me pietas ejus, quippe qui præcipiet. &c. (*c*) *Sic Onkelos Jonath. & Hierosolymitanus.*

29. *Forte reperientur iſtic quadraginta.*] Jonathan ita exponit, ac ſi in ſingulis reliquarum quatuor urbium decem eſſent reperiendi, Zoar autem ideo miſericordiam conſequeretur, quod ejus peccata exigua eſſent. Sic nimirum interpretatur illud cap. 22. ver. 20. quod nimis profecto eſt coactum.

30. אַל־נָא יִחַר לַאדֹנָי וַאֲדַבֵּרָה *Ne quæſo iraſcatur Dominus meus, & loquar.*] LXX μήτι Κύριε, ἐὰν λαλήσω, *nunquid Domine, ſi loquar?* Valde (ut notat Hieron.) obſcure, & imperfecte. Sic etiam ver. 32.

Forte reperientur ibi triginta.] Decem (inquit Jonathan) in ſingulis trium urbium; Zeboim autem & Zoar propter miſericordiam tuam parcas, ſeu condones, שבוק.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

2. PErnoctate] Aut, ſi mavis, *fruimini hoſpitio, manete, dormite*, hæc enim omnia ſignificat radix לין. Et quod ſequitur, *Quaſi violenter coegit eos*, Gerundenſis interpretatur, פצר, *flagitavit & multis precibus inſtitit.* Kimhi vero exponit, הכריח, *coegit.*

4. *Per gyrum cinxerunt*] In Hebræo habetur, *circumdati ſunt*, in paſſivo. Chaldæus tamen tranſtulit, אקיפו, *gyraverunt*, in activa voce.

8. *Viris illis*] Non capitur hic dictio האל pro *Deo*, ut Lutherus vertit; alioquin non האנשים ſed אנשי ſcribendum fuerat, id quod & Aben Ezra notavit, ſed idem eſt quod האלה, ſicut & infra c. 26. ſcribitur, הארצות האל, *terra illa*, non *terra Dei.* Et quod ſequitur, *Quæ non cognoverunt virum*, alii ſic legendum putant, *quas non cognoverunt viri.* ¶ *Ingreſſi*] Subaudiendum, *ut tuti eſſent, & nihil mali illis fieret.* Illud vero, *Secede illuc*, in Hebræo paulo aliter ſcribitur, nempe ſic, *Propinqua ultra*; quod hunc habet ſenſum, *Recede à facie noſtra ad alium locum*, ut Gerundenſis explicat. Et quod ſequitur, *Percuſſerunt cæcitate*, Aben Ezra dicit סנורים eſſe כהות העין והלב *caliginem oculorum & cordis.*

11. *Adhuc*] R. S. interpretatur, *ultra*; Quos ſcilicet ultra domeſticos habes in civitate, hos educ cum uxore & filiabus quæ tecum ſunt.

14. *Accipiebant*] Vel, *qui ducturi erant filias ſuas*; quibus ſcilicet deſponſatæ erant duæ filiæ virgines. Vel, ſecundum Aben Ezra, habuit Lot alias filias maritatas, quæ in incendio perierunt.

15. *Urgebant*] Vel potius, *inſtabant & feſtinabant angeli cum Lot.* Sunt tamen qui exponunt דחק *urgere.* Et quod ſequitur, *Filias tuas præſentes*, Hebræus textus habet, *filias tuas inventas.* Vocant enim Hebræi id quod coram verſatur, הנמצא, i. *inventum.* Hinc Grammatici vocant ſecundam perſonam הנמצא. Et quod ſequitur, *Moram illo faciente*, eſt radix verbi מהה, & ſignificat idem quod עכב *tardavit.*

17. *Dixit*] Non habetur in Hebræo *dixerunt*, ſed *dixit*: Et licet duo eſſent angeli, tamen unus, educto Lot foras, jam ſubvertere cœpit illas civitates; ut R. S. commemorat.

21. *Reveritus ſum*] Aut, ſi mavis, Hebraiſmum habere, *ſuſcepi*, ſeu *honoravi*, *faciem tuam.* Et quod ſequitur, *Zoar*; Sortitum eſt oppidum illud vocabulum *Zoar* ab adjectivo צעיר, quod Hebræi תאר eſſe putant, etiamſi habeat formam nominis ſubſtantivi.

24. *A Domino de cœlo*] *Pluit Dominus à Domino de cœlo.* Similis eſt locus iſte huic loco, Dixit *Dominus Domino meo.* Hebræi, ut Trinitatis myſterium effugiant, interpretantur pro, *à Domino*, מאתו, *à ſeipſo*; dicuntque hoc eſſe לשון צחות, *elegantiam linguæ.* Chaldæus Hebraicam phraſim non mutavit. Et quod ſequitur, *Reſpexit poſt illum*, ſubaudiendum eſt, *poſt Lot virum ſuum.* Eſt enim ibi Vau relativum maſculinum. *Et facta eſt ſtatua ſalis.* Exuſta ſunt, ſecundum Hebræos, per ſulphur oſſa ejus, & ſic redacta in ſalis ſtatuam. R. S. fingit ſtultam rationem cur verſa ſit in ſtatuam ſalis, Quod ſcilicet renuerit dare viatoribus modicum ſalis, &c. Et quod ſequitur, *Vapor fornacis*, capitur hic קיטר pro עשן *fumo*, ſicut & כבשן pro *incendio jugiter ardenti*, quale eſt incendium fornacis in qua lapides in calcem reſolvuntur.

31. *Primogenita*] Vocatur iſta primogenita, non quod ſimpliciter primum fuerit genita, ſed quod natu major eſſet juniore. Unde & Chaldæus vertit רבתא, *major.*

37. *Moab*] Interpretatur *Moab*, *de patre*, ut ſit idem quod מאב. Et hæc major filia impudentior fuit minore, ut etiam filii nomine non verita fuerit inceſtum manifeſtare. Minor vero verecundior fuit, vocans filium filium ſuum *Ben Ammi*, h. e. *filius populi mei.*

PAGIUS.

3. ET *comederunt*] Thargum Hieroſolymitanum habet, *Et videbantur ac ſi ederent ac biberent.*

4. *A fine ejus*] H. e. Ab omnibus terminis & angulis civitatis confluxerunt, tota videlicet civitas, ita ut nemo, ne unus quidem, eſſet qui cohiberet malitiam eorum.

5. *Ut cognoſcamus eos*] H. e. ut coeamus, & rem cum eis habeamus. Hanc honeſtatem dilexerunt LXX. καὶ συγγενώμεθα αὐτοῖς, *Et coeamus cum illis.* Hunc enim ſubeſſe ſenſum, arguit quod mox ſubjicitur, *Ecce nunc mihi duæ ſunt filiæ quæ non cognoverunt virum: educam nunc eas ad vos; & facite eis ſicut placuerit vobis*, &c.

8. *Ob id enim ingreſſi ſunt*] Ut ſcilicet tuti eſſent, & nihil mali illis fieret. ¶ *Trabis meæ*] i. Domus meæ. Synecdochica locutio eſt; pars pro toto.

14. *Qui accepturi erant filias ejus*] Duplex hujus loci ſenſus eſſe poteſt; Vel, ut intelligatur de generis quibus deſponſatæ fuerunt duæ filiæ virgines, quas adhuc domi Lot ſecum alebat; Vel, quod adhuc plures alias filias maritatas habuerit, ad quarum maritos acceſſerit, quam ſententiam ſequitur Aben Ezra.

15. *Inventæ ſunt fideles tecum*] i. Quæ una tecum credunt verbo Domini. Emphaſim habet, *tecum*; innuitur enim eo, patris cohabitationem illis ad pietatem occaſionem fuiſſe, reliquas vero impiorum maritorum conſortio ad ſimilem impietatem pertractas fuiſſe.

24. *A facie Domini de cœlis*, &c.] Nota figuram locutionis, Pluit *Dominus à Domino*, i. à ſeipſo, vel cœlitus, ut Hebræi exponunt. Dicunt enim eſſe לשון צחות, i. *elegantiam linguæ ſanctæ.* Similes huic locutiones, inquiunt, ſunt iſtæ; *Audite vocem meam, uxores Lamech*, Gen. 4. 23. Non dicit, *uxores meæ.* Ita David loquitur 1 Reg. 1. 33. *Tollite vobiſcum ſervos domini veſtri*, &c. non dicit, *ſervos meos.* Item Ahaſuerus Rex, Eſth. 8. 8. *Vos quoque ſcribite ad Judæos, ſecundum quod vobis bonum viſum fuerit, in nomine regis*, &c. non dicit, *in nomine meo.* Noſtri commentatores ſentiunt hunc locum unum eſſe ex quibus colligatur Trinitas in V. T. quemadmodum & illud, Pſal. 110. 1. *Dixit Dominus Domino meo*: & Pſal. 45. 6, 7. *Sedes tua, Deus, in ſeculum, propterea unxit te Deus Deus tuus.* Eſt enim ſermo, inquiunt, de Patre ad Filium.

26. *Quæ ſequebatur eum*] Senſus redditus eſt; nam ad literam eſt, *Et reſpexit uxor ejus de poſt eum*, ſive *à tergo ejus.* Hoc eſt, uxor Lot (qui ipſam antecedebat, ea ſequente) reſpexit, atque ita periit, *& converſa eſt in ſtatuam ſalis*, i. in acervum ſalis, ut R. D. K. exponit; vel quod igne perierit, qui ſalem admixtum habuit, ſicut Aben Ezra explicat, citans pro confirmatione ſuæ ſententiæ Deut. 29. 23. ubi commemoratur à Moſe quomodo Sodoma ſulphure & ſale perdita fuerit: quo genere mali & Loti uxorem punitam volunt. Thargum Hieroſolymitanum hunc locum ita habet, [illegible], i. *Eo quod uxor Lot fuit de filiis filiorum populi Sodomæ, reſpexit poſt ſe, ut videret quidnam futurum eſſet cum domo patris ſui: atque ita factum eſt ut facta ſit columna ſalis, duratura uſque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reviviſcent.*

IDEM.

9. ויאמרו האחד בא לגור וישפט שפוט, *Et dixerunt, Ille unus venit ad peregrinandum, & decernit judicia.*] Septuaginta & Lat. interpres ſenſum quidem aliquo modo expreſſerunt, non autem verba ut veritas Hebraica habet reddiderunt. Omiſerunt enim vocem האחד *unus.* Dein in ſecunda perſona extulere quod illi in tertia perſona loquuntur ad præſentem, quod durius eſt. Dicitur enim ἠθικῶς, quod impuri ac libidine ſudantes ſic inter ſe tumultuarentur, *Nonne ſolus venit ad peregrinandum*, Er iſt daher kommen als ein frembdling allein / und will uns regieren, &c. Sic in Euangelio, *Salvos fecit alios, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* Non dicunt, Tu ſalvos feciſti: nam hoc excuſationem ei præbet in quem facimus impetum. Quaſi dicerent, Magiſtratum habemus, is nos punire debet, non

advena ille: sic loquitur impietas. Putant enim impii sibi impune esse dum peccant, eo quod magistratus corruptus dissimulat.

14. וידבר אל חתניו לקחי בנתיו, *Locutusque est ad generos suos qui accipiebant filias suas.*] Varietas est in voce לקחי, quæ licet præsentis temporis sit Hebræis, LXX tamen in præterito, & Autor Lat. Vulg. editionis in futuro reddidere. Est autem duplex hujus loci sensus apud Hebræos. Quidam referunt ad generos quibus desponsatæ fuerint duæ filiæ virgines, quas adhuc domi secum Loth alebat. Alii vero, quibus adstipulatur & Aben Ezra, sentiunt Loth adhuc alias filias maritatas habuisse, quæ incendio perierint, ad quarum maritos Loth accesserit. D. Hieronymus in Quæst. Hebraicis super hunc locum sic scribit, ET LOCUTUS EST AD GENEROS SUOS QUI ACCEPERANT FILIAS SUAS: *Quia postea duæ filiæ Loth virgines fuisse dicuntur, de quibus & ipse dudum ad Sodomæos dixerat,* Ecce duæ filiæ meæ quæ non cognoverunt virum, *& nunc Scriptura commemorat eum habuisse generos. Nonnulli arbitrantur illas quæ viros habuerunt in Sodomis remansisse, & eas exiisse cum patre quæ virgines fuerunt. Quod cum Scriptura non dicat, Hebraea veritas exponenda est, in qua scribitur,* Egressus est Loth, & locutus est ad sponsos, qui accepturi erant filias ejus. *Necdum igitur virgines filiæ matrimonio fuerant copulatæ.* Hæc ille.

15. קום קח את אשתך ואת שתי בנתיך הנמצאת *Surge, tolle uxorem tuam & filias tuas præsentes.*] Varietas est in voce הנמצאת, quæ ad verbum sonat, *quæ inventæ sunt*, h. e. quæ coram sive præsentes sunt. Intelligit autem eas quas Loth secum adhuc domi habebat. Nam quod præsens est & coram versatur Hebræi הנמצא, i. *inventum*, vocant. Unde adhuc hodie mos est apud Judæos, ut ad salutationem ejus qui aliquem peregre adventantem Hebraice sic excipit, ברוך הבא, *benedictus qui venit*, vicissim Hebraice responderi solitum sit, ברוך הנמצא, i. *benedictus qui inventus est*, h. e. qui adhuc præsens, salvus & incolumis est. Hinc est quod & Hebræorum Grammatici secundam personam הנמצא appellant. Aben Ezra Hebræus commentator hinc colligit, & meo quidem judicio non male, ipsum Loth adhuc plures habuisse filias, sed quæ in incendio una cum maritis perierint, quod paternam admonitionem ad illorum exemplum simul quoque floccipenderint; ut hinc certe animadvertere liceat quantum referat cum quibus vitæ habeas consuetudinem, atque quibus filios & filias nostras elocemus. Huc quoque Chaldæus paraph. respexisse videtur, qui habet, *Quæ inventæ sunt fideles tecum*: Innuens nimirum illis paternam conversationem occasionem dedisse ut eandem fidem ac pietatem secutæ fuerint, reliquas vero maritorum conversatione ad similem impietatem pertractas fuisse.

26. ותבט אשתו מאחריו ותהי נציב מלח, *Uxor vero ejus respexit post illum, & facta est statua salis.*] Variatio est in voce מאחריו, quam si ad verbum reddas, sonat, *de*, vel *à*, *post eum*, ut scilicet intelligas uxorem Loth sequentem maritum, aversam à tergo illius respexisse: quam certe sententiam nemo Interpretum satis luculenter exprimit. Sive enim *post illum*, vel *post se*, vel *retrorsum* legas, ut Interpretes reddidere, nondum constat an ea maritum vel antecesserit vel secuta fuerit, id quod exprimitur voce Hebraica מאחריו, nempe quod uxor Loth sequendo maritum, aversa à tergo ejus, respexit post se. Atque ita etiam recte explicat R. D. Kimhi in Radicibus suis, אשתו שהיתה מאחריו הביטה אחריה, i. *uxor ejus quæ fuit post illum*, h. e. quæ sequebatur illum, *respexit post se.* Dein quod sequitur, *Et facta est statua salis*, idem R. D. Kimhi exponit תל מלח, i. *acervus salis.* Aben Ezra sic explicat, nempe quod ossa ejus exusta fuerint sulphure qui admixtum salem habuit, & quod sic in statuam, sive salis acervum, redacta fuerit. Et pro confirmatione hujus suæ sententiæ citat locum qui exstat Deut. 29. ubi commemorat Moses quomodo Sodoma sulphure & sale perdita fuerit, quo genere mali & uxorem Lothis punitam volunt.

VATABLUS.

1. E*T incurvavit sese* וישתחו] honoris scilicet causa. Hebræi, quum quæritur cur unus ex tribus Angelis subito dispareat, duo tantum Sodomam veniant, unum venisse nugantur ad perdendum locum, alterum qui Lot servaret: quum tamen ex contextu Mosis appareat illud esse frivolum, quia ambos videbimus paulo post fuisse liberationis ministros. Simplicius est quod à doctis quibusdam scribitur, hoc fuisse Abrahæ peculiaris gratiæ loco concessum, ut Deus non modo e media Angelorum turba duos ad eum mitteret, sed familiarius se illi patefaceret in Filio suo. Unus enim (ut vidimus) principem locum, ut dignitate superior, obtinuit. Quanquam autem Christus semper fuit Mediator, quia tamen magis obscure ipsi Lot patefactus fuit quam Abrahæ, tantum duo Angeli Sodomam venerunt.

4. *Gyro cinxerunt* נסבו] *circumfusi vallaverunt.* ¶ *A puero*, &c. מנער וגו'] i. tam juvenes quam senes, universus populus ab extrema urbe. q. d. etiam qui habitabant in extremis locis urbis; vel (ut quidam Hebræorum) ab uno extremo urbis usque ad alterum extremum.

5. *Ut cognoscamus eos.* ונדעה אתם:] Rem fœdissimam honestissime exprimunt Sacræ literæ. Quidam tamen non eo sensu accipiunt, sed perinde acsi dixissent, Volumus scire quosnam tu hospites in urbem nostram inducas. Alioqui petulantius de nefando concubitu locuti essent Sodomitæ: verum tegendæ suæ nequitiæ causa, hic imperiose cum sancto viro expostulant, quod ausus fuerit recipere homines ignotos.

7. *Malefaciatis.* תרעו:] i. ne tantum facinus ac flagitium admittatis.

8. *Sicut bonum est in oculis vestris:* כטוב בעיניכם] Hebraismus quemadmodum vobis placuerit. ¶ *Tigni mei.* קורתי] *tecti mei*, i. domus meæ, h. e. subierunt domum meam. His verbis significat sibi commissos esse à Domino, seque perfidiæ reum fore, nisi protegere eos studeat.

9. *Responderunt*, &c. ויאמרו וגו'] Ad verbum, *Et dixerunt, Accede illuc*, vel *ultra. Et dixerunt, Unicus*, &c. ¶ *Unicus*, &c. האחד וגו'] *Solus* [*solitarius*] *venit ut habitaret* nobiscum, *& vult plane nos judicare*, i. esse judex noster. Objurgantis sermo est, q. d. Venitne advena iste ut increparet nos? ¶ *Magis affligemus te quam ipsos.* נרע לך מהם] Ad verbum, *malefaciemus tibi magis quam illis.* ¶ *Vim igitur fecerunt* ויפצרו] *compulerunt igitur*, vel *coegerunt.*

10. *Miserunt autem* וישלחו] *Extenderunt autem.*

11. *Cæcitatibus* בסנורים] Plurali utitur, ut ostendat magna cæcitate fuisse percussos. ¶ *Et defatigati sunt*, וילאו] sub. *palpando.*

12. *Adhuc*, &c. עוד מי] *Ultra quis est tibi?* i. Quos hic adhuc cognatos aut affines habes præter hos quos videmus?

13. *Perdituri sunt* משחיתים אנחנו] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Creverit clamor eorum* גדלה צעקתם] Ad verbum, *magnificatus sit clamor eorum*, i. clamor iniquitatum & scelerum civium urbis. Quo plura peccata accumulant homines, eo altius surgit eorum malitia, & propius ad Deum accedunt ut vindictam exposcat.

14. *Qui acceperant* לקחי] Ad verbum, *accipientes.* Quidam vertunt, *qui abduxerant ad se.* Alii per futurum, *accepturi erant.* ¶ *Fuit autem*, &c. ויהי וגו'] Hebraismus, illi vero putaverunt eum non serio, sed joco dicere: visus est illis jocari.

15. *Quum autem aurora ascendisset*, וכמו השחר עלה] *Exoriente autem aurora. Cum primum diluculavit.* ¶ *Vim faciebant* ויאיצו] *coegerunt: cogere cœperunt; festinare jusserunt.* ¶ *Quæ inveniuntur*: הנמצאת] i. quas habes in promptu, vel, quas habes domi tuæ. Alter ex doctioribus Hebræorum exponit *adhuc innuptas*, propterea quod haberet duas alias filias quæ viris nupserant, q. d. ne cures alias. ¶ *In punitione* בעון] i. ne tu una cum aliis intercipiaris subita hac subversione urbis. Alii vertunt, *in iniquitate.*

16. *Quumque tardaret*, ויתמהמה] *Quumque cunctaretur*, vel *moras necteret*; præ trepidatione scilicet: solent enim homines præ metu ac timore fieri immobiles. Ad verbum, *Et tardabat & apprehenderunt.* ¶ *Eo quod parceret* &c. בחמלת וגו'] Ad verbum, *in misericordia Jehovæ super eum*, vel *miseratione*, i. eo quod Dominus misereretur ejus, velletque eum eripere.

17. *Pro anima tua*, על נפשך] i. ratione vitæ tuæ, q. d. Fuga tibi consule; nam periclitaris de vita. ¶ *In montem erue te* ההרה המלט] i. consule vitæ tuæ fugiendo in montem.

18. *Ne quæso*, אל נא] *Nequaquam quæso*, subaudi *ita fiat.*

19. *Invenit*, &c. מצא וגו'] Hebraismus, Alloquitur alterum ex Angelis, Video me gratum tibi fuisse & acceptum: nam maxime fuisti erga misericors ad conservandam vitam meam. Ad verbum, *ad vivificandam animam meam.* ¶ *Eruere me in montem* להמלט ההרה] *servare me fugiendo in montana* ¶ *Adhæreat mihi malum*, הדבקני הרעה] *apprehendat me afflictio.*

20. *Ista* הזאת] i. quam vides. ¶ *Eruam me* אמלטה] *permitte ut salvum me faciam fugiendo illuc.* ¶ *Parva est*, מצער היא] *exigua res est.* Alii ad urbem referunt, ut parvam esse osten-

Google

ostendat, quo facilius exoret; acsi diceret, se tantum angulum petere ubi salvus deliteat.

21. *Suscepi faciem tuam* נשאתי פניך] Hebraismus, acquiesco precibus tuis.

22. *Vocavit* קרא] sub. *is qui ei nomen indidit.*

23. *Sol egressus erat* השמש יצא] *Jam sol oriebatur.*

24. *A Jehovah è cœlis.* מאת יהוה מן השמים:] Hebraismus, i. à se ex alto, nempe è cœlo, i. quæ Dominus ipse emisit è cœlo. Emphatica autem repetitio est, quod non usitato naturæ ordine tunc Dominus pluerit, sed tanquam exserta manu palam fulminaverit præter solitum morem: ut satis constaret, nullis causis naturalibus conflatam fuisse pluviam illam ex igne & sulphure.

26. *Retro eum*, מאחריו] i. quæ erat à tergo ejus, h. e. aversa à tergo illius quum sequeretur eum, & aspexit post se. ¶ *Statua salis.* נציב מלח:] Hebræi, *acervum* sive *massam salis* interpretantur. Quidam non referunt ad saporem: sed quia statua notabile aliquid habuerit quod viatores moneret: oportuit enim notas aliquas illic esse impressas unde omnes colligerent esse illud memorabile portentum. Alii *statuam salis* interpretantur *statuam incorruptibilem*, *permansuram in sempiternum*, q. d. Mutata est in statuam quæ esset perpetuum incredulitatis exemplum. Ad hunc modum dicitur Num. 18. 19. *Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis*, i. incorruptibile & immortale perpetuoque duraturum, quod Deus externo quoque symbolo sancivit, ne unquam evanescat. Ad salem autem metallicum alludit & effossitium, qui nullo imbre liquescit; imo ad ædificandas domos est idoneus. Lege Plinium lib. 31. cap. 7. ubi id tradit.

28. *Versus* על פני] Ad verbum, *super faciem*, sic mox. ¶ *Terra* הארץ] i. regionis illius.

29. *Et emisit* וישלח] i. eripuit. ¶ *In quibus, &c.* אשר ישב בהן] Ad verbum, *quibus habitabat in illis*: Heb. pro *in quarum una habitabat.*

30. *Ascendit autem* ויעל] i. Discessit à Soar. ¶ *Ac duæ filiæ ejus cum eo* ושתי בנתיו עמו] *una cum duabus filiabus suis.* ¶ *Timebat habitare in Soar*, ירא לשבת בצוער] Ne scilicet Deus eam quoque subverteret: videbat enim eadem vitia regnare in ea urbe quæ in aliis.

31. *Vt ingrediatur, &c.* לבוא עלינו] *qui congrediatur nobiscum pro more totius terræ*, q. d. Nemo remansit aut superstes est ex hac subversione quem possimus habere pro marito.

32. *Veni* לכה] Imperativum pro adverbio, *Eia, age.* ¶ *Et suscitemus* ונחיה] Ad verbum, *& vivificemus*, i. ex congressu patris nostri servemus semen, h. e. genus nostrum paternum.

33. *Ille vero, &c.* ולא ידע] Ad verbum, *& non cognovit in cubando* (vel *cubare*) *eam, & in surgendo eam.*

34. *Postera autem die dixit* ויהי ממחרת ותאמר] Ad verbum, *Et fuit in crastino, & dixit.* ¶ *Ac suscitemus* ונחיה] Ad verbum, *& vivificemus.* Vide paulo ante v. 32.

37. *Moab*: מואב] q. d. מן אב, h. e. *de patre*, ut ex doctioribus Hebræorum alter annotat: quod de patre suo concepisset eum. ¶ *Pater Moab* אבי מואב] *pater Moabitarum usque in hodiernum diem*, i. a quo Moabitæ traxerunt genus & originem, quotquot usque hodie vivunt.

CASTALIO.

20. *Est sane perparvum*] Eadem opera peto ut ei oppido parcatur. Alioquin ego quoque perirem. Verum non magna peto, cum oppidum sit perparvum.

22. *Hanc ob causam oppidum Sigoris nominatum fuit*] A parvitate, quod Lotus parvum esse dixisset.

CLARIUS.

4. *Omnis populus simul*] Heb. *Omnis populus ab extremitate*, scilicet civitatis.

8. *Idcirco ingressi sunt*] Subaudiendum, *ut tuti essent.*

9. *Recede illuc*] Recede à facie nostra ad alium locum.

11. *Omnes qui tui sunt*] Vel, *omnia quæ tua sunt.*

17. *Ibique locuti sunt ad eum, dicentes*] Heb. *Et factum est, cum illi eduxissent foras, dixit.* Et non habetur in Hebræo, *dixerunt*, sed *dixit.* Nam licet duo essent angeli, tamen unus educto Lot foras, jam subvertere cœpit illas civitates.

22. *Segor*] Vel, *Zoar.* Vocatum est oppidum Zoar, h. e. *parvulum*, quod prius *Bale* nominabatur, una ac minima quinque urbium.

24. *Dominus pluit ignem à Domino*] Hoc simile est illi, *Dixit Dominus Domino meo.* Sed Judæi, ut Trinitatis mysterium effugiant, interpretantur, *à Domino*, h. e. *à seipso*: dicuntque hoc esse elegantiam linguæ.

26. *Respiciens uxor ejus post illum*] h. e. Post Lot virum suum. Nam hic est pronomen, vel quod Hebræi vocant affixum masculinum. ¶ *Versa est in statuam salis*] Exusta sunt, secundum Hebræos, per sulphur ossa ejus, & sic reducta in salis statuam.

28. *Ascendentem fumum*] Vel, *vaporem.*

33. *At ille non sensit*] Posse inter dormiendum quenquam generationi vacare Judæi negant, & obelo hunc locum notant, teste etiam D. Hieronymo. Verum de Veritate Scripturæ non fuerat dubitandum, quæ longe incredibiliora facta recenset quam hoc sit.

37. *Moab*] Significat *Moab, de patre.* Et hæc major filia impudentior fuit minore, ut etiam filii nomine non verita sit incestum manifestare: Minor vero verecundior fuit, vocans filium suum *Ammon*, vel, ut est in Hebræo, *Ben Ammi*, h. e. *filius populi mei.*

DRUSIUS.

24. *Pluit sulfur & ignem à Domino*] Cur igni sulfur admiscet? An quia ignis natura levis est, quem sulfur gravitate sua deorsum pellit? Ut ut sit, in verbo inclusum verbale, *Pluit pluviam sulphuris & ignis*: & *à Domino* ad auxesin pertinet. i. magnam, copiosam. Simile *dormire mortem*, pro *dormitionem*, aut *somnum, mortis.* Extat apud hymnographum. Et *pluvia à Domino*, idem cum illo, *pluvia Domini.* Sic *flamma Domini*, i. luculenta. Et *imber è cælo*, qui & *imber cæli*; *panis è cælo*, & *cæli*, i. cœlestis. Quæ addenda iis quæ notata mihi in magnis annotationibus. Nihil adfirmo: lectori liberum relinquo ut eligat quod potissimum probabit. Judicia ut recta, ita libera esse debent.

31. *Via universæ terræ*] Duobus modis dicitur. Uno modo ut significet notitiam fœminæ: Gen. 19. 31. *Qui veniat ad nos secundum viam universæ terræ.* R. Salomo hoc sensu dixit, *separare se à via terræ*, pro *à notitia uxoris aut viri*, sive *ab actu Venereo*: Coitum vocant. Vide comment. ipsius Num. 12. 2. Secundo significat mortem: ut cum dicunt, *Ego ineo viam universæ terræ*, pro *Ego morior.* Utrobique *terra* ponitur pro *incolis terræ*; quasi viam dicas quam terunt omnes homines qui terram incolunt: pro quo in legibus Pontificiis, *via universæ carnis*, quod idem cum illo, *omnium hominum.* Alciatus non intellexit hunc Ebraismum, ideo sic scribit Parerg. l. 29. c. 13. *Leges*, inquit, *pontificiæ dicunt, Viam universæ carnis ingressus est, quasi solum carnem vorax ille Saturnus absumat, & non cætera quoque.* *Separare se à via terræ*, quid sit apud Salomonem Trecensem jam dictum est. Alio sensu usurpant Doctores. Nam *viam terræ* vocant vitam civilem & politicam, tum etiam id quo victum paramus, sive sit opificium sive aliud quid, non refert. Priore significatu sumitur in illo, *Si non est lex, non est via terræ: & si non est via terræ, non est lex*: (dictum est cujusdam Eliezeris) posteriore in libro Aboth, c. 2. *Pulchrum est studium legis cum via terræ.* Nam qui legi studet aut operam dat, nec habet unde vivat, miser est. Ideo antiqui sapientes cum illo studio conjungebant opificium aliquod. Vide Annotationes meas in N. T. quæ sub titulo *Præteritorum* his diebus prodierunt. Excusæ sunt in Frisia Occidua.

IDEM.

16. ויתמהמה. A. ἐμέλλησεν, *moram traxit.* Nam μέλλω, cunctor, differo, moror. Schol. ἐστρατεύσατο] Vertunt, *profectionem adornabat*, q. d. in supellectile convasanda occupatus erat; cum potius denotet *exercitum in expeditionem educere.* Jonathan, ואתעכב *& tardavit.* Radix est מהמה. Sic Onkelos ואתעכב & Santes, *tardavit.* Hab. 2. 3. אם יתמהמה. Hieron. *Si moram fecerit*, A. ἐὰν ᾖ μελλήσῃ. *Sic cunctabitur.*

19. להחיות. Schol. τοῦ ζωῶσαι *ad vivificandum*] Pro eo habendum ac si dixisset, *ad conservandam animam meam.* Proprie significat *conservare in vita.* Usitatum hoc sensu in secunda conjugatione & in tertia, ut hic. In secunda, ut Hab. 3. 2. חייהו, &c. Psal. 80. 18. תחיינו Lxx. ζωώσεις ἡμᾶς. Sic & 85. 6.

21. הנה נשאתי פניך. *Ecce suscepi faciem tuam*: Sym. ἰδοὺ ἐδυ-

ἐδυσωπήθην τὸ πρόσωπόν σε.] In his verbis illud ὀρέχει suspicio, ut ille ait, de mendo. Quid si ἤρα σε? *Vide*, i. ראה. id pro הנה usurpant ut ἰδὲ. Δυσωποῦμαι, *erubesco*; item *exoror, flector*. Sententiam expressit. Quod ante nos Hieron. notavit his verbis, *Ecce, suscepi faciem tuam*, i. *acquiesco precibus tuis. Quod Symmachus secundum sensum interpretans, ait, ἰδοὺ ἐδυσωπήθην τὸ πρόσωπόν σε. i. aspectu reveritus sum faciem tuam*. Hucusque Hieronymus. A. ἦρα τὸ πρόσωπόν σε, *sustuli*, sive *levavi*, *faciem tuam*. Vult dicere, Habui respectum & rationem tui. Eadem sententia in illo, *Tollere faciem in judicio non est bonum*. Latine, *habere respectum personarum*.

28. קיטר. ὁ ἑβραῖος, ἀναπνεύματος] Hieron. *Et ecce ascendebat flamma de terra quasi vapor fornacis*] *Pro quo legimus in Ebræo, Ecce ascendebat* Kitor, *quasi* ἀναπνεύματος *fornacis. Quod nos vaporem, vel fumum, sive favillam possumus dicere*. Græci variant sine causa quos in viam reduces, si legas, ἰδὲ ἀνέβαινε ἀτμὶς ἐκ τῆς γῆς ὡσεὶ ἀτμὶς καμίνου, *& ascendebat vapor è terra quasi vapor camini*, vel *fornacis*.

31. כדרך כל־הארץ. *Secundum viam universæ terræ*] Καθ' ὁδὸν πάσης τῆς γῆς. Prius erat in Lxx. ὡς καθήκει πάσῃ τῇ γῇ. Hoc loco congressum viri cum fœmina sive coitum, alibi mortem designat. Nam *ingredi viam universæ terræ* dicuntur, qui moriuntur. Sumpsi ex Procopio pag. 139.

NOTÆ MAJORES.

1. *Veneruntque duo angeli Sodomam vespere, & Lot sedebat in porta Sodomæ: quos videns Lot surrexit in occursum eorum & procubuit facie in terram.*

Duo angeli] Hic angelos vocat, quos supra viros dixerat. Nam angeli erant natura: viri specie tantum. Qui tres personas apparuisse Abrahamo putant, hinc refutari poterunt, nisi quis probet Deum, patrem & Spiritum Sanctum angelos uspiam dici. ¶ *Sodomam*] vel Sodoma, εἰς σόδομα. ¶ *Vespere*] vesperi, ἑσπέρας. ¶ *Sedebat in porta*] non ut judex, sed ut cives solent vespere in porta sedere animi caussa. Forte hospites quos exciperet aut pastores suos expectabat. ¶ *In porta Sodomæ*] Thargum Jerosol. בפילי דסדום in portis Sodomæ. פילי sunt πύλαι, vox mere Græca. ¶ *Surrexit in occursum eorum*] pro eo habendum ac si diceret, *surrexit & ivit illis obviam*. Quod apud interpretem nostrum. Autor. Jerosol. *Vidit eos & cucurrit & salutavit eos*. Aliquid desideratur. Suspicor aliquando fuisse, *cucurrit in occursum eorum* pro *salutavit eos*. Verb. è ver. est *quæsivit de pace eorum*. ¶ *Procubuit*] prostravit se, adoravit. ¶ *Facie in terram*] vel, *naribus in terram*. Nam אפים proprie nares. Hiero. *adoravit pronus in terram*. Lxx. προσεκύνησε τῷ προσώπῳ ἐπὶ τὴν γῆν: Adoravit facie in terram. Alibi est *in faciem*. Quod On. edidit על אפוהי super facies suas. Trem. *incurvavit se vultu demisso in terram*. Santes, *incurvavit se in faciem super terram*. Vide quæ scripsimus supra 18. 2.

2. *Et dixit Ecce nunc Domini mei, deflectite quæso ad domum servi vestri, & pernoctate & lavate pedes vestros, & mane surgetis & ibitis in viam vestram: qui dixerunt, Non, sed in platea pernoctabimus.*

Ecce nunc] Lxx. ἰδὲ. Hiero. *obsecro*. On. & Jon. בבעו לכון כען quæso vel obsecro nunc. Santes & Trem. *Ecce nunc*. Hic est הִנֶּה cum Segol. ¶ *Domini mei*] אֲדֹנַי cum patach, est enim nomen profanum, ut recte Aben Ezra observat, & plurale cum pronomine affixo. Iaque On. & Jon. interpretantur רבוני domini mei, & Abenezra. רבותי. Lxx. habent simpliciter κύριοι & Hiero. Domini. Forte ut גֹּבַי locustæ, & חַלּוֹנַי fenestræ, ita אֲדֹנַי Domini. Quis hoc negare ausit? In Massora ל׳ פתח ubi ל valet לית: & est sensus, Hoc nomen אֲדֹנַי alibi non legitur cum patach. In eodem Massora notatum ל׳ ודגש, quorum verborum hæc est sententia, Particula הִנֶּה nusquam alibi habet Segol. Sed & Dages gerit in medio. Quidam explicant *nunc* i. cum nox instet. ¶ *Deflectite*] divertite, declinate, recedite ut Jud. 4: 8. סורה אלי *recede ad me*: quod pro eo habendum ac si dixisset, recede à loco in quo es & veni ad me. Interpretes convertunt, deflecte, diverte, declina; ut hic Lxx. ἐκκλίνατε εἰς τὸν οἶκον τοῦ παιδὸς ὑμῶν: & Hiero. *Declinate in domum pueri vestri*. Jon. *recedite nunc hinc & venite ad domum servi vestri*. Abenezra, *Quando verbum* סור *habet post se* מן *tum sig. id quod sonat videl. recedere. Si vero habeat post se* אל *cum patach parvo i. segol, tum sig. recedere à loco suo & ire ad vocantem aut ad locum quo quis vocatur*. Quidam ita constructum interpretantur, *accede ad me*, & *accedite ad domum meam*. ¶ *Quæso*] *nunc*. On. & Jon. ¶ *Ad domum servi vestri*] i. meam, qui sum servus vester. Latine, *qui sum vester*. ¶ *Pernoctate & lavate*] i. postquam laveritis. Nam pedes lavabant antequam cubitum irent, imo antequam cibum sumerent. Ergo Vau hic valet, *postquam*, ut Exod. 16. 20. & alibi. Consule libellos meos de literis servilibus lib. 2. cap. 4. pag. 28. editionis postremæ. ¶ *Pernoctate*] Lxx. καταλύσατε. Hiero. *manete*. ¶ *Mane surgetis & ibitis*] ὀρθρίσαντες ἀπελεύσεσθε. השכים ὀρθρίζω, mane surgo aut aliquid facio. Chald. קדם. ¶ *In viam vestram*] εἰς τὴν ὁδὸν ὑμῶν. Sic alibi, *in viam gentium ne iveritis*. Latine, *per viam*. ¶ *In platea*] ἐν τῇ πλατείᾳ. Platea Ebraice dicitur רְחוֹב à latitudine. Chaldaice רְחוֹבָא & שׁוּקָא & Græca voce פלטיא platea. Usus est hac voce autor Jerosol. בפלטיות קרתא in plateis urbis.

3. *Et institit eis valde: itaque deflexerunt ad eum & venerunt in domum ejus: & fecit illis convivium azymaque coxit & comederunt.*

Institit eis &c.] vel *institit eis adeo ut deflexerint ad eum & venerint in domum ejus*. ויפצר בם *institit in eos*. Quidam, *apud eos*. Hiero. *compulit eos*. Lxx. κατεβιάσατο αὐτούς. Santes, *vim fecit eis*. Jon. פייס בהום i. verbis persuasit eis. ¶ *Deflexerunt*] declinarunt, diverterunt. ¶ *Venerunt in domum ejus*] ingressi sunt domum ejus. Nam in urbe domos habebant, non tentoria vel tabernacula. ¶ *Fecit illis convivium*] Lxx. ἐποίησεν αὐτοῖς πότον: pro quo Steuchus olim legit πόνον, cum in libris omnibus, quos adhibui, sit πότον, etiam in edit. Rom. i. convivium sive συμπόσιον. Obvia hæc vox cum alibi, tum Coheleth. 7. 3. εἰς οἶκον πότου: i. convivii. Esther 5. 6. ἐν τῷ πότῳ. Judith. 6. in extremo, ἐποίησε πότον i. συμπόσιον. Usus quoque est Athenæus lib. 4. ὅταν ὁ βασιλεὺς πότον ποιῆται i. convivium. Gen. 29. 22. ויעש משתה. Lxx. ἐποίησε γάμον. Hiero. *nuptias*. Aq. & Sym. πότον. Alias πότος est potatio sive compotatio. ¶ *Azyma*] panes azymos i. infermentatos: aut placentas azymas. Lxx. καὶ ἀζύμους ἔπεψεν αὐτοῖς. Ebr. מצות, de cujus vocabuli radice Grammatici adhuc certant, aliis à מצץ deducentibus, aliis à נצה ut sit מַצָּה formæ פֶּסַח. Porro hi panes faciles paratu sunt. Consuluit ergo hospitibus ex via fessis, ut tanto maturius cubitum irent & se quieti darent. Aliter Abraham, qui suos prandio excepit. Vide supra 18. 6. ¶ *Et comederunt*] καὶ ἔφαγον. Nempe ut homines quorum speciem gerebant. Et vere comederunt, quia vera corpora habebant. Non vere comederunt, sed tantum visi sunt comedere, quia angeli erant. Nam angeli non edunt neque bibunt. Jon. *videbatur ei ac si comederent*. Autor Jerosl. *videbantur tanquam comedentes & tanquam bibentes*. Vult dicere, videbantur tantum comedere, non comedebant revera. Ut comedere, ita etiam homines esse videbantur, cum revera non essent.

4. *Antequam cubarent, viri civitatis, viri Sodomæ circumvallarunt domum, tam pueri quam senes, omnis populus ab extremo.*

Cubarent] πρὸ τοῦ κοιμηθῆναι. Lxx. *prius quam irent cubitum*. Hiero. ¶ *Viri civitatis, viri Sodomæ*] brevius hoc Latini dicerent, *cives Sodomæ*. Lxx οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως οἱ σοδομῖται: viri civitatis, Sodomitæ. Optime ac rectissime. Nam *viri Sodomæ* i. Sodomitæ. ¶ *Circumvallarunt domum*] נסבו על הבית. Hiero. *vallaverunt domum*. Lxx. περιεκύκλωσαν τὴν οἰκίαν. On. אקפו על ביתא cinxerunt vel circumdederunt domum. Jon. אחזרו על ביתא. Santes, *gyrarunt circa domum*. Trem. *obsederunt domum illam*. Mercerus, *circumfusi sunt circa domum sive gyrarunt circa domum i. circumvallarunt, undique cinxerunt*. ¶ *Domum*] Loti videl. ¶ *Tam pueri quam senes*] vel, *tam juvenes quam senes*. Ebraice, מנער ועד זקן à puero sive adolescente ad senem. *A puero* i. מטליא. Hiero. Jon. *Ab adolescente* i. ἀπὸ νεανίσκου. Lxx. מעולימא. On. *ab infante*. Ambrosius. Notavit autem Hiero. omnem filium Ebraice infantem & parvulum dici. *A puero* quoque Santes & Trem. ¶ *Ab extremo*] Lxx. & Hiero. ἅμα: simul i. יַחַד. Aliud מִקָּצֶה quod reddunt *ab extremo*: & est sensus, ab extremo urbis. Id On. dixit מסיפיה. *à fine ejus*. i. expositore Fagio, *ab omnibus terminis & angulis civitatis*. Jon. מסיפא à fine sive ab extremo. malim מסיפה. Sed tamen nihil muto. Sunt qui subaudiunt אל קצה ut dicat, ab extremo ad extremum. Sic alibi מן הקצה אל הקצה ab extremo uno ad extremum aliud.

5. *Et clamaverunt ad Lotum, & dixerunt ei, Ubi sunt viri illi qui venerunt ad te nocte? educ eos ad nos ut cognoscamus eos.*

Clamaverunt ad Lotum] Lxx. ἐξεκαλοῦντο τὸν λώτ. evocarunt Lotum. Hiero. *vocaveruntque Lot*. Recentior interpres, *inclamaverunt Lotum*. ¶ *Ubi sunt*] ποῦ εἰσιν. Ebraice אַיֵּה. Chald. אן sive הָאן quorum prius legitur in On. posterius in Jon. ¶ *No-*

cte]

cte] vel, *hac nocte*. Quod Jon. dixit בְּלֵילְיָא דֵין. Ebraice est הַלַּיְלָה hac nocte, ut הַיּוֹם hac die, hodie. On. edidit בְּלֵילְיָא nocte. Lxx. τὴν νύκτα. ¶ *Ut cognoscamus eos*] ita Hiero. in Ebræo est ad verb. *& cognoscemus eos*. Sic etiam On. In Lxx. ἵνα συγγενώμεθα αὐτοῖς, quod interpretantur, ut coëamus cum eis. Id Jon. dixit ונשמש עמהון. Siquidem שמש coire, concumbere, uti aliqua aut aliquo. Unde תַּשְׁמִישׁ concubitus, de quo mox. Dicitur autem vir cognoscere fœminam, & fœmina virum, & vir virum, ut hic. Quod fit quando masculi in masculos operantur turpitudinem. Huc respexit propheta Jesaias, cum ita scriberet Jes. 3. 9. *Et peccatum suum ut Sodoma indicarunt*. i. palam professi sunt.

6. *Et egressus est ad eos Lot ad ostium, & januam clausit post se.*

7. *Et dixit, Ne, quaso, fratres mei malefaciatis.*

Ad ostium] הַפֶּתְחָה dixit pro אֶל הַפֶּתַח ad ostium, vel ad januam. Nam ostium & janua confunduntur: Licet proprie sit janua domus, & ostium cubiculorum. Hoc discrimen non agnoscunt Ebræi. פֶּתַח proprie apertura ostii h. e. hiatus ille quem janua obstruit. Vitruvius hypothyrum dixit. Aut est id quod aperitur. Lxx. πρὸς τὸ πρόθυρον, ad vestibulum. On. & Jon. לִתְרְעָא ad portam, & intellige portam domus, non urbis. Nam תַּרְעָא utrumque sig. Ejus origo est שַׁעַר. ¶ *Et januam*] וְהַדֶּלֶת Lxx. τὴν δὲ θύραν i. januam vel ostium. Chald. ודשא. Licet vertere, *& fores clausit post se*. דֶּלֶת proprie tabula illa quæ aperitur & clauditur, quæ sæpe duplex est, unde דְּלָתַיִם quasi januæ bifores, eo quod duas valvas habeat. Reperitur & דַּל pro janua: unde Abenezra colligit Thau ultimum in דֶּלֶת fœmininum esse. ¶ *Ne quaso*] On. *ne obsecro nunc*. Sic etiam Jon. ¶ *Fratres mei*] vox blandientis ad leniendum furorem Sodomitarum, juxta illud, *Responsum molle frangit iram*. Et *fratres mei* i. amici mei. Nam *frater* amicus proprie intimus amicus. Sic Salomo & Hiram fratres erant inter se. Lxx. hic habent ἀδελφοί absque pronomine, quod, meo judicio, singularem emphasin habet. ¶ *Malefaciatis*] male agatis.

8. *Ecce jam sunt mihi dua filia, qua non cognoverunt virum, educam nunc eas ad vos, & facite illis ut bonum est in oculis vestris: tantummodo viris vestris ne faciatis quicquam. Nam ideo venerunt in umbram trabis mea.*

Ecce jam] vel, *ecce sane*. ¶ *Qua non cognoverunt virum*] quæ non habuerunt rem cum viro. Jon. דלא שמיש עם גבר quæ non concubuerunt cum viro. Lxx. αἳ οὐκ ἔγνωσαν ἄνδρα. Autor Jeros. דלא חכמו תשמיש לגבר. Idem aliter. Nam תשמיש coitus sive concubitus χρῆσις, συνουσία: unde אבר התשמיש membrum concubitus sive quo utimur potissimum in coitu, & תשמיש המטה negotium thori, actus venereus. לא חכמו nesciunt, ignorant. Verbum שמש tam de viro dicitur quam de fœmina. De viro, ut ibi כד שמש עם בתשבע quando congressus est cum Bethsabe. De fœmina ut hic, & Job. 31. תשמש עם אחרן אנתתי concumbat cum alio uxor mea. לשון נקיה ait Elias in Thesbite. ¶ *Facite illis*] Lxx. χρήσασθε αὐταῖς: utimini illis. Hiero. *abutimini eis*. ¶ *Ut bonum est in oculis vestris*] ut vobis videbitur. Lxx. καθὰ ἂν ἀρέσκῃ ὑμῖν. Hiero. *sicut vobis placuerit*. ¶ *Bonum*] rectum i. תקין On. & Jon. ¶ *Viris istis*] hospitibus meis. ¶ *Ne faciatis quicquam*] quicquam mali scilicet. Lxx. μὴ ποιήσητε ἄδικον. Hiero. *dummodo viris istis nihil mali faciatis*. Jon. מדעם ביש quicquam mali. ¶ *In umbram trabis mea*] בצל קורתי. Hiero. *Sub umbra culminis mei*. Lxx. ὑπὸ τὴν σκέπην τῶν δοκῶν μου: Sub. tegmen trabium mearum. Santes, *in umbra tigni mei*. Trem. *sub umbram tabulati mei*. On. *in umbra trabis mea*. Jon. *ad pernoctandum sub umbra trabis unius, qua mihi est*. Sub umbra תחות טלל. Videndum ergo an ב eo significatu alibi usurpetur. קוֹרָה trabs, sive trabes aut tignum i. δοκός. Hic pro tota domo usurpatur, & est figura nota quam Synechdochen vocant, ut cum tectum pro domo ponitur. Sunt qui קורה tabulatum interpretentur. Chaldaice dicitur כשורא & שריתא. Quod fugit, non effugit. *Viris istis* Ebraice לאנשים האל i. האלה. Male vertunt qui vertunt *viris Dei*. Nam ita dixisset לאנשי האל.

9. *Et dixerunt Secede illuc, item dixerunt, Iste unus venit ad commorandum ut advena, & judicabit judicando? nunc malefaciemus tibi plus quam illis: & institerunt viro Loto valde, & accesserunt ad frangendum januam.*

Secede illuc] גש הלאה. Hiero. *recede illuc*. Lxx. Ἀπόστα ἐκεῖ, abscede illuc. On. & Jon. קרב להלאה. Fagius interpres, *secede illuc*. Addunt recentiores, *tantisper dum de eo quod proposuisti deliberabimus*. Santes, *valde ultra*. Quid si *abscede ulterius*. h. e. in diversam partem? גש proprie accede. Hic aliter sumitur. Contra סור recedo: item accedo. Sic in Latio revertor pro venio, accedo. Idem שב in Ebraismo. ¶ *Secede*] גֶּשׁ imperativus est à נגש cum Segol loco patach. Nam esset גַּשׁ accede, secede, abscede. Quidam putant tseri mutatum esse in segol propter Maccaph. Scribunt autem גֶּשׁ, ut in ordine alio est שֵׁב sede. Quanquam hoc à ישב, illud à נגש, quod proprie accedere sig. Quod autem hic reddidimus, *secede*, ad hoc nos adegit ipsa sententia. Forte ut סור denotat recedere ab uno loco & accedere ad alium, ita נגש sig. abscedere. Nam qui recedit ab uno loco, idem accedit ad alium. Conjuncta hæc sunt ut mirum non sit, si permutentur inter se. ¶ *Iste unus*] הָאֶחָד. On. *unus* חַד. Gall. edit. *iste solus*. Jon. *Nonne solus venit iste ad habitandum ut advena inter nos, & ecce factus est judex, & judicare vult omnes nos*. ¶ *Ad commorandum ut advena*] לָגוּר Lxx. παροικεῖν ut advena esses sive ad commorandum. Nam παροικεῖν commorari, ut quidem sumitur in illo Ciceronis. *Natura nobis commorandi, non habitandi locum dedit*. Recentior interpres, *ad hospitandum*. Alius, *ut inquilinus sit*. Santes, *ad peregrinandum*. ¶ *Judicabit judicando?*] vel, *judicat judicando*, absque interrogatione, ut dicat, Iste advena nos plane judicat i. regit: vult esse noster judex & magistratus. Judicat ergo i. judicare vult. Hiero. *numquid ut judices* הישפט? Lxx. μὴ καὶ κρίσιν κρίνειν: an etiam ut judicium judices? On. *& ecce judicat judicium*. Recentior interpres, *judicis partes sibi arrogat*. ¶ *Malefaciemus tibi*] נרע לך. Lxx. κακώσομέν σε vexabimus sive affligemus te. Sic etiam Hiero. ¶ *Plus*] vel, *magis* i. μᾶλλον, quod in veritate Ebraica desideratur. ¶ *Quam illis*] hospitibus tuis. ¶ *Institerunt viro Loto*] Lxx. παρεβιάζοντο τὸν ἄνδρα τὸν Λώτ. Hiero. *vim faciebant Lot*. באיש בלוט ex elegantiis linguæ Sanctæ, ut si Latine dicas, *in virum in Lotum*. Sic alibi לבנו ליצחק τῷ υἱῷ αὐτοῦ τῷ Ἰσαάκ. פצר alibi est verbis instare & oratione urgere: hic potius vim quæ factis fit denotare videtur. Fortasse vi arcebant illum ab ostio. ¶ *Valde*] *vehementissime*. Hiero. ¶ *Accesserunt ad frangendum januam*] Lxx. ἤγγισαν συντρίψαι τὴν θύραν. Hiero. *prope erat ut effringerent fores*. Onkelos & Jonathan, *appropinquarunt ad effringendum ostium*.

10. *Et emiserunt viri illi manum suam, & reduxerunt Lotum ad se in domum, & januam clauserunt.*

Emiserunt] extra ostium i. extenderunt ut Gen. 8. 9. emisit manum suam & recepit eam. Lxx. utrobique usi sunt verbo ἐκτείνω & ambo Chaldæi verbo אושיט extendo, protendo. Mercerus, *manu injecta retraxerunt Lotum*. ¶ *Viri illi*] angeli. ¶ *Reduxerunt*] retraxerunt, introduxerunt. הביא adduco & reduco, ut קום surgo & resurgo. Lxx. εἰσεσπάσαντο, attraxerunt. In Justino ἐπίασαν, prehenderunt. Hiero. *introduxerunt*.

11. *Viros autem illos qui erant ad ostium domus percusserunt cacitatibus à minimo usque ad maximum, adeo ut laborarent invenire ostium.*

Viros autem illos] Sodomitas. ¶ *Qui erant ad ostium domus*] τοὺς ὄντας ἐπὶ τῆς θύρας τοῦ οἴκου. Lxx. *qui foris erant*. Hiero. *qui erant in ostio domus*. On. & Jon. בתרע in ostio i. circa ostium; ita Fagius & sententia poscit. Nam janua clausa erat. ¶ *Cacitatibus*] בסנורים Hiero. *Cacitate*. Lxx. ἐν ἀορασίᾳ, in cæcitate, *sed magis*, inquit August. Quæst. 43. *sig. si dici possit, avidentia, qua faciat non videri, non omnia, sed quod non opus est*. Nic. *Percusserunt eos cacitate*) *non totaliter, sed quia non videbant ea qua quarebant & volebant videre*. Vocatur talis cæcitas ἀκρισία ab α quod est sine & κρίσις judicium. On. בשברירא quod reddunt, *cacitate*: malim, *cacitatibus*. Nam est nomen plurale. Lex. Munsteri שברירא cæcitas. שבריר radius. Mercerus שברירא *sunt quasi radii seu irradiationes, cum quis immodica luce offuscatur, ut ejus oculis velut radii objiciantur, qui ejus oculorum aciem prapediant*. Glossa in tractatum Thalmudicum de cultu extraneo, שברירי dæmon, qui præest cæcitatibus fol. 12. pag. 2. Jon. בחוורווריא quo significari putarim vitium illud oculorum quando albugines visum impediunt. Sane חור albus. Albugines voco quæ Græci λευκώματα appellitant. Autor Jeros. בחרוריא. Munsteri λέξις חַוָּר cæcitas. Trem. *Scotomate*, i. vertigine oculorum. Sunt qui tradant à Plinio etiam dici *obscuritates oculorum*. Gallica *d'esblouissement* i. caligine oculorum, caligatione aut scotomia. Abenezra *tenebra oculorum & cordis*. סנוור potius obscuritas. ¶ *A parvo ad magnum*] tam parvos quam magnos. Hiero. *à minimo usque ad maximum*. ¶ *Adeo ut laborarent*] וילאו & laborarunt, fatigati sunt. Hiero. *ita ut ostium invenire non possent*. Sensum expressit, non verba. *Laboraverunt invenire*, ita dicitur ut *laboravit amari ab eo*: quod in Plinio extat Epist. 10. ¶ *Invenire*] vel, *ad inveniendum*, aut *ut invenirent*.

12. *Et dixerunt viri illi Loto, Quis adhuc tibi hic est? generum & filios tuos & filias tuas & omnes qui tibi sunt in urbe educ ex loco isto.*

Quis

Quis adhuc tibi hic est?] עוד מי לך פה *adhuc quis tibi hic est.* i. tuorum. Quod indicat Hiero. ita referens, *Habes hic quempiam tuorum?* Jon. *Quis tibi in urbe propinquus aut frater hic?* Quis i. מן quod minus recte scribunt מאן de quo mendo nos Elias admonuit. *Ubicunque*, inquit, *scriptum* מאן *per Aleph error est.* Idem interpres pro עוד edidit תו, rursum, denuo, iterum; adhuc amplius, לו, quod & עוד in lingua Magistrorum. On. מן Fagius interpretatur *quoscunque.* In Lex. Chald. מן quis. Ergo idem quod מי. Saepe tamen pro מה ponitur i. quid. ❡ *Adhuc*] amplius, praeterea. ❡ *Generum & filios tuos &c.*] Hiero. *generum aut filios aut filias.* Recentior interpres, *sive gener sive filii tui sive filiae.* ❡ *Generum*] i. Generos; γαμβρὸς. Chaldaicum חתנך ambiguum est. Tam enim potest reddi generos tuos, quam generum tuum. Sic עבדך servum tuum & servos tuos. Lxx. εἰσί σοι ὧδε γαμβροὶ ἢ υἱοὶ ἢ θυγατέρες; suntne tibi hic generi aut filii aut filiae? ❡ *Filios tuos*] si habes. Nam ut homines nesciunt, quod angeli bene sciebant. Sunt qui exponant *filios tuos* nepotes tuos. Nam ex vers. 15. colligunt ipsum alias praeterea filias habuisse qui ibi obierant. ❡ *Omnes qui tibi sunt*] omnes tuos sive qui ad te spectant. Hiero. *omnes qui tui sunt.* Alius, *quicunque tibi juncti sunt.*

13. *Quia perdimus nos locum istum, quia magnus est clamor eorum apud DOMINVM: itaque dimisit nos DOMINVS ad perdendum eum.*

Perdimus] משחתים perdimus i. perdemus aut perdituri sumus, aut perditum imus, ut hic pro futuro, ita praesens pro praeterito ponitur in illo Manilii,

Dum quaerimus aevum,
Perdimus. & in Laberii,
Porro Quirites libertatem perdimus.

Hiero. *delebimus.* Lxx. ἀπόλλυμεν. ❡ *Locum istum*] urbem istam. ❡ *Magnus est*] גדלה magnus evasit, crevit. Lxx. ὑψώθη: sublatus est. Sic הרים & הגדיל se mutuo explicant. הגדיל עקב extulit calcem: הרים אולת magnam designans stultitiam. ❡ *Apud DOMINVM*] את פני יהוה cum facie DOMINI, i. apud DOMINUM, aut coram DOMINO. Hoc elegerunt interpretes, Hiero. On. & Jon. etiam Lxx. ἐναντίον κυρίου. Apud Davidem את פניו cum vultu ejus i. apud vultum ejus. ❡ *Ad perdendum eam*] constructio sensu tantum congrua. Nomen enim מקום quod praecedit masculinum est. ❡ *Dimisit nos*] ἀπέστειλεν ἡμᾶς. Hiero. *misit nos.* Hinc argumentum erues contra eos qui dicunt unum missum fuisse ad eripiendum Lotum, & alterum ad perdendum Sodomam, cum uterque dicat se dimissum ad perdendum eam.

14. *Et egressus Lot locutus est ad generos suos qui acceperant filias suas & dixit, Surgite, egredimini ex loco isto quia perdit DOMINVS urbem: & fuit tanquam jocans in oculis generorum suorum.*

Qui acceperant filias suas] ita Santes. Graeci quoque, τοὺς εἰληφότας τὰς θυγατέρας αὐτοῦ. Plures ergo filias habuit. Quod sentit Abenez. & credibile videtur. Alii, *qui accepturi erant filias suas.* Sic sane Hiero. Sed & Trem. & interpretes Galli. Ebraice לקחי בנתיו *accipientes filias ejus.* Notum ut participium praesens pro praeterito accipiatur. Dico pro praet. tam perfecto, ut *libertatem perdimus:* quam imperfecto ut hic. Sed & pro paulo post fut. sumitur. Ergo recentior interpres, *qui brevi fuerant ducturi filias suas.* Locus ergo plane ambiguus. Neque ego hic quicquam statuo. Maneat cuique liberum judicium suum. Supra *educ filios tuos.* R. Salo. ad h. l. *filios filiarum tuarum quae nuptae erant.* Idem paulo post, *duas filias habebat nuptas in urbe.* Et mox, *qui ducturi erant filias ejus, quibus desponsae erant duae filiae quae domi manebant.* Si recte capio, subaudienda copula, ut dicat, locutus est ad generos suos & ad eos qui ducturi erant filias adhuc innuptas. Abenez. *Duas praeterea filias habuerat, quae in Sodomis obierant. Testis mihi hujus rei participium* הנמצאת *quod in versu proximo sequente.* Haec omnia incerta sunt. Quod temere affirmatur, temere negari potest. Moses Gerund. *Rectum est ut dicamus ipsum habuisse filios grandiusculos qui uxores duxerant. Prius autem locutus est cum generis suis, quod existimaret filios facile sibi assensuros & obtemperaturos. Interea dum ipsum ridere & jocari putant generi, exorta fuit aurora & angeli non permiserunt ipsum alios educere quam qui praesentes erant.* Et haec incerta. Videatur nunc Mercerus, cujus viri judicium, ut par est, facio plurimi. Pro corollario addam locum Hiero. ex Quaest. Ebraicis, *Quia postea duae filiae Lot virgines fuisse dicuntur &c. & nunc Scriptura commemorat eum habuisse generos, nonnulli arbitrantur illas quae viros habuerunt, in Sodomis remansisse, & eas exisse cum patre quae virgines fuerunt. Quod cum Scriptura non dicat, Ebraea veritas exponenda est, in qua scribitur, egressus est Lot & locutus est ad sponsos, qui accepturi erant filias ejus. Nondum igitur virgines filiae matrimonio fuerant copulatae.* Chrysostomus etiam Graecam versionem hic accommodat, ita scribens, *Mos iste veteribus erat ante multum tempus sponsalia facere; saepe item & cohabitare desponsatis, & simul cum parentibus conversari, id quod & nunc saepe fieri solet. Quia igitur jam desponsatio erat facta, ideo vocat eos generos suos. Et dixit qui acceperant filias suas, proposito videl. & compromissione.* Ceterum quod Hiero. ait in Ebraica veritate esse, *locutus est ad sponsos &c.* id mihi non persuadet. Nam in fonte חתניו quod reddi debet generos suos, non sponsos suos. Alioqui dixisset, *sponsos filiarum suarum.* Intelligens intelligit quid velim. ❡ *Acceperant*] duxerant. ❡ *Perdit*] perditum it sive perdet brevi. ❡ *Et fuit ut jocans in oculis generorum suorum*] Hiero. *& visus est eis quasi ludens loqui.* Lxx. ἔδοξε δὲ γελοιάζειν ἐναντίον τῶν γαμβρῶν αὐτοῦ: Visus autem est jocari coram generis suis. Γελοιάζω jocor, ridicula vel jocosa dico. Ebraice כמצחק tanquam ridens vel ludens aut jocans. Recentior editio, *habitus fuit tanquam jocabundus.* On. כמחאיך i. Fagio interpretante, *tanquam ludens.* Lex. Chaldaicum חיך lusit, adde, si places, jocatus est. In Benoni חאיך pro quo nunc est חייך Joth in Aleph versa. Jon. כגבר גחיך sicut vir ludens aut jocans.

15. *Quum autem aurora ascenderet, urgebant angeli Lotum dicendo, Surge, accipe uxorem tuam, & duas filias tuas repertas hic, ne consummaris in iniquitate civitatis.*

Quum autem aurora ascenderet] כמו שחר עלה sicut aurora ascendebat. i. quando adscendebat. Hiero. *Cumque esset mane.* Lxx. ἡνίκα δὲ ὄρθρος ἐγίνετο. Santes, *& cum aurora ascendisset.* Ab ascensu aurorae usque ad ortum solem, ut Ebraei censent, quatuor miliaria confici possunt. Ceterum R. Jona Hispanus, negat recte dici כמו עלה. Eum merito reprehendit Abenez. cum inveniatur כמו רגע. Sit ergo ratum כמו tam verbis quam nominibus jungi. Hic שחר aurora interjicitur. ❡ *Urgebant*] ויאיצו & festinare faciebant, seu festinantem faciebant, ut Plautus dixit, *qui me flentem facit.* אץ festinus differt à מהיר quia semper in vitio ponitur, ideo exponitur ab aliis praeceps. Hinc האיץ unde futurum, יאיץ quod hic reddunt, urgebant, instabant. Lxx. ἐπεσπούδαζον. Hiero. *cogebant.* Santes, *vim faciebant.* On. & Jon. ודחיקו urgebant, impellebant. Mercerus *arctarunt, institerunt, urserunt.* Gallica editio, *presserent.* Abenez. ממהרין ut Exod. 5. 8. והנגשים אצים ubi Hiero. *instabant:* alii, *urgebant.* ❡ *Surge*] è lecto: vel, agedum. ❡ *Repertas hic*] הנמצאת quae inveniuntur i. quae sunt hic praesentes. Lxx. ἃς ἔχεις: quos aemulatus est, ut saepe alias, Hiero. Nam vertit, *quas habes.* On. *quae inventa sunt fideles* (aut fidae) *esse tecum.* Jon. *quae inveniuntur apud te.* Tremel. *praesentes.* Quae inveniuntur apud te i. quae sunt apud te, ut Esther 1. 5. *qui inveniebantur in Susan* i. erant. ❡ *In iniquitate*] propter iniquitatem, vel, in poena iniquitatis. Lxx. ἵνα μὴ καὶ σὺ συναπόλῃ ταῖς ἀνομίαις τῆς πόλεως: ne & tu perdaris simul cum iniquitatibus urbis. Hiero. *ne tu pariter pereas in scelere civitatis.* On. *in peccatis urbis.* Jon. *in peccatis incolarum urbis.* Trem. *in poena hujus civitatis.* עון poena iniquitatis, ut supra 4. 13. Santes, *in punitione.* Sic etiam Gallici interpretes. ❡ *Consummaris*] vel, *perdaris.* Hiero. *pereas.* On. *luas.* Jon. *excindaris.* Santes quoque *pereas.* i. תאבד.

16. *Et cunctabatur & apprehendebant viri illi manum ejus & manum uxoris ejus, & manum duarum filiarum ejus pro indulgentia DOMINI in eum, & eduxerunt eum & collocarunt eum extra urbem.*

Et cunctabatur & apprehendebant] vel, *Cum autem cunctaretur, apprehendebant.* Sed quare cunctabatur? An quod ei grave esset relinquere locum in quo tot annos commoratus fuerat? Aut forte bona aut facultates suas una eripere satagebat & in eo moram trahebat? Sunt qui putant expectasse generos, quorum memoria usurpatur in jam dictis. ❡ *Cunctabatur*] moram faciebat. Ebraice ויתמהמה. Hiero. h. l. *dissimulante eo.* Trem. *Cunctabatur autem.* Lxx. ἐταράχθησαν turbati sunt. Apud Ambrosium, *tum adhuc morabatur Lot.* Porro autem hoc verbum filius Ephraim deducit à particula מה quod illi qui moram nectunt dicere soleant מה מה quid quod? Id verum non videtur, quia in מְהֵה utrumque ה educitur per mappic. ❡ *Apprehendebant*] vel, *apprehenderunt.* Ita Hiero. Sed & Lxx. ἐκράτησαν, tenuerunt, prehenderunt. Verbum Ebraeum sig. firmiter aliquid tenere aut prehendere. Recentior editio, *quapropter prehenderunt.* ❡ *Pro indulgentia DOMINI in eum*] בחמלת יהוה עליו verto, *pro indulgentia DOMINI*, ut alibi apud Davidem כחסדך reddunt, prob-

nigni-

nignitate tua. Licet etiam vertere, *quum parceret DOMINVS ei*, ut sit nomen pro gerundio. Quod secuti videntur interpretes. Nam Lxx. ἐν τῷ φείσασθαι κύριον αὐτοῦ: & Hiero. eo quod parceret DOMINUS illi: & alius, *eo quod clementer amplectebatur illum.* On. quoque כרחם ײ עלוהי quod Fagius interpretatur, *eo quod parceret ei*: malim, quum parceret ei. Siquidem כּ quum, quando, significat. Jon. *quando clementia à coram DOMINO erat coram illo.* ❡ *Indulgentia*] vel, *clementia.* חֶמְלַת alii reddunt, *ignoscentia.* nam parcentia, quod in quibusdam Lexicis, Latinum non est. ❡ *In eum*] ergo eum. Ad verb. *super eum.* Dicimus autem, *indulgentem esse in aliquem*, ideo prætuli *in eum.* ❡ *Collocarunt eum*] וַיַּנִּחֻהוּ Hiero. *& posuerunt eum.* Alius, *& reliquerunt.* Gen. 2. 15. וַיַּנִּחֵהוּ Lxx. καὶ ἔθετο. Hiero. *& posuit.* Trem. *collocavit.* Gall. edit. *& le colloca* i. collocavit. Eadem h. l. habet, *& le mirent.* i. posuerunt. Quid si *& posuerunt & reliquerunt*? Sane Mercerus in loco Geneseos citato *& posuit & reliquit.* Unum per duo.

17. *Cumque eduxissent ipsi eos foras, dixit unus, Evade pro anima tua, ne respicias post te, & ne consistas in tota planitie, in montem evade ne consumaris.*

Cum eduxissent eos foras] ἡνίκα ἐξήγαγον αὐτοὺς ἔξω. Quidam *cum educerent.* On. *cum eduxisset eos.* Scire licet in Ebræo esse הוציאם cum pronomine masculino plurali, *cum eduxissent ipsi*, nempe angeli. Ambo igitur eduxerunt Lotum, etsi unus tantum dixerit quæ mox consequuntur. ❡ *Dixit unus*] dictio *unus* non est in fonte. Nos adjecimus lucis caussa. Nam verbum singulare, quod in Ebræo, arguit hæc ab uno tantum dicta esse. Quanquam in Lxx. καὶ εἶπαν & dixerunt: Et in Hiero. *ibique locuti sunt ad eum.* Jon. *alter eorum rediit Sodomam ad perdendum eam, alter remansit apud Lotum & dixit ei.* R. Salo. *Unus eorum missus erat ad liberandum Lot, & alter ad evertendum Sodomam: ideo scriptum lectum, & dixit, Evade, & non, dixerunt.* ❡ *Evade pro anima tua*] המלט על נפשך Lxx. σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν. Hiero. *Salva animam tuam.* i. אצל On. & Jon. חוס על נפשך parce animæ tuæ. Santes, *erue te in anima tua.* Sic alibi, *erue me ab inimicis meis.* Quod Valla negat Latine dici. *Nam hoc verbo*, inquit, *nisi in malam partem uti non solemus, ut erue oculos meos.* Malim igitur, *eripe me.* Trem. *eripe te quod ad vitam tuam.* Gall. edit. *sauve ta vie*, serva vitam tuam i. מלט את נפשך, Libera animam tuam. Notum est ut anima pro vita ponatur: unde animam adimere dicitur, qui vitam adimit, & animam occidere qui vita aliquem privat. Consule libellos meos. ❡ *Evade*] eripe te, liberare. ❡ *Pro anima tua*] על נפשך est quod Galli dicunt, *sur ta vie.* Nos Belgæ diceremus, **Soo lief als gy u leven hebt.** q. d. actum est de vita tua, nisi te eripueris in tempore. R. Salo. *Sufficiat tibi quod liberes animas, noli de bonis tuis sollicitus esse, ne parcas pecuniæ tuæ aut divitiis tuis.* ❡ *Post te*] εἰς τὰ ὀπίσω. Lxx. *post tergum.* Hiero. לאחורך, On. & Jon. Id autor Catenæ reddit, *post tergum tuum*: Fagius vero, *post te.* Hinc forte illud, *Nemo retro respiciens aptus est regno Dei.* Videtur autem hoc ei præceptum cum ob alia, tum ne respiciendo videret excidium urbis qua excesserat & ubi omnia sua reliquerat. ❡ *Ne consistas*] אל תעמד ne stes i. maneas. Quod On. & Jon. dixerunt לא תתעכב. Lxx. μὴ στῇς. Hiero. *ne stes.* Gallici interpretes *ne t' arreste*: ne restita, ne siste gradum, ne moram fac in hac planitie. ❡ *In tota planitie*] valet ut si diceret, in ullo loco planitiei. Quod Galli dicerent, *en aucun endroit de la plaine.* Sic sane referunt interpretes è Sabaudia. Intelligit autem planitiem Jordanis, in qua sita erat Pentapolis: h. e. quinque urbes quæ cœlesti igne conflagrarunt, excepta Segor, quæ ad preces Loti servata fuit. Lxx. ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ in omni circum regione, sive, ut Hiero. habet, *in omni circa regione.* Regio circa i. circumvicina, ut *hostes circa*, quod alibi laudamus ex Livio. Quidam *in tota hac planitie.* ❡ *In montem*] הָהָרָה dixit pro אל ההר εἰς τὸ ὄρος. Et *in montem*, h. e. in montes sive in montana. ❡ *Evade*] Lxx. σώζου servare, i. servate, pro quo Hiero. *Salvum te fac.* ❡ *Ne consumaris*] Hiero. *ne tu simul pereas.* Lxx. μήποτε συμπαραληφθῇς: ne quando simul comprehendaris cum aliis & eodem exitio involvaris. Interpres Rom. *ne forte simul comprehendaris.* פן ne quando. Chaldaice דלמא ne forte.

18. *Dixitque Lot eis, Ne quaso Domine.*

19. *Ecce nunc invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, & magnificasti benignitatem tuam, quam fecisti mecum ut vivificares animam meam: & ego non potero evadere in montem, ne quando adhæreat mihi malum & moriar.*

Eis] אלהם ad eos. Nam cum duo essent & unus tantum loqueretur, promiscue utitur nunc numero multitudinis, nunc unitatis numero. ❡ *Ne quaso Domine*] Lxx. δέομαι κύριε: precor Domine. Hiero. *quaso Domine mi.* On. *Obsecro nunc Domine mi.* Jon. *Quaso te, expecta mihi horam parvam donec quæsiverim miserationes à conspectu Domini.* Autor Jerosol. *Expectate hic parum aliquantum donec quæsiverimus miserationem coram DOMINO.* Santes, *ne nunc Domini mei.* Antea monui, אדני quando est nomen sacrum, tum reddi debet *Domine*: quando autem est nomen profanum, tum reddi potest vel *Domine mi* singulariter, vel, *Domini mei* pluraliter. Ergo Tremellius edidit, *ne quaso Domini mei*, cum Sante concordans. Gallici interpretes, *non, Seigneur, je te prie.* Non, Domine, quæso te. Difficile est statuere quid potissimum sequendum sit: Nam dictio אֲלֵהֶם favet iis qui vertunt, *Domini mei*: sequentia vero faciunt pro iis qui legunt, *Domine mi*, aut *Domine* simpliciter, ut in angelo Deum loquentem agnoverit. Quod superest, defecta oratio est, *Ne quaso Domine.* Nam deest quippiam. Supra dixerat, *evade in montem*, quod exposuimus in montes vel in montana. Sed potest etiam exponi, *in montem illum*, ut certum aliquem montem designet, qui non procul inde abfuerit. Ad hoc respondet Lot, *ne quaso, Domine*, ita fiat, noli mihi hoc imponere ut cogar ad montem ire. Vide seqq. ❡ *Ecce nunc invenit servus tuus*] quidam hunc locum ita distinguunt, *Ecce, nunc invenit &c.* Sic interpretes Gallici, quibus adversatur ratio accentuum apud Ebræos. Nam dictio quæ sig. *ecce* cum sequenti per maccaph (ὑφὲν Græci vocant) copulatur. ❡ *Invenit gratiam*) Lxx. εὗρεν ἔλεος: invenit misericordiam. Nove interpretantur חן ἔλεος. Quod eo libentius annoto, quia etiam On. & Jon. hic habent רחמין i. miserationes. Interpres Onk. Fagius, *Ecce nunc invenit servus tuus misericordiam coram te.* Contra חסד quod ἔλεος i. *misericordiam* reddunt, in lingua Syra sign. etiam חן i. gratiam; unde apud Salomonem in libro Proverbiorum יעלת חסדא caprea gratiæ i. gratiosa. ❡ *Servus tuus*] ὁ παῖς σου. ❡ *In oculis tuis*] ἐναντίον σου: ex quo Hiero. *Coram te.* Chaldæi quoque legunt קדמך, quod sonat, coram te. Latine potius diceremus, Ecce nunc servus tuus gratia valet sive in gratia est apud te, favorem & gratiam adeptus est &c. ❡ *Magnificasti benignitatem tuam*] Lxx. ἐμεγάλυνας τὴν δικαιοσύνην σου; quod interpretantur, *magnificasti justitiam tuam.* Nec aliud verba Græca sonant. Scilicet justitiam poni pro benignitate. Quod pridem à me notatum fuit. Sic dico, חסד & צדקה se invicem explicant. Utrumque pro eleemosyna sumitur interdum. Hiero. *magnificasti misericordiam tuam.* חסד antiqua declaratione fere semper misericordia i. ἔλεος. Quanquam hic Græci variant. On. & Jon. אסגיתא טיבותך, amplificasti bonitatem tuam. Fagius reddit, *multiplicasti*, cum סגי etiam pro magno usurpetur. Sæpius tamen sig. multum. Sic alibi סגיאות טובך, *magnitudo bonitatis tuæ.* Nam in fonte גדל חסדך i. magnitudo, amplitudo. ❡ *Quam fecisti mecum*] qua usus es erga me. Trem. *quam exercuisti erga me.* Nomen חסד Galli reddunt *gratuité*, quasi tu dicas *gratuitas* i. gratuita benignitas, aut gratuitum beneficium, quod in me contulisti. חסד beneficium etiam Mercerus interpretatur. ❡ *Ut vivificares animam meam*) ut servares vitam aut salutem meam. Non male etiam vertes, *vivificando animam meam* i. salvum & incolumem me conservando & communi periculo eximendo. Vivere interdum valet salvum esse, ut cum dicimus, *Rex in perpetuum vive.* Sic dicimus *vivat rex* pro sit salvus & incolumis. Hinc etiam *Ave*, quod rectius scribitur *Have.* Nam sig. vive, & usurpant pro eo quod Latini dicunt *salve.* Ergo vivificare est vitæ ac saluti alicujus consulere: unde & pro nutrire ponitur, quia qui nutrit aliquem, vitam ejus conservat, quæ sine nutrimento diu subsistere nequit. Ceterum Lxx. hic habent τοῦ ζῆν τὴν ψυχήν μου ut vivat anima mea: pro quo in scholiis τοῦ ζωῶσαι: ad vivificandum. Hoc scholion unde sumptum sit, non est obscurum. Sane Habac. 3. 2. חַיֵּהוּ Aquila reddit ζώωσον αὐτό, vivifica illud. Theod. ζώωσον αὐτόν, vivifica illum & Sym. ἀναζώωσον. ❡ *Evadere*] להמלט διασωθῆναι Lxx. *Salvari.* Hiero. לאשתזבא liberari, On. & Jon. ❡ *Ne quando adhæreat mihi*] Lxx. μή ποτε καταλάβῃ με, ne quando comprehendant me. Nam sequitur τὰ κακά. Hiero. *ne forte apprehendat me.* On. & Jon. *ne accidat aut eveniat mihi malum.* ❡ *Malum*] Quidam, *malum hoc.* ❡ *Et moriar*] καὶ ἀποθάνω. Quod fugit non effugit. אל נא quod On. & Jon. reddunt, obsecro nunc, Samuel Hispanus, referente Abenez. putat decurtatum esse ex הואיל q. d. velis nunc, & est particula blandientis & deprecantis. Itaque Græci hic legunt δέομαι κύριε. In אדני autem dictus Abenez. censet camets esse propter pausam, cum sit nomen profanum. Vide illum, si placet. Contra R. Salo. *Doctores nostri*, inquit, *dixerunt nomen hoc sacrum esse, quia sequitur ut vivificares animam meam. Nam in Dei solius manu est occidere & vivificare.* Hoc argumentum leve est. Nam ut verum sit Deum solum servare, tamen Apostoli vocantur ser-

vito-

vatores, & legimus 1. Tim. 4. 16. *Hæc si feceris, & te ipsum servabis & eos qui audiunt te.* Sic Angeli supra, *perdimus civitatem:* quod tamen opus unius Dei est.

20. *Ecce sane urbs hæc propinqua ad fugiendum illuc, & est parva: evadam sane illuc, nonne parva est? & vivat anima mea.*

Urbs hæc] hoc gestu juvandum. Nam demonstrabat eam cum hoc diceret. ¶ *Propinqua*] קְרֹבָה propinqua. Lxx. ἐγγὺς & Hiero. *juxta.* i. prope. Jon. *propinqua est ejus habitatio.* Vide, si otium est, notas Jarii Ebræi. ¶ *Ad fugiendum illuc*] Lxx. τοῦ καταφυγεῖν με ἐκεῖ. Hiero. *ad quam possum fugere.* ¶ *Et est parva*] Ebraice, מִצְעָר quod est nomen adjectivum communis generis quale הרבה multum. ita Mercerus. Aliter paulo R. Abraham מצער inquit, i. קטנה *parva & est nomen adjectivum absque signo fœminino, quale* שאר. Ut ut sit, Lxx. referunt μικρά & On. זעירא & Hiero. *parva, modica,* & Gallici interpretes *petite.* Unus Jon. habet זעור modicum i. res modica & parva, ut noster Trem. *res perexigua.* זעור obvium Hos. 1. 4. Ruth. 2. 6. & Jes. 10. ubi ero in Ebræo i. parum, pusillum, modicum. Addit Jon. *& levia sunt peccata ejus.* ¶ *Evadam sane illuc*] Lxx. καὶ ἐκεῖ διασωθήσομαι. Hiero. *& salvabor in ea.* i. נא. Alius, *eripiam me quæso illuc* q. d. sine ut me illuc eripiam. ¶ *Nonne parva est?*] vel, *nonne res exigua est?* In edit. Græca οὐ μικρά ἐστι: quod pronunciatione juvandum. Sed exemplaria variant. Nam in quibusdam addita interrogatio, ut in edit. Ro. quam Sixtus V. vulgavit: in aliis abest nota interrogationis, qua sine & Philo legisse videtur. Nam ait in libro de Abraham, μικρὰν καὶ οὐ μικρὰν τὴν πόλιν ταύτην οἱ χρησμοὶ διαγορεύουσιν: parvam & non parvam civitatem hanc oracula statuunt. Videndus Origenes Hom. 5. ubi explicat quando Segor dicatur pusilla & non pusilla, cum in fonte nulla sit ambiguitas. Ita sæpe viri docti se torquent in versione corrupta. Ante omnia ergo videndum an locus bene versus sit. Nam si parva est interpretatio, corruit quicquid ad eam explicandum aut illustrandum adfertur. ¶ *Vivat anima mea*] vel, *vivet anima mea.* καὶ ζήσεται ἡ ψυχή μου. Senes addiderunt de suo ἕνεκέν σε: propter te. Quo in loco Compluten. editio etiam interrogationem habet.

21. *Et dixit ei, Ecce suscepi faciem tuam etiam in hac re, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.*

Et dixit] angelus. ¶ *Ecce suscepi faciem tuam*] Lxx. ἰδοὺ ἐθαύμασά σε τὸ πρόσωπον: ecce admiratus sum faciem tuam: alias, *suspexi, reveritus sum.* Hiero. *ecce etiam in hoc suscepi preces tuas.* On. & Jon. *ecce suscepi faciem tuam etiam in hac re.* Trem. *ecce rationem habeo tui etiam in hac re.* alius, *etiam in hac re tibi indulgebo.* Gall. edit. *Voici, je t'ay aussi exaucé en ce fait icy.* Sunt qui putant hanc locutionem sumptam esse à consuetudine principum orientalium qui faciem levare jubebant eos, quibus favorem suum impartiebant, cum prostrati ante se jacerent. Si verum hoc, melius redditur, *sustuli faciem tuam.* Nam suscipere potius לקח dicitur. ¶ *In hac re*] לדבר הזה in verbo hoc. Notum ut verbum pro re ponatur. Hunc Ebraismum servant Chaldæi. Lamed autem hic valet ב i. in: nisi malis, *pro hac re.* Sic alibi לפצעי pro vulnere meo. Lxx. ἐπὶ τῷ ῥήματι τούτῳ. Ambo Chaldæi לפתגמא הדין. ¶ *Pro qua locutus es*] vel, *de qua locutus es.* Illud Hiero. hoc Lxx. habent. Græce enim est περὶ ἧς ἐλάλησας. Ebraice אשר דברת quod non nemo reddit, *quam dixisti.* Nam דבר & אמר se mutuo explicant. On. *pro qua rogasti.* Jon. *pro qua locutus es ut eriperes eam.* Gall. edit. *de la quelle tu as parlé:* de qua locutus es. Nihil variat ab edit. τῶν ο.

22. *Festina, evade illuc, non enim potero facere quicquam donec tu veneris illuc: propterea vocavit nomen urbis Soar.*

Festina] propera, accelera. R. Salo. השמטה לשון ut si dicas elabere. Vulg. אשמונשיר *esmouceser.* Forte legendum אשקולר *escouler.* On. & Jon. אוחי, unde latinum *ocyus.* Lxx. σπεῦσον. Hiero. *festina.* ¶ *Evade illuc*] eripe te tendendo aut fugiendo illuc. ¶ *Non enim potero facere quicquam*] Lxx. οὐ γὰρ δυνήσομαι ποιῆσαι πρᾶγμα i. rem ullam. Nam est דבר in Ebræo, quod Hiero. reddit *quicquam,* & bene ita reddit. On. פתגם verbum. Jon. מדעם quicquam, & intellige, *de eversione Sodomæ.* ¶ *Vocavit*] quis vocavit? haut dubie vocans. Docte Hiero. *vocatum fuit.* Sic alibi *reputavit* pro reputatum fuit: *nunciavit Davidi* pro nunciatum fuit. Etiam Latini sic quandoque loquuntur. Exempla produximus in libellis nostris. ¶ *Soar*] צוער quod nunc scribunt Tsoar. Antea Bale dicebatur. Ceterum in Jon. est זוער unde Zoar & Zoara, Sade in Zai versa. Græce est σηγώρ & in Hiero. Segor. Nam antiqua consuetudo quandoque γ. loco ע usurpat. Pro exemplo sint, Raguel, Gaza & alia non pauca. Reperio & Zochora, nisi mendum in libris. Nam forte Zogora legendum. Verba Hiero. an Eusebii in libro locorum, *Zochora in Jeremia civitas Moabitarum. Hæc est quæ nunc vocatur Zoara sive Segor, una de quinque civitatibus Sodomorum.* Zoara vocat Josephus de bello Judaico lib. 5. cap. 5. Ζογορά extat Gen. 13. 10. in edit Græca. Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebraicis, *Soar lingua Syriaca Zoara i. parva dicitur.* Glossarius Philonis, *Segor, parva: ipsa est quæ & supra Seor. Sed sciendum quia litteram g. in medio non habeat, scribitur apud Ebræos per vocalem Ain.* Josephus lib. 1. cap. 12. Antiquitatum; Ζωὼρ δὲ καὶ νῦν λέγεται. Καλοῦσι γὰρ οὕτως ἑβραῖοι τὸ ὀλίγον. Verum etymon, & hinc petitum. Nam quia Lot dixerat parvam, aut ut alii, rem exiguam esse, ideo postea vocata fuit Soar. Nec refert per Sade hoc nomen scribas an per Zai. Nam etiam Ebræi זער usitant hoc sensu: unde זְעֵיר Jes. 29. i. modicum, quod hic צְעִיר per Sade.

23. *Sol egrediebatur super terram & Lot venit Soarem.*

Sol egrediebatur super terram &c.] vel, *Sol egressus erat super terram, cum Lot pervenisset Soaram.* Lxx. ὁ ἥλιος ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν γῆν i. sole orto. Nam est יָצָא in Ebræo. Recentior edit. *Sole oriente* i. יָצָא. Sic etiam Gall. *comme le soleil se levoit.* Jon. *Sol transiverat mare & egressus erat super terram.* Hic nobis יָצָא dici de sole oriente, tum etiam illud, *egredi super terram,* & *oriri* synonyma esse. ¶ *Et Lot venit Soarem*] Hiero. *ingressus est Segor.* Lxx. εἰσῆλθεν εἰς σηγώρ. Jon. *post tres horas Lot intravit Soaram.* צֹעֲרָה idem cum צֹעַר pro quo in Jon. לזוער, Zoeram.

24. *Tunc DOMINUS pluit super Sodomam & super Gomorram sulphur & ignem à DOMINO è cælo.*

DOMINUS] *sermo DOMINI.* Jon. ¶ *Pluit*] המטיר *pluit.* ita Hiero. & Santes, & bene, meo judicio: neque recte corrigunt *pluere fecit.* Nam etiam de nubibus dicitur Jes. 5. 7. *& nubibus mandabo ne pluant super eum pluviam.* Hic est מהמטיר in fonte, quod nemo sanus vertendum dicet, *ne pluere faciant.* Nam nubes non faciunt pluere. Ceterum Deus pluere dicitur quia est autor pluviæ. Aliter nubes pluunt. Ut Deus, ita natura quoque pluit. Recte igitur Græci vertunt ἔβρεξεν. Sic Gen. 2. 5. המטיר idem habent ἔβρεξεν & Hiero. *pluerat.* Santes vero *pluere fecit.* Cur hic ita, & alibi aliter vertit? Amos 4. 7. המטרתי Hiero. *& plui:* Lxx. καὶ βρέξω: pluam. Santes, *faciam pluere.* Job. 20. 23. ימטר Sym. βρέξει. Hiero. *pluet.* *Pluit sulphur & ignem,* Trem. reddidit, *dimisit pluviam sulphuris & ignis.* Salva quidem sententia, sed qui velit המטיר semper reddere, *dimisit pluviam,* hærebit in loco quem ex Jesaia supra produximus. Simplicissimum est ut vertamus, *& pluit,* quod tam Deo quam nubibus convenit. ¶ *Super Sodomam & super Gomorram,*] adde, *& super Adamam & super Zeboim,* ex Deut. 29. 23. Nam omnes quatuor simul conflagrarunt. ¶ *Sulphur & ignem*] Sulphuri admixtum erat sal. Quare sal? An ad sterilitatem terræ conciliandum? videtur. Sulphur autem ignem, qui natura levis est, & sursum fertur, gravitate sua in terram deprimit. Obiter observo. Apud interpretem nostrum Deut. 29. 23. ubi vulgo, *sulphure & Solis ardore comburens,* legi debet & *salis ardore.* Nam est מֶלַח in fonte. ¶ *A DOMINO*] מאת יהוה Lxx. παρὰ κυρίου. On. *à coram DOMINO.* Jon. *à coram sermone DOMINI.* *A DOMINO* pro eo habendum ut si diceret *à se* i. מאתו. Tale est, *Et dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM* pro ad me. Sic in Lamentationibus Jeremiæ, *excindes eos de sub cælis DOMINI* i. tuis. Exemplorum talium pleni sunt hi libri. Et est nomen, ut Grammatici loquuntur, loco pronominis. Qualia sunt Gen. 4. 23. *Dixit Lamech uxoribus suis, Audite vocem meam uxores Lamech* pro meæ. *Accipite vobiscum ex servis Domini vestri* i. meis. *Ego Asuerus de nomine regis* i. meo. *Et dixit Moses socero Mosis* i. suo. Consule nunc, si vis & si habes, Animadversiones meas. Unicum adhuc exemplum adducam ex hoc libro. Supra 18. 19. *Nam novi eum* (verba sunt DOMINI) *quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se ut observent viam DOMINI,* i. meam. Qui his exemplis non movetur, exponat cum Græcis *pluit pater à filio.* Non reclamabo.

25. *Et subvertit urbes illas & universam planitiem, & omnes habitatores urbium, & germen terræ.*

Subvertit] κατέστρεψε. ¶ *Urbes illas*], supra memoratas, videl. Sodomam & Gomorram. Hic rursum האל legitur pro האלה ut supra in האנשים האל. ¶ *Et universam planitiem*] Jordanis videl. in qua urbes quinque, quæ cœlesti igne conflagrarunt, excepta Soara, quæ ad preces Loti servata. Errant ergo qui quinque urbes subversas scribunt in queis & Josephus. ¶ *Omnes habitatores urbium*] vel, *omnes incolas urbium illarum,*

rum, ut articulus vim habeat *ἀναφορικὴν*. Nam est הֶעָרִים in Ebræo i. τῶν πόλεων. Lxx. καὶ πάντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν ταῖς πόλεσι : & omnes qui habitabant in urbibus illis. ¶ *Urbium*] Sodomæ, Gomorræ, Adamæ & Seboim. ¶ *Et germen terræ*] וצמח האדמה Lxx. καὶ τὰ ἀνατέλλοντα ἐκ τῆς γῆς : & exorientia è terra. Hinc intelliges quid sit ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, quod reddunt, *oriens ex alto*, cum reddi potius debeat *germen ex alto*. Ebraice צמח ממרום. Hiero. *& cuncta terræ virentia*. Alius *etiam fœtum terræ* i. quicquid oritur è terra. In scholiis Abenezræ, *combustæ sunt etiam arbores*. Tacitus lib. ult. *Haud procul inde campi quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminis jactu arsisse, & manere vestigia, terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita aut manu sata sive herbas tenues aut flores seu solitam in speciem adolevere atra & inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut Judaicas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum & autumni putrescere reor, cœlo soloque juxta gravi.* Hegesippus lib. 4. *Quinque urbes incensæ, quarum umbra quædam & species in favillis videtur. Arsere terræ, ardent aquæ, in quibus cœlestis ignis reliquiæ cognoscuntur atque adhuc manent. Spectes illic poma specie viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem, si capias fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque excitant quasi adhuc ardeant.* Horum meminit August. de civ. Dei lib. 21. cap. 5. *Poma in terra Sodomorum gigni quidem & ad maturitatis speciem pervenire, sed morsu pressuve tentata, in fumum ac favillam corio fatiscente vanescere.* Et cap. 7. *De fructibus autem Sodomitarum arborum, non tantum litteræ fide dignæ indicant, verum etiam tam multi se loquuntur expertos, ut hinc dubitare non possim.* Videnda & quæ præcedunt. Videndus quoque Beda fol. 61. Solinus cap. 38. *Longo ab Jerosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra & in cinerem soluta. Duo ibi opida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorum. Apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.*

26. *Et respexit uxor ejus post ipsum, & fuit statua salis.*

Post ipsum] post ipsum Lot. Verbum è ver. *de post ipsum*. Male Jon. *post angelum*. Ebraice מאחריו. Hiero. *post se* מאחריה. Sic etiam autor edit. illius, quam Jerosolymitanam appellant. Sane in codice quo usus sum אַחֲרֶיהָ scriptum, non אַחֲרָיו post eum. Qui apices adjecit, errare potuit. Quod novum non est in ea edit. Lxx. εἰς τὰ ὀπίσω. retro sive retrorsum, h. e. urbem versus sive post tergum. *Post se* defendi potest ex sententia. Nam cum respiceret post Lotum, simul post se ipsam respiciebat. ¶ *Fuit statua salis*] ותהי נציב מלח & fuit statua salis. Lxx. καὶ ἐγένετο στήλη ἁλός. נְצִיב στήλη i. מַצֵּבָה statua. Hinc Nisibis, quæ & Nesebis & Nasebis. ita Philo Byblius, & τὰς στήλας interpretatur, teste Stephano de Urbibus. Uranio sunt λίθοι συγκειμένοι συμφέρητα. Lex. vetus, στήλη, cippus, titulus. Voce Græca usus est Plinius. Titulum vertit Hiero. ex Philone. Idem h. l. *Et versa est in statuam salis.* On. *Et fuit statua salis i.* קמת דמלחא. Jon. *facta est columna salis*. Thargum quod ab urbe nomen accepit, *Et ecce ipsa stetit columna salis usque ad tempus illud quo mortui revicturi sunt.* i. usque ad finem mundi. Severus, *Sed mulier parum dicto audiens, (humano malo quo ægrius vetitis abstinetur) reflexit oculos, statim in molem conversa traditur.* Alii, *cumulum salis*, alii, *acervum* vocant. Joseph se vidisse testatur. *Distat à mari Sodomeno duabus leucis, constatque adhuc cumulus ille*, ait Benjamin in Itinerario, *qui à gregibus aliquando lambendo imminutus denuo ad pristinam crescit molem.* Hæc fere Benjamin ille. Abenezra, נציב *est statua. Nam ossa ejus combusta sunt, & ipsa obriguit in salem, qui admixtus erat igni, ut liquet ex Deuteronomio.* Cumulus salis i. תל מלח. ita Camius, homo Ebræus. Quum Camium nomino, intelligo Davidem quem Kimchi sive Camchi cognominant. Qui hoc membrum de terra enarrant, non sunt audiendi. מאחריו est qui convertat, *quæ sequebatur eum*. Mens hujus versionis, uxor Loti quæ pone sequebatur, respexit Sodomam versus. Non plane damno. Supra habuimus, *& germen terræ*. Ad h. l. Hisc. annotat, *Dicit R. Josua filius Levi, si homo nunc colligat pulverem Sodomæum, & ponat eum in area alia, non germinabit area illa.* Similiter quid narratur de terra Hybernica, quæ in alias terras illata necat Serpentes. Sic tabulatum ex lignis illius insulæ constructum, arcere dicitur araneas. Fides penes eos esto, qui hæc mihi in anglia narrarunt.

27. *Surgens autem Abrahamus mane tetendit ad locum ubi steterat cum* DOMINO.

Surgens autem mane tetendit ad] Hic unum verbum explicavi per duo וישכם אל *surgens autem tetendit ad*. Verbum è verbo, *Et mane surrexit ad locum*. Talia sunt, *Capies carbones ignis*, pro capies & pones : *Accepit dona in hominibus*, pro accepta distribuit : *Assumsit eum in pinnaculum templi*, assumtum transtulit. Hoc primum. Deinde וישכם verti, *surgens autem*, cum proprie significet *& mane surrexit*, quod Græci dicunt ὤρθρισε. Est autem pleonasmus in Ebræo, quem Lxx. retinent, referentes, ὤρθρισε δὲ Ἀβραὰμ τὸ πρωΐ quasi tu dicas, *diluculavit mane*, aut *manicavit diluculo*. Hoc ultimo verbo usus est interpres vetus Juvenalis. Diluculo ubi interpretatur nescio. Quidam pro manicare scribendum putant manitare i. mane itare : Quod huic loco non male quadrat, *Manitavit autem Abraham diluculo ad locum &c.* On. & Jon. *Antevertit Abraham in aurora ire ad locum &c.* Nam בצפרא in aurora. Quanquam in Fagio, *Et surrexit Abraham mane*. קדם antevertit : item manicavit i. השכים aut שחר. Nam utrumque verbum ita reddunt Chaldæi. De priori fidem faciet hic locus : de altero locus qui est Prov. 11. 27. Malim ergo, *Et mane surrexit Abraham in aurora ut iret ad locum &c.* השכים non tam sig. mane surgere, quam mane aliquid facere aut curare. Sane legimus Psal. 127. 3. משכימי קום quod reddunt summo diluculo surgentes. Aquila ὀρθρίζοντες ἀνίστασθαι. Sym. vero. ἐξ ὄρθρου ἀνιστάμενοι. ¶ *Ubi steterat cum* DOMINO] On. & Jon. *ubi ministraverat in oratione coram* DOMINO. Lxx. οὗ εἱστήκει ἐναντίον κυρίου *ubi steterat coram* DOMINO. Hiero. *ubi steterat prius cum* DOMINO. Id secutus sum. Nam in fonte את פני cum facie i. apud DOMINUM. Vide supra 18. 22. Hunc locum Hiero. teste Mercero, postea dictum tradit Caphar Baracha i. כפר ברכה quasi villam aut vicum benedictionis.

28. *Et prospexit contra faciem Sodomæ & Gomorræ, & contra universam faciem terræ planitiei, & vidit & ecce ascendebat fumus terræ illius tanquam fumus fornacis.*

Prospexit] vel, *prospectavit*. Licet etiam vertere, *despexit* i. deorsum aspexit. Nam in loco, ubi erat, supercilium fuisse scribit Hiero. Verbum autem Ebræum sig. etiam ex loco editiore prospicere, ut è cœlo aut ex monte aliquo in subjectam planitiem. ¶ *Contra faciem Sodomæ*] Sodomam versus. ¶ *Terræ planitiei*] τῆς περιχώρου Lxx. *regionis illius*. Hiero. ¶ *Fumus*] קיטר proprie exhalatio sicca ut אד humida. Chaldaice קוטרא qua voce hic usus est Jon. Nam in On. תננא fumus, vapor. Lxx. φλὸξ flamma, & mox ὡσεὶ ἀτμὶς καμίνου, ut vapor fumi. R. Salo. תימור של עשן vapor fumi. Hiero. *favilla*, & mox, *quasi fornacis fumus*. Cur ita variet, causa nulla est. Fumum interpretantur etiam Santes ac Trem. Hinc proverbiale *utor in fumo*, extat Psal. 119. 83. Quadrat autem in eos qui arent & contabescunt. קיטורא legitur & in Thargum Psal. 18. ubi עשן fumus in Ebræo. Hoc Thargum composuit Joseph Cæcus, aut, ut alii, Aquila proselytus. ¶ *Fornacis*] הכבשן. Lxx. καμίνου. Lex. vet. κάμινος, *caminus, furnus, furnax*. Hiero. *fornacis*. On. & Jon. אתונא. Gallice *fournaise*. R. Salo. *Locus effossus, in quo comburunt lapides ad calcem*. Abenezra, *locus in quo ignis perpetuo ardet*. i. focus. Sed fornacem potius intellige.

29. *Cum autem perderet Deus urbes planitiei recordatus est Deus Abrahami, emisitque Lotum è medio subversionis cum subverteret urbes in quibus habitabat Lot.*

Cum perderet] בשחת in perdendo : & est sensus, cum perdere decrevisset. Nam non perdebat eas nisi prius erepto Loto. Hiero. *cum subverteret* בהפך. ¶ *Recordatus est Deus*] Hic nomen *Deus* in Latio redundat. Aut positum loco pronominis, *recordatus est ipse*. De hoc genere sermonis antea vos monui. ¶ *Abrahami*] qui, ut credibile est, pro eo intercesserat. ¶ *Emisit Lotum*] ἐξαπέστειλε τὸν Λώτ. Hiero. *liberavit*. Verbum quod in Ebræo sig. etiam deducere, ut possis vertere, *deduxit eum*, nempe per angelos suos. Pro *Abrahamo* in Jon. est *meritum Abrahami*. ¶ *In quibus habitabat*] in quarum una habitabat. Locutio est, ut *sepultus est in urbibus Galaad* pro in una aliqua urbe. Sic *pullus asinarum* i. unius alicujus asinæ. Huc referri posset, *scriptum est in prophetis*, ut sensus sit, in uno aliquo propheta.

30. *Post ascendit Lot è Soare, & habitavit in monte, & ambæ filiæ ipsius cum eo, nam timebat habitare in Soar : habitavit autem in spelunca ipse & filiæ ipsius.*

Ascendit] proprie. Nam Soar in planitie erat : inde ad montem tendebat. ¶ *In monte*] בהר ἐν τῷ ὄρει. Forte articulus est ἀναφορικὸς, habitavit in monte illo, quo videl.

jussus erat confugere. ¶ *Habitavit*] Hiero. hic habet *mansit*, & Lxx. ἐκάθητο. Sedere pro habitare Latinum non est quod sciam. Dicunt tamen sedem figere in aliquo loco. Nam ea voce pro habitatione utuntur. Infra Lxx. κατῴκησεν i. habitavit, ubi tamen idem verbum in fonte. ¶ *Nam timebat habitare in Soar*] vel, *Soare*. Forte metuebat sibi ob vicinitatem. Quippe mons longius aberat, aut quod videret etiam horum civium mores corruptissimos esse. Ebræi tradunt hoc oppidum aliquoties absorptum ac eversum fuisse terræ motu, indeque nomen accepisse. Nam prius Bale vocabatur, in quo significatio absorbendi. Dicitur etiam Salisa, ut illi fabulantur, quod minimum ter hoc modo subversa fuerit. Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebraicis, *Quæritur quare cum primum fuga montis Segor prætulerit, & eam in habitaculum suum voluerit liberari, nunc de Segor rursum ad montem migret? Respondebimus veram esse illam Ebræorum conjecturam de Segor, quod frequenter terræmotu subruta, Bale primum, & postea Salissa appellata sit: timueritque Lot dicens, si cum cetera adhuc urbes starent, ista sæpe subversa est, quanto magis in communi ruina non poterit servari.* ¶ *In spelunca*] ἐν τῷ σπηλαίῳ : in spelunca quadam illius montis.

31. *Dixitque primogenita minori natu, Pater noster senex est, & nemo est in terra qui congrediatur nobiscum secundum viam universæ terræ.*

32. *Veni, potandum præbeamus patri nostro vinum & cubemus cum eo, & servemus ex patre nostro semen.*

Primogenita] הַבְּכִירָה. Lxx. ἡ πρεσβυτέρα : senior. Hiero. *major*. On. & Jon. רַבְּתָא maxima natu. Sunt qui hinc argumentum petunt contra eos qui dicunt Lotum plures filias habuisse. Sed responderi potest primogenitam dici comparatione alterius i. maximam natu : tum etiam fieri potest ut Lot aliam uxorem habuerit. Quod notatum in scholiis Abenezræ. ¶ *Minori natu*] vel, *minimæ natu*. Ebraice אֶל־הַצְּעִירָה, quod Senes reddunt πρὸς τὴν νεωτέραν : ad juniorem. Hiero. *ad minorem*. ¶ *Senex est*] vel, *senuit*. Quippe זָקֵן tam potest esse verbum quam nomen. זָקֵן senuit, ut חָפֵץ voluit. In Chaldaicis סִיב potius verbum est. Nam senex in ea lingua סָבָא dicitur. ita mihi videtur. ¶ *Nemo est in terra*] ואיש אין בארץ vir non est in terra. Hiero. *nullus virorum remansit in terra*. Lxx. οὐδεὶς ἔστιν ἐπὶ τῆς γῆς. On. & Jon. וגבר לית בארעא vir non est in terra. ¶ *Qui congrediatur nobiscum*] Lxx. ὃς εἰσελεύσεται πρὸς ἡμᾶς. Hiero. *qui possit ingredi ad nos*. Verb. è ver. *ad congrediendum nobiscum*. ¶ *Secundum viam universæ terræ*] Sic On. & Jon. Ceteri sensum expresserunt. Autor Jerosol. כנימוס כל ארעא juxta legem totius terræ: ὡς καθήκει πάσῃ τῇ γῇ. Hiero. *juxta morem universæ terræ*. כדרך verti etiam potest, *secundum consuetudinem*. Quod idem cum illo, *secundum viam*. Notum ut via pro consuetudine ponatur. Lxx. ὡς καθήκει πάσῃ τῇ γῇ : ut convenit omni terræ. Alibi *via universæ terræ* de morte dicitur : Hic τὴν συνουσίαν sive coitum innuit. ¶ *Veni*] age, δεῦρο. ¶ *Potandum præbeamus*] נַשְׁקֶה ποτίσωμεν. ita Lxx. Minus rectè Hiero. *inebriemus*. Quanquam ea mens filiarum. Sed inebrio potius רוה aut שכר. Uterque Chaldæus נשקי demus bibendum aut potandum. שָׁקָה poto, bibo, השקה potandum aut bibendum præbeo, ποτίζω. Posses vertere, *præbeamus patri nostro potum vini*. Nam ποτίζω potum præbeo. ¶ *Cubemus cum eo*] Lxx. κοιμηθῶμεν μετ' αὐτοῦ. Hiero. *dormiamus cum eo*. Dormio potius ישן dicitur. שָׁכַב est cubare, proprium hominis, ut רָבַץ bestiarum. Ab hoc verbo mors שכיבה dicitur. Sic dormire pro mori usurpant. Unde κοιμητήρια i. sepulchreta in quibus mortui cubant aut dormiunt. ¶ *Servemus*] conservemus. Ad verb. *vivificemus*. Quidam vertunt, *procreemus*. Lxx. ἐξαναστήσωμεν : excitemus sive suscitemus. Uterque Chaldæus ונקים quod Fagius interpretatur, *vivificemus*. ¶ *Semen*] *filios*. On. & Jon. Gallica edit. *quelque race*. Porro *conservare semen*, alius dixit, *proli consulere* : alius, *sobolem propagare*, Sed propagat sobolem etiam is cui proles aliqua. Semen conservat qui proli consulit ubi nulla est.

33. *Itaque potandum præbuerunt patri suo vinum nocte illa, & ingressa est primogenita & cubavit cum patre suo qui nesciebat neque quum cubaret ipsa, neque quum surgeret ipsa.*

Potandum præbuerunt] propinarunt, dederunt bibere, ἐπότισαν. Quidam hoc significatu usurpant potare. Sed potare est bibere, non potum præbere, quod etiam. Dare potatum bobus dixit Columella. *Dederunt bibere* Hieronymi est. ¶ *Nocte illa*] בַּלַּיְלָה הוּא. Hic desideratur He, ut sit ההוא. Nam cum articulus ponitur ante nomen, debet etiam poni ante pronomen. Bis in lege secus fit. Quod notatum in Massora. Ex margine magnorum Bibliorum Venetorum, quæ in folio complicant: item ex ea edit. quæ edita fuit cum Thargum Jonathæ, quæ in octavo complicat, colligimus hujusmodi defectum quater inveniri: cujus signa ibidem quatuor commemorantur. Vide, si vacas, & si habes editiones illas. ¶ *Ingressa est*] intravit, venit. ¶ *Qui nesciebat &c.*] Hiero. *at ille non sensit, neque quando accubuit filia neque quando surrexit*. יָדַע sentio. Sic יָדַע apud Davidem. Conjuncta hæc sunt. Nam si sentiebat, etiam sciebat & contra. Jon. *neque sciebat cum cubaret ipsa, neque sciebat cum surgeret ipsa*. Brevius hoc diceretur, neque cubantem neque surgentem sensit. In Lxx. perperam ἐν τῷ κοιμηθῆναι αὐτόν, cum cubaret ipse. Dico perperam, quia pronomen, quod in Ebræo, femininum est. Melius ergo in quadam edit. apud Chrysost. Hom. 44. αὐτήν legitur. ¶ *Quum surgeret ipsa*] בְּקוּמָהּ cum puncto supra Vau. Non est accentus qui Rebia dicitur. Quid igitur? Punctum hoc singulari de caussa additum fuit, quam tangit Hiero. per hæc verba, *Denique Ebræi quod hic dicitur, Et nescivit cum dormiisset cum ea, & cum surrexisset ab ea, appungunt desuper, quasi incredibile, & quod rerum natura non capiat coire quempiam nescientem*. Autor Catenæ obelum appellat. Verba sunt, *Posse inter dormiendum quenquam generationi vacare Ebræi negant, & obelo hunc locum notant, teste Hiero*. Obelus, meo judicio, aliud est. Posses apicem vocare. Sic Resch & Daleth apud Syros solo apice distinguuntur: Etiam apud Ebræos olim. Quod attestatur non uno in loco is, quem modo nominavi, Hiero.

34. *Postridie vero dixit primogenita minori, En cubui nocte præterita cum patre meo: potandum præbeamus vinum etiam hac nocte, & ingredere, cuba cum eo ut conservemus ex patre nostro semen.*

Postridie] ממחרת à crastino i. postridie, in posterum diem vel postero die i. ἐπαύριον. Sed Græci hic habent ἐν τῇ ἐπαύριον & ἡμέρᾳ subintelligitur. Hiero. *altera die*. Ion. ביומא דבתריה voce composita ex מן & מחר die & אחר alio. On. ביומא דבתרוהי i. die postero. ¶ *Cubui*] ἐκοιμήθην, dormivi. Jon. *rem habui*. ¶ *Nocte præterita*] אמש interpretatur R. David Kimhi dicens significare הלילה שעבר i. noctem quæ præteriit. Hunc secuti sunt Trem. & Arias. Santes habet, *heri sero*. Hiero. *Heri*. & Lxx. χθές. On. vero ברמשא quo vocabulo vesperam Chaldæi significant. Hic Fagius reddit *heri*. Malim, *heri vesperi*. Sub vespera autem noctem comprehendo, ut Gen. 1. 3. *fuit vespera & fuit mane dies primus*. Jon. רמשי cum Joth in fine loco Aleph. Nam hæ literæ de facili permutantur. ¶ *Ingredere, cuba*] בואי שכבי Lxx. εἰσελθοῦσα κοιμήθητι : ingressa dormi. Trem. *accedens cuba*. Accede i. בוא. Posses vertere, *ito cuba*. Nam בוא etiam eo sig. Sic sane Gall. ed. *puis va & couche avec luy*: post vade & concumbe cum eo. ¶ *Ut conservemus &c.*] ut procreemus ei prolem ad generis conservationem. Aliter, *& conservabimus patri nostro semen*. Nam in fonte ונחיה & vivificabimus.

35. *Potandum ergo præbuerunt etiam nocte illa patri suo vinum: postea surrexit minor & cubuit cum eo, quia nesciebat quum cubaret ipsa & cum surgeret ipsa.*

Postea surrexit] ותקם & surrexit. Hiero. *ingressaque minor*. ותבא. Quo verbo usus est supra. Lxx. similiter & εἰσελθοῦσα ἡ νεωτέρα. Ambo Chaldæi *& surrexit*. In Jon præcedit, *& inebriatus est*, quod de suo adjecit interpres ille. ¶ *Surrexit*] è loco ubi sedebat. Forsan è mensa. ¶ *Qui nesciebat &c.*] Hiero. *nec tunc quidem sensit quando concubuit vel quando illa surrexit*. Mens hujus loci, Adeo ebrius erat ut nec cubantem nec surgentem sentiret. Aut *cum cubaret* i. cubitum veniret. ¶ *Quum surgeret ipsa*] בְּקֻמָהּ. Hic Kibbuts : supra schurek בְּקוּמָהּ cum apice supra litteram Vau. In Massora ל' חסר *alibi non legitur deficiens* i. absque Vau.

36. *Et conceperunt duæ filiæ Lot ex patre suo.*

37. *Peperitque primogenita filium & vocavit nomen ejus Moab: ipse est pater Moabitarum usque in hunc diem.*

38. *Et minor etiam ipsa peperit filium, vocavitque nomen ejus Ben-ammi: ipse est pater filiorum Ammon usque in hunc diem.*

Conceperunt] συνέλαβον, prægnantes sive gravidæ fuerunt. ¶ *Vocavitque*] Mater, ut Gen. 4. 25. & 16. 11. & Matth. 1. 23. Non tamen hoc fiebat sine patre. Imo simul nomina filiis imponebant. Aliquando vicinæ mulieres id faciebant de sententia parentum. ¶ *Moab*] quasi ex patre, i. מֵאָב. Ratio nominis latet in illo, συνέλαβον ἐκ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. Mirum quod voluerit hujus facti memoriam extare in nomine filii, quod potius æterna oblivione sepeliendum fuerat. Sed non temere Scriptura hoc recenset Moab autem *ex patre* etiam Josephus interpretatur. Sed & Philo in libro nominum. Hiero. quoque, cujus hæc sunt, *Moab interpretatur ex patre & totum nomen etymologiam habet*. Ab his nolim temere dissentire, tamen quid si *Moab, aqua patris*? Mo enim, teste Josepho, in

in lingua Ægyptiorum aquam fig. quæ vox usurpatur quandoque in re venerea, ut ubi legimus, *ab aqua aliena abstine.* Quo pertinet & illud, *aqua furtiva dulcior.* Hoc pono, non statuo, non decerno. ❡ *Pater Moabitarum*] אֲבִי־מוֹאָב pater Moab i. Moabitarum: quod fere reddunt interpretes. Nam in On. אבוהון דמואבאי. *pater ipsorum Moabitarum.* Et in Lxx. πατὴρ μωαβιτῶν. Et in Hiero. *pater Moabitarum.* Jon. vero hunc versum sic interpretatur, *Peperitque maxima natu filium & vocavit nomen ejus Moab, quia ex patre suo gravida facta erat: ipse est pater ipsorum Moabitarum usque in hunc diem.* ❡ *Pater*] autor generis, ut mox, *pater filiorum Ammon*, & alibi, *pater Syrorum.* ❡ *Usque in hunc diem*] vel, *usque in hodiernum diem.* Ebraice עד היום usque hodie. Hic perspicue articulus habet vim demonstrandi. Sic הלילה reddi solet hac nocte. On. עד יומא דין usque in diem hunc. Jon. *usque ad tempus diei hujus.* Lxx. ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. Hiero. *usque in præsentem diem.* ❡ *Ben-ammi*] i. filius populi mei. On. & Jon. בר עמי. Nam in ea lingua בר filius, qui Ebraice בן: unde Bar Jona, filius columbæ, vel potius Jonæ. Lxx. ἀμμάν, λέγουσα υἱὸς γένους μου. Alibi est, ἀμμὰν, υἱὸς γένους μου, ut in Hiero. *Ammon i. filius populi mei.* Sed γένους μου i. generis mei. Hinc medicinam facies Josepho Ant. hist. lib. 1. cap. 12. ubi perperam γένους υἱὸν legitur pro γένους υἱός. i. generis filius. Scribit autem Ἀμμανὸς, cum duplici μ. Philo in libro ubi nomina propria interpretatur, *Ammon, filius populi mei, vel, populus mœroris.* Filius populi mei בן עמי populus mœroris עם און. Siquidem און vetusta declaratione, *mœror.* Hiero. in Quæst. *Ammon, cujus quasi caussa nominis redditur, filius generis mei, sive, ut melius est in Ebræo, filius populi mei.* ❡ *Filiorum Ammon*] בְּנֵי עַמּוֹן i. υἱῶν Ἀμμων. On. דבני עמון. Jon. דעמונאי ואמאביאי populi Moabitici. Hic latet ἕλκος ulcus. Quod si hoc ita scripsit Jon. errat graviter. Nec video qua ratione excusari possit. Neque ita me Deus amet quid eum moverit, ut ita scriberet, conjectari possum. Lxx. Ἀμμανιτῶν, Ammanitarum. Hiero. *Ammonitarum.* Quanquam autem filii Ammon & Ammonitæ diversi populi esse videantur, (simul certe leguntur hæc duo nomina. 2 Paral. 20. 1. ubi Ammonitæ עמונים vocantur) tamen interpretes confundunt. Nam & Josephus Ἀμμανίτας dixit pro filiis Ammon: ex quo Stephanus de urbibus, Ἀμμανῖται, ἔθνος μέγα, γένος τῶν κοιλοσυρίων Ἀραβων, ὡς ἱστορεῖ. ἐκλήθησαν δὲ ἀπὸ Ἀμμάνου τοῦ παιδὸς Λώτου καὶ τῆς νεωτέρας θυγατρός. Quin 1 Sam. 1. 1. ubi in fonte העמוני Ammonita, Jon. habet, כלבא דבני עמון rex filiorum Ammon. Ceterum in eodem capite vers. 11. עמונים legitur pro filiis Ammon i. בני עמון ut idem Jon. interpretatur. ❡ *Ammon*] Eucherius in Genesin, *Ammon, a quo dicti sunt Ammonitæ, vocatur populus meus.* Descripsit ex Hiero. ubi tamen Ammi legitur, & melius. Nam Ammi populus meus. Ammon, unde Ammonitæ, aliud est. Cur autem Loti filius ex juniore filia dictus sit Ben-ammi & posteri ejus filii Ammon, aliis discutiendum relinquo. ❡ *Usque in hunc diem*] sig. nomen filiorum Ammon una cum gente, ad Mosi tempora perdurasse. Sic à Moab dicti Moabitæ pristinum nomen diu post Mosen immutatum retinuerunt. Utraque gens Arabica erat, in ea parte Syriæ quæ Cœle sive Cava dicitur. Joseph. Orig. lib. 1. cap. 12. κτίζει δ' αὐτῶν, ὁ μὲν μωαβίτας, μέγιστον ὄντας ἔτι καὶ νῦν ἔθνος. ἀμμανίτας δ' ὁ ἕτερος. συρίας τῆς κοίλης εἰσὶν ἀμφότεροι. Ad ea quæ diximus supra de Benammi, hoc addi velim, cum in Lxx. & Hiero. sit Ammon pro Benammi, eodemque nomine alibi Ammonitæ denotantur, eo labor ut credam parentem Ammonitarum διώνυμον fuisse. Quod novum non est in his libris. Dictus ergo fuit Ben ammi i. filius populi mei, & Ammon, unde בני עמון. quod Græce scriberetur υἱοὶ Ἀμμῶν. Quod autem Ammon pro filiis Ammon reperiatur, id mirum videri nemini debet cum etiam Israel dicamus pro filii Israël, & Moab pro Moabitis.

AMAMA.

16. EBr. ויתמהמה Vajithmahmah. Vulg. *Dissimulante illo.* Miror quid hic spectarit Interpres? Aquila habet ἐμέλλησεν, moram traxit. Ambr. *morabatur.* Onk. & Santes, *tardavit.* Pseudo Jonathas, ואשתהי & *cunctatus est.* Ipse Vulgatus Habac. 2. 3. *moram fecerit.* Τῶν Lxx. hic non adeo probanda versio, excusabilior tamen. Vertunt enim ἐταράχθησαν, *turbati sunt*, sc. Lot cum familia sua, ostendere forsan volentes cunctationem istam ex perturbatione ortam.

18. Ebr. אל נא אדני al na Adonai. Vulg. *Quæso Domine mi.*

Neglexit Vulg. negandi particulam, nec eam Romani Correctores addendam judicarunt.

GROTIUS.

3. *ET coxit azyma*] Ut in magna festinatione, non sufficientibus qui familiæ parati erant panibus.

Abutimini eis] ex Græco χρᾶσθε αὐταῖς [*utimini eis*]. Hebræi עשו [*facite*]. Sic & Latinis sumitur *facere*. Erat in Lotho bonitas laudabilis, sed fides tenuis. ideo Philoni dicitur ἀβέβαιος, ἀμφίβολος [*instabilis, subdubius*].

8. *Ingressus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices?*] Sic Ciceronem inimici vocabant Romulum Arpinatem.

11. *Percusserunt cæcitate*] Scotomate, quale habes 11 Reg. vi. 18.

14. *Et visus est eis quasi ludens loqui*] Non putabant Deum tam severe ac subito vindictam sumturum. Peccant & qui Dei misericordiam ultra quam rectum est extendunt.

15. *Duas filias quas habes*] Non elocatas, sed quæ virgines in tuo sunt latere.

17. *Noli respicere post tergum*] In dictis Pythagoricis: ἀποδημῶν τῆς οἰκίας μὴ ἐπιστρέφου [*a domo peregre proficiscens ne respice*]. Eodem spectat de Orpheo fabula. Annibal quoque à spectro vetitus respicere: Cicero testis de divinatione primo.

Sed in monte salvum te fac] Simile illud Metamorphos. VIII.

> ——— *Meritasque luet vicinia pœnas*
> *Impia, dixerunt: vobis immunibus hujus*
> *Esse mali dabitur: modo vestra relinquite tecta,*
> *Ac nostros comitate gradus, & in ardua montis*
> *Ite simul.*

19. *Ut salvares*] Hebraice להחיות ad vivificandum. Græci ἵνα ζῇ ἡ ψυχή μου [*ut vivat anima mea*]. Quia enim Græci Hiphil non habent, Græci interpretes activo Græco pro eo utuntur. Sic dicunt βασιλεύειν [*regnare*], pro facere regnare. Symmachus expressius ζωῶσαι [*vivificare*].

21. *Suscepi preces tuas*] Hebraice *suscepi faciem tuam*, id est, respectum tui habui.

22. *Segor*] Ex Græco Σηγώρ. Hebraice צער. Soara forte Ptolemæo in Arabia.

24. *Dominus pluit*] יהוה, id est, Angelus is qui Dei personam, ut diximus, sustinebat.

Pluit] In Hebræo, *fecit pluere.*

A Domino] Potestate sibi divinitus concessa.

De cœlo] Sic & Lucæ XVII. 29. Nimirum ignis ille sulfureus non aliunde quam ex cœlo veniebat. Urbes has igne cœlesti flagrasse, ait Tacitus Historiarum v. ante dixerat *fulminum jactu.* Nam & fulmen vim habet sulfuris, & inde Græcis sulfur, θεῖον [*divinum*] dicitur. ὕδατα ἀσφαλτώδη καὶ θειώδη [*aquæ bituminosæ ac sulfuratæ*], dicit Strabo.

26. *In statuam salis*] Id est, columnam. Ita enim statuæ vocem sæpe hic interpres usurpat. Sal autem cum igne de cœlo deciderat. Vide supra XIV. 3. Deut. XXIX. 23. Hanc columnam suo tempore extitisse ait Josephus. Semper mansuram ait Paraphrasis Hierosolymitana. Vide & Burchardum, & alios qui ibi fuere.

28. *Quasi fornacis fumum*] Signum iræ divinæ. Vide supra XV. 17.

30. *Et mansit in spelunca*] Quales multas esse in ea regione docet nos Strabo.

33. *Bibere vinum nocte illa*] Nox & vinum nihil suadent moderabile.

Dormivitque cum patre] Licitum id arbitrata quod ab Arabibus vicinis fieri quotidie intelligebat. Non enim Persis tantum, sed & Arabibus hunc fuisse morem ex Strabone discimus. Moris ejus apud Persas vicinasque gentes meminere Clemens & Bardesanes.

37. *Moab*] Hinc nomen habet Characmoba in Arabia apud Stephanum, ex quo corrigenda Ptolemæi lectio. حرق مواب laceratio Moab, quod ibi cæsi Moabitæ.

CARTWRIGHTUS.

2. *DIvertite nunc, vel quæso, in domum servi vestri* סורו נא אל־בית עבדכם.] Mercerus notat סור cum מן esse *recedere*, at cum אל, *divertere in locum aliquem.* Illud moneo priorem illam hujus verbi acceptionem esse multo usitatiorem. Vide ad ver. 9.

Et dixerunt, Minime.] R. Salom. notat eos Abrahamo dixisse,

ille, *Sic facies.* Hinc disci ait, repulsam posse dari inferiori, non autem superiori. Id, opinor, sibi vult, cum dicit, מפני שמסרבין לקטן ואין מסרבין לגדול. Ad hæc verba respexisse videtur Burgensis, cum sic scripserit, *Notandum quod Angeli invitati ab Abraham ad primam invitationem acquieverunt; invitati tamen à Lot non acquieverunt nisi ad magnam instantiam, & quasi compulsum.* Ex quo *dicunt quidam Hebræorum, & videtur rationabile, quod ex hoc datur doctrina hominibus, ut cum invitantur à viris magnæ autoritatis, non debent se retrahere, sed acquiescere statim propter eorum reverentiam, sicut Angeli Abrahæ. Cum autem invitantur ab hominibus mediocris, seu modicæ autoritatis, non debent statim acceptare invitationem, sed aliqualiter se retrahere, ne videantur leves, sicut Angeli fecerunt cum Lot.* Hæc Burgensis, quæ cum à R. Salomone desumpta videantur, mirum est à Lyra fuisse prætermissa.

3. *Et comederunt.*] Targum Hierosol. (ut notat Fagius) habet, (a) *Et videbantur, ac si ederent & biberent.* At vide Aug. de Civit. Dei, l. 13. cap. 22.

6. *Et exiit ad eos Lot* הַפֶּתְחָה *ad ostium,* וְהַדֶּלֶת *& januam clausit post se.*] Mercerus notat discrimen esse inter פתח & דלת, nam פתח *ostium* (à פתח *aperire*) esse ipsam concavitatem, ubi sunt valvæ, aut fores? at דלת esse *januam*, quæ volvitur, & aperitur, vel clauditur. Hæc autem ex R. Salomone desumsit, qui eodem prorsus modo inter hæc vocabula distinguit.

8. כִּי־עַל־כֵּן בָּאוּ *Nam propterea venerunt, &c.*] R. Salom. ut supra, ita etiam hic exponit כי על כן per על אשר, i. e. *eo quod, vel propterea quod.* Vide ad cap. 18. 5. Lxx. ὃ ἕνεκεν, *propter quod, vel eo quod.* Vulg. *quia.*

9. גֶּשׁ־הָלְאָה *Recede hinc.*] Ad verb. *appropinqua ulterius.* Sed (ut notat Mercerus) sic interdum נגש usurpatur pro *in alteram partem appropinquare*, i. e. *longius recedere:* ut ver. 2. סורו *divertite, recedite à loco vestro ad me* הלאה semper elongationem significat, *ultra, ulterius.* Lxx. ἀπόστηθι ἐκεῖ, *abscede illuc.* Vulg. *recede illuc.* Chald. קריב להלאה. Fagius vertit, *Secede illuc.* Ad verbum sonat, *Appropinqua ad ulteriorem partem.*

11. הִכּוּ בַּסַּנְוֵרִים *Percusserunt cæcitate.*] Ad verb. *cæcitatibus.* Aben Ezra ait vocem Hebræam significare כחשך העין והלב, i. e. *tenebras oculorum & mentis.* Notat idem vocabulum usurpari 2 Reg. 6. 18. Lxx. ἐν ἀορασίᾳ. Augustinus (citante Nobilio) ait Græcum ἀορασίαν non tam cæcitatem significare, quam, si ita loqui liceat, *avidentiam*, quæ faciat non videri, non omnia, sed quod non opus est. Chald. בשברירא, Fagius vertit *cæcitate.* Mercerus ait vocem istam Chaldaicam significare radios, seu irradiationes, cum quis immodica luce offuscatur, ut ejus oculis quasi radii objiciantur, qui oculorum aciem præpediant. ברר est *purus, clarus:* hinc per antiphrasin שברירא cæcitatem significare dicit Buxtorfius in Lexico Syro-Chaldaico.

12. *Et filios tuos.*] R. Salom. exponit de filiis filiarum ejus, quæ nuptæ erant. Asserit enim ad v. 14. Lot duas filias in urbe nuptas habuisse.

14. לֹקְחֵי בְנֹתָיו, *Qui accipiebant, vel accepturi erant filias ipsius.*] R. Salom. intelligit eos, quibus filiæ Lot, quæ adhuc domi cum ipso erant, desponsatæ fuerunt. Et tamen חתניו generos ipsius, intelligit eos, quibus aliæ filiæ Lot nuptæ fuerunt; cum textus non patiatur, ut alii per חתניו, alii autem per לקחי בנותיו significentur. Melius igitur Aben Ezra, qui totum interpretatur de iis, quibus aliæ filiæ Lot in urbe matrimonio junctæ fuerunt. Istiusmodi autem filias habuisse Lot, probat ex voce הנמצאות v. 15. *quæ inventa sunt.* Inde nimirum apparet, Lot alias habuisse filias præter eas, quas domi habuit. Id hinc non male colligi censet Fagius in Collat. Hieron. in Tradit. interpretatur, qui (b) *accepturi erant filias ejus;* atque existimare videtur Lot non alias habuisse filias, nisi istas, qui domi erant, nondum matrimonio copulatæ. At Lxx. τοὺς εἰληφότας τὰς θυγατέρας αὐτοῦ, *qui acceperant filias ejus.* Porchetus contra Judæos, part. 2. cap. 16. refert in Bereshith Rabba ad illud cap. 18. v. 32. *Forte invenientur ibi decem,* sic scriptum esse, *Quare decem? Quia existimabat ibi decem esse, nempe Lot & uxorem, item quatuor filias totidemque generos ipsius.* Juxta istam expositionem non duas solum filias habuit Loth, quæ domi erant, sed etiam alias duas in urbe conjugatas. Quin & ista expositio supponit eas, quæ apud patrem erant, viris saltem fuisse desponsatas. Mercerus probabilius esse putat, Lot præter duas istas filias, quæ domi erant, alias etiam duas in urbe maritis junctas habuisse: eas autem, quas domi habuit, minime fuisse desponsatas; neque enim vel Lot eas in stuprum fuisse oblaturum: nec sponsos earum passuros, ut absque ipsis urbe excederent. At neutra ratio videtur satis valida. Potuit enim Lot existimare, satius esse eas etiamsi desponsatas in stuprum offerre, quam permittere, ut majus malum perpetraretur. Et cum filias suas adhuc secum domi haberet, eas sponsis nescientibus, aut non satis mature intervenientibus, secum potuit abducere.

16. וַיִּתְמַהְמָהּ *Et cunctabatur.* (c)] R. Salom. putat Lot de opibus suis secum auferendis fuisse solicitum, atque ea de caussa ad egrediendum fuisse tardum. Probabilius videtur (ut opinatus est Aben Ezra) eum metu fuisse attonitum, ac viribus ad fugiendum caruisse. Sic intellexisse videntur LXX, qui in plurali habent, ἐταράχθησαν, *turbati sunt.* Priori autem modo Scholiastes, qui legit ἐσκευάζετο, *profectionem adornabat.* Aquila ad verbum vertit, ἐμέλλησε, *cunctatus est.* Et Chald. ואתעכב, quod tantundem valet. Eodem sensu usurpatur verbum Hebræum Psal. 119. 60.

18. אֲדֹנָי *Domine*] Aben Ezra ait Adonai hic esse *profanum*, i. e. *creaturæ tribui*, etiamsi sit cum camets; id enim esse ob accentum in fine versus. At R. Salom. testatur Rabbinos dicere, *sanctum esse*, i. e. *de Deo dici*, propterea quod sequitur ver. 19. ad conservandam animam seu vitam meam; potestatem enim vitæ ac necis non nisi ad Deum pertinere. Sed levicula est ista ratio; Angeli enim, atque etiam homines Dei permissu vitam vel auferre, vel conservare poterunt. Chaldæus tamen habet יי, quod nomen creaturæ non communicatur.

19. חַסְדְּךָ *Benignitatem tuam.*] LXX. τὴν δικαιοσύνην σου, *justitiam tuam.* Sic etiam alibi vertunt חסד, ut cap. 20. 13. & cap. 21. 23. & cap. 24. 27.

20. *Nonne parva est? Et anima mea vivet.*] LXX. de suo addunt ἕνεκεν σοῦ, *propter te.* R. Salom. ait simplicem ac literalem sensum esse, *Nonne urbs ista parva est, paucique in ea habitant? Non est quod te pigeat eam intactam illæsamque relinquere: unde fiet, ut anima mea vivat, id est, ut vita mea in ea conservetur.*

21. נָשָׂאתִי פָנֶיךָ *Accepi personam tuam.*] Verbum נשא significat etiam *tollere, elevare;* hinc forte LXX. reddiderunt, ἐθαύμασά σου τὸ πρόσωπον, *admiratus sum personam tuam.* Atque inde in epistola Judæ v. 16. θαυμάζοντες πρόσωπα.

24. *Et Dominus pluit, &c. à Domino, &c.*] Ab. Ezra ait esse לשון צחות, i. e. *sermonis elegantiam*, ac sensum esse, *Dominum pluisse* מאתו, i. e. *à seipso.* Ita etiam R. Salom. notat Scripturam sic loqui solere; ut Gen. 4. 23. *Uxores Lamech.* i. e. *meæ.* Et Esth. 8. *Scribitur ad Judæos, &c. in nomine regis,* h. e. *in nomine meo.* Manasses Concil. qu. 44. in Genes. mavult aliorum quorundam sententiam sequi, qui volunt per primum nomen Domini designari Angelum, quasi Legatus usurpet nomen ejus, à quo missus est. Et tetragrammaton aliis rebus præter Deum attribui asserit; Exod. 13. 21. & 14. 19. Num. 10. 35. At nec ejus expositionem probo, nec loca ab eo citata ad rem faciunt.

26. וַתַּבֵּט אִשְׁתּוֹ מֵאַחֲרָיו *Et respexit uxor ejus post eum.*] Ad verb. *de post eum.* Sensus est, Lot præcepisse, ac uxorem ejus eum secutam respexisse. Fagius in Collat. refert Kimchi in Radic. sic interpretari, אשתו שהיתה מאחריו הביטה אחריה, i. e. *uxor ejus quæ ei erat à tergo, post se respexit.* Illud מאחריו Aben Ezra exponit מאחרי לוט, i. e. *post Lot.* Atque ita R. Sal. Jonathan, qua ratione fretus, nescio, מבתר מלאכא, *post angelum.*

Et facta est נְצִיב מֶלַח *statua salis.*] Aben Ezra ait *eam combustam esse sulphure, quod salem secum commixtum habuit.* Ad hoc confirmandum citat Deut. 29. 23. ubi *sulphuris* simul ac *salis* fit mentio. Targum Hierosol. ait, uxorem Lot fuisse ex filiabus Sodomæ, ac respexisse ut videret quidnam eveniret domui patris sui, atque ita factam עמוד דמלח, i. e. *columnam salis, duraturam usque ad resurrectionem mortuorum.* Insulsa est R. Salomonis glossa, nec micam salis in se habet, במלח חטאה ובמלח לקתה, i. e. *Sale peccavit, & sale punita est.* Cum Lot salem hospitibus apponendum peteret, ea (scil.) præbere noluit. Innuit autem uxorem Lot Sodomæorum mores imitatam, fuisse inhospitalem. Hujus commenti (d) meminit etiam Lyra, qui quicquid à R. Salomone dicitur, raro prætermittit.

29. *In quibus Lot habitavit.*] i. e. *in quarum una habitavit*, ut exponit Aben Ezra, qui notat similem esse locutionem Judic. 12. 7.

31. *Nec vir est, &c.*] R. Salom. ait, eas putasse totum ubique mundum fuisse destructum, quemadmodum fuerat tempore diluvii. Hieron. in Tradit. etiam *refert nonnullos pro earum*

(a) *Et sic Jonathan, ubi etiam cap. 18. 8.* (b) *Sic Vulg.*

(c) *Jonathan,* ואשתהי Et cunctabatur. *Vel*, & obstupescebat. *Nam* שהה *utrumque denotat.* (d) *Idem etiam in Targum Jonath. habetur.*

excusatione dixisse, eas, *eo quod putaverant genus humanum defecisse, ideo cum patre concubuisse.* Lyra hanc opinionem amplectitur, atque ait, eas piam intentionem habuisse, scil. conservationem generis humani, licet malo modo ad hoc vellent venire, scil. per incestum cum patre, quod semper fuit illicitum & detestabile.

33. וּבְקוּמָהּ (*a*) *Nec cum surgeret.*] Est punctum super ו, ut notat Masora. Notat etiam & R. Salom. qui innui putat, Lot sensisse cum filia major surrexerit, nec tamen à bibendo vino proxima nocte abstinuisse. At certe verba è contra significant, Lot non sensisse nec cum filia ipsius cubaret, nec cum surgeret. Hieron. in Tradit. istius etiam punctationis meminit, atque eam innuere existimat, incredibile esse, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam nescientem. Mercerus non dubitat, quin facti atrocitas hac punctatione sit notata. Contra Hieronymum tamen notat, non dici, Lot non sensisse quando cum illa congrederetur (id enim fieri non potuisse, quantumvis ebrius esset) sed non sensisse, nec quando cubuit, nec quando surrexit: putasse igitur forsan se cum uxore rem habere, atque eam mortuam esse, oblitum fuisse. Idem etiam ab Hebræis dictum refert Lyra.

37. *Et vocavit Nomen ejus* מוֹאָב *Moab.*] q. d. מאב *Moab*, i.e. *à patre scil. genitus*, ut notat Aben Ezra. Jonath. vocavit nomen ejus *Moab*, *quia ex patre suo conceperat.* Ita etiam R. Salom. qui *insuper mulieris impudentiam observat; flagitium enim suum prædicat, ac de eo videtur gloriari.* LXX post, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Μωάβ, addunt, vel potius in eorum versione additur, λέγουσα, ἐκ τοῦ πατρός μου, *dicens, ex patre meo.* Sed ista à Hieronymo in Tradit. non referuntur, & scholion quoddam fuisse, eque margine in textum irrepsisse videntur.

Usque ad hunc diem.] Ab. Ezra ait sensum esse, *alienam gentem cum eis non fuisse permixtam.* Vel, in hunc usque diem rem esse notam.

38. *Et vocavit nomen ejus* בֶּן־עַמִּי *Ben ammi.*] i. e. *Filius populi mei.* (*b*) Mercerus ait fieri potuisse, ut pro בן עמי *Ben ammi* brevitatis caussa עמון *Ammon* sit dictus, quo nomine totus populus deinceps vocabatur. LXX καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἀμμάν, λέγουσα, υἱὸς γένους μου, *Et vocavit nomen ejus Amman, dicens, Filius generis mei.* Hieron. in Tradit. *Ammon*, inquit, cujus quasi caussa nominis redditur, *Filius generis mei*, sive ut melius dicitur in Hebræo, *Filius populi mei*, sic derivatur, ut ex parte sensus nominis, & ex parte ipse sit sermo. עמי *Ammi* enim, à quo dicti sunt *Ammonitæ*, vocatur *populus meus.*

(*a*) *Ad verb.* Et cum surgeret, scil. non novit. (*b*) *Jonath. Et vocavit nomen ejus*, Filius populi mei, quia filius *patris ipsius erat.*

CAP. XX.

MUNSTERUS.

3. M*Orieris*] Habet textus in Hebræo, *Ecce tu mortuus*, i. morti adjudicatus. Et pro eo quod nos vertimus, *est enim marito juncta*, habetur in Hebræo, *est enim maritata marito.*

5. *In integritate*] Aut, si mavis, *in perfectione cordis mei* h. e. non cogitavi quidem male agere. Tantum abest ut etiam opere peccatum commiserim. Sic enim R. S. hunc locum interpretatur.

12. *Soror mea est*] Fuit soror ejus, sicut Lot frater ejus. Dixit enim supra, *Viri fratres sumus*, cum fratrum essent filii. Sic illam Hebræi putant fratris fuisse filiam, qui frater aliam quam Abraham habuit matrem; h. e. Sara neptis fuit Therah ex filio, & neptis Abrahæ ex fratre.

13. *Exsulare fecisset Deus*] Habet Hebræus textus, *Cum me Dii errare fecissent.* Invenitur quidem *Elohim* fere semper in plurali; sed rarissimè, ut hic, additur illi verbum plurale. Onkelos tali periphrasi hic utitur, *Cum errarent populi post opera manuum suarum, applicavit me Dominus cultui suo*, &c.

16, *Ecce est tibi in velamen*] Sudant hic multi ut sententiam istam explicent, verum nescio quam bene verba illorum textui respondeant. Gerundensis breviter sic exponit, *Ecce argentum & munus illud quod tibi dedi, erit omnibus qui tecum fuerint in operimentum oculorum. Nam operient oculos suos ne te aspiciant, dicentes, Rex Abimelech per hanc pecuniam redemit animam suam, eo quod misisset manum in uxorem prophetæ.* Et quod sequitur, *Et sic cum omnibus reprehensa est*, dicit D.K. post Aben Ezra, esse verba Mosis legislatoris; nempe, Quod ob hujusemodi verba, *Frater meus est*, ab omnibus fuerit reprehensa, ne videlicet ita diceret. In Ægypto enim etiam sic dixerat, & fortasse in aliis locis. Id autem colligit ex conjunctione Vau in dictione ונכחת. Nescio quid hic Sancti in mentem venerit, ut pro נוכחת verterit, *erudivit* se, cum sit participium passivum à radice יכח *corripuit.* Alii ex נוכחת faciunt nomen, vertuntque *evidens argumentum coram omnibus*, &c. Sic & R. S. putat memoratam dictionem capiendum pro בירור דברים *conspicuitate* seu *evidentia rei.* Porro quod sequitur, *Claudendo repressit*; in Hebræo est unum & idem verbum, *claudendo clausit* vel *continendo continuit circa vulvam*, ut scilicet maturam prolem non potuerint eniti. Autumat Gerundensis etiam regem in veretro percussum, cum Scriptura dicat, *Non permisi ut tangeres eam.*

FAGIUS.

5. I*N veritate cordis mei*, &c.] Per *veritatem cordis* intelligit se non fœdæ libidinis cupiditate motum fuisse ut eam ad se acceperit, animo scortandi cum ea, sed ut eam sibi justo matrimonio copularet: Per *innocentiam* vero *manuum* innuit se non violenter abstulisse eam Abrahamo, sed cum ipsorum amborum consensu illam ad se transtulisse.

7. *Quoniam Propheta est*] Prophetam Hebraice נביא appellatum putant, vel à בוא, i. *veniendo, accedendo, ingrediendo*; quod scilicet talis homo sit ad quem Deus veniat & ingrediatur occulto quodam afflatu Spiritus sui, per quem illi mentem suam revelat, res arcanas manifestet, ut eas non tantum pro se cognoscat, sed aliis etiam annunciare, atque ita futura prædicere, possit: Vel à נב, quod fari & loqui significat quod scilicet consilium, mentem Dei, atque ita res occultas & arcanas, aliis effetur, exponat atque prædicet. R. S. commentator Hebræus in Exod. 7. 1. suo in commentario ita scribit, כל לשון נבואה אדם המכריז ומשמיע לעם דברי תוכחות והוא מגזרת ניב שפתים וגו', i. *Propheta vocabulum ubique significat hominem qui præconizat & audire facit populum verba objurgatoria. Deductum à verbo* נב, i. *Eloqui, Effari.* Is scilicet qui vulgo *prædicator* dicitur. Videtur ergo is hujus loci sensus esse, *Quoniam propheta est.* q. d. Quoniam talis est cum quo mihi commercium sit; unde & preces ejus ad me facile recipio & exaudio: Dein, quia etiam arcanarum rerum conscius est, novit te uxorem suam Saram non commaculasse, ideoque eo promptius pro te orabit.

11. *Quia dixi*] Verbum אמר quia Hebræis aliquando etiam *cogitare* significat, per *cogitavi* etiam non inepte hic reddi potest.

13. *Post opera manuum suarum*] Intelligit idola, quæ manibus, arte & industria humana parantur. Per *timorem* vero verum Dei cultum notat. In cultu enim Dei præcipuum est ut timeatur: Qui enim non agnoscit & credit Deum esse remuneratorem omnis boni, vindicem omnis mali, is nunquam recte se & vitam suam attemperat ad illius arbitrium & voluntatem.

16. *Ipsum est tibi velamen honoris*, &c.] Pronomen relativum הוא ambiguum est. Referri enim potest vel ad Abrahamum. q. d. Abraham frater tuus, cui dedi tot siclos argenteos, *ipse erit velamen honoris*, Ipse defendet & tuebitur te, si quis velit famam tuam lædere propterea quod mecum fueris. Vel, Ipsum argentum quod donavi fratri tuo, argumentum est tuæ pudicitiæ, quod nihil tecum rei habuerim, non te fœdaverim, etiamsi mecum fueris.

18. *Omne ostium vulvæ*] Chaldaice ad verbum est, *In facie omnis ostii vulvæ*, &c. Intelligunt plagam fuisse, ut non potuerint eniti prolem maturam. Quidam etiam ipsum regem Abimelech punitum sentiunt, percussum scilicet in veretro fuisse, ut non potuerit coire cum Sara. Sed refellit hoc Aben Ezra, qui contendit, plagam inflictam à Domino Abimelecho tantum ad mulieres referendam esse.

IDEM.

13. ויהי כאשר התעו אתי אלהים מבית אבי, *Factumque est cum me exsulare fecisset Deus de domo patris mei.*] Varietas est in his כאשר התעו אתי אלהים, i. *cum fecissent errare me Dii.* Quæ Lxx. & Vulg. edit. Lat. autor singulariter extulere, veriti fortassis ne si pluraliter reddidissent, occasionem plures adserendi deos dedissent. Porro nec satis faciunt verbo Hebraico התעה, quod per *educere* reddiderunt; cum hoc verbum non simpliciter *educere* significat, sed sic ut nescias quo pergas, quo divertas,

tas, cumque nusquam habeas certam & fixam domum, sed incertis oberres sedibus. Respicit enim Abraham ad hoc quod dixerat ad eum Dominus, supra cap. 12. *Egredere de terra, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, &c. ubi non dicit, vade in hanc vel in illam terram, sed in terram incognitam, quam monstraturus est Deus, &c. ideo dicit hic, *Cum oberrare* (sive *exsulare*) *me fecisset Deus*, &c. Onkelus Chaldæus plane aliam habet sententiam, cui nimirum occasionem præbuit, quod verbum תעה alicubi & *post deos alienos atque idola errare* significat.

16. הנה נתתי אלף כסף לאחיך הנה הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת, *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, ecce est tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt : & sic cum omnibus reprehensa est.*] Magna est varietas circa hunc locum non tam in verborum redditione quam & in ipso sensu. Primum variatur in pronomine relativo הוא, quod cum masc. generis sit, alii ad Abrahamum, alii ad argentum, quod & ipsum Hebræis masculinum est, referunt : unde sic legunt, *Et ipse*, scilicet Abraham, *erit tibi velamen oculorum.* Alii, *Et ipsum*, scilicet argentum, &c. *Velamen* autem *oculorum* intelligunt, quod nemo audebit oculos suos attollere contra Saram ac vilipendere eam, eo quod fuerit cum rege Abimelech, cum viderent quam magnifice ea dotata fuerit à Rege. Nec desunt apud Hebræos qui per כסות עינים dici putant vestem pretiosam & honorificam, quam omnes appetunt. Dein variatio est circa illud את כל. Quidam enim legunt, *apud omnes*, scilicet *mortales*, non tantum domesticos sed & extraneos. Alii reddunt, *ubique*, sive *in omni loco*, quod sequitur Lat. Vulg. editio; *Et quocunque perrexeris*, &c. Postremo, dissonantia est in voce ונכחת. Quidam enim nominaliter, alii verbaliter legunt. Nominaliter sic, *Et argumentum, probatio*, seu *evidentia*, erit pecunia quam dedi tibi, quod nihil tecum rei habuerim, te non fœdarim: Verbaliter sic, *Et reprehensa est*, scilicet Sarah; quod dixerat Abrahamum fratrem suum esse, admonita videlicet, castigata & erudita, ut posthac sibi ejusmodi dicere temperaret, nec amplius diceret se sororem Abrahami esse. Cui sententiæ adstipulantur LXX. qui legunt, *Et omnia vere loquere.* Mihi certe Lat. Vulg. translatio in hunc locum præ aliis omnibus probatur, ut quæ ad veritatem Hebraicam proxime omnium accessisse videtur.

VATABLUS.

2. D*ixitque* ויאמר] *Dicebatque* de more suo scilicet, interrogantibus quæ esset ipsa. ¶ *Et accepit Saram.* ויקח את שרה] i. missis nuntiis abduxit Abimelech Saram in domum suam.

3. *In somnio noctu*, בחלום הלילה] *per somnium noctu.* i. in visione nocturna. ¶ *Et mortuus es* הנך מת] i. actum est de te, sive de vita tua.

4. *Non appropinquaverat illi :* לא קרב אליה] Hebraico more dixit, *non fuerat congressus cum ea.* ¶ *Nunquid gentem*, &c. הגוי וגו] i. utrum familiam unam totam, quæ etiam nihil peccavit in te, interficies? q.d. Non. Quod quidam ita exponunt quasi Abimelech tacite se cum Sodomitis conferat, nimis forte argutum est. Simplicior sensus videtur, Domine, quantumvis acriter adulteria punias, an se ira tua in homines innoxios effundet, qui errore potius lapsi sunt quam scientes ac volentes peccarint?

5. *Interfectione* בתם] *in integritate, in simplicitate. Cordis simplicitatem* vocat ignorantiam, quæ malæ conscientiæ opponitur. q.d. Quum illam abduxi in domum meam, simplici animo feci, non existimans me quicquam male facere. Hebraismus. ¶ *Et in munditia* ובנקין] *& in puritate. Manuum puritas* sive *munditia* nihil aliud est quam moderatio, dum se à vi & injuriis abstinent homines.

6. *Prohibui itaque ego te* ואחשך גם אנכי אותך] *retinui itaque ego te.* Ad verbum, *& prohibui etiam ego te.*

7. *Et vives.* וחיה] Ad verbum, *& vive, ut superstes vivas.* Imper. pro fut.

8. *Et narravit*, &c. וידבר וגו] Ad verbum, *& locutus est*, &c. Hebraismus, Latine dixeris, *narravit illis hæc omnia quæ illi dixerat Deus, illis omnibus audientibus.*

10. *Et adjecit* ויאמר] Ad verbum, *Et dixit.* ¶ *Spectasti* ראית] Ad verbum, *vidisti.* Alii, *considerasti.* i. Quid tibi venit in mentem quod, &c.

11. *Dixi* אמרתי] i. ita reputavi apud me. ¶ *Vere* רק] *Tantum, Tantummodo.* q.d. Hoc uno carere videtur hic locus alioqui elegantissimus, quod incolæ ejus Deum non timent. ¶ *Propter uxorem meam.* : על דבר אשתי] Ad verbum, *super re uxoris meæ.* i. ratione uxoris meæ.

12. *Et etiam* וגם] *Præterea. Adhuc. Insuper.* ¶ *Soror mea* אחתי] Soror ejus fuit, sicut Lot frater ejus. dixit enim supra c. 13. 8. *Viri fratres sumus*; quum Lot fratris filius esset. Thare pater Abraham, genuit Aran : Aran genuit Sarai : Ita Sarai erat filia, i. neptis, Thare patris Abrahæ. Nam apud Hebræos nepos vocatur *frater*, & neptis *filia.* *Soror* igitur *mea est*, i. neptis ex fratre; *neptis patris mei* ex filio, *non autem neptis matris meæ.* nam Aran fratrem meum sustulit pater meus ex alia uxore quam ex matre mea. Alii sic interpretantur, *Vere soror mea est, filia Thare patris mei, sed ex alia uxore quam ex matre mea.* Creditur enim Thare duas habuisse uxores, ex quarum altera Saram sustulerit, ex altera Abrahamum & fratres ejus. ¶ *Et fuit*, &c. :ותהי לי לאשה] i. quamvis ipsa soror mihi sit, accepi tamen eam mihi in uxorem.

13. *Evenit autem* ויהי] Ad verbum, *Et fuit.* ¶ *Errare fecit me Deus* התעו אתי אלהים] Ad verbum, *errare fecerunt me Deus.* Plur. verbum pro sing. i. errabundum eduxit me domo paterna. h. e. jussit ut discederem à domo paterna, & quærerem sedes quas mihi monstraret. Alii vertunt, *quando circunduxerunt me Angeli* : nam quia verbum habetur pluralis numeri, potius de Angelis exponendum videtur, quod circunduxerint Abraham per varios errores. Quidam nimis argute Personarum colligunt Trinitatem, quasi scriptum esset, *Dii me fecerunt errare.* Fateor quidem, nomen אלהים pro *Deo* passim accipi in Scriptura, sed tunc semper verbi numerus est singularis : ubi autem accedit verbum plurale, tunc *Angelos* vel *principes* significat. Non conqueritur autem de Angelis Abraham quod fallaci eorum ductu vagatus fuerit, sed notat qualis fuerit pridem sua conditio, nempe quod relicta patria non modo in terram longinquam migraverit, sed subinde coactus fuerit mutare hospitium. ¶ *Hæc est misericordia*, &c. זה חסדך וגו] Hebraismus, *Hoc mihi beneficium præstabis.* ¶ *De me*, לי] *propter me.* i. in gratiam mei.

15. *Coram te*, לפניך] *in conspectu tuo.* i. tota regio mihi subdita tibi conspicua est. ¶ *Ubi tibi* &c. בטוב וגו] Ad verbum, *in bono in oculis tuis.* Hebraismus, In ea parte quæ videbitur tibi optima, & maxime allubuerit, delige tibi sedem.

16. *Mille argenteos* אלף כסף] Chald. paraph. *mille siclos argenti*, ¶ *Velamen oculorum*, &c. כסות עינים וגו] i. propugnator est pudoris tui: quicunque tibi eum esse virum noverit, oculos à te avertet, & ab ancillis tuis. Alii vertunt, *velamen oculorum omnibus qui tecum sunt.* Docetur Sara, maritum, cui juncta est, instar veli esse, quo se tegere debeat, ne exposita sit alienis. Paulus, 1 Cor. 11. 10. dicit velum quod capite gestant mulieres, subjectionis esse symbolum : unde ipso matrimonii ordine quasi velatæ sunt. Dicit igitur Moses, Tu si viro careres, obnoxia esses multis periculis: nunc quum tibi pudicitiæ custodem Deus præfecerit, decuit te latere sub velo illo: cur igitur te sponte nudasti? Hæc legitima objurgatio fuit, quod Sara se in mariti potestate esse dissimulans, Divino præsidio se nudasset, atque ita reprehensa fuit. *Et in omnibus erudita fuit.* : ואת כל ונכחת] *& cum omnibus his erudita fuit*; vel, *per hæc omnia*; aut *propter hæc omnia*; quæ scilicet acciderunt ei tam apud Pharaonem quam Abimelech, *erudita fuit*, ne ultra diceret se sororem esse Abrahæ. Nam si dixisset se fuisse uxorem, non fuisset rapta ab illis. Alii vertunt, *& in omnibus correpta fuit*, vel *castigata.* q. d. Moses, passum fuisse Dominum ut Sara à profano Rege coargueretur, quo majore verecundia eam afficeret.

18. *Claudendo clauserat* עצר עצר] Hebraismus, Steriles prorsus & infœcundas reddiderat Dominus omnes mulieres totius familiæ Abimelech.

CASTALIO.

4. E*Tiamne insontes interficies?*] Heb. *Etiamne gentem justam?* Eodem modo locutus est Virgilius, *Vigilasne deum gens Ænea?* cum de uno loqueretur. Et Gallice sic, *Dois tu faire mourir les gens de bien?* etiam si quis de uno loquatur.

12. *Mea soror ex patre est*] h.e. Consanguinea (sic enim loquuntur Hebræi) Thara meo patre prognata, sed non matre mea. Nam non eadem matre nati sunt Abrahamus & Saræ pater Haran. Verum ambiguitas in Hebræo sermone est, quæ in Latino non esset, si *consanguinea* diceretur.

13. *Sed cum me Deus à domo paterna abstraheret*) Heb. *Cum me Dii abstraherent.* Nam quia *Dei* vocabulum אלהים pluralis est numeri, positum est etiam verbum in eodem numero, ut & infra cap. 35. & 1. Reg. 28. ubi sic ad verbum loquitur saga, *Video divos ascendentes de terra.* Nam eam de uno loqui, patet

ex ipsa narratione, quod dicitur Samuelem conspicata, & Saulus quærit quæ sit ejus species. Sic loquuntur & Latini in nominibus singulari carentibus, quæ in alienam lingua per singularem numerum interdum transferenda sunt; ut si *nuptias* vertas γάμον aut Hochzeit.

14. *Pecora & boves*] צאן ovium & caprarum generale est, ut Græcum μῆλον, & Latinum *balantes*, à voce denominatum. Sed quia durius esset, malo aut *pecora* dicere, ut Plinius, aut utrumque ponere. Quanquam alicubi *balantes* appellabo, ut significantius interpreter.

16. *Qua tu tui pudoris defensione*] Heb. *Quod quidem tibi erit tegumento oculorum apud omnes qui tecum sunt, & apud omnes, & purgationi*, sive *defensioni*. *Tegumentum* autem *oculorum* dictum est *pro defensione pudoris*, quoniam pudicæ solent velari, propter virorum verecundiam; ut Rebecca cum Isaaco occurrit: cum impudicæ virorum aspectum nihil vereantur. Est igitur hic sensus, Nummos dedi, non tibi, ne videar pretium dedisse pudoris; sed tuo viro, homini honesto: qui eos profecto non accepisset, si te à me corruptam putaret, ne suæ conjugis pudorem vendidisse putaretur. His nummis volo testatum, te à me esse integram: atque hoc tibi defensioni erit, si quis forte te vituperet. Quod autem verto, *Apud alienos*, in Hebræo est, *Apud omnes*. Sed quoniam jam dixerat *Tuos*, hic intelligendum est, *Alienos*: id quod sæpe fit. Ut cum dicit Balaamus, *Israeliticum populum non habitum iri inter gentes*, hoc intelligendum est, *inter cæteras gentes*, & cum jubet Christus *ea nos hominibus facere quæ nobis fieri velimus*, intelligitur, *aliis hominibus*.

CLARIUS.

5. IN *simplicitate cordis*] Vel, *in perfectione cordis mei*. h. e. Ne cogitavi quidem male agere; tantum abest ut facto peccaverim.

12. *Soror mea est*] Fuit soror ejus, sicut Lot frater. Dixit enim supra, *Viri fratres sumus*, cum fratrum essent filii. Sic illam Hebræi putant fratris fuisse filiam, qui frater aliam quam Abraham habuerit matrem.

13. *Eduxit me Deus*] In Hebræo est, *Eduxerunt me Dii*. Invenitur quidem *Elohim* fere semper in plurali, sed rarissime, ut hic, additur illi verbum plurale.

16. *Hoc erit tibi in velamen*] Varie exponitur hæc sententia. Nam quidam sic exponunt, *Ecce argentum & munus illud quod tibi dedi, erit omnibus qui tecum fuerint in operimentum oculorum. Nam operient oculos suos ne te aspiciant, dicentes: Rex Abimelech per hanc pecuniam redemit animam suam, eo quod misisset manum in uxorem prophetæ*. Alius hoc modo, *Erit hoc argentum prætextus excusationis tuæ ad omnes quibuscum versaberis; & qui ausi fuerint te arguere, aut honorem tuum commaculare*. Illud vero, *Et quocunque perrexeris, memento te reprehensam*, exspatiatus est de more interpres. Alii verterunt, *Ad omnem arguentem*. Alii, *Et sic cum omnibus reprehensa est*. Et hanc interpretationem sic exponunt ut sint verba Mosis legislatoris, nempe quod ob hujuscemodi verba, *Frater meus est*, ab omnibus fuerit reprehensa, ne videlicet ita diceret. In Ægypto enim etiam sic dixerat, & fortasse in aliis quoque locis.

18. *Omnem vulvam*] Ut scilicet maturam prolem non potuerint eniti. Autumant etiam regem in veretro percussum, cum Scriptura dicat, *Non permisi ut tangeres eam*.

DRUSIUS.

13. ERat qui verum esse putat quod falsum est, & contra falsum, quod verum. Hic error vocatur proprie *error doctrinæ*, de quo doctores Ebræi, *Error doctrinæ ascendit in arrogantiam*. Nam fere qui in doctrina errant, etiam arrogantes sunt. Opinio enim falsæ scientiæ ipsos tales facit, juxta illud, *Scientia inflat*: quod nescio an de vera scientia possit accipi. Nam ea non inflat, sed modestiam conciliat. Quo enim quis plus veræ scientiæ habet, eo modestior est. *Errat* etiam qui viæ ignarus extra institutum iter deflectit, ut *ovis errans*: quo per translationem significatur is qui à via veritatis divertit. Legimus etiam Gen. 23. 13. *Cum errare fecisset me Deus*, sed alio sensu. Nam Deus neminem in errorem inducit. Quid igitur? *Errat* & qui incertis sedibus vagatur, unde *erro* dictus & *errores*. Nam *errare* est huc illuc vagari. Vocat ergo peregrinationem suam *errorem*, quæ cœpit cum jussus esset exire ex Ure Chaldæorum. Proinde Senes hic habent ἐξήγαγε, & Hieron. *eduxit*, sensum magis quam verbum è verbo exprimentes. Sane ex quo eductus fuit à Deo e natali solo nusquam fixam sedem habuit, sed huc illuc per peregrinas regiones divagatus est. Primum in Mesopotamia sedit: inde se transtulit in terram Chanaan, cujus pars Palæstina proprie dicta, quam etiam frequentavit: Sed & propter famem quæ in ea regione erat in Ægyptum concessit: Ita ut hanc sedium frequentem mutationem merito vocet *errorem*, vel, si mavis, *errationem*. Hoc exiguam controversiam habet. Illud nunc quæritur, Cur, cum in fonte sit, *errare fecerunt Dii*, interpretes vertunt, *errare fecit Deus*? Hanc quæstionem solutam invenies in magnis Annotationibus quas olim scripsi ad hunc librum. Quibus addo, Græcos & Latinum interpretem locum hunc de vero Deo accepisse, qui dixerat Abrahamo, *Exi e terra tua*. Ideo usi sunt singulari Θεὸς, *Deus*, ut semper quando nomen hoc de vero Deo dicitur. Intelligo nomen *Elohim*, quod hic verbum adjunctum habet plurale. Quod si hoc modo constructum reddunt singulariter, multo magis id fecissent Gen. 4. vertendo, *eritis sicut Deus*, si locum illum de vero Deo intellexissent. Nunc cum vertant, *eritis sicut dii*, certum est aliter intellexisse. Nam Personæ nusquam *Dii* vocantur: aut, si sic vocantur, cur non possumus dicere tres Deos esse, cum sint tres Personæ? Sic hoc loco, si quis vertendum contendet, *cum errare fecissent me dii*, non repugnabo, si per *deos* intelliget idola Chaldæorum, propter quæ Abraham coactus fuit Ure Chaldæorum excedere, & alias sedes oberrando quærere. Sed vide quæ ad hunc locum in magnis Annotationibus observavimus.

16. *Dedi tibi mille argenteos*] Hunc locum de siclis enarrant, qui Græce τὰ δίδραχμα. unde hic in Lxx. χίλια δίδραχμα, & Jes. 7. 23. χιλίων σίκλων, ubi idem vocabulum in Ebræo. In voce Græca dupliciter erratur. Primum ab iis qui scribunt δίδραγμον per γ, quod potius *duos manipulos* designat: siquidem δράγμα *manipulus*. Deinde peccant qui vertunt *duas didrachmas*, ac si esset à singulari δίδραχμα *didrachma*, *æ*, cum sit pluralis τὰ δίδραχμα, à singulari δίδραχμον. unde reddi debet *duo didrachma*: ut Mat. 17. 24. *solvit didrachma*, non *didrachmam*. Igitur 2 Machab. 4. 19. ubi vulgo *didrachmas tredecim*, est cur malim *didrachma tredecim*. Gravius errant qui dicunt, *didrachmate persoluto*, ac si esset τὸ δίδραχμα, τοῦ διδράχματος. Dicendum enim *didrachmo persoluto*, non *didrachmate*. Nam Græce δίδραχμον, & Latine *didrachmum*, licet derivatum sit à δραχμή, quam Latini autores *drachmam* appellant. Est autem *drachma* idem quod *Zuz*, unde Syrus interpres in loco Matthæi modò citato pro τὰ δίδραχμα תרין זוזין interpretatur. Fuit aliquando tempus cum putarem *didrachmam* vocabulum esse sequioris ævi, cum *pascua* dicerent *pascua*, à plurali *pascua*: & *chronica*, *chronica*, à plurali τὰ χρονικά, & *Biblia*, *æ*, à plurali τὰ βιβλία. Quocirca dixi gravius errare qui *didrachmata* inflectunt quam qui *didrachmas*, ut est in codicibus editionis Vulgatæ.

IDEM.

2. אֶל־שָׂרָה אִשְׁתּוֹ A. *Et dixit Abraham ad Saram uxorem suam, Soror mea*] Procop. pag. 141. Lxx. περὶ Σάῤῥας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, *de Sara uxore sua*. Magis se probant mihi. Nam etiam Ebræi notant אל hoc loco poni pro בעבור, h. e. *ad* pro *de*, περὶ. Sic אמרי לי *dic de me*. Tollit omnem dubitationem pronomen tertiæ personæ הוא, quod scribitur cum Vau & legitur cum Jod, valetque *ipsa*, ut dicat, *Soror mea ipsa*. sub. *est*.

10. מָה רָאִיתָ כִּי עָשִׂיתָ אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה A. Τί εἶδες, ὅτι ἐποίησας σὺ τὸ ῥῆμα τοῦτο; *Quid vidisti, quod feceris verbum istud?*] אתה videtur legisse pro את articulo quarti casus. Sym. Τί ἰδὼν ἐποίησας τὸ πρᾶγμα τοῦτο; *Quid videns, fecisti rem istam?* Th. Τί ἑώρακας, ὅτι ἐποίησας τὸν λόγον τοῦτον; *Quid vidisti, quia fecisti sermonem istum*. i. rem istam. Sic apud Sophoclem πάντα λόγον, *omnem rem*. Locus est in Ajace, nisi fallor.

NOTÆ MAJORES.

1. *Profectus autem inde Abraham in terram australem habitavit inter Cades & Sur: & peregrinatus est Gerare.*

Inde] Ex Elone Mamre videl. ubi annos 17. aut eo plus habitaverat. ¶ *Profectus*] Lxx. ἐκίνησεν i. movit. ¶ *In terram australem*] ארצה הנגב in terram austri i. australem. On. & Jon. לארע דרומא. Sunt autem Darom & Nageb synonyma. Utroque meridies significatur sive auster. Austrum autem nunc voco eam partem Judææ quæ ad austrum vergit Ægyptum versus. Nam Ægyptus respectu Judææ australis erat. Aliquando Idumæa hoc nomine significatur. Hiero. in Joëlem, *Theman*

Idu-

Idumaeorum regio est, quae & Darom & Nageb dicitur, eo quod Eurum & Austrum, Africumque respiciat. Lxx. εἰς γῆν πρὸς λίβα: in terram ad Africum. ¶ *Habitavit*] ᾤκησεν. ¶ *Inter Cades*] ἀνὰ μέσον Κάδης. On. & Jon. *inter Recam*, quod scribunt רְקָם. Est autem רְקָם Petra Arabiae urbs. Antiquis Recem dicebatur. In Josepho est Ἀρεκέμ i. הָרְקָם. Graece Πέτρα. Eusebius de locis, *Recem, haec est Petra civitas Arabiae, in qua regnavit Recan, quem interfecerunt filii Israël. Dicitur autem ipse quoque rex Madiam.* Idem in Sur, *Cades, solitudo est super Petram urbem.* Pro רְקָם scribi potest רֶקֶם ut בַּשַּׂר dicimus pro בָּשָׂר. Forte desertum hoc ita Syris dicebatur ab urbe vicina. Sanè interpretes Chaldaei, teste Elia, ubicunque est קדש in fonte, posuerunt vertentes רקם. Vide Gen. 14. 7. & 16. 14. item quae notavimus ad illa loca. Vide quoque Josephum Ant. hist. lib. 4. cap. 5. Obiter noto, Quae Cadesbarnea vocatur Jos. 10. eam Jon. appellat Recem Gea i. inclyta, superba, magnifica. Consule sis Masium pag. 201. ¶ *Sur*] Σούρ. Nomen deserti, quod paraphrastae Chaldaeorum appellant *desertum Hagrae*. Vide quae scripsimus Gen. 16. 7. Hagrae Plinius etiam meminit. Autor Jerosol. in citato loco Halusa i. חֲלוּצָה vocat. Eusebius, *Extenditur desertum Sur usque ad mare rubrum, quod adae Aegypti confinia pervenit.* Et mox, *Sed & Scriptura desertum Cades contra faciem Aegypti extendi memorat: ad quod primum venere Ebraei rubro mari transvadato.* ¶ *Peregrinatus est*] peregrinus & advena fuit, quod Graeci dicunt παρῴκησεν, commoratus est. Interpres Ro. convertit, *incola fuit.* Quod autem in Ion. אִתּוֹתַב putarim mendum esse pro eo quod in On. אִתּוֹתַב. Nam proclivis sane lapsus de Vau in Nun. Recentior edit. quaedam hic habet, *hospitatus est:* quod de eo dicitur & qui alicujus hospitio utitur, & qui aliquem in hospitium recipit. ¶ *Gerara*] בִּגְרָר in Gerar i. Gerarae vel Geraris. Hoc elegerunt prisci interpretes Lxx. & Hiero. Graece ἐν Γεράροις. Ut τὰ σόδομα dicebant, sic etiam τὰ γέραρα. Gen. 16. 1. *abiit in Serara.* Eusebius, *Gerara, ex cujus nomine nunc Gerarитica vocatur regio trans Daroma procul ab Eleutheropoli viginti millibus & quinque ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananaeorum ad australem plagam, & civitas metropolis Palestinae. Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades & Sur, h. e. inter duas solitudines, quarum una Aegypto jungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit: altera vero Cades usque ad Saracenorum eremum extenditur.*

2. *Dixitque Abraham de Sara uxore sua, Soror mea est: misit ergo Abimelech rex Gerarae, & accepit Saram.*

De Sara] אֶל שָׂרָה περὶ σάῤῥας: *de Sara.* Lxx. Hiero. על שרה On. Jon. Ergo אֶל hic pro עַל usurpatur. Quod aliis exemplis probat R. Salo. Ubi res minime controversa, nihil opus probationis. ¶ *Misit & accepit*] Latine, misit qui acciperent, aut missis aulicis accepit eum. Et *accepit* i. abduxit aut abducendam curavit, nempe in aulam suam. Libri Graeci ante haec verba luxuriant à glossemate, quod aliunde huc translatum videtur, ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν ὅτι γυνή μου ἐστὶ μήποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως δι' αὐτήν. ¶ *Abimelech*] אֲבִי מֶלֶךְ Ἀβιμέλεχ i. pater regis. Nam *pater meus rex*, quod in Philone ac Origene, Ebraice scriberetur אָבִי מֶלֶךְ. Nomen fuit olim commune regum Palaestinae, sicut Agag Amalecitarum. David Camius in Comment. ad ver. 1. Psal. 34. Basilius Hom. 59. in Psalmos. *Reges Palaestinorum uno eodemque nomine Abimelech appellabantur, quemadmodum Aegypti reges Pharaonis nomine insigniti erant.* Glossa Graeca Gen. 26. ad vers. 1. *Non personae nomen est, sed dignitatis apud Palaestinos.* Autor Catenae in eodem loco. ¶ *Rex Gerarae*] nam Gerarae habitabat, erat alioqui rex Philisthaeorum Gen. 26. 1. ¶ *Accepit*] tulit, assumsit, abstulit, duxit. Quod ambo Chaldaei per דבר, extulerunt. ἔλαβε Lxx. *accersivit.* alius וקרא. ¶ *Saram*] pro *eam*, nomen loco pronominis.

3. *Venit autem Deus ad Abimelech in somnio noctis & dixit ei, En tu morieris propter mulierem quam accepisti: est enim nupta viro.*

Deus] *sermo à coram Deo.* On. & Jon. *angelus Dei.* Abenez. ¶ *In somnio noctis*] בַּחֲלוֹם הַלָּיְלָה in somnio noctis, vel in somnio nocte. Illud On. & Ion. ediderunt: hoc Lxx. & Hiero. nisi quod in Hiero. *per somnium nocte:* in Lxx. vero ἐν ὕπνῳ τὴν νύκτα in somno nocte. חלום potius est ὄναρ i. somnium, insomnium: unde κατ' ὄναρ per somnium, per quietem, in somnis. Somnus autem שֵׁנָה dicitur. Santes, *in somnio noctis.* Trem. *in somnio nocturno.* Gall. edit. *par songe de nuit:* per somnium noctis. ¶ *En tu morieris*] הִנְּךָ מֵת ecce tu moreris i. morieris. Quale illud supra 19. 13. *Nos perdimus locum hunc* i. perdemus. Nuperus interpres, *illico morieris.* Lxx. ἰδοὺ σὺ ἀποθνήσκεις: ecce tu morieris. Sic etiam On. & Ion. Hiero. *En morieris:* quem secuti sumus. Est tamen cur malim *moreris.* Nam magis implet aures meas, & peculiarem emphasin habet ut si dicas, statim morieris. Nam praesens non simpliciter pro futuro ponitur, sed pro eo tempore quod paullo post futurum appellant. מֵת accipio ut sit nomen pro benoni, quod vocant. Grammatici me intelligunt. מֵת moriens, ut חָפֵץ volens; בִּין intelligens. Alii nomen esse malunt, in queis Trem. qui vertit ἰδοὺ σὺ νεκρὸς, *ecce tu mortuus.* Santes quoque *tu es mortuus.* Minus probo. Sic vertendum putarim Gen. 30. 11. אנכי מת הנה morior ego: & Exod. 12. *nos morimur:* & Zach. 11. *quae moritur, moriatur.* ¶ *Propter mulierem*] *propter negotium mulieris.* On. & Ion. περὶ τῆς γυναικὸς: de muliere i. quod mulierem attinet. Male vertunt, meo judicio, *propter uxorem.* Nam אשה hic sig. mulierem potius quam uxorem. ¶ *Accepisti*] cepisti, duxisti, rapuisti. ¶ *Est enim nupta viro*] והוא בעלת בעל cum sit nupta viro. Hiero. *habet enim virum.* Santes, *& ipsa est maritata marito.* Alius, *cum sit juncta viro.* On. *& ipsa est uxor viri.* Uxor viri Graece dicitur à Syrachide γυνὴ ὕπανδρος: Ebraice à Salomone אשת איש, & interdum pro meretrice sumitur. Ion. *cum sit subacta viro.* Chaldaice בעילת לגבר. LXX. αὕτη δ' ἐστὶ συνῳκηκυῖα ἀνδρί: ipsa vero est cohabitans viro. Sic interpres Rom. Malim, ipsa viro est connubio juncta, vel nupta viro. Nam συνοικοῦσα dicitur uxor quae nupta est. Sic Lucianus συνοικοῦσα τῷ ἀνδρὶ, & Plutarchus Pericle συνῳκηκυῖαν τῷ Ἱππονίκῳ: quae Hipponico juncta erat. Hinc lucem facies Sirachidi 42. 15. ἐν συνῳκηκυίᾳ μήποτε στερηθῇ i. בעולה subacta aut maritata; vel si mavis, nupta. Sed in priore membro μετ' ἀνδρὸς οὔσα: quod viro junctam sive nuptam potius designat. Hic aliquid aliud innui videtur. Sane nupta esse potest aut matrimonio juncta, quae tamen non sit בעולה sive quae muliebris patientiae jugum non subierit. Ceterum pro בעולה in manuscriptis Hiero. est *bula:* unde fortasse an Germanicum Buse: quod Belgae dicunt een boel. Sit hoc arbitrarium non certum.

4. *Abimelech autem non accesserat ad eam, & dixit, Domine, an gentem etiam justam occides?*

Non accesserat] vel, *non appropinquaverat*, οὐκ ἤγγισε Matth. 3. 2. Nam קָרַב proprie appropinquo, ἐγγίζω. Accedo potius גש dicitur. Sententia est, Non habuerat rem cum ea, non violaverat eam. Hoc Graeci dicunt οὐχ ἥψατο αὐτῆς, & Hiero. *non tetigerat eam*, לא נגע בה. ¶ *An gentem etiam justam occides.*] Quidam exponunt, *An virum etiam justum occides?* Id improbat Abenez. Mihi quoque valde improbatur. Nam gens pro viro nusquam invenitur quod sciam. Malo accipere ut sonat. Tota enim gens punienda erat, si Saram violasset Abimelech. Saltem ita minatus est Deus. Scitum illud, *Quicquid delirant reges plectuntur Achivi.* On. *An populum etiam justum occides?* Ion. *an filius populorum, qui non peccavit, etiam potest se purgare judicio, occidetur?* Filius populorum i. populus, ut *Filius Graecorum*, Graecus: *Filius Aethiopum*, Aethiops. ¶ *Gentem justam*] LXX. ἔθνος ἀγνοοῦν καὶ δίκαιον. Hiero. *gentem ignorantem & justam.* ¶ *Justam*] insontem, innoxiam, innocentem.

5. *Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est, & ipsa etiam ipsa dixit mihi, Frater meus est? in integritate cordis mei, & in puritate manuum mearum feci hoc.*

In integritate cordis mei] בתם לבבי q.d. cum hoc facerem, nihil mali habebam in animo, nihil mali cogitabam: cor meum integrum ac sincerum erat. LXX. ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ: puro corde. Hiero. *in simplicitate cordis mei.* On. & Ion. *in veritate cordis mei.* Idem aliter. Veritas enim opponitur falso simulationis: unde *veritatem facere* dicitur, qui sincere & integre vivit cum hominibus. Cor ergo verum i. apertum, integrum, nullo simulationis fuco tectum. Trem. *cum integritate cordis mei.* Santes, *in perfectione cordis mei.* ¶ *In puritate manuum mearum*] בנקין כפי in munditia manuum mearum. Significat se purum esse ab omni flagitio. Nam manus est instrumentum actionum. Unde puras manus habere dicitur qui culpa vacat. LXX. ἐν δικαιοσύνῃ χειρῶν: in justitia manuum. On. & Ion. *in puritate manuum mearum.* Nam נקיון puritas, munditia: item innocentia. Sed & justitia eo nomine venit. Itaque supra צדיק convertimus *justum*; cum proprie purum aut innocentem denotet.

6. *Insuper dixit ei Deus in somnio, Etiam ego novi quod in integritate cordis tui feceris hoc: quin cohibui etiam ego te ne peccares mihi: ideo non permisi tibi ut tangeres illam.*

In somnio] Hic Lxx. habent καθ' ὕπνον *per somnum.* Maluissem κατ' ὄναρ, per insomnium. In בַּחֲלֹם patach quod sub Beth, includit articulum, ut si Graece dicas ἐν τῷ ἐνυπνίῳ. Sane Jon. & On. referunt בְּחֶלְמָא cum Aleph demandea, quod vocant. Articulus autem vim habet ἀναφορικὴν q. d. in illo somnio de quo supra, ne quis aliud somnium fuisse opinetur.

¶ *Etiam*

§ *Etiam ego*] non tu solum, sed etiam ego, qui sum καρδιογνώστης, hoc novi probe. § *Novi*] ἔγνων. Hiero. *scio*. On. & Jon. *patefactum est coram me*, sive manifestum est mihi. § *Quod in integritate cordis tui feceris hoc*] vel, *te cum integritate cordis tui fecisse istud*, h. e. animo integro ac sincero. § *Quin cohibui*] ואחשך & cohibui sive prohibui i. מנעית. ita On. & Jon. Santes quoque habet *prohibui*. Lxx. ἐφεισάμην, peperci. Hiero. *custodivi*. Sic Job. 21. 30. יחשך Sym. συντηρεῖται. Hiero. *servatur*. Aquila ἐπεξαυστήσεται, retinebitur. Hinc liquet in verbo חשך esse significationem prohibendi & retinendi. Qui autem aliquem retinet aut cohibet ne malefaciat, eundem quoque custodit: unde Hiero. *custodivi te*: quod Ebræi dicerent שמרתי. § *Ne peccares mihi*] מחטוא לי. Hiero. *ne peccares in me*, i. לי. Sic etiam Lxx. τοῦ μὴ ἁμαρτεῖν σε εἰς ἐμέ. On. & Jon. *ne peccares coram me*. חטו peccare, anomalon est pro חטא cujus thema sive radix חטא peccavit. § *Non promisi tibi*] לא נתתיך *non dedi tibi* i. non sivi, non permisi. Hiero. *non dimisi*. Lxx. οὐκ ἀφῆκά σε, non demisi sive remisi i. permisi tibi. On & Jon. לא שבקתך non reliqui te. Fagius interpres, *non permisi tibi*. Licet etiam vertere, *non concessi tibi*. Nec male reddit, qui reddit, *Non sivi te tangere illam*. Ita fere נתן significat, quando post se habet gerundium, ut Esth. 8. 11. Num. 21. 24. Job. 9. 11. Psal. 16. 10. & alibi. § *Ut tangeres illam*] ut rem haberes cum ea, ut violares eam. Sic tangere virginem est ejus pudorem imminuere: unde virgo intacta, quæ Lucillio *signata* dicitur. Terentio, *integra à viro*. E contrario imminuta virgo dicitur quam aliquis cognovit concumbendo cum ea. קרב eodem intellectu capitur supra vers. 4. & ἅπτεσθαι 1 Corinth. 7. *bonum est viro mulierem non tangere*. Priore verbo usi sunt h. l. Jon. & On. *non permisi tibi ut appropinquares sive accederes ad eam*. Alterum usurpant Lxx ἅψασθαι αὐτῆς: & Hiero. *ut tangeres eam*. Nam tangere hoc significatu etiam Latini autores usurpant. Plautus Aulularia, *Quid tibi ergo meam me invito tactio est*. Lusit ex ambiguo verbi *tango*: quod aliquando sig. argento circumducere & furari. Idem Plautus, *tetigi calicem clanculum*: &, *istis adeo te tetigi triginta minis*.

7. *Nunc igitur redde mulierem viro, quoniam propheta est, qui orabit pro te & vives: quod si non reddideris, scito moriendo moriturum te omnesque qui tui sunt.*

Redde mulierem viro] ἀπόδος τὴν γυναῖκα τῷ ἀνδρί. Ebraice השב אשת האיש *redde mulierem viri* i. viro. Figura sermonis quam antiptosin appellant. Possumus etiam vertere, *Redde uxorem viri illius*, ut articulus sit ἀναφορικός. Jon. *redde mulierem viri*. אתת גבר: pro quo in On. est גברא quod idem cum illo איתת ἐκ ἀνδρός. § *Redde*] restitue. § *Mulierem*] vel, *uxorem*. § *Viro*] marito. לאיש. Lxx. τῷ ἀνθρώπῳ homini לאדם non probo. § *Quia propheta est*] Lxx. ὅτι προφήτης ἐστί: quia prophetes est. Propheta Ebraice נביא: Chaldaice autem נביא dicitur. Quod autem in On. נביא emphaticum est pro הנביא ὁ προφήτης, quasi dicat, propheta ille clarus & celebris. Erant autem olim duo genera prophetarum. Unum eorum, qui legem, in qua probe instituti erant, aliis interpretabantur: alterum eorum qui futura prædicebant. Hi rursus duorum generum erant. Nam aut ratione muneris officiique prophetæ dicebantur, ut Jesaias, Jeremias, & omnes illi qui in partitione Bibliorum prophetæ nuncupantur: aut prophetæ dicebantur qui licet munus propheticum non obirent, tamen futura prædicebant, Deo illis per spiritum patefaciente quæ scire nos longe ante volebat. Ad hunc ordinem pertinent David rex, & Daniel propheta, quos propterea Judæi recensent inter Hagiographos. Dicam hac de re alias. Sunt qui Abrahamum hic prophetam appellari putant tanquam Deo charum ac familiarem virumque selectum & eximium, cui etiam Deus in somnis frequenter apparebat, suamque voluntatem & ea quæ facere decrevisset revelabat, retegebat. Interdum propheta est idem quod interpres, ut Exod. 7. 1. § *Orabit pro te*] ante hæc verba ponitur in Ebræo accentus major distinguens. Tamen Hiero. *orabit pro te, quia propheta est*, invertit ordinem verborum: *& ideo*, inquit, *orabit pro te, quia prophetes est*. Nam prophetæ intercedebant pro populo. Non est temere discedendum à codicibus Ebræis. Lxx. καὶ προσεύξεται περὶ σοῦ καὶ ζήσῃ. Sic etiam On. & Jon. § *Et vives*] וחיה & vive i. vives. enallage tam frequens in his litteris, ut nihil supra. Sic alibi, *Hoc fac & vive* i. vives. *Ascende in montem & morere* i. morieris. Consule sis Observationes meas. Simile in Latio, *Si fœtura gregem suppleverit aurens esto* pro eris. Interpres recentior, *cumque oraverit pro te, vivito*, nullam agnoscit enallagen. Secus Lxx. Hiero. On. & Jon. quorum hi ediderunt ותחי. Id Latine sonat sine ulla ambiguitate, *& vives*. Nulla caussa est cur non etiam legi possit, *qui orabit pro te ut vivas*. Hoc Galli prætulerunt. Mihi quoque non displicet. § *Moriendo moriturum te*] certo moriturum te. § *Omnesque qui tui sunt*] וכל אשר לך *& omnes qui tibi* sub. sunt i. omnes tuos q. d. non tu modo morieris, sed omnes domestici tui, aut omnes aulici tui, vel certe, omnes subditi tui. Hinc lucem accipiet, *an gentem etiam justam occides?* Lxx. καὶ πάντα τὰ σά: & omnia tua. Hiero. *& omnia quæ tua sunt*. Quod referri posset ad pecora ipsius. Verba Ebræa ad utramque interpretationem ambigua sunt, ut etiam Chaldæa Onkeli & Jon. וכל די לך & omnes tui, vel omnia tua. Quæ de nomine propheta diximus, iis addi velim ex Mercero, *Propheta non solum qui res futuras prædicit, sed & qui voluntatem* DOMINI *exponit hominibus quasi interpres & internuncius divinæ voluntatis, ut Abraham, qui magna oracula rerum futurarum à* DOMINO *accepta suæ familiæ & aliis indicabat, & passim quoscunque poterat in timore Domini instituebat.*

8. *Et surrexit Abimelech mane, & vocavit omnes servos suos, & locutus est omnia verba hæc in auribus eorum: timueruntque viri valde.*

Et surrexit] וישכם & manicavit. Vide quæ scripsimus cap. 19. ad vers. 27. Hoc noto, ne quis putet hic esse in Ebræo בבקר. Docte Lxx. καὶ ὤρθρισεν Ἀβιμέλεχ τὸ πρωΐ, quod reddunt, *& mane surrexit Abimelech diluculo*. § *Omnes servos suos*] omnes aulicos suos, vel simpliciter, omnes suos. Lxx. πάντας τοὺς παῖδας αὐτοῦ: omnes pueros suos. Id capies ut 1. Macchab. 1. 7. ἐκάλεσε τοὺς παῖδας αὐτοῦ: & vers. 9. ἐπεκράτησαν οἱ παῖδες αὐτοῦ: ubi sermo de amicis Alexandri. § *Omnia verba hæc*] omnia quæ Deus in somnis ei dixerat. § *In auribus eorum*] ipsis audientibus. Quidam, *in aures eorum*. On. & Jon. *coram eis*. Lxx. εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν. § *Viri*] האנשים viri illi. Hiero. *omnes viri*. Lxx. πάντες ἄνθρωποι. Uterque paraphrastes גבריא οἱ ἄνδρες.

9. *Vocavit etiam Abimelech Abrahamum & dixit ei, Quid fecisti nobis? quid peccavi tibi? quod adduxeris super me & super regnum meum peccatum magnum, facta quæ non fiunt fecisti mecum.*

10. *Rursum dixit Abimelech Abrahamo, Quid vidisti cum faceres rem istam?*

Quid fecisti nobis?] Lxx. τί τοῦτο ἐποίησας ἡμῖν; quid hoc fecisti nobis? § *Quid peccavi tibi?*] vel, *in te*. Hiero. *Quid peccavimus in te?* Lxx. μή τι ἡμάρτομεν εἰς σέ: nunquid peccavimus in te? Onkelos & Jonathan, *Quid peccavi tibi?* § *Adduxeris*] Lxx. ἐπήγαγες & Hiero. *induxeris*. Hinc ἐπαγωγή, de quo in notis ad Sirachidem § *Peccatum magnum*] adulterium & pœnam adulterii: quod non leve crimen esse, ut quidam arbitrantur, vel hic locus nos docere potest. Peccatum autem Chaldæorum interpretum unus חובא, alter חובה vocat. Utrumque proprie sonat ὀφείλημα i. debitum: unde in Evangelio *remitte nobis debita nostra*: Quod alius dixit *peccata nostra*. Trem. *noxam magnam*. Hiero. *peccatum grande*. § *Facta quæ non fiunt*] Lxx. ἔργον ὃ οὐδεὶς ποιήσει: opus quod nemo faciet. Hiero. *quæ non debuisti facere*. On. & Jon. *opera quæ non conveniunt fieri*. § *Facta*] opera, ἔργα. § *Fiunt*] fieri solent aut debent. Simile, *filius honorat patrem*, quod explicant, debet honorare. § *Fecisti mecum*] Idem efficit quod in Hiero. *fecisti mihi*, & in Lxx. πεποίηκάς μοι. Trem. *fecisti adversum me*. Gallice edit. *Tu m'as fait choses qui ne sont point de faire*: tu mihi fecisti quæ non debent fieri. § *Rursum dixit*] nam ad prius Abraham tacuerat. § *Quid vidisti ut faceres rem istam?*] Lxx. τί ἐνιδὼν ἐποίησας τοῦτο; Hiero. *Quid vidisti ut hoc faceres?* Recentior interpres, *Quid spectabas cum faceres rem hanc?* § *Ut faceres*] vel, *quod feceris*. § *Rem istam*] הדבר הזה verbum istud. Notum ut verbum pro re ponatur. Sic alibi, *Non est ἀδύνατον apud Deum ullum verbum* i. ulla res. *Quid vidisti?* sermo est è medio petitus, qui idem efficit cum illo, Quid te movet? vel cum illo, quid caussæ habes? Nam qui exponunt, quam visionem vidisti, non digni sunt quibus respondeatur.

11. *Et dixit Abraham, Quia dixi, Dumtaxat non est timor Dei in loco isto, & occident me propter uxorem meam.*

Quia dixi] כי אמרתי Lxx. εἶπα γὰρ, dixi enim. Hiero. *Cogitavi mecum dicens*. Jon. *quia dixi in corde meo*. Dicere hoc intellectu sumitur Exod. 2. 14 *Num occidere me tu dicis*. i. cogitas. Quanquam Act. 7. 28. θέλεις vis. Item Jos. 22. 24. Jes. 8. 12. Vide Camium ad hunc ultimum locum. § *Dumtaxat*] רק Lxx. ἄρα, quod reddunt *forsitan*. Forte quia in Hiero. רק *forsitan*. On. & Jon. לחוד. Fagius interpres, *utique*.

que. Mercerus, *verum, sane.* idem אַךְ valet: quod Ebræi exponunt אוּלַי forte, forsan, fortasse, forsitan. Dignum nota vel propter interpretem nostrum. ¶ *Non est timor Dei*] Ubi Deus non timetur, ibi peccare nemo veretur. Tolle metum numinis, quis in tenebris; & ubi latere se posse sperat, à flagitiis abstinebit? Quis ea crimina quæ legibus non puniuntur vitabit? Ubi conjugii fœdus sanctum erit? ubi thorus immaculatus? Tu existimas eum perjurii pœnam metuere, qui Deum non metuit? ¶ *Timor Dei*] θεοσέβεια. Lxx. ¶ *Propter uxorem meam*] עַל־דְּבַר אִשְׁתִּי. Lxx. ἕνεκεν τῆς γυναικός μου, caussa uxoris meæ. On. & Jon. עַל עֵיסַק אִתְּתִי propter negotium uxoris meæ. Hiero. *propter uxorem meam.* Id secutus sum quia עַל־דְּבַר idem valet quod בַּעֲבוּר propter. Gallice *à cause de ma femme.*

12. *Et etiam vere Soror mea, filia patris mei est; verum non filia matris meæ: fuitque mihi uxor.*

Et etiam] Quin etiam. Lxx. καὶ γὰρ, etenim. On. & Jon. וּבְרַם verum etiam. Hiero. *alias autem &c.* Trem. *Sed etiam.* ¶ *Vere*] אָמְנָה vere, ἀληθῶς. Hiero. Lxx. בִּקְשׁוֹט in veritate. On. & Jon. Alibi est אָמְנָם hoc significatu, quod & אֻמְנָם scribitur. Gall. *à la verité.* Trem. *Sed etiam verum est* אמנה אחתי. ¶ *Soror mea*] אֲחֹתִי ἀδελφή μου. Sororem proprie dictam significari putat Hiero *consanguineam*, Augustinus: *fratris filiam*, Josephus, plerique Ebræi. Hiero. addit nuptias inter fratrem & sororem, quæ uterina non esset, tum temporis nondum prohibitas fuisse. Hoc August. negare videtur. Verba ejus habentur in vigesimo secundo contra Faustum Manichæum, ubi sic scribit, *Cum Abraham eo tempore viveret in rebus humanis, quo quidem jam fratres ex utroque aut ex altero vel altera parente natos, necti conjugio non licebat, filios autem fratrum, aliosque longinquiore gradu generis consanguineos, nulla lege, nulla potestate prohibita consuetudo jungebat, quid mirum si sororem suam i. ex patris sui sanguine procreatam habebat uxorem?* Vide sequentia, ubi sororem pro consanguinea sumi probat testimonio junioris Tobiæ, qui Saram uxorem appellat Sororem suam, cum esset illa non ex concubitu ejusdem patris, nec ex eodem matris utero; sed ex eadem stirpe cognationis exorta. ¶ *Filia patris mei*] Jon. *filia fratris patris mei.* Chaldaice ברת אחוי דאבא. quod scribendum אַבָּא. Pro quo On. habet אַבָּא patris mei. Alibi אַבָּא est pater, unde Abbatis nomen. Sed in On. *filia patris mei.* Sunt qui tradant Tharam, cum duas uxores haberet, ex una procreasse Abrahamum, ex altera Saram. Atque hoc esse quod nunc dicit, *filia patris mei est, & non filia matris meæ.* Quod Græci referunt ἐκ πατρός, ἀλλ' οὐκ ἐκ μητρός, q. d. soror mea est, sed ex alio utero. Communem patrem habemus non matrem. Qui Saram Harane natam dicunt, quam Moses Jescham appellat, filiam pro nepte accipiunt, ut filius interdum pro nepote ponitur. Nam, ut est in proverbio Ebræorum, filii filiorum ecce sunt tanquam filii. Quod si patrui filia erat, ut vult Jon. non video qua ratione dici possit *filia patris*, aut ex patre genita, cum patruus nusquam ita vocetur, quod sciam. ¶ *Verum*] אַךְ verum i. בְּרַם, quod in On. & Jon. ut ἀλλὰ in Lxx. Santes habet *veruntamen* & Tremell. *Sed.* Gall. vero edit. *combien* i. quamvis, etsi, quanquam, licet. ¶ *Filia matris meæ*] Jon. *ex prosapia matris meæ.* Nam אִמָּא matris meæ, ut אַבָּא patris mei. Notabunt hoc linguæ Chaldaicæ studiosi, quorum interest hæc scire. *Filia patris mei sunt qui exponant*, inquit Abenezra, *ut patris nomen accipiatur eo significatu, quo accipitur in illo, Deus pater Abrahami.* ¶ *Fuitque mihi uxor*] לְאִשָּׁה in uxorem i. uxor revera. Alibi לְאִשָּׁה valet pro uxore sive uxoris loco. Porro Ebraismum servant Lxx. ἐγενήθη μοι εἰς γυναῖκα, & Chaldæi paraphrastæ וַהֲוַת לִי לְאִנְתּוּ & fuit mihi in uxorem: mutant Hiero. *& duxi eam in uxorem*, & alius recentior interpres, *& fuit mihi uxor.* Sic in hoc libro supra, ubi nos vertimus, *erunt caro una*, in Ebræo est verb. è verb. *erunt in carnem unam:* quod minus bene reddunt qui reddunt, *in carne una.*

17. *Quum autem errare fecisset me Deus è domo patris mei, dixi ei, Sit hæc benignitas tua quam facies mecum, Ad quemcunque locum veniemus dic de me, Frater meus est.*

Quum autem errare fecisset me Deus] Secutus sum eos qui hic Elohim accipiunt pro vero Deo, qui dixerat, *Exi è terra tua &c.* Nec obstat verbum plurale הִתְעוּ errare fecerunt. Quippe nomen אֱלֹהִים ita construitur ut habeatur ratio modo sensus, modo terminationis. Cum habetur ratio sensus, tum construitur singulariter, ut Gen. 1. 1. *In principio creavit Elohim:* cum terminationis, tum construitur pluraliter, ut hic, & infra 35. 7. נִגְלוּ אֱלֹהִים. Sic alibi occurrit אֱלֹהִים חַיִּים quod reddunt Deus vivus & אֱלֹהִים קְדֹשִׁים Deus Sanctus. Legimus quoque Psal. 58. 12. *utique est Deus judex in terra;* ubi fontes habent, אֱלֹהִים שֹׁפְטִים. Vide & 2. Sam. 7. 17. & 20. Sententiæ meæ de vero Deo accedunt Lxx. & Hiero. Qui & quant viri? Item interpretes nuperi quos consului. Sunt autem Santes, Munsterus, Trem. & interpretes è Sabaudia. Lxx. & Hiero. verbum Ebræum הִתְעוּ fecit ut errarem, interpretantur ἐξήγαγε, eduxit i. הוֹצִיא vel certe הוֹצִיאוּ. In numero mecum conveniunt. Nam quia אֱלֹהִים reddunt per singularem ὁ θεὸς Deus, verbum quoque הִתְעוּ eodem numero reddendum erit, ita poscente idiotismo utriusque linguæ. Thargum Onkeli, *Quum errarent populi post opera manuum suarum, me applicuit* DOMINUS *ad timorem sui.* Sequitur deinde *è domo patris mei*: quod cum præcedentibus non bene cohæret, nisi subaudias *eductum*, aut tale quid. Nam sæpe h. m. unum verbum pro duobus ponitur. Cui pectus sapit, miror si ei sapit hæc interpretatio. Mihi certe valde displicet Jon. *Quum vellent seducere me cultores idolorum, egressus sum è domo patris mei.* Nove interpretatur אֱלֹהִים cultores idolorum. Cave sequaris. In notis Vatabli, *Rectius alii vertunt, quando circumduxerunt me angeli.* An rectius, dubito. Hoc scio אֱלֹהִים aliquando de angelis dici. Tamen hic rectius de Deo accipitur. Cui firmando est Abenezra, ita scribens, אֱלֹהִים *nomen est sacrum, & sensus quod ipse profectus sit de loco in locum, nesciens quo iret. Sic alibi,* (Gen. 37. 15.) *Ecce ego erro in agro: quod de errore mentis intelligi non potest. Similiter scriptum est,* (Esa. 63. 17.) *quare errare facis nos* DOMINE? Salomo Trecensis, *Omnis qui migrat è loco suo nec fixam sedem habet, errare dicitur &* תּוֹעֶה *vocatur i. erro sive errans.* In eodem pro כל לשון אלהים videtur legendum כל לשון אותם. Id docent consequa exempla. Locus autem quem ibi producit אשר הלכו אלהים, habetur 2. Sam. 7. 23. R. Levi Gersomi F. *Errantem fecit me Deus. Vult dicere, quod migrare fecerit ipsum Deus & eduxerit è domo patris sui, quemadmodum exponit R. Salo. piæ memoriæ.* Ab his diversos abit Hiscuni & ipse Judæus, ita scribens, *Quum expulisset me Nemrod & socii ejus judices terræ* (nam tales etiam Elohim vocantur) *& cogeret errare sicut pecus perditum huc illuc extra domum patris mei propterea quod confugissem statuas & occidissem Amraphel & socios ipsius.* Hanc fabulam supra explosimus. Non libet neque vacat repetere. ¶ *Sit hæc benignitas tua quam facies mecum*] Hiero. *Hanc misericordiam facies mecum.* Nam חֶסֶד antiqua declaratione misericordia. Lxx. ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις ἐπ' ἐμέ: quod interpretantur, *hanc justitiam facies erga me.* Scilicet in Ebraismo justitiam aliquando pro liberalitate inveniri. Quod pridem docui & exemplis probavi. Consulantur libelli mei. On. & Jon. דֵּין טֵיבוּתִךְ *hæc bonitas tua.* i. interprete Fagio, *beneficentia tua.* Quidam eligerunt, *beneficium tuum.* Scias autem דֵּין in Jon. desiderari. ¶ *Benignitas tua*] q. d. hoc beneficii loco ducam. Nam חֶסֶד beneficium. Licet etiam vertere, *Sit hæc pietas tua.* Siquidem חָסִיד pius i. ὅσιος. Sic ubi legimus in vulgata nostra, *misericordiam volo*, & in aliis editionibus, *benignitatem volo*, posses legere, *pietatem volo.* Sunt etiam qui exponant, *hanc gratiam facies mihi.* Quod sumptum ex lingua Chaldaica, ubi gratia חִסְדָּא dicitur. Gallica edit. *c'est ici la gratuité que tu me feras.* ¶ *Dic de me*] לִי de me i. עָלַי On. Jon. R. Salo. Aut *propter me*, in meam gratiam i. בַּעֲבוּרִי. R. David Kimchi. בשבילי Abenez. *De me* quin etiam exponunt Santes, Tremell. & interpretes è Sabaudia. Sic alibi לְאִשְׁתּוֹ de uxore ejus, לִבְנֵי־יִשְׂרָאֵל de filiis Israël; אִמְרִי לִי dicant de me. לְנַפְשִׁי de anima mea. Scholia Ebraica, quando probare volunt ל pro בַּעֲבוּר accipi, hunc locum pro exemplo citant. Nam sententia omnino poscit ut ita exponamus.

14. *Et accepit Abimelech oves & boves, & servos & ancillas, deditque Abrahamo: & restituit ei Saram uxorem ejus.*

Oves & boves] vel, *greges & armenta.* Sed On. & Jon. עָאן וְתוֹרִין oves & boves. Sic etiam Hiero. Nec aliter Lxx. Nam μόσχους, quod in eorum editione, sig. h l. boves, non vitulos, ut est in edit. Ro. Lat. Græci addunt de suo χίλια δίδραχμα, quod nec in fonte, nec apud alios interpretes. Sumtum autem ex vers. 16. hujus capitis. ¶ *Restituit*] reddidit, ἀπέδωκεν.

15. *Et dixit Abimelech, Ecce terra mea coram te, ubicunque tibi placuerit habita.*

Terra mea] regio mea, vel, ditio mea, regnum meum. ¶ *Coram te*] tibi exposita est. ¶ *Ubicunque tibi placuerit*] οὗ ἂν σοι ἀρέσκῃ, ubicunque tibi placuerit. LXX. Hiero. Ebraice בַּטּוֹב בְּעֵינֶיךָ in eo quod bonum fuerit in oculis tuis. Recentior interpres, *in loco tibi grato.* Santes, *in loco bono coram oculis tuis.* On. בִּדְתַקִּין בְּעֵינָךְ i. interprete Fagio, *ubicunque con-*

commodum tibi fuerit. יָפֶה rectum, bonum, commodum. Sic טוב etiam usurpatur.

16. *Sara autem dixit, Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, ecce sunt tibi velamen oculorum, omnibus qui tecum sunt, & apud omnes alios: atque ita redarguta fuit.*

Mille argenteos] אלף כסף Hiero. *mille argenteos.* Sub. nummos aut siclos, ut Jes. 7. 23. *mille argenteis*, ubi LXX. χιλίων σίκλων. Hic habent χίλια δίδραγμα, quod reddunt mille didrachmas. Falli possum (homo enim sum) tamen eo labor ut credam rectum esse δίδραχμα. Quod nomen ita scriptum legitur Matth. 17. 24. ubi Syrus habet תרין זוזין duas Zuzas. Si recte, tum זוז & δραχμὴ idem efficient. A δραχμὴ est δίδραχμον nummus duarum drachmarum. δράγμα, à quo esset δίδραγμον, potius sig. manipulum. Sed librarii confundunt. Nam & apud Theodoretum quæst. ult. h. e. 38. in codice Parisiensi δίδραγμον legitur, & τὸ δίδραγμα pro δίδραχμον & τὸ δίδραχμα. Verba sunt, ὤφειλε δὲ καὶ τὸ τὸ δίδραχμα ποιεῖν τοῦτο. εἴκοσι γὰρ ἐκέλευσεν ἔχειν ὀβολούς. τὸ δὲ δίδραγμον ἐνίοι τῶν ἑρμηνευτῶν στατῆρας ἐκάλεσαν. Lex. Vetus δίδραχμον, *didrachmum.* Quod in numero multitudinis faceret *didrachma*, & hoc malo quam didrachmas, ut legas, *dedi mille didrachma.* On. אלף סלעין דכסף *mille siclos argenti* i. argenteos. Sic etiam Jon. & autor Jerosl. Perspicue argenti nomine siclos intelligunt. Quod firmant Doctores Ebræorum, qui dicunt vocabulo כסף in lege absolute siclos denotari. Cujus rei testis mihi Elias in Thesbite. Idem annotat siclum i. סלע, quatuor זוזים Zuzas efficere. Quod si zuz est drachma, siclus erit quatuor drachmarum. Quod verum esse potest. Est enim siclus duplex, Sacer, communis. Sacer tetradrachmus erat: communis didrachmus. Sacer, qui alio nomine dicebatur siclus sanctuarii, idem valebat cum statero argenteo. Hunc significant interpretes vocabulo ἀργυρίων, ut Matth. 27. 9. τριάκοντα ἀργύρια, pro quo Zach. 11. 12. שלשים כסף & apud alios interpretes ἀργυρῶν, etiam LXX. ita reddunt. Solet quoque Josephus ἀργυρέων appellatione siclos intelligere. Idem tamen locum Mosis qui Gen. 37. 28. ubi in Ebræo עשרים כסף interpretatur μνῶν εἴκοσι i. minis viginti, aut pretio minarum viginti, ut est apud Rufinum. Notavi ex Elia Zuz idem esse cum drachma. Id firmabis autoritate Tobiæ. Nam cap. 5. 16. Græcum exemplar δραχμὴ habet, in Ebraicis est זוז i. Zuza, quæ mercedis loco in diem angelo promittitur. Quod superest, hos mille argenteos quidam ad superiora munera Abrahamo accessisse putant: alii oves & boves, ceteraque quibus Abimelech ipsum donaverat, tanti æstimata fuisse arbitrantur. ¶ *Fratri tuo*] Abrahamo marito, quem fratrem tuum dixisti. ¶ *Ecce sunt tibi*] illi nummi scil. Hanc sententiam expresserunt LXX. Hiero. Jon. & autor Jerosl. Ceterum in Ebræo est הנה הוא לך *ecce est tibi*, quod tam referri potest ad ipsum Abrahamum, quam ad כסף argentum. Si ad Abrahamum referas, verti poterit *en ipse tibi*: si ad argentum, verti debebit, *ecce ipsum tibi*: & subintelligitur est vel erit. Hoc Arias elegit, illud Trem. Santes ambigue vertit, ut etiam interpretes è Sabaudia. Eadem ambiguitas in textu On. quam & nos retinuimus eo libentius quod nonnulli hodie pronomen referunt ad argentum, Abrahamum omniaque adeo quæ hic acciderunt. Videatur Mercerus ad h. l. ¶ *Velamen oculorum*] כסות עינים. operimentum oculorum. Hiero. *in velamen oculorum.* i. לכסות. LXX. εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου, quod interpretantur, *in pretium faciei tuæ.* prætulerim, *in honorem vultus tui* sive *faciei tuæ.* Nam τιμὴ etiam honor. On. *velamen honoris oculorum.* Chald. כסות יקר עינין Tharg. Jon. תותבת דעינין. Hoc quid sit nescio. Videtur innuere ornamentum oculorum. Forte quod Galli vocant *un touret.* Munsteri λέξεις תכשיט *monile.* Quæramus amplius. Addit Jon. *propterea quod abscondita fuisti à viro tuo noctem unam.* Quæ plenius habentur in Jerosolymitana, *ecce argentum hoc dedi tibi dono, pro eo quod abscondita fuisti ab oculis Abrahami mariti tui nocte una*, ac si in Ebræo esset, *pro absconsione ab oculis.* Satis hoc durum & coactum in oculis meis. R. Salo. *Habui honorem huic tibi, dedi pecuniam fratri tuo, de quo dixisti, Frater meus est, ecce pecunia illa & honor ille tibi est operimentum oculorum.* Abenez. *Abraham vir tuus tibi est quasi velamen oculorum, quia nemo levabit oculos suos ad te cum sciat esse maritum tuum: idem quoque est velamen tuorum seu eorum qui apud te sunt.* Alius explicat, Ipse tibi esse debet pro velo i. debet pudicitiam tuam tueri, cum sit vir tuus. Nam id velum præstabat faciem operiendo. Hinc forte Mahomed sumpsit cum scriberet, viros esse vela fœminarum. Alius, argentum hoc tibi serviet ad emendum velum quo faciem tegas. Quod erat signum nuptarum & maritum habentium. Vide Gen. 24. 66. Alius, Hoc quod tibi accidit pro testimonio erit apud alios unde cognoscent te viro junctam esse. ¶ *Omnibus qui tecum sunt*] לכל אשר אתך Hiero. *ad omnes qui tecum sunt.* Vult dicere apud omnes. Lxx. καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ: & omnibus qui tecum sunt. repete ἐστί κοινῶς, velamen est oculorum. Sic & Abenez. Trem. *apud omnes qui tecum sunt.* Gall. *envers tous ceux qui sont avec toy.* Onkel. *pro eo quod misi qui adducerent te ad me, & vidi te omnesque qui tecum sunt.* ¶ *Et apud omnes alios*] Dictio *alios* à nobis addita fuit. Nam desideratur in oratione Latina. Ceterum verba Ebræa sunt ואת כל ונכחת, quæ variæ interpretantur. Quot interpretes, tot ferè sunt interpretationes. Nam vix alius locus in hoc libro, quoad verba, difficilior. Mihi nondum clara lux in eo. Adferam ergo sententiam aliorum. Judicium penes lectorem erit. Lxx. καὶ πάντα ἀλήθευσον: & omnia verè dicito נכחה Amos. 3. 10. τὸ ὀρθὸν i. rectum & æquum quod & εὐθὺ dicitur. Sic hoc non habuerunt in mente, nescio quid habuerint, cum ita verterent. Hiero. *Et quocunque perrexeris, memento te deprehensam.* ואת כל pro ועל כל *& quocunque* sub. perrexeris. ונכחת *memento te deprehensam*, ut Vau otium agat. Quod etiam Abenezra notavit. Quale ait esse Phe raphatum Ismaëlitarum. On. ועל כל מה דאמרת אתוכחת. Id Fagius in latinum transfert ita, *& in omni eo quod locuta es, verax inventa es.* Dubito an rectè perceperit Onkeli mentem. Nam videtur potius hoc dicere, *& de omnibus quæ dixisti, reprehensa sive redarguta es.* Huic interpretationi obstat primum copula Vau in ונכחת: deinde enallage particularum אֵת & עַל quæ nondum observata mihi. Scio עַל pro עִם usurpari: item עִם & אֵת idem efficere. Tantum quæro an contra fiat? & videor mihi hoc probare posse. Nam Mich. 5. 15. את הגוים Santes interpretatur, *de gentibus.* Trem. vero *contra gentes.* Sic Dan. 11. 2. את מלכות יון contra regnum Græciæ i. עַל. Hoc concesso, si Vau redundat, optime stabit hæc interpretatio. Possumus etiam legere, *& de omnibus etiam redarguta fuisti*, ut Vau sumatur pro גַּם etiam. Quod interdum fieri exemplis olim docuimus & probavimus. Vide libellos meos de litteris servilibus. Santes, *& cum omnibus & erudivit se.* Arias emendavit, *& corripuit se.* Nam תוכחת correptio, non eruditio. Munsterus, *& sic cum omnibus reprehensa est.* Abenez. *& apud omnes homines ipse tibi erit velamen faciei. Hæc sunt verba Abimelechi. ita redarguta fuit. Hæc sunt verba Mosis.* Sic fere & R. David. Ex nuperis interpretibus id secuti sunt Emmanuel Tremell. & qui e Sabaudia. Vide notas Vatabli. R. Salo. *Apud omnes mortales erit tibi apertio oris ut redarguas*, &c. Hisc. *& cum omnibus aliis esto redarguta, ne amplius dicas, Frater meus est.* Aliter, *Apud omnes tu reprehensa, i. reprehensibilis, quod dixeris Frater meus est.*

17. *Et oravit Abraham Deum, & sanavit Deus Abimelechum & uxorem ejus & ancillas ejus & pepererunt.*

18. *Nam concludendo concluserat DOMINUS omnem vulvam domus Abimelechi, propter Saram uxorem Abrahæ.*

Oravit Deum] Santes, *oravit ad Deum*: quod ut non puto Latine dici, ita scio Livium scripsisse, *ad quos precentur & supplicent.* Posses ergo vertere, *precatus est ad Deum.* Lxx. προσηύξατο πρὸς τὸν θεόν. Nam Ebraice ויתפלל אל אלהים. On. & Jon. *oravit sive precatus est coram Deo.* ¶ *Sanavit*] ἰάσατο. ¶ *Abimelechum*] vel ipsum Abimelechum in certo aliquo morbo cubantem (forsan coire cum uxore & ancillis non poterat;) vel domum Abimelechi, h. e. uxorem ejus & ancillas ejus, ut vau sit ἐξηγητικὸν, quemadmodum se mox ipse explicat. ¶ *Ancillas ejus*] Jon. *concubinas ejus.* Cui favet pronomen, quod masculinum est in Ebræo, ut etiam in Græco textu, τὰς παιδίσκας αὐτοῦ. Nam concubinæ virorum erant. Potest autem eadem ancilla esse & simul concubina. Tales fuerunt Hagar & Cetura Abrahami: Zelpha & Balaha, Jacobi concubinæ. Quidam pellices appellare malunt. ¶ *Et pepererunt*] vel, *ut parerent* i. parere possent. Nam prius non poterant, quia clausa erat matrix earum. Id significat cum ait, ¶ *Concludendo concluserat*] plane concluserat, omnino clauserat. Quidam, *firmiter occluserat.* Lxx. συγκλείων συνέκλεισε. Hiero. *concluserat.* On. & Jon. *constringendo constrinxerat.* Paulo ante pro, *& pepererunt*, iidem habent ואתרווחו quod Fagius reddit, *& dilatati sunt.* ¶ *Vulvam*] matricem, μήτραν. Sig. eas steriles effectas, ut concipere, nedum parere nequiverint. ¶ *Domus Abimelechi*] i. uxoris & ancillarum ejus. Si quis velit latius extendere, non reclamabo. ¶ *Propter Saram*] על דבר שרה. Hiero. interpretatur, *propter Saram*, quem nunc secutus sum. Græci quoque ἕνεκεν Σάῤῥας i. Saræ caussa. On. & Jon. *propter negotium Saræ*, quod eodem redit. Recentior edit., *caussa Saræ.* Sic

Galli-

Gallica quoque *à cause de Sara*. Male. R. Salo. *ad verbum sive præscriptum Sara* על דבר שרה עלפי דבורה. Idem אחותי, quod supra ex On. & Jon. produximus, interpretatur dicens significare, *aperta sunt foramina eorum & genuerunt*.

AMAMA.

4. VUlg. *Num gentem ignorantem & justam interficies?* Obelo configenda vox *Ignorantem*, quæ non ex Ebræa sed Græca hic interpolata est. Sic enim illi, ἔθνος ἀγνοοῦν καὶ δίκαιον ἀπολεῖς. Ideo Chaldæus omisit.

16. Ebr. : הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת Vulg. *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, quocunque perrexeris : mementoque te deprehensam esse.* Locus hic obscurus fateor & variis Interp. opinationibus involutus, tum ob ambiguitatem pronominis הוא, quod alii ad donum, alii ad Abraham, alii ad totum eventum referunt; tum ob posteriora ואת כל ונכחת, *veeth col venocachath*, quæ alii dividunt, alii componunt; Eorum qui componunt quidam volunt esse verba Abenmelechi, quidam verba Mosis. Atqui hæc Vulgatum non excusant, utpote qui nimium ab Ebræis fontibus exorbitavit. Nec enim in textu ullum vocabulum est quod vel *perrexeris* vel *memento* significet. Denique in ונכחת nulla deprehendendi significatio est. Nos posteriora illa ob accentum qui in אתך sic exponenda putamus, *Et cum omnibus* (hisce) i. hæc omnia passa & *correpta*, castigata vel erudita *es*. Vide Cajet. ad hunc locum.

GROTIUS.

3. HAbet enim virum] Hebræi quidam interpretantur, *concubuit cum marito*. Ita enim ante legem gentium jure nuptiæ perficiebantur.

9. *Induxisti super me & super regnum meum peccatum grande*] Id est, prope me peccare fecisti meo & regni malo. Sic Alexander adducta ad se puella, cum ea dixisset expectasse se donec maritus dormiret, ἐπετίμησε παισίν, ὡς μικροῦ δι᾽ αὐτοὺς μοιχὸς γενόμενος [*Increpuit ministros quod ipsorum culpa parum abfuisset quin adulter factus*]. Gentes scilicet, quæ præter naturæ dictata legem à Deo nullam acceperant, adulterium quidem turpe esse norant, scortari non putabant esse flagitium, non magis quam apud Terentium Mitio, aut apud Horatium Cato. Ideo ea de re serio admoneri ab Apostolis opus habuere. Act. XV. 29. & alibi.

11. *Forsitan non est timor Dei in loco isto*] Ubi timor Dei non est, ibi omnia vitia regnant. Est autem hæc cogitatio Abrahami non dissimilis isti Ulyssis apud Homerum Odysseæ Z'.

Ὤ μοι ἐγώ, τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἱκάνω;
Ἤ ῥ᾽ οἵγ᾽ ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι,
Ἦε φιλόξεινοι, καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής;
[*Me miserum, qui sunt in quorum littora veni?*
Suntne feri legum ignari, vi cuncta ferentes:
Aut verò hospitibus fidi, memoresque Deorum.]

12. *Non filia matris meæ*] Nam apud gentes quasdam in vitandis nuptiis genus maternum, ut certius, magis attendebatur. Philo de specialibus legibus, agens de sororibus ducendis : ὁ μὲν οὖν Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίους ἐφεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν [*Atheniensis Solon permisit ex eodem patre sorores ducere, ex eadem matre vetuit*]. Scholiastes ad illud in Nubibus Aristophanis,

—— ὃς ἐκίνει
Ἀδελφὸς, ὦ ἀλεξίκακε, τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.
[—— *Ausus ille, proh di!*
Frater subigere matre eadem prosatam sororem.]

ait, ἐπειδὴ πρὸς Ἀθηναίοις ἔξεστι γαμεῖν τὰς ἐκ πατέρων ἀδελφάς [*quia apud Athenienses licebat ducere sorores ex solis patribus*]. Scriptor Latinus vitæ Cimonis : *Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam nomine Elpinicen, non magis amore quam patrio more ductus. Nam Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere.* Vide Deut. XIII. 6. ubi frater ex matre ponitur ut conjunctior. Hunc morem Phœnicibus tribuit Achilles Tatius lib. 1. Multa autem à Phœnicibus ad Athenienses venere, ut ostendimus alibi. Et moribus Noæ liberum volunt Hebræi interdicta matrimonia cum sororibus ex matre conjunctis, non cum iis quæ ex solo patre. Sara, si Hebræos plerosque sequimur, Tharæ fuit filia ex altera uxore. Ut vero alii censent, Sara soror Abrahami dicitur more Hebræo, cum non esset ἀδελφὴ [*soror proprie dicta*], sed ἀδελφιδῆ [*consobrina*]. De more Ægyptiorum in hac re vide Diodorum Siculum.

13. *Eduxit me Deus*] Verbum est plurale : unde אלהים liceat angelos vertere, ut fecere Græci. Genes. XXXI. 24. Job XXXVIII. 7. Psalm. VIII. 6. XCVI. 8. CXXXVII. 1. quos sequitur Scriptor ad Hebræos II. 7. Vide infra XLVIII. 16. Proprie, *palabundum me fecerunt*.

16. *Mementoque te deprehensam*] ונכחת, id est, recta. Quod Chaldæus supplet, *fuisti*. LXX vero, *esto*. πάντα ἀλήθευσον [*in omnibus verax esto*]. hoc malim.

17. *Et pepererunt*] ילדו hoc quidem loco rectius vertas *conceperunt*, aut *gravida facta sunt*, ut Chaldæus.

CARTWRIGHTUS.

2. ET dixit Abraham אל־שרה de Sara.] אל significare solet *ad*, hic autem, ut R. Salom. & Aben Ezra monent, ponitur pro על, i. e. *de*, vel *super*, (prout *super* usurpatur in illo Virgilii.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.)

Soror mea est.] LXX addunt, ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν, ὅτι γυνή μου ἐστι, μήποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως δι᾽ αὐτήν. Istud autem glossema esse videtur. Nihil istiusmodi in Hebræo, uti nec in Chaldæo, vel Vulg. reperitur.

Misit ergo Abimelech, &c.] Lyra refert Hebræos dicere, quod usque ad finem vitæ Saræ remansit in ea teneritudo carnis, & vivacitas coloris; atque hoc ex eo putat probabile, quod cum jam nonagenaria esset, nec tamen eam rex concupivit.

4. הֲגוֹי גַּם־צַדִּיק תַּהֲרֹג *Num gentem, etiam justam, vel eamque justam occides?*] Verborum emphasin non videntur animadvertere, certe non exprimere qui vertunt, *Num etiam gentem justam occides?* Ita enim orationem suam instituit Abimelech, ut gradatim ascendat; *q. d. Num gentem, totam gentem occides? Num etiam & eam gentem quæ justa est?* Aben Ezra redarguit, quendam, appellans eum somniatorem, quod גוי *gentem*, hic interpretabatur איש, i. e. *virum*. Apparet certe ex ver. 7. Deum comminatum esse Abimeleco se non solum ipsum, sed & populum ipsius perditurum, nisi Saram Abrahamo redderet. LXX ἔθνος ἀγνοοῦν καὶ δίκαιον ἀπολεῖς. Vulg. *Num gentem ignorantem & justam interficies?*

6. וָאֶחְשֹׂךְ גַּם־אָנֹכִי *Et cohibui etiam ego.*] LXX καὶ ἐφεισάμην σε, *& peperci tibi.*

7. *Nam Propheta est.*] Atque ideo (inquit R. Salom.) novit te eam non tetigisse, & pro te orabit. Hoc Mercero argutius videtur; ac simplex sane sensus esse videtur, preces Abrahami ideo plus ponderis habituras, quod Propheta esset. Lyra, ut solet, R. Salomonem sequitur.

9. מַעֲשִׂים אֲשֶׁר לֹא־יֵעָשׂוּ עָשִׂיתָ עִמָּדִי *Opera, quæ non fient* (i. e. *non fieri debent, non sunt facienda*) *fecisti mihi*; ad verb. *mecum.*] Onkelos & Jonathan, *Opera, quæ non sunt recta ut fiant, fecisti mecum*. Lxx. ἔργον ὃ οὐδεὶς ποιήσει, πεποίηκάς μοι, *opus, quod nemo faciet, fecisti mihi*. Fortasse pro יֵעָשׂוּ legerunt יַעֲשׂוּ, pro activo fient, passivum *facient*. Vulg. *Quæ non debuisti facere fecisti nobis.*

11. כִּי אָמַרְתִּי *Quoniam dixi.*] Vulg. *Cogitavi mecum. Dicere* apud Hebræos sæpe ponitur pro *cogitare*. Psal. 39. 1. אמרתי dixi, *custodiam vias meas, &c.* id est, חשבתי בלבי, *cogitavi mecum in animo*, ut exponit Kimchi. Sic Jer. 18. 10. est אמרתי *dixi*, pro חשבתי *cogitavi*, uti habetur ver. 8. Interdum plenius exprimitur, *dicere in corde*, Psal. 14. 1. Genes. 8. 21.

יִרְאַת אֱלֹהִים *Timor Dei.*] LXX θεοσέβεια, *Dei cultus, pietas erga Deum*. Isto vocabulo utitur Apostolus 1. Tim. 2. 10.

12. *Verumtamen certe soror mea est, &c.*] R. Salom. (quippe qui putat Ischam, de qua cap. 11. 29. esse Saram) ait Saram vocari filiam Thare, quia בני בנים כבנים, i. e. *filii filiorum sunt quasi filii*. Unde Abraham vocavit Lot fratrem suum, cap. 13. 8. Aben Ezra existimare videtur Abrahamum officioso quodam mendacio usum esse, quod viro sancto non est temere imputandum. Verba ejus hæc sunt, ונכון בעיני שדחה אבימלך בדברים כפי צורך השעה, i. e. *videtur mihi*, quod (Abraham) *repulit Abimelec istiusmodi verbis, quæ necessitas temporis postulavit*. At non minus vere, quam eleganter Tertullianus, *Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi.*

Filia patris mei, sed non, &c.] R. Sal. ait Haran (cujus filiam putat Saram) non eandem cum Abrahamo matrem habuisse.

13. כַּאֲשֶׁר הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים *Quum me errare fecit Deus.*] *Potest quis errare & in via pedum, & in via morum*, ut alicubi distinguit Augustinus. De prioris generis errore hic sermo est, ut monet Aben Ezra; אין ז התעיה בלב, i. e. *Non est hic sermo de errore cordis.* Elias Levita hoc discrimen ponit inter

ter משגה & תעה, quorum utrumque exponitur *errare*, quod משגה non nisi de *errore cordis*, nec תעה nisi de *errore corporis* dicatur. At certum est תעה etiam interdum errorem cordis denotare. Isai. 63.17. *Domine* למה תתענו, i.e. *quare errare nos fecisti à viis tuis?* Et Psal. 95. 11. diserte legitur, תעי לבב, i. e. *errantes corde.* (a) Chaldæus hic ita videtur accepisse, quippe qui in hunc modum vertit, *Et fuit cum erraverunt populi post opera manuum suarum, Dominus me ad timorem suum adduxit.* Sententia quidem (ut notat Gualtperius) proba est, à textu tamen remotior. LXX ἡνίκα ἐξήγαγέ με ὁ Θεὸς, &c. *quando eduxit me Deus, &c.* Similiter vulg. Sed (ut notat Fagius) non satisfaciunt Hebræo התעו, quod non simpliciter educere significat, sed sic ut nescias quo pergas, quo divertas. Sic & Aben Ezra hinc colligit Abrahamum huc illuc Dei jussu profectum esse, nec quo iret intellexisse. Hoc magnum fidei Abrahami argumentum fuisse docet Apostolus Hebr. 11.8. Atque eo sensu hoc verbum usurpatur Gen. 37.15. Quod autem אלהים de Deo vero dictum hic cum verbo plurali התעו conjungitur, R. Salom. ait, mirandum non esse; sic enim sæpe nomen istud, cum plurali construi. Atque hoc multis exemplis demonstrat; ut הלכו אלהים, & אלהים חיים, & אלהים קדשים. Gualtperius ait per התעו אלהים Trinitatis mysterium insinuari. Ego id infirmum judico.

14. *Et accepit Abimelec oves, &c.*] LXX ἔλαβε δὲ Ἀβιμέλεχ χίλια δίδραχμα, καὶ πρόβατα, &c. At in Hebræo textu, cum quo consentiunt Chald. & Vulg de mille didrachmis hic nulla mentio. Ex ver. 16. huc istud videtur irrepsisse.

16. *Ecce dedi* אלף כסף *mille argenteos.*] LXX χίλια δίδραχμα, *mille didrachmas.* Chald. אלף סלעין דכסף, i. e. *mille (b) siclos argenti.* Josephus Antiq. lib. 3. cap. 9. ait, *siclum esse nummum apud Hebræos, quales sunt tetradrachmi Attici.* Loquitur autem de siclo sacro, qui duplo major erat vulgari. Vide infra ad cap. 24. 22. & 37. 28.

הוא לך כסות עינים *Is est tibi tegmen oculorum.*] Nempe Abraham; *Is tibi præstabit, ne quis oculos in te* (scil. *concupiscendi causa*) *conjiciat.* Sic exponit Aben Ezra; at R. Salom. illud הוא refert ad dona, quæ Abimelec dederat Abrahamo; sic enim παραφράζει, *Ecce hunc tibi honorem habeo; dedi enim fratri tuo, ei quem fratrem tuum esse dixisti.* Ecce opes & honor iste erunt tibi tegumentum oculorum. Per *tegumentum autem oculorum* intelligit *defensionem pudicitiæ Saræ*, ne quis eam tanquam stupratam despiceret. Chaldæus videtur etiam non de Abrahamo, sed de donis Abrahamo datis interpretari, הא לך כסות דיקר חלף דשלחית (c) דברתיך, i. e. *ipsum est tibi velamen honoris, eo quod misi, & tuli te.* Quin & *velamen oculorum* interpretatur *velamen honoris*, seu honorificum & pretiosum, in quod oculi hominum facile se conjiciunt. Sic Fagius in Collat. refert ex Hebræis nonnullos per velamen oculorum intelligere vestem pretiosam, quam omnes appetunt. Ego (inquit Mercerus) הוא generaliter sumo, *Hoc, quicquid in hac re accidit, signum erit certissimum tuæ pudicitiæ, &c.* Mihi prima expositio, quæ est Abenezræ, æque probabilis, ac ulla alia videtur, nempe *Abrahamum Saræ pro velamine oculorum esse, eam ejus præsidio tutam, ac quasi velamine tectam, ne quis ejus pulcritudine inflammatus in eam quicquam tentare auderet*; ut *non necesse haberet eum dissimulare, sed palam ac aperte pro marito suo posset, ac deberet agnoscere.* LXX ταῦτα ἔσται σοι εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου, *Hæc tibi erunt in honorem* (In edit. Rom. vertitur, *in pretium*) *faciei tuæ.*

לכל אשר אתך *Omnibus qui (vel, quæ) tecum sunt.*] (d) Aben Ezra refert ad mulieres, quæ cum Sara erant, ancillas nempe maritis junctas; ut sensus sit, Abrahamum etiam iis esse operimentum oculorum, id est, eis præstare, ne quis lascivos ac impudicos oculos in eas conjiciat. Sic autem subintelligenda est copula ו, ut לכל sit pro ולכל *& omnibus.* R. Salom. de omnibus in universum, qui cum Sara erant, intelligit, hoc sensu; *Dona ista Abrahamo data operient oculos eorum, ne te despiciant, quod forte fecissent, si te vacuam dimisissem, &c.*

ואת כל ונכחת *Et cum omnibus, & reprehensa fuit.*] R. Salom. ואת כל exponit, ועם כל באי עולם, i.e. *Et cum omnibus, qui in mundum veniunt.* Ut sensus sit, dona, quæ Abimelec dedit Abrahamo, defensionem esse pudicitiæ Saræ, non solum apud comites ejus, verum etiam apud omnes. Illud autem ונכחת, sic interpretatur, *Erit tibi apertio oris* (פתחון פה *sermonis fiducia*) *ut libere loquaris*, ac res hasce quæ ignotæ non sunt, palam prædices. Vocem תוכחה, quæ vulgo vertitur *increpatio*, asserit semper significare ברור דברים, i. e. *rerum manifestationem, vel explicationem verborum*, παῤῥησίαν, *libertatem loquendi.* Idem etiam annotat ad cap. 24. 44. Videtur autem ita accipere ונכחת ac si secundæ esset personæ, quod contra Grammaticam esse notavit Mercerus. Melior igitur videtur expositio Aben Ezræ, nempe hæc non esse verba Abimelec, sed Mosis, hoc sensu, ועם כל זה נתוכחה שרה, i.e. *Et cum hisce omnibus reprehensa fuit Sara*, ne scil. *deinceps maritum suum dissimularet, eumque fratrem esse diceret.* Monet autem ו in ונכחת redundare, ut sæpe alias, v. g. Gen. 22.4. Die tertio וישא elevavit Abraham oculos suos. Ad verb. *Et elevavit.* Illud ונכחת (inquit Mercerus) alterutro modo exposuerim, vel cum Aben Ezra, vel potius cum Rasi, sed tertia, non secunda persona, ut res fert Grammatica, à qua non est temere discedendum. LXX καὶ πάντα ἀλήθευσον, *& omnia vere dicito.* Acceperunt ונכחת in secunda persona, & deduxisse videntur à נכח quod *rectum* significat; sed Nun potius est servile, & radix יכח in Niphal נוכח *increpari.* Vulg. *Et quocunque perrexeris memento te deprehensam.* Fagius in Collat. hanc vulgatam versionem reliquis præfert, ac ad veritatem Hebraicam proxime omnium accedere arbitratur. Ego Aben Ezræ expositionem præferendam censeo; nam verbum ונכחת & tertiæ personæ est, (licet sine punctis æque in secunda possit accipi) & *reprehendi* potius quam *deprehendi* significat. Chald. ועל כל מה דאמרת אתוכחת, i. e. *Et in omni eo quod locuta es, verax inventa es.* Sic Fagius vertit; atque ita etiam Gualtperius, qui tamen refert in Complutensi esse, *Et super omnia, quæ dixisti, esto reprehensa.*

(a) *Jonath. Et fuit, cum quæsiverint cultores idolorum me in errorem trahere, &c.* (b) *Sic etiam Jonathan & Hierosolymitanus.* (c) *Deesse videtur* ו *copulativa; & in edit. Veneta legitur* ודברית & accepi. (d) LXX καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ, & omnibus, quæ tecum sunt.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

9. E*sse deridentem*] Exponunt dictionem מצחק doctiores Rabbini per מלעיג. Nam cum esset magnum convivium, & omnes congratularentur ipsi Abraham quod in senectute Dominus illi dedisset filium, filius ancillæ deridebat & subsannabat illos; quod Sara advertens, marito indicavit. Alii exponunt verbum istud pro *lascivire & petulantius ludere.*

11. *Causa*] Capitur dictio Hebræa אודת pro בעבור דבר & , i pro *re*, & *propter.* Et quod sequitur, *Lagenulam*, dicit Aben Ezra, והוא כלי מעץ או מעור, *est vas de ligno vel corio.*

16. *Jactus arcus*] Hebraice, *elongando se sicut jactores arcus.* Est כמטחוי participium in Piel & plurale constructivum, idem significans quod מושכי החץ לירות i. *trahentes sagittam ut illam emittant.* Aben Ezra tamen exponit, השלכת החץ *jactum arcus.*

17. *Ex eo*] Exponunt Hebræi dictionem באשר pro במקום אשר הוא שם, i. *in loco in quo est.*

20. *Sagittarius*] Hebraice, רובה קשת, *magister arcus*; idem scilicet quod מרבה חץ, *habens peritiam multiplicem ejiciendi sagittas.* Hinc magistrum & doctorem vocant *Rabi*, ob multam, scilicet quam habet, vel habere debet, eruditionem: est enim *rab* multus. Chaldæi vero & Syri vocant magistrum *Ribbon*; pro quo in Evangeliis scribitur *Rabboni.* Nec temere hodie apud Judæos quis audet sibi usurpare nomen *Rabi*, etiam quantumlibet sit doctus, nisi prius favore & pecunia titulum hunc à majoribus redemerit; quo fit ut divites & parum docti, qui apud eos sunt, plerunque illum consequantur gradum, doctiores autem & pauperes eo defraudentur. Novimus ex Evangelio, hanc quoque ambitionem tunc inter Judæos regnasse.

31. *Beer Saba*] Duæ sunt dictiones, sonantque, *fons septem*, scilicet agnarum, quas dedit Abraham regi Abimelech in testimonium quod puteus esset suus. Vel, ut Scriptura hic habet, *Beer Saba* est *fons juramenti.*

33. *Arbores*] Kimhi dicit אשל esse עץ לכל שם כולל, *nomen generale ad omnes arbores.* Plantavit vero Abraham arbores in illo loco, quæ monimentum essent rei ibidem gestæ, ut R. Abraham dicit.

FAGIUS.

7. P*Romisit Abrahamo, &c.*] Ad literam legitur, *Qui dixit Abrahamo.* Nec in Hebræo nec in Chaldæo, extat proprium

prium verbum quod *promittere* significat; sed loco ejus אמר & דבר, *dicere & loqui*, usurpat Scriptura.

9. *Derisorem esse*] Verbum Chaldaicum מחיך *ridere, deridere, & illudere* significat. Quid autem riserit Ismael, vel quid aut quem irriserit, non exprimitur in textu. Hebræorum quidam referunt, Saram animadvertisse Ismaelem proclivem fuisse ad idololatriam, ad homicidia, & ad scortationem: quod colligunt ex vi verbi מצחק, quod in textu Hebraico ponitur, cui respondet Chaldaicum מחיך, eo quod in quibusdam Scripturæ locis usurpatur ubi de istis flagitiis sermo est. LXX interpretes, & author vulgatæ editionis Latinæ, ita transtulerunt hunc locum quasi Sara viderit Ismaelem ludentem cum Isaaco filio suo. Addiderunt illud de suo, *Cum Isaaco filio suo*, ad absolvendam sententiam, quæ alias concisa & imperfecta videbatur, & id quidem non male. Omnino enim ex textu apparet, altercationem inter Ismaelem & Isaacum subnatam fuisse (quod & Hebræi sentiunt) de hæreditate, quisnam ipsorum potior hæres Abrahami futurus esse; ibique Ismaelem confisum prærogativa primogenituræ, præ se Isaacum contempsisse. Quæ sententia facile stabilitur ex verbis Saræ dicentis ad Abrahamum, *Ejice ancillam istam, & filium ejus: non enim erit hæres filius istius ancillæ cum filio meo Isaaco.* Atque hæc erat persecutio qua Ismael persequebatur Isaacum, de qua Apostolus scribit Gal. 4. 29. dicens, *Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum, ita & nunc, &c.*

22. *Adjumento tibi est*] Verbum Chaldaicum סעד *auxiliari, roborare, sustentare & refocillare* significat: unde & Hebræi ab hoc verbo convivia סעודה vocant, quod his homo refocillatur & sustentatur. Tantum ergo vult dicere Abimelech ad Abrahamum, Verbum Domini, quod semper audis, & cui tu credis, sustentat, alit, defendit, tuetur, auxilio & solatio tibi est in omnibus quæ agis. Et nota non oscitanter, quod ubi in veritate Hebraica mentio *Dei* vel *Domini* ponitur, ibi fere semper Paraphrastes Chaldæus addit *Verbum*; inquiens, *Verbum Domini, &c.* Respexit enim ad hoc, Quod Deus per verbum suum omnia agit nobiscum; cui si vere credimus, exemplo fidelis Abrahami, in omnibus auxilium Dei præsens experiemur: deinde ad mysterium, h. e. Christum, qui est æternum Dei Verbum, quo omnia ut condidit ita moderatur quoque & sustentat, Heb. 1. 2, 3.

IDEM.

9. ותרא שרה את בן הגר המצרית אשר ילדה לאברהם מצחק, *Et vidit Sara filium Hagar Ægyptiæ, quem illa genuit ipsi Abraham, esse derisorem.*] Illud, CUM ISAAC FILIO SUO, redundat in translatione Septuaginta & Latina: nam in textu Hebraico non habetur. Et additum apparet ad absolvendam sententiam, quæ alias concisa quodammodo & imperfecta videbatur. Porro vocem מצחק, quam *ludentem* reddunt, Hebræorum quidam sic explicant. Quod Sarah animadverterit Ismaelem proclivem ad idololatriam, ad homicidia & ad scortationem, propterea quod in certis Scripturæ locis hujus verbi usus est ubi de his rebus mentio fit. Verum tu noveris hujus vocabuli hoc in loco simplicem sensum hunc esse, quod scilicet Sara animadvertebat Ismaelem subsannantem ac deridentem, se scilicet & filium suum Isaac; hinc nimirum, quod confisus prærogativa primogenituræ se verum heredem Abrahami futurum jactaret. Atque hoc facile est colligere ex verbis ipsius Saræ ad Abrahamum dicentis, *Ejice ancillam istam & filium ejus; non enim erit hæres filius istius ancillæ cum filio meo*, nempe cum Isaac. Atqui hæc erat persecutio qua Ismael persequebatur ipsum Isaacum, de qua Apostolus Paulus scribit Gal. 4. *Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum, ita & nunc*, &c.

23. ועתה השבעה לי באלהים הנה אם תשקר לי ולניני ולנכדי, *Et nunc igitur jura mihi hic per Deum, ut non inique agas mecum, & cum prole mea, atque nepote.*] Latinus Vulg. interpres, etsi verba Hebraica non per omnia traduxerit, sensum tamen non male expressit. LXX plane deviant, quod pro ולנכדי, *& nepoti meo*, legunt *nomini meo*. Non video quid moverit eos, nisi fortassis huc respexerunt, quod in posteris quodammodo vivit & conservatur nomen parentum, juxta illud dictum Hebræorum, כי שאין לו בנים חשוב כמת, *Cui non sunt filii, reputatur tanquam mortuus.* Mihi tamen omnino verisimile fit vitio scriptoris pro *nepoti meo* irrepsisse *nomini meo*, quod facile fieri potuit.

VATABLUS.

1. *Visitavit Sarah*, פקד את שרה] Seipsum declarat mox per repetitionem, quæ frequens est in Scriptura, Chald. Paraph. *Et recordatus est Dominus Saræ.*

2. *In senectute ejus*, לזקניו] *pro senectute ejus*, i. qui futurus esset solatio illi jam seni.

4. *Quum natus esset octo dies*; בן שמנת ימים] Ad verbum; *filium octo dierum*, i. octavo die ex quo natus fuerat.

6. *Risum fecit mihi*; צחק עשה לי] *Gaudium (Lætitiam) immisit mihi*, vel, *Invexit*, i. Effecit ut riderem, sive Affecit me gaudio. Reddidit me lætam. ¶ *Quicunque audierit, corridebit mihi.* השמע יצחק לי] *qui audierit me peperisse, congaudebit mihi*, vel *congratulabitur mihi*, solent enim vetulæ mulieres summo affici gaudio quum parituræ sunt. Alii, *ridebit de me*, i. perfundetur gaudio propter me, quod scilicet peperim in senectute mea, & viro meo jam Seni.

7. *Et adjecit*, ותאמר] Ad verbum, *Et dixit.* Quidam; *Dixit quoque.* ¶ *Dixisset Abrahæ quod lactatura esset, &c.* מי מלל לאברהם היניקה] Ad verbum, *dixit ad Abraham, Lactavit.* Præteritum vertendum per præteritum perfect. subjunctivi, perinde acsi dicat, hoc nemini mortalium fuisse venturum unquam in mentem; unde constituit, solum Deum authorem esse: & jam seipsam ingratitudinis damnat; quod tarde fidem habuerit narranti Angelo. ¶ *Quia peperi* כי ילדתי] *& quod peperissem.*

8. *Quum autem, &c.* ויגדל וגו'] Ad verbum, *Et crevit puer, & ablactatus fuit*

9. *Ludentem*; : מצחק] *irridentem, subsannantem*; ita doctus inter Hebræos. Quemadmodum enim *ridendi* verbum bifariam accipitur apud Latinos, ita & Hebræi tam in bonam quam in malam partem verbo צחק utuntur. à quo participium מצחק deductum est. Non fuisse puerilem lusum & innoxium, ex indignatione Saræ apparet. Fuit igitur maligna subsannatio qua protervus adolescens fratrem adhuc infantem præ se contempsit.

11. *Displicuit, &c.* וירע וגו'] Hebraismus, Id autem ægre tulit valde Abraham.

12. *Ne displiceat in oculis tuis* אל ירע בעיניך] *Ne sit malum (i. ingratum) in oculis tuis.* Hebraismus, Ne ægre feras ejectionem filii cum matre. ¶ *In Isaac vocabitur tibi semen*: ביצחק יקרא לך זרע:] Verbum *Vocari* Paulus ad Rom. 9. 8. exponit λογίζεσθαι, h. e. *censeri*, vel *reputari*; q. d. Filii ac nepotes Isaac dicentur filii ac nepotes tui, non item qui ex Ismaele nascentur.

13. *In gentem ponam*: לגוי אשימנו] Ad verbum, *in gentem ponam eum.* Redundat pronomen. Est autem Hebraismus, efficiam ut ex eo nascantur populi multi.

15. *Subter, &c.* תחת וגו'] *sub una arborum.* Alii, *sub uno virgulto.* h. e. Quumque defecisset illis aqua, incidit puer præ nimia siti in febrem, cœpitque ægrotare usque ad mortem: quum autem videretur jamjam efflare animam, mater abjecit eum subter unam arborem, posteaquam diu foverat illum in gremio suo.

16. *Et discessit, seditque* ותלך ותשב לה] Ad verbum, *Et abiit, & sedit sibi.* Relativum redundat. Discessit, aliquantulum scilicet. ¶ *Elongando se* הרחק] *recedendo.* ¶ *Quantum est jactus* כמטחוי] Plurale est, *quantum est unus jactuum arcus*, i. quantum arcus emittere potest sagittam. Ita doctus inter Hebræos. Quidam ex illis volunt esse participium, i. quantum distant jacientes sagittam (h. e. sagittarii) à sagitta jam emissa. ¶ *Et sublata, &c.* ותשא וגו'] Ad verbum, *& levavit vocem suam, & flevit*, vel *plorare cœpit.*

17. *Audivit autem, &c.* וישמע וגו'] i. Misertus est pueri clamantis ad se, & conquerentis quemadmodum conqueri solent qui gravissimo morbo laborant. ¶ *Vocavitque, &c.* ויקרא וגו'] Ad verbum, *& clamavit Angelus Dei ad Agar*; i. statim Hagar audivit vocem è cœlo emissam, dixitque illi Angelus. ¶ *In loco ubi est.* באשר הוא שם] Hebræi exponunt במקום אשר הוא שם, *in loco in quo ipse ibi.* Redundat שם. Quidam vertunt, *ex eo loco in quo jacet*, i. vocem pueri jacentis sub arbore sub qua deseruisti eum.

18. *Et apprehende* והחזיקי] i. sustenta eum, est enim debilis præ languore. ¶ *In gentem, &c.* לגוי וגו'] Vide paulo ante v. 11. c. 3.

19. *Puteum aquæ*: באר מים] *fontem aquæ*; i. in quo erat aqua.

20. *Jaculator sagittarius.* רבה קשת] q. d. Venator. Ad verbum *jaculans* (*sagittans*) *arcu*: ut קשת *cassath* sit nomen sub-

substantivum pro קשת *cesheth*. Alii vertunt, *juvenis sagittarius*, & ita Chald. paraph.

23. *Hic* הנה] *hoc loco*, priusquam hinc discedas. ¶ *Si mentieris mihi* אם תשקר לי] Defectiva locutio Hebræis, trita in formulis jurandi: quæ sic resolvi debet, Si fefelleris datam mihi fidem, Deum invocabimus, ut medius inter nos judex sedeat, seque ostendat perjurii ultorem. *Mentiri* autem hic quidam accipiunt pro *inique & fraudulenter agere*. Alii autem pro *deficere*. Simpliciter interpretandum videtur acsi dictum foret, Nihil perfide ages mecum, vel cum meis nepotibus. ¶ *Juxta misericordiam, &c.* כחסד אשר וגו׳] *Misericordiam facere cum aliquo* Hebræis significat *clementer & benigne cum tractare*; neque enim supplex venit Abimelech ut Abrahæ misericordiam imploret: quin potius sibi jus regium vendicat. ¶ *Et cum terra, &c.* ועם הארץ וגו׳] i. & regioni in qua tanquam advena versatus es.

25. *Increpavit autem &c.* והוכח וגו׳] *Expostulavit autem Abraham cum Abimelech.* ¶ *Rapuerant* גזלו] *vi abstulerant*, vel *usurpaverant sibi*.

30. *Quia septem, &c.* כי את שבע וגו׳] q. d. Volo tibi dare septem agnas, ut hoc munus sit, &c.

31. *Vocavit* קרא] sub. *is qui puteo nomen indidit*. Alii, *vocatus fuit*. ¶ *Beerseba* באר שבע] Supra v. 14. ita nuncupavit Moses, sed per anticipationem: nunc autem ipse declarat quando & qua de causa inditum fuerit nomen, nempe quod illic ambo jurassent: ideo transferendum, *Puteus jurisjurandi*. Alii vertunt, *Puteum septem*. Sed Moses apertè à *jurando* deducit: nec refert quod à ratione Grammatica paulum discedit pronuntiatio, quæ in nominibus propriis adeo curiose non observatur. Vide infra c. 26. 33.

33. *Nemus* אשל] *lucum*. Alii, *arborem*, i. arbores. Alii, *paradisum*. Doctus inter Hebræos dicit esse nomen generale ad omnes arbores. ¶ *Seculi*. עולם] i. æterni, sive sempiterni. Significat Abrahamum de integro instituisse solemnem cultum Dei, quo suam gratitudinem testatam faceret: quem cultum *invocationis* nomine designat per synecdochen: de quo vide supra c. 4. 26.

CLARIUS.

5. Cum esset centum annorum] Ordo horum verborum in Hebræo talis est, *Abraham erat centum annorum cum ei natus est Isaac filius.*

6. *Risum*] H. e. gaudium.

7. *Quod Sara lactaret filium*] Heb. *filios*. Ecce (inquit) ne quis supposititium suspicetur partum, fecit me Deus vetulam nonagenariam lactare.

9. *Ludentem*] Alius vertit, *esse derisorem*: ut sit hic sensus, Cum esset magnum convivium, & omnes gratularentur ipsi Abrahæ quod in senectute Dominus illi dedisset filium, ancillæ filius deridebat & subsannabat illos: quod Sara advertens, marito indicavit.

16. *Quantum potest arcus jacere*] Hebraismus habet, *Elongando se, sicut jactores arcus.*

20. *Sagittarius*] Heb. *magister arcus*, h. e. habens peritiam multiplicem ejiciendi sagittas. Hinc magistrum & doctorem vocant *Rabi*, ob multam scilicet eruditionem; est enim *Rab*, *multus*. Chaldæi vero & Syri vocant magistrum *Ribbon*, & *Ribboni*; pro quo in Evangeliis scribitur *Rabboni*. Nec temere hodie apud Judæos quis audet sibi usurpare nomen *Rabi*, etiam quantumlibet sit doctus, nisi prius favore & pecunia titulum hunc à majoribus redemerit: Quo fit ut divites & parum docti, qui apud eos sunt, plerunque illum consequantur gradum, doctiores autem, & pauperes eo fraudentur. Novimus ex Evangelio, hanc quoque ambitionem tunc inter Judæos regnasse.

31. *Bersabee*] Duæ sunt dictiones in Hebræo, *Beer Seba*: sonatque *fons septem*, scilicet agnarum; vel, ut Scriptura hic habet, *fons juramenti*.

33. *Plantavit nemus*] vel, *arbores*: quæ monimentum essent rei ibidem gestæ.

DRUSIUS.

1. Visitat Deus quorum recordatur vel in bonum vel in malum. In bonum, ut Gen. 21. 1. *Visitavit Dominus Saram*, & Psal. 8. 4. *Quid homo, ut memor sis ejus? filius hominis, ut visites eum?* Sic Ruth 1. *Visitavit populum suum dando eis panem*; & alibi, *Visitavit nos germen ex alto*: quod explicant, *respexit nos*. Id significat propitium esse. Sane quibus Deus propitius est, eos *respicere* dicitur. Scitum illud, *Dii te respiciant*. Significat etiam recordari aliquid in malum, ut Exod. 20. 5. *visitans iniquitatem patrum*, i. puniens. Sic 1 Sam 15. 1. *Visitavi quæ fecit Amalec Israeli*. ubi LXX, ἐκδικήσω *ulciscar*. Jonathan, *recordor ego*. sic interpretatur quoque cum in bonam partem sumitur. unde sapiens Aben Ezra, *Visitatio est quasi recordatio quædam*: & rectè. Nam qui visitat recordatur eum quem visitat. In bonum accipies etiam Gen. 8. 1. & Psal. 74. 2. Videor mihi ex dictis hoc observare posse, cum in bono ponitur, tribui personis; cum in malo, rei tantum. Sed dubito an hoc perpetuum sit.

7. *Lactavit filios Saræ*] Certum est unum duntaxat filium lactasse: quomodo igitur dicit, *lactavit filios? Filiorum* nomine unus filius intelligitur, ut *liberorum* voce apud Latinos. Nam ut rectè Cajus ait, *Non est sine liberis cui vel unus filius*. Hoc tamen interest, quod filia etiam *liberorum* nomine continetur; quod non potest dici de filiis, quos בנים appellant, & de uno usurpant Gen. 36. 25. *Filii Anæ, Dison*. & Gen. 46. 23. *Filii Dan, Husim*. & alibi, *Filii Ethan, Azarias*. Hinc elucidabis locum qui est Gen. 46. 15. *Omnes animæ filiorum ejus & filiarum ejus*. Nam de Jacobo patriarcha loquitur, qui unam duntaxat filiam habuit, Dinam nomine. Unde liquet etiam *filios* non dici de una filia, cum ibi sit בנות, *filiæ*, in sermone mystico. Vide nunc, si placet, Annotationes majores.

IDEM.

14. ואת הילד] καὶ τὸ παιδίον] Sub. *dedit*, & non *imposuit*. Liquet ex scholio quod apud Theodoretum. Vide Rom. Latinam. Ebræa sic non incommode vertes, *Accepit panem & lagenam aquæ, & dedit Hagari, ponens super humerum ejus, & puerum*. Ut שם sit participium, non verbum præteritum.

33. אשל. A. & Sym. δένδρων φυτείαν, *arborum plantationem*] i. δενδρῶνα, arboretum, locum arboribus consitum. Thargum Onkeli, נצבא φυτείαν. i. plantationem. Fagius *arbores* reddit. Nam lectio varians אילנא arborem i. arboretum sive arbustum aut arbustinum locum. Jonathæ, פרדס παράδεισον. Jerosolymitanum, פרדס *paradisum*, sive *pomarium*. Editio Lat. Vulg. *nemus*. R. D. scribit אשל cum sex punctis. Idem ait esse generale ad omnes arbores. In monumentis τῶν Ἀδαμαίων, אשלי רברבי, id exponunt *arbores ingentes*. R. Iona, *Potest fieri*, inquit, *ut sit arbor quam Arabes* אתל *vocant: cui similis Italorum tamarix*. Ab אשל inversis litteris videtur esse Græcum ἄλσος, *nemus* vel *lucus*. Vide Cadmum meum.

NOTÆ MAJORES.

1. *DOMINUS autem visitavit Saram, quemadmodum dixerat, fecitque DOMINUS Saræ quemadmodum locutus fuerat.*

Visitavit Saram] i. promissa ei præstitit. Mox se interpretatur, cum ait, *Et fecit DOMINUS Saræ ut locutus fuerat*. Onkelos & Jonathan, *Recordatus est Saram*. Quod idem efficit: itaque simul leguntur Psal. 8. *Quid homo ut recorderis eum? filius hominis ut visites eum?* Alibi est *respicere* eodem intellectu, quod explicant propitium esse. Hinc Scholion illud, *visitavit nos germen ex alto*, i. respexit. Sic etiam enarrant, *Visitavit populum suum dando eis panem*. Locus est in historia Ruth. ¶ *Dixerat*] Hiero. *promiserat*. Ne sperne. Nam *dicere* hoc significatu etiam profani authores usurpant. Plautus Pœnulo, *dic dare*, i. daturum te promitte: & Aulularia, *dividere dixit* pro divisurum se promisit. ¶ *Fecit*] ויעש καὶ ἐποίησε. Hiero. *implevit* ועבד. Jonathan, *fecit signum*, i. miraculum. Chaldaice ניסין. Author Jerosolymitanæ, *fecit signa*. i. נסין. ¶ *Quemadmodum locutus fuerat*] minus rectè Jonathan, *Quemadmodum locutus fuerat Abraham in oratione pro Abimelecho*.

2. *Concepitque & peperit Sara Abrahamo filium in senectute ipsius, ad tempus quod locutus fuerat Deus.*

In senectute ipsius] לזקניו *in senectute ejus*. Hiero. *in senectute sua* לזקניו. LXX. εἰς τὸ γῆρας: *in senecta* לזקנים. Onkelos, *in senectute ejus*. Jonathan, *in senectute*. Pronomen non temere additum, meo judicio, omittendum non erat. Nam significat etiam Abrahamum tunc senem fuisse, quod ad miraculum ita facit ut nihil magis. Nihil enim tam naturæ repugnat quam si anus ex sene concipiat. Mercerus, *ad senectutem ejus, i. eo jam sene*. ¶ *Ad tempus*] למועד. Hiero. *tempore*. LXX. εἰς τὸν καιρὸν. Onkelos & Jonathan, לזמנא *ad tempus*. Trem. *eo tempestate qua*. Santes, *in tempore*. מועד proprie tempus condictum sive statutum aut præfinitum. Scivit hoc Arias, qui Santem emendans edidit, *ad tempus præfixum*. ¶ *Quod locutus fuerat*] quod dixerat. i. אמר. Nam hæc duo verba se mutuo explicant. אשר verto, *quod*, & ad tempus refero. Sic Onkelos

kelos & Jonathan דמליל יתיה. Etiam Hiero. *quo prædixerat.* Sed & Tremellius, *quam dixerat.* Nam præcedit, *ea ipsa tempestate.* Possumus etiam vertere, *quod locutus fuerat cum eo*, ut sit את pro אתו. Quæ enallage obvia Num. 26. & Jerem. 1, 16. Sed & alibi reperitur. Hoc secuti sunt Lxx. καθὰ ἐλάλησεν αὐτῷ Κύριος: & Santes, *quod locutus fuerat ei Deus*: & interpretes à Sabaudia, *Que Dieu lui avoit dit.*

3. *Vocavitque Abraham nomen filii sui, qui natus fuerat ei, quem pepererat ei Sara, Isahac.*

4. *Et circumcidit Abraham Isahacum filium suum, natum octo dies, quemadmodum præceperat ei Deus.*

Qui natus fuerat ei] Lxx. ὃ γενομένου αὐτῷ: quod male vertunt, *qui factus erat ei*, cum verti debeat, *qui natus erat ei*, ita poscente sententia. Nihil verius. Onkelos דאתיליד ליה pro quo in Jonatha דיתליד ליה quod mihi suspectum de mendo. Santes, *qui natus erat sibi.* ❡ *Quem pepererat*] ὃν ἔτεκε. Hiero. *quem genuit*: ὃν ἐγέννησε. Nam interpretes ista permutant. Et γεννάω de mulieribus dictum reperitur, & τίκτω i. pario, de viris. ❡ *Isahac*] Vide sis Gen. 17, 19. ❡ *Natum octo dies*] idem cum illo, τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ die octavo. Verbum è verbo, *filium octo dierum.* Quem Ebraismum servat Onkelos & Jonathan. ❡ *Quemadmodum præceperat ei*] Gen. 17, 12.

5. *Et erat Abraham centum annorum, cum nasceretur ei Isahac filius ejus.*

6. *Et dixit Sara, Risum fecit mihi Deus, omnis qui audiet ridebit mihi.*

Centum annorum] Sic Græci, ἑκατὸν ἐτῶν i. centenarius. Alii, *natus centum annos.* Eodem recidit. Ebraice & Chaldaice, *filius centum annorum.* ❡ *Cum nasceretur ei*] vel, *quando natus est ei*: ἡνίκα ἐγένετο αὐτῷ. Chaldaice כד אתיליד ליה. Sic utrumque Thargum: ex quo emendari poterit quod supra ex Jonatha produximus דיתליד ut legas דאתיליד, quod rectum esse puto. ❡ *Risum*] γέλωτα. Ebraice *Sehoc.* Inde Isahac dictus, quem Artabanus Γέλωτα vocat. Sic etiam Lxx. in Amos. Cave aliter accipias verba ista, *destructa sunt aræ risus* i. βωμοὶ γέλωτος. Locus in quo mire se torquent interpretes. *Aræ risus* idem cum illo, *aræ Isahac.* Nam Isahac, risus. Ideo scribi velim Γέλωτα per Γ. majusculum. Onkelos hic habet חדוא gaudium. Jonathan תימהא admirationem. Interpretes qui è Gallia, *Dieu m'a fait rire*: Deus me ridere fecit. Nescio an acceperint צחק pro verbo infinito. Grammatici modum infinitivum vocant. ❡ *Qui audiet*] vel, *qui audierit.* ❡ *Ridebit mihi*] i. propter me. Docte Lxx. συγχαρεῖταί μοι: una mecum gaudebit. Sic etiam Onkelos. Quanquam in versione Fagii, *congratulabitur mihi.* Interpres Romanus vertit ex Græco, *congaudebit mihi.* Hiero. & Santes, *corridebit mihi.* Tremellius, *arridebit mihi.* Galli, *riront avec moi*: ridebunt mecum, i. עמי. In eadem editione כל השמע redditum, *tous ceux qui l'entendront*: omnes qui intelligent. Notum ut audire pro intelligere ponatur. Quod an hic locum habeat, nescio.

7. *Rursum dixit, Quis dixisset Abrahamo, Lactavit filios Sara? certe peperi filium in senectute ejus.*

Rursum dixit] ותאמר & dixit. Hic copulam & alii *rursum* interpretantur, alii *insuper*, alii denique *præterea.* Licet etiam vertere, *amplius dixit.* ❡ *Quis dixisset Abrahamo*] מי מלל לאברהם *quis locutus fuisset Abrahamo.* Siquidem מלל idem fere quod דבר. Hic tamen pro אמר poni videtur. Quomodo sane Onkelos interpretatur. Ejus verba sunt מהימן דאמר לאברהם quæ sic Fagius in Latinum convertit, *Fidelis est qui promisit Abrahamo.* Verbum è verbo, *qui dixit Abrahamo.* Dicere inter alia est promittere. Hoc notum doctis. Ceterum in exemplari Veneto, quod in octavo folium complicat, repperi מן מהימן. Quæ lectio in omnes partes melior est. Puto igitur vertendum, *Quis credens qui dixisset Abrahamo*, nisi malis, *Quis fidelis.* Pro quo Hiero. *Quis auditurum crederet Abraham quod* &c. Lectio varians, *Quis auditorum.* Ea extat in quinque manuscriptis. Lxx. τίς ἀναγγελεῖ τῷ Ἀβραὰμ; *quis annunciabit Abrahamo?* Jonathan, *Quam fidelis est nuntius qui nuntiavit Abrahamo?* nam in eo לאו non מן aut מאן. Forte Onkelos hinc emendandus erit. Nihil affirmo. רבשר qui nuntiavit vel qui nuntiet. Proprie de rebus lætis dicitur, ut quidam volunt. Unde בשורה εὐαγγέλιον, quod bonum & lætum nuntium sonat, & מבשר nuntius, Evangelista. Chaldaice מבשרא. Sciendum autem sæpius scribi בסר per Samech. De Chaldæis loquor. Nam etiam בסורא dicunt pro בשורא. Alioquin in texto Ebræo semper est Sin. Thargum Jerosolymitanum, *Quam erat lætum nuntium quod nuntiatum fuit Domino meo Abrahamo à principio.* Si modo בשורא significat lætum nuntium. רבשר ad verbum, quod nuntiavit, sub. nuntius. Sed est cur malim דבשר. Nam apices qui addiderunt, sæpe hoc modo pec-

carunt. Qua de re dicam alias. ❡ *Lactavit filios Sara*] Lxx. ὅτι θηλάζει παιδίον Σάῤῥα: quia lactat puerum Sara. Hiero. *quod Sara lactaret filium.* παιδίον melius redditur, *puerulus.* Est enim diminutivum à παῖς, puer. Significat etiam *filiolum.* Quæ significatio huic loco magis convenit. Onkelos קיים דתניק בנין שרה certum est quod Sara lactabit filios. Libri alii וקיים דתניק & confirmavit quod lactatura sit. Sic editiones quæ in folio complicant. Saltem duæ quas consului. Nam alias non inspexi. Tempus deerat. Jonathan & autor Jerosolymitana, *& dixit, lactatura est filios Sara.* Quanquam varietas in libris. Nam in Jonatha, ואמר עתידה תניק שרה in Jerosolymitana vero ואמר שרה הוא לינקא: ubi desideratur בנין & שרה. Sententia est, quam expressi. מאן מהימן, quod supra ex Onkelo produximus, potest accipi passive, quis fidem invenisset? cui creditum fuisset? Nam מהימן & qui credit, & cui creditur. Hujus me Mercerus admonuit. Quod autem dicit בנים filios, & non filium, vel est à vulgo petitum, qui sic etiam loquuntur, vel est Heterosis numeri. Sic liberi de uno dictum reperitur, & filiæ Jacob de sola Dina. Meminit Augustinus de civit. Dei lib. 16. cap. 40. Sic *pullus asinarum*, cum unius tantum asinæ pullus esse possit. Hiero. certe habet *filium*, & Lxx. παιδίον, quod reddi potest, imo debet *filiolum*, ut diximus. Aliter Ebræi. R. Salomo, *Quid est quod ait filios, numero multitudinis? In die convivii, quum à mamma depelleretur Isahac, principes feminæ quæ etiam pepererant, adduxerunt filios suos secum. Nam dicebant non peperisse Saram nisi projectitium*, (Græci ἔκθετον i. expositum vocant) *quem è platea collegerat. Lactavit eos.* Commentum hoc invenies & apud Nicolaum. Meminit quoque Mercerus, per hæc verba. „Quia autem hic pluraliter dicitur filios, cum mox filium dicat se peperisse; & unicum lactaret non plures, inde „occasionem captant illius commenti, quod mulieres aliæ cum „non crederent peperisse Saram, sed suppositum ab eo puerum „Abrahamo, ut eam putaret filium peperisse, periculi faciendi „causa filios suos attulerint Saræ, ut videret num eos lactaret: „ipsam coram ipsis lactasse. Tum desiisse, quod jactarant & „sparserant in vulgus, dictitare, vulgo conceptum fœtum, quem „אסופי vocant ad se accersisse Saram. ❡ *Certe peperi*] כי certe, utique. Trem. *attamen.* Santes, *quia.* Sic etiam Galli & Græci Lxx. Mercerus, *quia sane peperi.* Onkelos & Jerosol. ארי. Jonathan, ארום quoniam. ❡ *In senectute ejus*] Lxx. ἐν τῷ γήρει μου: לזקני. Quidam, *ad senectutem ejus*, q. d. Abrahamo qui nunc jam ad senectutem pervenit. Possumus etiam vertere, *senectuti ejus.* Hiero. *quem peperit ei jam seni.* Jonathan, *quia peperi ei filium* לאשון. i. tempore præfixo & constituto. Munsteri λέξις, אשון *tempus, hora*: item *aurora, mane.* Elias in libro ubi vocum Chaldaicarum sensus collegit: זמן *tempus*, ועד וקבע καὶ ὁρισμὸς & *terminus*: vel simul sig. *tempus præfixum*: שעה או עונה *hora aut mensura.* Hactenus Elias. In Thargum quod ab urbe nomen habet interpretamentum est על מועד. Quod expositionem meam ita roborat, ut nihil magis. Siquidem מועד tempus statutum, condictum, præfixum, definitum. Idem ergo אשון hoc loco, aut ego in magno errore sum.

8. *Et crevit puer & ablactatus est, fecitque Abraham convivium magnum, quo die ablactatus fuit Isahac.*

Puer] הילד. Lxx. τὸ παιδίον puerulus. Onkelos רביא à crescendo. Nam רבא crevit. Jonathan, טליא, unde Talitha. i. טליתא in Evangelio, puella. ❡ *Ablactatus est*] ἀπεγαλακτίσθη. Hoc Lxx. illud Hiero. edidit. in Onkelo est אתחסיל, ut in Jonatha, ואתחסין, L, in N. versa. Ebræum est גמל ἀπογαλακτίζω ablacto, à lacte sive à matre depello, à mamma disjungo, removeo, depello. Dicunt etiam à lacte removere. ❡ *Convivium magnum*] δοχὴν μεγάλην Lxx. ❡ *Quo die ablactatus fuit*] ᾗ ἡμέρᾳ ἀπεγαλακτίσθη. Lxx. Sic etiam Onkelos. Hiero. *in die ablactationis ejus.* Sensum expressit, non verba. Jonathan, *quo die ablactavit isahacum*, si non est mendum in אחסין, pro quo supra vertit ואתחסין quasi roboratus aut confirmatus fuit. Nam à lacte depulsi solidiore cibo utuntur. Porro incertum quo tempore hoc acciderit. R. Salomo putat ablactatum post 24 menses. Alii biennium aut triennium lactationi tribuunt. Sane legimus 2. Machab. 2, 27. *Fili mi, quæ te alui lacte triennio.* Albinus (Sumpsit ex Hieronymo, quem vide, si placet, in Quæstionibus ad hunc locum.) in Genesin, pag. 460. *De tempore ablactationis inter Ebræos varia opinio est, asserentibus aliis quinto anno, aliis duodecimo ablactationis tempus impleri.* Ego non putarim certum tempus ab omnibus observatum fuisse, sed alias citius, alias tardius infantes à lacte depulisse, prout expedire judicabant puero quem lactabant.

9. *Vidit autem Sara filium Hagaris Ægyptiæ, quem pepererat Abrahamo, ludentem.*

10. Ita-

10. *Itaque dixit Abrahamo, Ejice ancillam hanc & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ hujus cum filio meo cum Isahac.*

Ludentem] מצחק ludentem vel jocantem ut pueri solent. Lxx. παίζοντα & addunt de suo, μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς: ex quo in Vulgata nostra, *Ludentem cum Isahac filio suo.* Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebraicis, „Quod sequitur, cum Isahac filio suo, non ha„betur in Ebræo. Duplicitur itaque hoc ab Ebræis exponitur, „sive quod idola ludo fecerit, (*Aliter* idolis ludos fecerit, *quod* „*magis probo*,) sive quod adversum Isahac, quasi majoris æta„tis, joco sibi & ludo primogenita vendicaverit. *Acacius in Ca*„*tena Lippomani*, Vidit ludentem, i. pugnantem & perse„quentem, ut in libris Regum, Surgant pueri & ludant, hoc „est, manus inter se conserant. Quod etiam Apost. in epi„stola ad Galatas secutus est, qui locum hunc notum ac celeber„rimum sua fecit expositione. Locus Apostoli habetur in dicta epistola cap. 4, 29. ubi usus est verbo ἐδίωκε, quod miratur Origenes ita scribens, „Quid læserat aut quid nocuerat, si ludebat? „Quasi non hoc in ætate illa etiam gratum esse debuerit, quod „luserit filius ancillæ cum filio liberæ? Tum deinde & Aposto„lum miror, qui ludum hunc persecutionem pronuntiavit, cum „utique nulla persecutio Ismaelis adversus Isahac mota referatur, „nisi hic solus ludus infantiæ. Acacii verba Græca in editione Romana sunt, μήποτε τὸ παίζειν ἀντὶ τῆς μάχης καὶ διώξεως εἴρηται; num forte παίζειν posuit pro pugna & persecutione? Hæc verba dubitantis sunt, non affirmantis aut asserentis. Onkelos מחייך ridentem aut jocantem. Jonathan, *ridentem cultum extraneum & incurvantem se coram DOMINO.* Jerosolymitana, *facientem opera mala quæ fieri non oportet, ludentem in cultu extraneo.* מחייך verti, *ridentem & ludentem*: גחן incurvantem se, ut homo. Falli possum. In Jonatha puto latere ὕπουλον ulcus, quod Æsculapio sanandum relinquo. Nam ego qui possum ope codicum destitutus? unum tantum exemplar Jonathæ habeo. Abenezra, *Ludentem ut pueri solent, quod Sara ferre non potuit muliebri æmulatione mota, cum Ismael major natu esset.* Quod ut facile concesserim, ita putarim cum hoc lusu conjunctam fuisse irrisionem quandam. Quid autem riserit, Moses non dicit. Verba Saræ quæ sequuntur juvant nonnihil conjecturam Jarii Ebræi, qui scribit eum contendisse cum Isahaco de hæreditate ac dixisse se, quia primogenitus esset, duplam portionem ablaturum. Sunt etiam qui exponant *ludentem.* i. facientem id quod viri solent cum feminis. Quo significatu sumitur in illo, *Adfatim edi, bibi, lusi*: quod Homerus dixerat, τῷ δ' ἔθαζον τ' ἔπιοντι καὶ αἰδολέσιν ἰδοῦσα i. secundum veteres interpretes τοῖς ἀφροδισίοις. Sic ludere dicuntur canes quando coeunt. Ludere etiam est pugnam ludicram pugnare, quam vulgo *hastiludium* vocant. Salomo Trecensis, *Ludentem, hoc est ludos facientem idolis, ut ibi, & surrexerunt ludere: aut cædem per lusum molientem. Nam egressus in agros cum Isahaco, mittebat in eum sagittas dictitans, Nonne ludo ego?* i. pugnam ludicram pugno. Hanc pugnam Apostolus persecutionem appellat. Ceterum in Salomone legitur ע״ז לעשות, ubi nos posuimus, *ludos facientem idolis.* Id accipies de ludis puerilibus. Secutus autem sum Hiero. Ebræos ita interpretantem. Nam ubi vulgo, *vel quod idola ludo fecerit*, Glossa ordinaria hunc locum citans, habet, *vel quod idolis ludos fecerit.* Quæ lectio in omnes partes melior est. Sic interpretor *surrexerunt ludere.* i. ludos facere idolis, sive, quod idem, pugnam ludicram pugnare in honorem idolorum. Locus Hieronymi habetur in Quæst. sive Tradit. Ebraicis. Causa nulla est cur hoc Brugensis damnet aut rejiciat, aut Nicolaum eo nomine reprehendat. Qui hinc illustrandus erit, quo in loco ita scribit, *Dicunt igitur Ebræi quod dictio* מצחק *accipitur hic in triplici significatione. Quod Sara vidit Ismaelem facientem aliquid quod pertinebat ad idololatriam. Item percepit quod quærebat caute Isahac occidere, ut haberet hereditatem. Item percepit quod esset pronus ad luxuriam, & timens ne ad similia induceret filium suum, nunciavit ista Abrahæ, petens ut Ismaelem ejiceret.* Hæc Nicolaus ille. Quæ ita probo, ut tamen non improbem Pauli expositionem *ludentem.* i. *illudentem seu deridentem.* Quanquam Pauli non est hæc expositio, sed Ebræorum quorundam, quos ait magis authenticos esse quam sit R. Salomo. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Iste passus melius exponitur ab aliquibus expositoribus Ebræorum magis authenticis quam R. Salomo. Dicunt enim quod Ismael videns quod tam magnum festum celebrasset Abraham in die ablactationis filii sui Isahac, illudebat sive irridebat, dans intelligere, quod ex hoc non sequeretur, quin ipse Ismael esset heres, ex quo erat major natu & legitimus & a Deo etiam benedictus. Unde supra de Ismaele dixit Deus, Ecce benedicam ei.* Hiscuni ad hunc locum, *Vidit eum ludentem more reliquorum puerorum. Erat autem Isahac parvus, & non poterat facere sicut Ismael, cui Sara invidebat: ideo displicuit ei hæc res.* R. Levi Gersonides, *ludentem* i. *irridentem & subsannantem.* Sic enim interpretor מלעיג. Quo verbo & Moses Gerundensis usus est, *Rectum, inquit, mihi videtur ut dicamus ista accidisse eo die quo à lacte depulsus fuit Isahac. Ridebat autem Isahacum aut convivium quod Abraham fecerat. Ideo dicit Scriptura; Vidit filium Agaris Ægyptiæ; & non dicit, Vidit Ismaelem ludentem: item dicit, Ejice ancillam hanc & filium ejus. Dicebat enim, Qui subsannat Dominum suum, occidi vel saltem vapulare debet: ego autem tantum cupio ut expellatur a me, ne omnino heres sit facultatum mearum cum filio meo, qui est filius Dominæ sive heræ. Insuper dicit, Ejice etiam matrem ejus. Nam non potest deseri puer a matre quin moriatur.* Hæc Rabbinus ille. R. Levi scribit vicinam esse declarationem quæ extat in Genesi magno. Commentarius est in Genesin perantiquus, qui Ebraice Bresith Rabba vocatur. Pro clausula, cum Isahac ablactaretur, Ismael agebat, ut Ebræi censent, annum ætatis decimum septimum, ut Hieronymus annotat, decimum octavum, quæ ætas in Venerem non admodum propensa est. Hoc annotat in libro Quæst. Sive Tradit. Ebraicarum. ¶ *Ejice*] expelle, exige domo, ἔκβαλε. ¶ *Ancillam hanc*] i. servam hanc. Nam ei opponitur ἡ ἐλευθέρα. i. libera. Galat. 4. 30. Potest alioqui ancilla esse quæ serva non sit. Habet autem speciem contemptus quod ait, *ancillam hanc.* Sic non sine aliquo contemptu dicit, *& filium ejus*, cum potuisset dicere, & Ismaelem filium ejus. Sed videtur studio ac data opera ab ejus nomine abstinuisse. Sic mox, *non enim erit heres filius ancillæ hujus.* ¶ *Non enim heres erit*] οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσει. Sic editio Romana. Sed in Apostolo κληρονομήσῃ. Jonathan, *Fieri non potest ut heres sit.* Nove autem dixit אֲשֶׁר pro אֶפְשַׁר Phe in Vau conversa. ¶ *Cum filio meo cum Isahac*] μετὰ τοῦ υἱοῦ μου μετὰ Ἰσαάκ. Est hoc ex elegantiis linguæ Sanctæ. Sic Psal. 18. 1. לעבד יהוה לדוד τῷ δούλῳ κυρίου τῷ Δαυίδ Gen. 32. 18. לעבדך ליעקב τῷ δούλῳ σου τῷ Ἰακώβ: servo tuo Jacobo. Nam Latini carent articulis. Jonathan, *cum filio meo: pugnavit enim cum Isahaco.*

11. *Et displicuit hoc verbum valde Abrahamo propter filium suum.*

Displicuit hoc verbum valde Abrahamo] וירע הדבר מאד בעיני אברהם & malum fuit hoc verbum valde in oculis Abrahami. Lxx. σκληρὸν δὲ ἐφάνη τὸ ῥῆμα σφόδρα ἐναντίον Ἀβραάμ. Hiero. *Dure accepit hoc Abraham.* Si recte; malum pro duro posuit. Chaldaice בישא unde Belgicum, boos, malus. Frisii quoque nebulonem een bies appellant. Sed melius redditur, *& displicuit.* Contra bonum esse dicitur quod placet. Chaldæi שפר pulchrum hoc significatu usurpant. ¶ *Hoc verbum*] Saræ, non factum Ismaelis. Quanquam in Jonatha, *propter negotium Ismaelis filii sui, qui coluerat Deos falsos.* Verbum è verbo, *cultum extraneum.* Pro *hoc verbum* interpretes maluerunt *ea res*: quod minus se probat mihi hoc in loco. ¶ *Propter filium suum*] על אודת בנו idem cum illo על דבר בנו causa filii sui, sive propter filium suum. Sic Aben Ezra. R. David etiam exponit בעבור propter. Hiero. *pro filio suo.* Lxx. περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, de filio suo. Onkelos, *ob negotium filii sui.* Gallica editio, *à l'occasion de son fils*: occasione filii sui. Quidam, *ob causam filii sui.*

12. *Dixitque Deus Abrahamo; Ne displiceat tibi de puero & de ancilla tua, omne quod dixit tibi Sara, in eo audi vocem ejus, quia in Isahac vocabitur tibi semen.*

13. *Et etiam filium ancillæ, in gentem ponam illum, quia semen tuum ipse est.*

Ne displiceat] Lxx. μὴ σκληρὸν ἔστω. Hiero. *ne videatur asperum.* Alius, *ne grave sit.* ¶ *Tibi*] in oculis tuis. ¶ *De puero*] vel, *ob puerum.* Sic mox, *ob ancillam tuam.* Licet etiam vertere, *de adolescente.* Nam agebat tum annum decimum septimum, aut præter propter. Lxx. περὶ τοῦ παιδίου, de puerulo. Onkelos על עולימא de adolescente. Jonathan על טליא de puero. Gallica, *touchant l'enfant.* ¶ *De ancilla tua*] nunc vocatur Abrahami ancilla, quæ supra dicta fuit Saræ ancilla. Docet hic locus inter conjuges omnia communia esse debere. Sic forte ancillæ Abimelechi, non concubinæ ejus, sed ancillæ uxorum ejus. Aut ancilla Abrahami quia concubina ejus. Prius ancilla Saræ, post Abrahami. Hoc pono, non statuo. *Omne quod dixit tibi Sara, in eo audi vocem ejus*: *in eo* non habetur in fonte: nos adjecimus quia deesse videtur in oratione Latina, nisi legas cum quibusdam *in omnibus quæ dixit tibi, audi vocem ejus.* Licet vertere, *Quicquid dixerit tibi*, &c. Lxx. πάντα ὅσα ἂν εἴπῃ Σάῤῥα, ἄκουε τῆς φωνῆς αὐτῆς. Hiero. *omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Quod restringi velim ad ea quæ Hagar aut filio ejus dixerat dicturave erat.

On-

Onkelos & Jonathan, *omne quod dicet tibi Sara, accipe ab ea.* Fagius vertit, *omnibus quæ ad te dixerit Sara, acquiesce.* Sed קבל מנה significat id quod posuimus. Accipere autem dicitur qui facit quod aliquis ab eo petit. Sic *accipere orationem alicuius* est exaudire. Ceterum Ebræi hinc eliciunt Saram prophetem fuisse. An recte, viderint. Salomo Trecensis, *Discimus ex hoc loco, quod etiam ipsa Prophetes fuerit.* Jonathan, *accipe ab ea, quia prophetes est.* ❡ *Audi vocem ejus*] auscula voci ejus, morem gerito ei. Hic locus habet illud, Quidquid accidit patribus, signum est filiis. Videatur Apostolus in epistola ad Galatas. ❡ *In Isahac vocabitur tibi semen*] posteri Isahac tui filii proprie vocabuntur, non illi qui ab Ismaele, quem ex Hagar suscepisti, descendent. Hunc sensum expressit Jonathan per hæc verba, *quia in Isahac vocabuntur tibi filii : iste autem filius ancillæ non ducet prosapiam post te.* Vult dicere, non recensebit originis ac generis semen post te. Præcipue autem intelligit semen illud promissum, dicente Apostolo Rom. 9. 8. ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. ❡ *Et etiam filium ancillæ*] vel, *sed & filium ancillæ*, sive ut LXX. τῆς παιδίσκης ταύτης, ancillæ hujus. Nam articulus quandoque vim habet pronominis. ❡ *In gentem ponam illum*] faciam ut evadat in gentem. LXX. εἰς ἔθνος μέγα ποιήσω αὐτόν. Hiero. *faciam in gentem magnam.* Jonathan, *in populum latrociniis deditum ponam illum.* Ad verbum, *in populum latronis.* Nam est לליסטים in meo codice. i. λῃστὴς quod scribes לִסְטָס. Hujus pluralis לִסְטִין & contractiore vocabulo לִסְטִים latrones. Tales Ismaelitæ erant, qui & Arabes : unde Arabs pro latrone, ut Chananæus pro mercatore. Vocantur etiam Saraceni, quasi בני סרק λῃστικοὶ, & νομαδικοὶ, quod rapinis etiamnum hodie victitent. Est enim genus hominum vagum & νομαδικόν. ❡ *Quia semen tuum est*] quia ex te prognatus est. Onkelos & Jonathan, *quia filius tuus est.* Sic alibi, *qui dedit mihi Deus semen* i. filium. Quod autem Apostolus ait, *non filii carnis, sed promissionis æstimabuntur in semine*, proprie ad Isahac pertinet, qui non filius carnis, sed promissionis, & semen spirituale ex promissione, non ex carne. Verba sunt Augustini, ne quis mihi calumniam faciat ex verbis alienis. Quæ prout accipiuntur, ita vera vel falsa esse possunt. Nam filius carnis etiam Isahac dici potest, sed alio respectu. Sic alicubi scripsi licuisse Judæis ducere plures uxores. Quid calumniator meus? Ergo, inquit, licita polygamia. Licita Judæis ex consuetudine. Etiamne Christianis? Viderit qui hoc de me scripsit. Ego neque dixi neque dictum volo. Repudia Judæis permissa qui dicit, verum dicit. Sed an ex eo sequitur, etiam Christianis permissa? Idem dici potest de circumcisione & de aliis ritibus veteri populo præceptis, quos Christus adventu suo abolevit.

14. *Surrexit itaque Abraham mane, & accepit panem & utrem aquæ, deditque Hagari ponens super humerum ejus, & puerum ; ita dimisit eam, quæ abiit & erravit in deserto Bersabee.*

Surrexit] LXX. hic habent ἀνέστη, & alibi ὤρθρισε, quod השכים proprie significat, ut dictum est. ❡ *Panem*] לחם. LXX. ἄρτους. Onkelos & Jonathan לחמא τὸ ἄρτον. Hoc nomine veniunt omnia esculenta, sive quæcunque ad victum necessaria. ❡ *Utrem aquæ*] ἀσκὸν ὕδατος. Ebraice חֵמַת מַיִם. Alibi est חֵמֶת cum gemino segol. Reperitur & חֵמַת formæ קֶשֶׁת. Utrem exponit Hiero. post LXX. Alii, urceum, alii, lagenam. Gallice *bouteille. Vas*, inquit Aben Ezra, *ex corio aut ex ligno.* Davidi Camio est נאד uter. Onkelo קרבא. Fagius *lagenam* interpretatur. Jonathan קִידְרָא quod scribit קירתא. Id affinitatem habet cum קידרא. Est autem קירה vas ex cucurbita factum, quæ קִיקָיוֹן dictum Ebræis. Vide Lexicon Thalmudicum. ❡ *Ponens*] vel, *& posuit*, ut sit שָׂם pro וַיָּשֶׂם. Figura sermonis quam ἀσύνδετον vocant. Dedit, inquit, ei panem & aquam & imposuit humero ejus. Simul etiam dedit puerum, quem secum acciperet. Jonathan addit de suo, *alligavit ei ad lumbos ejus quo demonstraret ancillam esse*, videlicet panem & aqualem, non puerum, qui tum grandior erat quam ut humero gestari à matre potuerit. Fabulam enim Judæorum, quam R. Salomo recenset, non recipio. Sanius hac de re sensit Aben Ezra, *Panem*, inquit, *& utrem dedit Hagari & imposuit humero ejus, dixitque ei, Accipe tecum filium tuum, atque ita dimisit eam.* ❡ *Et puerum*] Hiero. *tradiditque puerum.* In nonnullis exemplaribus τῶν i. repperi καὶ ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸν ὦμον αὐτῆς τὸ παιδίον : in aliis est, καὶ τὸ παιδίον. Quæ scriptura firmatur autoritate codicis Ebræi, tum etiam interpretum Chaldæorum, ipsiusque adeo Hieronymi & Augustini. Hujus verba sunt, *Plusquam sedecim annorum erat quando cum matre expulsus est* : & mox, *etiam sic amplius quam tredecim annorum puer humeris matris non potuit imponi, sed subaudiendum est, dedit puerum suum.* Hiero. in Quæst. *Nos igitur ut breviorem eligamus ætatem, post X & VIII. annos Ismael supputavimus ejectum cum matre, nec convenire jam adolescenti matris sedisse cervicibus. Verum est igitur illud Ebrææ linguæ idioma, quod omnis filius ad comparationem parentum infans vocetur & parvulus. Nec miremur barbaram linguam habere proprietates suas, cum hodieque Romæ filii vocentur infantes. Posuit ergo Abraham panes & utrem super humerum Hagar, & hoc facto dedit puerum matri : hoc est in manus ejus tradidit, commendavit & ita misit è domo.* Quin ex scholio, quod insertum quæstionibus Theodoreti, discimus hic subaudiendum esse *dedit*, non, *imposuit.* ❡ *Puerum*] הילד. Chaldaice רביא vel רבא. Hoc Jonathan elegit, illud Onkelos, τὸ παιδίον, autem, quod in LXX. potius puerulum significat, cum puer παῖς dicatur, cujus diminutivum παιδίον, הילד potest etiam reddi, *adolescentem*, ut Gen. 4. 23. ubi Hiero. *adolescentulum*, & LXX. νεανίσκον, & Onkelos עולם & Gallica, *un jeune homme.* Tremellius quoque *adolescentem.* ❡ *Ita dimisit eam*] וישלחה. LXX. καὶ ἀπέστειλεν αὐτήν. Hiero. *& dimisit eam.* Onkelos, ושלחה. Jon. ותרכה בגיטא dimisit eam cum libello repudii, sive dato libello repudii. Quod idem fere cum illo, *repudiavit eam.* Nam qui legitime repudiabat uxorem, ei libellum dabat, quem Ebræi גט פטורין appellant. ❡ *Quæ abiit & erravit*] ותלך ותתע & abiit (i. se in viam dedit) & erravit. LXX. ἀπελθοῦσα δὲ ἐπλανᾶτο, abiens autem aberravit. Hiero. *quæ cum abiisset errabat.* ❡ *Erravit*] *aberravit à via.* Jonathan. ❡ *In deserto Bersabee*] *in desertum quod vicinum est puteo Sabe.* Idem Jonathan. *In solitudine Bersabee.* Hieronymus. κατὰ τὴν ἔρημον, κατὰ τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου. LXX. Interpres Romanus, *per desertum ad puteum juramenti.* Basileensis, *per desertum, juxta puteum juramenti.* ❡ *Bersabee*] בְּאֵר שָׁבַע Beersabe. Extra pausam esset בְּאֵר שֶׁבַע Beersheba. Id immutatum reliquit Onkelos : etiam Hiero. Minus recte LXX. φρέαρ ὅρκου. Nam juramentum שְׁבוּעָה dicitur. Jonathan לבירא דשבע quod supra reddidi, *puteo Sabe.* Puto melius esse, *puteo septem.* Nam שֶׁבַע septem. Dictus ita à septem agnis, quas Abraham ibi mactavit, quum fœdus iniretur inter ipsum & Abimelechum. Id post accidit. Ergo prolepsis est in hoc loco. Quod ante me alii notarunt.

15. *Cumque consumpta esset aqua ex utre, abjecit puerum sub unam arborum.*

Consumpta esset] defecisset. Jonathan, *correptus fuit Ismael febri calida & bibit omnem aquam donec penitus consumpta esset ex lagena.* ❡ *Ex utre*] in libris quos vidi scriptum חֵמֶת per quinque puncta. Quod noto, quia R. David in Radic : hunc locum citat cum sex punctis, כן החמת בשש נקודות *ex utre*, inquit, *& nomen* חֵמֶת *habet sex puncta.* ❡ *Abjecit puerum*] Quomodo abjicere potuit, si eum non gestabat humeris? puto sensum esse *abjectum reliquit.* Quum enim gravi siti premeretur, & aqua defecisset, quasi desperans de salute ejus, reliquit eum abjectum in umbra cujusdam arboris, ne morientem videret. Vel *projecit* è sinu, in quo ægrotus ob penuriam aquæ recumbebat. Sic Aben Ezra exponit, *Ecce*, inquit, *filius ejus ægrotabat ob defectum aquæ, & postquam recepisset eum in sinum suum, & videret animam agere præ siti, abjecit illum.* Quidam abjecit ab animo, alii projecit, i. reposuit. *Sic Joseph in lacum, & Moses in aquas projecti leguntur*, ait autor Catenæ. Sic Psal. 22, 11. *super te projectus sum*, videlicet ut puer expositius, qui cum exponitur, projici dicitur. ❡ *Sub unam arborum*] vel, si placet, *sub unum virgultorum*; nam שִׂיחַ etiam virgultum. Quidam *arbustum* reddunt : alii *fructum* vel *fruticetum.* LXX. ὑποκάτω μιᾶς ἐλάτης, sub unam abietem. Hieronymus, *subter unam arborem quæ ibi erat.* Onkelos & Jonathan, *sub unam ex arboribus quæ illic erant.* Santes, *subter unam arborum.* Trem. *sub unam arborum*, & addit, *ne solis ardore conficeretur, sed quietus in umbra vitam finiret.* Mercerus, *sub unum virgultorum*, ut ab æstu protegeretur. Hic legitur שִׂיחִם pro שִׂיחִים. Nam est plurale masculinum. Scholion Abenezræ האילנים firmat interpretationem, *sub unam arborum.* R. David in libro Radicum, שיח *alibi virgultum* (herbam) *& alibi arborem denotat. Unde quidam exponunt Gen. 24.* לָשׂוּחַ *spatiari inter arbores*, i. לטייל בין האילנות. Supra ubi in fonte מן החמת, Thargum Jerosolymitanum habet מן קרנתא. Ita Elias citat. Nam in meo codice קַרְנְתָא. Puto autem priorem scripturam veriorem esse, nisi quod scribi malim קַרְנְתָא ut sit nomen singulare. Elias interpretatur dicens significare utrem aut lagenam quæ similitudinem habeat cum קֶרֶן. i. cornu. Potest ita esse, tamen imbibi קַרְעָא cucurbitam esse. Ea siccata & exenterata utebantur pro utre aut urceo vel lagena. Sane cucurbita

bita קִיקָיוֹן dicitur. Glossæ Arabicæ scribunt Carha ut & Caraha pro cucurbita. Vide quæ scripsimus de קרא quod in Jonatha. Nam idem valet. Videndus quoque Baal Aruch in קירא.

16. *Abiitque & sedit è regione procul quasi jactu arcus, nam dicebat, Non videbo puerum morientem: sedit inquam è regione & sustulit vocem suam & flevit.*

Et sedit] ותשב לה & sedit sibi, quod Græci dicerent ἐκάθητο ἑαυτῇ, & est genus sermonis, ut πορεύου σοι, *Vade tibi*, *faciamus nobis*, & si quæ alia Grammatici notaverunt. Ceterum hac elegantia utuntur Ebræi, Chaldæi & Græci. Etiamne Latini? non puto. Recte igitur interpres noster pronomen omisit. Nam cuique linguæ sua proprietas. Lxx. quoque illud omiserunt: quod non æque probo. ❡ *E regione*] מנגד ex adverso. Lxx. ἀπέναντι αὐτῦ נגדו. Onkelos מקבל è regione. Gallice *Vis à vis*. Jonathan לסטר in latere ano. ❡ *Procul*] μακρόθεν. Ita Lxx. & Hiero. Ebraice הרחק elongando se aut procul recedendo. Nam procul. i. רחוק. Nihil tamen à sensu aberrat, qui sic vertit. Quidam *eminus*. Onkelos, *procul recessit*. Jonathan addit, *à filio suo*. ❡ *Quasi jactu arcus*] כמטחוי קשת. Hiero. *quantum potest arcus jacere*. Lxx. ὡσεὶ τόξου βολήν, quasi arcus jactu. Latini dicerent, ad teli jactum. Tremellius, *ut qui jaculantur arcu. i. quantum sagittarii à scopo abesse solent.* Santes, *sicut jactus arcus*. Onkelos, כמגד בקשתא, hoc est, interprete Fagio, *ad jactum arcus*. Scribo autem כְּנֶגֶד ut sit nomen ex infinito. Thema נְגַד traho. Sic Galli dicunt, *un traict d'arc*, jactus balistæ. בקשתא qui fit arcu. Jonathan כשיעור כנגד בקשתא circiter jactu qui balista fit. Abenezra כהשלכת החץ jactu teli aut sagittæ. R. David, *quasi jactibus sagittæ qui fit tractu arcus*. Restat difficultas quæ in מְטַחֲוֵי ejus radix טָחָה. R. David ait esse nomen plurale. Idem sentit R. Salomo qui exponit duo jactus. *Et vau*, inquit, *quale in* קַצְוֵי fines שְׁסֻעֵי fissuræ. Nam hoc à שָׁסָה ut illud à קָצָה. Mercerus aliter opinatur. Nam putat dici מְטַחֲוֵי pro מְטַחֲוָה He in Joth mutata, quam litteram protractionis vocat. Hoc secuti sumus: alioqui vertissemus, *quasi aliquot jactibus arcus*. R. Jona scribit esse participium מְטַחֶה jaculans, quod in numero multitudinis faciat מְטַחִים jaculantes, & in regimine מְטַחֵי ut מִשְׁתַּחֲוֵי dicimus in constructione pro מִשְׁתַּחֲוִים adorantes. Sententia est quam Tremellius expressit, hanc opinionem secutus, *ut qui jaculantur arcu. q.d. longe recedebat à puero: quam longe solent abesse sagittarii à scopo.* Notata hæc in libro Radicum Davidis Hispani cognomento Camii, qui sagittarius vocat מושכי החץ ut si dicas, *trahentes sagittam*. כירותם cum jaculantur. כמו שמרחיקים quemadmodum se elongant. טָחָה alibi non reperitur. Magistri טחה eodem significatu usurpant, unde טִיחָה jactus teli, aut jaculatio sagittæ i. ירית החץ ut R. Salomo explicat. Hinc sumpta metaphora dicunt הטיח זרעו jaculatus est semen in uxorem suam, על שם שיורה יורה כחץ quia semen emittitur perinde ut sagitta. Dicunt etiam הטיח דברים pro effutire verba. Hoc invenies in libro Emana: illud in Deuterosi Ebræorum, quæ Misna nuncupatur. ❡ *Non videbo morientem puerum*] ita Hiero. במות הילד *in morte pueri*, vel, *cum moritur puer*. Nam vel gerundium est à מֵת mortuus fuit, vel nomen constructum ex absoluto מָוֶת. Utrum eligas, parum refert. Sententia in idem recidit. Lxx. οὐ μὴ ἴδω τὸν θάνατον τοῦ παιδίου μου i. יֶלֶד. Onkelos במותיה דרביא mortem pueri. Jonathan במותא דטליא. Idem pro, *non videbo*, non ego possum videre, edidit. Licet etiam vertere, *ne videam quum morietur puer*. Sed tum, de animi mei sententia, dixisset פן אראה ne quando videam. אל proprie prohibentis est. Videndum an etiam pro לֹא usurpetur. Illud scio pro לֹא quæ est negandi particula, interdum inveniri. Sic apud Græcos τὸ μὴ πολλάκις ἀντὶ τοῦ οὐ λαμβάνετ), ut in illo Demosthenis, ἐπειδή με μὴ πείθοιεν cum mihi non persuaderent. ❡ *Sustulit vocem suam*] non puer, sed ipsa mater. Quanquam in Lxx. ἀναβοῆσαν δὲ τὸ παιδίον ἔκλαυσεν: exclamans autem puer ploravit. Verba Ebræa nihil habent ambiguitatis. Sic dico, Hic locus non potest intelligi de puero: quem tamen constat etiam plorasse, cum ecce sequatur, *Et audivit Deus vocem pueri*.

17. *Audivit autem Deus vocem pueri, & clamavit angelus Dei ad Hagar è cœlo, dixitque ei, Quid tibi Hagar? ne timeas, quia audivit Deus vocem pueri in loco ubi est.*

Audivit] i. exaudivit, quod Græci dicunt εἰσήκουσε. ❡ *Vocem pueri*] vel clamantis & plorantis, vel capiendum ut ibi, *vox sanguinis fratris tui clamat*. Nam ipsa res etiam clamare dicitur. Sic, *lapides clamabunt*. ❡ *Pueri*] הנער adolescentis. Eadem vox in illo, *in quo instituet adolescens viam suam?* Jonathan addit, *propter mentem ipsius Abrahæ*. Salomo Trecensis, *Hinc eliciunt precationem ægroti citius exaudiri à Deo, quam aliorum pro ipso precantium.* ❡ *Angelus Dei*] מלאך אלהים. ἄγγελος θεοῦ. Critici Ebræorum annotant alibi semper esse מלאך האלהים ἄγγελος τοῦ θεοῦ cum articulo. Onkelos & Jonathan מלאכא דיי quod Fagius reddit, *angelus Domini*. Cum יי etiam pro Dei, i. אלהים ponatur. Malim ergo, *angelus Dei*: qui ἐν ὁράματι i. in visione apparuit; non in somnio aut per aliquem prophetarum. Nam ut demus Prophetam dici angelum Domini, tamen nihil hoc juvat ita sentientes, cum sequatur; *è cœlo*. ❡ *Quid tibi Hagar?*] non est ignorantis. Id docent consequa verba. Simile, *ubi est Habel frater tuus?* Lxx. τί ἐστιν Ἄγαρ; quid est Hagar? Hiero. *Quid agis Hagar?* ❡ *Audivit vocem*] שמע אל קול audivit ad vocem; idem efficit cum illo שמע את קול audivit vocem. Utrobique Hiero. habet; *exaudivit*. Lxx. in hoc loco habent ἐπακήκοε, quod similiter reddunt, *exaudivit*. Tremellius, *attendit ad vocem*. Lexicon Forsteri, *Verbum שמע quando construitur cum אֶל tum idem Ebræis significat, quod Latinis attendere aures seu animum; auscultare, animadvertere, advertere animum scil. ad preces seu flagitationem.* ❡ *In loco ubi est*] באשר הוא שם in quo est ibi. Et subintelligitur במקום loco. Quidam vertunt, *ex eo ipso loco ubi est*. Sic בכל נפשך ex tota anima tua. באשר aliquando significat, *ubi*, ut in illo Jobi, *ubi cadavera*. Lxx. ἐκ τοῦ τόπου οὗ ἐστιν. Hiero. *de loco in quo est*. Onkelos & Jonathan, באתר דהוא תמן *in loco ubi ipse est*. Gal: *du lieu ou il est*.

18. *Surge, tolle puerum, & prehende manu tua eum, quia in gentem magnam ponam illum.*

Surge] nam sedebat. Jonathan אזדקפי erige te. ❡ *Tolle*] שְׂאִי. Radix נָשָׂא tulit. Lxx. λάβε קְחִי. Onkelos & Ionathan טולי unde potest esse Latinum *tolle*. Thema est טְלַל tollo, levo, sustollo. ❡ *Prehende manu tua eum*] והחזיקי את ידך בו. Hieronymus, *tene manum illius* והחזיקי את ידו. Codices Græci hic variant. Nam in aliis κράτησον τῆς χειρὸς αὐτοῦ; & in aliis κράτησον τῇ χειρί αὐτό: quæ lectio extat & in editione Romana. Onkelos & Ionathan, *apprehende manu tua eum*. Verbum è verbo, *Robora manum tuam in eo*. i. fortiter apprehende illum, manu tua. Aut forte אֶת præpositio est, *cum manu tua*. i. manu tua. Talis ambiguitas non est in Chaldaismo. Nam יַת non significat עִם, quod quidem sciam. ❡ *In gentem magnam*] Vide supra 17, 20. ❡ *Ponam eum*] ποιήσω αὐτόν: Lxx. *faciam eum*. Hieronymus.

19. *Tum aperuit Deus oculos ejus, & vidit puteum aquæ, & abiit & implevit utrem aqua, & bibendum dedit puero.*

Aperuit oculos ejus & vidit puteum] pro eo habendum ac si diceret, fecit ut videret puteum, quem antea non viderat. Vide quæ notavimus ad locum, *Aperti sunt oculi amborum*. Nam dicitur etiam de oculis animi ac mentis. Sic in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum, qui tum primum cognoverunt Dominum, quem antea peregrinum esse putaverant. ❡ *Puteum aquæ*] qui aquam continebat. Aut aquam posuit pro aqua viva. i. perenni. Sic sane Græci enarrant, καὶ εἶδε φρέαρ ὕδατος ζῶντος, & vidit puteum aquæ vivæ. Sic alibi *lana* ponitur pro lana alba, & *pecus* pro pecus pingue. Notum etiam illud, *Qui invenit uxorem, invenit bonum, & eliciat favorem à Domino*. i. uxorem bonam. ❡ *Utrem*] vel urceum, aut lagenam, aut vas ex cucurbita. i. קירא. Ita Jonathan. ❡ *Bibendum dedit puero*] vel, *potandum dedit adolescenti*. Lxx. ἐπότισε τὸ παιδίον, potum dedit puerulo. Hiero. *dedit puero bibere*. Potare est bibere, an etiam potum dare? nam sunt qui vertunt, *potavit puerum*. Sic etiam ex Græco vertit interpres Romanus. Bene an male, aliis dijudicandum relinquo, ego non ausim ita vertere.

20. *Et fuit Deus cum puero qui crevit & habitavit in deserto, fuitque jaculator sagittarius.*

21. *Habitavit, inquam, in deserto Pharan, & accepit ei mater ejus uxorem ex terra Ægypti.*

Fuit cum puero] Onkelos & Jonathan, *fuit ei auxilio*. Verbum è verbo, *fuit sermo DOMINI in auxilio ipsius pueri*. Significat externam illam felicitatem, quæ obtigit Ismaeli, à Deo fluxisse. Qui etiam cum suis esse dicitur, sed longe aliter. Sic infra, *Deus tecum est &c.* ❡ *Crevit*] ηὐξήθη, auctus est, adolevit. ❡ *Habitavit in deserto*] vel, *habitabat in deserto eratque*. Hieron. *moratus est in solitudine*. Lxx. κατῴκησεν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Vide supra 16, 12. ❡ *Jaculator sagittarius*] רבה קשת. Sermo πλεονάζων. Satis erat, *sagittarius*. i. τοξότης. Quod in editione τῶν ό. Nam omnis sagittarius etiam jaculator est, sed non contra. Jaculator enim dici potest & qui manu lapides jacit aut aliud teli genus. Τοξότης tantum arcu utitur, unde & arcitenens vocatur. Dicitur etiam τοξοφόρος, quod arcum & sagittas gestet, & sagittifer. Hieronymus, *juvenis sagittarius*. רַבָּה juvenis. Chaldaice רַבְיָא. Appellatio à crescendo, quod est רְבָא quasi adolescentem dicas. Hæc probari possent, si talis esset significatio verbi רָבָה in Ebraismo. Onkelos, רבי קשתא. Fagius reddit

magister

magiſter arcus i. רב קשתא. Puto vertendum, *jaculans arcu* i. ſagittarius. Sane diverſa exemplaria, teſte Elia Germano habent רבי בקשתא quod non poteſt reddi *magiſter arcus*, aut, ut alii, *juvenis ſagittarius.* Ceterum videtur Onkelos legiſſe קַשָּׁת pro קֶשֶׁת. Illud arcum, hoc potius arquiten denotat i. τοξότην. Feſtus, *Arquites, arcu prœliantes, qui nunc dicuntur ſagittarii.* Jonathan יליף רבי קשתיא doctus arcubus jaculari ſagittas. קשתיא arcus emphaticum קשתא tanquam à ſingulari קשתא. Id eorum opinionem roborat qui קַשָּׁת à קשה deducunt. Nam etiam Arabice קוס dicimus. Sed obſtat pluralis קְשָׁתוֹת arcus. Nam inde colligunt Thau radicalem eſſe. Sunt qui קַשָּׁת interpretentur τοξοποιόν, qui arcus & jacula conficit. R. David in libro ubi vocum ſenſa collegit, קַשָּׁת *qui novit facere arcus, aut eſt nomen formæ* קַשָּׁת *ſabbatinum.* Aben Ezra, *Nomen adjectivum ut* גַּנָּב *fur.* R. Salomo, יורה חצים בקשת *jaculans ſagittas arcu.* Apud Juriſconſultos arcuum militarium artifex arcuarius dicitur: unde Mercerus, *fuit jaculator arcuarius.* Uſus eſt eadem voce Arias, Santem emendans qui ſagittarius ediderat. Nam in Tremellio, *eratque jaculator arcitens.* i. arcu & jaculis inſtructus, τοξήρης vel τοξοφόρος, aut ſagittarius, τοξότης. Hiſcuni, רבה קשת *ſunt qui exponant* לשון רביא *puer ſagittarius, jaculans ſagittas, vulgo, enfant archer.* ❡ *In deſerto Pharan*] ἐν τῇ ἐρήμῳ Φαράν, in ſolitudine Pharan. Alibi eſt, *mons Pharan*, & alibi, *planities Pharan.* In hac ſolitudine Iſraelitæ poſt habuiſſe perhibentur 18 manſiones, unde Num. 13, 1. *caſtrametati ſunt in deſerto Pharan.* Quidam ſcribunt nomen generale eſſe deſerti Saracenorum, trans Arabiam, contra auſtralem plagam. ❡ *Accepit ei uxorem*] Jonathan, *Acceperat uxorem nomine Adiſa* (עֲדִישָׁא) *quam repudiavit: poſt mater ejus accepit ei uxorem Phattima dictam ex terra Ægypto.* i. פַּטִּימָא. Hiſcuni, *Initio duxerat uxorem ex filiabus Moab: poſt accepit ei mater ejus uxorem aliam, ut eſt in Pirke R. Eliezer.* ❡ *Ex terra Ægypti*] vel, *ex terra Ægypto.* Terra Ægyptus, ut *terra Italia, terra Græcia, terra Gallia.* In his locis omnibus terræ vocabulum pro regione ponitur. In editione τῶν Lxx. ἐκ γῆς Αἰγύπτου. Alias ἐκ τῆς Αἰγύπτου, quæ lectio extat & in C. & in R. Ubi in meo codice calamo adſcripta erat pro eo quod Typographus perperam ediderat ἐκ Φαρὰν Αἰγύπτου. Quod autem uxorem Ægyptiam dederit, nihil mirum, cum ipſa quoque Hagar Ægyptia eſſet. Huc accommodant adagium illud, זרוק חוטרא לאויר אעיקריה קאי *Sparge baculum aut virgam in aëra, ſuper radicem ſuam ſtabit.* אעיקריה accipio pro עַל עִקָּרָהּ. Mercerus aliter, qui legit יעיקריה & interpretatur, *manebit radix ejus.* Innuunt hoc proverbio cuncta ſuam originem referre, aut ad ſuam radicem redire. Sed hac de re ſuo loco. Vide Proverbia mea.

22. *Tempore illo dixit Abimelech & Phichol princeps exercitus ejus, Abrahamo in hæc verba, Deus tecum eſt in omnibus quæ tu agis.*

Abimelech] Hic auctiores ſunt libri Græci à gloſſemate, καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ: & Ochozath pronubus ejus: quod ſumptum ex verſ. 26. capitis 26, ubi in fonte ואחזת מרעהו & in Hieronymo, *& Ochozath amicus illius.* Sed in Lxx. καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ. ❡ *Phichol*] פִּיכֹל quod ſcribit Phicol, ſed minus bene. In libris Græcis, Φιχόλ. Malim, Φιχώλ, id ſonat *os omnium.* ❡ *Deus tecum eſt*] Deus tibi adeſt, tibi favet, te ſingulari favore proſequitur. Ea vis in phraſi Ebraica. Onkelos & Jonathan, *ſermo Domini tibi auxilio ſive adjumento eſt.* ❡ *In omnibus quæ agis*] in omnibus actionibus tuis.

23. *Nunc ergo jura mihi per Deum hic, ſi mentitus fueris mihi, aut filio meo, aut nepoti meo: juxta benignitatem quam feci tecum, facies mecum, & cum terra in qua tu peregrinaris.*

24. *Et dixit Abraham, Ego jurabo.*

Per Deum] Onkelos & Jonathan, *per ſermonem DOMINI.* Sunt qui putant Abimelechum eundem Deum, cum Abrahamo coluiſſe: alii cenſent idololatram fuiſſe. ❡ *Hic*] הֵנָּה hic, in hoc ipſo loco, quaſi dicat, priuſquam hinc diſcedamus. Onkelos & Jonathan הכא, quod ex כא formatum præpoſito articulo. Santes, *ecce:* manifeſtus error legentis הִנֵּה pro הֵנָּה. Mirum Ariam non emendaſſe. Alibi redditur *huc*, unde עד הנה huc uſque. ❡ *Si mentitus fueris mihi*] verbis aut factis; ſi fefelleris me. Utrumque ſignificat verbum שָׁקַר quod ſemel tantum in Kal reperitur. Sæpius in Piel uſurpatur. Lxx. μὴ ἀδικήσειν με. Hieron. *ne noceas mihi.* Nam qui fallit, nocet. Pſal. 89, 34. אשקר לו. Lxx. οὐ μὴ ἀδικήσω με. Non lædam. Aquila, οὐ ψεύσομαι, non mentiar. Symmachus οὐ παραβήσομαι, non tranſgrediar. Arias, *non fallam.* Redeamus eo unde diſceſſimus. Onkelos אם תשקר לי ſi fefelleris me. Editio ſecunda Veneta ולא תשקר בי, quod non falles me. Prior lectio extat in ea quæ in octavo complicat. Jonathan, אן תשקר בי ſi fefelleris me. שָׁקַר hoc modo conſtruitur Pſal. 44, 18. ולא שקרנו בבריתך non violavimus fœdus tuum, ad verb. *Non mentiti ſumus in fœdus tuum.* Sic alibi R. David משקרים איש בעמיתו, alius alium fallit. Fallit autem & qui fœdus irritum facit. Quo ſenſu hic potiſſimum accipi velim. Nam mens Abimelechi, Jura te non violaturum pactum quod inter nos initur. Quod autem ait, *ſi mentiare mihi*, defecta locutio eſt. Nam ſubintelligitur aliquid, quod fere in hac formula reticeri ſolet, ut *ſi Davidi mentiar: ſi introibunt in requiem meam.* Interdum exprimitur, ut ibi, *Sic mihi faciat Deus, ſic addat &c.* Interpretes ſubaudiunt, Sim vanus, ne mihi fides habeatur, aut aliquid tale. ❡ *Aut filio meo*] ולניני. Vau non copulat ſed disjungit: ideo verti, *aut filio meo.* Sic accipies Onkeli & Ionathæ ובברי *& filium meum.* Lxx. καὶ τὸ σπέρμα μου, ולנינו. Hiero. *& poſteris meis.* Gallica editio, quam ſemper laudo, *à mes enfans.* Santes, *& filio meo.* נִין filius, unde υἱὸς, qui Syris נִין. Hinc appellatum etiam volunt filium Abraxas νῖν, quem Græci νοῦν vocant. Non plane aſſentior. Ex eodem fonte, Nonnus i. filius. Sic olim vocabantur Monachi in Ægypto: quorum præſes Abbas. i. pater dicebatur. A Nonnus Belgæ fecerunt Nonna quaſi filia, ceu nonne, monialis. In libro nominum, *Nun, fœtus.* Ebraice נון. Hinc etiam ינין Pſal. 72, 17. quod Santes vertit, *propagabitur.* Arias, *filiabitur*, alius, *ſoboleſcet.* Ergo נִין ſoboles. Ieſ. 14, 22. נֶכֶד. R. David in libro Radicum, ענינו כמו בן. Idem ibidem נכד הוא בן הבן de quo mox. Mens horum verborum, נִין eſt quaſi filius, נֶכֶד nepos. i. filius filii. Pro נִין reperio & מָנוֹן Proverb. 29. unde forte Mannus, de quo apud Tacitum. ❡ *Aut nepoti meo*] Onkelos & Ionathan, *filium filii mei.* Baal Hatturim, *In Gematria, hoc eſt, Arithmetice ſive numerandi ratione per litteras* ולנכדי *idem efficit quod* בן בני *videlicet* 114. Hoc verum eſt. Sed tamen ex eo non ſequitur נֶכֶד nepotem ſignificare. Aliter probandum eſt. Lxx. μηδὲ τὸ ὄνομά μου, ולנכדי. Hiero. *ſtirpique meæ.* Abenezra, לבן בני *filio filii mei.* Santes, *nepoti meo.* Gal. *ni aux enfans de mes enfans.* Quod non diſplicet, ut hic ſingul. pro plurali ponatur, *aut filiis meis, aut filiis filiorum meorum*, ſive quod idem, *nepotibus meis.* ❡ *Juxta benignitatem quam feci tecum*] Hiero. *juxta miſericordiam quam feci tibi facies mihi.* Lxx. κατὰ τὴν δικαιοσύνην ἣν ἐποίησα μετὰ σοῦ, ποιήσεις μετ' ἐμοῦ. חֶסֶד illi eſt *miſericordia:* his, δικαιοσύνη, qua voce & benignitatem innuunt. Miſericordia eſt quæ Græce ἔλεος dicitur. Onkelos & Ionathan כטיבותא in quo ſignificatio bonitatis. Sed pro benignitate ponitur, hoc eſt, liberalitate ac beneficentia. Mercerus, *juxta beneficium quo affeci te, agas mecum.* q. d. refer mihi parem gratiam. ❡ *Quam feci tecum*] quam in te contuli, quam erga te exercui. Conferre benignitatem Latinus ſermo eſt, neſcio an etiam facere benignitatem. ❡ *Cum terra*] cum incolis terræ. ❡ *In qua tu peregrinaris*] in qua tu commoraris, peregrinus & advena. Hoc Græci dicunt ἣ σὺ παρῴκησας ἐν αὐτῇ. Hieron. *in qua verſatus es advena.* Onkelos, דאתותבתא בה i. interprete Fagio, *in qua peregrinatus es.* Ionathan דדיירתא בה in qua peregrinus es, quam tu incolis. ❡ *Ego jurabo*] Lxx. ἐγὼ ὀμοῦμαι: ego juro. Onkelos & Ionathan, אנא אקיים ego jurabo. Sic ſupra קיים לי jura mihi. Proprie, confirma mihi. Subintelligitur autem בשבועה jurejurando, quod expreſſum Eſth. 5, 3. in Thargum. Hinc קיים juramentum ſive jurandum aut juſjurandum i. ὅρκος Levit. 5.

25. *Et reprehendit Abraham Abimelechum propter puteum aquæ, quem vi occupaverant ſervi Abimelechi.*

Reprehendit] redarguit, ἤλεγξεν. Ebraice וְהוֹכִחַ abſque Joth. Hiero. *increpavit.* ואוכח. Reprehendit autem, quia puteum foderat Abraham adaquandis pecoribus ſuis, quem ſervi Abimelech, inſcio rege, interverterant & vi occupaverant. ❡ *Propter puteum*] על אודות באר cauſſa ſive occaſione putei. Verti autem cum Hieronymo, *propter puteum*, ut ſupra על אודות בני *propter filium ſuum.* Vide quæ notavimus ad illum locum. Sunt qui putant plures puteos fuiſſe, in queis Lxx. qui vertunt περὶ τῶν φρεάτων, de puteis. ❡ *Puteum aquæ*] Nam ſunt putei ἄνυδροι aqua carentes. ❡ *Quem vi occupaverant*] אשר גזלו quem rapuerant i. vi ademerant aut occupaverant. Sunt qui relativum pronomen ad aquam pertinere putant, interpretantes, *quam rapuerant.* Hiero. *quem vi abſtulerant.* Lxx. ὃν ἀφείλοντο, quos abſtulerant. Putei auferri non poſſunt. Debet ergo intelligi de aqua puteorum. Novum non eſt, ut continens pro contento ponatur. Grammatici metonymiam appellant. Onkelos דאנסו. Fagius interpres, *quem vi abſtulerant.* Eſt cur malim, *quem vi ademerant.* Nam ejus uſum ademerant cum ſibi eum proprium facerent, nec Abrahami ſervos inde haurire permitterent. Quæ injuria opinione major eſt in locis aridis & ſiticuloſis, ubi gravis aquæ penuria. Jonathan דאנסו ליה quem vi ei ademerant, videlicet Abrahamo. Aut לוֹ ei. i. Abimelecho. ὁ νῦς, in uſum pecorum ejus. ❡ *Servi Abimelechi*] Lxx.

οἱ παῖδες τοῦ Ἀβιμέλεχ, quod reddunt, pueri Abimelech, cum reddi possit, imo debeat servi Abimelech. Nam παῖς tam servus quam puer. Hanc ambiguitatem tollit vox Ebræa עֶבֶד quæ servum, non puerum significat.

26. *Dixitque Abimelech, Non novi quis fecerit hanc rem: nec etiam tu indicasti mihi, nec etiam ego audivi præterquam hodie.*

Non novi] לֹא יָדַעְתִּי οὐκ ἔγνων, nescio, aut ignoro. In Jonatha, לָא יָדַעְנָא positum pro לָא יָדַע נָא nescio אנא ego, ut קָטְלְנָא occido ego. Hiero. *nescivi.* ❡ *Quis fecerit*] Lxx. τίς ἐποίησεν σοι: quis fecerit tibi. Jonathan, *quis sit qui fecerit.* ❡ *Nec etiam tu &c.*] vel, *nam neque tu indicasti mihi, neque etiam ego audivi præterquam hodie.* Lxx. οὐδὲ σύ μοι ἀπήγγειλας, οὐδὲ ἐγὼ ἤκουσα, ἀλλ᾽ ἢ σήμερον. Hiero. *sed & tu non indicasti mihi, & ego non audivi præter hodie.* ἀλλ᾽ ἢ i. nisi, אֶלָּא vel כִּי אִם. Chaldaice אֱלָהֵן. ❡ *Præterquam hodie*] בִּלְתִּי הַיּוֹם nisi hodie. Græce πλὴν aut ἀλλ᾽ ἢ. Chaldaice אֱלָהֵן. In Hiero. *præter hodie* valet præterquam hodie. Sic Columella, *omnis incommodi patientes præter caloris.* Sic dicimus, *præter quod*, pro præterquam quod. Jonathan hic edidit, *etiam ego non audivi ego ab aliis præterquam hodie à te.* Ubi notabis pleonasmum pronominum Syris familiarem אנא לא שמענא ego non audivi ego. Belgæ mei elegantur imitantur, præsertim Flandri.

27. *Et accepit Abraham oves & boves, deditque Abimelecho, & percusserunt ambo fœdus.*

28. *Et statuit Abraham septem agnas ovium seorsim.*

Oves & boves] πρόβατα καὶ μόσχους. Antea monui μόσχον In Hellenistica lingua etiam bovem denotare. Quidam, *greges & armenta.* ❡ *Percusserunt fœdus*] Hinc intelligentiam habet quod in editione Græca διέθεντο διαθήκην, quod male reddunt, *disposuerunt testamentum*, cum potius reddendum sit, *pacti sunt pactum*, aut *pepigerunt fœdus.* Eandem sententiam continet in editionibus Chaldaicis גזרו קים, quod Fagius reddit, *pepigerunt fœdus.* Ceterum *percutere fœdus* præter interpretem nostrum, quem secutus nunc sum, etiam Plinius dixit in, de viris illustribus. Hirtius quoque in quarto belli Alexandrini, *cum barbaris fœdus percussisse.* Quod & ferire & facere fœdus & icere. ויכרתו verbum è verbo, *& exciderunt.* ❡ *Fœdus*] quale qui hostes nunquam fuerunt percutere solent, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam. Cum autem tria sint fœderum genera, hoc illud est quod tertio loco memoratur. ❡ *Ambo*] ἀμφότεροι, vel, *ambo ipsi*, nam Ebraice שניהם & Chaldaice תרויהון ambo illi. ❡ *Agnas ovium*] כבשת הצאן. Lxx. ἀμνάδας τῶν προβάτων agnas ovium, quod secuti sumus. Nam צאן *oves* etiam Hiero. vertit in illo, *accepit oves & boves.* Hic vertit, *agnas gregis.* Sic etiam Tremellius. Prius Arias ediderat, *agnas pecoris*, & Santes, *agnas pecorum.* Nam צאן generale est ad oves & capras. Grex autem proprie עֵדֶר dicitur, כֶּבֶשׂ agnus. Transpone litteras, habes כֶּשֶׂב quod magis usitatum. כִּשְׂבָּה agna & כַּבְשָׂה unde pluralis כְּבָשֹׂת agnæ. Nescio quid velit Mercerus, cum ita scribit, כבש *agnus vel verax.* An in mente habuit קְשִׂיטָה agna? Sed verax קְשִׁיט dicitur, non קְשִׂיט quod inusitatum, Chaldaice חורפן ענא i. agnas ovium. Alibi est צאן eodem sensu. ❡ *Seorsim*] vel, *solas.* i. μόνας, ut Lxx. habent. Ebraice est לְבַדְּהֶן pro לְבַדָּן solas ipsas. Chaldaice בִּלְחוֹדֵיהוֹן. Ionathan hunc versum ita reddidit. *Et statuit Abraham septem agnas solas, separavitque illas à bobus.* Ὁ νοῦς, statuit eas seorsim ab ovibus & bobus, quas Abimelecho dederat.

29. *Et dixit Abimelech Abrahamo, Quænam sunt septem agnæ istæ quas statuisti seorsim?*

30. *Et dixit, Septem agnas accipies de manu mea, ut sit mihi testimonio quod foderim hunc puteum.*

Quænam sunt] מה הנה quænam sunt. הֵנָּה istæ vel hæ: item illæ, ipsæ. Ponitur & pro verbo substantivo, ut Gen. 6. כי טובות הנה quod pulchræ essent. Id secuti sunt qui verterunt hoc loco, *quænam sunt*, aut *quid sunt.* Vult dicere, *quid sibi volunt.* Cave הֵנָּה pro adverbio loci accipias. Lxx. τίνες εἰσὶν. Onkelos & Ionathan, מה אינון quod scribunt אִנּוּן. Puto autem mendum esse pro אִנִּין sive הִנִּין. Aut est enallage generum. הִנִּין reperitur in Ionatha sed ita obscure, ut nescias הִנִּין an הִנּוּן scripserit. Hoc masculinum est, illud fœmininum. Proclivis sane lapsus de Vau in Ioth & contra. Tremellius, *quorsum.* Gallica, *que veulent dire.* Hiero. *Quid sibi volunt.* Santes, *quid sunt.* Arias, *quid hæ*: cui adversatur הַאֵלֶּה quod mox sequitur. ❡ *Septem agnæ istæ*] Lxx. αἱ ἑπτὰ ἀμνάδες τῶν προβάτων τούτων: septem agnæ ovium istarum. ❡ *Istæ*] Chaldaice אִלֵּין sive הָאִלֵּין. ❡ *Quas statuisti*] ἃς ἔστησας. Hiero. *quas stare fecisti.* ❡ *Seorsim*] vel, *seorsum*, vel μόνας i. solas. Hic est לְבַדְּנָה pro לְבַדָּן. ❡ *De manu mea*] nam manu & damus & accipimus. Unde capio, ut quidam volunt, à כַּף vocabulo volam sive manum significante. Lxx. παρ᾽ ἐμοῦ: à me. Eodem redit. ❡ *Ut sit mihi*] בעבור תהיה לי propterea ut sit mihi, nempe hoc donum. Quidam, *ut sint mihi*, videlicet illæ septem agnæ. Sed tum esset תהיינה in textu Ebraico. Possumus dicere singularem positum esse pro plurali. Quod novum aut insolens non est in his libris. Sane Græci Lxx. ἵνα ὦσί μοι: & Hiero. *ut sint mihi.* ❡ *Testimonio*] לְעֵדָה i. לְעֵדוּת in testimonium, εἰς μαρτύριον. Chaldaice לְסָהֲדוּ. Alibi עֵדָה fœmininum est à masculino עֵד testis. ❡ *Quod foderim hunc puteum*] vel, *me fodisse puteum istum.*

31. *Idcirco vocatus est locus ille Beersabe, quia ibi ambo juraverant.*

Vocatus est locus ille] קרא למקום ההוא vocavit locum illum. Quis vocavit? Utrum Abraham an Abimelech, an alius quispiam? puto interpretem nostrum bene, ut alia multa, reddidisse per verbum impersonale, *vocatus fuit locus ille.* Sic quod Gen. 15. 6. ויחשבה לו Apostolus eodem modo reddit καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ & reputatum ei fuit. Sic alibi ויגד לדוד & nunciatum fuit Davidi. Hic nuncius, ibi Deus subintelligitur. Sic *vocavit* vocans sive qui vocavit, indefinite. Quale illud Catulli, *Et solatiolum mei doloris. Credunt, quum gravis acquiescit ardor*: & hoc Propertii, *non ita complebant Ephyrea Laidos ædes.* Hic amatores, ibi homines intelliguntur. Lxx. διὰ τοῦτο ἐπωνόμασεν τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου. על כן קרא שם המקום ההוא. Jonathan, *Idcirco vocavit puteum illum* לבירא ההוא. Tremellius, *idcirco vocavit quisque locum illum.* Gall. edit. *appella on* i. appellabatur. ❡ *Beersabe*] בְּאֵר שָׁבַע Beersaba, vel contractius Bersaba. Extra pausam esset בְּאֵר שֶׁבַע Beerseba. Id Hiero. olim legit, & scripsit *Ber-sabee.* בְּאֵר Ber, ut בְּעֵל Bel, quod & Beel. Jonathan, בירא דשבע חורפן puteum septem agnarum. Lxx. φρέαρ ὁρκισμοῦ: puteum juramenti. Alibi est τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου: quod Mercerus laudat. Tamen omnes libri, quos consului, hic ὁρκισμοῦ habent. Hoc leve est, illud gravius, quod שֶׁבַע interpretantur juramentum. Nam id potius שְׁבוּעָה dicitur. שֶׁבַע est septem. Scire licet utrius que unam & eandem radicem esse, & juvant Græcos, imo pro iis plane faciunt consequa verba, *quia ibi ambo juraverant.* Forte ad utrumque respexit, qui nomen loco imposuit. Quis hoc negare ausit? præsertim cum Ebræi tradant à septenario numero jurandum נשבע dictum. Qua de re videndus Aben Ezra. Videatur quoque Mercerus. Verba Hieronymi hac de re habentur in Quæst. sive Tradit. Ebraicis, non omittenda mihi, *Ubi hic legitur puteus juramenti, in Ebræo habetur Bersabee. Duplex autem causa est cur ita appellatus sit locus ille, sive quia septem agnas Abimelech de manu Abrahæ acceperit (septem enim dicuntur Sabee) sive quod ibi juraverint, quia & juramentum Sabee similiter appellatur. Quod si ante hanc causam supra hoc nomen legimus, sciamus per prolepsin dictum esse, sicut & Bethel & Galgala, quæ utique usque ad tempus quo ita appellata sunt aliter vocabantur.* Eusebius de locis, *Interpretatur Bersabee, puteus juramenti, eo quod ibi Abraham & Isahac fœdus cum Abimelech sociaverint jurantes.* Nicolaus, *Bersabee i. puteus septem, propter septem agnas, quas Abraham ibi statuit: vel puteus juramenti, cujus causa subditur, quia ibi uterque juravit, scilicet Abraham & Abimelech.* ❡ *Juraverant*] נשבעו jurati fuerant i. juraverant. Quale illud, *juratus est in legem Voconiam* pro juravit. Patiendi verbum agendi significatione. Quod frequens antiquis. Ebræi aliter non loquuntur. Adhibe Libellos meos. Sunt qui hanc rationem reddant, quod qui jurat, non nisi coactus debeat jurare. Sane non temere prosiliendum ad juramentum. Qui levi de causa jurat, culpa non caret.

32. *Percusserunt ergo fœdus in Bersabe, & surrexit Abimelech & Phichol princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Philisthæorum.*

In Bersabe] Hiero. *pro puteo juramenti*, ut ב sumatur pro בעבור quod minus probo. Scio Beth ita usurpari, ut in illo, *servivit in Rachel.* i. pro Rachele: sed hic aliter accipiendum. Lxx. ἐν τῷ φρέατι τοῦ ὁρκισμοῦ, quod idem efficit cum illo, *in Bersabe.* Nam est nomen loci interpretatum. Sic accipies illud Jonathæ, *in puteo septem agnarum*, ut dicat, in loco qui vocatur, *Puteus septem agnarum* i. Bersabee. Supra dixerat eos fœdus percussisse, nunc indicat ubi fœdus percusserint, & simul aperit originem nominis Bersabe. ❡ *Princeps*] dux. Dux exercitus Græce ἀρχιστράτηγος. Superat ergo quod in editione illa τῶν δυνάμεων αὐτοῦ. i. copiarum ejus. Imò ἀρχιστράτηγος, qui inter alios duces summum obtinet locum. Nam dux exercitus proprie στρατηγὸς & στρατιάρχης, qui exercitum ductat, imperator. Hic sumi videtur simpliciter pro duce. i. שַׂר. Onkelos & Jonathan רב חיליה magister exercitus ejus. Sic 1 Reg. 12. ἀρχιστράτηγος exponitur

Digitized by Google

ponitur *magister militia*. In eadem editione additum hoc loco, ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, quod nec in Ebræo legitur, nec apud alios interpretes. Unde autem sumptum sit supra indicavimus. ¶ *In terram Philisthaorum*] in regionem Palæstinorum proprie dictam, ubi Gerara erat regia Abimelechi. Hinc argumentum eruunt qui negant Bersabe fuisse oppidum Palæstinæ illius. Eusebius autor fuisse in tribu Juda sive Simeonis: *& usque hodie*, inquit, *vicus grandis est in vigesimo à Chebron miliario, vergens ad austrum, in quo & Romanorum militum præsidium positum est. A quo loco termini Judaæ terra incipientes, tendebantur usque ad Dan, quæ juxta Paneaden cernitur.* Et aliquanto post, quod dixisset *sive Simeonis*, ejus rei rationem reddit per hæc verba, *Nec movere debet quempiam, si interdum civitates Juda easdem in tribu Simeonis vel Benjamin reperiat. Tribus enim Juda bellicosissimis viris pollens, & crebro adversarios superans, in omnibus tribubus tenuit principatum, & idcirco etiam aliarum tribuum sortes in ejus interdum funiculo nuncupantur: alioquin in medio tribus Judæ habitasse Simeonem scriptura manifestissime docet.*

33. *Et plantavit lucum in Bersabe, & invocavit ibi nomen* DOMINI *Dei æterni.*

34. *Peregrinatusque est Abraham in terra Philisthaorum diebus multis.*

Lucum] אֵשֶׁל lucus, qui & אֲשֵׁרָה vel nemus. Græci ἄλσος, transpositis litteris. Nam origo Ebræa. Quidam esculum hoc nomine significari putant. Sunt qui quercetum reddant. Sane 1 Paralip. 10, 12. Quercus legitur pro eo quod 1 Sam. 31. 13. אֵשֶׁל i. nemus, interprete Hieronymo. Scribitur & אֶשֶׁל cum sex punctis. LXX. ἄρουραν i. arvum. Vide supra. Salomo Trecensis, *Rab & Samuel, unus dicit esse paradisum, & alius* פונדק לאכסניא i. πανδοχεῖον, pandochæum. Nec obstat verbum plantandi, quod etiam de tabernaculis dicitur, ut ibi, *& plantavit tabernacula Aphadno.* Abenezra אִילָן arborem, cui firmando esse ait verbum נָטַע planto. R. Levi, *arborem ad umbram faciendam puteo & ad comedendum sub ea, quemadmodum in Elone Mamre sub arbore, quæ ante tabernaculum ipsius erat, hospites excipiebat.* Editio Gallica אֵשֶׁל *chesnaye* i. quercetum, & in margine, *Species est quercus quam Latini esculum nominant, Galli couse.* Si vis ut interponam judicium meum, ajo mihi non displicere hanc Gallorum sententiam, primum quia cognatio magna inter אֵשֶׁל & esculum: deinde quia esculus e genere glandiferarum: postremo, quia, ut dixi, אלה & אשל confunduntur. אֵלָה autem quercum significare certius est quam ut probari debeat. *Plantavit ergo esculum* i. esculos aut esculetum. ¶ *Invocavit ibi*] Onkelos, *precatus est ibi.* Sic etiam autor Jerosolymitanæ. ¶ *Dei æterni*] אֵל עוֹלָם Dei æternitatis. i. æterni. עוֹלָם & seculum & ævum & æternitas. Idem αἰὼν apud Græcos, quod ita dicitur quasi ἀεὶ ὤν, ut docet Aristoteles in primo de Cœlo. Hinc intelliges quid sit, *Dies seculi quis numeravit?* Nam in Græco, ἡμέρας αἰῶνος, quod melius redditur, dies æternitatis. LXX. hic habent, καὶ ἐπεκαλέσατο ἐκεῖ τὸ ὄνομα κυρίου, θεὸς αἰώνιος: *& vocavit ibi nomen* DOMINI, *Deus æternus*, ut sit ἐπεκαλέσατο pro ἐκαλέσατο. i. vocavit. Santes, *Dei seculi*, quod capiendum ex iis, quæ diximus. Hiero. *Dei æterni.* Id secuti sumus. Alius, *Dei fortis æterni.* Onkelos, *in nomine* DOMINI *Dei æterni.* אלהא עלמא. Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *in nomine sermonis* DOMINI *Dei æterni.* אלהא דעלמא. ¶ *Peregrinatus est in terra*] vel, *commoratus est*, nempe ut advena. Ebraice ויגר. LXX. παρῴκησε. Hiero. *fuit colonus terra.* Santes, *habitavit* וַיָּגָר. Gallica editio, *habita comme étranger*, habitavit ut peregrinus. Siquidem גֵּר advena, peregrinus, proselytus. In Latio *peregrinari* alium sensum habet. Nam significat per aliena loca pervagando proficisci. Hic significat in alieno solo habitare. Quo intellectu peregrinitas appellatur alieni soli habitatio. ¶ *In terra Philisthaorum*] utrum Geraræ? (supra 20. 1.) an Bersabæ, quæ tunc erat ditionis Abimelech regis Palæstinorum? In libro ubi nomina sacra explicantur quem Plantinus excudit, *Bersabee, locus tribus Juda in terra Idumaorum, quæ est Palæstina.* Si Bersabe in terra Palæstina, tum locus ille qui habetur vers. 33. *reversi sunt in terram Palæstinorum*, ita explicandus erit ac si diceret, reversi sunt in Palæstinam interiorem. Ut ut sit, limes ac terminus erat terræ Chanaan. ¶ *Multis diebus*] 26. annis. R. Salomo, *in Hebron seu Elone Mamre fecit 25. annos, hic i. in terra Palæstinorum, 26.* Vide sequentia, & expende Nicolaum, quo in loco ita scribit, *Quia plus ibi mansit quam in Hebron, ubi manserat 22. annis: hic autem mansit 25. annis.* Hoc scribit ad locum, *Et fuit colonus terra Palæstinorum.* Vix enim mihi dubium quin ex Salomone illo desumpserit. Sed vide sodes Mercerum, cujus scrinia non compilo.

AMAMA.

9. Ebr. *Et vidit Sara filium Hagar Ægyptia, quem pepererat Abrahæ*, מְצַחֵק *ludentem.* Vulg. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptia ludentem cum Isaac filio suo, &c.*

Nimium extenuat Interpres peccatum Ismaelis ob quod Saram ancillæ suæ maritum inhortatam hoc versu narrat sacra Historia. Ecce enim quod Paulus Galat. 4. 29. vocat *persecutionem*, Vulgatus vocat *ludere cum Isaac.* Nihil jam dico de additamento isto, *cum Isaac filio suo*, quod in Ebræo non comparet, nihil etiam dico de elisis tribus istis vocibus, אשר ילדה לאברהם *quem pepererat Abrahamo*, hoc potissimum carpo, quod verbum *ludere* (quandoquidem ea voce uti libebat Interpreti) cum Ablat. mediante præpos. *cum* construxerit. Scimus verbum צחק apud Ebræos quoque esse μέσον, sumique jam in bonam partem ut Gen. 26. 8. jam in malam ut Gen. 39. 17. Novimus & illud quam varie de hoc lusu sentiant docti, sed hic jocularem & innoxium puerorum lusum intelligi non posse, indignatio Saræ & Dei subsecuta admonitio evincunt. Videantur hic solummodo Lyra & (*a*) Cajetanus. At phrasin hanc *ludere cum aliquo* ut ut forte, de quo tamen admodum ambigo, de subsannatione usquam legatur, quis aliter quam de puerili lusu acceperit? Ipse certe hic Interpres Gen. 39. ubi phrasis hæc in malam partem accipitur, sic convertit, *Ingressus est ad me servus Ebræus quem adduxisti ut illuderet mihi.* Ut hac ex parte Interpretem immerito flagellarit Lyra, ad hunc locum sic dicens, *Hanc æquivocationem* (vocis צחק) *videtur ignorasse Translator noster vel eam non reputasse.* Ibi enim non vertisset *illudere*, si omnino ignorasset. Chald. מחייך vertit, de qua voce vide Fagium ad hunc locum.

(*a*) *Cajet. Ebraice est*, facientem irridere. *Non narratur Ismael ludens cum Isaac sed faciens irridere.*

GROTIUS.

3. *Isaac*] Γέλωτα dixit Eupolemus. Quod adde his quæ supra XI. 1.

Ludentem] Rectius, *irrisui exponentem:* est enim nominis allusio. Vide verbum idem infra XXXIX. 7. 14. Videtur autem irrisisse pietatem Isaaci. Sic Hebræi.

13. *In gentem magnam*] Ex Græco. At Jonathan לעם לסטין in populum prædatorem. Non male, nam גוי [*gens*] de nationibus barbaris magis dicitur, de bene moratis עם [*populus*]. Sic λαὸς populus sanctus, cæteri ἔθνη [*gentes*], unde ἐθνικοὶ [*gentiles*]. Ita quod præcedit גם erit adversativa. Et illud *Isaac tibi semen* significabit *morum quoque filium.*

16. *E regione*] Ex Græco. At Hebræum נגד recte vertas eminus, ut apparet Psal. XXXVII. 12. collato Psalmi implemento. Matth. XXVI. 58. XXVII. 35. Marci XIV. 54. XV. 40. Luc. XXII. 54. XXIII. 49. Sic & II Reg. II. 7. & IV. 25.

CARTWRIGHTUS.

6. *Ridebit mecum* יִצְחַק לִי.] Ad verbum, *mihi.* R. Salom. exponit ישחק עלי, i. e. *gaudebit propter me.* (*a*) Similiter Chald. יחדי לי *gaudebit mihi*, i. e. *mea caussa.* Fagius vertit, *congratulabitur mihi.* Sic LXX συγχαρεῖταί μοι, *gratulabitur mihi.* In Edit. Rom. vertitur, *congaudebit mihi.*

7. מִי מִלֵּל לְאַבְרָהָם *Quis dixisset Abrahamo, &c.*] LXX. τίς ἀναγγελεῖ τῷ Ἀβραάμ; *Quis annuntiabit Abrahamo?* At verbum מלל non est futurum, sed præteritum, ac plusquam perfecti hic vim habet. Vulgatus longius ab Hebræo aberrat, *Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara, &c.* Cum hic de Abrahamo non tanquam aliis rem narrante, sed tanquam ab aliis eam audiente, idque cum adhuc res futura esset, sit sermo. Miror Amamam hunc locum in Censura sua prætermisisse. (*b*) Chaldæus, מהימן דאמר לאברהם וקיים, i. e. *Fidelis est, qui dixit Abrahamo, & confirmavit, nempe quod Sara lactaret filios.* Eodem modo intellexisse videtur, quo R. Salom. qui ait vocem esse *laudationis* ac *venerationis*, (לשון שבח וחשיבות) ut sensus sit, ראו מי הוא וכמה הוא נאמן ומה שהבטיח הוא עושה i. e. *Videte quis seu qualis quantusque hic sit, qui servat promissionem, & quod pollicitus est, præstat.* Simplex verborum sensus

(*a*) *Jonathan*, יתמה עלי mirabitur super me. (*b*) *Jonathan*, Quam fidelis est nuntius (כבשורא) qui nuntiavit Abrahamo, & dixit, Futurum est, ut Sarah filios lactet. *In eundem etiam sensum Hierosolymitanus.*

sensus is est, quem primo expressi. Sic Fagius in Collat. *Quis unquam dixisset Abrahamo fore, ut in illius senectute pareret filios, atque lactaret?* q.d. non fuisset illi facile habita fides.

הֵינִיקָה בָנִים שָׂרָה *Sara lactabit filios.*] i.e. *filium*; plurale pro singulari; ut cap. 46. 23. R. Sal. hic (ut alibi non raro) nugatur, asserens ideo plurale hic usurpari, quod cum mulieres non crederent Saram peperisse, filios suos ei adduxerunt, eaque omnes lactavit.

9. (b) *Sara autem vidit filium Hagar, &c.* מְצַחֵק *illudentem, vel irridentem.*] LXX παίζοντα. Vulg. *ludentem.* Malim *illudentem*, ut cap. 37. 17. לצחק vulg. *ut illuderet.* R. Sal. ait, *Ismaelem cum Isaaco de hareditate contendisse, dicentem, Ego sum primogenitus, & duplex portio ad me pertinet.* Fagius notat hanc expositionem stabiliri ex verbis Saræ, versu sequente. Atque idem etiam notat Hieron. in Tradit. ubi & aliam Hebræorum interpretationem commemorat, nempe Ismaëlem idola ludo fecisse, prout verbum istud צחק, i.e. *ludere usurpatur* Exod. 32. 6. Atque istam quidem expositionem ex isto loco stabilitam habet R. Salom. Quin & aliam, nempe Ismaelem scortatorem fuisse; quo sensu verbum צחק usurpari notat Gen. 39. 17. Atque etiam aliam, nimirum Ismaelem fuisse homicidam; ita enim hoc verbum usurpari 2 Sam. 2. 14. Lyra ait dictionem Hebraicam (quæ perperam scribitur *Messahet*, pro *Metsahec*) æquivocam esse, & significare *ludentem, idolotrantem, occidentem*, & *coeuntem*, vel *lascivientem*: & citat locos istos Scripturæ à R. Salomone citatos. At Burgensis merito hic se opponit, atque asserit, dictionem istam duntaxat significare, *ridentem*, vel *irridentem*, vel *gaudentem*, vel *ludentem.* Etiamsi enim interdum usurpetur, ubi de idololatria, vel occisione, vel lascivia agitur, non tamen inde sequitur vocem istam vel idololatriam, vel occisionem, vel lasciviam proprie significare. Omnibus enim istis locis significationem suam retinet, ac vel lusum, vel irrisionem denotat. Addit Burgensis hunc locum rectius ab aliis Hebræis quam à R. Sal. exponi, iis nempe, qui dicunt, quod Ismael, cum videret Abrahamum adeo lautum convivium ablactato Isaaco celebrasse, irrisit, innuens, se nihilominus, ut natu majorem, hæredem fore. Sed hoc à prima R. Salomonis expositione non differt. Quod autem Doring, se tanquam anserem inter olores interponens, contendit idololatriam, non irrisionem hic intelligi, quod ob solam irrisionem mater cum filio nunquam fuisset ejecta; mirum est eum non animadvertisse locum Apostoli à Lyra citatum, nempe Galat. 4. 29. 30. Unde apparet Ismaelem una cum matre ejectum fuisse, non quod idololatra esset, sed quod Isaacum persequeretur. Quin & inde perperam colligit Ismaëlem vitæ Isaaci insidiatum esse, ac eum occidere quæsiisse, cum vox Hebræa hic usurpata (ad hunc autem locum certum est Apostolum respexisse) non occisionem, sed irrisionem denotet. Unde recte à nonnullis observatur, *irrisionem esse quandam persecutionem*, uti etiam videre est Heb. 11. 36.

13. *Atque etiam filium ancillæ in gentem ponam* (i.e. gentem ex eo faciam) *quoniam semen tuum est.*] Jonathan, *Atque etiam filium ancillæ ponam* לעם ליסטים *in populum latronem*, i.e. *latrocinantem, quoniam filius tuus est.* At etiamsi posteri Ismaëlis latrociniis dediti fuerunt, unde viri docti existimant eos dictos Saracenos, à *Sarac*, Arabice, *furari, latrocinari*, hic tamen nimium intempestive id memoratur, nec satis decorum est istiusmodi sermonem Deo tribuere.

14. *Et posuit super humerum ejus; & puerum, &c.*] LXX καὶ ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸν ὦμον αὐτῆς τὸ παιδίον, *Et imposuit super humerum ejus puerum.* In edit. Rom. Latina versio habet, *& puerum*, at in Græco deest καὶ. Nobilius notat Hieronymum, Augustinum, Scholion insertum Theodoreti quæstionibus, docere subaudiendum non *imposuit*, sed *dedit.* Hieron. in Tradit. colligit Ismaëlem octodecim nunc annorum fuisse, aut amplius, nec convenire jam adolescenti matris sedisse cervicibus. Recte igitur illi, qui verba ista, *Et posuit super humerum ejus*, parenthesi includunt, ne puerum etiam humero ejus impositum existimemus. Notat autem Hieron. ex Hebræis, linguæ idioma esse, quod omnis *filius* ad comparationem parentum *infans* vocetur & parvulus. Nec miremur (inquit) barbaram linguam habere proprietates suas, cum hodieque Romæ omnes filii vocentur infantes.

16. כִּמְטַחֲוֵי קֶשֶׁת *Circiter jactum sagittæ.*] Ad verbum, *arcus.* LXX ὡσεὶ τόξου βολήν. Vulg. *quantum potest arcus jacere.* Notam similitudinis כ omisit. Aben Ezra ait notum esse significare כמשלחת חץ, i.e. *quasi jactum sagittæ.* R. Salom. asserit in lingua Thalmudica (בלשון משנה) significare ירית חץ, i.e. *jactum sagittæ*: ו autem interpositum esse, ut in זנות & קצר. Quin & exponit, כשני מטחוי, i.e. *quasi duos jactus*; quia scil. מטחוי formam habet pluralem. Mercerus singulare esse mavult, & י pro ה positum; quod duriusculum videtur. Malim igitur plurale esse, sed singulariter accipi, quasi jactibus, i.e. (ut quosdam interpretari refert Mercerus) uno jactuum arcus. Videtur autem sententia R. Jonæ, cujus meminit Mercerus, quamque Kimchium in Michol sequi ait, maxime probabilis, nempe מטחוי esse Benoni, à verbo טחה pro מחה, ac exponendum esse, *quasi jacientes arcum*, i.e. *quantum qui arcu sagittam ejaculantur, elongare a se possunt sagittam.* Vel sic forte exponi potest, quantum sagittam à scopo, ad quem collimant, se dum jaculantur, elongare solent.

20. *Et fuit* רֹבֶה קַשָּׁת *sagittarius.*] Sic LXX τοξότης. Quod Mercero valde probatur. Vulg. *juvenis sagittarius.* Mercerus putat ita redditum, quod Chaldaice רבי vel רביא *puerum* significet. Sed forte Interpres iste cum Græcis utrumque vocabulum Hebræum unica dictione *sagittarius* expressit, & illud, *juvenis*, ut sensus esset apertior, de suo addidit. Nonnulli (teste Mercero) exponunt רובה *magistrum*; alii, *multum*; quia nempe רב ita usurpatur. Aben Ezra ait hic eadem significatione usurpari, qua Jerem. 50. 29. convocate contra Babel רבים, i.e. *jaculatores*: etiamsi רבים ibi sit ex רבב & רובה hic à רבה. Sic R. Sal. exponit רובה קשת per יורה חצים בקשת, i.e. *qui jaculatur sagittas arcu.* רובה *jaculator*, ut notat Mercerus, generalius est, atque ideo per קשת *sagittarius* arctatur. q.d. *fuit peritus jaculandi arcu*, i.e. *sagittarius.* Sunt qui ו, & subintelligant ante קשת, *jaculator & sagittarius.* Hoc mihi concinnum videtur, etiamsi Mercerus per appositionem dictum velit.

22. *Et Abimelec & Phicol*] LXX addunt, καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, *& Hochozath pronubus ejus.* Hieron. in Tradit. notat excepto Abimelec & Phicol, tertium nomen, quod hic legitur, in Hebræo non haberi. Infra etiam ver. 32. eadem verba à LXX sunt addita. Ex cap. 26. 26. huc videntur irrepsisse.

25. אֲשֶׁר גָּזְלוּ *Quem vi abstulerant.*] Sic Vulg. & recte. LXX dilutius, οὓς ἀφείλαντο, *quos* (scil. puteos) *abstulerant.* Vim verbi Hebræi non expresserunt. Nam גזל est per vim, & violenter auferre. Coch in Sanhedrin cap. 1. refert in Bereshith Rabba ad hunc locum גזלן definiri eum, qui בפרהסיא, i.e. *palam alteri quid eripit.*

31. *Ideo vocavit locum istum* בְּאֵר שָׁבַע *Beer Sheba, nam ibi* נִשְׁבְּעוּ *jurabant uterque eorum.*] Hieron. in Tradit. ait duplici de caussa locum sic fuisse appellatum; nempe vel ob istas septem agnas. Nam שֶׁבַע *Sheba* septem significat: vel quod ibi juraverint; quia & juramentum similiter שבע *Sheba* (in Hieronymo *Sabee*) appellatur. Vide ad cap. 26. 33. LXX vertunt Φρέαρ ὁρκισμοῦ, *puteum juramenti.* Et cap. 22. 19. τὸ Φρέαρ τοῦ ὅρκου. Jonathan, Ideo vocavit puteum istum, בירא דשבע חורפן *puteum septem agnorum*, propterea quod ibi utrique eorum jurabant. Versu autem 33. Et plantavit hortum, פרדיסא בבירא דשבע חורפן, *in puteo septem agnorum.* Inde apparet eum locum puteo vicinum intelligere.

(b) *Hierosolymitanus*, Et vidit Sarah filium Hagar, &c. facientem opera mala, quæ fieri non deberent, ludentem cultu extraneo. מגחך בפולחנא נוכראה *Jonathan*, מגחך לפולחנא נוכראה וגחין ליי, illudentem cultum extraneum, & incurvantem se Domino. *Aut verba sunt transposita, aut quid velit, nescio. Certe ver. 11. aperte dicit*, Ismaelem fuisse idololatram.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

1. Ecce ego] Noluimus hunc Hebraismum immutare, cum nemo non intelligat quid per ipsum significetur, nempe animus promptus ad audiendum & parendum; q. d. *En adsum*, obtemperaturus voluntati tuæ.

2. *Morija*] De loco isto inter omnes fere Judæos convenit, quod sit locus in quo Cain & Habel, & postea Noah, sacrificia obtulerunt; ubi & Salomonicum templum fuit exstructum: De ratione vero nominis plurimum dissentiunt. Quidam namque putant ipsum idem esse quod מורא, i. *pavor & timor*, quod tempore Abraham futurum esset, illic Deum colendum & in timore habendum. Onkelos & Gerundensis ab illis dissentientes, putant montem illum sic dictum à מור, i. *myrrha.* inde ארץ מוריה, *terra myrrhea.* & de hoc monte dicitur Cant. 4. *Ibo ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Creverunt enim in monte illo myrrha, & aloe, & cinnamomum. Nostri verterunt *montem visionis*.

ed by Googl

ſionem, perinde quaſi radix ejus eſſet ירה. Verum Vau ſeu Holem omnino refragatur ſententiæ eorum.

10. *Ut immolaret*] Heb. *ut jugularet*, *mactaret*. Hebræi, cum nihil in Scriptura ſacra incontaminatum relinquant, hanc hiſtoriam quoque ineptiis ſuis ſic obruunt, ut ubi aliquid lucis afferre putant, ibi meras tenebras & excogitata figmenta in medium afferant. Nugantur multa in Medras מדרש, quomodo Satan primum apparuerit in forma ſenis Abrahamo, deinde in forma pueri Jizhako, tertio Saræ rurſum ſub ſpecie viri ſenis; & cum illorum animos à Dei obedientia flectere nequiret, confuſus diſcedere coactus eſt. Filius autem intelligens ſe mactandum & pro ſacrificio Deo offerendum, hortatus eſt patrem in hæc verba, אמר יצחק לאביו אבא קטן אני וחושש שמא יזדעזע גופי מפחד הסכין ואצערך שמא תפסל השחיטה ולא תעלה לך לקרבן אלא כפתני יפה יפה מיד ויעקוד את יצחק בנו מי ראה כזה אב עוקד ובן נעקד ... Porro quæ ibidem ſequuntur multo ineptiora prioribus videntur eſſe: ועוד אמר יצחק לאביו אמור לאמי ... :

12. *Pepercisti*] Hebræi ſic legunt, *Non prohibuiſti filium tuum, unicum tuum à me*. Fuit autem ſecundum Aben Ezra Iſahac tredecim annorum cum juberetur à patre jugulari. Alii aliter ſentiunt.

14. *Dominus videbit, ſeu providebit*] Sic Abraham vocavit nomen montis, non à vocabulo *Morija*, ſicut noſtri putant, ſed à reſponſo quod dederat Iſahac interroganti. *Ubi eſt pecus holocauſti?* & diceret; *Dominus providebit*. Poſteri vero paululum immutarunt ſententiam, ex verbo activo facientes paſſivum, ut textus habet.

18. *Benedicentur*] Ponitur verbum iſtud in illa conjugatione quæ reciprocam habet ſignificationem; & ſic proprie fuerat reddendum, *Benedicent ſe in ſemine tuo omnes gentes*, h. e. In ſolo illo Semine beatificandos ſe veriſſime dicent, cum non ſit aliud nomen in cœlo aut terra in quo nos oporteat ſalvos fieri quam in nomine Jeſu, & benedicto illo fructu ventris virginalis. Capitur ergo hic *benedicere* pro *beatificare*: at mox præcedenti verſu accipitur pro *locupletare*, *fortunare*, *felicem reddere*; etiamſi non vacet myſterio.

23. *Rebecca*] Hebraice, *Ribka*; ſeu, ut illi legunt, *Rifka*.

F A G I U S.

1. **T***Entavit Dominus Abrahamum*] Referunt Hebræi Abrahamum decies tentatum fuiſſe à Domino. Prima (inquiunt) tentatio fuit, quando evocatus fuit è patria natali ſolo & cognatione ſua, Gen. 12. II. Fames propter quam in Ægyptum migrare cogebatur. III. Cum auferretur ei uxor ſua Sara, & duceretur in aulam Regis. IV. Bellum quod geſſit cum quatuor Regibus. V. Contractio matrimonii cum Hagar ancilla, eo quod fruſtra videbatur amplius exſpectare prolem ex Sara. VI. Circumciſio quam ſuſtinuit in corpore jam effœto. VII. Injuria Regis Gerar, qui ſimiliter abſtulit ei Saram. VIII. Expulſio Hagar, poſtquam ex ipſo concepiſſet. IX. Ablegatio Iſmaelis. X. Immolatio Iſaaci unici filii ſui.

2. *In terram cultus Divini*] In textu Hebraico legitur, *in terram Moriah*. Quod Lxx tranſtulerunt, εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν, i. *in terram excelſam*. quaſi ſcilicet is locus ab eminentia, qua procul cerni potuit, denominatus ſit *Moriah*; deducta voce à verbo ראה, quod *videre* & *apparere* ſignificat. Vulgata editio Latina habet, *terram viſionis*: forte ſecuta ſententiam Lxx jam commemoratam; vel, quod Deus in iſto monte Abrahamo viſendum ſe exhibuerit. Omnes Hebræi in eo conveniunt, quod locus iſte ſit is in quo Cain, Habel, Noah, & reliqui ſacrificia Domino obtulerint; & in quo etiam poſtea templum à Salomone exſtructum fuit. De ratione vero & etymo nominis controverſia eſt. Quidam enim מוריה *Moriah* dictum putant ab aromatibus, aloe, cinnamomo, & maxime *myrrha*, quæ in eo creverunt, q. d. *mons myrrhæus*: de quo & in Canticis cap. 4. *Ibo ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*. Alii à ירא, quod *timere* ſignificat, deducunt; quod ſcilicet in iſto monte Dominus timeri & coli debebat. Veteres Hebræi, teſte R. S. מוריה appellatum tradunt, משם תצא הוראה לישראל, i. *quod inde egreſſura eſſet doctrina pro Iſrael*, juxta illud propheticum, *De Zion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*. ירה enim *docere*, *erudire*, & *inſtruere* ſignificat: hinc מוריה *Moriah*, lex, doctrina & inſtitutio Dei. Poſteriores duas ſententias ſecutus videtur Paraphraſtes noſter ſua verſione.

V A T A B L U S.

1. **E***T fuit poſt hæc*, ויהי אחר הדברים האלה] Ad verbum, *Et factum eſt poſt res iſtas, & Deus*, &c. i. Evenit autem poſt hæc ut Deus tentaret, &c. ¶ *Qui reſpondit*, ויאמר] Ad verbum, *Et dixit*. ¶ *Ecce ego*. הנני] Sic ſolent reſpondere Hebræi accerſentibus ipſos. Latini reſpondent, *Adſum*. Sic paulo poſt v. 7.

2. *Diligis* אהבת] Præt. Heb. pro præſ. q. d. quem unice amas. ¶ *Et vade* ולך לך] Ad verbum, *& vade tibi*. Redundat *tibi*. ¶ *Morijah*, המוריה] Nomen collis ad latus montis Sion, ubi templum fuit ædificatum poſtea. ¶ *Dixero* אמר] i. monſtrabo tibi. Erat enim locus ille Abrahæ incognitus.

3. *Pueros ſuos* נעריו] *famulos ſuos*. ¶ *Holocauſti* עלה] i. quæ erant neceſſaria ad holocauſtum faciendum.

4. *Procul*: מרחק:] Ad verbum, *e longinquo*.

5. *Manete* שבו לכם] Ad verbum, *Sedete vobis*. Redundat pronomen.

6. *Ipſe vero tulit* ויקח] Ad verbum, *Et tulit*. Nempe Abraham.

7. *Ecce ego* הנני] Vide paulo ante v. 1.

8. *Pecus* השה] *agnus*.

10. *Miſitque* וישלח] *Extenditque*. ¶ *Ut jugularet* לשחט] *ut immolaret*, *mactaret*.

12. *Quod non peperceris*, &c. ולא חשכת] Ad verbum, *& non prohibuiſti filium tuum, unicum tuum à me*.

13. *Poſt*, אחר] *retro*. i. poſt ſe, ſive à tergo ipſius. ¶ *In dumo* בסבך] Ad verbum, *in perplexitate*, vel *denſitate*. Accipitur pro *ramo denſo & implicato*. i. inter ſpinas aut ramos ſe invicem complectentes; ſive inter virgulta inter ſe perplexa ac complicata. q. d. hærens arbuſto implicato ac perplexo.

14. *Jehovah videbit*. יהוה יראה] *Jehovah providebit*. Ita reſponderat filio ſuo interroganti ſupra v. 8. Alii volunt eſſe futurum pro præterito, *Jehovah vidit*, vel *providit*. Jam enim providerat Dominus de agno immolando: quem non fortuito illic erraſſe, ſed Divinitus oblatum eſſe agnoſcit. ¶ *Idcirco dicitur hodie*, אשר יאמר היום] *de quo dici ſolet etiam hodie*. i. tempore Moſis, quando ſermo erat de illo monte. ¶ *Jehovah videbitur*. יהוה יראה:] Succeſſu temporis mutatum fuit loci nomen data opera, non errore. Nam qui activum verbum *Videbit*, ſive *Providebit*, in paſſivum tranſtulerunt, docere hac ratione volebant, Deum non tantum ſuis proſpicere, ſed manifeſtum etiam auxilium illis oſtendere ut viciſſim conſpicuus ſit. Quidam vertunt, *Jehovah apparuit*. & ita Lxx. Vel per futurum, *apparebit*. Nam ſimulatque Dominus providit de ariete immolando, apparuit & ipſi Abrahæ.

16. *Quandoquidem*, &c. כי יען אשר] Ad verbum, *quod propterea quod feciſti rem hanc, & non prohibuiſti* [*ſubtraxiſti*, vel *ſubmoviſti*] *filium tuum, unicum tuum*.

17. *Quod inquam* כי ברך] Jungendum verbo præcedenti, *Iuro quod benedicendo*, &c. Aut redundat כי. ¶ *Portas* את שער] Sing. Heb. pro plur. i. propugnacula quæ in portis eſſe ſolent. Hebraiſmus, Hoſtibus ſuis erunt ſuperiores. Significat Abrahæ ſobolem hoſtium ſuorum victricem fore. Nam & in portis erant propugnacula, & in his judicia exercebantur.

18. *Et benedicentur* והתברכו] *Et beabunt ſeſe*. Vide ſupra c. 12. 3.

20. *Et fuit*, &c. ויהי אחרי] Hebraiſmus, *His geſtis*. vel, *Poſteaquam hæc geſta fuerunt*. ¶ *Hunc in modum*, לאמר] Ad verbum, *dicendo*.

21. *Patrem Aram*; אבי ארם:] i. à quo genus duxerunt Syri.

24. *Sed & concubina ejus*, &c. ופילגשו ושמה] Ad verbum, *Et concubina ejus, & nomen ejus Reumah, & peperit etiam ipſa*, &c.

C A S T A L I O.

2. **U***Nicum*] Et tamen habebat etiam Iſmaelem. Sed ab Iſmaele non ducuntur Abrahamitæ.

C L A R I U S.

1. **A***Braham*] *Abraham* hoc loco non repetitur, ſed infra. ¶ *Adſum*] Heb. *Ecce ego*. ſunt enim verba animi prompti ad parendum.

2. *In terram Morija*] De loco iſto inter omnes fere Judæos convenit, quod ſit locus in quo Cain & Abel, & poſtea Noe

ſacri-

sacrificia obtulerunt, ubi & Salomonicum templum fuit exstructum. De ratione vero nominis plurimum dissentiunt. Quidam enim putant significare *pavorem & timorem*, quod tempore Abrahæ illic Deus colendus & timendus esset. Alii putant montem illum appellatum à *myrrha*, & de hoc monte dici Cant. 4. *Ibo ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Creverant enim in monte illo myrrha & aloe & cinnamomum. Non recte vero nostri verterunt *montem visionis*.

5. *Revertemur ad vos*] Quomodo reversurus erat Isaac, qui fuerat immolandus? *Cogitabat* (ait Paulus) *quod excitare illum Deus à mortuis posset.*

14. *Dominus videbit*] Seu, *providebit*. Sic Abraham vocavit nomen montis, non à vocabulo *Morija*, sicut nostri putant, sed à responso quod dederat Isaac interroganti *ubi esset pecus holocausti*, & dixerat, *Dominus providebit*. Posteri vero paululum immutarunt sententiam, ex verbo activo facientes passivum, ut textus habet.

18. *Benedicentur in semine tuo*] Verbum Hebræum reciprocam habet significationem, ut proprie sic reddendum esset, *Benedicent se in semine tuo omnes gentes*, h. e. In solo illo semine beatificandos se verissime dicent.

DRUSIUS.

5. S*Edete vobis hic*] Pronomen *vobis* eleganter περιττὸς & redundat, ut Jos. 20. 2. *date vobis*, & 22. 4. *ite vobis*. Hoc primum. Deinde *sedete* dixit pro *manete*, *exspectate*. Non enim jubet eos sedere proprie loquendo. Nam etiam stantes ibi manere poterant, aut jacentes in herba, dum redirent. *Sedere* hoc significatu sumitur Gen. 34. 10. Jos. 1. 14 & 2. 22. Jud. 6. 18. & 17. 10. item Exod. 24. 14. Gen. 24. 55. & 1 Sam. 1. 22, 23. Cicero lib. 9. Epist. *Si venti essent, nos hic Corcyræ non sederemus*, i. maneremus. Huc referunt quidam, *qui sedet in cœlo*; quod exponunt, qui manet aut habitat. Sed melius nos olim, qui sedet judex. Nam sedere judicum est. Sic alibi, *Sedet pro tribunali judex justus.* Propertius lib 3. *Minos sedet arbiter Orci.* Idem lib. 4. *posita Judex sedet Æacus urna.* Cicero pro Rabirio, *Modo vos idem in A. Gabinium judices sedistis.* Apulejus Apolog. 1. *Si modo judices de caussa ista sederent.* Simpliciter autem & absolute *sedere* illo sensu usurpatur Exod. 18. 13, 14. item 2 Sam. 7. 18. Vide, si placet. Nam in hoc ultimo loco videtur esse adorantis. Sedebant enim & adorantes. Hoc noto, quia sequitur *coram Domino*, i. coram arca: nam illic adorabant.

IDEM.

1. נִסָּה Sym. ἐδόξασεν, *glorificavit*] Melius Lxx viri ἐπείρασε, & Hieron. *tentavit*. Quid vidit cum ita verteret? An à נס deduxit? id sign. *signum*, *vexillum*. Porro vexillum in altum tollitur. Aut נסה accepit pro נשא, ut Psal. 3. נסה עלינו *attolle super nos*, i. נשא. Ut ut sit, נסה valet *tento*, *probo*; non δοξάζω, quod vulgo reddunt *glorifico*.

2. יְחִידְךָ. A. τὸ μονογενῆ, *unigenitum*. Sym. τὸν μόνον σε, *unicum tuum*] Prov. 4. 3. יחיד. A. Sym. & Th. μονογενής. Psal. 68. 7. יחידים. A. μονογενεῖς, ubi tamen potius denotat *illiberos* sive *improles*, i. ἀτέκνους. Usi sunt hoc interpretamento & Lxx Psal. 22. 20. ubi A. τὴν μοναχήν μου. & 25. 16. ubi rursum A. μοναχός. & 35. 17. ubi idem, τὴν μοναχήν μου. Hic habetur in Lxx. τὸν ἀγαπητόν, ut & infra v. 16. & Jer. 6. 26. & Amos 8. 10. & Zach. 12. 10. Sed Prov. 4. 3. habetur ἀγαπώμενος, *dilectus*. ¶ *Unicum tuum*] vel magis, *solitarium*. Inter *unicum* & *unigenitum* hoc interest; *Unicus* dici potest qui tamen non sit unigenitus, i. μονογενής, ut qui ex multis fratribus unicus patri superest. Isahac & unicus & unigenitus erat: Salomo forte unicus erat, non tamen unigenitus. Nam plures fratres habuit ex eadem matre. Aut unicus ibi est ἀγαπητός. Unici enim semper chariores habentur. Sic μονογενὴς αὐτῷ ἢ ἀγαπητή. Sane Jud. 11. 34. ad locum αὕτη ἦν μονογενής, in scholio legitur ἐν ἄλλῃ ἐκδόσει, ποθητή. & mox, ἀπὸ δὲ τινὸς συνηθείας ἡ ἰδιώματος τὴν ποθητὴν οὕτως ὀνομάζει. Hier. *unigenita*. Alius, ποθητή i. desiderata. Sunt qui apud Salomonem יחיד pro dilecto sumi dicant: sunt etiam, qui ἀγαπητὸν in Græco sermone unigenitum significare tradant. Certe Philotheus contra Nicephorum, τὸ ἀγαπητός, inquit, ἴσον τοῦ μονογενής: citatque Homeri testimonium de Telemacho unico Ulyssis filio, μοῦνος ἐὼν ἀγαπητός, i. dilectus atque unicus illi. Laudat Augustinum Steuchus, apud quem perperam ὁμογενής legitur pro μονογενής. Dixi יחיד potius *solitarium* denotare. Hoc me docuit Hieron. cujus verba nunc adscribam. In comment. Jer. 6. ait, *Ubi nos diximus, Luctum unigeniti fac tibi, pro Unigenito, in Ebraico scribitur* יחיד, *quod magis Solitarium quam Unigenitum sonat. Si enim esset dilectus sive amabilis*, ut Lxx. *transtulerunt*, ידיד *poneretur*, *quod & Salomoni Deus nomen imposuit.* Huc facit quod in Fragmentis (in Psalmos edit. à Plantino) à me olim collectis יחידתי את. A. τὴν μοναχήν. Nam μοναχός, *unicus*; item *solitarius*; qui & μονήρης. ¶ אל ארץ המריה. Aquila, εἰς τὴν γῆν τὴν καταφανῆ, *in terram lucidam*. Sym. —— τῆς ὀπτασίας, *visionis*. *Lucidam*,] vel *conspicuam*, i. המראה. Supra 12. 6. אלון מורה. Hieron. *convallem illustrem*. Lxx τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν *quercum altam*. Sic & hoc loco interpretantur, τὴν γῆν τὴν ὑψηλήν. ¶ Ὀπτασίας] hoc præ cæteris placuit interpreti nostro, qui habet, *vade in terram visionis*. Onkelos & Jonathan, *in terram cultus*, h. e. religiosam. Jerosolymitanus, *in montem Moria*. Eucherius pag. 86. *In primo Regum ubi Græci, terra visionis, Ebræus habet, terra Moria.* Vide Hieron. in Quæst. ad hunc locum. Ajunt Ebræi hunc montem esse, in quo postea Templum conditum.

13. נֶאֱחַז Syrus, κρεμάμενος] Melito, *Syrus & Hebræus dicunt, κρεμάμενος, pendens, ut manifestius effingerent crucem.* Hoc ex parte falsum est. Nam pendens, i תלוי, hic autem est נאחז, quod melius redditur *detentus*, κατεχόμενος, unde אחוזה κατοχή, vel κατάσχεσις. ¶ בַּסְּבַךְ בְּקַרְנָיו. Th. ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κεράτων αὐτοῦ, *in virgulto Sabec cornibus suis*. Sym. *in rete cornibus suis*. A. ἐν συχνῷ, *in condenso*] *In virgulto Sabec*: Malim *in arbusto*. Sane Onkelos באילנא, *arborem*, vel *arboretum*; quod Fagius reddit, *in arbore*: ego, *in arboreto* i. loco arboribus denso. Nam סבך interpretatione quorundam *densitas*. Jonathan, בחיסונות אילנא quæ est *arborum frequentia & multitudo*, vel *sylva*. Sed sylva Ebraice יער dicitur, & legimus בסבכי היער i. *condensa* sive *perplexa sylva*, Jes. 10. ¶ *Sabec*] Melius, *Sabech*, i. סבך. Nunc legunt סבך Eucherius, *Sabech, virgulti apud Ebræos nomen est.* Ita leg. Vulgo perperam, *Sabeth*. Senes hic nihil variant à Theodotione: alibi tamen סבך aliter convertunt, ut Psal. 74. 5. ubi δρυμὸν transferunt, i. *sylvam*, & Jesa. 9. 18. ubi ἐν τοῖς δάσεσι τοῦ δρυμοῦ. Scholion, *Illud σαβὲκ quidam reddiderunt ἄφεσιν, dimissionem, liberationem* (error in Chaph & Koph: Nam שבק *dimitto*) *quidam vero ὄρθιος erectus, ut idem valeat ac si diceretur, Hircum erectum, qui in virgultum inscenderat: hoc autem loco, erectus cornibus detentus, ut sit manifestus typus crucis. Propter hanc vero caussam in aliam linguam non convertitur, quoniam dictio Ebraica, cum una sit, multa significat multasque fert interpretationes. Ad eos autem qui interrogant respondere oportet atque ita dicere, Sabec significare erectum & sublatum.* Hucusque scholion illud, quod transcripsi ex edit. Rom. Lat. multa vero in ea parum sana. Hieron *Ridiculam rem in hoc loco Emisenus Eusebius est locutus, Sabech, inquiens, dicitur hircus qui rectis cornibus & ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur.* ¶ Συχνῷ] συχνός, creber, densus. In Hieron. quem Plantinus edidit legitur συχνῷ· puto mendum esse. Psal. 74. 5. בסבך Hieron. *in saltu*. Lxx. ἐν δρυμῷ, *in sylva*. Δρυμὸς proprie sylva quercua & glandifera. ¶ *Rete*] *& apparuit aries post hoc retentus in rete cornibus suis.* Sunt verba Symmachi, quæ habentur apud Hieron. Quæst. in Gen. Sed placet ea integra nunc adscribere. „ Rursum Aquila συχνῷ interpretatus est, quem [*scr.* quod] nos Vepretum possumus dicere, „ vel Spinetum, &, ut verbi vim interpretemur, condensa & „ inter se implexa virgulta. Unde & Symmachus in eandem ductus opinionem, Et apparuit, ait, aries post hoc retentus in „ rete cornibus suis. Verum quibusdam in hoc duntaxat loco „ melius videntur interpretati esse Lxx, & Theodotio, qui ipsum nomen Sabech posuerunt, dicentes, In virgulto Sabech „ cornibus suis. Etenim συχνῷ (*vulgo* συχνοῖς) sive rete, quod „ Aquila posuit, & Symmachus, per Sin litteram scribi: hic vero Samech literam positam: ex quo manifestum esse, non interpretationem stirpium condensarum & in modum retis inter „ se virgulta contexta verbum Sabech, sed nomen sonare virgulti, „ quod ita Ebraice dicitur. Ego vero diligenter inquirens συχνῷ „ per Samech litteram scribi crebro repperi.

NOTÆ MAJORES.

1. *Post hæc res Deus tentavit Abrahamum & dixit ei, Abraham, qui dixit, Ecce me.*

2. *Et dixit, Accipe filium tuum unigenitum, quem diligis, Isahacum, & vade in terram Moria, & offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem dicam tibi.*

Post has res] ויהי אחר הדברים האלה & fuit post verba ista. Lxx. καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα. Hiero. *quæ postquam gesta sunt.* Alius, *Fuit autem his rebus ita transactis ut Deus tentaret &c.* ¶ *Tentavit*] tentat Deus, tentat Satan: sed aliter Deus, aliter Satan. Deus tentat quem probet, Satan tentat

tentat quem ad malum solicitat. Hoc significatu *Deus neminem tentat*, & solus Satan ὁ πειράζων. i. tentator dicitur. *Tentavit* Lxx. ἐπείραζεν. Symmachus ἐδόξασεν, quod reddunt *glorificavit*: sed videtur mendum esse, pro ἐδοκίμασεν i. probavit. August. tract. 43. in Johannem, *Intelligimus ergo duas esse tentationes, unam quæ decipit, alteram quæ probat. Secundum eam quæ decipit Deus neminem tentat: secundum eam quæ probat, tentat vos DOMINUS Deus vester, ut sciat si diligitis eum.* Forte non est mendum, & נסה accepit in ea significatione qua accipitur Ps. 3. נְשָׂא attolle, ut sit idem cum נִשֵּׂא evexit ad honorem, honoravit. Alioquin ἐδόξασεν i. כִּבֵּד. Nam δόξα כָּבוֹד i. honor, gloria. Vide Abenezram. ¶ *Abraham*] in vocandi casu. Lxx. geminant, Ἀβραάμ, Ἀβραάμ. Vetus quoque Latina, *Abraham, Abraham.* Chaldæi nihil à fonte dissident, ubi semel tantum legitur nomen *Abraham.* ¶ *Ecce me*] vel, *Eccum me.* Sed *eccum me* proprie Ecce hic me. Lxx. ἰδοὺ ἐγώ: ecce ego. Hiero. *Adsum.* Onkelos & ceteri Chaldæi האנא הא ecce ego, nisi quod in Jonatha הא נא, quod non caret suspicione mendi. ¶ *Accipe*] קַח cape, sume, λάβε, tolle. Ita Hiero. ¶ *Unigenitum tuum*] יְחִידְךָ. Hiero. *unigenitum tuum.* &c. Vide supra. ¶ *Quem diligis*] aut in otio cubat, aut unici esse possunt qui non diligantur. Lxx. ὃν ἠγάπησας. ¶ *Isahacum*] Quot verba, tot spicula, quibus jure merito vulnerari poterat animus parentis. Nam non contentus dixisse *filium tuum unigenitum quem diligis* (nam etiam Ismael unigenitus erat matris suæ, & dilectus patri) adjecit, ne ullus esset omnino locus ambigendi, nomen ipsius proprium, Isahacum. R. Salomo, „Dixit ei Deus, „Cape filium tuum: cui Abraham, sunt mihi duo filii: & Deus, „Unigenitum tuum. Dixit ei, Hic est unicus matri suæ, & „ille est unicus matri suæ. Tum Deus, quem diligis: cui Abra- „ham, Utrumque ego diligo: & Deus, Isahacum. Sed cur „ab initio non dixit, filium tuum Isahacum? ne mentem ipsius „turbaret subito, tum etiam ut mandatum & charum faceret, „& ut in singula verba mercedem ei largiretur. ¶ *Vade*] לֶךְ לְךָ Vade tibi. Sed pronomen in Latio abundat. Græce autem eleganter dicimus γράψον σοι, scribe tibi, συγχώρησον σοι, secede tibi. Sic hoc loco posses reddere πορεύθητί σοι: quod mirum à Lxx. non esse factum. ¶ *In terram Moria*] vel, *in regionem moria.* Vide Fulleri Miscel. lib. 2. cap. 16. & quæ supra notata, quibus subjunge: Porro loca hujusmodi etiam conspicua sunt. Siquidem procul conspici possunt. Conspicuam ergo, i. altam, excelsam. Moria montis nomen est 2 Paralip. 3, 1. quem Abenezra negat altum fuisse. Alii dicunt fuisse collem tantum. Quæ adversantur editioni τῶν ό. Pergamus ad alias. Symmachus, in terram τῆς ὀπτασίας. Hunc secutus est Interpres noster. Nam vertit, *in terram visionis.* i. המראה. Eucherius in primum Regum, *Ubi Græci terra visionis, Ebræus habet, terra Moria.* Hiero. in Quæstio: *Difficile est idioma linguæ Ebrææ in Latinum sermonem vertere. Ubi nunc dicitur, Vade in terram excelsam, in Ebræo habet, Moria, quod Aquila transtulit τὴν καταφανῆ, hoc est, lucidam, Symmachus τῆς ὀπτασίας, hoc est, visionis. Ajunt ergo Ebræi, hunc montem esse, in quo postea templum conditum est in area Ornæ Iebusæi. Qui idcirco illuminans interpretatur & lucens, quia ibi est Dabir, hoc est oraculum Dei, & lex & Spiritus sanctus, qui docet homines veritatem & inspirat prophetias.* Onkelos & Jonathan, לארעא פולחנא in terram cultus. Fagius reddit, *in terram cultus divini.* Licet etiam vertere, *in terram religiosam.* Ceterum est cur malim לארעא דפולחנא vel certe לארע פולחנא. Quod in Jonatha extat. Thargum Jerosolymitanum לטור מוריה in montem Moria. Favet iis qui terram Moria confundunt cum monte Moria: inter quos ille qui scripsit, *Moria collis 2 Paralip. 3. qui terra visionis Gen. 22. dicitur à latere montis Sion.* Salomo Trecensis, *Terra Moria est Jerusalem, & sic in Paralipomenis, Ad extruendum domum DOMINO in monte Moria. Doctores autem nostri dictam ita putant, quod inde doctrina* i. הוראה *prodierit Israeli: & Onkelos exponit de cultu suffimentorum, in quo sunt Myrrha, nardus & reliqua aromata.* Myrrha. i. מר Mor, unde Moria, ut quidam volunt. Hiscuni censet abesse Aleph ut sit מֹרִיָּה pro אמרי in terram Amorræi. Moses Gerundensis in eorum sententiam abire videtur qui montem ita vocatum putant à copia myrrhæ quæ ibi proveniebat, ut alibi legimus collem thuris dici, in quo thus proveniebat. ¶ *In holocaustum*] Lxx. εἰς ὁλοκάρπωσιν. Alibi iidem interpretes עֹלָה reddunt προσφοράν. i. oblationem. Nam העלה obtulit. Forte inde appellatio. Sane holocaustum apud Davidem כָּלִיל dicitur. ¶ *Super unum montium*] vel, *in uno montium* Hunc esse puto qui 2 Paralip. 3, 1. mons Moria dicitur, in quo templum postea extructum fuit, ubi & area Ornæ Jebusæi. Sunt qui tradunt collem ita dici montis Sion alterum depressiorem & humiliorem. Eum Ebræi appellant montem ædis. i. הר הבית quod breviter dictum pro הר בית יהוה ædis DOMINI. ¶ *Quem dicam tibi*] vel, *quem dixero tibi.* Hiero. *quem monstravero tibi.*

3. *Surrexit igitur Abraham mane, & stravit asinum suum, & accepit duos pueros suos secum, & Isahacum filium suum, & fidit ligna holocausti, & surrexit & abiit ad locum quem dixerat ei Deus.*

Mane] בבקר τὸ πρωΐ. Hiero. *de nocte.* i. בלילה cum adhuc nox esset. ¶ *Stravit asinum suum*] ויחבש את חמרו & ligavit sive constrinxit asinum suum, quod Galli dicunt *sangla*, usi verbo à nomine *sangle* sive *sengle* deducto, quod cingulam denotat. Lxx. ἐπέσαξε. Hiero. *stravit*: alius, *instravit.* Est autem ἐπισάττω imponere stragula seu clitellas & quicquid jumentis imponi solet, sternere, insternere. Lexicon vetus, *Sterne equum*, ἐπίσαξον τὸν ἵππον. Onkelos & Jonathan זרז, quod reddiderunt stravit. Proprie cinxit, unde זרז cinctus, cingulum. ¶ *Asinum suum*] Lxx. τὴν ὄνον αὐτοῦ, asinam suam. Nescio an bene. Nam asina אתון dicitur. i. ὄνος θήλεια. Simul hæc nomina leguntur Gen. 12. asini & asinæ. In tractatu Thalmudico de cultu extraneo sive idololatria. Repperi etiam חמורה pro asina. Rectius ergo ceteri, *asinum suum.* ¶ *Pueros suos*] ἑαυτοῦ παῖδας. i. ministros suos: non est עבדיו in Ebræo, sed נעריו. Ideo Hiero. vertit *juvenes.* Quippe נער etiam juvenem significat. Hic non est ætatis, sed ministerii. Sic alibi נערי המלך ministri regis. Onkelos tamen עולימוהי *juvenes suos.* Jonathan, *& duxit duos pueros suos* (עולימוי pro עולימוהי) *secum, videlicet Eleazarum & Ismaelem.* Eadem habes in Salomone Trecensi. Hic nolim te nimium esse credulum, ne merito tibi dici possit, *Simplex credit omni verbo.* Cuncta probate, quod bonum est tenete. ¶ *Fidit ligna holocausti*] hoc est, in holocaustum. Quod in Lxx. Hiero. & Onkelo. Jonathan, *concidit ligna* רקיא, *& ficum & palmæ quæ apta sunt ad holocausta.* חזי apta & idonea. Sic חזי usurpatur in lingua magistrorum.

4. *Die tertio sustulit Abraham oculos suos & vidit locum procul.*

5. *Tum dixit Abraham pueris suis, Sedete hic cum asino, ego autem & puer ibimus eo usque, & adorabimus & revertemur ad vos.*

Die tertio] Utrum à quo mandatum acceperat, an die tertio profectionis? Nam tum Bersabæ habitabat, vel certe in Geraris. Uterque autem locus aberat itinere tridui. De Bersabe autores mihi Abenezra & Mercerus. De Geraris Hieronymus, cujus verba nunc adscribam, fidei meæ causa. *Notandum*, inquit, *quod de Geraris usque ad montem Moria i. sedem templi, iter dierum trium sit, & consequenter illuc die tertio pervenisse dicatur. Male igitur quidam Abraham putant illo tempore habitasse ad quercum Mambre, cum inde usque ad montem Moria vix diei unius iter plenum sit.* Lxx. hic habent, ἀναβλέψας ἐπορεύθη, καὶ ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον, ὃν εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. ¶ *Procul*] μακρόθεν. Ebraice מרחק de procul, ut *de sub* dicimus. Quod posterius in Horo reperitur. Sic *in ante* dicebant antiqui, qui sæpe hoc modo geminabant præpositiones. ¶ *Pueris suis*] τοῖς παισὶν αὐτοῦ. Pueros autem vocant Ebræi ministros, non eos tantum quos Galli *garçons* appellant, sed etiam grandiores. Itaque Josue, cum esset annorum 56. puer Mosi dicitur. i. נער & Arabes milites, teste Mercero, Naare indigitant. ¶ *Sedete hic*] שבו לכם פה sedete vobis hic: sed in Latio pronomen abundat: ideo fuit omissum ab interprete nostro. Ebræi sic eleganter loquuntur, ut etiam Græci καθίσατε ὑμῖν sedete vobis. Quale illud לך לך πορεύθητί σοι vade aut ito tibi. פה αὐτοῦ, hic, הכא adverbium in loco. Quo utuntur typographi, ut cum dicunt בויניציאה פה hic Venetiis i. Venetiis: פה באנטורשא hic Antverpiæ. i. Antverpiæ. Sic פה ברומא Romæ. Psal. 132. 4. Lxx. reddunt ὧδε. Hic habent αὐτοῦ, hic, ibi, illic. ¶ *Sedete*] καθίσατε. i. residete, vel manete, expectate. Hoc Hiero. illud Lxx. ediderunt. Onkelos & Jonathan, אוריכו לכון quod male Fagius reddit, *expectate vos*, cum potius reddi debeat, *expectate vobis*, vel simpliciter, *expectate.* Nam *vobis*, ut dictum est, in sermone latino redundat. Sedere usurpant & aliter, ut cum dicunt, *mons Sion in perpetuum sedet.* i. durat, permanet. Sic Psal. 102. 13. *Tu DOMINE in æternum sedes.* Lxx. εἰς αἰῶνα μένεις. Hiero. *in æternum permanes.* Abenezra explicat, *immutabilis es.* Nam omnis motus inducit mutationem. Qui sedet, in uno loco manet, non mutat. Sed hæc aliena, nec hujus loci sunt. ¶ *Et puer*] והנער. Lxx. καὶ τὸ παιδάριον, & puerulus. Hiero. *& puer.* Onkelos & Jonathan, ועולימא & adolescens. Significat autem Isahacum filium, qui tum erat, ut quidam volunt annorum quinque, ut alii, annorum 37. Abenezra, cui neutra harum opinionum probatur, censet eum

egisse, cum hæc fierent, annum decimum tertium aut præterpropter. ❡ *Eo usque*] עד כה. Lxx. ἕως ὧδε. Hiero. *illuc usque.* Alius, *usque illuc.* Vult dicere, usque ad montem illum, quem simul ostendebat illis. Chaldaice עד כא usque illuc. Ex כא factum הכא præposito articulo, quod usurpant pro hic, huc, illuc. ❡ *Adorabimus*] Jonathan, *adorabimus Dominum seculi* sive *æternitatis.* i. æternum, sempiternum. ❡ *Et revertemur ad vos*] deinde revertemur ad vos. Aut verte, *cumque adoraverimus revertemur ad vos.* Ita prudenter dissimulat, quod eos celatum volebat. Nam si dixisset; *revertar ad vos*, suspicari potuissent nescio quid de filio. Sunt qui hoc ipsum prophetasse scribant, ut Salomo Trecensis, item Ambrosius, cujus verba non pigebit adscribere: *Captiose autem loquebatur cum servulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis aut gemitu obstreperet aut fletu. Verum quod addidit, ad vos revertemur, prophetavit justus quod ignorabat: ipse enim solus disponebat redire immolato filio, sed dominus per os ejus locutus est quod parabat.*

6. *Accepitque ligna holocausti, & posuit super Isahac filium suum, & accepit manu sua ignem & cultrum, & abierunt ambo pariter.*

Ligna holocausti] ad faciendum holocaustum comparata. Quæ ligna idonea & apta fuerunt sacrificiis dictum est. Ebræi censent omnia idonea fuisse, præter ligna oleæ & vitis. Sane nodosa ligna minime accommoda fuisse ex iisdem Mercerus prodidit. ❡ *Posuit super &c.*] imposuit humero filii portanda ad locum sacrificii, in quo typus fuit Christi, qui crucem suam bajulavit. Ex hoc loco colligit Abenezra Isahacum ætate provectiorem fuisse, quam illi volunt, qui quinquennem faciunt. Nam ea ætate portare ligna holocausti non potuit. Josephus natum fuisse putat annos 25. alii 33. qua ætate & Christus passus fuit: alii 15. plus minus. ❡ *Accepit manu sua*] positum videtur pro accepit & portavit manu sua. Sane quidem Hiero. vertit, *ipse vero portabat &c.* Sic alibi, *accepit* ponitur pro accepta distribuit. Vide Parallela mea. ❡ *Et cultrum*] ואת המאכלת. Hiero. *& gladium.* Videtur ita interpretatus esse ex ambiguo Græco καὶ τὴν μάχαιραν: quæ vox & gladium significat i. חרב, & cultrum i. מאכלת a comedendo sic appellatum. Id verbum non solum cultro, sed etiam gladio tribuitur. Significat autem cultrum quo victimæ mactabantur: unde sub cultro esse dicitur qui versatur in præsentaneo periculo, translatione sumpta à victimis, quæ cultro feriebantur. Onkelos & Jonathan סכינא. Salomo Trecensis סכין, unde forte *Sica* dicta. Lex Græco lat. Vetus μάχαιρα, τὸ σφαγεῖον, *sica.* Lexicon Lat. Græcum *Cultrus* σφαγὶς. *Cultra*, μαγειρικὴ σφάγιον. ❡ *Et abierunt ambo pariter*], vel, *sic perrexerunt ambo simul*: nisi malis per præteritum imperfectum, *sic abibant* aut *pergebant.* Lxx. καὶ ἐπορεύθησαν οἱ δύο ἅμα.

7. *Dixitque Isahac Abrahamo patri suo, & dixit, Pater mi: & dixit, Ecce me, fili mi: qui dixit, Ecce ignis & ligna, sed ubi pecus ad holocaustum?*

8. *Et dixit Abraham, Deus videbit sibi pecus fili mi: ita perrexerunt ambo pariter.*

Dixitque & dixit] repetit idem verbum ob nonnulla interjecta, *Dixit Isahac Abrahamo patri suo, dixit, inquam.* In qua repetitione pathos & emphasis est. Nec plane idem cum illo, *dixit dicendo.* Solent etiam autores Latini voces hoc modo repetere. Qua de re dicam alias. ❡ *Pater mi*] vocantis & blandientis. Onkelos & Jonathan אבא quod ambigue dicitur. Nam est אַבָּא pater mi. i. אָבִי & pater i. הָאָב: unde Abba pater & addito s, Abbas, pater Monachorum. Hic igitur expones *pater mi.* Quanquam in Lxx. πάτερ, absque pronomine. ❡ *Ecce me, fili mi*] Onkelos & Jonathan הא אנא ברי ecce ego fili mi. [illegible] quod in Jonatha הנאנא conjunctim & eliso altero Aleph. Lxx. τί ἐστι τέκνον; *quid est fili?* Hiero. *Quid vis fili?* Alius, *Ecce me, fili.* ❡ *Pecus*] השה proprie parva pecus. Lxx. πρόβατον, ovis. Hiero. *victima.* Onkelos & Jonathan, אמרא quod Fagius modo *pecus*, modo *agnum* reddit. In Onkelo repperi אימרא cum Jod, nempe ex absoluto אמר quod scribunt אִמַּר. Santes *agnus.* Hiero. *victima* i. זֶבַח. Alii, *pecus*, quod secuti sumus. Nam etiam de capra usurpatur. In libro Nominum, *Sodoma*, *pecus tacens.* Glossæ Veteres, *Sodoma*, *pecus silens.* *Sem*, *pecus eorum* i, שהם. In libro Radicum, שה *parva ovis aut parva capra.* Salomo Trecensis, *etiam capra vocatur* שה. Nicolaus Brabantinus, *Vox Ebraica quæ ibi ponitur pro agno aliquando significat hædum.* Unus Hiero. scripsit in comment: Ezech. 45. שה βόσκημα, ad cuncta animantia referri posse. Dubito an recte. ❡ *Videbit sibi*] i. providebit, curabit, prospiciet. Videre hoc intellectu sumitur & in illo, *DOMINUS in monte videbit*: proquo in fonte, *in monte DOMINI videbitur.* i. providebitur. Sic etiam Latini loquuntur. Cicero ad Trebatium, *mea negotia videbis, meque ante brumam expectabis.* Idem in Lucullo, *Tribunum aliquem censeo videant.* Et ad Atticum, *ut prandium nobis videret.* i. provideret, curaret. Usurpant quoque *tueor* hoc significatu. Varro de lingua lat: lib. 6. *Tueri duo significat; unum ab aspectu, unde est illud, tueor te senex pro Jupiter; alterum a curando ac tutela; ut cum dicimus, Bellum tueor, & tueri villam: a quo etiam illum quidam dicunt qui curat ædes sacras Æditumum, non Æditimum. Sed tamen hoc ipsum ab eadem profectum est origine, quod quem volumus domum curare dicimus, Tu domi videbis; ut Plautus cum ait, Intus para, cura, vide quid opus siet. Sic dicta Vestispica, quæ vestem spiceret, i. videret ac tueretur.* Hiero. *Deus providebit sibi victimam holocausti.* Lxx. ὁ Θεὸς ὄψεται ἑαυτῷ πρόβατον εἰς ὁλοκάρπωσιν: *Deus videbit sibi ovem ad holocaustum.* Onkelos, *coram Deo revelata ei est pecus ad holocaustum.* Jonathan, *Deus elegit sibi pecus ad holocaustum.* Sic interpretantur, *quum esses sub ficu vidi te.* i. elegi te. Autor Jerosolymitanæ, *Sermo DOMINI præparabit mihi pecus.* Videre pro providere quidam accipiunt & Cohel. 7. 15. *in die mali vide*: quod tamen alii exponunt, cave sive præcave. Sic βλέπετε cavete. Marc. 12. 38. & 13. 9.

9. *Et venerunt ad locum quem dixerat ei Deus, & extruxit ibi Abraham altare, & instruxit ligna ligavitque Isahacum filium suum, & imposuit eum altari super ligna.*

Dixerat] אמר. Hiero. *ostenderat* הראה. ❡ *Altare*] את המזבח cum articulo, quem Græci expresserunt τὸ θυσιαστήριον, & Chaldæi vertentes ית מדבחא. Nam Aleph in fine loco articuli est, quem hic redundare puto, ut sæpe alias. In eadem sententia videtur fuisse Hiero. qui transfert, *in quo ædificavit altare*, & non *altare illud*, nempe quod Adam & Noë ibi extruxerant. Sic Ebræi veteres. Sed quis illis revelavit Adamum qui habitavit ad orientem Eden, ibi altare ædificasse? Tamen Jonathan, *Et reparavit ibi Abraham altare quod ædificaverat Adam, & destructum fuerat aqua diluvii, post Noë denuo illud ædificaverat & destructum fuerat ætate divisionis linguarum.* Et Hiscuni, *non dicit altare, sed* המזבח τὸ θυσιαστήριον *ut doceat esse illud altare in quo priores obtulerunt Adam, Hebel, Noë & filii ejus.* Secundum hanc opinionem vertendum esset pro *extruxit*, reparavit. Id quod verbum בנה etiam aliquando significat. ❡ *Extruxit*] vel *ædificavit.* Verbum enim ædifico, licet ab ædibus dictum sit, tamen ad alia transfertur, ut cum dicimus, *ædificare naves.* ❡ *Et instruxit ligna*] ויערך את העצים & ordinavit sive aptavit aut disposuit ligna, Lxx. καὶ ἐπέθηκε τὰ ξύλα. העצים. Hiero. *& desuper ligna composuit.* Onkelos וסדר ית אעיא hoc est, interprete Fagio, & ordinavit ligna. Jonathan וסדר עלוי קיסין & disposuit super illud ligna. ❡ *Et ligavit Isahacum*] ויעקד & ligavit i. ויקשר. ita R. David in libro ubi vocum sensa explicat. Salomo Trecensis, *Ligavit eum manibus & pedibus & quidem retro.* Jonathan hic usus est verbo כפת quod etiam vincire sive ligare significat. Onkelos ועקד. Lxx. καὶ συμποδίσας, quod reddunt, *cumque colligasset.* In Hieronymo est, *cumque alligasset.* Lex. Vetus, συμποδίζω cupplanto. In Thesauro exponitur, *impedio, compedibus implico.* Tremellius, *colligans artubus Isahacum*, Gallica, *si garrotta Isaac.* Dicunt autem *lier* & *garotter* pro eo quod est, funibus arcte constringere. Hinc עקדת יצחק ligatio Isahac, & est liber apud Ebræos hoc titulo, quem Mercerus non semel laudat: mihi nondum videre contigit. In libro Juchasin, quo me Thysius donavit, *Ligatus fuit Isahac pater noster, in monte Moria. Et est traditio in manu omnium, quod ibi David ædificaverit & Salomo, in area Orna sive Arauna. In hoc loco Abraham extruxit altare & ligavit super illud Isahacum: & est locus in quo ædificavit Noë ex arca egressus, & super altare illud obtulerunt Cain & Habel: & in eo obtulit quoque primus homo, quando creatus est, qui & inde creatus fuit.* *Hæc Mosis Maimonis filius, quem Ægyptium vocant.* ❡ *Imposuit eum altari*] vel, *posuit eum super altare.* Lxx. ἐπέθηκεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Secutus autem in eo fuit morem sacrificantium, qui vivam hostiam altari imponebant, ibique jugulabant. ❡ *Super ligna*] ἐπάνω τῶν ξύλων. Hiero. *super struem lignorum.* Tremellius, *supra ligna*, quod minus probo. Onkelos עיל מן אעיא. Jonathan, לעיל מן קיסין. Hic notabis pleonasmum litteræ Lamed in לעיל.

10. *Misitque Abraham manum suam & accepit cultrum ad mactandum filium suum.*

Misit] extendit, ἐξέτεινε. Quod interpretantur Lxx. & Hiero. Item Onkelos & Jonathan. Nam אושיט extendit, protendit. Jerosolymitana quoque idem dicit alio verbo. Siquidem

שלח *extendit*. Ita sumitur hoc verbum Gen. 8, 9. & 19. 10. ❡ *Ad mactandum*] לשחט ut mactaret aut jugularet. Lxx. σφάξαι. Onkelos לנכסא. Hiero. *ut immolaret*. Verbum שחט, ut & Græcum σφάττω interdum generalius pro interficio sive occido usurpatur.

11. *Et vocavit eum angelus DOMINI è cælo, dixitque, Abraham, Abraham: qui dixit, Ecce me.*

12. *Et dixit, Ne mittas manum tuam in puerum, & ne facias ei quicquam: quia jam cognovi te timentem Dei esse, nam non pepercisti filio tuo unigenito tuo propter me.*

Vocavit eum] ἐκάλεσεν αὐτόν. Lxx. Ebraice ויקרא אליו clamavit ad eum. Sic Catullus, *ad me omnes clamant*. Onkelos & Jonathan, וקרא ליה clamavit ei. Quale illud Terentii, *illis qua sunt intus clamat de via*. Hiero. *clamavit*. emendo, *clamavit eum* i. vocavit. Sic enim & Latini loquuntur. Virgilius lib. 4. Æneid. *Morientem nomine clamat*. Quidam, *inclamavit ad eum*. Nescio an bene. Nam inclamare aliud est. Exponitur enim certe, clamore objurgare: item intro vocare. ❡ *E cælo*] ex aere. ❡ *Abraham, Abraham*] geminatio non de nihilo est. Abenezra notat signum esse celeritatis & præcipitationis: R. Salomo autem amoris & dilectionis. Prius verius puto. Hiscuni, *qui præcipitanter clamat, solet hoc modo geminare nomen: qui mos obtinet & in lingua vernacula.* ❡ *Ecce me*] ἰδοὺ ἐγώ: ecce ego. Hiero. *adsum*. ❡ *Ne mittas*] vel, ne immittas, ne injicias, quod Græci dicunt μὴ ἐπιβάλῃς: vel ne extendas, quod in Onkelo & Ionatha תושיט לא. Quanquam in Onkelo לא pro אל. Tu has particulas permutari scias. ❡ *In puerum*] vel, *in puerum hunc*. ❡ *Quicquam*] quicquam mali scilicet, quod Ionathan dixit מדעם ביש. Ceteri simpliciter interpretantur *quicquam* i. מדעם & Lxx. μηδέν. Unus R. Salomo מאומה accipit pro מום ut dicat, ne facias ei maculam aut labem. Nolim æmulari. ❡ *Cognovi*] per experientiam cognovi, experientia didici. Quidam enarrant *cognoscere feci*: sed humano more loquitur de Deo, quem alioqui nihil latet. ❡ *Te timentem Dei esse*] te virum pium ac religiosum esse, qui Deum verearis ex animo κ̀ ἀνυποκρίτως. Sic timor Dei passim vocatur ἡ θεοσέβεια & religio. Dixit autem *timentem Dei*, ut Persius, *metuens divum matertera*. Notabis etiam *timere* pro vereri in lingua interpretum. Sic φοβῶ usurpatur. Alioqui timet proprie superstitiosus, veretur pius ac religiosus. Sic Ion. 1. *Dominum Deum cæli ego timeo* i. colo, revereor &c. ❡ *Non pepercisti filio tuo*] interpretamentum hoc Hieronymi est, quod mihi præ ceteris placuit, cum & LXX habeant οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου. Sic etiam vertunt Gen. 20. 6. ואחשך אותך κ̀ ἐφεισάμην σου: & peperci tibi. Neque tamen damno, *cum non prohibueris filium tuum à me*, ut sensus sit, ne mihi offerretur ut immolaretur. Sic interpretantur Santes, Onkelos & Ionathan. Ad hoc significandum Onkelos usus est verbo מנע prohibeo: Ionathan usus est verbo עכב retineo, tardo, differo. ❡ *Unigenito tuo*] Lxx. τοῦ ἀγαπητοῦ. Iam dictum est ἀγαπητὸς & μονογενὴς se mutuo explicare. Neque caret emphasi quod ait *unigenito tuo*, cum potuisset dicere *filio tuo unigenito*. ❡ *Propter me*] ממני accipio ut si esset בעבורי. Sunt qui prætulerunt, *præ me*. Vidi etiam qui aliter verterent. Sane Tremellius edidit, *cum non subtraxeris filium tuum unicum tuum à me*. Vide præcedentia.

13. *Et sustulit Abraham oculos suos & vidit, & ecce aries retro detentus in perplexo cornibus suis: & abiit Abraham & accepit arietem illum & obtulit eum in holocaustum pro filio suo.*

Sustulit] vel, *levavit*. LXX. ἀναβλέψας τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ: aspiciens sursum (suspiciens,) oculis suis. Chaldaice זקף erexit. ❡ *Retro*] אחר post. Hic positum videtur pro אחרי. i. retro. Hiero. *post tergum*. Santes, *post se* אחריו. Sic etiam editio Gallica. Tremellius, *ecce aries retro detinebatur*. Abenezra, אחר אשר נאחז vel אחרי אשר נאחז postquam detineretur, aut fuisset detentus. Sunt qui, eodem teste, referant ad *sustulit oculos suos*, quod ipse improbat. Quanquam in Onkelo, *& erexit oculos suos post illa*. Sed Onkelos de suo adjecit בתר אילין, quod ad sententiam deesse videtur. Salomo Trecensis, *postquam dixisset ei angelus, Ne immittas manum tuam, vidit eum cum detineretur. Atque hoc est quod Onkelos edidit, Et erexit Abraham oculos suos postea.* Hiscuni, *post vidit arietem qui detinebatur in perplexitatibus sylvæ. Talia sunt* אחר שרים נגנים *cantores, post venerunt instrumenta pulsantes:* אחר העבים *nubes, post venit imber. Aliter exponas* אחר אשר נאחז *postquam esset ipse detentus.* R. Levi, *Antea viderat bestiam currentem, quam post agnovit arietem esse quum detineretur* &c. Hæc fere Ebræi. Quid ceteri? LXX profecto & Onkelos & Jonathan videntur legisse אחד sive אחד pro אחר, hoc est Daleth pro Resch. Nam in LXX. κριὸς εἷς, & in Onkelo, דכרא חד, & in Jonatha דכרא חד aries unus sive quidam. ❡ *Detentus*] נאחז. LXX κατεχόμενος, qui tenebatur. August. de civitate Dei lib. 16. cap. 32. *quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur.* Hiero. in Quæst. sive Tradit. Ebraicis, *& ecce aries post tergum ejus tenebatur in virgulto Sabech cornibus suis.* Idem tamen in editione sua habet, *hærentem*, ut Ambrosius lib. 1. cap. 8. *hærens*. Ambo Chaldæi אחיד. Interpres Fagius, *comprehensus erat*. Editio Symmachi, *retentus*. Sic & Gallica, *qui étoit retenu*. ❡ *In perplexo*] sub arbusto aut vepreto aut aliquid tale. בסבך ad verbum, *in perplexitate*, ut Jesa. 9. 18. סבכי היער perplexitates sylvæ. i. loca in sylvis perplexa, sive ligna implexa & intricata condensaque: LXX ἐν φυτῷ σαβέκ: in virgulto Sabec. Hæc scriptura erroris causam præbuit antiquis, qui Sabec, ἄφεσιν interpretantur. i. שבק. Hic est in fonte סבך quod rectius scribitur σαβεχ vel σαβὰχ, cum χ in ultima. Ἄφεσιν i. dimissionem. Nam שבק dimitto. Sunt etiam qui liberationem exponant. Aliis Sabec est virgulti genus. Alii aliud commenti sunt, ut fieri solet in talibus. Ideo peccant qui hujusmodi verba non interpretantur. Aquila, συχνῷ condenso & constipato. Ita hunc locum citant Romanenses ex scholio quodam Græco. Hoc in loco Hiero. edidit, *inter vepres*, ut alius, *in perplexitate veprium*, & Santes, *in perplexitate spinarum*. Gallica, *à un buisson*, in dumeto, quod non ita se probat mihi. Hinc Nahum. 1. 10. סירים סבכים spinæ implexæ & intricatæ.

14. *Et vocavit Abraham nomen loci illius DOMINUS videbit: quod dicitur hodie, In monte DOMINI videbitur.*

Loci illius] montis illius, qui post Moria dictus est, cum prius tota regio, quæ circa montem illum, ita vocaretur. ❡ *DOMINUS videbit*] יהוה יראה LXX. κύριος εἶδεν, *DOMINUS* vidit i. ראה. Hiero. *DOMINUS videt*, ראה. Solet autem futurum pro præsenti poni, quod notum jam ipsis pueris. Onkelos, *Et coluit & oravit Abraham ibi in loco illo, & dixit, DOMINUM hic erunt colentes ætates: ideo dici solet, Die isto in monte hoc Abraham DOMINUM coluit.* ❡ *Videbit*] providebit. Ex hoc nomine יראה & שלם factum putant Jerusalem, nomine ex duobus composito, cum proprie mons יראה vocaretur, & civitas, quam Melchisedec inhabitabat, Salem. ❡ *Quod dicitur hodie*] אשר יאמר היום. LXX ἵνα εἴπωσι σήμερον, ut dicunt hodie. i. יאמר. Hiero. *unde usque hodie dicitur*. עד היום & *unde* i. מאשר ex quo. Quomodo Tremellius edidit. Santes, *idcirco dicitur hodie* על כן. Gall. *dont on dit aujourd'hui* i. unde, ex quo. Onkelos, בכן propterea. ❡ *Dicitur*] dici solet proverbio. Hieron. in Quæstion. *Alia littera, & vocavit Abraham nomen loci illius, DOMINUS videt,* (Augustinus habet *vidit*) *ut dicant hodie, in monte DOMINUS videt. Pro eo quod hic habet videt, in Ebræo scriptum est, videbit. Hoc autem apud Ebræos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sint, & Domini optant auxilio sublevari, dicant, in monte Dominus videbit, hoc est, sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & nostri. Unde & in signum dati arietes solent etiam nunc cornu clangere.* Vide Proverbia mea. ❡ *Hodie*] Mosis ævo. ❡ *In monte DOMINI videbitur*] בהר יהוה יראה. LXX. ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη: *in monte DOMINUS apparuit* sive visus fuit. Santes quoque, *in monte DOMINUS videbitur*. Cui versioni obstat (-) quod in בהר. Nam id arguit syntacticum esse. Alioqui scriberetur בהר. Ideo prætuli, *in monte DOMINI*. Hieronymus, *in monte DOMINUS videbit* i. בהר יהוה יראה. ❡ *Videbitur*] i. conspicuus erit. Vid. Fuller. Misc. p. 267. ❡ *In monte DOMINI*] ita post appellatus fuit mons Moria, qui & *mons domus DOMINI*, & *mons domus* seu *ædis* simpliciter. Dicitur etiam *mons sanctuarii*, & *mons sanctuarii dominici* i. טור בית מקדשא דיי, ut hoc loco edidit Autor Jerosolymitanæ. ❡ *Videbitur*] pro videbitur, curabitur, prospicietur. Alii, *apparebit*, nempe hoc modo quo nunc apparuit Abrahamo. Minus placet.

15. *Et vocavit angelus DOMINI Abrahamum secundo è cælo.*

16. *Et dixit, Per me juravi, dicit DOMINUS: nam propterea quod fecisti rem istam, & non pepercisti filio tuo unigenito tuo.*

17. *Benedicendo benedicam tibi & multiplicando multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ ad labrum maris: quin hæreditate possidebit semen tuum portam hostium suorum.*

Vocavit Abrahamum] vel, *clamavit Abrahamum*. Verbum e verbo, *ad Abrahamum*. ❡ *Secundo*] שנית δεύτερον, secun-

secundo, iterum, denuo, secunda vice. Male quidam, *secundo.* i. iterato nomine, ut supra legimus, *Abraham, Abraham.* ¶ *Per me juravi,*] Onkelos & Jonathan, *per sermonem meum juravi.* Lxx. κατ' ἐμαυτοῦ ὤμοσα. Hiero. *per memetipsum juravi.* Jurat autem Deus per seipsum, quia non habet se majorem aut superiorem. Formula erat, *vivo ego, dicit DOMINUS.* De jurando Dei alii aliter sentiunt. R. David Psal. 110. 4. ad locum, *juravit DOMINUS, non pœnitebit.* מאמרו הוא שבועתו Sermo ejus est juramentum ejus. Quod nescio an probandum sit. Loqui & jurare non temere confundenda sunt. Atqui quæ Deus loquitur tam certa sunt ac si ea juramento interposito diceret. Sit ita: est tamen efficacius quid jurare quam loqui. Damascenus lib. 1. Orthodox cap. 11. *Scriptura,* inquit, *juramentum Dei appellat* τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. Eucherius in Quæst. Vet. Test. *Jurare dicitur DOMINUS, quum immutabiliter aliquid promittit.* Ut hic, *juravi per memetipsum,* sic legimus eodem sensu, *juravit Deus per animam suam.* Amos 6. 8. Jerem. 51. 14. *per sanctitatem suam.* Amos 4. 2. *per dexteram suam* Jes. 62. 8. *per excellentiam Jacobi* Amos 8. 7. Intelligit enim certe *per excellentiam Jacobi,* non templum, non urbem, ut Judæi volunt; sed ipsum Deum. ¶ *Rem istam*] vel, ut Hiero. *hanc rem.* Lxx. τὸ ῥῆμα τοῦτο. Sic etiam Ebræus & ambo Chaldæi. Notum ut verbum pro re ponatur. Sic λόγον usurpant Græci. Hinc Ebraismum alii retinent, alii mutant; quos nunc secuti sumus. ¶ *Et non pepercisti*] copula (&) videtur posita in exegesi pro, *hoc est.* ¶ *Non pepercisti filio tuo*] οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου. Alii, *non prohibuisti filium tuum.* Vide notata ad vers 12. ¶ *Unigenito tuo.*] יחידך. Lxx. τοῦ ἀγαπητοῦ δι' ἐμέ; omittunt pronomen, & addunt ex vers 12. δι' ἐμέ i. בגיני propter me. Sic etiam Hiero. Notatum tamen abesse, *propter me,* in sedecim manuscriptis. ¶ *Benedicendo benedicam tibi*] felicitando felicitabo te. ¶ *Semen tuum*] posteros tuos. ¶ *Ad labrum maris*] על שפת הים. Lxx. παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης: juxta labrum maris. Hic duo notanda. Primum על, quod proprie *super* significat, pro *juxta* poni. Sic Galli dicunt *sur le bord de la mer.* Hinc intelligentiam habet, *super maria fundavit eam.* Consule Quæstiones meas. Deinde labrum pro littore. Dicitur autem *labrum maris,* ut *labrum fluminis.* Hic ripam, ibi littus denotat. Sisenna apud Nonium, *Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitque in labro summo fluminis, cælo albente.* Virgilius, *sicut aqua tremulum labris ubi lumen ahenis.* Ut hic *labrum maris,* sic alibi *labrum Jordanis, labrum rivi, labrum torrentis.* Chaldaice כיף littus, ripa. Eo usi sunt Onkelos & Jonathan. Hier. *in littore maris.* ¶ *Hæreditate possidebis*] vel *hæreditario jure possidebit,* quod Græci dicunt κληρονομήσει, Hieronymus, *possidebit* simpliciter. Ebraice ירש. ¶ *Portam*] quicquid ad jurisdictionem eorum pertinet, quicquid juris aut dominii eorum est. Aut *portas.* i. urbes, ut Deut. 17. 2. *In una portarum tuarum.* Sic Deut. 28. 27. & Gen. 24. 60. Similis ambiguitas Ruth. 3. 10. *novit omnis porta populi mei.* Nam sensus est, vel tota urbs, vel potius universa curia populi mei. Nam olim in portis sedebant seniores urbis, ibique jus reddebant populo Deut. 22. 15. Zach. 8. 16. & alibi passim. Sic Amos 5. 10. *oderunt in porta redarguentem.* Priorem sententiam secutus est Hier. referens, *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Id Lxx. explicant τὰς πόλεις τῶν ὑπεναντίων, urbes adversariorum. Sic etiam Onkelos & Jonathan. Nam קרוי סנאיהון sunt oppida inimicorum suorum. Quo facit & scholion Abenezræ מדינות בעלי שערים urbes dominas portarum. i. multas portas habentes.

18. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, pro eo quod auscultasti voci meæ.*

Benedicentur] Ita Hier. prius erat in Lxx. ἐνευλογηθήσονται, ubi ἐν redundare puto. Nam sequitur ἐν τῷ σπέρματί σου. Ebraice est והתברכו & benedicent sibiipsis, quasi dicat, bene precabuntur sibi, & se felices judicabunt. Hoc Tremellius dixit, *Ita ut benedictas se reputent.* Mercerus, *se beatas dicent & felices agnoscent quod ad ipsum pertineant & per fidem ei accenseantur.* Gallica tamen editio, *seront benites* i. יברכו a quo diversum quid significare putant idem verbum in diversa conjugatione. An recte, videbimus cum plus otii erit. Nam temere non est recedendum ab antiquis. ¶ *In semine tuo*] in Christo. Onkelos, *propter filios tuos.* Jonathan, *ob merita filiorum tuorum.* ¶ *Terræ*] orbis terrarum. ¶ *Pro eo quod*] עקב אשר. Lxx. ἀνθ' ὧν. Hier. *quia.* Santes, *eo quod.* Tremel. *quandoquidem.* Gallica, *pourceque.* Onkelos & Jonathan חלף ד. Sciendum tamen in Jonatha esse חלף. Obvia hæc dictio infra cap. 26. & 2 Sam. 12. idemque efficit quod עקב כי quod Amos 4. 12. Jonathan reddit חלף די pro eo quod Aquila ὕστερον i. postea: Theodotio ἐσχάτως i. novissime. Proprie עקב calcaneus & metaphorice merces, ex simili simile. Ut enim calcaneus est extremum corporis humani: sic merces finis est & extremum operis. Unde in scholiis Abenezra ad hunc locum שכר באחרונה merces in extremo. ¶ *Auscultasti voci meæ*] שמעת בקולי. Hiero. *obedisti voci meæ.* Veteres hoc significatu usurpant *obaudio*; & cum dativo & cum accusativo. Augustinus de Civit. Dei. lib. 16. cap. 32. *eo quod obaudivit vocem tuam*: & alibi, *in auditu auris obaudivit mihi*: & alio in loco, *in auditu auris audiebam te prius.* LXX. ὑπήκουσας τῆς ἐμῆς φωνῆς, quod reddunt, *obaudivisti vocem meam.* Malim, auscultasti voci meæ. Nam ὑπακούω, ausculto. Auscultare autem proprie dicuntur qui auditis parent: unde illud, *audio haud ausculto.* i. audiens dicto sum, morem gero, pareo. Aliquando auscultare est aures præbere ad audiendum. Idem Græce ὑπακούειν. Onkelos קבלתא למימרי quod Fagius in Latinum convertit, *credidisti verbo meo.* Proprie *recepisti sermonem meum.* Jonathan, קבלתא במימרי usus est Beth pro Lamed.

19. *Reversusque est Abraham ad pueros suos, qui surrexerunt & abierunt simul Bersabeam, & habitavit Abraham Bersabea.*

Reversusque est] postea reversus est. ¶ *Abraham*] una cum Isahaco filio. Nam fabulosum puto quod in Jonatha, *Acceperunt angeli Isahacum & duxerunt eum in scholam Semi patriarchæ, ubi fuit annis tribus.* ¶ *Ad pueros suos*] ad ministros suos, quo reliquerat cum asino non procul à monte. ¶ *Simul*] cum Abrahamo & Isahaco. ¶ *Bersabeam*] אל באר שבע in Bersabee, unde primum discesserant. ¶ *Et habitavit*] καὶ κατῴκησεν. Quid? an prius alibi habitaverat? Certum est aliquamdiu Geraræ habitasse, incertum an tum ibi habitaverit cum juberetur filium immolare. Sunt qui referant, *habitabat enim Bersabæ.* Quod mihi non displicet. Nam à Bersabe, ut diximus, usque ad montem Moria, iter tridui. Errare autem puto eos, qui scribunt eum tunc Hebrone habitasse. Nota Mosen usum verbo ישב quod fixam habitationem declarat. Sic κατοικεῖν quod in editione τῶν ό. Chaldæi usurpant יתיב eodem significatu.

20. *Post res istas nuntiatum fuit Abrahæ dicendo, Ecce peperit Melcha etiam ipsa filios Nachori fratri tuo.*

21. *Us primogenitum suum, & Buz fratrem ejus, & Camuel patrem Aram.*

22. *Et Chased, & Hazan, & Pheldas, & Jedlaph, & Bathuel.*

Post res istas] his rebus transactis. ¶ *Melcha*] vel *Milcha.* Hoc recenti, illud antiqua consuetudine lectum. ¶ *Etiam ipsa*] particula etiam ad Saram referenda, nec tamen inde sequitur quod quidam volunt, videlicet Melcham etiam anum peperisse, על דרך נס hoc est per modum signi sive miraculi. ¶ *Us*] τὸν Ὦζ est in Lxx. i. Uz. Sed libri variant. Nam in nonnullis τὸν Ὤξ Ox. Puto mendam esse. Veritas scripturæ τὸν Ὦυς. i. Uz, עוץ: unde terra, Us, qua & Αὐσῖτις, patria Jobi, qui ex stirpe Uz primogeniti Nachor descendisse creditur. Vide sis Hieronymum in Quæstionibus Ebraicis. ¶ *Buz*] ואת בוז In editione Romana τὸν Βαύξ: emendo τὸν Βαύζ. Buz, Bauz, ut Us, Aus, unde Ausitis regio appellata. Sic νῦν & ναῦν, unde corruptum ναυὴ. i. Nave. Ex hujus genere fuit Balaam ille divinus, ut Ebræi tradunt. Hieron. in Quæst. quem te adire cupio. Vide quoque Eucherium in Genesin, pag. 102. Emendationem meam, quam supra posui, firmat Hieronymus per hæc verba, *Secundus natus est de Melcha Buz, quem Lxx. Bauz transferre voluerunt.* ¶ *Camuel patrem Aram*] ואת קמואל אבי ארם. Lxx. τὸν Καμουὴλ πατέρα Σύρων. Hieron. *Camuel patrem Syrorum.* Onkelos, *Camuel patrem ipsius Aram.* Jonathan, ית קמואל רב קוסמיא דארמאי. *Camuel principem Casumæorum Aramæorum.* Rursum Hieron. in Quæstio. *Camuel vero pater est Damasci. Ipsa enim vocatur Aram quæ hic pro Syria scripta est, & ipso nomine legitur in Esaia.* Fuit alius Aram filius Sem. Ab utroque Syri originem habere potuerunt. Forte ab hoc Syri Damasceni, ut opinatus est Hiero. ab illo, hoc est, à filio Sem, ceteri. ¶ *Camuel*] vel, *Cemuel.* Santes, *Chemuel,* & contra analogiam & contra consuetudinem. ¶ *Aram*] proprium viri. ita Santes, & alii. Fagius ex Onkelo vertit, *patrem Syrorum,* cum in Chaldaismo sit, ארם quod nos transtulimus in *Aram.* Quod si melior interpretatio Fagii, erit Aram, etiam de sententia Onkeli nomen gentis. ארם pro בני ארם i. Syrorum, ut ישראל pro בני ישראל. Et *pater* i. autor generis, ut ibi, *pater omnium filiorum Eber.* ¶ *Chased*] vel Chesed. Nam Ebraice כֶּשֶׂד. Lxx. τὸν Χαζάδ i. Chasad. puto interpretes edidisse Χασάδ, ut legerunt כָּשָׂד vel כַּשַׂד. Ab hoc quidam appellatos putant Chaldæos quasi Chasdæos. Nam Ebraice כשדים vocantur. Hieronymus, *Chased, quartus est, a quo Chasdim i. Chaldæi postea vocati.* ¶ *Hazan*] Hinc emendabis Græcam lectionem Ἀζαύ, & Latinam *Asau.* Nam addenda aspiratio. Ebraice

braice חזו quod nunc legunt Chazo, vel Hazo. Antea monui, u cum au permutari in multis nominibus. Ex hac consuetudine est Hause in antiquis codicibus pro Hose. Sic in Latio Orum, aurum, olla, aula: unde Aulularia Plauti. Perperam Philo, *Azau fortitudo ejus*. i. עזו Nam confundit Heth cum Ain. ¶ *Pheldas*] ita Hiero. Nunc Phildas. Nam Ebraice פלדש. In Lxx. φαλδὲς, Phaldes. ita varie hæc nomina olim & legebantur & scribebantur. Quod argumentum est certissimum puncta vocalia, quæ vocant, tunc adscripta non fuisse. ¶ *Jedlaph*] in Græcis codicibus ἰελδάφ, quod forte scribis & librariis imputandum. Ebraice ידלף quod nunc legunt Jydlaph sive Idlaph. ידלף Idlaph, ut ישראל Israel. ¶ *Et Bathuel*] καὶ τὸν βαθουὴλ. Ebraice & Chaldaice בתואל, quod nunc legunt Bethuel.

23. *Bathuel autem genuit Rebeccam: octo istos genuit Melcha, Nachori fratri Abrahæ.*

24. *Cui concubina erat nomine Ruma, quæ peperit etiam ipsa Tabee & Gaham, & Thahas, & Maacha.*

Genuit] ἐγέννησε i. הוליד. Nam ילד quod nunc in Ebræo, proprie peperit i. ἔτικτε. Sic apud Græcos γεννᾶν & τίκτω permutantur. Quod ante à me notatum memini. ¶ *Rebeccam*] τὴν ῥεβέκκαν. Hodie רבקה i. Ribcam. ¶ *Cui concubina nomine Ruma*] verbum è verbo, *& concubina ejus, & nomen ejus Roma* sive *Reuma*, quod scribuut ראומה ῥευμὰ. In Hieronymo est *Roma* qui o legit pro u. Quod crebrum in antiquitate. Ceterum concubina Onkelo dicitur לחינתיה. Jonathæ vero פלקתיה ἡ παλλακή: qua voce & Lxx. usi sunt hoc loco. ¶ *Etiam ipsa*] καὶ αὐτὴ ad Melcham refero. ¶ *Tabee*] vel, Tabe. טבח Tabe, ut תרח Thare. *Tabee* legitur in Hieronymo. Codices Græci habent Ταβὲκ, nisi legendum Ταβὲθ, quod magis crede, ut vitium sit in Ταβὲκ. Talibus scatent codices illi. Nunc legunt Teba. Nec improbo Tebach, quod in quadam editione nupera. Forte Græci librarii Ταβὲκ scripserunt, manu aberrante pro Ταβὲχ. Quis hoc negare ausit? ¶ *Gaham*] vel, *Gacham*, ut Nahor dicimus & Nachor. Sic Rahab & Rachab. Cave scribas Gaam ex Græco γαάμ, quod in ταάμ corruptum. i. גחם. Nam Græci voces in medio non aspirant. Sed in nominibus Ebraicis, Ebraica non Græca consuetudo sequenda est. ¶ *Thahas*] minus recte alii, *Tahas*. Scribi potest & *Thachas*. Græce est τοχὸς, Tochos. Ebraice & Chaldaice תחש quod taxum sonat, nomen animantis. ¶ *Maacha*] מעכה viri an mulieris nomen? Alibi nomen est mulieris: hic videtur esse nomen viri. Sane Lxx. ediderunt τὴν μοχὰ quod rectius μααχὰ scriberetur. Erat & regionis nomen, unde Rex Maachæ, & Syria Maacha, de qua suo loco.

G R O T I U S.

2. TOlle filium tuum] In Hebræo appositum est נא [*age*], quod est adhortantis, ut sæpe νῦν apud Græcos.

Unicum] μονογενῆ [*unigenitum*], id est, ἀγαπητὸν [*dilectum*], ut Aquila interpretatur. Solent enim hi duo significatus misceri apud Hebræos & apud Græcos. Sic Solomon Davidi unicus, id est, dilectissimus dicitur, 1 Paral. XXIX. 1. Vide quæ dicta ad Joh. 1. 14.

In terram visionis] Ex Aquila, qui המריה recte transtulit, ὀπτασίας [*visionis*]. Ostendit id allusio ad id nomen infra 14. Hic postea fuit area Araunæ Sebusæi in qua sacrificavit David II Sam. XXIV. in fine: ac post id templum Solomonis. Ita magno consensu Hebræi: qui & Abelem ibidem sacrificasse ajunt.

9. *Cumque alligasset Isaac filium suum*] Mos enim antiquissimus ligari victimas. Notat Servius ad illud Æneidos, *& vincula rupi*. Ovidius III. de Ponto Elegia II. de Oreste & Pylade in Tauris:

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evinctis geminas ad sua terga manus.

12. *Nunc cognovi quod times Deum*] Decimo hoc, & omnium maximo experimento: post quod tentatus Abraham ultra non fuit. Decem autem tentationes Abrahami sunt: exitus è patria: fames quo in Ægyptum expellitur: uxor abducta: bellum cum quatuor regibus: desperatio prolis unde ad Agarem se applicuit: circumcisio: uxor abducta iterum: expulsio Agaris jam matris: ablegatio Ismaelis: oblatio Isaaci.

Propter me] Additum hoc ex Græco, Samaritano & Syriaco: qui consensus ostendit in Hebræis codicibus id olim fuisse.

14. *In monte Dominus videbit*] Hebrææ voces optime ferunt sic verti: *In monte Domini prospicietur*: id est, ut Euripidis utar verbis,

Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.
[—— reperit
Deus ad quamvis inopina viam].

17. *Portas inimicorum suorum*] Urbes etiam munitissimas.

Sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris] Ovidius Tristium I.

—— Quod in æthere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

21. *Buz fratrem ejus*] Unde Busan castellum non longe à Singaris, cujus meminit Ammianus Marcellinus libro XVIII.

Camuel patrem Syrorum] Rectius *patrem Arami*. Nam Syri, qui Ἄραμοι veteribus & Ἔρεμβοι Homero, sunt ab Aramo vetustiore, nominato supra IX. 22. Dictus ergo hic Nachoris filius *Aram*, quod natus esset inter Syros-Mesopotamienses: sicut & Jacobus Aram, id est, Syrus dicitur, quod ibi habitasset. Deut. XXVI. 3. Ab hoc autem Aramo Nachoris filio credibile est nomen habuisse castellum castello Busan propinquum; dictumque Reman Ammiani dicto loco, nimirum omissa litera tenuissima, sicut Syri ipsi, qui aliis ארם [*Aram*], dicuntur רם [*Ram*], Jobi XXXII. 2. & II. Paral. XXII. 6. Et alius Aram Esronis filius Lucæ III. 33. in Hebræo רם [*Ram*], tum Ruth IV. 18. tum 1 Paral. II. 9. addita præterea ad finem litera ן perinde ut in Busan.

CARTWRIGHTUS.

1. DEus tentavit Abrahamum.] Aben Ezra ait nonnullos velle נסה esse pro נשא, i. e. *sustulit, elevavit*. Atque ita quidem accepisse videtur Symmachus, qui vertit ἐδόξασε, *glorificavit*. Sed hoc merito improbat Aben Ezra, quum tota *Paraschа*, sive *sectio* (uti observat) plane arguat verbum נסה simpliciter ut sonat esse accipiendum, nempe pro *tentare*. Sic LXX ἐπείρασε. Vulg. *tentavit*. Vide Hebr. 11. 17. R. Saadia non male notat verbum *tentare* hic eam vim habere, ut sensus sit, Deum sic egisse cum Abrahamo, ut justitiam ejus non sibi, sed hominibus notam faceret. Hoc frustra impugnat Aben Ezra, asserens quod cum ligatus esset Isaac, ne servi quidem Abrahæ adfuerint. Ratio ista nullius est ponderis, eamque rejicit & refellit Manasses Concil. qu. 46. in Gen. Vide Augustin. de Civit. Dei, lib. 16. cap. 32.

Tentavit Abrahamum] Hebræi (ut refert Fagius) ajunt Abrahamum decies à Deo fuisse tentatum. 1. Cum evocatus erat è patria. 2. Cum ob famem cogebatur in Ægyptum migrare. 3. Cum Sara ei auferebatur, ac in aulam Pharaonis abducta erat. 4. Cum adversus quatuor reges, à quibus Lot captus fuit, ei erat dimicandum. 5. Cum ancillam suam in matrimonium sumebat, eo quod frustra videbatur prolem ex Sara exspectare. 6. Cum jam senex circumcidebatur. 7. Cum Sara iterum ab Abimelec abrepta erat. 8 Cum Hagar, postquam ex eo concepisset, duriter à Sara tractata aufugiebat. 9. Cum ablegabat Ismaelem. 10. Cum Isaacum immolari præcipiebatur.

2. קח־נא את־בנך את־יחידך אשר־אהבת את־יצחק. *Accipe nunc filium tuum, unigenitum tuum, quem diligis, Isaacum.*] In Hebræo verba mire sunt emphatica. Nam quo magis tentaretur Abraham, Deus gradatim progreditur, q. d. *Accipe filium tuum*; imo *accipe unigenitum tuum, quem diligis*; imo *accipe Isaacum*. R. Salom. hanc gradationem ac progressum sermonis observat, atque in hunc locum sic commentatur: *Accipe nunc filium*; Dicit ei (scil. Abraham) Mihi duo sunt filii: Dicit igitur ei Deus, *unigenitum tuum*. Dicit Abraham, uterque matri suæ est unigenitus. Dicit Deus, *eum quem diligis*. Dicit Abraham, utrumque diligo. Dicit Deus, *Isaacum*. Addit autem, Deum ideo hac gradatione usum esse, nec statim ab initio Isaacum nominasse, ne eum subito confunderet, utque mandatum ei gratum & acceptum redderet (לחבב עליו את המצוה) & ut ob singulas præcepti partes eum remuneraretur. ליתן לו שכר על כל דבור ודבור.

את־יחידך *Unigenitum tuum.*] LXX τὸν ἀγαπητὸν, *dilectum*. Sic ve. 12. & 16. LXX reddunt יחיד ἀγαπητόν. Mercerus putat eos forte pro יחיד legisse ידיד, vel (quod potius videtur) unicum carum intellexisse, uti esse solet. Vide Zach. 12, 10. Drusius in Præter. ad Joan. 1. 14. ait יחיד quandoque pro dilecto poni; & citat Prov. 4. 3. Ad quem locum Mercerus, *unicus* (inquit) pro *dilecto* in Scriptura passim.

Ad terram המריה *Moria.*] Chald. (a) לארע פולחנא, i. *ead terram cultus*. Quasi מוריה esset à ירא *timere*, unde ירא *timor*. Ita Chaldæum sensisse putat Mercerus. R. Salom. innuere videtur Chaldæum respexisse ad vocem מר, i. e. *myrrham*. Onkelos (inquit) sic interpretatur, quasi ita vocaretur

a) *Ita etiam Jonathan.*

ob cultum suffitus, in quo erat myrrha, & nardum, & alia aromata. Fagius existimat Paraphrasten cum ad vocem מור, tum ad ירא respexisse. R. Salom. ait Ierusalem hic intelligi, ac citat illud 2 Paral. 3. 1. Ac refert veteres Rabbinos ideo locum sic dictum velle, על שם שמשם הוראה יוצאה לישראל i. e. *Propterea quod doctrina inde egressura esset ad Israëlem.* Quasi scil. מורה esset à ירה, quod in Hiphil est *docere.* Burgensis existimat istam interpretationem maxime probabilem. Inepte autem asserit vocem Hebræam posse legi Maria, atque ideo non inconvenienter dici posse, quod mons iste intitularetur à B. Virgine. LXX. εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν, *in terram excelsam.* Aqu. τὴν καταφανῆ, *lucidam,* vel *conspicuam.* Symmac. τῆς ὀπτασίας, *visionis.* Sic vulg. Hi omnes videntur deduxisse vocem מוריה à ראה *videre.* Hieron. in Tradit. ait Hebræos dicere hunc montem esse, in quo postea Templum conditum est in area Ornæ Jebusæi; Et citat etiam illud 2 Paral. 3. 1. Atque addit Moria interpretari *illuminans* & *lucens,* quia ibi est *Dabir,* hoc est, *oraculum Dei,* & Lex, & Spiritus S. qui docet homines veritatem, & inspirat prophetias. Fagius in Collat. ait inter omnes fere Judæos convenire, locum hunc eum esse, in quo Cain, Abel & Noah sacrificia obtulerunt; ubi & Salomonicum Templum exstructum fuit. Fullerus Miscel. lib. 2. cap. 14. vult מוריה compositum esse ex participio passivo Hiphil מֻרְאֶה & nomine Dei יָהּ, atque idem valere quod φανερωθεὶς Θεὸς, vel Κύριος, *Deus, vel Dominus conspicuus factus;* ut sit testimonium non Templi ibi exstruendi, sed Domini nostri Jesu Christi in carne illic potissimum patefaciendi. Ibidem refert Kimchium asserere terram Moriæ esse universam terram Israel, ac si dictam מוריה ארץ רוה אחר שישכן בה הכבוד, *quod esset terra irrigua, vel quod omnibus copiis circumflueret, postquam in ea habitavit gloria illa Dei.* Hanc autem nominis rationem falsam ac ineptam vocat Fullerus, atque asserit מוריה non à רוה *irrigari, abundare,* sed à ראה *videre, conspicere, derivari.* Quin & terram Israëliticam, antequam in ea essent gloriæ Dei symbola, affluentem fuisse lacte & melle observat. Tractum etiam Hierosolymitanum (qui proprie in Scriptura dicitur terra Moriæ) siccum fuisse, & sterilem, uti Hieronymus oculatus testis confirmat in Isa. 49.

Super unum ex montibus.] Aben Ezra ait montem illum intelligi, ubi Templum fuit exstructum, nempe montem Moriæ, uti appellatur 2 Paral. 3. 1. Atque addit ibi fuisse aream Araunæ, nec fuisse montem excelsum.

וְהַעֲלֵהוּ *Et offeras eum.*] Ad verb. *& fac eum ascendere.* R. Salom. notat non dici שחטהו, i. e. *macta eum,* quod Deus eum mactari noluerit; sed tantum ut in montem ascenderet, ac in sacrificium pararetur, & deinde descenderet. Sed hoc argutius est. Nam העלהו procul-dubio respicit altare, non montem. Sic passim usurpatur de victimis, quæ super altare elevatæ, ac oblatæ erant. Præterea cum sequitur לעלה, i. e. *in holocaustum,* idem plane est, ac si Deus Abrahamo filium mactari jussisset.

3. *Et surrexit mane.*] נזדרז למצוה inquit R. Sal. i. e. *accinxit se ad præceptum, scil. exequendum.* Promptum paratumque ad obsequendum Deo se præbuit Abraham.

4. *Die tertio, &c.*] R. Salom. notat Deum non ante diem tertium ostendisse Abrahamo locum, ubi filium immolaret, ut eo magis Abrahami obedientia esset explorata, nec locus esset suspicioni, Abrahamum subito ac præpropere fuisse abreptum, alioqui haud facturum, si rem paullo diutius secum in animo cogitasset. LXX ista verba, die tertio, cum præcedentibus conjungunt, καὶ ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον, ὃν εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, *Et venit ad locum, de quo locutus est ei Deus, die tertio.* Atque hoc sane videtur convenientius, quia sequitur וישא אברהם את עיניו, *Et elevavit Abraham oculos suos.* Alias enim ו, &, redundare videtur. Vide ad cap 20. 16. Vulgatus autem cum sequentibus connectit, *Die autem tertio, elevatis oculis, &c.* Et Chaldæus etiam hisce verbis novum versum inchoat, prout in Hebræo legitur. Dici forte posset transpositionem esse verborum, nempe ביום השלישי וישא אברהם את עיניו pro וישא אברהם את עיניו ביום השלישי, i. e. *Et elevavit,* vel *Elevavit autem Abraham oculos suos die tertio, &c.* Sic nullus erit pleonasmus.

5. *Et revertemur.*] R. Salom. ait Abrahamum prophetasse fore, ut ambo redirent. Aben Ezra ait eum sic locutum esse, ne servi ante reditum suum discederent, & ne Isaac se immolandum sentiens, aufugeret. At quidni hic sit synecdoche, ut Matth. 26. 8. & 27. 44. Ita tamen de industria locutus videtur Abraham, ne quid acturus esset, vel servis, vel ipsi adhuc Isaaco innotesceret. Quod nonnulli Hebræorum, teste Aben Ezra, putant Abrahamum, cum sic loqueretur, in animo habuisse, Isaaci ossa secum reportare, ineptum est. Qui enim id fieri potuit, Isaaco (quod futurum putavit Abrahamo) in holocaustum oblato, ac in cineres combusto? Lyra R. Salomonem sequitur, sed ejus expositionem planius pleniusque explicat. Hoc (inquit) prophetice dixit, non tamen advertens quid diceret. Non enim intendebat, quod Isaac reverteretur cum eo: Et ideo non fuit prophetia proprie & perfecte dicta, ad quam requiritur intelligentia, sed large dicta; quia Spiritu Sancto movente sic protulit, ut significaret id, quod futurum erat.

6. *Et accepit* אֶת־הַמַּאֲכֶלֶת *cultrum.*] R. Salom. exponit סכין, i. e. *cultrum,* vel *gladiolum.* Est nomen deductum à verbo אכל, i. e. *comedere:* על שם שאוכלת את הבשר, *quia comedit seu consumit carnes;* quemadmodum dicitur Deut. 32. 42. *Gladius meus* תאכל *devorabit carnes.* Istam nominis rationem reddit R. Salom. Item hanc, שמכשרת בשר לאכלה, i. e. *quod carnes præparet, ut esui sint idonea.*

Atque ibant ambo (*a*) יַחְדָּו *simul.*] R. Sal. ita interpretatur, ac si יחדו significaret *similiter, in eundem modum.* Abraham (inquit) qui novit se ideo proficisci, ut filium suum mactaret, non minus libens lætusque ibat, quam Isaac, qui rei penitus ignarus erat. Nescio autem an usquam eam vim habeat vox יחדו, quam hic ei argute more suo attribuit R. Sal. Ego certe non aliter hic sumi arbitror, quam ver. 19. Ubi nihil aliud quam *una, simul,* significare manifestum est.

9. *Et ædificavit ibi Abraham altare, &c.*] Jonathan simile hic commentum habet ac supra cap. 8. 20. hoc nimium esse illud altare quod Adam primo ædificaverat, deinde cum aquis diluvii dirutum fuisset, Noa reparaverat; cumque postea tempore divisionis terræ (ab impiis, scil. illis conditoribus Babel) disjectum fuisset, id nunc ab Abrahamo refectum asserit. Hic quidem in Hebræo est המזבח cum litera He præfixa, quæ suam emphasin habere solet, quemadmodum articulus apud Græcos, q. d. altare illud; & non semper ita est emphatica, nec cap. 8. 20. præfixa est quod si demus hic emphasi non carere, num hoc idoneum; satis est fundamentum, cui istiusmodi commentum innitatur? Dicere possumus המזבח hic esse illud altare, nempe super quod tam raram atque inusitatam victimam erat oblaturus.

11. *Abraham, Abraham.*] R. Sal. ait, *amoris indicium esse hanc nominis ingeminationem.* Melius Aben Ezra, qui *festinationis caussa factam* dicit.

12. *Nunc enim novi* &c.] R. Saadia (ut refert Aben Ezra ad ver. 1.) interpretatur ידעתי, i. e. *novi,* per הודעתי, i. e. *notum feci.* Sic Lyra, *Nunc cognovi,* i. e. *alios cognoscere feci.* Similiter R. Moses in More parte 3. cap. 24. *Nunc scio,* &c. q. d. ex hac actione, propter quam ab omnibus Deum timens vocaberis, cognoscent omnes, quantus in te sit timor Dei, & quousque pertingat. Ego vero cum Burgensi & Mercero malim hoc, ut alia passim in Scriptura, ἀνθρωποπαθῶς dictum esse.

וְלֹא חָשַׂכְתָּ *quia,* vel *quandoquidem non cohibuisti, &c.*] Vau hic non tam copulativa est quam caussalis, ut Isai. 64. 5. *tu excanduisti,* ונחטא, i. e. *quia nos peccavimus.* At Chald. ולא מנעת *& non detinuisti.* LXX. καὶ οὐκ ἐφείσω, *& non pepercisti.* Et sic Vulg.

13. *Et ecce aries* אַחַר *post*] Scil. *ipsum Abrahamum.* Vulg. *post tergum.* Hieron. in Tradit. *Et ecce aries post tergum ejus tenebatur,* &c. LXX. καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς, &c. *Et ecce aries unus,* &c. Pro אחר *achar,* post, legerunt אחד *echad,* unus. Chald. *Et levavit Abraham oculos suos* בתר אלין i. e. *post illa, & vidit, & ecce aries,* &c. *Post illa,* i. e. *postquam ad immolandum filium se accinxerat, atque Angelus è cælo eum inhibuerat.* Sic R. Sal. mentem Chaldæi explicat, eodemque modo locum ipse interpretatur. At istam expositionem improbat Aben Ezra, quod si is esset sensus, dicendum erat, אחר כן, vel אחרי זאת, ipse igitur ita interpretatur, אחר שנאחז בסבך בקרניו i. e. *postquam cornibus in perplexitate veprium apprehensus est,* scil. *aries.* Vel quia נאחז est cum cametz, (nempe Benoni, seu participium) hoc modo, אחר היותו נאחז i. e. *postquam esset apprehensus.* Mihi prima expositio videtur simplicissima, ut nimirum אחר sit pro אחריו *post ipsum.*

נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ בְּקַרְנָיו *cornibus suis apprehensus in perplexitate veprium.*] (*b*) LXX. κατεχόμενος ἐν φυτῷ Σαβὲκ τῶν κεράτων, *qui tenebatur in virgulto Sabec cornibus.* Nomen סבך quod *perplexionem* significat, tanquam loci alicujus, vel animalis, vel plantæ proprium nomen esset, reliquerunt, inquit Senensis Bib.

(*a*) *Jonath.* Et ibant uterque eorum corde perfecto simul. *Hierosol.* בלב שוי corde quieto, *seu* tranquillo. (*b*) *Onkelos* אחיד בקרנוהי באילנא apprehensus in arbore. *Jonathan,* אחיד בקרנוהי בחלפי אילנא apprehensus in perplexitate arboris. *Vid. Buxtorf. in Lexico Syro-Chald. in radice* סבך.

Bib. S. lib. 5. Annot. 103. Hieron. in Tradit. refert Eusebium Emisenum ridicule scripsisse, *Sabec* esse hircum, qui rectis cornibus, & ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur. Nec multo melius in Græcis Scholiis dicitur, ὡς τὸ Σαβὲκ ἑρμηνευόμενον *quod Sabec significet erectum*, vel *sublatum*. Recte Aquila בסבך transtulit συχνῷ, vel, ut Hieron. habet, συχνῷ *condenso*. Nos (inquit Hieron.) *vepretum* possumus dicere, vel *spinetum*, & ut verbi vim interpretemur, *condensa*, & *inter se implexa virgulta*. Addit Symmachum in eandem sententiam transtulisse, *in rete*. Vulg. *inter vepres hærentem cornibus*.

14. *Et vocavit Abraham nomen loci istius*, יְהוָה יִרְאֶה *Dominus videbit*; *quemadmodum hodie dicitur*, *vel dici solet*, יֵאָמֵר ad verb. *dicetur*, בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה *in Monte Domini Dominus*, vel *Deus videbitur*.] Chaldæus sic reddit, *Et coluit*, *& oravit Abraham ibi in loco isto*; dixit, coram Domino hic erunt colentes generationes. Ideo dicetur in die illo, *In monte illo Abraham coram Domino coluit*, seu *cultum exhibuit*. Hanc expositionem approbat R. Salom. פשוטו כתרגומו, i. e. Simplex (inquit) loci sensus is est, quem expressit Chaldæus Paraphrastes; fore scil. ut Dominus eligat, ac prospiciat sibi hunc locum, in quo majestatis suæ præsentiam residere faciat, utque in eo oblationes sibi offerantur. Non inconcinne hunc locum explicat Hieron. in Tradit. Hoc autem (inquit) apud Hebræos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxilio sublevari, dicant, *In monte Domini Dominus videbit*: hoc est, *sicut Abrahæ misertus est*, *miserebitur & nostri*. Nota autem Hieronymum legisse *videri* secundo loco יֵרָאֶה, *videbit*. Sic vulg. cum in Hebræo sit, יֵרָאֶה *videbitur*. Atque ita LXX. ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη. Antea autem vocavit nomen istius, Κύριος ἴδεν. Fullerus Misc. lib. 2. c 14. ait prius membrum, nempe יְהוָה יִרְאֶה, *Dominus videbit*, de Deo Patre exponendum, qui Filium in mundum misit, ad pretium redemptionis nostræ persolvendum; posterius vero, בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה, *in monte Dominus videbitur*, *scil. Dominus*, sic explicat; *In monte suo se videndum*, *seu conspiciendum exhibebit Jehova*. Et de Filio Dei Christo dictum accipit. Hanc illustrem prophetiam Incarnationis eos nimirum obscurasse ait, qui exposuerunt verbum יראה *providebitur*. Mercerus existimat germanum loci sensum esse, fore ut Deus in illo monte conspiceretur ob Templum illic construendum, & quia Christus etiam illic tandem in carne apparuit. Similiter Burgensis, Hebraica (inquit) veritas habet, *Dominus videbitur*; per quod proprie intelligitur, quod verus Dei Filius ibi fuit immolatus, quod immolatio Isaac præcipue figurabat.

18. *Et benedicentur in semine tuo*, *&c.*] *Et benedicentur* בגין זכות בנך *propter merita filii tui omnes populi terræ*.

20. *Peperit Milcha*] Aben Ezra ait, hæc narrari in eum finem, ut genealogia Rebeccæ recenseatur. Similiter R. Salom. ad ea verba, vers 23. Bethuel etiam genuit Rebeccam, ait, omnes hasce genealogias non nisi ob istum versum esse conscriptas. Sic & Lyra. Propter istam (inquit, scil. Rebeccam) quæ conjungenda erat ipsi Isaac, descripta est ista genealogia.

21. *Huz primogenitum ejus*.] De cujus stirpe (inquit Hieron. in Tradit.) Job descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis ejus, Vir fuit in terra Huz, nomine Job. Male igitur quidam existimant Job de genere esse Esau; siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur, eo quod de Syro sermone translatus est, Et quartus sit ab Esau, & reliqua, in Hebræis voluminibus non habentur. Hæc Hieron.

22. וְכֶשֶׂד *Et Chesed*.] Ab eo orti sunt כשדים i. e. Chaldæi, ut scribit R. Saadia in Dan. 2. Hebræi scribunt כשדים dictos, quod fecerint opera sua בכח שדים, i.e. *virtute dæmonum*. Buxtorfius in Gram. Chald. pag. 322.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

1. **C***Entum annorum*] Quod singuli numeri habent singulos additos *annos*, hoc novens esse על הדקדוק juxta linguæ proprietatem, ut dicit Moses Gerundensis. Et quod subditur, *In Kiriat-Arba*, quidam putant locum illum sic vocatum *à quatuor gigantibus*. Sonat enim *Kiriat-Arba*, *civitas quatuor*. Alii dicunt hunc locum nomen illud accepisse à *quatuor* זוגות, i. *conjugibus*, illic sepultis, nempe Adam & Heva, Abraham & Sara, Isahac & Rebecca, Jacob & Lea. Aben Ezra putat *Arba* fuisse nomen viri ex Ænakim prognati. Et quod sequitur, *Incurvavit se coram populo terræ*, alii communiter verterunt, *adoravit*. Et dicit Abraham filius Ezræ, hanc adorationem fuisse שיט ראשו וזה כמשפט המנהג שבח לאחר, *incurvationem capitis*, *qua consuetudine honorem quendam aliis exhibere solemus*.

9. *Speluncam duplicem*] Hebraice, *speluncam duplicitatis*; sicut & paulo superius, pro eo quod vertimus, *in electioribus sepulcris*, habet Hebraismus, *in electione sepulcrorum*. Est enim proprietas huius linguæ, ut plerunque usurpet denominationem pro re denominata, ut *templum sanctitatis*, pro *templum sanctum*; *sepulcrum electionis*, pro *sepulcrum electum*. Ob quam vero causam ager ille vocatus fuerit *spelunca duplex*, aut qualis fuerit illa spelunca, non constat; *nec est necesse*, dicit Gerundensis, *ut rationem hujus inquiramus*, *quando ex Scriptura haberi non potest*. Aben Ezra putat sic dictam, quod fuerit מערה בתוך מערה *spelunca intra speluncam*. Et quod sequitur, *pro plena pecunia*, sensus est, *pro justo pretio*.

11. *Do tibi*] In Hebræo est, *dedi tibi*, ubi non raro usurpatur tempus unum pro altero.

13. *Verum si tu*] Onkelos hunc locum sic explicat, *Attamen si tu facis mihi bonitatem*, *ausculta mihi*: *dabo pretium pecuniæ pro agro*, &c. Et quod sequitur, *Terra valet*, Hebraice sic legitur; *Terra est quadringentorum siclorum*. Onkelos tamen utitur verbo שוה, i. *æqualis est*, seu *compensari potest*.

16. *Ad mercatorem transeuntes*] H. e. *probatæ monetæ*, ut bene habet Vulgata Editio, quæ sensum magis quam verba hic expressit. Et quod sequitur, *Et confirmatus est ager*, in Hebræo est, *& surrexit ager*, ad Abraham scilicet. Usurpat enim hæc lingua *surgere* pro *confirmari*, sicut & in Hiphil הקים capitur pro *confirmare* in activo genere; ut אקים בריתי, *confirmabo pactum meum*. Unde Hebræi exponunt קם pro נתקיים, *confirmatus est*.

FAGIUS.

9. **S***Peluncam duplicem*] Cur *duplex spelunca* nominata fuerit, non satis liquet ex textu. Sunt tamen conjecturæ Hebræis, Vel quod fuerit מערה בתוך מערה, *in spelunca intra speluncam*, ut scribit Aben Ezra. Vel quod habuerit superstructum ædificium quoddam instar conclavis seu cœnaculi, ut annotat R. S. Vel, ut idem quoque sentit, quod ita disposita fuerit ut duo cadavera ibi sepeliri potuerint, quæ posterior sententia mihi probabilior videtur.

VATABLUS.

1. **F***Uit autem vita Sarah* ויהיו חיי שרה] Ad verbum, *Et fuerunt vitæ Sarah*, *centum anni*, *& viginti anni*, *& septem anni*. Latine vertas, *Quum autem Sarah vixisset centum viginti septem annos* (*tot enim annos vixit*) *mortua tandem est*, &c. Ab hoc capite Hebræi incipiunt quintam sectionem hujus libri, quam denominant à secunda & tertia dictione capitis hujus חיי שרה *Vita Sarah*.

2. *Venitque* ויבא] i. Cœpit Abraham plangere ac deflere eam more patriæ. Alii putant Saram mortuam absente ipso Abraham: ideo Mosen dixisse, *Venit*.

3. *Mortui sui* מתו] i. cadaveris uxoris suæ demortuæ. q. d. Quum autem Abraham satis superque planxisset Saram, relicto corpore profectus est ad filios Heth, ut cum ipsis loqueretur.

4. *Hæreditatem sepulcri* אחזת קבר] *possessionem sepulcri*. Alii, *Jus sepulturæ*. i. permittite ut sepeliam mortuos meos cum vestris. q. d. Ego apud vos, secuti hactenus, versari peregrinus non recuso; non inhio vestris prædiis, ut proprium aliquid possidens, de æqualitate vobiscum certem: mihi locum habere sufficit ubi sepeliamur. Vel si dicat. Quandoquidem vivo permisistis in vestra ditione habitare, humanitatis vestræ sit sepulcrum non negare mortuis. ¶ *Mortuum meum*, *&c.* מתי מלפני] Hebraismus, cadaver uxoris meæ mortuæ elatum è domo mea ad sepulcrum, ne posthac videam illud.

6. *Princeps Dei es in medio nostri*, נשיא אלהים אתה בתוכנו] Hebræi quicquid excellit *Divinum* vocare solent. Ideo *Principem Dei* hoc loco intellige *eximium & singulari præstantia*. Et merito, quem propter virtutes colunt, hoc insigniunt elogio; ut se Deo uni ascribere testentur quicquid virtutem in hominibus laude & reverentia dignum est. Hebraismus iste perinde significat acsi dicerent, Te habemus pro excellenti atque præstanti principe. Vel, ut alii exponunt, Te habemus pro homine justo ac sancto, & dilecto unice à Deo: sive, Te reputamus virum justum ac sanctum. ¶ *In electissimis sepulcris nostris* במבחר קברינו] Ad verbum, *in electione sepulchrorum nostrorum*.

¶ *Pro-*

§ *Prohibebit à te ne sepelias* [יכלה ממך מקבר] *denegabit tibi quominus sepelias, &c.*

7. *Et incurvavit se populo* [וישתחו לעם] *& inclinavit sese populo*, i. exhibuit honorem ac reverentiam, gratiasque egit pro sepulcro sibi oblato, populo ejus regionis. Alii vertunt, *& adoravit populum terræ*, eodem sensu: nam *adoratio* simpliciter pro *reverentia* accipitur, quam quis declarat geniculatione, vel alio corporis gestu.

8. *Si vobis cordi est* [אם יש את נפשכם] Ad verbum, *Si est cum anima vestra*, i. si sedeat animo vestro, si vobis placet ut sepeliam, &c. Hebraismus. § *Mortuum meum à facie mea*, [מתי מלפני] i. ut efferam è domo mea ad sepulcrum corpus uxoris meæ demortuæ, Hebraismus, de quo paulo ante v. 4.

9. *Machpelah* [המכפלה] Nomen loci, quod interpretantur *duplicitatem*, vel *geminationem*, aut *duplicem*. vide infra v. 17. § *Quæ est ei in extremo* [אשר לו אשר בקצה] Ad verbum, *quæ ei, quæ in extremo*, &c. i. quam habet, sive possidet, quæ est in extrema parte agri sui. § *Argento pleno* [בכסף מלא] Hebraismus, justo pretio & sufficiente pecunia. Alii *pleno, perfecto, & justi ponderis*. § *In medio vestri, in hæreditatem sepulchri.* [בתוככם לאחזת קבר] *inter vos in possessionem sepulchri.* Vide paulo ante v. 4.

10. *In auribus filiorum Heth, &c.* [באזני בני חת תר] Hebraismus, audientibus Hethæis, astantibus quotquot ingrediebantur portam urbis ejus. h. e. publice & coram omnibus, nempe in porta, non privatim. Per hæc ostendit, locum ubi contractus fuit factus fuisse locum publicum.

11. *Nequaquam* [לא] sub. *ita fiet*, i. Non accipies à me speluncam pretio ac pecunia: sed potius audi me. § [נתתי]. Præt. Heb. pro præs. ut & mox. § *In oculis filiorum populi mei*, [לעיני בני עמי] Hebraismus, præsentibus ac videntibus popularibus meis.

12. *Tunc incurvavit sese* [וישתחו] vide Paulo ante v. 7.

13. *In auribus populi terræ*, [באזני עם הארץ] Hebraismus, de quo paulo ante v. 10. audiente populo ipsius regionis. § *Veruntamen si tu, quæso audias, &c.* [אך אם אתה לו] Oratio defectiva, sive manca, in qua multa subaudienda, *Verum*, vel *Sed*, non accipiam gratis à te agrum illum: *Sed si id facturus es* quod dicis, si tu daturus es agrum illum ut polliceris, *Quæso audi me*, acquiesce precibus meis: vel, *Utinam audias me. Dabo pretium pro agro ipso, accipe illud à me, tunc demum sepeliam mortuum meum.* Alii aliud subaudiunt, *Sed si tu dederis mihi gratis, non accipiam.* Chald. paraph. vertit, *Attamen si tu facis mecum bonitatem, ausculta mihi, dabo pretium, &c.*

15. *Inter me & te*, [ביני ובינך] i. ratione amicitiæ quæ est inter nos, & quia novi te virum justum & sanctum, vilissimo pretio dabo tibi terram hanc, q. d. Alteri non darem tam vili pretio. Quadringentis siclis æstimat terram suam. Jam quum Josephus siclum valuisse dicat quatuor drachmas Atticas, ex supputatione Budæi colligimus pretium agri fuisse circiter ducentas & quinquaginta libras Francicæ monetæ. *Quid hoc!* [מה הוא] q. d. Parvo pretio emis, si spectes loci amœnitatem & fertilitatem: itaque mortuum tuum sepelito illic. § *Itaque mortuum tuum* [ואת מתך] Ad verbum, *& mortuum tuum*, ו pro *Itaque*.

16. *In auribus filiorum Heth*, [באזני בני חת] Hebraismus, audientibus Hethæis. Sic paulo ante v. 10. § *Argenteos, &c.* [כסף עבר לסחר] *pecuniæ transeuntis mercatoribus*. Hebraismus, quæ inter mercatores sine ulla controversia recipiebatur, q. d. optimæ, & à mercatoribus approbatæ. Chald. paraph. *argenti quod recipiebatur pro mercimoniis in unaquaque provincia.* Sic loquitur Moses, quod hic pecuniæ usus mutua sit inter homines communicatio: ea autem præcipue versatur in mercibus emendis & vendendis.

17. *Confirmatus est itaque* [ויקם] *Cessit itaque.* Ad verbum, *Et surrexit ager.* Usurpat enim hæc lingua *Surgere* pro *confirmari*, sicut & in Hiphil capitur pro *confirmare* in activo genere, supra c. 17. 7. והקמתי את בריתי *Et statuam pactum meum inter me & te.* In activo ibidem, v. 21. ואת בריתי אקים, *& pactum meum statuam.* Unde Hebræi exponunt קם pro הוקם *confirmatum est.* § *In Machpelah*, [במכפלה]. Vide paulo ante v. 9. Mirum est quosdam hoc loco vertere, *ager Hephron qui erat in spelunca duplici*, quum ager non possit in spelunca esse: nisi forte interpretentur, *qui ager erat ubi erat spelunca duplex.* Alii vertunt, *ager Ephronis una cum spelunca duplici*, omnino aliter quam verba Hebraica ferant. Rectius proculdubio qui transferunt ut noster interpres, *qui in Machpelah.*

18. *In oculis, &c.* [לעיני בני חת בכל] Hebraismus, Videntibus Hethæis, astantibus ac præsentibus quotquot erant in loco publico urbis illius, nempe in porta. Significat emptionem publice fuisse consignatam: licet enim privatus homo venderet, populus tamen interfuit, ratumque habuit quod à duobus contractum erat.

20. *A filiis Heth.* [מאת בני חת:] i. ab Hethæis.

C L A R I U S.

2. *IN civitate Arbee*] Vel, *in ciriat Arba.* Quidam putant locum illum sic vocatum à *quatuor* gigantibus: sonat enim *ciriat Arba, civitas quatuor.* Alii dicunt hunc locum nomen accepisse à *quatuor* conjugibus illic sepultis, nempe Adam & Eva, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob & Lea. Alii putant *Arba fuisse* nomen viri ex Ænacim prognati.

6. *Princeps Dei*] *Princeps gratus Deo*, vel *præstans*: ut cum dicimus *cedros Dei*, & *montes Dei*.

7. *Adoravit*] Vel, *incurvavit se coram populo terræ.* Nam hæc adoratio incurvatio fuit capitis, qua consuetudine honorem quendam aliis exhibere solemus.

9. *Pecunia digna*] Heb. *Pro plena pecunia.*

13. *Agrum trado tibi*] Heb. *tradidi*, ubi non raro usurpatur tempus unum pro altero.

16. *Probata moneta*] Pulcre expressit sensum interpres: nam Hebraismus habet, *pecunia, qua transit ad mercatorem.*

17. *Confirmatusque est ager*] Hebraismus habet, *& surrexit ager*, ad Abraham scilicet. Usurpat enim hæc lingua *surgere* pro *confirmari.*

L U C A S B R U G E N.

19. *ATque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici.*] Plerique Latinorum cod. legunt, *In spelunca agri duplici*; quidam, *In spelunca agri duplicis.* Priori lectioni Græca suffragantur, ἐν τῷ σπηλαίῳ τῷ διπλῷ. Utraque ex Hebræo verti potest אל מערת שדה המכפלה. Nam si שְׂדֵה legas, rectius *duplici* transferas; si vero שְׂדֵה, ut est in punctatis Bibliis, potius *duplicis* vertendum videtur. Cum enim שְׂדֵה, his insignitum punctis, vocem המכפלה regat, interpretandum est, *In spelunca agri duplicitatis*, id quod est, *agri duplicis.* Nec obstat quod spelunca hujus capitis v. 9. & alibi *duplex* dicatur: nam & spelunca *duplex* dici potest, & ager; illa, quia duplex erat (forte, quia duæ speluncæ sibi mutuo vicinæ erant, aut quia altera intra alteram, ut Procopius existimat) hic, quia speluncæ duplici adjacebat, erat enim in extrema agri parte. Certe Gen. 49. 29, 30. juxta Hebræa legitur, *Sepelite me cum patribus, in spelunca quæ in agro Ephron Hethæi, in spelunca quæ* בשדה המכפלה *in agro duplicitatis* (seu *duplici*) *qui est contra Mambre.* Itaque neutra illarum lectionum Latinarum rejicienda est, quanquam à nostro & LXXII. Interpretibus pene semper *duplex spelunca* dici soleat, & Josephus libri 1. cap. 33. *sepulcrum duplex* vocet: *Sepulcrumque ejus factum est duplex.* Quidam Interpretum retinent Hebræam vocem *Machpelah*, ut proprium loci nomen.

D R U S I U S.

2. *DE Arboc* Hieron. in Quæst. Ebraic. *Hoc quod hic positum est, quæ est in valle, in authenticis codicibus non habetur. Nomen quoque civitatis Arboc paulatim a scribentibus legentibusque corruptum est. Neque enim putandum est LXX Interpretes nomen civitatis Ebrææ barbare atque corrupte, & aliter quam in suo dicitur transtulisse. Arboc enim nihil omnino significat.* Suspicor aliquando scriptum fuisse Ἀρβὼγ *Arbog*, Ain per γ expressa. Simile mendum in Δωὴκ, quod ex Δωὴγ fecerunt qui codices Græcos olim exscripserunt. Amicus noster Isaacus Casaubonus ex Bibliotheca Regis Christianissimi laudat Ἀρβῶ. quod ab iis est qui legerunt ארבע cum vocali Camets in ultima, quam per ω expresserunt, ut אדום ἰδουμ. Aut *Arbog, Arbo*, ut *Goliath, Golia*, *Mariam*, *Maria*, ultima nominis barbari, ut fit, abjecta: quod etiam factum in *Jesu* & aliis nonnullis. Hieronymus olim legit *Arbee*, & contractius *Arbe*. *Arbee* potius scriberetur ארבע, ut הושע *Hosee*, ירח, i. *Iaree*, *luna.* Malim igitur *Arbe*, ut *Thare.* Sic *Hose*, quanquam in fonte *Hosee* vel *Hosea*, unde *Hoseas.* Scribitur & *Arba*, unde *Cariath Arba*, h. e. *civitas Arba.* Nam *Caria*, *civitas*, quæ & *Careth*, unde *Carta*, & *Certa*, & *Tigranocerta*, quasi tu dicas, *Tigranopolis.* Nescio an eodem modo dici possit *Arbepolis.* Multi putant *urbem Arba* ita dici sicut dicimus *urbem Romæ*: sed falluntur. Nam est proprium viri, non urbis nomen. Error iste manavit ab Eusebio, in quo, ἐν ᾗ πρὶν ἡ Ἀρβὼκ καλουμένη, ὕστερον ἐκλήθη Χεβρών, quæ sic Latina fecit Hieron. *Hæc ergo primum Arbee, postea a Chebron uno filiorum Caleb sortita vocabulum est.* Nam, ut idem ait, *Arboc corrupte in nostris*

codici-

codicibus scribitur, cum in Ebraeo legatur Arbee, i. *quatuor*. Dixi *Arba* nomen viri esse. Id me docuit locus qui habetur Jos. 14. 15. *Nomen Hebronis antea erat civitas Arba hominis maximi inter Enacim.* Quem locum antiquitas non intellexit, ac proinde Hieron. ex eo ita scribit, *Dicitur Arbee*, i. *Quatuor, quia ibi Abraham & Isahac & Iacob conditus est & ipse princeps humani generis Adam, ut in Iesu Nave apertius demonstrabitur.* Quod ait *Arbe* significare *quatuor*, verum est. Nam ita significat quando appellativum est. Nam locus Josuae, unde colligunt Adamum quoque ibi sepultum fuisse, aliter exponitur ab aliis, & melius, meo judicio. Salomo Trecensis, *Cariatharbe*, i. *Quatuor dicta, quod ibi fuerint quatuor gigantes* (Anacim ipse vocat) *Achiman, Sisai, Thalmai, & pater eorum: Aut quod ibi sepulti sint quatuor paria, Adam & Heva, Abraham & Sara, Isahac & Rebecca, Iacob & Lea.* Hos juvat articulus qui huic nomini praeponitur Gen. 35. 27. קרית הארבע. Non enim certe dicimus האברהם aut היצחק &c. Verius ut dicamus Arba fuisse nomen viri. Abenezra, *Arba nomen viri Magni inter gigantes, qui Anacim vocantur.* Verbum pro verbo, *inter Anacim sive Enacim.* De Arbe Albinus in Genesin, pag. 462. *Arbe dicta Hebron à numero quatuor patriarcharum ibidem sepultorum: eadem Mambre appellata à quodam amico Abrahae.* Vide Liram Gen. 23. 2. Eusebius, citante Casaubono ex Bibliotheca Regia, Ἀρβώ, αὕτη ἐστὶ Χεβρών, κώμη νῦν μεγίστη, μητρόπολις οὖσα παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων καὶ γιγάντων οἰκητήριον, h. e. interprete Hieron. *Hac est eadem Hebron, olim metropolis Philistinorum, & habitaculum gigantum.* Verba illa, *metropolis Allophylorum*, sive ut Hieron. vertit, *Philisthinorum*, non concoquo. Nam erat in sorte tribus Juda. Quomodo igitur metropolis Allophylorum? An *Allophylos* hic dicit qui non erant Philistaei? Forte mendum est pro *Amorrhaeorum*.

6. *Princeps Dei*] *Sic Abrahamum compellant*, inquit Abenezra, *honoris causa, quoniam propheta erat.* Quid? An omnes prophetae principes erant? Moses pater prophetarum ita vocatur. Quapropter? Non sane quia propheta erat, sed quia princeps erat synedrii majoris, quem peculiariter נשיא vocant. Quid igitur *princeps Dei*? An sic eum vocat propter familiaritatem quam habebat cum Deo, qui ei subinde se patefaciebat? Aut *principem Dei* dicit principem eximium & insignem? qualem etiam autores Latini *Divinum* appellant. Nam *Divinum* quicquid humana sorte majus. Sic Virgilius Ecloga 3. *divini opus Alcimedontis.* Sic Homerus Λακεδαίμονα δῖαν dixit. Ebraei quoque quicquid in suo genere excellit, Deo attribuunt. Unde, *arbores Dei, cedri Dei, civitas magna Deo*, &c. Senes hic habent, βασιλεὺς παρὰ Θεοῦ, *rex à Deo.* Hic duo notanda. Primum locutio illa, *rex à Deo*, pro *rex Dei*. Sic, *vastatur ab omnipotente*, vel, si mavis, *à potente*: *imber à Domino*, idem cum illo, *imber Domini*, i. copiosus. Deinde *regem* appellant qui tantum princeps erat. Hoc more barbarico. *Siquidem*, ut ait Procopius, *barbari suos duces Reges appellant.* Sic princeps magni synedrii aliquando vocatur *Rex*, & Moses, qui princeps erat illius coetus, *Rex* dicitur in libro Praeceptorum 110. 1. Et alibi Josephus quoque Hemor Hevaeum βασιλέα nuncupat, quem Moses *principem terrae*. Caeterum Deus Psal. 2. Davidem appellat *Regem suum*, quia eum Regem constituerat & ungi curaverat super populum suum, juxta illud ejusdem Psalmi, *Ego principem constitui regem meum super Sion montem meum sacrosanctum.*

9. Spelunca illa, quae in extrema parte agri Ephronis, quam Abrahamus emit, vocatur ab interprete nostro *spelunca duplex*, ac si *Machpela* esset *duplicitas*, cum sit potius nomen loci in quo ager Ephronis & spelunca illa, quae propterea dicitur *spelunca Machpela* Gen. 23. 9. Docet versus 17. illius capitis, ubi sic legimus, *ager Ephronis qui erat in Machpela*, h. e. in loco ita dicto; & 19. ubi textus, *sepelivit uxorem suam in spelunca agri Machpela.* Locus à *duplicitate* ita dictus, quod כפל significat, & ideo putarim eum esse quem Onkelos & Jonathan *Caphelta* vocant: quod tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. Ut ut sit, si nomen est loci, non debet quaeri ratio ejus nominis. Nam locorum nomina non habent semper certum & indubitatum etymon. Videndus Moses Gerundensis ad hunc locum. Vide Annotationes nostras magnas. Nam piget eadem iterare.

16. *Quadringentos siclos*] De siclo Iosephus Orig. Iud. l. 3. c. 10. Σίκλος νόμισμα Ἑβραίων δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Cum autem duplex sit siclus, sacer, & communis sive vulgaris, quaeritur de quo siclo hic sermo intelligendus sit. Mercerus de communi accepit: cujus verba hac de re sunt, *Siclus communis juxta Iosephum pendebat quatuor drachmas Atticas, quae faciunt circiter dimidium aureum.* Cum pace tanti viri dictum hoc sit, Siclus communis duplo minor erat sacro, qui quatuor drachmas continebat. Si verum hoc, ut est verissimum, loquitur illic Iosephus de sacro, & non de communi, qui duarum duntaxat drachmarum erat, unde *didrachmon* vocatur, & Senes hic habent τετρακόσια *quadringenta* δίδραχμα. Quod sequitur in Mercero, *Erunt ergo quadringenti Sicli communes centum aurei nostri, sed non tam alto pretio quam hodie*, etiam censura indiget. Nam centum [*i.e.* ducenti] erant aurei, si siclus pendebat dimidium aureum. Certum est, siclum sanctuarii, qui & sacer, duplo majorem fuisse communi sive vulgari. Sane Fagius in Exodum ait vulgarem siclum continere duas drachmas seu duos denarios (*Zuzim* Ebraei vocant) qui fere valent quartam partem aurei denarii, quod est dimidium sicli sacri, qui & *siclus sanctuarii* dicitur, qui quatuor erat drachmarum, h. e. tetradrachmus, seu viginti obolorum, aequabatque dimidium Rhenanum. Sed hac de re alias, si Deus otium & valetudinem dederit.

I D E M.

2. בקרית ארבע *Mortua est Sara in civitate Arbe*] Vel *Arbee*. Sic *Hose* dicimus & *Hosee*. Nomen est proprium viri, quod corrupte in Lxx vitio scribarum *Arboc* legitur. Id nihil significat. *Arbe*, quando nomen est numerale, *quatuor* denotat. Hinc fabula de quatuor Patriarchis ibi sepultis, unde nomen acceperit. Hieron. *Nomen civitatis Arboc paulatim à scribentibus legentibusque corruptum est. Neque enim putandum est* Lxx *interpretes nomen civitatis Ebraea barbare atque corrupte, & aliter quam in suo dicitur, transtulisse. Arboc enim nihil omnino significat: sed dicitur Arbee, hoc est, Quatuor, quia ibi Abraham & Isahac & Iacob conditus est, & ipse princeps humani generis Adam.* Aliter Abenmelech, nec scio an melius, *Arbe nomen est viri, qui sic vocatus fuit à quatuor gigantibus, qui erant ipse & tres filii ejus. Nam sic dicitur in libro Josue, Civitatem Arbe patris Anac. Erant autem tres filii ejus, Sesai & Achiman & Thalmai.* Meo judicio, dicta fuit urbs illa *Cariath Arbe*, vel πόλις Ἀρβέ, quod Arbe in ea cum imperio esset. Rursum Abenmelech, *Nomen urbis hujus Hebron, quae pertinebat ad Arbe & filios ejus.* Aut quod Arbe cum filiis suis in ea habitaret. Sic *urbs Nachor* dicitur in qua Nachor olim habitavit. Carras vocant. Nomen Arbe, quia proprium viri, Onkelos & Ionathan immutatum relinquunt. Mirabile autem quod in Hierosolymitana, *civitas puteorum*, aut *cisternarum*, i. גוביא: quae vox etiam locustas notat.

N O T Æ M A J O R E S.

1. *Fuit autem vita Sarae: centum anni, & viginti anni, & septem anni, anni vitae Sarae.*

2. *Et mortua est Sara in Cariath Arbe: ipsa est Hebron in terra Chanaan: & venit Abraham ut plangeret Saram & ut desleret eam.*

Hic incipit sectio quinta quam vocant פָּרָשַׁת חַיֵּי שָׂרָה. i. sectio vitae Sarae. Nam ejus initium ויהיו חיי שרה & fuit vita Sarae. Omissum igitur verbum & *fuit*. Sic liber Exodi vocatur שְׁמוֹת cum tamen incipiat ואלה שמות. Hoc brevitatis & compendii causa fieri existimarim. ¶ *Fuit autem vita Sarae, &c.*] Sic Ebraea sonant ad verbum & κατὰ πόδα, ut loquuntur. Ceterum brevius haec dici possent. *Fuerunt anni vitae Sarae* 127. Aut, ut Hier. transtulit, *Vixit autem Sara centum viginti septem annis.* Vel, ut Graeci habent, ἐγένετο δὲ ἡ ζωὴ Σάῤῥας, ἑκατὸν εἰκοσιεπτά. Fuit autem vita Sarae, anni centum viginti septem. ¶ *Vita Sarae*] חַיִּים vita. חֹשֶׁךְ tenebrae. שָׁמַיִם coelum, מַיִם aqua, & quae sunt ejus generis, nullam rationem habent, cur ita efferantur, praeter usum linguae & consuetudinem loquentium, ut frustra sint qui alias nescio quas comminiscuntur causas. Sic בְּשָׂרִים caro. Sed hoc singularem habet, quo חיים & tenebrae carent. Nam vitas cum dicimus, ut *vita Plutarchi*, aliud significat. Sic *coeli* vocantur a Latinis auctoribus orbes coelestes. Interpretes promiscue coelos dicunt & coelum: item aqua & aquae, cum utrumque nomen Ebraice tantum duale sit. Nam quod Hiero. scribit שמים ἀμφιβολίαν dici, sub plurali, credo, & dualem comprehendit, qui est quasi pluralis duorum. Aliter qui excusem Hieronymum non habeo. ¶ *Centum anni & viginti anni, &c.*] Onkelos & Jonathan, *centum & viginti & septem anni.* Hic observabis majorem numerum praeponi, quod non est perpetuum. Nam quandoque minor praeponitur. Qua de re diximus alibi. ¶ *In Cariath Arbe*] בְּקִרְיַת אַרְבַּע i. ut nunc se habent apices, quibus vocalium loco utuntur, *in Ciryath Arba*. Sic etiam Onkelos & Jonathan. Aliquando קִרְיָה nomen est appellativum. Unde

Unde Lxx. ἐν πόλει Ἀρβὸκ & Hier. *in civitate Arbee.* Addunt Lxx. ἥ ἐστιν ἐν τῷ κοιλώματι. Vide supra, post quæ adde, Aut Cariath-arbe. i. τετράπολις. Fortean ex quatuor oppidulis constabat, ut Tripolis ex tribus. Sane קִרְיָה proprie Urbecula. i. πολίχνιον, quam Hier. *civitatulam* interpretatur, Eusebius *villulam.* Verba Eusebii sunt in locis Ebraicis, interprete Hieronymo, *Cariath-arbe. i. villula quatuor, quæ & Chebron.* Aben-Ezræ sententiam, quam veram esse puto, firmat locus qui est Jos. 14. 15. *Nomen Hebronis antea erat Cariath-arba.* i. civitas Arbæ, *hominis maximi inter Enacim.* Ergo Cariath-arba, ut Tigranocerta, ut Pompeiopolis. Carja & Certa, i. קריא synonyma sunt. Sic Adrianopolis, Constantinopolis. Nescio an ad hoc exemplum dici possit Arbepolis. ¶ *Hebron*] vel *Chebron.* i. Χεβρών, quod legitur in editione τῶν ό. Hebron, Chebron, ut Hermon, Chermon. Eusebius de locis Ebraicis, *Arboc, corrupte in nostris codicibus scribitur, cum in Ebræo legatur Arbee, i. quatuor:* & aliquanto post, *Hæc est autem eadem Chebron, olim metropolis Philisthinorum, & habitaculum gigantum, regnumque postea David in tribu Juda, civitas sacerdotalis & fugitivorum:* & mox, *Hæc ergo primum Arbee, postea a Chebron uno filiorum Chaleb sortita vocabulum est. Lege Verba dierum.* ¶ *In terra Chanaan*] non igitur metropolis Philisthinorum, ut ait Eusebius, qui etiam in eo errat quod Arbee nomen urbis faciat, cum sit viri proprium, ut dictum est. Si bene memini, alibi scribit metropolim Palæstinorum esse Gerara. ¶ *Et venit Abraham*] Unde venit? an peregre profectus erat, cum Sara moreretur? puto vertendum, *& ingressus est Abraham* nempe, in tabernaculum Saræ. Nam distincta tabernacula habebant. Videndus Moses Gerundensis ad hunc locum. Licet etiam vertere, *& ivit Abraham.* Nam בא interdum eo significat. Lxx. ἦλθε δέ: venit autem. Hier. *Venitque.* Onkelos ואתא & venit. Jonathan, *& venit Abraham ex monte Moria, & deprehendit esse mortuam: itaque sedit ad plangendum Saram & ad deflendum eam.* Secutus est sententiam eorum qui Saram obiisse putant cum adhuc Abraham esset in terra Moria. Ceterum mons Moria Chaldaice dicitur a Jonatha טור פולחנא. i. mons cultus, tanquam a ירא timuit, unde & מורא timor, quo sæpe omnem cultum divinum significant. Abenezra, *Quum moreretur Sara, erat Abraham in loco alio: ideo dicit, Et venit Abraham.* Mercerus explicat, *venit*, i. aggressus est aut accinxit se. Ita surgendi verbum usurpatur aliquando. ¶ *Ut plangeret Saram*] לספד לשרה. Lxx. κόψασθαι Σάῤῥαν. Hier., *ad plangendum Saram.* Sic etiam Santes. Nec aliter Galli. Tremellius, *ad lugendum propter Saram.* Nolim imitari. Nam lugeo אבל proprie. Utrumque cum על construitur: ספד etiam cum Lamed. Sed κόπτομαι & plango regunt accusativum, ideo vertimus, *ut plangeret eam.* Interdum plangere pro lugere accipitur absoluta significatione. ¶ *Et ut defleret eam*] Hier. *& fleret eam.* Lxx. καὶ πενθῆσαι, *& ut lugeret.* Santes, *& ad lugendum eam.* Ebraice וְלִבְכֹּתָהּ cum Chaph minusculo: qua scriptura significari putant ipsum parum admodum flevisse. An recte, viderint. Abenezra explicat לבכות עליה ut fleret de ea. Ita Cicero dixit, *flere de morte alicujus.* Alibi legimus ויבך את אביו, *flevit patrem suum*, vel potius *deflevit.* Nam id sæpius casum adjunctum habet. Ut hic Hier. *& fleret eam*, ita Ovidius dixit, *funera alicujus flere.* Sic dicimus *plangere aliquem*, & *funera alicujus.*

3. *Et surrexit Abraham a facie mortui sui, & locutus est ad filios Heth, dicendo.*

Surrexit] proprie. Nam sedendo plangebat. Quod docent verba Jonathæ quæ supra produximus. ¶ *A facie mortui sui*] מעל פני מתו. Lxx. ἀπὸ τοῦ νεκροῦ αὐτοῦ, a mortuo suo. Hier. *ab officio funeris.* Dicit autem *mortui sui*, subintelligendo גוף i. corpus aut cadaver. Quod utrique sexui commune. ¶ *Locutus est ad filios Heth*] Lxx. καὶ εἶπεν τοῖς υἱοῖς τοῦ Χέτ. וידבר אל בני חת. Onkelos & Jonathan, *locutus est cum filiis Hetthai* i. חִתָּאָה. Fagius habet, *cum filiis Heth.* Fuit autem Heth unus ex filiis Chanaan, cujus posteri dicti sunt *filii Heth*: unde & חִתִּים Hetthæi, ex septem gentibus terræ promissæ, ut Mercerus observat. Camius tamen hoc negare videtur. Vide, si vacas, quæ scripsit Jud. 1. 26. Ut hic pro Heth Chaldæi habent חִתָּאָה Hetthæi: ita Gen. 10. 15. חֵת Hier. exponit Hetthæum, & Lxx. τὸν Χετταῖον. Gen. 15. 20. inter populos Abrahæ datos recensetur החתי i. Hetthæus. ¶ *Dicendo*] in hunc modum.

4. *Advena sum & inquilinus ego vobiscum, date mihi possessionem sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum a facie mea.*

Advena] vel *peregrinus.* Cicero utrumque copulavit, *Hinc Roma qui veneramus, non jam hospites sed peregrini atque advenæ nominabamur.* Talis Græce προσήλυτος καὶ παρεπίδημος dicitur: Ebraice autem גר & Chaldaice דייר. Abenezra גר qui pernoctat in aliquo loco. Lxx. πάροικος, ut si dicas accola, qui habitatum vel potius commoratum aliquo venit. Nam παροικεῖν commorari, cum habitare proprie κατοικεῖν dicatur. ¶ *Inquilinus*] vel, *incola.* Ebraice תושב παρὰ τὸ ישב quod in alieno solo habitet. Pomponius, *Incola est qui in aliqua regione domicilium suum contulit, quem Græci πάροικον appellant.* Chaldaice תותב Sin in Thau versa. Sic dialectus Chaldaica יתב dicit pro ישב habito. Hieronymus, *peregrinus.* Lxx. παρεπίδημος i. גר. Id minus aliquid significat. Sed interpretibus illis גר est πάροικος & תושב παρεπίδημος i. advena. Aut potius πάροικος est advena, peregrinus, & παρεπίδημος, incola, inquilinus. Sic forte Judæi Hellenistæ has voces olim usurparunt. Nam a profanis autoribus in multis dissentiunt. Alibi simul leguntur ξένος & πάροικος, ubi ξένος est גר peregrinus & πάροικος incola sive inquilinus, ἔποικος. Psalm 39. 13. תושב. Hier. *peregrinus.* Lxx. παρεπίδημος. Interpreti Romano πάροικος est advena, & παρεπίδημος peregrinus, cum inter peregrinum i. ἀλλότριον & advenam, parum aut nihil discriminis sit. ¶ *Vobiscum*] apud vos, Hier. & alii: non male. Sic alibi *cum facie tua*, exponitur *apud te.* Fere exciderat. גר dicitur & qui pernoctat in aliquo loco, nec ibi domicilium habet, & qui habitat ut advena. Hunc appellant גר תושב nisi potius sit ἀσύνδετον, pro גר ותושב. Dicunt etiam גָּר וְנָר eodem sensu. ¶ *Possessionem sepulchri*] אחזת קבר. Lxx. κτῆσιν τάφου possessionem sepulchri. Hier. *jus sepulchri.* Sensum non minus docte quam eleganter expressit Abenezra, כמו נחלה *quasi possessionem, aut locum quem emptum pecunia teneam sive possideam ut sepeliam ibi mortuum meum.* ¶ *Vobiscum*] apud vos, ut supra. ¶ *Mortuum meum*] מֵתִי. Hic rursum מֵת dixit de fœmina, ut Græci τὸν νεκρὸν & Hier. *mortuum.*

5. *Et responderunt filii Heth Abrahamo dicendo ei.*

6. *Audi nos, Domine mi, princeps Dei tu es in medio nostrum, in lectissimo sepulchrorum nostrorum sepeli mortuum tuum, nemo ex nobis sepulchrum suum prohibebit a te ne sepelias mortuum tuum.*

Domine mi] אֲדֹנִי. Sic Gallice dicimus, *Monsieur*, aut *Monseigneur.* Lxx. κύριε, & Hier. *Domine.* Videtur legisse אֲדֹנָי, quod communiter de Deo usurpatur. Onkelos & Jonathan, רבונא Domine noster. i. אדונינו. Abenezra, *Dicit Domine mi, & non Domine noster*, inquit, לשון הדברר *quia unus tantum loquebatur.* ¶ *Princeps Dei*] נשיא אלהים. Hier. *Princeps Dei.* Lxx. βασιλεὺς παρὰ Θεοῦ; Rex a Deo. Gen. 34. נשיא הארץ. Lxx. ἄρχων τῆς γῆς, quem Josephus regem nuncupat Ant. Hist. lib. 1. cap. ultimo. Hier. in Quæst. ad hunc locum, *Pro rege principem habet in Ebræo sive ducem.* נשיא *quippe, non rex sed dux dicitur.* Sciendum tamen barbaros suos duces reges appellare. Quod præter alios Procopius annotavit. Onkelos & Jonathan hic habent רב קדם יי quod Fagius interpretatur, *magnus coram Deo*: ego, *princeps coram Deo.* Nam רב etiam principem denotat. Sic רבא דארעא princeps terræ. Item dicunt, *Sit timor principis tui sicut timor Dei*, ubi in Ebræo רבך. ¶ *In medio nostrum*] בתוכנו. Lxx. ἐν ἡμῖν inter nos. Hiero. *apud nos.* Onkelos & Jonathan ביננא inter nos. ¶ *In lectissimo sepulchrorum nostrorum*] במבחר קברינו in delectu sepulchrorum nostrorum. Hiero. *in electis sepulchris nostris.* בקבתי הנבחרים. Sic etiam Lxx. ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς μνημείοις ἡμῶν in electis monumentis nostris. Onkelos & Jonathan בשפר קברנא in pulcherrimo sepulchrorum nostrorum. Fagius elegit, *in meliori sepulchrorum nostrorum.* Tremel. *in selecto sepulchrorum nostrorum.* Potest etiam sensus esse, In eo quod tu ex sepulchris nostris elegeris. ¶ *Ex nobis*] מִמֶּנּוּ ex nobis i. nostrum. Mercerus annotat in exemplari Reginæ manuscripto esse מִמֶּנּוּ cum daghes in Nun. Sed Orientales Raphe scribunt, ut monet Abenezra: cum quibus concordant hic exemplaria impressa omnia, quæ consului. ¶ *Prohibebit*] יִכְלֶה. Lxx. κωλύσει. Hiero. *prohibere poterit.* Onkelos & Jonathan יִמְנַע prohibebit. Sic etiam Abenezra explicat. Esset autem יכלא. Sed Aleph in He versum propter affinitatem. Sane litteræ illæ communem familiam habent & de facili permutantur. Quod noto, quia יכלה per He aliud significat.

7. *Tunc surrexit Abraham & adoravit populum terræ filios Heth.*

Surrexit] e loco in quo sederat. ¶ *Adoravit*] honor iste civilis erat similis in eo divino, quem adorationis vocabulo Latini significant, quod qui eum exhiberet se toto corpore prosterneret in terram, perinde ac ii facere soliti sunt, qui Deum adorant, proni in faciem procumbentes & procidentes. Eum Chaldæi significant verbo סגיד, Græci dicunt προσκυνεῖν, & Hiero. *adoravit.* Ebraice est וַיִּשְׁתַּחוּ meo judicio, positum pro

וישתחוה

עפרון quod plene scribitur עפרון nam o & ou alternant. Sic עוץ Aus, רעו Ragau. ¶ *Populum terræ*] ita vocant promiscuam plebem & vulgus. Forte status Hetthæorum popularis erat. Democratiam Græci vocant. Aut *adoravit populum terræ sive regionis illius*. Licet etiam vertere, *procubuit coram populo terræ*. Ut hic Abraham adorat populum terræ, sic Moses adoralle legitur socerum suum. Paulo post in Hieronymo, *Et adoravit Abraham coram populo terræ*.

8. *Locutusque est cum eis dicendo, Si est voluntas vestra ut sepeliam mortuum meum à facie mea, audite me, & intercedite pro me apud Ephronem filium Sohar.*

9. *Ut det mihi speluncam duplicem suam, quam habet in extremo agri sui, argento pleno det eam mihi in medio vestri, in possessionem sepulchri.*

Si est voluntas vestra] אם יש את נפשכם *si est cum anima vestra* i. ברצונכם cum voluntate vestra, ut recte R. Salomo explicat. Nos sensum expressimus. Lxx. εἰ ἔχετε τῇ ψυχῇ ὑμῶν. Interpres Romanus, *si habetis in anima vestra*. Hiero. *si placet animæ vestræ*. i. vobis. Onkelos אם איח רעוא בנפשכון *si est voluntas in anima vestra*. Fagius explicat, *si vobis cordi est*. Jonathan אין איח רעו עם נפשכון *Si est voluntas cum anima vestra*. Gallica editio ultima, *si placet vobis*. Tremellius, *Si est in animo vobis*. Valde probo. ¶ *Intercedite pro me*] interpretamentum hoc debemus Hieronymo, qui olim ita exposuit hunc locum, quem Santes & alii sequuntur. Ebraice פגעו לי, quod Arias convertit, *orate mihi*. Onkelos בעו לי *rogate pro me*. Jonathan, בעו עלי idem. Lxx. λαλήσατε περὶ ἐμοῦ: loquimini de me. ¶ *Apud Ephronem*] Sic idem, quem modo nominavi, Hieronymus. In Ebræo est בעפרון *in Ephron*. Id Lxx. reddunt Ἐφρὼν τῷ υἱῷ. *Ephroni*. Onkelos, מן עפרון *ab Ephrone*. Jonathan, קדם עפרון *coram Ephrone*. Arias, *erga Ephron*. Ceteri, *apud*. Gallica, *envers Ephron*. ¶ *Sohar*] vel Sochar, ut Rahab dicimus & Rachab. Nam in fonte צחר. Lxx. Σααρ. An legerunt צוער? Hiero. *Seor*. Emenda Sehor, vel Sohor. Nam Seor. i. צער aliud est. ¶ *Speluncam duplicem*] מערת המכפלה Lxx. τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν. Hiero. *speluncam duplicem*. מכפלה duplicitas. ¶ *Speluncam duplicitatis* i. duplex. Ebraismus notus. Sed cur duplex? An quia una in alia erat? Scire licet esse qui מכפלה accipiant pro nomine proprio. Cui firmando est quod habetur vers. 17. *ager Ephronis qui erat in Machaphela* sive *Machphela*, hoc est, in loco ita dicto. Prope est ut credam ab Onkelo & Jonatha hunc locum dici Chapheltha. Sed nihil statuo. ¶ *Suam*] אשר לו quæ ipsius est, ὅ ἐστιν αὐτῷ. i. suam. ¶ *Quam habet in extremo agri sui*] אשר בקצה שדהו quæ in extremo agri ejus i. in extrema parte. Docte Hiero. *quam habet in extrema parte agri sui*. Minus bene Lxx. τὸ ὂν ἐν μέρει τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ, quæ erat in parte agri ejus. On. *quæ in latere agri ejus*. Jonathan, *quæ extructa erat in latere agri ipsius*. ¶ *Argento pleno*] בכסף מלא. Lxx. ἀργυρίου τοῦ ἀξίου, argento digno. q. d. justo pretio. Hiero. *pecunia digna*. Argentum plenum, cui nihil deest. Chaldaice כסף שלים argentum integrum. Ejus contrarium כסף חסר argentum deficiens. Trem. *justa pecunia*. Galli, *pour le prix qu'elle vaut*, i. quanti valet. Vide 1 Paralip. 21, 22. & 24. Nota sodes argentum pro quavis pecunia ut ἀργύριον Matth. 25. 27. Hiero. Cohel. 5. *Ubicunque argentum ponimus, secundum Græci sermonis ambiguitatem potest & pecunia transferri, ἀργύριον quippe utrumque significat*. Idem dici potest de כסף, quod pecuniam significat cum alibi, tum Amos 2. 6. & Mich. 3. 11. Appellatio à כסף expetivit, desideravit. Nam omnes expetunt desiderantque summopere pecuniam: quæ teste Hesiodo, anima est miseris mortalibus, ψυχὴ δειλοῖσι βροτοῖσι.

10. *Ephron autem sedebat in medio filiorum Heth, & respondit Ephron Hetthæus Abrahamo in auribus filiorum Heth, omnium, qui ingrediebantur portam urbis ipsius, dicendo.*

Sedebat in medio filiorum Heth] quum hæc Abraham diceret, præsens erat sedens inter filios Heth. Hoc Græci dixerunt ἐκάθητο. Hieronymus maluit, *habitabat*. Utrumque enim verbum Ebræum significat. Chaldaica interpretatio æque ambigua est. Nos *sedebat* prætulimus, sententia eam interpretationem mirifice adjuvante. Quidam, *sedebat pro tribunali ut judex*. Sic accipitur in illo, Qui sedet in cœlo. ¶ *In auribus filiorum Heth*] audientibus filiis Heth, quod Græce est, ἀκουόντων τῶν υἱῶν χέτ. Onkelos, *coram filiis Hetthæi*. Jonathan, *in facie filiorum Hetthæi* i. in præsentia. Hiero. *cunctis audientibus qui &c.* ¶ *Omnium*] vel, *apud omnes*. Ebraice לכל. Mercerus annotat ל esse exponentis, *videlicet omnium*. Quod Galli secuti sunt *oyans les Hetthiens, assavoir tous ceux*. Tremellius, *coram omnibus*. Santes, *omnibus*, quod referri debet ad verbum *respondit*. Sed tum potius dixisset, meo judicio לכל, ut ante dixerat לעם הארץ Abrahamo. Deinde sententia longe alia est in verbis Ebraicis. ¶ *Portam urbis ipsius*] aut cives notat qui per portam urbis intrant & exeunt: aut portæ appellatione significat locum judiciorum, quæ olim in portis fiebant. Utrum eligas, parum interest. ¶ *Urbis ipsius*] unde oriundus erat, aut in qua habitabat. Urbs alicujus tribus modis dicitur, nativitate, habitatione, conversatione. Primo modo Bethlehem appellatur civitas David & patria Christi: secundo modo Sion dicitur urbs Davidis & Nazareth Christi: tertio Capharnaum vocatur civitas Jesu, quod in ea sæpius versaretur. Sunt qui hic referant *urbis suæ*, ut sit reciprocum. Hiero. *civitatis illius*. Lxx. εἰς τὴν πόλιν, omisso pronomine & portæ vocabulo. Nempe quia ingredi portam urbis & ingredi urbem, aliquo sensu, synonyma sunt.

11. *Non Domine mi, audi me, agrum do tibi & speluncam quæ in eo tibi do, in oculis filiorum populi mei do illam tibi, sepeli mortuum tuum.*

Non Domine mi] Hiero. *nequaquam ita fiet Domine mi*. Q. d. non accipies cum pretio, sed dono a me tibi dabitur. Lxx. παρ' ἐμοὶ γενοῦ, κύριε: apud me esto, Domine. Quid viderunt cum ita verterent? Miror etiam interpretamentum Jonathæ, בבעו רבוני *obsecro domine*, quod Ebraice diceretur בי אדני. ¶ *Agrum do tibi &c.*] Plus offert, quam Abraham petierat. Nec dubitandum quin optima fide cum eo egerit. נתתי לך ad verbum; *dedi tibi*. Sic eleganter tempus cum tempore permutant: nam sententia poscit *do tibi*: quod Lxx. dixerunt δίδωμί σοι. Hiero. *trado tibi*. Jonathan, *agrum dedi tibi, & speluncam quæ in eo tibi dedi dono*. i. למתנא. ¶ *In oculis filiorum populi mei*] præsentibus filiis populi mei. i. popularibus meis. לעיני verti potest *coram*, ut idem efficiat cum לפני. Sane Græca editio habet, ἐναντίον πάντων τῶν πολιτῶν μου. Jonathan, *in facie filiorum populi mei*.

12. *Et adoravit Abraham coram populo terræ.*

13. *Et locutus est ad Ephron in auribus populi terræ dicendo, Imo vero si tu, utinam, audi me, dabo argentum agri, cape a me, & sepeliam mortuum meum illic.*

In auribus populi terræ] audiente populo terræ. i. vulgo aut plebe. Lxx. εἰς τὰ ὦτα ἐναντίον τοῦ λαοῦ τῆς γῆς: puto hic duas interpretationes coaluisse. Una est εἰς τὰ ὦτα, in aures: altera est ἐναντίον, coram i. לפני quod Jonathan reddit באנפי. Sic etiam interpretatur באדני in aures. ¶ *Imo vero si tu, utinam, audi me*] conversa oratio. Nam multa desunt. Tu supple, Imo vero, si tu is es, qui mihi dare velis agrum &c. utinam ita esset, vel, si ita est, audi me. לו & *utinam* & *si*: unde אלו si geminatis particulis duabus ἐνδιαφόρως. Hæc interpretatio animo meo non per omnia satisfacit. Adferam ergo alias, quæ tot fere sunt, quot sunt interpretes. Onkelos, ברם אם את עביד לי טיבו קביל מני. Fagius interpres, *utique si tu bene agis mecum, acquiesce mihi*. Malim, *verum si tu afficis me beneficio, percipe a me*. quasi dicat, si me afficere vis beneficio, audi me. Hoc Jonathan extulit אכי לוי לטבו. Lxx. ἐπειδὴ πρὸς ἐμοῦ εἶ, ἄκουσόν μου. Interpres Romanus, *quoniam quidem a me es, audi me*. Hiero. *quæso ut audias me*. Santes, *verum si tu, utinam audias me*. שמעני לו. Trem. *Sed si tu is es, quæso audi me*. Gallica, *Sed si tibi placet, quæso audi me*. alias, *sed si tu es, obsecro audi me*. Si recte, לו significabit *etiam, quæso, obsecro*. Cui firmando est Jonathan, qui supra לו quod legit exponit בבעו. Abenezra, *si tu feceris sic, utinam audias me*: vel, *utinam dem tibi argentum*. Salomo Trecensis, *Tu vis ut audiam te & ut accipiam agrum gratis: sed non placet mihi hoc: si tu, utinam audias me*. ¶ *Dabo*] נתתי dedi i. dabo. ita Hieronymus. Possumus vertere per præsens, *do*. ¶ *Argentum agri*] quantum valet ager. Locum hunc ita distingues, *dabo argentum agri*: vel potius, *argentum agri cape a me*. Hiero. *dabo pecuniam pro agro: suscipe eam*. Lxx. τὸ ἀργύριον τοῦ ἀγροῦ λάβε παρ' ἐμοῦ.

14. *Respondit que Ephron Abrahamo, dicendo ei.*

15. *Domine mi, audi me, terra quadringentorum siclorum argenti inter me & te quid est? & mortuum tuum sepeli.*

Terra quadringentorum siclorum argenti] Sub. *est*. i. valet tantum, aut æstimatur tanti. Lxx. γῆ τετρακοσίων διδράχμων ἀργυρίου, *terra 400 didrachmorum est*. Onkelos, *terra æstimatur 400. siclis argenteis*. שוה æstimatur aut valet. Jonathan, *pretium terræ 400. siclorum argenti*. Hiero. *terra quam postulas 400. siclos argenti valet*. ¶ 400. *Siclorum argenti*] i. argenteorum. Nam etiam aurei erant. Efficiunt autem hi 400. sicli circiter ducentas quinquaginta libras Gallicas. Budæus, „Scuta coronata centum sexaginta. Robertus Senalis, „Libras Turonenses octoginta. Nicolaus, „Sciendum vero „duplicem siclum esse, vulgarem sive communem, & sacrum,

 qui

„ qui duplo major erat communi. Juxta hunc pendebant 400. „ sicli argentei circiter centum viginti quinque libras Gallicas. Mercerus, „ Siclus communis juxta Josephum pendebat 4. „ drachmas Atticas, quæ faciunt circiter dimidium aureum. „ Erunt ergo 400. sicli communes circiter centum aurei nostri. „ Sed non tam alto pretio quam hodie. Imo ducenti aurei, si siclus pendebat dimidium aureum. ¶ *Quid est?*] q. d. tanti non est ut propterea non sepelias ibi mortuum tuum. ¶ *Et sepeli mortuum tuum*] tu modo sepeli mortuum tuum in agro meo, cujus tibi copiam facio; de pretio nihil admodum solicitus. Hieron. *istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc, sepeli mortuum tuum.*

6. *Audiitque Abraham Ephronem & appendit Abraham Ephroni argentum de quo locutus fuerat in auribus filiorum Heth, quadringentos siclos argenti transeuntis ad mercatores.*

Audiit Ephronem] acquievit & assensit ei, nempe de pretio agri, quod statuerat. *Appendit*] Nam pecunia olim appendebatur, non numerabatur, unde æs grave apud Latinos, & legimus Gen. 43. 20. *pecuniam nostram in pondere suo.* Unde & שֶׁקֶל dictus quem nos siclum appellamus. Nam שָׁקַל pondero, appendo. Quod verbum usurpant sacra scripta cum alibi, tum Zach. 11. 12. Exod. 22. 17. Ezræ. 8. 25. Ester. 3. 9. & 4. 7. ¶ *Ephroni*] לְעֶפְרֹן absque vau scriptum, quod tamen legunt per Holem Ephron. Alter olim Hieron. qui legit *Ephran* i. עֶפְרָן & rationem adfert ejus lectionis parum solidam. Verba sunt, „ Et audivit Abraham Ephron, & appendit „ Abraham Ephran argentum, quod locutus est in auribus filio„rum Heth. In Ebræo sicut hic posuimus primum nomen ejus „ scribitur Ephron, secundum Ephran. Post quam enim pretio „ victus est ut sepulchrum venderet argento, licet cogente Abra„ham, vau littera, quæ apud Ebræos pro o legitur, ablata de „ ejus nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran, signi„ficante scriptura, non eum fuisse consummatæ perfectæque vir„tutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant „ igitur qui sepulchra venditant & non coguntur ut accipiant pre„tium, sed à nolentibus quoque extorquent, immutari no„men suum, & perire quid de merito eorum, cum etiam ille re„prehendatur occulte, qui invitus acceperit. Quid? nonne versu qui sequitur עֶפְרוֹן cum vau? Sciendum igitur quater legi absque Vau. In ceteris locis Vau adscriptum est. Cujus rei hæc ratio est, quod Holem non semper legatur cum Vau. Nam Vau aliquando, imo sæpe deficit. Id חָסֵר appellant. ¶ *Argentum de quo locutus fuerat*] pecuniam quam pretio agri addixerat. Minus recte Hiero. *pecuniam quam postulaverat.* Nam gratis obtulit, si accipere voluisset. Non ergo postulavit pecuniam, licet pretium agri dixerit. ¶ *In auribus filiorum Heth*] Vel, *in aures*, quod Græce legitur εἰς τὰ ὦτα. Onkelos, *coram filiis Hetthæi.* Jonathan, *in facie filiorum Hetthæi.* ¶ 400. *siclos*] שֶׁקֶל Sym. interpretatur στατῆρας. 1 Sam. 13. etiam Aquila Josua 7. 21. Unde 1 Sam. 9. 8. רבע שקל כסף Hiero. *quarta pars stateris argentei.* alias *argenti.* Josephus Orig. Juda. lib. 3. cap. 10. Σίκλος νόμισμα ἑβραίων δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Lxx. tamen hic habent τετρακόσια δίδραχμα. Utrumque verum esse potest. Nam siclus qui sacer appellatur, duplo major erat altero, hoc est vulgari & communi. Forte igitur ille τετράδραχμος erat, & hic δίδραχμος, hoc est duarum drachmarum. Sunt qui denarium esse dicant quartam partem sicli, idem videlicet quod זוז. Iidem per siclum intelligunt, siclum legis qui proprie סלע vocatur, cum siclus magistrorum sit dimidium prioris i. חצי סלע qui continet tantum denarios duos, quemadmodum expositum est in Baba Mesia, in Res Gemara. Siclus, teste Hieronymo, unciæ pondus habet, ut בקע semunciæ. Theodoretus in priorem Samuelis, σίκλος ἐπὶ σταθμοῦ λαμβανόμενος ἡμιούγκιον ἕλκει, ἐπὶ δὲ ἀργυρίου εἴκοσι ὀβολούς. Elias autem in Thesbite sententiam recenset magistrorum, qui siclos in lege סלעים esse, in prophetis ליטרין libras, in Hagiographis vero קנטרין quæ sunt magna pondera. Centenarios appellat Mercerus, qui etiam addit hoc modo sumendos esse in lege solos Ephronis siclos, eo quod maximi ponderis essent, ut testantur consequa verba. ¶ *Siclos argenti transeuntis ad mercatores*] vel, *siclos argenteos transeuntes ad mercatores.* Verba enim Ebræa ad utramque interpretationem ambigua sunt. Unde varietas apud interpretes. Onkelos, *siclos argenti recepti in mercatura per omnes provincias.* Quanquam in versione Fagii, 400 *siclos argenteos, qui recipiuntur pro mercimoniis in qualibet provincia.* Verba Chaldæa sunt ארבע מאה סלעין דכסף מתקבל בכל פרגמטיא סחורה. In editione Veneta altera repperi ...מתקבל סחורה. Jonathan, *quadringentos siclos argenti boni transeuntes in omni mensa & receptos in omni mercatura.* Autor Jerosolymitanæ, *quadringentos siclos argenti transeuntes per omnem mensam, & receptos in omni mercatura.* Siquidem פרקמטיא mercatura. i. πραγματεία, idem videlicet quod סחורה: unde עמל בפרקמטיא mercaturam exercet, & בעל פרקמטיא mercator. Moschopulus περὶ σχεδῶν, ἔμπορος δηλοῖ τὸν πραγματευτήν. Lexicon vetus, πραγματεία, negociatio, nundinatio. πραγματευτής, negotiator, πραγματεύομαι, negotior. Interdum ipsæ merces hoc nomine significantur, ut Gen. 49. in Salomone Trecensi, portus in quem naves advehunt πραγματείας. i. merces. Lxx. τετρακόσια δίδραχμα ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις, *quadringenta didrachma argenti probati mercatoribus.* Hieronymus, *quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Santes, 400 *siclos argenti transeuntis per mercatores.* Tremellius, *commeantis ad quemlibet mercatorem.* Gallica, *ayant cours entre les marchans.* ¶ *Ad mercatores*] לַסֹּחֵר ad mercatorem. i. mercatores. Singularis pro plurali. Sic in Latio, miles pro militibus, & Romanus pro Romanis.

17. *Ita confirmatus est ager Ephronis qui in Machphela qua erat ante Mamre, ager & spelunca qua in eo & omnes arbores qua in agro, quaque in toto limite circum.*

18. *Abrahamo in possessionem ob oculos filiorum Heth, apud omnes ingredientes portam civitatis illius.*

Ita confirmatus est] וַיָּקָם & stetit. i. confirmatus fuit & cessit pleno jure. Lxx. καὶ ἔστη & stetit, quod infra ἐκυρώθη exponitur. Ceterum in nonnullis codicibus perperam ἔστιν legitur, qui emendandi sunt ex aliis melioribus. Hiero. *confirmatus est.* Jonathan, *ita stetit emptio agri Ephronis.* i. rata fuit. Sic accipies, *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* i. ratum erit ac firmum. Onkelos, *ita stetit ager Ephronis.* Gallica editio quæ penes me, *fut arresté.* Tremellius, *itacessit ager.* Abenezra ויקם נתקיים. *Confirmatus fuit & stetit.* ¶ *Qui in Machphela*] qui in loco ita dicto, unde & spelunca, quæ in illo loco nomen accepit. Dicitur enim certe spelunca Machphela. i. duplicitatis quod post interpretem nostrum transtulimus, in speluncam duplicem. Porro hinc apparet nomen loci esse, quem Onkelos & Jonathan Capheltha nuncupant. Hieronymus hic vertit, *in quo erat spelunca duplex:* אשר בו מערת מכפלה. Lxx. ὃς ἦν ἐν τῷ διπλῷ σπηλαίῳ: qui erat in spelunca duplici. אשר במערת המכפלה. Mercerus, „ qui erat in duplicitate. Loci ip„sius nomen est, à spelunca duplici, totus ager duplicatio seu „ duplicitas dicebatur, non quod ager in spelunca duplici esset, „ quin potius spelunca duplex, ut dictum est, in agro ipso. Prius verius mihi videtur. Idem visum fuit ante me Tremellio & Gallicis interpretibus nuperis, qui è Sabaudia. ¶ *Quæ erat ante Mamre*] vel, *qui erat in conspectu Mamre*, ut ad agrum referatur. Lxx. ὅς ἐστι κατὰ πρόσωπον Μαμβρῆ. Hiero. *respiciens Mambre.* Onkelos & Jonathan די קדם ממרא. Santes, *qui est coram Mamre.* Trem. *qua est è regione Mamre.* Gallica, *au devant de Mamre.* ¶ *Mamre*] i. Hebronis. Eusebius de locis, *Mamre, hac est Chebron, juxta quam sepultus est Abraham cum Isahac & Iacob.* Albinus in Genesin, pag. 461. *Mamre dicta Hebron à quodam amicorum Abrahæ.* Rursum Eusebius, *Mamre autem & unus vocabatur amicorum Abraham.* Infra vers. 19. *Mamre hac est Hebron in terra Chanaan.* Græci & Latini scribunt Μαμβρῆ Mambre, inserta littera b, quod & in aliis nominibus fecerunt, ut sunt Nembrod & Jambres. ¶ *Quaque in toto limite circum*] vel, *& quod in universo termino per circuitum*, ne quis pronomen *qua* ad solas arbores restringat. סָבִיב autem Onkelos reddit סחור סחור. Ionathan חזור חזור. Lxx. κύκλῳ. Hieron. *per circuitum.* Alius, *circumquaque.* *Limes circum.* i. circumfinitimus aut circumvicinus. Locutio est ut *hostes circa.* Quo genere sermonis & Livium usum perhibent. Adhibe libellos meos. ¶ *In possessionem*] לְמִקְנָה. Lxx. εἰς κτῆσιν. Hiero. *in possessionem.* Onkelos, לזביני. Ionathan, לזבינוי *in emptionem ejus.* Interpres Fagius, *in possessionem.* Vox Chaldaica magis significat emptionem, quæ in ea lingua זביני & זבינותא dicitur. Radix autem זבן vendidit. Idem קנה Ebraice. Ergo לזבינוי in emptionem ejus. ¶ *Ob oculos filiorum Heth*] i. videntibus filiis Heth. ita Hiero. Prius erat in Lxx. ἐναντίον τῶν υἱῶν Χέτ coram filiis Heth. Sententia in idem recidit. Trem. *præsentibus filiis Heth.* ¶ *Filiorum Heth*] civium. ¶ *Apud omnes*] בכל inter omnes. ¶ *Ingredientes urbem*] exteros sive peregrinos, qui tum erant in urbe illius. Abenezra, *filii Heth, Viri loci ejus. Ingredientes urbem, qui transibant & redibant.* ¶ *Civitatis illius*] Ephronis.

19. *Postea sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri Machphela in conspectu Mamre. (ipsa est Hebron) in terra Chanaan.*

20. *Et confirmatus fuit ager & spelunca qua in eo, Abrahamo in possessionem sepulchri, à filiis Heth.*

In spelunca agri Machphela] Lxx. ἐν τῷ σπηλαίῳ τοῦ ἀγροῦ τῷ διπλῷ. Hiero. *in spelunca agri duplici.* Aliter, *in spelunca agri duplicis.* Hæc posterior lectio melius quadrat cum api-

tibus qui nunc in Ebræo. Nam ut nomen spelunca regit agrum, ita nomen agri i. שדה regit sequentem. i. Machphela, quam Hiero. in duplicem transtulit. Nihil tamen immutare ausim in recepta scriptura, cum ei firmandæ sint Græca. Onkelos & Ionathan, *in spelunca agri Caphelitha*. Fagius, *in speluncam agri duplicem*. ¶ *In conspectu Mamre*] על פני ממרא ante faciem Mamre. Lxx. ὅ ἐστι ἀπέναντι μαμβρῆ. Hiero. *qua respiciebat Mamre*. Sunt qui Mamre quatuor nomina habuisse putant, Hebron, Cariath-arbe, Mamre, & Eschol. ¶ *Et confirmatus fuit*] καὶ ἐκυρώθη Lxx. Onkelos & Ionathan, *&* *stetit ager*. i. cessit. Vide quæ scripsimus ad vers. 17. ¶ *Sepulchri*] τάφου, monumenti.

AMAMA.

9. **V***Ixit Sara* 127. *annis*. Ubi verba illa quæ in Ebræo sequuntur & à Chaldæo expressa sunt, *isti fuerunt anni vitæ Saræ*, prætermissa sunt. Quæ si otium agerent, Spiritus Sanctus amanuensi suo Mosi ea non dictasset. Egregie Basil. ad Amphilochium, *Nihil est quod non sit magni momenti in Scripturis, utcunque nobis parum aut nihil esse videatur*.

3. Ebr. *Et surrexit Abraham* מעל פני מתו *de super faciebus mortui &c.* Vulg. *Cumque surrexit Abraham ab officio funeris sui*.] A faciebus mortui sui, Ebraismus, pro, *à mortuo suo*. Locutio, ut, *à facie gladii*, i. à gladio. Ideo Græci ἀπὸ τοῦ νεκροῦ. Usus autem est Moses voce Masc. מתו mortui sui, respiciens ad corpus quod Ebræi voce Masc. גף vocant. Aben. רמז לגוף *innuit corpus*. Sed ad rem. Sensus verborum Mosis est, desiit tandem plangere, positoque lacrymis & luctui modo de sepultura subiit cogitatio. Et quia planctus officium quoddam pietatis censetur, tolerari posset vox *officii* hic nescio unde interpolata, nisi ex Pontificiis non gregarius aliquis aut suppedaneus, sed qui Romanæ Sedis Atlas audit, isque non imperitus harum literarum Card. (*a*) Bellarminus ex hac versione conaretur probare, in Genesi implicite saltem Purgatorii mentionem injici, illudque per consequens primis mundi seculis fuisse cognitum. *Quid prohibet*, inquit, *per illud officium intelligere non solum lachrymas sed etiam Orationes & jejunia* pro defunctæ sc. anima? Egregia certe interrogatio! Quia scilicet ab aliquot seculis inter Christianos celebrari cœperunt mortuorum officia, disputat ex voce *officium*, cujus nec vola nec vestigium in sacris fontibus extat. Textus itaque originalis prohibet hic officia illa intelligere. Sed talis decebat ignem purgatorium follis, tale patellam operculum.

(*a*) *De Purgat. lib.* 1. 15.

GROTIUS.

2. **I***N civitate Arbe*] Hebraice קרית ארבע. Vox prior quam Syri קרתא [*Cartha*] enuntiant, urbem significat, unde Tigranocerta urbs Tigranis, Τιγρανόπολις, ut Quadratus explicat apud Stephanum. Carathiocerta, Vologesocerta apud Plinium, Arcesicerta apud Stephanum, Cartachadta urbs nova, unde corrupte Καρχηδὼν & Carthago, Cariara in Hetruscis, & in Arabia Carthara urbs Lunæ, pro Carthiara, Carteja Pœnorum colonia in Hispania, urbs insularis, Cartennæ in Mauritania urbs fontis, Carcome pro Carthcome ibidem urbs alta, Carepula pro Carthpula urbs obscura ibidem. In hac ergo voce medium ' additum est ab Hebræis, aut omissum à Syris, quomodo עליון Dei nomen עלין Alon fuit Pœnis, teste Sisenna & Plauto. Et sine ' invenitur Iobi XXIX. 7.

12. *Adoravit Abraham coram populo terræ*] Honoris signum eis exhibuit, quale apud Græcos erat manum admovere ori, προσκυνεῖν Græcis, adorare Latinis. Hebræis autem multi gradus: flectere caput, quod est קדד, flectere tibiam, flectere corpus totum, in genua se ponere, quod est ברך, prosternere se humi. Hic in Hebræo est שחה, in Hithpael, à quo significatur flexio corporis, honor nec familiaris nimium, nec plane submissus. Vide infra XXXIII. 3. Erat enim Abraham nulli subditus ac sui juris, supra XIV. & hic commate 6. Ideo βασιλεῦσαι [*regnasse*] dicitur Nicolao Damasceno, rex vocatur Iustino lib. XXXVI. unctus Dei Psal. CV. 15. Nota autem regna antiquissima ejusmodi fuisse, ut populo aliquod jus maneret, ut notat Aristoteles Politic. III. 14. Apparet idem in Alcinoo apud Homerum Odyss. Θ'. Euripides de Plisthene:

Δήμῳ δ' ἐμὴ πᾶν ἀναφέρειν κράτος,
Μή τ' αὖ κακίζειν.
[*Nec tota vulgo fræna permitte imperi,*
Nec habeto durè.]

18. *Videntibus filiis Heth*] Hæc est in jure cessio.

19. *In spelunca agri duplici*] Vide Benjaminem Tudelensem.

CARTWRIGHTUS.

2. **I***N Kiriath Arba* בְּקִרְיַת אַרְבַּע.] h. e. *si interpreteris, in urbe quatuor*, si ארבע appellative sumatur, vel, *in urbe Arba, viri sic dicti*. R. Salom. ait, *urbem sic dictam ob quatuor Anakim, qui in ea fuerunt*, scil. Ahiman, Shishai, & Thalmai, una cum patre ipsorum. Vide Jos. 15. 14. Vel, *ob quatuor conjugum paria ibi sepulta*, nempe Adamum & Evam, Abrahamum & Saram, Isaacum & Rebeccam, Jacobum & Leam. Hoc Lyræ melius dictum videtur; at ego Abenezram potius sequi velim, qui ait, *Arba esse nomen proprium cujusdam, qui inter Anakim præcellebat*. Vide Jos. 15. 13. & 14. 15. Mercerus non immerito asserit istic rationem nominis aperte poni, scil. à domino vel conditore Arba qui illic dicitur, אדם גדול בענקים, i. e. *vir magnus inter Anakim*, & sæpe dicitur, pater Anak. LXX ἐν πόλει Ἀρβὸκ, *in civitate Arboc*. Hieron. in Tradit. ait istud Arboc corruptum esse, & legendum Arbeæ, hoc est, quatuor, quia (inquit) Abraham, & Isaac, & Jacob conditus est, & ipse princeps humani generis Adam, ut in Jesu libro apertius demonstrabitur. Sic ille, respiciens ad Jos. 14. ult. ubi in vulg. sic legitur. Adam maximus inter Enacim ibi situs est. At certe locus iste ad Adam principem humani generis nihil pertinet; Nam Adam ibi est appellativum, & hominem significat, sensusque loci est, *Arbam fuisse hominem magnum inter Anakim*. Nec eo loco (inquit Mercerus) de Adamo primo homine intelligendum, sicut plerique tam veterum, quam recentiorum intellexerunt; multo minus de Abraham, qui non fuit ex Anakim. Itaque ut *Adrianopolis*, & *Constantinopolis*, sic *Kiriath Arba*, quasi *Civitas Arba*. Quod autem de Abrahamo dicit, apparet ex Abenezra nonnullos per Arbam hic intellexisse Abrahamum, quos ea ipsa ratione, qua hic utitur Mercerus, refellit Abenezra.

וְלִבְכֹּתָהּ *Et ad eam deflendum*.] In Hebræo hic litera Caph solito minor est. Masora notat Caph hic, nec alias usquam, parvum esse. Baal Turim ridicule hinc colligit, Abrahamum nonnisi modice deflevisse Saram, eo quod vetula esset. כף קטנה שלא בכה אלא מעט לפי שזקנה היתה.

3. *Et surrexit Abraham* מֵעַל פְּנֵי מֵתוֹ *à conspectu, vel à facie mortui sui*.] רמז לגוף inquit Abenezra, i. e. vox illa מת *corpus* (scil. *exanime*) denotat. LXX. ἀπὸ τοῦ νεκροῦ αὐτοῦ; *à mortuo suo*. Vulg. *ab officio funeris*. Bellarminus de Purgat. lib. 1. cap. 15. orationes & jejunia pro anima Saræ defunctæ putat posse intelligi per illud, cujus hic fit mentio, officium; cum (ut recte notat Amama in Cens.) in textu Hebræo officii nec vola, nec vestigium extet.

6. נְשִׂיא אֱלֹהִים *Princeps Dei*] LXX βασιλεὺς παρὰ Θεοῦ, *rex à Deo*. Chald. רב קדם ײ, i. e. (*a*) *magnus coram Deo*. Vide ad cap. 30. 8.

9. *Speluncam* מַכְפֵּלָה *Machpela*.] LXX. τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν, *speluncam duplicem*. Sic vulg. כפל est *duplicare*. Abenezra putat speluncam sic dictam, quod esset מערה בתוך מערה, i. e. *spelunca inter speluncam*. R. Salom. ait fuisse בית ועליה על גביו, i. e. *domum* (omne autem receptaculum Hebræi domum vocant) *& in summitate ejus cœnaculum*. Vel quod spelunca ita disposita erat, ut duo cadavera ibi sepeliri potuerint; שכפולה בזוגות. Atque hoc Fagio maxime probatur. Ad R. Salomonem procul-dubio respexit Lyra, quem tamen haud scio an recte intellexit. Dicitur (inquit) ista spelunca fuisse *duplex*, quia secundum aliquos ibi erat duplex ædificatio, una inferior, & alia superior; sicut in capella Regis Parisiis. Secundum alios dicitur *duplex*, quia licet esset in eadem æqualitate, tamen in una ponebantur viri, & in alia uxores. Sic ille. At forte cum ex mente R. Salomonis, tum ex ipsa rei veritate, viri & uxores non fuerunt seorsim ac distinctis in locis speluncæ positi, sed singula conjugum paria separatim fuerunt collocata. Mercerus putat speluncam sic dictam, quod esset spelunca intra, vel supra speluncam; aut quod sinuosa fuerit, & multa foramina & sinus habuerit, ubi multa cadavera possent sepeliri. Duplicitatem sonare capacitatem, & sinuositatem putat. Ex versu autem 17. & 19. videtur *Machpela* fuisse nomen loci, ubi spelunca ista sita erat. Id volunt Tremell. & Jun. idemque inde colligit Drusius in difficiliora loca Gen. cap. 50.

11. לֹא אֲדֹנִי *Minime Domine*.] i. e. ut explicat R. Salom. לא תקנה אותה בדמים *Non acquires eam pretio*. LXX. παρ' ἐμοὶ γενοῦ Κύριε, *apud me esto Domine*. Videtur לי *mihi*, pro לא *non*, legisse. Vulg. *Nequaquam ita fiet Domine mi*.

Mm 3 15. עֶפְרוֹן

(*a*) *Et sic Jonathan*.

15. אדני שמעני *Domine mi, audi me.*] Sic vulg. Et similiter Chald. At LXX οὐχί, Κύριε· ἄκουσον μου, *Nequaquam Domine, audivi enim.* Quod ab Hebræo longe discrepat.

16. *Et appendit Abraham* [לעפרן *Ephroni.*] R. Salom. notat hic ו deesse in nomine עפרן, quod alias scribi solet עפרון. Defective hic scribi ait, propterea quod Ephron hic sordide ac turpiter se gesserit; multa quidem pollicitus, sed nihil præstans, quinimo ingentes siclos ab Abrahamo accipiens. Hæc non dignatus essem referre, nisi quod videam Hieronymum in Tradit. hujus commenti Iudaici meminisse, idque (ut videtur) non sine applausu. In Hebræo (inquit) primum nomen ejus scribitur Ephron, secundum Ephran (sic ille legit, iisdem nempe literis, sed aliis punctis.) Postquam enim pretio victus est, ut sepulcrum venderet argento; licet cogente Abraham, Vau litera, quæ apud illos pro o legitur, ablata de ejus nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran; significante Scriptura eum non fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur qui sepulcra venditant, & non coguntur ut accipiant pretium, sed à nolentibus quoque extorquent immutari nomen suum, & perire quid de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte qui invitus acceperit. Hæc Hieronymus, cui adeo observatiunculam istam placuisse merito miratur Mercerus, cum Hebræas voces aliquando plene, aliquando autem defective scribi, satis sit usitatum.

400 *siclos argenti* עבר לסחר *transeuntis mercatori, vel apud mercatorem.*] Chald. דמתקבל בסחורתא בכל מדינתא, i. e. *quod recipitur pro mercimoniis in omni provincia.* R. Salom. refert ad שקל *siclos* (ad verb. *siclum*; singulare pro plurali) & intelligit hic significari *ingentes siclos*, quos vocant קנטרין, i. e. *centenarios*, quales ubivis terrarum recipi possint, cum tamen aliquibus in locis istiusmodi ingentes sicli in usu habeantur. Ego vero non de magnitudine sicli, sed de probitate argenti dictum arbitror. Et sic exponit Abenezra, עובר לסוחר, *quod transit ad mercatorem*, שלא יקח כי אם כסף נבחר, i.e. *qui non accipiet nisi argentum probum.* Jonathan, 400 siclos argenti probi, qui transeunt (עברין) in quavis mensa numularia, & in quavis negotiatione accipiuntur. In eundem etiam modum Hierosolymitanus.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

1. *Subter femur meum*] Jurabant veteres illi manu sub femore atque genitali parte posita, quod inde posteritas esset futura, atque ideo veluti res sacra haberetur; vel, ut R. Salom. sentit, quod illic esset signum fœderis, nempe circumcisio; vel quod hoc indicio dabatur intelligi potestas superioris, & promptus inferioris obsequendi animus, ut Aben Ezra autumat: dicitque hunc modum adhuc observari in terra Indiæ.

5. *Renuet*] Heb. *non volet*, vel *non consentiet.*

10. *Gamelos*] Non dubium est quin nomen *gamelus* ex sacra lingua manarit in alias linguas. Cur igitur non magis per *g* quam per *c* scribitur, ut in sua origine? Et quod sequitur, *Erat omne bonum domini sui in manu sua*] R. S. putat id intelligendum de tota possessione Abraham, quæ in scheda erat signata, atque Isaac veluti certo hæredi assignata. Alii de multiplici munere id intelligendum putant. ¶ *Mesopotamiam*] In Hebræo habetur, in *Aram*, sive *Syriam*, *duorum fluviorum.* Est enim Mesopotamia Syria interamnis, sita scilicet inter Euphratem & Tigrim. Unde & Onkelos vertit sic, *abiit in Syriam quæ est juxta Euphratem.*

12. *Fac occurrere*] In Hebræo non est *occurrere*, sed *fac occurrere*, in Hiphil, i. *bene fortunato*, *fave*, *annue votis*, *da bonum eventum*: unde & Chaldæus interpres vertit זמן i. *præpara*, seu *dispone*, id scilicet quod peto, & pro quo iter tam laboriosum suscepi. Et paulo inferius, ubi in Hebræo habetur, הוכחת, idem quoque vertit זמנת *præparasti.* Gerundensis vero exponit Hebraicum verbum per ראית, *quam scilicet dignam fecisti servo tuo Isaac*: cum alioquin verbum illud significet *reprehendere* & *redarguere.*

19. *Donec cessaverint bibere*] Hebraismus est, pro, *donec satis biberint.*

21. *Stupefactus*] Radix verbi est שאה, quæ proprie significat *devastare.* Devastatus itaque & attonitus erat vir ille intra se, cum videret puellam tam obsequentem, & omnia quæ ipse prius à Domino postulaverat votis suis tam ad amussim respondere. Et nota quod משתאה hic ponitur in conjugatione Hithpael, ponitur que litera Tau post literam Sin, ut fieri solet quando Tau Hithpael venit ad Samech vel Sin. Sunt tamen qui exponunt verbum hoc pro תמה, i. *admiratus est.*

22. *Inaurem*] Secundum Aben Ezra נזם est ornamentum vultus vel aurium suspensum per vittam in fronte. Proinde בקע est חצי שקל dimidium sicli, sicut & צמיד ornamentum manus.

27. *Intermisit*] Hebraice, *deseruit.* Onkelos vertit מנע *prohibuit*, *abstulit.*

31. *Præparavi*] Hebraicum verbum proprie significat *angulos quosque ab immunditia repurgare*, *interiora à sordibus evacuare*, sicut & quidam contendunt hic פנה capiendum pro פנוים. R. S. intelligendum putat de ejectione idolorum. Et quod sequitur, *Pabulum*] exponit Aben Ezra מספוא per מאכל בהמה, i. *cibus jumentorum.*

33. *Apposuit coram eo*] In Hebræo hoc verbum scribitur in passiva voce, nempe sic, *appositum est coram eo.*

41. *A juramento*] Hebræi exponunt hic אלה pro שבועה & חרם, i. pro *juramento.* Aben Ezra tamen exponit pro *exsecratione.*

46. *Ei bibi*] Hebraice, ואשת ejusdem formæ cum ויבך *& flevit*, ut supra scribitur cap. 21. In quinto enim verborum ordine solet He tertia radicalis litera propter Vau conjunctionem in futuro tempore rejici: & si tunc media fuerit una ex *bgadkphad*, schevantur duæ posteriores.

49. *Consentitis*] Hebraice, *Si est vobis facere beneficium*, &c. vel, *Si estis vos facientes misericordiam*: h.e. Si vultis herum meum beneficiis & summa fide prosequi, indicate. Si non vultis, iterum indicate; ut vertam me aliorsum. Et quod sequitur, *A Domino egressum est*] Hebræi exponunt sic, גזר, h. e. *Ordinatio est Divina*, *cui non possumus*, *nec debemus reluctari. Non possumus contra illum loqui vel bonum vel malum*, i. quicquam.

53. *Munera*] Hebraica vox proprie significat *poma & optimos atque dulces fructus.* Dicit tamen Kimhi quod etiam significet quamlibet דבר חשוב *rem pretiosam*, puto jocalia aurea, lapides pretiosos, & hujusmodi.

55. *Per dies decem*] In Hebræo sic habetur ut vertimus. Et intelligunt Hebræi, præsertim Onkelos & R. S. per *dies* annum, & per *decem* decem menses. Nostri exponunt simpliciter sic, *Maneat puella nobiscum aliquot diebus.*

57. *Os ejus*] Hebraismus est, pro, *audiamus verbum ejus*, vel, *sciscitemur consensus ejus.* Sic Christus apud Lucam ait, *Ego dabo vobis os & sapientiam.*

62. *Ab itinere*] Aben Ezra putat hic מבוא esse נקוד שם *nomen verbale cum præpositione Ab*, ut nos quoque vertimus. Vel est sensus, *Veniebat ea via qua itur ad puteum illum australem Viventis & videntis me.*

63. *Ad orandum*] Hebraica dictio proprie significat *submissa voce loqui*, *labiotenus murmurare*; ut orantes vel meditantes, aut apud nos de re aliqua mirantes, facimus. Hebræi fere omnes hic exponunt *orare.* Aben Ezra tamen exponit לשוח pro ללכת בין השיחים *ambulare inter fruteta.* Nam radix שוח cum Smol & *precationem* & *virgultum* significat. Et quod sequitur, *Tempore vespertino*] in Hebræo est, *cum vespera aspiceret*, h. e. cum advesperasset, seu קרוב פנות השמש *cum immineret occasus solis.*

FAGIUS.

2. *Subter femur meum*] Jurabant veteres illi manu sub femore atque genitali parte posita, quod inde posteritas esset futura; atque ideo res sacra habebatur: vel, ut R. Sal. sentit, quod ibi esset signum fœderis, nempe circumcisio: vel quod hoc indicio dabatur intelligi potestas superioris, & promptus inferioris obsequendi animus, ut A. E. autumat; qui in hunc locum ita scribit, והקרוב אלי שהיה משפט בימים ההם לשום אדם יד תחת ירך מי שהוא ברשותו והטעם אם אתה ברשותי שים נא ידך תחת ירכי ואדוני יושב והעבד קם ושם ידו תחת ירך אדוניו והמשפט הזה עדיין בארץ הודו i. *Arbitror ipse ejus temporis morem fuisse ut eo pacto jurarent, posita videlicet manu sub femur ejus qui dominus ac superior esset: perinde ac diceret dominus, Si tu sub potestate mea es, pone manum tuam sub femur aut sub coxam meam; ac dominus ipse sedere solebat, posita coxa super manum jurantis: qui quasi diceret, Ecce manus mea sub coxa tua: fateor me tibi debere, & promptus sum ut tuis obsequar mandatis. Eoque more hodie quoque quædam regiones utuntur, scilicet India.* Hæc ille. Quidam ex nostris hoc modo jurandi adumbratum ferunt Christum, qui ex Abrahamo oriturus erat.

10. *Eram-*

10. *Eratque de omni bono*, &c.] Ad literam est, *Et omne bonum domini sui in manu ejus*, i. omnia bona. Est enim singulare pro plurali, quod admodum frequens est in Hebraismo. Est autem sensus, quod deferebat secum munera de pretiosissimis quibusque bonis domini sui. R. S. ita intelligit, quasi schedam secum acceperit in qua omnia bona domini sui assignata extant: quorum Isaac verus hæres futurus erat. Sed prior sententia simplicior est. Potest tamen & is horum verborum sensus esse, *Et omne bonum domini sui in manu ejus*, i. Pretiosissima quæque domini sui erant in potestate illius; ipse præerat omnibus rebus domini sui. Ut hæc quasi causæ redditio sint cur servus ille decem chamelos secum acceperit, quia præcipuus & summus erat procurator totius familiæ omniumque rerum Abrahami, ideo facile poterat istud facere.

49. *Si vos facitis bonitatem & veritatem*] *Facere bonitatem & veritatem*, Hebraismus est pro, *collocare beneficium in aliquem*. q. d. Si vero collocaturi estis beneficium in dominum meum; si estis daturi filiam vestram filio heri mei, idque liberaliter & prompto animo. ¶ *Vel ad dextram vel ad sinistram*] Per *dextram* quidam Hebræorum intelligunt eam partem in qua habitabant filiæ Ismaëlis; per *sinistram* vero, in qua erant filiæ Lot. Et hanc expositionem sequitur etiam Lyranus noster. Alii istam locutionem sic explicant, *Ad dextram sive ad sinistram*, i. *ut faciam prout Dominus diriget mentem meam*.

50. *Egressa est hæc res*] Hebraismus est pro, *Hoc negotium à Deo est*, geriturque Divino nutu. ¶ *Non possumus nos loqui tecum malum aut bonum*] Hebraismus est pro, *Non possumus contradicere tibi ulla in re*.

53. *Et munera*] Vocem מגדנים *magdenim*, Hebraice מגדנות *migdanoth*, proprie significare volunt *poma*, & *ea optima*, sicut & R. S. exponit. R. D. K. tamen dicit significare, כל דבר חשוב, i. *quamlibet rem pretiosam*. Unde & A. E. dicit posse significare *pretiosas vestes*.

55. *Ad tempus aliquod*, &c.] Heb. *Maneat nobiscum puella dies, vel decem*, h. e. Per annum, vel saltem decem menses, si non potes plus impetrari. *Dies* enim pro *anno* apud Hebræos sæpe accipitur, quod annus est velut orbis ac circulus dierum. Referunt autem Hebræi, morem fuisse, quod virgo viro desponsata ad integrum annum adornabatur, atque ita marito præparabatur; atque ad hanc consuetudinem in præsenti loco respicere Scripturam.

67. *Consolationem accepit*] i. Temperavit dolorem quem acceperat de morte matris suæ. Et hunc sensum expressit etiam Vulgata editio Latina.

IDEM.

22. ויקח האיש נזם זהב בקע משקלו, *Tulit vir ille inaurem auream, cujus pondus erat dimidium sicli.*] Septuaginta & Latinus interpres in hoc dissentiunt à veritate Hebraica, quod נזם pluraliter reddidere, quod singulare est Hebræis, & teste Aben Ezra, *ornamentum vultus, seu aurium est, suspensum per vittam in fronte*. Dein quod LXX addunt *duas*, quod textus Hebraicus non habet. Et quod בקע, quod *dimidium sicli* significat, vertunt *drachmam*, cum ingens sit inter utrumque discrimen. Nam Siclus, teste etiam Hieronymo super Ezechiel. cap. 4. stater est, h. e. drachmæ quatuor, sicut & Josephus scribit Antiq. Jud. l. 3. *Siclus*, inquit, *Hebræorum numisma quatuor drachmas Atticas valet*. Erravit & Lat. Vulg. editio, quæ pro בקע *duos siclos* legit, cum בקע proprie מחצית השקל, *dimidium sicli* significet, sic dictus שנבקע השקל, *quod sit divisus siclus*, ut inquit R. David Kimhi in Radicibus suis.

55. תשב הנערה אתנו ימים או עשור אחר תלך, *Maneat puella nobiscum per dies saltem decem, & postea ibit.*] In verborum redditione nulla est varietas, sed in sensu. Nostri enim fere sic intelligunt, quod per aliquot dies, vel saltem decem, si non plures, adhuc manere debeat puella. Hebræi vero per *dies* annum, & per *decem* decem menses intelligunt, siquidem *dies* pro anno apud eos non semel accipitur, quod annus est velut orbis & circulus dierum. Et R. Salomo annotat tantum temporis, h. e. integrum annum, vel decem menses, datum fuisse virgini desponsatæ, ut interea temporis sese ad nuptias pararet atque adornaret. Et hunc sensum sequitur etiam Paraph. Chaldæus in sua versione.

63. ויצא יצחק לשוח בשדה לפנות ערב, *Et egressus est Isaac ad orandum in campo tempore vespertino.*] Varietas est in verbo לשוח, quod cum æquivocum sit, *loqui*, *disserere*, *meditari*, *mussitare*, & *orare* significans, ideo diversæ interpretationis causa fuit. Hebræi commentatores imitati Chaldæum Paraph. fere omnes pro *orare* hic accipiunt, præter Aben Ezram, qui pro *deambulare* exponit: sic enim inquit, ללכת בין השיחים; i. *ut deambularet inter arbores*; quasi שוח verbum deductum sit à nomine שיח, quod *fruticem*, *virgultum*, & *arborem* significat. Vox Hebræa שיח proprie significat *submissa voce loqui & murmurare*: ut orantes, vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes, facimus. Mihi probatur eorum lectio qui pro *orare* accipiunt, sicut & R. D. Kimhi in Radicibus suis exponit. Quod & D. Hieronymo probatur, ut est videre in ejus Quæst. Hebraicis, ubi sic scribit, *Quod autem ait*, Et egressus est ut exerceretur in campo, *quod Græce dicitur* ἀδολεσχῆσαι, *in Heb. legitur*, Et egressus est Isaac ut loqueretur in agro, declinante jam vespera. *Significat autem secundum illud quod Dominus solus orabat in monte, etiam Isaac, qui in typo Domini fuit, ad orationem, quasi virum justum, domo egressum: & vel nona hora, vel ante Solis occasum, spirituales Deo victimas obtulisse.* Hæc ille.

VATABLUS.

1. *Venerat in dies*: בא בימים] Hebraismus, i. Provectæ erat ætatis, sive provectus erat ætate. ¶ *Benedixerat ei* ברך את אברהם] Ad verbum, *benedixerat ipsi Abraham*. Antecedens pro relativo, more Hebraico.

2. *Pone nunc manum tuam*, &c. שים נא ידך] Is erat mos adjurantium. Hac etiam ratione servus testabatur obedientiam hero suo, & herus potestatem in servum suum. Qua quidem ceremonia utuntur etiam hodie in quibusdam Orientis partibus. q. d. Ego volo tibi committere negotium arduum, idcirco te adjurare volo.

3. *Ut audirem te* ואשביעך] Ad verbum, *Et adjurabo te*. Quidam, *Itaque adjurabo te*.

4. *Sed* כי] Hic כי pro כי אם. ¶ *Ad terram meam*, &c. אל ארצי וגו׳] Per *terram* intelligit Haran; per *cognationem* vero, locum nativitatis, nempe Ur Chaldæorum. Sic & paulo post v. 7.

5. *Forsitan*, &c אולי וגו׳] q. d. Paratus sum ire quocunque jusseris: si tamen eveniat quod mulier illa noluerit venire in hanc patriam, reducamne filium, &c. ¶ *Me sequi* ללכת אחרי] Ad verbum, *venire post me*. Sic paulo post v. 8.

6. *Qui respondit*, ויאמר אליו אברהם] Ad verbum, *Et dixit ad eum Abraham*.

7. *Et domo patris mei*, &c. מבית אבי וגו׳] Vide paulo ante v. 4.

8. *Mundus eris*, &c. ונקית משבעתי זאת] Hebraismus, absolveris vel absolutus eris à juramento isto mihi à te præstito.

9. *Domini sui*, אדניו] Plurale est Heb. *herorum suorum*, pro singulari, *heri sui*. Sic seq. capite.

10. *Erant autem pretiosa*, &c. וכל טוב אדניו בידו] Ad verbum, *& omne bonum heri sui*, &c. Singul. pro plur. i. secum deferebat de pretiosissimis quibusque domini sui. Alii volunt esse causæ redditionem, ne cui minus probabile videatur servum sibi sumpsisse tantum potestatis: & vertunt, *nam totum bonum* [i. tota substantia] *heri sui erat in manu ejus*. i. potestate.

11. *Et accumbere fecit* ויברך] Ad verbum, *Et cadere fecit in genua*. Solent enim cameli flectere genua dum requiescere volunt. ¶ *Quæ hauriunt*: השאבת] Infra v. 13. plena est locutio, *ad hauriendum aquam*.

12. *Occurrere fac quæso* הקרה נא] *Occurrere fac nunc*. i. Fac mihi occurrat hodie quod opto. h. e. Fac me voti compotem. Alii intransitive legunt, *Occurrere quæso*. sub. *mihi*. i. Votis meis. q. d. Exaudi me ac preces meas. Chald. paraph. *prepara*. sub. *quod peto*. ¶ *Et fac misericordiam* ועשה חסד] i. Prosequere misericordia ac benignitate herum meum, ut es illi pollicitus. Significat enim non alio se jure fretum hoc audere, nisi quia Deus gratiam suam Abrahæ pollicitus fuerat.

19. *Quumque potum dedisset illi*, *dixit*, ותכל להשקתו ותאמר] Ad verbum, *Et finivit potare illum*, *& dixit*. i. Quum potasset illum satis, sive quantum volebat. ¶ *Finierint bibere*: אם כלו לשתת] Hebraismus, pro, *quoad omnes biberint*. Vel, *donec satis biberint*.

20. *Festinanter igitur* ותמהר ותער] Ad verbum, *Et festinavit*, *& effudit*.

21. *Stupebat in ea*, משתאה לה] *admirabatur eam*. Vel, *propter eam*. i. totus erat attonitus quum considerabat quæ illa faciebat.

22. *Se-*

Digitize

22. *Semissis* בקע] Docti inter Hebræos exponunt, *dimidium sicli.*

24. *Cui respondit,* ותאמר אליו] Ad verbum, *Et respondit ad eum.*

25. *Adjecitque ei, Etiam palea & pabulum* ותאמר אליו וגו׳] Ad verbum, *Et dixit ad eum, Etiam palea, etiam pabulum,* &c. Est autem מספוא *pabulum,* id omne quo vescuntur jumenta, præter paleam.

26. *Incurvavit itaque se* ויקד] *Inclinavit itaque caput.*

27. *Subtraxit* עזב] Ad verbum, *deseruit.* Chald. paraph. *prohibuit.* Non jactat secundam fortunam, sed Deum prædicat clementer & fideliter egisse cum Abraham: h. e. misericordiæ suæ causa veracem in promissis adimplendis fuisse. Transfertur quidem ad homines locutio, sicut infra v. 49. sequitur; *Si facturi estis misericordiam & veritatem cum domino meo Abraham, indicate mihi.* Proprie tamen in Deum competit, quod gratuito faveat hominibus, ideoque propensus sit ad beneficentiam; deinde quod eorum spem nunquam frustrando, fidum se ac veracem probet. ❡ *Me enim quum essem in via duxit* אנכי בדרך נחני] Ad verbum, *ego in via deduxit me.*

28. *Juxta verba hæc:* כדברים האלה] Hebraismus, quæcunque audierat, vel quæcunque gesta fuerant ad fontem.

29. *Qui cucurrit* וירץ לבן] Ad verbum, *& cucurrit Laban.* Antecedens pro relativo.

30. *Quum enim vidisset* ויהי כראות] Ad verbum, *Et fuit, quum vidisset.*

31. *Ingredere benedicte* בוא ברוך] *Veni domum benedicte.* i. Cui favet Deus, & cujus voluntate huc accessisti.

32. *Et solvit camelos:* ויפתח הגמלים] *& destravit camelos.* Alii, *clitellas camelis detraxit.* Ut scilicet liberius quiescerent ac recumberent.

33. *Locutus fuero verba mea* דברתי דברי] *dixero sermones meos.* i. Donec exposuero qua de causa huc venerim.

35. *Cui Jehovah benedixit, &c.* ויהוה ברך וגו׳] Ad verbum, *Et Jehovah benedixit domino meo valde, & magnificatus est* [vel, *magnus effectus est*] *& dedit ei,* &c.

36. *Post senium ejus:* אחרי זקנתה] *posteaquam senuit ipsa.* i. quum jam esset vetula.

38. *Sed* אם לא] Ita transtulit Chald. paraph. & Lxx. interpretes.

39. *Nolet,* &c. לא תלך האשה אחרי] Ad verbum, *non perget mulier illa post me.*

40. *Ambulavi.* התהלכתי] Præt. Heb. pro præs. ut quidam vertunt. Particulam istam quidam ad probitatem & bonam conscientiam Abrahæ referunt: alii de fiducia potius interpretantur: quo scilicet Deum sibi proposuerit vitæ gubernatorem, seque illi curæ esse confisus, ab ejus gratia pependerit. ❡ *Et accipies* ולקחת] *ut accipias.*

41. *Mundus eris à juramento meo:* תנקה מאלתי] i. Absolveris à juramento meo præstito. ❡ *Eris mundus, &c.* והיית נקי וגו׳] Ad verbum, *& eris mundus,* &c. Redundat conjunctio. i. absolutus eris ab adjuratione mea, h. e. non teneberis juramento quo te adjuravi. Repetitio.

42. *Si tu nunc secundas* אם ישך נא מצליח] Ad verbum, *si tu es nunc secundans.* i. si tu velis hanc profectionem meam prosperam esse.

45. *Antequam autem,* &c. אני טרם וגו׳] i. Necdum hæc tacitus apud me dixeram. ❡ *Habens hydriam suam, &c.* וכדה על שכמה ותרד] Ad verbum, *& hydria ejus super humerum ejus: & descendit.*

46. *Illa vero, &c.* ותמהר וגו׳] Ad verbum, *Et festinavit, & deposuit hydriam suam de super se.* Vide supra v. 20.

47. *Filia cujus es?* בת מי את] *Cujusnam es filia?*

48. *Et benedixit Jeh.* ואברך את יהוה] i. Cœpi gratias agere ipsi Jehovæ. ❡ *Per viam veritatis,* בדרך אמת] Hebraismus, *per viam veram & rectam.* i. Quæ recto me itinere perduxit.

49. *Nunc igitur si facitis &c.* ועתה אם ישכם וגו׳] Hebraismus, quo *humanitatem præstare, & bona fide agere cum aliquo* significant, q. d. Quamobrem si liberaliter & ex animo daturi estis filiam vestram filio heri mei. Vide supra v. 26. ubi similis locutio habetur, Deo proprie conveniens. ❡ *Et divertam, &c.* ואפנה על ימין וגו׳] i. abibo & faciam prout diriget mentem meam & iter meum.

50. *A Jehovah, &c.* מיהוה וגו׳] *A Jehovah profectum est* hoc *negotium.* Hebraismus, tota res ista geritur nutu Divino. ❡ *Non possumus, &c.* לא נוכל וגו׳] Phrasis Hebraica, pro, *nulla ratione possumus tibi contradicere.*

51. *Coram te* לפניך] i. Præsto est ac in tua potestate.

52. *Incurvavit se &c.* וישתחו וגו׳] *adoravit in terram Jehovam,* i. cœpit iterum pronus ac demisso vultu adorare Dominum, & ei gratias agere.

54. *Mane autem, &c.* ויקומו בבקר ויאמר] Ad verbum; *& surrexerunt mane, & dixit.*

55. *Dies aliquot, saltem decem,* ימים או עשור] Ad verbum; *dies, vel decem.* Quod doctus inter Hebreos exponit, *annum, vel decem menses; nam illo tempore* (inquit) *virginibus tempus duodecim mensium dabatur, ut curarent ornamenmenta: si autem annum dare non libebat, saltem decem menses.* Chald. paraph. *tempus in tempus* (i. aliquo tempore) *vel decem menses.*

57. *Et interrogemus os ejus:* ונשאלה את פיה] Hebraismus; *audiamus quid dictura sit.* Chald. Paraph. *inquiramus ejus voluntatem.*

58. *Visne ire* התלכי] Ad verbum; *Ibisne.* ❡ *Ibo* אלך] *Volo ire.*

60. *Et benedixerunt* ויברכו] Hebraismus; *Vale dixerunt,* vel *bene precati sunt ei.* ❡ *Soror nostra es; sis, &c.* אחתנו את היי וגו׳] *Sororem* vocat consanguineam, q. d. Quum sis consanguinea nostra, petimus à Deo ut sobolem copiosissimam tibi donet. Quidam vertunt, *sis in millia myriadum,* i. crescas in multas myriades. ❡ *Portam* שער] i. propugnacula urbium inimicorum suorum, quæ solent in portis esse. h. e. sint hostibus superiores.

61. *Secutæ sunt virum illum:* ותלכנה אחרי האיש] Ad verbum; *& iverunt post hominem illum.*

62. *Revertebatur* בא מבוא] Ad verbum, *veniebat à veniendo.*

63. *Ad orandum* לשוח] Ita vertit Chald. paraph. Alii, *ad meditandum.* Nam hæc vox etiam *meditari,* & *loqui apud se* significat, i. dicere aliquid submissa voce. Credibile est ex more secessum precibus fuisse quæsitum, quo mens omnibus avocamentis soluta liberius Deo vacaret. Sive autem meditationi sive precibus dare operam voluerit, Dominus læto isto occursu præsentiæ suæ signum illi dedit. Lxx. verterunt, *ut exerceret se.* Ex doctioribus Hebræorum alter exponit, *ad deambulandum inter virgulta.* ❡ *Dum appeteret vespera* לפנות ערב] Ad verbum, *dum aspiceret vespera.* ❡ *Qui quum attolleret, &c.* וישא עיניו וגו׳] Ad verbum, *& elevavit oculos suos, & vidit, & ecce cameli veniebant.*

64. *Et descendit &c.* ותפל מעל הגמל] Ad verbum, *& decidit de super camelum.* i. dejecit se in terram sua sponte de camelo quem conscenderat.

65. *Dixerat enim* ותאמר] Ad verbum, *Et dixit.* Præteritum, quod vertendum esse per plusquam perfectum admonet ex doctioribus Hebræorum alter: quod illa de camelo non descendisset nisi cognovisset virum illum; cognoscere autem non potuit nisi edocta à servo. ❡ *Pallium* הצעיף] *velum, peplum,* significat amictum mulierum quo tegere solent faciem suam.

67. *Introduxit autem eam* ויביאה] *Deduxit autem eam.* ❡ *Et accepit, &c.* ויקח את רבקה וגו׳] Hebraismus, pro, *Et duxit eam in uxorem.* ❡ *Post matrem suam.* אחרי אמו] i. mortua matre sua. Chald. paraph. *Postquam mortua est mater sua,* q. d. temperavit dolorem quem acceperat de morte matris suæ.

CASTALIO.

14. EA *sit quam tu Isaaco tuo destinasti*] *Meus, tuus, suus, noster, vester,* Hebraice dici non possunt nisi vocibus, quæ hæc significant, conjunctis cum nominibus substantivis, iisque appellativis. Hinc fit, ut si conjungenda sint cum propriis nominibus, addatur aliquod substantivum nomen appellativum quod sit capax pronominis. Itaque si dicendum est, *Isaacus tuus,* (ut hoc in loco) quoniam id Hebraice dici non potest, additur *servus,* aut *cultor,* neque enim dici potest יצחקך *Isaacus tuus.* Idem fit & in *populus.* Nam cum dicendum est, *Israelita tui,* quoniam dici non potest ישראלך dicitur, *populus tuus.* Neque tamen nego, & Isaacum Dei servum, & Israelitas populum, & esse, & recte dici. Sed hoc conor ostendere, posse hæc interdum ad Latinam consuetudinem accommodari. Quemadmodum enim, si quod Latine dictum esset *Isaacus tuus,* in Hebræum verteretur, ita vertendum esset, *Isaacus tuus servus,* aut *amicus;* ita quod hoc modo Hebraice dictum

Digitized by Google

dictum est, id si Latine vertatur, debet Latinorum more dici. Atque ut ille qui ita Latina Hebraice redderet non esset reprehendendus, sic ego, dum & hunc & cæteros Hebraismos transfero, veniam mihi dari æquum censeo. Hujusmodi loquendi rationes videre licet & in nostris linguis: nam quod Latine dicitur, *Saluta Petrum nostrum*, hoc Gallice sic redditur, *Recommande moy a nostre amy Pierre.* Item, *Visit suos*; *Il est allé voir ses gens*: & Germanice, Er ist zu seinem volcklin gangen. Nec dissimile est quod dicimus, *Sanguinem pauperum bibere*, *Boire le sang des poures gens*: neque enim Latine recte diceretur; *Bibere sanguinem pauperum gentium.*

49. *Si in animo habetis hoc beneficio atque officio Dominum meum demereri*] Quod verti *Officio*, in Hebræo est אמת, quod proprie *fidem* aut *verum* significat. Jam ut Latine *verum est* pro *æquum est* dicitur, sic etiam Hebraice אמת. Atqui Æquitas Justitia est, quæ in suum cuique tribuendo consistit: in quo inest Officium, à quo *officiosi* dicuntur benefici, & qui quod facere debent faciunt. Eodem modo loquitur infra cap. 32.

CLARIUS.

2. SUbter femur meum] Jurabant veteres illi manu sub femore ac genitali parte posita, quod inde posteritas esset futura, atque ideo veluti res sacra haberetur, vel ut alii putant, quod illic esset signum fœderis, nempe circumcisio; vel quod hoc indicio dabatur intelligi potestas superioris, & promptus inferioris obsequendi animus, feruntque hunc modum adhuc observari in terra Indiæ. Sed hoc in Abrahæ femore mysterio magno non caret, à quo nasciturus portendebatur is qui Deus est, per quem solum jurare fideles possunt.

6. *Ne quando reducas filium meum illuc*] Unde scilicet ipse à Deo jussus esset discedere.

10. *Camelos*] In Hebræo scribitur per *g Gamelus*, nec dubium est quin hoc nomen ex sacra lingua manarit in alias linguas. ¶ *Ex omnibus bonis ejus portans secum*] Heb. *Eratque omne bonum domini sui in manu sua.* Quod quidam putant intelligendum de tota possessione Abrahæ, quæ in scheda esset signata, atque Isaac veluti certo hæredi assignata. Sed verisimilius est, id de variis muneribus esse intelligendum quæ servus secum attulerit. ¶ *In Mesopotamiam*] Nomen habet ex eo quod est *in medio fluviorum*, Euphratis scilicet atque Tigris; unde in Hebræo est, *in Syriam duorum fluviorum.*

22. *Inaures*] Secundum Hebræos est ornamentum vultus vel aurium, suspensum per vittam in fronte.

24. *Filia sum Bathuelis*] Idem est sensus cum Hebræo, licet verba varient, sc. *Filia sum Bathuelis filii Melcha, quæ illum genuit ipsi Nachor.*

45. *Dumque hæc tacitus mecum volverem*] Verba quidem ab Hebræo discrepant, at sensus, si cogitetur, idem est; sic enim est in Hebræo, *Et ego antequam consummassem loqui in corde meo.*

63. *Ad meditandum*] Hebraica dictio proprie significat *submissa voce loqui*, *labiis tenue murmurare*, ut orantes vel meditantes, aut apud nos de re aliqua mirantes, facimus. Hebræi fere omnes hic exponunt pro *orare*. Sunt & qui pro *deambulare* & *exercere se* interpretentur.

67. *Et in tantum dilexit eam*] Heb. *& dilexit eam*, *consolationemque accepit Isaac post matrem suam.*

LUCAS BRUGEN.

24. FIlia sum Bathuelis, filii Nachor, quem peperit ei Melcha.] Alii legunt, *Filia sum Bathuelis, filii Melcha, quem peperit Nachor*: & quamvis utriusque lectionis idem sit sensus; hæc tamen hujus loci, illa vero versus 47. esse cognoscitur, quando cum Hebræis, Græcis & Chaldæis Latina exemplaria conferuntur. Thare pater Abrahæ genuit Nachor, Gen. 11. 27, & 29. Nachor ex Melcha uxore sua genuit Bathuelem patrem Rebeccæ, Gen. 24. 15. Itaque quod dicitur, *Quem peperit Nachor*, intelligendum est *ipsi Nachor*, ut etiam Hebræa, Chaldæa & Græca expresse habent. Quia vero id paulo obscurius erat, quidam ad hunc modum mutarunt, *Filii Melcha, quem peperit ex Nachor*: quidam hoc modo vitiarunt, *Filii Melcha, quem peperit ei Nachor.*

DRUSIUS.

36. DEdit ei omnia sua] Vel, *omnia quæ habebat.* Non sapit qui bona sua liberis dat dum adhuc in vivis est. Forte sensus est, *dedit*, i. constituit eum hæredem ex asse post mortem. Aut *dedit*, i. cogitavit aut voluit dare. Sic dico; Non actu dedit, sed voluntate aut cogitatione, quam verba Ebræa interdum significant, ut Gen. 37. 21. *& liberavit eum*, cogitabat aut nitebatur liberare. Nam non successit quod agebat. Quo circa actu non liberavit eum, sed conatu tantum. Sic Exod. 12. 48. *& fecerit Pascha*, voluerit facere. Sic Abenezra enarrat, ut Jes. 53. 9. *dedit*; Cogitatione aut voto, non re; q. d. Voluit aut cogitavit dare. Sic alibi, *pugnavit Israel contra Balac*, voluit aut cogitavit pugnare. Aut *dedit*, i. dixit dare, sive daturum se promisit, ut Jon. 1. *sacrificaverunt sacrificia*, dixerunt se id facturos. Nam in navi qui poterant sacrificare? Videndus R. David ad hunc locum. Quidam, *sacrificare decreverunt*, nempe ad terram appulsi. Huc referri posset, *divisit regnum suum dum adhuc viveret*, ut dicat, Dividere decrevit aut cogitavit. Quanquam in Daniele, *divisum fuit regnum ejus ipso adhuc stante*, i. vivente. Locus est 1 Machab. 1. 7. quem qui arrodunt, viderint quid respondeant ad locum illum Dan. 11. 4. *Cum stabit ipse, confringetur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli.* Nam de Alexandro loquitur.

38. Verto, *Sed ibis ad Domum patris mei*, אם לא *sed.* Interpretes è Palatinatu multa hic subaudiunt non necessaria, videlicet, *Dira tibi imprecor nisi* &c. Mercerus quoque, *nisi prius iveris*, &c. Simplex sensus est, *Sed ibis*, quem Hieronymus expressit referens, *Sed ad domum patris mei perges*, & Senes, quos vocant LXX. Ἀλλ' εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου πορεύσῃ, *Sed ad domum patris mei proficisceris*: אם לא proprie *nisi.* Id valet *sed* etiam in Latino sermone. Cicero, *De re nihil possum judicare, nisi illud mihi certe persuadeo te talem virum nihil temere fecisse.* Pro eo Moses supra dixerat, כי *sed.* Plenius legitur כי אם Psal. 1. 4. *Sed tanquam gluma quam propellit ventus.* Sic εἰ μὴ usurpatur cum alibi, tum in illo Apostoli. *Non justificabitur homo ex operibus legis, nisi ex fide.* Græce εἰ μὴ, & est sensus, *sed ex fide* ἀλλὰ ἐκ πίστεως. Particula Rabbinica est אלא, quam Elias & Mercerus putant Græcam esse ἀλλά, ego Syram esse conjicio, factam ex אם vel אן *si*, & לא *non*: quæ idem valent quod *nisi.* Similiter particula Chaldaica אֱלָהֵן, qua usi sunt Onkelos & Jonathan hoc loco, à Mercero redditur *nisi*, & à Fagio *sed.* Vide nunc particulas meas Rabbinicas.

65. *Pallium*] Græca vox est θέριστρον, quam alii deducunt à nomine θέρος *æstatem*, denotante, alii à verbo θερίζειν, quod *metere* significat, unde θερισμὸς, *messis.* Qui à θέρος derivant exponunt *vestem æstivam*; qui à θερίζειν, *messoriam.* Ut ut sit, videtur fuisse vestis tenuis, quæ corpus tegeret magis quam calefaceret. Varinus δρέπανον interpretatur, h. e. *falcem*, quæ & θεριστήριον, haut dubie ab illo verbo de quo dixi. Hoc sensu legitur 1 Sam. 13. 20. ubi in fonte מחרשתו, quod alii reddunt *vomerem suum*, alii *aratrum suum.* Porro δρέπανον & θέριστρον sive θεριστήριον simul occurrunt in dicto loco, unde apparet diversum quid esse hoc ab illo. Ego nihil definio. Hoc tantum, sæpius pro veste usurpari. Nam interpretamentum est τοῦ צעיף Gen. 24. 65. & 38. 14. ubi in scholio est συνεστάλμενον & τοῦ רדיד Cant. 5. 7. Jes. 3. 22. Hieron. Quæst. in Gen. *Theristrum pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres istius provinciæ velantur.* Idem in Comment. super Jesaiam, θέριστρα, inquit, *nos possumus appellare palliola, quibus obvoluta erat Rebecca, ut hodie quoque Arabiæ & Mesopotamiæ operiuntur fœminæ, ab eo quod ἐν θέρει, i. æstate & caumate, corpora protegant fœminarum.* De רדיד scribit R. David, vestem tenuem esse, quæ Arabice אזאר vocetur. Hoc scribit in scholiis Cant. 5. idque testimonio suo confirmat Abenezra. Sed in libro ubi vocum sensa explicat, pro eo scripsit אזור אל.

IDEM.

11. וַיַּבְרֵךְ הַגְּמַלִּים Schol. ἐγονάτισε, *fecit ut genua flecterent*] Interpretamentum est Aquilæ. Quod ita certum mihi ut nihil magis. Idem in hoc libro ברך interpretatur *adgeniculatio.* Auctor Hieron. γονατίζω in Lexicis exponitur, *ingeniculo*, *genua flecto.* Hic autem nove usurpatur pro *ingeniculare facio.* Antea erat ἐκοίμισε, & apud interpretem nostrum, *fecit accumbere.*

14. הֵכַחְתָּ Schol. *ἀπέδειξας, ostendisti, demonstrasti*,] Verbum הוכח usitate sign. *arguere*. Nunc interpretantur Lxx. ἡτοίμασας, & Hieron. *praeparasti*, & uterque Chaldaeus, זמינת, & R. D. זמנת, & Santes, *praeparasti*. Igitur scholio illo melior est interpretatio τῶν ό.

43. הָעַלְמָה Aquila, *abscondita*.] Hieron. Jes. 7. *Et in Genesi legimus, ubi Rebecca dicitur Alma, Aquilam non adolescentulam nec puellam, sed absconditam transtulisse.* Et mox, *Ergo Alma non solum puella vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur & secreta, quae nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna in hoc quidem loco diligentia custodita sit.*

50. רע או טוב ὁ Σύρος, ἢ κακὸν ἢ καλόν, *aut malum aut bonum*] *Non possumus loqui ad te neque malum neque bonum*, i. quicquam. Proverbiale.

59. וְאֶת־מֵנִקְתָּהּ A. καὶ τὴν τίτθην αὐτῆς. Sym. καὶ τὴν τροφὸν αὐτῆς] Sic noster Vulgatus, *& nutricem ejus*. Hesychius, Τιτθή, τροφός. Sunt qui discrimen ponunt inter haec nomina, quod hic locus aperte convincit. Sane Aquila τίτθην vocat nutricem Rebeccae, quam Symmachus τροφὸν appellat. Neque ea aetate αὐτῇ τιτθὸς praebere potuit. Lxx infra 35. 8. ἡ τροφὸς Ῥεβέκκας, *nutrix Rebeccae*. Τὴν τροφὸν] sic Lxx τὴν τροφὸν αὐτῆς & 35. 8. ἡ τροφὸς Ῥεβέκκας, nutrix Rebeccae. Ebraice מנקת cujus radix ינק unde fuit יינק Job. 20. 16. quod Aquila, Sym. Theodotio ibi transferunt μυζήσει, *suget*. Dicimus autem μυζεῖν & μυζάω & μύζω eodem significatu.

61. וְנַעֲרֹתֶיהָ *& puellae ejus*. Lxx. καὶ αἱ ἅβραι αὐτῆς. A. παιδίσκαι. Sym. κοράσια] Ἅβρα, proprie ancilla delicatior, vulgo Kammerdochter. Judith. 10. 2. ἐκάλεσε τὴν ἅβραν αὐτῆς, interpres vetus, *vocavit Abram suam*. Quidam scribunt ἅβρα, cum spiritu leni. Nam ἁβρὸς, *delicatus*. Quae ἅβρα Judith. 10. 2. post in eodem capite vocatur παιδίσκη. ¶ Παιδίσκαι] *puella*. Sign. etiam *ancillam* Ruth. 2. 13. שפחה παιδίσκης, quae & δούλη in eodem versu, Amos 2. 7. אל הנערה, Lxx πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην, *ad eandem puellam*. ¶ Κοράσια] Ruth. 2. 8. נערתי. Lxx κορασίων. In lingua Syrorum *Tabitha*, unde Ταλιθὰ κοῦμι, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Τὸ κοράσιον ἔγειρε, *surge Puella* טליתא quod nunc legunt Thalietha. Τὸ κοράσιον invenitur in Lxx Ruth. 2. quater, & capite tertio semel, & Esth. 2. quinquies, tum bis in secundo Regnorum sive Regum.

63. לָשׂוּחַ בַּשָּׂדֶה A. ὁμιλῆσαι ἐν χώρᾳ, *confabulari in regione*. Sym. λαλῆσαι ἐν τῷ ἀγρῷ, *loqui in agro*] Ὁμιλῆσαι *colloqui* aut *confabulari*. Nam *fabulari* apud Plautum de omni sermone dicitur. Proprie & ἀδολεσχεῖν sig. *una versari*, ut שיח secum loqui vel cum alio, idem fere quod הגה Psal. 55. 3. בשיחי. A. ὁμιλίᾳ μου. Sic etiam interpretatur Psal. 104. 34. & Amos 4. 13. ¶ *Loqui*] secum, vel cum Deo. Psal. 77. 4. ואשיחה. Sym. διελάλουν ἐμαυτῷ. Hieron. *loquebar in meipso*. Sed Psal. 104. 34 שיח. Sym. διάλεξις, & Amos 4. 13. φώνημα.

67. וַיְבִאֶהָ יִצְחָק הָאֹהֱלָה שָׂרָה אִמּוֹ A. Εἰσήγαγεν αὐτὴν εἰς τὴν σκηνὴν Σάρρας τῆς μητρὸς αὐτοῦ, *introduxit eam in tabernaculum Sarrae matris suae* [Vide Procop. in Gen. p. 151.]

NOTAE MAJORES.

1. *Erat autem Abraham senex, provectus aetate, & DOMINUS benedixit Abrahae in omnibus.*

Erat autem Abraham senex] vel, *Abraham autem senuerat, processerat aetate*, ut utroque sit praeteritum זקן senuit vel senuerat, & בא processerat, venerat in dies. Supra 18, 11. legimus, *senes provecti aetate*, ubi באים benoni esse putatur. Tum enim primum senescere incipiebant ingressi aetatem quae provecta dicitur. ¶ *Senex*] annos natus 140. Intelligit ergo nunc mediam, aut extremam senectutem, cum prius de prima locutus fuisset. ¶ *Provectus aetate*] בא בימים veniens in dies & subintelligitur multos. Ideo Hieronymus vertit, *dierumque multorum*, inserta copulante, quae in fonte desideratur. Id Onkelos & Jonathan dixerunt על ביומין. Lxx. προβεβηκὼς ἡμερῶν. Alibi est προβεβηκὼς ἐν ταῖς ἡμέραις, & in Lex. veteri προβεβηκὼς τὴν ἡλικίαν. Dicunt etiam Graeci προβεβηκὼς τῇ ἡλικίᾳ & τῷ χρόνῳ, & simpliciter προβεβηκώς. Trem. *vergens aetate*. ¶ *Benedixit*] vel, *benedixerat*. ¶ *In omnibus*] Lxx κατὰ πάντα, quod reddunt *per omnia*. Jonathan, *omni genere benedictionis*. Abenezra, *in omnibus. i. longaevitate, divitiis, gloria, & filiis: quae homines inprimis expetere solent*.

2. *Et dixit Abraham servo suo seniori domus suae, qui praeerat omnibus quae habebat, Pone nunc manum tuam sub femore meo.*

3. *Et adjurabo te per DOMINUM Deum caeli & Deum terrae, quod non accipies uxorem filio meo ex filiabus Chananaeorum inter quos ego habito.*

Servo suo] *Eliezeri*. Jonathan. ¶ *Seniori domus suae*] זקן ביתו seni domus suae. Onkelos & Jonathan רבא דביתיה. Lxx. τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς οἰκίας αὐτοῦ, quod hic valet τῷ πρεσβυτάτῳ, ut alibi πρεσβυτέρα πάντων ponitur pro eo quod est πρώτη πάντων. i. prima omnium. Gallice *le plus ancien de sa maison*. Aut erat nomen dignitatis in familia. Quod sensisse videtur autor Jerosolymitanae, qui vertit שליטא princeps, praefectus, praeses. ¶ *Domus suae*] familiae suae. ¶ *Qui praeerat omnibus quae habebat*] Lxx τῷ ἄρχοντι πάντων τῶν αὐτοῦ, qui praeerat omnibus quae ipsius erant: vel, qui potestatem & imperium habebat in omnia sua. Id Onkelos dixit דשליט בכל דליה. Jonathan, בכל אפותיקי דיליה in omnes apothecas suas. Autor Jerosolymitanae בכל מה דדיליה. Idem aliter. Ebraea sunt המשל בכל אשר לו qui dominabatur in omnia sua. Locus iste juvat nonnihil Jonathan & alios, qui censent hunc fuisse Damascenum Eliezerum, quem supra vocat procuratorem sive dispensatorem aut gubernatorem domus suae. ¶ *Pone manum tuam sub femore meo*] moris erat (ita quidam opinantur) ut ita juraret servus & qui alterius potestati subditus erat. Qui mos hodieque durat in India. Docet hoc Abenezra ita scribens, „Vero propius mihi videtur „quod fuerit consuetudo in diebus illis, ut homo poneret manum subter femur ejus in cujus potestate erat, ac si diceret Dominus, Si tu es sub potestate mea, pone manum tuam istic. Porro Dominus sedebat & femur juxta manum est, quam qui supponebat videbatur hoc dicere, Ecce manus mea tui juris est ad faciendum id quod vis. Ceterum talis consuetudo hodie adhuc manet & obtinet in India. Hactenus Abenezra. Non rem dicit, sed tantum conjecturam suam. Alii circumcisionem innui putant. Doctores autem Catholici dicunt hoc factum esse propter Christum, qui ex femore Abrahami descensurus esset. Chrysostomus haud longe abest à sententia memorati Ebraei, *Mos*, inquit, *ille veter… fuit, vel quia hinc principium nativitatis Isahac, de cujus conjugio nunc agebatur, fuit. Et ut discas, quod hoc facere consueverit, vide quia ipse imperat, ut manum ille eo ponat*. Reliquis duabus sententiis adversantur consequa verba, *Adjurabo te per DOMINUM Deum caeli* &c. Nam si aut circumcisionem aut Christum innuere voluisset, dixisset potius, meo judicio, Adjurabo te per foedus circumcisionis, aut per Messiam, aut aliquid tale. ¶ *Et adjurabo te*] vel, *ut adjurem te*. Adjurare hic est jurejurando obstringere sive ad jurandum adigere, quod Graeci dicunt ἐξορκίζειν. Ebraice אשביעך jurare facio, jusjurandum exigo. Scio adjurare apud autores Latinos usurpari pro jurare vel potius valde jurare. Sed tamen Hieronymus quidem certe usurpat etiam pro ἐξορκίζειν. In quem sensum videtur dixisse Livius, *ut praeter commune civium jusjurandum haec adjuraverit*. ואשביעך Mercerus hoc loco exponit, *ut adjurem & obtester te*. Sic etiam ἐξορκίζω usurpatur, *quod nonnulli adjurare dicunt*, inquit Budaeus. ἐξορκίζω, obtestor. Veniamus nunc ad interpretes. Ubi nos posuimus, *& adjurabo te*, Onkelos habet ואקיים עלך. Jonathan ואומינך. Lxx. καὶ ἐξορκιῶ σε. Hiero. *ut adjurem te*. Santes, *& jurare faciam te*. Trem. *ut jurejurando obstringam te*. Hic quaeritur an liceat aliquem adjurare. Et respondeo, Si licet jurare, licet etiam jusjurandum exigere. Quod tamen nec temere nec ab omnibus faciendum est. Et caussa debet esse legitima & etiam formula. ¶ *Per DOMINUM Deum caeli* &c.] Onkelos, *per sermonem DOMINI Dei caeli & Dei terrae*. Jonathan, *per sermonem DOMINI Dei cujus habitatio in caelis excelsis, ipse est Deus, cujus potestas & imperium in terra*. ¶ *Deum caeli*] Deus caeli vocatur non tam quia in eo habitat, quam quia caelum condidit, conditumque regit ac conservat. Sic *Deus terrae*. Ceterum in fonte est אלהי השמים, quae vox etiam de judicibus usurpatur. Alibi est אל השמים. Vide Psal. 136, 26. & alibi אלה שמיא videlicet Dan. 2, 44. ¶ *Terrae*] totius terrae sive orbis terrarum. Nam non audio eos qui terrae nomen hic ad solam Judaeam restringunt. ¶ *Quod non accipies filio meo*] cur hoc filio non imperas? itane quadragenarium accipere vis uxorem à servo? Quis hodie ea aetate à parentibus uxorem acciperet? ¶ *Ex filiabus Chananaeorum*] late sumo ut etiam reliquas septem gentes comprehendat. Imo latius extendi potest ad omnes posteros Chanaan. Abenezra scribit generale esse ad 14 gentes.

4. *Sed in terram meam & in cognationem meam ibis, & accipies inde uxorem filio meo Isahaco.*

Sed] כִּי pro כִּי אִם. Jonathan & Onkelos retulerunt אלהן. Lxx. ἀλλ' ἤ. Hiero. *Sed*. Sic etiam Santes. Male autem Arias reposuit *quia*. Nam כִּי hoc in loco id non significat. ¶ *In terram meam & in cognationem meam*] pro eo habendum ac si diceret, *in terram cognationis meae*. Sensus autem est, ubi nunc habitat cognatio mea, quae Ure Chaldaeorum Carras tota commigraverat. Aliter Abenezra, cujus mentem si recte capio, vertentum erit, *aut in cognationem meam*, hac sententia, *in* ter-

terram meam Carras, *aut in cognationem meam*, Uram Chaldæorum. Ibi habitaverat, hic natus erat. מולדת autem non tam cognationem sonat, quam nativitatem, & ארץ מולדת natale solum, quod מולדת simpliciter, si credendum interpretibus nonnullis Gen. 12, 1. LXX. εἰς τὴν γῆν μου ὅ ἐγεννήθην, καὶ εἰς τὴν φυλήν μου: in terram meam ubi natus sum, & ad tribum meam. Alibi מולדתך reddunt ἐκ τῆς συγγενείας σου. Quomodo hic Hiero. *ad terram & cognationem meam proficisceris.* Sic etiam Lucas Act. 7, 3. Jonathan לבית גניסתי ad domum sive locum prosapiæ meæ. Onkelos, לילדותי hoc est, interprete Fagio, *ad cognationem meam.* Quanquam in Ebraismo ילדות juventus Cohel 11, 1. ¶ *Ibis*] *proficisceris*: vel, *eas*, *proficiscaris.* Lxx. πορεύσῃ. ¶ *Inde*] non est in Ebræo. Lxx. tamen habent, à quibus postea Hieron. accepit, & omnino deesse videtur. ¶ *Accipies*] vel, *accipias.*

5. *Et dixit ei servus, Fortasse non volet mulier sequi me in terram hanc, an reducendo reducam filium tuum in terram unde egressus es?*

Fortasse] אולי, forsitan. Lxx. μήποτε. i. ἴσ. Hiero. *Si.* Onkelos & Jonathan מא quid si. ¶ *Non volet*] nolet, ἐ βούληται. ¶ *Sequi me*] ללכת אחרי ire post me i. me sequi. Hiero. *venire mecum.* ללכת עמי. Lxx. πορευθῆναι μετ' ἐμοῦ, *ire mecum.* ללכת עמי. Onkelos & Jonathan למיתי בתרי venire post me. ¶ *Mulier*] quam filio uxorem invenero. ¶ *In terram hanc*] in Chananæam. ¶ *An reducendo reducam filium tuum*:] *num plane reducam filium tuum?* & usurpat *reducam* pro ducam κατευθυνάς, hoc est, pro simplici compositum. Quippe Isahac nunquam in terra illa fuerat. Sic *redire* pro ire accipitur Ruth. 1, 10. & *qua redierat.* i. venerat vers. 22. In frequentiore usu est simplex pro composito. Aut dixit *reducam*, quoniam Abraham ibi fuerat. Sic c. 15. *quarta ætate redibunt huc.* Nam in Abrahamo tota ejus posteritas quasi egressa fuit. Simplicius tamen ut exponamus ibi, *redibunt huc.* i. venient. ¶ *In terram unde egressus es*] in Mesopotamiam quæ & Syria interamnis, & Ebraice, *Syria fluviorum.* i. ארם נהרים.

6. *Dixitque illi Abraham, Cave tibi ne quando reducas filium meum illuc.*

7. DOMINUS *Deus cœli qui assumpsit me è domo patris mei, & è terra nativitatis meæ, & qui locutus est mihi, juravitque mihi dicendo, Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum ante te, & accipies uxorem filio meo inde.*

8. *Quod si noluerit mulier te sequi, purus eris à jurejurando meo hoc: duntaxat filium meum ne reducas illuc.*

Cave tibi] השמר לך. Lxx. πρόσεχε σεαυτῷ, quod reddunt, *attende tibi.* Ego, *cave tibi*, ut in Evangelio προσέχετε ἑαυτοῖς, cavete vobis. Onkelos & Jonathan אסתמר לך. Hiero. *Cave.* Ceterum הִשָּׁמֶר accentum gerit in penultima. Abenezra notat id semper fieri quando significat cavere. Sic enim accipio לשון שמירה. *Aliquando significat residere & quiescere in fecibus, ac tunc habet accentum in ultima. Nam feces in imo resident.* Hæc Rabbinus ille. Cui assensum præbet David Camius Jes. 7, 4. ubi הִשָּׁמֵר exponit לשון שמרים quiesce in fecibus tuis, translatione à vino sumpta. Sciendum tamen alios aliter ibi interpretari. Nam in Lxx. φύλαξαι, & in Jonatha אסתמר, & in Sante Tremellioque, *cave tibi.* Saadias quoque homo Ebræus, *Cave tibi*, inquit, *ne bellum moveas.* ¶ *Assumpsit*] accepit, tulit, transtulit. ¶ *E domo patris mei*] Carras innuit. ¶ *E terra nativitatis meæ*] Ure Chaldæorum. Lxx. ἐκ τῆς γῆς ἧς ἐγεννήθην, è terra in qua natus sum. Onkelos & Jonathan מארע ילדותי. Fagius, *de terra cognationis meæ.* Est cur malim, *è terra nativitatis meæ.* Quanquam ילדות idem cum מולדת. ¶ *Locutus est mihi*] דבר לי. Lxx. ἐλάλησέ μοι. Hiero. *locutus est mihi.* Onkelos & Jonathan, מליל לי. Idem efficit אל ad me. Fallit ergo & fallitur R. Salomo, qui לי cum verbo דבר constructum, significare ait semper עלי de me. ¶ *Juravit mihi*] cum transiret inter secta animalia fœdus mecum percutiens Gen. 15, 18. Nam qui fœdus inibant, etiam jurabant. Porro jurisjurandi mentio & 22, 16. ¶ *Mittet angelum suum*] Abenezra mavult *mittat angelum suum*, ut sit optantis. *Nam si est*, inquit, *prophetia, quare dicit, Si mulier noluerit te sequi?* ¶ *Angelum suum ante te*] qui dux itineris sit, actionesque tuas dirigat & ad optatum finem perducat. ¶ *Et accipies*] vel, *ut accipias.* ¶ *Purus eris*] liber ac solutus. q. d. non teneberis eo amplius. Lxx καθαρὸς ἔσῃ. Onkelos, זכאי תהי. Jonathan, זכאי תהי. Hiero. *non teneberis.* Santes, *mundus eris.* Trem. *insons eris.* ¶ *A jurejurando meo hoc*] quo te nunc obstringo, & quod à te exigo.

9. *Ita posuit servus manum suam sub femore Abraham Domini sui: juravitque ei super hac re.*

Sub femore] *sub parte circumcisa.* Jonathan. ¶ *Domini sui*] אדניו terminatio pluralis sensu singulari, ut Malach. 1. 6. אם אדונים אני *si Dominus ego sum.* Sic בעלים usurpatur Jes. 1. 3. Sic אלהים passim de uno Deo. Hæc cum trita sint, mirum est Rabbinos talia ignorare.

10. *Postea accepit servus decem camelos ex camelis Domini sui, & abiit & omnia bona domini ipsius in manu ipsius: & surrexit & abiit in Syriam interamnem, in urbem Nachor.*

Decem camelos] Asiatici cameli duos gibbos habent, oneribus gestandis & equitationi pariter accommodi. Joan. Leo, in descript. Africæ lib. 9. ¶ *Domini sui*] בעליו ut supra, significatio singularis terminatione plurali. ¶ *Omnia bona*] i. omnis generis, ut Exodi 9. 6. *Mortuum est omne pecus Ægypti.* Sophon 2. 14. *cubabunt in ea omnes bestiæ gentium.* Math. 4. 23. *sanans omnem morbum.* Vide quæ scripsimus Animad lib. 2. cap. 18. Quidam explicant *omnia* i. pleraque aut multa. Hesychius, πάντες ἀντὶ τῦ οἱ πολλοί. Hiero. in Comment. Jerem. 9. 26. Omnis pro pleraque parte, ut *omnes gentes præputium habent.* Nam & gentes quædam circumcidebantur, ut Ægyptii, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes, &c. Zacharias in unum de quatuor ex Hiero. *Unus canon scripturarum est omnia non ad totum referri, sed ad partem maximam, ut ibi, Omnes qui fuerunt ante me fures fuerunt & latrones: &, omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* ¶ *Domini ipsius in manu ipsius*] vel, *Domini sui habebat in manu sua.* Lxx. καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν τοῦ κυρίου αὐτοῦ μεθ' ἑαυτοῦ. Sub. ἔλαβεν, Hiero. *ex omnibus bonis ejus portans secum.* Onkelos וכל טוב רבוניה בידיה & omne bonum domini ipsius in manu ipsius i. omnia bona. Fagius reddit, *de omni bono* &c. In alio codice repperi כל שפר, quicquid pulchrum erat. Id plenius dicunt Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *quicquid pulcrum erat ex apotheca domini ipsius in manu ejus erat.* ¶ *Surrexit*] accinxit se itineri. ¶ *In Syriam interamnem*] εἰς τὴν μεσοποταμίαν, quæ Ebraice ארם נהרים dicitur Chaldaice, *Syria, quæ ad Euphratem.* ¶ *In urbem Nachor*] εἰς τὴν πόλιν Ναχώρ, i. Carras. Et dicitur urbs aut civitas Nachor, non quod in ea natus esset, sed quod ibi habitasset toto illo tempore quo Chaldæam reliquerat. Sic sane Capharnaum vocatur civitas Jesu i. πόλις Ἰησοῦ. Porro ab Hebron Carras usque Ebræi statuunt iter 17 dierum. Quod notatum & in Genesi magno & eo libro qui Jalcut vocatur. Ab Hebron non longe aberat Bersabe. Hinc ad Carras usque Ptolemæus ponit, teste Mercero, 8 gradus, qui facere dicuntur miliaria Germanica 120.

11. *Et recumbere fecit camelos extra urbem ad puteum aquæ, tempore vespertino, quo tempore egrediuntur haurientes.*

Et recumbere fecit] ויברך fecit ut in genua procumberent, ut genua flecterent, quod Aquila dixit ἐγονάτισεν nove usurpans γονατίζω pro ingeniculare facio, cum potius denotet, genua flecto. Solent autem cameli cum recumbunt in genua recumbere. Genu autem ברך dicitur, unde הִבְרִיךְ facio ingeniculare, facio ut genua flectat. Onkelos edidit, וְאַשְׁרִי & *collocavit:* Jonathan ארבע. Mirum ni Jonathan scripsit ארכיע. Nam כרע incurvo me. רכע eo significatu non memini legere. Si tamen probum est, erit ארכע pro ארכיע litteris transpositis. Posset etiam legi ארכיב fecit ut procumberent in genua, quæ ארכובן appellantur. Nihil affirmo. Nam verbum ab hoc nomine nullum est, quod quidem usitatum sit aut in Lexicis inveniatur. ¶ *Ad puteum*] i. juxta vel prope puteum. Sic Livius, *ad Capuam castra locant.* Idem, *habes hortos ad Tyberim.* אל pro עַל etiam Hiero. accepit, qui transfert, *juxta puteum aquæ.* Item Lxx. παρὰ τὸ φρέαρ, ut Acto. 4. παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων: ad pedes Apostolorum. i. prope, juxta Ionathan עם בירא דמיא apud puteum aquæ. Interpres Fagius, *juxta puteum.* ¶ *Tempore vespertino*] לעת ערב sub tempus vespertinum. Hiero. *vespere.* Lxx. τὸ πρὸς ὀψέ: ad vesperum. Onkelos & Jonathan, לעדן רמשא. ¶ *Haurientes*] haustrices, & *haurientes aquam*, aquatrices. Ebraice השאבת. Lxx. αἱ ὑδρευόμεναι, aquam haurientes, aquatrices. Id uno verbo dicunt, *aquari.* Hiero. *ad hauriendam aquam.* Onkelos & Jonathan מליאתא haurientes, replentes. ¶ *Egrediuntur*] egredi solent.

12. *Et dixit* DOMINE *Deus domini mei Abrahami, fac ut occurrat nunc mihi hodie, & fac benignitatem cum Domino meo Abrahamo.*

13. *Ecce ego sto ad fontem aquæ & filiæ civium egrediuntur ad hauriendum aquam.*

14. *Si puella cui ego dixero, Inclina nunc hydriam tuam ut bibam & dixerit, Bibe, quinetiam camelis tuis potum dabo, sit ea quam argueris servo tuo Isahaco, ut per hoc sciam quod feceris benignitatem cum domino meo.*

Fac ut occurrat mihi] הקרה לפני fac occurrere coram me.

Vult

Vult dicere, ut occurrat sive obviam veniat mihi : & subintelligitur, puella herili filio destinata. Jonathan זמן כען איתא קדמי praepara mulierem aptam coram me. זמן idem efficit cum קדמי ante me, coram me. i. mihi, quod ad verbum *praepara* referendum. איתא מזמנא in lingua sapientum appellatur אשה מזמנת mulier conveniens & accommoda, decens, apta, idonea, honesta. הקרה etiam Onkelos reddit זמן i. praepara. Quanquam in Fagio, *dispone*. In הקרה est significatio casus & rei fortuitae, ut possis vertere, *fac ut forte occurrat mihi*. Sed apud Deum nihil fortuitum : ideo melius ut omittatur *forte*. Hiero. *Occurre obsecro mihi*. Lxx. εὐόδωσον ἐναντίον ἐμοῦ : prosperum iter mihi da, vel, dirige iter meum coram me. Nam εὐοδῶ dirigo. i. κατευθύνω. Licet etiam vertere, *prosperum successum mihi da*. ❡ *Fac benignitatem cum Domino meo*] utere benignitate erga dominum meum, vel confer benignitatem in dominum meum, & fac et beneficium. Nam חסד etiam beneficium. On & Jon. טיבו reddunt i. bonitatem sive beneficentiam. Lxx. ἔλεος. Hiero. *Misericordiam*. Facere beneficium dixit Gellius lib. 7. cap. 20. ❡ *Ecce ego sto*] הנה אנכי נצב. Hiero. *ecce ego sto*. Lxx. ἰδὲ ἐγὼ ἕστηκα ecce ego steti. Interpres recentior, *consisto* : & alius *adsto*. Onkelos קאים. Jonathan קאי stans i. sto. קאים pro קאי cum Joth reperitur & Dan. 2. & 3. Esset alioqui קאי & omnino Joth otium agit. ❡ *Ad fontem*] nunc fontem vocat quem modo puteum dixerat. Hiero. *prope fontem*. Santes, *juxta fontem*. Lxx. ἐπὶ τῆς πηγῆς, quod reddunt, *super fontem*. Hinc intelligentiam habet, *super maria fundavit eam*. ❡ *Filiae civium*] בנות אנשי העיר filiae virorum aut hominum civitatis. i. civium. Hiero. *filiae habitatorum hujus civitatis*. יושבי העיר. Lxx. θυγατέρες τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν. Ad sensum non male. Nam *habitatores civitatis* & *viri civitatis* se invicem explicant. Hunc Ebraismum servant Chaldaei. Dicunt enim certe אנשי קרתא viri urbis. ❡ *Inclina*] הטי, ἐπίκλινον. Chaldaice ארכיני. Gallica editio, *baisse*, dimitte. Alia, *depone*. ❡ *Hydriam tuam*] כדך. Lxx. τὴν ὑδρίαν σου. Hiero. *hydriam tuam*. Alius, urnam tuam. Onkelos קולתך *urceum tuum*. Jonathan לגינך *lagenam tuam*. A כד est κάδος, ut à פח βάτος, à קב cabus. Lexicon vetus, κάδος, *situla*, *situlus*. Est autem situla eadem cum hydria, vas quo aqua hauritur. Urceus & aqualis vas est quo aqua infunditur. ❡ *Potum dabo*] ποτιῶ. ❡ *Sit ea quam argueris*] אתה הכחת eam arguisti i. comprobasti hoc indicio eam esse quam herili filio destinaveris. Hiero. *ipsa est quam praeparasti*. Sic Graeci Lxx. ταύτην ἡτοίμασας. Jonathan quoque & Onkelos יתה זמינתא eam praeparasti. Nec aliter Santes. Trem. *sit ea quam destinaveris*. Gallica, *soit celle que tu as assignée*. Schol. Graec. ἀπέδειξας, ostendisti, demonstrasti. Vide Frag. Antonius Rodolphus Cevallerius mihi olim hunc locum exponebat; *Manifestasti ac palam ostendisti servo tuo &c*. R. Salomo interpretatur בירורת comprobasti, declarasti, q. diceret, clarum ac perspicuum reddidisti eam esse quam quaero servo tuo Isahaco. Alius, *corripuisti & instituisti eam* : quod minus se probat mihi. ❡ *Per hoc*] בה, ἐν τούτῳ: per hanc rem. Alii, *per eam puellam*, quod Mercero probatur maxime, nec mihi displicet. Quidam, *per hanc precem* sive *precationem*. ❡ *Sciam*] cognoscam, experiar. ❡ *Quod feceris benignitatem cum Domino meo*] quod egeris benigne cum eo, quod benefeceris ei, sive quod usus sis benignitate in eum.

15 *Fuit autem priusquam ipse absolvisset loqui ut ecce Rebecca egrederetur, quae nata fuerat Bathueli filio Melcha uxori Nachor fratris Abrahami : & hydria ejus erat super humerum ipsius.*

Priusquam ipse absolvisset loqui] antequam finem dicendi fecisset. Lxx. πρὸ τοῦ συντελέσαι αὐτὸν λαλοῦντα ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ. Hier. *necdum intra se verba compleverat*. Jonathan, *ipse nondum desierat loqui*. Onkelos, *finierat*, *absolverat*. ❡ *Egrederetur*] extra urbem ad hauriendam aquam cum ceteris aquatricibus. ❡ *Rebecca*] Ῥεβέκκα. Talis est antiqua lectio. Hodie legunt רִבְקָה Ribca. Id sonat σιτευτήριον i. saginarium, quod in textu sacro מרבק dicitur. De quo in hunc modum R. David, מרבק *locus est saginandis vitulis*, *cui simile in monumentis doctorum nostrorum felicis memoriae*, רבקה. Dialectus Chaldaica scribit רבקא per Aleph in fine. Lexicon Munsteri רבקא saginatio Jerem. 46. potius saginarium. Nam in fonte מרבק. Sic alibi כגו רבקא è medio saginarii. Locus est Amos 6. 4. nisi fallor. Scribitur & רבקא. Salomo Trecensis interpretatur dicens significare locum in quo vituli congregantur, vernacule שטבל. Forte caula. Ut hic רבקה a saginando, sic uxor quaedam Davidis vocatur עגלה. i. vitula. Cujusmodi nomina mulierum sunt רחל Rachel, ovis: צביה caprea, (unde Tabitha in Actis Apostolorum. i. טביתא. Nam Syri צ, sade cum Teth permutant) יעלה ibex, rupicapra; aut, ut Canio placet, hyrcus silvestris. ❡ *Quae nata fuerat Bathueli*] ἣ ἐτέχθη τῷ Βαθουήλ. i. nata ex Bathuele, sive filia Bathuel, ut recte Hier. explicat. ❡ *Bathueli*] nunc Bethueli. Nam בתואל in fonte. Interpretantur *virgo Dei* i. בתולת אל. Etymologia haec longe petita est, nec viro convenit. Bathuel, ut שמואל Samuel, שלמה Salomo, רפאים Raphaim, כנען Chanaan. Scire licet veteres scheva saepius per a expressisse. Quod infinitis exemplis probari potest. ❡ *Et hydria ejus super humerum ipsius*] וכדה על שכמה. Lxx. ἔχουσα τὴν ὑδρίαν ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῆς. Hier. *habens hydriam in scapula sua*. Scapula proprie כתף dicitur. Quo vocabulo usi hic sunt Onkelos & Jonathan. Solent alioquin interpretes humerum cum scapula confundere.

16. *Et puella erat bona aspectu valde, virgo incognita viro, quae descendit ad fontem & replevit hydriam suam, deinde ascendit.*

Puella] הַנַּעֲרָה. Ita legendum, licet in scriptura sit נער. De quo nos admonuerunt Massoritae. Ceterum Lxx. hic habent ἡ παρθένος, הבתולה: & Onkelos עולימתא adolescentula: & Jonathan רבא i. puella, ut Ruth 1. אלו אנא רבא, *si essem ego puella*: & cap. 2. רבא מואביתא היא דתבת עם נעמי puella Moabitica. Sic etiam Hier. quem secutus sum. ❡ *Bona adspectu valde*] טבת מראה מאד. Lxx. καλὴ τῇ ὄψει σφόδρα. Hier. *decora nimis*. Onkelos & Jonathan, *pulchra visu sive aspectu admodum*. Ut טובה utrumque, ita καλὸν & bonum & pulchrum significat. Sic Terentius, *ut ni vis boni in ipsa inesset forma, haec formam extinguerent*. Et in Eunucho, de pulchritudine quum rogaret Gnatho, quid tibi videtur hoc mancipium, respondet Parmeno, *non malum* i. non deforme. Posses reddere, *forma bona* nimis i. pulchra, decora. ❡ *Virgo, incognita viro*] בתולה ואיש לא ידעה, virgo, & vir non cognoverat eam i. non habuerat rem aut consuetudinem cum ea. Sic habere notitiam foeminae dixit Caesar. Sed quare adiecit *incognita viro* ? An virgo dici potest post cognitum virum ? Sane Virgilius virginem appellat Pasiphaen post liberos susceptos, Eclog. 6. *Ah virgo infelix tu nunc in montibus erras*. Ad quem locum Servius, *Virgo*, inquit, *a viridiore aetate*. *Nam jam mater fuerat Phedra*, *Ariadnes*, *Androgei*. Sciendum virgines esse nomine tenus duntaxat. Ergo ad majorem declarationem adjecit, *ignota viro*. Quod tale est ut si dicas, virgo incorrupta, aut intacta, aut minime imminuta, quam Lucilius *virginem signatam* dixit, Terentius, *integram a viro*. Cui respondet e contrario, virgo corrupta & imminuta. Porro imminuere virginem est quod vulgo dicunt devirginare, Graeci διαπαρθενεύειν. Hunc locum Lxx. interpretantur παρθένος ἦν, ἀνὴρ οὐκ ἔγνω αὐτήν. Hier. *virgo pulcherrima & incognita viro*. Jonathan, *virgo*, *& vir non cognoverat eam concumbendo cum ea*. ❡ *Descendit*] vel, *descendebat*. Sic *replebat & ascendebat*. Videtur autem fons ille in loco humili fuisse depressoque, ut ideo usus sit verbis descendendi & ascendendi. ❡ *Ascendit*] ἀνέβη. Hier. *revertebatur*. ותעל.

17. *Et cucurrit servus in occursum ejus & dixit, sine ut sorbeam quaeso pauxillum aquae ex hydria tua.*

18. *Quae dixit, Bibe, Domine mi, acceleravitque & dimisit hydriam suam super manum suam, bibendumque ei dedit.*

Sine ut sorbeam] הגמיאיני fac sorbere me. Lxx. πότισόν με. Hier. *ad bibendum praebe*. Onkelos, *potandum da*. Jonathan, *gustandum praebe mihi*. לשון גמיעה ait R. Salomo, vernacule הומר i. humer. R. David in libro ubi vocum sensa collegit, השקני *da potandum mihi*. Arias, *refrigera me*. Santes, *potum da mihi*. Trem. *sine me sorbere*. Gal. *donne moi à boire*. ❡ *Quae dixit*] i. respondit. Ita Hier. Cave damnes. Nam dicere & respondere vicissim permutantur. ❡ *Acceleravitque & dimisit*] properavit dimittere, vel properanter dimisit. Lxx. καὶ ἔσπευσεν καὶ καθεῖλε. Hier. *celeriterque deposuit*. Onkelos & Jonathan, *acceleravit & descendere fecit*. i. dimisit potius quam deposuit, cum ecce sequatur, *super manum suam*. Nam deponimus proprie in terram. ❡ *Super manum suam*] על ידה. Lxx. ἐπὶ τὸν βραχίονα αὐτῆς. על ורועה. Hier. *super ulnam suam*. Est autem ulna majus os lacerti, πῆχυς sive ὠλένη. Sed Hiero. pro brachio usurpat. Sic etiam Latini. Catullus, *Tremula patris dormientis in ulna*. Graece ὠλένη. In adversariis meis notavi, manum, hoc est יד, & Ebraice & Chaldaice interdum pro brachio usurpari. In Lexico Hesychii ὠλέναις, unde Servius derivatum dicit Latinum vocabulum *ulnas*, exponitur βραχίοσιν, ἀγκάλαις, χερσίν. Plura de hac voce alias.

19. *Cumque absolvisset potum ei dare, dixit, Etiam camelis tuis hauriam donec absolverint bibere.*

20. *Et acceleravit effuditque hydriam suam in canalem, & cucurrit adhuc ad puteum ad hauriendum, ac hausit omnibus camelis ejus.*

Cumque absolvisset] ותכל & absolvit aut consummavit. Idem dicit ושיציאת quod in Onkelo. Nam Jonathan edidit ופסקת & cessavit

cessavit sive desiit, ut Græci ἐπαύσατο. ¶ *Potum ei dare*] להשקתו potandum aut bibendum ei dare, quod uno verbo Græci ποτίζειν dicunt. ¶ *Donec*] עד אם quousque i. עד כי. Onkelos & Jonathan עד די i. עד אשר. Lxx. ἕως ἄν. ¶ *Absolverint*] compleverint, finierint. Onkelos & Jonathan, desierint, cessaverint. Lxx. ἕως ἂν πᾶσαι πίωσι: donec omnes biberint. Hier. *donec cuncti bibant.* ¶ *Effuditque*] ותער. Lxx. ἐξεκένωσε evacuavit, exinanivit. Sic interpretantur Psal. 137. 7. ערו. Lxx. ἐκκενοῦτε, & Hiero. *evacuate.* Item Psal. 141. 8. אל תער. Aquila, μὴ ἐκκενώσῃς. Theodotio, μὴ ἀποκενώσῃς. Hier. *ne evacues.* Onkelos hic habet ונגת quod reddunt, *& effudit*, cum possit verti, evacuavit. Sane Jerem. 48. ונפצו Doctores exponunt teste Camio, כריקו evacuabunt. Hinc ערה effusio. Usus est R. Salomo. Idem annotat in Deuterosi Ebræorum crebrum esse ערה in hoc significatu, ut cum dicunt המערה מכלי אל כלי qui effundit de vase in vas. Jonathan ודליקנת. Forte legendum ודיקנת & evacuavit. Sane Thren. 1. 1. אתרוקנת fuit evacuata. S. non est menda tum R in L mutavit. Nam hæ litteræ alternant Sic in sermone Græco κλίβανος & κρίβανος. ¶ *In canalem*] אל השקת. Lxx. εἰς τὸ ποτιστήριον. Interpres, *in canalem.* Lexicon vetus, ποτιστήριον *popina.* Vulgata Lexica, ποτιστήριον, *canalis.* Puto hinc desumptum. Thesaurus H. Stephani, ποτιστήριον *in V.T. ex Græcis Bibl. interp. adfertur pro canali.* Onkelos לבית שקיא. Interpres Fagius, *in canale.* Proprie significat locum aquationis. ποτίστρα Græci vocant, ubi pecudes aquantur. Hier. *in canalibus.* Santes, *in canale.* Gallica editio, *en l'auge.* Id exponitur, *aqualiculus.* Secuti ergo sunt Tremellium, qui vertit, *in aqualiculum. Auge* etiam alveus redditur & שקת linter. Sic Virgilius appellat lignum excavatum ex quo aquantur animalia. Nam aqualiculus proprie porcorum est. R. Salomo, שקת *lapis excavatus, ex quo aquantur cameli.* Puto latius patere. David Camius in libro ubi vocum sensa explicat, *locus ubi aquantur jumenta vocatur* שקת. Ergo & lintrem denotat, qui ex ligno, & lapidem excavatum, & lacum ex quo animalia potant. Etymon expresserunt Lxx. cum ποτιστήριον redderent. ¶ *Ad puteum*] ad puteum aquæ vivæ, qui idem efficit cum fonte: unde supra fons appellatur.

21. *Et vir stupebat ad eam tacitus* (*considerans*) *an prosperasset* DOMINUS *viam suam necne.*

Stupebat] משתאה attonitus erat, obstupescebat. Radix שאה. Scholia Ebraica enarrant verbo משתומם. Notabis autem, præter morem tseri esse sub Aleph, cum in aliis verbis illius ordinis sit segol ante He. Hæc forma non reperitur alibi. Quod notatum in Massora. Quanquam in editione Veneta secunda משתאה cum segol. לה quod vertimus *ad eam*, alii reddunt, *super ea*: alii, *de ea* aut *propter eam* i. בשבילה. Hunc locum Onkelos interpretatur שדי בה מסתכל i. Vertente Fagio, *admirabatur eam attendens.* Malim, *stupebat eam contemplans.* Jonathan, הוה מסכי לה expectabat eam. Lxx. κατεμάνθανεν αὐτὴν, considerabat eam. Hier. *contemplabatur eam.* Probarem si esset, *attonitus* aut *obstupefactus contemplabatur.* Nam unum verbum pro duobus ponitur. Itaque adjecimus, quod in fonte non habetur, *considerans* sive *contemplans.* Id conjunximus cum voce, *tacitus.* Melius esse puto ut legamus, *stupebat eam contemplans.* Ut משתאה sit cum stupore aliquid contemplari. *Stupebat* ergo *ad eam* i. stupebat contemplans eam. ¶ *Tacitus considerans*] מחריש לדעת tacens ut cognosceret. מחריש ad verb. obmutescens. Hoc Galli dixerunt *considerant sans sonner mot pour savoir.* Trem. *tacitus observans ut cognosceret.* Lxx. καὶ παρεσιώπα τοῦ γνῶναι, tacebat ut sciret. Hiero. *tacitus scire volens.* Onkelos, שתיק למדע *tacens ut sciret.* Jonathan, ושתיק למנדע & tacebat ut cognosceret. ¶ *An prosperasset* DOMINUS *viam suam necne.*] Lxx. εἰ εὐόδωκε, κύριος τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, ἢ οὔ. Hiero. *utrum prosperum iter suum fecisset* DOMINUS *an non.* ¶ *Prosperasset*] secundasset. ¶ *Necne*] אם לא sinon. Notum ut (*si*) pro *an* usurpetur. Sic in Latio, *Si domi est rogas.*

22. *Fuit autem quum absolvissent cameli bibere, ut acciperet vir ille inaurem auream pondo dimidii sicli, & duas armillas super manus ejus pondo decem aureorum.*

Quum absolvissent cameli bibere] quum finem bibendi fecissent. Onkelos, & Jonathan, *quum cessassent sive desiissent bibere.* Lxx. Ἡνίκα ἐπαύσαντο πίνουσαι, videlicet αἱ κάμηλοι. Sic enim reddunt הגמלים ac si cameli fœminæ fuissent. Quod ex textu certum non est. Hiero. *postquam autem biberunt cameli.* ¶ *Quum*] כאשר quum sive cum, id est postquam, ὡς ὅτε; ut apud Plautum, *Jam biennium est quum mecum ille esse cœpit.* Sic in Chaldaismo usurpatur כד & כדי: quorum illo hic Onk. isto Jonathan usus est. ¶ *Inaurem auream*] נזם זהב inaurem auri. i. auream. Hiero. *inaures aureas* נזמי זהב. Sic quoque Lxx. ἐνώτια χρυσᾶ. נזם non tam inauris, quam ornamentum narium, quod ἐπιῤῥίνιον appellant: unde נזמי האף Jes. 3. 20. August. in Quæst. ex utroque mixtim, *Mos Maurorum est ut inaures etiam in naribus habeant fœmina.* Quomodo in naribus? Nam inaures proprie ab auribus dependent. Scire licet inaurem esse id quod Græci vocant ἐνώτιον, abusive autem sumitur ἀντὶ ἐπιῤῥινίου. i. נזם. Quæ vox nescio an in usu sit Græcis autoribus. Nam eo labor ut credam à Symmacho effictam, quia ea usus est. Job. 42. 11. ubi codices habent ἐπίῤῥινον. Aquila vero & Theodotio ἐνώτιον: item Ezech. 16. 12. ad quem locum Hiero. *Verbum Ebraicum NEZEM, excepto Symmacho, qui interpretatus est, ἐπιῤῥίνιον, omnes inaurem transtulerunt: non quo inaures ponantur in naribus, quæ ex eo quod de auribus pendeant inaures vocantur: sed quo circulus in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur, & usque hodie inter cetera ornamenta mulierum, solent aures circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Notavi hoc olim in Observationibus. Qui legerunt, sciunt me verum dicere. Onk. & Jonathan קדשא דדהבא i. Fagio interpretante, *inaurem auream.* Nam קדשא declaratio τοῦ נזם in lingua Chaldæorum. Munsteri λέξεις, קדשא *monile, inauris.* Sic Tremell. נזם זהב *monile aureum*, cum monile proprie sit gutturis & colli ornamentum, ὅρμος Græce: Gallica editio *une bague d'or.* Id latissime patet, & tam monile quam inaurem comprehendit. i. נזם quæ vox etiam ἐνώτιον significat i. inaurem proprie dictam, ut Gen. 35. ואת הנזמים אשר באזניהם & inaures quæ in auribus eorum. ¶ *Pondo dimidii sicli*] בקע משקלו dimidium sicli pondus ejus. Hiero. *appendentes siclos duos.* Quid vidit cum ita verteret? Nam alibi aliter vertit. Mox locum producam. Lxx. ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς. Interpres Romanus, *singularum drachmarum ponderis.* Ceterum in uno codice pervetusto, ἀνὰ δίδραχμον legitur: quam lectionem secutus est Hiero. in Quæst. Ebraicis, cum ita verteret, *& tulit vir inaurem auream: didrachmum pondus ejus.* Lectio in omnes partes melior. Nam dimidius siclus sanctuarii didrachmus erat. Hoc antea notavi. Onkelos, תקלא מתקלה quod Fagius reddit, *cujus pondus siclum valebat.* Posses reddere, *sicli pondo* aut *pondere*, si modo תקלא est siclus. Quod etiam Mercerus existimavit. Jonathan, דרכמונא מתקלה drachma pondus ejus. Bona interpretatio. Nam siclus vulgaris didrachmus erat, ejus dimidium drachma. Abenezra בקע dimidium sicli. i. חצי שקל. Appellatio à scindendo. Nam בקע scindo sive findo. R. David in libro Radicum, בקע dimidius siclus eo quod sit pars scissa à siclo. Verba sunt, מחצית השקל לפי שנבקע משקל. In Scholiis Hiscuni, *siclus devisus in duas partes vocatur* בקע *à* בקע *scindo*, findo. R. Salomo innui putat dimidium siclum, quem postea Israelitæ in singula capita pendebant, cum census ageretur. Qua de re lex exstat. Exod. 30. Jonathan, cujus modo mentionem feci, *drachma pondus ejus, respectu drachmæ, quam in singula capita pendebant filii ejus ad opus sanctuarii.* Santes, *Semissis pondus ejus.* Arias, *dimidium sicli.* Trem. *cujus pondus erat dimidiati sicli*: Gal. *pesante un demi sicle.* i. appendentem dimidium siclum. ¶ *Duas armillas*] שני צמידים. Lxx. δύο ψέλια. i. duas armillas, aut duo brachiola. Hoc significatu Ambrosius dixit, *duas virias.* Nam viria sive viriola, armilla. Lex: Græc. Lat. Vetus, ψέλιον, viriola, armilla, & Latino-Græcum, Viriola, κλάνιον, ψέλιον. Viriolæ κλάνια ψέλια. Viriolæ, περιχείρια. Hic notabis promiscue scribi ψέλιον & ψέλλιον. Dicunt etiam ψάλιον pro armilla. Plinius *brachiale* vocat. Pro *virias* Hiero. hic & alibi *armillas* reddit. Onk. & Jon. תרין שירין. Fagius interpretatur *armillas.* Sic etiam Munsterus in Lexico Chaldaico, cui & שיר sive שירא armilla. Proprie catenula: unde σειρὰ ἀπὸ σειρᾶς, catena, ἡ ἅλυσις., vinculum. ¶ *Super manus ejus*] על ידיה. Lxx. ἐπὶ τὰς χεῖρας αὐτῆς. Aliquid desideratur. Jonathan *& duas armillas posuit super manus ejus.* Ita sæpe unum verbum pro duobus ponitur. *Accepit* ergo *super manus* pro accepit & posuit. Sic alibi; *Capies carbones ignis super caput ejus*, pro capies & pones. Quanquam ibi aliud verbum in Ebræo. Tremell. *imponens manibus ejus.* Gallica, *pour mettre sur ses mains*, ut poneret super manus suas לתת על ידיה. Santes, *pro manibus ejus.* Hic manuum vocabulo etiam brachium significari putarim. Nam & ideo brachialia vocantur. ¶ *Pondo decem aureorum*] עשרה זהב משקלם decem aureorum pondus earum. Onkelos, *Pondus decem siclorum auri pondus earum.* Jonathan, *Pondus decem siclorum auri summa ponderis earum respectu duarum tabularum in quibus scripta decem præcepta.* R. Salomo, *duas armillas, innuit duas tabulas legis: decem aureorum pondus earum, innuit decem præcepta quæ in illis.*

Hæc

Hæc allegorica & parum solida sunt. Redeamus ad interpretes. Lxx. δέκα χρυσῶν ὁλκὴ αὐτῶν: decem aureorum pondus earum. Hiero. *pondo siclorum decem.* עשרה שקל משקלם Santes, *decem aurei pondus earum.* Trem. *quarum pondus erat decem aureorum.* Gallica, *pesans dix sicles d'or*: appendentes decem siclos auri sive aureos: de siclo aureo & argenteo alias.

23. *Et dixit, Filia cujus tu es? indica nunc mihi: an est in domo patris tui locus nobis ad pernoctandum?*

Dixit] vel, *dixerat*, nempe priusquam daret ei inaurem & armillas. ❡ *Filia cujus es?*] θυγάτηρ τίνος εἶ. Lxx. *cujus filia es?* Hiero. בת מן את. On. & Jon. Nisi quod in Jonatha בת pro בת. Utrumque probum est. ❡ *Indica nunc mihi*] vel, *indica, quaso, mihi*: Galli hoc dicunt, *Je te prie.* Ceteri referunt *nunc* i. כען vel כדון. Pro *indica* i. חוי, quod in Onk. Jonathan edidit תני doce, unde תנאים doctores, quos Deuterotas appellant. Dicunt etiam תני רבנן Vide Quæst. meas. ❡ *In domo patris tui*] vel, *domi patris tui.* Ebraice בית אביך plenum autem esset בבית in domo. Lxx. παρὰ τῷ πατρί σου, *apud patrem tuum.* ❡ *Locus*] *Locus accommodus.* On. & Jon. ❡ *Ad pernoctandum*] τοῦ καταλῦσαι. Ebraice ללין quod R. Salomo subtilius quam verius exponit לינה אחת ad pernoctandum semel aut una nocte, ac si nomen esset, cum sit gerundium pro להלין cujus eadem vis cum illo quod puella respondet ללון. Itaque Chaldæi Græcique, nec non Hiero. utrobique reddunt למבת τοῦ καταλῦσαι ad manendum.

24. *Quæ dixit ei, Filia Bathuelis ego sum, filii Melchæ, quem peperit Nachori.*

25. *Item dixit ei, Etiam palea etiam pabulum multum nobiscum est, etiam locus ad pernoctandum.*

Filii Melchæ, quem peperit Nachori] Lxx. τοῦ μελχᾶς, ὃν ἔτεκε τῷ ναχώρ. Hunc ordinem Hiero. invertit, salva tamen sententia, *filii Nachoris quem peperit ei Melcha.* Porro Melchæ nomen adjectum, ut credibile, ne fortean ex concubina natam servus suspicaretur. ❡ *Etiam palea*] repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex sequentibus רב, ut sit *palea multa*, quod Hiero. dixit, *palearum multum*, Lxx. ἄχυρα paleæ. Hujus singularis ἄχυρον, acus, palea. Lexicon vetus, *hoc palearium.* Idem Lexicon, *paleas* ἄχυρα. Ebraice תבן Chaldaice תבנא Editio Tremell. *Stramen.* Sic etiam Elias in Nomenclatura. Stramen sive stramentum terræ hæret & postea subsecatur: palea dicitur ubi cum stipula teritur in area. ❡ *Pabulum multum*] מספוא רב. Lxx. χορτάσματα πολλά, pabula multa. Lexicon vetus, *Pabulum*, πόα, χόρτασμα νομή. Nam eo satiantur animalia. Idem Lexicon, χορτάζω, *saturo*, *satio.* Hiero. *fœni plurimum.* Fœnum χόρτος dicitur, unde χορτάζω gramine sive fœno aliquem pasco aut saturo. Onk. כסתא סגי pabulum multum. כסתא quicquid jumentis in cibum apponitur excepta palea. Jonathan, אספסתא Aruch interpretatur מאכל בהמה cibus jumentorum i. pabulum. Munsteri λέξεις, *migma*, *arena.* Migma i. μίγμα, farrago, proprie mixtura sive mistura, miscella. Legitur & Job. 6. 5. in Thargum, ubi Ebraice בליל quod etiam reddunt pabulum. Sane R. David in libro ubi vocum sensa collegit exponit מספוא. Quidam vocem Persicam esse arbitrantur. Sunt etiam qui ab אסף deducunt, ut sit אספסתא pro מאספסתא collectum ex pluribus herbis pabulum significans. David Camius interpretatur dicens esse gramen, quo pascuntur jumenta. Forte ἄγρωστις aut aliquid simile mihi videtur esse herba illa quæ in libris Arabum Asfest אספסת dicitur: de qua in hunc modum Andreas Bellunensis, *Alasfes, autor Edenbitar, vox Persica, idem significans quod fasfasa, quæ est species trifolii, quod datur equis saginandis, & in Syria pabulum est pecorum omnium: Siccum appellant Cot sive Alcot: recens Alratbe* אלרטב. Quidam in ea opinione sunt ut putent esse medicam Plinii, quam scribit esse similem trifolio, caule foliisque geniculatam. Hispani hodie utuntur loco pabuli herba quam Alfalfes vocant, quæ vox corrupta putatur ex Alasfest. Apud Avicennam legimus, Alfasafit, Alaselet, Alistiscat pro Alfastasa sive Alasfest. Tantum de אספסתא. Redeo nunc domum. De מספוא Abenezra, *Nomen*, inquit, *est pabulum denotans hoc est cibum jumentorum, & latissime patet ita ut etiam hordeum sub se comprehendat.* R. David in Lexico Ebraico, *Nomen est generale ad omnem cibum jumentorum ut sunt hordea &c. præter paleam.* Cui firmando Elias adducit hunc locum Geneseos, *Et aperuit unus saccum suum ut daret pabulum asino suo.* Nam palea non solet sacco includi. Contra R. Salo. *Omne pabulum camelorum vocatur* מספוא *ut sunt palea & hordea.* Minus hoc se probat mihi. ❡ *Nobiscum*] παρ' ἡμῖν, apud nos. ❡ *Locus*] τόπος. On. & Jon. אתר כשר *locus accommodus*, sive, ut Fagius interpretatur, *idoneus.*

26. *Et inclinavit se vir & adoravit* DOMINUM.

27. *Et dixit. Benedictus sit* DOMINUS *Deus Domini mei Abrahami, qui non dereliquerit benignitatem suam & veritatem suam à Domino meo: ego in via eram, duxit me* DOMINUS *in domum fratrum Domini mei.*

Inclinavit se] ita Hiero. ויקד proprie, *inclinavit verticem.* Radix קדד & ab ea קדקד vertex. Onk. וכרע quod Fagius convertit, *flexit genua*, malim *incurvavit se.* Jonathan וגחן & *curvavit se.* Et respondet כרע apud Ebræos. A priore verbo nomen est ברכין quo crura significant, quæ Ebræis ברכים appellantur. ❡ *Adoravit* DOMINUM] prostravit se aut procubuit coram DOMINO. ❡ *Benedictus*] laudandus. ❡ DOMINUS] *nomen* DOMINI. Jonathan. ❡ *Qui non dereliquerit*] אשר לא עזב qui non deseruit aut dereliquit i. abstulit aut prohibuit. Hoc Chaldæi ediderunt, illud Hieron. Lxx. οὐκ ἐγκατέλιπε, non dereliquit. Gallica, *qui n'a point desisté d'exercer.* non destitit exercere. Ad sententiam optime ac rectissime. ❡ *Benignitatem suam*] חסדו. Onkelos & Jonathan טיבותיה bonitatem suam. *Est autem bonitas nihil aliud quam benignitas, quam alteram justitiæ partem constituunt, vocantes eandem beneficentiam*, ait Valla. Nam justitiam partiuntur in duas partes, justitiam quæ est severitas, & beneficentiam, quam ego voco bonitatem. Hæc ille Lib. 14. cap. 100. Atque hinc lucem facies declarationi Græcæ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ. i. צדקתו quæ vox aliquando beneficentiam declarat. Hiero. *misericordiam suam*, τὸ ἔλεος αὐτοῦ. Hæc antiqua declaratio est nominis חסד, ut alibi ostendimus. ❡ *Veritatem suam*] אמתו τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ. quæ est constantia & fides in servandis promissis. Chald. קושטיה. ❡ *Ego in via eram, duxit me* DOMINUS] vel, *me per viam duxit* DOMINUS: Et dicit בדרך quasi per viam notam ac certam, per viam rectam. Id Onkelos & Jonathan reddiderunt באורח תקנא. Jonathan addit, *merito ejus*, videlicet Abrahami. Nota pleonasmum Ebraicum, *Ego in via sive per viam duxit me.* Nam τὸ *ego* in sermone Latino redundat. Lxx. ἐμὲ εὐόδωκε κύριος neque prospere duxit DOMINUS. Hiero. *& recto itinere me perduxit.* Tremell. *quod ad me, hac eadem via deduxit me.* Santes, *peregrinantem me duxit* DOMINUS. Ego in via cum essem i. cum peregrinarer &c. Gallica editio *moi estant en chemin l'eternel m'a conduit*: ego in via cum essem DOMINUS deduxit me. בדרך Græce significanter, ἐν τῇ ὁδῷ. de qua emphasi vide Salomonem Trecensem cognomento Jarium, ordinarium interpretem Ebræorum. ❡ *In domum fratrum Domini mei*] אחי scriptum in libris omnibus, quos adhuc vidi: quam lectionem agnoscunt Santes, Mercerus & alii recentiores. Antiqui tamen videntur legisse אחי per Hirec sub H Heth. Nam Lxx. εἰς οἶκον τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου μου. Et Hiero. *in domum fratris Domini mei.* Et Onk. בית אחוהי דרבוני in domum fratris Domini mei. Sic etiam Jonathan. Tantum pro אחוהי scribit אחוי absque He. Perinde est. Unus autem tunc erat ei frater Nachor. Nam Haran diem suum obierat. ❡ *Fratrum*] Nachor & Bethuel, qui etiam frater Abrahæ, lata significatione, ut cum Lot ita vocatur, qui erat filius fratris ipsius Haran. Fratres enim appellant Ebræi omnes propinquos & consanguineos, affines agnatos. Quod ita notum, ut probatione non egeat.

28. *Currens autem puella nuntiavit in domum matris suæ, ut hæc acta erant.*

29. *Ceterum Rebeccæ erat frater nomine Laban: is cucurrit ad virum illum foras ad fontem.*

Puella] ἡ παῖς. ❡ *Nuntiavit*] indicavit, annunciavit, ἀνήγγειλε. ❡ *In domum matris suæ*] לבית אמה εἰς τὸν οἶκον τῆς μητρὸς αὐτῆς. Hæc Græci & Hiero. Licet etiam vertere, *domui matris suæ.* i. familiæ. Trem. *in domo matris suæ* בבית. Sed cur hæc nuntiat domui matris & non patris? An quia pater tum vitam cum morte commutaverat? ita multi opinantur. Quod tamen ex hoc loco evinci non potest. Nam quid mirum si puella ad matrem cucurrit apud quam degebat? cum gynecia olim distincta essent ab ea parte ædium in qua viri habitabant. Magis mirum fuisset si ad domum patris occurrisset. ❡ *Ut hæc acta erant*] כדברים האלה. κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, *secundum verba hæc.* i. prout hæc dicta aut acta erant. Hiero. *omnia quæ audierat.* Mercerus, *plane omnia quæ acta erant ad fontem.* Trem. *ut res ista se habebant.* Gallica, *selon ces propos la.* ❡ *Laban*] λάβαν. Nomen ab albedine ductum. Siquidem לבן albus. ❡ *Is cucurrit*] Ebraice est, *& cucurrit Laban*, καὶ ἔδραμε λάβαν. Hiero. *qui festinus egressus est ad hominem.* ❡ *Foras*] extra urbem. Ebraice החוצה Chaldaice לברא Græce ἔξω. ❡ *Ad fontem*] אל העין ἐπὶ τὴν πηγήν. Chaldaice לעינא vel לעינא ad fontem. Lxx. ἐπὶ τὴν πηγήν. Hiero. *ubi fons erat.* עין ergo fons. Proprie oculus, transfertur inde ad fontem, quia fontes sunt quasi oculi terræ. Metaphora è genere illarum quæ

ex

ex aliqua similitudine ducuntur. Alioqui fons עַיִן dicitur.

30. *Cumque vidisset inaurem & armillas super manus sororis suæ, & cum audivisset verba Rebeccæ sororis suæ cum diceret, sic locutus est vir ad me* (mecum Onkelos & Jonathan) *venit ad virum, qui ecce stabat juxta camelos, prope fontem.*

31. *Et dixit, Veni benedicte DOMINI, cur stas foris: & ego repurgavi domum & locum camelis.*

Inaurem] Lxx. τὰ ἐνώτια, & Hiero. *inaures.* הנזמים. ¶ *Cum diceret*] לֵאמֹר *dicendo* i. cum diceret, vel *dicentis*, λεγούσης: Hiero. maluit, *referentis.* ¶ *Vir*] האיש vir ille, ut articulus sit ἀναφορικός. Sic mox, *venit ad virum illum.* Lxx. ὁ ἄνθρωπος, & ἦλθε πρὸς τὸν ἄνθρωπον: ad hominem. ¶ *Stabat juxta camelos*] על הגמלים. Lxx. ἐπὶ τῶν καμήλων, super camelos. Quod intelligentiam habet ex versione Hiero. *juxta camelos.* ἐπὶ ergo idem efficit quod παρά. Sic mox, ἐπὶ τῆς πηγῆς: juxta fontem. Stabat autem juxta illos vel ut custodiret eos, vel ut pabulum subministraret. Recentior interpres, *adstabat camelis.* ¶ *Veni*] vel, *intra, ingredere.* Lxx. δεῦρο εἴσελθε, quod reddunt, *Heus ingredere.* Jonathan, *putavit Laban Abrahamum esse: itaque dixit, Intra benedicte DOMINI.* Et *veni*, in urbem, vel domum nostram. ¶ *Benedicte DOMINI*] cui DOMINUS benedixit, quem beavit sive felicem reddidit. *Gallice*, inquit Mercerus *le favorit du Seigneur.* Id Latine diceretur, *pullus DOMINI*, sicut dicimus, *pullus Jovis*, de eo cui rex favorem præstat singularem. Deus etiam ei favere dicitur, hoc est *favoriser*, quem benigne respicit cuique propitius est. Lxx. hic habent εὐλογητὸς κυρίου. Sed libri variant. Nam in antiquis εὐλογητὸς κύριος, benedictus DOMINUS. Inepti potius Librarii κυρίου in κύριος mutarunt. Forte legerunt בָּרוּךְ pro eo quod nunc legunt בְּרוּךְ in regimine. Priorem lectionem secuti sunt Onk. Jonath. & Hiero. quam ego germanam esse puto. ¶ *Cur stas foris*?] ἵνα τί ἕστηκας ἔξω; Santes & alii, *ut quid manes foris?* Nam stare aliquando manere significat. Gallica, *pour quoy te tiens tu dehors?* Trem. *quare maneres foris?* ¶ *Repurgavi*] vel *præparavi*, ἡτοίμασα ut Lxx. & Hiero. ediderunt. Sed פנה significat purgare ac verrere, & interdum complanare. Igitur Jes. 40. 3. פנו Santes, *expurgate.* Arias, *complanate.* Lxx. ἑτοιμάσατε. Hiero. *parate.* Sed Malach. 3. 1. ופנה idem Santes, *& verret.* Arias & Hiero. *præparabit.* Psal. 80. 10. פנית Arias, *scopasti.* Hiero. *præparasti.* Lxx. ὡδοποίησας, viam fecisti. Tremell. hoc loco, *nam ego expedivi.* ¶ *Camelis*] Trem. *pro camelis.*

32. *Et venit vir ille domum & solvit camelos deditque paleam & pabulum camelis, & aquam ad lavandum pedes ejus & pedes virorum qui cum ipso erant.*

Venit] ingressus est, εἰσῆλθε. ¶ *Domum*] Bathuelis. ¶ *Solvit camelos*] tam de Laban potest accipi quam de servo. פָּתַח aperio: פִּתַּח solvo, ut Psal. 30. 12. & 105. 20. Item 37. 14. & 103. 21. Lxx. hic habent ἀπέσαξε, ut Hiero. *distravit.* alias, *destravit.* Ἀποσάττω & ἐπισάττω contraria sunt. Illud sig. imponere onus jumento: hoc deponere, quod Hiero. dixit desternere. Utrumque usurpatur de jumentis clitellariis. Destravit ergo. i. deposuit aut solvit quicquid instratum camelis. ¶ *Deditque*] Laban, non servus. ¶ *Ad lavandum*] νίψασθαι. Hoc desideratur in C. & abesse potest salva sententia. Nam *dedit aquam pedibus*, idem cum illo, *ad lavandum pedes.* Sciendum autem in Græco esse τοῖς ποσὶν αὐτοῦ *pedibus ejus.* Mirum autem quid viderit Hiero. cum verteret, *ad lavandos pedes camelorum.* Nam hominum pedes lavabantur, non camelorum. Quanquam hodie etiam equorum pedes lavari soleant.

33. *Post appositum ei fuit quod ederet, sed dixit, Non comedam donec locutus fuero sermones meos, & dixit, loquere.*

Post appositum fuit] scriptum ויישם, lectum וַיּוּשַׂם: forte quia ישם aliud significat. שם est posuit, apposuit, unde הוּשַׂם appositus fuit. Lxx. παρέθηκεν ויישם. Hiero. *appositus est.* Onk. ושויו *& posuerunt.* Jonathan, וסדרו *instruxerunt* sc. mensam. ¶ *Quod ederet*] vel, ut ederet. Nam Ebraice לאכל φαγεῖν, *ad comedendum.* Hiero. *panis* לחם, i. *cibus*, מאכל. Lxx. ἄρτους φαγεῖν. Iidem habent, αὐτοῖς. i. לפניהם. Quod sententia non respuit. Nam quin cibus appositus fuerit etiam iis qui cum eo erant nullum omnino dubium est. Quod fugit non effugit. In Jonatha, *Posuerunt coram eo ut ederet pulmentum sive coctionem, in qua erat venenum lethiferum &c.* Apage tales ineptias. Neque ego ista commemorarem, nisi prius aliter citassem hunc locum. Utinam tam vere, quam hoc falsum & commentitium est. ¶ *Sermones meos*] τὰ ῥήματά μου. vult dicere, id quod mihi loquendum est, & cujus rei gratia huc veni. ¶ *Et dixit*] Laban.

34. *Et dixit, servus Abrahami ego sum.*

35. *DOMINUS autem benedixit domino meo valde, & magnus evasit; & dedit ei oves & boves & argentum & aurum, & servos, & ancillas & camelos & asinos.*

36. *Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo post senectutem suam, deditque ei omnia sua.*

Benedixit domino meo] felicitavit dominum meum. Sunt qui hic legant, *benedixit dominum meum*, quod Græce est εὐλόγησε τὸν κύριόν μου. ¶ *Et magnus evasit*] adeo ut magnus evaserit i. potens aut honoratus. גדול enim dicitur. i. magnus sive major, qui dignitate vel honore præcedit alios. Ita sumes Luc. 22. *qui major est in vobis.* Inter παράδοξα Tertulliani, *nemo major nisi Christianus.* Sensus est ut si diceret, Nemo honoratus nisi Christianus. Extat in de Præscript. adversus Hæreticos cap. 3. Lxx. hic ediderunt ὑψώθη. וירם. Hiero. *magnificatus est*, ויגדל. Onkelos & Jonathan, ורבא i. interprete Fagio, *magnus factus est.* Quidam *& crevit.* Ita Hiero. interpretatur verbum יִגְדַּל Gen. 21. 8. Gallica editio, *dont il est devenu grand.* ¶ *Dedit ei*] nempe DOMINUS. Sic alibi, *DOMINUS dedit, DOMINUS abstulit.* Dare autem dicitur, quia ipsius benedictione ditescimus, juxta illud, *Benedictio DOMINI ditat nec adfert laborem secum.* Quin ipsius omnia esse credit pietas. Hinc illud, *da ei de suo, quia tu & omnia tua illius sunt.* ¶ *Oves & boves*] alii, *greges & armenta.* Lxx. πρόβατα καὶ μόσχος. Onk. & Jon. ען ותורין. ¶ *Servos*] Lxx. παῖδας. ¶ *Filium*] υἱὸν ἕνα בן אחד. Iidem. ¶ *Post senectutem suam*] postquam senuisset. Ebraice, אחרי זקנתה. Lxx. μετὰ τὸ γηρᾶσαι αὐτόν. אחרי זקנתו. Hiero. *in senectute sua.* בזקנתו. Onkelos & Jonathan, בתר דסיבת postquam senuit, nimirum Sara. Nam verbum, quod in Chaldaismo, fœmininum est. proinde ad Abrahamum referri non potest. Quanquam & ille quoque tum senuerat. ¶ *Deditque*] daturumque se dixit i. promisit: aut dare instituit vel decrevit. Ebræi quidam putant, instrumentum ea de re penes servum fuisse, quod parentibus Rebeccæ ostenderit. Hoc quam facile dicitur, tam facile negari potest. Dare pro daturum se promittere sumit R. David Jon. 1. in illo, *& dedit naulum ejus.* Sic in eodem propheta *immolarunt victimas*, idem enarrat, dixerunt se immolaturos. Nam in navi dum essent id facere non poterant, neque moris erat ut ibi sacrificarent. Huc referri posset ex 1. Mach. 1. *divisit regnum dum adhuc viveret*, ut sensus sit, dividere cogitavit aut instituit, vel, si mavis, decrevit. Aut etiam, divisurum se promisit. ¶ *Omnia sua*] כל אשר לו *omnia quæ erant sibi* i. omnia sua, sive omnia quæ habebat, omnia bona sua.

37. *Et adjuravit me Dominus meus dicendo, Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra ego habito.*

38. *Nisi ad domum patris mei ibis, & ad familiam meam: inde accipies uxorem filio meo.*

Adjuravit] juramento devinxit, ad juramentum adegit. Vide quæ scripsimus ad vers. 3. hujus capitis. ¶ *In quorum terra*] Hic est בְּאַרְצוֹ in terra ejus, & subintelligitur Chananæi: supra בְּקִרְבּוֹ in medio ejus. Sententia in idem recidit. ¶ *Nisi ad domum patris mei*] Hic *nisi* valet sed; ut apud Plautum in Sticho, *miror quid fiet. Nisi ut periculum fiat, visam quid velit.* Sic εἰ μή usurpatur apud Græcos. Eandem vim habet אִם־לֹא particula composita ex לא אם, si non: unde forte ἀλλά: quo nunc utuntur interpretes Lxx. quos secutus est Hiero. nam vertit, *Sed ad domum patris mei perges*: ἀλλ᾽ εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου πορεύσῃ. Onk. & Jonath. אלהין quod à Mercero redditur *nisi*; à Fagio, *sed.* Hæc si in mentem venissent Tremellio, nunquam ita vertisset, *Dira tibi imprecare, nisi ad domum patris mei proficiscaris.* Nam subaudit multa non necessaria, hoc est in scirpo nodum quærit. Frustra quoque se hic torquet Mercerus, referens, *Nisi prius in domum patris mei iveris*, cum supra Moses dixerit, *sed ibis.* i. כי optimus suorum verborum interpres. Melius ergo editio Gallica postrema, *mais tu iras en la maison de mon pere*: sed tu ibis in domum patris mei.

39. *Tum dixi Domino meo, Forsan non sequetur me mulier.*

Forsan] in אֻלַי deficit Vau. Nam plene scribitur אוּלַי, & est particula dubitantis, quam Onk. Jonathan reddunt מאים & Hiero. *quid si.* ¶ *Non sequetur me*] nolet sequi me. Verbum pro verbo, *non ibit post me.* Lxx. μετ᾽ ἐμοῦ: mecum.

40. *Et dixit mihi DOMINUS, in cujus conspectu ambulavi, mittet angelum suum tecum & prosperabit viam tuam, & accipies uxorem filio meo ex cognatione mea & ex domo patris mei.*

41. *Tunc purus eris ab execratione mea quum veneris ad cognationem meam, & si non dederint tibi, purus, inquam, eris ab execratione mea.*

In cujus conspectu ambulavi] אשר התהלכתי לפניו. Lxx. ᾧ εὐηρέστησα ἐναντίον αὐτοῦ cui placui coram eo. Satis erat *cui placui.* Sed addidit *coram eo* ut significaret simul se coluisse eum. Nam coram Deo versari dicitur qui ei ministrat, eum colit & observat. Supra 17. 1. *Ambula coram me* εὐαρέστει ἐναντίον ἐμοῦ. i. ita vive ut mihi placeas. Placet autem qui ex ipsius præscripto vitam instituit. Obvia eadem locutio Psal. 116. 19. *Ambulabo coram DOMINO in terris viventium*: Gen. 48. 15. *DOMINUS in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isahac.* Onk. hic edidit, די פלחית קדמוהי & Fagius interpres in cujus conspectu servivi. Jonathan similiter, דפלחית קדמוי, quem colui semper versans ante eum. Quidam explicant *coram Deo ambulavi*, sub ejus cura & providentia vixi. ❡ *Ambulavi*] Hiero. *ambulo.* Trem. *continenter ambulavi.* ❡ *Prosperabit*] secundabit, εὐοδώσει. Hiero. *diriget* יצלח. ❡ *Ex cognatione mea*] ממשפחתי. Hiero. *de cognatione mea.* Lxx. ἐκ τῆς φυλῆς μου: tribu vel ex gente mea. Santes, *de familia mea.* Onk. מזרעית. Fagius interpres, *de familia mea.* Jonathan, מן זרעי *ex prosapia mea.* Gallica editio, *de mon parentage*: ex cognatione, genere, aut familia mea. Psal. 107. 41. משפחות. Lxx. πατριάς. Hiero. familias. Sym. τὰς συγγενείας i. cognationes. ❡ *Ex domo patris mei*] Jonathan, מגניסת בית אבא, ex familia domus patris mei. Sic Esth. 4. 14. גניסת בית אבהתך familia domus patrum tuorum. Quidam גניסא exponunt *genus*: sed est interpretamentum τοῦ משפחה. Reperio & גניסת המן ubi textus Ebræus habet בית המן. Domus Haman. ❡ *Purus*] id est liber, immunis. Lxx. ἀθῷος. Hiero. *innocens.* Santes, *mundus.* Lex. vet. ἀθῷος, innocens, proprie immunis mulctæ, damni expers. Nam θωὴ, mulcta, damnum. ❡ *Ab execratione mea*] à juramento quo te obstrinxi, vel potius à diris quibus te devovi per juramentum. Nam jurantes sibi mala imprecabantur seque diris devovebant si non præstarent id quod juraverant. Onk. & Jonathan, ממומתי à jurejurando meo. Hiero. *à maledictione mea.* Lxx. ἀπὸ τῆς ἀρᾶς μου. & mox ἀπὸ τοῦ ὁρκισμοῦ μου, à jurando meo. אלה & שבועה synonyma sunt: unde Græcum ἀρὰ, execratio, diræ, maledictio: item juramentum. Exponitur etiam perjurium Psal. 59. 13. ❡ *Quum veneris ad cognationem meam*] vel, *quum iveris ad familiam meam.* Hiero. hic habet, *ad proximos meos.* Jonathan, *ad domum prosapiæ meæ.* ❡ *Si non dederint tibi*] si cognati mei non dederint tibi puellam quam petes in matrimonium. Potest reddi per verbum impersonale, *si non dabitur tibi.* Nam hæc enallage trita in libris mysticis.

42. *Veni autem hodie ad fontem & dixi, DOMINE Deus domini mei Abrahami, si es tu nunc prosperans viam meam, in qua ego ambulo.*

43. *Ecce ego sto ad fontem aquæ, & virgo egrediens ad hauriendum, cui dixero, da mihi potandum nunc paululum aquæ ex hydria tua.*

44. *Quæ dixerit mihi, Etiam tu bibe, & etiam camelis tuis hauriam, ipsa sit mulier quam arguerit DOMINUS filio Domini mei.*

Hodie] σήμερον. Chaldaice יומא דין. Quanquam in Jonatha יומא. ❡ *Ad fontem*] qui extra urbem. Ebraice אל העין quod Græci significantius reddunt ἐπὶ τὴν πηγήν: Chaldæi עינא. Recentior interpres, *ad fontem istum*, quod minus se probat mihi. Sane fons, qui aberat, demonstrari non potuit. ❡ *Prosperans*] prosperaturus. Onk. *si placet nunc tibi prosperare viam meam.* Chaldaice אם את כען רעוא קדמך לאצלחא ארחי. Fagius reddit, *si est nunc voluntas coram te ut fortunes viam meam.* Lxx. εἰ σὺ εὐοδοῖς τὴν ὁδόν μου: si tu secundas viam meam. i. secundabis. ❡ *In qua ego ambulo*] ἐν ᾗ ἐγὼ πορεύομαι. Alii, *per quam.* Verbum è verbo, *super quam.* Hiero. adjecit *nunc*, ut Græci. Lxx. νῦν. ❡ *Virgo*] העלמה ἡ παρθένος. Sic Græci Lxx. Virgo proprie בתולה dicitur, עלמה est puella virgo. Onkel. עולימתא adolescentula. Jonathan רביא puella. i. נערה. Gallica editio, *une fille.* De hac voce magna controversia est. Quidam virginem significare negant. Contrarium probatur etymo, usu, autoritate. Etymo, quia dicta עלמה quod sub aliena potestate custodiaque quasi delitescat. Nam עלם abscondo. Usu, quia ita passim significat. Dubitem tantum de loco Proverb. 30. 19. quem Mercerus de Virgine imminuta sive corrupta accipit. Alii de meretrice intelligunt, quæ se gerat pro virgine, licet virgo non sit. Autoritate primum Hiero. deinde Abenezræ. Hiero. verba sunt, „ Verbum עלמה nunquam nisi in virgine scribitur, & habet etymologiam ἀπόκρυφος i. abscondita, id est virgo nimia diligentia custodita, „quæ majoris mihi videtur esse laudis quam virgo. Virgo quippe juxta Apostolum potest esse corpore non spiritu. Abscon„dita vero quæ virgo est epithasin habet virginitatis, ut & virgo „sit & abscondita: & quæ abscondita est juxta idioma linguæ „Ebrææ, consequenter & virgo est: quæ autem virgo non sta„tim sequitur ut abscondita sit. Abenezra Cant. 1. 3. עלמות הם בתולות קטנות. *Alamoth* (pluralis ab Alma i. עלמה) *sunt virgines parvæ*, hoc est junioris ætatis. His accedat lingua Punica, in qua Virgo Alma dicitur, ut Augustinus testis est. Tantum de עלמה. Alias plura, si Deus permiserit & vitam concesserit. ❡ *Egrediens*] quæ egredietur aut mox egressura. Illud Hiero. hoc Tremell. habet. Onk. & Jon. נפקא quæ exibit aut egredietur. ❡ *Ad hauriendum*] ἀντλῆσαι. ❡ *Camelis tuis hauriam*] ταῖς καμήλοις σου ὑδροφορήσω. Lxx. ❡ *Arguerit*] destinarit, præparavit. Sane Græci vertunt ἡτοίμασε, & Hiero. *præparavit.* & Onkelos זמין, & Jonathan זמין בכולא & Scholion Græcum ἀπέδειξε, ostendit, declaravit, & editio Gallica *à assignée, assignavit, attribuit.*

45. *Ego priusquam absolvissem loqui ad cor meum, ecce Rebecca egrediebatur & hydria ejus super humerum ejus, descenditque ad fontem & hausit & dixi ei, Bibendum da mihi quæso.*

46. *Et acceleravit & dimisit hydriam suam à se & dixit, Bibe, & etiam camelos tuos adaquabo: bibi igitur, & etiam camelos adaquavit.*

Loqui ad cor meum] i. mecum aut apud me. Onk. hoc dixit בלבי in corde meo. Alias (nam exemplaria variant) עם לבי *cum corde meo.* Jonathan, *cum cogitationibus cordis mei.* עם הרהורי לבי. Lxx. ἐν τῇ διανοίᾳ μου. Santes, *in corde meo.* Trem. *cum animo meo.* Hiero. *dumque hæc tacitus mecum volverem.* Loqui ad cor alium sensum habet Hos. 2. 14. ודברתי אל לבה & *loquar ad cor ejus.* Nam ibi significat consolari, quod Græci dicunt παραμυθεῖσθαι ἢ παρηγορεῖν, Latini *alloqui*, unde allocutio παραμυθία & alloquium. Seneca, *Alios parentes alloqui in luctu decet Tibi gratulandum est.* ❡ *Ecce*] Hiero. *apparuit.* Lxx. εὐθὺς statim. ❡ *A se*] ab humero suo. Verbum è verbo *à super se* i. מעליה. Id Onk. & Jonathan ediderunt, מנה à se. Lxx. ἀφ' ἑαυτῆς. Hiero. *de humero.* ❡ *Etiam camelos tuos adaquabo*] vel, *etiam camelis tuis bibendum dabo.* Sic mox, *& etiam camelis bibendum dedit.* Hieron. *tribuam potum.* Paullo post idem, *adaquavit.* Hoc Græci exprimunt verbo ὑδρεύω, illud verbo ποτίζω. quo nunc usi sunt οἱ ό. referentes καὶ τὰς καμήλους σου ποτιῶ καὶ ἔπιον, καὶ τὰς καμήλους ἐπότισε.

47. *Interrogavique eam & dixi, cujus es filia & dixit, Filia Bethuel filii Nachor, quem peperit ei Melcha: tum posui inaurem super narem ejus, & armillas super manus ejus.*

Filii Nachor] additum vel cognominis loco, vel Ἀβραάμ ἐστιν ἀδελφὸς [illegible]. ❡ *Posui*] vel ipse posui, vel dedi ut poneret. ❡ *Inaurem*] ἐνώτιον. ❡ *Super narem ejus*] על אפה. Onk. & Jonathan nihil variant. Hiero. *adornandam faciem ejus.* Quippe אף etiam faciem denotat. Trem. *supra nasum ejus.* Gallica editio, *sur le front*: super frontem. Nam inaures à fronte pendebant, supra nasum, inter utrumque oculum. ❡ *Super manus ejus*] Lxx. περὶ τὰς χεῖρας αὐτῆς. Hiero. *in manibus ejus* בידיה. Dixi nomen יד aliquando pro brachio accipi, hoc est simul & manum & brachium comprehendere. Quod hic locum habere potest, cum צמידים brachialia significet, quasi tu dicas, ornamenta brachiorum. Supra vers. 18. על ידה. Lxx. ἐπὶ τὸν βραχίονα αὐτῆς. Unde glossema vers. 47. καθεῖλε τὴν ὑδρίαν ἐπὶ τὸν βραχίονα αὐτῆς: deposuit hydriam super brachium suum. ❡ *Armillas*] Lxx. τὰ ψέλια. Interpres Romanus, *virias.* Vide Gen. 24. 18.

48. *Et inclinavi me & adoravi DOMINUM & benedixi DOMINO Deo domini mei Abrahami qui duxisset me in via veritatis ut acciperem filiam fratris domini mei filio ipsius.*

Inclinavi me & adoravi] inclinato vertice adoravi: vel, inclinavi verticem, atque adeo totum corpus. Vult dicere prostravi me & procubui in terram. Hiero. *pronusque adoravi.* Lxx. εὐδοκήσας προσεκύνησα. ❡ *Benedixi DOMINO Deo domini mei*] laudavi DOMINUM Deum domini mei. Sic exponunt, *Deus benedictus* i. laudandus. aut *benedixi.* i. gratias egi. ❡ *Qui duxisset me in via veritatis*] Hiero. *qui perduxit me recto itinere.* Lxx. ὃς εὐόδωσέ με ἐν ὁδῷ ἀληθείας: qui prosperavit iter meum in via veritatis. Santes, *qui duxit me per viam veritatis.* Trem. *quod duxisset me per viam veram.* ❡ *In via veritatis*] per viam veritatis. i. veram ac rectam. ❡ *Filiam fratris domini mei*] filiam i. neptem: aut *fratris* i. nepotis ex fratre. Sic Lot vocatur frater Abrahæ. Nam erat filius fratris ipsius. Ut filia pro nepte ponitur interdum, ita filius pro nepote usurpatur in illo *Zacharias filius Addo.* Nam ejus pater Barachias. ❡ *Filio ipsius*] servus accepit uxorem Isahaco: Ilhac

hac accepit uxorem sibi i. duxit. Pater etiam dicitur accipere uxorem filio, quando ei uxorem dat. Forsan, ut acciperem posuit ἀντὶ τοῦ ut acciperem & darem, sive ut acceptam darem. Pro *accipere* Hiero. dixit *sumere*: Plinius, *assumere*. *Aut inconsultius*, inquit, *uxor assumta, aut retenta patientius.*

49. *Nunc ergo si vos estis facturi benignitatem & veritatem cum Domino meo indicate mihi: & si non, indicate mihi ut deflectam ad dextram vel ad sinistram.*

Si estis facturi benignitatem &c.] facit benignitatem qui alicui gratificatur: veritatem, qui id facit ex animo & optima fide, sine ulla fictione aut hypocrisi. Ergo hoc dicit, si vultis gratificari domino meo sincere & ex animo, indicate mihi: sin, & hoc indicate mihi &c. Sic est profecto, Benignitas facti est, veritas animi, quando is integer ac sincerus est cum hominibus. Multi benignitatem exercent animo ficto ac simulato. Hæc non est vera benignitas. Animus debet cum factis concordare, officio respondere, meritis par esse. ¶ *Si estis facturi*] In Ebræo est ad verbum, *si estis facientes*, hoc est præsens pro futuro. Quod tritum in hac lingua. LXX. habent εἰ ποιεῖτε. Hiero. *si facitis*. ¶ *Benignitatem*] Lxx. ἔλεος. Hieronym. *misericordiam*. Onk. & Jonath. טיבו *bonitatem* i. beneficentiam. ¶ *Et veritatem*] ואמת καὶ ἀλήθειαν. Lxx. καὶ δικαιοσύνην וקושטא Onk. & Jon. וקושט & veritatem. ¶ *Indicate mihi*] הגידו לי. Hoc Jonathan dixit חוו לי quod similiter expones *indicate mihi* i. חוו לי, ut habet Onk. Alias תנא significat docere, unde תנאים doctores, quos Deuterotas vocant, qui Thalmudica callent & docent. ¶ *Ut deflectam*] ואפנה & deflectam sive declinabo aut divertam. Sed varie interpretantur LXX. ἵνα ἐπιστρέψω, *ut revertar*. Hiero. *ut vadam*. Santes, *& vertam me*. Arias, *& respiciam*. Trem. *ut convertam me*. Cant. 5. 17. אנה פנה quo divertit aut deflexit. LXX. ἀπέβλεψεν, *respexit*. Hiero. *declinavit*. Psal. 90. 9. *dies nostri* פנו. Trem. *divertunt*. Santes, *declinaverunt*. Hiero. *transierunt*. Gen. 18. 22. ויפנו. Hier. *converterunt se*. Santes, *verterunt se*. Arias, *respexerunt*. Trem. *aversi*. Mercerus, *diverterunt* aut *diverterant*. Dicitur etiam de cervice Jerem 2. 27. פנו אלי עורף ולא פנים quod reddunt, *obverterunt mihi cervicem & non faciem*. ¶ *Ad dextram vel ad sinistram*] hoc est in alterutram partem. Sic accipies, *non divertes ad dextram aut ad sinistram*, hoc est, in nullam partem. Jonathan, *ad austrum vel ad septentrionem*. Nam qui orientem respicit, austrum ad dextram habet, & septentrionem ad sinistram. Unde meridies vocatur dextra mundi pars, & septentrio sinistra. Eadem ratione oriens appellatur קדם, & occidens אחור i. post. Vide Quæst. meas.

50. *Responderuntque Laban & Bathuel & dixerunt, A DOMINO profecta est hæc res, non possumus loqui ad te malum aut bonum.*

51. *Ecce Rebecca coram te, accipe & vade, sitque uxor filio domini tui, quemadmodum locutus est DOMINUS.*

Responderuntque] ויען & respondit. Ceterum plurali usus est Hiero. quem secutus sum. Licet Chaldæi singularem retinuerint: etiam Lxx. qui legunt, ἀποκριθεὶς δὲ Λάβαν καὶ Βαθουήλ, εἶπαν. Similiter Trem. *Cui respondens Laban & Bathuel dixerunt*. ¶ *Laban & Bathuel*] debuisset dicere, *Bathuel & Laban*. Cur mutavit ordinem? An quia Labano cura totius negotii commissa erat? Abenezra censet patre sapientiorem & honoratiorem fuisse: quod mihi non fit verisimile. R. Salomo audaciæ adscribit quod ante patrem prosilierit ad respondendum. Sunt etiam qui Bathuelem hunc putant fuisse fratrem Rebeccæ, quibus favet Josephus ita scribens. *Rebecca*, inquit, *mihi nomen est, pater vero fuit Bathuel: quo defuncto Laban frater meus & domum curat & matrem, meæ quoque virginitatis tutor*. Nicolaus ad hunc locum, *Responderunt Laban & Bathuel. Iste Bathuel secundum Josephum erat frater Rebeccæ: & Laban erat junior eo, ideo ultimo nominatur.* (putarim leg. *& Laban erat senior eo, ideo ultimo nominatur*, nempe Bathuel ille) *R. Salo. dicit quod erat pater Rebeccæ. Quod autem ultimo nominatur hoc est quia licet primo consenserat in matrimonium Rebeccæ, tamen postea voluit impedire, ut plenius dicetur*. Interdum junior primo nominatur, ut *Sem, Cham, & Japhet*: *Abraham, Nachor & Haran*. Sed ibi causa est non obscura, quam hic nullam video. ¶ *A DOMINO*] παρὰ κυρίου. Onk. & Jonat. *à coram DOMINO*, quod Ebraice dicetur מלפני יהוה i. à providentia Dei. מיהוה magis sona, *à DOMINO* simpliciter. Sic alibi, *A DOMINO fuit hoc & est mirabile in oculis nostris*. Hic alieni à vera religione tamen agnoscunt divinam providentiam, quæ cum latissime pateat in conjugio maxime conspicua est. Unde dicimus vulgo, *matrimonia omnia in cælo contrahi*: & *uxorem omnem à Deo esse*. Addebat Menander etiam malam à Deo esse, sed irato. ¶ *Profecta est*] יצא, exiit, egressa est, prodiit, processit. ¶ *Hæc res*] הדבר verbum sive sermo. Quem Ebraismum retinuit Hier. Nam Lxx. habent τὸ πρᾶγμα τοῦτο, res hæc. ¶ *Non possumus loqui ad te malum aut bonum*] Non possumus recusare quod petis, aut tibi contradicere q. dicant, consentimus absque ulla contradictione. Hiero. addit de suo, *extra placitum ejus*. sc. Dei. *Malum aut bonum*. i. quicquam, proverbiale. Sic alibi, *Cave cum illo à bono ad malum loquaris aut facias*. Lxx. οὐ δυνησόμεθα σοι ἀντειπεῖν κακὸν ἢ καλόν: *Non poterimus tibi contradicere malum aut bonum*. Uterque Chaldæus בִּישׁ אוֹ טָב malum aut bonum. Tamen in edit. Rom. Syrus, ἢ καλὸν ἢ κακόν. Si recte, diversa erat hæc Syra editio à Chaldæorum Thargum. ¶ *Ad te*] *tecum*. Onk. & Jonathan. ¶ *Coram te*] præsto est & exposita tibi & quasi tui juris, aut in tua potestate, quod Galli dicunt, *à ton commandement*. Ita sumes Gen. 13. 9. *Nonne universa terra coram te est*. Gen. 20. 15. *Ecce terra mea coram te*. Hoc Abimelech dicit Abrahamo, illud Abraham Loto. ¶ *Accipe & vade*] supra 12. 19. *Nunc ecce uxor tua, accipe & vade*. ¶ *Locutus est*] decrevit aut statuit i. גזר. Sic Abenezra explicat. Nec mihi displicet. Nam etiam Abd. 1. 18. ubi textus Ebræus habet, *quia DOMINUS locutus est*. Jonathan edidit גזר כן *decrevit ita*. Sic exponunt Jon. 3. 10. *quod locutus fuerat facere* i. decreverat. Loqui enim dicitur Deus quum in æterno suo consilio aliquid statuit aut decrevit. Huc accommodant, *Verbo DOMINI cælum factum est*, ut sensus sit, decreto DOMINI. Addit Abenezra או הוכיח בחלום aut arguit in somnio: quibus verbis innuit posse fieri ut hac de re verba fecerit DOMINUS in somnio. Quod non adeo placet mihi.

52. *Cumque audivisset servus Abrahæ verba eorum, adoravit procidens in terram DOMINUM.*

53. *Protulitque servus vasa argentea & vasa aurea & vestes, & dedit Rebeccæ: muneraque pretiosa dedit fratri ejus & matri ejus.*

Adoravit procidens in terram DOMINUM] Ita Hiero. posses etiam legere, *Procubuit* sive *prostravit se in terram coram DOMINO*. Hinc eruunt etiam de bono nuncio gratias Deo agendas esse. Verba Jarii, quibus hoc dicit, hæc sunt מכאן שמודים על בשורה טובה. Hinc est quod confitentur i. gratias agant de nuncio bono ac læto. ¶ *Vasa*] ornamenta vel monilia. Hoc nomine venit universus mundus muliebris. Hic tantum vestes excipiuntur. Ebræi nonnulli, teste Mercero, ad conchas restringunt aquæ reponendæ. Tremell. *supellectilia*. Lxx. σκεύη. Onk. & Jonat. מאנין. Editio Gallica, *bagues*. Jes. 61. 11. de sponsa כליה. Aquila, Symmachus, Theodotio, *vasis suis vel monilibus suis*, quod Hiero. secutus est. Lxx. *mundo muliebri*. Aliquando vestem denotat, ut Deut. 22. 5. כלי גבר. Lxx. σκεύη ἀνδρός. Hiero. *vestis virilis*. Seneca de beneficiis, *nomina facturi, diligenter in vasa debitoris inquirimus*: i. bona omnia quæ non sunt soli, ait Muretus. Hæc significatio latissim[a] est, nec aliena à sensu vocis כלי apud Ebræos. ¶ *Arge[ntea] & aurea*] ut supra Labanem præposuit Bathueli, ita hic argentum præponit auro, cum tamen aurum argento præstantius sit. Ergo ex ordine qui colligunt Labanem honore potiorem fuisse, non bene colligunt, meo animo. ¶ *Et vestes*] ובגדים. Chaldaice ולבושין. Lxx. καὶ ἱματισμόν. Lex. vetus, ἱματισμός. vestis. Matth. 27. ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου. Ebraice est על לבושי. Ruth. 3. 3. τὸν ἱματισμόν σου. שמלתך. Alibi exponitur vestitus, cultus & quod Latine vestiarium dicitur. ¶ *Muneraque pretiosa*] ומגדנת dona pretiosa, vel res pretiosos. Gallice *des presens exquis*. R. David in libro Radicum, *Generale est ad omnem rem laudatam & excellentem, diciturque tam de fructibus, quam de auro & argento lapidibusque pretiosis & vestibus*. Thema מגד. Sunt tamen, teste Elia, qui à נגד deducunt, משפחות מגדנות formæ ut Mem sit littera adventitia seu heemantica. Salomo Trecensis interpretatur dicens significare idem quod מגדים quæ sunt genera pomorum aut fructuum terræ Israel. Hinc medicinam facies, editioni [illegible] Deut. 33. 13. Nam ubi in Ebræo ממגד שמים, vulgati libri Græci habent ἀπὸ ὡρῶν οὐρανοῦ, sed quis neget legendum ἀπὸ [illegible] οὐρανοῦ, vel certe ἀπὸ ὡραίων οὐρανοῦ i. de fructibus [cæ]li. ὥρα fructus proprie tempestivus, Pro *fructuum cæli*, G[ræ]cæ veteres ediderunt, *fructuum cœnæ*. Tu emenda ex hoc loco [illegible] ad interpretes. Lxx. δῶρα. Jonat. דורון. Hiero. *dona*. [O]nk. מגדנין. Santes, *pretiosa*. Trem. *res pretiosas*. מגדנת Fagius reddit, munera: malim, munera pretiosa. ¶ *Fratri ejus*] Labano.

54. *Postea comederunt & biberunt ipse & viri ejus qui cum eo erant, & pernoctaverunt & surrexerunt mane, & dixit, Dimittite me ad Dominum meum.*

Postea comederunt] Nam cœnare noluit servus nisi re confecta cujus caussa venerat. Hæc paullo aliter refert Josephus.

Sed profecto autor ille textum Ebraicum aut non inspexit, aut si inspexit non semper bene intellexit. ❡ *Pernoctaverunt*] noctem ibi transegerunt. Lxx. ἐκοιμήθησαν. Hiero. *manserunt ibi.* Gallica editio, *y logerent*, diversati sive hospitati sunt ibi. ❡ *Et dixit*] servus. ❡ *Dimittite me ad Dominum meum*] Lxx. ἐκπέμψατέ με, ἵνα ἀπέλθω πρὸς τὸν κύριόν μου: Dimittite me ut abeam ad dominum meum לַאדֹנִי verti, ad dominum meum i. אֶל אֲדֹנִי. Sic enim certe Onk. לְוַת רִבּוֹנִי. Alii, *remittite me domino meo*, quod non omnino displicet. Pro שַׁלְּחֻנִי Hier. legit (videtur certe) שְׁלָחוּנִי. Nam vertit, *dimitte me ut vadam ad dominum meum.*

55. *Dixitque frater ejus & mater ejus, Maneat puella nobiscum dies vel decem, post abibit.*

Dixitque] vel, *& dixerunt.* Quanquam verbum in Ebræo singulare. Sane Græci legunt εἶπαν δὲ, dixerunt autem. ❡ *Frater ejus*] אָחִיהָ. Hoc legerunt Onk. & Jonat. Quod noto quia in Lxx. οἱ ἀδελφοὶ αὐτῆς. & in Hiero. *Responderuntque fratres ejus.* i. אַחֶיהָ aliis apicibus. Hæc lectio minus se probat mihi. ❡ *Maneat*] תֵּשֵׁב maneat i. μεινάτω. Sic Hier. & Lxx. יָשַׁב proprie sedeo. Sed in usu est pro habito. Interdum significat, expecto, maneo, ut hic, & supra 22. 5. שְׁבוּ פֹה expectate sive manete hic. Idem יתב apud Chaldæos. ❡ *Puella*] הנערה. Lxx. ἡ παρθένος הַעלמה vel potius הבתולה. Onk. עולימתא adolescentula. Jonathan רביא puella. Scire autem licet in scriptura esse נער quod legunt הַנַּעֲרָה. ❡ *Dies vel decem*] ימים או עשור diebus aut decem. ὁ vel, diebus aliquot saltem decem. q. d. ad minimum decem Lxx. ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, dies circiter decem, vel ad decem dies. Hiero. *Saltem decem dies.* Santes, *per dies saltem decem.* Onk. עדן בעדן או עסרא ירחין. Fagius interpres, *ad tempus aliquot, vel saltem decem mensibus.* Dictione עדן בעדן putarim annum significari. Sed nihil affirmo. Jonat. *dies anni unius aut decem menses.* Siquidem שתא annus. Ebraice שָׁנָה. Hanc sententiam fere sequuntur Ebræi ut ימים dies sumatur pro anno integro, hoc est XII mensium. Ita sumitur hoc nomen cum alibi, tum Levit. 25. Consule Animadversiones meas R. Salomo ימים *diebus* i. *anno. Nam concedebatur virgini annus ad ornandum se.* Potest ita esse; tamen ex historia Esther id liquido probari non potest. Placet ergo magis prior expositio.

56. *Et dixit eis, Ne remoremini me, cum DOMINUS prosperarit viam meam, dimittite me ut abeam ad dominum meum.*

57. *Et dixerunt, Vocemus puellam & rogemus sententiam ejus.*

58. *Vocaverunt igitur Rebeccam & dixerunt ei, Ibisne cum viro isto? & dixit, ibo.*

Ne remoremini me] אַל תְּאַחֲרוּ אֹתִי ne remoremini, sive demoremini me, ne retardetis me. Lxx. μὴ κατέχετέ με, ne detinete me. Hiero. *nolite me retinere.* Onkelos לא תעכבון יתי quod Fagius vertit, *ne impediatis me*, malim, *ne detineatis.* Jonat. תעכבון retardetis. ❡ *Prosperarit*] prosperaverit, secundaverit. ❡ *Viam meam*] iter meum. In. edit. Rom. additum ἐν ἐμοί: quod abest à C. remansit autem, ut suspicor, ex altera lectione Κύριος εὐόδωσε τὴν ὁδὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί. *DOMINUS prosperavit viam suam per me.* ❡ *Ut abeam*] ἵνα ἀπέλθω. ❡ *Rogemus sententiam ejus*] Onk. & Jonat. *audiamus quid dictura sit.* Hiero. *quæramus ipsius voluntatem* Lxx. ἐρωτήσωμεν τὸ στόμα αὐτῆς: interrogemus os ejus. Tremel. *interrogemus ex ore ejus.* Gallica, *lui demandons reponse de sa bouche.* R. Salomo ad hunc locum מכאן שאין משיאין האשה אלא מדעתה. Hinc est quod non elocant fœminam nisi ex sententia ipsius. Vult dicere nisi ipsa conscia fuerit atque adeo consenserit. ❡ *Rogemus*] interrogemus. ❡ *Sententiam ejus*] פיה. ad verb. *os ejus* i. Sermonem ejus. Sic Cohel. 8. 2. στόμα βασιλέως φύλαξον, *os regis custodi*, פי מלך id est דבר מלך Sermonem, jussum, mandatum, præceptum. Plinius, *Mithridates magna vi animi & corporis ut sex juges equos regeret, duarum & viginti gentium ore loqueretur.* Hiero. *voluntatem ejus*, quam videlicet ore testetur. Ut hic *os Rebeccæ*, sic *interrogare os DOMINI* dicuntur qui de aliqua re dominum consulunt. [illegible] enim os DOMINI aliud nihil quam ipsum Dei oraculum. ❡ *Ibisne cum viro isto*] התלכי עם האיש הזה. Lxx. πορεύσῃ μετὰ τοῦ ἀνθρώπου τούτου. Hiero. *vis ire cum homine isto?* Alius, [illegible] *proficisci cum hoc ipso?* Notum ut איש & אדם se invicem explicent.

59. *Et dimiserunt Rebeccam sororem suam unaque nutricem illius, & servum Abrahæ, ac viros ejus.*

Dimiserunt] *Laban ceterique cognati & affines.* Ionathan אלוו deduxerunt. ❡ *Sororem suam*] consanguineam suam. Nam solius Labani soror erat proprie dicta. Quanquam sunt qui plures fratres habuisse dicant. *Sororem suam* Ebraice אחתם. Græce τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν, Chaldaice אחתהון sive אחתהום sororem suam. ❡ *Nutricem illius*] qui illi parvulæ lac præbuerat. In aliquot editionibus latinis, *nutricem illius Deboram.* Infra 35. 8. *mortua est Debora nutrix Rebeccæ.* Ebraice מֵנִקְתָּהּ. Nutrix autem in ea lingua, מֵינֶקֶת dicitur ἀπὸ τοῦ יָנַק lactavit. Hic habetur מנקתה absque Joth. Lxx. καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς ורכושה. Jonathan, פדגוגתה. Onkelos מרביתה. ❡ *Viros ejus*] homines qui cum illo venerant, comites ejus, τοὺς μετ' αὐτοῦ. Hier. Lxx.

60. *Et benedixerunt Rebeccæ dixeruntque ei, Soror nostra tu, esto in mille myriadas, & hereditate possideat semen tuum portam inimicorum suorum.*

Benedixerunt] beneprecati sunt, valedicentes ei abeunti. ❡ *Soror nostra tu, esto in*] Supra vocem אֲחֹתֵנוּ, accentus est, quem vocant Zaceph Gadol. Ideo quidam hunc locum ita distinguunt, *O soror nostra, tu esto, &c.* Alii distinguunt ut nos, & dupliciter exponunt. Uno modo sic *o tu soror nostra esto, &c.* Alio modo sic, *Tu es soror nostra, esto in mille, &c.* Lxx. ἀδελφὴ ἡμῶν εἶ, γίνου εἰς. Hier. *Soror nostra es, crescas in.* Sic etiam editio Gallica. Santes, *Soror nostra, tu sis in mille.* Trem. *O Soror nostra, tu evadas in mille.* Ionathan, *hactenus fuisti soror nostra, nunc tu abis & ducet te justus, &c.* ❡ *In mille myriadas*] לאלפי רבבה in millia myriadis i. myriadum. Sic enim certe Græci Lxx. εἰς χιλιάδας μυριάδων. Minus bene Hiero. *in mille millia.* Onk. subaudit copulantem ut si esset ἀσύνδετον. Nam vertit לאלפין ולרבון in millia & in myriadas i. decem millia. Ionathan, *in millia myriadum*, nihil dissidet à Lxx. interpretibus. ❡ *Semen tuum*] Soboles tua. ❡ *Hæreditate possideat*] κληρονομησάτω. ❡ *Portam*] שַׁעַר portam i. quicquid est jurisdictionis eorum. Nam in portis olim juridici conventus habebantur. Aut portam dixit pro portas. κατὰ συνεκδοχὴν ipsas urbes innuens. Sane Hiero. interpretatur *portas*, & Lxx. τὰς πόλεις, & Onk. ית קרוי urbes. Nec aliter Ionathan.

61. *Surrexitque Rebecca & puellæ ejus, & equitaverunt in camelis, & secutæ sunt virum, & accepit servus Rebeccam & abiit.*

Surrexit] se ad iter accinxit. ❡ *Et puellæ ejus*] in queis & Debora nutrix. Ebraice ונערתיה. Lxx. καὶ αἱ ἅβραι αὐτῆς & ancillæ ejus, vel si placet, puellæ ejus. Vide supra. ❡ *Equitaverunt*] Equitat proprie qui equo utitur. Sed transfertur ad alia jumenta. Nam Plinius dixit Lib. 8. c. 18. *equitantur in præliis*, de camelis. Sic hoc loco רָכַב, quod factum a nomine רֶכֶב currum denotante, usurpatur de camelis. Partim interpretum inscendere sive ascendere convertunt. Certe Lxx. habent ἐπέβησαν ἐπὶ τὰς καμήλους & Hiero. *ascensis camelis*, & Santes, *ascenderunt super camelos.* Et alius, *inscenderunt sive conscenderunt camelos.* Ceterum Tremellius edidit, *insidenterque camelis.* Gallica editio, *& monterent sur les chameaux*: ascenderunt super camelos. Sciendum, etsi Jonathan habeat רכבן, tamen in Onk. esse רכיבא equitabat, vehebatur, ac si sola Rebecca camelis vecta fuisset. ❡ *In Camelis*] Sic dicimus, *equitare in equuleis, in arundine longa &c.* Verbum e verbo, *super camelos.* ❡ *Secutæ sunt virum*] ותלכנה אחרי האיש & iverunt post virum i. secutæ sunt eum. Lxx. ἐπορεύθησαν μετὰ τοῦ ἀνθρώπου, profectæ sunt cum viro. On. *abiit post virum.* ❡ *Virum*] τὸν ἄνθρωπον. i. servum Abrahæ, qui dux erat itineris. ❡ *Accepit*] duxit secum.

62. *Isahac autem veniebat a veniendo Beer Lachai Roi, & ipse habitabat in terra austri.*

Veniebat à veniendo &c.] vult dicere, ex loco qui vocabatur Beer Lachai Roi. מבוא quidam interpretantur *ab ingressu*, ut dicat ex loco ubi est ingressus ad Puteum viventis videntis me. Nam id sonat Beer Lachai Roi. Alii exponunt, veniebat à deambulatione ad Puteum &c. quod non rejicio. Nam בָּא eo, & מבוא ab itione id est deambulatione. Sic הָלַךְ & eo & ambulo redditur. Expendamus nunc antiquas versiones. Igitur Hiero. hunc locum sic olim in latinum convertit, *Eo autem tempore deambulabat Isahac per viam quæ ducit ad Puteum, cujus nomen est viventis & videntis.* בָּא interpretatur, *deambulabat* i. הָלַךְ. Quæ enallage insolens non est, ut diximus, מבוא *per viam quæ ducit ad.* Hoc minus se probat mihi. Nec video quomodo excusari possit, לחי ראי viventis & videntis. Hic adhibet copulam quæ nulla in Ebræo: deinde ראי vertit *videntis*, omisso pronomine, cum potius significet, *videntis me.* Lxx. Ἰσαὰκ δὲ διεπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως: Isahac autem deambulabat per desertum, juxta puteum visionis. Nimium recedunt à veritate Ebraica. Nec ego concilio. Tantum observo בָּא διεπορεύετο. מבוא posset exponi, à via qua itur ad Puteum &c. Sed cum בָּא melius redditur, *veniebat.* Onkelos, ויצחק אתא במתוהי מבירא דמלאך קימא אתחזי עלוהי. Fagius vertit, *Isahac autem veniebat ab ea via qua itur ad fontem, ubi angelus vivus apparuerat.* Ego,

Isahac

Isahac autem veniebat cum venisset ipse à puteo &c. מבוא. accipio ut sit infinit. ab אתא venit. Nam אתא dicimus & אתו absconditio Aleph radicis. Pro אתא in editione Veneta secunda לא legitur מלאך קיימא angelus vivus. Nota vivi epitheon angelo tribui. Nam idem quandoque angelus & Deus, qui proprie vivus i. æternus. Si legas קימא erit vertendum, *angelus fœderis.* Sed placet קיימא vivus, cui respondet חי apud Ebræos. Jonathan, ויצחק הוה אתי מבי מדרשא דשם רבא מעלנא דבירא דאתגלי עלוהי חי וקיים דחמי ולא מתחמי: *& Isahac veniebat ex schola Semi magni, ab ingressu putei ubi apparuit vivus & permanens, qui videt & non videtur.* Autor Jerosolymitanus, ויצחק הוה אתי מן בית מדרשא דשם רבא לבירא דאתגלית עלוהי שכינתה דיי *& Isahac veniebat ex schola Semi magni ad puteum ubi patefacta fuit divinitas.* Gallica editio, *Or Isaac returnoit du puits du Vivant qui me voit:* Ceterum Isahac revertebatur à puteo Viventis videntis me. Abenezra בא מבוא *nomen loci vocatur duobus nominibus. Et sunt qui* מבוא *exponant* כבפנים *intrinsecus, ut ibi, Et clausit totam domum* מבוא *intrinsecus. Sed verius mihi videtur ut sit nomen verbi, hac sententia, Veniebat ab ingressu Beer Lachai Roi.* Hiscuni, *non veniebat à Puteo viventis videntis me, sed à termino ejus:* & mox, בוא *est congregatio urbis, quæ & מבוא dicitur, sicut dicimus,* תום *&* תמים *integritas.* Congregatio urbis, Ebraice כנישת העיר. Moses Gerundensis, *Veniebat à puteo viventis videntis me. vult dicere, revertebatur ab eo loco domum.* Sententiam expressi non verba. Idem colligit ex eo quod Moses usus sit verbo infinito מבוא, Isahacum frequentasse locum illum orandi caussa propterea quod angelus ibi apparuisset, deinde citans On. legit מסיפור pro eo quod nunc in libris מבוא: quæ lectio in omnes partes melior est. § *Lachai Roi*] Vide supra 16. 14. & infra 25. 11. Puteus iste erat inter Cades & Barad, non procul à Bersabee, ubi tum Isahac habitasse creditur. Sunt qui in ipsa Bersabee fuisse putant, ubi & lucus Abrahæ locus ad orandum aptissimus. Videndus Gerundensis ad hunc locum. § *In terra austri*] i. australi. Lxx. ἐν τῇ γῇ τῇ πρὸς λίβα, in terra quæ ad Africum, On. & Jon. בארע דרומא in terra meridiei. Sig. eam partem terræ Chanaan, quæ ad meridiem vergit. Ebraice הנגב quod antiqui legebant Nageb. Hiero. in Joelem, *Theman Idumæorum regio est, quæ & Daron & Nageb dicitur, eo quod Eurum & Austrum Africumque respiciat.*

63. *Nam egressus fuerat Isahac ad meditandum in agro, instante vespera, sustulitque oculos suos & vidit & ecce cameli venientes.*

Nam egressus fuerat] ויצא & exierat. Latine, exierat enim vel autem. Gerundensis existimat ipsum ex puteo Lachai Roi divertisse in aliam urbem à sua: unde cum amicis exierit deambulandi caussa. Si hoc admittimus, vertendum, *Et egressus est.* Ego magis inclino ut credam rationem reddi cur iverit ad puteum supradictum. Ideo verti, *Nam egressus fuerat.* Sed tamen hoc arbitrarium esse volo, non certum. § *Ad meditandum*] לשוח verti, *ad meditandum*, post interpretem Hiero. Nam שיח idem fere quod הגה Itaque Psal. 143. ubi textus Ebræus habet אשיחה, Græca ecclesia legit ἐμελέτησα. Est tamen ubi aliter vertant, & Vulgatus noster sæpius reddit verbo, *loquor*, ut Symmach. λαλαλέω & διαλέγομαι. Idem שיח interpretatur διάλεξις. Lxx. διαλογή. Aquila ὁμιλία. Sed ad propositum. לשוח On & Jon. לצלאה *ad orandum*, sive *precandum*. Sic Gallica editio, *pour prier*. Santes quoque *ad orandum*. Sed Arias, *ad meditandum*, quasi hoc illo melius esset. Mihi non displicet hæc interpretatio. Cui firmandæ est R. David Psal. 142. 3. in שיחי quod exponit תפלתי precationem meam, ut etiam Lxx. τὴν δέησίν μου, & Santes, *orationem meam*. Quanquam in Hiero. *eloquium meum*. Idem Rabbi Ps. 64. 2. שיח הוא כמו התלאות puto legendum התפלל. Sed tamen ambigens hoc puto. Nam תלאות labor, fatigatio, à לאה. R. Salomo diserte, לשוח inquit, *significationem habet precandi, ut ibi* ישפך שיחו *effundit preces suas.* R. quoque Levi filius Gerson interpretatur להתפלל ad orandum, nempe ut sumitur, inquit, in illo, *Et coram DOMINO effundit orationem suam.* Rursum Camius in libro ubi vocum sensa collegit, post adducta loca scripturæ aliquot, ait ענינם ענין דבור, *sensus eorum sensus loquendi* והוא כמו לשוח בשדה שהוא דבור התפלה *velut ibi, ad orandum in agro, ubi sig. sermonem orantis.* Subnectit deinde, וכמו אריך בשיחי והרימים לו שהוא דבור התלאות וכמו המרות. Qui locus receptam in comment. Camii scripturam, cujus modo meminimus, ita confirmat ut nihil magis. Non ergo de illa posthac ambigere debemus. Sic unus locus alium illustrat, nec est in his litteris quicquam utilius collatione ista. Restant adhuc interpretes Græci. Videamus ergo nunc quomodo illi hunc locum transtulerint. Nam eos contemnere non debemus, quod faciunt illi qui harum rerum aut nullam aut exiguam peritiam habent, homines ἄγροικοι καὶ ἄμουσοι, quibus omnis eruditio solidior odio ac senio est. Quicquid ipsi à Magistris suis non didicerunt, id leve aut inutile pronuntiant. Igitur Lxx. hic habent ἀδολεσχῆσαι εἰς τὸ πεδίον quod redditur, *exerceri in campo.* Aquila ὁμιλῆσαι ἐν χώρᾳ, confabulari in regione. Sym. λαλῆσαι ἐν τῷ ἀγρῷ: loqui in agro. De verbo Græco ἀδολεσχῶ scribit in hunc modum Augustinus Lib. 1. Quæst. in Genesin, *ἀδολεσχία & ἀδολεσχεῖν ad animi exercitationem pertinet, & sæpe vitio deputatur, more autem Scripturarum plerumque in bono ponitur. Pro isto verbo quidam interpretes nostri exercitationem, quidam garrulitatem quasi verbositatem, quæ in bonum, quantum ad latinum eloquium pertinet, vix aut nunquam invenitur: sed, ut dixi, in Scripturis plerumque in bono dicitur: & videtur mihi significare animi affectum studiosissime aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis, nisi aliud sentiunt qui hæc verba græca melius intelligunt.* Si Suidæ credendum, significat assidue meditari. Nam ita scribit, Ἀδολεσχία ἡ παρὰ τῇ γραφῇ ἡ συνεχὴς μελέτη, καὶ ἀδολεσχῆσαι ἀντὶ τοῦ διηνεκῶς μελετῆσαι. Si recte, tum pro *exerceri* reponendum *continue meditari*. Quanquam in Steucho, *ut differeret aut confabularetur.* Confabulari potius est ὁμιλῆσαι. Psal. 55. 3. בשיחי. Lxx. ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου. Aquila ὁμιλίᾳ μου. Santes, *in sermone meo.* Arias, *in meditatione mea.* Ex his satis liquet quid verbum שיח Ebræis significet, nempe loqui secum aut cum alio. Qui secum loquitur proprie meditari dicitur. Qui cum alio loquitur, loquitur vel cum Deo vel cum homine. Qui cum homine loquitur confabulari dicitur: Qui cum Deo, precari aut orare. Scitum illud Senecæ Philosophi, *Ita vivendum cum hominibus tanquam Deus videat. Sic loquendum cum Deo tanquam homines audiant.* Ceterum Abenezra nove interpretatur hoc loco לשוח ad deambulandum inter arbores, vel inter fructices aut virgulta. Nam id significat בין השיחים. § *Instante vespera*] imminente vel appetente vespera. Ebraice לפנות ערב quod reddunt, *ad aspectum vesperæ.* Hiero. *inclinata jam die.* Lxx. τὸ πρὸς δείλης, ad vesperam. Onkelos למפני רמשא cum jam appeteret vespera. Jonathan, לעידוני רמשא ad tempus vespertinum. Gallica, *sur le soir*, sub vesperam. Santes, *dum declinaret vespera.* Trem. *appetente vespera.* Abenezra קרוב מביאת השמש i. *Paulo ante occasum solis: contra* לפנות בקר *ad aspectum mane dicitur pro sub auroram, imminente aurora, au point de jour.* Santis interpretatio præ ceteris mihi displicet. Nam declinat vespera non sub vesperam, sed sub noctem. Debuisset ergo dicere, *dum declinaret dies* sive *inclinante die*, ut Hiero. *inclinata die.* § *In agro*] בשדה in agro. Chaldaice בחקלא unde Haceldema, ager sanguinis. Sic On. retulit. Nam in Jonatha באנפי ברא in facie agri. Soli Lxx. εἰς τὸ πεδίον, quod idem efficit cum illo ἐν τῷ πεδίῳ in campo, nisi construas cum verbo ἐξῆλθεν egressus est in campum. Sed εἰς pro ἐν poni amat, magis ergo ut sit enallage.

64. *Sustulit quoque Rebecca oculos suos, & vidit Isahacum, deciditque de camelo.*

65. *Et dixit servo, Quis est vir iste qui tendit in agro nobis obviam? Dixitque servus, Est Dominus meus: tum accepto velo texit se.*

Isahacum] Virum quendam, quem Isahacum esse mox ex indicio servi didicit. § *Deciditque*] ותפל & cecidit. Casus iste voluntarius erat & sine læsione ulla corporis. Ideo nonnulli reddunt, *dimisit se*, ut Lxx. κατεπήδησεν desiliit. Hiero. *descendit* ותרד. Onkelos & Jonathan, ואתרכינת *inclinavit se.* Trem. *dejecit se.* Santes, *jactavit se.* Gallica, *se jetta bas.* R. Salomo, השמיטה עצמה *dimisit seipsam.* Abenezra, *decidit sponte.* i. ברצונה. § *Et dixit servo*] vel potius, *dixerat servo*, ut mox, *& dixerat servus.* i. responderat. Nam credibile non delapsam fuisse de camelo donec sciret virum illum, qui obviam illis veniebat, Isahacum esse. Sane Abenezra hic hysteron proteron constituit. Alii parenthesi hæc omnia includunt usque ad illud, *tunc accepto velo.* § *Qui tendit nobis obviam*] ההלך לקראתנו qui ambulat in occursum nostrum: quod pro eo habendum ac si diceret, qui ambulans venit in occursum nostrum sive quod idem, nobis obviam. Aut הלך posuit pro בא i. venit. Nam hæc duo verba se mutuo explicant. Certe Hiero. edidit, *qui venit per agrum in occursum nobis.* Lxx. ὁ πορευόμενος εἰς συνάντησιν ἡμῖν. Onk. דמהלך qui ambulat. Jonathan דמטייל, qui animi caussa deambulat, quod vulgo dicunt spatiari. Belgice wandelen. § *Vir iste*] vir decorus & pulcher. Jonathan. Nota הלזה pro הזה. Ezech. 87. 13. est הלז eodem significatu. Onk. edidit דין. Lxx. ἐκεῖνος. & Hiero. *ille*, ההוא. § *Dominus meus*] Isahac. Supra, *filius Domini mei Abrahæ.* Uterque herus ipsius erat. § *Tunc accepto velo*] ותקח הצעיף

הצעיף & accepit velum. Qui superiora verba parenthesi circumcludunt, legunt, *decidit de camelo & accepto velo operuit se.* Potest fieri ut ante descenderit, & postsetexerit, cum videlicet ex servo Isahacum esse cognovisset. Quanquam in alia sententia sint Ebræi, ac nominatim Abenezra & Levi Ben Gerson. ¶ *Velo*] הצעיף velo quo fœminæ olim faciem velabant, plagula vel rica, ut quidam volunt, vel etiam flammeum. Differt à רדיד quo totum caput operiebant. Hiero. *pallium* vocat. Lxx. θέριστρον, quæ est vestis æstiva. On. עיפא quod Fagius interpretatur peplum. Qua voce usus est hoc loco Tremellius. Alii pallium, alii velum reddunt. Dictum ita putatur à volando, quod à vento agitatum huc illuc feratur. Sed verius ut dicamus appellatum à tegendo sive operiendo. Jonathan רדידא. Ebraice רדיד. Obvia hæc vox Canticor. 5. 8. ubi Lxx. θέριστρον. Hier. *pallium*. Alii *peplum* : & est plagula miræ tenuitatis; unde nomen accepit. Arabes, teste Abenezra אזאר vocant. R. David in libro Radicum scribit אזאר אל. Jes. 3. 23. הרדידים Santes, *theristra*. Arias, *palliola*. Jonathan כבינתא. ¶ *Texit se*] operuit se, velavit se. Pro רדידא in Jerosolymitana reperi ברדידה velo suo aut palliolo. Sic etiam Hiero. *At illa tollens cito pallium suum.* Nam articulus aliquando vim habet pronominis. Velavit autem se in signum subjectionis & simul ut reverentiam aliquam futuro marito exhiberet. Vide 1 Corinth. 11. 10. & supra 20. 16. Ceterum Tertullianus autor velum insigne virginitatis fuisse. Primasius in Epist. ad Corinthios, *Mulier debet habere velamen, quod ostendat illam humilem & viro subjectam.*

66. *Narravit autem servus Isahaco cuncta quæ fecerat.*

67. *Post introduxit eam Isahac in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit Rebeccam fuitque ei uxor & amavit eam : & se consolatus est Isahac post obitum matris suæ.*

Cuncta quæ fecerat] Hiero. *cuncta quæ gesserat.* Ebraice הדברים כל את omnia verba. i. omnes res. Notant autem Massoritæ abesse האלה ut sit, omnes res istas. Quin hujusmodi loca tredecim esse iidem annotarunt. ¶ *Eam*] Rebeccam. ¶ *In tabernaculum Saræ matris suæ*] ita Hiero. Prius Aquila scripserat, εἰσήγαγεν αὐτὴν εἰς τὴν σκηνὴν Σάῤῥας τῆς μητρὸς αὐτοῦ : Introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ. Quod notatum à Theologis Græcis quia in Lxx. εἰσῆλθε δὲ Ἰσαὰκ εἰς τὸν οἶκον τῆς μητρὸς αὐτοῦ : ingressus est Isaac in domum matris suæ. Ebraice האהלה שרה quod ita breviter dictum pro האהל שרה in tabernaculum tabernaculum Saræ. Quale illud האבן הבדיל האבן quod explicant lapis lapis stanni. i. האבן הבדיל. Notavit hoc Abenezra. Ceterum Onkelos hic edidit, *introduxit eam in tabernaculum, & vidit & ecce recta erant opera ejus sicut opera Saræ matris suæ.* Quem secutus R. Salomo, *Facta est*, inquit, *similitudo vel exemplum Saræ matris ipsius, ac si diceret, Ecce ipsa est Sara.* Ab his diversus abit Jonathan, qui vertit, *Introduxit eam in tentorium Saræ matris suæ.* Addit idem interpres, *statim accensa fuit lucerna quæ extincta fuerat quando moriebatur Sara.* Videndus & R. Salomo, si quem hujusmodi nugamenta delectant : aut Mercerus. ¶ *Fuitque ei uxor*] καὶ ἐγένετο αὐτῷ γυνή : fuitque uxor ejus, לאשה ad verb. *in uxorem.* Id ambigue dicitur. Nam sig. uxor revera, & pro uxore aut uxoris loco. ¶ *Se consolatus est*] vel, *consolationem accepit.* Id Græci dicunt παρεκλήθη. Hiero. *in tantum eam dilexit, ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.* Sensum expressit, non verba. Verbum consolor in Latio commune est ac dici utroque versum potest. Nam dicimus consolor te & consolor abs te (Alterum est לנחם, alterum להנחם) Aulus Gell. Lib. 15. Cap. 13. ¶ *Post obitum matris suæ*] אחרי אמו *post matrem suam* i. mortem matris. Sic Onkelos & Jonathan, quos sequuntur interpretes nuperi, mihi visi, uno excepto. Is est Santes, qui verbum verbo reddit. Ex veteribus Lxx. περὶ Σάῤῥας τῆς μητρὸς αὐτοῦ : de Sarra matre sua. על שרה אמו. Hiscuni nove explicat, *postquam erat similis Saræ matris suæ.* Mens horum verborum, eo citius consolationem accepit, quod uxorem nactus est matri non dissimilem, quæ matrem moribus & indole referebat. Levi Ben Gerson exponit ut Onkelos.

A M A M A.

21. EBr. *Et vir* משתאה *super eam vel de ea.* Vulg. *Et vir contemplabatur eam.*] Vim vocis Ebraicæ, ipso Cajetano judice, assecutus non est Interpres, plus enim ea significat quam contemplari. Producatur, vel unus locus ubi nudum contemplari significet. Uterque Commentator R. Sal. & Aben. explicant per משתומם Onkelos, תמה. Sed Vulgatus expressit vestigia τῶν LXX. qui hic loci habent, κατεμάνθανεν αὐτὴν *considerabat eam.*

22. Ebr. *Postquam biberunt Cameli, accepit vir ille* נזם זהב בקע משקלו. Vulg. *Postquam &c. protulit inaures aureas appendentes duos siclos.*] Ad verbum, *Nezem auri.* i. aureum; *bekang pondus ejus.* Nezem ornamenti nomen est quod Symmachus ἐπίρρινον vocare consuevit. בקע est à themate בקע quod significat, dissecare, bipartiri, q. d. dissectum vel dimidiatum siclum. Hoc ergo dicit Moses, pondus ejus fuisse dimidiati sicli. LXX. ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς, *ponderis drachmæ.* Ad sensum optime. Siclus enim communis & profanus, quem Laicum vocavit Pagninus, erat δίδραχμον. i. valebat duas drachmas; Hesychius, δύναται ὁ σίκλος δύο δραχμὰς ἀττικάς. Quod vero Josephus Antiq. 3. 10. ait, σίκλος δύναται δραχμὰς τέσσαρας, de sacro intelligendum est qui profano duplo major erat. Vide Drusium ad loca diff. Mosis & Waserum de nummis Ebræorum. Quæ distinctio sicli non observata Augustinum Steuchum eo induxit, ut LXX. Interpretes immerito hoc nomine flagellaverit. *Patet*, inquit, *errasse LXX. qui volunt siclum esse drachmam.* At non שקל *sikel*, bone vir, sed בקע vertunt drachmam, quomodo & Jonath. דרכמונא מתקליה Drachma pondus ejus. Tu autem ipse confessus es initio tuæ annotationis בקע esse semissem vel dimidium sicli. Hæc expositio confirmatur ex loco Exod. 38. 26. בקע לגלגלת מחצית השקל. i. semissis in singula capita, dimidium sicli. Aben. quoque בקע ait esse חצי השקל. Vide quoque Scholia Hiscuni & Kimchium in Radicibus. Sed cum ipse Steuchus aliique Pontificii illud largiantur, supervacaneum fuerit plura accongerere rei tam claræ probandæ. Sed expendatur interpretatio Vulgati; *Protulit*, inquit, *inaures aureas appendentes duos siclos.* Sed quomodo? An quæque seorsim, an vero ambæ simul duos siclos pendebant? Utrumcunque dixeris, hærebit tibi aqua & Vulgatum non expedieris. Sed audiamus Lyram; „In Ebræo habetur, inquit, „protulit inaurem auream, cujus pondus erat medietas sicli, „& probatur per hoc quod habetur Exodi 38. ubi eadem dictio „Ebraica ponitur pro dimidio siclo. Potest tamen dici quod in „Exodo loquitur de siclo ad pondus sanctuarii & potuit esse se„cundum quod dicunt, quod erat majus pondere usuali, in tan„tum quod medietas sicli sanctuarii valebat unum siclum usua„lem. Tamen sicut dictum est alias, in talibus ponderibus nihil „est certum, quod valde mutantur secundum diversas gentes & „secundum eandem gentem diversis locis & partibus. Per hoc „vero quod in Ebræo dicitur, inaurem, in singulari, intelligi„tur etiam sibi correspondens, quod non ornabatur una auris sine „alia, & quælibet inauris erat æqualis ponderis & sic solvitur dis„sonantia quæ videtur esse inter translationem nostram & literam „Ebraicam. Hactenus Lyra. Ecce ponit duas inaures, quarum quæque pendebat dimidium siclum sacrum; id est, unum profanum. Qui duo juncti efficiunt duos siclos profanos, quorum Vulgatus meminit. Sic dico, unus siclus sacer duos profanos continebat. Sed in hac Lyræ pro Vulgato Apologia duo sunt μεγάλα αἰτήματα. Primo enim præsupponit intelligi siclum sacrum in textu Ebræo, at hypothesin illam ipse labefactat dicendo, *In talibus ponderibus nihil est certum* &c. Deinde docti Interpretes docebunt tum temporis siclum sacrum necdum extitisse, utpote cujus Origo non altius quam ipsius sanctuarii (unde siclus sanctuarii & siclus ad mensuram sanctuarii dicitur) arcessi potest. Altera hypothesis Lyræ falsa est, qua existimat נזם hic significare ἐνώτιον inaurem, eamque non unam sed geminam fuisse contendit, dum iniquum ei videtur unam tantummodo aurem ornatam fuisse. Sed ut de posteriori nihil dicam, quod hodierni ritus satis confutant, fallitur in eo quod נזם ornamentum auris tantummodo significasse putet. Sæpe enim pro ornamento narium vel frontali, quod fronti alligatum ad nares usque dependebat, usurpatur. Hoc significatu Græci ἐπίρρινον vocant. Sic sumi videas Prov. 11. 22. נזם זהב באף חזיר *Nezem aureum in nare porci*, ubi tamen Græci LXX. ut & passim alibi ἐνώτιον, ἐνώτιον, inauris. Sic Jezech. 16. 12. *Posui* נזם *super os tuum*, ubi Symmachus ἐπίρρινον. Sic & hoc ipso loco. Testis mihi est vers. 47. hujus capitis, ubi servus sic ait, *Posui Nezem super nasum ejus.* Ubi dubium mihi non est quin Symmachus ἐπίρρινον habuerit. Quin & Hieron. ad Jezech. 16. 12. testatur, suo adhuc seculo inter cætera ornamenta mulierum fuisse aureos circulos, qui ex fronte dependebant naribus imminentes. Et August. quæstionibus in Genesin, *Mos*, inquit, *Maurorum est ut inaures etiam in naribus habeant fœminæ.* Ubi vides & Augustinum voce *inauris* abusum fuisse, cum vox propria non esset in promptu. Nostri quoque Interpretes cum vocem satis idoneam ornamento isti exprimendo non viderent, *Monile* interpretati sunt. Jes. 3. 21. נזמי האף memorantur, ubi Vulg. *gemmas in fronte pendentes*, Pagn. & Cajetanus, *circulos naris.*

naris. Vers. autem 20. ubi Vulgatus vertit *inaures*, in Ebr. est נזמים.

32. Illud quomodo excusari queat plane non video, quod, ubi Ebræa habent, *dedit aquam ad lavandum* רגליו *pedes ejus*, Vulgatus verterit, *pedes camelorum ejus.* Nam & Græci πόδας αὐτοῦ. Vid. St. & Caj.

41. In fine versus desiderantur in Vulg. hæc verba, *Et eris mundus à juramento meo*, quod Vulgatus dimisit, *à maledictione.*

G R O T I U S.

2. **P***One manum tuam subter femur meum*] Mos jurandi eo tempore apud illas gentes receptus, ut Josephus notat. Vide infra XLVIII. 29. quasi dicerent, si fallam ense tuo peream. Nam ad femur locus ensis. Jud. III. 16. 21. Psal. XLIV. 4. At Abnesdra homagii signum fuisse dicit, sedenti dextram supponere. Sic Romanis possidere à sedendo.

3. *Ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum*] Non recte ex hoc loco colligit scriptor Persa Hama al zei translatus à Rabbino Chomer, Labanem, cujus filias duxit Jacobus, non fuisse idololatram, neque Teraphim idola, quia conjugia tantum cum Cananæis ob idololatriam vitari voluerit Abrahamus. At vero potuit Laban melior esse Cananæis, & filiæ ejus sanabilioris ingenii; ideo quod Laban cultum summi Dei, quanquam admixtis quibusdam non probandis, retinebat, infra XXXI. 49. 53. 54. Cananæi autem à summo Deo plane defecerant, vitamque multis flagitiis inquinaverant. De malis minimum.

8. *Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis jurejurando*] Tanta erat veterum in juramentis religio, ut etiam quæ tacite excepta intelligi debebant, nominatim exciperent. Vide simile in Iphigenia Taurica Euripidis.

15. *Habens hydriam in scapula sua*] Munus id erat virginum eo tempore. Vide Exodi II. 16. Homerus,

Κούρῃ τε ξύμβλητο πρὸ ἄστεος ὑδρευούσῃ.

[*Obvia fit quærens laticem extra mœnia virgo.*]

47. *Inaures*] Monile impositum naso. Sic in Hebræo: & ita supplenda ἔλλειψις [*defectio verbi*] supra, 22. Sunt adhuc apud Indos ornamenta talia.

48. *Filiam fratris domini mei*] id est, neptem, quomodo & Romani sæpe loquuntur: l. Filii, D. de verborum signific.

49. *Ad dextram*] Ubi Ismaelitæ.

Ad sinistram] Ubi Loth cum suis.

50. *Laban & Bathuel*] Matris & puellæ ipsius nulla hic mentio. Tantum valebat jus paternum eo tempore, vide 1 Cor. VII. 36.

53. *Prolatisque vasis argenteis & aureis*] Nam heroicis temporibus viri nuptiis dotem dabant, non nuptæ viris. Notat ad Euripidis Medeam Scholiastes.

55. *Decem dies*] Ex Græco ἡμέρας ὡσεὶ δέκα [*dies ferme decem*]. Melius forte Josephus per ימים [*dies*] intelligit annum, quomodo ea vox sumitur Lev. XXV. 29. & Amos IV. 4. & per ימים [*annos*], vertitur II Reg. XX. 6. Iob. XXXVIII. 21. עשור autem, id est, decada, intelligit mensium. Nec aliter Salomon Iarchius.

60. *Soror nostra es*] Hebræum אחתנו את recte vertas *ô soror nostra*. Est enim illis secunda persona vice vocativi.

63. *Ad meditandum*] Non male qui vertunt ad orandum. Vide Psal. CII. 1.

65. *Ipse est dominus meus*] Herus minor. Filii etiam vivente patre quodammodo domini rerum paternarum.

Tollens cito pallium operuit se] Pro pallio in Hebræo est צעיף, Græci θέριστρον [*pallium æstivum*] verterunt. Operuit autem vultum more matronarum, 1 Cor. XI. 10. vide supra XX. 16. & quæ Hieronymus habet de Arabiæ ac Mesopotamiæ feminis ad Esaiæ cap. III. & Alcoranus Azoara XXIV. editionis Latinæ. Ex eo velandi more dictas nuptas & nuptias tradit apud Festum Cincius.

67. *In tabernaculum Saræ matris suæ*] Habebant enim feminæ tentoria sua seorsim, quasi γυναικωνῖτιν [*feminarum conclave*]: vide supra XVIII. 10. XXIII. 2.

C A R T W R I G H T U S.

2. **P***One nunc manum tuam sub femore meo.*] R. Salom. putat ceremoniam istam, scil. ponendi manum sub femore, ob (*a*) circumcisionem fuisse usurpatam. Aben Ezra potius existimat moris tunc fuisse, ut qui manum suam sub femore alterius poneret, isto signo se ei subditum, ab sub potestate ejus esse declararet. Asserit etiam morem istum adhuc in usu esse apud Indos, בארץ הודו. Hoc Mercerus ita probat, ut interim Abrahamum ad circumcisionem respexisse existimet. Baal Turim more suo Cabbalistico notat verba נא ידך, i. e. nunc manum tuam, eundem numerum efficere cum voce מילה, quæ circumcisionem significat: atque inde (egregio scil. argumento) colligit, Abrahamum servum suum adegisse, ut per circumcisionem juraret. Si præter subjectionis possessionem mysterii aliquid in ista ceremonia latuerit, non male ad Christum, qui ex femore Abrahæ profecturus erat, refertur. Tradunt Hebræi (inquit Hieron. in Tradit.) quod in sanctificatione ejus, hoc est, in circumcisione juraverit. Nos autem dicimus, *jurasse eum in semine Abrahæ, hoc est, in Christo, qui ex illo nasciturus erat, &c.*

6. השמר לך *Cave tibi.*] Aben Ezra ait, verbum השמר cum accentu in penultima, ut hoc in loco, *observationem seu cautionem* significare; at eum accentu in ultima, ut Isai. 7. 4. *quiescendi significationem* habere, à שמרים, i. e. *fæcibus, quæ in fundo quiescunt.*

7. *Is angelum suum mittet.*] ישלח, *vel mittat.* Aben Ezra vult esse precationem, non prophetiam, quia sequitur, quod *si mulier tecum venire noluerit, &c.* LXX ἀποστελεῖ. Vulg. *mittet.* Vide Annotationes Jun.

10. *Et omnia bona domini sui habebat in manu* (*b*) *sua.*] R. Salom. putat sensum esse, eum secum portasse schedulam, in qua expressum erat, Abrahamum omnia bona sua Isaaco dedisse, ut hac ratione Rebeccam facilius impetraret. Atque isto quidem argumento in eum finem usus videtur servus, v. 36. Hic autem aliud agitur, nempe hunc Abrahami servum omnia heri sui bona in potestate sua habuisse, ideoque facile potuisse tot camelos, ac quæcunque vellet, sibi ad iter accipere. ו hic causalis est; *Et omnia bona*, i.e. *Namque omnia bona, &c.* Sunt qui existimant sensum esse, quod secum tulit ex optimis ac pretiosissimis Abrahami opibus, quas Rebeccæ aliisque dono daret. In hunc sensum LXX καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν τοῦ κυρίου αὐτοῦ μεθ' ἑαυτοῦ, *Et de omnibus bonis domini sui secum.* Et vulg. *Ex omnibus bonis ejus portans secum.* Sed alteram expositionem genuinam arbitror.

17. הגמיאיני *Da mihi* (*c*) *potandum.*] Verbum גמא est minus usitatum. R. Salom. ait, absorbendi significationem habere, לשון גמיעה. Ver. 45. pro הגמיאיני est השקיני, i. e. *fac me potare*; vel, *da mihi potandum.* Sic Mercerus & alii accipiunt Job. 39. יגמא *absorbebit*, q.d. *Tanta celeritate ac impetu currit equus, ut terram quasi absorbere videatur.* Sed istic alii aliter exponunt.

22. *Et accepit vir iste* נזם זהב *ornamentum aureum.*] LXX ἐνώτια χρυσᾶ, *inaures aureas.* Sic Vulg. Amama notat, *Nezem* non tantum significare *inaurem*, sed etiam *ornamentum narium*, vel *frontale*, quod fronti alligatum ad nares usque dependebat; ut Prov. 11. 22. *Nezem aureum in nare porci.* Ubi LXX ἐνώτιον χρυσοῦν, ὄρμον. Vulg. *Circulus aureus, in naribus suis.* Ezech. 16. 12. *Posui nezem super os tuum*, ubi Symmachus, ἐπιρρίνιον. Sic in hoc cap. v. 47. *Posui nezem super nasum ejus.*

בקע משקלו *Dimidium* (*d*) *sicli erat pondus ejus.*] Chald. תקלא מתקליה, i.e. *siclus erat pondus ejus*, vel (ut Fagius vertit) *cujus pondus siclum valebat.* At בקע (ut notat Aben Ezra) est חצי שקל, i. e. *dimidium sicli*; à בקע *findere, dividere*, quasi *siclus in medio fissus, seu divisus.* LXX ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς, *singularum drachmarum ponderis.* Sic vertitur in Edit. Rom. Amama in Censura vertit *ponderis drachma.* Vertendum censeo, quarum singulæ pondus drachmæ habebant. Nam LXX in plurali dixerant, ἐνώτια, *inaures*, & ἀνὰ vim istiusmodi habet, ut videre est Matth. 20. 9. Et in Medicorum libris ac præscriptis frequenter in hoc sensu particula ista usurpatur. Nobilius refert Ambrosium ita legere, nempe *singularum drachmarum ponderis*; unum autem vetustum Græcum codicem habere δίδραχμον. Sic Hieron. in Tradit. legit *didrachmum pondus ejus*, Addit autem בקע, quod hic pro *didrachmo* scribitur, *semunciam*

(*a*) *Jonathan etiam ad circumcisionem respectum fuisse existimat.* Pone nunc manum tuam in abscissione circumcisionis meæ. בגזירת מהולתי *Hierosolymitanus*, sub femore fœderis mei. קיימי (*b*) *Jonath. & Hierosol.* Et omnis excellentia thesauri (בכל שפר אפותיק) domini sui erat in manu ejus. (*c*) *Onkelos*, אשקיני Da mihi potandum. *Jonathan*, אטעימני fac me gustare. (*d*) *Jonathan*, דרכמונא מתקל ה drachma (erat) pondus ejus.

ciam esse, שקל, qui Latino sermone *siclus* corrupte appellatur unciæ pondus habere. Apparet igitur ex Hieronymi sententia בקע esse *sicli dimidium*. Vulg. *appendentes duos siclos.* Quasi בקע *siclum* valeret, quum præter derivationem vocis ex Exod. 38. 26. constet significare dimidium sicli, ut notat Amama in Cens. ubi ad confirmandam illam τῶν LXX interpretationem, ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς, affert illud Hesychii δικαίω) ὁ σίκλος δύο δραχμὰς Ἀττικάς, i.e. *siclus valet duas drachmas Atticas.* Hoc de communi siclo intelligendum monet; sacrum enim duplo fuisse majorem, de quo Joseph. Antiq. lib. 3. cap. 10. σίκλος δύναται δραχμὰς τέσσαρας, *siclus continet drachmas quatuor.* Hallucinatur igitur Gualtperius, cum ait LXX Interpretes hic hallucinari in eo quod vertunt dimidium sicli drachmam; siclum enim (teste Hieronymo in Ezech. 4.) staterem esse, quem Græci τετράδραχμον vocant, &c. Non animadvertit Hieronymum, ut etiam Josephum (quem pariter citat) de siclo sacro loqui, LXX autem de communi. Gualtperius autem hic (ut fere ubique) secutus est Fagium, qui eundem erravit errorem. Lyra vulgatum Interpretem cum Hebræo textu conciliare conatur, dicens in Hebræo quidem haberi, protulit inaurem auream, cujus pondus erat medietas sicli, prout Exod. 39. vox ista בקע usurpatur: posse tamen dici, quod in Exodo sermo est de siclo sanctuarii, quem vulgari duplo majorem fuisse ferunt, etiamsi de ponderibus nihil sit certum. Cum autem Hebræus textus habeat *inaurem* in singulari, intelligi etiam alteram fuisse ei respondentem; non enim solere unam aurem ornari absque altera; utramque vero inaurem æqualis fuisse ponderis. In hunc modum Lyra vulgatam versionem tueri nititur. At si quidlibet pro arbitrio divinare liceat, nulla unquam adeo absurda erit interpretatio, quin defendi queat. Ea pro concessis sumit Lyra, quæ vel falsa sunt, vel dubia. Primo enim supponit hic in Hebræo textu siclum sacrum intelligi, cum (ut notat Amama) docti Interpretes existiment siclum istum non ante sanctuarium (unde vocatur siclus sanctuarii) extitisse. Altera ejus hypothesis est *Nezem*, non nisi inaurem significare, quod ex supradictis falsum esse deprehenditur. Tertio quod dicit unam aurem non soleri ornari absque altera, ipsa experientia satis refutatur.

23. *Et dixit*, vel, *Dixerat enim*, *Filia cujus es tu?*] R. Salom putat servum sic puellam interrogasse, postquam ei dona dedisset; fretam scil. pietate Abrahami, ac confisum, quod Deus iter suum secundasset; prius puellæ munera dedisse, quam intelligeret utrum ex cognatione Abrahami esset necne. At multo verisimilius est quod dicit Aben Ezra, nempe ו hic valere, כבר אמר לה קודם שיתן לה כלום i. e. *Et*, vel, *Etenim jam dixerat ei, antequam ei quicquam dedisset.* Vide vers 47.

25. מספוא *Pabulum*] R. Salom. ait *Mispo* significare *omnem cibum camelorum, veluti paleam & hordeum.* Aben Ezra similiter asserit significare escam jumentorum, & generale nomen esse, complectique sub se hordeum.

28. *Et narravit domui matris suæ*] R. Salom. ait *mulieres solitas fuisse gynæceum; seu domum quandam peculiarem sibi habere, ubi operi intenta erant; ac filiam nemini nisi matri suæ rem nuntiasse.* Vide infra ad ver. 50.

29. *Et cucurrit*] R. Salom. putat Labanem ideo cucurrisse, quod avarus esset, ac cum, ut vers 30. dicitur, vidit inaurem auream, & armillas, &c. oculum animumque suum in divitiis defixum haberet. At etiamsi ex historia Labanis eum avarum fuisse appareat; hoc tamen ejus humanitati tribuendum censetum.

36. *Atque ei dedit omnia quæ habet.*] R. Salom. commento suo (de quo supra ad vers 10.) indulgens, addit, שטר מתנה בידי i. e. *Et scheduła, seu instrumentum donationis est in manu mea.* At hoc est textui addere, ac supra id, quod scriptum est, velle sapere.

47. *Ac interrogavi eam, &c. & posui monile, &c.*] R. Salom. ait servum prius ornamenta dedisse, deinde interrogasse, cujus esset filia? Hic autem de industria ordinem mutare, ne eum verbis suis caperent, dicentis, Quomodo ei ista dedisti, cum nondum scires quænam esset. Sed hoc frigidum est. Vide supra ad vers 23.

Et posui הַנֶּזֶם עַל אַפָּהּ *monile super nasum ejus.*] Vel, *super faciem ejus.* Nam אף & *nasum*, & *faciem* significat. Lxx. paullo laxius interpretatur, καὶ περιέθηκα αὐτῇ τὰ ἐνώτια, & *circumposui ei inaures.* Vide ad v. 22.

49. *Si benignitatem*, חֶסֶד & *veritatem*, אֱמֶת, *exhibebitis domino meo.*] Aben Ezra notat hoc discrimen inter hæc duo vocabula esse, quod חסד denotat *rem minime debitam*; אמת autem *alterius confirmationem.* Vide ad cap. 32. 10.

50. *Respondit autem Laban & Bethuel.*] R. Salom. ait *Labanem impium fuisse, ac ante patrem loqui properasse.* Aben Ezra (ad vers 55. ubi mater Rebeccæ, & frater respondisse dicuntur, de patre autem non fit mentio) ait, *Labanem patrem suum forte sapientia ac honore excelluisse, atque ideo hoc in loco ei præpositum esse.* Lyra ad vers 28. notat Josephum existimare Bethuelem jam fuisse defunctum. Et si hic locus objiciatur, respondet dici posse, *hunc Bethuelem non patrem fuisse Labanis, sed fratrem, atque ideo Labani postponi, eo quod esset junior.* Ad hunc autem versum ait, supposito quod Bethuel iste fuit pater Rebeccæ, post Labanem eum nominari, quod etiamsi primo in matrimonium Rebeccæ cum Isaaco consenserat, postea tamen pœnitentia ductus illud impedire voluit. Id colligit ex vers 55. ubi dicitur, *fratrem ac matrem Rebeccæ respondisse*, nulla patris mentione facta. Hinc R. Salomonem secutus, colligit Bethuelem nuptias impedire conatum, ac propterea ab Angelo morte fuisse percussum. Sed nimis solenne est R. Salomoni quidlibet communiscendi ansam undecunque captare. De Bethuele autem, quum in toto hoc negotio raro admodum memoretur, sed semper fere, eo prætermisso, de fratre, ac matre Rebeccæ fit sermo, *Verisimile est, eum jam ætate provectum, rerum suarum curam filio ac uxori demandasse.*

54. וַיָּלִינוּ *Et pernoctaverunt.*] R. Salom. asserit hoc verbum semper in Scriptura denotare לינת לילה אחד, i. e. *commorationem unius noctis.* At quemadmodum hoc defendi possit, nescio. Nam proculdubio interdum generalius usurpatur; ut Zach. 5. 4. Isai. 1. 21. Psal. 49. 12.

55. *Maneat puella nobiscum* יָמִים אוֹ עָשׂוֹר *annum, vel decem scil. menses.*] Ad verb. *dies*, vel *decem.* R. Salom. autem per ימים *dies*, hic intelligit שנה *annum*, uti vox ista usurpatur Levit. 25. 29. & per עשור *decem*, intelligit חדשים ׳י, i. e. *decem menses.* Ac probat ימים hic non posse accipi simpliciter pro diebus, quia non solemus ita aliquid petere, ut si id non impetremus, amplius petamus. Hoc autem procedit ex hypothesi per decem, totidem menses significari, quod incertum est: ut & illud quod dicit R. Salom. decem mensium spatium dari solitum virgini, quo se ornamentis suis instrueret, ac ad nuptias pararet. Chald. עדן בעדן או עשרא ירחין, i. e. *ad tempus aliquod vel saltem* (*e*) *decem mensibus.* Fagius ait in Hebræo esse, *Maneat nobiscum puella dies vel decem*, h. e. *per annum, vel saltem decem menses*, si non potest plus impetrari. *Diem* enim *pro anno* apud Hebræos sæpe accipi, quod *annus* sit *veluti orbis ac circulus dierum.* LXX. ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, *dies quasi decem.* Vulg. *saltem decem dies.*

57. *Et interrogabimus os ejus*] Chald. & *audiemus quid illa dicit.* R. Salom. notat hinc disci, mulierem non nisi ex consensu suo dandam esse marito.

מכאן שאין משיאין האשה אלא מדעתה.

59. וְאֶת־מֵנִקְתָּהּ *Et nutricem ejus.*] Aquila & Symmachus, & Vulg. & Chald. cum Hebræo consentiunt. At LXX. καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς, & *substantiam ejus.* Hieron. in Tradit. monet in Hebræo esse, & *nutricem ejus. Decens* quippe (inquit) erat, ut *ad nuptias absque parentibus virgo proficiscens, nutricis solatio foveretur.*

63. *Et exiit Isaac* לָשׂוּחַ *ad orandum.*] Sic Chald. לצלאה בחקלא, (*f*) i. e. *ad orandum in agro.* Ita etiam R. Salom. ait hoc verbum *orationem* denotare; לשון תפלה, idque probat ex Psal. 102. in titulo, ישפך שיחו, i. e. *effundet meditationem suam.* Abenezra exponit ללכת בין השיחים, i. e. *ad ambulandum inter arbores.* LXX ἀδολεσχῆσαι, quod in Edit. Rom. vertitur, *exerceri.* Hieron. in Tradit. vertit, *ut exerceretur.* Mercerus vertit, *ad confabulandum*; & putat sensum esse, Isaacum exiisse, ut luderet, & honesta deambulatione animum reficeret. LXX verbo ἀδολεσχεῖν in bonam partem accipiunt, cum apud Græcos aliter soleat usurpari. ἡ δὲ ἀδολεσχία (inquit Theophrastus in Charact.) ἐστὶ μὲν διήγησις λόγων μακρῶν, καὶ ἀπροβουλεύτων, i. e. interprete Casaubono, *Oratio nugatoria est narratio, quæ ex sermonibus longis constat, & inconsideratis.* Hieron. ait in Hebræo esse, ut loqueretur, & Isaacum ad orationem exiisse. Sym. λαλῆσαι, *loqui.* Aquila, ὁμιλῆσαι, *colloqui*, nempe (ut explicant Græca Scholia) vel *cum Deo*, quod est *orare*; vel *cum seipso*, quod est *meditari.* Fagius in Collat. asserit vocem Hebræam significare *submissa voce loqui*, & *murmurare, ut orantes vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes facimus.* Addit sibi eorum sententiam probari, qui pro *orare* accipiunt; atque ita Kimchium in Rad. interpretari.

64. וַתִּפֹּל מֵעַל הַגָּמָל *Et cecidit de camelo.*] h. e. *Descendit sua sponte*, ut interpretatur Aben Ezra, ברצונה. Qui etiam recte monet

(*e*) *Jonathan*, יומין שתא חדא או עשר ירחין diebus anni unius, vel decem mensibus. (*f*) *Jonathan*, לצלאה באנפי ברא ad orandum in agro. *Ad verb.* in facie agri.

monet versum sequentem, sensu esse priorem; prius nempe Rebeccam conspecto Isaaco, interrogasse quis esset, ac deinde cum intellexisset Isaacum esse, de camelo descendisse.

65. *Et accepit* צעיף *velum.*] LXX θέριστρον. *Theristrum* autem (inquit Hieron. in Tradit.) *pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres provinciæ illius velantur.* Idem Hieron. in Isai. 3. ait θέριστρα dici ab eo, quod ἐν θέρει, hoc est, *in æstate, & caumate corpora protegant fœminarum.* Chaldæus vertit עפא *peplum.* Eadem vox habetur infra cap. 38. 14. ubi LXX similiter habent θέριστρον, at certum est, *velum, quo facies obtegitur*, *ibi significari*, nec aliud de hoc loco est sentiendum. Rectissime notat πολυμαθέστατος Seldenus (de Jure Nat. &c. lib 5.) *hujus usum non duntaxat ad æstivos calores minuendos, sed etiam pudoris caussa, tam à meretricibus, quam à sponsis, & matronis fuisse adhibitum.* Quin & ex Aruch adducit testimonium R. Nathan asserentis צעיף idem esse quod רדיד, scil. *velum tenue, quo fœminarum capita obtegebantur.* Jonathan hic per רדידא interpretatur; atque ita etiam Paraphrastes Hierosolymitanus.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

6. *Concubinarum*] Hebræi per *concubinam* intelligunt ancillam viro in concubitum absque scripto & קדושין i. *subarratione*, & *legitimis ceremoniis* addictam. Et proles ex tali nata conjugio non succedit patri in hæreditate, sed muneribus dotari potest. Et sic Hagar fuit concubina Abraham, Ketura vero fuit legitima ejus uxor secundum quosdam. Sunt tamen multi ex Hebræis qui putant Keturam fuisse Hagar Ægyptiam. Verum cum textus habeat, *filiis concubinarum*, in plurali, videntur diversæ fuisse personæ, sicut & Aben Ezra sentit.

8. *Plenus*] Hebraice, *satur*. Saturata fuit anima ejus in diebus suis, nec optabat ut dies ejus innovarentur, sicut dicit Gerundensis. Et quod præmittitur, *Et exspirans*] putant Rabini גויעה esse mortem quæ homini accidit absque ullo prævio morbo & dolore. Unde & de iis qui in diluvio perierunt dicitur, ויגוע כל בשר *& exspiravit omnis caro, &c.* Unde aiunt גויעה esse יציאת הנשמה מהגוף רגע אחד בלי צער i. *exitum spiritus de corpore momento absque dolore.* Hæc exspiratio in electis vocatur somnus, ex quo evigilaturi sunt ad æternam vitam. Credentibus enim mors non est mors sed somnus quidam. Nam cum terror, stimulus & vis mortis abest, non potest dici mors: quantoque fides est major, tanto mors est imbecillior tolerabiliorque.

16. *Castella*] Exponunt Hebræi טירות pro ארמונים *castris & magnificis ædificiis*, qualia potentes erigunt.

18. *Habitaverunt*] Hoc de uno Ismaele non dicitur, sed de omnibus filiis ejus, qui ea loca inhabitaverunt, quæ etiam hodie nominibus filiorum Ismael vocantur, ut sunt Nabathæi, à *Nebaioth*; Arabes, à *Kedar*, *&c.* Et quod sequitur; *Coram facie fratrum suorum corruit*] refertur ad personam Ismaelis: Is in mortem corruit, viventibus adhuc fratribus suis: Vel, ut Kimhi exponit, *cecidit sors ejus in conspectum fratrum suorum.* Alii capiunt hic *corruere* sicut in Jeremia invenitur, *Ad Chaldæos corruit*, seu *deficit*: sic multitudo filiorum Ismael pergens ad diversas regiones ut habitationem sibi quæreret, in facie fratrum suorum cadere visa fuit, cum alias habitationes quærere cogeretur. Chaldæus interpres & R. S. pro *corruit* verterunt *habitavit.*

20. *Mesopotamia*] In Hebræo habetur, *de Padan Syria, & non de Syria fluviorum*, ut supra ubique scribitur. Sonat vero in lingua Syriaca *Padan* idem quod צמד, i. *par* vel *copula*: & Syria dividebatur in duas provincias, scilicet in Syriam צובה & in Syriam נהרים, quæ ad istam copulabatur. Quando igitur dicitur, *de Padan Syria*, perinde est ac si diceretur, *de Mesopotamia*, *quæ Syriæ Zoba confinis est.* Sunt etiam qui *Padan* exponunt per שדה, quasi *ager Syriæ.* Potest enim esse ut certa quædam portio & regio terræ fuerit in Mesopotamia quæ peculiariter *Padan* tunc vocabatur.

21. *Præsente uxore*] Sunt qui dictionem לנכח exponunt pro בעבור, i. *pro ea.* Alii vero accipiendam ajunt pro naturali sua significatione, ut nos vertimus: *Fuit*, inquiunt, *uxor præsens, quo maritus efficacius Dominum rogaret.* Et quod sequitur, *Si sic, ut quid ego?* Gerundensis sic interpretatur, *Si sic mihi futurum erat, ut quid vivo in mundo, & non potius morior?*

25. *Jacob*] Ratio hujus nominis explicatur in Scriptura: Tenebat enim plantam fratris cum in partu ipsum anteverteret: De nomine vero *Esau* nulla fit mentio. R. S. putat illum sic dictum, quod prodiit tam perfectus in pilis ac si filius fuisset aliquot annorum. Sonat enim *Esau factum.*

28. *In ore suo erat venatio*] Habebat, inquit, Isaac quotidie carnem ferinam, qua libenter vescebatur, & quam Esau venabatur, portans ad os patris. Et quod sequitur, *De ruso isto*] intelligendum est de coctione lentium, quæ vel natura vel pigmentatione rufæ erant: ille vero nesciens qualis esset cibus, à colore *rufum* ipsum appellabat. Et hinc ipse vocatus est *Ædom*, quod *rubedinem* significat. Id vero quod Jacob dixit, *Juxta hunc diem*] sic intelligendum est, כבר היום מיד, *Jam & in præsenti tempore, absque ulla dilatione, jura mihi.* Porro jus primogenituræ, de quo hic agitur, secundum Gerundensem fuit successio in מעלת האב ושררתו בכבוד, i. *in dignitate patris & principatu atque honore ejus*, *& quod autoritatem haberet in minores, sic quod fratres minores consurgerent à conspectu ejus, & ministrarent illi, sicut filii patri.* Alii putant quod primogenitus accipiebat ex omnibus bonis paternis duas portiones.

FAGIUS.

3. *In castris & in tabernaculis*] Ita transtulit author Editionis Complutensis, quem secuti sumus. Non multum tamen probat istam lectionem R. S.

6. *Filiis autem concubinarum*] Hebræi concubinam esse dicunt אמה המיוחדת לאדם לשכבו בלא כתובה ובלא קדושין i. *ancillam alicui in concubitum absque scripto & subarratione ac legitimis ceremoniis addictam.* Et proles ex tali nata conjugio non succedit patri in hæreditatem, sed muneribus dotari potest. Sic Hagar fuit concubina Abraham.

8. *Et exspiravit*] R. S. *exspirandi* verbum, Hebraice גוע, tantum de justis dici sentit: cui adstipulatur & Nicolaus Lyranus. Verum hoc alii impugnant, eo quod istius quoque verbi usus exstat supra Gen. 7. ubi narratur quomodo inundatione diluvii omnis caro consumpta fuerit. Ibi dicitur, ויגוע כל בשר *Et exspiravit omnis caro*: quod in genere de omnibus hominibus dicitur, non tantum de justis, imo maxime de sceleratissimis illis qui diluvio perierunt. Firmius itaque est, quod alii scribunt, גויעה, *exspirationem*, esse mortem quæ homini accidit absque prævio morbo ac dolore. Ita enim scribit A. E. in hunc locum, מלת ויגוע יציאת הרוח מהגוף רגע אחד בלי צער ועכוב i. *Dictio* EXSPIRAVIT *egressionem spiritus è corpore significat, quæ fit subito sine dolore & mora.* Et in confirmationem istius suæ sententiæ citat locum infra c. 49. de patriarcha Jacobo, qui cum absolvisset prædicere filiis suis quid futurum esset, *collegit pedes suos ad lectum, & exspiravit.* Idem Ezra dicit, כל גויעה מיתה אך לא כל מיתה גויעה, i. *Omnis exspiratio mors est; non autem omnis mors exspiratio est.* Similia fere his scribit & R. D. K. in Rad. ענין גו׳ עה מיתה קלה שאינה כארוכה i. *Exspiratio mortem significat levem, quæ fit sine prævio morbo diuturno.* ¶ *Senex & satur*] Hebraismus est, pro, *Saturata erat anima ejus.* Non cupiebat diutius vivere, nec dies suos innovari. ¶ *Et collectus est ad populum suum*] Modus ille loquendi Hebræis nihil aliud vult quam, *Mortuus est, quemadmodum & majores sui alii post alios.*

12. *Hæ vero sunt generationes Ismaelis*, &c.] Iste versus in magnis illis Bibliis Venetianis cum commentariis excusis non habetur, nimirum typographi incuria omissus, restituendus ergo.

14. *Mischma*, *& Dumah*, *& Massa*] Hebræi hæc tria propria nomina conjuncta proverbialiter usurpant, dicentes, משמע ודומה ומשא, quo volunt significare, *Multa audienda*, *tacenda*, *& ferenda esse.* *Mischma* enim *auditum* significat, deductum nomen à verbo שמע, *audivit.* *Dumah*, à דמם, i. *siluit*, *tacuit.* *Massa*, i. *patientia*, *onus*, *tolerantia*, à verbo נשא, i. *tulit*, *sustinuit.* Omnino hoc dicterium Hebræis in eo usu est quo Græcis, ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

18. *E regione omnium fratrum suorum habitavit*] Multifariam intelligunt ac exponunt hoc: Vel, quod Ismael, superstitibus adhuc omnibus fratribus suis, fixam sedem, ubi habitaverit, instituerit: Vel, quod fratribus suis adversus esse cœperit; quod non ausus fuit facere vivente adhuc patre Abrahamo: Vel, quod non procul à fratribus suis habitarit, ita ut sors ejus propinqua esset hæreditati fratrum: Vel, quod coram omnibus fratribus suis, nullo prius morte prærepto, quieverit, i. occubuerit, diemque suum obierit.

21. *Pro uxore sua*] Potest etiam legi, *è regione uxoris*, vel *præsente uxore*: quo ardentius & efficacius orare innuatur.

22. *Si sic, cur istud ego?*] Sensus est, Si tantus est dolor & cruciatus concipere & gravidam fieri, cur ego ipsum desideravi & petii à Domino? Ita exponit R. S. Quem sensum etiam expressit

pressit Latinus Vulgatus interpres sua versione, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Alii ita legunt, *Si sic mihi futurum erat, ut quid vivo, & non potius morior?* ¶ *Doctrinam à facie Domini*] Sentiunt Hebræi eam ivisse ad Schem filium Noah, quem tum sacris præfuisse dicunt, & per ipsum Dominum suis responsa dedisse. Cui sententiæ accedit etiam Paraphrastes Hierosolymitanus. Nam ita vertit, ואזלת למתבע רחמין מן קדם יי בבית מדרשיה דשם רבא i. *Et abiit ut peteret misericordiam à Domino, in domo ubi concionabatur Schem Rabbi*, seu *princeps*. Sententia A. E. est, quod Dominus dederit ei responsum per prophetam aliquem, vel per ipsum Abrahamum, quem vixisse dicunt usque ad XV annum filiorum Rebeccæ, scilicet Esau & Jacob.

27. *Oberrans in agris*] Chaldaice ad verbum est, *vir egrediens in agrum*. Intelligit eum fuisse hominem campestrem & sylvestrem, h. e. venatorem, qui delectatus fuerit rure, sectando & venando feras: ut sunt hodie nostri nobiles. Vult dicere, Er ist ein Jungherr / Spacierer und Müssiggänger gewesen. Quod vero dicitur de Jacobo, quod fuerit *minister domus doctrinæ*, per hoc intelligit quod scholas Rabinorum, qui tum populum docebant, frequentarit, & quod legi Divinæ pietatique operam dederit. Scholam enim Hebræi vocant *domum doctrinæ*.

31. *Juxta diem hunc*] Duplicem potest habere sensum. I. *Vende mihi juxta hunc diem*, &c. i. hodie, jamjam, in præsenti tempore, absque ulla dilatione. II. Tam certo ac liquido vende mihi primogenituram tuam, quam certus, liquidus ac clarus est dies iste. Dicunt enim Hebræi Caph literam, quæ præservit voci כיום, esse Caph quod illorum Grammatici vocant כף האמתי, quod scilicet veritatem, certitudinem ac confirmationem rei importat.

34. *Vilipendit primogenituram*] Thargum Hierosolymitanum ita habet, *Abiit & contempsit Esau primogenituram, & floccipendit partem futuri seculi, negavitque resurrectionem mortuorum.*

IDEM.

18. על פני כל אחיו נפל, *Coram facie omnium fratrum suorum corruit.*] Varietas est in voce נפל, quæ licet proprie *cadere & corruere* Hebræis significet, tamen vario modo accipitur. Quidam pro *corruere in mortem*, i. occumbere, accipiunt, ut sit sensus, quod Ismael viventibus adhuc ac etiam præsentibus omnibus fratribus suis diem obierit. Quem sensum sequitur & D. Hieron. in Quæst. Hebr. super Genesin, ubi sic scribit, *Quod autem in extremo hujus capituli juxta Septuaginta legimus*, contra faciem omnium fratrum suorum habitavit, *verius est illud quod nos posuimus*, coram omnibus fratribus suis occubuit, *i. in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis, & nullo prius morte prævento.* FRATRES *autem pro filiis appellari Jacob quoque ad Laban demonstrat, dicens,* Quod est peccatum meum? quia persecutus es post me; & quia scrutatus es omnia vasa mea. Quid invenisti de universis vasis domus tuæ? Portatur coram fratribus meis & fratribus tuis; & dijudicent inter nos. *Nec enim possumus credere, ut Scriptura commemorat, quod Jacob exceptis liberis secum fratres aliquos habuerit.* Hæc Hier. Alii per שכן *habitavit, quievit*, sive *mansit*, exponunt: intelligentes Ismaelem invitis omnibus fratribus, suis habitationem ac sedem suam fixisse, ut sit idem iste locus cum illo superiori cap. 16. ועל פני כל אחיו ישכן. i. *& in facie omnium fratrum suorum habitabit*, &c. Et hanc lectionem sequitur Chald. Paraphrastes, item Lxx. & R. Salomo, qui hunc locum sic explicat, quod Ismael vivente adhuc Abrahamo paulatim cœperit sibi sedem ac habitationem parare, quam mortuo illo penitus firmam ac fixam fecerit. Et pro confirmatione hujus suæ sententiæ allegat locum qui exstat Iudic. 7. ומדין ועמלק וכל בני קדם נפלים בעמק כארבה לרב, *Et Midian & Amalek, atque omnes filii orientales, jacebant in valle quasi multitudo locustarum*, &c. Alii durius exponunt verbum נפל, quasi irruptionem violentam & impetum fecerit in omnes fratres suos. Exstant porro qui sic legunt, *Coram cunctis fratribus suis cecidit*, subaudi *sors ejus*, i. non procul habitavit à fratribus: sors illius propinqua erat hereditati fratrum suorum. Nec desunt qui verbum נפל hoc in loco pro *deficere* interpretantur, sicut accipitur in isto loco Hieremiæ, אל הכשדים אתה נפל, i. *ad Chaldæos tu corruis*, seu *deficis*. Quod scilicet multi filiorum ad diversas regiones concesserint, habitationes sibi quærentes, qui quodammodo in facie fratrum suorum cadere visi fuerunt, cum alias habitationes quærere cogerentur. Mihi probatur Lat. vulg. editio, & lectio D. Hieronymi, quibus & Hebræus commentator Aben Ezra adstipulatur, qui sentit Ismaelem casu quodam præventum, (quem tamen Scriptura non exprimat) superstitibus adhuc omnibus fratribus suis mortuum fuisse.

21. ויעתר יצחק ליהוה לנכח אשתו כי עקרה היא, *Et oravit Isaac dominum præsente uxore sua: nam illa erat sterilis.*] Variatio est in voce לנכח: quidam etiam reddunt ut idem valeat quod בעבורה, *pro ea*, seu *propter eam*; ut sit sensus, quod Isaac Dominum rogaverit quo auferret uxoris sterilitatem. Et hanc lectionem sequuntur Lxx & Lat. vulg. editio. Alii vero לנכח in naturali sua significatione accipiendum esse contendunt, unde pro *coram* exponunt, hoc sensu, quod Isaac præsente uxore, quo efficacior oratio esset, Dominum rogaverit. Atque huic sententiæ adstipulatur Onkelus sua Paraphrasi, quem & Munsterus secutus est sua interpretatione. R. D. Kimhi in Radicibus suis utramque lectionem ponit. Sic etenim hunc locum explicat, לנכח אשתו פירוש לעבור אשתו כלומר בעבורה: ויש מפרשים לנכח אשתו כי בהתפללו היה נכח אשתו כדי שיכון לבו בתפלה עליה, i. PRO UXORE SUA, *sensus est, propter uxorem suam. Alii vero sic exponunt*, לנכח אשתו, *quod videlicet præsente illa preces suas ad Dominum instituerit, quo ardentius oraret.* R. Salomo ita explicat hunc locum quasi uterque è regione alterius Dominum orando steterit: sic enim scribit זה עומד בזוית זו ומתפלל וזו עומדת בזוית זו ומתפללת, *Hic stabat in angulo isto, & orabat: & hæc stabat in angulo isto; & similiter orabat.*

22. ותאמר אם כן למה זה אנכי, *Et dixit, Si sic, ut quid ego?*] In Lat. vulg. editione redundat *concipiendi* verbum, quod textus Hebraicus non habet; explicandi gratia igitur additum est. Et R. Salomo quoque in hunc sensum accipit, אם כן גדול צער העבור למה זה אנכי מתאוה ומתפללת על הריון, *Si tam magnus dolor est gravidam fieri, cur ego istud desidero, atque orationem facio pro conceptione.*

27. ויהי עשו איש יודע ציד איש שדה, *Et fuit Esau gnarus venandi, & vir campi.*] Latinus vulgatus interpres non satis expressit vim schematis Hebraici איש שדה, *vir campi*, quod pro *agricola* reddidit. Quia tamen Hebræis verius עבד אדמה, ut supra Cain cap. 4. dicitur: vel איש האדמה, ut Noah cap. 9. Sed איש שדה potius *virum agri*, seu *campi*, h.e. hominem campestrem, silvestrem, qui scilicet per arva, montes & silvas vagando feras sectatur, significat: quales sunt venatores, & hodie nostri nobiles. Atque talis fuit Esau, Ein Jungkher / Spacierer / / und müssiggänger. Et in hunc quoque sensum interpretatur R. Schlomo, בטל ומצודד בקשתו חיות ועופות, i. *Otiosus erat, & arcu suo venabatur feras & aves.* Huic sententiæ accedunt Onkelus Chaldæus, ac Lxx. Atque hunc esse hujus loci genuinum sensum clarescit etiam ex Antithesi, qua de Jacob dicitur, quod *fuerit vir simplex*, sive *integer*, *habitans in tabernaculis*. Quod quidam Hebræorum sic explicant, non quod Jacob iners ac piger domi desidens otio indulserit, sed quod legi Divinæ addiscendæ pietatique operam impendendo tabernacula, i. scholas Rabinorum, qui tum sacris præerant verumque Dei cultum docebant, frequentarit. Quem sensum habet & Onkelos sua paraphrasi, ויעקב גבר שלים משמש בית אולפנא, *Jacob autem erat vir integer: minister domus doctrinæ.* Locum & scholam ubi legi Divinæ bonisque studiis opera dabatur vocat *domum doctrinæ*.

31. מכרה כיום את בכורתך לי, *Vende juxta hunc diem primogenituram tuam mihi.*] Latina Vulg. editio minus habet quam textus Hebraicus: omisit enim illud כיום, quod Lxx verterunt *hodie*, ad tempus referentes. Ad verbum sonat, *juxta* vel *secundum*, *hunc diem*, q. d. בזמן הזה, *hoc tempore*, sicut explicat Kimhi in Radicibus suis: ut sit sensus, Jamjam, in præsenti tempore, absque ulla dilatione. Alii vero sic intelligunt ut Caph, quod præservit vocabulo יום, non Tempus, sed Certitudinem potius ac Confirmationem rei significet, quod officium Caph Hebræorum Grammatici vocant כף האמתי, *Caph verificativum*, quod videlicet veritatem, certitudinem ac confirmationem rei importat: quo sensu accipit R. Salomo, q. d. Jacob. Tam certo ac liquido vende mihi primogenituram tuam quam certus, liquidus ac clarus est dies iste. Et hoc quoque sua paraphrasi Onkelum velle putat. Idem quoque vocabulum כיום desideratur in Latina editione, ubi mox in sequenti contextu dicitur, השבעה לי כיום, *Jura mihi juxta hunc diem.*

VATABLUS.

1. A*braham verò*, &c. ויסף אברהם ויקח] Ad verbum, *Et addidit Abraham, & accepit uxorem, & nomen eius Ceturah.*

3. *Assurim*

3. *Assurim*, &c. אשורים וגו׳] Nomina sunt populorum qui originem traxerunt à filiis Dedan.

6. *Suarum dedit dona*, &c. אשר לאברהם וגו׳] Ad verbum, *quæ erant ipsi Abraham, dedit Abraham munera.* ¶ *Et emisit eos* וישלחם] *& amandavit eos*, i. separavit eos, *ab Isaac filio suo.* ¶ *Ad terram Orientalem.* : אל ארץ קדם] Declarat quod dixerat, *Ad Orientem.*

8. *Et defecit* ויגוע] *Et exspiravit.* Significat levi morbo absumptum fuisse, ut solent senes: id enim significat גוע, quando scilicet aliquis absumitur citra moram, ac intra paucos dies. ¶ *Bona*, טובה] i. quæ aliena erat à malis ac incommodis senectutis. ¶ *Et saturus* ושבע] sub. *dierum.* Perfecta locutio legitur infra, c. 35. 29, & 1 Paral. 23. 1, *David erat senex*, *& saturus dierum.* Dicitur & *plenus dierum*, Jer. 6. 11. *Senex cum pleno dierum.* ¶ *Et aggregatus est ad populos suos.* ויאסף אל עמיו] Hebraismus, *mortuus est quemadmodum & alii*, sive *post alios.* Hac locutione statim futuræ vitæ notari quidam volunt, contra eos qui evanescere hominis vitam post mortem, & in nihilum homines diffluere dicunt. Nam residuum à morte facit alterius vitæ statum, ut migratio è mundo non sit totius hominis interitus.

11. *Postea quam vero mortuus est* ויהי אחרי מות] Ad verbum, *Et fuit post mortem.* ¶ *Qui habitavit.* וישב יצחק] Ad verbum, *& habitavit Isaac.*

13. *Per nomina sua*, &c. בשמתם לתולדתם] *secundum nomenclaturas suas*, *& generationes suas.* Vel *in nomenclaturis suis*, *in generationibus suis.*

16. *Et per palatia sua*, ובטירתם] *& per castella sua*, vel, *per oppida sua.* Alii, *in palatiis suis.*

17. *Defecitque*, ויגוע] Vide paulo ante v. 8.

18. *Habitaverunt autem* וישכנו] i. Fixerunt tentoria sua, sive tentoriis suis occupaverunt totam regionem quæ est ab Havila, &c. ¶ *Quæ* אשר] scilicet Sur. ¶ *Dum pergis in Assur*, באכה אשורה] i. qua itur in Assyriam. ¶ *In conspectu omnium.* &c. על פני וגו׳] Hebraismus, pro, *superstitibus omnibus fratribus mortuus est.* Ita exponit alter ex doctioribus Hebræorum, qui etiam, ut & doctus inter illos, subaudit גורלו *sors* vel *portio ejus*; exponentes, *coram cunctis fratribus suis cecidit sors ipsius.* i. non procul à fratribus habitavit. Simplex videtur esse sensus, Ismaeli datam fuisse habitationem e regione fratrum; ut vicinus quidem esset, suos tamen haberet discretos fines. Neque enim dubito quin ad oraculum respexerit quod supra c. 16. 12, legitur, ubi inter alia dicit Angelus matri ejus Hagar, *Coram fratribus suis omnibus figet tabernacula.* Ex doctioribus Hebræorum alter exponit ut vertit noster interpres.

19. *Generationes* תולדת] Ab hoc versu Hebræi sextam hujus primi libri Mosis sectionem incipiunt, quam ab hac secunda dictione versus denominant תולדת i. *Generationes.*

20. *Quadragenarius* בן ארבעים שנה] Ad verbum, *filius quadraginta annorum.* ¶ *De Padan Aram*, מפדן ארם] *de Mesopotamia Syriæ.* Alii, *de regione Syriæ*, ut פדן idem sit quod שדה *sade*, quod *terram* ac *regionem* significat. ¶ *In uxorem*, לאשה] Istud jungendum est verbo præcedenti, sic, *quando accepit sibi in uxorem Ribcah*, &c.

21. *Pro uxore sua*, לנכח אשתו] Sunt qui vertant, *præsente uxore*: ac intelligunt hoc ideo factum ut ipsa quoque adderet suas preces, ut conjunctim Deo supplicarent. Ita doctus inter Hebræos. Sed altera versio est simplicior. Alter quidam Hebræorum vertit, *contra uxorem suam*, sive *e regione uxoris suæ. Ipse enim* (inquit) *orabat in uno angulo pro uxore*, *& illa in altero similiter.* ¶ *Et complacuit ei Jeh.* ויעתר לו יהוה] *& exoratus est ab eo Jehovah.* i. Jehovah exaudivit eum.

22. *Propterea dixit*, *&c.* ותאמר אם כן וגו׳] Ad verbum, *& dixit*, *Si*, &c. Concisa oratio, pro, *Si sic futurum erat*, *nempe ut parvuli sese collliderent in utero*, *ad quid ego concepi?* i. quid mihi proderit concepisse? ¶ *Ad interrogandum* לדרש] *ut consuleret.* Nempe ut sciret quid hoc rei esset, & quid significaret talis pugna.

23. *Populo robustior erit*, ולאם מלאם יאמץ] *Populo fortior erit.* i. alter alterum superabit.

24. *Inventi sunt gemini* והנה תומם] Ad verbum, *& ecce gemini* erant. i. peperit gemellos.

25. *Pilosus*: שער] *Hispidus.*

26. *Ideo vocatum est* ויקרא] Ad verbum, *& vocavit.* sub. *is qui ei nomen indidit.* i. *vocaverunt.* ¶ *Quando ipsa peperit eos*: בלדת אתם] Locum non obscurum habes supra c. 16. 16.

27. *Creverunt itaque* ויגדלו] *Adoleverunt itaque.* ¶ *Agrestis*: איש שדה] Ad verbum, *vir agri.* i. qui libenter versabatur in agro, procul ab urbe. ¶ *Simplex* תם] Hæc dictio pro *integro & sincero* ut plurimum accipitur: sed hic referri debet ad antithesin: postquam Esau robustum fuisse, & venationi addictum, virumque agrestem retulit, ingenium Jacob opponit, mansuetum & simplex; quia domi quietem coleret, ut potuerit videri ignavus, qui domi reses industriæ suæ specimen non proferret.

28. *Venatio in ore ejus*: ציד בפיו] Hebraismus, quem LXX. sic vertunt, *venatio illius*, *cibus ei.* Chald. paraph. vertit, *eo quod de venatione illius vesceretur.* Sic & Vetus interpres, & quidam Hebræorum. Ex doctioribus illorum alter annotat deesse verbum, *afferebat*, vel *dabat*; ut sæpe desunt verba Hebræis; *Quia afferebat*, vel *dabat*, *venationem in os ejus.* Alii subintelligunt verbum substantivum *Erat*; *Quia erat in ore ejus venatio.* Idem semper sensus Hebraismi, ipsum Isaac gustu ferinæ carnis fuisse inductum ut amaret Esau, qui eam illi venabatur & apparabat, ut videmus cap. 27. 31.

29. *Pulmentum* נזיד] Ad verbum, *coctum*, vel *coctionem.*

30. *Vocavit* קרא] sub. *is qui ei nomen indidit.* Alii, *vocatum est nomen ejus.*

31. *Hodie hoc tempore* כיום] Ad verbum, *juxta hunc diem.* i. præsenti tempore h. e. jamjam & absque ulla dilatione. ¶ *Primogenituram tuam* את בכרתך] *jus primogenituræ tuæ.* Primogenitura, ut ajunt Hebræi, fuit successio in dignitate patris, & principatu atque honore ejus, & quod authoritatem haberet in minores, ita ut minores illius fratres consurgerent à conspectu ejus, & ministrarent illi sicut filii patri. Vide c. 27. 29. 37. Alii existimant primogenitum accepisse ex bonis paternis duas portiones, sacerdotium & regnum. Primogenitura etiam vitam æternam spectabat.

32. *Vado ut moriar*, הולך למות] *Vado ad moriendum.* Mortis sensu eum tactum fuisse præ fame, ex his verbis quidam colligunt: & scribunt eos falli qui sic accipiunt ejus verba. *Ecce morior*, acsi diuturnæ vitæ se fore negaret, quia venando quotidie feris objectus versaretur in discrimine, quum potius, ut præsentem mortem effugiat, primogenitura cibum redimat. neque tamen ideo desinat graviter peccare, dum primogenituram nihili æstimat, nisi in hac vita prosit. Nam hinc fit ut spirituale bonum terreno & caduco permutet. Qua ratione vocat eum Apostolus *profanum.* Heb. 12. 16, utpote qui in præsenti vita subsidens, altius non aspiret.

33. *Hodie*: כיום] Vide paulo ante v. 31.

CASTALIO.

18. Cum ad obitum usque suis omnibus fratribus invitis constitisset] Ad verbum, *Contra suos fratres omnes cecidit.* h. e. Usque ad casum & mortem perseveravit atque stetit. Ut si dicas, *In hac sententia moriar*, i. ad mortem usque perseverabo. Alludit enim ad id quod cap. 16. dixerat Hagari Angelus, *Ismaelem in fraterna simultate perduraturum.*

22. *Quorsum tandem vivo?* Satius est me mori quam ita cruciari.

CLARIUS.

6. Concubinarum] Hebræi per *concubinam* intelligunt ancillam viro in concubitum absque scripto & subarratione & legitimis ceremoniis addictam. Et proles ex tali nata conjugio non succedit patri in hæreditate, sed muneribus dotari potest. Et sic Agar fuit concubina Abrahæ. Cetura vero fuit legitima ejus uxor secundum quosdam; quanquam multi ex Hebræis putent Ceturam fuisse Agar Ægyptiam; sed ex textu videntur diversæ fuisse personæ.

8. *Et deficiens*] Vel, *exspirans.* Putant dictionem Hebræam significare mortem quæ homini accidit absque ullo prævio morbo & dolore.

18. *Habitavit autem*] Heb. *Habitaverunt*, ut non de uno Ismaele dicatur, sed de omnibus filiis ejus, qui ea loca inhabitaverunt quæ etiam hodie nominibus filiorum Ismael vocantur, ut sunt Nabathæi à *Nabajoth*, Arabes à *Cedar.* ¶ *Coram cunctis fratribus suis obiit*] Videtur significare juniorem omnibus fratribus suis obiisse illum, h. e. paucioribus annis vixisse; vel circunstantibus omnibus & filiis & nepotibus naturali morte clausisse suum diem. Alii aliter exponunt.

21. *Pro uxore sua*] Alius vertit, *præsente uxore sua.* Ut scilicet esset uxor præsens, quo maritus efficacius Dominum rogaret. Ubi observa, velle Dominum rogari etiam de iis quæ ipse sit pollicitus. Nam Abrahæ promiserat semen ejus propagandum sicut stellas cœli.

22. *Si sic mihi*] Heb. *Si sic*, *ut quid ego?* quod quidam sic inter-

interpretantur, *Si sic mihi futurum erat, ut quid vivo in mundo, & non potius morior?*

25. *Jacob*] Ratio hujus nominis explicatur in Scriptura. Tenebat enim plantam fratris, cum in partu ipsum anteverteret. De nomine vero *Esau* nulla fit mentio: sed quidam putant illum sic dictum, quod prodiit tam perfectus in pilis ac si fuisset aliquot annorum. Sonat enim *Esau*, *factum*.

27. *Vir simplex*] Vir integer.

30. *Ædom*] Significat enim *rubedinem*.

31. *Primogenita*] Ferunt primogenituram fuisse successionem in dignitate patris, & principatu atque honore ejus, & quod authoritatem haberet in minores, ut fratres minores consurgerent à conspectu ejus, & ministrarent illi, sicut filii patri. Alii putant, quod primogenitus acciperet ex omnibus bonis paternis duas portiones.

DRUSIUS.

1. *Aliam duxit uxorem*] Uxorum aliæ primariæ erant, aliæ secundariæ. Primariæ erant, ut exempli causa, Rachel & Lea; secundariæ, Balha & Zelpha. Utriusque liberi legitimi censebantur, & patris hæreditatem adibant. Vide Annotationes meas majores Gen. 37. 2. Rursum aliæ legitimæ erant, & aliæ illegitimæ, quas *concubinas* appellant, quæ cum viro sine dote & ceremoniis legitimis conveniebant; unde filii earum in hæreditatem paternam non succedebant. R. Salomo, *Uxor est cum scriptura: concubina est absque scriptura.* Sane concubina uxor vocatur Jud. 19. 24. 29. Nam erat uxor illegitima. Vide Annotationes meas Gen. 25. 6. *Esse in uxorem* ita dicitur ut modo significet rei veritatem, modo similitudinem quandam, quod Latini autores dicunt, *pro uxore*, aut *uxoris loco*. Priore significatu sumitur Gen. 24. 67. & Num. 36. 3. Altero Gen. 16. 3. ubi Sara dat viro suo Hagar ancillam suam *in uxorem*. Siquidem *in* eam vim habet interdum quam Caph similitudinis. Sic, *erunt in carnem unam*; sensus est, Ut caro una, ut unum corpus. *Caro* enim ibi pro *corpore* ponitur. Tacitus de Germanis, *Uxores suas amant tanquam suum corpus.* Sic forte, *Ego ero eis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios*, i. patris & filiorum loco. Nam Deus vere Pater est Christi, & Christus verus ejus Filius, ex substantia ejus ab æterno genitus: non Israelitæ, aut nos Christiani. Itaque legimus alibi, *Ego ei ero in patrem, & ipse erit mihi in filium*, i. pater & filius revera. Similiter, *Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Aut *esse in uxorem* dicitur concubina, quia erat uxor illegitima, qualis Cetura, quæ vocatur *concubina* Abrahami, & etiam *uxor* ejus. Ut *esse in uxorem*, sic etiam dicunt *esse viro* pro *nubere*, ut Jud. 14. 20. *fuit sodali ejus*, i. nupsit ei. Vide sis Commentarium meum quem vulgavi olim in historiam Ruth.

5. *Deditque omnia sua Isahaco*] Imo jam antea dederat, h. e. testamento legaverat, instituendo eum hæredem ex asse. Diserte servus Abrahami supra 24. 36. *& dedit omnia sua ei.* Vide quæ scripsimus ad illum locum. Nam forte sensus, Dixit dare, i. Daturum se promisit, aut, Decrevit dare. Licet etiam hic vertere, *Dederatque.* Sic alibi reduximus in viam illud, *Complevitque die septimo opus suum*, reponendo, *compleverat.* Nec adhuc pœnitet.

8. *Exspiravit & mortuus est*] i. exspirando mortuus est, mortis quadam facilitate usus, quam εὐθανασίαν Græco vocabulo nuncupabat Augustus Cæsar, & qualem sibi precari solebat. Suetonii verba habentur hac de re in Augusto, quæ invenies in magnis Annotationibus. Cæterum videtur hic *exspiratio* à *morte* discerni. Proinde Judæi, quia de Jacobo tantum legimus, *& exspiravit*, dicunt eum non esse mortuum, nempe quia Scriptura non utitur illic verbo *moriendi.* Aben Ezra censet verbum *morior* generalius esse. *Nam omnis*, inquit, *qui exspirat, moritur, sed non contra.* Exspiro, i. גוע proprie *facile morior*, & exspiratio, h. e. גויעה *mors bona, mors facilis & doloris expers.* Lxx. hic habent, ἐκλείπων ἀπέθανε, quod Hieronymus vertit, *deficiens mortuus est.* Idem tamen in Quæst. Ebr. *Male in Lxx. interpretibus additum est*, & deficiens mortuus est, *quia non convenit Abrahæ deficere aut imminui.* Unde argumentum peti potest pro iis qui negant versionem illam Hieronymi esse. De Vulgata Latina loquor, quam Hieronymi esse credunt qui sunt in adversis castris. Sequitur, *in senectute bona*] Cum senectus per se morbus sit, quid vocat *bonam senectutem*? An maturam & plenam? שיבה non tam *senectus* quam *cana senectus*, unde & pro *canitie* usurpatur, ut ibi, *canities sparsa est in eo.* Sane Aquila hic edidit, ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, *in canitie bona.* Nondum solutus nodus. Nam si senectus mala, canities non potest esse bona. Ut hoc intelligas sciendum tres esse Senectutes, primam, mediam, & ultimam. Prima זקנה dicitur, cum homo pervenit ad annum sexagesimum; secunda שיבה, incipit ab anno ætatis septuagesimo, & durat ad annum octogesimum. Et tertia est ישיש, qui à Græcis ἐσχατόγηρων appellatur, & à Latinis autoribus *silicernium.* Si ergo senectus mala est, non potest media senectus, quæ proprie *canities* dicitur, bona esse. Respondeo, non omnem senectutem malam esse. Licet enim vocetur *ætas mala* & *dies mali* propter incommoda quæ illam ætatem comitantur, tamen non omnium senectus talis est. Nam sunt qui facilem & bonam experiuntur senectutem: inter quos, ut alios omittam, & me numerari cupio, cui senectus melior quam ipsa juventus. Bona igitur senectus, quæ iis incommodis minime obnoxia quæ ætati illi communiter adjuncta, non tamen semper.

IDEM.

8. בְּשֵׂיבָה טוֹבָה A. & Sym. ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, *in canitie bona*] Πολιά, non tam *canities* quàm *senectus cana*, quæ & τὸ πολιόν. Vide supra 15. 15. ¶ אל עמיו] Schol. πρὸς τοὺς περάτας. Verbum è verbo, *ad populos suos.* Quod valet ad populares suos. Populares autem erant qui ex Eber descenderant, quos Ebræos nuncupant. Porro Ebræus, i. עברי περάτης designat, i. transitorem. Qui tamen potius diceretur עובר. Sed ita interpretantur עברי plerique omnes Patres. Nec refert *ad populos* dicas an *ad populum.* Quod postremum invenies hic in Lxx. Augustinus τοὺς περάτας interpretatur *transfluviales*, ut eos tantum designet qui cum Abrahamo fluvium Euphratem transierant, qui unus est ex terminis terræ promissæ. Vide quæ scripsimus supra 11. 13.

22. ויתרצצו. Sym. διεπάλαιον, *colluctabantur.* A. *confringebantur*] Hieron. *collidebantur*, & est apud Græcos verbum διαθλάσθαι, quod reddunt *quassa, concussio*, i. רצץ. ¶ Διεπάλαιον] Sic habet edit. Rom. In Hieron. *Symmachus vero dieplevon*, i. *in similitudinem navis in superficie ferebantur.* ¶ *Confringebantur*] Hieron. *Pro motione, Lxx. posuerunt* ἐσκίρτων, i. *ludebant, sive calcitrabant; quod Aquila transtulit, Confringebantur filii in utero ejus.*

27. Simplex] איש תם *vir simplex.* Sic interpres vulgatus. Prius erat in Lxx. ἄπλαστος quod etiam reddunt *simplex*, cum potius designet *non fictum.* Augustinus quæst. 74. in Genes. *Quod Græce dicitur ἄπλαστος, hoc Latini simplicem interpretati sunt. Proprie autem ἄπλαστοι non ficti: unde aliqui Latini interpretes* sine dolo *interpretati sunt, dicentes, erat Jacob sine dolo habitans in domo.* Recte sane, ἄπλαστος proprie minime fictus aut simulatus, qui תם Ebræis dicitur, i. *integer.* Proverb. 10. 30. לתם Aquila similiter ἁπλῷ. Quanquam eo modo etiam פתי exponitur. ¶ *Immaculatus*] sine macula. Maculam autem hic intellige vitium animi, ut possis exponere sine vitio, sine crimine. Alibi de vitio corporis usurpatur. Lxx. fere ubique eo utuntur in תם & תמים. Est tamen ubi maluerunt reddere, τέλειος *perfectus*, & ἄκακος *minime malus*, & ἀθῷος *innocens*, & ἄμεμπτος *sine reprehensione:* quæ omnia in idem ferme recidunt. Τέλειος ediderunt etiam Symmachus ac Theodotio Prov. 10. 30.

30. מן האדם *de rufo.* Sym. ἀπὸ τοῦ ἀδάμ] Legit אדם, cum puncta abessent, quod nunc legunt ἀδώμ, i. πυῤῥόν sive *rufum.* Atque hinc sane appellatio nominis *Edom.* Vide præfationem meam in Abdiam. Hiero. *Rubrum, sive fulvum, lingua Ebræa* Edom (forte Adom) *dicitur. Ab eo igitur quod rubeo cibo vendiderit primogenita sua, Fulvi, i. Edom, sortitus est nomen.* Idem Amos 1. *Edom ob coctionem rufæ lentis ita appellatus.* Hinc Ἐδωμαῖος apud Stephanum, quod nunc dicunt Ἰδουμαῖος, Idumæus.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et addidit Abraham & accepit uxorem, nomine Ceturam.*

2. *Quæ peperit ei Zamram & Iecsan & Madan, & Madian, & Iesboc & Sue.*

Addidit & accepit] Iterum accepit, i. duxit. ¶ *Uxorem*] aliam. Hieronymus. *Hagarem.* Jonathan, Autor Jerosolymitanæ. R. Salo. Hiscuni. Hæc sententia mihi displicet duabus de caussis. Una est quia legimus infra vers. 6. *filiis autem concubinarum dedit munera.* Unde sequitur plures ipsum concubinas habuisse, ad minimum duas, Hagarem & Ceturam. Altera caussa est quia 1. Paralip. 1. 32. Cetura vocatur concubina Abrahæ, cujus filii perspicue ibidem distinguuntur à filiis Ismael. Eadem ergo & uxor erat & concubina: uxor, dico, illegi-

illegitimæ: unde ex eis nati non adibant hæreditatem. ¶ *Nomine Ceturam*] vel, *cujus nomen erat Cetura.* Ebra. ושמה קטורה *& nomen ejus Cetura.* Jonathan, *ipsa est Hagar quæ juncta ei fuerat ab initio.* Chaldaice קטירא devincta, alligata: pro quo in Jerosolymitana קטירתא. ¶ *Cetura*] in codicibus Græcis χεττούρα, & apud Josephum χαττούρα. In editione Complutensi offendi scriptum χεττοῦρα cum accentu circumflexo: & in quibusdam Latinis Cethura, cum T aspirato. Orig. Hom. 11. in Genesin, *Cetura, thymiama, quod est incensum vel bonus odor.* In mente habuit קְטֹרֶת sive קִטּוֹר suffitus, incensum. ¶ *Zamran*] scribi debet hoc nomen cum N. in fine, non cum M. Hodie Zimran, quod scribunt זִמְרָן. Antiqui etiam Zemran dicebant, unde apud Josephum Ζεμβράνης Zembranes. Zimran, Zemran, Zamran, ut Nimrod, Nemrod, Namrod. Et Zemran, Zembran, ut Mamre, Mambre. Sic Nemrod, Nembrod. In editione Græca Romana Ζομβρᾶν. Sed in C. Ζεμβρὰν; unde Zembranes. ¶ *Iecsan*] ita Hiero. qui olim videtur legisse יִקְשָׁן. Nunc legunt Jocsan i. יָקְשָׁן. In editione Romana ιεζὰν, & in Complutensi ιεκτὰν legitur pro ιεκσὰν, ut apud Josephum ἰαζάρης. Quæ omnia è fonte Ebraico restitui debent. Ιεκτὰν alius est. Is Gen. 10. 24. in codicibus Ebræorum יָקְטָן vocatur, & à Josepho ιεκτὰν, filius Eber natu minimus. Porro Jecsan, Jocsan, ut Jectan, Joctan. Nomen fortitus est, ut quidam opinantur ἀπὸ τοῦ יקש quod illaqueo significat. Sed hoc incertum. ¶ *Madan*] nunc *Medan.* Nam in Ebræo מְדָן. Josephus ex eo fecit μαδάνης. In hoc nomine variant codices Græci. Nam in aliis μαδὰ legitur, & in aliis μαδὰλ, cum sit legendum μαδὰν per N. in ultima. ¶ *Madian*] vel, Midian. Illud antiquum est, hoc recenti consuetudine ita legitur. Nam Ebraice מִדְיָן. Hoc nomen Senes scripserunt μαδιὰν, quod librarii postea in μαδιὰμ corruperunt. Quale mendum & in ἰδὲμ pro ἰδὲν. Hujusmodi errata, meo judicio, scribis imputanda sunt. Nam in editis ad C. μαδιὰν: unde apud Josephum μαδιάνης. Ab hoc Madianitæ appellati, qui à Græcis μαδιηναῖοι vocantur. ¶ *Iesboc*] Ebraice יִשְׁבָּק quod rite leges, juxta consuetudinem antiquam Jesbac. Sed in Hiero. Jesboc. Sic etiam Lxx. ιεσβὼκ. Scire licet veteres pro Camets aliquando ω. scripsisse. Hinc ἀδὼμ pro Adam. Nam in scriptura Ebraica אָדָם. Libri quidam Græci ιεβὼκ habent, sed perperam. Apud Josephum est λουσίβακος. putarim legendum ιεσβακος. Sed nihil temere muto. In Thargum Onk. duabus editionibus, quibus usus sum, offendi scriptum יִשְׁבַּק. cum (-) in fine. ¶ *Sue*] vel Sua i. שׁוּחַ. Sed priscum est Sue. שׁוּחַ Sue, ut נֹחַ Noe. Libri Græci partim σωιὲ habent, partim σωβὲ. Mihi σωὲ rectum videtur, ex quo Josephus fecerit σῶος. Nam ad hoc exemplum scribunt νῶε. In σωβὲ agnosco β. pro Vau: quæ scriptura insolens non est. Sic promiscue δαβὶδ & δαυὶδ scribebant. Atque hinc Samaritanorum ἰαβὲ, cujus Theodoretus meminit. i. יהוה, quod Ebræi, inquit, pronunciant ἰαώ.

3. *Jecsan autem genuit Saba & Dadan. Et filii Dadan fuerunt Assurim & Latusim & Laomim.*

4. *Et filii Madian Epha, & Epher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes isti filii Ceturæ.*

Genuit] יָלַד peperit proprie. Hic sig. genuit i. הוליד ἐγέννησε. ¶ *Saba*] τὸ σαβὰ. Ebraice & Chaldaice שְׁבָא quod nunc legunt Scheba. In Josepho σαβακάνης. Apud eundem σὺς legitur pro ιεκσὰν, aut, ut supra ipse habet, ἰαζάρης. Hoc erratum nescio an Josepho imputandum sit. Nam librarii sæpe hoc modo peccarunt, exscribentes unum nomen pro alio. ¶ *Dadan*] vel Dedan, quod nunc scribunt דְּדָן. Græci quoque habent δεδὰν. Hunc præcedit in editione Basileensi θαιμὰν, qui à ceteris editionibus mihi visis abest: & recte abest. Nam non legitur nec in Ebræo textu, nec etiam in Chaldæo aut Latino. Alius est hoc nomine Gen. 10. 7. cujus posteros quidam collocant in Arabia felice ob merces quarum mentio Ezech. 27. 15. & 38. 13. Josephus hic habet δαδάνης. ¶ *Assurim*] אַשּׁוּרִם absque Ioth. in Lxx. ἀσουριεὶμ אשורים. Assentior autem iis qui proprium Viri esse statuunt, qui à Iosepho ἀσουρος appellatur. Onk. hic edidit, *Filii autem Dedan fuerunt in exercitus sive in castra.* Chaldaice למשרין. Hanc versionem merito improbat R. Salomo. Fagius vertit, *in castra,* & alius *castrenses.* Ionathan תגרין negotiatores. Alii, teste Abenezra יודעי דרכים periti viarum. Nam אשר via, semita. Quod tamen non probat. Hiero. in Quæst. *Assurim in negotiatores transferri putant. Alii ab hoc Assurim vocatos esse Syros contendunt, & à plerisque filiis Abrahæ ex Cetura occupatas Indiæ regiones.* Hunc Cleodemus Propheta σουρείμ appellat, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι. Vid. Ioseph. Orig. Lib. 1. cap. 16. ¶ *Latusim*] לְטוּשִׁם Latusim sive Letusim. Lxx. λατουσιεὶμ. Iosephus λατούσιμος. Latusimus. Onkel. לְשְׁכוּנִין quod reddunt *in tabernaculis:* malim *in tabernacula.* Nam משכנין tabernacula i. σκηναί. Moses Gerundensis interpretatur *habitantes in tabernaculis,* quasi tu dicas, *Scenitæ.* Idem annotat Lamed & Nun alternare. Nam esset נטושים. Ita se mutuo explicant לשכה & נשכה. Contra gladius politus מרוטה dicitur, eodem teste, pro לטושה. Sunt qui reddant *inflammati,* & citatur in eam rem ex Thargum לפרין quorum vultus inflammatus & ardens instar lampadum, quæ לפידים vocantur. Meminit R. Samuel filius R. Nahaman, in Genesi magno, qui tamen existimat nihilominus his nominibus denotari capita nationum vel populorum. Qua de re consulendus Gerundensis. Nam quod ex Thargum ibi citant, hodie aliter est. Siquidem Onkeli exemplaria, quæ vidi, omnia לשכונין habent. Jonathan, אמפורין i. ἔμποροι, nisi fallor. Id sonat mercatores. Autor Jerosolymitanæ [illegible] opifices vel artifices. Hiero. in Quæst. *Assurim in negotiatores transferri putant, Latusim in æris ferrique metalla cudentes, Laomim vero in φυλάρχους i. principes multarum tribuum atque populorum.* Hactenus ille. ¶ *Laomim*] לְאֻמִּים cum Joth. Lxx. λαωμιεὶμ. Ea vox cum appellativa est, significat populos. Hic est nomen Viri, à quo certi populi ita dicti, quemadmodum alii erant qui גוים i. Gentes dicebantur. Antea notavi. In Josepho repperi λουέρης, quod est nomen corruptum ex λαωμιεὶμ, pro quo in editione C. λαωμιεὶμ, & in aliis quibusdam λοομιεὶμ, Loomim. Onk. לנגון in insulas. Jonathan & author Jerosolym. רישי אומין capita populorum aut nationum. Hiero. loco citato, φύλαρχοι principes tribuum atque populorum. ¶ *Epha*] עֵיפָה est in Ebræo & Jonatha: עֵיפָא in Onk. ubi Aleph pro He. Josephus habet ἑφᾶς. Editio Græca γεφὰρ: sed suspicor eos initio scripsisse γεφὰ vel γαιφὰ, עֵיפָה γαιφὰ, ut עַזָּה Gaza: & עיפה γαιφὰ, ut עין גדי ἐνγαδδί. ¶ *Epher*] עֵפֶר Ebræi, Onk. עפר Jonathan, nisi mendosi libri. ἀφεὶρ, Lxx. ὤφρης, Josephus. ἄφρης Alexander Polyhistor. Ab eo Africa dicta sive Aphrica. Cleodemus cognomine Malchus. Videatur Joseph. Ant. Hist. Lib. 1. cap. 16. Hiero. in Quæst. *Dicitur autem unus ex posteris Abrahæ qui appellatur Apher, duxisse adversus Lybiam exercitum, & ibi victis hostibus consedisse, ejusque posteros & nomine atavi Aphricam nuncupasse. Hujus rei testis est Alexander qui cognominatur Polyhistor, & Cleodemus cognomento Malchus, Græco sermone barbaram historiam retexentes.* ¶ *Henoch*] vel Hanoch, prima correpta. Nam Ebraice & Chaldaice חֲנֹךְ. Lxx. ἐνὼχ, quod scribendum cum aspiratione ἑνὼχ, ita poscente consuetudine Ebraica. Iosephus, Ἄνωχος, quod Græca consuetudine declinatum ex Hanoch: Nam aspirari debet Hanochus. ¶ *Abida*] אֲבִידָע. Lxx. ἀβειδὰ. Iosephus, Ἐβίδας, Ebidas. ¶ *Eldaa*] אֶלְדָּעָה. Lxx. ἐλδαγὰ, Eldaga, Ain in γ. versa. Sic רְעוּ ῥαγαῦ: רְעוּאֵל Raguel. Iosephus, ἐλδᾶς, Eldas, אלדעה Elda, ut יַעֲקֹב Iacob. Ain utrobique elisa. Et Elda, Eldas, ut Iuda, Iudas. Græci enim nominibus in vocali desinentibus addunt σ. Ex qua consuetudine sunt Jesus pro Jesu, Ioses pro Iose, & alia sexcenta. ¶ *Omnes isti*] numero sedecim. ¶ *Filii*] partim filii partim nepotes. Nepotes autem filii vocantur juxta illud, *Filii filiorum ecce sunt tanquam filii.*

5. *Deditque Abraham omnia sua Isahaco.*

6. *Filiis autem concubinarum suarum dedit Abrahamus munera, & dimisit eos ab Isahaco filio suo, dum adhuc ipse viveret, orientem versus, in terram orientalem.*

Omnia sua] Omnia bona sua, omnes facultates suas, quicquid habebat. ¶ *Dedit*] testamento legavit, vel dedit dono i. במתנה. Ita Ionathan. ¶ *Concubinarum suarum*] Hagaris & Ceturæ. Nam plures ipsum habuisse non legimus. Hæ concubinæ alibi uxores vocantur. Sic Iud. 19 quæ concubina nuncupatur vers. 24. eadem dicitur uxor vers. 29. Erant enim uxores illegitimæ, quæ cum viro sive ceremoniis legitimis convenerant. Unde filii earum in hæreditatem patri non succedebant. R. Salomo ad hunc locum, נשים בכתובה פלגשים שלא בכתובה i. *uxores cum scripto, concubinæ quæ absque scripto.* Id reprehendit Gerundensis asserens non dici פלגש nisi fuerit בלא קדושים. Id Fagius interpretatur *absque subarratione & legitimis ceremoniis.* Lexicon Munsteri, קדושים sponsalia. In Tobia Ebraico קדש *desponso.* Ergo קדוש desponsatio, ritus spondendi & stipulandi futuras nuptias, qui in legitima uxore una cum dote necessarius erat. ¶ *Suarum*] אשר לאברהם *quæ erant Abrahamo,* i. Abrahami, & est nomen loco pronominis, *Abraham dedit filiis concubinarum Abrahami.* i. suarum τῶν παλλακῶν αὐτοῦ. Quale illud, *Dixit Moses Socero Mosis.* ¶ *Munera*] מתנת δόματα, dona, legata. ¶ *Dimisit*] ἐξαπέστειλεν, ablegavit. Minus recte Jonathan, *expulit eos.* Idem מתנה interpretatur, *opes & bona mobilia pro domo.* ¶ *Ab Isahaco*] ἀπὸ Ἰσαὰκ. Ebraice מֵעַל quod proprie sonat *à juxta,* quasi dicat, ne apud illum diutius versarentur aut manerent. ¶ *Dum adhuc ipse viveret*] ἔτι ζῶντος αὐτοῦ. בעודנו חי potest reddi, *dum adhuc ipse vivus esset.* Quod Onk. dixit כעד דהוא קים: Nam קים

vivus:

vivus: nisi legas חַי viveret. Jonathan, *dum adhuc ipse in vita esset.* ❡ *Orientem versus*] קֵדְמָה ad orientem. i. אֶל קֶדֶם, πρὸς ἀνατολάς. Jonathan, *profecti sunt ad habitandum* קִדּוּמָא *orientem versus.* Mox seipsum explicat cum ait, ❡ *In terram orientalem*] εἰς γῆν ἀνατολῶν, In regionem orientalem. Onk. & Jonath. לְאַרַע מַדִּינְחָא in terram orientis. Hiero. *ad plagam orientalem.*

7. *Atque hi sunt dies annorum vitæ Abraham, quibus vixit, centum anni & septuaginta anni & quinque anni.*

8. *Et expiravit & mortuus est Abraham in senectute bona, senex & satur, collocatusque est ad populos suos.*

Dies annorum vitæ] Satis erat, *dies vitæ*: vel, *anni vitæ.* In Lxx. τὰ ἔτη ἡμερῶν τῆς ζωῆς Ἀβραάμ: anni dierum vitæ Abraham. Hiero. *dies vitæ.* Et est סָמוּךְ אַחַר סָמוּךְ, ut loquuntur Grammatici i. constructum post constructum. ❡ *Quibus vixit*] vel, *quos vixit.* Lxx. ὅσα ἔζησεν. Hoc membrum πλεονάζει: (ideo prætermissus fuit ab Hiero.) nisi exponas, *quibus jocunde ac hilariter vixit.* Nam vivere hoc interdum significat. ❡ *Centum anni &c.*] Cur toties repetit nomen anni? An ex consuetudine idiomatis Ebraici? ita puto. Nam quod R. Salomo ait, *Centenarius ut septuagenarius, & septuagenarius ut quinquennis absque peccato*, parum solidum mihi videtur. Lxx. hic habent ἑκατὸν ἑβδομήκοντα πέντε ἔτη, & Hiero. *Centum septuaginta quinque anni.* ❡ *Et expiravit & mortuus est*] & expirans mortuus est, vel, cumque expirasset mortuus est. Lxx. καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν. Hiero. *Et deficiens mortuus est.* גָּוַע proprie de morte cita, facili & doloris experte, quam εὐθανασίαν vocant. Suetonius in Augusto, *Quoties audisset cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (Hoc enim & verbo uti solebat) precabatur.* Videndus Abenezra ad hunc locum: item R. David in libro Radicum. Sunt qui dicant proprie usurpari de morte piorum, quos refellit locus qui est Gen. 6. 7. ubi Onk. habet *morietur.* Lxx. τελευτήσει. Mercerus existimat id esse quod Latini dicunt *animam efflare.* Utut sit, à morte hoc loco manifeste distinguitur. Abenezra censet verbum *morior* generalius esse. *Nam omnis*, inquit, *qui expirat, moritur, sed non contra.* ❡ *In senectute bona*] vel, *in canitie bona.* שֵׂיבָה proprie cana senectus. Aliquando canos denotat, ut ibi, *Canities sparsa est in eo.* i. αἱ πολιαί. Locus habetur in Hosea. Lxx. hic referunt ἐν γήρει καλῷ. Hiero. *in senectute bona.* Onk. & Jon. בְּסֵיבוּ טָבָא. Est autem סֵיבוּ senectus. Nec temere adjectum epitheton *bona.* Nam senectus per se mala est. Scitum illud, *senectus ipsa morbus est.* Itaque mala ætas vocatur, & dies mali. Contra bona ætas dicitur absolute juventus. Docet nos hic locus non omnem senectutem malam esse. Mercerus, *bona i. matura, plena.* ❡ *Senex & satur*] alibi est, satur dierum. Hoc quidam referunt, *senio satur.* Lxx. πρεσβύτης καὶ πλήρης ἡμερῶν. Hiero. *provectæ ætatis & plenus dierum.* In Quæst. Ebraic. dicit à se hanc vocem omissam esse. Onk. *senex & satur dierum.* Jonath. *senex & satur omnis boni.* ❡ *Ad populos suos*] אֶל עַמָּיו ad populos suos, hoc est ad populares suos. Quod idem cum illo, *ad populum suum.* Id Onk. & Jonath. dixerunt לְעַמֵּיהּ. Lxx. quoque transtulerunt πρὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ: & Hiero. *ad populum suum* אֶל עַמּוֹ. Idem efficit ad Ebræos, unde in scholio Græco, πρὸς τὸν περάτην. Nam περάτης Ebræus i. עִבְרִי. Quod olim in Hexaplo scriptum ἰβρί, teste Theodoreto. Sonat autem transitor. Quanquam in Augustino, *transfluvialis.* Pro *ad populos suos*, alibi est, *ad patres suos.* Dicunt etiam *ad patres* simpliciter, ut Latini, *ad plures*, eo nomine mortuos denotando, qui revera plures sunt quam sint viventes.

9. *Sepelierunt autem eum Isahac & Ismael filii ejus in spelunca Macphela, in agro Ephron filii Sohar Hethæi, qui e regione Mamre.*

10. *Agro, inquam, quem emerat Abraham à filiis Heth, ubi sepultus est Abraham, & Sara uxor ejus.*

In spelunca Macphela] vel, *in spelunca duplici.* Sic Hiero. Græci quoque LXX. εἰς τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν. מַכְפֵּלָה proprie duplicitas. Sed potius ut sit proprium loci. Qua de re diximus alias, quæ non repeto. ❡ *In spelunca*] hic אֶל posuit pro בְּ quæ enallage insolens non est. Sic apud Græcos εἰς pro ἐν usurpatur. Sic mox אֶל הַשָּׂדֶה *in agro*, quod Onkel. dixit בְּחַקְלָא. Jonathan בְּחַקְל. LXX. εἰς τὸν ἀγρόν. Hiero. *in agro.* ❡ *Sohar Hethæi*] LXX. τοῦ Σαὰρ τοῦ Χετταίου. Hier. *Seor Hethæi.* corrigo, *Sohor.* Onk. & Jonath. צֹחַר חִתָּאָה Sohar Hethæi. ❡ *E regione*] vel, ex adverso. LXX. ἀπέναντι, quod reddunt, *e regione.* Licet vertere *contra.* Sic Virg. *Italiam contra.* Ἀπέναντι etiam sig. *in conspectu.* Quomodo nonnulli verterunt & quod in Ebræo עַל פְּנֵי. Vid. Merc. ❡ *Agro, inquam*] LXX. τὸν ἀγρὸν καὶ τὸ σπήλαιον. ❡ *Sepultus est*] קֻבַּר i. נִקְבַּר, quod Chaldæi dicunt אִתְקְבַר. LXX. hic habent ἔθαψαν, sepelierunt i. קָבְרוּ. Hiero. *ibi sepultus est ipse & Sara uxor ejus.*

11. *Fuit autem post mortem Abrahæ ut benediceret Deus Isahaco filio ejus: & habitavit Isahac apud puteum Lachai Roi.*

Post mortem Abrahæ] vel, *postquam mortuus esset Abraham*, ut מוֹת sit verbum infinitum. Sic acceperunt Onkel. & Jonathan: item Lxx. qui vertunt, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Ἀβραάμ. Hiero. habet *post obitum ejus*: אַחֲרֵי מוֹתוֹ. Nam in Ebraismo nomen loco pronominis poni solet. מוֹת autem eidem nomen est constructum ex integro & absoluto מָוֶת. Id secuti sunt Arias Trem. & autores editionis Gallicæ postremæ. Nam Santes retulit, *postquam mortuus est.* Sensus eodem recidit. Possumus etiam vertere, *Et post mortem Abrahæ benedixit Deus.* ❡ *Ut benediceret &c.*] Ut patri ante benedixerat, ita nunc benedicit filio tam in spiritualibus quam in temporalibus, ut loquuntur. Benedicere autem hic nihil aliud est quam felicitare. Alibi aliter significat. ❡ *Apud puteum*] vel, *juxta puteum*: quod Hiero. posuit ex Græco παρὰ τὸ φρέαρ. Ebraice est עִם בְּאֵר cum puteo. Quem Ebraismum Onk. retinuit. Jonathan habet סְמִיךְ לִבְאֵירָא prope vel juxta puteum. q. tu dicas, contiguus puteo. ❡ *Lachai Roi*] vel, *viventis videntis me.* Hic puteus à Græcis vocatur φρέαρ ὁράσεως i. puteus visionis: à Hiero, *puteus viventis & videntis*: ab Onk. *puteus juxta quem angelus vivens apparuit*: à Jonatha, *puteus juxta quem apparuit gloria Dei vivi ac sempiterni, qui videt & non videtur.*

12. *Porro hæ sunt generationes Ismael filii Abraham, quem peperit Hagar Ægyptia ancilla Saræ Abrahamo.*

Generationes Ismael] αἱ γενέσεις Ἰσμαήλ. i. senes eorum qui ex eo generati sive nati sunt. Mirum libet cur emendati codices Latini hic habeant Ismahel, cum alias Ain per nudam vocalem scribere soleant. ❡ *Ancilla*] *famula* Hiero.

13. *Et hæc nomina filiorum Ismael, nominibus suis, per generationes suas: primogenitus Ismaelis Nabajoth, & Cedar, & Adbeel, & Mabsan.*

Et hæc nomina] καὶ ταῦτα τὰ ὀνόματα. Hiero. Lxx. Recentior interpres, *Hæc, inquam, nomina.* ❡ *Nominibus suis*] בִּשְׁמֹתָם in nominibus suis. Exponunt per nomina sua, sive per nomenclaturas suas: aut quibus nominantur seu appellantur. Prius Santes edidit: posterius Galli & Tremell. Interpres vetus, *vocabulis suis.* Lxx. κατ' ὀνόματα τῶν γενεῶν αὐτοῦ. *secundum nomina generationum ejus.* An legerunt Caph pro Beth? Apud Augustinum in Locutionibus, *secundum nomina generationes eorum.* i. γενεαὶ αὐτῶν: in Quæst. autem. Quæst. 71. *Secundum nomina generationum eorum.* Hiero. Quæst. in Gen. *in nominibus suis & generationibus suis.* ❡ *Per generationes suas*] pro *suas* potest verti, *eorum*: & לְתוֹלְדֹתָם secundum generationes suas, ut supra vertimus לְמִינוֹ secundum speciem suam, quod Græci per κατὰ enuntiant. Sensus autem est, juxta ordinem quo nati sunt, ita ut maximus natu primo loco censeatur, & ita deinceps. ❡ *Nabajoth*] ναβαιώθ. Ebraice נְבָיֹת quod nunc legunt Nebajoth. Sic etiam Onkelos scribit. Ceterum in Jonatha offendi נְבוֹי Neboi sive Naboi. putarim erratum esse operarum. Ab hoc appellati Nabatæi Arabes, quorum Strabo meminit Lib. 16. per hæc verba, Ναβαταῖοι δ' εἰσὶν οἱ Ἰδουμαῖοι. κατὰ στάσιν δ' ἐκπεσόντες ἐκεῖθεν προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν: Idumæi quidem Nabatæi sunt. per seditionem autem inde ejecti, Judæis se adjunxerunt, & eorum leges amplexi sunt. Stephanus Dictos putat à Nabate quodam, quæ vox spurium significet sive ex adulterio natum. Reperio & ναυαταῖοι: & in codicibus Latinis Nabuthæi. Apud Josephum 13. 1. Ναβαταίους Ἄραβας. Latius autem hoc nomen patere quam Strabo vult, docet Hiero. ita scribens, *Duodecim filii nascuntur Ismaeli, e quibus primogenitus fuit Nabajoth, à quo omnis regio ab Euphrate usque ad mare rubrum, Nabathena usque hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam & familiæ eorum opidaque & pagi ac munita castella & tribus eorum hac appellatione celebrantur.* Verba Stephani, cujus modo mentionem fecimus, Ναβαταῖοι, ἔθνος τῶν εὐδαιμόνων Ἀράβων, ἀπὸ Ναβάτου τινός. Ναβάτης δ' ἐστὶν ὁ ἐκ μοιχείας γενόμενος. ἀπὸ δὲ τοῦ Ναβάτης, Ναβαταῖος καὶ Ναβαταία ἡ χώρα. Verior originatio Nabathæi quasi Nabajothæi, nempe à Nabajoth, de quo hic sermo. Eum quidam Nabath vocant, unde sit Ναβαταῖος, aspirata in tenuem versa. Nabathæi, Ναβαταῖοι, ut Sabbathum, σάββατον. ❡ *Cedar*] קֵדָר κηδάρ. Pro eo Jonathan edidit עֲרַב i. Arab. Forte διώνυμος fuit. Ab hoc nomine Arabes dicti: ab illo Cedræi Arabes,

Arabes, vicini Nabathæis, ut est apud Plin. Lib. 5. cap. 11. Qui & Cedareni, unde gens Cedarenorum, quæ in tentoriis degebat, ex quo Cant. 1. 5. *tentoria Cedar*, nigra & ardore solis adusta. Legimus quoque apud Davidem, *habitavi cum tabernaculis Cedar*, quod nonnulli exponunt, cum hominibus improbis, juxta illud, *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.* Eusebius de locis, *Cedar in Ezeciel, principes Cedar. Sed & Esaias & Jeremias in visione Arabiæ hujus vocabuli recordantur. Est autem regio in eremo Saracenorum à filio Ismaelis Cedar ita cognominata.* Hiero. Jes. 6. *Cedar regio Saracenorum est, qui in Scriptura vocantur Ismaelitæ: & Nabajoth unus est filiorum Ismaël, ex quorum nominibus solitudo appellatur, quæ frugum inops plena est pecorum.* Idem Jes. 21. *Cedar regio est solitudinis & Ismaelitarum, quos Saracenos vocant.* In Synonymia Ortelii, *Arabia deserta*, ἔρημος, *Ebræis Cedar.* ❡ *Adbeel*] אַדְבְּאֵל ita codices Ebræi, Chaldæi & Latini emendatiores. Nam in aliis Abdeel, & in Græcis ναβδεήλ, addita littera, vitio, ut suspicor, librariorum & exscribentium. ❡ *Mabsam*] scribi debet cum M in fine. Hodie מִבְשָׂם i. Mibsam. In Lxx. μασσάμ quod hinc videtur corrigendum ut legas μαβσάμ. Error forte natus ex antiquo charactere μαβσάμ, μασσάμ & inde μάσσαμ. Sed nihil affirmo. Hoc tantum. מִבְשָׂם Mabsam, ut מִרְיָם Mariam.

14. *Et Masma & Duma & Massa.*

Hic versus apud Judæos in proverbium abiit, quo utuntur quum significare volunt multa homini audienda, silenda & ferenda esse. Quadrat ergo cum illo Græcorum ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Sustine & abstine. Vide nunc, si placet, Adagia mea. ❡ *Masma*] μασμά. Hodie מִשְׁמָע Misma, Masma, ut Mibsam, Mabsam. Jonathan, שִׁמְעָא Id sonat משמעא collectio, contractio, congregatio: unde משמע גידין contractio nervorum, spasmus vel spasma. Vulg. de kramp. R. David exponit כמקום משמע הגידים locus ubi nervi colliguntur, contrahuntur, distenduntur. Lexicon Munsteri שָׁמַע *connexuit, coarctavit, congregavit.* Sic interpretantur verbum Ebræum 1. Sam. 15. 4. וישמע & congregavit vel contraxit. משמע ergo dictus, de sententia Jonathæ, non ab audiendo, sed à contrahendo. ❡ *Duma*] דּוּמָה quod Græci scribunt δουμά. Jonathan habet שְׁתוּקָא silentium, taciturnitas. Ebraice שְׁתִיקָה quam sapientes Ebræi adeo commendant ut dicant stultum, si tacere possit, pro sapiente haberi. ❡ *Massa*] מַשָּׂא quod Græce scribes μασσά quanquam in Lxx. μασσῆ. Appellatio à ferendo. Siquidem נָשָׂא tulit, & inde משא onus, pondus. Jonathan סוברא dixit ἀπὸ τοῦ סבר porto, fero, tollero. Ergo סוברא tollerantia.

15. *Hadar & Thema, Jetur, Naphis & Cedma.*

Hadar] חֲדַר Hadar vel Chadar, ut Hebron & Chebron. Nam est H, Heth in Scriptura Ebraica. Ceterum libri variant. Nam in nonnullis חֲדַד Hadad: quod legerunt Hieronym. & Jonathan. Quippe in Hiero. veteribus Adad, & in Jonatha חורפא, quæ vox acutum sonat, ut cum dicunt אדם חריף homo acutus, & חרבא חריפא gladius acutus. Ebraice חד חרד cujus thema חדד unde interpretatio nominis חַדְקַל acutus & velox. חַד acutus קַל velox. Lxx. hic habent χοδδάν, ita codex Romanus: etiam Basil. edit. Quod noto, quia in quibusdam χαλδάδ: ex quo emendari posset χοδδάδ, ut legerint חֲדַד pro χαδάδ. ❡ *Thema*] תֵּימָא. Græcè θημά, vel si mavis θαιμά. Nam θαιμάν & θημάν quod in edit. τῶν ό aliud est Jes. 21. 14. mentio *regionis thema*, & in Jobo *semitarum Thema.* ❡ *Jetur*] יְטוּר ἰετούρ. Ab hoc forte Ituræ dicta regio Palæstinæ quæ & Trachonitis, & Hegesippe Peræa dicitur. Jetur, Jeturæa, ut Jessai, Isai: Iesaias Isaias. Peræam Arabiæ proximam & à ceteris Judæis amne Jordane discretam scribit Plinius. ❡ *Naphis*] Ebraice & Chaldaice נפיש. Græce ναφὲς in edit. Ro. ναφεὶς in C. Posterior scriptura melior verior est. ❡ *Cedma* קֵדְמָה κεδμά.

16. *Hi sunt filii Ismaelis & hæc nomina eorum per pagos eorum & per castella eorum: duodecim duces juxta nationes eorum.*

Per pagos eorum] בחצריהם in pagis eorum. חצרים pagi, vici rustici, κῶμαι. Minus recte Lxx. ἐν ταῖς σκηναῖς αὐτῶν, in tabernaculis eorum. Nam tabernaculum אֹהֶל dicitur. Nec melius interpres noster *per castella eorum.* Sequitur in eodem, *& oppida eorum.* Puto interpretem initio scripsisse *per oppida & castella eorum.* Nam חצרים oppida non murata. טירות castella. Onk. בפצחיהון in pagis suis. פצחין urbes absque muro sic dictæ à פצח aperio, quasi apertas dicas. Belgice een open Dieckstert. Nam muro non clauduntur. Onk. בכפרניהון. Autor Jerosolymitanus, in pagis eorum. Nam pagi כַּפְרִין sive כְּפָרְנִין in singulari כְּפַר cujus emphaticum כַּפְרָא, & כפר unde כַּפְרָא pagus, & כפראי paganus, quod leges כָּפָר vel כְּפַר unde pluralis הכפרים, quo usus est Abenezra in Comment. Amos 3. 2.

Hactenus de veteribus: videamus nunc interpretes nuperos. Igitur Santes, *per villas suas*, & Trem. *per villas eorum.* Prætuli, *per pagos eorum.* Nam villa ex una domo constat: in pagis plures domus sunt. Gallica editio, *selon leurs villages*: per vicos rusticos eorum. Dixi פצחין significare vicos tales: unde קרי פצחיא vici grandiores, qui in Euangelio κωμοπόλεις (*de gros burgs ou villages*) urbem æmulantes. Ebraice עיר חומה. Quod observo, quia R. David Psalm 10. interpretatur חצרים dicens significare vices hujusmodi, viæ proximos. R. Salomo definit כרכין שאין להם חומה urbes absque muro. Belgice, onbemuurde ofte onbesloten steden. ❡ *Per castella eorum*] vel, *per palatia eorum.* Nondum statui utra interpretatio melior sit. Nam טִירָה exponitur ab Ebræis ארמון. Id sonat palatium. Appellatio ab ordine lapidum qui טור dicitur. Magistri נדבך appellitant. Qua de re videndus R. David in libro ubi vocum sensa collegit. Porro castelli vocabulo usi sunt interpretes Gallici & Tremell. etiam Hieronym. si vera emendatio nostra, quam supra posuimus *per oppida & castella eorum*: Sed de hoc dubitari posset. Relinquamus ergo in medio. Lxx. ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν, quod reddunt, *in mansionibus eorum.* Potius denotat, *in villis eorum.* Nam ἔπαυλις villa, ab ἐπὶ & αὖλις, quod idem efficit cum αὐλή. Æolica mutatione, quasi quædam juxta stabulum extructio. Psal. 69. 26. טירתם. Lxx. ἡ ἔπαυλις αὐτῶν. Sic Euangelista quoque Act. 1. 20. Hier. *commoratio eorum.* Lxx. Lat. Græc. vetus, Villa, ἔπαυλις. Plutarchus Platone Μάρκου Κουρίου ἔπαυλις. Marci urii villa. Αὖλις exponitur etiam domicilium: Item tentorium, castra. Thargum Onk. בכרכיהון. Fagius interpres, per castella eorum. כַּרְכָּא igitur castellum. Vulgo interpretantur arcem, propugnaculum, munitionem. Sig. etiam urbem. Cant. 8. 9. טִירַת Hiero. *propugnaculum.* Lxx. ἐπάλξεις. Santes, *palatium.* Abenezra בנין חשוב ædificium amplum & Magnificum. Hic exponit ארמון palatium. Jonathan & autor Jerosolymit. בקסטריהון in castris sive castellis eorum. קסטרא castellum. Vox e Latio translata, ut videtur. ❡ *Duces*] vel Principes. Ebraice נשיאם. Chaldaice רברבין. Græce ἄρχοντες. Etiam Hiero. habet *principes.* i. שָׂרִים. ❡ *Juxta nationes eorum*] לאמתם Lxx. κατὰ ἔθνη αὐτῶν לאמותם. Hiero. *tribuum suarum*, לשבטיהם. Onk. & Jerosolymitana לאומיהון. Jonathan. לאומיהון. Hinc disces recte dici אֻמִּין & אֻמָּה nationes.

17 *Et hi sunt anni vitæ Ismaelis, centum anni & triginta anni & septem anni: & expiravit & mortuus est & collectus est ad populos suos.*

Anni vitæ Ismaelis] quibus vixit Ismael. ❡ *Centum anni, &c.*] Sic est in Ebræo ad verbum. Latine diceremus, *centum triginta septem anni.* Quod autem Ebræi toties repetant annum, linguæ proprietati adscribendum est. ❡ *Et expiravit*] ad hunc locum R. Salomo annotat לא נאמרה גויעה אלא בצדיקים i. *verbum* גוע *non dicitur nisi de justis.* Id supra refutavimus. Lxx. καὶ ἐκλείπων ἀπέθανε. Hiero. *deficiensque mortuus est.* Sic etiam reddunt. vers 8. Quanquam in Quæst. Hiero. *Male in Lxx. interpretibus additum est, & deficiens Abraham mortuus est, quia non convenit Abrahæ deficere & imminui.* Vide quæ notavimus ad illum versum. ❡ *Collectus est*] ויאסף & collectus est. Interpres vetus, *& appositus* est. Sic etiam Lxx. καὶ προσετέθη. ❡ *Ad populos suos*] אל עמיו ad populos suos. ita sepulturam circumloquuntur. Hiero. *ad populum suum* לעמו. Sic etiam Onk. & Jonathan. Lxx. πρὸς τὸ γένος αὐτοῦ: ad genus suum.

18. *Habitarunt autem ab Hevila usque Sur, quæ è regione Ægypti, quà tenditur Assyriam versus: coram omnibus fratribus suis cecidit.*

Habitarunt autem] וישכנו & habitarunt, nempe filii Ismael. Chaldaice ושרו. Quod in Jerosolym: ושרון. Lxx. κατῴκησε δὲ, habitavit autem. Sic etiam Hiero. ❡ *Ab Hevila*] vel, *ab Havila.* Nihil refert hoc an illo modo scribas. Lxx. ἀπὸ εὐιλάτ, quod in mendo cubat. Nam eos εὐιλὰ initio scripsisse putarim. tamen non affirmo. Nam forte τ addita, ut in ἰερικοντὶ & similibus. Thargum Jonathæ, מן הנדק ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς. Jerosolymitanum, מן הנדקי. Lexicon Chaldaicum Eliæ, מן הנדקי. Addit Elias partim codicum ita habere: unde colligimus in aliis aliter esse. הנדקי, India, quæ הודו Ebræis. Qua voce usus est & Jonathan Jes. 11. 11. ubi Chus in Ebræo. כוש regio est Arabiæ, ut & Hevila, qui inter filios Chus recensetur. Gen. 10. 7. Ubi Jonathan, filius Chus, Hevila, & nomen provinciæ ipsius הנדק ἰνδική. Hiscuni scribit duas Havilas esse, quarum unam prope Ophir constituit. Ophir autem regio est Indiæ. Porro Chus est Æthiopia, quæ item duplex. Una in Asia, altera in Africa. Sic dico. Utramque regionem littoralem maris rubri tam Asiaticam quam Africanam Chus appellant. Beroaldus Chronolog. lib. 2. cap. 7. & lib. 4.

cap. 6. ait, Hevila regionem esse Arabiæ felicis juxta sinum Persicum. Eusebius de locis, *Sed & Ismael in solitudine Hevila habitasse scribitur: quam Scriptura Sancta esse ait in deserto Sur contra faciem Ægypti, & inde tendere usque ad terram Assyriorum.* Videtur in mente habuisse hunc locum cum illa scriberet, ubi tamen nulla mentio solitudinis. ¶ *Usque Sur*] ἕως Σὺρ. Ebraice עַד שׁוּר Id On. hoc loco transtulit, עד הגרא Hagaram usque: Jonathan & autor Jerosolymitanæ עד חלוצה usque ad Halusa. Hagra regio est eorum Arabum, qui oram maritimam sinus Elamitici tenuerunt. Sur autem erat inter Cades & Barad. Eusebius de locis, *Extenditur autem desertum Sur usque ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit.* ¶ *E regione Ægypti*] vel, *contra Ægyptum*, ut Virg. *Italiam contra* i. ἀντικρὺ. Lxx. hic habent κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου contra faciem Ægypti. Hiero. *qua respicit Ægyptum.* Thargum quod ab urbe nomen accepit, כל קבל מצרים ex adverso Ægypti. ¶ *Qua tenditur*] vel itur. באכה ad verbum, qua tu venis vel is. Lxx. ἕως ἐλθεῖν, donec veniatur. Hiero. *introeuntibus.* On. מטי, pertingens. Jonathan & Jerosolymitana, מעלך qua tu intras, aut vadis. Nam עַל idem cum בא. ¶ *Assyriam*] quæ Aturia sive Atyria Chaldæis. ¶ *Coram omnibus fratribus suis cecidit*] עַל פְּנֵי כָל אֶחָיו נָפָל. Lxx. κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατῴκησε: ob faciem omnium fratrum suorum habitavit i. coram omnibus fratribus suis. Hanc interpretationem ita correxit Hiero. ut pro κατῴκησε reposuerit obiit sive occubuit. Nam in editione vulgata, *coram omnibus fratribus suis obiit*: & in Quæst. Ebraicis ita scribit, *Quod in extremo hujus capituli juxta Lxx. legimus, contra faciem omnium fratrum suorum habitabat, verum est illud quod nos posuimus, coram omnibus fratribus suis occubuit i. in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis, & nullo prius morte perempto. Fratres autem pro filiis appellari, Jacob quoque ad Laban demonstrat dicens, Ponatur coram fratribus meis & fratribus tuis, & dijudicent inter nos. Nec enim possumus credere, ut Scriptura commemoret, quod Jacob exceptis liberis secum fratres aliquos habuerit.* Onkelos, על אפי כל אחוהי שרא id est interprete Fagio, *è regione omnium fratrum suorum habitavit.* על אפי etiam sig. coram, ut κατέναντι apud Græcos. Ionathan addit באחסנתיה in hæreditate sua. Mens huis interpretationis, hæreditas ejus fuit propinqua hæreditati fratrum ejus. Sic legimus Psal. 78. 55. *cadere fecit eos in funiculo hæreditatis*, quod explicant, fecit ut cederent in possessionem populo suo: aut, *Cadere fecit eos.* i. terram eorum, *in funiculum hæreditatis*, ita ut eam partirentur possidendam jure hæreditario. Hoc obiter. Redeamus ad textum nostrum. Autor Ierosolymit. קדם כל אחוהי שרא coram omnibus fratribus suis habitavit. Ex nuperis interpretibus Hiero. secutus est Santes, ut Græcos & Chaldæos Tremell., qui vertit *coram omnibus fratribus suis longe lateque habitavit.* Harum interpretationum Gallica editio unam in textu posuit, & alteram in marg. R. David Comment. in Psalmos, *Fecit ut caderent i. castra ponerent, ut ibi; Coram omnibus fratribus suis cecidit.* Huc accommodant, *cadent a latere tuo mille*, quod exponunt, castrametabuntur. Alii explicant, *cadent in prelio.* Quo genere sermonis & Latini autores utuntur. R. Salomo ad hunc locum, *cecidit i.* שכן *habitavit.* Abenezra, *cecidit sors vel portio* (alias *pars*) *ejus: aut sententia est, mortuus est ante omnes fratres suos* (*vult dicere, illis omnibus adhuc superstitibus*) *mortuus, inquam, est ex lapsu, sive postquam lapsus fuisset.* Hæc ille, quæ mihi nimium diluta videntur. Cadere si simpliciter pro mori accipiatur nihil mirum, cum etiam cadaver dictum sit, ut Græce πτῶμα, à verbo cadendi. Ceterum habitandi verbo usus est Moses supra cap. 16. ¶ *Fratribus suis*] filiis Cetura, Zamran, Jecsan &c. qui ei fratres erant ex eodem patre.

19. *Hæ autem sunt generationes Isahac filii Abraham: Abraham genuit Isahacum.*

20. *Eratque Isahac quadraginta annorum quum acciperet Rebeccam filiam Bathuelis Syri ex Phadan Aram, Sororem Laban Syri, sibi uxorem.*

Generationes] αἱ γενέσεις, h. e. filii ab eo geniti, videlicet Esau & Jacob: vel, quæ acciderunt Isahaco. Nam תולדות interdum eventa i. מקרים ea quæ accidunt aut eveniunt alicui. Quæ significatio sumta ex illo, *nescis quid paritura sit dies*: quorum verborum hæc mens est, ut si diceret, nescis quid eventurum sit. Hanc expositionem amplectuntur ex Ebræis Levi filius Gerson: ex Christianis Tremellius: illam R. Salom. Abenezra, Moses Gerundensis & Mercerus. ¶ *Quadraginta annorum*] ἐτῶν τεσσαράκοντα. Hiero. Lxx. ¶ *Acciperet*] duceret. ¶ *Syri*] τοῦ Σύρου. Ebraice הארמי. ¶ *Ex Phadan Aram*] vel, ex Phadan Syriæ. Nam אֲרָם Syria. Sed quid פַּדָּן? Abenezra explicat *ex agro Syriæ.* Quippe פדן in lingua Ismaelitica agrum denotat i. πεδίον. Quod attestatur & R. Salom. ita scribens, *In sermone Ismaelitico vocant agrum* פדן. Aliis פדן est Mesopotamia. Hæc sententia verior videtur. Sane Gen. 48. 7. ubi vulgo, *quando veniebam de Mesopotamia*, textus Ebræus habet בפדן. Hic quoque Græca ecclesia legit ἐκ τῆς μεσοποταμίας συρίας: ex Mesopotamia Syriæ. Hiero. habet *de Mesopotamia*, simpliciter. Credo quia omnis Mesopotamia est in Syria. Alibi hæc regio ab Ebræis vocatur. *Syria fluviorum*, ut à Latinis autoribus, *Syria interamnis*, cui vicina est Syria Soba quæ Ebraice dicitur ארם צובה. Ab his duabus Syriis, arbitrantur quidam appellationem esse nominis פַּדָּן, quod in lingua Magistrorum duo significat: unde & פדן דתורי, par aut jugum boum. Testes mihi hujus rei Salomo Trecensis in comment. ad hunc locum, & David cognomento Camius in libro Radicum, voce פדן. Probabilius ut dicamus appellatam à duobus fluviis, inter quos media erat; unde Mesopotamiæ nomen. Annotat non nemo in libro Josuæ dici שדה ארם i. agrum Syriæ: quod admodum firmat opinionem eorum qui פדן in hoc sermone agrum denotare putant. ¶ *Sororem Laban Syri*] ἀδελφὴν Λαβὰν τοῦ Σύρου, cujus postea filias Jacob sibi matrimonio junxit: ideoque nominatim ejus hic meminit, ut quidam existimant. ¶ *Uxorem*] לאשה *in uxorem*, εἰς γυναῖκα; quem Ebraismum retinent plerique interpretes.

21. *Oravit autem Isahac instanter DOMINUM pro uxore sua eo quod esset sterilis: exoratusque ei fuit DOMINUS, & concepit Rebecca uxor ejus.*

Oravit autem instanter] ויעתר Lxx. ἐδεῖτο δὲ. Hiero. *deprecatusque est.* On. וצלי & oravit sive precatus est. Sic etiam Santes. Verbum Ebræum עתר aliquid amplius significat. Itaque Trem. vertit, *supplex oravit*: & Gallici interpretes, *pria instamment*: orabat instanter: & Mercerus, *improbe, obnixe & importune oravit.* R. quoque Salomo explicat הרבה והפציר בתפלה multum & instanter precatus est, multis & assiduis precibus sine intermissione oravit. R. David in radicibus cum dixisset habere significationem precandi, subjicit ad extremum הוא רבוי התפלה significat multum & frequenter orare. Sane Ezech. 8. עתר ענן est densitas nubis, fumi copia, & 35. והעתרתם עלי דבריכם multiplicastis in me verba vestra, & Prov. 27. 6. נעתרות interprete Abenez. רבות densa, crebra, frequentia, vel חזקות firma, valida, fortia sunt oscula osoris aut inimici. ¶ *DOMINUM*] לַיהוָה proprie ad DOMINUM. Sic Latine dicimus, *precari ad Deum.* Exod. 8. והעתרתי אל יהוה & precabor instanter ad DOMINUM. Quod noto quia ibi Lamed per אֶל explicatur, ne quis arbitretur esse articulum dativi casus. ¶ *Pro uxore sua*] περὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Hæc interpretatio veterum est Hiero. & Lxx. quam Santes retinuit. Ebraice est לנכח. Id Arias reddit, *è regione*: Alius, *ex adverso.* Tremell. *ob uxorem suam* i. ea præsente & una cum illa. Gallica, *pour le regard de sa femme.* On. לקבל אתתיה. Ejus interpres Fagius, *pro uxore sua.* Idem in notis scribit, *potest etiam legi, e regione uxoris, vel præsente uxore.* Dan. 5. 10. לקבל, propter. Jonathan, *Et Isahac profectus est ad montem Moria quo in loco ligaverat ipsum pater ejus, effecitque precibus suis ut Deus benedictus mutaverit sententiam suam de eo quod decreverat contra uxorem suam, quia sterilis fuerat ad 22 annos: mutata etiam fuit sententia Dei benedicti de eo quod decreverat contra ipsum, quia etiam ipse fuerat sterilis.* ¶ *Exoratusque ei fuit DOMINUS*] ויעתר לו יהוה Lxx. ἐπήκουσε δὲ αὐτοῦ ὁ θεὸς: Hiero. *qui exaudivit eum.* On. *& accepit preces DOMINUS.* Jon. ואשתזיב *liberatus fuit*, nempe ab illa sterilitate. Santes, *complacuit ei.* Arias, *exorabilis fuit.* Gallica, *fut flechi par ses prieres*: flexus fuit precibus ejus. Abenezra ונתרצה placatus fuit. R. David in libro Radicum, והקבה נעתר כשמקבל התפלה, Deus laudandus dicitur נעתר quando preces alicujus exaudit. Idem ibid. ומי שיתפללו אליו הוא הנעתר יקבל התפלה, qui exoratur & is ad quem preces fiunt placari (flecti) dicitur & accipere orationem. ¶ *Concepit*] prægnans sive gravida fuit. Lxx. συνέλαβεν ἐν γαστρί. On. ועדיאת concepit. Jon. אתעברת gravida facta fuit. Hiero. *dedit conceptum Rebecca.*

22. *Et collidebant se filii in medio ejus, dixitque, Si sic est, ad quid ita ego? & abiit ad consulendum DOMINUM.*

23. *Dixitque DOMINUS ei, Duæ gentes in utero tuo, & duo populi ex visceribus tuis separabuntur, & populus populo robustior erit, & major serviet minori.*

Collidebant se] vel, *collidebantur.* Lxx. ἐσκίρτων, exultabant, ut Luc. 1. ἐσκίρτησε ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος: exultavit lætitia fœtus. Ceterum exultandi verbo usus est Ambrosius, ut gestiendi Augustinus, & movendi Hieronymus. Lexicon vetus

vetus, σκιρτῶ exulto. Ab aliis exponitur, salio, saltu lascivio, exultim ludo. Verba Hiero. ut habentur in Quæst. sive Tradit. Ebraic. *Et movebantur filii in ea. Pro motione Lxx. interpretes posuerunt ἐσκίρτων i. ludebant sive calcitrabant, quod Aquila transtulit constringebantur* (alias *confringebantur*) *filii in utero ejus: Sym. vero διέπλεον. i. in similitudinem navis in superficie ferebantur.* Pro *constringebantur* in Fragmentis à me collectis inveni, *confringebantur*, quod geminum esse puto. Nam רצץ quasso, concutio, & est apud Græcos verbum διαπαίω quod eodem modo exponitur. Cui affine quod in editione Romana ex scholio quodam Græco citatur διεπάλαιον i. colluctabantur. Unde in Fragmentis meis ויתרצצו Symmachus διεπάλαιον. Hactenus de Græcis. Nunc ad alios. On. ודחקן quod Fagius interpretatur *& collidebant se.* Quid si, *& impellebant se.* דחק impello, premo, affligo, vexo, festino. Jonathan, ומדחין & impellebantur. Jerosolymitana מדחיין. Gallica editio *s'entrepousoient* i. alter alterum impellebat, se invicem propellebant. Trem. *conquassabant inter se*, vel, *irruebant alter in alterum.* Santes, *collidebant se.* Sic etiam Mercerus. ¶ *Filii*] Lxx. τὰ παιδία. Hiero. *parvuli.* Gallica, *les enfans.* Trem. *filii ejus* בנים. *Vocat autem filios*, inquit Abenezra, *à fine, quod egressi sint futuri tales. Dum in utero sunt, potius fœtus aut embryones dicuntur.* Simile, *& vestes nudorum spolias.* Nam tum demum nudi erant cum vestibus exuti essent. Quamdiu vestes habebant, nudi non poterant dici, nisi nudum accipias pro male vestito. Quod interdum fieri solet in hac lingua. ¶ *In medio ejus*] בקרבה. Lxx. ἐν αὐτῇ in ea. Hiero. *in utero ejus.* Paulo post, *duæ gentes sunt in utero tuo.* idem aliter. On. & Jon. nec non autor Jerosolymitanæ בכשעה *in visceribus vel in utero ejus.* Gallica editio *en son ventre.* Trem. *in ea.* Santes, *in utero ejus.* Arias, *in interiore ejus.* ¶ *Si sic est*] Si ita est ut gravidæ talia sentiant. Ebraici putant embryones inter se concurrisse, ut ויתרצצו sit a themate רוץ curro. Cui firmando quod in Jonatha והא כגוברין עבדו קרבא *& ecce sicut viri faciebant prælium.* Id fieri non potuit absque dolore matris quæ eos utero gestabat. Ergo Jonathan, *Si talis* inquit, *dolor parturientium, quare mihi filii?* Sic etiam autor Jerosolymitanæ, nisi quod in eo, *quare nunc mihi vita ut sint mihi filii?* Lxx. εἰ οὕτως μοι μέλλει γίνεσθαι. Hiero. *si sic mihi futurum erat.* Abenezra scribit eam sciscitatam fuisse à mulieribus quæ pepererant an ita illis male fuisset, easque respondisse Non: tum dixisse ipsam, si sic res se habet, quare mihi conceptus ita varians, superque ea re consuluisse DOMINUM. ¶ *Ad quod ita ego?* למה זה אנכי. Lxx. ἱνατί μοι τοῦτο, ad quod mihi hoc? Hiero. *quid necesse fuit concipere me?* Gallica editio, *quare ego sum in vita?* q. d. satius esset me mortuam esse. Trem. *quorsum ego?* sub. tamdiu oravi supplex ut concederetur mihi proles. Mercerus, *Aposiopesis irata ac turbata conveniens, Cur ita sum? cur vivo?* R. Salo. *Si tantus est dolor gravidæ, cur ego hoc appetii?* nempe ut essem gravida. ¶ *Abiit ad consulendum DOMINUM*] ותלך לדרש את יהוה. Lxx. ἐπορεύθη δὲ πυθέσθαι παρὰ κυρίου. Hiero. *perrexitque ut consuleret DOMINUM.* Sed quo abiit? An ad prophetam aliquem? Sunt qui putant ipsam ad Abrahamum ivisse. Alii arbitrantur Eberum ab ea consultum. Ionathan, *abiit in scholam magni Sem.* Sic etiam autor Ierosol. Nec aliter R. Salo. Ionathan & Ierosol. *abiit ut quæreret miserationes à DOMINO.* On. *ut quæreret doctrinam* למתבע אולפן. Abenezra autor, DOMINUM ei dedisse responsum per prophetam aliquem, aut per ipsum Abrahamum, quem vixisse dicit usque ad annum 15. Jacobi Patriarchæ. ¶ *Ad consulendum*] consultum sive rogatum aut requisitum. ¶ *Dixitque DOMINUS*] potest fieri ut per insomnium de hac re fuerit admonita. Potest etiam fieri ut ex aliqua alia revelatione cognoverit. ¶ *Duæ gentes*] duo fœtus qui evasuri sunt in gentes. δύο ἔθνη. Lxx. *duo populi.* On. Jon. Jerosol. ¶ *In utero suo*] בבטנך in ventre tuo, quod Græci referunt ἐν γαστρί σου. Ventrem autem pro utero posuit. Sic κοιλία & γαστὴρ accipiuntur. Chaldæi utrumque dicunt במעיכי in visceribus tuis. Synonyma ergo sunt קרב & בטן & מעים. ¶ *Duo populi*] Ita Hiero. Lxx. quoque δύο λαοί: proprie עמים populi: לאמים autem nationes. Sed confundi scias. Uterque Chaldæus, תרין מלכון duo regna, שני מלכות. R. Sal. אין לאום אלא מלכות dictio לאום ubique regnum significat. Trem. *duæ nationes.* ¶ *Ex visceribus tuis separabuntur*] ממעיך יפרדו. Lxx. ἐκ τῆς κοιλίας σου διασταλήσονται, de ventre tuo separabuntur. Hiero. *ex ventre tuo dividentur.* Videtur hoc velle, duo populi, qui ex te prodibunt, dividentur & separabuntur. Quod recentior interpres haud obscure significat cum vertit, *duæ nationes editæ ex ventre tuo separabuntur.* Gallica editio habet, *deux peuples departiront de tes entrailles.* ¶ *Ex visceribus tuis*] i. ex utero tuo. Metonymia contenti pro continente. Nam viscera proprie *les entrailles*, hoc est omnia membra interiora, ut sunt jecur, splen, renes, cor, pulmones & intestina. Sic κοιλία proprie venter. Sed pro utero sumitur καταχρηστικῶς. Aliquando ventriculum significat. Jon. 2. 2. במעי הדג in visceribus piscis. Lxx. ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους. Sic etiam Evangelista. Matth. 12. 40. ¶ *Populus populo robustior erit*] natio una robustior erit altera. Lxx. καὶ λαὸς λαοῦ ὑπερέξει. Hiero. *populusque populum superabit.* On. & Ion. *regnum regno validius erit.* Mox se explicat cum ait: ¶ *Major serviet minori*] major natu serviet minori natu sive juniori, hoc est Esau Iacobo. Addit Jonathan, *si filii minoris custodierint præcepta Domini.* Vide Mercerum.

24. *Cumque impleti essent dies ejus ad pariendum, ecce gemini in utero ejus.*

25. *Et egressus est prior rufus, totus ipse tanquam chlamys pilosa, vocaveruntque nomen ejus Esau.*

Cumque impleti essent &c.] וימלאו ימיה ללדת *& impleti sunt dies ejus ad pariendum.* Docte Hiero. *Iamque tempus pariendi advenerat.* Jonathan, *completi sunt duceuti & septuaginta dies graviditatis ejus sive gestationis in utero*, vult dicere quo gravida fuerat & uterum gestaverat, quod tempus à primo die conceptus computari solet. ¶ *Dies ejus ad pariendum*] Lxx. αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν i. dies partus ejus, tempus quo paritura erat. q. d. dies pariendi ipsam. ¶ *Gemini*] vel, *gemelli.* Græce δίδυμοι vel δίδυμα, ut τὰ βρέφη subaudiatur. Hoc postremum amplexi sunt Lxx. Ebraice תומים & תאמים. plenum est תואמים, Epiphanius adversus Hæreses pag. 21. διδύμους Θωμὶμ καλοῦσι. Hinc Thomas dictus qui & Didymus. Chaldaice תיומין Aleph in Joth conversa. Thomas. i. תוֹמָא vel תְּאוֹמָא. Ut Messias & Christus. Sic Thomas & Didymus. Non sunt duo nomina, sed unum Græcum est & alterum Ebraicum. Hiero. in nom. ex Matthæo *Thomas, geminus; unde & Græce Didymus appellatur.* Male igitur Nonnus eum vocat διώνυμον, cum unum idemque nomen sit Thomas & Didymus. ¶ *In utero ejus*] vel, *in ventre ejus*, ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς. ¶ *Egressus est*] exiit, prodiit. ¶ *Prior*] הראשון primus. Lxx. ὁ πρωτότοκος הבכור primogenitus. Onk. & Jonathan קדמאה. ¶ *Rufus*] אדמוני. Lxx. πυῤῥάκης. Interpres Romanus, *rubens.* In Thesauro exponitur *rufus.* Editiones quæ ad E. C. πυῤῥάκιος habent. Obvia hæc vox & 1 Sam. 16. 12. de Davide, ubi eadem editio πυῤῥάκιος habet, nisi legendum πυῤῥάκης vel πυῤῥάκιος. Ceterum rufus πυῤῥὸς dicitur: πυῤῥάκης ut forma, ita significatione differre videtur. Dico videtur, quia potest aliter esse. Nam interpretes confundunt. Sic אדמוני & אדם interpretatione nihil differunt. Nam & Hiero. vertit, *rufus*, & ita quoque ceteri. Quin imo quod in Onk. utrique commune est. Pro quo Jonathan & aut: Jerosolymitanæ posuerunt סומקני vel סומקי quod scribunt סומקני. Forma plane peregrina. Nam addita Res contra consuetudinem. Quod in voce גנדלר non injuria miratur Elias. ¶ *Tanquam chlamys pilosa*] כאדרת שער, ut pallium pili i. pilosum aut, si mavis, villosum. Vult dicere tam pilosus erat quam tale pallium. Lxx. ὡσεὶ δορὰ δασύς, sicut pellis pilosus. Ita Rom. interpres ¥ i. Hiero. *in morem pellis Hispidus.* Onkelos כגלים דשער interprete Fagio, *Tanquam pallium pilosum.* גלים pallium. Elias exponit paullo generalius מלבוש i. indumentum. In Thargum Esther, גלימא דבוץ vestis byssina. In Ebræo est תכריך. Nomen habet ab involvendo. Etiam Magistri utuntur. Nam dicunt גלימא דעל כתפא pallium quod super Humeros. Jonathan & autor Ierosoly. כגלין דשער, ut chlamys pilosa. גלם proprie χλαῖνα quæ & χλαῖνα i. læna, ejusdem cum χλαμὺς originis. Nam & ipsa τῷ χιτῶνι superindui solet. Ios. 7. 21. אדרת. LXX. ψιλήν. Aquila ψιλώ. Iosephus, teste Theodoreto, χλανίδα. Ionathan אצטלא i. stolam. R. Hanina filius R. Isahac פורפירא purpuram. Samuel סרבלא sarabaram. Rab אצטלא τῶν ψιλῶν. Relata hæc in Genesi magno, qui Bresith Rabba vocatur. Pollux χλαμύδας esse ait alias ὁλολεύκους (unde in loco citato סרבלא ארמאה sarabara pura & candida) alias ἁλουργεῖς i. purpureas, quæ purpura prætextæ sunt sive quæ purpureum habent limbum. Paludamentum etiam vocata fuit hæc ipsa chlamys, teste Nonio. Unde Masius אדרת interpretatur paludamentum. Vide sis comment. ipsius in Iosuam pag. 134. Aben. negat אדרת esse in regimine. Idem שער interpretatur pilosus, post LXX. & Hiero. Alii aliter sentiunt inter quos R. David, qui exponit pallium pilosum sive villosum *quod vernacule*, inquit, *vocatur* שקלדרנה *solanina.* Puto esse vocem Italicam. Nam לעז idem valet quod Italice. Sic Plautus linguam Latinam vocat barbaram, *Marius vertit barbare* i. בלעז. Nos diceremus, *Latine.* Sic in *Barbaria* pro in Latio. Hoc olim observare memini. Vide igitur observationes meas. Santes hic habet, *sicut pallium pilosum.* Trem. *tanquam toga villosa.* Gallica editio, *comme une manteline de poil.* Hoc intelligunt qui

qui intelligunt. Gallus Aquitanus mihi dixit esse chlamydem militarem sive qua milites utuntur. Vox Chlamydis, ut hoc obiter notem, videtur esse Chaldaicæ originis, גלים χλαμύς, Gimel in χ. mutata. Contra fit in חלבנה χαλβάνη, Galbanum. De כלים dubito sit ne ex iis vocibus quæ ex oriente in Græciam commigrarunt, an contra ex Græco χλαῖνα factum sit Chaldaicum כלן i. χλαῖν. Nam Græcæ voces plurimæ sunt in ea lingua. Porro שער in aliis locis pilum denotat. Pilosus potius שעיר diceretur; unde שעירים genus dæmonum, quos Aquila τραγῶντας appellat nempe à pilis quibus horrent, in hirci forma, qui שעיר vocatur, apparentes. ¶ *Vocaveruntque nomen ejus*] parentes aut mulieres quæ parienti aderant vel certe omnes qui videbant ipsum adeo pilosum ac si perfectæ ætatis fuisset. LXX. ἐπωνόμασε δὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Hiero. *vocatumque est nomen ejus.* Ionathan, *vocaverunt nomen ejus Esau propterea quod natus esset totus perfectus cum capillis, barba & dentibus.* ¶ *Esau*] עשו Ἠσαῦ quod Græci aspirant cum potius leniter scribendum sit, ita poscente analogia. In libro Nominum, *Esau factura sive rubens vel acervus lapidum.* Rubens. i. אדם. Acervus lapidum i. גל. Factura i. מעשה. Aben. *Qui videbant eum, vocabant eum Esau: Id sonat* מעשה בפני עצמו *opus per se. Erat autem partus iste mirabilis admodum, quia omnis homo prodit in lucem cum secunda quæ ipsum tegit: & ecce duæ istæ secundæ fractæ sunt momento uno.* Orig. Hom. 11. in Genesin, *Esau ut ajunt qui Ebræa nomina interpretantur vel à rubore vel à terra i. rubens vel terrenus, vel, ut aliis visum est, factura dictus videtur.* A rubore dictus est Edom, non Esau. Hæc confundi non debebant. Factura i. ποίημα. Hiero. Amos 2. *Fortitudo quoque ejus quasi quercus arboris durissima atque fortissima. Ex cujus vocabulo Philo vir disertissimus Ebræorum, Esau appellatum putat δρύϊνον i. quercinum seu roboreum* (confundit עשו cum עץ) *licet & Esau possit ποίημα i. factura intelligi, ut ad mala opera referatur.* Joseph. Ant. Jud. lib. 1. cap. 26. *Vocatur Esau secundum etymologiam pilorum. Ebræi namque capillaturam Serron dicunt.* Excusari hoc aliquo modo potest. Nam quia pilosus ideo perfectus erat: unde ei nomen. R. Salo. *Omnes vocabant eum ita eo quod esset factus & absolutus pilis suis ut qui multos annos habent.* Alioquin etiam SEIR cognominatus fuit, ut quidam prodiderunt, quod pilosum sonat. Nicolaus, *Hispidus.* i. *pilosus: ideo dictus est Seir i. pilosus.* Hiero. in Quæst. Ebraic. *Ubi nos pilosum posuimus in Ebræo habet Sear. Unde & Esau, sicut & alibi legimus, Seir i. pilosus est dictus.* Recentior interpres, *Esau i. perfectus. Nam perfectior quam pueri solent videlicet pilis instructus prodiit.* proprie factus. Est ergo simplex pro composito. Quod solens fit in hac lingua.

26. *Postea egressus est frater ejus qui manu sua tenebat calcaneum Esau, ideo vocavit nomen ejus Jacob: Isahac autem erat sexaginta annorum cum pareret eos.*

Tenebat] vel tenuerat, apprehenderat. neque enim tum tenebat cum egrederetur (ita enim in summum periculum mater adducta fuisset.) Sed ante tenuerat nempe cum Esau exiret unaque ipse exire vellet. Credibile autem est obstetricem ejus manum reduxisse in uterum maternum quo exiret debito modo i. per caput. ¶ *Calcaneum Esau*] בעקב עשו calcem Esau. Lxx. τῆς πτέρνης Ἠσαῦ. Minus recte Hiero. *plantam Esau.* Nam planta. i. כף רגל quæ etiam vox, cum de manu usurpatur, volam Significat. עקב est calcaneus, unde יעקב quasi πτερνιστής: quem Latini supplantatorem vocant. Nam & πτερνίζω vertunt supplanto. Id verbum à planta deductum. Quo sine dubio respexit Hieron. Ut ab עקב est יעקב: sic à planta, supplantator, quod sonat nomen Jacob. Ebræi tamen exponunt עקב calce sive calcem teneo, quod hic dicitur אחזת בעקב. Obiter nato, in Ebræo esse ad verbum, *& manus ejus tenebat*, nempe cum frater exiret. Quod Græci referunt ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἐπειλημμένη. Onk. & Jon. וידיה אחידא. ¶ *Vocavit*] Isahac pater: aut *vocavit* dixit pro *vocatum fuit*, ut alibi, *nunciavit Davidi*, quod exponunt nuntiatum fuit. Sic *reputavit ei pro justitia*, ἐλογίσθη, reputatum fuit. ¶ *Jacob*] Ἰακώβ. Antiquum est pro Jaacob, quod Ebræi scribunt יעקב. Hæc consuetudo à Syris dimanavit. Autor Lexici Thalmudici quod Baal Aruch vocant, *Mos linguæ Syræ elidere Heth & Ain litteras.* Sic Belial dicebant pro Belizal. Ex hac eadem consuetudine scribebant ישו, unde Græcum Ἰησοῦς, pro ישוע. Dictus Jacob, παρὰ τὸ עקב calcem teneo vel prehendo. Neque recte interpretantur supplanto. Nam supplantat proprie qui pede supposito aliquem in terram dejicit, quod Græci dicunt ὑποσκελίζω. Utrumque significat decipio. Quo significatu & πτερνίζω usurpatur. Sed πτερνίζω etiam supplanto. Huc respexit Esau Gen. 27. 38. cum ait, *recte vocatum est nomen ejus Jacob. Decepit enim jam me secundo.* Ebraice est עקב, quod à propria significatione contumeliose detorquet ad translatam. Non enim certe à decipiendo sic appellatus est, sed ab eo quod calcaneum ejus manu apprehenderit. Res clara ex textu Mosis. Quocirca miror eos qui Jacob supplantatorem interpretantur. Nam πτερνιστής non tam supplantator, quam qui calce ferit aut contingit aliquem. Sed quia etiam supplantatorem denotat, veteres plerique omnes, veræ etymologiæ ignari, ita olim exposuerunt. Irenæus Lib. 4. c. 38. adversus Hæreses. Origenes Hom. 12. in Genesin & Hom. 11. in Exod. Hiero. in Nom. de Matthæo, & Epist. ad Hebræos. August. sermone 40. de verbis Domini. Arnobius in Psal. 52. & alii. Sunt interpretes viri docti, qui nomen יעקב compositum esse putant ex יד nomine manum significante, & ex verbo עקב calcem prehendo: sed meo judicio falluntur. Nam Iod in principio adhibetur ad conficienda nomina propria. Quale est in יצחק Isahac, & in tetragrammato יהוה quod vocant Ioth, He, Vau, He: & in nomine ישראל Israel. Hoc notum vel ex Grammatica jam ipsis pueris. ¶ *Cum pareret*] Rebecca. Sed quia verbum ילד etiam de viris usurpatur, non male vertet, qui vertet, *cum gigneret eos.* Lxx. ὅτι ἔτικτεν αὐτοὺς, nempe ἡ μήτηρ. Sic Homerus, ὃν ἀθάνατος ἐτέκετο Ζεύς. Quo facit & illud, *Oenei partu edita.* Hiero. *quando nati sunt ei parvuli.* Onkelos & Ionathan כד ילידת quod ad Isahacum referri non potest, cum verbum, quod in Chaldæo, fœmininum sit. ¶ *Sexaginta annorum*] ἐτῶν ἑξήκοντα. Lxx. *sexagenarius.* Hiero. Hinc discimus totos viginti annos Rebeccam sterilem fuisse. Nam anno Isahaci quadragesimo ei matrimonio juncta fuit. Hic quæri solet ab interpretibus quare interea temporis aliam non duxerit, cum legitimum probationis tempus sint decem anni, secundum sententiam Ebræorum. Ad hanc quæstionem respondet R. Salomo, ita scribens, *Ancillam noluit ducere quia sanctificatus erat in monte Moria, ut esset holocaustum integrum.* Videndus Lyra ad hunc locum.

27. *Et creverunt pueri eratque Esau vir sciens venationem & vir agrestis. Jacob vero erat vir integer, habitans tabernacula.*

28. *Et amabat Isahac Esau, quia venatio in ore ejus, Rebecca vero amabat Jacobum.*

Creverunt] adoleverunt, ηὐξήθησαν. ¶ *Pueri*] הנערים. Lxx. οἱ νεανίσκοι, juvenes. Sic etiam Onk. Quanquam in Fagio *pueri.* Ionathan habet טליא pueri. עולימיא non tam juvenes quam adolescentes. Qua ætate homo callere potest artem venandi. August. in Lib. locut. *Creverunt autem juvenes: Est talis locutio & apud autores seculares, sicuti est, Et scuta latentia condunt, i. condendo latentia faciunt, sic & hic creverunt juvenes cum infantes essent, intelligitur crescendo facti sunt juvenes.* ¶ *Sciens venationem*] peritus venandi, quod Græci dicunt εἰδὼς κυνηγεῖν, Hier. *vir gnarus venandi.* Alius recentior, *Vir peritus venationis.* Onk. גבר נחשירכן i. interprete Fagio, *vir venator.* Genus loquendi, ut ἀνὴρ ἁλιεύς, homo piscator. In Lexico Chaldaico Munsteri נחשירכן idem quod ציד venator. In margine mei exemplaris adscriptum erat, *vox est persica.* Jonathan נחשירכן למיצוד עופין וחיוון, venator ad venandum aves & serpentes. Gallica editio, *homme entendu à la chasse.* Sed quid? An etiam venatio serpentum erat? Credo: & hic locus nobis fidem facit, si fide dignus Jonatha. Venabantur autem ut eos necarent quorum genus extinctum cupiebant. ¶ *Vir agrestis*] vel, *homo agrestis*, ἄνθρωπος ἄγροικος. Ita melius Lxx. quam Hiero. qui vertit, *homo agricola.* Nam agricola עובד אדמה dicitur איש שדה non tam qui in agro vivit i. rusticus, quam qui quotidie in agrum exit, ut venatores solent. Itaque Onk. vertit גבר נפק חקל *Vir egrediens in agrum.* Nam quod Fagius habet, *aberrans in agris*, aliam sententiam continet. Ipse in annotationibus bene explicat, *hominem campestrem & sylvestrem hoc est venatorem, qui delectatus fuerit rure, sectando & venando feras, ut hodie nostri nobiles.* Jonathan, *vir exiens in agrum, occidens homines* (animas,) *quia ipse occidit Nemrodum & Henoch filium ejus.* Gallica editio, *homme des champs.* R. Salomo, *homo otiosus venans arcu suo feras & aves.* ¶ *Integer*] תם LXX. ἄπλαστος, non fictus, non fucatus aut simulatus. Aquila ἁπλοῦς. Hiero. *simplex.* Symmach. ἄμωμος, immaculatus vel sine crimine. Simplex etiam פתי vocatur, sed paullo aliter. Nam פתי facile decipi potest propter simplicitatem. תם magis integrum & syncerum denotat, cujus oratio cum animo concordat, qui non aliter loquitur quam sentit. Hoc sig. R. Salomo cum ait, *ut cor ejus, sic erat os ejus* i. sermo ejus. Idem subjungit, *Qui non est subtilis ad fallendum vocatur* תם. ¶ *Habitans tabernacula*] hoc est, in tabernaculis. Sic Virgilius dixit, *humiles habitare casas.* Significat eum pecuariam exercuisse. Nam pastores in tabernaculis degebant. Sic alibi, *pater habitantium tabernacula & pecoris.* LXX. οἰκῶν οἰκίαν, habitans domum i. in domo sive domi. Hujus contrarium *Erat-*

que

que Esau vir agri i. agrestis, in agro versans. Ad hanc sententiam explicat Mercerus, habitator tabernaculorum q.d. amans domi residere, vitam amans tranquillam ac domesticam, non agrestem, ut Esau. Onk. *minister domus doctrinæ.* Jonathan, *ministrans in domo doctrinæ ipsius Eber.* Domum doctrinæ vocant Scholam aut synagogam, in qua pietatis doctrina docebatur. ¶ *Venatio in ore ejus*] צַיִד בְּפִיו. Lxx. ἡ θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ: venatio ejus cibus ei. Hiero. *eo quod venationibus illius vesceretur.* Onk. *ex venatione ejus comedebat.* Jonathan, *verba fraudum erant in ore ejus.* Inepta interpretatio. An ideo diligebat quia fraudulentus erat? Absit hoc à viro justo. Sed mens Jonathæ, quia patrem verbis dolosis circumveniebat. Quod si dolos sensisset, certe non amasset eum. Cibus ejus i. מאכלו. Tremell. *venatio grata erat in ore ejus.* Aben. *venationem adducebat in os ejus.* Alii, *venationem afferebat ore suo*, quod non probo. R. Salomo, *in ore ipsius Isahac juxta interpretationem Chaldaicam, & est expositio subtilior quæ sic hunc locum enarrat, venatio erat in ore ipsius Esau, quia venabatur eum & decipiebat eum (patrem sc.) verbis suis.* Gallica editio, *la venaison étoit sa viande*, venatio erat cibus ei.

29. *Quodam tempore coxerat Iacob coctionem & venit Esau ex agro, & ipse lassus erat.*

30. *Et dixit Esau Iacobo, Ciba me de rufa rufa hac, quia lassus ego sum: ideo vocatum est nomen ejus Edom.*

Coxerat coctionem] ויזד נזיד. Lxx. ἥψησε δὲ ἕψημα. Hiero. *coxit pulmentum.* Onk. ובשל תבשילא *& coxit coctionem.* Santes, *& coxit coctum.* Trem. *coquente autem Iacobo jusculum.* Gal. *comme Iacob cuisoit du potage.* נזיד omne quod coquitur, cibus pulmentarius, polenta vel offa, vel aliud edulium coctum. Nam זיד coquo. לשון בשול ait R. Sal. ¶ *Lassus*] vel, *fessus.* ¶ *Ciba me*] הלעיטני. alibi non reperitur. Abenez. exponit האכילני ciba me. LXX. γεῦσόν με, gustare fac me. Sic Onk. & Jonathan. Quanquam in versione Fagii, *ciba me.* Santes, *fac comedere me.* Trem. *fine me haurire.* Gallica editio, *donne moi à manger.* Hiero. *da mihi.* R. Salo. *effunde mihi in os.* *Sic dicunt*, inquit, אין אובסין הגמל אלא מלעיטין אותו *non cibant camelum ad præsepe, sed in os ingerunt ei.* Locus extat, nisi fallor, in Thalmud. ¶ *De rufa rufa hac*] sub. coctione. Qui legunt, *de rufo rufo isto*, subintelligunt edulium aut pulmentum aut aliquid tale. Erat autem edulium lentium, ut habetur infra vers. 34. Ceterum hæc nominum congeminatio ad auxesin facit ut cum is qui valde rufus est ארמון dicitur. Alioqui ארום & ארמוני synonyma sunt, ut apparet. In Sym. reperi ἀδάμ. i. אדם vel quod ita legit cum apices abessent, vel quod manus exscriptoris aberrarit scribens ἀδάμ pro ἀδώμ. Potest etiam mendum esse in editione Romana, unde hæc descripsimus. LXX. hic habent ἀπὸ τοῦ ἑψήματος τοῦ πυῤῥοῦ τούτου. Hiero. *de coctione hac rufa.* Sic etiam Jonathan. Onk. *de rufo rufo isto.* Trem. *de isto edulio admodum rufo.* Sed rufum illi סומקא & סמוקא vocant. ¶ *Edom*] ut si Græce dicas Pyrrhus, aut Latine Rufus. Utrumque nomen extat apud autores. Alterum etiam invenitur in Epistola ad Romanos. Male Origenes, *Edom, terrenus.* Sunt qui fulvum interpretantur, ut Hiero. cujus verba vide supra. ¶ *Vocatum est*] Josephus, *Propter ruborem cibi à coætaneis infantia temporis Esau, Edom vocatus est. Ebræi namque Edom rubeum dicunt.*

31. *Tum dixit Iacob ; Vende hodie primogenituram tuam mihi.*

32. *Et dixit Esau, Ecce ego abeo ad moriendum, & quare mihi primogenitura.*

Vende] מִכְרָה. ¶ *Hodie*] vel, *juxta diem hunc.* Ebraice כיום. Sensus est, tam clare & perspicue, quam hic dies est clarus & perspicuus. Sic Jonathan כיום דלהן juxta diem qui ita est. Hoc modo Mercerus interpretatur. LXX. σήμερον i. hodie. Sic etiam Trem. & editio Gallica. Santes quoque, *hoc tempore.* Verbum è verbo ὡς σήμερον, ut accipiatur ὡς pro ὄντως i. vere, revera. Quomodo sumitur in illo, *Vidimus gloriam ejus ὡς μονογενοῦς tanquam unigeniti.* Vocant Chaph ἀληθινὸν. Jonathan, *Vende hodie secundum diem quo tu hæres futurus es primogenituræ tuæ mihi.* R. Salo. *secundum diem*] *juxta interpretationem Chaldaicam, secundum diem qui sic est* (Fagius habet, juxta diem hunc) *secundum diem qui est clarus & perspicuus, sic vende mihi venditione clara & perspicua.* Hisc. לאלתר quod interpretatur מיד statim, extemplo, confestim. Nam quæ eodem die fiunt cito fiunt. ¶ *Primogenituram*] jus primogenituræ sive quo fruebatur maximus natu præ ceteris, qui, ut Abenez. scribit, duplam portionem auferebat ex bonis paternis. Sunt etiam qui dicant ipsum dignitate & honore potiorem fuisse, reliquosque ipsi servivisse, ut filius patri solet. ¶ *Ego abeo ad moriendum*] אנכי הולך למות. Lxx. ἐγὼ πορεύομαι τελευτᾷν, ego morior, vel abeo ut moriar. Galli eleganter hoc dicunt, *Je m'en vai mourir.* Hiero. *en morior* הנה אני מת. Trem. *ego propero ad mortem* אני ממהר למות. Santes, *ego vado ut moriar.* Vide quæ notavimus. Gen. 15. 2.

33. *Et dixit Iacob, Iura mihi hodie, & juravit ei: ita vendidit primogenituram suam Iacobo.*

34. *Et Iacob dedit Esau panem & coctionem lentium & comedit & bibit & surrexit & abiit: ita contempsit Esau primogenituram.*

Hodie] vel, *juxta diem hunc*, quod supra explicavimus. ¶ *Coctionem lentium*] Lxx. ἕψημα φακοῦ. Hiero. *edulium lentis.* Alii, *jusculum lentium.* Lentes autem Ebraice עדשים appellantur & Chaldaice טלופחין. ¶ *Contempsit*] sprevit, ἐφαύλισεν. Contempsit autem quia tam vili pretio vendidit.

AMAMA.

18. **E**Br. *Habitarunt autem ab Havila usque ad Sur quæ est è regione Ægypti, dum pergis in Assur, coram cunctis fratribus suis cecidit.* Vulg. *Habitavit autem ab Hevila usque Sur quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios, coram cunctis fratribus suis obiit.*] Hic non semel ab Ebræo recessum est, nos duo solummodo ponemus. 1. quod plurale וישכנו *& habitarunt* verterit per Sing. *habitavit*, ac si de solo Ismaele sermo esset. Steuchus, *Locus emendandus ut per pluralem efferatur.* Idem Cajetanus hic monuit. Alterum est quod phrasin Ebræam non intellectam sic verterit, *coram fratribus suis obiit*, cum Ebræa habeant נפל cecidit. Promiserat cap. 16. 12. Angelus matri Ismaelis, *coram fratribus suis figet tentoria.* En tibi hoc loco ejus Oraculi complementum. Verum quid significabit illud *coram* in Vulgata? An importabit antecessionem temporis ut Lyra vult? Atqui ea significatione vocem Latinam *coram* usurpari non memini. An vero præsentiam loci? Illud certe commodius, sed quam violentum & coactum tum erit per fratres intelligere *filios* cum eodem Lyra? Nec eum quidquam juvat locus Gen. 31. 37. *Pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis.* Fratres enim uxorum & ipsius fratres erant, quin & illud certissimum omnes propinquos & consanguineos in Ebraismo *fratres* dici. Quid ergo sibi vult vox Ebraica נפל cecidit? Hoc explicabo verbis ipsius Lyræ, *Ebræi dicunt* posuit, *nec accipitur hic in significatione generali sed speciali, prout importat positionem vel fixionem tentoriorum. Et hoc respondet ei quod supra cap. 16. dictum est. Sciendum quoque quod ubi nos habemus* obiit, *in Ebræo habetur Nephal* (emendo Naphal) *estque verbum æquivocum & significat idem quod cecidit & idem quod tentorizavit, vel tentorium fixit.* Hæc Lyra. Ebræi ad verbum נפל subaudiunt גורלו sors ejus, (*a*) sors ejus cecidit. Verum sine hac ellipsi sumi posse, locus Jud. 7. 12. videtur persuadere, *Omnes filii Kedem* נפלים בעמק *cadebant in valle*, i. longe lateque diffusi jacebant. Vide R. Salom. & Cl. Drusium ad Jud. 7. cur non & hoc loco sic accipiamus? *Cecidit coram fratribus suis.* i. coram iis, in conspectu eorum longe lateque habitavit. Itaque LXX. optime se hoc loco gesserunt, dum נפל על vertunt κατῴκησε, & Chald. שרא habitavit. Vide & Trem. & Junium.

30. Ebr. הלעיטני *de rufo, rufo isto.* Vulg. *Da mihi de coctione hac rufa.*] Vocem הַלְעִיטֵנִי communiter reddunt, da mihi comedere, ciba me. Sic Aben. הַאֲכִילֵנִי. LXX. γεῦσόν με gustandum mihi præbe. Trem. & Junius, *sine me haurire.* Cajet. *fac me multum comedere.* Dicit autem vocem Ebræam significare *ferinum quoddam comedere grosso bolo.* Procul dubio respexit ad commentarium R. Salomonis, qui vocem hanc unam ex τῶν ἅπαξ λεγομένων ex Thalmudicis explicat, ubi poni videtur pro ingerere alicui aliquid in os. Unde exponit, *effunde mihi in os.* Sed illud quia incertum adversus Vulgatum non urgebo. Hoc notandum, Emphasin magnam in geminatione vocis poni à Cajetano, *vehementis concupiscentiæ est*, inquit, *conduplicare rufum.* Licet alii eam duplicationem referant ad auxesin adjectivi, q. d. de edulio isto admodum rufo. Ut ut sit, Vulgato nihil horum curæ fuit.

31. *Vende mihi* כַּיּוֹם *sicut hodie primogenituram tuam.* Sic Ebræa. At Vulg. *Vende mihi primogenita tua*, voce כיום plane elisa. Lxx. tamen eam expressere per σήμερον, Chaldæus Onk. per כְּיוֹם דִּלְהֵן *juxta diem qui ita est.* In explicatione hujus voculæ non conspirant Ebræi, alii enim, inter quos Hiscuni, exponunt מיד statim, evestigio, jam jam, sine ulla mora, ad verbum, juxta hunc diem. Cito enim fiunt quæ eodem die fiunt, inquit Cl. Drusius. Alii, sicut hic dies, i. tam certo & liquide mihi vende ac est dies hic, ut tam certa, absoluta & pura venditio intelligatur quam est dies. Atque ita erit Caph ἀληθινὸν, quod Ebræi כף אמת vocant. Quomodocunque exposueris, vides

(*a*) Abenezra.

vides egregium subesse sensum, quem per elisionem vocis minime assecutus est Vulgatus.

Versu ultimo, in Vulgata dicitur *Esau parvipendisse quod primogenita sua vendidisset*, at contextus Ebræus dicit *eum parvipendisse ipsam primogenituram*. Poterat, inquit Witakerus, venditionem parvi facere, & tamen ipsum jus primogenituræ magni æstimare. Græci LXX. & Chald. nihil ab Ebræo variant.

GROTIUS.

1. UXorem] Pactis quidem dotalibus factis, sed ancillam tamen, ut docent Hebræi. ideo & uxor vocatur, & tamen liberi ejus dona tantum accipiunt, quale apud Germanos matrimonium impar, ad Morgengabicam. Vide quæ dicta nobis lib. II. cap. V. §. 15. de Iure belli ac pacis, & in annotatis. Concubina apud Hebræos est ancilla, aut vilis alia ad concubitum data sine scriptura, sine arrhis, sine ritibus.

4. *Ofer*] Græcis Ὠφείρ. A quo Afri & Africa. Vide quæ producta à nobis ad librum I. de Veritate Religionis Christianæ.

8. *Deficiens mortuus est*] Verbum גוע apud Hebræos dicitur de morte sine dolore.

Plenus dierum] Sic & Græci. In Hebræo est שבע satur, dierum scilicet, quod explicandi causa addidere Samaritæ & Syri. Plena locutio Hebræa infra XXV. 8. XXXV. 29. 1 Paral. XXIII. 1. XXIX. 28. Job. XLII. 16.

9. *In spelunca duplici*] Sepulchro gentilitio.

13. *Nebajoth*] Hic Ναβαίτης [*Nabates*], apud Stephanum. Unde Nabathæi Plinio & Poëtis prope omnibus.

Cedar] Unde Cedreni Plinio lib. V. c. XI. Cedareni Lampridio.

Masma quoque & Duma & Massa] Bona nomina: significant enim audientiam, silentium & patientiam. Duma cum additamento frequenti אתה, Δούμαθα πόλις Ἀραβίας [*Dumatha, urbs Arabiæ*] Stephano.

Thema] Urbis nomen apud Ptolemæum. Tamna est apud Strabonem.

Iethur] Unde Ituræi, ut apparet 1 Paral. V. 19. Meminit Strabo libro XVI. Plinius libro V. XXIII. Cicero, Virgilius, Lucanus, alii.

16. *Duodecim principes tribuum suarum*] Vide quæ supra XVII. 20.

20. *Cum quadraginta esset annorum duxit uxorem Rebeccam*] Aristoteles viros vult ad conjugium se applicare circa annum ætatis suæ septimum & tricesimum, Polit. VII. 16.

Collidebantur in utero ejus parvuli] Simile aliquid narrat Bibliothecæ II. Apollodorus: Ἀκρίσιος καὶ Προῖτος. οὗτοι καὶ κατὰ γαστρὸς μὲν ἔτι ὄντες ἐστασίαζον πρὸς ἀλλήλους [*Acrisius & Prœtus. hi etiam cum in utero adhuc essent inter se dissidebant.*]

Vt consuleret Dominum] Per os Heberi, qui etiam tunc vixisse putatur. Ita Maimonides, Rabbinus Salomon & alii.

Major serviet minori] Josephus: Φερώνυμα ἔσεσθαι τοῖς παισὶν ἔθνη· τοῦ δὲ μείζονος προτερήσειν τὸ δοκοῦν ἔλαττον εἶναι [*gentes fore pueris illis cognomines: tamen qui minor videretur prælatum iri majori*].

Hispidus] Quod signum fortis animi notat Aristoteles, & alii qui Physiognomonica tractant.

25. *Plantam fratris tenebat manu*] Id allegorice patientiam significat. Protesilai umbra, ut narrat Philostratus, athletæ roganti ὅ, τι πράττων ὑπερβάλοιτο τὸν ἀντίπαλον, πατούμενος ἔφη [*quid agendo adversarium superaret, dixit, calcantem se ferendo*]. Ille ex eo dicto reperit τὸ πτερνίζειν [*supplantare*], עקב, unde יעקב ὁ πτερνιστὴς [*supplantator*] Philoni, idest, ut idem Philo interpretatur, τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀκονιτὶ κτώμενος [*qui virtutem non citra pulverem acquisiverit*].

27. *Habitabat in tabernaculis*] Pastoralem vitam agebat, nunc huc nunc illuc se & sua transferens. Ingenia conveniebant vitæ generi. Jacobus bonus, ut pastor: Esavus sævus, ut venator.

31. *Primogenita tua*] Jus sacerdotii. Vide Job. I. 5. XLII. 8. Num. III. 12. 40. VIII. 16. Jus primæ genituræ amitti delinquendo poterat, ut supra notavimus IV. 7. Erat autem & hoc delictum, jus tam sanctum contemnere: unde profanus dicitur Esau, Hebr. XII. 16. Mysticum hujus loci sensum non male explicuit Philo: πρεσβύτερα ὁ μὲν φαῦλος ἡγεῖται τὰ σώματος, ὁ δ' ἀστεῖος τὰ ψυχῆς, ἃ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἐστὶν οὐ χρόνῳ ἀλλὰ δυνάμει καὶ ἀξιώματι πρεσβύτερα καὶ πρῶτα ὄντως [*Qui vitiosus est senior, judicat ea quæ sunt corporis; at vir probus ea quæ sunt animi: quæ & vere sunt seniora, non tempore, sed vi ac dignitate, ac reapse prima*].

CARTWRIGHTUS.

1. ET *nomen ejus Ketura.*] Hieron. in Tradit. refert Hebræos dicere (*a*) *Ceturam*, mutato nomine, esse *Agar*, quæ *Sara mortua, de concubina transierit in uxorem.* Atque ita quidem R. Salom. sed frivolis ac ineptis rationibus id astruere conatur; nempe Hagar dictam esse Keturam, quod opera ejus pulcra & pretiosa essent כקטרת, i.e. *instar suffitus*: וקשרה פתחה, i.e. *& quod clausit ostium suum*, hoc est, *nemini conjuncta fuit, ex quo ab Abrahamo discessit*: Sanius Aben Ezra, אינה הגר i.e. *Ea non est Hagar*, cum vers 6. de filiis Concubinarum Abrahami fiat mentio. Vide ibid.

Medan] LXX. Μαδιὰμ Sic in Edit. Rom. at Hieron. legit, *Madan*.

3. *Assurim, & Letushim, & Leummim.*] R. Salom. (*b*) ait, *hæc esse nomina capitum nationum*; ac fatetur se nescire quomodo Chaldæi interpretatio cum verbis Scripturæ conveniat, qui sic reddit, *Et filii Dedan fuerunt in castris, & in tabernaculis, & in insulis*, uti vertit Fagius, secutus (ut ait) authorem editionis Complutensis. Aben Ezra ait ex nonnullorum sententia אשורים *Assurim* esse quasi אשרים, i.e. *recta incedentes, quod essent viarum periti.* Et לטושים *Letusim*, esse *speculantes è longinquo.* (לטוש est *acuere*, & לטושים *acuti*) Quasi hæc nomina essent appellativa, non propria; sic sententiam eorum intellexit Aben Ezra, qui è contra asserit sibi videri omnia hæc nomina esse propria, nec ullum ex iis esse appellativum. Forte autores istius opinionis non aliud voluerunt, quam nationes quasdam, ex Dedan oriundas, sic fuisse appellatas, quod res nominibus istis significatæ eis congruerent.

6. וְלִבְנֵי הַפִּילַגְשִׁים *Et filiis concubinarum.*] R. Sal. ait defective scribi הפלגשם scil. sine Jod (at in editione Buxtorfii (*c*) plene scribitur, הפלגשים) quod non esset nisi una concubina, scil. *Hagar*, quæ *eadem erat cum Ketura.* Vide supra ad vers 1. Lyra hunc, ut solet, secutus, ait vel plurale poni pro singulari; vel Hagar in plurali vocari concubinas, quia bis Abrahæ fuit conjuncta; ac propterea in libris Hebraicis correctioribus vocem istam, quæ concubinas significat, hic diminute scribi, quia non erat nisi una concubina. Quam frigida ac inepta hæc sint, quis non videat? Non enim novum aut insolens est *voces Hebraas modo plene, modo defective scribi.* Quod ad discrimen inter concubinam & uxorem attinet, R. Salom. id sic exprimit, נשים בכתובה פלגשים בלא כתובה, i.e. *uxores sunt cum scripto (instrumento dotali,) concubinæ sine scripto.* Fagius refert Hebræos dicere concubinam esse אמה מיוחדת לאדם למשכבו בלא כתובה ובלא קדושין, i.e. *ancillam alicui in concubitum absque scripto & sponsalibus* (Fagius vertit, & subarratione ac legitimis cerimoniis) *addictam.* Buxtorfius in Gram. Chald. pag. 312. ex Hebræis hæc citat, מאי נשים ומאי פלגשים אמר רב נשים בכתובה ובקדושין פלגשין בלא כתובה ובלא קדושין, i.e. *Quid sunt uxores? & quid concubinæ? Uxores sunt cum instrumento dotali, & sponsalibus; concubinæ sine utroque.* Mercerus ad cap. 22. vers. 24. notat Hebræos velle concubinam dici פלגש quasi פלג אשה *dimidium uxoris.* Sic & Seldenus de Jure Nat. lib. 5. cap. 7. refert Eliam in Notis ad Radices Kimchii commentum hoc habere de nominis פלגש originatione, & veluti uxorem dimidiatam eam inde facere. Lyra autem recte observat *in Scriptura uxorem* quandoque *vocari concubinam.* Vide Jud. 19. 2. 3. 4.

8. בְּשֵׂיבָה טוֹבָה *In senectute bona.*] Seu potius *canitie*; ut Aquila & Sym. transtulerunt, ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ. LXX. ἐν γήρει ἀγαθῷ. Vulg. *in senectute bona.* Sed שיבה plus est quam זקנה, i.e. *senectus*, nempe *canities*, seu *extrema senectus.* In Pirke Aboth cap. 5. inter hæc vocabula sic distinguitur, בן ששים לזקנה בן שבעים לשיבה, i.e. *Filius 60. annorum (perveniat) ad Zekana seu senectutem; filius 70. annorum ad Seba seu canitiem.*

9. *Et collectus est ad populum suum.*] Modus iste loquendi (inquit Fagius) Hebræis nihil aliud vult, quam *mortuus est*, quemadmodum & majores sui alii post alios.

Et sepeliebant eum Isaac & Ismael.] R. Sal. hinc colligit Ismaelem pœnitentiam egisse: atque hanc esse putat senectutem illam bonam Abrahami, de qua vers 8. & cap. 15. 15. Vide supra ad cap. 17. 20. Jonathan vers 8. ait, Ismaelem egisse pœnitentiam. Vide infra ad vers 17.

14.

(*a*) Ionathan & Hierosolym. dicunt, *Keturam esse Hagar, quæ antea Abrahamo fuit*, קטורה inquit Ionath. i.e. *ligata.* Hierosol. habet קטירא quod idem valet, sed cum nomine Ketura istiusmodi in sono convenientiam non habet. (*b*) Ionathan, & Hierosol. *Mercatores, & artifices, & capita nationum.*

(*c*) Sic etiam in edit. Veneta in octavo.

14. וּמִשְׁמָע וְדוּמָה וּמַשָּׂא *Et Misma, & Duma, & Massa*] Hæc sunt nomina propria, quorum primum deducitur à שמע i.e. *audire*, secundum à דום, i. e. *silere*, tertium à נשא, i. e. *ferre*. Unde Hebræi (uti Fagius pariter ac Mercerus testantur) his nominibus proverbialiter utuntur, significantes *multa esse audienda, tacenda, & ferenda*. Vide Iac. 1. 19. Jonathan non eadem habet nomina, sed alia ejusdem significationis, ומשמעא ושתוקא ומסוברא. Buxtorf. in Lexico Syro-Chald. monet legendum צייתא vel כצייתא h. e. *auditionem, silentium, & tolerantiam*. Ita interpretatur, ac si essent appellativa.

16. בְּחַצְרֵיהֶם וּבְטִירֹתָם *Per castella & oppida eorum.*] Sic Vulg. LXX. ἐν ταῖς σκηναῖς αὐτῶν, καὶ ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν, *in tabernaculis eorum, & in mansionibus eorum*. חצרים interprete R. Salomone, sunt כרכים שאין להם חומה, i.e. *oppida, quæ muris non sunt cincta*. Huic interpretationi subscribit Masius ad Ios. 13. 23. Imo ipse Moses (uti etiam notat Masius ad Iof. 15. 27.) ita hanc vocem exponit Levit. 25. 31. Quod alteram vocem spectat, nempe טירה, Aben Ezra exponit per ארמונים, i.e. *palatia*; at non videtur hoc in loco sumptuosa ædificia denotare, sed istiusmodi, quæ Græci vocant ἐπαύλεις, loca veluti nocturnæ duntaxat quietis, vitandæque cœli injuriæ gratia, pro hominibus & pecudibus comparata. Sic Græcam dictionem ἐπαύλεις explicat Masius ad Jof. 13. 23. ubi tamen Hebræum חצרים istas ἐπαύλεις significare vult, cum hic LXX. Hebræum טירה voce ista interpretentur. Sed hoc forte leviculum est, cum חצרים & טירה tanquam ἰσοδυναμοῦντα conjungi videantur. Quanquam id inter ea discriminis esse existimarim, ut טירות *ædificia singula*, חצרים autem *simul juncta*, vel *oppida quæ ex variis ædificiis constant*, significet.

17. וַיִּגְוַע *Et exspiravit.*] R. Salom. ait, לא נאמרה גויעה אלא בצדיקים, i.e. *Non usurpatur hoc verbum* gavang *nisi de justis*. Ut hinc etiam opinionem suam de (*d*) Ismaelis resipiscentia stabilitum eat. At verbum istud usurpatur de iis, qui diluvio perierunt, nec de hominibus duntaxat, verum etiam de aliis animantibus, ut videre est cap. 7. 21. Aben Ezra putat hoc verbum *mortem facilem ac subitaneam, qualem Augustus sibi ac amicis* (teste Suetonio) *optare solebat, ac vocare εὐθανασίαν, significare*. Drusius in Gen. cap. 13. 1. citat etiam in hanc sententiam autorem libri Ohel Moed, & Gerundensem. Mercerus hic vacillare videtur; nam ad cap. 49. 33. גוע (inquit) supra diximus, *mortem facilem & suavem absque lento cruciatu significare*. At ad hoc caput, vers 8. refert quidem Hebræos sic verbum istud exponere, ipse autem putat generale esse, ac idem significare quod Latinis, *animam efflare*. Id quod locus iste Gen. 7. 21. mihi prorsus persuadet. Vide infra ad cap. 49. 23.

18. עַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו נָפָל *Coram omnibus fratribus suis cecidit*] Scil. חלקו או גורלו i.e. *portio, vel sors ejus*, ut exponit Aben Ezra. Addit autem sensum esse posse, plerosque ex filiis Ismaelis profectos esse de loco in locum. Ita ait usurpari verbum נפל Jer. 37. 13. Denique ait, Scripturam forte id velle, Ismaelem mortuum esse viventibus adhuc fratribus ejus, postea quam cecidisset, seu delapsus esset; nos enim caussam mortis ejus nescire. R. Salom. exponit נפל *cecidit*, per שכן *habitavit*. Ita verbum istud usurpari notat Iudic. 7. 12. Quin & observat hic verbum נפל usurpari, supra autem cap. 16. 12. verbum שכן (idem enim utroque in loco dici existimat) atque hinc argute colligit, Ismaelem post mortem Abrahami minus prospere egisse. Chald. שרא *habitavit*. LXX. κατῴκησε. Ita etiam Mercerus exponit, improbans vulgatum Interpretem, qui habet, *obiit*. At Fagio in Collat. ista interpretatio maxime probatur. Amama in Cens. ait hic esse complementum oraculi, quod habetur cap. 16. 12. Et quemadmodum Iud. 7. 12. dicitur, Omnes filii *Keden* (Orientis) נופלים בעמק, i.e. *cadebant in valle*, h. e. longe lateque diffusi jacebant; ita & hic accipiendum esse, *Cecidit coram fratribus suis*, i. e. *coram iis, in conspectu eorum longe lateque habitavit*. Similiter Lyra asserit hoc respondere ei quod dictum est cap. 16. 12. Quod & mihi maxime videtur verisimile.

20. *Ex Padan Aram.*] R. Salom. ait *Aram* sic vocari, quod duplex esset, scil. *Aram Naharaim*, & *Aram Soba*. *Padan* enim significare (nimirum Chaldaice) צמד בקר, i. e. *par boum*. Addit nonnullos exponere *Padan Aram*, agrum Aram; in lingua enim Ismaelitica (seu Arabica) *Padan agrum* significare. Atque ita exponit Aben Ezra.

21. וַיֶּעְתַּר *Et supplicavit, &c.*] R. Salom. bene notat vim verbi ויעתר nempe eo significari, Isaacum frequenti ferventique oratione usum esse; הרבה והפציר בתפלה, i. e. *multus atque instans erat in oratione*.

לְנֹכַח אִשְׁתּוֹ *Pro uxore sua.* Sic vulg. & LXX. περὶ Ῥεβέκκας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Potest exponi, coram uxore sua; vel, è regione uxoris suæ. Chald. לקבל אתתיה. Fagius vertit pro uxore sua; sed in Annotat: ait posse legi, è regione uxoris; vel præsente uxore, quo ardentius atque efficacius orare innuatur. Ita in Collat. refert Kimchium testari nonnullos exponere; ipsum autem Kimchium interpretari, לנכח אשתו כלומר בעבורה i.e. *propter uxorem*. Sic Fagius vertit, atque id quidem significat בעבורה, at לנכח אשתו sonat Latine, *è regione uxoris suæ*; unde miror quomodo Kimchi addere potuerit, כלומר בעבורה, i. e. *quasi dicat, propter eam*; cum hoc ab illo sit diversum. R. Salom. vult sensum esse, *Isaacum in uno angulo, Rebeccam in alio angulo ex adverso orasse*. Mercerus hanc expositionem haud incommodam esse judicat, eamque (ut fere omnia R. Salomonis) sequitur Lyra. Ego vero malim exponere vel *pro uxore*, vel *præsente uxore*, ut sensus sit, Isaacum una cum uxore Domino supplicasse. Cap. 30. 38. לנכח הצאן est *è regione ovium*, vel, *coram ovibus*.

22. וַיִּתְרֹצְצוּ *Et collidebantur, &c.*] Vel, *collidebant se*, (*e*) ut Fagius vertit ex Chald. ודחקין. Hiero.* in Tradit. *movebantur*. LXX. ἐσκίρτων, *exsultabant*; sic Ambrosium lib. de Isaac, cap. 4. Augustinum autem Quæst. 72. Et de Civit. Dei, lib. 16. cap. 35. *gestiebant*, interpretari notat Nobilius. Hieron. vertit, *ludebant*, sive *calcitrabant*. Verbo σκιρτᾶν utitur Lucas de Ioanne Baptista, cap. 1. 44. LXX. autem (ut notat Mercerus) videntur deduxisse verbum ויתרוצצו a רוץ *currere*, quum potius sit à רצץ *confringere*. Sic Aquilam transtulisse testis est Hieron. *confringebantur*; Symmachum vero ἐπέπλεον, i.e. (inquit Hieron.) *in similitudinem navis in superficie ferebantur*.

Et dixit, אִם־כֵּן לָמָּה זֶּה אָנֹכִי *Si sic, quare istud ego?*] Concisa est, atque ideo etiam obscura sententia: Aben Ezra ait Rebeccam interrogasse mulieres, quæ pepererant, an istiusmodi quicquam ipsis accidisset, easque respondisse, Nequaquam; illam igitur dixisse, אם כן הדבר והכאב למה זה אנכי בהריון משונה, i.e. *Si ita res habet, atque ita usu venire solet, quare mihi in conceptione mos mutatus est?* R. Salom. autem sic exponit, אם כן גדול צער העבור למה זה אנכי מתאוה ומתפללת על הריון, i.e. (*e*) *Si tantus est cruciatus impregnationis, quare ego eam concupivi, atque ut conciperem oravi?* Similiter vulg. *Si mihi sic futurum erat, quid necesse fuit concipere?* In eundem etiam sensum LXX. videntur transtulisse, εἰ οὕτω μοι μέλλει γίνεσθαι, ἵνα τί μοι τοῦτο; *Si sic futurum est, ut quid mihi hoc?*

Atque ivit לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָה *ad quærendum, seu consulendum Dominum* (*g*) Chald. למתבע אולפן מן קדם ײ i. e. *ad quærendam doctrinam à facie Domini*. R. Salom. ait eam ivisse לבית מדרשו של שם, i.e. *ad scholam Shemi*. Atque ita etiam Targum (*f*) Hierosolymitanum. Lyra refert Hebræos dicere, Rebeccam se contulisse ad Melchisedecum, quem volunt esse Shemum, atque ad Heberum, qui habebat spiritum prophetiæ. Utrumque autem, nempe & Shemum & Heberum, tunc in vivis fuisse, ex annorum, quibus vixerunt, computatione ostendit. Burgensis ait quosdam ex Hebræis (quibus ipse potius adstipulatur) dicere, Rebeccam non ivisse ad aliquem Prophetam, sed ad orationem se contulisse. Ac notat verbum, quod in Hebræo hic habetur, idem esse cum eo, quod in Psal. usurpatur, ubi dicitur, *Exquisivi Dominum*, &c. nec significare *consultationem* tantum, sed etiam *orationem*. Sane *orationem* hoc in loco intelligi valde videtur verisimile; quanquam & illud etiam significari potest, Rebeccam per prophetam aliquem Dominum consuluisse.

23. *Et dixit ei Dominus*] Dominus revelavit Shemo, Shem autem Rebeccæ. Sic R. Sal. Aben Ezra ait Deum responsum dedisse Rebeccæ per Prophetam, vel per ipsum Abrahamum; neque enim eum obiisse antequam filii Rebeccæ quindecim essent annorum.

Et major serviet minori] Jonathan, *Et major erit subjectus minori, si filii minoris præcepta Legis custodierint*.

24. *Et ecce* תוֹמִם *gemelli in utero ejus*] תומם hic defective scribitur sine א pro תאומים, at ubi Thamaris historia narratur, plene scribitur. R. Salom. hanc discriminis hujus rationem reddit, quod ambo ex Thamare nati, justi essent; hic autem unus justus, alter autem impius. Sed mysterium aliquod hic quærere, Cabbalisticum, & argutum potius quam solidum videtur.

(*d*) Ionathan. והדר בתיובא ואתנגיד *Et reversus est per pœnitentiam, & sublatus est.* Vide ad v. 9.

(*e*) Jonath. *Et premebant se pueri in visceribus ejus, & sicut viri præliabantur.* (*f*) Ita etiam Jonathan & Hierosolymitanus interpretantur. (*g*) Et Targum Jonathanis.

25. *Et primus exiit rubicundus*] *Id* (inquit R. Salom.) *innuebat eum Sanguinolentum fore.* סימן הוא שיהא שופך דמים.

Et vocavit nomen ejus עשו Esau] R. Salom. ait eum sic appellatum שהיה נעשה ונגמר כבן שנים הרבה i. e. *quod esset* (*a*) *perfectus & completus, ac si multorum fuisset annorum* עשו quasi עשוי i. e. *factus, perfectus.*

27. *Erat autem Esau* איש יודע ציד *Vir peritus Venandi*] Aben Ezra putat hic innui, eum fuisse dolosum; quod feræ dolis plerumque capi soleant. E contrario notat Jacobum dici תם i. e. *sincerum, simplicem, minimeque fucatum.*

איש שדה *Vir agri.*] Chald. גבר נפיק חקלא i.e. *Vir egrediens in agrum*; vel (ut Fagius vertit) *oberrans in agris.* LXX. ἄγροικος, *agrestis.* Vulg. *homo agricola.* At agricola est איש אדמה i. e. ad Verb. *Vir terræ*, cap. 9. 20. Sensus hic est, Esavum alio vitæ genere usum esse, quam Jacobum; non, uti fecit Iacob, domi se continuisse; sed ad venandas feras in agris oberrasse.

איש תם *Vir simplex, seu integer.*] כלבו כן פיו i.e. *sicut cor ejus, ita os ejus.* Sic explicat R. Sal. *Non erat ei aliud in ore, aliud in corde.*

Addit R. Sal. מי שאינו חריף לרמות קרוי תם i. e. *Qui non est acutus seu ingeniosus ad fallendum, versutus, versipellis, is vocatur Tham seu simplex.* יושב אהלים *habitans* (sive *sedens, i.e. manens*) *in tentoriis.*] Sensus est, eum domi se continuisse, quietam vitam egisse, nec in agris huc illuc, uti solebat Esau, oberrasse. Lxx οἰκῶν οἰκίαν, habitans domum. Chald. משמש בית אולפנא i.e. *Minister domus doctrinæ.* Id vult (uti explicat mentem ejus Fagius) eum scholas Doctorum, qui tum populum docebant, frequentasse, ac legi divinæ pietatique operam dedisse. Huc respexit R. Salomon, cujus hæc est glossa, אהלו של שם ואהלו של עבר i. e. *in Tabernaculo Shemi, & Tabernaculo Heberi*, Jonathan etiam ait eum scholam Heberi frequentasse, atque illic doctrinam à conspectu Domini quæsivisse.

28. כי ציד בפיו *Quia venatio* (ferina venatione capta) *in ore ejus.*] Chaldæus recte interpretatur, ארי מציידיה הוה אכיל i.e. *quia ex venatione ejus comedebat*, nempe Isaac. Sic R. Sal. ad Isaacum refert; addit autem nonnullos de ore ipsius Esau intelligere, ut sensus sit, Esavum verbis suis patrem venatum esse ac decepisse. Sed hoc alienum est, licet eo in paraphrasi sua respexerit Jonathan.

30. הלעיטני *Pasce me.*] *Aben Ezra exponit*, האכילני i. e. *fac me comedere, da mihi comedendum.* (*b*) Ac notat hoc verbum non amplius in Scriptura reperiri. R. Sal. innuit hoc verbum hic usurpari ad voracitatem Esavi denotandam. Sic enim ... אפתח פי ושפוך הרבה בתוכה i.e. *aperiam os meum, & effunde in illud copiose.* Ac notat apud Doctores hoc verbum de camelo usurpari; sic enim eos dicere, אין אובסין את הגמל אבל מלעיטין אותו *i. e. Non saginant camelum, sed copiose eum cibant.*

Ad hanc R. Salomonis glossam Amama non dubitat Cajetanum respexisse, quum vertit, *fac me multum comedere*; ac insuper addidit, vocem Hebræam significare *ferinum quoddam comedere grosso bolo.* Mercerus existimat significare *cibare, quacunque tandem ratione fiat.* At cum alibi in Scriptura non occurrat, ex usu Doctorum ejus significatio petenda videtur.

31. מכרה כיום *Vende juxta hunc diem.*] R. Sal. sic exponit, *Juxta hunc diem, qui clarus est, sic tu clara venditione mihi vendas.* Potest etiam (ut notat Fagius) exponi, *Juxta hunc diem, i.e. hodie, jamjam in præsenti tempore, absque ulla dilatione.* Sic Hiskuni, interpres Hebræus, (teste Amama) exponit, מיד i. e. *Statim, è vestigio, jamjam, sine ulla mora.* Lxx. σήμερον, *hodie*, Vulgatus plane omisit.

Primogenituram tuam.] Ut nimirum opum paternarum duplicem portionem acciperet. Sic Aben Ezra, qui insuper ait ex nonnullorum opinione primogenito semper à juniore honorem haberi solitum, ut coram eo stet, eique tanquam filius patri ministret. R. Sal. asserit Sacerdotale officium ad primogenitum pertinuisse, atque ideo Jacobum haud æquum existimasse, ut impius, qualis erat Esau, isto officio fungeretur. Lyra refert Hebræos dicere, quod cibus iste, de quo hic agitur, non fuit pretium emptionis primogenituræ, sed ultra pretium datur à Jacob per modum curialis consuetudinis; quia in translatione rei notabilis, recipiens ultra pretium, vinum sive convivium exhibere solet. Hoc commentum Lyræ haud displicet, qui existimat id in textu fundamentum habere. Mihi autem contra videtur, nec video quomodo cum verbis Apostoli, Heb. 12. 16. possit consistere. Quod enim Lyra respondet dici posse, *propter* ibi non notare pretii quantitatem, sed solum caussam Motivam, plane violentum est, quippe quod nec cum historia rei gestæ, nec cum propria maximeque usitata significatione præpositionis ἀντὶ, qua utitur Apostolus, conveniat. Ex historia constat Esavum primo à Jacobo edulium petiisse, Jacobum autem non nisi ea conditione, ut jus primogeniti acciperet, dare voluisse, nec dedisse antequam interposito jurejurando, Esau jus istud ipsi vendiderat; nulla denique alterius pretii, præter edulium ob jus istud persoluti fit mentio. De præpositione autem ἀντὶ, etiamsi nonnunquam idem valeat quod διὰ *propter*, & caussam moventem denotet, proprie tamen significat *pro*, vel *vice*, vel *loco*; atque ita hic accipi oportet, cum dicitur ἀντὶ βρώσεως, &c. quia de permutatione agitur. Vide Bezam in Annotat. ad Joan 1. 16.

32. *Ecce ego* הולך למות *vado ad moriendum.*] Seu *ad mortem.* (*c*) Aben Ezra vult sensum esse; quod Esau cogitabat se quotidie expositum esse periculis, à feris nimirum, dum eas venabatur, potuisse interfici, atque ante patrem mori. Mercerus de mortali hominis conditione eum locutum putat: at præsens quoddam, vel saltem peculiare aliquod mortis periculum innui videtur. Lyra ait, Esavum adeo lassum ex agro venisse, ut timeret mori, ac propterea jus primogeniti minoris æstimasse. Id forte voluit Vulgatus, qui interpretatur, *En morior.* Fieri potuit, ut hæc omnia Esau secum in animo cogitaret, nempe pro communi hominis conditione se mortalem esse; quin & ex vitæ suæ instituto morti adhuc magis obnoxium; ac denique ex præsenti inedia deficere, ac quasi jam jam moriturum.

Et contempsit Esau primogenituram.] R. Salom. ait, Scripturam hic Esavi impietatem notare, שביזה עבודתו של מקום, i.e. *quod cultum Dei contempserit.* Hoc ideo dicit, quod existimet (quæ multorum est opinio, nec probabilitate caret) primogenitos olim fuisse sacerdotes. Mercerus ait, primogenituram hæreditatem cœlestem adumbrasse. In hanc sententiam Targum (*d*) Hierosol. *Abiit & contempsit Esau primogenituram, & flocci pendit partem futuri seculi, negavitque resurrectionem mortuorum.* Certe Hebr. 12. 16. Esau hoc nomine, quod tam vili vendidit primogenituram, vocatur βέβηλος, i. e. *profanus.* Aben Ezra hic, quod alias sane non solet, valde ineptit. Asserit enim ideo Esavum primogenituram contempsisse, בעבור שראה שאין לאביו עשר, i. e. *quod viderit patri suo non esse divitias.* Ita enim existimat, Isaacum in senectute sua fuisse pauperem, ac propterea ex venatione Esavi fuisse sustentatum; quin & ista de caussa Jacobum pretiosas vestes non habuisse, ac solum sine comitatu in longinquam abiisse regionem, ibique duram ac gravem serviisse servitutem. Sed hæ nugæ sunt, ut recte meritoque notavit Mercerus.

(*a*) Ionathan *ait eum crines, & barbam, & dentes habuisse.* (*b*) Onkelos אטעימני Ionathan, ... *fac me gustare sive edere.*

(*c*) *Jonathan*, Ecce ego vado ad moriendum, nec futurum est ut vivam in altero seculo, &c. *Sic vers 29. dicit*, Esau negasse vitam seculi futuri. *Vide notam sequentem.*

(*d*) *Sic & Jonathan*, Et contempsit Esau primogenituram suam, & partem seculi futuri.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

5. AUdieris] Utuntur Hebræi verbo *audire* pro *obedire.* Arguunt ex hoc loco contentiosi quidam Judæi, Abraham habuisse legem Mosaicam etiam priusquam data fuit Mosi in monte Sinai. Id si verum est, utique commendasset eam filiis suis, & illi quoque posteritati suæ illam commissam reliquissent, & non fuisset opus ut denuo Mosi traderetur. Nec scribitur hic, *eo quod custodieris legem meam*, sed *leges meas*, quas scilicet Deus filiis hominum jam præscripsit; ut erant, observantia Sabbati & Circumcisionis, esus Sanguinis, cultus unius Dei, & multa hujusmodi. Unde Aben Ezra per משמרתי putat intelligendum cultum quendam quem ratione dictitante Deo tenemur præstare; ut, adorare unum Deum, invocare solum Deum in extrema necessitate, &c. Per תורתי vero dicit intelligendam circumcisionem, sabbati observantiam, &c. Non dubitandum quin sancti Patres etiam ante Legem scriptam habuerint coetus suos, ubi docuerint juventutem, ubi concionabantur, orabant, prophetabant, laudabant Deum, faciebant oblationes. Non enim Ecclesia sine verbi assiduo usu exsistere potest. Habuit semper Sacramenta sua & Symbola gratiæ atque ceremonias. Sic Abel & Cain a patre Adam assuefacti sacrificabant; qui tum erat cultus Dei. Alii invocabant in nomine Domini; qui est summus cultus Deo placens, & in prima tabula postea mandatus, qui

qui complectitur timorem Dei, fiduciam in Deum, confessionem, invocationem, prædicationem verbi sui.

8. *Ridentem*] Idem verbum hic ponitur quod supra, cum Sara rideret, audiens se parituram filium. Kimhi tamen exponit שעשע, h.e. *laxato severiori animo, genio indulgere.* Et quod sequitur, *Parum abfuit*] in Hebræo est, *Fere unus e populo dormiisset cum ea, &c.*

11. *Qui tetigerit*] Chaldæus interpres vertit, *Qui nocuerit*, &c. Et quod sequitur, *In illo anno centum modios invenit*, Chaldæus id evidentius explicat, dicens, *pro uno centum modios invenit.* Dicit etiam, *in illo anno*, qui scilicet erat annus magnæ caristiæ.

19. *Aquarum viventium*] Sunt aquæ vivæ שהן נובעים תמיד *quæ jugiter manant.*

20. *Esek*] Proprie est *negotium*, &, ut Kimhi dicit, טורח, *contentiosa fatigatio*, seu *assiduus conatus.* Et quod sequitur, *Quia contenderunt pro eo*, potest & sic reddi, *Quia contenderunt*, vel *negotium habuerunt cum eo*; scilicet Abimelechitæ cum Isaac.

26. *Ahusath*] Nomen est viri. Sunt tamen multi Hebræi qui hanc vocem substantive accipi contendunt, ut scilicet sit idem quod חברת אנשים, *societas* seu *comitiva virorum*, qui Regem stiparunt. Et quod additur, מרעהו] volunt esse participium Hiphil, sicut & in eadem forma invenitur Jud. 14.

31. *Mutuo*] Hebraice, *juraverunt vir fratri suo*, sic enim circumloquuntur adverbium *mutuo*, & *adinvicem*, *unus ad alterum.*

33. *Sibeah*] Significat hæc dictio proprie *septem*, & שבועה significat *juramentum*: sed quia eisdem literis radicalibus scribuntur, accipitur *Sibeah* pro *Sebuah.*

35. *Amaritudo spiritus*] Sunt inter Hebræos qui putant מרת esse participium præsens; & tunc hic erit sensus, *Et fuit unaquaque exacerbans spiritum illorum*, seu *excruciabant animum eorum.*

F A G I U S.

5. *INdubitato credidit*] Sensum expressi, nam ad literam est, *eo quod recepit Abraham verbum meum*, &c. קבל *kibbel* enim Hebræis *pro indubitato aliquid recipere & credere* significat, unde venit קבלה *Cabala*, i. *dogma*, sive *traditio*, *certa & indubitata.* Ad quam vocem alludit Apostolus 1 Tim. 1.15. Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, i. *Fidelis*, sive *certus*, *sermo*, *& omni Cabala*, seu *acceptione*, *dignus*, Iesus *Christus venit in mundum ut peccatores salvos faciat*, &c. q. d. *Si est ullum cabalisticum dogma fide dignum & indubitatum, hoc est, Quod Christus Iesus venit in mundum*, &c. Respexit enim nimirum Apostolus ad id quod jactarent quidam, maxime Iudæi, cabalisticas suas traditiones. Proponit ergo illis veram ac indubitatam Cabalam, de qua nemo hominum ambigere debet.

9. *Quia dixi*] Poterat etiam verti, *Quia cogitavi*, *dicere* enim pro *cogitare* sæpe usurpat Hebraismus.

10. *Dormiisset unus ex populo*, &c.] Ad verbum est, *Parum abfuit quin dormiisset qui unicus est in populo*, i. Rex, ut quidam Hebræorum exponunt, q. d. Ego qui primas teneo in populo.

12. *Pro uno centuplum*] h. e. Pro uno modio centum modios accepit, tam copiosam messem habuit.

35. *Rebelles ac immorigeræ*] Thargum Hierosolymitanum ita legit, *Et fuerunt rebelles & inflato animo, colentes idola: nec recipiebant doctrinam, neque ab Isaaco, neque à Rebecca.*

I D E M.

26. ואבימלך הלך אליו מגרר ואחזת מרעהו, *Venit autem Abimelech ad eum de Gerar, & Ahusath amicus ejus.*] Variatio est in voce אחזת, quam alii pro nomine proprio legunt, ut LXX & Lat. vulg. editio: quibus adstipulatur & R. D. K. in Radicibus. Alii vero, ut Onkelus Chald. & post illum R. Salomo, substantive, pro *societate & comitiva virorum qui regem stiparunt*, accipiunt. Vocatur autem comitiva virorum Hebraice quoque אחזת teste R. D. Kimhi, לפי שאוחזים בו ולא יפרדו ממנו בצאתו ובבואו, *eo quod semper circa regem detinentur, nec ab eo separantur, sive egrediatur, sive ingrediatur.* Mirum quid LXX in mentem venerit quod מרעהו *pronubum* verterint. Qui אחזת pro nomine proprio accipiunt, illos nimirum movit sequens vox מרעהו, quæ sing. numeri est, & significat *amicus ejus*, sive *amicator*, aut *sociator ejus*; habet enim formam verbi: sed non rarum est Hebræis singularia pluraliter usurpare.

28. תהי נא אלה בינותינו בינינו ובינך, *Sit nunc juramentum inter nos, inter nos inquam & inter te.*] Septuaginta & Lat. Vulg. editio minus habent quam Hebraica. Illud enim *inter nos*, quod in Hebræo bis ponitur, semel tantum posuerunt. R. Salomo post Onkelum Chald. hunc locum sic explicat, *Sit, quaso, juramentum quod fuit inter nos à diebus patris tui, & nunc quoque inter nos & inter te*, ut scilicet primum בינותינו *inter nos* referatur ad patres; alterum vero בינינו *inter nos* ad ipsos, Isaac scilicet & Abimelecum. Aben Ezra dicit esse רבוי אחר רבוי, *plurale post plurale*: quæ repetitio non caret emphasi in Hebraismo.

V A T A B L U S.

1. *FUit autem fames* ויהי רעב] *Exorta autem est fames. Cœpit autem grassari fames.*

2. *Visus enim fuerat ei* וירא אליו] *Apparuerat enim ei.*

3. *Statuamque* והקמתי] *stabiliamque* vel *confirmabo*; h. e. implebo quod jurejurando pollicitus sum ipsi Abraham.

5. *Custodiam meam*, משמרתי] Hebraismus, *mandata mea quæ mandavi custodienda.* Seipsum mox exponit quum dicit, *præcepta mea.*

7. *De uxore sua.* לאשתו] sub. *quænam esset.* ¶ *Ne forte occidant me* פן יהרגני] Multa subaudienda, cujusmodi, *Dicebat enim in corde suo*, *Non dicam eam esse uxorem meam*, *ne occidant me.* ¶ *Pulchra aspectu* טובת מראה] Idem de Sara dicitur supra c. 12.11. ubi & de fame fit mentio quæ accidit temporibus Abrahæ.

8. *Acciditque*, *&c.* ויהי וגו'] Ad verbum, *Et factum est, quando prolongati sunt ei illic dies, & aspexit.* ¶ *Videretque*, *&c.* וירא וגו'] Ad verbum, *& vidit, & ecce Isaac ludebat*, vel *jocabatur*, aut *ridebat.*

9. *Quia dixi.* כי אמרתי] sub. *apud me*, *ita*, *Ne*, &c. i. cogitavi.

10. *Quid hoc est*, *&c.* מה זאת עשית לנו] Similia vide supra c. 12. 18. & 20. 9. q. d. Quanto periculo exposuisti nos? Legi potest, *Cur hoc fecisti nobis?* ¶ *Unus e populo* אחד העם] Chald. paraph. *qui primarius est in populo*, i. ego qui primas teneo in hac gente. ¶ *Et induxisses*, *&c.* והבאת וגו'] Ad verbum, *& venire fecisses super nos peccatum.* Hebraismus, *fecisses nos gravissime peccare ac delinquere.*

11. *Aut uxorem ejus*, ובאשתו] Hic ו pro *aut* positum. ¶ *Moriendo morietur.* : מות יומת] Hebraismus, *confestim occidetur*; vel, *procul dubio morti adjudicabitur.*

12. *Centum modios*: מאה שערים] *centum mensuras*, i. centuplum h. e. centies tantum quantum seminaverat. Alii vertunt, *centum æstimationes*, i. centies tantum quantum æstimaverat, in idem recidit. ¶ *Et benedixit ei* ויברכהו] *benedixerat enim ei*, i. locupletaverat eum. Hic aperte declaratur quid *benedicere* utplurimum significet in Sacris literis.

13. *Crevit itaque* ויגדל] *Auctus est itaque*, sub. *magnis opibus.* ¶ *Et promovit*, *&c.* וילך הלוך וגדל] Ad verbum, *& perrexit pergendo, & crescebat.* Hebraismus, *multum promovit, ac subinde major ac locupletior factus est.*

14. *Possessio pecudum*, *&c.* מקנה צאן וגו'] *grex ovium, & armentum boum.* ¶ *Et familitium* ועבדה] Significat servos & ancillas; significat & proventum qui obvenit ex cultura terræ; & comprehendit agros, vineas, hortos, pomeriaque, ita docti inter Hebræos.

15. *Abraham patris*, &c. אברהם אביו וגו'] Ad verbum, *patris sui, in diebus Abraham patris sui, obturaverunt.*

16. *Multo fortior*, &c. כי עצמת] *multo potentior.* Ad verbum, *fortificatus es plusquam nos valde*, i. virtute & opibus superas ac vincis.

18. *Et rursum*, &c. וישב וגו'] Ad verbum, *Et reversus est Isaac, & fodit.* Hebraismus quem reddidit interpres; Duo verba copulata conjunctione ו, quorum alterum convertitur in adverbium Latinis. ¶ *Et vocavit eos*, &c. ויקרא וגו'] Hebraismus, pro, *& indidit illis nomina juxta ea nomina quæ imposuerat eis pater suus.*

20. *Jurgati essent*, &c. : כי התעשקו] *contendissent cum ipso.* sub. *Isaac.* Nam *Esec* significat *jurgium*, *rixam*, *contentionem*, *controversiam.*

22. *Et transtulit sese inde*, ויעתק משם] *Et profectus est illinc*, i. Concessit alio, vel, ut verbum sit transitivum, *Et transtulit*, sub. *tabernaculum suum.* ¶ *Dilatavit* הרחיב] i. eduxit nos de angustia in qua eramus, in latitudinem: h. e. plurimum favit nobis. ¶ *Et crevimus* ופרינו] Quidam per futurum vertunt, *idcirco multiplicabimur*, vel *crescemus in hac regione.*

24. *Noli*

24. *Nolle ipse*, [בעבור אברהם] qua scilicet ascendit in Beerlebah.

26. *Et Abuzath*, &c. [ואחזת מרעהו] Quidam Hebræorum, atque etiam Chald. paraph. tanquam appellativum vertunt, & nomen alterum singulare per plurale, sic, *& turma* [*comitatus, societas*] *amicorum ejus*, sic dicta ab אחז *apprehendit, tenuit:* quod qui concomitantur principem, nunquam discedant ab eo, sed quasi eum teneant. Similem prorsus historiam habes supra c. 12. 22.

27. *Et emiseritis*, &c. [ותשלחוני מאתכם:] *& expulistis me à vobis*, i. è patria vestra.

28. *Videndo vidimus* [ראו ראינו] i. Certo percepimus tibi favere Deum. Hebraismus. ¶ *Sit nunc juramentum*, &c. [תהי נא] Chald. paraph. *Confirmemus nunc inter nos & te juramentum quod fuit inter Patres nostros*, q. d. Magna fuit concordia inter Patres nostros; sit ergo & inter nos concordia talis ac tanta.

29. *Ut non facias* [אם תעשה] Ad verbum, *Si facies nobis*, &c. i. Jura te non illaturum nobis injuriam: quemadmodum nos non læsimus te, jura etiam te nunquam læsurum nos. ¶ *Et quemadmodum*, &c. [כאשר עשינו עמך] i. Neque fecimus tibi quicquam nisi quod bonum & æquum. ¶ *Tu nunc es*, &c. [אתה עתה] nam *tu es benedictus à Jehovah*. i. Jam cognoscimus te diligi à Deo.

31. *Alter alteri:* [איש לאחיו] Ad verbum, *vir fratri suo*.

32. *Eo ipso die venerunt* [ויהי ביום ההוא] Ad verbum, *& fuit in die illo, & venerunt*. ¶ *De puteo* [על אדות הבאר] Ad verbum, *super negotiis putei*. i. De negotio putei. ¶ *Invenimus aquam:* [מצאנו מים] i. Jam pervenimus ad aquam in eo puteo quem fodimus.

33. *Beer-seba* [באר שבע] Vide supra c. 21. 31. Puteus dedit nomen urbi.

35. *Et irritabant spiritum*, &c. [ותהיין מרת רוח] Ad verbum, *Fueruntque amaritudo animi ipsi Isaac & Rebecca*. h. e. Istæ mulieres fuerunt immorigeræ & inobedientes ipsi Isaac & Rebeccæ, propterea affecti sunt Isaac & Rebecca amaritudine animi. In hac significatione erit מרת à מרר. Alii deducunt à מרה, & vertunt, *fueruntque rebelles animo*. i. Animo rebelli & contumaci ac protervo. q. d. Et fuit unaquæque earum rebellis animo erga Isaac & Rebeccam.

CLARIUS.

5. LEges] Non legem Mosis, ut contentiosi quidam Judæi ex hoc loco conantur arguere quod habuerit eam Abraham antequam daretur in Sina: sed leges intelligit quas Deus filiis hominum jam præscripserat; ut erant, observantia Sabbati & Circumcisionis, esus Sanguinis, cultus unius Dei, & multa hujusmodi.

8. *Jocantem cum Rebecca*] Vel *ridentem*, quod exponunt, *laxato severiore animo liberius collutari*.

12. *Invenit in ipso anno centuplum*] Eo scilicet anno quo erat ingens annonæ caritas. Hunc locum Chaldæus evidenter sic explicat, *pro uno centum modios invenit*.

19. *Aquam vivam*] Sunt aquæ vivæ, quæ jugiter manant.

20. *Vocavit Calumniam*] Vel, *Contentionem* quia contenderant pro eo.

DRUSIUS.

8. ET *ecce Isahac ludebat cum Rebecca uxore sua*] Hieron. *jocabatur*. Senes utuntur verbo παίζειν, quod *ludere* significat, & de coitu usurpatur, quem hic honeste innui multi putant; in queis autor scholii quod citatur in editione Romana, εὐσχημόνως εἴρηται, *verecunde & honeste dictum est*. In eadem sententia fuit R. S. Sed & Nicolaus à Lyra, cujus verba produximus in magnis Annotationibus. Cajetanus quoque ad hunc locum, *Actus coniugalis*, inquit, *significatur, prout testantur subjecta verba Abimelechi*. Sic *ludere* dicimus canes quando coeunt. Paulo aliter Hiscuni, *Non vidit eum coeuntem, sed ludentem & jocantem, ut solent qui cum uxore coire volunt*. Huc refer illud Sardanapali, οὐ ἢ εὖ ἔσθιε, πῖνε, καὶ παῖζε. Addit Arrianus l. 2. p. 32. *Illud*, Lude, *molliore quodam lasciviorque Assyrio vocabulo expressum ajebant*. Livius vetus poeta Latinus, *Adfatim edi, bibi, lusi*, quod Homerus dixit,

Τῶν δ' ἔφαγον τ' ἔπιον τε, καὶ ἀφροδίσιον ἔδρακα.

ubi τὸ παίζειν pars melior interpretum exponit ἀφροδισιάζειν. Vide Gen. 39. 14.

11. *Qui tetigerit virum hunc aut uxorem ejus*] Videtur hoc velle, Qui læserit virum hunc; aut compresserit uxorem ejus. Sed quid? an lædere Isahacum capitale erat? Forte hoc dicit, *qui occiderit virum*, ut Jos. 2. 19. & 9. 19. q. d. Qui tetigerit ut vitam ei adimat. Alioqui *tangere* est *lædere*, ut in illo, *Nolite tangere unctos meos*. *Tangit* etiam fœminam, qui eam comprimit. Sic *virginem tangere* dicitur qui ejus pudorem imminuit: unde *virgo intacta*, quæ Lucilio *signata*, & Terentio, *integra à viro*. Sic Gen. 20. 6. *non sivi te tangere illam:* & Prov. 6. 29. *quisquis tetigerit eam*. Plautus lusit in ambiguo. Nam *tangere* quandoque significat *furari:* unde *tagaces* fures. In Aulularia, *Euclio*. *Tu illam sciebas non esse tuam: non attactam oportuit*, i. surreptam. *Lycon*. *Ergo quia sum tangere ausus*, i. comprimere, *haud causificor quin ego eam habeam potissimum*. Sic idem Euclio, *Quid tibi meam me invito tactio est? Tangit* ergo & qui surripit aliquid, & qui rem habet cum muliere.

17. *In torrente Gerar*] In torrente non habitatur. Quomodo igitur dicit, *habitavit ibi*? An locus erat qui sic vocabatur? *Torrens Gerar*, ut *Quercus Mamre*. Forte in vicinia torrentem habebat, unde nomen ei. Aut, *in torrente*, valet, *ad torrentem*, quod elegit Hieronymus. Sic, *in Jericho*, valet, *ad Jericho*, vel, si mavis, in territorio aut agro ejus. Sic *in urbe natus* esse dicitur qui natus fuit ad urbem. Posset etiam legi, *ad fluvium Gerar*. Siquidem *Nahal* etiam *fluvium* designat. Sane qui alicubi *torrens Ægypti*, alicubi vocatur *Fluvius Ægypti*: & est Sihor; qui Ægyptum à Palæstina disterminat. Licet etiam vertere, & fortasse melius erit, *castrametatus est in valle*, sive *convalle*, *Gerar*. *Nahal* enim certe *vallem* significat non minus quam *torrentem*. Φάραγγα Græci vocant. Josephus ait esse χωρίον ἐν μακρῷ χειμάρρῳ. Sane quidem torrentes per valles decurrunt, unde idem nomen apud Ebræos & torrenti & valli, quæ proprie עמק dicitur. Mox v. 19. *foderunt in valle*, aut *in torrente*: ubi Ionathan, *in ripa*, vel *limite torrentis*.

23. *Ascendit Beersabam*] Beersaba sive Beersabe terminus erat Iudææ Australis, ut notum ex illo, *à Dan usque Bersabe*. Porro ex Palæstina, in qua regio Gerarorum, in Iudæam ascenditur: & contra, qui ex Iudæa in Palæstinam tendunt, *descendere* dicuntur. Quod sexcentis exemplis probare possem, si opus esset. Non ergo hic verbo *ascendendi* aliter usus est quam in propria significatione. Dicta *Beirsabe* sive *Bersabe* vel à *jurando* vel à *septem agnis*. *Septem* enim dicunt *Seba* vel *Sabaa*, quod nunc legunt שבעה *Sibah*, pro quo *Saba* vel *Seba* in libris veteribus. Nam juramentum potius *Sebua* dicitur. Utraque vox eandem radicem habet, & legitur cum Sin quod vocant *Schibboleth*, punctum gerens in dextero cornu sive dente. Si legas cum Sin quod punctum gerit in lævo dente, tum significat *saturitatem*, quæ tamen non *Seba* sed *Soba* Ebræis dicitur, vel etiam *Saba* per geminum Camets, unde & *Sabea*, sive *Sabee*, *satur*. Quo respexit hujus libri autor infra v. 32, 33. *Dixerunt ei*, *Invenimus aquam*. *Unde vocavit eum* שבעה, i. interprete Hieronymo, *Abundantia*. *Propterea nomen loci illius Beersceba usque in diem hunc*. *Seba* hoc non significat, nisi legas *Saba* cum Sin quod vocant *Sibboleth*. Nam שבע *abundantia*, *saturitas*, quam πλησμονὴν appellant Græci. Verba Hieronymi hac de re sunt, lib. Quæst. in Gen. *Nescio quomodo* LXX. *interpretibus habeatur* [*Et venerunt pueri Isahac, & nunciaverunt ei de puteo quem foderunt, & dixerunt ei, Non invenimus aquam, & vocavit nomen ejus Juramentum*] *Quæ enim etymologia est, propterea vocari Juramentum quod aquam non invenissent? E contrario in Ebræo, cui interpretationi Aquila consentit, & Symmachus, hoc significat, quod invenerint aquam, & propterea appellatus sit puteus ipse Saturitas, & vocata civitas Beerseba, h. e. Puteus saturitatis. Licet enim supra ex verbo Juramenti, sive ex Septenario ovium numero, quod Sabe dicitur, asseruimus Beersaba appellatam, tamen nunc ex eo quod aqua inventa est, Isahac ad nomen civitatis, quæ ita vocabatur, alludens, declinavit paululum literam, & pro stridulo Ebræorum Sin, à quo Sabe incipitur, Græcum Sigma*, i. *Ebræorum Samech, posuit*. Ex his manifestum, Hieronymum post Aquilam & Symmachum legisse Gen. 26. 33. שבעה per Sin, quod nunc in omnibus libris quos vidi שבעה per Schin. Quocirca *saturitatem* ibi significare non potest. Græci autem, qui ὅρκον interpretantur, aliis vocalibus legerunt שבעה. Sed de hac re alias.

IDEM.

5. [תורתי] Οἱ λοιποί, καὶ τοὺς νόμους μου, *& leges meas*. Procop. p. 157. LXX, *legitima mea*, τὰ νόμιμά μου. Reliqui, *leges meas*.

10. אשם. A. & Sym. πλημμέλημα, *delictum.*] Sic etiam Lxx. interpretantur Num. 5. 8. Sæpius dicunt πλημμέλεια in hac voce, & verbum ipsum reddunt πλημμελέω, *delinquo.* Reperio & πλημμέλησις eodem sensu. Cæterum πλημμέλημα laudatur Prov. 14. 9. ex A. & Th.

12. מאה שערים *centum mensuras.* A. ἑκατὸν εἰκασμένον] Id valet Hiero. *centuplum æstimatum.* Εἰκάζω, *conjicio, conjecto.* Id lingua Magistrorum שער dicitur: unde שיער *conjectura.* Quo accommodant illud Prov. 23. 7. כמו שער. Nam vertunt, *ut conjecit, ut æstimavit.* Aben Ezra, *ut qui mensuram certam statuit edendi ac bibendi, quam si prætereas, offendatur.* Nam שער etiam *mensura.* Hieron. *Melius puto illud esse quod habetur in Ebræo, & Aquila quoque transtulit, Et invenit in anno illo centuplum æstimatum.* i. ἑκατὸν εἰκασμένον. *Licet enim iisdem literis & Æstimatio scribitur & Hordeum, tamen Æstimationes Searim leguntur, Hordea vero Seorim.* i. שערים.

20. ויריבו. Schol. ἠδικοῦντο, *disceptabant.* ¶ עשק כי התעשקו עמו, *vocarunt puteum Esek, quia rixati sunt cum eo.*] Schol. συκοφαντία· ἐσυκοφάντησαν γὰρ αὐτόν. Interpres Vulg. *Quamobrem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam.* Legerunt עשק cum puncto in dextro cornu literæ Sin. Cohel. 4. 1. עשוקים, Lxx. τὰς συκοφαντίας. Hieron. *Calumnias.* Psal. 72. 4. עושק, Lxx. συκοφάντην. Hier. *Calumniatorem.* Prov. 14. 31. עשק דל, Lxx. ὁ συκοφαντῶν πένητα. Hier. *Qui calumniatur egentem.* Nunc legunt עשק cum puncto in cornu sive dente sinistro, id reddunt *jurgium*, pro quo עסק legitur in utroque Chaldæo, ש in ס versa. Quod tritum adeo in hac dialecto ut nihil magis. Lexicon Chaldaicum Munsteri, עסק, *lis, jurgium.* David de Pomariis, עסק *litigium*, i. ריב. Abenmelech in Michlol Iophi, עשק *cum sin levo sensum habet* [*Continuatio & jurgium.* i. *continuum jurgium*] *continui jurgii, ex monumentis doctorum nostrorum, ubi legimus* מסתיר ראש בליה עשקים, i. *litigantes, dicendo, Hoc meum est.*

21. שטנה. A. & Sym. ἀντικειμένη, ἐναντίωσις] Hier. *Pro Inimicitiis, quod Aquila & Symmachus* τὴν ἀντικειμένην *&* ἐναντίωσιν *transtulerunt*, i. *Adversum atque Contrarium. in Ebræo habet Satana. Ex quo intelligimus Satanam Contrarium interpretari.* ¶ Αντικειμένη] *Opposita, ex adverso sita.* Psal. 109. 20. שטני Lxx ἐνδιαβαλλόντων με. Cæteri, ἀντικειμένων. Job. 1. καί γε αὐτὸν ἐν μέσῳ αὐτῶν. Th. ἀντικείμενος, *adversarius.* Sic interpretantur nomen *Satan* Origines lib. 10. ad Roman. & hom. 15. in Jesum Nave; Chrysostomus hom. 26. in epist. 2. ad Corinth. Hieronymus passim in Collectaneis nom. propr. Theophylactus Matth. 12. ¶ Ἐναντίωσις] *Repugnantia, Contrarietas*: unde Satan ἐναντίος, i. *contrarius*, Orig. tract. 1. in Matth. Hier. lib. nominum Ebraic. & Comment. in Matth. 16. ¶ *Satana*] Antiquitas lectionis. Nunc legunt *Sitna*. Josephus olim videtur legisse *Sitenna* vel *Sitena*, quod perperam Σύεννα scriptum, Orig. Jud. lib. 1. cap. 18. Potest etiam legi *Setna* vel *Setena.* Sic variabant in *Nisibis*, *Nasibis*, & *Nesibis.* Adi sis ad Stephanum de Urbibus. ¶ *Contrarium*] ἐναντίον.

33. שבעה. A. & Sym. *Saturitas.* Et mox, באר שבע *Puteus saturitatis*] *Saturitas* πλησμονή. Hieron. *In Ebræo, cui interpretationi Aquila consentit & Symmachus, hoc significat, quod invenerint aquam & propterea appellatus sit puteus ipse Saturitas, & vocata civitas Beersaba*, h. e. *Puteus saturitatis.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et fuit fames in terra præter famem priorem quæ fuerat in diebus Abrahæ: abiitque Isahac ad Abimelech regem Philisthæorum Gerara.*

Præter famem priorem] cujus mentio Gen. 12. 10. Hiero. *post eam sterilitatem.* eodem redit. Nam ex sterilitate fames. Hoc tamen non excuso, quod מלבד exponat, *post* i. אחר, cum significet præter i. בר מן, χωρὶς. excepta fame priore. ¶ *Gerara*] vel, *Geraram.* Lxx. εἰς Γέραρα. Hiero. *in Gerara.* Severus, *in Geraris ad regem Abimelech cessit.* Hoc pugnat contra canones Grammaticorum. Itaque Sigonius emendat *in Gerara.* Sed sciendum veteres promiscue usos hac præpositione. Terent. *deinde illam in lecto illa collocant.* Nam esset *in lectum.*

2. *Et apparuit ei DOMINUS & dixit Ne descendas in Ægyptum, habita in terra quam dixero tibi.*

Et apparuit ei] ὤφθη δὲ αὐτῷ. apparuit autem ei. Quidam legunt, *Apparuerat ei & dixerat ei*, nempe antequam Geraram venisset, cum adhuc esset in terra Chanaan. ¶ *Ne descendas in Ægyptum*] quo in animo habes descendere, ut antea pater fecerat ob fertilitatem illius regionis. ¶ *Habita*] κατοίκησον. Hiero. *quiesce.* Nam שכן etiam quiesco. Psalm. 55. 7. ואשכנה Hiero. *& requiescerem.* Lxx. καὶ καταπαύσω. Ceteri non dissentiunt. Prov. 7. 11. לא ישכנו. Lxx. οὐχ ἡσυχάζουσιν. Hiero. *non valent consistere.* Rursum Prov. 1. 33. ישכן Schol. ἀναπαύσεται, requiescet. Job. 38. 19. ישכן. Lxx. αὐλίζεται. alius σκηνοῖ: alius ἠρεμεῖ, quiescit.

3. *Peregrinare in terra hac, & ero tecum & benedicam tibi: quoniam tibi & semini tuo dabo omnes terras istas, & stabiliam jurandum quod juravi Abrahamo patri tuo.*

Peregrinare] παροίκει, esto peregrinus & advena. ¶ *In terra hac*] tam de Chananæa capiendum quam de Palæstina proprie dicta, quæ in Iosua etiam Chananææ accensetur. Quidam enarrant, habita in Chananæa & peregrinare in Palæstina, ubi nunc es. Scire licet Patriarchas etiam in terra Chanaan peregrinos fuisse. ¶ *Ero tecum*] *sermo meus erit in auxilio tuo*, sive *erit tibi auxilio.* Onk. & Ion. ¶ *Et semini tuo*] *& filiis tuis.* iidem. ¶ *Terras istas*] regiones has. Hic rursum האל posuit pro האלה: & dicit ארצות quia plures erant regiones terræ Chanaan. Quas omnes Lxx. intelligunt, referentes πᾶσαν τὴν γῆν ταύτην, omnem terram hanc. ¶ *Stabiliam jurandum*] Est cur malim *ratum faciam jusjurandum*, quod in Ebræo sit והקמתי, & apud Græcos interpretes στήσω. Nam *stabiliam* i. אקים quod in editionibus Chaldæorum. Sensum expressit Hiero. qui vertit, *complebo juramentum.* הקים faciam ut stet. Latini dicerent, faciam ut eo stetur, ut ratum sit. Quintilianus, *Alieno jurejurando stare quam suo mavult.* Potes vertere, *ratum habebo.* Hujus contrarium הפר dissipavit, irritum fecit. Gallica editio, *je ratifierai le serment.* ¶ *Quod juravi*] supra 22. 27.

4. *Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, daboque semini tuo omnes terras has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

Multiplicabo &c.] tam multum & copiosum reddam quam sunt stellæ cœli, quæ cum numerari non possint, innuit ejus posteritatem præ multitudine fore innumerabilem. Vide quæ scripsimus. Gen. 15. 5. ¶ *Semini tuo*] *posteris tuis.* Hiero. ¶ *Benedicentur*] והתברכו benedicent sibi i. beatas se ducent. ¶ *In semine tuo*] in Christo. ¶ *Terræ*] orbis terrarum.

5. *Pro eo quod auscultaverit Abraham voci meæ, & custodierit custodiam meam, præcepta mea & statuta mea & leges meas.*

Auscultaverit] שמע audiverit. Lxx. ὑπήκουσεν, quod reddunt, *obaudivit.* Hiero. *obedivit.* Onk. & Ion. *recepit sive admisit sermonem meum.* ¶ *Et custodierit custodiam meam*] mox se explicat cum ait, *præcepta mea & statuta mea & leges meas.* Sic 1 Reg. 2, 3. *custodies custodiam DOMINI*, quam post dividit in tres species, inquiens, *custodiendo statuta ejus, præcepta ejus & judicia ejus.* Eadem phrasis obvia Zach. 3. 7. & Malach. 3. 14. Dicunt etiam, *permanere in custodia sua* eodem sensu, ut in libro Musar, *si ambulaverit in integritate cordis sui, & permanserit in custodia sua colendo Deum* i. in eo quod Deus illi custodiendum reliquit. Et paulo post, *non ambulaverunt post concupiscentiam seculi, sed permanserunt in custodia sua* (עמדו על משמרתם) *& servarunt locum suum.* ¶ *Custodiam meam*] quæcunque mandavi ut custodiret. Ebraice, משמרתי. Onk. & Ion. *custodiam sermonis mei.* Lxx. τὰ προστάγματά μου. Hiero. *præcepta mea.* Trem. *observationem meam.* Gallica, *mon ordonance*, institutionem meam. ¶ *Præcepta mea*] præcepta moralia quæ post decalogo comprehensa sunt. Onk. & Ionath. פקודי, quod reddunt, *præcepta mea.* Lxx. τὰς ἐντολάς μου. Hiero. *mandata mea.* ¶ *Statuta mea*] חקתי. Lxx. τὰ δικαιώματά μου. Hiero. *ceremonias.* Onk. & Ion. קימי pacta mea sive fœdera mea. ¶ *Leges meas*] forenses, sive quæ ad judicia pertinent. Colligo ex loco superius allegato, ubi משפטיו judicia ejus. Lxx. τὰ νόμιμά μου, quod vertunt, legitima mea. Hiero. *leges meas.* Sic & alii.

6. *Et habitavit Isahac Gerara.*

7. *Et interrogarunt viri loci illius de uxore ipsius, qui dixit Soror mea est: Nam timebat dicere Uxor mea, dicebat enim apud se, ne occidant me viri loci illius propter Rebeccam, quod bona aspectu ipsa sit.*

Et habitavit] vel, *habitavit ergo*, nempe ut Deus jusserat. ¶ *Gerara*] ἐν Γεράροις. ¶ *Viri loci illius*] Cives Gerarenses. Lxx. ἄνδρες τοῦ τόπου, viri loci. Hiero. *viri loci illius.* ¶ *De uxore ipsius*] לאשתו. Hic rursum ל exponitur per על: unde apud Hiero. *super uxore sua.* Lxx. περὶ Ῥεβέκκας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Sic alibi אמרי לי *dic de me.* Abenezra interpretatur בעבור אשתו. eodem recidit. על extat in Ionatha. Sed & Onk. habet, *de negotio uxoris ejus.* ¶ *Soror mea est*] vere soror,

ror, si accipias sororem pro consanguinea: Sed Gerarenses aliter intellexerunt. Puto autem interrogatum fuisse quænam esset mulier illa quam secum ducebat, quæ quia erat uxor ejus, ideo Scriptura dicit interrogatum de uxore, non, an uxor esset? Mirum autem exemplo patris non fuisse ab hoc consilio deterritum. An id eum ignorasse dicemus? Nam ante nativitatem ejus acciderat. ¶ *Dicebat enim apud se*] Hæc desiderantur & in textu Ebræo, & in Chaldaicis Onkeli. Dico Onkeli. Nam Ionathan habet ארום חשב בלביה quia cogitabat apud se, ut Hiero. *timuerat enim dicere quod sibi esset sociata conjugio, reputans.* Pro *uxor mea est*, reposuit, *quod sibi esset sociata conjugio.* Deinde adjecit quod ad plenam sententiam deerat, *reputans.* Id idem cum illo, *dicebat apud se.* ¶ *Ne occidant me*] pro *me* Hiero. habet, *eum*, & Lxx. αὐτόν. יהרגוני. ¶ *Bona aspectu*] i. pulchra, formosa. Lxx ὡραία τῇ ὄψει, quod reddunt *speciosa aspectu.* Hiero. *propter illius pulchritudinem.* Onkelos & Ionathan, *pulchra visu sive aspectu.* Alius, *bona forma.* Contra malum pro deformi ponitur. Quod & antea notavimus.

8. *Fuit autem quum prorogati ei fuissent illic dies, ut prospiceret Abimelech Rex Philisthæorum per fenestram, & videret Isahacum ludentem cum Rebecca uxore sua.*

9. *Tunc vocavit Abimelech Isahacum & dixit, Verum tamen ecce uxor tua est, & quomodo dixisti, Soror mea est? & dixit ei Isahac quia dixi, ne moriar propter eam.*

Quum prorogati ei fuissent illic dies] quum longo tempore ibi egisset, diutius commoratus fuisset. Forsan post aliquot annos. Hiero. *Cumque pertransissent dies plurimi.* LXX. ἐγένετο δὲ πολυχρόνιος ἐκεῖ: *fuerat ibi multo tempore.* Onkelos & Ionathan, *& fuit quum multiplicati ei essent ibi dies.* ¶ *Prorogati*] producti, prolongati. ¶ *Rex Philisthæorum*] LXX. ὁ βασιλεὺς Γεράρων: Rex Gerarorum. פְּלִשְׁתִּים Sic vocatur supra Gen. 10. 2. Hiero. habet, *rex Palæstinorum.* ¶ *Per fenestram*] domus suæ. ¶ *Et videret Isahacum ludentem*] In Ebræo est, *& vidit & ecce Isahac ludebat.* LXX. εἶδε τὸν Ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ Ῥεβέκκας. Hiero. *vidit eum jocantem.* Alius, *colludentem:* Alius, *ridentem.* Scholion, εὐσχημόνως εἴρηται: *verecunde & honeste dictum est.* Autor hujus scholii videtur idem sensisse cum Ebræis quibusdam qui putant Isahacum congressum fuisse cum uxore, spectante Abimelecho: qui congressus honeste ludendi verbo significetur. Quod significat R. Sal. cum ait ראהו משמש מטתו: & Nicolaus per hæc verba, *reddentem debitum uxori. Dictio enim Ebraica, quæ hic ponitur, æquivoca est ad ludum & ad coitum, ut supra dictum est cap. 21. Et quod debeat hic accipi in secundo sensu videtur per illud quod subditur, perspicuum est quod uxor tua sit. Alii vero dicunt quod vidit eum amplexantem vel osculantem Rebeccam, quod non faciebant viri nisi cum uxoribus propriis.* Hanc posteriorem sententiam ita probat Paulus ex Judæo Christianus ut neget מצחק unquam denotare coëuntem. Verba quibus hoc dicit, hæc sunt, *Dictio* מצחק, *licet plura habeat significata (sig. enim risum, gaudium & ludum, similiter & derisionem) nunquam tamen significat coëuntem: unde translatio nostra se bene habet, quæ dicit, vidit eum jocantem, & debet exponi prout in postilla in secunda expositione.* Vide quæ scripsimus de hac voce cap. 21. Levi Ben Gerson usus est hic verbo מהתול, quod illudentem sonat. Non probo. Hiscuni, *non vidit eum coëuntem, sed ludentem & jocantem ut solent qui cum uxore coire volunt. Sic dico, Innuit lusum qui ante coitum. Non enim certe Isahac rem habuit cum uxore interdiu (quamvis hoc licitum sit. Sic legimus de Helcia Sacerdote patre Jeremiæ quod coiverit cum uxore sua interdiu quia multos dies à coitu abstinuerat) & aliis videntibus.* Idem annotat Abimelechum prospexisse per fenestram non apertam, sed clausam hoc est per rimam aliquam. Quod ut temere affirmatur, ita temere negari potest. Ceterum צחק hoc significatu sumitur, teste eodem, in illo, *adduxit nobis hominem Ebræum* לצחק בנו quod reddunt *ad illudendum nobis.* Nam postea scriptum לשכב עמי ad concumbendum mecum. Hoc notavi, ne quis existimaret solos Judæos in hac sententia esse. ¶ *Ludentem*] familiarius jocantem ut ex nutu & gestibus facile deprehendere potuerit non sororem esse, sed uxorem ejus. Non enim cum sorore ita ludere solemus. ¶ *Veruntamen*] אך utique, certe, vere, sane, enimvero, veruntamen. Chaldaice בְּרַם, unde in Latio *verum*, ut probabile est. ¶ *Quia dixi*] dixi apud me i. cogitavi. Sic alibi, *num tu occidere me dicis* i. cogitas? Est enim, ut scite ait Plato, ἡ διάνοια, διάλογος ψυχῆς αὐτῆς λόγου. Jonathan אמרית בלבבי dixi in corde meo.

10. *Et dixit Abimelech, Quid hoc fecisti nobis? propemodum unus cubuisset è populo cum uxore tua, & adduxisset super nos delictum.*

Quid hoc fecisti nobis?] vel, *quid hoc est quod fecisti nobis?* cum admiratione legendum, & אשר subaudiendum: vel, *ad quid sive quare hoc fecisti nobis?* Hiero. *quare imposuisti nobis?* מה pro למה. Lxx. τί τοῦτο ἐποίησας ἡμῖν; Addit Hiero. *quare mentitus es eam sororem tuam esse?* Quod nec in Ebræo habetur nec apud alios interpretes. ¶ *Propemodum cubuisset*] vel, *parum abfuit quin cubuerit.* i. concubuerit sive dormierit aut coiverit. Sed dormire proprie ישן dicitur. Hic est שכב in fonte. Lxx. μικροῦ ἐκοιμήθη. Chaldaice שכיב. *Propemodum* autem On. & Jon. reddunt כזעיר פון: Autor Ierosolym. קליל זעיר. ¶ *Unus e populo*] אחד העם unus populi. Galli eleganter exprimunt, *quelqu'un du peuple.* Hiero. dixit, *quispiam de populo.* On. דמיחד בעמא. Sic etiam Ion. R. Sal. המיוחד בעם והמלך qui singularis est in populo i. rex. Inepta interpretatio. On. Fagius reddit, *unus ex populo:* & in annotationibus, *qui unicus est in populo i. rex, quasi dicat, ego quia primas teneo in populo.* Thargum Ierosolym. חד מליא adolescens quispiam. Lxx. τὶς ἐκ τοῦ γένους μου: aliquis ex genere meo. Sic supra בן עם exponunt, υἱὸς τοῦ γένους μου filius generis mei. Hiscuni, *Unus e populo, capiendum ut sonat, unus ex populo sive magnus sive parvus fuerit, non refert. Sic in Samuele, venit unus de populo.* ¶ *Delictum*] אשם delictum, reatum i. πλημμέλημα, ut olim Aquila & Sym. ediderunt. Nam prius erat in Lxx. ἄγνοιαν ignorantiam i. interprete ac expositore Chrysostomo, caussam dedisses ut propter ignorantiam in peccatum incideremus. Hiero. *grande peccatum.* Sic & autor Ierosol. חובא רבא. In ceteris duobus est חובא tantum i. peccatum.

11. *Præcepitque Abimelech omni populo, dicendo, Qui attigerit virum hunc aut uxorem ejus, moriendo morietur.*

Omni populo] vel potius, *toti populo*, παντὶ τῷ λαῷ. Et *præcepit*, quia edictum promulgari curavit ea de re. ¶ *Attigerit*] læserit, ut ibi, *nolite tangere Christos meos.* Sed & tangere fœminam dicitur qui eam violat. Sic accipies hoc loco, *aut tetigerit uxorem ejus.* ¶ *Morte morietur*] ita Hiero. Scire licet in Ebræo esse יומת quod sig. morte afficietur. Nam *morietur* i. ימות. Emenda ergo, *morte afficietur*, vel si mavis, *omnino capite plectetur*, ut aliquo modo exprimatur vis congeminationis. Lxx. θανάτῳ ἔνοχος ἔσται, morte obnoxius erit, sive reus erit mortis.

12. *Post seminavit Isahac in terra illa & invenit eo anno centum mensuras, benedixitque ei DOMINUS.*

Seminavit] sevit, sementem fecit, ἔσπειρε. ¶ *In terra illa*] q. d. in terra illa sterili: quæ sane sterilior erat terrâ septem gentium. Crediderim autem seminasse post annum sterilitatis, cum ibi aliquamdiu habitasset, agrosque à Philistæis conduxisset. ¶ *Eo anno*] quo sementem fecerat. ¶ *Centum mensuras*] pro una mensura quam seminaverat percepit centum mensuras, hoc est fruges cum centesimo. Hiero. hoc dixit, *invenit centuplum.* Alius, *centuplas mensuras.* Lxx. ἑκατοστεύουσαν κριθήν. i. interprete Hiero. *centuplum hordei.* Interpres Romanus vertit, *centuplicans hordeum.* Mercerus videtur legisse ἑκατοστεύουσαν, quod emendat ἑκατὸν τιμίας. Sed libri, quos consului, in priore scriptura consentiunt; quam germanam esse puto. On. & Jon. *pro uno centum.* Quod autem sequitur בשיעורוהי, id Fagius convertit, *plusquam æstimaverat.* Mihi aliud significare videtur. Dicam alias. ¶ *Benedixitque ei DOMINUS*] insuper benedixit ei DOMINUS in rebus aliis: aut lege, *adeo benedicebat ei DOMINUS:* aut, *benedicebat enim.*

13. *Crevitque vir ille, & ivit eundo & crescendo donec crevisset valde.*

Crevitque] ויגדל & magnus evasit. Hiero. *& locupletatus est.* Lxx. καὶ ὑψώθη. ורבה. Scilicet hæc duo verba se mutuo explicare. ¶ *Vir ille*] ille honorifice positum q. dicat, vir ille insignis & Deo charus. Lxx. ὁ ἄνθρωπος. Hiero. *homo.* On. & Jon. גברא. ¶ *Ivit eundo & crescendo*] Hæc non incommode reddes per imperfectum, *ibat eundo & crescendo:* ut paullo ante, *Crescebatque vir ille.* Ibat eundo & crescendo, quidam explicat, *progrediebatur continenter crescendo.* Hiero. *ibat proficiens atque succrescens.* Lxx. προβαίνων μείζων ἐγίνετο, procedens major evadebat. Gallica editio, *alloit tousjours en augmentant*, quotidie magis & magis crescebat. גָּדֵל teste Camio in radicibus est Macor, hoc est infinitum: *aut est nomen*, inquit, *participiale, quale* חָפֵץ *volens. Sic* גָּדֵל *crescens.* Abenezra scribit esse verbum præteritum. On. *progrediebatur progrediens & crescens.* Sic etiam Ionathan. Lego autem אזל וְרָבֵי. Quanquam alii apices in libris editis. ¶ *Valde*] admodum, σφόδρα.

14. *Et*

14. *Et fuit ei possessio ovium & possessio boum, & cultura multa, adeo ut inviderent ei Palæstini.*

Possessio ovium] מקנה possessio, acquisitio, ἀπὸ τοῦ קנה possedit, acquisivit. Sæpius pro pecore usurpatur. Quippe priscis hominibus ab omni questu improbo alienis divitiæ pecudes erant: unde & Latinis mansit pecuniæ nomen. Ceterum possessionis vocabulo usi sunt hoc loco Hiero. Santes & alii. Sunt etiam qui ediderunt, *possessio gregum*, & mox, *possessio armentorum*. Mercerus elegit, *pecus ovium & pecus boum*, ut Lxx. κτήνη προβάτων καὶ κτήνη βοῶν, pecora ovium & pecora boum. Porro κτῆνη commune est tam majoribus quam minoribus pecudibus, ut annotat Demetrius Triclinius enarrator Sophoclis. ¶ *Cultura multa*] Aut *famulitium magnum*. Ebraice, עבדה רבה. Lxx. γεώργια πόλλα, quod reddunt, *agriculationes multæ*. Si legas, γεωργία πόλλη erit, *cultura multa*. Lex. Vet. γεωργία, *cultura, cultus, excultus*. proprie, *terræ cultura*. Γεώργιον autem redditur seges, ut in illo Gregorii, πονηρῶν σπερμάτων πονηρὰ τὰ γεώργια, malorum seminum malæ segetes. Hiero. *familia plurimum*. Iob. 1. 3. עבדה. Lxx. ὑπηρεσία. Aquila δουλεία, quæ vox & servitutem notat & ipsa servitia. Sym. οἰκετεία. Hiero. *familia*. Redeo ad Genesin. On. עבידא כני. Id vero, *cultura multa*. Quanquam in Fagio, *familia multa*. Scire autem debemus in quibusdam libris esse פולחנא כני ut in Jonatha פולחנא סגיאה. Aben. *erant ei servi & ancillæ qui serviebant ei*. R. Sal. מלאכה רבה opus multum vernacule אוברגי״ש. Forte *ouvrage*, opus, opificium. R. David in libro Radicum, תבואת האדמה proventus terræ. Santes, *proventus multus*. Arias, *famulatus multus*. Gallica editio *force serfs*. & in margine, *ou, & grand labourage*. ¶ *Adeo ut inviderent ei*] Nam felicitas invidiam parit, ex invidia odium, & ex odio simultates. Verbum קנא alibi cum ב construitur, aut cum ל. Hic post se regit casum accusandi, quod indicat articulus את, qui nunc in Ebræo. Græci habent ἐζήλωσαν αὐτόν. Chaldæi variant. Nam in Onk. est קניאו בה & in altero קניאו יתה æmulati sunt eum. Hiero. *ob hoc invidentes ei*.

15. *Omnesque puteos quos foderant servi patris ipsius, in diebus Abrahæ patris ejus, obturarunt Philisthiim & oppleverunt eos pulvere.*

16. *Et dixit Abimelech Isahaco, Discede à nobis quia validior evasisti nobis admodum.*

17. *Discessit ergo inde Isahac & castrametatus est in convalle Gerar & habitavit ibi.*

Obturarunt & oppleverunt] vel, *obturaverant & oppleverant*, nempe post mortem Abrahæ, ut habetur infra vers 18. Quanquam credibilius hæc tunc primum gesta esse cum Isahacus ad invidiam locupletatus fuisset. Sane legimus apud interpretem nostrum, *Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos &c.* ¶ *Obturarunt*] סתמום obturaverunt vel obstrinxerunt eos. Hic notabis סתמום masculine construi. Lxx. ἐνέφραξαν αὐτὰ, nempe τὰ φρέατα. Quidam vertit, *occluserunt*. Usus est hoc verbo Jonathan in Zacharia, ubi vulgo נִסְתַּם: Sed orientales olim legebant נִסְתָּם & occlusa fuit. ¶ *Oppleverunt*] impleverunt, repleverunt, ἔπλησαν. ¶ *Pulvere*] עפר. Lxx. γῆς עפר. Hiero. *humo*. עפרא. On. & Jon. עפרא. ¶ *Et dixit Abimelech*] Nam videbat eum invisum esse subditis suis. Forte & ipse invidebat ei. Quis hoc negare ausit? Sunt qui putant non præceptum, sed consilium esse hoc, meo judicio, non recte. Hiero. *in tantum ut ipse Abimelech diceret*. ¶ *Discede*] לך abi, recede, ἄπελθε. ¶ *A nobis*] מעמנו à cum nobis, sed *cum* in oratione Latina redundat. Sic dicunt מעמו à cum illo pro eo quod est ab illo. ¶ *Validior*] numerosior aut potentior. Quod postremum elegit Hiero. Senes quoque habent δυνατώτερος: mihi quoque non displicet ut ad opes referatur, sed tamen cum præcedat, עבדה רבה, quod non nemo exponit, *& familia multa*, posset etiam referri ad numerum servorum, quos in sua familia habebat, cum ejus pater aliquando eduxerit numero trecentos octodecim vernas sive vernaculos, hoc est, servos dominatos, οἰκογενεῖς. ¶ *Castrametatus est*] vel, *castra posuit*. i. sedes fixit. Tralatio à re militari. Nam quia magnam familiam alebat, ideo Moses utitur verbo castrensi: aut lege *divertit* i. κατέλυσεν. Ita Senes ediderunt. Hinc חניה quod in lingua Magistrorum significat diversorum, κατάλυμμα. On. & Jon. hic habent ושרא quod Fagius interpretatur, *& mansit*. Sic etiam Santes interpretatur ex Ebræo. חנה ergo non tantum castra ponere, sed etiam diverti, manere, sedem figere. Scire autem licet antiquos tentoriis usos fuisse. Ideo non male quadrat verbum castrametandi. Nam ibi multa tabernacula speciem castrorum referunt. ¶ *In convalle Gerar*] בנחל גרר in valle sive convalle Gerar. נחל vallis sive aquam contineat sive non: aut planities id est מישר, ut Jonathan reddit Joel. 3. 18. R. David ad eum locum, *Vallis vocatur* נחל *sive in ea sit aqua sive non*. Vallis proprie עמק dicitur. נחל in communi sermonis usu magis torrentem denotat: unde apud Mercerum, *in torrente Gerar*: qui nomen loci esse putat. *Torrens Gerar*, ut *Quercus Mamre*. Cave inde colligas, Ergo Isahac in torrente habitavit. Id movit credo Hiero. ut verterit, *ad torrentem Gerara*. Nam in torrente commode non habitatur. (*In* pro *ad* vel *juxta* Goria cap. 12. אנחנו שוכנים בנהר אמזוניקן ut nos habitantes sumus in flumine Amazonicon.) Sed Lxx. maluerunt ἐν φάραγγι Γεράρων, in valle Gerarorum. Psal. 104. 10. בנחלים Hiero. *in convallibus*. Lxx. ἐν φάραγξιν. Alius, *per valles*. Alii, *in torrentes*. Scire licet נחל aliquando significare ποταμὸν. i. flumen, cum torrens proprie sit fluvius temporarius non è fonte, sed pluvia nascens, æstate siccus, hyeme magno impetu fluens.

18. *Et rursum Isahac fodit puteos aquarum quos foderant in diebus Abrahæ patris ipsius, & obturaverant Palæstini post mortem Abrahæ: & vocavit eos nominibus secundum nomina quibus vocaverat eos pater ipsius.*

Rursum Isahac fodit] in Ebræo est verbum è verbo, *Et rediit Isahac & fodit*. Nos sensum expressimus. Verbum enim שב rediit, in hoc sermone idem valet quod adverbium שוב i. rursus, rursum. Quod annoto ne quis existimaret Isahacum rediisse ad locum unde discesserat. Nam aliud voluit Moses. Itaque Lxx. interpretantur, καὶ πάλιν Ἰσαὰκ ὤρυξε, & Hiero. *rursum fodit*, & alius, *refodit* i. iterum fodit. Possumus etiam vertere, *foderat* ut locus de prioribus puteis intelligatur, quorum supra facta mentio. Fodisse autem Isahac dicitur non quod ipse foderit, [illegible] quod per servos suos id fecerit. Ut hic, *reversus est & fodit* pro denuo fodit. Sic Zach 5. 1. ואשוב ואשא עיני, *& reversus sum & levavi oculos meos* pro iterum levavi oculos meos. ¶ *Et vocavit eos nominibus secundum nomina &c.*] Hoc Hiero. his verbis expressit, *appellavitque eos iisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat.*

19. *Et foderunt servi Isahac in valle illa, & invenerunt ibi puteum aquarum viventium.*

Foderunt servi Isahac] explicatio ejus quod supra dixerat, *fodit Isahac*. ¶ *In valle illa*] בנחל in convalle illa; hoc est, ut quidem Lxx. reddunt, ἐν φάραγγι Γεράρων, in valle Gerarorum, ubi sedes fixerat. Hiero. habet, *in torrente*: quod dextre capiendum, ut si diceret, in eo loco ubi erat Torrens qui propterea Torrens Geraræ dicebatur. Hoc Jonathan dixit בכיף נחלא in termino vel tractu torrentis. Quippe כיף terminus, limes, portus, littus i. חוף vel certe ripa. Nam ripa fluviorum ac torrentium. ¶ *Aquarum viventium*] vel, *aquæ vivæ* i. perennis & jugiter manantis perpetuoque scaturientis. Quod interpretes Chaldæi significant, referentes מין נבעין aquarum scaturientium. Unum enim quod perenne ac sempiternum, ut cum Deus vivus dicitur. Cur vivus? haud dubie quia semper vivit, quia æternus est. Ut hic *puteus aquæ vivæ*, sic Jer. 2. 13. *fons aquæ vivæ*. Hinc lucem capiet מקור חיים quod reddunt *vena vitæ*, cum potius reddendum sit *vena viventium*, ut subintelligatur aquarum: aut *fons vivæ*, scilicet aquæ. Quod legitur & Num. 20. 6.

20. *Litigaverunt autem pastores Gerarenses cum pastoribus Isahaci, dicendo, Nostra est hæc aqua: itaque vocavit nomen putei Esec i. jurgium, eo quod jurgati essent cum eo.*

Litigaverunt] ויריבו. LXX. ἐμαχέσαντο pugnaverunt. Sic interpres Romanus, malim, *jurgarunt*. Lex. vet. μάχομαι, jurgo. Nam μάχη etiam verbis fit. Idem Lex. μάχη ἡ διὰ λόγων, litigatio, jurgium. In scholiis Græcis est pro eo ἐδικάσαντο, quod in idem recidit. Nam δικάζομαι litigo, unde δικαζόμενος litigator. ἐδικάσαντο ergo i. litigaverunt. Vetus Lexicon etiam δικάζω exponit litigo, & Lxx. Amos. 7. 4. ריב vertunt δίκη i. litem. Hiero. *Sed & ibi jurgium fuit*. Santes, *jurgati sunt*. Alius, *contenderunt*. Jurgium contentio est & quasi lis levior. Uterque Chaldæus ונצו jurgarunt. Fagius reddit, *rixati sunt*. Sed rixa proprie μάχη ἡ διὰ χειρῶν, si non fallit nos autor Lexici quod toties laudo. An igitur ad manum ventum fuit in hoc jurgio? Quis hoc affirmare, quis negare ausit? ¶ *Nostra est hæc aqua*] quo jure? Nam ubi terra communis est, debet etiam aqua talis esse: non potest uni magis propria esse, quam alteri. Unde terram & aquam dare dicitur, qui se alterius potestati subjicit. ¶ *Esec*] עשק Lxx. ἀδικία i. עשק. aliter (patet ex scholio Græco quod in editione Rom.) συκοφαντία: & mox ἐσυκοφάντησαν γὰρ αὐτόν. Id secutus est Hiero. referens, *quamobrem nomen putei ex eo quod acciderat vocavit Calumniam*. Si divinare licet, putarim hoc scholion sumtum esse ex aliis editionibus. Sane Levit. 6. 2. עשק A. Sym. Theod. ἐσυκοφάντησεν. Hiero. *calumniam fecerit*. Lxx. ἠδίκησέ τι ✝ πλη-

πλανεῖν. Sic Cohel. 4. 1. עשקים Sym. τῶν συκοφαντουμένων & Job. 10. 3. תעשק כי Schol. ὅτι συκοφαντήσεις. Hiero. *si calumnieris.* Hæc interpretatio se tueri posset, si codices Ebræi scriptum haberent עשק per Sin quod in dextro cornu punctum gerit. Nunc quum sit עשק in omnibus libris, alia quærenda est. Igitur Chaldæi reddunt עסק Sin in Samech versa. Quod illi genti familiare. Fidem facient שמש & שרש & similia exempla. Nam in textu est שמש & שרש eodem significatu. Testis mihi Elias Germanus tribu Levita. Vide, si vacat, ejus annotationes ad librum radicum. Josephus hinc lucem accipiet qui in loco ita scribit τὸ δὲ ἕτερον τὸ μὲν ἴσκον καλέσας. μάχης ἄν τις αὐτὸ φήσειε. Interpres recentior, *è prioribus vero alterum vocavit Escon, hoc est pugnam.* Vetus, *quod potest dici litigium.* In Onomastico sacro repperi, *Escho, potest dici litigium.* Emendaverim *Esco* i. עשקו. Esca, Esco, ut לכה Lecho, עתה Atho. Forma hæc nominis Chaldaica est. Dicunt autem עסקא. Id sonat negotium, occupatio: item lis, jurgium, contentio, litigium. Qua voce præter Plinium, etiam Plautus usus est. Exponitur autem litis actio. Sed Lex. vet. *lis*, δίκη: *litigium* δίκη. Ecce confundit litem cum litigio. Lis ἔρις dicitur, idemque litigium. Utro modo vertas parum refert, mihi litigii vox non displicet. Nam magis implet aures meas. R. Salomo interpretatur Esec per עשיר quod etiam litigium significare potest. Nam עשר litigo. In libro Radicum est עשק עירר & מריבה. Munsteri λέξις עשיר prælium, certamen. Adde si placet, litigium, contentio. Dictus R. Sal. in comment. 1. 13. עשיר על הנחלה litigat de hæreditate sive propter hæreditatem: nisi mavis, litem movet, litem excitat, i. משרה. R. David מעשיר לומר שלי הוא, litigat dicendo meum hoc est. Hinc eruimus עשיר esse μάχην, quæ fit διὰ τῶν λόγων. Sed quid מריבה? Prov. 19. & 27. דלף טרד Stillicidium continuum. Hinc טרוד qui uni negotio jugiter incumbit, & טרדה occupatio assidua, exercitium continuum. טורח continuo in opere aliquem detinere, ut cum dicunt הטורח הזה טוריחו אותו anguſtia continue exercet eum. Hoc significatu dicunt οἱ διδάσκαλοι עליה עשקין i. litigantes vel jurgantes.

§ *Jurgati essent*] התעשקו. Hoc verbum alibi non exstat. De Biblis loquor. Nam Magistri sæpe utuntur. Qui vertunt ἐσυκοφάντησαν, legerunt העשיק ut & Lxx. interpretantes ἠδίκησαν. Prætulerim ἐδικάσαντο. Santes, *quia jurgati sunt cum eo.* Arias *litigaverunt.* Alius, *litem moverunt.* Onk. & Jon. אשתעשו i. litigassent. Nam *litigati essent*, quod in Fagio, Latinum non est. Forte initio scripserat, *jurgati essent.* Posses vertere, *Esec* i. *negotium, quia negotium illis fuerat cum eo.*

21. *Et foderunt puteum alium, & litigaverunt etiam de eo: itaque vocavit nomen ejus Setna (Satna).*

Setna (Satna)] hodie שטנה i. Sitna. שטנה Satna ut פסחא Phasga, dicitur & Setna ut Nimrod, Nemrod & Namrod. Josephus habet σίτνα. ita legendum; vulgo perperam σύννα. Nam & in Rufini *Setenna, quod nomen significat inimicitias.* Græce est, ἔχθραν ὀνομάσας τὸ ὄνομα. Lxx. ἐχθρία, inimicitia. Hiero. *inimicitias.* Sic etiam Ambrosius. שטנה Onk. & Jon. immutatum servant. R. Davit exponit איבה inimicitiam. R. Sal. נזק nocumentum. Alius, *odium, contradictio.* Posset etiam verti διαβολή. Nam שטן antiqua declaratione ὁ διάβολος. Qui odium interpretantur, confundunt שטן cum שנא; unde משטמה odium. Aquila ἐγκότησις. Alius, *intestinum odium.* Hos. 9. 7.

22. *Et profectus inde fodit puteum alium pro quo non litigaverunt: unde vocavit nomen eius Rohoboth & dixit, Nunc enim dilatavit DOMINUS nobis & propagabimur in terra.*

Profectus inde] interpretamentum hoc Hiero. est. In Ebræo ויעתק משם & transtulit inde, sub. tabernaculum suum. Sic sane interpres recentior, *refigens inde tentorium.* Santes maluit, *transtulit se inde.* Rectius fortasse, *movit se inde:* quod in edit. Gallica. Lxx. ἀπάρας δὲ ἐκεῖθεν discedens aut profectus inde. ἀπαίρω proprie solvo, navi aliquo proficiscor. Hic simpliciter accipitur pro discedo, proficiscor. Onk. & Jon. ואסתלק מתמן movit aut profectus est inde. Fagius habet, *transtulit se.* Idem Gen. 12. 8. vertit *profectus est.* Vide quæ notavimus ad illum locum. Nam idem verbum in Ebræo. § *Fodit*] חפר est in Jonatha: חפר in Onk. Hoc tutum: illud in Lexicis non reperitur. Addendum ergo. Nam ut mendum sit, cum etiam in versu qui præcedit legatur, mihi non fit verisimile. § *Litigaverunt*] contenderunt, jurgarunt ἐμαχέσαντο. Hic est רבו in fonte cum accentu in ultima, cum alias ea vox accentum habeat in penultima, רבו ut רבו ut קמו. Vide Grammat. § *Rohoboth*] i. ῥοωβώθ. Ita Josephus Orig. Juda. Lib. 1 cap. 18. Editio Rufini contractius habet Roboth. Nunc est רחבות quod scribunt Rehoboth vel Rechoboth. In Eusebii locis & Hiero. Quæstio. scriptum Roboath, litteris transpositis. Id librariis imputandum. Nam non est credibile Hieron. ita scripsisse. Ejus verba sunt, *Pro latitudine, in Ebræo habet Roboth, ad probandum illud quod supra diximus, ipse ædificavit Niniven civitatem & Roboth i. plateas ejus.* Reperio & Robohoth. Editio vulgata, *itaque vocavit nomen ejus Latitudo.* i. רחב. Græca τῶν Lxx. εὐρυχωρία i. locum amplum & spatiosum q. dicas, spatiolitatem. Josephus εὐρύχωρον ὀνομάσας τὸ ὄνομα. i. spatiosum, amplum, capax, latum sive amplum spatium habens. Santes, *Rechoboth i. latitudines.* Trem. *dilationes.* Emenda, dilatationes. Nam dilatio aliud est. Vox Ebræa in communi usu sig. *plateas,* quæ sic appellantur à latitudine: εὐρυχωρία potius רחב dicitur i. latifundium. Sic interpres Chrysostomi Latine reddit. § *Dilatavit nobis*] sub. viam aut locum. Græci hoc dicunt ἐπλάτυνεν ἡμῖν, & est sensus, expedivit nos ab omnibus jurgiis & contentionibus, facilem & expeditam vitam nobis conciliavit. Sic accipies Psal. 4. 1. *in angustia dilatasti mihi* q. d. cum in maximas periculorum angustias adductus essem, tu viam salutis meæ latam fecisti, meque in tuto ac tranquillo collocasti. Et Proverb. 18. 16. *domum hominis dilatat ei* i. planum & expeditum reddit quod agit, quod petit. Hiero. *dilatavit nos.* ומרחיב. Trem. *dilatavit nobis terminos.* Santes, *dilatare fecit nos,* quod hanc sententiam continet, fecit ut dilataremus fines nostros. Nolim sequi. § *Et propagabimur*] ופרינו. Vau præt. in fut. convertit. Licet etiam vertere, *propagamur.* Nec omnino displicet, *propagati sumus.* Hoc postremum Mercero præ ceteris placet. פרה proprie fructum edere. Nam fructificare Latinum non est. Interpretes reddunt modo fætificare, modo crescere. Hic Hiero. habet *fecit crescere.* i. ופרנו. Lxx. ηὔξησεν ἡμᾶς. i. auxit nos. Santes, *& crevimus.* Trem. *ut fructuosi simus in hac regione.* Editio Gallica, *postquam DOMINUS dilatavit nobis, abundabimus in hac terra.* Gallice, *foisonnerons en ce pais.* Ceterum Onk. exemplaria variant. Nam in aliis ונפוש & crescemus. Quomodo R. Sal. hunc locum citat. In aliis vero est ויפשינגא quam lectionem secutus est Fagius. Vertit enim certe, *& crescere faciet nos.* Sic etiam Jonathan habet. Omitto Hiero. & Lxx. Forte legerunt ופרינו hoc est Joth pro Vau? Vide sis Eliam in Lex. Chaldaico.

23. *Postea ascendit Isahac Beersebam.*

24. *Ubi apparuit ei DOMINUS nocte illa dixitque, Ego sum Deus Abraham patris tui, ne timeas, quia tecum ego sum, & benedicam tibi & multiplicabo semen tuum propter Abraham servum meum.*

Ascendit] mos Scripturæ cum sermo est de profectione versus Judæam ut utatur verbo ascendendi. Contra cum aliquis ex Judæa proficiscitur, descendere dicitur. Hic ergo quæri potest utrum proprie loquatur, an *ascendit* dicat pro eo quod est, abiit, discessit, profectus est? Lxx. ἀνέβη. Onk. & Jon. סליק. Sic interpretes alii. § *Inde*] ex loco Rohoboth dicto. § *Beersebam*] vel, Bersabee. Lxx. ἐπὶ τὸ φρέαρ τοῦ ὅρκου. Jonathan, לבירא דשבע ad puteum septem. Nam à septem agnis ita vocatus fuit. § *Apparuit*] ὤφθη, visus est. § *Nocte illa*] quæ venit Bersebam. § *Deus Abraham patris tui*] quem Abraham pater tuus coluit. Ita circumloquitur verum Deum, qui & Deus Isahac, & Deus Jacob. Gen. 28. 13. Exod. 3. 6. Aliquando simul ista leguntur Deus Abraham, Deus Isahac, Deus Jacob, ut in memorato loco Exod. & Matth. 22. 32. § *Quia ego tecum sum*] μετὰ σοῦ γάρ εἰμι. Onk. & Jon. *quia sermo meus est tibi auxilio.* Verbum pro verbo, in auxilio tuo. § *Benedicam tibi*] sic Interpretes omnes quos vidi, etiam Chaldæi & Græci, nisi quod in antiquis libris editiones Græcæ εὐλόγησά σε, *benedixi tibi.* Nam verbum præteritum in fonte: sed Vau copula, ut fit, in futurum illud convertit. § *Semen tuum*] *filios tuos.* Ambo Chaldæi. § *Propter Abraham*] *ob meritum Abrahæ.* Jonathan. § *Servum meum*] עבדי. Lxx. τὸν πατέρα σου. Porro autem servire est colere. Hinc servus Dei vocatur qui rite Deum colit. R. David Psal. 18. 1. qui ut servus Dominum suum, ita Deum observat & reveretur, in eoque solo fiduciam suam locat, dicitur servus Dei. Sunt qui non tam cultum, quam redemtionem significari putent. Ita omnes servi sumus, non hominum, sed Dei, qui nos redemit sanguine filii sui ut illum pure ac sancte colamus.

25. *Itaque ædificavit ibi altare & invocavit nomen DOMINI, tetenditque ibi tabernaculum suum: & foderunt ibi servi Isahac puteum.*

Ædificavit ibi altare] Ut gratum se declararet erga Deum, qui ei apparuerat in loco illo, extruxit altare ad sacrificandum, & invocavit nomen DOMINI hoc est coluit ibi Deum. Quod ambo Chaldæi precandi verbo significant. § *Tetenditque ibi tabernaculum suum*] sunt qui legant, *tabernacula sua.* Nam etiam uxori & servis tabernacula erant. Notum autem ut sing. ponatur pro plur. Sic Gallica editio, *& tendit là ses tabernacles.*

cles. ❡ *Tetendit*] Nam in animo habebat ibi commorari. ❡ *Tabernaculum suum*] אהלה cum ה in fine, libri editi, quos vidi: item Massora. Ceterum in correctione libri Legis אהלו legitur, ut etiam in libris emendatioribus. Quin varietas est in Massora. Nam sunt exemplaria quæ non numerant hunc locum inter ea ubi He pro Vau scriptum sit. Vide notas marginales editionis Venetæ secundæ. ❡ *Et foderunt*] ויכרו. Chaldaice וכרו. Quanquam in Jonatha וחפרו qui locus amplius confirmat ea quæ scripsimus de verbo כרה supra vers. 21. aut 22. ❡ *Puteum*] quartum.

26. *Porro Abimelech venit ad eum de Gerar & Ochozath amicus ejus & Phichol dux exercitus ejus.*

Venit] הלך Santes vertit, *ivit.* Lxx. ἐπορεύθη. & Jonathan אזל. Sed sciendum הלך & בא vicissim permutari. Nam & בוא Eo significat, & הלך venio. Sic interpretantur hoc loco Hiero. Trem. Galli Genevenses. Sed & Onk. habet אתא. i. venit. Non ergo dubitandum de hac versione. ❡ *Ochozath amicus ejus*] ואחזת מרעהו Lxx. καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, & Ochozath Nymphagogus ejus. Vulgo reddunt pronubus ejus. Sed pronubus παράνυμφος. Nymphagogus proprie qui sponsam sponso adducit ex ædibus paternis. Quanquam in Glossario veteri, νυμφαγωγός, pronuba. Idem Glossarius, Pronuba, παράνυμφος. Editio Hieronymi, *& Ochozath amicus illius.* Idem in Quæstionibus sive Traditionibus Ebraicis, *Pro Ochozath pronubo, in Ebræo habet collegium amicorum ejus, ut non tam hominem significet quam amicorum turbam, quæ cum rege venerat: in quibus fuit Phichol princeps exercitus illius.* Onk. וסיעת מרחמוהי cum grege amicorum suorum. Hic (&) reddo per (cum). Sic in Ebræo fonte quidam legunt, *cum Ochozath sive Achuzath amico suo, & Phichol duce exercitus.* סיעא coetus, grex, comitatus. Gallice *suite.* Fagius barbare *cum comitiva amicorum suorum.* Jonathan, *prehendit amicos suos ut irent secum.* Pro מרעהו פירוש. R. Salomo ex Onk. citat מרעהו quod interpretatur מאוהביו ex amicis ejus. Potius ut מ sit littera heemantica quæ & cum Scheva legitur in מרעהו amici ejus Prov. 19. Nec obstat אחזת in forma regiminis. Nam præpositiones non impediunt semper constructionem. Sic apud Davidem חוסי בו sperantes in eo. Is tamen mavult ut sit enallage status constructi pro absoluto. Qualia sunt שכרת ebria, & עזרת מצר auxilium ab adversario, & alia non pauca. אחזת autem interpretatur לשון קבוצת אוהבים שאחזו זה ,[illegible] Hucusque Rabinus ille. Hiscum, *sunt qui* אחזת *dicant esse nomen viri.* מרעהו autem exponunt amicus vel socius ejus, ut alibi למרעהו ויתנה dedit socio suo. (מרעים Amici, vid. Rad. Camii.) Hanc sententiam stabilit Massora לית כוותיה בשם איש alibi non reperitur pro nomine hominis aut viri. Ergo Santes interpretatur, *Achuzath amicus ejus:* & Trem. cum Achuzato amico suo, & Gallica editio, *Ahuzath son amy.* Eadem in margine habet, *une suite de ses amis.* ❡ *Phichol*] פיכל quod recte scribunt Lxx. Φιχόλ: minus recte alii Phicol, aut Pichol, aut etiam Picol. Nam analogia postulat Phichol. Hujus mentio & Gen. 21. qui una cum Abimelecho venit ad Abrahamum. Sunt qui nomen commune putant esse ducum exercitus, quod ab eorum ore omnes penderent. Nam פי os & *Chol* omnes. ❡ *Dux exercitus*] Hiero. *dux militum:* Alii, *princeps exercitus.* Lxx. ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, ubi per δύναμιν intelligo exercitum, veluti cum Deus vocatur κύριος δυνάμεων i. exercituum.

27. *Dixitque eis Isahac, Cur venistis ad me, cum vos oderitis me & diviseritis me à vobis?*

Cum vos oderitis me] ואתם שנאתם אתי & vos odistis me, ὑμεῖς δὲ ἐμισήσατέ με. Odii signum erat non obscurum. ותשלחוני מאתכם & dimisistis me à vobis, καὶ ἐξαπεστείλατέ με ἀφ' ὑμῶν. Hic Hiero. habet, *& expulistis à vobis.* Sic etiam Jonathan. Siquidem תרכתון sig. expulistis me. Hoc significatu sumitur Gen. 3. 23. וישלחהו מגן עדן & expulit eum ex horto Eden. Deut. 24. *dimittat eam è domo sua.* i. expellat. ❡ *A vobis*] מאתכם ad verbum, *à cum vobis.* Id Santes explicat, *ne essem vobiscum.*

28. *Et dixerunt, Videndo vidimus DOMINUM tecum esse, & diximus, sit nunc juramentum inter nos: inter nos, inquam, & inter te, & ineamus fœdus tecum.*

Videndo vidimus] plane vidimus, aut vidimus vidimus. Sic alibi, *videndo vidi vexationem populi mei,* quod explicant, vidi vidi. ❡ *Sit nunc juramentum inter nos*] Onk. *Ratum sit* (Firmetur, stabile sit) *nunc juramentum quod fuit inter patres nostros inter nos & te.* Pro בינותינו videtur legisse שבינותינו בין. Jonathan, *stabile sit nunc iuramentum quod fuit inter nos, & humiliationes* (כבשין) *sint inter nos & te.* R. Salo. *sit nunc juramentum quod inter nos fuit à diebus patris tui, sit, inquam, nunc etiam inter nos & te.* ❡ *Juramentum*] אלה proprie juramentum cum execratione. Sane Lxx. reddunt ἀρά, & alius recentior interpres, execratio, & ambo Chaldæi מומתא & Hiero. juramentum, & autores editionis Gallicæ, *serment avec execration.* Vid. sup. 14. 23. & 24. 41.

29. *Si feceris nobis malum, sicut non tetigimus te, & sicut fecimus tibi duntaxat bonum, & dimisimus te cum pace: tu nunc es benedictus DOMINI.*

Si feceris nobis malum] si affeceris nos malo. Sunt qui in his locis *si* per *non* interpretentur. Dubito an bene. Desideratur quippiam; ut fieri solet in juramentis. Sic alibi, *Si Davidi mentiar: Si introibunt in requiem meam.* Subintelligitur autem, Sim vanus, habear mendax, aut aliquid tale. Hic subaudiendum aliud. Nam sententia est ut si diceret, Ineamus fœdus tecum. Fœderis hæc erit lex & conditio ut amicitiam nobiscum colas, ne malefacias nobis. Si contra feceris, tum eris violator illius fœderis, incidesque in pœnam violatoribus debitam. עמנו ad verb. *nobiscum.* Si feceris nobiscum malum, non est Latina oratio. Ideo mutant in *si egeris nobiscum male:* nos aliter mutavimus. Lxx. μὴ ποιήσειν μεθ' ἡμῶν κακόν. Hiero. *ut non facias nobis quicquam mali.* Trem. *dira tibi imprecare, si nos affeceris malo.* ❡ *Non tetigimus te*] non læsimus te. ἐβδελυξάμεθα. Id Onk. dixit לא אנזקינך non nocuimus tibi. Jonathan, *non appropinquavimus ad te in malum.* Minus recte Hiero. *nihil tuorum attigimus.* Nec melius Lxx. οὐκ ἐβδελυξάμεθά σε, non te sumus abominati. Nam tangere non est abominari, sed lædere, nocere. Hoc sensu accipies illud, *Nolite tangere Christos meos.* Vid. Gen. 20. 6. Nec omittendum Ruth. 2. 9. *Ne tangerent te,* ubi Hiero. habet, *ne quis molestus esset tibi.* ❡ *Duntaxat bonum*] רק טוב tantum bonum. q. d. tantum abest ut te læserimus, ut nihil aliud quam beneficio affecerimus. Minus dicit Hiero. referens, *nec fecimus quod te læderet.* Lxx. melius ἐχρησάμεθά σοι καλῶς, bene te usi sumus. Qua fronte audetis hoc dicere? Nam negotium exhibuistis servis ejus de puteis, quos effoderant. Hoc primum: deinde jussistis illum discedere à vobis. Hoc si beneficium est, tum beneficium dici potest cum latrones aliquem spoliant, si el vitam non adimant. ❡ *Dimisimus te*] non expulimus, sed dimisimus. Eodem verbo usus est supra, ubi partim interpretum, *expulistis me.* ❡ *Cum pace*] μετ' εἰρήνης. Ebraice, בשלום in pace. i. salvum & incolumem, vel, si mavis, salvis personis, salvis rebus tuis. ❡ *Tu nunc benedictus es DOMINI*] eodem redit, quod in Lxx. καὶ νῦν εὐλογημένος σὺ ὑπὸ κυρίου, & nunc benedictus tu à DOMINO. Onk. & Jonath. nihil variant ab Ebræo. Hiero. *auctum benedictione DOMINI:* Sensum expressit, non verba. Trem. *tu nunc annue benedicte Jehova.* R. Sal. *Etiam tu fac nobis ita.* Gallica editio, *tes maintenant benit de l'Eternel: tu nunc benedictus DOMINI:* licet etiam vertere, *tu nunc benedicte DOMINI.* Nam verba ambigua sunt ad utramque sententiam. ❡ *Benedictus DOMINO*] Vid. sup. 24. 31.

30. *Et fecit eis convivium & comederunt & biberunt.*

31. *Et surrexerunt mane & juraverunt sibi mutuo; ita dimisit eos Isahac & discesserunt ab eo cum pace.*

Fecit eis convivium] facere convivium etiam Latini dicunt. Catul. Epigram. 44. *facere lauta convivia.* Lxx. ἐποίησεν αὐτοῖς δοχήν. Lexicon vetus, δοχή, exceptio. Possis vertere, *excepit eos convivio.* ❡ *Sibi mutuo*] vir fratri suo i. alter alteri, invicem. ❡ *Dimisit*] cum honore. Jonathan, ואלוינון deduxit eos. ❡ *Cum pace*] בשלום in pace. Hiero. *pacifice.* Lxx. μετὰ σωτηρίας, cum salute. Notum ut שלום salutem notet.

32. *Fuit autem die illo ut venirent servi Isahac, & indicarent ei de negotio putei quem foderant, & dixerunt ei, Invenimus aquam.*

33. *Unde vocavit eum Sebah: propterea nomen urbis illius Beerseba usque in diem hunc.*

Die illo] tempore illo. ❡ *De negotio putei*] vel, *de puteo.* Ebraice על אדות הבאר de rationibus putei. Onkelos & Jonathan, על עסק בירא de negotio putei. Mercerus *de iis quæ pertinerent ad puteum.* Lxx. περὶ τοῦ φρέατος. Hiero. *de puteo.* Sic fere alii translatores. Reperitur hæc particula Gen. 21. 11. & 25. Porro puteum intelligit de quo vers. 25. ❡ *Ei*] לו est in libris omnibus quos vidi: idque legunt Hiero. Onk. ceterique interpretes præter Lxx. qui videntur mihi legisse לא. Nam vertunt οὐχ εὕρομεν ὕδωρ, sententia id mirifice improbante. ❡ *Sebah*] שבעה Sibah vel Sebah, vel etiam Sabaa ut גבעה Gabaa. Appellatio à juramento, quod ibi præstitum cum fœdus inirent inter se Abimelech & Abraham. Itaque Græci reddunt ὅρκος. Nec male ita reddunt, meo judicio. Vide quæ scripsimus supra 21. 31. Quanquam שבע in communi usu septem. Idem שבע unde quidam existimant, à septem agnis puteum ita dictum.

 Nam

Nam juramentum proprie שבועה dicitur. Hiero. & cum eo alii nonnulli legerunt olim שָׂבְעָה: id sonat abundantia, saturitas, quæ Græce πλησμονή. Verba Hiero. hac de re sunt, *Nescio quomodo in Lxx. interpretibus habeatur & dixerunt ei non invenimus aquam: & vocavit nomen ejus juramentum. Quæ enim etymologia est, propterea vocari juramentum, quod aquam non invenissent? E contrario in Ebræo, cui interpretationi Aquila consentit & Sym. hoc significat, quod invenerint aquam & propterea appellatus sit puteus ipse saturitas, & vocata civitas Beer Saba, hoc est, puteus saturitatis. Licet enim supra ex verbo juramenti sive ex septenario ovium numero, quod Sabe dicitur, asserimus Bersaba appellatam, tamen nunc ex eo quod aqua inventa est, Isahac ad nomen civitatis, quæ ita vocabatur, alludens, declinavit paululum litteram, & pro stridulo Ebræorum Sin, à quo Sabe incipitur, Græcum Sigma, hoc est Ebræum Samech posuit.* ¶ *Vocavit eum*] renovavit nomen ejus. Nam prius ita vocatus fuit. Sed quis vocavit? Utrum Isahac, an alius quispiam? ¶ *Beersefa*] Φρέαρ ὅρκου. בְּאֵר puteus. שֶׁבַע juramentum, aut, ut alii, septem. Nempe à septem agnis, quorum mentio in fœdere illo. Sed prius verius. Nam in textu כי נשבעו שם, quia juraverant ibi. Aben. *Vocatur ita propter duas res, aut est urbs alia.* Non obscurum quid velit. Ut sit urbs alia mihi non fit probabile. Onk. בארא שבע. Jonath. ביר שבע quod legebant olim Bersabe. ¶ *Usque in diem hunc*] Usque in hodiernum sive præsentem diem.

34. *Porro Esau erat 40. annorum, cum acciperet Judith filiam Beeri Hetthæi, & Basmath filiam Elon Hetthæi.*

35. *Quæ fuerunt amaritudo spiritus Isahaco & Rebeccæ.*

Judith] יְהוּדִית Judith, ut יְהוּדָה Juda. Aliquando est nomen gentile, & tum sig. Judæam mulierem, ut יְהוּדִי Judæum. Hanc Aben. sterilem fuisse scribit, hoc est, sine prole. *Nam non genuit*, inquit, *ex ea.* Unde hoc scivit? Rasi eam esse censet quæ infra Oholibama vocatur, videlicet cap. 36. ¶ *Beeri*] בְּאֵרִי In Lxx. Βεώχ. puto erratum esse manus aberrantis. Nam in aliis editionibus Βεώρ. Legitur & Βεήλ: ex quo facile restituere veram lectionem Βηρεί. ¶ *Basmath*] vel Basemath, quod Græci scribunt Βασεμμάθ. Quanquam in nonnullis libris Basemcath. Hæc Ada vocatur cap. 36. Fuit ergo διώνυμα. Quod novum non est in his litteris. Abenez. scribit centum exempla extare in Scriptura. ¶ *Elon*] In LXX. ἐλών. Scribi debet leniter non cum aspiratione. Sed est cur malim ἠλὼν prima producta. Ebraice אֵילֹן. ¶ *Quæ fuerunt amaritudo spiritus*] מרת רוח verti, ut sonat, *amaritudo spiritus*. Nam מֹרָה amaritudo. Thema מרר. Lxx. καὶ ἦσαν ἐρίζουσαι τῷ Ἰσαὰκ i. contendentes cum Isahac. Editio Romana, *renitentes* maluit. Hiero. *Quæ ambæ offenderant animum Isahac.* On. מסרבן ומרגזן rebellantes & irritantes, vel potius rebelles, refractariæ, contumaces & מרגזן provocatrices. vult dicere, quæ Isahacum ad iram provocabant. Jonathan, *erant incurvantes se in cultu extraneo & intendentes rebellare operibus suis malis Isahaco & Rebeccæ.* Autor Jerosol. *Erant rebelles & inflato animo colentes cultum extraneum & non recipiebant doctrinam neque ab Isahaco neque à Rebecca.* Santes, *& irritabant spiritum Isahac.* Trem. *amaritudini erant animis.* Gallica, *en amartume d'esprit.* Qui vertunt, *rebelles*, in mente habuerunt סורר ומורה. Videndus Abenezra.

A M A M A.

IN hoc & sequentibus multa sese offerunt castiganda, leviuscula quidem si cum aliis conferantur, attamen ejusmodi quæ in fideli Interprete minime possint excusari. Nos paucula ex multis annotabimus, in quibus sensum mentemque Mosis non expressam arbitramur.

11. Ebr. *Qui tetigerit hominem istum & uxorem ejus, morte moriatur.* Vulg. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem morte moriatur.*

Clare distinguuntur maritus & uxor, באיש הזה ובאשתו Vau per *vel aut* exponere licebit, ut alibi, *Qui maledixerit patri & matri.* Sensus, aut matri. Cajetanus, *Utrique providit Abimelech, & vitæ Isaaci & pudicitiæ Rebeccæ.* Unde & Græci Ebræa κατὰ πόδα reddidere, πᾶς ὁ ἁπτόμενος τοῦ ἀνθρώπου τούτου καὶ τῆς γυναικὸς &c.

20. Ebr. *Vocavitque nomen putei* עשק *eo quod* התעשקו *rixati essent cum eo.* Vulg. *Quamobrem nomen putei ob id quod acciderat vocavit calumniam.*

Ob id quod acciderat, inquit Vulg. At quid acciderat? Id initio versus exprimitur per ויריבו *& litigarunt*, & in fine hujus versus per synonymum התעשקו rixati sunt, unde ergo calumnia? An calumnia hoc loco lis, litigium? Puto durum nimis hoc fore. Quid ergo? Vulgatus legit עשק cum puncto in dextro cornu, id significat oppressionem vel violentam vel fraudulentam. Unde subinde videas illud expressum per συκοφαντεῖν. Certe Cohel. 4. 1. עשקים. Symm. συκοφαντουμένους. Vulg. *calumnias*, atque ipsum verbum Vulgatus passim per *calumniari* reddidit. At omnes codices legunt עשק. Et sic sæculo Chaldæorum, vertunt enim עסק. ש in ס more Chald. verso.

33. Isaac nomen putei vetustate obliteratum renovans vocavit eum שבעה juramentum. Vulgatus reddit *Abundantia* id est שבעה cum puncto in sinistro cornu. (*a*) At non solum hodierni codices omnes legunt per Schin, sed & veteres ante Vulgatum sic legisse Lxx. testes sunt, dum vertunt ὅρκος juramentum, & postea φρέαρ ὅρκου. Sed de eo vide Gen. 21. 31.

(*a*) Cajet. *juxta Ebr. habetur, vocavit puteum ipsum juramentum, hoc enim nomen quadrat tum Ebrææ dictioni, tum eventui qui illo die fuit.*

G R O T I U S.

8. I*Ocantem cum Rebecca uxore sua*] παίζοντα [*ludentem*] Lxx. quod Hebræo bene respondet, id est attrectantem eam liberius quam mos ferebat in alienam.

10. *Induxeras super nos grande peccatum*] At Lxx. ἄγνοιαν [*ignorantiam*]. Quomodo vox Hebræa אשם vertitur II Paral. XXVIII. 13. Ezech. XL. 40. XLIV. 29. quæ alibi πλημμέλεια, πλημμέλημα, πλημμέλησις [*negligentia*] interdum ἁμαρτία [*peccatum*]. Vocem igitur satis generalem restrinxere Græci interpretes ad speciem eam de qua hic agebatur, plane quasi positum esset שגגה [*error*].

11. *Præcepitque omni populo*] Hoc barbari dicerent: dedit illi salvagardiam.

12. *Invenit in ipso anno centuplum*] Cum centesimo fœnore in illis locis messes interdum reddi ex Plinio supra ostendimus.

16. *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde*] Ostracismus. Vide Aristotelem Politic. III. 13.

18. *Servi patris sui Abraham.*] Sic Samaritanus, Syrus, Lxx. qui omnes pro בימי [*in diebus*] videntur legisse עבדי, quod interdum παῖδες [*pueri*], interdum δοῦλοι [*servi*] vertitur.

20. *Calumniam*] Græci ἀδικία [*injustitia*]. Id esset עשק cum schin dexteri puncti. At nunc in Hebræo sinistrum scribitur. Apparet ea discrimina olim non fuisse.

33. *Abundantiam*] Hic quoque Latinus legit schin sinistrum, at Græci dextrum, ut Hebræi codices nunc habent: legerunt enim φρέαρ ὅρκου [*Puteus jurisjurandi*], ut supra 24. fit nomen κατὰ πρόληψιν [*anticipando*]. Idem nomen ex pari causa loco alteri supra XXI. 33. באר puteus: unde Beryto nomen facit Stephanus, & ex eo Hesychius.

35. *Offenderant animum Isaac & Rebecca.*] Quod abhorrent à doctrina pietatis.

C A R T W R I G H T U S.

4. O*Mnes terras hasce* אֶת־כָּל־הָאֲרָצֹת הָאֵל.] Baal Turim Cabbalistice (ut solet) notat vocem הארצת defective scribi sine ו, cumque littera ista in numeris sex denotet, hoc ideo factum vult, quod Deus posteris Isaaci terras istas daturus esset post sex generationes, nempe Isaacum ipsum, Jacobum, Levi, Kohathum, Amramum, & Mosen. Sed in hujusmodi observationibus nihil solidi reperitur.

5. מִשְׁמַרְתִּי מִצְוֺתַי *Observationem meam, mandata mea.*] Vulg. *Præcepta & mandata mea.* Lyra ait, *ea esse, quæ sunt de dictamine rationis recta, & servanda etiamsi nulla lex esset posita*; ut reddere depositum, & similia. At vox משמרת à שמר *servare, vel observare*, generale esse videtur, ut hic notat Aben Ezra, ac comprehendere quicquid à Deo observandum præcipitur. Æque late patere etiam videtur nomen מצוה à צוה *mandare*. Kimchi in Psalm 119. in initio, docet dictionem פקודים (quæ hic non habetur, sed in isto Psalmo alibique in Scriptura frequens est, & præcepta exponitur) ea denotare *præcepta, quæ sunt de dictamine rationis*, quæque in corde hominis naturaliter sunt posita, quasi פקדון, i. e. *depositum.*

חֻקּוֹתַי וְתוֹרֹתָי *cerimonias meas, seu statuta mea, & leges meas*] Lyra ait, חקים cerimonias, seu statuta. ea esse, quæ pertinent ad modum colendi Dei; & תורות leges esse ista, quæ non obligant, nisi quia sunt à Deo, vel homine instituta, vel præcepta.

pta. At hanc esse vim vocis חקה docet hic R. Salomon, à quo mirum est Lyram dissentire. Asserit enim R. Salom. חקה significare illiusmodi mandata, de quibus ratio reddi non potest, nisi quod regi servis suis visum sit ista præcipere. In exemplum affert mandatum de carne porcina, item de veste ex lana & lino confecta. Cum R. Salomone consentit Kimchi in Psalm. 119. Ubi statim ab initio vocem חקים sic explicat, כמו מצות שלא נגלה טעמם, i.e. *Vox ista ejusmodi denotat mandata, quorum ratio non est in aperto.* Quod autem spectat vocem תורה, quæ exponitur *lex*, eam Kimchi ibidem ita interpretatur, היא הנהגת המצות היאך נעשים, i.e. *Est ordinatio seu dispositio mandatorum, seu eorum, quæ mandata sunt, ostendens quemadmodum fieri debeant.* Ut תורת החטאת, i.e. *Lex sacrificii pro peccato*; תורת האשם, i.e. *lex sacrificii pro delicto.*

8. *Et ecce Isaac* מְצַחֵק *ludens, &c.*] In Hebræo est paronomasia, יצחק מצחק. Isaac nomen habuit à צחק, quod est *ridere*, vel *ludere.* Lusum honestum, qualis esse inter conjuges solet, in quo nihil est obsceni, aut lasciviæ (ut Hebræi salaciores putant) intelligo, inquit Mercerus. Perstringit, opinor, R. Salomonem, qui ait Abimelechum vidisse Isaacum משמש מטתו, i.e. utentem cubili suo, seu cum uxore sua coëuntem. Lyra primo eodem modo exponit quo R. Salomon; postea autem addit, alias dicere, quod Abimelech vidit Isaacum amplexantem vel osculantem Rebeccam, quod non faciebant viri nisi cum uxoribus propriis. Atque hoc posteriori modo exponendum esse non immerito censet Burgensis. Scholiastes autem Græcus R. Salomonis sensum secutus videtur; Nam ad versionem LXX. Interpretum, quæ sic habet, ἴδε τὸν Ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ Ῥεβέκκας, &c. hanc apponit notam, ἀσχημόνως εἴρηται, i.e. *verecunde seu honeste dicitur.* Innuere videtur rem fuisse obscœnam, etiamsi verbis haud obscœnis non sit expressa.

10. כִּמְעַט שָׁכַב אַחַד הָעָם אֶת־אִשְׁתֶּךָ *Propemodum concubuisset unus ex populo cum uxore tua.*] R. Salom. exponit, המיוחד בעם זה המלך, i.e. *is qui unicus est in populo, nempe* (a) *rex.* Sic Chald. חד דמיחד בעמא, i.e. *unus, qui unus est in populo.* Fagius reddit, *unus ex populo*; in Annotationibus autem ait ad verbum esse qui *unicus est in populo*, q.d. *Ego, qui primas teneo in populo.* In priori versione omittit vocem דמיחד, i.e. qui *unicus* est; in posteriori vocem חד, i.e. *unus.* Verba autem Hebræa simpliciter sonant, *unus è populo*; ut interpretatio ista Chaldæi, & R. Salomonis minus simplex videatur. LXX. τις ἐκ τοῦ γένους μου, *quidam ex genere meo.* Optime vulg. *quispiam de populo.*

Et induxisses super nos אָשָׁם *reatum.*] Chald. חובא, i.e. *reatum*, vel *peccatum.* LXX. ἄγνοιαν, *ignorantiam.* Peccata vocantur ἀγνοήματα, Hebr. 9. 7. & qui peccant, ἀγνοοῦντες, Hebr. 5. 2. Camero notat ἄγνοιαν apud LXX idem esse quod אשם & אשמה, istasque voces etiam significare *atrox scelus*, esseque id ipsum, quod פשע, quod *prævaricationem & rebellionem* denotat. Aquila & Symmachus hic habent πλημμέλημα, i.e. *delictum.* Vulg. *grande peccatum.*

12. *In terra illa —— in anno illo.*] R. Salom. putat ista signanter dici; q. d. Etiamsi nec terra ista comparanda esset cum terra Israelitica, nec annus iste cum aliis annis, quippe quod isto anno fames fuit. Similiter Lyra, quod ad posteriora verba attinet; Ad ostendendum (inquit) quod fuit ex speciali dono Dei, quia ille annus non fuit fertilis; ad quod denotandum signanter dicitur, *in ipso anno.* Sic ille. At etiamsi anno isto fames esset in terra Canaan, consequens tamen non est etiam fuisse in terra Philistæorum; neque enim tunc, opinor, vitandæ famis gratia se eo Isaac conferre voluisset.

מֵאָה שְׁעָרִים *Centuplum.*] Ad verb. *centum mensuras.* LXX. ἑκατοστεύουσαν κριθήν, *centuplicans hordeum*, ut in Edit. Rom. habetur. Hieron. in Tradit. habet, *centuplum hordei.* At non שערים, sed שעורים est hordeum. Hieronymus igitur præfert interpretationem Aquilæ, ἑκατὸν εἰκασμένων, i. e. (ut Hieron. interpretatur) *centuplum æstimatum.* Chald. על חד מאה כרשיער, i.e. *pro uno centum plus quam æstimaverat*, uti vertit Fagius. Ad verbum videtur sonare, *pro uno centum in mensuris suis*; eodemque modo exponit Jonathan. Vulg. *centuplum.*

14. וַעֲבֻדָּה רַבָּה *Et familia plurimum.*] Sic Vulg. Et sic Fagius vertit Chaldaica, ועבידה סגי *& familia* (b) *multa.* Quin & Aben Ezra exponit, עבדים ושפחות, i.e. *servos & ancillas.* Cum autem verbum עבד & *servire* significat, & *colere* terram, עבודה etiam exponi potest *cultura.* Sic R. Salom. פעולה רבה, i. e. *opus multum.* Et LXX. γεώργια πολλά, *agricolationes multæ*; sic in Edit. Rom. Latine vertitur. Mercerus etiam hic mavult culturam voce Hebraica denotari. Et similiter ad Job. 1. 3. ubi eadem verba habentur. Quin & utrobique citat Kimchium exponentem תבואת האדמה, i.e. *terræ proventus*, vel *reditus*, qui scil. *ex terræ cultura proveniunt.* Quanquam cultura à proventu diversa esse videtur. Utraque autem expositio eodem pene recidit.

17. בְּנַחַל *In valle.*] Hiero. in Tradit. *torrentem vertit.* Neque enim (inquit) Isaac postquam magnificatus est, in valle habitare potuit; habitavit autem in torrente, de quo scriptum est, *De torrente in via bibet.* Et mox, *Nunquam enim in valle invenitur puteus aquæ vivæ.* Hoc ille; quæ quid sibi velint, haud facile est intelligere. Masius ad Jos. 12. 1. notat נחל esse locum in alvei speciem depressiorem, sive aquis coopertus sit, sive humore careat. Vulg. (ut etiam notat Masius) torrentem interpretatur, LXX. autem φάραγγα, i. e. *vallem.*

20. וַיָּרִיבוּ *Et contendebant.*] LXX. ἐμαχέσαντο, *pugnabant.* Scholiastes explicat, ἐδικάσαντο, *disceptabant.* Ipsi LXX. vers 21. pro וירבו habent καὶ ἐκρίνοντο, quod idem valet. Vide supra ad cap. 13. 7.

26. וַאֲחֻזַּת מֵרֵעֵהוּ *Et Ahuzzah (unus) ex amicis ejus.*] Chaldæus sumit אחזת appellative, וסיעת מרחמוהי, i. e. (ut Fagius vertit) *cum comitiva amicorum suorum.* Chaldæum sequitur R. Salom. & ait, אחזת hic significare *cœtum vel multitudinem hominum inter se coëuntium.* Nec mirandum ait esse non אחזה, sed אחזת in forma regiminis, etiamsi vox sequens non sit in genitivo; alibi enim in Scriptura ita reperiri. Similiter Hieron. in Tradit. exponit *collegium amicorum ejus*; & non tam hominem significari ait, quam amicorum turbam, quæ cum rege venerat. LXX. καὶ Ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, *& Obozath pronubus ejus.* Quam interpretationem non immerito miram censent Fagius & Gualtperius.

28. *Sit nunc juramentum* בֵּינוֹתֵינוּ בֵּינֵינוּ וּבֵינֶךָ *inter nos; inter nos, & inter te.*] Chald. *Confirmetur nunc juramentum, quod fuit inter patres nostros, inter nos & inter te.* Similiter R. Salom. *Sit nunc juramentum, quod fuit inter nos à diebus patris tui, sit* (inquam) *etiam nunc inter nos, & inter te.* LXX. γενέσθω ἀρὰ ἀνὰ μέσον ἡμῶν, καὶ ἀνὰ μέσον σου, *sit imprecatio inter nos, & inter te.* Vulg. *Sit juramentum inter nos.* Particulam נא, quam Chaldæus interpretatur כען, i. e. *nunc*, omiserunt, & semel tantum posuerunt, *inter nos*, cum in Hebræo bis sit positum; idque vel eo sensu, quo Chaldæus & R. Salom. exposuerunt, vel ob emphasin, *inter nos, inter nos* (inquam) & *inter te.*

33. *Et vocavit eum* (nempe puteum) שִׁבְעָה *Sheba.*] על שם הברית inquit R. Salom. i. e. *propter fœdus*, scil. inter eos initum. Videtur שבעה hic idem valere quod שבועה, i. e. *juramentum*, quo nimirum in fœdere ineundo se invicem obstrinxerunt. Sic Gen. 21. 31. dicitur nomen loci istius fuisse באר שבע *Beer Sheba*, propterea quod ibi נשבעו, i. e. *jurabant alter alteri*; licet etiam ibi dicatur Abraham dedisse septem (Hebr. שבע) *agnos Abimelecho.* LXX. καὶ ἐκάλεσεν αὐτὸ ὅρκος, *& vocavit eum, Juramentum.* Hieron. in Tradit. secutus Aquilam & Symmachum, vertit שבעה *saturitas*, & *Beer Sheba* interpretatur, *puteus saturitatis.* Sic vulg. unde appellavit eum *Abundantiam.* Licet enim (inquit Hieron.) supra ex verbo juramenti, sive ex septenario ovium numero, quod *Sabe* dicitur, asseruimus *Beersaba* appellatum; tamen nunc ex eo, quod aqua inventa est, Isaac ad nomen civitatis alludens, declinavit paululum literam, & pro stridulo Hebræorum Sin, à quo Sabe incipitur, Græcum Sigma, id est, Hebræum Samech posuit, &c. Hinc (ut notavit Drusius) apparet Hieronymum post Aquilam & Symmachum, legisse שִׂבְעָה non שִׁבְעָה, uti nunc legitur, atque etiam legerunt LXX. Illud etiam notandum Hieronymum vocare literam שׂ cum puncto ad sinistram, *Samech*, quia eundem plane sonum habent שׂ *Sin*, & ס, *Samech.* Nisi forte dicendum sit Hieronymum legisse non שבעה, sed סבעה, quod tamen nescio quomodo dici possit, cum שבע, non autem סבע saturitatem significet. Propterea non video quomodo defendi queat, quod Ludovicus Capellus in erudita sua Diatriba de arcano punctationis revelato, lib. 1. cap. 15. asserit, Hieronymum literæ ש unum tantum sonum assignare, non geminum; Nam hic ipse Hieronymi locus, quem ibi citat Capellus, contrarium mihi videtur evincere, cum Hieronymus etiamsi ש, etiam cum punctum ad dextram habet, *Sin* appellet, tamen stridulum habere sonum asserat, qualem nimirum non habet in dictione שבע pro saturitate usurpata, quando scil. cum puncto ad sinistram posito legitur. Quod autem hunc locum spectat, Mercerus ait Abrahamum *Beersbebam* à juramento, non à septem agnis appellasse, ac Isaacum consono nomine puteum vocasse שבעה, ac LXX. Interpretes recte vertisse ὅρκον, licet eos Hieronymus reprehenderit. Hieronymum hic sequitur

(a) *Sic Jonathan*, rex qui unicus est in populo. *Hierosolym.* unus adolescens. (b) *Ita habet Editio Basiliensis; at Veneta in octavo habet* ופולחן סגי & servitus multa, i. e. servi multi; *atque ita etiam in Targum Jonathanis habetur.*

tur Senensis Bibl. S. lib. 5, annotat. 106. Ego autem Mercero assentior. Drusius existimat LXX. qui ὅρκον verterunt, alii punctis seu vocabulis legisse, nempe שְׁבֻעָה. At ex Gen. 21. 31. cum hoc loco collato videtur שֶׁבַע & שִׁבְעָה æque ac שְׁבוּעָה juramentum denotare, licet שבועה frequentibus eo sensu usurpari soleat. Hieronymus minus constans fuisse videtur. Nam libro de locis Hebraicis ait, באר שבע *Bersabee* interpretari puteum juramenti, eo quod ibi Abraham & Isaac fœdus cum Abimelech sociaverunt jurantes. Respexit procul-dubio ad locum Gen. 21. 31. & ad hunc locum.

Propterea nomen urbis istius est Beersheba, &c.] Aben-Ezra ait urbem istam ob duas caussas ita fuisse appellatam: vel hanc aliam fuisse urbem (nempe ab illa, de qua fit mentio cap. 21.) sed parum probabile videtur hanc ab altera fuisse diversam. Existimarim potius Isaacum renovato cum Abimelecho fœdere, etiam nomen loci renovasse, vel de novo confirmasse; id quod Hieron. de locis Hebr. sensisse videtur. Sic Lyra, Prius (inquit) ei nomen impositum, sed tunc fuit iterum de novo confirmatum. Addit Lyra, *Beer* Hebraice idem esse quod *puteus*; *Sabee* autem significare *septem*, & *juramentum*, & (*a*) *satietatem*, & ex tribus istis significationibus locum vocatum fuisse *Beersabe*; primo scil. *propter septem agnas*, quas ibi statuit Abraham, ut habetur cap. 21. Deinde *propter juramentum*, quod factum est ibi inter ipsum & Abimelech. Denique *propter hoc*, quod *Isaac vocavit illum puteum*, *Abundantiam*, ut hic habetur. At miror Lyram non animadvertisse in Hebræo hic esse שִׁבְעָה quod vel *septem*, vel (forte) *juramentum* significat, non autem שָׂבְעָה quod *abundantiam* designat. Sed nec Burgensis in Additionibus suis de discrimine inter ista vocabula quicquam annotavit. Manasses in Concil. Quæst. 45. in Gen. ait Aben Ezram dicere, huic loco *Beersheba* nomen diversas ob caussas impositum; ab Abrahamo quidem propter præstitum Abimelecho regi juramentum; ab Isaaco autem, quia septimus hic locus fuerit, in quo aquas reperisset. At sententia Aben Ezræ ab eo interpolata videtur; ego enim ista in Aben Ezra non invenio. Addit Manasses R. Obadiam Sphornum recte observasse, primo loco cum *camets* scribi שָׁבַע *Saba*, atque ita tantum jusjurandum denotare; secundo autem loco cum *segol* שֶׁבַע, i. e. *septem*; ac propterea duplicem nominis caussam innui, scil. juramentum, & numerum septenarium; atque Isaacum idem illi loco vocabulum, sed aliam ob caussam indidisse. At hæc nihili esse videntur. Nam scribitur quidem Genes. 21. 31. uti etiam ver. 32. & 33. cum *camets*, id autem non nisi ob accentum Athnac, ut fieri solet, accidit; alias enim scriberetur cum *segol*, ut hoc in loco scribitur. Deinde si ibi est *Saba*, juramentum, hic *Seba*, septem, certe non idem utrobique vocabulum, nec quoad sonum, nec quoad sensum, habetur. Quod autem Aben Ezra dicit forte hanc *Beersheban* aliam fuisse ab ea, de qua Gen. 21. agitur, Manasses putat probari posse ex Jos. 19. 2. ubi *Beersheba* & *Sheba* tanquam duæ diversæ urbes recensentur. At inde duplicem fuisse Beershebam haud probatur. Idem refert R. Aramam ita hunc locum interpretari, Et vocavit eum *Sibba*, ideoque nomen civitatis est *Beersiba*, i. e. Isaacus vocavit eum locum *Sibba*, & eam ob caussam nomen ejus est Beerseba; Dicere vult, propter juramentum ab Isaaco locum hunc *Sibba* nuncupatum, qui propter similem caussam, viz. juramentum Abrahami, appellatus est *Beerseba*. Sic ut ex illius sententia *Sibba* & *Beerseba*, diversa nomina, idem notent. Addit in hac opinione etiam Abrabanelem, & Hiscuni fuisse. Acuta sane videtur expositio, sed haud scio an etiam solida. Minus profecto videtur verisimile, ista verba, על כן, i. e. *ideo*, vel *propterea* nomen civitatis est *Beerseba*, hoc in loco ad historiam supra cap. 21. commemoratam, ac non potius ad ea, quæ hic narrantur, referri. Ipse autem Manasses putat eidem puteo idem vocabulum ab Abrahamo & Isaaco fuisse impositum; sed cum Abraham Abimelecho jurasset, nomen illud civitatis periisse; at quando cum eodem Abimelecho amicitiam iniisset Isaac, confirmatum ab eo vetus nomen permansisse. Atque hoc quidem non est improbabile, nec fortasse vi sua caret, quod ad id confirmandum affert, nempe hoc in loco, non autem illo Gen. 21. dici, ideo nomen loci (vel urbis, Hebr. העיר) est Beerseba ad hunc usque diem, nimirum quia ab illo tempore locus iste nomen id retinuit. Postremo addit, dici quoque posse, Abrahamum soli loco & tractui, in quo puteum reperit, nomen hoc dedisse; Isaacum autem urbi. Quin & hoc ex Scripturæ verbis elicit, quia de Abrahamo dicitur, vocavit המקום, i. e. *locum*, at de Isaaco, vocavit העיר, i. e. *urbem*. Atque hoc quidem probabilitate destitui non videtur.

35. *Et fuerunt* מרת רוח *amaritudo spiritus Isaaco & Rebecca.*] LXX καὶ ἦσαν ἐρίζουσαι τῷ Ἰσαὰκ καὶ τῇ Ῥεβέκκᾳ, & *erant renitentes Isaaco & Rebecca*. Chald. *Et erant* (*b*) *rebelles ac immorigera verbo Isaaci & Rebecca*. Videntur deduxisse מרה à מרה *rebellare*, *inobedientem esse*, cum potius sit à מרר *amarum esse*, *exacerbare*, &c. R. Sal. eò, opinor, respexit, dicens eas idololatria ac impietate sua Isaacum & Rebeccam dolore affecisse.

(*a*) *Mendose nonnulli codices legunt*, societatem.

(*b*) *Similiter etiam Jonathan & Hierosol.*

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

3. P*Haretram tuam*] Quidam sequentes Chaldæum interpretem, ajunt תלי significare *gladium*. Aben Ezra exponit אשפה תולהישמם חצים *suspensam pharetram in qua reponuntur jacula*. Et quod sequitur, *Fac mihi cibos*] In Hebræo proprie habetur, *fac mihi quæ gustum*, seu *palatum*, *oblectent*.

4. *Et benedicat tibi anima mea*] h. e. Fausta ac felicia tibi imprecer. Secundum Gerundensem volebat Isaac ante mortem suam propagare benedictionem paternam, ut Esau possideret terram, & haberet fœdus cum Deo. Et hinc licebit advertere, quod Rebecca non revelavit sibi prophetiam quam à Domino didicerat, nempe *quod major serviret minori*.

12. *Seductor*] Radix hujus dictionis in Hebræo est תעה *erravit*: hinc Piel duplicatis duabus primis literis תעתע, *fecit errare*; *seduxit*. Onkelos vertit מתלעב, i. *derisor*, seu *subsannator*.

20. *Unde hoc*] Hebraica verba proprie ita sonant, *Quomodo sic festinasti, ut invenires?* Porro pro *fecit occurrere* Onkelos vertit *præparavit*.

27. *Ecce*] Hebraice, *Vide*. Hoc enim imperativo non raro utuntur Hebræi pro adverbio demonstrandi. Quod vero sequitur, *affer mihi*, *ut comedam de venatione filii mei*] quidam post me verterunt, *fili mi*, cum tamen in Hebræo sit Zed in regimine, & non Zaid in statu absoluto.

28. *De pinguedinibus terræ*] Habet Hebræa veritas, & *pinguedines terræ*. Mem enim hoc loco non est præpositio, sed litera denominativa, cum non Dages sequatur, quod tamen perpetuo exigit Mem præpositio, nisi sequatur gutturalis. Vide de hoc K. in Radicibus. Et quod sequitur, *Copiam frumenti atque musti*, seu *vini*] vehementer miror quid Steucho in mentem venerit, ut ex *vino* fecerit *oleum*, & LXX. ob id carpat quod *vinum* & non *oleum* verterint. Nedum vero in hoc loco, verum etiam paulo inferius idem errans sentit.

33. *Quis ille*] In Hebræo est, *Quis ubi ille?* ubi monet Kimhi pronomen *ille* ad utrunque referendum quæsitivum: ut sit sensus, *Quis est ille*, & *ubi est ille*, *qui ante te hic fuit*, & *surripuit benedictionem quam tibi dare constitueram? Et quidem video Deum in hac re suo æterno & inscrutabili consilio longe aliud disposuisse, ut etiam si ego nollem ille sit benedictus.*

36. *Num vere*] Capitur dictio כי apud Hebræos pro לחזוק הדבר, ut verbis Kimhi utar, h. e. *pro verificatione & confirmatione rei*. Hic vero cum litera quæsitiva capitur pro *non vere*, *utique*. Et quod sequitur, *Nunquid segregasti*] Aben Ezra exponit אצלת pro עזב *reliquit*.

39. *Ubertates terræ*] h. e. In loco fertili habitabis, quem ros & influentia cœli fœcundabit.

40. *Quando dominaberis*] Kimhi post R. S. sic exponit hunc locum, *Veniet tempus, in quo dominaberis ei: scilicet quando prævaricati fuerint Israelitæ legem Dei, & abjecerint à se jugum præceptorum Dei, tunc tu rumpes jugum ejus*, &c. Alii exponunt sic, *querelam facies*. Alii, *cum humiliaris*. Proinde Aben Ezra hic rationem frivolam quærit, unde fit quod Romani dicantur esse de regno Ædom. *Sumus*, inquit, *in moderna captivitate sub Idumæis*, & *ruptum est jugum de collo nostro: tametsi nesciam si sub Agrippa id acciderit, cum eo tempore quo Hierusalem à Romanis capta est, Idumæi adhuc fuerint sub Judæorum potestate. Certe*, inquit, *id constat*: שאנשים מעטים שהאמינו בארם שעשוה אלוה כאשר האמינה רומי כימי קסטנטין שחדש כל הדת ושם על דגלו צורת תלוי על יד כושר אדומי ולא היו בעולם שישמרו התורה החדשה חוץ מאדומים משום על כן נקראים רומי מלכות אדום. Hæc annotare libuit, lector, ut videas quam apertis mendaciis doctiores Judæi simpliciores decipiant. „*Pauci*, inquit, fuerunt viri qui crediderunt in homi„nem quem ipsi Deum constituerunt. Et cum Roma quoque „crederet tempore Constantini, qui universam legem innova„vit,

Google

„vit, & posuit in vexillum suum signum crucifixi, suggerente „monacho Idumæo, non fuerunt tunc per mundum qui observarent illam novam legem præter paucos Idumæos: & hinc est „quod regnum Romanorum vocatum est regnum Ædom; sicut „& regnum Ægypti, terra Saba & terra Elam hodie vocantur „regnum Ismaelitarum, etiamsi forte nullus inter eos sit qui ab „Ismael descenderit.

44. *Diebus paucis*] Hebraice, *diebus unis*. Ut enim unum in numeris est minimum, ita quando de modico Scriptura loquitur, plerunque *unum* usurpat. Vide K. in Radicibus.

46. *Ut sunt ista*] Lege per parenthesin, *Nolo*, inquit, *vivere, si Jacob duxerit talem uxorem quales sunt uxores Esau, quæ scilicet sunt Hitthæa & filia hujus terræ.*

F A G I U S.

4. Q*Uo benedicat tibi anima mea*] Hebraismus est pro, *ut bene precer tibi ex animo.* נפש enim Hebræis pro *bona affectione* & *voluntate* non raro usurpatur. Ita & supra c. 23. dicebat Abraham ad filios Heth, אם יש את נפשכם, *Si est cum anima vestra.* Sensus est, Si vobis cordi est, si placet vobis, &c. Idem fere pollet & ista locutio, *Ut benedicam tibi coram Domino*, i. annuente & favente Domino, ut omnia scilicet felicia tibi ab illo dari precer. *Coram Domino* fieri dicuntur, schemate Hebraico, vel quæ displicent illi & quæ detestatur, ut supra c. 6. *Et corrupta est terra coram Deo*, &c. & c. 13. *Viri Sodoma erant mali, & peccatores coram Domino*, &c. Vel quæ placent illi & approbantur, ut in præsenti loco.

27. *Sicut odor agri cui benedixit Dominus*] Thargum Hierosolymitanum hæc ita transtulit, *Sicut odor incensi ex optimis aromatibus, quæ tandem efferentur in monte ubi erit domus sanctuarii, sive templum; cui benedixit, qui vivit in æternum.*

29. *Serviant tibi populi*, &c.] Thargum Hierosolymitanum, *Serviant coram te omnes populi, Omnes scilicet filii Esau; Et subjicientur tibi omnia regna, Omnes filii Ismaelis: Esto dominus & princeps super filios Keturæ. Prævenient & petent pacem tuam omnes filii Laban, fratris matris tuæ. Qui maledixerit tibi, Iacob mi fili, erit maledictus; ut Bileam filius Beor: Et qui benedixerit tibi, erit benedictus; ut Moses propheta, legislator Israelis.*

40. *Gladio tuo vives*] Eadem fere habet & Thargum Hierosolymitanum, *Armis tuis vives, & coram fratre tuo te humiliabis. Eritque quando filii Iacob operam dabunt legi, servabuntque præcepta, imponent jugum servitutis super collum tuum. Cum vero averterint se filii Iacob, ut non studeant legi, neque servaverint præcepta, ecce tunc excuties jugum servitutis à collo tuo.* Hactenus ille.

I D E M.

40. והיה כאשר תריד ופרקת עלו מעל צוארך, *Eritque quando dominaberis, rumpes jugum ejus de collo tuo.*] Variatio est in verbo תריד, quod alii *dominari*, alii *deponere & excutere*, alii *querulari* exponunt. Qui pro *dominari* accipiant, deducunt à themate רדה. Qui pro *deponere & excutere*, à verbo ירד derivant. Qui pro *querulari*, à רוד trahunt. R. D. K in libro Radicum post Onkelum Chaldæum & R. Salomonem sic exponit hunc locum, כאשר תמשל כלומר כשיבא עת הממשלה לך שישראל יעברו על התורה ויצא מלהיות שלו תמשול ופרקת עלו מעל צוארך, Et erit quando dominaberis, *q. d. Cum venerit tempus dominii tui, quo Israelita transgredientur Legem, & excutient à se jugum præceptorum, tum videlicet rumpes jugum à collo tuo.* R. Salomo verbum תריד pro *quiritari* exponit, q. d. Cum Israel prævaricabitur Legem, tum erit tibi occasio quiritandi super amissa benedictione.

V A T A B L U S.

3. I*Nstrumenta tua*, כליך] Ad verbum, *vasa tua*, i. instrumenta. Qualia fuerint mox declarat, *Pharetram*, &c. ❡ *Pharetram tuam* תליך] *gladium tuum.* Utrunque sic dicitur, quod suspendatur è zona.

4. *Cibos* מטעמים] *pulmenta, fercula*, sapida scilicet. ❡ *Diligo*, אהבתי] Præt. Heb. pro præs. i. quibus libenter vescor. ❡ *Ut benedicat tibi anima mea* בעבור תברכך נפשי] Hebraismus, *ut benedicam tibi ex animo. Ut ex animo bene tibi precer.*

5. *Quam afferret* : להביא] Ad verbum, *ut faceret venire.* Sub. *Patri suo.*

7. *Coram Iehovah* לפני יהוה] i. Etiam Domino inspectante ac vidente. Vel, ut omnia felicia imprecer tibi dari à Deo.

11. *Lenis* : חלק] *glaber.* Non *pilosus.*

12. *Et putabit*, &c. והייתי בעיניו] Ad verbum, *& ero in oculis eius sicut illusor*: vel, *illudens.* i. Videbor illi impostor, vel similis impostori.

13. *Veruntamen* אך] *tantum.*

14. *Quemadmodum diligebat* כאשר אהב] Præt. Heb. vertendum per præt. imperf. i. quibus delectabatur.

15. *Elegantiores*, החמדת] Ad verbum, *desiderabiles, desideratas, concupiscibiles.*

16. *Circumposuit* הלבישה] Ad verbum, *vestivit.* i. in morem vestis aptavit super manus ejus & super glabritatem, sive lenitatem, colli ejus.

19. *Ut benedicat*, &c. בעבור תברכני נפשך] Vide supra v. 4.

20. *Quid hoc, quod*, &c. מה זה מהרת למצא בני] Ad verbum, *Quid hoc? festinasti invenire, fili mi.* ❡ *Coram me*: לפני] i. mihi. h. e. Voluntate Divina occurrit mihi quod optabam, nempe præda ipsa.

21. *Et palpabo te*, ואמשך] i. contrectando probabo te. ❡ *Ipse* זה] Aut redundat זה, aut significat eum qui adest. i. Sisne iste qui loqueris, h. e. tu qui loqueris.

24. *Tune es ipse* אתה זה] Vide præcedentem annotationem.

27. *Vide odor*, ראה ריח] *Vide* [sub. *quisquis es*] *fragrantia.* ❡ *Cui benedixit Jehovah*: אשר ברכו יהוה] Hebraismus, pro *fertilissimi ac fœcundissimi, & pleni floribus.*

28. *De rore*, &c. מטל השמים ומשמני] Hebraismus, *Rorem cœli & pinguedinem terræ* vocat patriam fœcundissimam, in qua sit abundantia frumenti & vini. Seipsum enim exponit.

29. *Serviant tibi populi*, יעבדוך עמים] i. Sis dominus multorum populorum.

30. *Quumque complevisset Isaac benedicere* &c. ויהי כאשר כלה יצחק] Ad verbum, *Et fuit, quando complevit Isaac benedicere ipsi Jaacob, fuit inquam, tantum egrediendo egressus erat Jaacob*, &c.

33. *Et expavit Ishac*, &c. ויחרד יצחק חרדה גדלה] *Tunc intremuit Isaac tremore maximo.* Vel, *formidavit formidine maxima.* i. Percussus fuit tremore maximo. Deprehendit enim se falsum esse.

34. *Et amaritudine affectus est vehementissime*: ומרה עד מאד] *& amaro admodum.* i. amaritudine pleno. ❡ *Benedic mihi: etiam ego filius tuus sum, pater mi.* ברכני גם אני] *Benedic mihi etiam ipsi, pater mi.* אני pro גם.

35. *Dolose, & accepit* במרמה ויקח] Ad verbum, *in dolo, & tulit.* Vel, *præripuit.*

36. *Vere* הכי] *Secundum rei veritatem. Bene, Recte.* ❡ *Vocatum est* קרא] Ad verbum, *vocavit.* sub. *is qui imposuit ei nomen.*

37. *Stabilivi eum*: סמכתיו] i. Donavi eum abundantia ac copia omnium bonorum.

38. *Benedic mihi, etiam ego* ברכני גם אני] *Benedic mihi quoque ipsi.* Personam patientem significat hoc loco pronomen.

39. *Respondit itaque* ויען] *Locutus est itaque.* Motus scilicet pietate, lacrymis ac fletu filii. ❡ *De super* מעל] sub. *dabit tibi Deus.* q. d. Tu habitabis in solo uberi ac pingui, quod Deus abundantia roris & pluviæ fœcundum reddet.

40. *Et gladio tuo vives*, ועל חרבך תחיה] Prædicitur quod nunquam impletum fuit in persona Esau: vaticinium autem est de rebus procul adhuc remotis, qualis nempe posteros Esau maneat conditio. Hujus autem Hebraismi duplex potest esse sensus, vel quod cincti hostibus, militarem & inquietam vitam acturi sint; vel quod liberi futuri sint, ac sui juris. Nullum enim jus gladii, ubi nulla est libertas. ❡ *Franges* ופרקת] *ejicies, excuties.* Hæc secunda pars versus sic tota legitur ad verbum, *Et erit, quando dominaberis, & ejicies*, &c. Esau licet gladio armatus, non tamen effugit subjectionem fratris. Nam Idumæi tandem electo populo facti sunt tributarii. Sed non fuit diuturna servitus: quia divisis regnis, concisa fuit illa potentia, quæ vicinos omnes in officio & metu tenebat.

41. *Appropinquabunt dies*, &c. יקרבו ימי אבל אבי] Acsi dicat, Quum mors patris mei, propter quam lugebitur, advenerit, occidam fratrem meum.

42. *Solatur sese propter te*, &c. מתנחם לך להרגך] Hebraismus, *Solatur animum suum de injuria sibi à te illata, quod cogitat & molitur interficere teipsum.* q. d. non potest alio modo placari quam si te occiderit.

43. *Fu-*

43. *Fuge* ברח לך] Ad verbum, *Fuge tibi.* Redundat *tibi.* Nisi forte accelerationem denotet.

44. *Et habita* וישבת] *Et habitabis. Et habites.* ❡ *Dies aliquot*, ימים אחדים] *dies paucos.* Ad verbum, *dies unos.* Lxx. *dies aliquot.* ❡ *Conquiescat* ישוב] *resideat, avertatur.* Sic v. sequenti. Ad verbum, *revertatur.*

45. *A te*, ממך] i. Quem concepit contra te. ❡ *Tum mittam*, &c. ושלחתי ולקחתיך] i. Tum mittam nuntios, & revocabo te illinc.

46. *Angustiis affecta sum in vita mea* קצתי בחיי] *Tædet me vitæ meæ.* i. Vita mea est mihi molesta propter mulieres Hethæas quas filius meus Esau accepit. ❡ *Similibus istis*, כאלה] Quas scilicet accepit Esau. Ad verbum, *sicut istas.* Seipsum declarat verbis sequentibus. ❡ *Vt quid mihi vita?* למה לי חיים] q.d. Molestum erit mihi posthac vivere. Hoc dixit ut acciperet ansam mittendi ipsum Jaacob in Haran.

CASTALIO.

19. UT *mihi bene preceris*] Heb. *Vt mihi bene precetur anima tua.* Jam *anima* pro *persona* sæpe ponitur: ut cum dicuntur *in Ægyptum descendisse animæ Septuaginta.* id quod Latini dicunt, *Capita.* Galli Hebraismum hunc retinent. Dicunt enim, *Il n'y a ame*, pro *Nemo adest*; &, *ma personne*, pro, *ego ipse.*

29. *Et ex eadem tecum matre nati*] i. Fratres: qui hic à matre denominantur, alibi à patre. Est autem sublimius dicendi genus quam est vulgaris oratio. Itaque geminantur sententiæ, & is adhibetur sermo qui apud nos vel poëticus, vel certe non vulgaris est.

39. *A terræ pinguitudine aberit*] Alii vertunt, *In pinguitudine erit.* Sed cum non possit pater Esao dare quod Jacobo dedit, idque ipsum Esaus ploret, & postea fratri propterea mortem minetur, necesse est ut hunc locum aliter intelligamus. Jam pater Jacobum frumento muniverat & musto: quod si Esaum soli ubertate & cœli rore munit, eadem confert. Si autem eadem conferre potest, quid est quod ille dolet? Quid doleam alterum sole frui, cum mihi nihil detrahat? Nam quod in epistola ad Hebræos scriptum est, *Isaacum utrique bene precatum esse*, fateor faustæ precationis esse, quod dicitur Esaus aliquando vicissim Jacobi jugum excussurus. id quod factum legitur 4 Reg. 8. ubi Idumæi, qui antea Judæis servierant, defecerunt ab eis. Jam ut verba ostendamus à nobis esse, legitur משמני, i. *a pinguitudine*, sive *sine pinguitudine*: quo modo Psal. 109. legitur ad verbum, *Mihi genua labant præ inedia, meumque corpus tabescit* משמן, *à pinguitudine*, h. e. defectu pinguitudinis, & præ macie: & Jer. 48. מכח *sine viribus*: & ejusdem 10. מדעת, *sine cognitione*, h. e. per inscitiam. & Lament. 4. מתנובת שדי, *frugum penuria.* Latine quoque *à*, aut *ab*, significat *absque*, & *abesse*: ut cum dicimus, *Ab re.* & Græce, ἀπὸ τρόπου, ἀπὸ πατρίδος, & μελλοντων ἀπὸ γηρῶν. & composite *amens, abesse*, ἀπογίνεσθαι.

45. *Ne forte utroque vestrum orber aliquando*] i. Ne ille te interficiat, deinde vel aufugiat, vel capite det pœnas: quo facto, utroque privarer. Quod autem verto למה *ne*, id sæpe faciendum est. neque enim semper est interrogantis, non magis quam הלוא, ut & multis aliis in locis patet, & 1 Reg. 20. Item quod verto *Aliquando*, id in Hebræo est, *Uno die*, quem Hebraismum habent Galli.

CLARIUS.

4. B*Enedicat tibi anima mea prius quam moriar*] Videtur voluisse Isaac ante mortem suam propagare benedictionem paternam, ut Esau possideret terram, & haberet fœdus cum Deo. Et hinc licebit advertere, quod Rebecca non revelaverat ei prophetiam quam à Domino didicerat, nempe *quod major serviret minori.*

11. *Et ego levis*] Non *lenis.* nam *lenis* ad animum refertur, ut *lene ingenium.* *lævis* vero prima producta significat *sine pilis.* Virg.

Et sæpe in lævi quæsissent cornua fronte.

29. *Adorent te tribus*] Vel, *nationes.*

30. *Vix Isaac sermonem impleverat*] Et hic & plurimis alibi locis interpres sensum tantum exprimit, non magnopere curans verba. Nam Hebræa sic habent, *Factum est autem, cum Isaac cessasset benedicere Jacob, factum inquam est, quod cum exeundo exivisset Jacob à facie Isaac patris sui, venit Esau*, &c.

33. *Quis igitur ille est*] Heb. *Quis ubi ille?* ut sit sensus, *Quis est ille, & ubi est ille, qui ante te hic fuit, & surripuit benedictionem quam tibi dare destinaram? Et quidem video, Deum in hac re suo æterno & inscrutabili consilio longe aliud disposuisse, ut, etiam si ego nollem, ille benedictionem assequatur.*

39. *In pinguedine terræ*] Heb. *Ecce ubertates terræ habitatio tua erit, & de rore cœli desuper.* h. e. In loco fertili habitabis, quem ros & influentia cœli fœcundabit.

40. *Cum domineris*] Quidam Hebræorum sic exponunt, *Veniet tempus quo dominaberis ei, scilicet quando prævaricati fuerint Israelitæ legem Dei, & abjecerint a se jugum præceptorum Dei; tunc turumpes jugum ejus*, &c.

44. *Dies paucos*] Heb. *dies unos.* Ut enim unum in numeris est minimum, ita quando de modico Scriptura loquitur, plerumque *unum* usurpat.

46. *Si acceperit Jacob*] Heb. *Si acceperit Jacob uxorem de filiabus Heth, ut sunt ista, de filiabus, inquam, hujus terræ, ut quid mihi vita?*

DRUSIUS.

3. P*Haretram tuam*] Est qui malit, *ensem tuum.* Nam תלי in fonte. Appellatio à *pendendo.* Proprie igitur innuit *ensem pendulum.* Nam *gladius* communiter חרב dicitur: qua voce uti potuisset, nisi breviorem ensem & incurvum, qui à latere dependet, significare voluisset. Dices etiam, pharetram à latere dependere. Concedo, si hoc mihi concesseris, rectius ensem inter arma censeri quam pharetram. Nam Pharetra sub *arcu* comprehenditur, ut ubi legimus, *gladio tuo & arcu tuo.* Ensem hunc Onkelos סייפא appellat; & Arabes *Saiffe*, de quo Leonclavius in Pandectis historiæ Turcicæ, Num. 172. *Saife Arabibus is gladius dicitur quem nos Acinacem vocamus. Et quia non pungit, sed cæsim ferit, apud Xenophontem & alios nomen Copidis invenis.* Est autem *Copis*, teste Curtio, l. 8. pag. 265. gladius leviter curvatus, falci similis. Græce κοπίς, Chaldaice autem קופיץ vocatur hujusmodi gladius, cujus meminit Joseph Cæcus Psal. 74. & Ebræus David cognomine Camius, in rad. קוף. Sunt qui exponunt dicentes esse סכין גדול *cultrum magnum & latum.* Erat aliud genus gladii oblongi minusque lati, quem ספסירא *Saphsera* vocant, quales sunt gladii majores in transversum dependentes, quos *spathas* Vegetius vocari scribit, De re militari l. 2. c. 15. *Samseras* & *spathas barbaricas* appellat Suidas, quia barbarico more fabricatæ erant. Nunc ad rem. Ensis interpretamentum Onkeli non improbant Magistri Ebræorum Aben Ezra & R. D. quorum ille sic scribit, תלי *est pharetra quæ pendet, in qua sunt sagittæ: aut est veluti gladius.* Verba Camii habentur in libro ubi vocum sensa collegit, *Significat pharetram, in qua sunt sagittæ, quæ pendet à cingulo hominis: aut est ensis, quemadmodum dicit Thargum* (h. e. editio Onkeli. Nam in Jonatha; *domum sagittarum tuarum*, i. thecam) *& gladium tuum: Nam & ipse pendet.* Hiscuni, תליך i. *pharetra tua quam suspendunt de cingulo lumborum.*

43. *Fuge*] Fuga communiter fit ex metu. ea velox esse solet. Ideo celerem abitum *fugæ* vocabulo significant Ebræi, ut & Græci verbo φεύγειν. unde Matth. 10. 23. *Si persequentur vos in una urbe, fugite in aliam.* Sic Zach. 2. 6. *fugite è terra Aquilonis*, i. e. Babylonia, & Jes. 48. 20. *fugite è Chaldæis*, i. celeriter abite. Quidam addunt, *& cum cursu*, quasi dicat, curriculo abite. Job 14. 2. *homo fugit ut umbra*, i. celeriter abit. Jon. 1. *ut fugeret Tharsis.* Scholia Ebraica, *ut cum celeritate abiret.* Gen. 27. 43. *Fuge ad Laban fratrem tuum.* Verbum è verbo, *fuge tibi*, ubi pronomen redundat, ut Gen. 12. 1. *vade tibi*, & Jos. 22. 4 *abite vobis.* Dicit autem, *Fuge*, quia metuebat vitæ ipsius. Pro eo est לך *ito, vade*, Gen. 28. 2. ubi tamen Lxx. ἀπόδραθι, *fuge.* Augustinus, *Græci codices non habent Vade, sed Fuge.* scribit hoc Quæst. l. 1. quæst. 82. *Fugere* hoc sensu obvium, ut Cant. 8. 14. item Neh. 6. 11. à quo non abhorret sermo Latinus, qui etiam *fugam* usurpat pro *celeritate.* Sane Servius Grammaticus enarrans illud Virgilii Æn. 11. *dimitte fugam*, interpretatur *fugam, celeritatem.* Obiter observo, licet Jonathan hic ediderit, *Fuge tibi*, tamen in Onkelo est, *Vade tibi*, איזל לך, *Ito tibi.*

44. *Sedebis cum eo dies unos*] Id reddunt, *dies paucos.* Malim, *dies aliquot.* Siquidem *unus*, i. quidam, aliquis: ut *vir unus*, Jud. 13. 2. Sic *nocte una*, i. quadam, Gen. 40. 5. *uno dierum*, Luc. 5. 17. *in una urbium*, ibid. v. 12. *una ancillarum*, Ruth. 2. 13. Rursum, *vir unus*, 2 Sam. 18. 10. & *vir unus è filiis prophetarum*, 1 Reg. 20. 35. Hæc omnia evincunt *unos* potius *aliquot* denotare quam *paucos*, aut, ut interpretes quidam, *paucissimos.* Judicium meum firmant Senes Lxx, qui vertunt, ἡμέρας τινάς. Nam id Latine sonat *dies aliquot.* Aben Ezra prætulit *annos.* Valde displicet. Nam ימים

annum,

annus, non *anni*. Sic, *diebus erit redemptio ejus*, i. *anno*, non *annis*. Melius ergo Hiscuni, *annus unus*. Quo genere constructionis utitur qui dicit אלהים אחדים *Deus unus*: ubi habetur ratio non sensus, sed terminationis. Sic אלהים חיים *Deus vivus*, אלהים קדשים *Deus sanctus*. Sensus ratio habetur cum dicimus אדנים קשה *dominus durus*. Sic dico, ימים significat *annum*, non *annos*. Ergo in terminatione plurali, quando *annum* significat, sensum habet singularem. Nam quia annus constat ex multis diebus, ideo ימים dicitur. Paulo aliter accipies Gen. 11. 1. *verba una*. Nam ibi non significat *verba aliquot*, sed *verba eadem*, sicut cum dicimus; *unus idemque*. Ita mihi videtur. Fruatur quisque judicio suo. Dies paucos Ebræi potius dicerent ימים מעטים, vel certe מעטים, aut *dies numeri*, h. e. ימי מספר, dies qui facile numerari possunt propter paucitatem. Sic *mortales numeri*, i. pauci.

I D E M.

12. כִּמְתַעְתֵּעַ A. καταμωκώμενος, *deridens*. Sym. καταπαίζων, *illudens*] Hinc sumptum forte quod in veteribus lexicis, Καταπαίζω, *illudo*. Alioqui Græcum verbum sonat *ludo adversus aliquem*. Hiero. æmulatus est, qui vertit, *timeo ne putet me sibi voluisse illudere*. ¶ *Deridens*] *Irridens*, *Subsannans*. Sic Oncel. כמתלעב *tanquam subsannans*. Jonathan כמגחך *tanquam irridens*. מתעתע verbum est quatuor litterarum, cujus origo à תעה *erravit*. Itaque alii convertunt, *seducens* aut *seductor*, q.d. *errare faciens*.

27. כְּרֵיחַ שָׂדֶה Syrus, ἀγροῦ, *arvi*] In edit. Rom. ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ πλήρους. Diodorus, ὁ Σύρος ἀντὶ τοῦ ἀγροῦ, ἀρούρας ἔχει. τὸ δὲ πλήρους, πεπληρωμένου βλαστημάτων ἐκδέχονται. Est autem ἄρουρα proprie *arata terra* sive *arvum*. Lex. vetus, ἄρουρα πεφρεσμένη, *defrensa*. ἀρουραῖος, *arvalis*. Ceterum dictio πλήρους abundare mihi videtur à glossemate cum sit explicatio ejus quod sequitur ὃν εὐλόγησε Κύριος, cui benedixit DOMINUS.

35. בְּמִרְמָה *in dolo*. A. ἐνέδρας. Sym. ἐν ἐπιθέσει ἐνέδρας] Plenum est, μετ᾽ ἐνέδρας, *cum insidiis*, sive *per insidias*. Lex. vet. ἐνέδρα, *insidiæ*. Dicitur & ἔνεδρον. unde Sirach. 11. 36. τὰ ἔνεδρα τοῦ διαβόλου, *insidiæ Diaboli*. lectio varians, τοῦ δολίου *dolosi*. 1 Mach. 1. 58. εἰς ἔνεδρον, alias, ἐνέδραν. ¶ Ἐν ἐπιθέσει] *per imposturam*. Ἐπιτίθημι *impono*, quod interdum sign. *fallo*, *decipio*, *circumvenio*. unde *impostura*, & ἐπίθεσις, quæ & καταπίθεσις Psalm 120. 3. γλῶσσα καταπιθέσεως, *lingua imposturam faciens*. quod ibi citatum ex Chrysostomo, incerto autore. Cæterum hinc elicimus interpretamentum Symmachi esse. Psal. 35. 20. דברי מרמות *verba fraudum*. A. ῥήματα ἐπιθέσεων. Prov. 12. 17. מרמה Sym. δόλος. A. ἐπίθεσις, *impostura*. Rursum Prov. 14. 8. A. Th. ἐπίθεσις. Sym. δόλος, *dolus*. Hi loci dubium me faciunt ut nesciam cui debeam hoc interpretamentum adscribere, Aquilæve an Symmacho. nam uterque illo usus fuit, si non fallunt nos Theologi Græci, qui hæc laudant.

40. וְהָיָה כַּאֲשֶׁר תָּרִיד. Schol. ἔσται δὲ ἐὰν καμφθῇς, *erit autem si flecteris*, aut, *cum flexeris*. καὶ ἔσται καθὼ καταβιβάσεις, *& erit, quemadmodum deprimeris*, vel, *sicut deposueris*] Autor hujus interpretationis videtur legisse תוריד à themate ירד descendit. Hieron. *Et erit quando depones & solves jugum illud de collo tuo*. In edit. Rom. *erit autem cum flexeris & erit sicut deposueris*. Santes תריד *dominaberis*. Sic Abenmelech כאשר תמשל, *Cum dominaberis, ac si diceret, Quando venerit tempus cum tu dominaberis in Israelem. Quod erit quando transgredientur legem & abjicient [Frangent] à se jugum præceptorum. Sunt qui sensum petunt ex illo Psalm 55.* אריד בשיחי, *quod significat planctum super agroto*, aut *super angustia*. Hactenus Abenmelech.

42. מִתְנַחֵם לְךָ. Schol. διανοεῖται κατὰ σου, *cogitat contra te*] R. Salomo, *Pœnitet eum fraternitatis, ita ut cogitet de te occidendo*. Lxx. ἀπειλεῖ σοι. Hieron. *minatur*. Uterque Chaldæus, *insidiatur tibi*. Quidam, *consolatur se de te quem occisurus est*, sive, *consolatur se quod te occisurus sit*.

46. קַצְתִּי. A. ἐσικχάνα, *tædio affecta sum*. Sym. ἐστενάχησα, *vexata sum*, aut, *molestiam sensi*] In veteribus lexicis, Σικχασία, *tædium*, *molestia*. Suidas, Σικχαντὸν, *molestum*, ἀηδὲς, *injucundum*.

NOTÆ MAJORES.

1. *Cum autem senuisset Isahac & caligarent oculi ejus ne videret, vocavit Esau filium suum majorem & dixit ei Fili mi, qui dixit ei, Ecce me.*

2. *Et dixit, Ecce nunc servi, & non novi diem mortis meæ.*

3. *Nunc ergo tolle jam arma tua, pharetram tuam & arcum tuum, & exi in agrum & venare mihi venationem.*

4. *Et fac mihi cupedia prout amo & adfer mihi ut edam ut benedicat tibi anima mea antequam moriar.*

Ecce me] Lxx. ἰδοὺ ἐγώ. Hiero. *adsum*. ¶ *Non novi*] οὐ γινώσκω, ignoro. ¶ *Tolle*] Lxx. λάβε. Hiero. *sume* i. קח. ¶ *Arma tua*] כליך vasa tua i. instrumenta venatoria. Lxx. τὰ σκεύη σου. כליך aliis apicibus. Onk. זינך. Hiero. *arma tua*. Ion. מאני זינך. instrumenta armorum tuorum. ¶ *Pharetram tuam*] תליך. Lxx. τήν τε φαρέτραν. Hiero. *pharetram*. Jonathan, בית גירך thecam sagittarum tuarum. Verbum è verbo, *domus sagittarum tuarum*. Sic dicunt בית חץ eodem significatu. גירא Sagitta. Onk. סיפך gladium tuum. Nove interpretatur תלי gladium. Appellatio à pendendo. Nam תלה pendeo. תלי ensis à pendendo q. d. pendulus ensis qui סיף Chald. & *serfe* Arabibus, gladius brevis & incurvus in zonæ medio pendulus. Full. Miscel. L. 1. cap. 17. ¶ *Venationem*] scriptum צידה & lectum ציד. Sunt autem in universum numero 21. quæ in fine habent He scriptum non lectum. Hoc notatum in margine Bibliorum, quæ in quarto folium complicant. Est autem ציד cibatus ex venatione sive cibus ex venatu, hoc est ferina quam Græci θήραν vocant. Interdum pro quovis cibatu sumitur, ut Gen. 45. 21. ubi omnes uno ore ἐπισιτισμόν reddunt vel sitarchion. & Psalm 132. 15. Item Jos. 1. 11. ubi Lxx. ἐπισιτισμόν, Hiero. *cibaria*, & alius, *viaticum*. Ceterum apud Davidem צידה Hiero. habet venationem ejus, & Lxx. τὴν θήραν αὐτῆς. Quanquam in nonnullis libris τὴν χήραν αὐτῆς. i. viduam ejus. Hiero. in Quæst. *In Psalterio viduam interpretantur, licet in plerisque codicibus pro χήραν legatur θήραν, i. cibaria ejus; non viduam. Porro θήραν venationem magis potest sonare, quam fruges, tametsi moris sit Ægyptiorum θήραν etiam far vocare, quod nunc corrupte Atheram nuncupant.* ¶ *Cupedia*] vel *cupedias*. Nam dicimus cupedia, cupediæ. Hoc postremum legitur in Mercero. Sunt autem cibi delicatiores gustuque suaves ac proinde palato grati. Unde מטעמים appellantur nomine à verbo טעם quod gustare significat, deducto. Hæc interpretatio ceteris mihi præferenda videtur. Nam quod Græci reddunt ἐδέσματα, nimis generale est. Pulmentum vero est idem quod puls aut cibarium ad modum pultis factum. Hoc ultimum extat in Hiero. Ambo Chaldæi habent תבשילין i. coctiones aut cibos coctos. Santes elegit cibos sapidos, ut autores editionis Gallicæ postremæ *viandes d'appetit* i. cibos lautiores, qui appetitum excitant. In Latio, pulpamentum vocantur carnes delicatiores aliave lautiora obsonia: unde illud, *lepus tute es & pulpamentum quaris*. Rectius ergo Hiero. vertisset pulpamentum. Nam pulmentum aliud est, ut diximus. ¶ *Prout amo*] vel, *quemadmodum dilexi*. Vult dicere, quibus scis me hactenus delectatum fuisse, quæ amavi & palato meo grata fuerunt præ ceteris eduliis. ¶ *Ut benedicat tibi anima mea*] quod fieri solebat primogenitis. Nec oraculum Esavo primogenituram penitus ademerat, sed tantum dixerat; Major serviet minori, jus ejus ex parte imminuendo. Non ergo potuit non benedicere ei qui jure naturæ primogenitus erat, oraculi eventum committens Deo qui sua mirabili providentia hanc actionem ita direxit per Rebeccam, ut etiam Jacob benedictionem primogenito debitam acceperit. Pro *ut benedicat*, licet vertere, *& benedicet tibi anima mea*: quod pro eo accipiendum ac si diceret, benedicam tibi ego ex animo. Sic Ennius dixit, *Quem credidit esse meum cor* pro quem ego credidi.

5. *Et Rebecca audiebat quum loqueretur Isahac ad Esau filium suum: & abiit Esau in agrum ut venaretur venationem, & adferret.*

Et abiit] Interim abiit, vel abierat. ¶ *Ut venaretur venationem*] θηρεῦσαι θήραν, ut venaretur ferinam. Hiero. edidit, *ut jussionem patris impleret*. ¶ *Et adferret*] pro להביא ut adferret, quod interpretantur Onk. & Jon. Lxx. legerunt (ut apparet) לאביו. Nam vertunt τῷ πατρὶ αὐτοῦ, patri suo.

6. *Et Rebecca dixit Jacobo filio suo dicendo, Ecce audivi patrem tuum loquentem ad Esau fratrem tuum, dicendo.*

7. *Adfer mihi venationem, & fac mihi cupedia, ut comedam & benedicam tibi coram DOMINO ante mortem meam.*

Jacobo filio suo] Lxx. πρὸς τὸν Ιακωβ τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν ἐλάσσω. i. הקטן. ¶ *Ad Esau*] Onk. & Jonath. *cum Esau*. ¶ *Venationem*] Ferinam. ¶ *Cupedia*] Hiero. hic habet *cibos* i. מאכלים. ¶ *Coram DOMINO*] utrum ad auxesin hoc pertinet, ut Gen. 10. *potens venator coram DOMINO*? An potius mens est *coram DOMINO* i. palam ac publice? Aut coram DOMINO i. Deo vidente & quasi præsente totamque actio-

actionem dirigente. Mercerus annotat, *Quia hic solemnis actus invocato DOMINO fiebat, ideo dicit coram DOMINO.* ❡ *Ante mortem meam*] Hoc supra dixit, *antequam moriar.* Lxx. habent, πρὸ τοῦ ἀποθανεῖν με.

8. *Nunc ergo audi vocem meam in iis quæ præcepero tibi.*

9. *Ito nunc ad gregem, & sume mihi inde duos hædos caprarum bonos, & faciam eos cupedia patri tuo prout amat.*

10. *Et adferes patri tuo & comedet, ut benedicat tibi ante mortem suam.*

Audi vocem meam] i. crede mihi & acquiesce consiliis meis. Lxx. ἀκουσόν μου obtempera mihi. Alius, *ausculta voci meæ* i. verbis meis. Onk. & Jonath. *suscipe à me id quod ego præcipio tibi.* Quod intelligentiam habet ex eo, *Deus orationem meam suscepit* (i. exaudivit.) ❡ *In iis*] vel, *de iis.* Lxx. καθὰ. i. כַּאֲשֶׁר. ❡ *Ad gregem*] אֶל הַצֹּאן. Hiero. *ad gregem.* Sic etiam Tremell. Lxx. εἰς τὰ πρόβατα ad oves. Santes, *ad pecudes.* Arias *ad pecus.* Nomen צֹאן tam capras quam oves comprehendit. Onk. לְוָת עָנָא quod reddunt, *ad gregem.* Jonathan לְבֵית עָנָא ad ovile aut caprile. ❡ *Duos hædos caprarum bonos*] Lxx. δύο ἐρίφους ἁπαλοὺς καὶ καλούς. Duos hœdos teneros & bonos i. רַכִּים וְטוֹבִים. Hiero. *duos hædos optimos.* omittit vocem טֹבִים, quam quare Lxx. in ἁπαλοὺς transtulerint aliis divinandum relinquo. ❡ *Bonos*] pingues, opimos. Sane Jonathan habet שְׁמִינִין i. pingues. Sic *vitulus bonus* i. שָׁמֵן, idem interpretatur Gen. 18. 7. ❡ *Eos*] אֹתָם. Hiero. *ex eis.* מֵהֶם. ❡ *Cupedia*] cibos palato gratos. Hœdina proxime ad ferinam accedere dicitur. R. Sal. ad hunc locum טעם גדי כטעם צבי gustus hœdi ut gustus capreæ sive dorcadis. ❡ *Ut benedicat tibi*] בַּעֲבוּר אֲשֶׁר יְבָרֶכְךָ, ὅπως εὐλογήσῃ σε. Chaldaice בְּדִיל דְּ aut, בְּגִין דְּ.

11. *Et dixit Jacob Rebeccæ matri suæ, En Esau frater meus vir pilosus est, & ego sum vir levis.*

12. *Forte contrectabit me pater meus, & ero in oculis ejus quasi seductor atque ita adducam super me maledictionem & non benedictionem.*

Vir pilosus] אִישׁ שָׂעִר. Lxx. ἀνὴρ δασύς. Lex. Vet. δασὺς hirsutus, pilosus. Hiero. homo pilosus. Gallica, *homme velu* i. villosus, pilosus, hirsutus. Thargum Jerosolym. גבר כניר i. pilosus. לשון בתולה שהיא מלאה שער ait Hiscuni. בתולה i. virgo nubiles annos egressa quæ multos pilos habet. ❡ *Levis*] lævi cute, glaber. Lxx. λεῖος. Hiero. & Santes, *Levis.* Ebraice, חָלָק. Chaldaice שְׁעִיעַ. In eadem lingua pilosus שַׂעְרָן dicitur. ❡ *Forte contrectabit me*] אוּלַי forsan, fortasse. Lxx. μήποτε ψηλαφήσῃ με i. nequando, פֶּן Sic interpretantur & Gen. 24. 5. Alibi reddunt ἐάν, ut hic Hiero. *Si.* Idem alibi habet *si forte*, videlicet Gen. 16. 12. & 18. 24. Onk. & Jonath. ubique, מָאִים *quod si.* יְמֻשֵּׁנִי autem Hiero. reddit, *attrectaverit.* Trem. *palpabit me.* Id Jonathan expressit verbo יְמַשֵּׁשׁ quod etiam Magistri frequentant. ❡ *Ero in oculis ejus, &c.*] habebit me pro seductore. כִּמְתַעְתֵּעַ Seductor, planus, impostor. Radix תָּעָה erravit. Abenezra exponit כמתעה אשר qui alium errare facit aut seducit. Lxx. ὡς καταφρονῶν, quasi contemnens. ❡ *Maledictionem*] לְוָטִין diras, κατάραν. ❡ *Benedictionem*] faustam precationem.

13. *Et dixit ei mater ipsius, Super me sit maledictio tua, fili mi: tantum audi vocem meam, & vade, sume mihi.*

14. *Et abiit & sumsit & attulit matri suæ, fecitque mater ejus cupedia prout amabat pater ipsius.*

Super me sit &c.] intelligentiam habet ex illo, *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Quale est, *quod tuo capiti sit.* Aben. *si maledixerit tibi, maledictio tua recidet in me. Sic,* inquit, *fœminæ loqui solent.* Jonathan, *si benedixerit tibi, benedictiones venient super te, & super filios tuos, & si maledixerit tibi maledicta venient super me & super animam meam.* Sensum non assecutus est On. qui vertit, *mihi dictum est per prophetiam quod non venient maledictiones super te, fili mi*; ut nec Hiscuni, cum hunc locum ita enarrat, *meum est potius tibi maledicere, si dicto audiens esse nolis.* Melior interpretatio, *neque ego neque tu debemus metuere diras, quia freta sum ego Dei oraculo, qui dixit, major serviet minori.* Hæc etiam in Hiscuni reperitur. עָלַי. Lxx. reddunt ἐπ᾽ ἐμὲ. Hiero. *in me.* Ceteri, *super me.* Ita loquendo maledicta, si quæ forte in filium dicentur, in se derivat. ❡ *Maledictio tua*] quæ in te dicetur. Sic alibi *metus hostium*, quem hostes habent: *injuria fratris tui*, quæ illata fratri tuo. Exemplorum talium pleni sunt hi libri. ❡ *Tantum*] אַךְ tantum i. μόνον. ita Hiero. & Lxx. Nec aliter Tremell. & Gallica. Quanquam in Thargumin בְּרַם & in Sante, *veruntamen.* ❡ *Vade*] ad gregem. ❡ *Et sume*] duos hœdos caprarum bonos. i. pingues, aut boni gustus, שטובים בטעם ait Hiscuni, sapidos.

15. *Et accepit Rebecca vestes Esau filii sui majoris pretiosas, quas penes se domi habebat, & induit Jacobum filium suum minorem.*

Pretiosas] הַחֲמֻדֹת desideratas, expetitas, optatas: vel, si placet, expetibiles. Ego sensum expressi. Alioqui pretiosum יָקָר dicitur. Nota hic בגדים fœminine construi. Sic alibi ובגדיו לא תשרפנה & vestes ejus non comburentur. Locus est in Prov. Sal. Lxx. habent τὴν στολὴν τὴν καλήν, stolam elegantiorem. Hiero. *vestes valde bonas* חשובות מאד. On. דכיתא puras, mundas. Jonathan כרגן desideratas, vel concupitas. R. Salomo הנקיות mundas. Santes, *concupiscibiles.* Gall. edit. *pretiosissimas vestes.* Trem. *desideratissimas.* Hujusmodi vestes induebant ritu solemni cum benedictionem acciperent à parentibus primogeniti. ❡ *Quas penes se domi habebat*] אשר אתה בבית quæ apud se in domo i. domi erant. ἣ ἦν παρ᾽ αὐτῇ ἐν τῷ οἴκῳ. אִתָּהּ proprie secum. i. עִמָּהּ.

16. *Et pellibus hædorum caprarum induit manus ejus, & lævorem colli ejus.*

17. *Et dedit cupedia & panem quæ fecerat in manum Jacobi filii sui.*

Pellibus] Pelles Ebraice עֹרֹת. Chaldaice משכין, Græce vero δέρματα vocantur. Hiero. *pelliculas* appellat. *Pelles hædinæ*, ut Hiscuni annotat, *asperiores sunt & similes cuti hominis pilosi.* ❡ *Caprarum*] capris natorum, hoc est בני עז ut habent On. & Jon. Male autem in uno exemplari בר עז legitur, quod latine sonat filius caprarum. ❡ *Induit manus ejus*] Lxx. περιέθηκεν ἐπὶ τοὺς βραχίονας αὐτοῦ. Sic Gen. 24. 18. על ידה ἐπὶ τὸν βραχίονα αὐτῆς. Ibi etiam Hiero. ulnam ibi reddit, quæ Græcis ὠλένη dicitur. Sed ulna dicta exponitur brachium, manus. Vide Hesychium. Forte βραχίων de manu usurpatur. Qua de re, quibus otium est, inquirent: mihi nunc non vacat. ❡ *Lævorem colli ejus*] צַוָּארָיו proprie collorum ejus. Sed Latinitas poscit colli ejus. Ceterum plurali hic usus est On. & singulari Jon. Item Lxx. & Hiero. חֶלְקַת lævor, glabrities. Santes habet *lenitas.* Malim *lævitas.* Sane חָלָק potius lævem, quam lenem denotat. Lxx. ἐπὶ τὰ γυμνὰ τοῦ τραχήλου αὐτοῦ. ex quo Hiero. *& colli nuda protexit.* Lævis i. λεῖος, unde τὸ λεῖον & λειότης, lævitas, lævor. Lævitati opponitur asperitas cutis quam pili faciunt. Lævitas magis est animi. Nuditas autem עֶרְוָה dicitur. ❡ *Quæ fecerat*] vel, *quem fecerat* i. ceperat aut paraverat. Sed malo *quæ fecerat*, ut etiam ad cupedia referatur. Lxx. καὶ τοὺς ἄρτους οὓς ἐποίησεν. Hiero. *& panes quos coxerat.* Scire licet לחם pluralem non habere. Interpretes tamen promiscue reddunt panem vel panes. Sic מים aquam vel aquas. Ut hic facere panem, sic Gen. 18. 7. facere vitulum aut bove natum, quod exponunt, parare, coquere.

18. *Qui venit ad patrem suum & dixit, Pater mi! Et dixit, ecce me, quis tu es fili mi?*

19. *Et dixit Jacob patri suo, Ego sum Esau primogenitus tuus, feci quemadmodum locutus es ad me, Surge nunc, sede & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.*

Qui venit ad patrem suum] Pro וַיָּבֹא quod legerunt On. & Jon. Lxx. videntur mihi legisse וַיָּבֵא hoc est Tsere pro Holem. Referunt enim certe καὶ εἰσήνεγκε τῷ πατρὶ αὐτοῦ: unde apud Hiero. *Quibus illatis, dixit.* ❡ *Pater mi*] אָבִי. LXX. πάτερ. Hiero. *pater mi.* On. & Jon. אַבָּא quod tam reddi potest pater mi, quam pater simpliciter. ❡ *Et dixit*] Isahac. ❡ *Eccum me*] הִנֶּנִּי ecce me, vel ecce ego? ἰδοὺ ἐγώ. Chaldaice in Jonatha est הָאֲנָא pro eo quod in On. הא אנא. Editio Hiero. *audio.* ❡ *Fili mi*] τέκνον. LXX. ❡ *Ego sum Esau &c.*] Si dixisset, *ego sum primogenitus tuus*, excusari aliquo modo posset: nunc quum dicit *ego sum Esau*, non video qua ratione à mendacio excusari posset. Nam etiam illud falsum, *feci quemadmodum locutus es ad me.* Hujusmodi mendacia scholastici officiosa nuncupant. Quum autem fallendi animo fiant, & etiam fallant eum cui dicuntur, quid laboramus in iis defendendis aut excusandis? An putamus patriarchas omnino absque peccato fuisse, cum Apostoli ab eo immunes non fuerint. *Si dixerimus*, inquit unus ex illis, *nos peccatum non habere, nos ipsos seducimus.* ❡ *Quemadmodum locutus es ad me*] καθὰ ἐλάλησάς μοι. Videtur hic loqui positum esse pro dicere. i. אמר. Nam hæc duo verba se mutuo explicant. Dicere autem interdum valet edicere, jubere, præcipere: unde versio recentior, *quemadmodum edixisti mihi:* & Hiero. *sicut præcepisti mihi:* & Gallica *ainsi que tu m'avois dit.* ❡ *Feci*] עֲבַדִית quod in Jonatha, non sig. fecimus: sed *feci ego* i. עֲבַדִית אֲנָא. Scribi ergo debet עֲבַדִית cum (ִ) sub Ain. On. habet עֲבַדִית quod nunc scriberent עֲבָדִית. ❡ *Sede*] ad mensam, κάθισον: aut sede in lecto erectus. Nam hinc ipsum decubuisse colligunt senio

nio debilitatum. Ceterum sedisse veteres, cum cibum sumerent, ex aliis locis probari potest. Homerus quoque heroas introducit sedentes, nec accumbendi mos tam antiquus est quam nonnulli volunt. ¶ *De venatione mea*] de ferina mea, de cibo quem venatu cepi. Et hoc à vero alienum. Nam non erat ferina, sed hœdina. Hem, ferme exciderat. Pro *sede*, On. & Jon. ediderunt אסתחר quod Fagius convertit, *accumbe*, cum potius verti debeat *conside* (vel circumside) proprie sig. per circuitum sedere, unde אסתחרותא non tam accubitus quam consessus circularis. R. Sal. ad hunc locum, שכה לשון מיסב על השלחן. Sedere dicitur qui circum mensam sedet: ideo Thargum interpretatur אסתחר. ¶ *Benedicat mihi*] תְּבָרֶכְנִּי dages habet in Nun, quod annotarunt Hisc. & Aben. quorum hic opinatur, dages illud indicare absentiam alterius Nun, quod verbis futuris quandoque addi solet per paragogen, qualis in יְכַבְּדֻנְנִי & similibus.

20. *Tum dixit Isahac filio suo, Quid ita festinasti invenire fili mi? & dixit, Quia occurrere fecit DOMINUS Deus tuus ante me.*

Quid ita festinasti invenire?] vel, *Quomodo tam cito invenisti?* vel, *Quid hoc est quod tam cito invenisti?* ut sit admirantis ob ferinam tam cito repertam. Hiero. *Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti?* LXX. τί τοῦτο, ὃ ταχὺ εὗρες ὦ τέκνον, quid hoc, quod tam cito invenisti o fili? quod pronuntiatione juvandum. Alioqui verba præ se aliud ferunt. Sed profecto non quærit quidnam sit quod tam cito invenerit, sed quomodo invenerit. ¶ *Occurrere fecit ante me*] Fecit ut mihi occurreret, fors objecit mihi. Hiero. *voluntas Dei fuit ut cito occurreret quod volebam.* Pro *fecit occurrere*, i. הִקְרָה LXX. habent παρέδωκεν tradidit, On. זמן præparavit, Jon. זמן quod eodem recidit. ¶ *Deus tuus*] non *Deus meus*, aut *Deus noster*. Nam ut quidam putant, Esau diversos Deos colebat.

21. *Et dixit Isahac Jacobo, Accede nunc ut contrectem te fili mi, an tu sis iste filius meus Esau, nec ne.*

22. *Et accessit ad Isahacum patrem suum, & contrectavit eum, & dixit, Vox quidem, vox Jacobi est; sed manus, manus sunt Esau.*

An tu sis iste] vel, *An tu ipse sis.* ¶ *Nec ne*] אם לא Si non. Notum ut *si*, pro *an* usurpetur. Lxx. εἰ σὺ εἶ ὁ υἱός μου Ἡσαῦ ἢ οὔ; Hiero. *ut tangam te fili mi, & probem utrum tu sis filius meus Esau, an non?* Tangere נגע dicitur. אמשך magis denotat ut palpem, ut attrectem, nisi mavis, *& attrectabo*, quod in Lxx. καὶ ψηλαφήσω. ¶ *Vox quidem vox Jacobi est &c*] vel, *vox hæc.* Ita Jonathan, קלא הדין, vox ista. Sic mox, *& manus hæ vel istæ.* Hoc apud Ebræos in proverbium abiit. Vide sis Proverbia mea sacra.

23. *Et non agnovit eum, quia manus ejus erant sicut manus Esau fratris ejus pilosæ: itaque benedixit ei.*

24. *Et dixit, Tu es iste filius meus Esau? & dixit, Ego sum.*

25. *Tum dixit, Admove mihi ut comedam ex venatione filii mei, ut benedicat tibi anima mea: & admovit ei & comedit allatoque vino bibit.*

Agnovit] cognovit, ἐπέγνω. ¶ *Pilosæ*] δασεῖαι, hirsutæ. Chaldaice, שערן. Quanquam in On. quibusdam codicibus שערין legitur. Supra גבר שער homo pilosus. Hinc plurale fœm. שערן quod etiam Elias citat in Lexico suo Chaldaico. Hiero. *quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant.* ¶ *Admove mihi*] הגשה לי accedere fac ad me, affer mihi. Hoc posterius extat in vulgata nostra. Lxx. habent προσάγαγέ μοι, & Santes, *appropinquare fac mihi.* Subintell. autem, *cibos à te paratos.* Hac ellipsi usus est & supra vers. 14. ויבא לאמו *& attulit matri suæ*, nempe duos hœdos caprarum. Quod ex præcedentibus subaudiri debet. Possumus etiam vertere, *accede ad me.* Sic Amos. 9. 10. לא תגיש הרעה *non accedet malum*, ubi Santes & Hiero. *non appropinquabit*, & R. David in comment. לא תקרב. Redeo ad locum nostrum. On. habet קרב לי quod sonat, affer mihi. Quanquam in Fagio *coram me.* Nam legit קדמי, quod in nonnullis editionibus. Prior lectio melior est, cui firmandæ est Jonathan, ubi etiam לי habetur. Ceterum הגיש verbum sacrorum est, & sig. admovere aris, ut ibi, *An victimas in deserto admovistis mihi?*

26. *Dixitque ei Isahac pater ejus, Accede nunc & osculare me, fili mi.*

27. *Et accedens osculatus est eum, odoratusque odorem vestium ejus benedixit ei & dixit, Vide, odor filii mei sicut odor agri cui benedixit DOMINUS.*

Osculare me] φίλησόν με, da mihi osculum. Abenezra, *Quando verbum* נשק inquit, *construitur cum* ל *tum significat aut manum, humerum aut collum osculari: aliter constructum sig. in os osculari.* Dubito an hoc verum sit. Non temere admittendum est. Nam in Jobo legimus ותשק ידי לפי manus ejus osculata est os. Videndus est idem Cant. 1. 1. ubi ait, absque Lamed denotare osculum oris, cum Lamed vero manus aut humeri; aut genarum id est לחי juxta morem regionis. ¶ *Odorem vestium ejus*] Forte inter flores odoriferos herbasque fragrantes adservatæ fuerant: unde odorem spirabant, qualem ager solet qui refertus est hujusmodi floribus herbisque. ¶ *Vide*] רְאֵה vide, ecce. On. חֲזִי quod perperam חֲזוּ in libris. Jon. חֲמוּן vel certe, חֲמִי vide. Lxx. ἰδοὺ. Hiero. *ecce* i. הִנֵּה. Multa verba in adverbia degenerant, ut ἄγε, agedum, & ἄπαγε, & ἴδε, & pleraque hujusmodi. Sic ἴα Marc. 24. *ah* vel *hem* ad verb. *sine* παράγε τὶ ἐᾶν. Cohel. 7. 28. רְאֵה Hiero. *ecce.* Lxx. ἴδε, ex verbo factum adverbium. Quanquam sunt qui, quando verbum est, scribunt ἰδέ, cum accentu in ultimo. ut ἰδέ sit vide, & ἴδε ecce i. ἰδού. Santes, *ecce odor.* Gallica. *Voici.* ¶ *Sicut odor agri*] Lxx. ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ πλήρους. Unde in editione Latina, *sicut odor agri pleni.* i. referti herbis & floribus odoriferis. ¶ *Cui benedixit*] quem fœcundavit. Nam talis ager suavem odorem spirat.

28. *Et det tibi Deus ex rore cæli, & pinguitudines terræ, copiamque frumenti ac musti.*

Et det] וְיִתֶּן καὶ δῴη. Hic Vau abundare videtur, sed non plane abundat. Nam sensum habet, quem nonnulli exprimunt per *itaque.* Hiero. tamen illud omisit. Alii hunc versum jungunt cum superiore, *sit odor filii mei, ut odor agri, & det tibi Deus &c.* ¶ *Ex rore cæli*] ἀπὸ τῆς δρόσου τοῦ οὐρανοῦ. Rore imprimis indiget terra Chanaan. Nam bis tantum in anno ibi pluit. Semel mense Marchesvan, ac tum decidit pluvia quæ יורה dicitur. Secundo mense Sivan quando decidit מלקוש i. pluvia serior. Notatum hoc in Hiscuni. Quibus addo יורה esse imbrem primorem, qui veris tempore terram humectat. Ros autem est humor ille, qui sereno cœlo noctibus fit in infima regione aëris. Hic humor, sive eum vaporem mavis appellare, statim in aquam resolvitur, atque ita pluviæ vicem præstat: unde interdum pro quovis humore cœlitus descendente ponitur. Itaque Hag. 1. 10. Jonathan edidit מטרא pluvia, ubi textus Ebræus habet טַל ros. ¶ *Cæli*] aëris. Sic *aves cæli.* Quum autem tres sint aëris regiones, debet accipi de ea in qua ros generatur, hoc est de infima: in qua & aves volitant. ¶ *Pinguitudines terræ*] vel, *de pinguitudinibus terræ*, ut מִן repetatur ἀπὸ κοινοῦ ex membro quod antecedit. Id Aben. notavit, & nostri fere sequuntur. Nam Santes, de *pinguedinibus terræ*: & Trem. *variaque pinguedine terræ*: & Hiero. *de pinguedine terræ.* & Lxx. ἀπὸ τῆς πιότητος τῆς γῆς. *Pinguidines terræ* ita dicitur ut *Benedictiones viri* pro terra optima & pinguissima מַשְׁמַנִּים aliquando pingues designat ut Psal. 78. & Jes. 10. 16. Pinguedo etiam vocatur ipsa pluvia, quod terram pinguem reddat: ut in illo, *Orbita ejus stillant pinguedinem.* Sed ibi דשן in Ebræo, non שמן. ¶ *Copiam*] רֹב πλῆθος, multitudinem, abundantiam. ¶ *Et musti*] תירש mustum, vinum novum. Radix ירש. Dictum mustum quod inter ea quæ homo hæreditate possidet præcipuum quid & ἐξαίρετον sit. Sic מקנה pecus à possidendo. Nam in pecore consistit opulentia hominis, unde & pecunia dicta. תירש. Lxx. οἴνου. Hiero. *Vinum.* Utrumque Thargum חמר quæ vox etiam vinum denotat. Hoc cum ita sit, tamen vinum à תירש distinguitur Hos. 4. 10. Ergo R. David in Radicibus interpretatur dicens significare vinum novum i. היין החדש. Gallica editio, *de meilleur vin.* i. vini optimi & præstantissimi. In margine, *vox Ebræa sig. vinum excellentissimum, ut si quis dicat la mere goutte quasi mera gutta, vinum non pressum, protropum, lixivium vinum. Vin qui provient des raisins avant qu'ils soient foulez: vinum quod ex uvis manat antequam calcentur.*

29. *Serviant tibi populi & adorent te nationes, esto dominus fratribus tuis, & adorent te filii matris tuæ, maledicentes tibi maledicti sint, & benedicentes tibi benedicti.*

Serviant tibi] δουλευσάτωσάν σοι. Onk. יפלחון colant te. Autor Jerosol. יפלחון קדמך quod posses reddere, serviant coram te, nisi sequeretur ישתעבדון לך. Id Fagius interpretatur ex Onk. *subjiciantur tibi.* Malim *serviant tibi.* Nam שעבד servio. ¶ *Populi*] עַמִּים populi. Lxx. ἔθνη גוים. Onk. עממין λαοί. Jonat. & autor Jerос. אומיא nationes. ¶ *Et adorent te*] καὶ προσκυνησάτωσάν σοι i. prosternant se tibi sive procidant coram te. Qui honor etiam civilis erat, quem in Oriente regibus exhibebant. Minus recte Santes ac Tremell. *incurvent se tibi.* Nam id potius כרע dicitur. Gallica editio, *& que les nations se prosternent devant toi*: & prosternant se tibi nationes. ¶ *Nationes*] לאמים nationes. Lxx. ἄρχοντες principes. Hiero. *tribus.* Psal. 2. 1. לאמים. Aquila φῦλα. Hiero. *Tribus.* Rursum Psal. 7. 8. עדת לאמים. Idem, *congregatio tribuum* i. שבטים. Nam φῦλα reddi potest, gentes. φῦλον enim est gens. Tribus φυλὴ dicitur לאמים Santes vertit populi i. λαοί. לאם λαός ut כהן ἱερεύς. Psal. 7.

8. quem

8. quem locum supra produximus, Lxx. συναγωγαὶ λαῶν. Onk. מלכון regna, βασιλεῖαι. Jonathan מלכותא αἱ βασιλεῖαι. Autor Jerosol. מלכיא reges. Ceterum pro *adorent te* Onk. hic edidit ישתעבדון לך quod Fagius interpretatur, *subjiciantur tibi*, cum potius reddendum sit, *serviant tibi*. Nam quod præcedit ישלחון verti potest, *colant te*. Siquidem פלח colere significat, unde פלחן cultus. Jonathan habet, יגחון קדמך prosternent aut incurvabunt se coram te. Sed operæ prætium est locum integrum producere, qui sic habet, *serviant tibi nationes omnes filii Esau, & prosternant se coram te regna omnes filii Cetura*. Thargum quod ab urbe nomen habet, *Colant te* (alias, serviant coram te) *nationes omnes filii fratris tui, & serviant tibi omnes reges, omnes filii Ismael*. Pro *serviant tibi*, posses reddere *humilient se tibi*, ne bis idem dicat. ❡ *Dominus*] vel magis *herus*. Nam dominus אדון dicitur. Hic est גביר in fonte: unde גברת hera, quæ & גבירה δέσποινα, ut גביר sit δεσπότης & אדון κύριος. Quod tamen hic habent Lxx. Sic in Hiero. est Dominus. Onk. רב princeps. Jonath. רב ושליט princeps & dominator sive potestate præditus. Sic etiam Thargum Jerosol. ❡ *Fratribus tuis*] vel, *fratrum tuorum* i. cognatorum. Alioqui unum tantum fratrem habebat. Id movit Senes ut legerint אחיך τοῦ ἀδελφοῦ σου i. fratris tui. Sed *fratrum tuorum*, etiam Onk. & Jonath. interpretati sunt. Autor Jerof. *super filios Cetura*. Aben. *fratres sunt filii concubinarum*, hoc est, Saræ & Ceturæ. Ita capiendum, ne quis hinc colligat Isahacum concubinas habuisse. ❡ *Adorent te*] Jonathan, *antevertant quærere de pace tua* i. salutare te. Autor Jerof. *Sint antevertentes & quærentes de pace tua*. ❡ *Filii matris tuæ*] nepotes matris tuæ ex Esau, qui tibi est ὁμομήτριος. Lxx. οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου i. אביך. R. Sal. ad hunc locum, *Jacob dicit Juda, filii patris tui, quia plures uxores habebat, ex quibus etiam liberos susceperat. Isahac hic dicit filii matris tuæ, quia unica tantum ei uxor*. Aben. *filii matris tuæ: Esau & filii ejus*. Hisc. *filii matris tuæ, si adhuc nupserit post mortem meam*. Intelligens intelligit. Thargum Jerof. *filii Laban fratris matris tuæ*. Durum & coactum nimis. ❡ *Maledicentes tibi maledicti sint*] Verbum è verbo, *maledicentes tibi maledictus sit*, quod explicant, *maledicentium unusquisque*. Optime ac rectissime. Sic alibi, *Justi tanquam juvenis leo confidit* i. justorum quilibet. Lxx. ὁ καταρώμενός σε. Hiero. *qui tibi maledixerit*. Uterque videtur legisse ארך absque Joth. Onk. *maledicentes tibi sint maledicti*. Addit Jonathan, *ut Balaam filius Beor*. Jerosol. *qui maledixerit tibi sit maledictus, ut Balaam filius Beor*. ❡ *Benedicentes tibi*] מברכיך (Hanc scripturam agnoscit etiam Aben.) cum Joth scriptum reperitur in duobus impressis, qui penes me, & in MStis Reginæ, quæ Mercerus vidit. In ceteris est מברכך absque Joth. Quod ita legerunt Lxx. & Hiero. videtur certe: item autor Jerosol. referens, *Qui benedixerit tibi erit benedictus, ut Moses propheta scriba Israelitarum*. Onk. & Jon. *benedicentes tibi sunt benedicti*. Quum autem in fonte sit *benedictus*, debet exponi ut supra, benedicentium unusquisque.

30. *Fuit autem quum absolvisset Isahac benedicere Jacobo, fuit, inquam, vixdum egresso Iacobo à conspectu Isahac patris sui, ut Esau frater ejus veniret ex venatione sua.*

31. *Fecit autem etiam ipse cupedia, quæ attulit patri suo, dixitque patri suo, Surgat pater meus & comedat de venatione filii sui, ut benedicat mihi anima tua.*

Fuit] factum est, ἐγένετο. ❡ *Benedicere*] bene precari. ❡ *Vixdum egresso Iacobo*] אך יצא יצא יעקב tantum egrediendo egressus erat Jacob. Addit Jonathan, בתרין נפחוי. Hoc non intelligo, nisi נפחוי sint palmi, qui Ebraice טפחים. Est autem palmus mensuræ genus, de quo alias. ❡ *Fecit*] paravit, coxit. ❡ *Surgat pater meus*] simpliciore sermone usus fuerat Jacob, inquiens, *Surge & comede*. ❡ *De venatione filii sui*] Jacob dixerat, *de venatione mea*. ❡ *Ut benedicat mihi anima tua*] ut bene mihi preceris ex animo.

32. *Et dixit ei Isahac pater ipsius, Quis tu es? & dixit, Ego sum filius tuus primogenitus Esau.*

33. *Et expavit Isahac pavore magno admodum & dixit, Quis ergo ille, qui venatus est venationem & attulit eam mihi & comedi de omnibus antequam venires, & benedixi ei? etiam benedictus erit.*

Expavit pavore magno] ita Hiero. & Santes. Ceteri, *contremuit tremore magno*. Job. 37. 1. יחרד. Sym. ἐθορύβη, metu contrahitur. Hiero. *expavit*. Santes, *expavescit*. Verbum ἐθορύβη sig. fugere in pavore ac trepidatione occultationem. Sophocles Ajace, τάχ' ἂν ἐξαίφνης, σιωπῶ πάντως στυγεῖ θολώμενα. Volunt autem proprie dici de volucribus. Amos. 3. 6. יחרדו. Hiero. *expavescet*. Lxx. πτοηθήσεται. Hic vertunt ἐξέστη. Aug. Quæst. 80. *Quod habent Latini codices, expavit autem Isahac pavore magno valde, Græci habent, ἐξέστη δὲ Ισαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, ubi tanta commotatio intelligitur, ut quadam mentis alienatio sequeretur. Ipsa enim proprie dicitur extasis &c.* Lex. vet. ἔκστασις τοῦ λογισμοῦ, pavor, excessus. Hiero. alibi reddit, *excessum mentis*. Thargum Onk. ותוה יצחק תוהא רבא i. Fagio interpretante, Et obstupuit stupore magno. Jonath. ואזדעזע מן commotus fuit commotione magna. R. David in comment. Hos. 11. 10. יחרדו ait esse ענין תנועה quo motus denotatur. Quidam addunt ענין בהלה cum metu. R. Salo. לשון תמיהה unde forte Hiero. *& ultra quam credi potest admirans ait*. Glossæ veteres, *Harada, miraculum sive admiratio*. Gallica editio, *fut saisi d'un esmoi merveilleusement grand*. vult dicere *fut esbahir ou etonné*. Inde *se esmayer*. i. *se esbahir ou etonner*. ❡ *Quis ergo*] τίς οὖν; quis igitur? Lxx. Hiero. אפוא ergo, igitur, & sane videtur esse expletiva particula. Sed alibi sig. nunc, modo, jam, ut potius vertendum esse videatur, Quis jam? Onk. & Jon. מן דיכי quis iste? Hos. 13. 10. אהי. Jonath. כען nunc. Lxx. ποῦ. Hiero. *maxime nunc*. Aquila καιπερίλεγε. Jos. 19. 12. איכה אפוא ubi ipsi nunc Job. 17. 15. ואיה אפוא ubi nunc. Sunt qui hic referunt, *Quis est & ubi est?* Sic Aben. & Edit. Gal. Sed ubi potius איפה scribitur cum He in fine. Tremell. ordinem verborum immutat hoc modo, *Quis ille est qui venatus venationem modo attulit mihi?* Vocum ordo perturbatus, inquit, animum loquentis perturbatum exprimit. ❡ *De omnibus*] quæ mihi exposita fuerunt. ❡ *Etiam benedictus erit*] Lxx. καὶ εὐλογημένος ἔσται. Sed exemplaria variant. Nam in nonnullis ἔστω legitur pro ἔσται, & apud Aug. lib. 16. cap. 37. de civitate Dei, *& sit benedictus*. Quam interpretationem verba Ebræa non respuunt.

34. *Quum audisset Esau sermones patris sui, exclamavit clamore magno & amaro admodum, & dixit patri suo, Benedic mihi, etiam mihi, pater mi.*

35. *Qui dixit, Venit frater tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.*

Exclamavit] clamavit, vociferatus est. ❡ *Amaro*] acerbo. *Etiam mihi*] vel, *mihi quoque*. Ebraice, ברכני גם אני אבי. Hiero. *benedic etiam & mihi, pater mi*. Lxx. εὐλόγησον δὴ κἀμέ πάτερ. benedic nunc etiam mihi, pater. Verbum è verbo, *benedic mihi etiam mihi pater mi*, ut sit אני pro אותי, cui firmando est Jonathan paraphrastes, qui sane in locum אני quod in Onk. substituit לי, id est, mihi, referens, ברכני אף לי (extat & in Onk. editionibus Venetis quæ in folio complicant. Vide.) ut sit *benedic mihi, mihi quoque, pater mi*. Santes, *benedic mihi, etiam ego pater mi*. Sub. filius tuus sum. Gallica editio, *beni moi, aussi bien moi, mon pere*. Persimilis omnino locus Zach. 7. 5. הצום צמתני אני jejunastis mihi, mihi, inquam, i. אותי. Sane Mercerus explicat אני גם אותי dicens significare גם אותי, & est pronomen rectum pro obliquo. ❡ *Frater tuus*] *germanus tuus*. Hiero. ❡ *Fraudulenter*] במרמה in dolo. i. dolose aut fraudulenter. Quod ultimum invenies in Hiero. quem libenter sequor, quoties licet. Lxx. μετὰ δόλου. Onk. & Jon. בחכמא in sapientia i. sapienter & quasi pia fraude: aut sapienter. i. docte & astute. Sic alibi, *sapientes ad faciendum malum*. Probarem si esset ערמה in Ebræo: nunc quum sit מרמה, fraus, dolus, non video qua ratione defendi possit. Nam מרמה non sumitur unquam in bonam partem, quod sciam. Tremell. *per fraudem*: & in margine, *ut se excuset fratrem accusat, non admodum prudenter*. Amabo quid sibi vult hæc annotatio? An Jacob imprudenter egit cum Jacobo benediceret, quem credebat Esau esse? Gallica editio *par tromperie*. ❡ *Accepit*] tulit, abstulit. ❡ *Benedictionem tuam*] tibi à me destinatam, vel quæ jure naturæ tibi debetur.

36. *An quia vocatum est nomen ejus Jacob, supplantavit me jam bis? primogenituram meam acceperat, & ecce nunc accepit benedictionem meam: & dixit, Nonne reservasti mihi benedictionem?*

An quia] הכי non tam interrogantis est quam affeverantis aliquid, ut si dicas, vere, recte, juste sive jure aut jure merito. Abenezra certe interpretatur אמת & R. David in Radicibus ait denotare אמתת הדבר veritatem rei. Sed & Lxx. reddunt δικαίως & Hiero. *juste*, & Onk. יאות recte, conveniunter, juste, & Jonath. בקושטא vere. Quomodo & Santes interpretatur. Hinc in scriptis Magistrorum הכי ולא הכי etiam sic. ❡ *Vocatum est nomen ejus*] קרא שמו vocavit nomen ejus. i. vocatum est, ἐκλήθη. Ita Lxx. & Hiero. à quibus temere discedendum non est. Trem. *quam recte vocavit nomen suum*. Quid? An Jacob sibi ipsi nomen imposuit? Apage hanc interpretationem, quæ præsupponit quod falsum est. Nam aut parentes ita nominarunt, aut mulieres quæ partui intererant. ❡ *Supplantavit me*] ויעקבני Hiero. *supplantavit enim me*. Prius erat in Lxx. ἐπτέρνικε γάρ με. Onk. וחכמני quod à Fagio valet, astute enim mecum egit. Jonathan ושקר בי & mentitus est in me. In

חכמה

חכמה magis est significatio sapientiæ quam astutiæ, quæ proprie עָרְמָה dicitur. Sed confundi scio. Cyrillus, πτερνιστής, *supplantator Jacob i. artifex vel sane doctus vincere.* Antea monui. עָקַב proprie calce teneo. Inde Jacob appellatus. Res nota lippis ac tonsoribus. Idem verbum sig. decipere, ἀπατᾶν, quod Jonathan verbo שָׁקַר expressit. Similiter πτερνίζω duo notat, calce petere & fallere. An *supplanto* tam late sumatur, nescio. Hoc scio non posse hic aliter accipi quam pro decipio, circumvenio, impono. Quæ significatio Metaphorica est. Nam supplantat proprie qui pede supposito aliquem ad casum impellit. Hoc Jacob non fecit fratri suo. Recte igitur expones *supplantavit me*, decepit me. Sic interpretor חכמני docte circumvenit me, & שקר בי fefellit me. Non est omittendum, pro חכמני ex Onk. citari à Salomone Trecensi כמני insidiatus est mihi, cujus interpretamentum ארבני idem ibidem addidit, & alterius lectionis, quæ nunc in libris, meminit quoque. כְּמַן & אָרַב synonyma sunt. Hæc Ebræum est, illud Chald. ❡ *Jam bis*] זה פעמים jam duabus vicibus. Sic dicimus זה שנתים jam biennio. Lxx. ἰδοὺ δεύτερον τοῦτο. Hiero. *in altera vice.* Onk. & Jon. דנן תרתין זמנין jam duabus vicibus, aut duobus temporibus. Trem. *jam secundo* i. שנית. Gallica, *deja par deux fois* : jam bis sive duabus vicibus. ❡ *Primogenituram meam*] jus primogeniti. Lxx. τὰ πρωτοτόκιά μου. Hiero. *primogenita mea.* ❡ *Acceperat*] abstulerat. Lxx. hic habent εἴληφε, & Hiero. *ante tulit.* ❡ *Accepit*] ἔλαβε, surripuit. iidem. ❡ *Reservasti*] אָצַלְתָּ reservasti, seposuisti, segregasti, reliquisti apud te. Verbum est à particula אצל deductum, quæ *apud*, sive, *juxta* significat. Reservandi verbo usi sunt post Hiero. Santes Tremel. & Autores Edit. Gall. postremæ. In Lxx. est ὑπελίπω reliquisti. Sic etiam Onk. & Jonath. enarrant. Nam שבקת i. reliquisti. Unde Sabacthani, dereliquisti me. Abenez. שמרת אצלך reliquisti penes te. R. Salo. *segregasti, separasti* לשון הפרשה. Cohel, 2. 10. לא אצלתי nihil reliqui apud eum. q. d. לא מנעתי non prohibui. Hæc R. David in libro ubi vocum sensa explicat. Idem addit alios exponere לא פרשתי non separavi aut segregavi me.

37. *Et respondit Isahac & dixit Esavo, En Dominum posui eum tibi, & omnes fratres ejus dedi ei in servos, frumentoque ac musto fulcivi eum : & tibi nunc quid faciam, fili mi.*

En Dominum posui eum tibi] Hæc eo tendunt ut ostendat nihil amplius restare quo ei bene precetur. Lxx. εἰ κύριον αὐτὸν ἐποίησά σου : si Dominum illum feci tuum. Primum הֵן ex dialecto Chaldaica interpretantur εἰ si ; deinde שמתי posui, ad sensum reddunt ἐποίησα i. עשיתי. Hiero. *Dominum tuum illum constitui.* גביר שמתיו. ❡ *Dominum*] vel, *herum.* Onk. *principem.* Jonath. *Dominatorem* i. שליט. ❡ *Posui eum tibi*] Jonathan, *constitui eum super te.* ❡ *Omnes fratres ejus*] filios tuos qui sunt ei nepotes ex fratre, ac proinde fratres more loquendi Ebræorum, qui fratres vocant omnes consanguineos. Cum filios dico, intelligo omnes posteros Esau. Sane Israëlitæ & Idumæi passim in sacris litteris fratres appellantur. ❡ *Dedi ei in servos*] Lxx. ἐποίησα αὐτοῦ οἰκέτας. Hiero. *servituti illius subjugavi.* Jonathan, *posui coram eo in servos.* Notum ut dare & ponere permutentur. ❡ *Musto*] Lxx. οἴνῳ. Hiero. *vino.* Onk. חמר quod ajunt proprie vinum rubrum denotare. Vide quæ scripsimus ad vers. 28. ❡ *Fulcivi eum*] סמכתיו fulcivi aut suffulcivi eum. Respexit (videtur certe) ad illud, *Et panis cor hominis fulcit* : ubi verbum in Ebræo, quo hic usus est Onk. interpres Chaldæus. Vertit enim certe סעדתיו unde & סעודה dicta refectio, convivium. Lxx. ἐστήριξα αὐτόν. Hiero. stabilivi eum. סעדתיו Gallica *& j'ai garni.* i. munivi, instruxi. ❡ *Et tibi nunc quid faciam*] vel, *& tibi ergo quid faciam.* Tremell. *tibi igitur nunc quid faciam.* Pro & posuit igitur, & אפוא interpretatus est nunc. Ne sperne. Abenezra, *sunt qui dicunt* אֵיפֹא *cum Aleph in fine, quando unica dictione scribitur, significare* עַתָּה *nunc.* Sane in Onk. est כען quod valet nunc, nec aliter interpretatur Fagius & Mercerus. Sciendum tamen in nonnullis codicibus legi איפה hic. Lxx. σοὶ δὲ τί ποιήσω τέκνον, Hiero. *& tibi posthac, fili mi, ultra quid faciam?* Notatum autem quater inveniri לְכָה cum He in fine. Nam alias dicimus לְךָ tibi. Licet etiam vertere, abi nunc, quid faciam tibi, fili mi : לֵךְ & לְכָה abi, discede. Sic accepit Jonathan, qui vertit איזל abito.

38. *Et dixit Esau patri suo, Num benedictio una est tantum tibi pater mi? Benedic mihi, etiam mihi, pater mi : sustulitque Esau vocem suam & flevit.*

39. *Et respondit Isahac pater ipsius & dixit ei, Ecce pinguitudines terræ erit habitatio tua, & ex rore cæli desuper.*

40. *Super gladio tuo vives, & fratri tuo servies, & erit quum dominaberis, & effringes jugum ejus de collo tuo.*

Num benedictio una tantum est tibi] adjeci cum Hiero. dictionem *tantum*, quæ in oratione Ebraica, hoc loco desiderari videtur, & sane alias desideratur, ut in illo, *Deum tuum adorabis & ei servies* : Nam sensus est, ei tantum servies. Lxx. μὴ εὐλογία μία σοι ἐστι; an benedictio unica tibi est? Hiero. *num unam tantum benedictionem habes?* ❡ *Pater mi*] Pro אָבִי in Jonath. est אבוי quod scribes אַבָּא. Sic dicebant רַבִּי רִבִּי Rabbi & Ribbi. ❡ *Etiam mihi*] & hic variant exemplaria On. Nam in alis אוף אנא & in aliis אוף לי etiam mihi. Jonathan quoque habet אוף לי. Lxx. εὐλόγησον δὴ κἀμέ. Hiero. *mihi quoque obsecro ut benedicas.* An legerunt אנא pro גם? Id ambiguum est. Nam si legas אֲנָא, significat *ego*, & est Chaldaicum : Si אָנָּא, significat, *quæso, obsecro,* δή, & est Ebraicum. Sunt qui δή *nunc* interpretantur. ❡ *Pinguitudines terræ erit habitatio tua*] locutio est ut, *Copia cibi novalis pauperum*, quod explicant, in novali. Sic *pinguitudines terræ* in terra pinguissima & fertilissima, in solo pingui & uberi erit habitatio tua. Nam & Idumæa fertilis erat. Hiero. *in pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua* i. ברכתך. Quis credat Hiero. ita legisse? ergo putant scribendum, *habitatio tua.* Lxx. ἀπὸ τῆς πιότητος τῆς γῆς ἔσται ἡ κατοίκησίς σου : de pinguedine terræ erit habitatio tua. Mem quod in משמני pro præpositione etiam Santes accepit, referens, *de pinguedinibus terræ erit habitatio tua.* Trem. quoque habet, *ex varia pinguedine terræ erit habitatio tua* : quod explicat, regionem habebis non prorsus sterilem, sed ex parte frugiferam. Onk. מטוב פירי ארעא יהי מותבך ex bonitate terræ erit habitatio tua. Jonathan, *in bonitate fructus terræ erit habitatio tua.* Gallica, *habitatio tua erit in pinguedine terræ* : vel, *pinguedo aliqua terræ erit in habitatione tua.* Sunt etiam qui Mem hoc loco privative exposuerunt *à pinguedine terræ habitatio tua & à rore cæli* sub. aberit q. d. neque pinguis erit regio tua, neque à rore irrigabitur. Sed hoc alienum, imo coactum in oculis meis. Facit tamen pro hac interpretatione locus qui est Malach 1. 3. *posui montes ejus in solitudinem & hæreditatem ejus in dracones deserti.* Respondent Deum ibi loqui comparative. Nam sterilior erat quam terra Chanaan, quum alioqui pinguis esset & cœlesti rore irrigaretur. Aut forte non loquitur de qualitate soli per se, sed prophetice vaticinatur qualis aliquando fuerit justo Dei judicio vastata ac desolata. ❡ *Ex rore cæli desuper*] sub. *dabit tibi Deus*, quod expressum supra vers. 28. Vel subaudi, si placet, *irrigabitur* : aut aliquid tale. ❡ *Desuper*] superne, ἄνωθεν. ❡ *Super gladio tuo*] in gladio tuo. Sic dicimus, *super arbore* pro in arbore. Sensus autem ut si diceret, in armis tuis : & est proverbiale. Innuit ei fore continua bella cum vicinis. Ut hic, *super gladio tuo*, sic alibi occurrit, *in gladio tuo & arcu tuo.* Vide Proverbia mea. Quidam enarrant בחרבך gladio tuo i. opera & ministerio gladii tui. Lxx. ἐπὶ τῇ μαχαίρῃ σου. Hiero. *in gladio.* Jonath. *in gladio tuo confodes*, sive, *Gladio tuo fretus eris.* Jerosolym. על זיין חרבך *in armis tuis.* Gallica, *par ton epée* i. gladio tuo. Sic etiam Trem. Santes, *in gladio tuo.* ❡ *Vives*] vitam traduces. Minus recte alii, victum quæres. Possumus legere, *cum gladio tuo vives* q. d. *nunquam eris sine gladio aut armis* : semper armatus incedes, vitam in armis transiges. Eodem recidit. ❡ *Fratri tuo servies*] juxta oraculum, *major serviet minori.* ❡ *Et erit quum dominaberis*] כאשר תריד quando dominaberis. i. תמשול, ut Abenezra : vel תתגבר ut R. David explicat. Thema רָד dominatus est, quod invenitur Hos. 11. Sunt qui significationem petunt ex Psal. 55. 3. אריד בשיחי quod Santes reddit, *clamabo in sermone meo* : Alius, *conquerar in meditatione mea.* Trem. *plango in meditatione mea.* De horum sententia vertendum erit, *quum questus fueris sive planxeris.* Lxx. ἡνίκα ἐὰν καθέλῃς, quod reddunt, *cum deposueris. Videtur*, inquit Hiero. *secundum hos pendere sententia nec esse completa.* Itaque ipse emendat, *quando depones*, quod pro eo habendum ac si diceret, *erit aliquando cum depones.* Editio vulgata. *tempusque veniet quum excuties.* Onk. *quando transgressi fuerint filii ejus verba legis.* Sic fere Jonathan & autor Jerosolymitanæ. Nec aliter R. Sal. nisi quod תריד interpretatur לשון צער quum delebis. ❡ *Effringes*] estractum excuties. Ebraice, ופרקת. Lxx. καὶ ἐκλύσεις & solveris. Hiero. *& solves.* Alibi est, *& solves.* Onkelos, ותעדי & amovebis. Jonathan, בְּכֵן תְּהֵי פָרִיק puto legendum תְּהֵי פָרֵיק eris frangens i. franges. Sic in Jerosolymitano lego תְּהֵי פָרֵיק pro eo quod in libris editis פָּרִיק. Sensus idem est. Tremell. *frangendo excuties.* ❡ *Jugum ejus*] *Jugum servitutis ejus.* Jonath. autor Jerosolym. ❡ *A collo tuo*] tralatio à bobus, quorum collo jugum imponitur, sive qui collo jugum trahunt.

41. *Oderat ergo Esau Jacobum ob benedictionem qua benedixerat ei pater ipsius, & dixit Esau in corde suo, Appropinquant dies luctus patris mei, tum occidam Jacobum fratrem meum.*

Oderat ergo] וישטם & oderat. Lxx. καὶ ἐνεκότει. Est autem ἐγκοτέω idem cum κοτέω æstuo ira quam diu pressi sub pectore: unde ἐγκότημα ira vetus & gravis & alta mente reposta. Usus est hoc nomine Aquila Hos. 9. 7. ubi codex Ebræus habet משטמה quod interpretantur dicentes significare inveteratum & intestinum odium. Lxx. μανία & Hiero. *amentia.* Hinc Hesychius forte, ἐγκότημα, ὀργή, μανία. Idem Hiero. in Comment. *Pro amentia i. μανία, Aquila vertit ἐγκότησιν: quam nos vel iracundiam, vel memoriam doloris in Latino possumus dicere.* Editio Romana, ἐνεκότει, graviter iratus erat, hoc est insidebat & perdurabat odium. ita S. Chrysost. hom. 53. Onkelos, נטר דבבו & servabit odium. Jonathan, *& servavit odium in corde suo.* Pro דבבו dixit סנאה. Abenezra, נטר איבה servabat inimicitiam. Trem. *intestino odio prosequebatur.* Santes, *odio habuit.* Gall. *eut en hayne.* In libro Radicum לשון איבה ut possis etiam vertere, *inimicitias exercuit cum eo.* Quidam, *adversatus est.* Mercerus, *odium in eum concepit & simultatem in animo servavit cum vindicandi studio & omnibus modis ei nocendi & insidiandi.* ¶ *Eı*] Jacobo. ¶ *In corde suo*] apud se. Si hoc tantum cogitabat, unde rescivit Rebecca? an ex spiritu prophetico quo prædita erat? aut potius Esau, quod animo agitabat, alicui familiarium indicaverat, qui postea Rebeccæ renuntiavit. ¶ *Dies luctus patris mei*] tempus mortis patris mei, quo lugendus erit, ut olim mortuos lugebant per aliquot dies. Ionathan, *donec advenerint dies luctus mortis patris mei* i. quo patrem mortuum lugebimus, sive quo propter mortem ejus in luctu erimus.

42. *Et nunciata sunt Rebeccæ verba Esau filii sui majoris, & misit & vocavit Jacobum filium suum minorem & dixit, Ecce Esau frater tuus se solatur de te quod occidet te.*

Nuntiata sunt] ויגד & nunciatum est. Quidam דברי interpretantur, *unumquodque verborum ejus.* Sic *filiæ incedit* i. quælibet filiarum, *& sapientiæ ædificant* i. unaquæque sapientiarum. Ceterum si nuntiata hæc sunt Rebeccæ, non igitur spiritus ei revelavit aut patefecit; sed potius aliquis familiarum Esau, qui id ab eo intellexerat, indicium fecit. ¶ *Verba Esau*) quæ apud se dixerat. ¶ *Misit & vocavit*] misit vocatum aut qui vocaret. Forte secesserat aliquo metu fratris. ¶ *Se solatur de te*] Solatur dolorem suum quod speret aliquando se occisurum te. Lxx. ἀπειλεῖ σοι τοῦ ἀποκτεῖναί σε. Hiero. *minatur ut occidat te.* Sensum, non verba reddiderunt. Onk. כמן לך insidiatur tibi. Ionathan, *struit tibi insidias & consilium capit de occidendo te.* Santes, *consolatur se super te ut occidat te.* Trem. *se mox consolaturus esset de te occidendo te.* Notum ut Benoni i. participium præsens, ponatur pro paullo post futuro. Abenezra, *Hæc est consolatio ipsius quod poterit occidere te. Saadias autem dicit habere significationem* ויעד *in lingua Arabica* i. conventus. Quod noto, quia in Ionatha, ut vidimus, מתיעט עלך consilium capit contra te.

43. *Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & surge, fuge ad Laban fratrem meum Carras.*

44. *Et manebis cum illo dies paucos donec avertatur excandescentia fratris tui.*

45. *Donec, inquam, avertatur ira fratris tui à te & obliviscatur omnia quæ fecisti ei: tunc mittam & recipiam te inde: cur orbabor utroque vestro die uno?*

Audi vocem meam] Idem cum illo, *audi me.* On. & Jon. קביל מני quod reddunt, *acquiesce mihi.* ¶ *Et surge, fuge*] vel, & surgens fuge. קום potest esse infinitivus, surgendo fuge. Sed melius, ut sit futurum imperans *surge*, quod usurpant pro adverbio, age, agedum. ¶ *Fuge*] ἀπόδραθι. Verbum è verbo, *fuge tibi.* Ebraice ברח לך. Chaldaice in Jonatha ערוק לך. Sciendum tamen in Onkelo esse איזיל לך proficiscere tibi. Lxx. addunt de suo εἰς τὴν μεσοποταμίαν. Nam Carræ civitas erat Mesopotamiæ. ¶ *Carras*] חרנה idest לחרן quod Græci reddunt, εἰς χαρράν. Hiero *in Haran.* Charan & Haran, ut Chermon & Hermon. Sic variabant in Heth antiquiores. Nam & Ham dicebant & Cham & similiter in medio Rachab & Rahab. ¶ *Manebis cum illo*] ישב maneo, ut Gen. 22. 5. שבו פה manete hic. 24. 55. תשב Hiero. *maneat.* Lxx. μενάτω. Hic aliter vertunt. Nam Hiero. *habitabisque cum eo.* Et LXX. οἴκησον μετ' αὐτοῦ. Santes quoque, *habita cum eo.* ¶ *Dies paucos*] ימים אחדים dies unos, paucos. Lxx. ἡμέρας τινὰς dies aliquot. Hiero. *dies paucos.* On. יומין זעירין dies exiguos. Jonathan, יומין קלילין dies leves i. paucos. Tremell. *dies paucissimos.* R. Sal. מעטים i. paucos. Aben. *annos paucos.* Nam dies pro annis accipiunt ut ibi, *diebus erit redemtio ejus*; quod exponunt & bene ita exponunt, anno erit redemtio ejus. Hisc. *annum unum.* ¶ *Donec avertatur*] Jon. עד די תשדך donec quiescat. Nam שדך quiesco. paulo post dicit עד דינוח. Hiero. *donec requiescat.* ¶ *Excandescentia*] quæ Chaldæis חמתא & ריתחא dicitur. Prius est purum putum Ebraicum חמה: posterius à verbo ductum quod fervere vel bullire significat. Nam in ira sanguis accenditur: imo ira nihil aliud est quam ebullitio sanguinis circum cor. Pers. Satyr. 3. *Nunc face supposita fervescit sanguis & ira scintillant oculi.* Horat. *Mea cum conferbuit ira.* Huic voci respondet קצף apud Ebræos. Utrumque transfertur ad significandum ollæ ferventis bullas, quas Græci πομφόλυγας appellant. Sym. ἐπίζεμα dixit Hos 10. 7. ¶ *Donec avertatur ira fratris tui*] Hic Jerosol. edidit, עד דינוח כולחא דאחוך. Quid כולתא? puto esse Græcum χολή. ea vox bilem denotat, & de ira dicitur, ut apud Plautum, *Fames & mora bilem in nasum conciunt.* Sic Persius dixit, *commota fervere bile*: & *acri bile tumet.* Hor. *tumet bile jecur.* Rursum Plautus, *atra bili percita est.* Scribo autem כולא in statu absoluto i. χολή. ¶ *Recipiam te*] accersam te, retraham te. Hiero. *adducam te inde huc.* Sic etiam On. & Jon. Quanquam in Fagio *assumam te inde.* Lxx. μεταπέμψομαί σε ἐκεῖθεν accersam te inde. Gallica, *je t'envoierai retirer de la*, q. d. mittam qui te inde retrahant. ¶ *Orbabor*] ἀπαιδωθῶ. ¶ *Utroque vestrum*] שניכם vobis ambobus. Addit Jon. *quemadmodum orbata fuit Heva ambobus filiis suis, Habele quem Cain interfecerat, & Caino, qui expulsus fuerat à facie parentum cunctis diebus vitæ ipsorum.*

46. *Postea dixit Rebecca, Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem ex filiabus Heth, sicut istæ sunt, de filiabus terræ, ad quid mihi vita?*

Tædet me vitæ meæ] קצתי בחיי LXX. προσώχθικα τῇ ζωῇ μου: infensa sum vitæ meæ. Num. 21. 5. קצה. A. συγχαίνει. Sym. ἐνεκάκησεν. Hoc loco Sym. habet ἐνεκάκησα vexata vel afflicta sum aut molestiam sensi. Hiero. *tædet me.* In altero loco habet, *nauseat.* Quod à navibus sumtum, quarum sentina nauseam facit i. stomachum ad vomitum exciat. Nausea quandoque pro quavis molestia sumitur, unde movere nauseam dicitur qui alicui molestiam creat. On. עקת בחיי quod Fagius interpretatur, *tædet me vitæ meæ.* Jon. מעיקא בחיי affligor in vita mea. Alias, *molestiam sentio in vita mea.* q. d. molesta & acerba mihi est vita. Aben. putat inversis litteris idem esse cum עקה in quo significatio angustiæ, quæ עקה dicitur vocabulo ab eo verbo deducto. R. Sal. מואסת בחיי, aversor vitam meam. Quidam, *fastidio vitam meam.* Prov. 3. 11. אל תקץ. Theodotio μὴ ἐγκακήσῃς, ne affligas te. ¶ *Propter filias Heth*] i. Hetthæas. LXX. διὰ τὰς θυγατέρας τῶν υἱῶν χὲτ: *propter filias filiorum Chet* i. Hetthæorum. Quod Ebraice diceretur, מפני בנות בני חת. ¶ *Acceperit*] duxerit. ¶ *De filiabus terræ*] Jonathan, *de filiabus populi terræ.* puto vertendum, *de filiabus terræ hujus* i. regionis. Sic Græci Lxx. ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῆς γῆς ταύτης. Hiero. *de stirpe hujus terræ.* ¶ *Sicut istæ sunt*] uxores Esau.

A M A M A.

15. EPitheta filiorum non de nihilo à Mose toties repetita & hic & alibi temere nimis neglexit Interpres.

27. Vox *pleni* redundat, notaruntque Lovanienses V. manuscripta, Ebræa, Chaldæa eam non legere, legere tamen Rabanum & Græcos. Reliquerunt eam tamen non ipsi tantum sed & Correctores Romani. At, quæso te, æquumne est ut tot Manu-scriptorum, Ebræi, Chaldæique textus authoritati unius Rabani & Græcorum præponderet authoritas?

34. (*a*) Pathetica admodum sunt Esavi verba in Ebræo ברכני גם אני אבי, *Benedic mihi etiam mihi Pater mi*, ut אני ponatur pro אתי. Sic Mercerus. Ego tamen malim sic reddere, *Benedic mihi, etiam ego* (subaudi filius tuus sum) *pater mi.* Atque illud vidi postea Santem elegisse. Male ergo Vulgatus, *Benedic & mihi pater mi*, ac si illud אני otium omnino ageret. Eadem locutio vers. 38. recurrit. Vide & Cajet. hoc loco.

39. Ebr. *In pinguedinibus terræ erit* מושבך *habitatio tua.* Vulg. *In pinguedine terræ erit benedictio tua, id est* ברכתך.

Apponam tantum verba Steuchi, LXX. *quoque ut Ebræum* ἡ κατοίκησίς σου. *Atque eodem forte modo nostra Editio habebat, sed à librariis locus corruptus est, ut quod esset habitatio,*

(*a*) *Cajet.* ad exprimendum ad commemorandum se tam dilectum à Patre primogenitum, repetit se ipsum *&c.*

tie, in benedictionem commutatum sit. Hæc Steuchus, eadem Cajet. habet.

41. Ebr. *Ecce Esau frater tuus solatur se de te (vel propter te) ad occidendum te.* Vulg. *Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.*

Amplius quid dicunt Ebræi, quorum sensum ponam verbis Merceri, solatur se ipse de injuria quam sibi à te putat factam, sibique satisfactum iri putat, placatumque iri iram suam, quâ in te ardet, cum te occiderit, quasi non aliter restinguenda sit ejus ira quam te extincto. Sic Mercerus. Paræus, *Solatium jacturæ suæ sibi ex morte tua promittit.* Aben. *hac est consolatio ejus quod poterit occidere te.*

G R O T I U S.

27. *Pleni*] Hæc vox ex Hebræis codicibus excidisse videtur. Est enim & in Græco & in Samaritano & in Syriaco veteri, referente Diodoro. Plinius lib. XVII. c. 5. de terra agens: *Et cum à siccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit.*

29. *Serviant tibi populi*] Idumæi.

Et adorent te tribus] In Hebræo לאמים, regna, Chaldæus: Lxx. ἄρχοντες [*Principes*], regna Arabiæ & Syriæ, orta ex Agare, Cethura, Labano.

Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus] Ut Balaam.

Et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.] Ut Moses.

40. *Cum excutias & solvas jugum ejus*] Implementum vide 2 Reg. VIII. 20. Notant autem Hebræi hanc fuisse voluntatem Dei ἐπόμενον [*consequentem*], ideo quod eo tempore Israelitæ excussissent jugum legis.

C A R T W R I G T U S.

3. ועתה שא נא כליך *Et nunc sume quaeso arma seu instrumenta tua.*] Hinc apparet נא non idem significare cum עתה, i.e. *nunc*, sed rogandi esse particulam, etiamsi interdum pro עתה potius usurpetur. Jonathan hic pro עתה, pariter ac pro נא habet כען, i.e. *nunc*. Vide ad cap. 12. vers 11.

Pharetram tuam תליך] Sic vulg. & Lxx. τὴν φαρέτραν. Aben Ezra etiam primo interpretatur, האשפה התלויה ששם החצים, i.e. *pharetram pendentem*, (תלי à תלה *pendere*) *in qua sunt sagittæ.* Addit autem gladium posse exponi. Atque ita exponit Chald. סיפך, i.e. *gladium tuum.* Et R. Salom. חרבך שדרך לתלות, i.e. *gladium tuum, qui suspendi solet.* Fullerus lib. 1. cap. 27. multis contendit תלי gladium potius quam pharetram esse exponendum. Mihi altera expositio æque congrua videtur, eamque sequitur Targum, quod Jonathæ adscribitur, בית גירך, *domum sagitta tua*, i.e. *pharetram tuam.* Drusius in difficil. loca Gen. cap. 71. putat תלי hic potius *gladium* significare, quam *pharetram*; 1. quia inter arma censetur: 2. quia pharetra sub arcu comprehenditur. At ad ista facile est respondere. Nam 1. כלי quod hic usurpatur, non solum *arma* proprie dicta, sed & *quodvis instrumentum* denotat. 2. Etiamsi sub arcu pharetra possit comprehendi, id tamen haud obstat quo minus utriusque simul fieri possit mentio. Mercerus existimat pharetram potius hic significari, quod *gladius*, seu *venabulum*, aut *telum* (quod quosdam Latinè ductum velle ait ab Hebræo *Teli*) licet ad venandum necessarium, potest tamen in generali voce armorum contineri. Sed nec ista ratio satis solida videtur: Cum enim primo dixisset, *Accipe nunc* כליך *arma, vel instrumenta tua*, speciatim addit, atque explicat quænam arma seu instrumenta acciperet, תליך וקשתך *gladium tuum* (vel *pharetram tuam*) & *arcum tuum.* Utraque sane expositio cum vocis proprietati, tum loci circumstantiæ satis convenit.

9. *Duos hædos, &c.*] Targ. (a) Jonathæ, חד לשום פסחא וחד לשום קרבן חגא, i.e. *unum propter Pascha, & unum propter oblationem festi.* R. Eliezer cap. 32. & ex eo R. Salom. dicunt unum fuisse pro Paschate, alterum autem ad parandum Isaaco cupedias. Vorstius in Animadversionibus ad capitula R. Eliezer notat Rabbinos somniare non paucos ritus inter Patriarchas viguisse, qui postmodum lege scripta sunt consignati, atque inter eos annumerare festum Paschatis. At cum festum istud in memoriam liberationis ex Ægypto institutum fuit, tempore Isaaci celebratum fuisse quis adeo ineptus est ut credat?

(a) Jonathan vers. 1. & 7. dicit istum diem fuisse decimum quartum mensis Nisan, ac nocte ista cœlites (עלאי) Deum laudasse, ac thesauros roris (benedictionis cœlestis) fuisse apertos. Sed hæc commenta sunt Judaica.

12. כמתעתע *Sicut impostor.*] LXX. ὡς καταφρονῶν, *quasi spernens.* Aquila, καταμωκώμενος, *irridens.* Symmachus, καταπαίζων, *illudens.* מתעתע est à radice תעה *errare*, in Piel & Hiphil *decipere.* Duplicantur hic duæ primæ radicales, tertia penitus omissa. Hujusmodi autem literarum geminatio (ut notat Kimchi ad Psalm 3. 2.) significationem vocis solet intendere. Aben Ezra notat literas hic geminari, sed nimis dilute videtur vim vocis exprimere, cum ita interpretatur, כאיש שמתעה אחר, i.e. *sicut vir, qui decipit alterum.* Vox hic usurpata indicat Jacobum metuisse, ne pro insigni impostore haberetur, qui ipsum patrem, idque in re tanta fallere non erubesceret.

13. *Super me maledictio tua mi fili.*] Chald. *Mihi dictum est per prophetiam, quod non venient in te maledictiones, mi fili.* Aben Ezra, *Ne metuas fore ut maledicat; quod si maledixerit, maledictio ejus erit super me, non super te.* Jonathan, *Si benedictionibus benedixerit tibi, super te, & filios tuos venient; sin maledictionibus tibi maledixerit, super me, & super animam meam venient.* R. Saadias (referente Aben Ezra) sic explicat, עלי להסיר קללתך, i.e. *in me est maledictionem tuam depellere.* Expositio Aben Ezræ genuina videtur.

19. *Ego sum Esau primogenitus tuus.*] R. Salom. hæc ita interpretari conatur, ut Iacobum à mendacio liberet. Vult nimirum vocabulum אנכי *ego*, seorsim per se sumi hoc sensu, אנכי המביא לך, i.e. *Ego sum, qui tibi affero*, scil. edulium. Deinde verba illa, עשו בכרך *Esau primogenitus tuus*, sic exponit, ועשו הוא בכורך, i.e. *Et Esau est primogenitus tuus.* Quod autem sequitur, *feci quemadmodum mihi dixisti*, in hunc modum interpretatur, עשיתי כמה דברים כאשר דברת לי, i.e. *feci multa, quæ mihi dixisti.* Lyra recte asserit R. Salomonem hic sensum corrumpere; sed & ipse frustra nititur Jacobum à mendacio excusare, dicens Jacobum fuisse Esavum officio & dignitate, quantum ad jus primogenituræ. Sane si Iacob tantum dixisset, Ego sum primogenitus, excusari forsan potuisset, at cum dixerit, Ego sum Esau, frustra quæritur excusatio, quod & ipse Lyra tandem fatetur. Aben Ezra existimasse videtur non illicitum esse quandoque, לצרך שעה, i. e. *ob præsentem necessitatem*, mentiri; atque affert cum aliorum, tum ipsius Davidis exemplum, 1 Sam. 21. 1. &c. In eadem sententia fuisse Origenem, atque alios ex antiquis Ecclesiæ doctoribus, refert Senensis Bibl. S. lib. 5. annotat. 107. Illam autem opinionem duobus libris, nempe *de mendacio*, & *contra mendacium*, egregie refutavit Augustinus, atque omne mendacium illicitum esse luculenter demonstravit.

22. *Vox est vox Iacobi, &c.*] Mercerus refert Hebræos hæc verba proverbii loco usurpare, ubi cujuspiam sermo factis non respondet.

27. וישק לו *Et osculatus est eum.*] Aben Ezra ait verbum נשק *osculari*, constructum cum *Lamed*, uti hoc in loco, significare *osculum manus*, aut *humeri*, aut *colli*; at *sine Lamed*, *osculum oris.* Quanti valeat hæc assertio, haud possum dicere.

29. הוה גביר לאחיך *Sis dominus fratribus tuis.*] LXX. legerunt לאחיך τοῦ ἀδελφοῦ σου, *fratris tui.* Vulg. in plur. *fratrum tuorum.*

Et incurvent se tibi בני אמך *filii matris tuæ.*] LXX. οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου, *filii patris tui.* Chaldæus & Vulgatus Latinus Hebræo consentiunt. R. Salom. notat Jacobum, cum benedixerit Judæ (cap. 49.) dixisse, *filii patris tui*, propterea quod plures uxores habuerit; hic autem Isaacum, qui non nisi unam habuit uxorem, dixisse, *filii matris tuæ.*

33. *Etiam benedictus erit.*] Hoc additum est (ut non male notat R. Salom.) ne quis existimaret Jacobum non nisi circumventum ac deceptum à Jacobo ei benedixisse. Ut huic suspicioni obviam iret, jam sciens ac prudens ei benedicit, seu benedictionem antea datam confirmat.

35. *Frater tuus venit* במרמה *dolose.*] LXX. μετὰ δόλου, *cum dolo.* Aquila, ἐνέδρας, *insidiis.* Symmac. ἐν ὑποκρίσει, *cum impostura.* Vulg. *fraudulenter.* Aben Ezra, שלא דבר אמת, i.e. *quod verum non sit locutus.* At Chaldæus in bonam partem accipit, בחכמא *in sapientia.* Et similiter R. S. בחכמה. Et Targum Jonathæ, בחכמתא, unde Lyra, Hebræi (inquit) dicunt, *providenter*, quia dictio Hebraica, quæ est ibi, est æquivoca, & aliquando accipitur pro dolo, & aliquando accipitur pro prudentia, seu bona cautela; & sic debet hic accipi. Burgensis ex adverso asserit dictionem Hebraicam non nisi dolum ac fraudem significare; fraudem tamen quandoque abusive in bonam partem accipi. Et citat illud 2 Corin. 12. *Cum essem astutus, dolo vos cepi.* Sed locus iste perperam intelligitur; neque enim θετικῶς ibi loquitur Apostolus, sed ἀναιρετικῶς, ac objectioni occurrit, ut locum penitius intuenti facile patebit; quanquam in

istius

istius loci expositione alios etiam præter Burgensem hallucinatos esse non ignorem. Quod autem præsentem locum attinet, non video quare vox Hebræa *Mirma* aliter quam de fraude proprie dicta intelligi debeat. Quod enim objicit Lyra, Isaacum jam scivisse, quod divina voluntate atque ordinatione Jacob benedictionem obtinuerat, tanti non est, ut propterea Jacobi factum fraudulentum dici non possit. Etiamsi enim Deo ordinante ac disponente factum sit, ut benedictio in Jacobum esset collata, hoc tamen Iacobum haudquaquam excusat, qui (ut ipse Lyra tandem agnovit) patrem mendacio aggressus est, ut eo decepto benedictionem auferret. Augustinus de Civit. Dei, lib. 16. cap. 37. putat dolum Iacobi non fuisse fraudulentum, sed in eo nescio quod mysterium esse, propterea quod supra dictum fuerat de Iacobo, eum fuisse hominem *simplicem*, ἄπλαςον, ut LXX. vertunt, i. e. *minime fictum*, *seu fucatum* At *una hirundo* (quod ajunt) *non facit ver*; esto Iacob à fraudibus fuerit alienus, id tamen non impedit, quin hic à matre (quæ & ipsa proba piaque fuit) pellectus fraudulenter se gesserit.

36. הֲכִי קָרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב וַיַּעְקְבֵנִי זֶה פַעֲמַיִם *Nonne* (vel *vere*, *recte*, *merito*) *vocavit* (seu vocatum est) *nomen ejus Jacob?* (i. e. *supplantator*) *supplantavit enim me jam duabus vicibus.*] Chald. *Recte vocatum est nomen ejus Iacob;* (*a*) *astute enim egit mecum jam duabus vicibus.* Targum Ionathæ, *Vere vocatum est nomen ejus Iacob, nam* בי שקר *mentitus est in me hisce duabus vicibus.* LXX. δικαίως ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰακώβ. ἐπτέρνικε γάρ με ἤδη δεύτερον τοῦτο, *Iuste vocatum est nomen ejus Iacob; nam ecce me hac secunda vice supplantavit.* יַעֲקֹב *Iacob* nomen habuit à עָקֵב *calcaneo*, quia nempe fratrem suum, dum in utero fuit, calcaneo apprehendit; Esau autem hic nomen deducit à עָקַב, quod *supplantare* significat. Iacob (inquit Hieron. in Tradit.) *supplantator* interpretatur. Ab eo igitur quod *fratrem arte deceperit*, allusit ad nomen, qui ideo Iacob ante vocatus est, quod in ortu plantam fratris apprehenderat.

37. *Ecce eum tibi dominum constitui.*] LXX. εἰ κύριον αὐτὸν, &c. Quasi pro הן *ecce*, legissent אם *si*. Vulgatus particulam istam prorsus omisit, dominum tuum illum constitui. R. Salomon argute in hæc verba commentatur, nempe Isaacum dicere Esavo, Quid tibi proderit benedictio? Si opes acquisiveris, illius erunt. *Eum enim tibi dominum constitui*; מה שקנה עבד קנה רבו, i. e. *Et quod acquirit servus, acquirit dominus ejus*; vel, *acquirit domino suo.*

40. וְהָיָה כַּאֲשֶׁר תָּרִיד *Et erit cum dominatus fueris, &c.*] *Signat* (inquit Hieron.) *quod Idumæi servituri sint Iudæis, & tempus esse venturum, quando de collo jugum servitutis abjiciant, eorumque imperio contradicant.* R. Salom. hic verbum תריד inquiritandi significatione accipit, לשון צער, prout accipitur Psal. 55. 2. אריד בשיחי, sic autem exponit, Quasi dicat, Cum transgressi fuerint Israelitæ legem, tunc tibi liberum erit להצטער quiritari de benedictionibus, quas abstulit, & *confringes jugum ejus, &c.* Kimchi in Rad. (ut est apud Fagium in Collat.) in eundem sensum interpretatur, sed תריד accipit pro *dominari*; כאשר תמשל, i. e. *cum dominaberis*; quasi dicat, *cum veneris tempus dominii tui, quo Israëlita transgredientur legem, & excutient à se jugum præceptorum, tum rumpes jugum à collo tuo.* Quo sensu verbum תריד accipit Chaldæus, haud liquet; ejus interpretatio sic habet, *Et erit cum filii ejus* (scil. Iacobi) *transgressi fuerint verba legis, tum excuties jugum ejus à collo tuo.* Similiter exponit Targum Hierosol. & Targum Ionathæ. LXX (ut notavit Fagius) videntur derivasse תריד à ירד *descendere*: ἔσαι δὲ ἡνίκα ἂν καθέλῃς, καὶ ἐκλύσεις τὸν ζυγὸν αὐτοῦ, *Erit autem quando deponas & detrahas jugum ejus.* Hieron. in Tradit. ait sententiam juxta LXX videri pendere, nec esse completam. Sed sensus, opinor, est, Erit autem tempus, quando depones, &c. atque ita sententia satis est completa. Mercerus Kimchii expositionem probat, ut nimirum תריד hic pro *dominari* sumatur; atque ista expositio mihi etiam præ cæteris amplectenda videtur. Ea enim significatione alibi plerumque verbum רוד usurpatur, ut videre est Ier. 2. 31. Hos. 11. 12.

42. *Et nuntiata erant Rebeccæ, &c.*] R. Salom. ait Rebeccæ divinitus fuisse revelatum quid Esau in corde suo cogitaret. Probabilius est quod opinatur Aben Ezra, nempe Esavum alicui ex amicis consilium suum communicasse, atque inde tandem rem Rebeccæ innotuisse.

מִתְנַחֵם לְךָ *Consolatur se de te.*] LXX ἀπειλεῖ σοι. Vulg. *minatur tibi.* Nescio an legerint מתנהם, nam נהם est *rugire*, *fremere*. Chald. כמן לך *insidiatur tibi.* Et sic etiam Targum Ionathæ.

44. יָמִים אֲחָדִים *Dies unos.*] Sic ad verbum sonat. Vulg. *dies paucos.* LXX ἡμέρας τινὰς, *dies aliquos*, vel aliquot. Hoc alteri præfert Drusius. At Chald. יומין זעירין, *dies paucos.* אחד *unus*, pro *aliquis*, *quidam*, usurpatur Iudic. 13. 2. Aben Ezra exponit שנים מספר שנים, i. e. *annos paucos.* At, ut notat Drusius, ימים interdum annum, nunquam autem annos significat. Melius igitur (ait) Hiskuni exponit, *annum unum.* At locus Genes. 29. 20. ubi eadem verba occurrunt, arguit rectissime exponi, *dies paucos.*

(*a*) עבתן.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

2. M*Esopotamiam*] Heb. *in Padan Syriæ.* de qua supra cap. 25. diximus.

8. *Mala essent*] h. e. *displicentes essent, patri suo.* Et quod sequitur, *Super uxores suas*] sensus est, Ultra uxores quas habuit, duxit & hanc in uxorem.

11. *Et casu veniens*] Hebraica habent, *& occurrit in locum*, h. e. incidit in locum quendam ubi mirabilem Dei habuit visionem. ¶ *Occiderat*] Hebraice, *venerat sol*, seu *pervenerat*, scilicet ad terminum quem tota die motu suo appetere videbatur. Vel, subductus ab oculis hominum, ingressus fuerat tabernaculum suum, oppositum scilicet hemisphærium; sicut & Psal. 19. habet, *Egreditur mane sol tanquam sponsus è thalamo suo, & exsultat ut gigas ut currat viam suam.* ¶ *Pro capitis sui cervicali*] Est מראשות nomen hæmanthicum à ראש formatum, perinde ac si à *capite capitalitas* diceremus: & vocatur מראשות omne id quod vel capiti supponitur, vel loco capitis ponitur; sicut fecit Michol uxor David.

14. *Propagaberis*] Hebraice magis est, *fortificaberis*: vel, ut Aben Ezra exponit, תרבה, *multiplicaberis & in numero augesces:* sic enim plerunque usurpat Hebraismus verbum *fortificare*; ut *fortificata est plaga*, pro *invaluit*; *fortificaverunt torcularia vinum*, pro *redundaverunt vino*, &c.

18. *Instatuam*] Formant Hebræi מצבה à נצב, sicut & Latini *statuam* à *stare*. Non est igitur ut aliquis suspicetur statuam illam columnam fuisse, cum solum lapis agri esset. Sed is lapis stabat non jacebat, secundum longitudinem erectus. Statua igitur vocari potest lapis ille, sicut & in Hebræo vocatur. Et quod sequitur, *Erit domus Dei*] hunc habet sensum, Erit hic locus ubi invocabitur nomen Dei. Expositores nostri communiter dicunt, hunc locum Bethel fuisse montem Morija prope Jerusalem, ubi posteris temporibus exstructum fuit templum Domini, quodque Jacob in spiritu prævideret ibi instituendum cultum Dei, atque ob id dedit nomen loco *Bethel*. Sed illi errare convincuntur ex Jos. 18. ubi in tribu Benjamin inter reliquas civitates Bethel (quæ & Luza) atque Iebusi (quæ est Hierusalem) separatim describuntur. Habuerunt Israelitæ multa loca ubi temporum successione coluerunt Deum, in Gilgal, in Bethel, in Silo, & tandem in Ierusalem. Amos 5. prædicitur desolatio Gilgal & Bethel.

FAGIUS.

4. D*Et tibi benedictionem Abraham*] i. Ea conferat in te beneficia quæ contulit in Abrahamum; Tam faveat tibi quam favit Abrahamo.

8. *Quod mala essent*] Hebraismus est pro, *displicerent patri suo, neque libenter eas aspiceret.*

12. *Et ecce scala fixa erat, &c.*] Per *scalam* istam quæ extendebatur à terra ad cœlum, dicunt doctissimi Hebræorum, significari, omnia ista inferiora dependere à superioribus. Quæ quidem non impie dicuntur. Verum nos per *scalam illam* recte Christum intelligimus, cujus Divinitas conjuncta erat humanitati, descendique ad nos; per quem & ascendimus ad Deum Patrem: *Nemo enim venire potest ad Patrem nisi per Christum*, sicut Christus ipse testatur Ioan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo, &c.* Hoc mysterium ignorant Iudæi. Quod vero Iacob vidit Angelos Dei descendentes & ascendentes, dicunt Hebræi ideo factum, quod cuique populo & provinciæ sui deputati sint Angeli, qui illius curam gerant: Ascendisse ergo Angelos, quibus cura terræ Chanaan, unde Iacob deduxerant, commissa erat; descendisse vero, quibus cura Mesopotamiæ, quam ingressurus erat Iacob, demandata erat. Nos expendamus Angelos esse λειτουργικὰ πνεύματα, i. *administratorios spiritus, qui emittuntur in salutem eorum qui salvi fiunt*, Heb. 1. 14.

17. *Ad*

17. *Ad quem voluntas est*, &c. i. locus qui singulariter placet, erga quem bene affectus est, ubi vult coli, adorari, & hominum vota exaudire.

22. *Separabo coram te*] h. e. Separabo ut offeratur coram te, tibi cultus exhibeatur, & tibi gratiæ agantur.

VATABLUS.

2. *SUrge, vade* לך קום] Hebraismus, pro *Cito proficiscere.*

3. *Benedicat tibi, & crescere faciat te,* יברך אתך ויפרך] *benedicet tibi, & crescere faciet te.* Hic ET pro *id est* positum est: exponit enim quid significet *benedicere* Dei, nempe *facere crescere, & multiplicare.* ¶ *Sisque in cœtum populorum:* והיית לקהל עמים] *erisque in turmam* [*congregationem*] *populorum*, i. ex te egredietur magna multitudo populorum.

4. *Terram peregrinationum tuarum,* את ארץ מגריך] *terram incolatus tui*, i. regionem in qua tanquam peregrinus habitas. ¶ *Dedit* נתן] i. pollicitus est se daturum ipsi Abraham & semini ejus.

8. *Displicerent* רעות] Ad verbum, *mala essent*, vel *molestæ*, q. d. non poterat eas videre.

10. *Egressus est itaque* ויצא] Hic Hebræorum septima est hujus libri sectio, quam ab hac prima voce inscribunt ויצא *Et egressus est.*

11. *Sub capite suo,* מראשתיו] Ad verbum, *sub capitibus suis*, plur. pro sing. Quidam vertunt, *vice pulvinaris*, vel *pulvinar suum*, i. quem supposuit capiti suo ut esset vice cervicalis. Vide paulo post v. 18.

12. *Scala erecta erat super terram,* סלם מצב ארצה] *scala stabat in terra*, i. defixa terræ stabat erecta, h. e. In somnio vidit scalam cujus pars ima erat in terra, & summa pars ejus pertingebat usque ad cœlum. Per istam scalam doctissimi Hebræorum dicunt significari, omnia ista inferiora dependere à superioribus. At potius docet, quod solus Christus est qui cœlum terræ conjungit, hic solus est Mediator qui pertingit à cœlo usque ad terram: ille idem est per quem bonorum omnium cœlestium plenitudo deorsum ad nos fluit, nosque vicissim ad Deum conscendimus. Idem quum sit Caput Angelorum, efficit ut illi membris suis terrenis ministrent. Itaque (ut legimus Ioh. 1. 51.) hunc sibi proprie honorem vendicaturus erat, quod postquam manifestatus esset mundo, Angeli ascenderent ac descenderent ministri beneficentiæ Patris erga nos, propter ipsum Christum.

13. *Stabat super illam,* נצב עליו] *innixus erat ei.*

14. *Multiplicaberis enim* ופרצת] *dilataberis enim.*

15. *Et ecce ego tecum,* והנה אנכי עמך] *Equidem ego sum* [vel *ero*] *tecum*, i. favebo tibi, & adero in omnibus. ¶ *Quocunque perrexeris,* בכל אשר תלך] Ad verbum, *in omni loco ad quem perges.*

17. *Terribilis est* נורא] *stupendus est, terrificus.* ¶ *Porta cœli.* שער השמים:] *Portam cœli* vocat propter Dei manifestationem: nam quia Deo in cœlis locatur quasi regia sedes, vere prædicat Iaacob se viso Deo, in cœlum penetrasse. Quo sensu, Evangelii prædicatio vocatur *Regnum cœlorum*; & Sacramenta dici possunt *cœlorum porta*, quia in Dei conspectum nos admittunt.

18. *Sub capite suo,* מראשתיו] *cervical suum*, vel, *pro cervicali suo.* Vide paulo ante v. 11. ¶ *In titulum* מצבה] *vice meta.* Alii, *in statuam.* Non intelligit Moses factum esse ex lapide idolum, sed ut visionis insigne monimentum foret. Utitur quidem Deus hac voce quum statuas sibi erigi vetat, Lev. 26. 1. quia ad venerationem fere prostabant omnes statuæ, acsi Dei essent imagines: sed aliud fuit consilium Iaacob, nempe ut testimonium relinqueret visionis sibi exhibitæ, non autem ut Deum symbolo illo vel figura repræsentaret.

19. *Et sane Luza, &c.* ואולם לוז שם] Mirum est quod Moses urbem fuisse commemorat ubi paulo ante dixit, Iaacob sub cœlo dormisse. Verum Urbs nondum illic exstructa erat: neque enim statim obtinuit hoc loci nomen quod Iacob imposuerat: sed diu sepultum latuit: imo quum postea illic conditum esset oppidum, nulla fiebat mentio Beth-el, acsi nunquam illac transisset Iaacob: neque enim sciebant incolæ quid illic gestum esset, suo igitur arbitrio vocarunt urbem Luz: quæ nomen hoc retinuit usquedum Israelitæ occupata terra postliminio, prius nomen, quod abolitum fuerat, in communem usum vocarunt. Hæc ita quidam. Quid si Beth-el fuit locus contiguus Luzæ, imo ager Luzæ?

21. *In pace,* בשלום] *incolumis, salvus*, i. citra damnum ac noxam.

22. *In titulum,* מצבה] *in statuam.* Vide paulo ante v. 18.

¶ *Decimas, &c.* עשר אעשרנו] Ad verbum, *decimando decimabo illud tibi.* Mutatio personæ in hoc versu.

CLARIUS.

4. *QUam pollicitus est avo tuo*] Heb. *Quam dedit Deus Abraham.*

9. *Ivit ad Ismahelem*] Cum superius dictum sit, cap. 25. Ismahelem mortuum esse, nisi sit anticipatio, hic intelligendum est *ivisse* hunc *ad Ismahelem*, h. e. ad domum Ismahelis.

12. *Vidit in somnis scalam*] Mysterium incarnationis est in Christo, dum à terra in cœlum porrecta cœlestia conjungit terrenis, qua sola cœlum ascendimus. *Nemo potest* (inquit) *venire ad Patrem nisi per me.* Angeli ascendunt & descendunt: nam *omnes sunt administri spiritus*, qui mittuntur propter nos.

14. *Ad Orientem*] *Viderunt* enim *omnes fines terræ salutare Dei nostri.*

18. *In titulum*] Vel, *in statuam.* Lapis erat agri, qui secundum longitudinem erectus stabat, non jacebat.

22. *Vocabitur domus Dei*] Vel, *erit domus Dei.* Erit (inquit) hic locus ubi invocabitur nomen Dei.

DRUSIUS.

5. *AD Laban filium Bathuel Syrum*] Vel, *Syri.* Sermo enim ambiguus est; & uterque *Syrus* vocatur Gen. 25. 20. *cum acciperet Rebeccam filiam Bathuel Syri, sororem Laban Syri.* Par ambiguitas in illo, *Eleazar filius Aharon sacerdos.* Nam legi etiam potest, *sacerdotis.* *Syrus*, i. Mesopotamenus. Hæc Syria vocatur ab Ebræis *Phadan Aram*, à Græcis Μεσοποταμία, à Latinis *Syria interamnis.* Paraphrastes Chaldæus odarum Davidicarum eam vocat *Syriam quæ ad Euphratem*, Psal. 60. *Mesopotamia* dicitur quod inter Euphratem Tigrimque media esset. Apud Juvenalem *natus ad Euphratem* est Mesopotamenus. *Syria* cum late sumitur tum Assyriam tum Chaldæam comprehendit. Unde Chaldæi loquuntur Syriace Dan. 2. 4. & Rabsaci dicitur, qui Assyrius erat, *Loquere ad servos tuos Syriace*, Jes. 36. 11. Sic olim: nunc aliter est. Nam lingua Syriaca & Chaldaica differunt. Hac usi sunt Onkelos & Jonathan: illa Syrus interpres Novi Fœderis. Sunt qui *Syriam* appellatam existimant decurtata voce ex *Assyria* per aphæresin, sicut *Chonia* dicitur pro *Jechonia* Jer. 22. & *Spania* pro *Hispania.* Qua figura usi olim Prænestini dicebant *conia* pro *ciconia.* Neque enim literæ tantum detractæ veteribus, verum syllabæ integræ. Alii nomen deducunt à *Tyro*, quæ Ebræis *Sor*, unde *Sur* & *Suria* & *Syria.* Nam promiscue hoc nomen ita scribitur. Autor Jobasin 135. Aramæi in lingua Græca *Syri* vocantur, unde dicta *Suria*, סוריא vel, סוריה. Strabo l. 16. *Syri à Barbaris* Ἀραμαῖοι ἢ Ἀριμοι vocantur. Horum & Homerus meminit. Josephus, Ἀραμαίους δὲ Ἄραμος ἔσχεν, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι. Ebraice ארם, unde *Aram Naharaim*, *Syria fluviorum*, *Syrus* etiam nuncupatur Jacob Patriarcha Deut. 26. 5. forte quia in Syria interamni diu habitaverat, cum etiam mater ejus Syra esset. Sed & Abraham *Syrus* dici posset, quia Chaldæus. Sane quidem Ur Chaldæorum Stephanus protomartyr in Mesopotamia collocat Act. 7. 2. Adeo vicinæ regiones istæ erant, ut etiam Strabo Chaldæorum, quam everterunt Medi & Persæ, Syrorum fuisse pronuntiet, Syros & Chaldæos eandem gentem faciens. Dixi Iacobum Patriarcham *Syrum* vocari Deut. 26. 5. Sic est profecto. Non tantum *Syrus* ibi vocatur, sed additum אבד *periens*, aut *perditionis*, i. perditus. Nam pauper erat cum in Mesopotamiam fugeret ad Laban Syrum. Ideo sic vocatur, ut Proverb. 30. *date siceram pereunti* לאובד. Sequitur enim, *bibat & obliviscatur paupertatis suæ.* Sane quidem *perire* dicitur qui de bonis suis descendit.

14. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ*] Pro eo Gen. 22. 18. *omnes gentes terræ.* Idem aliter. Nam *familia* pro *gente* usurpatur. Sic φυλὴ idem aliquando quod φῦλον. Cæterum illic est, *in semine tuo*, hic vero, *in te & semine tuo*: quod explicant, h. e. *in semine tuo*, ut Vau sit ἐξηγητικὸν, quale in illo,

Judicium Paridis spretæque injuria formæ.

Sic Gen. 25. 12. *Tibi dabo & semini tuo.* Sensus, h. e. semini tuo. Nam Iacobo non fuit uuquam data dum viveret. *In te* Onkelos enarrat, *propter te*; Ionathan, *propter merita tua.* Si recte, tunc sensus erit, *in semine tuo*, Propter semen tuum, h. e. Ob meritum Christi. Nam *semen* ad solum Christum restringit hic Apostolus, nec male, meo judicio. Non enim in ullo

ullo alio filiorum Abrahæ quam in Christo benedictæ fuerunt gentes. Sed cur hic addit *in te*, Iacobum alloquens? An propter te in hoc seculo, & propter semen tuum in futuro? aut propter te corporaliter, propter Christum spiritualiter? Aut benedicentur in te omnes tribus Israel, & in semine tuo cunctæ gentes terræ? Nihil adfirmo: Hoc tantum, Fuisse meritos Patriarchas ut eorum posteris benediceretur propter eos, saltem temporaliter. Sed quænam illa merita? *Quid habes*, inquit ille, *quod non accepisti?* Si merita hominum sunt bona opera, & bona opera sunt dona Dei, cum ea remuneratur, dona sua remuneratur, Hoc est quod Augustinus ait; *Deus dona sua coronat.* Eo posito, non te turbabit particula עֵקֶב כִּי *propterea quod auscultasti voci mea.* Quanquam in עקב significatio *mercedis*. Tralatio à *calce pedis* sive *calcaneo*. Nam ut calcaneus extremum est pedis, sic merces extremum est operis.

IDEM.

19. בֵּית־אֵל A. βαιθὴλ] Antiqua lectio pro *Bethel*, quod scribendum βηθὴλ. Talia sunt Αἰνρώγηλ, *En-Rogel*, Αἰνγαδδὶ, *Engaddi*. Contra factum in און, quod legebant Ων, i. און, unde οἶκος ὤν, quæ vulgo *Beth-aven*. ¶ וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר לָרִאשֹׁנָה A. ἀτεύπρεν Λιζ ὄνομα τῆ πόλει, *prius Luz nomen urbi erat*] Hoc vult, Bethel prius Luz nominabatur. Infra, *Et venit Jacob Luzam, quæ est Bethel.* Hieron. ad hunc locum, *Ecce manifestissime comprobatur Bethel non Ulam Lux, ut supra dictum est, sed Luzam, i. Amygdalum, ante vocitatam.* Græca exemplaria editionis Lxx hic admodum variant. Quædam, Οὐλαμμαΰς, alia, Λαμμαΰς, alia, Οὐηλάμ. Veritas lectionis exstat in R. Ουλαμλεζ. Sunt autem duæ voces ὐλάμ & Λεζ, quarum hæc propria est, illa vero adverbii vim habet, quam interpretantur, *certe, utique, vere, siquidem, porro, enim vero*: aut כּן *verum.*

21. וְהָיָה יְהוָה לִי לֵאלֹהִים Alius, *& erit mihi Dominus in Deum*] i. Deus revera, Procop. p. 165.

NOTÆ MAJORES.

1. *Vocavit igitur Isahac Jacobum & benedixit ei, præcepitque ei & dixit ei, non accipies uxorem de filiabus Chanaan.*

2. *Surge, Vade in Mesopotamiam ad Domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.*

Et benedixit ei] non est nova benedictio, sed veterem iterat nequando error in ea commissus Jacobo fraudi esset. ¶ *De filiabus Chanaan*] de puellis aut fœminis Chananæis. ¶ *In Mesopotamiam*] ἐις τὴν μεσοποταμίαν. Hiero. addidit *Syriæ*. Ebraice est פַּדֶּנָה אֲרָם quod idem cum illo פַּדַּן אֲרָם in Phadan Syriæ, hoc est, interprete Abenez. in agrum Syriæ. Nam פדן in lingua Ismaelitica est ager. Plura de hoc nomine alias. ¶ *Vade*] לֵךְ abi, proficiscere. Sed proficiscor potius יצא dicitur. ἀπόδραθι autem quod in Lxx. i. ברח. ¶ *Patris matris tuæ*] avi tui materni. ¶ *Fratris matris tuæ*] avunculi tui.

3. *Et Deus omnipotens benedicat tibi, & fœcundet te & multiplicet te & sis in cœtum populorum.*

4. *Et det tibi benedictionem Abrahami, tibi & semini tuo tecum ut hæreditate obtineas terram peregrinationum tuarum, quam Deus dedit Abrahamo.*

Deus] Qui אֵל interpretantur *Deus fortis*, quid dicent ad אֵלִי גִבּוֹר? An vertendum esse, *Deus fortis potens*? Certum est Deum ita dici à fortitudine: itaque Aquila vertit Psal. 22. 1. אֵלִי ἰσχυρέ μου. Notat autem Eusebius κατ' ἀκρίβειαν significare ἰσχύς μου ἢ δύναμίς μου. Quale illud, *Nate mea vires mea magna potentia solus.* ¶ *Omnipotens*] שַׁדַּי ¶ *Benedicat*] fortunet, felicitet. ¶ *Fœcundet te*] יַפְרְךָ fructificet te. i. propaget, fœcundet prole. Lxx. αὐξήσαι σε, augeat te. Hiero. *crescere faciat te.* Trem *fructuosum te reddat.* Hoc vult, fœcunda faciat prole parentem. Jungi autem debet cum eo quod sequitur, *& multiplicet te.* ¶ *Et sis in cœtum populorum*] vel *ut sis* i. evadas, *in ecclesiam populorum.* Lxx. καὶ ἔσῃ εἰς συναγωγὰς ἐθνῶν. Hiero. *ut sis in turbas populorum.* לִקְהַל עַמִּים On. *&* [illegible] *in congregationem tribuum.* Jonat. *multiplicet te in* XII *tribus & sis in congregationem filiorum Sanhedrin* (i. Synedrii) *quorum summa* 70. *juxta numerum populorum.* ¶ *Benedictionem Abrahami*] τὴν εὐλογίαν ἀβραάμ. Ceterum pro בִּרְכַּת quod nunc in codicibus Ebræorum, & quod legerunt olim Onkelos & Jon. Hiero. videtur legisse בִּרְכוֹת. Vertit enim certe, *benedictiones Abrahæ*, numero multitudinis. ¶ *Semini tuo*] posteris tuis. ¶ *Hæreditate obtineas*] hæreditario jure possideas. ¶ *Terram peregrinationum tuarum*] אֶת־אֶרֶץ מְגֻרֶיךָ cum Joth. Quanquam Hiero. legerit (apparet certe) absque Ioth, dum verteret, *terram peregrinationis tuæ.* Lxx. τὴν γῆν τῆς παροικήσεώς σου. Sic etiam On. & Jon. siquidem מגורה habitatio. Thema enim גּוּר quod factum ex גֵּר verbo Ebræo. Id a גור differt ut κατοικεῖν à παροικεῖν & habitare à commorari. Sed confundi scio. Psal. גור מ Lxx. τίς κατοικήσει. ¶ *Quam dedit Deus Abrahamo*] terram Chanaan intelligit.

5. *Ita dimisit Isahac Jacobum, qui abiit in Mesopotamiam, ad Labanum filium Bathuel Syrum fratrem Rebeccæ, matris Jacob & Esau.*

In Mesopotamiam] in Phadan Aram; Hæc alio nomine dicitur ארם נהרים Syria fluviorum. Forte hi duo fluvii פדן vocabantur, quod jugum sive par boum denotat. Dicebatur etiam Syria interamnis; & Syria ad Euphratem. Quomodo Juvenalis natus ad Euphratem dixit pro Mesopotameno. ¶ *Syrum.*] Vel Syri i. τῦ Σύρε, ut ad Bathuel referatur, quod auctoritatem accipit ex edit. Græca & ex Hiero. Malim tamen, *ad Laban Syrum.* Ebraice הָאֲרַמִּי i. Aramæum.

6. *Et vidit Esau benedixisse Isahac Jacobo, & misisse ipsum in Mesopotamiam ut acciperet sibi inde uxorem quum benedixisset ei, & præcepisset ei dicendo, non accipies uxorem de filiabus Chanaan.*

7. *Et auscultasset Iacob patri suo & matri suæ, & abiisset in Mesopotamiam.*

8. *Vidit etiam Esau malas esse filias Chanaan in oculis Isahac patris sui.*

9. *Itaque abiit Esau ad Ismaelem, & accepit Mahalath filiam Ismael filii Abraham sororem Nabajoth ad uxores suas sibi uxorem.*

In Mesopotamiam] Libri Græci εἰς τὴν μεσοποταμίαν συρίας: Sed dictio συρίας addita olim erat sub asterisco. Quod indicat Augustinus per hæc verba, *Et ivit in Mesopotamiam Syriæ, quasi Mesopotamia dicatur nisi Syria: quamvis hoc Lxx. habere non perhibentur, Syriæ, sed cum asterisco scriptum est.* ¶ *Malas esse*] displicere. ¶ *Filias Chanaan*] terræ Chanaan, aut Chananæorum. Hoc postremum extat in Jonatha. Sic supra vers 6. Lxx. habent ἐκ τῶν θυγατέρων τῶν χαναναίων: ex filiabus Chananæorum. ¶ *Ad Ismaelem*] qui tunc adhuc vivebat, si non fallit nos R. Salom. Agebat autem eo tractu temporis Iacob, teste eodem, annum sexagesimum tertium. Sunt alii qui eum longe ante mortuum fuisse scribant, quod colligunt ex vers 17. cap. 25. itaque hunc locum Latine interpretantur, *ad Ismaelitas.* Non admodum probo, & est cur malim exponere *ad Ismaelem*, ad domum Ismaelis. Sic apud Ciceronem *ad Pompejum* legitur pro eo quod est ad domum Pompeji. Sed nulla necessitas huc nos adigit cum ex dicto loco non liqueat Ismaelem tunc mortuum fuisse. ¶ *Mahalath*] vel, Machalath. Ebraice מָחֲלַת quod antiqui legerunt Maheleth. Nam in Lxx. μαελὲθ: & in edit. Lat. vulgata Maheleth. Thargum Ionathæ, *accepit Maheleth, quæ & Basemath.* Idem sentit Abenezra, cujus hæc verba sunt, *ivit ad patruum suum & accepit filiam ejus nomine Basemath, quæ & Maheleth dicebatur. Erat enim διώνυμα ut Iethro & Hobab, qui de animi mei sententia idem est.* Huic opinioni repugnat quod supra 26. 34. *& Basemath filiam Elon Hetthæi.* Scire licet aliam esse Basemath filiam Ismael, cujus est mentio Gen. 36. 3. ¶ *Sororem Nabajoth*] Primogeniti Ismael supra 25. 13. ¶ *Ad uxores suas*] priores Iudith, & Basemath: *quas si repudiasset*, inquit R. Sal. *minus peccasset.* Nunc peccatum peccato accumulavit.

10. *Igitur egressus est Jacob è Bersabée & ivit Carras versus.*

11. *Et devenit in locum quendam & pernoctavit ibi, quia occiderat Sol, & accepit de lapidibus loci & supposuit capiti suo, ita cubuit in loco illo.*

E Bersabee] ubi tunc pater habitabat. Nota hic, nove scriptum שָׁבַע. in Atnach sub Schin patah, cum analogia postulet camets. Solet enim Segol in talibus ob accentum majorem distinguentem cum camets permutari. Quod tamen non est perpetuum. Nam aliquando segol retinetur: rarissime in (-) mutatur ut hic fieri observavimus. ¶ *Et devenit in locum quendam*] וַיִּפְגַּע בַּמָּקוֹם & occurrit loco, quod Græci legunt καὶ ἀπήντησε τόπῳ. Articulus designat certum quendam locum, quem Ebræi conjiciunt fuisse in monte Moria, ubi postea templum extructum fuit. Onkelos, וּעֲרַע בְּאַתְרָא malim ערע, ut sic verbum præteritum אתרא autem est locus. Hiero. *cumque venisset ad quendam locum.* Recentior editio, *incidit in locum quendam.* Ionathan, *& oravit in loco domus sacrarii.* Vult dicere, ubi domus sanctuarii post extructa fuit, hoc est in monte Moria. Sic Ebræi veteres quos Deuterotas vocant. Videndus

dus R. Sal. Fuerunt etiam qui verterent *& oravit Deum.* Siquidem Deus aliquando מקום vocatur. Hoc verum est. Doctores ita Deum vocant. An etiam Sacræ litteræ? Non putarim. Nam quem locum adducunt ex historia Esther, magis contra illos, quam pro illis facit. Id alias probabitur, si Deus voluerit. ❡ *Et pernoctavit ibi*] Lxx. καὶ ἐκοιμήθη ἐκεῖ, & dormivit ibi. Hiero. *& vellet in eo quiescere.* Ebraice וילן שם Id Chaldæi dicunt, ובת תמן. Quiesco נוח dicitur & dormio ישן. unde שנה somnus, κοίμησις, dormitio. ❡ *Quia occiderat sol*] ἔδυ γὰρ ὁ ἥλιος. Minus recte Hiero. *post occasum solis.* Nam omisit particulam כי quæ non temere addita. Reddit enim caussam, cur ibi pernoctaverit. Nam quum sol occubuisset, non judicavit sibi ulterius eundum esse. Ion. hic edidit ארום טמע שמשא i. abscondit se vel potius mersit se, nempe in Oceanum, ut credidit antiquitas. ❡ *De lapidibus loci*] quos fors eo loco repperit. ❡ *Supposuit capiti suo*] ita Hiero. Græci quoque ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, posuit ad caput suum. Ebraice est ad verbum, *posuit cervicalia sua*, vult dicere, ut sibi servirent pro cervicali, quod recentior interpres dixit, *disposuit ut essent cervical suum.* Santes, *posuit sub capite suo.* Gallica editio, *& en fit son chevet.* Est autem *chevet* cervical, quod capiti dormientis substernitur. Ebraice מראשתיו & est nomen plurale. Appellatio à capite. Nam ei confovendo supponitur. In lingua Chaldaica אסדין. Græce προσκεφάλαιον sive ὑπηκεφαλαιον. Eliæ etiam כסת dicitur, nec male reddas כסתות pulvinaria, quæ item à Græcis προσκεφάλαια nuncupantur. Si Eliæ credimus, pulvinar כר dicitur, quod definit כסת קטן (alias קצר) nempe ad differentiam majoris pulvini, quem cervicalis vocabulo afficiunt. Ceterum *accepit de lapidibus loci*, pro eo habendum ac si diceret, accepit unum ex lapidibus loci illius. Quam interpretationem roborant consequa verba. ❡ *Et cubuit*] וישכב Lxx. καὶ ἐκοιμήθη. Hiero. & Sant. *dormivit* ישן. Sic etiam editio Gallica. שכב & ישן simul leguntur 1. Reg. 19. 6. & Psal. 3. 6. Arias *jacuit.* Trem. *cubavit.* Uterque Chaldæus, שכב.

12. *Et somniavit, & ecce scala constituta in terra, cujus caput pertingebat in cœlum, & ecce angeli Dei ascendebant & descendebant per eam.*

Somniavit] ἐνυπνιάσθη. ❡ *Scala*] κλίμαξ. Ebraice סלם. Chaldaice סלמא, quod scribunt סולמא, meo judicio, minus bene. ❡ *Constituta*] מצב Lxx. ἐστηριγμένη. Hiero. *stantem* נצב. Santes, *erecta.* Gallica editio, *posita.* Onk. נעיץ fixa. Jonath. קביע defixa. ❡ *In terra*] ארצה hic valet בארעא in terra, ἐν τῇ γῇ, ut recte Lxx. enarrant. Onk. quoque & Jon. בארעא. Hiero. *super terram* על הארץ. Alii, *in terram* לארץ. Nam & Lamed pro Beth usurpari solet. Sic Latini autores (in) promiscue & sine discrimine vel cum accusandi casu vel cum auferendi jungunt sæpe contra canones Grammaticorum. Vide sis Gifanii conjectanea in Lucretium. ❡ *Caput*] summitas. Lxx. ἡ κεφαλή. Hiero. *cacumen.* ❡ *Pertingebat in cœlum*] vel, *ad cœlum.* Lxx. ἀφικνεῖτο εἰς τὸν οὐρανόν. Santes post Hiero. *tangebat cælum.* Onk. & Jon. מטי עד צית שמיא *usque ad summitatem cæli.* ❡ *Angeli Dei*] recte addidit *Dei.* Nam etiam Satan suos angelos habet, qui vocantur angeli Satanæ. Certe angeli nomen commune est tam bonis quam malis.

13. *Et ecce* DOMINUS *stabat super eam & dicebat, Ego* DOMINUS *Deus Abraham patris tui & Deus Isahaci: terram, super qua tu cubas, tibi dabo & semini tuo.*

14. *Et erit semen tuum sicut pulvis terræ, & prorumpes ad mare & ad orientem & ad septentrionem & ad meridiem & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in semine tuo.*

15. *Et ecce ego tecum ero & custodiam te quocumque iveris & reducam te in terram hanc: certe non deseram te donec fecero quod locutus sum tibi.*

Stabat super eam] נצב Onk. & Jonath. reddunt מעתד i. stabat. Lxx. ἐπεστήρικτο ἐπ᾽ αὐτῆς. Hiero. *&* DOMINUM *innixum scalæ.* Editio Latina Lxx. quæ Romæ vulgata, *incumbebat super eam.* Trem. *stans supra eam.* Santes, *stabat juxta eam.* Super pro juxta, prope Latini quoque usurpant. Livius, *Situs est super Numicum amnem.* Hinc intelligentiam accipit, *super maria fundavit eam.* R. Sal. *stabat ad custodiendum eam.* ❡ *Patris tui*] Avi tui. Ut pater pro avo, sic filius pro nepote sumitur. ❡ *Super qua tu cubas*] Hiero. *in qua dormis.* Lxx. ἐφ᾽ ἧς σὺ καθεύδεις ἐπ᾽ αὐτῆς: super quam tu dormis super eam. Interpres recentior, *in qua tu cubas.* Sic poëta, *super arbore sedens* dixit pro in arbore. ❡ *Sicut pulvis terræ*] hoc est innumerabile, ἀναρίθμητον. Nam pulvis terræ numerari non potest præ multitudine. Quid dico numerari? ne mensurari quidem potest, tanta copia est arenæ ac pulveris. Lxx. ὡς ἡ ἄμμος τῆς γῆς, ut arena terræ. non placet: primum quia arena חול dicitur, deinde quia non ita loqui amant Sacræ litteræ. Dicunt arena maris, non arena terræ, quod quidem ego sciam. Sed falli possum. Homo enim sum. Onk. & Ion. *& erunt filii tui multi sicut pulvis terræ.* ❡ *Et prorumpes*] ופרצת & erumpes, hoc est longe lateque fines tuos propagabis, & in multam sobolem excresces. Mutuo sumtum ab aqua quæ perruptis aggeribus vicinos agros latissime inundat. Lxx. καὶ πλατυνθήσεται, *& dilatabitur.* Hiero. *& dilataberis.* On. & Ion. ותתקף & prævalebis. Abenezra, ותרבה. Santes, *multiplicaberis.* Arias, *cresces.* Gall. *tu t'espandras.* ❡ *Ad mare*] ימה. Lxx. ἐπὶ θάλασσαν. Intelligit autem mare Mediterraneum quod occasum respicit Iudææ: unde pro occidente ponitur. Sane On. & Ionath. hic ediderunt למערבא ad occasum. Hinc emendabis vulgatam nostram. Nam ubi vulgo, *ad orientem & occidentem*, legendum potius, *ad occidentem & orientem.* Corrumpendo loco fuit ordo verborum. Nam sciolis primum oriens nominandus videbatur. Ut ut sit, ים non. sig. orientem, sed occidentem. Res nota vel ex libellis meis. Vid. Obser. ❡ *Ad orientem*] orientem versus. ❡ *Omnes familiæ*] כל משפחת. Lxx. πᾶσαι αἱ φυλαὶ omnes tribus. Hiero. *cunctæ tribus.* Licet exponere, *omnes gentes.* Nam familia sæpe pro gente ponitur. ❡ *In te*] Onk. *propter te.* Ionath. *propter merita tua.* ❡ *Et in semine tuo*] Trem. *hoc est in semine tuo.* Sic Grammatici exponunt in Latio, *Iudicium Paridis spretæque injuria formæ*, hoc est spretæ injuria formæ. ❡ *Ego tecum sum*] Onkelos & Ionathan, *sermo meus est tibi auxilio.* ❡ *Non deseram*] οὐκ ἐγκαταλείπω non derelinquam, non dimittam. ❡ *Donec fecero quod locutus sum tibi*] ordo & constructio, *donec fecero. tibi quod locutus sum.* Aut *fecero* i. perfecero, simplex pro composito. Sic Hiero. *donec complevero.* ❡ *Quod locutus sum*] vel, *quæ locutus sum;* ὅσα ἐλάλησα. Lxx.

16. *Et evigilavit Iacob e somno suo & dixit, Vere* DOMINUS *est in loco isto, & ego nescivi.*

17. *Et timuit & dixit, Quam timendus est locus iste? Non est hic nisi domus Dei, & hæc est porta cæli.*

Evigilavit] ויקץ, ἐξηγέρθη, quod redditum in ed. Ro. Lat. *& surrexit.* prætulerim, *& expergefactus est.* Nam *surrexit* i. ἀνέστη. Onk. & Ionath. ואתער i. interprete Fagio *& evigilavit.* Gall. *eveillé*, experrectus, excitatus. Pro *evigilavit* est cur malim, expergefactus est. ❡ *Vere*] אכן vere i. בקושטא. Sic interpretantur On. Ionath. Hiero. & Santes. Galli quoque. Unus Trem. habet, *certe:* quod in idem recidit. Lxx. ὅτι quia i. כי. Id etiam sumitur pro utique, certe. ❡ DOMINUS *est in loco isto*] Deus ubique est. Quid ergo mirum si erat in loco illo? Respondeo, Aliter est ubique, & aliter in Ecclesia, & aliter in certis locis, qualis iste erat ubi patriarchæ in somnio se patefecit. Quapropter locus ille semper sacer habitus fuit: unde postea cultus vitulorum ibidem institutus. Cur autem in uno loco sæpius appareat quam in alio novit ille quem nihil latet, nihil fugit. ❡ DOMINUS] Onk. *gloria* DOMINI. Ionath. *gloria divinitatis* DOMINI. ❡ *Nescivi*] vel, *nesciebam*, ignorabam. ❡ *Timuit*] Lxx. ἐφοβήθη. Hiero. *pavens.* Trem. *territus.* Onkelos & Ionathan, ודחיל. ❡ *Timendus*] verendus, metuendus, terribilis, φοβερὸς q. d. plenus majestate divina, quæ hominibus metum & terrorem incutit. Ebraice נורא cujus radix ירא timuit, veritus est. Onkelos דחיל quod Fagius in terribilem transfert. Ionathan דחיל ומשבח metuendus & laudandus. ❡ *Non est hic nisi domus Dei*] אין זה כי אם בית אלהים non est hic (sub. locus) nisi domus Dei. Lxx. οὐκ ἔστι τοῦτο ἀλλ᾽ ἢ οἶκος θεοῦ, non est hoc nisi domus Dei. Hiero. *non est hic aliud nisi domus Dei.* Gallica, *ce n'est ici que la maison de Dieu.* Videndum an זה accipiatur uspiam pro כאן, in hoc loco, hic adverbialiter. Onk. *Non est iste locus privatus, nisi locus Deo acceptus.* Hic *nisi* i. אלהין, valet *sed.* Hoc primum: deinde ubi nos posuimus *privatus*, Onk. edidit הדיוט i. ἰδιώτης. Fagius reddit, *vulgaris.* Sic כהן הדיוט sacerdos vulgaris. Sæpe vilem & abjectum notat. Ionathan, אתר חול *locus profanus:* cui opponitur *locus sacer.* Lexicon vetus, ἰδιώτης ὁ κοινός, privatus, paganus, plebeius. ἰδιώτης ὁ μὴ εἰδὼς, rusticus, rudis. ❡ *Hæc porta cæli*] vel, *hic porta cæli* ut sub. locus. *Porta cæli*, per quam ingressus est in cœlum. Gallica editio, *& hic porta cæli.* Hic. i. in hoc loco. Lxx. καὶ αὕτη ἡ πύλη τοῦ οὐρανοῦ: & hæc porta cœli. Onkelos, ודין תרע קביל שמיא & hic locus porta est ante cœlum. Fagius habet, *ad cœlum.* Licet etiam vertere, *& hæc porta.*

18. *Et surrexit Iacob mane & accepit lapidem quem posuerat sub capite suo, posuitque illum in titulum, & effudit oleum super caput ejus.*

Et surrexit mane & accepit] Brevius & Latinius alii, *Surgens mane accepit:* vel, *Quum surrexisset.* ❡ *Lapidem quem posue-*

posuerat] vel, *lapides quos posuerat.* Nam unus lapis ad titulum erigendum vix sufficere creditur. Sic alibi hoc eodem libro, *in medio arboris horti* i. arborum. Sunt qui struem lapidum interpretantur. Quod non improbo. Nam עץ in dicto loco non tam arbores notat quam arboretum. Sic זית ponitur pro oliveto סנה pro vepetro. Ab hoc loco pendet explicatio alterius qui supra vers. 11. *accepit de lapidibus loci*, quem exposuimus cum Abenezra, *unum è lapidibus loci*, cum possit etiam exponi, *aliquot è lapidibus loci.* Lyranus existimat ad minimum tres fuisse, sed absurde inde colligit τὴν τριάδα. Solidiora argumenta quærenda, quæ plurima sunt in libris mysticis. Non quicquid pium est, statim aut verum aut solidum est. Omisso Lyrano veniamus ad interpretes antiquos, qui omnes, nullo excepto, Singularem adhibent: quos sequuntur è recentioribus Santes & Galli. Unus Trem. habet, *accepit illam lapidum struem, quam disposuerat ut esset cervical suum.* Ebræi quidam ut sunt audaces in fingendis miraculis, ubi nihil opus, asserunt lapides illos, qui plures erant, in unum coaluisse. Quod ut temere dicitur, ita temere negari potest. Quod ex scriptura non habet autoritatem, non debet apud nos pondus habere. ❡ *Sub capite suo*] מראשתיו cervicalia sua, i. cervical suum. Chaldaice אסדוהי. Lxx. ὃν ὑπέθηκεν ἐκεῖ πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ. Sensus est, quem capiti supposuerat substraveratque cervicalis vel pulvini loco. Nam מראשות tam pulvinos significare potest, quam cervicalia, quæ à Græcis προσκεφάλαια nuncupatur, pulvinos eadem voce denotante. ❡ *Posuitque illum in titulum*] וישם אתה מצבה & posuit eum statuam. vult dicere, in statuam. Hiero. *& erexit in titulum* וירם. Quomodo sane locutus est Moses infra 31. 45. Lxx. καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην: *& statuit eum titulum*, sive in titulum aut cippum. Statuam Onk. & Ionath. קמא appellant. Ea non est erigenda adorandi caussa Levit. 26. 1. Deut. 16. 22. potest erigi memoriæ caussa, ut Gen. 31. 45. Sic Moses extruxit 12. statuas (titulos alii vocant) juxta numerum 12 tribuum. Exod. 24. 4. ❡ *Effudit oleum super caput ejus*] docte Hiero. *fundens oleum desuper.* Nam lapis proprie caput non habet. Solent autem Ebræi summitatem cujusvis rei per Metaphoram ראש i. caput appellare. Græci τὸ ἄκρον reddunt. Sic summitas virgæ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου vocatur ראש המטה, quod nunc legunt המטה i. lecti. Loco huic facem allucet alius qui est Gen. 35. 14. apud interpretem nostrum, *Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina & effundens oleum.* Æmulatæ olim sunt fœminæ Christianæ. Theod. Quæst. 83. in Genesin, τοῦτο δὲ καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν παρὰ πολλῶν γυναικῶν τῶν τῷ κυρίῳ πεπιστευκότων γινόμενον. εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς θείοις σηκοῖς ἐλαίῳ χρίειν τὰς τῶν ἀνακτόρων κιγκλίδας, καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων τὰς θήκας. δηλοῖ δὲ τοῦτο τῆς ψυχῆς τὴν διάθεσιν. Sed unde Iacobo oleum? An è viatico? aut potius ut dicamus è vicina urbe petivisse? Docet hic locus ritum libandi & ungendi usitatum fuisse etiam extra sacrificia cum rem aliquam Deo quasi consecrare vellent. Ceterum Abenezra censet ideo fuisse adhibitum oleum quo lapidem, quem in cippum erexerat, agnosceret in reditu. Verba Ebræa sunt להכירו בשובו *ut agnosceret eum, quum rediret ipse.*

19. *Vocavitque nomen loci illius Bethel: porro Luz erat nomen urbis prius.*

Loci illius] urbis illius, ut Gen. 12.6. *usque ad locum Sichem.* Sic Amos. 4.6. *in omnibus locis vestris.* Præcedit autem, *in omnibus urbibus vestris:* idem aliis verbis. Aut *loci illius* ubi dormierat cippumque erexerat, quo in loco (in vicinia loci illius) urbs erat nomine Luza, quam Patriarcha Bethel nominavit. *Bethel*] βαιθήλ in Aquila. Quomodo scriptum hoc nomen & 1. Mach. 9. 50. Esset autem βηθήλ, certe βεθήλ, unde βεθήλα Iosephi. Orig. Jud. 13. 1. Sonat latine, *domus Dei*: Græce οἶκος θεοῦ. Quod in edit. Lxx. Reperitur & τόπος θεοῦ. Nam בית etiam locus. Sed proprie domus. Nam locus מקום dicitur. Ab hoc nomine appellati sunt dii, quos specie lapidis adorabant, βαιτύλια. Qua de re alias. Invenio & Bethulia pro Bethel. Ubi, inquies? In Josepho Rufini. Aberat à Ierosol. 12. miliaribus. Eusebius in locis, *Bethel, vicus in duodecimo ab Ælia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum Luza i. amygdalon vocabatur.* Quæ produxi, ut errare ostenderem eos qui Bethel & Luzam cum Ierosol. confundunt: quorum errorem secutus Nicolaus ita scribit, *Ista civitas, cujus hic fit mentio secundum omnes doctores communiter exponentes passum istum est Jerusalem, quæ legitur plura nomina habuisse, & continentur in his versibus subscriptis,*

Solyma, Luza, Bethel, Jerosolyma, Jebus, Ælia
Urbs sacra Jerusalem dicitur atque Salem.

& aliquanto post, *dicta est Luza i. amygdalus, eo quod tales arbores abundabant ibi: postea vocata est Bethel ab ipso Iacob, ut dictum est.* ❡ *Porro Luz erat nomen urbis prius*] Hier. *quæ prius luza vocabatur.* Lxx. καὶ οὐλαμλοὺζ ἦν τὸ ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον: & Ulamluz erat nomen urbi prius. Hiero. in Quæst. *Ridicule quidam verbum Ebraicum Ulam nomen esse urbis putant, cum Ulam interpretetur prius.* Et mox, *Antiqua omnes scripturæ verbo Ulam sive Elem plenæ sunt, quod nihil aliud signat nisi ante aut prius, vel vestibulum sive superliminare vel postes.* Idem in locis Ebraicis, *Porro quod quidam putant secundum errorem Græcorum voluminum Ulamlauz antiquitus nuncupatam, vehementer errant. Verbum quippe Ebræum & nomen ipsius civitatulæ pariter miscuerunt, cum Ulam significet prius. i. πρότερον, Luza vero amygdalum.* Dum culpat alios, ipse culpandus est, non tamen in eo ubi alios culpat. Nam Ulam non est nomen civitatis. Hoc recte annotavit. Quid ergo deliquit? scribit Ulam significare *prius.* Hoc non recte. Nam est asseverandi particula. Utrum fefellit eum Aquila? videtur Acacius, *Sciendum, Ulam non ut partem nominis reddidisse Aquilam, sed ut significans & prius.* Ego putarim Ulam ab Aquila prætermissum: πρότερον autem respondere τῷ לראשנה quod in fine versus. Sed homo sum, falli possum. ❡ *Porro*] אולם. Santes, *utique.* Onk. & Ion. ברם verum, veruntamen. Tremell. *Siquidem.* Gallica, *comme ainsi fut.* Mercerus *sane, enimvero, porro.* Idem ait esse asseverantis particulam. R. David, באמת in veritate, vere. Hoc significatu sumitur Iob. 13. Sæpius אולם est vestibulum. ❡ *Luz*] vel Lauz, unde Ulamlauz. Sic dicebant Uz & Auz, unde Ausitis Iobi patria. Hier. in Quæst. *Luza interpretatur nux sive amygdalon.* In nominibus de Iesu Nave, *Luza amygdalon: licet quidam interpretentur κλοιὸν, torquem videlicet damnatorum, quam vulgo blojam (bojam fortasse) vocant. Potest autem interpretari & hic ipse.* Gen. 30. 37. מקל לוז virgam nuceam sive amygdalinam, quod Græce est in Scholio ῥάβδον ἀμυγδαλίνην. Ceterum duæ fuerunt urbes hoc nomine. Dubito igitur an de altera intelligendus sit locus qui est Ies. 16. 2. *à Bethel Luzam versus.* Sane hæc Luza alia erat à Bethel, quod confirmat Andr. Masius in comment. pag. 266. & 282. Eusebius de locis, *Luza, hæc altera est quæ cecidit in sortem filiorum Ioseph, juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos.* Idem ibidem, *Luza, altera juxta Bethel, in terra Cethim, quam condidit ille qui abierat de Bethel, sicut historia narrat.* ❡ *Prius*] πρότερον sive τὸ πρότερον antea. Ebraice לראשנה primum, initio. Onk. מלקדמין ab antiquis temporibus. Ionath. מן קדמת דנא ante hoc tempus. Santes, *prius.* Trem. *ante.* Gallica, *auparavant.*

20. *Et vovit votum dicendo, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via hac per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum & vestem ad induendum.*

21. *Et reversus fuero in pace ad domum patris mei, erit mihi DOMINVS in Deum.*

Vovit votum] ηὔξατο εὐχὴν. Votum, i. נדר. Onk. & Ionath. appellant קים. eadem vox sig. juramentum & fœdus & aliquando חק i. decretum, statutum. Verbum etiam קים denotat vovere, & jurare, & firmare sive stabilire. Porro ante hunc Iacobum nemo vovisse legitur, qui propterea pater votorum appellatur. ❡ *Si fuerit Deus mecum*] Videtur esse dubitantis & diffidentis: sed non est ita. Simile, *si Deus nobiscum quis contra nos?* ❡ *Et custodierit me*] addit Ionathan, *ab effusione sanguinis innoxii, & à cultu extraneo, & à scortatione.* Nimis restringit quod in genere dictum. non probo. ❡ *Per quam ego ambulo*] Ita Hieron. & Santes. Alius edidit, *per quam ego profecturus sum.* Tale est, *quo ego vado non potestis venire* i. mox aut brevi sum iturus. Lxx. ᾗ ἐγὼ πορεύομαι, qua ego vado. i. iturus sum. Ebraice אשר אנכי הולך quam ego eo vel ambulo. Gallica editio, *quam ego facio.* ❡ *Panem ad vescendum*] ἄρτον φαγεῖν i. cibum quo vescar. Sed cur omittit, *aquam ad bibendum?* An quia obvia ubique aqua viatori? Mihi videtur quod sub panis vocabulo aquam i. quemvis potum comprehendat. ❡ *Vestem*] בגד Lxx. ἱμάτιον. Hiero. *vestimentum.* Onk. & Ion. כסו *operimentum.* ❡ *Ad induendum*] qua induar. ❡ *In pace*] בשלום in pace, quod Galli dicunt, *en paix.* Lxx. μετὰ σωτηρίας, *cum salute*, i. salvus & incolumis. Hiero. *prospere.* ❡ *Erit DOMINVS mihi Deus*] והיה יהוה לי לאלהים. Lxx. καὶ ἔσται κύριός μοι εἰς θεόν. Hiero. *erit mihi DOMINVS in Deum.* Omittit copulantem, quæ nunc redundare videtur; nisi legas *& fuerit DOMINVS mihi Deus*, ut sit pars voti: quod se minus probat mihi. ❡ *Deus*] לאלהים in Deum i. Deus vel pro Deo. Sic accipies, *Ego ero illi in Deum & ipse erit mihi in populum.* Onk. *& erit sermo DOMINI mihi in Deum.*

22. *Et lapis iste quem posui statuam erit domus Dei: & omnia quæ dederis mihi, decimando decimabo illa tibi.*

Quem posui statuam] Lxx. ὃν ἔστησα στήλην, quem statui titulum. Hiero. *quem erexi titulum* i. מצבה. Ceterum interpretes

quos

quos vidi omnes locum interpretantur de lapide singulari, quem in cippum erexerit. Unus Trem. habet, ut supra, *hac strues lapidum quam disposui in statuam.* Ratio quæ illum movit ut ita verteret parum firma est. Nam unus lapis, qui ab uno moveri potuit, fuit satis ad statuam erigendam. Vid. Gen. 31. 45. § *Eris domus Dei*] Hiero. *vocabitur domus Dei.* Nam esse & vocari permutantur. Sic è contrario, *minimus vocabitur in regno cælorum* i. erit. Lxx. ἔσται μοι εἰς θεόν. Onk. *erit super quo cultus instituetur coram DOMINO.* Ionathan, *erit ordinatus in domum DOMINI, & ætates colent super eum DOMINUM.* § *Domus Dei*] vel, *ædes Dei.* i. locus orationis meæ. § *Decimando decimabo illa tibi*] Sensus est, de omnibus decimas tibi dabo aut solvam. עשר non tantum significat decimas exigere, sed etiam dare. Lxx. δεκάτην ἀποδεκατώσω αὐτὰ σοι, decimam decimabo ea tibi. Hiero. *cunctorum quæ mihi dederis decimas offeram tibi.* Onk. & Ion. *decimas separabo tibi.* Trem. *ejus decimas omnino dabo tibi.* Gal. *je t'en baillerai entierement le dime.* Et tibi, hoc est sacerdotibus tuis (ut Abraham decimas dedit Melchisedeco qui sacerdos erat Dei supremi) aut ad cultum tuum. Decimas Chaldæi vocant עשרא sive חד מן עשרה unum de decem.

GROTIUS.

12. *Viditque in somniis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum*] Simile somnium apud Aristiden sacrarum orationum tertio: ἐν οἷς αὖ ἦν κλίμακες ὅσαι αἱ τὸ ὑπὸ γῆς καὶ ὑπὲρ γῆς ἀφορίζουσαι, καὶ ἑκατέρωθι κράτος τοῦ θεοῦ [*in quibus erant scalæ determinantes id quod sub terra, & quod supra terram est: & utrinque potentia Dei*].

Angelos quoque Dei] Qui quatuor venti Zach. VI.

Ascendentes & descendentes] Mandata accipientes & exsequentes. Confer Joh. I. 51.

13. *Et Dominum innixum scalæ*] Insigniorem Angelorum, qui Dei personam referebat.

Eritque semen tuum quasi pulvis terræ] Gentem Judæorum πολυανθρωποτάτην [*hominum fœcundissimam*], vocat Hecatæus, merito.

18. *Erexit in titulum*] Columnæ in morem. Tales lapides erecti aut congesti tunc erant pro altari. Vide infra XXXI. 46.

Fundens oleum desuper] Mos illorum locorum, qui & ad Græcos devenit. Clemens Alexandrinus Strom. VII. πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες. [*omnem lapidem, ut dicitur, unctum adorantes*]. Primo Floridorum Apuleji: *Lapis unguine delibutus.* Arnobius lib. I. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens adulabar.* Minutius: *In lapidas impingere, effigiatos sane & unctos & coronatos.*

19. *Bethel*] Hinc βαιτύλια [*bætylia*] apud Phœnicas. Vide Philonem Byblium in Eusebio.

Quæ prius Luza vocabatur] Accepit אולם pro mera affirmatione, ut & Aquila. At Lxx. & alii pro parte nominis: καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον [*prius autem nomen oppidi erat Ulamluz*]. id est, porticus nucum. Infra Luza tantum dicitur XXXV. 5.

20. *Si fuerit Deus mecum*] Si auxilio mihi fuerit, ut recte exponit Chaldæus. Vide quæ ad Matth. XXVIII. 20.

Et dederit mihi panem ad vescendum; & vestimentum ad induendum] Id est, etiamsi nihil habeam præter ea quæ naturæ sunt necessaria.

CARTWRIGHTUS.

7. *Et auscultavit Iacob patri suo* [וַיִּשְׁמַע יַעֲקֹב אֶל אָבִיו] Hoc (ut notat R. Salom.) cum præcedentibus sic cohæret; *Et vidit Esau, quod Isaac benedixerat Iacobo, & miserat eum in Padan Aram, &c.* Et quod Iacob auscultaverat patri suo, &c. Similiter vulg. *Quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam.*

9. *Sororem Nebajoth.*] Aben Ezra ait Nebajoth honoratiorem fuisse omnibus fratribus suis (atque ideo ejus hic præcipue mentionem fieri) vel Ismaeli plures fuisse uxores, atque hanc, quam duxit Esau, Nebajoth etiam ex matre fuisse sororem. R. Salom. (ad cap. 36. v. 3.) ait verba ista esse addita, quod Esau post mortem Ismaëlis eam duxerit. Secunda Aben Ezræ conjectura maxime videtur probabilis; ea siquidem ratione Thamar speciatim appellatur soror Absalom, 2 Sam. 13. 4.

11. וַיִּפְגַּע בַּמָּקוֹם *Et venit ad certum quendam locum*] Chald. וערע באתרא, *Et incidit in quendam locum.* Lxx. καὶ ἀπήντησε τόπῳ, *& occurrit loco.* Vulg. *Cumque venisset* [illegible] *quendam locum.* Ea significatione usurpatur verbum פגע Jos. 16. 7. uti observat R. Salom. qui tamen refert antiquiores Rabbinos hic ויפגע in significatione supplicandi accepisse, prout hoc verbum usurpatur Jer. 19. 16. Aben Ezra asserit ויפגע non posse hic ita exponi, propterea quod vox מקום nunquam in Scriptura pro Deo sumitur, licet apud Rabbinos eo sensu interdum sumatur. Certe, id quod proxime sequitur, וילן שם *& pernoctavit illic*, clare indicat מקום hic (ut solet) *locum* significare; sed eo non obstante ויפגע exponi posset, *Et supplicavit.* Atque ita exponitur in Targum Ionathæ, וצלי באתר בי מקדשא, i. e. *Et oravit in loco domus sanctuarii.* Sed altera expositio est simplicior, imo absque dubio est genuina.

12. *Et ecce scala, &c.*] R. Ieschua (uti refert Aben Ezra) dixit scalam hanc significasse id, per quod oratio Iacobi ascendebat in cœlum, & salus ejus descendebat è cœlo. Hoc belle congruit cum eo, quod nostri dicunt scalam istam pingere personam Christi, ac beneficia Christi significare. Sic Chytræus ad loc. *Nos* (inquit Fagius in Chald. Paraph.) *per scalam illam recte Christum intelligimus, cujus divinitas conjuncta erat humanitati, descenditque ad nos; per quem & ascendimus ad Deum Patrem.* Addit Hebræos dicere Iacobum vidisse Angelos descendentes & ascendentes, quod cuique provinciæ sui deputati sint angeli; ascendisse ergo angelos, quibus cura terræ Canaan, unde Iacob deduxerant, commissa erat; descendisse vero, quibus cura Mesopotamiæ, quam ingressurus erat Iacob, demandaretur. Videtur respexisse ad glossam R. Salomonis, quæ sic habet; מלאכים שליווהו בארץ אין יוצאין חוצה לארץ ועלו לרקיע וירדו מלאכי חוצה לארץ ללוותו, i. e. *Angeli, qui deduxerunt eum in terra (Canaan) non egrediuntur extra terram; propterea ascenderunt in cœlum, & descenderunt angeli regionis extra terram, ut eum deducerent.*

17. *Et posuit eum* (scil. lapidem) מַצֵּבָה *statuam.*] LXX καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην, *Et statuit illum, titulum, vel cippum, vel columnam.* Vulg. *Et erexit in titulum.* A verbo נצב *stare*, in Hiphil הציב *statuere, collocare*, est nomen מצבה *statua*, ut vulgatus interdum vertit, licet sæpius habeat *titulum.* Cl. Seldenus noster (de Jure Nat. lib. 2. cap. 6.) bene monet, dum מצבה *statua* vertitur, non id, quod vulgo statua denotat, id est, figuram humanam significare; quodvis enim monumentum, quod constitutum ac erectum est, denotare. Deut. 16. 22. *Non eriges tibi* מצבה *statuam*, id est, qualecunque opus, ideo constitutum, erectumque (ultro scilicet, & absque Dei mandato) ut conventus publicus ad sacra illic peragenda qualiacunque, etiam vero Deo, fieret; ut ex Magistrorum sententia ibidem explicat vir eruditissimus, qui etiam citat illud Maimonides, מצבה שאסורה בתורה היא בנין שאבל מתקבלים אליה ומזלי לעבוד את השם שכן היה דרך ע"ז, i. e. *Statua, quæ in Lege prohibetur, erat opus ideo constructum, ut publicus ad id conventus fieret*; idque etiamsi ad Deum colendum fieret. Nam mos iste obtinuit apud idololatras.

19. וְאוּלָם לוּז שֵׁם הָעִיר לָרִאשֹׁנָה *Veruntamen Luz erat nomen urbis antea.*] LXX καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον, *Et Ulam Luz erat, &c.* Ridicule (inquit Hieron. in Tradit.) quidam verbum Hebraicum *Ulam*, nomen esse urbis putant, cum *Ulam*, interpretetur *prius.* Ordo itaque iste est lectionis; & vocavit nomen loci istius *Bethel*, & prius *Luza* vocabulum erat civitatis. Antiquæ omnes Scripturæ verbo *Ulam*, sive *Elem*, plenæ sunt; quod nihil aliud signat nisi ante, aut prius; vel vestibulum sive superliminare, vel postes. Hæc Hier. quem mirum est interpretari Ulam, ante, prius, cum significet *veruntamen*, vel utique. Chald. ברם, & vox לראשונה in fine versus, ea est, quæ significet ante, prius, ut in Annotationibus suis ad Græca Biblia recte monuit Nobilius. Lyra ait urbem, de qua hic agitur, juxta omnium doctorum sententiam, esse Hierusalem, eamque plura nomina habuisse, quæ hisce versibus continentur.

Solyma, Luza, Bethel, Hierosolyma, Jebus, Elia,
Urbs sacra, Hierusalem dicitur atque Salem.

Addit Melchisedec primo eam fundasse, ac vocasse *Salem*; deinde eam habitasse Jebusæos, atque appellasse *Jebus*; postea autem nomine ex duobus istis composito dictam *Hierusalem* pro *Hiebusalem*, litera b in r mutata. At Hebræos aliam rationem assignare hujus nominis Hierusalem; primo nempe dictam esse *Salem* à Melchisedec, deinde *Hiere* (seu *Jireh*) i. e. videbit, ab Abrahamo, Genes. 22. Et ex istis factum esse *Hierusalem*, e in u mutata. At si *Bethel*, quæ hic memoratur, eadem est urbs cum ea, quæ in aliis Scripturæ locis nomine isto nuncupatur, ab urbe Hierusalem diversam esse necesse est.

22. *Et hic lapis, &c.*] R. Salom. hic demum Jacobi votum inchoari, reliqua autem omnia, quæ præcedunt, etiam ista, *Et*

Et erit Dominus mihi Deus, tanquam conditiones ab eo requisitas, posita esse existimat. q. d. Si sic Deus mihi fecerit, si ista mihi præstiterit, tunc ego etiam hoc faciam, etiam hic lapis, &c. Sed rectius videtur votum inchoare ab iis verbis, & (vel, tunc) *Dominus erit mihi Deus*, *&c.* Quod non ita intelligi debet, ac si nollet Dominum sibi Deum habere, nisi conditiones istas præstaret, sed cum non dubitaret quin Dominus juxta promissiones suas ista faceret, se voto suo ad gratitudinem exhibendam obstringere voluit.

Erit domus Dei.] Chald. *Erit super quo cultum instituam coram Domino.* Huic expositioni suffragatur R. Salom. atque addit Jacobum cum redierit ex Padan Aram, hoc præstitisse. Targum Ionathæ sic habet, *Et lapis iste, quem posui statuam, erit ordinatus* (*seu dispositus*, מסודרא) *in domo sanctuarii Domini, & incola* (דיירין) *super eo cultum exhibebunt nomini Domini*, *&c.*

Et omnium, quæ mihi dederis, decimas tibi dabo.] Intelligit Jacob se in honorem Dei daturum ei, ad quem spectaret accipere. Sic exponit Aben Ezra, qui innuit, nonnullos hisce verbis significari existimasse, Levi Domino pro decimis fuisse datum. Sed istam expositionem minime simplicem ac literalem, sed vagam ac mysticam (דרך דרש) merito censet; Neque enim in Lege præceptum fuisse, ut quis filiorum decimas daret, sed pecorum ac frugum.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

6. NUnquid est illi pax?] Hebraismus est, pro, *Nunquid est sanus?* vel, *Recténe habet?* Et quando inferius dicitur, Jacob esse fratrem patris Rahelis, capitur ibi *frater* pro consanguineo, cum Iacob nepos fuerit Laban ex sorore.

13. *Cum audisset rumorem*] In Hebræo est, *cum audisset auditum Jacob.* ¶ *Omnia verba ista*] Hebraismus est, pro, *Retulit ei omnia quæ gesta erant cum Esau, quæque acciderant in itinere.* Et quod sequitur, *Os meum*] est ab *osse*, non ab *ore.* Chaldæus vertit קריבי, *propinquus meus tu.*

17. *Teneri*] Onkelos transtulit יאין, *pulchri.* Cæteri exponunt *debiles.* Quidam putant deficere literam Aleph, ut רכות pro ארכות, quod habuerit longos & deformes oculos.

20. *Dies pauci*] Eadem est hic locutio quæ suprà c. 27. 44. capiturque *unum* pro *modico.* Et quod sequitur, *Da uxorem meam*] Hebraicum verbum הבה est à radice יהב, sicut & à שכב in imperativo fit שכבה cum paragoge He. Supra c. 11. 3. accipitur idem verbum pro adverbio adhortandi.

27. *Septenarium istius*] Hoc est, ut Kimhi post Ezram exponit, *Imple prius nuptias Leæ atque convivium suud, & post hebdomadam dabitur quoque tibi Rahel junior filia*, &c. Et refertur dictio זאת ad *Leam*, non ad *septenarium* sive *hebdomadam*, cum שבוע sit masculinum, זאת vero foemininum. Quando vero sequitur, *Et aperuit Dominus vulvam ejus*] dicit autor libri מסכת תענית citans hunc locum, *Dominum sibi retinuisse tres claves, nempe clavem vitæ, clavem pluviarum, & clavem resurrectionis*, unde sic scribit, & שלש מפתחות לא נמסרו ביד שליח ואלו הן של חיה ושל גשמים ושל תחיית המתים: של חיה דכתיב ויפתח יי את רחמה · של גשמים דכתיב יפתח יי לך את אוצרו הטוב ושל תחיית המתים דכתיב וידעתם כי אני יי בפתחי את קברותיכם:

32, *Ruben*] Sonat *Ruben*, *Videte*, vel *Viderunt*, *filium.* *Simeon* est *auditus*, vel *obedientia.* *Levi* est *associatio, adjunctio.* *Jehuda* vero interpretatur *confessio*, vel *gratiarum actio.* *Naptalim*, & Hebraice *Naphtali*, est *luctamen*, vel *associatio.* *Gad*, *fortuna.* Quorum omnium nominum ratio paulo post à nobis reddetur. Proinde de nomine *Issachar*, cujus infra fit mentio, Aben Ezra sic scribit, יששכר בתורה השמוכים שני שינין תחת באמת כמהו שין בשקיאה השני מהבבשא הן. *Propterea*, inquit, *quod in hoc nomine duo conveniunt Sin, privat unum prolatione sua: nec invenitur per universa Biblia Sin aliud quod huic sit simile.* Sed quibusdam aliis literis familiare est ut scribantur & non legantur, id quod in literis quiescentibus videre licet.

35. *Cessavit parere*] In Hebræo habetur, *stetit*, seu *destitit a pariendo:* quod idem est.

FAGIUS.

1. LEvavit ergo Jacob pedes suos] *Levare pedes* Hebraismus est pro, *maturare gressum*, *& celerius ire.* Ita & nos Germani loquimur, Heb dich fuß uff, h. e. *matura gressum, propera.* ¶ *Filiorum Orientis*] Phrasis quoque Hebraica est; sicut & genus humanum appellant *filios Adam*; & *filios Israel*, populum Hebræorum; *filium* quoque *mortis*; *filium sapientiæ*; &c. Quod & de locis dicunt.

6. *Num pax ei est*] Septuaginta & author Latinæ Vulgatæ editionis hunc locum transtulerunt, *Sanusne est?* Verum Hebræi *pacis* nomine omnia prospera complectuntur, omnem sanitatem, omnem tranquillitatem. Quod etiam eo cognoscitur. Nam ubi Græci in epistolis dicunt ὑγιαίνειν, εὐπραττειν, quod omnem secundum successum bonamque fortunam significat, Hebræi scribunt שלום, h. e. *pacem.* Unumque id apud eos celebratur salutationis genus: quo & Christus Servator noster usus est, dicens ad Apostolos, שלום לכם, *Pax vobis*, quo non tam corporis incolumitatem quam omnem felicitatem ac prosperitatem illis precari voluit.

10. *Et revolvit lapidem*, &c.] Tradunt Hebræi certas quasdam notas exstitisse unde qui ex stirpe Abrahami erant cognosci poterant; inter quas referunt & corporis robur, quo præditos fuisse adserunt qui ex patre Abrahamo prognati erant. Istud robur (inquiunt) etiam exseruit sese in Jacob, quando solus lapidem à fonte removit, & postea in lucta quam cum Angelo habuit. Jucunda certe hæc sunt, si ad mysterium referantur, h. e. Ad Christum verum Israelem, cujus robur & fortitudo in istis patribus adumbrata fuit. Ipse enim est fortis ac robustus ille *Leo de tribu Juda*, qui grandem illum mortis lapidem, sub quo omne humanum genus pressum jacebat, sua gloriosa resurrectione revolvit, nosque, debellato Satana, peccato, morte & gehenna, in vitam adseruit.

17. *Oculi Leæ erant pulchri*] Textus Hebraicus habet, *Et oculi Leæ erant teneri* h. e. *debiles*, *infirmi*, vel, ut Vulgatus Latinus interpres legit, *lippi.* Quia vero *tener* aliquando etiam pro *pulchro*, *formoso* & *eleganti* usurpatur, sicut & nos Germani zart pro schön/ hupsch, accipimus, Paraphrastes hanc sententiam forte secutus, legit, *Et oculi Leæ erant pulchri.* Quasi Lea oculorum tantum pulchritudine commendabilis fuerit, non etiam reliquo corpore. ¶ *Eleganti forma ac pulchro aspectu*] Sensus est, Erat corpore bene habito & constituto, elegantique forma: ita ut prior pars ad bonam corporis constitutionem, habitudinem ac proportionem pertineat; posterior vero ad coloris gratiam & elegantiam, quæ in facie maxime relucebat.

27. *Hebdomadam istius*] Subaudi Leæ: sive, *Transeant septem dies festi istius Leæ.* Ita intelligendum esse monet etiam D. Hieronymus, qui in quæstionibus suis Hebraicis inter cætera sic scribit, *Comple ergo hebdomadam istius, & dabo etiam hanc tibi. Postquam Leam Jacob fraude deceptus pro Rachel uxorem acceperat, dicitur ei à socero Laban, ut septem dies post nuptias sororis prioris expleat, & sic accipiat Rachel; pro qua iterum septem annis aliis serviturus sit. Non igitur, ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primæ. Nam sequitur; Et ingressus est ad Rachel; & dilexit Rachel magis quam Leam: & servivit ei septem annis aliis.* Hæc ille.

IDEM.

17. ועיני לאה רכות, *Porro oculi Leah erant teneri.*] Variant Interpretes circa vocem רכות. Nostri fere pro *infirmo & debili* exponunt. רך Hebræis proprie *tenerum* significat. *Tenerum* autem & Latini pro Debili usurpant, Germanis item zart pro blöd dicitur. Quidam Hebræorum, ut Aben Ezra meminit, putant deficere literam Aleph, & dici רכות pro ארכות, quod *longum* significat, quasi scilicet Lea longos & deformes oculos habuerit. Onkelus Chaldæus omnino diversam sequitur sententiam; fortassis hinc motus quod רך etiam aliquando pro *pulcro*, *eleganti & formoso* usurpatur, sicut & German. zart pro *formoso* accipiunt.

27. מלא שבע זאת ונתנה לך גם זאת, *Imple septenarium istius, & dabitur tibi quoque ista.*] Hunc locum propterea apponere quoque placuit, tametsi non adeo magna diversitas Interpretum sit in redditione vocum, quod sunt qui sic intelligunt quasi Jacob adhuc septem annos alios implere debeat pro Rachel, & tum ea demum pro uxore potiri. Referentes demonstrativum זאת ad *hebdomadam*, hoc sensu, *Imple septenarium istud, annorum* scilicet, &c. Cum tamen potius referendum sit ad *Leam*, hoc modo, *Imple septenarium istius*, subaudi *Leæ*, sive

transeant septem dies festi istius Leæ, & dabitur tibi, quoque Rachel junior filia. Atque ita explicant etiam Hebræi, præsertim Aben Ezra, & R. D. Kimhi. Hunc sensum sequitur & D. Hieron. in Quæstionibus suis Hebraicis, quem supra vide.

V A T A B L U S.

1. **L**Evavit, &c. וישא] More scilicet ambulantis. Exprimit gestum & habitum hominis ambulantis. q.d. Pedes profectus est, non eques.

2. *Et vidit*, וירא] *Et contemplatus est*, sub. *regionem*. i. quum considerasset situm regionis, animadvertit puteum in eo agro in quem inciderat.

6. *Nunquid pax est illi?* השלום לו] Hebraismus, *Recte-ne habet? Sanusne est?* ¶ *Responderunt Pax:* ויאמרו שלום] Ad verbum, *Et dixerunt, Pax.* i. *Recte quidem. Bene habet. Sanus est.*

7. *Adhuc dies magnus*, עוד היום גדול] *multum adhuc superest diei.* i. Nondum vespera appetit. ¶ *Ut congregetur grex:* האסף המקנה] i. Reducendi ad caulas gregem ipsum.

8. *Et devolverint* וגללו] Sub. *omnes pastores congregati.*

9. *Patris sui* אשר לאביה] Ad verbum, *qui erat patri suo.*

11. *Levavitque* וישא] Sub. *Jacob.*

12. *Jam vero renuntiaverat* ויגד] Ad verbum, *Et renuntiavit.* Præt. vertendum per plusq. perf. sub. *Antequam oscularetur eam.* ¶ *Frater* אחי] i. Nepos ex sorore.

13. *Rumorem* שמע את] Ad verbum, *Auditionem.* ¶ *Omnia hæc:* כל הדברים האלה] Ad verbum, *omnia verba ista.* i. Quæcunque ei acciderant: h.e. Quibus de causis illuc advenisset.

14. *Os meum, & caro mea* עצמי ובשרי] *Os, ab osse*, non ab *ore*. Hebraismus, *tu es de ossibus meis & carne mea.* i. Consanguineus meus. ¶ *Mensem totum:* חדש ימים] Ad verbum, *mensem dierum.* Hebraismus, *mensem constantem omnibus suis diebus.*

15. *An quia*, &c. הכי אחי את] *Vere* [*Revera*] *frater meus* [i. Nepos] *es: Servies ergo mihi gratis?* i. Sine mercede. q.d. Non patiar. Ut vertit noster interpres, ו tantum præteritum vertit in futurum, propterea non vertendum. ¶ *Quid erit* מה] *quanta erit.* i. Quantum velis lucrari.

17. *Teneri:* רכות] *Debiles.* i. Erat tenerrimis oculis. Chald. paraph. *Et oculi Leah erant elegantes.* q.d. Commendabatur Leah formositate tantum oculorum: Rachel vero, totius corporis, ac etiam venustate faciei. ¶ *Et pulchra aspectu.* ויפת מראה] i. Pulchro habitu corporis.

18. *Dilexit autem* ויאהב] *Diligebat autem.*

19. *Respondit* ויאמר] Ad verbum, *Et dixit.*

20. *Qui visi sunt ei dies pauci*, ויהיו בעיניו וגו'] Ad verbum, *& fuerunt in oculis eius sicut* [vel *quasi*] *dies pauci.*

21. *Completi sunt dies mei*, מלאו ימי] i. Exactum est tempus illud quo tibi servire debebam pro Rachel. ¶ *Ut ingrediar ad eam.* ואבואה אליה] Hebraismus, *ut fruar illa, sive ut dem operam proli.*

25. *Mane autem*, &c. ויהי בבקר וגו'] Ad verbum, *Et fuit mane, & ecce Leah.* ¶ *Quid hoc* מה זאת] *Quid istud est quod.* Vel, *Quare hoc.*

26. *Ut detur* לתת] Ad verbum, *ad dandum.* sub. *Nuptum.* i. Non ita fieri solet apud nos ut minor natu elocetur ante majorem.

27. *Exple hebdomadam hujus*, מלא שבע זאת] Sub. *Lea.* i. Sine transeant septem dies festi hujus ac convivii.

31. *Aperuit vulvam ejus.* ויפתח את רחמה] Hebraismus, *reddidit eam fœcundam.*

32. *Reuben:* ראובן] *Videte filium.* q.d. Deus dedit mihi hunc filium. ¶ *Dixit enim*, כי אמרה] *Sic enim cogitabat.* ¶ *Quia vidit Jehovah*, &c. כי ראה יהוה בעני] *Sane* [*Certe*] *consideravit Jehovah afflictionem meam.* i. Me contemptam esse à viro meo. ¶ *Nunc igitur* כי עתה] *quoniam nunc.* i. Posthac.

33. *Quia audivit*, &c. כי שמע יהוה וגו'] *Certe exaudivit Jehovah* [sub. *me*] *quoniam odio haberer, & dedit*, &c. Vel, *Novi quod exaudivit Jehovah* [sub. *preces meas*] *quod haberer odio, & dedit*, &c.

34. *Copulabitur*, ילוה] *Sociabitur* i. Adhærebit mihi ac unice me diliget. ¶ *Vocavit* קרא] Sub. *is qui ei nomen indidit.*

35. *Vice hac confitebor Jehovæ.* הפעם אודה את יהוה] *Nunc demum celebrabo Jehovam.* Filium istum à *laude* ideo nuncupat (*Jehudah* enim laudem, sive *laudationem*, significat) quod singulari Dei beneficio datus sit. Jam prius quidem gratias egerat Domino: sed quia uberior laudis materia suppetit, fatetur non semel, neque uno modo, sed sæpius se Dei gratia adjutam esse. q.d. Plane fatebor Dominum Deum authorem esse omnium bonorum: unde eum collaudabo, eique gratias agam. ¶ *Et desiit parere.* ותעמד מלדת] *& destitit parere.* Ad verbum, *& stetit à pariendo.*

C A S T A L I O.

20. **Q**Uod spatium ei brevissimum visum est, &c.] Atqui

Nox longa quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, & piger annus
Pupillis, quos longa premit custodia matrum.

Sed hic sensus est, Jacobus Rachelem præ amore tanti faciebat ut septennii servitutem brevem esse putaret, qua tantum præmium consequeretur. Nihil enim durum est quod fit libenter.

C L A R I U S.

10. **C**Onsobrinam suam] Heb. *Filiam Laban fratris matris suæ, & oves Laban fratris matris suæ.*

13. *Cum audisset venisse Jacob*] Vel *famam Jacob.* Nam Hebraismus habet, *cum audisset auditum Iacob.* Sicut & illud, *Domine, audivi auditum tuum*, &c.

17. *Lippis erat oculis*] Heb. *teneris.* Quod quidam exposuit, *pulchros.* Cæteri exponunt, *debiles.* Sunt qui credant eam oculis tantum fuisse gratiosam, Rachel vero toto etiam corpore.

27. *Imple hebdomadam dierum*] h.e. Imple prius nuptias Liæ, atque convivium illud, & post hebdomadam dabitur quoque tibi Rachel junior filia. ¶ *Ruben*] Sonat Ruben *Videte*, vel *Viderunt, filium*; Simeon, *Auditus*, vel *Obedientia*; Levi, *Associatio, Adjunctio*; Iuda, *Confessio*, vel *Gratiarum actio.*

D R U S I U S.

31. **O**Diosam esse Leam] Quid? An *odio erat ei Lea?* non opinor. Nam qui odit uxorem, odit carnem suam. Absit hoc à viro justo. Quid igitur? *Odiosam* appellat comparatione, quia minus eam amabat. Hieron. *Amorem sequentis priori prætulit.* Ipse textus diserte dicit, *Amabat Rachelem præ Lea.* Rachel erat igitur amata, & ad ejus comparationem *odiosa*, sive, ut alii malunt, *exosa.* Ego prætuli *odiosa*, quoniam *exosa* etiam quæ odio habet. Sic accipies Deut. 21. 15. *Unam dilectam, & alteram odiosam*; & *filium odiosæ*, i. minus dilectæ. Quæ dixi robur habent ex loco citato. Nam sic amabat Rachelem præ Lea, etiam Leam amabat, sed non adeo ut Rachelem, quam magis diligebat. Odiosa ergo Lea ad Rachelem comparata, simpliciter non erat odiosa. Nam amabat eam quadamtenus. Sic comparatione ad Chaldæos Israel vocatur *justus*, licet justus non esset. Nam propter injustitiam deportatus fuit in Babylonem: & tamen Chaldæi reprehenduntur quod male habuerint populum justiorem se. Locus est in Habacuc Propheta. Similiter mare Caspium (an Ponticum?) *dulce* dicitur comparatum ad alia maria, quorum aqua magis amara & salsa. *Dulce* igitur, quoniam aquam continet minus salsam. Profecto nulla maris aqua simpliciter & absolute dulcis est. Hoc sciunt qui gustarunt. Credamus ergo expertis. ¶ *Aperuit vulvam ejus*] Id Onkelos elucidat, *dedit ei conceptum*, i. Fecit ut conciperet. Vulva enim aperitur in conceptu, sed magis in partu. *Vulvam* dico non id quo fœminæ sunt fœminæ, sed matricem, quam μήτραν Græci vocitant. Hanc etiam aperit is qui primus nascitur liberorum, quem *primogenitum* appellant, & Græce πρωτότοκον. Qui propterea etiam vocatur פטר רחם, quasi *aperturam vulvæ* dicas, quod significat eum qui vulvam aperit, qui Græcis interpretibus dicitur διανοῖγον μήτραν, *adaperiens vulvam*, sive *matricem.* *Forte* פטר, quod *aperturam* reddidimus, nomen est concretum (sic Dialectici vocant) ut כבד *gravis*, ארך *longus*, &c. Sic צדק antiqua declaratione valet *justus*, i. δίκαιος, *justitiam*, h. e. δικαιοσύνην, denotet. Cæterum potest aliquis vulvam aperire matris, ut Joseph Gen. 30. 23. qui tamen non sit primogenitus patris. Quod tum accidit quando unus vir plures uxores habet.

33. *Audivit me*, &c.] Leve est quod nunc annotabo, siquid tamen leve in his literis, ubi levia gravia, & parva omnia magna

gna nobis esse deberent. Scitum enim illud, ἐν ὀλίγῳ ὀλίγα πάντα. *Audire* præter vulgatam & receptam notionem significat etiam *intelligere*, quod proprium cordis. Cor enim quæ intelligit, & videt & audit. Quo pertinet illud, Ὁ νοῦς ἀκούει ὁ νοῦς ὁρᾷ· τὰ δ' ἄλλα πάντα κωφὰ καὶ τυφλά, *Mens audit, mens videt: cætera cuncta surda & cæca.* Nam ubi mens abest, neque auris audire neque oculus videre quicquam potest. *Mentem* intelligo animum, quem Ebræi *animam* appellant, quæ est facultas rationis particeps. Igitur in loco citato ubi legimus, *Audivit me odiosam esse*, sive *quod odiosa sum*, puto exponendum, *intellexit*; ut Gen. 42. 23. *Nesciebant audire Josephum*, i. intelligere. Sic Gen. 11. 7. *Ut non audiat vir labium socii sui*, ut non intelligat sermonem alterius. Sic *labium unum*, i. sermo unus. Et alibi, *gens cujus linguam non audietis.* Nam *linguam audit* proprie loquendo etiam qui non intelligit. Augustinus lib. 1. Locutionum, *Audit*, *pro*, *intelligit*. *Nam voces audit utique aure etiam qui non intelligit linguam.* Aliter exponas, *Audivit*, i. *exaudivit*, *me* (simplex pro composito, ut moris est Ebræis) *quoniam odiosa sum*, eo quod minus diligar à marito meo. Quo facit interpretatio vetus, *Simeon*, *Exauditio*. Sed tunc dixisset potius, *Audivit me*. Cæterum pro *Simeon* doctores etiam usurpant סימון *Simon*: quod aliquando contractum esse putavi ex Ebræo *Simeon*. Nunc inclino ut credam Græcum esse Σίμων, quod non male *Simo* scribitur, ut *Plato*, *Zeno*, *Apollo*, *Xenopho*, *Ctesipho*, &c.

IDEM.

22. ויעש משתה *& fecit convivium.* A. & Sym. πότον] i. συμπόσιον. Prius erat, ἐποίησε γάμον, & in Hieron. *fecit nuptias*. Syrus quoque Novi Fœderis interpres nuptias appellat *convivii* vocabulo. Πότος autem in hoc loco non *compotationem* sign. sed *epulum* sive *convivium*, quod Ebræi similiter à *potando* משתה appellant. Ita sumitur hæc vox Cohel. 7. 2. & Esth. 5. 6. & 7. 2. item 1. 9. Athenæus l. 4. ὅταν ὁ βασιλεὺς πότον ποιῆται, i. *convivium*.

25. למה רמיתני *cur decepisti me?* Schol. ἐνήδρευσάς με; *insidiatus es mihi?*] Suspicor esse Aquilæ, qui & supra 27. 35. במרמה convertit, μετὰ ἐνέδρας, Id valet, *insidiose*.

34. ילוה אישי אלי. A. *applicabitur mihi vir meus*] Hieron. *Ubi nos legimus* [*apud me erit vir meus*] *Aquila interpretatus est* [*applicabitur mihi vir meus*] *quod Ebraice dicitur* ילוה, *& à doctoribus Ebræorum aliter transfertur, ut dicant* [*prosequetur me vir meus*] *i. non ambigo de amore in me viri mei: erit mihi in hac vita comes, & ejus dilectio me ad mortem usque deducet & prosequetur. Tres enim filios genui ei.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Deinde sustulit Jacob pedes suos, & ivit in terram filiorum Orientis.*

Sustulit pedes suos & ivit] sublatis pedibus ivit, hoc est alacriter & citato gradu. Nam tunc pedes elevamus. ¶ *Ivit*] ἐπορεύθη, profectus est. ¶ *In terram filiorum Orientis*] in regionem orientalium. Ita loquendo sig. Syros in queis & Mesopotameni. Quanquam compositor historiæ Ebraicæ Gorionides cap. 68. pag. 100. simul nominat Mesopotamiam & provincias filiorum Orientis. Ejus verba sunt, *Adhuc fuerunt illis auxilio milites ex Mesopotamia, & ex Syria Soba, & ex Assyria, & ex Sennaar, & ex Persia, & ex Chaldais, & ex Macedonia, & ex provinciis filiorum Orientis.* Ebraice est ממדינות quod potest reddi, *ex urbibus*. Lxx. ἐπορεύθη εἰς γῆν ἀνατολῶν πρὸς Λάβαν τὸν υἱὸν Βαθουὴλ τοῦ Σύρου, ἀδελφὸν δὲ Ῥεβέκκας μητρὸς Ἰακὼβ καὶ Ἠσαῦ. Hiero. *venit in terram orientalem.* Dixi per filios orientis Syros innui. Id robur accipit ex illo Jes. 9. 11. *& Syri ab oriente*.

2. *Et vidit & ecce puteus in agro, & ecce ibi tres greges ovium cubantes super eum: Nam ex puteo illo aquabant greges: & lapis magnus super os putei.*

Cubantes] vel, *accubantes*. Lxx. ἀναπαυόμενα, requiescentes. ¶ *Super eum*] proprie aut juxta eum. Sic Livius dixit, *super Numicum amnem*: quod valet prope Numicum amnem. Hiero. & Santes, *juxta eum*. ¶ *Aquabant*] ἐπότιζον, potum dabant. ¶ *Greges*] העדרים τὰ ποίμνια.

3. *Et congregabantur illuc omnes greges, & devolvebant lapidem ab ore putei, atque ita adaquabant oves: postea reducebant lapidem super os putei in locum suum.*

4. *Dixitque illis Jacob Fratres mei, unde estis? & dixerunt, ex Carris sumus.*

5. *Et dixit illis, Nostisne Labanem filium Nachoris? & dixerunt, Novimus.*

6. *Tum dixit illis, Valetne? & dixerunt valet: & ecce Rachel filia ejus venit cum ovibus.*

Congregabantur] συνήγοντο. Hiero. *Mos erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem.* ¶ *Devolvebant*] pastores. Alias, *revolvebant*. Græce est ἀπεκύλιον. Chald. מגנדרין & מגלגלין. ¶ *Fratres mei*] vox blandientis & amice compellantis ut si quis dicat, *amici mei*: Nam etiam ignotos ita compellamus. Sane pro amico interdum ponitur: unde lucem accipit, *Frater in adversis nascitur*. Sic Tyrii fratres appellantur Judæorum. Blandientis vox est; & Esth. 15. 8. ἐγώ εἰμι ὁ ἀδελφός σου, θάρσει, οὐ μὴ ἀποθάνῃς: ego frater tuus, confide, non morieris. ¶ *Unde*] מאין. Nove dixit מאין pro מאין. Nam מאין usitate non, & מאין ex nihilo. ¶ *Filium Nachoris*] filium i. nepotem. Nam filii filiorum sunt quasi filii. Sic alibi Zacharias vocatur filius Barachiæ, cum patrem habuerit Addo, avum autem Barachiam. Similiter filia pro nepte sumitur. Gen. 24. 48. ¶ *Valetne*] השלום לו num pax ei est? Lxx. ὑγιαίνει; valet? quod pronuntiatione juvandum. Hiero. *Sanusne est?* Santes, *numquid sanitas est ei?* Tremell. *rectene habet?* Galli ca *se porte il bien?* ¶ *Valet*] Sic etiam Hiero. Ad verb. *Pax.* Hac voce utuntur & in epist. ut cum dicunt, *Iudas Lysiæ pacem*, i. salutem aut bonam valetudinem; & subintelligitur precatur vel optat.

7. *Et dixit, En adhuc dies magnus est, non est tempus congregandi pecus, adaquate oves, & abite, pascite.*

8. *Et dixerunt, Non possumus donec congregentur omnes greges, & devolverint lapidem ab ore putei, tum adaquabimus oves.*

Et dixit] Jacob. Quod expressum in Lxx. & in Hieron. ¶ *Adhuc dies magnus est*] magnum pro multo posuit. Docte Hiero. *Adhuc multum diei superest.* Lxx. ἔτι ἐστὶν ἡμέρα πολλή· adhuc est dies multus. Jonathan, *adhuc tempus diei multum.* ¶ *Non est tempus congregandi pecus*] לא עת האסף המקנה Lxx. οὔπω ὥρα συναχθῆναι τὰ κτήνη: nondum tempus congregandi pecora. Hic ὥρα valet tempus, ut Ruth. 2. 14. ὥρα τοῦ φαγεῖν, quod Ebraice est לעת האכל tempore cibi i. prandii. Sic Syrach 11. 25. κάκωσις ὥρας vexatio temporis, & 18. 18. ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς, visitationis tempore. Cohel. 3. 1 [illegible] Lxx. χρόνος. Sym. ὥρα. Dan. 3. 5. בעדנא. Theodotio ᾗ ἂν ὥρᾳ. Ceteri, *quo tempore*, legimus quoque Marc. 6. 35. ὥρας πολλῆς pro dies multus. Nam sic Latini autores loquuntur. Cicero, *multus sermo ad multum diem.* Cæsar, *multo die cognovit à suis montem teneri.* Tempus Chaldæi vocitant עדן. Ceterum in Jerosolym. hic est עונתא: qua voce usus est & Jonathan Gen. 21. 7. Elias interpretatur tempus certum & constitutum, זמן קבוע: cui firmando quod in eadem Jerosolymitana eadem vox sit interpretamentum nominis מועד. Munsteri λέξεις, עונה idem quod עת tempus, hora. ¶ *Adaquate oves &c.*] Lxx. ποτίσαντες τὰ πρόβατα ἀπελθόντες βόσκετε: cum potum dederitis ovibus abeuntes pascite. Hiero. *date ante potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.* ¶ *Abite, pascite*] vel, *ite, pascite*. Possumus etiam vertere, *agite, pascite*. Idem verbum in illo, *venite, faciamus nobis lateres*: quod enarrant, agite dum. Nam eandem vim habet cum adverbio hortandi. לכו autem & הבה se invicem explicant. Quod notum jam pueris. ¶ *Non possumus*] non valemus, nec etiam moris est. ¶ *Donec congregentur*] ad puteum. Supra *non est tempus congregandi pecus*, sub. domum aut in caulas septave vel stabula. ¶ *Et devolverint*] pastores omnes ad puteum simul congregati cum pecoribus suis. ¶ *Omnes greges*] כל העדרים. Hiero. *omnia pecora*. כל חיותא. Lxx. πάντας τοὺς ποιμένας, omnes pastores. כל הרועים. Onkel. & Jonath. כל עדריא omnes greges.

9. *Adhuc eo loquente cum illis, Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam pascens erat.*

Cum illis] pastoribus ibi præsentibus. ¶ *Rachel veniebat*] ורחל באה & Rachel veniebat. Hic aliqua quædam observanda. Primum Vau superfluit in Latio: ideo illud omisimus. Deinde באה accentum gerit in prima. Est enim verbum præteritum. Supra vers. 6. ubi accentum habet in ultima participium est temporis præsentis. Græci hic legunt καὶ ἰδοὺ Ῥαχὴλ ἡ θυγάτηρ Λάβαν. Hiero. *& ecce Rachel veniebat.* particulam הנה huc translatam putarim ex eo versu quem modo laudavimus. ¶ *Patris sui*] אשר לאביה quæ patris ipsius erant. ¶ *Pascens*] רעה pascens i. pastrix, si sic loqui licet: aut *pascens erat* i. pascebat gregem. Hoc sequuntur Lxx. & Hiero. illud Santes & Trem. Santes, *pastor*. Tremell. *pecuaria*. Galli quoque habent *bergere* i. fœmina oves pascens. Notum ut Benoni, hoc est participium præsens pro nomine ponatur. Sic in Hellenis-

mo ὁ λέγων i. orator vel rhetor : apud Tertull. *discentes* pro discipulis. Plura exempla sunt, quæ mihi nunc non occurrunt. Jonathan, *illo tempore fuerat plaga DOMINI in ovibus Labani, adeo ut non relicta sint ex illis nisi admodum pauca : quapropter expulit pastores suos, & relictas posuit coram Rachele filia sua.* Ceterum tam interpres iste quam Onk. hoc loco habent רעיא participium nominascens, sive quod in nominis naturam transit.

10. *Cumque vidisset Iacob Rachelem filiam Labani fratris matris suæ, & oves Labani fratris matris suæ, accessit Iacob, devolutoque lapide ab ore putei adaquavit oves Labani fratris matris suæ.*

11. *Et osculatus est Iacob Rachelem, sustulitque vocem suam & flevit.*

12. *Et indicavit Iacob Racheli se fratrem patris ipsius esse & filium Rebeccæ : quæ cucurrit & indicavit patri suo.*

Fratris matris suæ] avunculi sui. Tales ἀνεψιοὶ i. amitini vel consobrini vocantur. Erat ergo Rachel, ut cum Hiero. appellat, Jacobi consobrina, quia ex avunculo nata. Alias consobrina est materteræ filia. Donatus, *Quum de fratre natus est alter & alter de sorore, consobrini dicuntur.* Paul. I. C. *eos & eas qui quave ex fratre & sorore nati sunt amitinos amitinas quidam vocant. Sed plerique hos consobrinos appellant, ut Trebatius.* ¶ *Devolutoque lapide*] ויגל את האבן & devolvit lapidem, καὶ ἀπεκύλισε τ λίθον. Addit Jonathan בחדא מן אדרעוהי uno brachiorum suorum. Nam Ebræi fere censent ipsum solum lapidem removisse vires DOMINO suppeditante, cum vir esset annum agens, ut Mercerus arbitratur, septuagesimum septimum. Alii scribunt, cum ceteri pastores eum revolverent Jacobum operam suam pro Rachele una contulisse. Ceterum ויגל futurum est Hiphil à גלל volvo, devolvo. Male igitur interpretantur *detexit*, ac si esset à גלה. Hinc glossa illa, *devolvit eum tam facile quam quis vasis operculum removet.* Logi. ¶ *Osculatus est Rachelem*] ἐφίλησεν τὴν ῥαχήλ. Osculandi mos perantiquus est. Adhibebant autem oscula & in discessu (unde osculari pro valedicere) & in congressu, ut hic & Exod. 4. 27. Ex hoc postremo loco discimus ipsos fratres osculo excipere solitos se invicem. Nam Aharon ibi Mosen osculatur, ut in hoc Cap. vers. 13. Laban Jacobum filium sororis suæ. Sic dico, Viri non solum osculabantur fœminas obvias sibi, sed etiam ipsos viros. Osculabatur ergo Rachelem pro temporis & loci consuetudine. De osculi usu cum valedicerent exempla habes Ruth 1. 14. & 1. Reg. 19. 20. ¶ *Et flevit*] præ gaudio. ¶ *Indicavit*] vel potius, *indicaverat*, nempe priusquam osculum daret. Nam moris erat ut notas deoscularentur. An etiam ignotas? Abenezra hic statuit hysteron proteron. *Prius*, inquit, *indicabat quis esset : deinde osculo eam excipiebat.* Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ *Se fratrem patris ipsius esse & filium Rebeccæ*] vel, *quod frater patris ipsius esset & filius Rebeccæ.* Frater patris i. sororis paternæ filius, Onk. habet : aut cognatus, consanguineus. Hac mente Lot vocatur frater Abræ, cum esset filius fratris ipsius. Sic est profecto : Frater usitatum vocabulum est, idque proprie in iis qui eundem parentem habent : sed transfertur in alios, ut etiam fratres dicantur cognati, gentiles, alii quilibet. Cognati, ut Gen. 14. 16. & 12. 5. Quibus in locis Abram vocat Lot fratrem suum, nimirum quia consanguineus. Gentiles ut *non fœnerabis fratri tuo* i. Judæo. Alii quilibet, ut, *diligite fratres vestros* i. alii alios. ¶ *Quæ cucurrit &c.*] Hiero. *at illa festinans nuntiavit patri suo.* Prius Lxx. ediderant, καὶ δραμοῦσα ἀπήγγειλε τῷ πατρὶ αὐτῆς κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα : *& currens nuntiavit patri secundum verba hæc.* i. כדברים האלה. ¶ *Patri suo*] *Nam mater obierat*, ait R. Sal.

13. *Quum autem Laban audivisset auditionem de Jacobo filio sororis suæ, cucurrit in occursum ejus & complexus est eum, deosculatusque eum adduxit eum ad domum suam, tunc narravit Labani omnia ista.*

14. *Et dixit ei Laban, Profecto os meum & caro mea tu es: & egit cum illo mensem dierum.*

Auditionem de Jacobo] שמע יעקב auditionem Jacobi i. nuntium vel rumorem de Jacobo. Sic in Euangelio ἀκοὴν τ̃ Ἰησοῦ. i. rumorem aut. famam de Jesu. Lxx. τὸ ὄνομα Ἰακώβ. i. שם יעקב. Hiero. *venisse Iacobum* כי בא יעקב. Minus dicit quam sit in Ebræo. Gal. *les nouvelles de Iacob.* i. nuntium de Jacobo. Videlicet eum esse filium sororis suæ : item devolvisse lapidem ab ore putei, ovesque adaquasse. Quod officium filiæ præstitum non potuit non patri gratissimum esse. ¶ *De Iacobo*] Jonath. *de virtute ac pietate Iacobi.* Ceterum auditionis vocabulum etiam Cicero & Cæsar usurpant pro fama & rumore. Locus quem supra citavimus ex Euangelio, habetur Marc. 14. ἤκουσε

ἡ φήμη περιεχώρ τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ. Sic Jer. 6. 24. *audivimus auditionem ejus* i. nuntium de eo accepimus. Addit Jonathan, *quomodo adeptus esset jus primogenituræ, & quomodo ei Deus apparuisset in Bethel, &c.* Quæ non à Rachele jam, sed à Jacobo postea ei narrata fuisse putarim. Sequitur enim ecce *& narravit* (haut dubie Jacob) *Labani omnia ista.* ¶ *Cucurrit in occursum ejus*] non ivit sed cucurrit ei obviam. Vide quid faciat affectus. ¶ *Et complexus est eum deosculatusque eum*] Lxx. καὶ περιλαβὼν αὐτὸν ἐφίλησεν. Hiero. *complexusque eum & in oscula ruens.* Interpres recentior, *amplexatus atque osculatus est eum.* ¶ *Narravit*] Jacob. Nam verbum quod in Ebræo masculinum est. ¶ *Omnia ista*] את כל הדברים האלה omnes sermones istos, sive omnia verba hæc i. omnes res supra commemoratas, totam historiam præcedentem, quæ potissimum continetur cap. 27. ¶ *Profecto*] aut *vere.* Sic Gall. *pour vrai.* Santes item ac Trem. Gen. 26. 9. & Sym. Psalm 73. 18. Hic Santes habet, *profecto.* Mercerus, *sane.* Alius, *certe.* Onk. & Ion. ברם, quod Fagius interpretatur, *utique.* ¶ *Os meum & caro mea*] i. consanguineus meus, ut Iud. 9. 2. *quod os vestrum & caro vestra ego sum.* Huc accommodant quod Gen. 2. 23. *os de ossibus meis & caro de carne mea.* Lxx. ἐκ τ̃ ὀστῶν μου, καὶ ἐκ τ̃ σαρκός μου εἶ σύ. Ex ossibus meis & ex carne mea tu es. Hiero. *os meum & caro mea.* ¶ *Os meum*] Ambo Chaldæi קריבי propinquus meus. Sic sane in libro selectarum sententiarum, cap. 10. מעצמו interpres exponit מקרוביו à propinquis suis. Fol. 12. pag. 2. Dictum est Hillelis Pharisæi, quem Iosephus Pollionem vocat, *Qui comparat sibi nomen bonum comparat* לעצמו. Id si exponas *ossi suo* i. consanguineis, non omnino alienum erit, & hinc pondus habebit expositio tua. ¶ *Caro mea*] Ionathan דמי sanguis meus. Sic vulgo dicimus, *est caro mea & sanguis meus*, pro, est mihi consanguineus. Locus Jonath. דמי לי את sanguis meus mihi tu es. ¶ *Et egit cum eo*] וישב עמו *& sedit cum eo.* i. habitavit aut mansit. Lxx. καὶ ἦν μετ' αὐτοῦ & fuit cum eo, eodem redit. Nam esse pro habitare etiam Ebræi usurpant. Sic accipies in historia Ruth, *& fuerunt ibi.* Similiter in oratione Dominica, *qui es in cælo*, i. qui habitas. Nam ibi peculiariter habitare dicitur, cum alioqui ubique sit. ¶ *Mensem dierum*] חדש ימים. Lxx. μῆνα ἡμερῶν. i. mensem integrum. Hiero. *dies mensis unius.* Forte hypallage est, *mensis dierum* pro dies mensis. Trem. *spatium mensis.* Gal. *un mois entier.* Tales menses omnibus suis diebus constant, cum חדש etiam Neomeniam significet, hoc est primum diem cujusque mensis. Calendas Latini vocant. Ergo διακρίσεως ἕνεκα nomen dierum adjectum videtur.

15. *Et dixit Laban Jacobo, An quia frater meus es servies mihi gratis? indica mihi, quænam erit merces tua.*

Frater] i. cognatus aut consanguineus. Hoc modo Abraham Lotum fratris sui filium fratrem appellat. Cicero quoque in quinto de Finibus patrui sui filium fratrem nominat, ut Vives testatur Augustinus in primo Locutionum pag. 68. *Quia homines fratres nos dixit Abraham ad Lot. Unde intelligitur morem esse Scripturæ ita loqui ut fratres appellentur unius cognationis, etiam si gradu sanguinis differant, ut alter sit in superiore, alter in inferiore, sicut hoc loco. Nam patruus erat Abraham.* Hinc intellectum habet *fratres Domini.* Act. 1. 14. ¶ *Servies mihi gratis?*] q.d. minime. docte ad sensum. Lxx. ὅτι γὰρ ἀδελφός μου εἶ οὐ δουλεύσεις μοι δωρεάν, quia enim frater meus es, non servies mihi gratis. Similis per omnia locus Michæ, nisi quod ibi absit nota interrogationis; *Parva es in chiliadibus Juda?* Cujus dicti sententiam expressit Evangelista Matthæus, οὐδαμῶς ἐλαχίστη. Ita olim hæc loca conciliavimus, nec adhuc pœnitet. ¶ *Gratis*] absque pretio vel mercede. חנם. Chaldaice מגן. Græce, δωρεάν. Quod interdum valet absque caussa, immerito, ἀναξίως, ut Joh. 16. 25. & in illo ὁ δὲ Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν. Vulgo *gratis.* Prorsus improprie. Nam Christus gratis mortuus est. Quid ergo sonat δωρεάν? Mortuus est sine caussa, hoc est cum nulla caussa subesset cur mortem oppeteret.

16. *Et Labani erant duæ filiæ: nomen majoris Lea, & nomen minoris Rachel.*

17. *Et oculi Leæ teneri : Rachel vero erat pulchra forma & pulchra aspectu.*

18. *Amabat autem Jacob Rachelem : itaque dixit, Serviam tibi septem annis pro Rachele filia tua minore.*

Lea] vel Lia. Sic olim Hiero. Lxx. habent Λεία. i. Lea vel Lia. Ebraice לֵאָה. Philo interpretatur *laboriosa.* ¶ *Rachel*] ῥαχήλ. Vox hæc, quando appellativa est, ovem significat ut Jes. 53. רחל לפני גוזזיה ovis ante tonsores suos. Talia sunt nomina mulierum ab animalibus mutuata עגלה vitula : צביה caprea sive dorcas. Chaldaice טביתא unde Talitha in novo Fœdere: יעלה ibex, rupicapra. Huc refer רבקה σαγήνην, saginarium. Vide

de quæ scripsimus Gen. 24. 15. Interdum Rachel ponitur pro tota vicinia Bethlehemitica, ut Jer. 31. 15. & Matth. 2. 18. ❡ *Teneri*] vel molles. Ebraice רכות, quod alii aliter interpretantur. Nam Lxx. ἀσθενεῖς, infirmi, debiles. Hiero. *lippi*. Onk. יאין i. pulchri. Severus, *deformes*. Jonathan voce usus est quam Justus Nathanus in Lexico Thalmudico exponit de iis qui limum oculorum rotundum habent. Hic tamen aliud significare videtur. Ea est ... Idem addit, *quia fleverat & petierat à DOMINO ne destinaret sibi Esau improbum.* Autor Jerosolymitanæ, *Et oculi Leæ erant molles, eo quod flevisset & precata fuisset ne veniret sub planeta Esau.* Nugæ. Ephraemi filius, *& oculi Liæ erant longi.* i. ארוכות. Putavit enim Aleph abesse, quem propterea merito reprehendit Abenezra. Quid dico reprehendit? salse irridet eum. Nam cum dixisset אלף חסר deficit Aleph, ipse dicit eum אלף חסר i. doctrina deficere. ❡ *Pulchra forma*] יפת תאר. Lxx. καλὴ τῷ εἴδει. Hiero. *decora facie.* Aliud forma, aliud facies. Facies פנים dicitur. Onk. שפירא בריוא i. interprete Fagio, *eleganti forma.* Jonath. שפירא quod male scribunt ... Hæc forma potissimum consistit in apta & decenti compositione corporis: Unde Gallica editio, *de belle taille.* ❡ *Pulchra aspectu*] ויפת מראה. LXX. ὡραία τῇ ὄψει. Hiero. *venusto aspectu.* Onk. ויאה בחזוא pulchra visu aut aspectu. Jonath. & autor Jerosolymitanæ שפירא בחזוא decora visu. Hoc ad coloris gratiam refertur. ❡ *Pro Rachele*] ברחל in Rachel. i. propter Rachel: quod Ebræi dicunt exponentes בעבור רחל. Porro hunc locum citare solent ad probandum ב propter significare. LXX. habent περὶ τῆς Ῥαχήλ. Hiero. *pro Rachel.* Sic & alii translatores. Jonathan בגין רחל propter Rachel.

19. *Dixitque Laban, Melius est ut dem eam tibi, quam ut dem eam viro alteri: mane mecum.*

20. *Ita servivit Iacob pro Rachele septem annis, qui fuerunt in oculis ejus tanquam dies pauci præ amore ejus erga illam.*

Tibi] qui cognatus es. Libentius enim talibus elocabant filias suas, quam aliis. ❡ *Viro alteri*] ἀνδρὶ ἑτέρῳ. ❡ *Mane mecum*] vel, *age*, sive *habita mecum.* LXX. οἴκησον μετ' ἐμοῦ. Hiero. *mane apud me.* ❡ *Mecum*] apud me. ❡ *Pro Rachele*] Jonathan בגין רחל propter Rachel. ❡ *Tanquam dies pauci*] ὡς ἡμέραι ὀλίγαι. LXX. כיומין זעירין. Onk. קליל. Jonath. quæ omnia sig. dies paucos hoc est tempus exiguum ac breve. Hiero. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* ❡ *Præ amore ejus erga illam*] quo illam amabat. Ebraice באהבתו אותה præ amore ejus illam. Nam quia dicimus *amo illam*, ideo etiam dicebant *amor illam.* Verbale cum casu verbi sui. Simile in Latio, *amulus facta*, & in Hellenismo, ἡ ὑπηρεσία τῷ θεῷ. Quæ exempla produximus alibi. Vide Notas in parallela mea.

21. *Et dixit Iacob Labani, Da mihi uxorem meam, quia impleti sunt dies mei, ut ingrediar ad illam.*

22. *Et congregavit Laban omnes viros illius loci & fecit convivium.*

Da mihi] δός μοι cedo mihi. ❡ *Uxorem meam*] τὴν γυναῖκά μου, hoc est sponsam mihi pactam, ut Matth. 1. 20. Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. i. sponsam tuam: quæ sic vocatur quoniam ex pacto futura sit uxor. ❡ *Impleti sunt*] πεπλήρωνται. i. absoluti sunt. Quod Onk. dixit שלימו & Jonathan איתמלין finiti sunt, completi sunt. ❡ *Dies mei*] *dies servitii mei.* Onk. & Jonath. hoc est tempus septem annorum quo serviendum mihi fuit ex pacto pro Rachele. ❡ *Ut ingrediar ad illam*] ὅπως εἰσέλθω πρὸς αὐτήν. vult dicere ut congrediar cum ea, ut rem cum ea habeam. ❡ *Omnes viros illius loci*] *omnem populum illius loci.* Jerosolym. *multis amicorum turbis.* Hiero. ❡ *Loci*] המקום τοῦ τόπου. i. urbis. Locus pro urbe cum alibi sumitur, tum Gen. 12. 6. *usque ad locum Sichem:* quod Moses Gerundensis enarrat עד עיר שכם usque ad urbem Sichem. Hinc varietas in libris 1 Machab. 5. 31. Nam in aliis τὴν πόλιν, & in aliis τὸν τόπον. ❡ *Omnes*] plerosque omnes. ❡ *Convivium*] convivium nuptiale. Lxx. γάμον. Hiero. *nuptias.* Convivium Onk. vocat משתיא. Jonathan & autor Jerosol. vocant שירו. Unde שירותא convivium Job. 1. & plu. שירין convivia (ut à גלות fit גלין deportationes) Hos. 4. 18.

23. *Fuit autem vespere ut acciperet Liam filiam suam & adduceret eam ad eum: ita ingressus est ad illam.*

24. *Deditque Laban ei Zelpham ancillam suam ut esset Liæ filiæ suæ ancilla.*

Vespere] post peractum convivium. Aut sub nomine vesperæ, noctem comprehendit, ut Gen. 1. 3. *& fuit vespere & fuit mane dies unus.* Nam nox dolis opportunior. ❡ *Et adduceret eam ad eum*] more gentis ac regionis adducebat eam velatam & sine lumine vel in domum Jacobi, vel certe in cubiculum sive thalamum. Quid interim Rachel? sine dubio auctoritate patris permota quiescebat. Aut forte hæc ipsa inscia fiebant. ❡ *Ita ingressus est ad illam*] agebat tunc annum, ut Mercerus annotat, septuagesimum septimum. Senex ergo juvenculam duxit, quod honestius quam si anus nubat juveni. Id quod hodie fieri sæpe videmus. ❡ *Zelpham*] hodie Zilpham. Nam Zilpam quod in nonnullis editionibus, de moneta est quam Hiero. olim damnavit.

25. *Et fuit mane & ecce ipsa erat Lea: itaque dixit Labani, Quid hoc fecisti mihi? nonne pro Rachele servivi apud te, & quare decepisti me?*

Et fuit mane &c.] orto mane ipsa erat i. agnoscebatur esse Lea, quam Rachelem esse putarat. Alioqui etiam tota nocte & antea semper fuerat Lea. Hoc apud quosdam in Proverbium abiit, quod usurpant quos matrimonium decepit, cum eam quam bonam putarant, aliam esse deprehendunt. ❡ *Quid hoc fecisti mihi?*] cum admiratione legendum, *Quid hoc est quod fecisti mihi?* Aut מה posuit pro למה ad quid hoc fecisti mihi? quare supposuisti Leam pro Rachele? Aut זאת in sermone Latino redundat & otium agit, ut dicat, *Quid fecisti mihi?* τί ἐποίησάς μοι. Hiero. *Quid est hoc quod facere voluisti?* Lxx. τί τοῦτο ἐποίησάς μοι. On. & Ion. מה דא עבדת לי quid hoc fecisti mihi? Gallica, *quid hoc est quod fecisti mihi?* ❡ *Servivi apud te*] עבדתי עמך servivi tecum i. apud te, quod Græci referunt παρὰ σοί. Nam *tibi* quod in Hiero. Ebraice diceretur לך. Quidam explicant, *servitutem pactus sum tecum.* ❡ *Quare decepisti me?*] ולמה רמיתני. Lxx. ἵνα τί παρελογίσω με; Hiero. *quare imposuisti mihi?* On. & Ion. ולמה שקרת בי cur mentitus es mihi? Quare fefellisti me?

26. *Et dixit Laban, Non ita fit in loco nostro, ut detur junior ante primogenitam.*

27. *Imple hebdomadam hujus; & dabitur tibi etiam hæc pro servitute quam servies apud me adhuc septem annis aliis.*

In loco nostro] ἐν τῷ τόπῳ ἡμῶν: hoc est, in urbe nostra. Thargum Ionathæ בארען. Tu emenda בארען quod On. dixit באתרנא in loco nostro. ❡ *Junior*] ἡ νεωτέρα הצעירה minor. idem cum הקטנה. ❡ *Ut detur*] ut detur nuptum viro, ut elocetur: quod Hiero. dixit, *tradere ad nuptias.* ❡ *Ante primogenitam*] לפני הבכירה. Lxx. πρὶν ἢ τὴν πρεσβυτέραν; quod On. & Ion. dixerunt קדם רבתא ante majorem, hoc est ... Synonyma enim certe sunt גדולה & בכירה perinde ut קטנה & צעירה. Ceterum primogenitus בכור dicitur, unde esset בכורה nisi ea vox primogenituram denotaret. Dixerunt ergo בכירה Vau in Ioth versa. ❡ *Imple*] perfice, absolve, συντέλεσον. ❡ *Hebdomadam hujus*] שבע זאת septimanam istius. Cujus? Liæne an Rachelis? Si Liæ, recte accipies de hebdomada dierum quibus nuptiæ fiebant. Vide Iud. 14. 15. & 17. Tob. 11. Si Rachelis, erit accipiendum de hebdomade annorum, quam de novo paciscebatur cum Iacobo. Hac de re variæ sunt interpretum sententiæ. Plerique omnes tam nostri quam Ebræi de nuptiarum convivio septendiali tunc cœpto intelligunt: quod mihi quoque non improbatur. Jam videamus interpretes. LXX. τὰ ἕβδομα ταύτης. August. Quæst. 89. *Septimanam istius.* Hiero. in Quæstio. Hebraicis, *Hebdomadam istius*, in edit. vulgat. *Hebdomadam dierum hujus copulæ.* Quæ sic enarrat, *Postquam Liam Jacob fraude deceptus pro Rachele uxorem acceperat, dicitur ei à socero Laban, ut septem dies post nuptias sororis prioris expleat & sic accipiat Rachel, pro qua iterum septem annis aliis serviturus sit. Non igitur ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primæ.* Eadem scribit Cajetanus. Sed & Abenezra, *Imple septem dies*, inquit, *nuptiarum Liæ.* Jonathan quoque, *Perfice nunc septem dies convivii hujus.* scilicet Liæ: quod aperte testatur autor Ierosol. referens, *septem dies convivii Liæ.* R. Sal. *Imple hebdomadam istius, hoc est septem dies convivii. Sic exponitur hic locus in Thalmud Ierosolym. in ea parte quæ Gemara dicitur, ubi sunt decisiones doctorum, in tractatu qui vocatur* מועד קטן *conventus minor.* Si quis tamen hæc malit accipi de hebdomade Rachelis, me non habebit sibi vehementer adversantem, dummodo concedat mihi, quod nunc extra controversiam est apud doctos, eam Jacobo traditam fuisse ante expletum septennium alterum. Videatur Mercerus. ❡ *Dabitur*] nuptum: ❡ *Pro servitute quam servies apud me*] בעבדה אשר תעבד עמדי Lxx. ἀντὶ τῆς ἐργασίας ἧς ἐργᾷ παρ' ἐμοί, pro opere quod operaberis apud me. Hiero. *pro opere quo serviturus es mihi.* Santes, *pro servitute quam servies mihi* i. ... Trem. *qua servies apud me.* On. & Jon. בפלחנא דתפלח עמי. Fagius interpres, *pro servitute quam servies mihi.* פולחנא servitus, item opus. Hoc modo sumitur Psal. 104.

28. *Fecit ergo Iacob sic, implevitque hebdomadam hujus: ita dedit ei Rachelem filiam suam uxorem.*

29. De-

29. *Deditque Laban Racheli filiæ suæ Balha ancillam suam et ancillam.*

30. *Et ingressus est etiam ad Rachelem & dilexit etiam Rachelem præ Lia, & servivit apud eum adhuc septem annis aliis.*

Impletque] hoc est implevit. Simile in Latio, *judicium Paridis spretaque injuria formæ*, hoc est spretæ &c. ¶ *Ita dedit*] Laban ¶ *Uxorem*] לְאִשָּׁה in uxorem i. uxorem revera. Alibi valet, pro uxore sive uxoris loco. Lxx. γυναῖκα. Hiero. *hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem.* Sensum reddidit, non verba. ¶ *Balha*] vel Balaha. Nunc est בִּלְהָה in Ebræo i. Bilha. Græci scribunt Βαλλὰ cum duplici L. Hiero. Bala i. בָּלָה, quomodo scriptum lectum in Deuteronomio. ¶ *Ei ancillam*] לה לשפחה dedit, inquam, ei in ancillam. Vult dicere ut esset ei ancilla, vel ut ancillaretur ei. *Dare in ancillam*, ut *dare in uxorem*. Non ovum ovo similius. Lxx. αὐτῇ παιδίσκην ei ancillam. Hiero. *cui pater servam Balam tradiderat.* Jonathan, ומסרה לה לאמהו & tradidit eam in ancillam. ¶ *Dilexit etiam*] dictionem *etiam* omittunt plerique interpretes tanquam superfluam, sed eam retinent Chaldæi: tum etiam Santes ac Tremell. & potest sensus esse, dilexit quoque illam post congressum, ut ante dilexerat q. d. nihil de amore ejus imminutum fuit. Quod sæpe fieri solet post coitum. Aut aliter, amavit quoque eam præ Lia, hoc est magis quam Liam. Quod autem Lia post dicatur *exosa*, id accipiendum est in comparatione. Nam amabat quidem eam ut uxorem; sed ad Rachelem comparata, quam nimis deperibat, exosa erat i. minus amabatur. Hoc Hiero. innuit cum verteret: *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit.*

31. *Videns autem DOMINUS exosam esse Leam aperuit vulvam ejus, & Rachel erat sterilis.*

32. *Concepit ergo Lea & peperit filium, & vocavit nomen ejus Ruben: nam dicebat, quia vidit DOMINUS afflictionem meam: certe nunc amabit me vir meus.*

Exosam esse Leam] כי שנואה לאה quod exosa esset Lea. Lxx. ὅτι μισεῖται Λεία, quod odio esset Lia. Hiero. *quod despiceret Liam.* Jonath. *quod non esset Lea dilecta.* Onk. *quod esset exosa.* Erat autem exosa non simpliciter, sed comparatione, quia non adeo illam amabat ut Rachelem, pro qua septem annis servierat, & totidem illi adhuc serviendum erat. ¶ *Aperuit vulvam ejus*] ויפתח את רחמה. Lxx. καὶ ἤνοιξε τὴν μήτραν αὐτῆς, aperuit matricem ejus. Hiero. *aperuit vulvam ejus.* Onk. *dedit ei conceptum.* i. fecit ut conciperet. Sed vulva non aperitur in conceptu, verum in partu. Malim ergo, ut pareret. Hinc primogenitus vocatur פטר רחם apertio vulvæ sive matricis, quia tunc primum matrix aperitur. Jonath. *decrevit apud se dare ei filios.* ¶ *Et vocavit*] Lia. Nam verbum, quod in Ebræo, fœmininum est. Jus imponendi nomina utrique parenti commune erat, ita tamen ut mater nihil fecerit sine consensu patris. Secus accidit in Benjamin, quem Rachel Benoni appellaverat. De hac re diximus alias quæ non sunt iteranda. ¶ *Ruben*] רְאוּבֵן Ῥουβήν. Nunc esset Reuben. id sonat *videte filium.* q. d. ecce filium peperi, non filiam. Inepte Hiero. *Ruben filius visionis interpretatur.* Idem melius in nom. de Apocalypsi; *Ruben, videte filium.* ¶ *Vidit*] respexit. Respicit autem eos quibus est propitius. ¶ *Afflictionem meam*] בעניי. Lxx. τὴν ταπείνωσιν μου καὶ ἔδωκέ μοι υἱόν. *Vidit afflictionem meam, hoc est, dedit mihi filium.* Hiero. *humilitatem meam.* Onk. & Jonath. עלבני miseriam meam. Alius, *vexationem meam.* Possum falli, tamen inclino ut credam huc respexisse virginem Θεοτόκον, Luc. 1. 48. cum ita caneret, ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Quod vertunt, *humilem ancillam suam*, cum possit verti ex hoc loco, *humilitatem* vel certe *afflictionem ancillæ suæ.* Innuit autem sterilitatem. Nam steriles in miseria & afflictione erant. ¶ *Certe nunc*] vel *nunc enim.* Ebraice כי עתה. Lxx. νῦν οὖν nunc igitur. Hiero. *nunc.* Onk. ארי כען. Jonath. ארום כדון quia nunc. Gallica, *pourtant aussi maintenant.* ¶ *Amabit me*] Nam fœcunditas amabilem reddebat uxorem illo ævo. ¶ *Vir meus*] maritus meus.

33. *Et concepit adhuc & peperit filium, Quia audivit DOMINUS me exosam esse dedit mihi etiam hunc, & vocavit nomen ejus Simeon.*

Audivit] i. intellexit, ut Gen. 42. 23. *nesciebant quod audiret Joseph.* i. intelligeret eos loquentes. Gen. 11. 7. *ut non audiat vir sermonem socii sui.* Sic audire linguam dicitur, qui eum intelligit, ut ibi, *Gens cujus linguam non audietis.* Lxx. ἤκουσε κύριος ὅτι μισοῦμαι. Hiero. *audivit me DOMINUS contemtui haberi.* Aliter exponas, *audivit.* i. exaudivit me, *quia exosa sum*, eo quod minus diligar à marito. Vide sequentia. ¶ *Simeon*] שִׁמְעוֹן Simeon, quod Græci perpetuo scribunt Συμεών. i. Symeon. Posterior ætas contraxit hoc nomen in Simon. i. שִׁמְעוֹן ubi Elisa Ain littera, deinde Sin in Samech versa. Hiero. in Quæst. *ab eo quod sit exaudita Simeon nomen imposuit. Simeon quippe interpretatur auditio.* Orig. Hom. 14. in Jesum Nave, *Simeon interpretatur exauditio.* Joseph. Ant. Jud. Lib. i. cap. 27. *Symeon nomen significat ei exaudibilem fuisse Deum.* Græca sunt Συμεώνην δὲ τὸ ὄνομα, τὸ ἐπήκοον αὐτῇ γεγενῆσθαι τὸν θεόν: quæ sic interpretatur Gelenius: *quod sig. exorabilem ei fuisse Deum.*

34. *Et concepit adhuc & peperit filium, & dixit, Nunc hac vice copulabitur mihi vir meus eo quod pepererim ei tres filios: propterea vocavit nomen ejus Levi.*

Nunc hac vice] עתה הפעם. Lxx. ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Hiero. *nunc quoque.* Onk. & Jonath. הדא זמנא hoc tempore. Trem. *nunc demum.* Gal. *or a cette fois.* ¶ *Copulabitur mihi*] vel, *adjungetur mihi.* Ebraice ילוה אלי. Lxx. πρὸς ἐμοῦ ἔσται: apud me erit. Aquilas, *applicabitur mihi.* Hiero. vide supra. Adde: Hæc significatio frequens est apud Magistros, qui deductionem לויה vocant. Chaldæi quoque in Aphel אלוי dicunt pro comitor, deduco. Quod reperitur cum alibi, tum Gen. 12. 20. Ceterum לוה usurpant Doctores in Piel. Hic est נִלְוָה in Niphal, quod Onk. reddit יתחבר לי associabitur mihi. Jonathan עמי mecum. In Ebræo est ad verbum אלי ad me. ¶ *Levi*] לֵוִי Levi. Græce Λευὶ & Λευί. unde Λευὶς quod in recto casu faceret Λευίς. i. Levis.

35. *Et concepit adhuc & peperit filium & dixit, Hac vice confitebor DOMINO: ideo vocavit nomen ejus Judam & destitit parere.*

Confitebor DOMINO] Sic interpres vetus. Ebraice est אודה את יהוה. Lxx. ἐξομολογήσομαι κυρίῳ. Onk. & Jonath. *confitebor coram DOMINO.* Santes quoque, *confitebor DOMINO.* Sensus autem est, *gratias agam DOMINO:* vel certe *laudabo DOMINUM*, sive, ut habet Trem. *celebrabo DOMINUM.* Hinc in cantionibus Ecclesiasticis, *confessionem personare.* i. laudem vel gratiarum actionem. Hiero. in Quæst. *A confessione confessoris nomen est dictum Veruntamen hic confessio pro gratiarum actione seu pro laude accipitur.* præclare. Nam etiam Josephus eo modo interpretatur Juda εὐχαριστία. Orig. Juda. Lib. 1. cap. 19. & 27. Glossarius Philonis, Juda, αἶνεσις. Basilius quoque hom. in Psal. 29. ἐξομολογήσομαι explanat ἀντὶ τοῦ εὐχαριστήσω. ¶ *Judam*] יְהוּדָה Juda, ut יְהוֹרָם Joram, יהושע Josua vel Josue. Potius ut dicamus ex הודה factum esse יהודה præmissa littera Joth, indice nominum propriorum q. dicas confessor aut confessio. Constat hoc nomen ex duobus, videlicet ex tetra grammato יהוה & ex verbo ידה quod in Hiphil facit הודה confiteor, laudo, gratias ago. Unde Hesychius, Ἰούδας, ἐξομολόγησις θεοῦ. ¶ *Destitit parere*] ותעמד מלדת & stetit à pariendo, quod Græci dicunt καὶ ἔστη τοῦ τίκτειν. Onk. & Jon. וקמת מלמילד. i. destitit parere. Hiero. *cessavit parere.* Santes, *desiit parere.*

AMAMA.

17. **E**Br. *Et oculi Leæ erant* רַכּוֹת. Vulg. *Lia erat lippa oculis.* Vox Ebræa significat, *teneri, debiles.* LXX. ἀσθενεῖς. Onk. *pulcri*, nimium exorbitans. Sulpitius, *deformes.* Sed locum hunc verbis & periculo Steuchi castigabo, is ergo sic ait, Ebræa habent, & oculi Leæ erant debiles. Quare non is videtur esse sensus, videlicet oculos Leæ lippos, sed magis lusciosos fuisse leviterque aspicientes, quod ad deformitatem permultum refert. Vox autem Ebraica ubicunque reperitur, invenitur significare debilitatem & mollitiem. &c. LXX. quoque οἱ ὀφθαλμοὶ Λείας ἀσθενεῖς; nisi forte Hier. ex ea debilitate opinatus sit lippitudinem contingere, quod tamen non perpetuo fit. Hactenus Steuchus. Videatur & Cajet. qui itidem dicit Ebr. esse *teneros oculos.* Aben. ridet quendam qui רכות interpretatur *longi*, ac si esset pro ארוכות deficiente litera א, Abenezra facete ad illius חסר אלף, ipsum esse חסר אלף, deficere doctrina.

23. Hæc verba ויבא אליה *Et ingressus est* (Jacob) *ad eam*, Leam, omisit Interpres, non sic LXX. non Onk.

DE MUIS.

20. **S***Ervivit ergo Jacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Apud Labanum avunculum, ad quem metu Esai fratris indignantis necemque minitantis, quod paternam benedictionem intercepisset, de matris sententia præsertim se receperat, non multum temporis Jacobus fuit, quin Rachelis, alterius è Labani filiabus, specie captus, (virgo enim erat egregia forma atque honesta)

by Google

ejus amore ardere occeperit. Nec diu continuit se quin avunculo amorem patefecerit suum, dum illo quærente quid mercedis optaret pro cura pecorum cui eum præfecerat, Rachelem petiit sibi uxorem dari. Nec dubium est quin etiam, id quod erat, ut è Labani filiabus uxorem sibi acciperet, parentes, antequam ab illis discederet, suasisse vel jussisse diceret. Non recusavit generum avunculus: sed ea lege & conditione, ut ne prius Rachelem duceret quam septennem ille operam in pascendis gregibus præstitisset. Placuit conditio; servit Jacobus septem annos, quibus exactis, adit avunculum de nuptiis, nec impetrat tamen; intervenit enim ibi Labani fraus quædam. Inter ea quibus hæc historia describitur, illud est considerandum quod legitur Gen. 29. 20. *Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Istud sane non admodum è consuetudine amantum dictum videri potest, quibus vel breve tempus est longissimum, diesque anni, anni secula sunt dum potiantur quam expetunt. Spes dilata cruciat, in amore potissimum, ubi mora mors est. Qui amarunt, hoc affirmant.

Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est,

dicebat nescio quis insanus amator. Abarbanel mihi videtur commode interpretatus eum locum, qui sic habet, ספר הכתוב שעבד יעקב את לבן בצאנו שבע שנים שנדר לעבור בעד רחל ושהיו בעיניו לא כשנים שבעה שהוא זמן רב אבל כימים אחדים כי היתה אהבתו בבני׳ רבה וחזקה שלא הרגיש בעמל ובינעת כל הימים כאלו היו השנים ימים והשכנה אא״ו או שני ימים כי ברוב חשקו בה נראה לו שלקחה בזול ומקנה בזול יפרש בעין יפה, *Ait Scriptura septennem operam navasse Iacobum ipsi Labano in pascendis gregibus pro Rachele, quemadmodum promiserat, totumque illud septennis spatium, alioquin longum, Iacobo visum fuisse paucorum dierum instar: siquidem tanto, tamque vehementi illius amore flagraret, ut nihil sentiret istius temporis labores, ac si anni septem unus duove dies fuissent. Namque præ illius amore videbatur sibi illam vili pretio acquirere: qui autem quid acquirit vili pretio, latum oculum ac frontem exporrigit.* Isaacus Arama in Akkedath Isaac alio quodam modo, sed qui tamen eodem recidit; אמר שעבד כל ז׳ השנים ההנה עבודה שלימה תאומת בכל מאמר כחו כאלו הוה התנאי לעבור בה ימים אחדים ולא לבלתי הרגיש העמל והיגיעה רק שלאהבתי אותה נראה לו שלקחה בזול והלוקח וכו׳, *Navasse illum ait Sacer textus totos illos annos septem sedulam ac fidelem, quam potuit maxime, operam, non aliter ac si se duntaxat ad paucos dies obstrinxisset, nec sic tamen ut interea temporis labores non senserit: sed præ ejus amore videbatur sibi vili pretio eam acquirere; qui autem vili pretio aliquid acquirit, &c.* ut mox. Eodem spectat Bechai, qui habet, היה ראוי שיהיו בעיניו כימים מרובים אבל לענין טורח העבודה אמר כן כי היו אלו ימים אחדים לא מנין שנים ולא מנין חדשים וכן אמר כי מלאו ימי ולא אמר שנותי וזה להודיע בעיניו טורח ז׳ שנים, *Erat cur potius illi viderentur dies multi: sed hoc de ipsa opera & labore ministerii intelligendum: pro paucis enim diebus, non pro annis, non pro mensibus apud illum fuerunt: quo sensu ipse Iacobus mox Labano ait,* (v. 21.) Da uxorem meam; quia completi sunt dies mei, [ita Hebraice,] ut ingrediar ad illam. Anni mei *non dicit, quo extenuaret magis septennii laborem.*

GROTIUS.

8. *ET amoveamus lapidem de ore putei*] *Amoveant*, scilicet pastores. Sic LXX. ἀποκυλίσωσι [*devolvant*]. Confer Marcum XVI. 3. ubi idem verbum ἀποκυλίσει [*devolvet*]. Gravius id erat, quam ut à feminis præstaretur.

14. *Os meum es & caro mea*] Propinquus sanguine. Vide quæ supra II. 23.

26. *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ*] Dies septem nuptiali lætitiæ dicatos, ex more illarum regionum. Jud. XIV. 15.

Et hanc quoque dabo tibi] Cum novo convivio nuptiali post illos septem dies, sed sub lege operarum septennii.

32. *Nunc amabit me vir meus*] Ob id Latini liberos pignora vocant.

CARTWRIGHTUS.

1. *ET sustulit pedes suos Iacob, &c.*] Phrasis ista indicat Jacobum alacri animo celerique pede profectum esse. Sic Thargum Jonathæ, ונטל יעקב בקלילותא רגלוי למיזל, i.e. *Et sustulit Iacob celeriter pedes suos ut ambularet.* R. Salom. refert in Bereshith Rabba (i.e. antiquo quodam commentario in Genesin) in hunc modum exponi, כשנתבשר בשורה טובה והובטח כשבירה נשא לבו את רגליו ונעשה קל ללכת, i.e. *Postquam latum nuntium accepisset, & de conservatione sui confirmatus esset, sustulit cor ejus pedes ipsius, factusque est celer ad proficiscendum.*

6. הֲשָׁלוֹם לוֹ *Num pax est ei?*] i.e. *Num prospere agit? Pacis* enim nomine ad omnimodam prosperitatem designandum uti solent Hebræi. Vide Gen. 43. 26, 27. & 2 Reg. 4. 26. LXX ὑγιαίνει; *Num valet?* Vulg. *Salvusne est?*

Et ecce Rachel filia ejus בָּאָה *venit.*] באה cum accentu in ultima, præsentis est temporis, uti monent R. Salom. & Aben Ezra. Chald. אתיא, *venit.* Est similiter participium præsens. Eadem etiam vox habetur in Targum Jonathæ. At LXX ἤρχετο, *veniebat*; quo verbo utuntur ver. 9. ubi בָּאָה habet accentum in penultima, ac præteriti est temporis; Chaldæus ibi habet אתת, & similiter Targum Jonathæ. R. Salomon discrimen inter hoc באה & alterum notavit, hisce verbis, הראשון לשון עושה והשני לשון עשתה. i. *Prius est præsentis temporis, posterius autem præteriti.* Prius significat eam venire, posterius autem venisse. Vide ad cap. 46. 15.

10. וַיָּגֶל אֶת־הָאֶבֶן *Et revolvit lapidem.*] Targum Jonathæ, ותלגל ית אבנא בחדא מן אדרעוי, i. e. *Et revolvit lapidem una ex brachiis suis.* R. Salom. notat hoc verbo (ויגל) robur ac vires Jacobi indicari, quod nimirum tam facile amovit lapidem istum, ac quis operculum ollæ amovet. Burgensis refert Hebræorum expositores dicere, quod solus Jacob amovit lapidem; unde divinam virtutem in eo fuisse ostendebatur; eo quod veniens fessus ab itinere poterat removere lapidem, qui non nisi à pastoribus simul congregatis amoveri potuit. Atque hoc textui consonum esse judicat. Addit eos dicere, hoc figurasse, quod aliquis veniens ex stirpe Jacob amoturus erat *lapidem*, id est, *duritiam cordis*, & adaquaturus *greges*, id est, *gentes*, scil. *aqua & Spiritu sancto.* Fagius in Chald. Paraph. ait Hebræos inter notas eorum, qui erant ex stirpe Abrahami, referre corporis robur, quo eos præditos fuisse asserunt. Istud robur jam se in Iacobo exeruisse, &c. Iucunda (inquit Fagius) hæc sunt, si referantur ad Christum, cujus robur & fortitudo in istis patribus adumbrata fuit. Ipse enim est, qui grandem illum mortis lapidem revolvit, &c. Sunt (inquit Mercerus) qui Iacobum simul cum aliis id fecisse existimant. Ego vero solum, tum per ætatem (utpote tum 77 annorum) tum Spiritu Domini mirabiliter eum impellente, ut omnibus pastoribus esset admirationi, & rumor ejus per illam regionem pervagaretur, ut magis Laban incitaretur ad dandum ei uxorem de filiabus suis.

17. יְפַת־תֹּאַר וִיפַת מַרְאֶה *Pulcra forma, & pulcra aspectu.*] R. Sal. asserit תאר esse קלסתר פנים, i. e. *formam faciei*; מראה autem esse זיו קלסתר, i. e. *splendorem vultus.*

Et oculi Leæ erant רַכּוֹת *teneri.*] Chald. יאיין, i. e. *pulcri.* Quia scil. (ut notat Fagius) tener aliquando pro pulcro & eleganti usurpatur; sed quod de Rachele sequitur, indicat contrario sensu hoc de Lea dici. Atque ita intellexit R. Salom. qui tamen ineptam narrat fabulam, nempe Leam ex nimio fletu istiusmodi habuisse oculos; ita autem flevisse, quod putaret ad suam sortem pertinere, ut Esavo nuberet. Sic enim omnes dicere solitos, Rebeccam duos habuisse filios, Labanem autem duas filias; ac majorem filiam majori filio, minorem vero minori matrimonio esse jungendam. Huc respexit Targum Hierosolymitanum, quod ita habet, *Et oculi Leæ erant teneri* (רכיכן) *propterea quod flebat, & orabat, ne in sortem Esavi caderet.* (ולא תמטי בעדביה דעשו) Similiter Targum Jonathæ, *Et oculi Leæ erant rotundi* (sic vocem hic usurpatam, nempe צירנין, exponit Buxtorfius in Lexico Syro-Chald.) quod fleret, & oraret coram Domino, ut impio Esavo non destinaretur. LXX οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ Λείας ἀσθενεῖς, *Oculi autem Liæ erant infirmi.* Vulg. Sed *Lea lippis erat oculis.*

18. *Propter Rachelem filiam tuam minorem.*] R. Salom. notat Iacobum ita particulatim descripsisse Rachelem, quod sciret sibi negotium esse cum homine fraudulento. Primo itaque dixisse, se serviturum *ob Rachelem*; deinde, ne forte altera esset Rachel, quæ forinsecus (מן השוק) venerat, addidisse, *filiam tuam*; ac denique, ne forte Laban Leæ nomen mutaret, ac Rachelem appellaret, addidisse, *juniorem*: nec tamen omni hac cautela, ac circumspectione quicquam profecisse.

27. מַלֵּא שְׁבֻעַ זֹאת *Imple hebdomadem hujus.*] Scil. Leæ. R. Sal. asserit שבוע esse in regimine (סמוך) nempe זאת esse genitivi casus, hujus, non ejusdem casus cum שבוע (sic Chald. שבועתא דדא, i. e. *hebdomadem hujus*) per hebdomadem autem intelligi שבעת ימי המשתה, i. e. *septem dies convivii scil. nuptialis.* Similiter exponit Aben Ezra. Atque ita etiam Targum Hierosol. & Targum Jonathæ. Nuptiale autem convivium septem dies durare solitum, apparet ex Judic. 14. 15. Dicitur ei, (inquit Hieron. in Tradit.) à socero Laban, ut septem dies post nuptias sororis prioris expleat, & sic accipiat Rachel, pro qua iterum septem

ptem annis aliis serviturus sit. Non igitur, ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primæ. Nam sequitur, *Et ingressus est ad Rachel, & dilexit Rachel magis quam Liam, & servivit ei septem annis aliis.* Mercerus ait Labanem non distulisse Jacobo dare Rachelem, usque ad finem septennii posterioris; id enim nimis iniquum & durum fuisse; sed vel eodem anno, vel non multo post datam ei fuisse Rachelem; idque arguere, id, quod dicitur, Rachelem invidisse fœcunditati sororis suæ, quod non fecisset; si in fine secundi septennii Jacobo nupsisset. Atque ista quidem ratio ad id probandum mihi videtur validissima. At cum dicitur, *Imple hebdomadem hujus.* Mercerus sic intelligit, *Imple hebdomadem Rachelis*, & hebdomadem annorum significari existimat; Quod autem Laban per hebdomadem intellexit septem annos, ex eo colligit, quod mox se declarans dixit, pro servitute, quam servies apud me aliis septem annis. Sed ratio ista minus valida videtur; iis enim verbis duntaxat ostenditur; qua conditione etiam Rachel danda esset Jacobo; at per hebdomadem hujus, intelligendum esse septennium Rachelis, haudquaquam inde astruitur. Imo cum dicitur, *Imple hebdomadem hujus*, & dabimus tibi etiam hanc; & ver. 28. Et ita fecit Jacob, & implevit hebdomadem illius, & dedit ei etiam Rachelem filiam suam in uxorem; si de septennio Rachelis exponendum esset, sequeretur, contra quam firmissima ratione motus sentit ipse Mercerus, Jacobum non nisi exacto altero septennio duxisse Rachelem; apparet siquidem ex serie textus, eum prius implevisse (a) hebdomadem hanc, de qua fit sermo, quam Rachelem duxerit. Omnibus igitur diligenti rationis trutina expensis, altera expositio mihi potior videtur. Id quidem in gratiam opinionis Merceri potest objici, quod Hebraice sic legitur, מלא שבע זאת ונתנה לך גם את זאת, ubi dictio זאת bis ponitur, quasi de una eademque filia sermo fieret; *Imple hebdomadem hujus, & dabimus tibi etiam hanc.* Sed זאת priori loco ad Leam, posteriori autem ad Rachelem referri potest, atque etiam, opinor, debet. Vulg. *Imple hebdomadem dierum hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi, &c.*

32. *Et dabimus tibi etiam hanc.*] Statim (inquit R. Salom.) post exactos septem dies convivii; deinde, postquam eam duxeris, servitutem servies.

כִּי רָאָה יְהוָה בְּעָנְיִי *Nam vidit Dominus afflictionem meam.*] LXX διότι εἶδέ μου Κύριος τὴν ταπείνωσιν, *quoniam vidit Dominus humiliationem meam; vel humilem, vilem, abjectam meam conditionem.* Vulg. *Vidit Dominus humilitatem meam.* Quod recte Lyra interpretatur, *Vidit me Dominus vilem & abjectam reputatam; ideo consolatus est me.* Hinc autem facile constare potest, quis sit verus ac germanus sensus verborum Beatæ Virginis Luc. 1. 48. ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Vulg. quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Nonnulli existimarunt B. Virginem humilitatis ergo eo honore à Deo dignam habitam esse, ut Christus ex ea nasceretur; cum ταπείνωσις non denotet humilitatem, prout superbiæ opponitur (ea enim virtus dicitur ταπεινοφροσύνη, nusquam autem, quod sciam, ταπείνωσις) sed respondeat Hebræo עני, ac *humilem afflictamque conditionem significet.*

34. יִלָּוֶה אִישִׁי אֵלַי *Adjungetur maritus meus mihi*] Chald. יתחבר *consociabitur.* Et eodem verbo utitur in suo Targum Jonathan. LXX παρ' ἐμοῦ ἔσται, *apud me erit.* Hieron. in Tradit. ait Aquilam interpretatum esse, *Applicabitur mihi vir meus*; & à Doctoribus Hebræorum exponi, *Prosequetur me vir meus*; id est, *Non ambigo de amore in me viri mei; erit mihi in hac vita comes, & ejus dilectio me ad mortem usque deducet & prosequetur.*

(a) Hebdomade transacta Rachel duxit uxorem. *Vulg.*

C A P. XXX.

M U N S T E R U S.

2. REmovit] Hebraice, *prohibuit*, vel *privavit.*

6. *Causam meam egit*] In sacra lingua verbum דן proprie significat *causam agitare coram judice, disceptare & contendere cum adversa parte*, aut *patronum agere*: שפט vero significat *decernere judicium & ferre sententiam.*

8. *Luctationibus divinis*] Locus iste varie ab Hebræis exponitur. Nam Kimhi post Aben Ezra exponit verbum נפתל per נפתולי & אבק, i *luctari*, & item per הפך & עוה, i. *pervertere & obliquare*, ut faciunt luctatores atque certatores, qui corpus in luctamine variis subvertunt & obliquant modis. Alii exponunt verbum נפתל per חבר *conjunxit*: unde & פתיל significat *filum & ligamen*: ut sit sensus, *Conjuncta sum per Deum sorori meæ, imo excellui eam.* Putat tamen Kimhi *Elohim* hic non accipi pro *Deo*, sed pro *magnifico*: & tunc erit sensus, *Luctationibus magnificis luctata sum cum sorore mea.* Id enim quod magnificum est vocat Hebraismus *Divinum*; ut *cedrus Dei*, i. *cedrus magnifica & procera.*

11. *Cum fortuna*] Sequuntur fere omnes Hebræi Chaldaicam interpretationem, quæ pro בגד habet אתא גד, i. בא גד, *venit fortuna*, abscondita scilicet litera Aleph in Camez voce magna. Sunt etiam aliqui ex Hebræis qui גד exponunt pro כוכב צדק, *Iove planeta*, quem alio nomine vocant מזל טוב *bonam fortunam*, quod in liberorum procreatione salubrem immittat influentiam. Unde puellæ desponsatæ traditur annulus in quo scriptum est מזל טוב, ut supra quoque meminimus.

13. *Cum beatitudine mea*] Vel, *in beatitudine mea.* Onkelos vertit sic, *Laus facta est mihi, quoniam nunc laudabunt*, seu *felicem prædicabunt, me mulieres.* Aben Ezra exponit Beth pro בעבור, ut sit sensus, *Propter felicitatem meam natus est hic filius.* Ponitur autem in Hebræo verbum præteritum pro futuro.

14. *Mandragoras*] Dicit Gerundensis, *Attulit Ruben ramos aut fructum qui similis est pomis, habetque odorem optimum. Radix vero habet figuram capitis & manuum.* Idem fere sentit Dioscoridis, nisi quod hæc herba absque caule crescit. Sunt etiam qui dicunt דודאים esse herbam quæ libidinem in mulieribus excitat, vel, ut alii ajunt, vulvam ad conceptum disponat. Quam sententiam Aben Ezra non probat, quod mandragoræ קרות תולדותם *qualitatis frigidæ sint.*

18. *Issachar*] Seu, ut Hebræi legunt, *Iissachar.* Interpretatur, *Remunerabitur, Merces dabitur*; nisi quod unum Sin otiose & sine omni puncto interponitur.

20. *Dotavit me*] Kimhi exponit dictionem זבד per מתנה, i. *Datum, dos.* Gerundensis putat esse dictionem compositam à זה & בד. Est autem בד *ramus grossus & fortis*, sub cujus umbra quiescere licet. Aben Ezra exponit verbum ipsum pro נתן חלק, *dedit portionem.* Porro *Zebulum* interpretatur *Cohabitatio.*

23. *Collegit*] Accipiunt Hebræi verbum *colligere* pro *includi*, aut *introduci*; ut, *Collectus est ad patres suos; Colligetur leprosus in domum; Collectus est Moses in castra*, &c.

27. *Experimento probavi*] Verbum נחש hoc loco communiter ab Hebræis exponitur per נסה, *tentavit, probavit.* Aben Ezra dicit quod Laban usus fuerit divinationibus, quandoquidem habuerit Theraphim in domo sua, de quibus infra. Et quod sequitur, *Constitue*] verbum נקב idem significat quod פרש, *explicavit, in speciem expressit.* Quidam hunc versum sic ordinant & legunt, *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi mercedem tuam, & dabo: observavi enim quod Dominus me fortunaverit propter te.*

29. *Possessio tua apud me*] Potest & is locus sic reddi, *Quantus fuerit grex tuus mecum, cum scilicet primum ad te venissem, tu nosti. Sed benedixit tibi Deus ad pedem meum.* sic enim habet textus Hebraicus, usurpans *pedem* pro בבואי, i. *adventu.*

32. *Punctis notatum*] Seu, ut Hebraismus habet, *punctuosum*; cujus scilicet vellus habet multas maculas parvas. טלוא vero habebat *magnas maculas diversi coloris.* Porro pro חום Kimhi exponit שחור, *nigrum.* Generat enim calor nigredinem: חום vero significat *calorem.* Alii interpretantur אדום *subrufum.* Neque enim sunt ovium vellera omnino nigra, sed nigredo illa nonnihil in rubedinem degenerat.

35. *Amovit*] Subaudi *Laban. Omne in quo erat albedo*] h. e. macula alba.

36. *Residuas*] Debiles scilicet & steriles, quæque generationi non satis accommodæ erant. Et quod sequitur, *Virgas populi*, non satis convenit inter Hebræos de prima arbore. Judæi Germani hanc interpretantur *espen.* Decorticavit autem Jacob in his virgis cortices, non quod eos omnino detraxerit, sed ex denudatione aliqua varietatem colorum in virgis fecit. Posuitque eas in ברהטים, h. e. *decursibus aquarum*, ut aliqui Hebræi interpretantur. Aben Ezra vero exponit מקום חבור המים, *locum collectionis aquarum*: In quem Jacob virgas illas posuit ut oves ex earum aspectu conciperent, sive, ut Hebraismus habet, *incalescerent*, scilicet ad coitum. Et hæc prima fuit industria Jacob. Altera quoque fuit huic similis. Nam maculosos

istius loci expositione alios etiam præter Burgensem hallucinatos esse non ignorem. Quod autem præsentem locum attinet, non video quare vox Hebræa *Mirma* aliter quam de fraude proprie dicta intelligi debeat. Quod enim objicit Lyra, Isaacum jam scivisse, quod divina voluntate atque ordinatione Jacob benedictionem obtinuerat, tanti non est, ut propterea Jacobi factum fraudulentum dici non possit. Etiamsi enim Deo ordinante ac disponente factum sit, ut benedictio in Jacobum esset collata, hoc tamen Iacobum haudquaquam excusat, qui (ut ipse Lyra tandem agnovit) patrem mendacio aggressus est, ut eo decepto benedictionem auferret. Augustinus de Civit. Dei, lib. 16. cap. 37. putat dolum Iacobi non fuisse fraudulentum, sed in eo nescio quod mysterium esse, propterea quod supra dictum fuerat de Iacobo, eum fuisse hominem *simplicem*, ἄπλαστον, ut LXX. vertunt, i. e. *minime fictum, seu fucatum* At *una hirundo* (quod ajunt) *non facit ver*; esto Iacob à fraudibus fuerit alienus, id tamen non impedit, quin hic à matre (quæ & ipsa proba piaque fuit) pellectus fraudulenter se gesserit.

36. הֲכִי קָרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב וַיַּעְקְבֵנִי זֶה פַעֲמַיִם *Nonne* (vel *vere, recte, merito*) *vocavit* (seu vocatum est) *nomen ejus Jacob?* (i. e. *supplantator*) *supplantavit enim me jam duabus vicibus.*] Chald. *Recte vocatum est nomen ejus Iacob;* (*a*) *astute enim egit mecum jam duabus vicibus.* Targum Ionathæ, *Vere vocatum est nomen ejus Iacob, nam* שקר בי *mentitus est in me hisce duabus vicibus.* LXX. δικαίως ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰακώβ. ἐπτέρνικε γάρ με ἤδη δεύτερον τοῦτο, *Iuste vocatum est nomen ejus Iacob; nam ecce me hac secunda vice supplantavit.* יַעֲקֹב *Iacob* nomen habuit à עָקֵב *calcaneo*, quia nempe fratrem suum, dum in utero fuit, calcaneo apprehendit; Esau autem hic nomen deducit à עָקַב, quod *supplantare* significat. Iacob (inquit Hieron. in Tradit.) *supplantator* interpretatur. Ab eo igitur quod *fratrem arte deceperit*, allusit ad nomen, qui ideo Iacob ante vocatus est, quod in ortu plantam fratris apprehenderat.

37. *Ecce eum tibi dominum constitui.*] LXX. εἰ κύριον αὐτὸν, &c. Quasi pro הן *ecce*, legissent אם *si*. Vulgatus particulam istam prorsus omisit, dominum tuum illum constitui. R. Salomon argute in hæc verba commentatur, nempe Isaacum dicere Esavo, Quid tibi proderit benedictio? Si opes acquisiveris, illius erunt. *Eum enim tibi dominum constitui*; ומה שקנה עבר קנה רבו, i. e. *Et quod acquirit servus, acquirit dominus ejus*; vel, *acquirit domino suo.*

40. וְהָיָה כַּאֲשֶׁר תָּרִיד *Et erit cum dominatus fueris, &c.*] *Signat* (inquit Hieron.) *quod Idumæi servituri sint Iudæis, & tempus esse venturum, quando de collo jugum servitutis abjiciant, eorumque imperio contradicant.* R. Salom. hic verbum תריד inquiritandi significatione accipit, לשון צער, prout accipitur Psal. 55. 2. אריד בשיחי, sic autem exponit, Quasi dicat, Cum transgressi fuerint Israelitæ legem, tunc tibi liberum erit להצטער quiritari de benedictionibus, quas abstulit, & *confringes jugum ejus, &c.* Kimchi in Rad. (ut est apud Fagium in Collat.) in eundem sensum interpretatur, sed תריד accipit pro *dominari*; כאשר תמשל, i. e. *cum dominaberis*; quasi dicat, *cum venerit tempus dominii tui, quo Israëlitæ transgredientur legem, & excutient à se jugum præceptorum, tunc rumpes jugum à collo tuo.* Quo sensu verbum תריד accepit Chaldæus, haud liquet; ejus interpretatio sic habet, *Et erit cum filii ejus* (scil. Iacobi) *transgressi fuerint verba legis, tum excuties jugum ejus à collo tuo.* Similiter exponit Targum Hierosol. & Targum Ionathæ. LXX (ut notavit Fagius) videntur derivasse תריד à ירד *descendere.* ἔσται δὲ ἡνίκα ἂν καθέλῃς, καὶ ἐκλύσεις τὸν ζυγὸν αὐτοῦ, *Erit autem quando deponas & detrahas jugum ejus.* Hieron. in Tradit. ait sententiam juxta LXX videri pendere, nec esse completam. Sed sensus, opinor, est, Erit autem tempus, quando depones, &c. atque ita sententia satis est completa. Mercerus Kimchii expositionem probat, ut nimirum תריד hic pro *dominari* sumatur; atque ista expositio mihi etiam præ cæteris amplectenda videtur. Ea enim significatione alibi plerumque verbum רוד usurpatur, ut videre est Ier. 2. 31. Hos. 11. 12.

42. *Et nuntiata erant Rebeccæ, &c.*] R. Salom. ait Rebeccæ divinitus fuisse revelatum quid Esau in corde suo cogitaret. Probabilius est quod opinatur Aben Ezra, nempe Esavum alicui ex amicis consilium suum communicasse, atque inde tandem rem Rebeccæ innotuisse.

מִתְנַחֵם לְךָ *Consolatur se de te.*] LXX ἀπειλεῖ σοι. Vulg. *minatur tibi.* Nescio an legerint מתנהם, nam נהם est *rugire, fremere.* Chald. כמן לך *insidiatur tibi.* Et sic etiam Targum Ionathæ.

44. יָמִים אֲחָדִים *Dies unos.*] Sic ad verbum sonat. Vulg. *dies paucos.* LXX ἡμέρας τινὰς, *dies aliquos*, vel aliquot. Hoc alteri præfert Drusius. At Chald. יומין זעירין, *dies paucos.* אחד *unus*, pro *aliquis, quidam*, usurpatur Iudic. 13. 2. Aben Ezra exponit שנים מעטים, i. e. *annos paucos.* At, ut notat Drusius, ימים interdum annum, nunquam autem annos significat. Melius igitur (ait) Hiskuni exponit, *annum unum.* At locus Genes. 29. 20. ubi eadem verba occurrunt, arguit rectissime exponi, *dies paucos.*

(*a*) חכמות.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

2. MEsopotamiam] Heb. *in Padan Syriæ*, de qua supra cap. 25. diximus.

8. *Malæ essent*] h. e. *displicentes essent, patri suo.* Et quod sequitur, *Super uxores suas*] sensus est, Ultra uxores quas habuit, duxit & hanc in uxorem.

11. *Et casu veniens*] Hebraica habent, *& occurrit in locum*, h. e. incidit in locum quendam ubi mirabilem Dei habuit visionem. ¶ *Occiderat*] Hebraice, *venerat sol*, seu *pervenerat*, scilicet ad terminum quem tota die motu suo appetere videbatur. Vel, subductus ab oculis hominum, ingressus fuerat tabernaculum suum, oppositum scilicet hemisphærium; sicut & Psal. 19. habet, *Egreditur mane sol tanquam sponsus è thalamo suo, & exsultat ut gigas ut currat viam suam.* ¶ *Pro capitis sui cervicali*] Est מראשות nomen hæmanthicum à ראש formatum, perinde ac si à *capite capitalitas* diceremus: & vocatur מראשות omne id quod vel capiti supponitur, vel loco capitis ponitur; sicut fecit Michol uxor David.

14. *Propagaberis*] Hebraice magis est, *fortificaberis*: vel, ut Aben Ezra exponit, תרבה, *multiplicaberis & in numero augesces*: sic enim plerunque usurpat Hebraismus verbum *fortificare*; ut *fortificata est plaga*, pro *invaluit*; *fortificaverunt torcularia vinum*, pro *redundaverunt vino*, &c.

18. *In statuam*] Formant Hebræi מצבה à נצב, sicut & Latini *statuam* à *stare*. Non est igitur ut aliquis suspicetur statuam illam columnam fuisse, cum solum lapis agri esset. Sed is lapis stabat non jacebat, secundum longitudinem erectus. Statua igitur vocari potest lapis ille, sicut & in Hebræo vocatur. Et quod sequitur, *Erit domus Dei*] hunc habet sensum, Erit hic locus ubi invocabitur nomen Dei. Expositores nostri communiter dicunt, hunc locum Bethel fuisse montem Morija prope Jerusalem, ubi posteris temporibus exstructum fuit templum Domini, quodque Jacob in spiritu præviderit ibi instituendum cultum Dei, atque ob id dedit nomen loco *Bethel.* Sed illi errare convincuntur ex Jos. 18. ubi in tribu Benjamin inter reliquas civitates Bethel (quæ & Luza) atque Iebusi (quæ est Hierusalem) separatim describuntur. Habuerunt Israelitæ multa loca ubi temporum successione coluerunt Deum, in Gilgal, in Bethel, in Silo, & tandem in Ierusalem. Amos 5. prædicitur desolatio Gilgal & Bethel.

FAGIUS.

4. D*Et tibi benedictionem Abraham*] i. Ea conferat in te beneficia quæ contulit in Abrahamum; Tam faveat tibi quam favit Abrahamo.

8. *Quod malæ essent*] Hebraismus est pro, *displicerent patri suo, neque libenter eas aspiceret.*

12. *Et ecce scala fixa erat, &c.*] Per *scalam* istam quæ extendebatur à terra ad cœlum, dicunt doctissimi Hebræorum, significari, omnia ista inferiora dependere à superioribus. Quæ quidem non impie dicuntur. Verum nos per *scalam illam* recte Christum intelligimus, cujus Divinitas conjuncta erat humanitati, descenditque ad nos; per quem & ascendimus ad Deum Patrem: *Nemo enim venire potest ad Patrem nisi per Christum*, sicut Christus ipse testatur Ioan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo, &c.* Hoc mysterium ignorant Iudæi. Quod vero Iacob vidit Angelos Dei descendentes & ascendentes, dicunt Hebræi ideo factum, quod cuique populo & provinciæ sui deputati sint Angeli, qui illius curam gerant: Ascendisse ergo Angelos, quibus cura terræ Chanaan, unde Iacob deduxerant, commissa erat; descendisse vero, quibus cura Mesopotamiæ, quam ingressurus erat Iacob, demandata erat. Nos expendamus Angelos esse λειτουργικὰ πνεύματα, i. *administratorios spiritus, qui emittuntur in salutem eorum qui salvi fiunt*, Heb. 1. 14.

17. *Ad*

17. *Ad quem voluntas est*, &c. i. locus qui singulariter placet, erga quem bene affectus est, ubi vult coli, adorari, & hominum vota exaudire.

22. *Separabo coram te*] h. e. Separabo ut offeratur coram te, tibi cultus exhibeatur, & tibi gratiæ agantur.

VATABLUS.

2. SUrge, vade לך קום] Hebraismus, pro *Cito proficiscere*.

3. *Benedicat tibi, & crescere faciat te*, [יברך אתך ויפרך] *benedicet tibi, & crescere faciet te*. Hic ET pro *id est* positum est: exponit enim quid significet *benedicere* Dei, nempe *facere crescere*, & *multiplicare*. ¶ *Sisque in cœtum populorum*: [והיית לקהל עמים] *erisque in turmam* [*congregationem*] *populorum*, i. ex te egredietur magna multitudo populorum.

4. *Terram peregrinationum tuarum*, [ארץ מגריך] *terram incolatus tui*, i. regionem in qua tanquam peregrinus habitas. ¶ *Dedit* [נתן] i. pollicitus est se daturum ipsi Abraham & semini ejus.

8. *Displicerent* [רעות] Ad verbum, *mala essent*, vel *molestæ*, q. d. non poterat eas videre.

10. *Egressus est itaque* [ויצא] Hic Hebræorum septima est hujus libri sectio, quam ab hac prima voce inscribunt ויצא *Et egressus est*.)

11. *Sub capite suo*, [מראשתיו] Ad verbum, *sub capitibus suis*, plur. pro sing. Quidam vertunt, *vice pulvinaris*, vel *pulvinar suum*, i. quem supposuit capiti suo ut esset vice cervicalis. Vide paulo post v. 18.

12. *Scala erecta erat super terram*, [סלם מצב ארצה] *scala stabat in terra*, i. defixa terræ stabat erecta, h. e. In somnio vidit scalam cujus pars ima erat in terra, & summa pars ejus pertingebat usque ad cœlum. Per istam scalam doctissimi Hebræorum dicunt significari, omnia ista inferiora dependere à superioribus. At potius docet, quod solus Christus est qui cœlum terræ conjungit, hic solus est Mediator qui pertingit à cœlo usque ad terram: ille idem est per quem bonorum omnium cœlestium plenitudo deorsum ad nos fluit, nosque vicissim ad Deum conscendimus. Idem quum sit Caput Angelorum, efficit ut illi membris suis terrenis ministrent. Itaque (ut legimus Ioh. 1. 51.) hunc sibi proprie honorem vendicaturus erat, quod postquam manifestatus esset mundo, Angeli ascenderent ac descenderent ministri beneficentiæ Patris erga nos, propter ipsum Christum.

13. *Stabat super illam*, [נצב עליו] *innixus erat ei*.

14. *Multiplicaberis enim* [ופרצת] *dilataberis enim*.

15. *Et ecce ego tecum*, [והנה אנכי עמך] *Equidem ego sum* [vel *ero*] *tecum*, i. favebo tibi, & adero in omnibus. ¶ *Quocunque perrexeris*, [בכל אשר תלך] Ad verbum, *in omni loco ad quem perges*.

17. *Terribilis est* [נורא] *stupendus est, terrificus*. ¶ *Porta cœli*. [שער השמים] *Portam cœli* vocat propter Dei manifestationem: nam quia Deo in cœlis locatur quasi regia sedes, vere prædicat Iaacob se viso Deo, in cœlum penetrasse. Quo sensu, Evangelii prædicatio vocatur *Regnum cœlorum*; & Sacramenta dici possunt *cœlorum portæ*, quia in Dei conspectum nos admittunt.

18. *Sub capite suo*, [מראשתיו] *cervical suum*, vel, *pro cervicali suo*. Vide paulo ante v. 11. ¶ *In titulum* [מצבה] *vice metæ*. Alii, *in statuam*. Non intelligit Moses factum esse ex lapide idolum, sed ut visionis insigne monimentum foret. Utitur quidem Deus hac voce quum statuas sibi erigi vetat, Lev. 26. 1. quia ad venerationem fere prostabant omnes statuæ, acsi Dei essent imagines: sed aliud fuit consilium Iaacob, nempe ut testimonium relinqueret visionis sibi exhibitæ, non autem ut Deum symbolo illo vel figura repræsentaret.

19. *Et sane Luza*, &c. [ואולם לוז] Mirum est quod Moses urbem fuisse commemorat ubi paulo ante dixit, Iaacob sub cœlo dormisse. Verum Urbs nondum illic exstructa erat: neque enim statim obtinuit hoc loci nomen quod Iacob imposuerat: sed diu sepultum latuit: imo quum postea illic conditum esset oppidum, nulla fiebat mentio Beth-el, acsi nunquam illac transisset Iaacob: neque enim sciebant incolæ quid illic gestum esset, suo igitur arbitrio vocarunt urbem Luz: quæ nomen hoc retinuit usquedum Israelitæ occupata terra postliminio, prius nomen, quod abolitum fuerat, in communem usum vocarunt. Hæc ita quidam. Quid si Beth-el fuit locus contiguus Luzæ, imo ager Luzæ?

21. *In pace*, [בשלום] *incolumis, salvus*, i. citra damnum ac noxam.

22. *In titulum*, [מצבה] *in statuam*. Vide paulo ante v. 18.

¶ *Decimas*, &c. [עשר אעשרנו] Ad verbum, *decimando decimabo illud tibi*. Mutatio personæ in hoc versu.

CLARIUS.

4. QUam pollicitus est avo tuo] Heb. *Quam dedit Deus Abraham*.

9. *Ivit ad Ismahelem*] Cum superius dictum sit, cap. 25. Ismahelem mortuum esse, nisi sit anticipatio, hic intelligendum est *ivisse* hunc *ad Ismahelem*, h. e. ad domum Ismahelis.

12. *Vidit in somnis scalam*] Mysterium incarnationis est in Christo, dum à terra in cœlum porrecta cœlestia conjungit terrenis, qua sola cœlum ascendimus. *Nemo potest* (inquit) *venire ad Patrem nisi per me*. Angeli ascendunt & descendunt: nam *omnes sunt administri spiritus*, qui mittuntur propter nos.

14. *Ad Orientem*] *Viderunt* enim *omnes fines terræ salutare Dei nostri*.

18. *In titulum*] Vel, *in statuam*. Lapis erat agri, qui secundum longitudinem erectus stabat, non jacebat.

22. *Vocabitur domus Dei*] Vel, *erit domus Dei*. Erit (inquit) hic locus ubi invocabitur nomen Dei.

DRUSIUS.

5. AD *Laban filium Bathuel Syrum*] Vel, *Syri*. Sermo enim ambiguus est; & uterque *Syrus* vocatur Gen. 25. 20. *cum acciperet Rebeccam filiam Bathuel Syri, sororem Laban Syri*. Par ambiguitas in illo, *Eleazar filius Aharon sacerdos*. Nam legi etiam potest, *sacerdotis*. *Syrus*, i. Mesopotamenus. Hæc Syria vocatur ab Ebræis *Phadan Aram*, à Græcis Μεσοποταμία, à Latinis *Syria interamnis*. Paraphrastes Chaldæus odarum Davidicarum eam vocat *Syriam quæ ad Euphratem*, Psal. 60. *Mesopotamia* dicitur quod inter Euphratem Tigrimque media esset. Apud Juvenalem *natus ad Euphratem* est Mesopotamenus. *Syria* cum late sumitur tum Assyriam tum Chaldæam comprehendit. Unde Chaldæi loquuntur Syriace Dan. 2. 4. & Rabsaci dicitur, qui Assyrius erat, *Loquere ad servos tuos Syriace*, Jes. 36. 11. Sic olim: nunc aliter est. Nam lingua Syriaca & Chaldaica differunt. Hac usi sunt Onkelos & Jonathan: illa Syrus interpres Novi Fœderis. Sunt qui *Syriam* appellatam existimant decurtata voce ex *Assyria* per aphæresin, sicut *Chonia* dicitur pro *Jechonia* Jer. 22. & *Spania* pro *Hispania*. Qua figura usi olim Prænestini dicebant *conia* pro *ciconia*. Neque enim literæ tantum detractæ veteribus, verum syllabæ integræ. Alii nomen deducunt à *Tyro*, quæ Ebræis *Sor*, unde *Sur* & *Suria* & *Syria*. Nam promiscue hoc nomen ita scribitur. Autor Johasin 135. Aramæi in lingua Græca *Syri* vocantur, unde dicta *Suria*, סוריא vel, סוריא. Strabo l. 16. *Syri à Barbaris* Ἀραμαῖοι ἢ Ἀρίμοι vocantur. Horum & Homerus meminit. Josephus, Ἀραμαίους ὁ Ἀραμος ἔσχε, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι. Ebraice ארם, unde *Aram Naharaim*, *Syria fluviorum*, *Syrus* etiam nuncupatur Jacob Patriarcha Deut. 26. 5. forte quia in Syria interamni diu habitaverat, cum etiam mater ejus Syra esset. Sed & Abraham *Syrus* dici posset, quia Chaldæus. Sane quidem Ur Chaldæorum Stephanus protomartyr in Mesopotamia collocat Act. 7. 2. Adeo vicinæ regiones istæ erant, ut etiam Strabo Chaldæorum, quam everterunt Medi & Persæ, Syrorum fuisse pronuntiet, Syros & Chaldæos eandem gentem faciens. Dixi Iacobum Patriarcham *Syrum* vocari Deut. 26. 5. Sic est profecto. Non tantum *Syrus* ibi vocatur, sed additum אובד *periens*, aut *perditionis*, i. perditus. Nam pauper erat cum in Mesopotamiam fugeret ad Laban Syrum. Ideo sic vocatur, ut Proverb. 30. *date siceram pereunti* לאובד. Sequitur enim, *bibat & obliviscatur paupertatis suæ*. Sane quidem *perire* dicitur qui de bonis suis descendit.

14. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ*] Pro eo Gen. 22. 18. *omnes gentes terræ*. Idem aliter. Nam *familia* pro *gente* usurpatur. Sic φυλὴ idem aliquando quod φῦλον. Cæterum illic est, *in semine tuo*, hic vero, *in te & semine tuo*: quod explicant, h. e. *in semine tuo*, ut Vau sit ἐξηγητικόν, quale in illo,

Judicium Paridis spretæque injuria formæ.

Sic Gen. 25. 12. *Tibi dabo & semini tuo*. Sensus, h. e. semini tuo. Nam Iacobo non fuit nunquam data dum viveret. *In te* Onkelos enarrat, *propter te*; Ionathan, *propter merita tua*. Si recte, tunc sensus erit, *in semine tuo*, Propter semen tuum, h. e. Ob meritum Christi. Nam *semen* ad solum Christum restringit hic Apostolus, nec male, meo judicio. Non enim in

ullo alio filiorum Abrahæ quam in Christo benedictæ fuerunt gentes. Sed cur hic addit *in te*, Iacobum alloquens? An propter te in hoc seculo, & propter semen tuum in futuro? aut propter te corporaliter, propter Christum spiritualiter? Aut benedicentur in te omnes tribus Israel, & in semine tuo cunctæ gentes terræ? Nihil adfirmo: Hoc tantum, Fuisse meritos Patriarchas ut eorum posteris benediceretur propter eos, saltem temporaliter. Sed quænam illa merita? *Quid habes*, inquit ille, *quod non accepisti?* Si merita hominum sunt bona opera, & bona opera sunt dona Dei, cum ea remuneratur, dona sua remuneratur, Hoc est quod Augustinus ait; *Deus dona sua coronat.* Eo posito, non te turbabit particula עֵקֶב כִּי *propterea quod auscultasti voci meæ.* Quanquam in עקב significatio *mercedis*. Tralatio à *calce pedis* sive *calcaneo*. Nam ut calcaneus extremum est pedis, sic merces extremum est operis.

IDEM.

19. בֵּית־אֵל A. βαιθήλ] Antiqua lectio pro *Bethel*, quod scribendum βηθήλ. Talia sunt Αἰνρώγηλ, *En-Rogel*, Αἰν γαδδί, *Engaddi*. Contra factum in און, quod legebant Ων, i. און, unde οἶκ@ ὤν, quæ vulgo *Beth-aven*. ¶ וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר לָרִאשֹׁנָה] A. ἀρχῆθεν Λὺζ ὄνομα τῇ πόλει, *prius Luz nomen urbi erat*] Hoc vult, Bethel prius Luz nominabatur. Infra, *Et venit Jacob Luzam, quæ est Bethel.* Hieron. ad hunc locum, *Ecce manifestissime comprobatur Bethel non Ulam Luz, ut supra dictum est, sed Luzam, i. Amygdalum, ante vocitatam.* Græca exemplaria editionis Lxx hic admodum variant. Quædam, Οὐλαμμαούς, alia, Λαμμαούς, alia, Οὐηλάμ. Veritas lectionis exstat in R. Οὐλαμλούζ. Sunt autem duæ voces οὐλάμ & Λούζ, quarum hæc propria est, illa vero adverbii vim habet, quam interpretantur, *certe, utique, vere, siquidem, porro, enim vero*: aut נרם *verum*.

21. וְהָיָה יְהוָה לִי לֵאלֹהִים Alius, *& erit mihi Dominus in Deum*] i. Deus revera, Procop. p. 165.

NOTÆ MAJORES.

1. *Vocavit igitur Isahac Jacobum & benedixit ei, præcepitque ei & dixit ei, non accipies uxorem de filiabus Chanaan.*

2. *Surge, Vade in Mesopotamiam ad Domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ.*

Et benedixit ei] non est nova benedictio, sed veterem iterat ne quando error in ea commissus Jacobo fraudi esset. ¶ *De filiabus Chanaan*] de puellis aut fœminis Chananæis. ¶ *In Mesopotamiam*] εἰς τὴν μεσοποταμίαν. Hiero. addidit *Syriæ*. Ebraice est פַּדֶּנָה אֲרָם quod idem cum illo לְפַדַּן אֲרָם in Phadan Syriæ, hoc est, interprete Abenez. in agrum Syriæ. Nam פדן in lingua Ismaelitica est ager. Plura de hoc nomine alias. ¶ *Vade*] לֵךְ abi, proficiscere. Sed proficiscor potius נסע dicitur. ἀπόδραθι autem quod in Lxx. i. ברח. ¶ *Patris matris tuæ*] avi tui materni. ¶ *Fratris matris tuæ*] avunculi tui.

3. *Et Deus omnipotens benedicat tibi, & faciat det te & multiplicet te & sis in cœtum populorum.*

4. *Et det tibi benedictionem Abrahami, tibi & semini tuo tecum ut hæreditate obtineas terram peregrinationum tuarum, quam Deus dedit Abrahamo.*

Deus] Qui אֵל interpretantur *Deus fortis*, quid dicent ad אֵל גִּבּוֹר An vertendum esse, *Deus fortis potens*? Certum est Deum ita dici à fortitudine: Itaque Aquila vertit Psal. 22. 1. אֵלִי ἰσχυρέ μου. Notat autem Eusebius κατ' ἀκρίβειαν significare ἰσχύς μου ἢ δύναμίς μου. Quale illud, *Nate mea vires mea magna potentia solus.* ¶ *Omnipotens*] שַׁדַּי ¶ *Benedicat*] fortunet, felicitet. ¶ *Fœcundet te*] יַפְרְךָ fructificet te. i. propaget, fœcundet prole. Lxx. αὐξήσαι σε, augeat te. Hiero. *crescere faciat te.* Trem *fructuosum te reddat.* Hoc vult, fœcunda faciat prole parentem. Jungi autem debet cum eo quod sequitur, *& multiplicet te.* ¶ *Et sis in cœtum populorum*] vel *ut sis* i. evadas, *in ecclesiam populorum*. Lxx. καὶ ἔσῃ εἰς συναγωγὰς ἐθνῶν. Hiero. *ut sis in turbas populorum.* לִקְהַל עַמִּים On. *& sis in congregationem tribuum.* Jonat. *multiplicet te in XII tribus & sis in congregationem filiorum Sanhedrin* (i. Synedrii) *quorum summa 70. juxta numerum populorum.* ¶ *Benedictionem Abrahami*] τὴν εὐλογίαν ἀβραάμ. Ceterum pro בִּרְכַּת quod nunc in codicibus Ebræorum, & quod legerunt olim Onkelos & Jon. Hiero. videtur legisse בִּרְבַּת Vertit enim certe, *benedictiones Abrahæ*, numero multitudinis. ¶ *Semini tuo*] posteris tuis. ¶ *Hæreditate obtineas*] hæreditario jure possideas. ¶ *Terram peregrinationum tuarum*] אֶרֶץ מְגֻרֶיךָ את cum Joth. Quanquam Hiero. legerit (apparet certe) absque Ioth, dum verteret, *terram peregrinationis tuæ*. Lxx. τὴν γῆν τῆς παροικήσεώς σου. Sic etiam On. & Jon. siquidem מותב habitatio. Thema enim יְתִב quod factum ex יָשַׁב verbo Ebræo: Id a גור differt ut κατοικεῖν à παροικεῖν & habitare à commorari. Sed confundi scio. Psal. גור מי Lxx. τίς κατοικήσει. ¶ *Quam dedit Deus Abrahamo*] terram Chanaan intelligit.

5. *Ita dimisit Isahac Jacobum, qui abiit in Mesopotamiam, ad Labanum filium Bathuel Syrum fratrem Rebeccæ, matris Jacob & Esau.*

In Mesopotamiam] in Phadan Aram; Hæc alio nomine dicitur אֲרַם נַהֲרַיִם Syria fluviorum. Forte hi duo fluvii פדן vocabantur, quod jugum sive par boum denotat. Dicebatur etiam Syria interamnis; & Syria ad Euphratem. Quomodo Juvenalis natus ad Euphratem dixit pro Mesopotameno. ¶ *Syrum.*) Vel Syri i. τοῦ Σύρου, ut ad Bathuel referatur, quod auctoritatem accipit ex edit. Græca & ex Hiero. Malim tamen, *ad Laban Syrum*. Ebraice הָאֲרַמִּי i. Aramæum.

6. *Et vidit Esau benedixisse Isahac Jacobo, & misisse ipsum in Mesopotamiam ut acciperet sibi inde uxorem quum benedixisset ei, & præcepisset ei dicendo, non accipies uxorem de filiabus Chanaan.*

7. *Et auscultasset Iacob patri suo & matri suæ, & abiisset in Mesopotamiam.*

8. *Vidit etiam Esau malas esse filias Chanaan in oculis Isahac patris sui.*

9. *Itaque abiit Esau ad Ismaelem, & accepit Mahalath filiam Ismael filii Abraham sororem Nabajoth ad uxores suas sibi uxorem.*

In Mesopotamiam] Libri Græci εἰς τὴν μεσοποταμίαν συρίας: Sed dictio συρίας addita olim erat sub asterisco. Quod indicat Augustinus per hæc verba, *Et ivit in Mesopotamiam Syriæ, quasi Mesopotamia dicatur nisi Syria: quamvis hoc Lxx. habere non perhibentur, Syriæ, sed cum asterisco scriptum est.* ¶ *Malas esse*] displicere. ¶ *Filias Chanaan*] terræ Chanaan, aut Chananæorum. Hoc postremum extat in Jonatha. Sic supra vers 6. Lxx. habent ἐκ τῶν θυγατέρων τῶν χαναναίων: ex filiabus Chananæorum. ¶ *Ad Ismaelem*] qui tunc adhuc vivebat, si non fallit nos R. Salom. Agebat autem eo tractu temporis Iacob, teste eodem, annum sexagesimum tertium. Sunt alii qui eum longe ante mortuum fuisse scribant, quod colligunt ex vers 17. cap. 25. itaque hunc locum Latine interpretantur, *ad Ismaelitas*. Non admodum probo, & est cur malim exponere *ad Ismaelem*, ad domum Ismaelis. Sic apud Ciceronem *ad Pompejum* legitur pro eo quod est ad domum Pompeji. Sed nulla necessitas huc nos adigit cum ex dicto loco non liqueat Ismaelem tunc mortuum fuisse. ¶ *Mahalath*] vel, Machalath. Ebraice מָחֲלַת quod antiqui legerunt Maheleth. Nam in Lxx. μαελέθ: & in edit. Lat. vulgata Maheleth. Thargum Ionathæ, *accepit Maheleth, quæ & Basemath.* Idem sentit Abenezra, cujus hæc verba sunt, *ivit ad patruum suum & accepit filiam ejus nomine Basemath, quæ & Maheleth dicebatur. Erat enim διώνυμα ut Iethro & Hobab, qui de animi mei sententia idem est.* Huic opinioni repugnat quod supra 26. 34. *& Basemath filiam Elon Hetthæi.* Scire licet aliam esse Basemath filiam Ismael, cujus est mentio Gen. 36. 3. ¶ *Sororem Nabajoth*] Primogeniti Ismael supra 25. 13. ¶ *Ad uxores suas*] priores Iudith, & Basemath: *quas si repudiasset*, inquit R. Sal. *minus peccasset.* Nunc peccatum peccato accumulavit.

10. *Igitur egressus est Jacob è Bersabée & ivit Carras versus.*

11. *Et devenit in locum quendam & pernoctavit ibi, quia occiderat Sol, & accepit de lapidibus loci & supposuit capiti suo, ita cubuit in loco illo.*

E Bersabee] ubi tunc pater habitabat. Nota hic, nove scriptum שָׁבַע. in Atnach sub Schin patah, cum analogia postulet camets. Solet enim Segol in talibus ob accentum majorem distinguentem cum camets permutari. Quod tamen non est perpetuum. Nam aliquando segol retinetur: rarissime in (-) mutatur ut hic fieri observavimus. ¶ *Et devenit in locum quendam*] וַיִּפְגַּע בַּמָּקוֹם & occurrit loco, quod Græci legunt καὶ ἀπήντησε τόπῳ. Articulus designat certum quendam locum, quem Ebræi conjiciunt fuisse in monte Moria, ubi postea templum extructum fuit. Onkelos, וּעֲרַע בְּאַתְרָא, malim יָעַרַע, ut sit verbum præteritum אַתְרָא autem est locus. Hiero. *cumque venisset ad quendam locum.* Recentior editio, *incidit in locum quendam.* Ionathan, *& oravit in loco domus sacrarii.* Vult dicere, ubi domus sanctuarii post extructa fuit, hoc est in monte Moria. Sic Ebræi veteres quos Deuterotas vocant. Videndus

dus R. Sal. Fuerunt etiam qui verterent *& oravit Deum.* Siquidem Deus aliquando מקום vocatur. Hoc verum est. Doctores ita Deum vocant. An etiam Sacræ litteræ? Non putarim. Nam quem locum adducunt ex historia Esther, magis contra illos, quam pro illis facit. Id alias probabitur, si Deus voluerit. ¶ *Et pernoctavit ibi*] Lxx. καὶ ἐκοιμήθη ἐκεῖ, & dormivit ibi. Hiero. *& vellet in eo quiescere.* Ebraice וילן שם. Id Chaldæi dicunt, ובת תמן. Quiesco נוח dicitur & dormio לון. unde שינה somnus, κοίμησις, dormitio. ¶ *Quia occiderat sol*] ἔδυ γὰρ ὁ ἥλιος. Minus recte Hiero. *post occasum solis.* Nam omisit particulam כי quæ non temere addita. Reddit enim caussam, cur ibi pernoctaverit. Nam quum sol occubuisset, non judicavit sibi ulterius eundum esse. Ion. hic edidit ארום טמע שמשא i. abscondit se vel potius mersit se, nempe in Oceanum, ut credidit antiquitas. ¶ *De lapidibus loci*] quos fors eo loco repperit. ¶ *Supposuit capiti suo*] ita Hiero. Græci quoque ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, posuit ad caput suum. Ebraice est ad verbum, *posuit cervicalia sua*, vult dicere, ut sibi servirent pro cervicali, quod recentior interpres dixit, *disposuit ut essent cervical suum.* Santes, *posuit sub capite suo.* Gallica editio, *& en fit son chevet.* Est autem *chevet* cervical, quod capiti dormientis substernitur. Ebraice מראשות & est nomen plurale. Appellatio à capite. Nam ei confovendo supponitur. In lingua Chaldaica איסדי. Græce προσκεφάλαιον sive ὑποκεφάλαιον. Eliæ etiam כסת dicitur, nec male reddas כסתות pulvinaria, quæ item à Græcis προσκεφάλαια nuncupantur. Si Eliæ credimus, pulvinar כר dicitur, quod definit כסת קטן (alias קטנה) nempe ad differentiam majoris pulvini, quem cervicalis vocabulo afficiunt. Ceterum *accepit de lapidibus loci*, pro eo habendum ac si diceret, accepit unum ex lapidibus loci illius. Quam interpretationem roborant consequa verba. ¶ *Et cubuit*] וישכב Lxx. καὶ ἐκοιμήθη. Hiero. & Sant. *dormivit* ישן. Sic etiam editio Gallica. שכב & ישן simul leguntur 1. Reg. 19. 6. & Psal. 3. 6. Arias *jacuit.* Trem. *cubavit.* Uterque Chaldæus, שכיב.

12. *Et somniavit, & ecce scala constituta in terra, cujus caput pertingebat in cœlum, & ecce angeli Dei ascendebant & descendebant per eam.*

Somniavit] ἐνυπνιάσθη. ¶ *Scala*] κλίμαξ. Ebraice סלם. Chaldaice סלקא, quod scribunt סליקא, meo judicio, minus bene. ¶ *Constituta*] מצב Lxx. ἐστηριγμένη. Hiero. *stantem* נצב. Santes, *erecta.* Gallica editio, *posta.* Onk. נעיץ fixa. Jonath. קביע defixa. ¶ *In terra*] ארצה hic valet בארץ in terra, ἐν τῇ γῇ, ut recte Lxx. enarrant. Onk. quoque & Jon. בארעא. Hiero. *super terram* על הארץ. Alii, *in terram* לארץ. Nam & Lamed pro Beth usurpari solet. Sic Latini autores (in) promiscue & sine discrimine vel cum accusandi casu vel cum auferendi jungunt sæpe contra canones Grammaticorum. Vide sis Gifanii conjectanea in Lucretium. ¶ *Caput*] summitas. Lxx. ἡ κεφαλή. Hiero. *cacumen.* ¶ *Pertingebat in cælum*] vel, *ad cælum.* Lxx. ἀφικνεῖτο εἰς τὸν οὐρανόν. Santes post Hiero. *tangebat cælum.* Onk. & Jon. עד צית שמיא *usque ad summitatem cæli.* ¶ *Angeli Dei*] recte addidit *Dei.* Nam etiam Satan suos angelos habet, qui vocantur angeli Satanæ. Certe angeli nomen commune est tam bonis quam malis.

13. *Et ecce DOMINUS stabat super eam & dicebat, Ego DOMINUS Deus Abraham patris tui & Deus Isahaci: terram, super qua tu cubas, tibi dabo & semini tuo.*

14. *Et erit semen tuum sicut pulvis terræ, & prorumpes ad mare & ad orientem & ad septentrionem & ad meridiem & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in semine tuo.*

15. *Et ecce ego tecum ero & custodiam te quocunque iveris & reducam te in terram hanc: certe non deseram te donec fecero quod locutus sum tibi.*

Stabat super eam] נצב. Onk. & Jonath. reddunt מעתד i. stabat. Lxx. ἐπεστήρικτο ἐπ' αὐτῆς. Hiero. *& DOMINUM innixum scalæ.* Editio Latina Lxx. quæ Romæ vulgata, *incumbebat super eam.* Trem. *stans supra eam.* Santes, *stabat juxta eam.* Super pro juxta, prope Latini quoque usurpant. Livius, *Situs est super Numicum amnem.* Hinc intelligentiam accipit, *super maria fundavit eam.* R. Sal. *stabat ad custodiendum eam.* ¶ *Patris tui*] Avi tui. Ut pater pro avo, sic filius pro nepote sumitur. ¶ *Super qua tu cubas*] Hiero. *in qua dormis.* Lxx. ἐφ' ἧς σὺ καθεύδεις ἐπ' αὐτῆς: super quam tu dormis super eam. Interpres recentior, *in qua tu cubas.* Sic poëta, *super arbore sidunt* dixit pro in arbore. ¶ *Sicut pulvis terræ*] hoc est innumerabile, ἀναρίθμητον. Nam pulvis terræ numerari non potest præ multitudine. Quid dico numerari? ne mensurari quidem potest, tanta copia est arenæ ac pulveris. Lxx. ὡς ἡ ἄμμος τῆς γῆς, ut arena terræ. non placet: primum quia arena חול dicitur, deinde quia non ita loqui amant Sacræ litteræ. Dicunt arena maris, non, arena terræ, quod quidem ego sciam. Sed falli possum. Homo enim sum. Onk. & Ion. *& erunt filii tui multi sicut pulvis terræ.* ¶ *Et prorumpes*] ופרצת & erumpes, hoc est longe lateque fines tuos propagabis, & in multam sobolem excresces. Mutuo sumtum ab aqua quæ perruptis aggeribus vicinos agros latissime inundat. Lxx. καὶ πλατυνθήσεται, *& dilatabitur.* Hiero. *& dilataberis.* On. & Ion. ותתקף & prævalebis. Abenezra, ותרבה. Santes, *multiplicaberis.* Arias, *cresces.* Gall. *tu t'espandras.* ¶ *Ad mare*] ימה. Lxx. ἐπὶ θάλασσαν. Intelligit autem mare Mediterraneum quod occasum respicit Iudææ: unde pro occidente ponitur. Sane On. & Ionath. hic ediderunt למערבא ad occasum. Hinc emendabis vulgatam nostram. Nam ubi vulgo, *ad orientem & occidentem*, legendum potius, *ad occidentem & orientem.* Corrumpendo loco fuit ordo verborum. Nam sciolis primum oriens nominandus videbatur. Ut ut sit, ים. non. sig. orientem, sed occidentem. Res nota vel ex libellis meis. Vid. Obser. ¶ *Ad orientem*] orientem versus. ¶ *Omnes familiæ*] כל משפחת. Lxx. πᾶσαι αἱ φυλαὶ omnes tribus. Hiero. *cunctæ tribus.* Licet exponere, *omnes gentes.* Nam familia sæpe pro gente ponitur. ¶ *In te*] Onk. *propter te.* Ionath. *propter merita tua.* ¶ *Et in semine tuo*] Trem. *hoc est in semine tuo.* Sic Grammatici exponunt in Latio, *Iudicium Paridis spretæque injuria formæ*, hoc est spretæ injuria formæ. ¶ *Ego tecum sum*] Onkelos & Ionathan, *sermo meus est tibi auxilio.* ¶ *Non deseram*] οὐκ ἐγκαταλείπω non derelinquam, non dimittam. ¶ *Donec fecero quod locutus sum tibi*] ordo & constructio, *donec fecero. tibi quod locutus sum.* Aut *fecero* i. perfecero, simplex pro composito. Sic Hiero. *donec complevero.* ¶ *Quod locutus sum*] vel, *qua locutus sum;* ὅσα ἐλάλησα. Lxx.

16. *Et evigilavit Iacob è somno suo & dixit, Vere DOMINUS est in loco isto, & ego nescivi.*

17. *Et timuit & dixit, Quam timendus est locus iste? Non est hic nisi domus Dei, & hæc est porta cæli.*

Evigilavit[וייקץ καὶ ἐξηγέρθη, quod redditum in ed. Ro. Lat. *& surrexit.* prætulerim, *& expergefactus est.* Nam *surrexit* i. ἀνέστη. Onk. & Ionath. ואתער i. interprete Fagio *& evigilavit.* Gall. *eveillé*, experrectus, excitatus. Pro *evigilavit* est cur malim, expergefactus est. ¶ *Vere*] אכן vere i. בקושטא. Sic interpretantur On. Ionath. Hiero. & Santes. Galli quoque. Unus Trem. habet, *certe*: quod in idem recidit. Lxx. ὅτι quia i. כי. Id etiam sumitur pro utique, certe. ¶ *DOMINUS est in loco isto*] Deus ubique est. Quid ergo mirum si erat in loco illo? Respondeo, Aliter est ubique, & aliter in Ecclesia, & aliter in certis locis, qualis iste erat ubi patriarchæ in somnio se patefecit. Quapropter locus ille semper sacer habitus fuit: unde postea cultus vitulorum ibidem institutus. Cur autem in uno loco sæpius appareat quam in alio novit ille quem nihil latet, nihil fugit. ¶ *DOMINUS*] Onk. *gloria DOMINI.* Ionath. *gloria divinitatis DOMINI.* ¶ *Nescivi*] vel, *nesciebam*, ignorabam. ¶ *Timuit*] Lxx. ἐφοβήθη. Hiero. *pavens.* Trem. *territus.* Onkelos & Ionathan, ודחיל. ¶ *Timendus*] verendus, metuendus, terribilis, φοβερός q. d. plenus majestate divina, quæ hominibus metum & terrorem incutit. Ebraice נורא cujus radix ירא timuit, veritus est. Onkelos דחיל quod Fagius in terribilem transfert. Ionathan דחיל ומשבח metuendus & laudandus. ¶ *Non est hic nisi domus Dei*] אין זה כי אם בית אלהים non est hic (sub. locus) nisi domus Dei. Lxx. οὐκ ἔστι τοῦτο ἀλλ' ἢ οἶκος θεοῦ, non est hoc nisi domus Dei. Hiero. *non est hic aliud nisi domus Dei.* Gallica, *ce n'est ici que la maison de Dieu.* Videndum an זה accipiatur uspiam pro בזה, in hoc loco, hic adverbialiter. Onk. *Non est iste locus privatus, nisi locus Deo acceptus.* Hic *nisi* i. אלהין, valet *sed.* Hoc primum: deinde ubi nos posuimus *privatus*, Onk. edidit הדיוט i. ἰδιώτης. Fagius reddit, *vulgaris.* Sic כהן הדיוט sacerdos vulgaris. Sæpe vilem & abjectum notat. Ionathan, אתר חול *locus profanus*: cui opponitur *locus sacer.* Lexicon vetus, ἰδιώτης ὁ κοινός, privatus, paganus, plebeius. ἰδιώτης ὁ μὴ τεχνίτης, rusticus, rudis. ¶ *Hæc porta cæli*] vel, *hic porta cæli* ut sub. locus. *Porta cæli*, per quam ingressus est in cœlum. Gallica editio, *& hic porta cæli.* Hic. i. in hoc loco. Lxx. καὶ αὕτη ἡ πύλη τοῦ οὐρανοῦ: & hæc porta cœli. Onkelos ודין תרע קבל שמיא & hic locus porta est ante cœlum. Fagius habet, *ad cælum.* Licet etiam vertere, *& hæc porta.*

18. *Et surrexit Iacob mane & accepit lapidem quem posuerat sub capite suo, posuitque illum in titulum, & effudit oleum super caput ejus.*

Et surrexit mane & accepit] Brevius & Latinius alii, *Surgens mane accepit*: vel, *Quum surrexisset.* ¶ *Lapidem quem posue-*

posuerat] vel, *lapides quos posuerat*. Nam unus lapis ad titulum erigendum vix sufficere creditur. Sic alibi hoc eodem libro, *in medio arboris horti* i. arborum. Sunt qui struem lapidum interpretantur. Quod non improbo. Nam עץ in dicto loco non tam arbores notat quam arboretum. Sic זית ponitur pro oliveto שמיר pro vepetro. Ab hoc loco pendet explicatio alterius qui supra vers. 11. *accepit de lapidibus loci*, quem exposuimus cum Abenezra, *unum è lapidibus loci*, cum possit etiam exponi, *aliquot è lapidibus loci*. Lyranus existimat ad minimum tres fuisse, sed absurde inde colligit τὴν τριάδα. Solidiora argumenta quærenda, quæ plurima sunt in libris mysticis. Non quicquid pium est, statim aut verum aut solidum est. Omisso Lyrano veniamus ad interpretes antiquos, qui omnes, nullo excepto, Singularem adhibent: quos sequuntur è recentioribus Santes & Galli. Unus Trem. habet, *accepit illam lapidum struem, quam disposuerat ut esset cervical suum*. Ebræi quidam ut sunt audaces in fingendis miraculis, ubi nihil opus, asserunt lapides illos, qui plures erant, in unum coaluisse. Quod ut temere dicitur, ita temere negari potest. Quod ex scriptura non habet autoritatem, non debet apud nos pondus habere. ¶ *Sub capite suo*] מראשתיו cervicalia sua, i. cervical suum. Chaldaice אסדוהי. Lxx. ὃν ὑπέθηκεν ἐκεῖ πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ. Sensus est, quem capiti supposuerat substraveratque cervicalis vel pulvini loco. Nam מראשות tam pulvinos significare potest, quam cervicalia, quæ à Græcis προσκεφάλαια nuncupatur, pulvinos eadem voce denotante. ¶ *Posuitque illum in titulum*] וישם אתה מצבה & posuit eum statuam. vult dicere, in statuam. Hiero. *& erexit in titulum* ויקם. Quomodo sane locutus est Moses infra 31. 45. Lxx. καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην: *& statuit eum titulum*, sive in titulum aut cippum. Statuam Onk. & Ionath. קמא appellant. Ea non est erigenda adorandi caussa Levit. 26. 1. Deut. 16. 22. potest erigi memoriæ caussa, ut Gen. 31. 45. Sic Moses extruxit 12. statuas (titulos alii vocant) juxta numerum 12 tribuum. Exod. 24. 4. ¶ *Effudit oleum super caput ejus*] docte Hiero. *fundens oleum desuper*. Nam lapis proprie caput non habet. Solent autem Ebræi summitatem cujusvis rei per Metaphoram ראש i. caput appellare. Græci τὸ ἄκρον reddunt. Sic summitas virgæ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου vocatur ראש המטה, quod nunc legunt המטה i. lecti. Loco huic facem allucet alius qui est Gen. 35. 14. apud interpretem nostrum, *Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina & effundens oleum*. Æmulatæ olim sunt fœminæ Christianæ. Theod. Quæst. 83. in Genesin, τοῦτο δὲ καὶ νῦν ἐστιν εὑρεῖν παρὰ πολλῶν γυναικῶν τῶν τῷ κυρίῳ πεπιστευκότων γινόμενον. εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς θείοις σηκοῖς ἐλαίῳ χρίειν τὰς τῶν ἀνακτόρων κιγκλίδας, καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων τὰς θήκας. δηλοῖ δὲ τοῦτο τῆς ψυχῆς τὴν εὐσέβειαν. Sed unde Iacobo oleum? An è viatico? aut potius ut dicamus è vicina urbe petivisse? Docet hic locus ritum libandi & ungendi usitatum fuisse etiam extra sacrificia cum rem aliquam Deo quasi consecrare vellent. Ceterum Abenezra censet ideo fuisse adhibitum oleum quo lapidem, quem in cippum erexerat, agnosceret in reditu. Verba Ebræa sunt להכירו בשובו *ut agnosceret eum, quum rediret ipse*.

19. *Vocavitque nomen loci illius Bethel: porro Luz erat nomen urbis prius*.

Loci illius] urbis illius, ut Gen. 12. 6. *usque ad locum Sichem*. Sic Amos. 4. 6. *in omnibus locis vestris*. Præcedit autem, *in omnibus urbibus vestris*: idem aliis verbis. Aut *loci illius* ubi dormierat cippumque erexerat, quo in loco (in vicinia loci illius) urbs erat nomine Luza, quam Patriarcha Bethel nominavit. *Bethel*] Βαιθὴλ in Aquila. Quomodo scriptum hoc nomen & 1. Mach. 9. 50. Esset autem Βηθὴλ, certe Βεθὴλ, unde Βεθήλα Iosephi. Orig. Jud. 13. 1. Sonat latine, *domus Dei*: Græce οἶκος θεοῦ. Quod in edit. Lxx. Reperitur & τόπος θεοῦ. Nam בית etiam locus. Sed proprie domus. Nam locus מקום dicitur. Ab hoc nomine appellati sunt dii, quos specie lapidis adorabant, βαιτύλια. Qua de re alias. Invenio & Bethulla pro Bethel. Ubi, inquies? In Josepho Rufini. Aberat à Ierosol. 12. miliaribus. Eusebius in locis, *Bethel, vicus in duodecimo ab Ælia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum Luza i. amygdalon vocabatur*. Quæ produxi, ut errare ostenderem eos qui Bethel & Luzam cum Ierosol. confundunt: quorum errorem secutus Nicolaus ita scribit, *Ista civitas, cujus hic fit mentio secundum omnes doctores communiter exponentes passum istum est Jerusalem, quæ legitur plura nomina habuisse, & continentur in his versibus subscriptis*,

Solyma, Luza, Bethel, Jerosolyma, Jebus, Ælia
Urbs sacra Jerusalem dicitur atque Salem.

& aliquanto post, *dicta est Luza i. amygdalus, eo quod tales arbores abundabant ibi: postea vocata est Bethel ab ipso Iacob, ut dictum est*. ¶ *Porro Luz erat nomen urbis prius*] Hier. *quæ prius luza vocabatur*. Lxx. καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν τὸ ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον: & Ulamluz erat nomen urbi prius. Hiero. in Quæst. *Ridicule quidam verbum Ebraicum Ulam nomen esse urbis putant, cum Ulam interpretetur prius*. Et mox, *Antiqua omnes scriptura verbo Ulam sive Elem plena sunt, quod nihil aliud signat nisi ante aut prius, vel vestibulum sive superliminare vel postes*. Idem in locis Ebraicis, *Porro quod quidam putant secundum errorem Græcorum voluminum Ulamlauz antiquitus nuncupatam, vehementer errant. Verbum quippe Ebræum & nomen ipsius civitatula pariter miscuerunt, cum Ulam significet prius. i. πρότερον, Luza vero amygdalum*. Dum culpat alios, ipse culpandus est, non tamen in eo ubi alios culpat. Nam Ulam non est nomen civitatis. Hoc recte annotavit. Quid ergo deliquit? scribit Ulam significare *prius*. Hoc non recte. Nam est asseverandi particula. Utrum fefellit eum Aquila? videtur Acacius, *Sciendum, Ulam non ut partem nominis reddidisse Aquilam, sed ut significans & prius*. Ego putarim Ulam ab Aquila prætermissum: πρότερον autem respondere τῷ לראשנה quod in fine versus. Sed homo sum, falli possum. ¶ *Porro*] אולם. Santes, *utique*. Onk. & Ion. ברם verum, veruntamen. Tremell. *Siquidem*. Gallica, *comme ainsi fut*. Mercerus *sane, enimvero, porro*. Idem ait esse asseverantis particulam. R. David, באמת in veritate, vere. Hoc significatu sumitur Iob. 13. Sæpius אולם est vestibulum. ¶ *Luz*] vel Lauz, unde Ulamlauz. Sic dicebant Uz & Auz, unde Ausitis Iobi patria. Hier. in Quæst. *Luza interpretatur nux sive amygdalon*. In nominibus de Iesu Nave, *Luza amygdalon: licet quidam interpretentur κλοιὸν, torquem videlicet damnatorum, quam vulgo blojam (boiam fortasse) vocant. Potest autem interpretari & hic ipse*. Gen. 30. 37. מקל לוז virgam nuceam sive amygdalinam, quod Græce est in Scholio ῥάβδον ἀμυγδαλίνην. Ceterum duæ fuerunt urbes hoc nomine. Dubito igitur an de altera intelligendus sit locus qui est Ies. 16. 2. *à Bethel Luzam versus*. Sane hæc Luza alia erat à Bethel, quod confirmat Andr. Masius in comment. pag. 266. & 282. Eusebius de locis, *Luza, hæc altera est quæ cecidit in sortem filiorum Ioseph, juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos*. Idem ibidem, *Luza, altera juxta Bethel, in terra Cethim, quam condidit ille qui abierat de Bethel, sicut historia narrat*. ¶ *Prius*] πρότερον sive τὸ πρότερον antea. Ebraice לראשנה primum, initio. Onk. מלקדמין ab antiquis temporibus. Ionath. מן קדמת דנה ante hoc tempus. Santes, *prius*. Trem. *ante*. Gallica, *auparavant*.

20. *Et vovit votum dicendo, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via hac per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum & vestem ad induendum*.

21. *Et reversus fuero in pace ad domum patris mei, erit mihi DOMINVS in Deum*.

Vovit votum] ηὔξατο εὐχήν. Votum, i. נדר. Onk. & Ionath. appellant קים. eadem vox sig. juramentum & fœdus & aliquando חק i. decretum, statutum. Verbum etiam קים denotat vovere, & jurare, & firmare sive stabilire. Porro ante hunc Iacobum nemo vovisse legitur, qui propterea pater votorum appellatur. ¶ *Si fuerit Deus mecum*] Videtur esse dubitantis & diffidentis: sed non est ita. Simile, *si Deus nobiscum quis contra nos?* ¶ *Et custodierit me*] addit Ionathan, *ab effusione sanguinis innoxii, & à cultu extraneo, & a scortatione*. Nimis restringit quod in genere dictum. non probo. ¶ *Per quam ego ambulo*] Ita Hieron. & Santes. Alius edidit, *per quam ego profecturus sum*. Tale est, *quo ego vado non potestis venire* i. mox aut brevi sum iturus. Lxx. ᾗ ἐγὼ πορεύομαι, qua ego vado. i. iturus sum. Ebraice אשר אנכי הולך quam ego eo vel ambulo. Gallica editio, *quam ego facio*. ¶ *Panem ad vescendum*] ἄρτον φαγεῖν i. cibum quo vescar. Sed cur omittit, *aquam ad bibendum*? An quia obvia ubique aqua viatori? Mihi videtur quod sub panis vocabulo aquam i. quemvis potum comprehendat. ¶ *Vestem*] בגד Lxx. ἱμάτιον. Hiero. *vestimentum*. Onk. & Ion. כסו *operimentum*. ¶ *Ad induendum*] qua induar. ¶ *In pace*] בשלום in pace, quod Galli dicunt, *en paix*. Lxx. μετὰ σωτηρίας, *cum salute*, i. salvus & incolumis. Hiero. *prospere*. ¶ *Erit DOMINVS mihi Deus*] והיה יהוה לי לאלהים. Lxx. καὶ ἔσται κύριός μοι εἰς θεόν. Hiero. *erit mihi DOMINVS in Deum*. Omittit copulantem, quæ nunc redundare videtur; nisi legas *& fuerit DOMINVS mihi Deus*, ut sit pars voti: quod se minus probat mihi. ¶ *Deus*] לאלהים in Deum i. Deus vel pro Deo. Sic accipies, *Ego ero illi in Deum & ipse erit mihi in populum*. Onk. *& erit sermo DOMINI mihi in Deum*.

22. *Et lapis iste quem posui statuam erit domus Dei: & omnia quæ dederis mihi, decimando decimabo illa tibi*.

Quem posui statuam] Lxx. ὃν ἔστησα στήλην, quem statui titulum. Hiero. *quem erexi titulum* i. הקימתי. Ceterum interpretes

quos

quos vidi omnes locum interpretantur de lapide singulari, quem in cippum erexerit. Unus Trem. habet, ut supra, *hac strues lapidum quam disposui in statuam.* Ratio quæ illum movit ut ita verteret parum firma est. Nam unus lapis, qui ab uno moveri potuit, fuit satis ad statuam erigendam. Vid. Gen. 31. 45. ¶ *Erit domus Dei*] Hiero. *vocabitur domus Dei.* Nam esse & vocari permutantur. Sic è contrario, *minimus vocabitur in regno cælorum* i. erit. Lxx. ἔσται μοι οἶκος θεοῦ ליהוה. Onk. *erit super quo cultus instituetur coram DOMINO.* Ionathan, *erit ordinatus in domum DOMINI, & ætates colent super eum DOMINUM.* ¶ *Domus Dei*] vel, *ædes Dei.* i. locus orationis meæ. ¶ *Decimando decimabo illa tibi*] Sensus est, de omnibus decimas tibi dabo aut solvam. עשר non tantum significat decimas exigere, sed etiam dare. Lxx. δεκάτην ἀποδεκατώσω αὐτὰ σοι, decimam decimabo ea tibi. Hiero. *cunctorum quæ mihi dederis decimas offeram tibi.* Onk. & Ion. *decimas separabo tibi.* Trem. *ejus decimas omnino dabo tibi.* Gal. *je t'en baillerai entierement le dime.* Et *tibi*, hoc est sacerdotibus tuis (ut Abraham decimas dedit Melchisedeco qui sacerdos erat Dei supremi) aut ad cultum tuum. Decimas Chaldæi vocant חַד מִן עַסְרָא sive עִסְרָא unum de decem.

GROTIUS.

12. *Viditque in somniis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum*] Simile somnium apud Aristiden sacrarum orationum tertio: ἐν οἷς αὖτε δὴ κλίμακες ἦσαν αἱ τό, τε ὑπὸ γῆς καὶ τὸ ὑπὲρ γῆς ἀφορίζουσαι, καὶ ἑκατέρωθι κράτος τοῦ θεοῦ [*in quibus erant scalæ disterminantes id quod sub terra, & quod supra terram est: & utrinque potentia Dei*].

Angelos quoque Dei] Qui quatuor venti Zach. VI.

Ascendentes & descendentes] Mandata accipientes & exsequentes. Confer Joh. I. 51.

13. *Et Dominum innixum scalæ*] Insigniorem Angelorum, qui Dei personam referebat.

Eritque semen tuum quasi pulvis terræ] Gentem Judæorum πολυανθρωποτάτην [*hominum facundissimam*], vocat Hecatæus, merito.

18. *Erexit in titulum*] Columnæ in morem. Tales lapides erecti aut congesti tunc erant pro altari. Vide infra XXXI. 46.

Fundens oleum desuper] Mos illorum locorum, qui & ad Græcos devenit. Clemens Alexandrinus Strom. VII. πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες. [*omnem lapidem, ut dicitur, unctum adorantes*]. Primo Floridorum Apuleji: *Lapis unguine delibutus.* Arnobius lib. I. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens adulabar.* Minutius: *In lapides impingere, effigiatos sane & unctos & coronatos.*

19. *Bethel*] Hinc βαιτύλια [*bætylia*] apud Phœnicas. Vide Philonem Byblium in Eusebio.

Quæ prius Luza vocabatur] Accepit אולם pro mera affirmatione, ut & Aquila. At Lxx. & alii pro parte nominis: καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον [*prius autem nomen oppidi erat Ulamluz*]. id est, porticus nucum. Infra Luza tantum dicitur XXXV. 5.

20. *Si fuerit Deus mecum*] Si auxilio mihi fuerit, ut recte exponit Chaldæus. Vide quæ ad Matth. XXVIII. 20.

Et dederit mihi panem ad vescendum; & vestimentum ad induendum] Id est, etiamsi nihil habeam præter ea quæ naturæ sunt necessaria.

CARTWRIGHTUS.

7. *Et auscultavit Iacob patri suo* וַיִּשְׁמַע יַעֲקֹב אֶל־אָבִיו] Hoc (ut notat R. Salom.) cum præcedentibus sic cohæret; *Et vidit Esau, quod Isaac benedixerat Iacobo, & miserat eum in Padan Aram, &c. Et quod Iacob auscultaverat patri suo, &c.* Similiter vulg. *Quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam.*

9. *Sororem Nebajoth.*] Aben Ezra ait Nebajoth honoratiorem fuisse omnibus fratribus suis (atque ideo ejus hic præcipue mentionem fieri) vel Ismaeli plures fuisse uxores, atque hanc, quam duxit Esau, Nebajoth etiam ex matre fuisse sororem. R. Salom. (ad cap. 36. v. 3.) ait verba ista esse addita, quod Esau post mortem Ismaëlis eam duxerit. Secunda Aben Ezræ conjectura maxime videtur probabilis; ea siquidem ratione Thamar speciatim appellatur soror Absalom, 2 Sam. 13. 4.

11. וַיִּפְגַּע בַּמָּקוֹם *Et venit ad certum quendam locum*] Chald. וּעֲרַע בְּאַתְרָא, *Et incidit in quendam locum.* Lxx. καὶ ἀπήντησε τόπῳ, *& occurrit loco.* Vulg. *Cumque venisset ad quendam locum.* Ea significatione usurpatur verbum פגע Jos. 16. 7. uti observat R. Salom. qui tamen refert antiquiores Rabbinos hic פגע in significatione supplicandi accepisse, prout hoc verbum usurpatur Jer. 7. 16. Aben Ezra asserit פגע non posse hic ita exponi, propterea quod vox מקום nunquam in Scriptura pro Deo sumitur, licet apud Rabbinos eo sensu interdum sumatur. Certe, id quod proxime sequitur, וילן שם *& pernoctavit illic*, clare indicat מקום hic (ut solet) *locum* significare; sed eo non obstante פגע exponi posset, *Et supplicavit.* Atque ita exponitur in Targum Ionathæ, וצלי באתר בי מקדשא, i. e. *Et oravit in loco domus sanctuarii.* Sed altera expositio est simplicior, imo absque dubio est genuina.

12. *Et ecce scala, &c.*] R. Ieschua (uti refert Aben Ezra) dixit scalam hanc significasse id, per quod oratio Iacobi ascendebat in cœlum, & salus ejus descendebat è cœlo. Hoc belle congruit cum eo, quod nostri dicunt scalam istam pingere personam Christi, ac beneficia Christi significare. Sic Chytræus ad loc. *Nos* (inquit Fagius in Chald. Paraph.) *per scalam illam recte Christum intelligimus, cujus divinitas conjuncta erat humanitati, descenditque ad nos; per quem & ascendimus ad Deum Patrem.* Addit Hebræos dicere Iacobum vidisse Angelos descendentes & ascendentes, quod cuique provinciæ sui deputati sint angeli; ascendisse ergo angelos, quibus cura terræ Canaan, unde Iacob deduxerant, commissa erat; descendisse vero, quibus cura Mesopotamiæ, quam ingressurus erat Iacob, demandaretur. Videtur respexisse ad glossam R. Salomonis, quæ sic habet; מלאכים שליווהו בארץ אין יוצאין חוצה לארץ ועלו לרקיע וירדו מלאכי חוצה לארץ ללוותו, i. e. *Angeli, qui deduxerunt eum in terra (Canaan) non egrediuntur extra terram; propterea ascenderunt in cælum, & descenderunt angeli regionis extra terram ut eum deducerent.*

17. *Et posuit eum (scil. lapidem)* מַצֵּבָה *statuam.*] LXX καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην, *Et statuit illum, titulum, vel cippum, vel columnam.* Vulg. *Et erexit in titulum.* A verbo נצב *stare*, in Hiphil הציב *statuere, collocare*, est nomen מצבה *statua*, ut vulgatus interdum vertit, licet sæpius habeat *titulum*. Cl. Seldenus noster (de Jure Nat. lib. 2. cap 6.) bene monet, dum מצבה *statua* vertitur, non id, quod vulgo statua denotat, id est, figuram humanam significare; quodvis enim monumentum, quod constitutum ac erectum est, denotare. Deut. 16. 22. *Non eriges tibi* מצבה *statuam*, id est, qualecunque opus, ideo constitutum, erectumque (ultro scilicet, & absque Dei mandato) ut conventus publicus ad sacra illic peragenda qualiacunque, etiam vero Deo, fieret; ut ex Magistrorum sententia ibidem explicat vir eruditissimus, qui etiam citat illud Maimonides, מצבה שאסרה בתורה היא בנין שהכל מתקבצים אליה אפילו לעבוד את השם שכן היה דרך ע״ז, i. e. *Statua, quæ in Lege prohibetur, erat opus ideo constructum, ut publicus ad id conventus fieret*; idque etiamsi ad Deum colendum fieret. Nam mos iste obtinuit apud idololatras.

18. וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר לָרִאשֹׁנָה *Veruntamen Luz erat nomen urbis antea.*] LXX καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον, *Et Ulam Luz erat, &c.* Ridicule (inquit Hieron. in Tradit.) quidam verbum Hebraicum *Ulam*, nomen esse urbis putant, cum *Ulam*, interpretetur *prius*. Ordo itaque iste est lectionis; & vocavit nomen loci istius *Bethel*, & prius *Luza* vocabulum erat civitatis. Antiquæ omnes Scripturæ verbo *Ulam*, sive *Elam*, plenæ sunt; quod nihil aliud signat nisi ante, aut prius; vel vestibulum sive superliminare, vel postes. Hæc Hier. quem mirum est interpretari Ulam, ante, prius; cum significet *veruntamen*, vel utique. Chald. ברם, & vox לראשונה in fine versus, ea est, quæ significet ante, prius, ut in Annotationibus suis ad Græca Biblia recte monuit Nobilius. Lyra ait urbem, de qua hic agitur, juxta omnium doctorum sententiam, esse Hierusalem, eamque plura nomina habuisse, quæ hisce versibus continentur.

Solyma, Luza, Bethel, Hierosolyma, Jebus, Elia,
Urbs sacra, Hierusalem dicitur atque Salem.

Addit Melchisedec primo eam fundasse, ac vocasse *Salem*; deinde eam habitasse Jebusæos, atque appellasse *Jebus*; postea autem nomine ex duobus istis composito dictam *Hierusalem* pro *Hiebusalem*, litera b in r mutata. At Hebræos aliam rationem assignare hujus nominis Hierusalem; primo nempe dictam esse *Salem* à Melchisedec, deinde *Hiere* (seu *Jireh*) i. e. videbit, ab Abrahamo, Genes. 22. Et ex istis factum esse *Hierusalem*, e in u mutata. At si *Bethel*, quæ hic memoratur, eadem est urbs cum ea, quæ in aliis Scripturæ locis nomine isto nuncupatur, ab urbe Hierusalem diversam esse necesse est.

22. *Et hic lapis, &c.*] R. Salom. hic demum Jacobi votum inchoari, reliqua autem omnia, quæ præcedunt, etiam ista,

Et erit Dominus mihi Deus, tanquam conditiones ab eo requisitas, posita esse existimat. q. d. Si sic Deus mihi fecerit, si ista mihi præstiterit, tunc ego etiam hoc faciam, etiam hic lapis, &c. Sed rectius videtur votum inchoare ab iis verbis, & (vel, tunc) *Dominus erit mihi Deus, &c.* Quod non ita intelligi debet, ac si nollet Dominum sibi Deum habere, nisi conditiones istas præstaret, sed cum non dubitaret quin Dominus juxta promissiones suas ista faceret, se voto suo ad gratitudinem exhibendam obstringere voluit.

Erit domus Dei.] Chald. *Erit super quo cultum instituam coram Domino.* Huic expositioni suffragatur R. Salom. atque addit Jacobum cum redierit ex Padan Aram, hoc præstitisse. Targum Ionathæ sic habet, *Et lapis iste, quem posui statuam, erit ordinatus (seu dispositus, מסודרא) in domo sanctuarii Domini, & incolæ (דריא) super eo cultum exhibebunt nomini Domini, &c.*

Et omnium, quæ mihi dederis, decimas tibi dabo.] Intelligit Jacob se in honorem Dei daturum ei, ad quem spectaret accipere. Sic exponit Aben Ezra, qui innuit, nonnullos hisce verbis significari existimasse, Levi Domino pro decimis fuisse datum. Sed istam expositionem minime simplicem ac literalem, sed vagam ac mysticam (דרך דרש) merito censet; Neque enim in Lege præceptum fuisse, ut quis filiorum decimas daret, sed pecorum ac frugum.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

6. NUnquid est illi pax?] Hebraismus est, pro, *Nunquid est sanus?* vel, *Rectene habet?* Et quando inferius dicitur, Jacob esse fratrem patris Rahelis, capitur ibi *frater* pro consanguineo, cum Iacob nepos fuerit Laban ex sorore.

13. *Cum audisset rumorem*] In Hebræo est, *cum audisset auditum Jacob.* ¶ *Omnia verba ista*) Hebraismus est, pro, *Retulit ei omnia quæ gesta erant cum Esau, quæque acciderant in itinere.* Et quod sequitur, *Os meum*] est ab *osse*, non ab *ore.* Chaldæus vertit קריבי, *propinquus meus tu.*

17. *Teneri*] Onkelos transtulit יאין, *pulchri.* Cæteri exponunt *debiles.* Quidam putant deficere literam Aleph, ut רכות pro ארוכות, quod habuerit longos & deformes oculos.

20. *Dies pauci*] Eadem est hic locutio quæ suprà c. 27. 44. capiturque *unum* pro *modico.* Et quod sequitur, *Da uxorem meam*] Hebraicum verbum הבה est à radice יהב, sicut & à שכב in imperativo fit שכבה cum paragoge He. Supra c. 11. 3. accipitur idem verbum pro adverbio adhortandi.

27. *Septenarium istius*] Hoc est, ut Kimhi post Ezram exponit, *Imple prius nuptias Leæ atque convivium suud, & post hebdomadam dabitur quoque tibi Rahel junior filia*, &c. Et refertur dictio זאת ad *Leam*, non ad *septenarium* sive *hebdomadam*, cum שבוע sit masculinum, זאת vero fœmininum. Quando vero sequitur, *Et aperuit Dominus vulvam ejus*; dicit autor libri כשרה תורה citans hunc locum, *Dominum sibi retinuisse tres claves, nempe clavem vitæ, clavem pluviarum, & clavem resurrectionis*, unde sic scribit, & שלש מפתחות לא נמסרו ביד שליח ואלו הן של חיה ושל גשמים ושל תחיית המתים: של חיה דכתיב ויפתח יי׳ את רחמה · של גשמים דכתיב יפתח יי׳ לך את אוצרו הטוב ושל תחיית המתים דכתיב וידעתם כי אני יי׳ בפתחי את קברותיכם:

32. *Ruben*] Sonat *Ruben*, *Videte*, vel *Viderunt*, *filium.* *Simeon* est *auditus*, vel *obedientia.* *Levi* est *associatio, adjunctio.* *Jehuda* vero interpretatur *confessio*, vel *gratiarum actio.* *Naptalim*, & Hebraice *Naphtali*, est *luctamen*, vel *associatio*, *Gad*, *fortuna.* Quorum omnium nominum ratio paulo post à nobis reddetur. Proinde de nomine *Issachar*, cujus infra fit mentio, Aben Ezra sic scribit, בעבור התחברות שני שינין חסר האחד מהמכתב אין שין כמוהו במקרא. *Propterea*, inquit, *quod in hoc nomine duo conveniunt Sin, privat unum prolatione sua: nec invenitur per universa Biblia Sin aliud quod huic sit simile.* Sed quibusdam aliis literis familiare est ut scribantur & non legantur, id quod in literis quiescentibus videre licet.

35. *Cessavit parere*] In Hebræo habetur, *stetit*, seu *destitit*, *à pariendo*: quod idem est.

FAGIUS.

1. LEvavit ergo Jacob pedes suos] *Levare pedes* Hebraismus est pro, *maturare gressum, & celerius ire.* Ita & nos Germani loquimur, Heb die füß uff, h. e. *matura gressum, propera.* ¶ *Filiorum Orientis*] Phrasis quoque Hebraica est; sicut & genus humanum appellant *filios Adam*; & *filios Israel*, populum Hebræorum; *filium* quoque *mortis*; *filium sapientiæ*; &c. Quod & de locis dicunt.

6. *Num pax ei est*] Septuaginta & author Latinæ Vulgatæ editionis hunc locum transtulerunt, *Sanusne est?* Verum Hebræi *pacis* nomine omnia prospera complectuntur, omnem sanitatem, omnem tranquillitatem. Quod etiam eo cognoscitur. Nam ubi Græci in epistolis dicunt ὑγιαίνειν, εὐπραττεῖν, quod omnem secundum successum bonamque fortunam significat, Hebræi scribunt שלום, h. e. *pacem.* Unumque id apud eos celebratur salutationis genus: quo & Christus Servator noster usus est, dicens ad Apostolos, שלום לכם, *Pax vobis*, quo non tam corporis incolumitatem quam omnem felicitatem ac prosperitatem illis precari voluit.

10. *Et revolvit lapidem*, &c.] Tradunt Hebræi certas quasdam notas exstitisse unde qui ex stirpe Abrahami erant cognosci poterant; inter quas referunt & corporis robur, quo præditos fuisse adserunt qui ex patre Abrahamo prognati erant. Istud robur (inquiunt) etiam exseruit sese in Jacob, quando solus lapidem à fonte removit, & postea in lucta quam cum Angelo habuit. Jucunda certe hæc sunt, si ad mysterium referantur, h. e. Ad Christum verum Israelem, cujus robur & fortitudo in istis patribus adumbrata fuit. Ipse enim est fortis ac robustus ille *Leo de tribu Juda*, qui grandem illum mortis lapidem, sub quo omne humanum genus pressum jacebat, sua gloriosa resurrectione revolvit, nosque, debellato Satana, peccato, morte & gehenna, in vitam adseruit.

17. *Oculi Leæ erant pulchri*] Textus Hebraicus habet, *Et oculi Leæ erant teneri* h. e. *debiles, infirmi*, vel, ut Vulgatus Latinus interpres legit, *lippi.* Quia vero *tener* aliquando etiam pro *pulchro, formoso* & *eleganti* usurpatur, sicut & nos Germani zart pro schön / hüpsch, accipimus, Paraphrastes hanc sententiam forte secutus, legit, *Et oculi Leæ erant pulchri.* Quasi Lea oculorum tantum pulchritudine commendabilis fuerit, non etiam reliquo corpore. ¶ *Eleganti forma ac pulchro aspectu*] Sensus est, Erat corpore bene habito & constituto, elegantique forma: ita ut prior pars ad bonam corporis constitutionem, habitudinem ac proportionem pertineat; posterior vero ad coloris gratiam & elegantiam, quæ in facie maxime relucebat.

27. *Hebdomadam istius*] Subaudi Leæ: sive, *Transeant septem dies festi istius Leæ.* Ita intelligendum esse monet etiam D. Hieronymus, qui in quæstionibus suis Hebraicis inter cætera sic scribit, *Comple ergo hebdomadam istius, & dabo etiam hanc tibi. Postquam Leam Jacob fraude deceptus pro Rachel uxorem acceperat, dicitur ei à socero Laban, ut septem dies post nuptias sororis prioris expleat, & sic accipiat Rachel; pro qua iterum septem annis aliis serviturus sit. Non igitur, ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primæ. Nam sequitur, Et ingressus est ad Rachel; & dilexit Rachel magis quam Leam: & servivit ei septem annis aliis.* Hæc ille.

IDEM.

17. ועיני לאה רכות, *Porro oculi Leah erant teneri.*] Variant Interpretes circa vocem רכות. Nostri fere pro *infirmo & debili* exponunt. רך Hebræis proprie *tenerum* significat. *Tenerum* autem & Latini pro Debili usurpant, Germanis item zart pro blöd dicitur. Quidam Hebræorum, ut Aben Ezra meminit, putant deficere literam Aleph, & dici רכות pro ארוכות, quod *longum* significat, quasi scilicet Lea longos & deformes oculos habuerit. Onkelus Chaldæus omnino diversam sequitur sententiam; fortassis hinc motus quod רך etiam aliquando pro *pulcro, eleganti & formoso* usurpatur, sicut & German. zart pro *formoso* accipiunt.

27. מלא שבע זאת ונתנה לך גם את זאת, *Imple septenarium istius, & dabitur tibi quoque ista.*] Hunc locum propterea apponere quoque placuit, tametsi non adeo magna diversitas Interpretum sit in redditione vocum, quod sunt qui sic intelligunt quasi Jacob adhuc septem annos alios implere debeat pro Rachel, & tum ea demum pro uxore potiri. Referentes demonstrativum זאת ad *hebdomadam*, hoc sensu, *Imple septenarium istud, annorum* scilicet, &c. Cum tamen potius referendum sit ad *Leam*, hoc modo, *Imple septenarium istius*, subaudi *Leæ*, sive

transeant

transeant septem dies festi istius Leæ, & dabitur tibi, quoque Rachel junior filia. Atque ita explicant etiam Hebræi, præsertim Aben Ezra, & R. D. Kimhi. Hunc sensum sequitur & D. Hieron. in Quæstionibus suis Hebraicis, quem supra vide.

VATABLUS.

1. L*Evavit*, &c. וישא] More scilicet ambulantis. Exprimit gestum & habitum hominis ambulantis. q.d. Pedes profectus est, non eques.

2. *Et vidit*, וירא] *Et contemplatus est*, sub. *regionem.* i. quum considerasset situm regionis, animadvertit puteum in eo agro in quem inciderat.

6. *Nunquid pax est illi?* השלום לו] Hebraismus, *Rectene habet? Sanusne est?* ¶ *Responderunt Pax:* ויאמרו שלום] Adverbum, *Et dixerunt, Pax.* i. *Recte quidem. Bene habet. Sanus est.*

7. *Adhuc dies magnus*, עוד היום גדול] *multum adhuc superest diei.* i. Nondum vespera appetit. ¶ *Ut congregetur grex:* האסף המקנה] i. Reducendi ad caulas gregem ipsum.

8. *Et devolverim* וגללו] Sub. *omnes pastores congregati.*

9. *Patris sui* אשר לאביה] Ad verbum; *qui erat patri suo.*

11. *Levavitque* וישא] Sub. *Jaacob.*

12. *Jam vero renuntiaverat* ויגד] Ad verbum, *Et renuntiavit.* Præt. vertendum per plusq. perf. sub. *Antequam oscularetur eam.* ¶ *Frater* אחי] i. Nepos ex sorore.

13. *Rumorem* את שמע] Ad verbum, *Auditionem.* ¶ *Omnia hac:* כל הדברים האלה] Adverbum, *omnia verba ista.* i. Quæcunque ei acciderant: h.e. Quibus de causis illuc advenisset.

14. *Os meum, & caro mea* עצמי ובשרי] *Os, ab osse*, non ab *ore.* Hebraismus, *tu es de ossibus meis & carne mea.* i. Consanguineus meus. ¶ *Mensem totum:* חדש ימים] Ad verbum, *mensem dierum.* Hebraismus, *mensem constantem omnibus suis diebus.*

15. *An quia*, &c. הכי אחי אתה] *Vere* [*Revera*] *frater meus* [i. Nepos] *es: Servies ergo mihi gratis?* i. Sine mercede. q.d. Non patiar. Ut vertit noster interpres, ו tantum præteritum vertit in futurum, propterea non vertendum. ¶ *Quid erit* מה] *quanta erit.* i. Quantum velis lucrari.

17. *Teneri:* רכות] *Debiles.* i. Erat tenerrimis oculis. Chald. paraph. *Et oculi Leah erant elegantes.* q.d. Commendabatur Leah formositate tantum oculorum: Rachel vero, totius corporis, ac etiam venustate faciei. ¶ *Et pulchra aspectu.* ויפת מראה] i. Pulchro habitu corporis.

18. *Dilexit autem* ויאהב] *Diligebat autem.*

19. *Respondit* ויאמר] Ad verbum, *Et dixit.*

20. *Qui visi sunt ei dies pauci*, ויהיו בעיניו וגו'] Ad verbum, *& fuerunt in oculis eius sicut* [vel *quasi*] *dies pauci.*

21. *Completi sunt dies mei*, מלאו ימי] i. Exactum est tempus illud quo tibi servire debebam pro Rachel. ¶ *Ut ingrediar ad eam.* ואבואה אליה] Hebraismus, *ut fruar illa*, sive *ut dem operam proli.*

25. *Mane autem*, &c. ויהי בבקר וגו'] Ad verbum, *Et fuit mane, & ecce Leah.* ¶ *Quid hoc* מה זאת] *Quid istud est quod.* Vel, *Quare hoc.*

26. *Ut detur* לתת] Adverbum, *ad dandum.* sub. *Nuptum.* i. Non ita fieri solet apud nos ut minor natu elocetur ante majorem.

27. *Exple hebdomadam hujus*, מלא שבע זאת] Sub. *Lea.* i. Sine transeant septem dies festi hujus ac convivii.

31. *Aperuit vulvam ejus.* ויפתח את רחמה] Hebraismus, *reddidit eam fœcundam.*

32. *Reuben:* ראובן] *Videte filium.* q.d. Deus dedit mihi hunc filium ¶ *Dixit enim*, כי אמרה] *Sic enim cogitabat.* ¶ *Quia vidit Jehovah*, &c. כי ראה יהוה בעניי] *Sane* [*Certe*] *consideravit Jehovah afflictionem meam.* i. Me contemptam esse à viro meo. ¶ *Nunc igitur* כי עתה] *quoniam nunc.* i. Posthac.

33. *Quia audivit*, &c. כי שמע יהוה וגו'] *Certe exaudivit Jehovah* [sub. *me*] *quoniam odio haberer, & dedit*, &c. Vel, *Novi quod exaudivit Jehovah* [sub. *preces meas*] *quod haberer odio, & dedit*, &c.

34. *Copulabitur*, ילוה] *Sociabitur* i. Adhærebit mihi ac unice me diliget. ¶ *Vocavit* קרא] Sub. *is qui ei nomen indidit.*

35. *Vice hac confitebor Jehova.* הפעם אודה את יהוה] *Nunc demum celebrabo Jehovam.* Filium istum à *laude* ideo nuncupat (*Jehudah* enim laudem, sive *laudationem*, significat) quod singulari Dei beneficio datus sit. Jam prius quidem gratias egerat Domino: sed quia uberior laudis materia suppetit, fatetur non semel, neque uno modo, sed sæpius se Dei gratia adjutam esse. q.d. Plane fatebor Dominum Deum authorem esse omnium bonorum: unde eum collaudabo, eique gratias agam. ¶ *Et desiit parere.* ותעמד מלדת] *& destitit parere.* Ad verbum, *& stetit à pariendo.*

CASTALIO.

20. Q*Uod spatium ei brevissimum visum est*, &c.] Atqui

Nox longa quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, & piger annus
Pupillis, quos longa premit custodia matrum.

Sed hic sensus est, Jacobus Rachelem præ amore tanti faciebat ut septennii servitutem brevem esse putaret, qua tantum præmium consequeretur. Nihil enim durum est quod fit libenter.

CLARIUS.

10. C*Onsobrinam suam*] Heb. *Filiam Laban fratris matris suæ, & oves Laban fratris matris suæ.*

13. *Cum audisset venisse Jacob*] Vel *famam Jacob.* Nam Hebraismus habet, *cum audisset auditum Iacob.* Sicut & illud, *Domine, audivi auditum tuum*, &c.

17. *Lippis erat oculis*] Heb. *teneris.* Quod quidam exposuit, *pulchros.* Cæteri exponunt, *debiles.* Sunt qui credant eam oculis tantum fuisse gratiosam, Rachel vero toto etiam corpore.

27. *Imple hebdomadam dierum*] h.e. Imple prius nuptias Liæ, atque convivium illud, & post hebdomadam dabitur quoque tibi Rachel junior filia. ¶ *Ruben*] Sonat Ruben *Videte*, vel *Viderunt, filium*; Simeon, *Auditus*, vel *Obedientia*; Levi, *Associatio, Adjunctio*; Iuda, *Confessio*, vel *Gratiarum actio.*

DRUSIUS.

31. O*Diosam esse Leam*] Quid? An *odio erat ei Lea?* non opinor. Nam qui odit uxorem, odit carnem suam. Absit hoc à viro justo. Quid igitur? *Odiosam* appellat comparatione, quia minus eam amabat. Hieron. *Amorem sequentis priori prætulit.* Ipse textus diserte dicit, *Amabat Rachelem præ Lea.* Rachel erat igitur amata, & ad ejus comparationem *odiosa*, sive, ut alii malunt, *exosa.* Ego prætuli *odiosa*, quoniam *exosa* etiam quæ odio habet. Sic accipies Deut. 21. 15. *Unam dilectam, & alteram odiosam; & filium odiosæ*, i. minus dilectæ. Quæ dixi robur habent ex loco citato. Nam sic amabat Rachelem præ Lea, etiam Leam amabat, sed non adeo ut Rachelem, quam magis diligebat. Odiosa ergo Lea ad Rachelem comparata, simpliciter non erat odiosa. Nam amabat eam quadamtenus. Sic comparatione ad Chaldæos Israel vocatur *justus*, licet justus non esset. Nam propter injustitiam deportatus fuit in Babylonem: & tamen Chaldæi reprehenduntur quod male habuerint populum justiorem se. Locus est in Habacuc Propheta. Similiter mare Caspium (an Ponticum?) *dulce* dicitur comparatum ad alia maria, quorum aqua magis amara & salsa. *Dulce* igitur, quoniam aquam continet minus salsam. Profecto nulla maris aqua simpliciter & absolute dulcis est. Hoc sciunt qui gustarunt. Credamus ergo expertis. ¶ *Aperuit vulvam ejus*] Id Onkelos elucidat, *dedit ei conceptum*, i. Fecit ut conciperet. Vulva enim aperitur in conceptu, sed magis in partu. *Vulvam* dico non id quo fœminæ sunt fœminæ, sed matricem, quam μήτραν Græci vocitant. Hanc etiam aperit is qui primus nascitur liberorum, quem *primogenitum* appellant, & Græce πρωτότοκον. Qui propterea etiam vocatur פטר רחם, quasi *aperturam vulvæ* dicas, quod significat eum qui vulvam aperit, qui Græcis interpretibus dicitur διανοῖγον μήτραν, *adaperiens vulvam*, sive *matricem.* *Forte* פטר, quod *aperturam* reddidimus, nomen est concretum (sic Dialectici vocant) ut כבד *gravis*, ארך *longus*, &c. Sic צדק antiqua declaratione valet *justus*, i. δίκαιος, *justitiam*, h. e. δικαιοσύνην, denotet. Cæterum potest aliquis vulvam aperire matris, ut Joseph Gen. 30. 23. qui tamen non sit primogenitus patris. Quod tum accidit quando unus vir plures uxores habet.

33. *Audivit me*, &c.] Leve est quod nunc annotabo, siquid tamen leve in his literis, ubi levia gravia, & parva omnia magna

gna nobis esse deberent. Scitum enim illud, ἐν ἀλβίῳ ὄλβια πίπτει. *Audire* præter vulgatam & receptam notionem significat etiam *intelligere*, quod proprium cordis. Cor enim quæ intelligit, & videt & audit. Quo pertinet illud, Ὁ νοῦς ἀκούει ὁ νοῦς ὁρᾷ τὰ δ' ἄλλα πάντα κωφὰ καὶ τυφλά, *Mens audit, mens videt: cætera cuncta surda & cæca.* Nam ubi mens abest, neque auris audire neque oculus videre quicquam potest. *Mentem* intelligo animum, quem Ebræi *animam* appellant, quæ est facultas rationis particeps. Igitur in loco citato ubi legimus, *Audivit me odiosam esse*, sive *quod odiosa sum*, puto exponendum, *intellexit*; ut Gen. 42. 23. *Nesciebant audire Josephum*, i. intelligere. Sic Gen. 11. 7. *Ut non audiat vir labium socii sui*, ut non intelligat sermonem alterius. Sic *labium unum*, i. sermo unus. Et alibi, *gens cujus linguam non audietis*. Nam *linguam audit* proprie loquendo etiam qui non intelligit. Augustinus lib. 1. Locutionum, *Audit*, *pro*, *intelligit*. *Nam voces audit utique aure etiam qui non intelligit linguam.* Aliter exponas, *Audivit*, i. *exaudivit*, *me* (simplex pro composito, ut moris est Ebræis) *quoniam odiosa sum*, eo quod minus diligar à marito meo. Quo facit interpretatio vetus, *Simeon*, *Exauditio*. Sed tunc dixisset potius, *Audivit me*. Cæterum pro *Simeon* doctores etiam usurpant סימון *Simon*: quod aliquando contractum esse putavi ex Ebræo *Simeon*. Nunc inclino ut credam Græcum esse Σίμων, quod non male *Simo* scribitur, ut *Plato*, *Zeno*, *Apollo*, *Xenopho*, *Ctesipho*, &c.

IDEM.

22. וַיַּעַשׂ מִשְׁתֶּה *& fecit convivium.* A. & Sym. πότον] i. συμπόσιον. Prius erat, ἐποίησε γάμον, & in Hieron. *fecit nuptias.* Syrus quoque Novi Fœderis interpres nuptias appellat *convivii* vocabulo. Πότος autem in hoc loco non *compotationem* sign. sed *epulum* sive *convivium*, quod Ebræi similiter à *potando* משתה appellant. Ita sumitur hæc vox Cohel. 7. 2. & Esth. 5. 6. & 7. 2. item 1. 9. Athenæus l. 4. ὅταν ὁ βασιλεὺς πότον ποιῆται, i. *convivium.*

25. לָמָּה רִמִּיתָנִי *cur decepisti me?* Schol. ἐνήδρευσάς με; *insidiatus es mihi?*] Suspicor esse Aquilæ, qui & supra 27. 35. במרמה convertit, μετὰ ἐνέδρας; Id valet, *insidiose.*

34. יִלָּוֶה אִישִׁי אֵלַי. A. *applicabitur mihi vir meus*] Hieron. *Ubi nos legimus [apud me erit vir meus] Aquila interpretatus est [applicabitur mihi vir meus] quod Ebraice dicitur* ילוה, *& à doctoribus Ebræorum aliter transfertur, ut dicant [prosequetur me vir meus] i. non ambigo de amore in me viri mei: erit mihi in hac vita comes, & ejus dilectio me ad mortem usque deducet & prosequetur. Tres enim filios genui ei.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Deinde sustulit Jacob pedes suos, & ivit in terram filiorum Orientis.*

Sustulit pedes suos & ivit] sublatis pedibus ivit, hoc est alacriter & citato gradu. Nam tunc pedes elevamus. ¶ *Ivit*] ἐπορεύθη, profectus est. ¶ *In terram filiorum Orientis*] in regionem orientalium. Ita loquendo sig. Syros in queis & Mesopotameni. Quanquam compositor historiæ Ebraicæ Gorionides cap. 68. pag. 100. simul nominat Mesopotamiam & provincias filiorum Orientis. Ejus verba sunt, *Adhuc fuerunt illis auxilio milites ex Mesopotamia, & ex Syria Soba, & ex Assyria, & ex Sennaar, & ex Persia, & ex Chaldæis, & ex Macedonia, & ex provinciis filiorum Orientis.* Ebraice est ממדינות quod potest reddi, *ex urbibus*. Lxx. ἐπορεύθη εἰς γῆν ἀνατολῶν πρὸς Λάβαν τὸν υἱὸν Βαθουὴλ τοῦ Σύρου, ἀδελφὸν δὲ Ῥεβέκκας μητρὸς Ἰακὼβ καὶ Ἠσαῦ. Hiero. *venit in terram orientalem.* Dixi per filios orientis Syros innui. Id robur accipit ex illo Jes. 9. 11. *& Syri ab oriente.*

2. *Et vidit & ecce puteus in agro, & ecce ibi tres greges ovium cubantes super eum: Nam ex puteo illo aquabant greges: & lapis magnus super os putei.*

Cubantes] vel, *accubantes*. Lxx. ἀναπαυόμενα, requiescentes. ¶ *Super eum*] proprie aut juxta eum. Sic Livius dixit, *super Numicum amnem*: quod valet prope Numicum amnem. Hiero. & Santes, *juxta eum.* ¶ *Aquabant*] ἐπότιζον, potum dabant. ¶ *Greges*] העדרים τὰ ποίμνια.

3. *Et congregabantur illuc omnes greges, & devolvebant lapidem ab ore putei, atque ita adaquabant oves: postea reducebant lapidem super os putei in locum suum.*

4. *Dixitque illis Jacob Fratres mei, unde estis? & dixerunt, ex Carris sumus.*

5. *Et dixit illis, Nostisne Labanem filium Nacheris? & dixerunt, Novimus.*

6. *Tum dixit illis, Valetne? & dixerunt valet: & ecce Rachel filia ejus venit cum ovibus.*

Congregabantur] συνήγοντο. Hiero. *Mos erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem.* ¶ *Devolvebant*] pastores. Alias, *revolvebant*. Græce est ἀπεκύλιον. Chald. מגנדרין & מגלגלין. ¶ *Fratres mei*] vox blandientis & amice compellantis ut si quis dicat, *amici mei*: Nam etiam ignotos ita compellamus. Sane pro amico interdum ponitur: unde lucem accipit, *Frater in adversis nascitur.* Sic Tyrii fratres appellantur Judæorum. Blandientis vox est; & Esth. 15. 8. ἐγώ εἰμι ὁ ἀδελφός σου, θάρσει, οὐ μὴ ἀποθάνῃς: ego frater tuus, confide, non morieris. ¶ *Unde*] πόθεν. Nove dixit מאין pro מאין. Nam מאין usitate non, & מאין ex nihilo. ¶ *Filium Nachoris*] filium i. nepotem. Nam filii filiorum sunt quasi filii. Sic alibi Zacharias vocatur filius Barachiæ, cum patrem habuerit Addo, avum autem Barachiam. Similiter filia pro nepte sumitur. Gen. 24. 48. ¶ *Valetne*] השלום לו num pax ei est? Lxx. ὑγιαίνει; valet? quod pronuntiatione juvandum. Hiero. *Sanusne est?* Santes, *numquid sanitas est ei?* Tremell. *recténe habet?* Gallica *se porte il bien?* ¶ *Valet*] Sic etiam Hiero. Ad verb. *Pax.* Hac voce utuntur & in epist. ut cum dicunt, *Iudas Lysiæ pacem*, i. salutem aut bonam valetudinem; & subintelligitur precatur vel optat.

7. *Et dixit, En adhuc dies magnus est, non est tempus congregandi pecus, adaquate oves, & abite, pascite.*

8. *Et dixerunt, Non possumus donec congregentur omnes greges, & devolverint lapidem ab ore putei, tum adaquabimus oves.*

Et dixit] Jacob. Quod expressum in Lxx. & in Hieron. ¶ *Adhuc dies magnus est*] magnum pro multo posuit. Docte Hiero. *Adhuc multum diei superest.* Lxx. ἔτι ἐστὶν ἡμέρα πολλή adhuc est dies multus. Jonathan, *adhuc tempus diei multum.* ¶ *Non est tempus congregandi pecus*] לא עת האסף המקנה Lxx. οὔπω ὥρα συναχθῆναι τὰ κτήνη: nondum tempus congregandi pecora. Hic ὥρα valet tempus, ut Ruth. 2. 14. ὥρα τοῦ φαγεῖν, quod Ebraice est לעת האכל tempore cibi i. prandii. Sic Syrach 11. 25. κάκωσις ὥρας vexatio temporis, & 18. 18. ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς, visitationis tempore. Cohel. 3. 1 עת Lxx. χρόνος. Sym. ὥρα. Dan. 3. 5. בעדנא. Theodotio ᾗ ἂν ὥρᾳ. Ceteri, *quo tempore.* legimus quoque Marc. 6. 35. ὥρας πολλῆς pro dies multus. Nam sic Latini autores loquuntur. Cicero, *multus sermo ad multum diem.* Cæsar, *multo die cognovit à suis montem teneri.* Tempus Chaldæi vocitant עדן. Ceterum in Jerosolym. hic est שעתא: qua voce usus est & Jonathan Gen. 21. 7. Elias interpretatur tempus certum & constitutum, זמן קבוע: cui firmando quod in eadem Jerosolymitana eadem vox sit interpretamentum nominis עת. Munsteri λέξεις, שעה idem quod עת tempus, hora. ¶ *Adaquate oves &c.*] Lxx. ποτίσαντες τὰ πρόβατα ἀπελθόντες βόσκετε: cum potum dederitis ovibus abeuntes pascite. Hiero. *date ante potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.* ¶ *Abite, pascite*] vel, *ite, pascite.* Possumus etiam vertere, *agite, pascite.* Idem verbum in illo, *venite, faciamus nobis lateres*: quod enarrant, agite dum. Nam eandem vim habet cum adverbio hortandi. הלו autem & הבה se invicem explicant. Quod notum jam pueris. ¶ *Non possumus*] non valemus, nec etiam moris est. ¶ *Donec congregentur*] ad puteum. Supra *non est tempus congregandi pecus.* sub. domum aut in caulas septave vel stabula. ¶ *Et devolverint*] pastores omnes ad puteum simul congregati cum pecoribus suis. ¶ *Omnes greges*] כל העדרים. Hiero. *omnia pecora.* כל חגוון. Lxx. πάντες οἱ ποιμένες, omnes pastores. כל הרועים. Onkel. & Jonath. כל עדריא omnes greges.

9. *Adhuc eo loquente cum illis, Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam pascens erat.*

Cum illis] pastoribus ibi præsentibus. ¶ *Rachel veniebat*] ורחל באה & Rachel veniebat. Hic aliqua quædam observanda. Primum Vau superfluit in Latio: ideo illud omisimus. Deinde באה accentum gerit in prima. Est enim verbum præteritum. Supra vers. 6. ubi accentum habet in ultima participium est temporis præsentis. Græci hic legunt καὶ ἰδοὺ Ῥαχὴλ ἡ θυγάτηρ Λάβαν. Hiero. *& ecce Rachel veniebat.* particulam הנה hic translatam putarim ex eo versu quem modo laudavimus. ¶ *Patris sui*] אשר לאביה quæ patris ipsius erant. ¶ *Pascens*] רעה pascens i. pastrix, si sic loqui licet: aut *pascens erat* i. pascebat gregem. Hoc sequuntur Lxx. & Hiero. illud Santes & Trem. Santes, *pastor.* Tremell. *pecuaria.* Galli quoque habent *bergere* i. fœmina oves pascens. Notum ut Benoni, hoc est participium præsens pro nomine ponatur. Sic in Hellenismo

mo ὁ λέγων i. orator vel rhetor : apud Tertull. *discentes* pro discipulis. Plura exempla sunt, quæ mihi nunc non occurrunt. Jonathan, *illo tempore fuerat plaga DOMINI in ovibus Labani, adeo ut non relicta sint ex illis nisi admodum pauca: quapropter expulit pastores suos, & relictas posuit coram Rachele filia sua.* Ceterum tam interpres iste quam Onk. hoc loco habent רעיא participium nominascens, sive quod in nominis naturam transit.

10. *Cumque vidisset Iacob Rachelem filiam Labani fratris matris suæ, & oves Labani fratris matris suæ, accessit Iacob, devolutoque lapide ab ore putei adaquavit oves Labani fratris matris suæ.*

11. *Et osculatus est Iacob Rachelem, sustulitque vocem suam & flevit.*

12. *Et indicavit Iacob Racheli se fratrem patris ipsius esse & filium Rebeccæ: quæ cucurrit & indicavit patri suo.*

Fratris matris suæ] avunculi sui. Tales ἀνεψιοὶ i. amitini vel consobrini vocantur. Erat ergo Rachel, ut cum Hiero. appellat, Jacobi consobrina, quia ex avunculo nata. Alias consobrina est matertere filia. Donatus, *Quum de fratre natus est alter & alter de sorore, consobrini dicuntur.* Paul. I. C. *eos & eas qui quæve ex fratre & sorore nati sunt amitinos amitinas quidam vocant. Sed plerique hos consobrinos appellant, ut Trebatius.* ¶ *Devolutoque lapide*] ויגל את האבן & devolvit lapidem, καὶ ἀπεκύλισε τ λίθον. Addit Jonathan בחדא מן אדרעיה uno brachiorum suorum. Nam Ebræi fere censent ipsum solum lapidem removisse vires DOMINO suppeditante, cum vir esset annum agens, ut Mercerus arbitratur, septuagesimum septimum. Alii scribunt, cum ceteri pastores eum revolverent Jacobum operam suam pro Rachele una contulisse. Ceterum ויגל futurum est Hiphil à גלל volvo, devolvo. Male igitur interpretantur *detexit*, ac si esset à גלה. Hinc glossa illa, *devolvit enim tam facile quam quis vasis operculum removet.* Logi. ¶ *Osculatus est Rachelem*] ἐφίλησεν τὴν ῥαχὴλ. Osculandi mos perantiquus est. Adhibebant autem oscula & in discessu (unde osculari pro valedicere) & in congressu, ut hic & Exod. 4. 27. Ex hoc postremo loco discimus ipsos fratres osculo excipere solitos se invicem. Nam Aharon ibi Mosen osculatur, ut in hoc Cap. vers. 13. Laban Jacobum filium sororis suæ. Sic dico, Viri non solum osculabantur fœminas obvias sibi, sed etiam ipsos viros. Osculabatur ergo Rachelem pro temporis & loci consuetudine. De osculi usu cum valedicerent exempla habes Ruth 1. 14. & 1. Reg. 19. 20. ¶ *Et flevit*] præ gaudio. ¶ *Indicavit*] vel potius, *indicaverat*, nempe priusquam osculum daret. Nam moris erat ut notas deoscularentur. An etiam ignotas? Abenezra hic statuit hysteron proteron. *Prius*, inquit, *indicabat quis esset : deinde osculo eam excipiebat.* Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ *Se fratrem patris ipsius esse & filium Rebeccæ*] vel, *quod frater patris ipsius esset & filius Rebeccæ.* Frater patris i. sororis paternæ filius, Onk. habet : aut cognatus, consanguineus. Hac mente Lot vocatur frater Abræ, cum esset filius fratris ipsius. Sic est profecto : Frater usitatum vocabulum est, idque proprie in iis qui eundem parentem habent : sed transfertur in alios, ut etiam fratres dicantur cognati, gentiles, alii quilibet. Cognati, ut Gen. 14. 16. & 12. 5. Quibus in locis Abram vocat Lot fratrem suum, nimirum quia consanguineus. Gentiles ut *non fænerabis fratri tuo* i. Judæo. Alii quilibet, ut, *diligite fratres vestros* i. alii alios. ¶ *Quæ cucurrit &c.*] Hiero. *at illa festinans nuntiavit patri suo.* Prius Lxx. ediderant, καὶ δραμοῦσα ἀπήγγειλε τῷ πατρὶ αὐτῆς κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα : *& currens nuntiavit patri secundum verba hæc.* i. כדברים האלה. ¶ *Patri suo*] *Nam mater obierat*, ait R. Sal.

13. *Quum autem Laban audivisset auditionem de Jacobo filio sororis suæ, cucurrit in occursum ejus & complexus est eum, deosculatusque eum adduxit eum ad domum suam, tunc narravit Labani omnia ista.*

14. *Et dixit ei Laban, Profecto os meum & caro mea tu es: & egit cum illo mensem dierum.*

Auditionem de Jacobo] שמע יעקב auditionem Jacobi i. nuntium vel rumorem de Jacobo. Sic in Euangelio ἀκοὴ ἡ Ἰησοῦ. i. rumorem aut. famam de Jesu. Lxx. τὸ ὄνομα Ἰακώβ. i. שם יעקב. Hiero. *venisse Iacobum* כי בא יעקב. Minus dicit quam sit in Ebræo. Gal. *les nouvelles de Iacob.* i. nuntium de Jacobo. Videlicet eum esse filium sororis suæ : item devolvisse lapidem ab ore putei, ovesque adaquasse. Quod officium filiæ præstitum non potuit non patri gratissimum esse. ¶ *De Iacobo*] Jonath. *de virtute ac pietate Iacobi.* Ceterum auditionis vocabulum etiam Cicero & Cæsar usurpant pro fama & rumore. Locus quem supra citavimus ex Euangelio, habetur Marc. 14. ἤκουσεν ἡ ἰουδαία ἐπιστρέψας τὴν ἀκοὴν αὐτοῦ. Sic Jer. 6. 24. *audivimus auditionem ejus* i. nuntium de eo accepimus. Addit Jonathan, *quomodo adeptus esset jus primogenituræ, & quomodo ei Deus apparuisset in Bethel, &c.* Quæ non à Rachele jam, sed à Jacobo postea ei narrata fuisse putarim. Sequitur enim ecce *& narravit* (haut dubie Jacob) *Labani omnia ista.* ¶ *Cucurrit in occursum ejus*] non ivit sed cucurrit ei obviam. Vide quid faciat affectus. ¶ *Et complexus est eum deosculatusque eum*] Lxx. καὶ περιλαβὼν αὐτὸν ἐφίλησεν. Hiero. *complexusque eum & in oscula ruens.* Interpres recentior, *amplexatus atque osculatus est eum.* ¶ *Narravit*] Jacob. Nam verbum quod in Ebræo masculinum est. ¶ *Omnia ista*] את כל הדברים האלה omnes sermones istos, sive omnia verba hæc i. omnes res supra commemoratas, totam historiam præcedentem, quæ potissimum continetur cap. 27. ¶ *Profecto*] aut vere. Sic Gall. *pour vrai.* Santes item ac Trem. Gen. 26. 9. & Sym. Psalm 73. 18. Hic Santes habet, *profecto.* Mercerus, *sane.* Alius, *certe.* Onk. & Ion. ברם, quod Fagius interpretatur, *utique.* ¶ *Os meum & caro mea*] i. consanguineus meus, ut Iud. 9. 2. *quod os vestrum & caro vestra ego sum.* Huc accommodant quod Gen. 2. 23. *os de ossibus meis & caro de carne mea.* Lxx. ἐκ τ͂ ὀστῶν μου, καὶ ἐκ τ͂ σαρκός μου εἶ σύ. Ex ossibus meis & ex carne mea tu es. Hiero. *os meum & caro mea.* ¶ *Os meum*] Ambo Chaldæi קריבי propinquus meus. Sic sane in libro selectarum sententiarum, cap. 10. עצמו interpres exponit קרוביו à propinquis suis. Fol. 12. pag. 2. Dictum est Hillelis Pharisæi, quem Iosephus Pollionem vocat, *Qui comparat sibi nomen bonum comparat* לעצמו. Id si exponas *ossi suo* i. consanguineis, non omnino alienum erit, & hinc pondus habebit expositio tua. ¶ *Caro mea*] Ionathan דמי sanguis meus. Sic vulgo dicimus, *est caro mea & sanguis meus*, pro, est mihi consanguineus. Locus Jonath. דמי לי אנת sanguis meus mihi tu es. ¶ *Et egit cum eo*] וישב עמו *& sedit cum eo.* i. habitavit aut mansit. Lxx. καὶ ἦν μετ' αὐτοῦ & fuit cum eo. eodem redit. Nam esse pro habitare etiam Ebræi usurpant. Sic accipies in historia Ruth, *& fuerunt ibi.* Similiter in oratione Dominica, *qui es in cœlo*, i. qui habitas. Nam ibi peculiariter habitare dicitur, cum alioqui ubique sit. ¶ *Mensem dierum*] חדש ימים. Lxx. μῆνα ἡμερῶν. i. mensem integrum. Hiero. *dies mensis unius.* Forte hypallage est, *mensis dierum* pro dies mensis. Trem. *spatium mensis.* Gal. *un mois entier.* Tales menses omnibus suis diebus constant, cum חדש etiam Neomeniam significet, hoc est primum diem cujusque mensis. Calendas Latini vocant. Ergo ἡμερῶν nomen dierum adjectum videtur.

15. *Et dixit Laban Jacobo, An quia frater meus es servies mihi gratis? indica mihi, quænam erit merces tua.*

Frater] i. cognatus aut consanguineus. Hoc modo Abraham Lotum fratris sui filium fratrem appellat. Cicero quoque in quinto de Finibus patrui sui filium fratrem nominat, ut Vives testatur Augustinus in primo Locutionum pag. 68. *Quia homines fratres nos dixit Abraham ad Lot. Unde intelligitur morem esse Scripturæ ita loqui ut fratres appellentur unius cognationis, etiam si gradu sanguinis differant, ut alter sit in superiore, alter in inferiore, sicut hoc loco. Nam patruus erat Abraham.* Hinc intellectum habet *fratres Domini.* Act. 1. 14. ¶ *Servies mihi gratis?*] q. d. minime. docte ad sensum. Lxx. ὅτι γὰρ ἀδελφός μου εἶ, οὐ δουλεύσεις μοι δωρεάν, quia enim frater meus es, non servies mihi gratis. Similis per omnia locus Michææ, nisi quod ibi absit nota interrogationis; *Parva es in chiliadibus Juda?* Cujus dicti sententiam expressit Evangelista Matthæus, οὐδαμῶς ἐλαχίστη. Ita olim hæc loca conciliavimus, nec adhuc pœnitet. ¶ *Gratis*] absque pretio vel mercede. חנם. Chaldaice מגן. Græce, δωρεάν. Quod interdum valet absque caussa, immerito, ἀναξίως, ut Joh. 16. 25. & in illo δωρεὰν χεῖλος δωρεὰν ἀπέθανεν. Vulgo *gratis.* Prorsus improprie. Nam Christus gratis mortuus est. Quid ergo sonat δωρεὰν? Mortuus est sine caussa, hoc est cum nulla caussa subesset cur mortem oppeteret.

16. *Et Labani erant duæ filiæ: nomen majoris Lea, & nomen minoris Rachel.*

17. *Et oculi Leæ teneri: Rachel vero erat pulchra forma & pulchra aspectu.*

18. *Amabat autem Jacob Rachelem: itaque dixit, Serviam tibi septem annis pro Rachele filia tua minore.*

Lea] vel Lia. Sic olim Hiero. Lxx. habent λεία. i. Lea vel Lia. Ebraice לאה. Philo interpretatur *laboriosa.* ¶ *Rachel*] ῥαχήλ. Vox hæc, quando appellativa est, ovem significat ut Jes. 53. רחל לפני גוזזיה ovis ante tonsores suos. Talia sunt nomina mulierum ab animalibus mutuata עגלה vitula: צביה caprea sive dorcas. Chaldaice טביתא unde Talitha in novo Fœdere: יעלה ibex, rupicapra. Huc refer רבקה σαγήνιον, saginarium. Vi-

de quæ scripsimus Gen. 24. 15. Interdum Rachel ponitur pro tota vicinia Bethlehemitica, ut Jer. 31. 15. & Matth. 2. 18. ¶ *Teneri*) vel molles. Ebraice רכות, quod alii aliter interpretantur. Nam LXX. ἀσθενεῖς, infirmi, debiles. Hiero. *lippi*. Onk. יאין i. pulchri. Severus, *deformes*. Jonathan voce usus est quam Justus Nathanus in Lexico Thalmudico exponit de iis qui sinum oculorum rotundum habent. Hic tamen aliud significare videtur. Ea est .... Idem addit, *quia fleverat & petierat à DOMINO ne destinaret sibi Esau improbum*. Autor Jerosolymitanæ, *Et oculi Leæ erant molles, eo quod flevisset & precata fuisset ne veniret sub planeta Esau*. Nugæ. Ephraeini filius, *& oculi Liæ erant longi*. i. ארוכות. Putavit enim Aleph abesse, quem propterea merito reprehendit Abenezra. Quid dico reprehendit? salse irridet eum. Nam cum dixisset אלף חסר deficit Aleph, ipse dicit eum אלף חסר i. doctrina deficere. ¶ *Pulchra forma*] יפת תאר. Lxx. καλὴ τῷ εἴδει. Hiero. *decora facie*. Aliud forma, aliud facies. Facies פנים dicitur. Onk. שפירא בריוא i. interprete Fagio, *eleganti forma*. Jonath. שפירא בריוא quod male scribunt ..... Hæc forma potissimum consistit in apta & decenti compositione corporis: Unde Gallica editio, *de belle taille*. ¶ *Pulchra aspectu*] ויפת מראה. LXX. ὡραία τῇ ὄψει. Hiero. *venusto aspectu*. Onk. ויאה בחיזו pulchra visu aut aspectu. Jonath. & autor Jerosolymitanæ .... decora visu. Hoc ad coloris gratiam refertur. ¶ *Pro Rachele*] ברחל in Rachel. i. propter Rachel: quod Ebræi dicunt exponentes בעבור רחל. Porro hunc locum citare solent ad probandum ב *propter* significare. LXX. habent περὶ τῆς ῥαχήλ. Hiero. *pro Rachel*. Sic & alii translatores. Jonathan בגין רחל propter Rachel.

19. *Dixitque Laban, Melius est ut dem eam tibi, quam ut dem eam viro alteri: mane mecum.*

20. *Ita servivit Jacob pro Rachele septem annis, qui fuerunt in oculis ejus tanquam dies pauci præ amore ejus erga illam.*

Tibi] qui cognatus es. Libentius enim talibus elocabant filias suas, quam aliis. ¶ *Viro alteri*] ἀνδρὶ ἑτέρῳ. ¶ *Mane mecum*] vel, *age*, sive *habita mecum*. LXX. οἴκησον μετ' ἐμοῦ. Hiero. *mane apud me*. ¶ *Mecum*] apud me. ¶ *Pro Rachele*] Jonathan בגין רחל propter Rachel. ¶ *Tanquam dies pauci*] ὡς ἡμέραι ὀλίγαι. LXX. כיומין זעירין. Onk. קלילין Jonath. quæ omnia sig. dies paucos hoc est tempus exiguum ac breve. Hiero. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. ¶ *Præ amore ejus erga illam*] quo illam amabat. Ebraice באהבתו אתה præ amore illam. Nam quia dicimus *amo illam*, ideo etiam dicebant *amor illam*. Verbale cum casu verbi sui. Simile in Latio, *auxilius facta*, & in Hellenismo, ἡ ὑπακοὴ τοῦ θεοῦ. Quæ exempla produximus alibi. Vide Notas in parallela mea.

21. *Et dixit Iacob Labani, Da mihi uxorem meam, quia impleti sunt dies mei, ut ingrediar ad illam.*

22. *Et congregavit Laban omnes viros illius loci & fecit convivium.*

Da mihi] δός μοι cedo mihi. ¶ *Uxorem meam*] τὴν γυναῖκά μου, hoc est sponsam mihi pactam, ut Matth. 1. 20. Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. i. sponsam tuam: quæ sic vocatur quoniam ex pacto futura sit uxor. ¶ *Impleti sunt*] πεπλήρωνται. i. absoluti sunt. Quod Onk. dixit שלימו & Jonathan אשלמו finiti sunt, completi sunt. ¶ *Dies mei*] *dies servitii mei*. Onk. & Jonath. hoc est tempus septem annorum quo serviendum mihi fuit ex pacto pro Rachele. ¶ *Ut ingrediar ad illam*] ὅπως εἰσέλθω πρὸς αὐτήν. vult dicere ut congrediar cum ea, ut rem cum ea habeam. ¶ *Omnes viros illius loci*] *omnem populum illius loci*. Jerosolym. *multis amicorum turbis*. Hiero. ¶ *Loci*] מקום ὁ τόπος. i. urbis. Locus pro urbe cum alibi sumitur, tum Gen. 12. 6. *usque ad locum Sichem*: quod Moses Gerundensis enarrat עד עיר שכם usque ad urbem Sichem. Hinc varietas in libris 1 Machab. 5. 31. Nam in aliis τὴν πόλιν, & in aliis τὸν τόπον. ¶ *Omnes*] plerosque omnes. ¶ *Convivium*] convivium nuptiale. Lxx. γάμον. Hiero. *nuptias*. Convivium Onk. vocat משתיא. Jonathan & autor Jerosol. vocant שירו. Unde שירותא convivium Job. 1. & plu. שירין convivia (ut à גלה sit גלין deportationes) Hos. 4. 18.

23. *Fuit autem vespere ut acciperet Liam filiam suam & adduceret eam ad eum: ita ingressus est ad illam.*

24. *Deditque Laban ei Zelpham ancillam suam ut esset Liæ filiæ suæ ancilla.*

Vespere] post peractum convivium. Aut sub nomine vesperæ, noctem comprehendit, ut Gen. 1. 3. *& fuit vespere & fuit mane dies unus*. Nam nox dolis opportunior. ¶ *Et adduceret eam ad eum*] more gentis ac regionis adducebat eam velatam & sine lumine vel in domum Jacobi, vel certe in cubiculum sive thalamum. Quid interim Rachel? sine dubio autoritate patris permota quiescebat. Aut forte hæc ipsa inscia fiebant. ¶ *Ita ingressus est ad illam*] agebat tunc annum, ut Mercerus annotat, septuagesimum septimum. Senex ergo juvenculam duxit, quod honestius quam si anus nubat juveni. Id quod hodie fieri sæpe videmus. ¶ *Zelpham*] hodie Zilpham. Nam Zilpam quod in nonnullis editionibus, de moneta est quam Hiero. olim damnavit.

25. *Et fuit mane & ecce ipsa erat Lea: itaque dixit Labani, Quid hoc fecisti mihi? nonne pro Rachele servivi apud te, & quare decepisti me?*

Et fuit mane &c.] orto mane ipsa erat i. agnoscebatur esse Lea, quam Rachelem esse putarat. Alioqui etiam tota nocte & antea semper fuerat Lea. Hoc apud quosdam in Proverbium abiit, quod usurpant quos matrimonium decepit, cum eam quam bonam putarant, aliam esse deprehendunt. ¶ *Quid hoc fecisti mihi?*] cum admiratione legendum, *Quid hoc est quod fecisti mihi?* Aut זה posuit pro למה ad quid hoc fecisti mihi? quare supposuisti Leam pro Rachele? Aut זאת in sermone Latino redundat & otium agit, ut dicat, *Quid fecisti mihi?* τί τοῦτο ἐποίησάς μοι. Hiero. *Quid est hoc quod facere voluisti?* Lxx. τί τοῦτο ἐποίησάς μοι. On. & Ion. מה דא עבדת לי quid hoc fecisti mihi? Gallica, *quid hoc est quod fecisti mihi?* ¶ *Servivi apud te*] עבדתי עמך servivi tecum i. apud te, quod Græci referunt παρὰ σοί. Nam *tibi* quod in Hiero. Ebraice diceretur לך. Quidam explicant, *servitutem pactus sum tecum*. ¶ *Quare decepisti me?*] ולמה רמיתני. Lxx. ἱνατί παρελογίσω με; Hiero. *quare imposuisti mihi?* On. & Ion. ולמא שקרת בי cur mentitus es mihi? Quare fefellisti me?

26. *Et dixit Laban, Non ita fit in loco nostro, ut detur junior ante primogenitam.*

27. *Imple hebdomadam hujus, & dabitur tibi etiam hæc pro servitute quam servies apud me adhuc septem annis aliis.*

In loco nostro] ἐν τῷ τόπῳ ἡμῶν: hoc est, in urbe nostra: Thargum Ionathæ באתרין. Tu emenda באתרין quod On. dixit באתרנא in loco nostro. ¶ *Junior*] ἡ νεωτέρα הצעירה minor: idem cum הקטנה. ¶ *Ut detur*] ut detur nuptum viro, ut elocetur: quod Hiero. dixit, *tradere ad nuptias*. ¶ *Ante primogenitam*] לפני הבכירה. Lxx. πρὶν τὴν πρεσβυτέραν, quod On. & Ion. dixerunt קדם רבתא ante majorem, hoc est גדולה. Synonyma enim certe sunt גדולה & בכירה perinde ut קטן & צעירה. Ceterum primogenitus בכור dicitur, unde esset בכורה nisi ea vox primogenituram denotaret. Dixerunt ergo בכירה Vau in Ioth versa. ¶ *Imple*] perfice, absolve, συντέλεσον. ¶ *Hebdomadam hujus*] שבע זאת septimanam istius. Cujus? Liæne an Rachelis? Si Liæ, recte accipies de hebdomada dierum quibus nuptiæ fiebant. Vide Iud. 14. 15. & 17. Tob. 11. Si Rachelis, erit accipiendum de hebdomade annorum, quam de novo paciscebatur cum Iacobo. Hac de re variæ sunt interpretum sententiæ. Plerique omnes tam nostri quam Ebræi de nuptiarum convivio septendiali tunc cœpto intelligunt: quod mihi quoque non improbatur. Jam videamus interpretes. LXX. τὰ ἕβδομα ταύτης. August. Quæst. 89. *Septimanam istius*. Hiero. in Quæstio. Hebraicis, *Hebdomadam istius*, in edit. vulgat. *Hebdomadam dierum hujus copulæ*. Quæ sic enarrat, *Postquam Liam Jacob fraude deceptus pro Rachele uxorem acceperat, dicitur ei à socero Laban, ut septem dies post nuptias sororis prioris expleat & sic accipiat Rachel, pro qua iterum septem annis aliis serviturus sit. Non igitur ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primæ*. Eadem scribit Cajetanus. Sed & Abenezra, *Imple septem dies*, inquit, *nuptiarum Liæ*. Jonathan quoque, *Perfice nunc septem dies convivii hujus*. scilicet Liæ: quod aperte testatur autor Ierosol. referens, *septem dies convivii Liæ*. R. Sal. *Imple hebdomadam istius, hoc est septem dies convivii. Sic exponitur hic locus in Thalmud Ierosolym. in ea parte quæ Gemara dicitur, ubi sunt decisiones doctorum, in tractatu qui vocatur* מועד קטן *conventus minor*. Si quis tamen hæc malit accipi de hebdomade Rachelis, me non habebit sibi vehementer adversantem, dummodo concedat mihi, quod nunc extra controversiam est apud doctos, eam Jacobo traditam fuisse ante expletum septennium alterum. Videatur Mercerus. ¶ *Dabitur*] nuptum: ¶ *Pro servitute quam servies apud me*] בעבודה אשר תעבד עמדי Lxx. ἀντὶ τῆς ἐργασίας ἧς ἐργᾷ παρ' ἐμοί, pro opere quod operaberis apud me. Hiero. *pro opere quo serviturus es mihi*. Santes, *pro servitute quam servies mihi* i. עמדי Trem. *qua servies apud me*. On. & Jon. בפולחנא דתפלח עמי. Fagius interpres, *pro servitute quam servies mihi*. עבודה servitus, item opus. Hoc modo sumitur Psal. 104.

28. *Fecit ergo Iacob sic, implevitque hebdomadam hujus: ita dedit ei Rachelem filiam suam uxorem.*

29. De-

29. *Deditque Laban Racheli filiæ suæ Balha ancillam suam ei ancillam.*

30. *Et ingressus est etiam ad Rachelem & dilexit etiam Rachelem præ Lia, & servivit apud eum adhuc septem annis aliis.*

Implevitque] hoc est implevit. Simile in Latio, *judicium Paridis spretæque injuria formæ*, hoc est spretæ &c. ¶ *Ita dedit*] Laban ¶ *Uxorem*] לְאִשָּׁה in uxorem i. uxorem revera. Alibi valet, pro uxore sive uxoris loco. Lxx. γυναῖκα. Hiero. *hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem.* Sensum reddidit, non verba. ¶ *Balha*] vel Balaha. Nunc est בִּלְהָה in Ebræo i. Bilha. Græci scribunt βαλλὰ cum duplici L. Hiero. Bala i. בָּלָה, quomodo scriptum lectum in Deuteronomio. ¶ *Ei ancillam*] לה לשפחה dedit, inquam, ei in ancillam. Vult dicere ut esset ei ancilla, vel ut ancillaretur ei. *Dare in ancillam*, ut *dare in uxorem.* Non ovum ovo similius. Lxx. αὐτῇ παιδίσκην ei ancillam. Hiero. *cui pater servam Balam tradiderat.* Jonathan, ומסרה לה לאמהו & tradidit eam in ancillam. ¶ *Dilexit etiam*] dictionem *etiam* omittunt plerique interpretes tanquam superfluam, sed eam retinent Chaldæi: tum etiam Santes ac Tremell. & potest sensus esse, dilexit quoque illam post congressum, ut ante dilexerat q. d. nihil de amore ejus imminutum fuit. Quod sæpe fieri solet post coitum. Aut aliter, amavit quoque eam præ Lia, hoc est magis quam Liam. Quod autem Lia post dicatur *exosa*, id accipiendum est in comparatione. Nam amabat quidem eam ut uxorem; sed ad Rachelem comparata, quam nimis deperibat, exosa erat i. minus amabatur. Hoc Hiero. innuit cum verteret: *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit.*

31. *Videns autem DOMINUS exosam esse Leam aperuit vulvam ejus, & Rachel erat sterilis.*

32. *Concepit ergo Lea & peperit filium, & vocavit nomen ejus Ruben: nam dicebat, quia vidit DOMINUS afflictionem meam: certe nunc amabit me vir meus.*

Exosam esse Leam] כי שנואה לאה quod exosa esset Lea. Lxx. ὅτι ἐμισεῖτο λεία, quod odio esset Lia. Hiero. *quod despiceret Liam.* Jonath. *quod non esset Lea dilecta.* Onk. *quod esset exosa.* Erat autem exosa non simpliciter, sed comparatione, quia non adeo illam amabat ut Rachelem, pro qua septem annis servierat, & totidem illi adhuc serviendum erat. ¶ *Aperuit vulvam ejus*] ויפתח את רחמה. Lxx. καὶ ἤνοιξε τὴν μήτραν αὐτῆς, aperuit matricem ejus. Hiero. *aperuit vulvam ejus.* Onk. *dedit ei conceptum.* i. fecit ut conciperet. Sed vulva non aperitur in conceptu, verum in partu. Malim ergo, ut pareret. Hinc primogenitus vocatur פטר רחם apertio vulvæ sive matricis, quia tunc primum matrix aperitur. Jonath. *decrevit apud se dare ei filios.* ¶ *Et vocavit*] Lia. Nam verbum, quod in Ebræo, femininum est. Jus imponendi nomina utrique parenti commune erat, ita tamen ut mater nihil fecerit sine consensu patris. Secus accidit in Benjamin, quem Rachel Benoni appellaverat. De hac re diximus alias quæ non sunt iteranda. ¶ *Ruben*] ראובן ῥουβὴν. Nunc esset Reuben. id sonat *videte filium.* q. d. ecce filium peperi, non filiam. Inepte Hiero. *Ruben filius visionis interpretatur.* Idem melius in nom. de Apocalypsi; *Ruben, videte filium.* ¶ *Vidit*] respexit. Respicit autem eos quibus est propitius. ¶ *Afflictionem meam*] בעניי. Lxx. τὴν ταπείνωσίν μου, ἔδωκέ μοι υἱόν. *Vidit afflictionem meam, hoc est, dedit mihi filium.* Hiero. *humilitatem meam.* Onk. & Jonath. עלבני miseriam meam. Alius, *vexationem meam.* Possum falli, tamen inclino ut credam huc respexisse virginem Θεοτόκον, Luc. 1. 48. cum ita caneret, ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Quod vertunt, *humilem ancillam suam*, cum possit verti ex hoc loco, *humilitatem* vel certe *afflictionem ancillæ suæ.* Innuit autem sterilitatem. Nam steriles in miseria & afflictione erant. ¶ *Certe nunc*] vel *nunc enim.* Ebraice כי עתה. Lxx. νῦν οὖν nunc igitur. Hiero. *nunc.* Onk. ארי כען. Jonath. ארום כדון quia nunc. Gallica, *pourtant aussi maintenant.* ¶ *Amabit me*] Nam fœcunditas amabilem reddebat uxorem illo ævo. ¶ *Vir meus*] maritus meus.

33. *Et concepit adhuc & peperit filium, Quia audivit DOMINUS me exosam esse dedit mihi etiam hunc, & vocavit nomen ejus Simeon.*

Audivit] i. intellexit, ut Gen. 42. 23. *nesciebant quod audiret Joseph.* i. intelligeret eos loquentes. Gen. 11. 7. *ut non audiat vir sermonem socii sui.* Sic audire linguam dicitur, qui eum intelligit, ut ibi, *Gens cujus linguam non audietis.* Lxx. ἤκουσε κύριος ὅτι μισοῦμαι. Hiero. *audivit me DOMINUS contemtui haberi.* Aliter exponas, *audivit.* i. exaudivit me, *quia exosa sum*, eo quod minus diligar à marito. Vide sequentia. ¶ *Simeon*] שמעון Simeon, quod Græci perpetuo scribunt συμεὼν. i. Symeon. Posterior ætas contraxit hoc nomen in Simon. i. סימון ubi Elisâ Ain littera, deinde Sin in Samech versa. Hiero. in Quæst. *ab eo quod sit exaudita Simeon nomen imposuit. Simeon quippe interpretatur auditio.* Orig. Hom. 14. in Jesum Nave, *Simeon interpretatur exauditio.* Joseph. Ant. Jud. Lib. 1. cap. 27. *Symeon nomen significat ei exaudibilem fuisse Deum.* Græca sunt Συμεώνην δ' τὸ ὄνομα, τὸ ἐπήκοον αὐτῇ γεγενῆσθαι τὸν θεόν: quæ sic interpretatur Gelenius: *quod sig. exorabilem ei fuisse Deum.*

34. *Et concepit adhuc & peperit filium, & dixit, Nunc hac vice copulabitur mihi vir meus eo quod pepererim ei tres filios: propterea vocavit nomen ejus Levi.*

Nunc hac vice] עתה הפעם. Lxx. ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Hiero. *nunc quoque.* Onk. & Jonath. הדא זמנא hoc tempore. Trem. *nunc demum.* Gal. *or a cette fois.* ¶ *Copulabitur mihi*] vel, *adjungetur mihi.* Ebraice ילוה אלי. Lxx. πρὸς ἐμοῦ ἔσαι: apud me erit. Aquilas, *applicabitur mihi.* Hiero. vide supra. Adde: Hæc significatio frequens est apud Magistros, qui deductionem לויה vocant. Chaldæi quoque in Aphel אלוי dicunt pro comitor, deduco. Quod reperitur cum alibi, tum Gen. 12. 20. Ceterum לוה usurpant Doctores in Piel. Hic est נלוה in Niphal, quod Onk. reddit יתחבר לי associabitur mihi. Jonathan עמי mecum. In Ebræo est ad verbum אלי ad me. ¶ *Levi*] לוי Levi. Græce λευὶ & λευὶ. unde λευὶν quod in recto casu faceret λευὶς. i. Levis.

35. *Et concepit adhuc & peperit filium & dixit, Hac vice confitebor DOMINO: ideo vocavit nomen ejus Judam & destitit parere.*

Confitebor DOMINO] Sic interpres vetus. Ebraice est אודה את יהוה. Lxx. ἐξομολογήσομαι κυρίῳ. Onk. & Jonath. *confitebor coram DOMINO.* Santes quoque, *confitebor DOMINO.* Sensus autem est, *gratias agam DOMINO:* vel certe *laudabo DOMINUM*, sive, ut habet Trem. *celebrabo* DOMINUM. Hinc in cantionibus Ecclesiasticis, *confessionem personare.* i. laudem vel gratiarum actionem. Hiero. in Quæst. *A confessione confessoris nomen est dictum Veruntamen hic confessio pro gratiarum actione seu pro laude accipitur.* præclare. Nam etiam Josephus eo modo interpretatur Juda εὐχαριστία. Orig. Juda. Lib. 1. cap. 19. & 27. Glossarius Philonis, Juda, αἴνεσις. Basilius quoque hom. in Psal. 29. ἐξομολογήσομαι explanat ἀντὶ τῆς εὐχαριστίας. ¶ *Judam*] יהודה Juda, ut יהורם Joram, יהושע Josua vel Josue. Potius ut dicamus ex הודה factum esse יהודה præmissa littera Joth, indice nominum propriorum q. dicas confessor aut confessio. Constat hoc nomen ex duobus, videlicet ex tetragrammato יהוה & ex verbo ידה quod in Hiphil facit הודה confiteor, laudo, gratias ago. Unde Hesychius, Ἰούδας, ἐξομολόγησις θεοῦ. ¶ *Destitit parere*] ותעמד מלדת & stetit à pariendo, quod Græci dicunt ἔστη τοῦ τίκτειν. Onk. & Jon. וקמת מלמילד. i. destitit parere. Hiero. *cessavit parere.* Santes, *desiit parere.*

AMAMA.

17. Ebr. *Et oculi Leæ erant* רכות. Vulg. *Lia erat lippa oculis.* Vox Ebræa significat, *teneri, debiles.* LXX. ἀσθενεῖς. Onk. *pulcri*, nimium exorbitans. Sulpitius, *deformes.* Sed locum hunc verbis & periculo Steuchi castigabo, is ergo sic ait, Ebræa habent, & oculi Leæ erant debiles. Quare non is videtur esse sensus, videlicet oculos Leæ lippos, sed magis lusciosos fuisse leviterque aspicientes, quod ad deformitatem permultum refert. Vox autem Ebraica ubicunque reperitur, invenitur significare debilitatem & mollitiem. &c. LXX. quoque οἱ ὀφθαλμοὶ λείας ἀσθενεῖς; nisi forte Hier. ex ea debilitate opinatus sit lippitudinem contingere, quod tamen non perpetuo fit. Hactenus Steuchus. Videatur & Cajet. qui itidem dicit Ebr. esse *teneros oculos.* Aben. ridet quendam qui רכות interpretatur *longi*, ac si esset pro ארוכות deficiente litera א, Abenezra facete ad illius חסר אלף, ipsum esse חסר אלף, deficere doctrina.

23. Hæc verba ויבא אליה *Et ingressus est* (Jacob) *ad eam*, Leam, omisit Interpres, non sic LXX. non Onk.

DE MUIS.

20. Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis: & *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Apud Labanum avunculum, ad quem metu Esai fratris indignantis necemque minitantis, quod paternam benedictionem intercepisset, de matris sententia præsertim se receperat, non multum temporis Jacobus fuit, quin Rachelis, alterius è Labani filiabus, specie captus, (virgo enim erat egregia forma atque honesta) ejus

ptem annis aliis serviturus sit. Non igitur, ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primæ. Nam sequitur, *Et ingressus est ad Rachel, & dilexit Rachel magis quam Liam, & servivit ei septem annis aliis.* Mercerus ait Labanem non distulisse Jacobo dare Rachelem, usque ad finem septennii posterioris; id enim nimis iniquum & durum fuisse; sed vel eodem anno, vel non multo post datam ei fuisse Rachelem; idque arguere, id, quod dicitur, Rachelem invidisse fœcunditati sororis suæ, quod non fecisset; si in fine secundi septennii Jacobo nupsisset. Atque illa quidem ratio ad id probandum mihi videtur validissima. At cum dicitur, *Imple hebdomadem hujus.* Mercerus sic intelligit, *Imple hebdomadem Rachelis*, & hebdomadem annorum significari existimat; Quod autem Laban per hebdomadem intellexit septem annos, ex eo colligit, quod mox se declarans dixit, pro servitute, quam servies apud me aliis septem annis. Sed ratio ista minus valida videtur; iis enim verbis duntaxat ostenditur, qua conditione etiam Rachel danda esset Jacobo; at per hebdomadem hujus, intelligendum esse septennium Rachelis, haudquaquam inde astruitur. Imo cum dicitur, *Imple hebdomadem hujus*, & dabimus tibi etiam hanc; & ver. 28. Et ita fecit Jacob, & implevit hebdomadem illius, & dedit ei etiam Rachelem filiam suam in uxorem; si de septennio Rachelis exponendum esset, sequeretur, contra quam firmissima ratione motus sentit ipse Mercerus, Jacobum non nisi exacto altero septennio duxisse Rachelem; apparet siquidem ex serie textus, eum prius implevisse (*a*) hebdomadem hanc, de qua fit sermo, quam Rachelem duxerit. Omnibus igitur diligenti rationis trutina expensis, altera expositio mihi potior videtur. Id quidem in gratiam opinionis Merceri potest objici, quod Hebraice sic legitur, מלא שבע זאת ונתנה לך גם את זאת, ubi dictio זאת bis ponitur, quasi de una eademque filia sermo fieret; *Imple hebdomadem hujus, & dabimus tibi etiam hanc.* Sed זאת priori loco ad Leam, posteriori autem ad Rachelem referri potest, atque etiam, opinor, debet. Vulg. *Imple hebdomadem dierum hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi, &c.*

32. *Et dabimus tibi etiam hanc.*] Statim (inquit R. Salom.) post exactos septem dies convivii; deinde, postquam eam duxeris, servitutem servies.

כִּי־רָאָה יְהוָה בְּעָנְיִי *Nam vidit Dominus afflictionem meam.*] LXX διότι εἶδέ μου Κύριος τὴν ταπείνωσιν, *quoniam vidit Dominus humiliationem meam; vel humilem, vilem, abjectam meam conditionem.* Vulg. *Vidit Dominus humilitatem meam.* Quod recte Lyra interpretatur, *Vidit me Dominus vilem & abjectam reputatam; ideo consolatus est me.* Hinc autem facile constare potest, quis sit verus ac germanus sensus verborum Beatæ Virginis Luc. 1. 48. ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Vulg. quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Nonnulli existimarunt B. Virginem humilitatis ergo eo honore à Deo dignam habitam esse, ut Christus ex ea nasceretur; cum ταπείνωσις non denotet humilitatem, prout superbiæ opponitur (ea enim virtus dicitur ταπεινοφροσύνη, nusquam autem, quod sciam, ταπείνωσις) sed respondeat Hebræo עני, ac *humilem afflictamque conditionem significet.*

34. יִלָּוֶה אִישִׁי אֵלַי *Adjungetur maritus meus mihi*] Chald. יתחבר *consociabitur.* Et eodem verbo utitur in suo Targum Jonathan. LXX πρὸς ἐμοῦ ἔσται, *apud me erit.* Hieron. in Tradit. ait Aquilam interpretatum esse, *Applicabitur mihi vir meus*; & à Doctoribus Hebræorum exponi, *Prosequetur me vir meus*; id est, *Non ambigo de amore in me viri mei; erit mihi in hac vita comes, & ejus dilectio me ad mortem usque deducet & prosequetur.*

(*a*) Hebdomade transacta Rachel duxit uxorem. *Vulg.*

CAP. XXX.

MUNSTERUS.

1. **R***Emovit*] Hebraice, *prohibuit*, vel *privavit.*

6. *Causam meam egit*] In sacra lingua verbum דין proprie significat *causam agitare coram judice, disceptare & contendere cum adversa parte*, aut *patronum agere*: שפט vero significat *decernere judicium* & *ferre sententiam.*

8. *Luctationibus divinis*] Locus iste varie ab Hebræis exponitur. Nam Kimhi post Aben Ezra exponit verbum נפתל per נתפתל & אבק, i. *luctari*, & item per עקש & פתל, i. *pervertere* & *obliquare*, ut faciunt luctatores atque certatores, qui corpus in luctamine variis subvertunt & obliquant modis. Alii exponunt verbum נפתל per חברתי *conjunxit*: unde & פתיל significat *filum* & *ligamen*: ut sit sensus, *Conjuncta sum per Deum sorori meæ, imo excellui eam.* Putat tamen Kimhi *Elohim* hic non accipi pro *Deo*, sed pro *magnifico*: & tunc erit sensus, *Luctationibus magnificis luctata sum cum sorore mea.* Id enim quod magnificum est vocat Hebraismus *Divinum*; ut *cedrus Dei*, i. *cedrus magnifica & procera.*

11. *Cum fortuna*] Sequuntur fere omnes Hebræi Chaldaicam interpretationem, quæ pro בגד habet אתא גד, i. בא גד, *venit fortuna*, abscondita scilicet litera Aleph in Camez voce magna. Sunt etiam aliqui ex Hebræis qui גד exponunt pro כוכב צדק, *Iove planeta*, quem alio nomine vocant מזל טוב *bonam fortunam*, quod in liberorum procreatione salubrem immittat influentiam. Unde puellæ desponsatæ traditur annulus in quo scriptum est מזל טוב, ut supra quoque meminimus.

13. *Cum beatitudine mea*] Vel, *in beatitudine mea.* Onkelos vertit sic, *Laus facta est mihi, quoniam nunc laudabunt*, seu *felicem prædicabunt, me mulieres.* Aben Ezra exponit Beth pro בעבור, ut sit sensus, *Propter felicitatem meam natus est hic filius.* Ponitur autem in Hebræo verbum præteritum pro futuro.

14. *Mandragoras*] Dicit Gerundensis, *Attulit Ruben ramos aut fructum qui similis est pomis, habetque odorem optimum. Radix vero habet figuram capitis & manuum.* Idem fere sentit Dioscoridis, nisi quod hæc herba absque caule crescit. Sunt etiam qui dicunt דודאים esse herbam quæ libidinem in mulieribus excitat, vel, ut alii ajunt, vulvam ad conceptum disponat. Quam sententiam Aben Ezra non probat, quod mandragoræ טבעם קרה ולחה *qualitatis frigidæ sint.*

18. *Issachar*] Seu, ut Hebræi legunt, *Jissachar.* Interpretatur, *Remunerabitur, Merces dabitur*; nisi quod unum Sin otiose & sine omni puncto interponitur.

20. *Dotavit me*] Kimhi exponit dictionem זבד per מתנה, i. *Datum, dos.* Gerundensis putat esse dictionem compositam à זה & בד. Est autem בד *ramus grossus & fortis*, sub cujus umbra quiescere licet. Aben Ezra exponit verbum ipsum pro נתן חלק, *dedit portionem.* Porro *Zebulum* interpretatur *Cohabitatio.*

23. *Collegit*] Accipiunt Hebræi verbum *colligere* pro *includi*, aut *introduci*; ut, *Collectus est ad patres suos*; *Colligetur leprosus in domum*; *Collectus est Moses in castra*, &c.

27. *Experimento probavi*] Verbum נחש hoc loco communiter ab Hebræis exponitur per נסה, *tentavit, probavit.* Aben Ezra dicit quod Laban usus fuerit divinationibus, quandoquidem habuerit Theraphim in domo sua, de quibus infra. Et quod sequitur, *Constitue*] verbum נקב idem significat quod פרש, *explicavit, in speciem expressit.* Quidam hunc versum sic ordinant & legunt, *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi mercedem tuam, & dabo: observavi enim quod Dominus me fortunaverit propter te.*

29. *Possessio tua apud me*] Potest & is locus sic reddi, *Quantus fuerit grex tuus mecum, cum scilicet primum ad te venissem, tu nosti. Sed benedixit tibi Deus ad pedem meum.* sic enim habet textus Hebraicus, usurpans *pedem* pro ביאה, i. *adventu.*

32. *Punctis notatum*] Seu, ut Hebraismus habet, *punctuosum*; cujus scilicet vellus habet multas maculas parvas. טלוא vero habebat *magnas maculas diversi coloris.* Porro pro חום Kimhi exponit שחור, *nigrum.* Generat enim calor nigredinem: חום vero significat *calorem.* Alii interpretantur אדום *subrufum.* Neque enim sunt ovium vellera omnino nigra, sed nigredo illa nonnihil in rubedinem degenerat.

35. *Amovit*] Subaudi *Laban. Omne in quo erat albedo*] h. e. macula alba.

36. *Residuas*] Debiles scilicet & steriles, quæque generationi non satis accommodæ erant. Et quod sequitur, *Virgas populi*, non satis convenit inter Hebræos de prima arbore. Judæi Germani hanc interpretantur espen. Decorticavit autem Jacob in his virgis cortices, non quod eos omnino detraxerit, sed ex denudatione aliqua varietatem colorum in virgis fecit. Posuitque eas in רהטים, h. e. *decursibus aquarum*, ut aliqui Hebræi interpretantur. Aben Ezra vero exponit רהטים מקום חבור המים, *locum collectionis aquarum*: In quem Jacob virgas illas posuit ut oves ex earum aspectu conciperent, sive, ut Hebraismus habet, *incalescerent*, scilicet ad coitum. Et hæc prima fuit industria Jacob. Altera quoque fuit huic similis. Nam maculosos

)osos agnos jam natos in unum redegit gregem, fecitque illum antecedere gregem ovium Laban, ut sequentes oves, contemplatione præcedentium maculosorum agnorum, alios parerent maculosos. Porro נקד hoc loco accipitur pro *agno habente crura maculis respersa.* Alioquin significat hoc vocabulum *ligare.* Ligatio autem ovium fit in cruribus. Tertia industria Jacob fuit, quod virgas posuit in canales eo tempore quando robustiores oves conceptui operam dabant, aut quando procliviores erant ad coitum, ut sic robustiorem ederent fœturam. quod scilicet fit in mense Nisan. Et vocat Scriptura hic robustiores oves המקשרות, *conspirantes*, seu *quæ conspirationem inierant*, libidine excitata; aut, ut alii putant, quod membra illarum robustius fuerint colligata seu consolidata. Atque ita exponit Gerundensis post R. Menahem. Cæteri sequuntur Chaldæum interpretem, qui vertit בכיריא, *primitiva*; sicut & העטופים exponit per לקישיא, i. *serotina*; quæ scilicet in mense Tisri, h. e. Septembri, nascuntur. Gerundensis vero exponit חלושים, i. *debilia*, à verbo עטף, quod *mœrore deficere* significat.

F A G I U S.

1. DA *mihi filios*] h. e. ut Hebræi exponunt, Effice & impetra precibus tuis à Deo ut fœcunda fiam, sicut impetravit pater tuus matri tuæ Rebeccæ. ¶ *Morior ego*] Duplicem potest habere sensum. I. Si non curaveris ut & ego filios habeam, enecabit me; causa erit ut eo citius moriar. Magno enim vitio mulieri vertebatur; sterilem esse. II. *Morior*, i. Memoria mei plane emorietur & obliterabitur. Dum enim parentes post se liberos relinquunt, in illis quasi adhuc vivere ac superesse videntur; secus vero, cum sine liberis decedunt. Unde est hæc vulgo apud Hebræos jactata sententia, מי שאין לו בנים חשוב כמת. *Cui non sunt liberi, perinde est ac si mortuus sit.*

3. *Et ego nutriam*] Paraphrastes expressit Hebraismum, *Et pariat super genua mea*, i. Cum illa pariet, ego accipiam puerum in gremio meo & nutriam. ¶ *Ædificer*] Procreationem & susceptionem filiorum Scriptura sacra *ædificationem* vocat, quod posteritas scilicet in filiis quodammodo *ædificatur*, i. restauratur & conservatur. Unde Hebræi dicunt, מי שאין לו בנים אינו בנוי אלא הרוס *Qui non habet filios, non est ædificatus, sed quasi dissipatus.* Vel, ut Hebræi dicunt, Scriptura liberorum procreationem *ædificationem* nominat, quod sicut ædificium aliquod exstruendum curam, studium & diligentiam requirit, similiter & in conservando, ita & liberorum educatio. Liberi ergo Hebræis בנים ab *ædificando* dicuntur propter enumeratas rationes: cujus vocis vis copiosam materiam suppeditat, ubi de cura, studio & diligentia quæ in educandis liberis adhibenda est, sermo fieri debet.

11. *Venit fortuna*] Paraphrastes vocem Hebraicam בגד *bagad* ita reddidit quasi duæ essent voces, בא גד, i. *Venit fortuna.* Fortunam enim & constellationis fatum Hebræi *Gad* vocant. Unde & referunt stellam justitiæ ita quoque vocari in lingua Arabica. Juxta hanc ergo interpretationem Lea cum quadam exclamatione & gratulatione, qualem in prospero aliquo eventu fieri videmus, dixisse videtur, בגד, *Venit fortuna*: q. d. Das ist glück und heyl. Sunt tamen (quos & A. E. & R. D. K. sequuntur) qui גד *Gad* à גדד *gadad*, quod *turmam* & *exercitum* significat, exponunt. Quasi dixerit Lea, se isto nato filio quasi turmam & exercitum filiorum nactam esse.

14. *Invenit mandragoras*] Mandragora quid sit, etiam ex Hebræis scriptoribus certo colligi non potest. Id quod ex eo apparet, quod alii dicunt esse radicem herbæ hominis effigiem præ se ferentem, quæ vulgo (inquiunt) *mandragora*, Germanice alraun vocatur: alii vero dicunt esse מין עשב שריחו טוב, i. *genus floris odoriferi.* & citant locum Cant. 7. 13. *Mandragora dederunt odorem suum*, ubi *violas* exponunt. & Thargum transtulit, *Mandragora, seu viola, dederunt odorem balsami.* LXX. præsentem locum verterunt, καὶ εὗρε μῆλα μανδραγορῶν, *Et invenit poma mandragorarum*: ut quod de toto frutice diceretur, ipsi ad partem retulerint. Sunt enim in mandragoris, teste Dioscoride, mala inter folia sita, sunt & ipsa folia: radices quoque ternæ vel binæ cujuscunque caulis, eæque mutuis complexibus conjunguntur, non puero dissimiles. Proditum est à medicis, hanc herbam menstrua ciere, vulvamque muliebrem ad conceptum mirifice accommodare. A. E. tamen miratur quomodo istam virtutem habeat, cum sit frigidæ qualitatis. Eligat ex his pius lector quod sibi vero magis consonum videbitur.

22. *Et venit memoria Rachelis*, &c.] Placet hic adducere quæ habet Paraphrastes Hierosolymitanus in hunc locum; ארבעה מפתחין ראינון מסרין ביד רבון כל עלמא ה׳ ולא מסר יתהון לא למלאך ולא לשרף מפתח מטרא מפתח פרנסא מפתח קברייא מפתח עקרותא מפתח מטרא דכן כתבא מפרש יפתח ה׳ לך את אוצרו הטוב וגו׳ מפתח פרנסא דכן כתבא מפרש פותח את ידך וגו׳ מפתח קברייא דכן כפתח׳ את קברותיכם וגו׳ מפתח עקרותא דכן כתבא מפרש ויזכר אלהים את רחל וגו׳ i. *Quatuor claves traditæ sunt in manum Domini universi mundi, quas non tradidit Dominus nec Angelo nec Serapho; Clavis scilicet pluviæ, clavis cibationis, clavis sepulcrorum, clavis sterilitatis. De clave pluviæ ita dicit Scriptura*, Aperiet Dominus tibi thesaurum suum bonum, &c. Deut. 28. *De clave cibationis*, Aperis manus tuas, *&c.* Psal. 145. *De clave sepulcrorum*, Cum aperuero sepulcra vestra, *&c.* Ezech. 37. De clave sterilitatis, *Et recordatus est Deus Rachelis*, &c. Gen. 30. Hactenus ille. Quibus vult significare, hæc quatuor maxime in manu & potestate Dei esse, Pluviam scilicet cœlestem, alimoniam; mortuorum resurrectionem, & liberorum procreationem.

23. *Collegit Deus opprobrium meum*] Olim vitio dabatur sterilitas. Nam fœcunditas ex Deo proveniebat; qui dixerat, *Crescite & multiplicamini.* Nota phrasim, *colligere*, pro, *adimere, tollere, auferre.* Prius pro posteriore ponitur. Quæ enim ablata volumus, prius colligimus. Unde dicimus, *Is sarcinas collegit*, cum volumus abitum alicujus significare.

24. *Addet mihi Dominus filium alium*] Tantum vult dicere, Cum unum habuerim, plures habitura sum.

27. *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis*] Concisus sermo est. vult enim dicere, Si, quæso, inveni gratiam in oculis tuis, diutius mecum maneas. ¶ *Expertus sum*, &c.] Quidam sic interpretantur istum locum, *Si inveni gratiam in oculis tuis, si tibi charus sum, si quid facere velis mea causa, mane apud me. Nam experimento didici Deum benedixisse mihi tua causa. Neque volo ut maneas apud me gratis: sed præscribe præmium tuum mihi, dic mihi quid velis lucrari; & dabo tibi*: vel, *ut dem tibi.* q. d. *Quicquid petieris à me, dabo tibi.* Alii sentiunt Laban divinationibus usum fuisse, h. e. experimentum à Teraphim, i. idolis suis quæ domi habebat, sumpsisse. Nam verbum Hebraicum נחש, quod Paraphrastes per נסי, *tentare*, seu *probare*, vertit, *divinare & augurari*, significat.

30. *Facere domum*] Hebraismus est pro, *operam dare rei familiari, & congregare divitias ad alendam familiam.* Et Latini dicunt *rem facere* pro *locupletare, augere, curare, ampliare rem domesticam.*

33. *Ei testimonium dabit*, &c.] Sensus est, Justitia mea testabitur posthac de me, sive testimonium mihi feret, cum tu venies ad mercedem meam. h. e. Tunc deprehendes me justum esse, cum venies ad videndas oves quæ mihi mercedis loco cedent, & videris me nihil habere quod tuum sit. Nota quod illa כי תבוא על שכרי possunt vel in tertia persona reddi, hoc modo, *quando veniet ad mercedem meam*, wan es wirt kommen zu meinem lon, &c. ut verbum *veniet* sit fœmininum, & referatur ad *justitiam.* Vel in secunda persona, *cum tu venies ad mercedem meam.* h. e. cum tu conferes mecum de mercede mea.

40 *In capite ovium*] Sensus est, Agnos maculosos jam natos separavit in gregem, quem antecedere fecit oves Laban, ut ita ex aspectu agnorum maculosorum alios maculosos ac diversicolores parerent. Triplici enim arte & industria usus fuit Jacob; I. ponendo virgas decorticatas ante oves in canalibus, II. ducendo agnos maculosos ante oves, III. virgas in canalibus eo tempore ponendo quando robustiores oves conceptui operam darent, aut quando ad coitum procliviores erant; ut sic robustiorem ederent fœturam: quod scilicet fit in mense Nisan, qui respondet Martio vel Aprili.

41. *Oves primitivæ,*] *Primitivas* vocat eas quæ coibant in prima admissura, h. e. in Martio, verno conceptu, atque hæ propter clementiam subsequentis æstatis validiores erant, unde & textus Hebraicus vocat illas מקשרות i. *colligatas*, a robore scilicet, quod illarum membra robustius quodammodo colligata sive consolidata fuerint. קשר enim *colligare* significat. *Serotinas* vero vocat eas quæ in posteriore admissura, h. e. in mense Septembri, in autumnali scilicet conceptu, coibant: quas, quia propter subsequens frigus hyemisque asperitatem debiliores reddebantur, Hebraismus עטופים vocat, quod *minus valerent robore.* עטף enim Hebræis *langueſcere & deficere significat.*

I D E M.

8. ותאמר רחל נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי גם יכלתי *Et dixit Rachel; Luctationibus Divinis luctata sum cum sorore mea,*

mea, & praevalui, &c.] Variatio est circa haec, נפתולי אלהים נפתלתי Quae Vulg. Lat. interpres per, *Comparavit me Dominus cum sorore mea*, reddidit. Cum tamen פתל verbum Hebraeis non proprie *comparare*, sed *convertere*, *pervertere*, vel *addere*, *conjungere*, item *conari*, *luctari*, & *obliquare* significat. Quomodo enim comparanda erat Rachel cum sorore sua Lea, quae ex se peperit tres filios, & ipsa tantum duos, eosque non ex se sed ex serva? Rectius ergo sentiunt qui legunt, *Conversionibus Dei*, vel *vicissitudinibus Dei conversa sum*. Nam פתל Hebraeis & *versionem* quandam significat. Inde נפתולי *conversiones*, sive *vicissitudines*: ubicunque enim versio fit, ibi est vicissitudo. q. d. Rachel, Quemadmodum soror mea primum foecunda fuit, ego vero sterilis, ita nunc vice versa ego foecunda sum, & ipsa sterilis. Hunc sensum viderunt aliquo modo & Lxx. qui verterunt, *auxiliatus est mihi Deus*: ubicunque enim labor est & afflictio, & quispiam onus tollit, vicissitudo est. Nam cum tollo onus tuum ac levo, jam vicem tuam suppleo, adeoque tibi auxilior & subsidium fero. Quasi diceret Rachel, Ecce Dominus vices meas doluit & adjuvit. Levavit onus contumeliarum & opprobrii quod à viro & sorore patior. Sicut prius sororem juvit, ita nunc vice versa me adjuvat & valida sum. Quidam Hebraeorum, ut est videre apud R. Salomonem, legunt, *additione*, sive *conjunctione*, *Dei conjuncta sum cum sorore mea*. Nam פתל verbum aliquando *addere* & *conjungere* significat, unde est פתיל, *filum & ligamen* quo aliquid conjungitur, ut sit sensus, *conjuncta sum per Deum sorori meae*, imo excellui eam. R. D. K. in Radicibus suis post Aben Ezram verbum פתל per התהפך, חשתרל, עקש, & נפש, i. *converti*, *conari*, *luctari*, & *obliquare* exponit, ut faciunt luctatores atque certatores, qui corpus in luctamine variis subvertunt & obliquant modis. Idem quoque nomen *Dei* augendi gratia additum esse putat, ut sit sensus, luctationibus, sive conatibus maximis, vel vehementissimis, luctata, sive conata, sum cum sorore mea ut superarem eam, atque praevalui. Qualis autem fuerit isthaec luctatio atque conatus pulcre explicat Paraph. Chaldaeus, nempe quod precibus apud Dominum contenderit, atque ita prolem efflagitarit.

11. ותאמר לאה בגד ותקרא את שמו גד *Et ait Lea, Cum fortuna: & vocavit nomen ejus Gad.*] Plerique Hebraeorum in exponenda voce בגד sequuntur Paraph. Chaldaeum, quasi ex duabus dictionibus בא גד, i. *venit fortuna*, ut ille reddidit, una dictio facta sit בגד, quiescente scilicet Aleph in voce magna camez sub Beth. Exclamatio ergo est, qualem fieri videmus in subito aliquo prospero eventu, Das ist glück und heil. R. D. Kimhi tamen, post Aben Ezram, in libro Radicum hanc voculam גדר à גד, quod *exercitum* & *turmam* significat, deducit. Unde sic explicat, בא גד כלומר גדוד הגדוד כי כמלוה הדרה לדרו גדוד בנים, VENIT GAD, *q.d. congregans exercitum, sive turmam, nam siquidem eo fuit ei turma filiorum.* D. Hieronymus in Quaest. suis super h. l. sic scribit, *Ubi nos posuimus, In fortuna, & Graece dicitur ἐν τύχῃ, quod potest eventus dici, in Hebraeo habetur* בגד, *quod Aquila interpretatur*, VENIT ACCINCTIO. *Nos autem dicere possemus* IN PROCINCTU. B *A enim potest praepositionem sonare*, in, *& venit. Ab eventu ergo sive procinctu, qui Gad dicitur, Zelpha filius Gad vocatus est.* Haec ille.

14. וימצא דודאים בשדה *Et invenit mandragoras in agro,*] Variatio est in voce דודאים. R. Salomo dicit esse radices herbae quae apud Ismahelitas יסמין vocatur. Aben Ezra sequitur Paraph. Chaldaeum, qui יברוחין, quod *violas* exponunt, reddidit; juxta illud in Canticis, הדודאים נתנו ריח, *mandragorae dederunt odorem.* R. D. Kimhi scribit דודאים esse radicem herbae quae prae se ferat similitudinem hominis, masculi scilicet & femellae, & quae vulgo *mandragora* vocatur. Gerundensis commentator Hebraeus in h. l. sic scribit, *Attulit Ruben ramos aut fructum qui similis est pomis, habetque odorem optimum. Radix vero habet figuram capitis & manuum.* Huic sententiae accedunt LXX. cum sua versione, qui legunt, μῆλα μανδραγόρου, i. *mala mandragorae*, referentes ad partem quod de toto frutice dicitur. Et teste Dioscoride, mala mandragoris inter folia sita sunt. Sunt & ipsa folia: radices quoque, ternae vel binae cujuscunque caulis, eaeque mutuis complexibus conjunguntur, non puero dissimiles. Proditum quoque à Medicis est, hanc herbam menstrua ciere, vulvamque muliebrem ad conceptum mirifice accommodare: quod mirum tamen videtur Aben Ezrae, cum frigidae qualitatis sint mandragorae.

32. אעבר בכל צאנך היום הסר משם כל שה נקד וטלוא וכל שה חום בכשבים וטלוא ונקד בעזים והיה שכרי, &c. *Transibo hodie per omnes greges tuos, auferendo inde omne pecus punctis notatum & maculosum, & omne pecus nigrum in ovibus, & maculosum atque punctatum in capris: istudque erit merces mea, &c.*] Volui totum hunc locum annotare, quod apud Lxx. & Vulg. interpretem in quibusdam tanta sit confusio ut difficulter certum sensum elicere possis. Primum ergo ostendam ubi sit variatio, dein voces quasdam difficiliores & phrases explicabo. Primum variatio est circa illa, *Transibo hodie per omnes greges tuos*, pro quo Lxx. & Vulgata translatio sensum magis quam verba reddidere. Lxx. enim quod in Hebraeo in prima persona dicitur, *Transibo, &c.* in tertia persona legunt, *Transeant omnes oves tuae hodie, &c.* Vulgata editio in secunda persona, *Gyra omnes greges tuos, &c.* Secundo variatur ibi, *Amovit igitur illa die hircos notis & maculis respersos, &c.* quae admodum perturbato ordine habet Vulgata translatio, sicut facile patet si conferas ad textum Hebraicum. Dissentit quoque & illud, *Cunctum autem gregem unicolorem, i. albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum, &c.* ut habet Vulg. editio. Non enim hoc vult Scriptura, quod ea quae unius coloris erant tradiderit in manum filiorum suorum, puta tota alba, aut tota nigra, sed quae diversi coloris erant punctata & maculosa. Et ita habet textus Hebraicus, *Omnia in quibus erat aliquid albi, & omnia nigra in ovibus, &c.* Tertio variatur ibi, *Et separavit Jacob agnos, posuitque facies ovium ut respicerent versus agnos notis respersos, atque versus omne nigrum quod erat in ovibus Laban, ponendo scilicet suos greges seorsum, & non ponendo eos cum ovibus Laban, &c.* ita habet Hebraismus, quem infeliciter reddidit Vulgata translatio, sicut patet ex collatione. Caeterum quis sit totius istius loci sensus genuinus, quomodoque Jacob & Laban inter se convenerint, sic accipe; Conditionem ipsi Laban Jacob talem proponit, Nempe quod velit cum eo lustrare universum gregem, in quo quicquid aliquo modo punctatum, maculosum, stigmatizatum, fuscum, pullum, aut quoquo modo variegatum inventum fuerit, sive in ovibus, sive in capris, sibi pro mercede separetur: quicquid vero omnino album fuerit, ipsius Laban esse debeat. Hanc conditionem accipit Laban, quod scilicet oves maculosae & varicolores pauciores essent, plures vero quae penitus albae erant. Jam quo pauciores maculis respersae quoque nascerentur, atque Jacob sua mercede ità fraudaretur, semovit Laban omnes quoque mares variegatos, una cum caeteris punctatis ovibus & capris, dirimens eas ab albis itinere trium dierum: ne scilicet Jacob locum haberet commiscendi greges, putans nimirum ista ratione fieri ut nulla posthac grex pareret maculosa. Quae igitur maculosa diversique coloris erant, filiis suis custodienda tradidit: reliquum vero gregem, puta quae plane alba erant, ipsi Iacob pascenda reliquit. Porro perfidiam, dolum & astum soceri sui triplici arte ac industria Iacob propulsat, ita nimirum disponente ac providente Deo. Prima industria fuit, quod virgas decorticatas ante oves in canalibus posuit, ut ex earum aspectu conciperent, atque ita diversicolores parerent. Altera, quod maculosos agnos jam natos in unum redegit gregem, quem antecedere fecit gregem ovium Laban, ut sequentes oves contemplatione praecedentium maculosorum agnorum alios parerent maculosos. Tertia industria Iacob fuit, quod virgas in canales posuit eo tempore quando robustiores oves conceptui operam darent, aut quando procliviores ad coitum erant, ut sic robustiorem ederent foeturam, quod scilicet fit in mense Nisan. Iam vero voces & phrases quasdam explicabimus. הסר vel Imperativus, vel Infinitivus esse potest, *auferendo*, vel *aufer*. נקד *punctatum* vel *punctuosum* dicitur, cujus vellus habet multas maculas parvas. טלוא, *quod habet magnas maculas diversi coloris.* חום R. D. Kimhi exponit שחור, i. *nigrum*: nigredinem autem generat calor, quem חום Hebraeis proprie significat: alii interpretantur *subrufum*. Neque enim sunt ovium vellera omnino nigra, sed nigredo illa nonnihil in rubedinem degenerat. *Et respondebit pro me justitia mea in die crastino, quando veneris super mercede mea, coram te.* Sensus est, Si forte tu Laban posthac dubitare velles de fide mea, testimonium mihi feret justitia mea, cum scilicet tu venies ad mercedem meam: h. e. Tunc deprehendes me justum esse, cum venies ad videndas oves quae mihi mercedis loco cedent, & videris me nihil habere quod tuum sit. Sunt tamen qui verbum תבוא in tertia persona legunt, & referunt ad *justitiam*. Sed prior lectio mihi magis probatur, quam & Aben Ezra approbat. שקתות sunt *decursus aquarum*. Aben Ezra exponit, מקום חבור המים *locum collectionis aquarum*, in quem Iacob virgas illas posuit ut oves ex earum aspectu *conciperent*, sive, ut Hebraismus habet, *incalescerent*, scilicet ad coitum. *Et agnos separavit Jacob, deditque (seu posuit) facies ovium versus agnos, &c.* Haec erat secunda industria Jacob, ut antea indicatum est. Vulgata translatio hunc sensum non tantum non expressit, sed etiam adjecit quae textus Hebraicus non habet, nempe illa, *Et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum.* Lxx. hunc locum sic legunt, *At agnos separavit Jacob, & posuit coram ovibus arie-*

tem

tem subalbum. Decepit illos præpositio אל, i. *ad* vel *versus*, pro qua legerunt איל, quod *arietem* significat. עקד accipitur pro *agno habente crura maculis respersa.* Deducta vox est à verbo עקד, quod *ligare* significat: ligatio autem ovium fit in cruribus. המקשרות, sic vocat hic Scriptura oves robustiores, i. *conspirantes*, seu *quæ conspirationem inierunt libidine excitatæ.* Vel; ut alii putant, quod membra illorum robustius fuerint colligata vel consolidata: atque ita exponit Gerundensis post R. Menahem. Cæteri sequuntur Paraph. Chald. qui vertit בכיריא *primitiva*, sicut & העטופים reddit לקישיא, *serotina*, quæ scilicet in mense Tisri, h. e. Septembri, nascuntur. Gerundensis vero exponit חלושים *debiliores oves*, à verbo עטף, quod *mærore deficere* significat.

VATABLUS.

1. **M***Ortua sum.* :מתה אנכי] i. perii, actum est de me. Præt. Heb. pro fut. *moriar.*

2. *Nunquid pro Deo sum*, התחת אלהים אנכי] *Num Dei loco sum ego?* Hebraismus. q. d. Fierine potest ut pro Deo me habeas? h. e. Putasne me Deum esse qui id fecerim, aut qui id possim? ¶ *Qui prohibuit*, &c. אשר מנע וגו׳] i. qui te privavit liberis. q. d. Non possum te reddere fœcundam.

3. *Et habebo filios* ואבנה] Ad verbum, *& filiabor.* q. d. Do tibi ancillam meam, procrea mihi liberos ex ea: & quum pariet, excipiam puerum in gremium meum, quem habebo pro meo.

6. *Judicavit me* דנני] i. e. Pronuntiavit pro me: h. e. Obtinui causam meam Deo judice. Non tam Dei bonitatem celebrat Rachel, quam sibi ipsa plaudit; more hypocritarum, qui ubi prosperior afflavit fortuna, ventosa jactantia insolescunt, acsi omnibus eorum factis & dictis faveret Deus.

8. *Luctationibus vehementibus*, &c. נפתולי אלהים נפתלתי] Ad verbum, *luctationibus Dei luctata sum.* sub. *ut superarem illam.* i. præclaris & magnis luctationibus. Hebræi enim excellentiam *Dei* nomine significant; quod ut maxime unaquæque res excellit, ita Dei gloria in ea refulget. Vide supra cap. 1. 2. A פתל est. Quidam vertunt, *Conjunctionibus Dei conjuncta sum.* ut glorietur se recuperasse quod perdiderat: vel certe, gradu honoris se æquatam fuisse sorori. Alii, *duplicata sum duplicationibus Dei.* Utrique vero deducunt nomen & verbum à nomine פתיל, quod est *filum retortum.* Et prior quidem sensus huc redit, Quum parem sortem adepta sit Rachel, non esse jam cur soror quicquam sibi proprium arroget. Alter vero majorem jactantiam exprimit, dum se victricem & quasi duplo superiorem facit. Alii etiam à פתל supradicto deducentes, vertunt, *Conatibus multis conata sum cum sorore mea*, ut scilicet essem illi æqualis, vel, *Summa animi contentione contendi cum sorore mea*, ut in susceptione prolis illi sociarer. Nam פתל significat etiam *pervertere*, *subvertere*: quod qui cum altero luctatur (inquiunt docti inter Hebræos) ut vincat, quærit subvertere alterum, quo ruere illum faciat. Hic sensus convenit cum versione nostri interpretis; ut dicat *luctationibus Divinis*, sive *præclaris luctationibus luctatam fuisse cum sorore.* ¶ *Prævalui.* יכלתי] i. in ea re intentionem meam assecuta sum. q. d. feliciter mihi cecidit.

11. *Venit prosperitas* בגד] *Venit felicitas.* i. Bene cessit mihi ac feliciter quod tradiderim ancillam meam viro meo. Ex doctis Hebræorum alter vertit, *Venit turma.* sub. *filiorum.* Nam (inquit) scribitur בגד, sine א, & legendum בא גד duabus dictionibus. Mirum est quosdam interpretari de prospera fortuna: cum Moses infra c. 49. 19. in contrarium sensum nos ducat, neque enim quadraret allusio quam ponit, *exercitu eum invadet*: nisi consilium Leæ fuisset de filiorum turma sibi gratulari. nam quum sesquialtera parte superior esset, prædicat se habere in magna copia liberos. Alii, *Venit coactor copiarum*: ut idem sit quod גדוד. q. d. Iste erit dux exercitus, sive imperator, inter fratres suos.

13. *Ut beata dicar*: באשרי] *Ad felicitatem meam.* vel, *In beatitudine mea.* i. Mihi feliciter cessit quod dederim ancillam meam viro meo pro suscipienda prole. q. d. hac ratione sum beata ac felix. ¶ *Filiæ* בנות] i. mulieres. q. d. Beabor à sexu fœmineo. Propter multitudinem liberorum scilicet.

14. *Triticea* חטים] Ad verbum, *triticorum* pro *tritici*, sive *triticea.* ¶ *Mandragoras* דודאים] i. fructum mandragorarum.

15. Parumne, &c. המעט וגו׳] *Nunquid parum est tibi quod abstuleris mihi virum meum, ut auferas etiam* &c. ¶ *Idcirco dormiet*, &c. לכן ישכב] q. d. Ne videar tibi aliquid præripuisse, permitto tibi ut dormiat tecum hac nocte, pro mercede ac præmio mandragorarum filii tui.

16. *Mercede conduxi te* שכר שכרתיך] Ad verbum; *mercando mercatus sum te.*

20. *Donavit*, &c. זבדני וגו׳] *Dedit mihi ipsi Deus munus bonum.* Chald. Paraph. *portionem meam.* ¶ *Hac vice* הפעם] *jam posthac.* ¶ *Habitabit mecum* יזבלני] Affixum pronomen pro separato יזבל אתי.

22. *Et aperuit vulvam illius.* :ויפתח את רחמה] i. reddidit eam fœcundam.

23. *Opprobrium meum.* :חרפתי] Dabatur enim vitio olim sterilitas: nam fœcunditas proveniebat ex benedictione Dei, qui dixerat, *Crescite & multiplicamini.*

24. *Addat* יסף] *Addet.* i. dabit mihi adhuc alterum filium. q. d. Posteaquam semel parere cœpi, pariam adhuc alium.

26. *Pro quibus*, &c. אשר וגו׳] sub. *uxoribus.*

27. *Si nunc inveni gratiam*, &c. אם נא מצאתי וגו׳] *Si quæso inveni*, &c. i. si tibi charus sum. Quæ sequuntur usque ad finem versus, concludi debent parenthesi, Alii subaudiunt, *Mane mecum*: *nam* נחשתי *expertus sum*, vel *experimento didici.* Alii, *augurio ac divinatione deprehendi. Deum auxisse facultates meas tua causa.* Videtur esse translatio, ac si dixisset, non secus sibi perspectam esse Dei benedictionem quam si vaticinio testata foret, vel augurio comperta.

28. *Constitue mercedem tuam mihi*, נקבה שכרך עלי] *Præscribe mercedem tuam mihi.* i. Dic mihi quid velis lucrari

29. *Et quantus*, &c. ואת אשר וגו׳] *& quanta fuerit possessio tua apud me.* i. quanta pecora commiseris mihi initio.

30. *Quod habebas ante me*, אשר היה לך לפני] Ad verbum, *quod erat tibi in conspectu meo.* i. Pauca erant pecora quæ fidei meæ commisisti, sed postea creverunt plurimum. Vetus interpres atque alii Hebraismum exponunt, *antequam venirem ad te*, referentes ad tempus. Hanc expositionem confirmat quod mox sequitur, *Benedixit tibi Iehovah ad ingressum pedis mei.* ¶ *Vehementer*: לרב] Ad verbum, *in multitudinem.* ¶ *Ad ingressum pedis mei*: לרגלי] Ad verbum, *ad pedem meum.* i. ad adventum meum. ¶ *Nunc autem*, &c. ועתה וגו׳] i. Quando tandem dabo operam ut congregem opes ad alendam familiam meam? q. d. Res tua satis hactenus crevit: jam tempus est ut provideam domui meæ.

31. *Dabo* אתן] sub. *ut servias mihi adhuc.* ¶ *Istud* הדבר הזה] *rem hanc.* sub. *quam dicturus sum.* ¶ *Rursum pascam*, אשובה ארעה] Ad verbum, *revertar*, *pascam.*

32. *Transibo*, &c. אעבר וגו׳] *Transeam per omnes greges tuos.* sub. *tecum.* ¶ *Removendo* הסר] *ad auferendum.* *ut separem.* Alii, *& separabo.* Alii, *& separa.* vel *sejunge illinc.* ¶ *Maculis parvis respersum*, נקד] Ad verbum, *punctatum*, si Latine diceretur. i. parvis maculis ceu punctis quibusdam variatum, sive variis maculis sparsum. ¶ *Et maculis latis*, וטלוא] *& maculosum*, *variegatum.* i. majoribus maculis sparsum. ¶ *Rufum* חום] *fulvum.* Alii, *nigrum.* ¶ *Et erit* והיה] Subaudienda plura, sic, *& illud quod nascetur tale*, *erit merces mea.* i. pecudes quæ istis similes posthac nascentur, mihi cedent mercedis loco. q. d. Quæ alba erunt, tua erunt: quæ vero variegata ac multicoloria, erunt mea.

33. *Et testificabitur de me* וענתה בי] Ad verbum, *Et respondebit in me*, i. pro me. Jacob prosperum successum nonnisi ex fide & integritate sua exspectat. ¶ *Die crastina*, ביום מחר] i. in posterum. Gallice, *demain*, ou *pour demain.* ¶ *Quum veneris*, &c. כי תבוא וגו׳] *quum supervenerit mercedi mea coram te*, i. te vidente & inspiciente. Alii in secunda persona vertunt, eodem sensu, & tunc istud, *coram te*, refertur ad præcedentia, sic, *Testificabitur justitia mea coram te.* & על erit pro אל. vertunt igitur, *quando veneris ad mercedem meam*, *ante te.* i. Justitia mea testabitur tibi præsenti posthac de me, sive testimonium mihi feret, quum tu venies ad mercedem meam, h. e. deprehendes me justum esse, quum venies ad videndas oves quæ mihi mercedis loco cedent, & videris me nihil habere quod tuum sit. Testatur (ut dictum est) se à Domino sperare fidei & probitatis suæ testimonium ex felici laboris proventu: acsi dixisset, Dominus, qui optimus est justitiæ meæ testis ac vindex, reipsa monstrabit quam sincere ac fideliter me hactenus gesserim. ¶ *Et rufum* וחום] Ut v. præcedenti. ¶ *Apud me.* :אתי] i. merito dices me id furto tibi abstulisse.

34. *Ecce utinam*, &c. הן לו] Hebraismus, *Optarim fieri ut dicis.* hoc enim esset mihi gratissimum.

35. *Abstulit itaque* ויסר] *Amovit itaque.* vel *Separavit*, ut paulo ante v. 32. ¶ *Lineis distinctos*, העקדים] Ad verbum, *colligatos.* i. quorum crura diverso colore quasi revincta erant (videntur enim quasi ligati zona ac vinculo quodam)

dam) h. e. habentes circulos diversi coloris circa crura. ❡ *Rufum in pecudibus* [בכשבים חום] *fulvum* [vel *nigrum*] *inter oves, vel agnos*, ut paulo ante v. 32. ❡ *Et posuit* [וישם] Ad verbum, *& dedit*. i. omnia illa tradidit Laban custodienda filiis suis.

36. *Iter* [דרך] i. spatium itineris inter gregem suum & gregem quem commiserat ipsi Jaacob.

37. *Sibi* [לו] Redundat Latine. ❡ *Virgas populeas*, &c. [מקל לבנה לח] Sing. Heb. pro plur. *virgam populi*. i. ex populo arbore. ❡ *Et amygdalinas, & ex castanea*, [ולוז וערמון] Ad verbum, *& amygdali, & ex castanea*. sub. *arbore*. ❡ *Et decorticavit in illis decorticationes* [ויפצל בהן פצלות] *incidit que in illis incisuras albas, denudationem candoris*, &c. Per appositionem dictum, i. ab illis detraxit summam partem corticis, multis in locis: qua detracta reddidit virgas illas variis in locis albas: appositive *denudationem*, vel *spoliationem, candoris*, sive *alboris*, *super virgas illas*, i. detracta summa parte corticis, in diversis partibus apparuit candor qui suberat illi, ac ita variegavit virgas illas, q. d. fecit ut virgæ illæ essent variorum colorum.

38. *In adaquatoriis* [בשקתות] *in potatoriis*, i. in vasis in quibus bibebant pecora. ❡ *Veniebant* [תבאן] *venire solebant*, vel, *ventura erant*. ❡ *Et incalescebant* [ויחמנה] i. calore coitus excitatæ concipiebant.

39. *Incalueruntque*, &c. [ויחמו הצאן] Ad verbum, *Et incaluerunt oves ad virgas*, i. Et in ipso calore coitus concipientes, aspiciebant ad virgas illas. ❡ *Maculis respersos in*, &c. [עקדים נקדים] Vide paulo ante v. 35.

40. *Agnos autem* [והכשבים] *Pecudes autem*, sub. *albas separavit à variegatis*. ❡ *Versus fœtus lineis distinctos* [אל עקד] Ad verbum, *versus colligatum*. Sing. Heb. pro plur. Vide paulo ante v. 35. i. obvertit aspectum ovium versus illas pecudes quæ præcedebant, habentes crura quasi fascia quadam diverso colore revincta. Hæc est secunda industria Jacob. Maculosos agnos jam natos in unum redegit gregem; fecitque illum antecedere gregem ovium Laban, ut sequentes oves istius gregis Laban contemplatione præcedentium illorum maculosorum agnorum alios parerent maculosos.

41. *Fortiores*, [המקשרות] *robustiores*, à קשר *ligavit, colligavit*: quod ligamen sit fortitudo, h. e. quæ priores incalescebant, i. prioris admissuræ, quæ fiebat mense Septembri, & pariebant mense Martio. Chald. paraph. *oves primitivæ*. ❡ *Ut incalescerent*, &c. [ליחמנה במקלות] i. ut in ipso calore coitus concipientes, considerarent virgas illas diversorum colorum.

42. *Quando autem serotina faciebant pecudes*, [ובהעטיף] i. Quando dabant operam serotino conceptui. Ad verbum, *Et quum serotinabant oves*. Quod quidam vertunt, *Quum posteriori admissura vacarent oves*, quæ fiebat verno tempore, & pariebant in Autumno. Istud faciebat Jacob ne Laban deprehenderet artem suam: nam solebat Laban visitare gregem suum tempore illo verno. ❡ *Serotina*, [העטפים] i. pecudes posterioris admissuræ. ❡ *Et fortiores*, [והקשרים] *& robustiores*, i. quæ erant prioris admissuræ.

43. *Crevit itaque* [ויפרץ] i. Locupletatus est vir ille Jacob, vel plurimum auctus est.

CASTALIO.

37. AT *Jacobus ex populeis*, &c.] Totius hujus loci sensus est, Virgas ex parte decorticatas, & ideo versicolores, in alveis ponebat, in quarum contemplatione pecudes salirentur, itaque versicolores fœtus ederent. Deinde fœtus illos ante saliendas pecudes eadem de causa collocabat. Sed ne nihil Labani reliquum fieret, si omnis fœtura versicolor esset, lacinias, id est, greges, sibi separatim ex enato versicolore pecore faciebat, easque ab unicoloribus pecoribus segregabat: quæ unicoloria pecora erant Labanis; eaque propterea minus generosa, quod Jacobus ad minus generosorum admissuram virgas non deponebat, & ideo illa fœtus sui & colore & genere similes edebant.

CLARIUS.

3. UT *habeam ex ea filios*] Et hic est ille Hebraismus de quo superius meminimus in Sara, h. e. *ut adificer ex ea*.

6. *Dan*] h. e. *Judicavit*, quasi diceret Rachel, Judicavit me Deus indignam prole de proprio corpore, ut aliena suscepta prole cogar interim esse contenta.

8. *Comparavit me Dominus*] Vel, *Conjunxit*. Plerique sic verterunt, *Luctationibus Divinis*, h. e. eximiis, *luctata sum cum sorore mea*, &c. Locus hic varie ab Hebræis exponitur. ❡ *Nephtali*] *Luctamen*, vel *Associatio*.

10. *Qua post conceptum edente filium, dixit*] Nempe Lia: nam in Hebræo est, *Peperit itaque Zelpha ancilla Liæ ipsi Jacob filium, & ait Lia*, &c.

11. *Gad*] *Fortuna*.

13. *Aser*] *Beatitudo*.

14. *Mandragoras*] Ferunt Ruben attulisse ramos, aut fructum qui similis est pomis, habetque odorem optimum, radix vero habet figuram capitis & manuum. Sunt etiam qui dicant esse herbam quæ libidinem in mulieribus excitet, vel, ut alii ajunt, vulvam ad conceptum disponat.

18. *Issachar*] *Remunerabitur*, vel *Latabunda merces*.

20. *Zabulon*] *Cohabitatio*.

24. *Vocavit nomen ejus Joseph*] Rachel usa est uno verbo significante & *finitionem* & *appositionem*, cum & dixerit *finem habuisse opprobrium suum*, & petierit *addi alium filium*.

33. *Respondebit mihi cras justitia mea*] Scietur in posterum me fideliter servisse tibi. ❡ *Et in omnibus quæ non fuerint varia*] Si quid (inquit) in gregibus meis post hæc mihi generandis deprehenderis non varium, vel non sparso vellere, sed unius tantum coloris, totum album, vel totum nigrum, quasi furti me convictum teneas.

34. *Gratum habeo quod petis*] Heb. *Age, utinam fiat juxta verbum tuum*.

35. *Et separavit*] Subaudi, Laban. Separavit pecora varii coloris, maculosa, punctata, pulla, aut circa pedes (ubi vinciri solent) circulos habentia, juxta Hebræos, seorsum, & tradita sunt filiis Laban: Quæ vero candida in totum erant, vel nigra penitus, unius scilicet tantum coloris, non permixti, ea Jacob ipse suscipiebat pascenda, ut quæ ex iis unicoloribus nascerentur varia essent ipsius Jacob.

36. *Posuit spacium itineris trium dierum*] Nequis scilicet dolus intercedere posset ad commixtionem maculosorum cum unicoloribus. ❡ *Reliquos greges*] Per *reliquos*, vel *residuos*, sunt qui intelligant debiles & steriles, & qui generationi non satis accommodi essent.

37. *Tollens Iacob virgas populeas*] Hæc fuit prima industria Jacob, varietatem scilicet colorum in virgis facere, ut oves ex earum aspectu conciperent, sive, ut Hebraismus habet, incalescerent, scilicet ad coitum. Altera quoque fuit huic similis: Nam maculosos agnos jam natos in unum redegit gregem fecitque illum antecedere gregem ovium Laban, ut sequentes oves contemplatione præcedentium maculosorum agnorum alios parerent maculosos. Tertia industria Jacob fuit, quod virgas posuit in canales eo tempore quando robustiores oves conceptui operam dabant, aut quando procliviores erant ad coitum, ut sic robustiorem ederent fœturam.

39. *Factumque est, ut in ipso calore*] Heb. *Et concipiebant*, vel *incalescebant, oves ante virgas, & pariebant*, &c.

41. *Igitur quando primo tempore ascendebantur oves*] Alius sic vertit, *Factumque est in omni conceptu robustiorum ovium*.

DRUSIUS.

14. INvenit *Mandragoras in agro*] Sic legit universa antiquitas. Cur nunc mutant? Nam etymon quod prætexerunt nimis fallax est. Imo nihil fallacius etymologia, quam propterea ἀλαζόνα μάρτυρα vocat Galenus. Quocirca miror esse qui in his vanis tempus terant. Solida negligunt, τὰ κενὰ τῆς γλωττῶν maximi faciunt, quæ indocti admirantur, docti rident. Vox Ebræa *Dudaim*, inquiunt, ab *amando* ducta. At ego putabam Ruben singularem aliquam & certam speciem invenisse. Nam *omnes flores amabiles* qui adferre matri potuit? Si aliquas tantum attulit, ergo non significat omnes. Deinde quæri potest quosnam attulerit, aut ex quo genere florum. Quod etymon attinet, admodum incertum est. Nam doctissimus Ebræorum dubitat sitne à דוד, an ab alia radice. Si Aleph est litera נוספת, h. e. *additilia*, tum potest esse ab illo themate unde & דודים *canistra*, quæ & דודים, quod etiam *ahena* significat, à singulari דוד *ahenum*. Quis hic *amores* somniando negabit *Dudim* significare *ahena*, & *Dudaim*, *canistra*, quoniam voces illæ dictæ sunt ab *amando*? Nomen אבוס denotat *præsepe*, verbum בוס *calcare*. Ergo non *præsepe* significabit hoc nomen, sed *calcandam*: quam jure merito calcabit qui aliquo in his literis judicio pollet. Audiamus nunc Augustinum de Mandragoris hoc modo differentem, Contra Faustum Manich. l. 22. c. 56. *De hoc pomi genere opinari quosdam scio quod acceptum in escam fieri-*

sterilibus fœminis fœcunditatem paret, ac per hoc putam omni modo institisse Rachel, ut hoc à filio sororis acciperet cupiditate pariendi. Quod ego non arbitrarer, nec si tunc concepisset: nunc vero cum post Lia duos alios ab illa nocte partus Dominus ei prolem donaverit, nihil est cur de Mandragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla fœmina experti sumus. Dicam ergo quid sentiam: dicant hinc forte meliora doctiores. Cum enim hæc mala ipse vidissem, & propter istum ipsum sacra lectionis locum id mihi obtigisse gratularer; rara enim res est; naturam eorum diligenter, quantum potui, perscrutatus sum, non aliqua à communi sensu remotiore scientia, qua docet virtutes radicum & potestates herbarum, sed quantum mihi & cuilibet homini renuntiabat visus & olfactus & gustus. Proinde rem comperi pulchram & suave olentem (quid ad hæc illi qui negant Mandragoras odorem gratum emittere?) *sapore autem insipido, & ideo cur eam mulier tantopere concupiverit, ignorare me fateor, nisi forte propter poni raritatem & odoris jucunditatem*, &c. Hæc verba invenies & apud Eucherium in Genesin, pag. 134. Scire autem licet Mandragoram eam, quæ *Circæa* dicitur, amoribus deservire. Quod observatum à Francisco Georgio Veneto: qui nomine *Dudaim* lilia significari putat, quæ calida sunt & conceptui valde propria.

Rectene est apud interpretem nostrum Gen. 30. illo versu, *Egressus Ruben tempore messis triticeæ invenit mandragoras in agro?* Et recte quidem esse ut credamus, facit autoritas veterum, Iosephi inprimis, qui post LXX viros μῆλα μανδραγόρου convertit; cui astipulatur Aquilas interpres Chaldæus. Vox enim JABRUCHIN citra controversiam *Mandragoras* significat, reperiturque eo sensu apud Arabes medicos JABRAO vel JABROACH, quorum prius corrupte legitur in Matthiolo JABORA. Simon Ianuensis, JUFAHA *Arabice Mandragora, quæ & IABROA dicitur.* Tamen Ebraicam vocem DUDAIM, pro qua interpretes illi *Mandragoras* referunt, haud quaquam eo sensu accipi posse homines docti hodie asseverant; nec deficiunt rationibus. Primum enim, inquiunt, mandragoræ odore carent, DUDAIM autem, ut ex Solomone colligitur, odorem gratum & suavem exhalant. Deinde, quo tempore Ruben hanc plantam in agro invenit, h. e. tempore messis triticeæ, eo Mandragoræ nondum maturæ sunt. Postremo, haud credibile est, Rachelem sterilem concipiendi desiderio expetivisse mandragoras, quæ frigidissimæ sunt, & conceptibus maxime infestæ. Hæc illi. Quæ etsi non omnino levia videantur, tamen tanti non sunt ut me de priore sententia dimoveant. Sed age expendamus ea. Quod ajunt, mandragoras odore carere, falsum est: imo, ut apud Dioscoridem legimus, jucunde cum gravitate quadam olent. Sed demus odorem gravem habere. Quid tum postea? Objiciunt locum Solomonis. Atqui Solomo non dicit exhalare odorem suavem, verba sunt Cant. 7. *Mandragoræ dederunt odorem suum.* Utrum me animus fallit, an aliud est *dare odorem* simpliciter, aliud *dare odorem suavem?* Iam quod secundo loco de tempore objiciunt, ei nullo negotio responderi potest. Primum enim non legimus Mandragoras maturas: deinde, ut concedatur maturas fuisse quas Ruben matri attulit, quis tam imperitus ut nesciat fructus multo citius maturescere in calidis regionibus quam in frigidis? h. e. in Iudæa quam apud nos. Cum igitur apud nos mala mandragoræ matura inveniuntur circa messem, cur idem olim fieri non potuit in Iudæa tempore messis, & quidem tritici, quæ post messem hordei erat? Sed de hac re satis dictum. Venio ad tertium argumentum. Non est credibile, inquiunt, Rachelem sterilem concipiendi desiderio expetivisse mandragoras, quæ frigidæ sunt, & conceptibus multum inimicæ. Hæc quomodo illis venerint in mentem, conjicere nequeo, neque enim Scriptura diserte hoc dicit, concipiendi desiderio Rachelem mandragoras expetivisse; neque ex textu ullo modo clare id colligi potest. Cur igitur, inquies, eas tantopere concupivit? Si Iosepho credendum, cibi causa; ait enim, Ῥαχήλα δὲ ἐκ πεσοῦσα τοῦ παιδὸς τοῦ υἱοῦ Λείας μανδραγόρου μῆλα κομίζοντος τῇ μητρί, Ῥαχήλα θεασαμένη παρεκάλει μεταδοῦναι, δι' ἐπιθυμίας τοῦ βρώματος γενομένη. Sed & fieri potest ut eas concupiverit ob pulchritudinem fructus; vel etiam propter raritatem, ut Augustinus censet; aut quia præcoces erant: solent enim primi fructus gratiores esse: & ob hanc fortasse caussam adjecit, *tempore messis triticeæ.* Nam qui contendunt eam medicinæ rationem habuisse, mihi non persuadent: tamen, ut hoc etiam concedatur, habet sane hic frutex in Medicina suum usum Nam & odor somnum conciliat, & semen potum vulvam purgat, & succus appositus menses ciet, & emortuos partus; nimia rursus profluvia sistit semen cum vino. Nec desunt qui affirment mandragoram etiam ad conceptum conferre. Quanquam enim, ut à Galeno proditum est, facultatem habeat refrigeratoriam, adeoque tertii sit ordinis refrigerantium, tamen & caliditatis cujusdam particeps est: & nihil absurdi, si dicamus, quibus in terris mulieres calidæ sunt, in iis vulvæ constitutionem facultate frigida temperari, eoque modo ad conceptum aptam effici: non solum enim nimia frigiditas conceptum impedire potest, sed etiam nimius calor: Itaque ut frigiditas calore, ita calor contra frigiditate temperandus est. Sed hæc medici discutiant. Age vero nunc eorum quoque interpretationes pensitemus qui Vulgatam usuque receptam nobis solicitare jam incipiunt: inter quos primus occurrit Jarius Ebræus, & qui ejus autoritatem secuti DUDAIM Græca illa quidem, sed tamen apud Arabes usitata voce, JESEMIN interpretantur, i. *jeseminum* vel *gelseminum.* Sed quoniam hujus interpretationis suæ nullam probabilem rationem adferunt, nos otium, quo minime abundamus, in ea confutanda non insumemus. Franciscus Georgius Venetus ait, quæ Ebræis autoribus DUDAIM vocantur, à Latinis dici *Lilia;* ea calida esse, & conceptui valde propria. Sed quis tam hospes in hac lingua ut nesciat lilia *Sosanim* appellari? Emmanuel Tremellius & Franciscus Junius (qui Viri? & quanti?) interpretantur DUDAIM, dicentes vocem generalem esse ad *flores omnes amabiles*, gratique ac jucundi odoris: ipsum autem nomen ab *amore* ajunt ductum, quod *dilectum* eo modo DUD Ebræi appellent. Acute: sed non persuadent: primum, quod nullam certam herbam explanant: deinde, quod ab etymo non recte colligunt, ut si quis dicat *Malluchim* Significare *herbas quaslibet salsas*, quod ejus radix *Malach.* Quid? Cum ollas *Dudim* dicimus, nomine quidem utimur ab eadem radice: sed ecquem tam amentem esse putemus, ut id nomen dicat ab *amoribus* appellatum, significareque *vasa quælibet amabilia?* Quid? an ignorarunt Etymologiam testem fallacem esse? Quod si inde argumentum ductum valet, cur non potius *Dudaim* pro mandragora accipiunt? quam scimus κιρκαίαν ideo dictam quod amoribus ac veneficiis inserviat. Atque de nuperis quidem interpretationibus hactenus: nunc Ebræorum quoque sententias expendamus. David igitur Camius in libro Significationum quæ ad vetus Testamentum pertinent, de voce *Dudaim* ita scribit, DUDAIM *appellatur radix cujusdam herbæ quæ formam hominis habet tam maris quam fœminæ, quam vulgo Mandragoram vocant.* Hic quod ait radicem mandragoræ formam hominis habere, non omnino vanum est, si recte intelligatur. Nam & Pythagoras eam ἀνθρωπόμορφον appellavit, & Columella *semihominem;* credo, quoniam à medio ad imum bifurcata effigiem repræsentat humanam; saltem umbilico tenus. Hoc tam plerisque incompertum atque ignotum est ut vulgus credat mandragoram esse eam radicem quam circulatores & agyrtæ quidam circumferunt, & sæpe magno pretio divendunt. Nos de eo invenimus apud doctissimum Medicum Matthiolum, ubi hanc imposturam per hæc verba detexit, *Sed profecto vanum ac fabulosum est, quod mandragoræ radices ferant, quæ humanam effigiem repræsentent, ut ignarum vulgus & simplices mulierculæ certo credunt & affirmant. Quibus etiam persuasum est eas effodi haud quaquam posse, nisi cum magno vitæ periculo cane qui effodiat radicibus alligato, & auribus pice obturatis, ne radicis clamorem audiant effodientes, quod audita voce periclitentur pereantque fossores. Quippe radices illæ quæ humanam formam referunt, quas impostores ac nebulones quidam venales circumferunt infœcundas mulieres decepturi, factitatæ sunt ex harundinum, bryoniæ, aliarumque plantarum radicibus. Sculpunt enim in his adhuc virentibus tam virorum quam mulierum formas, infixis hordei & milii granis iis in locis ubi pilos exoriri volunt: deinde facta scrobe, eam diu tenui sabulo obruunt quousque grana illa radices emittant; id quod fiet viginti ad summum dierum spatio. Eruunt eas demum, & adnatas è granis radices acutissimo cultello scindunt, aptantque, ita ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant.* Hactenus Matthiolus. Ex hac igitur vulgi opinione Camius infert, *maris aut fœminæ.* In eodem errore versatur Moses filius Namanis. Nec melius sentit Abraham Hispanus Ezræ filius, quod ipsius hæc verba aperte declarant, *Dudaim*, i. *Mandragora, humanam repræsentant effigiem: habent enim similitudinem capitis & manuum.* Non me fugit sic posse excusari Camium, si dicamus, quod etiam Medici annotant, Mandragoram aliam marem, aliam fœminam esse. Sed non est dignum eis qui hoc dixerint responderi.

24. *Joseph*] Qui *Joseph* interpretantur *addens*, videntur in ea opinione fuisse ut existimarint esse nomen factum ex participio præsentis temporis primæ conjugationis, quam Kal appellant. Si sic est, falluntur. Nam id refellit plenior scriptura יהוסף *Joseph*, quæ legitur Psal. 81. 5. Ea nos docet nomen esse factum ex futuro tertiæ conjugationis, quam Hiphil vocant, & potius *addendum* sonare quam *addentem* vel *additum.* Quippe mater diserte, *Addet*, inquit, *Dominus mihi filium alterum.*

rum. Ecce non dicit, *Addidit*, sed *Addet*. Dictus ergo non quod ipse additus esset, sed quod mater speraret alium addendum, aut quod ad eum addi optaret alterum. Nicolaus, *Ex desiderio habendi secundum nominavit primum*. Josephus Historiographus, Ἰώσηπος, προσθήκην γενησομένου τινὸς δηλοῖ. Est ergo יסף idem cum יוסף *addet*, quod in Jonatha. Sic *Jareb* nomen est ex futuro ejusdem conjugationis יריב *contendet judicio, litigabit*, quod & ירב *disceptabit*. Sic יקים dicimus & יקם *eriget, stabiliet, firmabit*. *Iuda* hic referri posset, quod scribunt semper יהודה, tanquam à futuro יהודה *confitebitur, laudabit, gratias aget*; nisi Patres *Confessorem* aut *Confessionem* exponerent. Mihi videtur ex verbo אודה *confitebor*, quo usa fuit mater Gen. 29. 35. factum esse nomen יהודה, præmissa litera Joth indice nominum propriorum. Sic Deus dicit אהיה *Sum*, homo יהיה *Ieve*, unde *Iave* prisca lectio Samaritarum, quam germanam esse vix dubito. Cæterum *confiteri* sermone mystico est *laudare* vel *gratias agere*, unde apud Josephum, *Iudæ*, Εὐχαριστία, *Gratiarum actio*, & Philonem, *Iuda*, Αἴνεσις, *Laudatio, Laus*.

37. *Ex platanis*] Ego ita sentio; Judæos qui leget cum judicio, leget non sine fructu. Dico, cum judicio; quia hic peccatum aliquoties à recentioribus. Nam dum eos sequuntur, rejectis veteribus, aliquando à scopo aberrarunt, ut Gen. 30. 37. Sane ubi vetus nostra editio habet, *virgas ex platanis*, & Lxx. καὶ πλατάνου, illi *castaneas* reposuerunt, secuti autoritatem RR. Davidis Camii, & Salomonis Jarii. An recte hoc ab eis factum sit, jam videbimus. Onkelos magni nominis interpres hic edidit ודלוב, quod Fagius interpretatur, *& castanea*, meo judicio, non bene. Nam דלוב *platanus*. Doceo ex lingua Arabica, in qua ea arbor *Dulb* i. دلب vocatur: quæ vox exstat hodieque apud Stephanum Arabicarum vocum collectorem, & in Pandectis medicinæ. R. Salomo, quem modo nominavi, scribit in lingua Magistrorum hanc arborem דולפי appellari, quod literis inversis videtur idem esse cum דלוב, Beth in Phe versa. Cui hæc non satisfaciunt, fruatur sane judicio suo: quod illi non invideo, dum meum mihi relinquat.

IDEM.

8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים נִפְתַּלְתִּי *Luctationibus Dei luctata sum*. A. συνανεστρεψέ με ὁ Θεὸς, καὶ συναναστράφην, *una convertit me Deus, & conversata sum*] Hieron. Quæst. in Gen. *Alia Littera, Et concepit adhuc & peperit Bala ancilla Rachel filium secundum Iacob; & dixit Rachel, Habitare fecit me Deus habitatione cum sorore mea & invalui & vocavit nomen ejus Nephthali. Causa nominis Nephthali aliter hic multo exponitur quam in libro Ebræorum nominum scripta est. Unde & Aquila ait, συνανεστρεψέ με ὁ Θεὸς, καὶ συναναστράφην, pro quo in Ebræo*, &c. *Unde à Conversione sive à Comparatione, quia utrumque sonat, Conversationem sive Comparationem, Nephthalim filio nomen imposuit.* ❡ *Conversata sum*] Ex Hier. vertendum, *conversa sum*. Hinc συναναστροφή, *reversio sive conversio* & *conversatio* i. consuetudo quotidiana quæ alicui cum aliquo intercedit. Prov. 8. 8. נפתל Th. σκολιευόμενον, alius, διεστραμμένον. In Ebræo, *Colluctationibus Dei colluctata sum*, vel, *Luctationibus Dei luctata sum*: & dicit, *luctationibus Dei*, pro, *magnis*, ut alibi, *montes Dei, cedri Dei*. Deo enim tribuitur quicquid in suo genere excellit.

10. בגד A. *Venit accinctio*] Hieron. Quæst. in Gen. *Aquila interpretatur, Venit accinctio. Nos autem dicere possumus, In procinctu. B A enim potest præpositionem sonare [in], & [Venit.] Ab eventu ergo sive procinctu, qui Gad dicitur, Zelphæ filius nomen invenit.* Cum pace & cum venia Hieronymi ב non potest esse præpositio. Ratio, quia scribitur cum Cametz. Quod si præpositio esset, scriberetur cum Scheva vel cum Patach sequente Dages, ac tum includeret articulum. Ebræi annotant, scribi unica dictione בגד, & legi duabus, בא גד *venit Gad*, i. *turma* vel *exercitus* filiorum, aut, ut alii, *bona fortuna*. Moses sacerdos ait, *Venit sidus bonum & faustum*, quod vocat צדק כוכב. Est autem צדק Iupiter Planeta, sic dictus à *justitia*, qui significat omnia bona: & sic vocatur in lingua Cedarena. Gen. 49. גד A. εὔζωνος. Glos. Phil. *Gad accinctus*.

28. נקבה A. ἐπονόμασον, *nomina*. Sym. ὅρισον, *defini*] ❡ Ἐπονόμασον] Verbum è verbo sonat, *super nomina*. Verum hic sumi videtur pro simplici ὀνόμασον. Itaque transtuli *nomina*. Verbum Ebræum נקב Lxx. fenes quater aut sæpius in Græcum convertunt per ὀνομάζω, & semel per ἐπονομάζω, vid. Lev. 24. 11. Alibi aliter ἐξονομάζειν.

32. Lxx mutili sunt hoc in loco. Nam pro נקד וטלוא tantum φαιὸν habent. Notatum autem in edit. Rom. Schol. ποικίλον, πέρκον. i. *varium, nigrum*. Πέρκον etiam exponitur *nigris maculis distinctum, varium*, ei respondet in Ebræo חום, nisi me fallit augurium, i. *nigrum, furvum*. Abenmelech, נקד *quod signatum est maculis parvis per puncta*: טלוא *cujus maculæ latæ sunt*, חום *nigrum. Nigredo autem ex calore, radix חום aut חמם incaluit, & est Schurec pro Holon.* Et mox, *Meminit* נקדים *pro* נקודים, *licet discrimen sit inter illa duo. Nam* עקדים *dicitur tantum de iis quorum manus aut pedes punctis distincta sunt*: העקדים *vocantur pecudes albæ in quibus sunt maculæ nigræ; aut pecudes nigræ in quibus sunt maculæ albæ, punctis non dissimiles.*

35. העקדים והטלאים εἰ ὁ. τοὺς ῥαβδωτοὺς καὶ τοὺς διαλεύκους. Sym. λευκόποδας, *albos pedes habentes*] Supra 32. טלוא Lxx διάλευκον, *albo distinctum*, sive *albo intermixtum*. Ibid. נקד ῥαντόν, *aspersum maculis*.

37. לוז Schol. ἀμυγδαλίνην] מקל לוז ῥάβδον ἀμυγδαλίνην, *virgam amygdalinam*] Prius erat καρυΐνην. Glos. Philonis in nom. de Iesu Nave, *Luza, amygdalon: licet quidam interpretentur κλοιόν, torquem videlicet damnatorum, quam vulgo boiam vocant*. Interpres qui à vulgo nomen accepit, *& amygdalinas*. Hieron. lib. Quæst. *Ecce manifestissime comprobatur Bethel Luzam, i. Amygdalon, ante vocitatam*.

42. העטפים A. ὄψιμα, *serotina*. Sym. δευτερόγονα; *secundo genita*] *Serotina*] Sic etiam interpres noster.

NOTÆ MAJORES.

1. *Videns autem Rachel quod non pareret Iacobo, invidit sorori suæ; & dixit, Cedo mihi filios, sin minus, morior ego.*

Invidit sorori suæ] ותקנא רחל באחותה & invidit Rachel sorori suæ. Lxx. καὶ ἐζήλωσε ῥαχὴλ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς. Nomen Rachel & in Græco & in Ebræo fonte secundo loco redundat: ideo illud omisimus. Redundat, inquam, in Latio. Nam cuique linguæ sua proprietas. Trem. *æmulata est Rachel sororem suam*. Gal. *fut jalouse*, fuit Zelotypa. ❡ *Quod non pareret*] Lxx. ὅτι οὐ τίκτει quod non peperisset. Hiero. *quod infæcunda esset*. ❡ *Cedo mihi filios*] הבה לי בנים. Lxx. δός μοι τέκνα. Hiero. *da mihi liberos*. ❡ *Morior ego*] eleganter usurpat præsens pro futuro. Quod habent Græci Lxx. & Hiero. מתה cum accentu in ultima. Trem. *mortua sum*. Gallica quoque *je suis morte*. Nam & nomen esse potest quod vocant adjectivum מת mortuus, מתה mortua. Ionathan, *pro mortua ego reputer*. Hinc est quod dicunt, *Qui liberis caret, pro mortuo habetur*.

2. *Et excanduit ira Jacob in Rachelem & dixit, An pro Deo ego sum qui prohibuit à te fructum ventris?*

3. *Quæ dixit, Ecce ancilla mea Balha, ingredere ad eam, ut pariat super genua mea & prolem suscipiam ego quoque ex illa.*

Et excanduit ira Iacob] ita Cicero dixit, *nisi ira excandescat fortitudo*. In Ebræo est ad verbum, *excanduit ira Iacobi*. Nam ira excandescit quoque i. inflammatur incenditurve. Santes, *& iratus est furor Iacob*. Tremell. *Tunc accensa est ira Iacobi*. Onkel. & Ion. *vehemens fuit ira Iacobi*. Sic interpretor ויחר quod alii reddunt, *concitata est ira Iacobi*. Lxx. ἐθυμώθη. Hiero. *iratus*. Minus dicunt quam sit in mente verborum Scripturæ. ❡ *In Rachelem*] sic dicimus *excandescere in aliquem*. Columella, *nonnunquam etiam servos iratius intueantur, semperque excandescant in alios*. ❡ *Pro Deo*] vel, *Dei loco*. Gallice, *au lieu de Dieu*. ❡ *Qui prohibuit à te fructum ventris*] Lxx. ὃς ἐστέρησέ σε καρπὸν κοιλίας. Hiero. *qui privavit te fructu ventris tui*. ❡ *Fructum ventris*] i. prolem, τέκνα, filios. ❡ *Ut pariat super genua mea*] καὶ τέξεται ἐπὶ τῶν γονάτων μου. Onkel. & Ion. *ut pariat & ego nutriam*. Mercerus, *ut sim ei veluti obstetrix*: sed minus recte. Nam legimus Gen. 50. 23. *qui nati erant super genua Ioseph*: qui certe obstetrix esse non potuit. Solet autem nutritius sive nutritor pueri super genua gestare illum oblectando se in eo: unde Ies. 66. 12. *super genua oblectabimini*. Nicolaus hunc locum sic illustrat, *Ut pariat filios quos possim tenere super genua mea: ita quod licet sint sui per naturam, tamen mei erunt per adoptionem*. ❡ *Liberos suscipiam*] אבנה ædificer. Hiero. *habeam filios*. Lxx. τεκνοποιήσομαι quod passiva voce utuntur pro τεκνοποιήσω, liberos procreabo. Plura de hoc verbo sup. Cap. XVI. Onk. & Ion. אתבני.

4. *Deditque ei Balham ancillam suam uxorem: & ingressus est ad eam Iacob.*

5. *Et concepit Balha & peperit Jacobo filium.*

by Google

6. *Dixitque Rachel, Iudicavit me Deus, & etiam audivit vocem meam deditque mihi filium: propterea vocavit nomen ejus Dan.*

Balham] vel Balam, elisa he, ut fit, in medio. Lxx. τὴν βαλλάν. Iosephus βάλλαν. Hodie Bilham. ¶ *Uxorem*] vel, pro uxore i. uxoris loco. Nam certe non erat uxor legitima. ¶ *Iudicavit me*] דנני cum dages in altero Nun. Sensus est, judicavit pro me vel caussam meam egit. דן tam de judice dicitur quam de actore. Lxx. ἔκρινέ μοι: ex quo Hiero. *judicavit mihi.* Ionathan, *judicavit me pro misericordia sua bona.* Hine דין judex. ¶ *Audivit vocem meam*] exaudivit preces meas. ¶ *Dan*] δάν. Philo in Nom. de Genesi. *Dan, judicium vel judicans.* judicium i. דין. Iosephus, δᾶν, θεόκριτον ἄν τινες εἴποιεν κ) τὴν ἑλλήνων γλῶτταν. i. à Deo judicatum vel Dei judicio electum. Male vertunt *Dei judicium* i. θεῦ κρίσις. Θεόκριτος ut θεόκτιστος, à Deo conditus.

7. *Et concepit iterum & peperit Bala ancilla Rachel filium alterum Iacobo.*

8. *Et dixit Rachel, Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea, etiam prævalui; ideo vocavit nomen ejus Nephthali.*

Filium alterum] בן שני filium secundum i. alterum, υἱὸν δεύτερον. Chaldaice בר תנין. Codices Ebræi hic mire variant. Nam in quibusdam בן שני cum Mercha & absque Maccaph: & in aliis בן־שני cum Mercha & Maccaph. Editio Veneta quæ in octavo folium complicat בן שני cum Mercha & tseri, absque Maccaph. In margine Bibliorum Venetorum, *Omne* בן *habens post se Maccaph, notatur cum* (-) *Patach, exceptis quatuor.* Vide Mercerum. סגול vocant segol, quod & patach parvum vocatur ab iis qui distinguere volunt à magno, quod nunc simpliciter פתח dicitur. ¶ *Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea*] i. maximis. Nam Dei nomen adhibetur ad auxesin. Sensus ergo est, ut si diceret, Molimine magno luctata sum, quavis ratione contendi cum sorore mea. Ebraice, נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי *distorsionibus Dei distorsi me cum sorore mea.* Lxx. συναντελάβετό μοι ὁ θεὸς κ) συνανεστράφην τῇ ἀδελφῇ μου: quod reddunt, *coassumpsit me Deus & colluctata sum cum sorore mea.* Ita libri veteres: in aliis est συνελάβετό μοι, auxiliatus est mihi. Nicolaus de Lyra, „In Ebræo habetur, Additione Dei addita sum cum sorore mea: „ac si diceret, Deus addidit alium filium mihi, & ideo addita „sum cum sorore mea in hoc, quod habeo plures filios, sicut „ipsa, licet non in æquali numero. Paulus Burgensis episcop. addit. 1. „In Ebræo non habetur hæc dictio, quæ sonat addi„tionem, sed magis controversiam vel contentionem: & est „littera contentionis, dicendo, Contendi cum uxore mea & „invalui, cujus sensus est, Contendi cum sorore mea super ha„bendo filios, & invalui quia jam habeo. Unde cum dicitur „in Glossa interlineari quod Nephthali dicitur à conversione, „videtur esse error scriptoris, & debuisset dicere à controver„sione sive controversia secundum Ebraicam veritatem. Quos autor illius Glossæ secutus sit, non est obscurum. Quocirca non est quicquam in ea mutandum. Quidam vertunt, *divinis certaminibus certavi cum sorore mea.* Sed in פתל significatio pervertendi & distorquendi: unde פתיל filum retortum, & נפתל distortus, & דור פתלתל natio perversa Deut. 32. 5. γενεὰ διεστραμμένη Matth. 17. 17. Sic Cicero Roscii oculos perversissimos fuisse dicit. *Oculi perversissimi*, διεστραμμένοι ὄψεις. Prov. 8. 8. נפתל Lxx. σκολιόν. Theodotio σεσκολιωμένον. Pro *luctationibus Dei &c.* Manahem filius Seroc, teste Jario, mavult, *conjunctionibus Dei conjuncta sum cum sorore mea*, sive *æquata sum sorori meæ.* Respexit autem ad nomen פתיל quod filum interpretantur. Sed filum ita potius dictum ab intorquendo, ut antea monui. Onk. & Jonath. נפתולי ita reddunt, ut si esset נתקבלת תפלתי accepta fuit oratio mea. Videndus R. Salo. ¶ *Luctationibus*] luctaminibus sive luctatibus. Hujusmodi luctationes à Græcis vocantur παλαίσματα & ἀγωνίσματα. Nam πάλη lucta. ¶ *Etiam prævalui*] Onk. *desideravi habere natum ut habet soror mea, & datus est mihi.* Jonath. *etiam dedit mihi duos.* Lxx. κ) ἠδυνάσθην. ¶ *Nephthali*] vel Nephthali. Hoc antiquum est: illud recenti consuetudine lectum. Naphthali, Nephthali, ut Malchisedec, Melchisedec. Græce νεφθαλί vel νεφθαλεί. Nam quod in libris νεφθαλείμ, corruptum est incuria an imperitia scribarum. Joseph. Lib. 1. cap. 19. κ) μεθ' αὐτὸν νεφθαλείμ, ἀμηχάνητος εἶον λέγει τις ἀντιμηχανηθέντα πρὸς τὴν ἀντιπαλίαν τῆς ἀδελφῆς: & post eum Nephthali ac si dicas artificiosum, quod mater arte certaverit cum sororis fœcunditate.

9. *Et vidit Lia quod destitisset parere: itaque accepit Zelpham ancillam suam deditque eam Jacobo uxorem.*

10. *Peperitque Zelpha Liæ ancilla Jacobo filium.*

11. *Et dixit Lia, Venit fortuna: unde vocavit nomen ejus Gad.*

Venit fortuna] scriptum בגד & lectum בא גד venit fortuna. Sed varie redditur. Lxx. habent ἐν τύχῃ in fortuna. Alias εὐτύχηκα, bona fortuna usa sum. Vide Theodoret. Quæst. 86. & Aug. Quæst. 91. Hiero. *Feliciter*: quod idem cum illo, *in fortuna*, fortunate, εὐτυχῶς, feliciter, prospere. Onkelos אתא גד venit fortuna. Jonathan אתא מזלא טבא venit sydus bonum, aut fortuna bona, quæ ἀγαθὴ τύχη Græcis. Sic Latine dicimus, affulsit benignius astrum & fortunæ influentis donum. מזל planeta, stella, influxus syderum, astrum, ut cum dicunt הכל תלוי במזל omnia pendent ab astris. 2 Reg. 23. מזלות planetæ: item 12. signa Zodiaci. Thargum Jerosolym. אתא מזלא טבא venit fortuna bona. Santes, *Venit prosperitas.* Arias, *venit exercitus* sc. filiorum. Trem. *venit turma.* Abenezra, גד *idem quod* גדוד *turma. Nam habebat turmam filiorum. Alii dicunt significare fortunam bonam, ut in lingua Arabica, & ibi, qui fortunæ instruunt mensam, & est Iupiter planeta.* Hoc modo enarrat R. Sal. Hiscuni, *Venit exercitus filiorum. Nam ante pepererat 4. & nunc ancilla ejus unum.* Idem aliter & nove interpretatur בגד prævaricatio. Nam בגד dicitur de conjugibus quando cum alia rem habent. Quod fecit Iacob ducta ancilla quam Lia ei dederat. ¶ *Gad*] γάδ. Iosephus τυχαῖον interpretatur. i. fortuitum. potius fortunam denotat. i. τύχην. In libro nominum, *Gad, tentatio sive latrunculus vel fortuna vel accinctus.* Tentatio i. πειρατήριον. Ita Lxx. reddunt Gen. 49. ubi Sym. λόχος i. agmen insidiatorum. Latrunculus. i. גדוד quod supra turmam exposuimus. Accinctus ἐζωσμένος. Aquilæ est. Hiero. alibi *expeditum* interpretatur.

12. *Et peperit Zelpha ancilla Liæ filium alterum Iacobo.*

13. *Et dixit Lia, Ob beatitatem meam profecto beatam me dicent filiæ: vocavitque nomen ejus Aser.*

Ob beatitatem meam] באשרי propter beatitudinem meam. Hic ב accipio pro בעבור, Abenezram secutus. Sunt qui referant, *in felicitate mea*, hac sententia, Hoc ad felicitatem meam accedit quod tot liberorum mater nunc iterum aucta sim nova prole. Lxx. μακαρία ἐγώ, ὅτι μακαρίζουσί με αἱ γυναῖκες: beata ego, quia beatam prædicabunt me fœminæ. Pro μακαρίζουσι, quod legitur in vetustis codicibus & apud Chrysostomum, Cyrillum & Philonem, in aliis est μακαρίζει, & apud Hiero. *beatificant.* In Ebræo אשרוני beatam dixerunt, & est præteritum pro futuro aut præsenti. Vulgatus interpres, *Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres.* Nicolaus explicat, *pro isto & aliis prædictis dicar beata.* באשרי pro beatitudine mea, ut בחסדך pro benignitate tua. Onk. *laus fuit* (i. erit) *mihi: quia propterea laudabunt me mulieres.* Jonathan, *laus fuit mihi, quia laudarunt me filiæ Israel.* Santes, *ut beata dicar quia beatam dicent me.* Malim, *Quam beata ego sim, merito beatam me prædicant filiæ*, ut אשר sit infinitivus à verbo אשר quod tamen in Kal alibi non invenitur. Arias, *in felicitate mea quia beatificarunt me filiæ.* Trem. *cum beatitate mea: nam beatam prædicabunt me mulieres i. quod sit faustum ac felix. Sensus est, Beatitudinis laudem inter mulieres consequar, jam sex filiorum mater facta.* Hucusque Tremell. Vide Vatablum. ¶ *Filiæ*] puellæ; aut fœminæ, mulieres, ut Proverb. 31. 29. *multæ filiæ fecerunt strenue.* Alias, *compararunt divitias.* Sic, *filiæ Ierusalem*, puellæ aut fœminæ Jerosolymitanæ. Minus recte Jonathan, *filiæ Israel.* ¶ *Aser*] i. beatus. In antiquis libris editionis Lxx. Ἀσήρ, ὅ ἐστι πλοῦτος. Heu pravam interpretationem! Nam divitiæ עשר dicuntur, quod legunt Oser. Discrimen est primum in apicibus qui olim aberant: deinde in litteris. Nam אשר primam habet Aleph. Verba Hiero. hac de re sunt, *Aser ergo non divitiæ, sed beatus dicitur, duntaxat in præsenti loco. Nam in aliis secundum ambiguitatem verbi possunt & divitiæ sic vocari.* Cum venia Hiero. in אשר nulla est ambiguitas, nisi cum Latine scribitur Aser vel Oser. Aser non est ambiguum, sed Oser. Nam si prima sit Ain, sig. opes; si Aleph, beatum sive felicem. Nihil verius.

14. *Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ repperit mandragoras in agro, quas detulit ad Liam matrem suam: dixitque Rachel, Da mihi ex mandragoris filii tui.*

Tempore messis triticeæ] בימי קציר חטים in diebus messis tritícorum. Lxx. ἐν ἡμέρᾳ θερισμοῦ πυρῶν. idem sitet. Nam ἐν ἡμέρᾳ. i. tempore. Diem pro tempore etiam Latini usurpant. Jonathan, *in diebus Sivan quo tempore messis est triticorum.* i. tritici. Hic mensis respondet ex parte Majo nostro, & est tertius in ordine à Nisan, qui primus est anni Mosaici: cujus die decimo sexto messis inchoabatur, primum hordei, deinde tritici. Potuit ergo messis tritici incidere in mensem Sivan i. Majum. ¶ *Mandragoras*] ita Hiero. quem libenter sequor cum licet.

licet. Josephus habet μῆλα μανδραγόρου, mala mandragoræ. Lxx. μῆλα μανδραγορῶν, mala mandragorarum. Lectio varians μῆλα μανδραγόρου, mala mandragoræ. Onk. & Jon. יברוחין. Mercerus *violas* interpretatur: rectius alii, *mandragoras*. Nam in lingua Arabica יברוח mandragora. Medici scribunt *Jabroa* & *Jabroach*. Simon Jamnensis, *Iufaba Arabice mandragora, quæ & Iabroa dicitur* Aben. *Dudaim Chaldæus Paraphrastes reddit Iabroas: & sic vocantur in lingua Ismaelitica. Sunt autem odore bono & formam hominis habent. Et nescio quid ad conceptum conducant cum natura eorum frigida sit.* Cur ergo tantopere appetiit eas? Vide Augustinum supra citatum & quæ sequuntur. Hiscuni תאנים i. *ficus interpretatur*. R.Sal. שגלי. alias סגלי i. *violas*. In Sebbole Lecheth (liber est ejus nominis) cap. 45. סגלי *Sicut viola in lingua vernacula.* Addit R. Sal. *hanc herbam Ismaelitice* יסמין *vocari.* Sed Gerundensis Moses negat Jasmin messis tempore provenire, quam similem esse ait herbæ quæ in lingua Arabum סנבסג dicitur. Forte legendum סנפסג ut sit *Seneffige* Arabum. i. viola purpurea, ἴον μέλαν. Nihil ausim affirmare. Hoc tantum in Lexico Eliæ Chaldaico haberi, יברוחים *mandragoræ: item viola, ut Cant. 6. viola dederunt odorem*. Trem. nove vertit *amabiles flores*, quem vide si placet. Vide etiam quæ scripsimus hac de re in tractatu, *An Ruben mandragoras invenerit?*

15. *Et dixit ei, An parum est te accipere virum meum, ut accipias etiam mandragoras filii mei: dixitque Rachel, Ergo cubet tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.*

Et dixit] Lea. ❡ *An parum*] i. leve. Ebraice המעט. Hiero. *parumne tibi videtur*. Lxx. οὐχ ἱκανόν σοι; non satis est tibi? ❡ *Te accipere*] vel, *accepisse*; aut potius, *quod acceperis*. i. præripueris mihi. Nam magis amabat illam. Lxx. ὅτι ἔλαβες, quia accepisti. ❡ *Ut accipias*] ut auferas, ut præcipias. ❡ *Ergo cubet tecum*] vel, *ideo cubet tecum*. Nam לכן ideo, propterea. Chaldæi dicunt בכן & בגין כן. Lxx. οὐχ οὕτως לאכן. ❡ *Hac nocte*] τὴν νύκτα ταύτην. Est autem breviter dictum הלילה nocte pro הלילה הזה nocte hac. Sic היום dicimus pro היום הזה hodie. i. σήμερον. ❡ *Cubet tecum*] Hiero. *dormiat tecum*.

16. *Cum autem venisset Jacob ex agro vespere, egressa est Lia in occursum ejus dixitque, Ad me ingredieris quia conducendo conduxi te pro mandragoris filii mei: ita cubuit cum ea nocte illa.*

Ad me ingredieris] mecum congredieris & rem habebis; aut *ad me* in tentorium meum. Sed alibi, *qui ingreditur ad uxorem proximi sui*, qui consuetudinem habet cum ea. ❡ *Conduxi te*] μεμίσθωμαί σε. ❡ *Nocte illa*] בלילה הוא habent codices Ebræi. Esset autem ההוא cum articulo quem Jonathan expressit. Quod quia rarum ideo notandum duxi.

17. *Et exaudivit Deus Leam, quæ concepit & peperit Jacobo filium quintum.*

18. *Dixitque Lea, Dedit Deus mercedem meam quia dedi ancillam meam viro meo: & vocavit nomen ejus Issachar.*

Issachar] Ἰσσάχαρ. Ebraice יִשָּׂשכָר quod scribendum proprie Ijssachar, cum duplici I: quarum una vocalis est, altera consonans, nempe prior. Nam Issachar potius אִשָּׂשכָר scriberetur cum Aleph in capite. Sunt qui Joth affectum Hiric & Aleph initio dictionis eodem modo efferunt: unde reperias scriptum אִתְקְטַל pro יִתְקְטַל utrumque legentes Ithcetal, cum posterius Ijthcetal, sed leniter sit pronuntiandum. Appellatio à mercede quæ שָׂכָר unde in editione Græca Ἰσσάχαρ ὅ ἐστι μισθός: Issachar quod est merces. Verior interpretatio in libro nominum qui Philoni adscribitur, *Issachar, est merces*, ut sit compositio nominis ex יֵשׁ & שָׂכָר. Ideo, ut suspicor, duo habet ש cum unum tantum legatur. Forte Lxx. initio ediderunt ὅ ἐστι, ἐστὶ μισθός: quod est i. significat, *Est merces.* Cui firmando Hiero. in Quæst. ita scribens, *Etymologiam hujus nominis Lxx. interpretes ediderunt, est merces: non, ut plerique addito pronomine male legunt, existimandum est ita scriptum esse, quod is est merces, sed totum nomen interpretatur, Est merces. Jes quippe dicitur est & Sachar merces. Hoc autem ideo, quia mandragoris filii Ruben introitum, qui Rachelæ debebatur, ad se viri emerat.* Josephus Ἰσσάχαρον μὲν ἐπονόμασε τὸν ἐκ μισθοῦ γενόμενον. i. ex mercede natum.

19. *Et concepit amplius Lea, & peperit filium sextum Jacobo.*

20. *Et dixit Lea, Dotavit me Deus dote bona, hac vice habitabit mecum vir meus, quia peperi ei sex filios: & vocavit nomen ejus Zabulon.*

Filium sextum] בֶּן־שִׁשִּׁי. Hic notabis בן scriptum cum (··) sequente maccaph, & est unum ex quatuor quæ ita scribuntur ut observatum à Massoritis. ❡ *Dotavit me dote bona*] ita Hiero. In Ebræo est זבדני אלהים אתי זבד טוב dotavit me, me, inquam, dote bona: vel certe, *donavit me, me, inquam, dono bono* q. d. affecit me insigni beneficio dando sextum filium. Lxx. δεδώρηταί ὁ Θεός μοι δῶρον καλόν. Onk. *dedit Deus mihi, mihi, inquam, portionem bonam.* זבד alibi non reperitur, ut nec זבד quod exponunt מַתָּן donum, vel חֵלֶק partem, portionem. Scribit autem R. Jona donum in lingua Arabica ita quoque vocari. Usus est hac eadem voce & Jonathan, in cujus editione זבדין sunt dona, munera, & זבד donavit, dedit: vel certe dotavit. Sunt qui אֹתִי positum existimant pro אִתִּי mecum, hac sententia, *dotavit me, penes me est dos bona* vel, *donum bonum*. Sic Ies. 59. 2. אוֹתָם cum eis i. אִתָּם. Cave rejicias. ❡ *Hac vice*] הפעם hac vice, ut הלילה hac nocte. Onk. & Ionath. זמנא הדא hoc tempore. Lxx. ἐν τῷ νῦν καιρῷ. ❡ *Habitabit mecum*] יזבלני pro eo habendum ac si diceret יזבל עמי habitabit mecum, aut יהיה זבולו עמי erit habitaculum ejus apud me. Nam cum sit verbum neutrum debet subintelligi commoda aliqua præpositio. Sic in Odis Davidis לא יגורך רע non habitabit tecum malus. i. עמך. Lxx. αἱρετιεῖ με eliget sive diliget me. i. יבחרני. In edit. vulgata *mecum erit*. Hier. Quæst. Ebr. *Ubi nos posuimus, habitabit mecum, & Lxx. interpretati sunt, diliget me, in Ebræo habetur Iebeleni. Et est sensus, quia sex filios genui Iacob, propterea jam secura sum: habitabit enim mecum vir meus. Unde & filius meus vocatur habitaculum.* Onk. & Ion. *erit habitatio mariti mei mecum*. Quanquam in Onk. לותי ad me. R. David in libro ubi vocum sensa collegit: ידור עמי *habitabit mecum. Nam vocatur*, inquit, הדירה *habitatio* זבול *Zebul*. Quidam, *parabit habitaculum mihi & filiis meis numero sex.* Videndus Hiscun: Gallica *cette fois mon mari me hantera*. ❡ *Zabulon*] Ζαβουλών, Ebraice זְבֻלוּן. Sed libri variant. Nam in aliis זְבוּלֻן. Hodie legunt, *Zebulun*. Hiero. in Quæst. *Zabulon, habitaculum*. In libro nominum, *habitaculum eorum* זבולון: habitaculum fortitudinis זבול און. Fluxus noctis. זב fluxit, לן pernoctavit. Hanc interpretationem damnat Hiero. dum ita scribit, *Male igitur & violenter in libro nominum Zabulon fluxum noctis interpretatur.* νυκτερία Theophylactus Matth. 4. pag. 17. ῥύσις νυκτερινή, ταπεινὰ χώρις σκότος, Hesychius. *Habitaculum potest & habitaculo substantia nuncupari.* Hiero. in Nom. ex Matthæo. ἐνεχυρασμένον εὐνοίᾳ τῇ πρὸς αὐτήν. Joseph. Antiq. Lib. 1. cap. 19. *pignus benevolentiæ*: interpres recentior. *Favoris pignus ad eam*. Rufinus. ❡ *Et vocavit*] Lea. Nam ita moris erat. Matres nomina filiis imponebant. Quod tamen eas fecisse absque consensu virorum non existimarim, nisi admodum raro, ut cum Rachel filium Benoni nuncuparet inconsulto Iacobo. Vide hoc loco Mercerum.

21. *Post peperit filiam, & vocavit nomen ejus Dinam.*

Post] i. postea. Sic Ebraice אַחַר pro אחר כן μετὰ ταῦτα. Chaldaice בָּתַר vel בָּתַר כֵּן. ❡ *Dinam*] דִּינָה Δεῖνα vel Δίνα. Nam exemplaria variant. In libro nominum, *Dina, judicium istud*. Malim, *judicium ejus*. i. דִּינָהּ. Nam דין judicium. Significat etiam caussam. Hiero. in Quæst. *Hæc transfertur in caussam, quam significantius Græci δίκην vocant. Jurgii enim in Sichimis caussa extitit.*

22. *Et recordatus est DOMINUS Rachelis & exaudivit eam Deus & aperuit vulvam ejus.*

23. *Quæ concepit & peperit filium, & dixit, Collegit DOMINUS opprobrium meum.*

24. *Et vocavit nomen ejus Joseph, dicendo, Addat DOMINUS mihi filium alterum.*

Recordatus est DOMINUS Rachelis] Deus recordari nos dicitur, quando experimur ejus vel iram vel favorem. Iram ejus experimur, quando punit: favorem, quando liberat & opem fert. Sic quando fœminam sterilem fœcundam facit, ejus recordari dicitur. Nam signum est favoris ejus erga illam. Contra Psal. 9. 13. recordatur cruores, quos vindicat, & iniquitates, quas punit. ❡ *Exaudivit eam*] Onk. *suscepit preces ejus.* Jonath. *exaudita fuit coram eo vox orationis ejus.* ❡ *Aperuit vulvam ejus*] Onk. *dedit ei conceptum*, sive *ut conciperet*. Jonathan, *dixit in sermone suo*, hoc est, decrevit apud se, *dare ei filios.* Aperire vulvam est facere, ut mulier, quæ ante sterilis fuerat, concipiat & pariat. Quanquam in conceptu non aperitur vulva, sed in partu. Unde *apertio vulvæ*, de primogenito. Sic dico, Aperitur vulva in primo partu, hoc est, quando mulier primo parit, & qui eam parientem facit Deus, ejus vulvam aperire dicitur. Vide quæ scripsimus 29. 31. ubi hæc eadem phrasis occurrit. ❡ *Vulvam*] μήτραν, matricem, uterum. Sed uterus proprie בטן dicitur, quæ vox etiam ventrem denotat. ❡ *Quæ concepit & peperit*, vel, *cumque concepisset peperit*. Nam si vulvam ejus aperuerat, ante conceperat. Sed cum dixisset, *aperuit vulvam ejus*, se mox explicat cum ait, *Concepit enim & pepe-*

pepe-

peperit filium. ¶ *Collegit opprobrium meum*]. i. abstulit, ut recte Hiero. interpretatur post Lxx. qui ἀφεῖλεν habent. Obvia hæc locutio. Jes. 4. 1. *collige opprobrium nostrum.* i. aufer. Hinc intelligentiam habet, *collecta fuit lætitia & exultatio.* nos diceremus, *ablata fuit.* Dicitur etiam de morte, ut ibi, *pisces maris colligentur*, quod exponunt, morientur; è medio tollentur. ¶ *Opprobrium meum*] τὸ ὄνειδός μου, probrum meum, hoc est, sterilitatem meam. Nam sterilitas olim magno probro erat mulieribus nuptis. ¶ *Joseph*] יֹסֵף nomen ex futuro, ut יָרֵב Iareb. Græce Ιωσήφ. Qui vertunt *Joseph addens*, putarunt esse nomen ex Benoni: quos refellit plenior scriptura יְהוֹסֵף Psal. 81. 6. In libro nominum, *Ioseph augmentum.* i. יֹסֵף. Veritas interpretationis *Joseph, addet.* Nam dicebat, *Addet mihi DOMINUS filium alterum.* ¶ *Addet*] vel, *addat*, ut sit optantis q. d. O utinam adderet. Sed malo ut sit bene sperantis. יֹסֵף non est Benoni, sed futurum pro יֹסִיף quod in Ionatha. Siquidem Tseri & Chirec in ea conjugatione permutantur. LXX. προσθέτω, addat: quod secutus est interpres noster. Moneo tamen in quibusdam codicibus & apud Chrysostomum Hom. 56. haberi προσέθηκε i. addidit. Nam futurum pro præterito poni etiam solet. ¶ *Filium alterum*] Ionath. addidit, *ad hunc*: quod in ipsa sententia continetur.

25. *Fuit autem cum peperisset Rachel Josephum, ut diceret Jacob Labani, Dimitte me ut eam ad locum meum & ad terram meam.*

26. *Da uxores meas & natos meos, pro quibus servivi tibi ut abeam: nam tu nosti servitutem meam quam servivi tibi.*

Ad locum meum] Hiero. *in patriam meam.* ¶ *Terram*] regionem. *Ad locum meum* posset exponi, *ad urbem meam:* & *ad terram meam, ad patriam meam.* Sic alibi; *Gens ascendit contra terram meam.* Lxx. εἰς τὸν τόπον μου, καὶ εἰς τὴν γῆν μου. Sic etiam Onk. & Ionath. ¶ *Et natos meos*] ילדי ואת. Lxx. καὶ τὰ παιδία μου, & pueros meos. Hiero. *& liberos meos* בני ואת. Onk. & Ion. בני ית & filios meos. ¶ *Pro quibus servivi tibi*] Hoc ad uxores tantum pertinet. Quod docet pronomen fœmininum in Ebræo, tum etiam ipsa res. Nam non servivit pro liberis, nisi dicamus eum pro uxoribus serviisse, ut ex iis liberos susciperet. Scopus enim & finis matrimonii est liberorum procreatio. Quidam ordine verborum nonnihil mutato legunt, *Da uxores meas pro quibus servivi tibi & natos meos ut abeam.* ¶ *Servitutem*] quatuordecim annorum. ¶ *Quam servivi tibi*] vel, *qua servivi tibi.* Ita Hiero. & alii.

27. *Et dixit ei Laban, Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, experimento didici quod benedixerit mihi DOMINUS propter te.*

Si nunc inveni gratiam in oculis tuis] desideratur quippiam. Quidam supplent, *audi.* Gallice *escoute*: alii, *mane apud me:* alii, *missa faciamus hæc.* ¶ *Inveni gratiam in oculis tuis*] valeo gratia apud te. ¶ *Experimento didici*] נחשתי *experimento didici* vertit Hiero. quem secutus sum eo libentius, quod in editione Onk. נסיתי, hoc est, Fagio interpretante, *expertus sum.* Quomodo & Abenezra. Nec aliter R. Sal. Uterque putat ipsum adhibuisse auguria, quæ נחשים vocantur. Potest ita esse. Nam domi habebat imagines Theraphim appellatas. Per eas futura prænoscebant & divinabant antiqui. Hanc sententiam firmant Senes quos vocant Lxx. referentes οἰωνισάμην ἄν *auguratus sum utique*, vel, ut est in nonnullis codicibus οἰωνισάμην ἄν, & apud August. in locut. *auguratus essem.* Quo pertinet illud Ion קסמין אתאחיתי auguratus sum divinationibus, & quod in Jerosolym. אתחזית οἰωνισάμην. Hoc verbum extat in eadem Jerosol. & Gen. 44. 5. מנחש οἰωνίζεται, auguratur. Munsterus exponit *augurium:* nescio an recte. Ductum est à nomine נחש quod *avem* interpretantur i. עוף & est linguæ Ismaeliticæ sive Arabicæ. Quod affirmat, præter Davidem Camium, Nathan justus Iehielides autor Lexici, quod vocant Baal Aruch. Adhuc restat interpretatio Gallica, *j'ai apperceu.* i. animadverti aut observavi: quam probo, ut נִחֵשׁ sit observo auguria, & simpliciter observo. ¶ *Propter te*] בגללך. Lxx. ἐπὶ τῇ σῇ εἰσόδῳ, ad ingressum tuum. i. לרגלך. Vid. infra vers. 30.

28. *Etiam dixit, Nuncupa mercedem tibi à me dandam, & dabo.*

Nuncupa] vel, nomina. i. nominatim exprime. Ebraice נָקְבָה quod ita dicitur ut זָכְרָה recordare. Lxx. διάστειλον, distingue i. distincte declara aut pronuncia. Hiero. *constitue.* Onk. פרש *explica, expone vel separa.* Ionathan פְּסַק præcide. Trem. *nominatim expressam impone mihi.* Gall. *declare.* ¶ *A me dandam*] עָלַי, *super me*, & אשר subintelligitur, *quæ super me.* Vult dicere, quæ mihi danda vel solvenda, quæ à me tibi debetur. Vetus editio, *constitue mihi.* i. לי. Gallica, *dont je te serai tenu*: quam tibi debebo. Hisc. hunc versum ita conjungit cum superiore, *Si inveni gratiam in oculis tuis, nuncupa mercedem tibi à me dandam, & dabo.* Nec obstat verbum *dixit*, quod per, inquam, repeti potest, *Et dixit, Si gratiam inveni &c.* Quæ sequuntur parenthesi sunt includenda (*experientia didici quod benedixerit mihi DOMINUS propter te*) *dixit*, inquam, *nuncupa mercedem tuam* &c. Cave spernas. Nam sic non erit quicquam subaudiendum.

29. *Et dixit ei, Tu nosti quomodo servierim tibi, & quale fuerit pecus tuum apud me.*

30. *Nam parum erat quod habebas ante me, nunc erupit in multitudinem, benedixitque DOMINUS tibi ad pedem meum: Nunc ergo quando faciam etiam ego pro domo mea?*

Et dixit] Iacob. ¶ *Quomodo servierim tibi*] ita Hiero. & alii. In Ebræo est ad verb. *id quod servii tibi* i. servitutem quam servivi tibi. ¶ *Quale fuerit pecus tuum apud me*] ואת אשר היה מקנך אתי id quod fuit pecus tuum mecum i. apud me. Mox se explicat cum ait, *parum erat quod habebas* &c. Lxx. ὅσα ἦν κτήνη σου μετ᾽ ἐμοῦ: quanta fuerint pecora tua mecum i. quam pauca. Possumus etiam exponere, quam multa, ut sensus sit, tu nosti quale evaserit pecus tuum, quanto numero auctum sit sub cura mea. Hæc posterior expositio germana videtur. ¶ *Mecum*] אִתִּי. Onk. reddit עמי & Ionathan נטיר עמי custoditum apud me q. d. dum fuit sub custodia mea. Iterum repeto. Clara lux huic loco, si *fuerit* exponas, *evaserit, & id quod fuit*, id quod evasit. Quod novum non est in hac lingua. ¶ *Parum erat quod habebas ante me*] hoc est ante adventum meum. Docte Hiero. *modicum habuisti antequam venirem ad te.* Minus recte Lxx. ἐναντίον ἐμοῦ coram me, nisi vertas, *ante me*, ut ἐναντίον ad tempus referatur. ¶ *Parum erat*] parum pecoris erat. i. paucum pecus. Ionathan, *pauca erant quæ habebas pecora:* vel brevius, *paucas oves habebas.* Nam צאן proprie de ovibus dicitur & capris. ¶ *Ante me*] Alii, *coram me*, quod minus se probat mihi. Si tamen quis malit, *coram me*, erit sensus, cum initio illud custodirem. Nam de pecore sermo est. ¶ *Erupit in multitudinem*] excrevit in tantam multitudinem, ut septa ipsa, quibus pecora includi solent, quasi perrumpat. ea vis verbi פרצת quod supra 18. 14. de homine dicitur. Lxx. habent ηὐξήθη, aucta sunt. Hiero. *dives effectus es* ועתרת. ¶ *In multitudinem*] εἰς πλῆθος. Ebraice לָרֹב quod reddi etiam potest, *plurimum*, adverbialiter. ¶ *Ad pedem meum*] ad meum adventum. Ebraice לרגלי. Lxx. ἐπὶ τῷ ποδί μου. Onkelos בדילי propter me. Contra in vers. 27. בגללך propter te. Lxx. reddunt ἐπὶ τῇ σῇ εἰσόδῳ. Hiero. *ad introitum meum.* Ionathan, *in pede meo, quia profui tibi ex quo veni in domum tuam.* Theod. Quæst. 87. in Genesin, διὰ τὴν ἐμὴν παρουσίαν, propter meam præsentiam. Πόδα γὰρ, inquit, τὴν παρουσίαν ἐκάλεσε. Aug. Quæst. in Genes. Lib. 1. Quæst. 92. *Pes pro ingressu ponitur, unde, benedixit tibi Deus in pede meo i. in ingressu meo.* R. Sal. *cum pede meo, propter adventum pedis mei venit juxta te benedictio.* Aben. *propter pedem meum. Sic homines dictitant, Est huic pes bonus, & est sensus, Benedictus fuit ex quo venit in domum meam.* Alia expositio, *ad pedem meum*, ad exitum & introitum meum, ac si diceret, propter administrationem meam, vel, ex quo tecum cœpi versari. ¶ *Quando faciam etiam ego pro domo mea?*] *faciam* dixit pro *faciam opus* sive *operabor*, & est sensus, Quando providebo vel prospiciam operando etiam ego domui meæ. Ebraice מתי אעשה גם אנכי לביתי. Id Lxx. reddunt, πότε ποιήσω κἀγὼ ἐμαυτῷ οἶκον; quando faciam ego quoque mihi ipsi domum? לביתי [illegible]. Alia mens verborum quæ in Ebræo. Hiero. *justum est igitur ut aliquando provideam domui meæ.* Sensum expressit melius. Ionathan, *quando faciam etiam ego opus: Nam necesse est ut alam viros domus meæ*, hoc est domesticos meos. Trem. *quando operabor ego similiter pro domo mea?* Gallica, *quando faciam etiam ego aliquid pro domo mea?* q. d. tempus est ut jam tandem familiæ meæ consulam, quemadmodum alii faciunt, qui uxorem & liberos habent.

31. *Et dixit, Quid dabo tibi? Dixitque Iacob, Non dabis mihi quicquam, Si feceris mihi rem istam, revertar, pascam oves tuas, custodiam.*

32. *Transibo per omnes greges hodie removendo inde omnes pecudes interpunctas & maculosas, & omnes pecudes furvas inter oves & maculosas & interpunctas inter capras: hæc erit merces mea.*

Et dixit] Lxx. καὶ εἶπεν αὐτῷ Λάβαν: & dixit ei Laban. ¶ *Non dabis mihi quicquam*] Idem cum illo, nihil mihi dabis, quod Græci dicunt οὐ δώσεις μοι οὐθέν. Jonathan, *non dabis mihi quicquam aliud.* ¶ *Si feceris mihi rem illam*] Hiero. *sed si feceris quod postulo.* הדבר הזה proprie verbum istud, ut in Lxx. τὸ ῥῆμα τοῦτο, nempe id quod modo dicturus sum. ¶ *Revertar, pascam*] iterum pascam, aut redibo pastum. ¶ *Cu-*

stodiam]

ſtodiam] καὶ φυλάξω, & cuſtodiam. Hiero. *iterum paſcam & cuſtodiam oves tuas.* ❡ *Oves tuas*] vel *greges tuos.* ❡ *Per omnes greges*] alii, *per omnes oves.* Sed צאן etiam capras comprehendit, quæ ovium nomine non veniunt, quod ſciam. ❡ *Removendo inde*] alii, *removebo*: alii, *remove.* Ebraice הָסֵר. Hiero. *ſepara.* Lxx. καὶ διαχώρισον. ❡ *Omnes pecudes interpunctas*] כל שה נקד omne pecus interpunctum. i. maculis parvis tanquam punctis quibuſdam interſperſum. שֶׂה proprie parva pecus. In Libro Radicum, *parva ovis aut parva capra.* Chaldæi אמר reddunt. Lxx. πρόβατον. Hiero. *oves.* נָקֹד interpunctum. Santes, *punctis reſperſum.* Arias, *punctatum,* quod Latinum non eſt. Trem. *punctulis reſperſam.* Gallice, *piccotée.* Onk. & Ionath. נמור. Sic etiam autor Jeroſol. niſi quod voces in ea tranſpoſitæ. Nam נמור reſpondet potius τῷ טלוא, ut mox videbimus. Sed quid נָמֹר? Munſteri λέξις, נמור *variis & multis reſperſus maculis.* Onkeli interpres Fagius, *punctatus* i. punctis aſperſus & maculis, quales in pardo, quem נָמֵר vocant, cernuntur. Sunt qui parvum נָמֵר ſcribunt: quanquam in emphaſi נמרא. Ab eo igitur נמור interpunctus, niſi ſit a מר muto, ut varium denotet. In Latina vulgata, quæ ex Ebræo, *cunctas oves varias.* Lxx. mutili ſunt hoc in loco. Nam pro נקד וטלוא וחום tantum φαιὸν habent. paullo poſt, נָקֹד ῥαντὸν i. aſperſum maculis reddunt. נָקֹד radicem habet נָקַד ſignare: unde נֹקְדִים paſtores, qui ſigna imponunt, ut fieri ſolet in pecoribus. Inſtrumentum quo id faciunt, dicitur character & Græce τεγνίτητον. ❡ *Et maculoſas*] וטלוא & maculis reſperſum. Proprie dicitur de majoribus maculis, ut נקד de minoribus. R. David in libro Radicum, טלוא *ſignatus maculis magnis*: נקד *ſignatus maculis parvis,* & mox, טלוא *qui latas maculas habet.* R. Sal. נקד. מנומר בחברבורות דקות *varius maculis tenuibus. vernacule ponitur* טלוא לשון טלים חברבורות רחבות *maculis latis aſperſus.* Hujuſmodi maculæ טלאים vocantur. Hiero. *& ſparſo vellere.* Trem. *latis maculis interſtinctum.* Arias, *& maculoſum.* Santes, *maculis latis reſperſum.* Gallica, *tachetée.* Onk. ורקוע quod Fagius interpretatur *maculatam.* Jonath. קרוח ex quo emendabis Thargum Jeroſolym. ubi perperam legitur קְרִיחַ נָמוֹר cum ſit legendum ἀναμφισβητήτως נָמוֹר וּקְרוּחַ interpunctum & maculoſum. Sic interpretor ex ſententia. Nam calvi vox huic loco non quadrat. Quod autem in Lexico Munſteri, קרוח *punctatus,* eum fefellit ordo ille, de quo dixi. ❡ *Furvas*] vel potius, *fuſcas,* ut חום ſit fuſcum, qui color eſt ſubniger, qualem illi referunt, qui calore ſolis aduſti ſunt. Græce φαιὸς dicitur: quod hic in editione Lxx. Hiero. habet *furvum* quem ſecutus ſum. Nam etiam R. David exponit חום dicens ſignificare שָׁחֹר nigrum i. πέρκον, in Græco ſcholio mihi repertum. Onkel. quoque שחום & Fagius interpres *nigram.* R. Sal. vernacule interpretatur רוש rouſſe i. rufum. *Color,* inquit, *ſimilis* אדום *i. rubro.* Sic etiam Hiſcuni, חום *barbare* רוש *(rous) i. rufus.* Ionathan & autor Ieroſol. לחוש i. fuſcum aut furvum, vel certe rufum. Gallica editio, *& tous les roux* i. omnes rufas. Santes etiam, *rufum.* Arias, *nigrum.* Trem. & Merc. *fuſcum.* Quod mihi præ ceteris placet. ❡ *Hac erit merces mea*] והיה שכרי & erit ſive erunt merces mea, nempe qui ex his naſcentur. Trem. *talium erit merces mea.*

33. *Et atteſtabitur pro me juſtitia mea die craſtino, quando venies ad mercedem meam, coram me: omne quod non fuerit interpunctum, aut maculoſum in capris, aut furvum in ovibus, furtivum erit apud me.*

Atteſtabitur] vel *teſtificabitur.* Hoc modo enarrant Onk. & Ion. Siquidem סהד teſtari ſignificat, quod unus in prima conjugatione ponit, alter in tertia, quam Aphel Chaldæi vocant. Lxx. καὶ ἐπακούσεταί μοι, & exaudiet me. Notum ut עָנָה ſit exaudire. Hiero. *reſpondebitque mihi.* ❡. *Juſtitia mea*] juſtitia cauſſæ meæ. Sic David, *Deus juſtitia mea* i. juſtæ cauſſæ meæ. ❡ *Die craſtino*] in poſterum, poſthac. Lxx. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἐπαύριον. Hiero. *cras* i. מָחָר. On. ביומא דמחר Ion. למחרא die craſtino ex duobus unum fecit, abjecta littera ם. ❡ *Quando venies*] alii, *quando veniet* ſc. juſtitia mea. ❡ *Ad mercedem meam*] ad pecudes quæ mihi ex pacto cedent in mercedem. ❡ *Interpunctum aut maculoſum*] Lxx. ῥαντὸν καὶ διάλευκον, quod reddunt, *ſparſum & ſubalbum.* Hiero. *varia & maculoſa.* Vide præcedentia. ❡ *Furvum*] Lxx. φαιὸν fuſcum, quod magis probo. ❡ *Furtivum erit*] i. furto ablatum, quod Græci dicunt κεκλεμμένον, alius recentior interpres, *ſurreptitium.* Onkel. & Ion. גניבא i. ſuffuratum aut furtivum, non furtum. Hiero. *furti me argues.* ❡ *Apud me*] ſi apud me repertum fuerit.

34. *Dixitque Laban, En, utinam, ſit ſecundum ſermonem tuum.*

En, utinam] הן לו en, utinam. הן Tremellio eſt hominis rem propoſitam expendentis, ut ad eam reſpondeat. לו quod vertit, *o utinam,* apud ſe ipſum probantis rem à genero propoſitam. Mercero utraque particula eſt approbantis & aſſentientis. הן ita, etiam, ναί. Cui firmando eſt ſententia illa

הצדיקים הן שלהם הן ולאו שלהם לאו.

Juſtorum etiam eſt etiam, & non eorum eſt non. Ubi הן redditur *etiam.* Onkel. הָא verum, quod Fagius reddit ſimiliter *etiam.* Ionathan בקושטא certe, ut Gen. 27. 36. in Onk. ubi in fonte הֲכִי & in Ionatha, vere. Hiero. *Gratum habeo quod petis.* Gallica, *& bien, je le ſouhaite.* Santes, *Ecce utinam.* Leo Iudæ, *Age, modo fiat quod dixiſti.* Munſterus, *age utinam.* ❡ *Sit*] ἔστω. Alii, *fiat,* quod Græce diceretur γενηθήτω. Utrumque uſurpant in reddendo verbo יְהִי, ut in oratione legitima יהי רצונך fiat voluntas tua. ❡ *Secundum ſermonem tuum*] κατὰ τὸ ῥῆμά σου, juxta verbum tuum, quod dixiſti.

35. *Et Laban removit in die illo capros nodoſos & maculoſos, & omnes capras interpunctas & maculoſas, omne in quo erat macula alba, & omne furvum in ovibus, tradiditque in manum filiorum ſuorum.*

Removit] i. ſeparavit. ita LXX. Hiero. & Ionath. Chaldæus paraphraſtes. ❡ *Capros nodoſos*] התישים העקדים LXX τοὺς τράγους τοὺς ῥαντούς, hircos ſparſos, vel potius, *aſperſos maculis.* Sym. λευκόποδας, albis pedibus. Hiero. *hircos varios.* Onk. תישיא רגולא i. Fagio interprete, *hædos in pedibus reſperſos.* Munſteri λέξις, רגולא *varius vel colligatus.* Appellatio à pedibus. Nota eſt in margine Lexici mei, רגולא *ſtrias vel lineas quaſdam reſperſas in pedibus habentes, circulis diverſicoloribus diſtinctis in cruribus.* Ionathan, *capros vel hircos notam in pedibus habentes.* Santes, *hircos punctis cinctos.* Arias, *faſciatos.* Tremell. *hircos varia crura habentes.* Leo Iudæ, *hircos circulatos.* Munſterus, *hircos notis reſperſos.* Abenezra, *ligatos in pede*: *& eſt ſenſus, quod nota ſive macula ligaverit pedem.* R. David in libro rad. *Macula ipſorum in loco quo ligant manum & pedem, quando curvant manum ſuper pedem & ligant: in eo loco erant maculæ ipſorum, ideo vocantur* עקדים. Mercerus ad hunc locum, עָקֹד proprie „dicitur quod maculas habet iis locis quibus in cruribus aut ta„lis ligata fuerant, quaſi dicas maculis velut faſciis in pedibus „revincta. Alii exponunt, quod lineam nigram per dorſum „in longum habet, vel quod alias maculas habet nigras, ob„longas, circumdantes membra, quaſi fuiſſet ligatum, quod „R. Levi magis probat. Vide Vatablum. ❡ *In quo erat macula alba*] אֲשֶׁר לָבָן בּוֹ in quo erat album i. nota vel macula alba. די רשומא חוורא בה ait Ionathan. Eſt autem רשומא nota vel macula, quam R. Sal. חברבורות appellat. Aliis לָבָן eſt albor ſive albedo aut candor. LXX. λευκόν. Santes, *candor.* Sic etiam Arias. Gallica, *du blanc.* Color iſte non erat pure albus, ſed mixtus cum alio colore. ❡ *Tradiditque*] Laban, qui etiam ſeparationem fecit caprarum & ovium. Nam non fidebat Iacobo. ❡ *Filiorum ſuorum*] quorum mentio infra 31. 1.

36. *Et poſuit iter trium dierum inter ſe & Jacobum: Jacob autem paſcebat oves Labanis reſiduas.*

Poſuit] interpoſuit. ❡ *Iter trium dierum*] tantum ſpatii quantum tribus diebus confici poteſt. ❡ *Inter ſe*] inter locum ubi grex erat quem filiis tradiderat: grex, inquam, ovium ſuarum &c. LXX. ἀνὰ μέσον αὐτῶν inter eos ſc. filios ſuos. ❡ *Et Jacobum*] & locum ubi Iacob erat cum ſuis gregibus, hoc eſt, cum reſiduis Labani ovibus & capris. ❡ *Oves*] alii, *pecudes,* alii, *greges.* Ebraice צאן tam capræ quam oves. ❡ *Reſiduas*] reliquas poſt ſeparationem, de qua ſupra, quæ videlicet nec interpunctæ erant nec maculoſæ, nec fuſcæ nec nodoſæ. Ebræi dicunt, *imbecilliores & languidas.* Ionathan, *ſenes & morbidas.* Nam lego סבן ubi vulgo סבן quod nihil ſig.

37. *Et accepit ſibi Iacob virgas populi arboris viridis, & coryli, & platani, & detraxit in illas cortices albos, denudando album quod in virgis.*

Virgas] *virgam* eſt in Ebræo pro *virgas,* ut alibi *arborem* pro *arbores,* & *ranam* pro *ranas.* Hoc primum: deinde מַקַּל regimen eſt ex abſoluto מַקֵּל virga ῥάβδος. Chaldaice חטר ſive חטרא. Sic מִזְבֵּחַ altare in regimine facit מִזְבַּח. ❡ *Populi arboris*] aut ex populo. לִבְנֶה proprie populus alba i. λευκή. Farfarus Plauto, unde *folia farfari.* Chaldaice לִבְנֵי vel certe לבן quorum hoc in Ionatha ſcriptum, illud extat in Onk. Arabice Haur. i. חִוָּר ab albedine. Reperio & לִבְנִין niſi mendum in Ionatha Hoſ. 4. 13. R. Sal. *Arbor eſt quam vocant* טרימבלא *tremble.* R. David in libro Radic. *Arbor eſt cortice albo, quam teſte R. Iona Arabes appellant* לִיבְנִי. LXX. στύρακα reddunt: ſed melius Hiero. *virgas populeas.* ❡ *Virides*] virentes, humectas. Hoc poteſt ad ſequentia referri, ut virgæ ex corylo & caſtanea *virentes* quoque fuiſſe intelligantur. Aliter Hiſcuni, qui

qui scribit populi carnem sive pulpam non esse albam, nisi cum viret: coryli vero & castaneæ carnem esse albam, sive vireat sive non: *ideo*, inquit, *jungit virorem cum populo arbore.* ❡ *Coryli*] לוז corylus, arbor ferens avellanas, מקל לוז virga columna i. ex corylo arbore. R. Sal. לוז *arbor est quæ profert nuces tenues, vulgo* קולדרי. Vox hæc Gallica est, in qua lingua *Couldrier* est corylus. R. David in libro ubi vocum sensa explicat, *Est id quod vernacule dicitur* אוילניר *i. avelanier.* Etiam hæc vox Gallica est. Nam Hispani dicunt *avellano.* Utraque significat corylum. LXX. καὶ καρυΐνην & nuceam: Interpres Romanus, *& nucinam.* Scholion, ἀμυγδαλίνην, amygdalinam. Id amplexus est Hiero. Nam vertit, *amygdalinas*: & in Quæst. scribit. „Tres enim virgas, populeas & amygdalinas & mali „granati: quanquam LXX. styracinas & nucinas & plataninas „habeant. R. David in libro Radic. „Rabbenu Saadias לוז „interpretatur שקדים i. amygdala, propterea quod ita vocentur „in lingua Arabica. Similiter Tharg. Ierosolymitanum amyg„dala vocat לוזין. Nec aliter Hiscuni. Abenezra, *Dicit Hagaon* לוז *esse amygdalon, quæ sic vocatur in lingua Ismaelitica. Nam hæ duæ linguæ ut etiam Syra cognatam familiam habent.* In collectaneis vocabulorum Arabicorum, quibus Medici utuntur, *Lauz vel Lauzi, amygdalus.* Italice *albarro.* ❡ *Platani*] Hiero. *ex platanis.* prius Lxx. καὶ πλατάνου: & On. ודולב quod male Fagius interpretatur, *& castaneæ.* דלוב est platanus. Jon. ארדפני nisi legendum ארדפני Quo nomine usus est idem interpres Exod. 15. 25. *arbor amara Ardiphne.* Eliæ Lexicon Chaldaicum, *Est nomen arboris proferens flores similes floribus lilii, amaros admodum.* De Ardiphne loquitur. Veniamus nunc ad Ebræum ערמון quod recentiores omnes, quos vidi, *castaneam* interpretantur, autores Ebræos secuti. R. Salomo, ערמון *vulgo* קשטניר *chastagnier:* R. David in libro Radicum, *Sunt qui dicunt esse arborem quæ vocatur vernacule* קשטניר *i. castanea:* Idem ibidem, ערמונים *appellantur in lingua doctorum nostrorum* דופלי *dusle,* & sic dicit Thargum ודולב. Jam probavimus דלוב esse platanum, non castaneam. Idem דופלי, nisi fallor, litteris inversis & Beth in Phe mutata. ❡ *Et detraxit in illis cortices albos*] ויפצל בהן פצלות לבנות. Lxx. καὶ ἐλέπισεν αὐτὰς Ἰακὼβ λεπίσματα λευκὰ, decorticavit eas Jacob decorticationes albas. Sic editio Latina, quæ in codice Romano. Hiero. *ex parte decorticavit eas.* Nam non totum detraxit corticem, sed partem tantum, ut ita color varius appareret. On. & Jon. nihil variant ab Ebræo. Cortices vocant קלפין & decorticare dicunt קלף. Quæ vox etiam Ebræis in usu. Hoc notum iis qui sciunt corticem in ea lingua קלף dici. Trem. *& corticem hic illic detrahens fecit in eis multa spatiola alba.* Hæc interpretatio ad sensum est, non ad verba. Leo Judæ, *deglubit eas ut albedo appareret.* Alius, *decorticavit in eis decorticationes albas.* In notis Vatabli, *detraxit summam partem corticis multis in locis, quæ detracta reddidit virgas illas variis in locis albas.* ita color varius fuit q. d. fecit ut virgæ istæ essent variorum colorum. ❡ *Cortices albos*] improprie loquitur. Nam non cortices albi erant, sed virgæ in ea parte ubi cortex amotus. Sic dico, detrahendo corticem albas fecerat virgas quibusdam in locis. ❡ *Denudando album*] מחשף הלבן denudatione sive per denudationem albi. Album Trem. *alburnum* dixit. Sed alburnum proprie adeps arboris. Hieron. periphrastice hunc locum ita reddidit, *detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.* Jon. *decorticatione albi:* quod Fagius explicat interpretando, *ita ut per istam decorticationem appareret album.* Jon. *retegendo album.* Lxx. περιαιρῶν τὸ χλωρόν. alias τὸ λευκόν. Leo Judæ, *denudans quod album erat.* Si putavit מחשף participium esse, in errore fuit maximo. Non est participium, sed nomen.

38. *Et statuit virgas quas decorticaverat in canalibus, in alveis aquarum quo veniebant pecudes ad bibendum è regione pecudum, & incalescebant cum venirent ad bibendum.*

Statuit] vel, *collocavit,* Ebraice ויצג quod Onk. reddit ונעץ fixit & Jonath. ודעץ infixit, defixit. Pro נעץ Thalmudici dicunt דעץ elisa media Ain. R. Sal. ait לשון תחיבה. Lexicon Chaldaicum Munsteri נעץ fixit. Hiero. *posuitque* בשקתות. Lxx. καὶ παρέθηκε. ❡ *Decorticaverat*] פצל in libris, quos vidi, Tseri habet. Mirari libet. Nam in margine utriusque editionis Venetæ פצל cum segol ad instar כפר expiavit. Addit Massora eos omnes errare, qui aliter scripserunt. Intelligit autem qui apices addiderunt, quos נקדנים appellat, quasi tu dicas *Punctatores.* ❡ *In Canalibus*] Canales Ebraice רהטים dicuntur, Chaldaice vero מרזביא & מרזבייתא, quod scribes מרזביתא vel certe מרזביתא. Nam in Jonatha מרזבייתא. Ceterum pro Joth quod in codice meo, substitui ex Elia Vau, qui etiam aliunde citat מרזבותא. In Lexico Chaldaico Munsteri מרזבא *canalis* מרזביתא *canales.* Absolute מרזבין canales. Lxx. ἐν ταῖς ληνοῖς. Sunt autem ληνοὶ lacus. Cato *aquaria* dixit. ❡ *In alveis aquarum*] rectius fortasse, *in lacubus aquarum,* hoc est in aquariis. Lacus, quo pecudes aquatum aguntur, & aquarium synonyma sunt. Alveus idem fere quod canalis. Differt canalis à lacu ut genus à specie. Nam generale est ad quoscunque alveos per quos decurrit aqua. Sic differunt ληνοὶ & ποτιστήρια, quod Latine sonat, ut si dicas, adaquatoria. Neque recte redditur in edit. Rom. *canales,* cum potius ληνοὶ sint canales. Aquarium שקת dicitur, cujus pluralis שקתות ut a nomine בקר in numero multitudinis dicimus בקרים. Regimen בשקתות המים in lacubus aquarum, quod Santes *in potatoriis aquarum.* Malim, *in adaquatoriis,* si sic loqui liceret. Hieron. *ubi effundebatur aqua.* Trem. *in alveis aquarum:* & in margine, *in aqualiculis.* Leo Judæ, *in canales aquarios, in quos decurrebant aquæ.* usus est periphrasi minime necessaria. Munsterus, *in fluenta atque in canales aquarum.* On. אתר דהוה שקיא דמיא in loco ubi erat aquarium sive lacus aquarum. Jon. בשקייתא דמיא, in aquariis. שקין aquaria, lacus. ❡ *Pecudes*] juniores, hoc est oves & capræ. Lxx. τὰ πρόβατα. Hiero. *greges.* Gallica, *les brevis.* i. oves. Sæpe autem ovium nomine etiam capræ comprehenduntur. ❡ *E regione pecudum*] ex adverso pecudum. ❡ *Et incalescebant*] vel, *ut incalescerent.* Quod alii enarrant, *ut conciperent:* alii, *ut coirent.* Lxx. ἐγκισσήσωσιν: quos secutus deinde est Hiero. Idem in Quæst. יחם *proprie dicitur,* inquit, *extremus in coitu calor, quo corpus omne concutitur & patranti voluptati vicinus est finis.* Psal. 51. 7. יחמתני Lxx. ἐκίσσησέ με. i. concepit me. Hiero. *peperit me.* Arias, *calefecit me.* Santes, *calefacta est de me.* Trem. *fovit me.*

39. *Incalescebant, inquam, pecudes ad virgas; & pariebant pecudes nodosas, interpunctas & maculosas.*

Incalescebant, inquam] vel, *ita incalescebant.* Quod optime quadrabit, si legas in versu qui antecedit, *ut incalescerent.* In fonte hic est ויחמו ἀνώμαλον, pro ויחמו cujus thema יחם. incaluit, exarsit desiderio coitus. Prius erat ויחמנה quod etiam anomalon est pro ותיחמנה recenseturque inter illa tria verba quæ tertiam fœm. efferunt per Joth more Chaldaico. Alterum extat in Prophetis, 1 Sam. 6. וישרנה & direxerunt sese. Tertium reperitur in Hagiographis, Dan. 8. יעמדנה stabunt. Lxx. hic habent ἐνεκίσσων concipiebant. ❡ *Ad virgas*] ad aspectum virgarum. ❡ *Nodosas*] Lxx. διάλευκα, albo intermixtas vel distinctas. Interpres Romanus habet, *subalbas.* Hiero. *maculosa.* Jon. *maculas in pedibus habentes.* R. Sal. *varias in loco junctura ipsorum, hoc est in talis manuum & pedum.* Trem. *partim varios cruribus punctulis respersos.* Santes, *notis quibusdam cinctas.* ❡ *Interpunctas*] Lxx. ποικίλα, varias. Sic etiam Hiero. ❡ *Maculosas*] Lxx. σποδοειδῆ ῥαντὰ, cineritias sparsas. Hiero. *diverso colore respersa.* Jonath. *& cum illis albas.* ובגוהון verto, *cum illis.* Vide num potius sit vertendum, *& terga eorum.* Nam גב tergum, dorsum. Aben. scribit sub hoc nomine, quod generale esse ait, contineri etiam ברדים, de quibus postea. Idem מקלות אל interpretatur *ex virgis.* i. מן·

40. *Porro agnos separavit Jacob, obvertitque facies pecudum, ad nodosas omnesque furvas, in pecore Labanis: & posuit sibi greges seorsim, nec posuit eos juxta pecudes Labanis.*

Agnos] τοὺς ἀμνούς. Quidam, *hos agnos.* Significat autem nodosos, interpunctos & maculosos: item fuscos. Hos, inquit, segregavit à reliquo grege Labanis. ❡ *Obvertitque facies pecudum*] ויתן פני הצאן & posuit facies pecudum. Lxx. καὶ ἔστησεν ἐναντίον τῶν προβάτων, & statuit coram ovibus. On. *& posuit in capite pecudum.* Addit Jon. משכוכיתא puto legendum משכוכיתא Beth in Chaph mutata. In Lexico Munsteri, משכוכית *est pecus habens in collo tintinnabulum, alias præcedens oves, vel secundum alios est baculus.* Autor Lexici Thalmudici, *Quid* משכוכית? *R. Jacob dicit esse capram quæ vadit in capite. Sensus est quæ gregem antecedit, & suspendunt ad collum ejus tintinnabulum, & oves sequuntur eam.* Appellatio à trahendo. Nam trahit gregem post se. Idem in voce ברכושא. Quid משכוכית ברכושא? *est ovis magna, de cujus collo pendet tintinnabulum & incedit in capite gregis.* In Thalmud. Jerosolym. Quid משכוכית? *Sunt qui dicunt esse* חוטרא *virgam: sunt qui* עיזא רבא *caprum majorem. Quidam etiam interpretantur dicentes significare* פנדורא. (Forte πανδοῦρα pandura, quod est genus instrumenti musici). *alii exponunt* שרוע קרנא: alii גנדרא *quæ est ovis prævia & ducens alias,*

נגר traho. שׁרקות quid sit adhuc quæro. Videtur esse fistula, sic dicta à sibilando quod est שׁרק: aut aliud instrumenti musici genus. Ut à משך traho diximus esse משכוכיא Sic a שרק sibilo potest esse שׁרקיתא (Pandura quæ Græce πανδοῦρα & πανδουρίς, est instrumentum trichordon, triplicibus fidibus tensum. Gallice *rebec*) Fistula certe Dan. 3. משׁרוקיתא dicitur ab eodem verbo: unde Judæi definiunt כלי שׁשׁורקים בו instrumentum quo sibilant. Vide Fagium ad hunc locum. ¶ *Ad nodosa omnesque furvas, in pecore Labanis*] post *furvas*, posui comma, ut ostenderem membrum illud *in pecore Labanis* ad præcedentia pertinere, hac sententia; *obvertit ora pecudum, quæ in pecore Labanis, ad nodosa &c.* Vidit hoc Trem. qui vertit, *obvertebatque ora pecudum*; inquam, *Labanis, ad varias cruribus & ad omnes fuscas.* On. & Jon. *omnes nodosas in pedibus & omnes fuscas in pecore Labanis.* Lxx. pro אל videntur mihi legisse איל Nam vertunt κριὸν διαλευκὸν i. arietem albo distinctum. ¶ *Omnesque furvas*] וכל חום & omne fuscum. Lxx. καὶ πᾶν ποικίλον, & omne varium. ¶ *In pecore*] בצאן in pecudibus. Lxx. ἐν τοῖς ἀμνοῖς בכבשים. ¶ *Et posuit sibi*] וישת לו. Lxx. καὶ διεχώρισεν ἑαυτῷ, & separavit sibi. On. & Jon. ושוי ליה & collocavit sibi. ¶ *Seorsim*] לבדו soli sibi, quod Chaldæi dicunt בלחודוי & בלחודי absque He, quam Jonathan fere semper omittit. Gallica editio, *a part.* Lxx. καθ᾽ ἑαυτὸν, per seipsum. Santes, *seorsum.* Leo Judæ, *seorsim.* Sic etiam Tremellius. ¶ *Nec posuit eos*] ולא שתם & non posuit eos. vult dicere, id est, non posuit eos, ut Vau hoc loco sit ἐξηγητικὸν. Lxx. καὶ οὐκ ἔμιξεν αὐτὰ, *& non miscuit eos.* Sic etiam On. & Jon. quorum hic edidit ולא ערבינון: ille, hoc est On. ולא ערבינון & non permiscuit eos. ¶ *Juxta pecudes*] על צאן super pecus. Ambo Chaldæi עם ענא cum pecore. Munsterus, *cum ovibus.* Lxx. εἰς τὰ πρόβατα, ad oves. Leo Judæ, *ad pecudes.* Santes, *juxta pecudes.* Trem. *versus pecudes.* R. Sal. hunc versum ita enarrat, *Agnos qui nati erant nodosos & interpunctos, divisit & separavit per se, & fecit ex iis gregem seorsim, qui grex nodosus præcedebat reliquas pecudes, oraque pecudum obversa erant ad nodosos & ad omnes fuscos, intuentes in eos. Atque hoc est quod dicit, & posuit facies pecudum ad nodosos, quoniam ora pecudum obversa erant ad nodosos & ad omnes fuscos, quæ inveniebantur in pecore Labanis.*

41. *Fuit autem quandocunque incalescebant pecudes primitivæ ut poneret Jacob virgas ante oculos pecudum in canalibus, quo incalescerent ipsæ ad virgas.*

42. *Sed cum sero conciperent pecudes, non ponebat (virgas) ita fuerunt serotina Labanis & primitiva Jacobi.*

Quandocunque incalescebant pecudes] בכל יחם הצאן in omni incalescere pecudum, quod non male reddunt, qui reddunt, *in omni calore pecudum.* Solet enim infinitum poni pro nomine. Quale illud, *scire tuum nihil est* i. scientia tua. Onk. & Jonath. *in omni tempore quo incalescebant pecudes.* Hiero. *Igitur quando primo tempore ascendebantur oves.* Hoc est, inibantur à maribus. Lxx. ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐνεκίσσησαν τὰ πρόβατα quo tempore concipiebant oves. Leo Judæ, *in omni igitur admissura ovium.* Munsterus, *in omni conceptu ovium.* ¶ *Primitivæ*] המקשרות colligatæ i. firmæ ac bene compactæ, quales sunt, quæ veris tempore pariunt, quas Chaldæi vocant בכיריא i. *primitivas*, vel si mavis, *primiparas.* Lxx. ἐν γαστρὶ λαμβάνοντα. Munsterus & Leo Judæ, *robusta.* Trem. *compacta corpore.* Santes, *primitiva.* Hæ pecudes concipiebant mense Adar aut Nisan. Si mense Adar, tum pariebant in Nisan i. Martio nostro: si Nisan, tum pariebant in Julio aut Augusto, tribus videlicet mensibus post. Agni quoque eo anni tempore editi ceteris robustiores & habitiores erant, ut Abenezra testatur. ¶ *Ante oculos pecudum*] לעיני הצאן ob oculos ovium. Lxx. ἐναντίον τῶν προβάτων coram ovibus. Hiero. *ante oculos arietum* לעיני דיכרייא. ¶ *Quo incalescerent*] ut exardescerent ad coitum. Ebraice ליחמנה cum segol sub Mem. Sic libri vulgati quos videre mihi contigit. Ceterum R. David in Rad. legit ליחמנה cum Tseri, quod reddunt, *ad calefaciendum eam*, vel *eas*, ut He sit paragogicum pro ליחמן. Vide Mercerum. Lxx. τοῦ ἐγκισσῆσαι αὐτὰ. Hiero. *ut conciperent.* ¶ *Ad virgas*] במקלות in virgis. Lxx. ἐν ταῖς ῥάβδοις. Jonath. *ante virgas.* Hiero. *in earum contemplatione.* Santes, *in virgarum aspectu.* Leo Judæ, *hoc scilicet agens ut in admissura, conspectis virgis, conciperent.* ¶ *Sed cum sero conciperent* (alias coirent aut parerent) *pecudes*] ובהעטיף הצאן & cum deficerent pecudes i. cum serius conciperent aut parerent. Quod in autumno fiebat. Quo tempore anni & ipsæ pecudes ineptiores ad coitum, & fœtus earum imbecilliores esse creduntur. Lxx. ἡνίκα δ᾽ ἂν ἔτεκε τὰ πρόβατα, quando autem peperissent oves. Melius interpres noster, *quando vero serotina admissura erat.* Et Onk. עם לקישׁי ענא in serotina ovium admissura. Et Jonath. בלקישׁי ענא in seriore sive tardiore admissura pecudum. Sic etiam R. Sal. quem Rasi nuncupant. Is Manahemum quendam citat qui nove interpretetur; *quum operirentur pecudes*, Vult dicere, quum lana & cute obducerentur, ac proinde minus vegetæ essent & alacres ad coitum, ut in vere. Sane עטף inter alia significat operire. Prior expositio melior, meo judicio. ¶ *Serotina*] העטפים Lxx. τὰ ἄσημα, non signata. Aquila; ἐπίσημα. Hiero. *serotina.* Symmach. δευτερότοκα, secundo genita, vel nata ex secunda foetura. Onk. & Jon. לקישׁיא serotinæ, tardivæ. Santes, *serotina.* Arias, *cessantia.* Munsterus & Leo Judæ, *debiliores.* Dictæ עטופים a deficiendo. Nam quia serius natæ ex secunda admissura ideo imbecilliores & languidiores erant. ¶ *Primitiva*] קשרים colligatæ. Lxx. τὰ ἐπίσημα, signata. Hiero. *quæ primi temporis.* Ambo Chaldæi בכיריא primitiva. Trem. *compacta corpore*: Gallica, *les hastines.* Leo Judæ, *robustiores.* Santes, *primitiva.* Arias, *colligata.*

43. *Ita erupit vir ille admodum admodum, fueruntque ei pecudes multæ & ancillæ & servi & cameli & asini.*

Erupit admodum admodum] supra, *erupit in multitudinem.* i. לרב pro quo hic legitur מאד מאד valde valde: & erupit i. excrevit, auctus est, vel ut Lxx. ἐπλούτησεν, ditatus est. Quomodo & interpres noster. ¶ *Fuerunt ei pecudes multæ*] Hiero. *habuit greges multos.* Lxx. ἐγένετο αὐτῷ κτήνη πολλὰ, fuerunt ei pecora multa.

AMAMA.

8. Ebr. *Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea.* Vulg. *Comparavit me Dominus cum sorore mea.*

Ebr. נפתולי אלהים. Luctationes autem Dei sunt luctationes magnæ & vehementes. Siquidem nomen Elohim est כנוי כל דבר מפלא וגדל, *Epitheton omnis rei admirandæ & magnæ.* Vocem נפתלתי alii reddunt *distorsi me.* Lxx. συναντελάβετό μοι versata sum huc illuc, ut in lucta solet, colluctata sum. (a) Lyra fatetur locum hunc ab Ebræo discrepare, sed ubi eum relaturus est, aliquantulum variat. Hausit autem ea ex R. Salo. qui in Commentario citat quendam Menahem filium Seruk. Respexit is procul dubio ad vocem פתיל quæ filum significat, ac si ita dictum esset a conjunctione. At Mercerus eleganter docet ipsum פתל ab intortione dictum, unde Scindlerus vocem eam *filum retortum* interpretatur & ligulam ex multis filis contortam seu contortuplicatam. Videatur & Pagn. Thes.

9. *Zilpham ancillam tradidit marito.* Omisit Vulg. vocem Ebr. לאשה in uxorem, quam Græci verterunt γυναῖκα. Onk. לאנתו. Ubi ל idem valere quod כ similis. notarunt viri docti. Vel, *in uxorem* secundariam, quæ a primaria distinguebatur. Primariæ erant Lea & Rachel, secundariæ Zilpha & Bilha.

14. Ebr. דודאים *Dudajim.* Vulg. *Mandragoras.* Lxx. & Iosephus μῆλα μανδραγορῶν. Eam tamen versionem multi improbant, dum alii *Gelseminum*, alii *lilia*, alii *violas*, alii *ficus*, alii *amabiles flores* substituunt. Ego non interponam me Palæmonem in ea opinionum diversitate. Addam solummodo Censuram nobilis Pontificii Francisci Georgii Veneti Minoritæ. Is Problem. 215. Tom. 1. asserit nullo modo Mandragoras intelligi posse. Præsupponit autem Rachelem sterilem desiderio concipiendi tantopere expetiisse hos fructus. At Mandragoras frigidissimas esse, conceptibus infestas sumentibusque lethiferas ex Dioscoride probat, ostenditque eam herbam inde Andraclon dictam quod hominem interimat, tandemque concludit lilia esse, quæ calida sunt & conceptui valde propria. Vide eum, aut si non habes, Sixtum Senensem libro 5. Biblioth. Sanctæ Annot. 109.

22. *Aperuit matricem ejus*] Placet hic *diexodicos* apponere elegantissima Paraphrastæ Ierosolymitani verba; *Quatuor claves*, inquit, *habet Dominus universi, quas non tradidit ulli Angelo aut Serapho. Clavis sc. pluviæ, cibationis, sepulcrorum, sterilitatis. De clave pluviæ ita dicit Scriptura*, Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum, cœlum, ut det pluviam, &c. Deut. 28. 12. *De clave cibationis*, Aperies manum tuam &c. Psal. 145. *De clave sepulcrorum*, cum aperuero sepulcra vestra Ezech. 37. *De clave sterilitatis* Gen. 30. *Et recordatus est Dominus Rachelis.* Hucusque ille. Ex quibus id colligunt ea quatuor in solius Dei manu & potestate esse.

Y y 32. Ebr.

(a) *Verba ejus hæc sunt*, In Ebræo habetur, *additionibus Dei addita sum cum sorore mea*, ac si diceret, Deus addidit alium filium mihi & jam addita sum cum sorore mea in hoc quod habeo plures filios sicut ipsa, licet non æquali numero, vocavitque nomen ejus Naphtalim i. additionem.

32. Ebr. אעבר *Transibo per omnes oves tuas hodie.* Vulg. *Gyra omnes greges tuos.*

Quod in Ebræo Iacob se ipsum facturum dicit, in Vulgata videtur imperari Labano. Septuaginta nec ad Jacob nec ad Labanem sed ad ipsas pecudes retulere verbum Ebraicum, sic enim illi, *παρελθέτω πάντα τὰ πρόβατά σου*, transeant omnes oves tuæ. Steuchus, *Maxime miror unde hoc factum sit.* Cajetani judicium ad sequentes versus tale est, *Scito prudens Lector quod universa hæc pars textus usque ad finem, paraphrasis magis est quam textus. Et propterea non mireris si alia pacta leges in hoc textu & non illa quæ solitus es legere. Interpres enim antiquus nescitur quo spiritu ista summaverit.* Ad vers 35. notat Steuchus pro *capras* in Ebræo esse תישים hircos, versuque 37. tralationem vulgatam non satis esse claram. Versu 40. ait ea verba, (*b*) *posuitque virgas in canalibus* frustra addita esse ex superiori loco, notatque in Ebræo sic legi, *Et posuit faciem gregis, è regione pecoris.* Et ad hæc verba ejusdem versus, *Erant alba & nigra* annotat, non de albis sed de rufis tantummodo sermonem in Ebræo esse. Postremo hæc verba eodem versu omissa a Vulgato confitetur, *Et non posuit eos juxta greges Laban.*

(*b*) *Vide Appendicem.*

G R O T I U S.

2. N*Um pro Deo ego sum*] Hebræi inter Deo reservata ponunt fœcunditatem, pluviam, mortuorum excitationem.

3. *Famulam*] παιδίσκην Græci. Ministram fuisse ingenuam, & hanc & Zelpham tradit Iosephus. Et sic sumitur vox Hebræa Exod. 11. 5.

Et habeam ex illa liberos] Id est, eos tanquam meos curem.

11. *Feliciter*] Græci alii ἐν τύχῃ [*cum fortuna*], alii, εὐτύχηκα [*fortunata facta sum*]. גד prosperitatem significat, quo nomine Cedreni Arabes stellam nominabant, quæ צדק [*justitia*] Hebræis astrologis, Græcis Iovis, quod ea felicissima ab Astrologis crederetur. Notat Abarbaniel: & adde Esaiam LXV. 11.

14. *Mandragoras*] Semen mandragoræ potum vulvam purgat. Plinius XXV. 13.

30. *Ad introitum meum*] In Hebræo ad verbum, ut in Græco, ἐπὶ τῷ ποδί μου [*ad pedem meum*], id est, quocumque ego gressum tuli.

Erit merces mea] Sicut coloni, ita & pastores sunt quidam partiarii

38. *Posuitque eas in canalibus*] Magna aviditate pecudes istæ aquas hauriebant, & simul oculis imagines rerum vicinarum.

39. *Et in aspectu earum conciperent*] Simile de equis & columbis apud Oppianum primo de Venatu:

Ὢ πόσση κραδίη πόση μερόπεσσι πέλει φρήν.
Ἔρξαν ὅπως ἐθέλουσι, δέμας πολυανθέας ἵππους
Μητρὸς ἔτι γλαφυρῇσιν ἐεργομένους λαγόνεσσιν.
Ὁππότε θηλυτέρην γὰρ ἕλῃ φιλότητος ἐρωή,
Ἵππον δ' ἐγγὺς ἐόντα κλυτὸν μεγαλήτορα μίμνῃ,
Δὴ τότε δαιδαλέοισι πόσιν καλόν. ἀμφὶ δὲ παντὴ
Πᾶν δέμας οἰσιλέοισι περὶ χροιῇσι γράφουσι,
Καὶ περὶ λέκτρον ἄγουσιν ἐπ' ἀγλαΐῃ κομόωντα.
Ὡς δέ τις ἠΐθεον ὑπὸ νυμφοκόμοισι γυναιξὶν
Εἵμασιν ἀργεννοῖσι καὶ ἄνθεσι πορφυρέοισι
Στεψάμενος πνείοντα Παλαιστινοῖο μύροιο
Εἰς θάλαμον βαίνησιν, ὑμὴν ὑμέναιον ἀείδων.
Ὡς ἵππον σπέρχοντα γαμήλιά τε χρεμέθοντα
Πρόσθεν ἑῆς ἀλόχοιο κλυτὸν πάντα φρενόωντα
Δηρὸν ἐρητύουσι φίλης λελιημένον εὐνῆς.
Ἀλλὰ δέ οἱ μετέπειτα ἐπιπέμψαν εἰς φιλότητα
Ἡ δ' ἀποκυσαμένη πολυανθέα γείνατο παῖδα
Νηδυῖ μὲν πόσιος γόνιμον θορὸν ἀείρασα,
Δεξαμένη μορφὴν δὲ πολύχροον ὀφθαλμοῖσι.
Τοῖαι κἀκεῖνοι τοῖσιν δόνακες μεμέληνται
Μησάμενοι πυκινοῖσι νοήμασιν ἰξευτῆρες,
Ὁππότε δαιδαλέοισι πελειάδεσσι νεοσσούς.
Εὖτε γὰρ εἰς φιλότητα θοαὶ τρήρωνες ἴωσι,
Μιγνύμεναι στομάτεσσι βαρυφθόγγοις ἀλόχοιο,
Δὴ τότε μῆτιν ὕφαινε κλυτὴν τεχνήμονα τέχνη.
Ἄγχι δὲ θηλυτέρῃσιν ἐθήκατο δαίδαλα πολλὰ
Εἵματα πορφύρεα. περὶ δὲ κλιδὸν ὄσσε βαλοῦσαι
Θυμὸν ἰαινόμεναι τίκτουσ' αἰολόπτερα τέκνα.

[*O quanta est hominum sapientia & ingenii vis!*
Quod libuit faciunt, variant & corpora equorum,
Tunc cum matris adhuc fœcundo in ventre tenentur.
Nam Veneris stimulos ut primum femina sentit,
Magnanimumque expectat equum, tunc arte maritum
Ingeniosa cohors pingunt, cunctosque per artus
Puncta super ponunt diversicolore figura.
Hac specie exsultantem ad amicta cubilia ducunt:
Qualis adhuc vernans juvenis quem pronuba turba
Floribus ornavit pulchris & veste decora,
Omne Palæstinos spirat cui corpus odores
Ad thalamum festinat Hymen cantans Hymenæe:
Cornipedem haud aliter, complentem hinnitibus auras
Conjugis ante oculos, & spumis ora madentem,
Ardentemque, diu prohibent ab amore cupito,
Et sero ad Veneris dimittunt gaudia tandem.
Illa parit multo gratum discrimine fœtum:
Quippe maris semen cepit genitalibus arvis,
Ast oculis forma diversos hausit honores.
Nec minus exercet, cui victus arundinis arma,
Admiranda animi meditamina sedulus auceps,
Dum picturata fœcundat prole columbas:
Nam Paphiæ volucres ubi connubialia quærunt
Fœdera, clamosoque os miscent conjugis ori,
Monstrat ibi ingenium qui pennigera agmina magis:
Matribus apponunt subtilia texta futuris
Purpureas vestes: in quas dum lumina figunt
Lætanturque animis soboles fit concolor ostro].

Eadem quæ hic Oppianus, habet Isidorus Originum XII. cap. 1. Quædam ejus generis habet & Hieronymus ad hunc locum.

CARTWRIGHTUS.

1. E*T si non, mortua ego.* [ואם־אין מתה אנכי] מכאן (inquit R. Salomo.) לכי שאין לו בנים חשוב כמת. i. e. *Hinc colligimus eum, qui non habet liberos, pro mortuo reputari.* Vide ad cap. 16. 2.

2. התחת אלהים אנכי *Num loco Dei ego, scil. sum?*] Chald. המני את בעיא הלא מן קדם יי תבעין, i. e. *Num à me petis? Nonne à Domino* (ad verb. ab ante Dominum, à conspectu Domini) *petes?* Seu (ut Fagius vertit) *petere debes?* Targum Jonathæ, עד דאנת בעאה בני מן קדמי בעי מן קדם יי דמן קדמוי הוון בניא, i. e. *Interea dum petis à me, pete à Domino, à quo sunt filii.*

3. *Et pariet super genua mea*] Chald. *Et ego nutriam.* Paraphrastes (inquit Fagius) expressit Hebraismum, *Et pariet super genua mea,* i. e. *cum illa pariet, ego accipiam puerum in gremio meo, & nutriam.* R. Salom. hanc Chaldæi expositionem citat, ac approbat; eodemque modo exponit Jonathan. Lyra sic opponit, ut pariat filios, quos possim tenere super genua mea, ita quod licet sint sui per naturam, tamen mei erunt per adoptionem. Hæc expositio, quæ alteram, atque aliquid etiam amplius in se continet, cum iis, quæ sequuntur, congruit, ואבנה גם אנכי ממנה, *Et ædificabor,* i. e. *liberos habebo etiam ego ex illa.* Vide ad cap. 16. 2.

8. נפתולי אלהים נפתלתי עם־אחתי *Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea.*] *Luctationibus Dei,* seu *divinis,* i. e. *maximis.* Nam ut Kimchi notat ad Jon. 3. 3. *Mos est Scriptura nomen Dei rebus adjungere, ad illas augendas atque amplificandas.* Sic cap. 23, 6. *Princeps Dei.* Psal. 36. 6. *Montes Dei.* Et Psal. 80. 10. *Cedri Dei.* Chald. *Suscepit Dominus petitionem meam, cum supplicarem in oratione mea: desideravit ut esset mihi filius, sicut sorori meæ, & etiam datus est mihi.* Fagius in Collat. refert R. Davidem in Rad. post Aben Ezram verbum פתל exponere per התהפך *converti,* התחזק *conari,* אבק *luctari,* & עות *obliquare,* ut faciunt luctatores atque certatores, qui corpus in luctamine variis subvertunt & obliquant modis. Qualis autem fuerit illa luctatio, atque conatus, asserit Paraphrasten pulcre explicasse, nempe quod precibus apud Dominum contenderit, atque ita prolem efflagitarit. R. Salomon etiam de intorsione, qualis in lucta esse solet, interpretatur. Refert autem Menahem filium Seruk exponere, Additionibus à Deo addita, vel conjunctionibus à Deo conjuncta sum sorori meæ. Similiter Lyra, Additionibus Dei addita sum cum sorore mea; q. d. Deus addidit mihi alium filium, & jam addita sum cum sorore mea in hoc, quod habeo complures filios sicut ipsa, licet non æquali numero, &c. Hujus expositionis etiam meminit Fagius, ac in ejus gratiam asserit פתל aliquando significare addere & conjungere; atque inde esse פתיל filum & ligamen, quo aliquid con-

conjungitur. Nescio autem an פתל conjungendi significationem unquam habeat. Amama in Cens. non existimat filum dictum esse פתיל à conjunctione, sed ab intorsione, idque Mercerum eleganter docere asserit, ac propterea Shindlerum vocem eam filium retortum interpretari. LXX συνεςράφην τῇ ἀδελφῇ μου, (a) *colluctata sum* (versata sum huc illuc, ut in luctando fieri solet) *cum sorore meâ*. Vulg. *Comparavit me Dominus cum sorore meâ*. Hieron. in Tradit. ex LXX sic habet, *Habitare me fecit Deus habitatione cum sorore meâ*. Sic minus rectè videtur interpretari τὸ συνεςράφην, nisi forte aliam aliquam lectionem habuerit. Refert autem Aquilam transtulisse, συναντιςρεψέ με ὁ Θεὸς, καὶ συναντεςράφην. Asserit denique vocem Hebræam & conversionem & comparationem sonare. At פתל (ut monet Fagius) non proprie *comparare*, sed *convertere*, *pervertere*, & *luctari* significat. Ante illa autem supra citata, LXX habent, συναντελάβετό μοι ὁ Θεὸς, *Coassumsit me Deus*; vel, ut alii legunt, συνελάβετό μοι ὁ Θεὸς, *Auxiliatus est mihi Deus*. Deinde sequitur, καὶ συνεςράφην τῇ ἀδελφῇ μου. Burgensis ait, verbum Hebræum *controversiam*, vel *contentionem* sonare; & sensum esse, *Contendi cum sorore meâ*. Addit, cum dicitur in glossa interlineari, *Nephthalim* dictum esse à conversione, errorem scriptoris esse videri, ac legendum *à controversione* seu *controversiâ*. At etiamsi locum rectè exponat Burgensis, in eo tamen procul-dubio fallitur, quod glossam istam aliter legendam existimet. Glossa enim ex Hieronymo desumpta est, qui sic Hebræam vocem interpretatur, asserens eam & *conversionem*, & *comparationem* sonare. Unde glossa ad verba ista, *Vocavitque eum Nephthalim*, sic scribit, *à conversione* (in nonnullis libris mendose legitur, conversatione) *vel comparatione*. *Nephthalim* enim utrumque sonat. Mercerus notat hunc locum varie exponi, sed inter omnes expositiones hanc asserit esse certissimam, *Distorsionibus Dei*, i.e. *luctationibus*, *quam maximis ac valentissimis*, *distorsi me*, *distorta sum*, i.e. *luctata sum*, *&c.* Qui enim luctantur, memba distorquere, & versare huc illuc, ut eos quibuscum colluctantur, dejiciant. Atque hoc putat voluisse LXX quicquid velit (b) Hieronymus. Alii (inquit) *conjunctionibus Dei sum conjuncta*, *comparata*, *& æquata sorori meæ*; quod פתיל sit filum, quod sibi invicem conjunctum, & glomeratum est. Sed ego פתיל etiam ab intorsione dictum puto, quasi obtortum filum, &c.

11. בגד (c) *Turma venit.*] Duæ dictiones in unam sunt conflatæ; בגד est pro בא גד. Aben Ezra ait duas esse dictiones, ac Aleph deesse. R. Salom. notat unicam esse dictionem, quare autem ita scribatur, se nescire fatetur. Chald. אתא גד *venit turma*, *seu exercitus*. Fagius vertit, *Venit fortuna. Fortunam enim* (inquit in Annotat.) *& constellationis fatum Hebræi Gad vocant.* Juxta hanc expositionem ait Leam cum quadam exclamatione & gratulatione, qualem in prospero aliquo eventu fieri videmus, dixisse videri, בגד *venit fortuna*. Ita etiam interpretatur R. Salom. בא מזל טוב, i. e. *venit sidus bonum*, *seu fortuna bona*. Atque ait similiter usurpari vocem גד, Isai. 65. 11. Hujus interpretationis etiam meminit Aben Ezra, atque ait in lingua Ismaëlitica seu Arabica vocem Gad ita significare, scil. מזל טוב, i. e. *bonam fortunam*. Ipse autem putat גד esse idem quod גדוד, i. e. *turmam*, *exercitum*. Atque ita Isai. 65. 11. per *Gad* intelligi *turmas* seu *exercitus* cœlestes, licet alii velint significare כוכב צדק *stellam justitiæ*; i. e. *stellam Jovis*. Cum Aben Ezra consentit Kimchi (uti refert Fagius.) Sic igitur hi exponunt, quasi Lea dixerit, se jam turmam habere filiorum. LXX ἐν τύχῃ, *in fortuna*. τύχη autem hic intelligenda est (inquit Fullerus Misc. lib. 5. cap. 17.) ἀγαθὴ τύχη, vel (d) εὐτυχία, quemadmodum etiam ab Hesychio declaratur, fortuna videlicet prospera, vel secunda. Unde vetus Interpres Latinus, *Feliciter*, transtulit. Scholiastes autem notat alios libros habere, εὐτύχηκα, i. e. *bona fortuna sum usa*; ac citat Theodoretum, sic scribentem, εὐτύχηκα, οὐ τοῦ Ἰακὼβ ἐςὶ ῥῆμα, ἀλλὰ τῆς Λείας, γυναικὸς ἐν δυσσεβείᾳ τραφείσης, καὶ κατὰ βραχὺ τὰ θεῖα παιδευομένης. Οὕτω καὶ ὁ ταύτης πατὴρ ἔφη τὸ, οἰωνισάμην, h. e. *Bonâ fortunâ sum usa*; *Non est hoc Iacobi dictum*, *sed Leæ*, *mulieris in impietate educatæ*, *ac paulatim rerum divinarum cognitione instructæ*. *Sic & pater ejus dixit*, *Auguratus sum*. Hieron. in Tradit. refert Aquilam interpretari, *Venit accinctio*. Nos autem (inquit)

(a) *Sic in Edit. Rom. Latine vertitur. Fagius in Collat. vertit*, comparata sum. (b) *Qui in alium sensum τοὺς LXX interpretatus est.* (c) *Targum Jonathæ*, Et dixit, Venit sidus bonum; Nam futurum est, ut filii ejus obtineant possessionem suam in principio ultra Jordanem; Et vocavit nomen ejus Gad. (d) *Targum Hierosol.* Et dixit Lea, Venit fortuna bona (גדא טבא) quod futurum sit, ut exscindat compotationes seu convivia nationum (משתיתין דעממיא) Et vocavit, &c.

dicere possumus, *in procinctu*. Ba enim potest præpositionem sonare, *in*, & *venit*. Ab eventu ergo sive procinctu, qui Gad dicitur, Zelphe filius *Gad* vocatus est. Idem Hieron. in Tradit. cap. 49. Gad (inquit) significantius εὔζωνος, id est, accinctus, sive expeditus exprimi potest. Atque Aquilæ interpretamentum τοῦ Gad Fullerus mavult *accinctus* reddi, quam *accinctio*. Hanc autem interpretationem putat forsan natam ex Syriaco vocabulo גדוד, quod juvenem significat; Iuvenes enim plerumque esse εὐζώνους, *bene accinctos*, i. e. *gnavos*, *strenuos*, *&c.* Quin & Isai. 65. 11. existimat Aquilam interpretatum esse *Gad* εὔζωνον, ac solem ibi intelligi, strenuum, si cœlestium radiorum efficaciam consideres; expeditum, si mirabilem curriculi celeritatem. Addit utrumque pulcerrime depingi Psal. 19. 6. Vide insuper, si lubet, Seldenum de Diis Syris, Syntag. 1. cap. 1.

14. *Et invenit* דודאים *mandragoras.*] Sic vulg. LXX μῆλα μανδραγορῶν, *poma mandragorarum*. Chald. יברוחין. Fagius in Chald. Paraph. vertit *mandragoras*; at in Collat. *violas*. Aben Ezra ait, *Dudaim* (e) Arabice appellari *Iabruchin*; atque asserit esse boni odoris, id quod probat ex Cant. 7. 13. Item formam hominis habere, similitudinem nempe capitis atque manuum; Se autem nescire profitetur, quare ad conceptum sint conducibiles (ea siquidem de caussa Rachel eas desiderasse putatur) cum natura sint frigidæ. R. Salom. ait esse herbam Arabice dictam יסמין *Iesemin*. Istam autem herbam, scil. *Iesemin*, albam violam esse docet Fullerus Miscel. lib. 6. cap. 6. Sixtus Senensis Bibl. S. lib. 5. Annotat. 109. refert Franciscum Georgium tomo 1. problemate 215. reprehendere Hieronymum, quod *Dudaim* vertit mandragoras, cum lilia exponere debuisset. Nam qui fieri potest (inquit) ut Rachel sterilis concipiendi desiderio tantopere mandragoras expetierit, quæ frigidissimæ sunt, & conceptibus præsertim infestæ, imo etiam sumentibus lethiferæ, ut Dioscorides longo sermone prosequitur? Hinc & *Andraclon* ipsa Mandragora dicitur, quia hominem interimit; quamvis alii eam dici velint Andrieclon, ab hominis effigie; quod falsum experientia comprobat, nisi forte interpres de alio mandragoræ genere intellexerit, quam Circeam vocant, cujus radix amoribus deservit; hujus tamen radix, ut ipse Dioscorides refert, pastoribus eam mandentibus, capitis gravedinem affert, ac stuporem inducit. Similiter & de alio genere Mandragoræ, quæ Morion appellatur, idem Author narrat, quod ejus drachma in potu sumpta dementiam inducat. *Dudaim* ergo lilia sunt, quæ calida sunt, & conceptui valde propria. Ejusmodi quoque error habetur in Cant. ubi dicitur, Mandragoræ dederunt odorem suum, cum mandragora prorsus inodora sit, nec ullum odorem emittat. Hæc ille, ut à Senensi citatur. At Fagius in Chald. Paraph. refert à Medicis, proditum esse, hanc herbam (nempe mandragoram) menstrua ciere, vulvamque muliebrem ad conceptum mirifice accommodare. Idem etiam habet in Collatione, ubi etiam testatur Kimchium scribere, *Dudaim* esse radicem herbæ, quæ præ se ferat similitudinem hominis, masculi scil. & fœmellæ, & quæ vulgo Mandragora vocatur. Gerundensem etiam refert sic scribere, Attulit Ruben ramos, aut fructum, qui similis est pomis, habetque odorem optimum. Radix vero habet figuram capitis & manuum. Fullerus Misc. lib. 6. cap. 6. ait doctissimos Hebræos interpretes, Aben Ezram, Kimchium, Chaldæum Paraphrasten, alios; hanc expositionem suffragiis suis comprobasse. (f) Omnes enim יברוחין vertisse, vocabulo Arabico usos, *Iabroa*, vel *Iabroh*, vel *Iabroc*, quod Mandragoram denotare ex Matthæo Sylvatico ostendit. Notat etiam ex Dioscoride, Mandragoram φίλτροις vel amatoriis illecebris idoneam habitam esse à veteribus; nomen autem Hebræum Dudaïm sonare φίλτρα, vel amatoria. Præterea purgando ad conceptum prodesse mandragoram, monere rerum naturæ peritos; atque inde videri ortum cognomentum quoddam Veneris apud Hesychium, ut Mandragoritis appellaretur. Denique ex Lemnio docet mala mandragoræ esse odorata; quin & Dioscoridem testari ea esse εὐώδη μετὰ βάρους τινός, h. e. *moderate*, *non vehementer fragrantia*, idcirco naribus non injocunda. Quænam inter hasce adeo discrepantes planeque, ut videtur, repugnantes de mandragora sententias vera sit, meum non est statuere; judicet quisque prout ad judicandum fuerit idoneus. Mercerus putat non certo constare quod herbæ aut floris genus voce Dudaïm significetur; quod ipsa opinionum varietas maxime reddit probabile. Tremellius igitur ac Junius laxe interpretantur flores amabiles, quod nimirum *Dod* amicum, ac amorem denotet. Drusius istam interpretationem improbat, atque illud Galeni objicit, ἐτυμολογία μάρτυς ἀλαζών, i. e. *etymologia est fallax testis*.

(e) בלשון ישמעאל. (f) *Targum Jonathæ etiam habet* יברוחין.

teste. At cum vox alias obscura est, aliquid lucis ad significationem ejus expiscandam afferre potest etymologia.

20. זְבָדַנִי אֱלֹהִים אֹתִי זֵבֶד טוֹב *Bonam portionem largitus est mihi Deus*] Chald. יהב יי יתיה לי חולק טב, *Dedit Dominus ipse mihi portionem bonam.* Chaldæo assentit R. Salom. eodemque modo exponit Aben Ezra, ac notat hanc vocem זבר non amplius in Scriptura reperiri. LXX *δεδώρηταί ὁ Θεός μοι δῶρον καλὸν*, *dedit Deus mihi donum bonum.* Videtur (inquit Mercerus) sonare insigne donum. Hinc זבדי Zebedæus, quasi dos mea, vel dotalis.

יִזְבְּלֵנִי *Habitabit mecum.*] Sic Hieron. in Tradit. exponit. Chald. יהי מדורה דבעלי לותי, i. e. *Erit habitatio viri mei mecum.* Et sic Targum Jonathæ. LXX. *αἱρετιεῖ με*, *eliget me.* In Hieronymo perperam scribitur *diliget*, pro *deliget*. Vulg. *mecum erit.*

22. *Et recordatus est Deus Rachelis, &c. & aperuit vulvam ejus.*] Targum Hierosolymitanum in hunc locum sic habet; *Quatuor sunt claves, traditæ in manum Domini totius mundi, quas non tradidit neque Angelo, neque Serapho, nempe clavis pluviæ, clavis cibationis, clavis sepulcrorum, & clavis sterilitatis. Clavis pluviæ*, de qua Scriptura sic loquitur, *Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum, &c.* Deut. 28. *Clavis cibationis*, de qua Scriptura, *Aperis tu manus tuam, &c.* Psal. 145. *Clavis sepulcrorum*, de qua Scriptura, *Cum aperuero ego sepulcra vestra, &c.* Ezech. 37. *Clavis sterilitatis*, de qua sic Scriptura, *Et recordatus est Dominus Rachelis, &c.* Deinde locum παραφράζει, *Et recordatum est verbum Domini in misericordiis suis bonis Rachelis, & audivit verbum Domini vocem orationum ejus*, & dixit verbo suo se daturum ei filios.

27. (g) נִחַשְׁתִּי *Expertus sum.*] Sic Chald. נסיתי *probavi, experimento didici.* R. Salom. exponit נסיתי בניחוש שלי, i. e. *augurio meo probavi.* Atque addit, מנחש הדה, i. e. *augurio deditus fuit*, scil. Laban. LXX *οἰωνισάμην ἄν*, *auguratus sum utique.* Vulg. *experimento didici.* Ea interpretatio videtur optima.

32. *Transibo per universum gregem tuum, &c.*] Multum (inquit Hieron. in Tradit.) apud LXX Interpretes confusus est sensus, & usque in præsentem diem nullum potui invenire nostrorum, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Vis, inquit Jacob, me servire tibi etiam alios septem annos? fac quod postulo. Separa omnes discolores, & varias, tam oves, quam capras; & trade in manum filiorum tuorum; rursumque ex utroque grege alba & nigra pecora, id est, unius coloris, da mihi. Si quid igitur ex albis & nigris, quæ unius coloris sunt, varium natum erit, meum erit; si quid vero unius coloris, tuum. Rem non difficilem postulo; tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis, & nigra nascantur ex nigris: Mecum erit justitia mea, dum Deus humilitatem meam respicit, & laborem. Optionem Laban datam libenter arripuit; Et ita, ut Jacob postulabat, faciens, trium dierum iter inter Jacob, & filios separavit, ne quis ex vicinitate pecoris nasceretur dolus. Itaque Jacob novam stropham commentus est, & contra naturam albi & nigri pecoris naturali arte pugnavit. Tres enim virgas, populeas, & amygdalinas, & mali granati (quanquam LXX styracinas, & nucinas, & plataninas habeant) ex parte decorticans, varium virgarum fecit colorem; ut ubicunque in virga corticem reliquisset, antiquus permaneret color; ubi vero tulisset corticem, color candidus panderetur. Observabat ergo Jacob, & tempore, quo ascendebantur pecora, & post calorem diei ad potandum avida pergebant, discolores virgas ponebat in canalibus, & admissis arietibus, & hircis, in ipsa potandi aviditate oves & capras faciebat ascendi; ut ex duplici desiderio, dum avide bibunt & ascenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales umbras arietum & hircorum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat etiam imaginum color. Nec mirum hanc in conceptu fœminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent, cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri. Et Quintilianus in ea controversia, in qua accusabatur matrona, quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentetur, hanc conceptus esse naturam, quam supra diximus. Et scriptum reperitur in libris Hippocratis, quod quædam suspicione adulterii, fuerat punienda, cum pulcerrimum peperisset, utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, monens quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo, qua inventa mulier à suspicione liberata est. Hæc Hieronymus; quæ cum ad hujus loci dilucidationem plurimum faciunt, facere non potui quin transcriberem. Lyra notat vulgatam versionem hic multum discrepare à litera Hebraica. Idem à Steucho & Cajetano, aliisque Pontificiis observatum agnitumque testatur Arriaga in Censura. Fagius in Collat. ait apud LXX Interpretes, & vulgatum Latinum hic tantam esse confusionem, ut difficulter certum sensum eligere possis. Hoc in genere monuisse sufficiat; neque enim singulas horum Interpretum in hoc loco ab Hebræo aberrationes, cum sint innumeræ, scrupulosius persequi operæ pretium duco.

Omne pecus נָקֹד *punctatum.*] R. Sal. interpretatur, מנומר בנקודות דקות, i. e. *Parvis maculis respersum.*

וְטָלוּא *Et maculosum*] *Latis sive grandibus maculis aspersum*, ut à R. Salomone exponitur.

Et omne pecus חום *fuscum.*] R. Salom. exponit, שחום דומה לאדום, i. e. *fuscum, subrufum.* Ab. Ezra vult vocem istam denotare שחרות, i. e. *nigredinem*; ac putat ideo nigrum sic vocari à calore (חם enim calorem significat) quod nigrum calidius sit quam album. Assentior Mercero, qui asserit esse proprie fuscum, braun, (vel, ut nos pronunciamus, brown) non plane nigrum. Sic autem dictum esse à colore, quod talis color sit à calore & adustione, quasi adustus calor. Ut & nos (inquit) vocamus *enfumé*, quasi fumeus color, ut quidam Hebræorum dicunt עשן.

34. *Et dixit Laban*, הֵן *Ecce, &c.*] *Vel, Etiam; Ita.* Mercerus ait esse particulam assentientis, non, ut alias, pro *ecce*. Est quidem ista hujus particulæ significatio apud Rabbinos frequens, nunquam autem (quod scio) in Scriptura ita usurpatur, sed semper significat, *en*, vel, *ecce*, atque ista significatio huic loco satis convenit. Aben Ezra ita exponit, asserens הן idem esse quod הנה, i. e. *ecce*. In altera autem notione accipit R. Salom. inquiens, לשון הן קבלת דברים, i. e. *Dictio Hen hic assensum indicat.*

35. *Et amovit isto die hircos* הָעֲקֻדִּים *in pedibus respersos.*] Ad verb. *ligatos*. Chald. רגולין *pedibus maculosos*; à רגל, *pes*. Targum Jonathanis, רשומין בריגליהון, i. e. *pedibus notatos*, vel *signatos*. Sic Aben Ezra ait hanc vocem significare *pedes maculis distinctos*. Et R. Salom. ad cap. 22. 9. asserit pecudes vocari עקודים, quæ talos albos, à עקד *ligare*, quod ea corporis parte ligari soleant. Mercerus refert nonnullos exponere עקד, quod lineam nigram per dorsum in longum habet; vel quod alias maculas habet nigras oblongas, circumdantes membra, quasi fuisset ligatum: atque hoc R. Levi magis probare. Ipse autem exponit maculis velut fasciis in pedibus revinctum.

40. *Et posuit facies ovium, &c.*] Chald. *Et posuit in capite* (h) *ovium, quicquid erat pedibus variegatum*, & quicquid fuscum erat in ovibus Labanis. Sensus est (inquit Fagius,) agnos maculosos jam natos separavit in gregem, quem antecedere fecit oves Laban, ut ita ex aspectu agnorum maculosorum alios maculosos ac diversi coloris parerent. Triplici enim arte & industria usus est Jacob. Prima, ponendo virgas decorticatas ante oves in canalibus. Secunda, ducendo agnos maculosos ante oves. Tertia, virgas in canalibus eo tempore ponendo, quando robustiores oves conceptui operam darent, aut quando ad coitum procliviores erant, ut sic robustiorem ederent featuram, &c.

41. הַצֹּאן הַמְקֻשָּׁרוֹת *Oves robustiores.*] Chaldæus, cui assentit R. Salom. ענא מבכרתא, i.e. *oves primitivæ.* Et sic Targum Jonath. ענא מבכרייתא, *Oves* autem *primitivæ* (uti explicat Fagius) *dicuntur, quæ coibant in prima admissura, mense scil. Martio, unde propter clementiam subsequentis æstatis validiores erant.* Notat etiam Fagius vocari Hebraice מקשרות hoc est (ad verbum) *colligatas*, à robore scil. quod illarum membra robustius quodammodo colligata sive consolidata fuerint. In Collat. refert sic vocem hanc interpretari Gerundensem post R. Menahem. Antea autem dixerat מקשרות *vocari oves robustiores*, id est, *conspirantes* (nam קשר & ligare, & conspirare significat) seu quæ conspirationem inierant, libidine excitatæ. Sed altera etymologia concinnior videtur. Mercerus sic appellari putat, quod *in prima admissura velut colligatæ inter se sint oves, & ad coitum ardentiores.*

לְיַחְמֵנָּה בַּמַּקְלוֹת *Ut conciperent inter virgas*] Vim verbi Hebraici (inquit Hieron. in Tradit.) nisi circuitu exprimere non possum. *Jehammenna* enim proprie dicitur extremus in coitu calor, quo corpus omne concutitur; & patranti voluptati vicinus est finis. Sic Hieron. Verbum יחם proprie est *incalescere*, quocunque demum pacto id accidat; specialiter autem denotat *incalescere libidine*, vel *concipere*; Eo sensu sæpius in hoc

(g) *De vers.* 30. *vide ad cap.* 33. v. 14.

(h) *Vel gregis*, הצאן *quod & oves & capras sub se continet.*

hoc capite usurpatur. Sic etiam Psal. 51. 5. *Et in peccato* יחמתני *concepit me mater mea.*

ובהעטיף הצאן *Et cum debiliores essent oves.*] Aben Ezra intelligit oves, quæ coeunt mense Tisri, seu Septembri. Chald. ובלקישות ענא, *Et cum serotinæ essent oves*; Vel, ut Fagius interpretatur in admissura serotina ovium. Similiter Targum Jonath. בלקישות ענא, *Serotinas autem oves eas vocari asserit Fagius, quæ in posteriore admissura, hoc est, in mense Septembri, in autumnali, sc. conceptu coibant; easque quia propter subsequens frigus hyemisque asperitatem debiliores reddebantur*, Hebr. vocari עטופים; Nam עטף *languescere & deficere* significare.

42. העטפים *Debiles*] Aben Ezra exponit חסרי כח, i. e. *quæ viribus erant destituta.* Ac notat verbum עטף hoc sensu usurpari Psal. 107. 5. נפשם בהם תתעטף, *anima eorum in eis deficiebat.* Sic & Fagius in Collat. testatur Gerundensem interpretari עטופים per חלשים, i. e. *debiles*, à עטף *mœrore deficere.* Chaldæus pro העטפים habet לקישיא, i. e. *serotina.* Sic etiam Targum Jonath. Similiter R. Salom. asserit verbum עטף hic *tarditatem* denotare, prout id interpretatus est Chaldæus Paraphrastes. Sic & R. Nathan in Concordantiis suis hanc significationem suis verbo in hoc loco attribuit. Sic & Aquila transtulit δεύτερα, *serotina.* Et Symmachus, δευτερογόνα, *nata ex secunda fœtura.* Mercerus exponit *serotina* à *deficiendo.* Ac refert, R. Salomonem putare עטופים *serotina* dici à עטף *operire*, *amicire*, quod autumno sint oves lana & cute obductæ, & ideo ineptæ ad coitum, nec expeditæ & alacres, ut ve[illegible]. At verba R. Salomonis minus hic advertisse videtur vir eruditissimus. Non enim ipse R. Sal. ita interpretatur, sed duntaxat refert R. Menahem ita interpretatum esse, ut עטופים hic significet, מעוטפות בעורן וצמרן ואינן מתאוות להתיחם על ידי הזכרים, i. e. *Opertas cute sua ac lana, nec ut ex maribus concipiant appetentes.* De autumno autem, & vere hic nihil quicquam habet. Sed nec satis assequor, quomodo oves autumno sint magis lana onustæ, quam vere, nisi (quod forte in Orientalibus istis regionibus usu venit) adveniente vere tonderentur.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

7. C*Ircumvenit me*] Verbum התל idem significat quod רמה, *fallaciter & perverse egit.* Et est de conjugatione Piel, Dages in Zere voce magna latitante. Et quod sequitur, *Decem vicibus*] Kimhi exponit מנים per פעמים, ut nos quoque vertimus.

8. *Crure tenus discolores*] Hebraica habent, *quasi ligaminibus distincta.*

10. *Hirci*] Secundum Gerundensem עתוד est generale vocabulum ad איל & עז, h. e. accipitur pro *ariete & hirco magno.* Transsumitur & pro *principe & rectore populi*, Isa. 14.

15. *Vendidit nos*] Rahel & Lea queruntur sese venditas, quod maritus earum Jacob multis annis pro ipsis servivit, omni commoditate ad Laban redeunte; quemadmodum subjungitur, *Et ipse comedendo comedit*, vel *absumendo absumpsit*, *pecuniam nobis pro mariti nostri labore debitam.*

19. *Imagines*] Hebraice *Traphim.* Et venit hoc nomen à verbo רפה, quod *dissolvere* significat & *cessare.* Erant autem Traphim imagines juxta quarum inspectionem gentes faciebant vel omittebant opus. Hujusmodi figuras & imagines quidam Astrologi facere solent sub certis constellationibus, putantes illas capaces cœlestium influxuum. Vide de hoc Aben Ezra Astrologum & Theologum. Hic vero accipiuntur pro *idolis*, ut paulo post sequitur.

23. *Apprehendit*] Hebraice, *attigit*, seu *pervenit*, *usque ad eum.*

24. *A bono usque ad malum*] Hebraismus est, pro, *Cave ne aliud quippiam loquaris cum eo nisi quod bonum est.* Aben Ezra tamen sic exponit, *Non loquaris ad eum bonum, ut reducas eum; neque malum, ut noceas ei.*

26. *Furatus es cor meum*] Pro quo Onkelos vertit כסיתא מני, *abscondisti à me.* Sic quod sequitur, *Quare absconditus es ad fugiendum* (sic enim habent Hebraica) *& furatus es me?*] Onkelos quoque vertit, *& celasti id à me?*

28. *Stulte egisti*] Hebraice, *stultitiam fecisti agendo.* Et quod sequitur, *Esset manus mea satis potens*] in Hebræo habetur, *Est ad Deum manus mea.* Quam phrasim Chaldæus sic explicat, אית חילא בידי, *Est potentia in manu mea.* Posset & sic explicari, *Cum Dei auxilio, manu mea vobis nocere possem.* Sed peculiare est huic linguæ ut id quod est magnificum vocet *Divinum*; ut *Mons Dei*, *Cedrus Dei*, *Manus dei*, i. *Mons sublimis*, *Cedrus procera*, *Manus potens.* Ben Ezra exponit אל pro אל & כח, i. *virtute.*

34. *Contrectasset*] Nostri fere omnes verterunt, *scrutatus esset*; cum tamen idem sit verbum quod supra de Jacob scribitur, *si contrectaverit me pater meus*, &c. Verum non ignoramus contrectationem illam non fuisse sine scrutatione.

37. *Vasa mea*] Vocant Hebræi omnem suppellectilem *vasa.* Sunt enim arma *vasa*, sunt instrumenta *vasa*, sunt pocula *vasa*, sunt tegetes *vasa*, &c. Et quod sequitur, *Pone huc coram fratribus meis*, &c.] vocat propinquos Laban, qui illum secuti fuerant, fratres suos & illius.

39. *A bestia laceratum*] A verbo טרף, quod *dentibus discerpere* significat, derivatur nomen fœm. טרפה, quod *lacerationem* significat: & usurpari solet pro *animali à bestia rapto.* Et quod sequitur, *Peccati illius reus eram*,] sensus est, Culpa illa mihi, etiam innocenti, imponebatur: & est verbum Piel in ordine quiescentium in Lamed He. Et quod rursus sequitur, *Sicut & quod surripiebatur*] ego paulo dilucidius reddidi, quam in Hebræo habeatur, *Sicut & illud quod surripiebatur per diem, & quod furto tollebatur noctu.* Nam post locum, *Id requirebas*, sic legit Hebræus, *furtum diei*, *& furtum noctis.* Nec est Jod in dictione גנבתי affixum, sed otiose superadditur: ut sæpe fieri solet. Vide Kimhi. Et quando dicitur, *Pavor Isaac*] intelligitur per *pavorem* Deus quem timuit Isaac.

47. *Jegar Sehaduta*] Tam Laban quam Jacob juxta patriam suam linguam imposuit tumulo illi nomen. Laban quidem in lingua Syriaca, & Jacob in Hebraica. Remansit enim Hebraica lingua apud domum Abraham & cultores veri Dei. Et licet Laban quoque fuerit de cognatione Abraham, tamen cum habitaret inter Syros, non patrio sed Syrorum utebatur sermone, non quidem Hebraicæ linguæ ignarus, quandoquidem & filiæ ejus filiis suis imposuerunt Hebraica nomina, qualia sunt, *Simeon*, *Levi*, *Isachar*, &c. Et quod sequitur, *Galeed*] notandum quod גל vocatur tumulus propter lapidum advolutionem. Radix enim verbi est גלל, *volvit.* Ex convolutis vero lapidibus fiebat גל, i. *lapidum congregatio.*

49. *Quando absconsi fuerimus*] Non est in Hebræo נסתר, *recedemus*, ut Vulgaris habet editio, sed נסתר, quod est passivum in prima persona plurali futuri temporis. Et quod sequitur, *Unus ab altero*] in Hebræo habetur, *vir à proximo suo.* quod tamen est idiotismus illius linguæ.

51. *Quam statui*] Hebraica habent, *quam jeci.* Congessit enim multos lapides in acervum unum. Onkelos tamen vertit די זקפית, *quam erexi.*

FAGIUS.

1. C*Onquisivit omnes facultates istas*] Veritas Hebraica habet, *Fecit omnem gloriam istam.* Paraphrastes prius pro posteriore posuit. divitias enim & opulentiam sequitur splendor & gloria. Nota locutiones istas Hebraicas, *Facere gloriam*, *facere liberos*, *facere divitias*, &c. pro *acquirere gloriam*, &c.

2. *Sicut antea*] Ad literam est, *sicut heri & nudiustertius.* hac autem phrasi Hebræi pro *antea* & *hactenus* utuntur.

15. *Et comedit etiam comedendo argentum nostrum*] Sensus hujus loci est, *Vendidit nos tibi*: servivisti enim illi pro nobis. *& decoxit pecuniam nostram*, i. quæ nobis debebatur pro mariti nostri labore. fructus enim laborum Jacob redibat ad Laban. Large accipitur Hebræis *comedendi* verbum; hic pro *frui*; q. d. Opus nostrum vertit in suum commodum, fruitus est nostris; Er hat das unser genossen.

19. *Imagines patris sui*] Quales istæ imagines fuerint, non certo constat. Quidam putant instrumenta ærea fuisse quibus partes horarum cognoverunt. Alii sentiunt imagines fuisse quas Astrologi sub certis constellationibus ea arte ac industria fecerint ut loqui potuerint, quarumque inspectione res futuras cognoscere potuerint. Sicut & R. D. K. in libro Rad. scribit, תרפים הם צלמים שיש בהם ידיעת העתידות *Thraphim sunt imagines per quas futura cognoscunt.* Quod autem loqui potuerint, citant illud propheticum Zach. 10. 2. *Quoniam simulacra locuta sunt vanitatem*, &c. A. E. scribit humana forma factas fuisse, ita ut capaces fuerint influentiæ cœlestis. & in argumentum rei citat imagines quas Michol pro liberando Davide in lecto posuerat. Ex nostris quidam putant aureas imagines fuisse i. patrios deos & penates. Qualescunque imagines fuerint, ex textu satis apparet, Laban illis Divinum honorem tribuisse atque coluisse.

 nam

Nam idololatra erat: ideo vocat eos Deos suos, dicens, *Cur furatus es Deos meos?* Et Jacob dicit, *Cum quo inveneris Deos tuos*, &c. Causas vero cur eas Rachel patri suo abstulerit, has præcipue assignant Hebræi: I. Quod eas Rachel pro mercede qua pater suus Laban Jacob maritum suum fraudaverat, acceperit. II. Ne pater illarum inspectione, per quod iter abiissent, cognosceret. quæ opinio placet Aben Ezræ. III. Ut ita patrem ab idololatria avocaret: cujus sententiæ est R. S.

24. *A bono usque ad malum*] Multifariam istam locutionem intelligunt. Primum hoc sensu, *Neque bonum neque malum cum eo loquaris*, h. e. omnino nihil. Vel ut sit sensus, *Nihil mali cum eo loquaris, sed tantum bonum*; sive, *Præter bonum nihil ei loquaris*, ut sit synecdoche utramque partem exprimens, sed alteram tantum intelligens. Vult enim a verbis & verberibus ei interdicere. Siquidem si non vult lædi eum malis verbis, multo minus verberibus aut factis: q. d. *Nihil omnino mali ei facias.* Alii sic explicant, *Cave vel blanditiis vel minis eum reverti facias.* Quem sensum sequitur A. E. qui & mihi non improbatur.

29. *Esset quidem in potestate mea*, &c.] h.e. Satis fortis essem ut nocere possem: at Deus prohibuit. Thargum Hierosolymitanum habet, אית לי חיל ואכלוסין, *Est mihi exercitus & copia*, &c.

30. *Quare abstulisti timorem meum?*] Intelligit imagines quas Rachel abstulerat. *Timorem* autem vocat, quod in illis Deum coluerit. Iterum colligitur hinc argumentum, idola fuisse quæ ad cultum prostiterint.

32. *Locus in in quo inveneris timorem tuum*, &c.] Sentit non esse in vita relinquendos qui hoc facinus perpetraverint. Videturque speciem hyperbolæ habere quod dicit, *Locus in quo*, &c. q. d. Adeo non parcemus illi qui hoc fecit, ut nec locus habitationis ejus salvus & integer futurus sit.

33. *Ingressus est in tabernaculum Rachelis*, &c.] Sentiunt quidam Hebræorum Laban bina vice ingressum fuisse in tentoria Rachelis, quod illam scilicet de furto præ cæteris suspectam haberet.

35. *Consuetudo enim mulierum est mihi*] Innuit se menses sive menstrua pati.

42. *Et ille quem timuit Isaac*] Cur Jacob Deum *timorem* patris sui magis quam aliorum vocet, quidam Hebræorum hanc perhibent rationem; nempe ideo factum esse quod Isaac adhuc in vita exstiterit, ideoque adhuc peccare potuisse, unde necesse illi fuisse ut in timore & tremore Dei vitam suam traduceret; juxta illud poeticum, *Ante obitum nemo supremaque funera debet Dici beatus*, &c. Hinc sapientes Hebræorum dicunt, אין הקדוש ברוך הוא מיחד שמו על הצדיקים בחייהם, *Deus sanctus, benedictus, non tribuit nomen suum justis adhuc viventibus.* Quo dicto volunt significare, Deum se verius defunctorum vita quam adhuc viventium Deum vocare, ob commemoratam causam. A. E. ita simpliciter hunc locum explicat, *Quod Jacob significare voluerit timorem, innocentiam & pietatem patris sui, cui strenuam semper operam dederit, sibi profuisse quo minus læsus fuerit a Labano*, כי זכות האב הועיל לבן, *quoniam innocentia parentis* (inquit) *prodest filio.*

43. *Quid faciam hodie*] q. d. Natura non permittit ut detrimenti quicquam eis inferam.

49. *Absconditi erimus alter ab altero*] Ad verbum est, *Absconditi erimus vir à proximo suo*, h.e. quisque à socio suo. Hebraismus pro, *quando discesserimus alter ab altero.* Sensus hujus loci est, Vocamus hic Deum testem, qui adstat speculator & testis. ille speculetur; videat, & etiam animadvertat in nos, si pactum, postquam alter ab altero recesserit, fregerimus. Dum alter ab altero avellitur, fit ut alter alteri abscondatur.

50. *Si afflixeris filias meas*, &c.] Vult dicere, Si iniquus fueris in filias meas, nemo est qui mihi indicet, quoniam sejuncti erimus alter ab altero: ipse videre & rescire non possum. Deum itaque, qui omnia videt & speculatur, quemque testem nostris pactis hodie adhibemus, illum cogita vindicem futurum. Illo præsente, & absentibus hominibus, polliceris te non afflicturum filias meas: vide ergo non fallas spem meam, &c. Quod autem dicit neminem adesse, cum plures adsint, ideo forte fit quod familia testimonium hero ferre non potest, vel quod ipsi duo soli inter sese pactum & conditiones constituerint, absentibus arbitris.

VATABLUS.

1. D*Icentium*, לאמר] Ad verbum, *dicendo.* ¶ *Fecit omnem gloriam istam.* : עשה את כל הכבוד הזה] *comparavit sibi omnem splendorem istum.* i. ex his quæ habebat pater noster, comparavit sibi omnes has divitias quibus gloriam istam assecutus est.

2. *Vidit quoque* וירא] *Consideravit quoque. Deprehendit.* ¶ *Sicut heri*, &c. כתמול וגו'] i. sicut antea. h. e. non exhibebat ei talem vultum qualem exhibere solebat.

3. *Et quod dixisset*, &c. ויאמר יהוה אל יעקב] Ad verbum; *Et dixit Jehovah ad Jacob.* ¶ *Et ad cognationem tuam* ולמולדתך] *ad nativitatem tuam.* i. ad locum nativitatis tuæ. ¶ *Et ero tecum.* : ואהיה עמך] *ero enim tecum.* i. adero tibi abeunti ac discedenti hinc.

4. *Misit igitur* וישלח] sub. *nuntios.* ¶ *Ad pecudes suas.* אל צאנו] *ad gregem suum.* i. ad locum in quo erant oves quas pascebat

5. *Et Deus patris mei fuit mecum.* : ואלהי אבי היה עמדי] *Et Deus patris mei adfuit mihi.* i. Deus quem pater meus colit, semper me auxit, savitque mihi. q. d. in gratiam mei auxit semper oves patris vestri.

7. *Mentitus est mihi* התל בי] *illusit mihi. imposuit mihi.* ¶ *Mercedem meam* משכרתי] i. rationem mercedis meæ. ¶ *Decem vicibus* : עשרת מנים] Numerus certus pro incerto, *multis vicibus.* unde quidam vertunt, *pluries.* ¶ *Ut malefaceret mihi.* : להרע עמדי] i. ut damnum inferret mihi, vel noceret mihi.

8. *Punctis parvis respersa* נקדים] Vide cap. 30. 32. ¶ *Tunc pariebant* וילדו] Hic ו pro *tunc* positum est. ¶ *Lineis distincta* עקדים] Ad verbum, *ligata, colligata.* Vide c. 30. 35.

9. *Itaque abstulit* ויצל] *Itaque eripuit.* ¶ *Gregem* מקנה את] *possessionem. peculium.*

10. *Incalescebant oves*, יחם הצאן] Vide c. 30. 38. i. fervore quodam incitabantur ad venerem: h. e. quo tempore dabant operam proli. ¶ *Pecudes* הצאן] Nomine *pecudum* sive *ovium* comprehenduntur & capræ. ¶ *Et maculis albis.* : וברדים] Ad verbum, *& grandinatas.* i. maculis albis instar grandinis aspersas, ut exponit doctus inter Hebræos.

11. *Et respondi, Adsum.* : ואמר הנני] Ad verbum, *Et dixi, Ecce ego.*

12. *Et maculis albis.* : וברדים] Vide v. 10.

13. *Deus Beth-el*, האל בית אל] i. Deus qui apparuit tibi in Beth-el. ¶ *Ubi unxisti*, &c. אשר משחת וגו'] Ad verbum, *qui unxisti tibi statuam.* pro, *ubi unxisti titulum.* Redundat אשר. sic mox, *qui vovisti mihi ibi votum. Titulum*, sive *statuam*, vocat lapidem quem erexerat instar metæ. Vide supra c. 29. 18. ¶ *Nunc* עתה] pro ועתה *& nunc.* ¶ *Cognationis tuæ* : מולדתך] *nativitatis tuæ.* Vide v. 3.

14. *An adhuc*, &c. העוד וגו'] *An adhuc est nobis portio & possessio.* i. Estne aliquid reliqui nobis in domo, &c. q. d. Nihil est quod nos hic remoretur.

15. *Nunquid non extraneæ*, &c. הלוא נכריות וגו'] *Nonne alienigenæ reputatæ sumus illi?* ¶ *Et consumpsit*, &c. ויאכל וגו'] Hebraismus, *prorsus absumpsit pretium nostrum.* i. quod nobis debebatur pro mariti nostri labore. fructus enim laborum Jacob redibat ad Laban.

16. *Quia* כי] *Sane. Certe.*

17. *Et imposuit* וישא] Ad verbum, *& levavit*, &c. *super camelos.*

18. *Omnes pecudes suas*, את כל מקנהו] *omne peculium suum.* vel, *omnem possessionem suam.* ¶ *Pecudes acquisitionis suæ* מקנה קנינו] *peculium possessionis suæ quod*, &c.

19. *Interim furata est* ותגנב] Ad verbum, *& furata est.* ¶ *Idola* התרפים] Quos hic vocat תרפים, h.e. imagines ad similitudinem hominis factas (cujus rei testes sunt theraphim quos fecit Michol filia Saul, quos qui à Saule missi erant ut obsiderent domum David, putabant esse Davidem, 1 Sam. 19. 13.) infra ver. 30. Laban vocat אלהים: non quia putaret Deitatem illic inclusam esse, sed quia in honorem deorum imagines illas colebat, vel potius quod Deo sacra facturus vertebat se ad illas imagines. Versu autem 34 rursum vocantur תרפים.

20. *Furatus est etiam* ויגנב] Ad verbum, *Et furatus est. Furari cor alicujus* est facere aliquid eo nesciente. seipsum mox exponit. Hebraismus.

21. *Et omnia quæ erant ei* : וכל אשר לו] i. cum omnibus quæ possidebat. ¶ *Flumen, posuitque*, &c. את הנהר וישם וגו'] Euphratem intelligit. i. celeriter transmisit Euphratem, & pergere cœpit recta ad montem Galaad. Id significat *Ponere faciem suam ad montem Galaad.*

22. *Fugeret* ברח] *fugisset.*

24. *A bono usque malum.* : מטוב עד רע] Hebraismus, *Cave ne quid dicas ipsi Jacob, sive blandum, sive asperum.*

26. *Quid fecisti*: &c. מה עשית וגו'] i. Vide quantum facinus admiseris: recessisti enim me inscio, & abduxisti filias meas quasi bello captas.

27. *Ab-*

27. *Abscondisti te*, &c. [נחבאת וגו׳] i. Curnam occulte aufugisti, & furatus es mentem meam, h. e. me ignorante recedere tentasti? ¶ *Et dimisissem te* [ואשלחך] *& deduxissem te*. q. d. Quod si indicasses mihi, deduxissem te.

28. *Nunc stulte egisti* [עתה הסכלת עשו] *insipienter quidem fecisti*.

29. *Est fortitudo*, &c. [יש לאל ידי] Ad verbum, *Est in facultate* [vel *potentia*] *manus mea*. Inversio verborum Hebraice, יש לאל ידי, pro, *Est potentia in manu mea*. & ita Chald. paraph. Hebraismus, *Possum vobis nocere*.

30. *Abeundo abiisti*, [הלך הלכת] *esto quod abeundo abieris*. i. prorsus discesseris. ¶ *Desiderando desiderabas* [נכסף נכספתה] Hebraismus, *magno desiderio tenebaris revertendi domum*, &c.

31. *Quia timui* : [כי יראתי] sub. *Ideo te inscio abii, quia timui*. aut certe, *quod timerem*. Vertere potes, *Certe timui*. ¶ *Dixi enim* [כי אמרתי] sub. *intra me*. i. cogitavi apud me. ¶ *Raperes* [תגזל] *vi auferres*.

32. *Non vivat* : [לא יחיה] i. moriatur. Vel, *non vivet*. ¶ *Coram fratribus nostris* [נגד אחינו] i. præsentibus cognatis nostris. ¶ *Agnosce* [הכר לך] Ad verbum, *explora tibi*. Redundat pronomen.

34. *Idola*, [את התרפים] Eadem vox qua usus est supra v. 19. ¶ *In clitellis* [בכר] Quidam Hebræorum in Gallia natus scribit, vulgo dici *un bast*, apud nos, & apud Italos. Alii vertunt, *in stramento*. ¶ *Totum Tabernaculum*, [את כל האהל] i. quicquid erat in tentorio.

35. *Ne sit ira in oculis domini mei* [אל יחר בעיני אדני] Hebraismus, *Ne irascatur mihi dominus meus*. i. Ne displiceat tibi. ¶ *Surgere à facie tua* : [לקום מפניך] i. assurgere tibi. ¶ *Consuetudo mulierum* [דרך נשים] i. fluunt mihi menses. ¶ *Scrutatus est itaque*, [ויחפש] sub. *omnia alia*.

37. *Quando* [כי] Hic כי pro כאשר positum esse annotant Hebræi. ¶ *Omnem suppellectilem meam* [את כל כלי] Ad verbum, *omnia vasa mea*. sic mox. ¶ *Pone hic* [שים כה] sub. *siquid invenires*, i. profer in medium. ¶ *Et declarent* [ויוכיחו] *& judicent*. vel, *& disceptent* : h. e. in disceptatione nostra judicent ac pronuntient.

38. *Pecudum tuarum* [צאנך] *gregis tui*.

39. *Raptum* [טרפה] sub. *à bestia*. i. partem ovis raptæ. ¶ *Pœnas luebam pro eo* : [אחטנה] i. damnum rependebam, ac resarciebam. ¶ *Tam diu quam noctu*, [גנבתי יום וגנבתי לילה] Ad verbum, *diu, & quod furto ablatum fuerat noctu*.

40. *Fui ut interdiu* [הייתי ביום] Ad verbum, *fui, in die*. i. Ita me gessi in pascendo grege tuo ut interdiu, &c. ¶ *Et gelu* [וקרח] *& frigus, glacies*.

41. *Jam mihi*, &c. [זה לי וגו׳] i. Jam viginti annis mansi in domo tua. Declarat postea. ¶ *Decem vicibus*. [עשרת מנים] Vide supra v. 7.

42. *Patris mei, Deus Abraham*, [אבי אלהי אברהם] i. avi mei, Deus scilicet quem colebat Abraham. ¶ *Et pavor Ishac* [ופחד יצחק] *& timor Isaac*. i. quem timebat ac reverebatur pater meus Isaac. ¶ *Certe nunc* [כי עתה] *puto q̃ tod nunc*. vel, *scio quod nunc*. ¶ *Et increpavit* [ויוכח] *& arguit*.

43. *Sed filiabus istis*, &c. [ולבנתי מה אעשה לאלה] Ad verbum, *Et filiabus meis quid faciam istis*. aut ordo est inversus, aut לאלה additur ad majorem expressionem. q. d. Non sinit jus naturæ ut lædam filias meas ac nepotes meos.

45. *Instatuam*. : [מצבה] *in titulum, in metam*.

46. *Fratribus suis*, [לאחיו] i. cognatis, sive affinibus suis.

47. *Iegar Sahadutha* [יגר שהדותא] Hæ duæ voces sunt Syriacæ, & significant *Tumulum*, sive *Acervum*, *testimonii*: idem quod vox Hebræa *Galed*. Seipsum postea interpretatur.

48. *Dixerat enim* [ויאמר] quando scilicet indidit nomen tumulo, *Iegar Sahadutha*.

49. *Et Mispáh* : [והמצפה] Hæc vox significat *speculam*: nam tumulus ille erat velut specula. Mox interpretatur. ¶ *Speculetur* [יצף] *Aspiciet*. vel *Aspiciat*. sub. *posthac*. i. Contemplabitur Dominus quæ postea faciemus. Judicio Dei vindicandum commendat Laban quicquid alter in alterum absentem peccaverit. q. d. Quamvis ad me usque non perveniet injuriæ notitia, quia procul abero, Dominum tamen, qui ubique adest, oro ut speculetur. Quam sententiam clarius seq. versu exprimit, dicens, *Nemo nobiscum est*, *Deus inter me & te erit testis*. quibus verbis significat Deum tunc accerrimum fore cujuslibet sceleris vindicem ubi nullus sedebit in mundo judex. ¶ *Abscondemur*, &c. [נסתר וגו׳] Ad verbum, *abscondemur vir* [vel *quisque*] *à socio suo*. Hebraismus, *quum discesserimus alter ab altero*. q. d. Quum nemo nostrum alterum videbit. sive, quando quisque nostrum erit procul à socio suo.

51. *Jeci* [יריתי] i. congestis lapidibus exstruxi.

52. *Testis* [עד] sub. *sit*, aut *est*, vel *erit*, *fœderis nostri*. ¶ *Transibo* [אעבר] *præteribo. transgrediar*. i. ego continebo me intra hunc terminum meum, & tu intra tuum. q. d. Alter alterius fines non ingredietur ut ei injuriam inferat. ¶ *Ad malum*. : [לרעה] sub. *inferendum*.

53. *Patris eorum*. [אביהם] nempe Abrahæ & Nachor. Laban per Dei nomen adjurat Jacob. hæc enim est fœderum sanctitas, Deum utrinque advocare ut inultam perfidiam non sinat. Perperam vero idola sua commiscet. Et ne deterior videatur sua religio, antiquitatis fuco eam colorat: nam Deum patris Patrum suorum appellans, gloriatur sibi à majoribus esse traditum. ¶ *Per pavorem* [בפחד] Vide supra v. 42.

54. *Victimam* [זבח] Eorum more scilicet qui fœdus pepigerant. ¶ *Ut comederent*, &c. [לאכל וגו׳] Hebraismus, *ad convivium, & epulati sunt*.

55. *Filios suos* [לבניו] i. nepotes suos. ¶ *Abiensque*, &c. [וילך וגו׳] Ad verbum, *& abiit, & reversus est Laban ad locum suum*. i. in patriam suam unde venerat.

CASTALIO.

5. Qui erat antehac] Heb. *Ut heri nudiustertius*. Cujusmodi Hebraismo etiam Græci utuntur, χθὲς καὶ τρίτην. & Cato de Re rustica eo sensu dixit, *pridie*.

19. *Penates*] Hoc nomen etiam de uno dicitur penatium simulacro, 1 Reg. 19.

42. *Terror Isaaci*] Formidatus Isaaco Deus. ¶ *Id quod heri satis ostendit*] Dum te mihi nocere vetuit.

50. *Nemo apud nos adest*] Confirmantur pacta hominum testimonio: eadem, si nemo testis adfuit, negari possunt. Paciscitur ergo Laban cum conditione, in hanc sententiam, *Si tu filias meas duriter habebis, Deum contestor, hæc pacta tam perinde fore ac si nemo hic adesset*, i. fore irrita. Non absimile est illud, *Quod scis, nescis*, i. perinde age ac si nescias.

CLARIUS.

3. Maxime dicente sibi Domino] Heb. *Et dixit Dominus ad Iacob*.

7. *Decem vicibus*] Hebraismus est, ut decem ponatur pro *sæpe*; sicut Latini dicunt *millies* & *sexcenties*, pro *sæpenumero*.

8. *Quando verò è contrario ait*] Alius sic vertit, *Et quando dicebat, Quæ crura habent varia, hæc erunt merces tua, omnes oves pariebant fœtus cruretenus discolores*. Pro quibus ultimis verbis Hebraica habent, *quasi ligaminibus distincta*. Nam ligatio ovium fit in cruribus.

15. *Vendidit*] Rachel & Lia queruntur sese venditas, quod maritus earum Jacob multis annis pro ipsis servivit, omni commoditate ad Laban redeunte: quemadmodum subjungitur, *comedit pretium nostrum*, h. e. nobis debitum.

16. *Sed Deus tulit opes*] Heb. *At tamen omnes opes quas eripuit Deus à patre nostro, nostra sunt, & filiorum nostrorum*.

19. *Rachel furata est idola*] Heb. *Theraphim*. & venit à verbo quod significat *dissolvere*, & *cessare*. Erant autem Theraphim imagines juxta quarum inspectionem gentes faciebant vel omittebant opus. Hujusmodi figuras & imagines vanitas Astrologorum facere solet sub certis constellationibus: putantque illas capaces cœlestium influxuum. Hic vero accipiuntur pro *idolis*, ut paulo post sequitur.

20. *Noluit Iacob confiteri socero suo*] Heb. *Et Jacob furatus est cor Laban Syri, eo quod non indicavit illi quod fugeret*.

24. *Cave ne quicquam aspere loquaris*] Heb. *Cave ne loquaris cum Iacob à bono usque ad malum*. Quod quidam Hebræi sic exponunt, *Non loquaris ad eum bonum, ut reducas eum; neque malum, ut noceas ei*.

35. *Sic delusa*] Heb. *Scrutatus est itaque, sed non invenit illa idola*.

37. *Coram fratribus meis*] Vocat propinquos Laban, qui illum secuti fuerant, fratres suos & illius.

42. *Timor Isaac*] h. e. Deus quem timuit Isaac.

47. *Vterque juxta proprietatem linguæ suæ*] Laban in lingua Syra appellavit *Jegar Sahaduta*, h. e. *acervus testimonii*; Jacob vero in lingua Hebræa vocavit *Galaad*, h. e. *tumulus testificans*. Remansit enim Hebraica lingua apud domum Abrahæ; & licet Laban quoque fuerit de cognatione Abrahæ, tamen cum

cum habitaret inter Syros, non patrio, ſed Syrorum utebatur ſermone, non quidem Hebraicæ ignarus linguæ, quandoquidem & filiæ ejus filiis ſuis impoſuerunt Hebraica nomina, qualia ſunt *Simeon*, *Levi*, *Iſachar*, &c.

49. *Quando receſſerimus à nobis*] Heb. *Quando abſconditi fuerimus unus ab altero*; vel, *vir a proximo ſuo.*

53. *Judicent inter nos*] Deus pluraliter à Laban nominatur, & verbo jungitur plurali, fortaſſe quia non plene pius præter unius Dei cultum etiam idola colebat.

DRUSIUS.

2. V*Ultum Labanis*] Ut nomen *Elohim* & nomen *Adonim* in terminatione plurali ſenſum habent ſingularem, ita etiam פנים *facies*, *vultus*, Thren. 4. 16. *Facies Domini diviſit eos.* Nam in fonte פנים conſtructum cum verbo ſingulari, quæ conſtructio ſenſu congrua eſt, non voce, ut cum legis Gen. 1. 1. ברא אלהים *creavit Deus*, & Mal. 1. *Si Adonim ego, ubi timor mei?* Quod notandum duxi propter alium locum qui habetur Gen. 31. 2. *Vidit Iacob vultum Labanis, & ecce non erat ipſe cum eo ſicut heri nudiuſtertius*; ubi ſane illud, *non erat ipſe*, quidam ad Labanem referunt, cum poſſit commodius referri ad vultum eo genere conſtructionis quo dixi. Appellant conſtructionem ſenſu non voce congruam. Quanquam in Jonatha אפין שפין, quod non male vertes, *vultus placidus*, *tranquillus*, *ſerenus.* Cæterum ex vultu judicabat de animo ejus. Vultus enim eſt index & quaſi janua cordis, & verum eſt illud;

O quam non facile eſt crimen non prodere vultu.

Hanc meam opinionem de hoc loco firmat, v. 5. ubi Jacob ait, *Video ego vultum patris veſtri non eſſe erga me ut heri nudiuſtertius.*

16. *Omnes divitiæ quas abſtulit Deus à patre noſtro noſtræ ſunt*] Græci hic legunt, πάντα τὸν πλοῦτον καὶ τὴν δόξαν, *omnes divitias & gloriam*, in quibus verbis, καὶ τὴν δόξαν, ſuperat, ut videtur, à gloſſemate, quod huc tranſlatum ex v. 1. hujus capitis ubi *gloriæ* vocabulo ſignificantur divitiæ. Nam pro eo quod in Vulgata noſtra, *de illius facultate ditatus factus eſt inclytus*, codex Ebræus habet, *de iis quæ fuerunt patris noſtri fecit omnem gloriam hanc.* Vult dicere, Paravit haſce facultates aut divitias. Siquidem divitiæ honorem & gloriam conciliant. Sic accipies Gen. 45. 13. *Indicabitis patri meo omnem gloriam meam in Ægypto*, & Pſal. 49. 16. *cum fuerit multiplicata, ſive aucta, gloria domus ejus.* Præcedit enim, *cum ditatus fuerit vir.* Vide quoque v. 18. & Apoc. 21. 14. Sed & Jeſ. 61. 6. *gloriam eorum* doctiſſimus Ebræus exponit ממונם *opes eorum.* Rurſum Ieſ. 66. 12. *gloria gentium* vocatur, quæ Ieſ. 61. 6. חיל גוים *divitiæ gentium.* Quanquam ea vox etiam *exercitum* denotat, Ieſ. 10. 3. *ubi relinquetis gloriam veſtram?* & 8. 7. *regem Aſſur, & omnem gloriam ejus.* Quo referas, *Salomo in omni gloria ſua*: ut dicat, In omnibus divitiis ſuis; niſi mavelis, In omni ſplendore regio. Locum Ieſaiæ ſcholia Ebraica enarrant, ואת חילו גבורי מלחמה שמתגבר כו. Verba dubia. Nam חילו tam ſignificat *exercitum ejus* quam *opes ejus.* Iob 19. 9. *ſpoliavit me gloria mea.* Id alii exponunt, *facultatibus meis*; alii, *liberis meis.* Nam liberi gloria parentum. Certe Livia Auguſti uxor in epicedio Druſi, filium alloquens, *Gloria confecta*, inquit, *nate parentis ubi es?* Sic Claudianus Proſerpinam *Cereris gloriam & ſuperbiam* vocat. Contra gloria filio à parente honorato. Vide Sirach. 3. 7. Nam quod Hoſ. 9. 11. *Avolabit gloria eorum à partu & ab utero & à conceptu*, de liberis dictum potius videtur. Simul junguntur *divitiæ* & *gloria*, Eſth. 1. 4. *divitias gloriam regni ejus*, ut ſit ἀσύνδετον, *divitias & gloriam*; aut vertendum, *divitias gloriæ regni ejus.* Quod duobus modis exponi poteſt: Uno modo ſic, *divitias glorioſas regni ejus*; altero ſic, *divitias regni ejus glorioſi.* *Gloria regni*, ut *viriditas herbæ*, pro *herba viridi.* Locutio paſſim obvia in his literis. *Divitias & gloriam* non nemo exponit, *Divitias, h. e. gloriam*: aut, *divitias gloriam*, ἐν παράλληλα, ut *lutum cænum*, *coma crinis*, *petra pumex*, *mare oceanus.* Quæ de liberis dixi, gloria parentum, ea intelligenda de liberis laudatis, de quibus parentes gloriari ſibique gratulari ſolent, ut ego aliquando de filio meo Iohanne, quem oſtenderunt fata terris tantum nec ultra eſſe ſiverunt. O quam ſæpe quod olim Livia de Druſo ſuo,

Gloria confecti nate parentis ubi es?

Sed temperandum eſt, non ſolum in ira, verum etiam in dolore. Multos enim occidit dolor. Ni hoc ſcirem, tantum amavi talem merito filium, mœſtus eſſem non ſolum ad quò liceret, ſed etiam ſuprà quàm liceret.

26. *Quaſi captivas Gladio*] *gladius* non ſignificat bellum, ut quidam exiſtimant, ſed quia gladii uſus præcipuus in bello (nam bellatores omnes gladium geſtant) ideo *captivus gladio* dicitur qui bello captus eſt, licet is qui eum cepit gladium nunquam eduxerit. Sic accipies Gen. 31. 26. *Duxiſti filias meas tanquam captivas gladio*, i. bello captas. Quanquam Job 5. 20. ubi legimus, *in bello eruet te e manu gladii*, per *gladium* quælibet arma ſignificari videntur. Ut & Pſal. 44. 3. *non gladio ſuo*: quod exponunt, Non armis ſuis bellicis. Paulo aliter improbus vocatur *Dei gladius*, quia eo utitur tanquam inſtrumento bellico ad puniendum eos quos vult punitos. Locus eſt Pſal. 17. 13. *ab improbo gladio tuo*, Qui eſt gladius tuus, Quo tanquam gladio uteris. Sic Aſſur appellatur *virga furoris Divini*, & Attila, niſi fallor, ſeipſum nominabat *flagellum Dei.*

29. *In poteſtate manus meæ*] אל, inquit Euſebius, καὶ ἀκριβέστατα, ἰσχὺς καὶ δύναμις. Id firmabis teſtimonio Moſis, qui ἤλ eo ſenſu uſurpat Gen. 31. 29. *Eſt in poteſtate manus meæ*: & Salomonis, Prov. 3. 27. *cum ſit in poteſtate manus tuæ*; utrobique eſt לאל in codicibus Ebræis. Sane Onkelos locum Moſis παραφράζει, *eſt potentia in manu mea.* In fonte חיל, ut poſſis vertere, *eſt exercitus in manu mea.* Quomodo autor Jeroſolymitanæ, *Eſt mihi exercitus, & ſunt mihi turbæ.* Nam quia hoc ultimum adjecit, videtur per חיל potius *exercitum* intellexiſſe. Turbas autem appellat אכלוסין à voce Græca ὄχλος, quæ tamen in numero multitudinis facit ὄχλοι, unde eſſet אכלין ſed ultimam numeri ſingularis fecerunt radicalem, ut in לסטס λῃστής, unde pluralis לסטין & לסטסין λῃσταὶ latrones. Ut חיל exercitum denotat & *potentiam*, ſic etiam δύναμις, & inde Κύριος δυνάμεων; quod reddunt, *Dominus virtutum*; i. exercituum. Lux hinc Davidi Pſal. 22. *Eli, Eli*, quod interpretantur, *Deus mi, Deus mi*; aut, ἰσχυρέ μου, ἰσχυρέ μου, *fortis mi, fortis mi*: cum accuratior interpretatio ſecundum Euſebium ſit, ἰσχύς μου ἰσχύς μου, *fortitudo mea, fortitudo mea*; vel, ſi mavis, δύναμίς μου, δύναμίς μου; *potentia mea, potentia mea.* Quale id poetæ veteris,

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus.

30. Verbum נכסף voce paſſiva ſignificat *deſidero*; Gen. 31. 30. & Pſal. 48. 2. ut ſi quis diceret, *deſideratus eſt*, pro, *deſideravit.* Qualia ſunt apud antiquos, *juratus eſt*, pro, *juravit*, Ebraice נשבע: *elucubratus ſum*, pro *elucubravi*, Cicero ad Atticum l. 7. *Quin etiam eam epiſtolam quam eram elucubratus ad te, non dedi. multatus eſt*, pro, *multavit*, in Auguſto Suetonii: *punitus eſt*, pro *punivit*: *compertus eſt*, pro, *comperit*, in Cicerone & Tertulliano. Sic, *bellantur Amazones armis*: &, *exſpoliantur eos*, pro, *exſpoliant*: *nutritur olivam*, pro, *nutrito*: *cenſa eſt*, pro, *cenſuit*, in Ovidio: *adfectatus eſt* pro, *adfectavit*: *ſpectatus eſt ſenem*, in Varrone; *Communicati ſunt*, pro, *communicaverunt*, in Livio: *Peragratus eſt regionem*, in Vellejo, & plura. Huc referri poſſet נשפט *judicio contendit*, *diſceptavit.* Adhibe nunc Annotationes magnas.

32. *Apud quem inveneris Deos tuos, non vivat coram fratribus noſtris*] Exponunt, *moriatur.* ego, *ſtatim moriatur.* Nam hoc ſermone aliquid amplius dicitur. Ideo Ionathan παραφράζει, *moriatur in non tempore ſuo*, h. e. morte immatura. Sic, *non gaudet ſtulti pater*; ſenſus eſt, non *dolet* ſimpliciter, ſed *vehementer dolet.* Quale & illud, *Non proſunt opes improbe partæ.* Nam valde obſunt & nocent. Similiter, *Suſcipere perſonam in judicio non eſt bonum*, cum ait Salomo, ſignificat non ſimpliciter *malum eſſe*, ſed *longe peſſimum*; Quid enim pejus quam habere in judicio reſpectum perſonarum, & non juſtitiæ, i. juſtæ cauſæ? Hujus loci eſt, *Non remittetur ei neque in hoc neque in futuro ſeculo*: quod explicant, Punietur & in hoc & in futuro ſeculo. Plura de hoc ſermone alias. Nam alio nunc properamus.

38. *Non fuerunt ſteriles*] Inter *orbum* & *ſterilem* hoc intereſt, quod *orbus* dicatur qui liberos, quos habuit, amiſit; *ſterilis* autem, qui nullos unquam habuit. Tam hic quam ille caret liberis; ſed aliud eſt non habere, & aliud non habuiſſe. A maſculino עקר *ſterilis* fœmininum eſt עקרה *ſterilis fœmina*, quæ Græce στεῖρα dicitur. Orba vero שכולה vocatur, & Græce ἠτεκνωμένη, quaſi *prole orbata*: unde ἄρκτος ἠτεκνωμένη 2 Sam. 17. 8. ubi libri quidam, ἡ τεκνωμένη, de qua menda nos olim admonuimus in Quæſtionibus noſtris. Verbum eſt ἀτεκνόω *liberis aut prole orbo*, quod exſtat Gen. 31. 38. οὐκ ἠτεκνώθησαν, quod reddunt, *non fuerunt ſteriles*, cùm potius reddendum ſit, *non fuerunt orbatæ*, vel *orbæ.* Quanquam in Ebræo, *non abortierunt*, ſive, *non fecerunt abortum*, h. e. non excluſerunt fœtum immaturum, non ediderunt partum ante tempus. Ut ut ſit, ἀτεκνόω ſignificat interdum *ſterilem efficio*, & ἀτεκνόω *ſteriliſco*, *ſterilis ſum*: unde γῆ ἀτεκνουμένη, *terra ſterilis*, 2 Reg. 2. 19.

2. 19. & ἄτεκνος, *qui liberis caret*, sive orbus sit sive sterilis. Lexicon vetus, Ἄτεκνος, *orbus, sine liberis, sterilis*. Itaque ab Hesychio exponitur ἄγονος, quo vocabulo significatur interdum *qui sterilis est*. Sane Deut. 7. 14 ubi in Ebræo עקר *sterilis*. Senes ediderunt, οὐκ ἔσται ἐν ὑμῖν ἄγονος, qui etiam ὀρφανίαν confundunt cum ἀτεκνία, ut videre est Ies. 47. 8, 9. Lexicon vetus, Ἀτεκνία, *orbitudo, orbitas*. Idem Lexicon, Ὀρφανία, *orbitas*; Ὀρφανός, *orbus, pupillus*. Nam qui parentes amisit etiam *orbus* dicitur. Sic dico, Orbus est & ὀρφανός *pupillus*, & ἄτεκνος *prole carens*. Ideo ἠτεκνωμένη melius redditur *prole* aut *fœtu orbata* quam *orbata* vel *orba* simpliciter. Proprie *orbus* qui orbes oculorum amisit, lumine cassus: inde transfertur ad eum qui re chara, quales sunt liberi & parentes, privatus est. Hic quæri potest utrum quæ maritum amisit *orba* dici possit. *Viduam*, non *orbam*, appellant autores Latini: nos tamen ad locum illum ex Historia Ruth, *Vacue reduxit me Dominus*, olim annotavimus, *vacuam*, i. *orbam liberis*, *orbam viro*. an recte, viderint qui hæc intelligunt.

42. *Metus Isahac*] Deus à Græcis nuncupatur Θεὸς, ut quidam opinantur, quasi δέος, juxta illud, *Primus in orbe Deos fecit timor*. Non quod sit vanus quidam timor aut metus, sed quod Deum nemo vere colit nisi qui timet aut metuit. *Timere* hic aliter accipio quam ille qui dixit, *Timet superstitiosus, veretur religiosus*. Nam etiam religiosus timet, qui propterea *timens Dei* vocatur, & legimus apud Salomonem, *Timor Domini principium sapientiæ*. Nam sapientia à pietate incipit, quæ hic *timor Domini* vocatur: unde & ipse Deus Rabbinis מורא *timor* appellatur. Quod eo minus mirum tibi videbitur, si scias in textu sacro Deum Isahaci, qui ab Isahaco metuebatur, vocari *metum Isahac*, Gen. 31. 42. *Nisi metus Isahaci adfuisset mihi*, i. Deus Isahac: de quo dubitare nos non sinit alter locus qui habetur v. 53. *Juravit Jacob per metum patris sui Isahaci*. Sane qui metuit, etiam timet. Si ergo *timere* denotat *vereri*, cur non & *metuere*? Nam synonyma sunt. Quod noto propter Afranium, qui elegantissimis his versibus hæc duo distinguit,

Hem iste parentum est vitabilis liberis,
Ubi malunt metui quam vereri se à suis.

Porro *metus* & quod aliquis metuit: ut ibi, *cum venerit metus vester*, id quod metuitis. Et est metus bonus, ut ille de quo nunc sermo; & alius qui nuncupatur *metus malus*, de quo Prov. 1. 33. *qui me audit liber erit à metu mali*. De bono capiendum illud Persii, *metuens divum matertera*, & Ovidii, *aut illa metuentior ulla deorum*: & Salomonis, Prov. 28. 14. *Beatus qui metuit semper*. Vide quoque Prov. 14 16. & Mercerum Prov. 29. 25. Huc referunt, *Multosque metu servata per annos*. Nec alienum quod *timidus* à Tibullo pro *religioso* usurpatur. Vide Taubmannum ad Plautum 868. 1.

44. *Percutiamus fœdus*] Codices Græci, διαθώμεθα διαθήκην, quod laudant ex Complutensi editione & ex Chrysostomo, & interpretantur, *disponamus testamentum*. Sed quid si, *paciscamur pactum*? Nam διαθέσθαι διαθήκην, Aristophanes in Avibus dixit pro *pacisci*, teste Camerario: unde διατίθεμαι Budæus adducit pro συντίθεμαι. Ut ut sit, quod Lxx & Theodotio διαθήκην dixerunt, A. & Sym. interpretati sunt συνθήκην, *pactum, fœdus*, quod vox Ebræa ברית semper significat: nam pro *testamento* non memini legere, quod in lingua Magistrorum צואה dicitur, à verbo *præcipiendi*, quod interdum *testamentum condere* significat, ut Ies. 38. 1. *Præcipe domui tuæ*, & Gen. 49. 33. *absolvit præcipere filiis suis*, i. sententiam dicere de voluntate sua extrema. Porro διατίθεμαι *paciscor* interpretatur etiam vir doctus Luc. 22. 29. Alii potius elegerunt *lego*, ex illa formula, *Do, lego*, in testamentis usitata. Hæc eo adduxi ut sciamus quid *testamentum* significet cum dicimus, *Vetus & novum Testamentum*. Nam ex Græco διαθήκη denotat *Pactum* sive *Fœdus*, quod ברית appellitant Ebræi. Quod autem Apostolus in epistola quæ ad Ebræos ab ea voce argumentatur, id fecit quia Græca διαθήκη, qua etiam Syri utuntur, in communi usu significat Præscriptionem eorum quæ post mortem servari volumus, tum etiam quia Novum Fœdus Christi morte consignatum fuit, ut merito fœdus illud *Testamentum* dici possit. Alibi notavi διαθήκην hoc significatu vocabulum esse linguæ Hellenisticæ: quod non revoco.

47. *Galeed.*] Quæ de etymologia dixi in superioribus, intelligenda sunt de iis vocibus quæ nullum certum etymon habent expressum in literis mysticis. De aliis alia ratio est, quale *Galaad*, cujus originatio certa ex loco minime incerto. Is habetur Gen. 31. 47. Nam à *strue lapidum* in qua epulabantur dictus est locus ille *Galaad*, quod nunc legunt גלעד; voce composita ex *Gal*, quod *acervum*, *cumulum* vel *tumulum* significat, & עד *testem* sive *testimonium*. Sonat ergo *tumulus testis*, vel *testimonii*. Nam testis erat inter Jacobum & Labanum, ut ipse textus diserte nos docet. Utrumque vocabulum Ebraicum est, & à Jacobo, qui Ebræus erat ex parentibus Ebræis. Laban Syrus cum appellavit יגר שהדותא, quod valet *acervus testimonii*. Syrus usus est vocibus suæ linguæ, quam Aramæam appellant, voce ambigua ad Syram & Chaldaicam. Hodie distinguuntur hæ duæ linguæ: olim non item. Nam Chaldæa etiam *Syra* vocatur Dan. 2. 4. *Locuti sunt ad regem Syriacè*, h. e. Chaldaice. Res est, non conjectura. Cæterum Laban Syrus erat ex ea regione Syriæ quæ peculiariter Mesopotamia & Syria ad Euphratem. Ideo sermo erat, ut & ipse, Mesopotamenus, qui etiam natus ad Euphraten non male diceretur; Siquidem apud Juvenalem *natus ad Euphraten* legitur pro Mesopotameno. Hunc locum laudant veteres Ebræi ex Lege, cum dicunt, *Ne sit vilis in oculis tuis sermo Syrus. Nam reperitur in Lege, in Prophetis, & in Hagiographis*. Dixi עד *testem* & *testimonium* significare. Talia sunt חיל *fortis* & *fortitudo*; צר *adversarius* & *adversitas*; תמים *integer* & *integritas*, & alia quædam. In Syrismo nulla omnino ambiguitas. Nam testis *Sahid*, & testimonium *Sahadutha* dicitur. Quod cum nunc sit in textu, reddi debet *acervus testimonii*, & non *acervus testis*. De appellatione Syriaca loquor, non de Ebraica, quæ hodie obtinet apud Ebræos.

49. *Maspha*] interpretatus sum *speculam*, à verbo *Sapha*, *speculor*, unde & *Sophe*, *speculator*, *ephorus*, σκοπός. Ergo ubi legimus in codicibus Græcis, σκοπὸς ὁ Ἔφορος τοῦ Θεοῦ, legi debet, σκοπός, *speculator*. Nam est *Sophe* in Ebræo. *Sophe*, *Suphe*, *Suphes* sive *Sufes*, ut *Jose*, *Joses*. Hinc forte *Sufetes* appellati qui erant quasi ephori Carthaginensium, quos Romani *Consules* appellant. Apud Festum, *referentibus Sufetis*. Cur non dicit, *Sufetibus*? Nam ut *Joses*, *Josetis*; sic *Sufes*, *Sufetis*; unde *Sufetes*, & in dandi casu *Sufetibus*. An obliquus est à recto *Sufeti*, qui Ebræis *Sophetim*, *judices*, *rectores*, *præsides*? Eo labor ut credam hoc verius esse. *Saphe* & *Sophe* primam habent *S*, Sade: *Sophetim*, unde *Sophets* & *Supheti*, scribuntur cum *S*, Sin, quam vocant Scin. Hoc me fugit cum majores notas scriberem. *Ephori* dicti ἀπὸ τοῦ ἐφορᾶν, quod ad civitatis salutem oculos intentos haberent. Magistratus erant Lacedæmoniorum; ad quos provocatio erat à Regibus, ut apud Romanos à Consulibus ad Tribunos. Ergo *Sufetes* non Ephori, sed erant apud Carthaginenses quod Consules apud Romanos. Paulus apud Festum, *Sufes, consul, lingua Pœnorum. Calidius, Senatus censuit referentibus sufetis*. Verba Festi mutila sunt, quæ Scaliger ita supplet, *Sufes dictus est Pœnorum lingua, summus magistratus, ut Oscorum medix. Calidius in oratione ad Cecilium, Nonne vobis, &c.* Addit idem Scaliger de suo; *Porro qui Ebraice sciunt, & non ignorant Pœnos Tyriorum colonos esse, concedent mihi Sufes idem esse quod* ἰσφηт, *iωmωσ*, ἰσφήτ, שפט. Magis inclino ad Ebraicum *Sophetim*, quod idem cum Græco κριταί, *judices*, & modo *reges*, modo *rectores* & *præsides* denotat *provinciarum*, unde & liber Judicum nomen accepit, qui rempub. Ebræorum tunc temporis administrabant.

IDEM.

7. התל בי A. & Sym. παρελογίσατό με, *circumvenit me*] *Decepit aut fefellit*, παραλογίζομαι proprie *decipio falsis ratiociniis*, *fallo more eorum qui falsis argumentationibus aliquem fallunt*. ‖ והחליף את משכרתי עשרת מנים A. καὶ ἤλλαξε τὸν μισθόν μου δέκα ἀριθμούς, *& mutavit mercedem meam decem numeros*. Sym. —— δεκάκις ἀριθμῷ, *decies numero*] Hieron. *decem vicibus*. Idem in Quæst. ita scribit, *Pro eo quod nos posuimus [decem vicibus] Lxx. nescio qua opinione ducti posuerunt [decem agnis] cum verbum Ebraicum* מנים *numerum magis quam agnos sonet*. Ceterum pro decem numeros, est cur malim decem numeris, & puto sensum esse, *mutavit mercedem meam decies*. i. decem vicibus. Idem sensus in illo, δεκάκις ἀριθμῷ, id est, Eusebius, ὁ σύρος δεκάκις ἀντὶ τοῦ πολλάκις. [Syrus, *mutavit mercedem meam decies*, i. sæpius, Procop. p. 176.] Abenmelech, *dicit Decem, quia est finis unitatum, & caput denariorum. Ideo utuntur absolute pro numero multo. Igitur, decem vicibus, i. multis vicibus. Sic, Coquent decem mulieres, Lev. 26, &c.* ‖ *Numeros*] מנים *numeri* ἀπὸ τοῦ מנה *numeravit*, unde quoque מנין ἀριθμός.

18. רכש. Schol. κτῆσιν] Notatum est in Edit. Rom. ad κτῆσιν τῆς κτήσεως αὐτοῦ, cui respondet in Ebræo מקנה קנינו. Sed tamen dubito an pertineat ad מקנה quod ibidem præcedit. Dubitandi caussa, מקנה κέκτημαι, קנה *possideo*, *acquiro*; tum etiam quia רכש τὰ ὑπάρχοντα interpretantur Gen. 12. 5. & 13. 6. & alibi. Dubitationem auget, quia κτῆσις קנין proprie, & מקנה κτῆνος, *pecus*. Nihil ergo statuo,

ſtatuo, maxime cum videam Græcos Lxx. in his variare. Nam etiam רכש κτῆσιν interpretantur Gen. 46. 6. & Ezræ. 8. 21.

19. התרפים את. A. μορφώματα, *figuras & imagines.* Sym. θεραφεὶν] Hieron. *Ubi nunc Idola legimus, in Ebræo Theraphin ſcriptum eſt, quæ Aquila μορφώματα, i. figuras & imagines, interpretatur. Hoc autem ideo, ut ſciamus quid in Judicum libro Theraphin ſonet.* Ut hoc intelligas, ſciendum Lxx. retinuiſſe vocem Ebraicam Jud. 17. 5. item 18. 14. 17. Hinc ergo diſcimus, quid ibi ſint θεραφεὶν, quod non nemo circumflectit, ſcribens θεραφεῖν. Reperio & θεραφὶμ 1 Reg. 15. 23. & 4 Reg. 23. 24. Quæ ita promiſcue ſcribuntur, ut ἐλωὶμ & ἐλωείμ, σεραφὶμ & σεραφείμ, χερουβὶμ & χερουβείμ. Sic ἠλὶ & ἠλεί, *Deus mi.* Idem in Comment. Hoſ. 3. 4. *Theraphim proprie appellantur μορφώματα, i. figuræ & ſimulacra.* Θεραφεὶν, terminatio plur. Chaldaica pro θεραφείμ *Theraphim.* Sic occurrit alibi σεραφεὶν pro σεραφείμ. De his imaginibus vide quæ ſcripſimus in Fragmentis ad Hoſeam.

NOTÆ MAJORES.

1. *Audivit autem verba filiorum Labanis dicentium, Accepit Jacob omne quod patris noſtri, & ex eo quod erat patris noſtri fecit omnem gloriam iſtam.*

Dicentium] λεγόντων. ¶ *Accepit*] abſtulit. ¶ *Omne quod patris noſtri*] ſub. erat vel fuit. Sic mox, *ex eo quod erat patris noſtri*, vult dicere, ex omnibus bonis quæ pater noſter antea habuerat. ¶ *Fecit omnem gloriam iſtam*] Onk. *comparavit omnes opes iſtas.* Jonathan, *fecit ſibi omnem gloriam opum iſtarum.* Hiero. *de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.* Facere eſt parare, ut (Prov. 31. 4.) *omnes filiæ fecerunt potentiam*, i. pararunt divitias. R. Salomo explicat, כנס in quo ſignificatio congregandi aut colligendi. Gloriam autem dicit ſplendorem divitum, ut ibi, *Salomo in omni gloria ſua.*

2. *Et vidit Jacob vultum Labanis, & ecce non erat ipſe ſecum ut heri nudiuſtertius.*

3. *Dixit que DOMINUS Jacobo, Redi ad terram patrum tuorum & ad nativitatem tuam, & ero tecum.*

Vidit] animadvertit. ¶ *Vultum*] qui eſt index & quaſi janua animi, & verum eſt illud, *O quam non facile eſt crimen non prodere vultu.* Onk. ית סבר אפי לבן, quod reddunt, *aſpectum vultus Labanis.* Aliter reddunt in illo, *Excipe quemvis hominem* בסבר פנים *placido ac hilari vultu.* ¶ *Non erat ipſe*] vel ipſe Laban, vel ipſe vultus. Nam voce פָּנִים, licet terminationem habeat pluralem, tamen ſingulariter utuntur, ut in illo Davidis, *vultus DOMINI diviſit eos.* Jonathan, *non erat placidus coram illo.* שפין *vultus placidus ac ſerenus, tranquillus.* ¶ *Secum*] vel, *erga ſe.* ¶ *Ut heri nudiuſtertius*] ut antea. Proverbiale. Lxx. ὡσεὶ χθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν. Vide ſis Proverbia mea. ¶ *Ad terram Patrum tuorum*] in qua patres tui Abraham & Iſahac peregrini fuerunt, aut quæ illis divinitus promiſſa. Nam aliqui ne veſtigium quidem pedis (ſpeluncam duplicem excipio) in ea habebant. ¶ *Ad nativitatem tuam*] Oratio plena erit, ſi legas, *ad terram nativitatis tuæ:* quod repeti debet ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. *Terra nativitatis* hoc eſt patria, natale ſolum: patria, inquam, ubi quis natus eſt. Alii, *ad cognationem tuam.* Lxx. εἰς τὴν γενεάν σου. Hiero. *ad generationem tuam.* Eſth. 2. 10. Lxx. πατρίδα. Hier. *Patriam.* Gen. 12. 1. ממולדתך. Act. 7. 3. ἐκ τῆς συγγενείας σου. Trem. *è ſolo natali tuo.* Hiero. *ex cognatione tua.* Rurſum Eſth. 8. 6. מולדתי *cognationis meæ.* Gen. 24. 4. Hiero. *cognationem meam.* Gallica editio Gen. 12. 1. *d'avec ton parentage: ou du lieu de ta naiſſance*, ex cognatione tua; aut ex loco nativitatis tuæ. ¶ *Ero tecum*] non modo in hoc itinere, ſed etiam in reliqua tua vita.

4. *Et miſit Jacob & vocavit Rachelem Leamque in agrum ad greges ſuos.*

5. *Dixitque illis, Video ego vultum patris veſtri non eſſe erga me ut heri nudiuſtertius: & Deus patris mei fuit mecum.*

Miſit & vocavit] Miſit qui vocaret, aut miſſo nuncio vocavit i. accerſivit. Jonathan author Naphthali, quem vocat עגר קליל, ad hoc miſſum fuiſſe. Quod ut dicitur, ita negari poteſt. Nam ex Scriptura non habet autoritatem. Porro עגר exponitur *cervus:* item *nuncius, legatus.* i. אגר, Aleph in Ain verſa. Nam eandem familiam habent. Ex hoc fonte manant [illegible] & פרא mulus: [illegible] & [illegible] occurrit [illegible] & [illegible] ſemen & ſi quæ alia Grammatici notarunt. ¶ *Rachelem Leamque*] In editione Græca λείαν καὶ ῥαχήλ: cujus autor temere ſatis immutavit ordinem, cum etiam capite quarto libri Ruth Rachel præponatur Liæ. Videndi ſunt R. Salomo & Mercerus. ¶ *Ad greges ſuos*] non eſt עדרים in Ebræo, ſed צאן: itaque alii legunt, *ad oves ſuas*, alii, *ad pecudes ſuas.* ¶ *Erga me*] אלי ad me, πρὸς ἐμοῦ. On. עמי mecum. Sic etiam Jonathan. Supra, *& ecce non erat ipſe cum eo.* שפין quod in Jonatha pluralis eſt à שפי tranquillus, placidus, quietus. Hinc בשפי quiete. ¶ *Et Deus patris mei fuit mecum*] duobus modis exponitur. Uno modo ſic, tamen Deus patris mei fuit mecum i. auxiliatus eſt mihi, ſive, ut On. & Jon. habent, fuit mihi auxilio. Alio modo exponitur ſic, *deinde Deus patris tui fuit mecum* i. apud me. Quod Leo Judæ tranſtulit, *adfuit mihi*, nempe quum mihi diceret, *Revertere in terram patrum tuorum &c.* Priorem expoſitionem amplexi videntur Lxx. & Hiero.

6. *Et vos ſcitis quod totis viribus meis ſervierim patri veſtro.*

7. *Et pater veſter circumvenit me & mutavit mercedem meam decem vicibus, tamen non dedit ei Deus ut malefaceret mihi.*

Totis viribus meis] בכל כחי in omni robore meo. i. pro virili, quantum in me fuit. Trem. *omni facultate mea.* Lxx. ἐν πάσῃ τῇ ἰσχύϊ μου. ¶ *Circumvenit me*] התל בי impoſuit mihi, decepit me, circumvenit me. Hoc poſtremum Hieronymi eſt. Lxx. ediderunt παρεκρούσατό με, quod etiam reddunt, *circumvenit me.* On. & Jon. שקר בי *mentitus eſt mihi.* Sic etiam Santes. Nec aliter R. David in libro Radicum. Leo Judæ, *dolo malo egit mecum.* Trem. *illuſit mihi.* Ita transferunt hoc verbum 1 Reg. 18. ויהתל בהם & illuſit eis. דרך לעג ait Abenezra. Gallica editio, *Votre pere s'ét moqué de moi.* Munſterus, *circumvenit me.* ¶ *Decem vicibus*] עשרת מנים decem vicibus, ſive decies, hoc eſt ſæpius. Numerus finitus pro infinito. Lxx. δέκα ἀμνῶν, decem agnis. Suſpicor initio ſcriptum fuiſſe δεκὰ μνῶν ut legerint מָנִים pro מֹנִים. Onk. עשר זמנין decem temporibus, quod idem cum illo decem vicibus. Jon. עשר חולקין decem partibus. Sic etiam Forſterus in Dictionario ſuo. Nam pars מָנָה dicitur; unde pluralis מָנוֹת partes. מֹנִים aliud eſt. ¶ *Non dedit ei*] non conceſſit ei. Affine eſt quum dicimus, *do hoc tibi* i. concedo. Cicero, *Quis enim tibi dederit aut Deum omnia poſſe, aut ita facturum eſſe ſi poſſit.* Aut, *non dedit*, non ſivit, non permiſit. Dare enim ſequente gerundio uſurpant pro permittere. Lxx. οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεὸς κακοποιῆσαί με: non dedit ei malefacere mihi. ¶ *Ut malefaceret mihi*] ut læderet aut damno afficeret me, ut noceret mihi. Ceterum in Ebræo eſt עמדי mecum, & in editionibus Chaldaicis עמי μετ' ἐμοῦ, ut ſi dicas, *non dedit ei male agere mecum.* Quod in Latio alium Senſum habet. Nam qui circumvenire aliquem ſtudet, male cum illo agit, etiamſi non ſemper ei noceat.

8. *Quum ſic diceret, Interpuncta erunt merces tua, pepererunt omnes pecudes interpuncta, cum autem ſic diceret, Nodoſa erunt merces tua, pepererunt omnes pecudes nodoſa.*

9. *Ita ademit Deus pecus patris veſtri & dedit mihi.*

Quum ſic diceret] אם כה יאמר ſi ſic diceret. Hic, *ſi*, valet, *quum, poſtquam;* ut in illo Virg. Æneid. 5. *Præterea ſi nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.* Plautus Aſinaria, *Mercedem ſi eris nactus* i. quum eris. Idem Captiveis, *Jam ego revertar intro, ſi ex his quæ volo exquiſiero.* Terentius Phormione, *Non ſi rediiſſet pater ei veniam daret.* Sic particula אם uſurpatur Pſal. 7. 13. & ἐὰν Joh. 14. 3. & 13. 20. itaque exponunt per ὅταν ſive ἐπειδὰν. Similiter אם interpretantur כי vel כאשר Num. 34. in illo, *ſi erit Jubilæus.* Hinc lucem accipit dictum Apoſtoli, *Si Deus pro nobis, quis contra nos.* Nam non eſt dubitantis, ſed hoc vult, Poſtquam Deus eſt pro nobis, ſive quum Deus ſit pro nobis. ¶ *Interpuncta erunt merces tua*] Qui vertit, *variæ erunt mercedes tuæ*, ambigue vertit. Non intelligi poſſunt, *variæ mercedes*, cum ſententia ſit, variæ pecudes. i. τὰ ποικίλα: vel reſperſæ maculis, erunt merces tua, hoc eſt, cedent tibi mercedis loco. ¶ *Erunt*] Alius, *ſunto.* Hic uſus eſt enallage numeri. Nam יִהְיֶה ad verb. *erit.* Aut verbum ſingulare pertinet ad שכרך q. d. Merces tua erit, hoc eſt, pro mercede habebis interpuncta. ¶ *Ita ademit*] ויצל & *eripuit.* i. abſtulit, ademit. Nam eripio proprie vi tollo & quaſi per raptum aufero. Lxx. καὶ ἀφείλετο. Hiero. *tulitque* ויקח. On. ואפרש & ſeparavit. Chaldæus Jonathan & autor Jeroſolymitanæ ורוקן & *evacuavit;* vel ſi placet *ſpoliavit.* Sic interpretantur Exod. 3. 22. ונצלתם συσκευάσατε, & Exod. 12. 36. וינצלו, καὶ ἐσκύλευσαν & ſpoliarunt. On. & Jon. ורוקינו & ורוקנו. Santes hic edidit, *& abſtulit*, ut Gallica, *Dieu a oté.* Sic vertunt Pſal. 119. 43. *Ne auferas ex ore meo verbum veritatis*, אל תצל. ¶ *Pecus*] מקנה. Lxx. τὰ κτήνη, quod commune eſt minoribus & majoribus pecudibus, ut annotat Demetrius Triclinius Sophoclis interpres. Hiero. *ſubſtantiam* מקנה. Onk. מן בעירא de pecore. Jonathan בעירא pecus, unde

de נוקד רועה magister pecorum. Santes, *acquisitionem.* Nam קָנָה acquiro. Leo Judæ, *peculium* מקנה. Munsterus, *oves* צאן. Moses Gerund. Gen. 14. 18. *Vocantur oves* מקנה *i. possessio, quia sunt præcipua pars substantiæ hominis*, hoc est rerum ab homine possessarum. Gallica editio, *le betail.*

10. *Fuit autem quo tempore incalescebant pecudes ut levarem oculos meos & viderem per somnium, & ecce hirci qui ascendebant super pecudes, nodosi, interpuncti & grandinosi erant.*

Per somnium [בחלום in somnio, quod Hiero. dixit, *in somnis*, alius, *per insomnium.* On. & Jon. בחלמא. Lxx. ἐν τῷ ὕπνῳ, *in somno*, בשנה. Aliud *somnus*, aliud, *somnium.* Dicunt etiam, καθ' ὕπνον eodem sensu, & plurali numero ἐν τοῖς ὕπνοις & κατὰ τοὺς ὕπνους. Latine per somnum, in somnis, per quietem. Vide quæ notavimus Gen. 20. 3. ¶ *Hirci*] capri, arietes. Sed arietes proprie אילים dicuntur. ¶ *Qui ascendebant super pecudes nodosi* &c.] Alii, sed minus recte, *ascendebant super pecudes nodosas*, &c. Nam si hoc voluisset, meo judicio, dixisset potius נקדות terminatione fœminea. Hoc meum judicium firmatur autoritate Merceri, viri in his litteris summi. Quamvis sciam nomen צאן masculine construi Gen. 30. 39. ¶ *Grandinosi*] ברדים grandinosi, hoc est albis maculis respersi id instar grandinis. Nam בָּרָד grando, unde ברודים & בְּרֻדִּים, quod hic Lxx. reddunt, σποδοειδεῖς ῥαντοὶ, cineritios sparsos. Hiero. *respersos.* Santes, *maculis grandinosis respersa.* Leo Judæ, *albis maculis notatos.* Trem. *quasi grandine guttati.* Munsterus, *maculis albis interstincta.* Onk. פציחין i. interprete Fagio, *maculosi.* Tremellius autem interpretatur, *versicolores.* Jon. חורין מנבחון & dorsa eorum alba. Maculæ albæ à Davide Camio vocantur כתמים לבנים. Abenezra eas appellat נקדות לבנות. Idem Camius in Zachariam ברוד *color est maculis albis ad modum grandinis in medio alio colore.* Locus est Zach. 6. ubi Hiero. *varii.* Lxx. ποικίλοι. Vatablus, *maculis albis aspersi.* Trem. *grandine guttati.* Arias, *grandinati.*

11. *Et dixit mihi angelus Dei per somnium, Jacob: & dixi, Ecce me.*

12. *Et dixit, Leva nunc oculos tuos, & vide omnes hircos, qui ascendunt super pecudes, nodosos, interpunctos & grandinosos: Nam vidi omnia quæ Laban tibi fecit.*

13. *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti statuam, ubi vovisti mihi votum: nunc surge, exi è terra hac, & revertere in terram nativitatis tuæ.*

Per somnium] vel, in somnio. Lxx. hic habent καθ' ὕπνον per somnum. ¶ *Jacob*] vocantis est. ¶ *Ecce me*] Lxx. τί ἐστι; quid est? Autor Jerosol. *Respondit Jacob in lingua sancta & dixit* הִנֵּנִי *en me.* ¶ *Vide omnes hircos* &c.] est cur malim, *Vide, omnes hirci, qui ascendunt super pecudes, nodosi, interpuncti & grandinosi sunt.* Qui ascendunt super pecudes, vult dicere, *qui ineunt pecudes.* Jam explosimus interpretationem, *qui ascendunt super pecudes nodosas* &c. quam tamen Santes & alii sequuntur. ¶ *Vidi omnia quæ Laban tibi fecit*] capiendum ut ibi, *Vidi vidi vexationem populi mei.* Jonathan, *patefacta coram me fuit omnis injuria, qua Laban te affecit.* ¶ *Ego sum Deus Bethel*] plenum esset, *ego sum angelus Dei Bethel.* Sed novum non est in his litteris, ut angelus Dei, Deus appelletur. Nam per eum Deus loquebatur. ¶ *Deus Bethel*] qui apparui tibi in Bethel. Sic Onk. & Jonath. Græci quoque habent ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ, qui apparuit tibi in loco Dei. Τόπος θεοῦ, i. Bethel. Nam בית domus vel locus. Ebraice הָאֵל בֵּית־אֵל quod ita breviter dictum pro הָאֵל אֵל בֵּית אֵל Deus Deus Bethel. Quale est עץ הדעת עץ הדעת arbor scientiæ, scientiæ inquam boni ac mali. R. Sal. putat He redundare, ut in illo הארץ כנען quod ad priorem sententiam explicari potest, *Terra, terra Chanaan.* הארץ ארץ כנען. ¶ *Unxisti*] perfudisti oleo, consecrasti. ¶ *Statuam*] στήλην cippum, titulum. ¶ *Nativitatis tuæ*] vel *cognationis tuæ*, quod fere in idem recidit. Est tamen discrimen aliquod. *Terra nativitatis tuæ*, ubi tu natus es. *Terra cognationis tuæ*, ubi cognatio tua degit. Lxx. τῆς γενέσεώς σου, quod reddunt, *nativitatis tuæ.* Sic etiam Hiero. Nulla caussa est cur hoc mutetur.

14. *Responderunt Rachel & Lea & dixerunt ei, Num adhuc nobis pars aut hæreditas in domo patris nostri?*

15. *Nonne pro extraneis reputatæ sumus ei? quia vendidit nos: consumpsit etiam consumendo argentum nostrum.*

16. *Nam omnes divitiæ, quas ademit Deus patri nostro, nostræ sunt & filiorum nostrorum: Nunc ergo quicquid Deus dixit tibi, fac.*

Responderunt] Ebraice, *respondit*: verbum singulare sequente plurali, & *dixerunt.* Talia exempla & supra notavimus. ¶ *Num adhuc nobis pars* &c] *neque pars neque hæreditas.* Proverbiale. Obvia hæc locutio passim. Vide Num. 18. 20. Deut. 12. 12. & 14. 27. & 18. 1. item 2 Sam. 20. 1. & 1 Reg. 12. 16. Legimus quoque Cohel. 9. 6. de mortuis, *Pars non est eis ultra in seculum*, & Joh. 13. 8. οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ, non habes partem mecum i. nihil habes mecum commune, nihil posthac tibi mecum negotii erit q. d. renuntio tibi omnem amicitiam. ¶ *Pars*] tralatio à conviviis veterum, ubi singulis convivis suæ certæ partes tribuebantur: postea in commune vesci civilius visum. Autor Plutarch. Lib. 11. Symp. Quæst. 10. Aut sumtum à partibus hæreditatum. Nam eæ in certas partes dividebantur. Ex quo & illud, *Quæ pars fideli cum infideli?* q. d. nihil commune habent, quod inter eos dividi possit. Hinc intelligentiam habet, *Qui partitur cum fure.* Nam est sensus, qui aliquid commune habet cum eo. ¶ *Pro extraneis reputatæ sumus*] נכריות נחשבנו *extraneæ reputatæ sumus.* Bene Lxx. ὡς αἱ ἀλλότριαι, tanquam extraneæ: Vult dicere, ac si non essemus ipsius filiæ. ¶ *Vendidit nos*] venales nos habuit addicendo nos tibi pro servitute quam serviisti ei. Aben. *Non egit nobiscum ut patres solent cum filiabus, sed dixit, Custodi pecudes meas, & accipe filias meas pro mercede tua.* ¶ *Consumpsit etiam consumendo*] ויאכל גם אכול & comedit etiam comedendo i. plane absumsit. Sunt qui hæc per interrogationem legunt, *præterea etiamne exederit continenter pecuniam nostram?* Videtur hoc velle, Non satis ei fuit quod nos pretio vendiderit, etiam absumsit pretium illud, quod nobis pro mariti labore debebatur. Hoc significatu Græci usurpant verbum καταφαγεῖν, quo etiam Lxx. hic usi sunt. ¶ *Argentum nostrum*] pecuniam nostram. Lxx. τὸ ἀργύριον ἡμῶν. Hiero. *pretium nostrum*, מחירנו. Argentum pro quavis pecunia sumi apud interpretes notius est quam ut probari debeat. Sic ἀργύριον Matth. 25. 27. Hiero. Cohel. 5. pag. 24. *Ubicunque argentum ponimus secundum Græci sermonis ambiguitatem, potest & pecunia transferri* : ἀργύριον *quippe utrumque significat.* Idem de כֶּסֶף dicendum. ¶ *Omnes divitiæ*.] Vide supra. ¶ *Quas ademit patri nostro*] vel, *quas eripuit patri nostro.* Onk. *quas separavit à patre nostro.* Hinc R. Salomo, *Ubicunque*, inquit, *verbum* הציל *invenitur in Scriptura, significat separationem à malo & ab hoste.* ¶ *Dixit*] jussit, præcepit.

17. *Surrexit igitur Jacob & sustulit filios suos, & uxores suas super camelos.*

18. *Et duxit omne pecus suum, & omnem substantiam suam quam acquisierat, peculium possessionis suæ, quod acquisierat in Mesopotamia, ut iret ad Isaacum patrem suum in terram Chanaan.*

Sustulit super Camelos] pro eo habendum ac si diceret, sublatos imposuit camelis. Talia sunt, *capies carbones ignis super caput ejus* pro capies & pones : *transtulit eum in pinnaculum templi* pro translatum posuit : *accepit dona in hominibus* pro accepta distribuit. ¶ *Duxit*] abduxit, ἀπήγαγε. ¶ *Omne pecus suum*] vel, *universum pecus suum.* Lxx. πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. Hiero. *Omnem substantiam suam.* מִקְנֶה pecus. Proprie possessio. Nam קָנָה possideo. Unde מקנה צאן possessio ovium, מקנה בקר possessio armentorum. Ut mustum vocatur תירוש ... ירש hæres sum : ita pecus dicitur מקנה ... קָנָה possideo, acquiro, comparo. Ceterum possessionem dicunt Ebræi quod quis possidet. i. τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, quæ sunt bona & facultates ipsius. ¶ *Omnem substantiam suam*] כל רכוש omnem substantiam suam. i. οὐσίαν. Lexicon vetus, οὐσία, patrimonium, substantia, res familiaris. Lxx. πᾶσαν τὴν ἀποσκευὴν αὐτοῦ, quod reddunt, *omnem apparatum suum.* In Thes. Stephani, Ἀποσκευὴ, *vasa viatoria & sarcinæ, supellex viatoria.* Ad hunc locum scholion est in Edit. Rom. κτῆσιν, possessionem. Sed omnia hic perturbata videntur. Nam τὴν κτῆσιν αὐτοῦ respondet potius קנין & *greges* quod in Hiero. i. מקנה, & τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ in Lxx. i. רכוש. Sic interpretantur sane Gen. 12. 5. Sed nihil immuto. Nam etiam Onk. hic habet קנינה possessionem suam. Jonathan כל נכסוי omnes facultates suas. Autor Jerosof. נכסוי peculium suum. ¶ *Quam acquisierat*] אשר רכש. Lxx. ἣν περιεποιήσατο. Supra 12. 5. רכש iidem ἐκτήσαντο. Hiero. *possederant.* רָכַשׁ ergo possideo, comparo, acquiro. Idem קָנָה sig. quo verbo usi nunc sunt Onk. & Jon. ¶ *Peculium possessionis suæ*] vel, *acquisitionis suæ* q. d. quicquid labore suo acquisierat. מִקְנֶה interpretatus sum peculium, quod à pecore dictum. Nam omnis ferè substantia veterum pecoribus constabat. Alii maluerunt, *pecus acquisitionis suæ.* Id mutavi duabus de caussis. Prima est quia præcedit *omne pecus suum.* Nam ita bis idem repeteret. Altera caussa est, quia peculii vox latius patet. Nam etiam servos & ancillas comprehendit. R. Salo. מקנה קנינו *quod acquisierat, videlicet servos, an-*

cillas,

cillas, camelos & asinos. Onk. hic edidit, *pecora sua & possessionem suam*, & Jonathan, *pecora sua & facultates suas.* Uterque inserit copulam, quæ in Ebræo nulla est. Hoc primum: deinde קִנְיָנוֹ in ultima habet Tseri. Quod si ἀσύνδετον esset deberet habere Segol. Res nota Grammaticis.

19. *Porro Laban iverat ad tondendum oves suas, & Rachel furata est idola patris sui.*

Porro Laban &c.] vel, *Cumque Laban ivisset ad tondendum oves suas, Rachel furata est &c.* ¶ *Ad tondendum*] tonsum. ¶ *Idola patris sui.*] את התרפים אשר לאביה idola quæ patri ejus erant. Sunt qui opinantur fuisse deos penates ipsius: cui opinioni favet Joseph. Orig. Jud. 1. 19. appellando τὰς τύπους τῶν θεῶν ὡς σέβειν πατρίας ὄντας νόμιμον ἦν. i. sigilla deorum patriæ religionis, ut interpretatur Gelenius. Ut ut sit, vocat *deos suos* infra vers 30. Ideo potius verti, *idola*, quam imagines aut simulachra. Nam licet εἴδωλα Græce sonet simulachra, tamen Ecclesiastici Scriptores usurpant peculiariter de iis simulachris, quæ numen aliquod repræsentant, aut quæ pro Diis habentur. Notatum autem has imagines figura humana fuisse: quod colligunt ex historia Davidis. Vide sodes 1. Sam. 19. 13. Jam ad interpretes. Igitur Lxx. εἴδωλα. Hiero. & Severus, *idola.* Aquila, μορφώματα. Hoc est interprete Hiero. *figura & simulachra* in Comment. Hos. 3. *figuræ sive figurationes* Epistola ad Marcellam: *figuras & imagines* in lib. Quæst. Sym. θεραφείν quæ terminatio Chaldaica est pro θεραφείμ. Onkelos צלמניא imagines & simulachra. Jonathan Hos. 3. מחוי Indicantes. Nam futura indicabant. Hic cum Onk. consentit: deinde subjungit fabulam de capite primogeniti, quæ habetur in Pirke R. Eliezer, cujus & Lyra meminit. Sed & Mercerus ejus mentionem facit per hæc verba, *In Pirke R. Eliezer describuntur quod fierent ex capite primogeniti detruncato, cujus lingua lamina aurea inscripto nomine dæmonis, qui invocaretur, insereretur, quod postea parieti affigeretur accensis coram eo lucernis.* Verba Jonathæ, *Mactabant virum primogenitum, cui caput amputabant, quod sale condiebant & aromatibus: deinde scribebant divinationes in lamina aurea, quam ponebant sub lingua ejus, erigebantque illud in pariete, & loquebatur cum eis. Atque ista erant quæ adorabat pater ejus.* Per has imagines futura præsciebant. R. David in libro Radicum, *Teraphim sunt imagines in quibus futura vident.* Aben. *Sunt qui dicunt esse instrumentum æneum factum ad cognoscendum partes horarum*: (Horologium significat) *alii dicunt Astrologos ea vi pollere ut possint facere certis horis imaginem quæ loquatur: cui probando citant, & Theraphim locuta sunt vanitatem: sed aliter is locus exponitur. Et opinio mea quod imagines istæ fuerint forma humana, facta ad recipiendam vim sive virtutem superiorum, quam non valeo enarrare.* Vide sequentia. Verbis his facem allucet Marsilius Ficinus de vita cœlitus producenda cap. 20. ita scribens, *Arabes & Ægyptii tantum statuis & imaginibus attribuunt arte astronomica & magica fabricatis ut spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœlestium vires, alii vero dæmonas etiam stellæ hujus illiusve pedissequas. Spiritus igitur stellarum qualescunque sint, inseri statuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac dæmones soleant humana nonnunquam corpora occupare, perque illa loqui. Similia quædam per imagines facere stellarum spiritus arbitrantur. &c.* Vide quæ idem scripsit hac de re Cap. 13. & cap. 16. & cap. 18. Concludam verbis Theologi cujusdam, *Idola seu Theraphim hoc loco statiuncula, imagines & figuræ Deorum falsorum dicuntur, quæ quidem ex sese responsa dandi nullam unquam habuerunt virtutem, sed tantum cum ob peccata hominum eis fidem habentium, ad illorum damnationem, ut scilicet in peccato suo morerentur permisit justus Dominus. Alii imagines quasdam fuisse dicunt, juxta quarum inspectionem gentes vanitate deceptæ faciebant vel omittebant opus. Cujusmodi figuras insulsi quidam Astrologi facere solent sub certis constellationibus, putantes illas capaces cœlestium influxuum, toto tamen, quod dicitur, cœlo cum suis planetis aberrantes.* ¶ *Furata est*] *ut patrem ab idololatria revocaret.* Theodoretus. *Ne per ea cognosceret, qua via Jacob fugisset.* Abenezra. *ob pretium materiæ, unde facta erant, vel quod illa marito deberi putaret.* Alii. Utcunque sit, hoc factum Rachelis excusari non potest. Qui furtum committit, quocunque prætextu id faciat, peccat in legem illam, *Non furaberis.* Quæ tam late patet, ut etiam alienationem qualemcunque rei alienæ per eam vetari perhibeant.

20. *Et furatus est Jacob cor Labanis Syri eo quod non indicaverit ei se fugere.*

Furatus est cor Labanis] Inepte Tremell. *furatus est à corde Labanis. i. furtim, inscio Labane, se & sua surripuit.* Neque locus quem adducit, ipsum juvat. Nam את Gen. 4. 1. potius valet עם i. cum: Ego את pro מאת non memini legere. Quæ autem exempla ei rei à Grammaticis citantur, ad illa facile responderi potest. Nam יצא את העיר ita dicitur, ut cum Latine dicimus *egredi urbem*; quod idem cum illo, מן העיר *ex urbe.* Dicam hac de re alias. Furari cor duo significat. Primo significat devincire animum alicujus, ut 2. Sam. 15. 6. Nam cor pro animo sumitur passim. Secundo significat clam habere & celare quod agis, ut hic, & infra vers. 26. & 27. Sane Ionathan & Abenez. *cor Labanis* interpretantur, *scientiam ejus.* Nam sedes scientiæ in corde: imo, teste Aben. radix & fundamentum scientiæ est ipsum cor. Videamus nunc interpretationes alias. Lxx. ἔκρυψε δὲ Ἰακὼβ Λάβαν τὸν σύρον: celavit autem Jacob Laban Syrum. Furtum appellant Ebræi quicquid occulte fit, unde *aqua furtiva*, quæ occulte bibitur. Sic etiam Poëtæ loquuntur. Tibull. *Veneris perdulcia furta.* Hinc *furtivos* dixit Catullus pro *occultos.* Onkelos וכסי יעקב מן לבן ארמאה absondit se Jacob à Labane Syro. Editio Gallica, *se deroba du Laban Aramien.* i. furtim surripuit se Labani Syro. malim, *deroba le cœur du Laban.* &c. ¶ *Syri*] Aramæi. Hoc adjectum forte quia Syriæ populi magicis artibus præ ceteris dediti erant: unde apud Jesaiam כי מלאו מקדם *repleti sunt oriente* i. artibus orientalium sive Syrorum. Nam Syria in Oriente terræ Chanaan.

21. *Fugit ergo ipse cum omnibus suis, & surgens trajecit flumen, posuitque faciem suam versus montem Galaad.*

Cum omnibus suis] וכל אשר לו *& omnes qui ei erant* i. quos secum habebat. Ad personas refero propter verbum *Fugit.* Ceteri, *& omnia quæ illius erant*, sive *quæ habebat.* Nescio an res etiam fugere dicantur. Ego ad familiam restringendum putarim: recte an secus judicium esto eorum qui de his judicare possunt. ¶ *Trajecit*] transivit, transmisit, διέβη. ¶ *Flumen*] הַנָּהָר cum articulo, τὸν ποταμόν. Ita loquendo Euphratem significant, qui & flumen Euphratis, & sine articulo נָהָר i. ποταμὸς dicitur Jer. 7. 20. & amnis apud interpretem nostrum, & fluvius κατ᾽ ἐξοχήν. Erat autem unus ex terminis terræ Chanaan. Sic accipies Psal. 72. 8. *à flumine usque ad terminum*: & 80. 12. *usque ad flumen propagines ejus*: & Ex. 23. 31. *à deserto usque ad fluvium.* & Mich. 7. 12. *A civitatibus munitis usque ad flumen.* Ubi glossa Nicolai *id est usque ad Jordanem.* Nam ita etiam vocatur Jordanis, ut Psal. 66. 6. *flumen transierunt pede.* Sed ibi potius Euphratem designat, quem Ebræi פרת appellant. Qua voce hic usi sunt Jonathan & Onk. interpretes Chaldæi. ¶ *Et posuit faciem suam versus montem Galaad*] in fonte est ad verbum, *& posuit faciem suam montem Galaad.* Sensus autem ut si diceret, contendit versus montem illum: quod Senes dixerunt ὥρμησεν εἰς τὸ ὄρος. Hiero. *pergebat contra montem.* Leo Judæ, *direxit faciem suam versus montem.* Trem. *obversa facie contendit ad montem.* Gallica editio, & *tira vers la montagne.* Onk. *posuit vultum suum ad montem.* Jonathan, *posuit vultum suum ad ascendendum sive ut ascenderet in montem.* Mercerus, *convertit faciem ad montem eoque tetendit.* Obvia hæc locutio Ier. 43. *qui posuerunt vultum suum ad proficiscendum in Ægyptum.* Vulgo ibi explicant; obfirmarunt proficisci. Non damno. ¶ *Galaad*] Critici Ebræorum legunt Gilead i. גִּלְעָד & est figura, quam prolepsin vocant Græci. Latini anticipationem dicunt. Nam mons ille post demum ita appellatus fuit. Caussa nominis mox exponetur.

22. *Nunciatum autem fuit Labani die tertio, quod fugisset Jacob.*

23. *Qui accepit fratres suos secum & insecutus est eum itinere septem dierum, & assecutus est eum in monte Galaad.*

Die tertio] Nam itinere tridui aberat ab eo loco, unde Iacob discessit. ¶ *Quod fugisset*] Onk. ארי אזל quod abiisset. Scribo autem אֲזַל non אזיל. Nam est ברח in Ebræo. אזל potius respondet הלך. ערק Forte Onkelos, olim ita legit. ¶ *Accepit fratres &c.*] vel potius, *assumtis fratribus suis secum insecutus est eum.* Verbum pro verbo, *post eum.* Nam in fonte אחריו. Sic verbum רדף sæpe construitur, ut Gen. 35. 5. & 44. 4. Exod. 14. 4. & 8. & alibi passim. ¶ *Fratres suos*] Ionathan ית קריבוי propinquos suos. Trem. *cognatos suos.* Nicolaus, *qui erant de cognatione sua propinqua.* August. in primo locutionum, *Fratres appellantur unius cognationis, etiamsi gradu sanguinis differant.* Sic fratres Iesu in Euangelio. ¶ *Itinere septem dierum*] dies isti computandi sunt à discessu Labanis, non Iacobi, qui tunc tredecim dies in itinere consumpserat, ut R. Levi conjectat. ¶ *Assecutus est eum*] וידבק אתו interpretatus sum *& assecutus est eum* i. ואדביק אתו sententia id mirabiliter comprobante. Lxx. κατέλαβεν αὐτόν. Hiero. *comprehendit eum.* Alius, *apprehendit eum.* Ionathan וערע יתיה & occurrit ei. Infra vers. 25. ubi codex Ebræus habet וישג & assecu-

assecutus est, Onk. & Ionathan ediderunt Chaldaice דבקוה. Quomodo & Onk. hoc in loco.

24. *Et venit Deus ad Labanem Syrum in somnio noctis, & dixit ei, Cave tibi ne loquaris cum Jacobo à bono ad malum.*

Venit Deus] Abenezra, *jam antea venerat*, videlicet priusquam Iacobum assecutus fuisset. Santes & Leo Iudæ hoc secuti sunt. ❡ *In somnio noctis*] i. nocturno. Aliter, *in somnio nocte*. Hoc Lxx. transtulerunt, καθ' ὕπνον τὴν νύκτα, per somnium nocte: illud Onk. & Ionathan בחלמא דליליא. Ebræa verba בחלום הלילה ad utrumque ambigua sunt. ❡ *A bono ad malum*] i. quicquam. Proverbiale. *Neque bonum neque malum*, nihil quicquam: ut, *neque primus neque ultimus*, nemo: *neque ad dexteram neque ad sinistram*, in nullam partem. Vide sis Proverbia mea.

25. *Assecutusque est Laban Iacobum: Iacob autem fixerat tabernaculum suum in monte, & Laban fixit cum fratribus suis in monte Galaad.*

Assecutusque est] Hic est ישג in Ebræo, quod proprie sig. assequi, quamvis Lxx. reddant, κατέλαβεν, comprehendit. Supra erat וידבק quod magis valet, fecit ut adhæreret i. vicinus aut proximus esset. Nescio an discrimen sit. Hoc scio, interpretes confundere. Nam & Chaldæi legunt hoc in loco ואדביקיה. ❡ *Fixerat tabernaculum suum*] תקע את אהלו. Lxx. ἔπηξε τὴν σκηνὴν αὐτοῦ. Hiero. *extenderat tentorium suum*. Malim, *tetenderat*. Sic etiam reddes Chaldaicum פרס quod in Onkelo & Jonatha. ❡ *In monte*] בהר ἐν τῷ ὄρει cum articulo. Sunt qui referant, *in eo monte*, nempe cujus ante facta mentio. ❡ *Fixit cum fratribus suis*] תקע את אחיו *fixit cum fratribus suis*, & subintell. *tabernaculum suum*, quod ex præcedentibus ἀπὸ κοινοῦ repeti potest. Sic *tendere* dixit Virgilius pro *tendere tabernaculum* in illo, *ferus hic tendebat Achilles*. Lxx. ἔστησε τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, statuit fratres suos. Nova plane interpretatio ex ambiguo particulæ את. *Fixit* i. statuit. Cave spernas. Nam & Onk. habet ושרי ית אחוהי & collocavit fratres suos. Nec aliter Jonathan. ❡ *Cum fratribus suis*] Trem. *cum cognatis suis*. ❡ *In monte Galaad*] Hiero. *in eodem monte Galaad*. Aperte significat Jacobum etiam in monte Galaad tetendisse: quod omni controversia caret.

26. *Dixitque Laban Jacobo, Quid fecisti? furatus es cor meum & duxisti filias meas tanquam captivas gladio.*

Furatus es] ותגנב. Hic Vau otium agit. Aut verte, *quod furatus sis & abduxeris*. Hiero. *ut clam me abigeres filias meas*. Pro *abigeres* est cur malim, *abduceres*. Cetera placent. *Furatus es cor meum*. Onk. vertit, *celasti me*, vel si placet, *occultasti à me*. ❡ *Tanquam captivas gladio*] כשביות חרב. Lxx. ὡς αἰχμαλώτιδας μαχαίρᾳ. Nos diceremus, *tanquam bello captas*. Sic legimus Gen. 27. 60. *gladio tuo vives*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Huc refer ex Gen. 48. 22. *gladio meo & arcu meo*. Consule etiam Proverbia mea. R. Sal. כל חיל הבא להלחם קרוי חרב *omnis exercitus qui venit ad bellum faciendum vocatur Gladius*. ❡ *Duxisti*] abduxisti, ἀπήγαγες.

27. *Quare clam fugisti & furatus es me, nec indicasti mihi? & dimisissem te cum gaudio & cum canticis & cum tympano & cum cithara.*

Quare clam fugisti] למה נחבאת לברח cur occultasti te fugiendo, vel quare latuisti fugiendo? Nos diceremus, cur ita latenter fugisti? Lxx. ἵνα τί κρυφῇ ἀπέδρας; quare clam aufugisti? Onk. & Jonathan, *Quare clam sive occulte abiisti?* Chaldaice למה אטמרתא למיזל. ❡ *Furatus es me*] idem cum illo, *furatus es cor meum*. Sic Onk. Jonathan, Alii. Aut *furatus es me* i. res meas. Sane Rachel furata erat Deos ipsius. Simile in Latio, *quem assidue exedeat*, quod exponunt, cujus bona & facultates exedent. Lxx. καὶ ἐκλοποφόρησάς με, & furtim expilasti me. ❡ *Et dimisissem te*] alioqui dimisissem te, nempe si indicasses mihi. ❡ *Cum gaudio*] μετ' εὐφροσύνης. ❡ *Cum canticis*] בשירים. Lxx. μετὰ μουσικῶν. Interpres Romanus, *cum Musicis*. Τὰ μουσικὰ, musici moduli, musica. Hinc lucem accipit proverbium, μουσικὰ ἐν πένθει, musica in luctu. Sic alibi legimus, *Musica in vinoso convivio* i. cantica sive cantiones. Nam Græce τὰ μουσικὰ, nisi fallor. Onk. & Jonathan בתושבחן cum laudibus. Fagius reddit, *cum cantilenis*. ❡ *Cum tympano*] vel, *cum tympanis*. Sic Hiero. Græci quoque καὶ τυμπάνων, & Chaldæi בתופין cum tympanis. Nam enallage numeri frequens in his libris. Ebraice tympanum תף dicitur, unde Græcum τύμπανον, inserto N. per epenthesin, eademque in M. versa, ut fit in talibus. Appellatio à sono, quem edit. ❡ *Cum cithara*] vel, *cum citharis*, ut est in editione nostra, quæ à vulgo nomen accipit. Vulgatam enim vocant, cujus autor creditur fuisse Hiero. Lxx. κιθάρας. Onkelos בכנרין cum choreis. Quanquam in Fagii, *cum citharis*. Jonathan, בכנרין cum citharis, vel si mavis, cum cinyris. Nam Græcum κινύρα proprius accedit ad Ebræum כנור.

28. *Non dimisisti me osculari filios meos & filias meas: nunc sane stulte egisti.*

29. *Est in potestate manus meæ facere vobis malum, sed Deus patris vestri hesterna nocte dixit mihi, Cave tibi ne loquaris cum Iacob à bono ad malum.*

Non dimisisti me] non sivisti aut permisisti. Hiero. *non es passus*. Onk. לא שבקתני non dimisisti me, quod apud Euangelistas σαβαχθανί legitur & ibi sig. dereliquisti me. Jonathan לא אמתנתני non expectasti me. Lxx. οὐκ ἠξιώθην, non sum habitus dignus. ❡ *Osculari filios meos*] vel, *ut oscularer filios meos*, & est sensus, ut valedicerem eis. Nam id osculo fiebat. Sic accipies 1 Reg. 19. 20. *osculer nunc patrem meum & matrem meam*: & Ruth. 1. 14. *& osculata est Orpha socrum suam* i. osculo dato valedixit ei. Osculi usus etiam in congressu. Exod. 4. 27. *occurrit ei in monte & osculatus est eum.* ❡ *Filios meos*] nepotes meos ex filiabus, filios filiarum mearum. Quod Jonathan dixit לבני ברתי. ❡ *Stulte egisti*] הסכלת עשו stultus aut imprudens fuisti agendo i. stulte aut imprudenter egisti. Græce ἀφρόνως ἔπραξας. ❡ *Est in potestate manus meæ*] יש לאל ידי, est in potestate manus meæ. אל potestas, &c. Hiero. *valet manus mea*. Onk. אית חילא בידי est potestas in manu mea. Jonathan, אית ספיקא בידי est sufficientia in manu mea. ❡ *Facere vobis malum*] vel, *ut faciam vobis male*. Lxx. κακοποιῆσαί σε: ex quo Hiero. *reddere tibi malum*. Sed in Ebræo, עמכם & in edit. Chald. עמכון. ❡ *Deus patris vestri*] Lxx. ὁ Θεὸς τοῦ πατρός σου. Unde varietas in libris Latinis. Nam in aliis, *Deus patris tui*, & in aliis, *Deus patris vestri*. Chaldæi nihil variant ab Ebræo. ❡ *Hesterna nocte*] אמש superiore nocte vel præterita nocte. Onk. & Jonath. ברמשא vespere sive vesperi. i. ἑσπέρας. Lxx. χθὲς. Hiero. *heri*. Sic etiam Leo Judæ & Munsterus. R. David in libro Radicum, *Nox quæ præterit appellatur* אמש. Vide notata Gen. 19. 34. ❡ *A bono ad malum*] quidam explicant, *neque blanditiis neque minis cum eo ages ut maneat*. Nos aliter explicavimus. Nec adhuc muto sententiam.

30. *Et nunc eundo iveris quia desiderando desiderabas domum patris tui, cur furatus es Deos meos?*

Et nunc] ועתה. Lxx. νῦν οὖν. Hiero. *esto*. Tremell. *nunc esto*. Gallica editio, *or bien*. ❡ *Eundo iveris*] vel, *eundo ivisti*, & (*si*) subintelligitur, ut dicat, *si eundo ivisti*: quod explicant, si omnino ivisti, aut si tam propere ivisti. *Si* hoc modo desideratur Malach. 1. *Ipsi ædificabunt & ego destruam*: item in versu illo, *Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit*. Nam sensus est, *si ædificaverint*, *si jusseris*. Pro *iveris*, licet etiam vertere, *abieris*. Lxx. πεπόρευσαι. Hier. *ad tuos ire cupiebas*. ❡ *Desiderando desiderabas*] tantopere desiderabas. ❡ *Desiderabas domum patris tui*] Trem. *desiderio tenebaris eundi in domum patris tui*. Ut ita verteret duas causas habuit. Una est, quia נכספתה verbum est vocis passivæ, quam Niphal vocant: altera, quia sequitur littera Lamed, qua motum ad locum significare solent. Ad hæc respondeo breviter, נכסף in voce passiva habere significationem activam, ut si quis diceret, *desideratum est* pro desideravit: quod firmatur autoritate interpretum tam Græcorum quam Chaldæorum, tum etiam Hiero. vertentis, *desiderio erat tibi domus patris tui*. Nam desiderio est mihi & desidero synonyma sunt: puto etiam *desiderio teneor*. Itaque Ps. 84. 3. נכספה. Lxx. ἐπιποθεῖ. Hiero. *desiderat*. Santes, *concupivit*. Quod Lamed attinet magis juvaret Tremellium, si verbum כסף cum hac particula non construeretur Job. 14. 15. & Psal. 17. 12. Ea caussa est cur prætulerim, *desiderabas domum patris tui*. Quanquam in Lxx. ἐπιθυμίᾳ γὰρ ἐπεθύμησας ἀπελθεῖν εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός σου: desiderasti abire in domum patris tui. Hic notabis patiendi verbum agendi significatione. Qualia sunt apud antiquos, *juratus est* pro juravit &c. Vide supra. ❡ *Deos meos*] Onk. *timorem meum* i. Deum meum, ut *timor Isahaci*. Nam אלהים tam Deum significat quam Deos. Sic אדנים κύριος & κύριοι אדנים Dominus & Domini. Jonathan, *simulachra idolorum meorum.*

31. *Respondit Jacob & dixit Labani, Quia timui, nam dixi, Ne vi raperes filias tuas à me.*

32. *Apud quem inveneris Deos tuos, non vivat, coram fratribus nostris cognosce quid apud me sit & accipe tibi: Non enim sciebat Jacob quod Rachel furata esset eos.*

Quia timui] Duo erant præcipua expostulationis capita. Ad prius respondet hoc versu: ad posterius autem sequenti. Ideo, inquit, *furatus sum cor tuum*, hoc est clam abii, quia timebam te: & ideo *abduxi filias tuas*, quia dicebam, ne vi raperes &c. ❡ *Nam dixi*] vel dixi familiæ meæ, vel *dixi in corde meo* i. cogitavi apud me, Videndum mihi est *ne vi raperes*

res &c. vel *timui ne vi raperes, id quod etiam uxoribus meis dixi.* ¶ *Ne vi raperes*] פן תגזל. Lxx. μήποτε ἀφέλῃς, nequando auferres. Hiero. *ne violenter auferres.* Onk. & Jon. דלמא תנוס *ne per vim abriperes.* Gallica editio, *que d'aventure tu ne ravisses*, ne forte raperes. ¶ *Filias tuas*] Addunt Lxx. καὶ πάντα τὰ ἐμά, & omnia mea. ¶ *Non vivat*] לא יחיה οὐ ζήσεται. Idem cum illo, *moriatur.* Jonathan, *moriatur in non tempore suo* i. ante tempus suum. Nos diceremus, *morte immatura.* Lxx. hæc sequentibus conjungunt, οὐ ζήσεται ἐναντίον ἀδελφῶν ἡμῶν. Sic etiam Hiero. *Necetur coram fratribus nostris.* Hic respondet ad alterum caput expostulationis de furto. Quod interpres noster clare docet, referens, *Quod autem me furti arguis, apud quemcunque inveneris Deos tuos, &c.* ¶ *Coram fratribus nostris*] i. cognatis nostris. Ebræi filios etiam comprehendunt. Hiero. in gloss. Ordinar. Gen. 25. 18. „Verius est quod posuimus, coram omnibus fratribus suis occubuit i. in manibus filiorum suorum mortuus est, superstitibus adhuc liberis. Fratres enim filii appellantur. Unde Jacob, Ponatur coram fratribus meis & fratribus tuis & dijudicent inter nos. Non enim credendum est quod Jacob exceptis liberis suis aliquos fratres secum habuerit. Hucusque Hiero. cui forte tunc exciderat fratres dici etiam propinquos & consanguineos. Ut ne dicam fratres uxorum & ipsius quoque fratres fuisse. ¶ *Cognosce quid apud me sit*] nempe de tuo vel tuorum i. τῶν σῶν, ut habent Hiero. & Lxx. Pro cognosce sive recognosce, Ebraice est הכר לך *cognosce tibi.* Sed pronomen in Latino sermone redundat. Lxx. ἐπίγνωθι. Hiero. *scrutare.* חפר לך. ¶ *Quid apud me*] vel, si quid apud me. ¶ *Accipe tibi*] Alius, *cape tibi* : Alius, *recipe tibi* : Alius, *aufer tibi.* Ceterum pronomen *tibi*, quod legitur in Ebræo & apud interpretes Chaldæos, omissum est à Lxx. & Hiero. absque damno Sententiæ, licet non plane otiosum sit aut superfluum. ¶ *Furata esset*] Onk. *abstulisset.*

33. *Et ingressus Laban tabernaculum Jacobi & in tabernaculum Liæ, & tabernaculum ambarum ancillarum non invenit : & exivit è tabernaculo Liæ & venit in tabernaculum Rachelis.*

34. *Rachel autem acceperat idola & posuerat ea in stramento cameli, & sedebat super ea : & contrectavit Laban totum tabernaculum & non invenit.*

35. *Dixitque patri suo, Ne succenseat Dominus meus, quod non possim assurgere tibi : quia consuetudo mulierum mihi est : & scrutatus est & non invenit idola.*

Ancillarum] Onk. & Jonath. לחינתא i. concubinarum אמהת. Lxx. εἰς τὸν οἶκον. Nam pro domo κατασκηνώσεις ponitur 2 Sam. 18. Hic aliter accipiendum. ¶ *In stramento cameli*] בכר הגמל in stramento cameli i. camelorum : vel, si mavis, *in clitellis cameli*, ut כרים sunt clitellæ i. σάγματα. Quanquam in editione Græca εἰς τὰ σάγματα τῆς καμήλου, interpres convertit, *in stramento cameli.* De Romano loquor interprete. Nam alios non consului. In libro nominum, *Bechor, in sagmate* i. בכר. Vulgo *basto* i. בשט Gall. *bast*, בשט legitur in Comment. R. Salomo. & est Ital. *basto.* Cave putes omnia Gallica esse quæ in eo Rabbino. Gallus erat fateor, sed tamen utitur interdum vocibus aliis. Quæ de כר diximus, dici possunt etiam de עביטא, quod in Onk. & Jonatha. Interpres Fagius reddit בעביטא sub clitella. Malim sub clitellis. Nam singularem non habet. In Irubin (tractatus est ejus nominis in Thalmud) עביטין clitellæ, & עביטי הגמלין vernacule *basto.* In lingua Magistrorum מרדעת exponitur ab aliis *stramentum*, ab aliis *clitella.* Inter eos qui *stramentum* exponunt est Mercerus. Quis & quantus vir? Quod etiam Hiero. fecit hoc in loco, referens, *subter stramenta cameli.* Hunc igitur secuti sumus. Leo Judæ, *sub stratum cameli.* Santes & Munsterus, *in stratorio cameli.* Editio Gallica, *au bast d'un chameau*, in clitellis uniusalicujus cameli. ¶ *Contrectavit*] nos diceremus, excussit. i. singula diligenter perscrutatus & rimatus est. Gallice *fouilla.* ¶ *Totum tabernaculum*] excepto loco, ubi Rachel sedebat. Abenezra censet eam tunc extra tabernaculum fuisse. Si recte, tum nihil excipietur. ¶ *Dixitque*] Rachel videlicet. ¶ *Ne succenseat Dominus meus*] אל יחר בעיני אדני ne ira sit in oculis Domini mei. יחר proprie excanduit, incanduit, ira exarsit. Ideo verti posset, *Ne incandescat Dominus meus.* Trem. *ne displiceat in oculis Domini mei.* אל ירע. Sic idem vertit Gen. 45. 5. & 1 Sam. 15. 11. Lxx. μὴ βαρέως φέρε κύριε : ne graviter fer Domine. Hiero. *ne irascatur Dominus meus.* Leo Judæ, *ne iram moveat in oculis Domini mei* i. ne succenseas. Munsterus, *ne displiceat in oculis Domini mei.* Onk. & Jon. לא יתקיף בעיני רבוני ne succenseat Dominus meus. Fagius, *ne displiceat in oculis Domini mei.* ¶ *Assurgere tibi*] è verbo est, *surgere à facie tua.* Jonathan, *quod fieri non possit ut surgam à conspectu tuo.* ¶ *Consuetudo mulierum mihi est*] דרך נשים לי via fœminarum mihi i. consuetudo. Vult dicere, quod fœminis unoquoque mense accidere solet. Sunt autem menses sive menstrua. Vis ergo in hoc sermone, ut si diceret, *sum in menstruis.* Ita Columella loquitur Lib. 11. cap. 3. *Ejusdem frutex pluribus annis permanet innoxius : nisi si mulier quæ in menstruis est, contigerit eum, & ob hoc exaruerit.* Lxx. κατ' ἐθισμὸν τῶν γυναικῶν μοί ἐστιν. Hiero. *Juxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Quidam explicant, *patior id quod fœminæ solent, mensibus laboro.* Dicimus etiam, *profluvium mensium* & *profluvium mulierum*, & Gen. 18. legitur hoc sensu ארח כנשים, ut in editionibus Chaldaicis hoc loco, ארח נשין. Sed & nomine ארח absolute utuntur ad idem significandum. ¶ *Scrutatus*] perscrutatus, rimatus.

36. *Tunc incanduit Jacobo & contendit cum Labane, respondit que Iacob & dixit, Quodnam scelus meum, quodnam peccatum meum quod ita exarsisti post me?*

37. *Quod contrectaveris omnia vasa mea, quid invenisti ex omnibus vasis domus tuæ? pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & arguant inter nos duos.*

Incanduit Iacobo] sub. ira i. אף. Quod expressum Jud. 2. 15. Nos diceremus, *tunc excanduit Iacob.* Lxx. ὠργίσθη δέ, iratus autem. Hiero. *tumensque.* Trem. *tunc accensa est ira Iacobi.* Ira Chaldaice רוגזא dicitur. Id nunc habetur in editione Jonathæ. Gen. 4. 6. למה חרה לך. Aquila εἰς τί ὀργίλον σοι; *ad quid iracundia tibi?* Verba Jonathæ ותקיף רוגזא דיעקב quæ sic non male reddes, *& iratus fuit iracundia Iacob.* Plautus *non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia.* ¶ *Contendit*] Iurgatus [illegible], ἐμαχέσατο, litigavit. Et contendit verbis, quæ μαχὴ διὰ λόγων dicitur i. jurgium. Lex. vet. μαχὴ ἡ διὰ λόγων, litigavi jurgium : μαχὴ, ἡ διὰ χειρῶν, rixa. Si hoc ita est, male vertunt, qui vertunt, *rixatus est.* Est & μάχη ἡ ἐν πολέμῳ i. prælium, pugna. Idem Lexicon, μάχομαι, jurgo. Id mihi præ cæteris placet. Lege igitur, *tunc jurgavit cum Labane.* ¶ *Scelus meum & peccatum meum*] פשעי חטאתי. Lxx. τὸ ἀδίκημά μου, τὸ ἁμάρτημά μου : injuste factum meum & peccatum meum. Hiero. *culpam meam & peccatum meum.* פשע culpa, crimen. Sic accipitur in illo, *Ubi multa verba, ibi non abest* פשע culpa, crimen. Nam scelus abesse potest. Onk. מה חובי וחטאתי. Sic etiam Jonathan, nisi quod pro חובי ediderit עבירתי i. debitum meum. Si voces transponas, melius quadrabit cum Ebræo. Nam & alibi פשע reddunt סורחן, in quo sig. fœtoris. חוב autem sive חובא pro ὀφείλημα i. debitum, sed pro peccato passim usurpatur, ut in precatione Dominica ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, alius habet τὰ ἁμαρτήματα ἡμῶν. Santes, Leo Judæ, Tremellius, *prævaricatio mea & peccatum meum.* Munsterus, *iniquitas mea & peccatum meum.* Malim, *crimen meum & peccatum meum.* ¶ *Quod ita exarsisti post me*] sic ad verbum interpretatus sum, Hiero. secutus, quod in fonte כי דלקת אחרי. Est autem sensus, quod tam ardenter insecutus es me. דלק ardeo i. ardenter insto aut persequor. Sic Virg. *instant ardentes Tyrii.* i. דולקים : &, *ardet in arma magis.* Servius enarrat, *ardentes* i. multum festinantes. Jonathan quoque hic transfert, *quod festinasti venire post me.* Lxx. ὅτι κατεδίωξας ὀπίσω μου. Onk. ארי רדפתא בתרי quod ita persecutus es me. Leo Judæ, *quod sic inardescens me insequeris?* Trem. *quod insectatus es me?* ¶ *Contrectaveris*] excusseris, scrutatus fueris. ¶ *Vasa mea*] supellectilia mea. Vasorum nomine supellex intelligitur. Livius, *vasa comitesque meos.* Quod notatum à Turnebo. Lxx. τὰ σκεύη τοῦ οἴκου μου, *vasa domus meæ.* Lexicon vetus, *supellex*, σκεῦος. Quidam *utensilia mea.* Hiero. *omnem supellectilem meam.* Sic etiam Leo Judæ. Editio Gallica, *tout mon menage.* ¶ *Quid invenisti*] si quid invenisti. Trem. *quod invenisti.* *Ex omnibus vasis domus meæ*] ἀπὸ πάντων τῶν σκευῶν τοῦ οἴκου σου; Hiero. *de tota substantia domus tuæ.* מכל כלי ביתך. ¶ *Pone*] *vasa illa.* Jonathan דינך caussam tuam. minus probo. ¶ *Hic*] ὧδε. Ebraice כה. Chaldaice הכא, quod male reddunt, *huc.* Fagius & Munsterus hinc emendandi sunt. Nam non dicimus Latine *pone huc.* Quod autem in Leone Judæ, *profer huc*, Ebraice diceretur הוצא כה. ¶ *Fratribus*] cognatis. Hunc locum adducit Hiero. ad probandum fratres dici pro filiis. *Fratres*, inquit, *filii appellantur : unde Jacob, Ponatur coram fratribus meis & fratribus tuis & dijudicent inter nos. Non enim credendum est quod Jacob exceptis liberis aliquos fratres secum habuerit.* Hujus & supra memini. Potest fieri ut fratrum nomine etiam filios comprehendat. Solos autem filios intelligi, non fit mihi verisimile. Nicolaus ad hunc locum, *Coram fratribus meis & tuis. i. coram filiis meis & tuis & illis qui sunt de cognatione nostra.* Rursum Hiero. *Mos Scripturæ filios vel fratres cognatos appellare. Unde in sequentibus, Dixitque Jacob fratribus*

bus suis, Afferte lapides. In Evangelio quoque filii Mariæ materteræ Domini fratres ejus vocantur. ¶ *Arguant*] ויוכיחו. Lxx. ἐλεγξάτωσαν arguant sive redarguant. Hier. *judicent*. Alibi habet *dijudicent*. Vide quæ supra ex eo produximus. Ionathan, וידינון קשוט *& judicent veritatem* i. judicium verum. Hoc Ebraice proprie diceretur וישפטו. Ceterum הוכיח pro judicare sumi videtur & in illo Michææ, *Oderunt in porta redarguentem* i. judicem, magistratum, qui dum jus diceret, simul arguebat sontes. Onk. ויוכחון. Fagius, *& judicent*. Leo Iudæ, *disceptent*. Munsterus, *judicent*. Trem. *dijudicent*. Santes, *declarent*. R. Salomo, ויבררו עם מי הדין *declarent quis justam caussam habeat*, sive *penes quem sit justa causa*. ויוכיחו בלעז i. *esprouver* vernacule. Arguere pro judicare sumi videtur, & Ios. 2. 3. item. 11. 4. Disceptare etiam significat, quod est partium in judicio: unde ויכוח disceptatio, disputatio, & חכמת הויכוח ars disputandi, dialectica. ¶ *Inter nos duos*] inter nos ambos, inter utrumque nostrum.

38. *His viginti annis ego sum tecum, oves tuæ & capræ tuæ non abortierunt, & arietes ovium tuarum non comedi.*

Ego sum tecum] אנכי עמך ego tecum, & subintelligitur *sum* vel *fui*. Quod ultimum extat in Hiero. prius Lxx. dixerunt, ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ. Jonathan, *ego sum apud te*. ¶ *Oves tuæ*] רחליך τὰ πρόβατά σου. Proprie *oves fœminæ* i. נבשרה. Sic R. David explicat in libro Radicum. Hinc Rachel appellata. Vide Mercerum. ¶ *Non abortierunt*] לא שכלו *non abortiverunt, non abortarunt*. Hoc est, non excluserunt fœtum immaturum, non ediderunt partum ante tempus, quod & facere abortum dicunt. Sic interpretatur Job. 21. 10. לא תשכל non abortiet. Lxx. οὐκ ἠτεκνώθησαν quod reddunt, *non fuerunt steriles*. Quomodo & Hiero. vertit ex Hebræo. Sterilis proprie עקרה dicitur, a qua distinguitur שכלה i. ἠτεκνωμένη. Nam ἀτεκνόω prole orbo. Hinc emendabis Biblia Græca 2. Sam. 17. 8. Nam ubi vulgo ἄρκτος ἡ τεκνωμένη, legendum plane ἠτεκνωμένη. i. orba. Sane interpretes illi ἐρφανίαν confundunt cum ἀτεκνίαν, ut videre est Ier. 47. 8. & 9. ¶ *Arietes ovium tuarum*] Hinc eliciunt arietes dici etiam agnos unius anni. Vide quæ ad hunc locum annotarunt R. Salomo & Mercerus. ¶ *Arietes*] Jonathan, *mercedem arietum*. Quid in mente habuit cum ita verteret? Nam merces non comeditur. An *non comedi* i. non consumpsi? Editio Gallica, *les moutons de les troupeaux*. i. verveces gregum tuorum. ¶ *Ovium tuarum*] Hiero. *greges tui*. Sic etiam Tremellius.

39. *Raptum non retuli ad te, ego luebam illud, è manu mea requirebas illud, furto ablatum interdiu, furto ablatum noctu.*

Raptum] raptum à feris & postea ereptum illis. Nam raptum, nisi eripiatur, referri non potest ad dominum. Ideo credo alii maluerunt, *discerptum*, quod Onkel. dixit תבירא, fractum, distractum, dilaceratum. Lxx. θηριάλωτον, & Hiero. *à bestia captum*. Ionathan, דתביר מן חיות ברא discerptum à fera agri. Autor Ierosolymit. קטולה occisum, interemtum. Ebraice טרפה à טרף rapio, discerpo, lacero. ¶ *Non retuli*] non adduxi. ¶ *Ego luebam illud*] אנכי אחטנה ego expiabam illud i. luebam & damnum præstabam. Thema est חטא pecco, quod in Piel significat peccata expio, ut Psal. 51. & damnum rependo, ut hic. Dictum autem אחטנה ac si esset à חטה ultima He. Nam ordines ita confundi solent. Sic נמצא repertus à מצא reperio. Lxx. hic habent, ἐγὼ ἀπετίννυον, ego rependebam, ego solvebam. Hiero. *ego damnum omne reddebam*. Onk. *Quum aberraret à numero e manu mea tu requirebas illud*. Autor Ierosolymit. *si quæ profugiebat è numero, ego reddebam*. חטא erro, aberro, ut cum aliquis à scopo aberrat. החטיא errare facio. Ergo אחטנה errare, *errare faciebam illud*, & est sensus, si contingeret ut mea culpa aliqua pecudum aberraret. Quale illud, *Ipsi ædificabunt & ego destruam*: quod paullo ante exposuimus, si ædificaverint. Ionathan, *si ego peccans eram in eam, è manu mea requirebas illam*. אחטנה pro בה אחטא. Inepta interpretatio. ¶ *Furto ablatum &c.*] Alii, *furtum diei & furtum noctis*. Sed furtum proprie גנבה dicitur. Hic est גנבתי quod magis furtivum significat. i. furto ablatum: unde מים גנובים aquæ furtivæ. Lxx. habent κλέμματα ἡμέρας καὶ κλέμματα νυκτός: furta diei & furta noctis. Ebraice, גנבתי יום וגנבתי לילה ubi Ioth parogogicum, quod non impedit constructionem. Sic רבתי עם multa populo, populosa. Onk. *custodivi interdiu & custodivi noctu*. Chaldaica sunt נטרית ביממא ונטרית בליליא. Quid vidit, cum ita verteret? Ionathan, *id quod furto ablatum erat interdiu ab hominibus meum erat reddere: & quod furto ablatum erat noctu à feris agrestibus, meum erat reddere*. Thargum Ierosoly. *Quod fures furabantur interdiu, & fera agrestis devorabat noctu, ego reddebam illud.*

40. *Fui, interdiu absumpsit me æstus, & gelu noctu: & fugit somnus meus ab oculis meis.*

Fui] fui hoc statu: vel *fui cum interdiu absumeret me &c.* Jonathan, *fui interdiu in agro*. Ceteri fere interpretes omittunt. Excipio Lxx. qui verterunt, ἐγενόμην τῆς ἡμέρας συγκαιόμενος τῷ καύματι. ¶ *Absumpsit me*] vel, *consumebat me*. Ebraice אכלני. Nota verbum אכל dici de æstu & gelu. Hiero. post Lxx. usus est urendi verbo, *Die*, inquit, *noctuque æstu urebar & gelu*. Quanquam in nonnullis codicibus, *urgebar*. Vera lectio est *urebar*, nempe ex Græco συγκαιόμενος: quam etiam agnoscit Glossa Ordinaria, quæ ad hunc locum annotat, *Unus est effectus caloris & frigoris*. Sane ut æstus urit, ita etiam frigus urere dicitur. Adhibe Observationes meas. Verbo אכל usi sunt Onkel. & Jonathan. Id proprie sig. comedere, per catachresin vero consumere. ¶ *Æstus*] καῦμα. Ebraice חרב. Chaldaice שרבא, quod in Onk. scriptum שָׁרְבָא, & in Jonatha שַׁרְבָא. ¶ *Gelu*] קרח gelu vel glacies. i. glaciale frigus. Græce πάγετος, quo vocabulo hic usi sunt οἱ ό. Onkelos habet גלידא gelu. Jonathan. קְרוּשָׁא. Elias ex Ierosolymit. Thargum citat קְרִישָׁא. Cum autem hoc in loco deficiat editio illa, eo inclino, ut credam Thargum Ionathæ nihil aliud esse quam id quod Ierosolymitanum dicitur. Iob. 37. 10. קרח Hiero. *gelu*. Sym. πάγος i. glacies vel gelu. Psal. 147. 17. קרחו. Lxx. κρύσταλλον αὐτοῦ. Hiero. *glaciem suam*. Trem. *gelu suum*. Gallica, *sa glace*. Hic habet *la gelee*. Santes autem *gelu*, & Arias, *glacies*. ¶ *Fugit somnus meus ab oculis meis*] ut Esth. 6. 1. *fugit somnus regis*. Pro *fugit*, quidam habent *recessit*. Lxx. ἀφίστατο, abscessit. Hiero. *fugiebatque somnus ab oculis meis*. Ionathan, ואתפרדת שנתא מני & separatus fuit somnus à me.

41. *His ego viginti annis domi tuæ servivi tibi, quatuordecim annis pro duobus filiabus tuis & sex annos pro ovibus tuis & immutasti mercedem meam decem vicibus.*

His ego viginti annis servivi tibi] vel, *Hi mihi sunt viginti anni, quibus servivi tibi*, ut sit זה pro אלה. Sane ambo Chaldæi ediderunt דין quod est plurale à דין hic, iste. Lxx. ταῦτά μοι εἴκοσι ἔτη ἐγώ εἰμι ἐν τῇ οἰκίᾳ σου. ἐδούλευσά σοι &c. Hi sunt mihi viginti anni, quibus fui domi tuæ: servivi tibi &c. Hiero. *Sic per viginti annos in domo tua servivi tibi*. Leo Iudæ, *Viginti istis annis servivi tibi in domo tua*. Trem. *Hic mihi est vigesimus annus domi tuæ*. Sic etiam Mercerus. Sed hoc, meo judicio, Ebraice diceretur ואת לי שנת עשרים וגו'. Adhæc vigesimus annus esse potest, quo aliquis servierit, licet non integros viginti annos servierit. Atqui Iacob vigesimum annum servitutis, ni fallor, absolverat. ¶ *Viginti annis*] hic quidam distinctionem ponunt, quod non improbo, ut illud, *servivi tibi*, ad sequentia referatur, & in hoc membro subintelligatur, *fui* aut *sum*, ut supra vers. 18. *His viginti annis ego tecum sum*. Probo etiam eos qui legunt, *Hos 20 annos*, in quarto casu, ut mox 14 *annos*, & *sex annos*. Nam continue servierat Labani per annos viginti. ¶ *Pro duabus filiabus tuis*] Ionathan, *propter duas filias tuas*. Lxx. ἀντὶ τῶν δύο θυγατέρων σου. Hoc Ebræi dicunt ad verbum, *in duabus filiabus tuis*. Sic etiam Onk. loquitur. Hinc intelliges quod mox in editione Græca ἐν τοῖς προβάτοις σου. Nam sensus est pro ovibus tuis, sive propter oves tuas. Interpres obscure reddidit, *in ovibus tuis*. ¶ *Pro ovibus tuis*] Hiero. *pro gregibus tuis*. Trem. *pro grege tuo*. Ionathan, *propter oves tuas*. Gallica, *pour les troupeaux*. ¶ *Decem vicibus*] עשרת מנים. Lxx. δέκα ἀμνάσιν, decem agnabus. Supra erat, δέκα ἀμνῶν, ubi conjeci legendum esse μνῶν, quia μνᾶ i. mina מנה dicitur, & potest fieri ut legerint מנים, sed tamen hanc meam conjecturam præsens locus plane incertam reddit, facitque ut de ea non parum dubitare incipiam.

42. *Nisi Deus patris mei Abraham & metus Isahac adfuisset mihi, certe nunc vacuum dimisisses me: afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit hesterna nocte.*

Metus Isahac] פחד יצחק ὁ φόβος Ἰσαὰκ i. Deus Isaac. Metus vocatur id quod aliquis metuit, ut ibi, *quum venerit metus vester*. Onk. & Ionat. *quem timet Isahac* i. veretur. Nam timet proprie superstitiosus. Hiero. *timor Isahac* פחד יצחק. Inter Dei epitheta est יראה timor. Sic à Rabbinis vocatur. Abenezra, *Timor Isahac, quo Deum timuit, ei profuit. Nam meritum patris prodest filio*. Timere est colere. Ergo *timor Isahac* i. cultus Isahaco. Hiscuni, *Metus Isahac, quo metuis Isahacum patrem meum, qui est dives & princeps magnus*. Minus se probat mihi. Non temere discedendum à priore sententia, præsertim cum mox vers. 53. sequatur, *& juravit Jacob per metum patris sui Isahac*, ubi aliter quam de Deo exponi neutiquam potest. In notis ad Tremellii, *Pavor Isahaci i. Deus: alludit ad pavorem illum, quo quasi fræno cohibuit Isahacum, ne collatam in Iacobum benedictionem revocaret*. Moses Gerundensis, *sunt qui dicunt hunc metum referri ad diem colligationis, & non est alienum*. ¶ *Adfuisset mihi*] היה לי adfuisset mihi, vel, *fuisset pro me:*

me: i. à patribus meis. Idem cum illo עִמָּדִי הָיָה fuisset mecum. Utrumque Chaldæi reddunt בְּסַעְדִּי הֲוָה fuisset mihi auxilio. Verbum è verbo, *fuisset in auxilio meo*. Lxx. ἦν μοι, fuisset mihi: quod capiendum ex iis quæ diximus. Nam interpretatio est. τὸ κατὰ. Hiero. *affuisset mihi*, quod secutus sum. Sic apud Davidem יְהוָה לִי *Dominus pro me est*, vel *mihi adest*. ❡ *Certe*] כִּי certe, utique, profecto, sane. כִּי עַתָּה Onk. & Ionatha, *quid nunc?* Lxx. νῦν ἄν. Potest esse particula expletiva, ut Psal. 148. 10. ubi ab interpretibus omittitur. Hieronymus, *forsitan modo*. Non est dubitantis, sed asseverantis. Trem. *haud dubie nunc*. Gal. *pour certain* i. certo, certe. ❡ *Vacuum*] κενόν, inanem. רֵיקָם videtur habere vim adverbii, *vacue dimisisses me*. Talia sunt חִנָּם gratis, אָמְנָם vere, & si quæ alia Grammatici annotarunt. Sic in libro Ruth, *vacue dimisit me*, quod alii reddunt, *vacuum*, ubi de Noomi usurpatur. Ex interpretibus Chaldæis alius habet רֵיקָם, alius רֵיקָן videlicet Onkel. In cantico Mariæ, ἐξαπέστειλε κενούς, eleganter convertes שִׁלַּח רֵיקָם dimisit vacue. i. vacuos, inanes. ❡ *Afflictionem meam*] עָנְיִי Lxx. τὴν ταπείνωσιν. Onk. עַמְלִי molestia mea. Ionathan סִגּוּפִי afflictionem sive vexationem meam. ❡ *Respexit*] רָאָה εἶδεν, vidit. On. & Ion. *patefacta est coram eo*. ❡ *Et arguit hesterna nocte*] Lxx. ἤλεγξέ σε χθές. Hiero. *& arguit te heri*. Ionathan, *propterea arguit te præterita nocte*. Trem. *cum reprehendit te hesterna nocte*. ❡ *Arguit*] coarguit, redarguit, reprehendit. R. Salo. alii, *declaravit*, *ostendit*, *comprobavit*. Moses Gerundensis. Sic Virgilius, *degeneres animos timor arguit*. i. ostendit.

43. *Respondit Laban & dixit Jacobo, Filiæ hæ filiæ meæ sunt, & filii isti filii mei sunt, & pecus istud pecus meum est, & quicquid tu vides meum est: & filiabus meis quid facerem istis hodie, aut filiis eorum quos pepererunt?*

44. *Nunc igitur veni, percutiamus fœdus ego & tu ut sit in testimonium inter me & te.*

Filiæ hæ] הַבָּנוֹת αἱ θυγατέρες. Jonathan, *filiæ, quas in uxoris locum duxisti*. ❡ *Filii mei sunt*] Jonathan, *ecce tanquam filii mei reputantur*. Respexit ad Proverbium illud, *Filii filiorum ecce sunt tanquam filii*. Nam non filii erant proprie, sed nepotes. ❡ *Pecus istud, pecus meum est*] וְהַצֹּאן צֹאנִי. Lxx. τὰ κτήνη κτήνη μου, hæc pecora pecora mea, vel si mavis, pecudes istæ pecudes meæ sunt. Hiero. *greges tui*. Alius, *greges isti greges mei sunt*. Jonathan, *oves istæ ex ovibus meis*. Nam proprie loquendo non erant ipsius oves. ❡ *Meum est*] לִי הוּא. Chaldaice דִּילִי הוּא. Magistri dicerent שֶׁלִּי הוּא. Ceterum in Jonatha est מִן דִּי לִי הוּא ex meo est. Senes hunc locum aliter distinguunt quam Ebræi. Nam sic utique legunt, καὶ πάντα ὅσα σὺ ὁρᾷς ἐμά ἐστι, καὶ τῶν θυγατέρων μου: omnia quæcunque tu vides mea sunt, & filiarum mearum. Quis hanc distinctionem improbet? maxime cum sequatur, *quid facerem istis?* ❡ *Facerem*] mali. q. d. nihil possum illis facere mali cum meæ sint. ❡ *Veni*] agedum. Hortantis est ut Gen. 11. 4. *venite, extruamus urbem*: & 7. *venite, descendamus*: & 3. *venite, faciamus lateres* & alibi passim. ❡ *Fœdus*] Lxx. & Theodotio διαθήκην. Aquila & Sym. συνθήκην. Hiero. Jer 11. *Berith Aquila & Symmachus semper pactum, Lxx. & Theodotio testamentum interpretati sunt*. ❡ *Ut sit*] *Deus benedictus*. R. Sal. *fœdus illud*. alii: quod magis probo. Ebraice וְהָיָה quæ oratio sensu congrua est non voce. Nam בְּרִית nomen fœmininum est. Debuisset ergo dicere וְהָיְתָה: Sed elegit והיה quia non tam ad fœdus pertinet quam ad signum aut pactionem fœderis. Vide Mercerum. ❡ *In testimonium*] εἰς μαρτύριον. Ebraice לְעֵד, quod reddi etiam potest, *in testem*. Sic interpretantur Onk. & Jonathan. Nam סָהִיד testis. Sane in ea lingua testimonium סהדותא dicitur. Mercerus quoque in Commentariis, *& sit in testem*: & Leo Judæ, *quod testis loco sit inter me & te*. & Munsterus, *quod sit in testem inter me & te*. Infra vers. 50. אֱלֹהִים עֵד בֵּינִי וּבֵינֶךָ *Deus testis inter me & te*. Qui locus robur addit expositioni, quam supra ex R. Salom. produximus. ❡ *Inter me & te*] inter nos ambos.

45. *Et accepit Jacob lapidem quem erexit in statuam.*

46. *Dixitque Jacob fratribus suis, Colligite lapides, qui acceperunt & fecerunt tumulum & comederunt ibi super tumulum illum.*

Accepit] sumsit, ἔλαβεν, tulit. ❡ *Lapidem*] אֶבֶן Lxx. λίθον. On. & Jon. אַבְנָא. Hiero. *lapidem*. Omnes singulari usi sunt. Quod noto, quia sunt qui putant plures lapides adhibitos fuisse. Notum autem, ut singularis pro plurali ponatur. Tremellius ad hunc locum, *Lapidem. i. lapides, enallage numeri, ut supra 28. 18. quod confirmat vers 51.* Nihil probat. Nam locus ille quem laudat ex cap. 28. æque controversus est. Ego utrumque accipiendum puto in de singulari lapide, quem Iacob in titulum sive statuam erexerit. ❡ *In statuam*] vel, *in titulum*. Præpositio desideratur in fonte, & apud Onk. & in editione τῶν ό. Legitur autem in Jonatha, & in Hieronymo. Pro, *erexit illum*, Lxx. habent, *statuit illum*. Græca sunt, ἔστησεν αὐτὸν στήλην. Quod Græce est στήλη, Hiero. & Augustinus vertunt, *titulum*, cum posset etiam verti *monumentum aut columnam*, vel si mavis, *cippum*. ❡ *Fratribus suis*] *cognatis suis, qui iidem erant cognati Labanis*. Trem. *filiis suis*. Hiero. R. Salo. *illis de cognatione sua qui venerant cum Laban*. Nicolaus, „Caussa nulla est cur non possit accipi de „famulis domesticis Jacobi, quos fratres appellat, quia ejusdem „gentis aut religionis. Nam tales etiam eo nomine afficiuntur. „Supra Carrenses pastores, quibuscum nulla cognatione attingebant, „fratres nuncupat. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ❡ *Tumulum*] vel cumulum, acervum. Utrumque גַּל sig. Sic βουνός, quo Lxx. usi. Proprie tamen *tumulus* sive *collis* גִּבְעָה dicitur: גַּל magis est acervus vel cumulus, qui Chald. dicitur יגר & אגר & גר; quarum vocum, quæ media est, reperitur in Jonatha. Prima vero extat in Onkelo. ❡ *Comederunt ibi*] more olim in fœderibus usitato: unde quidam בְּרִית dictum putant, videlicet ἀπὸ τοῦ בָּרָה comedo. Alii ab electione etymon accersunt: alii aliunde. Grammatici certant & adhuc sub judice lis est.

47. *Vocavitque eum Laban, Tumulum testimonii, & Jacob vocavit eum, Tumulum testem.*

Tumulum testimonii] יְגַר שָׂהֲדוּתָא tumulum, vel acervum testimonii. Lxx. βουνὸς τῆς μαρτυρίας. Hiero. *tumulum testis* i. גַּלְעֵד quod in Jonatha אוגר סהיד acervus testis. Sententia eodem recidit, tamen שהדותא non significat testem, qui סָהִיד dicitur. Hiero. in Quæst. *Syra lingua acervus IEGAR appellatur, Sahadutha, testimonium.* & paulo ante, *Alia litera habet, Et vocavit illum Laban acervum testimonii, & Iacob vocavit illum acervum testis.* & paulo post, *Erat enim Syrus, & antequam linguam Parentum provincia in qua habitabat sermone mutaverat.* ❡ *Tumulum testem*] גַּלְעֵד compositio nominis ex גַּל tumulus, acervus, & עֵד testis. Proinde Lxx. retulerunt, βουνὸς μάρτυς. Sic etiam Merc. In edit. Hier. *acervum testimonii*: in Comment. vero, *acervum testis*. Ubi & illud, *Acervus Ebræa lingua GAR dicitur, ED vero testimonium*. Cave damnes. Supra vers. 44. לְעֵד Lxx. εἰς μαρτύριον. Hiero. *in testimonium*. Prov. 25. 18. עֵד שָׁקֶר. Lxx. μαρτυρίαν ψευδῆ. Hiero. *falsum testimonium*. Iosephus Cœcus סהדותא דשקרא testimonium mendacii. Exod. 20. 16. עֵד interprete Camio est עֵדוּת. Sic etiam Abenezra interpretatur apud Salomonem. Ergo עֵד testis & testimonium. Ad quod exemplum occurrit passim אֵל fortis, & potestas. Vide nunc Merc. si otium est.

48. *Et dixit Laban, Tumulus iste testis inter me & te hodie: ideo vocavit nomen ejus Galed.*

Testis] sub. est vel erit. ❡ *Vocavit*] Iacob an Laban? An melius vertunt qui vertunt, *vocatum est*. Sic Græci διὰ τοῦτο ἐκλήθη. Nec aliter Hiero. Editio quoque Gallica, *son nom fut appellé*, vocatum fuit nomen ejus. Simile, *nunciavit Davidi*, pro nunciatum fuit. Trem. *ideo vocavit Jacob*. Augustinus Marloratus, *ideo vocavit*, sub. *Laban*. Quod sane capiendum. Nam vocavit eum Syriace שהדותא יגר. Id Moses interpretatur. Aut consensit postea cum Iacobo in nomine Ebraico: quod autoritatem obtinuit apud posteros. ❡ *Galed*] גַּלְעֵד Antiqui videntur legisse גַּלְעָד cum (ה) in ultima. Nam in Hiero. *Galaad*, & Lxx. interpretantur βουνὸς μαρτυρεῖ. גַּל βουνὸς עֵד μαρτυρεῖ. On. & Ion. nihil mutant.

49. *Et speculam, quia dixerat, Speculetur DOMINUS inter me & te, quum absconditi erimus alter ab altero.*

Speculam] vocavit etiam nomen ejus speculam i. Maspha, vel, ut nunc legunt, Mispha. Hanc R. Salomo putat ejusdem esse cum Mispe Gilad sive specula Galaad. Hos. 5. 1. לְמִצְפָּה. Lxx. ἐν τῇ σκοπιᾷ in specula. Græci hic legunt καὶ ἡ ὅρασις ἣν εἶπεν: quæ verba nullam commodam sententiam continent; ut mirum non sit, si Augustino aliquando molestiam exhibuerunt. Neque Hiero. hunc locum intellexit. Docte Ionathan, *Et specula vocatum fuit, quia dixerat, Speculetur DOMINUS inter me &c.* In verbis Ionathæ aliqua quædam notanda. Primum speculum vocat סכותא. Sic etiam Onk. eam vocat. Deinde *speculetur*, quod On. dixit יִסְכֵּי ipse extulit יִסְכֵּי; cujus thema סְכָא speculor, contemplor. Postremo pro כִּי quod in Onk. nove posuit ארום. Iod in Aleph versa. ❡ *Quia dixerat*] Hic אֲשֶׁר accipio pro כִּי quia, quoniam, ut Cohel. 4. 9. אֲשֶׁר יֵשׁ לָהֶם שָׂכָר טוֹב quia est ipsis præmium bonum, ubi Sym. ἐπειδὴ γὰρ ἔχουσι μισθὸν ἀγαθὸν: vetus interpres, *habent enim emolumentum societatis suæ*. ❡ *Speculetur*] vel, *speculabitur*. Ebraice est יִצֶף pro יִצְפֶּה, ut alibi יֵרֶא pro יִרְאֶה. Radix autem צָפָה. LXX. ἐπίδοι ὁ Θεός. Hiero. *Intueatur & judicet Deus*. Ab hoc verbo dicitur צֹפֶה speculator; unde & Sufes, Pœnorum Magistratus.

gistratus. Sufetes enim appellarunt, quos Romani Consules. § *Abscondemur alter ab altero*] separabimur ab invicem, non videbimus alter alterum. Discedemus alter ab alterius conspectu. § *Alter ab altero*] איש מרעהו vir à socio suo. Chaldaice, גבר מן חברה.

50. *Si afflixeris filias meas, & si acceperis uxores ad filias meas, nemo nobiscum: vide, Deus testis inter me & te.*

Si afflixeris filias meas] Lxx. εἰ ταπεινώσεις τὰς θυγατέρας μου, quod reddunt, *si humiliabis filias meas*: malim, *si afflixeris eas*. Humiliandi verbum apud probatos autores vix invenitur, unico Ciceronis loco excepto Lib. 2. de Natura Deorum, ubi humiliata animantia quædam appellat. Hic repetunt ex præcedentibus, *speculetur DOMINUS.* § *Afflixeris*] *non persolvendo id quod uxori debetur à marito.* Saadias. Quam expositionem merito improbat Abenez. Ipse exponit, *Si male habueris, aut tractaveris eas.* Quidam sequentem copulam per exegesin interpretantur, *si afflixeris filias meas, hoc est, si acceperis uxores ad filias meas.* § *Acceperis*] duxeris. § *Ad filias meas*] ἐπὶ ταῖς θυγατράσι μου. Ebraice על בנתי. Quidam, *ultra filias meas.* Alius, *præter filias meas.* Castalio, *si alias præter eas in matrimonium duces.* Quod præcedit, *si afflixeris filias meas*, Jonathan interpretatur, *si afflixeris filias meas faciendo eis injuriam sive afficiendo eas injuria.* Siquidem עלבנא injuria: unde in libro nominum Abi-albon ex Ebræo & Syro, *pater injuriæ* אבי עלבון. Munsteri λέξεις, עלבון *injuria, contumelia*: item *miseria, afflictio.* § *Nemo nobiscum*] sub. *est* vel *erit*, nempe cum alter ab altero abierimus. Nam solos fuisse cum fœdus inirent, vix est credibile. Verbum pro verbo, *non vir* i. quisquam, *nobiscum.* Jonathan, *non vir qui nos judicet.* Lxx. οὐδεὶς μεθ' ἡμῶν ὁρῶν; nemo nobiscum qui videat. Pro ראה vide, legerunt ראה videns, quod alii ad sequentia referunt, *Deus qui videt testis* &c. Hiero. *Nullus sermonis nostri testis est absque Deo qui præsens respicit.* Trem. *Nemo esto inter nos, hoc est, non ab hominibus, sed à Deo cognoscitor transgressi fœderis culpa & supplicium sumitor.* § *Vide*] ראה ἴδε. Utrumque in adverbium degenerat, & sig. *ecce.* i. הנה, ut Cohel. 7. 28. & Gen. 27. 27. Quanquam sunt qui scribant ἰδὲ ecce, mutato accentu.

51. *Insuper dixit Laban Jacobo, Ecce tumulus iste, & ecce statua, quæ jeci inter me & te.*

Quæ jeci] proprie ad tumulum pertinet, qui hinc inde collectis & in acervum jactis lapidibus constabat. Novum non est ut hoc modo relativum אשר ad remotius referatur. Nam statua non fuit jacta, sed erecta à Jacob: unde Hiero. *lapis quem erexi.* Sic interpretor quod in Onk. & Jonatha קמא די הקימית statuam quam erexi. i. הקימתי vel certe הרימתי, ut locutus est supra vers. 45. Leo Judæ, *quam erexi.* Munsterus; *quam statui.* Si Tremellio credendum, etiam statua constabat ex pluribus lapidibus in unum locum conjectis. Pro *statua* Lxx. habent ἡ στήλη αὕτη. Si legamus *quam jeci*, erit sensus, quam jactam erexi. Nam sumtum lapidem primum in terram projiciebat, deinde erigebat eum.

52. *Testis tumulus iste & testis statua, quod ego non transibo ad te tumulum istum, & quod tu non transibis ad me tumulum istum & statuam istam ad malum.*

53. *Deus Abraham & Deus Nachor judicent inter nos, Deus patris eorum: & juravit Jacob per metum patris sui Isahac.*

Statua] מצבה. Lxx. ἡ στήλη, *titulus.* Hiero. *lapis.* הנה Supra, *ecce statua, quam jeci*, idem Hiero. *ecce lapis quem erexi.* Quæ verba Labanis ita accipienda sunt, ut cum uterque in erectionem statuæ consenserit, uterque id fecisse intelligatur, licet proprie Jacob lapidem erexerit, sive, ut est in Ebræo, sustulerit. § *Quod ego non transibo ad te tumulum istum*] sensus est, quod ego ad te veniens non transibo tumulum istum: vel, *si ego*, sc. offensus fuero, *non transibo tumulum hunc ad te veniens.* אם proprie *si*: sed pro אשר interdum sumitur. Contra אשר pro אם usurpatur Levit. 4. & Deut. 11. Sic alibi עד אם donec pro עד אשר. Trem. *sive ego prætergrediar, me non prætergressurum ad te cumulum hunc, sive tu prætergrediaris, te non prætergressurum &c.* § *Tumulum istum*] *fœdus in hoc tumulo percussum* Abenez. § *Ad malum*] nocendi studio. § *Deus Nachor*] quem Nachor avus meus coluit. Fuisse autem majores ejus idololatras ex aliis Scripturæ locis clarum est. Sunt qui hic legant, *& Dii Nachoris.* Nam plures Deos habuit, ut credibile est. § *Deus patris eorum*] vel, *Dii patris eorum*; videlicet Abrahæ & Nachor, qui Thare supra nuncupatur. Ebræi notant nomen אלהים hic profanum esse, ut cum dicit, Deus Nachor i. אלהי נחור. Notatum etiam occulte perstringi à Labane Jacobum, quod à religione majorum suorum defecisset. § *Per metum patris sui*] per Deum, quem pater ipsius metuebat & colebat.

54. *Et mactavit Jacob mactationem in monte & vocavit fratres suos ad comedendum panem, & comederunt panem & pernoctarunt in monte.*

55. *Et surrexit Laban mane & osculatus est filios suos & filias suas & benedixit eis: & abiit & reversus est Laban in locum suum.*

§ *Mactavit mactationem*] זבח mactatio i. animalia, quæ mactantur, vel ad sacrificium vel ad convivium. De convivio accipiunt hoc loco Trem. Mercerus & alii. Sic etiam sumitur idem nomen 1 Sam. 28. 24. & 1 Reg. 19. 21. de sacrificio sumunt præter Lxx. & Hiero. Gallici interpretes & alii. Verba Græca sunt, καὶ ἔθυσεν θυσίαν ἐν τῷ ὄρει. Hieronymi, *immolatisque victimis in monte.* Leonis Judæ, *mactavit quoque Jacob victimam.* Munsteri, *Obtulit autem Jacob sacrificium in monte.* Gallorum, *Et Jacob offrit un sacrifice en la montagne.* Santes ab his nihil dissidet. Nam transfert, *mactavit victimam.* Quod non puto de profana mactatione accipi posse. Tamen nihil adfirmo. Vide Trem. § *Vocavit*] invitavit. § *Fratres suos*] *propinquos suos qui venerant cum Laban.* Jonathan, *cognatos suos.* Trem. § *Ad comedendum panem*] ad cibum sumendum. Nos diceremus, ad convivium, ad epulas. Panis nomine Ebræi quemvis cibum designant. Jonathan, *ad fulciendum se pane.* Respexit forte ad illud, *Et panis cor hominis fulcit* i. reficit, sustentat. § *Comederunt panem*] epulati sunt. Ebraismus. § *Osculatus est filios suos*] Valedixit illis. Filios autem vocat filios filiarum suarum, ut antea monui. § *Benedixit eis*] beneprecatus est eis.

AMAMA.

34. Theraphim Vulgatus vertit *Idola*, quod non adduco ut carpam, sed ut ostendam falsissimum esse quod Bellarminus tantopere contendit, rerum verarum similitudinem nunquam vocari idola. Ecce enim ipso Bellarmino probante de verbo Dei lib. 1. 13. Theraphim figuram hominis repræsentabant & tamen hic apud Vulg. & Lxx. vocantur Idola. Sed videatur hic Rainold. de Idolol. Rom. Ecclesiæ, sic & simulacrum Jes. 40. 20. apud Vulgatum usurpatur de Imagine Dei. Observavi & apud Genebr. Comm. ad Psalmum 96. juxt. ordinem Ebr. citari hæc verba Clementis Alexandrini, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα δαιμονίων. Dii gentium idola seu simulacra dæmoniorum sunt. Nunquid dæmonia sunt entia? Ibidem vocem Ebr. אלילים, quam alibi idola vertere amat Vulgatus, dæmonia interpretatur. Sed quid verbis opus est in re adeo manifestariâ? Si enim idolum tantum est similitudo rei non existentis, sequetur eos qui vel ipsum solem, Lunam & reliquam cœli militiam vel eorum imagines coluêre, idololatras non fuisse aut dici posse: nec non illud, eos qui omnino simulacra non habuêre, ut Persæ, priscique Romani, qui teste Varrone CLXX. annos Deos suos sine simulacris coluêre, idololatriæ non posse accusari. Quid ergo? Idolum primò significat simulacrum quo res seu vera seu ficta colitur. 2. Idolum figurate vocatur numen per simulacrum vel sine simulacro cultum, sive in rerum natura existat sive non existat, 1 Chron. 16. 26. *Omnes dii populorum idola sunt.*

Vers. 39. גנבתי יום וגנבתי לילה *quod furto ablatum de die, quodque furto ablatum de nocte.* Ea Vulgatus sic convertit, *quicquid furto peribat*, ut nomina temporis diurni nocturnique in spongiam incubuerint. LXX. tamen, κλέμματα τῆς ἡμέρας καὶ κλέμματα τῆς νυκτός. Quin & Tharg. Jerosl. & Jonathæ diei noctisque meminêre, & Oncelos, licet in expositione vocis גנבתי deviet, vertit enim נטרית *custodivi.* Non observavit Iod in ea voce paragogicum esse, ideoque pro prima persona præteriti vocem Ebræam accepit, quid autem spectarit, dum *custodiendi* notionem ei assignavit, fateor me non videre. Claudam si illud notavero, esse participium passivum Kal pro גנובה, ut בשלת. Iod Paragogicum quale in רבתי עם multa populo & מלאתי *melaäthi* plena Jes. 1.

47. Ebr. יגר שהדותא. Vulg. *Tumulum testis.* Videtur existimasse Sahadutha testem significare, cum pueris hodie notum sit nomina in תא apud Ebr. & Aramæos fœminina & abstracta esse. Testis סהדא dicitur. Et Hieron. in Quæst. diserte idem ait, vertitque *acervum testimonii.*

49. Ebr. *Et Mitzpha* sc. appellavit locum, *quia dixit, speculetur Dominus inter me & te.* Vulg. *Intueatur & judicet Dominus inter nos.* Miratur Cajetanus, nec immerito, quid Vulgatum impulerit ut tres voces hic elliserit. Duobus nominibus locum istum appellatum fuisse narrat Moses, 1. est גלעד de quo supra; alterum est מצפה specula, quod Chald. per סכותא Græci per ὅρασιν expresserunt. Rationemque nominis impositi addit, quia dixit, יצף *speculetur* &c. Est autem יצף *jetzeph* Fut. Hiphil pro יצפה a צפה unde מצפה.

Contra, verſ. 47. hæc verba, *Uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ* ſuperflua ſunt. Fateor minus hic peccatum addendo quam ibi ſubtrahendo. Fateor ea Moſis menti non adverſari, verum ejuſmodi additamentis citra neceſſitatem indulgere nego eſſe religioſi Interpretis. Expoſitoribus & Commentatoribus ea conveniunt.

Verſ. 55. *Laban vero de nocte conſurgens.* Cur hic uſus eſt voce *noctis*? In Ebr. enim eſt בבקר mane, LXX: πρωΐ. Chald. בצפרא in aurorâ. Vide ad Exod. 34. 4.

DE MUIS.

4. M*Iſit Iacob, & vocavit Rachel & Liam in agrum, ubi paſcebat greges.*] Cum uxoribus Lia & Rachele ſuum à ſocero abeundi conſilium communicaturus Jacobus illas evocavit in agrum, ut ex illo conſtat Gen. 31. 4. *Miſit Iacob, & vocavit Rachel & Liam in agrum, ubi paſcebat greges.* Cur in agrum? quod vereretur ne ſi domi cum illis ea de re ageret, aliqua forte res emanaret ad filios, aut ad uxorum fratres, qui ſæpe ad ſorores ventitabant. Nam et ſi forſan in conclave aliquod retro ultimis in ædibus ſe abdidiſſent, poterant aut hi aut illi de induſtria aut ſecus ad fores accedere, indeque audire vel etiam captare ſermones qui intus haberentur, præſertim ſi, ut interdum in ejuſmodi occaſionibus fieri ſolet, clamores forte orirentur. Quæſivit ergo ſolum ac tutum locum Jacobus. Cur item in textu notato, ſicut & in v. 14. ejuſdem cap. prius Rachel quam Lia, quæ natu major erat, nominatur? Reſpondet Raſi; שהיא היתה עקר הבית שבשבילה נזדווג יעקב עם לבן ואף בניה של לאה מודים בדבר שהרי בועז ובית דינו משבט יהודה אומרים כרחל וכלאה אשר בנו שתיהן וגו׳ הקדימו רחל ללאה, *Quod fuiſſet illa fundamentum familiæ; propter eam enim Labano affinitate conjunctus eſt Iacobus: id quod etiam ipſius Liæ poſteri ultro confeſſi ſunt: ipſi enim Booz audienti & conſentienti* (tacebat enim, nec repugnabat) *dicebat ſuus Senatus* [Paulo aliter Hebraice, ſed eodem ſenſus recidit] Ruth. 4. 11. (*tam Booz autem quàm Seniores erant è tribus Iuda*, Judas autem ex Lia,) faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ambæ ædificaverunt domum Iſraël. *Liæ nempe præponebant Rachelem.* Illius tamen filiis, Rubeni, Simeoni & cæteris prærogativa natalium competebat, ut hiſtoria ſatis declarat. Et recte & verum dicit Raſi. Nam abſque Rachele fuiſſet, quam ob elegantiam formæ & morum inprimis honeſtatem ac ſuavitatem Jacobus deperibat, (magis enim in Rachele animum quam corporis formam adamaſſe virum ſanctum omnino pium eſt credere) nunquam Liam uxorem duxiſſet. Cum enim ille Rachelem ſibi in matrimonio à patre poſtulaſſet, eamque ſeptenni opera in paſcendis gregibus pactus eſſet, expleto tempore, ei pro Rachele Lia, quæ minus liberali facie erat, prima nocte, fallentibus tenebris, quod eſſet natu major, ſupponitur, atque ita ejus nuptiis per dolum Jacobus implicatur, non prius Rachele potitus quam rurſum, per lucem cognito errore, ſeptem annorum ſervitio ſe mancipaſſet. Hæc hiſtoria Gen. 29. deſcribitur. Atque hinc eſt quod Rachel ſola ex omnibus Jacobi uxoribus *Iacobi uxor* legatur appellata, Gen. 46. 19. aliæ vero nunquam, ſicuti ad cap. 31. Gen. v. 33. obſervat Raſi.

15. *Nonne quaſi alienas reputavit nos? vendidit enim nos, comeditque pretium noſtrum.*] Jacobus, cum Labani ſoceri ejuſdemque avunculi ſui fronte ſolito auſteriore, ejuſque filiorum crebris convitiis, tum præſertim Divino mandato motus, redire ad ſuos in Palæſtinam cogitabat, quodque vereretur ut abeundi facultatem ab avunculo obtinere poſſet, clam meditabatur fugam. Sed prius primariarum uxorum, Rachelis & Liæ, animum qui eſſet erga ſe pertentabat, an ſequi ſe in patriam vellent. Illæ vero ſecuturas quocunque iret aiebant, nihilque morari hereditatem paternam ad quam nullum jus inter mares haberent, Raſi. Sacer textus habet præterea, Gen. 31. 15. *Nonne quaſi alienas reputavit nos? vendidit enim nos, comeditque pretium noſtrum*; ad verb. *comeditque etiam comedendo pecuniam noſtram.* Quod interpretatur Raſi; אפילו בשעה שדרך בני אדם להת נדוניא לבנותו בשעת נשואין נהג עמנו כנכריות כי מכרנו לך בשכר הפעולה ואכיל גם אכול אית כספנו שעבד רסי שכר פעולתך, *Quo etiam tempore homines ſolent filias dotare, videlicet nuptiarum tempore, egit nobiſcum quaſi cum extraneis: vendidit quippe nos tibi pro laboris mercede*, Comeditque etiam comedendo pecuniam noſtram: *fraudavit quippe pecuniâ operâ & labori tuo debita.* Brevius Ezra; כאלו מכרנו שלא עשה כמשפט האבות עם הבנות רק אכל שכר צאני וקח כמו בכשכרתך, *Perinde eſt ac ſi nos vendidiſſet: non enim egit nobiſcum quemadmodum alii patres cum filiabus ſolent; ſed nos tibi pro mercede cura pecuaria tradidit.* Sciunt aut ſcire debent omnes, Liam & Rachelem ob locatam præſtitamque earum patri Labano in paſcendis pecuariis ſeptennii operam, Jacobo uxores datas; tantum abeſt ut aliquid attulerint dotis. Hoc ipſum eſt de quo hic conqueruntur Lia & Rachel, non ſatis modeſte, ut videtur, pro filiabus, niſi illas patris iniquitas atque injuſtitia excuſaret. Quanquam, meo quidem judicio, dici potius debet de patre illas minime conqueri, ſed, uti ſapientes filias decebat, non prius ſe abituras decernere, præſertim inſcio atque inconſulto patre, quam illum minus iniquo animo ſuam ipſarum abitionem laturum certis argumentis ſtatuiſſent, ut quo parum æquo hactenus uſæ eſſent, pro alienis ab illo habitæ, nulla in ipſis nuptiis dote conſtituta. Ac ſic ſentiunt Abarbanel & Iſaacus Arama.

19. *Et Rachel furata eſt idola patris ſui.*] Jacobus, poſtquam viginti annos in Meſopotamia, quo fratris inſidias veritus ſe receperat, apud Labanum avunculum eundem & ſocerum ſuum (nam duas ejus filias ſimul habebat in matrimonio) manſiſſet, redire in Chananæam ad patrem cupiebat. Sed quia haud facile ſibi diſcedendi poteſtatem facturum avunculum ſperabat, ſemel, cum forte commodum domo abeſſet Labanus tondendis ovibus occupatus, clam meditatus eſt fugam, evaſitque ſimul cum duabus uxoribus, Lia & Rachele, quarum Rachel abiens paterna idola una ſecum abſtulit. *Et Rachel furata eſt* התרפים, ſeu *idola patris ſui*, inquit ſacer textus Geneſ. 31. 19.

Quæritur quid ita fecerit Rachel, quove conſilio. Reſpondent Hebræorum nonnulli, in quibus Ramban, כי שלא יגלו לאביה אם ישאל בהם כי ברח יעקב *ne patri ſuo proderent, ſi forte, ut ſolebat, ea conſuleret, aufugiſſe Iacobum.* Atque, inquiunt, quod ſic Jacobum allocutus legatur Labanus, Gen. 31. 30. *cur furatus es deos meos?* argumentum eſt evidens Theraphim illa, quæ furata eſt Rachel, pro diis coluiſſe Labanum, per quæ ſcilicet divinationes auguriaque exerceret. Divinationibus quippe & auguriis valde addicti fuere Orientales, ut ex illo Eſaiæ conſtat, cap. 2. 6. *repleti ſunt*, nempe Iſraëlitæ, *præ Oriente auguriis*, &c. Balaamus, Beori filius, ariolus fuit Orientalis, ut ex illo patet Num. 23. 11. *De Aram adduxit me Balac, Rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Ita ferme illi. In Midras legitur, למה גנבתו אותם שלא יהיו מגידים שיעקב בורח כי התרפים מדברים והלא כתוב לא יחי בגרונם אמר ליה אין והכתיב והתרפים דברו און, *Quare furata eſt idola? Ne indicarent quod Iacobus fugiſſet. Et qui Theraphim loqui poſſunt, cum ſcriptum ſit* (Pſal. 115. 7.) non muſſant (ſcilicet idola) in gutture ſuo? *Excepit alter, Imo loqui poſſunt, quod ſcriptum ſit*, (Zach. 10. 2.) Simulacra (*ſeu* Teraphim) locuta ſunt vanitatem, &c. Scribit Chananeel furatam Rachelem idola patris quo illi daretur occaſio reſipiſcendi, acſi diceret, אלוה הגנוב אין בו ממש, *Nihil ſolidi Deus furto ablatus*, Seu, *qui furto obnoxius eſt, habere poteſt*; Deus, qui furis in prædam cedit, non eſt Deus, Hucque pertinere quod Joas illius Gedeonis pater, Gedeonem ad ſupplicium quod aram Baalis idolo conſecratam diruiſſet expetentibus reſpondit, Jud. 6. 31. *Numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? qui litigaverit pro eo interficiatur uſque mane: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo qui ſuffodit aram ejus*: q. d. Anne de Baalis poteſtate diffiditis? Cur enim non illi potiſſimum relinquitis ulciſcendi ſui locum, ſi eum poſſe aliquid arbitramini? Eodem quoque ſpectare vult illud Ezech. 28. 9. *Numquid dicendo dices, Deus ego ſum, coram interfectore tuo, cum ſis homo, & non Deus in manu confodientis te?* Bechai putat idola patris abſtuliſſe Rachelem לעקר עבודה זרה מבית אביה *ad exſtirpandum idololatriam è domo patris.* Sic etiam ſentit Raſi, להפריש את אביה מעבודה זרה נתכונה *quo*, inquit, *abduceret patrem ab idolorum cultu, eo fecit.* Verum hanc ſententiam refellit Ezra, quia ſi ita eſſet, ut hi volunt, nulla erat cauſa quamobrem ea idola ſecum aſportaſſet. ac non potius alicubi defodiſſet in via. Addo ego, ſperaretne Rachel patrem à primis annis addictum idololatriæ eo pacto ab idolorum cultu revocare? Nam ut amiſiſſet ille ſua idola, nonne poterat iis ſimilia fabricare, aut fabricanda curare? Cenſet igitur Ezra probabilius, Aſtrologiæ peritum fuiſſe Labanum, ideoque veritam Rachelem ne (ſcilicet in illis ſuis idolis) conſuleret contemplareturque aſtra, diſceretque qua via fugiſſet Jacobus. Huic ſententiæ favet Abarbanel. Abſit vero ut dicamus voluiſſe ſecum auferre Rachelem paterna idola quod ea coleret venerareturque. Injuria fit profecto Racheli ſi ita ſtatuatur. Namque Rachelem mariti exemplo verum Deum coluiſſe omnino credibile eſt. Aliam quandam iſtius furti cauſam affert Flavius Joſephus, Antiq. Jud. lib. 1. cap 19. τὰς δ᾽ εἰκόνας, inquit, ἐπεφέρετο τῶν θεῶν ἡ Ῥαχήλα, καταφρονεῖν μὲν τῆς τοιαύτης τιμῆς τῶν θεῶν διδάξαν-

διδάξαντος αὐτὴν Ἰακώβου, ἵνα δ᾽ εἰ καταληφθεῖεν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῆς διωχθέντες, ἔχοι τούτοις προσφυγοῦσα συγγνώμης τυγχάνειν. Quod Gelenius vertit, *Sigilla vero deorum secum ferebat Rachel, non quod deos coleret, quorum contemptum a marito didicerat, sed ut si forte pater fugientes assequeretur, haberet quo confugeret veniam impetratura.* De figura porro Theraphim non utique etiam inter Hebræos convenit, dum, ut in re dubia, alius aliam sententiam affert. Quidam existimant vas æneum fuisse ad horarum partes, nec non etiam res futuras cognoscendas comparatum. Alii posse astrologiæ peritos figuram quandam certis horis fabricare quæ loquatur. Ezra sibi ait videri שהתרפים היו על צורת בן אדם והיא עשויה לקבל כח העליונים, *Theraphim humanam habuisse figuram ita aptatam & compositam ut superiorum & cœlestium corporum virtute atque influxu afficeretur*: verum qui id fieret non posse explicare. Probat suam sententiam, quod Theraphim illa, quæ Michol in lecto posuerat, custodes domus fefellerint, creditaque sint pro Davide, 1 Sam. 19.13. Abarbanel docet figuras quidem ipsas seu imagines non per se locutas, siquidem verus sermo nisi beneficio naturalium organorum non perficiatur, sed per eas figuras הכח המדמה אשר לקוסם *imaginatricem facultatem ipsius arioli* excitatam, ut ille sibi videretur audire ceu vocem quandam submissam res occultas indicantem, אשר חשמע בהם מחשבתו *qua mente & cogitatione agitaret.* Apud Bechai res multo aliter declaratur ad istum modum, כיצד עושין מביאין אדם בכור ושוחטין ומולחין אותו במלח ובבשמים וכותבין על ציץ של זהב שם רוח טמאה ומניחים הציץ בכשוף תחת לשונו ונותנים אותו בקיר ומדליקים לפניו נרות ומשתחוים לו ומדבר עמהם בלחש וזהו שכתוב כי התרפים דברו און, *Quomodo id fiebat? Adducebatur primogenitus quispiam, jugulabatur condiebaturque sale & aromatibus, inscribebatur nomen spiritus immundi in lamina aurea, quæ arte quadam magicâ ejus linguæ supponebatur: ipse autem affigebatur parieti, accensisque coram eo lucernis adorabatur, ac tunc loquebatur mussando, hocque est quod scribitur,* THERAPHIM LOCUTA SUNT VANITATEM. Fides istarum rerum penes autores esto, si tamen digni sunt fide qui quidvis, ut lubitum est, comminiscuntur. Nihil ego certi existimo de figura Teraphim doceri posse, sicuti nec de etymi ratione. Nam quod quidam affirmant תרפים dici quasi רפים i. *remissa*, seu *lenta*, à radice רפה quæ significat *remissum & lentum esse*, כי עליהם לרמז הדברים כמו נבואה רפה תבא ברב והכזב לעתים הרחוקות, *quo innuatur lentam ac remissam esse illorum prophetiam, quæ ut plurimum eveniat, mentiaturque multos post annos*; ut omittam coactum hoc videri, certe non admodum ad analogiam grammaticam quadrat, uti facile judicabunt qui Hebraice sciunt. Ad Chaldæam vocem תורפא quæ *turpitudinem* significat, undeque *turpis* vocabulum videtur natum, erit fortasse aliquis qui illud referat. Mihi exotica vox prorsus videtur.

32. *Apud quemcunque inveneris Deos tuos, non vivat.*] Inter cætera, dum negat à se surrepta idola, hoc ait Jacobus, Gen. 31.32. *Apud quemcunque inveneris Deos tuos, non vivat.* Quorum verborum hic sensus est ex Abarbanele; Non surripui ego tua idola, ac nescio an ea surripuerit meorum aliquis: at volo ut penes quem invenientur, is non vivat amplius, sed morte nunc afficiatur, כדין גנב נפש *non secus ac si fur hominis esset.* Idem annotat sapientes Magistros, sic enim appellant, accipere hoc quasi sit imprecatio, שימיתהו האל כיון שפנה אל אלהים אחרים *ut illum Deus interficiat, quando se ad Deos alios convertit.* Addit ex iisdem, Nesciebat autem Jacobus subrepta à Rachele idola, quia si scivisset nunquam male precatus fuisset: non enim dubitasset quin Rachelis rectum fuisset consilium, atque לשם שמים *ad Dei gloriam* spectans. Putant autem Rachelem מן הדבור הזה vel מאותה קללה *ob illam imprecationem* haud multo postea mortuam esse in itinere, in partu Benjamini, ut legere est Gen. 35.18. Addit Bechai, ומכאן שיש לאדם ליזהר משנגות הצדיקים וקללתם, *Indeque est quod quisque solicite cavere debet à sanctorum virorum pœnis & imprecationibus.* Hos non male refellit Ezra, quod Phineis uxor, ut est 1 Sam. 4. ex partu quoque sit mortua, nec quisquam tamen legatur ei male imprecatus. Ac sane istæ sunt argutiæ nimis argutæ, quæ nobis haud probantur: ut de istis subtilibus & acutis nimium Magistris vere dicturus mihi videar,

Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.

Næ ego subscribo lubens Abarbaneli aut Ezræ, qui hoc *non vivat*, seu potius *non vivet*, enunciative interpretatur אהרגנו *interficiam illum* manuque mea defodiam. Haud tamen abnuo posse accipi posteriore modo, *non vivat*, imprecative, faciatque Deus ut moriatur.

33. *Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob, & tabernaculum Liæ, & tabernaculum utriusque famulæ* (seu *ambarum ancillarum*) *non invenit: egressus autem tabernaculum Liæ, venit in tabernaculum Rachelis, &c.*] Labanus cum audisset ruri agens tondendis ovibus occupatus Jacobum generum, qui hactenus eadem in domo cum socero manserat, universa cum familia & totis quantæ erant facultatibus clanculum aufugisse, furto etiam surreptis idolis, (nam Rachel altera è Labani filiabus, Jacobi uxor, ea, gravi certe de causa, incertum qua, abiens secum abstulerat) ad iter se accingit, assumptis secum propinquis & cognatis, magnisque itineribus Jacobum consecutus tandem assequitur post dies septem in Galaado monte. Ingens primum expostulatio de abductis clam filiabus ac de furto idolorum. Negare furtum Jacobus; (non enim ipse idola surripuerat, ac nesciebat Rachelem surripuisse) contra vero instare alter, donec illi Jacobus licere diceret scrinia omnia reserare atque introspicere, ut quem penes furtum delitesceret is statim privaretur vita. Sed Rachel, quæ cognito patris adventu, in clitellis cameli quo vectabatur idola illa subito absconderat, ne deprehenderetur in furto si clitellæ aperirentur, pulcram ex tempore dignamque muliebri ingenio commenta est causam: petebat enim veniam à patre si advenienti non assurgeret, (sedebat autem per speciem requiescendi in clitellis, ubi idola habebat occulta) quod diceret sibi accidisse quod mulieribus solet. Tunc autem Labanus destitit amplius inquirere, vel quod *crederet*, inquit Josephus Antiq. lib. 1. cap. 19. *filiam sic affectam non fuisse sacris*, in quibus scilicet educata fuerat, *propius accessuram*: vel quod, ut alii Hebræorum probabilius quidem sentiunt, ei religio esset, vel certe non satis honestum, illis etiam temporibus, videretur mulierem sic laborantem accedere. Frustra igitur singula tabernacula lustravit scriniaque omnia excussit Labanus. Quod dum explicat Sacer textus, sic habet, Gen. 31.33. & qui sequuntur, *Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob, & tabernaculum Liæ, & tabernaculum ambarum ancillarum, non invenit: egressus autem tabernaculum Liæ, venit in tabernaculum Rachelis. Porro Rachel acceperat idola & posuerat ea in clitellis cameli, & sedit super ea: contrectavit autem Laban totum tabernaculum, & non invenit. Dixitque ad patrem suum, Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo: quia juxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi*: sic delusa solicitudo quærentis est. Quæritur, qui fieri potuit, ut cum in Jacobi & Liæ primum ac deinde in ambarum ancillarum tabernacula ingressus esset Labanus, ipse dicatur postea è Liæ tabernaculo in Rachelis transiisse, ac non potius è tabernaculo ancillarum. Putat Ezra semel ac iterum ingressum Labanum Liæ tabernaculum, nempe antequam ancillarum tabernaculum fuisset ingressus, ac rursum postquam ex ancillarum tabernaculo exisset. An vero ancillarum unum tantum an duo fuerint tabernacula ipse ambiguum relinquit. Rectum etiam existimat, ut ipsius Jacobi tabernaculum Liæ inter & Rachelis tabernacula dicatur fuisse, sibique ait videri Scripturam hic sequi brevitatem, nec suo loco agere de Rachelis tabernaculo. Vult igitur Ezra ingressum Labanum Jacobi tabernaculum, deinde Liæ, deinde Rachelis, denique ambarum ancillarum, huncque esse sensum hujus loci; Scrutatum esse Labanum Jacobi tabernaculum, Liæ quoque & ambarum ancillarum, ac nihil in illis furti reperisse, nihil enim erat: cum vero egressus Liæ tabernaculum, Rachelis ubi erant idola adiisset, jam tum illa abs Rachele fuisse in clitellis cameli occultata. Nimirum extra locum & seorsum agere voluit autor Geneseos de Rachelis tabernaculo, quod de illo plura esset dicturus. Satis hoc placet. Bechai aliter sentit; יתכן לומר כי אהל לאה היה גדול מכולן עד שהיה אהל שתי האמהות כתוכו וכשיצא מאהל שתי האמהות עדין היה עומד באהל לאה ולכן הוצרך לומר ויצא מאהל לאה, *Dicendum est*, inquit, *Liæ tabernaculum omnium fuisse maximum, ita ut ambarum ancillarum tabernaculum eo contineretur, ac postquam exiisset e tabernaculo ancillarum Labanus, adhuc esset in tabernaculo Liæ, ut propterea necesse fuerit dicere*, EGRESSUS AUTEM TABERNACULUM LIÆ VENIT IN TABERNACULUM RACHELIS. Isaacus Arama in Akkedhath Isaac satis subtiliter, ut solet, philosophatur. Audiet illum qui volet. Mihi certe nec probatur nec improbatur. Sic autem habet. ויבא לבן באהל יעקב וגו׳ ספר הכתוב חריצות לבן וחפושו אחר התרפים והסבה אשר בעבורה לא מצאם וזה שהוא נכנס ראשונה לאהל יעקב כמש׳ לו הכר לך מה עמדי וקח לך ובא ממנו אל אהל רחל אלא שראה אותה יושבת ומצנעת כדרך נשים באהל כמו שהוכיח להלן ולא נכנס ויבא משם לאהל לאה כי שני האהלים אשר לרחל וללאה היו על פני אורך אהל יעקב ופתח פתוח היה לו לאהלו לכל אחד מהם ומהם לאהלים אשר לשתי האמהות אשר היו סמוכות אצלם וגם אהלי האמהות היו פתוחות זו לזו כדי שיקרו כשירותם ולזה קראם הכתוב אחר אמר באהל שתי האמהות מה שלא היו כן אהלי הגבירות והנה לך צורת ישובן שהיו מישולשים זה לזה כי לבן הכיר ביאה לכל׳ חנה וכאשר לא מצא היה לו לבא מאהל בלהה לאהל רחל אלא שעמדה לפניו הסבה שקדמה ולזה

מצא

נפשה לו לשוב כדרך אשר בא גם לחפש שנית באהלים והחמה בכנור שמא ימצאם שם ולא ימשך להרגו אז רחל מסקנה צניעותה עד שיצא מאהל לאה לאהל יעקב ולזה אמר ויצא מאהל לאה וכראותו שנגד החפוש ולא מצא חזר לשוב ולבא מאהל יעקב לאהל רחל דרך פתח שאם לא כן היה לו לומר ויבא מאהל לאה אל אהל רחל ולא יזכיר יציאת, *Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob*, &c. *Exponit Scriptura diligentiam Labani in investigandis idolis, causamque propter quam ab eo non sint inventa. Nimirum ait ipsum ingressum esse primo Jacobi tabernaculum, juxta illud* (v. 32.) coram fratribus nostris scrutare; quicquid tuorum apud me inveneris, aufer : *indeque voluisse ingredi Rachelis tabernaculum, nisi ipsam vidisset sedentem, ac nescio quo modo verecunde agentem in tabernaculo ex feminarum more*, (h. e. non secus se gerentem quam quæ patiuntur quod mulieres singulis mensibus solent) *id quod textus arguit : non ergo ingressus est, ut voluerat, sed inde venit in tabernaculum Liæ; ambo enim tabernacula Rachelis & Liæ sita erant ad faciem longitudinis tabernaculi ipsius Jacobi, cui quidem ad utrumque patebat porta ; inde vero in ancillarum tabernacula quæ illa contingebant : tabernacula autem ancillarum etiam patebant invicem, quo mutuis se officiis juvare possent; ac propterea dicitur in numero singulari*, & tabernaculum ambarum ancillarum ; *secus de dominarum tabernaculis; (ecce autem tibi figura illorum positus, quæ invicem penetrabilia erant)*



idcirco enim in illa seorsim ac separatim scribitur ingressus Labanus. Cum autem nihil invenisset, decrevit venire è tabernaculo Bala in Rachelis, absque ea causa fuisset quæ jam recitata est. Igitur regressus est viâ quâ venerat, quo scrutaretur denuo in illis tabernaculis, sperans forte se illic inventurum idola, nec prius necesse putavit Rachelis incommodare quam egressus è Lia in Iacobi tabernaculum venisset. Idcirco dicitur, egressus autem tabernaculum Liæ, *&c. cumque videret se diligenter omnia perscrutatum nihil invenisse, necesse habuit iterum venire è tabernaculo Iacobi in Rachelis, porta quæ ad illud ducebat : alioquin, nisi ita res haberet, fuisset dicendum, & venit è tabernaculo Liæ in Rachelis, non autem*, ET EGRESSUS TABERNACULUM LIÆ, &c. Hactenus ille. Cur porro tam diligenter singula tabernacula perscrutatus sit scriniaque omnia excusserit Labanus ut inveniret deos suos, si quis quærat, nihil aliud causæ esse puto quam quo illi summo in pretio fuerint, ut quibus divinitatis aliquid inesse crederet. Abarbanel existimat, כי חשב שהם יגידו לו אמתת הדבר על מה זה יעקב ברח, *quod speraret rem, ut erat, ab iis patefactum iri; quam ob causam nimirum aufugisset Iacobus.* Verum quid opus fuit Labano de hoc consulere deos suos cum ea res minime illi dubia esse potuerit, quoties & quam male Jacobum accepisset conscio?

GROTIUS.

7. D*Ecem vicibus*] Aquila δέκα ἀριθμοὺς. [*ad decem numero*]. Symmachus, δεκάκις ἀριθμῷ [*decies numero*]. Bene Eusebius, ὁ Σύρος δεκάκις, ἀντὶ τοῦ πολλάκις [*Syrus decies pro sæpe*]. Exempla habes hujus significatus in numero denario Lev. XXVI. 26. Zachar. VIII. 2. Ecclesi. VII. 20. Apoc. II. 10.

15. *Et vendidit*] Elocavit, non nostrum, sed suum respiciens commodum.

Quasi alienas] Nam liberi, sui heredes.

19. *Idola*] Teraphim. Sic & Græci. Infra dicuntur dii Labanis, 30. τύποι τῶν θεῶν [*Deorum signa*] Iosepho. Imagines ad certum stellarum positum factæ cum stellarum figuris, ex veteri Syrorum, & Arabum superstitione. Abstulit hæc Rachel; ne ex iis Laban consilium fugæ disceret. Sic Abenezra. At Iosephus, ut perfugium haberet contra patris iram, si forte in fuga deprehenderentur.

32. *Apud quemcumque inveneris*] Potestatem illi facit inquirendi, qui mos & apud Romanos, Instit. de furtis, §. concepti. Gellius XI. ultimo.

Necetur] Multi enim eo tempore vivebant eo jure, de quo Homerus,

—— θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ᾽ ἀλόχων.
[—— *Dans conjugibus jus*
Quisque suis sobolique]

Pœnam autem mortis indicit Iacobus, ut in sacrilegio, secundum opinionem Labanis.

35. *Juxta consuetudinem feminarum*] Sic & Græci κατ᾽ ἔθιμον τῶν γυναικῶν. Sic Aristoteles Animalium historiæ libro VI. cap. XXI. mensium in animalibus tributa τὰς συνηθείας [*consuetudines*] vocat, σεμνῶς [*honeste*]. Vide & supra XVIII. II.

39. *Ego damnum omne reddebam*] Dura lex quam Laban imposuerat Iacobo, ut pro custodia mercedem non aliam reciperet quam fœtuum partem, casus omnes præstaret.

42. *Deus patris mei Abraham, & timor Isaac*] Non dicit Deus Isaaci, quia vivebat adhuc Isaac. Non cognominatur autem Deus à quoquam mortalem adhuc agente vitam.

46. *Tumulum*] Γαλ [*collem*] hic Græci. κολωνὸς [*acervum*] tale monumentum vocat Xenophon Ascensûs quarto.

53. *Deus Nachor*] בעל שמין [*Beelsamen*] Sol maximo apud Syros in honore, ut pulcherrimum & utilissimum eorum quæ spectantur.

CARTWRIGTUS.

1. F*Ecit* (*comparavit, acquisivit*) *omnem hanc gloriam* עָשָׂה אֵת כָּל־הַכָּבוֹד הַזֶּה] LXX. ad verbum transtulerunt, πεποίηκε πᾶσαν τὴν δόξαν ταύτην. Chaldæus sensum verborum expressit, קנא ית כל נכסיא האלין, i. e. *Acquisivit omnes hasce divitias.* Targum Ionathæ, עבד ליה ית כל יקר נכסיא האלין i. e. *fecit sibi omnem gloriam harum divitiarum.* Vulg. *illius facultate ditatus factus est inclytus.* Valde eleganter, si pro *facultate* dixisset *facultatibus.* Latine enim non singulare facultas, sed plurale *facultates* pro *divitiis* usurpatur.

3. *Ero tecum.*] Chald. *Verbum meum tibi erit auxilio.* Et sic etiam Ionathan in suo Targum; quin & *Verbum Dei* pro *Deo* apud Chaldæos Paraphrastas passim usurpatur.

7. עֲשֶׂרֶת מֹנִים *Decem vicibus*] Chald. עשר זמנין *decies*; ad verb. *decem temporibus.* Targum Ionathæ, עשר חולקין *decem partibus.* Quod est obscurius. R. Salom. ait, אין מנים פחות מעשרה, i. e. *Monim* non minus denotat quam decem. Atque ideo significari putat, Labanem centies mutasse mercedem Iacobi. In eandem etiam sententiam *Bereshith Rabba* citat Mercerus. Sanius Aben Ezra, qui ait מנים esse à מנה *numerare*, & עשרת, i.e. *decem*, vel simpliciter poni, quod toties Laban fefellerat Jacobum; vel definitum numerum poni pro indefinito, ac *decies* pro *sæpe*, quod numerorum summa sit denarius. עשר (i. e. *decem*) pro *multis* (inquit Drusius) ponitur. Nam est *summa numeri*, ait Aben Ezra; *imo finis omnis numeri*, ut R. David; *quia unitates omnes desinunt in decem.* Sic Drusius ad Heb. 12.22. Hoc mihi magis videtur probandum, quam quod Hieron. in Tradit. & ex eo Lyra dicit, oves istic bis in anno parere solitas, ut ita re ipsa Laban decies mercedem Iacobi mutare potuerit. LXX. τῶν δέκα ἀμνῶν, *decem agnorum.* Insolentem hanc interpretationem notavit Hieronymus; *Pro decem* (inquit in Tradit.) *vicibus*, LXX. Interpretes posuerunt *decem agnis*, nescio qua opinione ducti, cum verbum Hebraicum מנים *Monim* numerum magis quam agnos sonet. Denique & ex consequentibus hic magis sensus probatur, quod per singulos fœtus semper Laban conditionem mutaverit. Aquila (ut notat schol.) vertit, δέκα ἀριθμοὺς, *decem numeros.* Symmachus, δεκάκις ἀριθμῷ, *decies numero.* Syrus (ut refert Eusebius) δεκάκις ἀντὶ τοῦ πολλάκις, i. e. *decies pro multoties.*

13. *Ego sum Deus Bethel*] ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς, ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ, *Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei.* *Bethel* significat *domum Dei*; unde pro eo LXX. posuerunt locum Dei, & de suo addiderunt, ὁ ὀφθείς σοι, *qui apparui tibi.*

15.

15. וַיֹּאכַל גַּם־אָכוֹל אֶת־כַּסְפֵּנוּ Et comedit etiam comedendo argentum nostrum] Chaldæus uterque cum Hebræo plane convenit; Nec procul abeunt LXX. καὶ κατέβρωσε καταφαγῇ τὸ ἀργύριον ἡμῶν, & devoratione absorbuit argentum nostrum. Vulgatus emphasim verborum non expressit, Comeditque pretium nostrum. Quod Lyra sic explicat, Quia de servitio tuo, quod fuit pretium nostrum, consecutus est divitias, de quibus vixit. Fagius in Chald. Paraph. similiter exponit; Sensus (inquit) hujus loci est, Vendidit nos tibi; servisti enim illi pro nobis, & decoxit pecuniam nostram, id est, quæ nobis debebatur pro mariti nostri labore. Fructus enim laborum Jacob redibat ad Laban. Large accipitur Hebræis comedendi verbum hic pro frui; q.d. opus nostrum vertit in suum commodum; fruitus est nostris. Hæc Fagius.

16. כִּי כָל־הָעֹשֶׁר Nam omnes divitiæ.] R. Salom. ait particulam כי hic idem valere quod אלא, i.e. sed; q. d. Nos ex paternis opibus nihil omnino habemus, sed quod Deus (vel excepto quod Deus) patri nostro abstulit, id tantum nostrum est.

אֲשֶׁר הִצִּיל יְהוָה מֵאָבִינוּ Quas Dominus abstulit patri nostro.] R. Salomon. ait, כל לשון הצלה שבמקרא לשון הפרשה i. e. Verbum הציל ubicunque reperitur in Scriptura, separationem sive ablationem denotat. Hoc sane in loco significat simpliciter, auferre, vel eripere; alibi autem sæpe valet eripere è miseria, vel è periculo.

19. Et furata est Rachel אֶת־הַתְּרָפִים Teraphim patris sui.] Chaldæus, ית צלמניא, imagines patris sui. Aben Ezra refert nonnullos dicere, Teraphim esse instrumenta ænea, ad partes horarum cognoscendas facta. Aliorum autem opinionem esse, peritos astrorum posse efficere imagines, quæ certis horis loquantur; eosque ad id probandum afferre illud (Zach. 10.) Teraphim, sive simulacra locuta sunt vanitatem. Istius vero loci asserit alium esse sensum, ac sibi videri Teraphim esse imagines humana forma factas, idque ad recipiendam virtutem sive influentiam corporum cœlestium. Atque hoc (nempe Teraphim humanam effigiem habuisse) astrui posse existimat ex istis Teraphim, quæ Mical in lecto posuit, quæque custodes domus (milites à Saule ad trucidandum Davidem missi) Davidem esse existimarunt. Kimchi in Radic. (teste Fagio) scribit, (a) תרפים הם צלמים יודעים בהם העתידות i. e. Teraphim sunt imagines, per quas futura cognoscent. Lxx. hic interpretantur, εἴδωλα. Aquila, μορφώματα. Symmachus, θεραφίμ. Hos. 3. 4. LXX. pro Teraphim habent δήλων, manifestationes. Hieronymus ad istum locum refert Aquilam transtulisse φωτισμοὺς illuminationes. Chaldæus istic habet, מחוי i.e. indicantes; Kimchi ibidem rationem istius interpretationis reddit, שהם מגידים העתידות לדעת המאמינים בהם, i. e. Quod indicent futura, juxta opinionem eorum, qui in eis confidunt. Istiusmodi certe opinionem de Teraphim habuisse idololatras, apparet ex illo Zach. 10. 2. Teraphim locuta sunt vanitatem. LXX. ibi, οἱ ἀποφθεγγόμενοι, qui loquuntur. Quisquis (inquit D. Seldenus, de Diis Syris Syntag. 1. cap. 2.) δήλους, ἀποφθεγγομένους φωτισμούς, sive מחוי ea censet jure appellanda, & prædicendi sive futura monstrandi in iis fatetur simul facultatem. Recte interposuit vir doctissimus vocem istam, jure; Nam procul-dubio Interpretes, qui Teraphim istis nominibus exposuerunt, non nisi ex idololatrarum opinione istiusmodi appellationes eis tribuerunt. Considerandum (inquit Lyra) quod ubi Translatio nostra habet idola, in Hebræo habetur Theraphim: & dicunt aliqui, quod sunt imagines factæ partim per astronomiam, & partim per necromantiam, quæ dant responsa. Hebræi dicunt, quod est caput alicujus pueri primogeniti, interfecti, & sacrificati dæmoni; & istud caput præcisum salsatur, & aromatibus conditur, ut possit diu stare; & super linguam ejus in lamina aurea ponitur nomen dæmonis, & sic dat ibi responsa. Mercerus refert ista à Lyra memorata in Pirke (seu Capitulis) R. Eliezer contineri. Ac in isto quidem libro, cap. 36. hæc reperio; Quid sunt Teraphim? Mactabant primogenitum hominis, ejus caput diffindebant, & sale, atque oleo condiebant, ac inscribebant laminæ aureæ nomen immundi spiritus, istudque sub lingua ejus reponebant. Collocabant autem illud in pariete, & accendebant coram illo lucernas, atque supplicabant illi, & loquebantur cum eis. Hæc ibi; atque eadem pene in Targum Ionathanis habentur. Vorstius in Animadversionibus in Pirke Eliezer, ait varias descriptiones Theraphim inter Hebræos circumferri, sed omnes nulla vel exigua probabilitate elaboratas. Mercerus etiam existimat ignorari veram Teraphim effigiem. Burgensis asserit Teraphim in Hebræo semper significare imagines, vel simulacra; non autem semper significare simulacra facta ad quærendum responsa, vel ad idololatriam perpetrandam. Atque hæc quidem ex historia Mical (quam in hanc rem citat Burgensis) satis videntur probabilia. R. Salomon ait, Rachelem furatam esse hasce patris sui imagines, ut illum ab idololatria abstraheret; Constare enim ex vers 30. Labanem Teraphim ista pro diis habuisse. Aben Ezra istam opinionem improbat; Si enim (inquit) id in animo habuit, cur secum ista portavit, ac non potius in via abscondidit? Ipse igitur existimat Rachelem metuisse, ne Laban ex astrorum inspectione (ope horum Theraphim) qua via fugissent, intelligeret. In Pirke R. Eliezer, loco supra citato, utraque ratio exprimitur, nempe Rachelem illa furatam esse, ne indicarent Labano aufugisse Iacobum; & ut exstirparetur idololatria è domo ejus. Fagius refert etiam hanc caussam ab Hebræis assignari, cur imagines hasce Rachel abstulerit, nempe quod pro mercede, qua Laban Iacobum fraudaverat, eas acceperat. Ratio, quam amplexus est Aben Ezra, maxime videtur verisimilis; Nam ex historia cap. 35. apparet uxores Iacobi superstitioni adhuc nimium fuisse deditas.

20. וַיִּגְנֹב יַעֲקֹב אֶת־לֵב לָבָן Et furatus est Jacob cor Labanis.] Hoc est, ut Chaldæus explicat, וכסי יעקב מן לבן, i.e. Et occultavit Jacob à Labane. Hunc esse sensum, posterius membrum ostendit, eo quod fugam ipsius ei non indicavit, h.e. quod clam Labane fugit. Vide etiam ver. 27. Alio igitur sensu phrasis ista, furari cor alicujus, hic usurpari videtur, quam 2 Sam. 15:6. Hic Jacob dicitur furatus esse cor Labanis, quod furtim sive clanculum à Labane fugerit; illic autem, Absalom dicitur furatus esse corda filiorum Israël, quod furtim sive clanculum in corda eorum se insinuaverit. Quanquam utrobique eodem sensu phrasis accipi potest, nempe ut furari cor idem valeat quod fallere vel decipere. Targum Jonath. hic habet, וגנב יעקב ית דעתיה דלבן, i.e. Et furatus est Jacob scientiam Labanis. LXX ἔκρυψε δὲ Ἰακὼβ Λάβαν, Celabat autem Iacob Laban. Vulg. Noluitque Iacob confiteri socero suo quod fugeret. Vide ad ver. 26.

23. Iter septem dierum.] Hinc colligit R. Salom. Labanem tantum itineris uno die confecisse, quantum Jacob septem diebus. Jacobum enim non dubitat tribus istis diebus iter fecisse, quibus iter fecerunt ii, qui Jacobi discessum Labani nuntiabant, ut habetur ver. 22. Item tribus istis diebus, qui peracti fuerunt antequam Laban eo pervenire potuit, unde Jacob discesserat. Sex igitur dierum itinere ante Labanem fuisse videtur Jacob, & tamen die septimo Jacobum assecutus est Laban. Acuta quidem ratiocinatio, sed haud scio an etiam solida. Etiamsi enim triduo ante fugisset Jacob, quam Labani res innotuerit, haud tamen necesse est, & alterum triduum præteriisse priusquam ad locum unde Jacob discesserat, pervenerit Laban. Dicitur quidem cap. 30. 36. trium dierum iter fuisse inter oves quas custodiit Iacob, ac oves quæ filiis Labanis erant commissæ; sed ut demus Labanem jam cum filiis suis fuisse (de quo tamen haud liquet) gressum suum ita maturare potuit (nec dubium est, quin quanta maxima potuit celeritate profectus est) ut eo, ubi Iacob ante fugam erat, multo celerius perveniret.

24. Cave ne loquaris ad Iacobum מִטּוֹב עַד־רָע (b) à bono usque ad malum.] Id est, neque bonum, neque malum, nihil omnino, scil. in eum finem ut reducas Iacobum, uti recte exponit Aben Ezra. Schematismus Hebraicus (inquit Fagius) hunc habet sensum, Cave vel blanditiis, vel minis eum reverti facias. Ita etiam exponit Mercerus, & Gualtperius, qui notat similem phrasim esse 2 Sam. 13. 22. Et non locutus est Absalom cum Amnon à malo & usque ad bonum, seu, sive malum, sive bonum; h.e. nunquam hujus rei mentionem apud eum fecit, sive improbando, sive approbando. LXX φύλαξαι σεαυτὸν, μήποτε λαλήσῃς μετ' Ἰακὼβ πονηρά, Cave tibi, ne loquaris cum Iacobo mala. Vulg. Cave ne quicquam asperè loquaris contra Iacob. Vim Hebraicæ phraseos non videntur animadvertisse; certe non expresserunt. R. Salom. argute hinc notat, etiam improborum bona justis esse mala, כל טובתן של רשעים רעה היא אצל הצדיקים. Improborum bona mala.

25. In monte Gilead.] Ita hic per anticipationem mons iste appellatur, ut notat Hieron. in Tradit. Sic ver. 21. & 23.

26. וַתִּגְנֹב אֶת־לְבָבִי Et furatus est cor meum.] LXX ἵνα τί κρυφῇ ἀπέδρας, καὶ ἐκλοποφόρησάς με; Quare clanculum fugisti, & furatus es me? Videntur ista, καὶ ἐκλοποφόρησάς με, ex altera aliqua versione huc esse inserta. Vel potius Interpretes ante oculos habuerunt ea, quæ sequuntur ver. 27. למה נחבאת לברח ותגנב אתי, i.e. quare occultasti fugere (occulte fugisti) & furatus es me, furtim me reliquisti? Nam Græca versio hunc versum cum sequente miscet, & confundit.

32. Cum quocunque inveneris deos tuos, ne vivat.] R. Salom. ait ex hac Iacobi execratione factum esse, ut Rachel in via more-

(a) Sic in Fagio habetur, malim vero יודעים.

(b) Eadem loquendi formula habetur cap. 24. 50.

moreretur. Aben Ezra vult assertive dictum, (*c*) *Non vivet, sed ego eum interficiam.* Non placet ei, ut sit imprecatio, nec ut hinc secuta sit mors Rachelis, cum uxor Phinees, nulla præeunte imprecatione, æque ac Rachel in puerperio obierit. Frivolum certe est, Rachelis obitum huic imprecationi, si modo fuit imprecatio, ascribere. Arbitror autem nec imprecationem esse, nec assertionem, sed potius concessionem; q. d. si cum quoquam deos tuos inveneris, per me licet eum interficias. Targum Ionathanis, ימות בלא זמניה, *morietur* (vel moriatur) *tempore non suo, prematura morte moriatur.*

Coram fratribus nostris cognosce quid mecum sit, &c.] LXX ista, *coram fratribus nostris*, cum præcedentibus connectunt, οὐ ζήσεται ἐναντίον τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, *Non vivet coram fratribus nostris*, i. e. coram fratribus nostris interficiatur. At forte culpa est non Interpretum, sed librariorum, qui locum non recte distinxerunt. Vulg. *Coram fratribus nostris scrutare, &c.*

33. *Et venit Laban in tentorium Iacobi.*] LXX hic vocem Hebræam, nempe אהל, *Ohel*, i. e. *tentorium*, quæ sæpius repetitur, semper vertunt οἶκον, i. e. *domum.*

35. *Quia juxta consuetudinem fœminarum accidit mihi.*] Intelligit fluxum menstruorum, qui cap. 18. 11. dicitur *via mulierum.* Mercerus refert Rambam hic objicere, Num menses obstant, quo minus mulieres possint surgere? Deinde respondere, in plerisque mulieribus menses ita afficere, ut etiam dolorem capitis, stomachi, & totius corporis membrorum gignant, ut decumbere cogantur in lecto, aut strato. Item magis abominationi fuisse apud veteres, quam apud nos mulieres menstruatas, ut nihil prorsus cum illis haberent commercii, ac ne alloquio quidem eas dignarentur. Unde non legimus Labanem eam sermone dignatum esse, sed protinus resiluisse, & ab ea abhorruisse.

36. דָלַקְתָּ אַחֲרָי *Persecutus es me.*] Chaldæus, R. Salomon & Aben Ezra exponunt דלק per רדפת, i. e. *persecutus*, vel *insecutus es.* Quia autem דלק etiam ardere significat, ideo non male Mercerus existimat דלק gravius esse quam רדף, ac significare *ardenter persequi.*

39. אָנֹכִי אֲחַטֶּנָּה *Ego id solvebam.*] Sic LXX ἐγὼ ἀπετίννυον. Vulg. *Ego damnum omne reddebam.* Aben Ezra exponit, החטא היה עלי, i. e. *peccatum fuit super me, fuit mihi imputatum.* Verbum חטא hic idem est quod *luere* sive *solvere*, ut recte notat Lubbertus contra Socinum de Satisfact. Christi, lib. 2. cap. 11. Mercerus ait vicinum esse ei significationi, qua in Piel significat *expiare à peccato*, ut Psal. 51. 7. תחטאני *expies me hyssopo, &c.* Sic hoc in loco, *Ego corrigebam illud, noxam in me suscipiebam, damnum præstabam.* Est autem אֲחַטֶּנָּה cum defectu Aleph pro אֲחַטְּאֶנָּה.

42. *Et timor Isaaci.*] H. e. ut Chaldæus interpretatur, *Et ille quem timuit Isaac.* Atque ita etiam Targum Ionathæ. Etiam ver. 30. & 32. ubi de idolis Labanis sermo habetur, pro אלהי, *deos meos*, & אלהיך, *deos tuos.* Chaldæus habet דחלתי, *timorem meum*, & דחלתך, *timorem tuum. Timor* ponitur *pro eo qui timetur.* Ab. Ezra putat Iacobum hic meminisse timoris Isaaci, quod eum sibi profuisse existimarit. Atque addit, כי זכות האב תעזור לבן, *Nam pietas patris prodest filio.* Sed ut hoc verum sit, non esse tamen hujus loci sensum apparet ex ver. 53. Ipse Aben Ezra ad istum versum, ubi dicitur Iacob jurasse *per timorem patris sui Isaaci*, exponit, במי שהיה אביו מפחד ממנו, *per eum, quem pater ipsius timebat.* Addit ibidem nonnullos dicere, eum innuitimorem, quo timebat Isaac cum esset ligatus; nec hoc alienum esse existimat (ואינו רחוק) At ego arbitror hoc longe alienissimum. Mercerus refert Hebræos hinc Deum vocare מורא, i. e. *timorem*; quin & ita appellare cum verum Deum, tum deos alienos, quos timent idololatræ. R. Salom. asserit Iacobum dixisse, *timor Isaaci*, non autem *Deus Isaaci*, quod *Deus non soleat nomen suum iustis tribuere, dum in vivis sunt.* Ad id autem quod legitur cap. 28. 13. respondet, id tunc quidem à Deo factum, quod Isaac, caligantibus ejus oculis, quasi mortuus habebatur; alias autem usitatum non esse, nec ausum fuisse Iacobum ita loqui. Sed hæc frivola esse videntur. Vide ad cap. 32. 9.

47. *Et vocavit eum Laban, Iegar Sahadutha; Iacob autem vocavit eum Galeed.*] LXX Καὶ ἐκάλεσεν αὐτὸν Λάβαν, βουνὸς τῆς μαρτυρίας· Ἰακὼβ δὲ ἐκάλεσεν αὐτὸν, βουνὸς μάρτυς, *Et vocavit eum Laban, Acervus* (vel *collis*) *testimonii*; *Iacob autem vocavit eum, Acervus* (*vel collis*) *Testis.* Forte lectio est mendosa, & pro μάρτυς debet esse μάρτυρος. Verisimile enim est Græcos Interpretes utrobique genitivum posuisse, βουνὸς μαρτύρου, ut βουνὸς μαρτυρίας. Eadem certe utrobique est ratio. Vulg. *Quem vocavit Laban, Tumulum testis*, & Iacob, *Acervum testimonii*; uterque juxta proprietatem linguæ suæ. Ultima illa verba, *Uterque juxta proprietatem linguæ suæ*, (ut Lyra notat) non sunt de textu, sed ab Interprete addita. Et si dixisset (inquit Lyra) *Et vocaverunt acervum testimonii*, sed unus idiomate Syro, alter idiomate Hebræo, clarior esset translatio. Minus autem accurate verba Hebræa ac Syra reddidit Latinus Interpres, quam Græci. Nam Syriace שהדותא *Sahadutha* (in nonnullis codicibus apud Lyram male legitur *Sebadura*) est *testimonium* potius quam *testis*; & contra Hebraice עד *Ed* est *testis* potius quam *testimonium*; licet etiam Hier. in Tradit. interpretetur utrumque, nempe & *Ed*, & *Sahadutha*, *testimonium.* Sed ista fortasse non adeo magni sunt momenti. Nam verisimile est, Iacobum idem plane verbis Hebræis exprimere voluisse, quod Laban verbis Syris expresserat.

(*c*) *Ita Hebræa potius sonant*, לא יחיה.

54. וַיִּזְבַּח יַעֲקֹב זֶבַח *Et sacrificavit Iacob sacrificium*] Vel, *mactavit mactationem*, scil. ad convivium, ut interpretatur R. Salom. idque recte, ut sequentia demonstrant. Verbum זבח apud Hebræos, ut & θύειν apud Græcos tum *sacrificare*, tum generaliter *mactare* significat. Vide Matth. 22. 4. Ioan. 10. 10.

Ad comedendum panem.] Recte R. Salom. כל דבר מאכל קרוי לחם, i. e. *Omnis cibus vocatur panis.* Dan. 5. 1. עבד לחם רב, *fecit magnum panem*, i. e. *magnum seu lautum convivium.*

CAP. XXXII.

MUNSTERUS.

2. M*Ahanaim*] Non est hic in Hebræo *Mahanim*, quod significat *castra* vel *turmas* absolute, sed *Mahanaim*, quod significat *duas turmas.* Nam habuit in illo loco Iacob turmam suam, & præterea apparuit ei turma angelorum; & ob has duas turmas appellavit locum illum *Mahanaim* in duali numero. Unde Hebræi docent, מחנה אחד של חוצה לארץ ואחד של מלאכים.

9. *Dominum est,*] Potest hic locus etiam reddi in secunda persona, cum participium אמר incertæ sit personæ. Onkelos legit in tertia persona.

20. *Placabo*] Vel, ut Hebraica habent, *propitiam reddam faciem ejus.* Et quod sequitur, *Forsitan suscipiet faciem meam*] Hebraismus est, pro, *propitiabitur mihi*, vel *reverebitur me.*

24. *Luctabaturque*] Non satis convenit inter Hebræos de verbo quod hic scribitur, nempe ויאבק. Multi sequentes R. Menahem exponunt sic, *& pulverisatum est virum Jacob*, h. e. inarenam descendit cum eo, ut Latini dicunt; vel, ut Kimhi exponit, *pedibus pulverem excitaverunt, cum sese mutuo complexarentur.* Gerundensis vero dicit אבק hic accipi pro חבק *amplexatus est*, ut certatores & luctatores faciunt.

25. *Nervum femoris*] Dictio Hebræa כף proprie non significat *nervum*, sed *superficiem manus interiorem*, & *plantam pedis*: hic vero capitur pro *loco femoris habentis formam manus recurvatæ*, ut Kimhi exponit. Chaldæus vertit פתי; *latitudinem femoris.* Alii exponunt כף pro *recurvatione quæ in femore invenitur.* Est igitur sensus, quod vir ille manum curvam impressit coxæ Jacob, ex quo contactu amotus seu luxatus est nervus femoris. Et nota quod ותקע est in passiva voce Kal. poniturque loco Dages Zere sub Tau. Nam radix verbi est יקע, quod significat idem quod סר, *recessit.*

28. *Israel*] Errant qui ajunt nomen *Israel* interpretari *virum Deum videntem.* Sed etymon ejus in textu explicatur, nempe *qui principatur*, vel *confligit, cum Deo.*

32. *Nervum dissipatum*] Quidam interpretantur hic *nervum latum*; alii, *nervum contractionis*; & rursum alii, *nervum qui obstupuit.* Inter Hebræos quoque non convenit de vocabulo הנשה. Aliqui exponunt נשה, *oblivionem*, nempe quod fuerit nervus oblivionis, h. e. quod locum suum deseruerit, & contractus in superiorem locum resederit. Alii ajunt נשה idem esse quod נשה, *dissipatum est, periit*: & huic opinioni Kimhi subscribit. Insipientiores hoc intelligunt de membro גיד, ut Ben Ezra adducit.

FAGIUS.

2. M*Ahanaim*] Vox est dualis numeri, & significat *duo castra* seu *turmas.* Sentiunt Hebræi sic locum illum vocasse Jacob propter sua castra quæ ipse habebat & propter castra Angelorum

gelorum quæ sibi obviam veniebant atque in isto loco conveniebant; vel propter duo castra Angelorum, quorum alii eum ex Mesopotamia deducebant, alii vero ex terra Chanaan obviam ei venientes redeuntem excipiebant. Quod enim cuique provinciæ & regioni sui Angeli, qui curam ejus gerant, deputati sint, supra ex sententia Hebræorum commemoravi. Thargum Hierosol. hunc locum ita reddidit, *Et dixit Jacob, quando vidit eos, Fortassis castra Laban fratris matris meæ sunt, quæ veniunt ut aciem instruant contra me, atque occidant me: vel fortassis castra sanctorum Angelorum sunt, missa à Domino, quæ veniunt ut liberent me de manibus eorum. Propterea vocavit nomen loci istius Mahanaiim.*

10. *Quoniam solus transivi Iordanem*] i. Sine comitatu: Expressit Paraphrastes sensum Hebraismi, *Quoniam in baculo meo transivi Iordanem.* quo innuit solum, nudum & tenuem se transisse Jordanem. q. d. Cum transirem Jordanem istum, ut irem in Haran, nihil amplius habebam quam baculum in manibus, modo vero dives, locuples, & magno comitatu revertor in patriam.

13. *Quod veniebat in manum suam*] Tropus est pro, *quod in promptu habebat*: Vel, ut quidam accipiunt, *quod in potestate sua habebat.* i. Munus fratri paravit ex eo quod suum, quodque præsens & ad manum erat.

20. *Fortassis suscipiet faciem meam*] Hebraismus est pro, *Fortasse suscipiet me fronte hilari*, vel, *honorifice excipiet.* Nata videtur hinc isthæc locutio, quod qui videt se gratum, charum & acceptum esse, atque honorifice tractari, exhilaratur quodammodo, exporrectaque fronte incedit; secus vero, dejicitur animus & vultus alicujus, tristatur & humiliatur.

25. *Tetigit latitudinem femoris*] intelligit latum os coxæ, quod ex contactu Angeli loco suo dimotum claudicandi occasionem præbuit. Hebraice est, ויגע בכף ירכו, quod fere omnes vertunt, *Et tetigit nervum femoris ejus.* Vox Hebræa *Caph*, quam *nervum* reddunt, proprie *interiorem partem manus*, i. *volam*, & *plantam pedis* significat. Et propter similitudinem hoc in loco *vertebram* & *cotylen* significat, i. ossis cavitatem illam in qua absconditur summa pars femoris, quod *ischium* Græcis dicitur; & etiam caput illud femoris quod in ischium inseritur. Quibus adstipulatur & R. D. K. in Rad. ubi super hunc locum sic scribit, לפי שהעצם הנכנס בו עצם הירך כפוף ויש מפרשים כי נקרא כן כף לפי שהבשר אשר סביב עצם הקולית העליונה עשוי כמין כף *Sensus est, Os illud in quod os femoris ingreditur, Caph vocatur, eo quod recurvatum est. Alii vero sentiunt sic vocari, eo quod caro quæ est circa os cotylæ superioris, formam habeat manus recurvatæ.* Hactenus Kimhi.

26. *Dimitte me*, &c.] Thargum Hierosf. habet, *Dimitte me, quoniam ascendit columna auroræ: Et ecce appropinquavit hora Angelorum ad laudandum Deum*, &c.

28. *Quoniam princeps es tu*, &c.] Potest etiam legi, *Quoniam magnus es tu coram Domino, & cum fortibus* (subaudi *contendisti*) *& prævaluisti.* Per *fortes* autem Angelos intelligunt. Vel sensus esse potest, q. d. Si cum Deo & Angelis contendisti, & superior evasisti, quanto magis homines superabis? Quia enim Jacob Esau valde metuebat, voluit eum Deus hac monomachia & quasi velitari pugna exercere, victoremque abire, ne fratris metu posthac teneretur, sed forti lætoque animo illi obviam iret.

30. *Et liberata est anima mea*] Colligunt Hebræi ex hoc & aliis locis Scripturæ, Deum nulli mortalium apparere citra mortis discrimen. Et hinc esse ajunt quod Dominus dixerit ad Mosen, *Non videbit me homo, & vivet*, Exodi 33. quodque Manohah dicebat, *Morte moriemur.* atque hinc Iacob pro magna gratia habuisse, quod *vidisset Deum facie ad faciem, & quod liberata esset anima ejus.*

32. *Nervum luxatum*] Heb. 32. גיד הנשה, Chald. גיד נשיא. Est autem variatio circa hæc apud authores. Alii enim interpretantur *nervum latum*; alii, *nervum contractionis*; alii, *nervum qui obstupuit, obtorpuit, emarcuit, dissipatus & inutilis factus est.* Hebræi vocant *nervum oblivionis*, quod scilicet ex contactu Angeli locum suum deseruerit, & contractus in superiorem locum resederit. Ita enim scribunt Hebræi, ונקרא גיד הנשה שנשה ממקומו ועלה כלומר כאילו שכח מקומו וסר ממנו. *Et vocatur Gid hanasche, quod motus fuerit loco suo, & ascenderit, q. d. quod oblitus fuerit loci sui, & recesserit ab eo.* Itidem quoque Hebræi sic tradunt, גיד הירך הוא גיד ארוך וראשו מחובר בעצם האליה ויורד ומתפשט על הכף והוא שנקרא בתלמוד חזון על עצם נקרא בתלמוד חזון כי הוא נתון כולו כנגד חזון של ירך אלא נכנס בכף, *Nervus iste nervus oblongus est, cujus caput conjunctum ossi quod caudæ adhæret, & descendens exporrigitur super coxendicem: vocaturque in Thalmud Hizan, eo quod* plane exteriorem partem femoris occupat, nec invenitur in ave. Hæc illi. Alii vocem נשה pro נשה *dissipatum est, periit, emarcuit*, accipiunt; unde legunt *nervum dissipatum*: cui sententiæ subscribit R. D. K. in lib. Rad. quem, si placet, videre potes. Iudæi vulgo exponunt die springendig ader. Ex nostris interpretibus hodie quidam vertunt die hohe ader, quasi veniat à verbo נשא, quod *elevari & exaltari* significat. sed reclamat punctatio. Non desunt quoque inter Hebræos qui per nervum istum membrum genitale intellexerunt, sed stulte: unde merito illos ridet & eludit A. E. Quomodo enim claudicasset Iacob, cum membrum genitale extabefactum non impediat incessum, sed nervus quo crura sustinentur, & per quem motus exercetur? Quidam porro ex nostris hunc locum sic legunt & intelligunt, *Non comedunt filii Israel musculum contractionis, qui est super acetabulum ossis femoris, usque ad hoc tempus; Quia tetigit* (sub. *Angelus*) *acetabulum femoris*, vel *coxendicem*, *Jacob, quod est juxta musculum contractionis.* i. Non comedunt musculum contrahentem sese, & moventem femur, qui musculus est juxta acetabulum ossis femoris; quia Angelus Dei tetigit acetabulum femoris, quod est juxta musculum moventem femur.

IDEM.

25. ויגע בכף ירכו ותקע כף ירך יעקב בהאבקו עמו *Tetigit nervum femoris ejus, & amotus est nervus femoris Jacob, dum ille luctaretur cum eo*] VOX Hebræa, pro qua interpres Latinus vertit *nervum*, Hebræis proprie *interiorem partem manus*, i. volam, & *plantam pedis* significat. Hic autem significat *vertebram & cotylen*, i. ossis cavitatem illam in qua absconditur summa pars femoris, quod *ischium* Græcis dicitur: & etiam caput illud femoris quod in ischium inseritur. His adstipulatur & R. D. Kimhi in Radicibus suis, cujus verba supra habentur. Paraph. Chaldæus שי vertit, quod quidam *latitudinem* exponunt, quam lectionem sequuntur LXX. Porro verbum תקע quod post LXX Lat. interpres *emarcuit* reddidit, potius *amotum est, recessit, transtulit se, & eluxatum est*, significat. Est enim sensus, quod vir ille manum curvam impressit coxæ Jacob, ex quo contactu amotus est nervus femoris. Verti ergo potest, *Tetigit coxendicem, & luxata est coxendix.*

28. כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל. *Quoniam ut princeps conflixisti cum Deo & cum hominibus, & prævaluisti.*] Hunc locum quidam ex nostris sic explicant, q. d. angelus, *Nequaquam posthac Jacob* (i. *supplantator*) *sed Israel* (i. *Dei princeps*) *vocaberis.* Non enim insidiis, non malis artibus, non supplantatione, mecum egisti, ut solent luctantes, sed aperto & æquo Marte. Ut sit occulta confortatio ipsius Jacob ne fratrem metuat, cum sit tam fortis pugil: q. d. angelus, Quandoquidem cum Deo conflixisti & prævaluisti, etiam hominum facile victor ac dominus eris. Quia ergo Jacob fratrem Esau valde metuebat, voluit eum Deus hac monomachia & quasi velitari pugna exercere, victoremque abire, ne fratris metu posthac teneretur, sed forti, infracto lætoque animo illi obviam iret. Cæterum observabis hic hallucinari qui vocem Hebraicam ישראל *virum* aut *mentem videntem Deum* interpretantur, decepti videlicet vocum similitudine, quasi conflatum sit ex nomine איש, quod *virum* significat, & verbo ראה, quod *videre*, & אל, quod *Deum* significat; cum potius deducatur à verbo שרה, quod *dominari, principari, & superiorem esse* significat, & אל, i. *Deus*: hinc ישראל, i. *dominator Dei*, vel *superans Deum*, vel *princeps cum Deo*, sicut & angelus interpretatur. Fallitur quoque Lyranus, qui idem nomen asserit *directum cum Deo* interpretari posse, quasi derivatum sit à verbo ישר, quod *rectum esse* significat; quod tamen errorem esse coarguunt puncta Smol & Jamin. ישראל enim cum Sin exili, ישר vero cum Sin crasso scribitur. Cæterum Jod à principio litera est præpositiva, quæ adjecta verbis futurum tempus constituit. Et est una quoque ex literis Tetragrammaton, unde non carent mysterio quæ per hanc literam formantur nomina, ut sunt יצחק, יעקב, ישראל, יהושע, & similia: adumbratum enim eo fuit tandem ex illorum semine proditurum qui verus Deus & salvator futurus esset, nempe Jesus Christus Dominus ac Redemptor noster, cujus isti omnes typi fuerunt. Tandem & hoc notabis, non haberi in textu Hebraico istud quod legitur in quibusdam Latinis exemplaribus, *Quod est mirabile*, quod ex 13. cap. Iudicum huc à sciolo quodam adjectum videtur, quod ibi atque hic admodum similia dicuntur. Quod idem & in multis aliis locis simili de causa accidisse apparet.

V A-

VATABLUS.

1. *Abiit in viam suam* ; [הלך לדרכו] i. cœpit conficere iter inceptum.

3. *Et misit* [וישלח] Hæc est octava Hebræorum sectio hujus primi libri Mosis, quam suo more à prima dictione וישלח denominant.

4. *Sic dicit*, &c. [כה תאמר וגו'] Hebraismus; *Hæc servus meus Jacob vult tibi esse nota.*

5. *Mittóque ut nuntiem* [ואשלחה להגיד] Præt. Heb. pro præs. Multa hîc sunt subaudienda ; acsi dicat, *& mitto nuntios ut annuntient domino meo adventum meum ; ut inveniam*, &c. h. e. *missis nuntiis, volui indicare domino meo reditum meum: ut hâc ratione invenirem gratiam ejus.* Alii aliud subaudiunt, *ut annuntient domino meo quæcunque præcepit mihi Dominus.*

6. *Cum quadringentis*, &c. [וארבע וגו'] Ad verbum, *& quater centum viri cum eo.* Hi honoris causâ illum comitabantur.

8. *Tunc erit turma*, &c. [והיה המחנה וגו'] Ad verbum, *& erit turma reliqua in liberationem*, i. alia turma evadet ac liberabitur.

9. *Qui dixisti* [האמר] Ad verbum, *qui dicens.* Præs. pro præt. i. cujus admonitione ac impulsu cœpi tractare consilium redeundi in patriam meam. ¶ *Et ad cognationem tuam* [ולמולדתך] Ad verbum, *& ad nativitatem tuam*, i, ad terram nativitatis tuæ.

10. *Inferior sum*, &c. [קטנתי וגו'] Ad verbum, *Minor sum*, &c. Hebraismus, *Indignus eram in quem tanta beneficia conferres, indignus inquam eram omnibus promissionibus tuis quas adimplesti servo tuo.* ¶ *Cum baculo meo* [במקלי] i. cum scipione solo quem manu gestabam. Chald. paraph. *solus.* i. incomitatus. q. d. Quum transirem Jordanem ut irem in Haran, habebam mecum tantùm scipionem meum, nunc autem deduco mecum duas turmas. diviserat enim quæcunque habebat in duas turmas, ut dixit suprà. ¶ *Habeo duas turmas.* [הייתי לשני מחנות] Ad verbum, *factus sum in duas turmas.*

12. *Et tu quidem dixisti* [ואתה אמרת] *Tu tamen dixisti.* i. Promisisti mihi quòd multis beneficiis me afficeres.

13. *Ex iis quæ*, &c. [מן הבא וגו'] Hebraismus, *adornavit munus ex his quæ habebat ad manum & in promptu.*

16. *Transite ante me*, [עברו לפני] *Præcedite me. Antecedite.*

19. *Juxta verbum hoc* [כדבר הזה] Hebraismus, *Iisdem verbis respondebitis*, &c.

20. *Et adjicietis*, [ואמרתם גם] Ad verbum, *Et dicetis etiam.* ¶ *Est post nos* [אחרינו] *sequitur nos.* ¶ *Dixit enim*, [כי אמר] *dicebat enim.* i. ità apud se cogitabat. ¶ *Faciem ejus* [פניו] *iram ejus.* Ex facie hominis dignoscitur ira. ¶ *Suscipiet faciem meam.* : [ישא פני] Hebraismus, *me lætâ fronte suscipiet*: h. e. fortasse ero ei gratus. vel, forsitan honorificè me suscipiet.

21. *Cum turma.* : [במחנה] *in castris ipsis.*

23. *Flumen* [הנחל] i. torrentem.

24. *Relictus est itaque* [ויותר] nempe ultra Jordanem, à parte montis Galaad. ¶ *Vir* [איש] *quispiam.* ¶ *Ascenderet* [עלות] i. inciperet apparere.

25. *Palam*, &c. [בכף ירכו ותקע כף ירך] *acetabulum [coxendicem] femoris ejus, & movit se loco acetabulum, vel coxendix* : aut potiùs, *os rotundum femoris loco suo motum est.* כף enim significat *vertebram & cotylen*, i. ossis concavitatem illam in qua absconditur summa pars femoris, quod ἰσχίον Græcis dicitur; & etiam caput illud femoris, quod in ἰσχίον inseritur. Os igitur ipsum femoris quod in ἰσχίον inseritur, loco suo motum est, non acetabulum.

26. *Dixitque* [ויאמר] sub. *ille qui luctabatur cum Jacob. Nisi benedixeris mihi.* : [כי אם ברכתני] i. nisi bene precatus fueris mihi. Cognovit Jacob athletam quocum pugnaverat, Deum esse ; quia benedictionem ab eo petit, quam ab homine mortali simpliciter petere non licebat. Sic doctiorum judicio intelligi debet Oseæ locus c. 12. 3. *In utero supplantavit fratrem suum ; & fortitudine suâ prævaluit Angelo, prævaluit inquam Angelo, & prævaluit illi, flevit, & rogavit eum.* Significat enim Propheta, postquam victor evaserat Jacob, supplicem tamen fuisse Deo, & cum lachrymis precatum.

28. *Princeps fuisti*, &c. [שרית וגו'] Ad verbum, *strenuè egisti [prævaluisti] cum Deo, & cum hominibus, & prævaluisti.* Noster interpres cum Chaldæo paraphraste, & LXX, posterius præteritum convertunt in futurum ; & ו redundare volunt. Alii convertunt illud in *Quantò magis* : & hic sensus doctioribus magis placet, *Quum in lucta te heroicè gesseris cum Deo, illique prævalueris ; quantò magis superior futurus es hominibus ?* Nam certè consilium Dei fuit, servum suum tam insignis victoriæ fiduciâ instructum ad varias pugnas dimittere, nè in posterum vacillaret : non enim hominum more nomen imponit, sed rem ipsam simul confert, ut certò respondeat eventus. Alii exponunt, ut Hebraicè legitur, Quia strenuum te exhibuisti apud Deum & homines, certando ac luctando cum Angelo qui personam hominis sustinebat, & in ea lucta superior fuisti.

30. *Et evasit anima mea.* [ותנצל נפשי] *& liberata est vita mea.* i. mortuus non sum.

32. *Nervum contractionis* [את גיד הנשה] i. nervum qui se contraxit & dimovit è loco suo. נשה enim est *recedere, removere & oblivisci*, acsi oblivisceretur loci sui, & ab illo recederet. q. d. Abstinent à musculo contrahente sese, & movente, sive à parte illa coxendicis. ¶ *In pala* [בכף] *in acetabulo.* vel *coxendice.* sive *in osse rotundo femoris movente se in acetabulo.*

CASTALIO.

25. *Ejus cavum femoris perstrinxit*] Putavi aliquando esse poplitem. Sed mihi dixit Judæus quidam, esse cavum femoris ad inguen, cùm eum interrogassem quinam nervo abstinerent.

32. *Nervo contrahente*] Quidam nervi membra adducunt atque contrahunt. Hi, si quo affectu contrahuntur ut extendi non possint, membra porrigi prohibent. Hinc est Jacobi claudicatio, ut propter nervum breviorem factum femur extendere non posset.

CLARIUS.

1. *Fueruntque ei obviam angeli*] Ut lenirent timorem qui ei impendebat ex subito occursu fratris.

2. *Mahanaim*] Alius sic vertit, *Vocavit nomen loci illius Mahenajim* h. e. *duplicia castra* ; quòd habuerit in eo loco Jacob turmam suam, & præterea apparuerit ei turma angelorum.

10. *In baculo meo*] Quid sit *in baculo transire Iordanem* declarat id quod sequitur, *Et nunc cum duabus turmis regredior.* Significat ergò se, cùm proficiscens nihil haberet, nunc ità auctum reverti.

22. *Transivit vadum Iaboch*] Jaboch flumen Jordanem influens, initium est terræ decem tribuum. Complebantur eâdem nocte promissiones Dei ad patres. Ingrediebatur enim terram promissam, & semen suum undecim filios jam reposuerat in terram, divitias multas trajecerat : ideo precabatur totâ reliquâ nocte Dominum ut felix sibi ac posteris esset hic introitus. Per luctam ergò illam significata sunt futura suorum adversa, quæ tamen essent superanda.

23. *Transductisque omnibus*] Heb. *Et accipiens eos, transmisit eos ultra torrentem, transmisit quoque quicquid habuit, & relictus est Iacob solus.*

25. *Amotus est nervus femoris*] Jam designabantur futuri mores illius populi in terra promissionis, qui tam pravè ambulaverunt cum Deo suo.

28. *Israel*] Explicat textus significationem hujus vocis, nempe *qui principatur*, vel *confligit, cum Deo* ; & *princeps*, vel *potens, cum Deo.*

29. *Cur nunc quæris nomen meum?*] In Hebræo non habentur illa verba, *quod est mirabile.* Nondum (inquit) tempus est revelandi nominis Dei magni, quod Mosi reservatur : ut Exod. 6. *Ego apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & in nomine meo IEHOVA non sum cognitus illis.*

30. *Phanuel*] Sive, *Peniel*, h. e. *facies Dei.*

31. *Ipse verò claudicabat pede*] Vel, *claudus erat in femore suo.*

32. *Nervum qui emarcuit*] Quidam interpretantur hîc, *nervum latum* ; alii, *nervum dissipatum* ; alii, *nervum contractionis* ; alii, *nervum qui obstupuit.*

DRUSIUS.

2. *Castra Dei*] Ubi nos legimus *castra Dei* ; legi etiam potest, *castra Deorum*, i. Angelorum. Nomen enim *Elohim* tam Angelos denotat quam ipsum Deum. Cùm Angelos designat, tunc est nomen plurale : cum Deum, singulare in terminatione plurali. Dico, singulare, quoad sensum. nam terminatio semper pluralis est. Hanc sententiam expressit Jonathan,

nathan, referens, *castra angelorum sanctorum*, *quæ missa erant*, [Vel, *qui missi erant*,] *à Deo*. Sic Psal. 8. ubi Hieron. *Minuisti paululum à Deo*, Senes ediderunt, παρ' ἀγγέλους. & sic Apostolus eum locum citat. Quidam eo modo interpretantur locum, *eritis sicut Dii*. Nam de Personis exponi non potest, cùm Personæ Divinæ nusquam *Dii* vocentur, quod sciam. Quid igitur? Si Personas intelligi velis, vertendum erit, *sicut Deus*, ut nomen *Elohim* illic essentialiter accipiatur. Similiter quos Aquila vocat *filios Deorum*, Angelos fuisse putant, vel certè judices aut principes, qui sic nuncupantur ut *filii hominum* dicuntur ipsi homines. Ergò *filii Deorum* dicas an *Dei* hilum non interest. Sic Job 1. *filii Dei* an *filii Deorum* legas, idem sensus erit. nam eos designat qui hîc vocantur *Angeli Dei*. Cur *Angeli Dei*? quia etiam Satan suos Angelos habet. Cæterùm quoniam in fonte, *Angeli* Dei, *Elohim*, est cur hic potiùs vertendum existimem, *castra Dei*. nam idem nomen utrobique. Huc refer, *Deus in medio deorum judicat*, i. Angelorum aut Judicum. nam etiam judices *Elohim* vocitantur, ut ibi, *adduces eum ad Elohim*. Sensus est, πρὸς τοὺς κριτάς, *ad judices*. Sunt qui opinantur hanc propriam hujus vocis significationem esse.

6. *Quadringenti viri cum eo*] Jonathan & autor Jerosol. *quadringenti polemarchi*. Græca vox est πολέμαρχος, quæ significat *ducem belli*. Quod hactenus Lexica ignorarunt. intelligo Lexica Chaldaica & Rabbinica. Scribunt פולמרכוס, unde pluralem formant פולמרכין πολέμαρχοι. Sic à לסטס λῃστής dicunt לסטין λῃσταὶ *latrones*, & interdum לסטסין, retentâ ultimâ singulari. Quod etiam fit in אכלוסין ὄχλοι *turbæ*, à singulari אכלוס ὄχλος *turba*. Sed quid? an omnes qui Esavum comitabantur duces belli erant? Fortè abusi sunt ea voce ad significandum *bellatores*, quos infrà 33. 15. פולמוסין appellant, à singulari פולמוס *bellator*, πολεμιστής, quæ vox exstat & Job. 5. 5. in Thargum, Lexicon vetus, πολεμάρχης, *belligerator*. A πόλεμος, quod *bellum* denotat, fecerunt פולמי *bellicosus*, *bellator*, *militaris*: unde פולמסין πολεμικοὶ *bellatores*, vel, si mavis, *belligeratores*. Cæterùm in Ebræo איש nomen est ἀρετῆς, ac proinde non quemvis bellatorem innui putarim. Ut ut sit, abutuntur vocibus Græcis hoc modo, ut cùm אננקי ponunt pro *angustia*. Græcum est ἀνάγκη, quæ in ea lingua *necessitatem* significat. Sed ipse Apostolus pro *angustia* usurpat, cùm ait, διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *ob instantem angustiam*, *afflictionémve*. Sic *legio* certus numerus est militum apud Romanos: illi pro quavis multitudine utuntur, ut cùm dicunt, *Legiones olearum*. *Stola* Græcum est στολή quod Latini restringunt ad vestem muliebrem: interpretes tamen utuntur pro quavis veste. Vide Præterita mea.

10. *Cum baculo transivi Jordanem*] Hoc videtur velle, Cùm transirem Jordanem versùs Mesopotamiam proficiscens, nihil habebam præter baculum, qui מקל Ebræis, & de pedo pastorali usurpatur Zach. 11. 10. sed hîc videtur innuere baculum quo viatores communiter uti solent, cùm aliquò iter faciunt. Hujusmodi baculum Græci ῥάβδον appellant, ut quidam opinantur, παρὰ τὸ ῥᾷον ποιεῖν βαδίζειν. Docent enim medici evitari fatigationem siquis cum baculo incedat. Nam per declivem locum præmissus corpus, quod præceps quasi ruere videtur, seu conto cuidam innixum retinet: Rursum, cùm ascendendum est, ipsi innitentes baculo faciliùs in acclivia corpus promovemus. Videndus Æginetа l. 1. c. 55. Nescio an huc respexerit ὁ Σωτὴρ Marci 6. 8. cùm præciperet discipulis suis ut nihil sumerent ad iter εἰ μὴ ῥάβδον μόνον, *nisi solum baculum*. quanquam contrarium præceptum exstat Matth. 10. 10. His adde quod Exod. 12. 11. ubi filiis Israel, cùm parati esse deberent ad iter, dicitur *baculus vester in manu vestra*. Vide nunc, si vacas, Annotationes magnas, & Proverbia mea sacra class. 2. l. 4. ad 85.

IDEM.

11. קטנתי מכל וגו׳ A. *Elongatus sum supra omnes misericordia & omni veritate*.] Si legis ἐμακρύνθην, tu emenda ἐμικρύνθην, *minor sum*.

20. אולי ישא פני Schol. ἐάν πως ἐντραπῇ, *si quâ ratione pudore suffundetur*.

24. ויאבק איש עמו A. & Sym. ἐκυλίετο ἀνὴρ μετ' αὐτοῦ, *volvebatur vir cum eo*] In pulvere videlicet, qui Ebræis אבק: unde hîc est ויאבק in fonte. Doctores etiam נאבק hoc significatu usurpant. ἐκυλίετο in Edit. Romana exponitur, *se versabat*.

28. שרית עם אלהים, *de principatu contendisti cum Deo*.] A ἦρξας μετὰ Θεοῦ, *princeps fuisti cum Deo*. Sym. ἦρξω ἰσχύι πρὸς Θεόν. Th. ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, *fortis fuisti cum Deo*] Vel *invaluisti*. Hier. in Quæst. „Vocabitur nomen tuum Israel, quia „invaluisti cum Deo] Josephus in primo Antiquitatum libro „Israel ideo appellatum putat, quòd adversùs Angelum steterit: „quod ego diligenter excutiens in Ebræo penitus invenire non „potui. Et quid me necesse est opiniones quærere singulorum, „cùm etymologiam nominis exponat ipse qui posuit? Non vo„cabitur, inquit, nomen tuum, Jacob: sed, Israel, erit no„men tuum. Quare interpretatur Aquila, ὅτι ἦρξας μετὰ Θεοῦ, „Symmachus, ὅτι ἦρξω ἰσχύι πρὸς Θεόν, & Theodotio, ὅτι ἐνί„σχυσας μετὰ Θεοῦ. Saritha enim, (*Est cur malim* Sar enim. Nam „שר *princeps*. שרה *aliud est*) quod ab Israel vocabulo deri„vatur, Principem sonat (*lege* Sar enim, à quo Israel voca„bulum derivatur, Principem sonat) Sensus hic itaque est, „Non vocabitur nomen tuum, Supplantator, h.e. Jacob; sed „vocabitur nomen tuum, Princeps cum Deo, h. e. Israel. „Quomodo enim ego princeps sum, sic & tu, qui mecum „luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum qui „Deus sum sive angelus (quoniam plerique varie interpretan„tur) pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus, hoc „est cum Esau quem formidare non debes? Illud autem quod „in libro Nominum interpretatur, Israel vir videns Deum, si„ve mens videns Deum, omnium pene sermone detritum, non „tam verè quam violenter mihi interpretatum videtur. *Et ali„quanto post*, Quamvis igitur grandis autoritatis sint, & elo„quentiæ, & ipsorum umbra nos opprimat, qui Israel virum „sive mentem videntem Deum transtulerunt, nos magis Scri„pturæ & angeli vel Dei, qui ipsum Israel vocavit, autoritate „ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ secularis. Adjiciam nunc symbolam meam. שרית verterem, *De principatu contendisti*; & *Israel*, *De principatu contendens cum Deo & prævalens*. quod ferè addi solet.

29. Schol. τὸ, καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστόν, παρ' οὐδενὶ κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ, *Illud* [*Et hoc est admirabile*] *apud nullum legitur in Hexaplo*. Abest ergo in A. Sym. & Th. Abest etiam in quibusdam libris editionis τῶν ό. Latina quædam exemplaria habent, *Cur quæris nomen meum*, *quod est mirabile?*

30. פניאל A. πρόσωπον ἰσχυροῦ, *faciem Dei fortis*. Sym. Φανιήλ] Ἰσχυρέ, *Dei fortis*. Sic Psal. 22. ἠλὶ ἠλί. A ἰσχυρέ μου. Eusebius addit, ἢ τὸ ἀκριβέστερον, ἰσχύς μου, ἰσχύς μου. ut,

Nate meæ vires, mea magna potentia solus.

¶ Φανιήλ] Sic etiam interpres noster; *Vocavitque Jacob nomen loci illius*, *Phanuel*. Quod noto, quia in Ebræo hîc legitur *Phaniel*, cum ἰῶτα in penultima, quod Græci Φανιήλ scriberent. Mox tamen idem locus vocatur פנואל *Phanuel*. Abenmelech, *Phaniel vel Phanuel dicas* plumâ non interest. Nam literæ EHEVI permutantur inter se. Cæterùm *facies Dei*, פניאל, quod neque *Phaniel* neque *Phanuel* sonat.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et Iacob ivit viam suam*, *& occurrerunt ei angeli Dei*.

2. *Et dixit Jacob quum videret eos*, *Castra Dei hæc sunt*, *& vocavit nomen loci illius Castra*.

Viam suam] לדרכו in viam suam, quod Græcè est εἰς τὴν ὁδὸν ἑαυτοῦ. Ire in viam nescio an Latinum sit. Quidam, *perrexit iter suum*. ¶ *Quum videret eos*] solus videbat eos, ut Abenezra putat. Sic Elisæus 2 Reg. 6. videt legiones angelorum initio solus, postea etiam cum puero. ¶ *Castra Dei hæc sunt*] מחנה אלהים זה. Lxx. παρεμβολὴ Θεοῦ αὕτη. Onk. *castra à Deo hæc sunt*. Jonathan, *castra Sanctorum angelorum quæ missa sunt à Deo*. Autor Jerosol. addit, *ad liberandum me è manu eorum*. Scilicet, militum Esau, quorum ibi meminit. ¶ *Castra*] vel, *Mahanaim*. Vetus interpres, *Mahanaim id est castra*. Lxx. παρεμβολαί. Lex. Latino Græcum vetus, *Castra* παρεμβολαί. In libro nominum; *Manaim castra*. Reperio & *Manaem*. Hiero. de Actis Apostolorum, *Manaem*, *castrum*. מנחם Manaem, ut מצרים Mesrem, אפרים Ephrem. Sed aliud castrum, & aliud castra. Tamen in Lexico Græco Lat. παρεμβολή, *Falanx*, *castrum*. Forte an ævo illo castrum dicebant quod στρατόπεδον Græci vocant. Quod autem in libro Nominum *Manaem consolans*, scribi debet Manahem i. מנחם. Hic quæri solet ab interpretibus quid caussæ sit cum vidisset παρεμβολὴν i. מחנה, locum tamen numero duali מחנים appellaverit, quod Græci efferunt pluraliter παρεμβολαί? An quia utrumque in idem recidit? Nam ut παρεμβολή Græci & παρεμβολαί eodem significatu, ita etiam מחנה dicunt Ebræi & מחנים i. Mahanaim, sive Manaim elisa, ut fit, Heth litera, cum suo apice. Qua forma nominis ecce tibi Ephraim, cujus ratio reddi non potest alia quam quod usu obtinuit, ut propria quædam ita efferantur. Quale est Mesraim, de quo supra. Hiscuni autor duali numero usum fuisse propter duo castra, videlicet angelorum & sua. Sequitur מחנה i. sectio

i. sectio octava, quæ à prima voce vocatur וישלח Vaislach, & misit.

3. *Et misit Iacob nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, agrum Moab.*

Nuntios] ex famulis suis. Vox Ebræa מלאכים ambigua est, ut etiam Græca ἀγγέλους. Nam & angelos denotat & nuntios, quos Chaldæi אזגדין appellant. Hic nuntios intelligimus sensu ita postulante. ¶ *In terram Seir*] quam initio quidam Seir possederat, Horræus natione, cujus mentio Gen. 36. 20. Hic filium habuit Sebeon, qui pater fuit Anæ patris Oholibama, quam Esau in matrimonium duxit. Ex cujus hæreditate postea eam regionem possedit, quæ ab ipso Idumæa dicta. Hiscuni hoc docet per hæc verba, *Terra Seir fuerat initio Seir Horai, sed cum Esau sibi connubio junxisset Oholibama, hæres fuit per eam terra Seir. Nam erat filia Ana, filia Sebeon filii Seir Horrai.* Mercerus arbitratur posteros Seir inde expulsos & ejectos fuisse ab Esau. Idem scribit Esau dictum esse Seir. Quod ante ipsum Hiero. In Quæst. sive Tradit. Ebraic. affirmarat, per hæc verba, *Ubi nos posuimus Pilosum, in Ebræo habet Sear: unde & Esau, sicut & alibi legimus, Seir i. pilosus est dictus.* Adhuc quæro, ubi ita dictus sit. Ego sane vehementer dubito & dubitabo, dum erit qui certiora proferat, nisi affirmanti Hiero. per omnia credendum: quem scimus omnes in multis errasse. Non quid quisque dicat, sed quam vere videndum est. ¶ *Agrum Edom*] plenum est, *in agrum Edom*, pro quo in edit. Lxx. εἰς χώραν Ἐδώμ. Notum ut ager pro regione ponatur. Jonathan habet, *in agrum Idumæorum.* Ego potius אדום acceperim pro Esau, cujus cognomentum Edom à rufo edulio lentium. Nec ulla hic prolepsis aut anticipatio, ut vult Mercerus. Hiscuni putat hoc additum fuisse, quia Esau Vir agrestis erat venatione delectatus. Agrestem voco, quod plurimum in agro versaretur.

4. *Et præcepit eis dicendo, Sic dicetis Domino meo Esau, sic dicit servus tuus Iacob, Apud Labanem peregrinus fui & moratus sum hucusque.*

Domino meo] vox honoris & civilitatis, qua frater fratrem compellat, ut filia patrem Gen. 31. 35. ¶ *Servus tuus*] non contentus dixisse, *Domino meo*, dicit etiam *servus tuus*, qui sermo est modestiæ plenus, quo Ebræi frequenter utuntur. Vide quæ scripsimus Gen. 8. 3. ¶ *Apud Labanem peregrinus fui*] עם לבן גרתי, cum Laban peregrinatus sum i. advena & peregrinus fui, aut commoratus sum. Hic עם valet אצל *apud*. Nam *cum aliquo peregrinari* ambigue dicitur. Significat enim & una cum illo peregrinum esse. Ideo elegi, *apud Labanem*. Pro eo quod vertimus, *peregrinus fui*, Onk. & Jonath. habent *habitavi*. Lxx. vero παρῴκησα, commoratus sum ut advena. ¶ *Moratus sum*] moram traxi, ἐχρόνισα, longo tempore mansi, tardius inde abii. Non male reddas, *tardavi*, quod absolute significat moram trahere, βραδύνειν. Cic Epist. 18. ad Brutum, *Accerseremusne te, atque tibi id conducere putaremus, an tardare & commorari te melius esset tibi.* ¶ *Hucusque*] עד עתה ἕως τοῦ νῦν, usque nunc i. hactenus, in hoc usque tempus, in præsentem diem עד היום הזה.

5. *Et sunt mihi boves & asini, oves & servi & ancillæ & misi nuntiatum Domino meo ut invenirem gratiam in oculis tuis.*

Et sunt mihi] Verbum è verbo, *fuerunt mihi*. Nam & *sunt* Ebraice diceretur יש. Lxx. καὶ ἐγένοντο. Hiero. *habeo boves & asinos* &c. ¶ *Oves*] & capras. Nam utrumque genus sub uno nomine צאן continetur. Quocirca in aliis editionibus est, *greges*, & in aliis *pecudes*. ¶ *Nuntiatum*] להגיד ad indicandum sive ad nuntiandum. Lxx. ἀναγγεῖλαι. ¶ *Ut invenirem gratiam in oculis tuis*] ut conciliarem mihi gratiam tuam, ut consequar gratiam apud te. Lxx. hic ediderunt, ἵνα εὕρῃ ὁ παῖς σου χάριν ἐναντίον σου, ut inveniret servus tuus gratiam coram te, aut in conspectu tuo.

6. *Et reversi sunt nuncii ad Iacob, dicendo, Venimus ad fratrem tuum ad Esau, qui etiam ipse procedit tibi obviam & quadringenti viri cum eo.*

Ad fratrem tuum ad Esau] אל אחיך אל עשו: πρὸς τὸν ἀδελφόν σου πρὸς Ἡσαῦ. repetitio particulæ אל elegantiam habet. Sic alibi Gen. 21. 10. עם בני עם יצחק cum filio meo cum Isahaco. Talia sunt Psal. 18. 1. לעבד יהוה לדוד τῷ δούλῳ τῷ Δαυίδ. Zach. 11. ואקח את מקלי את נעם τὴν ῥάβδον μου τὴν Νωαὶμ. Gen. 32. 18. לעבדך ליעקב τῷ παιδί σου τῷ Ἰακώβ. Rursum Psal. 74. 14. לעם לציים τῷ λαῷ τοῖς ἐν ἐρήμῳ οἰκοῦσι, populo, nimirum incolis deserti. Nam Latini, quia articulis carent, hic deficiunt. ¶ *Procedit*] vel *venit*. Nam בא & הלך se mutuo explicant. ¶ *Tibi obviam*] לקראתך in occursum tuum, εἰς συνάντησίν σου. ¶ *Quadringenti viri*] Jonathan & autor Jerosolymitanus ארבע מאה גברין עבדי פולמוסין quadringenti viri duces belli. פולמוסין Græcum vocabulum est πολέμαρχος i. dux belli. Sic dicunt שלח המלך פולמרכוס אחד להחריבה misit rex polemarchum unum ad destruendum eam. Extat eadem vox in Megillath Echa i. Threnorum sive Lamentationum: similiter in Thargum Esther, תמנין שלטונין ושרי חילין ופולמרכין. Autor Lexici Thalmudici exponit dynastæ & duces copiarum. Commentum hoc, licet improbarem, adduxi propter vocem Græcam, quam Lexicographi Græcam esse hactenus ignorarunt: saltem non indicarunt. Loquor de iis, qui Lexica Chaldaica & Rabbinica nobis ediderunt.

7. *Et timuit Iacob valde, & anxius fuit, & divisit populum qui secum erat & oves & boves & camelos in duas turmas.*

8. *Et dixit, Si venerit Esau ad turmam unam & percusserit eam, turma quæ reliqua erit evadet.*

Timuit valde] nam cum nesciret, quo animo Esau nunc in se esset, cum antea infesto fuisset, vel hoc illi metum incussit, quot tot viris comitatus ad se veniret. ¶ *Anxius fuit*] ויצר לו & anxietas ei fuit. Hoc exemplum adducit R. David in צר, admonens posse à צור deduci, ut eadem sit significatio, quæ verbi צור premor, coarctor. Sane Onk. & Jonathan reddunt ועקת ליה quod significat, & *angustia fuit ei*. Quanquam in Lxx. ἠπορεῖτο hæsitabat, & in Hiero. *perterritus*. ¶ *Divisit*] διεῖλε, partitus est, distribuit. Ebraice חצה proprie dimidiavit. Nam חצי dimidium. Onk. & Jonath. ופלג & divisit. Sic etiam Hiero. ¶ *In duas turmas*] ita Hiero. & qui eum secuti sunt Santes, Leo Judæ & Munsterus. Nam Trem. *in duas acies*, & Lxx. εἰς δύο παρεμβολάς, in duo castra. Sic etiam Arias. ¶ *Evadet*] והיה לפליטה & erit in evasionem i. evadet. Sic dicimus, *erit in desolationem* pro desolabitur: *in decortationem*, pro decorticabitur. Lxx. ἔσται ἡ παρεμβολὴ ἡ δευτέρα εἰς τὸ σώζεσθαι. Hiero. *alia turma quæ reliqua est, servabitur*. Trem. *erit saltem acies illa, quæ relicta fuerit salva.*

9. *Et dixit Iacob, Deus patris mei Abraham & Deus patris mei Isahac, DOMINE qui dixisti mihi, Revertere in terram tuam & ad nativitatem tuam, & bene tibi faciam.*

10. *Minor sum omnibus beneficiis & omni veritate quæ fecisti servo tuo: quia cum baculo meo transivi Iordanem hunc, & nunc evasi in duas turmas.*

11. *Eripe me nunc è manu fratris mei è manu Esau, quia timeo ego eum ne veniat & percutiat me, matrem cum filiis.*

Patris mei Abraham] avi mei Abraham. ¶ *Qui dixisti mihi*] האמר אלי *qui dicens mihi* sub. fuisti i. dixisti. Sic Hiero. Nam Lxx. ὁ εἴπας μοι. In Onk. legendum דאמר ubi vulgo אמר nisi vertendum, *qui dixit mihi*. Participium præsentis temporis pro præterito etiam Cicero posuit in illo, *Cum è Cilicia discedens Rhodum venissem*. Jonathan דאמר לי. Munsterus, *DOMINUS est qui dixit mihi*. Mos Scripturæ, ut à buna persona transeat ad aliam. Arias, *DOMINE dicens mihi*. Santes & ceteri, *qui dixisti mihi*. ¶ *Ad nativitatem tuam*] vel, *ad cognationem tuam*. Hiero. *in locum nativitatis tuæ*. Totum illud, *in terram tuam & ad nativitatem tuam*. Lxx. in compendium redegerunt vertentes, εἰς γῆν τῆς γενέσεώς σου, in terram nativitatis tuæ. hoc est, in natale solum. ¶ *Bene tibi faciam*] εὖ σε ποιήσω. Ebraice & Chaldaice, *bene faciam tecum*. Trem. *beneficus ero erga te*. Supra 31. 3. *ego ero tecum*. ¶ *Minor sum*] קטנתי minor sum i. inferior, impar. Onk. *minora sunt merita mea*. Sic etiam R. Salo. Lxx. ἱκανούσθω μοι, sufficiat mihi. Lectio varians ἱκανός εἰμι, idoneus sum. E Cyrillo citatum invenio in edit. Romana ἱκανοῦταί μοι, & ex August. Quæst. 102. *idoneus es mihi*, ut videatur legisse εἶ pro εἰμι. Quid viderunt Senes cum ita verterent? ἱκανούσθω μοι potest exponi, satis mihi superque esse deberet, quod me tot beneficiis es prosecutus. ¶ *Omnibus beneficiis*] מכל החסדים omnibus benignitatibus i. benefactis aut beneficiis. Lxx. ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης, מכל הצדקות. Scire licet nomen hoc quandoque pro benignitate accipi. Vide Libello meo. Interdum restringitur ad stipem quæ in pauperes confertur, quam eleemosynam Græco vocabulo vocant. Hiero. *cunctis miserationibus tuis* מכל החסדים. Alibi habet, *omni misericordia tua*. מכל חסד. Jonathan מכל טבון omnibus beneficiis. Onk. מכל חסדין quod reddunt, *omnibus misericordiis*, cum possit reddi, *omnibus gratiis*. Nam חסדא gratia i. חן, unde יעלת חן capra gratiosa. Cajetanus, *beneficium quod sine meritis conceditur proprie gratia nuncupatur*. ¶ *Et omni veritate*] Veritas Ebraice אמת dicitur, fides אמונה: sed confundi scias. Sane Tremell. hoc loco habet, *omni isti fidei*. Innuit autem fidem in servandis promissis. Nam quando quis præstat quod promisit אמת dicitur, quæ fides non male vocatur, cum fiat id quod dictum est.

Pro-

Proprie tamen אמת est veritas, quam קשוט Chaldæi appellant. Usus est hoc loco ea voce Jonathan. Nam in Onk. טבון quæ vox potius respondet Ebrææ חסדים, & significat beneficia, quæ Deus vel promittit vel statim confert absque ulla promissione. Vide sis Mercerum. ¶ *Quæ fecisti cum servo tuo*] i. mecum. Relativum אשר tam ad beneficia pertinet quàm ad veritatem : ideo verti, *quæ*. Nam dicimus *facere benignitatem*, & *facere veritatem*. Alii, *quam fecisti*. Trem. *quam præstitisti*. Lxx. ἣν ἐποίησας τῷ παιδί σε. Hiero. *quam explevisti*. ¶ *Servo tuo*] vel, *cum servo tuo*. Illud Latinius est : hoc Ebraismum resipit. Sic dicunt, *benefacere cum aliquo* pro alicui. De Ebræis loquor. Nam Latini sic non loquuntur. ¶ *Cum baculo meo*] במקלי in baculo meo. Quem Ebraismum retinent Lxx. & Hiero. Nam in codicibus Græcis ἐν τῇ ῥάβδῳ μου. Sensum expresserunt Onk. & Jon., quorum ille habet, *solus* (יחידי *unicus*) *transivi*, hic edidit, *cum baculo meo solo*. Talis defectus in illo, *Dominum Deum tuum adorabis & illi servies*. Nam sensus est, illi soli servies. R. Sal. *non cum auro, non cum argento, non cum pecore; sed cum baculo meo solo*. Nicolaus, *in baculo meo i. solus & pauper*. Porro baculum intelligit, quo viatores utuntur, cum aliquo iter faciunt, aut pedum pastorale. Si baculus viatorum intelligitur, quærendum est propter glossam Nicolai, an soli pauperes olim baculo usi fuerint. ¶ *Jordanem hunc*] τὸν Ἰορδάνην τοῦτον, Jordanem istum. Ebraice הירדן הזה. Ex hoc loco colligunt interpretes Jordanem non ita procul absfuisse, quin ex eo conspici potuerit. Nam eum quasi demonstrat, cum ait, *hunc* sive *istum*. Sunt qui opinantur nomine Jordanis torrentem Jaboc innui, qui in Jordanem influit. Quod mihi non videtur. Autor Catenæ Patrum, *Hinc apparet non longe fuisse Jacob à Jordane. Erat enim in eminentia noctis, & poterat inde videre Jordanem. Non enim distabat ab eo nisi per campestria Moab, quæ plana sunt, nec visum ejus impediebant.* ¶ *Evasi in duas turmas*] הייתי לשני מחנות fui in duas turmas. Lxx. γέγονα εἰς δύο παρεμβολάς, factus sum in duo castra. In Jonatha הויתי positum pro הוי אנא sum ego. Hiero. *& nunc cum duabus turmis regredior*. ¶ *Eripe me*] Lxx. ἐξελοῦ με. Hiero. *ecce me*. Alius, *libera me*. ¶ *Nunc*] vel, *quæso*. ¶ *E manu fratris mei è manu Esau*] ex elegantiis linguæ. Vide quæ notavimus supra ad vers. 6. ¶ *Ne veniat & percutiat me*] vel, *ne veniens percutiat me*. Nam non tam timebat adventum ejus, quam illud, ne veniens se suosque percuteret. ¶ *Matrem cum filiis*] אם על בנים matrem cum filiis. Proverbiale, quod sumtum putant ab avibus. Nam qui nidos diripiunt, solent matrem relinquere. Signum crudelitatis est, si etiam cum pullis matrem diripiant. Vide quæ scripsimus in Adag. *Matrem cum liberis*. Hic על pro עם usurpatur ut Exod. 35. 22. Mich. 5. 3. Num. 2. 20. & alibi passim. Aut verte, *matrem ad liberos*. Sic Græci Lxx. καὶ μητέρα ἐπὶ τέκνοις : & subintelligitur, *percutiat*, quod repeti debet ἀπὸ κοινοῦ ex præcedenti membro. Moneo autem in quibusdam libris esse μητέρας i. matres. Vide Rom. edit.

12. *Et tu dixisti, Benefaciendo benefaciam tibi, & ponam semen tuum sicut arenam maris, quæ non numeratur præ multitudine.*

Sicut arenam maris] supra 28. 14. *erit semen tuum sicut pulvis terræ*. idem aliter. Utrumque proverbiale est, quo utuntur ad significandum innumeram multitudinem. ¶ *Non numeratur*] non potest numerari, innumerabilis est, numero caret.

13. *Et pernoctavit ibi nocte illa, & accepit ex eo quod venit in manum suam munus pro Esau fratre suo.*

14. *Capras ducentas, & hircos viginti : oves ducentas & arietes viginti.*

15. *Camelos lactentes cum pullis earum triginta, vaccas quadraginta, & juvencos decem, asinas viginti, & pullos decem.*

Accepit ex eo quod venit in manum suam] ויקח מן הבא בידו. Lxx. καὶ ἔλαβεν ὧν ἔφερεν & sumsit ex iis quæ ferebat. Hiero. *separavit de his quæ habebat*. Onk. *accepit ex eo quod adduxerat manu sua*. אייתי adduxit. Fagius, *ex eo quod veniebat*. אתיא. Quod explicat, *ex eo quod in promtu aut in potestate habebat*. Jonathan, *& sumsit ex eo quod paratum erat in manum suam*. (vel, *in manu ipsius*.) Chaldaice ומזמן. Santes, *ex iis quæ occurrebant ad manum suam*. Trem. *accepit ex eo quod veniebat sibi ad manum*. Gallica, *print de ce que lui vint en main*. Vulgo exponunt, Sine delectu sumsit quicquid illi ad manum veniebat. Mercerus magis probat, sumsit ex eo quod habebat ad manum & in potestate i. ברשותו, ut R. Salo. explicat. ¶ *Pro Esau fratre suo*] לעשו אחיו Esau fratri suo. i. pro Esau fratre suo: vel *ad Esau fratrem suum*, ut subintell. *mittendum*. Vide infra vers 18. ¶ *Oves*] רחלים oves fœminas proprie. ¶ *Camelos lactentes*] גמלים מיניקות, καμήλους θηλαζούσας. Ut lupi nomen utrumque sexum complectitur, sic etiam cameli vox, quæ masculina est. Nos diceremus camelus fœmina, ut lupus fœmina dicimus. Ceterum in nonnullis editionibus repperi *Gamelos* per g. Terentius Scaurus, *C. cognationem cum G habet : & ideo alii dicunt Cannacem, alii Gannacem : item Camelum, Gamelum.* ¶ *Cum pullis earum*] ובניהם & filii earum. בן גמל camelo natus, ut בן בקר bove natus. Sic Varro dixit, *capra natum*, de juvenco adhuc subrumo. ¶ *Vaccas*] פרות. Lxx. βόας i. boves. Sed boves fœminas intellige, quas Chaldæi תורן appellant. Usurpat hanc vocem hoc loco Onk. Ceterum in Jonatha est תורתא. Gallica editio habet *jeunes vaches* i. juvencas. ¶ *Juvencos*] פרים. Lxx. ταύρους, tauros. Sic etiam Hiero. In Onk. est תורין, & in Jonatha תורי. Editio Gallica *jeunes taureaux*. Bos proprie שור dicitur, ut vitulus עֵגֶל. Inter hos medius est פר juvencus, cui tres annos attribuunt. Sed & de bove usurpatur. Sic פָּרָה vacca, bucula, juvenca. Est ubi reperiatur שור פר bos juvencus. Moses Gerundensis עגלה vitula, est duorum annorum, פָּרָה juvenca, trium. ¶ *Et pullos decem*] vel, *asellos decem*. Sic interpretaberis עיר בן אתנות asellus pullus asinarum i. unius alicujus asinæ. Gallice, *anons*. Lxx. πώλους δέκα. Hiero. *pullos earum decem*. recte addidit *earum*. Nam עַיִר pullus asinæ. Dicitur etiam de pullo onagri, quem proprio vocabulo *lalisionem* vocant. Martialis, *Dum tener est onager, solaque lalisio matre Pascitur, &c.*

16. *Tradiditque in manum servorum suorum singulos greges seorsim, & dixit servis suis, Transite ante me, & spatium ponetis inter gregem & gregem.*

Singulos greges seorsim] vel, *quemque gregem seorsim*. Verbum è verbo, *gregem & gregem solum ipsum*. Erant autem tot greges quot species, quas supra memoravit numero novem, nisi fallor. ¶ *Transite ante me*] עברו לפני. Hiero. *antecedite me*. Prius Lxx. ediderunt προπορεύεσθε ἔμπροσθέν μου. i. לכו לפני. ¶ *Spatium*] רֶוַח spatium, intervallum, διάστημα, interstitium. Proprie respiratio. Abenezra interpretatur הֶפְרֵשׁ *separationem*. Onk. רווחא. Jonath. פושא quæ omnia significant spatium & intervallum. ¶ *Ponetis*] ponite. fut. pro imperat.

17. *Et præcepit primo dicendo, Cum occurrerit tibi Esau frater meus, & interrogaverit te dicendo, Cujus es? & quo vadis? & cujus sunt ista ante te?*

18. *Dices, Servi tui Jacobi, munus hoc est missum Domino meo Esau: & ecce etiam ipse est post nos.*

Primo] servo, qui primum gregem ducebat. ¶ *Occurrerit tibi*] יִפְגָשְׁךָ est in aliis libris, & in aliis יִפְגָּשְׁךָ ubi Dages in Gimel & Meteg sub Jod, secundum lectionem Ben Naphthali, quam sequuntur Judæi Orientales. In utraque perhibetur esse Camets latum sive magnum aut longum, cum tamen nullus sit Meteg, qui longum à brevi distinguere solet. An dicemus incuria typographorum Meteg omissum esse? Qui Scheva legunt post Meteg ex hoc loco convinci possunt erroris. Nam post Scheva lectum sive mobile, nunquam sequitur Dages, unica dictione שְׁתַּיִם excepta, quam nonnulli legunt per Aleph, quod vocant נוסף in principio, ac si esset אֶשְׁתַּיִם, ubi Dages indicat defectum litteræ Nun. Nam masculinum est שְׁנַיִם. ¶ *Interrogaverit te.*] שְׁאֵלְךָ ex forma שְׁאֵל cui simile יִחָנְּךָ Abenezræ laudatum. ¶ *Cujus es?*] לְמִי cujus, τίνος. Magistri dicerent שֶׁל מִי. Sic in textu est, לְ pro eo quod apud Doctores שֶׁלִּי meum: item לְךָ pro שֶׁלְּךָ tuum. ¶ *Ista ante te*] ista pecora, quæ te antecedunt. ¶ *Servi tui Jacobi*] לעבדך ליעקב τοῦ παιδός σου τοῦ Ἰακώβ. Vide quæ notavimus ad vers. 6. Sic mox לאדני לעשו τῷ κυρίῳ μου τῷ Ἠσαῦ. *Ipse est post nos*] ipse subsequitur nos. Quod Hiero. dixit *ipse post nos venit*. Sic etiam Onk. & Jonathan.

19. *Et præcepit etiam secundo, etiam tertio, etiam cunctis euntibus post greges dicendo, Secundum verba hæc loquemini ad Esau, cum inveneritis eum.*

20. *Et dicetis, Etiam servus tuus Iacob post nos: nam dixit, Placabo faciem ejus munere præeunte me, & postea videbo faciem ejus; forte suscipiet faciem meam.*

Secundo] pastori qui ducebat gregem secundum. ¶ *Cunctis euntibus post greges*] pastoribus cunctis sequentibus greges. Mercerus ex Abenezra scribit quinque fuisse: ego plures fuisse putarim. Nam greges plures erant. Credibile autem est pastores & greges numero pares fuisse. Quod tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. Porro gregum ductores pone alios eunt, camelos ante se agunt. Forte huc respexerunt Lxx. dum verterent, καὶ πᾶσι τοῖς προπορευομένοις ὀπίσω τῶν ποιμνίων τούτων. Nam quomodo præibant greges & simul sequebantur eos? An compositum usurpant pro simplici πορευομένοις; Aut camelis præibant & alios sequebantur, puta greges ovium & caprarum asino-

asinorumque &c. ¶ *Secundum verba hæc*] in hanc sententiam. ¶ *Cum inveneritis eum*] cum incideritis in eum. ¶ *Nam dixit*] *Dixit apud se* i. cogitavit: & sunt verba Mosis, non, ut alii volunt, legatorum. Ideo legi præoptarim, *quia dicebat.* ¶ *Placabo faciem ejus*] pro eo habendum ac si diceret, *placabo eum.* Sic reddimus לְפָנָיו ante eum. Aut *faciem ejus* i. iram ejus. Sic, *facies DOMINI divisit eos:* item *Facies ejus non erant ei amplius.* Sensus est, ira DOMINI. Placabo, inquit, eum mihi iratum. אכפר proprie ἐξιλάσομαι, expiabo i. placabo, propitium reddam. Placandi verbo usi sunt hoc loco præter Hiero. Santes, Leo Judæ, Munsterus, Tremellius & alii. Abenezra אכפרה legam, abscondam, operiam. Sane כפרת operculum. Faciem autem ejus i. פָּנָיו Tremellius reddit *vultum ejus.* Hiero. *eum.* Onk. *iram ejus.* i. רוגזיה. Ut hic, *placabo faciem ejus:* Sic Malach. 1. 9. legimus *deprecamini faciem Dei* pro Deum ipsum aut Deum iratum, ut Psal. 45. 13. *deprecabuntur faciem tuam divites populi.* Sunt qui per faciem in his locis arcam fœderis denotari putant, quæ Symbolum erat divinæ præsentiæ in terris. ¶ *Postea videbo faciem ejus*] Hoc vult, non prius videbo eum, quin à me muneribus placatus fuerit, juxta illud,

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Præeunte me] pro לפני Lxx. videntur legisse לפניו. Nam vertunt ἐν τοῖς δώροις προπορευομένοις αὐτῷ: donis præcedentibus eum. Moneo tamen à codice Complut. abesse αὐτῷ. Quam forte lectionem secutus interpres noster vulgarius, referens, *muneribus quæ præcedunt.* ¶ *Forte*] אולי ἴσως, forsitan, fortassis, si forte. Jonathan hic habet הלואי utinam. Alibi reddit מה אם quid si? Reperitur & אֻלַי absque Vau. ¶ *Suscipiet faciem meam*] ישא פני suscipiet vultum meum i. honorifice me excipiet. Unde איש נשוא פנים vir honorabilis. Vel, *libenter me videbit.* Sic editio Gallica. In margine, *ou, accorderez ma demande.* Lxx. προσδέξεται τὸ πρόσωπόν μου, quod reddi potest, *suscipiet personam meam.* Nam πρόσωπον tam personam denotat, quam faciem sive vultum. Hinc intelliges quid sit, *suscipere faciem in judicio.* Nos diceremus *habere respectum personarum.* Potest etiam sensus esse, forsan reverebitur me. Quod declarat Græcum Scholion in edit. Romana, ἐάν πως ἐντραπῇ, quod reddunt, *si quo modo revereatur*, (vel, *pudore suffundetur.*) Putarim esse Sym. Jonathan יככר לי אפין. Quod intelligentiam habet ex illo קבל יתיה בסבר אפים excepit eum hilari & placido vultu.

21. *Et transiit munus ante illum, ipse autem pernoctavit ea nocte in castris.*

Transiit munus ante illum] idem cum illo, *ivit ante illum.* Supra vers. 20. *munere præeunte me.* Aut transierunt servi cum munere, ut vers. 16. *transite ante me.* Et *transiit* sc. vadum Jaboc. ¶ *Ante illum*] על פניו ante faciem ejus i. לפניו. Sic alibi, *non habebis Deos alios* על פני *ante me.* Nota עַל pro ל usurpari. Lxx. προεπορεύοντο τὰ δῶρα κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ. Hiero. *præcesserunt munera ante eum.* ¶ *In castris*] במחנה ἐν τῇ παρεμβολῇ hoc est in loco ita dicto. Hoc sensu Mahane idem erit cum Mahanaim. Quod opinatus est præter alios Cajetanus. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Clare enim hic dicitur quod munus transivit, procul dubio flumen ante Iacob, & quod ipse manserit sequente nocte illa in castris, hoc est in loco illo quem appellaverat Castra, eo quod ibi vidisset castra Dei.* Alia expositio, pernoctavit ea nocte, non in tabernaculo suo, ubi alias pernoctare solebat, sed in castris apud suos, hoc est in turma sive caterva suorum, quos in communi periculo deserere nolebat, imo non debebat. Moses Gerundensis, *Non ingressus est ea nocte tabernaculum suum, sed pernoctavit in castris cum servis suis & cum pastoribus ovium, ne veniens frater illa nocte opprimeret eos.* ¶ *Ea nocte*] nocte altera ex quo venerat in Mahanaim. Pro *in castris* Munsterus edidit *in turma*: Tremellius, *in acie*: Santes, *cum turma.* Notum enim ut ב pro עם accipiatur.

22. *Surrexit autem nocte illa & accepit duas uxores suas & duas ancillas suas & undecim natos suos & transivit vadum Iaboc.*

23. *Accepit, inquam, eos & trajecit eos torrentem & trajecit ea quæ habebat.*

Accepit] assumsit. ¶ *Ancillas suas*] Onk. & Jon. *concubinas suas.* Nam aliquid amplius erant quam ancillæ, & tamen ancillæ vocantur, quia uxoribus ancillabantur. ¶ *Undecim natos suos*] In Jonatha חדסר valet חד עשר i. undecim. Dinæ autem nullam mentionem facit, vel propter sexum (nam feminarum raro meminit Scriptura) vel quia parvula adhuc erat. Agebat autem tunc annum, ut credibile est, septimum aut præter propter. ¶ *Transivit vadum*] ויעבר מעבר Lxx. καὶ διέβη τὴν διάβασιν, *transivit transitum* sive *trajecit trajectum.* Hiero. *transivit vadum.* Sic etiam Santes interpretatur Jes. 10 29. Et est locus in flumine, per quem pedibus transiri potest. Chaldaice מגזתא, quæ vox extat hoc loco in Jonatha. Nam Onk. Ebraica usus est. ¶ *Iaboc*] Ebraice יַבֹּק, duplicata. In editione Græca est Ιαβώχ, culpa, ut videtur, librariorum pro Ιαβὼκ. Ut ut sit, mendum hoc pervetus est. Nam in libro nominum *Iaboch, arena sive lucta vel pulvis* i. אבק. Sunt qui putant ab hac lucta Iacobi nomen accepisse. Alii à בקק deducunt quod evacuare significat. Nam se in Iordanem evacuat. Orig. Hom. 13. in Num. *Iaboc interpretatur luctamen.* Fluviolus iste oritur ex Arabiæ montibus, & Ammonitarum clarissimam urbem, quam Philadelphiam appellant, præterit. In libro locorum, *Iaboch, fluvius quo transmisso luctatus est Iacob adversus eum qui sibi apparuerat. Fluit autem inter Amman i. Philadelphiam & Gerasan in quarto milliario ejus, & ultra procedens Iordani fluvio commiscetur.* A Chaldæis יובקא vocatur. ¶ *Trajecit eos torrentem*] ויעברם cum chirec sub Beth, *trajecit eos* i. traduxit, transire fecit. Cicero ita dixit, *exercitum Rhodanum trajeci.* Lxx. διέβη τὸν χειμάῤῥουν, i. ויעבר. Quæ lectio se tueri non potest propter affixum quod in fine. Trem. *transmisit eos trans torrentem illum.* Leo Iudæ, *ultra torrentem.* Santes, *transire fecit eos torrentem.* Sic etiam edit. Gallica. ¶ *Torrentem*] vel, *torrentem illum*, ut articulus sit ἀναφορικός. Nam in fonte הנחל τὸν χειμάῤῥουν. Posses vertere, τὸν ποταμὸν. Nomen enim נחל aliquando fluvium significat, qui hoc à torrente differt, quod fluvii aqua perennis sit. Sane Moses Num. 13. hoc nomine utitur de Arnone, quem Ioseph. Antiq. hist. l. 4. cap. 4. ποταμὸν appellat. Iaboc quoque fluvius appellatur in iis, quæ ex Eusebio supra citavimus. Rei firmandæ Prov. 18. 4. נַחַל ποταμὸς. Ita Lxx. ¶ *Ea quæ habebat*] את אשר לו quæ ipsius erant i. omnia sua. Lxx. hic recte habent, διεβίβασε πάντα τὰ αὐτοῦ.

24. *Et relictus fuit Iacob solus, & luctatus est vir cum eo usque ad ascensum auroræ.*

25. *Videns autem se non prævalere ei, tetigit volam femoris ejus: ita luxata fuit vola femoris Iacob, dum luctaretur ipse cum eo.*

Relictus fuit solus] Utrum in hac an in illa ripa torrentis? Credibilius mansisse ipsum in adversa parte, cum omnia sua trajecisset. Ionathan, *relictus fuit solus trans torrentem Iabca*, si modo בעברא hic significat *trans.* Nam in textu Ebræo עֵבֶר utrumque latus designat, sive utramque ripam, quæ cis & trans flumen. ¶ *Luctatus est*] ויאבק. Lxx. καὶ ἐπάλαιεν. Hiero. *& luctabatur.* Aquila & Sym. ἐκυλίετο ἀνὴρ μετ' αὐτοῦ: volvebatur vir cum eo. Sensus est, volvebatur in pulvere, qui Ebræis אָבָק: unde hic est ויאבק in fonte. Doctores etiam נאבק hoc significatu usurpant. ἐκυλίετο in editione Romana exponitur, *sese versabat.* ¶ *Vir*] *angelus in similitudine viri*: Jonathan. ἄνθρωπος Lxx. *un homme*, Gallica editio i. homo. *quidam*, Tremell. *Descendit cum eo vir in arenam*, Leo Judæ. ¶ *Usque ad ascensum auroræ*] vel, *dum ascenderet aurora.* Ascendere autem valet oriri, exoriri. Itaque alius retulit, *donec aurora oriretur.* Jonathan, *donec ascenderet columna auroræ.* Hiero. *usque mane* עד בקר. Sic etiam Lxx. ἕως πρωΐ. Abenezra nove interpretatur, *donec recederet obscuritas noctis.* עד סור שחרות הלילה Vide sis Mercerum. ¶ *Videns autem*] angelus. ¶ *Se non prævalere ei*] כי לא יכל לו, quod non prævaleret ei, sive quod nihil posset adversus eum. Hoc Lxx. dixerunt ὅτι οὐ δύναται πρὸς αὐτόν. Hiero. *quod eum superare non posset.* Editio Gallica, *quod eum non posset vincere.* Jonathan, *se non habere potestatem malefaciendi ei.* Verbum יָכֹל inter alia significat *prævalere*, ut Psal. 13. 5. יכלתיו ubi Lxx. ἴσχυσα πρὸς αὐτόν. Sic Hos. 12. *contendit cum eo de principatu & prævaluit.* ¶ *Tetigit*] i. percussit, læsit, ut supra 26, 29. *sicut non tetigimus te* i. læsimus. Sic accipies, *nolite tangere Christos meos.* Catullus quoque, *flos tactus aratro* dixit pro percussus. ¶ *Volam femoris ejus*] בכף ירכו Lxx. τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ αὐτοῦ, latitudinem femoris ejus. Sic etiam Onk. & Jonath. Siquidem פתי ירכא latitudo femoris, hoc est, latum os coxæ. Hiero. quem Santes & alii sequuntur, *nervum femoris ejus.* Arias, *curvaturam femoris ejus.* Nam כפף curvo, incurvo. Tremell. *vertebram marem femoris ejus.* Gallica, *l'endroit de l'emboitement de la hance*, coxendicis cavitatem, sive os concavum coxæ. Græci κοτύλην vocant. Gorræus, κοτύλη *sig. & cavitatem manus, quam volam Latini dicunt, & sinum etiam in quo caput femoris volvitur. Verum proprie ab Anatomicis dicitur* ἡ κοτύλη *cavitas ossis profundior, in quam alterum os inferitur.* In libro Radicum, *Vola femoris vocatur quia os illud cui inferitur os femoris incurvum est: & sunt qui dicunt inde appellatam quia caro illa quæ circa os cotyla* (si modo קוטלית est cotyla, de quo adhuc dubito) *facta est ad similitudinem volæ an cochlearis?*

ris? Nam כף utrumque significat, & videtur ibi potius cochlear esse. Vide Fagium in paraphrasin Chaldaicam. Ischium, Græce *ἰσχίον*. Polluci est nervus qui cotylam femori committit. Ex his liquet כף הירך esse cavum illud os cui caput femoris inseritur, quod loco suo motum ex tactu angeli claudicandi occasionem Jacobo præbuit. ❡ *Ita luxata fuit*] ותקע. Lxx. *καὶ ἐνάρκησε*. Unde Severus, *ex colluctatione autem latitudo femoris ejus obtorpuit*. Hiero. *statim emarcuit*. Santes, *movit se*. Gallica, *distorta fuit*, vel, *loco mota*, luxata. Nam luxo, membrum aliquod intorqueo & loco suo moveo. Græce *ἐξαρθρέω*, unde membra *ἐξαρθρωμένα*, loco suo mota & soluta, membra luxa sive luxata. Abenezra, כרה ממקומה recessit è loco suo. R. Salo. לשון הכרה quod in Deuterosi מתקעקע: unde explicat נתקעקעה ממקום חברתה recessit è loco sociæ suæ, vel mota fuit loco suo. R. David in libro Radicum, *significat dimovere aliquid loco suo, delier vulgo*. Thema יקע ut sit תקע pro יקע: aut, ut alii maluerunt, תקע. Mercerus à תקע deducit, unde & תקעקע loco movit, evertit, ut שעשע oblectavit se, à שעה: & שגה, ut alibi שגה à שגה erravit. Hiscuni, *il desattacha vernacule* i. deligabat. Malim *fut detaché* i. deligata fuit, vel *deliée* i. soluta. Idem ponit hoc verbum inter ea quæ contraria significant. Ut שרש est radicem facere & eundem extrahere: ita יקע signif. fugere, inquit, & refugere. Onkelos זע & mota est. Jonathan זחת & emota est. Jerosolym. ותקה & obstupuit. ❡ *Dum luctaretur ipse cum eo*] בהאבקו עמו. *ἐν τῷ παλαίειν αὐτὸν μετ' αὐτοῦ*, illo colluctante cum eo. Verbum אבק à pulvere, quem excitant pugiles, deductum esse diximus. Quod ex Ebræis censet Manahemus, qui exponit ויחבק. Quidam tamen cum חבק confundunt, inter quos R. Salomo. Nam etiam Deuterotæ אבק utuntur pro חבק, Heth in Aleph versa. Videndus Moses Gerundensis ad hunc locum.

26. *Et dixit, Dimitte me, quoniam ascendit aurora, & dixit, Non dimittam te nisi benedixeris mihi.*

27. *Et dixit ei, Quod est nomen tuum? & dixit Jacob.*

28. *Et dixit, Non Jacob dicetur amplius nomen tuum, sed Israel, quia de principatu contendisti cum Deo & cum hominibus & prævaluisti.*

Dimitte me] sine me abire. ❡ *Quoniam ascendit aurora*] Sunt qui legant, *quum ascendisset aurora*: ut sint verba Mosis. Alioquin hæc ab Angelo dicuntur, qui in specie hominis Jacobo apparuerat. Ut homo loquitur, ut homo colluctatur: quem post angelum, imo Deum esse Jacob deprehendit. Docent consequa verba. Nam se benedici ab eo postulat. Qui benedicit, major est eo cui benedicitur. Pro *ascendit aurora*, Abenez. vertendum putat, *recessit obscuritas noctis*, ut שחר sit obscuritas, idem videlicet quod שחרות. Verius ut sit aurora, hoc est lux illa, quæ præcedit ortum Solis. (vel, *quæ in nubibus apparet ante ortum solem*.) Prius oritur aurora, deinde Sol. Dicta שחר à rubore nigricante, seu colore valde roseo, qualem in principio ortus sui aurora habet. Chaldaice צפרא vocatur. Ceterum in Jonatha est עמוד קריצתא columna auroræ: in Jerosoly. vero עמוד שחרא columna auroræ i. aurora simpliciter. In Lxx. *ἀνέβη γὰρ ὁ ὄρθρος* i. diluculum. Ceterum *columna auroræ* ita dicitur ut *columna nubis* Exod. 13. 21. pro quo Psal. 78. 14. בענן per nubem. Sic *columna fumi*. Sed hoc Ebraice תמרות עשן quasi palmæ fumi i. columnæ palmarum instar erectæ. ❡ *Nisi benedixeris mihi*] Qui inferior est à majore benedicitur Ebreo. 7. 7. Ideo Dei proprium alicui benedicere. Cum ergo benedici cupiat ab eo, videtur Deum aut Angelum agnovisse, quem initio hominem esse credebat. Ebræi putant fuisse angelum Esau, qui si malus erat, quomodo nunc benedici ab eo postulat? ❡ *Quod est nomen tuum?*] Non est ignorantis, sed occasionem captantis ex responso aliud nomen Jacobo imponendi, quod augustius sit & ab eventu sumtum illustriore. ❡ *Non Jacob dicetur amplius nomen tuum*] Quomodo hoc verum est? Nam statim post vocatur Iacob. An sensus est, non ultra dicetur nomen tuum Iacob, sed etiam Israel? q. d. non tantum Iacob nominaberis, sed Israel. Aut Iacob est nomen, & Israel cognomen. Solet autem nomen in Ebraismo pro cognomine usurpari. Antea notavi, *non amplius* quandoque dici de finito tempore, ut hic & Ios. 2. 4. *Non amplius discent bellum*. Vide quæ scripsimus Obs. L. 16. c. 6. ❡ *Israel*] *Ἰσραήλ*. ישראל. Israel, ut ישמעאל Ismael. Idem sonus in ישראל: unde vetus interpretatio, *Israel, vir videns Deum* איש ראה אל. Et Hiero. in Comment. Ies. 44. *Vir videns Deum non in elementis, sed in sono vocis est*. Quod autem ibidem ait, *Proprie juxta Ebræos & litterarum fidem Israel rectus Dei dicitur*; fallit & fallitur. Nam ישראל punctum gerit in cornu sinistro, ישר autem in dextro litteræ Sin, quod minor Hiero. latuisse, qui præceptores habuit non è vulgo Iudæorum. Reperio & *mens videns Deum*, & in libro Nominum *est videre Deum* אל ראה שי. & apud August. Serm. 4. de verbis Domini, *est videns Deum* אל ראה שי: de Civit. Dei Lib. 16, cap. 39. *videns Deum*. Sic etiam Eusebius interpretatur *Προσπερων*. Lib. 9. Cui firmando sunt verba Demetrii, quæ ibidem habentur. Iustinus in Colloquio cum Tryphone *homo vincens potentiam*. Potentiam i. Deum. Nam אל proprie *ἰσχὺς ἢ δύναμις*: unde, *ad dextram potentiæ τῆς δυνάμεως* i. Dei. Orig. Lib. 4. cap. 2. *περὶ ἀρχῶν*, *mens videns Deum vel homo videns Deum* i. *ἄνθρωπος ὁρῶν θεόν*. Nam איש *ἄνθρωπος*. proprie *ἀνὴρ* vir. Sed vir & homo permutantur. Sic איש & אדם se mutuo explicant. Iosephus Lib. 1. cap. 19. *Ἰσραὴλ σημαίνει τὸν ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θεοῦ*. i. interprete Ruffino, *reluctantem angelo sacro*. Malim, *angelo divino*. ❡ *De principatu contendisti*] שרית primus verti, *de principatu contendisti*, nempe quia sequitur, & *prævaluisti*. Quod redundare videtur, si legas cum vulgo, *& princeps fuisti*. Tamen hoc arbitrarium esse volo, nolo ut sit certum. Adducam nunc alias interpretationes. Onk. ארי רב את *quia princeps vel magnus es*. Ionathan, אתרברבת ארום. Sensus, quia ut principes solent, ita te gessisti in hac lucta cum Deo. Lxx. *ὅτι ἐνίσχυσας*, *quia invaluisti*, vel *fortis fuisti*. Sic etiam Theodotio. Vide Hiero. in Quæst. Ebraicis. Aquila *ἦρξας μετὰ θεοῦ*, princeps fuisti cum Deo. Sym. *ἦρξω ἰσχύι πρὸς θεόν*, princeps fuisti robore usus erga Deum. Quidam, *princeps fuisti & prævaluisti* i. ut princeps prævaluisti; quod mihi non displicet. Gallica editio, *Tu fuisti princeps aut magister colluctans cum Deo, & prævaluisti*. Trem. *ut principem te gessisti*. Santes, *princeps fuisti*. Hiero. *fortis fuisti*. ❡ *Cum Deo*] עם אלהים *μετὰ θεοῦ*. Lxx. Aquila, Theodotio. *Cum Deo*. Santes & alii קדם יי coram Deo vel DOMINO. Onk. עם מלאכיא cum angelis. Ionat. Trem. *Cum angelo*. Leo Iudæ, *Elohim vocem Ebraicam reliqui, quia varie eam exponunt, quidam pro Deo, quidam pro angelo*. An Elohim de uno singulari angelo dicatur, nescio. Hoc scio, posse ita usurpari, quatenus Deum significat. Sic tetragrammaton, quod vocant Ioth, He, Vau, He, uni angelo tribuitur aliquando. Angelos in numero multitudinis denotare certum est. Nos tamen elegimus *cum Deo*: quia אל unde compositio nominis Israel, de angelis non usurpatur quod sciam: tum etiam quia Iacobo lucta cum angelo uno, & non cum angelis multis. ❡ *Et cum hominibus*] nam cum Esau contendit de jure quo gaudent primogeniti. Primogenituram vocant. Contendit, inquam, & prævaluit. Nam supra in benedictione patris, *Major serviet minori*. Notabis in Ebræo non esse עם אדם quod proprie sig. *μετὰ τῶν ἀνθρώπων*; sed עם אנשים quod Chaldæi dicunt עם גובריא. Græci dicerent *μετὰ τῶν ἀνδρῶν*, & Latini *cum viris*. Modo diximus, איש & אדם se invicem explicare. Quod hic locum habere potest. Alioqui non improbarim *cum viris*, quod est nomen *ἀρετῆς*. q. d. cum viris fortibus. Sic legimus, *In loco ubi non sunt viri, virum te præsta*, ubi eadem vox אנשים in Ebræo. ❡ *Et prævaluisti*] quidam, *quanto magis prævaluisti*. Vide Mercerum. Hunc sensum expressit Hiero. ita vertens, *si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*. Cui versioni adversatur locus qui est Hos. 12. 4. *De principatu contendit cum angelo & prævaluit*. Ideo prætuli, & *prævaluisti*: quod tam ad homines quam ad angelum pertinet sive Deum. Ionathan certe & R. Salomo, *& prævaluit illis*. In dicto loco Hoseæ vers. 3. *De principatu contendit cum Deo* את אלהים. Ionathan reddit, *cum angelo*. Qui locus cum isto diligenter contendendus est. Nam ibi Iacob flevisse legitur. Quod fortasse fecit cum pala femoris luxaretur, aut cum sibi benedici peteret. Lxx. hic habent *δυνατὸς ἔσῃ* *potens eris*, omissa copulante. Trem. *potentia vales*. alius, *superior evasisti*.

29. *Interrogavitque Iacob & dixit, Indica nunc nomen tuum, qui dixit, Cur interrogas de nomine meo? & benedixit ei ibi.*

Interrogavitque Jacob] si Deum esse sciebat, cur interrogat de nomine ipsius? An Dei nomen patriarchis adhuc ignoratum? Id colligunt quidam ex illo Exod. 6. *Nomen meum tetragrammaton non indicavi eis*. Aut forte angelum esse credebat, quorum nomina varia, nec hominibus nota, ut caussa sit quærendi de eo. Sane superiorem aliquam potestatem agnoscebat, cum ab eo sibi benedici postularet. ❡ *Indica mihi nomen tuum*] *ἀνάγγειλόν μοι τὸ ὄνομά σου*. Lxx. *Dic mihi, quo appellaris nomine?* Hiero. ❡ *Cur interrogas de nomine meo*] למה זה ad verb. *cur hoc*, quod Græci retulerunt *ἵνα τί τοῦτο*. Quidam, *Cur sic*. Onk. & Jonath. למא דנן. In aliquot codicibus Græcis, & apud Theodoretum Quæst. 91. additur, *καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστόν* & hoc est mirabile. Unde Severus in Historia Sacra, *Sed cum ille vicissim à DOMINO nomen DOMINI quæreret, non esse quæ-*

rem-

rendum, quia admirabile esset, responsum est. Quin glossema sit, non est ullum omnino dubium. Sumtum autem videtur ex libro Iudicum 13. 18. Vid. & Jos. 9. 6. Nam in historia Manoe, ὅ ἐστι θαυμαστόν. Porro aberat olim à ceteris in Exaplo, tum ab editione τῶν ό. ¶ *Ibi*] in loco illo.

30. *Et vocavit Jacob, nomen loci illius Phanuel, dicens, Quia vidi Deum facie ad faciem, & erepta est anima mea.*

Phanuel] Φανουήλ. Hiero. Sym. Codices Ebræi hic habent פניאל Pheniel sive Phaniel, mox i. versu proxime sequente est פנואל unde Phanuel, hodie Phenuel. Lxx. interpretantur εἶδος θεοῦ. Id valet à Patre Ambrosio, *species Dei*: à Hiero. *facies Dei.* Aquila πρόσωπον ἰσχυροῦ, facies Dei fortis. Ita solet reddere nomen אל ut Psal. 22. אלי אלי ἰσχυρέ μου ἰσχυρέ μου. ¶ *Dicens, Quia vidi*] vel, *nam dixit, Vidi.* Hoc Jonathan habet, illud Hiero. Uterque adjecit, quod in Ebræo deerat. Abest etiam à Hiero. *quia.* Nam כי aliquando in otio cubat, *dicens, Vidi Deum.* Trem. *Vidi enim*, inquit, *angelos facie &c.* ¶ *Deum*] *angelum Dei.* Onk. *angelos.* Trem. θεόν. Lxx. *Deum.* Hiero. ¶ *Facie ad faciem*] Jud. 6. 22. *vidi angelum DOMINI facie ad faciem.* Exod. 33. 11. *locutus est DOMINUS ad Mosen facie ad faciem.* Hæc pugnare videntur cum alio loco Exodi (cap. 33. 20.) ubi Deus ait, *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* Sed concilio. Deus videri non potest, ut nec angelus, in propria essentia. Ideo sequitur, *videbis posteriora mea; faciem autem meam non videbis.* Nam angeli cum sint spiritus sub aspectum non cadunt. Videri tamen possunt in specie humana. Sic etiam Deus. Ita recte intelliges hunc locum & similes. Eadem opera tolles pugnam, si quæ est in verbis mysticis. Ceterum *facie ad faciem* Lxx. reddunt πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Onk. אפין באפין facie in faciem. Jonathan, *faciem coram facie.* ¶ *Et erepta est anima mea*] pro eo habendum, ac si diceret, non sum mortuus. Nam credebant antiqui, simul ac Deum vidissent, se statim morituros. Vide Jud. 6. 22. & 23. Rursum Jud. 13. 22. *statimque intellexit Manoe angelum DOMINI esse, & dixit uxori suæ, Morte moriemur, quia vidimus DOMINUM.* Sane legimus Exod. 33. 20. *non videbit me homo & vivet.* Quod ita capiendum ut dicat, neminem posse videre Deum ut est, hoc est, in essentia sua, quin statim moriatur. ¶ *Erepta est*] liberata est, evasit. ¶ *Anima mea*] aut vitam intelligit, aut *evasit anima mea* dictum pro, ego evasi, ut apud Ennium, *quem credidit esse meum cor*, pro, quem ego credidi.

31. *Ortusque est ei Sol, quum transisset Phanuel, & ipse claudicabat super femur suum.*

32. *Propterea non comedunt filii Israël nervum luxatum, qui super volam femoris in diem hunc: quia tetigerat volam femoris Jacob in nervo luxato.*

Ortusque est ei Sol] ἀνέτειλε δὲ αὐτῷ ὁ ἥλιος. Quid? Annon etiam aliis ortus est? Scire licet pro ratione horizontis & locorum solem non omnibus eodem tempore oriri. Quidam explicant *ei* i. in usum ejus, nempe ad eum recreandum & exhilarandum. Aben. *Quæri solet cur dicat, Ortus est ei Sol. Nam uno momento Sol oritur per totum mundum. Quæstio hæc vana est, quia tempus ortus solis in omni loco variat. Nam ecce inter Ierosolymam & civitatem, ubi hunc Commentarium composui, quæ Luca vocatur, est hora & tertia pars horæ & in latitudine sunt gradus duodecim. Et hoc perspicuum est ac indubitatum.* Hactenus Abenezra. ¶ *Transisset*] præteriisset. Græca sunt ἡνίκα παρῆλθε τὸ εἶδος τοῦ θεοῦ: *quando transivit speciem Dei* i. Phanuel. Male interpres Romanus, *quando transivit species Dei.* Nam hoc alium sensum continet. ¶ *Et ipse claudicabat super femur suum*] q. d. non ante sensit aut animadvertit se claudum esse. Lxx. αὐτὸς δὲ ἐπέσκαζε τῷ μηρῷ αὐτοῦ. Est autem ἐπισκάζω idem quod σκάζω claudico: unde ἐπισκάζω πόδεσσι, claudico pedibus. Chaldaice מטלע & חגיר. Quod posterius extat in Jonatha. Sic inter se permutantur חסין & עשין robustus. Lex. vet. σκάζω, titubo, *bacillo.* lego, vacillo. ¶ *Super femur suum*] vel, *femore suo.* ¶ *Nervum luxatum*] גיד הנשה Lxx. τὸ νεῦρον ὃ ἐνάρκησεν. Hiero. *nervum qui emarcuit.* Sic supra reddiderunt נשה. Onk. & Jon. גידא דנשיא, quod reddunt, *nervum luxatum.* Sic sane Fagius interpretatur. Santes, *nervum contractionis.* Alius, *nervum contractum.* R. Salomo לשון קפיצה. Id Latine sonat *contractionem.* Nam קפץ contraho. Trem. *nervum defectus.* R. David in Libro Radicum, *Dixerunt doctores nostri nervum luxatum dici eo quod contractus ascendisset è loco suo, ac si oblitus loci sui ab eo recessisset. Et convenit exponere, nervum defectum* i. הנשמט, *quod verbum* נשה *sig. Ier. 51. in illo* נשתה גבורתם *defecit robur eorum.* Leo Judæ, *nervum obstupefactum* q. mortuum & nihil sentientem. Nam & *terra oblivionis* vocatur sepulcrum sive locus mortuorum. Munsterus, *nervum dissipatum.* Quod firmat autoritate Davidis Camii, quem non recte mihi percepisse videtur. Siquidem הנשמט non sig. *dissipatum*, sed potius *defectum.* Idem addit, *Aliqui exponunt* נשה *oblivionem, nempe quod fuerit nervus oblivionis, hoc est, quod locum suum deseruerit & contractus in superiorem resederit.* Editio Gallica; *nervum recedentem.* Alias, *qui recesserat.* Quæ supra ex Munstero produximus, eadem habentur in notis Fagii ad paraphrasin Chaldaicam, quam vide. In iisdem notis citatum invenio ex Ebræis, *Nervus iste, Nervus oblongus est, cujus caput conjunctum ossi quod cauda* (caudam salacem intelligo) *adhæret & descendens exporrigitur super coxendicem, vocaturque in Thalmud* חיצון, *eo quod plane exteriorem partem femoris occupat, & non invenitur in ave.* In his verbis cauda Ebraice אליה dicitur, quo penem significant. Ideo exposui caudam salacem, quæ est nervus, & sunt qui hunc locum de membro virili accipiant, sed inepte insciteque. Ebræa auctiora sunt his verbis עליונים בשר החתן שעל והוא quæ interpres non intellexit, ut videtur. Præcedit autem הכף i. vola femoris. Si recte capio, dicit הכף esse circulum illum in bove qui super os. Sed nihil definio. Chaldæum נשיא aliis a picibus legitur נשיא i. mulierum aut fœminarum: unde forte opinio illa de nervo, quo mulieres viri gravidas reddunt. ¶ *Super volam femoris*] sunt qui emendent, *super palam femoris.* Nam vola hoc significatu Latinum non est. Jonathan, *super latitudinem femoris bestiæ aut feræ.* Latitudinem femoris vocat latum coxæ receptaculum, ut diximus. ¶ *Volam femoris*] Jon. *latitudinem femoris dextri.* Vide Mercerum.

AMAMA.

4. EBr. *Sic dicit servus tuus Jacob.* Vulg. *Sic dicit frater tuus Jacob.* Quis non videt de industria vocem *Servi* à Jacobo adhibitam atque eam patheticam magis reddere orationem, quam si fratrem se dixisset? Demittit se, servumque vocat, qui ex benedictione Patris Dominus ejus erat, idque non alio fine quam ut iram fratris frangat, quod certe non infeliciter successit. Viderunt hoc Chald. & LXX. quorum ille hoc loco habet עבדך *servus tuus*, hi vero ὁ παῖς σου, ad verbum, *puer tuus.* Sed amant Græci LXX. παῖς, usurpare pro δοῦλος, quia vox Ebr. נער *puer*, sæpe idem quod משרת minister, vel עבד servus. Sic Josua Exod. 33. vocatur נער puer Mosis, Jes. 37. *Pueri Regis Assur.* Sic Genes. 14. Matth. 14. Es. 37. *Misit Ezechias* עבדיו *servos suos*, LXX. τοὺς παῖδας αὐτοῦ. Act. 4. *qui per os Davidis pueri tui dixisti &c.* Gerundensis ad Gen. 37. 3. דרך המקרא שכל משרת יקרא נער, *Mos Scripturæ est ut omnis minister vocetur Puer.* Ratio hujus permutationis adeo clara ut de ea dicere haud videatur necesse.

15. Ebr. *Iuvencos*, vel tauros עשרה *decem.* Vulg. *Tauros viginti.* Magnum παρόραμα, cui nescio qua fiducia aut fronte præstari queat patrocinium. Quid spectarit nescio dum ex decem viginti fecit. Nobis de alieno non licet esse tam benignis. Si ex vocalium diversitate ortus esset error, libens hunc locum præterbitassem; nunc, cum & consonantes eam interpretationem respuant & Chaldæus & LXX. cum Ebræo conspirent, non potui aut debui hunc versum prætervehi. Chaldæus enim habet תורין עסרא. De LXX. fidem faciet exemplar in Folio excusum Basil. anno. 1545. & alterum ibidem anno 1550. editum in octavo cum versione Latina, est enim ibi δέκα, licet in versione *viginti* legatur. Quin & omni exceptione majus exemplar Romanum, Sixti V. jussu editum Romæ anno 1587. Ebræi textus vestigiis insistit. Mirum ergo tam palpabile mendum à Lovaniensibus non observatum, aut si observatum, non emaculatum. Magis mirum Romanos Correctores à Clem. VIII. ordinatos hunc locum ad fontes non correxisse, cum vers. 29. ea verba, *quod est mirabile*, quæ in aliis codicibus legebantur, etiam à Lovaniensibus retenta, expunxerint.

DE MUIS.

32. JAcobus è Mesopotamia in Palæstinam revertens vehementer sibi ab Esao fratre metuebat, ne iræ memor durius aliquid in se adventantem consuleret: quando Deus, qui ne in metu quidem suos diutius quam par est versari patitur, eum novo quodam modo, cum jam non procul à fratre abesset, confirmavit securumque esse jussit. Jacobum enim, postquam agmen suum ultra Jaboci fluminis vadum promovisset, alicubi in solo repertum & ab agmine relictum, Deo rem gubernante, aggressus noctu Angelus, cumque eo fortiter diuque luctatus usque ad auroram, cessit tandem victus, victori Angeli homini nihil ab hominibus metuendum esse confirmans, ipsi Jacobo è re factove novo dato nomine, ut deinceps *Israel*, quasi tu dicas *prævalentem Deo*, i. Dei Angelo, appellaretur.

Inter

Inter ea quibus illa historia explicatur, hæc sunt, Gen. 32. 28. *Nequaquam*, inquit, nempe Angelus, *Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti* (seu *prævaluisti*) *quanto magis contra homines prævalebis?* Sed hoc non utique verum deprehenditur, cum ab eo tempore legatur Jacobus vocatus Jacobus innumeris in locis, & statim quidem post ea verba quæ è libro Geneseos recitavimus. Vocabulo rem expedit Ezra ad cap. 35. Gen. v. 10. huic germanum prorsus, לא יקרא שמך עוד יעקב לבדו כי גם ישראל *Non vocabitur nomen tuum ultra Jacob tantummodo, sed etiam Israel.* Hic vero versus Gen. 32. 5. palam arguit errare seu hallucinari eos qui ישראל *Israel* interpretantur, si tamen serio interpretantur ac non potius allegoriæ serviunt: tantis enim mentibus cedendum, deque iis modeste ac religiose semper pronunciandum: interpretantur, inquam, prædictum nomen, quasi איש ראה אל *virum videntem Deum*, vel ישר אל *rectum Dei.* *Quamvis*, inquit S. Hieronymus in Quæst. in Gen. *grandis autoritatis sint & eloquentia, & ipsorum umbra nos opprimat, qui Israel virum, sive mentem videntem Deum, transtulerunt, nos magis Scriptura & Angeli, vel Dei, qui ipsum Israel vocavit, autoritate ducimur quam cujuslibet eloquentia secularis.* Neque est cur opponas D. Hieronymo ipsum eundem D. Hieronymum, qui in cap. 44. Esaiæ id nomen *rectum Dei*, aut *virum videntem Deum* exponit. Ea namque Hieronymi consuetudo, præsertim ubi alio festinat, ut sæpe communes ac receptas celebriorum Doctorum opiniones quæ ad locum institutumve facere videantur, tanquam suas proponat, quamvis ipse longe aliter sentiat. Nisi hanc regulam teneas facile ac sæpe errabis in dijudicanda Hieronymi mente. Est aliud præterea quod illam antiquorum sententiam de ratione nominis *Israel* aperte refellat, sed nihil tamen est ad Geneseos versum, nempe quod, si ita esset, ut volunt, ישראל per ש dextrum, non autem per ש sinistrum esset scribendum: ac si sonaret certe *virum videntem Deum*, א potius quam Jod initio postularet. Est igitur ישראל ex שרה quod est *prævalere*, seu *principatum obtinere*, & אל quod *Deum*, ut fortem, significat: Iodque initio positum nominis proprii est formativum, ut in יעקב *Iacob*, יצחק *Isaac*, & aliis. Ista intelligunt quotquot Hebraice sciunt.

GROTIUS.

11. *Matrem cum filiis*] Proverbialis locutio, id est, internecionem faciat.

23. *Traductisque omnibus*] Illud *omnibus* videtur fuisse in codicibus Hebræis quibusdam, ob tantum consensum Samaritani, Syri, Græci, Latini.

24. *Ecce vir*] Φάντασμα [*spectrum*] Iosepho: quam vocem & in Gedeonis & Manoæ historia usurpat.

25. *Et statim emarcuit*] Id mystice significat συστολὴν οἰήσεως [*contractionem elationis animi*]. Philo, περὶ ἄθλων [*de præmiis*].

28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum*] Sic & infra xxv. 10. Sensus est: non tantum Iacob vocaberis, ut antehac, sed & Israel, augustiori nomine. Simile Ieremiæ xxiii. 7.

Si contra Deum fortis fuisti] Contra Angelum. Hinc nomen Israelis: nam jod est proprii nominis nota. שרית Græcis varie vertitur ἐνίσχυσας, ἦρξας, ἦρξω ἰσχύϊ [*valuisti, præfuisti, præfuisti per potentiam*], mystice precum vis significatur. Vide Luc. xviii. 6. & sequentibus.

31. *Ortusque est ei statim sol*] Vide supra 26. Iupiter Plautinus:

Exire ex urbe prius quam lucescat volo.

Anchises Virgilianus Æneidos quinto:

Iamque vale: torquet medios nox humida cursus,

Et me sævus equis oriens afflavit anhelis.

Sic Achilles ad galli cantum abit apud Philostratum, vita Apollonii: quod & Eusebio notatum contra Hieroclem: Chrysis apud Lucianum. Et generale hoc in nocturnis visis observat Æneas Gazæus Theophrasto.

CARTWRIGHTUS.

1. *Et Angeli Dei ei occurrebant.*] Scil. (ut exponit Aben Ezra) ad ei in via auxiliandum. R. Salom. (ex Hebræorum sententia, qui unicuique provinciæ certos angelos deputatos existimant) ait hos fuisse angelos terræ Israeliticæ, qui Jacobo obviam venerunt, ut eum in terram istam deducerent. Hinc Lyra, Dicunt (inquit) Hebræi, quod angeli, qui custodiebant provinciam Syriæ, conduxerunt eum usque ad locum illum, qui erat in fine provinciæ illius, & tunc alii angeli, qui præerant provinciæ alteri sibi conjunctæ, obviaverunt sibi ad conducendum eum. Mercerus refert Hebræos observare, non hic dici, *Et occurrit angelis*, sed *occurrerunt ei angeli.* Uter (inquiunt) major est? qui custodit, an qui custoditur? is qui occurrit, an cui occurritur? Regi occurritur, & principibus, non ipsi aliis occurrunt. LXX. hic interserunt, εἶδε παρεμβολὴν Θεοῦ παρεμβεβληκυῖαν, *Vidit castra Dei applicantia.* Ità legit Ambrosius lib. 2. de Jacob, cap. 6. ut observat Nobilius. In Hebræo ista non habentur, uti nec in Chaldaicis Paraphrastibus, nec in vulgata Latina versione.

2. *Et vocavit nomen loci istius* מַחֲנָיִם *Mahanajim.*] *Bina castra.* Nimirum quòd (ut exponit Ab. Ezra) ibi & ipsius castra erant, & castra angelorum. R. Sal. vult bina ista castra fuisse angelorum; nempe angelorum qui fuerunt extra terram Canaan, & cum Jacobo huc usque venerunt, & angelorum terræ Canaan, qui ei nunc in occursum venerunt. Targ. Hierosolym. sic habet, *Et dixit Jacob, quando vidit eos, Fortè exercitus sunt Labanis fratris matris meæ, qui venerunt ad prœliandum mecum, & ad me occidendum*; vel, *forte sunt exercitus sanctorum angelorum à Domino missi, qui venerunt ad me liberandum è manibus eorum; propterea vocavit nomen loci istius Mahanaim.* Meliùs Targum Jonathæ, *Et dixit Jacob cùm eos vidit, Non sunt hi exercitus Esavi, qui* (a) *coram me veniunt; nec sunt exercitus Labanis, qui iterum me persequuntur; sed sunt exercitus sanctorum angelorum, qui missi sunt à Domino*; propterea vocavit nomen loci istius lingua domus sanctuarii *Mahanaim.* Expositio Aben Ezræ simplicissima est, ac verissima videtur.

8. *Et turma* (ad verb. *castra*, *seu exercitus*, המחנה) *quæ relicta est, evadet.*] על כרחו כי אלחם עמו (inquit R. Salom.) h. e. velit nolit; nam pugnabo cum eo. Asserit iste Rabbinus Iacobum ad tria se parasse, nempe ad munus, ver. 21. ad bellum, quod ex his ipsis verbis colligit; & ad preces, ver. 9. &c. At procul-dubio Iacob nihil minùs cogitavit quàm cum Esavo manum conferere. Rectiùs igitur Aben Ezra, qui citans istam R. Salomonis interpretationem, על כרחו, i. e. *Velit nolit, seu ipso invito*, quasi dixerit Iacob, *per vim & ingratiis una turma evadet*, ait esse דרך דרש, i. e. *per modum Drash*, seu expositionem longè petitam, minimèque simplicem & literalem. Sensum autem esse asserit, quòd vel fortè fuga evadent, vel ira Esavi unius turmæ percussione satiabitur.

9. *Et Deus patris mei Isaaci*, Domine, &c.] R. Salom. ait Iacobum antea vocasse *Deum timorem patris sui Isaaci*, hic autem *Deum patris sui Isaaci*, atque etiam subjungere nomen appropriatum (שם המיוחד, sic appellant tetragrammaton יהוה) propterea quòd Deus duplici Iacobo de eo protegendo, ac in patriam reducendo facta promissione, primò se *Deum Abrahami*, ac *Deum patris ipsius Isaaci* appellaverat, cap. 28. 13. Deinde *nomine suo proprio* (בשם המיוחד) *se ei revelaverat.* Sic enim scribitur cap. 31. 3. *Et dixit Jehova Jacobo, Revertere, &c.* Vult igitur R. Salom. Iacobum hoc in loco titulos hosce Deo tribuere, ut ita se in promissionibus istis, ipsi a Deo factis, fiduciam suam repositam habere testaretur.

11. קָטֹנְתִּי מִכֹּל הַחֲסָדִים וּמִכָּל־הָאֱמֶת *Minor sum omnibus misericordiis, & omni veritate, &c.*] Chald. זעירן זכותי מכל חסדין ומכל טבון i. e. *Minora sunt merita mea omnibus misericordiis, & omnibus beneficiis, &c.* LXX. Interpretes quid hic secuti sunt, quidve voluerunt, nescio, qui sic vertunt, ἱκανούσθω μοι ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης, καὶ ἀπὸ πάσης ἀληθείας, *Sufficiat mihi ab omni justitiâ, & ab omni veritate.* Græcus Scholiastes notat Cyrillum legere, ἱκανοῦταί μοι, *sufficit mihi*: alios autem libros habere, ἱκανός εἰμι, *sufficiens sum.* Hieron. in Tradit. ex Hebræo vertit, *Minor sum omni misericordiâ tuâ, &c.* Atque ait, aliud nescio quid, quod sensum turbet, in Græcis & Latinis codicibus contineri. Nobilius ait, ἱκανούσθω μοι, &c. valere, *Satis mihi superque esse deberet, quod me tot tamisque beneficiis es prosecutus.* At iste sensus haud facilè ex Græcis verbis elicitur; Sic enim potiùs dicendum esset, ἱκανούσθω (vel ἱκανοῦται) μοι πᾶσα δικαιοσύνη, καὶ πᾶσα ἀλήθεια. Mirum autem videri possit, LXX. Interpretes interpretari חסד δικαιοσύνην, *justitiam* (quod non hoc solùm in loco faciunt, sed & alibi, nempe Gen 24. 27.) cùm *misericordiam*, seu *benignitatem* denotet, ac δικαιοσύνη potiùs respondeat alteri vocabulo, nempe אמת; Sic enim quandoque *justitia* ponitur pro *veritate*, seu *fidelitate in præstandis promissis*, ut 1 Ioan. 1. 9. Atque ipsi quidem LXX, Gen. 24. 49. pro חסד habent ἔλεος, & pro אמת δικαιοσύνην. Ità sanè hæc Hebræa vocabula, cùm unà sunt conjuncta, inter se distinguuntur, quòd (ut notat Mercerus) חסד significet *benignitatem*, vel *beneficentiam*, cùm gratuitò primùm quidem quid promittitur, vel absque promissione confertur. אמת autem *veritatem*, cùm quod promissum

(a) Vel *contra me* לקדמותי

missum est, præstatur. R. Nathan in Concordantiis חסד interpretatur הוספת הטובה, i. e. *additionem bonitatis.* Plenius Kimchi ad Hos. 4. 1. יתרון הטובה יותר על הראוי, i. e. *abundantiam bonitatis*, quando bonum ultra id quod debitum est, confertur. Ac ad Mic. 7. 20. acutè ac eruditè observat, dici Deum exhibuisse חסד *benignitatem* Abrahamo, & אמת *veritatem* Iacobo, quia terra Canaan gratuitò promissa fuit Abrahamo, promissio autem illa Iacobo, nempe posteris ejus præstita. Fullerus Miscel. lib. 1. cap. 8. notat Symmachum reddidisse חסד χάριν *gratiam*; atque asserit Ioan. 1. 17. ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια, nihil aliud esse quàm nobilissima illa duo, חסד ואמת, quæ persæpe in Testamento Vetere conjunctissima occurrunt. Quorum (inquit) prius denotat gratuitum Dei favorem, quo fit, ut ultra, adeoque præter rigidam & immotam universæ legalis (ut ità dicam) severitatis lineam, æterna bona, remissionem nempe peccatorum, renovationem & vitam cœlestem promittat prorsus immerentibus, imò contraria omnia merentibus: Posterius indicat immutabilem Dei constantiam ac veritatem, quâ promissa bona iisdem, quantumvis immerentibus, largissimè ultra omnis juris lineam perfectissimeque præstat. Quamvis autem utraque, χάρις καὶ ἀλήθεια, *Gratia* & *Veritas* in Lege crebrò commemorentur; non tamen illic exhibentur, sed in Euangelio per Christum duntaxat, in quo omnes promissiones Dei sunt *Etiam*, & *Amen*, ad ipsius Dei gloriam. 2 Cor. 1. 20.

Nam cum baculo meo, &c.] Chald. ארי יחידי עברית, *Nam solus transivi.* Targum Ionath. *Nam cum baculo meo duntaxat, &c.* R. Salomon sic commentatur, *Non fuit mecum neque argentum, neque aurum, neque pecus* (seu possessio, ולא מקנה) *sed tantum baculus meus.* Addit Midras Agada dicere, quòd baculo suo percussit ac divisit Iordanem. Sed altera expositio simplex est ac genuina.

15. וּפָרִים עֲשָׂרָה *Et juvencos decem.*] Vulg. *tauros viginti.* Vel legit, vel in animo habuit עשרים pro עשרה. Scitè Amama in Censura, Nobis de alieno non licet esse tam benignis. LXX. cum Hebræo consentiunt, ταύρους δέκα. Similiter Chaldæus, ותורין עשרא. Et Targum Ionathæ, ותורי עסרא, i. e. *Et tauros decem.*

20. אֲכַפְּרָה פָנָיו *Placabo iram ejus.*] Ad verbum, *operiam faciem ejus.* Vel, ut Mercerus interpretatur, *abstergam vultum ejus.* Ita passim usurpari hoc verbum in sacrificiis asserit, q. d. detergere maculam & peccatum. Refert Ramban velle id significatus esse magis Rabbinicum, & in Scriptura deduci à כופר lytro, quasi sacrificium pro redemptione animæ detur; ipse tamen priorem expositionem sequitur, ac notat; in Ezra כפורים esse pelves, ab abstergendo sanguine per sacerdotes ad labra earum. Sic hoc in loco, velut abstergam ab ira vultum ejus, i. e. *placabo, & propitium mihi reddam, conciliabo.* Aben Ezra hic exponit אכפרה per אכסה ואסתיר, i.e. *operiam & abscondam.* Et פניו per כעסו, i.e. *iram ejus.* Ut 1 Sam. 1. 18. ופניה לא היו לה עוד, i. e. *Et ira seu indignatio ejus* (ad verb. *& facies seu vultus ejus*) *non erat ei amplius. Facies* pro *ira* ponitur, quia ira in facie apparet, ibi statim se conspiciendam præbet. R. Salom. in eundem sensum interpretatur, אבטל רוגזו, i. e. *indignationem ejus cessare faciam, seu auferam.* Et citat illud Isai. 28. 18. ubi verbum כפר sensu isto usurpatur, וכופר בריתכם את מות, i. e. *Et irritum erit fœdus vestrum cum morte.* Chald. אנחינה לרוגזיה i. e. *quiescere faciam indignationem ejus.* Targum Jonath. נריצי ית סבר אפוי, i. e. *reconciliabo affectum vultus ejus.*

Munere quod proficiscitur לְפָנָי *ante me.*] Sic Onkelos, & Jonathan in Paraphrasibus suis, קדמי, *ante me.* Vulgatus (omisso pronomine) *muneribus quæ præcedunt.* LXX. videntur legisse לפניו, i.e. *ante eum*, ἐν τοῖς δώροις τοῖς προπορευομένοις αὐτοῦ, *muneribus quæ præcedunt eum.* Notat autem Nobilius pronomen à Complutensi abesse.

24. וַיֵּאָבֵק *Et luctabatur.*] אבק est *pulvis.* Ind verbum in Niphal נאבק *luctari*, quia (ut rationem reddit Aben Ezra) qui luctantur, pulverem excitare solent. Similiter Menahem (uti refert R. Sal.) exponit ויאבק per ויתאבק, i. e. *Et pulverizabat se*, ab אבק *pulvere*, quòd luctantes pedibus suis huc illuc movendo pulverem excitent. Ipse autem R. Salom exponit, ויתקשר, i. e. *& colligavit se*, vel *complicavit se*, uti solent luctatores eos, quibuscum luctantur, amplexari, seseque cum eis complicare. Hac significatione ait verbum נאבק usurpari in lingua Syra. Chaldæus habet, ואשתדל, quod Fagius interpretatur, *Et luctabatur.* Verbum autem השתדל *occupatum esse in re aliqua*, vel *rei alicui operam dare* proprie denotat. Targum Ionath. ואתכתש מלאכא עמיה כדמות גבר, i. e. *Et certabat angelus cum eo in similitudine viri.* LXX. ἐπάλαιε, *luctabatur.* Et sic Vulg. Aquila & Symmachus, ἐκυλίετο, *volvebatur, volvebat, seu versabat se.* De hac autem Angeli cum Iacobo luctatione vide, si placet, Senensem Bibl. S. lib. 5. Annotat. 111.

25. *Et tetigit* בְּכַף־יְרֵכוֹ *cavitatem femoris ejus.*] Onkelos & Jonathan, בפתי ירכיה, i. e. *latitudinem femoris ejus* Sic LXX. καὶ ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ. Fagius ait vocem Hebræam Caph proprie interiorem partem manus, id est, *volam, & plantam pedis* denotare; & propter similitudinem hoc in loco vertebram & corylen significare, id est, ossis cavitatem illam, in qua absconditur summa pars femoris, quod ischium Græcis dicitur; & etiam caput illud femoris, quod in ischium inseritur. Ac citat Kimchium in Radic. asserentem, os illud, in quod os femoris ingreditur, vocari *Caph*, eo quod recurvatum est. (Nam Caphaph incurvari significat.) Alios vero sentire sic vocari, eo quod caro, quæ est circa os cotylæ superioris, formam habeat manus recurvatæ. Vulg. *Et tetigit nervum femoris ejus.* At quomodo Caph significet nervum haud scio. Postea quidem mentio fit nervi, sed alia vox nempe *Gid* usurpatur. Monet autem Mercerus hoc non fuisse in poplite, ut quidam putant, sed ad ischium, aut femur in junctura ejus. Nos (inquit) vocamus *le hanche.*

וַתֵּקַע *Et luxatum est cavum femoris Jacobi*] Hoc est (ut explicat Aben Ezra) סרה ממקומו, *recessit è loco suo, loco suo motum est.* Sic Jer. 6. 8. פן תקע נפשי ממך, *ne recedat anima mea à te.* Sic R. Salomon asserit verbum יקע, *recessionem*, seu *remotionem* (לשון הסרה) denotare, ac illum Jeremiæ locum ad hunc explicandum adducit. Onk. וזע. Jon. וזעת, & mota est latitudo femoris Jacobi. LXX. καὶ ἐνάρκησε, *& obtorpuit.* Vulg. *& emarcuit.*

28. כִּי־שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים וְעִם־אֲנָשִׁים וַתּוּכָל *Nam principem egisti, vel principatum obtinuisti, cum Deo, & cum hominibus, & prævaluisti.*] Chald. *quoniam princeps* (רב) *es tu coram Domino, & cum fortibus, & prævaluisti.* Sic vertit Fagius, qui in Annotat. ait posse legi, *Quoniam magnus es tu coram Domino, & cum fortibus* (subaudi *contendisti*) *& prævaluisti.* Ac per fortes intelligi angelos; vel sensum esse posse, Si cum Deo, & angelis contendisti, & superior evasisti, quanto magis homines superabis? Aben Ezra ad cap. 33. 10. ait multos Interpretes existimare Angelum Jacobo advenisse, ut animum ejus corroboraret, ac metum ei adimeret. Cum enim Angelus eum superare nequiverit, quanto minus ab homine superari potuerit? Hanc autem expositionem improbat, atque asserit verbum שרה cum על quidem significare *prævalere, superare*, non autem cum עם, ideoque hic sensum esse שר תחשב, i. e. *princeps habeberis cum angelis, & cum hominibus principibus.* At illud ותוכל, *Et prævaluisti*, arguit sensum ab Aben Ezra improbatum esse genuinum; eumque sequi videtur R. Salomon. Non dicetur (inquit) amplius benedictiones tibi obvenisse בעקבה; i. e. *supplantatione & dolo*, sed בשררה וגלוי פנים, i. e. *virtute ac aperto marte*; ad verb. *dominatione & revelatione faciei.* Ac illud, *Et cum hominibus*, interpretatur de Esavo & Labane. Similiter Hieron. in Tradit. Sensus (inquit) est, *Non vocabitur nomen tuum supplantator*, hoc est, יעקב Jacob, *sed vocabitur nomen tuum princeps cum Deo*, hoc est, *Israel.* Quomodo enim princeps ego sum, sic & tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus sum, vel angelus (quoniam plerique varie interpretantur) pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus, hoc est, cum Esau, quem formidare non debes? Ibidem Hieron. redarguit eos, qui *Israel interpretantur, vir videns Deum, sive mens videns Deum*, quasi esset compositum ex איש *Ish*, vir, & ראה *raa*, videre, & אל *El*, Deus. Theophylactus isto errore abreptus est, qui ad Luc. 1. 54. ait nomen *Israel*, si interpreteris, idem esse quod ὁρῶν Θεόν, *videns Deum.* Quod autem Hieronymus istic asserit *Israel* interpretari, *princeps Dei*, sive directus Dei, in eo profecto & ipse à veritate aberrat. (a) Nam Israel idem quidem valet, quod *princeps Dei*, vel *cum Deo*, à שר *princeps*, & אל *Deus*; non autem idem quod *directus Dei*, vel *cum Deo*; prima enim litera Jod est adventitia, & formativa nominis proprii, nec componitur nomen ex ישר *rectus*, & אל *Deus.* LXX. hunc locum sic interpretantur, οὐ κληθήσεται, &c. ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ καὶ μετ' ἀνθρώπων δυνατὸς ἔσῃ, *Non vocabitur, &c. quia invaluisti cum Deo, & cum hominibus potens eris.* Videntur legisse תוכל absque ו præfixo, vel illud tanquam redundans omisisse. Aquila, ἦρξας μετὰ Θεοῦ, *Princeps fuisti cum Deo.* Symmachus, ἦρξω ἰσχύι πρὸς Θεόν, *princeps fuisti fortitudine erga Deum.* Theodotion, ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, *invaluisti cum Deo.* Hinc autem apparet omnes hosce Interpretes derivasse nomen *Israel ex* Sar *princeps*, vel Sara *principatum habere*, & *El Deus*, quæ sola est vera nominis derivatio, ut ipse angelus hic aperte significat. Targum Jonath. *Non vocabitur, &c. quoniam princeps fuisti* (אתר רברבת) *cum angelis Domini, & cum fortibus, & prævaluisti eis.*

(a) Sic Lyra eundem errorem errat, asserens Israel interpretari *directus cum Deo, vel princeps cum Deo.*

29. *Cur*

29. *Cur ita quaeris nomen meum?*] Vulg addit, *quod est mirabile.* At ista Hebraeus textus non agnoscit, nec in Chaldaicis versionibus habentur. Sed nec in Romana editione Lxx. Interpretum; refert quidem Nobilius nonnullos legisse, ὅ, ἐστι θαυμαστὸν, atque ita habere Theodoretum Quaest. 91. Graecus autem Scholiastes testatur verba ista apud neminem Interpretum in Hexaplo fuisse. Fagius in Collat. putat ex Judic 13. huc à sciolo quodam fuisse adjecta, quod sane est verisimile. Amama in Censura ait Romanos Correctores à Clemente octavo ordinatos verba ista expunxisse, à Lovaniensibus autem esse retenta. In Codice meo, qui Lugduni apud Antonium Vincentium impressus fuit, anno 1566. verba ista habentur, nec quicquam (quod alias fieri solet) in margine annotatur. Lyra etiam ista legit, sed monet non esse de textu.

32. *Propterea filii Israel non comedunt* גִּיד הַנָּשֶׁה *nervum (b) luxatum*] Quare, inquit R. Salom. appellatur גיד הנשה? respondet, לפי שנשה ממקומו ועלה, i.e. *Quia e loco suo exsiliit, & ascendit.* Asserit enim נָשֶׁה *Nashe esse* à נָשָׁה *Nasha*, prout significat *festinare, exsilire*; (הוא לשון קפיצה) Eam significationem verbum נשה ait habere Jerem. 51. 30. נשתה גבורתם, *exsiliit*, seu *cito abiit robur eorum.* Similiter R. Nathan in Concordantiis ait נשה in hoc Geneseos loco pariter ac in illo Jeremiae, ut etiam alibi significare *recessionem, projectionem*, & *remotionem.* At verbum נשה fere significat *oblivisci*, unde Fagius, Hebraei (inquit) vocant *nervum oblivionis*, quod scil. ex contactu angeli locum suum deseruit, & contractus in locum superiorem resederit. Ita enim scribunt Hebraei, ונקרא גיד הנשה שנשה ממקומו ועלה כלומר כאלו שכח מקומו וסר ממנו, i.e. *Et vocatur Gid Hanasche* (seu *nervus oblivionis*) *quod motus fuerit loco suo, & ascenderit; quasi dicas, quod oblitus fuerit loci sui, & ab eo recesserit.* Refert etiam Fagius nonnullos accipere נשה pro נשת, i.e. (c) *periit, defecit, dissipatum est*; ac legere *nervum dissipatum*; atque huic sententiae subscribere Kimchium in Radicibus. LXX. interpretantur, τὸ νεῦρον ὃ ἐνάρκησε, *nervum qui obstupuit, vel obtorpuit.* Vulg. *qui emarcuit.* Mercerus ait Iudaeos, quod hodie ignorent ubi sit hic nervus, ideo ab omnibus nervis in posterioribus animantium abstinere solere, imo & à posterioribus animantium, saltem donec nervi omnes sint amoti. Notat etiam eos multa de hoc nervo agere, peculiari capite ei destinato, & quod à primis vocibus vocant גיד הנשה in tractatu חולין, i.e. *de profanis victimis.*

(b) Vel, *contractum.* (c) Illud נשתה Jer. 31. 30. aeque dici potest à נשה, ac à נשת. Vide Shindleri Pentaglotton.

CAP. XXXIII.

MUNSTERUS.

1. DIvisit filios ad Leam*] h. e. Universos filios distribuit in quatuor ordines, cuique matri suos commendans. Quod nos vertimus, *divisit filios ad Leam*, videtur Steucho parum Latine dictum, cum magis *prope Leam* dicendum fuerit.

6. *Adductus est*] נגש hic scribitur in passiva voce; id quod Dages in Gimel arguit: nisi malueris esse verbum Piel; & tunc locus ille sic erit reddendus, *& penetravit Joseph*, &c.

10. *Et bene voluisti mihi*] Quod verbum etiam sic reddi potest, *& pie suscepisti me.* Et quod sequitur, *Est mihi satis*] in Hebraeo legitur, *sunt mihi omnia.* Quem locum Hebraei sic exponunt, *Est mihi tam satis ac si haberem omnia.*

13. *Sunt foeta*] Steuchus contra omnium Hebraeorum sententiam hic putat עלות non pro *foetis & lactantibus* accipi, sed pro *ascendentibus*; rejiciendumque asserit Aben Ezra, quem solum consuluit. Sed nec Hieronymus illi hic placet. At ego malo hic Chaldaeo interpreti & omnibus Rabinis atque Latinis translatoribus subscribere quam uni Steucho.

14. *Ego incedam suaviter*] Est לאטי idem quod בנחת i. *quiete, pedetentim.* Proinde quod nos vertimus, *juxta gressum familiae*, in Hebraeo est, *juxta pedem operis.* Vocat autem *opus* universam familiam, potissimum greges & armenta. Et quod sequitur, ¶ *Venit in Salem*] Hebraei legunt *Salem* adjective, pro, *venit sanus & incolumis ad civitatem Sichem.* Unde & Onkelos vertit שלים, i. *integer.*

19. *Centum nummis*] Exponunt Hebraei dictionem קשיטה per מעה, *obolum*; seu *nummum*, licet unus Onkelos interpretetur חורפן, *agnam.*

20. *Invocavit fortem*] Hebraei sic legunt, *vocavit ipsum*, scilicet altare, *Fortem Deum Israel.* Non quod altare fuerit Deus Israel, ut Gerundensis hunc locum explicat; sed fuit signum quod fortissimus ille fuit Deus Israelis, qui eum liberavit ex cunctis necessitatibus. Onkelos tamen vertit לו pro עליה *Super ipsum*, inquit, *altare coluit Deum.*

FAGIUS.

1. ET divisit filios*, &c.] Distribuit filios in tres ordines, cuique matri suos commendans.

8. *Quid sibi vult*, &c.] Alii legunt, *Quis est iste ad quem mittis totam turmam istam quam obviam habui.* Verum lectio quam ipse secutus sum, simplicior esse videtur. *Ut inveniam gratiam in oculis domini mei*, &c.] i. Haec ideo adduxi mecum, ut ea dono tibi darem, ut essem tibi charus, acceptus & gratiosus.

10. *Quasi viderim faciem magnatum*] Per vocem אלהים, quae *principes & magnates* significat, Hebraei nunc terrenas potestates, h. e. principes, magistratus & duces; nunc coelestes potestates, i. Angelos, intelligunt.

11. *Quoniam misertus est mei Dominus*, &c.] Hebraismus est, pro, *ex benignitate Dei omnia mihi abunde suppetunt.*

12. *Iboque juxta te*] Vel, *è regione tui.* Sensus est, Ibo à latere tuo, & aequis passibus ero comes itineris tui.

13. *Et si impulerint eos uno die*, &c.] Sensus est, Si acceleraverint, seu defatigaverint, eas die uno citius quam solitae sint ire, morientur omnes.

14. *Et ego sensim ducam*] Scilicet gregem & familiam quae mecum est. ¶ *Secundum gressum operis*, &c.] Ad literam est, *secundum pedem operis*, &c. *Opus* vocat universam familiam, potissimum greges & armenta. i. Secundum quod videro familiam meam ambulare posse, greges & armenta.

15. *Inveniam saltem gratiam*, &c.] Vult dicere, satis est mihi, si tantum tibi gratus & acceptus sim.

19. *Centum agnis*] Heb. *centum nummis.* Est enim קשיטה genus monetae, testantibus doctioribus Hebraeorum. Cur vero Paraphrastes noster, quem Lxx. & Vulgata editio sequuntur, pro *nummis*, *agnis* verterit, rationem monstrare non possum. Evangelista tamen Lucas Act. 7. 16. ubi istius loci meminit, accedit Hebraeorum lectioni. Non enim *agnorum* sed *pretii argenti* mentionem facit.

IDEM.

18. ויבא יעקב שלם עיר שכם אשר בארץ כנען *Venitque Iacob Salem civitatem Sichem, quae est in terra Chanaan.*] Variatur in vocabulo שלם. Nostri expositores fere omnes pro nomine proprio civitatis accipiunt, ut eadem sit Schalem quae & Sichem, binominis scilicet. Hebraei vero omnes adjective interpretantur; pro *salvo & incolumi*, ut sit sensus, quod salvus, incolumis & sanus venerit ad urbem Sichem, sic ut nihil infidelitatis nihil superstitionis falsaeque religionis contraxerit in domo Laban, ut scribit R. Salomo. Et quod nihil etiam sinistri ei hactenus acciderit, ut inquit Ezra: sed salvus, integer & pacificus Sichimum usque venit, ubi primum expertus est malum quod accidit ei cum Dina filia sua, quod in sequentibus Moses describere incipit.

19. ויקן את חלקת השדה אשר נטה שם אהלו מיד בני חמור אבי שכם במאה קשיטה *Emit quoque partem agri, ubi tetendit tabernaculum suum. de manu filiorum Hemor patris Sichem pro centum nummis*] Variatio est in voce קשיטה: quam cum omnes Hebraei מעה, i. *nummum*, seu *obolum*, exponunt, unus Onkelus Chaldaeus חורפא, i. *agnum* interpretatur, quem secuti sunt Lxx. & illos Lat. Vulg. interpres. Tametsi quidam putant Septuaginta editionem vel incuria librariorum vel vetustate corruptam fuisse, sic ut pro μνῶν, quod illos vertisse eis verisimile est. ἀμνῶν irrepserit. Meminit R. D. Kimhi in Radicibus ex R. Akiba in Arabia quoque numum קשיטה vocari. Sic enim scribit, בדברי רבותינו ז״ל אמר רבי עקיבא כשהלכתי לערביא שמעתי שהיו קורין למעה קשיטה, *Apud Rabinos nostros piae memoriae legitur, Rabi Akibam dixisse, Cum irem in Arabiam, audivi quod vocarent nummum* קשיטה. Huic Hebraeorum lectioni adstipulatur D. Stephanus in Act. Apost. cap. 7. ubi de isto agro sic ait, *Positi sunt in sepulcro quod emit Jacob pretio argenti à filiis Hemor patris Sichem*: ubi vides Stephanum *pretii argenti*, non *agnorum* mentionem facere.

VATABLUS.

1. *ET partitus est*, &c. [ויחץ וגו'] *& partitus est pueros juxta Leah*, vel, *apud Leah*, &c. *Separavit filios partim cum Leah, partim cum Rachel, & partim cum duabus ancillis*. h. e. Distribuit eos in tres ordines, partem ponens cum Leah, &c.

5. *Qui sunt isti?* suntne *tui?* [מי אלה לך] *Quinam sunt isti tibi?* Aut *tibi* redundat, aut significat *Qui tecum sunt*.

8. *Et dixit*, [ויאמר] sub. *Esau*. ¶ *Estne tua tota turma illa* [מי לך כל המחנה הזה] *Quis* est iste *ad quem* mittis *totam turmam illam?* Et לך redundat. Vel, *Quis tibi* [i. Quem habes] *ad quem mittis universam turmam istam?* Aut ut מי positum sit pro אל מי vel למי, *Ad quem* mittis *universam turmam istam?* Alii, *Cujus? tuáne universa*, &c. ¶ *Ut inveniam*, &c. [למצוא חן] Hebraismus, *ut inveam apud te gratiam, domine mi*. q. d. Omnia illa misi ad te dominum meum ut essem apud te gratiosus.

9. *Est mihi multum*, [יש לי רב] *Sunt mihi quamplurima*. i. Habeo satis superque: maneat tibi quod tuum est.

10. *Ne quaeso*, [אל נא] Sub. *Recuses munus meum*. Quidam ad sequentia referunt, vertentes, *Ne quaeso* id dicas, *si inveni gratiam apud te*, sed *accipe*, &c. ¶ *Nam idcirco*, &c. [כי על כן] Hebraismus, *Si acceperis hoc munus meum, tam libenter videbo te quam viderem Deum, usqueadeo placebis mihi*. ¶ *Angeli*, [אלהים] *Dei*. Chald. paraphr. *principis*. Vel, *magnatis*. ¶ *Et places mihi*. [ותרצני] *& sis mihi propitius*. i. Hac ratione deprehendam te mihi propitium esse.

11. *Benedictionem meam* [את ברכתי] Significat *beneficium*, sive *munus*. ¶ *Donavit mihi* [חנני] Ad verbum, *misertus est mei Deus, & quia sunt mihi omnia*. Hebraismus, *benigne largitus est mihi Deus quamplurima, & omnia mihi suppetunt, & nullâ re indigeo*. ¶ *Coegit igitur eum*, [ויפצר בו] i. Fecit ut quasi invitus acciperet munus illud.

12. *Proficiscamur*, [נסעה] *Proficiscere*. Alii, *Move castra*. ¶ *Ante te:* [לנגדך] *e regione tui. à latere tuo*. i. Æquis passibus incedam tecum. q. d. Ero tibi socius in itinere.

13. *Fœta sunt mihi:* [עלות עלי] *lactantes* sunt *apud me*. Vel, *super me*. i. in mea cura. q. d. Mecum est ut curem diligentissime illas. ¶ *Et si impellant* [ודפקום] *Et si urgeant*. i. Quod si pastores semel compellant pecudes ipsas etiam die uno citius ambulare quam solitæ sint, morientur omnes nimia lassitudine.

14. *Incedam* [אתנהלה] Ad verbum, *deducam me*. *Ducar*. ¶ *Ad pedem gregis* [לרגל המלאכה] Ad verbum, *ad pedem* [vel *gressum*] *ipsius operis*. Significat *opus circa quod occupamur*. i. Gregis vel pecudem. Erat enim occupatus in gregibus alendis. q. d. Juxta passum facultatum quas ago ante me. Nam præcipuæ ejus facultates sitæ erant in pecudibus.

15. *Dimittam quaso* [אציגה נא] Ad verbum, *Statuam nunc*. *Stare faciam*. i. Remanere faciam, Relinquam. ¶ *Inveniam gratiam*, &c. [אמצא חן וגו'] Perinde valet hæc locutio ac si dicas, Dummodo gratus sim tibi Domino meo, satis mihi est.

17. *Et gregi suo*. [ולמקנהו] *atque peculio suo*.

18. *Sechem*, [שכם] Hæc urbs Joh. 4. 5. dicitur *Sichar*. ¶ *Et mansit*, &c. [ויחן וגו'] *Et castrametatus est e regione urbis*.

19. *Agnis:* [קשיטה] *Nummis*.

20. *Et appellavit illud*, [ויקרא לו] i. Construxit altare quod esset memoriale perpetuum quod fortis Deus Israel liberasset illum. Alii vertunt, *Et invocavit super* [vel *juxta*] *illud fortem Deum Israel*, Chald. paraphr. *Et coluit fortem Deum Israel*.

CASTALIO.

19. *CEntum quessitis emit*] Quessitam fuisse nummum puto non vilem: id quod tum ex hoc loco conjicio, tum ex Jobi capite ultimo, ubi scriptum est, Jobo amicos singulas dedisse quessitas.

CLARIUS.

1. *DIvisit filios*] Cuique matri suos commendavit. In Hebræo est, *divisit filios ad Liam, & ad Rachel, atque ad duas ancillas*.

10. *Esto mihi propitius*] Vel, *complaceas mihi*. Alius vertit, *Et bene voluisti mihi*, vel *pie suscepisti me*.

11. *Quam donavit mihi Deus*] Vel, *quia donavit mihi Deus, ut sint mea hac omnia*. Alius sic vertit, *Quia misertus est mei Deus, & quia est mihi satis*.

18. *In Salem*] Hebræi legunt *Salem* adjective, pro *venit sanus & incolumis ad civitatem Sichem*.

19. *Centum agnis*] Vel, *centum nummis*.

20. *Invocavit super illud*] Hebræi sic legunt, *vocavit ipsum*, scilicet altare, *fortem Deum Israel*. Non quod altare fuerit Deus Israel, sed signum quod fortissimus ille fuit Deus Israel qui eum liberavit ex cunctis necessitatibus.

DRUSIUS.

18. *MUltum refert qua versione quis utatur. Nam si mala fuerit, facile eum in errorem inducit. Sit pro exemplo locus quem nunc producam, Gen. 33. 18. Vetus editio habet, *Transivitque in Salem urbem Sichimorum*. Ejus autor secutus est Græcos LXX, qui hic habent εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων. Hinc Eusebius, an potius Hieron. *Salem civitas Sichimorum, qua & Sichem*. Scribunt eadem Eucherius, Rupertus, & alii. Non damno: tantum dico, ex illo loco quod illi volunt probari non posse. Nam locus est ambiguus. *Salem* enim, cum appellativum est, significat *salvum & incolumem*, ut legi possit, nescio an etiam debeat, *Venit salvus ad urbem Sichem*. Qua de re scripsi in Periculis meis, quæ nunc inde describam. Nam liber ille rarus est & à paucis visus. Utinam reliqui omnes mei libri pari fato denati essent. Nam hodie qui verum scribit, multorum odium incurrit. Mundus decipi vult. Qui decipere non vult, ei suadeo ut abstineat à scribendo. Nam regitur opinionibus certorum hominum, à quibus si dissentias, hæreticus es. Nunc ad rem. Ebræa sunt, ויבא יעקב שלם עיר שכם: Quæ sic interpretor, *Et venit Jacob salvus ad urbem Sichem*. שלם *salvus, incolumis*. Chaldaice שלים. Usus est hac forma nominis Onkelos. Sed & Jonathan Uzielis F. qui addit בכל ולדיה *in omnibus bonis & facultatibus suis*. Nec aliter Ebræi quos consului. Sunt autem R. Salomo, Aben Ezra, Moses Gerundensis, & Levi F. Gersom, quem Galli vocant, *Magistrum Levi*. Erat enim Gallus Provincialis. Horum verba fidei mei causa nunc interpretabor. R. Salomo, *Sanus corpore, quia convaluerat à claudicatione* (Ebræi putant coxam ejus, quæ loco mota fuerat in lucta cum Angelo, ibi restitutam fuisse: idque etiam Hieron. annotavit) *plenus opum, quia nihil ei deerat: perfectus in lege sua, quia in domo Labani non tradiderat oblivioni qua didicerat*. Aben Ezra, „ Salem est nomen adjecti-„vum: & est sensus, Venit cum pace, quia hucusque nihil „ei acciderat adversi. Sane jam nunc incipit narrare casum Di-„næ. Moses Gerundensis, „ Secundum sententiam meam hoc „dicit, quia in Succhoth metuebat Esau fratrem suum. Nam „Succhoth sita est trans Jordanem ad Orientem in regno Sehon, „siquidem ea est de qua mentio in Josua; sin alia est, ecce vi-„cinior est monti Seir. Porro donec erat in terra Chanaan ani-„mum habebat parum quietum, &c. Ideo dicit ipsum venisse „salvum in terram peregrinationis patris sui. Nam liberaverat „eum Deus à manu omnium inimicorum ipsius. Levi Gersomi F. „ Salem significationem habet Pacis: & vult dicere, quod „hactenus venerit cum pace, nec acciderit ei casus ullus malus, „donec venisset ad urbem Sichem. His adstipulantur è nostris, h. e. Christianis, Lyra, Cajetanus, Lippomannus, Hieronymus ab Oleastro, & alii. Omitto Santem, Tremellium, & interpretes è Sabaudia. שלם interdum εἰρηνικὸς, quem divinus David שלם *Solem* vocat, ut cum ait Psal. 7. שולמי *pacem habenti mecum*, τῷ εἰρηνικῷ μου, i. שלם אתי. Hoc significatu obvia hæc vox Gen. 34. 21. שלמים, ubi vulgo, *Viri isti pacifici sunt*. Græca interpretatio, εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων, ut & Latina, *in Salem civitatem Sichimorum*, multos in errorem induxit. Nam existimarunt *Salem* nomen proprium urbis esse, quæ alio nomine *Sichem* diceretur. Eusebius diserte in libro Locorum, *Salem, civitas Sicimorum, qua & Sichem*. Scribunt eadem Eucherius & Rupertus. Nec dissentiunt alii doctores catholici. Olim Hieron. dubitans id scripserat in Quæstionibus super Genesin. Idem asseverantius epist. ad Euagrium ait, Sichem esse quæ hic Salem dicitur, & in qua Melchisedec quondam regnaverit, vicumque juxta Scythopolim hoc nomine esse, in quo palatium Melchisedec visatur. Hæc si vera sunt, viderit. Mihi *Salem* hoc loco nomen appellativum esse videtur: in qua sententia me amplius confirmat, præter autoritates supradictas, quod nusquam alibi Sichem hoc nomine afficiatur. Verti autem *ad civitatem*, & non *in civitatem*, quia paulo post legitur ante urbem consedisse: ante urbem dico, non in urbe.

Porro

Porro *Sichem* Lxx. reddiderunt Συχέμων, quod secutus est noster, *Sichimorum* referens, ac si esset urbis nomen. Nam dicimus eo sensu τῆ Σίκιμα. Ego imbibi non urbis hoc loco, sed viri proprium esse: cui firmando locus Gen. 12.6. מקום שכם *locus Sichemi*, ubi Scheva sub Mem docet ita vertendum esse; *Locus Sichemi*, idem cum illo, *urbs Sichemi*. Nam *locus* pro *urbe* ponitur, ut γῆ apud Euripidem. Quod si objicias Sichem tunc nondum natum fuisse, respondeo, per anticipationem sive prolepsin ita vocari, ut in eodem capite *Bethel* nominatur, quæ diu post à Jacobo ita vocata fuit. His adde quod infra 34. 24. *Et audientes dicto fuerunt Hemor & Sichem filio ipsius quotquot egrediebantur portam civitatis ejus.* Ecce perspicue & sine ambiguitate vocantem civitatem Sichem filii Hemor. Nam eo pronomen referendum. Non tamen nego alibi eandem civitatem *Sichem* simpliciter nominari. Vide Jos. 17. 7. & 20. 7. & 21. 21. & 24. 1, 32. Jud. 8. 31. & 21. 19. 3Reg. 12. 1. 1Paral. 6. 67.

19. Quæ sequuntur, ea similiter descripsimus ex libro Periculorum olim excuso, nunc desiderato. Gen. 33. 19. במאה קשיטה. Vertunt, *centum agnis*; alii *centum nummis*; alii, *centum obolis*; alii, *centum margaritis*. Expendamus has versiones. *Centum agnis* vertit interpres Latinus is qui à *vulgo* nomen accepit. Prius Græci transtulerant ἑκατὸν ἀμνῶν, & Onk. Chald. paraphr. במאה חורפן. Sunt autem חורפן *agni*, h. e. כבשים, *qui annum non excesserunt.* Hæc interpretatio pugnare videtur cum narratione Stephani, Act. 7. 16. Nam si emit *pretio argenti*, non emit agnis. Talis emptio proprie permutatio dicitur. Qui enim pro agro aliquo agnos reddit, non emit proprie, sed permutat. Notavi antea. Forte *agnos* dicit nummos agni figura vel imagine signatos. Ita multi putant, & potest verum esse. Nam & aliæ gentes idem fecerunt. Sic nummus apud Athenienses bovis imagine signatus βοῦς dicebatur: unde proverbium, *Bos in lingua.* Similiter *corvus* apud Basileenses moneta erat corvi habens effigiem. Hodie aquilas & leones insculpunt, unde & nomen sortiuntur. Noti sunt daleri Leonini, vulgo Leeuwenschs daalders. Sed *angeloti* ab angeli figura nomen accepisse putantur. Conjectura hæc eo credibilior mihi videtur, quod Jacob pecuariam exercuerit. Nam pastor, si pecoris imaginem imprimat nummis suis, nihil mirum. Satis de hac versione. Veniamus nunc ad alias. *Centum nummis*, Tremellii est. Quid dico, Tremellii? Ante Cajetanus & Lippomannus ita verterant. Utut sit, non adeo placet. *Nummus* est aliquando nomen generale, & de qualibet pecunia sive moneta dici potest: aliquando speciale nomen est pecuniæ æreæ, quæ alio nomine *sestertius*, & conjunctim *nummus sestertius* appellabatur. Si generaliter accipias, nihil definis: si specialiter, vile nimis pretium videtur, & adversatur tibi testimonio suo Stephanus protomartyr, qui asserit hunc agrum emptum *pretio argenti.* *Nummus* in specie moneta est ærea, ut diximus. Utrum igitur ἀργυρίου voce quævis pecunia ibi significatur, etiam ærea? Gallica editio postrema, *centum nummis argenti.* Sed hæc nimis generalia sunt. Non est dubium quin Moses certum pretium indicare voluerit. Ebræi omnes quos vidi, exponunt per מעה. Id reddunt *oboli* voce Nicolaus & alii. Verba Nicolai sunt, *Pro* centum agnis *Ebræi dicunt* centum obolis. Recte, si מעה est *obolus*, ut revera est. Vide Lev. 27. 25. in Onkelo & Jonatha. R. S. קשיטה *est obolus.* *Dicit R. Aquiba, Cum irem per urbes maritimas, vocabant ibi obolum CESITA.* R. D. in lib. Rad. קשיטה *obolus. Sic in monumentis doctorum nostrorum piæ memoriæ. Dicit R. Aquiba, cum ambularem per Arabiam, audivi qui obolum CESITA vocarent.* Levi Gersomi F. *CESITA est obolus, juxta id quod exposuerunt doctores nostri felicis memoriæ: Etiam nunc sunt ex illis sex in denario.* Hæc Ebræi: sed non persuadent. Quis enim credat adeo vili venisse agrum illum? Nam centum oboli efficiunt tantum quinque siclos. Siclus enim habet viginti obolos. Si ad nostram monetam æstimare velis, sunt duo Daleri cum dimidio plus minus. Siquidem siclus valet XIV, aut XV sestertios, *stuferos* vulgo. Superest ultima translatio de *margaritis*, quas מרגלין vocant. Autor libri Aruch כתל קשיטה ת"י. In quibus verbis compendium illud ת"י valet תרגום ירושלמי, i. *Thargum Hierosolymitanum.* Mihi suspicio, ne forte Thargum Jonathæ, quod nunc habemus, sit integrum Hierosolymitanum. Sane ubique fere conveniunt: & potuit error esse ex abbreviatura ת"י, quæ literæ significant etiam *Thargum Jonathæ.* Nunc ad propositum. קשט in lingua Magistrorum denotat *ornare.* Hinc קישוט *ornamentum*, & strictiore significatu *Margarita*, quæ inter ornamenta excellit. Hoc interpretamentum tale est ut non indigeat refutationis. Legitur hæc dictio Job. 42. 11. קשיטה אחת *agnam unam.* Eandem cognationem habet cum Arabica *Cesius*, quam usurpant Serapio & alii. Quid autem sit *Cesius*, docebit nos collatio horum duorum locorum. Dioscorides de Elaterio, Ἡ δ' ἐλατηρίου δόσις, ὀβολὸς ἡ δ' ἐλαχίστη ἡμιωβόλιον· παισὶ δὲ, δίχαλκον. Serapio de eadem re, *Dosis ejus completa onolossat unum, & ad minus medietas ejus: sed pueris non detur nisi pondus duorum Cesius.* Ergo *Cesius*, χαλκοῦς, quod est numismatis genus. Pollux δίχαλκον ait esse oboli quadrantem sive quartam partem; drachmas autem sex obolos habere. Addam pro clausula Mar. 12. 41. χαλκὸν, פשיטא, quod affinitatem habet cum קשיטה, de quo supra. Nam Ain & Heth sibi invicem cedunt.

I D E M.

1. וישא יעקב עיניו וירא והנה עשו בא. Sym. Ἐπῆρεν δὲ Ἰακὼβ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἶδε φανέντα Ἡσαῦ ἐρχόμενον. A. καὶ ἦρεν Ἰακὼβ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, *Et sustulit Jacob oculos suos*] Aut, *levavit.* Prius erat in Lxx. Ἀναβλέψας δὲ τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, *Suspiciens oculis suis.* Sic solent reddere verbum Ebræum quando cum *oculis* construitur, ut Gen. 13. 14. & 18. 2. & alibi. Nam *levare oculos suos* aliud nihil est quam ἀναβλέπειν, *suspicere, oculos sursum attollere, sursum aspicere.* In quo sermone τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ redundat, ut cum dicimus, *videre oculis.* Quod tamen non plane περιττόν. Nam etiam animo videmus. In edit. Rom. *Respiciens autem Jacob oculis suis, vidit.* Nam ἀναβλέπω significat etiam *rursum cerno* aut *video.* Prior interpretatio melior. ¶ ויחץ A. καὶ ἡμίσευσεν] חצה ἡμισεύω, *dimidio:* nam חצי ἥμισυ, *dimidium.* Sic interpretantur hoc verbum Lxx Psal. 55. 23. Ἄνδρες αἱμάτων οὐ μὴ ἡμισεύσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν, *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Hic reddunt διεῖλε, *divisit*, ut alibi quoque. Hieron. *Denique ubi nos habemus [divisit] Aquila posuit ἡμίσευσεν, i. dimidiavit: ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis suis, & alium Liæ & Rachel, quæ liberæ erant cum filiis earum, primasque ire faceret ancillas, secundas liberas, ipse autem ante utrumque gregem fratrem adoraturus occurreret.*

5. אשר חנן אלהים את עבדך A. *quos dedit Deus servo tuo.* Sym. *donavit*] Ex Procopio.

12. נסעה ונלכה ואלכה לנגדך Sym. καὶ προβαδίζω, ἵνα συνοδεύω σοι. Schol. πρόσοιμαι εἰς κατέναντί σου] Interpres Vulg. *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui:* ut alias sæpe, ita nunc quoque Symmachum expressit. Nam συνοδεύω valet, *Comes,* sive *socius, itineris sum, Una iter facio, Comitor;* εἰς κατέναντί σου, i. *ante te. Ibo ante te,* i. præcedam te.

17. סכת Procopius Gazæus in comment. ad hunc locum, *Sym. exposuit Succhoth, Tabernacula.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Sustulit autem Jacob oculos suos & vidit & ecce Esau veniebat, & cum eo quadringenti viri, & divisit natos juxta Leam & juxta Rachelem & juxta duas ancillas.*

2. *Posuitque ancillas ac natos eorum primo: Leam vero & natos ejus posteriores: & Rachelem natosque ejus postremos.*

Sustulit autem Jacob &c.] Lxx. ἀναβλέψας δὲ Ἰακὼβ τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, εἶδε καὶ ἰδοὺ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐρχόμενος: suspiciens autem Jacob oculis suis vidit, & ecce frater ipsius veniens. Ἀναβλέπω Ebraice נשא. Hic est נשא sustulit, levavit. Melius ergo Aquila & ἦρεν Ἰακὼβ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ: & sustulit Jacob oculos suos. Sym. edidit ἐπῆρεν δὲ Ἰακὼβ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, εἶδε φανέντα Ἡσαῦ ἐρχόμενον: & Hiero. *Elevans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau.* Hic omittit והנה & ecce: ille ejus loco posuit φανέντα, quod interpres Romanus vertit, *apparere*, cum potius denotet *apparentem.* ¶ *Viri*] ἄνδρες πολέμαρχοι. Jonathan. ¶ *Et divisit*] distribuit, partitus est; Verbum è verbo, *dimidiavit*, quod Aquila dixit & ἡμίσευσεν. ¶ *Natos*] τὰ παιδία i. pueros. Lxx. ית בניא. Onk. & Jon. *filios.* Hiero. ¶ *Juxta Leam & juxta Rachel*] vel, *cum Lea & cum Rachel.* Et est sensus, divisit eos ut essent cum Lea, vel si placet, apud Leam &c. על juxta, apud. Lxx. ad verbum ἐπὶ Λείαν καὶ ἐπὶ Ῥαχήλ. Quidam, *ad Leam* &c. אצל לאה. Hæc divisio facta videtur ordinis caussa, ne confuse & promiscue incederent: tum etiam, ut servari possent, qui postremum agmen claudebant, si forte priores cædi contingeret. Quod indicat Jonathan per hæc verba, *Et posuit concubinas cum filiis in primo: dicebat enim, Si venerit Esau ad perdendum pueros & ad violandum uxores, interea surgam & confligam cum eo.* ¶ *Ancillas*] *concubinas.* Onk. & Jon. ¶ *Primo*] in primo agmine sive cuneo. Duo autem erant cunei non tres, ut quidam arbitrantur. Unus ancillarum, quæ secum ducebant ex se natos. Alter uxorum, quæ hoc ordine incedebant. Ancillas sequebatur Lia cum filiis: Liam Rachel cum Josepho, qui omnium ultimus erat. Vel, in primo ordine. Sunt qui putant

ancillarum & uxorum unum & idem agmen fuisse, nempe secundum: in primo autem dicunt servos & famulas fuisse. ¶ *Posteriores*] i. post ancillas, quod Græci dicunt ὀπίσω. & Hiero. *in secundo loco.* ראשנה autem idem vertit, *in principio*, & Lxx. ἐν πρώτοις בקדמיתא. ¶ *Postremos*] ἐσχάτους, ultimos, sive, ut Hiero. vulgavit, *novissimos*. Utrumque Chaldæi dicunt בתראי. Ebræi אחרנים. Sic dico, tam posteriores, quam postremos ita vocant.

3. *Et ipse transiens ante illos procubuit in terram septem vicibus, donec accederet ad fratrem suum.*

Transiens ante illos] id valet, *præcedens eos*, quod Græci dixerunt προῆλθεν ἔμπροσθεν αὐτῶν, non sine pleonasmo. Transire pro simplici ire Terentius quoque usurpavit. Sic παρελθεῖν pro ἰέναι & πορεύεσθαι sumitur Luc. 2. 15. Hoc significatu acceperim Amos. 5. 5. *Bersabam ne transiveritis.* Jerem. 2. 10. *transite insulas Chetthim.* Rursum Amos. 6. 2. *transite Chalannem.* Posses ergo vertere, *procedens ante eos.* In edit. Hiero. *progrediens.* ¶ *Procubuit*] prostravit se, adoravit, quod Græce est προσεκύνησεν, & in Hiero. *adoravit pronus.* Id recte capies de adoratione civili, quæ magnis viris & principibus exhiberi olim solebat in Oriente. Vide quæ scripsimus ad cap. 23. ubi Abraham adorat populum terræ. Vide quoque Obser. meas. Jonathan, *Transivit ante illos precans & quærens miserationes à DOMINO, & prostravit se septem vicibus, donec appropinquaret &c.* Cum Jonatha sentiunt, qui hunc locum interpretantur de adoratione divina, ut sensus sit, *adoravit DOMINUM septem vicibus, donec accessisset ad fratrem suum.* Non admodum probo. ¶ *Septem vicibus*] i. septies, quod Græci referunt ἑπτάκις: & est sensus vel sæpius, vel septies revera. Forte ita moris erat cum aliquem adorarent. *Septem vicibus* Chaldaice שבע זמנין, quod alibi reddimus *septem temporibus*, cum reddi debeat *septem vicibus*. Vox enim זמן tam sig. פעם i. vicem, quam עת i. tempus. ¶ *Donec accederet*] עד גשתו donec accederet ipse. Quod autem sequitur עד אחיו verbum pro verbo sonat, *usque ad fratrem suum*, ἕως ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Notabis ergo עד usque, pro אל ad usurpari. Sic alibi. *convertimini usque ad me*, valet *ad me* simpliciter. Eadem enallage reperitur in Chaldaismo, Pro *donec accederet*, Lxx. habent ἕως τοῦ ἐγγίσαι & ambo Chaldæi עד מקרביה *donec appropinquaret ipse.* Sed minus recte Hiero. *donec appropinquaret frater ejus.* Quanquam sententia in idem recidat.

4. *Et cucurrit Esau in occursum ejus, & amplexus eum, irruit in collum ejus, & osculatus est eum, & fleverunt.*

5. *Et sustulit oculos suos & vidit mulieres ac natos, & dixit, Quinam isti sunt? & dixit, Nati hi sunt, quos donavit DOMINUS servo tuo.*

Irruit in collum ejus] ויפל על צוארו & irruit in colla ejus. Ut nunc se habent apices צוארו nomen est plurale. Olim cum apices aberant, legi poterat צוארו collum ejus. Quam lectionem secuti videntur interpretes Chaldæi: etiam Lxx. qui vertunt, προσέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ: nisi sensus rationem habuerint. Jonathan habet, *inclinavit se super collum ejus.* Hiero. *strinxit collum ejus.* נפל verti, *irruit*, ut apud Davidem נפל בעצומיו *irruit validis suis.* Hinc נפלים ἐπιπίπτοντες i. irruentes. Leo Judæ, *ruit in collum ejus*: alius, *procidit*: alius, *jactavit se*, quod minus probo. ¶ *Et fleverunt*] Lxx. καὶ ἔκλαυσαν ἀμφότεροι, & fleverunt ambo. Jonathan, *Esau flevit ob dolorem dentium suorum, qui tremebant: Iacob vero flebat ob dolorem colli sui.* Jerosolym. *Esau flebat eo quod stupebant dentes ejus, & Iacob flebat ob levorem colli sui.* Quæ adduxi, non quod ea probarem, sed ut per occasionem explicarem vocabula quædam Chaldaica. Primum est זעזע quod & זע tremere, movere, agitare. Alterum est שעיעותא quod interpretati sumus lævorem i. λειότητα. Moneo autem in Lex. Chald. Eliæ citari ex hoc loco שעיעותא quæ vox & alibi reperitur. Pro קהיין est cur malim קהין ut sit Benoni à קהה stupuit, obstupuit. Ceterum flevisse puto præ nimia lætitia, ut fieri aliquando solet. Vide Gen. 45. 2. ¶ *Natos*] vel, *pueros.* τὰ παιδία. ¶ *Nati hi sunt*] Onk. *filii.* Ionathan, *filii mei hi sunt.* ¶ *Quos donavit*] vel, *largitus est* i. חנן ut exponit Abenezra. חנן proprie χαρίζεσθαι gratuito dare, aut gratificando largiri. Proinde Galli transferunt, *que Dieu de sa grace à donnes*, quos Deus gratia sua dedit. Ionathan habet, *qui dati sunt mihi à Deo.* Lxx. οἷς ἠλέησεν ὁ θεὸς, quos misertus mei dedit Deus. Leo Judæ, *quos benignitate sua donavit.* Onk. חנן, & ejus interpres, *quos donavit.* Sic etiam Hiero. & Sym. Vide Procopium. Aquila, *quos dedit Deus servo tuo.* ¶ *Servo tuo*] mihi servo tuo, vel, si mavis, mihi qui tuus sum. Sic cum Epistolæ subscribimus, עבדך i. Tuus.

6. *Et accesserunt ancillæ, ipsæ & nati earum & procubuerunt.*

7. *Et accessit etiam Lia & nati ejus & procubuerunt, & post accessit Ioseph & Rachel, & procubuerunt.*

Procubuerunt] Hiero. hic habet, *incurvati sunt.* Mox vertit, *adoraverunt* ut Lxx. semper προσεκύνησαν, & Onk. וסגידא nunc וסגידו, & Ionath. וגחנו prostraverunt se. Mihi non displicet adorandi verbum. Tremell. *incurvaverunt se.* Leo Iudæ, *inclinaverunt.* Santes ut Trem. Porro Moses hic usus est verbo fœminino: in sequentibus vero usurpat verbum masculinum. Quod nunc dicam, excidit mihi supra vers. 4. In codicibus Ebræis verbum וישקהו aliquot præter morem apicibus superne insignitur. Ejus rei causam reddunt interpretes nescio an veram. R. Sal. *Sunt qui apices istos additos esse putant ad significandum quod non osculatus sit eum ex animo.* Dicit R. Simeon filius Iohai, *Pro certo Esau oderat Iacobum: ea ipsa hora contracta sunt viscera ejus & osculatus est eum ex toto corde suo.* Aben. *Ratio subtilior, quæ adfertur de apicibus illis, bona est iis qui depulsi sunt ab uberibus: sed juxta sensum litteralem non cogitavit Esau malefacere fratri suo: quod attestatur verbum, fleverunt, sicut facit Ioseph apud fratres suos.*

8. *Et dixit, Quæ tibi omnis turma ista cui occurri? & dixit, Ut invenirem gratiam in oculis DOMINI mei.*

9. *Et dixit Esau, Est mihi multum frater mi; Sit tibi quod tuum est.*

Quæ tibi omnis turma ista?] Onk. *Quid tibi omnis hæc turma?* מי interpretatus per מה *quæ* vel *quid*, *ad quid*, *quorsum* i. למה. Ita Santes, *Quorsum omnis turma ista?* מי pro מה sumitur Jud. 13. 17. מי שמך quodnam est nomen tuum? Similiter Jon. 1. 8. בשלמי *propter quem*, Jonathan reddit, *propter quid.* R. David autor מי tantum de homine usurpari. Eadem scribit Abenezra, qui locum hunc sic interpretatur, *Quis iste cui mittis hoc munus, aut cui cogitas mittere?* Hiero. *Quænam sunt istæ turmæ quas obviam habui?* Quod perinde habendum ac si diceret, *Quinam sunt isti cum his turmis quas obviam habui?* Sed verum non videtur, מי semper de persona dici. Sic מן in Chaldaismo aliquando de re quærit, ut hoc loco in Jonathan, מן לך valet, *quæ tibi*: idque sequentia docent, *Munus est quod misi ut invenirem* &c. Mox sequitur יהי לך מן id quod tuum est. R. Sal. *Quænam omnis hæc turma quæ tibi est? q. d. ad quid tibi est?* Moses Gerundensis, *Quis iste tantus cui mittis omnia hæc?* Gallica editio, *Que veux tu faire avec tout ce camp?* quid sibi vult omnis turma ista: aut quid facere ea vis? Restat alia difficultas. Nam si legati retulerunt ita ut illis injunctum erat, cur nunc quærit quod probe sciebat? An ut eadem à fratre intelligeret, quæ à legatis ipsius acceperat? Sunt qui putant legatos, cum viderent eum advenientem tot viris comitatum, non ausos fuisse ipsum compellare. ¶ *Ut invenirem gratiam &c.*] Lxx. ἵνα εὕρῃ ὁ παῖς σου χάριν ἐναντίον σου κύριε: ut puer tuus (vel servus tuus) inveniret gratiam coram te Domine. Hoc responsum favet interpretationi, quam supra ex Sante produximus, ut מי accipiatur pro למה ad quid, quorsum? nisi mavis, *ad quem tibi omnis hæc turma* sub. mittitur. Quod præ ceteris mihi placet. ¶ *Est mihi multum*] multa habeo, satis dives sum. Jon. *Sunt mihi opes plurimæ.*

10. *Et dixit Jacob, Ne quæso, si nunc inveni gratiam in oculis tuis, accipias munus meum è manu mea: nam propterea vidi faciem tuam ut si vidissem faciem Dei, & acceptum habuisti me.*

Ne quæso] sub. *recuses*, aut aliquid tale. Jonath. *ne dixeris ita obsecro.* Hiero. *Noli ita obsecro.* Onk. omittit particulam אל. Sic enim certe vertit, *Obsecro, si inveni miserationes in oculis tuis &c.* ¶ *Si nunc inveni gratiam &c.*] Hoc Trem. conjungit cum membro quod præcedit, *Ne quæso recuses si nunc inveni gratiam in oculis tuis, sed accipito e manu mea.* ¶ *Gratiam*] Onk. & Jonath. רחמין, quod Fagius reddit *gratiam*: sed proprie sig. *miserationes.* Notat autem Elias ubi est מצא חן in Ebræo, ibi Chaldæos posuisse רחמין אשכח ut in loco illo, *Noe invenit gratiam.* ¶ *Accipias*] ולקחת & accipias. Sed Vau in Latino sermone redundat, in Ebræo autem præt. in fut. convertit. Hiero. *accipe* קח. Lxx. δέξαι. Sic fere alii interpretes nuperi. ¶ *Munus meum*] minus recte Hiero. *munusculum.* Nam hoc diminutivum est. Lxx. τὰ δῶρα. i. munera. Onk. תקרובתי oblationem meam i. munus quod offero. Jon. דורוני τὰ δῶρά μου. ¶ *Ut si vidissem faciem Dei*] vel, *ut videtur facies Dei.* i. videri solet. Scitum illud, *Non videbunt faciem meam vacue* i. absque dono aut munere. Quidam explicant, tam libenter vidi. Sed quid? An libenter videbant faciem Dei? Notum illud, *Videmus Deum & moriemur.* Quis libenter moritur? Esaias quoque dicit, *Væ mihi, quia excisus sum: nam DOMINUM Deum exercituum viderunt oculi mei.* Credebant enim simul ac Deum vidissent, se morituros statim. An initio perterrefacti postea gaudebant de hujusmodi visione, cum se salvos esse viderent? Aut aliud est videre

faciem

faciem Dei? Sunt qui eo nomine favorem innui putant, ut videre faciem Dei nihil aliud sit quam eum propitium experiri. Sic David ait, *Attolle super nos lumen vultus tui.* i. vultum tuum lucidum ac serenum. Sic *respicere* dicitur, quibus est propitius: & *abscondere faciem* ab iis, quibus iratus est & succenset. Nunc ad edit. veterum. Lxx. ἕνεκεν τούτου εἶδον τὸ πρόσωπόν σου, ὡς ἄν τις ἴδοι πρόσωπον Θεοῦ. Hiero. *Sic enim vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei.* Trem. *Quamobrem contemplatus sum faciem tuam ac si contemplatus essem faciem Dei.* Pro *faciem Dei*, Onkelos habet *faciem magnatum.* Jonathan, *faciem angeli.* Sic etiam Santes & Abenezra. An אלהים de uno angelo dicatur, nescio. Hoc scio, Dei nomen interdum angelo tribui & contra. Nam Christus vocatur magni consilii angelus. Quin illud certum nomen אלהים de singulari homine inveniri. Si unus homo vocatur אלהים, cur non etiam ita vocari potest unus angelus? Sic legimus Act. 6. 15. *viderunt faciem ejus quasi faciem angeli.* ¶ *Acceptum habuisti me*] vel, *benevole amplexus es me.* Nam רצון benevolentia. Licet etiam vertere, *benevole excepisti me.* Ebraice ותרצני quod Græci reddunt, καὶ εὐδοκήσεις με. Sed melius ut reddatur εὐδόκησας. Nam Vau fut. in præt. convertit. Hiero. *esto mihi propitius.* Onk. ואתרעיתא לי i. Fagio interprete, *& bene vis mihi.* Quid si, *& reconciliatus es mihi.* Sed רעא in Chaldaismo idem quod רצה in Ebraismo. Igitur non male reddes, *benevole amplexus es me.* Quod Græci enuntiant verbo ἀσπάζομαι, ut cum dicunt ἀσπάζομαί σου τοὺς τρόπους amplector mores tuos, & ἀσπάζομαί σε, amplector te. Sic Cohel. 9. רצה האלהים את מעשיך benevole amplexus est Deus opera tua: vel, accepta & grata habuit opera tua. Leo Judæ, *gratum mihi fac*, vel, *redi mecum in gratiam.* Hoc ultimum hausit ex Sal. Jario, in quo נתפייסת לי valet, gratus es mihi, redisti mecum in gratiam. Idem addit כל רצון in scriptura esse לשון פיוס. Gallice *appaisement* i. placatio, pacificatio. Santes, *& complaceas mihi.* Arias, & *complacuisti mihi.* Id aliam sententiam continet. Nam potest aliquis mihi placere, cui tamen ego non placeam. Utrum autem utrumque Jacob significare voluerit, aliis discutiendum relinquo.

11. *Accipe benedictionem meam quæ adducta est tibi, quia donavit mihi Deus, & quia sunt mihi omnia: ita institit ei & accepit.*

Benedictionem meam] τὴν εὐλογίαν μου. hoc est, munus meum. Sic exponunt Jonath. & R. Salo. Etiam Onk. Nam *oblationem meam.* i. munus quod à me offertur. ברכה pro munere ac dono sumitur etiam 1 Sam. 30. 26. & 25. 27. Ei respondet in lingua Græcorum εὐλογία, quæ vox eodem significatu ponitur. 2 Corinth. 9. 5. nempe pro eo quod benigne & ultro datur, sive pro munere gratuito collato. Appellatio ex eo quia salutantes dicebant, *Benedicat tibi DOMINUS*, vel, *DOMINUS tecum*, aut aliquid tale. Unde benedicere pro salutare usurpatum reperitur. Ergo R. Sal. quem modo nominavi, ברכתי interpretatur vernacule שלוד פרן *mon salut*, *salutationem meam.* i. munus quo te saluto. Hujusmodi benedictionem idem appellat Ebraice כורסו שלון *quod vernacule*, inquit, *dicimus* שלוודאר *Saludar.* Quidam enarrant, *benedictionem meam*, id quod Dei benedictione consecutus sum. Puto verum esse, *benedictionem meam* i. beneficentiam meam. Nam benedictio beneficentia sive benignitas: unde *anima benedictionis* pro homo beneficus. Gallica editio, *mon present* i. donum à me oblatum. Chaldaice, תקרובתי. ¶ *Quæ adducta est tibi*] אשר הבאת לך. Sic legerunt olim Onk. & Jon. Quod noto, quia in Hiero. *quam attuli tibi.* Græci quoque ἤνεγκά σοι habent i. הֵבֵאתִי aliis punctis vocalibus. ¶ *Quia donavit mihi Deus*] vel, *donavit me Deus*, nempe eo munere, sive ea benedictione. Hiero. *& quem donavit mihi Deus.* i. אשר חנני. Licet vertere, *quæ donaverit me Deus.* i. dederit gratuito. Nam consecutus ea erat ex mera Dei benignitate ac gratia. Id significat verbum חנן quod Onk. reddit רחם עלי & Lxx. ἠλέησέ με misertus est mei. Jonathan habet, *quoniam data est mihi pro indulgentia Dei erga me.* Tremellius, *Cum liberaliter egerit mecum Deus.* Gallica editio, *car Dieu m'a donne de sa Grace.* Santes, *quia largitus mihi est Deus.* ¶ *Et quia sunt mihi omnia*] Lxx. καὶ ἔστι μοι πάντα. Mens horum verborum ut si dicat, habeo omnia quæ tibi nunc offero: aut sensus est, nulla re indigeo, abunde mihi omnia ex Dei benignitate suppetunt. Jonathan, *sunt mihi opes plurimæ.* Gallica editio, *j'ai de tout*, est mihi ex omnibus. Quod Belgæ dicunt, ik hebbe van alles. Sic etiam Tremell. Leo Judæ, *satis habeo* רב לי. Aliter exponas, *sunt mihi omnia* i. bona omnis generis, ut Exod. 9. *mortuum est omne pecus*: & Gen. 24. *habens in manu omnia bona Domini sui.* Aut *omnia.* i. multa vel plurima. Vide Galatinum de arcanis cathol. verit. Lib. 5. cap. 4. Hiero. in comment. Jer. 9. 26. Zachariam in unum ex quatuor. Huc refer, *omnes qui sua sunt quærunt: & omnes qui venerunt ante me fures fuerunt & latrones.* ¶ *Ita institit ei*] ויפצר בו. Lxx. καὶ ἐβιάσατο αὐτόν, vim ei fecit. Hiero. *compulit eum.* Santes, *coegit eum.* Trem. *institit apud eum.* Jonath. ותקיף ביה. Leo Judæ, *flagitante autem illo.* Vide quæ notavimus Gen. 19. 3.

12. *Et dixit, Proficiscamur & abeamus, & ibo è regione tui.*

Proficiscamur] Jonathan נטייל spatiemur. Lxx. ἀπάραντες profecti vel proficiscentes. Nam ἀπαίρω proficiscor. Ebraice נִסְעָה pro נִסְּעָה dages excidente, ut fit, ex littera schevata. Esset autem נִסַּע absque paragoge. Potest etiam esse imperativus נסעה pro נְסַע ut alibi שִׁמְעָה legitur pro שְׁמַע & סְלְחָה pro סְלַח. Quod notavit R. Sal. Hanc sententiam secutus Jonathan vertit טול quod valet, *proficiscere*, nempe à verbo נְטַל Leo quoque Iudæ habet, *move castra.* Prior sententia magis se probat mihi. ¶ *Abeamus*] vel, eamus, progrediamur. ¶ *E regione tui*] לנגדך ex adverso tui. R. Salo. בשוה לך æquali tecum itinere aut gressu. Quod Lxx. dixerunt εἰς εὐθύτητα. Scholion Græcum πορεύσομαι εἰς κατέναντί σου, ibo è regione tui, vel contra te. Optima interpretatio. Si divinare licet, conjicio sumtam esse ex editione Aquilæ, quod tamen non affirmo. Sym. hunc locum sic olim interpretatus est, καὶ προβαδίσωμεν, ἵνα συνοδεύσω σοι, & eamus, ut una tecum iter faciam. Hiero. *gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Ceteri fere interpretes, *ibo ante te* i. *præcedam te*, sive, ut est in Trem. *præibo tibi.* Galli quoque ediderunt, *je marcherai devant toi.* Vide, si placet, doctissimum Mercerum.

13. *Et dixit ei, Dominus meus scit natos esse teneros, & oves bovesque fœtas apud me, & impellent eas die uno, & morientur omnes oves.*

Dominus meus scit] ὁ κύριός μου γινώσκει. Sic ei ἑβδομήκοντα, quos sequitur Santes & alii recentiores, uno Munstero excepto, in quo, *nosti mi Domine.* Quod hausit ex Hiero. Is enim olim edidit, *nosti Domine mi.* In Ebræo est ארני ירע quod reddi etiam potest, *Domine mi scis.* Eadem ambiguitas in Onk. & Ionatha. Quanquam exemplar Onk. quod penes me in octavo folium complicans, ידע præfert i. novit. ¶ *Natos*] vel, pueros. Græca τὰ παιδία. Chaldaice vero עוּלֵימַיָא infantes & טַלְיָא quod in libris editis perperam טַלְיָא scriptum. Significat autem filios, quorum maximus natu agebat annum circiter decimum tertium aut duodecimum: minimus Joseph natus erat annos sex plus minus. ¶ *Teneros*] Lxx. ἁπαλώτερα, quod verti potest *tenerrimos.* proprie teneriores. Sic alibi πρωτότοκος πάντων, prima omnium. Vel *teneriores* positum pro teneros. Thargum Jonathæ, ut & Jerof. רכין quod similiter expones *teneros*, & non, ut quidam, *peccatores.* ¶ *Oves*] vel *pecudes.* ¶ *Fœtas*] i. gravidas & in utero ferentes: item partu liberatas sive quæ pepererunt, quas λοχεύτριας, i. puerperas appellant. Lxx. pro eo ediderunt λοχεύονται, quod reddunt *fœtantium.* In Thesauro Stephani λοχεύομαι partu edor. Accipitur etiam active pro λοχεύω pario, fœtus edo. Gravidæ proprie הרות dicuntur. Onk. מיניקתא lactantes, quod male scriptum מְנִיקְתָא in quibusdam editionibus. Jonathan מינקן idem aliter. Dignum nota ינקא puer lactens i. lac sugens, מינקתא mulier lactans i. lac præbens. R. Sal. *enutrientes seu educantes parvulos suos*, *vernacule* אנפנטנ״ש *enfantes*, quæ pepererunt i. puerperæ. Sane עול sive עולל parvulus. R. David in Radicibus, עָלוֹת *vocantur bestiæ lactantes propter natos earum* שהם עולים *quæ ascendunt i. crescunt. Etiam pueri inter homines ita vocantur, ut* עול ימים *puer ætate.* Idem alibi עָלוֹת *sunt oves fœminæ lactantes.* Abenez. עָלוֹת *gravidæ sic dictæ quod super eas ascenderint hirci.* Editio Gallica, *qui allaitent, ou qui trainent leurs petits apres elles.* Santes, *fœtæ.* Arias *lactantes.* Sic etiam Trem. Addit Leo Iudæ, *Quidam legunt lactantes, ut de pullis intelligatur.* Non vidi adhuc qui sic verteret. Nam *lactentes* יונקים dicuntur. Augustinus Steuchus, *ascendentes super me: quorum verborum ea est sententia, in se totius gregis curam recumbere.* Idem ex editione Græca citat χωλεύοντα, i. claudicant. Mihi non dubium quin vera lectio sit λοχεύοντα. Quam invenies in R. & C. ¶ *Apud me*] עָלָי id est אצלי apud me. Santes, *mihi*, לִי Hiero. *mecum*, עִמִּי vel אִתִּי, quod eandem sententiam continet. Verbum è verbo, *super me*: quod Lxx. ediderunt, ἐπ' ἐμέ. Id obscurum est & intellectu difficile. Igitur Trem. pro eo posuit, *incumbere mihi.* Dicunt enim certe Iudæi עָלַי pro, mihi incumbit, mearum partium est, ad meum munus pertinet. Gallica eleganter, *& si sont charge de brebis* &c. Abenez. *Super me est* i. mihi incumbit custodire illam, ne noxam accipiant sive ne lædatur. ¶ *Impellent eas*] vel, *impulerint eas*, & est sensus, si impulerint. Quale illud, *Græculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit.* Sic Malach. 1. *Ipsi ædificabunt & ego destruam.* Vult dicere, si ædificaverint. Quod verbum דפק attinet, proprie sig. *pulsare ostium* sed latius extenditur. Hiero. Epist. 127. mansione nona, *Daphca*

ex nomen apud Ebræos κροῦμα *f. pulsatio dicitur.* Hic reddunt impellendi verbo, quod Onk. & Ionath. דחק dixerunt. Hiero. habet, *si plus in ambulando fecero ambulare.* Santes, *si pulsavero eas.* Quod fieri solet virga, ut eo celerius gradiantur. Trem. *quæ si agendo plus æquo urserint pecuarii.* Gallica, *que si on les presse.* ❡ *Die uno*] Die quodam, aliquando. Trem. *vel uno Die.* Sic etiam editio Gallica. Hiero. ad sequentia refert, *morientur una die cuncti greges.* Male. Nam interponitur copula, quæ tamen in Latio redundare videtur.

14. *Transeat nunc Dominus meus ante servum suum; & ego incedam pedetentim ad pedem operis quod ante me, & ad pedem natorum, donec venero ad dominum meum Seiram.*

Transeat] proficiscatur, eat. Sic *transire domum* pro ire domum Plautus dixit: & *transire ad forum* Terent. Idem in Heautont. *Transeundum tibi nunc est ad Menedemum.* i. abeundum. ❡ *Nunc*] vel, *quæso.* Hoc Ionath. secutus est: illud Onk. ❡ *Ante servum suum*] ante me. ❡ *Incedam*] אתנהלה incedam ut qui pecudes ante se agunt quod *minare* dicunt. Usus est hoc Verbo Paulus apud Festum. *Agere*, inquit Festus, *est ante se pellere. i. minare.* Ebraice לנהל: unde hic est מנהג לה quod Onk & Ion. interpretantur אדבר ducam, nempe greges aut pecudes. Prætuli, *incedam.* Sic alibi אנהל עמהם incedam cum eis. Apud Gorionidem לנהל את האשה est ducere mulierem blanditiis, quod Iosephus Græce dixit κολακεύειν τὴν γυναῖκα, adulari & obsequiis colere. ❡ *Pedetentim*] sensim, placide, leniter. Ebraice לאטי ad quietem meam. Dicunt & לאט eodem significatu. Onk. בניח & Ionath. בנייח i. quiete, leniter. Hiero. *paulatim.* Lxx. ἐν τῇ ὁδῷ, in via. Leo Iudæ, *sensim.* Sic etiam Trem. Gallica, *a mon petit pas.* Mercerus, *a mon aise.* i. sensim, pedetentim. Hos. 11. 4. in Camianis contraria sunt & inter se opponuntur לאט & על כרחו quod solet dici, ubi quis aliquid facit invitus & coacte, *par contrainte.* Dictus Kimchi libro ubi vocum sensa collegit אט interpretatur בנחת quiete. Idem in לאטי Lamed additum esse scribit, ut & Ioth. *Aut est*, inquit, *pronomen primæ personæ.* R. Iuda sensit Lamed litteram thematis esse. Cui assensum præbet Elias, asserens ל deficere in אט ut cum אחם dicimus pro לאחם. Si vera hæc opinio, debet Lamed referri inter eas litteras quæ deficere solent. Quod sæpe fit in לקח accepit, rarius in לתע evulsit. ❡ *Ad pedem operis quod ante me*] operis. i. rei acquisitæ. Innuit autem pecudes quæ ipsum præcedebant. Dicitur etiam de pecunia aliisque bonis. Ceterum Ebraice opus מעשה & מלאכה vocatur. Hic est מלאכה in fonte, & עבידתא in editione Chaldaica Onkel. Aben. *Dicit opus propter pecudes, quæ erant opus ipsius.* i. res ab ipso acquisitæ: *& vero proximum opus appellari quicquid homo facit.* i. parat, *viribus suis, etiam pecunia vocatur sic*, ut Exod. 22. 8. *si non immiserit manum in opus proximi sui*, ubi Santes, *in substantiam.* Similiter Exod. 36. 7. Vide, si placet. Addit Rabbinus ille מלאכה dici quicquid in hominis potestate, unde etiam nuncium מלאך appellatum putat, quod sit in potestate mittentis. *Ad pedem*, quod Ebraice legitur לרגל, vulgo exponunt, *ad gressum*, ut alibi in hoc libro, *benedixit tibi Deus ad pedem meum* ad introitum sive adventum meum. Sed vide num melius sit, *secundum pedem operis*, ut dicat, prout pedes eorum incedere valent. Vidi editiones quæ hic haberent, *ad pedem gregis.* Munsterus autem edidit, *juxta gressum familiæ:* Tremell. *gressui hujus rei quæ ante me est.* Gallica, *selon le train du bagage qui est devant moi:* secundum processum impedimentorum &c. Leo Iudæ, *quatenus ferunt pecora ante me, & quatenus pueri ferre possunt.* Nec aliter R. Sal. ❡ *Natorum*] vel, *puerorum:* τῶν παιδαρίων. Sic interpretes Græci. In Onk. est ינקיא quod Fagius reddit similiter *puerorum.* ילד proprie puer lactens, ὑπομαστίδιον: unde יונקי שדים *sugentes ubera* Ioel. 2. 16. Hic sermo est de filiis Iacobi, quorum natu maximus, teste Abenezra, excesserat annum duodecimum. Ergo ילד puer etiam non lactens. ❡ *Seiram*] ad montem Seir, quem Ionathan & autor Ierosolymitanæ גבלא Gabla sive Gabala nuncupant. Sic dico Seir redditur ab interpretibus illis Gabla. Ergo Ionathan hic habet לגבלא, & autor Ierosol. Gen. 14. 6. *in monte Gabla*, ubi codex Ebræus, *in monte ipsorum Seir*, & Jonathan, *in montibus Gabala.* Autor Lexici, quod vulgo *Baal Aruch* vocatur, *Thargum Ierosolym. Seir interpretatur* גבלא *Gabla.* Ceterum Gibel in lingua Arabica est mons: unde Gibalthar, fretum Tartessiacum sive Gaditanum. Ad verbum *mons Tartessi.* Ita quidam opinantur. ❡ *Donec venero ad dominum meum.*] Si hoc habebat in animo, cur postea deflexit alio? Si fallere volebat fratrem, quid laboramus in excusando quod excusari non potest? An omnia patrum facta & dicta culpa carere putamus? Hiscuni, *Ubi collocavero filios meos & uxores meas pecudesque in quiete, veniam ad te Seiram ad honorandum te, ibique videbimus alter alterum cum lætitia & pace.*

15. *Et dixit Esau, Constituam nunc tecum ex populo qui mecum est: & dixit, Quare hoc? inveniam gratiam in oculis domini mei.*

Constituam] Lxx. καταλείψω. Sic etiam Onkelos & Jonathan. Nam אשבוק relinquam. Hiero. *Oro te ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ.* Sensum expressit, non verba. Ebraice est אציגה, statuam, constituam, collocabo, ut Gen. 30. 18. ויצג & statuit: ubi Hiero. *posuit.* Lxx. παρέθηκε. ❡ *Nunc*] quæso. ❡ *Ex populo qui mecum est*] Jonathan, *ex militibus qui mecum sunt.* Chaldaice מן פולמוסין. Supra est פולמרכין i. πολέμαρχοι, qui sunt duces exercitus. Forsan & ibi legendum פולמוסין, ut dicat eum comitatum fuisse quadringentis militibus. Nam omnes polemarchos fuisse non est credibile. Porro Græcum est פולמוס bellum i. πόλεμος, unde pluralis פולמוסין milites. Nathan Iustus interpretatur dicens significare חיל copias, exercitum. Vide Baal Aruch. ❡ *Inveniam gratiam*] Lxx. ἱκανὸν, ὅτι εὗρον χάριν ἐναντίον σου, κύριε: satis est quod inveni gratiam coram te, domine. Hiero. *Hoc uno tantum indigeo ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.* Quidam, *annue petitioni meæ, videlicet ne quem tuorum constituas &c.* Gal. *placeat tibi quod dixi.* ❡ *In oculis Domini mei*] *coram Domino meo.* Jonath.

16. *Et rediit die illo Esau, itinere suo, Seiram.*

17. *Jacob autem profectus est Sochothan; & ædificavit sibi domum; & pecori suo fecit tabernacula: propterea vocavit nomen loci illius Sochoth.*

Die illo] eo ipso die ❡ *Itinere suo*] לדרכו in viam suam, εἰς τὴν ὁδὸν αὐτοῦ. i. via sua, itinere suo. Gal. *par son chemin*, per viam suam. Sic etiam Santes. Nam in Hiero. *itinere quo venerat.* ❡ *Seiram*] εἰς Σηείρ. ❡ *Sochotham*] vel, Sochothas. Ebraice סכות quod antiqui legebant Sochoth, aut Socchoth. Nunc legunt Succhoth. i. tabernacula, σκηναί: ex quo in edit. τῶν ό. ἡ Ἰακὼβ ἀπαίρει εἰς σκηνάς, & apud Iosephum ἀφίκετο εἰς τὰς ἔτι νῦν σκηνὰς λεγομένας. In libro nominum, *Sochoth, tabernacula.* Orig. Hom. 5. in Exod. & Hom. 27. in Num. *Sochoth tabernacula intelligi apud Ebræos tradunt interpretes nominum.* De Soccoth vide Masium, pag. 238. ❡ *Ædificavit domum*] extruxit ibi domum, cum antea in tabernaculis habitasset. Ionathan author eum illic moratum fuisse annum integrum. Quod Chaldaice dicit, *Et moratus est ibi duodecim menses anni.* Cajetanus habet, *mensem cum dimidio.* Qui hoc ei dixit, videtur legisse שתא sex, pro שתא annus. Hoc pono, non statuo, non affirmo. R. Salo. *moratus est ibi octodecim menses, æstatem, hiemem & æstatem, hoc est annum cum dimidio sive sesquiannum.* ❡ *Sibi*] ἑαυτῷ, in usum suum. ❡ *Tabernacula*] Sochoth. Onk. & Ionath. מטלן umbracula. Hiero. *tentoria.* Verbum autem עשה idem interpretatur *fixit* q. d. confixis coagmentatisque lignis tentoria extruxit. Nam *facere tabernacula* dicitur & qui ea conficit sive fabricatur: unde σκηνοποιός, tabernaculorum fabricator. Tremell. pro *tabernacula* reposuit *tuguria*, & editio Gallica *cabanes.* ❡ *Vocavit*] Iacob: aut, *vocatum est.*

18. *Et venit Jacob Salem urbem Sichem, quæ in terra Chanaan cum venisset ipse ex Mesopotamia: & castrametatus est è regione urbis.*

Salem urbem Sichem] Lxx. εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων. Hiero. *in Salem urbem Sichimorum.* Idem in Quæst. *juxta aliam litteram, & venit Jacob Salem urbem Sichem.* Sic etiam Munsterus. Huic versioni firmandæ est Hiscuni, autor non malus, ita scribens, *Venit in Salem, id est* לשלם, *quæ erat una ex urbibus Sichem principis terræ illius.* Alia interpretatio, *Et venit integer ad urbem Sichem.* שלם integer i. salvus & incolumis. Ita ex Ebræis R. Sal. Aben. Levi filius Gersom & alii. Etiam Chaldæi sic interpretantur. Nec aliter recentiores plerique, in queis Santes & Trem. Sed & Leo Judæ, *venit Jacob incolumis in Sichem.* Malim, *ad civitatem Sichem.* Meminit & Hiscuni. Vide nunc, si vacas, Mercerum. ❡ *Salem*] diversa est ab ea quæ post Jerusalem dicta fuit. Quod notavit Hiscuni. Sunt qui hanc Salim dici putant in Evangelio Johannis cap. 4. ubi & Sichem corrupte Sichar vocatur. Locum ambiguum reddit in Ebræo defectus præpositionis. Nam est שלם pro לשלם in Salem. Quem defectum supplent interpretes. Sic in historia Ruth ותבאנה בית לחם dictum pro לבית לחם. Si appellative accipimus, nullus erit defectus post hoc nomen, sed post sequens, עיר in urbem i. לעיר. Infra in hoc libro habetur pluralis שלמים integri, salvi, incolumes. Cave igitur damnes hanc interpretationem. Hiero. in Quæst. *Quæstio oboritur, quomodo Salem Sichem civitas appellatur, cum Jerusalem, in qua regnavit Melchisedec, Salem ante sit dicta? Aut igitur unius utraque urbs nominis est, quod etiam de pluribus Iudææ locis possumus invenire, ut idem urbis & loci nomen in alia atque alia tribu sit. Aut certo istam Salem, quæ nunc*

pro

pro Sichem nominatur, dicimus hic interpretari consummatam atque perfectam, & illam quæ postea Ierusalem dicta est, pacificam nostro sermone transferri. Utrumque enim accentu paululum declinato, hoc vocabulum sonat. ¶ *Urbem Sichem*] i. Sichemi, & est nomen viri. Dicitur autem עיר שכם ut alibi עיר סיחון urbs aut civitas Sehonis: ita Hiscuni. Rei firmandæ est quod Gen. 12.6. מְקוֹם שְׁכֶם, ubi scheva sub Mem docet vertendum esse, *locus Sichemi:* quod idem cum illo, *urbs Sichemi.* Nam locus pro urbe ponitur, ut χῶρος apud Euripidem. Quod si objicias Sichem tunc nondum fuisse in rerum natura, respondeo per anticipationem sive prolepsin ita vocari, ut in eodem capite Bethel nominatur, quæ diu post à Jacobo sic appellata fuit. ¶ *Castrametatus est.*] Nam frequentia tabernacula habent speciem castrorum. Ebraice ויחן cujus radix חנה. LXX. παρενέβαλε, quod in edit. Rom. redditum *applicuit.* puto vertendum, *castra locavit.* Nam παρεμβολή, castra. proprie est, tentoria collocare certo ordine. Ceterum in R. perperam, παρενέλαβε scriptum, cum sit aorist. secundus à παρεμβάλλω. Res est non conjectura. Onk. & Jon. ושרא habitavit. Quomodo & Hierony. supra 26. 17. ויחן Lxx. κατέλυσεν, divertit. Santes, *mansit* Trem. *castra posuit.* Mercer: *sedes fixit, tabernacula tetendit, ut in castris fieri solet.* Onk. ושרא & habitavit. Quod etiam Leo Judæ vertit hoc loco. ¶ *E regione urbis*] את פני העיר ex adverso urbis. Idem dicit לקבל. Lxx. κατὰ πρόσωπον τῆς πόλεως. Trem. *ad aspectum ejus civitatis.* Santes, *ante urbem.* Hiero. *juxta urbem.* לקבל קרתא. On. & Jon. לקבל, quod Fagius reddit *è regione.* Sic etiam Leo Judæ. ¶ *Urbis*] vel *urbis illius.*

19. *Et emit portionem agri, ubi tetenderat tabernaculum suum, ab filiis Hemor patris Sichem centum agnis.*

20. *Et statuit ibi altare, & vocavit illud, Deus Dei Israel.*

Emit] Lxx. ἐκτήσατο. Idem verbum Prov. 8. ubi Lxx. ἔκτισε creavit. Aquila ἐκτήσατο, acquisivit, comparavit. ¶ *Portionem*] partem, τὴν μερίδα. ¶ *Ab filiis Hemor patris Sichem*] מיד בני חמור אבי שכם à manu filiorum Hemor patris Sichem. Nam manu fit emtio. Onk. & Jonath. *a manu filiorum Hemor.* Hiero. *à filiis Hemor patris Sichem.* Lxx. παρὰ Ἐμμὼρ πατρὸς Συχὲμ, ab Emmor patre Sychem. חמור. Hinc apparet Hemori plures filios fuisse. ¶ *Hemor*] hodie Hamor, penultima correpta. Hoc nomen in Lat. veteribus exiliter scriptum Emor, nempe ex Græco Ἐμώρ, quod in C. nam in R. est Ἐμμώρ, μ geminata. Glossæ Philonis, *Emor, asinus.* emenda *Hemor.* Hiero. in nom. ex Act Apost. *Hemor, asinus, si per Heth litteram scribatur, quod si per Aleph, loquax dicitur.* ¶ *Sichem*] vel Sechem, quod scribunt שכם cum scheva in principio. Græci codices habent Συχὲμ i. Sychem, שכם. Hic ejusdem cum urbe nominis fuit. Nec plane liquet fueritne ipse ab urbe ita dictus, an urbs ab illo nomen acceperit. Credibilius tamen ab illo urbem appellatam esse, vel quod eam condiderit, vel quod pater filii nomine ita vocarit. Sic olim Cain de nomine filii urbem Henochiam condidit. Relinquamus hoc in medio. ¶ *Centum agnis*] ita vertit interpres Latinus is qui à vulgo nomen accepit. Vide supra. Pro ἀμνῶν quod in editione τῶν ό sunt qui reponunt μνῶν i. minis, quos ego audiendos esse non puto. קשיטה autem quod agnos interpretati sumus, affinitatem habet cum קשיט voce Syra, quæ reperitur Marc. 12. 41. ubi χαλκὸς i. æs in textu Græco. Dubitari potest, utrum hic nummus æreus fuerit an argenteus. Nam ἀργύριον de quavis pecunia dicitur, ut possis exponere apud Lucam *pretio argenti:* i. pecunia. Thargum Jonath. ut & illud quod Jerosolym. vocatur (ego utriusque unum eundemque autorem esse putarim) במאה מרגלין centum Margalian. Hoc quid sit aliis divinandum relinquo. Videtur esse genus monetæ. Nam lapillos pretiosos exponere cum Elia Germano, alienum est. Unde sane Jacobo tot margaritæ aut uniones? Scio Margaritam מרגלית dici. Nec me latet nomen illud in se includere omnes gemmas. Quod forte ab Indis acceptum. qui unionem *Margarit* appellant, Arriano teste. Hinc potest esse Græcum μαργαρίτης. Autor libri Aruch, *Pro* קשיטה *Thargum Ierosolym. habet* מרגל *i. Margal.* Satis de versione Jonathæ. Redeamus ad fontem. Nuperi fere interpretes, *centum nummis.* Sic etiam Cajetanus & Lippomanus. Vide supra. ¶ *Statuit ibi altare*] vel ipse ibi extruxit altare, vel extructum antea & postea dirutum reparavit. Trem. *prius ab Abrahamo extructum supra 12. 6. deinde vero ab incolis profanatum denuo consecravit.* ¶ *Statuit*] ἔστησεν. Onk. & Jon. ואקים erexit. Sic Hiero. interpres noster. ¶ *Vocavit illud*] Sunt ex Ebræis qui לו enarrant per עליו hac sententia, invocavit super illud Deum Dei Israelis, vel, si mavis, Deum Deum Israelis. Quam sententiam expresserunt Lxx: καὶ ἐπεκαλέσατο τὸν θεὸν Ἰσραήλ: & Hiero. *& invocavit super illud fortissimum Deum Israel.* Videndus Hiscuni. On. *coluit super illud Deum Dei Israel.* Jon. *ibi dedit decimas quas separaverat ex omnibus bonis suis coram Deo Dei Israel.* Quidam, *invocavit in eo.* Quæ enallage insolens non est. Vide Molen Gerundensem. Sunt etiam qui לו vertendum putant *sibi:* quod in Latio redundat, ut cum dicimus *vade tibi* &c. Forte Lxx. hoc secuti sunt. Ut petra malleo percussa in multas partes dissilit, ita verbum Dei multos sensus habet si à viro docto excutiatur. ¶ *Illud*] altare. Sic legimus Exod. 17.15. *extruxit Moses altare & vocavit nomen ejus, DOMINUS signum meum.* Vid. Jud. 6. 24. & Ezech. 48. 35. ¶ *Deus Dei Israel*] vel, *El Elohe Israel.* Alii, *Deus Deus Israel*, quod non rejicio. Trem. *Dei fortis Dei Israel.* Hoc minus se probat mihi. Santes, *Fortis Deus Israel.* Nam אל fortis i. ἰσχυρὸς aut δυνατός. Sed cum Dei epitheton sit, nescio an bene ita reddatur. ¶ *Dei*] vel, angeli. Utrumque sonat אלהים. Itaque angelus, quem Iacob in lucta devicit modo אלהים Deus, modo מלאך i. angelus vocatur. Res evidentior quam ut probari debeat. Sententia est, Deus Dei mei, qui mihi apparuit in Phanuel. ¶ *Israel*] i. mei. Simile, *dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM*, quod proinde habendum ac si diceret, *ascende ad me.* Consule libellos meos. Aben. *Quia Deus operam tulerat Jacobo, vocavit nomen altaris, in quo ipsum coluit, El Elohe Israel, & sensus nominis El, quod sit potens ac fortis,* (Deus enim Elohim dicitur quasi vindex ac judex) *& Elohe Israel, quod ipsum eripuisset, quodque salvus & incolumis venisset in terram Chanaan, ubi Succoth & Sichem: & secundum sententiam meam demoratus est in urbe Sichem annos plurimos. Nam cum eo veniret Dina nondum agebat annum septimum. Simeon quoque & Levi parvuli erant.*

A M A M A.

18. EBr. *Venitque incolumis* שלם *in urbem Sichem.* Vulg. *Transivitque in Salem urbem Sichimorum.* Interpres vocem שלם pro nomine urbis accepit, secutus τοὺς LXX. εἰς Σαλὴμ πόλιν σικίμων. Haud notassem nisi ipsi Pontificii, Lyra, Cajet. Lippomanus, Oleastrius aliique id notare duxissent operæ pretium. Videatur Drusius ad loca diffic. Geneseos pag. 116.

19. Ebr. במאה קשיטה Vulg. *Centum agnis.* Atqui Act. 7. 16. in narratione Proto-Martyris dicitur hic ager emptus pretio argenti. At si agnos dedit, non argento emit, non emptio sed permutatio fuit. August. Steuchus vertit, *centum denariis aut obolis*, arbitraturque Vulgatum à LXX. deceptum, quorum codices hic habent ἑκατὸν ἀμνῶν. Putat tamen & ibi librariorum aut vetustatis errorem esse, sensque vertisse μνῶν, ut minas pro quolibet numismate acceperint. Quibus hæc subjungit Steuchus, *Emendanda igitur nostra Editio hoc loco, ut pro agnis legatur nummis. Asserunt enim Hebræi* קשיטה *esse nummum non agnum, ut interpres vocum apud eos, qui de hoc nomine ait esse* מין מטבע *speciem monetæ.* Cajetanus idem dicit. Lyra quoque postquam idem monuisset, subjicit Translationem Vulgatam esse mancam. Cl. Drusius arbitratur nummos fuisse agni imagine signatos, quod priscis non fuisse insolens docet. Argivi lupum, Thessali equum, Cyziceni & Lycii leonem, Rhegini Leporem, alii cervum, alii alias pecudes nummis impressere. Apud Athenienses nummus erat bovis imagine signatus, qui & bos dicebatur, unde proverbium *bos in lingua*, in eos qui pecunia corrupti tacent. τὰ δ᾽ ἄλλα σιγῶ, βοῦς ἐπὶ γλώττης μέγας βέβηκεν Æschylus in Agam. (*a*) Βοῦς μοι ἔπι γλώσσῃ alibi. Servius Romanorum Rex boum oviumque imaginibus primus signavit æs, Plin. 18. 3. unde forte & pecunia dicta. Alii, ut Macrobius, id Iano tribuunt. In Deliacis spectaculis si cui munus dandum erat, teste Julio Polluce à Præcone proclamabatur, tot ei boves dandos. Addit ille in Draconis legibus extare legem ἀποτίνειν δεκάβοιον, de pendendis decem bubus. Si eo sensu dixit Vulgatus *centum agnis*, quo Athenienses dicebant *centum boves*, nihil culpo, hac præsupposita conjectura nummos hos agni effigie fuisse signatos. Hodie videmus numismata Aquilarum, Leonum &c. effigiem habentia, & corvorum, unde corvi Basilienses. Frisii Orientales quoque nummum habent quem ovem vocant. Sed an hodiernus ovis effigiem habeat, non ausim affirmare. Non dubito autem quin olim habuerit atque inde appellationem esse. De his ut & valore Kesitæ amplius vide Cl. V. Waserum de nummis Ebræorum.

(*a*) *Vide Chil. Erasmi.*

DE

DE MUIS.

5. P*Arvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo.*] Postquam narravit Sacer textus ut revertenti è Mesopotamia viginti post annos Jacobo Esaus frater obviam ierit, ut in ejus collum ruerit, flens flentem amplexans suaviterque exosculans, inde Esaum ait feminarum & puerorum turbam conspicatum de illis interrogasse fratrem, *Quinam essent*, respondisse vero Jacobum, *Parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo*, Gen. 33. 5. Quæritur cur de filiis solum responderit Jacobus, de mulieribus vero non? Respondet Abarbanel, quod illum puderet apud fratrem fateri quatuor sibi esse uxores, tot enim habebat, ne scilicet deridendum se præberet fratri, qui licet dissolutus maleque moratus, certe minus Numinis observans, tres solummodo habebat. Judicasse nempe Jacobum satius fore si de uxoribus taceret: facile enim suspicaturum Esaum illarum mulierum partim uxores esse, partim liberorum nutrices. Verum hoc parum se mihi probat. Quid enim? Num venire potuit in mentem Jacobo celare se posse fratrem uxores suas? Qualem igitur hominem esse Esaum existimabat? Adeone inofficiosum atque inhumanum ut non, saltem ubi illæ feminæ una cum liberis salutandi gratia accederent, de singulis quæ quive essent quæsiturum illum esse sibi persuaderet? Igitur non mihi dubium est quin suas uxores fratri honoris atque officii causa, ut fit, obtulerit Jacobus, ac præterea singularum etiam nomina ediderit, præsertim cum Lia & Rachel amborum consobrinæ essent. Sed hoc brevitatis ergo ut multa interdum tacet Scriptura. Tum quidem cum interrogatus à fratre est Jacobus quæ esset illa turba, de filiis solum respondit ut qui propius Esaum cognatione contingerent. Sed mox cum singulæ feminæ una cum liberis salutatum Esaum accesserunt, nemo, puto, dubitare potest quin & quæ sibi essent, & quæ illarum nomina essent, sigillatim indicarit. Ita videtur sensisse Flavius Josephus, Antiq. Jud. l. 1. 19. ubi scribit in hæc verba; καὶ ὁ Ἠσαῦς ἀσπασάμενος αὐτὸν, ἀνήρετο τ̃ παίδων τ̃ ὄχλον καὶ τὰς γυναῖκας· ἠξίου τε τότε τὸ πᾶν μαθὼν περὶ αὐτῶν καὶ αὐτὸς συμβαδίζειν αὐτοῖς πρὸς τ̃ πατέρα· quod Gelenius vertit, *At Esaus eo salutato interrogabat de turba mulierum ac puerorum: & cum didicisset omnia, volebat eos deducere ad patrem.* Qui dicit omnia nihil excipit: quid enim potest esse extra omnia?

6. 7. Jacobus & Esaus fratres, cum ille è Mesopotamia ubi viginti annos absens ab infenso fratre commoratus fuerat reverteretur, postquam inter se suavissime consalutassent, satisque diu, prout locus & tempus ferebant, mutuis honoris ac benevolentiæ officiis certassent, lacrymisque præ gaudio, ut fit, indulsissent, Esai enim iram longum tempus forte delinierat; ipsas quoque Iacobi uxores ac liberos (eæ quatuor erant; hi vero cum Dina duodecim) Esaum salutatum accessisse refert Scriptura, hocque ordine processisse, uti ancillæ, h. e. secundariæ uxores, nempe Bala & Zelpha, deinde Lia & Rachel, singulæ cum suis liberis Esaum aliæ post alias adierint. Sacer textus sic habet, *Et appropinquantes ancillæ & filii earum incurvati sunt. Accessit quoque Lia cum pueris* (seu *liberis*) *suis; & cum similiter adorassent, extremi Joseph & Rachel adoraverunt.*

Quæritur cur cum Balam & Zelpham Liamque secuti sint sui liberi, uti docere videtur notati Textus series, Racheli matri Iosephus scribatur præivisse. Ecce tibi Rasi tantopere Iudæis laudatus Doctor, qui dignam *capite Tribuum Israelis*, ita enim à suis honoris ergo indigitatur, profert conjecturam, dum Iosephum pudicitiæ matris consulere voluisse divinat: sic enim dixisse apud se, אמי יפת תואר שמא יתלה בה עינו אותו רשע אעמוד כנגדו ואעכבנו מלהסתכל בה, *Mater egregia est forma: ne forte ad eam sceleratus Esaus adjiciat oculos, stabo ex adverso illi, impediamque ne illam contemplari liceat.* Quasi vero tum ejus ætatis esset Iosephus ut quid muliebris formæ decor virum movere scire posset. Tum enim ille annos vix natus erat 7. aut, ut summum dicam, 8. non major, ac multo minor fortasse, ut tempora computanti atque ad calculos revocanti facile patebit. Igitur ridicula est ac fatua ista conjectura. Profecto si quid causæ est cur matrem anteivisse legatur Iosephus, nihil aliud fuisse crediderim quam quod Iosephum, utpote adhuc tenellum puellum, eundemque unicum filium, qui alium à quo regeretur fratrem non haberet, ire præ mater jusserit, quemadmodum prudentes matres solent, quæ puellos, ne quid eis secus quam oportet contingat si a tergo incedant, sibi præmittunt. Erit fortasse aliquis qui existimet Iosephum prius nominari quam matrem, non quod is in salutandi officio prior fuerit, sed quod qui postea tantus vir fuisset, eum Moyses, sive quis alius est Pentateuchi autor, honoris ergo primo loco nominarit: sicuti Reges videmus summosque principes ante matres nominari, nec tam interdum in historiis facti seriem in nominandis personis quam personarum conditionem & dignitatem spectari. Verum si ita esset, hujus capitis v. 2. ubi de matrum cum suis quarumque natis instructo agmine, quod jam prope adesset Esaus, agitur, Iosephus itidem ante matrem fuisset nominandus, cum secus fiat. Si enim hic honoris ergo dicatur primo loco nominatus Iosephus, quid? oblitusne paulo ante fuisset Moyses, sive quis alius est, quid Iosephi dignitati deberetur? Multo igitur alienius esse dicere id honoris fortasse detulisse Rachelem Iosepho, quod jam tum præsagiret Divini afflatu numinis qualis & quantus ille futurus esset. Satius forsan sit ejusmodi rerum causas non ita anxie perscrutari, quia aut nullæ aut plane incertæ sunt.

GROTIUS.

10. Q*Uasi vidissem vultum Dei*] Id est, Angelum. Confer supra XXXII. 30. & II Sam. XIV. 17.

14. *Et ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos posse*] Hebraice, *ad pedem gregis ante me, & ad pedem natorum.* Ubi pes pro pedato, ut Latini veteres dicebant. מלאכה autem & opus significat, & ea quæ possidentur, in quibus tunc præcipuum erant pecora.

19. *Agnis*] Imo pecunia erat, Act. VII. 16. Disce igitur ex Hebræis agnos nomen fuisse pecuniæ agnum valentis, & ob id agni habentis figuram. Sic bos apud Græcos: & pecunia à pecu: & opes olim oves, ut opilio pro ovilio.

CARTWRIGHTUS.

1. E*T divisit pueros, &c.* יחץ] Non ut plerique existimant (inquit Hieron.) tres turmas fecit, sed duas. Denique ubi nos habemus, *divisit*, Aquila posuit ἡμίσευσε, *dimidiavit*; ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis suis, & alium Liæ & Rachel, quæ liberæ erant, cum filiis earum, primasque ire faceret ancillas, secundas liberas, ipse autem ante utrumque gregem fratrem adoraturus occurreret. Hæc Hieronymus, quem sequi videtur Shindlerus in Pentaglotto, in verbo חצה, hunc enim locum adducens, exponit יחץ, *& divisit populum, qui erat apud ipsum in duas turmas.* At pace tantorum virorum ipse textus ver. 2. & 6. & 7. aperte mihi monstrare videtur, Jacobum filios suos una cum uxoribus in tres turmas divisisse. De verbo autem יחץ, etiamsi חצה (unde in futuro יחצה, & per apocopen יחץ) interdum significet, *dimidiare, in duas partes æquales dividere*, nonnunquam tamen simpliciter ponitur pro *dividere*. Dan. 11. 4. ותחץ לארבע רוחות השמים, i.e. *& divisit in quatuor plagas cœli.*

2. *Et Rachelem & Josephum postremo loco posuit.*] R. Sal. recte notat, אחרון אחרון חביב, i.e. *Posterius posterius dilectum.* Quos maxime caros habuit Iacob, eos postremo loco posuit, nempe ut à periculo, si quod esset, essent remotissimi. Idem etiam observavit Aben Ezra, Jacobum scil. postremo loco posuisse Rachelem & Josephum, quo melius evaderent, eo quod ipsos potissimum dilexerit.

4. וַיִּשָּׁקֵהוּ *Et osculatus est eum.*] Verbum Hebræum hic puncta desuper posita more inusitato habet; id mysterii alicujus insinuandi caussa factum suspicantur Hebræi. *Baal Turim* (apud quem raro occurrit quicquam non ineptum) ait hoc innui, quod Esau in animo habuit Jacobum mordere, quod Hebræis est נשך, *Nashac*, uti osculari eis est נשק *Nashak*. Notat etiam Cabbalistice (ut totus pene istis nugis occupatur) per Gematriam, id est, juxta numerum qui ex literis exsurgit, idem valere וישקהו, i. e. *& osculatus est eum*, ac לנשכו, i. e. *ad mordendum eum.* Sic in Pirke Eliezer, cap. 37. dicitur, *Ne legas*, וישקהו, *& osculatus est eum*, sed וישכהו, *& momordit eum.* R. Salomon etiam refert quosdam hujus vocis punctationem sic interpretari; quod Esau haud sincero ac integro animo osculatus est Iacobum: è contra autem R. Simeonem filium Iochai asserere, manifeste traditum esse, quod Esau fratrem suum odio habuit, verum ista hora incaluisse viscera ejus, ac eum sincere, totoque animo osculatum esse. Certe insolenti ista punctatione (à quocunque demum adhibita fuerit, de quo litem movere jam nolim) innui videtur, rem miram plane fuisse, ut Esau, qui hostili animo adversus Iacobum processit, eumque funditus delere cogitavit, jam subito, quasi in alium virum mutatus, amplexu atque osculo eum exciperet.

9. יֶשׁ־לִי רָב *Est mihi multum.*] Targ. Ion. אית לי נכסין סגיאין, *sunt mihi opes multæ.* (a) LXX ἐστί μοι πολλά. Vulg. *habeo plurima.* R. Salom. ait Esavum sic jactabundum dixisse (לשון גאוה) se nempe multo plus quam necessariis suis usibus sufficeret habere; Iacobum

(a) *Eadem etiam verba habet istud Targum ver. 11.*

Iacobum autem (ver. 11.) dixisse יש לי כל, *sunt mihi omnia*, scil. *quæ sunt necessaria*, כל, i. e. *quantum sufficit mihi*. Illic LXX ἐστί μοι πάντα. Nostri utrobique, I have enough, i. e. *Mihi satis est*. At procul dubio non sine caussa aliis verbis se expressit Iacob, quam quibus usus fuerat Esau. Vulg. autem cap. 45. 28. רב לי vertit, *sufficit mihi*.

12. *Et ibo* לנגדך *ante te.*] Vel, *è regione tui*, vel *juxta te*. Chald. לקבלך, *juxta te*. Ita etiam Ionathan. Fagius in Annotat. ait sensum esse, *Ibo à latere tuo, & æquis passibus ero comes itineris tui*. LXX πορεύσομαι ἐπ' εὐθεῖαν, *eamus in rectam, vel recta*. Videntur legisse לנגד, atque omisisse ואלכה, *& ibo*. Symmachus, ἵνα συνοδεύσω σοι, *ut una tecum iter faciam*. Schol. πορεύσομαι εἰς καταντικρὺ σοῦ, *ibo è regione tui*. Vulg. *eroque socius itineris tui*.

13. *Et oves & vaccæ* עלות *gravidæ sunt.*] Sic Aben Ezra exponit, à עלה, *ascendere*, quod super eas mares ascenderint. Vulg. fœtas. LXX λοχεύονται, *fœtæ sunt*. At Chald. מינקתא, *lactantes*. Sic Targum Ionath. מינקן. Et R. Salomon, מגדלות עולליהן, i. e. *nutrientes fœtus suos*, à עולל quod puerum vel parvulum lactentem significat. Atque ita etiam Kimchi in Radic. uti testatur Mercerus. Vocis forma arguere videtur radicem potius esse עול quàm עלל, alioqui utravis expositio loco satis congruit.

14. לרגל המלאכה *Ad pedem operis.*] Id est, *propter opus*. Sic supra cap. 30. 30. לרגלי, *propter me*; ad verb. *ad pedem meum*. Chaldæus illic בדילי, i. e. *propter me*. Targum Ion. *propter me* (ad verb. *in pede meo*, ברגלי) *quod tibi profuit, ex quo ingressus sum in domum tuam*. R. Moses in More Nebuchim parte 1. cap. 28. notat רגל in hisce Geneseos locis caussam denotare. Aben Ezra hic exponit, בעבור המקנה שהוא מלאכתי, i. e. *propter pecus, quod* (i. e. cujus cura) *est opus meum*. Atque ait sibi videri, vocem מלאכה significare id quod quis vi ac potestate sua possit efficere: ac interdum denotare ממון, i. e. *pecuniam*, vel *divitias*, ut cum dicitur Exod. 22. 11. *si non miserit* (extenderit) *manum suam* במלאכת רעהו *in opus proximi sui*, i. e. *in facultates ejus*. Atque hinc putat nuntium dici מלאך, quod is in potestate sit ejus à quo mittitur.

15. למה זה אמצא חן בעיני אדני *Quare istud? inveniam gratiam in oculis domini mei.*] Onkelos & Ionathan eodem plane sensu interpretantur. Fagius in versione sua interserit *saltem*, *inveniam (saltem) gratiam, &c.* Atque in Annotat. ait sensum esse, *Satis est mihi, si tantum tibi gratus & acceptus sim*. At si iste verborum esset sensus, dicendum potius, *inveniam* (tantum) *gratiam, &c.* Quanquam apud alium præter Fagium memini legere *saltem* pro *tantum*. LXX ἱκανὸν ὅτι εὗρον χάριν ἐναντίον σου Κύριε, *Satis est, quod inveni gratiam coram te Domine*. Ac si esset בעינך, *in oculis tuis*; & אמצא, *inveniam*, idem valeret quod מצאתי, *inveni*. At cap. 34. 11. אמצא חן בעיניכם. LXX vertunt, εὕροιμι χάριν ἐναντίον ὑμῶν, *inveniam gratiam coram vobis*. In eundem modum etiam hoc in loco interpretari debuerunt. Hisce autem verbis Iacob humanitatem istam Esavi deprecatur, atque indicat beneficii loco sibi futurum, si Esau ipsum cum suis, prout expedire judicaverit, proficisci permiserit, nec comites sibi adjunxerit, quippe qui non tam honori ac auxilio, quam oneri ac damno forent.

18. *Et venit Jacob* שלם (*ad*) *Shalem*.] Ut sit nomen loci. LXX εἰς Σαλήμ. Vulg. *in Salem*. At Hebræi appellative sumunt. R. Sal. argutius more suo enarrat, שלם בגופו, *incolumis corpore suo*, quod claudicatio ipsius sanata, esset שלם בממונו, *incolumis divitiis suis*, quod ex omni isto munere (quod nempe Esavo dederat) nihil ei deesset: שלם בתורתו, *incolumis lege* (*seu religione*) *sua*, quod in domo Labanis doctrinam suam non dedidicisset. Aben Ezra exponit, שבא בשלום, i. e. *quod venit in pace, seu prospere*, nec quicquam adversi sustinuit. Atque existimat hoc ideo dictum, quod statim capite sequenti narratur quemadmodum cum ad urbem Sichem Jacob venisset, grave ei infortunium ex raptu Dinæ acciderit. Drusius in difficiliora loca Genes. cap. 96. refert etiam Gerundensem & R. Levi hic interpretari שלם *salvum, incolumem*. Sic Onkelos, ואתא יעקב שלים לקרתא דשכם, *Et venit Jacob salvus ad urbem Sichem*. Et Jonathan eadem habet verba, ac insuper addit post שלים, i. e. *salvus, incolumis*, בכל דליה, i. e. *in omnibus quæ habebat*. Lyra asserit Hebræorum sententiam videri veriorem, nempe ut *Salem* hic appellative pro *sano & integro* sumatur, quia civitas ad quam venit Jacob, capite sequenti vocatur *Sichem*. Imo hoc ipso loco (*b*) ita vocatur. Mercerus mavult loci nomen esse, qui etiam dictus erat *Sechem*, nostris *Sichem*, & corrupte *Sichar* Joan. 4. ubi Samaritani Templum exstruxerunt, ubi adorabant exemplo, ut caussabantur, Jacob, qui illic diu mansit. Et quanquam hæc urbs deinceps *Sechem*, non *Salem* in Scriptura dicatur, nihil tamen obstare ait utrumque nomen hic poni. *Sechem* autem hic viri nomen esse asserit in *Salem*, quæ erat urbs ipsius *Sechem*. At certe cum capite sequenti & alias passim urbs ista vocetur *Sechem*, nusquam autem *Salem*, rationi magis videtur consentaneum, ut *Salem* hic accipiatur appellative; utque Hebræa ista ויבא יעקב שלם עיר שכם sic reddantur, *Et venit Jacob incolumis* (nihil damni passus nec à Labane, nec ab Esavo) *ad urbem Sechem*.

19. במאה קשיטה *Centum nummis.*] R. Salomon exponit קשיטה per מעה, i. e. *monetam*: ac refert R. Akibam dixisse, cum profectus esset ad loca maritima (לכרכי הים) monetam ibi vocatam fuisse *Keshita*. Kimchi (ut est apud Fagium in Collat.) sic refert verba Akibæ, כשהלכתי לערביא, i. e. *Cum irem in Arabiam audivi quod vocarent nummum Keshita*. Chald. במאה חורפן, i. e. *centum agnis*. Sic LXX & Vulg. Fagius ait se rationem hujus interpretationis intelligere non posse, quum *Keshita*, testantibus doctioribus Hebræorum, sit genus monetæ; ac etiam Lucas Actor. 7. non agnorum, sed argenti mentionem faciat. Steuchus (teste Amama in Cens.) vertit *centum denariis*, vel *obolis*; ac putat Vulgatum deceptum à LXX Interpretibus, eorum autem codices corruptos esse, ac ἀμνῶν habere pro μνῶν, i. e. *agnis*, pro *minis*. Hebræi (inquit Lyra) dicunt, *centum obolis*; & ideo translatio nostra hic deficit, vel dictio quæ in Hebræo ponitur est æquivoca. Drusius in Genes. cap. 97. ait omnes Hebræos, quos viderit, exponere *Keshita*, per מעה, quod à Lyra & aliis *obolum* reddi non probat, cum centum oboli tantum efficiant quinque siclos; non autem verisimile sit, agrum tam vili fuisse venditum. Addit forte *agnos* hic dici *numos agni imagine signatos*. Ita (inquit) nonnulli putant, & potest esse verum, &c. Sic apud Athenienses *numus*, *bovis imagine signatus*, *dicebatur bos*; unde Proverbium, *Bos in lingua*. Targ. Jonath. habet, במאה מרגלין, i. e. *centum margaritis*. Sed illud æque excedit, ac *centum obolis* deficit.

20. *Et vocavit illud; El Elohe Israel.*] Id est, *Deum fortem*, *Deum Israelis*. *El* idem valet quod חזק ותקיף, i. e. *robustus & fortis*, ut notat hic Aben Ezra. Sic Aquila ἰσχυρὸν interpretatur. R. Salomon ait altare non fuisse vocatum Deum Israelis, sed propterea quod Deus Jacobo adfuerat, eumque liberaverat, ideo Jacobum appellasse altare nomine signi, sive miraculi (על שם הנס) ut laus Dei, nominis istius appellatione, commemoraretur: quasi dixerit Iacob, *Is qui fortis est*, nempe *Deus benedictus*, *mihi, cui nomen est Israel*, *est Deus*. Atque in istum modum exponit locum Exod. 17. ver. 15. Aben Ezra autem ait propterea quod Deus auxiliatus fuerat Iacobo, eum vocasse altare, quo Deum coluit, *Deum fortem*, *Deum Israelis*. Nomen istud revera altari fuisse impositum existimat. Atque ita etiam intelligit loca ista, Exod. 17. ver. 15. & Ezech. 48. ver. 35. Chaldæus hic ita habet, *Et erexit ibi altare, & cultum instituit super eo coram Deo forti, Deo Israelis*. Targum Ionathæ sic, *Et erexit ibi altare, & dedit ibi decimas, quas separavit ab omnibus quæ habebat, coram Deo forti, Deo Israelis*. LXX καὶ ἐπεκαλέσατο τὸν Θεὸν Ἰσραήλ, *Et invocavit Deum Israelis*. Omiserunt nomen *El*; & pronomen לו illud, quod ad altare refertur. Vulg. *Invocavit* super illud fortissimum Deum Israel. At ויקרא לו est, vocavit illud, nempe altare. Non inepte videntur interpretari, qui putant nomen *altare* esse repetendum, *Et erexit ibi altare*, & vocavit illud (*Altare*) *Dei fortis*, *Dei Israelis*. Simplicius tamen esse existimo, ut hic sensus sit, *Et vocavit illud*, *scilicet altare*, *El Elohe Israel*, id est, *Deus fortis* (*est*) *Deus Israelis*; quemadmodum Exod. 17. 15. *Jehova Nissi*, i. e. *Dominus* (*est*) *vexillum meum*. Et Ezech. 48. 35. *Jehova Shammah*; i. e. *Dominus* (*est*) *ibi*.

(*b*) עיר שכם (*ad*) *urbem* Sichem. *Quanquam Sichem hic potest esse nomen viri.*

DE MUIS.

5. P*Arvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo.*] Postquam narravit Sacer textus ut revertenti è Mesopotamia viginti post annos Jacobo Esaus frater obviam ierit, ut in ejus collum ruerit, flens flentem amplexans suaviterque exosculans, inde Esaum ait feminarum & puerorum turbam conspicatum de illis interrogasse fratrem, *Quinam essent*, respondisse vero Jacobum, *Parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo*, Gen. 33. 5. Quæritur cur de filiis solum responderit Jacobus, de mulieribus vero non? Respondet Abarbanel, quod illum puderet apud fratrem fateri quatuor sibi esse uxores, tot enim habebat, ne scilicet deridendum se præberet fratri, qui licet dissolutus maleque moratus, certe minus Numinis observans, tres solummodo habebat. Judicasse nempe Jacobum satius fore si de uxoribus taceret: facile enim suspicaturum Esaum illarum mulierum partim uxores esse, partim liberorum nutrices. Verum hoc parum se mihi probat. Quid enim? Num venire potuit in mentem Jacobo celare se posse fratrem uxores suas? Qualem igitur hominem esse Esaum existimabat? Adeone inofficiosum atque inhumanum ut non, saltem ubi illæ feminæ una cum liberis salutandi gratia accederent, de singulis quæ quive essent quæsiturum illum esse sibi persuaderet? Igitur non mihi dubium est quin suas uxores fratri honoris atque officii causa, ut fit, obtulerit Jacobus, ac præterea singularum etiam nomina ediderit, præsertim cum Lia & Rachel amborum consobrinæ essent. Sed hoc brevitatis ergo ut multa interdum tacet Scriptura. Tum quidem cum interrogatus à fratre est Jacobus quæ esset illa turba, de filiis solum respondit ut qui propius Esaum cognatione contingerent. Sed mox cum singulæ feminæ una cum liberis salutatum Esaum accesserunt, nemo, puto, dubitare potest quin & quæ sibi essent, & quæ illarum nomina essent, sigillatim indicarit. Ita videtur sensisse Flavius Josephus, Antiq. Jud. l. 1. 19. ubi scribit in hæc verba; καὶ ὁ Ἠσαῦς ἀσπασάμενος αὐτὸν, ἀνήρετο τὸν παίδων τὸν ὄχλον καὶ τὰς γυναῖκας· ἠξίου τε τὸ πᾶν μαθὼν περὶ αὐτῶν καὶ αὐτὸς συμβαδίζειν αὐτοῖς πρὸς τὸν πατέρα· quod Gelenius vertit, *At Esaus eo salutato interrogabat de turba mulierum ac puerorum: & cum didicisset omnia, volebat eos deducere ad patrem.* Qui dicit omnia nihil excipit: quid enim potest esse extra omnia?

6. 7. Jacobus & Esaus fratres, cum ille è Mesopotamia ubi viginti annos absens ab infenso fratre commoratus fuerat reverteretur, postquam inter se suavissime consalutassent, satisque diu, prout locus & tempus ferebant, mutuis honoris ac benevolentiæ officiis certassent, lacrymisque præ gaudio, ut fit, indulsissent, Esai enim iram longum tempus forte delinierat; ipsas quoque Iacobi uxores ac liberos (eæ quatuor erant; hi vero cum Dina duodecim) Esaum salutatum accessisse refert Scriptura, hocque ordine processisse, uti ancillæ; h. e. secundariæ uxores, nempe Bala & Zelpha, deinde Lia & Rachel, singulæ cum suis liberis Esaum aliæ post alias adierint. Sacer textus sic habet, *Et appropinquantes ancillæ & filii earum incurvati sunt. Accessit quoque Lia cum pueris* (seu *liberis*) *suis; & cum similiter adorassent, extremi Joseph & Rachel adoraverunt.*

Quæritur cur cum Balam & Zelpham Liamque secuti sint sui liberi, uti docere videtur notati Textus series, Racheli matri Iosephus scribatur præivisse. Ecce tibi Rasi tantopere Iudæis laudatus Doctor, qui dignam *capite Tribuum Israelis*, ita enim à suis honoris ergo indigitatur, profert conjecturam, dum Iosephum pudicitiæ matris consulere voluisse divinat: sic enim dixisse apud se, אמי יפה תאר שמא יתלה בה עינו אותו רשע אעמוד כנגדו ואעכבנו מלהסתכל בה, *Mater egregia est forma: ne forte ad eam sceleratus Esaus adjiciat oculos, stabo ex adverso illi, impediamque ne illam contemplari liceat.* Quasi vero tum ejus ætatis esset Iosephus ut quid muliebris formæ decor virum moveret scire posset. Tum enim ille annos vix natus erat 7. aut, ut summum dicam, 8. non major, ac multo minor fortasse, ut tempora computanti atque ad calculos revocanti facile patebit. Igitur ridicula est ac fatua ista conjectura. Profecto si quid causæ est cur matrem anteivisse legatur Iosephus, nihil aliud fuisse crediderim quam quod Iosephum, utpote adhuc tenellum puellum, eundemque unicum filium, qui alium à quo regeretur fratrem non haberet, ire præ mater jusserit, quemadmodum prudentes matres solent, quæ puellos, ne quid eis secus quam oportet contingat si a tergo incedant, sibi præmittunt. Erit fortasse aliquis qui existimet Iosephum prius nominari quam matrem, non quod is in salutandi officio prior fuerit, sed quod qui postea tantus vir fuisset, cum Moyses, sive quis alius est Pentateuchi autor, honoris ergo primo loco nominarit: sicuti Reges videmus summosque principes ante matres nominari, nec tam interdum in historiis facti seriem in nominandis personis quàm personarum conditionem & dignitatem spectari. Verum si ita esset, hujus capitis v. 2. ubi de matrum cum suis quarumque natis instructo agmine, quod jam prope adesset Esaus, agitur, Iosephus itidem ante matrem fuisset nominandus, cum secus fiat. Si enim hic honoris ergo dicatur primo loco nominatus Iosephus, quid? oblitusne paulo ante fuisset Moyses, sive quis alius est, quid Iosephi dignitati deberetur? Multo igitur alienius esse dicere id honoris fortasse detulisse Rachelem Iosepho, quod jam tum præsagiret Divini afflatu numinis qualis & quantus ille futurus esset. Satius forsan sit ejusmodi rerum causas non ita anxie perscrutari, quia aut nullæ aut plane incertæ sunt.

GROTIUS.

10. Q*Vasi vidissem vultum Dei*] Id est, Angelum. Confer supra XXXII. 30. & II Sam. XIV. 17.

14. *Et ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos posse*] Hebraice, *ad pedem gregis ante me, & ad pedem natorum.* Ubi pes pro pedato, ut Latini veteres dicebant. מלאכה autem & opus significat, & ea quæ possidentur, in quibus tunc præcipuum erant pecora.

19. *Agnis*] Imo pecunia erat, Act. VII. 16. Disce igitur ex Hebræis agnos nomen fuisse pecuniæ agnum valentis, & ob id agni habentis figuram. Sic bos apud Græcos: & pecunia à pecu: & opes olim oves, ut opilio pro ovilio.

CARTWRIGHTUS.

1. E*T divisit pueros, &c.* ויחץ] Non ut plerique existimant (inquit Hieron.) tres turmas fecit, sed duas. Denique ubi nos habemus, *divisit*, Aquila posuit ἡμίσευσεν, *dimidiavit*; ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis suis, & alium Liæ & Rachel, quæ liberæ erant, cum filiis earum, primasque ire faceret ancillas, secundas liberas, ipse autem ante utrumque gregem fratrem adoraturus occurreret. Hæc Hieronymus, quem sequi videtur Shindlerus in Pentaglotto, in verbo חצה, hunc enim locum adducens, exponit ויחץ, *& divisit populum, qui erat apud ipsum in duas turmas.* At pace tantorum virorum ipse textus ver. 2. & 6. & 7. aperte mihi monstrare videtur, Jacobum filios suos una cum uxoribus in tres turmas divisisse. De verbo autem ויחץ, etiamsi חצה (unde in futuro יחצה, & per apocopen יחץ) interdum significet, *dimidiare, in duas partes æquales dividere*, nonnunquam tamen simpliciter ponitur pro *dividere.* Dan. 11. 4. ותחץ לארבע רוחות השמים, i. e. *& divisit in quatuor plagas cœli.*

2. *Et Rachelem & Josephum postremo loco posuit.*] R. Sal. recte notat, אחרון אחרון חביב, i. e. *Posterius posterius dilectum.* Quos maxime caros habuit Iacob, eos postremo loco posuit, nempe ut à periculo, si quod esset, essent remotissimi. Idem etiam observavit Aben Ezra, Jacobum scil. postremo loco posuisse Rachelem & Josephum, quo melius evaderent, eo quod ipsos potissimum dilexerit.

4. וַיִּשָּׁקֵהוּ *Et osculatus est eum.*] Verbum Hebræum hic puncta desuper posita more inusitato habet; id mysterii alicujus insinuandi caussa factum suspicantur Hebræi. *Baal Turim* (apud quem raro occurrit quicquam non ineptum) ait hoc innui, quod Esau in animo habuit Jacobum mordere, quod Hebræis est נשך, *Nashac*, uti osculari eis est נשק *Nashak.* Notat etiam Cabbalistice (ut totus pene istis nugis occupatur) per Gematriam, id est, juxta numerum qui ex literis exsurgit, idem valere וישקהו, i. e. *& osculatus est eum*, ac לנשכו, i. e. *ad mordendum eum.* Sic in Pirke Eliezer, cap. 37. dicitur, *Ne legas*, וישקהו, *& osculatus est eum*, sed וישכהו, *& momordit eum.* R. Salomon etiam refert quosdam hujus vocis punctationem sic interpretari, quod Esau haud sincero ac integro animo osculatus est Iacobum: è contra autem R. Simeonem filium Iochai asserere, manifeste traditum esse, quod Esau fratrem suum odio habuit, verum ista hora incaluisse viscera ejus, ac eum sincere, totoque animo osculatum esse. Certe insolenti ista punctatione (à quocunque demum adhibita fuerit, de quo litem movere jam nolim) innui videtur, rem miram plane fuisse, ut Esau, qui hostili animo adversus Iacobum processit, eumque funditus delere cogitavit, jam subito, quasi in alium virum mutatus, amplexu atque osculo eum exciperet.

9. יֶשׁ־לִי רָב *Est mihi multum.*] Targ. Ion. אית לי נכסין סגיאין, *sunt mihi opes multæ.* (a) LXX ἔστι μοι πολλά. Vulg. *habeo plurima.* R. Salom. ait Esavum sic jactabundum dixisse (יותר מצרכי) se nempe multo plus quam necessariis suis usibus sufficeret habere; Iacobum

(a) *Eadem etiam verba habet istud Targum ver. 11.*

Jacobum autem (ver. 11.) dixisse יש לי כל, *sunt mihi omnia*, scil. *quæ sunt necessaria*, כל פסק, i. e. *quantum sufficit mihi.* Illic LXX ἐστί μοι πάντα. Nostri utrobique, I have enough/ i.e. *Mihi satis est.* At procul dubio non sine caussa aliis verbis se expressit Iacob, quam quibus usus fuerat Esau. Vulg. autem cap. 45. 28. רב לי vertit, *sufficit mihi.*

12. *Et iba* לְנֶגְדֶּךָ *ante te.*] Vel, *è regione tui*, vel *juxta te.* Chald. לקבלך, *juxta te.* Ita etiam Ionathan. Fagius in Annotat. ait sensum esse, *Ibo à latere tuo, & æquis passibus ero comes itineris tui.* LXX πορεύσομαι ἐπ᾽ εὐθεῖαν, *eamus in rectam, vel recta.* Videntur legisse לנגד, atque omisisse ואלכה, *& ibo.* Symmachus, ἵνα συνοδεύσω σοι, *ut una tecum iter faciam.* Schol. πορεύσομαι εἰς κατέναντί σου, *ibo è regione tui.* Vulg. *eroque socius itineris tui.*

13. *Et oves & vaccæ* עָלוֹת *gravidæ sunt.*] Sic Aben Ezra exponit, à עלה, *ascendere*, quod super eas mares ascenderint. Vulg. fœtas. LXX λοχεύονται, *fœtæ sunt.* At Chald. כניקתא, *Lactantes.* Sic Targum Ionath. מינקן. Et R. Salomon, מגדלות עולליהן, i.e. *nutrientes fœtus suos*, à עולל quod puerum vel parvulum lactentem significat. Atque ita etiam Kimchi in Radic. ut testatur Mercerus. Vocis forma arguere videtur radicem potius esse עלה quàm עלל, alioqui utravis expositio loco satis congruit.

14. לְרֶגֶל הַמְּלָאכָה *Ad pedem operis.*] Id est, *propter opus.* Sic supra cap. 30. 30. לרגלי, *propter me*; ad verb. *ad pedem meum.* Chaldæus illic בדילי, i.e. *propter me.* Targum Ion. *propter me* (ad verb. *in pede meo*, ברגלי] *quod tibi profui, ex quo ingressus sum in domum tuam.* R. Moses in More Nebuchim parte 1. cap. 28. notat רגל in hisce Geneseos locis caussam denotare. Aben Ezra hic exponit, בעבור המקנה שהיא מלאכתי, i. e. *propter pecus, quod* (i.e. cujus cura) *est opus meum.* Atque ait sibi videri, vocem מלאכה significare id quod quis vi ac potestate sua possit efficere : ac interdum denotare ממון, i. e. *pecuniam*, vel *divitias*, ut cum dicitur Exod. 22. 11. *si non miserit* (extenderit) *manum suam* במלאכת רעהו *in opus proximi sui*, i.e. *in facultates ejus.* Atque hinc putat nuntium dici מלאך, quod is in potestate sit ejus à quo mittitur.

15. לָמָּה זֶּה אֶמְצָא חֵן בְּעֵינֵי אֲדֹנִי *Quare istud? inveniam gratiam in oculis domini mei.*] Onkelos & Ionathan eodem plane sensu interpretantur. Fagius in versione sua interserit *saltem*, *inveniam (saltem) gratiam, &c.* Atque in Annotat. ait sensum esse, *Satis est mihi, si tantum tibi gratus & acceptus sim.* At si iste verborum esset sensus, dicendum potius, *inveniam* (tantum) *gratiam, &c.* Quanquam apud alium præter Fagium memini legere *saltem* pro *tantum.* LXX ἱκανὸν ὅτι εὗρον χάριν ἐναντίον σου Κύριε, *Satis est, quod inveni gratiam coram te Domine.* Ac si esset בעיניך, *in oculis tuis*; & אמצא, *inveniam*, idem valeret quod מצאתי, *inveni.* At cap. 34. 11. אמצא חן בעיניכם. LXX vertunt, εὕροιμι χάριν ἐναντίον ὑμῶν, *inveniam gratiam coram vobis.* In eundem modum etiam hoc in loco interpretari debuerunt. Hisce autem verbis Iacob humanitatem istam Esavi deprecatur, atque indicat beneficii loco sibi futurum, si Esau ipsum cum suis, prout expedire judicaverit, proficisci permiserit, nec comites sibi adjunxerit, quippe qui non tam honori ac auxilio, quam oneri ac damno forent.

18. *Et venit Jacob* שָׁלֵם *(ad) Shalem.*] Ut sit nomen loci. LXX εἰς Σαλήμ. Vulg. *in Salem.* At Hebræi appellative sumunt. R. Sal. argutius more suo enarrat, שלם בגופו, *incolumis corpore suo*, quod claudicatio ipsius sanata, esset שלם בממונו, *incolumis divitiis suis*, quod ex omni isto munere (quod nempe Esavo dederat) nihil ei deesset : שלם בתורתו, *incolumis lege (seu religione) sua*, quod in domo Labanis doctrinam suam non dedidicisset. Aben Ezra exponit, שבא בשלום, i.e. *quod venit in pace, seu prospere*, nec quicquam adversi sustinuit. Atque existimat hoc ideo dictum, quod statim capite sequenti narratur quemadmodum cum ad urbem Sichem Jacob venisset, grave ei infortunium ex raptu Dinæ acciderit. Drusius in difficiliora loca Genes. cap. 96. refert etiam Gerundensem & R. Levi hic interpretari שלם *salvum, incolumem.* Sic Onkelos, ואתא יעקב שלים לקרתא דשכם, *Et venit Jacob salvus ad urbem Sichem.* Et Jonathan eadem habet verba, ac insuper addit post שלים, i. e. *salvus, incolumis*, בכל דליה, i.e. *in omnibus quæ habebat.* Lyra asserit Hebræorum sententiam videri veriorem, nempe ut *Salem* hic appellative *pro sano & integro* sumatur, quia civitas ad quam venit Jacob, capite sequenti vocatur *Sichem.* Imo hoc ipso loco (b) ita vocatur. Mercerus mavult loci nomen esse, qui etiam dictus erat *Sechem*, nostris *Sichem*, & corrupte *Sichar* Joan. 4. ubi Samaritani Templum exstruxerunt, ubi adorabant exemplo, ut caussabantur, Jacob, qui illic diu mansit. Et quanquam hæc urbs deinceps *Sechem*, non *Salem* in Scriptura dicatur, nihil tamen obstare ait utrumque nomen hic poni. *Sechem* autem hic viri nomen esse asserit in *Salem*, quæ erat urbs ipsius *Sechem.* At certe cum capite sequenti & alias passim urbs ista vocetur *Sechem*, nusquam autem *Salem*, rationi magis videtur consentaneum, ut *Salem* hic accipiatur appellative; utque Hebræa ista ויבא יעקב שלם עיר שכם sic reddantur, *Et venit Jacob incolumis* (nihil damni passus nec à Labane, nec ab Esavo) *ad urbem Sechem.*

19. בְּמֵאָה קְשִׂיטָה *Centum nummis.*] R. Salomon exponit קשיטה per מעה, i. e. *monetam* : ac refert R. Akibam dixisse, cum profectus esset ad loca maritima (לכרכי הים) monetam ibi vocatam fuisse *Kesbita.* Kimchi (ut est apud Fagium in Collat.) sic refert verba Akibæ, כשהלכתי לערביא, i. e. *Cum irem in Arabiam audivi quod vocarent nummum Keshita.* Chald. במאה חורפן, i. e. *centum agnis.* Sic LXX & Vulg. Fagius ait se rationem hujus interpretationis intelligere non posse, quum *Kesbita*, testantibus doctioribus Hebræorum, sit genus monetæ; ac etiam Lucas Actor. 7. non agnorum, sed argenti mentionem faciat. Steuchus (teste Amama in Cens.) vertit *centum denariis*, vel *obolis*; ac putat Vulgatum deceptum à LXX Interpretibus, eorum autem codices corruptos esse, ac ἀμνῶν habere pro μνῶν, i.e. *agnis*, pro *minis.* Hebræi (inquit Lyra) dicunt, *centum obolis*; & ideo translatio nostra hic deficit, vel dictio quæ in Hebræo ponitur est æquivoca. Drusius in Genes. cap. 97. ait omnes Hebræos, quos viderit, exponere *Kesbita*, per מעה, quod à Lyra & aliis *obolum* reddi non probat, cum centum oboli tantum efficiant quinque siclos; non autem verisimile sit, agrum tam vili fuisse venditum. Addit forte *agnos* hic dici *numos agni imagine signatos.* Ita (inquit) nonnulli putant, & potest esse verum, &c. Sic apud Athenienses *numus*, *bovis imagine signatus*, *dicebatur bos*; unde Proverbium, *Bos in lingua.* Targ. Jonath. habet, במאה מרגלין, i. e. *centum margaritis.* Sed illud æque excedit, ac *centum obolis* deficit.

20. *Et vocavit illud, El Elohe Israel.*] Id est, *Deum fortem, Deum Israelis.* *El* idem valet quod חזק ותקיף, i. e. *robustus & fortis*, ut notat hic Aben Ezra. Sic Aquila ἰσχυρὸν interpretatur. R. Salomon ait altare non fuisse vocatum Deum Israelis, sed propterea quod Deus Jacobo adfuerat, eumque liberaverat, ideo Jacobum appellasse altare nomine signi, sive miraculi (על שם הנס) ut laus Dei, nominis illius appellatione, commemoraretur : quasi dixerit Iacob, *Is qui fortis est*, nempe *Deus benedictus, mihi, cui nomen est Israel, est Deus.* Atque in istum modum exponit locum Exod. 17. ver. 15. Aben Ezra autem ait propterea quod Deus auxiliatus fuerat Iacobo, eum vocasse altare, quo Deum coluit, *Deum fortem, Deum Israelis.* Nomen illud revera altari fuisse impositum existimat. Atque ita etiam intelligit loca ista, Exod. 17. ver. 15. & Ezech. 48. ver. 35. Chaldæus hic ita habet, *Et erexit ibi altare, & cultum instituit super eo coram Deo forti, Deo Israelis.* Targum Ionathæ sic, *Et erexit ibi altare, & dedit ibi decimas, quas separavit ab omnibus quæ habebat, coram Deo forti, Deo Israelis.* LXX καὶ ἐπεκαλέσατο τὸν Θεὸν Ἰσραήλ, *Et invocavit Deum Israelis.* Omiserunt nomen *El*; & pronomen לו illud, quod ad altare refertur. Vulg. *Invocavit* super illud fortissimum Deum Israel. At לו ויקרא est, vocavit illud, nempe altare. Non inepte videntur interpretari, qui putant nomen *altare* esse repetendum, *Et erexit ibi altare*, & vocavit illud (*Altare*) *Dei fortis, Dei Israelis.* Simplicius tamen esse existimo, ut hic sensus sit, *Et vocavit illud, scilicet altare, El Elohe Israel*, id est, *Deus fortis (est) Deus Israelis*; quemadmodum Exod. 17. 15. *Jehova Nissi*, i. e. *Dominus (est) vexillum meum.* Et Ezech. 48. 35. *Jehova Shammah*; i. e. *Dominus (est) ibi.*

(b) עיר שכם *(ad) urbem* Sichem. *Quanquam Sichem hic potest esse nomen viri.*

CAP. XXXIV.

MUNSTERUS.

2. Violavit illam] Ubi Gerundensis sic dicit, כל ביאה באנס תקרא ענוי, *Omnis coitus violentus vocatur Oppressio seu Humiliatio.*

3. *Super cor puellæ*] Loquebatur verba blanda, & multa promittebat, ut puellam ad consensum ineundi conjugii inclinaret. Unde Ben Ezra, דבר לה דברים רכים כנדיבים, *pellexit eam verbis blandis.*

7. *Contristati sunt*] Heb. *dolore sese affecerunt*, h. e. cum dolore id audierunt, atque mœrore repleti sunt. Est enim verbum Hithpael. Et quod sequitur, *Quod minime fieri conveniebat*] Hebraica habent, *& sic non fit*, vel, *sic non fiet.*

9. *Affinitatem*] Ponitur quoque hic verbum retransitivum in Hithpael, significans *nuptias facere*, *sponsum & generum constituere.*

10. *Retineamini in ea*] Cum in Hebræo verbum illud formam Hiphil habere videatur, magis vertendum fuerat, *possessionem facite*, seu *possessionem acquirite*, *in ea.* Ad rectius erit, sicut nos vertimus, ut sit imperativus passivus.

15. *Consentiemus*) Radix hujus verbi est אות, quod *velle*, *consentire & complacere* significat. In futuro vero quiescit Jod prima radicalis, in Zere voce magna, quod Hebraice studiosis hic dictum volo. De quo Hebræi, נחת הנעלם אשר תאות המשרת החרק באה תחת הנעל. Sed hæc ex Grammatica peti possunt, quomodo Jod in voce magna quiescit, & Nun in Dages absconditur.

19. *Honorabilior*] Constituunt Hebræi comparativum per adjectivum & præpositionem *ab* vel *præ*, ut, *honoratus præ omnibus*, i. honorabilior omnibus: id quod nostri interpretes hic non adverterunt, qui hunc locum sic reddiderunt, *erat inclytus in omni domo patris sui.*

21. *Integri*] Plurale illud venit à singulari לב שלם, i. *cor perfectum*, seu *integrum*, & non à שלום *pax*, ut nostri *pacifici* verterunt, etiamsi non ignorem perfectionem hominis in pace & quiete consistere. Et quod sequitur, *Spatiosa manibus*] Hebraismus est, pro, *habens planities spatiosas*, vel, ut Sapiens R. Abraham exponit, מקומות רחבים, *loca spatiosa*: sicut & alibi יד pro מקום invenitur.

24. *Audierunt*] Capitur apud Hebræos non raro *audire* pro *exaudire*, *obedire & acquiescere*, ut in præsenti loco. Et quod sequitur, *Cum essent dolentes die tertio*] dicunt Hebræi, die tertio post circumcisionem dolorem semper esse graviorem; atque hujus rei Medici hanc adferunt rationem, שהוא דעי המורכב. Nescio si id Hebræi ad quartam referant lunæ, aut potius sextilem ejus aspectum, qui est medium quadraturæ.

26. *In ore gladii*] Hebraismus est, pro *acuto gladio.* Nam חדר i. *aciem gladii*, vocat hæc lingua פ, *os.*

27. *Occisos*] Hebraica vox חלל proprie significat *profanum*: Profanum autem est corpus mortuum, ex cujus contactu Judæus immunditiam contrahit.

30. *Fœtere faceretis*] Hebraismus est, pro, *abominabilem faceretis.* Cujus contrarium est quod Paulus ait, *Christi bonus odor sumus*, pro, *accepti Christo sumus.* ¶ *Parvo sum numero*] Dictio מתי, quæ hic ponitur, non est à מות, *mortuus*, ut Steuchus scribit, nam מתי, quando *mortuos* significat, habet Zere sub Mem: sed מתי ut hic invenitur, semper habet Scheva, tam in statu absoluto quam in regimine. Est etiam plurale, & significat idem quod מתים, *homo*, *vir.* Quando vero ei additur מספר, significat *viros paucos*, & qui certo sunt numero. Est igitur *viri numeri*, ut hic habetur, Hebraismus, pro אנשים מעטים, i. *viri pauci*, ut R. S. exponit. Chaldæus interpres vertit עם דמנין, *populus numeri.* Aben Ezra sentit cum R. S.

FAGIUS.

3. Et complacuit anima sua, &c.] Hebraismus est, pro, *amore illius captus est.* Germanice, Er hatt ein willen und lust zu ihr gewunnen. ¶ *Locutusque est super cor puellæ*] i. *loquebatur amice* cum ea, & verbis eam demulcebat, ut eam ad consensum ineundi conjugii inclinaret.

8. *Complacentiam habet anima Sichem*, &c.] i. Filius meus Sichem deperit filiam vestram: vel, ex animo diligit filiam vestram.

10. *Terra sit coram vobis*] Hebraismus est, pro, *in vestra potestate sit; licebit vobis habitare in quocunque loco voletis.*

11. *Inveniam gratiam in oculis vestris*] i. Sim vobis gratiosus, & annuite precibus meis. Ita solet fere habere vim significandi hæc formula loquendi, juxta subjectam materiam de qua agitur.

21. *Viri illi pacifici sunt nobiscum*] Vult dicere, *Viri isti hactenus pacifice vixerint nobiscum: habitaturi sint itaque in hac regione, & negotiabuntur in ea: ipsa namque terra ampla locis est coram eis*, i. latissima est, & proinde eorum capax.

24. *Omnes qui egrediebantur portam civitatis*, &c.] Periphrasis est civium: q. d. Omnes qui cives & incolæ civitatis illius erant.

25. *Quæ habitabat secure*] i. quæ nihil tale cogitabat.

26. *In ore gladii*] Hebraismus est, pro, *necaverunt gladio*; vel *acuto gladio*, aut *acie gladii.*

30. *Cum populus sim qui numerari possit*] Periphrasis est paucitatis, q. d. Nobiscum pauci sunt: facile opprimemur.

31. *Num quasi cum scorto*] Chaldaice ad literam est, *Num tanquam cum vagatrice*, &c. Sic vocat Chaldaismus scortum seu meretricem, נפקת ברא, ab *excurrendo & vagando*, quod fere argumentum est improbæ mulieris; probæ vero & castæ, domi residere, & diligenter curare rem familiarem. Dina, quia excurrebat & vagabatur ideo læsa fuit ipsius pudicitia. Recte ergo inquit Poëta,

Servate uxores: calvus adulter adest.

Et Spiritus sanctus per Apostolum suum monet ut mulieres sint *oikourgoi*, i. *domus custodes.*

VATABLUS.

1. Filias terræ: [בבנות הארץ] *mulieres regionis illius.*

2. *Hivæi principis.* [החוי נשיא] *Hivæus princeps*, vel *Hivæi principis.* ¶ *Tulit* [ויקח] *rapuit.* Ad verbum, *& accepit.* ¶ *Oppressitque eam:* [ויענה] *& violavit eam*, vel *stupravit.*

3. *Et adhæsit* [ותדבק] *Et inclinata est.* ¶ *Et locutus est ad cor, &c.* [וידבר על לב הנער] i. juxta mentem & animum: h. e. locutus est cum ea grata & placentia, q. d. verbis blandis pertraxit eam in suam sententiam.

5. *Et siluit* [והחריש] *& subticuit.*

6. *Ut loqueretur cum eo*; [לדבר אתו] de futuris scilicet nuptiis.

7. *Iratique sunt.* [ויחר להם] Ad verbum, *& incaluit* (sub. *furor eorum*) *ipsis.* ¶ *Pravitatem* [נבלה] *rem fœdam ac turpem*, vel *pravam ac ignominia plenam.* ¶ *Et sic non debebat fieri:* [וכן לא יעשה] Ad verbum, *& sic non fiet.* Hebraismus, *quum non liceret sic fieri.*

8. *Sechem filii*, *&c.* [שכם בני חשקה נפשו בבתכם] Ad verbum, *Sechem filius meus, complacet sibi anima ejus in filia vestra*, i. Sechem filius meus deperit [deamat] filiam vestram, i. tenetur maximo desiderio filiæ vestræ.

9. *Date*, *&c.* [תתנו לנו] Fut. Heb. *dabitis nobis*, *& filias nostras accipietis.*

10. *Terra enim erit coram vobis:* [והארץ תהיה לפניכם] *regio enim ipsa erit in conspectu vestro.* Hebraismus, pro *in potestate vestra*, h. e. licebit vobis habitare in quacunque parte regionis volueritis. ¶ *Possideteque eam:* [והאחזו בה] Ad verbum, *& possessionem capite in ea.* i. date operam ut sitis possessores ejus.

11. *Patri ejus*, [ואל אחיה] nempe puellæ. ¶ *Inveniam gratiam in oculis vestris*, [אמצא חן בעיניכם] Hebraismus, *Sim vobis gratiosus*, h. e. Annuite precibus meis.

12. *Augete mihi*, *&c.* [הרבו עלי מאד] Hebraismus, *Petite à me ingentem dotem ac ingentia munera.* ¶ *Modò detis.* [ותנו] Ad verbum, *& date.*

13. *In dolo & locuti sunt.* [במרמה וידברו] Ordo inversus, pro *& locuti sunt in dolo.*

14. *Abominatio est.* [חרפה הוא] *probrum est*, vel *opprobrium esset.*

15. *In hoc complacebimus.* [בזאת נאות] *hac in re consentiemus, acquiescemus hac lege*, sive *conditione*: & ita Chald. paraph. Vide infra v. 22.

16. *Et erimus in populum unum:* [והיינו לעם אחד] *& erimus unus populus*, i. ex nobis omnibus fiet unus populus.

18. *Et placuerunt*, *&c.* [וייטבו דבריהם] Ad verbum, *& bona fuerunt verba eorum in oculis Hamor*, *& in oculis*, *&c.*

19. *Complacuerat ei filia.* [חפץ בבת] *deamabat* [*vehementer amabat*] *filiam.* ¶ *Honorabilior*, &c. [נכבד מכל] *clarus* [*incly-*

[*inclytus*] *præ tota*, &c. Hebraismus, *erat clarissimus totius familiæ suæ*.

21. *Pacifici sunt nobiscum*, שלמים הם אתנו] Hebraismus, *Viri isti hactenus pacifice vixerunt nobiscum*. ❡ *Et habitabunt*. וישבו] i. ut habitare eis liceat in hac regione & negotiari. Quidam vertunt, *habitaturi sunt itaque in hac regione*. ❡ *Nam terra satis*, &c. והארץ הנה] Ad verbum, *& terra ecce*, &c. Hebraismus, *nam terra spatiosissima est, & proinde etiam eorum capax*.

22. *In hoc complacebunt nobis*. באת יאתו לנו] *hâc lege consentient nobis*, vel *acquiescent*. Eadem ferè verba quæ suprà, v. 15.

23. *Greges eorum & substantiam*, &c. מקנהם וקנינם וכל] *Pecudes illorum, atque possessio illorum; omnia quoque armenta ipsorum*. Ad verbum, *omnis quoque bestia ipsorum*. ❡ *Tantum complaceamus eis*, אך נאותה להם] *modo* [*dummodo*] *consentiamus eis*, vel *acquiescamus*, ut v. præcedenti.

24. *Et circunciderunt se omnis masculus*. וימלו כל זכר] *& circunciderunt se omnem masculum*.

25. *Tertio itaque die*, &c. ויהי ביום הש'] Ad verbum, *Et fuit in die tertia, quum essent dolentes*, i. Quum die tertio oppressi essent dolore circumcisionis. ❡ *In urbem ipsam confidenter*, על העיר בטח] *contra urbem*, &c. Chald. paraph. *ad urbem quæ habitabat confidenter*. i. quæ nihil tale exspectabat, q. d. Invaserunt urbem incautam.

26. *Acie gladii*, לפי חרב] Ad verb. *in ore gladii*, i. gladio, vel ense.

27. *Venerunt ad occisos*: באו על החללים] Chald. paraph. *venerunt spoliatum interfectos*.

28. *Acceperunt*: לקחו] *rapuerunt*.

29. *In domo*: בבית] Sing. Heb. pro plur. *in domibus*, sub. *illorum*.

30. *Ut fœtere faceretis me*. להבאישני] Hebraismus, *Fecistis enim ut posthac habitatores hujus regionis abhorreant à me tanquam à re putida ac malè olente*, h. e. Vos effecistis ut redderetis me abominabilem & odiosum Chananæis. Huic Hebraismo contrarius est ille apud Paulum 2 Cor. 2. 15. *Christi bonus odor sumus*, pro, *accepti sumus Christo*. ❡ *Quum habeam paucos homines mecum*: ואני מתי מספר] Ad verb. *& ego homines numeri*. לי *mihi*, i. quum sint mihi pauci homines. ❡ *Et disperdar*. ונשמדתי] *& delebor*.

31. *Tanquam scorto*, &c. הכזונה יע'] Ad verbum, *tanquam scortum facere debebat sororem nostram?*

C L A R I U S.

3. *T Ristemque delinivit blanditiis*] Heb. *Locutusque est super cor puellæ*, h. e. loquebatur verba blanda: ut illud, *Loquimini ad cor Hierusalem*, h. e. loquimini ei grata, & res boni nuntii.

13. *Sævientes ob stuprum sororis*] Heb. *apud se loquentes quod maculasset Dinam sororem eorum*.

19. *Et erat inclytus*] Vel *honorabilior*, nam constituunt Hebræi comparativum per adjectivum & præpositionem *ab* vel *præ*: ut *honoratus præ omnibus*, i. honorabilior omnibus.

21. *Pacifici sunt*] Vel, *integri erga nos*. ❡ *Quæ spatiosa, & lata cultoribus indiget*] Heb. *Et terra ipsa spatiosa est manibus coram eis*. Ut *spatiosa manibus* significet *habens spatia lata*, vel *loca spatiosa*; ut & illud, *Hoc mare magnum & spatiosum manibus*; h. e. latum spatiis.

25. *Die tertio*] Dicunt Hebræi, die tertio post circumcisionem dolorem semper esse graviorem.

30. *Odiosum fecistis me*] Heb. *fætere me fecistis*, pro, *abominabilem fecistis*. Cujus contrarium est quod Paulus ait, *Christi bonus odor sumus*, pro, *accepti Christo sumus*.

D R U S I U S.

13. *Q Uia temeraverant sororem eorum*] i. violaverant, stupraverant. Usus sum verbo *temerandi*, quoniam optime id exprimit Ebræum טמא, quod & *polluere* sive *contaminare* significat, & *violare* sive *stuprare*. Sic etiam *temero*. Tacitus l. 10. *Eandem Juliam in matrimonio Agrippa temeraverat*. His præmissis, videamus nunc jam cur dicat, *temeraverant*: nam solus Sichem eam temeraverat. An est pluralis pro singulari, ut Exod. 4. *Mortui sunt qui quærebant animam tuam*, de Pharone; & Matth. 2. 20. *Mortui enim sunt qui quærebant animam tuam*, de Herode? Aut forte factum principis imputat subditis ejus, juxta illud,

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Nam qui tacet, in culpa esse videtur. Procopius existimat etiam patrem cum Dina concubuisse. Locus unde id conjectat, habetur supra v. 5. *Audivit Jacob quod temerasset Dinam filiam suam*: Ubi codices Græci addunt, ὁ υἱὸς Ἐμμώρ, *filius Hemoris*: quod olim obelo prænotatum fuit eo quod non esset in Ebræo. Procopius Gazæus, *Ebræum exemplar non habet, filius Hemor, sed sola dictio, Hemor, in Ebræo ponitur*. Lego, *non habet, filius, sed sola dictio*, &c. Nam arbitratus est obelum dumtaxat ad ὁ υἱὸς pertinere, cum etiam ad Ἐμμώρ pertineat. vanum igitur quod infert, *Unde conjectare possumus non filium solum, sed & patrem cum Dina concubuisse; quod quidem gravissimum piaculum censebatur*. Quod si hic locus ei succurrisset, potuisset eo valide roborare conjecturam suam, ut & illo qui habetur infra, v. 31. in eadem editione Græca, ἀλλ' ὡσεὶ πόρνῃ χρήσωνται τῇ ἀδελφῇ ἡμῶν; h. e. interprete Hieron. *Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?* Quod usus rerum dominus excusat. Nam vulgo civitatem aut cives fecisse dicimus quod unus eorum fecit. Cui cognatum genus loquendi *pullus asinarum*, i. unius alicujus asinæ: *sepultus est in urbibus Galaad*, i. in una aliqua urbe.

I D E M.

21. שלמים. A. ἀπηρτισμένοι, *perfecti*] i. in quibus nihil desideres. Amos 1. 9. גלות שלמה idem, ἀπηρτισμένην, *perfecta atque completa*. Vide Fragm. ad hunc locum. Hieron. Quæst. in Gen. *Ubi nunc LXX. interpretes Pacificos transtulerunt, Aquila interpretatus est ἀπηρτισμένους, i. consummatos atque perfectos: pro quo in Ebræo legitur Salemim*. Pacificos, εἰρηνικούς. nam שלום εἰρήνη, *pax*.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et egressa est Dina filia Liæ quam pepererat Jacobo ad videndum filias terræ*.

2. *Et vidit eam Sichem filius Hemor Hevæus princeps terræ, & rapuit eam cubuitque cum ea & vi compressit eam*.

3. *Adhæsitque anima ejus Dinæ filiæ Jacob & amavit puellam & locutus est ad cor puellæ*.

Ad videndum] visum aut spectatum. LXX. καταμαθεῖν, ut perdisceret, videlicet mores earum. Quod expressum in Jonatha. ❡ *Filias terræ*] puellas regionis illius. Jonath. *filias populi terræ*. LXX. τὰς θυγατέρας τῶν ἐγχωρίων. Hiero. *mulieres regionis illius*. ❡ *Vidit eam Sichem*] Scitum illud, ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν: Nisi vidisset, non amasset, non rapuisset, non denique compressisset aut vi stuprasset. ❡ *Hevæus princeps terræ*] LXX. ὁ Εὐαῖος ὁ ἄρχων τῆς γῆς. Hiero. *Hevæi, princeps terræ*. Alius, *Hevæi, principis regionis illius*. Verba Ebræa, ut & Chaldæa, ad utrumque ambigua sunt. ❡ *Rapuit eam*] ויקח אתה & accepit eam. i. rapuit. לקח de raptu mulierum usurpatur cum alibi, tum Gen. 12. 2. & 20. 2. ❡ *Cubuit*] concubuit, ἐκοιμήθη. ❡ *Et vi compressit eam*] ויענה & afflixit eam. i. vi compressit & violavit, sive per vim stupravit. Moses Gerundensis כל ביאה באונס נקרא ענוי *omne stuprum quod vi fit vocatur afflictio*. LXX. καὶ ἐταπείνωσεν αὐτήν. Hiero. *vi opprimens virginem*. Aben. censet Mosen hoc verbo usum quia virgo erat, cum non solum de virgine, sed etiam de alia dicatur. Vid. Deut. 22. 24. Thren. 5. 11. Ezech. 22. 10. & 2. Sam. 13. 22. ❡ *Adhæsit*] adhæsit firmissime, ut quæ glutine, quod דבק dicitur, unde verbum דבק, conjuncta sunt. Ergo vetus interpres vertit, *conglutinata est anima ejus cum ea*, & alius, *agglutinata est* &c. Onk. & Jon. *acquievit anima ejus in ea*. Galli, *son cœur fut adonné à Dina*: cor ejus addictum fuit Dinæ i. לה. ❡ *Et amavit puellam*] Trem. *hoc est, deamabat puellam*. Potest fieri ut (*&*) sit ἐξηγητικόν. Tale est in Latio, *Judicium Paridis spretæque injuria formæ*. ❡ *Puellam*] scriptum הנער & lectum הנערה. LXX. τὴν παρθένον הנערה. Onk. *adolescentulam*. ❡ *Locutus est ad cor puellæ*] consolatus est eam. Latini hoc dicerent, *allocutus est puellam*: unde & alloquium pro consolatione. Adhibe sodes Observationes meas. LXX. καὶ ἐλάλησε κατὰ τὴν διάνοιαν τῆς παρθένου αὐτῇ & locutus est ei secundum mentem aut sensum puellæ. Hiero. *tristemque delinivit blanditiis*. Jon. *locutus est blanditias* (פיוסין) *ad cor puellæ*. Gallica, *loquebatur ad puellam secundum cor ejus*. Leo Judæ, *pellexitque eam verbis*.

4. *Et dixit Sichem ad Hemor patrem suum in hæc verba, Accipe mihi puellam hanc in uxorem*.

5. *Et Jacob audivit quod polluisset Dinam filiam suam, filii autem ejus erant cum pecore ipsius in agro, & tacuit Jacob donec venissent ipsi*.

 6. *Et*

6. Et egreſſus eſt Hemor pater Sichem ad Iacobum ut loqueretur cum eo.

Puellam hanc] הילדה זאת. Lxx. τὴν παῖδα ταύτην. Hiero. *puellam hanc*. Onk. *adoleſcentulam hanc*. Jonath. טליתא הדא puellam hanc. Trem. *natam hanc*. ❡ *In uxorem*] εἰς γυναῖκα. ❡ *Quod polluiſſet*] i. violaſſet aut ſtupraſſet. Lxx. ὅτι ἐμίανεν & addunt de ſuo, niſi gloſſema eſt, ὁ υἱὸς Ἐμμώρ filius Hemoris. Puto gloſſema eſſe, quod olim obelo prænotatum errandi occaſionem præbuit, videtur certe, Procopio Gazæo, cum ita ſcriberet, *Ebraicum exemplar non habet, filius Hemor, ſed ſola dictio Hemor in Ebræo ponitur.* Nam arbitratus eſt obelum duntaxat ad ὁ υἱὸς pertinere, cum etiam ad Ἐμμώρ pertineat. Vanum ergo quod infert, *Unde conjectare poſſumus non filium ſolum, ſed & patrem cum Dina concubuiſſe, quod quidem graviſſimum piaculum cenſebatur.* ❡ *Cum pecore*] apud pecus. Male Trem. *cum pecore ſuo* במקנהו את. Lxx. μετὰ τῶν κτηνῶν αὐτοῦ. Onk. בעירא עם. Sic etiam Jonath. ❡ *Egreſſus eſt*] urbe. Nam Jacob extra urbem habitabat. Supra, *egreſſa eſt Dina*, domo paterna.

7. Filii autem Iacob venerunt ex agro, quum audiviſſent hæc, & dolore affecti ſunt viri illi, & incanduit eis valde: eo quod flagitium feciſſet in Iſrael concumbendo cum filia Iacobi: nam ſic non fit.

Filii autem Iacob] vel, *interim filii Iacob*. Lxx. οἱ δὲ υἱοὶ Ἰακώβ. ❡ *Quum audiviſſent hæc*] כשמעם cum audiviſſent ipſi. ſub. rem ut geſta erat: Incertum autem eſt utrum pater eos acceſſiverit, an ſponte venerint cum ab aliis aut rumore nuntio de eo quod ſorori acciderat intellexiſſent. Lxx. hoc membrum cum ſequentibus connectunt, ὡς δὲ ἤκουσαν, κατενύγησαν οἱ ἄνδρες. Quibus repugnant accentus qui in Ebræo. Sed vide ſis Mercerum. verſ. 8. ❡ *Dolore affecti ſunt*] ויתעצבו & contriſtati ſunt, indoluerunt. Lxx. κατενύγησαν, quod reddunt, *compuncti ſunt*. In Theſauro Stephani, κατάνυξις exponitur λύπη i. dolor, quo animus hominis ceu lancinatur & compungitur. Gen. 6. 6. ad illud ויתעצב, Procopius annotat in Ebræo eſſe κατενύγη, indoluit. Malim ergo, *indoluerunt*. Hiero. ibi habet, *tactus fuit dolore cordis intrinſecus*. Nam ſequitur *in corde ſuo*, quod non nemo reddit, *cum animo ſuo*. Onk. & Jon. ואתנסיסו quod Fagius reddit, *turbati ſunt*. Elias in libro ubi vocum Chaldaicarum ſenſa collegit, laudat ex hoc loco נסיס. Munſteri λέξεις, אתנסיס idem quod דוה doluit, turbatus eſt. Hoc noto quia נסס in communi uſu ſig. habet iræ atque indignationis. ❡ *Incanduit*] vel, *accenſa eſt*, & ira ſubintelligitur. Hiero. *irati ſunt valde*. Rectius ſane quam Lxx. qui λυπηρὸν ἦν αὐτοῖς σφόδρα. i. juſte erat illis valde, hoc loco olim ediderunt. Nam aliud ira, & aliud triſtitia. ❡ *Flagitium*] נבלה rem fœdam ac turpem, ignominioſam. Lxx. ἄσχημον. Lexicon Conſtantini, ἄσχημος, *turpis, deformis, inverecundus*. Quod hinc ſumtum putarim. In Theſ. Stephani, Ἄσχημος, *deformis, turpis V. L. ſed ſine ulla autoritate*. Onk. & Jonath. קלנא ignominiam. Sic etiam Santes. Leo Judæ, *rem nefariam*. Hiero. *rem fœdam*. Uſurpatur de ſtupro virgini illato hic & Deut. 21. de fornicatione & adulterio Jer. 29. de inconceſſa libidine ratione conſanguinitatis. 2. Sam. 13. de furto anathematis. Joſ. 7. 15. ubi Lxx. ἀνόμημα. Jonath. קלנא עבד. Theodotio ἀφροσύνη. Ceterum 1. Sam. 25. 25. ab Aquila redditur ἀπόρρευσις. i. effluxus ſive defluxus. Jeſ. 9. 17. à Hiero. *ſtultitia*. Galli fere interpretantur, *vilenie*. Radix נבל defluo, macreſco. ❡ *In Iſrael*] In domo Iſrael. Emphaſin habet, ut illud quod ſequitur, *cum filia Iacobi*. ❡ *Non fit*] fieri debet, aut ſolet, nempe in Iſrael. Nam apud Chananæos hujuſmodi flagitia crebra erant.

8. Locutuſque eſt Hemor cum eis, dicendo Sichem filius meus deperit anima ejus filiam veſtram: date nunc eam illi uxorem.

Cum eis] cum filiis Jacob, qui tunc grandiores erant & familiam curabant. Tam ex hoc loco, quam ex hiſtoria Rebeccæ, quæ Iſahaco nupſit, colligi poteſt in more olim poſitum fuiſſe, ut fratres agerent de matrimonio ſororum. ❡ *Deperit anima ejus*] חשקה נפשו deperit i. vehementer amat aut impatienter cupit. רב חפץ inquit R. David. Sal. quoque Trecenſis exponit חפצה. Paulus à Sancta Maria ſcribit ſignificare amorem vehementem, cujus ſententiæ autorem citat Moſen Ægyptum in More Nebuchim. Concinit huic expoſitioni R. David in Comment. Pſal. 91, 14. ubi in Ebræo חשק כי quod enarrat, *amavit me amore magno*. Santes dixit, *me peramavit*, & editio Gallica, *il m'aime affectueuſement*. Hoc in loco Santes habet, *hæſit*. Hiero. *adhæſit*. Trem. *amore propendet*. Arias, *complacuit*. Gal. *a mis ſon affection*. Onk. רעיא נפשה i. interprete Fagio, *complacentiam habet*. Jonathan רעיית complacuit, acquievit. Lxx. προείλετο, quod reddunt, *elegit*. Adhæſit. i. דבק: quo verbo uſus eſt ſupra verſ. 3. ❡ *Filiam veſtram*] filiam domus veſtræ. ❡ *Date nunc*] vel, *date quæſo*: quod Jonathan dixit בבעו.

9. Et affinitatem contrahite nobiſcum, filias veſtras dabitis nobis, & filias noſtras accipite vobis.

10. Et nobiſcum ſedete [nam terra hæc coram vobis.] (ſedebitis vel habitabitis, & terra hæc erit coram vobis, ſic eſt in Ebræo) ſedete & negotiamini in ea, & poſſidete eam.

Affinitatem contrahite nobiſcum] אתנו והתחתנו. Lxx. ἐπιγαμβρεύσατε ἡμῖν, connubia jungite ſive ſociate nobiſcum. Hiero. *jungamus invicem connubia*. Jonath. *Commiſcete vos per connubium nobiſcum*. והתחתנו interpretatus ſum *per connubium*. poteſt etiam reddi, *per affinitatem*. חתן ſponſus: item gener. Græcis γαμβρὸς non modo generum, ſed etiam affinem notat, unde γαμβρεύω, connubia ſocio, affinitatem contraho. Idem חתן Ebræis, quod hic mele reddes, *connubia jungite nobiſcum*. Nove autem poſuit אתנו pro אִתָּנוּ. Sic nonnulli exponunt Gen. 30. 20. אתי mecum i. אִתִּי, & Jeſ. 59. 21. אותם cum eis. i. אִתָּם. ❡ *Sedete*] i. manete, ut Gen. 22. 5. *Sedete hic*: & 24. 55. *Sedeat*, ubi Santes & Hiero. *maneat*. Lxx. μενέτω. Trem. *reſideat*. Cicero Lib. 9. epiſt. *ſi venus eſſent, nos hic Corcyræ non ſederemus* i. maneremus, ut explicant viri docti. Alia interpretatio, *habitate nobiſcum*. Nam ישב habito. Hoc ſecutus eſt Hiero. Græci quoque qui vertunt, καὶ ἐν ἡμῖν κατοικεῖτε, & inter nos habitate, nec mihi diſplicet. ❡ *Coram vobis*] patet, & expoſita eſt vobis. ❡ *Sedete*] ſedete, inquam, i. manete. Vel, *habitate* κατοικεῖτε. Minus recte Hiero. *exercete*. ❡ *Et negotiamini in ea*] וסחרוה. Lxx. ἐμπορεύεσθε ἐπ' αὐτῆς. Hiero. *negotiamini*. Santes, *negotiamini in ea*. Arias emendavit, *circuite eam*. Alius, *luſtrate eam*. Satis obſcure. Onk. *facite in ea negotiationem* ſive *mercaturam*. Sic etiam Jonathan, niſi quod mercaturam פרקמטיא vocat, quæ סחורה Onk. & סחורה Ebræis. Eſt autem vocabulum mere Græcum πραγματεία. Lexic. Græco-lat. vetus, πραγματεία, *negociatio, nundinatio*, πραγματευτὴς, *negotiator*, πραγματεύομαι, *negocior*. סחר ergo non ſolum circuire, ſed etiam mercaturam exercere ſive negotiari: unde & סוחר ἔμπορος, mercator, negotiator. Pro פרקמטיא reperio & פרגמטיא quæ ſcriptura ad Græcam propius accedit. Cohel 5. 9. פרגמטוטיס eſt negociator, πραγματευτής. ❡ *Poſſidete eam*] ita Hiero. quem ſequuntur interpretes è Sabaudia. Sed & Onk. בה ואחסינו quod Fagius reddit, *poſſidete eam*. Nec aliter Jonathan. Ebraice eſt בה והאחזו quod verti etiam poteſt, *poſſeſſionem habete ſive tenete in ea*. Trem. maluit, *poſſeſſores vos conſtituite in ea*. Hinc אחוזה, poſſeſſio, quæ Græcis κατοχὴ, quia videlicet, quæ à nobis poſſidentur, ea in noſtra tenemus poteſtate. אחז enim teneo. i. κατέχω.

11. Et dixit Sichem patri ejus & fratribus ejus, Inveniam modo gratiam in oculis veſtris, & quicquid dixeritis mihi dabo.

12. Multiplicate ſuper me admodum dotem donumque, & dabo vobis, quemadmodum dixeritis mihi: tantum date mihi puellam uxorem.

Ejus] Dinæ. ❡ *Inveniam modo gratiam in oculis veſtris*] Dictio *modo* à me addita fuit implendæ ſententiæ. Nam non habetur in Ebræo, ut nec in Græcis εὕρω χάριν ἐναντίον ὑμῶν. Sententia eſt ut ſi diceret, reddar voti compos, impetrem quod peto. ❡ *Dixeritis*] edixeritis, juſſeritis. ❡ *Multiplicate ſuper me admodum dotem*] magnam dotem mihi imponite, grandem dotem à me poſtulate. Lxx. πληθύνατε τὴν φερνὴν σφόδρα. Omittunt עלי quod ſane in otio non cubat. Hiero. *augete dotem*. Onk. מוהרין dotes. Jonath. מוהרא dotem. Autor Jeroſoly. פרנ i. φερνή. Ebraice מהר dos, non ea ſolum, quam uxor marito dat, ſed quam vir uxori largitur nuptiarum cauſſa. Sic Exod. 22. qui virginem vitiavit, jubetur ei dotem dare, ſi pater nolit eam in conjugium illi dare. Hujuſmodi dotem Ebræi etiam כתובה appellant i. ſcriptum. Ea dabatur uxoribus legitimis. Nam concubinæ abſque dote ducebantur. Id nonnulli dixerunt *abſque ſcripto*. Quod hinc intelligentiam habet. ❡ *Donumque*] ומתן & donum ſive munus. Onkelos, ומתנן dona ſive munera. Hiero. *& munera poſtulate*. Thargum Jeroſoly. ומתנן. De hac voce dictum eſt: quibus addo, Dos φερνή, ἕδνον vel ἔεδνον, כתובה ſcriptum in quo dos à marito profecta continetur כתובתה שטר השבל כתובה בשטר instrumentum dotis quod tempore ſponſalium à marito uxori ſcribitur: Tabulæ dotales. Aliquando dos ipſa ita vocatur, ut cum dicunt שטר כתובה instrumentum dotis. Idem פרנונא quod tamen hic ſumi putarim pro alio dono. Munſteri λέξεις פרנונא dos, donum. Sane in Jonatha eſt פרנו. In Geneſi magno (commentarius eſt qui *Breſith Rabba* vocatur) מהר eſt dos i. φερνή: מתן autem παράφερνα, quæ præter dotem dantur, ut ſunt

כתובה

מתנות dotalia dona & כלי נכסי quæ sunt mundi muliebris, ait Moses Gerundensis. Qui etiam adjicit ita vocari in lingua Ierosolymitana. Hinc discimus quid sit מתנות de quo supra, nempe donum dotale, quod diversum ab ipsa dote; quæ מהר dicitur. Is quem modo nominavi scribit nomine כלי denotare ornamenta vel dona, quæ juvenes mittunt sponsæ, quando sponsalia cum illis contrahunt: per מגד autem significari ait res pretiosas, vel aurum & argentum patri ac fratribus dandum. ¶ *Dixeritis*] dicit dotem qui postulat. Sic etiam Latini loquuntur. ¶ *Uxorem*] γυναῖκα. Ita Græci vertunt supra vers 8. Hic vertunt εἰς γυναῖκα *in uxorem*. Latini hoc potius dicerent, *in matrimonium aut in conjugium.*

13. *Et responderunt filii Jacob Sichemo & Hemori patri ejus per dolum & locuti sunt, eo quod polluisset Dinam sororem ipsorum.*

14. *Et dixerunt eis, Non possumus facere rem hanc, ut demus sororem nostram viro cui est præputium: nam probrum est nobis.*

Per dolum] Dolose ac fraudulenter. Lxx. μετὰ δόλου cum dolo. Hiero. *in dolo*. Onk. & Jon. בחוכמא sapienter. Sic etiam R. Sal. Probarem si esset בחכמה in fonte: Nam astutia soror est sapientiæ. מרמה non invenitur nisi pro dolo malo, quod sciam. Forte sensus est בחכמה sapienter. i. astute, callide. Nam sapientes aliquando vocantur qui callidi sunt, ut apud Apostolum, *sapientes ad faciendum malum.* ¶ *Eo quod*] אשר pro באשר, vel potius pro ὅτι, quia, quoniam. Contra כי interdum pro אשר ponitur. Sic dicω כי & אשר se invicem explicant. ¶ *Polluisset*] violasset, per vim stuprasset. Græci habent ἐμίανε, polluissent. Similiter in extremo hujus capituli, ἀλλ᾽ ὥσπερ πόρνῃ χρήσονται τῇ ἀδελφῇ ἡμῶν. Hæc ansam præbuerunt veteribus errandi. Nam existimarunt etiam Hemorem cum Dina concubuisse. Vide Procopium. ¶ *Et dixerunt eis*] Lxx. καὶ εἶπαν αὐτοῖς Συμεὼν καὶ Λευὶ οἱ ἀδελφοὶ Δίνας: & dixerunt eis Simeon & Levi fratres Dinæ. ¶ *Cui est præputium*] ὃς ἔχει ἀκροβυστίαν, qui habet præputium i. præputiato aut incircumciso. ¶ *Nam probrum est nobis*] videlicet præputium, vel *probrum esset nobis*, si hoc faceremus. Probrum i. probrosum aut res probrosa, aut, ut R. Salomo, פסול ממאס res profana. Porro probrum, quod Ebraice חרפה, à Chaldæis dicitur חסור & גנו: quorum hoc Jonathan usurpat, illud Onk. habet (unde lucem facies Salomoni, quo in loco scribit חסד לאמים חטאת, nam potest sensus esse, *probrum nationum est peccatum* i. חסור לאומים חטאת. Docti expendent.) Lxx. ὄνειδος dedecus. Hiero. *nefarium est*. R. Sal. חרפה בכל מקום גנאי *Nomen* חרפה *ubique probrum significat.*

15. *Veruntamen in hoc consentiemus vobis, si fueritis sicut nos ut circumcidatur vobis omnis mas.*

16. *Tunc dabimus filias nostras vobis, & filias vestras accipiemus nobis, & sedebimus vobiscum, & erimus unus populus.*

17. *Quod si non audieritis nos ut circumcidamini, accipiemus filiam nostram & abibimus.*

Consentiemus vobis] vel, *acquiescemus vobis*. Ebraice נאות לכם à themate אות consentio, acquiesco. Cui firmando est Onk. Chaldæus, nam interpretatur נתפייס: quo verbo usus est & is, qui Proverbia Salo. in Chaldaicum convertit. Nam ubi legimus, *si lactaverint te peccatores, ne velis*, sub. acquiescere: ipse transtulit לא תתפייס ne consentias vel ne acquiescas. Jonath. נתפייס לכון conciliabimur, vel, si placet, acquiescemus vobis. Gallica, *accommodabimus nos vobis*. Santes, *complacebimus vobis*. i. נתרצה quod melius hic redditur, *acquiescemus*. Secutus autem est Ebræos interpretes, qui נאות explicant per נתרצה. Leo Judæ, *securi erimus de vobis.* Munsterus, *consentiamus vobis*. Lxx. ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν: similes erimus vobis. נשתוה. Hiero. *valebimus fœderari*. Lxx. addunt de suo, καὶ κατοικήσομεν ἐν ὑμῖν: quod sumtum ex vers. 16. qui sequitur. Videtur certe. ¶ *Vobis*] לכם, ὑμῖν. Hiero. *in vobis* בכם Gallica, *d'entre vous*. ¶ *Omnis mas*] Lxx. πᾶν ἀρσενικόν, omne masculinum. Hiero. *omnis masculini sexus.* Forte leg. omnes mascu. sexus. Mas Græce ἄρσην dicitur & Chaldaice דכור nempe ex Ebræo זכר Zain in Daleth versa. ¶ *Dabimus*] in matrimonium. ¶ *Accipiemus nobis*] λαψόμεθα ἡμῖν γυναῖκας. Lxx. *dabimus & accipiemus mutuo.* Hiero. ¶ *Sedebimus vobiscum*] manebimus apud vos. Aliter vertas, *habitabimus vobiscum*. Ita Hiero. Sed & Lxx. οἰκήσομεν παρ᾽ ὑμῖν, habitabimus apud vos. ¶ *Et erimus unus populus*] והיינו לעם אחד & erimus in unum populum. Hunc Ebraismum imitatus est Hiero. referens, *erimus unus populus.* Porro sententia est ut si diceret, coalescemus in unum populum. Lxx. ἐσόμεθα ὡς γένος ἕν, erimus tanquam genus unum. Sic alibi in hoc libro בני עמי interpretantur υἱοὺς τοῦ γένους μου. ¶ *Filiam nostram*] vel, *puellam nostram*. Galli eleganter hoc dicunt, *nôtre fille*. Sic etiam Belgæ onse dochter. i. filiam domus aut familiæ nostræ. ¶ *Abibimus*] ἀπελευσόμεθα. ¶ *Accipiemus*] Jonath. וניסב בתקוף accipiemus per vim, abripiemus.

18. *Et placuerunt verba eorum in oculis Hemor, & in oculis Sichem filii Hemor.*

19. *Et non distulit adolescens facere rem. Nam deamabat filiam Jacob, eratque honoratior tota domo patris sui.*

Et placuerunt] καὶ ἤρεσαν. Ebraice וייטבו & bona fuerunt, Onk. & Jonath. ושפרו & pulchruerunt i. placuerunt. Nam placet quod pulchrum est. Græci καλὰ dicunt, δοκεῖ τὰ καλὰ, quod omnia ad se vocet. ¶ *Non distulit facere rem*] vel, *rem hanc*, τὸ ῥῆμα τοῦτο. Hiero. *Nec distulit quin statim quod petebatur expleret.* ¶ *Distulit*] tardavit, cunctatus est, ἐχρόνισε. ¶ *Deamabat filium Jacobi*] Sic Hiero. *amabat puellam valde.* Nam deamare est valdè amare. Alii maluerunt, *deperibat*. i. impotenter amabat. Lxx. ἐνέκειτο τῇ θυγατρὶ Ιακώβ, inhærebat filiæ Jacob. Augustin. in locutionibus explicat, *amabat eam*. Ebraice כי חפץ בבת יעקב nam delectabatur filia Jacob, vel si mavis, cupiditate ferebatur in eam. *Delectabatur ea*. i. amabat eam. Contra στέργειν, quod amare significat, Græci autores usurpant pro delectari aliqua re. Apud Davidem כי חפץ בו *quoniam vult ei*. i. studet ei. Velle alicui pro cupere & studere, elegans est antiquæ notæ dictio. Ceterum Jonathan hic edidit צבי & Onk. אתרעי quod Fagius reddit, *animus erat ei erga filiam Jacob.* ¶ *Tota domo*] omnibus domesticis.

20. *Venit ergo Hemor & Sichem filius ejus ad portam urbis suæ, & locuti sunt ad viros urbis suæ, dicendo.*

21. *Viri isti pacifici sunt nobiscum: habitent ergo in terra, & negotientur in ea (nam terra ecce lata spatiis coram eis) filias ipsorum accipiemus nobis in uxores, & filias nostras dabimus illis.*

Ad portam urbis suæ] πρὸς τὴν πύλην τῆς πόλεως αὐτῶν. Pronomen αὐτῶν tam ad Hemor quam ad Sichem pertinet. Quamvis peculiariter vocetur *urbs Sichem*. Forte à patre condita erat & de nomine filii appellata. Portam autem dicit quia olim in portis populi frequentia erat, ibique publica negotia tractabantur & judicia exercebantur, ut apud Romanos in foro. Vide supra 23. 10. Quo respexit David Psal. 9. cum ita caneret, *ut annunciem laudes tuas in portis filiæ Sion*, hoc est, in populi frequentia. Sunt qui hic referant, *ad curiam urbis suæ*. Hodie Turcarum Imperator aulam suam *portam* vocat. ¶ *Ad viros urbis suæ*] ad cives suos. Jonath. *ad viros portæ urbis suæ*, vult dicere, ad eos qui in porta urbis convenerant. Hiero. *ad populum.* ¶ *Pacifici sunt nobiscum*] Editio Gallica, *sunt pacifici, sunt nobiscum*. Lxx. εἰρηνικοί εἰσι, μεθ᾽ ἡμῶν οἰκείτωσαν: *pacifici sunt, nobiscum habitent*. Hiero. *pacifici sunt & nobiscum habitare volunt*. Idem in Trad. sive Quæst. Ebraic. *pacifici nobis sunt*. Nos secuti sumus distinctionem quæ nunc in codicibus Ebræis. ¶ *Pacifici*] pacis studiosi, εἰρηνικοί, pacati. Ebraice שלמים quod potest etiam reddi, *integri* i. ingenui ac sinceri, minime fucati: aut, ut olim Aquila edidit, ἀπηρτισμένοι, i. interprete Hieron. *consummati atque perfecti*. Amos. 1. 9. שלמה idem ἀπηρτισμένην: perfecta atque completa. Perfectos autem intellige, in quibus nihil desideretur. Abenezra, *Viri isti cum pace sunt nobiscum.* i. εἰρηνικῶς, pacifice, pacate. R. Sal. addit ובלב שלם & corde integro. Sic etiam Moses Gerundensis. שלם vocatur etiam qui pace aliorum fruitur, cui nemo nocuit aut injuriam fecit, salvus, incolumis. ¶ *Habitent*] Vel, *sedeant* i. maneant. ¶ *In terra*] in hac nostra regione. ¶ *Negotientur in ea*] perlustrent aut circumeant eam negotiantes. ¶ *Lata spatiis*] רחבת ידים *lata manibus*. i. locis aut spatiis. Jonat. תחומין terminis, finibus. Abenezra מקום. Sic alibi יד תהיה לך & spatium erit tibi. Hiero. *quæ spatiosa & lata cultoribus indigeat.* ¶ *Coram illis*] ut supra vers. 10. *terra coram vobis*. Vide quæ notavimus ad illum locum.

22. *Veruntamen in hoc acquiescent nobis viri illi, ut sedeat (maneat,) nobiscum, ut simus populus unus, ubi circumcisus fuerit nobis omnis mas, quemadmodum ipsi circumcisi sunt.*

23. *Pecus eorum & possessio eorum & omnia jumenta eorum nonne nostra sunt? tantummodo acquiescamus illis ut sedeat (maneat) nobiscum.*

Acquiescent nobis] *nobis complacebunt*. Hiero. ¶ *Ut sedeant*] *ut habitent*. idem. Sic etiam Lxx. Mihi magis placet, *ut maneat*. Nam dixerant, *accipiemus filiam nostram & abibimus.* ¶ *Ubi circumcisus &c.*] *si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes*. Hiero. ¶ *Pecus eorum*] vel, *pecora eorum*, ut sit מקניהם pro מקנהם. Lxx. τὰ κτήνη αὐτῶν. Onk. & Jonath. גיתהון. Hiero. *pecora eorum.* ¶ *Possessio eorum*] quicquid

quid possident. Lxx. τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν, bona eorum. Jonathan. נכסיהון facultates eorum. Hiero. *cuncta quæ possident.* Sed hæc omnia in eo confusa. Nam מקנה voci respondet substantia & קנין pecora &c. ❡ *Jumenta eorum*] Lxx. τὰ τετράποδα αὐτῶν. Alii, *bestiæ ipsorum. Proprie*, inquit Mercerus, *bestiæ non gregales*, ut מקנה gregales. Ebraice בהמתם tam jumenta, quam bestiæ.

24. *Et audiverunt Hemorem & Sichem filium ejus omnes egredientes portam urbis ipsius, & circumcisi sunt omnis mas, omnes egredientes portam urbis ipsius.*

25. *Die autem tertio, cum ipsi essent in dolore, acceperunt filii Jacob Simeon & Levi fratres Dinæ quisque gladium suum, & invaserunt urbem secure, & occiderunt omnem marem.*

Audiverunt Hemorem] auscultarunt vel assensi sunt ei. ❡ *Omnes egredientes portam urbis ipsius*] pronomen ad Sichem pertinet. Potest etiam ad Hemorem referri. Supra, *venerunt ad portam urbis suæ.* עירו de utroque debet accipi. De porta urbis dictum. *Egredientes portam urbis* periphrasis est civium. Ebraice יצאי שער העיר Idem dicit, *intrantes sive ingredientes portam urbis* באי שער העיר Genes. 23. 10. & 18. Nam discrimen, quod Hiscuni hic ponit, ipsa vanitate vanius est. In editione Romana pro ἐκπορευόμενοι repperi scriptum, ἐμπορευόμενοι, quod reddunt, *qui negotiabantur*. Siquidem ἔμπορος negotiator sive mercator. i. סוחר. ❡ *Circumcisi sunt*] Lxx. περιετέμοντο τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτῶν: circumciderunt carnem præputii eorum. Ebræi censent à filiis Jacob circumcisos fuisse. ❡ *Cum ipsi essent in dolore*] ὅτε ἦσαν ἐν τῷ πόνῳ. Ebraice est ad verbum, *quum ipsi essent dolentes*, nempe propter circumcisionem. Dicunt enim Judæi circumcisos die tertio gravissimè dolere. Quod firmat Hiero. referens, *quando gravissimus vulnerum dolor est.* Vid. Mercerum. Hiscuni putat die tertio primum absolutam fuisse circumcisionem. Omnes enim uno die circumcidi non potuisse: imo ne duobus quidem. Sunt qui scribant diem tertium ex sententia Medicorum vulneratis criticum esse. Aben. ad hunc locum, *Dies tertius*, inquit, *semper durus est, qui est dimidium* המרובע *quadraturæ.* Hoc non intelligo. Onk. *quum ingravescerent ipsis dolores eorum.* Sed Fagius edidit, *quum vehementissime dolerent.* Jonath. *cum infirmis essent ex dolore circumcisionis eorum.* מתמקמקין infirmi, debiles. Thema מקק, quod interpretantur חלש debilitor, debilis & infirmus sum. ❡ *Fratres Dinæ*] fratres uterini ὁμομήτριοι, hoc est, ejusdem matris sive ex eadem matre Lia prognati. Horum frater erat Ruben, quem ingenii mitioris fuisse colligunt partim ex hoc loco, partim ex iis, quæ narrantur infra Cap. 37. ❡ *Invaserunt urbem*] alii, *venerunt in urbem.* Sic Græci Lxx. εἰς τὴν πόλιν. Hiero. quoque *ingressi sunt urbem*. Verbum è verbo, *venerunt contra urbem.* ❡ *Secure*] nihil sibi timentes à civibus quos sciebant ægros ex vulnere decumbere: aut venerunt in urbem quæ secura erat, & nihil hostile metuebat. Ebraice בֶּטַח quod Lxx. reddunt ἀσφαλῶς. i. tuto sive tute. Hiero. interpretatur *diligenter*. Autor edit. Rom. Lat. *confidenter.* Sic etiam Hiero. interpretatur ex Ebræo. Jonath. & Onk. *ingressi sunt urbem* דיתבא לרוחצן *quæ habitabatur secure.* Minus recte Fagius, *quæ habitabat.* Nam urbs habitatur, non habitat. Hiscuni, *Die tertio erant omnes in dolore & saucii, tunc ergo invaserunt urbem secure, & sic interpretatur Onk.* (videtur diversam scripturam secutus esse) *Alia expositio de civibus ipsis quod habitaverint secure &c.* Vis interponam judicium meum? Judico hanc ultimam expositionem, quia nimis multa subaudit, coactam esse. Nam ut nihil subaudias, fuisset ei dicendum potius על עיר בטח urbem securitatis. i. securam. An igitur plenum est על העיר עיר בטח invaserunt urbem, urbem, inquam, securitatis. i. securam? Qualia sunt האבן הבדיל lapis, lapis, inquam, stanni, & si quæ alia Grammatici annotarunt.

26. *Et ipsum Hemor & Sichem filium ejus occiderunt ore gladii, & acceperunt Dinam è domo Sichem & exierunt.*

27. *Filii Jacob invaserunt cæsos & diripuerunt urbem, eo quod polluissent sororem ipsorum.*

28. *Oves eorum & boves eorum & asinos eorum, & quod in urbe & quod in agro acceperunt.*

29. *Et omnes opes eorum, & omnes parvulos ipsorum & uxores eorum captivas abduxerunt & diripuerunt, etiam omnia quæ in domibus.*

Ore gladii] לפי חרב *ad os gladii.* i. ore sive acie gladii. Lxx. ἐν στόματι μαχαίρας. Gallica, *au trenchant de l'epée.* פי os, nomen constructum ex פה στόμα. Licet etiam vertere, *occiderunt gladio*, ut פ sit particula expletiva. Sunt autem tales particulæ in universum tres, פי & כי & די Qua de re consulendi sunt Grammatici. Sed melius ut פי חרב sit acies gladii. Sic Græci στόμα vocant, quod ex ea parte quasi mordeat & sanguinem hauriat: unde etiam gladius anceps dicitur à Græcis δίστομος καὶ ἀμφίστομος. ❡ *Filii Jacob*] ceteri. Quod Jonathan dixit מותר בנוי דיעקב residuum filiorum Jacob. Hiero. *quibus egressis irruerunt super occisos ceteri filii Jacob.* Quidam, *omnes simul.* ❡ *Invaserunt cæsos*] באו על החללים venerunt super cæsos. i. interprete Trem. *supervenerunt cæsis*, quod mihi non displicet. Lxx. εἰσῆλθον ἐπὶ τοὺς τραυματίας. Hiero. *irruerunt super occisos* ושב. Onk. *venerunt ad spoliandum interfectos.* ... ut spoliarent. Interfectos autem. i. קטילא. Jonath. habet קטיליא. Hic notabis, חללים significare cæsos sive occisos. Proprie saucii sive vulnerati sic vocantur: unde in edit. Græca τραυματίαι. Vide libellos meos. Jos. 11.6. חללים Sym. *occisos.* Psal. 88.6. כמו חללים Lxx. ὡσεὶ τραυματίαι. Sym. ὡς οἱ τεθνηκότες. Aquila ὅμοιος ἀνῃρημένοις. i. sublatis e medio. Trem. *ut confossi.* Castalio, *ut interempti.* Apud Gorionidem לפשט החללים spoliare occisos. i. cadavera occisorum. Ezech. 31. 17. חללי חרב cæsi gladio. Thren. 2. 12. כחלל Lxx. ὡς τραυματίαι. Paraphrastes Chaldæus, *ut cæsus gladio.* ❡ *Eo quod polluissent sororem ipsorum*] idem cum illo, *eo quod polluta esset soror ipsorum.* אשר accipio pro כי sive אשר i. quia, propterea quod. Lxx. ἐν ᾗ ἐμίαναν, *in qua polluerant.* Sic etiam Jonathan דסאיבו בגוה in cujus medio violaverant. ❡ *Polluissent*] Unus Sichem polluerat. Quomodo ergo dicit *polluissent*? An est enallage numeri? Ut alibi, *latrones exprobraverunt ei.* i. alteruter latronum: sic forte hoc loco, *viri urbis polluerunt.* i. unus aliquis ex illis. Quale & illud, *sepulti sunt in urbibus Juda.* Præcedit enim certe, *diripuerunt urbem.* i. viros urbis, cives. ❡ *Oves*] pecudes, greges. ❡ *Boves*] *armenta.* Hiero. & Trem. ❡ *Acceperunt*] abstulerunt, rapuerunt. Onk. & Jonath. בזו *diripuerunt.* Hiero. *vastarunt.* ❡ *Opes eorum*] vel, *facultates eorum.* Dicuntur opes חיל quod in iis sita sit potentia hominis. Siquidem חיל proprie *potentia, robur.* Unde & homines opulenti potentes appellantur. Scitum autem illud, *Divitiæ divitis sunt ei tanquam urbs valida.* Lxx. πάντα τὰ σώματα αὐτῶν. i. servi eorum. Purus putus Hellenismus. In notis ad edit. Rom. *Disputat Auguſt. in locutionibus quid ista dictione significetur. Non est autem insolitum significari filios & servos, quemadmodum etiam infra cap. 36.* ❡ *Parvulos ipsorum*] טף interprete Hiero. sunt *parvuli.* Esth. 3. 13. טף ונשים idem parvulos & mulieres. R. David הקטנים. Josephus παῖδα. Exod. 12. 37. לבד מטף Aquila χωρὶς νηπίων. Hiero. *absque parvulis.* Jos. 1. 14. Hiero. *& filii.* Lxx. τὰ παιδία. Hic reddunt, τὴν ἀποσκευὴν αὐτῶν. Est autem ἀποσκευή, supellex viatoria, sarcinæ. Onk. טפלא. Jonath. טפליא numero multitudinis. Sic dico, unus habet טפליהון & alter טפלהון. ❡ *Etiam omnia quæ in domibus*] ואת כל אשר בבית & omnia quæ in domo, hoc est, in domibus. (sic Græci ἐν ταῖς οἰκίαις) vel in qualibet domo. ita Trem. Quidam, *una cum omnibus quæ intus erant.* Supra, *in urbe*, videlicet extra domum.

30. *Dixitque Jacob Simeoni & Levi, Turbastis me putere faciendo me apud habitatorem terræ, apud Chananæum, & Pherezæum, & ego paucos homines mecum habeo: si congregaverint se adversum me & percusserint me, exterminabor ego & domus mea.*

31. *Qui dixerunt, An ut cum meretrice ageret cum sorore nostra?*

Turbastis me] ut aqua turbari solet, sic rationes meas omnes turbastis. Lxx. μισητόν με πεποιήκατε, odiosum me fecistis. Non probo. ❡ *Putere faciendo me*] vel, *fœtere faciendo me.* i. putidum ac fœtidum reddendo. Sententia est quam expressit Hiero. interpretans, *odiosum fecistis me*: nisi quod major vis in verbo Ebraico. Nam fœtida plerumque aversamur & abominamur. Quidam, *in capitale odium adduxistis me.* Onk. *Ponendo inimicitiam inter me & habitatores terræ.* Lxx. ὥστε πονηρόν με εἶναι πᾶσι τοῖς κατοικοῦσι τὴν γῆν: ut habeat pro homine improbo. Jonathan לאפקא שום ביש ביתבי ארעא proferendo famam malam inter habitatores &c. שום Græce est τιμή pretium, honor, & in malis ponitur, ut contra ὄνειδος in bonis: unde καλὸν ὄνειδος apud Euripidem. Idem vocabulo טבעא enuntiant, quod scribunt שֵׁמַע sive שמעא rumor tam bonus quam malus, לאפקא שום proferre rumorem, conciliare famam. Fœtere autem metaphorice usurpant in Proverbio illo, *Primo die hospes, secundo molestus, tertio fœtet*, de quo alias. Refertur etiam inter proverbia vulgi, de hospite diutius apud aliquem manente qui fere odiosi sunt. Unde illud, *Quatriduanus est, fœtet.* Quod sumtum ex historia Lazari. Vide Exod. 5. 21. ❡ *Apud habitatorem terræ*] vel potius *inter habitatores terræ.* Nam in fonte בְּיֹשֵׁב Sic mox, *inter Chananæos & Pherezæos.* Nam inter eos habitabat. ❡ *Terræ*] regionis hujus. ❡ *Ego paucos homines mecum habeo*] Hiero. *nos homines pauci sumus.* An legit אנו pro אני ego? Lxx. ἐγὼ δὲ ὀλιγοστός εἰμι ἐν ἀριθμῷ. Sensum aliquo modo expresserunt, non verba. Onk. & Jonath. *Ego populus numeri* i. paucus. Gallica, *ego sum exiguo numero.*

ro. Trem. *cum ego sim paucis hominibus instructus.* Santes, *& ego paucis numero sum.* Ebraice est ואני מתי מספר *& ego mortales numeri.* Oratio defecta. Aut אני ponitur pro עמי mecum sunt. August. Steuchus Eugubinus, *Ebraicum exemplar habet, & ego, hoc est domus mea, mortui sumus numero. Indicat se familiamque suam esse veluti mortuos, si cum illis comparentur: sicut exponit etiam Abenezra.* Hæc disquisitione indigent. *Ego*, pro domus mea, aut familia mea, exemplo caret, saltem mihi noto. *Mortui sumus numero*, non habetur in Ebræo, sed *mortales numeri*, aut homines numeri, ut dictum est. Siquidem mortui מתים dicuntur, quod in singulari facit מת & in reg. plur. מתי cum (..) sub Mem. Radix autem מות morior. מתים homines & singulari caret & aliam radicem habet. Nam à מתה verbo inusitato deducitur. Quod Abenezram attinet, nihil tale ille dicit. Adducam ejus verba fidei meæ caussa, מתי *idem valet quod* אנשים *viri, homines, mortales : res autem quæ numerari potest est exigua. Ideo errat R. Aharon sacerdos, qui exponit locum illum, & sint mortales ejus numerus ut verba sonant.* Locutio hæc reperitur cum alibi, tum Ies. 10. 19. *numerus erunt* i. מעט pauci : & Sirach. 17. 2. ἡμέρας ἀριθμοῦ [dunas ...] i. dies paucos. ¶ *Si congregaverint se adversum me & percusserint me*] Verbum è verbo, *& congregabunt se adversum me & percutient me.* Est ergo locutio ut Malach. 1. *Ipsi ædificabunt & ego destruam*, quod pro eo habendum ac si diceret, *si ædificaverint.* ¶ *Exterminabor*] delebor, perdar, exscindar, disperdar. ¶ *Domus mea*] *homines domus meæ.* Onk. & Ion. i. domestici mei. ¶ *An ut cum meretrice aget cum sorore nostra?*] vel, *An quasi meretricem faciet sororem nostram?* ut הכ sit articulus quarti casus. Sed malo ut sit præpositio. *Quasi meretricem* post exponit, *meretricem revera.* Quale illud, *vidimus gloriam ejus quasi unigeniti. Aget*, videlicet Sichem. Hiero. *Numquid ut scorto abuti debuerunt sorore nostra?* Lxx. ἀλλ' ὡσεὶ πόρνῃ χρήσωνται τῇ ἀδελφῇ ἡμῶν ; i. utentur. Quod errandi occasionem, ut dixi, præbuit Procopio & aliis. Onk. *An ut cum scorto actum est cum sorore nostra?* i. יתעבד. Lectio varians עבד quam Fagius sequitur. Nam vertit, *agere debuit.* Scortum vero sive meretricem vocat נפקת ברא quod tales vagæ sint, & raro domi se contineant : unde Salo. de hujusmodi fœmina, *In domo*, inquit, *non manent pedes ejus.* Ionathan, *Responderunt Simeon & Levi, Non pulchrum est ut dicatur in Synagogis Israel, Recutiti violarunt virginem & idololatræ polluerunt filiam Jacobi : sed potius est ut dicatur Recutiti occisi fuerunt propter virginem, & idololatræ propter filiam Jacobi.* & mox, *Pro scorto habuisset sororem nostram, nisi fecissemus hanc rem.* Autor Ierosol. *Responderunt duo filii Jacob pariter, & dixerunt, Non convenit ut dicatur in Synagogis Israel, & in scholis eorum, Recutiti sive præputiati violarunt virginem &c.* Paullo post, *& dixerunt, pro muliere meretrice ac vagatrice reputavit sororem nostram.*

AMAMA.

NImio plus per universum hoc caput sibi indulsit Interpres. Magis enim Epitomatorem, ut sic dicam bona criticorum venia, quam Interpretem egit, quod sane excusari aliter non potest, quam cum hac hypothesi, multa in his capitibus supervacaneè a Sp. Sancto divino viro atque fidelissimo Amanuensi suo Mosi dictata esse, cui opinioni & positioni nunquam erit ut ego subscribam. Hæc paucula seorsim notentur, vers. 2. ea verba *& adamavit eam* à Benedicto obelo confossa, idque meritissimo, nec enim Ebr. nec Chald. nec Græce ea leguntur. Sic vers. 1. desiderantur ea, *quam peperit ipsi Jacobo.* Vers. 7. verbum ויתעצבו *& dolore affecti sunt*, vel, *contristati sunt*, ut Cajetanus & Benedictus maluere, plane neglectum, ut & vers. 29. initio hæc verba ואת כל חילם, *Et omnem substantiam eorum*, & in fine itidem ista, *Et prædati sunt & quicquid in domo erat*; quorum loco hæc substituit Vulg. *Quibus perpetratis audacter.* Vers. 30. Vulgatus habet *odiosum fecistis me*, ubi tamen Ebræa magis Emphatice להבאישני *ad fœtere faciendum me*, fœtere fecistis me.

GROTIUS.

21. P*Acifici*] Sic fert origo vocis שלמים. At Aquila, solitus alioqui origines anxie exprimere, maluit ἀπηρτισμένοι [*consummati*], quia sæpe ea vox id quod in suo genere perfectum est significat; ideoque verti solet ὁλόκληρος, τέλειος, τέλειος [*integer, plenus, perfectus*], etiam δίκαιος [*justus*]: qui hujus loci videtur esse sensus.

22. *Ritum gentis imitantes*] Melius coalescunt populi rituum paritate.

25. *Quando gravissimus vulnerum dolor est*] Hebraice, *cum essent dolentes.* Sic & Græci : ὅτε ἦσαν ἐν τῷ πόνῳ [*cum essent in cruciatu*], nimirum quia eo die sæpe febres nascuntur ex inflammatione.

27. *Depopulati sunt urbem*] Unus facto, alii auxilio aut receptu.

30. *Odiosum fecistis me*] Pisistratus filiis suis sævissima meditantibus in raptores sororis : Quid, ait, faciemus hostibus, si hæc amatoribus facimus?

CARTWRIGHTUS.

1. E*T egressa est Dina.*] מעצמה, inquit Aben Ezra, i. e. à seipsa, ultro, sua sponte, animo suo obsequens, cum nullam egrediendi idoneam occasionem habuerit. Salomon, Prov. 7. 11, 12. notat mulierem meretriciam foras vagari solere: Et in lingua Chaldaica (a) meretrix vocatur נפקת ברא, i. e. *egrediens foras.* Verbo isto hic utuntur Chaldæi Paraphrastæ, Onkelos scilicet & Jonathan, ונפקת דינה. Illa quidem non nisi ex puellari quadam curiositate exiit, ut verba ista indicant, ad videndum filias istius terræ; sed hac vagatione ejus factum est, ut vitiata rediret. Apostolus igitur Tit. 2. 5. præcipit, ut *juniores fœminæ sint οἰκουρούς*, i. e. *ut domi se contineant.*

3. ותדבק נפשו בדינה *Et adhæsit anima ejus Dina.*] Chaldæus, ואתרעיאת, *Et delectata est anima ejus in Dina*, vel, *complacuit anima ejus.* Est Hebraismus, (ut notat Fagius) pro *amore illius captus est.* LXX καὶ προσέσχε τῇ ψυχῇ Δίνας, *Et attendit, vel adhæsit anima Dinæ*, quasi in Hebræo esset, ותדבק נפש דינה. Vulg. *Et conglutinata est anima ejus cum ea.* Verbum דבק alibi, nempe Genes. 2. 24. LXX interpretantur per προσκολλᾶσθαι, quod proprie est *agglutinari.*

4. *Accipe mihi puellam hanc in uxorem.*] Hinc apparet Jacobum per aliquot annos istic mansisse, quum Dina quamprimum istuc venit, non ultra septem annos nata esset, ut notat Aben Ezra ad cap. 33. ver. ult. Atque idem etiam notat Mercerus, qui propterea putat haud verisimile esse, Dinam mox ut istuc venit, raptam fuisse, aut Sichem in minorem annis duodecim insaniisse.

13. *Et responderunt filii Jacobi, &c.* במרמה *dolose.*] Onkelos, בחכמתא. Jonathan, בחוכמא, i. e. *prudenter.* Sic & R. Salom. qui ex istis verbis, *quia vitiaverat Dinam sororem ipsorum*, probari putat non fuisse *fraudem*, sed *prudentiam.* At Scriptura diserte vocat מרמה, *dolum* vel *fraudem.* Lyra dicit dictionem Hebraicam esse æquivocam, & accipi aliquando pro *dolo*, aliquando autem pro *cautela bona.* At *Mirma*, nunquam (quod sciam) nisi in malum usurpatur; nec certe hoc in loco aliter accipi potest, cum filios Jacobi dolose se gessisse sit manifestum. Burgensis fatetur dictionem Hebræam (quæ apud Burgensem in nonnullis libris mendose scribitur *myrine* pro *myrma*, vel *mirma*) nunquam significare *prudentiam* vel *cautelam*, sed *fraudem* duntaxat & *dolum*; asserit tamen sustineri posse eorum opinionem, qui dicunt filios Iacobi hic dolose non egisse; *dolum* enim quandoque improprie pro *bona cautela* usurpari. Ad hoc confirmandum citat illud 2 Corinth. 12. *dolo vos cepi*; at quam perperam locus iste intelligatur, supra ostendi ad cap. 27. 35. Addit Burgensis, quia Sichimitæ nullam petierunt veniam de tanta injuria Iacobo filiisque ejus illata, ideo eos pacem non concessisse, sed solum dixisse, se posse cum eis fœdere jungi, si circumciderentur; non autem promisisse se ea conditione cum eis fœdere junctum iri. At contrarium ex vers. 15. & 16. tam evidens est, quam quod maxime. Denique asserit, Iacobum non redarguisse Simeonem & Levi de dolositate & injustitia, sed eo tantum nomine quod ipsum cum familia sua periculo exposuerunt, cum præ incolis terræ istius pauci fuerint, ver. 30. Inde colligit, si Iacobi familia adeo fuisset numerosa ut adversariis resistere potuisset, Iacobum filiorum suorum facta approbaturum fuisse. At quam longe à vero hoc sit alienum, luculenter patet ex cap. 49. 5, 6, 7.

16. *Et dabimus filias nostras, &c.*] Argutatur hic R. Sal. ac notat ex pacto Hamoris cum Iacobo filiisque ejus ver. 9. atque ex responsione filiorum Iacobi hoc versu, constare, Iacobi filiis fuisse concessum, ut Sichemitis quas vellent in uxores darent, ex ipsorum autem filiabus pro libitu sibi eligerent. Illic enim dicitur, *Date filias vestras nobis, & accipite filias nostras vobis*; ita Iacobi filios allocutus est Hamor. Similiter hic Iacobi filii dicunt, *Dabimus filias nostras*, scil. לפי רצוננו, id est, *ex arbitrio nostro, prout nobis visum fuerit*; *Et filias vestras accipiemus*

(a) *Vide ad ver. 31.*

piemus nobis, scil. בכל אשר נחפוץ, i.e. *Inter omnes quas nobis libitum fuerit eligere.* Ubi vero Hamor & Sichem filius ejus cum civibus suis colloquuntur, observat eos verbis in contrarium versis uti, *filias eorum accipiemus nobis*, *& filias nostras dabimus eis*, ver. 21. (quasi nimirum ex ipsorum arbitrio res gerenda esset) uti ita eos ad circumcisionem acceptandam facilius perducerent. In eum certe finem sermonem suum verbis ad id quam fieri potuit maxime accommodatis instituerunt, ut liquet ex ver. 23.

17. *Auferemus filiam nostram.*] At Dina eorum soror erat. Ita est, eam tamen hic filiam appellant, tum (ut notat Aben Ezra) quod juvencula esset, tum quod etiam nomine patris sui loquerentur.

29. וְאֶת־כָּל־חֵילָם וְאֶת־כָּל־טַפָּם *Et omnem substantiam eorum, & omnes parvulos eorum.*] Ad verb. *Et omnem parvulum eorum.* LXX hic nimium ab Hebræo vagantur, καὶ πάντα τὰ σώματα αὐτῶν, καὶ πᾶσαν τὴν ἀποσκευὴν αὐτῶν, *Et omnia corpora eorum, & omnem supellectilem eorum.*

30. *Et dixit Jacob Simeoni & Levi.*] Vulg. Quibus perpetratis audacter dixit ad Simeon & Levi. At ista, Quibus perpetratis audacter, sunt addititia, ut etiam à Lyra notatum est.

ואני מתי מספר *Et ego (cum habeam) paucos.*] Ad verb. *viros numeri.* Onkelos & Ionathan, ואנא עם דמנין, *Et ego (cum sim) populus numeri*, vel (ut vertit Fagius) *populus qui numerari possit.* Est autem periphrasis paucitatis; Nam ut notat Aben Ezra, דבר שיספר הוא מעט, i.e. *Ea quæ numerari possunt exiguo sunt numero. Pauperis est numerare pecus.* Deuteron. 33.6. ויהי מתיו מספר, i.e. *Et (non) sint viri ejus numerus*, i.e. *numerabiles, pauci.* Isai. 10.19. מספר יהיו, *numerus erunt*, hoc est, ut exponit Kimchi, מעטים *pauci.* Hieron. *præ paucitate numerabuntur.*

31. *Num tanquam cum scorto ageret cum sorore nostra?*] Onkelos, הכנפקת ברא, Num tanquam cum egrediente foras, &c. Vide ad ver. 1. Targum Ionathæ sic habet, Non oportet dici in congregatione Israelis, *Præputiati polluerunt virginem*, & cultores imaginum vitiarunt filiam Iacobi; sed sic dici oportet, *Præputiati interfecti sunt propter virginem*, & cultores imaginum propter filiam Iacobi: Nec irridebit nos Sichem filius Hamor propter circumcisionem suam; at quasi mulierem meretriciam, evagantem foras, quæ vindicem non habet, reddidisset sororem nostram, *nisi hoc facinus* perpetrassemus.

CAP. XXXV.

MUNSTERUS.

2. ET *mundamini*] Ex hoc loco colligunt Judæi, quod accessuri ad orationem debent habere corpus mundum atque vestimenta pura. Sed hæc magis signa sunt & esse debent interioris puritatis.

7. *Revelatus fuit*] In Hebræo habetur, *quoniam ibi revelati sunt ei Dii.* quem locum Onkelos sic interpretatur, *ibi revelati sunt ei angeli Domini.*

8. *Subter Beth El*] h. e. in pede montis super quem Beth El sita erat. illic, inquam, sepulta fuit Debora nutrix Rebeccæ. Sed cur Scriptura hic commemorat mortem Deboræ? Ad hoc respondent Hebræi in hunc modum, *Cum Rebecca mitteret Iacob in Mesopotamiam, dicebat illi, Ego mittam & assumam te hinc. Misit autem post multa annorum curricula Deboram nutricem suam, ut inde vocaret Jacob ad parentes suos. Cumque ille rediret, mortua est Debora in itinere.*

16. *Stadium terræ*] Dictionem Hebræam quæ hic scribitur, nempe כברת, quidam putant esse simplicem & incompositam, ut sit idem quod רבר מהלך, *multum itineris.* Alii vero asserunt eam componi ex Caph & ברה, ut sit certa quædam terræ mensura quæ ab initio diei usque ad prandium confici possit. Nam est ברה Hebræis *prandium.* Sic Kimhi hunc locum explicat. Sapiens Abraham putat ברת esse מדת מהלך, *mensuram itineris.* Nescio quid interpreti nostro in mentem venerit. ut hic pro כברת verterit, *verno tempore*, nisi legerit כבאר pro כברת, Pe pro Beth. Et quod sequitur, *Ben Oni*, Hebræi hic exponunt אן pro אבל, *luctu.*

26. *Qui nati sunt*] Hebraice, ילד, *qui natus est ei*, h. e. ut Kimhi exponit, *quorum quisque natus est ei*, &c. Et quod sequitur, *In Mamre*] intelligendum est de מישור, i. *planitie, Mamre*, illius viri cujus mentionem Scriptura supra fecit. In hac planitie seu regione sita erat civitas Kiriath-Arba, in qua habitabat Isaac cum Jacob reverteretur ex Mesopotamia. Antea vero, cum Jacob fugeret fratrem suum, habitabat Isaac pater suus in Beersaba; sicut dicitur supra cap. 28. Unde habuit circiter CXX milliaria Germanica usque ad Charras Mesopotamiæ. Fuitque iter ejus à Beersaba per Lachis ad Luzam seu Bethel, relicta Hierosolyma ad dexteram; à Luza versus mare Galilææ, ubi trajecto Jordane venit recta in Bataniam; ex Batania in Palmyrenam, quæ Euphratem attingit; trajectoque Euphrate ingressus est Mesopotamiam, in qua sunt Charræ, quas Hebraismus vocat *Haran.*

28. *Centum anni*] Dicit R. S. *Patet ex collatione Scripturæ quod Iacob in obitu patris sui fuit centum & viginti annorum, & Ioseph viginti novem annorum. Nam cum pergeret in Mesopotamiam, fuit unius & nonaginta annorum; & anni quibus servivit pro uxoribus fuerunt quatuordecim, qui prioribus adjecti efficiunt centum & quinque annos; & in fine decimiquarti anni suæ servitutis natus est ei Ioseph; qui post decem & septem annos venditus fuit in Ægyptum.*

FAGIUS.

11. EGo sum Deus omnipotens, &c.] Vult dicere, Nihil est difficile apud me. crede me omnia posse: benedictione mea efficietur ut crescas & multipliceris.

16. *Quasi stadium terræ*, &c.] Vox Hebræa כברה, & Chaldaica כרוב, non *tempus vernale*, ut author Latinæ Vulgatæ Editionis intellexit, sed *certam terræ mensuram & spacium* significat, i. *milliare*, sive *stadium.* Et, ut R. D. K. in Rad. scribit, *tantum itineris significat quantum à mane ad tempus prandii confici potest.* Vox composita ex Caph litera servili adverbii similitudinis notam constituente, & ברה, *prandium.* Vide, si plura de hac voce scire cupis, meam Collationem.

IDEM.

16. ויהי עוד כברת הארץ לבוא אפרתה *Fuit adhuc quasi stadium terræ ad locum Ephratha.*] Variant Interpretes in reddenda voce Hebraica כברת, quam quidam Hebræorum pro רבר מהלך, i. *multo ac spatioso itinere* exponunt, deducentes à כביר, quod *multum & magnum* significat; q. d. multum itineris, sive spatii, adhuc erat ad Ephratam. Alii, ut meminit etiam R. Salomo, pro tempore quo terra in morem cribri scissa atque excavata apparet, accipiunt: quod fere fit post hiemen gliscente vere. Atque hi derivant à כברה, quod *cribrum* significat, quod videlicet tum terra ob multiplices rimulas, scissuras & cavernas cribri formam habere videatur. Et hanc lectionem sequitur Lat. Vulg. editio, quæ habet, *verno tempore.* Alii, ut Aben Ezra & R. Salomo, pro מדת מהלך, i. *certa mensura & spatio itineris* interpretantur, h. e. pro miliari. Quibus accedit & R. D. Kimhi, qui כברת dicit *esse iter quod à mane usque ad prandii tempus confici potest*, ut Caph sit adverbii Similitudinis nota, reliquum deductum à ברה, quod *prandium* significat. Sic enim scribit in libro Radicum, הכף כף הדמיון ואינה שרשית ופירוש שיעור מהלך ארץ כן הבקר עד עת האכילה כי כן משערין הולכי הדרכים *Caph quod præservit dictioni כברת non est radicale sed servile, constituens similitudinem adverbium, & ברת spatium terræ significat quod eundo confici potest à mane usque ad tempus prandii. Sic enim viam dimetiri solent qui iter faciunt.* Et rursum in alio loco dicit, פירש כו מיל כי אומרים שכן מהלך מקבורת רחל לאפרת *interpretantur pro miliari: dicunt enim tantum itineris esse à sepulcro Rachelis usque ad Ephratam.* Hæc ille. LXX. velut ignorantes quid hæc vox significet, & tanquam alicujus loci nomen esset, intactam reliquerunt, quod sæpe fit & in aliis locis, quæ res mihi fidem facit non esse Septuaginta versionem quæ illorum nomine circumfertur. Qui enim fieri potuisset ut tam periti Hebraicæ linguæ viri, ut de eis opinio est, ita impingerent in linguam sanctam.

VATABLUS.

1. SUrge, ascende קום עלה] i. Cito ascende, sive Cito recipe te in Beth-el.

2. *In medio vestri* בתוככם] *inter vos.* ¶ *Ac mutate*, &c. והחליפו וגו] i. abjectis vestibus sordidis accipite mundas.

3. *Qui exaudivit*, &c. וגו העונה] *qui exaudire solet me tempore quo affligor.* ¶ *Et fuit mecum* ויהי עמדי] Chald. Paraph. *& adjuvit me.* ¶ *In via qua ambulavi.* בדרך אשר הלכתי] in ea peregrinatione quam susceperam.

4. *Qui erant in manu sua*, אשר בידם] Hebraismus, *quos habebant.* ¶ *Quæ erant in auribus ipsorum*, אשר באזניהם] i. depende-

pendebant ex auribus ipsorum. Insignia certe erant alicujus superstitionis.

5. *Fuitque terror Dei super urbes* ; [ויהי חתת אלהים על הערים] Hebraismus, *Terror immissus à Deo invasit habitatores civitatum circumvicinarum.* h. e. terruit eos Deus. ❡ *Et non persecuti sunt &c.* [ולא רדפו] Ad verb. *Et non persecuti sunt post filios Jaacob* i. atque ita factum est ut non insequerentur filios Jaacob dum discederent.

6. *Hæc est Beth-el* [הוא בית־אל] i. ea est quæ postea vocata fuit Beth-el.

7. *Vocavitque* [ויקרא] *vocaverat autem.* prius scilicet. ❡ *Apparuerat ei Deus* [נגלו אליו האלהים] *apparuerant ei Angeli.*

8. *Et mortua est* [ותמת] sub. *eo tempore.* quod ipsa conjunctio ו etiam indicat. ❡ *Quercus fletus*] propter planctum scilicet excitatum ob mortem ipsius Deboræ.

10. *Non vocabitur* [לא יקרא] Quidam subaudiunt *tantummodo*, sic, *Non tantum vocaberis posthac Jaacob, sed etiam Israel.*

11. *Deus omnipotens,* &c. [אל שדי וגו׳] q. d. Nihil est difficile apud me. mea benedictione efficietur ut crescas ac multiplicêris, sisque pater multarum gentium & Regum multorum.

14. *Erexit autem Jaacob titulum* [ויצב יעקב מצבה] *Erexerat autem* [*Jam vero statuerat*] *Jaacob statuam. metam.* ❡ *Et libavit* [ויסך] *& libaverat.* i. oleo & vino eum diligenter laverat. ❡ *Et fudit* [ויצק] *& effuderat*, consecrando scilicet eum Deo qui apparuerat ipsi. Quidam dicunt Jaacob duas erexisse statuas; Alii, unicam.

15. *Et vocavit* [ויקרא] *Et vocaverat*, dum scilicet iret in Mesopotamiam.

16. *Ferme milliare* [כברת] Ita quidam Hebræorum exponunt ut versum est. Doctus inter Hebræos dicit כ esse similitudinis, & deducit hanc vocem à ברה, scribitque mensuram esse ambulantium terram à mane usque ad tempus cibi, puta prandii. Unde quidam vertunt, *& erat adhuc quasi pastus terra ad veniendum in Ephrath.* i. supererat adhuc tantum itineris quantum confici potest ante unum pastum, ut pervenirent, &c. h. e. itinere alterius partis diei distabant ab Ephrath. ❡ *Et parturiit* [ותלד] i. quum parturire cœpit.

17. *Ne timeas, quia,* &c. [אל תיראי כי וגו׳] i. Bono esto animo, quia jam habes alterum filium.

18. *Egrediente anima ejus* [בצאת נפשה] *quum exitura esset anima ejus* i. quum illa exspiraret. ❡ *Ben-oni* [בן אוני] Chald. paraph. exponit, *Filius doloris mei.* Alii, *Filius calamitatis meæ.* Alii, *filius luctus mei.* ❡ *Binjamin,* [בנימין] Significat *filium dexteræ*, h. e. dilectum & charum, honoratior enim est (ait doctus inter Hebræos) dextera manus sinistra, & charior, quaque uti solemus in apprehendendis iis rebus sive hominibus qui chari nobis sunt. Præterquam quod ii chariores esse solent patribus filii qui postremi nascuntur.

20. *Et statuit.* &c. [ויצב וגו׳] *Et erexit Jaacob metam.* quæ esset tanquam monimentum & memoriale mortis Rachel, sive potius quæ omnibus seculis testis esset secundæ vitæ, & Dei providentia superstes duravit hæc admonitio donec ex Ægypto reversus est populus. ❡ *Usque ad diem hunc* : [עד היום] *usque ad hoc tempus* i. quæ hodie quoque ita dicitur.

22. *Concubina* [פילגש] Hæc vox significat ancillam viro junctam absque contractu & sponsalibus. Tamen in Sacris literis erat vera uxor, ut de Cetura legimus, quæ *uxor* appellatur, Gen. 25. 1. *Abraham duxit uxorem, nomine Ceturam.* Eadem 1 Par. 1. 32. dicitur *concubina*, *Filii autem Cetura concubina Abraham.* Judic. 9. 1. *Quidam vir Levites habitans in lateribus montis accepit sibi uxorem concubinam de Beth-lehem-Juda.* Paulo post, v. 5. *Dixit pater puellæ ad generum suum.* hic *generum* vocat eum qui concubinam illam acceperat. ❡ *Quod audivit Israel* [וישמע ישראל] Quæ postea acciderint subticuit Moses.

27. *Hæc est Hebron* [היא חברון] i. & postea dicta fuit ea urbs Hebron.

29. *Et obiit* [ויגוע] *Et exspiravit* vel *defecit.* sub. *morbo levi.* Vide supra c. 25. 8. ❡ *Et collectus est,* &c. [ויאסף וגו׳] *& appositus est populis suis.* i. sepultus est cum majoribus suis: h. e. mortuus est ut cæteri. ❡ *Et satur dierum* : [ושבע ימים] Vide supra c. 25. 8.

CLARIUS.

2. *Et mundamini*] Ex hoc loco colligunt Judæi, quod accessuri ad orationem debent habere corpus mundum atque vestimenta pura.

7. *Ibi enim apparuit ei Deus*] Heb. *Quoniam ibi revelati sunt ei Dii.* Intelliguntque Angelos Domini.

8. *Mortua est Debora*] Cur Scriptura hic commemorat mortem Deboræ? Respondent Hebræi, Cum Rebecca mitteret Jacob in Mesopotamiam, dicebat illi, *Ego mittam, & assumam te inde.* Misit autem post multa annorum curricula Deboram nutricem suam, ut inde vocaret Jacob ad parentes suos: Cumque ille rediret, mortua est Debora in itinere. ❡ *Ad radices Bethel*] h. e. ad radices montis super quem Bethel sita erat.

9. *Postquam reversus est*] Alii sic verterunt hunc locum. *Et apparuit Deus iterum Iacob, cum rediret de Mesopotamia, benedixitque,* &c. Ut videatur repetitio rerum prius dictarum.

10. *Israel nomen tuum*] *Dudum nequaquam ei nomen ab Angelo imponitur*, ait Hieron. *sed quod à Deo sit imponendum prædicatur, quod igitur ibi futurum promittitur, hic docetur expletum.*

28. *Centum octoginta annorum*] Quidam Hebræi dicunt, ex collatione Scripturæ patere, quod Jacob in obitu patris sui fuerit CXX. annorum, & Joseph XXIX. annorum. Nam cum pergeret in Mesopotamiam, fuit XCI. annorum. Et anni quibus servivit pro uxoribus fuerunt XIV. qui prioribus adjecti efficiunt CV. annos. Et in fine XIV. anni suæ servitutis natus est ei Ioseph, qui post XVII. annos venditus fuit in Ægyptum.

DRUSIUS.

16. [כברת הארץ] Quot interpretes, tot sunt de hoc loco sententiæ. Omnes recensere longum esset. Id feci in magnis Annotationibus, & fecere alii ante me; sed & post me. Quod si aliis licuit symbolam conferre, licebit & mihi meam. Quis prohibuit? Igitur ברה significat *cibum*, *victum*, qui à Græcis βορὰ dicitur, unde regimen ברת, & præmissa particula similitudinis כברת, quasi tu dicas, *circiter diætam terræ.* Sed quid diæta terræ? Tantum spatium quantum homo conficit inter refectionem. Refectionem voco, quando cibum sumit, neque se reficit. Qui aliquo iter facit, non potest jejunus semper esse. Cibus illi sumendus est semel aut bis in die, vel etiam sæpius. Id per intervalla facit. Hoc intervallum hic ברת vocatur, quod nos *diætam* reddidimus, ut exempli caussa spatium illud quod viator conficit a mane ad jentaculum, & à jentaculo ad prandium, & à prandio ad cœnam. Sed *diæta* vox ita nusquam sumitur. Fateor; neque nos ea usi fuissemus, si commodior occurrisset. Firmantur hæc autoritate ejus qui audit vulgo doctissimus Ebræorum. Is in libro ubi vocum sensa explicat, de hac re ita scribit, *Chaph est Chaph similitudinis, & non est litera thematis sive radicalis. Significat autem mensuram itineris terræ a mane usque ad tempus quo cibus sumitur. Nam sic mensurant spatia viarum illi qui vocantur* [הולכי דרכים], *i. viatores. Saadias quoque ait Chaph esse notam similitudinis, sed interpretatur* ברה *dicens significare* מיל, *i. milliare, sine teste, sine exemplo, quod ipse dicit sine socio.* Similiter sine teste aut exemplo interpretantur quidam *buccea terræ, i. pauxillum terræ.* Nam buccea פת dicitur, non ברה. Vide nunc, si otium, Annotationes meas majores, & Nicolaum Fullerum Anglum l. 2. c. 15. Miscellaneorum Theolog. Quem librum ad me dono misit his diebus juvenis linguarum Orientalium & veræ Theologiæ studiosus Constantinus L'empereur nobilis Germanus.

18. *Benjamin*] Qui processit ætate dicitur *processisse in diebus*, unde בא בימים de sene admodum provectæ ætatis. Huc respexit Abenezra cum [בנימין] interpretatur ut *filium dierum*, ac si esset בנימים cum Mem in fine. Sic etiam Hiscuni sive Halcuni. Solet autem Nun aliquando poni pro Mem ex dialecto Syriaca. Grammatici numerant decem loca hujusmodi. Si ergo מלכין in Ebraismo sunt *reges*, & חטין *frumenta*, & חיים *vita*, & איין *insulæ*, & צידנין *Sidonii*, cur non etiam ימין posset significare *dies*? præsertim cum nomen id sit ab eo qui *Syrus* vocatur Deut. 26. 5. qui recens è Syria venerat, & in ea tot annos commoratus fuerat. Non plane igitur errant, ut Hieron. existimat, qui putant *Benjamin, filium dierum*, interpretari. Sed quid *filius dierum*? Jam diximus senem admodum esse de quo dicitur, *Processit in diebus.* Ergo *filius dierum*, quia in senectute natus. Nam pater senex admodum erat cum illum gigneret. Quocirca vocatur *natus*, aut *puer, senectutis*, Gen. 44. 20. quemadmodum etiam Joseph, qui eo senior erat, dicitur *filius senectutis* Gen. 37. 3. Hæc cum dico, non tamen damno Vulg. interpretationem, *filius dexteræ.* Id enarrant, *filius roboris.* Nam per *dexteram* robur significatur. Alii explicant, *tam carus quam dextera*; alii, *filius Austri.* Nam qui Orientem respicit,

ſpicit, Meridies ſive Auſter ei ad dexteram: Unde pro *Auſtro* uſurpatur. Quod notum doctis. Ut ut ſit, natus fuit in Chananæa, quæ reſpectu Meſopotamiæ, ubi cæteri ejus filii editi fuerunt, Auſtralis eſt. Sed hoc Moſes Gerundenſis negat, & cauſſam habet. Nam ſi Meſopotameni, inquit, ſunt filii Orientis reſpectu terræ Chanaan, ergo Chananæa in Occidente non in Auſtro reſpectu illius regionis. Fortean ſita erat in Euroauſtro, & ex parte Auſtrum ex parte Orientem reſpiciebat. Sic Babylonii *filii Orientis* vocantur, licet regio illa Septentrioni deputetur. unde illud, *Ex Aquilone omne malum.*

IDEM.

4. אֵלָה A. Sym. Th. τ̃ δρῦν, *quercum*. Vide Fragm. Iſa. 1. 30.

12. נתתי Schol. ὤμοσα, *juravi*] Ad verb. *dedi*, i. daturum me juravi.

16. כִּבְרַת־הָאָרֶץ A. καθ' ὁδὸν τ̃ γῆς] Hieron. *Aquila autem ita tranſtulit*, [*Et factum eſt* καθ' ὁδὸν τ̃ γῆς, *i. in itinere terræ, introiens in Ephratha*] *Sed melius eſt, ſi transferatur, in electo terræ tempore, cum introiret Ephratha. Porro vernum tempus ſignificat, cum in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum eſt, vel cum tranſeuntes per viam carpunt & eligunt e vicinis agris quodcunque ad manus venit, diverſis floribus invitatis.* Vide Euſebium De locis, in CHABRATHA, pag. 502. R Salomo Abenmelech, כברת *radicem habet* בבר. *R. autem Saadias putat Chaph eſſe notam ſimilitudinis, ut thema ſit* ברה. *Idem exponit, Circiter milliare: & hoc rectum eſt. Quanquam non ſit milliare præcisè, ſed minus quid quam ſit milliare, teſtimonio claro & evidenti. Quocirca ſuperfluum eſt quod R. D. adfert de hac voce in radice* ברה.

18. בִּנְיָמִין Sym. *filius dexteræ*] Sumpſi ex Procopio. ימין *dextera*. Sed cur *filius dexteræ*? An quia charus patri & honoratus? nam dextera charior ſiniſtra, etiam honoratior. Aut quia natus in terra Chanaan, quæ Auſtralis eſt reſpectu Meſopotamiæ? Notum ut Auſter ימין *dextera* vocetur. Abenmelech, *Dicit, Filius dexteræ, quoniam dextera honoratior & charior hominis ſiniſtra. Minimus autem natu filiorum charus eſt homini magis quam alii. Ideo vocat eum Filium dexteræ, ac ſi diceret, Filius dextræ meæ, dilectus mihi & honoratus mihi, quia natus in ſenectute. Sic alibi*, Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ. *Senſus eſt, Charum & dilectum tibi.*

19. אֶפְרָתָה הִוא בֵּית לָחֶם V. editio, *Ephratha; ipſa eſt domus panis*] i. *Beth-lehem*. Ambroſius, epiſt. 18. *Quinta editio*, [*Ephratha: ipſa eſt domus panis*] *Hoc præteritum eſt in aliorum traditionibus.* puto leg. *traductionibus*, & inclino ut credam hanc notationem pertinere ad verſ. 16. ſed tamen nihil adfirmo. Lxx. hoc loco habent, ἐν τῇ ὁδῷ τ̃ ἱπποδρόμου Ἐφραθά, αὕτη ἐςὶ Βηθλεέμ. ubi duæ interpretationes coaluiſſe videntur. Huic opinioni firmandæ eſt Hieron. ita ſcribens, *Ubi in Ebræo dicitur*, [*& ſepelierunt eam in via Ephratha, hæc eſt Bethlehem*] *rurſus LXX pro Ephratha poſuerunt Hippodromum.* Idem Mich. 4. *Rachel in via erat, & in hippodromo, i. equorum curſu.*

27. קִרְיַת] Hieron. *In civitatem Arbee.* Antea legebatur in Lxx, εἰς πόλιν τ̃ πεδίου, *in civitatem campi.* Id bene correxit Hieronymus. Credo etiam alios idem feciſſe. Nam *Arbe* non ſignificat πεδίον. Nec urbs illa ſita erat in campo, ſed in monte. Diſerte Hieron. *Pro Arbee in* Lxx *Campum habet. Cum Chebron in monte ſita ſit. Eadem autem civitas dicitur & Mamre, ab amico Abrahæ ita antiquitus appellata. Arbe*, ut diximus, nomen proprium eſt viri. Ergo *civitas Arbe*, vel quod in ea habitaret, ut *civitas Nachor*; vel quod ibi natus eſſet, ut πόλις Δαυίδ, *civitas David*; vel certè quod ei imperitaret cum tribus filiis ſuis. Sciendum autem in textu Ebræo hic legi הארבע cum articulo ה, qui ante nomina propria poni non ſolet niſi cum appellative ſumuntur, ut האדם ὁ ἄνθρωπος, i. Adam. Abenmelech, *Venit cum articulo He, licet nomen ſit proprium viri, quia ſimilitudinem habet nominis appellativi. Nam vocatus fuit ita quoniam ipſe & filii ejus erant quatuor.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et dixit Deus Iacobo, Surge, aſcende in Bethel, & habita ibi: & fac ibi altare Deo, qui viſus fuit tibi cum fugeres à facie Eſau fratris tui.*

Et dixit] Poſtea dixit. Hiero. *Interea dixit.* Lxx. εἶπε δὲ, dixit autem. ¶ *Habita ibi*] vel, *mane ibi*, aut *morare ibi.* Verbum è verbo, *ſede ibi.* ¶ *Deo*] i. mihi. Talia ſunt, *Dixit* DOMINUS, *Aſcende ad* DOMINUM: *dixit Moſes Socero Moſis:* & ſi quæ alia à me notata ſunt. ¶ *Viſus fuit*] apparuit, ὤφθη. ¶ *A facie*] à conſpectu. Hiero. *cum fugiebas Eſau fratrem tuum.* Trem. *cum fugeres metu Eſau fratris tui.* Alius, *propter Eſau fratrem tuum.* In hac fuga Jacob votum fecerat Deo, quod quia cunctatus eſt perſolvere, ideo eum punitum fuiſſe raptu filiæ putat R. Sal. Quod neſcio an ſit admittendum. Non temere in judicia Dei penetrare debemus.

2. *Dixitque Iacob domui ſuæ, & omnibus qui ſecum erant, Amovete Deos alienos qui ſunt inter vos, & mundamini, & mutate veſtes veſtras.*

3. *Poſtea ſurgamus & aſcendamus in Bethel, ut faciam ibi altare Deo qui exaudivit me in die anguſtiæ meæ, fuitque mecum in via qua ivi.*

Domui ſuæ] uxoribus & liberis ſuis: *& omnibus qui ſecum erant.* i. reliquæ familiæ. Aut *domui ſuæ.* i. domeſticis ſuis: *& omnibus qui ſecum erant*, quos vel ex Syria interamni adduxerat, vel veri Dei notitia imbuerat, vel denique ex Clade Sichemenſi ſecum retinuerat. ¶ *Amovete*] removete, auferte, tollite è medio. Ebraice הסירו. Hieron. *abjicite* עלהון. Lxx. ἄρατε. ww tollite. Jonathan אעדו cujus Thema עדי receſſit. Quod fugit, non effugit. *Domus ſuæ.* i. liberis ſuis. Supra de Sichem, *honoratior erat tota domo patris ſui.* i. reliquis liberis. Sic nonnulli enarrant: *Domeſticis ſuis.* אנש ביתו. Sic Onk. & Jonath. ¶ *Deos alienos*] τοὺς θεοὺς τοὺς ἀλλοτρίους. נכר propriè ἀλλοτριότης. i. alienitas, ſi ſic loqui liceret. Nam alienatio aliud eſt. Ei reſpondet apud Græcos ἀλλοτρίωσις. Ergo אלהי נכר θεοὶ ἀλλοτριότητος, & eſt purus putus Ebraiſmus, quem Hiero. & Lxx. bene reddunt. Sic בני נכר υἱοὶ ἀλλοτριότητος. i. ἀλλότριοι. Et in ſingulari אל נכר θεὸς ἀλλοτριότητος. בן נכר υἱὸς ἀλλοτριότητος. i. ἀλλότριος. Minus probo quod in editionibus nuperis, *Deus alieni.* ſub. populi. Nam alienus i. ἀλλότριος, potius נכרי dicitur. Sed unde in familia Jacobi Dii alieni, ſive, quod idem, externi? An ex Meſopotamia uſque? Videtur. Nam Rachelem furatam fuiſſe Deos patris ſui notius eſt quam ut probari debeat. Fieri etiam poteſt ut ex præda urbis Sichem Dii aliqui apud ipſos fuerint. Onk. & Jonath. hic legunt, *idola gentium.* ¶ *Inter vos*] בתוככם in medio veſtrum, vel, *in medio veſtri.* Lxx. τοὺς μεθ' ὑμῶν, *qui ſunt vobiſcum.* i. apud vos: & addunt ἐκ μέσου ὑμῶν, è medio veſtri, quod ad verbum ἄρατε pertinet. Onk. די בינכון qui ſunt inter vos. Jonathan, *qui ſunt inter vos, quos adduxiſtis è domo idolorum.* i. *idolis Sichem.* ¶ *Mundamini*] Vel à cæde, vel à ſordibus idololatriæ. Hoc R. Sal. illud Jonath. ſecutus eſt. Verba ejus ſunt, *mundate vos à pollutionibus occiſorum quibus appropinquaſtis.* Mundabant autem ſe, teſte Aben. corpus lavando, quo ritu ſignificabant internam animi munditiem, quæ ſanctos decet. ¶ *Mutate veſtes veſtras*] immundas cum mundis permutate. Nam qui minime mundus erat, ejus veſtes quoque immundæ cenſebantur. Quocirca qui polluti erant, cum ſe mundarent, etiam veſtes mutabant. Interdum eas lavabant. Sane quidem Moſes, acceſſurus ad Sinai montem, veſtes lavare jubet Exod. 19. 15. Quo reſpexit ille qui ſcripſit, Tibullus, *Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venito.* pura. i. non polluta. ¶ *Veſtes veſtras*] aut, *veſtimenta veſtra.* Lxx. τὰς ςολὰς ὑμῶν, quod reddunt, *ſtolas veſtras.* Lex. vet. *ſtola*, ἔνδυμα. Nam ςολὴ apud Græcos quodlibet veſtis genus ſignificat. Uſus eſt vocabulo Græco אסטלא Jonath. Gen. 9. 27. ubi codex Ebræus habet השמלה & Hier. *pallium*, & Lxx. τὸ ἱμάτιον, & Onkel. כסותא indumentum, tegumentum, veſtimentum. Quomodo & hic etiam Jonathan edidit. Abenezra, *Ex hoc loco diſcimus omnes Iſraelitas, quando precandi cauſſa ad locum certum eunt, teneri ad hoc ut ſit corpus mundum & veſtes puræ.* Atque hinc tam frequentes lotiones apud Judæos. ¶ *Surgamus & aſcendamus &c.*] vel, *ſurgemus & aſcendemus, & faciam ibi altare.* ¶ *Faciam*] extruam. ¶ *Deo*] לאל τῷ θεῷ. i. לאלהא, quod in editione Jonathæ ſcriptum לאלקא? He in Coph ſuperſtitioſe converſa. ¶ *Anguſtiæ*] vel, *adverſitatis.* Lxx. θλίψεως. Hiero. *tribulationis.* ¶ *Exaudivit me*] ad verb. *reſpondit mihi.* Onk. & Jon. *accepit preces meas.* ¶ *Fuit mecum in via &c.*] adfuit mihi eunti & redeunti.

4. *Itaque dederunt Iacobo omnes Deos alienos qui erant in manibus eorum, & inaures qui erant in auribus eorum: & abſcondit ea Iacob ſub quercu quæ juxta Sichem.*

Iacobo] אֶל יַעֲקֹב pro לְיַעֲקֹב i. τῷ Ἰακώβ. ¶ *Qui erant in manibus eorum*] quos ex præda urbis Sichem aut aliunde penes ſe habebant. Quid ſi, *qui fuerant in manibus eorum?* hoc eſt Sichemitarum. Mox ait, *qui in auribus eorum*, quod de Sichemitis dictum accipiunt: alii ad idola eorum referunt. ¶ *In manibus eorum*] penes ipſos. Sic R. Sal. *Amovete Deos alienos qui ſunt in manibus veſtris ex præda Sichem.* ¶ *Inaures*] τὰ ἐνώτια. Vox Ebræa נזמים ſig. etiam ἐνώτια. Chal-

Chaldaice קדשיא. ¶ *Qui erant in auribus eorum*] quas auribus appenderant ex præda idolorum factas. Ut ita exponamus, poscit ipsa res. Nam inaures per se non sunt illicitæ, quas Abrahami servus Rebeccæ dono dedit. Ceterum adeo abominabantur pii illi veteres idola, ut etiam res ex eorum materia factas eo nomine invisas haberent. Jonathan, *& inaures, quæ in auribus civium urbis Sichem, in quibus impressa erat figura & similitudo sculpta imaginis ejus.* Vel quæ destinatæ erant cultui externo. Sanè ex inauribus qui ab auribus dependebant vitulus factus fuit: item Ephod Gedeonis. Vide Gersomi F. ¶ *Abscondit ea sub quercu*] ubi neque seritur neque aratur. ¶ *Sub quercu*] תחת האלה sub illa quercu. אֵלָה quercus, vel certè species quercus. Forte esculus. Nam 1 Paralip. 10. 12. אֵלָה habetur (Lxx. ubi δρῦν & Hiero. *quercum* interpretantur) & 1 Sam. 31. 13. ubi eadem historia refertur, est אֶשֶׁל, quæ vox esculum significare creditur. Jam vero *quercum* reddunt Aquila & Theodot. 1 Sam. 17. 2. ubi in Sym. ἐν κοιλάδι αἰλὰ: & *robor* Trem. Hos. 4. 13. quæ est species arboris glandiferæ durissimæ. Sane אֵל robor denotat. i. ἰσχὺν καὶ δύναμιν. Inde אֵלָה arbor, quam *ilicem* alii, alii *terebinthum* esse malunt. In qua sententia videntur fuisse Græci, cum verterent ὑπὸ τὴν τερέβινθον τὴν ἐν σικίμοις. Quod secutus est deinde Hiero. transferens, *subter terebinthum.* Quin Onk. & Jon. habent בוטמא, quæ vox apud Arabes *Terebinthum* notat: unde in Glossis Arabicis, *botom* vel *botim* vel *batom terebinthus.* Quanquam in Fagio *sub quercu.* R. David in libro ubi vocum sensa collegit, אלה. Jonathan interpretatur בוטמא. Scribit autem R. Jona sic etiam vocari Arabice בטם. Idem scribit nonnullos dicere אלה ulmum esse, quæ vernacule אולמו vocatur. R. Sal. scribit esse speciem arboris sterilis. In nominibus de Genesi, *Ela, terebinthus.* Est autem אלה nomen viri Genes. 36. 41 *Terebinthum* etiam Santes interpretatur Hos. 4. 13. ¶ *Juxta Sichem*] i. apud vel prope urbem Sichem. Hoc Trem. elegit, illud Santes. Ebraice עם שכם *cum Sichem.* R. Sal. אצל שכם juxta Sichem. Jonathan דסמיכא לקרתא דשכם quæ contigua est urbi Sichem. Lxx. τὴν ἐν σικίμοις. Hiero. *post urbem Sichem.* i. אַחַר.

5. *Profecti autem sunt, & fuit terror Dei super civitates, quæ in circuitu eorum ita ut non sint persecuti filios Jacob.*

Terror Dei] i. à Deo immissus ac proinde maximus. Nam Dei nomen adhibetur ad auxesin. Exempla passim obvia sunt. Porro terror Ebraice חִתָּה dicitur ἅπαξ τὸ חִתַּת. Onkel. reddit, בְּהִלָא & R. Sal. פחד & Jonat. חֲרְגָא & Lxx. φόβος i. metus. ¶ *Super civitates*] Super incolas civitatum. Jonathan, *super populos qui in urbibus circum eos.* ¶ *Filios Jacob*] ad verb. *post filios Jacob.* Doctè Hiero. *Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.*

6. *Venit ergo Jacob Luzam, quæ in terra Chanaan (ea est Bethel) ipse & universus populus qui cum eo.*

7. *Et extruxit ibi altare, & vocavit locum illum Deus Bethel: nam ibi apparuerat ei Deus, cum fugeret ipse fratrem suum.*

Luzam] לוּזָה i. לְלוּז, ut recte Chaldæi explicant. Nam ה in fine nominum propriorum motum ad locum denotat. Aug. Quæst. 113. autor hanc urbem tria nomina habuisse Ulamauz, Bethel & Luza. Eadem scribit Procopius Gen. 12. nisi quod pro Ulamauz, in eo sit Namaus. Verba sunt, *Bethel prius dicta est Namaus:* & mox, *eadem urbs & Luza nominatur.* Sciendum ubi in Ebræo אולם לוז, ibi Græca exemplaria legere οὐλαμμαοὺς & τὸ πρότερον. Inde opinio illa de tertio nomine urbis, cum אולם non sit pars nominis proprii, sed particula indeclinabilis. Scivit hoc Hier. cum ita scriberet, *Ecce manifestissime comprobatur Bethel non Ulam Luz, ut supra dictum est; sed Luzam, id est, Amygdalam ante vocitatam.* Aliis Luz est nux avellana. לוז nux, ut לשכה & נשכה L. in N versa. ¶ *Quæ in terra Chanaan*] Tres Luzæ fuerunt. Una civitas Chananææ in tribu Benjamin, quæ & Bethel nuncupatur. Jos. 18. 13. Altera quæ cecidit in sortem filiorum Joseph juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos Jos. 16. 2. Tertia in terra Cethim, quam condidit ille, qui abierat de Bethel. Jud. 1. 26. Eusebius in libro locorum. ¶ *Deus Bethel*] supra 33. 20. *vocavit illud, Deus Dei Israel.* Vide quæ scripsimus ad illum locum. Jonathan, *Deus qui posuit divinitatem suam in Bethel.* Ebraice אל ביתאל quod alii reddunt, *El Bethel.* Nam est nomen proprium loci. Lxx. βαιθήλ. Omittunt nomen אֵל, ut etiam Hiero. qui vertit, *Domus Dei.* Nam בית domus, & אל Deus. Tremell. nove hunc locum interpretatur, & seorsum ab aliis, *extruxit ibi altare Deo forti, Deo Bethelis, unde vocaverat locum illum.* Nam ante ita vocaverat. Hæc trajectio nimis dura coactaque videtur. Quocirca non recedo à priore sententia. Ego certe non ausim ita vertere. ¶ *Fratrem suum*] à facie fratris sui.

8. *Et mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est infra Bethel sub quercu, cujus nomen vocavit Quercum fletus.*

Debora] vel Debbora, b geminata. דְּבוֹרָה Debbora, ut מָשִׁיחַ Messias. In veteribus Latinis est Debbora, culpa, ut suspicor, exscribentium. Nam manus aberrans L. pro D exscripsit, quod novum non est in his libris. Græca exemplaria variant. Nam in R. & C. Δεβόῤῥα, penultima brevi: & in B. Δεβώῤῥα, eadem longa. Vox Ebræa *apem* sonat. i. μέλισσαν. Ergo Debora, Melissa. Joseph. Orig. Lib. 5. Cap. 9. *Debbora Ebraica lingua sig. apem.* Idem affirmant Orig. Hom. 5. in Jud. & Philo in libro nominum. ¶ *Nutrix Rebeccæ*] ἡ τροφὸς Ῥεβέκκας. Nutrix Ebraice מינקת & Chaldaice ab Onk. vocatur מינקתא & in Thargo Jerosolym. פדגוגא & à Jonatha ורבותה quasi τὴν παιδαγωγὸν dicas. Sane in Thargum, quod ab urbe nomen habet, פדגוגא legitur pro eo quod in Ebræo est אומנת nutritius. Autor quoque Lexici quod vocatur Baal Aruch citat ex Genesi Magno פדגוגא אומן de quo alias. Elias Alemanice interpretatur Zucht-meister. i. morum magister. ¶ *Infra Bethel*] מתחת לבית אל de sub Bethel. Lxx. κατώτερον Βαιθήλ, magis infra Bethel. Hiero. *ad radices Bethel.* Nam in monte sita erat. R. Sal. *urbs hæc posita erat in monte, & sepulta fuit ad pedem montis.* ¶ *Sub quercu*] תחת האלון. Lxx. ὑπὸ τὴν βάλανον. Hic βάλανος est quercus. Quod fugit illum qui vertit, *subter glandem. error,* inquit, *non ferendus.* Hiero. *subter quercum.* Sic etiam autor Jerosolym. Nam בלוטה quercus, quæ Arabice בלוט dicitur: unde glans apud Hispanos hodieque belota vocatur. Jonathan quoque Hos. 4. 13. אַלּוֹן interpretatur בְּלוּט i. quercum. Hic interpretatur בשיפולי מישרא in locis humilioribus planitiei. Similiter & Onk. Fagius reddit, *in campestribus planitiei.* Putarim eos legisse אֵלוֹן pro אַלּוֹן. Quæ certe confundenda non erant. Nisi אֵלוֹן hoc in loco idem cum אַלּוֹן. R. Sal. *Planities Bethel vocatur Allon.* Vide præcedentia. ¶ *Quercum fletus*] vel, Allon Bachuth. Lxx. βάλανος πένθους, *quercum luctus.* Hiero. *Quercus fletus.* Onk. *Planities fletus.* i. אֵלוֹן ut dictum est. Jon. *Vocavit nomen ejus aliud, Fetus.* אַלּוֹן aliud. i. ἄλλον. Chaldaice אוחרן. R. Sal. *Allon, in lingua Græcorum aliud.* Thargum Jerosoly. בלוט בכותא i. quercum fletus.

9. *Apparuit autem Jacobo adhuc quum venisset ex Mesopotamia, & benedixit ei.*

10. *Et dixit ei, Nomen tuum Jacob, non vocabitur nomen tuum amplius Iacob, sed Israel erit nomen tuum, & vocavit nomen ejus Israel.*

11. *Et dixit ei Deus, Ego sum Deus omnipotens, Fœcundus esto & multiplicare: gens, imo congregatio gentium erit ex te, & reges ex lumbis tuis exibunt.*

12. *Terram autem quam dedi Abrahamo & Isahaco tibi dabo eam, & semini tuo post te dabo terram illam.*

Adhuc] ἔτι, denuo, iterum. ¶ *Venisset*] rediisset. ¶ *Non vocabitur nomen tuum &c.*] posthac non tantum Jacob vocaberis, sed etiam Israel. Ceterum ellipsin particulæ לְבַד agnoscunt hic Aben. & Hiscuni. ¶ *Vocavit nomen ejus Israel*] Nam jam tunc primum imponit ei hoc nomen, sed impositum antea ab angelo Gen. 32. 28. confirmat. ¶ *Fœcundus esto*] פְּרֵה fructum ede. Nam fructifica Latinum non est. Quidam, *fœtifica* i. fœtum ede. Notum est ut fructus ventris ponatur pro fœtu quem fœmina edit. *Fructum ergo ede & multiplicare.* i. multam sobolem procrea. ¶ *Ego sum Deus omnipotens*] qui quod volo facile præstare possum. Non est ergo quod dubites de hac mea benedictione. *Deus omnipotens.* i. אל שדי quod Onk. & Jon. ita relinquunt. Lxx. habent ὁ θεός σου, cum alias sæpe שדי reddant παντοκράτωρ, quod secutus fuit Hiero. ¶ *Gens, imo congregatio gentium*] גוי וקהל גוים. Lxx. ἔθνη καὶ συναγωγαὶ ἐθνῶν. Hiero. *Gentes, & populi nationum.* i. עמי לאמים. Onk. *populus & congregatio tribuum.* Certum est tribus aliquando גוים dici. i. gentes. Quod qui negat vel ex hoc loco convinci poterit. Jon. *populus sanctus & congregatio prophetarum ac sacerdotum.* ¶ *Ex te*] Idem, *ex filiis tuis quos genuisti.* ¶ *Reges ex lumbis tuis egredientur*] Onk. *Reges qui dominantur in gentes ex te exibunt.* Ion. *duo reges iterum ex te exibunt.* Quid sibi velit, nescio. An reges exibunt ex duobus filiis tuis Iuda & Ephraim? Nam Ieroboam ejusque posteri ex tribu Ephraim fuerunt. Aut potius *duo Reges.* i. Saul & Isboseth, qui fuerunt ex tribu Benjamin nondum nati. Ideo dicit *ex lumbis*, sive, ut alii reddiderunt, *ex renibus tuis.* R. Sal. tollit omnem dubitationem ita scribens, *Reges hi sunt Saul & Isboseth, qui fuerunt ex tribu Benjamin qui tunc nondum natus erat.* ¶ *Ex lumbis tuis*] idem cum illo, *ex te*: quod in Onk. & Ionath. Nam quod nonnulli hæc enarrant de Saule & Isboseth, parum solidum est. חֲלָצַיִם lumbi. Chaldaice חַרְצִין L. in R. mutata. Quidam, *in renibus tuis.* Sic editio Gallica,

de tes reins. Sane Ies. 5. 27. ubi alii *lumborum ejus*, Hiero. habet, *renum ejus.* Idem tamen aliter vertit Ier. 30.6. Ceterum lumbi communiter & usitate vocantur מתנים; renes autem כליות dicuntur. Utroque vocabulo sig. libido. Hiero. Mich. 2. *In lumbo coitus significatur, & omnia opera quæ ad commixtionem pertinent, renum appellatione monstrantur.* August. in libro de continentia, Cap VII. *Quid est lumbos accingere? libidines coercere quod est continentia.* Theodoretus Ierem. 11. in extremo, *Renes vocat cogitationes, eo quod concupiscendi vis in renibus sita frequenter incitat cogitationem.* Nicetas in Nazianzenum, *In lumbis renes sunt. i. retro lumbos ad spinam dorsi: circa renes autem pars concupiscibilis est &c. Idcirco à loco concupiscentiam lumborum nomine appellavit.* Alius, *per lumbos libido designatur. Sunt enim circa renes. Itaque Pius in Plautum Veneris sedem esse ait lumbos. Hinc in obscœno carmine, Quassabit tibi fluctuoso lumbo &c. Columbos quoque Albertus Magnus dictos putat quod colant lumbos, quia scilicet perarida ac torrentissima libidinis sunt.* Ut hic, *reges egredientur ex lumbis tuis*, ita 1 Reg. 8. 19. *filius tuus qui egredietur ex lumbis tuis.* Idem 2 Paral. 6. 9. & utrobique est חלצים in Ebræo, quod R. David in Radicibus, & Mardochæus in Concordantiis per מתנים interpretantur, quæ vox indubitate lumbos denotat. ¶ *Tibi dabo eam*] *eam* redundat in Latio. ¶ *Et semini tuo*] hoc est semini tuo. Nam Vau est ἐξηγητικόν. Et *tibi* non fratri tuo Esau, qui ab hac hæreditate penitus excludebatur.

13. *Post ascendit ab eo Deus in loco ubi locutus fuerat cum eo.*

14. *Et statuit Iacob statuam in loco illo ubi locutus fuerat, statuam lapideam, & libavit super eam libamen, & fudit super eam oleum.*

15. *Et vocavit Iacob nomen loci illius, ubi locutus fuerat cum eo Deus, Bethel.*

Ascendit ab eo Deus] Onk. *gloria Dei*: & Ion. *divinitas Dei.* i. symbolum præsentiæ ipsius. Nam certo indicio cognoscebant Deum sibi adesse. Id visionem appellabant. Cum autem ea visio disparebat, ascendere dicebatur, ut hic & supra 17. 22. Contra descendere dicitur, quum insigni aliquo facto se præsentem esse declarat, ut in confusione linguarum. Alio sensu legimus apud Prophetam, *redibo ad locum meum.* ¶ *Ab eo*] מעליו à super eum. i. à juxta eum. Nam super in hoc sermone valet, *juxta, prope*, ut apud Livium, *super Numicum amnem.* Deus autem prope Jacobum erat cum ei appareret. ¶ *In loco*] vel, *in eo ipso loco.* Ebraice במקום ἐν τῷ τόπῳ. Lxx. ἐν τῷ τόπῳ כמקום. Notum ut ב pro כן accipiatur. Sic in Euangelio, ἐν πάσῃς καρδίας σου: ubi codex Ebræus habet בכל לבבך in toto corde tuo. ¶ *Statuit statuam*] Lxx. ἔστησε στήλην. Hiero. *erexit titulum.* i. קים. Quod in Onk. & Ionath. Tremell. *Statuerat vero statuam.* Nam antea id fecerat. Vide supra 28. 22. Nunc id factum suum confirmat, & iterum quasi facit quod antea fecerat. ¶ *Statuam lapideam*] στήλην λιθίνην, titulum lapideum. ¶ *Libavit super eam libamen*] Lxx. ἔσπεισεν ἐπ' αὐτὴν σπονδήν. Hiero. *libans super eum libamina.* Tremell. *inspersitque eam liquore.* Jonath. *libans super eam libamen vini & olei, quod posthac facturi sunt in festo tabernaculorum.* Onk. *libavit super eam libamina.* i. נסכין. Mercerus, *fudit super eam libamen* ויצק. ¶ *Super eam*] statuam: vel, *super eum*, ut ad lapidem referatur, qui Ebraice אבן dicitur, genere fœminino. ¶ *Et fudit*] ויצק. Thema יצק fundo, effundo. Onk. & Jonath. ואריק. Lxx. ἐπέχεεν. Hiero. *effudit.* ¶ *Oleum*] *oleum olivæ.* Jonathan. Olei usus erat in personarum consecrationibus ex Dei mandato Exod. 29. 7. Eodem & res ipsas consecrabant. Vide quæ notavimus Gen. 28. ad vers. 18. R. Abraham cognomento Sophus, *Libavit*, inquit, *libamen aquæ aut vini: & est sensus quod laverit eum lapidem (aut eam statuam) & effuderit super eum oleum. Porro in Bethel complevit votum suum, & dedit decimas de opibus suis in honorem Dei: dedit, inquam, ei cui conveniebat illo ævo accipere eas.* Idem hæc præterita vertenda putat per plusquam perfecta, *statuerat, libaverat, fuderat*: & mox, *vocaverat Jacob.* ¶ *Et vocavit*] iterum vocavit, vel potius nomen pristinum confirmavit. ¶ *Bethel*] Βαιθήλ, quod Latine scribendum Baithel, non Bethel. Nam Ebraice esset בֵּית אֵל quod nunc scribunt בֵּית אֵל. Sic interpretes variant in Engaddi & Aingaddi. Sic Aramæi dicunt ביתיה & בַּיְתֵהּ domus ejus. Sic עֵינִי oculus meus. Contra fit in Ἱερουσαλήμ quod Ebræi scribunt ירושלים Jerusalaim. Vide Observat. meas.

16. *Dein profecti sunt ex Bethel, cumque adhuc abessent circiter jugerum terræ ab Ephratha, peperit Rachel, & periclitata est in partu suo.*

Cumque adhuc abessent &c.] Verbum è verbo, *& fuit adhuc circiter jugerum terræ ad veniendum Ephratham*, si modo כִּבְרַת est jugerum, de quo valde ambigo. Nam varie redditur. Lxx. εἰς χαβραθὰ כברתה. Hiero. *verno tempore ad terram quæ ducit Ephratha.* Quid secutus est cum ita verteret? Videtur legisse בברת per beth. Hoc primum: deinde ברת deduxit à ברה eligo; unde & ברית opinione quorundam. *In electo*, tempore anni sc. hoc est in vere, sive quod idem, verno tempore. Videas hac de re ipsum Hiero. qui supra citatus. Cujus tamen sententia ab omnibus explosa est. Nam non anni tempus, sed certum spatium terræ significat, quod On. כרוב ארעא appellat. Id alii interpretantur *stadium terræ*, alii *milliare.* Quomodo & Santes, *quasi milliare terræ.* Cui firmando est Moses Gerundensis, qui perlustravit ea loca, scribens sepulchrum Rachel distare à Bethlehem quæ & Ephratha, uno milliari. Quæ si vera sunt, quis dubitet כברת esse milliare. i. מִיל. Sic enim certe Rabbini appellant. Græci μίλιον dicunt, & μιλιάριον; unde miliarium & miliare, quod alii scribunt milliarium, cum duplici L. Thargum Jerosolym. ארעא כרוב אשון certum spatium terræ. Manahemus Ebræus, *spatium amplum.* Nam כַּבִּיר magnus, amplus. R. Sal. *certa mensura terræ.* R. David, *circiter tantum viæ quantum homo conficit à mane ad prandium.* Παρὰ τὸ בָּרָה comedit. Moses ille cujus modo mentionem feci, *miliare terræ.* Verbum è verbo *filia terræ.* *Nam miliare*, inquit, *ad parasangam comparatum est tanquam filia.* Trem. *Supererat autem adhuc exiguum spatium itineris conficiendum, ut pervenirent Ephratham.* Gallica editio, *parvum spatium terræ*, ut si dicas, bolus aut buccea terræ. Nam id sonat *bouchée.* Hiscuni, כברת *significationem habet multitudinis.* כביר *enim multum significat. Vult dicere, Cum essent adhuc procul ab urbe.* R. Levi censet esse regimen à nomine כברה cubum denotante, ut dicat, *cum adhuc esset terra culcata* i. culta & arata, quod ferme modicum est spatium ad ipsas urbes usque. ¶ *Ephratha*] Nomen regionis, ut quidam existimant, in qua Bethlehem: alii dicunt esse nomen urbis, quæ & Bethlehem appellatur. Hiero. in Quæst. *Ephratha & Bethlehem unius urbis vocabulum est sub interpretatione consimili. Siquidem in frugiferam & in domum panis vertitur.* Idem Mich. 5. 2. *Ephratha*, inquit, *in nostra lingua sonat καρποφόρον. i. uberem atque frugiferam.* Paullo ante interpretatur *furorem.* i. עברתה. Eusebius de locis, *Ephratha, regio Bethlehem civitatis David, in qua natus est Christus.* Idem in septimo Ἀποδείξ. *Ephratha eadem est & Bethlehem, sicut in Genesi constat, ubi de Rachele dictum est, Et sepelierunt eam in hippodromo Ephratha: hæc est Bethlehem.* Ceterum ubi codex Ebræus habet אפרתה, Onk. & Jon. ediderunt לאפרת εἰς Ἐφραθά. ¶ *Periclitata est in partu suo*] ותקש בלדתה & *obduravit in partu suo.* i. difficilem partum habuit, magno cum labore peperit. Docte Hiero. *ob difficultatem partus periclitari cœpit.* Nec minus eleganter Lxx. καὶ ἐδυστόκησεν ἐν τῷ τοκετῷ. Nam δυστοκέω, difficulter pario, ægre partum edo. Redundat ergo ἐν τῷ τοκετῷ. Radix est קָשָׁה, unde קָשֶׁה durus, σκληρός, difficilis, & נִקְשֶׁה Jes. 8. 21. qui difficultatem vivendi patitur, dura ac gravia perpessus. Trem. *Difficiliore partu utebatur.*

17. *Fuit autem cum periclitaretur in partu suo ut diceret ei obstetrix, Ne timeas, quia etiam iste tibi filius est.*

18. *Cumque jam exiret anima ejus (nam moriebatur) vocavit nomen ejus Benoni: & pater ejus vocavit eum Benjamin.*

Cum periclitaretur &c.] בהקשתה בלדתה. Lxx. hic habent, ἐν τῷ σκληρῶς αὐτὴν τίκτειν, cum difficulter pareret. Vult dicere cum in difficultate partus versaretur. ¶ *Obstetrix*] ἡ μαῖα. Ebraice מילדת quod faciat parere. Chaldaice חייתא quod partum quasi conservet in vita. Hujus pluralis extat in libro Avoth, חיות obstetrices. ¶ *Filius*] *filius masculus.* Jonathan. ¶ *Cum exiret anima ejus*] cum animam ageret aut efflaret. ¶ *Benoni*] בֶּן־אוֹנִי. Lxx. υἱὸς ὀδύνης μου. Hiero. *filium doloris mei.* On. & Jon. בר דווי filius mœroris mei. R. Sal. בן צערי *filius angustiæ meæ.* Levi Ben Gersom בן אבלי *filius luctus mei.* Sic etiam Abenezra, & Moses Gerundensis. Licet etiam exponere, *filius roboris mei.* Nam און robur, vires. i. כח. ¶ *Benjamin*] *filius dexteræ.* Philo, Sym. Hiero. *Filius roboris*, Moses Gerundensis. *filius virtutum*, Procopius Gazæus. *filius austri*, R. Sal. & R. Levi Gersomi filius. *filius dierum*, alii. Hiscuni, בנימין plenum est ac si diceret בן ימים filius dierum, filius senectutis. Verum dies יָמִים dicuntur: dextera vero יָמִין, quod nunc in Ebræo. Ergo בנימין filius dexteræ. Ea vox modo *robur* denotat, modo *austrum.* Nam qui orientem respicit, ei auster est ad dexteram. Natus autem erat in Chananæa, quæ respectu Mesopotamiæ, ubi cæteri ejus filii editi fuerunt, australis est, ut ajunt. Quanquam Gerundensis Moses id negare videtur. Hiero. in Quæst. Ebra. *Filius doloris mei, quod nomen moriens mater imposuit dicitur Benoni: filius vero*

dexte-

dextera h. e. virtutis appellatur Benjamin. Unde errant qui putant Benjamin filium dierum interpretari. Cum enim dextera appelletur ימין *& finiatur in N litteram : dies quidem appellantur & ipsi* ימים *sed in M litteram terminatur.* Tremellius, *filium dexteræ i. charum æque ac dilectum, ut homini est dextera.*

19. *Et mortua est Rachel sepultaque in via Ephratha : ea est Bethlehem.*

20. *Et statuit Jacob statuam super sepulturam ejus : hæc est statua sepulturæ Rachel usque in hodiernum diem.*

In via Ephrathæ] On. & Jon. *in via Ephrath.* Unde colligo He in אפרתה paragogicum esse. Nam supra vers. 17. vim habere videtur præpositionis ל, quæ motum ad locum designat. Itaque iidem interpretantur ibi לאפרת εἰς ἐφραθ. Hiero. hic habet, *in via quæ ducit Ephratham.* Verbum è verbo, in via Ephratham versus : aut ad Ephratham sub. tendentem sive ducentem. Hoc modo ה non erit littera paragogica. Lxx. ἐν τῇ ὁδῷ τοῦ ἱπποδρόμου Ἐφραθᾶ : in via Hippodromi Ephratha. Partim exemplarium ἐν τῇ ὁδῷ ἐφραθᾶ, quæ scriptura in omnes partes melior est. ❡ *Bethlehem*] quæ sic à copia frugum appellata. Nam Beth domus, & Lehem panis. Jam vero & domus pro loco usurpatur, & panis vocabulo aliquando frumentum denotatur, ex quo panis conficitur. ❡ *Statuit statuam*] erexit cippum sive titulum aut monumentum. ❡ *Super sepulturam ejus*] *super sepulchrum ejus.* Hiero. Santes, alii : ἐπὶ τοῦ μνημείου αὐτῆς. Lxx. קבורה proprie sepultura. Sed & pro sepulchro ponitur. i. קבר. Abenezra, *sepulchrum & sepultura synonyma sunt.* Quidam, *supra sepulturam ejus*, ac si diceret, præter sepulturam ejus etiam cippum erexit. Vide Mercerum. ❡ *Statua sepulturæ*] ἡ στήλη ἐπὶ τοῦ μνημείου, Lxx. *titulus monumenti*, Hiero. *titulus sepulchri.* Santes. *statua sepulchri.* Trem. *l'enseigne de la sepulture.* Editio Gallica. ❡ *Usque in hodiernum diem*] Nam adhuc Gerundensis ævo visebatur in Palæstina. Intelligo Mosen Gerundensem, qui se vidisse eam scribit, cum ea loca perlustraret.

21. *Profectusque Israel tetendit tabernaculum suum ultrà turrim Eder.*

22. *Fuit autem cum habitaret Israel in terra illa, ut abiens Ruben cubaret cum Balha concubina patris sui : quod audivit Israel.*

Tetendit] Hiero. *fixit.* i. ἔπηξεν, quod in Lxx. ❡ *Ultra turrim Eder*] מהלאה למגדל עדר. Hiero. *trans turrim gregis.* Nam עדר grex. Lxx. ἐπέκεινα τοῦ πύργου γαδέρ. עדר Gader ut עזה Gaza, quæ & Aza : sic Ader dicimus & Gader. Jonathan, *Ultra turrim Eder, in loco ubi apparebit rex Messias in fine dierum.* Hieron. in Quæst. „Hunc locum Ebræi esse „volunt, ubi postea templum ædificatum est, & turrim Ader „turrim gregis significari, hoc est congregationis & cœtus, „quod & Micheas Propheta testatur dicens, Et tu turris gregis „nebulosa, filia Sion &c. illoque tempore Jacob trans locum, „ubi postea templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si „sequamur ordinem viæ, pastorum juxta Bethlehem locus est, „ubi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora „sua pavit, loco nomen imponens : vel quod verius est, quo„dam vaticinio, futurum jam tunc vaticinium monstrabatur. ❡ *Eder*] vel Ader. עֵדֶר Ader, ut הֶבֶל Habel. Eusebius de locis, *Gader, turris ubi habitante Jacob, Ruben patris violavit thorum, quæ absque g littera in Ebræo Ader scribitur.* ❡ *Ut abiens Ruben cubaret cum Balha*] Lxx. ἐπορεύθη Ρουβὴν καὶ ἐκοιμήθη μετὰ Βαλλὰς τῆς παλλακῆς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Ἰακώβ. Hiero. *abiit Ruben & dormivit cum Bala concubina patris sui.* Jonathan, *confudit stratum Balhæ concubinæ patris sui* : & mox, *id pro eo habitum fuit ac si cum ea rem habuisset.* Fabula est, qua hoc factum Rubenis excusare conantur, quam invenies & apud Salomonem Trecensem. ❡ *Concubina*] vel, *pellex.* i. παλλακή, unde Chaldaicum פלקתא. Alioqui concubina לחנתא dicitur. Erant autem uxores illegitimæ, sine dote ac sponsalibus ductæ. Mercerus legittimas fuisse scribit. Quod aliquo modo verum est. Nam per consuetudinem, quæ legis vim obtinet, eas habere licebat. ❡ *Audivit*] ἤκουσεν : vel *audivit* i. intellexit. Græci addunt, καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ. Quod etiam legitur in editione Jonathæ ובאיש ליה & malum fuit. i. displicuit ei.

23. *Fueruntque filii Jacob duodecim.*

24. *Filii Liæ, primogenitus Iacobi Ruben, & Simeon & Levi & Iuda & Issachar & Zabulon.*

25. *Filii Rachel, Ioseph & Benjamin.*

26. *Et filii Balhæ ancillæ Rachelis, Dan & Nephthali.*

27. *Et filii Zelphæ ancillæ Liæ, Gad & Aser : Hi sunt filii Iacob qui nati sunt ei in Mesopotamia.*

Filii Iacob duodecim] *post natum Benjamin.* Jonathan. ❡ *Qui nati sunt ei*] ad verb. *qui natus est ei.* Quod non recte hic exponeretur, *quorum unusquisque natus est ei.* Nam Benjamin natus fuit non in Mesopotamia; sed in terra Chanaan. Mihi videtur esse enallage numeri, & à majori parte dictum, *qui nati sunt*, cum unus ex eo numero excipiatur. Sic alibi, LXX. *Animæ descenderunt in Ægyptum.* In quorum numero comprehenduntur Joseph & filii ejus, qui tamen non descenderunt cum aliis. Vide Hisc. · Vide sis Eucherium. August. in Quæst. super Genesin, *Nulla facilior est solutio quæstionis hujus, quam ut per Synecdochen accipiatur. Ubi enim pars major est aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet, sicut ad 12 Apostolos jam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus erat, cum DOMINUS resurrexit à mortuis, & tamen ipsius duodenarii numeri nomen, Apostolus in epistola sua tenuit, ubi ait, eum apparuisse illis duodecim.* Vide sequentia. Aliter Chrysostomus, *Quare dicit Scriptura, quia nati sunt ei in Mesopotamia, cum Benjamin longe postea natus sit? quia Rachel ante egressum ex Mesopotamia conceperat ipsum.* Et Cyrillus, *Numerat ergo Benjamin cum iis qui in Mesopotamia nati erant, quoniam illic jam satus erat.* Hoc non adeo mihi probatur. ❡ *In Mesopotamia*] in Phadan Syriæ.

28. *Postea venit Iacob ad Isahac patrem suum, in Mamre civitatem Arba : ipsa est Hebron, ubi peregrinatus fuerat Abraham & Isahac.*

29. *Fueruntque dies Isahac centum anni & octoginta anni.*

30. *Et expiravit Isahac & mortuus est & collectus ad populos suos, senex & satur dierum : sepelieruntque eum Esau & Iacob filii ejus.*

In Mamre] Lxx. εἰς μαμβρῆ. Mamre, Mambre, ut Nemrod, Nembrod. Dicta putatur ab uno amicorum Abrahæ, cujus mentio Gen. 14. 13. Albinus pag. 461. *Mamre dicta Hebron a quodam amicorum Abrahæ.* Hiero. in Quæst. *Pro Arbee in Lxx. habet campum, cum Chebron in monte sita sit. Eadem autem civitas dicitur & Mambre, ab amico Abrahæ ita antiquitus appellata.* R. Sal. annotat Mamre esse nomen planitiei. Sane legimus אלוני ממרא quod reddunt planitiem Mamre. ❡ *Civitatem Arba*] vel, *Cariath-Arba.* Ebraice קרית הארבע ubi articulus præter morem præponitur nomini proprio, quod jam quasi in commune & appellativum transiit. Lxx. εἰς πόλιν τοῦ πεδίου : in urbem campi i. campestrem. Hoc Arba non significat. Adhæc urbs hæc, teste Hiero. in monte sita erat. Hiero. *in civitatem Arbee.* אַרְבַּע Arbee, ut הוֹשֵׁעַ Hosee. Nam forte legerunt עֲרָבָה· Onk. & Jonath. omittunt articulum קִרְיַת אַרְבַּע quod Græce sonat ut si dicas τετράπολις, sicut dicimus τρίπολις. Plura de hoc nomine alias. ❡ *Hebron*] vel, *Chebron*, quod Græce est χεβρών. ❡ *Peregrinatus fuerat*] habitaverat ut peregrinus & advena. Lxx. παρῴκησεν commoratus est. Quidam, *ubi peregrini fuerant.* Nam sequitur, *Abraham & Isahac.* Sic supra אשר ילד qui nati fuerant. Sæpe hoc modo sing. pro plurali usurpatur. Usus est autem verbo præterito propter Abrahamum. Nam Isahac adhuc ibi commorabatur. ❡ *Dies*] anni sive tempus vitæ Isahac. ❡ *Expiravit & mortuus est*] vel, *expirans mortuus est.* Id Græci dixerunt ἐκλείπων, deficiens, & Hiero. *consumtus ætate.* Gallica, *defaillant.* Vide 25. 8. ❡ *Collectus*] aggregatus. ❡ *Ad populos suos*] אל עמיו. Onk. & Jon. לעמיה ad populum suum. Lxx. πρὸς τὸ γένος αὐτοῦ, ad genus suum. Sic בן עמי interpretantur υἱὸς γένους μου. Hiero. *appositus est populo suo.* אֶל עַמּוֹ Interpretes annotant hic esse hysteron proteron. Nam historia Josephi, quæ refertur in sequentibus, præcessit mortem Isahaci. Qua de re videndi sunt R. Sal. & Merc. ❡ *Esau & Iacob*] Hic Esau præponitur Jacobo quia natura primogenitus erat. Supra legimus, *Isahac & Ismael*, ubi Ismael postponitur Isahaco, quia erat filius ancillæ.

A M A M A.

13. OPeram Mosis imo Spiritus Sancti compendifecit Interpres. Quid enim opus erat his omnibus, *Et discessit ab eo Deus è loco ubi locutus fuerat cum eo.* Tribus imo duabus Ebraicis vocibus expediri versus iste poterat, ויעל מעליו *& ascendit ab eo.* His enim totum versum Vulgatus complexus est, ac si cætera aliquis otio abundans adjecisset. Non sic Chald. non sic LXX. putarunt : eos saltem, quandoquidem fontes sequi noluere, sequi debuissent in corrigendis his Bibliis Romani Correctores.

16. Ebr. *Et profecti sunt è Bethel, eratque adhuc* כברת הארץ

ut venirent Ephratam. Vulg. *Egressus autem inde venit verno tempore ad terram qua ducit Ephratam.*

Non quidem inter interpretes convenit quale fuerit quantumve hoc spatium, convenit tamen spatium certum denotari. Certe præter Hieron. quem hic secutus Vulgatus est & authorem Bereschit Rabba nullus pro tempore verno accepit, quod ego quidem sciam. Et sic כ esset nota temporis vel posita pro ב, in &c. כברה esset à ברה selegit, selectum anni tempus i. vernum, ver. Atque illud mihi spectasse videtur Hieronymus. Author tamen Bereshith Rabba aliud spectavit, interpretatur ille quidem vernum tempus, sed כ pro radicali habet, deducitque vocem à notione τῦ כְּבָרָה *cribrum*, quod terra tum veluti cribrata sit, vel, ut R. Sal. loquitur, חֲלוּלָה concava i. aratro proscissa. At ego non video cur hoc pacto non tam autumnum quam Ver significare possit. Mihi dubium non est, quin, quicunque ipsum Textum considerate expenderit, judicaturus sit cum Ebræis, Christianorumque doctissimis non posse aliter accipi quam pro spatio itineris, vel, ut Aben. loquitur pro מדת מהלך i. mensura itineris, vel ut R. Salomo, מִדַּת הקרקע mensura fundi. Ut כ, si servilis erit, non temporis, nec pro ב positum fuerit, sed nota conjecturæ vel similitudinis alicujus ut loquuntur Ebræi: Sed videamus obiter varias Ebræorum opiniones. R. Menahem, citante R. Sal. existimavit כ esse radicale & esse à כבר multus, ut significetur רבוי מהלך multitudo itineris, magnum terræ spatium. Alii חתיכת ארץ *segmentum terræ* reddidere. Hi nimis vage, illi nimis ample. Certe Moses Gerundensis testis αὐτόπτης ait inter sepulchrum Rachelis & Bethlehem vix miliare interesse. Et Hieronymus pulcre consentiens ipsum oppidum Bethlehem ad sextum à Jerusalem lapidem situm, sepulcrum vero Rachelis ad quintum asserit. Aquila, καθ' ὁδὸν τῆς γῆς, in publica regionis via. Alii, quos Angli in nova versione secuti sunt, *exiguum spatium terræ*, quod alii stadio, alii jugero definivere. Chaldæum כרוב quidam jugerum, quidam stadium, quidam miliare interpretati sunt. Romana editio Græca καθ' ὁδὸν τῦ ἱπποδρόμου (adjunctum enim χαβραθὰ annotatiunculam marginalem fuisse, & deinde in contextum irrepsisse docet Fullerus Miscell. 2. 15.) i. spatium decursus equestris. Drusius ad loca diff. V. librorum Mosis p. 123. quia ברה significat *cibum*, *victum*, *diætam*, vertit, *circiter diætam terræ* i. tantum spatium quantum homo conficit inter reficiendum, quæ refectio per intervalla fiebat. Kimchius, *Significat mensuram itineris terræ a mane usque ad tempus pastus. Nam sic mensurant spatia viarum* הולכי דרכים *viatores.* Sed quærat hic aliquis merito, quousque extendi debeat hoc spatium. An à mane usque ad jentaculum an potius ad prandium? Cajetanus, *Fuit adhuc sicut prandium terræ, &c. nihil hic dicitur*, inquit, *de tempore, sed de distantia locali à Bethlehem tanto spacio terræ quantum peragi solet donec prandeatur. A tempore prandii quantitatem intervalli mensuravit.* Sed historiæ & rei accommodatius erit ut spatium constringatur quam ut extendatur; ut verissima mihi videatur interpretatio R. Saadiæ qui מיל i. milliarium, teste Kimchio, interpretatur. Atque ita recensendo varias opiniones illud credo effecimus, ut si cui optio detur, Vulgatam versionem hoc loco sit insuper habiturus. Hoc Coronidis loco addam ter in sacris occurrere illud כברת ארץ, hic nempe, Gen. 48. 7. & 2 Reg. 5. 19.

D E M U I S.

8. **E**T *mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum; vocavitque nomen ejus Quercum fletus.*] Apud Bethelam mortua scribitur Debora nutrix Rebeccæ, cum esset in comitatu Jacobi è Mesopotamia in Palæstinam redeuntis, inibique sepulta sub montis radicibus ubi urbs erat sita. Verum an illa est quæ una cum Rebecca Isaaco nuptura non paucos ante annos in Palæstinam venerat, eique comes data fuerat? ut est Gen. 24. 59. Quid autem Rebeccæ nutrici cum Jacobi familia? Censet Rasi affirmatque hoc se accepisse ex Moyse הדרשן, i. *Concionatore*, à Rebecca in Mesopotamiam missam Deboram quæ Jacobum inde abduceret: siquidem id se facturam recepisset Rebecca, cum Iacobum ad Labanum fratrem ire jussit, sicut legere est Gen. 27. obiisse autem Deboram in itinere, cum in Chananæam una cum Iacobo reverteretur. Idem censet Abarbanel, idque affirmat se habere à Cabbala, nisi quod ait missam Deboram להוציאו משם ולהיות על ילדיו כי היא היתה אשה חכמה, *quæ Jacobum accerseret è Mesopotamia, tum ejus liberos curaret quod mulier esset egregie cordata.* Nachmanides existimat fuisse tunc Deboram cum Iacobo, quod postquam primo venisset cum Rebecca in Chananæam, rediisset illa ad suos lares, unde deinde profecta cum Iacobo invisendæ dominæ cupida Chananæam repetiit. Huic quoque sententiæ suffragatur Abarbanel. Addit Nachmanides, שהיתה מגדל בני יעקב לכבוד רבקה ולאהבתה והיתה בביתו *Aut educandis Jacobi liberis operam dabat, quod Rebeccam coleret & amaret: ideoque apud ipsum erat.* Docet hic etiam non abs re esse, si quis dicat nutricem, de qua hic sermo, non eam fuisse quæ cum Rebecca Isaaco nuptura quondam venisset; (non enim ea Gen 24. 59. nominatur) sed aliam quandam quæ apud Labanum & Bathuelem remansisset, quamque abiens Iacobus secum abduxisset, לכלכל את שיבתה לכבוד אמו, *quo summam ejus senectutem foveret, matris studens honori*: morem quippe esse nobilium ut plures habeant nutrices: non esse enim probabile tam grandem natu à Rebecca missam ad Iacobum, sicut sentit Moses ille Concionator. Sane quidem quæ illa cunque fuerit nutrix Rebeccæ, eam oportet fuisse tum valde senem cum reverit in Chananæam Iacobus. Sed vero similius est tandem abductam abs Iacobo è Mesopotamia senem feminam eam ob causam quæ mox dicta est, quam allegatam à Rebecca in Mesopotamiam; quippe quia Rebecca facile non unum virum ad id quod volebat magis idoneum nancisci poterat. Sed ubi tandem misisse legitur Rebecca qui Iacobum è Mesopotamia accerseret? Hæc res profecto prorsus in incerto est. Neque vero de ejus generis quæstionibus, quæ nihil aut parum momenti ad S. literas intelligendas habent, judico esse admodum laborandum. Sat sit Sacri textus autoritati credere, Deboram Rebeccæ nutricem, quæ illa cunque sit, vita functam cum esset in comitatu Iacobi è Mesopotamia in Chananæam redeuntis. Nimia præter hoc curiositas vitiosa est, progressumque in studiis moratur, nedum utilis est. Mediocritatem hic & in ejusdemmodi rebus probo. Mysteria, quæ palam mysteria sunt, cognitaque prodesse aut certe delectare vehementer possunt, ea quin anxie studioseque indagemus quis impedit? Ast quæ levia sunt parumque utilitatis videntur habitura si cognoscantur, ea ignorare magis juvat quam cum operæ temporisque dispendio cognoscere.

Majoris paulo momenti est id quod quæri item solet circa propositum comma, cur ob mortem Deboræ decrepita ætate feminæ acerbi adeo ploratus editi sint, ut inde loco ubi sepulta est *Quercus fletus* nomen sit factum. Quæ enim jactura in morte feminæ ejusque decrepitæ? Respondet Abarbanel, בעבור שהיתה אצלם במדרגת אם בכו עליה, *Quod eam in matris loco haberent*, tam amare *illos de ejus morte flevisse.* Eodem ferme modo Isaacus Arama, בכו עליה בכי גדול כי אשה חשובה היתה, *Ejus mortem ingenti luctu prosecutos, quod esset femina haud parvi pretii.* Magna profecto jactura sapientis feminæ, quæ aliis exemplo prodesse possit, sed rara: rara quippe avis sapiens femina. Ast Abarbanel probat etiam, non ego, quod legitur in מדרש, nomen est Commentarii mystici, inibi cognovisse Iacobum de morte matris, etsi taceat Sacer codex Rebeccæ cum mortem tum sepulturam, quod ejus morti filiorum nepotumve adfuisset nemo, ac illorum etiam nemo funus sua præsentia cohonestasset: Iacobum autem ejusque liberos audita matris aviæque morte ingentem edidisse luctum, cum hujus tum Deboræ ergo; ideoque nomen indidisse loco ubi tum erant, *Quercum fletus.* Laudat Abarbanel veteres Hebræorum Doctores. Ramban & Bechai sentiunt cum veteribus illis, ac confirmant præterea Rebeccam vita functam cum ad patrem rediit Iacobus, quod scriptum sit Gen. 35. 27. *Venit itaque Jacob ad Isaac patrem suum in Mambre civitatem Arbee*, &c. Si, inquiunt, superstes fuisset tunc temporis Rebecca, dicendum fuerat, *Venit Jacob ad Isaac patrem suum & ad matrem suam*, præsertim cum matris consilio profectus ille fuisset in Mesopotamiam. Eodem pertinere notant è priscis illis Rabbinis quod propositum comma statim hoc sequatur, *Apparuit autem iterum Deus Iacob*, &c. *benedixitque ei.* Ajunt scilicet sese ostendisse tunc Iacobo Dominum, quo ipsi de morte matris afflicto consolationem adhiberet. Addunt ex eisdem מה ברכו ברכת אבלים ברכו, *Quid benedixit ei? benedictione lugentium benedixit ei*, i. in luctu consolatus est; non secus atque post obitum Abrahami Deus benedixisse Isaaco legitur, Gen. 25. 11. Ita ferme illi. Rasi observat ex Aggadah vocem אלון, quam *quercum* reddidimus, idem esse quod Græce ἄλλον, quasi אלון בכות sonaret *alium fletum*, quod נתבשר שם באבל שני שנאמר לו על אמו שמתה *inibi Iacobus audivisset de luctu altero, ad eumque allatum esset nuncium de morte matris.* Sane vero ridiculum Græcam vocem Hebræis interseri. Quorsum, quæso? Et unde eam vocem didicisset Iacobus? Ionathan Chaldæus interpretatus est מישר בכיתא *planitiem*, seu *vallem*, *fletus*.

G R O T I U S.

2. **D***Eos alienos*] Teraphim illa. quorum unum Gedalia ait multo post tempore erutum cultumque à Samaritis.

4. *Inaures quæ erant in auribus eorum*] Dicatas scilicet alicui fictitio numini: qui mos olim Syrorum per Syros Phœnicas in Africam

Africam venit. Ideo Augustinus de Doctrina Christiana lib. II. inter superstitiosa numerat *inaures in summo aurium singularum.* Idem latius epistola LXXIII. *Exsecranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem posset speciales nefariarum superstitionum prohibitiones in scripturis invenire, cum generaliter Apostolus dicat: Nolo vos socios fieri dæmoniorum*: & iterum: *Quæ enim congruentia Christi ad Belial? nisi forte quia Belial nominavit, & generalem societatem dæmoniorum prohibuit, licet Christianis sacrificare Neptuno: quia nihil proprie de Neptuno vetitum legimus. Moneantur interim miseri, ut si obtemperare nolint præceptis salutaribus, saltem sacrilegia sua non defendant, ne majori se scelere implicent. Quid autem cum eis agendum sit, si solvere inaures timent, & corpus Christi cum signo Diaboli accipere non timent?* Erant autem in illis inauribus notæ quædam siderales, unde talia σφραγῖδες [*sigilla*] dicebantur. Luctatius ad Statium: *licet magi frigidas habent*: legendum *licet magi sphragidas habent.* Tales & annuli partim ad mira perpetranda, ut ille Gygis Platoni de Republica II. Ciceroni de Officiis secundo, Plinio libro XXXIII. memoratus, partim valere crediti dæmonibus pellendis, teste Luciano in Philopatride, partim contra morbos, teste Alexandro Tralliano, Marcello Empirico, & aliis. Sic & comas diis dicatas ex poetis discimus, & cirros in comis, ex Ammiano libro XXII.

7. *Ibi enim apparuit ei Deus*] *Apparuerunt ei Angeli.* Est enim verbum plurale in Hebræo. Solet autem cum uno Angelo principe apparere Angelorum aliorum comitatus, ut & supra notavimus, & videri potest Lucæ II. 9. 13.

19. *Benjamin, id est filius dextræ*] Aut potius Syriaco sermone, cujus multum adhuc retinebat Jacobus, filius dierum, id est, senectutis. Convenit id optime cum eo quod infra est XLIV. 20.

20. *Erexitque Jacob titulum*] Id est, columellam, ut Cicero vocat I. de Legibus, & quinto Tusculanarum. στήλην Homerus & Epigrammatarii Græci. quos & hic secuti LXX.

22. *Erant autem filii Iacob duodecim*] Justinus libro XXXVI. *Israelem felix decem filiorum proventus maioribus suis clariorem fecit.*

CARTWRIGTUS.

2. *Surge, & ascende in Bethel.*] R. Sal. censet istud infortunium proxime memoratum, nempe raptum Dinæ, Jacobo ideo accidisse, quod tamdiu ascendere in Bethel, ibique votum suum persolvere, cunctatus fuisset. Sed etiamsi Jacob in eo peccaverit, ideo tamen supplicio isto affectum fuisse asserere nimis videtur temerarium.

אֱלֹהֵי הַנֵּכָר *Deos alienos.*] Sic Vulg. Hebræa ad verbum sonant, *deos alieni.* Onkelos & Jonathan, טעות עממיא, *Idola populorum.* R. Salom. exponit de idolis, quæ ex spoliis urbis Sichem apud eos remanserunt. Atque ita etiam Targum Jonathæ. Aben Ezra ait, חלילה חלילה, *Absit, absit*, ut Propheta cubaret cum deorum alienorum cultricibus: ac pollicetur se hunc locum alibi expositurum; sed ubinam id præstet nescio.

4. תַּחַת הָאֵלָה אֲשֶׁר עִם־שְׁכֶם *Sub quercu quæ est in Sichem.*] Vel, *juxta Sichem.* Targum Jonathæ, תחות בוטמא דסמיכא לקרתא דשכם, *Sub quercu quæ vicina est urbi Sichem.* בוטמא autem, quo vocabulo pro Hebræo אלה etiam Onkelos utitur, alii *quercum* exponunt, alii *tiliam*, alii *terebinthum.* LXX ὑπὸ τὴν τερέβινθον, *sub terebinthum.* Sic etiam Vulg. *Subter terebinthum.* Masius ad Jos. 8. 30, 31. ait, אלה & אלון & אילן eandem esse positionem; utrum autem quercum, an terebinthum, aut aliam aliquam arboris speciem significet, cum apud Hebræos varia sit opinio, non definit. Idem etiam ad Jos. 24. 26. ait, cujus generis arboris sit אלה, nihil certi à quoquam afferri. Multos enim quercum fuisse arbitrari; alios pinum, aut abietem; isti autem opinioni favere videri Græcum nomen ἐλάτη: LXX solere *terebinthum* vocare; esse etiam qui *ulmum*, esse qui *castaneam* interpretentur. Ipse verò cum Symmacho, Aquila, & (*a*) Latino Interprete ex quercuum genere fuisse suspicatur; quod homines peregrini referant etiam nunc *Elon*, sive *ilicem* ostendi apud illam Abrahæ memorabilem habitationem, & folia illi esse paullo majora quam Lentisco, fructus vero quales quercubus. Ratio hæc, qua nititur Masius, adeo infirma mihi videtur, ut mirer illum, virum certe doctissimum, quicquam ei tribuere. Nam si istiusmodi arbor in loco isto jam conspiciatur, quid tum postea? Num existimandum est eam ab Abrahami usque, vel Jacobi temporibus extitisse? Credat Judæus apella. Si autem postea ibi exorta est, quomodo ad hunc locum illustrandum quicquam faciat non video. De voce autem *Ela*, R. Sal. ad Hos. 4. 13. ait sua lingua vernacula, nempe Gallica, esse אולמא *ulma*; Et Kimchi ibid. sua, nimirum Hispanica, אולמו *ulmo.* Certam vocis significationem ignorari apparet. LXX autem hic addunt; καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ ἕως τῆς σήμερον, *& perdidit ea usque in hodiernum diem*; quæ ab Hebræo textu absunt, uti etiam à Chaldæo, & Latino.

(*a*) Vulg. Jos. 24. 20. אלה vertit *quercum.*

7. נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים *Apparuit ei Deus.*] Ad verb. *apparuerunt.* Verbum enim נגלו plurale est, quia *Elohim* etiam est plurale quoad terminationem vocis, licèt de Deo vero usurpatum quoad sensum & significationem sit singulare. Chaldæi Paraphrastæ, Onkelos & Jonathan de Angelis interpretantur, אתגליאו ליה מלאכיא דיי, *apparuerunt ei angeli Domini.* Ità etiam & Aben Ezra Elohim hìc exponit angelos, & citat illud cap. 28. 12. *Et ecce Angeli Dei, &c.* At cùm hìc ratio reddatur quare vocavit locum istum *El Bethel*, i. e. *Deus Bethel* (vide ad cap. 33. 20.) Elohim hìc de Deo dici haud dubium est. De constructione autem nominis *Elohim*, de Deo vero usurpati, cum verbo plurali, contra quam fieri solet, vide supra ad cap. 20. 13.

8. *Et mortua est Debora nutrix Rebeccæ.*] R. Salom. ait se ex verbis R. Mosis Haddarshan (seu Concionatoris) didicisse, Rebeccam (juxta promissum suum cap. 27. 45.) misisse Deboram ad Jacobum, ut è Padan Aram exiret, eamque revertentem in via obiisse. Eodem etiam modo Lyra hunc locum explicat. LXX. ἀπέθανε δὲ Δεββώρα ἡ τροφὸς Ῥεβέκκας. Hier. in Tradit. observat, ipsos LXX. hic interpretari מינקת *nutricem*; miratur igitur, nec sine causa, quare supra cap. 24. 59. eandem vocem interpretarentur τὰ ὑπάρχοντα, *substantiam.* Targum Ionathæ hic pro מינקת *nutrix*, habet פידגוגתא *pædagoga*; est vocabulum à Græco formatum. Cap. 24. 59. legitur פדגותא, sed, ut monet Buxtorfius in Lexico Syro-Chald. eodem modo, quo hic, legi debet.

מִתַּחַת לְבֵית־אֵל *Sub Bethel.*] Vulg. ad radices Bethel. R. Sal. ait urbem Bethel in monte sitam fuisse, ac Deboram ad radices montis fuisse sepultam.

10. *Non vocabitur nomen tuum amplius Jacob, &c.*] Aben Ezra bene explicat, לבדו כי גם ישראל, i. e. *Non solum Iacob, sed etiam Israel.* R. Salom. putat allusum esse ad significationem nominis Iacob, quod supplantatorem denotat, & nominis Israel, quod principatum designat. לשון אדם הבא בעקבה ובמרמה אלא לשון שר ונגיד, i. e. *Non vocaberis amplius eo nomine quod designat hominem insidiis, ac fraude utentem; sed eo nomine quod dominum ac principem sonat.* Vide ad cap. 32. 28. *Dudum* (inquit Hieron.) *nequaquam ei ab angelo nomen imponitur, sed quod imponendum sit à Deo prædicatur. Quod igitur ibi futurum promittitur, hic docetur expletum.* Hæc Hier. in Tradit. Atque ita etiam locum illum superiorem cap. 32. 28. intellexit R. Salomon, quasi istic mutatio nominis postea à Deo facienda tantum promitteretur. Ista autem expositio pro concesso sumere videtur, non Deum sed angelum quempiam creatum fuisse, qui cum Iacobo luctatus est, quod tamen multi non concedent, nec certe videtur concedendum, propterea quod (ut alia missa faciam) ipsum nomen Israel indicat Iacobum cum ipso Deo luctatum fuisse, eique prævaluisse.

11. אֲנִי אֵל שַׁדַּי *Ego sum Deus omnipotens.*] R. Salom. sic explicat, *Ego is sum qui valeam benedicere; benedictiones enim meæ sunt.* Vide supra ad cap. 17. 1.

14. *Et erexit Iacob statuam.*] Aben Ezra dubitat, utrum Iacob jam secundo statuam erexerit, an idem sit quod suprà narratum est, cap. 28. 18. ut sensus sit, quod jam antea erexerat; hoc autem putat probabilius. Ego vero existimo alterum esse verisimilius. Dicitur enim ver. 13. Deum à Iacobo ascendisse, in loco quo cum illo locutus est; deinde sequitur ver. 14. Et erexit Iacob statuam in loco isto, quo cum illo locutus est: horum verborum connexio arguere videtur, Iacobum jam postquam cum ipso loqui Deus cessasset, ac ab ipso discessisset, statuam ibi erexisse.

16. כִּבְרַת־הָאָרֶץ *Paululum terræ.*] Onkelos, כרוב ארעא (Ita etiam Chaldæus 2 Reg. 5. 19.) Fagius vertit, *quasi stadium terræ*; in Collatione autem omittit particulam *quasi.* Buxtorfius in Lexico Syro-Chald. exponit כרוב *miliare.* Alii (ut notat Mercerus) interpretantur *jugerum*, quantum die uno arari poterit. Ita Onkeli interpretationem intellexit Fullerus Miscell. lib. 2. cap. 15. Ait enim Onkelum כברת transtulisse, tanquam per Metathesin à כרב, vel כרבא deductum, vocabulo Syro-Chaldaico *arationem* (ut putat) sonante; Nam verbum γεωργεῖν, *arare*, voce כרב ab Interprete Syro expressum esse,

1 Cor. 9. 10. Aben Ezra ait כ in כברת forte similitudinis esse notam, ac ברת esse מדרת מהלך, i. e. *viæ sive itineris mensuram.* R Salom. refert Menahemum interpretari ex significatione τῦ כביר, quod sonat *multum.* רבוי מהלך, id est, *multum itineris seu viæ:* alios autem ex voce כברה, quæ *cribrum* significat, ut denotetur tempus, quando terra instar cribri est perforata, vel excavata (בזמן שהארץ חלולה ככברה.) Quod fere fit (inquit Fagius in Collat.) post hyemem gliscente vere, cum terra ob multiplices rimulas, scissuras & cavernas cribri formam habere videatur. Clarius Mercerus, cum scil. verno tempore terra aratro proscinditur. Atque ita etiam illius expositionis sensum explicat Amama in Censura. Ipse autem R. Salom. ait significare spatium terræ, nempe *parasangam* (פרסה) aut amplius. Fullerus loc. cit. docet *Parsam* sive *parasangam* eandem esse mensuram cum *leuca*, ac continere duo miliaria. R. Salom. ad cap. 48. 7. ubi etiam hæc verba כברת הארץ occurrunt, asserit esse mensuram terræ, nempe bis mille cubitos, juxta mensuram termini Sabbati, sive itineris, quod in Sabbato confici licuit. Ad 2 Reg. 5. 19. ubi in historia Naamanis eadem verba habentur, tantum ait significare certam quandam terræ mensuram. R. Levi istic exponit terram cultam, quæ fuit circa urbem, ac sensum esse ait, Naamanem non longe ab urbe discessisse; inter eum enim & urbem non fuisse nisi agros cultos urbi adjacentes, vineasque ac hortos ad eam pertinentes. Kimchi ad istum locum ait, הוא שיעור מיל, i. e. *Est mensura miliaris.* Ita etiam exposuisse fertur R. Saadia. In Radicibus autem Kimchi (uti Fagius & alii referunt) vult *Caph* in *Cibrath* esse notam similitudinis, non de radice; ac verbis istis, *Cibrath haarets*, significari spatium terræ, quod eundo confici potest à mane usque ad tempus prandii; Sic Fagius in Collat. exponit ista Hebraica, עד עת הארוחה. Drusius autem, tempus quo cibus sumitur; quæ interpretatio cum Hebraicis verbis melius respondet, tum cum altera opinione de mensura miliaris magis convenit. Huic Kimchii expositioni sic intellectæ favet Drusius, qui vertit, *circiter* (*a*) *dietam terræ*, hoc est (ut ipse explicat) tantum spatium quantum homo conficit inter refectionem. Exempli gratia, spatium illud quod viator conficit à manè ad jentaculum, à jentaculo ad prandium, à prandio ad cœnam. At ne sic quidem huic expositioni cum ea quæ proxime præcedit, belle convenit. Sic enim non nisi tria miliaria quis in die conficeret. Et tamen Kimchi etiam alio nescio quo loco (uti testatur Fagius) refert exponi de miliari; ac dici tantum itineris esse à sepulcro Rachelis usque ad Ephratam. Ramban (referente Mercero) dicit se loca ista invisisse, ac inter sepulturam Rachelis & Bethlehem non interesse miliare. Ipse igitur exponit filiam, à בר (*b*) Chaldaice *filius*, ut sit mensura velut terræ filia metaphorice; At quid hoc sibi velit me nescire fateor. Lxx vertunt *εἰς χαβραθὰ*. Reliquerunt vocem Hebræam, velut ignorantes (inquit Fagius) quid significet, & tanquam loci alicujus nomen esset. Similiter & in aliis locis sæpe ab eis factum notat Fagius; atque hinc colligit non esse Septuaginta versionem, quæ illorum nomine circumfertur. Qui enim (inquit) fieri potuisset, ut tam periti Hebraicæ linguæ viri, ut de eis opinio est, ita impingerent in linguam sanctam? Certe Græcam Veteris Testamenti versionem non esse istiusmodi qualem LXX ediderunt, sed plurimis in locis corruptam ac depravatam, nemo, opinor, dubitat. Quod ad hanc ipsam vocem, de qua agimus, attinet, 2 Reg. 5. 19. corrupte scribitur λεβραθὰ pro χαβραθὰ, quod in aliquibus libris haberi testantur Græca Scholia; atque ita in Complutensi Editione esse notat Nobilius. Ecqua igitur tanta caussa fuit (*c*) Morino, ut ita de Romana Editione istius Græcæ versionis gloriaretur. Hier. in Tradit. notat LXX Interpretes cap. 48. 7. vocem *Cibrath* transferre *hippodromum*, de quo miratur. Fulleri conjectura est, eos ideo sic transtulisse, quod existimarunt כברת per metathesin literarum esse pro רכבת à רכב *equitare*, ita ut sumatur pro certo quodam mensuræ genere, cursu equestri definito; atque inde factum fortassis, ut Munsterus *stadium* verterit. Aquilam Hieronymus refert transtulisse, *καθ' ὁδὸν τῆς γῆς.* Sed melius (inquit) est, si transferatur, *In electo terræ tempore cum introiret Ephrata.* Atque addit vernum tempus significari, cum in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum est; vel cum transeuntes in viam carpunt, & eligunt è vicinis agris quodcunque ad manus venerit, diversis floribus invitati. Hinc Vulg. hoc in loco, *verno tempore.* Et 2 Reg. 5. 19. *Electo tempore.* Fagius putat autorem vulgatæ versionis secutum esse eos, qui à כברה, i. e. *cribro* significationem hujus vocis *Cibrath* arcessunt. Sed potius deduxit à ברר, *eligere*, ut sentit Mercerus, atque etiam Amama in Cens. Burgensis ad cap. 48. notat dictionem Hebraicam non significare vernum, nec tempus, sed mensuram parvam terræ. Et Doring ibidem refert Lyram idem etiam notasse in tractatu suo de differentia Translationis vulgatæ & Hebraicæ veritatis, licet in Commentariis vulgatæ Translationi se accommodaverit. Fullerus in Aquilæ interpretatione potissimum acquiescit, ac existimat per כברת הארץ viam patentem, publicam ac regiam significari, quæ extra urbem est; à ברה ejusdem significationis cum ברא & ברר, nempe *ἐκκαθαίρειν*, purum ac mundum reddere, purgare. Jos. 17. 18. ובראתו. Vulg. succides atque purgabis ad habitandum spatia. Eodem (inquit) modo כברת viam patefactam declarabit, per quam libera ultro citroque commeandi facultas existit. At ex verbis tum hoc loco positis, tum cap. 48. 7. Rachel apud me moriebatur in via, cum adhuc esset *Cibrath* terræ ad veniendum Ephratam, maxime mihi videtur verisimile per *Cibrath* terræ spatium quoddam terræ denotari. Illud בדרך, *in via*, istam Fulleri interpretationem hic videtur excludere; deinde illud בעוד *cum adhuc* (scil. esset) & ista, לבוא אפרתה *ad veniendum Ephrata*, postulare videntur, ut *Cibrath terræ* certam quandam terræ mensuram designet. Omnibus igitur pensitatis, nihil occurrit probabilius, quam quod putat Mercerus, *Cibrath* scil. terræ esse *mensuram itineris, sed exiguam, & nobis ignotam.*

18. *Pater autem ejus vocavit eum Benjamin.*] *Ben* est *filius*; *Jamin dextra.* Quia autem Orientem respicienti Australis plaga est dextra, ideo etiam *Jamin* quandoque Austrum significat. R. Salomon igitur putat hunc à Jacobo sic appellatum, quod is solus ex omnibus Jacobi filiis natus esset in terra Canaan, quam venienti è Mesopotamia asserit esse Australem; idque probat ex Genes. 12. 9. Sed probatio ista minus firma videtur. Drusius in Præter. ad 1 Corinth. 15. 4. hanc eandem rationem nominis *Benjamin* reddit: at ad difficil. loc. Genes. refert Gerundensem negare terram Canaan ad Meridiem Mesopotamiæ sitam esse, sed ad Occidentem potius, cum Mesopotameni respectu Canaan dicantur filii Orientis. Fortean igitur (inquit) (*a*) sita erat in Euro Austro, & ex parte Austrum, ex parte Orientem respiciebat. Sic Babylonii filii Orientis vocantur, licet regio illa deputetur Septentrioni. Mercerus asserit Ramban (is idem est cum Gerundensi) falli; Mesopotamiam enim esse terræ Israel Aquilonarem Orientalem. Sequitur igitur sententiam R. Salomonis (quem, more suo, vocat *Rasi*, quia abbreviate nomen ejus scribitur רש"י) ut bono omine sic eum vocarit pater, quod sibi solus in terra Canaan, dextra orbis parte respectu Mesopotamiæ, esset natus. Addit, *vel certe filium dextræ*, idem, *roboris & felicitatis*, allusione ad æquivocationem nominis *Oni*: Nam *On* non solum luctum significare (quo sensu Rachel eum vocavit *Benoni*, i. e. *filium luctus mei*, vel *afflictionis meæ*, ut notant Aben Ezra & R. Salom.) verum etiam robur, ut Isai. 40. 29. Et infra cap. 49. 3. Drusius refert Aben Ezram & Hiskuni interpretari *Benjamin* filium dierum, quia pater senex admodum erat, cum eum gigneret; ut ימין *Iamin* sit pro ימים *Iamim*, ex dialecto Syriaca. De Hiskuni non habeo dicere, nec in universum de Aben Ezra pronuntiare audeo; in commentariis autem ejus in hunc locum de hoc nomine *Benjamin* nihil invenio. Probabiliorem Drusius putat istam expositionem, quod nomen ab eo impositum sit, qui Deut. 26. 5. Syrus vocatur, ac jam recens è Syria venerat, ubi tot annos commoratus fuerat. Sed non magni ponderis hæc esse videntur, cum in reliquorum filiorum nominibus, etiamsi in ipsa Syria nati essent, dialecto ista non usus sit Jacob; imo cap. 31. 47. diserte notatur Jacobum, cum monti nomen imponeret, verbis pure Hebraicis usum esse, etiamsi Laban Syriacis usus fuerit. Ego igitur cum Hieronymo errare existimo, qui *Benjamin* (*b*) filium dierum interpretantur. Cum Rachel ob difficilem partum filium suum vocasset *Benoni*, i. e. *filium luctus mei*, Jacob meliora de eo sperans, vocavit eum *Benjamin*, i. e. *filium dextræ meæ*, q. d. hic felix faustusque mihi erit filius.

21. *Et tetendit tabernaculum suum* מהלאה למגדל עדר *ultra turrim* (*c*) *Eder, vel turrim gregis.*] Hunc locum (inquit Hieron. in Tradit.) Hebræi esse volunt, ubi postea Templum ædificatum est, & turrim Ader turrim gregis significari, hoc est, congregationis & cœtus. Quod & Propheta Michæas testatur, dicens, Et tu turris gregis nebulosa, filia Sion, &c. illoque tempore Jacob trans locum, ubi postea Templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequemur ordinem viæ, pastorum juxta Bethlehem locus est, ubi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora sua pavit, locum nomen imponens; vel, quod verius est, quodam vaticinio futurum jam tunc mysterium monstrabatur.

(*a*) ארוחה est esca, cibus. (*b*) Ita etiam Hebraice significat Psal. 2. 12. & Prov. 31. 2. (*c*) In Præfat.

(*a*) Scil. Mesopotamia respectu terræ Canaan. At sic ratio haud quadrat. (*b*) Targ. Hieros. Pater autem ejus vocavit eum lingua sanctuarii *Benjamin.* (*c*) עדר Eder, vel Ader, ut legit Hieron. gregem significat.

ſtrabatur. Sic Hieron. Targum Jonathæ, *Ultra turrim gregis*, locum, unde futurum erat, ut rex Meſſia in fine dierum revelaretur. Innuit locum non longè fuiſſe à Bethlehem.

22. *Et abiit Ruben, & concubuit cum Bilha concubina patris ſui.*] Jonathan in Targum ſuo, ac R. Sal. ita hunc locum interpretantur, ac ſi propterea Ruben cum patris ſui concubina Bilha concubuiſſe dicatur, quod cum videret lectum Jacobi poſt mortem Rachelis in tentorio Bilhæ poſitum, exiſtimans in matris ſuæ Leæ contemptum fuiſſe factum, eum turbavit ac deſtruxit. Inſulſum ſane commentum, ac violenta Scripturæ in alienum ſenſum detorſio.

26. *Qui ei nati fuerunt in Padan Aram.*] At Benjamin natus fuit in terra Canaan. Ita eſt, verum (ut notat Aben Ezra) Scriptura de omnibus dicit, eos natos fuiſſe in Syria, quod ibi majori ex parte nati fuerint. Manaſſes in Conciliatore ſuo quæſt. 55. in Gen. refert Hiskuni ita interpretari, etiam Benjamin in Padan Aram natum æſtimari, quia ibi Rachel mater ejus eum precibus ſuis à Deo impetravit. Sed hoc à ſimplicitate Scripturæ nimis eſt remotum; illud etiam remotius quod dicit Lyra, *Benjamin* ibi natum reputari, quia mater ejus inde fuit oriunda, & patri ejus matrimonio juncta. Expoſitio Aben Ezræ proculdubio eſt germana, quam ipſe tandem Lyra amplectitur, eique ſubſcribit Mercerus.

27. *Kiriath Arba.*] Sive civitatem Arbæ. LXX *εἰς πόλιν τοῦ πεδίου*, *in civitatem campi*. At quomodo ארבע Arba campum ſignificet haud intelligo. Hieron. in Tradit. LXX Interpretes hic redarguit, quod Hebron in monte ſita fuerit. Ipſe Hieron. vertit, *in civitatem Arbea*; atque ait eandem civitatem & *Mambre* dici, ab amico Abrahæ antiquitus appellatam.

CAP. XXXVI.

MUNSTERUS.

6. Abiit in terram] Thargum Chaldæum explicatius hunc locum deſcribit: nam addit אחרי, i. *aliam*, *ſeceſſit*, inquit, *in terram aliam*, nempe Seir terram immundam. Dicit hic R. Abraham Sepharadi, autor libri Zeror Hammor, quod vocata ſit terra illa *Seir* à faunis per eam vagantibus. Vocat enim Iſaias faunos שעירים, i. *piloſos*. Et quod infra dicitur, *Anam inveniſſe* ימים *in deſerto*] exponit pro ימים & מזיקים, i. *dæmoniis atque nocivis occurſibus*, ſomnians ſcilicet ימים derivari à יום, i. *dies*; quod fauni & ſatyri ſint creaturæ imperfectæ, quas Deus in ſex primis diebus non perfecit, ſed facere duntaxat incœpit.

15. *Duces*] R. Sal. exponit ראשי משפחות, *capita familiarum*, ſeu *cognationum*. Alii vero dicunt non eſſe diſcrimen inter אלוף & מלך, i. inter *ducem & regem*, niſi quod rex eſt qui eſt מכתר, i. *coronatus*, אלוף vero non eſt redimitus corona. Vocant autem Rabini coronam regiam Thalmudico vocabulo תגא quæ Hebraice כתר vocatur.

17. *Rehuel*] In Hebræo non ſcribitur cum aſpiratione; ſed nos interpoſuimus illam loco Ain, ne ſimplex lector ex duobus vocalibus dipthongon faciat. Idem fecimus in nomine *Jehus*, & aliis quibuſdam ſimilibus.

19. *Ipſe eſt Ædom*] Aben Ezra hunc locum ſic interpretatur, *ipſe eſt pater Ædom ſeu Idumæorum*. Et quod ſequitur, *Filii Seir Horai*] quidam Hebræorum putant hic הורי capiendum adjective pro חורים, *magnum*, ſeu *nobilis*.

24. *Mulos*] Hallucinatus eſt in hac dictione interpres noſter, qui vertit *aquas calidas*, legens ſcilicet מים pro ימים. Vocantur vero ימים alio nomine פרדים, i. *muli*: & ſunt compoſitum quoddam, ut verbis Kimhi utar, ex duabus ſpeciebus, qui ſcilicet naſcuntur ex equo & aſina. Et quando Scriptura dicit, *Anah inveniſſe mulos*, non eſt ſenſus, quod fortuito invenerit eos in deſerto oberrantes, ſed capitur hic מצא pro *adinvenire*, ſeu, ut D. K. dicit, מצא בדעתו, *invenit per induſtriam ſuam*. Cum enim paſceret aſinos, ſubiit in cor illius ut applicaret equum aſinæ, & ex illa copula nova illa & quodammodo innaturalis ſpecies primum prodiit in mundum. Scribunt quoque Hebræi hunc Anah fuiſſe ממזר, h. e. *ex damnato coitu natum*: nam fuit filius fratris ſui Zibeonis, qui ſcilicet dormivit cum matre ſua, & hunc genuit filium ſimulque fratrem. Et id ex textu haberi contendunt. Ut autem ipſe fuit פסול atque degener, ita quoque conatus eſt in natura producere creaturas quæ eſſent præter naturam. Et putat ימים dictum quaſi אימה, i. *terror*. Quibus etiam ſubſcribit Onkelos, qui vertit, גבריא, *fortes*, ſeu *terribiles*.

35. *Midian*] Hoc nomen interpres noſter ubique vertit *Madian*, i mutato in *a*. Et quod ſequitur, *De Rehoboth fluvio*] Chaldæus vertit, *de Rehoboth quæ eſt ſuper Euphraten*.

39. *Mezahab*] Pro quo in Chaldæo ברת מצרף דהבא, *filia conflatoris auri*. Eſt enim *zhab* Hebraice *aurum*. Aben Ezra vero confutat hanc opinionem per hæc verba, אלה דברי רוח, *Sunt verba ventoſa*.

FAGIUS.

6. Omneſque animas domus ſuæ] i. Omnes homines domus ſuæ, omnes domeſticos ſuos. Homo *anima* vocatur ſchemate Hebraico, à parte principaliori unde conſtat. Hinc & Apoſtolus inquit, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit*, Rom. 13. 1.

15. *Iſti ſunt principes*] Sive *duces*. Hebræi inter *principem* ſive *Ducem* & *Regem* ita diſtinguunt, ut *Rex* ſit qui coronatus eſt, *Dux* vero, qui non eſt coronatus. Id quod Hebraice ſic tradunt, מלך יקרא כשהוא מוכתר ואלוף שאינו מוכתר.

24. *Qui invenit fortes*, &c.] i. Mulos, quos à *robore* גבריא, appellat, animalia ſcilicet robuſtiſſima. Nec debes cogitare quod à caſu mulos in deſerto invenerit, ſed quod arte & induſtria ſua adinvenerit, dum ſcilicet equum ſuper aſinam aſcendere fecit, atque ita novam, mulorum ſcilicet, ſpeciem in mundum produxit. Scribunt Hebræi Ana fuiſſe *Mamſer*, i. *ſpurium*, & damnato coitu natum. *Nam fuit* (inquiunt) *filius fratris ſui Zibeonis, qui dormivit cum matre ſua, & hunc genuit filium, ſimulque fratrem*. Quod illi ex textu haberi contendunt. *Ut ergo* (ajunt) *ipſe fuit* פסול, i. *Vitioſus ac degener, ita quoque conatus eſt in natura producere creaturas quæ eſſent præter naturam*. In textu Hebraico iſti muli ימים *Jemim* vocantur, vel ab אים, quod *robur & fortitudinem* ſignificat, vel ab אימה, quod *metum & terrorem* deſignat. Autor Latinæ Vulgatæ editionis *aquas calidas* vertit. Quibus ad hoc cauſis adductus ſit non conſtat, niſi quod conjectura eſt, eum מים *Maiim*, vel ימים *Jamim* pro ימים *Jemim* legiſſe. Sed quod adjecit *calidas*, nulla plane ex ipſo textu apparet cauſa.

IDEM.

24. הוא ענה אשר מצא את הימם במדבר ברעתו את החמרים לצבעון אביו *Iſte eſt Anah qui invenit mulos in deſerto, cum paſceret aſinos Zibeon patris ſui.*] Variatur in voce ימים, quam Autor Lat. Vulg. editionis *calidas aquas* tranſtulit, per oſcitantiam nimirum מים, quod *aquas*, vel ימים, quod *maria* ſignificat, pro ימים legens. Sed nondum liquet unde *calidas* adjecerit, cum nihil ad rem faciat. Vox Hebræa ſive ימים, *Jemim* ſive ימם, ſive ימים *Iammim* legas. Noveris ergo ימים *Iemim* Hebræis proprie פרדים, i. *mulos* qui ex aſina & equo naſcuntur, ſignificare. Quos Ana non quidem fortuito in deſerto aberrantes reperit, ſed ſua induſtria adinvenit. Cum enim paſceret aſinos patris ſui, ſubiit in cor illius ut applicaret equum aſinæ, & ex illa copula, nova illa & quodammodo innaturalis mulorum ſpecies primum in mundum prodiit. Scribunt quoque Hebræi Anah fuiſſe ממזר, i. *ſpurium* ex damnato coitu natum: nam fuit filius fratris ſui Zibeonis, qui ſcilicet dormivit cum matre ſua, & hunc genuit filium ſimulque fratrem. Quod Hebræi ex textu haberi contendunt. Ut ergo, inquiunt, ipſe fuit פסול, *inutilis* atque degener, ita quoque conatus eſt in natura producere creaturas quæ eſſent præter naturam. Hujuſmodi & Kimhi habet in Radicibus ſuis, ubi ſic ſcribit, כי ימים הם הפרדים והם מורכבים שני מינים הסוס והחמור ואמרו אשר מצא פירוש בדעתו שהרכיב הסוס על החמורה והוא הוציא זה המין בעולם ואמרו רבותינו ז״ל ענה פסול היה והביא פסולין בעולם כי כן צבעון אחיו היה שבא על אמו והוליד ממנה ענה. Jemim *ſunt muli, compoſitum quiddam ex duabus ſpeciebus, equo ſcilicet & aſina. Cumque dicit Scriptura, quod* INVENERIT, *innuit quod induſtria ſua fecerit aſcendere equum ſuper aſinam, atque ita produxit hanc ſpeciem in mundum. Cæterum Rabbini noſtri benedictæ memoriæ dicunt Ana hominem fuiſſe vitioſum, ideoque & in mundum quæ non carebant vitio introduxiſſe. Filius ſiquidem Zibeonis fratris ſui fuit, qui coivit cum matre ſua, & genuit ex ea Anah.* Hæc Kimhi. Onkelus Chaldæus Jemim גבריא vertit, i. *fortes*, animalia ſcilicet robuſtiſſima, quale eſt mulorum genus. Dicti ergo ſunt ימים *Iemim*, vel ab אים, quod *robur & fortitudinem* ſignificat; vel, ab אימה, quod *metum & terrorem* ſignificat. Sed placet etiam hic referre quæ D. Hieronymus habet in Quæſt. ſuis ſuper h. l. *Multa & varia apud Hebræos ſuper hoc capitulo diſputantur. Apud Græcos quippe & noſtros ſuper hoc ſilentium*

lentium est. Alii putant JAMIM *maria appellata. Iisdem enim literis scribuntur* MARIA *quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum dum pasceret asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, cujus rei inventio difficilis est. Nonnulli putant* aquas calidas *juxta Punica lingua viciniam, qua Hebraea contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur onagros ad hîc admissos esse ad asinas: & ipsum estiusmodi reperisse concubitum; ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur* Jamim. *Plerique putant quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur.* Hactenus Hieronymus.

VATABLUS.

1. I*Pse est Edom:* הוא אדום] i. Cognomento Edom. Vel, qui alio nomine dicitur Edom.

2. *Uxores suas*] נשיו] *Uxores sibi.* ¶ *Filia* בת] Pro *nepte* hic *filiam* accipit, ut infra v. 14.

6. *Animas* נפשות] i. Personas, sive homines. ¶ *Jumenta sua, & omnem substantiam suam:* בהמתו וגו'] *Armenta sua, atque omnem possessionem suam.* Vel, *facultates suas quas,* &c. ¶ *Et ivit ad aliam terram* וילך אל ארץ] Chaldæum paraph. secutus est noster interpres, qui vertit, *abiit in regionem aliam.* Ad verb. *abiit in terram.* i. Penetravit longius in regionem illam. Unde quidam vertunt, *& ultra progressus est,* i. Perrexit in ulteriorem partem regionis. Arcanam Dei providentiam commendat Moses qua expulsus Esau in exilium fuit ut vacua maneret terræ possessio uni Jaacob. Non quod proposuisset fratri cedere: sed Deus cæcum hominem manu sua direxit ne locum occuparet in terra quam servo suo destinaverat. ¶ *A facie,* &c. מפני וגו'] *Propter Iaacob fratrem suum.*

7. *Erat enim substantia eorum,* &c. כי היה רכושם וגו'] *Erant enim opes eorum majores quam ut habitare possent simul.* ¶ *Terra peregrinationum eorum:* ארץ מגוריהם] i. Ea regio in qua tanquam advenæ ac peregrini habitabant. Moses ipse exponit Exod. 6. 4. *Terram in qua peregrinati sunt.*

8. *Et habitavit* וישב] *Habitavit tandem.* ¶ *Est Edom:* הוא אדום] *alio nomine dicitur Edom.* Vel, *qui cognomento dicitur Edom.*

9. *Patris Edom* אבי אדום] Quanquam binomius fuit Esau, hoc tamen loco secundum nomen refertur ad posteros, qui vocati sunt Idumæi. Nam ut appareat quid ei Dominus in gratiam patris Isaac contulerit, eum diserte appellat Moses patrem celebris & famosi populi.

10. *Ejus:* עשו] Antecedens Heb. pro relativo.

13. *Filii* בני] i. Nepotes.

14. *Filiæ Sibon* בת צבעון] *Neptis Sibeon.* ¶ *Uxoris* אשת] Refertur ad Aholibama.

15. *Duces filiorum Esau.* אלופי בני עשו] *Principes filiorum Esau* i. Qui ex filiis Esau nati sunt.

16. *Eliphaz* אליפז] i. Qui descenderunt ab Eliphaz.

17. *Filii* בני] *Nepotes.*

19. *Filii Esau,* בני עשו] *Filios* vocat Nepotes. ¶ *Duces eorum:* אלופיהם] i. Qui traxerunt originem ab eis. ¶ *Ipse est Edom:* הוא אדום] *Vide supra* v. 8.

20. *Seir Horæi* שעיר החרי] Scriptura non meminit cujus filius fuerit iste Seir. ¶ *Habitatores terræ* ישבי הארץ] i. Qui tum habitant in ea regione, nempe in Seir.

24. *Mulos* הימם] i. Procreationem mulorum, sive artem qua generantur muli. Procreatio enim mulorum artificialis est potius quam naturalis: nam conjunxit ac commiscuit duas species, nempe asinorum & equarum, ex quorum mistura nati sunt muli. Chald. paraph. vertit *fortes.* q. d. Animalia fortia ac robusta: ferunt enim muli onera gravia.

30. *In ducibus suis,* לאלפיהם] *per duces suos.* Vel, *secundum principes suos.* i. Juxta varios principatus quos exercebant. Similis locutio est supra c. 10. 31.

31. *In terra Edom,* בארץ אדום] i. In regione Idumæorum.

32. *Urbs ejus* עירו] i. In qua natus fuit.

35. *Qui percussit Midian in agro,* המכה וגו'] Hebraismus, pro, *qui vicit Madianitas in regione Moab.*

37. *Fluminis:* הנהר] Chald. paraph. *Euphratis,* i. Quæ Rehoboth est juxta Euphratem.

39. *Filiæ Me-zahab,* בת מי זהב] *Neptis Me-zahab.* Alii, *filia Matred* patris, ac filia *Me-zahab* matris.

40. *Ducum,* &c. אלופי וגו'] *i. Filiorum Esau qui duces fuerunt & capita familiarum in Idumæa, per cognationes suas, per loca sua, secundum nomina sua.* i. Per loca sibi assignata in regionibus in quibus regnaverunt, & quas de nominibus suis appellaverunt.

43. *Ipse est Esau, &c.* הוא עשו] Vide v. 1, 8, 19.

CLARIUS.

6. I*N alteram regionem*] Nempe Seir, terram immundam. Ferunt terram illam vocatam *Seir* à Faunis per eam vagantibus quos vocat Esaias *pilosos.*

8. *Ipse est Ædom*] Quidam sic interpretantur, *Ipse est pater Ædom,* i. *Idumæorum.*

20. *Filii Seir Horræi*] Quidam Hebræi putant capiendum adjective, h. e. *magni*; vel *nobilis.*

24. *Invenit mulos in solitudine*] Non dicit fortuito illum invenisse mulos oberrantes in solitudine, sed industria sua adinvenisse. Cum enim pasceret asinos, subiit ei ut applicaret equum asinæ, & ex illa copula nova illa & quodammodo innaturalis species primum prodiit in mundum. Scribunt quoque Hebræi, hunc Anah fuisse ex damnato coitu natum; nam fuisse filium fratris sui Zibeonis, qui scilicet dormierit cum matre sua, & hunc genuerit filium simul & fratrem: atque id ex textu haberi contendunt, & quemadmodum insueto more natus est, ita etiam conatum esse in natura producere animalia quæ essent præter naturam. Quod autem interpres verterat pro *mulis aquas calidas,* hallucinatio fuit, ut unam dictionem pro altera acciperet.

LUCAS BRUGEN.

2. QUatuordecim ex scriptis nostris cod. habent, *Esau accepit uxores,* &c. *Ada,* &c. *& Oolibama filiam Ana, filii Sebeon Hevei:* atque hi Regiorum Bibliorum Latino textui, Rabano & Græcis libris consentiunt. Alii quatuordecim, cum Parisiensium quinque, scribunt, *Filiam Ana filia Sebeon Hevei:* atque his Hebræa & Chaldæa suffragantur, quamvis vertendum potius videatur, *Filiam Ana filiam Sebeon Hevei.* Et sane hoc modo, accusandi, inquam, casu, tria MSS. nostrorum legere comperimus; unum, quod Abbas S. Jacobi Leodiensis mutuo dedit; alterum, quod Collegium Trilingue annumeravit: tertium, quod D. M. N. Augustinus Hunnæus contribuit. Et quidem primum, Leodiense, nonnullam indicat factam mutationem: secundum vero & tertium omni exceptione majora sunt. Est aliud MS. quod Atrebatense collegium suppeditavit, id quod illis accedens *filia* legit. Videtur autem minus probanda ea lectio *Filiam Ana filia Sebeon Hevei,* quod sensum non habeat, nisi aut nugacem aut falsum. Vel enim significatur, Oolibama filiam fuisse Anæ & filiæ Sebeon Hevei, i. filii & nurus Sebeon Hevei, quod est, Anæ & uxoris ejus (in quem sensum Hunnæi R. legit, *Filiam Ana filiam filia Sebeon Hevei*) id quod frivolum est: vel significatur, Oolibama filiam fuisse Anæ, & Anam filiam fuisse Sebeon Hevei, quod verum non est. Fuit enim Ana (ut ex 24. hujus capitis versu constat) filius Sebeon Hevei. Itaque præferenda videtur lectio ista, *Filiam Ana filiam Sebeon Hevei,* ut ad Oolibamam utrumque referatur, quæ & Anæ fuit filia, & Sebeonis; ac Sebeonis quidem, quia ex filio Ana neptis. Fortassis autem ad hanc tollendam obscuritatem LXX. ut habet prima lectio, *Filiam Ana filii Sebeon Hevei* transtulerunt. Eadem est v. 14. lectionis diversitas: novemdecim enim nostrorum MSS. cum quinque Parisiensium, legunt *filia Sebeon*; duodecim *filii Sebeon. Filiam,* ut loco non convenit, ita nulla legunt: & illa quidem Hebræis & Chaldæis, hæc autem Græcis libris consonant.

DRUSIUS.

31. A*Ntequam regnaret Rex filius Israel*] Quæsitum aliquando ex me fuit an Moses uspiam Rex diceretur: respondi, Cum נשיא, i. *princeps,* fuerit magni Synedrii, quod *Sanhedri gedola* vocant, non absurde *Regem* dici posse. Nam princeps ille aliquando ita vocatur. Omitto quod à Procopio notatum olim fuit, Barbaros duces suos solitos esse *Reges* nuncupare. Sane Abraham, quo in loco vocatur *princeps Dei,* à Græcis interpretibus ibi dicitur βασιλεὺς παρὰ τοῦ θεοῦ, *Rex à Deo.* Hoc tunc respondere memini. Postea notavi loca quædam quæ faciunt huic sententiæ firmandæ. Primus est Deut. 33. 5. *Et fuit in Jesurun rex.* Ubi Santes, *in Israel*; & Hieron. *apud rectissimum.* Malim, *apud rectulum,* ut Nun in ישרון diminuat, sicut in אישון *pupilla,* & שבתון *sabbatbulum.* Alter est Jud. 17. 6. *In illis diebus non erat rex in Israel,* i. Judex. Mosen autem judicem fuisse populi certius est quam ut probari debeat. Tertius est Gen. 36. 31. *antequam regnaret rex filiis Israel:* quem de Mose enarrant viri docti, non tamen omnes.

Nam

Nam sunt qui Saulem ibi denotari putant. Utut sit, Rex vocatur in libro Præceptorum magno qui סמג *per sigla* vocatur, 110. 1. & è Salomone Jario Num. 16. 1. in hisce verbis, *Unus rex, & alter summus sacerdos*; & mox, *Fili Amram, si tu sumpsisti regnum, non debuisses fratri tuo conferre sacerdotium*, l. pontificatum. Hoc dicit, nisi fallor, in persona Core, Dathan & Abiram.

37. Vetus editio. *Saul de fluvio Rohoboth*] Secundum hanc interpretationem *Rohoboth* erit nomen fluvii, cum sit nomen urbis, quæ *Rohoboth fluvii* dicitur, quod sita esset ad Euphratem, qui κατ' ἐξοχὴν *fluvius* vocatur, ut cum legimus, *à fluvio ad torrentem Ægypti*. Nam erat terminus terræ Chanaan Aquilonaris. Vertendum ergo, *Saul ex Rohoboth fluvii*. Quod robur accipit primum ex Thargum tam Onkeli quam Jonathæ, in quo, *ex Rohoboth qua ad Euphratem*: Deinde ex Eusebio De locis Ebraicis, ubi hanc urbem distinguit ab alia quam Assur condidit, quæ vocatur *Rohoboth urbs* Gen. 10. 11. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Rohoboth, civitas Assyriorum, quam ædificavit Assur* (alii à Nemrodo in Assyriam profecto ædificatam existimant) *egrediens de terra Sennaar*, i. Babylonia. Et mox, *Rohoboth urbs alia juxta fluvium, ubi erat rex Edom*: (leg. *unde Saul erat Rex Edom*:) *& usque hodie est præsidium in regione Gabalena, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur*. Roborat eadem editio Græca τῶν Lxx. in qua ἐκ Ῥοωβὼθ τῆς παρὰ ποταμὸν, *ex Rohoboth quæ apud fluvium*. Erat & puteus hoc nomine, quem Josephus Antiq. l. 1. c. 18. interpretatur εὐρύχωρον, *spatiosum*. Sunt etiam qui Gen. 10, רחבת *plateas* reddunt, ac si nomen appellativum esset, *ædificavit Ninivem & plateas urbis*. Siquidem *platea* Ebraicè רחב dicitur, unde pluralis רחבות *plateæ*.

IDEM.

24. הוא ענה אשר מצא את־הימם A. Οὗτός ἐστιν ὁ Ανὰς ὃς εὗρε σὺν τοῖς Ιαμεὶν, *Ipse est Anas qui invenit Jamin*. Sym. Οὗτός ἐστιν ὁ Αναν ὃς εὗρε τοὺς Ιαμεὶμ, *Ipse est Anan qui reperit Jamim*. Th. — τὸ Ιαμεὶν] Τοὺς Ιαμεὶμ] Sic emendavi ex Hieron. Prius erat τοὺς σημεὶν, & in Aquila, σὺν τῷ σημεὶμ. Verba Hieronymi sunt, *Ipse est Ana, qui invenit Iamim in deserto. Multa & varia apud Ebræos de hoc capitulo disputantur, apud Græcos quippe & nostros super hoc silentium est. Alii putant* Jamim *Maria appellata, iisdem enim literis scribuntur Maria*, (ימים) *quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ juxta idioma linguæ Ebraicæ Maria nuncupentur, quod scilicet stagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis est. Nonnulli putant Aquas calidas juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Ebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur onagros ab hoc admissos esse ad asinos, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur Jamim. Plerique putant quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primum ascendi, ut multorum inde nova contra naturam animalia nascerentur.* (Hoc postremum amplexi sunt recentiores omnes interpretes, quos quidem mihi videre contigit) *Aquila hunc locum ita transtulit*, [*Ipse est Anas, qui invenit* τοὺς ἰαμεὶμ] & Symmachus similiter, τοὺς ἰαμεὶμ. *Quæ interpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta vero & Theodotio æqualiter transtulerunt* τὸ ἰαμεὶν, *quod indicat numerum singularem*. Scire licet terminationem non indicare singularem, sed articulum τὸν. Nam ἰαμεὶν tam pluralis esse potest quam ἰαμεὶμ. Ιαμεὶν pro ἰαμεὶμ ex dialecto Chaldaica, & ἰαμεὶμ sive ἰαμὶμ, ut תמים *integer*, quod in numero multitudinis facit תמימים. Sic ימין ἰαμεὶν *dextera*. Diodorus, Ο Σύρος καὶ ὁ Εβραῖος τὸ Ιαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν, ἀντὶ τοῦ, εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. *Aqua* μαΐμ dicitur, hic est Ιαμεὶμ, vel, ut antiqui legerunt, ימים ἰαμεὶμ, quod communiter *dies* denotat. Sic dico ימים sunt *dies*; ימים, *maria* ימים ut plerique volunt, *muli*. Abenmelech, הימים *sunt muli, ex duobus generibus, equo videlicet & asina. Quod autem dicit, Invenit, sensus est, Opinione sua invenit: cum pasceret asinos fecit ascendere equum super asinam, atque ita produxit hanc speciem in mundo. Dicunt autem doctores nostri, Ana profanus erat, & adduxit profanos in mundum. Nam erat filius Sebeon fratris sui, qui congressus cum matre sua genuit ex ea Anan*. Onkelos, *invenit gigantes in deserto*, i. אימיא. Jonathan, *Coire fecit greges equorum cum asinis, & in tempore invenit mulos, qui egressi sunt ex illis*. Vult dicere, Qui generati sunt ex admissione asini ad equam, aut equi ad asinam. Plura de his in Annotationibus magnis, quas scripsi mandato ac jussu Ordinum generalium in Genesin.

40. בשמתם ἐν ὀνόμασιν αὐτῶν, *in nominibus eorum*] Vel, *suis*. Additur in quadam editione, & videtur esse ex alia interpretatione. Quod ante me conjecit is qui notas adjecit ad Rom. edit. Lat.

NOTÆ MAJORES.

1. *Hæ autem sunt generationes Esau: ipse est Edom.*

2. *Esau acceperat uxores suas ex filiabus Chanaan, videlicet Ada filiam Elon Hetthæi, & Oholibama filiam Ana, filiam Sebeon Hevæi.*

Generationes] αἱ γενέσεις. Jonathan ייחוסי progenies. Vult dicere, filii ac nepotes ab eo generati. ❡ *Ipse est Edom*] qui Esau cognominatur. Unde ita cognominatus sit, supra dictum est. Jonathan דמתקרי אדום qui vocatur Edom. Nam duo nomina habuit. Sunt qui tertium addunt Seir, de quo ego adhuc dubito. Abenezra, *ipse est pater Edom* i. Idumæorum. Sic locutus est infra vers. 9. *hæ sunt generationes Esau patris Edom.* ❡ *Et filiabus Chanaan*] filiæ Chanaan, ut filiæ Jerusalem. i. puellæ aut feminæ Jerosolymitanæ: aut *Chanaan*. i. e. Chananæorum. Sic Græci ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῶν χαναναίων. *Chanaan*, Chananæi, ut *Edom*, Idumæi. Sic *Israel*, Israelitæ. Late autem hoc nomen hic sumitur, ut etiam reliquas septem gentes comprehendat, in queis Hetthæi & Hevæi. ❡ *Ada*] quæ Basemath vocatur Gen. 26. 34. Alii sorores fuisse putant Basemath, & Adam, quarum hanc duxerit, cum illa vitam cum morte commutasset. ❡ *Elon*] In Edit. Rom. αἰλώμ, mendum quale in μαδιάμ. Nam veritas scripturæ αἰλών. Editi ad E. C. habent Ελώμ. Malim ἠλών. אילון αἰλὼν ut יגאל Ιγαὰλ עינעמאל αἰνεμαήλ. ❡ *Hetthæi*] τοῦ χετταίου Chettæi. Sic est in codicibus Græcis. Nam in Hieron. *Hethæi*. Eodem redit. Hetthæus, Chetthæus, ut Hermon, Chermon: Hebron, Chebron. Hoc si scivisset Procopius, nunquam profecto ita scripsisset, *Differunt plurimum Chettæus & Hethihæus, nec unam significationem habent. Chettæus Græco nomine denominatus est à Chetim dictione Ebræa. Sed Hethihæus sic nominatus est, denominatione petita ab Hethihi. Ceterum Chettim nomen nihil nisi Chettæos significat. Sed Hethihi si interpreteris, habet quandam significationem peculiarem, scilicet inhorruit, inhorrebit.* Quis hæc legens non animadvertit ejusdem nominis diversam scripturam חתי χετταῖος & Εθθαῖος? Nam כתים aliud est. ❡ *Oholibama*] pro quo in vulgata nostra Oolibama, & in Lxx. τὴν ὀλιβεμά. Santes male legit Aholibama, cum sit o breve in principio. In eundem lapidem impegit noster Tremellius. אהליבמה ὀλιβεμά, sive (ita est in Edit. Complut.) Ολιβαμά, ut Aharon, Aron. Sic יעקב Jacob, quod scribunt Ιακώβ. Nam antiqui elidebant, præter Heth & Ain, etiam aspirationem He. Quod perpetuum in יהודה Juda, יהודית Judith & similibus. Sunt qui hanc Iudith dici arbitrantur Gen. 26. 34. Cui opinioni repugnat *filia Beeri Hetthæi*. Nam ut demus patrem duo nomina habuisse, cur hic Hevæus, ibi Hetthæus appellatur? An Hetthæi nomine generali sub se etiam Hevæos complectuntur? Gerundensis putat Esau, post obitum Iudith, duxisse Oholibamam. Idem arbitratur Ada & Basemath sorores fuisse. Quod si verum, habuit uxores quinque numero. Hæc omnia quam facile dicuntur, tam facile negari possunt. Ut ne dicam, quod ait, *accepit uxores suas*, addito pronomine, quod illius Mosi sententiam non parum debilitat. ❡ *Filiam Ana*] Anæ duo fuerunt. Unus frater Sebeon, filius Seir, infra vers. 20. Alter pater Oholibamæ, filius Sebeon. Unde adjectum putant, *filiam Sebeon*. ❡ *Filiam Sebeon Hevæi*] i. neptem, ut Gen. 24. 48. Lxx. τοῦ υἱοῦ σεβεγὼν τοῦ εὐαίου. An legerunt בן pro בת? Onkelos & Ionathan, nihil immutant. Hiero. *filia Sebeon*, ac si Ana esset nomen mulieris, quod mihi non placet. Adjecit autem Hevæi, ut videtur, differentiæ causa. Nam alius fuit filius Seir Horæi, frater Anæ infra vers. 20.

3. *Et Basemath filiam Ismael sororem Nabajoth.*

4. *Peperit autem Ada ipsi Esau Eliphaz, & Basemath peperit Raguel.*

5. *Oholibama vero peperit Jeus & Jaalam & Core: Hi sunt filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan.*

Basemath] βασεμάθ. Ebraice בשמת. Cave legas Bosmath. Nam accentus discernit cametz longum à brevi. Hæc supra Maheleth sive Mahalath dicitur, videlicet Gen. 28. 9. in quo significatio parcendi. Nam מחל peperit. In Medras Libri Samuelis, *Cur vocatur* מחלת? *Quia condonatæ ei fuerunt iniquitates ipsius.* Ibidem, *Tribus potissimum condonantur iniquitates Proselytis, iis qui ad aliquam dignitatem ascendunt, & iis qui uxorem ducunt.* Dicunt autem Maheleth proselytam fuisse. Fides penes ipsos sit. Ego rem in medio relinquo. Nec fidem habeo, nec ei fidem derogatam cupio. Credat qui volet: ego scio etymologiam

giam testem fallacem esse, nam qui contvenit ut eadem fuerit proselyta & ex aromatibus suffitum fecerit in honorem idolorum. Quod R. Salomo scribit, qui etiam propterea Basemath appellatam putat. Nam בשמים aromata. Nugæ hæ sunt & folia farfari & Nævii butubata. ❡ *Nabajoth*] vel *Nebajoth*. Ionathan, *quam adoptaverat sibi Nabajoth Sororem*. Sed forte hoc vult, *quæ adoptaverat sibi Nabajoth fratrem*. Verba sunt דאסבתה ליה נביות אחוה. Potius hoc dicit, *quam tradiderat ei* (Esau) *nuptias peragens Nabajoth frater*. R. Salomo, *Quia nuptui eam dedit post mortem Ismaelis, ideo vocatur de nomine ipsius*. Gen. 23. 13. Erat autem Nabajoth primogenitus Ismaelis, cujus meminit vel propter claritatem vel quia ex eadem matre erant. Vide quæ scripsimus Gen. 28. 9. אסב idem quod השיא fecit ducere, tradidit in matrimonium. ❡ *Eliphaz*] אליפז ἐλιφάζ, quod perperam Græci aspirant ἐλιφας, ubi ultima nominis barbari in *ς* mutata. אליפז ἐλιφάς, ut גלית γολίας. Sic Annibal, ἀννίβας. Consule Observationes meas. In libro nominum, Eliphaz, *Dei mei aurum*. אלי Dei mei, פז aurum: unde *Fessa* dicta. vel, *Dei contemptus*. בז contemno. Origines Homil. 19 in Numeros, *Deus me dispersit*, אל פזרני. Nihil ineptius. Et tamen hoc ceu fundamento nititur ejus Theologia allegorica. ❡ *Raguel*] ῥαγουήλ: vel, *Rauel*, quod in vulgata nostra *Rahuel*: alias, *Rauhel*. Hebraice & Chaldaice est רעואל Reüel, sive Reguel aut Raguel. Sic רעו Ragau. ❡ *Jeus*] ἰεὺς i. יעוש, quod scribunt Jehus. Ego autem in Latinis veteribus repperi Hieus pro Ieüs, ex Græco ἰεύς. Sic Hieremias scribebant pro Ieremias: Hiesus pro Iesus. Hujusmodi menda scribis imputanda sunt potius quam interpretibus. ❡ *Jaalam*] יעלם Iaalam vel Ialam. יעלם Ialam, ut יעקב, Iacob. Græca editio habet ἰεγλόμ. Latina vetus, Ihelom. alias, Ihelon. In veteribus Hielon: ex quo fecerim Ielom, cum M in fine, ut recte scriptum in editis à Roberto Stephano. Et יעלם Ielom, ut קרבנא Κεβεωνᾶ, עתו Attho: לכו Lecho. Intelligentes intelligunt quid velim. ❡ *Core*] ὁ Κορέ. קרח Core ut תרח Thare. Hujus mentio usurpatur infra vers. 16. nisi alium fuisse statuamus, quod mihi probabilius videtur. ❡ *In terra Chanaan*] antequam in montem Seir habitatum proficisceretur.

6. *Accepit autem Esau uxores suas & filios suos & filias suas, & omnes animas domus suæ, & pecora sua, & omnia jumenta sua, & omnem possessionem suam, quam acquisiverat in terra Chanaan, & abiit in terram aliam à conspectu Jacob fratris sui.*

Accepit] vel, *acceperat*. Vide supra 33. 16. ❡ *Animas*] homines, ut ibi, *Octo animæ fuerunt in arca Noë*. Græci σώματα reddunt. *Animas domus suæ*. i. domesticos suos. Σώματα τῦ οἴκυ potius servos designat, quos hic præcipue intelligit. Nam domestici etiam filii & uxores vocantur. Quos hic vocat נפשות ביתו alibi dicit אנשי ביתו i. homines domus suæ. Hiero. *omnem animam* כל נפש licet vertere, *omnia capita domus suæ*. Animam enim usurpant Ebræi, ut capitis vocabulum Latini. Horat. *Quot capitum vivunt totidem studiorum millia*. Terentius, *Quot capita tot sententiæ*. alias, *quot homines, tot sententiæ*. Ebræi dicerent, *Quot animæ, tot sententiæ*. ❡ *Pecora sua*] vel, *pecus suum*. Minus recte Lxx. τὰ ὑπάρχοντα αὐτῦ: & Hiero. *Substantiam*. ❡ *Omnem possessionem suam quam acquisierat*] Vis in hoc sermone ut si diceret, *omnia bona quæ possidebat quæque acquisierat in terra Chanaan*. Ion. *omnes opes suas* &c. ❡ *In terram aliam*] in regionem aliam. Desideratur autem in Ebræo vox *alia* i. אחרת, quam supplent Onkelos, Ionathan & Hieron. Nam in Lxx. ἐκ τῆς γῆς χαναὰν ex terra Chanaan. i. מארץ: quod nullo modo se probat mihi. אל enim pro מן non usurpatur quod sciam. R. Salomo, אל ארץ לגור באשר ימצא *in regionem ad peregrinandum ubicunque locum reperturus esset*. Tremellius, *in regionem Seiris*. Sic etiam Moses Gerundensis, ad quem te adire volo. ❡ *A conspectu Jacob fratris sui*] מפני יעקב אחיו à facie Iacobi fratris sui. Lxx. ἀπὸ προσώπυ Ιακὼβ τῦ ἀδελφῦ αὐτῦ. Cedebat enim ei, cum terra Chanaan non valeret ambos capere. Hieron. *à fratre suo Jacob*. Ionathan, *metu fratris sui*. Nam *inciderat*, inquit, *in eum terror Jacobi fratris sui*. Tremellius, *Ante adventum Iacobi fratris sui*. מן ante, ut Ies. 43. 13. מיום ante diem i. antequam esset dies, sive ante ullum tempus. Et *facies* pro adventu, ut Gen. 32. 3. לפניו ante adventum ejus: & 46. 28. לפניו ante faciem i. adventum ejus. Sic Tremell. cui persuasum hanc profectionem Esavi ante adventum Iacobi contigisse. Quod colligit ex capite 32. & 33. Gallica Editio, *arriere, de Iacob*. i. מאחרי.

7. *Nam substantia eorum erat multa quam ut possent sedere simul, nec valuit terra peregrinationum eorum ferre eos propter pecora ipsorum.*

8. *Consedit ergo Esau in monte Seir: Esau ipse est Edom.*

Substantia] facultates, divitiæ, τὰ ὑπάρχοντα. ❡ *Multa*] major, amplior. ❡ *Sedere*] manere, vel habitare. ❡ *Valuit*] potuit. ❡ *Terra peregrinationum eorum*] in qua peregrinabantur i. habitabant advenæ ac peregrini. Sig. autem terram Chanaan. Lxx. ἡ γῆ τῆς παροικήσεως αὐτῶν, & Hier. *terra peregrinationis eorum*. ❡ *Ferre*] φέρειν, capere. ❡ *Propter pecora ipsorum*] hinc conficitur, licet Esau ante in Seir habitasset, tamen non plane reliquisse terram Chanaan priusquam Iacob eo advenisset. Causa vero discessus fuit, copia pecorum, quibus uterque abundabat. Hoc est quod supra dixit, מפני יעקב אחיו propter Iacob fratrem suum. Nam vim faciunt, meo judicio, particulæ מן, qui hoc loco *ante* interpretantur. Videndi sunt Gerundensis & Mercerus. ❡ *Consedit*] vel, *habitavit*. κατῴκησεν. ❡ *In monte Seir*] prius in terra. 32. hoc est in campis, nunc in monte, quem expugnatum in potestatem suam redegerunt, expulso inde Seir Horæo Deut. 2. 12. à quo regio & mons nomen obtinuerunt, ut quidam volunt. Quorum opinio probabilior est, quam eorum, qui à Faunis ac Satyris, quas Serim nuncupant, ita dictum existimant. Nam quod Hier. *Seir* numerat inter nomina Esau, adhuc dubium & controversum est in oculis meis. ❡ *Ipse est Edom*] *ipse est Princeps Idumæorum*. Jonathan.

9. *Hæ autem sunt generationes Esau, patris Idumæorum, in monte Seir.*

10. *Hæc nomina filiorum Esau, Eliphaz filius Adæ uxoris Esau, Raguel filius Basemath uxoris Esau.*

Patris Idumæorum] *Principis Idumæorum*, Ionathan. Verum pater vocatur autor gentis. Sic *pater Syrorum*. In Ebræo est ad verbum, ut etiam in Hier. & Lxx. πατρὸς Εδὼμ, patris Edom. Quod ita ambigue redditur. Nam cum Edom sit Esau, videtur sui ipsius pater fuisse. Nos cum Ionatha & Onkelo vertimus *Idumæorum*, ita poscente sententia. ❡ *In monte Seir*] Ionathan, *quorum habitatio erat in monte Gabla*. ❡ *Filiorum*] & nepotum.

11. *Et fuerunt filii Eliphaz, Theman, Omar, Sepho, & Gatham & Cenez.*

Theman] תימן. Græce θαιμάν. Sic אילן αἰλάν. Sexcenta talia sunt in libris. Contra factum in Ephrem & Ierusalem. ❡ *Omar*] ὠμὰρ. In libro nominum, *Omar, populus vel amarus*. אום populus. או vel מר amarus. אומר potius dictum sonat. Nam אמר dico. Sed & אמר sermo. ❡ *Sepho*] צפו. Hic Scheva per electum. Lxx. σωφάρ. Mendum manifestarium. In textu, qui una cum Glossa Ordinaria cusus, Sephi & Sephuc. Sephi i. צפי Joth pro Vau: qui error frequens est in antiquitate. Sed hic error non est. Nam idem צפי vocatur 1 Paralip. 1. 36. Pro σωφάρ putarim legendum σωφαῦ, vel certe σωφαί. Simile שגי σαγέ. Nam & Sephu legebant, quod manus aberrans in Sephuc mutavit. ❡ *Gatham*] male Gathan in libris cum N, in ultima. Ebraice געתם. In Lxx. γοθώμ. געתם γοθώμ, ut אדם, αἰδώμ. ❡ *Cenez*] vel Cenaz. Nam in Ebræo קנז. Ceterum Lxx. habent Κενέζ, & Hier. *Cenez*. In editione vulgata additum *& Core*: quod non est in Ebræo, nec apud alios interpretes.

12. *Erat autem Thamna concubina Eliphaz filii Esau, quæ peperit Eliphazo Amalec. Hi sunt filii Ada uxoris Esau.*

Thamna] θαμνά. Nunc legunt Thimna i. תמנע. Recensetur inter filios Eliphaz 1 Paral. 1. 36. de quo variæ doctorum sententiæ. Vide Mercerum. ❡ *Concubina*] παλλακή. ❡ *Eliphaz*] Ionathan, *hic est Eliphaz socius Iob*. ❡ *Amalec*] ὁ Ἀμαλήκ: unde Amalecitæ dicti, de quibus alias. Hunc Amalec Strabus ait fuisse filium Ismael, quem prolixe ita sententem refellit Nicolaus à Lyra, docens fuisse filium Eliphaz, primogeniti Esau. Quod certum non arbitrarium esse docet hic locus, tum etiam Iosephus Orig. Lib. 2. Moses Gerundensis autor Amalecitas dictos ab Horæo quodam Amalec nomine. Quod ex parte verum esse potest. Nam ejus mater Thamna infra vers. 22. dicitur soror Lotam Horæi. Unde illud sequitur fuisse filiam Seir Horæi, à quo mons Seir nomen accepisse putatur. Nam Lotam inter filios Seir vers. 20.

13. *Et filii Raguel: Nahath & Zara, Samma & Meza: Hi filii Basemath uxoris Esau.*

Raguel] vel, *Rauel*. Nam Rahuel ab iis est qui Ain per aspirationem exprimere solent, contra antiquam consuetudinem. ❡ *Nahath*] vel, Nachath: pro quo in codicibus Græcis ναχὸθ. Nahath, Nachath; ut Rahab, Rachab. Ebraice נחת. Ceterum in libris veteribus invenio Naath ut Raab, absque aspiratione. Quod scribis imputandum, non interpretibus. Quamquam Græci hic excusandi sunt, qui nomina in medio non aspirant. ❡ *Zara*] vel Zare. זרח Zare, ut תרח Thare. Græ-

ce

ne est Ζαρὲ. Scribi etiam potest. Zera. ❡ *Samma*] שמה quod hunc enuntiant *Schamma*. In veteribus Hieron. reperio *Semma*. שמה ut Semma, ut מלכי צדק Melchi-sedec. e pro a. Codices Græci σομὲ habent. ❡ *Meza*] מזה Meza, ut הלל Hellel. Hodie Mizza. Græce est μοζέ. In libro nominum *Meza*, *ex isto*. Scribe divisim ex isto מן ex, זה isto. Nihil verius.

14. *Et isti fuerunt filii Oholibama, filia Ana, filia Sebeon uxoris Esau: quæ peperit ipsi Esau, Ieus & Ialam & Core.*

Oholibama] Græci hic habent Ὀλιβεμάς. Cave legas Aholibama. Nam non est camets longum in principio, sed breve, quod sonat ο μικρον. ❡ *Filia Sebeon*] neptis Sebeon. Nam Sebeon erat pater Anæ, infra vers 24. ❡ *Quæ peperit ipsi Esau*] quia nomen filii aliquando nepotes notat, ideo adjecit, *quæ peperit ipsi Esau*, aperte declarans hos Oholibamæ partu editos fuisse. ❡ *Ialam*] vel, *Iaalam*. Hoc Ebraice יעלם: illud עלם proprie scriberetur. In Edit. Latina vulgata, *Ihelom*. Emenda *Ielom*, quod Græci scribunt Ιεγλὰμ vel Ιεγλὸμ. Vide supra quæ notavimus ad vers 5. ❡ *Core*] vel, Cora. Sunt etiam qui Corach scribant, ut Noe, Noa & Noach: unde Corachus & Nochus, quod perperam efferunt Noachus.

15. *Isti sunt Duces filiorum Esau: Filii Eliphaz primogeniti Esau dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez.*

16. *Dux Core, dux Gatham, dux Amaleci: Hi sunt Duces Eliphaz in terra Edom: isti sunt filii Ada.*

Duces] ἡγεμόνες. Hos à regibus distinguunt per coronam. Dicunt enim certe, *Omnis Dux Rex est absque corona: Item, Rex vocatur cum est coronatus: Dux quando non est coronatus.* Ceterum coronam appellant אלוף. Onk. & Jonath. habent רברבי principes. R. Salomo, *capita familiarum*. ❡ *Filii Eliphaz*] υἱοὶ Ἐλιφάς, quod enarrant, ex filiis Eliphaz. Quidam, *isti sunt filii Eliphaz*. Putarim vertendum esse, Filiorum Eliphaz. Quod Galli dixerunt, *des enfans d'Eliphaz*. Nam repeti debet, *duces* Sων υἱῶν ex præcedentibus. *Dux Core*] Alius ab eo qui memoratur infra vers 18. Sunt qui putant eum supra in recensione filiorum Eliphaz præteritum fuisse. Quod mihi non videtur. Potius assentior Mercero scribenti fuisse nepotem Eliphaz: quem inter filios recenset Moses, quia nepotes sunt tanquam filii. Sic enim certe vocantur. Quod quia novum non est, ideo mirum videri nemini debet. ❡ *Duces Eliphaz*] Duces Idumæi ex filiis Eliphaz. ❡ *Filii Ada*] Quid? An Amalec filius Ada? Nam ei mater Thamna uxor Eliphaz concubina. Aut loquitur de majore parte: aut secutus est morem illius ævi, quo filii concubinarum justis uxoribus accensebantur. Sunt qui Core putant etiam fuisse filium Thamnæ. Alii opinantur, cum esset filius Oholibama, post obitum matris ab Ada fuisse adoptatum, cui opinioni adversatur, quod paulo post dux alius ejusdem nominis inter filios Oholibama connumeretur.

17. *Hi autem sunt filii Raguel filii Esau: dux Nahath, dux Zare, dux Samma, dux Meza: isti sunt duces Raguel in terra Edom, hi filii Basemath uxoris Esau.*

18. *Et hi sunt filii Oholibama uxoris Esau: dux Jeus, dux Jalam, dux Core: isti sunt duces Oholibama filia Ana uxoris Esau.*

19. *Hi sunt filii Esau, & hi sunt duces eorum: ipse est Edom.*

Filii Raguel] filii & duces. ❡ *Nahath*] hic legitur ναχὲθ in Edit. Rom. ❡ *Duces Raguel*] duces filiorum Raguel, aut ex filiis Raguel. ❡ *In terra Edom*] Jonathan, *quorum habitatio erat in terra Edom*, hoc est in Idumæa. ❡ *Duces Oholibama*] Duces ex filiis Oholibama uxoris Esau. ❡ *Jeus*] Græci hic habent Ιεουλ pro Ιεούς. ❡ *Duces eorum*] quorum? haud dubie filiorum Esau. Nam singuli in sua familia ducatum obtinuerunt. Fuerunt ergo quasi Patriarchæ & duces familiarum. ❡ *Ipse est Edom*] *Ipse est pater Idumæorum*, Jonathan.

20. *Isti sunt filii Seir Horæi habitatoris terræ illius, Lotan & Sobal, & Sebeon & Ana.*

21. *Et Dison & Aser & Disan: Hi sunt Duces Horæi filii Seir in terra Edom.*

Seir] Σηείρ: unde terra Seir & mons Seir, nisi antiquius illud nomen. Jonathan hic habet גבל Quod noto quia mons Seir ab eodem redditur mons Gebal: unde regio ista Gabalena nuncupata. Eusebius de locis, *Seir, mons in terra Edom, in qua habitavit Esau in regione Gabalena.* Hoc recte. Quod autem subjicit, *quæ ex eo quod Esau pilosus esset & hispidus Seir i. e. pilosi nomen invenit*, multis modis displicet. Non antea tantum Esau regio illa appellata fuit terra Seir. Adhæc Seir non est cognomen Esau, ut quidam arbitrantur; sed nomen proprium viri Horæi, qui quondam regionem illam posedit. ❡ *Horæi*] vel, Choræi. Ebraice חורי quod Hieron. *Horræi* & LXX. χοῤῥαίου, cum duplici R. Jonathan גנוסיא Genusia. Mox ubi codex Ebræus, *duces Horæi*, idem edidit, *principes Genusia*. Nisi fallor, in mente habuit dictionem חורים qua nobiles significant. Nam גנוס nobilis, generosus. ❡ *Habitatoris*] Incolæ. ❡ *Terræ illius*] terræ Seir, quæ post terra Edom & Idumæa dicta est. Jonathan, *qui prius habitabant terram illam*. ❡ *Lotan*] Λωτάν. ❡ *Sobal*] σωβάλ. Ebraice שובל, quod nunc scribunt Schobal. ❡ *Sebeon*] σεβεγών. Hic Hevæus dicitur supra vers. 2, unde colligunt Hevæos & Horæos eosdem esse. Quod firmant codices Græci. Nam Gen. 34. 2. ubi Aldus & Basiliensis Editio χοῤῥαῖος, ceteræ, hoc R & C habent εὐαῖος. Quod etiam legitur in textu Ebræo. ❡ *Ana*] ἀνά. Fuit alius hoc nomine filius *Sebeon*, infra vers 24. Nugatur R. Salomo cum scribit Sebeonem congressum fuisse cum matre sua, ut Ana idem & frater & filius fuerit. ❡ *Dison*] דישן. LXX δησών i. e. רישן, nisi mendum quale in Ιουδὴθ pro Ιουδείν. Editi ad E. C. λησών. Pro eo est דישן infra vers 26. In libro nominum, *Dison, calcabit eam: sed hoc Syro sermone. Ceterum Ebraice pinguedo interpretatur aut cinis i. e. favilla holocaustorum.* Lego, *calcavit eas*, quod est דש in lingua Chaldæorum. Cinis autem sive pinguedo דשן dicitur. Hodie Dischon. In eodem libro nominum, *Disan, fortis papilla.* putarim scribendum, *fortis pupilla*. די fortis: אישן pupilla. Papilla aliud est. ❡ *Aser*] nunc Eser. Græce autem Ασάρ. אצר Aser, אצר Asd. ❡ *Disan*] דישן Disan sive Dischan. Græce est ῥισών. error ex affinitate quæ inter Res & Daleth. In libro nominum, *Disan, similiter ut supra: Licet quidam putent fortem elephantem interpretari.* די fortis: שן dens, ebur, elephas, qui & elephantus, & pro ebore ponitur. Virg. *in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto*. Alioquin animal פיל dicitur. ❡ *Horæi*] i. e. Horæorum, חורי Sic Onkelos. Nam in Jonatha est גנוסיא Genusia, quod legendum per J consonam. LXX. τοῦ χοῤῥαίου. Hieron. *Horræi*. ❡ *Filii Seir*] οἱ υἱοὶ σηείρ. Male in LXX. τοῦ υἱοῦ σηείρ, ac si Horræus filius Seir fuisset. Repeti autem debet ex præcedentibus, *Hi sunt filii Seir*. ❡ *In terra Edom*] Jonathan, *filii Gabal, quorum habitatio fuit à seculis in terra Idumæorum.* Ad hunc versum annotat Mercerus, Seir esse cognomen Esau; qui sic dictus sit quasi pilosus & hispidus. Idem Hier. & alii prodiderunt. Horum autoritate motus ampliandum censeo, dum aliquis locum produxerit, ubi Esau ita cognominetur. Nam ego nondum invenire potui. Qui affirmat quippiam, debet probare quod affirmat. Nisi probaverit, nihil dicit. Ego certe vehementer ambigo, & inclino ut credam aliter esse. Horæi autem, ut Abenezra vult, dicti à candore, & est nomen familiæ ac gentis: unde & חורים ingenui, nobiles, generosi. Nam tales olim candidis vestiebantur. Sed forte à foraminibus appellati ut Troglodytæ. Sic Hevæi à serpentibus dicti putantur, quibus solitum habitare in foraminibus terræ. חויא certe in lingua Chaldæorum serpentem designat.

22. *Fueruntque filii Lotan; Hori & Hemam: Soror autem Lotan Thamna.*

Hori] Proprium viri. Supra, ubi familiæ aut gentis nomen erat, lectum החרי cum articulo. LXX. χοῤῥαί. Malim χοῤῥὶ vel χοῤῥεί. Nam ita variabant in Chirec longo. Testimonio sunt ἠλὶ & ἠλεὶ Deus mi: Ελιὰμ & Ελιεὰμ & alia sexcenta. חורי etiam legitur Gen. 14. & χοῤῥί, in Edit. Basiliensi, ea quæ in octavo filium complicat: credo & in aliis, una excepta Romana, ubi perspicue χοῤῥαὶ scriptum. ❡ *Hemam*] scribi debet hoc nomen cum M in fine. Quod noto quia in libris vulgatis Heman. Hunc errorem natum putarim ex compendio scribendi Hamam pro Hemam. Aut nomen minus notum in aliud notius mutatum est. Heman enim cantoris cujusdam nomen notius erat librariis. Ut ut sit, Græci quoque legunt αἰμάν. הימם αἰμὰν, ut אילן αἰλὰν: item ut גרשם γηρσὰν. Ceterum partim librorum αἰμὰμ habent, quod magis corruptum. Reperio & Ἐμάν. Puto hanc scripturam extare in editione Complutensi. Ceterum 1 Paralip. 1. 39. est הומם Homam i. e. ὁμάμ. ❡ *Soror Lotan*] Ex eadem matre, vel ex utroque parente. ❡ *Thamna*] Uxor concubina Eliphaz: cujus præcipue causa instituta creditur hæc genealogia. Sed & propter Oholibamam id factum esse putant.

23. *Et hi sunt filii Sobal, Alvan & Manahath & Ebal & Sepho & Onam.*

Alvan] עלון, quod Græci scriberent γαλουάν. Nunc autem est γωλὰμ & γωλὼμ & γωλὰμ in libris: & 1 Paralip. 1. 40. עלין Aljan, joth in vau conversa. ❡ *Manahath*] vel, Manachath. i. e. μαναχὰθ. Hoc postremum extat in codicibus Græcis. Latini habent Manahat, quod minus probo. Nam τὸ Thau, quod in fine nominis, respondet Græcum θ, quoad vim ac potestatem. Itaque veteres eam exprimere soliti sunt per t, aspiratum. Quanquam à תית Theta, ut à בית Beta. In textu Lyræ invenio Maneeth, quod esset Maneheth. Sæpe hoc modo aspirationis nota omittitur. ❡ *Ebal*] עיבל Ebal vel Aibal. עיבל Aibal, ut

ut עילם Ailam, qui & Elam. LXX. γαιβὴλ. alias γεβὴλ. Nam codices variant. In textu Lyræ Hebal, cum aspiratione. ❡ *Sepho*] צפו qui Sephi i. e. צפי 1 Par. 1. 40. Hodie Schepho & Schephi. Quæ scriptura clare distinguit hoc nomen a Sepho filio Eliphaz, de quo supra vers 11. Nam ibi est צפו in scriptura Ebraica. Sic dico, Sepho per S, Sin vocatur filius Sebal filii Seir Horei: Sepho autem per S, Sade est filius Eliphaz filii Esau. In textu Lyræ hic invenies Sephi, o in i mutata. Græci libri habent σωφάρ. ❡ *Onam*] cum M in ultima. Nam Ebraice אונם Male igitur Onan in libris Latinis. Græci habent ὠμάρ i. אומר, qui inter filios Eliphaz. Ita ergo corrige ὠνάμ. Nam talia scribis imputari debent, non interpretibus. Posset etiam legi αὐνὰμ ut Gen. 38. 4. אונן αὐνάν. Sic הושע Hause.

24. *Et hi sunt filii Sebeon, Aja & Ana: is est Ana qui invenit mulos in deserto, cum pasceret ipse asinos Sebeon patris sui.*

Aja & Ana] In Ebræo est ואיה וענה & Aja & Ana. Hic prius Vau in otio cubat; itaque omittitur 1 Paral. 1. 40. Sic alibi ורכב וסוס quod tamen alii enarrant, *tum currus tum equus*. Videndus R. Salomo. ❡ *Aja*] Græce est αἰέ. ❡ *Is est Ana*] Aquila, οὗτός ἐστιν ὁ ἀνάς. ענה ἀνάς, ut יהודה Judas, quod scribunt Ἰουδάς. Sic עקילס Aquila & Aquilas. Sym. οὗτός ἐστιν ὁ ἀνάν: ipse est Anan. Scribo ἀνὰ vel ἀνάς. Mihi vix dubium quin interpres ille alterutrum scripserit. ❡ *Qui invenit mulos*] Onkelos *qui invenit* גבריא, quod Fagius reddit *fortes*, & mulos denotari putat: ego *gigantes*. Nam inclino ut credam ipsum in mente habuisse אימים, quo certum genus gigantum significatur. Assentitur mihi sic sentienti Moses Gerundensis, cujus verba non pigebit adscribere, הימם, inquit, *Onkelos interpretatur gigantes. Videtur autem in ea opinione fuisse quod adversus Ana venerit natio gigantum, qui antiquitus Emim vocabantur, populus amplus & multus ut Anacim, & quod voluerint abigere asinos Sebeonis patris ipsius. Cum autem nemo in diserto ipsum juvaret, manus ejus invenit eos, juxta illud, Manus tua inveniet omnes hostes tuos: aut hoc dicit, invenit eos hoc est, incidit in eos & evasit. Nam erat notus ob robur & potentiam, & hoc rectum est.* Hactenus Gerundensis. Quæ adduxi ut lucem afferrem Onkelo, quem Fagius non bene intellexit. Nam muli nusquam גבריא vocantur, quod sciam. Passim autem gigantes eo nomine veniunt. Quod ita certum ut probationis non egeat. Pergamus ad alias Editiones. Jon. *Qui admisit greges ad asinas, & suo tempore invenit mulos qui egressi sunt ex illis*, si modo הרמכות sunt muli, de quo nihil mihi adhuc compertum. Nam alibi sign. palatia & magnificas ædes. Lxx. & Theodotio, ὃς εὗρε τ ἰαμείν. In ἰαμείμ agnosco erratum, si erratum est, quale in χερουβείν & σεραφείν: cui forte occasionem dedit Dialectus Syriaca, quæ M tale cum N permutat. Sic θεραφείν pro θεραφείμ. Sexcenta exempla sunt, si quis observare velit. Aquila, ὃς εὗρε σὺν τοῖς ἰαμείμ, qui invenit Jamim. Symmachus, ὃς εὗρε τὸς ἰαμείμ. Quanquam in editione Rom. Aquila & Sym. τὸς ἰαμείν. Potest fieri ut ita scripserint. Legitur & τὸς σ μείμ & σὺν τῷ σιμείμ, quæ in manifesto mendo cubant. Hieronymus, *qui invenit aquas calidas in solitudine.* הימם interpretatur aquas calidas. Quærenda causa hujus interpretationis. Fagius se nescire fatetur. Nam ימים significat maria, non aquas calidas. Audiamus ergo ipsum Hier. In Quæst. sive Tradit: Ebraicis ait, *Nonnulli putant aquas calidas juxta Punicæ Linguæ viciniam, quæ Ebrææ contermina est, hoc vocabulo signari.* Hos haut dubie secutus est Hier. sive quis alius autor editionis Vulgariæ. De Punico vocabulo nihil mihi liquet. Hoc tantum aquas calidas Ebraice dici חמים. Nam מים subintelligitur. Id antiqui legebant Εμείμ, ut חמת Emath, חוה Eva; in quibus neglecta aspiratio, culpa, ut arbitror, librariorum. Diodorus, ὁ σύρος καὶ ὁ ἑβραῖος τ ἰαμείν ὕδωρ βούλονται λέγειν. ἀντὶ τῦ, εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. Falsum. Nam aqua Ebraice מים, Syriace vero מיא dicitur. Fons autem עין & מעין appellatur. Theodoretus, *Syra editio habet eum hominem fontem invenisse. Nam fons Syrorum lingua Enam vocatur. Ubique autem in Ebraico invenies aquam vocari Emmaim.* i. e. המים. Hoc verum. Syram autem editionem quam dicat nescio. Nam qui Onk. aut Jonath. significari putant, vel hinc erroris convincuntur. ❡ *Mulos*] i. e. פרדים, sic interpretantur Judæi recentiores. Sed & partim eorum quos Thalmudistas vocant. Videndus Camius in Libro Radicum. R. Salomo, *invenit mulos. Asinum ad equam admisit, unde mulus generatus sit.* Moses Gerundensis, הימם *secundum quosdam doctores nostros in Thalmud sunt muli, ut hoc dicat, Cum pasceret asinos patris sui in deserto, erant ibi asini multi, qui quærebant asinas: ipse autem admisit eos ad equas, & genuerunt, & videtur quod hoc ei reputatum sit pro sapientia*, &c. In Hiscuni, *Omnis qui aures tenues habet, ejus mater fuit equa & pater asinus: quicunque vero aures crassas habet, ejus mater fuit asina & pater equus.* Hoc aliis expendendum relinquo. ❡ *Asinos*] החמורים, Lxx. τὰ ὑποζύγια i. e. jumenta. Peculiariter de asinis usurpatur, ut Matth. 21. καὶ τὸν πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου, ubi codex Ebræus habet, *filium asinarum* i. e. unius alicujus asinæ. Hieron. *asinas* i. e. האתנות. In textu Lyræ, *asinos*. In notis autem, Aliqui libri habent *asinas*: sed falsa est littera. Ceteri, *asinos*. Gen. 22. 3. חמור Lxx. τὴν ὄνον. Hier. *asinum*. Asina proprie אתון dicitur, pro quo in Tractatu Thalmudico de cultu idolorum fol. 20. pag. 2. ולא בחמור ולא בחמורה *neque asino neque asina*, ubi asina חמורה dicitur.

25. *Filii vero Ana Dison, & Oolibama filia Ana.*

Ana] Quarti filii Seir Horæi. ❡ *Dison*] דשן absque Joth & Vau. Lxx. δησών. Nota nomen בנים in numero multitudinis de uno dici, ut Latine, *Liberi*. Sic *filia Jacob* de una Dina. Vide Augustinum de Civit. Dei. lib. 16. cap. 40. ❡ *Filia Ana*] Cujus Anæ? Utrum ejus de quo hic sermo, qui fuit filius Seir? An potius Anæ filii Sebeonis? Nam Oholibama uxor Esau infra vocatur filia Anæ filia Sebeonis. Priorem sententiam secutus est interpres noster, vertens, *habuitque filium Dison & filiam Oolibama:* in quibus verbis nulla omnino ambiguitas. Ut autem hæc vera sint, necesse est fuisse duas Oholibamas, quarum utraque patrem habuerit Ana, videlicet una patrem Sebeonis, & altera fratrem ejusdem.

26. *Et isti filii Disan, Hamdan & Esban & Jethran & Charan.*

Disan] דישן. qui supra דשן. Unde Hier. *Dison*, & Lxx δησών, Suspicor autem eos initio scripsisse δεισών. Non proclivis sane lapsus de ει in η. Ceterum in textu Lyræ invenio *Disan*. ❡ *Hamdan*] vel Hemdan. Nam Ebraice חמדן. Sed antiqui legebant חמדן. 1 Paral. 1. 41. חמרן Hamran, ubi Res pro Daleth. Contra Melchi-sedec legebant pro Malchi-sedec. Quod nunc in libris מלכי־צדק. In Bibliis Græcis ἀμαδάν. Libentius scripserim ἁμαδὰν Hamadan, Hamdan, Hamadam, ut Esban, Eseban. Sic Hesbon, Hesebon. Antiqui libri scribunt Amdan, sine aspiratione. Memineris autem hujus nominis ultimam esse N, non M. ❡ *Esban*] vel Asban, quod Græce est ἀσβάν. Esban, Asban, ut Hemdan Hamdan. Ebraice אשבן. Invenitur & Eseban. Quale est Hamadan. Esban invenies in textu Lyræ. ❡ *Jethran*] vel Ithran. Sic enim certe Græci Lxx. ἰθράν, & ei simile est ישראל Israel, ἰσραήλ. Ebraice יתרן Jithran. Ultima est N. ❡ *Charan*] כרן Cheran vel Charan. Lxx. χαῤῥάν. Nam libenter geminant ρ, in medio dictionis. Cave hunc confundas cum חרן Charan sive Haran. Hic est Heth in principio, ibi Chaph.

27. *Isti filii Eser, Balahan, & Zavan & Acan.*

28. *Isti filii Disan, Us & Aran.*

Eser] vel, Aser. אצר Eser, ut עדן Eden. Lxx. Ἀσάρ, Asar. Eser invenies hoc loco in editione Hier. ut & Aser supra vers. 20. ❡ *Balahan*] nunc Bilhan; quod scribunt בלהן. Libri veteres Balaan. Scribi debet hoc nomen cum N in fine. Quod noto, quia in Bibliis Græcis βαλαάμ i. בלעם. Cave ista confundas. Contractius leges Balan, elisa he cum sua vocali. Ad quod exemplum occurrit Bala pro Balaha sive Bilha. ❡ *Zavan*] זעון Zavan, ut יעקב Jacob. Nihil impedit quo minus etiam scribatur Zaavan. In editione Græca ζουκάμ & ἰουκάμ, quæ ambo in mendo cubant. ❡ *Acan*] עקן Acan. Male Achan in textu Lyræ. Hic 1 Paral. 1. 41. יעקן Jaacan vocatur. Lxx. habent ἰκάμ. alias ἰωκάμ. Tu corrige ἀκάν vel ἰακάν. Achan, qui & Achar, alius est. Vid. 1 Paral. 2. 7. ❡ *Disan*] Septimi & ultimi filiorum Seir Horæi, qui ubique Disan vocatur. Quintus etiam Disan, [illegible] frequentius Dison appellatur. Ceterum Lxx. hic habent ῥισών, Rison. Dison, Rison, ut Hamdan, Hamran, ut Dodanim, Rodanim. ❡ *Us*] vulgo, Hus. Græce autem hic est, ὤς, Hos, & alibi οὔς, Us, ut etiam in libro nominum. Ab hoc appellationem accepit, ut credibile est, *terra Us*, patria Jobi, cujus mentio & Thren. 4. 21. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Us.* Quanquam Nicolaus diversam esse censet. Legitur & Aus, unde Ausitis regio. עוץ Aux, ut בוז Bauz; quod scribunt βαῦζ Genes. 22. 21. ❡ *Aran*] ἀῤῥάν. Ebraice & Chaldaice in Onkelo ארן. Sed in Jonatha ארם cum M in fine. Suspicor erratum esse chalcographiæ.

29. *Hi sunt duces Horæorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana.*

30. *Dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti, inquam, duces Horæorum per duces suos in terra Seir.*

Horæorum] החרי Horæi. i. Horæorum. Onkelos, חוראי, Jonathan, גנוסאי. Lxx. χοῤῥί. i. e. חרי, quod certa de causa displicet. Nam חרי absque articulo nomen est viri proprium, non gentis. Quæ cum Ebræi distinguant, Græci non debent ea confundere. Malim ergo, τῦ χοῤῥί. ❡ *Per duces suos*] vel, *secundum duces suos.* Ebraice לאלפיהם. Lxx, ἐν ταῖς ἡγεμονίαις αὐτῶν, in ducatibus eorum. Sic etiam Tremellius. Gallica editio, *comme estoient leurs Ducs établis.* Hier. *qui imperaverunt*

runt. ❡ *In terra Seir*] Lxx. ἐν γῇ Ἐδώμ. Jonathan, *in regione Gabalena.*

31. *Porro hi sunt Reges qui regnarunt in terra Edom, antequam regnaret Rex super filios Israel.*

32. *Primus regnavit in Edom Bela filius Beor, & nomen urbis ejus Denhaba.*

Super filios Israel[לבני ישראל filiis Israel. Quod ita dicitur ut regnare oppidis. Cicero, *Timarchidem in Sicilia omnibus oppidis per triennium scito regnasse.* Dicunt etiam, *regnare in filiis Israel.* Idem Cicero, *Equitum centurias tenes, in quis regnas.* Lxx. πρὸ τοῦ βασιλεῦσαι βασιλέα ἐν Ἰσραήλ. Est cur malim, πρὸ τοῦ βασιλεῦσαι βασιλέα υἱῶν Ἰσραήλ. Sic dicunt, ἐβασίλευσε τῶν λαῶν. Ad quorum imitationem legitur apud Horatium, *regnavit populorum. Super filios Israel*, i.e. על בני ישראל. Docte Hieron. *antequam haberent Regem filii Israel.* ❡ *Bela*] vel, *Bala*: unde Βαλὰκ in libris Græcorum. Veritas Scripturæ Βαλά. Nam Balac i.e. בלק rex Moabitarum, qui Balaamum conduxit ad maledicendum Israeli. Vid. Jud. 11. 25. & Mich. 6. 5. Cave hos confundas. Quod faciunt nonnulli, quibus imposuit falsa scriptura, quam invenies & in textu Lyræ. Unde Glossa illa, *Iste non est Balac, qui conduxit Balaam, ut habetur Num. 22. Quod patet ex hoc quod iste dicitur filius Beor: ille autem filius Sephor: item, quod iste dicitur rex Edom, ille autem fuit rex Moab.* Vide quid sit corruptis uti codicibus. Jonathan hoc loco habet בלעם Balaam, quod mihi suspectum de vitio. Nam in versu proxime sequenti scriptum lectum בלע Bela. Sunt alii qui Bela regem cum Balaam confundunt, qui tamen non rex fuit, sed divinus, natione Syrus, non Idumæus. Videndus Abenezra in Comment. ad hunc locum. ❡ *Beor*] בעור Βεώρ. Duo fuerunt hoc nomine. Pater Belæ regis, qui gente Idumæus fuit: & Pater Balaami divini, qui natione fuit Syrus. ❡ *Nomen urbis ejus*] vel in qua natus est, vel in qua regnavit. Jonathan, *nomen urbis qua fuit domus regni* i.e. regia *ejus.* ❡ *Denhaba*] Ante legebatur Denaha. In editione Græca habetur Δενναβά cum duplici N. Scribi etiam potest Dinhaba. Nam Ebraice דנהבה cum he paragogico. In Quæst. Hier. *Dannaba*: quas te adire cupio.

33. *Mortuus est autem Bela, & regnavit pro eo Jobab filius Zara ex Bosra.*

Jobab] Ἰωβάβ, quod scribunt יובב. Hunc eundem faciunt cum Job Augustinus ad hunc locum. Ambrosius super epistolam ad Rom. Theodoretus & alii: meo judicio, non recte. Hier. in Quæst. Ebra. *Hunc quidam suspicantur esse Job, ut in fine voluminis ejus additum est. Contra Ebræi asserunt de Nachor eum stirpe generatum, ut jam supra dictum est.* Abenezra, *Jobab filius Zara non est Iob, quemadmodum dixit Ishanturbator.* ❡ *Zara*] Obliquus ex Zara. Nam etiam Græci habent Ζαρά. Alioqui non male scriberetur Zare, absque diphthongo. זרח Zare, ut תרח Thare. His adde, si placet, Zera & Zerach & Zarach. Nam ultima est Heth. Pro Jobab, quem nonnulli Jubam appellitant, est ubi reperiatur Joab manifesto errore exscribentium. Nam Joab alius est. ❡ *Ex Bosra*] Lxx ἐκ Βοσόῤῥας, ex Bosorra. Alibi est Βοσορρά, eodem sensu. R. David in Comment. Mich. 2. 12. ait esse urbem magnam in Idumæa, terramque pascuam. R. vero Salomo ait esse urbem regionis Moab, Idumææ conterminam, aut potius in medio utriusque regionis, eamque ob causam interdum Idumææ adscribi. Sunt qui duas Bosras fuisse scribunt. Vid. Mas. in Jos. p. 307.

34. *Mortuusque est Jobab & regnavit pro eo Husam ex terra Themanorum.*

Husam] vel, Chusam i.e. חשם. In Lxx. Ἀσώμ, quod scribes Hasom cum aspiratione. ❡ *Ex terra Themanorum*] ἐκ γῆς Θαιμανῶν. Hier. Lxx. *ex terra australi.* Onkelos, Jonathan. *Ex regione Themanei populi.* Trem. *ex regione illa Themanita.* Editio Gallica. ❡ *Themanorum*] vel potius, Themanæorum, aut Themanitarum. תימני ex urbe an regione Theman? Eusebius de Locis, *Theman, regio principum Edom in terra Gebalitica, à Theman filio Eliphaz, filii Esau sortita vocabulum: Sed & usque hodie est villa nomine Theman distans ab urbe Petra quinque millibus: ubi & Romanorum militum præsidium sedet.* Mercerus Amos 1. 12. ad locum, *Immittam ignem in Theman*, annotat Metropolim Idumææ ita dici à Theman filio Eliphaz, filii Esau. Sequitur in Eusebio, *sciendum autem quod omnis australis regio Theman dicitur.* Eadem vocatur Daron & Nageb, teste Hier. eo quod Eurum & Austrum Africumque respiciat. Scribit hoc in Comment. Amos 1. Quod noto, quia Onkelos & Ionathan hoc loco habent בארע דרום in terra Daron. Porro תימני valet, Themanorum, חורי Horæorum. Nam quod Galli ediderunt, *Husan, ex terra illa, Themanita*, coactum nimis est.

35. *Et mortuus est Husam, & regnavit pro eo Hadad filius Badad qui percussit Madianitas in agro Moab: & nomen urbis ejus Avith.*

Hadad] vulgo Adad, Ἀδάδ. Ebraice הדד Hadad. Additum autem, *filius Badad*, διαφορᾶς ἕνεκα. Nam fuerunt alii hoc nomine. ❡ *Badad*] vel, *Bedad.* In textu Lyræ, *Badadi.* Ceterum Lxx. habent Βαράδ, Res pro Daleth legentes. Qui error frequens est in eorum libris. ❡ *Percussit*] *occidit.* Onk. & Ion. ❡ *Madianitas*] ית מדין τὴν Μαδιὰμ i.e. Madianitas, quod Onkelos & Ionathan dixerunt מדינאי Madianæos. מדין Madian, ut מרים Mariam. Sic מגדל Magdal, unde Magdalene. Græci habent Μαδιὰμ, quod mendum est, quale in Ἐδώμ pro Ἐδών. Eusebius de Locis, *Madian urbs ab uno filiorum Abraham ex Cetura sic vocata. Est autem trans Arabiam ad Meridiem in deserto Saracenorum contra orientem maris rubri: unde vocantur Madianæi & Madianæa regio.* Vide sequentia. *Madian*, Madianitæ, ut *Israel* Israelitæ. Alioqui מדינים sunt Madianitæ, ut Gen. 37. 36. Ubi in Lxx. Μαδιηναῖοι; & in Scholio Ἰσμαηλῖται. In libro Nominum, *Madianæi* vel *Madianita*, *dijudicantes.* ❡ *In agro Moab*] Hier. *in regione Moab.* Optime ac rectissime. Nam ager & regio permutantur. Ioh. 4. 35. *Spectate regiones* i.e. agros. Ager Moab, ut ager Syriæ, ager Soar. Quod postremum occurrit Ps. 78. 12. ubi Hier. *in regione Taneos*, ἐν χώρᾳ Τάνεως. Porro Lxx. hic habent ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ: Onkelos vero & Ionathan בחקלי מואב in agris Moab. Nam ibi conflixit cum eis justo prelio. Idem Ionathan. ❡ *Urbis ejus*] *Regia ejus*, Ionathan. ❡ *Avith*] עוית. In libris Græcis Γεθθαίμ, alias Γεθθίμ. Sic editi ad E. C. tu emenda Αὐίθ, ut Δαυίδ scribimus i.e. David. Vel, Αἰθ ut Δαβίδ.

36. *Mortuusque est Hadad, & regnavit pro eo Semla ex Masreca.*

37. *Et mortuus est Semla, & regnavit pro eo Saul ex Rohoboth fluminis.*

Semla] vel *Samla* i.e. שמלה quod nunc in codicibus Ebræis. Samla, Semla, ut מלכי, Melchi. Legitur & שמלה. Sed tunc appellativum est, vestem vel pallium significans. Literis inversis est שלמה idem. In Lxx. Σαμαδά, ubi δ pro λ. Nam esset Σαμαλά. Samla, Samala, ut Hamdan, Hamadan. Porro d & l in Latio alternant ut Cassida, Cassila. An etiam apud Græcos? ❡ *Masreca*] Minus recte *Mastecha* in textu Lyræ. Nec melius Μασσεκκά in editione Græca. Esset autem Μασρεκά vel certe Μασερεκά. Vox hæc in Lingua sapientum sign. pectinem, qui & מסרק dicitur. ❡ *Saul*] Σαούλ. ❡ *Fluminis*] הנהר τοῦ ποταμοῦ. ❡ *Rohoboth*] vel *Rechoboth.* Nam Ebraice רחבות Rohoboth, Rechoboth, ut Rahab, Rachab. Invenitur & Roboth, quod est contractum ex Rooboth. Male autem est in Libris Robooth. In textu Lyræ, *Saul de fluvio Roboth.* Verba sunt Hiero. qui putavit Rohoboth esse nomen fluvii.

38. *Et mortuus est Saul & regnavit pro eo Balhanan filius Achobor.*

Balhanan] בעל חנן Baal-Hanan, & contractius Balhanam. Sic Bel dicebant pro Beel. Sic חניבעל Annibal, in quo Bal pro Baal. In edit. Vulgata Balanan. LXX. Βαλλενών, Ballenon. In libro nominum, *Balaannan* (scripserim Baalannam) habens gratiam. בעל habens i. ἔχων, חן gratiam i. χάριν. ❡ *Achobor*] Ἀχοβώρ. Hodie Achbor. Nam Ebraice עכבור. Reperies & Achabor per a in penultima. In libro Nominum Achabor, mus. עכבר.

39. *Et mortuus est Balhanan, regnavitque pro eo Hadar, & nomen urbis ejus Phau, & nomen uxoris ejus, Mehetabel filia Matred, filia Mezahab.*

Hadar] הדר pro quo Hadad הדד 1 Paral. 1. 50. Fuit hic Regum Idumæorum octavus, qui in Idumæa regnarunt usque ad ætatem Mosi, quem supra vers 31. regis vocabulo significari volunt. Quomodo etiam vocatur, ut Hiscuni annotat Deut. 33. 5. Sane Reges aliquando vocantur duces, & qui cum imperio sunt, ut præsides & gubernatores. Vid. Jud. 17. 6. Nihil tamen impedit ut exponamus, *antequam regnaret Rex filiis Israel*, de Saule. Non quod plures non fuerint, sed Moses tantum eos recenset, qui ad suum usque tempus regnarunt. Nam alios qui nominare potuit, cum nondum natus esset. Futuros autem aliquando Reges in Israel discere potuit vel ex prophetia Jacobi, tum etiam ex promissionibus Dei Patriarchis factis, sive ex benedictione illa. *Reges orientur ex te &c.* Cæterum pro Adar, in Lxx. est Ἀράδ υἱὸς Βαράδ, & in Lyra, Adar filius Badadi. Josephus plures recenset. Sed tamen regiam dignitatem desiisse in Hadar, patet ex 1 Paral. 1. 51. *Mortuo Hadad fuerunt duces Esau &c.* ❡ *Phau*] Φαοῦ, quod manus imperita in Φογώρ corrupit, i. e. פעו. Forte interpretes ediderunt Φαὰ aut Φαγοῦ, vel certe Φαγαῦ. פעו, Φαγαῦ ut עשו Ἡσαῦ.

φαού. Dicitur & Phai i. e. פעי, Vau in Jod versa 1 Paral. 1. 50. ¶ *Mehetabel*] מְהֵיטַבְאֵל Mehetabel, quod scribunt Meetabel. Perperam in nonnullis editionibus est Meezabel. Scribi etiam potest Metabeel. Græci habent μετεβεὴλ Metebeel. Est autem compositio nominis ex מטיב benefaciens, & אל Deus, quasi tu dicas Theodosiam. ¶ *Matred*] מַטְרֵד Malo ut sit viri nomen quam fœminæ. Ei affine nomen Mithridates, quod scribunt מִתְרְדָת Græci habent ματραιθ pro ματρεὶδ, vel ματρὶδ. ¶ *Filia Mezahab*] i. e. neptis. Simile, *Oholibama filia Ana, filia Sebeonis*. Galli dicunt, *petite fille*. Onkelos & Jonathan, *filia excoctoris auri* i. e. aurifabri seu aurificis. Sic etiam exponit R. Saadias. Scire licet in Jonatha esse זהבא pro דהבא vel certe דהבא. Mezahab, Latine sonat ut si dicas, aqua aurea. מי aqua זהב aurum. Græce est ὑδῶ μαιζοὰβ. Hic duo sunt archaismi. Primum μαι pro μὴ, ut ματραὶδ pro ματρὶδ. Deinde ζοὰβ pro Zahab, ut אָדָם ἀδάμ. קָרְבָּן Corbona, κορβονᾶ. In Hier. *filia Mezaab*. זאב Zaab, ut רהב Raab. Textus Lyræ habet, *Amizaab*. Ceterum aurificem vocant Chaldæi צָרִיף דהבא excoctorem auri. Ebræi צורף זהב. Videndus Abenezra.

40. *Hæc autem sunt nomina ducum Esau, per familias suas, per loca sua, nominibus suis: dux Thamna, dux Alva, dux Tetheth.*

41. *Dux Oholibama, dux Ela, dux Phinon.*

42. *Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar.*

43. *Dux Magdiel, dux Iram: Hi sunt duces Edom per sedes suas in terra possessionis eorum: ipse est Esau pater Edom.*

Per familias suas] vel, *secundum familias eorum*. Sic mox, *secundum loca eorum*: quod Græci dixerunt, κατὰ τόπον αὐτῶν. ¶ *Nominibus suis*] בשמתם in nominibus suis. Gallica editio, *secundum nomina eorum*. בשמתם Hiero. *vocabulis suis*. Tremell. *nuncupata illorum nominibus*. ¶ *Dux Thamna*] Si viri nomen, vertendum erit Gallice, *le duc Thamna*: Si loci, verti debebit, *le duc de Thamna*: sicut dicimus, *le duc de Nemours, ou de Bourgongne, ou Flandre*. Sunt qui locum ita vocatum existimant à Thamna concubina Eliphaz filii Esau. Sed magis ut sit nomen proprium viri. Nicolaus ad hunc locum, *Thamna & Oholibama non sunt hic nomina mulierum, sed virorum, quia in Ebræo bene inveniuntur aliqua nomina propria, quæ sunt æquivoca ad virum & mulierem: tamen secundum veritatem Ebraicam prout hic describitur, pro viro aliter punctatum in Ebræo, quam ubi supra ponitur pro muliere: sed ista differentia non est bene perceptibilis in Latino.* Ego nullam video differentiam, nisi quod Thamna, cum est nomen mulieris, habeat (-) breve in ultima: Thamna vero cum virum significat, notatur vocali longa Camets. ¶ *Alva*] 1 Par. 1. 51. In Scriptura est עַלְיָה Alja, & in lectione עַלְוָה Alva. Unde Nicolaus, *Alva in Paral. nominatur Alja*, quod ibi perperam scriptum Aliha. Idem notarunt interpretes è Sabaudia. In Lxx. γωλά. Sunt qui urbis nomen esse prodiderunt. Quibus adversantur editiones Chaldaicæ, in queis רַבָּא עַלְוָה Nam si loci nomen esset, dixissent meo judicio רבא דעלוה ita mihi videtur. Sit cuique liberum judicium suum. ¶ *Ietheth*] יְתֵת perperam ἰεθὲρ in codicibus Græcis. ¶ *Oholibama*] *Viri nomen*. Abenezra & alii: *loci*, Mercerus, Eusebius. Verba Eusebii in libro locorum, *Oolibama civitas principum Edom*. Abenezra addit posse intelligi de duce, qui ex Oholibama uxore Esau descenderit. Sic dux Thamna, qui genus suum referebat ad Thamna uxorem concubinam Eliphaz. Non probo. ¶ *Ela*] Lxx. ἠλὰς, quod perperam aspirant. Ela, ἠλὰς, ut Juda Ἰουδὰς, Oholibama, Ολιβαμὰς & alia sexcenta. Ebraice אֵלָה. ¶ *Phinon*] פִּינֹן Φινὼν. ¶ *Cenez*.] κενὲζ. Ebraice קְנַז Cenaz. Sic etiam Chaldæi scribunt. ¶ *Dux Theman*] hic caussa magna est dubitandi, sitne vertendum *le Duc Theman*, an potius, *le Duc de Theman*. Nam loci nomen esse Theman extra omnem controversiam est. Hic tamen videtur esse viri proprium, à quo fortasse Metropolis Idumææ sic appellata. Vide quæ scripsimus ad versum 11 hujus capitis. ¶ *Mabsar*] מִבְצָר Mabsar, ut מִרְיָם Mariam: item ut מִגְדָּל Magdal. Græce est μαζὰρ. Vox Ebræa notat munitionem i. e. ὀχύρωμα: unde Mabsar Tyri pro quo Aquila & Symmachus interpretati sunt munitam Tyrum. Autor Eusebius in libro de locis Ebraicis, ubi & illud, *Mabsar usque ad præsentem diem vicus grandis est, & appellatur Mabsara ad urbem Petram pertinens*. In libro Nominum, qui vulgo Philoni attribuitur, *Mabzar munita*: ex quo emendandos putarim codices Græcos, nisi quod malim scribi μαβσὰρ per σ non per ζ. ¶ *Magdiel*] מַגְדִּיאֵל Lxx. μαγεδιὴλ. Nomen viri. Jonathan, *vocabatur Magdiel de nomine urbis suæ, quæ turris valida erat*. Loci. Eusebius, *Magdiel in regione Gabalena possessa olim à ducibus Edom*. R. Salomo, *Hæc est Tyrus*. צור. Sic editio Veneta, quæ in quarto & octavo folium complicat, nam in aliis רומי i. e. Roma. Nicolaus, *Ebræi dicunt, quod ab isto descendit Regnum Romanorum*. Ubi hoc dicunt? aut quis Ebræorum id litteris prodidit? Videndi sunt R. Salomo & Moses Gerundensis. ¶ *Iram*] עִירָם Vulgo Hiram i. e. חִירָם Non sunt hæc nomina confundenda. עירם cum appellativum est, signif. civitas eorum. Hic proprium nomen esse docent nos Massoritæ, hac nota marginali ל שם גבר ולית Non est alibi nomen viri. Porro autem Græci hic legunt ζαφωὶν Zaphoin. Quid viderunt cùm ita legerent? An est mendum librariorum pro ἰηρὰμ? ¶ *Per sedes suas*] vel, *secundum habitationes suas*. ¶ *Pater Edom*] Autor gentis Idumææ. ¶ *Edom*] *Idumæorum*. Onkelos & Jonathan. Etiam Hieronymus.

AMAMA.

24. Ebr. *Ille est Ana qui invenit in deserto* את־הימם. Vulg. *Aquas calidas*. Locum difficilem excipit alius non minus difficilis ob vocem ἅπαξ λεγομένην, quam Massora notare solet per literam ל i. לית *non extat amplius*. Ita tamen hic à Vulgato exorbitatum est, ut ejus versioni nullum præstari queat patrocinium. Mulos reddunt vulgo, alii vocem Ebræam retinent, solus Vulgatus *aquas* reddit .i. מים cum additamento adjectivi *calidas*. Sed audias quæso Hieronymum & patere me quædam interseri; *Multa & varia apud Ebræos de hoc capitulo disputantur; apud Græcos quippe & nostros super hoc silentium est. Alii putant Iamim* [Ecce legit sine punctis ימים pro *Iemim*] *maria appellata. Iisdem enim literis* [verum, sed non iisdem vocalibus, quas Hieronymus non habuit ascriptas, Maria enim non ימים sed יַמִּים vocantur] *scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ juxta idioma linguæ Ebrææ maria nuncupantur, quod scilicet stagnum repererit, cujus rei inventio in Eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Ebrææ contermina est hoc vocabulo signari.* [Vides fundamentum Vulgatæ versionis, quod eadem facilitate quis negaverit, qua affirmatur] *Plerique putant quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur. Aquila vero, Symmachus, LXX. Theodotio* [contraho verba Hieronymi.] *vocem Ebræam retinuere. Illi quidem, Aquila, Symm.* τὸς ἰαμεὶν [ita habet Edit. Rom. pro qua in aliis est ἐαμεὶν] *hi vero* τὸ ἰαμεὶμ. Hæc Hieronymus. Ex quibus apparet quid forte spectarit Vulgatus dum sic vertit. Cl. Drusius aliam conjecturam prodidit. Putat enim decipi potuisse Vulgatum affinitate soni qui inter hanc vocem & חַמִּים. Ea vox *calidas* significat & sub. aquas. Jam vero חמים legi potuit Hemim vel Emim ut, חמת Emath, חוה Eva. Observatio acuta, quæ tamen nihil patrocinatur vulgario Interpreti. Ea quæ *mulos* reddit receptissima est. Eam secuti Pagninus, Fagius, Tigurini, Lyra, Vatablus, Mercerus, Drusius, Iunius & Trem. Cajet. (*a*) Steuchus &c. Huic & Angli in nova versione sua suffragantur, Ebræi etiam ad unum fere omnes פרדים .i. mulos exponunt, ut R. Sal. Aben. Kimchi, Gerundensis, Abenmelech, Jonathan quoque in sua Paraphrasi. De Onkeli interpretamento multum video ambigi. Vertit enim גבריא fortes. Illud ad mulos trahit Fagius, quod animalia robusta sint. Verum melius illi sentiunt, meo quidem judicio, qui Onkelon Gigantes denotasse & pro voce affini אימים accepisse arbitrantur. Communem sententiam verbis sequentibus, *cum pasceret asinos* &c. firmari fatetur Lyra, quibus artificiosi hujus inventi quasi occasio ob oculos ponitur. Idem videtur suadere vox מצא *invenit* q. d. arte & industria sua rationem excogitavit, qua ex admissura equi & asinæ muli procrearentur. Claudam si ex Cl. Drusio locum Hiscuni ascripsero de mulis, *Omnes qui aures tenues habent, eorum mater fuit equa & pater asinus; quorum aures crassæ, eorum mater fuit asina & pater equus*. Illud an verum sit Itali norint, ii dijudicent.

37. Ebr. מרחבות הנהר. Vulg. *De fluvio Rehoboth*. Pervertit hunc locum Vulgatus dum ex civitate fluvium facit inaudita Metamorphosi. Ambiguitas fateor Ebraicis vocibus inest per se, sed quam facile sustuleris. Potest enim sic capi, *de Rehoboth fluvio*, & sic, *de Rehoboth fluvii*. Illo modo vertit Vulgatus, unde necessario sequitur Rehoboth nomen fluvii esse. At ubi locus ei assignabitur in hoc universo, aut ubi assignatus? Civitatem vero facile inveniemus præter eam quæ absolute vocatur Rehoboth

(*a*) *Advertendum*, inquit, *hoc loco nec Hiero. nec Lxx. cum Ebr. veritate sentire. Nulla hoc loco de calidis aquis fit mentio.*

Rehoboth Gen. 10. 11. Sic enim Eusebium de locis Ebr. introducit in comment. suo ad loca diff. Drusius, *Rehoboth urbs alia juxta fluvium, ubi erat Rex Edom* (legendum, unde erat Saul Rex Edom) *& usque hodie est præsidium in regione Gabalena & vicus grandis qui hoc vocabulo nuncupatur.* Contra Vulgatum sunt Chaldæus uterque & LXX. quorum illi מרחובות דעל פרת de Rehoboth quæ juxta Euphratem, is enim fluvius quasi καῒ ἐξοχὴν vocatur הנהר in sacris : Hi vero ἐκ Ῥοωβὼθ τῆς παρὰ ποταμόν. Sunt tamen qui opinioni huic non subscribunt, sed putant loci alicujus nomen esse sic appellatum. Sunt qui cum Rehoboth Gen. 10. confundunt. At tamen à Vulgato, qui fluvii nomen ex eo facit, sat longe abeunt. Ut à postrema hac opinione præsidium ullum habere nequeant ejus cultores.

GROTIUS.

1. HÆ *sunt autem generationes Esau*] Obiter hoc attexere Moses rebus Jacobi voluit, ut Jacobi posteritas Idumæorum fines nosset, eisque abstineret, exceptis eis qui erant Amalecitarum. Vide infra XVII. 14. & Deut. XXIII. 7.

21. *Ana*] Nomen est masculinum & femininum, ut & Thamna.

24. *Invenit aquas calidas*] Legit חמים, aut החמה : at nos ימים, id est, mulos. Græci Hebræam vocem retinuere ἰαμείν.

31. *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom*] Hi qui sequuntur reges non ab Esavo sunt, sed gentis alterius. Ita Maimonides. Reges autem à ducibus eo differebant, quod coronam habebant. Horum autem regum gravis memoria documentum erat Israëlitis, ne sibi alienigenam imponerent.

Antequam haberent regem filii Israel] Priusquam Israëlis posteri terram Chananæam ac vicinas sunt adepti, ante quod tempus regem ipsis facere non licuit. Deuter. XVII. 14.

38. *Balanan*] בעל חנן plane idem nomen quod Hannibal, sed inversum.

41. *Theman*] Unde populus Themanæi Herodoto.

CARTWRIGHTUS.

2. ADah *filiam Elon.*] Supra cap. 26. 34. vocata est *Bashemath*; binominis igitur fuit, ut notat Aben Ezra. R. Salom. ait *Adah* vocatam fuisse *Bashemath*, quod aromata (quæ Hebraice vocantur בשמים *Beshamim*) idolis incenderet. Sed hæc nominis ratio non nisi vocum inter se similitudine, levi certe fundamento, nititur.

Et Aholibamah.] R. Salom. ait eam esse *Jehudith* (de qua cap. 26. 34.) ac Esavum (quem vocat הרשע, i. e. *impium illum*) eam vocasse Jehudith (quod confessionem sonat) quasi ea idololatriam suam abnegasset, ut ita patrem suum deciperet.

Filiam Anah, filiam Zibeon Hivai.] *Invenimus* (inquit Aben Ezra) *Anah fuisse fratrem Zibeon* (ver. 20.) *item filium ejus* (Zibeon) *vocatum fuisse Anah* (vers. 24. & 29.) Hinc colligit, vel patrem & filium, vel duos fratres cum eadem muliere congressos esse, nec discerni potuisse, uter eorum pater esset qui ex ea geniti erant. Addit forte hanc Aholibamah fuisse filiam Anah, qui fuit filius Zibeon, ac Scripturam eam patri simul ac avo tribuere, ut inter duos Anas distingueretur. Manasses in Concil. refert R. Isaacum Aramam, & Abrabaneelem dicere, Zibeonem cum nuru sua incestum commisisse, atque inde natam Aholibamam; quæ propterea vocatur filia Anæ, quod is pater ejus putabatur, cum matris ejus maritus esset; & filia Zibeonis, quod is ejus pater revera fuerit. Idem testatur R. Levi Ben Gersom existimare, Aholibamam ex Ana fuisse genitam, vocari autem & filiam Zibeonis, quod ab eo esset educata; quemadmodum filii Merab ob istam rationem vocantur filii Michal, 2 Sam. 2. 8. Refert denique Manasses Rabbenu, Tam velle nomen Anah hic esse nomen fœminæ, quæ fuit filia Zibeonis. Ita quidem nulla in verbis esset difficultas; sed minus probabilis ista opinio, cum quod Scriptura non soleat omisso patre matrem commemorare, tum quod *Ana* sæpius infra in hoc capite memoratus, nempe ver. 20. & 24. & 29. semper vir fuisse ostenditur. LXX θυγατρὸς Ἀνὰ τοῦ υἱοῦ Σεβεγὼν, *Filiam Ana, filii Sebegon.* Videntur legisse בן pro בת. Mercerus notat vulgatum interpretem eodem etiam modo legisse; at id in dubio esse videtur. In textu enim reperio, *filii*, at in margine, *filia*. Lyra legit, *filiam Ana, filiam* (nonnulli codices mendose habent, *filia*) *Sibeon.* Movet enim quæstionem, quomodo Aholibama dicatur filia duorum, scil. patris & filii; & improbata Hebræorum opinione de incestu, dicit forte fuisse filiam Anæ naturalem, Sebeonis autem adoptivam, quemadmodum Ephraim & Manasses Josephi naturales filii, Jacobi autem adoptivi fuerunt. Vel posse dici eam avi filiam appellari, quemadmodum Laban filios filiarum suarum, filios suos appellavit. Hoc etiam Mercero placuit, & est quidem vulgare Hebræorum dictum, quod multis Scripturæ locis confirmatur, בני בנים הם כבנים, i. e. *filii filiorum sunt quasi filii, vel pro filiis habentur.* Nescio tamen an hic dictum istud locum habeat. Sic enim satis fuisset dicere, *filiam Zibeon*, quemadmodum 2 Paral. 22. 2. *Athalia* vocatur *filia Omri*, qui ejus avus fuit; erat enim filia *Ahab*, ut est cap 21. 6. R. Levi adversus istam expositionem objicit, tunc dicendum fuisse, בת ענה בן צבעון, *filiam Ana, filii Zibeonis.* Mercerus respondet Scripturam dixisse filiam Anæ, filiam Zibeonis, ut commodior fieret distinctio inter utrumque Anam, filium nempe & fratrem Zibeonis, ut infra legitur, ne quis statim ubi audiret Aholibamam filiam Anæ, filiam dici putaret Anæ fratris Zibeonis, additum esse, filiam Zibeonis. At distinctio ista æque perspicua, imo magis perspicua esset, si diceretur, filiam Anæ filii Zibeonis, nec ita ullus in verbis scrupulus remaneret. Manasses huic objectioni respondens quid sibi voluerit haud scio; asserit in Scriptura propter inclusa haud dubie mysteria, quæ optima (scilicet) intelligunt Cabbalistæ, sæpius literam pro litera esse positam, quasi scilicet hic בת pro בן diceretur, nec tamen ullum Scripturæ locum profert, ubi istiusmodi literarum mutatio inveniatur. Ego vero ad id quod objicit R. Levi responderem, multo quidem clariorem, adeoque ab omni ambiguitate immunem fore sensum, si scriptum esset, filiam Anæ filii Zibeonis; eundem tamen sensum, licet non adeo evidenter ac certo ex hac lectione emergere, filiam Anæ, filiam Zibeonis. Mercerus ex hoc ipso capite alterum locum tanquam huic parallelum affert, nempe ex ver. 39. ubi Mehetabel dicitur filia Mathred, filia Mezahab. Sed incertum est utrum Mathred & Mezahab sint nomina virorum, an fœminarum; si autem fœminarum sint nomina, ita legi potest, filia Mathred, filiæ Mezahab. Atque ita habet Vulgatus. LXX autem (ut hoc in loco legentes בן pro בת) θυγάτηρ Ματραὶθ, υἱοῦ Μαιζοόβ.

3. *Et Basemath filiam Ismaelis.*] R. Salomon notat eam antea vocatam fuisse *Mahalath*, nempe cap. 28. 9.

Sororem Nebajoth.] Vide supra ad cap. 28. 9.

4. *Et Ada peperit Esavo Eliphazum.*] Hieron. in Tradit. asserit hunc esse Eliphazum istum, qui in libro Job memoratur.

5. *Et Korachum.*] Quia ver. 16. inter duces ex filiis Eliphaz numeratur Korach, ideo R. Sal. ait eum fuisse ממזר *Mamzer*, i. e. *spurium*, ex incestu genitum, filium nempe Eliphaz, qui cum patris sui uxore Aholibama coiit. Ab. Ezra ait nonnullos existimare duos fuisse Korachos, nempe Korachum filium Adæ, & Korachum filium Aholibamæ; sibi autem videri unum duntaxat fuisse Korachum, filium scilicet Aholibamæ; numerari autem inter filios Eliphaz, qui duces fuerunt, quod inter eos habitaverit; vel quod forte cum mater ejus esset mortua, ab Ada inter filios ipsius fuerit educatus, ac pro filio habitus; quemadmodum simili de caussa Mical filios habuisse legitur.

6. *Et abiit in terram.*] Nempe ut habitaret ubicunque commode posset, ut exponit R. Sal.

8. *Et habitavit Esau in monte Seir.*] Ex cap. 32. 3. & 33. 14. 16. apparet Esavum antea in monte Seir habitasse. Manasses in Concil. quæst. 53. in Gen. refert R. Mosen Gerundensem, Abrabaneelem & Hiscuni hunc nodum solvere, dicendo Esavum antea quidem in Seir habitasse, sed sine familia; postquam autem Jacob è Mesopotamia in Canaan rediisset, quia terra tot armentorum capax non erat, Esavum assumptis uxoribus, liberis, omnibusque suis stabilem sedem in Seir posuisse. Mercerus in hanc sententiam citans Gerundensem, asserit pulcram sibi videri nodi solutionem, ac inter nostros Augustinum & Eucherium pene consentire testatur.

12. *Et Timna fuit concubina Eliphaz.*] R. Salom. vult hanc Timnam eam esse, cujus fit mentio 1 Paral. 1. 36. ubi inter filios Eliphaz recensetur. Et quia in hoc ipso capite ver. 22. Timna dicitur soror Lotan, qui fuit filius Seir, ver. 20. ideo ait Eliphaz rem habuisse cum uxore Seir, atque ex ea genuisse Timnam, eamque cum adulta esset, ejus factam concubinam; non autem recenseri inter filios Seir, quia soror Lotan fuit ex matre, non ex patre. Sed unde constat unam eandemque personam hic & in Paralipomenis memorari? Mihi certe non videtur verisimile; imo existimo Timnam, cujus in Paralipomenis fit mentio, fuisse virum; atque in hanc sententiam citatur Hiscuni à Manasse in Concil. quæst.

quæst. 57. Ita hic v. 40. legitur dux Timna, ubi Aben Ezra notat, במקום הזה זכר, i. e. *in hoc loco est mas.* Atque addit, multa esse nomina, quæ maribus pariter ac fœminis sunt communia. Sic Aholibama (ut idem observat) ver 41. est mas, cum ver. 2. & 5. sit fœmina. Manasses refert Gerundensem existimare, Timnam concubinam Eliphaz, postquam peperisset Amalec, alterum quoque filium concepisse, & ex partu morientem suum ei nomen imposuisse, ad propagandam nominis sui memoriam; atque hunc esse, qui in Chronicis filius Eliphaz appellatus; à parente autem Eliphaz nuncupatum fuisse Korah, atque eo nomine in stirpe illius recenseri. Ita quidem fieri potuit, unde autem constet ita factum non intelligo.

15. *Hi sunt* אַלּוּפֵי *duces filiorum Esau.*] Hoc est, interprete R. Salomone, ראשי משפחות, i. e. *capita familiarum.* Aben Ezra ait, אלוף esse נשיא וגדול, *principem & magnatem.* Onkelos & Jonathan אלופי interpretantur רברבי, i. e. *magnates, vel principes.* Fagius in Chald. Paraph. refert Hebræos inter *Aluph*, *ducem*, & *Melec*, *regem*, sic distinguere, מלך יקרא כשנשא מכתר ואלוף שאינו מכתר, i. e. *Rex dicitur, qui coronatus est; dux vero, qui non est coronatus.* Mercerus existimat duces hosce dominationem habuisse, in sua quemque familia; nec alios aliis successisse, sed eodem omnes tempore ducatum tenuisse.

16. *Dux Korah.*] Hic Korah inter filios Eliphaz, at ver. 18. inter filios Aholibamæ uxoris Esau recensetur. Ex Rabbinis nonnulli (teste Manasse in Concil. quæst. 58. in Gen.) dicunt Eliphaz uxorem patris sui incestasse, atque inde natum Korah. Alii autem volunt eum inter filios Eliphaz numerari, etiamsi Aholibamæ filius fuerit, quia inter eos habitavit, vel cum valde infans esset, ab Eliphaz acceptus educatusque fuit. Sunt etiam qui dicant duos fuisse Korachos, unum filium Eliphaz, alterum filium Aholibamæ; atque hoc ego potissimum amplecti velim.

20. *Isti sunt filii Seir Horæi.*] Hieron. in Tradit. ait Esau, & Edom, & Seir esse unius hominis nomen: quod autem sequitur, *Et Horæi habitantis terram*, novam vult inchoare narrationem. At clarum est, *Seir* hic ab Esau (qui & *Edom* vocatur) distingui, eumque vocari Horæum. Idcirco autem (inquit Hieron.) Horæorum recordatus est, quia primogenitus filiorum Esau ex filiabus eorum acceperat concubinam. (Tunnam enim, de qua ver. 22. eandem esse ait cum ea, quæ ver. 12. dicitur concubina Eliphaz.) LXX οὗτοι δὲ υἱοὶ Σηεὶρ τοῦ Χορραίου. Vulg. *Isti sunt filii Seir Horræi.* Planum est eos Horræi cum Seir conjungere, ac propterea Seir de alio quopiam ab Esau diverso intelligere. Aperte etiam Lyra, *Iste* (inquit) *Seir non fuit Esau, sed alius, qui fuit ante eum; quod patet ex hoc, quod additur Horæi. Illi enim qui habitaverunt illam terram ante Esau, & filios ejus, vocati sunt Horæi, sed filii Esau expulerunt eos de terra, & dominati sunt ibi, ut habetur Deut. 2.*

הַחֹרִי *Horæi.*] Sic plerique interpretantur, ut sit nomen gentilitium, vel à loco deductum. Aben Ezra autem exponit *nobilem*, ut vox חורים usurpatur Neh. 4. 14. & sæpe etiam alibi. חור proprie *album* denotat; & quia albedo est color *nobilissimus*, ideo pro *nobili* ac *illustri* ponitur; ut contra חשוכים *atri* pro *obscuris & ignobilibus*, Prov. 22. 29.

Zibeon & Ana.] Hi numerantur inter filios Seir; at ver. 24. Ana dicitur filius Zibeonis; hinc Hebræi, tum veteres, tum recentes (teste Manasse in Concil. quæst. 59. in Gen.) colligunt Zibeonem cum matre suâ concubuisse, indeque ortum Anam & fratrem Zibeonis fuisse, utpote ex eadem matre natum, & filium, quod à Zibeone esset genitus. Sic illi ex qualibet occasione incestus & spuriatus fingunt; at eundem utrobique Anam intelligere nulla nos cogit necessitas.

24. *Aia & Ana.*] Vide annotationem proxime præcedentem.

Iste est Ana, qui invenit אֶת־הַיֵּמִם *mulos, &c.*] Vox Hebræa *Jemim* varie exponitur. R. Salomon exponit פרדים, i. e. *mulos.* Asserit Anam fecisse ut asinus super equam ascenderet, atque ita mulum fuisse genitum. Addit hunc Anam fuisse (*Mamzer*) spurium ex incestuoso coitu natum, ac similiter monstrosum bestiarum coitum invenisse. Aben Ezra refert R. Saadiam etiam *Jemim* interpretari *mulos*, verbum autem מצא *invenit* interpretari הרכיב, i. e. *equitare fecit;* (a) quasi scilicet Ana iste primus mulis ad equitandum usus fuerit. Addit vero Aben Ezra, forte Anam artem istam generandi mulos invenisse, cum diversæ animalium species naturaliter inter se copulari non soleant. Hanc expositionem confirmari ait ex eo quod sequitur, nempe eum id fecisse dum patris sui asinos in deserto pasceret. Atque inde etiam eos refellit, qui *Jemim* interpretantur *plantas.* Quid enim plantis cum asinis? Kimchi in Radic. (citante Fagio in Collat.) ait, *Jemim* sunt *muli*, qui compositi sunt ex duabus speciebus, nempe equo & asina. Cumque dicit (Scriptura) *invenit*, sensus est, quod (non casu, sed) consilio (id fecit) שהרכיב הסוס על החמורה, i. e. *quod ascendere fecit* (ad verb. *equitare fecit*) *equum super asinam, atque ita produxit hanc speciem in mundum.* Similiter Targum Jonathæ, *Iste est Ana, qui coire fecit* (b) *greges* (עדריא) *cum asinis, & tandem invenit mulos, qui ex istis* (scil. equabus & asinis inter se copulatis) *orti sunt.* Onkelos vertit, *Hic est Ana, qui invenit* ית גבריא *fortes.* Fagius in Annotat. ait, (c) *mulos* intelligi, eosque à robore appellari גבריא, *animalia scilicet robustissima.* Alii putant Chaldæum voce גבריא significasse *gigantes*, ac Hebræum ימים pro affini vocabulo אימים accepisse. Ita sentit Mercerus, atque hoc rectius judicat Amama. Ego vero Fagio potius consenserim, *mulos* denotari voce גבריא, cum quod omnes Hebræi ita interpretentur, tum quod diu antea fuerunt gigantes, ut videmus cap. 6. quomodo igitur existimare potuit Anam gigantes invenisse? Aut quonam tandem modo is eos invenisse dicatur? Denique, si ita interpretemur, quis esset sensus eorum, quæ sequuntur, cum patris sui asinos in deserto pasceret? LXX ὃς εὗρε τὸν Ἰαμείν, *qui invenit Jamin.* Ipsam Hebræam vocem, tanquam obscuram ac ignotæ significationis, reliquerunt, quod & alibi non raro faciunt. Vide ad cap. 35. 16. Hieronymus in Tradit. recitans versionem LXX Interpretum legit *Jamim*, quod ad Hebræam vocem aliquanto propius accedit. Asserit autem Hieron. multa & varia apud Hebræos de hoc capitulo disputari; apud Græcos quippe & nostros super hoc silentium esse. *Alii* (inquit) *putant* Jamim *maria appellata; iisdem enim* (d) *literis scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ juxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupentur, quod scilicet stagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas, juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur onagros ab hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur* Jammim. *Plerique putant quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur.* Hæc Hieron. qui etiam refert Theodotionem transtulisse τὸν Ἰαμείν. Aquilam autem & Symmachum in plurali τοὺς Ἰαμείμ. In Scholiis Græcæ Bibliorum versioni additis, ex Diodoro hæc citantur, ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος τὸν Ἰαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν, ἀντὶ τοῦ, εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. οἱ δὲ ἑρμηνεύσαντες, αὐτήν πως τὴν λέξιν τὴν Ἑβραϊκὴν τεθείκασι, i. e. *Syrus & Hebræus* Jamin *volunt significare* aquam; *ac si diceretur, invenit fontem in deserto. Qui autem sunt interpretati* (Græci scil. Interpretes) *ipsam quodammodo dictionem Hebraicam posuerunt.* Vulg. *Iste est Ana, qui invenit aquas calidas.* Fagius ait non constare quare ita verterit, nisi quod conjectura sit eum legisse vel מים *Majim*, *aquas*, vel ימים *Jammim*, *maria*, pro ימם *Jemim*, *mulos*: sed quod adjecit, *calidas*, nullam plane ex ipso textu caussam apparere. Ac ex Hieronymi verbis modo citatis caussam istius versionis licet colligere, nimirum quod in lingua Punica, Hebrææ contermina, vox ista *aquas calidas* significare dicatur. In margine codicis mei pro *aquis*, jubemur legere *equas*; sed quid sibi vult, equas calidas? Deinde ex Hieronymo satis constat alteram lectionem, nempe *aquas calidas*, esse germanam, ut interpretatio minus probanda videatur, quippe cui longe præferenda sit illa Hebræorum, quos alii passim sequuntur, nempe *mulos* voce Hebraica *Jemim* denotari. Amama ex Drusio observationem quandam Hiskuni affert de mulis, *Omnes* (inquit) *qui aures tenues habent, eorum mater fuit equa, & pater asinus; quorum aures crassæ, eorum mater fuit asina, & pater equus.* Illud an verum sit (inquit Amama) Itali norunt, ii dijudicent.

25. *Aholibama filia Ana.*] Aben Ezra ait istum non esse Anam illum, qui in initio versus memoratur, sed eum de quo agitur versu præcedenti. At ego caussam non video cur Ana in principio hujus versus non sit idem cum eo, qui in versu antecedente describitur. Ideo autem hic repetitur nomen Anæ, quod antea de filiis, hic autem de filia ejus agitur.

31. *Hi sunt reges, qui regnarunt in terra Edom, antequam re-*

(a) Non videtur verbum הרכיב hic accipi posse eo sensu, quo in verbis Kimchi infra citatis accipitur.

(b) Scil. equarum. (c) In Jonatha est כודנייא quod *mulos* interpretatur Buxtorfius. (d) Literis quidem iisdem, sed non iisdem punctis. Maria enim dicuntur יַמִּים *Iammim*, hic autem est יֵמִם *Iemim*.

regnaret rex super filios Israel.] Id est, *ante Mosen, qui fuit rex Irael*, ut scribitur Deut 33. 5. *qui fuit rex in jesurum.* Sic exponit Aben Ezra. Et ad locum istum Deuteronomii ait, ווהו משה: i. e. *is est Moses.* R. Salom. autem istic de Deo interpretatur. Mercerus ait coactum esse hunc locum de Mose interpretari; illud enim Deut. 33. de Deo accipiendum videri. Mosen igitur ait divinitus scire potuisse reges in Israel regnaturos. Hoc sane videtur verisimilius. Vide Gen. 17. 6. & Deut. 17. 14. &c. Aben Ezra autem acriter insurgit in nescio quem Isaacum, vel Isaaci filium (יצחק) quod scripsit Paraścham, sive sectionem hanc in diebus Jehoshaphat scriptam fuisse. Ait eum merito vocatum Isaacum (quod risum sonat) ab omnibus enim esse deridendum. Atque addit, librum ejus dignum esse, qui comburatur.

33. *Jobab.*] Lyra refert Ambrosium & Augustinum velle hunc fuisse Jobum; Hebræos autem dicere Jobum fuisse ex stirpe Nahor, fratris Abrahami. Præterea Job Hebraicè aliis literis scribitur, nempe איוב, cùm hoc nomen sit יובב.

37. מרחובות הנהר *Ex Rehoboth fluvii.*] Onk. מרחובות דעל פרת. Similiter Jonathan, רבן מרחובות דעל פרת, i. e. *ex Rehoboth, vel qui ex Rehoboth, qua juxta Euphraten.* LXX ἐκ Ῥοωβὼθ τῆς παρὰ ποταμόν, *ex Rooboth, qua apud fluvium.* Hieron. de locis Hebraicis, *Rohoboth* (inquit) *civitas Assyriorum, quam ædificavit Ashur egrediens de terra Senaar.*—*&c*, Rohoboth urbs alia juxta fluvium, ubi erat (*a*) rex Edom; & usque hodie est præsidium in regione Gabalena, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur. Vulgatus autem ab omnibus diversus abit, sic habens, *de fluvio Rohoboth.* Ex urbe fluvium facit inaudita (inquit Amama) metamorphosi.

40. *Hæc etiam sunt nomina ducum, &c.*] Aben Ezra ait; duces hic memoratos fuisse filios eorum ducum, quorum supra fit mentio, nec memorari nisi qui locum aliquem (seu provinciam) possederunt, (ולא הזכיר כי אם מי שיש לו מקום) R. Salom. vult hæc esse nomina ducum qui nominibus provinciarum suarum appellati fuerunt, postquam mortuus est (*b*) Hadad, ac regnum eorum cessavit; duces autem antea memoratos ait propriis nominibus fuisse appellatos, (הראשונים נקראו על שם מדינותם & mox, הנזכרים למעלה הם שמות תולדותם) Hanc expositionem confirmat ex 1 Paral. 1. 51. &c. Mercerus putat hæc nomina, *Timna, Alva, &c.* & gentium quibus sunt dominati, & virorum qui illis sua nomina imposuerunt, fuisse. Certe quin virorum nomina fuerint haud dubitandum videtur; quædam enim ex iis antea fuerunt memorata; gentium autem nomina fuisse unde constet nescio. Lyra ad ver. 15. ait, de filiis Esau exiisse primo duces, postea reges, ac tertio regnum iterum redactum fuisse ad ducatum: quemadmodum filii Israel primo habuerunt Judices, deinde reges, & postea duces, nempe post Captivitatem Babylonicam. *Primo* ergo numerari duces, qui præcesserunt regnum; *secundo* reges; atque *ultimo* duces, qui fuerunt post regnum. Ad hunc autem ver. ait nonnullos dicere, reges prædictos non numerari nisi eos, qui usque ad tempus Mosis regnaverunt de stirpe Esau; & duces, qui post reges numerantur, revera eos præcessisse, sed ob regiam dignitatem post eos recenseri. Utriusque dicti falsitatem ex eo patere ait, quod 1 Paral. 1. dicitur, Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse ceperunt.

(*a*) Drusius censet legendum, *Saul rex Edom.* (*b*) Sic appellatur 1 Paral. 1. qui hic Hadar vocatur.

CAP. XXXVII.

MUNSTERUS.

2. INfamiam *illorum*] Exponunt Hebræi vocabulum דבתם per דבור, quod significat *locutionem.* Quia enim fratres Joseph male loquebantur de eo, invidia incitati contra eum, retulit Joseph hæc mala verba patri suo, &c. Sic Kimhi exponit hunc locum.

3. *Tunicam discolorem,*] Kimhi exponit, מצבעים רבים *ex multis constitutam coloribus.* Sic quoque Thargum Hierosolymitanum habet, פרגוד מצייר, *tunicam figuratam* seu *pictam*, h. e. ex variis liciis confectam.

7. *Ligabamus manipulos*] In Hebræo est, *manipulantes*, (si ita licet dicere) *manipulos*, h. e. מאסרין *ligantes manipulos*, &c.

10. *Mater tua*] Quomodo dicit, *mater tua*, quæ jam erat mortua? Respondent Hebræi, *Vocat matrem suam Bilham, qua illum educavit matris loco.* Et quod sequitur, *In Dothain*] monet Aben Ezra hoc nomen scribi cum Jod & sine Jod.

18. *Insidiati sunt*] R. S. sic exponit, *dolo & astutia impleti sunt.* Onkelos vero vertit, וחשבו, *cogitaverunt.* Et quod sequitur, *Dictator somniorum*] Hebraica vox בעל proprie significat *magistrum*; *dominum*, *maritum*; q. d. *magister ille somniorum.* Sic Chaldæus vertit מרי i. *dominus, autor.*

21. *Liberavit eum*] scilicet à morte. nec habent Hebraica, *nitebatur liberare eum*, ut interpres noster vertit. Verum puto illum respexisse ad inferiora, ubi dicitur, *Ne effuderitis sanguinem ejus*, quod dixit, *ut liberaret eum, & restitueret patri.*

23. *Tunica sua*] Quidam Hebræorum hunc locum sic legunt, *Et spoliaverunt eum interula* seu *indusio suo, cum tunica discolori qua super ipsum erat*: ut sit primum כתנת idem quod חלוק *indusium*, quod cuti adhæret. Et sic penitus denudatum projecerunt in lacum.

25. *Turma*] Significat Hebræa vox ארחת *viam & comitatum itineris.* Onkelos hic vertit שירת ערבאי, i. *turma Arabum*, quem cæteri expositores sequuntur. ¶ *Aromata*] R. S. exponit dictionem נכאת, ut sit idem quod כנוס בשמים, i. *collectio aromatum.* Kimhi dicit esse דבר נחמד, *rem desiderabilem* sive *pretiosam.* Sunt etiam qui exponunt שעוה *ceram.* Et quod sequitur, *Resina*,] Heb. צרי est גטף gutta quædam quæ miscetur cum thymiamate legali. Alii vero dicunt esse guttam odoriferam quæ vulgo בלסמו, i. *balsamum*, vocatur. Stacten vero, quæ Hebraice לט vocatur, quidam Hebræorum putant masticheri esse.

26. *Operuerimus sanguinem ejus*] Hoc est, occultaverimus mortem ejus.

28. *Midianitis*] Pro quo nostra translatio semper habet *Madianita.* Et hæc alia fuit turma negotiatorum, licet quidam arbitrentur eosdem quoque fuisse Ismaelitas, sicut & infra dicemus.

33. *Laceratus est*] Ubi primum טרף est infinitivus Kal, alterum vero passivum Piel, Holem voce magna supplente Kybuz & Dages.

34. *Multis diebus*] Nempe viginti duobus annis, qui effluxerunt ab hoc tempore usquedum descenderet in Ægyptum. Et quod sequitur, *Cunctaque filia ejus*] intelligendum id quidam putant de filiorum uxoribus: alii vero de filia sua & filii filiæ id accipiendum censent. Et illud, *Ad fossam*] intelligendum est de sepulchro. Putabat enim mortuum Joseph: ideo dicebat; Non potest leniri mœror meus donec moriar, sicut & filius meus prædilectus mortuus est. Atque hic carpit Aben Ezra interpretes nostros per hæc verba, ומה שפי' הנוצרים שהיא גיהנם שאול טועים, *Errant*, inquit, *Christianorum interpretes qui per Scheol intelligunt gehennam & locum damnatorum, cum potius significet sepulcrum.* Et quod subditur, *Midianitæ illum in Ægyptum vendidisse*, constat hinc Joseph tertia vice venditum: primo à fratribus, Ismaelitis; deinde ab Ismaelitis, Midianitis; & tertio à Midianitis in Ægyptum, principi laniorum. Sunt tamen qui *Ismaelitas & Midianitas* pro eisdem accipiendos dicunt. Vocatur autem Potiphar *princeps laniorum*, quod is præfectus esset coquis & pecorum mactatoribus quos Pharao habuit in aula sua. Alii vero Onkelum sequentes putant illum *principem* fuisse *sicariorum atque militum, & præfectum rerum capitalium.* Sed quomodo his eunuchus & effœminatus præfici potuit? nisi pro *eunucho* volueris interpretari *cubicularium.*

FAGIUS.

2. ISta *sunt generationes Jacob*] i. Hæc sunt quæ evenerunt Jacob. Non enim statuit hic texere genealogiam stirpis Jacob, sed potius miserabiles casus & eventa quæ ipsi Jacob acciderunt. Ita accipitur & supra c. 6. 9. *generationis* vocabulum, ubi dicitur, *Ista sunt generationes Noah, Noah vir justus & integer fuit in seculis suis*, &c. Quod & A. E. observavit, qui תולדות vocabulum per מקרים i. *eventa*, exponit. Quam vim significandi habet *gignendi* verbum in isto loco; אל תתהלל ביום מחר כי לא תדע מה ילד יום i. *Ne glorieris de die crastino; quia nescis quid pariat dies*, Prov. 27. 1. Sensus est, Non esse gloriandum de ea re quæ adhuc futura est, cum multa occurrere possint פגעים, *impedimenta & eventus interrumpentes.* ¶ *Ipse educabatur cum filiis Bilha*] i. ut Hebræi exponunt, frequentem cum illis habebat consuetudinem & commercium, eo quod à reliquis fratribus suis despiceretur odioque haberetur. ¶ *Deferebat sermonem eorum malum*] i. conquestus est apud patrem suum de probris quibus afficiebant eum fratres ejus. דבה Hebræis *infamiam, detractionem & oblocutionem*, sive vere sive falso fiat, significat. Et Hebræi inter מוציא דבה, i. *proferentem infamiam*, & מביא דבה, i. *referen-*

ferentem infamiam, distinguunt, ita ut prius sit ejus qui hoc facit falso & mendaciter; de quo est illud Prov. 10. 18. ומוציא דבה הוא כסיל i. *Qui profert convitium, stultus est*: posterius vero ejus est qui vere aliquem defert, studio emendandi malum, ut Joseph fratres suos. Hoc igitur laudi, illud vero vitio vertitur. Quidam præsentem locum ita intelligunt, ut Joseph non de uno tantum scelere fratres suos apud patrem detulerit, sed in universum de omnibus, & de tota vita, quippe qui in plerisque non admodum probi essent.

3. *Filius sapiens erat ei*] i. eo quod senilem prudentiam referret ¶ *Tunicam polymitam*] i. tunicam figuratam & pictam; h. e. ex variis liciis confectam. Quidam Hebræorum sericam fuisse volunt.

14. *Nam pax sit fratribus*, &c.] Hebraismus est, pro, *vide quo pacto valeant fratres tui, & quo pacto se habeant oves.*

26. *Et operuerimus sanguinem illius?*] *Operire sanguinem alicujus*, Hebraismus est, pro, *celare mortem alicujus, clam aliquem occidere & tollere è medio.*

35. *Tanquam lugens in foveam*] i. in sepulcrum, q. d. Filio meo Joseph mortuo, non possum amplius vivere. Vocatur autem Hebræis sepulcrum שאול *Scheol*, à שאל *Schaal*, i. *petendo*, eo quod semper petat, & nunquam satietur, juxta illud Salomonis Prov. 30. 15. 16. *Tria sunt quæ non saturantur*, &c. inter quæ & *sepulcrum* connumeratur, eo quod non saturatur cadaveribus. Sicut & Prov. 27. 20. dicit, *Infernus & perditio non saturantur*, ubi per *infernum & perditionem* animæ corporisque dissolutio adeoque ipsa mors, cui omnes homines obnoxii sunt, intelligitur. Non ergo *Scheol* hoc in loco infernum illum, i. locum pœnarum & damnatorum, significat (ad hunc enim non descendit Jacob) sed potius communem illum statum omnium defunctorum, tam piorum quam impiorum hominum, i. quod ex multis sacræ Scripturæ locis manifestum est. Ex quo facile est intelligere articulum fidei nostræ in Symbolo Apostolico, ubi de Christo dicitur, *Descendit ad inferos*, &c. quo sine dubio significatur, Christi mortem non fuisse fictitiam, sed veram, revera illum mortuum fuisse ac sepultum, communemque illum defunctorum statum pro nobis peccatoribus quoque degustasse. Christus enim ut verus homo fuit, ita & tribus illis, corpore scilicet, anima & spiritu, quibus verus homo constat, 1 Thess. 5. 23. revera & ipse quoque constabat. Jam moriturus spiritum, h. e. animam illam immortalem, in manus Patris sui cœlestis commendavit, dicens, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Is ergo spiritus nimirum non descendit ad inferos illos. Corpus emortuum sepultum fuit. Et anima descendit ad inferos; h. e. ad triduum vita illa naturali & sensitiva, quæ Hebræis נפש *Nephesch* dicitur, privatus fuit. Quod & David in spiritu de illo prævidit, Psal. 16. 10. כי לא תעזב נפשי לשאול לא תתן חסידך לראות שחת, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, (per quæ vitam illam naturalem & sensitivam, quæ est præsentis seculi, qua Christus ad tres dies destitutus fuit, intelligit) *neque dabis pium*, sive *sanctum, tuum videre corruptionem*, sive *sepulcrum*, aut *foveam corruptionis.* (Sepulcrum enim Hebræis שחת à *corrumpendo* dicitur, quod corpus ibi corrumpatur & in pulverem redigatur.) Nam Christi corpus, revera emortuum & exanime factum, sepultum fuit; non tamen ideo putrefactum & corruptum, ut cæterorum mortalium cadavera corrumpuntur, sed ilico tertia die resurrexit à mortuis. Verum quia in mentionem istius materiæ incidimus, placet etiam hic aliquo modo ex veritate Hebraica illustrare locum qui est apud Apostolum Ephes. 4. 9. ubi dicitur de Christo, *Cæterum illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ?* &c. circa quem locum Theologi multum disputant de descensu Christi ad inferna. Verum tu noveris Apostolum per *descensum Christi ad infimas partes terræ* nihil aliud intelligere, quam Christum, etsi supra omnes cælos exaltatum, venisse tamen antea in has terras, veramque naturam humanam in utero sanctissimæ Mariæ virginis assumpsisse. Quam naturæ humanæ assumptionem, atque incarnationem, Hebraismus in Scripturis sacris per *inferiora terræ* intelligit, ut Psal. 139. 15. לא נכחד עצמי ממך אשר עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ *Non est occultata substantia mea à te, quando formatus sum in abscondito, & varius distinctus membris fui, in inferioribus terræ.* Ubi Psalmista maternum uterum, in quo dicit se mirifice formatum, *inferiora terræ* vocat. Dicitur autem uterus matris, ubi fœtus perficitur, (testibus etiam doctissimis Hebræorum) *inferiora terræ*, propter humilitatem & caliginem; quod sicut ea quæ sub terra sunt, humilia & caliginosa sunt, ita & uterus maternus humile, vile quiddam & caliginosum est. Et tamen non horruit Christus æternus Dei Filius illuc se propter nos demittere. Hoc sensu si verba Apostoli accipiamus, non patet amplius locus spinosis istis quæstionibus de descensu Christi ad inferos, quæ circa hunc locum tractantur. Sed redeamus ad nostrum Paraphrastem. Innuit ergo patriarcha Jacob isto sermone, *Descendam ad filium meum tanquam lugens in foveam*, &c. se non posse amplius vivere, sed mori malle, postquam filius suus Joseph non amplius superstes sit.

36. *Magistro interfectorum*] Sicut Hebræa שר הטבחים ambigua sunt, & possunt referri vel ad mactationem, vel ad coctionem seu culinam, vel ad occisionem; unde quidam per principem Hatabbachim *præfectum laniorum*, alii *præfectum coquorum*, alii *præfectum militum* sive *sicariorum* intelligunt: ita & Chaldaica quoque ambigua sunt: nam per *principem* sive *magistrum interfectorum* intelligi potest, vel qui regiis jumentis mactandis, coquendis ac in cibum parandis præerat, Germanice, ein Küchenmeister, ut Judæi vulgo etiam exponunt; quam lectionem & LXX. secuti sunt, qui ἀρχιμάγειρον reddiderunt, h. e. *coquorum principem*: vel, qui carceri & carnificinæ præerat, i. damnatorum plectendorum curam habebat, quem vulgo Profoss appellant: Vel qui militum & sicariorum dux erat; quam lectionem sequitur Latina Vulgata editio, quæ habet, *Magistro militum.* Sed mirantur quidam quomodo Potiphar, qui *eunuchus Pharaonis* simul quoque commemoratur, vel princeps coquorum, vel laniorum, vel militum ac sicariorum, vel carceris esse potuerit, cum ad omnia ista munia eunuchorum hominum genus, ut vile & effœminatum, minus aptum & idoneum esse videatur. Ad hæc respondent Hebræi, vocem סריס *Saris*, quam *eunuchum* interpretantur, non semper eunuchum castratum, cui plane testiculi exsecti sunt, significare, sed aliquando שר וממנה, i. *principem & præfectum*: qua in significatione & in præsenti loco accipiatur. Unde & Paraphrastes noster per רבא *Rabba*, quod *dominum, principem & magistrum* significat, transtulit.

IDEM.

35. כי ארד אל בני אבל שאלה *Quoniam lugens descendam ad filium meum in fossam*,] Vocem Hebraicam שאול, nostri interpretes fere omnes *infernum* interpretantur. *Infernum* autem jam pro Gehenna, i. loco damnatorum, jam vero pro Limbo patrum, ut ipsi loquuntur, h. e. pro eo loco ad quem fideles ante Cristi adventum descenderint, accipiunt. Verum tu noveris שאול Hebræis proprie *fossam* significare, & pro *sepulcro* usurpari, quod Hebræis שאול *Scheol* à שאל *Schaal*, i. *petendo*, dicitur; quod semper petit, & nunquam satiatur, &c. Vide supra.

36. והמדנים מכרו אתו אל מצרים לפוטיפר סריס פרעה שר הטבחים *Porro Midianitæ vendiderunt eum in Ægyptum Potiphar eunucho Pharaonis principi laniorum*,] Variatur in voce טבחים Cum enim verbum טבח unde deducitur ambiguum sit ad *occisionem, mactationem & coctionem*, sicut & Aben Ezra in commentario suo scribit, ונמצא זה הלשון על הריגה ועל בישול, *Invenitur hoc vocabulum usurpatum tam de occisione quam de coctione*; idcirco diversa hic lectio oritur, cum apud Hebræos tum apud nostros interpretes. Quidam ergo טבחים pro *laniis, coquis, & pecorum mactatoribus* exponunt, intelligentes Putipharem præfectum fuisse coquis & pecorum mactatoribus, quos Pharao in aula sua habuit: in qua sententia est R. Salomo, qui הטבחים exponit שוחטי בהמות המלך, i. *mactatores jumentorum regis.* Huic lectioni accedunt cum sua versione LXX. qui ἀρχιμάγειρον reddiderunt, h. e. *coquorum principem*, sive *eum qui coquis præfectus fit.* Et nostrates Judæi vulgo Küchenmeister exponunt. Alii ad carnificinam atque militiam referunt, quod scilicet princeps fuerit sicariorum ac militum regiorum. Et hanc lectionem habet Paraph. Chaldæus, quem secuta est Lat. vulgata editio. Et quia inferius habetur Putipharem carceris custodiam quoque habuisse, hinc quidam שר הטבחים appellatum fuisse sentiunt, quod damnatorum plectendorum curam haberet, quem vulgo Profoss appellant. Sed quia סריס פרעה *eunuchus Pharaonis* simul dicitur, mirantur quidam quomodo vel princeps coquorum, vel laniorum, vel militum ac sicariorum, vel custodiæ carceris esse potuerit, cum ad omnia ista munia eunuchorum hominum genus ut vile & effeminatum minus aptum & idoneum esse videatur. Ad hæc respondeo, סריס Hebræis non semper significare *castratum*, & cui plane exsecti sunt testiculi, sed & aliquando שר וממנה, *principem & præfectum*; qua in significatione hic accipitur. Unde Paraph. Chaldæus per רבא, quod *magistrum & principem* significat, transtulit. Et infra cap. 41. memoratur Joseph pro uxore habuisse Asnath filiam Putiphari sacerdotis On; ex quo manifestum est, non revera eunuchum fuisse, quomodo enim liberos procreasset? Quod si

iterum rogas, quid principi coquorum vel militum cum sacerdote conveniat? Respondeo nec כהן vocem Hebraicam *sacerdotem* semper significare, sed aliquando *dominum & principem*; ita & hoc loco, quemadmodum & Onkelus per רבא vertit.

VATABLUS.

1. IN *terra peregrinationum*, &c. [בארץ מגורי וגו׳] i. in ea regione in qua diu tanquam incola ac peregrinus habitaverat pater ejus, nempe in regione Chananæorum. Hic nonam hujus libri sectionem incipiunt Hebræi, à prima (ut alias) capitis dictione eam denominantes, וישב *Et habitavit*.

2. *Hæ sunt generationes* [אלה תלדות] Voce תלדות non tam *genealogia* intelligi debet quam *res gesta*, sicuti ex contextu melius constat. Nam Moses ita præfatus non enumerat filios ac nepotes, sed exponit unde nata sit invidia fratrum contra Joseph, ut facta conspiratione illum venderent. Propterea quidam vertunt, *Hæc sunt accidentia*, vel *casus*, i. quæ acciderunt ipsi Jaacob. ¶ *Quum esset*, &c. [בן שבע וגו׳] Ad verb. *filius decem & septem annorum*. ¶ *Pascebat*, &c. [היה רעה וגו׳] *erat pastor cum fratribus suis in grege*, vel *apud gregem*, sub. *patris sui*. ¶ *Et erat puer cum filiis*, &c. [והוא נער את בני וגו׳] *& ipse adhuc puer erat cum*, &c. i. agebat, vel manebat, ac versabatur. Alii subaudiunt, *educabatur ac nutriebatur cum*, &c. Alii vertunt, *& erat minister cum filiis*, &c. i. utebantur eo tanquam famulo: sicque eum contumelia afficiebant. ¶ *Infamiam eorum malam* [דבתם רעה] *sermonem ipsorum malum*: i. contestatus ac conquestus est apud patrem de contumeliis quibus ipsum afficiebant. Alii vertunt, *oblocutionem*.

3. *Quia filius senectutis*, &c. [כי בן זקנים וגו׳] i. quod eum genuisset in senectute sua, vel, ut alii exponunt, quo oblectabatur impensius in senectute sua. Chald. paraph. *quia filius sapiens erat*, i. quum puer esset præ se ferens senectutem, h. e. senilem prudentiam referens. ¶ *Fecitque ei*, &c. [ועשה וגו׳] *feceratque ei tunicam variam*, aut *versicolorem*. Ad verb. *multorum frustorum*, vel *particularum*, i. diversis confectam particulis, quæ variis tinctæ erant coloribus; aut quod tunica diversorum colorum videatur quasi constare diversis frustis ac particulis. Alii, ut noster interpres, *polymitam*, i. ex diversis pilis ac liciis confectam. LXX. *variam*.

4. *Pacifice*: [לשלם] i. verbis amicis.

5. *Majore odio*, &c. [ויוספו עוד וגו׳] Ad verb. *& addiderunt ultra odio habere eum*.

7. *Circumstabant quoque* [והנה תסבינה] Ad verb. *& ecce erant in circuitu*.

8. *Nunquid regnando*, &c. [המלך וגו׳] *Utrum* [*An ergo*] *regnando*, &c. q. d. Conjicisne ex hoc te regnaturum super nos? aut dominari nobis? ¶ *Hinc majus odium* &c. [ויוספו עוד וגו׳] Ad verb. *Et addiderunt adhuc odisse eum*: sic paulo ante, v. 5. ¶ *Et propter verba ejus*: [ועל דבריו] *atque hujusmodi verbis*.

9. *Incurvabant sese mihi*: [משתחוים לי] i. videbantur me adorare.

10. *Et fratribus suis* [ואל אחיו] i. fratribus suis astantibus & audientibus.

13. *Nonne fratres tui*, &c. [הלוא אחיך] i. Nonne scis fratres tuos pascere gregem, &c. q. d. sic. ¶ *En adsum*: [הנני] Ad verb. *Ecce ego*.

14. *Vide pacem*, &c.] [ראה וגו׳] Hebraismus, *considera sanitatem fratrum & pecorum*. i. quo pacto valeant fratres tui, & quo pacto se habeant oves, & redde mihi responsum.

18. *Eminus*, [מרחק] Ad verb. *è remoto*, sub. *loco*. ¶ *Machinati sunt* [ויתנכלו] *malum consilium inierunt*. Chald. paraph. *cogitaverunt*. i. consilium inierunt de eo occidendo.

19. *Alter alteri*, &c. [איש אל וגו׳] Ad verb. *vir ad fratrem suum*, *En dominus* [vel *author*] *somniorum*.

20. *Venite* [לכו] Imper. pro adverbio hortantis, *agitè*. Ut & *Da*, supra cap. 11. 3. ¶ *Et dicemus*, &c. [ואמרנו וגו׳] *& dicamus*, *Fera truculenta*. ¶ *Quid erunt somnia ejus*. [מה יהיו חלמתיו] i. quis eventus somniorum ejus. Chald. paraph. *quis erit finis somniorum ejus*.

21. *Audiens*, &c. [וישמע וגו׳] Ad verb. *Et audivit Ruben*, *& eripuit eum*. ¶ In *anima*. [נפש] i. vita. Alii, *percussione animæ*, vel *vita*. i. vulnere lethali: h. e. plaga qua cogatur anima egredi è corpore. q. d. Ne occidamus eum.

22. *Adjecitque illis* [ויאמר אליהם] Ad verb. *Et dixit ad eos*. ¶ *Et manum*, &c. [ויד אל] i. Nolite vim ei inferre. q. d. Ne propriis manibus interficiatis eum. ¶ *Ut redderet eum patri suo*: [להשיבו אל אביו] Ad verb. *ut reverti faceret eum ad patrem suum*.

23. *Quumque*, &c. [ויהי וגו׳] Ad verb. *Et fuit*, *quando venit Ioseph ad fratres suos*, *& exuere fecerunt Ioseph*. i. jusserunt ei ut exueret tunicam, &c. vel coegerunt eum ut deponeret, &c. ¶ *Polymita*, [הפסים] Vide v. 3.

25. *Ismaelitarum* [ישמעאלים] Chald. paraph. *Arabum*. ¶ *Vehebat* [נשאים] *revertebatur*. ¶ *Aromata* [נכאת] *opobalsamum*. Alii, *theriacam*. ¶ *Et resinam & stacten*, [וצרי ולט] *& ceram*, *atque guttam* [vel *lacrymam*] *myrrha*, vel *myrti*; aut *mastichen*.

26. *Sanguinem ejus*? [את דמו] i. Cædem ejus. q. d. Nihil profuerit celasse cædem.

27. *Agite*, [לכו] Ad verb. *Venite*. Vide paulo ante, v. 20. ¶ *Et manus*, &c. [וידנו אל יהי בו] Paulo ante, v. 22. dixit, *& manum ne mittatis in eum*.

28. *Ac eduxerunt*, [ויעלו] Ad verb. *& ascendere fecerunt*. ¶ *Argenteis*: [כסף] Chald. paraph. *Siclis argenti*.

29. *Et amplius non* esset *Ioseph*. [והנה אין יוסף] Ad verb. *& ecce non Ioseph*. ¶ *Scidit* [ויקרע] *fregit*, *rupit*, more scilicet dolentium.

30. *Puer non est*, [הילד איננו] *puer ipse non comparet*. ¶ *Et ego*, &c. [ואני וגו׳] i. Quo me recipiam, sive quo fugiam, puero mortuo? q. d. Perii.

32. *Polymitam*, [הפסים] *variam*. i. pannis coloribus variis confectam. Vide v. 3. ¶ *Attuleruntque* [ויביאו] *detuleruntque*. sub. *ii quos miserunt*. ¶ *Hanc* [זאת] *Hoc*. i. hanc vestem. ¶ *Nunc* [נא] *quæso*, *quæsumus*.

33. *Rapiendo raptus est*, [טרף טרף] i. à fera rapace dilaniatus est.

34. *Et scidit*, [ויקרע] *Et fregit*, *rupit*. Ut paulo ante de Reuben, v. 29. ¶ *Saccum* [שק] *cilicium*, in signum doloris magni. ¶ *Filium suum* [על בנו] Ad verb. *super filium suum*, vel, *propter filium suum*.

35. *Filii ejus*, *& omnes filiæ ejus*, [בניו וכל בנותיו] i. nepotes ejus & filiæ. ¶ *Quia descendam*, [כי ארד] *Certe descendam*. vel subaudiendum, *Non admittam consolationem vestram*; *quia descendam*, &c. i. Lugebo filium meum usque ad mortem ipsam. h. e. moriar in ipso luctu.

36. *Principi* [סריס] Ita & Chald. paraph. Alii, *eunucho*. Significat enim hæc vox & *eunuchum* & *principem* sive *virum nobilem*. Eunuchus autem vocatur, non quod castratus esset; sed apud Orientales usitatum fuit satrapas & aularum principes insignire hoc nomine. ¶ *Laniorum*: [הטבחים] *carnificum*. Hic Phutiphar *princeps laniorum* vocatur, quod is præfectus esset coquis & pecorum mactatoribus quos Pharao habuit in aula sua. Hanc interpretationem secuti sunt LXX. Alii potius assentiuntur Chaldæo paraphrastæ, qui vertit, *præfecto* vel *principi militum*. Non quòd toti militiæ præesset, verum quia Regios satellites habebat sub manu sua & imperio: quales nunc sunt Capitanei custodiæ Regiæ, si alterum munus conjungas quod exercent Præfecti hospitii. Nam id ex cap. 40. colligere licebit. Vide Jer. 39. 9.

CASTALIO.

19. MAter *tua*] Liam vocat Josephi matrem; nam Rachel obierat.

29. *Postea Ruben ad puteum reversus*] Ruben (ut narrat Josephus historicus) Josepho in puteum demisso discesserat, neque venditioni adfuerat. Deinde noctu reversus, ut fratrem subduceret, eo non invento, conquestus est apud fratres: à quibus rem didicit.

36. *Madianitæ*] Ismaelitæ erant Madianitæ. Vide Jud. 8. ¶ *Pharaonis eunucho*, *magistro equitum*] Eunuchos reginis præficiebant Reges, homines castratos, ne illas stuprarent. Sed paulatim obtinuit usus (sicut ego suspicor) ut *eunuchi* dicerentur præfecti, quamvis non evirati, sicut Latinis *senatores*, quamvis non senes. Nam si castratus erat Potiphar, quorsum ei uxorem? Quod autem *magistrum equitum* verto, non *magistrum laniorum*, aut *coquorum*, ut alii, & Josephus, qui ἀρχιμάγειρον, in causa est, quod 4 Reg. 24. hoc eodem nomine vocatur Nabuzaradan, cui incendenda Hierosolyma mandata est: quod munus profecto non est magistri laniorum, aut coquorum. Itaque illic idem Josephus rectius vertit στρατηγόν. Nominatur autem Hebræis à *mactando* רב טבחים, & שר טבחים, fortasse quod supplicia sontibus irrogabat.

CLARIUS.

2. *Deferebat infamiam illorum*] Hebræi interpretantur, *locutionem.* Quia enim fratres Joseph male loquebantur de eo, invidia incitati contra eum, retulit Joseph hæc mala verba patri suo.

3. *Tunicam polymitam*] Ex multis coloribus constitutam, figuratam, seu pictam, h. e. ex variis liciis confectam.

10. *Mater tua*] Quomodo dicit *mater tua*, quæ jam erat mortua? Respondent Hebræi, vocasse matrem suam Balham, quæ illum educavit matris loco.

20. *Somniator*] Hebræa vox significat *magistrum*; quasi dicerent, *magister ille somniorum.*

21. *Liberavit eum*] Nempe ne interficeretur.

25. *Stacten*] Quidam Hebræorum putant masstichen esse.

34. *Multo tempore*] Nempe viginti duobus annis, qui effluxerunt ab hoc tempore usque dum descenderent in Ægyptum.

35. *Congregatis autem cunctis liberis ejus*] Heb *Surrexerunt vero omnes filii ejus, cunctæque filiæ ejus.* Quod quidam putant intelligendum de filiorum uxoribus; alii, de filia sua, & filii filia.

36. *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto*] Ferunt hic Josephtertio venditum. Primo à fratribus venditus est Ismahelitis; deinde ab Ismahelitis, Madianitis; tertio à Madianitis in Ægyptum. Sunt tamen qui Ismahelitas & Madianitas pro eisdem accipiendos dicant. ¶ *Magistro militum*] Alii interpretantur, *principi laniorum*, quod is præfectus esset coquis & pecorum mactatoribus.

DRUSIUS.

2. *Detulit Ioseph rumorem malum*] *Qui profert rumorem*, inquit ὁ σοφὸς, *stultus est.* Ubi per *rumorem* intelligit rumorem malum (nam דבה nomen est μέσον, *medium*) quem *proferre* dicitur qui eum profert è corde quem scit falsum esse. Talis est *homo stultus*, h. e. improbus. Nam improbitas nihil aliud quam animi quædam stultitia. Hoc Ebræi dicunt מוציא דבה *protulit*, sive *eduxit*, *rumorem*, nempe quem è corde finxit ad infamiam alterius. *Falsam criminationem* Latini dicerent, ut Græci διαβολὰς ψευδεῖς καὶ πονηράς. Nam criminatio vera esse potest. Sic rumor aut bonus est aut malus. Malus rursum potest esse verus aut falsus. Qui verum rumorem defert, de illo dictitant הביא דבה, *adduxit*, aut *detulit*, *rumorem*, sive bonum sive malum. De malo, qui tamen verus sit, intelligendus Moses Genes. 37. 2. *Detulit Ioseph rumorem malum ad patrem suum.* Quem locum si Græci librarii probe intellexissent, nunquam mutassent κατήνεγκαν in κατήνεγκαν, *detulerunt*, nempe fratres, *rumorem malum Iosephi*, h. e. de Josepho. Quædam etiam exemplaria habent κατὰ Ιωσὴφ, ne ullus dubitationi locus relinqueretur. Hanc lectionem enarrant plerique omnes Theologi veteres; cum vera sit, κατήνεγκεν δὲ Ιωσὴφ, *detulit Ioseph.* Nam is fratres accusabat apud patrem de crimine pessimo, ut editio nostra vetus, quam Vulgatam appellant, habet. Quale vero crimen illud fuerit Scriptura non indicat. Diodorus, Ὁ Ιωσὴφ διέβαλεν τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ εἰς τὰς βίλας ἀτοπίας· ὅθεν ἐμισήθη παρ' αὐτῶν. Vide A. M.

12. *Ad pascendum oves patris sui in Sichem*] Non in urbe Sichem, sed in ea parte agri quam Jacob emerat ab Hemore patre Sichem centum agnis, supra 33. 19. ut possis vertere, *ad Sichem.* Sic alibi יריחו valet *ad Iericho*, quod tamen interpretantur *in Iericho.* Sic *in urbe natus esse* dicitur qui natus fuit ad urbem. Sic *in Cariathjearim* valet *ad Cariathjearim*, ut suo loco docebimus. Quod si dixeris locum hunc procul abfuisse ab Hebron, ubi Iacob tum habitabat, respondeo, & locum ubi Laban tondebat oves suas abfuisse ab eo loco ubi Iacob erat itinere tridui. Notum hoc ex ipsa historia. Porro ager ille vicinus urbi Sichem erat eis periculosus propter cædem quam ibi patraverant. Ideo pater tantopere fuit de illis solicitus. Tharg. Ionathæ, *Fuit autem post tempus dierum ut diceret Israel Iosepho, Nonne fratres tui pascunt in Sichem? & metuo ego ne forte veniant serpentes & deleant eos, propterea quod percusserunt Hemor & Sichem cum habitatoribus urbis*, &c. Licet etiam exponere, *in Sichem*, in agro vel territorio urbis Sichem. Quidam, *apud Sichem*: quod non improbo, imo valde probo.

19. *Somniator*] Somnia vel naturalia sunt vel supernaturalia. Hæc rursum vel Divina sunt vel Satanica. Divinorum autor est solus Deus. Quocirca quod Gen. 37. 19. בעל החלמות male exponitur à quibusdam, *autor somniorum.* Quanquam *Baal* aliquando significat *autorem*, ut cum dicimus *Baal Aruch*, significantes autorem libri qui *Aruch* vocatur, quod est Lexicon iuris Ebraici. Alia est hic ratio. Tremellius ergo maluit, *dominus somniorum*, quod enarrat, *qui sibi futuram in nos dominationem somniat.* Nec hoc admodum probo. Malim quod in Gallica editione ultima, *magister somniator*, vel, *somniandi magister.* Sic בעל רשע non tam *improbus* quam *improbitatis magister.* His omnibus præferendum, meo judicio, quod in Lxx, ὁ ἐνυπνιαστὴς *insomniator*, & apud Hieronymum, *somniator.* Quanquam non *somniatorem* simpliciter denotat, sed *qui multum somniat*, sive *qui multa insomnia videt.* Nam ideo usi numero multitudinis חלמות, sic בעל אף *iracundus.* Vide A. M. Ἐνυπνιαστὴς *insomniator*, qui videre insomnia solet: ut *insomniosus* Catoni, qui vexari solet insomniis.

25. *Sederunt ad comedendum panem*] Docet hic locus veteres Ebræos in mensa sedisse, non discubuisse. Sic apud Homerum Heroes epulantes sedent, non accumbunt. Sunt alia loca è quibus hoc probari potest. Vide Gen. 27. 19. Iud. 19. 6. & 1 Sam. 20. 18, 25, 34. item 1 Reg. 13. 20. Sed & castigationes meas in Tobiam. *Ad comedendum panem* Ebraismus est pro *ad cibum sumendum.* Nam *panis* vocabulo quemvis cibum significant.

30. *Puer non ipse*] sub. *est.* Hoc in majoribus Notis exposuimus, *non est in cisterna.* Nunc eo labor ut existimem exponendum esse, *Non est in vita*, sive *in vivis.* Nam quia non invenerat eum in cisterna, existimabat mortuum esse. Siquidem *esse* dicitur qui vivit; & *non esse*, qui mortuus est; quem Plautus *fuisse* dixit, his verbis, *Nunc illud est cum me fuisse quam esse nimio mavelim*, i. mortuum esse quam vivere. Nunc ad exempla. Psal. 103. 16. *Spiritus transit per eum, & non ipse.* Scholia Ebraica, *non ipse inter viventes.* Gen. 42. 13. *Unus non ipse.* sub. *est.* Post se explicat, 44. 20. dicendo, *mortuus est.* Job 7. 21. *non ego*, sub. *sum*, vel *ero.* Jer. 31. 15. *Rachel plorans filios suos noluit consolationem accipere, quia non ipsi.* sub. *sunt.* Sic, *puer non ipse.* sub. *est.* Mecum facit Hieron. referens, *non comparet*: Ut Job 23. 8. *Si ad Orientem iero, non ipse.* Idem Hier. *non apparet.* Nam qui mortuus est, nusquam comparet aut exsistit. Huc refer illud Lactant. *Quando nos sumus, mors non est: Quando nos non sumus, mors est.* Genes. 5. 24. *Ambulavit Henoch cum Deo, & non ipse.* sub. *fuit*; *non comparuit usquam, quia rapuerat eum Deus.* Nihil hic est unde possimus colligere Henochum adhuc vivere. Nam etiam rapitur, qui moritur; proprie, qui moritur ante tempus. Unde *raptus* de eo qui immatura morte decessit ex hac vita. Juchas. 98. 2. *Mortuus est in vita, R. Imini dicit, quia rapuit eum mors.* Addam pro corollario ex Apocryphis, Esth. 14. 11. *Ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt*: quod duobus modis exponi potest. Uno sic, *iis qui non sunt*, i. non vivunt: nam idola simulacra sunt hominum mortuorum. Alio modo exponitur, *iis qui non sunt*, h. e. improbis: nam improbi pro mortuis habentur, & ita vocantur, ut ibi, *Sepeliant mortui mortuos suos.* Ubi vertimus Genes. 5. 24. *rapuit eum Deus*, non male referas, *abstulit eum Deus.* Nam in fonte לקח *tulit*, *abstulit.* Id sæpe de morte usurpatur, ut Jon. 4. *aufer animam meam.* Sic Virgilius,

Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit?

Sequitur,

Scripta quidem tua nos multum mirabimur, & te
Raptum, & Romanam flebimus historiam.

Significat illum ante tempus mortuum esse, aut subito genere lethi exstinctum. Sic forte capiendum illud, *quoniam abstulit eum Deus.* Dico forte, quia Apostolus ait *translatum esse ne videret mortem.* Videt mortem, qui moritur. An etiam qui immutatur? valde dubito. Ut ut sit, sermo Apostoli ambiguus est. Nam videt mortem etiam qui peccat. Peccatores enim, h. e. homines improbi, *mortui* vocantur & revera sunt, qui mortui in peccatis. Aliud *mori peccato*, & aliud *mori in peccato.* Justi moriuntur peccato; improbi moriuntur in peccato, vel, si placet, in peccatis; nam perinde est. Unde Ebræi, *Improbi, dum vivunt, mortui sunt*: &, *Adam eodem die & peccavit & mortuus est*: non morte naturali, sed in peccato. Potest ergo sensus esse, quem autor Sapientiæ nobis aperuit, *Ne malitia mutaret intellectum ejus.* *Rapio* Ebræis טרף dicitur. Sed & לקח non male redditur eo verbo interdum. Nam *capio* & *rapio* se invicem explicant. Id alias probavimus. Rapit Deus, rapit mors. Deus per mortem, aut aliter, ut cum Apostolus se *raptum* dicit *in tertium cœlum*, & cum ait, *rapiemur ei obviam in aera*, non sane per mortem, sed per immutationem, quæ aliquando sub morte comprehenditur, aliquando ab ea distinguitur. Ex quo illud, *Omnes quidem immutabimur, sed non omnes moriemur*: quod alia lectio dicit, *Omnes moriemur, non omnes immutabimur.* Utraque lectio sensum continet non absurdum, si recte intelligatur. *Rapit mors*, non memini legere in ipso textu: tantum in libro Johasin habetur, *Mors rapuit eum*, ubi חטף in fonte. Verbum לקח dicitur etiam de *raptu mulierum*,

lierum, Genes. 6. 1. ac tunc melius redditur *rapuerunt* quàm *acceperunt*.

35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum*] Verba sunt Hieronymi interpretantis שאול *infernum* ex editione Lxx. εἰς ᾅδου, ubi οἶκον vel οἰκίαν subintelligimus. Abenezra scribit errasse hic Hieronymum, quem vocat *interpretem errantium*, i. Christianorum. *Nam* שאול, inquit, *interpretatur Infernum, cum significet Sepulcrum.* Imo tam *infernum* significat quam *sepulcrum*. Hoc sexcentis locis probare possem, si opus esset. Sepulcrum proprie קבר dicitur. Posterior ætas infernum *Gehennam* appellavit, quam Salomo Rex in libro Proverbiorum vocat שאול מטה *sepulcrum infra*, i. inferius. Nam aliud supra, quod τάφος dicitur. Aut lego, *infernum infra*. Nam plures regiones inferni. Non igitur erravit interpres, sed is qui eum reprehendit. Nam de sepulcro locus ille commode accipi non potest, nisi legas, *propter filium meum*. Particula אל proprie significat *ad*: ideo Hieron. bene vertit, *ad filium meum*; quem à mala fera devoratum & discerptum fuisse, non sepultum, sibi persuaserat. Quomodo ergo diceret, *Descendam ad filium meum in sepulcrum*, quem in sepulcro esse minime credebat? Quæ de Limbo Patrum Scholastici somniarunt, robur accipiunt ex voce *inferni*. Quam opinionem ut non exagito (nam autores habet magnos gravesque) ita puto melius esse ut per *infernum* sive *sepulcrum* hic intelligamus statum mortuorum, ut *descendere ad infernum* nihil aliud sit quam *mori*, non hominum opinione, sed revera. Fuit aliquando tempus cum articulum illum, *Descendit ad inferos*, huc accommodarem. Nam reperti sunt nostro ævo qui pro mortuis sepulti fuerunt, cum tamen revera non essent mortui, h. e. non descendissent ad infernum: nam post vitam receperunt. Obsidio Rothomagensis in Normannia hujus rei fidem facit. Non narro audita, sed ipse hominem vidi, conveni, & cum eo pransus sum apud Baronem Pardilianum legatum tunc Regis Navarræ in Anglia. Per sex horas integras fuerat sepultus. Famulus deprehendit ex annulo, quem in digito gerebat, qui è terra exstabat. Nam tumultuaria fuerat sepultura, ut fieri solet in recens capta urbe. Hæc adduxi, ut lucem aliquam adferrem articulo de cujus sensu tanta hodie controversia est inter doctos. Si quæris judicium meum, & si licet dicere per sycophantas istos qui optima quæque in calumniam rapiunt: existimo eum qui Symbolo adjecit, & crucem Theologis fixit (à veteribus enim aberat, teste Rufino) intellexisse quemadmodum nunc intelligit Ecclesia Romana. Nam sententia illa pervetus est: in quam pedibus irem, si locus exstaret in Novo Fœdere unde liquido probari posset quod volunt. Nam tantæ rei memoria non erat ab Apostolis Evangelistisve sepelienda. Nam qui Davidis illud, *Non relinques animam meam in inferno*, huc trahunt, aut aliter quàm de sepulcro enarrant, Apostolum Petrum, imo Spiritum sanctum per os ejus loquentem, sibi adversantem habent.

IDEM.

2. ויבא יוסף את־דבתם רעה אל־אביהם A. Καὶ ἤνεγκεν Ιωσὴφ τὸν ψόγον αὐτῶν πονηρὸν πρὸς τὸν πατέρα αὐτῶν, *& detulit Joseph vituperium ipsorum malum ad patrem suum.* Sym. καὶ ἔφερεν Ιωσὴφ διαβολὴν κατ' αὐτῶν πονηρὰν πρὸς πατέρα αὐτῶν, *& deferebat Joseph criminationem adversum eos pessimam ad patrem ipsorum.*] ¶ Ηνεγκεν] Prius, κατήνεγκαν, videlicet filiæ Balæ & Zelphæ. Cyrillus Alexandrinus, οἱ δὲ Ζέλφας τε καὶ Βάλλας ψόγον πονηρὸν κατήγαγον ἐπὶ τὸν Ιωσήφ. Puto tamen aliquando scriptum fuisse κατήνεγκεν, nempe Joseph. Sane verba Ebræa clara sunt, nec ullam ambiguitatem habent. Diodorus, Ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἀντὶ κατήνεγκαν, κατήνεγκεν ἔχουσι. τουτέστιν, ὁ Ιωσὴφ διέβαλε τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρί, ὡς οὐκ ὀρθῶς ζῶντας. ὅθεν καὶ ἐμισήθη παρ' αὐτῶν. Interpres noster, *accusavitque fratres suos apud patrem de crimine pessimo.* ¶ *Criminationem*] vel *accusationem*. Nam διαβολὴ etiam *accusatio*, quæ tam vera esse potest quam sæpenumero falsa est. Sirach. 19. 14. πολλάκις γίνεται διαβολὴ ματαία. Alibi est in eodem libro apud interpretem nostrum, *calumnia mendax*. Isocrates, δίκαζε τὰς διαβολὰς, κἂν ψευδεῖς ὦσι. Ut hic διαβολὴ πονηρὰ, ita legimus 1 Machab. 1. 38. εἰς διάβολον πονηρὸν, quod Ebraice diceretur רע לשטן. Nam Satan διάβολος. ¶ *Crimen malum*] Crimina mala. Lexic. vetus, Ψόγος, *vituperatio, culpa*. Si culpa, ergo crimen. Sed an crimen bonum? potest esse epitheton perpetuum. ψόγος proprie *vituperium, reprehensio*. Hic videtur significare crimen vituperabile ac reprehensione dignum: & est reprehensio quædam bona. ψόγος ergo nomen medium, ut דבה apud Ebræos, quod יצר interpretantur. Notatum in Michlal Jophi aliud esse cum dicimus הביא דבה κατήνεγκε ψόγον, & aliud cum dicimus הוציא דבה ἐξήνεγκε ψόγον. Nam illud de crimine vero dici, hoc de falso tantum, ut Num. 13. καὶ ἐξήνεγκαν ψόγον τῆς γῆς. ubi Lxx, ἔκστασιν *mentis excessum*. Hic melius interpretantur ψόγον, & alibi ὀνειδισμὰ, & ῥῆμα πονηρὸν, & semel λοιδορίαν, *contumeliam*, ῥῆμα πονηρὸν, *verbum malum*. Quod si רעה est idem cum רע, ut Abenmelech opinatur, tum profecto bene redditur ῥῆμα πονηρὸν. quod in fonte דבה רעה. Judicent eruditi.

3. כתנת פסים. Sym. *tunicam manicatam*. A. ἀστραγάλειον, *talarem*] Hieron. *Pro Varia tunica, Aquila interpretatus est, Tunicam ἀστραγάλειον, i. talarem: Symmachus, Tunicam manicatam, sive quod ad talos usque descenderet, & manibus artificis mira esset varietate distincta, sive quod haberet manicas. Antiqui enim magnis colobiis utebantur.* ¶ *Tunicam manicatam*] χιτῶνα χειριδωτόν. Lex. Græco-Lat. Χειριδωτὸς. *manicatus*. & Latino-Græcum, *Manicatus*, Χειριδωτὸς, 2. Reg. 13. 18. Lxx. χιτὼν καρπωτὸς, alii, χειριδωτὸς, alii, ἀστραγαλωτὸς, pro quo hic χιτὼν ἀστραγάλειος, *tunica talaris*, si recte interpretatur Hieron.

14. את־שלום אחיך ואת־שלום הצאן Schol. Τὴν εἰρήνην τῶν ἀδελφῶν σου, καὶ τὴν εἰρήνην τῶν βοσκημάτων, *pacem fratrum tuorum, & pacem pecorum.*

18. ויתנכלו] Schol. ἐδολιεύοντο. Δολιεύομαι, *fraudulenter ago*. Psal. 105. 25. להתנכל. Lxx. τοῦ δολιοῦσθαι. Hier. *ut dolose agerent*, Mal. 1. 14. נכל. Hieron *dolosus*. Hinc נכלים *doli, fraudes*, & in lingua Chaldæorum נכיל, quod usurpant cum Ebræum ערום interpretantur. R. D. התנכל *est cogitare cogitationem malam, & facere aliquid* בערמה, i. *callide fraudulenterve.*

25. וגמליהם נשאים נכאת. A. καὶ αἱ κάμηλοι αὐτῶν ἦρμεν στύρακος, *& cameli eorum onustæ erant styrace*] *Styrax*, arbor Syriæ & lacryma ejus arboris. Officinæ vulgo *storacem* vocant: quæ vox legitur & in Hieron. Vide Notas in Fragm. ad Gen. 43. 11. *Nechota*, inquit, *Aquila storacem transtulit: unde domus Nechota in Jesaia, cella thymiamatis vel storacis intelligitur, quod in illa aromata diversa sunt.* In lib. nom. Ebraicor. NECHOTA, *Styracem ejus, vel Aromata.* Glossæ veteres, *Nechota*, (scripserim potius *Nechotha*) *thymiama vel aroma.* Scire licet ἐν τοῖς ὁ esse, ἦρμεν θυμιαμάτων. Unde forte Hesychius, Στύραξ, δένδρον καὶ θυμίαμα. In Thesauro Stephani, *Ex lacryma styracis fiunt suffitus: unde Hesychius dicit esse δένδρον; item thymiama.* R. S. *Copia omnis aromatum in unum congregatorum vocatur* נכאת, *& Onkelos interpretatur Ceram.* Sic etiam Jonathan; nec aliter autor libri qui vocatur *Bresith rabba.*

26. מה־בצע. A. τί πλεονέκτημα; alii, τί κέρδος; *quodnam lucrum?*] Πλεονέκτημα est id quod Galli dicunt, *avantage.* Posses ergo reddere, τί πλεονέκτημα; *quel avantage? quid amplius, quæ commoditas?* q. d. Quid commodi aut utilitatis consequemur, si illum occiderimus?

28. מדנים. Schol. Ισμαηλῖται, *Ismaelitæ.*] Iidem sunt Madianitæ & Ismaelitæ. Quod colliges ex v. 25. 27. & isto. Non male igitur in Lxx. Μαδιηναῖοι. Uterque Chaldæus, ערביא, iidem pro *Ismaelitis* ediderunt ערבי, *Arabes*. Autor Jerosolymitanæ, סרקיי, *Saraceni*: Qui sic vocantur non à *Sara*, ut quidam volunt, sed à verbo סרק, quasi λῃστρικοὺς dicas. Nam olim ea gens peculiariter latrociniis dedita erat. Sic passim in commentariis Judæorum lingua Arabica vocatur *lingua Ismael* vel *Ismaelitica.*

36. פוטיפר. A. Sym. Φωτιφάρ] Origenes, Πετεφρῆς παρ' Ακύλᾳ καὶ Συμμάχῳ Φωτιφὰρ εἴρηται ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ.

NOTÆ MAJORES.

1. *Habitavit autem Jacob in terra peregrinationum patris sui, in terra Chanaan.*

In terra peregrinationum patris sui] mox se explicat cum ait, in terra Chanaan. Nam in ea peregrinus habitaverat Isahac. Ut hic, *terra peregrinationum Isahac*, ita Gen. 17. 8. vocatur, *terra peregrinationum Abrahami.* Utrobique est pluralis in Ebræo, quia in pluribus locis illius regionis peregrini fuerant. Ceterum hoc caput quædam editiones inchoant à versu qui proxime sequitur.

2. *Hæ sunt generationes Jacobi: Joseph natus annos septendecim pascebat cum fratribus suis oves, & ipse erat puer, apud filios Balhe, & apud filios Zelpha uxorum patris ipsius: detulitque Joseph rumorem eorum malum ad patrem ipsorum.*

Generationes Jacobi] Lxx. αἱ γενέσεις Ιακώβ. Sic etiam Hier. Nec aliter Onkelos & Jonathan. Unus Trem. post Abenezram, *Hæc sunt quæ acciderunt Jacobo.* Quæ interpretatio sumta ex illo,

illo, *nescis quid paritura sit dies*, cujus ea vis; ut si diceret, nescis quid futuro tempore eventurum sit. Ceterum cum usus sit generationis vocabulo, quo posteritas significari solet, malim utramque significationem conjungere, ut dicat, Hæc sunt ea quæ filiis Jacob, & imprimis Josepho filiorum ipsius carissimo, in terra Chanaan evenerunt. ¶ *Natus annos septendecim*] vel, cum esset annorum septendecim, sive, cum ageret annum decimum septimum. Verbum è verbo, *filius septendecim annorum*. In numero dissentit Hier. & ab Ebræo & à ceteris interpretibus, nisi mendum in ejus editione, legendumque pro *sedecim* septendecim. Quod Jonathan extulit שבסרי voce contracta ex שבע עסרי septem decem (ita Cæsar loquitur) vel unica dictione & conjunctim, septendecim. Græci dicunt ἑπτακαίδεκα, &, δέκα καὶ ἑπτὰ, decem & septem, inserta copula. Jonathan addit *eum tunc primum egressum fuisse ex domo doctrinæ*, hoc est ex Schola in qua institutus fuerat. ¶ *Pascebat oves*] ad verbum, *erat pascens in ovibus*. Nove dixit בצאן. Talis constructio 1 Sam. 16. 11. & 17. 34. ¶ *Oves*] πρόβατα. Hier. *gregem*. Editio Gallica, *les troupeaux*. i. greges. ¶ *Et ipse erat puer*] Quomodo puer, si annum agebat decimum septimum? Dictio נער etiam sig. adolescentem & juvenem. Vide Observat. Lib. 7. cap. 17. Aut *erat puer*, indole ac moribus animique simplicitate q. d. Quæ faciebat, non animo malo faciebat, sed puerili quadam simplicitate. M. Varro, *ea erat matronæ simplicitas, & pueritia & honestas*. Aut, *erat puer*, i. minister apud filios Balhæ q. d. utebantur eo pro famulo ac ministro. Abenezra scribit, *crimen hoc fuisse, cum filii ancillæ essent, quod ipse inter alia ad patrem detulerit*. Lxx. ὢν νέος, cum esset juvenis. Hier. *adhuc puer*. Ionathan, והוא טליה. Onkelos, רבי. Ab illo est fœm. טליתא puella, quod antiqui legebant Talitha. ¶ *Balhæ*] vel, Balæ, elisa adspiratione. Græci scribunt Ballæ, l geminata, μετὰ τῶν υἱῶν Βαλλᾶς. Hodie Bilhæ. ¶ *Uxorum patris ipsius*] uxores erant secundariæ, ut Rachel & Lia primariæ. Quod noto, quia vocantur alibi ancillæ, & alibi concubinæ. Harum liberi legittimi censebantur, & justis uxoribus attribuebantur. Qua ratione dici etiam possent uxores legittimæ. Quamvis sine scripto & sponsalibus ducerentur. ¶ *Detulitque Josephrumorem ipsorum &c.*] Ebræi distinguunt inter הביא דבה detulit rumorem & הוציא protulit: quod illud in bonam partem accipiatur, hoc in malam tantum, ut apud Salomonem, ubi ait:

מוציא דבה כסיל

Qui profert rumorem stultus est.

Græca exemplaria hic admodum variant. Nam in nonnullis κατήνεγκεν δὲ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν: in aliis κατήνεγκαν δὲ τὸν Ἰωσὴφ &c. in Romana vero editione, κατήνεγκαν δὲ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν, detulerunt, nempe fratres. Procopius eandem lectionem Aquilæ tribuit. pag. 186. Eandem agnoscunt Chrysostomus & Isidorus, ceterique Græci Theologi, in queis & Theodorus, cujus hæc verba sunt, καὶ πρῶτον μὲν ἐπειράθησαν κακῶς αὐτὸν τῷ διαβεβλῆσθαι πολλαῖς καὶ αὐτῷ λοιδορίαις χρώμενοι. Videndus etiam doctissimus Theodoretus. Sed & Scholion laudatum ex Cyrillo, *Filii Zelphæ & filii Ballæ crimen malum detulerunt contra Joseph*. Verba Græca sunt, οἱ ἀπὸ Ζέλφας καὶ Βάλλας ψόγον πονηρὸν κατήγαγον ἐπὶ τὸν Ἰωσήφ. Hunc errorem Græcorum detexerunt interpretes alii, qui secuti sunt, Aquila & Symmachus. ¶ *Rumorem malum*] vel, famam malam. Vult dicere, quicquid mali de illis sciebat. Santes, Leo Judæ, Munsterus & alii, *infamiam malam*, cum omnis infamia mala sit. Adhæc infamia כלומה dicitur. Hieronymus, *crimen pessimum*. Lxx. ψόγον πονηρὸν vituperium malum. Symmachus, διαβολὴν πονηράν. i. criminationem vel accusationem malam. Vide supra. Editio Gallica, *leurs mechantes paroles de diffame*. Ebraice דבתם רעה. Qua voce & Onkelos usus est. Nam in Jonatha טיבהון, nisi legendum דיבהון. Siquidem Chaldæi dicunt טיבה Daleth in Teth versa, & est nomen μέσον apud eos. Radix דבב in quo sensus odii, unde אתא דבובה mulier exosa sive invisa. R. David in libro ubi vocum sensa collegit דבה interpretatur dicens significare דבר sermonem. Idem annotat cum הביא constructum significare sermonem verum, cum הוציא vero falsum. ¶ *Ad patrem ipsorum*] pro αὐτῶν in edit. Complut. legitur αὐτοῦ. Quod ex editione Aquilæ transcriptum, cum tamen ibi scribendum potius esse videatur αὐτῶν. Nam discrimen nimis magnum est inter אביו πατέρα αὐτοῦ & אביהם πατέρα αὐτῶν: ut Aquila in eo labi facile non potuerit.

3. *Porro Israël amabat Josephum præ omnibus filiis suis, quia filius senectutis erat ei: fecitque illi tunicam versicolorem.*

Præ omnibus] præ ceteris omnibus. ¶ *Filius senectutis erat ei*] *in senectute ipsius natus, cum jam ageret annum nonagesimum primum*, ut Abenezra scribit. Docte Hiero. *eo quod in senectute genuisset eum*. Nam Lxx. ad verbum reddunt ὅτι υἱὸς γήρους ἦν αὐτῷ. Vide R. Levi Gersomi F. Onkelos, *quia filius sapiens erat ei*. Quasi senili prudentia præditus. Huic interpretationi adversatur pronomen לו ei, quod certe non addidisset, si hoc voluisset. Ut hic Joseph *filius senectutis*, ita infra 44. 20. *Benjamin* dicitur ילד זקנים i. puer senectutis. Videndus Lyra. ¶ *Tunicam versicolorem*] כתנת פסים. Lxx. χιτῶνα ποικίλον, tunicam variam. Aquila, ἀστραγάλειον, quod reddunt *talarem*. Nam ἀστράγαλος, talus. Symmachus, *tunicam manicatam*. Editio Latina vulgata, *tunicam polymitam*, à liciorum multiplici varietate, quasi tu dicas multis liciis textam. Plinius Lib. 8. cap. 48. *plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit*. Hinc polymitanum opus, quod & plumarium dicitur, & polymitarii, qui eam artem exercent, & Exod. 36. *polymita arte*, qua varia fila, liciaque texuntur. Nicolaus, *In Ebræo habetur tunicam sericam. Ille enim pannus sericus, de quo erat tunica, erat pluribus coloribus decoratus, & ideo dicitur illa tunica Polymita*. Infra vers. 23. ubi noster interpres habet, *nudaverunt eum tunica talari & polymita*; ad eum locum Paulus Burgensis Episcopus annotat, *In Ebræo habetur, expoliaverunt eum sua tunica, tunica serica*. Ita legendum; non ut in vulgatis, *sua tunica serica*. Dicunt perspicue sequentia, *quod idem est ac si diceret, sua tunica scilicet tunica serica*. R. Salomo, *Vestis ex pura & molli tenuissimaque lana*, (id enim valet מֶלֶת) *cujusmodi est carbasina vel hyacinthina*. Thargum Jerosolymitanum פרגוד מצייר quod interpretantur tunicam figuratam seu pictam. In Jonatha est פרגוד. Dubito an recte. Nam facilis lapsus de Res in Daleth. 2 Sam. 13. 19. כתנת פסים. Lxx. ἀστραγαλωτὸς, talaris (פיסין in lingua Chaldæorum sunt tali, quibus in sortiendo utuntur.) Aquila, καρπωτὸς, *manicata*. Symmachus, χειριδωτὸς, manuleata. פס, apud magistros est vola manus. Chaldaice פַּסָּא vel פִּסָּא, quod scribunt פיסא. Unde 1 Sam. 5. 4. פסת ידיו volæ manus ejus. R. David in libro Radicum, כתנת פסים, *tunica erat ex variis coloribus, cujus singula frusta diversum & peculiarem colorem habebant. Sane ידא פס Thargum interpretatur פסת ידיא*. Hactenus ille. שבלי פסים potest etiam exponi de partibus sive fragmentis vel segmentis tunicæ. Abenezra, כתנת פרגיית tunicam Phrygioniam. Sunt autem Phrygionia vestimenta, in quibus tramæ diversis modis retortæ & perplexi mæandri sunt. Ps. 45. 15. לרקמות. Lxx. πεποικιλμένη. Alius, εἰς ποικιλτά. Hier. *in scutulatis*. Rursum Ps. 139. 15. רקמתי. Sym. ἐποικίλθην. Gallica editio postrema, *Un hocqueton bigarré*. i. tunica variegata variis coloribus distincta. Obvia hæc vox פסים, cujus radix פסס, 2 Sam. 13. 18. Ubi Hiero. *Quæ induta erat talari tunica. Hujusmodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur*. Unde discimus vestem minime vulgarem, sed nobilem ac splendidam fuisse. Quocirca fratrum invidiam auxit & accendit in Josephum.

4. *Cumque vidissent fratres ejus, quod ipsum amaret pater eorum præ cunctis fratribus ipsius, oderunt eum, nec poterant cum eo loqui pacifice.*

Quod ipsum amaret pater eorum] vel, *patrem suum amare ipsum*. Tres caussas fraterni in ipsum odii recenset. Prima est delatio fratrum ad patrem. Deferebat autem præcipue filios ancillarum, apud quos versabatur. Secunda est amor patris erga illum. Tertia ejus somnia de principatu. ¶ *Oderant eum*] Jonathan, נטרו ליה כבו servarunt ei odium, ubi illud כבו positum videtur pro דבבו odium, inimicitia: unde דבובה exosa, invisa, & דבה criminatio, in odium alicujus conficta, aut quæ odium conciliat ei de quo dicitur. כְּבוּ etiam legitur vers. 5. in eadem editione. ¶ *Cum eo loqui*] דברו dixit pro לדבר עמו. Quod Onkelos & Jonathan referunt למללא עמיה loqui cum eo. Lxx. maluerunt λαλεῖν αὐτῷ, & Hier. *loqui ei*. Eodem redit. ¶ *Pacifice*] לשלום ad pacem. i. pacifice, εἰρηνικῶς, pacate, placide, sine odii aliquo aut iræ in ipsum indicio. Quod eis laudi tribuitur à Salomone Trecensi, cum alii odium vultu tegant, & aliud animo, aliud ore præ se ferant. Quidam explicant, *ne quidem salutare eum dignabantur*. Onkelos & Jonathan, *nolebant cum eo loqui pacem*. Lxx. οὐδὲν εἰρηνικὸν quicquam pacificum. Abenezra, *Non poterant ei loqui, ne quidem ad pacem*, hoc est, *ad eum salutandum*, ut Mercerus exponit.

5. *Somniavitque Joseph somnium, & indicavit fratribus suis, unde addiderunt amplius odisse eum.*

Somniavitque &c.] Tertia & ultima caussa odii fraterni erga Josephum. Quanquam alii inter caussas odii recensent etiam confectionem tunicæ versicoloris, effectum amoris quo illum pater prosequebatur. Docte ad sensum Hier. *Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis, quæ caussa majoris*

odii

odii seminarium fuit. Nihil elegantius. Quocirca male faciunt, meo judicio, qui hunc interpretem tantopere contemnunt. Quasi vero & alii, quos admirantur, non aliquando lapsi sint. ¶ *Odisse eum*] *servare ei odium*, Jonathan. Odium autem vocat נכו & infra v. 9. Integrum esset רבנו.

6. *Et dixit eis, Audite nunc somnium istud quod somniavi.*

7. *Ecce nos colligabamus manipulos in medio agri, & ecce surgebat manipulus meus, atque adstabat, quem ecce circuibant manipuli vestri, & adorabant manipulum meum.*

Nunc] נא, nunc. Onkelos, Jonathan. Tremell. *Quæso.* Santes, Leo Judæ, Munsterus, Sabaudi. ¶ *Somnium*] ἐνύπνιον. ¶ *Quod somniavi*] Græce est ὃ ἐνυπνιάσθην. Sic supra ἐνυπνιασθεὶς ἐνύπνιον, cum somniasset somnium. Proprie insomnium. Sed pro ὄνειρος ponitur. Hiero. *quod vidi* די חזית. Eodem recidit. Act. 2. ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, somnia somniabunt. ¶ *Ecce nos*] והנה אנחנו. Copulam Vau, omissam ab aliis interpretibus, quia hic otium agit, expresserunt Onkelos Jonathan & Santes. ¶ *Colligabamus manipulos*] manipuli. i. δράγματα, ab Ebræis אלמים & אלמה vocantur, à Chaldæis vero פתא à ligando, & פתנא, in quo etiam sensus ligandi, ἀφ' οὗ τὸ קוט quod Nathan Justus interpretatur קשר ligo, colligo. Quo significatu usurpatur hic in Jonatha & Jerosolymitana: item in eo libro, qui vocatur Bresith Rabba i. Genesis magnus. Ceterum אלמים, quod reddunt verbo ligandi, ut Græci, δεσμεύειν, proprie significat manipulos colligare, quos alii mergites, alii segetum fasces appellant. ¶ *Surgebat*] erigebat se, quod R. Salomo dixit, נזקפה. Est autem קמה penacutum, ac proinde præteritum, non Benoni. Quod interpretatione sua confirmant Onkelos & Ionathan. Græci quoque qui vertunt ἀνέστη. ¶ *Stabat*] stabat erectus, quod Græci dixerunt ὠρθώθη, Onkelos & Jonathan וקמת. Ebraice autem est נצבה, cujus thema נצב. ¶ *Circuibant*] תסבנה in Kal. Alii, *circumdabant* תסובבנה in Hiphil. Hiero. *circumstabant.* ¶ *Adorabant manipulum meum*] Proni venerabantur manipulum meum, sive procidebant seque prosternebant coram eo. Hujus somnii complementum invenies infra 42, 43, & 44.

8. *Tum dixerunt ei fratres ejus, An regnando regnabis super nos? Si dominando dominaberis in nos? & addiderunt amplius odisse illum propter somnia ejus, & propter verba ejus.*

An regnando regnabis super nos] Lxx. μὴ βασιλεύων βασιλεύσεις ἐφ' ἡμᾶς? Onkelos, *An regnum tu cogitas regnare super nos?* Jonathan, *An regnaturum te putas super nos.* In utroque est מדמי, quod magis putare significat, quam cogitare. Tamen Fagius interpretatur Onkelum, *nunquid regnando tu cogitas regnare super nos?* malim, *Ergone regnaturum te putas regnum super nos?* Regnare regnum, ut *pugnare pugnam*, quod Græci dicunt μάχεσθαι μάχην. Sic *gaudere gaudium.* Chaldaice est מלכו. An regnum tu cogitas &c. Hiero. *nunquid rex noster eris?* In principio versus pro, *tum dixerunt*, Ebræus habet, *& dixerunt.* Hanc conjunctionem alii redundare putant: itaque omittunt interpretantes. ¶ *Regnando*] ut rex. ¶ *Si*] an, ut in illo Terent. *Si domi est, rogas.* Consule Grammaticos. ¶ *Dominando*] ut dominus, princeps aut dynasta, qui משל vocatur i. dominator. Abenezra, *ergone rex eris*, nostra electione: aut, *dominaberis*, vi ac tyrannide & nobis invitis. ¶ *Propter somnia*] Et hoc & aliud quod mox somniavit. Forsan & alia somnia vidit ut propterea somniator ab iis dictus sit. ¶ *Propter verba ejus*] quibus referebat somnia sua: vel propter delationes suas. Quanquam proprium delatoris non sua verba referre, sed aliena: unde dicitur, *iterare sermonem* hoc est ab uno auditum ad alium deferre.

9. *Nam somniavit adhuc somnium aliud, & narravit illud fratribus suis, & dixit, Ecce somniavi somnium adhuc, & ecce sol & luna & undecim stellæ adorabant me.*

10. *Narravitque patri suo & fratribus suis, & increpavit eum pater ipsius & dixit ei, Quid sibi vult somnium istud quod somniasti? An veniendo veniemus ego & mater tua & fratres tui ad adorandum te in terram.*

11. *Itaque inviderunt ei fratres ejus, pater autem custodivit verbum.*

Aliud] alterum. In Jonatha est תניינא pro אחר. Lxx. ἐνύπνιον ἕτερον. ¶ *Adhuc*] rursum, denuo, iterum. i. תוב ut Jonathan loquitur. Pro *nam somniavit*, alii vertunt, *deinde somniavit.* In Ebræo est ad verbum *Et somniavit.* Id ego interpretatus sum per *nam*, quia videtur esse αἰτιολογία ejus quod dixerat, *propter somnia* πληθυντικῶς, cum unum duntaxat somnium tunc vidisset. ¶ *Undecim stellæ*] vel, *undecim sydera*, ut respexerit ad 12 signa Zodiaci, quæ מזלות vocantur. Undecim autem Jonathan dixit חד סר pro eo quod est חד עשר unum decem. Quod ita dicitur, ut *septem decem* pro septendecim. Ceterum per solem recte pater significatur, ait Nicolaus, quia est principium caloris & vitæ: per lunam quæ dominatur in humida, mater, quæ est principium passivum in generatione: per stellas vero intelliguntur filii, quia recipiunt lumen à Sole. ¶ *Increpavit eum*] ἐπετίμησεν αὐτῷ, increpuit, objurgavit eum. Verbum גער in hac significatione construitur cum ב in: alias signi. perdere, corrumpere, vastare. Chaldaice, נזף increpo. Sed quare increpuit eum? An propter reliquos filios, quos videbat offendi hac somniorum narratione? ¶ *Quid sibi vult somnium istud?*] מה החלום הזה, quid somnium istud? Sub. est, aut sibi vult, & cum admiratione legendum ut Psal. 8. *Quid est homo ut memor sis ejus?* ¶ *Et mater tua*] quomodo mater, quæ jam obierat? nam emphasis in eo quod addit, *tua.* Utrum ergo Leam intelligit, quæ ipsi quasi mater erat. Nam etiam noverca mater appellatur. Aut significat Balam ancillam, quæ Josepho post mortem Rachelis matris erat loco. Aut argumentatur ab absurdo καὶ ἀδυνάτου q. d. etiamne mater tua adorabit te, quæ jam mortua est? Probari hoc posset, nisi per lunam in somnio mater designaretur. Sunt qui hoc completum esse putant in Benjamin altero filio Rachelis. ¶ *In terram*] Videtur superfluere. Nam qui adorabat, pronus in terram procidebat. ¶ *Custodivit*] *servavit in corde suo*, Jonathan. διετήρησε, Lxx. *tacitus considerabat.* Hier. *Observabat*, Alius. *Custodivit in corde suo*, hoc est apud se, Aben Ezra. *Expectabat eventum ejus*, R. Salomo. ¶ *Verbum*] i. e. rem. *Expectabat rem*, i. e. eventum rei R. Levi. Sic Græci λόγον usurpant. Lxx. hic habent τὸ ῥῆμα, & in Ebræo est הדבר quod potest etiam reddi, *verbum illud.*

12. *Post abierunt fratres ejus ad pascendum oves patris sui in Sichem.*

13. *Dixitque Israel Josepho, Nonne fratres tui pascunt in Sichem? Veni & mittam te ad eos: qui dixit, Ecce me.*

14. *Et dixit ei, Ito nunc, vide pacem fratrum tuorum & pacem ovium, & refer mihi verbum: dimisit ergo eum ex valle Hebron & venit ad Sichem.*

Ad pascendum oves] vel, pastum gregem. Quod Ebræi legunt את הצאן cum puncto supra את, quo innuitur, inquit R. Salomo, quod iverint ad pascendos se ipsos. Hujusmodi minutiis qui delectatur, adeat ad Commentarium Merceri, qui accurate hanc punctandi rationem observat. ¶ *In Sichem*] εἰς συχὲμ. Sunt qui locum fuisse putant pascuum prope Hebron. Mihi aliter videtur. Nam quod eos movit ut ita sentirent, id leve est. Siquidem & oves Laban aberant à loco ubi Jacob suas pascebat, itinere tridui. Eusebius de Locis, *Sichem quæ Latine & Græce Sicima vocata est, nunc deserta est. Ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos juxta sepulchrum Joseph, quam subvertit Abenmelech & seminavit in ea Salem.* Et post aliquanto, *Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim civitas fugitivorum.* ¶ *Nonne fratres tui &c.*] Nonne pascunt oves in Sichem loco ipsis periculoso propter cædem quam ibi commiserunt. ¶ *Veni*] adesdum, age. Hortantis est, ut ibi, *Venite, faciamus lateres.* ¶ *Ecce me*] vel, Eccum me, q. d. adsum, paratus, ad tuum obsequium. Hiero. habet, *præsto sum.* ¶ *Ito nunc*] vel, I, quæso. Hiscuni אין נא אלא לשון בקשה i. e. particula נא semper significat, obsecro, quæso. ¶ *Vide pacem fratrum tuorum &c.*] Vise ut valeant fratres tui. Quod Græci Lxx. dixerunt ἴδε, εἰ ὑγιαίνουσι οἱ ἀδελφοί σου, καὶ τὰ πρόβατα. Ceterum in Scholio est, τὴν εἰρήνην τῶν ἀδελφῶν σου, καὶ τὴν εἰρήνην τῶν βοσκημάτων. Quod sumptum putarim ex editione Aquilæ. Hieronymus, *Vide, si cuncta prospera sunt erga fratres & erga pecora.* Trem. *Cognosce de incolumitate fratrum tuorum, & de incolumitate gregis.* Alius, *Vide, si recte se habeant fratres tui &c.* ¶ *Dimisit eum &c.*] Deduxit ex monte in vallem (Nam Hebron in monte sita) inde dimisit eum Sicimam versus. ¶ *Ad Sichem*] vel, *in Sichem* i. e. לשכם; Quod Græci dicunt εἰς συχὲμ: non בשכם ἐν συχὲμ. Gallica editio, *usque ad Sichem.* Alius, *Sicimam versus.* Ebraice שכמה.

15. *Et invenit eum vir, cum ecce aberraret in agro, & interrogavit eum vir ille dicendo, Quid quæris?*

16. *Et dixit, Fratres meos ego quæro; indica quæso mihi ubi illi pascant.*

17. *Et dixit vir ille, Profecti sunt hinc, nam audivi dicentes, Eamus in Dothain: ivit ergo Joseph post fratres suos & invenit eos in Dothain.*

Invenit eum] Offendit eum, incidit in eum. ¶ *Vir*] plenum

num esset: *vir unus* i. e. quidam. Jonathan & R. Salomo, *Gabriel in specie viri.* Abenezra, *viator quispiam.* ❡ *Cum ecce oberraret*] vel, errantem i. e. πλανώμενον. Nam dum fratres quærit, nec invenit, facile à via aberravit. ❡ *Dicentes*] cum dicerent. ❡ *In Dothain*] Locus est qui mox Dothan vocatur. Hiero. utrobique habet, *Dothain.* Onkelos & Jonathan, *Dothan.* Lxx. Δωθαείμ, in quo mendum quale in μαδιάμ pro μαδιάν. Eusebius de locis, *Dothain, ubi invenit Joseph fratres suos pecora pascentes; qui & usque hodie in 12. à Sebaste miliario contra aquilonis plagam ostenditur.* Borchardus in descriptione terræ Sanctæ, *Dothain, aliquando sumitur pro opido, aliquando pro regione adjacente ipsi opido, quæ ab eo denominata est, & est terra campestris inter fructiferos colles, contigua fontibus, pascuosa & pecoribus alendis aptissima.* Hujus loci mentio 2 Reg. 6. 13. & Judith. 7. 3. Ceterum ut און dicimus & אן unde מאן: Sic דֹּתָיְן & דֹּתָן: Dothain & Dothan. ❡ *Ivit post fratres suos*] subsecutus est eos.

18. *Cumque vidissent eum de procul, priusquam appropinquaret ad eos, machinati sunt ei necem.*

De procul] מרחק de procul, ἀπὸ μακρόθεν, quod vetus interpres reddere solet de longe, vel a longe. Hic habet, *procul,* & Lxx. μακρόθεν. Recentior interpres, *è longinquo.* Galli hoc dicunt, *de loin. De procul,* ita dicitur, ut, *de sub.* Hoc Florus: illo Plautus utitur in Persa: *de procul aspicere.* ❡ *Machinati sunt ei necem*] ויתנכלו אתו להמיתו & dolum struxerunt ei ad interficiendum eum. Nos sensum expressimus. Nam machinor est, per dolum aliquid molior. Livius, *Turno necem machinatur.* Lxx. ἐπονηρεύοντο (alias ἐπονηρεύσαντο) τοῦ ἀποκτεῖναι αὐτόν. Hiero. *Cogitarunt illum occidere.* Onkelos, *cogitarunt de illo occidendo.* Verbum pro verbo, *contraeunt ad occidendum illum.* Jon. *consilium inierunt contra eum ad occidendum eum.* Abenezra, *cogitarunt contra eum cogitationem malam.* Sic etiam R. Levi filius Gerson. R. Salomo, *repleti sunt dolis ac fraudibus.*

19. *Dixeruntque inter se, Ecce somniator iste venit.*

Inter se] איש אל אחיו, Vir ad fratrem suum i. e. alter alteri. ❡ *Somniator*] ὁ ἐνυπνιαστής. Ebraice בעל החלמות, quod reddunt, *autor Somniorum,* cum potius eorum autor dici debeat Deus. Onkelos & Jonathan מרי חלמיא magister somniorum, vel si mavis, dominus somniorum. Quomodo ex Hebræo interpretatur Tremellius, quod enarrat, *qui sibi futuram in nos dominationem somniat.* Potest ita esse, tamen adducor ut credam melius esse quod in Lxx. & Hier. ut בעל החלמות sit somniator, quemadmodum בעל ברית fœderatus: בעל רשע improbus: בעל הענוה mansuetus, modestus: בעל בצע deditus lucro, lucrio: בעל אף iracundus: בעל שבועה qui juramento tenetur: בעל שחד qui muneribus se corrumpi patitur, δωροφάγος καὶ δωρολήπτης. Trem. libentius accederem, si in Ebræo esset ארון החלמות. Sit cuique judicium suum. Gallica editio, *maistre songeur* i. e. magister somniator, vel somniandi magister. ❡ *Iste*] Lxx. ἐκεῖνος ille. Ebraice, הלזה, Chaldaice דיכי. ❡ *Venit*] advenit; ἔρχεται. Jonathan hic habet, *dixerunt Simeon & Levi, qui erant fratres consilio &c.*

20. *Nunc ergo venite & occidamus eum, & projiciamus eum in unam cisternarum: dicemusque patri ejus, fera mala devoravit eum, & videbimus quid futura sint somnia ejus.*

In unam cisternarum] באחד הברות. Lxx. εἰς ἕνα τῶν λάκκων. Est autem λάκκος cisterna. Interpres vulgatus *lacum* vocat. Sic etiam Severus. Lex. Vet. λάκκος, *laccuna, lacus, cisterna.* Hiero. *in cisternam veterem.* Quid vidit cum ita verteret? Onkelos & Jonathan, *in unam ex his cisternis,* an potius, *fossis?* Nam גוביא fossæ sive foveæ. Mercerus, *in unam fossarum.* Leo Judæ, *in puteum aliquem.* בור cisterna in qua aquæ pluviales colliguntur, sive fossa collectas aquas continens, quæ sæpenumero exsiccatur. באר vivas & scaturientes habet. Ceterum articulus in הברות eam vim habere videtur, ut si dicas, *harum cisternarum,* vel, si mavis, *ex his cisternis.* ❡ *Fera mala*] חיה רעה θηρίον πονηρόν. Hiero. *fera pessima.* Mercerus, *bestia mala:* בהמה רעה. Et *mala* i. e. noxia. ❡ *Quid futura sint somnia ejus*] מה יהיו חלמתיו quid erunt somnia ejus, i. e. quorsum evasura sint. Lxx. τί ἔσται τὰ ἐνύπνια αὐτοῦ. Hiero. *quid illi prosint somnia sua* מה יעלו לו חלמתיו. Onkelos, *quid tandem futura sint somnia ejus:* vel, *quid tandem futurum sit somniis ejus.* Jonathan, *quænam futura sit interpretatio somniorum ejus.*

21. *Quo audito Ruben liberavit eum è manu ipsorum, & dixit, Non percutiemus eum anima.*

Liberavit eum] *nitebatur liberare eum,* Hiero. ❡ *Et dixit*] Videtur hoc apud se dixisse. ❡ *Non percutiemus eum anima*] in verbo inclusum verbale, ut sit מכה נפש percussionem animæ: & est sensus, non eum vita privabimus, non ei vitam adimemus. Nam anima pro vita ponitur. Qua de re dixi fuse in Observationibus meis, quæ non repeto. Sic *occidere animam* dicitur qui alicui vitam adimit, cum alioqui anima occidi non possit. Diligenter hæc notanda sunt. Lxx. οὐ πατάξωμεν αὐτὸν εἰς ψυχήν. Hieronym. *non interficiamus animam ejus.* Onkelos, *non occidemus eum anima.* Vult dicere, quoad animam. Quod idem cum illo, Non occidemus animam ejus. Jonathan, *non occidemus eum, ne rei simus sanguinis ejus.* Licet etiam vertere, *non percutiamus, non occidamus.* Quomodo sane vertendum, si hoc non apud se dicit, sed fratribus suis, ut communis opinio est, quam non rejicio. ❡ *Anima*] Trem. *Lethaliter.* Percutit & qui non occidit: percutit animā proprie qui occidit. Non ergo temere hoc adjectum.

22. *Et dixit eis Ruben, Ne effundatis sanguinem, projicite eum in cisternam hanc quæ in deserto, & manum ne immittatis in eum, ut liberaret eum è manu ipsorum, ad reducendum illum ad patrem suum.*

Ne effundatis sanguinem] vel, *ne effundite sanguinem,* quod Græci dicunt μὴ ἐκχέητε αἷμα. Minus recte Hiero. *ne effundamus.* Nam mutando personam tacite innuit se nunquam consensurum in cædem fraternam. ❡ *Sanguinem*] Jonath. *Sanguinem innoxium,* quem vocat, דם זכאי, quod perperam scribunt דָּם cum duplici camets. Pro זַכָּאי est cur malim זַכִּי. Nam additis apicibus Aleph redundat. Nota eum dicere *sanguinem* simpliciter, & non sanguinem ejus. Nam suspectum se reddidisset, si eos dehortatus fuisset duntaxat à cæde fraterna. ❡ *In cisternam hanc*] Lxx. εἰς ἕνα τῶν λάκκων τούτων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ: in unam cisternarum harum quæ sunt in deserto אל הבור הזה אשר במדבר. ❡ *Projicite*] Lxx. ἐμβάλετε, injicite. Chaldaice רמו & טלקו. ❡ *Manum*] Jonathan, ידי קטולין manum homicidarum, sive occisorum. *Manum ne immittatis,* sive injiciatis *in eum,* alius transtulit, *ne inferte ei manus.* Lxx. χεῖρα δὲ μὴ ἐπενέγκητε αὐτῷ. Hiero. *manusque vestras servate innoxias.* h. e. puras à cæde ejus. ❡ *Ut liberaret eum*] vel, *ut eriperet eum.* Hiero. *Hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum & reddere patri suo.* Optime ac rectissime Hic valet illud, *Homo proponit, Deus disponit.* Nam Ruben eum patri restituere in animo habebat: Deus aliud agebat.

23. *Fuit autem cum venisset Ioseph ad fratres suos, ut exuerent Iosephum tunica sua, tunica versicolore, qua indutus erat.*

24. *Et acceptum projicerent eum in cisternam: porro cisterna vacua erat, aquam non habens.*

Fuit autem] vel, *factum est,* ἐγένετο. Aut verte, *Cumque venisset &c. exuerunt Iosephum &c. & acceptum projecerunt.* Exuerunt Chaldaice שלחו ἐξέδυσαν. ❡ *Tunica sua*] In Ionatha פְּרִגוּתֵה, videtur mendum esse, legendumque פַּרְגוֹדֵה vel פַּרְגוֹדֵה tunica sua. Nam פרגוד tunica, ut mox in eodem פרגוד מציר tunica picta. ❡ *Iosephum*] eum. Nomen loco pronominis. ❡ *Tunica versicolore*] In Hier. *tunica talari & polymita,* videntur duæ interpretationes coaluisse. Vide quæ scripsimus ad versum tertium hujus capitis. ❡ *Qua indutus erat*] אשר עליו quæ super eum. Lxx. τὸν χιτῶνα τὸν ποικίλον τὸν περὶ αὐτόν. ❡ *Vacua erat, aquam non habens*] רק אין בו מים vacua, non erat in ea aqua q. d. penitus aqua carebat. Simile, *Virgo, & vir non cognoverat eam.* Sic alibi, *quum morieris tu, & non vives.* Jona. *fossa vacua, non erat in ea aqua, sed serpentes & scorpiones erant in ea.* Videndus R. Salom. item Gerundensis Moses.

25. *Postea sederunt ad comedendum panem, sublatisque oculis suis viderunt & ecce turma iter facientium Ismaelitarum veniens ex Galaad, & cameli eorum ferebant aromata & resinam & stacten euntes ut deportarent ea in Ægyptum.*

Postea sederunt] Mercerus explicat, *discubuerunt.* Sed aliud *sedere,* & aliud *discumbere.* Non sunt ista confundenda. Docet hic locus, priscos illos veteres etiam sedisse. Sic apud Homerum, *heroes epulantes sedent ad mensam, non accumbunt.* Recte igitur Lxx. ἐκάθισαν. ❡ *Ad comedendum panem*] ad cibum sumendum. ❡ *Turma iter facientium Ismaelitarum*] ארחת est caterva sive turma aut cœtus hominum simul iter facientium. Nam ארח iter, via. Ismaelitæ aliter Arabes vocantur. Ergo Jonathan edidit סיעא דערבין cœtus Arabum: & Onkelos שירת ערבאי exercitus vel turma Arabum. Lxx. καὶ ἰδοὺ ὁδοιπόροι Ισμαηλῖται, & ecce viatores Ismaelitas. Hieron. *Viderunt viatores Ismaelitas.* Alius, *turma prætereuntium Ismaelitarum.* Autor Jerosolymitanæ סיעא דסרקין *cœtus Saracenorum.* Lectio alia סיען דסרקין *turma Saracenorum.* Infra vocantur Madianitæ. Forte quod inter eos etiam Madianitæ essent. ❡ *Ex Galaad*] Regione an urbe? Nam & urbs erat hoc nomine Hos. 6. 8. *Galaad civitas operantium iniquitatem.* Emporium fuisse scribit non nemo; quod probat hic locus. Vide quoque Jer. 8. 22. & 22. 6. Appellata creditur à

Galaad

Galaad filio Machar, filii Manasse. Vide Deut. 3. 15. Qui in hac opinione sunt, ajunt hic prolepsin esse. Quæ figura crebra est in his libris. ¶ *Ferebant*] *portabant*. Lxx. ἔγεμον id est, טְעִינִין Sic etiam Onkelos & Jonathan. ¶ *Aromata*] נכאת *aromata* interpretatur Hier. & post eum Santes aliique. R. Salomo, *omnis collectio aromatum vocatur* נכאת. Lxx. θυμιαμάτων: Interpres, *odoramentis*. Videntur innuere aromata quorum usus ad incensum faciendum. Lex. Vet. θυμίαμα, incensum. Aquila, στύρακος, *styrace*, quæ est arbor Syriæ, & lacryma ejus arboris. Officinæ vulgo *storacem* appellant, quæ vox legitur & in Hier. Vide supra. Onkelos שעף. Interpres Fagius, *aromata*. Lexicon Munsteri, שעף *cera vel aroma*. Potius *cera*. R. Salomo, *Onkelos interpretatur* שעוה לשון *voce usus qua ceram denotat*. R. David in libro Radicum, *In Bresith Rabba exponitur Nechoth* שעוה *i. e. cera*. Quæ sic dicta forte à שעף Phe in Vau versa. Nam hæ litteræ communi organo proferuntur. Voce שעוה usus est hoc loco etiam Jonathan. Moses Gerundensis ait שעף, pro quo & שעוא invenitur, significare *oleum optimum*, cujus usus in unguendo. (Aben Ezra, *R. Moses Sacerdos Hispanus interpretatur* נכאת *dicens significare rem desiderabilem, & sic apud Jesaiam* בית נכותה. *Nam Vau & Aleph permutantur.*) Idem scribit נכאת apud Thalmudicos generale esse ad omne oleum eximium & aromaticum, & בית נכאת exponit, dicens, significare locum hujusmodi oleo recondendo accommodatum. R. David in loco citato, נכאת *res expetita i. e. pretiosa* בית נכתה *domus desiderii ejus. Et sic interpretatur Thargum, domus gaza ejus. Sunt qui exponant Nechoth* פרי החרוב *fructum cari*. Sane *carum* Arabice חרובי dicitur. In officinis *Carvi*. Hispanis, *Alcarania*. In Gloss. vocum Arabicarum *Caravia* & *Carabia*. Trem. nove interpretatur נכאת *myxaria*. Idem sic annotatum reliquit, *Myxaria Arabibus dicuntur Nuketa, teste Aegineta, Aetio, Psello & Actuario*. Non libet nunc examinare, nec etiam vacat. ¶ *Resinam*] צְרִי inverte litteras, habet רְצִי: inde resina, ut credibile est. Græci dicunt ῥητίνη, S, Sade in Tau conversa. Quod factum & in צר τύρος i. e. Tyrus. Vide Quæstiones meas. Dicitur & צֳרִי & cum holem צֹרִי resina. Onkelos interpretatur קְטַף, quod Fagius quoque *resinam* reddit. Elias in libro ubi vocum Chaldaicarum sensa collegit, קְטַף *est genus aromatis, & dicunt esse balsamum*. Si vere, שרף קטף apud Jonathan, erit *succus balsami*, quem *opobalsami* vocabulo indigitant. Rabban Sibeon filius Gamalielis ait, הצרי *nihil aliud esse quam succum* sive *laticem* aut *lacrymam* i. e. שְׂרָף *qua stillat, inquit, ex arboribus balsami* מעצי הקטף, *quas incidunt ligno, & inde exit* הצרי *opobalsamum, & arbor illa vocatur vernacule* בלסמו *i. e. balsamum*. Hactenus ille. R. Salomo, צְרִי *est humor qui stillat ex arboribus balsami, vocaturque alio nomine* נְטָף *qui numeratur cum aromatis suffitus*. Addit Elias, *fructum esse aut oleum ex arbore, quæ venit è Jericho*. Abenezra, *Haggaon ait nomine* הצרי *illud significari, quod fit ex Septuaginta quinque* (in Elia est 72) *radicibus, & alii dicunt esse fructum vel oleum arboris quæ advehitur ex Jericho in Ægyptum, juxta sententiam Josephi Gorionis F. Sed R. Ismael dicit esse* שרף *resinam, cui nos accedimus*. Fallitur autem R. Salomo, qui הצרי Exod. 30. 34. exponit *Theriacam* i. e. תריאקה. Siquidem Theriaca est medicamentum, sive confectio ex carnibus ferarum, τῶν θηρίων, unde & nomen accepit. הצרי autem est humor crassus & oleosus sive lacryma similis oleo quæ stillat ex balsamo, & aliis arboribus. Nam latius patere puto, nec solum balsami succum eo nomine contineri. In קטף sensus est incisionis. Nam inciditur arbor vitro, lapide aut osseo cultello, & quod ex incisura seu plaga manat, vocatur שרף & Ebraice נטף & צרי i. e. opobalsamum. Sed צרי ut dixi, generalius est: unde in monumentis doctorum Ebræorum, *Non accendunt lucernam* בצרי *resina, quoniam illa evolat excitaturque è lucerna, & resilit huc illuc*. Citat R. David in libro Radicum, radice שרף. ¶ *Et stacten*] Sic Græci καὶ στακτῆς. Onkelos & Jonathan, לטום & Letom. i. e. Fagio interpretante, *& stactem*. Ergo Letom stacte? Aliud nos docet autor Lexici Thalmudici. Is est Nathan cognomento צדיק i. e. justus, citans ex Thalmude לטום quod interpretatur vernacule גלאנדא *glanda*, & *idiomate*, inquit, *Ismaelitico vocatur* בְּלוּט. Idem sentit Haggaon de vocabulo Ebraico. Quod testatur Abenezra ita scribens, *Haggaon dicit esse fructum qui sic appellatur in lingua Ismaelitica cum additione litteræ Beth, & fortasse ita est*. De בלוט quin glandem sign. non est ullum omnino dubium. Hispani *balota* dicunt, quorum lingua magna ex parte Arabica est. Aliquando ita vocatur ipsa arbor, quæ glandes fert. Jonathan hoc significatu usus est Hos. 14. 13. In Lexico Chaldaico Munsteri, לטום *glans aut secundum alios castanea*. Apud Sylvaticum, *Bulot*, *glans vel castanea, quæ est species ejus*. Castanea Arabice vocatur שך בלוט quasi rex glandium, quod ejus fructus inter glandes laudatissimus sit. Græce dicitur διὸς βάλανος & σαρδιανὴ βάλανος i. e. Sardiana glans. Satis de לטום. Redeo ad לט, quod Galli referunt, *de la myrrhe* i. e. myrrham, Trem. *Ladanum*, idque Arabice affini voce *Laten* & *Laden* dici, ait. R. Salomo, *Lot in Deuterosi vocatur* לוטותא *Lotutha*. Id doctores nostri exposuerunt dicentes, *esse radicem cujusdam herbæ quæ* אשתרולוציא *vocatur in tractatu Nidda*. Quid Astruluzia? In plerisque codicibus est אשטרוזא *Asturuzia*. Puto esse *Aristolochiam*, quæ Germanis Osterluzen dicitur, cujus radix odorata. In notis ad editionem Gallicam postremam, *ou du mastic*. Id sumptum ex libro qui Bresith rabba inscribitur, ubi Lot exponitur מסטיכי mastiche i. e. resina lentiscina. Græce μαστίχη. Plinius lib. 14. cap. 20. *In oriente optimam tenuissimamque terebinthi fundunt: deinde lentisci, quam & mastichen vocant*. ¶ *Ut deportarent*] להוריד ut descendere facerent. Nam ex Chananæa in Ægyptum descenditur.

26. *Dixitque Judas fratribus suis, Quæ utilitas si occiderimus fratrem nostrum, & texerimus sanguinem ejus?*

27. *Venite & vendamus eum Ismaelitis, & manus nostra ne sit in eum, quia frater noster, caro nostra est; & audiverunt fratres ejus.*

Quæ utilitas?] quid emolumenti? quid nobis accedet lucri? Ebraice מה בצע. Lxx. τί χρήσιμον; quid utile? Hiero. *quid nobis prodest?* Aquila, τί πλεονέκτημα. Sym. Theod. τί κέρδος; quod lucrum? Onkelos, מה ממון מתהני לנא *quid pecuniæ accedet nobis? quid lucrabimur?* Jonathan, מה הניית ממון יהי לן *quæ utilitas pecuniæ erit nobis?* ¶ *Texerimus*] absconderimus, occultaverimus. Quidam, *texerimus sive operuerimus terra*; quod minus se probat mihi. ¶ *Sanguinem ejus*] i. e. *mortem ejus*. R. Salomo. *Cædem ejus*, Ego. Lxx. hic habent, καὶ κρύψωμεν τὸ αἷμα αὐτοῦ. Hiero. *& celaverimus sanguinem ejus*. On. & Jon. *Et obtexerimus sanguinem ejus*. Moses Gerundensis, *Mos homicidarum, tegere corpus occisi & terra operire*. Sic Moses abscondisse legitur Ægyptium, quem occiderat, in arena. Nempe ut cædes occulta maneret. Huc pertinet, *quæ utilitas in sanguine meo?* Id habetur Ps. 30. 10. Recentior interpres, *in morte mea*: Alius, *si occidar*. Abenezra במותי. R. David, *in anima mea*. Nam sanguis est anima i. e. vita qua vivimus. ¶ *Manus nostra ne sit in eum*] Jonathan addit de suo, *ad occidendum eum*. Sed non est necesse hoc subaudire. Nam vis in eo sermone ut si diceret, *non occidamus eum*. Supra vers. 22. *& manum ne immittatis in eum*. eadem sententia. ¶ *Manus nostra*] ידנו absque Ioth: quod Massoritæ annotarunt. Lxx. αἱ χεῖρες ἡμῶν, ידינו cum Ioth. Sic etiam Hiero. Idem habet, *ne polluamur*, videlicet cæde ipsius. Ad sensum non male. ¶ *Frater noster, caro nostra*] sine copula legunt Ebræi & Chaldæi: cum copula Græci Lxx. ἀδελφὸς ἡμῶν καὶ σάρξ ἡμῶν, & Hier. *frater & caro nostra est* i. e. consanguineus noster. Sic alibi, *Os tuum & caro tua nos*: item, *caro est patris tui*. Forte adjectum *caro tua*, quia frater aliquis dicitur etiam religione & amicitia. *Frater caro* est frater germanus, & ejusdem, ut ita loquar, carnis, hoc est, sanguinis aut cognationis. ¶ *Audiverunt*] Sub. אליו eum. Latini dicerent, *auscultarunt* & *paruerunt ei*. Sic alibi, *Audivit Jacob patrem suum*, אל אביו audiens dicto fuit. Chaldæi tunc reddere solent verbo קבל. Proinde Onkelos hic habet קבילו מנה acceperunt ab eo. Vult dicere, admiserunt verba ejus, acquieverunt consilio ejus. R. Salomo appellat קבלת דברים. Aliter vertunt cum significat simpliciter audire, hoc est ut idem R. Salomo loquitur, cum est שמיעה ממש ut ibi, *Et audiverunt vocem* (את קול) DOMINI *deambulantis in horto*. Chald. ושמעו. Ceterum auscultare proprie dicuntur, qui auditis parent, unde illud, *audio haut ausculto*.

28. *Interim transierunt viri Madianitæ mercatores, & extractum eduxerunt Josephum è cisterna, vendideruntque Josephum Ismaelitis viginti argenteis, qui adduxerunt Josephum in Ægyptum.*

Transierunt] venerunt, ut Thren. 4. 21. *Super te transibit calyx*. Sic *transeo* pro simplici *eo* ponitur Amos. 5. 5. Ierem. 2. 10. & Gen. 33. 3. & apud Terentium. Aut sensus, *Cum præterirent Madianitæ, fratres Josephum extraxerunt è cisterna*. ¶ *Viri Madianitæ*] ἄνδρες μαδιηναῖοι. Pleonasmus ut ἄνδρες Ἀθηναῖοι, viri Athenienses. Sic *viri Judæi*. ¶ *Madianitæ*] vel, *Madianæi*. Hoc Hier. illud Augustinus habet. Chaldaice מדינאי Midjanae, unde μαδιηναῖοι, Madianæi. Scholion, ἰσμαηλῖται. Quis ita verterit, nescio. Hoc scio, eosdem infra Ismaelitas dici, vel quod Madianitæ sub generali nomine Ismaelitarum contineantur, vel certe quod cœtus iste constaret tam ex Madianæis, quam ex Ismaelitis. Forte in societa-

societatem simul coierant, & communem, ut ita loquar, crumenam habebant. Firmat hanc opinionem Abenezra sic scribens, *Madianitæ vocantur Ismaelitæ: & sic dicit Scriptura de regibus Madian, quod Ismaelitæ sint.* Alii ter quaterve venditum fuisse scribunt Josephum. Qua in sententia sunt Hiscuni & R. Salomo. Nam R. Levi pedibus it in sententiam Abenezræ, eosdem faciens Madianitas cum Ismaelitis. Augustinus in Quæst. super Genesim, *Quæritur quare Ismaelitas Scriptura etiam Madianitas vocet, cum Ismael sit de Hagar filius Abrahæ, Madianitæ vero de Cetura? An quia Scriptura dixerat de Abraham, quod munera dederit filiis concubinarum suarum, Hagar scil. & Cetura, & dimiserit eos ab Isahac filio suo in terram Orientis, unam fuisse gentem intelligendi sunt?* Plura de his alias. ¶ *Mercatores*] vel, *negotiatores.* Lxx. habent ἔμποροι. Onk. תגרין. Jonath. מרי פרקמטיא *magistri negotiationis.* ¶ *Extractum eduxerunt*] hoc factum putarim à fratribus Josephi, absente Ruben, qui forte alio secesserat, ut quod in animo habebat commodius perficeret. ¶ *Vendiderunque Josephum*] pathos est in nomine Ioseph toties repetita, cum potuisset dicere, *vendideruntque eum.* ¶ *Ismaelitis*] *Arabibus.* Onk. & Ion. ¶ *Viginti argenteis*] בעשרים כסף *Viginti argent.* sub. siclis, hoc est viginti argenteis. Quanquam in Lxx. εἴκοσι χρυσῶν, viginti aureis, quod Ebraice diceretur בעשרים זהב. Dicunt Ebræi doctores, quotiescunque mentio fit argenteorum in lege, siclos intelligi debere, quibus ego assentior potius, quam Chaldæo Ionathæ vertenti hoc loco, *viginti obolis argenteis.* Nam pretium hoc nimis vile fuisset. Siquidem viginti oboli efficiunt duntaxat unum siclum, ut habetur Lev. 27.25. Quis credat ita venditum fuisse Iosephum? Gallica editio, *vingt pieces d'argent,* viginti numis argenteis. De Siclo alias. Vide quæ scripsimus 23.16.

29. *Interea reversus est Ruben ad cisternam, & ecce Ioseph non erat in cisterna: itaque scidit vestimenta sua.*

30. *Reversusque ad fratres suos dixit, Puer non est, & ego quo ego vadam?*

Interea] dum Ioseph venderetur. ¶ *Reversus est ad cisternam*] secesserat enim à fratribus ob caussam, ut credibile est, quam supra memoravi. Quanquam alii alias comminiscuntur. R. Salomo, *Quum venum iret Ioseph, non erat ibi Ruben, quia domum profectus fuerat ministratum patri. Nam ordo ad ipsum pervenerat.* Aliter, *occupatus erat in sacco & jejunio. Quam pœnitentiam sibi indixerat, ob violatum thorum patris.* Vide nunc, si otium est, Josephum & Ionathan. ¶ *Scidit vestimenta sua*] discidit aut laceravit vestes suas, conscidit vestimenta sua. Id faciebant Iudæi olim in dolore qua publico qua privato. Vide infra vers. 34. Item Est. 4.1. & 1 Reg. 21.27. & Ies. 37.1. Vide quoque Diodorum pag. 46. Hic mos etiam Romanis in usu fuit. Suetonius in Cæsare, cap. 33. *Pro concione fidem militum flens ac veste à pectore discissa, invocavit.* ¶ *Puer non est*] in cisterna. Hic puerum vocat Iosephum i.e. ילד qui tamen natus erat annos 17. Itaque Ionathan habet עולימא adolescens. ¶ *Quo ego vadam*] vel, *quo ego ibo.* בא ad verbum *vado* vel *eo.* Sic in Euangelio, *Quo ego vado, vos non potestis venire.* i.e. ibo, aut brevi sum iturus. *Quo ibo,* nempe ad eum quærendum: aut, quo me vertam. Quod hominis est perplexi & incerti quid agat.

31. *Acceperuntque tunicam Iosephi, & mactarunt hircum caprarum, & intinxerunt tunicam in sanguine.*

32. *Miseruntque tunicam variorum colorum qui deferrent ad patrem suum, ac dicerent, Cognosce nunc an tunica filii tui sit nec ne.*

33. *Qui agnovit eam & dixit, Tunica filii mei est, fera mala devoravit eum, discerpendo discerptus est Joseph.*

Mactarunt] Jugularunt, ἔσφαξαν. ¶ *Hircum caprarum*] vel, hædum caprarum. Quod in Lxx. ἔριφον αἰγῶν. Onkelos & Jonathan, צפיר בר עזי hircum capra aliqua natum. Verbum è verbo, *filium caprarum.* Quod ita dicitur ut *filius asinarum* i.e. unius alicujus asinæ. Leo Judæ, *hædum ex capris.* Gallica, *un bouc d'entre les chevres.* Addit Jonathan, *quia sanguis ejus similis est sanguini humano.* Idque etiam R. Salomo annotavit. ¶ *Tunicam*] כתנתו tunicam illam. ¶ *Miseruntque*] וישלחו. Lxx. καὶ ἀπέστειλαν. Onkelos ושלחו & miserunt. Jonathan quoque ושדרו *& miserunt per filios Zelpha & per filios Balla.* Nec aliter Hiscuni. Moses Gerundensis nos admonet de alia versione, quam etiam R. David annotavit. Nam שלח gladius. Ergo וישלחו interpretantur, *& gladiis sive cultris conciderunt eam.* Verum, ut recte R. Levi observat, *vestis ejus quem fera dilaniavit ac discerpsit, dissimilis est ab ea quam quis cultro concidit. Ideo non recesserim à priore sententia, putarimque certum aliquem ab illis missum esse, qui tunicam deferret ad patrem &c.* Quam opinionem stabilit interpres noster, ita referens, *mittentes qui ferrent ad patrem & dicerent.* ¶ *Fera mala*] Lxx. θηρίον πονηρόν. Hier. *fera pessima.* ¶ *Discerpendo discerptus est*] vel, *dilaniando dilaniatus est.* i.e. plane discerptus est, omnino dilaniatus est. q.d. non est ullum de eo dubium. Quid ad hæc Jonathan & autor Jerosolymitanæ, referentes, *nec feræ agrestis devoravit eum, nec ab hominibus occisus est &c.* Videndus & R. Salomo.

34. *Sciditque Iacob vestes suas, & posuit saccum in lumbis suis, & luxit filium suum diebus multis.*

35. *Et surrexerunt omnes filii ejus & omnes filiæ ejus ad consolandum illum, & renuit consolationem accipere, & dixit, Quia descendam ad filium meum lugens in sepulchrum: ita flevit illum pater ejus.*

Vestes suas] שמלותיו idem hoc loco valet (videtur certe) quod בגדיו. Nam & Chaldaice est לבושוהי & Græce τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, & in Hier. *scissisque vestibus.* Alibi aliud significat. ¶ *Posuit saccum in lumbis suis*] vel, *imposuit saccum lumbis suis.* Alibi est, *accinxit se sacco.* Dicunt etiam induere saccum eodem sensu. Erat autem vestis lugubris, quam alii cilicium, alii centonem appellant. ¶ *Diebus multis*] duobus tribus annis supra viginti. Videndus R. Salomo, iterumque Mercerus & Lyra. ¶ *Filiæ ejus*] filia, neptes, nurus. Nam etiam nurus filiæ vocantur, ut in historia Ruth & alibi. Nam ut de una filia Dina exponamus, non patitur particula *omnis,* quæ præcedit. Quanquam in Augustino de Civitat. Dei lib. 16. cap. 40. *Scriptura unam quoque filiam Iacob filias nuncupavit: sicut in Latina Lingua consuetudine liberi dicuntur pluraliter filii, etiamsi non sint uno amplius.* ¶ *Renuit consolationem accipere*] וימאן להתנחם & renuit consolationem admittere, quod Græci dicunt οὐκ ἤθελε παρακαλεῖσθαι, & interpres vetus, *noluit consolationem accipere.* Idem Psal. 76.3. *renuit consolari,* & Matt. 2.18. *noluit consolari.* Metellus in epist. quam in exilio ad Cn. & L. Domitios dedit, *Ac cum animum vestrum erga me video, vehementer consoler, & fides virtusque vestra mihi ante oculos versatur.* Quidam, *respuit consolationem.* ¶ *Quin*] imo, utique, certe. ¶ *In sepulchrum*] vel potius, *in infernum.* Quod in Hier. ex Lxx. εἰς ᾅδου. Nam dicit, *ad filium meum,* quem à fera discerptum ac proinde insepultum credebat. Sed parum refert utro modo legas. Nam utroque nomine significatur status mortuorum, q.d. moriar in hoc luctu, nec finis erit, donec ad filium commigravero ex hac vita. R. Levi, *Iste luctus non recedet à me donec moriar & ero in sepulchro,* quod vocatur שאול quia fieri solet in ventre terræ. Vocatur autem proprie שאול venter terræ depressior. Aben Ezra, *Hic erravit interpres errantium.* i.e. *Christianorum, qui* שאול *transfert infernum.* Ipse erras. Tam enim sig. *infernum* quam *sepulchrum.* Sepulchrum autem, ut diximus, hic significare non potest nisi אל־בני exponamus cum Hiscuni, *propter filium meum,* aut, *caussa filii mei.* Id aliis expendendum relinquo. Nicolaus, *In infernum, Ebræi exponunt in foveam vel sepulchrum. Catholici autem melius exponunt, ad limbum sanctorum patrum, qui est superior pars inferni.* Augustinus Steuchus Lugubinus post confirmatam Abenezræ sententiam de fovea sive sepulchro, addit, *Hac scripsimus nihili facientes, quæ de hac re somniat Nicolaus. Vere enim figmenta sunt, quæ de limbo scribit hoc loco.* ¶ *Ita flevit eum pater ejus*] Veteres Ebræi, *flevit quoque illum pater ejus* i.e. avus Isahac, qui tunc adhuc vivebat, ut colligere est ex 35.28. & 47.9. Melior est interpretatio prior quam etiam R. Levi explicat, addens, repetitionem hanc eam vim habere, ut si diceret, *Pater solus deflevit illum.* Sane fratres, qui illum oderant, Benjaminum excipio, non flebant eum, sed potius gaudebant de eo quod ipsi acciderat. Quod Isaacum attinet, etsi eum quoque flevisse credam, tamen his verbis nunc aliud innui existimo. ¶ *Flevit*] deflevit. ¶ *Pater ejus*] *Isahac pater ejus.* Jonathan.

36. *Madanæi autem vendiderunt eum in Ægypto Photiphari Eunucho Pharaonis principi satellitum.*

Madanæi] vel, Medanæi, vel etiam, si mavis, Madanitæ, sicut à Madian dicimus Madianæi & Madianitæ. Ebraice המדנים Μαδιηναῖοι. Horum pater Madan sive Medan filius Abrahami ex Cetura, frater Madian. Gen. 25.2. Quocirca non debent confundi. Nam ut differunt Madan & Madian, ita diversi sunt Madanitæ & Madianitæ. Quod ante me Mercerus observavit. Nolim quenquam fraudatum sua laude. Dicam quod res est. Mihi adhuc hæret aqua. Nam moveor autoritate interpretum, inter se mire consentientium. Nam Onkelos & Jonathan מדינאי & Lxx. μαδιηναῖοι, & Hieron. *Madianitæ.* Sed & R. Levi, *Madanæi,* inquit, *sunt Madianitæ & Ismaelitæ, quorum meminit initio.* Quæ robur accipiunt ex Scholio quod in editione Romana, Μαδιηναῖοι, Ἰσμαηλῖται. *Madianæi, Ismaelitæ.* Si Merceri sententiam sequimur, dicendum erit, in communem so-

societatem coiviſſe hos tres populos Iſmaelitas, Midianitas, & Madanæos, ſimulque Ioſephum & emiſſe & vendidiſſe. Sic nulla erit in verbis myſticis contrarietas aut pugna. ❡ *in Ægyptum*] abductum in Ægyptum: aut lege, *in Ægypto*, ut ſit ל pro ב per enallagen particularum. Onkelos & Ionathan למצרים, quod reddi poteſt &, *in Ægyptum*, & *Ægypto*, i.e. Ægyptiis. Vide Mercerum. ❡ *Phutiphari*] vel, ſi placet, *Photiphari*. In textu Lyræ eſt *Putiphar*, & in Lxx. πετεφρῆ, videlicet in C. & R. Nam in aliis πετεφρῇ. Sic etiam Demetrius apud Euſebium πετεφρεῶν. Libr. ix. Aquila & Sym. φουφάρ. Vide Fragmenta noſtra. ❡ *Eunucho Pharaonis*] quomodo eunuchus qui uxorem habuit? An eunuchum dixit qui miniſter & aulicus erat Pharaonis? Onkelos & Ionathan, *principi Pharaonis*: Autor Ieroſolymitanæ, *Dynaſta Pharaonis*. Lxx. τῷ σπάδοντι φαραώ, *ſpadoni Pharaonis*. Trem. *aulico Pharaonis*. Leo Iudæ, *cubiculario Pharaonis*. Eucherius in libros Regum, pag. 198. *Fuit conſuetudo & apud antiquos, eunuchos vocare cubicularios & cuſtodes palatii, qui uxores habebant, & abſciſſi corpore non fuerunt.* Geneſ. 39. 1. סריס פרעה. Lxx. ὁ εὐνοῦχος φαραώ, ubi Scholion in Edit. Romana, ὁ μὲν σύρος μιᾷ προσηγορίᾳ τόν τε σπάδοντα καὶ τὸν πιστὸν ἄνδρα λέγει τοῖς δεσπόταις. ὁ δὲ ἑβραῖος ἀληθῶς εὐνοῦχον, ἢ τοῦτον ἀπὸ πίστεως. ἐπειδὴ φιλεῖ τὸ τῶν εὐνούχων γένος μάλιστα πιστεύεσθαι τὴν ἡμετέραν τῶν χρημάτων ἢ αὐτὴν τὴν βασιλέων επιμέλειαν. Quæ ſic verſa repperi, *Syrus quidem eodem vocabulo nominat & ſpadonem & virum fidelem Dominis: Ebræus autem vere eunuchum & hunc ex fide. Solent enim eunuchorum potiſſimum generi pretioſiſſima quæque bona credi, & ipſamet regum ſalus.* Sequitur in Edit. Romana, *Aliud Scholion ad marginem Quæſt. Theodoreti, Eunuchi nominantur non ſoli ſecti, ſed etiam qui inter famulos ſunt εὐνοίας τὸ ἔχοντες, benevoli poſſeſſoribus. Nonnulli autem dicunt ſolere eunuchos Ægyptios habere uxores propter libidinem & ſalacitatem.* Hier. ad hunc locum, *Venditus eſt igitur Ioſeph principi exercitus & bellatorum, non Potephræ, ut in Latino ſcriptum eſt, ſed Phutiphar eunucho. Ubi quæritur quomodo poſtea uxorem habere dicatur. Tradunt Ebræi emptum ab hoc Ioſeph ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium, & à domino, viribus ejus arefactis, poſtea electum eſſe juxta morem ἱεροφαντῶν in pontificatum Helicopoleos, & hujus filiam eſſe Aſeneth, quam poſtea Ioſeph duxit uxorem.* ❡ *Principi ſatellitum*] vel carnificum. Nam טבחים qui homines mactant & occidunt: unde in Onkelo רב קטוליא principi occiſorum. Satelles & qui fontibus capiendis præeſt, qui & apparitor & viator. טבח etiam dicitur de coquis & laniis: unde in nonnullis editionibus *principi laniorum*: in aliis vero, *principi coquorum*. i.e. ἀρχιμαγείρῳ. Quod ediderunt olim Lxx. quos Joſephus deinde ſecutus eſt. In Anglia hodie qui pecudes mactant (*laniones* vocant) iidem homines ſecuri percutiunt. Quod ſupplicii genus in viros principes ibi exercetur creberrime. Hier. *In pleriſque locis archimagiros, i.e. coquorum principes, pro magiſtris exercitus Scriptura commemorat. μαγειρεύειν quippe Græce interpretatur occidere.* Auguſtinus in Quæſt. ſuper Geneſin, *Nolunt quidam præpoſitum coquorum interpretari, qui Græce ἀρχιμάγειρος dicitur, ſed præpoſitum militiæ, cui eſſet poteſtas occidendi. Nam ſic appellatus eſt etiam ille, quem Nabuchodonoſor miſit, penes quem potius invenitur primatus fuiſſe militiæ.* Hinc eſt apud interpretem noſtrum, *magiſtro militum*, alias, *magiſtro militiæ*. Nam libri variant. Leo Iudæ, *capitalium rerum præfecto*. Ionathan & autor Ieroſolymitanæ, *principi ſpeculatorum*, vel, ſi mavis, *magiſtro aut præfecto ſpeculatorum*. Nam promiſcue & ſine diſcrimine *ſpiculator* & *ſpeculator* in autoribus reperimus. Eſt autem *ſpeculator* Græce σπεκουλάτωρ ſatelles, carnifex. Sane Marc. 6. 27. uſurpatur de Herodis ſatellite, & Suidas σπεκουλάτωρ, inquit, δορυφόρος. i. e. Satellitis. Lexicon Munſteri, אספקלטור *ſpeculator*, *carnifex*, *ſatelles*. In Gloſſario veteri, *ſpeculatus* κατάσκοπος, ἢ ὁ ἀποκεφαλίζων. Lego *ſpeculator*, Quod per *e* ſcriptum etiam in Pandectis Florentinis. Firmicus lib. 8. cap. 26. *Speculator, qui nudato gladio hominum amputat cervices.* Sic à Cornelio Tacito quandoque ſcriptum eſt. Plutarchus in Galba σπεκούλατορ reddit: unde viri docti appellatum putant, non à ſpiculis, ſed à ſpeculando. Ebræi varie hoc nomen ſcribunt. In Ionatha ספקלטוריא. Ieroſolymitana ספקולטוריא. Autor Aruch & Elias citant ex eadem editione אספקלטור. In Reſch Gemara ספקלטור ſpeculator. In principio voluminis Echa & in Ilmedenu רב ספקלטור. R. Salomo Exo. 4. 11. ספקלטורין. Satis de hoc vocabulo. Veniamus ad reliquas interpretationes. Trem. *præfecto ſatellitum*. Santes, *principi laniorum*. R. Salomo, *eorum, qui mactant beſtias regis*. Moſes Gerundenſis & Abenezra magis probant interpretationem Onkeli. Cui firmandæ eſt quod in domo ipſius carcer fuerit. Gallica editio, *le prevoſt de l'hoſtel*, qui eſt, interprete Budæo, *prætorianus Iudex*. Alii Latine, *quæſtores rerum capitalium* dici notant. Porro טבח de hominibus uſurpatur Ieſ. 14. 21. *Parate filiis ejus* מטבח *mactationem*.

AMAMA.

2. EBr. *Ioſeph filius* XVII. *annorum*. Vulg. *Ioſeph quum ſedecim annorum eſſet.*] Lyra dicit nullam hic eſſe contrarietatem. *Ioſeph enim*, inquit, *tunc erat in XVII. anno nondum tamen completo; tranſlatio autem noſtra numerat tantum annos completos.* At ex quo aſtro vidit Lyra decimum ſeptimum ætatis ejus annum tum nondum fuiſſe impletum? An quia Vulgatus vertit *XVI annorum*? At hoc eſſet petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Cur ergo paſſim & ubique non mutilavit numeros? Poſſet enim idem afferri prætextus. Cur hic decurtatum magis quam alibi? Et quare hic Interpres præ aliis? Ipſi enim Lxx. fontes expreſſere, δέκα καὶ ἑπτὰ ἐτῶν ἦν. Onkelos בר שבע עסר שנין *filius ſeptendecem annorum*. Jonath. contracte שבסרי dixit, quomodo & ארביסרי dicunt pro quatuordecim; & תריסר pro תרי עשר duodecim, qua voce duodecim Prophetas minores intelligunt, quos & Græca voce compoſita Δωδεκαπρόφητον appellare conſueverunt. Sed ponamus Joſephi decimum ſeptimum annum incompletum fuiſſe, illud ſciebat Lyra, nam ipſe alibi notavit, annos fluentes ſolere in ſacris numerari quaſi completos. Melius itaque Steuchus in calce ſuæ recognitionis poſt Indicem notavit *credendum non eſſe hunc lapſum Hieronymi eſſe. Nullam enim fuit cauſa*, inquit, *cur hallucinaretur. Potius codices ſunt temporis progreſſu depravati.* Idem ego arbitror, ac proinde non Interpretem ſed Romanos Correctores culpo, quod hunc errorem non agnoverint & emendaverint. Culpo Pontifices quod hoc mendum canonizaverint, ipſoſque fontes & doctorum labores non conſuluerint.

Ebr.: ויבא יוסף את דבתם רעה אל אביהם Vulg. *Accuſavitque fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo.*] Diſputat hic Lyra quodnam fuerit crimen illud peſſimum, rejectiſque eorum opinionibus qui putant concubitum Rubenis cum Bilha, vel coitum ejus cum jumentis hic deſignari, tandem ait in Ebr. haberi *rixam peſſimam*. At Paulus Burgenſis contradicit aitque, *nec rixam nec crimen peſſimum in Ebræo eſſe, ſed vocem quæ ſignificat detractionem. Eadem enim dictio*, inquit, *ponitur infra Num. 13. ubi dicitur, detraxerunt terra quod eſſet mala.* Steuchus ait locum hunc ab Hieron. nimis exaggeratum. דבה rumorem malum & infamiam ſignificat. Sed notant Ebræi ſumi vel pro rumore falſo vel pro rumore vero. Falſo, cum conſtruitur cum הוציא ut Num. 13. 33. de exploratoribus illis ſeditioſis, ויציאו דבת הארץ, ubi Vulg. *detraxerunt terræ*, idque mendaci relatione, falſa de ea referendo. Sic in Proverbiis, מוציא דבה כסיל educit rumorem falſum ſtultus. Vero, cum conſtruitur cum verbo הביא ut hoc loco.

20. Ebr. *Mittamus eum in unam ciſternarum*. Vulg. *In ciſternam veterem.* (*a*) Sic quoque verſ. 24. neſcio unde irrepſerit in contextum Vulgatæ illud *veterem*, cum nec in fontibus nec in Chald. nec in Lxx. legatur.

35. Ebr. *Deſcendam lugens ad filium meum* שאלה. Vulg. — *In infernum.*] Vox Ebræa indifferens eſt tam ad infernum quam ad ſepulchrum, unde voces Infernus & ᾅδης apud Interpretes ſæpe pro ſepulcro ponuntur. Taxamus tamen hunc locum, tum quia hac ambiguitate apud imperitam plebem ad ſtabiliendum fictitium ſuum limbum abutuntur, tum quia nuper vidimus a maledico (*b*) Monacho hinc criterium hæreticorum Bibliorum cuſum. Hanc enim inter alias ponit notam διαγνωστικὴν quod ubi Catholica habent, *in infernum* Gen. 37. hæretica habeant *in ſepulcrum*. Hæreticus ergo tibi eſt (*c*) Arias Montanus? Hæreticus Pagninus, (*d*) Joh. Benedictus Pariſienſis Theologus ille, ut Senenſis de eo aſſerit, celeberrimus? Atque hic in limine ſiſtet me forſan aliquis ex eorum genere, qui nodos cum ſolvere deſperant, ſecant, negabitque vocem Ebr. unquam ſignificare ſepulcrum. Ex quibus ſunt (*e*) Crocquetius & (*f*) Bellarminus, quorum hic tamen illo paulo cautior fuit. Sed quid nobis

(*a*) Vide Appendicem. (*b*) Lancelottus in ſuo Hæretico quare & catholico quia. (*c*) Vide Bibl. Interlin. (*d*) Vide Bibl. Vulg. cum notis margin. Joh. Ben. Pariſ. in fol. 1565. (*e*) Andreas Crocquetius Benedictinus Theol. Licent. in Catecheſibus ſuis confectis ex Catecheticis homiliis Math. Galeni apud Duacenſes quondam Cancellarii & primarii Profeſſoris Cath. ſignificat, *Et ne vehementius ſibi placeant ob ſuum illud Sheol, nunquam efficiant ut uno ſaltem Scripturæ loco prolato præclaram illam interpretationem ſepulcri confirment.* (*f*) De Christo l. 4. cap. 10. art. 4. *Vox Sheol vel raro vel nunquam accipitur pro ſepulcro.*

nobis hic probatione opus est? Dedimus jam testes & advocatos Pagn. Montanum & Joh. Benedictum, do (*g*) Lovanienses Doctores qui Bibl. Interlin. approbarunt. Do (*h*) Sixtum Senensem qui cum multa in (*i*) Steuchum nobis hic consentientem notaverit, hoc tamen reliquit intactum. Dedit jam ante Cl. (*k*) Rainoldus (*l*) Ferum, (*m*) Oleastrum Inquisitorem Hisp. (*m*) Cajetanum, (*m*) Lippomanum, (*m*) Clarium, qui omnes docent hoc loco *sepulchrum* denotari. Quid adversus hanc tantorum testium nubem excipies Lancelotte? Ex quandoquidem in titulo tuo adeo tibi placuisse videris, quodnam QUIA repones ad hoc meum QUARE? Sed ex superfluo alia aliquot loca proferam, ubi vestrorum etiam judicio vox hæc controversa non aliter quam pro sepulchro sumi potest. Psal. 141. 7. *dispersa sunt ossa nostra in* שְׁאוֹל i. sepulchrum, teste (*n*) Genebr. Job 17. 13. *Si Sheol domum meam expectavero.* i. sepulchrum, quod ipse (*o*) Thomas & Lyra fatentur. Sic vers. ult. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Quin & locum Num. 16. ubi tres illi seditiosi vivi dicuntur descendisse שְׁאֹלָה, urgent Cajet. & Oleastrius, & locum Prov. 15. Episc. Gandavensis Jansenius. Quibus omnibus addo (*p*) Riberam Jesuitam cujus hæc sunt, *Infernus pro sepulchro sumitur & in infernum descendere pro sepeliri.* Et (*q*) Andradium ad Psalmum 16. Æquumne est, quæso te Lector, ut horum omnium authoritati unius Bellarmini præponderet authoritas? Sed quo argumento suum Infernum & Limbum tuetur? (*r*) *Non potest accipi de sepulchro, quia dicit se iturum AD Filium suum, quem putabat devoratum a feris & proinde caruisse sepulchro.* Cui argumento crus dextrum fractum ex R. (*s*) Salomone Jarchio, qui notat hoc loco אֶל *ad* poni pro עַל *propter.* Et tunc argumentum Bellarm. ruit. Quin ostendit hoc ipsum Rabbinus ille exemplis אֶל שָׁאוּל propter Saul, אֶל בֵּית הַדָּמִים propter domum sanguinum. Licet autem argumentum illud (*t*) *Posse aliter accipi* in objiciendo non procedat, in respondendo tamen vim magnam habet. Alterum frangit solidissime solidissimus (*v*) Rainoldus dum ostendit & exemplis probat *sepelire* (cujus conjugatum est sepulchrum) Catachrestice sæpe in script. & profanis usurpari pro *terra reddere.* Mecœnas cætera effœminatus hoc unum mascule,

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

(*x*) Seneca, *Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus qui expulit sepelit; suffixorum corpora crucibus in sepulturam defluunt, eos qui vivi uruntur pœna funerat.* Sed quid clarius loco (*y*) Lir. de Jojakim, *Sepultura asini sepelietur.* Sepelietur, terræ reddendus: *Sepultura asini*, non terra condendus. En insepultam sepulturam. Si sic sumitur *sepelire*, quid obstet, quominus sic ejus conjugatum sumi queat, Iesuitæ monstrandum fuisset.

(*g*) A. Hunnæum. Corn. Goudanum, Ioh. Harlemium. (*h*) Biblioth. lib 5. (*i*) Episc. Xisamens. & Biblioth. Apostol. ejus verba hæc sunt ad hunc ipsum Geneseos locum, *Ubicunque Hieron. & Lxx. interpretati sunt infernum, Ebraice est Sheol. i. fossa sive sepulcrum.* Et paulo post, *quare non proprie inferos signat Sheol.* Deinde laudat Abenezram culpantem Chaldæum interpretem quod Gehennam verterit, atque eum varia loca citare, *ex quibus cognoscatur Sheol semper sepulcrum denotare.* Ac denique sic concludit, *hac concludimus nihil facientes ea quæ hac de re somniat Lyra. Vere enim figmenta sunt quæ de limbo scribit hoc loco.* (*k*) Cens. lib. Apocr. lect. 80. (*l*) In comm. ad hunc locum, *quamvis descendere ad inferos nihil aliud sit apud Ebræos quam sepeliri, mori & in foveam ire.* (*m*) Omnes in comm. ad hunc locum. (*n*) Comm. ad Psal. istum. (*o*) Thomas præl. 2. in 17. caput Jobi ad vers. ult. *quicquid meum est ad sepulcrum deducetur.* Ecce profundissimum infernum exponit de sepulcro. Quam pulcre his consonant verba Bellarm. de Christo lib. 4. cap. 10. §. 5. *profundissimum infernum opponi altissimo cælo: Sepulcrum autem non abesse a terra duobus palmis aut paucis ulnis, ut* §. 2. locutus est. (*p*) Indice in comm. suum in minores Proph. titulo infernus. (*q*) Defensione Concilii Tridentini libro secundo. (*r*) De Christo lib. 4. cap. 10. §. 4. (*s*) Idem loco citato. (*t*) Verba ejus, הרבה אל שמשמשין בלשון על *multa reperiuntur* [illegible], *quæ serviunt in significatione* propter. (*v*) Lect. 80. censuræ in libros Apocr. (*x*) Controvers. lib. 8. contr. 4. (*y*) Jerem. 22. 19.

GROTIUS.

2. ET *hæ sunt generationes ejus*] Res ab eo ejusque liberis gestæ. Vide supra VI. 9. & Num. III. 1. ubi eadem vox תולדות [*generationes*]. notavit & Abenesdra.

Ioseph cum sedecim esset annorum] In Hebræo est XVII. quod sequuntur Græci. Sed filius anni hujus vel illius esse dicitur qui eum annum agit, ut apparet Exodi XII. 5. Sensum ergo recte expressit Latinus.

Pascebat gregem] Regimini populorum præludens. Ab hoc gradu ad familiam gubernandam perductus est, inde ad regni curam, Deo per gradus hæc disponente.

Accusavit fratres suos] Ut à patre moniti resipiscerent. Est enim in Hebræo בא דבה quod in bonam partem dicitur, ut הוציא in malam.

Crimine pessimo] Ut κτηνοβάται [*jumentorum initores.*]

Quasi solem & lunam & stellas undecim adorare me] Achmes Onirocriticon cap. CLXVIII. ex Persarum & Ægyptiorum disciplina: ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐδέσποζε τῶν ἄστρων ἁπάντων, δεσπόσει λαῶν πάντων [*Siquis somniaverit se dominari astris omnibus, dominabitur populis omnibus.*]

Et mater tua] Bala Rachelis liberum educatrix. Sic Plauto, *mater quæ mammam dedit.*

25. *Ismaelitas*] Onkelos Saracenos posuit, recte. Erat συνοδία, sive, ut nunc loquuntur, Caravana, ex variis Arabum populis, unde mox Madianitæ vocantur.

35. *Ad filium meum*] Propter filium meum. R. Salomon Jarchi & Hiscuni. sic enim sumi particulam אל & alibi apparet, & 2 Sam. XXI. 2.

In infernum] εἰς ᾅδου. Vide quæ ad Lucam XVI. 23.

CARTWRIGHTUS.

1. ET *habitavit Iacob, &c.*] R. Salom. notat Mosen, postquam breviter descripsisset habitationem Esavi, ac (*a*) generationes ejus, Jacobi habitationem ac generationes fuse narrare. Similiter observat decem generationes ab Adamo ad Noam breviter esse recensitas, de Noa autem fuse tractari. Item decem generationes à Noa ad Abrahamum brevi narratione esse percursas; at ubi ad Abrahamum ventum est, longam institui narrationem. Ad hujus rei illustrationem annectit parabolam de margarita, quæ si in arenam ceciderit, colligit quis arenam, eamque cribro secernit, dum margaritam invenerit, quam inventam servat, lapillos autem quibuscum mixta erat, abjicit.

2. אֵלֶּה תֹּלְדוֹת יַעֲקֹב *Hæ sunt generationes Iacobi.*] Vox Toledoth, quæ *generationes* solet significare, hic, ut monet Aben Ezra, significat *eventus* ac casus qui Jacobo acciderunt. Ità verbum *Jalad, gignere*, unde *Toleda, generatio*, sumi notat, Prov. 27. 1. *Nescis* מה ילד יום *quid pariet dies*, i. e. *quid unius diei spatio accidet.* Mercerus ait hoc Ramban non probare, sed cur improbet non intelligo. *Non statuit* (inquit Fagius) *hic texere genealogiam stirpis Iacob, sed potius miserabiles casus & eventa, quæ ipsi Iacob acciderunt.*

וַיָּבֵא יוֹסֵף אֶת־דִּבָּתָם רָעָה אֶל־אֲבִיהֶם *Et attulit Ioseph malum eorum rumorem patri ipsorum.*] R. Salom. ait eum patri narrasse quicquid mali in fratribus suis, filiis Leæ, conspexit; eos nempe comedisse אבר מן החי, i. e. *membrum de vivo (animante)* ac despexisse filios ancillarum, servos eos vocitantes, nec non de illicito coitu fuisse suspectos. Sed nescio cur hoc ad filios Leæ restringi debeat; quin potius de filiis ancillarum, quibuscum versatus dicitur, intelligendum videtur. Aben Ezra ait filios ancillarum Josephum, quod parvus esset, ministrum sibi constituisse, atque hoc eum patri suo detulisse; non enim iniquum fuisse, si fratribus suis, dominæ [scil. Leæ] filiis ministrasset. Fagius ait sensum esse, quod conquestus est apud patrem de probris, quibus eum afficiebant fratres ejus. Ego potius in universum de omnibus eorum flagitiis ac malefactis intelligendum censuerim. דבה *Dibba* autem [ut notat Fagius] *infamiam, detractionem, & oblocutionem*, sive vere, sive falso fiat, significat. Et Hebræi inter מוציא דבה, i. e. *proferentem infamiam*, & מביא דבה, i. e. *referentem infamiam*, distinguunt; ut prius sit ejus, qui hoc falso & mendaciter facit, de quo est illud Prov. 10. 18. מוציא דבה הוא כסיל, *qui profert convitium, is est stultus:* Posterius autem ejus, qui vere aliquem defert, studio emendandi malum, ut Joseph fratres suos. Hoc igitur laudi, illud vero vitio vertitur. Idem etiam discrimen inter דבה cum verbo הוציא, & דבה cum verbo הביא observat Amama, ac citat illud Num. 13. 32. ויציאו דבת הארץ, *& protulerunt rumorem malum de terra ista.* Vulgatus hic habet, *Accusavitque fratres suos crimine pessimo.* Lyra ait in Hebræo haberi, *rixam pessimam.* At Burgensis dicit, nec rixam, nec crimen pessimum in Hebræo esse, sed vocem quæ significat *detractionem*, eandemque dictionem haberi Num. 13. ubi dicitur, *detraxerunt terræ, quod esset mala.*

(*a*) Vox à R. Salomone usurpata תולדות etiam *eventus* denotat, uti statim ostenditur.

la. LXX. hunc locum in contrarium plane sensum pervertenrunt; ita enim interpretati sunt, ac si non Ioseph fratres suos, sed fratres ejus ipsum apud patrem accusassent. *Κατήνεγκαν δὲ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν πρὸς Ἰσραὴλ τὸν πατέρα αὐτῶν*, *detulerunt autem Iosephum crimine malo ad Israelem patrem ipsorum.* Sic Cyrillus Alexandrinus [ut in Græcis Scholiis notatur] *οἱ ἀπὸ Ζίλφας τε καὶ Βάλλας ψόγον πονηρὸν κατήγαγον ἐπὶ τὸν Ἰωσὴφ*, i. e. *Filii Zilpæ & Bilhæ criminationem malam adversus Iosephum deferebant.* Istam etiam lectionem secuti sunt Chrysostomus, Theodorus Heracleotes, Theodoretus, & Isidorus Pelusiota, ut refert Senensis Bibl. S. lib. 5. Annotat. 113. Ibidem etiam testatur Procopium asserere Aquilam eodem modo hunc locum transtulisse. At in Græcis Scholiis Aquila fertur vertisse, *καὶ ἤνεγκεν Ἰωσὴφ τὸν ψόγον αὐτῶν πρὸς τὸν πατέρα αὐτῶν*, *Et detulit Ioseph vituperium eorum ad patrem suum.* Similiter & Symmachus, *καὶ ἔφερεν Ἰωσὴφ διαβολὴν κατ' αὐτῶν πονηρὰν*, &c. *Et afferebat Ioseph accusationem adversus eos malam.* In istam etiam sententiam interpretatus est Chaldæus Paraphrastes Onkelos. In Græcis etiam Scholiis notatur ex Diodoro, Syrum & Hebræum pro *κατήνεγκαν* habere *κατήνεγκε*, ut non fratres Iosephi illum, sed ille fratres suos apud patrem accusasse, atque inde illis invisus fuisse intelligatur. Drusius ait, quædam exemplaria LXX. Interpretum habere *κατήνεγκαν κατ' Ἰωσὴφ*, veram autem lectionem esse, *κατήνεγκε δὲ ὁ Ἰωσὴφ*. Nobilius innuit ita in Complutensi Editione legi; alteram autem lectionem antiquam esse apparet. Sed ut lectio non sit depravata, interpretatio certe est perversa. Targum Ionathæ ita habet, *Et attulit Ioseph malam eorum famam* [ית טיבהון ביש] *& vidit eos, quod comedebant carnem evulsam ab animante vivo, aures nempe, & caudam, & venit, ac indicavit* [ותני, legendum opinor, ותני] *patri ipsorum.*

Ioseph septemdecim annorum, &c.] Hebr. בֶּן־שְׁבַע־עֶשְׂרֵה שָׁנָה i. e. ad verb. *filius septendecim annorum.* Sic alibi passim phrasis ista usurpatur. In hoc autem annorum numero cum Hebræo consentiunt LXX. Onkelos & Ionathan; at ab eo dissentit Vulgatus, qui habet, *sedecim* pro *septemdecim.* Videtur esse culpa librariorum, non interpretis; Sic post Steuchum sentit Amama, qui merito reprehendit Lyram, quod versionem vulgatam cum Hebraica veritate sic conciliare velit, ut hæc de decimo septimo anno nondum completo, illa autem de decimo sexto completo intelligatur. Hac enim ratione ubique numeros mutare liceret interpreti.

3. כִּי־בֶן־זְקֻנִים הוּא לוֹ *Nam erat filius senectutis ejus.*] Ad verb. *filius senectutis ei.* Onkelos interpretatur, ארי בר חכים הוא ליה, i. e. *Nam filius sapiens erat ei*, i. e. *reputabat eum filium sapientem*; quasi in Hebræo filius senectutis diceretur, quod senilis in eo esset prudentia. At proculdubio simplex ac genuinus verborum sensus, ut notat Aben Ezra, est, Josephum ideo patri præ cæteris charum fuisse, quod eum in senectute sua genuerit. Eadem ratione (ut idem observat) Benjamin etiam vocatur ילד זקנים *filius senectutis*, cap. 44. 20. Ita etiam interpretatur R. Salom. qui tamen Onkeli expositionem affert, atque illustrandæ confirmandæque ejus gratia addit, Jacobum docuisse Josephum quæcunque ipse à Sem, atque Heber didicisset. Quin & aliam insuper expositionem adjungit, nempe Josephum specie ac vultu patri suo fuisse similem. Atque ita Jonathan interpretatur in Paraphrasi sua, *Et Israel dilexit Josephum præ omnibus filiis suis, eo quod vultus Iosephi similis esset vultui ipsius.* Sed hoc à vero loci sensu est alienum. Burgensis Onkeli interpretationem propugnare conatur; aut cur filius senectutis aliter hic accipiatur, quam cap. 44. 20. non video. Mercerus etiam istam expositionem nimis allegoricam & coactam judicat.

Et fecit ei כְּתֹנֶת פַּסִּים *tunicam polymitam.*] Onkelos similiter, כתונא דפסי. Aben Ebra exponit, כתנת מרוקמת, *tunicam acu-pictam, diversicolorem, ex variis filis artificiose contextam.* Notat vocem פסים hic eo sensu usurpari, quo usurpatur Dan. 5. 5. פס ידא, *particulam manus*; כתנת פסים ad verbum est, *tunica particularum*, h. e. *ex variis particulis confecta.* Eodem modo, quo Aben Ezra, interpretatur etiam Ionathan Paraphrastes, (Atque ita etiam habet Targum Hierosolymitanum) פרגוד מצייר, *tunicam figuratam, pictam.* Sic & Fagius exponit *tunicam figuratam & pictam*, hoc est, *ex variis liciis confectam.* Ac refert quosdam Hebræorum velle fuisse sericam. LXX. *χιτῶνα ποικίλον*, *tunicam variam.* Aquila, *ἀστραγάλειον*, *talarem.* Symmachus, *Tunicam manicatam, sive* (inquit Hieron. in Tradit) *quod ad talos usque descenderet, & manibus artificis mira esset varietate distincta; sive quod haberet manicas, antiqui enim magis colobiis utebantur.* Lyra ait in Hebræo esse *tunicam sericam*; atque eodem etiam modo exponit Burgensis. Quomodo autem vox Hebræa sericum denotet haud scio. Mercerus refert quosdam Hebræorum talarem vestem, seu vestem ad talos usque demissam interpretari, quod פס sit articulus tam manus, quam pedis: ipse autem mavult tunicam polymitam, seu diversorum colorum, vel ex filis diversis significari. Atque hæc omnium optima mihi videtur expositio.

4. וְלֹא יָכְלוּ דַּבְּרוֹ לְשָׁלֹם *Nec potuerunt eum alloqui pacifice.*] דברו, i. e. דבר עמו, *loqui cum eo*, ut exponit R. Salom. Et sic Onkelos & Ionathan, למללא עמיה, quod idem sonat. Vel, דבר לו, *loqui ad eum*; uti interpretatur Aben Ezra. לשלום vero vel est *in pace*, i. e. *pacifice, more pacifico*; vel *de pace*, i. e. *non potuerunt eum more solito salutare, non potuerunt eum interrogare quomodo valeret.* Ita לשלום usurpatur 1 Sam. 17. 18. Quemadmodum nos dicimus, *Quomodo vales?* Sic illi dicebant, השלום לך, (*a*) *Num pax est tibi?* Vide 2 Reg. 4. 26. Et pro eo quod nos dicimus, *Salve*, illi dicebant, שלום לך, *pax tibi.* 1 Sam. 25. 6. Vide etiam hoc ipso capite Gen. ver. 14. LXX. *καὶ οὐκ ἐδύναντο λαλεῖν αὐτῷ οὐδὲν εἰρηνικόν.* Vulg. *Nec poterant ei quicquam pacifice loqui.* R. Salom. argutius quam verius ait inter eorum vituperia hoc in ipsorum laudem esse commemoratum, quod non aliud in ore aliud in corde habuerunt.

8. הֲמָלֹךְ תִּמְלֹךְ עָלֵינוּ אִם־מָשׁוֹל תִּמְשֹׁל בָּנוּ *Num regnando regnabis super nos? superdominando dominaberis nobis?*] Aben Ezra sic exponit, *Numquid nos constituemus te regem?* Vel, *Numquid super vim* (בחזקה) *dominium in nos exercebis?* Ego potius existimarim idem utroque verborum circuitu significari; hanc autem repetitionem indignationis esse indicium.

10. וַיִּגְעַר־בּוֹ *Et increpavit eum.*] Nempe quod sermonibus istis (ut notat R. Salom.) odium atque invidiam sibi conciliabat. Aben Ezra asserit verbum גער cum *Beth* constructum, uti hoc in loco, significare *increpare*, vel *objurgare*, seu *ignominia afficere* (דרך קלון) at sine Beth *perdere* (לשון השחתה) ut Mal. 2. 3. *Ecce* הנני גוער לכם את הזרע *perdo vobis semen.* Addit autem posse etiam ibi in altera significatione accipi, scil. metaphorice (על דרך משל) ut sensus sit, *Deum velle increpare semen, ut præ metu non audeat ascendere.*

Num veniendo veniemus ego & mater tua, &c.] Aben Ezra ait Jacobum hic loqui de Bilha, Rachelis ancilla, quæ Josephum post matris ipsius obitum educavit. R. Salom. putat Jacobum ita de industria locutum, ut Josephi fratribus res absurda videretur, ne alioqui illum odio haberent. q. d. Quemadmodum hoc de matre tua est impossibilis (cum ipsa jamdudum sit mortua) ita & reliqua sunt inania. Lyra etiam similiter exponit, qui tamen & aliam expositionem adjungit, nempe matrem Josephi, etiamsi antea mortuam, in prole sua, scil. Benjamin adorasse Josephum. Sic Mercerus, *De matre* (inquit) *quæstio est, quia Rachel tum non vivebat, &c.* Potuerit Lea, & ancillæ in Ægyptum descendere; sed licet essent mortuæ, tamen in sua familia, & ex se natis, qui ipsis subjiciuntur, Josephum adorarunt. Certe ad eventum hujus somnii astruendum id videtur dicendum, matrem Josephi in posteris suis Josephum adorasse; ex capite enim 46. ver. 26. nec Leam, nec ancillas, Jacobi uxores, in Ægyptum descendisse apparet.

12. *Ut pascerent* [אֶת־צֹאן *gregem, &c.*] Particula את superne est punctata, ut aliæ quædam voces superius notatæ. R. Sal. ait hinc innui, eos non nisi ad sese pascendos abiisse. Istiusmodi frivolis comm[illegible] nimium solet indulgere.

13. הִנֵּנִי *Ecce ego.*] Q. d. *Paratus sum voluntati tuæ obtemperare.* Sic exponit Aben Ezra, אעשה כדבריך, i. e. *faciam secundum verba tua; faciam prout mihi dixeris.* Ita etiam R. Salom. notat vocem istam significare *animum mitem, ac ad jussa facienda paratum* (לשון ענוה וזריזות) *Etiamsi* (inquit) *Joseph haud ignorabat, se fratribus suis fuisse invisum, tamen jubente patre ad eos invisendos se promptum exhibuit.*

14. *Vide pacem fratrum tuorum, & pacem pecoris.*] Id est, *Vide an fratres tui recte valeant*, & an pecus bene habeat. LXX *ἴδε εἰ ὑγιαίνουσιν οἱ ἀδελφοί σου, καὶ τὰ πρόβατα.* Vulg. *Si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora.* Vide ad ver. 4.

18. וַיִּתְנַכְּלוּ אֹתוֹ *Et machinabantur adversus eum.*] Onkelos, וחשיבו עלוהי. Fagius vertit, *Et cogitarunt de illo.* Malim, *contra illum.* Aben Ezra exponit, חשבו מחשבה רעה, i. e. *cogitabant cogitationem malam.* Ac monet verbum נכל *fraudem*, ac *astutiam* denotare. Similiter R. Salom. נתמלאו נכלים וערמומית, i. e. *Impleti fuerunt dolis ac versutiis.* LXX *ἐπονηρεύοντο*, *malignabantur.* Sic Latine vertitur in Edit. Rom. Malim, *maligne cogitabant*, vel *improbe machinabantur.* Symmachus, *ἐδολιεύοντο*, *dolum meditabantur.* Thargum Jonathæ, ואתייעטו עלוהי, *Et consilium inierunt adversus eum.*

21.

(*a*) Vide ad Gen. 29. 6.

21. לֹא נַכֶּנּוּ נָפֶשׁ *Ne percutiamus eum (in) anima.*] Id est, *ne percutiamus eum lethaliter, ne interficiamus eum.* Aben Ezra sic phrasin Hebræam explicat, לא נכנו מכה נפש להוציא נפשו, i. e. *Ne percutiamus eum percussione animæ, ut animam ejus exire faciamus.* Similiter exponit R. Salom. מכת נפש א הוא מיתה, i. e. *percussione animæ, qua mors denotatur.*

23. *Et exuebant Josephum tunica sua.*] R. Salom. putat hanc tunicam à polymita fuisse diversam, ad de tunica interiori, quæ cuti proxima, interpretatur. (הוא חלוק) Aben Ezra etiam asserit vocem hic usurpatam, nempe כתנת *Cetoneth*, in lingua S. significare החלוק הדבק לעור, i. e. *indusium quod cuti adhæret.* Ac putat eos Josephum denudasse, nudumque in foveam projecisse. At quantum mihi videre licet, tunica hæc eadem est cum polymita, ac propterea exegetice additur, *Tunica polymita, qua indutus erat.* LXX ἐξέδυσαν τὸν Ἰωσὴφ τὸν χιτῶνα, τὸν ποικίλον, τὸν περὶ αὐτόν, *Exuerunt Joseph tunica varia, &c.* Non nisi unius tunicæ, ejusque polymitæ, mentionem faciunt. Quoad sensum, opinor, recte. Vulg. *Nudaverunt eum tunica talari & polymita.* Ubi duplex adhibetur interpretatio vocum Hebraicarum, כתנת פסים, sed non nisi unica tunica intelligitur. Lyra ait in Hebræo esse, *Et exspoliaverunt eum tunica sua, & tunicâ sericâ.* (Sic ille interpretatur vocem פסים, ut supra notatum.) At certe in Hebræo textu (uti neque in Chaldaicis Paraphrasibus) copula & non apparet; atque ideo frustra Lyra hinc colligit Josephum duplicem habuisse tunicam, unam simplicem, alteram sericam, ac utramque fuisse ademptam. Recte Burgensis (si modo recte interpretetur כתנת פסים, *tunicam sericam*; quod mihi non videtur) asserit in Hebræo haberi, *Exspoliaverunt eum suâ tunicâ, tunicâ sericâ.* (Ita procul-dubio legendum, non ut libri, saltem nonnulli habent, sua tunica serica, ut apparet cum ex verbis quæ in textu Hebræo habentur, tum ex iis quæ ipse Burgensis subjungit) ac si dicat (inquit) *tunicâ suâ*, scilicet *tunicâ sericâ.*

25. נְכֹאת (c) *aromata.*] Onkelos; שעף, quod Fagius vertit *aroma.* Buxtorfius in Lexico Syro-Chaldaico ait esse speciem quandam aromatis, sive balsami. Jonathan, שעוה (d) quod Buxtorf. exponit *ceram.* LXX θυμίαμα, *incensum.* Hieron. in Tradit. refert Aquilam transtulisse *storacem.* R. Salom. hic ait omnem variorum aromatum collectionem vocari נכאת. Et ad 2 Reg. 20. 13. בית נכתה exponit בית גנזי בשמיו, i. e. *domum ubi aromata sua recondita habebat.* Chaldæus istic, בית גנזוהי, *domum thesaurorum suorum.* Kimchi, בית חמדתו, *domum desiderii sui*, i. e. *ubi res desiderabiles seu pretiosas habuit.* Ambo autem isti Rabbini hunc Geneseos locum ibi citant, innuentes eodem sensu utrobique accipi, etiamsi hic cum *Aleph*, illic sine *Aleph* reperiatur. Shindlerus exponit נכת *thesaurum, rem desiderabilem, pretiosam*; נכאת autem *ceram.* Verisimilius videtur idem utroque vocabulo denotari. Lyra ad cap. 43. 11. exponit *ceram.* Mercerus non dubitat certum quoddam esse aromatis genus, quodnam autem sit, dubium putat. At si נכת 2 Reg. 20. ver. 11. & נכאת hoc in loco idem valeant, non certum aliquod aromatis genus, sed potius (quod vult R. Salom.) multorum aromatum collectio significari videtur.

וּצְרִי *Et resinam.*] Sic Vulg. Et similiter LXX. Onkelos וקטף, quod Fagius *resinam* interpretatur; Buxtorf. *opobalsamum*, vel *theriacam*, vel *resinam.* Mercerus ait se non dubitare, quin vox Hebræa צרי *resinam* significet, cum & Latinum nomen literis transpositis vicinum sit, & Græcum item ῥητίνη. At hoc nimium leve fundamentum esse videtur. Ego igitur potius existimo (quod & Mercerus ad cap. 43. 11. sentit) de hisce nihil fere certi afferri posse.

וָלֹט *Et stacten.*] Ita Vulg. Et sic etiam LXX. Onkelos ולטום, quod Fagius *stacten* interpretatur; atque ita etiam Buxtorfius, licet addat variare Interpretes. Mercerus ait, quosdam putare לוט *theriacam* esse. R. Salomon refert Rabbinos ipsorum dicere radicem herbæ cujusdam esse. Veram ac germanam horum nominum significationem ignotam esse apparet.

28. *Et præteribant viri Midianitæ, &c.*] R. Salom. ait Josephum sæpius fuisse venditum; fratres nempe ejus illum vendidisse Ismaëlitis, Ismaëlitas autem Midianitis, ac Midianitas denique Potipharo. At cap. 39. 1. Potiphar dicitur emisse Josephum ab Ismaëlitis. Rectius igitur Aben Ezra dicit, *Midianitas* vocari *Ismaelitas.* Sic reges Midian notat appellari Ismaëlitas, Judic. 8. 24. Quanquam cur locus iste de regibus tantum intelligatur, non video. Illud autem maxime videtur verisimile, quod putat Mercerus, nempe non eosdem fuisse Midianitas & Ismaëlitas, sed societatem inter se iniisse, ut communiter ab utrisque, id est, à tota societate Joseph emptus fuerit. Kimchi ad Judic. 8. 24. dicit Midianitas istic vocari Ismaelitas, ac similiter in hoc capite nomina ista promiscue usurpari, quod Ketura, unde Midianitæ, eadem sit quæ Hagar, unde Ismaelitæ. Sed hoc inane est commentum; & ut verum esset, tamen haud idonea esset ratio cur istorum nominum, quibus distinctæ nationes sunt appellatæ, promiscua sit usurpatio.

בְּעֶשְׂרִים כָּסֶף *Viginti argenteis.*] LXX pro *argento* posuerunt *aurum.* εἴκοσι χρυσῶν. Hieron. in Tradit. notat discrepare ab Hebræo; *Pro aureis* (inquit) *in Hebræo argenteis habet. Neque viliore metallo Dominum venundari debuit, quam Joseph.* At hoc quod de Domino dicit, leviculum esse videtur; neque enim ad Domini majestatem spectabat quod ita venundatus fuit. Vulgatus (e) cum Hebræo consentit; atque ita etiam Onkelos & Jonathan, quorum ille hoc in loco simpliciter habet, בעסרין כסף, *viginti argenteis*; at supra cap. 20. ver. 16. ubi de argenteis sermo est, *argenteos siclos* interpretatur; hic autem habet, בעסרין מעין דכסף, *viginti obolis argenteis*; quod pretium nimis vile esse videtur. Superiori loco & Thargum Jonathæ, & Thargum Hierosolymitanum de siclis interpretantur.

35. *Et omnes filiæ ejus.*] Id est, *nurus ejus*, ut exponit R. Sal. ex sententia R. Nehemiæ. *Licet enim* (inquit) *appellare generum filium, & nurum filiam.* Aben Ezra interpretatur de Dina Jacobi filia, & filii ejus filia. Vide ad cap. 46. 7. Expositio R. Salomonis habetur in Bereshith Rabba, uti refert Porchetus contra Judæos, parte 1 cap. 18. Utramque autem expositionem non incommode conjungi posse existimo, ut nimirum per filias Jacobi, & Dinam ipsius filiam, & Seram filiam Asher, & filiorum denique Jacobi uxores intelligamus.

Nam descendam ad filium meum lugens שְׁאֹלָה *in sepulcrum.*] R. Salom. ait, juxta simplicem ac literalem sensum *sepulcrum* significari voce *Sheol* (כפשוטו לשון קבר הוא) ut sensus sit, *In luctu meo sepeliar, nec consolationem capiam, quamdiu vivam.* Addit autem juxta expositionem magis allegoricam *gehennam* intelligi (ומדרשו גיהנם.) Ac juxta istam vocabuli acceptionem Iacobum sic loqui fingit, *Hoc signum mihi datum fuit à Deo; quod si nullus ex filiis, me vivo, moriatur, certo persuasus sim me non visurum gehennam.* Quid ineptius? Aben Ezra interpretatur *Sheol* per הקבר, i. e. *sepulcrum*, atque addit *interpretem Christianorum* (quos vocat טועים, i. e. *errantes*) *errasse, quod hic gehennam exposuerit.* Videtur perstringere vulgatum Interpretem Latinum, qui *Sheol* vertit *infernum*, quo fere intelligitur *gehenna*, seu locus damnatorum supplicio destinatus, licet vox ista *infernus* etiam pro *sepulcro* accipi possit, atque ita procul-dubio eam interdum ipse vulgatus Interpres intellexit; ex. gr. Psal. 140. 9. (vel 141. 7.) *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum*; ubi Genebrardus de sepulcro interpretari cogitur. Targum Ionathæ hic habet, לבית קבורתא, *ad domum sepulcri.* Onkelos vocem *Sheol* retinet. Fagius autem in Onkeli Paraphrasin, notat *sepulcrum* vocari *Sheol*, à *Shaal*, i. e. *petere, eo quod semper petat, & nunquam satietur.* Prov. 30. 15, 16. *Non ergo* (inquit) Sheol *hoc in loco infernum illum, id est, locum pœnarum ac damnatorum significat (ad hunc enim non descendit Jacob) sed potius communem illum statum omnium defunctorum, tam piorum, quam impiorum hominum. Id quod ex multis Scripturæ locis manifestum est. Ex quo facile est intelligere articulum fidei nostræ in Symbolo Apostolico, ubi de Christo dicitur,* Descendit ad inferos; *quo sine dubio significatur, Christi mortem non fuisse fictitiam, sed veram, revera illum mortuum fuisse, ac sepultum, communemque illum defunctorum statum pro nobis peccatoribus quoque degustasse.* Hæc Fagius. Porchetus contra Iudæos, parte 1ª cap. 18. & ex illo Galatinus de Arcan. lib. 6. cap. 8. probare nititur sepulcrum hic non posse intelligi, quod Iacob existimaverit filii sui corpus non fuisse sepultum, sed à bestiis devoratum. Quare (inquit) procul-dubio liquet, quod non de se, neque de filio quantum ad corpus, sed quantum ad animam sit locutus; neque

(c) *Sic Vulg.* (d) *Jonathan, quatuor habet vocabula, nempe* שעוה שעף וקטף ולטום *cum in Hebræo sint tantum tria; nec plura habet Onkelos, eadem nempe quæ Jonathan, excepto primo; & tamen (quod miror) R. Sal. refert Onkelum pro* נכאת *habere* שעוה.

(e) *Vulgatus quidem habet* triginta argenteis, *sed in margine est,* viginti, *quæ proculdubio est vera lectio.* (f) אין אדם נכאב Non prohibetur homo; *vel (ut Porchetus habet)* Non est prohibitum homini, &c.

que de tumulo, ſed de inferno, quo jam credebat filii ſui animam perveniſſe. Atque hoc argumentum Bellarmino etiam (de Chriſti anima lib. 4. cap. 10.) arriſit; ſed admodum eſt infirmum, cum *Sheol* (uti notarunt Mercerus ad hunc locum, & ad cap. 42. ver. 38. Amama in Cenſura, & R^mus^ *Uſſerius* in eruditiſſimo tractatu Anglice ſcripto *de Limbo Patrum*, ſive *de Deſcenſu Chriſti ad inferos*) generaliter omnia loca ſubterranea ſignificet, nec tam artificiale, quam naturale ſepulcrum denotet, quale nimirum intellexit Mæcenas, cum dixit,

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Et præclare ad hanc rem Seneca, *Omnibus* (inquit) *natura ſepulturam dedit: naufragos idem fluctus, qui expulit, ſepelit: ſuffixorum corpora crucibus in ſepulturam defluunt; eos qui vivi uruntur pœna funerat.* Aben Ezra ad Ion. 2. 3. ſignificationem hujus vocis *Sheol* ſic explicat, שאול מקום עמוק הפך שמים מרום שהוא, i. e. *Sheol eſt locus profundus, oppoſitus cœlo quod eſt ſublime.* Atque ita ſane *Sheol* & *cœlum* hac ratione inter ſe opponuntur Iob. 11. 8.

36. וְהַמְּדָנִים *Et Medanitæ.*] Ver. 28. מדינים *Midianitæ.* LXX utrobique Μαδιηναῖοι. Et Vulg. *Madianitæ.* Ita etiam Onkelos & Ionath. מדינאי, i. e. *Midianitæ.* At Mercerus vult Medanitas à Midianitis eſſe diverſos, prout cap. 25. 2. *Medan* & *Midian* inter filios Abrahami ex Ketura diſtincte recenſentur. Rabbini (quorum mihi copia) hunc locum non attingunt. Fieri poteſt, ut *Medanim* hic iidem ſint qui *Midianim* ver. 28. cum non niſi unica literula nomina inter ſe differant: locus tamen iſte cap. 25. 2. nonnihil perſuadet diverſas nationes his nominibus fuiſſe inſignitas.

Vendiderunt eum, &c. סְרִיס פַּרְעֹה *Eunucho Pharaonis.*] Sic Vulg. Similiter LXX τῷ σπάδοντι Φαραώ, *ſpadoni Pharaonis.* At Onkelos & Ionath. רבא דפרעה *principi ſeu magnati Pharaonis.* Et ſimiliter Targum Hieroſol. שלטונא דפרעה, *dynaſtæ Pharaonis.* Fagius in Chald. Paraph. monet Hebræum *Saris* non ſemper ſignificare *caſtratum*, ſed interdum שר וממונה, i. e. *principem & præfectum*; atque in hac poſteriori ſignificatione hic accipi. Mercerus hic, & ad cap. 39. 1. dicit hoc vocabulo proprie *caſtratum* denotari, generaliter autem id transferri ad *præfectos regum*, proprie *cubicularios*, non ſolum reginarum, qui ab initio ſpadones erant, ſed & regum & principum. qui jam non erant caſtrati.

שַׂר הַטַּבָּחִים *Principi interfectorum.*] Vel *coquorum.* Aben Ezra notat hanc vocem טבח uſurpari על הרג ועל בישול, i. e. *Et pro occidere, & pro coquere.* Onkelos, רב קטוליא, i. e. *magiſtro interfectorum.* Fagius ait verba Onkeli eſſe ambigua æque ac Hebraica; ac poſſe intelligi vel qui regiis jumentis mactandis, coquendis ac in cibum parandis præerat, vel qui damnatorum plectendorum curam habebat, vel qui militum ac ſicariorum dux erat. R. Salom. primo ſenſu Hebræa accipit; exponit enim טבחים per שוחטי בהמות המלך, i. e. *eos qui mactabant jumenta regis.* Atque ita LXX ἀρχιμαγείρῳ: licet Hieronymus alioſum trahat. *In pleriſque* (inquit in Tradit.) *locis archimagiros, id eſt, coquorum principes pro magiſtris exercitus Scriptura commemorat.* μαγειρεύειν *quippe Græce interpretatur occidere. Venditus eſt igitur Joſeph principi exercitus & bellatorum, &c.* Porchetus adverſ. Iud. parte 1. cap. 3. citans locum 2 Reg. 25. & Ier. 52. ubi Nebuzaradan vocatur שר טבחים, verba iſta vertit, *princeps coquorum.* At procul-dubio Nebuzaradani cum culina nihil erat negotii. Arbitror igitur vel ſecunda vel tertia ſignificatione à Fagio memorata accipi, ſeu potius utraque; duæ enim poſtremæ ſignificationes inter ſe coincidere videntur. Certe id quod legitur cap. 40. 3. nempe principem pincernarum, & principem piſtorum Pharaonis traditos fuiſſe in cuſtodiam domus שר הטבחים, arguit hoc nomine ſignificari eum, qui ſontibus plectendis præerat. Atque ita in Thargum Ionathanis pariter ac Hieroſolymitano exponitur רב ספוקלטוריא, id eſt, *Principi ſeu præfecto ſpeculatorum.* Quo ſenſu σπεκουλάτωρ uſurpatur Marc. 6. ver. 27.

CAP. XXXVIII.

MUNSTERUS.

1. QUando ab initio hujus capitis dicitur, Judam duxiſſe uxorem *filiam Chnaanæi*, quidam poſt Chaldæum interpretem putant כנעני capiendum pro תגר *mercatore* ſeu *negotiatore.* At Aben Ezra intelligit hunc locum כמשמעו, i. *ſecundum literalem ſenſum*, ut nos vertimus.

8. *Duc eam in uxorem*] Habent Hebræi hic verbum יבם, cui in Latina lingua nullum reſpondet vocabulum. Nam ſignificat *defuncti fratris, & nullum poſt ſe ſemen relinquentis, ducere uxorem.* Santes vertit, *& affinitatem contrahe cum ea.* Sed quomodo poſſum contrahere affinitatem cum ea quæ prius mihi eſt affinis? niſi ſic intelligat ut Aben Ezra exponit, הראה היבום *oſtende affinitatem.*

14. *In publico loco*] Hebraice, *ſedit in oſtio oculorum*, h. e. *in* גלוי *propatulo*, ubi frequens erat euntium & redeuntium tranſitus, ut Kimhi exponit. Onkelos vertit, *in diviſione fontium.* Significat enim עין & *fontem* & *oculum.* Alii vero putant עינים hic eſſe proprium loci nomen.

17. *Arrabonem*] Eſt *arrabo* vox Hebraica, ſed quam Hebræi *Erabon* legunt: qua & Græci & Latini pro *pignore* utuntur. Et quod ſequitur; *Faſciam tuam*] Kimhi poſt Thargum exponit צניף *linteum capitale*, vel סודר, *palliolum.*

21. *Meretrix*] קדשה quæ vox ambigua eſt ad *ſanctificare* & *preparare.* Unde Jer. 6. קדשו מלחמה, *ſanctificate bellum*, h. e. *præparate.* Sic meretricem vocant קדשה, quod præparata ſit ad proſtitutionem.

23. *Ne ſimus in contemptum*] h. e. Ne res iſta quam feci, & quæ turpis eſt, publicetur, & nobis vitio detur.

25. *Ego concepi*] Hebraice legitur, *ego gravida.* Eſt enim hic הרה nomen *toar*, ut Hebræi adjectivum vocant, & non verbum.

28. *Coccinum*] Eſt שני idem quod חוט צבוע כאדום, *filum coloratum rubedine.* Et quod ſequitur, *Egreſſus eſt*] noſtri vertunt, *egredietur*, cum Hebraicus contextus habeat, *egreſſus eſt*, ad manum ſcilicet porrectam reſpiciens.

29. *Quare diviſiſti ſuper te diviſionem?*] Vocat *diviſionem* membranulam qua fœtus includitur, quam *ſecundas* vocant. R. S. poſt Chaldæum interpretem ſic exponit, *Cur roboraſti ſuper te robur?* ut ſcilicet exeundo illum anteverteres. Sapiens Abraham ſic interpretatur, *Quomodo interrupiſti ſuper te maceriam?*

FAGIUS.

5. ERat in Cheſib, &c.] Cheſib urbs eſt Palæſtinæ, cui ab eventu, quod ibi uxor Iehudah parere ceſſavit, nomen inditum, quidam ſentiunt. Unde quidam vocem בכזיב verbaliter exponunt, hoc modo, *Et factum eſt, cum mentiretur*, ſeu *falleret, partus*, h. e. cum ceſſaret parere. כזב enim *mentiri* & *fallere* ſignificat. *Mentiri* autem & *fallere* partus dicitur, cum ceſſat, & non amplius parit mulier. Et hanc lectionem ſequitur Latina Vulgata editio. Alii ſic legunt, *Et fuit in fallendo dum ipſa pareret eum:* h. e. Parum abfuiſſet ut partus feſelliſſet, aut periclitata eſſet mater in partu ejus; Es hette ſchier gefehlt an der geburt. Mentiebatur enim puer, aut fallebat, i. non conſueto more venit, ſed obliquo, quod valde periculoſum eſt. Verba Hebraica כזב & שלה nonnihil alludunt ad iſtam ſententiam, quæ, ut dixi, *mentiri* & *fallere* ſignificant. Verum ſententia Hebræorum, qui *Cheſib* pro nomine proprio loci accipiunt, verior & ſimplicior eſſe videtur; cui & LXX. ſua verſione adſtipulantur

6. *Sociare illi*] Vel, *duc eam in uxorem.* Ita circumloqui oportet verbum יבם, cum non habeamus unum & proprium verbum quod illi reſpondeat: ſignificat enim proprie *defuncti fratris, & nullum poſt ſe ſemen relinquentis, relictam viduam in uxorem ducere.*

9. *Quod non ſuo nomine vocaretur ſemen*] i. Sciebat filios quos procreaturus eſſet non ſibi ſed fratri ſuo accenſendos, & ex illius nomine vocandos eſſe. ¶ *Viam ſuam corrumperet*] *Viam* vocat ſeminis effuſionem, qui ex actu Venereo elicitur. Quod, quia, invidens fratri poſteritatem, in terram maligne profudit, corrupiſſe dicitur.

12. *Qui consolatione accepta*] Sensus est, Cum finem haberent dies luctus quibus obitum uxoris luxerat, atque rursum inciperet esse animo lætiori. Hæc ideo etiam commemorantur, ne quis, dum audit concubitum cum Thamar, Iehudah adulterum esse existimet.

14. *In divisione fontium*] i. *In divisione viarum*, sive *in bivio* quod erat prope fontes qui erant in isto loco. A. E. sentit, *Enaim*, vel *Aienin*, ut Paraphrastes transtulit, esse nomen loci à duobus fontibus, qui ibi erant, ita denominati. R. S. exponit בפרשת דרכים, i. *in divisione viarum*, sive *in bivio*. Quem sensum sequitur Vulgata editio, quæ legit, *In bivio itineris*. Alii legunt, *in loco publico*, sive *in propatulo*, ubi erat frequens ultro citroque euntium transitus. D. Hieronymus in Quæstionibus suis Hebraicis super hunc locum ita scribit, *Sermo Hebraicus* עינים Enaiim *transfertur* in oculos. *Non est igitur nomen loci: sed est sensus*, Sedit in bivio, *sive* in compito, *ubi diligentius debet viator aspicere quod iter gradiendi capiat.* Diversam hanc lectionem peperit ambiguitas vocis Hebraicæ *Enaiim*, Chaldaice *Aienin*, quæ vel *fontes* vel *oculos* significare potest: Vel potest esse nomen loci vel à fontibus vel à multarum viarum concursu, vel à publica hominum frequentia, quæ ibi erat, appellati.

18. *Pallium tuum*] Vocem שושפך alii *sudarium*, alii *vestem*, alii *pallium* exponunt. R. D. K. pro *capitis linteo* & *palliolo* accipit. Eligat ex his lector quod sibi magis congruere videtur.

23. *Accipiat sibi*, &c.] Vult dicere, Auferat & retineat sibi quæ illi pignoris loco dedimus, ne scilicet ulteriori scrutatione res ista quam feci, & quæ turpis est, publicetur, simulque contemptui.

24. *Ut comburatur*] Tenent Hebræi Thamar filiam fuisse Schem Sacerdotis, quem tum sacris ac divinis præfuisse referunt; ideoque productam ut ignis supplicium ferret. Ita enim postea in Lege præceptum fuit, ut filia sacerdotis scortans igne puniretur.

I D E M.

5. והיה בכזיב בלדתה, *Et fuit in Chesib cum illa hunc pareret.*] Variatio est in voce כזיב, quam alii verbaliter pro *fallere*, *mentiri* & *cessare* exponunt, quos sequitur Lat. Vulg. interpres; alii vero nominaliter pro nomine proprio loci & urbis quæ fuit in Palæstina, ut omnes Hebræorum commentatores, quos secuti sunt Lxx. R. Salomo tamen putat huic loco impositum nomen כזיב, quod ibi parere cessaverit: quam sententiam habet Vulg. ed. Latina. Quidam ex nostris sic legunt, *Nam fuit in fallendo dum ipsa pareret eum*, h. e. parum abfuisset ut partus fefellisset, &c. Vide supra. Lxx. discrepant à veritate Hebraica, quod verbum masculinum והיה *Et fuit*, scilicet Jehuda, &c. feminine reddiderunt, *Hæc autem erat*, &c. Dein quod pronomen relativum singularis numeri אתו pluraliter extulerunt, *eos*.

14. ותשב בפתח עינים אשר על דרך תמנתה, *Et sedit in publico loco, qui est juxta iter quod ducit in Thimnath.*] Variatur circa illa בפתח עינים, quod quidam pro nomine proprio loci accipiunt, alii vero appellative exponunt. Qui nomen proprium esse putant, sic legunt, *In porta Enaim*; quam lectionem Lxx habent, & quam etiam Aben Ezra Hebræus commentator approbat, qui scribit עינים esse שם מקום, *nomen loci, quod à duobus fontibus qui ibi fuerunt, quique portarum similitudinem habuerunt, nomen accepit.* Onkelos Chaldæus vertit, *in divisione fontium*. Nam עין Hebræis & *fontem* & *oculum* significat, cujus dualis numerus est עינים. R. Salomo exponit בפרשת דרכים, *in divisione viarum*; quam sententiam secutus est Vulg. interpres Latinus. Hebræa ad verbum sonant, *in ostio oculorum*: per *ostium* autem Hebræi principium, introitum & ingressum alicujus rei intelligunt; per *oculos* vero, quod patet & publicum est. Est ergo sensus, *in ostio oculorum*, i. ut R. D. Kimhi exponit, *in loco publico*, seu *in propatulo*, *ubi scilicet frequens erat ultro citroque euntium transitus.* Consedit, inquam, in ostio, sive in ingressu qui respiciebat publicam viam quæ in Thimnath ducebat. Verba Kimhi Hebraica sunt hæc, בפתח שהוא גלוי ובפרהסיא שהיו שבים עינים לעינים דרך שם כמו שאמר על דרך. Quia vero vox Hebræa עינים alicubi & pro eo *qui viam monstrat & alicui dux est* accipitur, ut Num. 10. *dicebat Moses ad socerum suum, Ne quæso derelinquas nos: tu enim nosti mansiones nostras in deserto, & fuisti nobis pro oculis*, i. *ductor & monstrator viæ*, ut habet Vulg. editio; nequaquam absurdum & alienum erit עינים pro Mercuriali statua, vel tali aliquo signo quod viam monstrabat, accipere: quæ fere in locis ubi multæ viæ concurrunt poni solent: ut ibi consederit Thamar. Hieronymum vide supra.

18. חתמך ופתילך ומטך אשר בידך *Annulum tuum, amictum tuum, & baculum tuum, qui est in manu tua.*] Variatur in vocabulo פתיל, quod Lxx. & Lat. Vulg. editio pro *armilla* acceperunt, quod est humerorum ornamentum. Nam ὦμος Græcis *humerus* est, unde diminutivum ὠμίσκος. Rectius ergo fortassis *hormilla* quam *armilla* diceretur. Sed sic fere immutari solent literæ in dictionibus quæ ex Græcis Latinæ fiunt. Paraph. Chaldæus שושפך vertit, quod autor Complutensis editionis *sudarium* transfert, R. Salomo *vestem qua se tegebat* exponit. R. D. K. in lib. Radicum, pro *linteo capitis & palliolo* accipit. Et citat locos Scripturæ ubi in hac significatione usurpatur. Est autem פתיל nomen deductum a פתל quod *conjungere* & *ligare* significat. Judæi vulgo beis gewant exponunt. Quidam ex nostris *fasciam* esse dicunt.

V A T A B L U S.

1. FUit autem, &c. ויהי בעת ההיא וירד] Ad verb. *Et fuit in tempore ipso, & descendit.* Alii vertunt, *Evenit autem sub id tempus.* Dicunt enim Hebræi id accidisse ante venditionem Joseph. *Descendisse* dicit, quod declinaverit versus plagam Meridionalem.

2. *Illic*, שם] Nempe apud civem illum Odollamitem, vel in urbe Odollam. ¶ *Chananæi*, כנעני] Chald. Paraph. *mercatoris*. ¶ *Ingressus est ad ipsam*: ויבא אליה] Hebraismus, *rem habuit cum ipsa*.

3. *Vocavitque*, ויקרא] sub. *Judas*.

4. *Vocavitque*, ותקרא] Sub. *ipsa*, aut *obstetrix*; sic seq. v.

5. *Addidit*, &c. ותסף עוד וגו'] Ad verb. *Et addidit adhuc, & peperit, & vocavit nomen ejus.* ¶ *Et erat in Chezib*, והיה בכזיב] *& erat* [sub. *ipse Juda*] *in Chezib*. Urbs est Palæstinæ.

7. *Malus in oculis Jehovæ*: רע בעיני יהוה] Hebraismus, *fuit insigniter malus*. *Malitia ejus nota erat Domino.* Non quod interim obscura esset hominibus ejus improbitas: sed intelligit Moses, non tantum laborasse eum communibus vitiis, quin potius ita sceleribus fuisse deditum ut non fuerit tolerabilis coram Domino.

8. *Et affinitatem contrahe cum ea*, ויבם אתה] *Et accipe eam in uxorem.* vel, *sociare illi*. ¶ *Et suscita semen fratri tuo.* והקם זרע לאחיך] Hebraismus, *& procrea liberos qui censebuntur filii fratris tui*.

9. *Quod non suum*, &c. כי לא לו וגו'] Chald. paraph. *Quod non nomine suo vocaretur semen*. i. Filii quos procreaturus erat ex ea uxore. ¶ *Corrumpebat* semen *super terram*, ושחת ארצה] *Perdebat* semen projiciendo illud *in terram*. ¶ *Ne poneret*, &c. לבלתי וגו'] *ne daret*, &c. Chald. paraph. *Ut non suscitaret semen fratri suo*. i. Ne procrearet filios qui vocarentur de nomine fratris sui defuncti.

10. *Faciebat*: עשה] Præt. Heb. vertendum per imperf. *faciebat*, sive *facere solebat*.

11. *Mane* שבי] *Habita*. ¶ *Dixit* אמר] Præt. Heb. vertendum per imperf. *Dicebat*, sub. *apud se* i. Cogitabat se non daturum, ne forte, &c.

12. *Cumque multi dies*, &c. וירבו הימים וגו'] Ad verb. *Et multiplicati sunt dies, & mortua est*, &c. Hebraismus. *Evolutis autem multis annis, mortua est*, &c. *Elapso multo tempore*, sive *Post multos annos*. ¶ *Qui consolatione accepta*, וינחם יהודה ויעל] Ad verb. *& consolationem accepit Jehudah, & ascendit.* i. Deposito luctu, sive elapso tempore luctus. Luxit enim eam Judas pro more patriæ. ¶ *Amicus ejus*, רעהו] Qui vertunt, *opilio ejus*, legisse videntur, רעהו. Chald. paraph. *socius ejus*.

14. *Velamine*: בצעיף] *Velo*, *theristro*. Vide supra 24. 65. ¶ *Celavitque sese*, ותתעלף] *abscondit que sese*. *Abdidit faciem suam velo illo*, ne facile cognosceretur a socero suo. Lxx. *ornavit sese*. Ita & Chald. paraph. ¶ *In ostio Enaim*, בפתח עינים] *In Pethah-enaim*]. Nomen loci. Varie hunc locum exponunt interpretes. Ad verbum est, *in ostio fontium*, vel *oculorum*. Quidam putant fuisse fontem in duos rivos diductum. Alii *propatulum* notari existimant, in quo se oculorum intuitus huc illuc varie diffundit. Receptior est tertia expositio, vocari *bivium* hac locutione: quia tunc janua aperitur oculis, ut in duas partes exeant, quos una via in se continet. In hanc sententiam & Chald. paraph. vertit, *in divisione oculorum*. Quod in bivio fere dividatur aspectus noster. Probabile est locum fuisse unde conspici posset Thamar, cui tamen propinquus esset

esset recessus ad quem posset divertere Judas, ne in via pubica & celebri sub omnium oculis scortaretur.

15. *Esse meretricem:* לזונה] Ad verb. *in meretricem*, i. eam esse scortum suspicatus est. ❡ *Operuerat* כסתה] Præt. Heb. vertendum per imperf. *tegebat*. Hinc colligimus tunc non fuisse tam effrænem scortandi licentiam quam hodie grassatur.

16. *Ad eam è via:* אליה אל הדרך] *Ad eam in viam*, i. In viam quæ ducebat ad illam. h. e. relicto itinere recto, divertit ad eam. ❡ *Age* הבה] Vide c. 11. 3.

17. *De pecudibus.* מן הצאן] *è grege*.

18. *Quod* est *pignus*, &c. מה הערבון וגו] *Quod pignus vis tibi dari à me?* q. d. Quid vis habere pro pignore? ❡ *Sigillum tuum*, &c. חותמך ופתילך] *annulus tuus*, *& cidaris tua* i. tegmen capitis tui. Ita doctus inter Hebræos. Chald. paraph. *Annulus tuus & vestis tua*. Vertere potes in accusativo, *annulum*, *& vestem*: ut subaudias, *dabis mihi*. ❡ *Et virga tua*, &c. ומטך וגו] *& scipio quem manus gestat*.

22. *Et etiam* וגם] *præterea*.

23. *Accipiat sibi*; תקח לה] *Habeat sibi*, sub. *pignus illud*. Quidam ita accipiunt quasi excuset Judas se præstitisse datam fidem: quod doctioribus non probatur: sed potius his verbis Judas significat, se malle annulum perdere quam longius spargendo rem, materiam præbere vulgi sermonibus; quod levior sit pecuniæ quam famæ jactura.

26. *Idcirco* enim hoc fecit, כי על כן] Dictiones inversæ Hebræis pro על כן כי *propterea quod*.

27. *Ecce gemini* והנה תאומים] habebat enim gemellos. Per parenthesim hæc ponuntur.

28. *Dedit* ויתן] sub. *alter filiorum*.

29. *Dixitque* ותאמר] sub. *mater*, vel *obstetrix*. ❡ *Perrupisti? super*, &c. מה פרצת עליך וגו] *perrupisti* [sub. *secundinas*?] *tibi imputabitur* ista *perruptio*. Alii, *rupisti? super te ruptura*. sub. *maneat*: ut sit velut imprecatio. Alii, *Quare rupisti super te rupturam?* i. Cur membranam qua operiebaris rupisti, ut prodires ante fratrem tuum? Alii eodem sensu, *Cur rupisti super te interstitium?* Miratur enim obstetrix quomodo perrupto interstitio Phares prior egressus fuerit. Nam frater ipsum prægressus, instar muri intermedii oppositus erat. Quidam Hebræorum vertunt, *Cur roborasti tibi robur?* Chald. paraph. *Quam magna fortitudo fuit tibi ut prævaleres?* ❡ *Et vocavit* ויקרא] sub. *pater ejus*, aut *is qui nomen indidit illi*.

C A S T A L I O.

23. NE *hoc nobis probro sit*] Si amplius eam quæreremus, resciscetur hoc, & nobis probro erit scortatum esse me.

C L A R I U S.

2. VOcabulo *Sua*] Nomen est illius viri, non mulieris.

8. *Et sociare illi*] h. e. Duc eam in uxorem. Habent Hebræi hic verbum cui in Latina lingua nullum respondet vocabulum. Nam significat *defuncti fratris*, *& nullum post se semen relinquentis*, *ducere uxorem*.

14. *Assumpsit theristrum*] Alius sic vertit hunc locum, *Operuit se peplo*, *atque involvit*, *& sedit in publico loco*, &c.

17. *Arrabonem*] Est *arrabo* vox Hebraica: sed quidam Hebræi *Erabon* legunt.

18. *Armillam*] Alii interpretantur, *amictum*, *fasciam*, *linteum*, *capitale*, *palliolum*.

23. *Ne forte simus in contemptum*] h. e. Ne res ista quam feci, & quæ turpis est, publicetur.

24. *Et videtur uterus illius intumescere*] Heb. *& concepit per fornicationes*.

28. *Iste egredietur prior*] Heb. *egressus est*. Nam respexit ad manum porrectam.

29. *Quare divisa est propter te maceria?*] Hebr. *Quare divisisti super te divisionem?* Vocat *divisionem* membranulam qua fœtus includitur, quam *secundas* vocant. Chaldæus interpres sic exponit, *Cur roborasti super te robur*, ut scilicet exeundo illum anteverteres.

D R U S I U S.

26. JUsta *est quam ego*] Quomodo justa, quæ se adulterio temeraverat? Non dicit, *justa* simpliciter, sed, *justa quam ego*: & est sensus, Magis quam ego, h. e. justior me. Comparatione igitur justa erat, ut aqua maris Pontici dulcis. Nam non est tam amara quam aqua cæterorum marium. Quidam hoc de Caspio mari scribunt. Sic Habacuc Propheta de Judæis loquens in Babyloniam deportatis, vocat ipsos populum *justiorem* Chaldæis, qui eos deportaverant. Sane qui hoc modo justus est, etiam improbus est, & non nisi ad alium comparatus justus. Ideo quidam enarrant, *justior me*, minus culpabilis, sicut *odiosa* dicitur quæ mulier minus amata.

27. *Tempore partus ejus*] לדתה infinitivum esse docet gerundium ללדת *ad pariendum*. Nam *partus* לדה dicitur. Verbum igitur è verbo, *in tempore parere ipsius*. Sæpe hoc modo infinitivus transit in naturam nominis, דעת *scire*, i. *scientia*. Quale illud poetæ Latini.

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Sic בינה *intelligere*, h.e. *intelligentia*, Job. 34. 16. *Cogitare meum haudquaquam transgreditur os meum*, Psal. 17. 3. cogitatio mea. Cicero 2. de Finib. *Videamus Beate vivere vestrum quale sit*. Plautus, *tuum amare*, i. tuas amationes. Sic Græci τὸ ἐρᾷν pro ἔρως. Idem Plautus Bacchidibus, *Hic vereri perdidit*, τὸ αἰδεῖσθαι, i. τὴν αἰδῶ, *pudorem*, *verecundiam*. Lucretius, *Meminisse jacet*, i. memoria. Hæc si levia putas, scias nihil leve in argumento tam gravi esse.

I D E M.

5. ותקרא את־שמו שלה והיה בכזיב בלדתה אתו. A. *Et vocavit nomen ejus Selo. Et factum est ut mentiretur in partu postquam genuit eam.*] Hieron. in Quæst. *Et adjecit & peperit filium, & vocavit nomen ejus Sela: Hæc autem erat in Chazbi, quando peperit eum*] *Verbum Ebræum hic pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens, Et vocavit nomen ejus Selom: & factum est ut mentiretur in partu postquam genuit eum*] *Postquam enim genuit Selom, stetit partus ejus. Chazbi ergo non nomen loci, sed Mendacium dicitur. Unde & in alio loco scriptum est, Mentietur opus olivæ*] *Fructum olivæ non faciet*. Ut mentiretur in partu, hoc est, ut non amplius pareret. ❡ *Selo*] Antiqua Scriptura, ut *Attho*, ut *Lecho*, ut *Odom*. Vulgo apud Hieron. *Selom*, & in Lxx. Σηλώμ. Quale mendum est in *Siloam*, & similibus. Nam quin mendum sit culpa exscriptorum admissum, nullus dubito. ❡ *Ut mentiretur in partu*] Ut non amplius pareret. Sic fere Jonathan Uzielides & Thargum Jerosf. R. Salomo, כזיב *est nomen loci, quem ego dico sic vocatum eo quod cessasset sive desiisset parere. Quo sensu legimus Jer. 15. Eris sicut Achzab: & alibi, Cujus aqua non sunt mentita*. Hæc Hebræus ille. כזב antiqua lectione est *Chazib*; quod literis transpositis Lxx. *Chazbi* scribunt. Thema, כזב, *mentior*, *cesso*, *desino*. ❡ *Ut mentiretur*] Videtur legisse בכזבו, h. e. Vau pro Jod, quod tamen magis designat cum mentiretur, verbum è verbo, *in mentiendo*. Aut sensus est, *erat in mentiendo*, vel, si mavis, *in mendacio*. i. Desinebat parere, postquam peperisset ipsa eum. כזיב mendacium idem videlicet quod כזב. Sed potius ut sit nomen loci: certe allusio est ad nomen à *mendacio* sic dictum. ❡ *Cum peperisset*] Vel, *postquam peperit ipsa*. Hieron. maluit, *postquam genuit*, quod ideo rejeci quia hic de fœmina sermo est; tum etiam quia verbum Ebræum proprie sign. *pario*. Nam gigno, i. הוליד, parere facio. Sic dico, parit mulier, gignit vir, proprie loquendo. Sed confundi scias.

14. צעיף. Schol. σπαθαρίσκον] Prius erat θέριστρον, quod nomen legitur & Gen. 24. Hiero. in Quæst. *Theristrum*, *pallium dicitur: genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres provinciæ illius velantur*. Appellatur quoque θερίστριον. Suidas sive Sudas, Θέριστρον ἢ θερίστριον, λεπτὸν ἱμάτιον. Et θέριστρον. Hesychius, Θέριστρον, λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον· nisi legendum θέριστρον. Rursum Hieron. in Esaiam, Θέριστρα, inquit, *nos possumus appellare palliola*, *quibus obvoluta est Rebecca, ut hodie quoque Arabia & Mesopotamia operiuntur fœmina: ab eo quod ἐν θέρει, i. in æstate, & caumate, corpora protegant fœminarum*. Satis de Theristro. *Spatharifcon* quid sit fateor me ignorare. An flabellum è palmulis factum, aut simile spathæ? Reperio *Spathalion* pro muliebri ornamento, quod brachio inserebant armillæ seu brachialis loco. Vocem Ebræam צעיף Onkelos interpretatur רדידא, Jonathan רדידא. Quod nomen obvium Cant. 5. 7. ad quem locum Abenezra, רדיד *Arabice* צעיף. Sunt qui *peplum*, sunt qui *velamen* reddunt.

18. חתמך ופתילך A. τὴν σφραγῖδά σου, καὶ στρεπτόν σου, *sigillum tuum*, *& torquem tuum*] ❡ Σφραγῖδά σου] Antea τὸν δακτύλιόν σου, *annulum tuum*. Annulus magis טבעת dicitur: חותם vero est *signum* proprie sive *sigillum*, quod Græci σφραγῖδα nuncupant. Sic dico, חותם est *annulus signatorius*,

rius, vel, si mavis, *sigillatorius*; qui fere in dextra gestabatur. ¶ Στρεπτὸν σε] Dicunt etiam στρεπτὸς, & plenius στρεπτὸς ὁρμίσκος, pro quo in Græca vetere nunc est ὁρμίσκος, *monile*, & in Latina, *armilla*. Schol. Ἄλλος φησὶ τὸν ὁρμίσκον, ὠράριον. ὁ δὲ ἅγιος Κύριλλος, κοσμήματι τῷ περὶ τὴν δέῤῥιν, ἔθει Χαλδαϊκῷ κοσμουμένου τοῦ Ἰούδα, χρυσῷ γὰρ ὄντι καὶ χεῖρας καὶ δέῤῥιν καταλαμπρύνουσι, καὶ αὐτὴν τὴν τρίχα στεφανοῦσιν ἔσθ' ὅτε, &c. Quæ sic versa inveniuntur in Latina edit. Rom. *Aliud scholion τὸν ὁρμίσκον dixit Orarium. S. autem Cyrillus, ornamento quo δέῤῥις (i. pellis, aut vestimentum è pilis confectum) circumdatur, ex consuetudine Chaldaica ornato Iuda. Auro enim hi & manus & δέῤῥιν splendidam faciunt, & ipsum etiam capillum coronant interdum.* Cæterum פתיל Ebræi fere *pallium* interpretantur cum Onkelo interprete Chaldæo. Unus Ionathan *vittam* reddit hoc loco, ut Lxx. κλῶσμα, Num. 15. 38. & σίρμα, *filum*, Iud. 16. 19. ¶ מטך Sym. ἐγχειρίδιον] i. *pugionem*. Vel verte, τὴν ῥάβδον τὴν ἐν τῇ χειρί σου, *baculum quem manu tenes*. Lexicon vetus, Ἐγχειρίδιον; *manualium*. Hesychii, Ἐγχειρίδια, σπάθη, καὶ ὄργανα σκεύων, ἤγουν δόρατα, καὶ τὰ ἐν χειρί. Hinc etiam libellus quem manu portamus *Enchiridion* appellatur.

21. הקדשה. A. ἡ ἐνδιηλλαγμένη. ¶ לא היתה בזה קדשה: Idem, Οὐκ ἦν ἐν τούτῳ ἐνδιηλλαγμένη, *Non erat in hoc loco scortum*] Scortum ita dictum à *mutato habitu*. Hos. 4. 14. עם הקדשות. A. μετὰ τῶν ἐνηλλαγμένων. Sym. ἑταιρίδων. Hieron. De 42. mansionib. mansione 33. קדשה *scortum*, *cujus habitus à cæteris fæminis mutatus est*. Vide Frag. in Hoseam.

23. נהיה לבוז. A. & Sym. γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν, *nihili simus*, aut *vilipendamur*.

25. אל חמיה. Schol. πρὸς τὸν κύριον αὐτῆς, *ad dominum suum*] Prius erat, πρὸς τὸν πενθερὸν αὐτῆς, *ad socerum suum*. Melius.

29. מה פרצת עליך פרץ. A. τί διέκοψας ἐπὶ σὲ διακοπήν;] Διακόπτω, *disseco, discindo, interrumpo, dirimo, perrumpo*. Διακοπὴ, *intercisio, diremptio*. Schol. ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος, Τί διεκόπη ἐπὶ σὲ διακοπή; *Quid divisa est super te divisio? Aquila, Quid divisisti super te divisionem?* Hæc ita habentur in editione Romana Latina. Aliud scholion, ἄλλος. τί διεπλώσας καθ' ἡμῶν ἅπλωμα; Hic agnosco, פרש *expando, explico, extendo*. Quod Græci dicunt ἁπλόω, unde ἅπλωμα, *extensio* sive *expansio*. Hieron. in Quæst. *Pro Maceria, Divisionem Aquila & Symmachus transtulerunt, quod Ebraice dicitur* פרץ. *Ab eo igitur quod diviserit membranulam secundinarum, Divisionis nomen accepit. Unde & Pharisæi, qui se quasi justos à populo separaverant, Divisi appellabantur.* Cum venia, Hieronyme, Pharisæi vocantur פרושים non פרוצים. Sic dico, Phares ultimam habet S, sade: unde פריצים latrones. Pharisæi à separando dicti, quod est פרש ultima S, Sin. Syri eos vocant פרישא. In Fragmentis quæ juvenis collegi. ¶ פרץ. A. & Sym. διακοπὴν καὶ διαίρεσιν] Si divinare licet, A. transtulit διακοπὴν, & Sym. διαίρεσιν, *divisionem*. ¶ *Expandisti*] διέπλωσας, tanquam à διαπλόω, quod idem cum ἁπλόω, *expando*, unde mox ἅπλωμα, *expansio*. In edit. Rom. *trajecisti*, παρὰ τὸ διαπλόω, i. διαπλέω, *trajicio*: unde διάπλοος, & contracte διάπλους, *trajectus* sive *trajectio*. ¶ *Expansio*] *i. ut opinor, membranulam secundinarum.* Verba sunt non mea, sed ejus qui notas composuit ad edit. Roman. Latinam.

NOTÆ MAJORES.

1. *Fuit autem illo tempore, ut Iudas descenderet à fratribus suis, & declinaret ad virum Odollamiten, cui nomen erat Hira.*

2. *Viditque ibi Iuda filiam viri Chananæi, cui nomen Sue, & accepit eam, ingressusque est ad eam.*

Illo tempore] ante venditum Joseph. Quidam existimant hæc gesta esse cum Jacob adhuc in Sichem commoraretur. Nam post venditum Joseph, ut hæc evenisse dicamus, non permittit ratio temporis. Qua de re alii prolixe disputarunt, & inter eos Augustinus, cujus verba habentur in Glossa ordinaria. Videndus quoque Abenezra. Sed & Mercerus. Nam Augustinus quæstionem proponit, non solvit. ¶ *Ut descenderet*] descendendi verbo utuntur interpretes omnes quos vidi, etiam Græci & Chaldæi. Solent autem sacræ Litteræ id verbum usurpare, quando motum innuunt de loco superiore in inferiorem, ut credibile sit fratres tunc fuisse in monte aliquo, aut in loco alio editiore, nisi verius quod in Abenezra, *Qui ab Aquilone*, inquit, *meridiem versus proficiscitur, descendere dicitur: & scrutatores rerum naturalium sciunt hoc verum esse.* ¶ *Declinaret*] deflecteret, diverteret. Lxx. ἀφίκετο. Hieron. *divertit*. Onk. & Jon. ואתפני, quod Fagius interpretatur, *& diverteret*. ¶ *Ad virum*] עד איש usque ad virum. Sed novum non est, ut עד pro אל ponatur. Ideo converti simpliciter cum Hier. *ad virum*. Lxx. ἕως πρὸς ἄνθρωπόν τινα: usque ad hominem quendam. Jonathan, לות גברא ad virum. Trem. *ad quendam*. Gallica editio, *vers un homme*. עד pro אל sumitur & Joel 2. 12. item Nah. 4. 10. Simul leguntur hæ particulæ 2 Reg. 9. ויבא עד אליהם *venit usque ad eos*. ¶ *Odollamiten*] vel, *Adullamitam*. Hoc recepta consuetudine: illud antiqua lectum. Receptam consuetudinem voco lectionem quæ nunc obtinet in codicibus Ebræorum, quæ certe etiam antiqua est, & fortasse antiquior illa altera. Onkelos & Jonathan עדלמאה Adullamæum vel Adullamitam. Est autem gentile ab עדלם urbe ejus nominis, quæ veteribus *Odollam*: unde ὀδολλαμίτης, Odollamites. ¶ *Hira*] vel, *Hiras*. חירה Hiras, ut יהודה Judas. Quod Græci leniter scribunt Εἰρας, *Iras*. ¶ *Viri Chananæi*] איש כנעני Lxx. ἀνθρώπου χαναναίου. Hier. *hominis Chananæi*. Sic etiam interpretes nuperi, Santes, Trem. Munsterus, Galli. Unus Leo Judæ habet, *cujusdam negotiatoris*. Nam כנען & כנעני *negotiator*. Sic interpretantur Onkelos, Ionathan, Hiscuni & R. Levi, qui *mercatorem* סוחר vocat. Chaldæi תגר & תגרא dicunt. Ceterum Chananæus pro mercatore ponitur, ut Arabs pro latrone. Nam quia mare vicinum habebant Chananæi, ideo mercaturæ potissimum dediti erant. Abenezra scribit posse intelligi ut sonat. Hiscuni mavult de *negotiatore* accipere, quia fœminæ Chananææ malæ erant in oculis Patriarcharum. Verba Nicolai ad hunc locum digna legi, *Pro hominis Chananæi, Ebræi dicunt hominis mercatoris. Dictio enim Ebraica, quæ hic ponitur, æquivoca est ad significandum aliquem descendentem de stirpe Cham* (Chanaan forte) *& hunc sensum sequitur translatio nostra; & ad sign. mercatorem, & hunc sensum sequuntur Ebræi* (plerique non omnes) *unde & Proverb. 31. ubi translatio nostra habet, cingulum tradidi Chananæo, Ebræi dicunt mercatori.* ¶ *Cui nomen erat Sue*] vel, *Sua*. *Sue est in antiquis.* Hier. Nam quæ Plantinus excudit, *Sua* legunt. Sua, Sue, ut Thara, Thare. Græci habent σαυά, quod leges Saua, non Sava. Sua, Saua, ut Us, Aus, Nun, Naun, unde Nave. Sic Ulam, Aulam. Quod in αἰλὰμ corruptum. Ceterum in verbis Latinis ambiguitas est. Quippe pronomen *cui* tam potest referri ad filiam, quam ad patrem. Eam tollunt codices Græci, sed perperam. Nam pro ᾗ ὄνομα debuissent scribere ᾧ ὄνομα. Res est non conjectura. Sua nomen viri esse etiam Nicolaus docet per hæc verba, *Sue non est nomen uxoris Iudæ, ut aliqui credunt & male, sicut melius patet in Ebræo: sed est nomen patris illius uxoris, ut magis infra patebit.* Vide notata ad vers. 12. ¶ *Accepit eam*] duxit eam. Ionathan habet, *Proselytam eam fecit*. Potest ita esse, tamen verbum Ebræum hoc non significat.

3. *Quæ concepit & peperit filium, vocavitque nomen ejus Er.*

4. *Concepitque adhuc & peperit filium, & vocavit nomen ejus Onan.*

5. *Et addidit adhuc & peperit filium, vocavitque nomen ejus Sela: & erat in Chezib, cum ipsa pareret eum.*

Concepit] *gravida facta est*, Ionathan. ¶ *Vocavitque*] Iudas. Nam verbum, quod in Ebræo, masculinum est. ¶ *Er*] ἤρ. Male in libris *Her*, & apud Severum, *Heth*. Quidam scribunt *Ger*, Ain per γ exprimentes. ¶ *Et vocavit nomen ejus Onan*] Hic est ותקרא verbum fœmininum. Vocavit ergo mater. Nam etiam matres nomina filiis imponebant. Prius erat ויקרא, ubi tamen Ionathan וקרת nisi mendum est pro וקרא. Quomodo sane Onkelos edidit. ¶ *Onan*] אונן. Lxx. αὐνάν. Onan, Annan: ut Hose, Hause. Sic in Latio, *Orum & aurum, olla & aula*: unde Aulularia Plauti. Vide Quæstiones meas. ¶ *Vocavitque nomen ejus Sela*] Et hic est verbum fœmininum in fonte ותקרא ut etiam in utroque Thargum וקרת. Cave igitur de Iuda intelligas. Hinc refutabis eos, qui putant jus imponendi nomina penes solum patrem fuisse. Quod & alibi notavimus. ¶ *Sela*] שלה i. Sela vel Selam, si libet inflectere more Latino, Sela, Selæ, Selam. Græci habent σηλώμ, Selom. Puto initio scriptum fuisse σηλώ, & μ additum à scribis. Ut in σαλωμὼμ, νεφθαλείμ, & similibus, quæ apud Hebræos absque Mem scribuntur. שלה Selo, ut לכה Lecho, אתה Attho. *Selom* legitur etiam in Hier. loco quem ex Aquila laudat. Eum mox producam. Severus habet *Selan* pro *Sela*. Quale mendum esse diximus in Nephthalim. Nam quin mendum sit culpa exscriptorum admissum, nullus dubito. ¶ *Et erat in Chezib, quum pareret eum*] Mens horum verborum, *Iudas erat in loco Chezib dicto, quum uxor pareret Selam.* Hunc locum Lxx. χασβί vocant, i. כזב litteris inversis, Chazbi. Hier. *quo nato parere ultra cessavit.* Hiscuni, *Et erat in Chezib, quia ibi*

desiit

desiit concipere. Idem citat ex Thargum Jerosolymitano, *& erat* בפסקת, cùm in libris hodie sit בפסקא in Phasca, ut in Ionatha בפסקת in Phascath, in quibus significatio cessandi. Nam פסק cessavit, desiit. Notabis autem in Ebræo esse והיה verbum masculinum, quod penitus destruit interpretationem illam, *erat in mendacio*, hoc est mentiebatur in partu. Nam cùm masc. sit, non potest referri ad uxorem Iudæ. Rectius ergo ut dicamus כזיב nomen loci esse: quod roborant autoritate sua Lxx. Onkelos, Abenezra & R. Levi. Sed & Hiscuni, *Quia Iudas erat in Chezib, ideo uxor vocavit nomen ejus Sela. Nam si Iudas adfuisset eo tempore quo pariebat, ipse nomen filio dedisset.* Ceterum בפסקת etiam legitur in Genesi magno.

6. Accepit autem Iudas uxorem Er primogenito suo, nomine Thamar.

7. Fuitque Er primogenitus Iudæ malus in oculis DOMINI: itaque morte affecit eum DOMINUS.

Accepit] acceptum dedit, ut alibi, *accepit dona in hominibus, accepta distribuit.* Hoc modo conciliabis Lxx. cum Hier. Nam in illis ἔλαβεν, & in hoc, *dedit.* ❡ *Thamar*] Θαμάρ. id *palmam* sonat: unde apud Philonem, *Thamar, palma.* Erat & urbs in Syria ejus nominis, quæ Ptolemæo Παλμύρα i. Palmyra. Dicitur & *Thadmor*, inserta littera Daleth. ❡ *Malus in oculis DOMINI*] Idem cum illo, *malus coram DOMINO.* Quod ediderunt Onk. & Ionathan. Lxx. quoque habent, πονηρὸς ἐναντίον κυρίου. Hier. *nequam in conspectu DOMINI.* Quidam explicant, *displicuit DOMINO.* Sed insigniter improbum fuisse arguit illud, *coram DOMINO.* Quomodo sane Sodomitæ dicuntur *peccatores coram DOMINO.* Ionathan addit, *quia non dedit semen suum uxori suæ.* Videndus & Lyra. ❡ *Morte affecit*] occidit, ἀπέκτεινεν.

8. Et dixit Juda Onani, Ingredere ad uxorem fratris tui, & jure propinquitatis duc eam, & suscita semen fratri tuo.

9. Sciebat autem Onan sibi non fore semen: itaque cum ingrederetur ad uxorem fratris sui perdidit (illud effundens) in terram, ne daret semen fratri suo.

10. Displicuitque in oculis DOMINI quod fecerat, itaque morte affecit etiam eum.

Ingredere ad uxorem fratris tui] congredere cum ea. ❡ *Jure propinquitatis duc eam*] ויבם אתה. Hier. *sociare ei.* Sed melius Lxx. ἐπιγάμβρευσαι αὐτήν, ut Matth. 22. ἐπιγαμβρεύσει ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, non simpliciter ducet, sed fratris nomine & jure affinitatis. Hoc jure tenebatur proximus frater aut cognatus ducere uxorem defuncti qui sine liberis discesserat. De quo Lex extat Deut. 25. ❡ *Suscita semen fratri tuo*] Jonathan, *suscita semen super nomen fratris tui.* R. Salomo, *filius vocabatur de nomine defuncti.* Recte sane. Nam si Onan prolem suscepisset ex Thamar, appellatus fuisset filius Er, & non filius Onan. Idem sequitur, *Non fore sibi semen*, quod Onkelos convertit, *non vocatum iri semen de nomine suo.* Jonathan, *non vocatum iri filios nomine suo.* Hier. *non nasci sibi filios.* ❡ *Non sibi fore semen*] non suam futuram esse prolem. ❡ *Perdidit*] Hier. supplet *Semen.* Jonathan, *opera sua.* Onkelos, *viam suam*, id est, ארחיה. Fagius, *Viam vocat seminis effusionem, quæ ex actu Venereo elicitur, quod quia, invidens fratri posteritatem, in terram maligne profudit, perdidisse sive corrupisse dicitur.* ❡ *Ne daret semen fratri suo*] ne fratrem prole donaret. Onkelos vertit, *ne suscitaret semen fratri suo.* Ionathan, *ne suscitaret filios de nomine fratris sui.* Hier. *ne liberi fratris nomine nascerentur.* ❡ *Displicuit*] malum fuit. Lxx. πονηρὸν ἐφάνη, & alius, *malum videbatur.* Hieron. *eo quod rem detestabilem faceret.* ❡ *Morte affecit*] ἐθανάτωσε. Ionathan habet, קטל, & Hier. *percussit* הכה.

11. Dixitque Juda Thamari nurui suæ, Sede vidua in domo patris tui, donec creverit Sela (nam dicebat, Ne quando moriatur etiam ipse sicut fratres ejus) abiit ergo & sedit in domo patris sui.

Sede] mane. ❡ *Creverit*] adoleverit, magnus evaserit. ❡ *Dicebat*] apud se. Videtur eam vana spe lactare voluisse, unde secutum sit quod mox narrabitur. ❡ *Sedit*] Hieron. *habitavit.*

12. Et multiplicati sunt dies, & mortua est filia Sue uxor Judæ, qui se consolatus est, & ascendit ad tonsores ovium suarum, ipse & Hiras amicus ejus Odollamites, Thamnatham.

Et multiplicati sunt] exactis & evolutis multis diebus, sive post multos dies mortua est &c. ❡ *Filia Sue*] vel, *Filia Sue*, ut sit obliquus à recto Sua. Græci legunt, Σαυὰ ἡ γυνὴ Ἰούδα, unde in vulgata nostra, *Sua uxor Iudæ.* Ceterum in aliquot manuscriptis lectum *filia Sue.* De qua lectione dubitare nos non sinit lectio Hebraica: tum etiam interpretes Chaldæi. Obiter noto, Sue filius Abrahæ Genes. 25. 2. Ebraice scribitur שוח cum heth in ultima: Sue vero socer Iudæ שוע cum Ain in ultima. Cave hæc duo nomina confundas. ❡ *Qui se consolatus est*] וינחם יהודה & se consolatus est Iudas, vel, si mavis, consolationem accepit seu admisit: quod Græci dicunt παρακληθείς: Licet vertere, *admissa consolatione ascendit.* Sensus est, *post admissam consolationem*, quum videlicet dolorem omnem, quem ex interitu uxoris ceperat, deposuisset, abstersisset. ❡ *Amicus ejus*] ad quem diverterat, supra vers. 1. Ceterum in fonte est רעהו, quod uterque Chaldæus transfert רחמיה amicus ejus, pro quo Græci videntur legisse aliis apicibus רעיהו pastor ejus. Nam vertunt ὁ ποιμὴν αὐτοῦ. Hiero. quoque habet, *opilio gregis.* ❡ *Thamnatham*] תמנתה. Lxx. εἰς Θαμνὰ. Thimna, Thamna, ut Phisga, Phasga. Hieron. *in Thamnas.* Thamna, Thamnas, ut Iuda, Iudas. Ceterum dubitari merito potest de hac versione. Nam in Onk. & Ion. לתמנת cum Thau in fine: & 1 Machab. 9. 50. Θαμναθὰ, & Ios. 19. 43. תמנתה quæ inter urbes tribus Dan ibi recensetur. Forte *Thamna* scriptum pro *Thamnath*, ut γολία dicebant pro γολιάθ: ex quo deinde factum Thamnas, ut Golias. Aut Thamnath, Thamnas, ut Annibal, Ἀννίβας. Amant enim veteres ultimam nominis barbari cum ς permutare. Ut ut sit, Eusebius in libro locorum scribit, *Thamna, ubi oves suas totondit Iudas: ostenditur hodieque prægrandis vicus in finibus Diospoleos euntibus Æliam in tribu Dan sive Iudæ.* R. Salomo notat positam fuisse in declivitate montis, unde in eam ascenderetur ab uno loco, & ab alio descenderetur. Sane legimus Iud. 14. 1. *Et descendit Samson Thamnatham.*

13. Nunciatumque est Thamari dicendo, Ecce socer tuus ascendit Thamnatham ad tondendum oves suas.

14. Quæ removit vestes viduitatis suæ à se, & texit se peplo, operuitque faciem & sedit in ostio oculorum, quod in via Thamnathæ: nam videbat crevisse Selam, & se non fuisse datam ei in uxorem.

Thamari] Græci addunt τῇ νύμφῃ αὐτοῦ, quod reddes *nurui suæ.* Sic infra vers. 16. οὐ γὰρ ἔγνω ὅτι ἡ νύμφη αὐτοῦ ἐστί: non enim sciebat nurum suam esse. Lex. Græco Lat. Vetus νύμφη, nurus. Hoc modo sumitur & Gen. 11. 31. item 1. Sam. 4. καὶ ἡ νύμφη αὐτοῦ γυνὴ Φινεές. Vide nunc, si placet, Augustinum Steuchum Eugubinum, qui de hac voce frustra carpit τοὺς ὁ. ❡ *Removit*] amovit, abstulit, deposuit. ❡ *Vestes viduitatis suæ*] τὰ ἱμάτια τῆς χηρεύσεως. Lxx. לבושי ארמלותה Jonathan. Onkelos addit pronomen, ut & alii plerique, quod etiam legitur in textu Ebræo. ❡ *Texit se peplo*] ותכס etiam Abenezra exponit ותכס את עצמה texit seipsam. *Nam verbum est*, inquit, *transitivum.* Lxx. περιεβάλετο θέριστρον, induit theristrum. Hier. *assumpsit theristrum* רדיד. Nicolaus, *vestis est linea qua utebantur in æstate.* Hoc ferri potest. Quod autem sequitur, *& dicitur à levo levis, quia per attritionem fiunt ibi rugæ multæ*; plane vanum est. Nam originatio Græca est non Latina. Appellatur quoque θερίστριον. Vide supra. ❡ *Operuit se*] etiam caput operuit & faciem ne agnosceretur. Ebraice ותתעלף quod interpretantur *texit, abscondit, celavit se vestibus.* Lxx. καὶ ἐκαλλωπίσατο, & adornavit se. Onkelos ואתקנת & ornavit se. Sic sane Fagius reddit. Jonathan, ועטפת obvolvit se. Notum ut עטף sign. *operire, obvolvere.* Hier. *mutavit habitum.* Trem. *texit se.* Gallica, *s'affubla*, texit se, amicivit se. Gallus Aquitanus mihi dixit proprie usurpari cum *aliquis veste caput operit.* Abenezra, *abscondit faciem suam veste sua.* R. Salomo, *texit vultum suum ne agnosceret eam.* R. David עלף עטוף וכסוי *sign. amicire & operire, tegere.* R. Levi, *undique se operire, obvolvere.* Quod præ ceteris placet. Verte igitur, *& obvolvit se.* Nam operio & tego synonyma sunt. Interdum tamen operio idem quod abscindo. ❡ *In ostio oculorum*] Quid hoc sit adhuc quæro. An *bivium*? ita sane Hier. vertit. Idem scribit *compitum* significare. Sunt autem compita loca in plures vias secta, puta trivia vel quadrivia. Unde illud Ovidii, *In ternas compita secta vias.* Verba Hiero. *Sermo Ebraicus Enaim transfertur in oculos. Non est igitur nomen loci, sed est sensus, sedit in bivio sive in compito, ubi diligentius debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat.* Assentitur huic interpretationi R. Salomo, dum explicat בפרשת דרכים, *in divisione viarum.* h. e. in compito: Jonathan quoque referens בפרשת עינין *in compito, quo*, inquit, *omnes oculi respiciunt.* Ceterum Onkelos ambigue vertit בפרשות עינין. Siquidem dictio עינין tam oculos quam fontes denotat. Fagius enarrat, *in divisione fontium i. e. in bivio quod erat pro fontes qui erant in illo loco.* Lxx. πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνάν: ad portas Ænan. In Quæst. Hiero. ubi hunc locum citat, melius, *ad portam* legitur. Mihi non displicet ut פתח sit ingressus, aditus, introitus, & עינים Enaim nomen loci. Trem. *in bivio. Ebræi in porta oculorum: periphrasis bivii, quo oculis quodammodo aperitur janua, ut illorum intuitus*

tus huc illuc ferri possit. Santes, *in ostio Enaim.* Arias, *duorum fontium.* Gallica, *en un carrefour* i. in compito sive quadrivio : *ou à l'entre d'Enaim*, in ingressu Enaim. Abenezra, *Nomen est loci, & sunt qui dicant duos fontes ibi fuisse ad instar januæ sive ostii, qua Juda domum reversuro transeundum erat.* R. Levi, *in loco patenti & conspicuo, ubi facile dominatur oculus.* Addit Hiscuni, *Judam tunc hilarem fuisse*, ut qui a convivio, quod eo tempore dari solebat, rediret. Probo. ❡ *Thamnatha*] vel, Thamnæ. Mercerus annotat hic geminari He fœminum in תמנתה, ut in ישועתה salus. Sic שלהיה invenitur pro שלהו Ezech. 28. 15. & Psal. 92. 16. Perspicue sentit cum iis qui *Thamna* scribunt non *Thamnath.* ❡ *Crevisse*] adolevisse. ❡ *Se non fuisse &c.*] ut promissum erat. Sed cur non stetit promissis? An quod metueret Selæ? Duo enim priores occisi fuerant & sine liberis obierant. Potuit aliam causam habere. Ne quæramus anxiè. Præstat ignorantiam fateri, quam temere affirmare, quod Deus nos ignorare voluit.

15. *Quam cum vidisset Judas, habuit eam pro meretrice, quia texerat faciem suam.*

16. *Itaque deflexit ad eam in viam, & dixit, Age nunc, ingrediar ad te; quia nesciebat nurum suam esse : qua dixit, Quid dabis mihi ut ingrediaris ad me.*

17. *Et dixit, Ego mittam hadum caprarum è grege : & dixit, Si dederis pignus donec miseris.*

18. *Et dixit, Quod pignus dabo tibi, & dixit, Sigillum tuum & fasciam tuam, & baculum tuum qui in manu tua : Et dedit ei, ita ingressus est ad eam & concepit ei.*

Habuit eam pro meretrice] *quia sedebat in compito.* R. Salomo. Meretrices olim in loco publico sedebant, puta in biviis aut triviis aut quadriviis Gen. 18. 14. Prov. 7. 12. Ezec. 16. 24. & 25. Rursum Prov. 9. 14. Hiero. hic edidit, *suspicatus est eam meretricem esse.* Ante Græci verterant ἔδοξεν αὐτὴν πόρνην εἶναι : Ebraice est ויחשבה & reputavit eam. *Meretricem* autem Onkelos appellat נפקת ברא i. foras exiens, quod tales fere vagentur per plateas, nec domi se contineant ut honestæ matronæ. Quo pertinet illud, *In domo non habitant pedes ejus.* ❡ *Texerat faciem suam*] Hiero. addit, *ne agnosceretur*, quod probo. Quidam, *fucaverat faciem suam.* Id Abenezra rejicit. Jonathan, *irritabat faciem Juda cum esset domi ejus : ideo non amabat eam.* Contra doctores Ebræorum, teste Salomone Jario, dicunt, *eam domi Soceri semper operta facie fuisse & modestam : ideo*, inquit, *non habuit eam suspectam.* Hoc Abenezra probare videtur. Jerosolymitana hic habet, כסתה אפיה obtexerat sive obvelaverat faciem suam. Lxx. κατεκαλύψατο γὰρ τὸ πρόσωπον αὐτῆς; καὶ οὐκ ἐπέγνω αὐτήν : cooperuerat enim faciem suam : & non agnovit eam. ❡ *Deflexit*] declinavit, divertit. ❡ *In viam*] אל הדרך ad ipsam viam publicam, ubi sedebat. Trem. *in ipsa via*, בדרך. Gallica, *au chemin ou elle estoit*, ad viam ubi ipsa erat. Mercerus, *de via sua in locum ubi erat ipsa.* ❡ *Age nunc*] vel, *age quæso.* הבה da. Usurpatur pro adverbio hortandi, age, agedum, agite. Nam plurali etiam jungitur Gen. 11. 3. *Age, coquamus lateres.* Valerius Flaccus, *Vos age funereas ad littora volvite sylvas.* Plautus, *age licemini, age sultis.* Pro quo sæpius dicunt, *agite*, vel *agitedum.* Lxx. hic legunt ἔασόν με εἰσελθεῖν πρὸς σε : & Hier. *dimitte me ut coeam tecum.* Onkelos הבי כען איעול לותך quod Fagius convertit, *permitte nunc obsecro ut ingrediar ad te.* Adjecit de suo adverbium *obsecro.* Nam non est in textu Chaldæo, quo usus sum. Jon. הבי nisi legendum הבי per Beth. R. Salomo, *para te ipsam & mentem tuam :* deinde subjicit, *Dictio* הבה *significationem habet parandi, prætorquam ubi sensum habet dandi : etiam illa loca ubi significat parare, vicina sunt iis ubi sign. dare.* ❡ *Ingrediar ad te*] congrediar sive habeam rem tecum. ❡ *Nurum suam*] Græce est ἡ νύμφη αὐτοῦ, quæ vox hic nurum significat, non sponsam, ut Steuchus arbitratur. Vide quæ scripsimus ad vers. 13. ❡ *Pignus*] Lxx. ἀῤῥαβῶνα, & Hier. *arrhabonem.* Sic etiam Santes. Ebraice ערבון, unde Græcum ἀῤῥαβών. Sed *arrhabo* peculiariter dicitur pars aliqua persoluta pretii in venditione intervenientis, ut fides fiat reliquæ persolvendæ summæ. Pignus est omne illud, quo dato confirmatur promissio. ❡ *Sigillum tuum*] חתמך. Lxx. τὸ δακτύλιόν σου. Hier. *annulum suum.* Expendamus. Annulus proprie טבעת dicitur. חותם magis est sigillum. *Signatorium annulum* vocant, sive ut alii *sigillaricium*, qui habeat χαρακτῆρα. Quidam etiam *sigillatorium* dicunt. Pro eo *annulum* simpliciter nominavit Tacitus. *Quo significatu & hic acceperim* Hiero. Sane Aquila transtulit τὴν σφραγῖδά σου, & Jonathan עזקתך. Nam עזקא quod in Onkelo potius *annulum* denotat. Unde עזקא דסיגנו δακτύλιος σημαντικός, annulus sigillaris sive signatorius. Differre autem חותם eo modo quo dixi à טבעת dubitare nos non sinit locus qui est in Sebhole Lechoth, tractatu XXVI. *Non licet mulieri exire in Sabbatho cum annulo qui Characterem habeat, sed cum annulo qui non habeat characterem* i. חותם, & quæ deinceps sequuntur. ❡ *Fasciam tuam*] Lxx. τὸ ὁρμίσκον. Interpres Romanus, *parvum monile.* Nam ὅρμος monile, περιδέραιον, ἢ περιτραχήλιος κόσμος. Budæus etiam ὁρμίσκος interpretatur *monile.* Sunt qui *armillam* reddunt. Autor Catenæ videtur mihi legisse ἁρμίσκον. Idem tamen magis probat ὁρμίσκος, quod interpretatur *parvum monile.* Ego ἁρμίσκος pro armilla nusquam invenire potui. Aquila hic habet στρεπτόν σου, *torquem tuum.* Procopius, *torquem & baculum. Ajunt priscos mortales patrio more hujusmodi ornatum collo & manibus gestasse. Et jam capillos sæpius coronare soliti fuerunt; quod nobilitatis & fortitudinis inter illos signum habebatur.* Apud interpretem, ὁρμίσκον; *Syrus horarium interpretatus est.* i. ὡράριον, Est autem horarium idem quod horologium, instrumentum quodvis quo diei horas deprehendimus, ὡρολόγιον. Onkelos, שושיפך, quod Fagius convertit, *pallium tuum :* R. Salomo explicat, *vestem qua indutus es.* Sed non est credibile nudum ab ea discessisse. Ergo Moses Gerundensis conjicit fuisse parvum sudarium seu linteum quod galero aut pileo honoratiores obducunt & obtendunt, qui mos hodieque in Oriente durat. Idem שושיפא Deut. 23. ait esse *sudarium contractus, cujus mentio crebra in Thalmud.* Tantum de שושיפא. Jonathan habet שושיפך *vittas tuas.* פתיל proprie *filum.* Lexicon Chaldaicon Munsteri, שושיפא *filum, vitta.* Plu. שושיפין. Sed forte שושיפא vitta, unde שושיפך vittam tuam. Nam à שושיפין esset שושיפיך. Nondum mihi clare liquet quid hæc vox significet. Ampliandum censeo. Hieron. & *armillam.* R. Levi, פתיל pallium. Idem שושיפא significare asserit. Trem. *sudarium tuum.* Sic etiam Galli, qui scribunt fuisse *certum genus sudarii ex filis retortis.* Santes, *pallium tuum.* Arias, *teniam tuam.* Nos *fasciam tuam*, post Leonem Judæ, Mercerum & alios, nullius interpretationi præjudicantes. Certe verbum פתל unde nomen פתיל significationem habet intorquendi. Forte *spiram* denotat i. funiculum intortum ex diversis filis galerum cingens & ambiens. Certe R. David exponit Exod. 39. *filum duplicatum & retortum*, & LXX. reddunt Num. 15. 38. κλῶσμα i. tortum. Hier. in Epistola de veste Sacerdotali פתיל תכלת *hyacinthina erant vitta quæ annectebantur annulis in monilis interiore parte affixis, & anteriori parte à pectore super Ephodi textum ducta super axillas &c.* Vide, si vacat. ❡ *Et baculum tuum*] ומטך. Lxx. καὶ τὴν ῥάβδον. Sym. ἐγχειρίδιον, *enchiridion.* Non placet. Hier. *Et baculum quem manu tenes.* Procopius, *Baculum antiqui tenebant prisca quadam lege. Inprimis tamen Babylonii reges sceptrum sive baculum portabant. Sic hoc loco baculus ille vel sceptrum erat symbolum regni ex ipso prodituri.* Ego potius putarim fuisse pedum pastorale. Cum Procopio sentit Gerundensis, quem te adire volo. *Hac tria*, inquit Abenezra, *præ nimia libidine pignori dedit ob rem levissimam.* ❡ *Concepit ei*] gravida fuit ex eo.

19. *Postea surrexit & abiit & amovit peplum suum à se, & induit vestes viduitatis suæ.*

20. *Misitque Judas hircum caprarum per amicum suum Odollamiten, ut reciperet pignus è manu mulieris, & non invenit eam.*

21. *Et interrogavit viros loci ejus, dicendo, Ubi est scortum quod in oculis juxta viam? Et dixerunt, Non fuit hic scortum.*

Amovit] Removit, deposuit. ❡ *Peplum suum*] צעיפה. Santes, *velamen suum.* Lxx. τὸ θέριστρον. Vide quæ notavimus ad versum 14. hujus capitis. Gen. 24. 63. הצעיף. Hier. *pallium suum.* Huic cognatum est רדיד, quæ autor libri Synonymorum Ohel Moed dicti sic distinguit, צעיף inquit, *faciem tantum velat* רדיד *totum caput cingit.* Utrumque est indumenti genus muliebris. R. David in libro Radicum, צעיף *est operimentum quo fœmina faciem operiunt.* In margine, *velum.* ❡ *Per amicum suum*] Hier. *per pastorem suum.* Lxx. quoque ἐν χειρὶ τοῦ ποιμένος αὐτοῦ, quod Ebraice est ביד רעהו : Sed legerunt רעה. ❡ *Loci ejus*] pro eo habendum ac si diceret, *loci illius ubi ipsa fuerat.* Nam in Ebræo pronomen ejus foemininum est. Quamobrem referri debet ad Thamarem. Sane qui vertunt *loci illius*, ambigue vertunt. Nam id Ebraice etiam diceretur אנשי המקום במקום. ❡ *Scortum*] הקדשה. Lxx. ἡ πόρνη, meretrix זונה. Hier. *mulier* זונה. Onkelos מקדשתא quasi præparata ac instructa ad scortationem. Posses *prostibulum* reddere. Jon. מטעיתא in quo significatio seducendi. Nam טעה errare fecit, seduxit. Elias in Lexico Chaldaico, itemque in Thisbi scribit קדשה. Idem ait *meretricem* קדשה appellari. Quin Levit. 19. ubi codex Ebræus habet לא תזנה non scortabitur,

Thar-

Thargum edidit זנותא לה. Ergo זנה scortari, unde & זנו scortatio. Aquila, *διηλλαγμένη*. alias *ἐνδιηλλαγμένη*. Locus integer exstat in Edit. Rom. *οὐκ ἦν ἐν ταύτῃ διηλλαγμένη*; non est in hoc loco prostituta. *Διηλλαγμένη* scortum ita dictum à mutato habitu. Hos. 4. 14. עם הקדשות. Idem *μετὰ τῶν ἐνηλλαγμένων*. Sym. *ἑταιρίδων*. Hier. in epist. de 42. Mansionibus, mansione 33. *Illud quod legitur Cades, non ut plerique existimant, sancta dicitur, sed mutata sive translata. Legimus in Genesi juxta Ebraicam veritatem, ubi Judas meretricem putans Thamar, dona transmisit, & sequester munerum interrogat, ubi est Cadescha i. scortum, cujus habitus a ceteris fœminis mutatus est. Sin autem sancta interpretatur κατ' ἀντίφρασιν est intelligendum, quomodo Parcæ dicuntur ab eo quod minime parcant, & bellum quod minime bellum sit, & lucus quod nequaquam luceat.* Ut קדשה est mulier prostituta, ita קדש dicitur scortum masculum, catamitus sive concubinus aut meritorius puer, qui meretricum instar sui passim copiam facit mercedis gratia. R. Levi, קדשה *est mulier vulgata, quæ omnibus sui copiam facit.* Talis a Sirachide dicitur *sedere ad omnem palum, & omnibus aperire pharetram.* ❡ *In oculis*] prætulerim *in compito*, vel verte, *in Enaim*, ut sit loci nomen. Supra erat, *in janua oculorum.* Trem. habet, *in bivio.* Sic etiam Hier. Gallica editio, *en veue* q. d. in oculis omnium, in propatulo. Onkelos בעינין *in oculis*, vel, *in fontibus* i. apud fontes, vel potius, in Ainin. Jonathan בסכות עינין *in aspectu oculorum*, i. in loco publico; qui ab omnibus conspici potest. Lxx. *ἐν Αἰνάν*, in Ainan. ❡ *Juxta viam*] prope viam Thamnathæ. Vide supra vers. 14.

22. *Reversus ergo ad Judam dixit, Non inveni eam: quin viri loci illius dixerunt, Non fuit in hoc loco scortum.*

23. *Et dixit Judas, Accipiat sibi, ne simus contemptui: ecce misi hædum hunc & tu non invenisti eam.*

In hoc loco] בזה *in hoc*, Sub. loco. Lxx. *ὧδε*. Onk. & Jon. הכא hic. Hier. *in loco isto.* ❡ *Accipiat sibi*] *accipiat sibi pignora.* Jonathan. vult dicere, *retineat & servet sibi.* Lxx. *ἐχέτω αὐτὰ* habeat ea. Hier. *habeat sibi.* Trem. *retineat sibi.* Leo Judæ, *sibi servet.* Santes, *capiat sibi.* Aben. *sine eam ut auferat pignus quod habet.* ❡ *Ne simus contemptui*] פן נהיה לבוז. Aquila & Sym. *μήποτε γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν*, ne quando simus contemptui, sive ne evadamus in contemptum. Prius erat in Lxx. *μήποτε καταγελασθῶμεν*, ne quando derideamur. Onk. & Jon. *ne forte simus ludibrio.* Hiero. *certe mendacii arguere nos non potest.* Non percepit mentem verborum Mosis. Nam בוז non sig. mendacium, sed contemptum, vel certe, ut Abenezra censet, לעג *sannam, ludibrium.* R. Salomo, *Ne si quæsieris eam amplius, res divulgetur, & sit nobis dedecori. Quid enim plus facere possum ad fidem dictis meis præstandam?* Abenezra, *Ne derideant & subsannent nos homines, quod pignori dederimus sigillum, fasciam & baculum pro re levi.* ❡ *Hædum hunc*] vel, *hircum istum.* Hier. *Hædum quem promiserat.* Lxx. *τὸν ἔριφον τοῦτον.*

24. *Fuit autem quasi post tres menses ut nunciaretur Judæ dicendo, Scortata est Thamar nurus tua: quin etiam ecce gravida est ex scortatione. Et Judas dixit, Educite eam ut comburatur.*

25. *Quæ educta misit ad Socerum suum, dicendo, Ex viro cujus hæc sunt ego gravida sum: & dixit, Agnosce nunc cujus sint ista, videlicet sigillum & fasciæ & baculus.*

26. *Et agnovit Judas & dixit, Justior est me propterea quod non dedi eam Selæ filio meo, nec addidit amplius cognoscere eam.*

Quasi] circiter. ❡ *Post tres menses*] כמשלש חדשים à tribus mensibus i. post tres menses. Sic מיומים à biduo. Sic Latini etiam loquuntur. Dicunt enim *à cœna, à prandio, à lectione.* Quæ nota Grammaticis. Plenum esset מִן שְׁלֹש. Dages autem excidit, ut fit, ex littera quæ scheva notatur. Alii malunt, *ut Mem sit littera hoemantica* משלש *ut* משלוח *missio.* Sunt etiam qui putant, esse infinitum Syra consuetudine declinatum; itaque vertunt, *cum jam tertius ageretur mensis.* Non persuadent. Lxx. *μετὰ τρίμηνον* post trimestre temporis spatium. Hier. *post tres menses.* Abenezra אחר שלש חדשים. Onkelos כתלתות ירחיא *& fuit quasi ternarius mensium cum nunciaretur &c.* Verbum è verbo, *triplicitas mensium.* Jonathan, *in tempore trium mensium*, nisi legas כזמן circiter tempore. Santes, *& fuerunt circiter tres menses.* Trem. *Et fuit cum tertius mensis ageretur.* ❡ *Nurus tua*] *ἡ νύμφη σου.* Iterum dico, *νύμφη* tam nurus quam sponsa. Sic כלה Ebraice ac Chaldaice. ❡ *Ex scortatione*] לזנונים scortationibus. Lxx. *ἐκ πορνείας.* Onkelos מזנותא *ex scortatione.* Alias מזנותה ex scortatione sua. Jon. לזנו quod potes reddere, *de scortatione.* ❡ *Gravida*] הרה *prægnans.* Nomen, non verbum, ne erres. ❡ *Educite eam*] ad magistratus. Nam ipse eam punire non poterat. ❡ *Ut comburatur*] Nam adultera erat, quia Selæ destinata. Sed quid? An adulteræ antiquitus comburebantur? Videtur ex hoc loco. Jonathan, *quia filia Sacerdotis est.* Si verum hoc, Moses postea legem, ea de re tulit quæ exstat Lev. 21. R. Salomo, *Dicit Ephrem Macsaa, de nomine R. Moir, Filia Sem erat qui Sacerdos fuit: ideo adjudicavit eam igni.* Potest ne hoc verum esse? potest, si Sem fuit Melchisedec, quod non credo. ❡ *Quæ educta*] ad supplicium. Hiero. *Quæ cum duceretur ad pœnam.* Vel, *ad magistratus.* Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *Accepit ea pignora & projecit ante pedes judicum & dixit, A viro cujus hæc sunt ego gravida sum &c.* Huic sententiæ infirmandæ est illud, *misit ad socerum suum.* Nam certe si misit ad eam, non videtur deposuisse coram judicibus, præsente Juda. ❡ *Ex viro*] לאיש *viro.* Sed Lxx. *ἐκ τοῦ ἀνθρώπου*: & Hiero. *de viro.* Sic etiam Jonathan & autor Jerosolymitanæ. Supra vers. 18. *gravida fuit ei i.* ex eo ממנו. ❡ *Ista*] *pignora*, quæ ab interpretibus Chaldæis vocantur משכונא i. pignora, & סהדי i. testes. ❡ *Sigillum*] החתמת & subintelligitur טבעת q. d. signatorius. Supra erat חותמך eodem significatu. ❡ *Fasciæ*] vel, *tæniæ* הפתילים. Supra פתילך. Cur hic plurali, ibi singulari usus est? Lxx. utrobique habent *ὁ ὁρμίσκος*, monile. Hiero. *armilla.* Onkelos & autor Jerosolymitanæ שושיפא. Jonathan חוטא. Vide quæ notavimus ad vers. 18. ❡ *Agnosce nunc*] vel, *agnosce quæso.* R. Salomo אין נא אלא לשון בקשה, ubique נא significat quæso, obsecro. Idem ad illud, *Quæ educta*, subaudit, לישרף ut combureretur. Et mox, *Noluit*, inquit, *pudefacere ipsum dicendo, Ex te ego gravida sum, sed dixit, Ex viro cujus hæc sunt &c.* q. *diceret, si confitebitur, bene est: sin, comburant me, non enim certe pudefaciam vultum ejus. Hinc dixerunt* נוח לו לאדם שיפילוהו לכבשן האש ואל ילבין פני חברו ברבים, *Satius est hominem projici in fornacem ignis, quam ut pudore afficiat socium suum coram multis.* ❡ *Non addidit*] לא יסף, *οὐ προσέθετο* id est, לא הוסיף *non addidit, non adjecit.* Male quidam לא פסקה *non cessavit, non desiit.* Nam tum dixisset פסקה, ut recte Hiscuni observat. ❡ *Cognoscere eam*] rem habere cum ea. ❡ *Justior est me*] Onkelos, *Justa est, ex me gravida est.* Justa est, i. justam causam habet. Sic etiam R. Salomo. Quidam, *justior est.* i. minus culpabilis. Sic *odiosa mulier* pro *minus amata.* Hiero. ait in Ebræo esse, *justificata est ex me.*

27. *Fuit autem tempore partus ejus (nam ecce gemini erant in utero ejus:)*

28. *Fuit, inquam, cum ipsa pareret, ut exereret manum; quam accepit obstetrix, & ligavit ad manum ejus coccinum, dicendo, Iste exivit primus.*

29. *Cumque reduceret manum suam, ecce exivit frater ejus: tum dixit, Quid perrupisti super te rupturam? ideo vocatum est nomen ejus Phares.*

30. *Postea vero exivit frater ejus cujus ad manum erat coccinum, vocatumque est nomen ejus Zare.*

Tempore partus ejus] בעת לדתה *in tempore parere ejus.* i. partus. Quale illud, *scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter* i. scientia tua. Intelligentes intelligunt quid velim. Trem. *Quo tempore pariebat illa.* ❡ *Gemini*] Lxx. *δίδυμα*, genere neutro. Nam subintelligitur *τέκνα*. Dicuntur etiam *gemelli.* Ebraice תאומים & תומים, unde Thomas, qui & Didymus. Pro תאומים in Onk. & Jonath. est תיומין Aleph in Jod versa. Sic pro שאול Syri dicunt שיול. ❡ *In utero ejus*] *ἐν τῇ γαστρὶ αὐτῆς*: בטן tam *κοιλία* quam *γαστήρ*, venter, uterus. Onk. & Jon. במעהא. Aliquando *ventriculum* denotat. ❡ *Ut exereret*] Unus illorum. Verbum pro verbo, *Et dedit.* Jonathan, *& protendit puer manum suam.* Hier. *unus protulit manum.* Lxx. *ὁ εἷς.* ❡ *Obstetrix*] *ἡ μαῖα.* Ebraice המילדת quod parere faceret. Chaldaice חיתא quod infantem in vita conservaret. ❡ *Ligavit ad manum ejus*] alligavit manui ejus. ❡ *Coccinum*] filum coccinum sive coccineum. Severus, *coccum.* Sed in Lxx. *κόκκινον* & in Hiero. *coccinum.* Onkelos quoque habet זהוריתא, quod Fagius reddit, *coccinum.* Jonathan חוט זהורי filum coccineum. ❡ *Exivit*] vel, exiit i. exire vult aut conatur. Nam manus tantum exiverat. Lxx. *ἐξελεύσεται*, & Hier. *egredietur.* Ceterum præt. usi sunt Onk. & Ion. ❡ *Primus*] prior, *πρότερος*. ❡ *Quid perrupisti super te rupturam*] ita est in fonte *κατὰ πόδα*. Si dubitas ecce tibi verba Ebraica

מה פרצת עליך פרץ.

MAH PHARASTA ALECHÁ PHARES.

quæ nonnulli sic vertunt ac distinguunt, *Quam perrupistis? Super te* i. tua est ruptura. Onkelos interprete Fagio, *quam multa fortitudo tibi est ut prævalueris?* Lxx. *τί διεκόπη διὰ σὲ φραγμός*, quid divisa est propter te maceria? ❡ *Super te*] vel,

contra

contrate q.d. tibi adversam. ¶ *Ideo vocatum est*] ויקרא & vocavit, καὶ ἐκάλεσε. Cave de obstetrice accipias. Nam verbum, quod in Ebræo, masculinum est. Quanquam in Jonatha ויקרי vocavit mater aut ἡ μαῖα. Trem. *vocavit quisque.* ¶ *Phares*] פָּרֶץ in pausa. Extra eam esset פֶּרֶץ per geminum segol. Phares, Pheres, ut Habel, Hebel. Hodie Pharets. ¶ *Zara*] vel Zare. זָרַח Zare, ut תֶּרַח Thare. Græci habent Ζαρὰ & Hier. Zara. Possumus etiam scribere Zera. Nam extra pausam esset זֶרַח. Hier. in Quæst. *Hoc nomen interpretatur oriens. Sive igitur quia primus apparuit, sive quia multi justi ex eo nati sunt, ut in libro Paralipomenon continetur, Zara i. oriens appellatus est.* Alii à filo coccineo, quo manus ejus revincta erat, sic appellatum arbitrantur. Nicolaus, *ex fulgentia coccini ad manum ejus ligati. Zara enim refulgentiam sonat.*

AMAMA.

5. Ebr. *Eratque (Juda) in Chezib cum ipsa pareret eum.* Vulg. *Quo nato ultra parere cessavit.*] LXX. vocem Ebræam כזב acceperunt pro nomine loci, ἐν Χασβί. Cezib, Cazib, Cazbi. Esse autem כְּזִיב urbem Palæstinæ notarunt hic Fagius & Vatablus, eandemque cum אַכְזִיב Josuæ facit Mercerus in notis ad Thes. Pagnini. Fontem pravæ hujus conversionis Hieronymus in Quæst. Ebraicis à Vulgato dissentiens his verbis detexit, *Hæc autem erat in Casbi quando peperit eum. Verbum Ebræum hic pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens, Et factum est ut mentiretur* בכזיב *in partu, postquam genuit eum.* Ecce deceptus Vulgatus est ab Aquila quem hic secutus est. Fateor quidem verbum mentiendi aliquando significare cessationem, ut, *mentietur opus olivæ* .i. cessabit fructum dare. Es. 58. 11. *sicut scaturigo aquarum cujus aqua non mentientur* i. cessabunt, יכזבו. Sic Hos. 9. usupatur vox כחש, sed & illud sciendum ea verba tum solere adhiberi in Piel. 2. hic non esse בְּכַזֵּב aut לכזב sed בִּכְזִיב. At dices non esse Gerundium, sed nomen, *Et erat in mendacio* i. cessatione. Sed repugnat verbum masc. הָיָה. Sic enim habet textus והיה בכזיב *Eratque scilicet Judas in Chezib.* Alias dicendum fuisset והיתה. Nomen loci exponunt præter LXX. Onkelos, Aben. Levi, Hiscuni R. Sal. &c.

12. Ebr. חִירָה רֵעֵהוּ *Hiras amicus ejus.* Vulg. *Hiras opilio gregis.*] Iterum taxat Vulgatum Interpretem B. Hieronymus. Quis ergo credat versionem Pentateuchi Hieronymi esse? aut Hieronymum in Quæstionibus reprehendisse quod in versione elegerat? Nimis iniqui in manes sanctissimi viri sunt qui eam inconstantiæ notam ei inurunt. Dixi Hieronymum taxare Vulg. Probo, quia taxat τοὺς LXX. quos hic secutus est Vulgatus, habent enim illi ὁ ποιμὴν αὐτοῦ, pastor ejus. Legerunt, רֹעֵהוּ enim pastorem significat. Advocatum mihi deligo ipsum Vulgati Advocatum, *non pastor*, inquit, *aut opilio vertendum erat, sed amicus.* Et postea inclinat eo, mendosos esse codices, *Nec enim credendum est*, inquit, *eum in transferendo secutum esse septuaginta, quos errasse cognovisset.*

18. Illa verba *ad Coitum unum* de suo addidit Interpres.

23. Cum inveniri non posset Thamar, cui hœdum ex pacto per amicum mittebat Judas, apud quam arrhabonis loco reliquerat annulum, cidarin & pedum suum, sic loquitur ad amicum Judas, *Habeat sibi, ne forte simus in contemptum:* q.d. malo rerum istarum jacturam facere, quam ulterius quærendo vulgo plebique materiem male de me loquendi præbere. Vulg. autem longe à verbis sensuque Judæ aberrans sic vertit, *Habeat sibi, certe mendacii nos arguere non potest.* Ingenue itaque Steuchus, *Ebraice is sensus non est, Hæc enim aliud sonant.* Idem Card. Cajetanus notavit. Satius ergo fuisset τῶν LXX. vestigia pressisse, qui optime & fidelissime, μή ποτε καταγελασθῶμεν. Sic & Chald. Quin & Aquila & Symm. μήποτε γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν. Unde & Mercerus alias sic satis indulgens excusationi hujus Interpretis, ad hunc locum coactus fuit asserere, *parum videliter hunc locum redditum ab Interprete.*

GROTIUS.

5. QUo *nato parere ultra cessavit*] Hebraice: *Erat in Chezib, cum ipsa eum pareret.* Græce, αὕτη δὲ ἦν ἐν Χασβί, ἡνίκα ἔτεκεν αὐτούς [*ipsa erat in Chasbi cum eos pareret*]. Locum esse apparet Ios. XV. 44. Mich. I. 14. ubi scribitur præposito א quod in nominibus propriis frequens. Hic autem sic appellatur is locus per πρόληψιν [*anticipationem*]. Dictus enim sic videtur quod ibi Sue parere cessaverit, ut hic dicit Latinus. Nam כזב inter alia & cessare significat, ut Esaiæ LVIII. ubi in Græco ἐξέλιπε [*desiit*].

6. *Her*] ער in Ebræo. Et Armenium nomen apud Platonem de Republica x.

14. *In bivio itineris*] Extra urbem solitas se habere victimas publicæ libidinis, & Hebræi notant, & Chrysippus in Isagoge bonorum & malorum: πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως ἐν προσωπείοις προσκείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις. εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ τοῦ νόμου μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν [*Primum extra urbem & personata vulgabant se meretrices volentibus. Postea audaciores facta abjecere personas, & per legem prohiberi urbem ingredi, extra eas degebant*]. Hinc Chaldæis meretrix, vagatrix dicitur: devium scortum Horatio.

18. *Annulum tuum*] Nempe signatorium, quod significat vox חתם, pro quo σφραγῖδα [*sigillum*] dixit Aquila. quomodo & LXX. vertunt aliis in locis.

Et armillam] ὁρμίσκον [*monile*] LXX. στρεπτὸν [*tortile*] Aquila. Videtur fuisse aliquid ex auro ad modum fili contorti. Id enim proprie significat פתיל, ut apparet Exod. XXXIX. 3. Jud. XV. 9. Ezech. XL. 3. id de collo fuisse suspensum Græci interpretes credidisse videntur.

21. *Ubi est mulier quæ sedebat in bivio*] In Hebræo קדשה, quod πόρνη [*meretrix*] vertitur à LXX. & hic & Deut. XXIII. 17. Sic & scortum masculum קדש Deut. XXIII. 17. Causa nominis ex simili: nam ut sacra nemini sunt propria, usu communia, sic illæ feminæ. Apud Plautum similis translatio: *Non ego sum polluta pago*: pollucere enim est sacrare. Vide Festum & Macrobium.

23. *Habeat sibi: certe mendacii nos arguere non potest*] In Hebræo, *Habeat sibi, ne simus ludibrio.* Græci μήποτε καταγελασθῶμεν [*ne irrideamur*]. Non male: nam ἐπονείδιστος καὶ αἰσχρὰ ἡ πρὸς πάντας ὁμιλία [*turpis & exprobrabilis est cum eis consuetudo*], ait de meretricibus agens Porphyrius IV. de Abstinentia.

24. *Ut comburatur*] Erat enim filia sacerdotis illorum locorum, ut ajunt Hebræi. Multæ Mosis leges ex antiquis moribus. Sic & illa Levit. XXI. 9. Alii putant legem fuisse peculiarem istius familiæ.

29. *Quare divisa est propter te maceria?*] Proverbiale id est, quare prævertendo fratrem qui nasci cœperat, litem de primogenitura infers in domum?

CARTWRIGTUS.

1. ET *factum est in tempore illo, &c.*] Aben Ezra monet non esse intelligendum tempus illud, quo Joseph fuit venditus; quod enim hic narratur, ante venditionem Josephi accidisse. Id autem inde colligit, quod ex quo venditus fuit Joseph, usque ad Jacobi cum familia sua descensum in Ægyptum, non nisi viginti duos annos intercessisse appareat: hic autem dicitur adolevisse Onan, atque uxorem habuisse; deinde multos dies præteriisse, ac concepisse Thamarem, & peperisse Pharezum, qui (cap. 46.) in Ægyptum descendisse, duosque filios habuisse legitur. Notat phrasin istam, *in tempore illo*, eodem modo usurpari Deut. 10. 7. 8. tribum enim Levi separatam fuisse anno secundo ab exitu ex Ægypto, Israelitas autem anno demum quadragesimo Gudgodam advenisse. Putat autem ideo hoc in loco historiam hanc interseri, ut appareat quam longe aliter se gessit Joseph in negotio uxoris heri sui, quam ipsius frater Judah hic se gesserit.

2. *Filiam viri Cananæi.*] Onkelos, Jonathan & R. Salom. כנעני hic interpretantur תגרא, i. e. *mercatorem.* Aben Ezra etiam notat nonnullos eo sensu exponere, quemadmodum vox כנען *Canaan* sumitur Hos. 12. 7. Et כנעני Zach. 14. 21. Addit autem *posse exponi* כמשמעו, i. e. *simpliciter ut sonat*, nempe *pro Cananæo.*

5. וְהָיָה בִכְזִיב בְּלִדְתָּהּ אֹתוֹ *Et fuit (scil. Judah) in Chezib, cum pareret illum*] Aben Ezra notat *Chezib* esse nomen loci. Ita etiam R. Salom. qui dicit ideo locum sic dictum, propterea quod ibi *parere desiit.* Nam כזב *Chazab* significat *mentiri*, item *deficere. Chezib* (inquit Fagius in Chald. Paraph.) *urbs est Palæstina, cui ab eventu, quod ibi uxor Jehudah parere cessavit, nomen inditum quidam sentiunt; unde quidam vocem* בכזיב *verbaliter exponunt*, hoc modo, *Et factum est, cum mentiretur, seu falleret partus*, hoc est, *cum cessaret parere. Mentiri autem & fallere partus dicitur, cum cessat, & non amplius parit mulier. Et hanc lectionem sequitur Latina* (a) *Vulgata editio. Alii sic legunt, Et fuit in fallendo, dum ipsa pareret eum*, h. e. *parum abfuisset ut partus fefellisset, aut periclitata esset mater in partu ejus. Mentiebatur enim puer, aut fallebat,*

(a) *Vulg.* quo nato parere ultra cessavit.

fallebat, id est, non consueto more venit, sed oblique, quod valde periculosum est. Hæc Fagius, qui addit, sententiam Hebræorum, qui Chezib pro nomine proprio loci accipiunt, veriorem ac simpliciorem esse videri, eique LXX. Interpretes astipulari. LXX. αὕτη δὲ ἦν ἐν χασβὶ, &c. ab Hebraica veritate (ut notat Fagius in Collat.) discrepant, quod verbum masculinum היה *fuit*, scil. Judah, fœminine reddiderunt, αὕτη δὲ ἦν, *hæc autem erat*: deinde quod pronomen relativum singulare אתו *eum*, pluraliter interpretati sunt, αὐτὶς *eos*. Ita quidem nunc legitur, at apud Hieron. in Tradit. *Hæc autem erat in Chasbi quando peperit eum.* In quæ verba sic commentatur Hieronymus, *Verbum Hebræum hic* (*a*) *pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens, Et factum est, ut mentiretur in partu, postquam genuit eum. Postquam enim genuit Selam stetit partus ejus.* כזבי Chasbi *ergo non nomen loci, sed mendacium dicitur. Unde & in alio loco scriptum est* (scil. Habac. 3.) *Mentietur opus olivæ*, id est, *fructum oliva non faciet.* Hæc Hieron. Nota autem in Hebræo non esse, quemadmodum hic scribit Hieron. (deceptus forte lectione LXX. Interpretum) כזבי *Chasbi*, sed כזיב *Chezib*. Targ. Jonathæ, והוה כד ילידת יתיה פסקת מנה, i. e. *Et fuit quasi cessaret illa cum peperisset eum.* Ego Fagio assentior, simplicissimum esse ut *Chezib* hic sit nomen loci; atque hoc Mercero placuit, qui asserit hunc locum Mic. 1. אכזיב *Achzib* appellari.

7. *Et fuit Er primogenitus Juda malus, &c.*] R. Sal. ait eum etiam semen suum perdidisse, idque fecisse ne uxor gravida pulcritudinem suam amitteret. Ex eo autem colligit, Onan & Er ejusdem flagitii reos fuisse, quod dicatur Deum Onan etiam interfecisse. Hoc ille ita accipit, ac si sensus esset, Deum hunc eandem ob caussam interfecisse, ob quam illum interfecerat; cum tamen fieri potuit, ut Deus in Onan ob scelus istic memoratum animadverteret, quemadmodum antea in Er ob aliud aliquod scelus animadverterat. Targum autem Jonathæ eodem modo, quo R. Salom. exponit, *Et fuit Er primogenitus Iuda malus coram Domino*, על דלא הוה יהיב זרעיה לאנתתיה, i. e. *Propterea quod non dederit semen suum uxori suæ.*

9. *Et novit Onan quod ipsius non futurum esset semen*] Onkelos, *quod non ipsius nomine vocandum esset semen.* Similiter Jonathan, *quod non ipsius nomine vocarentur filii.* Ita etiam exponit Aben Ezra, qui expositioni suæ confirmandæ citat illud Deuter. 25.6. *Eritque ut primogenitus, quem pepererit, succedat nomine fratris ejus defuncti, ne nomen ejus ex Israel deleatur.* Ex hac certe historia apparet legem istam, postea tempore Mosis latam, antea in Dei populo viguisse.

12. *Et Hira* רעהו *amicus ejus.*] LXX. ὁ ποιμὴν αὐτοῦ *pastor ejus.* Legerunt רֹעֵהוּ Nam רֵעַ est *amicus*, vel *socius*; at רֹעֶה est *pastor*. Pro diversitate punctorum רעהו est vel *amicus ejus*, vel *pastor ejus*. Hieron. in Tradit. ita legit, ut in Hebræis codicibus nunc legitur, ac Græcæ translationis discrepantiam notat: *Pro pastore* (inquit) *amicus legitur; sed verbum ambiguum est, quia iisdem literis utrumque nomen scribitur: verum amicus* רעה Re, *pastor*, רועה Ro *legitur.* Sic Hieron. cum potius *amicus* sit רֵעֶה *Ree*, & *pastor* רֹעֶה *Röe.* Vulgatus hic LXX. Interpretes sequitur, *opilio gregis*; unde constare videtur Hieronymum non fuisse autorem istius versionis, cum à Hieronymo nonnunquam dissentiat. Onkelos & Jonathan Hebræo consentiunt, רחמיה, i. e. *amicus* vel *dilectus ejus.*

14. *Et sedebat* בפתח עינים *in loco publico.*] Ad verb. *in ostio oculorum*, vel *fontium*. Nam עינים *Enajim* & *oculos*, & *fontes* significat. Aben Ezra ait, *Pethac Enajim* esse nomen loci: atque addit nonnullos dicere duos fontes aquarum in via fuisse, unde scil. locus nomen istud sortiretur. Fagius tum in Chald. Paraph. tum in Collat. ita sententiam Aben Ezræ refert, ac si ipse hoc diceret; ac Fagium hic, ut alias fere ubique sequitur Gualtperius; cum tamen verba Aben Ezræ sint, ויש אומרים, i. e. *Et sunt qui dicunt*, unde non ipsius, sed aliorum quorundam sententiam ab eo referri apparet. Onkelos, בפרשות עינין *in divisione fontium*, ut vertit Fagius; qui in Annotat. sic explicat, i. e. *in divisione viarum, sive in bivio, quod erat prope fontes, qui erant in isto loco.* Refert autem nonnullos legere, *in loco publico*, sive *in propatulo*, ubi erat frequens ultro citroque euntium transitus. Atque in Collat. citat Kimchium in Radic. ita exponentem. Addit autem, quia vox Hebræa לעינים alicubi & *pro eo qui viam monstrat*, & *alicui dux est*, accipitur, ut Num. 10. *dicebat Moses socero suo, Ne quaso derelinquas nos; tu enim nosti mansiones nostras in deserto, & fuisti nobis*

(*a*) Nempe juxta Lxx. idque juxta ipsam veritatem, licet contra sentire videatur Hieron.

לעינים *pro oculis*, i. e. *ductor* & *monstrator viæ*, ut habet Vulgata Editio; nequaquam absurdum fore, aut alienum, si עינים pro Mercuriali statua, vel tali aliquo signo, quod viam monstrabat, accipiatur, quæ fere in locis, ubi multæ viæ occurrunt, poni solent. Lxx. Hebræam vocem licet corruptam reliquerunt, πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνάν, *ad portas Ænan.* Hieron. in Tradit. asserit non esse nomen loci, sed sensum esse, *sedit in bivio, sive in compito, ubi diligentius debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat.* Vulg. *in bivio itineris.* Similiter R. Sal. בפרשת דרכים, *in divisione viarum*, seu *in bivio.* Bivium potest appellari *Pethac Enajim*, i. e. *apertio oculorum*, quod cum quis in bivio constitutus est, oculos aperiat oportet, ut quam viam ingrediatur, dispiciat. Ita forte intellexit Jonathan, qui interpretatur, בפרשת אורחין דכל עיינין מסתכלין תמן i. e. *in divisione viarum, ubi omnes oculi diligenter animadvertunt.* Potest autem & locus publicus sic appellari, quod istic omnes oculi versantur, in loco publico omnium oculis quis est expositus; & haud scio an is Jonathæ sensus fuerit; Verba enim ejus sic reddi possunt, *in divisione viarum, ubi omnes oculi contemplantur, vel intuentur.*

וַתְּכַס בַּצָּעִיף וַתִּתְעַלָּף *Et operuit* (se) *velo, & involvit se.*] LXX. περιεβάλετο τὸ θέριστρον, καὶ ἐκαλλωπίσατο, *induit theristrum, & adornavit se.* צעיף hic velum, quo facies obtegitur, denotare apparet ex ver. 15. Vide supra ad cap. 24. 65. Verbum autem התעלף significat *sese involvere*, nec proprie *ornatum* denotat, etiamsi Onkelos ita interpretari videatur. ואתקנת; quod Fagius vertit, *& ornavit se*; atque ita etiam Shindlerus in suo Pentaglotto in radice עלף. At exponi potest, idque fortasse rectius, *Et aptavit*, seu *paravit se.* Optime autem Jonathan, ואטפת, i. e. *obtexit*, vel *obvelavit se.* Sic R. Salom. *operuit faciem suam, ne quis eam cognosceret.*

15. *Existimavit eam esse meretricem*] Nimirum quia (ut explicat R. Sal.) in propatulo, quasi omnibus sese prostituens, sedebat.

Nam faciem suam operuerat.] Hoc non est ita accipiendum, ac si faciem obtegere signum esset meretricis; id enim pudoris potius est indicium; vide cap. 24. 65. Sed rationem continet (ut notat R. Salom.) quare Judah eam non cognovit, sed pro scorto habuit, nimirum quod facies ejus operta fuit, ut eam videre non potuerit. Addit autem R. Salom. antiquiores Rabbinos ita interpretatos esse, ac si sensus esset, quod Thamar, dum in soceri sui domo erat, pudibunda ac verecunda fuit, ac propterea Judah eam minime suspectam habuit. Hanc etiam expositionem recitat Aben Ezræ, eique suum adjicit calculum, dicens, נכון הוא, i. e. *recta est*; at mihi longius petita, & à simplici verborum sensu aliena videtur.

18. *Sigillum tuum, &c.*] Aben Ezra notat Judam præ vehementi, quo in mulierem flagravit amore, tria ob rem leviculam pignori dedisse.

ופתילך *Et armillas tuas.*] Sic Fagius in Collat. interpretatur; quanquam vox est singularis, *armillam tuam*, ut habet Vulg. Lxx, καὶ τὸ ὁρμίσκον, *& parvum monile*, vel *armillam.* *Est autem* (inquit Fagius) פתיל *nomen deductum à* פתל, *quod conjungere & ligare significat. Quidam ex nostris fasciam esse dicunt.* Hæc ille. Chald. ושושפך, *Et pallium tuum.* Sic Fagius vertit; notat autem alios interpretari *sudarium*, (atque ita ipse Fagius in Collat.) alios *vestem*, alios *pallium*. Kimchium denique pro *capitis linteo, ac pallio* accipere. R. Salom. citata hac Chaldæi interpretatione, addit ejus explicandæ gratia, שמלתך שאתה מתכסה בה, i. e. *Et vestem tuam qua opertus es.* Mercero non placet *pallium* vel *tunicam* exponi, quod Iudah nudus non discessisset. Verisimilius igitur putat, quod Ramban & alii conjectant, *capitis tegmen* fuisse, seu *ornamentum velut vittam*, seu *fasciam*, *sudarium linteum*, quo caput etiam viri obvolvebant, uti hodie solent Turcæ; idque voce Chaldaica שושיף vel שושיפא significatum videri. פתיל enim ait proprie esse *filum obortum*, sed per Synecdochen *linteum ex variis filis contextum* significare. Mihi autem æque improbabile videtur, Iudam absque usitato capitis tegmine, ac sine pallio discessisse. Maxime igitur probarim *armillam* hoc voce denotari.

20. ביד רעהו *Per manum amici sui.*] Lxx, ἐν χειρὶ τοῦ ποιμένος αὐτοῦ. Vulg. *per pastorem suum.* Vide supra ad ver. 12.

21. *Ubi* הקדשה *scortum, &c.*] קדש in Piel est *sanctificare*; item *præparare.* Inde קדשה *scortum publicum, prostibulum, meretrix quibusvis parata.* Sic R. Salom. vim vocis explicat, מקודשה ומזומנת לזנות, i. e. *destinata ac parata ad scortandum.* Mercerus refert quosdam antiphrasi dictam putare meretricem קדשה, ut Latine dicitur, *auri Sacra fames*; sed priorem nominis rationem magis probare videtur D. Seldenus de

Iure Nat. &c. lib. 5. cap. 4. ait קדשה in hac Thamaris historia accipi pro מפקרת לזנות, seu *meretrice, quæ in stuprum se publice prostituit*, sive *scorto publico*; atque ita etiam Deut. 23. 18. plerunque Magistris sumi; eodem tamen vocabulo non modo scorta publica ex Lege interdici ad eorum sententiam, esse manifestum, sed etiam amicas qualescunque, quæ sine juris matrimonialis interventu pro libitu se permiserint.

23. *Et dixit Iuda, habeat sibi,* פן נהיה לבוז *ne simus in contemptum, vel opprobrium.*] Onkelos, *ne simus* לחוך, *derisui.* Jonathan, לגחוך quod idem valet. Lxx. μήποτε καταγελασθῶμεν, *sed ne forte derideamur.* Istud ἀλλὰ, *sed*, videtur redundare; Amama citans interpretationem hanc omittit istam particulam. Aquila & Symmachus, γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν, *simus in contemptum.* Vulgatus autem ab omnibus longe est diversus, *Certe mendacii arguere nos non potest.* Mercerus notat hunc locum à vulgato Interprete parum fideliter esse redditum. Quin & Steuchus (uti in Censura sua refert Amama) fatetur hæc aliud sonare, quam quod in Hebræo habetur. Id certe voluit Iudah, jacturam potius faciendam esse eorum, quæ pignori dederat meretrici, quam ut eam investigando res palam fieret, ac se ludibrio exponeret. Sic Lyra, *In Hebræo* (inquit) *habetur, ut non simus despectui; quod exponunt Hebræi sic, Sit suum quod habet de meo, & non requiras amplius, ne factum istud divulgetur ad confusionem meam.*

24. *Producite eam, & comburatur.*] R. Salom. refert nonnullos dicere, quod Thamar erat filia Shem, qui fuit sacerdos, ac propterea combustioni adjudicata. Lyra & Mercerus istam expositionem ex eo rejiciunt, quod Shem diu ante defunctus fuerat. At (etiamsi non ausim dicere vel Melchsedecum fuisse Shemum, vel Thamarem Shemi fuisse filiam, tamen) argumentum istud parum valet. Potuit enim nihilominus Thamar Shemi esse filia; nec adeo vetula, quin ad liberos pariendos esset idonea. Quod autem Lyra objicit, Iudam Thamari dixisse, *Esto vidua in domo patris tui*, quasi inde constaret patrem ejus jam tum in vivis fuisse, recte solutum est à Burgensi, nimirum domum seu familiam alicujus, præsertim si vir magnus fuerit, etiam postquam obierit, ejus nomine quandoque appellari; sæpe enim *domus Davidis* post ejus obitum mentionem fieri. Idem Burgensis refert, ex Hebræis quosdam dicere, idque rationi consentaneum arbitratur, Iudam istic loci principem egisse, & pro arbitrio suo judicasse; inde primum Thamarem comburendam pronuntiasse, postea autem eam ab omni prorsus supplicio liberasse. Mercerus vacillare videtur, eo tamen magis propendet, ut ex sententia magistratuum, qui in ista regione erant, Iudah eam puniendam voluerit. Ego vero existimarim verisimilius esse Iudam non per totam quidem regionem, sed tamen in sua ipsius familia, ea præditum fuisse autoritate, ut capitalem sententiam ferre potuerit.

26. צדקה ממני *Iustior est me.*] Onkelos, זכאה מני מעברא, *justa est; ex me concepit.* Similiter Ionathan, זכאה היא תמר מני מעברא, *justa est Thamar, ex me gravida est facta.* Atque ita etiam R. Salom. *Iusta est in verbis suis; ex me facta est gravida.* At ista expositio nimium est violenta. Neque enim ideo eam justam pronuntiat, quod ex ipso conceperat; quænam enim esset ista ratio? sed nec *simpliciter absoluteque* eam dicit *justam*, seu in re ista innocentem ac puram, sed *tantum comparate ad ipsum*, qui magis in culpa fuit, quod filium suum Selam ei maritum non dederit. *In Hebræo* (inquit Hieron. in Tradit.) *habet, justificata est ex me, non quod justa fuerit, sed quod comparatione illius minus mali fecerit, nequaquam vaga ad turpitudinem, sed liberos requirendo.* Sic Hieron. qui minus commode reddit מני *ex me*, quum potius reddendum sit, *præ me.* Nam מן hic, ut in מיין, *præ vino*, Cant. 1. 4. ac alibi passim, comparationi servit.

ולא יסף עוד לדעתה *Et non addidit amplius eam cognoscere.*] R. Salom. refert quosdam interpretari לא הוסיף, i. e. *non addidit*; alios autem sensu prorsus contrario, לא פסק, i. e. *non cessavit.* Ut Numer. 11. 25. pro eo quod textus Hebræus dicit, ולא יספו Chaldæus habet, ולא פסקין, *Et non cessabant.* At prius procul-dubio est rectum.

27. *Et ecce* תאומים *gemelli, &c.*] R. Salom. notat hic vocem תאומים *plene* scribi, scil. cum Aleph, quia *ambo fuerunt justi*; at cap. 25. ubi de Esavo & Iacobo agitur, scribi *defective*, תומם sine Aleph, *quia unus erat impius.* Eandem etiam notam habet ad cap. 25. 4.

28. *Hic egressus est primum*] *Videtur* (inquit Mercerus) *antequam prodirent, cognovisse esse gemellos in utero; & cum præter solitam rationem partus, unius manus exerta esset, potuit eam hoc signo notare, ut si postea casu aliquo fieret, ut posterior exiret, agnosceretur eum esse primogenitum, quod initio manum protulisset.* Hæc ille. At mirum mihi videtur, exertam manum tantum posse efficere, ut quis pro primogenito habeatur, etiamsi postea manum retrahat, & alter prior toto corpore ex utero prodeat. Putarim igitur non eo spectatum fuisse, ut uter eorum primogenitus esset intelligeretur, sed duntaxat ut qui more adeo inusitato manum exercuerat, hoc signo innotesceret.

29. מה פרצת עליך פרץ *Quomodo rupisti? super te ruptura.*] Chald. מה תקוף סגי עלך למתקף, i. e. *Quam multa fortitudo tibi est ad fortiter agendum?* Vel, *ad prævalendum?* Fagius vertit, *Quam multa fortitudo tibi est? ut prævalueris?* In eundem sensum R. Salom. חוזקה עליך חזק, i. e. *robustus es; super te* (est) *robur.* Paullo fusius Jonathan, מה תקוף סגי תקיפתא הלך ארום למתקף ראוי את עתיד למחסן מלכותא, i. e. *Quam multa fortitudo? prævaluisti, & in te est prævalere; futurum siquidem est, ut regna possideas.* Mercerus sic exponit; *Quid rupisti super te rupturam?* id est, *sepem, quæ inter te & fratrem erat velut interjecta rupisti, fracta secundina, qua inclusus eras, ut fratrem præverteres?* Lxx. τί διεκόπη διὰ σὲ φραγμός; *Quid divisa est propter te maceria?* Videntur legisse נפרצה (b) pro פרצת. Hieron. in Tradit. refert pro *maceria* Aquilam & Symmachum *divisionem* transtulisse. *Ab eo igitur* (inquit) *quod diviserit membranulam secundinarum, divisionis nomen accepit. Unde & Pharisæi, qui se quasi justos à populo separaverant, divisi appellabantur.* Sic Hieron. Ac verum quidem est Pharisæos à separatione nomen istud sortitos; non tamen à פרץ, sed à פרש Pharisæorum nomen derivatur.

(a) Targum Jonathæ, *Nonne filia est sacerdotis? producite eam, & comburatur.*

(b) Et intransitive accepisse.

C A P. XXXIX.

M U N S T E R U S.

1. D*Uctus est*] Hebraice, *demissus est, factus est descendere.* Sic quod sequitur, *Perduxerunt eum*] Hebr. habent, *fecerunt descendere eum.* Est enim verbum Hiphil.

6. *Nec cognoscebat cum eo quicquam*] Nullam rationem reddebat Joseph Domino suo, nec herus ipse sua curabat, sed omnia fideli ministro commisit. Sedebat ad mensam, egrediebatur & ingrediebatur domum, nulla premebatur solicitudine: Joseph omnia accuratissime providebat. R. Salom. putat hic per *panem* intelligi uxorem, qua solus maritus fruebatur, sicut & alibi per *aquam* conjugalis concubitus significatur; quando dicit Sapiens, *Bibe aquam de cisterna tua*, &c. Verum hæc expositio aliena est à litera, etiam secundum multos Hebræos. R. Abraham Sepharadi longe aliter hunc locum intelligit. Nam dicit Joseph nihil ex cibis domini sui cognovisse præter panem siccum quo vescebatur, & tamen habuit vultum elegantem; sicut & Daniel abstinens à regiis cibis vescebatur leguminibus, & interim erat corpulentior & pulchrior illis qui regiis nutriebantur cibis. Alii hanc literam sic legunt & intelligunt, *Nihil habuit Potiphar in domo quod non commune fuerit utrique præter panem*, sive *cibum*; cum Ægyptii horruerint à cibis Hebræorum, sicut infra dicitur, *Non possunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem.*

9. *Non est major quispiam*] Ut ego hunc locum reddidi, ita ab Onkelo est explicatus. Videntur tamen mihi Hebraica sic habere, *Non est ipse*, scilicet Dominus, *major me in hac domo, nisi in hoc quod tu mihi prohibita es.* Steuchus non advertit hic affixum נו quod negationi adjunctum est.

11. *Opportuna die*] In Hebræo sic habetur, *Et factum est secundum hujusmodi aut talem diem.* Rogaverat enim mulier toties Joseph ut sibi acquiesceret, sed non nisi cum opportunum sibi videretur: & cum jam omnino animo destinasset ruere in complexum ejus, opportunum sibi delegit diem, cum scilicet nemo ex familia esset domi. Alii sic hunc locum intelligendum esse dicunt, *Et factum est secundum hunc diem*] *post revolutam hebdomadam*, vel *post lapsum annum*: ut eo die quo cœpit tentare animum juvenis, eo quoque in altero anno conaretur illum evincere quibus posset illecebris.

19. *Uxoris suæ*] Dicitur supra, Potiphar dominum Joseph fuisse eunuchum, quomodo igitur habebat uxorem? Respondent quidam, regios ministros nonnunquam eunuchos vocari, sicut Esa. 39. ubi Jonathan Chaldæus pro סריסים vertit רברבין, *principes.* Idem facit hoc loco Onkelos. Kimhi vero dicit duo esse eunuchorum genera: Unum cui exsecta sunt ביצים, i. ova, sic enim vocant Hebræi testes. Et hi adhuc capiuntur amore mulierum, poteruntque abuti illis: nec adimit illis exsectio facultatem coeundi saltem in multis, tametsi sint infœcundi. Talis eunuchus fuit Potiphar, ut dicit Kimhi. Aliud eunuchorum genus

nus est, cui & בצים & גיד *nervus* ipse, veretrum puto, exsecta sunt. Et hi nullam penitus habent congrediendi facultatem. Et quod sequitur, *Pie inclinatus illi*] Hebræus contextus habet, *tetendit*, vel *divertit, ad illum misericordiam*. Et illud, *Deditque illi gratiam*] in Hebræo sic habetur, *dedit gratiam illius in oculis principis*, &c.

22. *Faciebant*] Quod alii facere consueverant Joseph facere satagebat, sic ut præfectus carceris nihil acciperet in manum, nihilque ageret, sed totum fideli ministro Joseph agendum relinqueret.

FAGIUS.

3. D*Eus secundaret in manu ejus*] i. Quicquid faciebat, sortiebatur eventum felicissimum.

5. *Benedixit Dominus domui Ægyptii*] Sensus est, Auxit opes ejus. Unde Vulgatus interpres Latinus hanc benedictionem non male explicuit, qui hunc locum ita reddidit, *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, & multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam.*

6. *Nec cognoscebat cum eo quicquam nisi panem, &c.*] Varius est horum verborum intellectus. Quidam sic accipiunt, quasi Potiphar omnium rerum à Joseph gestarum plane nullam rationem exegerit, adeo bene fisus est illi, unde etiam omnia sua illi procuranda demandavit. Alii, quod omnia habuerit cum Josepho communia præter cibum. Alii, quod Potiphar plane nihil curaverit, nulliusque rei curam habuerit, quam ut ederet & biberet: q.d. Sedebat ad mensam, egrediebatur, & ingrediebatur domum, de nulla re quicquam solicitus. Sunt præterea qui ad hunc modum exponunt, Quod scilicet Joseph ex omnibus cibis heri sui Potipharis nihil cognoverit, i. nihil comederit, præter panem siccum, quo vescebatur, & nihilominus tamen eleganti forma fuit, sicut & de Daniele legitur, quomodo, à regiis cibis abstinens, vescebatur leguminibus, & interim tamen corpulentior ac pulchrior erat aliis qui regiis nutriebantur cibis. Et huic sententiæ occasionem præbuit quod mox in textu subjungitur, *Et Joseph eleganti forma erat, pulchroque aspectu.* Nec desunt etiam ex nostris quibus hæc sententia arridet. Unde ex Hebræo in Germanicum ita transtulere, **Und er hatte nichts dar von / dan allein daß Brott daß er asse.** Cæterum hæc genuina hujus loci sententia omnino esse videtur, Quod scilicet herus Josephi nullius rei curam habuerit, sed omnia Josepho ut fideli ministro commendaverit, quia omnia accuratissime curavit atque providit, excepto solo pane, quem Joseph non curabat, eo quod Hebræus esset. Cum Hebræis enim non sumebant cibum Ægyptii, ut infra habetur, cap. 43. 32. *Quia non possunt Ægyptii comedere panem cum Hebræis, siquidem id abominatio est Ægyptiis.* Atque hæc sententia maxime probatur sapientissimo Aben Ezræ. Porro nota Hebraismum, *cognoscere cum aliquo*, pro, *communem curam habere.* Hoc sensu paulo mox accipitur, cum dicit Joseph ad uxorem domini sui ad concubitum ipsum solicitantem, *Ecce dominus meus non novit quicquam mecum in domo, omniaque sua tradidit in manum meam. Non novit, &c.* i. Nihil solicitus est de rebus suis domesticis, delegata mihi omnia cura; mihi omnia negotia commisit. Id quod per schematismum, *tradere in manum*, significatur, pro, *committere alteri negotium.* R. Salomo per *panem* putat uxorem, quam sibi solus Putiphar reservarit, reliqua vero omnia cum Josepho communia habuerit. Sed non probatur hæc expositio Abenezræ.

9. *Non est major quispiam*] Possunt etiam hæc sic legi, *Non est ipse*, scilicet Dominus, *major me in hac domo, nisi in hoc quod tu mihi prohibita es.* ¶ *Peccabo coram Domino?*] Q. d. Etiamsi forte homines istud facinus celare possem, tamen Deum celare non possum, qui est inspector omnium, ubique præsens, omnia videns & cognoscens. In illius igitur conspectu cum verser, illumque ubique præsentem agnoscam, quomodo contra illum tam grave peccatum admittam? ille enim maxime offenditur peccatis hominum.

11. *Et accidit quadam die*] Ad litteram est, *secundum hanc diem*, vel *secundum hujusmodi aut talem diem*, i. eadem die, vel simili huic diei, & ei respondente, qua scilicet cœperat solicitare Joseph. Rogaverat enim mulier toties Ioseph ut sibi acquiesceret, sed non nisi cum opportunum sibi videretur: & cum jam omnino animo destinasset ruere in complexum ejus, opportunum sibi delegit diem, cum scilicet nemo ex familia esset domi. Alii sic hunc locum intelligendum dicunt, *Et factum est secundum hunc diem*,] *post revolutam hebdomadam*, vel, *post lapsum annum*: ut eo die quo cœpit tentare animum juvenis, eo quoque in altero anno conaretur illum evincere quibus posset illecebris.

11. *Scripta rationis*] i. libellum dati & accepti.

21. *Et dedit illi gratiam, &c.*] Ad litteram est, *Et dedit eum in misericordiam*, seu *gratiam, in oculis principis carceris*, &c. *Dare* sive *ponere gratiam alicujus in oculis alterius*, est *aliquem gratiosum & charum reddere apud alium.* Unde hic sensus est, Dominus Josephum gratiosum & charum reddidit apud præfectum carceris.

VATABLUS.

1. D*Eductus fuit* הורד] Ad verbum, *factus est descendere.* ¶ *Princeps Pharoh, princeps laniorum:* סריס פרעה וגו׳] Vide suprà c. 37. 36. ¶ *Deduxerunt eum.* הורידהו] Ad verb. *descendere fecerunt eum.*

2. *Prospere agens*; מצליח] *felix, fortunatus*, cui cuncta succedebant pro voto.

3. *Fortunaret.* מצליח] i. dirigeret, h. e. successum felicissimum dabat omnibus rebus quas agebat.

4. *Invenit igitur, &c.* וימצא יוסף וגו׳] Hebraismus, *Joseph fuit gratissimus hero suo, valuitque gratia apud illum.*

5. *Ex quo.* מאז] Subaudi אשר, ut legas ad verbum *ex tunc quod.* ¶ *Fuitque benedictio, &c.* ויהי ברכת וגו׳] Hebraismus, *auxit*, sive *multiplicavit, Jehovah omnia quæ habebat & domi & ruri.*

6. *In manu.* ביד] i. in potestate, h. e. Fidei Joseph omnia bona sua commisit. ¶ *Neque quicquam, &c.* ולא ידע וגו׳] Hebraismus, Nullam rationem reddebat Joseph domino suo, nec herus ipse sua curabat; sed omnia fideli ministro committebat de nulla re alia solicitus quam de edendo & bibendo: sive, ex omnibus rebus suis nullum fructum capiebat præterquam quod alebatur. Vide paulò post, v. 8. Alter ex doctioribus Hebræorum refert ad morem Ægyptiorum de cibis, qui alio genere victus utebantur atque Judæi, q. d. Omnia curabat præter cibum domini sui, quod aliis cibis uteretur Joseph, aliis dominus ejus. *Panis*, pro *omni ciborum genere*, apud Hebræos usitatissimum. ¶ *Pulcher forma, & pulcher aspectu.* יפה תאר ויפה מראה] i. pulcher figura & statu corporis, q. d. formosissimus.

7. *Concumbe.* שכבה] *Dormi, Cuba.*

8. *Non novit, &c.* לא ידע וגו׳] Hebraismus, de quo paulo ante, v. 6. i. nihil solicitus est de rebus suis domesticis, delegata mihi omni cura.

9. *Prohibuit à me.* חשך ממני] i. subduxit, vel subtraxit mihi, q. d. nihil reservavit sibi præter te. ¶ *Peccando* וחטאתי] Ad verb. *& peccabo.*

10. *Juxta illam*, אצלה] *apud eam juxta latus ejus.* ¶ *Ut esset cum ea:* להיות עמה] i. aut saltem fabularetur cum ea.

11. *Secundum diem hanc*, כהיום הזה] i. die quadam consimili huic ac respondenti, qua scilicet cœperat solicitare Joseph: h. e. temporis successu, quum illa non desisteret stuprum offerre sancto Ioseph. ¶ *Ad faciendum opus suum:* לעשות מלאכתו] *ut fungeretur officio suo.* ¶ *Ex domesticis.* מאנשי הבית] Ad verb. *ex viris domus.*

14. *Adduxit nobis.* הביא לנו] *introduxit ad nos*, sub. *vir meus.* ¶ *Et clamavi* ואקרא] *tum clamare cœpi.*

16. *Dominus.* אדניו] Ad verb. *domini ejus.* Plur. Heb. pro Sing.

17. *His fere verbis*, כדברים האלה] Ad verb. *juxta verba hæc.*

19. *Talia*, כדברים האלה] Ad verb. *Juxta verba hæc.* ¶ *Iratus est furor ejus:* ויחר אפו] *excanduit ira ejus.* Hebraismus, *vehementer iratus est, cœpit excandescere mirum in modum.*

20. *Posuitque eum in domo carceris*, ויתנהו אל בית הסהר] *conjecitque illum in carcerem.* Chald. paraph. *tradiditque eum in domum vinctorum*, i. in qua vincti asservantur, h. e. in carcerem. Vox Hebræa significat *carcerem rotundum in modum lunæ.*

21. *Et inclinavit.* ויט] *& extendit.* Hebraismus, *dignatus est illum gratia & misericordia sua.* ¶ *Deditque gratiam, &c.* ויתן חנו וגו׳] Hebraismus, *reddidit eum gratiosum & charum apud præfectum carceris.*

22. *Princeps domus carceris* שר בית הסהר]. i. ille qui præerat carceri. ¶ *Faciebant* עשים] *facere solebant*, i. quæcunque illi facere consueverant, Ioseph satagebat facere. Imo potius, quod vertit Chald. paraph. *quicquid ibi fiebat, juxta verbum ipsius fiebat.* i. ipso authore, jussuque ipsius.

23. *Neque princeps, &c.* אין שר וגו׳] i. præerat carceri, non exigebat rationem à Ioseph eorum quæ tradiderat illi: omnia administrabat Ioseph, nec tamen administrationum ullam reddebat rationem. ¶ *Secundabat:* מצליח] i. dirigebat, aut efficiebat ut prospere succederet.

CLARIUS.

6. *NEc quicquam aliud noverat*] Alius sic vertit, *Nec cognoscebat cum eo quicquam*, h. e. nullam rationem reddebat Joseph domino suo, nec herus ipse sua curabat, omnibus fideli ministro commissis.

9. *Nec quicquam est*] Alius hunc locum sic vertit, *cunctaque quæ habet tradidit in manum meam: non est major quisquam in hac domo quam ego sim: nec quicquam mihi prohibuit nisi te, eo quod tu uxor illius sis.* At Hebraicus sensus videtur sic habere, *Non est ipse*, scilicet dominus, *major me in hac domo, nisi in hoc quod tu mihi prohibita es.*

11. *Absque arbitris*] Heb. *Cum non esset vir ullus ex familia in domo.*

19. *His auditis*] Heb. *Audiens vero dominus ejus verba uxoris suæ, quæ ad illum loquebatur, dicens, Secundum verba ista fecit mihi servus tuus, commotus est furor ejus*, &c. Sed quomodo eunuchus uxorem habuit? Respondent quidam, regios ministros nonnunquam *eunuchos* vocari, sicut Esai. 39. quos, si Latine vocem Græcam interpreteris, *custodes lecti* vel *thalami* appellare possis. Alii ferunt genus esse eunuchorum, qui quamvis infœcundi sint, coire tamen possint.

22. *Et quicquid fiebat, sub ipso erat*] Alius sic vertit, *Et quicquid fiebat, ipse faciebat*, h. e. quod alii facere consueverant, Joseph facere satagebat.

DRUSIUS.

1. Ὁ εὐνοῦχος Φαραώ] Ad hunc locum Scholion est in edit. Romana, Ὁ μὲν Σύρος μιᾷ παραθήσει τὸν πιστὸν ἀπέδωκε, ἢ πιστὸν ἄνδρα λέγει τοῖς δεσπόταις. Hoc verum est. Vocatur enim eunuchus in codice Syro Act. 8. מהימנא quod proprie *fidum* sive *fidelem* denotat. Sequitur in scholio illo, Ὁ δὲ Ἑβραῖος ἀληθῶς εὐνοῦχον, καὶ τοῦτον ἀπὸ τῆς πίστεως, ἐπειδὴ φιλεῖ τὸ τῶν εὐνούχων γένος μάλιστα πιστεύεσθαι τὰ τιμιώτερα τῶν κτημάτων, καὶ αὐτὴν τὴν βασιλέων σωτηρίαν. *Ebræus autem vere Eunuchum, & hunc à fide: Quandoquidem amat eunuchorum genus ut sibi potissimum credantur pretiosissima quaque bona, & ipsamet Regum salus.* Vide sequentia. Eadem scribunt Diodorus & Gennadius, quorum verba invenies in *Catena Patrum.* Aliud scholion ad marginem Quæst. Theodoreti, *Eunuchi nominantur non soli secti, sed etiam qui inter famulos sunt εὐνοῦντες τοῖς ἔχουσι, benevoli habentibus, seu possessoribus: Nonnulli autem dicunt solere eunuchos Ægyptios habere uxores propter libidinem & salacitatem.* Videndus Hieron. in Quæst. ad hunc locum. Abenmelech, *Erant ei secti testiculi, & non ipse nervus: Ideo uxorem habebat: & secundum opinionem Onkeli significat nomen* סריס *Principem ac Præfectum.*

2. מַצְלִיחַ. A. καὶ εὐοδούμενος. Sym. εὐοδούμενος] Καὶ εὐοδούμενος, *Cui recte omnia succedunt.* Εὐοδούμενος, *Cui bene ac prospere res procedunt.* Idem aliter Psal. 1. יצליח Lxx. κατευοδωθήσεται. Sirach. 11. 21. εὐοδωθήσεται, *prosperos successus habebit.* Rursum Sirach 29. 20. κατευθύνοντες, *Qui rectum cursum tenent, Bene agentes, Qui sunt in itinere recto.*

22. אֵת כָּל־הָאֲסִירִם. Sym. πάντας τοὺς δεσμίους, *omnes vinctos.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Igitur Joseph deductus est in Ægyptum, quem emit Phutiphar eunuchus Pharaonis princeps satellitum, vir Ægyptius, è manu Ismaelitarum, qui deduxerant eum illuc.*

Deductus est] הורד. LXX. κατήχθη, quod male redditum, *depositus est.* debet reddi, *deductus est.* Nam κατάγω deduco, deorsum ago. Hiero. *ductus est* הובא. Verbum è verbo, *descendere factus est.* Nam in Ægyptum proprie descenditur ex Judæa. ¶ *Phutiphar*] Φωτιφαρ. 37. 36. ¶ *Eunuchus*] ὁ εὐνοῦχος, i. aulicus aut cubicularius. Procopius ad hunc locum, „Quæ ratio permittit, ut eunuchus cum uxore more veri conjugis concumbere possit? Sed ut mihi videtur, cum esset præpositus familiæ regis, id nomen obtinuit ob officium, cum „neutiquam alioqui spado vel eunuchus foret. Præterea quidam „docet in Scriptura sacra interdum dici eunuchos & spadones, „qui revera non sint castrati, sed illius conditionis esse existimantur: quemadmodum Esaias tres familiares Danielis more pro„phetico spadones & eunuchos nominat, dicens ad Ezechiam: „de filiis tuis, qui ex te egredientur, accipient & facient eunu„chos in domo regis Babyloniorum. Sic Christus vocat unctos, „qui unctionem externam non habebant, sed tantum unctorum „pietatem possidebant. Scholion, *Syrus quidem* (Græca habentur c. 37. v. 36.) *eadem vocabulo nominat & spadonem & virum fidelem Domino.* Vide supra. ¶ *Princeps*] magister, præfectus. ¶ *Satellitum*] carnificum, speculatorum. Proprie, *mactatorum.* Nam usurpatur tam de iis, qui animalia mactant, quam de iis qui homines jugulant. Procopius, *Archimagirus* (ita Græci legunt, ὁ ἀρχιμάγειρος) *scilicet satelles & quasi spatharius.* Spatha genus est gladii. Vegetius annotat ita vocari proprie gladios longiores. Augustinus frameam & romphæam interpretatur. Græce σπάθη. Itali dicunt *spada* & Vascones *espade.* Hinc spatharius. Ceterum Hieronymus hic habet, *princeps exercitus sui.* Leo Judæ, *præfectus rerum capitalium.* ¶ *Ismaelitarum*] *Arabum.* Onkelos & Jonathan. Hinc disces linguam Ismaeliticam eandem esse cum Arabica.

2. *Fuitque DOMINUS cum Josepho, qui erat vir prospere agens, & erat in domo domini sui Ægyptii.*

3. *Viditque dominus ejus DOMINUM esse cum eo, & omnia quæ faceret, DOMINUM prosperare per manum ejus.*

4. *Itaque invenit Joseph gratiam in oculis ejus, ministravitque ei, & præfecit eum domui suæ, & omnia sua tradidit in manum ejus.*

Fuit cum Josepho] adfuit ei. Onkelos & Jonathan, *Sermo DOMINI fuit in auxilio ejus.* ¶ *Prospere agens*] מצליח. post Hier. verti, *prospere agens.* Sic etiam Syrus. Verba Procopii, quibus hoc significat, hæc sunt, *Syrus reddidit, erat vir prospere agens.* Talis Latine felix dicitur, nam prosperum potius numen & prosperos Deos appellamus. LXX. ἐπιτυγχάνων i. ἐπιτυχὴς, felix, qui in consiliis & actionibus suis prospero successu utitur, & voti sui compos fit, assecutus id quod cupiebat, fortunatus: unde & ἐπιτυχῶς, fortunate, feliciter. Interpres Rom. vertit, *prosperans.* Vide supra. ¶ *Erat in domo domini sui*] erat i. versabatur. Sic Ruth 1. 1. *& fuerunt ibi* i. commorati sunt. Sic, *qui es in cœlo* i. habitas. Nam alioqui Deus ubique est. Hinc elicimus servum domesticum fuisse. Nam alii foris in agro faciunt opus, ibique habitant, aut majorem partem versantur. ¶ *Domini sui*] hic rursum est אדניו dominorum suorum, ut plane inepti sint qui negant pluralem usurpari de uno è singulis. Ut אדנים, sic etiam dicimus אלהים Deus, & בעלים Dominus. Vide Jes. 1. 3. Nam ubi nos habemus, *præsepe domini sui*, Ebræus legit בעליו *dominorum suorum.* Nihil certius. ¶ *Dominus ejus*] אדניו ut supra. ¶ *DOMINUM*] יהוה. ¶ *Prosperare*] מצליח, quod modo reddidimus, *prospere agens*, hic significat *prosperans*, sive *secundans*, vel, *prospera efficiens.* Chaldaice מצלח. LXX. εὐοδοῖ, & Hiero. *dirigi.* ידו. ¶ *Per manum ejus*] בידו in manu ejus. ¶ *Gratiam*] Onkelos & Jonathan רחמין miserationes. ¶ *Ministravitque ei*] וישרת אתו. Hiero. *& ministrabat ei.* Optime & rectissime. LXX. καὶ εὐηρέστησεν αὐτῷ, & bene placuit ei. Quod Ebræi potius dicerent ויהי טוב בעיניו & fuit bonum in oculis ejus. ¶ *Præfecit eum domui suæ*] Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *constituit eum ἐπίτροπον super domum suam.* i. curatorem sive præfectum domus suæ: Qualis ille, quem Latini *servum atriensem* vocant. Chaldaice אפיטרופוס, cujus pluralis invenitur אפיטרופין resecta Samech, sicut dicimus לסטים latrones, à singulari לסטס i. λῃστής. Lex. Græco-Lat. vetus, ἐπίτροπος, procurator, tutor. ἐπιτροπεύω, procuro. ἐπιτροπή, ἡ ἐντολή, commissum. ἐπιτροπή, πραγματοφροντίς, procuracio. ἐπιτροπὴ ὀρφανῶν, tutela. Hiero. hic habet, *à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum.*

5. *Fuit autem ex quo præfecerat eum domui suæ, & omnibus quæ habebat, & benediceret DOMINUS domui Ægyptii propter Josephum: fuit, inquam, benedictio DOMINI in omnibus quæ habebat domi & in agro.*

6. *Itaque reliquit omnia sua in manum Josephi, & non noverat cum eo quicquam præter panem, quem ipse comedebat. Erat autem Joseph pulcher forma & pulcher aspectu.*

Ex quo] מאז ex quo, ex eo tempore quo, quod Chaldæi referunt מן עדן דמני. LXX. transtulerunt μετὰ τὸ κατασταθῆναι postquam constitutus. Ps. 76. 7. מאז אפך *ex quo cœperit iratus.* Jes. 14. 8. מאז שכבת. Hiero. *ex quo dormisti.* LXX. ἀφ᾽ οὗ σὺ κεκοίμησαι. Alius, *ex quo occubuisti.* ¶ *Propter Josephum*] Ionathan, *propter meritum Josephi*, quod Chaldaice dicit בגין זכותיה דיוסף. Nam זכו meritum. ¶ *Non noverat cum eo quicquam præter panem*] nullius rei curam gerebat cum eo præterquam panis i. cibi ac mensæ. *Nosse* pro *curare*, ut, *Justus novit faciem jumenti sui.* Ebræi hoc dicunt exponentes לא ידע. Abenezra, R. Levi & alii locum hunc enarrant ex more antiquo, quo non licebat Ægyptiis cum Judæo panem edere, aut eadem mensa

ine[illegible]ti : dequo more alias. Ionathan, *non noverat cum eo quicquam prater uxorem suam propter quam dormiebat.* R. Salomo, *Panis vocabulo honeste uxorem innuit.* Quo pertinet illud, *Viro scortatori quilibet panis suavis est.* Eodem facit, *Panis clandestinus suavior.* Quod extat in libro Proverbiorum Salomonis. ¶ *Quem comedebat*] quo vescebatur. ¶ *Pulcher forma*] forma est apta figura membrorum, quæ pulchritudo dicitur : aspectus in facie potissimum consideratur, cum coloris quadam suavitate. Et forma & aspectu matrem referebat, quæ excellenti pulchritudine prædita fuerat.

7. *Fuit autem post verba hæc ut levaret uxor domini ejus oculos suos ad Ioseph, cui dixit, Cuba mecum.*

8. *Qui renuit, & dixit uxori domini sui, En dominus meus nescit mecum quid in domo, & quæcunque habet tradidit in manum meam.*

Levavit] erexit, sustulit. LXX. ἐπέβαλεν, & eos secutus Hier. *injecit.* Onkelos & Ionathan וּזְקַפַת, levavit. Quidam, *adjecit oculos ad Ioseph.* Nam ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, ut est in Proverbio. Nisi vidisset, non amasset. Ex eo quod præcedit, id quod sequitur. Nam significare vult eam in amorem Ioseph incidisse. ¶ *Uxor domini ejus*] Si vere eunuchus erat, cur uxorem duxit? An voluptatis tantum causa? Neque enim quibuscunque amputantur testes, in eis libidinis ardor extinguitur, imo vero crescit & intenditur in iis qui exsecti jam puberes. Qua de re videndi sunt Magius Miscel. Lib. 2. cap. 5. Steuchus in recognitione V. T. pag. 341. Muretus Variarum Lectionum Lib. 10. cap. 11. Neque tamen inde necessario sequitur quod vult Steuchus. Nam qua fronte ausa fuisset uxor eunuchi, quæ ex marito parere non poterat, appetere concubitum Iosephi ex quo parere poterat. Quæ si peperisset, in manifesto adulterio deprehensa fuisset. Sed hæc doctis expendenda relinquamus. ¶ *Cuba mecum*] Hieron. *dormi mecum.* Ante Lxx. ediderant κοιμήθητι μετ' ἐμοῦ. Ceterum dormio proprie ישן : cubo autem שכב dicitur, quod nunc & in Ebræo, & apud paraphrastas Chaldæos. ¶ *Renuit*] *renuit recedere* (alias, *appropinquare,*) *ad eam*, Ionathan. *Nequaquam acquievit operi nefario*, Hieronymus. οὐκ ἤθελεν, Lxx. i. noluit. ¶ *Uxor domini sui*] אשת אדניו. Uxor dominorum suorum. Paulo post אדני dominus meus. Cur hic singulari, ibi usus est numero multitudinis? Interpretes Chaldæi רבוניה domini sui. Sic etiam Græci τοῦ κυρίου αὐτοῦ. ¶ *Nescit mecum &c*] præter panem quo vescitur, ut ait vers. 6. Qui locus hinc explicandus est. Nam eadem utrobique sententia. ¶ *Mecum*] μετ' ἐμοῦ: Ita vertendum ex Ebræo, non ut in Lxx. δι' ἐμὲ, propter me. Quanquam in Ambrosio, *præter me.* ¶ *Quid in domo*] *quid habeat in domo sua*, Hieron. *quicquam quod in domo*, Ionath. ¶ *In manum meam*] in potestatem meam. q. d. omnia sua mihi credidit, omnia mei juris fecit, meæ fidei commisit. Porro autem habita fides obligat ipsam fidem.

9. *Non est ipse major in domo hac me, neque prohibuit à me quicquam nisi te, in eo quod tu uxor ejus : & quomodo facerem malum hoc magnum, & peccarem in Deum?*

Ipse] Dominus meus. Hoc pronomen neglexerunt qui vertunt, *nullus est in hac domo major me*, vel, *non est major me quispiam in hac domo.* Illud legunt Galli, hoc Leo Iudæ. Trem. *nullus est ei in hac domo major me.* איננו pro אין לו. Dubito an bene. Onkelos ליתוהי non est ipse, quod Ionathan ליתיה edidit. Idem aliter. Hoc videtur velle, Tanta in hac domo polleo autoritate, ut ne quidem dominus meus me major sit. Lxx. οὐχ ὑπερέχει ἐν τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ οὐδὲν ἐμοῦ, quod reddunt, *nihil est in hac domo quod supra me sit.* ¶ *In eo quod tu es uxor ejus*] quatenus tu es uxor ejus. Sed malim, *propterea quod tu sis uxor ejus.* Sic Græci Lxx. διὰ τὸ σὲ γυναῖκα αὐτοῦ εἶναι. Nec aliter Onkelos. Sed & Ionathan quoque hoc prætulit. Sic alibi, בשלמי *propter quem.* Nam בש idem cum באשר. ¶ *Magnum*] vel, *maximum.* ¶ *Et peccarem in Deum*] q. d. non solum in dominum meum peccarem, de me tam bene meritum, sed etiam in ipsum Deum, qui, quæ facimus cunque & audit & videt. ¶ *In Deum*] vel, *Deo.* Hoc dicit, *quia Deus autor matrimonii.*

10. *Fuit autem cum loqueretur ipsa ad Joseph quotidie, nec audiret eam ut cubaret propter eam, ut esset cum illa.*

11. *Fuit, inquam, quodam die ut veniret domum ad faciendum opus suum, nec esset quisquam ex domesticis ibi in domo.*

12. *Et apprehenderet eum veste ipsius, dicendo, Cuba mecum : qui deseruit vestem suam in manu ejus & fugit egressus foras.*

Ad Joseph] *cum Joseph*, Onkelos & Ionathan. τῷ Ἰωσήφ. Lxx. ¶ *Quotidie*] יום יום die die i. quotidie καθ' ἑκάστην ἡμέραν. Lxx. hic habent ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, diem ex die, quod minus probo. Hieron. *per singulos dies.* Ionathan vero יום דין וכל יומא אוחרן die isto & die alio. Onkelos nihil variat à Sante Ebræo. יומאוחרן nomen est compositum ex יום dies & אוחרן alius. Hujusmodi compositionibus delectatur admodum interpres ille. ¶ *Nec audiret eam*] nec auscultaret ei. Ebraice est אליה ad eam. Id Græci transferunt, οὐχ ὑπήκουσεν αὐτῇ, non obedivit ei. Onkelos & Ionathan, *Non acquievit ei.* לא קבל מנה. ¶ *Propter eam*] אצלה prope vel juxta eam. Idem cum illo, *ut cubaret cum ea.* Nam & Lxx. habent καθευδῆσαι μετ' αὐτῆς, ut dormiret cum ea. Onkelos לותה quod Fagius reddit, *cum ea.* Ionathan גבה cum ea vel juxta eam. ¶ *Ut esset cum illa*] Idem aliter. Nam esse cum muliere est cum ea rem & consuetudinem habere. Sic Plautus etiam loquitur. Lxx. τοῦ συγγενέσθαι αὐτῇ, quod reddunt, *ad coeundum cum ea.* Ionathan, *Ut esset reus secum in die judicii magni in seculo futuro.* Nimis hoc dilutum. ¶ *Quodam die*] כהיום הזה plene scriptum pro כיום. Hoc primum : deinde הזה positum videtur pro quodam, & Chaph in otio cubare, nisi vertas, *simili vel tali quodam die.* Græce est τοιαύτη τις ἡμέρα. Nos secuti sumus Hieron. qui habet, *quadam die.* Trem. *Hujusmodi aliquo die.* Gallica, *Un certain jour*, certo aliquo die. ¶ *Ad faciendum opus suum*] Onkelos, *ut inquireret in scripta rationum suarum.* i. *in libellum dati & accepti*, ut Fagius explicat. Ionathan, *Ut scrutaretur in tabulis rationum suarum.* ¶ *Ex domesticis*] ex viris domus. Si nemo domi erat, ubi ergo erant? An ad publicum festum, quod tunc fuisse scribit Iosephus, exiverant? *Nam etiam fœminas ejus celebritatem frequentare mos erat.* Hoc scribit Antiquit. Lib. 2. cap. 3. ¶ *Apprehendit eum veste ipsius*] Hieron. *apprehensa lacinia vestimenti ejus.* Sunt autem laciniæ in vestimento partes extremæ, quas interdum in humerum solemus revocare, quibusque in sinum collectis aliquid gestare consuevimus. Græci πτέρυγας καὶ πτερύγια vocant : Ebræi, nisi fallor כנפים i. alarum nomine eas significant. ¶ *Cuba*] concumbe, dormi, κοιμήθητι. ¶ *Deseruit*] reliquit, dereliquit, dimisit. ¶ *Vestem suam*] superiorem. *Pallium* interpretatur Hieronymus. ¶ *Foras*] extra cubiculum, in quo erat.

13. *Quæ cum vidisset quod deseruisset vestem suam in manu sua, & fugisset foras.*

14. *Vocavit domesticos suos & dixit illis, dicendo; Videte, adduxit nobis virum Ebræum ad illudendum nobis : venit ad me ut cubaret mecum & clamavi voce magna.*

15. *Cumque audiret ipse me sustulisse vocem meam & clamasse, deseruit vestem suam apud me & fugit & egressus est foras.*

Deseruisset] reliquisset. ¶ *Domesticos suos*] qui tunc redierant domum. Verbum è verbo, *viros domus suæ*, sive, ut est in Hieron: *Homines domus suæ.* Lxx. habent τοὺς ὄντας ἐν τῇ οἰκίᾳ, eos qui erant domi. ¶ *Videte*] ἴδετε. Verbum imperativi modi, quod usurpatur pro adverbio. Sane R. Salomo explicat per הרי ecce. Sæpius dicunt חזו ἴδε, quod multi scribunt ἰδὲ, cum in adverbium degenerat. Vide & videte, ut age & agite. Nescio an vide etiam pluraliter usurpetur. ¶ *Adduxit*] maritus. Ionathan supplet ריבונכון herus vester. Certe cum stomacho hæc dici videntur. ¶ *Virum Ebræum*] quendam Ebræum. Aut est pleonasmus, *virum Ebræum*, sicut dicimus, *homo sacerdos, mulier ancilla.* Sic *viri Judæi, viri Athenienses.* Lxx. παῖδα ἑβραῖον; i. עבד עברי servum Ebræum. ¶ *Ad illudendum nobis*] vel potius, *ut illuderet in nos.* Nam Ebraice, בנו. Licet etiam vertere, *ad illudendum in nobis.* Terent. *adeone videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis?* Innuit autem rem veneream sive coitum id est תשמיש, ut Ebræi volunt. Quo significatu Latini dicunt *ludere*, ut in illo Livii veteris poetæ, *Adfatim edi, bibi, lusi:* quod Homerus ante dixerat, τῶν δ' ἔφαγον τ' ἔπιον τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα, ubi τὸ αἰδοῖον pars melior interpretum exponit ἀφροδίσιον. Sic quidam accipiunt Exod. 32. *Surrexit populus ad edendum, bibendum & ludendum:* Quod tamen alii aliter interpretantur. ¶ *Venit*] ingressus est, introiit. Sic הביא Hier. supra vertit, *introduxit.* ¶ *Ut cubaret mecum*] Hieron. *ut coiret mecum.* Lxx. λέγων, κοιμήθητι μετ' ἐμοῦ, mutarunt obliquam orationem in rectam. ¶ *Deseruit*] reliquit. ¶ *Vestem suam*] *pallium quod tenebam*, Hieronymus. ¶ *Apud me*] παρ' ἐμοί. ita Lxx. Ebraice est אצלי propter me. i. juxta vel prope me.

16. *Et reliquit vestem ejus apud se, donec veniret dominus ejus domum suam.*

17. *Locutaque est ad eum in hæc verba dicendo : Venit ad me servus Ebræus, quem adduxisti nobis, ad illudendum in nos.*

18. *Cumque sustollerem vocem meam & clamarem, deseruit vestem suam apud me, & fugit foras.*

Reliquit] vel magis, *retinuit*. Quod in Hier. vel, *reposuit*. Nam הניח pono, colloco. Sed in Lxx. καταλιπών, & in Onkelo שבק quod sign. reliquit. Jonathan habet ואשאר quod à שאר. ❡ *Dominus ejus*] pronomen ad Iosephum refertur. In Ebræo est verbum pro verbo, *domini ejus*, videlicet, אדניו. Cave legas, *dominus suus*. Nam ita dixisset אדניו. Nulla dubitatio ex verbis Ebraicis. Quanquam in Hieron. *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum*: qui sensum expressit non verba. ❡ *Venit*] ingressus est. ❡ *Servus Ebræus*] העבד העברי cum articulo ὁ δοῦλος ὁ ἑβραῖος, vel, ut Græci habent, ὁ παῖς ὁ ἑβραῖος, q. d. insignis ille servus, κατ' ἐξοχήν. ❡ *Deseruit*] reliquit.

19. *Cumque audisset dominus ejus verba uxoris suæ, quæ locuta fuerat ad se, dicendo, Juxta verba hæc fecit mihi servus tuus, incanduit ira ejus.*

20. *Quamobrem accepit dominus Iosephi eum, & posuit in domum carceris, locum ubi vincti regis vincti erant, fuitque ibi in domo carceris.*

Ejus] Iosephi. ❡ *Juxta verba hæc*] quæ tibi dixi: aut lege, *secundum res istas*, ut dicat, sic fecit mihi. Quod Græci amplexi sunt vertentes, οὕτως ἐποίησέ μοι: כדברים האלה. Trem. *omnino hæc fecit mihi*. ❡ *Incanduit*] accensa fuit. ❡ *Dominus Iosephi*] Phutiphar. Et hic in Ebræo אדני domini Ioseph, domini, inquam, non dominus; hoc est, pluralis in sensu singulari. ❡ *Accepit*] rapuit, sumpsit, nempe per satellites suos. ❡ *Posuit*] collocavit, vel, *tradidit*. ita Hiero. Nam inclusit, injecit, quod Græci dicunt ἐνέβαλεν. i. השליך. Scire autem licet in Ebræo esse יתן & in utroque Thargum ומסר & dedit. ❡ *In domum carceris*] אל בית הסהר. Lxx. εἰς τὸ ὀχύρωμα, quod reddunt, *in custodiam*. Lex. vetus ὀχύρωμα, *munimentum*. Sig. etiam arcem sive castellum. Suidas interpretatur etiam *clausuram*. Ejus verba sunt, ὀχύρωμα, ἡ κλεισοῦρα κατὰ ῥωμαίους: & alibi, κλεισοῦραι, ὅτω καλοῦνται τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν ῥωμαίων φωνῇ. Hier. *in carcerem*. Videtur esse vocabulum Ægyptium, cujus ideo explicationem post subjungit. Aut est nomen regii carceris, qui tunc erat apud Ægyptios in aula Pharaonis. Nihil temere statuendum. R. David ita nuncupatum putat à rotunditate q. domum rotundam dicas. Hæc omnia incerta sunt. Hoc tantum certum, carcerem eo nomine denotari. Nam & Onkelos reddit בבית אסירי hoc est, in domo vinctorum. Nec aliter Ionathan, nisi quod in eo בי pro בבית. Amat enim interpres ille ultimas litteras resecare. ❡ *Locum ubi vincti regis &c.*] Quod obscurum erat in lingua Ebraica, id explicat, ut in historia Esther vocem Persicam רמך autor libri exponit בני הרמכים fortem, & אחשתרנים, de sententia Abenezræ, idem interpretatur בני הרמכים quo mulos denotari putant equa natos. ❡ *In domo carceris*] Ionathan hic habet בבית אסירי in domo vinctorum. בבית non בי ut supra. Ierosolymitana בבית משריא in domo, ut sic dicam, ligationis. Nam אסר ligo, vincio, obligo, alligo.

21. *Fuitque DOMINUS cum Josepho, & extendit ad eum benignitatem, deditque ei gratiam in oculis principis domus carceris.*

Fuit cum Josepho] adfuit ei, fuit ei auxilio. ❡ *Extendit ad eum benignitatem*] protendit sive porrexit ei benignitatem. Ebraice וים. Chaldaice vero ונגד & protraxit. Hos. 11. 4. ואט אליו אוכיל protendit ad eum cibum. ואט pro ואטה ut וים pro ויטה. Hoc primæ conjugationis verbum est, illud tertiæ, quam vocant Hiphil. Mercerus, *inclinavit ad eum beneficentiam* i. benignus ei fuit ac clemens. Trem. *extendit ad eum usque benignitatem i. effecit ut sua benignitas ad eum usque carcere inclusum penetraret.* וים עליו. Lxx. κατέχεεν αὐτοῦ ἔλεος. Hieron. *misertus est illius.* Nam חסד antiqua declaratione misericordia. *Extendit ergo ad eum misericordiam* i. misertus est illius. ❡ *Deditque ei gratiam*] ויתן חנו & dedit gratiam ejus. Latine, *dedit ei gratiam* i. gratiosum eum reddidit, gratiam ei conciliavit. Græce est, ἔδωκεν αὐτῷ χάριν. Chaldaice in Onkelo ויהב רחמוהי ויהב in Jonatha ויהב לרחמין posuit gratiam ejus. ❡ *In oculis principis domus carceris*] Hier. *in conspectu principis carceris.* Lxx. ἐναντίον τοῦ ἀρχιδεσμοφύλακος, quod reddunt, *coram principe custodiæ carceris*. Ἀρχιδεσμοφύλαξ, præfectus custodum carceris, qui præest iis qui vinctos in carcere custodiunt. Onkelos רב בית אסירי magister domus vinctorum, sive, in qua vincti detinentur, hoc est, carceris. In Jonatha est בי pro בבית. ❡ *Principis*] præfecti, summi custodis.

22. *Tradiditque princeps domus carceris in manum Josephi omnes vinctos, qui erant in domo carceris, & quicquid faciebant ibi, ipse faciebat.*

23. *Nihil videbat princeps domus carceris quicquam eorum quæ in manu ejus, eo quod DOMINUS esset cum illo, & quod ipse faciebat DOMINUS prosperabat.*

Princeps domus carceris] Lxx. ὁ ἀρχιδεσμοφύλαξ τοῦ δεσμωτηρίου: & mox, καὶ πάντας τοὺς ἀπηγμένους ὅσοι ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. בית הסהר δεσμωτήριον, locus in quo vinciuntur homines, carcer. ❡ *In manum Josephi*] in potestatem Josephi. ❡ *Omnes vinctos*] Symmachus, πάντας τοὺς δεδεμένους. Hier. *universos vinctos*. Græci δεσμώτας appellant, qui in vinculis seu in carcere habentur. ❡ *Quicquid faciebant ibi*] καὶ πάντα ὅσα ποιοῦσιν ἐκεῖ, & omnia quæ faciebant ibi. Docte Hier. *quicquid fiebat ibi.* Nam est verbum personale, ut vocant, pro impersonali. Sic in Euangelio, *hac nocte tollent animam tuam*, pro tolletur anima tua. *Nunciavit Davidi*, pro nunciatum est, & alia sexcenta. ❡ *Ipse faciebat*] הוא היה עשה. Lxx. αὐτὸς ἦν ποιῶν. Hier. *sub ipso erat* ובמימריה הוה. Onkelos, *per sermonem* i. jussu ejus *fiebat*. Jonathan, *ipse præcipiebat ut facerent.* ❡ *Videbat*] curabat, ut ibi, *in monte DOMINI videbatur.* Sic etiam Latini autores loquuntur. Cicero ad Trebat. *mea negotia videbis, meque ante brumam expectabis.* in Lucullo, *Tribunum aliquem censeo videant.* Ad Atticum, *ut prandium nobis videret.* ❡ *Eorum quæ in manu ejus*] בידו in manu ejus, & subaudio אשר, ejus quod in manu ejus. Quidam, *non inspiciebat quicquam eorum quæ in manu ejus* i. quæ ab eo gererentur. Tantum ei fidebat. Hiero. *Nec noverat aliquid cunctis ei creditis.* Lxx. οὐκ ἦν γινώσκων δι' αὐτὸν οὐδέν, *non erat cognoscens* i. e. non cognoscebat, *propter ipsum quicquam.* Onkelos, *non videbat ullum crimen in manu ejus.* Quicquam i. quicquam mali. Jonathan, *non erat necesse ut præfectus carceris custodiret Josephum juxta morem omnium vinctorum, quia non videbat ullum crimen in manu ejus, propterea quod &c.* ❡ *Prosperabat*] Secundabat.

AMAMA.

VErsibus 5. 6. 19. &c. multa prætermisit Interpres non frustra à Mose posita. Eos si quis cum Lxx. contulerit, videbit ab ipsis longe fidelius ea esse reddita, ne quid de Chaldæo dicam, cui religio fuit vel syllabam transmittere silentio. Mihi si omnia & singula omissionis errata recensere esset propositum, hæc commentatio mea succresceret in grande volumen.

GROTIUS.

1. *EUnuchus*] Sic & supra XXXVII. 36. ubi Græca versio τῷ σπάδοντι [*spadoni*], quod obstat quominus εὐνοῦχον [*eunuchum*] hic, ex origine magis quam ex usu, cubiculi præpositum intelligamus. Fuerit ergo aliquis ex exoletis Ægypti regis, quales deinde ad diversas dignitates promoveri solebant. Vide II Reg. VIII. 6. I Sam. VIII. 15. ubi mores vicinorum regum describuntur: & Jerem. XXXIV. 19. moribus Hebræorum jam corruptis. Chaldæus vertit רבא, quasi dicas megistana.

2. *In cunctis prospere agens*] Lxx. ἀνὴρ ἐπιτυγχάνων [*vir adipiscens*]: Aquila κατευθυνόμενος [*bene directus*]. Symmachus εὐοδούμενος [*prospere incedens*], non male omnes. Sensus in illo Homerico versu,

Ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξῃ.
[*Cui multus labor, atqui operi Deus addit honorem.*]

quæ interpretatio ipsius nominis Josephi.

6. *Nec quicquam aliud noverat nisi panem quo vescebatur*] Securus rerum omnium epulis tantum indulgebat.

11. *Ut intraret Joseph domum*] Nomen Joseph ad sensum clariorem addendum hic censuere & Lxx. Samarites quoque, & Syrus.

15. *Cumque ego succlamassem & audisset vocem meam, reliqui pallium*] Simile illud in Hippolyto Senecæ:

——— en praceps abit,
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.

Sequitur ibidem:

Pignus tenemus sceleris.

Nimirum, ut Juvenalis utar verbis ex Satyra x.

Erubuit nempe hæc ceu fastidita repulsa;
Nec Sthenebæa minus quam Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ. mulier sævissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet.

Similem enim calumniam Bellerophonti intentavit Sthenebœa, ut & Astydamæa Peleo.

CART-

CARTWRIGHTUS.

6. *Nec sciebat cum eo quicquam nisi panem, &c.*] R. Salom. per *panem* vult *uxorem* intelligi, ut sensus sit, Potipharum nullius rei curam habuisse præterquam uxoris suæ. Sic Ab. Ezra refert nonnullos velle per *panem* occultè significari concubitum cum uxore ipsius (שרמז כנוי לשכיבת אשתו) Istam autem expositionem tanquam ineptam merito rejicit, ac existimat sensum esse, omnia Josepho in manum fuisse tradita præter panem; eum autem non licuisse Josepho tangere, quod Hebræus esset; quemadmodum dicitur cap. 43. *Ægyptios non potuisse comedere cibum cum Hebræis.* Ista expositio maxime arridet Fagio; mihi autem simplicior veriorque videtur hæc interpretatio, quod Potiphar planè nihil curavit, nullius rei curam habuit, nisi ut ederet ac biberet, q. d. *Sedebat ad mensam, egrediebatur & ingrediebatur domum, de nulla re quicquam solicitus.* Atque ita nonnullos interpretari refert Fagius. Hunc simplicem esse sensum asserit Mercerus, quod herus ignoraverit quid rerum domi suæ gereret Joseph, omnibus ei concreditis, ut pro arbitrio suo omnia administraret: tantum de cibo erat solicitus; non aliud curabat, quam ut cibum sumeret.

7. *Et conjecit oculos suos in Josephum, &c.*] *Ut vidi! ut perii!* Hebræi (ut notat Kimchi ad Ezech. 20. 7.) dicunt, עין ולב (a) תרי סרסורי חטאה, i. e. *Oculus & cor sunt proxenetæ peccatorum,* Abrabaneel ad istum Ezechielis locum sic istud Hebræorum recitat, עין ולב תרי סרסורי דעבירה, id est, *Oculus & cor sunt duo proxenetæ transgressionis.* Merito igitur Job *fœdus cum oculis suis pepigit,* Job. 31. 1. Et David precatus est, *Averte oculos meos ne intueantur vanitatem.* Psal. 119. 37.

8. *Ecce Dominus meus non novit, &c.*] LXX. εἰ ὁ Κύριός μου οὐ γινώσκει, *Si Dominus meus non cognoscit.* Videtur legendum ἰδὲ, ἰδὲ vel ἰδοὺ ὁ Κύριός μου, &c. In Hebræo est הן, *en, ecce.* Alibi autem observavi etiam LXX. Interpretes particulam hanc vertisse, εἰ, *si*, nisi forsan lectio sit depravata. Hoc certe in loco juxta istam interpretationem, *Si Dominus meus, &c.* Sententia manet suspensa, & imperfecta.

9. אֵינֶנּוּ גָדוֹל בַּבַּיִת הַזֶּה מִמֶּנִּי *Non est major in domo hac quam ego.*] Vel potius, *Non est ipse major, &c.* ut interpretatur Mercerus: qui notat, si sensus esset, Non esse quenquam alium majorem Josepho, dicendum fuisse, אין גדול בבית הזה ממני, cum autem dictum sit, איננו, sensum esse, ne ipsum quidem herum in domo sua Josepho esse majorem. Acuta sane ac erudita observatio.

10. *Nec auscultavit ei,* לִשְׁכַּב אֶצְלָהּ לִהְיוֹת עִמָּהּ *ut cubaret juxta eam, ut esset cum ea.*] Noluit Joseph (uti observat Aben Ezra) cubare in loco ei propinquo, neque cum ea ad colloquendum manere.

11. וַיְהִי כְּהַיּוֹם הַזֶּה *Et fuit quodam die.*] Ad verb. *Et fuit quasi hac die.* Aben Ezra putat sensum esse, hoc accidisse post unam septimanam, ex quo incepit Josephum solicitare ad concubitum; aut post mensem unum, vel denique post integrum annum. Atque hoc maxime probat, ut eodem die post annum revertente hoc accidisse intelligatur. Simplicius videtur diem quendam indefinite intelligere. R. Salom. putat diem quendam fuisse publicæ alicui solemnitati destinatum, unde factum fuit, ut omnes foris essent. LXX. ἐγένετο δὲ τοιαύτη τις ἡμέρα, *Facta est autem talis quædam dies.* Vulg. *Accidit autem quadam die.*

14. וַתִּקְרָא לְאַנְשֵׁי בֵיתָהּ *Et vocavit, vel inclamavit viros domus suæ.*] LXX. καὶ ἐκάλεσε τοὺς ὄντας ἐν τῇ οἰκίᾳ, *Et vocavit eos, qui erant in domo.* Ad ver. 11. dicitur neminem in domo fuisse. LXX. igitur per τοὺς ὄντας ἐν τῇ οἰκίᾳ videntur intelligere τοὺς ὄντας ἐκ τῆς οἰκίας. Sic enim ver. 11. habent, καὶ οὐδεὶς ἦν τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἔσω, *& nemo eorum, qui in domo, erat intus;* ubi τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ, *eorum qui in domo,* pro τῶν ἐκ τῆς οἰκίας, *eorum qui de domo,* omnino ponitur; alioqui enim in verbis aperta esset contradictio.

20. אֶל־בֵּית הַסֹּהַר *In carcerem.*] Sic Vulg. LXX. εἰς τὸ ὀχύρωμα, *in munitionem,* seu *in locum munitum.* In Edit. Rom. Latine vertitur, *in custodiam.* Onkelos, לבית אסירי. Et similiter Ionathan, בבי אסירי, i. e. *in domum vinctorum.* Aben Ezra fatetur se nescire, utrum סהר sit vox Hebræa, an Ægyptiaca, quia statim sequitur ejus explicatio; quemadmodum (Esth. 8.) vox האחשתרנים, cum sit Persica, exponitur per בני הרמכים. At quod hic additur, carcerem istum fuisse locum, *ubi vincti erant regis captivi,* non tam ad explicandam vocem *Sohar,* quam ad distinguendum istum carcerem ab aliis carceribus, positum videtur. Mercerus refert ex Hebræis quosdam velle carcerem fuisse subterraneum, in cujus superiori parte esset foramen, per quod lucem reciperet tantum, & per quod in illud esset ingressus, à voce Chaldaica טיהרא *fenestra:* Ipse autem à rotunditate mavult locum sic appellari, ut in (b) Cant. אגן הסהר, *crater rotunditatis,* i. e. *rotundus,* quasi lunari forma. R. Nathan Mordecai in Concordantiis exponit hanc dictionem *Sohar,* עגול מוקף ,מקום, i. e. *rotundum, vel locum circundatum, conclusum.*

(a) Debet esse סרסורי.

22. *Et quicquid ibi faciebant,* הוּא הָיָה עֹשֶׂה *ie erat faciens.* Aben Ezra refert quosdam sic interpretari, quasi Joseph eandem cum illis artem exerceret, unde viveret: ipse autem existimat sensum esse, quæcunque iis opus erant, Iosephum quasi fecisse, quod eis præfectus esset. Hanc expositionem confirmari ait ex versu sequenti. Onkelos, cui astipulatur R. Salom. במימריה הוה מתעביד, *per verbum ejus,* seu *ex mandato ejus factum fuit.* Eodem sensu Ionathan, הוא מפקד למעבד, *is præcepit eis ut facerent.* Hunc genuinum loci sensum esse non dubito, præfectum carceris omnia Iosepho demandasse, ut nihil à quoquam in carcere nisi ejus autoritate fieret.

(b) Cant. 7. 2.

CAP. XL.

MUNSTERUS.

2. *Eunuchos suos*] *Fuerunt,* inquit Gerundensis, *hi duo præfecti & magistri pincernarum atque pistorum in domo regiarum mulierum: evocavitque eos rex, & tunc ad mulierum custodiam deputavit.* Quærunt Hebræi in qua de re peccaverint isti duo regis ministri, respondetque R. S. in hunc modum: נמצא זבוב בכוס פוטירין של המשקה וצרור בגלוסקין של האופה *Quia,* inquit, *inventa fuit musca in poculo, sive phiala; & lapillus in torta panis.* Responsio digna tali Theologo. Aben Ezra finxit aliam causam, Quod videlicet voluerunt prodere regnum. Si fuerunt proditores, quare uterque non fuit suspensus?

4. *Per dies*] Intelligunt Hebræi communiter per ימים, *dies,* absolute & sine adjectione scriptos, שנים עשר חדש, *duodecim menses,* sive *annum;* sicut & supra cap. 24. 55. dicitur, *Maneat puella nobiscum per dies aut decem,* h. e. *per annum aut decem menses.* Kimhi hanc signat rationem, *Noster,* inquit, *annus integris conficitur diebus: non sicut absimus aut addimus ei aliquot horas; & idcirco* ימים *vocatur annus.* Verum nescio si hæc ratio curioso satisfaciat lectori. Si annus ipsorum constat integris diebus, cur colligunt singulis annis epactas dierum, horarum & minutiarum, quas adjiciunt futuro anno? Annus non potest constare integris diebus, postquam sol & luna suos circulares motus non absolvunt integris diebus.

5. *Juxta interpretationem somnii sui*] h. e. Quisque habuit somnium indicans quid sibi in posterum esset eventurum. Et quod sequitur, *Consternati*] potest etiam sic verti, *Irati.* Aben Ezra tamen exponit, נבהלים, *inquieti, commoti.*

13. *In locum tuum*] Hebraice, על כנך, *super basim tuam,* vel *paramentum tuum,* h. e. ut Onkelos vertit, על שמושך, *in officium tuum.* Et quod sequitur, *Quod si recordatus fueris mei,* &c. nos præcise vertimus ut habent Hebræa. Translator vero noster vertit præteritum in imperativum; nam sic habet, *Sed memento mei,* &c.

16. *Canistra candida*] Dicit *candida* propter קלוף מקלות, *virgularum decorticationem.* Sunt etiam ex Hebræis qui חורי hic accipiunt pro חור, *foramine:* & tunc hæc erit lectio, *Erant tria canistra perforata super caput meum,* &c. Alii interpretantur, לחם לבן, *panes albos.*

20. *Dies natalitius*] Est hic הולדת infinitivus passivus in Hiphil, repræsentatque Dages in Lamed, quietem Jod vel Holem. Et intelligitur per hunc natalitium diem vel יום תקופת שנת, *dies annua revolutionis,* vel יום הריון המלכה שנולד בו, *dies quo uxor regis filium concepit.* Et quod sequitur, *Et recensuit caput*] in Heb. est, *& levavit caput.* R. S. exponit, מנה, *numeravit eos cum cæteris ministris.* Onkelos vero vertit, ואדכר *& recordatus est.*

FAGIUS.

1. *Post illa*] Ad literam est, *Factum est autem post verba illa,* i. post res illas gestas. פתגמא *pithgama* enim in Chaldaismo,

daismo, sicut דבר *dabar* in Hebr. nunc *verbum* sive *sermonem*, nunc *rem gestam* significat.

2. *Contra duos principes suos*] Heb. על שני סריסיו, *contra duos eunuchos suos.* Dixi supra ex sententia Hebræorum, סריס *Saris* non semper *castratum* & *eum qui caret testiculis* significare: sed aliquando ministerii tantum nomen est, *principem*, *præfectum*, & *regium ministrum* significans; quemadmodum hic & in aliis locis Paraphrastes Chaldæus transtulit. R. D. K. scribit, duo esse eunuchorum genera: Unum, cui exsecti sunt testiculi: & hi adhuc capiuntur amore mulierum, poteruntque abuti illis: nec adimit illis exsectio facultatem coeundi, saltem in multis, tametsi sint infœcundi. Talis eunuchus, teste Kimhi, etiam fuit Potiphar. Aliud eunuchorum genus est, cui & testiculi & nervus, veretrum puto, exsecta sunt: & hi nullam penitus habent congrediendi facultatem.

3. *Per dies in custodia*] i. unum annum integrum. Quidam interpretantur *per aliquot dies.* Verum prior lectio quibusdam verior videtur. Per *dies* enim sæpe annus in Hebraismo intelligitur. Qui hoc fiat, supra in cap. 4. ex Hebræis annotavi.

5. *Juxta interpretationem somnii sui*] i. indicans quid in posterum esset eventurum utrique eorum in officio suo.

7. *Nunquid à facie Domini est interpretatio?*] Vult dicere, Dei sunt interpretationes, non hominis: illius est revelare quid somnia sibi velint, significent atque portendant.

14. *Conferas obsecro in me hoc beneficium*] Sensum reddidi: nam ad verbum est, *facies obsecro mecum bonitatem.* Est autem Hebraismus, *facere misericordiam*, *gratiam* sive *bonitatem*, pro *misereri alicujus*, & *conferre in aliquem beneficium.*

16. *Tria canistra candida*] i. facta ex viminibus decorticatis. Vel, *canistra perforata.* Nam חורי Hebræis, Chald. חרירי, etiam *foramen* significat. Et quia חור *quod nobile*, *insigne ac præcipuum est* etiam significat, ideo quidam pro *pane nobiliore*, qui reliquo ferè candidior est, accipiunt. Quam lectionem sequitur Complutensis editio, quæ habet, *Tria canistra plena pane principali.* Verum duæ priores lectiones magis probantur, maxime autem prima.

20. *Capitis principis pincernarum*, &c.] Heb. *Et elevavit caput principis pincernarum*, &c. Est autem *elevare caput*, Hebraismus, pro *recensere*, *recordari*, & *reminisci alicujus non sine honore*, sicut & Paraphrastes noster reddidit. R. Salom. hunc locum (vel potius versum duodecimum, *Memor tui erit Pharao*) sic explicat, *Cum numerabit Pharao servos suos, ut sibi ministrent in convivio, tui memor, te quoque cum illis numerabit, pristinoque muneri tuo te rursum restituet.*

I D E M.

16. והנה שלשה סלי חרי על ראשי, *Ecce erant tria canistra candida super caput meum.*] Variatur in vocabulo חורי, quod quia πολύσημον est, i. *multa habens significata*, ideo diverso modo exponitur. Primo *album* significat; hinc quidam ad *canistra* referunt, quod ea scilicet alba ac candida fuerint. Alii vero ad *farinam* retulere, ut Lxx. quos sequitur & Lat. Vulg. editio. Nonnulli pro candido pane qui in castris fuerit accipiunt. Secundo, חור etiam *foramen* significat, unde quidam interpretantur *canistra foraminata*, seu *perforata.* Aliquando חורי quod *nobile*, *insigne ac præcipuum est*, Significat: hinc quidam pro pane nobiliore qui reliquo fere candidior est exponunt; sicut Complutensis vertit Paraphrasten Chaldæum, *Et ecce tria canistra plena pane principali super caput meum.* R. D. Kimhi in Radicibus suis hunc locum sic explicat, סלי חורי ושרה זה טוב לכן כלומר סלים עשוים מן הקלות המקולפות והם לבנים אחר הקלוף *Bene quadrat ut per* סלי חורי, *intelligantur* canistra alba, q. d. *facta ex viminibus decorticatis*, *quæ post decorticationem albicant.*

19. בעוד שלשת ימים ישא פרעה את ראשך, *Adhuc tres dies sunt, & elevabit Pharao caput tuum.*] Septuaginta & Vulg. interpres, imitati Paraphrasten Chaldæum, sensum probe expresserunt. Nam schema Hebraicum, *elevare caput*, quod hic usurpat Scriptura, *recensere*, *mentionem alicujus facere*, *recordari & reminisci alicujus non sine honore* significat. Quemadmodum & R. Salomo in hunc sensum præsentem explicat locum. Cum numerabit Pharao servos suis ut sibi ministrent in convivio, tui memor te quoque cum illis numerabit, pristinoque muneri tuo te rursum restituet.

V A T A B L U S.

1. *Accidit autem his gestis* ויהי אחר הדברים האלה] Ad verbum, *Et fuit post verba ista*, i. post res istas gestas.

3. *Principis laniorum*, שר הטבחים] Vide supra c. 37. 36. i. in carcere ipso destinato vinctis Regiis, qui jussu Regio vincti detinebantur.

4. *Et præposuit princeps*, &c. ויפקד שר וגו׳] *Et posuit* [*collocavit*] *princeps militum*, *Joseph apud illos*, *ut ministraret eis.* Alii, *Et præcepit magister militum de Ioseph* [*ut esset*] *cum eis: & ministrabat eis.* ❡ *Per annum* ימים] Ad verb. *per dies.* Doctus inter Hebræos vult pro *diebus perfectis* accipi, i. pro anno. Alii vero dicunt eos falli qui pro spatio unius anni integri & absoluti accipiunt: & potius notationem esse diuturni & tamen incerti temporis, ut ex aliis locis patet. In hunc sensum quidam verterunt, *fueruntque aliquot dies in carcere.*

5. *Juxta interpretationem somnii sui*, כפתרון וגו׳] Hebr. *prout cuique evenit*, vel, *quemadmodum res postea ostendit*, vel *indicans quid in posterum esset eventurum utrique eorum in officio suo.*

6. *Dolore affecti*: זעפים] *tristes*; vel, *perturbati & attoniti.*

7. *Tristiores*: רעים] *afflicta.* Ad verb. *mala.*

8. *Qui responderunt ei*: ויאמרו אליו] Ad verb. *Et dixerunt ad eum.* ❡ *Et non est*, &c. ופותר אין] Præposterus ordo Hebræis, *& qui interpretetur illud, non est.*

9. *Me somniante*, &c. בחלומי וגו׳] Ad verb. *In somnio meo*; *ecce vitis erat*, &c.

10. *Rami*: שריגם] *propagines.* ❡ *Erumpebatque flos ejus*, &c. עלתה נצה וגו׳] Ad verb. *ascendit flos ejus*, *percoxerunt botri ejus racemos.* i. videbatur flores emittere, ipsique flores videbantur erumpere, & racemi ad maturitatem perduci.

12. *Rami*: השריגים] *propagines.*

13. *In fine trium dierum*: בעוד שלשת ימים] *Intra tres dies*; vel, *Post tres dies.* ❡ *Exaltabit Parôh caput tuum*: ישא פרעה את ראשך] *recensebit* [vel *numerabit*] *Parôh caput tuum*; i. te, sub. *inter reliquos ministros.* *Extollere caput alicuius* significat *erigere aliquem ex humili contemptaque fortuna ut censeatur aliquo loco*: extollet ergo Pharao caput tuum, h. e. educet te ex tenebris carceris, vel jacentem levabit ut in pristinum statum restituat ❡ *Et restituet te ad locum tuum*, והשיבך על כנך] Ad verb. *& redire fecit te in gradum tuum*, sub. *pristinum.* Præt. Heb. pro fut. Chald. paraph. *restituet te ministerio tuo*, vel *officio & muneri.*

14. *Sed memento mei*: כי אם זכרתני] Præt. Heb. pro fut. & fut. pro optativo, vel per modum deprecationis accipitur, ut loquuntur Hebræi. Sic & Chald. paraph. *Veruntamen memineris mei obsecro.* Alii, *Tantum recorderis mei.* ❡ *Et facias*, &c. ועשית נא וגו׳] Hebraismus, *hoc beneficium conferas in me.* ❡ *Et educas me*, והוצאתני] i. cures ut extrahar.

15. *Furto ablatus sum*: גנב גנבתי] Ad verb. *furtim auferendo furtim ablatus sum.*

16. *Me somniante videre videbar*: אף אני בחלומי והנה] Ad verb. ut v. 9. *in somnio meo ecce tria*, &c. ❡ *Alba*: חורי] *candida*, i. facta è virgis decorticatis, quæ post earum decorticationes sunt albæ. Ita doctus inter Hebræos, tametsi probet interpretationem eorum qui exponunt, *canistra foraminum*, h. e. perforata, aut habentia multa foramina. Alii, *canistra tortarum sub prunis decoctarum*, quæ dicuntur עגות. sic & Chald. paraph. Jerosolymitanus. Alii, *canistra candoris*, i. plena panis albi, sive candidi.

19. *In fine trium dierum*: בעוד שלשת ימים] Ut supra, v. 13. *Post tres dies*, i. Exacto spatio trium dierum. ❡ *In ligno*: על עץ] *in patibulo.*

20. *Et recensuit*, &c. וישא את ראש וגו׳] i. dum recitaretur catalogus servorum Pharaonis, numerati sunt & isti inter servos alios. Ad verbum, *in medio servorum suorum.*

21. *Et restituit*: וישב] Ad verb. *Et redire fecit.*

C L A R I U S.

3. PRincipis militum] Vel, *principis laniorum.*

4. *Aliquamdiu temporis fluxerat*] Heb. *fueruntque per dies in custodia.* Intelligunt autem Hebræi communiter per *dies* absolute & sine adjectione scriptos, *duodecim menses*, sive *annum.*

5. *Juxta*

5. *Juxta interpretationem congruam sibi*] Vel, *juxta interpretationem somnii sui*, h. e. Quisque habuit somnium indicans quid sibi in posterum esset eventurum.

23. *Et tamen succedentibus prosperis*] Heb. *Nec recordatus est princeps pincernarum Joseph, sed oblivioni tradidit eum.*

D R U S I U S.

4. **P***Rœposuit Josephum cum eis*] Aut *præfecit*, *constituit*. Particula *cum eis* turbat nonnihil. R. S. exposuit, *ut esset cum eis*. Sic infra v. 14. *memineris mei tecum*, ut sim tecum. Alii, *commendavit Josephum eis*: Cui simile in Latio, *oro tecum*. Tremellius, *ut committeret Josephum cum eis*. Id aliam sententiam continet, veluti cum dicimus, *inter se cives committere*, i. in contentionem deducere. Malim, *commisit Josepho illos*, ut sit את pro אל, quæ enallage insolens non est, & אתם pro אותם. Nam contra אתם *eos* ponitur pro אתם *cum eis*. Lxx. vertentes, συνέστησε τῷ Ιωσὴφ αὐτοὺς, *commendavit Iosepho eos*, hanc interpretationem valide confirmant. Hieron. *tradidit eos*, ויפקד. ¶ *Et fuerunt sibi dies in custodia*] Tribus modis hoc exponitur ab interpretibus. Uno modo sic, *Fuerunt dies aliquot*, vel *aliquandiu*, ut Gen. 24. 55. *Maneat apud nos dies aut decem*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Nam sunt qui exponant, *annum*, *aut decem menses*. *Dies* enim, i. ימים, aliquando *annum* significat, ut ibi, *diebus erit redemptio ejus*, i. anno. Quomodo & hic enarrant Salomo & Levi Ebræi. Vide sis Animad. meas. Hæc igitur est secunda expositio. Tertia reperitur apud Tremellium, *diebus multis*, ac si esset ימים רבים. Videndum an eo sensu simpliciter ימים usurpetur. *Dies aliquot* Ebraice diceretur, ימים אחדים. Nam אחד *aliquis*, *quidam*. Notavi antea.

7. *Facies*] פנים ex iis vocibus est quæ in terminatione plurali sæpe sensum habent singularem, ut ibi, *Cur cecidit facies tua?* proinde melius redditur *facies tua* quam *facies tuæ*, licet in fonte sit verbum plurale, *ceciderunt*. Nam tunc habetur ratio terminationis, ut cum dicimus אלהים קדשים *Deus sanctus*, & התעו אתי אלהים *errare fecit Deus*. Secus est hoc loco, *Cur facies vestræ malæ sunt hodie?* Nam hic de duabus sermo est. Tamen non peccabit qui vertit, *Cur vultus vester malus est hodie? Vultus malus*, i. tristis, mœstus, ut Cohel. 7. 3. *In malitia vultus*. quod Græce legitur ἐν κακίᾳ προσώπου. Noster ad sensum optime, *per tristitiam vultus*. Sic *cor malum*, i. triste, mœstum, 1 Sam. 1. 8. Contra *cor bonum* est animus lætus ac hilaris; & *bonus corde*, qui est animo læto: Prov. 15. 15. *Bonus corde*, *juge convivium*, quasi in perpetuo convivio est, jugesque nuptias celebrat. Sed & cor bonum facit, qui illud exhilarat; & ipsum cor bonum facit hominem, quando eum lætum reddit. Vide Cohel. 11. 9. 10.

15. *De terra Ebræorum*] Terra Chanaan, in qua patriarchæ Ebræi advenæ commorati sunt, vocatur *terra Ebræorum*, propter eam causam quam dixi, vel certe quoniam à Deo Ebræis data fuit hæreditario jure possidenda. Hoc malim. Dicitur etiam *terra septem gentium*, & *terra Amorræi*, & *terra Promissionis*, i. promissa, & *terra sancta*, *electa*, &c. Item *terra peregrinationis Abraham*, *Isahac* & *Iacob*, nec non *terra Iudæorum*. Nam Judæi qui Ebræi.

I D E M.

1. משקה מלך־מצרים והאפה A. ὁ ποτιστὴς τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου, καὶ ὁ πέσσων, *Pocillator regis Ægypti*, & *coquens*] *Pocillator*, vel *pincerna*; qui &, *à poculis*. Hieron. *Ubi nos posuimus Principem vinariorum*, *in Ebræo scriptum habet* משקה, *quem nos possumus more vulgi vocare Pincernam. Nec vile putetur officium*, *cum apud Reges barbaros usque hodie maxima dignitatis sit Regi poculum porrexisse*. Ποτιστὴς, ad verb. *qui potum præbet*, quod est ποτίζω, & latius patet quam οἰνοχόος. Nam οἰνοχόος, *qui vinum fundit*; ποτιστὴς, *qui etiam zythum præbet*. Onk. שקיא præbens potum, qui & שקי. Nota in Lxx. hic esse, ἀρχιοινοχόος, *princeps vinariorum*. Sic ὁ ἀρχισιτοποιὸς, *princeps pistorum*. Simile ut cum *sacerdos* ponitur pro *summo sacerdote*, & *angelus* pro *archangelo*. ¶ *Coquens*] i. pistor. Duplex hic est archaismus: primum *coquens* pro *coquo*; deinde *coquus* pro *pistore*. Festus, *Coquum* & *pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus*.

6. זעפים A. ἐμβριμώμενοι, *æstuantes*. Sym. σκυθρωποὶ, *tetrici*. ¶ *Æstuantes*, vel *jactati fluctibus cogitationum*. Tralatio à mari, quod tempestate jactatur & concutitur. Sic Gregorius,

Ἔνθα καὶ ἔνθα κακοῖς βρασσόμενον μεγάλοις. &,
Βρασσομένους τι πόθοισι καὶ ἀργαλέαις μελεδῶσι.

¶ *Tetrici*, *tristem vultum gerentes*, *vultuosi*. Quod sequendo, Hieron. vertit, *tristes*. Lex vetus, Σκυθρωπὸς; *mæstus*, *tristis*, *contristis*. Sirach. 25. 21. πρόσωπον σκυθρωπὸν, *vultus tristis*. Qualem præ se ferunt hypocritæ. Vide Matth. 6. 16.

10. שלשה שריגם A. & Sym. τρεῖς κληματίδες, *tria flagella*] Vel, *sarmenta*, vel, si placet, *palmites*, i. κλήματα. Lexicon Hesychii, Κληματίδες, αἱ ἐκ τῶν κλημάτων δέσμαι, *fasces flagellorum*, seu *palmitum è vite excisorum*. Hieron. *Tria flagella* & *tres ramos sive propagines Ebræo sermone sign. quæ ab illis vocantur* SARIGIM. In Lxx. πυθμένες, quod reddunt, *propagines*; & alius, *radices*; & alius, *fundi*. Vide Rom. Lat. Hinc intelliges quid sit apud Hieron. *Et ecce vitis in conspectu meo*, & *in vite tres fundi*, & *ipsa germinans tres fundos*. At apud Ambrosium, *in vite autem tres radices*.

16. שלשה סלי חרי A. τρεῖς κόφινοι γύρεως. Sym. τρία κανᾶ βαϊνά] Κόφινοι, *cophini*. Hieron. *Pro tribus canistris chondritorum*, *tres cophinos farinæ in Ebræo habet*. Interpres quoque Matthæi, qui eum in Ebraicum sermonem convertit, סל posuit pro eo quod in Græco κόφινος, *cophinus*. Quanquam סל etiam κανοῦν, i. *canistrum*, notat. Lex. Græco-Lat. vetus, Κόφινος, *corbes*, *corbula*, *qualus*, *corbis*. Et Latino-Græcum, *Corbis*, εἶδος κοφίνου. *Cophinus* ergo latius patet. In eodem lexico, Κανοῦν, *canistellum*.

Γύρεως, *pollinis*. Nam γύρις, *pollen*. Declinatum videtur à חור, quod præter Hieron. etiam alii *farinam* interpretantur: & legimus apud interpretem nostrum, *tria canistra farinæ*. In libro nom. Ebraicorum, *Chorri*, *farina*. *Chorræus*, *farinatus*. ¶ Τρία κανᾶ, *tria canistra*. Hujus singularis κάνεον & κανοῦν. Dicitur & κάνης, *canistrum*, & Hesychio κανὼν, unde τρία κανᾶ, in nonnullis editionibus. ¶ Βαϊνά. Alibi est βάϊνα. Quid hoc sit, nescio. Si conjecturæ locus, videtur significare voluisse *canistra candida* sive *alba*, h. e. ex viminibus decorticatis & albis contexta. Sane חור *candidum*: unde חור in lingua Chaldæorum, i. *album*, & בני חורים *candidati* sive *candidis vestibus induti*, h. e. nobiles. Sic apud Romanos posteriores *candidati* dicebantur, non ii qui peterent, ut olim, sed honestioris ordinis cives; ut *pullati*, vulgus promiscuum, quos, חשוכים appellant, q. *obscuros* & *tenebricosos* dicas. Hoc certum. Illud de βαϊνὰ ambigens pono, non adfirmans. Dies nos alia docebit. ¶ Βαΐς & βάϊον, *ramus palmæ arboris*. Unde vir doctus & amicus meus putabat esse βαϊνὰ, significareque *canistra ex viminibus palmæ*, *ramisve illius arboris*.] Jonathan hic posuit *canistra panis puri*. Et Hierosol. *canistra panis albi*, si modo נקיין significat *album* seu *candidum*. In edit. Rom. βαϊνὰ, *quidam ex Ebræo interpretantur alba*. Quod lucem accipit ex jam dictis. Onkelos, *tria canistra libertatis*, i. *libera* καὶ ἐλεύθερα. Quomodo Lxx. hanc vocem interpretantur 3 Reg. 21. 8. 11. item Neh. 13. 7. Atque hinc בן חורים υἱὸς ἐλευθέρων, Eccl. 10. 17. חרי ἐλεύθερος, חורים ἐλεύθεροι. Magis *nobiles* & *ingenuos* notat, ut possis vertere, *tria canistra nobilis*, sub. *panis*. Panem autem nobilem intelligo qui vulgo Heeren broodt, *panis dominorum*, vocatur: estque panis exquisitissimus & delicatissimus. Nam aquæ loco lac adhibetur in conficiendo hoc pane. Ita sim salvus, ut mihi hæc interpretatio præ cæteris arridet. Nam albus חור dicitur, non חרי, a quo pluralis חורים *nobiles*, vel, si placet, *heroes*. Et quid si legamus, *tria canistra panis heroici?* חרי & חורים ut יהודי & יהודים *Judæi*.

N O T Æ M A J O R E S.

1. *Post verba ista peccarunt pincerna regis Ægypti* & *pistor in dominum suum regem Ægypti.*

Post verba ista] μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, his ita gestis. ¶ *Peccarunt in regem*] offenderunt regem. Quo autem crimine offenderint, incertum. Nihil temere affirmandum. Ionathan, *Judicatum fuit dicendo*, *peccarunt princeps pocillatorum regis Ægypti*, & *princeps pistorum*, *consiliumque ceperunt de jaciendo veneno in cibum ejus* & *potum ejus ad occidendum dominum suum regem Ægypti*. Minus probabile quod in Salomone Trecensi, *Musca inventa fuit in illius phiala*, & *lapillus in hujus pane*. Logi. פילי פטירי duo vocabula Græca sunt φιάλη καὶ πτηνόν. גלוסקין tortæ panis. Singularis גלוסקא. Scribitur & קלוסקא torta. Forte a κλάσμα, unde κλωσμὸν, tortum. מזג misceo, item infundo. Hinc מזגא qui vinum infundit, pocillator, pincerna. רב מזגא magister pincernarum. נחתום pistor. סם המות pharmacum lethale i. venenum. רבונה & רבונים dominus

minus eorum. ¶ *Pincerna*] pincerna summus, ut mox, *pistor*, pistor summus. Hunc Græci vocant interpretantes ἀρχισιτοποιὸν principem pistorum: illum appellant ἀρχιοινοχόον principem pincernarum. Sic alibi *sacerdos* ponitur pro summus sacerdos, & *angelus* pro summus angelus sive archangelus. Cujus rei observatio lucem afferet illi loco Tobiæ, *Ego sum unus ex septem angelis*: quem vir doctus non intellexit. Nam ut sunt angeli innumerabiles, ita septem archangelos esse, quos Johannes Theologus *Spiritus* vocat, religio tradit. ¶ *Pistor*] האפה. Aquila ὁ πέσσων, coquens i. pistor. Lxx. ἀρχισιτοποιὸς. Optime & rectissime. Onkelos נחתומא pistor. Ionathan רב נחתומיא præfectus pistorum. ¶ *Dominum suum*] In Ebræo est ad verbum, *dominos suos*. Quod iterum noto, quia iterum occurrit. Frustra igitur est qui negat pluralem nunquam usurpari sensu singulari.

2. *Itaque succensuit Pharao duobus eunuchis suis, videlicet principi pocillatorum, ut principi pistorum.*

3. *Tradiditque eos in custodiam, quæ in domo principis satellitum, in domum carceris, ubi Joseph vinctus erat.*

Succensuit] vel, *iratus fuit*. Quod Græci dicunt ὠργίσθη. Onkelos רגז, Jonathan כנס. Ebraice קצף in quo significatio spumæ, quæ קצף dicitur, sicut in spumam effervescere dicimus de homine irato. Consule observationes meas. ¶ *Duobus eunuchis suis*] ἐπὶ δυσὶν εὐνούχοις αὐτοῦ. Onkelos & Jonathan רברבנוהי vel si mavis רברבני principibus suis. Tremell. *contra duos aulicos suos*. ¶ *Principi pocillatorum*] *qui pincernis præerat*. Hieron. Ceterum in antiqua editione erat, *princeps vinariorum*. Est autem vinarius proprie qui vinum vendit, οἰνοπώλης. Onkelos רב שקי princeps eorum qui potum dabant. ¶ *Tradidit*] vel, *posuit* i. ἔθετο, ut Lxx. habent. Hieron. *misit*. ויתן. ¶ *In custodiam quæ in domo*] Verbum è verbo, *in custodiam domus*. Est enim משמר nomen, ut loquuntur, constructum, ut מטרת quod in Onkelo. Quanquam in Jonatha כ משמר: quod ita dicitur ut מלכות קדש regnum sanctorum pro בית מטרא רבית φυλακῇ τῆς οἰκίας. ¶ *Satellitum*] Carnificum, Spiculatorum. ¶ *In domum carceris*] εἰς τὸ δεσμωτήριον Lxx.

4. *Et præfecit princeps satellitum Josephum cum illis, qui ministravit illis, & fuerunt dies aliquot in custodia.*

Præfecit Josephum cum illis] *ut esset cum illis*. Sic R. Salo. explicat להיות אתם. Gallica editio, *bailla la charge d'eux à Joseph*, commendavit eos Josepho, curationem eorum detulit Josepho. Uterque Chaldæus מני ית יוסף *constituit Josephum cum illis*. ¶ *Princeps satellitum*] Lxx. ὁ ἀρχιδεσμώτης, quod reddunt, *princeps carceris*. Ambrosius cap. 6. *carceris clavicularius*. Vox Græca videtur potius sonare princeps vinctorum, ut ἀρχιερεὺς est princeps Sacerdotum. Sane quidem δεσμώτης vinctus, captivus dicitur. Carcer autem δεσμωτήριον appellatur. Unde & in vinculis esse dicitur, qui in carcere vinctus detinetur. ¶ *Dies aliquot*] ימים dies pro dies aliquot, ut supra 24. 55. Lxx. ἡμέρας. Hieron. *aliquantum temporis*. Trem. *diebus multis*. Onkelos & Jonathan יומין diebus. R. Salomo, *diebus* i. *duodecim mensibus*. R. Levi, *diebus* i. *anno*, *ut ibi*, *diebus erit redemptio ejus*. *Nam annus est dies magnus*, & *dies est annus parvus*. Vide sequentia. ¶ *In custodia*] *In domo custodiæ*, Jonathan.

5. *Somniarunt autem somnium ambo, quisque somnium suum nocte una, unusquisque juxta interpretationem somnii sui, pincerna & pistor regis Ægypti, qui vincti erant in domo carceris.*

Somniarunt somnium] Hieron. *viderunt somnium*. Prius οἱ ό. ediderunt εἶδον ἐνύπνιον. ¶ *Ambo*] ἀμφότεροι. ¶ *Quisque*] איש Vir i. quisque. ¶ *Nocte una*] ἐν μιᾷ νυκτὶ i. quadam. Sic *vir unus*. Quidam 1 Reg. 20. 35. item 1 Sam. 1. 1. & 2 Sam. 18. 22. *Ficu arborem unam* Matth. 21. λόγον ἕνα, rem quandam Matth. 21. 24. Dicimus etiam *in uno dierum* pro quodam die; *in una urbium*, in quadam urbe. Tremell. *nocte eadem*. Sic etiam Gallici translatores. ¶ *Unusquisque*] Vir. ¶ *Juxta interpretationem somnii sui*] juxta sententiam somnii sui, quam primum interpretatio Josephi, deinde post eventus declaravit. ¶ *Pincerna*] ὁ ἀρχιοινοχόος Lxx. ¶ *Pistor*] ὁ ἀρχισιτοποιὸς. Idem. ¶ *Regis Ægypti*] אשר למלך מצרים οἳ ἦσαν τῷ βασιλεῖ Αἰγύπτου, qui erant regis Ægypti. למלך regis, ut לדוד Davidis, quod Græci reddere solent τῷ Δαυίδ. ¶ *Qui vincti erant in domo carceris*] brevius Græci οἱ ὄντες ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. alias ἐν τοῖς δεσμωτηρίοις, qui erant in vinculis, vel, si mavis, in carcere. Nam δεσμωτήριον, carcer. Onkelos & Ionathan, *qui vincti erant in domo vinctorum*.

6 *Et venit ad eos Joseph mane, viditque eos, & ecce ipsi tristes erant.*

7. *Et interrogavit eunuchos Pharaonis qui cum illo erant in custodia dicendo, Cur facies vestræ malæ sunt hodie?*

Tristes] זעפים irati. Lxx. τεταραγμένοι, turbati, perturbati. Vide supra. Onkelos נסיסין irati. Fagius, *tristes* interpretatur. Ionathan עציבין. Hinc discimus זע & נס diversas radices esse. R. Salomo עצבים dolore affecti, dolentes. Abenezra משתומים commoti & concussi. ¶ *Malæ*] *tristiores solito*, Hieron. σκυθρωπά. Lxx. *Malæ sunt hodie quam aliis diebus quibus hic fuistis*. Ionathan. Cohel. 7. 4. ברע פנים. Vulgata, *per tristitiam vultus*. Sic etiam alii. Lxx. ἐν κακίᾳ προσώπου. Aquila κακώσει. Contra *bonum* pro *læto* ponitur. Ut *cor bonum* i. lætum, hilare.

8. *Dixeruntque illi, Somnium somniavimus; nec est qui interpretetur illud: & dixit eis Joseph, Nonne Dei sunt interpretationes? narrate nunc mihi.*

Qui interpretetur] פותר interpretans. Chaldaice פשר. Vide פשר in Jonatha. Lxx. ὁ συγκρίνων, quod vertunt, *qui convertet*: ego, *qui interpretetur*. Unde σύγκριμα ἐνυπνίου, interpretatio somnii, & σύγκρισις Dan. 2. 3. & passim in eo capite. Usus est eodem significatu Theodotio. ¶ *Dei*] לאלהים Deo i. Dei, vel à Deo. Sic ליהוה DOMINI vel à DOMINO, ut ubi legimus apud interpretes nonnullos, *Salus DOMINO*. ¶ *Nunc*] vel, *quæso*. Prius habent Onkelos & Jonathan: posterius Trem. & alii. In Lxx. est οὖν, igitur. ¶ *Interpretationes*] פתרונים. Lxx. ἡ διασάφησις. Hier. *interpretatio* פתרון. An est plur. pro sing.? Chald. פשרא.

9. *Narravit ergo princeps pincernarum somnium suum Josepho, & dixit ei, In somnio meo & ecce vitis ante me.*

10. *Et in vite tres palmites, & ipsa quasi efflorescebat, erumpebat gemma ejus, coquebant botri ejus uvas.*

In somnio meo & ecce vitis coram me] pro eo habentium ac si diceret, in somnio meo vidi & ecce &c. Aut, in somnio meo eram. i. somniabam, & ecce &c. Lxx. ἐν τῷ ὕπνῳ μου ἦν ἄμπελος ἐναντίον μου: in somnio meo erat vitis ante me. ἐν ὕπνῳ est quod Latini dicunt, *in somnis*, *per somnium*, *sive per quietem*. Aut ὕπνῳ voce utuntur pro ὄναρ, ut 20. 3. & 31. 10. Nam somnus Ebraice שנה dicitur. חלום certe non significat somnium, sed ἐνύπνιον i. somnium vel insomnium. Lexicon Vetus, ὕπνος, *somnus*, *somnum*. Forte leg. somnium. Hier. *Videbam coram me vitem*. Santes, *me somniante ecce vitis erat coram me*. Leo Judæ, *Quum somniarem*, *en vitis erat coram me*. Potest fieri ut copula redundet. Nam id novum non est in his litteris. Trem. *in somnio meo cum ecce vitis coram me esset*. Gallica, *videbar mihi somnians videre vitem ante me*. ¶ *Palmites*] שריגים. Lxx. πυθμένες. Interpres Romanus, *propagines*. Ambrosius, *radices*. Hieron. & Augustinus, *fundi*. Verba Hieronymi vide supra. Onkelos שבשין, quod Fagius reddit *palmites*. Proprie rami implexi & intricati. De *ficu* usurpat Ionathan Iod 1. 7. Ubi Lxx. habent κλήματα & Ebræi שריגים in quo etiam significatio perplexitatis. Ionathan hoc loco שבשין edidit, quod nusquam alibi mihi adhuc repertum. Santes, *rami*. Trem. & Leo Judæ, *palmites*. Galli, *sarmens*, sarmenta. R. Salomo, *palmites longiores qui vocantur* וידי״ש. Forte *vitis*. Vox Aquitanica. Iohannes Davinus Nemausensis mihi dixit in ea lingua significare sarmenta vitium (alias flagella) sive palmites, quos Ebræi שריגים appellarit. ¶ *Et ipsa quasi efflorescebat*] והיא כפרחת & ipsa quasi florescebat suberat. i. videbatur florescere, aut revera florescebat. i. flores emittebat, ut Chaph sit ἀληθινόν. Possumus etiam vertere, *quumque ipsa effloresceret*. Quod Onkelos & Ionathan elegerunt. Lxx. καὶ αὐτὴ θάλλουσα, quod reddunt & *ipsa ferens flores*. i. ἀνθοῦσα. Nam ἀνθεῖν dicuntur plantæ, quum flores emittunt, ut θάλλειν, quum frondes & germina. Trem. & *ipsa quasi germinaret* כאפרחא. Sane quidem germen proprie nox appellatur. Græci ἀναπαλὺν vocant aut βλαστόν. Flos פרח dicitur: cujus pluralem פרחים Exod. 25. 34. Symmachus vertit ἄνθη i. flores. Hieron. *Lilia*. Lxx. κρίνα. Sed Nah. 1. 4. פרח. Hier. *Flos*. Lxx. ἐξανθοῦντα. Videndus hoc loco Moses Gerundensis. ¶ *Erumpebat gemma ejus*] עלתה proprie ascendebat, & נצה gemma ejus pro נצתה ut נגה dicimus pro פנה angulus ejus. Aut absolute נץ gemma, id quod flore decusso subnascitur. Cui succedit בסר sive בֹּסֶר uva immatura, quæ & בכור. Vernacule ווינ״ט, ait R. Salomo, quod non intelligo. Gemma Gallice *bouton*. Lxx. hic habent ἀνενηνοχυῖα βλαστούς, proferens germina. i. נצים. Hier. *crescere paulatim in gemmas*. Onkelos אפיקת לבלבין נץ producebat flores & emittebat gemmas. Ionathan אפיקת לבלבין producebat flores suos. לבלבין flores an potius gemmæ? Ita Fagius interpretatur. Licet vertere, *Cujus quasi florescentis & gemma erumpebat*, & *botri coquebant*. i. *ad maturitatem perducebant uvas*. ¶ *Coquebant*] maturabant, maturas faciebant, quod

quod vulgo dicunt, maturescere faciebant. Coquere hoc significatu usurpat Persius Satyr. 3.

—— Siccas insana canicula messes
Jamdudum coquit.

i. maturat. q. d. maturitatem adfert frugibus. Et Varro de re rustica lib. 1. cap. 7. *quæ arbores in ordinem satæ sunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus Sol ac Luna coquunt, quo fit ut uvæ & oleæ plures nascantur, & ut celerius coquantur.* Sed quid? An botri maturant uvas? In botris maturantur à Sole, non ipsi eas maturant. Id movit interpretes nonnullos ut verterent, *maturescebant botri ejus, fuerunt uvæ maturæ.* Nam tunc demum ענבים vocantur, quum maturuerunt. הבשילו maturuerunt, ut הלבינו albuerunt, dealbati sunt. הבישו pudore affecti sunt. Hanc interpretationem firmabis authoritate Chaldæorum interpretum Onkeli & Ionathæ. Quanquam in Fagio, *maturabant uvæ ut fierent botri.* Omnino vertendum, *coquebantur botri ejus, fuerunt uvæ.* Sic in Ionatha, *statim maturabantur botri ejus, fuerunt uvæ.* Tremellius quoque, *maturescerent botri ejus, mox essent uvæ maturæ.* Ceterum botros Ebræi vocant אשכלות. Onkelos עִנְבִין. Ionathan עוּלִין, unde Segol dicta putatur, quod signum botri habeat.

11. *Et calix Pharaonis erat in manu mea, & accepi uvas & expressi eas in calicem Pharaonis, & dedi calicem in manum Pharaonis.*

Expressi eas] ita Hier. quem secutus sum. Nec aliter ceteri, nisi quod in Sante, *& exprimebam.* Lxx. ἐξέθλιψα αὐτὴν. Nam præcedit τὴν σταφυλὴν, hoc est uvam pro uvas. Onkelos & Ionathan ועצרית יתהון quod etiam significat exprimere. Verbum שחט alibi non exstat in textu. Frequens autem est in Deuterosi Ebræorum, ut cum dicunt אין שוחטין את הזיתים לכתחילה משקין non exprimunt fructus &c. שחיטה עצר ait R. David. Dicunt etiam שחט Sin in Samech versa. Hoc verbum Abenezra male cum שחט, quod mactare significat, confundit, & Saadiam culpat, ipse potius culpandus, qui inter Schin & Sin nullum discrimen ponit. Porro sensus est, ut si diceret, exprimebat ex eis vinum, quod postea infundebat in calicem Pharaonis. Nam uvas exprimere in ipsum calicem non puto moris fuisse. Tamen nihil affirmo. Si quis aliter sentiat, nolim cum eo contentionis funem ducere propterea. ¶ *Calicem*] aut poculum, τὸ ποτήριον. Ebraice כוס. Chaldaice כָּסָא.

12. *Tum dixit ei Ioseph, Hæc est interpretatio ejus, Tres palmites tres dies sunt.*

13. *Intra tres dies tollet Pharao caput tuum, & restituet te in statum tuum, dabisque calicem Pharaonis in manum ejus, juxta consuetudinem pristinam, cum esses pincerna ejus.*

Tres palmites] תלתא שביבין tria flagella. Thargum quod ab urbe nomen accepit. תלת מצוין Ionathan. Vide quæ notavimus ad vers. 10. ¶ *Tres dies sunt*] i. significant. סימן הם לך לשלשה ימים ait R. Salomo. ¶ *Interpretatio ejus*] ἡ σύγκρισις αὐτοῦ. Lxx. Notat Aben Ezra, quod nescio an verum sit, *nomen* פתרון *non inveniri nisi cum voce* חלום i. somnii. ¶ *Intra tres dies*] בעוד שלשת ימים in adhuc tribus diebus. Lxx. ἔτι τρεῖς ἡμέραι עוד שלשת ימים. Hieron. *tres adhuc dies sunt.* Probarem si sequeretur copula ונשא & tollet. Trem. *cum adhuc tres dies.* i. intra dies tres. Onkelos & Ionathan, *in fine trium dierum* בסוף. Quod idem cum illo, *post tres dies.* Sed discrimen est. Nam *post* i. אחר aut קֵץ à fine trium dierum. ¶ *Tollet caput tuum*] tollet i. recensebit. Hoc vult, Cum familiam aut servitia lustrabit, te quoque recensebit ac numerabit in eorum catalogo. Male vir doctus exponit, *eriget te ex humili abjectaque fortuna ut censearis aliquo loco.* Nam pistori, cui idem dicitur, hoc non quadrat. Lxx. μνησθήσεται τῆς ἀρχῆς σου, recordabitur principium tuum. i. principatum aut qualis in principio fuisti. Hier. *recordabitur ministerii tui.* Onkelos, *recordabitur tui Pharao.* Jonathan, *extollet caput tuum cum honore.* ¶ *In statum tuum*] על כנך super basin tuam, ut Exod. 38. כנו basin ejus. Lxx. ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν. Est autem ἀρχιοινοχοΐα munus quo fungitur princeps pocillatorum. Hier. *in gradum pristinum.* Ambrosius, *super officium tuum pristinum.* Onkelos & Jonathan, על שמושך in ministerium tuum. R. Salomo, *super basin tuam & sedem tuam.* Quidam, *in locum tuum.* על מקומך. Trem. *basin tuam* i. *locum vel sedem: tralatio à vasis domesticis ad adjuncta hominum officia,* ut 41. 13. R. David, *in locum sedis tui, in quo firmus eras ab initio.* Firmus i. נכון quod amant reddere ἕτοιμος, paratus. ¶ *Iuxta consuetudinem pristinam*] כמשפט הראשון juxta judicium prius. Judicium pro consuetudine poni notavi olim in meis Observationibus. Chaldæi הלכתא usurpant eodem sensu. Dicunt autem הלכתא קדמאה aut מנהג קדמון mos pristinus. Lxx. κατὰ τὴν ἀρχήν σου τὴν προτέραν, secundum principium tuum pristinum. Hic *principii* vocem usurpo pro *principatu*, ut sæpe interpres noster, & Suetonius cap. 31. *Augusti principium clade Variana memorabile factum.* Lexicon Græco Latinum Vetus, ἀρχὴ, *imperium, magisterium, præsidatus, principium:* & ante, ἀρχὴ τὸ προοίμιον, *exordium.* Hier. *juxta officium tuum sicut ante facere consueveras.* Trem. *Secundum munus pristinum.* משפט an pro munere sumatur nescio. Hoc scio, œconomicam administrationem aliquando משפט dici. Usurpatur & de administratione regni. Leo Judæ, *juxta pristinum morem.* Gallica, *selon le premier office*, juxta officium prius. Arias, *secundum rationem priorem.* ¶ *Pristinam*] priorem. ¶ *Pincerna ejus*] *potum præbens ei.* Onkelos. οἰνοχοῶν vinum fundens i. pocillator, quod Jonathan dixit מזוג. Nam מזג misceo, infundo. Verbum est οἰνοχοέω, vinum infundo: Unde οἰνοχοΐα vini infusio, munus pincernæ, & ἀρχιοινοχοΐα dignitas & officium ejus qui principem locum inter pincernas obtinet.

14. *Quod si memineris mei tecum, quum bene tibi erit, (& facias quæso mecum benignitatem, memineris que mei apud Pharaonem) educes me ex domo hac.*

15. *Nam furtim surreptus sum ex terra Ebræorum, & etiam hic non feci quicquam, quod conjecerint me in hunc laccum.*

Quod si] כי אם quod si, ut Prov. 2. 3. Alii, *sed*, & Lxx. ἀλλά. Chaldaice אלהין in Onkelo & Jonatha. Hier. *tantum.* Gallica, *mais.* Hilcuni, *Forte si.* ¶ *Memineris*] recordatus fueris. ¶ *Tecum*] ut sim tecum, vult dicere, ut liberer ex hoc ergastulo. Trem. *apud te*, quod cum sequentibus conjungit. Puto rectum esse, *quod si memineris mei apud te* i. apud animum tuum q. d. Si tu tantum mei recordatus fueris. Lxx. διὰ σεαυτοῦ, quod reddunt *per temetipsum.* ¶ *Facias mecum benignitatem*] i. benigne. Latine, utaris erga me benignitate, aut exerceto in me benignitatem. (Lxx. καὶ ποιήσεις ἐν ἐμοὶ ἔλεος. Hier. *& facias mecum misericordiam.*) Sed melius ut exponamus, *confer in me hanc gratiam*, seu, *istud beneficium.* Onkelos & Jonathan pro benignitate vel misericordia טיבו retulerunt i. bonitatem. ¶ *Quæso*] נא. R. Salomo אין נא אלא לשון בקשה. Tamen Onkelos & Jonathan *nunc* i. כען & כדון. ¶ *Educes me*] facile poteris me educere. ¶ *Ex domo hac*] Hiero. *de isto carcere.* Cave rejicias. Nam domus pro carcere usurpatur, ut Græce οἴκημα. Sic enim recte Athenienses honesto vocabulo τὸ δεσμωτήριον vocabant, ut referunt Pollux & Plutarchus in Solone. Sane Jes. 14. 17. ביתה. Hier. & Santes, *carcere.* R. David בית האסור domus carceris. Rei firmandæ est editio τῶν ὁ, in qua ἐκ τοῦ ὀχυρώματος τούτου & Onkelos cum Jonatha, *ex domo vinctorum hac.* Chaldaice מן בית אסירי הדין. Videtur autem breviter dictum מן הבית הזה pro eo quod est מן בית הסהר הזה ex domo carceris hac. ¶ *Furtim surreptus sum*] גנב גנבתי quod è verbo reddunt, *furando furatus sum.* Male. Nam furor i. furtum facio. גנב verbum passivum est. Sententia est ut si diceret, *per plagium furtive surreptus sum.* Græci legunt κλοπῇ ἐκλάπην, quod interpretantur, *furto furtive sublatus sum.* Hiero. *furtim sublatus sum.* Κλέπτομαι, furto subtrahor, furto auferor. Idem גנב de quo supra. Onkelos מגנב גניבנא furto surreptus sum. גניבנא compositio participii ex גניב & אנא ego. Jonathan, מגנב אתגנבית per furtum furtive ablatus sum, vel si mavis, furto surripiendo furto surreptus sum. Tremel. *per plagium surreptus sum.* ¶ *Ex terra Ebræorum*] in qua patres mei Ebræi peregrini & advenæ fuerunt. Innuit autem terram Chanaan, quæ & terra septem gentium, & terra peregrinationis Abraham, Isaac & Jacob, qui Ebræi vocantur, vel quod transfluviales essent, vel potius quod ad Eber genus referrent: unde & filii Eber appellantur. Ceterum terra Ebræorum trifariam dicitur. Vel in qua nati Ebræi: vel in qua educati, vel certe in qua sedem habuerunt. Sic Urbs Christi vocatur Bethlehem, quia natus in ea: Nazareth, quia educatus; Capharnahum, quia versatus ibi. Res nota doctis. ¶ *Quicquam*] *quicquam mali.* Jonathan. ¶ *Quod conjecerint me in laccum istum*] vel, *quod posuerint me in foveam istam.* Intelligit autem carcerem, quem Græci λάκκον, Hiero. *lacum* appellant. Sed lacus aliud est. Quocirca putarim rescribendum, *laccum*, cum duplici C. λάκκος est fossa, fovea. Ebraice בור. Apud Severum, *si quis defossum lacum non cooperuerit*, i. λάκκον. Prov. 5. 15. מבורך de cisterna tua. Aquila, Symmach. Theodotio, ἐκ λάκκου σου. Lex. Vetus, λάκκος, *laccuna, laccus, cisterna.* Hiero. in comment. Ezech. 22. *Lacum nequaquam debemus juxta Latini sermonis proprietatem eum intelligere, qui Græce λίμνη dicitur, ut est lacus Tyberiadis & lacus Larius & Benacus, multique alii; sed quas solemus appellare cisternas.* Quem locum adduxi firmandæ scripturæ quæ nunc recepta. Idem Dan. 6. *Lacum vocat depressam in altum foveam, vel arentem cisternam, in qua leones nutriebantur.* Hic significat in carcere subter-

subterraneum, pœnæ sontium destinatum, hypogæum seu barathrum, in quo captivi detinebantur. Plautus *puteum* dixit, ut Aulularia, *in puteum condite*, vult dicere, in puteum qui in carcere.

16. *Videns autem princeps pistorum, quod bene interpretatus esset, dixit Josepho, Etiam ego in somnio meo, & ecce tria canistra candida super caput meum.*

17. *Et in canistro supremo ex omni cibo Pharaonis opere pistorio, & avis comedebat eos è canistro supra caput meum.*

Bene interpretatus esset] bonam i. lætam & faustam interpretationem attulisset. ¶ *In somnio meo*] sub. eram aut videbam. Jonathan, *etiam ego videns eram i. videbam in somnio meo*, אף אנא הוית חמי בחלמי. Lxx. κἀγὼ εἶδον ἐνύπνιον, etiam ego vidi somnium. Minus bene. In somnio eram. i. somniabam. ¶ *Tria canistra candida*] שלשה סלי חרי. Lxx. τρία κανᾶ χονδριτῶν, tria canistra chondritorum. Est autem chondrites, ut χονδρίτης ἄρτος, panis è chondro seu alica. Augustinus Quæst. 131. *Quod aliqui codices Latini habent, tria canistra alica, cum Græci habeant χονδριτῶν, quod interpretantur, qui usum ejusdem linguæ habent, panes esse cibarios, &c.* Lex. Vetus χονδρίτης, cinarius. Lego, *cibarius*, non alicarius. Quanquam in proximo, χόνδρος alica. Reperio & χονδρίτης pro crassa simila. Aquila, τρεῖς κόφινοι γύρεως. Vulgatus interpres, *tria canistra farinæ.* Onkelos תלתא סלין חורין & interprete Fagio, *tria canistra candida*; vel, *perforata.* Nam חור inquit, *etiam foramen denotat.* Dubito an hoc verum sit. Elias interpretatur, *canistra quibus ferunt panem principum* i. primarium sive candidum. Lex. Munsteri, חורי libertas: item candor Gen. 40. חר foramen. Jonathan, *tria canistra* דפיתא נקיא i. panis purissimi sive mundissimi. Thargum quod ab urbe nomen habet דפיתא חמימא קקבנין i. panis calidi. Munsteri λέξεις, פת panis. Act. 12. 23. in codice Syro אתאכל comesus fuit. In Lexico Chaldaico Baal Aruch dicto קקבנין & קקבונין panis calidus i. לחם חם. Sic etiam Munsterus interpretatur. Trem. *Tria canistra foraminatim texta.* חר foramen. Etiamne חורי? Ita Trem. opinatus est. Forte adjectivum est חרי foraminosi. sub. textus. Quidam, *canistra viminea.* Gallica editio, *candida.* Cujusmodi sunt quæ ex viminibus decorticatis conficiuntur. Quid si, canistra Horæa? hoc est ab Horæo populo contexta. Nam חרי Horæus. R. Salomo, *Canistra ex viminibus decorticatis, multa foramina habentia, cujusmodi canistris utuntur ii qui crustula vendunt, quæ in iis reponunt.* Crustula hoc est כסנין לעז vulgo *oublies.* Saadias, teste Abenezra, *canistra candidi panis.* Sed melius ut interpretemur, *canistra candida*, hoc est ex viminibus decorticatis & albis contexta. Vide supra. חרי autem, etsi R. David exponat לבן candorem, albedinem, tamen videtur potius adjectivum esse, ut נכרי externus אכזרי crudelis & alia pauca. ¶ *Ex omni cibo Pharaonis opere pistorio*] Quidam, *cibus Pharaonis ex omni opere pistorio.* Hier. *omnes cibi qui fiunt arte pistoria.* Lxx. ἀπὸ πάντων τῶν γενῶν, ὧν Φαραὼ ἐσθίει, ἔργον σιτοποιοῦ. ex omnibus generibus, de quibus Pharao comedit, opus pistoris. Alias, ἔργῳ σιτοποιοῦ, opere pistoris. Jonath. *ex omnibus delicatioribus cibis Pharaonis, opere pistoris.* Nam מפנקי מיכלי sunt delicatiores cibi, lautiores escæ. ¶ *Omni*] quovis. Sic in Actis Petrus vidit linteum in quo erant *omnia animalia*, i. omne genus animalia. Vide Animadv. meas. ¶ *Avis comedebat*] aves comedebant, vel è canistro superne aperto, vel per foramina canistri rostra immittentes. ¶ *Supra*] מעל, de supra.

18. *Respondit Joseph & dixit, Tria canistra tres dies sunt.*

19. *Intra tres dies tollet Pharao caput tuum à te, & suspendet te in ligno, & comedet avis carnem tuam à te.*

Interpretatio ejus] ἡ σύγκρισις αὐτοῦ. ¶ *Intra tres dies*] בעוד שלשת ימים dum adhuc tres dies sunt i. durant q. d. triduo nondum plane exacto. Videtur tertio die suspensus fuisse. On. & Jon. *in fine trium dierum.* Lxx. ἔτι τριῶν ἡμερῶν. Verbum è verbo, *in adhuc.* ¶ *Tollet Pharao caput tuum à te*] Lxx. ἀφελεῖ Φαραὼ τὴν κεφαλήν σου ἀπὸ σοῦ: auferet Pharao caput tuum à te. Jonathan, *amovebit Pharao ense caput tuum à corpore tuo.* Vult dicere, amputabit caput tuum, decollabit te: & est sensus, *curabit te decollari.* Sed si caput ei amputatum, quomodo suspendi potuit? An truncus suspendebatur sine capite? Trem. *recensebit caput tuum, ne sit deinceps recensio de te i. jubebit nomen tuum è catalogo servorum suorum obliterari: non enim probatur hæc interpretatio, auferet caput tuum à te, quia non capite truncatus, sed suspensus fuit.* Mihi non displicet judicium Merceri. Scribit ille in Comm. ad hunc locum, *Caput ab aliquo auferri dicitur, etsi non præcidatur, cum supplicio extremo afficitur. Nam & sic capite plecti aliquem dicimus, cum mortis ei pœna infertur.* Estque amphibologia in verbis illis, *tollet caput tuum*, quia tollere caput, ut supra dictum est, sign. etiam recensere, numerare. Hanc postea tollit, cum ait, *à te.* Quo haut obscure innuit eum supplicio capitis affectum iri, hoc est suspendio vitam finiturum. Mox se clare explicat, inquiens, *suspendet te in ligno.* ¶ *Suspendet*] suspendi curabit. ¶ *In ligno*] in patibulo. Quod Onkelos dixit על צליבא. Lignum alioqui אעא dicitur, & Ebraice עץ. Eadem vox sign. arborem, ut possis vertere, *in arbore.* Crux in ritualibus libris Latinorum arbor & arbor infelix dicebatur: unde, *arbori infelici suspendito.* Esther. 7. העץ vers. 9. Hier. vertit *lignum*: ver. 10. *patibulum.* Sic accipies in illo, *maledictus qui pendet in ligno.*

20. *Fuit autem die tertio, die quo natus erat Pharao, ut faceret convivium omnibus servis suis: tunc sustulit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum inter servos suos.*

21. *Et restituit principem pincernarum in munus pocillatoris, qui dedit calicem in manum Pharaonis.*

22. *Et principem pistorum suspendit, quemadmodum interpretatus fuerat illis Joseph.*

23. *Et non meminit princeps pincernarum Josephi, sed oblivioni tradidit eum.*

Quo natus erat Pharao] qui Pharaoni natalis sive natalitius erat. Græci dicunt γενέθλιον i. natale sive natalitium. Onkelos יום בית ולדא. Jonathan יום גנוסא. R. Salomo יום גנוסא. Lxx. ἡμέρα γενέσεως. In Ebræo est יום הלדת את פרעה & alibi יום הולדת, videlicet Hos. 2. 2. Nota morem antiquum, qui hodieque obtinet apud quasdam gentes. הולדת nomen est ex Hophal, quo genitus, vel, ut ita loquar, nasci factus est. Unde obstetrix i. חיה, vocatur ab Ebræis מילדת quod mulieres quasi parere faciat. Videndus R. Salomo. ¶ *Convivium*] πότον. Ebraice משתה itidem à bibendo, ut Græce συμπόσιον. Chald. autem משתיא & שירו. ¶ *Servis suis*] aulicis suis. Hinc elucidabis quod in Lxx. τοῖς παισὶν αὐτοῦ & in Hier. *pueris suis.* ¶ *Sustulit*] recensuit, numeravit. לשון מנין sic R. Salomo. Sic, *tolle caput filiorum Israel, numera summam eorum.* Vulgo, *monstrare & lustrare exercitum.* ¶ *Inter servos suos*] בתוך עבדיו in medio servorum suorum. ¶ *In munus pocillatoris*] quo antea functus fuerat. Ebraice על משקהו super pocillationem, ut ita loquar, sive propinationem suam. משקה præbitio potus, munus præbendi potum, officium pincernæ. Græci οἰνοχοΐαν vocant. Lxx. hic habent, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ in principium suum i. principatum fundendi vinum in calicem Pharaonis. Græci ἀρχιοινοχοΐαν appellant. Hier. *in locum suum* על מקומו. Trem. *in suum potus ministrandi munus.* Onkelos, על משקייה super propinationem suam. Fagius reddit, *officio suo.* Jonathan על מזוגיה in munus infundendi suum. Leo Judæ, *ut esset pocillator suus.* ¶ *Calicem*] τὸ ποτήριον, poculum. ¶ *Suspendit*] ἐκρέμασεν i. suspendi curavit in patibulo. ¶ *Quemadmodum interpretatus &c.*] Lxx. καθὰ συνέκρινεν αὐτοῖς Ἰωσήφ, sicut interpretatus erat eis Joseph. Ergo συγκρίνω, interpretor: unde σύγκρισις & σύγκριμα, interpretatio. Hier. *ut conjectoris veritas probaretur.* Conjectorem vocat interpretem somnii Josephum. ¶ *Non meminit*] apud Pharaonem. ¶ *Princeps*] *præpositus.* editio Vetus. ¶ *Oblivioni tradidit eum*] *Usque ad tempus quo attigit finis à DOMINO, quo liberari debebat.* Jonathan & autor Jerosolym.

G R O T I U S.

17. *ET in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos, avesque comedere ex eo*] Simile huic somnio augurium in Homeri Odysseæ B'.

—— τῷ δ' αἰετὼ εὐρύοπα Ζεὺς
Ὑψόθεν ἐκ κορυφῆς ὄρεος προέηκε πέτεσθαι.
Τὼ δ' ἕως μέν ῥ' ἐπέτοντο μετὰ πνοιῇς ἀνέμοιο
Πλησίω ἀλλήλοισι τιταινομένω πτερύγεσσιν·
Ἀλλ' ὅτε δὴ μέσσην ἀγορὴν πολύφημον ἱκέσθην,
Ἔνθ' ἐπιδινηθέντε τιναξάσθην πτερὰ πυκνά,
Ἐς δ' ἰδέτην πάντων κεφαλάς, ὄσσοντο δ' ὄλεθρον,
Δρυψαμένω δ' ὀνύχεσσι παρειὰς ἀμφί τε δειρὰς
Δεξιὼ ἤϊξαν, διά τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν.

[—— *aquilas descendere jussit*
Juppiter excelso geminas de vertice montis.
Hæ pariter primum vento vectante volabant,
Altera ad alterius latus ut protenderet alas:
Ast ubi devenere forum super impete magno,
Circum sese agitant quatientes undique pennas.
Inque hominum capita interitum lugubre canebant:
Unguibus inde etiam lacerant collumque genasque,

Transque

Transque domos urbemque ferunt se limite dextro].

Mox augur explicans:

Μνηςῆρσιν δὲ μάλιςα πεφαυσκόμενος τάδε εἴρω·
Τοῖσιν γὰρ μέγα πῆμα κυλίνδεται.
[*Præcipue quæ dico procos hæc omina tangunt:*
Namque illis clades gravis imminet].

13. *Recordabitur Pharao ministerii tui*] Eadem plane locutio infra 19. quare eodem modo utrobique recte verteris: *Exputabit Pharao rationes tuas.* Sic sumitur vox ראש [*caput*] Num. 1.49. Exod. xxx. 12. Sic ferme & Græci κεφάλαιον usurpant.

19. *Et lacerabunt volucres carnes tuas*] Quod Horatius dixit: *Pasces in cruce corvos.*

20. *Dies natalitius*] Herodotus Calliope in Persarum rebus: τοῦτο τὸ δεῖπνον κατασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο βασιλεύς [*hoc epulum semel quotannis exhibetur qua die natus fuit rex*]. Adde Matth. xiv. 6.

CARTWRIGTUS.

1. P*Incerna regis* מַשְׁקֵה מֶלֶךְ] LXX. ἀρχιοινοχόος, *princeps vinariorum.* Sic Hieron. in Tradit. vertit Græcum istud vocabulum; atque addit in Hebræo esse משקה, illud verbum, quod in nomine servi Abraham dudum legimus. Intelligit locum illum Gen. 15.2. at ibi in Hebræo est משק a שקק, vel שקק *discurrere*; hic autem est משקה à שקה *potare.* Aquila interpretatur ὁ ποτιςής, *pocillator*, vel *pincerna.*

וְהָאֹפֶה *Et pistor.*] LXX. καὶ ὁ ἀρχισιτοποιός, *& princeps pistorum.* Aquila, καὶ ὁ πέσσων, *& panificus*, ut vertit Nobilius; sed vox est generalior, & *coquum* significat.

2. עַל שְׁנֵי סָרִיסָיו *Adversus duos eunuchos ipsius.*] Chaldaice על תרין רברבוהי, *adversus duos principes*, seu *præfectos ipsius.* Vide supra ad cap. 37. 36.

4. *Et fuerunt* יָמִים בְּמִשְׁמָר *diebus (aliquot) in custodia.*] Vel *anno*, ut exponit R. Salom. Nam interdum ימים *annum* denotat. Vide ad cap. 24. 55. LXX. ἦσαν δὲ ἡμέρας ἐν τῇ φυλακῇ. Vulg. *aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur.*

11. *Tuli uvas, & expressi in calicem Pharaonis.*] Mercerus refert quosdam nostrorum putare, tum moris fuisse, ut uvæ recentes in calicem regum exprimerentur, ut gustarent quale futurum esset vinum novum. Sed Hebræi cujusdam expositionem probat, nempe in vas quoddam uvas fuisse expressas unde vinum fieret, quod postea Pharaoni misceretur; quia uvæ non soleant in regis calicem exprimi; verum in somnio illud omitti, &c.

13. יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת רֹאשֶׁךָ *Elevabit Pharao capute tuum.*] Onkelos, יִדְכְּרִנָךְ, *tui recordabitur*, vel *tui mentionem faciet.* Jonathan, יעל קדם פרעה דוכרנך, *intrabit coram Pharaone recordatio tui.* R. Salom. ait hanc phrasin, *elevare caput alicujus*, recensionem seu computationem (לשון חשבון) denotare; ac locum sic explicat, *Cum recensuerit* (Pharao) *reliquos servos suos, ut coram se in convivio ministrent, te quoque inter illos numerabit.* Similiter Aben Ezra dicit, hanc capitis elevationem esse כדרך מספר, *per modum numerantis.* Idque confirmat ex ver. 20. ubi dicitur, *Et extulit caput principis pincernarum, & principis pistorum inter servos suos.* Fagius in (a) Chald. Paraph. ait, *elevare caput* esse Hebraismum, pro *recensere, recordari, & reminisci alicujus non sine honore.* Sed ultimis illis verbis, *non sine honore*, omnino repugnat istud ver. 20. ubi hæc phrasis tam de pistore, quam de pincerna usurpatur. Quin & ex aliis Scripturæ locis liquido apparet, *elevare caput* nihil aliud quam *numerare*, vel *recensere*, sive id cum honore fiat, sive sine honore. Exod. 30. 12. כי תשא את ראש בני ישראל, *cum elevaveris caput filiorum Israel*, i. e. *cum recensueris*, vel *numeraveris filios Israel*, ut Onkelos, Jonathan, R. Salom. & ipse Fagius exponunt. Sic Num. 4. 2. *eleva caput filiorum Kohath*: & ver. 22. *eleva caput filiorum Gershon*; i. e. recense, vel numera eos. LXX. μνησθήσεται Φαραὼ τῆς ἀρχῆς σου, *recordabitur Pharao principatus tui.* Sic & infra ver. 20. καὶ ἐμνήσθη τῆς ἀρχῆς τοῦ οἰνοχόου, καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ σιτοποιοῦ. Videntur accepisse ישא pro ישכר. Vulg. *Recordabitur ministerii tui.* Lyra ait in Hebræo esse, *numerabit caput tuum.* At in Hebræo est, si verbum verbo reddas, *elevabit caput tuum*; nec (quod sensisse videtur Lyra) *elevare* hic idem valet quod *numerare*, sed ea est vis totius phraseos, *elevare caput.*

Et restituet te עַל כַּנֶּךָ *super sedem tuam.*] Vel, *in locum tuum* כן à כון cognatæ significationis cum כון *parare, firmare, stabilire*, proprie, *basin, firmam ac stabilem sedem* significat. Sic R. Salom. hic interpretatur כן per כנים שלך מושבך, i. e. *basin tuam, & sedem tuam.* Sæpe usurpatur hæc dictio, ubi de Tabernaculo, ejusque apparatu agitur: hic autem metaphorice usurpatur pro munere seu officio, in quo, tanquam in sede, quis constitutus est. Onkelos & Jonathan interpretantur שימושך, *ministerium tuum.* Aben Ezra, משמרתך *custodiam*, vel *observationem tuam.* LXX. ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου, *in tuum pincernarum principatum.* Et cap. 41. 13. ἐπὶ τὴν ἀρχήν μου, *in principatum meum.* Vulg. *officium meum.*

(a) Eadem etiam habet in Collat.

15. *De terra Hebræorum.*] Hinc apparet Hebræos jam tum, etiamsi peregrini essent & pauci, celebres fuisse. Ramban putat terram Hebron intelligi, ubi Abraham, Isaac & Jacob fere sunt commorati. Hoc Mercero haud placet, quod terra Hebræorum latius pateat. Certe posterioribus seculis æque late patet ac terra Canaan; Josephi autem tempore pro parte quadam istius terræ, in qua nimirum Abraham ejusque posteri sedem suam habuerunt, usurpatum fuisse, est verisimile.

16. סַלֵּי חֹרִי *Canistra candida.*] Vel, *canistra candidi*, scil. *panis.* Nam סלי est in regimine, atque indicat vocem sequentem genitivi casus esse. Ita exponere R. Saadiam refert Aben Ezra; Potest etiam exponi, *canistra perforata*; nam חור etiam *foramen* significat. R. Salom. interpretatur *canistra facta ex viminibus decorticatis, undequaque albis* (a). Atque hæc expositio Fagio videtur optima. LXX, κανᾶ χονδριτῶν, *canistra chondritarum.* Nobilius citat Augustinum dicentem, eos qui usum ejusdem linguæ habent, interpretari, *panes esse cibarios.* Aquila, κόφινοι γύρεως, *cophini pollinis.* Hieron. in Tradit. ait in Hebræo esse, *cophinos farinæ.* Symmachus, κανᾶ βαϊνά, *canistra baina*, h. e. *ex palmarum ramis confecta.*

19. יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת רֹאשְׁךָ מֵעָלֶיךָ *Tollet Pharao caput tuum à te.*] Hic dictio מעליך ostendit phrasin hanc, *tollere caput* aliter usurpari, quam antea vers. 13. & postea vers. 20. nempe pro *interficere, capitali supplicio afficere.* Mercerus ait amphiboliam esse, & ludum seu jocum in hac locutione; quia *tollere caput* est proprie *recensere, numerare*: ergo velle, *recensebit caput tuum*; sed cum ille exspectaret, ut in superiori somnio, id futurum in bonum, insperato addidisse, *desuper te*, quo ostenditur, *levare caput esse auferre.* Ego vero fateor me haud satis intelligere quemadmodum hæc inter se conveniant. Nam si hac phrasi Joseph significare voluerit, *recensere*, certe non eadem etiam simul significatur *auferre.* Sed nec satis concinne dici videtur, *recensebit caput tuum desuper te*, vel *à te.* Verisimile quidem est, pistorem, cum audiret verba ista, *Tollet Pharao caput tuum*, putasse eodem sensu id dictum, ac antea, cum de pincerna sermo esset; at Joseph addita voce מעליך, *desuper te*, vel *à te*, omnem sermonis ambiguitatem sustulit, seque non jam de *recensione*, ut antea, sed de *interfectione* loqui ostendit. Atque hoc opinior, est quod voluit Mercerus, qui etiam rectè monet hac phrasi, *Tollet caput tuum à te*, non (ut quidam putant) *decollationem* significari, sed duntaxat in genere *interfectionem*, quemadmodum *capite plecti* aliquis dicitur, cum mortis ei pœna infertur.

23. *Non autem recordatus est princeps pincernarum Josephi, &c.*] Non inepte videtur R. Salom. hujus oblivionis rationem assignare, מפני שתלה בו יוסף לזכרו הוזקק להיות אסור שתי שנים, i. e. *quia Joseph ex ejus recordatione pendebat, ideo duobus annis vinctus mansit.* Atque huc pulcre accommodat illud Ps. 40. 4. *Beatus est vir, qui posuit Dominum fiduciam suam, nec convertit se* אל רהבים *ad superbos*, vel *ad Ægyptios*; Nam Ægyptus vocatur (b) *Rahab*; ולא בטח על מצרים הקרואים רהב, inquit R. Salom. h. e. *Et non confidit in Ægyptiis, qui vocantur Rahab.* Aben Ezra illud, ולא זכר, *non recordatus est*, ad *os* refert; illud autem, וישכחהו, *& oblitus est ejus*, refert ad *animum*; q. d. nec ore mentionem ejus fecit, nec in animo memoriam ejus habuit.

(a) Ita etiam exponit Kimchi in Rad. ut testatur Fagius in Collat. (b) Quæ vox *superbiam* denotat.

CAP. XLI.

MUNSTERUS.

1. DUos dierum annos] Kimhi in hunc locum sic scribit, *Non dicit*, post duos annos, *sed addit* dierum, *ut intelligas annos illos ex integris conflatos diebus. Nam annus perfectus, qui est revolutio solis ad eundem punctum, non perficitur ex integris diebus, sed restant adhuc aliquot horæ, quæ quotannis collectæ diem intercalarem pro sole constituunt, & epactas pro luna.* ¶ *Fluvium*] Secundum Gerundensem, יאור proprie est *fluvius magnus*, & יאר *piscina magna* humano labore facta. Et quando hic dicitur *Pharaonem juxta piscinam stetisse*, ut sibi in somno videbatur, intelligitur Nilus ipse, qui singulis annis in maximam stagnatur piscinam. Proinde nomen יאור filius Ezræ sic exponit, אגם מים שבו כנסים. Et dictionem שמרשא dicit esse ארץ שרשן מרום מהרים. Capitur enim קרים sæpe pro מרעה. Cujus ratio hæc assignatur, כעבור מים חשבו בתחלה. Et quod sequitur, *Consternatus est spiritus ejus*] alii sic vertunt hunc locum, *& depressus est animus ejus*, שורה הנכוה לגוף הצמרה, *quod scilicet talis consternatus animus similis sit corpori depresso.*

11. *Juxta somnii sui interpretationem*] h. e. Uterque habuit somnium quod erat conforme eventui rei.

14. *Festinanter eduxerunt eum*] Habet Ebræa proprietas, *& fecerunt currere eum de fovea.* Vocatur autem carcer *fovea*, quod esset factus in modum foveæ sub terra, quæ vulgo מאורה vocatur, ut dicit R. S. i. *fossa*. Et quod sequitur, *Totondit*] subaudiendum est, מגלח, *rasor*.

16. *Non ego*] Hebræa veritas habet, *Absque me*. Et deinde interposita pausa sequitur, *Deus respondebit*, &c. Onkelos vero hunc locum sic vertit, *Non ex sapientia mea, sed ab ipso Deo respondebitur quod est ad pacem Pharaonis*. Aben Ezra exponit כלעדי pro בלעד פתרוני, sed quod non dissentit ab interpretatione nostra.

23. *Marcidæ*] Non invenitur dictio צנמות nisi in hoc loco. Kimhi exponit eam per דקות, i. *exigua*. Nam est vulgare apud Hebræos פת צנומה בקערה, i. *buccella exigua in patina, super quam funditur jus*. Alii vero putant eam duci à צונמא, quæ apud Magistros significat *petram*, & tunc *spica petrea* idem est quod *arida*. Aben Ezra exponit רקות, *inanes*.

24. *Magis*] Kimhi dicit חרטמים fere idem esse quod מכשף, i. *magus, incantator*. Aben Ezra vero exponit eam per חכם תולדות, h. e. *scrutator naturæ, & qui ex qualitate ad naturæ secreta penetrat. Est*, inquit, *&* החרטמים *qui cognoscit* עקר *naturam & qualitatem rerum, & quales ex illa oculta vi effluere possint operationes & effectus.*

32. *Repetitum est*] Potest etiam sic verti, *secundo apparuit*; aut, *mutatum est*, in aliam scilicet visionem, sed quæ in interpretatione à priori non discrepat. Et quod sequitur, *Decretum est*, seu *firmatum est*] Onkelos vertit, תקין, *ordinatum est*: quod tamen idem est.

36. *Depositum terræ*] i. Erit quasi repositus thesaurus, qui tempore necessitatis terram & ejus habitatores, ne pereant, conservabit.

40. *Armabitur*] Kimhi exponit ut nos vertimus. Nam radix verbi est נשק id quod Dages in Schin ostendit. Chaldæus vero interpres & R. Sal. putant radicem verbi esse שקק, ideo explicant ipsum per פרנס & זן, i. *cibari*. Et tunc hic erit sensus, *Ad os tuum*, sive *secundum jussionem tuam, cibabitur universus populus meus.*

43. *Genuflectite*] Kimhi, quem hic secutus sum, putat scriptum אברך pro הברך, ut sit imperativus Hiphil à verbo ברך, *genuflexit*. Alii putant אברך esse dictionem compositam, quasi אב רך, i. *pater teneri regis*, ut Onkelos habet. Vel, ut R. Iudas sentit, totum fuit nomen Ioseph, qui & pater atque senex fuit sapientia, & tener in annis. Et quod sequitur, *Zaphnath Paaneah*] quidam Onkelum imitantes interpretantur, דטמירן מגלה, *arcanorum revelator*, seu *interpres*. Alii putant esse dictiones Ægyptias: sed hactenus nemo fuit qui eas ex Ægyptiaca lingua in Latinam transferret, nec Iudæus nec Christianus.

45. *Sacerdotis On*] Chaldæus vertit, *principis civitatis On*.

47. *Et protulit terra*] In Hebræo sensus iste aliquanto obscurior ponitur. Nam ita habet textus, *Et fecit terra in septem annis saturitatis ad acervos.*

51. *Menasse*] Interpretatur *Menasse*, *Faciens oblivisci*. Est enim participium in conjugatione dagessata, à verbo נשה *missa*. Ephraim verò derivatur à verbo פרה, *fructificavit*: inde *Ephraim*, *fructificationes*. Et quod sequitur, *Consumpti sunt*, &c.] usurpat Hebraismus *consumi* pro *transire*.

56. *Aperuitque*] Reddidit Chaldæus interpres clarius hunc locum quam in Hebræo habeatur. Nam ita vertit, *Et aperuit Joseph omnes thecas in quibus erat frumentum*. Id quod nos per parenthesin signavimus.

FAGIUS.

11. QUisque juxta interpretationem somnii sui somniavimus] i. Somniavimus quod erat consentaneum rei. h. e. Somnium verum somniavimus, quemadmodum postea evenit.

16. *Non ex mea sapientia, sed à facie Domini*, &c.] Vult dicere, Non mihi tribuo & adscribo hanc sapientiam, quod ego ex meipso possim interpretari somnia. Dei opus est, non humanæ sapientiæ. Is per me tanquam organum respondebit tibi ea quæ faciunt ad regni tui salutem. Ita Ioseph occasionem captavit Regem Ægypti pertrahendi in cognitionem veri Dei, quem ipse colebat.

34. *Et muniat terram Ægypti*, &c.] זרז Chaldaice *munire* & *armare* significat. *Armare* autem metaphorice accipit pro *providere*, *prospicere*: cum enim terræ frugibus providetur, quodammodo armatur & munitur. Et verbum Hebraicum חמש, quod in textu ponitur, quodque pro *quintam partem accipere* exponunt, aliquando etiam *expedire* & *armare* significat, ut Exod. 13. 18. וחמשים עלו בני ישראל, *Et armati ascenderunt filii Israel*, &c. Et hanc lectionem secutus est Onkelus.

40. *Cibabitur omnis populus meus*] Vult dicere, Annona erit in tua potestate: tu dispensabis eam, prout ex re populi cognoveris. Quidam legunt, *Armabitur*. q. d. Quando principes præparabuntur ad bellum, tu eris magister militum. h. e. Constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Alii legunt, *Juxta tuum verbum gubernabitur populus meus*. Verum prima lectio simplicissima esse videtur.

43. *Iste est pater regis*] Paraphrastes noster vocem Hebraicam אברך *Abrech* ita videtur intellexisse quasi composita dictio sit ex אב *pater*, & רך *rex*. Nam Syris ריכא, testibus Hebræis, *regem* significat. Dicitur ergo *Regis pater*, secundum nostrum Paraphrasten, quod Regem Pharaonem suis consiliis tanquam pater fideliter juverit. Alii אברך exponunt, *pater tener*; quod scilicet sapientia & consiliis pater ac senex, ætate vero & annis tener fuerit: sicut & D. Hieronymus scribit in Quæstionibus suis Hebraicis. Eadem & Thargum Hierosol. habet, והוו מקלסין קדמוי ואמרין יחי אבי דמלכא דרב בחכמתא ורכיך בשניא, *Et ecce præconizabant coram eo, & dicebant, Vivat pater regis, qui est princeps in sapientia, & tener in annis*. Exstant quoque inter Hebræos qui אברך verbum imperativi modi in conjugatione Hiphil esse putant, & dici sentiunt אברך pro הברך, i. *Genu flecte*. ברך enim Hebræis *genu flectere* significat. Quasi præco clamaverit & præceperit, ut nemo non genu flecteret coram Iosepho.

44. *Non elevabit quispiam manum suam*, &c.] Sensus est, Nemo sumet arma, procedet ad bellum, vel equum suum ad pugnam instruet sine tuo jussu & permissu. Prout tu jusseris ac præceperis, administrabitur omnis res, cum pacis tum belli tempore.

45. *Vir cui secreta revelantur*] In Bibliis Hebraicis legitur, *Et vocavit Pharaoh nomen Joseph* צפנת פענח *Zaphnath paaneach*, i. ut exponunt, *arcanorum interpres*. seu *revelator*: quasi scriptum esset המצפנות מגלה, ut צפנת deductum sit à verbo צפן, quod *abscondere* significat, & פענח sit nomen verbale, i. *revelator*, vel præteritum in secunda conjugatione dagessata, i. *revelavit*. Et hanc interpretationem secutus est Paraphrastes noster. D. Hieronymus in Quæst. Hebraicis super hunc locum ita scribit, *Licet hoc nomen Hebraice absconditorum repertorem* sonet, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo sermone Ægyptio *Zaphnath paaneach* צפנת פענח, *sive ut LXX. transferre voluerunt*, Ψονθομφανήχ, Salvator mundi, *eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit*. Hæc ille. Quod si firma esset hæc interpretatio, pulchre faceret ad mysterium Christi, cujus Ioseph in aliquibus typus fuit. ¶ *Et egressus est Ioseph*, &c.] Emphasim habent q. d. Sua pompa procedebat: cum magnificentia quadam & majestate declarabatur esse princeps à Rege constitutus super universam Ægyptum.

IDEM

IDEM.

16. בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה, *Non ego, sed Deus respondebit quæ ad pacem sunt Pharaonis.*] Tametsi in redditione vocis בלעדי diversitas appareat, tamen sententia apud omnes eadem est. Sive enim legas *præter me*, vel *sine me*, ut vox Hebræa propriè significat, & Vulg. interpres rectè transtulit; sive *non ex sapientia mea*, &c. ut Chaldæus transtulit; sive, *Sine Deo non respondebitur*, ut Lxx habent: omnia in eundem recidunt sensum. Quia enim dixerat Pharao ad Joseph, *Ego audivi de te loqui, quod tu audiens somnium possis exponere illud.* Respondet Joseph, id se non ex seipso, sed ex dono Dei habere, cujus solius sit interpretari somnia. Nihil ergo sibi, sed Deo omnia adscribit, ut vel illa ratione Pharaonem ad cultum veri & unius Dei pertrahat.

34. וחמש את ארץ מצרים בשבע שני השבע, *Et accipiat quintam partem de terra Ægypti, per septem annos saturitatis.*] Variat tantum Onkelus cum sua Paraphrasi circa verbum חמש, quod cum *quintare*, ut etiam Lxx reddiderant, significat, h. e. *quintam partem emere*, ut Aben Ezra exponit, vel *quintam partem accipere*, ut R. D. Kimhi interpretatur, ipse per זרז, quod *armare* significat, transtulit. *Armare* autem metaphoricôs accipit, pro, prospicere, providere: cum enim terræ frugibus providetur, quodammodo armatur. Est & ubi in Hebræo verbum חמש pro *armare* usurpatur, ut infra in Exodo cap. 13. וחמשים עלו בני ישראל, *& armati ascenderunt filii Israel.* Quo minirum etiam respexit Onkelos sua versione.

40. ועל פיך ישק כל עמי, *Et ad tuum imperium totus meus populus armabitur.*] Variatio est in verbo ישק, quod cum æquivocum sit ad multa significata, nempe *osculari*, *armare*, *cibare*, & *gubernare*, variè ab Expositoribus redditur. Quidam ergo sic explicant, *Populus meus armabitur*, i. quando principes præparabuntur ad bellum, tu eris magister militum: q. d. Constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Et hanc lectionem habet Ezra in suo Commentario, quem & Munsterus secutus est sua versione. R. Salomo secutus Onkelum per *cibare* & *gubernare* exponit, hoc modo, omnia quæ opus erunt populo meo per te fient. R. D. Kimhi per *osculari* exponit, hoc sensu, *Os tuum exosculabitur omnis populus meus*, h. e. te suspiciet, venerabitur, colet, atque te dominum esse agnoscet: quam sententiam secuti sunt Lxx. & Lat. Vulgata editio.

43. ויקראו לפניו אברך, *Et clamaverunt ante ipsum, Genuflectite.*] Variatio est in voce אברך. Onkelos traduxit *pater regis*, quasi אברך composita dictio sit ex אב, quod *patrem*, & רך, quod *regem* significat. Nam רכא Syris, teste Salomone, idem est quod מלך, i. *rex*. Hinc Joseph אברך appellatum sentiunt, quod regem Pharaonem suis consiliis tanquam pater fideliter juverit. Alii אברך proclamatum putant, ad innuendum quod sapientia & consiliis pater & senex fuerit, annis vero tener. Nonnulli putant אברך idem esse quod *pater*, *sive dominus tener*. Sicut in Austria dicunt, Mein schöner junger Herr. R. D. Kimhi in libro Radicum radicem hujus verbi ברך, quod *genuflectere* significat, statuit. Et dicit Aleph positum esse loco He constituentis imperativum in tertia conjugatione activa Hiphil, ut sit אברך pro הברך, i. *genuflecte*, quod scilicet præco quemvis genuflectere ante Joseph jusserit. Vel, ut Aleph sit litera futuri, constituens primam personam, *genuflectam*, quod quivis scilicet clamaverit coram eo, *genuflectam*. Quidam ex nostris אברך vertunt *patrem patriæ*, quod olim Romanis in usu erat. D. Hieronymus in Quæst. Hebr. ita scribit, ET CLAMAVIT ANTE EUM PRÆCO, ET CONSTITUIT EUM SUPER OMNEM TERRAM ÆGYPTI, *pro quo Aquila transtulit*, Et clamavit in conspectu ejus adgeniculationem. *Symmachus ipsum Hebraicum sermonem interpretans ait*, Et clamavit ante eum אברך. *Unde mihi videtur non tam præco sive adgeniculatio, quæ in salutando vel adorando Joseph accipi potest, intelligenda, quam id quod Hebræi tradunt, dicentes* patrem tenerum *ex hoc sermone transferri*. אב *Ab; quippe dicitur* pater, רך *Rech* delicatus *sive tenerrimus: significante Scriptura, quod juxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, sed juxta ætatem tenerrimus adolescens & puer.* Hæc Hieronymus.

45. ויקרא פרעה שם יוסף צפנת פענח, *Vocavitque Pharao nomen Joseph Zaphnath Paaneah.*] Qui צפנת פענח pro dictionibus Hebraicis habent, exponunt eas, ut idem significent quod מגלה נעלמות, i. *arcanorum interpres*, seu, *revelator*; sicut scribit R. D. Kimhi in Radicibus, ut צפנת deductum sit à verbo צפן, quod *abscondere* significat, & פענח sit nomen verbale, *revelator*, vel præteritum in secunda conjugatione daggessata, i. *revelavit*. Atqui hoc sensu transtulit Paraph. Chaldæus, *Vir cui abscondita revelata sunt*: quem omnes fere sequuntur Hebræorum expositores. Aben Ezra tamen scribit, quod si istæ dictiones vel Ægyptiacæ, vel Chaldaicæ sint, ignorari quid propriè significent. Lxx quoque vim & naturam harum dictionum ignorasse videntur, ideo intactas reliquerunt.

VATABLUS.

1. F*Uit præterea*, &c. ויהי מקץ וגו] Ad verb. *Et fuit, à fine duorum annorum & Pharao somniavit, & ecce stabat juxta amnem.* Hic decima est Hebræorum sectio hujus libri, quam à secunda dictione capitis inscribunt מקץ, i. *A fine*.

2. *Et pingues carne*, ובריאת בשר] i. pingui, obeso & crasso corpore. ¶ *In carecto: באחו*] *in loco palustri*.

3. *Et tenues carne*, ודקות בשר] i. macilentæ.

4. *Et expergefactus est*. וייקץ] q. d. hoc viso, evigilavit.

5. *Et ecce septem spicæ*, &c. והנה שבע שבלים וגו] Heb. *Putabat se videre septem spicas quæ videbantur erumpere è culmo uno.* Quidam vertunt, *ascendebant in calmum unum.*

6. *Oriebantur*, צומחות] *pullulabant*, *emergebant*, *erumpebant*.

7. *Et ecce somnium erat*: והנה חלום] i. deprehendit se somniasse. Hebraismus.

8. *Consternatus est*, ותפעם] *conturbatus est*. ו redundat Latinis. ¶ *Sapientes ejus*: חכמיה] sub. *terræ Ægypti*.

9. *Reduco in memoriam*, מזכיר] Quidam per futurum vertunt, *recensebo*, i. fatebor. q. d. Cogor fateri nunc peccatum meum.

10. *Principis laniorum*, שר הטבחים] Vide supra cap. 37. 36.

11. *Secundum interpretationem*, &c. כפתרון חלמו חלמנו] Vide c. 40. 5.

12. *Singulis*, &c. איש כחלמו פתר] Hebraismus, *Unicuique ad sensum dixit quid portenderet somnium suum.*

13. *Restituit* השיב] *reduxit, reverti fecit.*

14. *Et festinanter eduxerunt*, &c. ויריצהו מן הבור] Ad verb. *& currere fecerunt eum è lacu, vel fovea.* ¶ *Totonditque* ויגלח] sub. *eum tonsor*: nam verbum est transitivum. ¶ *Et mutatis vestibus suis*, ויחלף שמלתיו] i. depositis veteribus vestimentis, nova induit se, q. d. ornavit sese, quod venturus esset in conspectum Regis, ne scilicet Rex sordido ejus vestitu offenderetur.

15. *Et non est qui*, &c. ופתר אין אתו] Inversus dictionum ordo Hebræis, ut & cap. 40. 8. *& interpretans non illud.* ¶ *Dicere*, &c. וגו׳ לאמר] *quemadmodum audiverunt fit somnium*, &c. Hebraismus; pro, *audivi de te quod si audieris somnium, interpretaris illud.* vel, *audito somnio interpretari poteris illud.*

16. *Præter me est Deus*, בלעדי אלהים] q. d. Alius est qui interpretabitur somnium tuum, nempe Deus, qui prospera interpretabitur tibi. ¶ *Respondebit*, &c. וגו׳ יענה] *respondeat*, i. quem opto responsurum esse domino meo Regi prospera, sive felicia; vel, *respondeat pacem Pharaoni*, i. qui utinam servet Pharaonem.

17. *Me somniasse putabam*, &c. בחלמי וגו׳] Ad verb. *In somnio meo, ecce ego stabam.* Vide principium hujus capitis, ubi eadem narrantur iisdem fere verbis.

19. *Et graciles carne*: ורקות בשר] i. macilentæ & macræ. ¶ *In turpitudine*: לרע] Ad verb. *in malitia*, i. si maciem species.

21. *Neque cognitum est*, &c. ולא נודע] i. devoratis vaccis pinguibus, nihilo pinguiores apparuerunt. ¶ *Nam aspectus earum*. ומראיהן] Ad verbum, *& aspectus earum.*

23. *Parvæ*, צנמות] *graciles*. ¶ *Arefactæ Euro*, Hebr. שדפות קדים] *percussæ urodine.*

24. *Qui indicaret*, מגיד] *qui renuntiaret, disereret, exponeret.*

27. *Graciles*. הרקות] *tenues.*

29. *Venient abundantiæ magnæ.* הנה שבע וגו׳] Ad verb. *venientes, saturitas magna*, sub. *erit in illis.*

30. *Abundantia* השבע] Ad verbum, *saturitas*, sic v. seq. ¶ *Terram*. את הארץ] Continens pro contento, i. incolas.

32. *Quod autem iteratum*, &c. ועל השנות החלום וגו׳] i. *Et propterea iteratum est somnium Pharaoni duobus vicibus*, quod, &c. ¶ *Quod firma sit*, &c. כי נכון הדבר וגו׳] i. quod firmissimum sit decretum cœleste.

34. *Faciat*. יעשה] sub. *quod consido.* ¶ *Et quintam partem*, &c. וחמש וגו׳] Ad verbum, *& quintet terram Ægypti.*

35. *Et serventi*: ושמרו] sub. *illud diligenter.*

36. *In*

36. *In depositum terræ*, [לפקדון לארץ] *vice depositi ipsi regio-* i. ad alendam regionem. ❡ *Pro septem*, &c. [לשבע וגו׳] *septennium penuria.*

39. *Non est intelligens*, &c. [אין נבון וגו׳] i. nemo & prudentia & sapientia conferri tibi potest.

40. *Et ad sermonem*, &c. [ועל פיך ישק] Ita vertit etiam Chald. paraph. ut noster interpres. Est autem Hebraismus, *tu eris magister militum*: h. e. constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Alii vertunt, *te jubente, osculabitur manum tuam populus meus*, in signum scilicet obedientiæ: est enim osculum signum subjectionis. Doctus inter Hebræos vertit, *& os tuum osculabitur universus populus meus*: ut scilicet ostendant te esse dominum. Non notatur hic solenne adorationis symbolum, sed metaphorica potius locutio esse videtur, quod populus amice accipiet atque obedienter amplexabitur quicquid profectum erit ab ore Joseph: acsi dixisset Pharao, Quicquid jusseris, uno populi consensu, quasi osculum omnes porrigerent, excipi volo. ❡ *Solio*. [הכסא] sub. *Regio.*

43. *Secundi*. [המשנה] sub. *viri ab illo*, i. quo is qui à Rege secundus erat, vehi solebat. His verbis Joseph omnibus Ægypti proceribus anteponitur. ❡ *Abrech*. [אברך] De hac voce variæ sunt opiniones. Qui *patrem tenerum* interpretantur, quia tener adhuc annis Joseph, senili dotatus esset gravitate & prudentia, videntur parum congruentem loco expositionem afferre. Qui vertunt *Patrem Regis*, inter quos est Chaldæus paraph. quasi dictio sit ex Hebraico nomine אב, & Arabico רך composita, paulo plus habent coloris. Probabilior est opinio docti illius inter Hebræos, qui *Genu flectite* exponit, ut א sit loco ה; vel est signum futuri, ut idem ait; acsi dicat, *Omnis homo vivens clamat ante eum, Genu flectam.*

44. *Et præter te*. [ובלעדיך] i. fine tuo permissu.

45. *Saphenath-paneah* [צפנת פענח] Voces sunt Hebraicæ ut exponit doctus inter Hebræos: quæ significant *Occulti revelatorem*. Idem scribit quosdam dicere esse voces Ægyptias. Chald. paraph. *Et vocavit eum, Virum cui abscondita sunt revelata.* ❡ *Principis*. [כהן] Tametsi hæc vox *sacerdotem* significet, doctiores tamen hoc loco *principem* malunt transferre: nam consentaneum esse videtur, unum fuisse ex aulæ primoribus, qui etiam satrapa vel præfectus foret civitatis On. Chaldæus paraph. etiam *principem* vertit. ❡ *Et egressus est*, &c. [ויצא יוסף וגו׳] *Et perambulavit Joseph terram Ægypti.* Alii, *Et egressa est fama Joseph per terram Ægypti*, i. notus fuit in tota illa regione.

46. *Trigenarius*. [בן שלושים שנה] Ad verb. *filius triginta annorum.* ❡ *Quum staret coram Pharoh*, [בעמדו לפני פרעה] i. quum præerat Ægypto. Alii exponunt, *quum eductus è carcere interpretaretur somnium Pharaoni, & ab eo istam potentiam acciperet.*

47. *Et egressus est*, &c. [ויצא וגו׳] *A facie Regis egredi*, est accepto mandato Regis, ad perficiendum illud egredi, Sic Satan Job 1. 12. & 2. 7. *à facie Domini egressus esse* dicitur, accepta potestate affligendi Job. ❡ *Transivitque* [ויעבר] *peragravitque*, ut scilicet frumenta colligeret. ❡ *Et produxit*, &c. [ותעש וגו׳] Ad verb. *Et fecit terra septem illis annis saturitatis*, [i. abundantiæ] *ad collectiones*; sive, *congregationes*; aut, *in acervos*, i. Tantam abundantiam frumenti produxit terra ut replerentur horrea. Chald. paraph. *Et congregaverunt habitatores terræ in septem annis abundantiæ, frumentum in thesauros*, i. in horrea.

48. *Omnem cibum*, [כל אכל] i. omnia frumenta quæ superfuerant illis septem annis, posteaquam incolæ habuerant satis. ❡ *Et reposuit cibum*. [ויתן אכל] Ad verb. *& dedit cibum*, i. reposuit annonam, vel alimentum. ❡ *Cibum*, &c. [אכל שדה העיר וגו׳] Ad verb. *cibum agri urbis qui erat in circuitu ejus, dedit in medio ejus*, q. d. triticum quod crescebat circa singulas urbes, recondebat in ipsis urbibus.

52. *Crescere me fecit*, [הפרני] i. multiplicavit me in regione Ægypti in qua pertuli multas afflictiones.

53. *Saturitatis*: [השבע] *fertilitatis, ubertatis.*

54. *Erat panis*. [היה לחם] *erant alimenta.*

55. *Tandem esuriit*. [ותרעב] Ad verb. *Et esuriit*. ❡ *Facietis*: [תעשו] *facite*. Fut. Heb. pro Imperat.

57. *Et omnes habitatores terræ*, [וכל הארץ] Ad verb. *Et universa terra*, i. omnes incolæ totius orbis. Hyperbole est, pro maxima hominum multitudine.

CASTALIO.

16. *Sine me Deus tibi, Pharao, salutaria respondebit*] Ad verbum legitur, *Sine me, Deus respondebit pacem Pharaonis*. Sed nomen שלום non solum *pacem* declarat, sed etiam *salutem*; ut est in Daniele, in Epistola Nabuchodonosoris, *Nabuchodonosor gentibus, pax vobis multiplicetur*, (sic enim vertunt) i. salutem plurimam dicit. Sed de hoc alias. Est autem hæc sententia, Ego tibi salutaria respondebo; sed hujus responsionis autor erit Deus.

44. *Digitum contra tuam voluntatem proferet*] i. Quicquam audebit. In Hebræo est, *manum pedemve movebit*. Sed ejusmodi Hebraismi sunt in nostram loquendi consuetudinem mutandi; qualis est ille cap. 14. *Neque pilum neque calcei corrigiam à te capiam*: quod Latine dicitur, *Ne pilum quidem*. Item, *Neque bonum neque malum*, pro, *Ne verbum quidem*, aut *Nihil omnino*; & illud, *Nec ad dextram nec ad sinistram*, i. *nullam in partem*; & multa hujusmodi; quod ideo hic commemoro, ne deinceps eadem mihi sint subinde dicenda.

CLARIUS.

2. *In locis palustribus*] Vel, *in prato.*

6. *Percussa uredine*,] Vel, *orientali vento.*

7. *Et ecce somnium*] h. e. Expergefactus intellexit se vidisse somnia, non vana, sed notabile aliquid significantia. Eundem loquendi morem invenies in libris Regum de Salomone.

8. *Conjectores*] Vel *magos*, quos alii *incantatores*, alii *scrutatores naturæ* interpretantur.

11. *Præsagium futurorum*] Aperuit interpres sensum verborum, quæ in Hebræo sic habent, *Uterque juxta somnus sui interpretationem somniavimus*. h. e. Uterque habuit somnium quod erat conforme eventui rei.

12. *Cui narrantes somnia*] Vide ut ubique interpres fugiat Hebraicam phrasim, & longiorem illum verborum circuitum; sic enim habet Hebraismus, *Cui cum recitassemus, interpretatus est nobis somnia nostra, utrique juxta somnium suum interpretatus est: & factum est quemadmodum interpretatus est nobis*; *sic, inquam, evenit*. Idem & paulo post agit in illis verbis, *Quæ devoravit*, &c. Nam in Hebræo sic legitur, *Et devoraverunt vaccæ illæ macilentæ & deformes septem priores vaccas corpulentas: & ingressis illis in viscera earum, non poterat sentiri quod in earum viscera transissent: sed aspectus illarum erat, ut prius deformis*. Data opera igitur hujuscemodi loca, quæ infinita pene sunt, non mutamus, quandoquidem nihil amittitur de sententia.

16. *Absque me*] Non ego ex sapientia (inquit) mea respondebo, sed ab ipso Deo respondebitur quod ad pacem sit Pharaoni.

28. *Qui hoc ordine complebuntur*] Heb. *Et hoc verbum quod locutus sum ad Pharaonem, est id quod Deus facturus est, & ostendit Pharaoni.*

45. *Salvatorem mundi*] Heb. *Zaphnath Paaneach*, quod alii *interpretem arcanorum*, vel *cognitorem occultorum* interpretantur: alii putant esse dictiones Ægyptias. ❡ *Sacerdotis Heliopoleos*] Vel *Sacerdotis On.*

51. *Manasses*] Quod sonat, *Faciens oblivisci*; *Ephraim*, *Fructificationes.*

DRUSIUS.

30. *Surgent septem anni famis*] i. exorientur, existent, ut, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista*. Sic, *surrexit Rex alius qui non noverat Joseph*. לסטים, Græca vox est λῃστὴς *latro*, à quo duplex pluralis לסטים & לסטסים. Putavi aliquando illud contractum esse ex isto; nunc aliter censeo. Nam puto לסטים melius & analogoteron scribi quam לסטסים aut לסטין. Ratio, quia ultima nominis λῃστὴς in Græco perit, cum dicimus λῃσταὶ *latrones*: debet ergo & in Ebræo. Sic פטרוטין ἐπίτροποι melius scribitur quam אפטרופסין, quanquam in singulari sit אפטרופוס ἐπίτροπος. Sic אכלין ὄχλοι malim quam אכלוסים, quod nunc in usu à singulari אכלוס ὄχλος. Sunt enim nomina Græca non Ebraica. Contra male faciunt, meo judicio, qui ex *Baalim* faciunt *Baalimos*, & ex *Cherubim Cherubinos*, cum potius dicendum esset *Baales & Cherubs*. Nam in singulari *Baal* & *Cherub*.

40. *Os tuum osculabitur*] *Osculum*, inquit Tremellius, *subjectionis symbolum est*. Non persuadet. Nam quæ testimonia producit ei probando, hoc non dicunt. Baalem osculabantur manu ad os admota; de quo genere venerationis diximus in Observationibus nostris. Sic fortean etiam vitulos Hos. 13. 2. Qui huc referunt locum ex Psal. 2. 12. *osculamini*, ubi interpretantur *adorate*, injuriam faciunt Spiritui sancto, cum mos ille

ille fuerit colentium idola; quem ad Christum transferre ipsa absurditate absurdius est. Inter genera osculorum quæ recensent Ebræi est osculum Dignitatis sive Magnitudinis, Thaucuma 23.4. ut cum Regem recens creatum osculo recipimus & admittimus, eique quasi homagium præstamus; de quo intelligendus David, meo judicio, in loco citato. Samuel quoque eo ritu osculatus est Saulem postquam eum unxisset in Regem, 1 Sam. 10. 1. Etiam qui superiores erant inferiores osculabantur. Nam oscula olim adhibita in hominum cultu. Sane ipsos Reges legimus & Principes osculo excipere solitos cives digniores. Ex hoc more Darius rex Zorobabelem osculatur 3 Ezræ 4. 47. Non ergo signum aut symbolum est subjectionis. Cæterum osculabantur antiqui os, scapulam, humerum, malam sive maxillam, manum & aliquando tergum manus. Persæ, si pares erant, ait Brissonius, ore osculabantur: sin alter paulo inferior erat, ei genas deosculandas præbebat is qui dignitate vel generis nobilitate antecellebat: infimæ vero sortis Persa procumbens venerabatur digniorem. Non sic depono manum de tabula. Inter oscula Ebræi numerant oscula Precum sive Precationum, cum in precibus manum osculamur Deum hoc modo venerantes. Qui ritus non longe abit à ritu gentilium, de quo supra. Sane Deut. 34. 5. ubi Ebræus habet, *ad os Domini*, & Onk. vertit, *juxta sermonem Domini*, & Jerosol. interp. *juxta decretum sermonis Domini*, Jonathan habet, *ad osculum sermonis Domini*. Verba Tremellii superius allegata habentur ad Gen. 41. 40. ubi nos edidimus, *Ad os tuum armabitur universus populus*, ipse maluit, *Os tuum osculabitur omnis populus*. Quid si, *Ad os tuum*, i. sermonem tuum, *osculabitur Regem qui volet è populo?* expende. Nam ad Regis osculum admitti non infimæ dignitatis erat: Imo Regem adire non licebat populo. Ne hodie quidem id licet, nisi cui singulari beneficio id concessum fuerit. Sic Papam deosculantur (dico pedes ejus) qui ad eum adeunt. Quod cuivis non licet.

I D E M.

2. וּבְרִיאֹת בָּשָׂר *pingues carne*. Schol. στερίμνιοι κρέα, καὶ παχεῖαι σαρξὶν, *solidam carnem habentes, & pingues carnibus* [*corpore pingui & opimo*] Sunt duæ interpretationes, Στερίμνιος, *solidus, firmus, durus*, σαρξὶν, i. בשרים ut apud Salomonem חיי בשרים *vita carnium*, i. bona valetudo. Κρέας & *caro* & *corpus*: ut possis reddere, *solido corpore præditi*, στερίμνιοι κρέα, verbum è verbo, *solidi carne*. In edit. Rom. male hæc notata ad καλαὶ τῷ εἴδει, cum pertineant ad ἐκλεκταὶ τῇ σαρξί. Quod bene ita emendarat. Nam בריאות non est à ברר eligo, sed à ברא. Psal. 73. 4. בריא *pingue*. Sym. στερεοί. Hiero. *firma*. Ebræi, שמן, *pingue*. Hinc licet colligere, illud στερίμνιοι κρέα, Symmachi esse. Alterum autem putarim esse Theodotionis. Næ Aquilam vertisse בשר σαρξὶν, non sit mihi verisimile. Quod tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. Pingues Onkelos & Jonathan פטימן. ¶ בָּאָחוּ Schol. ἐν τῷ ἕλει, *in planitie*] In Fragmentis à me juvene collectis, A. & Sym. ἐν τῷ ἕλει. Job. 8. 11. אחו בלא. A. ἢ πληθυνθήσεται ἕλος. R. S. אגם *stagnum*: *vulgo*, *Marasc*. Gallice *Marais* sive *Marez*, *palus*. Hieron. in Quæst. ad hunc locum. *Bis in Genesi scriptum est Achi: & neque Græcus sermo est, nec Latinus. Sed & Ebræus ipse corruptus est. Dicitur enim* באחו, *h. e. in palude*. Vide sequentia. Abenmelech, *Nomen est germinis, quod pabulum præbet jumentis. Vocaturque in monumentis doctorum nostrorum Asphasta vel Asaphsetha. Aut est locus in quo germen illud provenit*. Interpres noster Vulg. *in locis palustribus*. Lxx. ἐν τῷ ἄχει. Schol. ἄχος *est plantarium tenue & herbosum*. Lectio varians, ἐν τῇ ὄχθῃ, *in ripa*: quam secutus est Philo, lib. de Joseph. Ita enim hanc rem narrans inquit, ἐπὶ τῆς τῆς ὄχθαις νεμέσθαι. Job. 8. eadem dictio Ebræa transfertur βούτομον, aut ut alii codices habent, πάπυρος, *papyrus*. Vulg. edit. ibi habet *carectum*. Ἄχι sive ἄχει, reperitur etiam apud Sirachidem Ecclesi. 40. ἄχι ἐπὶ παντὸς ὕδατος, ubi Vulg. interpres, *super omnem aquam viriditas*.

6. שְׁדוּפֹת קָדִים Schol. ἐφθαρμένοι καύσωνι, πεφρυγμένοι ἀνέμῳ] Duæ sunt, nisi fallor, interpretationes. Una est, ἐφθαρμένοι καύσωνι, *æstu corrupta sive ab æstu*; altera, πεφρυγμένοι ἀνέμῳ, *tosta*, sive *torrefacta*, *vento*. קדים proprie Eurus, qui calidior est in illis regionibus: unde Jon. 4. 8. רוח קדים Lxx. πνεύματι καύσωνι (alias, καύσωνος) καίοντι. Hieron. *vento calido urente*. Sane καύσων *æstus*, qui & καῦσος & καῦμα dicitur. Hic sumi videtur pro *vento calido urente*. Sunt qui קדים dicant esse Euronoton. Constat autem Notum à Meridie flantem æstuosum esse & caloris intensi: quem statum aëris καύσωνα vocarunt, quemadmodum & febrium quendam ardorem. ¶ Πεφρυγμένοι, à φρύγομαι sive φρύττομαι, *torreor*, *torresio*, *frigor*.

8. וַתִּפָּעֶם רוּחוֹ Schol. κατεπτοήθη] Utrum est aorist. 2. pass. à verbo καταπτοέομαι, *efferor*? Dan. 2. ותתפעם רוחו. Sym. καὶ ἀνηπτοήθη. Forsan & hic leg. κατεπτοήθη: probarem, si, ut διαπτοέω, ita etiam in usu esset καταπτοέω. ¶ חַרְטֻמֵּי מִצְרַיִם *Magos Ægypti*. A. κρυφιαστάς. Sym. μάγους, Magos] Κρυφιαστὴς verbale a κρυφιάζω unde adhuc in usu ἐγκρυφιάζω. Videtur autem sig. voluisse interpretes somniorum & eos qui occulta conjiciunt, quos translator noster *conjectores* appellat. ¶ *Magos*, sic etiam Santes. Displicuit Ariæ, qui reposuit *genethliacos*. Mihi crede, potius *magos* denotat: quod ex effectis horum חרטמים colligere licet: neque enim genethliaci virgas serpentibus commutant, neque ranas formare possunt.

14. וַיְרִיצֻהוּ Schol. δρόμῳ ἤγαγον, *curriculo eduxerunt*.] Δρομαῖ, i. δρόμῳ. Hoc interpres noster dixit, *protinus eduxerunt*.

16. בִּלְעָדָי אֱלֹהִים יַעֲנֶה אֶת שְׁלוֹם פַּרְעֹה Sym. *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni*] Hieron. *Et respondit Joseph Pharaoni, dicens, Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni*] *In Ebræo aliter habet, Sine me non respondebit pacem Pharaoni. Denique Symmachus more suo apertius transtulit, Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni*. Aquila, *Absque me non respondebit Deus salutem*. Syrus ita habet, *Non respondebimus*. Vide Procopium pag. 192. in extremo. Sym. sensum expressit. Nam in Ebræo ad verbum, *Sine me*, aut *præter me*, *Deus respondebit pacem Pharaonis*. Onk. *Non è sapientia mea: à Deo respondebitur pax Pharaonis*. Jon. *Præter me non est vir qui exponet somnia; verum à Deo respondebitur pax Pharaonis*. R. Sal. *Non sapientia hæc à me est, sed Deus respondebit, i. ponet responsum in ore meo, ad Pacem Pharaonis*. ¶ *Pacem Pharaoni*] Est cur malim, *pacem Pharaonis*: & est sensus, Quæ pertinent ad salutem Pharaonis. Abenmelech, *Cupide respiciet salutem Pharaonis*, (ut Cohel. 5. 20. *Quia Deus respondet lætitia cordis ejus*. Santes, *rependet lætitiam cordis ejus*) *aut, Ponet in ore meo interpretationem somnii in pacem & salutem Pharaonis*.

24. אֶל הַחַרְטֻמִּים Rursum A. πρὸς τοὺς κρυφιαστὰς & Sym. μάγους] Vide quæ supra notavimus ad v. 8. Quibus addo, qui hic *magi* vocantur, alibi dici *sapientes Pharaonis*. Nam *Magus*, *sapiens*, in lingua Persarum. Sed magi alii γόητες, qui magica arte utuntur; alii σοφοὶ, qui naturalis philosophiæ peritiam habent. Sic duplex magia, Naturalis, quæ in laude ponitur; & Supernaturalis, quæ in vituperio est, quia dæmonum ope tota constat.

32. נָכוֹן הַדָּבָר Schol. ἕτοιμον τὸ ῥῆμα· βέβαιος ὁ λόγος, *paratum verbum, firmus sermo*] ¶ Ἑτοιμόν. Sic alibi Lxx. Psal. 108. 1. Hic reddunt, ἀληθὲς ἐστι τὸ ῥῆμα, *verum est verbum*, i. firmum, ratum, stabile, ut Joh. 8. 17. Jam vero ut *verbum* & *sermo* pro *re* sumatur notius est quam ut notari debeat. ¶ *Paratum*, Vel *promptum*. ¶ *Firmus*. Vel *stabilis*. Psal. 51. 12. נכון, Hieron. *stabilem*. 90. 17. כוננה, idem, *fac stabile*, & mox, *confirma*. 93. 1. הכון, Lxx. ἐστερέωσε. 93. 2. נכון, Hiero. *firmum est*. Idem hoc loco, *Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est*. Quæ omnia confirmant interpretationem τοῦ βέβαιος, ut & quod Psal. 8. 3. כוננתה, sextæ edit. ἡδρασας· & 7. 9. ותכונן צדיק, alius, καὶ ἑδράσεις δίκαιον.

34. פְּקִדִים Schol. ἐπισκόπους, *inspectores*] Qui videlicet alicui rei curandæ præfecti sunt. Tales etiam ἐπιτρόπους vocant; qua voce hic usi sunt Jonathan & autor Jerosolymitanæ. Prius erat τοπάρχας, & in Lat. vet. *præpositos*. Ut hic פקדים ἐπισκόποι, sic alibi פקדה redditur à Lxx. ἐπισκοπὴ, *episcopa*, sive *episcopatus*. Sig. autem ibi *præfecturam*. Cæterum *Episcopatus* nomen hodie restringunt ad certum munus in Ecclesia Dei, quod qui administrant ab Hieronymo *Superintendentes* vocantur. Idem ergo Superintendens & Episcopus. Quod noto, quia *Episcopi* vocabulum multos nasutulos offendit, *Superintendentis* non item. Tantum potest opinio.

35. כָּל אֹכֶל Schol. πάντα τὰ γεννήματα, *omnes fructus*, sive *proventus*] Ita passim γέννημα usurpatur in his libris; sed tum fere in Ebræo est תבואה, aut aliquid tale. אכל magis denotat βρώματα, quod nunc Lxx. ediderunt: & est locutio notanda *omnem cibum*, pro *omne frumentum unde cibus conficitur*. Itaque Onk. interpretatur ית כל עבור, *omnem proventum*: nec aliter Jonathan. Sic alibi, *visitavit populum suum dando eis panem*, i. frumentum unde panis conficitur.

36. לְפִקָּדוֹן A. εἰς παραθήκην. Sym. εἰς ἀποθήκην] Παραθήκη, *res deposita*, i. παρακαταθήκη, item *res reposita & recondita*. Quo significatu hic sumi videtur. Itaque Onkelos & Jonathan interpretantur גנז, [& Lxx. τὰ βρώματα τὰ πεφυλαγμένα]

CLARIUS.

6. **N**. *Ec quicquam aliud noverat*] Alius sic vertit, *Nec cognoscebat cum eo quicquam*, h. e. nullam rationem reddebat Joseph domino suo, nec herus ipse sua curabat, omnibus fideli ministro commissis.

9. *Nec quicquam est*] Alius hunc locum sic vertit, *cunctaque quæ habet tradidit in manum meam: non est major quisquam in hac domo quam ego sim: nec quicquam mihi prohibuit nisi te, eo quod tu uxor illius sis.* At Hebraicus sensus videtur sic habere, *Non est ipse*, scilicet dominus, *major me in hac domo, nisi in hoc quod tu mihi prohibita es.*

11. *Absque arbitris*] Heb. *Cum non esset vir ullus ex familia in domo.*

19. *His auditis*] Heb. *Audiens vero dominus ejus verba uxoris suæ, quæ ad illum loquebatur, dicens, Secundum verba ista fecit mihi servus tuus, commotus est furor ejus*, &c. Sed quomodo eunuchus uxorem habuit? Respondent quidam, regios ministros nonnunquam *eunuchos* vocari, sicut Esai. 39. quos, si Latine vocem Græcam interpreteris, *custodes lecti* vel *thalami* appellare possis. Alii ferunt genus esse eunuchorum, qui quamvis infœcundi sint, coire tamen possint.

22. *Et quicquid fiebat, sub ipso erat*] Alius sic vertit, *Et quicquid fiebat, ipse faciebat*, h. e. quod alii facere consueverant, Joseph facere satagebat.

DRUSIUS.

1. **O** εὐνοῦχος Φαραώ] Ad hunc locum Scholion est in edit. Romana, ὁ μὲν Σύρος μετὰ πεποιθήσεως τὸν παραδοθέντα καὶ τὸ πιστὸν ἄνδρα λέγει τοῖς δεσπόταις. Hoc verum est. Vocatur enim eunuchus in codice Syro Act. 8. מהימנא. quod proprie *fidum* sive *fidelem* denotat. Sequitur in scholio illo, ὁ δὲ Ἑβραῖος ἀληθῶς εὐνοῦχον, καὶ τοῦτον ἀπὸ τῆς πίστεως, ἐπειδὴ φιλεῖ τὸ τῶν εὐνούχων γένος μάλιστα πιστεύεσθαι τὰ τιμιώτερα τῶν κειμηλίων, καὶ αὐτὴν τὴν βασιλέων σωτηρίαν. *Ebræus autem vere Eunuchum, & hunc à fide: Quandoquidem amat eunuchorum genus ut sibi potissimum credantur pretiosissima quæque bona, & ipsamet Regum salus.* Vide sequentia. Eadem scribunt Diodorus & Gennadius, quorum verba invenies in *Catena Patrum.* Aliud scholion ad marginem Quæst. Theodoreti, *Eunuchi nominantur non soli secti, sed etiam qui inter famulos sunt* εὐνοῦντες τοῖς ἔχουσι, *benevoli habentibus, seu possessoribus: Nonnulli autem dicunt solere eunuchos Ægyptios habere uxores propter libidinem & salacitatem.* Videndus Hieron. in Quæst. ad hunc locum. Abenmelech, *Erant ei secti testiculi, & non ipse nervus: Ideo uxorem habebat: & secundum opinionem Onkeli significat nomen* סריס *Principem ac Præfectum.*

2. מַצְלִיחַ. A. καλοδιηνυόμενος. Sym. εὐοδούμενος] Καλοδιηνυόμενος, *Cui recte omnia succedunt.* Εὐοδούμενος, *Cui bene ac prospere res procedunt.* Idem aliter Psal. 1. יצליח Lxx. κατευοδωθήσεται. Sirach. 11. 21. εὐοδωθήσεται, *prosperos successus habebit.* Rursum Sirach 29. 20. κατευθύνοντες, *Qui rectum cursum tenent, Bene agentes, Qui sunt in itinere recto.*

22. אֵת כָּל־הָאֲסִירִם. Sym. πάντας τοὺς δεδεμένους, *omnes vinctos.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Igitur Joseph deductus est in Ægyptum, quem emit Phutiphar eunuchus Pharaonis princeps satellitum, vir Ægyptius, è manu Ismaelitarum, qui deduxerant eum illuc.*

Deductus est] הורד. LXX. κατήχθη, quod male redditum, *depositus est.* debet reddi, *deductus est.* Nam κατάγω deduco, deorsum ago. Hiero. *ductus est* הוכה. Verbum è verbo, *descendere factus est.* Nam in Ægyptum proprie descenditur ex Judæa. ¶ *Phutiphar*] Φωτιφὰρ. 37. 36. ¶ *Eunuchus*] ὁ εὐνοῦχος, i. aulicus aut cubicularius. Procopius ad hunc locum, „Quæ ratio permittit, ut eunuchus cum uxore more veri conjugis concumbere possit? Sed ut mihi videtur, cum esset præpositus familiæ regis, id nomen obtinuit ob officium, cum neutiquam alioqui spado vel eunuchus foret. Præterea quidam docet in Scriptura sacra interdum dici eunuchos & spadones, qui revera non sint castrati, sed illius conditionis esse existimantur: quemadmodum Esaias tres familiares Danielis more prophetico spadones & eunuchos nominat, dicens ad Ezechiam: de filiis tuis, qui ex te egredientur, accipient & facient eunuchos in domo regis Babyloniorum. Sic Christus vocat unctos, „qui unctionem externam non habebant, sed tantum unctorum „pietatem possidebant. Scholion, *Syrus quidem* (Græca habentur c. 37. v. 36.) *eodem vocabulo nominat & spadonem & virum fidelem Domino.* Vide supra. ¶ *Princeps*] magister, præfectus. ¶ *Satellitum*] carnificum, speculatorum. Proprie, *mactatorum.* Nam usurpatur tam de iis, qui animalia mactant, quam de iis qui homines jugulant. Procopius, *Archimagirus* (ita Græci legunt, ὁ ἀρχιμάγειρος) *scilicet satelles & quasi spatharius.* Spatha genus est gladii. Vegetius annotat ita vocari proprie gladios longiores. Augustinus frameam & romphæam interpretatur. Græce σπάθη. Itali dicunt *spada* & Vascones *espade.* Hinc spatharius. Ceterum Hieronymus hic habet, *princeps exercitus sui.* Leo Judæ, *præfectus rerum capitalium.* ¶ *Ismaelitarum*] *Arabum.* Onkelos & Jonathan. Hinc disces linguam Ismaeliticam eandem esse cum Arabica.

2. *Fuitque* DOMINUS *cum Josepho, qui erat vir prospere agens, & erat in domo domini sui Ægyptii.*

3. *Viditque dominus ejus* DOMINUM *esse cum eo, & omnia quæ faceret,* DOMINUM *prosperare per manum ejus.*

4. *Itaque invenit Joseph gratiam in oculis ejus, ministravitque ei, & præfecit eum domui suæ, & omnia sua tradidit in manum ejus.*

Fuit cum Josepho] adfuit ei. Onkelos & Jonathan, *Sermo DOMINI fuit in auxilio ejus.* ¶ *Prospere agens*] מצליח. post Hier. verti, *prospere agens.* Sic etiam Syrus. Verba Procopii, quibus hoc significat, hæc sunt, *Syrus reddidit, erat vir prospere agens.* Talis Latine felix dicitur, nam prosperum potius numen & prosperos Deos appellamus. LXX. ἐπιτυγχάνων i. ἐπιτυχὴς, felix, qui in consiliis & actionibus suis prospero successu utitur, & voti sui compos fit, assecutus id quod cupiebat, fortunatus: unde & ἐπιτυχῶς, fortunate, feliciter. Interpres Rom. vertit, *prosperans.* Vide supra. ¶ *Erat in domo domini sui*] erat i. versabatur. Sic Ruth 1. 2. *& fuerunt ibi* i. commorati sunt. Sic, *qui es in cælo* i. habitas. Nam alioqui Deus ubique est. Hinc elicimus servum domesticum fuisse. Nam alii foris in agro faciunt opus, ibique habitant, aut majorem partem versantur. ¶ *Domini sui*] hic rursum est אדניו dominorum suorum, ut plane inepti sint qui negant pluralem usurpari de uno è singulis. Ut אדנים, sic etiam dicimus אלהים Deus, & בעלים Dominus. Vide Jes. 1. 3. Nam ubi nos habemus, *præsepe domini sui*, Ebræus legit בעליו *dominorum suorum.* Nihil certius. ¶ *Dominus ejus*] אדניו ut supra. ¶ DOMINUM] יהוה. ¶ *Prosperare*] מצליח, quod modo reddidimus, *prospere agens*, hic significat *prosperans*, sive *secundans*, vel, *prospera efficiens.* Chaldaice מצלח. LXX. εὐοδοῖ, & Hiero. *dirigi.* מצלח. ¶ *Per manum ejus*] בידו in manu ejus. ¶ *Gratiam*] Onkelos & Jonathan רחמין miserationes. ¶ *Ministravitque ei*] וישרת אתו. Hiero. *& ministrabat ei.* Optime & rectissime. LXX. καὶ εὐηρέστησεν αὐτῷ, & bene placuit ei. Quod Ebræi potius dicerent ויהי טוב בעיניו & fuit bonum in oculis ejus. ¶ *Præfecit eum domui suæ*] Jonathan & autor Jerosolymitanus, *constituit eum* ἐπίτροπον *super domum suam.* i. curatorem sive præfectum domus suæ: Qualis ille, quem Latini *servum atriensem* vocant. Chaldaice אפטרופוס, cujus pluralis invenitur אפטרופין resecta Samech, sicut dicimus לסטים latrones, à singulari לסטיס i. λῃστής. Lex. Græco-Lat. vetus, ἐπίτροπος, procurator, tutor. ἐπιτροπεύω, procuro. ἐπιτροπή, ἡ ἐντολή, commissum. ἐπιτροπή, πραγματων φροντὶς, procuracio. ἐπιτροπὴ ὀρφανῶ, tutela. Hiero. hic habet, *à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum.*

5. *Fuit autem ex quo præfecerat eum domui suæ, & omnibus quæ habebat, & benediceret* DOMINUS *domui Ægyptii propter Josephum: fuit, inquam, benedictio* DOMINI *in omnibus quæ habebat domi & in agro.*

6. *Itaque reliquit omnia sua in manum Josephi, & non noverat cum eo quicquam præter panem, quem ipse comedebat. Erat autem Joseph pulcher forma & pulcher aspectu.*

Ex quo] מאז ex quo, ex eo tempore quo, quod Chaldæi referunt מעדן דמני. LXX. transtulerunt μετὰ τὸ κατασταθῆναι postquam constituit הפקיד אתו. Ps. 76. 7. מאז אפך *ex quo cœperit iratus.* Jes. 14. 8. מאז שכבת. Hiero. *ex quo dormisti.* LXX. ἀφ' οὗ σὺ κεκοίμησαι. Alius, *ex quo occubuisti.* ¶ *Propter Josephum*] Ionathan, *propter meritum Josephi*, quod Chaldaice dicit בגין זכותיה דיוסף. Nam זכות meritum. ¶ *Non noverat cum eo quicquam præter panem*] nullius rei curam gerebat cum eo præter quam panis i. cibi ac mensæ. *Nosse* pro *curare*, ut, *Justus novit faciem jumenti sui.* Ebræi hoc dicunt exponentes לא ידע. Abenezra, R. Levi & alii locum hunc enarrant ex more antiquo, quo non licebat Ægyptiis cum Iudæo panem edere, aut eadem mensa

inem[?]ati : de quo more alias. Ionathan, *non noverat cum eo quicquam præter uxorem suam propter quam dormiebat.* R. Salomo, *Panis vocabulo honeste uxorem innuit.* Quo pertinet illud, *Viro scortatori quilibet panis suavis est.* Eodem facit, *Panis clandestinus suavior.* Quod extat in libro Proverbiorum Salomonis. ❡ *Quem comedebat*] quo vescebatur. ❡ *Pulcher forma*] forma est apta figura membrorum, quæ pulchritudo dicitur : aspectus in facie potissimum consideratur, cum coloris quadam suavitate. Et forma & aspectu matrem referebat, quæ excellenti pulchritudine prædita fuerat.

7. *Fuit autem post verba hæc ut levaret uxor domini ejus oculos suos ad Ioseph, cui dixit, Cuba mecum.*

8. *Qui renuit, & dixit uxori domini sui, En dominus meus nescit mecum quid in domo, & quæcunque habet tradidit in manum meam.*

Levavit] erexit, sustulit. LXX. ἐπέβαλεν, & eos secutus Hier. *injecit.* Onkelos & Ionathan ונטלת, levavit. Quidam, *adjecit oculos ad Ioseph.* Nam ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, ut est in Proverbio. Nisi vidisset, non amasset. Ex eo quod præcedit, id quod sequitur. Nam significare vult eam in amorem Ioseph incidisse. ❡ *Uxor domini ejus*] Si vere eunuchus erat, cur uxorem duxit? An voluptatis tantum causa? Neque enim quibuscunque amputantur testes, in eis libidinis ardor extinguitur, imo vero crescit & intenditur in iis qui exsecti jam puberes. Qua de re videndi sunt Magius Miscel. Lib. 2. cap. 5. Steuchus in recognitione V. T. pag. 341. Muretus Variarum Lectionum Lib. 10. cap. 11. Neque tamen inde necessario sequitur quod vult Steuchus. Nam qua fronte ausa fuisset uxor eunuchi, quæ ex marito parere non poterat, appetere concubitum Iosephi ex quo parere poterat. Quæ si peperisset, in manifesto adulterio deprehensa fuisset. Sed hæc doctis expendenda relinquamus. ❡ *Cuba mecum*] Hieron. *dormi mecum.* Ante Lxx. ediderant κοιμήθητι μετ' ἐμοῦ. Ceterum dormio proprie ישן : cubo autem שכב dicitur, quod nunc & in Ebræo, & apud paraphrastas Chaldæos. ❡ *Renuit*] *renuit recedere* (alias, *appropinquare*,) *ad eam*, Ionathan. *Nequaquam acquievit operi nefario*, Hieronymus. οὐκ ἤθελεν, Lxx. i. noluit. ❡ *Uxor domini sui*] אשת אדניו. Uxor dominorum suorum. Paulo post אדני dominus meus. Cur hic singulari, ibi usus est numero multitudinis? Interpretes Chaldæi רבונה domini sui. Sic etiam Græci τοῦ κυρίου αὐτοῦ. ❡ *Nescit mecum &c*] præter panem quo vescitur, ut ait vers. 6. Qui locus hinc explicandus est. Nam eadem utrobique sententia. ❡ *Mecum*] μετ' ἐμοῦ. Ita vertendum ex Ebræo, non ut in Lxx. δι' ἐμὲ, propter me. Quanquam in Ambrosio, *præter me.* ❡ *Quid in domo*] *quid habeat in domo sua*, Hieron. *quicquam quod in domo*, Ionath. ❡ *In manum meam*] in potestatem meam. q. d. omnia sua mihi credidit, omnia mei juris fecit, meæ fidei commisit. Porro autem habita fides obligat ipsam fidem.

9. *Non est ipse major in domo hac me, neque prohibuit à me quicquam nisi te, in eo quod tu uxor ejus : & quomodo facerem malum hoc magnum, & peccarem in Deum?*

Ipse] Dominus meus. Hoc pronomen neglexerunt qui vertunt, *nullus est in hac domo major me*, vel, *non est major me quispiam in hac domo.* Illud legunt Galli, hoc Leo Iudæ. Trem. *nullus est ei in hac domo major me.* איננו pro אין לו. Dubito an bene. Onkelos ליתוהי non est ipse, quod Ionathan ליתיה edidit. Idem aliter. Hoc videtur velle, Tanta in hac domo polleo autoritate, ut ne quidem dominus meus me major sit. Lxx. οὐχ ὑπερέχει ἐν τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ οὐδὲν ἐμοῦ, quod reddunt, *nihil est in hac domo quod supra me sit.* ❡ *In eo quod tu es uxor ejus*] quatenus tu es uxor ejus. Sed malim, *propterea quod tu sis uxor ejus.* Sic Græci Lxx. διὰ τὸ σὲ γυναῖκα αὐτοῦ εἶναι. Nec aliter Onkelos. Sed & Ionathan quoque hoc prætulit. Sic alibi, בשלכי *propter quem.* Nam בו idem cum באשר. ❡ *Magnum*] vel, *maximum.* ❡ *Et peccarem in Deum*] q. d. non solum in dominum meum peccarem, de me tam bene meritum, sed etiam in ipsum Deum, qui, quæ facimus cunque & audit & videt. ❡ *In Deum*] vel, *Deo.* Hoc dicit, *quia Deus autor matrimonii.*

10. *Fuit autem cum loqueretur ipsa ad Joseph quotidie, nec audiret eam ut cubaret propter eam, ut esset cum illa.*

11. *Fuit, inquam, quodam die ut veniret domum ad faciendum opus suum, nec esset quisquam ex domesticis ibi in domo.*

12. *Et apprehenderet eum veste ipsius, dicendo, Cuba mecum : qui deseruit vestem suam in manu ejus & fugit egressus foras.*

Ad Joseph] *cum Joseph*, Onkelos & Ionathan. τῷ Ιωσὴφ. Lxx. ❡ *Quotidie*] יום יום die die i. quotidie καθ' ἡμέραν ἡμέραν. Lxx. hic habent ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, diem ex die, quod minus probo. Hieron. *per singulos dies.* Ionathan vero יומא דין ויומא חורן die isto & die alio. Onkelos nihil variat à Sante Ebræo. ויומחרא nomen est compositum ex יום dies & אחרא alius. Hujusmodi compositionibus delectatur admodum interpres ille. ❡ *Nec audiret eam*] nec auscultaret ei. Ebraice est אליה ad eam. Id Græci transferunt, οὐχ ὑπήκουσεν αὐτῇ, non obedivit ei. Onkelos & Ionathan, *Non acquievit ei.* לא קביל מנה. ❡ *Propter eam*] אצלה prope vel juxta eam. Idem cum illo, *ut cubaret cum ea.* Nam & Lxx. habent καθευδῆσαι μετ' αὐτῆς, ut dormiret cum ea. Onkelos לותה quod Fagius reddit, *cum ea.* Ionathan עמה cum ea vel juxta eam. ❡ *Ut esset cum illa*] Idem aliter. Nam esse cum muliere est cum ea rem & consuetudinem habere. Sic Plautus etiam loquitur. Lxx. τοῦ συγγενέσθαι αὐτῇ, quod reddunt, *ad coeundum cum ea.* Ionathan, *Ut esset reus secum in die judicii magni in seculo futuro.* Nimis hoc dilutum. ❡ *Quodam die*] כהיום הזה plene scriptum pro כיום. Hoc primum : deinde הזה positum videtur pro quodam, & Chaph in otio cubare, nisi vertas, *simili vel tali quodam die.* Græce est ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ. Nos secuti sumus Hieron. qui habet, *quadam die.* Trem. *Hujusmodi aliquo die.* Gallica, *Un certain jour*, certo aliquo die. ❡ *Ad faciendum opus suum*] Onkelos, *ut inquireret in scripta rationum suarum.* i. *in libellum dati & accepti*, ut Fagius explicat. Ionathan, *Ut scrutaretur in tabulis rationum suarum.* ❡ *Ex domesticis*] ex viris domus. Si nemo domi erat, ubi ergo erant? An ad publicum festum, quod tunc fuisse scribit Iosephus, exiverant? *Nam etiam fœminas ejus celebritatem frequentare mos erat.* Hoc scribit Antiquit. Lib. 2. cap. 3. ❡ *Apprehendit eum veste ipsius*] Hieron. *apprehensa lacinia vestimenti ejus.* Sunt autem laciniæ in vestimento partes extremæ, quas interdum in humerum solemus revocare, quibusque in sinum collectis aliquid gestare consuevimus. Græci πτέρυγας καὶ κράσπεδα vocant : Ebræi, nisi fallor כנפים i. alarum nomine eas significant. ❡ *Cuba*] concumbe, dormi, κοιμήθητι. ❡ *Deseruit*] reliquit, dereliquit, dimisit. ❡ *Vestem suam*] superiorem. *Pallium* interpretatur Hieronymus. ❡ *Foras*] extra cubiculum, in quo erat.

13. *Quæ cum vidisset quod deseruisset vestem suam in manu sua, & fugisset foras.*

14. *Vocavit domesticos suos & dixit illis, dicendo; Videte, adduxit nobis virum Ebræum ad illudendum nobis : venit ad me ut cubaret mecum & clamavi voce magna.*

15. *Cumque audiret ipse me sustulisse vocem meam & clamasse, deseruit vestem suam apud me & fugit & egressus est foras.*

Deseruisset] reliquisset. ❡ *Domesticos suos*] qui tunc redierant domum. Verbum è verbo, *viros domus suæ*, sive, ut est in Hieron. *Homines domus suæ.* Lxx. habent τοὺς ὄντας ἐν τῇ οἰκίᾳ, eos qui erant domi. ❡ *Videte*] ἴδετε. Verbum imperativi modi, quod usurpatur pro adverbio. Sane R. Salomo explicat per הנה ecce. Sæpius dicunt ἴδε, quod multi scribunt ἰδὲ, cum in adverbium degenerat. Vide & videte, ut age & agite. Nescio an vide etiam pluraliter usurpetur. ❡ *Adduxit*] maritus. Ionathan supplet ריבונכון herus vester. Certe cum stomacho hæc dici videntur. ❡ *Virum Ebræum*] quendam Ebræum. Aut est pleonasmus, *virum Ebræum*, sicut dicimus, *homo sacerdos, mulier ancilla.* Sic *viri Judæi, viri Athenienses.* Lxx. παῖδα Ἑβραῖον, i. עבד עברי servum Ebræum. ❡ *Ad illudendum nobis*] vel potius, *ut illuderet in nos.* Nam Ebraice, בנו. Licet etiam vertere, *ad illudendum in nobis.* Terent. *adeone videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis?* Innuit autem rem veneream sive coitum id est צחוק, ut Ebræi volunt. Quo significatu Latini dicunt *ludere*, ut in illo Livii veteris poetæ, *Adsatim edi, bibi, lusi:* quod Homerus ante dixerat, τῶν δ' ἔφαγον τ' ἔπιον τε καὶ αἰδοίων ἔδυνα, ubi τὸ αἰδοίων pars melior interpretum exponit ἀφροδισίων. Sic quidam accipiunt Exod. 32. *Surrexit populus ad edendum, bibendum & ludendum:* Quod tamen alii aliter interpretantur. ❡ *Venit*] ingressus est, introiit. Sic הביאו Hier. supra vertit, *introduxit.* ❡ *Ut cubaret mecum*] Hieron. *ut coiret mecum.* Lxx. λέγων, κοιμήθητι μετ' ἐμοῦ, mutarunt obliquam orationem in rectam. ❡ *Deseruit*] reliquit. ❡ *Vestem suam*] *pallium quod tenebam*, Hieronymus. ❡ *Apud me*] παρ' ἐμοί. ita Lxx. Ebraice est אצלי propter me. i. juxta vel prope me.

16. *Et reliquit vestem ejus apud se, donec veniret dominus ejus domum suam.*

17. *Locutaque est ad eum in hæc verba dicendo : Venit ad me servus Ebræus, quem adduxisti nobis, ad illudendum in nos:*

18. *Cumque sustollerem vocem meam & clamarem, deseruit vestem suam apud me, & fugit foras.*

Reli-

Reliquit] vel magis, *retinuit*. Quod in Hier. vel, *reposuit*. Nam הניח pono, colloco. Sed in Lxx. καταλιπόντος, & in Onkelo שבקיה quod sign. reliquit. Jonathan habet ואצנעיה quod à נוח. ❡ *Dominus ejus*] pronomen ad Iosephum refertur. In Ebræo est verbum pro verbo, *domini ejus*, videlicet, אדניו. Cave legas, *dominus suus*. Nam ita dixisset אדניה. Nulla dubitatio ex verbis Ebraicis. Quanquam in Hieron. *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum*: qui sensum expressit non verba. ❡ *Venit*] ingressus est. ❡ *Servus Ebræus*] העבד העברי cum articulo ὁ δοῦλος ὁ ἑβραῖος, vel, ut Græci habent, ὁ παῖς ὁ ἑβραῖος, q. d. insignis ille servus, εἰρωνικῶς. ❡ *Deseruit*] reliquit.

19. *Cumque audisset dominus ejus verba uxoris suæ, quæ locuta fuerat ad se, dicendo, Juxta verba hæc fecit mihi servus tuus, incanduit ira ejus.*

20. *Quamobrem accepit dominus Iosephi eum, & posuit in domum carceris, locum ubi vincti regis vincti erant, fuitque ibi in domo carceris.*

Ejus] Iosephi. ❡ *Iuxta verba hæc*] quæ tibi dixi: aut lege, *secundum res istas*, ut dicat, sic fecit mihi. Quod Græci amplexi sunt vertentes, οὕτως ἐποίησέ μοι: כה עשה לי. Trem. *omnino hæc fecit mihi*. ❡ *Incanduit*] accensa fuit. ❡ *Dominus Iosephi*] Phutiphar. Et hic in Ebræo אדני יוסף domini Ioseph, domini, inquam, non dominus; hoc est, pluralis in sensu singulari. ❡ *Accepit*] rapuit, sumpsit, nempe per satellites suos. ❡ *Posuit*] collocavit, vel, *tradidit*. ita Hiero. Nam inclusit, injecit, quod Græci dicunt ἐνέβαλεν. i. השליך. Scire autem licet in Ebræo esse יתן & in utroque Thargum ויהב & dedit. ❡ *In domum carceris*] אל בית הסהר. Lxx. εἰς τὸ ὀχύρωμα, quod reddunt, *in custodiam*. Lex. vetus ὀχύρωμα, *munimentum*. Sig. etiam arcem sive castellum. Suidas interpretatur etiam *clausuram*. Ejus verba sunt, ὀχύρωμα, ἡ κλεισοῦρα παρὰ ῥωμαίοις: & alibi, κλεισοῦραι. οὕτω καλοῦνται τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν ῥωμαίων φωνῇ. Hier. *in carcerem*. Videtur esse vocabulum Ægyptium, cujus ideo explicationem post subjungit. Aut est nomen regii carceris, qui tunc erat apud Ægyptios in aula Pharaonis. Nihil temere statuendum. R. David ita nuncupatum putat à rotunditate q. domum rotundam dicas. Hæc omnia incerta sunt. Hoc tantum certum, carcerem eo nomine denotari. Nam & Onkelos reddit בבית אסירי hoc est, in domo vinctorum. Nec aliter Ionathan, nisi quod in eo בי pro בית. Amat enim interpres ille ultimas litteras resecare. ❡ *Locum ubi vincti regis &c.*] Quod obscurum erat in lingua Ebraica, id explicat, ut in historia Esther vocem Persicam חתן autor libri exponit הגורל fortem, & בני הרמכים אחשתרנים, de sententia Abenezræ, idem interpretatur בני הרמכים quo mulos denotari putant equa natos. ❡ *In domo carceris*] Ionathan hic habet בבית אסירי in domo vinctorum. בבית non בי ut supra. Ierosolymitana בבית מכבשיא in domo, ut sic dicam, ligationis. Nam כבש ligo, vincio, obligo, alligo.

21. *Fuitque* DOMINUS *cum Josepho, & extendit ad eum benignitatem, deditque ei gratiam in oculis principis domus carceris.*

Fuit cum Josepho] adfuit ei, fuit ei auxilio. ❡ *Extendit ad eum benignitatem*] protendit sive porrexit ei benignitatem. Ebraice ויט. Chaldaice vero ונגד & protraxit. Hos. 11. 4. ואט אליו אוכיל protendit ad eum cibum. אט pro אטה ut ויט pro ויטה. Hoc primæ conjugationis verbum est, illud tertiæ, quam vocant Hiphil. Mercerus, *inclinavit ad eum beneficentiam* i. benignus ei fuit ac clemens. Trem. *extendit ad eum usque benignitatem* i. *effecit ut sua benignitas ad eum usque carcere inclusum penetraret*. ויט עליו. Lxx. κατέχεεν αὐτοῦ ἔλεος. Hieron. *misertus est illius*. Nam חסד antiqua declaratione misericordia. *Extendit ergo ad eum misericordiam* i. misertus est illius. ❡ *Deditque ei gratiam*] ויתן חנו & dedit gratiam ejus. Latine, *dedit ei gratiam* i. gratiosum eum reddidit, gratiam ei conciliavit. Græce est, ἔδωκεν αὐτῷ χάριν. Chaldaice in Onkelo ויהביה לרחמין in Jonatha ויהב חנא ורחמיה posuit gratiam ejus. ❡ *In oculis principis domus carceris*] Hier. *in conspectu principis carceris*. Lxx. ἐναντίον τοῦ ἀρχιδεσμοφύλακος, quod reddunt, *coram principe custodiæ carceris*. Ἀρχιδεσμοφύλαξ, præfectus custodum carceris, qui præest iis qui vinctos in carcere custodiunt. Onkelos רב בית אסירי magister domus vinctorum, sive, in qua vincti detinentur, hoc est, carceris. In Jonatha est בי pro בית. ❡ *Principis*] præfecti, summi custodis.

22. *Tradiditque princeps domus carceris in manum Josephi omnes vinctos, qui erant in domo carceris, & quicquid faciebant ibi, ipse faciebat.*

23. *Nihil videbat princeps domus carceris quicquam eorum quæ in manu ejus, eo quod* DOMINUS *esset cum illo, & quod ipse faciebat* DOMINUS *prosperabat.*

Princeps domus carceris] Lxx. ὁ ἀρχιδεσμοφύλαξ τοῦ δεσμωτηρίου: & mox, καὶ πάντας τοὺς ἀπηγμένους ὅσοι ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. בית הסהר δεσμωτήριον, locus in quo vinciuntur homines, carcer. ❡ *In manum Josephi*] in potestatem Josephi. ❡ *Omnes vinctos*] Symmachus, πάντας τοὺς δεδεμένους. Hier. *universos vinctos*. Græci δεσμώτας appellant, qui in vinculis seu in carcere habentur. ❡ *Quicquid faciebant ibi*] καὶ πάντα ὅσα ποιοῦσιν ἐκεῖ, & omnia quæ faciebant ibi. Docte Hier. *quicquid fiebat ibi*. Nam est verbum personale, ut vocant, pro impersonali. Sic in Euangelio, *hac nocte tollent animam tuam*, pro tolletur anima tua. *Nunciavit Davidi*, pro nunciatum est, & alia sexcenta. ❡ *Ipse faciebat*] הוא היה עשה. Lxx. αὐτὸς ἦν ποιῶν. Hier. *sub ipso erat* הוא היה. Onkelos, *per sermonem* i. jussu ejus *fiebat*. Jonathan, *ipse præcipiebat ut facerent*. ❡ *Videbat*] curabat, ut ibi, *in monte* DOMINI *videbatur*. Sic etiam Latini autores loquuntur. Cicero ad Trebat. *mea negotia videbis, meque ante brumam expectabis*. in Lucullo, *Tribunum aliquem censeo videant*. Ad Atticum, *ut prandium nobis videret*. ❡ *Eorum quæ in manu ejus*] בידו in manu ejus, & subaudio אשר, ejus quod in manu ejus. Quidam, *non inspiciebat quicquam eorum quæ in manu ejus* i. quæ ab eo gererentur. Tantum ei fidebat. Hiero. *Nec noverat aliquid cunctis ei creditis*. Lxx. οὐκ ἦν γινώσκων δι' αὐτὸν οὐδέν, *non erat cognoscens* i. e. non cognoscebat, *propter ipsum quicquam*. Onkelos, *non videbat ullum crimen in manu ejus*. Quicquam i. quicquam mali. Jonathan, *non erat necesse ut præfectus carceris custodiret Josephum juxta morem omnium vinctorum, quia non videbat ullum crimen in manu ejus, propterea quod &c.* ❡ *Prosperabat*] Secundabat.

A M A M A.

VErsibus 5. 6. 19. &c. multa prætermisit Interpres non frustra à Mose posita. Eos si quis cum Lxx. contulerit, videbit ab ipsis longe fidelius ea esse reddita, ne quid de Chaldæo dicam, cui religio fuit vel syllabam transmittere silentio. Mihi si omnia & singula omissionis errata recensere esset propositum, hæc commentatio mea succresceret in grande volumen.

G R O T I U S.

1. E*Unuchus*] Sic & supra XXXVII. 36. ubi Græca versio τοῦ σπάδοντι [*spadonis*], quod obstat quominus εὐνοῦχον [*eunuchum*] hic, ex origine magis quam ex usu, cubiculi præpositum intelligamus. Fuerit ergo aliquis ex exoletis Ægyptii regis, quales deinde ad diversas dignitates promoveri solebant. Vide II Reg. VIII. 6. 1 Sam. VIII. 15. ubi mores vicinorum regum describuntur: & Jerem. XXXIV. 19. moribus Hebræorum jam corruptis. Chaldæus vertit רבא, quasi dicas megistana.

2. *In cunctis prospere agens*] Lxx. ἀνὴρ ἐπιτυγχάνων [*vir adipiscens*]: Aquila καλῶς κατευθυνόμενος [*bene directus*]. Symmachus εὐοδούμενος [*prospere incedens*], non male omnes. Sensus in illo Homerico versu,

> Ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξῃ.
>
> [*Cui multus labor, atque operi Deus addit honorem.*]

quæ interpretatio ipsius nominis Josephi.

6. *Nec quicquam aliud noverat nisi panem quo vescebatur*] Securus rerum omnium epulis tantum indulgebat.

11. *Ut intraret Joseph domum*] Nomen Joseph ad sensum clariorem addendum hic censuere & Lxx. Samarites quoque, & Syrus.

15. *Cumque ego succlamassem & audisset vocem meam, reliquit pallium*] Simile illud in Hippolyto Senecæ:

> ——— *en præceps abit,*
> *Ensemque trepida liquit attonitus fuga.*

Sequitur ibidem:

> *Pignus tenemus sceleris.*

Nimirum, ut Juvenalis utar verbis ex Satyra X.

> *Erubuit nempe hæc ceu fastidita repulsa;*
> *Nec Sthenebœa minus quam Cressa excanduit, & se*
> *Concussere ambæ. mulier sævissima tunc est,*
> *Cum stimulos odio pudor admovet.*

Similem enim calumniam Bellerophonti intentavit Sthenebœa, ut & Astydamæa Peleo.

CARTWRIGHTUS.

6. *Nec sciebat cum eo quicquam nisi panem, &c.*] R. Salom. per *panem* vult *uxorem* intelligi, ut sensus sit, Potipharum nullius rei curam habuisse præterquam uxoris suæ. Sic Ab. Ezra refert nonnullos velle per *panem* occultè significari concubitum cum uxore ipsius (שהוא כנוי לשכיבה ולאשתו) Istam autem expositionem tanquam ineptam merito rejicit, ac existimat sensum esse, omnia Josepho in manum fuisse tradita præter panem; eum autem non licuisse Josepho tangere, quod Hebræus esset; quemadmodum dicitur cap. 43. *Ægyptios non potuisse comedere cibum cum Hebræis.* Ista expositio maxime arridet Fagio; mihi autem simplicior veriorque videtur hæc interpretatio, quod Potiphar plane nihil curavit, nullius rei curam habuit, nisi ut ederet ac biberet, q. d. *Sedebat ad mensam, egrediebatur & ingrediebatur domum, de nulla re quicquam solicitus.* Atque ita nonnullos interpretari refert Fagius. Hunc simplicem esse sensum asserit Mercerus, quod herus ignoraverit quid rerum domi suæ gereret Joseph, omnibus ei concreditis, ut pro arbitrio suo omnia administraret: tantum de cibo erat solicitus; non aliud curabat, quam ut cibum sumeret.

7. *Et conjecit oculos suos in Josephum, &c.*] *Ut vidi! ut perii!* Hebræi (ut notat Kimchi ad Ezech. 20. 7.) dicunt, עינא וליבא תרי סרסורי (a) דחטאה, i. e. *Oculus & cor sunt proxeneta peccatorum*, Abrabanel ad istum Ezechielis locum sic istud Hebræorum recitat, עינא וליבא תרי סרסורי דעבירה, id est, *Oculus & cor sunt duo proxeneta transgressionis.* Merito igitur Job *fœdus cum oculis suis pepigit*, Job. 31. 1. Et David precatus est, *Averte oculos meos ne intueantur vanitatem.* Psal. 119. 37.

8. *Ecce Dominus meus non novit, &c.*] LXX. εἰ ὁ Κύριός μου οὐ γινώσκει, *Si Dominus meus non cognoscit.* Videtur legendum ἰδε, ἰδὲ vel ὁ Κύριός μου, &c. In Hebræo est הן, *en, ecce.* Alibi autem observavi etiam LXX. Interpretes particulam hanc vertisse, εἰ, *si*, nisi forsan lectio sit depravata. Hoc certe in loco juxta istam interpretationem, *Si Dominus meus, &c.* Sententia manet suspensa, & imperfecta.

9. אֵינֶנּוּ גָדוֹל בַּבַּיִת הַזֶּה מִמֶּנִּי *Non est major in domo hac quam ego.*] Vel potius, *Non est ipse major, &c.* ut interpretatur Mercerus: qui notat, si sensus esset, Non esse quenquam alium majorem Josepho, dicendum fuisse, אין גדול בבית הזה ממני, cum autem dictum sit, איננו, sensum esse, ne ipsum quidem herum in domo sua Josepho esse majorem. Acuta sane ac erudita observatio.

10. *Nec auscultavit ei,* לִשְׁכַּב אֶצְלָהּ לִהְיוֹת עִמָּהּ *ut cubaret juxta eam, ut esset cum ea.*] Noluit Joseph (uti observat Aben Ezra) cubare in loco ei propinquo, neque cum ea ad colloquendum manere.

11. וַיְהִי כְּהַיּוֹם הַזֶּה *Et fuit quodam die.*] Ad verb. *Et fuit quasi hac die.* Aben Ezra putat sensum esse, hoc accidisse post unam septimanam, ex quo incepit Josephum solicitare ad concubitum; aut post mensem unum, vel denique post integrum annum. Atque hoc maxime probat, ut eodem die post annum revertente hoc accidisse intelligatur. Simplicius videtur diem quendam indefinite intelligere. R. Salom. putat diem quendam fuisse publicæ alicui solennitati destinatum, unde factum fuit, ut omnes foris essent. LXX. ἐγένετο δὲ τοιαύτη τις ἡμέρα, *Facta est autem talis quædam dies.* Vulg. *Accidit autem quadam die.*

14. וַתִּקְרָא לְאַנְשֵׁי בֵיתָהּ *Et vocavit, vel inclamavit viros domus suæ.*] LXX. καὶ ἐκάλεσε τοὺς ὄντας ἐν τῇ οἰκίᾳ, *Et vocavit eos, qui erant in domo.* Ad ver. 11. dicitur neminem in domo fuisse. LXX. igitur per τοὺς ὄντας ἐν τῇ οἰκίᾳ videntur intelligere τοὺς ὄντας ἐκ τῆς οἰκίας. Sic enim ver. 11. habent, καὶ οὐδεὶς ἦν τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἔσω, *& nemo eorum, qui in domo, erat intus;* ubi τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ, *eorum qui in domo,* pro τῶν ἐκ τῆς οἰκίας, *eorum qui de domo,* omnino ponitur; alioqui enim in verbis aperta esset contradictio.

20. אֶל־בֵּית הַסֹּהַר *In carcerem.*] Sic Vulg. LXX. εἰς τὸ ὀχύρωμα, *in munitionem,* seu *in locum munitum.* In Edit. Rom. Latine vertitur, *in custodiam.* Onkelos, לבית אסירי. Et similiter Ionathan, לבי אסירי, i.e. *in domum vinctorum.* Aben Ezra fatetur se nescire, utrum סהר sit vox Hebræa, an Ægyptiaca, quia statim sequitur ejus explicatio; quemadmodum (Esth. 8.) vox האחשתרנים, cum sit Persica, exponitur per בני הרמכים. At quod hic additur, carcerem istum fuisse locum, *ubi vincti erant regis captivi*, non tam ad explicandam vocem *Sohar*, quam ad distinguendum istum carcerem ab aliis carceribus, positum videtur. Mercerus refert ex Hebræis quosdam velle carcerem fuisse subterraneum, in cujus superiori parte esset foramen, per quod lucem reciperet tantum, & per quod in illud esset ingressus, à voce Chaldaica טהרא *fenestra*: Ipse autem à rotunditate mavult locum sic appellari, ut in (b) Cant. אגן הסהר, *crater rotunditatis*, i. e. *rotundus*, quasi lunari forma. R. Nathan Mordecai in Concordantiis exponit hanc dictionem *Sohar*, עגול מקום סגור, i. e. *rotundum*, vel *locum circundatum*, *conclusum.*

22. *Et quicquid ibi faciebant*, הוא היה עשה *is erat faciens.* Aben Ezra refert quosdam sic interpretari, quasi Ioseph eandem cum illis artem exerceret, unde viveret: ipse autem existimat sensum esse, quæcunque iis opus erant, Iosephum quasi fecisse, quod eis præfectus esset. Hanc expositionem confirmari ait ex versu sequenti. Onkelos, cui astipulatur R. Salom. במימריה הוה מתעביד, *per verbum ejus*, seu *ex mandato ejus factum fuit.* Eodem sensu Ionathan, הוא מפקד למיעבד, *is præcepit eis ut facerent.* Hunc genuinum loci sensum esse non dubito, præfectum carceris omnia Iosepho demandasse, ut nihil à quoquam in carcere nisi ejus autoritate fieret.

(a) Debet esse סרסורא.

(b) Cant. 7. 2.

CAP. XL.

MUNSTERUS.

2. *Eunuchos suos*] *Fuerunt*, inquit Gerundensis, *hi duo præfecti & magistri pincernarum atque pistorum in domo regiarum mulierum: eratque eorum rex, & tunc ad mulierum custodiam deputavit.* Quærunt Hebræi in qua de re peccaverint isti duo regis ministri, respondetque R. S. in hunc modum, : שנמצא זבוב בפיילי שלו ונמצא צרור בגלוסקין שלו *Quia*, inquit, *inventa fuit musca in poculo*, sive *phiala*; *& lapillus in torta panis.* Responsio digna tali Theologo. Aben Ezra fingit aliam causam, Quod videlicet voluerunt prodere regnum. Si fuerunt proditores, quare uterque non fuit suspensus?

4. *Per dies*] Intelligunt Hebræi communiter per ימים, *dies*, absolute & sine adjectione scriptos, ימים שנים עשר חדש, *duodecim menses*, sive *annum*; sicut & supra cap. 24. 55. dicitur, *Maneat puella nobiscum per dies aut decem*, h. e. *per annum aut decem menses.* Kimhi hanc signat rationem, *Noster*, inquit, *annus integris conficitur diebus: non subtrahimus aut addimus ei aliquot horas; & idcirco ימים vocatur annus.* Verum nescio si hæc ratio curioso satisfaciat lectori. Si annus ipsorum constat integris diebus, cur colligunt singulis annis epactas dierum, horarum & minutiarum, quas adjiciunt futuro anno? Annus non potest constare integris diebus, postquam sol & luna suos circulares motus non absolvunt integris diebus.

5. *Juxta interpretationem somnii sui*] h. e. Quisque habuit somnium indicans quid sibi in posterum esset eventurum. Et quod sequitur, *Consternati*] potest etiam sic verti, *Subirati.* Ben Ezra tamen exponit, נזעפים, *inquieti, commoti.*

13. *In locum tuum*] Hebraice, על כנך, *super basim tuam*, vel *pavimentum tuum*, h. e. ut Onkelos vertit, לשמושך, *in officium tuum.* Et quod sequitur, *Quod si recordatus fueris mei*, &c. nos præcise vertimus ut habent Hebræa. Translator vero noster vertit præteritum in imperativum; nam sic habet, *Sad memento mei*, &c.

16. *Canistra candida*] Dicit *candida* propter קלוף, *virgularum decorticationem.* Sunt etiam ex Hebræis qui חורי hic accipiunt pro חור, *foramine*: & tunc hæc erit lectio, *Erant tria canistra perforata super caput meum*, &c. Alii interpretantur, לחם לבן, *panes albos.*

20. *Dies natalitius*] Est hic הלדת infinitivus passivus in Hiphil, repræsentatque Dagesch in Lamed, quietem Jod vel Holem. Et intelligitur per hunc natalitium diem vel יום תקופת השנה, *dies anni revolutionis*, vel יום שנולד בו, *dies quo uxor regis filium concepit.* Et quod sequitur, *Et recensuit caput*] in Heb. est, *& levavit caput.* R. S. exponit, מנה, *numeravit eos cum cæteris ministris.* Onkelos vero vertit, ודכר, *& recordatus est.*

FAGIUS.

1. *Post illa*] Ad literam est, *Factum est autem post verba illa*, i. post res illas gestas. פתגמא *pithgama* enim in Chaldaismo,

daiſmo, ſicut דבר *dabar* in Hebr. nunc *verbum* ſive *ſermonem*, nunc *rem geſtam* ſignificat.

2. *Contra duos principes ſuos*] Heb. על שני סריסיו, *contra duos eunuchos ſuos*. Dixi ſupra ex ſententia Hebræorum, סריס *Saris* non ſemper *caſtratum & eum qui caret teſticulis* ſignificare: ſed aliquando miniſterii tantum nomen eſt, *principem*, *præfectum*, & *regium miniſtrum* ſignificans; quemadmodum hic & in aliis locis Paraphraſtes Chaldæus tranſtulit. R. D. K. ſcribit, duo eſſe eunuchorum genera: Unum, cui exſecti ſunt teſticuli: & hi adhuc capiuntur amore mulierum, poteruntque abuti illis: nec adimit illis exſectio facultatem coeundi, ſaltem in multis, tametſi ſint infœcundi. Talis eunuchus, teſte Kimhi, etiam fuit Potiphar. Aliud eunuchorum genus eſt, cui & teſticuli & nervus, veretrum puto, exſecta ſunt: & hi nullam penitus habent congrediendi facultatem.

3. *Per dies in cuſtodia*] i. unum annum integrum. Quidam interpretantur *per aliquot dies*. Verum prior lectio quibuſdam verior videtur. Per *dies* enim ſæpe annus in Hebraiſmo intelligitur. Qui hoc fiat, ſupra in cap. 4. ex Hebræis annotavi.

5. *Juxta interpretationem ſomnii ſui*] i. indicans quid in poſterum eſſet eventurum utrique eorum in officio ſuo.

7. *Nunquid à facie Domini eſt interpretatio?*] Vult dicere, Dei ſunt interpretationes, non hominis: illius eſt revelare quid ſomnia ſibi velint, ſignificent atque portendant.

14. *Conferas obſecro in me hoc beneficium*] Senſum reddidi: nam ad verbum eſt, *facies obſecro mecum bonitatem*. Eſt autem Hebraiſmus, *facere miſericordiam*, *gratiam* ſive *bonitatem*, pro *miſereri alicujus*, & *conferre in aliquem beneficium*.

16. *Tria caniſtra candida*] i. facta ex viminibus decorticatis. Vel, *caniſtra perforata*. Nam חורי Hebræis, Chald. חרח, etiam *foramen* ſignificat. Et quia חור *quod nobile*, *inſigne ac præcipuum eſt* etiam ſignificat, ideo quidam pro *pane nobiliore*, qui reliquo ferè candidior eſt, accipiunt. Quam lectionem ſequitur Complutenſis editio, quæ habet, *Tria caniſtra plena pane principali*. Verum duæ priores lectiones magis probantur, maxime autem prima.

20. *Capitis principis pincernarum*, &c.] Heb. *Et elevavit caput principis pincernarum*, &c. Eſt autem *elevare caput*, Hebraiſmus, pro *recenſere*, *recordari*, & *reminiſci alicujus non ſine honore*, ſicut & Paraphraſtes noſter reddidit. R. Salom. hunc locum (vel potius verſum duodecimum, *Memor tui erit Pharao*) ſic explicat, *Cum numerabit Pharao ſervos ſuos, ut ſibi miniſtrent in convivio, tui memor, te quoque cum illis numerabit, priſtinoque muneri tuo te rurſum reſtituet*.

IDEM.

16. והנה שלשה סלי חרי על ראשי, *Ecce erant tria caniſtra candida ſuper caput meum*.] Variatur in vocabulo חורי, quod quia πολύσημον eſt, i. *multa habens ſignificata*, ideo diverſo modo exponitur. Primo *album* ſignificat; hinc quidam ad *caniſtra* referunt, quod ea ſcilicet alba ac candida fuerint. Alii vero ad *farinam* retulere, ut Lxx. quos ſequitur & Lat. Vulg. editio. Nonnulli pro candido pane qui in caſtris fuerit accipiunt. Secundo, חור etiam *foramen* ſignificat, unde quidam interpretantur *caniſtra foraminata*, ſeu *perforata*. Aliquando חור quod *nobile*, *inſigne ac præcipuum eſt*, Significat: hinc quidam pro pane nobiliore qui reliquo fere candidior eſt exponunt; ſicut Complutenſis vertit Paraphraſten Chaldæum, *Et ecce tria caniſtra plena pane principali ſuper caput meum*. R. D. Kimhi in Radicibus ſuis hunc locum ſic explicat, וטוב הוא שיהיה סלי חרי לבן כלומר סלים עשוים מן המקלות המקולפות והם לבנים אחר הקלוף *Bene quadrat ut per* סלי חורי, *intelligantur* caniſtra alba, q. d. *facta ex viminibus decorticatis, quæ poſt decorticationem albicant*.

19. בעוד שלשת ימים ישא פרעה את ראשך, *Adhuc tres dies ſunt, & elevabit Pharao caput tuum*.] Septuaginta & Vulg. interpretes, imitati Paraphraſten Chaldæum, ſenſum probe expreſſerunt. Nam ſchema Hebraicum, *elevare caput*, quod hic uſurpat Scriptura, *recenſere*, *mentionem alicujus facere*, *recordari & reminiſci alicujus non ſine honore* ſignificat. Quemadmodum & R. Salomo in hunc ſenſum præſentem explicat locum. Cum numerabit Pharao ſervos ſuis ut ſibi miniſtrent in convivio, tui memor te quoque cum illis numerabit, priſtinoque muneri tuo te rurſum reſtituet.

VATABLUS.

1. **A**Ccidit autem his geſtis [ויהי אחר הדברים האלה] Ad verbum, *Et fuit poſt verba iſta*, i. poſt res iſtas geſtas.

3. *Principis laniorum*, [שר הטבחים] Vide ſupra c. 37. 36. i. in carcere ipſo deſtinato vinctis Regiis, qui juſſu Regio vincti detinebantur.

4. *Et præpoſuit princeps*, &c. [ויפקד שר הט׳] *Et poſuit* [*collocavit*] *princeps militum*, *Joſeph apud illos*, *ut miniſtraret eis*. Alii, *Et præcepit magiſter militum de Ioſeph* [*ut eſſet*] *cum eis*: & *miniſtrabat eis*. ¶ *Per annum* [ימים] Ad verb. *per dies*. Doctus inter Hebræos vult pro *diebus perfectis* accipi, i. pro anno. Alii vero dicunt eos falli qui pro ſpatio unius anni integri & abſoluti accipiunt: & potius notationem eſſe diuturni & tamen incerti temporis, ut ex aliis locis patet. In hunc ſenſum quidam verterunt, *fuerùntque aliquot dies in carcere*.

5. *Juxta interpretationem ſomnii ſui*, [כפתרון חל׳] Hebr. *prout cuique evenit*, vel, *quemadmodum res poſtea oſtendit*, vel *indicans quid in poſterum eſſet eventurum utrique eorum in officio ſuo*.

6. *Dolore affecti* [זעפים] *triſtes*; vel, *perturbati & attoniti*.

7. *Triſtiores* [רעים] *afflicta*. Ad verb. *mala*.

8. *Qui reſponderunt ei* [ויאמרו אליו] Ad verb. *Et dixerunt ad eum*. ¶ *Et non eſt*, &c. [ופתר אין אתו] Præpoſterus ordo Hebræis, & *qui interpretetur illud*, *non eſt*.

9. *Me ſomniante*, &c. [בחלומי וגו׳] Ad verb. *In ſomnio meo*; *ecce vitis erat*, &c.

10. *Rami* [שריגם] *propagines*. ¶ *Erumpebatque flos ejus*, &c. [עלתה נצה וגו׳] Ad verb. *aſcendit flos ejus*, *percoxerunt botri ejus racemos*. i. videbatur flores emittere, ipſique flores videbantur erumpere, & racemi ad maturitatem perduci.

12. *Rami* [השריגם] *propagines*.

13. *In fine trium dierum* [בעוד שלשת ימים] *Intra tres dies*; vel, *Poſt tres dies*. ¶ *Exaltabit Pharao caput tuum* [ישא פרעה את ראשך] *recenſebit* [vel *numerabit*] *Pharao caput tuum*; i. te, ſub. *inter reliquos miniſtros*. *Extollere caput alicuius* ſignificat *erigere aliquem ex humili contemptaque fortuna ut cenſeatur aliquo loco*: extollet ergo Pharao caput tuum, h. e. educet te ex tenebris carceris, vel jacentem levabit ut in priſtinum ſtatum reſtituat. ¶ *Et reſtituet te ad locum tuum*, [והשיבך על כנך] Ad verb. *& redire fecit te in gradum tuum*, ſub. *priſtinum*. Præt. Heb. pro fut. Chald. paraph. *reſtituet te miniſterio tuo*, vel *officio & muneri*.

14. *Sed memento mei* [כי אם זכרתני] Præt. Heb. pro fut. & fut. pro optativo, vel per modum deprecationis accipitur, ut loquuntur Hebræi. Sic & Chald. paraph. *Veruntamen memineris mei obſecro*. Alii, *Tantum recorderis mei*. ¶ *Et facias*, &c. [ועשית נא וגו׳] Hebraiſmus, *hoc beneficium conferas in me*. ¶ *Et educas me*, [והוצאתני] i. cures ut extrahar.

15. *Furto ablatus ſum* [גנב גנבתי] Ad verb. *furtim auferendo furtim ablatus ſum*.

16. *Me ſomniante videre videbar* [אף אני בחלומי והנה] Ad verb. ut v. 9. *in ſomnio meo ecce tria*, &c. ¶ *Alba* [חרי] *candida*, i. facta è virgis decorticatis, quæ poſt earum decorticationes ſunt albæ. Ita doctus inter Hebræos, tametſi probet interpretationem eorum qui exponunt, *caniſtra foraminum*, h. e. perforata, aut habentia multa foramina. Alii, *caniſtra tortarum ſub prunis decoctarum*, quæ dicuntur חרי. ſic & Chald. paraph. Jeroſolymitanus. Alii, *caniſtra candoris*, i. plena panis albi, ſive candidi.

19. *In fine trium dierum* [בעוד שלשת ימים] Ut ſupra, v. 13. *Poſt tres dies*, i. Exacto ſpatio trium dierum. ¶ *In ligno* [על עץ] *in patibulo*.

20. *Et recenſuit*, &c. [וישא את ראש וגו׳] i. dum recitaretur catalogus ſervorum Pharaonis, numerati ſunt & iſti inter ſervos alios. Ad verbum, *in medio ſervorum ſuorum*.

21. *Et reſtituit* [וישב] Ad verb. *Et redire fecit*.

CLARIUS.

3. **P**Rincipis militum] Vel, *principis laniorum*.

4. *Aliquantulum temporis fluxerat*] Heb. *fuerùntque per dies in cuſtodia*. Intelligunt autem Hebræi communiter per *dies* abſolute & ſine adjectione ſcriptos, *duodecim menſes*, ſive *annum*.

5. *Juxta*

5. *Juxta interpretationem congruam sibi*] Vel, *juxta interpretationem somnii sui*, h. e. Quisque habuit somnium indicans quid sibi in posterum esset eventurum.

23. *Et tamen succedentibus prosperis*] Heb. *Nec recordatus est princeps pincernarum Joseph, sed oblivioni tradidit eum.*

D R U S I U S.

4. P*Reposuit Josephum cum eis*] Aut *præfecit*, *constituit*. Particula *cum eis* turbat nonnihil. R. S. exposuit, *ut esset cum eis*. Sic infra v. 14. *memineris mei tecum*, ut sim tecum. Alii, *commendavit Josephum eis*: Cui simile in Latio, *oro tecum*. Tremellius, *ut committeret Josephum cum eis*. Id aliam sententiam continet, veluti cum dicimus, *inter se cives committere*, i. in contentionem deducere. Malim, *commisit Josepho illos*, ut sit את pro אל, quæ enallage insolens non est, & אתם pro אתם. Nam contra אתם *eos* ponitur pro אתם *cum eis*. Lxx. vertentes, συνέστησε τῷ Ιωσὴφ αὐτοὺς, *commendavit Josepho eos*, hanc interpretationem valde confirmant. Hieron. *tradidit eos*, ויפקד. ¶ *Et fuerunt ibi dies in custodia*] Tribus modis hoc exponitur ab interpretibus. Uno modo sic, *Fuerunt dies aliquot*, vel *aliquandiu*, ut Gen. 24. 55. *Maneat apud nos dies aut decem*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Nam sunt qui exponant, *annum*, *aut decem menses*. *Dies* enim, i. ימים, aliquando *annum* significat, ut ibi, *diebus erit redemptio ejus*, i. anno. Quomodo & hic enarrant Salomo & Levi Ebræi. Vide sis Animad. meas. Hæc igitur est secunda expositio. Tertia reperitur apud Tremellium, *diebus multis*, ac si esset ימים רבים. Videndum an eo sensu simpliciter ימים usurpetur. *Dies aliquot* Ebraice diceretur, ימים אחדים. Nam אחד *aliquis*, *quidam*. Notavi antea.

7. *Facies*] פנים ex iis vocibus est quæ in terminatione plurali sæpe sensum habent singularem, ut ibi, *Cur cecidit facies tua?* proinde melius redditur *facies tua* quam *facies tuæ*, licet in fonte sit verbum plurale, *ceciderunt*. Nam tunc habetur ratio terminationis, ut cum dicimus אלהים קדשים *Deus sanctus*, & אלהים התעו *errare fecit Deus*. Secus est hoc loco, *Cur facies vestra mala sunt hodie?* Nam hic de duabus sermo est. Tamen non peccabit qui vertit, *Cur vultus vester malus est hodie?* *Vultus malus*, i. tristis, mœstus, ut Cohel. 7. 3. *In malitia vultus*. quod Græce legitur ἐν κακίᾳ προσώπου. Noster ad sensum optime, *per tristitiam vultus*. Sic *cor malum*, i. triste, mœstum, 1 Sam. 1. 8. Contra *cor bonum* est animus lætus ac hilaris; & *bonus corde*, qui est animo læto: Prov. 15. 15. *Bonus corde, juge convivium*, quasi in perpetuo convivio est, jugesque nuptias celebrat. Sed & cor bonum facit, qui illud exhilarat; & ipsum cor bonum facit hominem, quando eum lætum reddit. Vide Cohel. 11. 9. 10.

15. *De terra Ebræorum*] Terra Chanaan, in qua patriarchæ Ebræi advenæ commorati sunt, vocatur *terra Ebræorum*, propter eam causam quam dixi, vel certe quoniam à Deo Ebræis data fuit hæreditario jure possidenda. Hoc malim. Dicitur etiam *terra septem gentium*, & *terra Amorræi*, & *terra Promissionis*, i. promissa, & *terra sancta*, *electa*, &c. Item *terra peregrinationis Abraham, Isahac & Iacob*, nec non *terra Judæorum*. Nam Judæi qui Ebræi.

I D E M.

1. משקה מלך מצרים והאפה A. ὁ ποτιστὴς τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου, καὶ ὁ πέσσων, *Pocillator regis Ægypti, & coquens*] *Pocillator*, vel *pincerna*; qui &, *à poculis*. Hieron. *Ubi nos posuimus Principem vinariorum, in Ebræo scriptum habet* משקה, *quem nos possumus more vulgi vocare Pincernam. Nec vile putetur officium, cum apud Reges barbaros usque hodie maximæ dignitatis sit Regi poculum porrexisse*. Ποτιστὴς, ad verb. *qui potum præbet*, quod est ποτίζω, & latius patet quam οἰνοχόος. Nam οἰνοχόος, *qui vinum fundit*; ποτιστὴς, *qui etiam zythum præbet*. Onk. שקי præbens potum, qui & שר. Nota in Lxx. hic esse, ἀρχιοινοχόος, *princeps vinariorum*. Sic ὁ ἀρχισιτοποιὸς, *princeps pistorum*. Simile ut cum *sacerdos* ponitur pro *summo sacerdote*, & *angelus* pro *archangelo*. ¶ *Coquens*] i. pistor. Duplex hic est archaismus: primum *coquens* pro *coquo*; deinde *coquus* pro *pistore*. Festus, *Coquum & pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus*.

6. זעפים A. ἐμβεβρασμένοι, *æstuantes*. Sym. σκυθρωποὶ, *tetrici*. ¶ *Æstuantes*, vel *jactati fluctibus cogitationum*. Tralatio à mari, quod tempestate jactatur & concutitur. Sic Gregorius,

Ἔνθα καὶ ἔνθα κακοῖς βεβρασμένον μεγάλοις. &,

Βεβρασμένος τι πόθοισι καὶ ἀργαλέαις μελεδῶσι.

¶ *Tetrici*, *tristem vultum gerentes*, *vultuosi*. Quod sequendo, Hieron. vertit, *tristes*. Lex vetus, Σκυθρωπὸς; *mœstus*, *tristis*, *contristis*. Sirach. 25. 21. πρόσωπον σκυθρωπὸν, *vultus tristis*. Qualem præ se ferunt hypocritæ. Vide Matth. 6. 16.

10. שלשה שריגם A. & Sym. τρεῖς κληματίδες, *tria flagella*] Vel, *sarmenta*, vel, si placet, *palmites*, i. κλήματα. Lexicon Hesychii, Κληματίδες, αἱ ἐκ τῶν κλημάτων δέσμαι, *fasces flagellorum*, seu *palmitum è vite excisorum*. Hieron. *Tria flagella & tres ramos sive propagines Ebræo sermone sign. quæ ab illis vocantur* SARIGIM. In Lxx. πυθμένες, quod reddunt, *propagines*; & alius, *radices*; & alius, *fundi*. Vide Rom. Lat. Hinc intelliges quid sit apud Hieron. *Et ecce vitis in conspectu meo, & in vite tres fundi, & ipsa germinans tres fundos*. At apud Ambrosium, *in vite autem tres radices*.

16. שלשה סלי חרי A. τρεῖς κόφινοι γύρεως. Sym. τρία κανᾶ βαϊνά] Κόφινοι, *cophini*. Hieron. *Pro tribus canistris chondritorum, tres cophinos farinæ in Ebræo habet*. Interpres quoque Matthæi, qui eum in Ebraicum sermonem convertit, סל posuit pro eo quod in Græco κόφινος, *cophinus*. Quanquam סל etiam κανοῦν, i. *canistrum*, notat. Lex. Græco-Lat. vetus, Κόφινος, *corbes*, *corbula*, *qualus*, *corbis*. Et Latino-Græcum, *Corbis*, ἄλλος κόφινος. *Cophinus* ergo latius patet. In eodem lexico, Κανοῦν, *canistellum*.

Γύρεως, *pollinis*. Nam γύρις, *pollen*. Declinatum videtur à חרי, quod præter Hieron. etiam alii *farinam* interpretantur: & legimus apud interpretem nostrum, *tria canistra farinæ*. In libro nom. Ebraicorum, *Chorri*, *farina*. *Chorræus*, *farinatus*. ¶ Τρία κανᾶ, *tria canistra*. Hujus singularis κανοῦν & κανοῦν. Dicitur & κάνης, *canistrum*, & Hesychio κανοῦν, unde τρία κανᾶ, in nonnullis editionibus. ¶ Βαϊνά. Alibi est βαϊνα. Quid hoc sit, nescio. Si conjecturæ locus, videtur significare voluisse *canistra candida* sive *alba*, h. e. ex viminibus decorticatis & albis contexta. Sane חור *candidum*: unde חור in lingua Chaldæorum, i. *album*, & בני חורים *candidati* sive *candidis vestibus induti*, h. e. nobiles. Sic apud Romanos posteriores *candidati* dicebantur, non ii qui peterent, ut olim, sed honestioris ordinis cives; ut *pullati*, vulgus promiscuum, quos, חשוכים appellant, q. *obscuros & tenebricosos* dicas. Hoc certum. Illud de βαϊνὰ ambigens pono, non adfirmans. Dies nos alia docebit. [Βαΐς & βάϊον, *ramus palmæ arboris*. Unde vir doctus & amicus meus putabat esse βαϊνὰ, significareque *canistra ex viminibus palmæ, ramisve illius arboris*.] Jonathan hic posuit *canistra panis puri*. Et Hierosol. *canistra panis albi*, si modo נקי significat *album* seu *candidum*. In edit. Rom. βαϊνὰ, *quidam ex Ebræo interpretantur alba*. Quod lucem accipit ex jam dictis. Onkelos, *tria canistra libertatis*, i. *libera* καὶ ἐλεύθερα. Quomodo Lxx. hanc vocem interpretantur 3 Reg. 21. 8. 11. item Neh. 13. 7. Atque hinc חרי בן ἐλεύθερος, Eccl. 10. 17. חרי ἐλεύθερος, חרים ἐλεύθεροι. Magis *nobiles* & *ingenuos* notat, ut possis vertere, *tria canistra nobilis*, sub. *panis*. Panem autem nobilem intelligo qui vulgo Heeren broodt, *panis dominorum*, vocatur: estque panis exquisitissimus & delicatissimus. Nam aquæ loco lac adhibetur in conficiendo hoc pane. Ita sim salvus, ut mihi hæc interpretatio præ cæteris arridet. Nam albus חור dicitur, non חרי, a quo pluralis חרים *nobiles*, vel, si placet, *heroes*. Et quid si legamus, *tria canistra panis heroici*? חרי & חרים ut יהודי & יהודים *Judæi*.

NOTÆ MAJORES.

1. *Post verba ista peccarunt pincerna regis Ægypti & pistor in dominum suum regem Ægypti.*

Post verba ista] μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, his ita gestis. ¶ *Peccarunt in regem*] offenderunt regem. Quo autem crimine offenderint, incertum. Nihil temere affirmandum. Jonathan, *Judicatum fuit dicendo, peccarunt princeps pocillatorum regis Ægypti, & princeps pistorum, consiliumque ceperunt de jaciendo veneno in cibum ejus & potum ejus ad occidendum dominum suum regem Ægypti*. Minus probabile quod in Salomone Trecensi, *Musca inventa fuit in illius phiala, & lapillus in hujus pane*. Logi. פילי ונטרי duo vocabula Græca sunt φιάλη καὶ ποτήριον. גלוסקא torta panis. Singularis גלוסקא. Scribitur & קלוסק torta. Forte a κλώθω, unde κλωστὸν, tortum. מזג misceo, item infundo. Hinc מוזג qui vinum infundit, pocillator, pincerna. רב מזגא magister pincernarum. נחתום pistor. סם המות pharmacum lethale i. venenum. רבונא & רבונים dominus

tinitus eorum. ❡ *Pincerna*] pincerna summus, ut mox, *pistor*, pistor summus. Hunc Græci vocant interpretantes ἀρχισιτοποιὸν principem pistorum: illum appellant ἀρχιοινοχόον principem pincernarum. Sic alibi *sacerdos* ponitur pro summus sacerdos, & *angelus* pro summus angelus sive archangelus. Cujus rei observatio lucem afferet illi loco Tobiæ, *Ego sum unus ex septem angelis*: quem vir doctus non intellexit. Nam ut sunt angeli innumerabiles, ita septem archangelos esse, quos Johannes Theologus *Spiritus* vocat, religio tradit. ❡ *Pistor*] האפה. Aquila ὁ πέσσων, coquens i. pistor. Lxx. ἀρχισιτοποιὸς. Optime & rectissime. Onkelos נחתומא pistor. Ionathan נחתומיא רב præfectus pistorum. ❡ *Dominum suum*] In Ebræo est ad verbum, *dominos suos*. Quod iterum noto, quia iterum occurrit. Frustra igitur est qui negat pluralem nunquam usurpari sensu singulari.

2. *Itaque succensuit Pharao duobus eunuchis suis, videlicet principi pocillatorum, et principi pistorum.*

3. *Tradiditque eos in custodiam, quæ in domo principis satellitum, in domum carceris, ubi Joseph vinctus erat.*

Succensuit] vel, *iratus fuit*. Quod Græci dicunt ὠργίσθη. Onkelos רגז, Jonathan כנס. Ebraice ויקצף in quo significatio spumæ, quæ קצף dicitur, sicut in spumam effervescere dicimus de homine irato. Consule observationes meas. ❡ *Duobus eunuchis suis*] ἐπὶ δυσὶν εὐνούχοις αὐτοῦ. Onkelos & Jonathan רברבנוהי vel si mavis רברבני principibus suis. Tremell. *contra duos aulicos suos*. ❡ *Principi pocillatorum*] *qui pincernis præerat*. Hieron. Ceterum in antiqua editione erat, *princeps vinariorum*. Est autem vinarius proprie qui vinum vendit, οἰνοπώλης. Onkelos רב שקי princeps eorum qui potum dabant. ❡ *Tradidit*] vel, *posuit* i. ἔθετο, ut Lxx. habent. Hieron. *misit*. ויתן. ❡ *In custodiam quæ in domo*] Verbum è verbo, *in custodiam domus*. Est enim משמר nomen, ut loquuntur, constructum, ut מטרת quod in Onkelo. Quanquam in Jonatha בי מטרא: quod ita dicitur ut בית קודשא מלכות regnum sanctorum pro מטרא רבית φυλακῇ τῆς οἰκίας. ❡ *Satellitum*] Carnificum, Spiculatorum. ❡ *In domum carceris*] εἰς τὸ δεσμωτήριον Lxx.

4. *Et præfecit princeps satellitum Josephum cum illis, qui ministrabat illis, et fuerunt dies aliquot in custodia.*

Præfecit Josephum cum illis] *ut esset cum illis*. Sic R. Salo. explicat אתם להיות. Gallica editio, *bailla la charge d'eux à Joseph*, commendavit eos Josepho, curationem eorum detulit Josepho. Uterque Chaldæus מני יוסף עמהון *constituit Josephum cum illis*. ❡ *Princeps satellitum*] Lxx. ὁ ἀρχιδεσμοφύλαξ, quod reddunt, *princeps carceris*. Ambrosius cap. 6. *carceris clavicularius*. Vox Græca videtur potius sonare princeps vinctorum, ut ἀρχιερεὺς est princeps Sacerdotum. Sane quidem δεσμώτης vinctus, captivus dicitur. Carcer autem δεσμωτήριον appellatur. Unde & in vinculis esse dicitur, qui in carcere vinctus detinetur. ❡ *Dies aliquot*] ימים dies pro dies aliquot, ut supra 24. 55. Lxx. ἡμέρας. Hieron. *aliquantum temporis*. Trem. *diebus multis*. Onkelos & Jonathan יומין diebus. R. Salomo, *diebus* i. *duodecim mensibus*. R. Levi, *diebus* i. *anno*, *ubi*, *diebus erit redemptio ejus*. *Nam annus est dies magnus*, et *dies est annus parvus*. Vide sequentia. ❡ *In custodia*] *In domo custodiæ*, Jonathan.

5. *Somniarunt autem somnium ambo, quisque somnium suum nocte una, unusquisque juxta interpretationem somnii sui, pincerna et pistor regis Ægypti, qui vincti erant in domo carceris.*

Somniarunt somnium] Hieron. *viderunt somnium*. Prius οἱ ὁ. ediderunt εἶδον ἐνύπνιον. ❡ *Ambo*] ἀμφότεροι. ❡ *Quisque*] איש Vir i. quisque. ❡ *Nocte una*] ἐν μιᾷ νυκτὶ i. quadam. Sic *vir unus*. Quidam 1 Reg. 20. 35. item 1 Sam. 1. 1. & 2 Sam. 18. 22. *Fici arborem unam* Matth. 21. λόγον ἕνα, rem quandam Matth. 21. 24. Dicimus etiam *in uno dierum* pro quodam die; *in una urbium*, in quadam urbe. Tremell. *nocte eadem*. Sic etiam Gallici translatores. ❡ *Unusquisque*] Vir. ❡ *Juxta interpretationem somnii sui*] juxta sententiam somnii sui, quam primum interpretatio Josephi, deinde post eventus declaravit. ❡ *Pincerna*] ὁ ἀρχιοινοχόος Lxx. ❡ *Pistor*] ὁ ἀρχισιτοποιός. Iidem. ❡ *Regis Ægypti*] אשר למלך מצרים οἱ ὄντες τῷ βασιλεῖ αἰγύπτου, qui erant regis Ægypti. למלך regis, ut לדוד Davidis, quod Græci reddere solent τῷ Δαυίδ. ❡ *Qui vincti erant in domo carceris*] brevius Græci οἱ ὄντες ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, alias ἐν τοῖς δεσμωτηρίοις, qui erant in vinculis, vel, si mavis, in carcere. Nam δεσμωτήριον, carcer. Onkelos & Ionathan, *qui vincti erant in domo vinctorum*.

6 *Et venit ad eos Joseph mane, viditque eos, et ecce ipsi tristes erant.*

7. *Et interrogavit eunuchos Pharaonis qui cum illo erant in custodia dicendo, Cur facies vestræ malæ sunt hodie?*

Tristes] זעפים irati. Lxx. τεταραγμένοι, turbati, perturbati. Vide supra. Onkelos נסיסין irati. Fagius, *tristes* interpretatur. Ionathan בנסין. Hinc discimus נס & כנס diversas radices esse. R. Salomo עצבים dolore affecti, dolentes. Abenezra מתזעזעים commoti & concussi. ❡ *Malæ*] *tristiores solito*, Hieron. σκυθρωπά. Lxx. *Malæ sunt hodie quam aliis diebus quibus hic fuistis*. Ionathan. Cohel. 7. 4. ברע פנים. Vulgata, *per tristitiam vultus*. Sic etiam alii. Lxx. ἐν κακίᾳ προσώπου. Aquila κακώσει. Contra *bonum* pro *læto* ponitur. Ut *cor bonum* i. lætum, hilare.

8. *Dixeruntque illi, Somnium somniavimus; nec est qui interpretetur illud: et dixit eis Joseph, Nonne Dei sunt interpretationes? narrate nunc mihi.*

Qui interpretetur] פתר interpretans. Chaldaice פשר. Male פשר in Jonatha. Lxx. ὁ συγκρίνων, quod vertunt, *qui conferet*: ego, *qui interpretetur*. Unde σύγκριμα ἐνυπνίου, interpretatio somnii, & σύγκρισις Dan. 2. 3. & passim in eo capite. Usus est eodem significatu Theodotio. ❡ *Dei*] לאלהים Deo i. Dei, vel à Deo. Sic ליהוה DOMINI vel à DOMINO, ut ubi legimus apud interpretes nonnullos, *Salus DOMINO*. ❡ *Nunc*] vel, *quæso*. Prius habent Onkelos & Jonathan: posterius Trem. & alii. In Lxx. est οὖν, igitur. ❡ *Interpretationes*] פתרנים. Lxx. ἡ διασάφησις. Hier. *interpretatio* פשרא. An est plur. pro sing.? Chald. פשרא.

9. *Narravit ergo princeps pincernarum somnium suum Josepho, et dixit ei, In somnio meo et ecce vitis ante me.*

10. *Et in vite tres palmites, et ipsa quasi efflorescebat, erumpebat gemma ejus, coquebant botri ejus uvas.*

In somnio meo et ecce vitis coram me] pro eo habendum ac si diceret, in somnio meo vidi & ecce &c. Aut, in somnio meo eram. i. somniabam, & ecce &c. Lxx. ἐν τῷ ὕπνῳ μου ἦν ἄμπελος ἐναντίον μου: in somnio meo erat vitis ante me. ἐν ὕπνῳ est quod Latini dicunt, *in somnis*, *per somnium*, sive *per quietem*. Aut ὕπνῳ voce utuntur pro ὄναρ, ut 20 3. & 31. 10. Nam somnus Ebraice שנה dicitur. חלום certe non significat somnium, sed ἐνύπνιον i. somnium vel insomnium. Lexicon Vetus, ὕπνος, *somnus*, *somnum*. Forte leg. somnium. Hier. *Videbam coram me vitem*. Santes, *me somniante ecce vitis erat coram me*. Leo Judæ, *Quum somniarem, en vitis erat coram me*. Potest fieri ut copula redundet. Nam id novum non est in his litteris. Trem. *in somnio meo cum ecce vitis coram me esset*. Gallica, *videbar mihi somnians videre vitem ante me*. ❡ *Palmites*] שריגים. Lxx. πυθμένες. Interpres Romanus, *propagines*. Ambrosius, *radices*. Hieron. & Augustinus, *fundi*. Verba Hieronymi vide supra. Onkelos שבשין, quod Fagius reddit *palmites*. Proprie rami implexi & intricati. De *ficu* usurpat Ionathan Ioel 1. 7. Ubi Lxx. habent κλήματα & Ebræi שריגיה in quo etiam significatio perplexitatis. Ionathan hoc loco מצוגין edidit, quod nusquam alibi mihi adhuc repertum. Santes, *rami*. Trem. & Leo Judæ, *palmites*. Galli, *sarmens*, sarmenta. R. Salomo, *palmites longiores qui vocantur* וידיץ. Forte *vitis*. Vox Aquitanica. Iohannes Davinus Nemausensis mihi dixit in ea lingua significare sarmenta vitium (alias flagella) sive palmites, quos Ebræi שריגים appellant. ❡ *Et ipsa quasi efflorescebat*] והיא כפרחת & ipsa quasi florescens suberat. i. videbatur florescere, aut revera florescebat. i. flores emittebat, ut Chaph sit ἀληθινόν. Possumus etiam vertere, *quumque ipsa effloresceret*. Quod Onkelos & Ionathan elegerunt. Lxx. καὶ αὐτὴ θάλλουσα, quod reddunt *et ipsa ferens flores*. i. ἀνθοῦσα. Nam ἀνθεῖν dicuntur plantæ, quum flores emittunt, ut θάλλειν, quum frondes & germina. Trem. *et ipsa quasi germinaret* כפורחת. Sane quidem germen proprie פרח appellatur. Græci ἀναβλαστάνειν vocant aut βλαστόν. Flos פרח dicitur: cujus pluralem פרחים Exod. 25. 34. Symmachus vertit ἄνθη i. flores. Hieron. *Lilia*. Lxx. κρίνα. Sed Nah. 1. 4. פרח. Hier. *Flos*. Lxx. ἐξανθοῦντα. Videndus hoc loco Moses Gerundensis. ❡ *Erumpebat gemma ejus*] עלתה נצה proprie ascendebat, & נצה gemma ejus pro נצתה ut גבירה dicimus pro גברתה angelus ejus. Aut absolute נץ gemma, id quod flore decusso subnascitur. Cui succedit בסר sive בֹּסֶר uva immatura, quæ & בכור. Vernacule בוטון, ait R. Salomo, quod non intelligo. Gemma Gallice *bouton*. Lxx. hic habent ἀνενηνοχυῖα βλαστούς, proferens germina. i. נצים. Hier. *crescere paulatim in gemmas*. Onkelos אפיקת לבלבין ונץ producebat flores & emittebat gemmas. Ionathan אפיקת לבלבין ונצ producebat flores suos. לבלבין flores an potius gemmæ? Ita Fagius interpretatur. Licet vertere, *Cujus quasi florescentis et gemma erumpebat*, *et botri coquebant*. i. *ad maturitatem perducebant uvas*. ❡ *Coquebant*] maturabant, maturas faciebant, quod

quod vulgo dicunt, matureſcere faciebant. Coquere hoc ſignificatu uſurpat Perſius Satyr. 3.

—— Siccas inſana canicula meſſes
Jamdudum coquit.

i. maturat. q. d. maturitatem adfert frugibus. Et Varro de re ruſtica lib. 1. cap. 7. *quæ arbores in ordinem ſatæ ſunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus Sol ac Luna coquunt, quo fit ut uvæ & oleæ plures naſcantur, & ut celerius coquantur.* Sed quid? An botri maturant uvas? In botris maturantur à Sole, non ipſi eas maturant. Id movit interpretes nonnullos ut verterent, *matureſcebant botri ejus, fuerunt uvæ maturæ.* Nam tunc demum ענבים vocantur, quum maturuerunt. הבשילו maturuerunt, ut הלבינו albuerunt, dealbati ſunt. הוביש pudore affecti ſunt. Hanc interpretationem firmabis authoritate Chaldæorum interpretum Onkeli & Ionathæ. Quanquam in Fagio, *maturabant uvæ ut fierent botri.* Omnino vertendum, *coquebantur botri ejus, fuerunt uvæ.* Sic in Ionatha, *ſtatim maturabantur botri ejus, fuerunt uvæ.* Tremellius quoque, *matureſcerent botri ejus, mox eſſent uvæ maturæ.* Ceterum botros Ebræi vocant אשכלות. Onkelos אתכלין. Ionathan סגולין, unde Segol dicta putatur, quod ſignum botri habeat.

11. *Et calix Pharaonis erat in manu mea, & accepi uvas & expreſſi eas in calicem Pharaonis, & dedi calicem in manum Pharaonis.*

Expreſſi eas] ita Hier. quem ſecutus ſum. Nec aliter ceteri, niſi quod in Sante, *& exprimebam.* Lxx. καὶ ἐξέθλιψα αὐτήν. Nam præcedit τὴν σταφυλὴν, hoc eſt uvam pro uvas. Onkelos & Ionathan ועצרית יתהון quod etiam ſignificat exprimere. Verbum שחט alibi non exſtat in textu. Frequens autem eſt in Deuteroſi Ebræorum, ut cum dicunt אין סוחטין את הפירות להוציא מהן משקין non exprimunt fructus &c. ענין עצר ait R. David. Dicunt etiam שחט Sin in Samech verſa. Hoc verbum Abenezra male cum שחט, quod mactare ſignificat, confundit, & Saadiam culpat, ipſe potius culpandus, qui inter Schin & Sin nullum diſcrimen ponit. Porro ſenſus eſt, ut ſi diceret, exprimebat ex eis vinum, quod poſtea infundebat in calicem Pharaonis. Nam uvas exprimere in ipſum calicem non puto moris fuiſſe. Tamen nihil affirmo. Si quis aliter ſentiat, nolim cum eo contentionis funem ducere propterea. ¶ *Calicem*] aut poculum, τὸ ποτήριον. Ebraice כוס. Chaldaice כסא.

12. *Tum dixit ei Ioſeph, Hæc eſt interpretatio ejus, Tres palmites tres dies ſunt.*

13. *Intra tres dies tollet Pharao caput tuum, & reſtituet te in ſtatum tuum, dabiſque calicem Pharaonis in manum ejus, juxta conſuetudinem priſtinam, cum eſſes pincerna ejus.*

Tres palmites] תלתא שרביטיא tria flagella. Thargum quod ab urbe nomen accepit. תלתי מצוגיא Ionathan. Vide quæ notavimus ad verſ. 10. ¶ *Tres dies ſunt*] i. ſignificant. סימן הם לך לשלשת ימים ait R. Salomo. ¶ *Interpretatio ejus*] ἡ σύγκρισις αὐτοῦ. Lxx. Notat Aben Ezra, quod neſcio an verum ſit, *nomen* פתרון *non inveniri niſi cum voce* חלום i. ſomnii. ¶ *Intra tres dies*] בעוד שלשת ימים in adhuc tribus diebus. Lxx. ἔτι τρεῖς ἡμέραι עוד שלשת ימים. Hieron. *tres adhuc dies ſunt.* Probarem ſi ſequeretur copula וישא & tollet. Trem. *cum adhuc tres dies.* i. intra dies tres. Onkelos & Ionathan, *in fine trium dierum* בסוף. Quod idem cum illo, *poſt tres dies.* Sed diſcrimen eſt. Nam *poſt* i. אחר aut מקץ à fine trium dierum. ¶ *Tollet caput tuum*] tollet i. recenſebit. Hoc vult, Cum familiam aut ſervitia luſtrabit, te quoque recenſebit ac numerabit in eorum catalogo. Male vir doctus exponit, *eriget te ex humili abjectaque fortuna ut cenſearis aliquo loco.* Nam piſtori, cui idem dicitur, hoc non quadrat. Lxx. μνησθήσεται τῆς ἀρχῆς σου, recordabitur principium tuum. i. principatum aut qualis in principio fuiſti. Hier. *recordabitur miniſterii tui.* Onkelos, *recordabitur tui Pharao.* Jonathan, *extollet caput tuum cum honore.* ¶ *In ſtatum tuum*] על כנך ſuper baſin tuam, ut Exod. 38. את כנו baſin ejus. Lxx. ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν. Eſt autem ἀρχιοινοχοΐα munus quo fungitur princeps pocillatorum. Hier. *in gradum priſtinum.* Ambroſius, *ſuper officium tuum priſtinum.* Onkelos & Jonathan, על שמושך in miniſterium tuum. R. Salomo, *ſuper baſin tuam & ſedem tuam.* Quidam, *in locum tuum.* על מכונך. Trem. *baſin tuam i. locum vel ſedem: tralatio à vaſis domeſticis ad adjuncta hominum officia,* ut 41. 13. R. David, *in locum ſedis tui, in quo firmus eras ab initio.* Firmus i. נכון quod amant reddere ἕτοιμος, paratus. ¶ *Iuxta conſuetudinem priſtinam*] כמשפט הראשון juxta judicium prius. Judicium pro conſuetudine poni notavi olim in meis Obſervationibus. Chaldæi הלכתא uſurpant eodem ſenſu. Dicunt autem הלכתא קדמאה aut קדמיתא mos priſtinus. Lxx. κατὰ τὴν ἀρχήν σου τὴν προτέραν, ſecundum principium tuum priſtinum. Hic *principii* vocem uſurpo pro *principatu*, ut ſæpe interpres noſter, & Suetonius cap. 31. *Auguſti principium clade Variana memorabile factum.* Lexicon Græco Latinum Vetus, ἀρχὴ, *imperium, magiſterium, præſidatus, principium:* & ante, ἀρχὴ τὸ προοίμιον, *exordium.* Hier. *juxta officium tuum ſicut ante facere conſueveras.* Trem. *Secundum morem priſtinum.* משפט an pro munere ſumatur neſcio. Hoc ſcio, œconomicam adminiſtrationem aliquando משפט dici. Uſurpatur & de adminiſtratione regni. Leo Judæ, *juxta priſtinum morem.* Gallica, *ſelon le premier office*, juxta officium prius. Arias, *ſecundum rationem priorem.* ¶ *Priſtinam*] priorem. ¶ *Pincerna ejus*] *potum præbens ei.* Onkelos. οἰνοχοεῖν vinum fundens i. pocillator, quod Jonathan dixit מזגיה. Nam מזג miſceo, infundo. Verbum eſt οἰνοχοέω, vinum infundo: Unde οἰνοχοεία vini infuſio, munus pincernæ, & ἀρχιοινοχοεία dignitas & officium ejus qui principem locum inter pincernas obtinet.

14. *Quod ſi memineris mei tecum, quum bene tibi erit, (& facias quæſo mecum benignitatem, memineriſque mei apud Pharaonem) educes me ex domo hac.*

15. *Nam furtim ſurreptus ſum ex terra Ebræorum, & etiam hic non feci quicquam, quod conjecerint me in hunc laccum.*

Quod ſi] כי אם quod ſi, ut Prov. 2. 3. Alii, *ſed*, & Lxx. ἀλλά. Chaldaice אלהין in Onkelo & Jonatha. Hier. *tantum.* Gallica, *mais.* Hiſcuni, *Forte ſi.* ¶ *Memineris*] recordatus fueris. ¶ *Tecum*] ut ſim tecum, vult dicere, ut liberer ex hoc ergaſtulo. Trem. *apud te*, quod cum ſequentibus conjungit. Puto rectum eſſe, *quod ſi memineris mei apud te* i. apud animum tuum q. d. Si tu tantum mei recordatus fueris. Lxx. διὰ σεαυτοῦ, quod reddunt *per temetipſum.* ¶ *Facias mecum benignitatem*] i. benigne. Latine, utaris erga me benignitate, aut exerceto in me benignitatem. (Lxx. καὶ ποιήσεις ἐν ἐμοὶ ἔλεος. Hier. *& facias mecum miſericordiam.*) Sed melius ut exponamus, *confer in me hanc gratiam*, ſeu, *iſtud beneficium.* Onkelos & Jonathan pro benignitate vel miſericordia טיבו retulerunt i. bonitatem. ¶ *Quæſo*] נא. R. Salomo אין נא אלא לשון בקשה. Tamen Onkelos & Jonathan *nunc* i. כען & כדון. ¶ *Educes me*] facile poteris me educere. ¶ *Ex domo hac*] Hiero. *de iſto carcere.* Cave rejicias. Nam domus pro carcere uſurpatur, ut Græce οἴκημα. Sic enim recte Athenienſes honeſto vocabulo τὸ δεσμωτήριον vocabant, ut referunt Pollux & Plutarchus in Solone. Sane Jeſ. 14. 17. ביתה. Hier. & Santes, *carcere.* R. David בית הסהר domus carceris. Rei firmandæ eſt editio τῶν ό, in qua ἐκ τοῦ ὀχυρώματος τούτου & Onkelos cum Jonatha, *ex domo vinctorum hac.* Chaldaice מן בית אסירי הדין. Videtur autem breviter dictum מן הבית הזה pro eo quod eſt מן בית הסהר הזה ex domo carceris hac. ¶ *Furtim ſurreptus ſum*] גנב גנבתי quod è verbo reddunt, *furando furatus ſum.* Male. Nam furor i. furtum facio. גנב verbum paſſivum eſt. Sententia eſt ut ſi diceret, *per plagium furtive ſurreptus ſum.* Græci legunt κλοπῇ ἐκλάπην, quod interpretantur, *furto furtive ſublatus ſum.* Hiero. *furtim ſublatus ſum.* Κλέπτομαι, furto ſubtrahor, furto auferor. Idem גנב de quo ſupra. Onkelos מגנב גניבנא furto ſurreptus ſum. גניבנא compoſitio participii ex גניב & אנא ego. Jonathan, מגנב אתגנבית per furtum furtive ablatus ſum, vel ſi mavis, furto ſurripiendo furto ſurreptus ſum. Tremel. *per plagium ſurreptus ſum.* ¶ *Ex terra Ebræorum*] in qua patres mei Ebræi peregrini & advenæ fuerunt. Innuit autem terram Chanaan, quæ & terra ſeptem gentium, & terra peregrinationis Abraham, Iſaac & Jacob, qui Ebræi vocantur, vel quod transfluviales eſſent, vel potius quod ad Eber genus referrent: unde & filii Eber appellantur. Ceterum terra Ebræorum trifariam dicitur. Vel in qua nati Ebræi: vel in qua educati, vel certe in qua ſedem habuerunt. Sic Urbs Chriſti vocatur Bethlehem, quia natus in ea: Nazareth, quia educatus; Capharnahum, quia verſatus ibi. Res nota doctis. ¶ *Quicquam*] *quicquam mali.* Jonathan. ¶ *Quod conjecerint me in laccum iſtum*] vel, *quod poſuerint me in foveam iſtam.* Intelligit autem carcerem, quem Græci λάκκον, Hiero. *lacum* appellant. Sed lacus aliud eſt. Quocirca putarim reſcribendum, *laccum*, cum duplici C. λάκκος eſt foſſa, fovea. Ebraice בור. Apud Severum, *ſi quis defoſſum lacum non cooperuerit*, i. λάκκον. Prov. 5. 15. מבורך de ciſterna tua. Aquila, Symmach. Theodotio, ἐκ λάκκου σου. Lex. Vetus, λάκκος, *laccuna, laccus, ciſterna.* Hiero. in comment. Ezech. 22. *Lacum nequaquam debemus juxta Latini ſermonis proprietatem eum intelligere, qui Græce λίμνη dicitur, ut eſt lacus Tyberiadis & lacus Larius & Benacus, multique alii; ſed quas ſolemus appellare ciſternas.* Quem locum adduxi firmandæ ſcripturæ quæ nunc recepta. Idem Dan. 6. *Lacum vocat depreſſam in altum foveam, vel arentem ciſternam, in qua leones nutriebantur.* Hic ſignificat in carcere ſubter-

subterraneum, pœnæ fontium destinatum, hypogæum seu barathrum, in quo captivi detinebantur. Plautus *puteum* dixit, ut Aulularia, *in puteum condite*, vult dicere, in puteum qui in carcere.

16. *Videns autem princeps pistorum, quod bene interpretatus esset, dixit Josepho, Etiam ego in somnio meo, & ecce tria canistra candida super caput meum.*

17. *Et in canistro supremo ex omni cibo Pharaonis opere pistorio, & avis comedebat eos è canistro supra caput meum.*

Bene interpretatus esset] bonam i. lætam & faustam interpretationem attulisset. ¶ *In somnio meo*] sub. eram aut videbam. Jonathan, *etiam ego videns eram i. videbam in somnio meo*, אף אנא חזי הוית בחלמי. Lxx. κἀγὼ εἶδον ἐνύπνιον, etiam ego vidi somnium. Minus bene. In somnio eram. i. somniabam. ¶ *Tria canistra candida*] שלשה סלי חרי. Lxx. τρία κανᾶ χονδριτῶν, tria canistra chondritorum. Est autem chondrites, ut χονδρίτης ἄρτος, panis è chondro seu alica. Augustinus Quæst. 131. *Quod aliqui codices Latini habent, tria canistra alica, cum Græci habeant χονδριτῶν, quod interpretantur, qui usum ejusdem linguæ habent, panes esse cibarios, &c.* Lex. Vetus χονδρίτης, cibarius. Lego, *cibarius*, non alicarius. Quanquam in proximo, χόνδρος alica. Reperio & χονδρῖται pro crassa simila. Aquila, τρεῖς κόφινοι γύρεως. Vulgatus interpres, *tria canistra farinæ*. Onkelos סלין דחורין & interprete Fagio, *tria canistra candida*, vel, *perforata*. Nam חור inquit, *etiam foramen denotat*. Dubito an hoc verum sit. Elias interpretatur, *canistra quibus ferunt panem principum* i. primarium sive candidum. Lex. Munsteri, חרות libertas: item candor Gen. 40. חר foramen. Jonathan, *tria canistra* נקיין i. panis purissimi sive mundissimi. Thargum quod ab urbe nomen habet ... i. panis calidi. Munsteri λέξεις, ... panis. Act. 12. 23. in codice Syro ... comesus fuit. In Lexico Chaldaico Baal Aruch dicto ... & ... panis calidus i. ... Sic etiam Munsterus interpretatur. Trem. *Tria canistra foraminatim texta*. חר foramen. Etiamne חרי? Ita Trem. opinatus est. Forte adjectivum est חר foraminosi. sub. textus. Quidam, *canistra viminea*.' Gallica editio, *candida*. Cujusmodi sunt quæ ex viminibus decorticatis conficiuntur. Quid si, canistra Horæa? hoc est ab Horæo populo contexta. Nam חרי Horæus. R. Salomo, *Canistra ex viminibus decorticatis, multa foramina habentia, cujusmodi canistris utuntur ii qui crustula vendunt, quæ in iis reponunt.* Crustula hoc est ... vulgo *oublies*. Saadias, teste Abenezra, *canistra candidi panis*. Sed melius ut interpretemur, *canistra candida*, hoc est ex viminibus decorticatis & albis contexta. Vide supra. חרי autem, etsi R. David exponat ... candorem, albedinem, tamen videtur potius adjectivum esse, ut ... externus ... crudelis & alia pauca. ¶ *Ex omni cibo Pharaonis opere pistorio*] Quidam, *cibus Pharaonis ex omni opere pistorio*. Hier. *omnes cibi qui fiunt arte pistoria*. Lxx. ἀπὸ πάντων τῶν γενῶν, ὧν Φαραὼ ἐσθίει, ἔργον σιτοποιοῦ. ex omnibus generibus, de quibus Pharao comedit, opus pistoris. Alias, ἔργῳ σιτοποιοῦ, opere pistoris. Jonath. *ex omnibus delicatioribus cibis Pharaonis, opere pistoris*. Nam ... sunt delicatiores cibi, lautiores escæ. ¶ *Omni*] quovis. Sic in Actis Petrus vidit linteum in quo erant *omnia animalia*, i. omne genus animalia. Vide Animadv. meas. ¶ *Avis comedebat*] aves comedebant, vel è canistro superne aperto, vel per foramina canistri rostra immittentes. ¶ *Supra*] מעל, de supra.

18. *Respondit Joseph & dixit, Tria canistra tres dies sunt.*

19. *Intra tres dies tollet Pharao caput tuum a te, & suspendet te in ligno, & comedet avis carnem tuam a te.*

Interpretatio ejus] ἡ σύγκρισις αὐτοῦ. ¶ *Intra tres dies*] בעוד שלשת ימים dum adhuc tres dies sunt i. durant q. d. triduo nondum plane exacto. Videtur tertio die suspensus fuisse. On. & Jon. *in fine trium dierum*. Lxx. ἔτι τριῶν ἡμερῶν. Verbum è verbo, *in adhuc*. ¶ *Tollet Pharao caput tuum a te*] Lxx. ἀφελεῖ Φαραὼ τὴν κεφαλήν σου ἀπὸ σοῦ: auferet Pharao caput tuum à te. Jonathan, *amovebit Pharao ense caput tuum à corpore tuo*. Vult dicere, amputabit caput tuum, decollabit te: & est sensus, *curabit te decollari*. Sed si caput ei amputatum, quomodo suspendi potuit? An truncus suspendebatur sine capite?' Trem. *recensebis caput tuum, ne sit deinceps recensio de te i. jubebit nomen tuum è catalogo servorum suorum obliterari: non enim probatur hæc interpretatio, auferet caput tuum à te, quia non capite truncatus, sed suspensus fuit.* Mihi non displicet judicium Merceri. Scribit ille in Comm. ad hunc locum, *Caput ab aliquo auferri dicitur, etsi non præcidatur, cum supplicio extremo afficitur. Nam & sic capite plecti aliquem dicimus, cum mortis ei pœna infertur.* Estque amphibologia in verbis illis, *tollet caput tuum*, quia tollere caput, ut supra dictum est, sign. etiam recensere, numerare. Hanc postea tollit, cum ait, *a te*. Quo haut obscure innuit eum supplicio capitis affectum iri, hoc est suspendio vitam finiturum. Mox se clare explicat, inquiens, *suspendet te in ligno*. ¶ *Suspendet*] suspendi curabit. ¶ *In ligno*] in patibulo. Quod Onkelos dixit על צליבא. Lignum alioqui ... dicitur, & Ebraice עץ. Eadem vox sign. arborem, ut possis vertere, *in arbore*. Crux in ritualibus libris Latinorum arbor & arbor infelix dicebatur: unde, *arbori infelici suspendito*. Esther. 7. עץ vers. 9. Hier. vertit *lignum*: ver. 10. *patibulum*. Sic accipies in illo, *maledictus qui pendet in ligno*.

20. *Fuit autem dies tertius, dies quo natus erat Pharao, ut faceret convivium omnibus servis suis: tunc sustulit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum inter servos suos.*

21. *Et restituit principem pincernarum in munus pocillatoris, qui dedit calicem in manum Pharaonis.*

22. *Et principem pistorum suspendit, quemadmodum interpretatus fuerat illis Joseph.*

23. *Et non meminit princeps pincernarum Josephi, sed oblivioni tradidit eum.*

Quo natus erat Pharao] qui Pharaoni natalis sive natalitius erat. Græci dicunt γενέθλιον i. natale sive natalitium. Onkelos יום בית ולדא. Jonathan יום גנוסא. R. Salomo יום גנוסא. Lxx. ἡμέρα γενέσεως. In Ebræo est יום הלדת את פרעה & alibi יום הולדת, videlicet Hos. 2. 2. Nota morem antiquum, qui hodieque obtinet apud quasdam gentes. הולדת nomen est ex Hophal, quo genitus, vel, ut ita loquar, nasci factus est. Unde obstetrix i. מילדת, vocatur ab Ebræis מילדת quod mulieres quasi parere faciat. Videndus R. Salomo. ¶ *Convivium*] πότον. Ebraice משתה itidem à bibendo, ut Græce συμπόσιον. Chald. autem משתיא & ... ¶ *Servis suis*] aulicis suis. Hinc elucidabis quod in Lxx. τοῖς παισὶν αὐτοῦ & in Hier. *pueris suis*. ¶ *Sustulit*] recensuit, numeravit. לשון מנין ait R. Salomo. Sic, *tolle caput filiorum Israel, numera summam eorum*. Vulgo, *musterer & lustrare exercitum*. ¶ *Inter servos suos*] בתוך עבדיו in medio servorum suorum. ¶ *In munus pocillatoris*] quo antea functus fuerat. Ebraice על משקהו super pocillationem, ut ita loquar, sive propinationem suam. משקה præbitio potus, munus præbendi potum, officium pincernæ. Græci οἰνοχοΐαν vocant. Lxx. hic habent, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ in principium suum i. principatum fundendi vinum in calicem Pharaonis. Græci ἀρχιοινοχοΐαν appellant. Hier. *in locum suum* על משקהו. Trem. *in suum potus ministrandi munus*. Onkelos, על משקיותיה super propinationem suam. Fagius reddit, *officio suo*. Jonathan ... על in munus infundendi suum. Leo Judæ, *ut esset pocillator suus*. ¶ *Calicem*] τὸ ποτήριον, poculum. ¶ *Suspendit*] ἐκρέμασεν i. suspendi curavit in patibulo. ¶ *Quemadmodum interpretatus &c.*] Lxx. καθὰ συνέκρινεν αὐτοῖς Ἰωσήφ, sicut interpretatus erat eis Joseph. Ergo συγκρίνειν, interpretor: unde σύγκρισις & σύγκριμα, interpretatio. Hier. *ut conjectoris veritas probaretur*. Conjectorem vocat interpretem somnii Josephum. ¶ *Non meminit*] apud Pharaonem. ¶ *Princeps*] *præpositus*. editio Vetus. ¶ *Oblivioni tradidit eum*] *Usque ad tempus quo attigit finis a DOMINO, quo liberari debebat*. Jonathan & autor Jerosolym.

G R O T I U S.

17. *Et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos, avesque comedere ex eo*] Simile huic somnio augurium in Homeri Odysseæ Β.

—— τῷ δ' αἰετὼ εὐρύοπα Ζεὺς
ὑψόθεν ἐκ κορυφῆς ὄρεος προέηκε πέτεσθαι.
τὼ δ' ἕως μέν ῥ' ἐπέτοντο μετὰ πνοιῇς ἀνέμοιο,
πλησίω ἀλλήλοισι τιταινομένω πτερύγεσσιν·
ἀλλ' ὅτε δὴ μέσσην ἀγορὴν πολύφημον ἱκέσθην,
ἔνθ' ἐπιδινηθέντε τιναξάσθην πτερὰ πυκνά,
ἐς δ' ἰδέτην πάντων κεφαλάς, ὄσσοντο δ' ὄλεθρον,
δρυψαμένω δ' ὀνύχεσσι παρειὰς ἀμφί τε δειρὰς
δεξιὼ ἤϊξαν, διά τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν.
[—— aquilas descendere jussit
Juppiter excelso geminas de vertice montis.
Hæ pariter primum vento vectante volabant,
Altera ad alterius latus ut protenderet alas:
Ast ubi devenere forum super impete magno,
Circum sese agitant quatientes undique pennas.
Inque hominum capita intentæ lugubre canebant:
Unguibus inde etiam lacerant collumque genasque,
Transque

Transque domos urbemque ferunt se limite dextro].
Mox augur explicans:

Μνηστῆρσι δ' μάλιστα πεφασκόμενος τάδε εἴπω·
Τοῖσιν γὰρ μέγα πῆμα κυλίνδεται.
[*Pracipue qua dico procos hac omina tangunt:*
Namque illis clades gravis imminet].

13. *Recordabitur Pharao ministerii tui*] Eadem plane locutio infra 19. quare eodem modo utrobique recte verteris: *Exputabit Pharao rationes tuas.* Sic sumitur vox ראש [*caput*] Num. 1.49. Exod. xxx. 12. Sic ferme & Græci κεφάλαιον usurpant.

19. *Et lacerabunt volucres carnes tuas*] Quod Horatius dixit: *Pasces in cruce corvos.*

20. *Dies natalitius*] Herodotus Calliope in Persarum rebus: τοῦτο τὸ δεῖπνον κατασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο βασιλεύς [*hoc epulum semel quotannis exhibetur qua die natus fuit rex*]. Adde Matth. xiv. 6.

C A R T W R I G T U S.

1. P*incerna regis* מַשְׁקֵה מֶלֶךְ] LXX. ἀρχιοινοχόος, *princeps vinariorum.* Sic Hieron. in Tradit. vertit Græcum istud vocabulum; atque addit in Hebræo esse משקה, illud verbum, quod in nomine servi Abraham dudum legimus. Intelligit locum illum Gen. 15.2. at ibi in Hebræo est משק a שקק, vel שוק *discurrere*; hic autem est משקה à שקה *potare.* Aquila interpretatur ὁ ποτιστής, *pocillator*, vel *pincerna.*

וְהָאֹפֶה *Et pistor.*) LXX. καὶ ὁ ἀρχισιτοποιός, *& princeps pistorum.* Aquila, καὶ ὁ πέσσων, *& panificus*, ut vertit Nobilius; sed vox est generalior, & *coquum* significat.

2. עַל שְׁנֵי סָרִיסָיו *Adversus duos eunuchos ipsius.*] Chaldaice על תרין רברבוהי, *adversus duos principes*, seu *præfectos ipsius.* Vide supra ad cap. 37. 36.

4. *Et fuerunt* יָמִים בְּמִשְׁמָר *diebus (aliquot) in custodia.*] Vel *anno*, ut exponit R. Salom. Nam interdum ימים *annum* denotat. Vide ad cap. 24. 55. LXX. ἦσαν δὲ ἡμέρας ἐν τῇ φυλακῇ. Vulg. *aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur.*

11. *Tuli uvas, & expressi in calicem Pharaonis.*] Mercerus refert quosdam nostrorum putare, tum moris fuisse, ut uvæ recentes in calicem regum exprimerentur, ut gustarent quale futurum esset vinum novum. Sed Hebræi cujusdam expositionem probat, nempe in vas quoddam uvas fuisse expressas unde vinum fieret, quod postea Pharaoni misceretur; quia uvæ non soleant in regis calicem exprimi; verum in somnio illud omitti, &c.

13. יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת רֹאשֶׁךָ *Elevabit Pharao caput tuum.*] Onkelos, יִדְכַּר, *tui recordabitur*, vel *tui mentionem faciet.* Jonathan, יעול קדם פרעה דוכרנך, *intrabit coram Pharaone recordatio tui.* R. Salom. ait hanc phrasim, *elevare caput alicujus*, recensionem seu computationem (לשון חשבון) denotare; ac locum sic explicat, *Cum recensuerit* (Pharao) *reliquos servos suos, ut coram se in convivio ministrent, te quoque inter illos numerabit.* Similiter Aben Ezra dicit, hanc capitis elevationem esse בדרך ספר, *per modum numerantis.* Idque confirmat ex ver. 20. ubi dicitur, *Et extulit caput principis pincernarum, & principis pistorum inter servos suos.* Fagius in (*a*) Chald. Paraph. ait, *elevare caput* esse Hebraismum, pro *recensere, recordari, & reminisci alicujus non sine honore.* Sed ultimis illis verbis, *non sine honore*, omnino repugnat istud ver. 20. ubi hæc phrasis tam de pistore, quam de pincerna usurpatur. Quin & ex aliis Scripturæ locis liquido apparet, *elevare caput* nihil aliud quam *numerare*, vel *recensere*, sive id cum honore fiat, sive sine honore. Exod. 30. 12. כי תשא את ראש בני ישראל, *cum elevaveris caput filiorum Israel*, i. e. *cum recensueris*, vel *numeraveris filios Israel*, ut Onkelos, Jonathan, R. Salom. & ipse Fagius exponunt. Sic Num. 4. 2. *eleva caput filiorum Kohath*: & ver. 22. *eleva caput filiorum Gershon*; i. e. recense, vel numera eos. LXX. μνησθήσεται Φαραὼ τῆς ἀρχῆς σου, *recordabitur Pharao principatus tui.* Sic & infra ver. 20. καὶ ἐμνήσθη τῆς ἀρχῆς τοῦ οἰνοχόου, καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ σιτοποιοῦ. Videntur accepisse ישא pro ישכר. Vulg. *Recordabitur ministerii tui.* Lyra ait in Hebræo esse, *numerabit caput tuum.* At in Hebræo est, si verbum verbo reddas, *elevabit caput tuum*; nec (quod sensisse videtur Lyra) *elevare* hic idem valet quod *numerare*, sed ea est vis totius phraseos, *elevare caput.*

Et restituet te עַל כַּנֶּךָ *super sedem tuam.*] Vel, *in locum tuum* כן à כנן cognatæ significationis cum כון *parare, firmare, stabilire*, proprie, *basin, firmam ac stabilem sedem* significat. Sic R. Salom. hic interpretatur כן per בסיס שלך ומושבך, i. e. *basin tuam, & sedem tuam.* Sæpe usurpatur hæc dictio, ubi de Tabernaculo, ejusque apparatu agitur: hic autem metaphorice usurpatur pro munere seu officio, in quo, tanquam in sede, quis constitutus est. Onkelos & Jonathan interpretantur שמושך, *ministerium tuum.* Aben Ezra, משמרתך *custodiam*, vel *observationem tuam.* LXX. ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου, *in tuum pincernarum principatum.* Et cap. 41. 13. ἐπὶ τὴν ἀρχήν μου, *in principatum meum.* Vulg. *officium meum.*

15. *De terra Hebræorum.*] Hinc apparet Hebræos jam tum, etiamsi peregrini essent & pauci, celebres fuisse. Rambam putat terram Hebron intelligi, ubi Abraham, Isaac & Jacob fere sunt commorati. Hoc Mercero haud placet, quod terra Hebræorum latius pateat. Certe posterioribus seculis æque late patet ac terra Canaan; Josephi autem tempore pro parte quadam istius terræ, in qua nimirum Abraham ejusque posteri sedem suam habuerunt, usurpatum fuisse, est verisimile.

16. סַלֵּי חֹרִי *Canistra candida.*] Vel, *canistra candidi*, scil. *panis.* Nam סלי est in regimine, atque indicat vocem sequentem genitivi casus esse. Ita exponere R. Saadiam refert Aben Ezra; Potest etiam exponi, *canistra perforata*; nam חור etiam *foramen* significat. R. Salom. interpretatur *canistra facta ex viminibus decorticatis, undequaque albis* (*a*). Atque hæc expositio Fagio videtur optima. LXX, κανᾶ χονδριτῶν, *canistra chondritorum.* Nobilius citat Augustinum dicentem, eos qui usum ejusdem linguæ haberent, interpretari, *panes esse cibarios.* Aquila, κόφινοι γύρεως, *cophini pollinis.* Hieron. in Tradit. ait in Hebræo esse, *cophinos farinæ.* Symmachus, κανᾶ βαϊνά, *canistra baina*, h. e. *ex palmarum ramis confecta.*

19. יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת רֹאשְׁךָ מֵעָלֶיךָ *Tollet Pharao caput tuum à te.*] Hic dictio מעליך ostendit phrasin hanc, *tollere caput* aliter usurpari, quam antea vers. 13. & postea vers. 20. nempe pro *interficere, capitali supplicio afficere.* Mercerus ait amphiboliam esse, & ludum seu jocum in hac locutione; quia *tollere caput* est proprie *recensere, numerare*: ergo velle, *recensebit caput tuum*; sed cum ille exspectaret, ut in superiori somnio, id futurum in bonum, insperato addidisse, *desuper te*, quo ostenditur, *levare caput esse auferre.* Ego vero fateor me haud satis intelligere quemadmodum hæc inter [illegible] conveniant. Nam si hac phrasi Joseph significare voluerit, *recensere*, certe non eadem etiam simul significatur *auferre.* Sed nec satis concinne dici videtur, *recensebit caput tuum desuper te*, vel *à te.* Verisimile quidem est, pistorem, cum audiret verba ista, *Tollet Pharao caput tuum*, putasse eodem sensu id dictum, ac antea, cum de pincerna sermo esset; at Ioseph addita voce מעליך, *desuper te*, vel *à te*, omnem sermonis ambiguitatem sustulit, seque non jam de *recensione*, ut antea, sed de *interfectione* loqui ostendit. Atque hoc opinior, est quod voluit Mercerus, qui etiam rectè monet hac phrasi, *Tollet caput tuum à* [illegible], non (ut quidam putant) *decollationem* significari, sed duntaxat in genere *interfectionem*, quemadmodum *capite plecti* aliquis dicitur, cum mortis ei pœna infertur.

23. *Non autem recordatus est princeps pincernarum Iosephi, &c.*] Non inepte videtur R. Salom. hujus oblivionis rationem assignare, מפני שתלה [illegible] יוסף לזכרו הוזקק להיות אסור שתי שנים, i. e. *quia Ioseph ex ejus recordatione pendebat, ideo duobus annis vinctus mansit.* Atque huc pulcre accommodat illud Ps. 40. 4. *Beatus est vir, qui posuit Dominum fiduciam suam, nec convertit se* אל רהבים *ad superbos*, vel *ad Ægyptios*; Nam Ægyptus vocatur (*b*) *Rahab*; ולא בטח על מצרים הנקראים רהב, inquit R. Salom. h. e. *Et non confidit in Ægyptiis, qui vocantur Rahab.* Aben Ezra illud, ולא זכר, *non recordatus est*, ad os refert; illud autem, וישכחהו, *& oblitus est ejus*, refert ad *animum*; q. d. nec ore mentionem ejus fecit, nec in animo memoriam ejus habuit.

(*a*) Eadem etiam habet in Collat.

(*a*) Ita etiam exponit Kimchi in Rad. ut testatur Fagius in Collat. (*b*) Quæ vox *superbiam* denotat.

CAP. XLI.

CAP. XLI.

MUNSTERUS.

1. D*Uos dierum annos*] Kimhi in hunc locum sic scribit, *Non dicit*, post duos annos, *sed addit* dierum, *ut intelligas annos illos ex integris conflatos diebus. Nam annus perfectus, qui est revolutio solis ad eundem punctum, non perficitur ex integris diebus, sed restant adhuc aliquot horæ, quæ quotannis collectæ diem intercalarem pro sole constituunt, & epactas pro luna.* ¶ *Fluvium*] Secundum Gerundensem, יאור proprie est *fluvius magnus*, & אגם *piscina magna* humano labore facta. Et quando hic dicitur *Pharaonem juxta piscinam stetisse*, ut sibi in somno videbatur, intelligitur Nilus ipse, qui singulis annis in maximam stagnatur piscinam. Proinde nomen יאור filius Ezræ sic exponit, הוא עמק שבו מצרים. Et dictionem ותפעם dicit esse שארץ שופט מרוח מורחדה. Capitur enim פעם sæpe pro רגל. Cujus ratio hæc assignatur, בעבור אשר הנשמש כרגלה. Et quod sequitur, *Consternatus est spiritus ejus*] alii sic vertunt hunc locum, *& depressus est animus ejus*, שחוח חסרה לגוף המוטה, *quod scilicet talis consternatus animus similis sit corpori depresso.*

11. *Juxta somnii sui interpretationem*] h. e. Uterque habuit somnium quod erat conforme eventui rei.

14. *Festinanter eduxerunt eum*] Habet Ebræa proprietas, *& fecerunt currere eum de fovea.* Vocatur autem carcer *fovea*, quod esset factus in modum foveæ sub terra, quæ vulgo פוסא vocatur, ut dicit R. S. i. *fossa.* Et quod sequitur, *Totondit*] subaudiendum est, מגלח, *rasor.*

16. *Non ego*] Hebræa veritas habet, *Absque me.* Et deinde interposita pausa sequitur, *Deus respondebit*, &c. Onkelos vero hunc locum sic vertit, *Non ex sapientia mea, sed ab ipso Deo respondebitur quod est ad pacem Pharaonis.* Aben Ezra exponit בלעדי pro בלעדי פתרוני, sed quod non dissentit ab interpretatione nostra.

23. *Marcida*] Non invenitur dictio צנמות nisi in hoc loco. Kimhi exponit eam per קטן, i. *exigua.* Nam est vulgare apud Hebræos פת צנומה בקערה, i. *buccella exigua in patina, super quam funditur jus.* Alii vero putant eam duci à צונמא, quæ apud Magistros significat *petram*, & tunc *spica petrea* idem est quod *arida.* Aben Ezra exponit ריקות, *inanes.*

24. *Magis*] Kimhi dicit חרטמים fere idem esse quod מכשף, i. *magus, incantator.* Aben Ezra vero exponit eam per חכם תולדות, h. e. *scrutator naturæ, & qui ex qualitate ad naturæ secreta penetrat. Est*, inquit, *&* חרטום *qui cognoscit* עקר *naturam & qualitatem rerum, & quales ex illa oculta vi effluere possint operationes & effectus.*

32. *Repetitum est*] Potest etiam sic verti, *secundo apparuit*; aut, *mutatum est*, in aliam scilicet visionem, sed quæ in interpretatione à priori non discrepat. Et quod sequitur, *Decretum est*, seu *firmatum est*] Onkelos vertit, תקן, *ordinatum est*: quod tamen idem est.

36. *Depositum terræ*] i. Erit quasi repositus thesaurus, qui tempore necessitatis terram & ejus habitatores, ne pereant, conservabit.

40. *Armabitur*] Kimhi exponit ut nos vertimus. Nam radix verbi est נשק id quod Dages in Schin ostendit. Chaldæus vero interpres & R. Sal. putant radicem verbi esse שקק, ideo explicant ipsum per מזון & זן, i. *cibari.* Et tunc hic erit sensus, *Ad os tuum*, sive *secundum jussionem tuam, cibabitur universus populus meus.*

43. *Genuflectite*] Kimhi, quem hic secutus sum, putat scriptum אברך pro הברך, ut sit imperativus Hiphil à verbo ברך, *genuflexit.* Alii putant אברך esse dictionem compositam, quasi אב רך, i. *pater teneri regis*, ut Onkelos habet. Vel, ut R. Iudas sentit, totum fuit nomen Ioseph, qui & pater atque senex fuit sapientia, & tener in annis. Et quod sequitur, *Zaphnath Paaneah*] quidam Onkelum imitantes interpretantur, דמצפונתא גלה, *arcanorum revelator*, seu *interpres.* Alii putant esse dictiones Ægyptias: sed hactenus nemo fuit qui eas ex Ægyptiaca lingua in Latinam transferret, nec Iudæus nec Christianus.

45. *Sacerdotis On*] Chaldæus vertit, *principis civitatis On.*

47. *Et protulit terra*] In Hebræo sensus iste aliquanto obscurior ponitur. Nam ita habet textus, *Et fecit terra in septem annis saturitatis ad acervos.*

51. *Menasse*] Interpretatur *Menasse*, *Faciens oblivisci.* Est enim participium in conjugatione dagessata, à verbo נשה *nissa.* Ephraim verò derivatur à verbo פרה, *fructificavit*: inde *Ephraim*, *fructificationes.* Et quod sequitur, *Consumpti sunt*, &c.] usurpat Hebraismus *consumi* pro *transire.*

56. *Aperuitque*] Reddidit Chaldæus interpres clarius hunc locum quam in Hebræo habeatur. Nam ita vertit, *Et aperuit Joseph omnes thecas in quibus erat frumentum.* Id quod nos per parenthesin signavimus.

FAGIUS.

11. Q*Uisque juxta interpretationem somnii sui somniavimus*] i. Somniavimus quod erat consentaneum rei. h. e. Somnium verum somniavimus, quemadmodum postea evenit.

16. *Non ex mea sapientia, sed à facie Domini*, &c.] Vult dicere, Non mihi tribuo & adscribo hanc sapientiam, quod ego ex meipso possim interpretari somnia. Dei opus est, non humanæ sapientiæ. Is per me tanquam organum respondebit tibi ea quæ faciunt ad regni tui salutem. Ita Ioseph occasionem captavit Regem Ægypti pertrahendi in cognitionem veri Dei, quem ipse colebat.

34. *Et muniat terram Ægypti*, &c.] זרז Chaldaice *munire* & *armare* significat. *Armare* autem metaphorice accipit pro *providere*, *prospicere*: cum enim terræ frugibus providetur, quodammodo armatur & munitur. Et verbum Hebraicum חמש, quod in textu ponitur, quodque pro *quintam partem accipere* exponunt, aliquando etiam *expedire* & *armare* significat, ut Exod. 13. 18. וחמשים עלו בני ישראל, *Et armati ascenderunt filii Israel*, &c. Et hanc lectionem secutus est Onkelus.

40. *Cibabitur omnis populus meus*] Vult dicere, Annona erit in tua potestate: tu dispensabis eam, prout ex re populi cognoveris. Quidam legunt, *Armabitur.* q. d. Quando principes præparabuntur ad bellum, tu eris magister militum. h. e. Constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Alii legunt, *Juxta tuum verbum gubernabitur populus meus.* Verum prima lectio simplicissima esse videtur.

43. *Iste est pater regis*] Paraphrastes noster vocem Hebraicam אברך *Abrech* ita videtur intellexisse quasi composita dictio sit ex אב *pater*, & רך *rex.* Nam Syris רכא, testibus Hebræis, *regem* significat. Dicitur ergo *Regis pater*, secundum nostrum Paraphrasten, quod Regem Pharaonem suis consiliis tanquam pater fideliter juverit. Alii אברך exponunt, *pater tener*; quod scilicet sapientia & consiliis pater ac senex, ætate vero & annis tener fuerit: sicut & D. Hieronymus scribit in Quæstionibus suis Hebraicis. Eadem & Thargum Hierosl. habet, והא מקלסין קדמוי ואמרין יחי אבא דמלכא דרב בחכמתא ורכיך בשניא, *Et ecce præconizabant coram eo, & dicebant, Vivat pater regis, qui est princeps in sapientia, & tener in annis.* Exstant quoque inter Hebræos qui אברך verbum imperativi modi in conjugatione Hiphil esse putant, & dici sentiunt אברך pro הברך, i. *Genu flecte.* ברך enim Hebræis *genu flectere* significat. Quasi præco clamaverit & præceperit, ut nemo non genu flecteret coram Iosepho.

44. *Non elevabit quispiam manum suam*, &c.] Sensus est, Nemo sumet arma, procedet ad bellum, vel equum suum ad pugnam instruet sine tuo jussu & permissu. Prout tu jusseris ac præceperis, administrabitur omnis res, cum pacis tum belli tempore.

45. *Vir cui secreta revelantur*] In Bibliis Hebraicis legitur, *Et vocavit Pharaoh nomen Joseph* צפנת פענח *Zaphnath paeneach*, i. ut exponunt, *arcanorum interpres* seu *revelator*: quasi scriptum esset מצפונות מגלה, ut צפנת deductum sit à verbo צפן, quod *abscondere* significat, & פענח sit nomen verbale, i. *revelator*, vel præteritum in secunda conjugatione dagessata, i. *revelavit.* Et hanc interpretationem secutus est Paraphrastes noster. D. Hieronymus in Quæst. Hebraicis super hunc locum ita scribit, *Licet hoc nomen Hebraice absconditorum repertorem sonet, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem.* Interpretatur ergo sermone Ægyptio *Zaphnath paeneach* צפנת פענח, *sive ut* LXX. *transferre voluerunt*, Ψονθομφανήχ, Salvator mundi, *eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberaris.* Hæc ille. Quod si firma esset hæc interpretatio, pulchre faceret ad mysterium Christi, cujus Ioseph in aliquibus typus fuit. ¶ *Et egressus est Ioseph*, &c.] Emphasim habent q. d. Sua pompa procedebat: cum magnificentia quadam & majestate declarabatur esse princeps à Rege constitutus super universam Ægyptum.

IDEM

IDEM.

16. בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה, *Non ego, sed Deus respondebit quæ ad pacem sunt Pharaonis.*] Tametsi in redditione vocis בלעדי diversitas appareat, tamen sententia apud omnes eadem est. Sive enim legas *præter me*, vel *sine me*, ut vox Hebræa proprie significat, & Vulg. interpres recte transtulit; sive *non ex sapientia mea*, &c. ut Chaldæus transtulit; sive, *Sine Deo non respondebitur*, ut Lxx habent; omnia in eundem recidunt sensum. Quia enim dixerat Pharao ad Joseph, *Ego audivi de te loqui, quod tu audiens somnium possis exponere illud.* Respondet Joseph, id se non ex seipso, sed ex dono Dei habere, cujus solius sit interpretari somnia. Nihil ergo sibi, sed Deo omnia adscribit, ut vel ista ratione Pharaonem ad cultum veri & unius Dei pertrahat.

34. וחמש את ארץ מצרים בשבע שני השבע, *Et accipiat quintam partem de terra Ægypti, per septem annos saturitatis.*] Variat tantum Onkelus cum sua Paraphrasi circa verbum וחמש, quod cum *quintare*, ut etiam Lxx. reddiderunt, significat, h. e. *quintam partem emere*, ut Aben Ezra exponit, vel *quintam partem accipere*, ut R. D. Kimhi interpretatur, ipse per וזרז, quod *armare* significat, transtulit. *Armare* autem metaphoricôs accipit, pro, prospicere, providere : cum enim terræ frugibus providetur, quodammodo armatur. Est & ubi in Hebræo verbum חמש pro *armare* usurpatur, ut infra in Exodo cap. 13. וחמשים עלו בני ישראל, *& armati ascenderunt filii Israel.* Quo nimirum etiam respexit Onkelos sua versione.

40. ועל פיך ישק כל עמי, *Et ad tuum imperium totus meus populus armabitur.*] Variatio est in verbo ישק, quod cum æquivocum sit ad multa significata, nempe *osculari*, *armare*, *cibare*, & *gubernare*, varie ab Expositoribus redditur. Quidam ergo sic explicant, *Populus meus armabitur*, i. quando principes præparabuntur ad bellum, tu eris magister militum : q. d. Constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Et hanc lectionem habet Ezra in suo Commentario, quem & Munsterus secutus est sua versione. R. Salomo secutus Onkelum per *cibare* & *gubernare* exponit, hoc modo, omnia quæ opus erunt populo meo per te fient. R. D. Kimhi per *osculari* exponit, hoc sensu, *Os tuum exosculabitur omnis populus meus*, h. e. te suspiciet, venerabitur, colet, atque te dominum esse agnoscet : quam sententiam secuti sunt Lxx. & Lat. Vulgata editio.

43. ויקראו לפניו אברך, *Et clamaverunt ante ipsum, Genuflectite.*] Variatio est in voce אברך. Onkelos traduxit *pater regis*, quasi אברך composita dictio sit ex אב, quod *patrem*, & רך, quod *regem* significat. Nam רכא Syris, teste Salomone, idem est quod מלך, i. *rex*. Hinc Joseph אברך appellatum sentiunt, quod regem Pharaonem suis consiliis tanquam pater fideliter juverit. Alii אברך proclamatum putant, ad innuendum quod sapientia & consiliis pater & senex fuerit, annis vero tener. Nonnulli putant אברך idem esse quod *pater*, sive *dominus tener*. Sicut in Austria dicunt, Mein schöner Vatter Herr. R. D. Kimhi in libro Radicum radicem hujus verbi ברך, quod *genuflectere* significat, statuit. Et dicit Aleph positum esse loco He constituentis imperativum in tertia conjugatione activa Hiphil, ut sit אברך pro הברך, i. *genuflecte*, quod scilicet præco quemvis genuflectere ante Joseph jusserit. Vel, ut Aleph sit litera futuri, constituens primam personam, *genuflectam*, quod quivis scilicet clamaverit coram eo, *genuflectam*. Quidam ex nostris אברך vertunt *patrem patriæ*, quod olim Romanis in usu erat. D. Hieronymus in Quæst. Hebr. ita scribit, ET CLAMAVIT ANTE EUM PRÆCO, ET CONSTITUIT EUM SUPER OMNEM TERRAM ÆGYPTI, *pro quo Aquila transtulit*, Et clamavit in conspectu ejus adgeniculationem. *Symmachus ipsum Hebraicum sermonem interpretans ait*, Et clamavit ante eum אברך. *Unde mihi videtur non tam* præco *sive* adgeniculatio, *quæ in salutando vel adorando Joseph accipi potest, intelligenda, quam id quod Hebræi tradunt, dicentes* patrem tenerum *ex hoc sermone transferri.* אב AB, *quippe dicitur* pater, רך RECH delicatus *sive* tenerrimus : *significante Scriptura, quod juxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, sed juxta ætatem tenerrimus adolescens & puer.* Hæc Hieronymus.

45. ויקרא פרעה שם יוסף צפנת פענח, *Vocavitque Pharao nomen Joseph Zaphnath Paaneah.*] Qui צפנת פענח pro dictionibus Hebraicis habent, exponunt eas, ut idem significent quod מגלה נעלמות, i. *arcanorum interpres*, seu, *revelator*, sicut scribit R. D. Kimhi in Radicibus, ut פענח deductum sit à verbo צפן, quod *abscondere* significat, & פענח sit nomen verbale, *revelator*, vel præteritum in secunda conjugatione dageshata, i. *revelavit*. Atqui hoc sensu transtulit Paraph. Chaldæus, *Vir cui abscondita revelata sunt* : quem omnes fere sequuntur Hebræorum expositores. Aben Ezra tamen scribit, quod si istæ dictiones vel Ægyptiacæ, vel Chaldaicæ sint, ignorari quid proprie significent. Lxx quoque vim & naturam harum dictionum ignorasse videntur, ideo intactas reliquerunt.

VATABLUS.

1. FUit præterea, &c. ויהי מקץ וגו׳] Ad verb. *Et fuit, à fine duorum annorum & Pharao somniavit, & ecce stabat juxta amnem.* Hic decima est Hebræorum sectio hujus libri, quam à secunda dictione capitis inscribunt מקץ, i. *A fine.*

2. *Et pingues carne*, ובריאות בשר] i. pingui, obeso & crasso corpore. ¶ *In carecto* : באחו] *in loco palustri.*

3. *Et tenues carne*, ודקות בשר] i. macilentæ.

4. *Et expergefactus est*. ויקץ] q. d. hoc viso, evigilavit.

5. *Et ecce septem spicæ, &c.* והנה שבע שבלים וגו׳] Heb. *Putabat se videre septem spicas quæ videbantur erumpere è culmo uno.* Quidam vertunt, *ascendebant in culmum unum.*

6. *Oriebantur*, צמחות] *pullulabant*; *emergebant*, *erumpebant.*

7. *Et ecce somnium erat* : והנה חלום] i. deprehendit se somniasse. Hebraismus.

8. *Consternatus est*, ותפעם] *conturbatus est.* ו redundat Latinis. ¶ *Sapientes ejus* : חכמיה] sub. *terræ Ægypti.*

9. *Reduco in memoriam*, מזכיר] Quidam per futurum vertunt, *recensebo*, i. fatebor. q. d. Cogor fateri nunc peccatum meum.

10. *Principis laniorum*, שר הטבחים] Vide supra cap. 37. 36.

11. *Secundum interpretationem, &c.* כפתרון חלמו חלמנו] Vide c. 40. 5.

12. *Singulis, &c.* איש כחלמו פתר] Hebraismus, *Unicuique nostrum dixit quid portenderet somnium suum.*

13. *Restituit* השיב] *reduxit*, *reverti fecit.*

14. *Et festinanter eduxerunt, &c.* ויריצהו מן הבור] Ad verb. *& currere fecerunt eum è lacu*, vel *fovea.* ¶ *Totondit que* ויגלח] sub. *comam capitis* : nam verbum est transitivum. ¶ *Et mutavit vestes suas*, ויחלף שמלתיו] i. depositis veteribus vestimentis, nova induit se, q. d. ornavit sese, quod venturus esset in conspectum Regis, ne scilicet Rex sordido ejus vestitu offenderetur.

15. *Et non est qui, &c.* ופתר אין אתו] Inversus dictionum ordo Hebræis, ut & cap. 40. 8. *& interpretans non illud.* ¶ *Dicere, &c.* לאמר תשמע וגו׳] *quemadmodum audieris somnium*, &c. Hebraismus, pro, *audivi de te quod si audieris somnium, interpretaris illud*, vel, *auditum somnium interpretari poteris illud.*

16. *Præter me est Deus*, בלעדי אלהים] q. d. Alius est qui interpretabitur somnium tuum, nempe Deus, qui prospera interpretabitur tibi. ¶ *Respondebit, &c.* יענה וגו׳] *respondeat*, i. quem opto responsurum esse domino meo Regi prospera, sive felicia; vel, *respondeat pacem Pharaonis*, i. qui incolumem servet Pharaonem.

17. *Me somniante putabam, &c.* בחלמי וגו׳] Ad verb. *In somnio meo, ecce ego stabam.* Vide principium hujus capitis, ubi eadem narrantur iisdem fere verbis.

19. *Et graciles carne* : ורקות בשר] i. macilentæ & macræ. ¶ *In turpitudine* : לרע] Ad verb. *in malitia*, i. si maciem species.

21. *Neque cognitum est, &c.* ולא נודע וגו׳] i. devoratis vaccis pinguibus, nihilo pinguiores apparuerunt. ¶ *Nam aspectus earum.* ומראיהן] Ad verbum, *& aspectus earum.*

23. *Parvæ*, צנמות] *graciles.* ¶ *Arefactæ Euro*, שדופות קדים] *percussæ uredine.*

24. *Qui indicaret*, מגיד] *qui renunciaret*, *dissereret*, *exponeret.*

27. *Graciles*, הרקות] *tenues.*

29. *Venient abundantia magna.* באות שבע גדול] Ad verb. *venientes, saturitas magna*, sub. *erit in illis.*

30. *Abundantia* השבע] Ad verbum, *saturitas*, sic v. seq. ¶ *Terram.* את הארץ] Continens pro contento, i. incolas.

32. *Quod autem iteratum, &c.* ועל השנות החלום וגו׳] i. *Et propterea iteratum est somnium Pharaoni duabus vicibus, quod*, &c. ¶ *Quod firma sit, &c.* כי נכון הדבר וגו׳] i. quod firmissimum sit decretum cœleste.

34. *Faciat.* יעשה] sub. *quod consulo.* ¶ *Et quintam partem*, &c. וחמש וגו׳] Ad verbum, *& quintet terram Ægypti.*

35. *Et servent* : ושמרו] sub. *illud diligenter.*

36. *In*

36. *In depositum terra*, לפקדון לארץ] *vice depositi ipsi regioni*, i. ad alendam regionem. ❡ *Pro septem*, &c. לשבע וגו׳] *in septennium penuria.*

39. *Non est intelligens*, &c. אין נבון וגו׳] i. nemo & prudentia & sapientia conferri tibi potest.

40. *Et ad sermonem*, &c. ועל פיך ישק] Ita vertit etiam Chald. paraph. ut noster interpres. Est autem Hebraismus, *tu eris magister militum*: h. e. constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Alii vertunt, *te jubente, osculabitur manum tuam populus meus*, in signum scilicet obedientiæ: est enim osculum signum subjectionis. Doctus inter Hebræos vertit, *& ostium osculabitur universus populus meus*: ut scilicet ostendant te esse dominum. Non notatur hic solenne adorationis symbolum, sed metaphorica potius locutio esse videtur, quod populus amice accipiet atque obedienter amplexabitur quicquid profectum erit ab ore Joseph: acsi dixisset Pharao, Quicquid jusseris, uno populi consensu, quasi osculum omnes porrigerent, excipi volo. ❡ *Solio.* הכסא] sub. *Regio.*

43. *Secundi.* המשנה] sub. *viri ab illo*, i. quo is qui à Rege secundus erat, vehi solebat. His verbis Joseph omnibus Ægypti proceribus anteponitur. ❡ *Abrech.* אברך] De hac voce variæ sunt opiniones. Qui *patrem tenerum* interpretantur, quia tener adhuc annis Joseph, senili dotatus esset gravitate & prudentia, videntur parum congruentem loco expositionem afferre. Qui vertunt *Patrem Regis*, inter quos est Chaldæus paraph. quasi dictio sit ex Hebraico nomine אב, & Arabico רך composita, paulo plus habent coloris. Probabilior est opinio docti illius inter Hebræos, qui *Genu flectite* exponit, ut א sit loco ה; vel est signum futuri, ut idem ait; acsi dicat, *Omnis homo vivens clamat ante eum, Genu flectam.*

44. *Et præter te.* ובלעדיך] i. sine tuo permissu.

45. *Saphenath-paneah* צפנת פענח] Voces sunt Hebraicæ ut exponit doctus inter Hebræos: quæ significant *Occulti revelatorem.* Idem scribit quosdam dicere esse voces Ægyptias. Chald. paraph. *Et vocavit eum, Virum cui abscondita sunt revelata.* ❡ *Principis.* כהן] Tametsi hæc vox *sacerdotem* significet, doctiores tamen hoc loco *principem* malunt transferre: nam consentaneum esse videtur, unum fuisse ex aulæ primoribus, qui etiam satrapa vel præfectus foret civitatis On. Chaldæus paraph. etiam *principem* vertit. ❡ *Et egressus est*, &c. ויצא יוסף וגו׳] *Et perambulavit Joseph terram Ægypti.* Alii, *Et egressa est fama Joseph per terram Ægypti*, i. notus fuit in tota illa regione.

46. *Trigenarius.* בן שלשים שנה] Ad verb. *filius triginta annorum.* ❡ *Quum staret coram Pharoh*, בעמדו לפני פרעה] i. quum præerat Ægypto. Alii exponunt, *quum eductus è carcere interpretaretur somnium Pharaoni, & ab eo istam potentiam acciperet.*

47. *Et egressus est*, &c. ויצא וגו׳] *A facie Regis egredi*, est accepto mandato Regis, ad perficiendum illud egredi, Sic Satan Job 1. 12. & 2. 7. *à facie Domini egressus esse* dicitur, accepta potestate affligendi Job. ❡ *Transivitque* ויעבר] *peragravitque*, ut scilicet frumenta colligeret. ❡ *Et produxit*, &c. ותעש וגו׳] Ad verb. *Et fecit terra septem illis annis saturitatis*, [i. abundantiæ] *ad collectiones*; sive, *congregationes*; aut, *in acervos*, i. Tantam abundantiam frumenti produxit terra ut replerentur horrea. Chald. paraph. *Et congregaverunt habitatores terræ in septem annis abundantiæ, frumentum in thesauros*, i. in horrea.

48. *Omnem cibum*, כל אכל] i. omnia frumenta quæ superfuerant illis septem annis, posteaquam incolæ habuerant satis. ❡ *Et reposuit cibum.* ויתן אכל] Ad verb. *& dedit cibum*, i. reposuit annonam, vel alimentum. ❡ *Cibum*, &c. אכל שדה העיר וגו׳] Ad verb. *cibum agri urbis qui erat in circuitu ejus, dedit in medio ejus*, q. d. triticum quod crescebat circa singulas urbes, recondebat in ipsis urbibus.

52. *Crescere me fecit*, הפרני] i. multiplicavit me in regione Ægypti in qua pertuli multas afflictiones.

53. *Saturitatis*: השבע] *fertilitatis, ubertatis.*

54. *Erat panis.* היה לחם] *erant alimenta.*

55. *Tandem esuriit.* ותרעב] Ad verb. *Et esuriit.* ❡ *Facietis:* תעשו] *facite.* Fut. Heb. pro Imperat.

57. *Et omnes habitatores terræ*, וכל הארץ] Ad verb. *Et universa terra*, i. omnes incolæ totius orbis. Hyperbole est, pro maxima hominum multitudine.

CASTALIO.

16. *Sine me Deus tibi, Pharao, salutaria respondebit*] Ad verbum legitur, *Sine me, Deus respondebit pacem Pharaonis.* Sed nomen שלום non solum *pacem* declarat, sed etiam *salutem*; ut est in Daniele, in Epistola Nabuchodonosoris, *Nabuchodonosor gentibus, pax vobis multiplicetur*, (sic enim vertunt) i. salutem plurimam dicit. Sed de hoc alias. Est autem hæc sententia, Ego tibi salutaria respondebo; sed hujus responsionis autor erit Deus.

44. *Digitum contra tuam voluntatem proferet*] i. Quicquam audebit. In Hebræo est, *manum pedemve movebit.* Sed ejusmodi Hebraismi sunt in nostram loquendi consuetudinem mutandi: qualis est ille cap. 14. *Neque pilum neque calcei corrigiam à te capiam*: quod Latine dicitur, *Ne pilum quidem.* Item, *Neque bonum neque malum*, pro, *Ne verbum quidem*, aut *Nihil omnino*; & illud, *Nec ad dextram nec ad sinistram*, i. *nullam in partem*; & multa hujusmodi; quod ideo hic commemoro, ne deinceps eadem mihi sint subinde dicenda.

CLARIUS.

2. *In locis palustribus*] Vel, *in prato.*

6. *Percussa uredine*,] Vel, *orientali vento.*

7. *Et ecce somnium*] h. e. Expergefactus intellexit se vidisse somnia, non vana, sed notabile aliquid signantia. Eundem loquendi morem invenies in libris Regum de Salomone.

8. *Conjectores*] Vel *magos*, quos alii *incantatores*, alii *scrutatores naturæ* interpretantur.

11. *Præsagium futurorum*] Aperuit interpres sensum verborum, quæ in Hebræo sic habent, *Uterque juxta somnii sui interpretationem somniavimus.* h. e. Uterque habuit somnium quod erat conforme eventui rei.

12. *Cui narrantes somnia*] Vide ut ubique interpres fugiat Hebraicam phrasim, & longiorem illum verborum circuitum; sic enim habet Hebraismus, *Cui cum recitassemus, interpretatus est nobis somnia nostra, utrique juxta somnium suum interpretatus est: & factum est quemadmodum interpretatus est nobis; sic, inquam, evenit.* Idem & paulo post agit in illis verbis, *Quæ devoraverat*, &c. Nam in Hebræo sic legitur, *Et devoraverunt vaccæ illæ macilentæ & deformes septem priores vaccas corpulentas: & ingressis illis in viscera earum, non poterat sentiri quod in earum viscera transiissent: sed aspectus illarum erat, ut prius deformis.* Data opera igitur hujuscemodi loca, quæ infinita pene sunt, non mutamus, quandoquidem nihil amittitur de sententia.

16. *Absque me*] Non ego ex sapientia (inquit) mea respondebo, sed ab ipso Deo respondebitur quod ad pacem sit Pharaoni.

28. *Qui hoc ordine complebuntur*] Heb. *Et hoc verbum quod locutus sum ad Pharaonem, est id quod Deus facturus est, & ostendit Pharaoni.*

45. *Salvatorem mundi*] Heb. *Zaphnath Paaneach*, quod alii *interpretem arcanorum*, vel *cognitorem occultorum* interpretantur: alii putant esse dictiones Ægyptias. ❡ *Sacerdotis Heliopoleos*] Vel *Sacerdotis On.*

51. *Manasses*] Quod sonat, *Faciens oblivisci*; *Ephraim*, *Fructificationes.*

DRUSIUS.

30. *Surgent septem anni famis*] i. exorientur, existent, ut, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* Sic, *surrexit Rex alius qui non noverat Joseph.* לסטים, Græca vox est ληστὴς *latro*, à quo duplex pluralis לסטים & לסטסים. Putavi aliquando illud contractum esse ex isto; nunc aliter censeo. Nam puto לסטים melius & analogoteron scribi quam לסטסים aut לסטין. Ratio, quia ultima nominis ληστὴς in Græco perit, cum dicimus λησταὶ *latrones*: debet ergo & in Ebræo. Sic אפיטרופין ἐπίτροποι melius scribitur quam אפיטרופסין, quanquam in singulari sit אפיטרופוס ἐπίτροπος. Sic אכלין ὄχλοι malim quam אכלוסים, quod nunc in usu à singulari אכלוס ὄχλος. Sunt enim nomina Græca non Ebraica. Contra male faciunt, meo judicio, qui ex *Baalim* faciunt *Baalimos*, & ex *Cherubin Cherubinos*, cum potius dicendum esset *Baales & Cherubs.* Nam in singulari *Baal* & *Cherub.*

40. *Os tuum osculabitur*] *Osculum*, inquit Tremellius, *subjectionis symbolum est.* Non persuadet. Nam quæ testimonia producit ei probando, hoc non dicunt. Baalem osculabantur manu ad os admota; de quo genere venerationis diximus in Observationibus nostris. Sic fortean etiam vitulos Hos. 13. 2. Qui huc referunt locum ex Psal. 2. 12. *osculamini*, ubi interpretantur *adorate*, injuriam faciunt Spiritui sancto, cum mos

ille

ille fuerit colentium idola; quem ad Christum transferre ipsa absurditate absurdius est. Inter genera osculorum quæ recensent Ebræi est osculum Dignitatis sive Magnitudinis, Thaucuma 23.4. ut cum Regem recens creatum osculo recipimus & admittimus, eique quasi homagium præstamus; de quo intelligendus David, meo judicio, in loco citato. Samuel quoque eo ritu osculatus est Saulem postquam eum unxisset in Regem, 1 Sam. 10. 1. Etiam qui superiores erant inferiores osculabantur. Nam oscula olim adhibita in hominum cultu. Sane ipsos Reges legimus & Principes osculo excipere solitos cives digniores. Ex hoc more Darius rex Zorobabelem osculatur 3 Ezræ 4.47. Non ergo signum aut symbolum est subjectionis. Cæterum osculabantur antiqui os, scapulam, humerum, malam sive maxillam, manum & aliquando tergum manus. Persæ, si pares erant, ait Brissonius, ore osculabantur: sin alter paulo inferior erat, ei genas deosculandas præbebat is qui dignitate vel generis nobilitate antecellebat: infimæ vero sortis Persa procumbens venerabatur digniorem. Non sic depono manum de tabula. Inter oscula Ebræi numerant oscula Precum sive Precationum, cum in precibus manum osculamur Deum hoc modo venerantes. Qui ritus non longe abit à ritu gentilium, de quo supra. Sane Deut. 34. 5. ubi Ebræus habet, *ad os Domini*, & Onk. vertit, *juxta sermonem Domini*, & Jerosol. interp. *juxta decretum sermonis Domini*, Jonathan habet, *ad osculum sermonis Domini*. Verba Tremellii superius allegata habentur ad Gen. 41. 40. ubi nos edidimus, *Ad os tuum armabitur universus populus*, ipse maluit, *Os tuum osculabitur omnis populus*. Quid si, *Ad os tuum*, i. sermonem tuum, *osculabitur Regem qui volet è populo*? expende. Nam ad Regis osculum admitti non infimæ dignitatis erat: Imo Regem adire non licebat populo. Ne hodie quidem id licet, nisi cui singulari beneficio id concessum fuerit. Sic Papam deosculantur (dico pedes ejus) qui ad eum adeunt. Quod cuivis non licet.

IDEM.

2. וּבְרִיאֹת בָּשָׂר *pingues carne*. Schol. στερέμνιοι κρέα, καὶ παχεῖαι σαρξί, *solidam carnem habentes, & pingues carnibus* [*corpore pingui & optimo*] Sunt duæ interpretationes, Στερέμνιος, *solidus, firmus, durus*, σαρξί, i. בשרים ut apud Salomonem חיי בשר *vita carnium*, i. bona valetudo. Κρέας & *caro* & *corpus*: ut possis reddere, *solido corpore præditi*, στερέμνιοι κρέα, verbum è verbo, *solidi carne*. In edit. Rom. male hæc notata ad καλαὶ τῷ εἴδει, cum pertineant ad ἐκλεκταὶ τῇ σαρκί. Quod bene ita emendarat. Nam בריאת non est à ברר eligo, sed à ברא. Psal. 73. 4. בריא *pingue*. Sym. στερεός. Hiero. *firma*. Ebræi, שמן, *pingue*. Hinc licet colligere, illud στερέμνιοι κρέα, Symmachi esse. Alterum autem putarim esse Theodotionis. Næ Aquilam vertisse בשר σαρξί, non fit mihi verisimile. Quod tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. Pingues Onkelos & Jonathan פטימן. ❡ באחו Schol. ἐν τῷ ἕλει, *in planitie*] In Fragmentis à me juvene collectis, A. & Sym. ἐν τῷ ἕλει. Job. 8. 11. אחו בלי. A. ἢ πληθυνθήσεται ἕλος. R. S. אחו *stagnum*: *vulgo*, *Marais*. Gallice *Marais* sive *Marez*, *palus*. Hieron. in Quæst. ad hunc locum. *Bu in Genesi scriptum est Achi: & neque Græcus sermo est, nec Latinus. Sed & Ebræus ipse corruptus est. Dicitur enim* באחו, *h. e. in palude*. Vide sequentia. Abenmelech, *Nomen est germinis, quod pabulum præbet jumentis. Vocaturque in monumentis doctorum nostrorum Asphasta vel Asaphsetha. Aut est locus in quo germen illud provenit*. Interpres noster Vulg. *in locis palustribus*. Lxx. ἐν τῷ ἄχει. Schol. ἄχος *est plantarium tenue & herbosum*. Lectio varians, ἐν τῇ ὄχθῃ, *in ripa*: quam secutus est Philo, lib. de Joseph. Ita enim hanc rem narrans inquit, κατὰ τὰς τοῦ ὄχθας νέμεσθαι. Job. 8. eadem dictio Ebræa transfertur βούτομον, aut ut alii codices habent, πάπυρος, *papyrus*. Vulg. edit. ibi habet *carectum*. Ἄχι sive ἄχει, reperitur etiam apud Sirachidem Eccles. 40. ἄχι ἐπὶ παντὸς ὕδατος, ubi Vulg. interpres, *super omnem aquam viriditas*.

6. שְׁדוּפֹת קָדִים Schol. ἐφθαρμέναι καύσωνι, πεφρυγμέναι ἀνέμῳ] Duæ sunt, nisi fallor, interpretationes. Una est, ἐφθαρμέναι καύσωνι, *æstu corrupta sive ab æstu*; altera, πεφρυγμέναι ἀνέμῳ, *tosta*, sive *torrefacta*, *vento*. קדים proprie Eurus, qui calidior est in illis regionibus: unde Jon. 4. 8. רוח קדים Lxx. πνεύματι καύσωνι (alias, καύσωνος) καίοντι. Hieron. *vento calido urente*. Sane καύσων *æstus*, qui & καῦσος & καῦμα dicitur. Hic sumi videtur pro *vento calido urente*. Sunt qui קדים dicant esse Euronoton. Constat autem Notum à Meridie flantem æstuosum esse & caloris intendi: quem statum aeris καύσωνα vocarunt, quemadmodum & febrium quendam ardorem. ❡ Πεφρυγμέναι, à φρύγομαι sive φρύττομαι, *torreor*, *torrefio*, *frigor*.

8. וַתִּפָּעֶם רוּחוֹ Schol. κατεπλάγη] Utrum est aorist. 2. pass. à verbo καταπλαίρομαι, *efferor*? Dan. 2. ותתפעם רוח. Sym. καὶ διηπορεῖτο. Forsan & hic leg. κατηπόρει probarem, si, ut διηπορεῖτο, ita etiam in usu esset κατηπορεῖν. ❡ חַרְטֻמֵּי מִצְרַיִם *Magos Ægypti*. A. κρυφιαστάς. Sym. μάγους, Magos] Κρυφιαστὰς verbale à κρυφιάζω: unde adhuc in usu ἐγκρυφιάζω. Videtur autem sig. voluisse interpretes somniorum & eos qui occulta conjiciunt, quos translator noster *conjectores* appellat. ❡ *Magos*, sic etiam Santes. Displicuit Ariæ, qui reposuit *genethliacos*. Mihi crede, potius *magos* denotat: quod ex effectis horum חרטמים colligere licet: neque enim genethliaci virgas serpentibus commutant, neque ranas formare possunt.

14. וַיְרִיצֻהוּ Schol. δρόμῳ ἤγαγον, *curriculo eduxerunt.*] Δρομῷ, i. δρόμῳ. Hoc interpres noster dixit, *protinus eduxerunt*.

16. בִּלְעָדָי אֱלֹהִים יַעֲנֶה אֶת־שְׁלוֹם פַּרְעֹה Sym. *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni*] Hieron. *Et respondit Joseph Pharaoni, dicens, Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni*] *In Ebræo aliter habet, Sine me non respondebit pacem Pharaoni. Denique Symmachus more suo apertius transtulit, Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaonis*. Aquila, *Absque me non respondebit Deus salutem*. Syrus ita habet, *Non respondebimus*. Vide Procopium pag. 192. in extremo. Sym. sensum expressit. Nam in Ebræo ad verbum, *Sine me*, aut *præter me*, *Deus respondebit pacem Pharaonis*. Onk. *Non e sapientia mea: à Deo respondebitur pax Pharaonis*. Jon. *Præter me non est vir qui exponet somnia; verum à Deo respondebitur pax Pharaonis*. R. Sal. *Non sapientia hæc a me est, sed Deus respondebit, i. ponet responsum in ore meo, ad Pacem Pharaonis*. ❡ *Pacem Pharaoni*] Est cur malim, *pacem Pharaonis*: & est sensus, Quæ pertinent ad salutem Pharaonis. Abenmelech, *Cupide respiciet salutem Pharaonis*, (ut Cohel. 5. 20. *Quia Deus respondet lætitia cordis ejus*. Santes, *rependet lætitiam cordis ejus*) aut, *Ponet in ore meo interpretationem somnii in pacem & salutem Pharaonis*.

24. אֶל־הַחַרְטֻמִּים Rursum A. πρὸς τοὺς κρυφιαστάς & Sym. μάγους] Vide quæ supra notavimus ad v. 8. Quibus addo, qui hic *magi* vocantur, alibi dici *sapientes Pharaonis*. Nam *Magus*, *sapiens*, in lingua Persarum. Sed magi alii γόητες, qui magica arte utuntur; alii σοφοί, qui naturalis philosophiæ peritiam habent. Sic duplex magia, Naturalis, quæ in laude ponitur; & Supernaturalis, quæ in vituperio est, quia dæmonum ope tota constat.

32. נָכוֹן הַדָּבָר Schol. ἕτοιμον τὸ ῥῆμα· βέβαιος ὁ λόγος, *paratum verbum*, *firmus sermo*] ❡ Ἕτοιμον. Sic alibi Lxx. Psal. 108. 1. Hic reddunt, ἀληθὲς ἔσται τὸ ῥῆμα, *verum est verbum*, i. firmum, ratum, stabile, ut Joh. 8. 17. Jam vero ut *verbum* & *sermo* pro *re* sumatur notius est quam ut notari debeat. ❡ *Paratum*, Vel *promptum*. ❡ *Firmus*. Vel *stabilis*. Psal. 51. 12. נכון, Hieron. *stabilem*. 90. 17. כוננה, idem, *fac stabile*, & mox, *confirma*. 93. 1. תכון, Lxx. ἐστερέωσε. 93. 2. נכון, Hiero. *firmum est*. Idem hoc loco, *Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est*. Quæ omnia confirmant interpretationem τοῦ βεβαίου, ut & quod Psal. 8. 3. כוננתה, sextæ edit. ἡδράσας & 7. 9. ותכונן צדיק, alius, καὶ ἑδράσεις δίκαιον.

34. פְּקִדִים Schol. ἐπισκόπους, *inspectores*] Qui videlicet alicui rei curandæ præfecti sunt. Tales etiam ἐπιστάτας vocant; qua voce hic usi sunt Jonathan & autor Jerosolymitanæ. Prius erat τοπάρχας, & in Lat. vet. *præpositos*. Ut hic פקדים ἐπισκόπους, sic alibi פקדה redditur à Lxx. ἐπισκοπή, *episcopa*, sive *episcopatus*. Sig. autem ibi *præfecturam*. Cæterum *Episcopatus* nomen hodie restringunt ad certum munus in Ecclesia Dei, quod qui administrant ab Hieronymo *Superintendentes* vocantur. Idem ergo Superintendens & Episcopus. Quod noto, quia *Episcopi* vocabulum multos nasutulos offendit, *Superintendentis* non item. Tantum potest opinio.

35. כָּל־אֹכֶל Schol. πάντα τὰ γεννήματα, *omnes fructus*, sive *proventus*] Ita passim γέννημα usurpatur in his libris; sed tum fere in Ebræo est תבואה, aut aliquid tale. אכל magis denotat βρώματα, quod nunc Lxx. ediderunt: & est locutio notanda *omnem cibum*, pro *omne frumentum unde cibus conficitur*. Itaque Onk. interpretatur ית כל עבור, *omnem proventum*: nec aliter Jonathan. Sic alibi, *visitavit populum suum dando eis panem*, i. frumentum unde panis conficitur.

36. לְפִקָּדוֹן A. εἰς παραθήκην. Sym. εἰς ἀπόθεσιν] Παραθήκη, *res deposita*, i. παρακαταθήκη, item *res reposita & recondita*. Quo significatu hic sumi videtur. Itaque Onkelos & Jonathan interpretantur גניז, [& Lxx. τὰ βρώματα τὰ πεφυλαγμένα]

μθέα] *cibi custoditi sive adversati*, in quo sensus *recondendi*. Unde & *Gazæ* nomen. Nam dicitur Gaza & גנזא sive גנזי. Idem verbum sig. ἀποκρύπτειν, unde גנוזים *libri apocryphi*, & גנזו *inter apocryphos referre*, ut cum dicunt, *Sapientes voluerunt librum Coheleth* ἀποκρύπτειν, i. *apocryphum facere*. גנז etiam est *deponere*, & גניזה *depositum* apud Magistros; id quod פקדון magis designat: & potest sensus esse, *Erit proventus ille terræ* לפקדון *tanquam depositum*, εἰς παραθήκην ἔτος παρακαταθήκη. Quæ vox posterior Phrynicho ita probatur ut priorem plane rejiciat. ¶ Ενθήκη, *res intro condita & in alieno loco posita*. Nam ἐντίθημι, *impono*.

43. וַיִּקְרְאוּ לְפָנָיו אַבְרֵךְ A. *& clamavit in conspectu ejus adgeniculationem*. Sym. *& clamavit ante eum, Abrech*] Hiero. in Quæst. *Et clamavit ante eum præco*] *Pro quo Aquila transtulit, Et clamavit in conspectu ejus adgeniculationem. Symmachus ipsum Ebraicum sermonem interpretans ait, Et clamavit ante eum, Abrech.* ¶ *Adgeniculationem*, γονάτισμα forte. Supra 24. 11. usus est verbo γονατίζειν, quod *ingeniculare* reddunt, pro *facere ut aliquis genua flectat*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Abrech*. De hoc adi sis ad Quæstiones meas. Hieron. post citatam Symmachi versionem, *Unde mihi videtur*, inquit, *non tam Præco, sive Adgeniculatio, quæ in salutando vel adorando Joseph accipi potest, intelligenda, quam id quod Ebræi tradunt, dicentes Patrem tenerum ex hoc sermone transferri.* אב, *Ab, quippe dicitur Pater*, רך, *Delicatus sive Tenerrimus; significante Scriptura, quod juxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, sed juxta ætatem tenerrimus adolescens & puer.* Onk. *Abrech* interpretatur דין אבא למלכא, *Iste pater regis est*. Jon. utramque significationem conjungit, *Hic est pater Regis, magnus sapientia, vel multa sapientia præditus, & tener annis.* Autor Jerosolymitanæ, *Clamabant coram eo & dicebant, Vivat pater regis, qui multus est sapientia & tenerrimus annis.* R. Salomo Gallus Trecensis, *Abrech, secundum ejus Thargum, sig. Iste pater regis est. Sane in lingua Aramæa Rex* רך *vocatur, ut cum dicunt*, לא רכא ולא בר רכא, *Neque Rex est neque filius Regis. Porro in verbis Aggada exponit R. Juda, Abrech iste Joseph intelligitur, qui erat pater sapientiæ, & tenellus annis. Dixit ei Filius Dormascith, Quousque tu pervertis nobis Scripturas? Abrech aliud nihil significat quam Ingeniculationem: quippe Genua* ברכים *appellantur, & omnes exibant & intrabant sub imperio ac potestate ejus.* Hæc Ebræus ille. Plura dicam alias, cum plus otii habebo. Nunc propero cœptum opus absolvere & ad finem perducere.

45. צָפְנַת פַּעְנֵחַ Schol. Ο Σύρ☉ ἔχει, ὁ εἰδὼς τὰ κρυπτά. Philo, κρυπτῶν εὑρετὴς, ἢ ὀνειροκρίτης] Philonis verba habentur in edit. Rom. ex libro De Joseph, μετονομάζει δ' αὐτὸν ἐκ τῆς ὀνειροκριτικῆς ἰσχύος γλώττῃ ἐπιχωρίῳ. Quæ sic translata in eadem edit. *Novum illi nomen imponit ex judicatrice somniorum facultate vernacula lingua illum appellans.* Procop. pag. 193. *Syrus legit, Qui novit occulta. Philo Judæus inquit, lingua Ægyptiorum uno nomine ipsum dici* ὀνειροκρίτην, *i. somniorum interpretem & judicem.* ¶ Ονειροκρίτης. In edit. Rom. Græca, *Philo*, Κρυπτῶν εὑρετὴς, ἢ ὀνειροκρίτης, *Absconditorum repertor, & Onirocrites.* Abenmelech, פענח *nomen est in forma* פעלח, *valet autem Absconditorum revelator, sive Patefaciens occulta. Aut est præteritum Piel pro* פענח. *Alii dicunt esse nomen Ægyptium, quemadmodum Nabuchodonosor imposuit nomina Chaldaica Danieli & sociis ejus. Mirum autem, si est nomen Ebræum, unde Ægyptio regi nomen illud.* ¶ Ο εἰδὼς τὰ κρυπτὰ, *Sciens occulta*, sive *Peritus occultorum*. Onk. *Cui retecta*, sive *patefacta*, *sunt occulta*. Jonathan, *Expositor*, sive *Interpres, occultorum*. Sic etiam R. Salom. ¶ Κρυπτῶν εὑρετὴς. Hieron. *Licet Ebraice hoc nomen Absconditorum repertorem sonet, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo sermone Ægyptio, Salvator mundi, eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit.* ¶ Ονειροκρίτης, *Qui somnia dijudicat & interpretatur, Somniorum conjector.*

NOTÆ MAJORES.

1. *A fine biennii dierum Pharao somniavit & ecce stabat super rivum.*

2. *Et ecce è rivo ascendebant septem vaccæ pulchræ aspectu & pingues carne quæ pascebant in prato.*

A fine biennii] post biennium, vel, si mavis, post finitum biennium. Quidam sed minus recte, *à parte biennii*: nam pars קצת dicitur: קץ est finis, extremum, i. סוף. Unde in Onkelo & Jonatha, מסוף תרתין שנין à fine duorum annorum. Hier. *post duos annos*. Lxx. μετὰ δύο ἔτη ἡμερῶν. *Annus dierum* i. completus & qui omnibus suis diebus constat. Contra *dies annorum*, i. anni simpliciter. Annus integer & plenus, teste Abenezra, interdum ימים i. dies vocatur, ut Lev. 25. 29. & 1 Sam. 1. 3. ¶ *Super rivum*] juxta vel prope rivum. Sic Livius dixit, *super Numicium amnem*. Rivum autem vocat Nilum, qui multos in rivos diductus universam Ægyptum irrigat. Lxx. ἐπὶ ποταμοῦ. Hieron. *super fluvium*. Onkelos quin etiam Jonathan נהרא על. Quæ juvant opinionem Mosis filii Nahaman scribentis יאר & נהר idem esse. Videndus liber Synonymorum, qui Ebraice Ohel Moed vocatur. Sane חדקל quem nos Tigrim dicimus, vocatur יאר Dan. 12. Quanquam R. Salomo ad hunc locum, *Reliqua flumina non vocantur* יאורים *præter Nilum, quia tota regio in rivos diducta est per Nilum, qui Ægyptum irrigat, ubi communiter non pluit.* Reperitur & יאר eodem sensu Amos 8. 8. *Rivum* i. ῥεῖθρον. ita Hieron. interpretatur in Quæst. Ebra. Quod particulam על attinet, quam diximus *juxta* significare, ea res facem allucet Davidi, in loco ubi sic ait, de terra loquens, *super maria fundavit eam*: de quo in hunc modum Augustinus in Quæst. super Genesin, *Quod putabat se stare Pharao super flumen, quemadmodum servus Abrahæ dixit, Ecce ego sto super fontem aquæ, locutio hæc si intelligatur in Psalmo ubi scriptum est, Qui fundavit terram super aquam, non coguntur homines putare sicut navem natare terram super aquam. Secundum enim hanc locutionem recte intelligitur, quod altior sit terra quam aqua: altius quippe ab aquis sustollitur, ubi habitant terrena animalia.* ¶ *Somniavit*] Est cur malim *somniabat*. Ebraice חלם somnians. sub. erat. Sic alibi, *& Rebecca audiens*: & mox, *stans* i. stabat. ¶ *E rivo*] è Nilo. ¶ *In prato*] באחו. Lxx. ἐν τῷ ἄχει. Legerunt יאחו hoc est Joth pro Vau. Usus est hac voce Sirachides 40. 18. ἄχι ἐπὶ παντὸς ὕδατ☉. Lectio varians, ἐν τῇ ὄχθῃ in ripa. Onkelos באחוא quod Fagius interpretatur, *in prato*. Glossæ nominum propriorum, *Ahara, pratum odoris*, אחירע *Ahirai, pratum aquilarum*. Lego *pratum aquarum*. אחו pratum מי aquæ: Jonathan & autor Jerosolymitanæ, בגו גומייא in medio juncorum sive scirporum aut algarum. Nam סוף alga Jonathan reddit גומיא. R. Salomo אחו stagnum: Vulgo *marez*. Gallice *Marais* vel *Marez, palus*. Elias in Lexico Thalmudico, *Germanice* ein Wiß i. pratum. Vulgo Wisen. Trem. *in ulva*. Est autem ulva proprie stagnorum, ut alga maris. Leo Judæ, *in loco palustri*. Editio Gallica, *es marets*, in paludibus. Abenezra, *Sunt qui dicant esse vallem in qua germina proveniunt, & sunt qui dicant ipsum germen ita vocari. Porro in utraque significatione frater ejus filius matris ejus* אחים *in illo* בין אחים יפריא *inter gramina fructum edet.* Nahamanides ait *generale esse ad omnes herbas, quæ proveniunt in ripis fluminum & stagnorum.* Idem ב accipit ut in illo, *edite* בלחמי *de pane meo*. Quin Salomonem Jarium errare scribit, qui stagnum interpretetur. i. אגם: idque ex Jobi loco superius citato. Ubi Symmachus ἕλ☉ habet, Hier. *carectum*, qui est locus caricum proventu hispidus. Lxx. βούτομον. ... est frutex palustris, quem officinæ vocant juncum calacinum. R. David in libro Radicum, אחו *est gramen ejus nominis quod jumenta depascunt, & in lingua doctorum nostrorum appellatur* אספסתא *Aspheftha: aut ipsum gramen vocatur eo nomine.*

3. *Ecce autem septem vaccæ aliæ ascendebant post eas è rivo deformes aspectu & tenues carne, stabantque juxta vaccas illas super labrum rivi.*

4. comedebant vaccæ illæ deformes aspectu & tenues carne septem vaccas pulchras aspectu & pingues: tunc expergefactus fuit Pharao.

Septem vaccæ] vel, *Septem boves*. Nam bos fœmina idem cum vacca. Sic βοῦς & Dorice βῶς, bos, vacca. Ergo Lxx. ἑπτὰ βόες. Onkelos habet תורן & Jonathan תורתא i. boves, vaccæ. Quod semel notandum fuit vel propter interpretem nostrum, qui supra legit, *septem boves*. פרה etiam redditur buccula, juvenca. ¶ *E rivo*] è flumine. ¶ *Deformes*] רעות malæ i. deformes. contra bonum pro pulchro usurpatur. Apud Terentium in Eunucho de pulchritudine cum interrogasset Gnatho, *quid tibi videtur hoc mancipium*, respondet Parmeno, *non malum*, i. non deforme. Lxx. αἰσχραί. Hier. *fœdæ*. ¶ *Tenues carne*] Lxx. λεπταὶ ταῖς σαρξί. Hiero. *confectæ macie*. Onkelos חסירן בשר deficientes carne. i. macræ, macilentæ. Jonathan חסירן בבישרהון. Lego חסירן. Emendatio recta, cui firmandæ consequens versus, ubi recte scriptum חסירן defectæ in carne sua. ¶ *Super labrum rivi*] vel, in labro, vel potius, prope labrum i. ripam, uti Exod. 2. 3. Sisenna, *Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitque in labro summo fluminis, cælo albente.* Laudat Nonius. Ut ripa fluminis i. ὄχθη, sic etiam littus maris vocatur שפה i. labrum Gen. 22. 17. Ubi Lxx. παρὰ τὸ χεῖλ☉ τῆς θαλάσσης. Hic habent, ἐπὶ τὸ χεῖλ☉ τοῦ ποταμοῦ. Hier. *in ipsa amnis ripa*. Onkelos & Jonathan על כיף נהרא in ripa fluminis. ¶ *Stabant*] Lxx. ἐνέμοντο,

το, & Hier. *pascebantur.* ¶ *Tenues*] Vernacule טינבוש ait R. Salomo לשון דק. Gallice, *tenues*, cujus singularis *tenue*, tenuis.

5. *Et dormivit & somniavit secundo, & ecce septem spicæ ascendebant in culmo uno pingues & bonæ.*

6. *Et ecce septem spicæ tenues & adustæ Euro germinabant post eas.*

7. *Et deglutierunt spicæ tenues septem spicas pingues & plenas, expergefactusque est Pharao, & ecce somnium.*

Dormivit] redormivit. ¶ *Somniavit*] ἐνυπνιάσθη Lxx. *vidit somnium* Jonathan. Pro *somniavit secundo*, Hier. habet, *vidit somnium alterum.* ¶ *Secundo*] τὸ δεύτερον. ¶ *Spicæ*] στάχυες. Chald. שבלין & תובלי Schin in Thau mutata. ¶ *Pingues*] Editio Gallica, *grenus* i. granosæ. Lxx. ἐκλεκταὶ electæ, ut si esset à ברות. Hieron. *plenæ* מלאות. ¶ *Bonæ*] *Formosæ*, Hier. *succulentæ*, alius. Infra vocantur *plenæ.* videlicet vers. 7. ¶ *In culmo uno*] בקנה אחד in calamo uno. Lxx. ἐν τῷ πυθμένι ἑνί, quod reddunt, *in propagine una.* πυθμήν, fundum, ima pars, radix. Hier. *in culmo uno.* Sic etiam ceteri. ¶ *Ascendebant*] crescebant. ¶ *Adustæ Euro*] שדופות קדים. Lxx. ἀνεμόφθοροι à vento corruptæ. Malim, *ab Euro corruptæ.* Forte Eurus per excellentiam ἄνεμος vocatur. Hinc ἀνεμοφθορία, quam Lxx. alibi πύρωσιν nuncupant. Onkelos & Jon. שקיפן קדום i. interprete Fagio, *percussæ vento orientali.* R. Salomo חלישו׳ *haloes* i. *à sole perustæ sive adustæ solibus.* Hier. *percussæ uredine.* Est autem uredo, quæ & ærugo, quam שדפון vocant. vitium frugum & herbarum proveniens ex nimia siccitate. *Æruginis* vocabulo usus est Hier. 2 Par. 6. 28. Santes ibi *ariditatem* transfert. Latine *sideratio*, *ariditas* quæ vapore exsiccato arbores necat. ¶ *Euro*] vento orientali, nam קדם oriens. Hic ventus uredinem causare dicitur. Ceterum oriens קדם dicitur, ut אחור occidens: aut quia primum ibi Sol oritur. Quod Abenezra notavit. R. Salomo, קדים *est ventus orientalis, quem vocant* בישא. In Gallica lingua *Bise*, *boreas, aquilo.* An etiam Eurus ita vocetur viderint qui ejus Linguæ peritiam habent majorem quam ego. ¶ *Tenues*] graciles. Onk. & Jon. לקין quod Fagius interpretatur *læsæ.* Malim, *teneræ.* Nam לקא etiam tenerascere. ¶ *Germinabant*] צומחות germinantes. Sub. erant i. germinabant. Lxx. ἀνεφύοντο pullulabant. Hier. *oriebantur.* Trem. *provenientes.* ¶ *Deglutierunt*] vel, *deglutiverunt.* Aut *absorpserunt*, *devorarunt.* Quod postremum extat in Hier. Lxx. habent κατέπιον. Est autem καταπίνω, deglutio, devoro: item ebibo, epoto. i. ἐκπίνω, aut absorbeo. Porro ebibimus proprie liquida: devoramus alia. Cum ergo de spicis sermo sit, non male Hier. vertit, meo judicio, *devorarunt.* Quanquam eo modo reddi soleat verbum אכל, quod Græce diceretur κατεφάγον. ¶ *Plenas*] πλήρεις, succi plenas & pingues, quas antea bonas appellavit, ut alibi, hœdos caprarum bonos i. pingues. Idem בריאות. Nam בריא pinguis i. שמן ut Onkelos & Jonathan explicant. Ita sumitur hoc nomen Jud. 3. *Eglon erat vir pinguis valde.* Sed & Psal. 73. 4. Quanquam in Symmacho ibi στερεὰ i. firma. Hinc verbum הבריא, παχύνω & πιμελῶ, pinguem reddo aut facio. Posses etiam vertere בריאות bene habitæ. ¶ *Et ecce somnium*] Lxx. καὶ ἦν ἐνύπνιον. Jonathan, *& ecce erat somnium.* Augustinus in libro locutionum, *Amant Scriptura sic loqui de somniis, cum fuerit evigilatum, tanquam reddita homini veritate vigilantium, tum illud appareat somnium, quod cum videretur quasi veritas fuit.* R. Salomo, *& ecce completum fuit somnium* q. dicat, non amplius postea somniavit. Ideo interpretes super somniis quæ viderant, consuluit. Hier. *post quietem.* Quid vidit cum ita verteret? Nam חלום somnium, non quies. Præterea *post* אחר dicitur. הנה aliud nihil sonat quam *ecce.* In notis ad Tremellii, *ecce somnium. i. abeunte somno non evanuit somnium, ut naturalia evanescunt, sed adhuc illius animo præsens erat, adeo ut graviter eum consternaret.* Mercerus, *& ecce deprehendit se somniasse.* Probo maxime.

8. *Mane autem consternatus fuit spiritus ejus, & misit & vocavit omnes magos Ægypti, & omnes sapientes ejus, narravitque Pharao eis somnium suum, nec fuit qui interpretaretur ea Pharaoni.*

Mane autem consternatus &c.] vel, fuit autem mane ut consternaretur spiritus ejus. Ebraice ויהי בבקר. Male Hier. *Et facto mane* ויהי בקר. tu emenda, *Et factum est mane ut consternaretur.* Sic accipies in Lxx. ἐγένετο δὲ πρωΐ· καὶ ἐταράχθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ac si diceret, *Factum est ut mane turbaretur spiritus ejus.* בבקר ad verb. *in mane.* ¶ *Consternatus fuit.*] ותפעם Hieron. *pavore perterritus fuit.* Onkelos & Jonathan מתרגשא quod Fagius reddit, *conturbatus fuit.* Leo Judæ, *palpitabat cor ejus.* Ebra. *Spiritus ejus.* Videndum an spiritus pro corde ponatur. Arias, *contritus est spiritus ejus.* Santes, *consternatus.* R. Levi, פעמון *de eo qui perplexus admodum modo in hanc partem, modo in illam se versat instar tintinnabuli*, quod פעמון dicitur. Quidam, *quasi malleo contusus fuit, videlicet ut ferrum in incude tunditur.* Sane incus פעם dicitur, unde הולם פעם Jes. 41. Huc refer quod Psal. 77. 5. נפעמתי, ubi Hier. *stupebam.* Lxx. ἐταράχθην i. turbatus sum. Santes, *contritus sum.* Abenezra, *ita percussus sum ut non possim loqui.* Tremel. *concutior.* Arias, *quassatus sum.* Gallic. *j'estoi estourdi.* Aldegondius, ick was verbaest i. consternatus eram. R. Salomo in notis ad Genesin, *metu correptus fuit Spiritus ejus, & sonitum fecit in medio ejus, qualem tintinnabula solent facere. Sane* פעמון *tintinnabulum ab hoc verbo ita dicitur.* Hæc Rabbinus ille. David Camius in libro Radicum, לשון שבר וכתות *significationem habet frangendi & contundendi.* Porro, *consternatus fuit spiritus ejus*, æquivalet illi, *animo consternatus fuit.* ¶ *Misit & vocavit*] misit qui vocarent i. accerserent: vel, misit, nuntiis accersivit. Nam non ipse eos vocavit, sed per alios id fecit. Licet etiam vertere, *mittens accersivit.* ¶ *Magos Ægypti*] חרטמי מצרים. Lxx. τοὺς ἐξηγητὰς Αἰγύπτου explanatores sive interpretes Ægypti. Hier. *conjectores Ægypti.* Onkelos & Jonathan חרשי מצרים. Significat autem חרש magum i. מכשף: & inde חרשותא μαγεῖαι, artes magicæ Act. 8. 11. in codice Syro. R. Salomo חרטומים *qui exardescunt in ossa mortuorum, eaque consulunt & interrogant.* νεκρομάντεις Græce dicuntur i. necromantæ, qui necromantiam exercent, quam partiuntur in duas species. Una est quum dæmon aliquis ad recens cadaver evocatus futura prædicit & vocatur Necyomantia: altera, quum simpliciter umbra evocatur, Sciomantia proprie dicta. Si hæc sententia valebit, erit compositio nominis ex חרה exardesco & טמי ossa. Sic enim certe ossa vocantur in lingua Aramæa. Sed & in Deuterosi Ebræorum legimus,

בית שהוא מלא טמיא

domus plena ossium i. עצמות. Abenezra, חרטם *vox quatuor litterarum, & est Aramæa vel Ægyptia, denotatque rerum naturalium peritum.* Ceterum inter חרטם & מכשף discrimen esse patet ex Dan. 2. ubi simul hæc duo nomina leguntur. Quod non ignoravit R. David, cum ita scriberet, חרטמים *quasi* מכשפים *nisi quod differunt in arte sua.* Cui potius assentior, quam Gersomi filio scribenti חרטם & מכשף *eundem esse.* Quanquam Chaldæi paraphrastæ interpretatione sua hæc plane confundant. ¶ *Sapientes*] *peritos artis conjectandi & astronomiæ.* Abenezra. *Aliarum facultatum peritos ut syderum, & specialiter somniorum conjectores*, Mercerus. Meo judicio sapientes vocantur etiam qui magiam callent. Est ergo nomen generis, ut si dicas, *magi ceterique sapientes Ægypti.* ¶ *Somnium suum*] Utrumque somnium suum, duo somnia sua. ¶ *Ea*] somnia q. d. neutrum eorum potuerunt interpretari. Constructio sensu congrua non voce. Vocant enallagen numeri. Quippe nomen singulare conjungitur cum pronomine plurali. Quod novum non est in his libris.

9. *Tunc locutus est princeps pincernarum cum Pharaone dicendo, Peccata mea ego memoro hodie.*

10. *Pharao efferbuerat contra servos suos, & tradiderat me in custodiam domus principis satellitum; me, inquam, & principem pistorum.*

11. *Et somniaveramus somnium nocte una ego & ipse, quisque secundum interpretationem somnii sui somniaveramus.*

Cum Pharaone] את פרעה. Onkelos reddit עם פרעה cum Pharaone. Lxx. πρὸς Φαραὼ ad Pharaonem אל׳ פרעה. Jonathan, *coram Pharaone.* Santes, *ad Pharao.* Trem. *allocutus est Pharaonem.* i. regem. Nam Pharao nomen commune regum Ægypti. Sunt qui scribant in ea lingua regem denotare, & esse nomen appellativum. Qua de re diximus alias. Non itero. ¶ *Peccata mea*] חטאי pluraliter. Ita olim legerunt paraphrastæ Chaldæi Onkelos & Jonathan. Nam vertunt סָרְחָנַי quod absque punctis scribebant סורחני. Quanquam editione Onkeli ea quæ in octavo complicat, סִרְחָנִי peccatum meum. i. חטאי. Quod legerunt (videtur certe) οἱ ὁ, nam vertunt ἁμαρτίαν μου. Hier. quoque qui habet, *peccatum meum.* Id non nemo intelligit de peccato erga Josephum commisso, cujus plane oblitus fuerat: male. Debet accipi de peccatis quæ in Pharaonem deliquerat. ¶ *Memoro*] vel, *commemoro.* Ebraice מזכיר, quod Chaldæi dicunt מדכר, & est sensus, *jam nunc memoraturus sum.* Hier. *confiteor* בחדה. Lxx. ἀναμιμνήσκω, & alius *reminiscor*, & Trem. *recordaturus sum* i. זוכר. Dubito an מזכיר eo sensu uspiam inveniatur. ¶ *Efferbuerat*] quasi in spumam efferbuerat, quæ קצף dicitur. Quod est signum hominis vehementer irati. Jonathan, *accensa fuerat Pharaoni ira contra servos suos.* Lxx. ὠργίσθη. Hier. *iratus.* Onkelos רגז, unde ὀργίζω, ut suo loco notavimus. ¶ *Pharao*] rex. Nomen appellativum. Si enim certe proprium esset, non ita loqueretur. Quis enim regem

hodie proprio nomine ſic compellat ! ❡ *Tradiderat*] tradi juſſerat. Pro quo in Hier. *retrudi juſſit.* Lxx. ἔθετο, poſuit. ❡ *In cuſtodiam domus*] quæ in domo principis &c. מִשְׁמַר cum (-) ſcribunt exemplaria impreſſa omnia, quæ vidi. In margine autem editionis Venetæ ſecundæ, *Tria notantur* (-). Porro Mercerus annotat in MS^{tis} camets inveniri. Admoneo etiam eſſe accentum Rebia ſupra Mem. Id forte movit Trem. ut verterit, *in cuſtodia, in domo.* Nam & Græci habent, ἐν φυλακῇ, ἐν τῷ οἴκῳ : & ambo Chaldæi במטרא בית רב, vel, ſi placet, בית רב *in cuſtodia, domui principis ſpeculatorum.* Galli quoque, *en garde, en la maiſon.* Quod accentum attinet, de quo dixi, cum regii non ſemper diſtinguant, nihil is obſtat interpretationi noſtræ. Nec in eorum præſcriptum ſemper jurare nos oportet. ❡ *Nocte una*] nocte quadam, aut nocte eadem. ❡ *Secundum interpretationem ſomnii ſui*] Secundum ſententiam ſomnii, quam eventus comprobavit. Hoc Hier. innuit, cum ait, *præſagium futurorum.* Sic dico, *Interpretatio ſomnii hoc loco eſt res per ſomnium ſignificata, quæ interpretatione declaratur.*

12. *Et ibi erat nobiſcum adoleſcens Ebræus, ſervus principis ſatellitum, cui narravimus, & interpretatus eſt nobis ſomnia noſtra, cuique ſecundum ſomnium ſuum interpretatus eſt.*

13. *Et quemadmodum interpretatus eſt nobis, ſic fuit : me reſtituit in ſtatum meum, & illum ſuſpendit.*

Et ibi erat] Porro illic erat, nempe in carcere. ❡ *Nobiſcum*] μεθ' ἡμῶν, una nobiſcum. ❡ *Adoleſcens*] vel, *puer.* נער enim utrumque ſignificat. Lxx. νεανίσκος. Onkelos עלים. Jonathan טליא i. *puer.* Sic etiam Hier. ut *puer ſtolidus.* R. Salomo. ❡ *Ebræus*] quos Ægyptii abominantur. ❡ *Servus*] quem leges Ægyptiorum ab omni dignitate ſummovent & excludunt. R. Salomo, *Scriptum in legibus Ægyptiorum ſervum non regnare, neque indui veſtibus principum.* ❡ *Cuique*] איש pro לאיש, ubi ל repeti debet ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. ❡ *Secundum ſomnium ſuum*] prout ſomniaverat. Jonathan, *ſecundum interpretationem ſomnii ſui.* Supra כפתרון חלמו. Lxx. κατὰ τὸ αὐτοῦ ἐνύπνιον, juxta ſomnium ſuum. ❡ *Interpretatus eſt*] Interpretationem attulit. ❡ *Sic fuit*] ita evenit, accidit, συνέβη. ❡ *Reſtituit*] Pharao. ❡ *In ſtatum meum*] על כני ſuper baſin meam. Onkelos על שמושי miniſterio meo, officio, muneri. Ionathan, על סדר שמושי ordini meo & loco quo ante ei miniſtraveram. ❡ *Suſpendit*] ſuſpendi curavit. Sunt qui hæc ad Ioſephum referunt, qui in ſomniorum interpretatione hunc reſtituendum, & illum ſuſpendendum prædixit. Minus hoc ſe probat mihi.

14. *Miſit ergo Pharao & vocavit Joſephum, & celeriter eduxerunt eum e lacco, raſitque ſe & mutavit veſtes ſuas & venit ad Pharaonem.*

Et vocavit] qui vocaret, vel potius vocarent ſive acceſſerent. Nam plures fuiſſe patet ex verbo plurali quod ſtatim ſequitur. ❡ *Et celeriter eduxerunt eum*] ויריצהו & currere fecerunt eum. Non ire, ſed currere. Quo celeritas denotatur. Lxx. καὶ ἐξήγαγον αὐτόν. ויריצהו. Interpres Romanus, *curſim duxerunt.* Onkelos ואסחוהי, quod Fagius interpretatur, *feſtinanter eduxerunt eum.* Verbum è verbo, *currere fecerunt.* Nam רוץ curro. Pſal. 68. 32. Æthiopia תריץ currere faciet. i. celeriter ac prompte offeret. ידיו manus ſuas i. donum manuum ſuarum לאלהים Deo. ❡ *E lacco*] ἐκ τοῦ λάκκου i. è fovea, puteo aut ciſterna. Interpres vulgatus ut etiam Severus in Hiſtoria Sacra *lacum* vocat. Sed in Gloſſario Veteri, Laccus ſcriptum cum duplici C. Quam ſcripturam germanam eſſe puto. Uterque Chaldæus, *e domo vinctorum.* Hier. *de carcere.* Putarim foſſam fuiſſe in ipſo carcere ubi captivi detinebantur. Lxx. ἀπὸ τοῦ ὀχυρώματος, quod vertunt de cuſtodia. Sed cuſtodia φυλακὴ dicitur, ὀχύρωμα potius eſt munitio. R. Salomo, *è domo carceris ſive è carcere, qui foveæ ſive putei formam habebat.* i. גומא. *Sane omne* בור, *quod in Scriptura denotat foveam, etiamſi in ea non ſit aqua. Gallice* פוייש *puits.* גומא interpretatus ſum *foveam.* In libro Nominum Ebraicorum, *Gom, fovea.* ❡ *Raſitque ſe*]. ויגלח & raſit. ſub. caput & barbam. Ab hoc verbo Sacerdotes eccleſiæ Romanæ גלחים vocantur, quod raſo ſint vertice. Licet etiam vertere, *& totondit.* Quod Onkelos & Jonathan dixerunt ושפר unde ספר tonſor. Lxx. καὶ ἐξύρησαν αὐτόν. Hiero. *& totonderunt eum.* ❡ *Et venit*] ita venit.

15. *Tunc dixit Pharao ad Joſephum, Somnium ſomniavi, & non eſt qui interpretetur illud : ego autem audivi de te qui diceret, te intelligere ſomnium interpretando illud.*

16. *Reſpondit Ioſeph Pharaoni dicendo, Abſque me, Deus reſpondebit pacem Pharaonis.*

Pharao] *nomen Ægyptium eſſe* ait Abenezra, cui favet Joſephus ſcribens in ea lingua regem Significare. Addit Abenezra peculiare eſſe regum Ægypti ut Hiram regum Tyri. *Quin hodie,* inquit, *rex magnus Iſraelitarum vocatur* נגיד המאמינים *dux credentium.* Sententiæ ſuæ firmandæ adducit duo argumenta. *Unum eſt quia legimus, Pharao Vafre, Pharao Cenchres, Pharao Nechao &c. Alterum quoniam pincerna dicit, Pharao efferbuerat : & mox Joſeph, reſpondet pacem Pharaonis. Nam incivile eſt appellare regem proprio nomine.* Hactenus Abenezra. ❡ *Interpretetur*] *ediſſerat,* Hier. ❡ *Qui diceret*] vel, dicentem. Sed in Ebræo ſcilicet eſſe, לאמר dicendo. Lxx. habent, λεγόντων, dicentes. ❡ *Te intelligere ſomnium interpretando illud*] vel, *te eſſe intelligentem ſomnii, ut interpreteris illud.* Quod in editione Trem. Hiero. *te ſapientiſſime conjicere.* Ebraice תשמע חלום לפתר אתו audies ſomnium ad interpretandum illud. Notum ut audire pro intelligere ponatur. R. Salomo לשון הבנה ut alibi, *cujus non audis linguam.* i. intelligis. Vernacule, *entendre.* Lxx. ἀκούσαντά σε ἐνύπνια, συγκρῖναι αὐτά, cum audiveris ſomnia, interpretaris ea. Onkelos, *quod tu audis.* i. intelligis *ſomnium & interpretaris illud.* Jonathan, *Si tu audis ſomnium, tu interpretaris illud.* Santes, *Quod audias ſomnium ad ſolvendum illud.* Leo Judæ, *quod poſſis ſomnia quæ audieris interpretari.* ❡ *Somnium*] ſomnia. ❡ *Abſque me, Deus reſpondebit &c.*] בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה. Lxx. ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ : abſque Deo non reſpondebitur ſalus. Trem. *non eſt penes me, Deus reſpondendo enuntiabit proſperitatem Pharaonis.* Edit. Gall. *Deus ſine me reſpondebit quæ concernunt proſperitatem Pharaonis.* & in margine, *non eſt à me : ſed Deus &c.* ❡ *Abſque me*] particula בלעדי videtur compoſita eſſe ex בל non עד uſque, & pronomine affixo. Nam & בִּלְעֲדֵי invenitur. Verum Gen. 14. 24. exponitur, *præter.* Quanquam in edit. Trem. *penes me nihil eſt.* Sic בלתי abſque me, & abſque ſimpliciter. Vide quæ notata Jeſ. 10. 4. ❡ *Reſpondebit*] proprie & ut ſonat : aut ſuggeret, ſuppeditabit i. יוציא ut ibi, *Argentum (pecunia)* יענה *ſuppeditat omnia.* Abenezra יענה i. *ſuggeret ſemper. Sic alibi, Deus reſpondet lætitia cordis ejus.* i. *ſuggerit cordi ejus lætitiam. Hujus loci eſt, terra reſpondet* &c. Hucuſque Abenezra. ❡ *Pacem Pharaonis*] quæ concernunt ejus pacem, ſalutem & proſperitatem.

17. *Locutuſque eſt Pharao ad Joſephum, In ſomnio meo, ecce ego ſtabam ſuper labrum rivi.*

18. *Et ecce e rivo aſcendebant ſeptem vaccæ pingues carne & pulchræ aſpectu, &* (Hiero. *paludis viretta carpebant*) *paſcebant in prato.*

19. *Et ecce ſeptem vaccæ aliæ poſt eas tenues & malæ aſpectu valde, & exhauſtæ carne, non vidi tales in univerſa terra Ægypti malitia.*

20. *Et comederunt vaccæ exhauſtæ & malæ ſeptem vaccas priores pingues.*

21. *Et ingreſſæ ſunt in ventrem earum, & non cognoſcebatur quod ingreſſæ eſſent in ventrem earum : nam aſpectus earum malus erat ſicut in principio : ita expergefactus ſum.*

Tenues] Ebraice דלות. Græce autem λεπταί : quod omiſſum hic in editione τῶν ό. Chaldaice in Onkelo חסִין, in Jonatha vero חשיכין Sameck in Sin converſa. Hac eadem voce utuntur iidem interpretes in declaratione τοῦ רקות de quo mox. ❡ *Et malæ*] i. macilentæ aut deformes. Contra vaccæ bonæ i. pingues aut pulchræ. Græci hic legunt πονηραὶ καὶ αἰσχραί. Mihi crede, ſunt duæ interpretationes. Nam πονηραί i. αἰσχραί turpes, deformes. ❡ *Exhauſtæ*] רקות inanes, vacuæ. Lxx. λεπταί. Hiero. *macilentæ.* Onkelos חֲסִירָן deficientes, vel potius defectæ. Jonathan חסין, niſi leg. חְסִירָן Nam facilis lapſus de Res in Joth. Supra verſ. 6. רקות legitur eodem ſenſu. ❡ *Malitia*] deformitate, macritudine. Poſſes vertere, *quoad deformitatem.* ❡ *Exhauſtæ*] הרקות inanes. Onkelos hic habet חֲסִירָתָא & Jonathan חֲשִׁיכָתָא Quod noto, ut ſciamus חסר & חשך idem eſſe. ❡ *Priores*] vel, *primas*, τὰς πρώτας. ❡ *In ventrem earum*] Lxx. εἰς τὰς κοιλίας αὐτῶν in ventrem earum : Onkelos & Jonathan לִמְעֵיהוֹן in viſcera earum. Ebraice eſt אל קרבנה ubi ſegol pro camets. Hoc primum : deinde ה addita περιττῶς. Nam eſſet קִרְבָּן. Poſtremo קרב, quod proprie medium denotat, pro ventre uſurpat, ut alibi pro corde ponitur. Alioqui generale eſt ad omnia interanea. Ita ſane ſumitur Ieſ. 16. 11. ❡ *Malus*] deformis. ❡ *Sicut in principio*] ut antea. Lxx. ὥσπερ καὶ τὴν ἀρχήν, quemadmodum & primum ſive à principio. Malim, ὡς πρότερον ut prius, ſicut antea. Onkelos כד בקדמיתא quod Ionathan unica dictione ſcribit כבקדמיתא ſicut in principio.

22. *Inſuper vidi in ſomnio meo, & ecce ſeptem ſpicæ aſcendentes in culmo uno, plenæ & bonæ.*

23. *Et ecce ſeptem ſpicæ arentes, tenues, exuſtæ euro, germinantes poſt illas.*

24. *Et deglutierunt ſpicæ tenues, ſeptem ſpicas bonas : quod dixi magis, nec fuit qui enarraret mihi.*

Aren-

Arentes] צנמות alibi non extat. Lxx. & Hiero. omittunt. Ceteri varie interpretantur. Onkelos & Ionathan נצן, quod Fagius reddit, *marcida*. R. Salomo, *quæ semine carent, florem tantum proferentes*. Nam flos ניצא, dicitur. Ebraice נץ flos, ἄνθος. Hoc improbat Moses Gerundensis. *Nam cum has spicas*, inquit, *videret Pharao, non erant in flore.* Ergo emendat, *defectas, declives, concisas.* Sane in lingua Magistrorum נצנ locus est depressus, in quo ἀταπείνωσις τῆς γῆς, cui opponitur תלא locus editus, agger. Reperio & שעה נצנ hora defecta, momentum exiguum. Tantum de נצן. Redeo ad צנמות. Id Trem. interpretatur *graciles*. Santes, *parva*. R. David קטנות exiguæ, ודקות & tenues. Abenezra, ריקות *inanes, vacua*. Arias, *aridas*. R. Levi קשות *dura* ויבשות *& arida : in quibus nihil reliqui præter furfures.* R. Salomo, *exiccæ & arentes instar petræ quæ צנמא dicitur.* Quidam, *obscura*, videlicet ex lingua Arabica ubi צלם & צנם sign. tenebras. Notatum hoc in Scholiis Abenezræ. In Thalmud פת צנומה exponitur ab his, *buccea exigua*, ab illis *buccella arida* : ab aliis, *concisa, confracta.* i. פרוסה divisa in fragmenta. ¶ *Dixi magis*] retuli ad magos. אל החרטמים Hiero. *conjectoribus somniorum*. Lxx. τοῖς ἐξηγηταῖς, quod reddunt, *interpretibus*. ¶ *Qui enarraret*] מגיד qui indicaret, i. פותר enarraret, explicaret, interpretaretur. Hiero. *& nemo est qui edisserat.* Lxx. οὐκ ἦν ὁ ἀπαγγέλλων μοι αὐτό : non erat qui annunciaret mihi illud.

25. *Tum dixit Ioseph Pharaoni, Somnium Pharaonis unum est : quæ Deus facturus est, indicavit Pharaoni.*

26. *Septem vaccæ bonæ septem anni sunt, & septem spicæ bonæ septem anni sunt : somnium unum est.*

27. *Et septem vaccæ inanes & malæ, quæ ascenderunt post illas, septem anni sunt : septem quoque spicæ inanes, exustæ Euro, erunt septem anni famis.*

Somnium Pharaonis unum est] Duo somnia quæ somniavit Pharao unum idemque significant. *Somnium Pharaonis* pro eo habendum ac si diceret, quod Pharao somniavit. Somniaverat autem duo somnia, quæ rem eandem designant. ¶ *Pharaonis*] *regis* Hiero. Nec male. Nam Pharao rex. proprie rex Ægypti. Adito ad Josephum. ¶ *Facturus est*] עשה facit i. facturus est, ut alibi *commoveo*, commoturus sum : *eo*, iturus sum. Quale & illud, *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Græci talia efferrent per paulo post futurum. ¶ *Septem anni sunt*] septem annos significant. ¶ *Vaccæ inanes*] vaccæ exhaustæ. Jon. כחישתא macilentæ. Ebraice הרקות. Lxx. λεπταί. Hier. *tenues*. Onk. לקיקן. An legerunt הדקות hoc est Daleth pro Resch? ¶ *Spicæ inanes*] vacuæ, exhaustæ. Hic est הרקות in textu Ebræo. Onkelos & Ionathan לקיקן hoc est Fagio interprete, *tenues*. Lxx. quoque λεπτοί.

28. *Hic est sermo quem locutus sum ad Pharaonem : quæ Deus facturus est ostendit Pharaoni.*

29. *Ecce septem anni venient, saturitas magna erit in universa terra Ægypti.*

30. *Et surgent septem anni famis post eos, & oblivioni tradetur omnis saturitas in terra Ægypti, consumetque fames terram.*

Hic est sermo quem] vel, *Hæc est res quam.* Nam דבר passim pro re usurpatur. Sic λόγος Græce. ¶ *Saturitas*] שָׂבָע annona abundans, copia frugum, ubertas, fertilitas, εὐθηνία. Quo vocabulo hic usi sunt Lxx. In lex. vet. εὐθηνία, copia, ubertas, annona, abundantia, merges. Inter שָׂבָע & שֹׂבַע hoc interest, שֹׂבַע est satietas, πλησμονή, ut cum dicimus, cœpit me satietas hujus rei. שָׂבָע annona satians, ut apud Salomonem, *replebuntur horrea ejus* שָׂבָע i. *copia frugum.* Ac proinde in libro precum Iudaicarum qui scripsit בשובע כלכלתנו *satietate sustentasti nos*, merito reprehenditur ab Abenezra, cum potius dicendum ei fuisset בשבע. i. copia & abundantia frugum, εὐθηνίᾳ. Ceterum Hiero. habet, *septem anni venient fertilitatis magnæ:* cui infirmandæ est ratio accentuum, quæ in Ebræo: tum etiam forma absoluta שנים. Nam anni fertilitatis potius diceretur שני שבע. ¶ *Surgent*] existent, ut, *inter natos mulierum non surrexit major Iohanne Baptista.* Mercerus, *emergent, succedent.* Hiero. *sequentur*. Lxx. ἥξει, יבאו. ¶ *Oblivioni tradetur*] in oblivionem veniet q. d. nulla amplius memoria erit pristinæ ubertatis : tanta fames terram occupabit. ¶ *Terram*] Onkelos, *populum terræ*. Ionathan, *habitatores terræ*. Alii, *homines terræ*. Et est sensus, *terræ Ægypti.* Nam terræ nomen, etiam cum addita particula omnis, de ea debet accipi regione, de qua sermo est.

31. *Nec scietur saturitas in terra propter famem illam postea, quia gravis erit valde.*

32. *Quod autem iteratum fuit somnium Pharaoni bis, eo factum, quia certa res a Deo, acceleratque Deus facere illam.*

Nec scietur] Homines nescient aliquando fuisse saturitatem, tanta erit ejus oblivio. Hoc significabant in somnio vaccæ & spicæ tenues, quæ pinguibus absumptis, nihilo pinguiores apparebant. ¶ *Gravis*] i. *magna*, ut Gen. 12.7. & 42.39. Hiero. *inopiæ magnitudo.* Lxx. ἰσχυρός. i. valida. Sic etiam Onkelos & Ionathan. Nam תקיף fortis, valida. Quanquam in Fagio, *gravis*. ¶ *Quod iteratum fuit*] ועל השנות περὶ δὲ τοῦ δευτερῶσαι. Sic Græci reddunt eleganter. Quidam, *de iteratione somnii apud Pharaonem bis, iteratum est.* eodem recidit. *De iteratione somnii*, quod iterationem somnii attinet. Hiero. *Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium.* Sensum expressit, non verba. ¶ *Bis*] δίς. Chaldaice תרתין זמנין duabus vicibus. Ebraice פעמים. ¶ *Certa res*] נכון הדבר Lxx. ἀληθὲς ἔσται τὸ ῥῆμα. i. firmum, ratum, stabile, ut Joh. 8.17. καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν, verum est. i. ratum. Alioqui unius testimonium verum esse potest. Sed neque duorum testimonium semper verum esse liquet ex historia Susannæ. Schol. ἕτοιμον τὸ ῥῆμα paratum verbum. i. firmum, stabile. Sic etiam Arias. R. quoque Salomo מזומן i. parata. Sic alibi ἕτοιμος ὁ θρόνος σου *firmum solium tuum.* Vide Psal. 93. 2. & 108. 2. Sic in primo Machabæorum ἡτοιμάσθη, firmatum est. Aliud Scholion, βέβαιος ὁ λόγος, firmus sermo. Putarim esse Symmachi. Trem. *stata est hæc res.* Leo Judæ, *firmiter decretum est hoc.* Onkelos & Jonathan, תקין rectum, stabile. Fagius habet, *parata hæc res.* Santes, *firma*. Notum ut verbum pro re usurpatur. ¶ *Accelerat*] *festinat, properat*, ταχυνεῖ.

33. *Nunc ergo videat Pharao virum intelligentem & sapientem, & constituat eum super terram Ægypti.*

Videat] provideat. Videre hoc sensu sumitur Gen. 22. 8. & 39.23. item ibi, *in monte DOMINI videbitur.* Sic apud Ciceronem, *Tribunum aliquem censeo videant : mea negotia videbis* : &, *ut prandium nobis videret.* ¶ *Intelligentem*] vel, *prudentem*: Ebraice נבון, cujus radix בן unde בינה intelligentia & תבונה prudentia. Lxx. φρόνιμον. Hiero. *sapientem* חכם. Leo Judæ, *industrium.* Onkelos & Jonathan סוכלתן. i. interprete Fagio, *prudentem.* ¶ *Sapientem*] חכם Lxx. συνετόν. Hiero. *industrium.* Onkelos & Jonathan, חכים sapientem. ¶ *Super terram Ægypti*] vel, *super terram Ægyptum.* Terra Ægyptus, ut *terra Judæa, terra Italia, terra Græcia.* Quibus in locis terra pro regione ponitur.

34. *Faciat Pharao & constituat præfectos, & exigat quintam terræ Ægypti, septem annis saturitatis.*

Faciat Pharao] ποιησάτω Φαραώ : faciat hoc Pharao. ¶ *Constituat*] καταστησάτω, præficiat. ¶ *Præfectos*] פקדים. Lxx. τοπάρχας, locorum præsides, toparchas. Apud Augustinum *superintendentes* appellantur. Obiter noto. In Jonatha מהימנין breviter dictum pro מהימנותא. i. ἐπιτρόπους. Sic alibi ליסטין decurtata voce pro ליסטיס. i. latrones, λῃσταί. Ierosolymitana אפיטרופוס ἐπίτροπον. i. præfectum. Sing. pro plurali, nisi sane in mente habuit ἐπιτρόπους. Editio Latina vetus, *præpositos*. Onk. מהימנין à fidelitate. Fag. *præfectos* reddit. In Novo Fœdere Syro מהימנא redditur *eunuchus.* ¶ *Exigat quintam terræ*] וחמש את ארץ quintet terram (liceat mihi sic loqui) i. accipiat quintam partem proventuum terræ. Santes habet, *jubeat persolvi.* Lxx. ἀποπεμπτωσάτωσαν τὰ γεννήματα τῆς γῆς, persolvant sive pendant quintam partem proventuum terræ. Optime explicant *terram* i. proventus terræ, qui in Hellenistica dicuntur τὰ γεννήματα τῆς γῆς. Vide sequentia. Ἀποπεμπτόω quintam solvo. An etiam quintam exigo? Nam δεκατόω decimas persolvo, & decimas exigo. Idem ἀποδεκατόω. Lex. Vet. ἀποδεκατόω, edecumo. ¶ *Saturitatis*] abundantiæ, ubertatis.

35. *Et congregent omnem cibum annorum bonorum venientium horum, & coacervent frumentum sub manu Pharaonis, cibum in urbibus & asservent.*

Congregent] *congregent in horrea.* Hiero. ¶ *Omnem cibum*] *omne frumentum.* Idem. optime & rectissime. Nam אכל frumentum, ex quo cibus conficitur. Ita sumitur hoc nomen Habac. 3.17. Joel. 1.16. item Gen. 42.10. Sic panis nomen accipitur in illo, Ruth. 1. *visitavit populum suum dando eis panem*, i. frumentum. Nam ex eo panis fit. Hanc meam interpretationem roborant Onkelos & Jonathan. Siquidem עיבורא frumentum aut proventus. ¶ *Annorum bonorum*] *Annos bonos* dicit ut significaret uberes ac fertiles. Sic *terra bona* i. fertilis : *vaccæ bonæ*, pingues. *Hædi boni* : *spica bona* i. plena, aut pulchra. ¶ *Venientium*] הבאות qui veniunt i. mox venturi sunt. Notum ut participium præsens pro paulo post futuro ponatur. Sic Jon. 1. *invenit navem* באה *euntem* i. mox ituram. ¶ *Coacervent*] præfecti ad hoc constituti. Licet etiam vertere, *coacervetur.* Sic sane Hier. *condatur.* ¶ *Frumentum*] בר *frumentum.* Ita sane Hier. Lxx. quoque habent ὁ σῖτος, & ambo Chaldæi עיבורא. Lex. Græco-Lat. Vetus, σῖτος hoc triticum, hoc frumentum pluralia non habet, sed Virgilius *frumenta* dixit. Latino

tino Græcum, *frumentum*, σῖτος, καρπός. Nomina frumentum significantia sunt שבר & דגן & בר quod postremum Hier. in Comm. Zach. 12. interpretatur *frumenti manipulus*. חטה vocatur etiam quod in segete stat. דגן generale est ad omnes frumenti species. Hinc πυρὸν qui Græce πυρόν. בר quod purum est h. e. secretum à palea & acere. Id arguit adagium *pro tritico palea*. Abenezra, *sunt qui scribant* בר *dici frumentum cum spicis. Meo judicio vocatur* בר *post ventilationem & emundationem. Porro qui dicit aerem Ægyptium humidiorem esse propter Nilum quam ut frumentum ibi durare possit in annos septem, ei respondendum est, posse fieri ut cum aliis rebus permiscuerint, quæ durationem ei conciliaverint.* ❡ *Sub manu*] sub potestate. ❡ *Pharaonis*] *Præfectorum Pharaonis.* Onkelos & Jonathan, quorum ille *præfectos* appellat פרנסין, hic vero אפיטרופין i. ἐπιτρόπους. Nam vox Græca est Chaldæis olim usitata. ❡ *Cibum*] in cibum, annonam, commeatum. Onkelos, *proventum aut frumentum.* Jonathan, *& ponant frumentum in urbibus & asservent.* ❡ *Asservent*] in annos famis.

36. *Et sit cibus ille in depositum terræ, ad septem annos famis, qui erunt in terra Ægypti, ut non excindatur terra fame.*

Cibus ille] Annona illa, frumentum illud. ❡ *In depositum*] depositi loco. פקדון depositum, παρακαταθήκη. Hinc פקיד, teste Mercero, cui cura rei alicujus tanquam depositi demandata est. ❡ *Terræ*] incolis terræ. ❡ *Excindatur terra*] pereant homines qui in terra. ❡ *Terra*] Onkelos & Jonathan, *populus terræ.* ❡ *Fame*] ברעב. Lxx. ἐν τῷ λιμῷ. Hier. *inopia.*

37. *Bonus fuit hic sermo in oculis Pharaonis, & in oculis omnium servorum ejus.*

38. *Dixitque Pharao, An invenitur sicut iste vir, in quo Spiritus Dei?*

Bonus fuit] וייטב bonus fuit i. placuit. Onk. & Jon. ושפר & pulchruit eodem sensu. Nam quod pulchrum est, idem quoque placere solet. Græci καλὸν dicunt ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod homines ad se vocet. Lxx. ἤρεσε. i. placuit. ❡ *Hic sermo*] hæc res, hoc consilium. ❡ *In oculis Pharao*] ἐναντίον Φαραώ. Latine, *placuit Pharaoni.* ❡ *Servorum ejus*] ita loquendo Significat aulicos qui inserviebant ei. ❡ *An invenitur?*] vel, *an inveniemus?* Hoc maluerunt plerique omnes interpretes, in queis & noster qui vertit, *Num invenire poterimus talem virum?* Sed & Lxx. habent μὴ εὑρήσομεν ἄνθρωπον τοιοῦτον. Porro verbum הנמצא ambiguum est ad utramque interpretationem. Innuit autem talem difficulter inveniri posse. Simile, *virum fidum quis inveniat?* Fidum videlicet ei cui amicus est, nam tales pauci sunt. Unde Socrates exclamabat ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος. Hujus loci est, *mulierem strenuam quis inveniat.* Nam inveniri potest, sed difficulter. *Rara avis est in terris, nigroque simillima corvo.* ❡ *Sicut iste vir &c.*] Similem huic viro in quo sit Dei Spiritus, sive qui Dei spiritu præditus sit: Spiritu, inquam, Somnia interpretandi & futura prædicendi, quem Onkelos & Jonathan ideo vocant *spiritum propheticum à DOMINO profectum.* Lxx. ὃς ἔχει πνεῦμα θεοῦ ἐν αὐτῷ, Hier. *qui Spiritu Dei plenus sit?* ❡ *Dei*] vel, *Deorum.* Nam verba sunt Pharaonis, qui plures Deos colebat. אלהים autem tam Deos notat quam Deum. Qui hoc nescit, nihil scit.

39. *Item Pharao dixit Josepho, Postquam notum fecit tibi Deus totum hoc, non est intelligens & sapiens sicut tu.*

40. *Tu eris super domum meam, & ad os tuum armabitur universus populus meus: duntaxat solio major ero te.*

Postquam] אחרי. Lxx. ἐπειδὴ, quod reddunt *quandoquidem*, cum possit reddi *postquam*. *Quandoquidem* etiam Trem. ex Ebræo interpretatur. Hier. *Quia* i. כי. Gallica, *puis que.* Ambo Chaldæi בתר ד. ❡ *Notum fecit tibi Deus totum hoc*] Trem. *nota fecerunt Dii tibi omnia hæc:* cui adversatur verbum singulare הודיע notum fecit, nisi dicamus infinitum esse pro הודיע. Ut ut sit, numero unitatis usi sunt ceteri, quos vidi, omnes interpretes, etiam Onkelos & Jonathan. Lxx. hic habent ἔδειξε, & Hier. *ostendit* i. הראה. ❡ *Totum hoc*] כל זאת. Alii, *omnia hæc* כל אלה. ❡ *Sapiens sicut tu*] חכם כמוך. Lxx. συνετώτερός σου כמוך *quam tu*, ubi יותר subintelligitur. Non plane hæc eadem sunt. Non potest aliquis æquare alium sapientia, qui tamen non superet eum. Sic dico, *Pares habent multi, quibus tamen nemo superior.* Intelligentes intelligunt quid velim. ❡ *Tu eris super domum meam*] σὺ ἔσῃ ἐπὶ τῷ οἴκῳ μου, ei æquivalet, *tu præeris domui meæ.* Jonathan, *tu eris* ἐπίτροπος *super domum meam.* ❡ *Ad os tuum armabitur universus populus meus*] על פיך ישק כל עמי. Lxx. ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου. Hier. *ad oris tui imperium cunctus populus obediet.* i. ישמע. Leo Judæ, *ad tuum imperium cibum capiet.* יתזון cibabitur, sustentabitur, aletur. Trem. *os tuum osculabitur.* על pro ל. Sic edit. Gallica, *te baisera la main.* Quod est signum subjectionis. Nam hodieque qui homagium præstant principi suo, deosculantur eum. Quo referunt & illud, *Osculamini filium.* Onk. *ad sermonem tuum cibabitur.* Sic enim certe Fagius interpretatur יתזן. Nec aliter R. Salomo. Jonathan habet יתזיין quod nescio an reddi posset *armabuntur.* Idem edidit, *ad decretum sermonis oris tui.* ❡ *Os*] Sermonem, jussum, mandatum. ❡ *Armabitur*] ישק armabitur. Sensus iste petitus est à nomine נשק quo arma significant, quem probant maxime Abenezra, Mercerus, Levi Gersomi filius, Santes & alii. R. David. in libro ubi vocum sensa collegit, *osculabitur, te dominum agnoscendo*: & aliquanto post, *secundum interpretem Chaldæum sententia est, ad os tuum armabitur.* Si recte, יזן significabit *armabitur.* Sane arma זין dicuntur: unde זיינא & verbum זין armavit, quod usurpat Jonathan Gen. 14. 14. ❡ *Solio*] *Solio regni.* Onkelos, Jonathan, Hier. *fastigio regio.* alius. Solium Græce θρόνος. Chaldaice כורסי, cujus pluralis כורסון solia, throni. Ebraice כסא & pluraliter כסאות quod sedes reddunt in illo, *Illi sedent sedes ad judicandum.* Nam etiam judicum sedes כסא vocabatur: ex quo & illud, *sedes pro solio sive tribunali judex justus.* Quanquam Deus judex etiam rex est. Sic dico, duplex solium est, solium regni & solium judicii. Bene igitur Chaldæi addiderunt hoc loco מלכותא i. regni, βασιλείας. ❡ *Major*] dignior, honoratior. Quod Onk. dixit יקר מנך honoratus quam tu.

41. *Dixitque Pharao Josepho, Vide, posui te super universam terram Ægypti.*

42. *Et removit Pharao annulum suum è manu sua, deditque eum in manum Josephi, & indui fecit eum vestibus byssinis & posuit torquem aureum super collum ejus.*

Vide] *ecce, ide.* Hier. Lxx. ❡ *Posui te*] vel, constitui te. Verbum è verbo, *dedi te.* Notum ut dare & ponere se invicem explicent. Licet etiam vertere, *constituo te.* Sic Lxx. καθίστημί σε. Jonathan, *constitui te, præfectum* i. פרנס qui & סרכא. Ebraice שוטר, exactor, princeps, qui à rege alicui loco præficitur. Prov. 6. 7. שוטר Lxx. ἀναγκάζων. Aquila & Theodotio ἐκβιαστής. Sym. γραμματεύς. Hier. *præceptor.* ❡ *Amovit*] removit, detraxit. ❡ *Annulum*] quo signare solebat. Hujusmodi annulus proprie חותם dicitur. Sic *annuli* voce utitur Tacitus. In Sebbole Lecheth פנינה שיש עליה חותם annulus, qui χαρακτῆρα habeat. Ergo חותם χαρακτήρ. Sed pro ipso annulo ponitur. *Sigillum* vocant. Quæ dixi, robur accipiunt ex illo loco Estheræ, *signatum annulo regis.* Locus est Esth. 3. In eadem historia, cap. 2. *Detrahens rex annulum suum è manu &c.* Ut Pharao annulum suum detrahit, sic Asuerus. Uterque dat eum cui dat, videlicet ille Josepho, & hic Mardochæo optime merito. Hunc antiquum morem notare debemus. Nam qui talem annulum habebat, obsignabat litteras regis: in quo summa potestas agnoscitur. Sic dico, traditur Josepho annulus à rege in signum concessæ sibi potestatis. Annulo enim regum litteræ signabantur. ❡ *Deditque eum in manum Josephi*] non ביד est in Ebræo, sed על יד quod verbum è verbo sonat, *super manum.* Sensus autem est, *inseruit manus ejus*, vel, si mavis, *indidit in manum ejus.* R. Salomo, *Traditio annuli signum erat eum cui tradebatur secundum à rege futurum.* ❡ *Indui fecit eum*] וילבש אתו fecit ut indueretur. Licet etiam vertere, *induere fecit eum vestes byssinas.* Lxx. ἐνέδυσεν αὐτὸν, & Hier. *vestivitque eum* i. vestiri curavit per alios, וילבש אתו. ❡ *Vestibus byssinis*] בגדי שש vestibus byssi i. byssinis. Sic interpretes ad unum omnes, quos vidi, excepto Trem. qui primus mutavit hoc referens, *vestes xylinas.* Nam byssus בוץ dicitur. שש, inquit, *potius est linum Xylinum*, de quo Plinius lib. 19. cap. 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alii gossipion vocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta Xylina. Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave præferenda. Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* Sed non est recedendum temere ab interpretibus. Nam & Chaldæi hic habent לבושין דבוץ & Lxx. στολὴν βυσσίνην. & Hier. *stolam byssinam.* Consimiliter & ceteri, nisi quod in Gallica editione postrema *d' habits de fin lin*, vestibus lini subtilissimi. Diserte Gorronides hist. Ebraicæ lib. sexto eodemque ultimo, capite 82. השש הוא הבוץ. *Ses est byssus, quo induebatur qui ministrabat in templo tuo.* Hier. super Jesaiam, lib. 7. *Pro subtilibus byssum Lxx. transtulerunt, quod & ipsum in sacerdotum vestibus texitur.* Ceterum byssus insigne olim erat

erat dignitatis, ut & purpura. Ea vestitur David rex 1 Par. 15. 27. Sacerdotes omnes 2 Par. 5. 12. Dives avarus Luc. 16. 19. Legimus præterea Ezech. 27. 7. *Bysso opere Phrygionico textum de Ægypto fuit velum tuum.* Nam byssum ex India & Ægypto gigni etiam Pollux prodidit. Erat autem tenuissimi lini genus, proximam ab asbesto dignitatem obtinens, ex quo subtilissimæ fiebant vestes, quæ mulieribus olim in delitiis. Hem, pœne exciderat. In libro nominum, *Sesac, byssus saxens, sive mavis facci.* Lego, *byssus saccus sive mavis facci.* Res est; non conjectura. שש byssus, שק saccus. In eodem libro, *Sesac, byssus cilicii.* Glossæ nom. proprio. *Sesac* (ששק) *lini vel byssi saccus. Sesach* (ששך) *linum vel byssus tua. Sesai* (ששי) *byssinus vel lineus.* Quæ adduxi firmandæ interpretationi שש byssus. Quæ vox obvia & Prov. 31. 22. ubi vulgo, *byssus & purpura indumentum ejus.* ¶ *Torquem aureum*] רבד הזהב torquem auri i. aureum. Lxx. κλοιὸν χρυσοῦν. Est autem κλοιὸς hoc loco torques i. περιτραχήλιος κόσμος. Alibi *bojas* denotat. Onkelos & Jonathan מניכא דדהבא. Hinc Græcum μανιάκης. Sic Polybius appellat *collare*, Livio *torques* dicta. Virg. *aurum cui colla innectuntur.* Hesychius, κλοιὸς περιτραχήλιος δεσμὸς, κολλάριον, μανιάκης. Lex. Græco-Lat. vetus, μανιὰξ, *tortile, circulus, torques.* Ceterum in Onkelo est קְנִיכָא & in Jona. מָנִיכָא Manicha. Torques alio nomine ענק dicitur, ut Prov. 1. 9. ubi Sym. περίθεμα, Aquila, περιτραχήλια, Lxx. κλοιὸν χρύσεον. Hujusmodi torques collum ornat ut quod maxime: unde proverbiale, *Erit torques collo tuo.* Dabatur autem antiquitus honoris causa benemeritis, & regum affinibus. Josephus Ant. hist. lib. 13. cap. 6. *Solet regum affinibus dari torques aurea honoris ergo.*

43. *Et equitare fecit eum in curru secundi à se, & clamaverunt ante illum Abrech, posuitque illum super omnem terram Ægypti.*

Et equitare fecit] וירכב. Lxx. καὶ ἀνεβίβασεν, & Hier. *ascendere fecit* ויעלה. Verbum רכב deductum à nomine רכב currum significante, ut *equito* ab equis. Qui enim equis utuntur, aut curru vehuntur, aut ipsis equis insident. Utrumque dicunt רכב equitare. Unde Esth. 6. 9. להרכיב על הסוס equo vehi. ¶ *In curru*] qui quatuor equis trahebatur. Currus רֶכֶב dicitur, מֶרְכָּבָה proprie est quadriga i. currus junctus 4. equis. Ab eo regimen מִרְכֶּבֶת quo nunc usus fuit Moses. Abenezra, *Lignum est junctum 4. equis, ut quadriga Salomonis testis esse potest.* R. David in Rad. *Interpretes dicunt* מרכבה *quatuor equos habere simpliciter, propterea quod invenitur* 1 Reg. 10. 29. *egrediebantur quadriga ex Ægypto pro sexcentis argenteis, & equi pro quinquaginta & centum. Sed hoc argumentum non est satis validum.* ¶ *Secundi à se*] המשנה אשר לו secundus qui sibi erat. i. secundo suo, qui משנה המלך & כשנה לכהן & simpliciter משנה vocatur. Latine, *secundus à rege.* Cæsar de bello Alexand. *Vetustissimum & sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos ejus Deæ, majestate imperio ac potentia secundus à rege consensu gentis illius habeatur.* Posset etiam dici *primus à rege*, i. post regem, & *secundus ad regem.* Sic Cicero dixit, *secundus ad regimen principatum.* Ut secundus, ita tertius à rege i. שליש, qui in tertio post regiam dignitatem gradu est. Lxx. hic habent τὸ ἅρμα τὸ δεύτερον τῶν αὐτοῦ, secundum currum eorum qui sibi erant. Hier. *super currum suum secundum* במרכבת המשנה. Similiter Onk. & Jonathan ברתיכא תנינא in curru secundo. Sententia in idem recidit. ¶ *Clamaverunt*] præcones. Hier. habet, *clamante præcone*, ac si unus duntaxat fuisset. Sic etiam Lxx. ἐκήρυξε κήρυξ. Onkel. ואכריזו ἐκήρυξαν. Jonathan & autor Jerosolymitanæ והוו מקלסין & laudabant. Nam קלס laudo. Ab hoc verbo est קלוס laus κλέος, & קלסא in malam partem, & apud Euripidem, αἰσχρὸν κλέος i. dedecus. Aquila, *& clamavit in conspectu ejus.* Sym. *& clamavit ante eum.* Mirum si legerunt ויקרא. ¶ *Abrech*] אברך. Aquila, *adgeniculationem.* γονατισμὸν forte. Vide supra. Lxx. κήρυξ, præco. i. כרוז, quod extat Dan. 3. 4. Editio Latina, *ut omnes coram eo genu flecterent.* Trem. *flectenda esse genua.* Gallica, *qu'on se agenouille*, i. genuflectatur. R. Levi putat אברך dictum esse pro הברך genuflecte. R. vero Juda grammaticus censet esse nomen verbi. Ut ut sit, ברך sig. genu, & ברכים genua. Sunt qui referant, *genu flectam.* Aben Ezra, *omnis homo clamabat ante eum: genuflectam aut geniculabor.* Alii tradunt esse faustam acclamationem & vocem Ægyptiam. ¶ *Posuitque &c.*] præfecit eum toti Ægypto, constituit eum נתן præsidem aut præfectum vel certe procuratorem Ægypti.

44. *Dixit quoque Pharao ad Joseph, Ego Pharao, absque te non elevabit quisquam manum suam aut pedem suum in universa terra Ægypti.*

45. *Vocavitque Pharao nomen Josephi, Saphenath Phaanea, & dedit ei Asenath filiam Photiphare Sacerdotis On in uxorem: post egressus est Joseph per terram Ægypti.*

Pharao] *rex Ægypti.* Hier. ¶ *Ego Pharao*] Jonathan, *Ego Pharao rex, & tu secundus.* Sic interpretor אלקפטא. Sane Esth. 10. 3. ubi in Ebræo, *secundus ad regem*, Thargum habet אלקפטא למלכא. Apparet esse vocem Arabicam. Aruch exponit ממונה על ריש גלותא, & ait ei dignitate inferiorem fuisse רופילא. Utriusque mentio in Res Gemara מלכא ורופילא אלקפטא וריש גלותא. Munsteri λέξις, חשיל *potens, princeps, secundus post regem.* Tu emenda, *dynasta, qui sub rege alicui loco præest.* Ruth. 1. *venerunt in agrum Moab & fuerunt ibi.* Thargum, *& fuerunt ibi dynastæ.* Chaldaice est רופילין Rophilin. ¶ *Non elevabit manum aut pedem*] nihil quicquam aget. Nam manus & pedes instrumenta sunt præcipuarum actionum. Et est proverbiale. In notis Trem. *nihil aggredietur sive tentabit quisquam.* In Gallicis, *te inconsulto & sine tua autoritate nihil quicquam fiet &c.* Jonath. *non movebit quisquam manum ad armandum se, aut pedem ad equitandum in equo.* Nam equum conscensurus pedem elevare debet. ¶ *Absque te*] *absque tuo imperio.* Hier. *absque tuo sermone.* i. jussu. Onkelos & Jonathan. ¶ *Non elevabit*] Hier. *non movebit.* Sic etiam Jonathan. Nam in editione qua usus sum לא ירעם, nisi legendum ירים quod in Onkelo, & melius respondet Ebræo. In eodem Jonatha למיסר זיני est armis se accingere. Nam אסר accinxit. Pro eo Onkelos habet למיחד זין prehendere arma. Fagius vertit, *ut apprehendat arma*, & est sensus, inquit, *nemo sumet arma, procedet ad bellum, vel equum suum ad pugnam instruet, sine tuo jussu & permissu. Prout tu jusseris ac præceperis, administrabuntur omnes res, cum pacis tum belli tempore.* ¶ *Saphenath Phaanea*] צפנת פענח. In editione Lxx. Ψονθομφανήχ: quarum duarum vocum prior corrupta, posterior contracta. Esset enim Σαφενὰθ vel certe Σαφνὰθ, & Φαανὴχ, quod nunc legunt Φανήχ. Talis contractio nominis in Ιακὼβ pro Ιακκαὼβ. Hier. *vocavit eum nomine Ægyptiaco Salvatorem mundi.* Abenezra, *si vox Ægyptia est, ignoramus quid sit: si vero interpretata est, tum nescimus quodnam fuerit nomen Josephi. Et secundum interpretem Chaldæum erit* פענח *nomen quatuor litterarum.* Moses Gerundensis, *Juxta sententiam antiquorum quæ dicit* המכוסות נגלים *traitum est ut sit nomen Ebraicum, sive Pharao linguam illam calluerit, sive id à Josepho didicerit.* Sic filia Pharaonis Mosen appellavit, inquiens, *quia ex aqua extraxi eum.* משה enim certe verbum est linguæ Sanctæ. Sic verbum פענח, unde forte Græcum φαίνειν. Benoni מפענח patefaciens, revelans, i. מגלה. Nomen פענח revelator, צפנות autem i. צפונות occulta, abscondita, latentia. R. Levi צפנת פענח, *ut mihi quidem videtur, insigit eum qui præditus est intelligentia & sapientia, quique arcanorum scientiam habet: aut est nomen Dei Pharaonis, quemadmodum Nabuchodonosor vocavit Danielem de nomine Dei sui. Prius verius videtur.* Quod supra fugit, non plane effugit. Dictus Levi annotat in Ægypto, ubi copia equorum & byssi erat, lege cautum fuisse ne plebeji absque venia regis uterentur iis, nempe ut discrimen esset inter nobiles, & vulgus promiscuum. Hoc annotat ad locum, *Non elevabit quispiam manum aut pedem.* Idem addit, τοὺς τυχόντας asino vehi solitos. Quod verum an falsum sit, aliis dijudicandum relinquo. Quod locum attinet, quem modo adduxi, eum sic explicat, *absque tuo consensu nemo elevabit manum aut pedem ut equum conscendat.* q. d. nemini licebit equo vehi, nisi prius ei licentia facta à ■, nisi privilegium ad hoc abs te impetraverit. Expende. ¶ *Asenath*] vel, *Aseneth*, ut est in Hier. Prius in Lxx. Ἀσενὲθ legebatur. Male autem in libris antiquis Asenech. Vide Hiscuni ad hunc locum. Jonathan, *Asenath, cum pepererat Dina Sichemo, & educaverat uxor Photiphare Sacerdotis Onii.* Vult dicere, adoptaverat in filiam. Fabulæ: mihi non fit verisimile. Talibus nugis cum scateat Jonathan ille, non immerito mihi suspectus olim fuit & adhuc est. ¶ *Filiam Photiphare*] בת פוטיפרע Lxx θυγατέρα Πετεφρῆ. Hiero. *Filiam Photipharis.* Confundunt Josephi herum, cum ejus socero. Sed herus in Ebræo פוטיפר, socer, qui fuit sacerdos Onii פוטיפרע. Ecce diversa scriptura. Herus, qui fuit princeps spiculatorum sive carnificum, præterea סריס dicitur. Quæ vox si vere Eunuchum denotat, non potest sacerdos Onii esse dominus Josephi, cum Eunuchi, licet id faciant quod viri solent cum mulieribus, tamen generare nequeunt. Adhæc monere nos debet, quod Augustinus notatum reliquit. Nam Scriptura non commemoravit eundem esse socerum cum domino, cum videatur hoc non potuisse præterire, quod ad illius juvenis non parvam gloriam pertinebat, ut ejus filiam duceret cujus famulus fuerat. Nec audio hic Hiero. multo minus Ebræos aliter sentientes. Hiero. verba hac de re sunt, *Notandum quod domini quondam & emptoris sui filiam uxorem*

acce-

Digitized by Google

acceperit, qui ad id locorum Pontifex Heliopoleos erat. Neque enim fas absque eunuchis idoli illius esse antistes, ut vera Ebraeorum super eo quod jam ante diximus, suspicio comprobetur. R. Salomo, *Photiphare est Phutiphar. Vocatur autem Photiphare quia spado factus est per se propterea quod adamaret Iosephum.* R. Levi, *dixerunt doctores nostri Photiphare esse Phutiphar dominum ipsius.* Videndus Lyra ad hunclocum. ❡ *Sacerdotis*] ἱερέως. Hiero. Arias. Lxx. כהן Onkelos & Jonathan, i. principis aut praefecti. Sic etiam Santes. *Praesidis.* Tremell. *Gubernatoris.* Editio Gallica. Ebraice כהן. R. Levi, אדון dominus. Abenezra, *serviens Deo aut idolo cuipiam.* Idem ait, *non est* כהן *in Scriptura nisi minister, secundum sententiam meam.* Mens horum verborum, *Dictio* כהן *in sacris litteris aliud nihil est quam minister Dei i. Sacerdos.* Sic enim certe loquitur in Comm. Ps. 99. 6. ubi eadem repetit. Non plane assentior. Nam legimus 2 Sam. 8. 18. *& filii David Sacerdotes erant:* pro quo 1 Par. 18. 17. *primi ad manum regis.* Vide 2 Sam. 20. 26. & 1 Reg. 4. 5. Quin Ps. 110. 4. ubi כהן in Ebraeo, Kimchi enarrat מלך ונגיד rex & dux. Sic alibi כהנים interpretatur גדולים magnates שרים & principes. Locus est Job. 12. 19. ❡ *On*] i. Onii sive Heliopoleos. *Onii* meminit Ptolemaeus, quam ait esse *Metropolim Heliopolitae nomi.* Lxx. hic habent Ἡλιουπόλεως, & Hiero. *Heliopoleos.* Sic etiam Tremellius. In Ionatha est טנס i. Taneos. Male. Nam Tanis potius צען dicitur. On sive Ὤνιον aliud nihil est quam Heliopolis. Epiphanius in Ancorato de Phoenice avi Arabica, καὶ φέρων ἔρχεται εἰς πόλιν τῆς Αἰγύπτου ἡλιούπολιν ἐπικαλουμένην, ὃν δὴ ἱερέων ὑποδείξω ἀπὸ τῆς Αἰγυπτιακῆς διαλέκτου ὀνομαζόμενον. In Aruch *Sacerdotis On, Thargum Ierosolymitanum* רבא דטנס *principis, vel potius praefecti Taneos.* Quae verba produxi in gratiam eorum, qui putant Thargum Ionathae & Ierosolymitanum idem esse. ❡ *In uxorem*] εἰς γυναῖκα. Ebraismus. Latine, *dedit ei uxorem*, aut in matrimonium: aut dedit ut esset ei uxor לאתתא. ❡ *Ioseph*] יוסף שליט *Ioseph dynasta.* Onkelos & Ionathan.

46. *Ioseph autem erat triginta annorum cum staret ipse coram Pharaone rege Aegypti, egressusque est Ioseph à Pharaone, & pertransivit universam terram Aegypti.*

47. *Et fecit terra septem annis saturitatis in pugillos.*

Triginta annorum] *Filius* 30 *annorum.* i. natus triginta annos. Ebraismus notus. ❡ *Cum staret*] somnium enarrans. ❡ *Egressusque est Ioseph à Pharaone &c.*] Idem aliis verbis. Nam supra compendio sermonis usus id dixerat, *Egressus est per terram Aegypti*, nempe ut injunctum sibi munus strenue obiret. R. Levi censet curru circumductum, quo secundus à rege vehi solebat. Licet etiam vertere, *Erat* 30 *annorum cum egrederetur & cum pertransiret omnem terram Aegypti.* Sic nulla erit epanalepsis. ❡ *A Pharaone*] à conspectu Pharaonis. ❡ *Pertransivit*] obivit. Abenezra, *exivit nomen ejus.* Latine, *fama ejus divulgata est.* Sic alibi, *Et exibit tibi nomen in gentibus*, aut, *egressus est & transivit per omnem terram Aegypti, clamaveruntque coram eo sufficienter ut ita innotesceret.* Hactenus Abenezra. יוסף pro nomen Iosephi durum videtur. ❡ *Fecit terra, &c.*] Locus iste bifariam exponitur. Uno modo sic, *Terra fecit* i. protulit, produxit, *fruges in magna copia*, videlicet ex uno grano (singula grana) pugillos. Alio modo exponitur, *homines terrae fecerunt*, i. congregarunt per pugillos, aut ut aliae editiones habent, *per manipulos sive manipulatim*, hoc est magnam copiam frugum. Onkelos, *Et congregarunt habitatores terrae frumentum in apothecas.* Ionathan in hanc sententiam interpretatur, *Foecunda erat terra, quia omnis spica tritici plena duos pugillos continebat, adeo ut implerentur omnia horrea.* Hiero. *Venitque fertilitas septem annorum, & in manipulos redacta segetes congregatae sunt in horrea Aegypti.* Lxx. καὶ ἐποίησεν ἡ γῆ ἐν τοῖς ἑπτὰ ἔτεσι τῆς εὐθηνίας δράγματα: Et fecit terra in tribus annis abundantiae manipulos. Santes, *Et congregaverunt habitatores terrae in septem annis saturitatis frumenta in horrea.* Tremellius, *produxit vero terra septem illis annis saturitatis manipulatim.* Et in margine, *hyperbole ad maximum proventum significandum q. d. ex uno grano integer manipulus colligebatur.* Sic etiam editio Gallica. ❡ *In pugillos*] קמץ pugnus sive pugillus δρὰξ. i. manus clausa & in condylos contracta. Appellatio à contrahendo. Siquidem קמץ contrahere significat: unde קמץ dicta una ex vocalibus longis. Nam in ea labia contrahuntur. Plura. קמצים pugilli, vel manipuli. Est autem manipulus quantum manu capi potest. Santes, *ad congregationem.* Vult dicere, ut congregarent fruges in magna copia. R. Salomo, *Pugillum ad pugillum*, i. pugillatim: *manum ad manum*, i. manipulatim, *congregabant in horrea.*

48. *Et congregavit omnem cibum septem annorum, qui fuerant in terra Aegypti, posuitque cibum illum in urbibus: cibum agri urbis qui in circuitibus ejus posuit in medio ejus.*

49. *Et coacervavit Ioseph frumentum sicut arenam maris multum valde, usque adeo ut desierit numerare, quia non erat numerus.*

Et congregavit] ויקבץ καὶ συνήγαγε. Chaldaice וכנש & congregavit. Tremellius, *& collegit* ויאסף. Grammatici discrimen ponunt inter haec duo verba. Notabo alias. ❡ *Omnem cibum*] omnem annonam, omne frumentum, omnem commeatum. LXX. βρώματα. ❡ *Annorum*] saturitatis vel abundantiae i. *fertilium. Anni* pro anni fertiles, ut alibi, *pecus*, pro pecus pingue. Saepe enim hoc modo adjectivum reticetur. ❡ *Agri urbis*] qui in agro sive territorio urbis. ❡ *Ejus*] urbis, non agri. Nam pronomen foemininum est. ❡ *Sicut arenam maris*] quae numerari non potest prae multitudine, unde ei tribuitur epitheton ἀναρίθμητος, & Poeta ait, *numeroque carentis arenae. Multus ut arena maris.* proverbiale. ❡ *Numerare*] Joseph desiit & cessavit numerare frumentum, cum innumerabile esse videret. Aut לספור numerari, ut alibi לשפוט judicari. Sane infinitum primae conjugationis tam passionem quam actionem denotat. Posterior interpretatio verior videtur. Hiero. *ut arenae maris coaequaretur.* LXX. ἕως οὐκ ἠδύναντο ἀριθμῆσαι. R. Salomo, *eousque ut defuerit sibi numerator numerare, & ecce locutio est brevis & compendiosa.*

50. *Nati autem sunt Iosepho duo filii, antequam veniret annus famis: quos pepererat ei Asenath filia Photiphera sacerdotis On.*

51. *Et vocavit Ioseph nomen primogeniti Manasse, dicens; quia oblivisci fecit me Deus omnis molestiae meae, & totius domus patris mei.*

52. *Et nomen secundi vocavit Ephraim, dicens, quia facundum fecit me Deus in terra vexationis meae.*

Nati sunt] יֻלַּד ita variat in libris, ut in quibusdam sit (-) sub Lamed hoc est *a* breve, cum in secunda Veneta ea quae in folio complicat (·) habeatur, hoc est *a* longum. Quod etiam Critici Ebraeorum Massoritae ibi annotarunt. *Sed in manuscripto*, inquit Mercerus, *patach legitur non camets.* Ego quoque patach repperi in editione Veneta quae in octavo folium complicat. Utramque lectionem tuentur Ebraei, unam filius Naphthali, videlicet eam quae (·) habet, & alteram filius Aser, quem Occidentales Judaei sequuntur. Sonat autem verbum è verbo יֻלַּד, *natus est:* sed Onkelos & Jonathan interpretantur איתילידו, & LXX. ἐγένοντο, & Hiero. *nati sunt.* ❡ *Antequam veniret annus famis*] hinc eliciunt non licere homini liberis operam dare tempore famis. Quod significat R. Salomo per haec verba, מכאן שאדם אסור לשמש מטתו בשני רעבון. Cave sequaris. Nam exempla nemini praejudicant. Deinde unde sciunt Josephum toto illo septennii tempore liberis operam non dedisse? An quia nullos praeterea genuisse legitur, ideo penitus abstinuit ab uxore, nec unquam cum ea rem habuit? Apage tales cum ineptiis suis. ❡ *Manasse*] vel, *Manasses.* מְנַשֶּׁה Manasses, ut יוסי Joses. Scribitur & *Menasse*, ut *Chenaan* & *Chanaan*: *Semuel* & *Samuel*: *Selomo* & *Salomo*, aliaque sexcenta. Appellatio *ab eo*, inquit Hiero., *quod sit oblitus laborum suorum, ita enim Ebraice vocatur oblivio.* Cum pace tua Hieronyme, Manasse non sign. oblivionem. Quid igitur? In Libro nominum, *Manasses, obliviosus, vel quod oblitus est.* Nec hoc significat: sed *oblivisci faciens.* Sequitur enim certe, *quia oblivisci fecit me Deus, &c.* Res est, non conjectura. Graece est Μανασσῆ. ❡ *Dicens*] Hoc adjeci ex Hiero. Desideratur autem in Ebraeo לאמר aut aliquid tale. In aliquot editionibus Graecis repperi λέγων. ❡ *Oblivisci fecit me*] ἐπιλαθέσθαι με ἐποίησεν. i. fecit ut obliviscerer. Ebraice נַשַּׁנִי, quod alii à נשה deducunt, alii dicunt esse praeteritum Piel à נשה pro נִשַּׁנִי chirec in patach verso: unde & מנשה oblivisci faciens. ❡ *Molestiae*] i. molestiae laboris, qui Ebraice עמל dicitur. Nam labor proprie יגיע appellatur. LXX. hic habent πόνος, quo vocabulo tam dolor quam labor significatur. Jonathan לעמלי qui est labor fatigans. ❡ *Secundi*] secundogeniti. ❡ *Ephraim*] Ἐφραΐμ forma duali, ut Mesraim: quae ai quandoque cum *e* permutant, Mesrem, Ephrem. Appellatio à פרה fructum edidit. Inde הפרני quod alii aliter interpretantur. Vide sequentia. In libro nominum, *Ephraim, crescens sive frugifer.* Origenes tom. 31. in Johannem, *Sonat Ephraim, si interpreteris, fertilitas.* Apud Josephum libro 2. cap. 3. ἀποδοθεὶς, *venditus, eo quod redditus esset libertati majorum.* Non vacat jam ad locum adire. Tu expende, si plus otii est quam mihi. ❡ *Facundum fecit me*] הפרני. LXX. ηὔξησέ με: auxit me. Hiero. in Quaest. *Ephraim, eo quod auxerit eum Deus. Et ex hoc enim vocabulo in linguam nostram transfertur augmentum.* Editio Latina Vetus, *crescere me fecit.* Sic etiam Santes. Tremell. *fructu-*

fructuosum me reddidit. Onk. אשגאני auxit me, ut Gen. 26. 22. ישגאנא crescere faciet nos. Videtur thema esse שגא. Sed שגי in frequentiore usu : unde ונשגי crescemus Gen. 26. 22. Vide quoque Gen. 9. 1. Munsteri λέξεις, שגי *crevit*, *auctus est.* שגא idem. ¶ *Vexationis meæ*] vel, *afflictionis meæ.* LXX. ταπεινώσεώς μου. Hiero. *paupertatis meæ.* Nam עני pauper. Onk. שעבודי quod Fagius reddit, *humiliationis meæ.* Malim, *afflictionis meæ.* Jonathan, צערי quod vertendum etiam *afflictionis meæ* : nam צער vexatio, afflictio i. עני צער vexavit, afflixit, compressit, quod obvium Gen. 34. 2. in Ionatha : qui nunc vertit תקפני roboravit me. Deinde subjicit, *sic futurum est ut roboretur domus patris mei hic in afflictionibus suis.* Nisi malis, *ut augeatur*, *ut crescat.*

53. *Et consumpti sunt septem anni saturitatis, qui fuerant in terra Ægypti.*

54. *Et cœperunt septem anni famis venire, quemadmodum dixerat Ioseph : & fuit fames per omnes terras, sed per omnem terram Ægypti erat panis.*

Consumpti] finiti, absoluti, transacti. LXX. παρῆλθον, ותשלמנה. ¶ *Saturitatis*] εὐθηνίας, ubertatis. ¶ *Quæ fuerat*] vel, *qui fuerant*, ut sit היה pro היו quæ enallage insolens non est. Hoc secutus est Hiero. Sed & LXX. habent ἃ ἐγένοντο. ¶ *Cœperunt*] ἤρξαντο. ¶ *Famis*] *inopiæ.* Hiero. ¶ *Dixerat*] *prædixerat*, Idem. ¶ *Per omnes terras*] בכל הארצות in omnibus terris, i. regionibus. Potest legi, *in omnibus terris illis.* Id Trem. dixit, *In omnibus regionibus finitimis.* Minus recte LXX. ἐν πάσῃ τῇ γῇ, & Hiero. *in universo orbe.* Nam aliud sonat, *in omnibus terris.* Quod non debet ita præcise accipi. Nam omnis quandoque de multis vel plerisque dicitur, ut ibi, *omnes gentes præputium habent.* Nam & gentes quædam circumcidebantur, ut Ægyptii, Idumæi, Ammonitæ, Arabes, Moabitæ, quos enumerat Hier. in Comm. Ier. 9. 26. Sic accipies Ioh. 19. 28. *Cum sciret Iesus omnia jam perfecta esse.* i. pleraque omnia. Nondum enim præcise omnia consummata erant : Sic Act. 2. 5. ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν, manifesta hyperbole est, quam annotavit Theophylactus, qui etiam ait παντὸς ibi accipiendum esse ἀντὶ πολλῶν de multis, ut in illo, *Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Hujus loci est, *Omnes quæ sua sunt quærunt.* ¶ *Panis*] לחם, ita legerunt Onkelos & Ionathan. Græca exemplaria hic variant, nam in aliis ἦσαν ἄρτοι, & in aliis οὐκ ἦσαν ἄρτοι. In Latio quoque quidam codices habent ; *erat fames* : alii, *non erat fames* : alii, *erat panis.*

55. *Et esuriit tota terra Ægypti, clamavitque populus ad Pharaonem pro pane : & dixit Pharao toti Ægypto, Ite ad Joseph, quod dixerit vobis facite.*

56. *Fames autem erat super universam superficiem terræ : tunc aperuit Ioseph omnia in quibus erat, & vendidit Ægypto, cum invaluisset fames in terra Ægypti.*

57. *Et omnes homines terræ venerunt in Ægyptum frumentandi causa ad Ioseph, quia invaluerat fames in tota terra.*

Esuriit] ἐπείνασε. Quomodo esuriit, si panis i. frumentum erat in Ægypto? Panis erat in horreis civitatum, quo tamen communis populus indigebat : itaque esuriit, fame totam terram occupante, cum nondum distributio facta esset eorum quæ recondita erant in apothecis. Quod fugit, non effugit. Versu qui hunc antecedit, ubi legimus, *& in Ægypto erat panis*, nomen *panis* ibi ponitur pro frumento, ut Ruth. 1. *Visitavit populum suum dando eis panem.* Nam ex frumento panis conficitur. ¶ *Tota terra Ægypti*] Omnis populus terræ Ægypti. Ionathan addit, *quia nemo venale proponebat granum.* Chaldaice בר זרע. Vide Gen. 1. 11. in notis Fagii ad Thargum Onkeli. ¶ *Clamavit*] ἐκέκραξε, *vociferatus est.* Quod posterius interpretes nuperi prætulerunt, cum sit צעק in fonte, *clamo* autem potius קרא dicatur. ¶ *Ad Pharaonem*] πρὸς Φαραώ. Onkelos & Ionathan, *coram Pharaone.* ¶ *Pro pane*] ללחם. LXX. περὶ ἄρτων. Hiero. *alimenta petens.* Trem. *cibi caussa.* Alius, *propter panem.* Onk. על לחמא. Fagius, *pro pane.* Jon. בגין לחמא propter panem. Hic rursum *panis* pro *frumento*, usurpatur. ¶ *Super universam superficiem terræ*] על כל פני הארץ in omni facie terræ. Facies terræ, ut *facies maris*, *facies cœli*, *facies campi.* Virgilius *vultum* dixit. Alibi notamus. ¶ *Terræ*] Ægypti. ¶ *Omnia in quibus erat*] Sermo brevis. Vult dicere, omnia horrea in quibus erat frumentum. Quidam, *omnia quæ in illis sub.* urbibus. Alii omnia quæ apud eos, nempe Ægyptios. Constructio sensu congrua non voce. Ebraice את כל אשר בהם. Lxx. πάντας τοὺς σιτοβολῶνας, omnia horrea, vel certe granaria. Nam σιτοβολὼν etiam granarium. Hiero. *universa horrea.* Onkelos & Jonathan, *omnes apothecas in quibus erat frumentum.* ¶ *Ægypto*] i. Ægyptiis. Sic interpretantur Lxx. Hiero. Onkelos & Jonathan. Etiam nuperi translatores. Ebraice למצרים. Supra, *dixit Pharao toti Ægypto* i. omnibus Ægyptiis, לכל מצרים. ¶ *Vendidit*] וישבר. Lxx. καὶ ἐπώλει. Hiero. *& vendebat.* Onkelos & Jonathan וזבין vendiditque. שבר frango. Hinc שֶׁבֶר frumentum, quod famem frangat, vel quod frangatur panis ex eo factus. Hinc rursum שָׁבַר vendo, proprie vendo frumentum. Mercerus, *frumentari* Latine dici putat. ¶ *Cum invaluisset*] vel, *nam invalescebat.* Ebraice ויחזק καὶ ἐπεκράτησε. Hiero. *Nam & illos oppresserat fames.* ¶ *Omnes homines terræ*] sensum expressi. Nam in Ebræo ad verbum, *omnis terra.* Vult dicere, omnes finitimæ aut circumjacentes terræ. ¶ *Omnes*] multi aut plerique omnes. Vide quæ scripsimus ad vers. 54. Lxx. hic habent, πᾶσαι αἱ χῶραι. Hiero. *omnes provinciæ.* Onkelos & Jonathan, *omnes habitatores*, vel si placet, *incolæ terræ.* ¶ *Frumentandi causa*] emendi frumenti causa ; sive ad emendum frumentum. Ebraice לשבר idem videlicet verbum quod supra, ubi vertimus, *vendidit.* שבר ergo non solum vendere frumentum significat, sed etiam emere, quod Græci dicunt ἀγοράζειν. Hiero. hic habet, *ut emerent escas.* Onkelos & Jonathan, *ad emendum frumentum à Joseph.* Uterque sumpsit אל pro מן. Ego malui, *ad Ioseph*, quod refero ad verbum *venerunt.* Sic Græci, πρὸς Ἰωσήφ. Frumentor proprie est frumentum colligo, σιτολογέω. ¶ *In tota terra*] tam Ægypto quam aliis vicinis regionibus.

AMAMA.

6. EBr. שדופות קדים *adusta Euro.* Vulg. *Percussa uredine.*] Magis proprie voces Ebræas vertere potuisset Interpres, vox enim שדופות deducta est ex significatione & שדפון quod *uredinem* significat, unde Vatablus & Pagninus vertunt arefactæ, exustæ, adustæ. קדים autem significat Eurum, qui ab anteriore orbis parte flat, unde & nomen habet, nam קדם *ante.* Itaque melius Lxx. qui vertunt ἀνεμόφθοροι a vento corruptæ, & Chald. שקיפן קידום. Non inficior quin (*a*) uredo venti Orientalis effectum dici possit, sed quis ex ea translatione efficientem, quam textus Ebræus nobis ingerit, odorabitur?

22. Ebr. *Et evigilavi. Vidi etiam in somnio.* Vulg. *Evigilans rursus sopore depressus. Vidi somnium.*] Vulgatus de suo addidit, *rursus sopore depressus.* Illud forte spectavit, vigilanti non esse objectum hoc somnium secundum. At nec Ebræa id dicunt, Narrat Rex se evigilasse post primum, deinde ait se vidisse alterum, ut longa illa Ellipsis hic plane sit supervacanea. Multa præterea in hoc capite a festinante & compendio studente Interprete prætermissa sunt, ut videre est vers. 11. 12. 15. At memorabile præ cæteris illud omissionis erratum est quod vers. 28. occurrit. Quæ enim Moses his verbis eloquitur, *Hoc est verbum quod locutus sum Pharaoni, quod Deus facturus est videre fecit Pharaonem*, Vulgatus his paucis quibus nullum respondens exstat in fonte, expressit, *Qui hoc ordine complebuntur.* Cur non & hic potius τοὺς Lxx. secutus est, quos toties in pravis æmulatus est? Illi enim plenissime hunc locum reddidere.

45. Ebr. *Vocavit nomen Josephi* צפנת פענח. Vulg. *Vocavitque eum Salvatorem mundi.*] Solent Reges iis quos ad honores summos sublimarunt nova indere nomina, ut hoc loco Pharaonem fecisse legimus. Voces istæ plane Ægyptiacæ censendæ sunt, ut ut prima cum Ebr. צפן coincidere videatur ratione thematis. Illud enim certo certius est Ægyptiacam, Punicam, Arabicam cæterasque illas Orientales Ebrææ matris dialectos esse, admodumque affines, id quod in Arabicis ex Lexico Scindleri, qui themata vocesque Arabicas Ebraicis characteribus expressit, quivis etiam Arabismi plane ignarus viderit. Quid ergo mirum si in voce Ægypt. tres radicales Ebrææ vocis retentæ? Sic ab Ebr. בָּצַר fit Arabicum בצר Sib ab ארד fit ארדן *ardon.* Sic a מַיִם & מֵי fit Ægypt. מו, unde *Moab* interpretantur *aqua patris.* Sic Ægyptii Monachos vocarunt Nonnos (unde apud nos mansit Nonna .i. monialis) .i. filios, ab Ebr. נין : quomodo eorum præfectos vocamus *Abbates* .i. Patres. Hæc ideo adduximus ut eorum fundamentum everteremus, qui ut versionem Vulgati Interpretis quæ hic habet *Salvatorem mundi*, defendant, pertinaciter contendunt has voces, quæ Ægyptiæ sunt (quod libenter damus) non posse significare id quod Ebræi tanto consensu, Chald. Philo, Theod. &c. tradiderunt. Cum enim vox prima צפנת ad thema magnæ matris Ebrææ reduci possit, quod significat, *abscondit*, *occultavit*, occultæque hujus rei interpretatio muta-

(*a*) Vide quæ ad Exod. 10. 13. notavimus.

mutationi huic nominis occasionem dederit, cur non præferemus Interpretationem eorum, qui *occulta*, *abscondita* vertunt? Qua significatione admissa sponte se prodit Interpretatio nominis alterius, sive explanatorem, sive revelatorem, sive scientem sive inventorem sive interpretem vertas. Philo enim vertit ὀνειροκρίτην & κρυπτῶν εὑρετήν. Syrus notante Scholio ad Bibl. Rom. εἰδὼς τὰ κρυπτά. Theod. τῶν ἀποῤῥήτων ἑρμηνευτήν. Josephus κρυπτῶν εὑρετής. Onkelos, *cui retecta occulta sunt*. Jonathan *occultorum interpres*. R. Salom. מפענח נסתרות *enarrator occultorum*. R. Levi, *qui arcanorum scientiam habet*. Hieron. quoque in Quæst. fatetur Ebraice sonare *repertorem absconditorum*, sed Ægyptiace, *Salvatorem mundi*. Verum dicat mihi aliquis, utra vox, prior an posterior *Mundum* vel *Salvatorem* significet, monstret quispiam ullum vestigium harum signif. ex lingua Ægypt. afferant vel unam conjecturam quæ versioni isti robur addat, & lubentes eam admittemus, utpote quæ magis factura esset ad mysterium Christi, cujus Josephum in plerisque fuisse typum pia tradidit antiquitas. Lyra ingenue, *Utrum idem nomen in lingua Ægypt. significet Salvatorem mundi, nescio, nisi quantum dicit nostra translatio.*

Versu eodem occurrit nomen פוטיפרע nomen proprium viri sacerdotis On, cujus filiam duxit Joseph. At cap. 39. 1. aliud nomen extat, nomen proprium ejus cui a Madianitis venditus fuit Joseph, sed illud una litera brevius est. Scribitur enim פוטיפר. Hæc duo nomina Vulg. confundit, utrumque enim vertit *Phutiphar*. Quæ confusio errandi occasionem præbuit. Multi enim qui ad hanc diversitatem non attenderunt, vel quibus ad fontes præ linguarum imperitia recurrere non licuit, existimarunt unum eundemque hominem fuisse, hunc, cujus filiam duxit, & istum, cujus antea tulerat imperium, quod admodum improbabile atque a veritate alienum esse prolixe ostendit Mercerus. Lyra hoc vidit, qui relata hac opinione mox subjicit, *Sed contra hoc videtur, quod in Ebr. iste Phutiphar habet unam literam plus quam præcedens in suo nomine, quia habet literam Aym* (lego Ain) *in fine, quam non habet præcedens, & ideo videtur esse alius homo a prædicto.* Scio Hieron. & Hebræos quosdam personas eas confundere, ut Vulgatus nomina, sed ita est profecto ut Lyra notavit.

GROTIUS.

2. IN *locis palustribus*] Lxx. ἐν τῷ Ἄχει [*in Achi*]: voce haud dubie usitata in Ægypto, ubi scribebant Lxx. Arbitror significari campos virentes, stagnante in iis Nilo. Nam & Arabibus أجام [*Acham*] stagna. Vocem Ægyptiam servavit in Græco Sirachides XL. 16. ubi in Latino viriditas. Exstat illa vox & in Hebræo Jobi VIII. 11. reddita ibi à Græcis πάπυρος [*papyrus*], Latino scirpus. In ripis nimirum ab amne madentibus papyrus nascebatur. Ita גמא transfert Josephus in Historia quæ est Exod. II. 4. Hieronymus VII. libro ad Esaiam: *Pro junco papyrum* Lxx. *transtulerunt, de quo charta fit: addentes de suo* Ἄχι τὸ χλωρόν, *quod in Hebraico non habetur. Cumque ab eruditis quærerem quid hic sermo significaret, audivi, ab Ægyptiis hoc nomine omne quod in palude viride nascitur appellari.*

3. *De flumine*] Depresso scilicet intra alveum & non irrigante agros, quod famis signum. Plinius lib. XVIII. 18. Contra, ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐπλήμμυρεν ὁ ποταμὸς, εὑρήσει ὅπου κατοικεῖ χαρὰν καὶ εὐφορίαν [*si quis viderit exundasse amnem, inveniet ubi habitat gaudium & fertilitatem*] Achmes cap. CLXXVI. Onirocriticon ex Ægyptiorum disciplina.

In ipsa amnis ripa] non inundata scilicet. Quod additur hic *in locis virentibus*, neque in Hebræo est, neque in Græco. Error inde ortus quod ubi in Græco est περὶ τὰς βόας [*apud boves*], Latinus περὶ τὰς πόας [*apud herbas*] legit. Per vaccas annos significari est in Onirocritico Asaph Setha. Item in Achmete, cujus verba sunt cap. CCXXXIX. ex Ægyptiorum disciplina: τὰς βόας θηλείας εἰς χρόνους· καὶ αἱ μὲν εἰσι πίονες, χρόνους εὐφόρους δηλοῦσιν· εἰ δὲ ἰσχναὶ καὶ λεπταί, χρόνους δυσφόρους [*Boves feminæ ad tempora pertinent: & si pingues sunt, tempora fœcunda significant: sin exiliæ & tenues, sterilitatem temporum*]. Similia ex Persis habet.

4. *Rursum dormivit*] Somnia divinitus immissa solent rem eandem bis exprimere, ut infra 32. Sic apud Danielem idem arbor & imago. Sic de somnio Ptolemæi Tacitus Hist. v. *Eadem species terribilior jam & instantior.*

Septem spicæ] Vide aliud somnium apud Iosephum lib. XVII. 15. antiquæ historiæ, & de bello Iudaico II. c. XI. ubi similiter per spicas ait annos significari. Apud Tacitum Annalium XI. in somno itidem visæ spicæ retro conversæ gravitatem annonæ prædicere creditæ.

8. *Conjectores*] Vox חרטמים non Hebraica est, sed Ægyptiaca. LXX. vertunt ἐξηγητάς [*interpretes*]. Aquila κρυφιαστάς [*latebrosos*], Symmachus μάγους [*magos*]. At in Exodo & Daniele dicuntur ἐπαοιδοί [*incantatores*], alibi in Exodo φαρμακοί [*venefici*]: cum quibus nominibus bene conveniunt magorum instituta Plinio & aliis memorata.

Et accersitis narravit somnium] Mos diu in Ægypto retentus. Tacitus Historiarum IV. de Ptolemæo: *Ptolemæus omine & miraculo excitus, sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit.*

14. *Veste mutata*] Lugentes enim aut sordidati regem adire non poterant. Vide infra I. 4. & Esther. IV. 4.

16. *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni*] Symmachus habuit, *non ego sed Deus*: quæ locutio interpretanda ut illa similis Matth. X. 20.

17. *Putabam me stare super ripam fluminis*] Repetuntur verba ipsa quæ supra fuere: quod frequens & sacris literis & Homero. Macrobius lib. V. Saturn. cap. XVI. *Nescio quomodo Homerum repetitio illa unice decet: & est genio antiqui poetæ digna.* Simile vide supra XXIV. 37.

25. *Somnium regis unum est*] Utriusque eadem significatio. est metonymia. Somniis bene uti, non dormientium tantum, sed & vigilantium, politici est. Philo.

Quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni] Apertius & planius quam Magi putant, qui per vaccas putabant intelligendas Pharaonis filias. Sic Hebræi.

34. *Præpositos*] Ἐπιτρόπους [*curatores*] Græcam vocem hic usurpant Ionathan & Hierosolymitanus. LXX. τοπάρχας [*locorum præsides*]. Onkelos ממנין, quo modo Syrus solet interpretari εὐνούχους [*eunuchos*]. Sicut in pace de bello, sic in fœcundis annis de sterilitate cogitandum.

35. *Omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus. Et præparetur futuræ septem annorum fami*] Simile apud Cassiodorum lib. XII. 25. *De veteribus frugibus prudentia tua futuram vincat inopiam: quia tanta fuit annis præteritis felix ubertas, ut etiam futuris mensibus provisa sufficiant.* Vide, si placet, & quæ sequuntur.

Ad tui oris imperium cunctus populus obediet] In Hebræo, *supra os tuum osculabitur omnis populus*: id signum subjectionis.

43. *Ut omnes coram eo genu flecterent*] Quæ hic in textu est vox אברך & ipsa Ægyptia est, credo παιανισμός [*jubilatus*] quidam, ideoque omissus à LXX. Onkelos ex Syriaco interpretatur *Pater regis*; nam רך pro rege Syriacum. Sed alia lingua Ægyptia, alia Syriaca. Sunt qui *Pater tener* transferunt, quasi duæ voces essent Hebrææ. Sunt qui ab Hebræa voce ברך [*genua flectere*] formant, ut hic Latinus, parum probabiliter.

44. *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum*] Id est, arma.

Aut pedem] Nemo expeditionem suscipiet.

46. *Salvatorem mundi*] Vocem hic Ægyptiam quæ Hebraice scribitur צפנת פענח Lxx. & Iosephus scribunt Ψονθομφανήχ [*psonthomphanech*]. Interpretantur autem Iosephus idem, & Philo, Onkelos, Ionathan, Rabbi Solomo, Rabbi Levi omnes κρυπτῶν εὑρετήν [*arcanorum repertorem*]. quare ab hac sententia discedendum non est.

51. *Manasses*] Quod nomen & in Africam per Pœnos venit: Testis Appianus Civilium quarto.

CARTWRIGTUS.

1. F*Actum autem est in fine duorum annorum*] Aben Ezra notat Scripturam non exprimere initium hujus computationis; putat autem eam incipere vel ab egressu principis pincernarum è carcere, vel ab ingressu Josephi in carcerem. Observat etiam & alibi in Scriptura tempora similiter computari; nempe 2 Sam. 15. 7. Isai. 7. 8. Ezech. 1. 1.

על־היאר *Juxta fluvium*] *Jeor* proprie *rivum* significat; asserit autem R. Salom. nullum fluvium vocari *Jeor* præter Nilum; eum vero sic appellari, quod tota terra hominum manibus formetur in rivos, in quos Nilus influens terram irrigat, cum in Ægypto raro pluat.

2. באחו *In prato.*] R. Salom. exponit באגם, *in palude*; מריש *Marish*, sic vernacule appellari dicit. Aben Ezra ait quosdam interpretari *vallem, in qua sunt plantæ*; alios autem dicere, esse *nomen plantæ*. Onkelos, באחוא, Hebræam vocem, addita duntaxat, more Chaldæorum, litera Aleph in fine, retinuit. Fagius exponit, *in prato*; atque ita etiam in Lexico suo Syro Chaldaico Buxtorfius. Jonathan, בגו אחוא, *in fossis*. Lxx. ἐν τῷ ἄχει, *in achi*. Hieron in Tradit. notat nec Græcum, nec Latinum esse vocabulum hoc *achi*, sed He-

bræum corruptum. Scholiastes testatur alios libros habere, ἐν τῷ ὄχθῃ, *in ripa.* Atque ita legisse Philonem, scil. libro de Joseph, [illegible] ὄχθαις νεμομένας, ut ejus verba citat Nobilius. Aliud Scholium habet, ἐν τῷ ἕλει, *in palude* : atque ita interpretatur Hieronymus. Ramban (referente Mercero) vult אחו esse nomen collectivum herbæ ad fluvios & stagna crescentis.

8. ותפעם רוחו *Et conturbatus est spiritus ejus.*] Sic Chaldæi, Onkelos & Jonathan, ומטרפא רוחיה. Atque hanc interpretationem sequitur R. Salom. qui tamen ad vim verbi explicandam addit, מקשקשת בתוכו כפעמון, i.e. *sonabat intra eum instar tintinnabuli.* Notat autem de Nebucadnezzare (Dan. 2. 1.) dici, ותתפעם רוחו (nempe in conjugatione Hitphael, quæ significationem verbi intendere ac augere solet) propterea quod duplex ei erat perturbatio, scil. ex oblivione somnii, & ex ejus interpretationis occultatione. Aben Ezra ait sensum esse, שהיה רוחו לגוף מוכה i.e. *quod spiritus* (Pharaonis) *similis erat corpori percusso*, פעם significat *percutere*, vel *pulsare*; unde פעמון, *campana*, vel *tintinnabulum*, à percussione seu pulsatione sic dictum.

Et vocavit omnes חרטמי *magos Ægypti.*] Aben Ezra ait, חרטמים forte esse vocem Syriacam, vel Ægyptiacam; significare autem חכמי תולדות, i. e. *peritos naturæ.* Similiter ad Exod. 7. 11. *exponit peritos secreti naturæ.* Atque ait forsan esse dictionem Ægyptiacam, vel Chaldaicam, quia non invenitur nisi ubi de Ægyptiis aut Chaldæis agitur. Atqui Fullerus Miscell. lib. 5. cap. 11. hac ipsa ratione colligit, nec Chaldaicam esse, nec Ægyptiacam, sed Hebraicam. Si enim Chaldaica est dictio, quorsum, ubi de Ægyptiis sermo est, usurpatur? Si autem Ægyptiaca, quare occurrit ubi de Chaldæis agitur? Jachiades in Dan. 1. 20. ait, החרטמים הם החכמים בשכל העיוני, i. e. *Hartummim sunt sapientes intellectu theoretico.* Constantinus L'Empereur ibid. in Annotationibus suis ait istos Hartummim sua rerum naturalium cognitione abusos esse, atque præstigiis ac nefariis artibus operam dedisse, quemadmodum Exodi liber affatim docet. Ac citat autorem *fasciculi myrrhæ* dicentem, כל מכשף שהוא עושה מופת ומגיד עתיד בשמה נקרא חרטום, i. e. *Omnis præstigiator, quique mira patrat, & futura cum stupore prædicit, dicitur Hartom. Quocirca* (inquit) *vox* Magi *optime quadrat; Nam primo sapientes sonat*, cujusmodi fuere & חרטמים, prout videre est Exod. 7. 11. ubi inter sapientes collocantur: & Dan. 5. 11. ubi cum Daniel eis præfectus dicatur, inter meros præstigiatores non fuisse constat. *Deinde quemadmodum* חרטמים *ad nefarias artes sese applicarunt, pariter & magi.* Hæc L'Empereur, qui vult חרטום esse ex חרש, quod Syriace *magum* sonat, ut ש in ט permutetur, ם autem sit heemanticum. Judæorum autem etymologiam, tanquam nugacem, rejiciendam dicit, qui volunt חרטמים esse נחרים בעצמות כשרי מתים, i. e. *ardentes*, seu *ardenti studio in cadaverum ossibus occupatos.* Atque ita quidem hanc dictionem exponit R. Salom. incertum (ut notat Mercerus) etymon afferens. Fullerus loc. cit. vult חרטום deductum esse à חרט *calo*, *stylo*, ac significare eum, qui superstitiosos quosdam characteres, picturas? imagines, figuras, aliaque ejusmodi notissima Magices subsidia adhibebat in nefariæ divinationis suæ operibus exequendis. At si חרטום quandoque in bonam partem accipiebatur (quod ex Dan. 5. 11. licet colligere) altera etymologia, nempe à Syriaco חרש videtur convenientior. Onkelos certe & Jonathan hic pro חרטמי habent חרשי, i. e. *magos.* Ita etiam Symmachus transtulisse dicitur μάγους. LXX autem ἐξηγητὰς, *interpretes.* Aquila, ἐπαοιδοὺς, *occultatores*, vel *rerum occultarum cognitores, seu professores.*

10. *Pharao iratus fuit servis suis.*] Ex hoc, atque aliis istiusmodi locis Aben Ezra colligit Pharao non esse nomen proprium hujus aut illius regis, sed omnium regum Ægypti commune; כי אין דרך המוסר לחזכיר עם המלכים שם הענם, i. e. *Non enim civilitatis est, ut qui cum regibus colloquuntur, propriis nominibus eos compellent.* Ita sane est, quemadmodum omnes Romani Imperatores appellati erant Cæsares, sic & omnes reges Ægypti Pharaones.

13. *Me restituit in locum meum, & illum suspendit.*] Id est, Pharao me restituit, &c. is in cujus potestate erat restituere, &c. Sic R. Salom. exponit, atque asserit *ubicunque Scriptura istiusmodi brevitate utitur, intelligendum esse de eo, penes quem est facere.* Aben Ezra etiam ad Pharaonem refert; addit autem nonnullos de Josepho interpretari, שהוא בדברו השיב ותלה בפתרון, i. e. *quod is verbo, vel interpretatione restituit, & suspendit.* Ita Targum Jonathanis, יתי אתיב במליה על סדר שימושי ויתיה צלב, i. e. *me restituit verbo suo in ordinem ministerii mei, & illum suspendit.* Coactum sane mihi videtur alio referri quam ad Josephum; is autem unum restituisse, alterum suspendisse dicitur, quod ita eorum somnia interpretatus est, ut illum restituendum, hunc autem suspendendum esse significaret. Similis est locutio Jer. 1. 10.

15. תשמע חלום *Audies somnium.*] R. Salom. monet verbum שמע, *audire*, hic positum esse pro *intelligere, ac attendere*; לשון הבנה והאזנה. Vide supra cap. 11. 7.

16. בלעדי *Non est in me, &c.*] Vel, *sine me, &c.* Ita vocem Hebræam proprie significare, & Vulgatum recte transtulisse, *Absque me Deus respondebit, &c.* asserit Fagius in Collat. At accentus Athnac arguit vocem istam non connectendam esse cum sequentibus, sed seorsim sumendam, *Non est in me*, scil. *interpretari somnia; hoc ad Deum pertinet; is est, qui respondebit; &c.* Onkelos, לא מן חכמתי, *non ex sapientia mea, sed à facie Domini respondebitur pax Pharaoni.* Similiter R. Salom. אין החכמה משלי אלא אלהים יענה יתן ענייה בפי לשלום פרעה, i. e. *Sapientia ista non est ex me, sed Deus respondebit; responsionem ponet in ore meo, in pacem Pharaonis.* Potest etiam sic exponi, בלעדי, *præter me*, vel *absque me est*, nempe, qui interpretetur; *Deus respondebit, &c.* Ita Aben Ezra refert nonnullos interpretari; atque ita infra ver. 44. ובלעדיך, *& absque te*, (i. e. absque autoritate tua) *non elevabit quisquam manum suam, &c.* Jonathan hic sensum pervertit, בר מני לא אית גבר דפשר חלמין, i. e. *Præter me non est vir qui interpretatur somnia.* Quasi Ioseph hic in animo habuerit sese aliis anteferre, cum id potius studuerit, ut omnis gloria ipsi adempta Deo tribueretur. LXX, ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ, *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.* Hieron. in Tradit. ait in Hebræo aliter habere, nempe sic, *Sine me Deus respondebit pacem Pharaonis.* Addit Symmachum apertius transtulisse, *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni.*

23. *Et ecce septem spicæ* צנומות *arefactæ.*] Aben Ezra notat hanc vocem nusquam alibi in Scriptura reperiri; exponit autem per ריקות, i. e. *vacuas, inanes.* Addit quosdam dicere quod significet צלמים, i. e. *imagines*; sic enim in lingua Arabica significare asserit. Videntur qui ita interpretantur id velle adeo inanes fuisse istas spicas, ut simulacra potius spicarum, quam spicæ fuisse viderentur. R. Salom. exponit, *aridas atque exsuccas, instar rupis*, quæ Syriace צונמא dicitur. Mercerus refert quosdam exponere מעוטות, i. e. *exiguas*, quod ita vox ista in Talmud usurpetur; quanquam & in Talmud vocem istam varie exponi ait; alios enim צנומה exponere יבשה, i. e. *aridam*: alios autem פרודה, i. e. *divisam, aconfractam*; atque ita hoc in loco fere interpretari Ramban. Concludit *emarcidas, & nullius succi* significare. Onkelos interpretatur נצן, atque ita etiam Jonathan, i. e. *marcida*, ut vertit Fagius. R. Sal. ait sic appellari à נץ, i. e. *flore*, quod scil. אין בהם אלא נץ, i. e. *nihil eis inerat nisi flos*; granum non habebant. Ramban autem (ut refert Mercerus) exponit נצן à נצו in Talmud, pro *declivi*, ut hæ spicæ demissæ, & concavæ, ac vacuæ fuerint. LXX videntur hanc vocem præteriisse; ac similiter Vulg. Forte putarunt idem plane significare cum voce sequenti דקות, i. e. λεπταὶ, *tenues.*

29. *Ecce septem anni veniunt* שבע גדול *abundantia magna.*] LXX, εὐθηνία πολλή, *abundantia magna*, scil. *erit.* Hier. in Tradit. miratur LXX hic interpretari שבע *abundantiam*; supra autem cap. 26. 33. vertisse *juramentum.* At nulla mirandi caussa est, dum non eadem utrobique sit dictio. Hic enim est שבע *abundantia, saturitas*; illic autem שבעה quod & *septem* significat, & *juramentum.*

34. וחמש *Et quintabit terram Ægypti.*] Id est, ut exponit Aben Ezra, ויקח חמישית, *quintam partem terræ possidebit.* Ita etiam Jonathan, *Faciet Pharao, & constituet procuratores super terram; qui accipiant* חד מן חמשא *unum ex quinque*, i. e. quintam partem, *ex omni frumento terræ Ægypti.* Similia habet & Targum Hierosolymitanum. Onkelos autem interpretatur, ויזרז, *& muniat*, vel *armet* (a), quemadmodum (quod notat R. Salom. qui etiam huic expositioni consentit) חמושים *armatos* significat. Sed prior interpretatio est simplicior, idque Mercerus magis probat, ut hic quemadmodum cap. 47. 24. *quintatio* significetur. LXX, καὶ ἀποπεμπτωσάτωσαν πάντα τὰ γεννήματα τῆς γῆς Αἰγύπτου, *& deponant quintam partem omnium fructuum terræ Ægypti.* Vulg. *Et quintam partem fructuum, &c.*

40. ועל פיך ישק כל עמי *Et juxta os tuum* (seu *ex mandato tuo*) *gubernabitur omnis populus meus.*] Vel, *armabitur.* Sic Fagius vertit in Collat. at in Chald. Paraph. ait sensum à Paraphraste expressum esse simplicissimum, nempe ועל מימרך יתזן כל עמי *& juxta verbum* (seu *mandatum*) *tuum cibabitur omnis populus meus.*

(a) *Armare* (inquit Fagius) *metaphoricôs accipit pro prospicere, providere.*

meus. Ita etiam Jonath. ועל גזירת מימר פומך יתזן כל עמי, *& juxta decretum verbi oris tui cibabitur omnis populus meus.* Similiter R. Sal. per interpretatur, יזון יתפרנס כל צרכי עמי יהיו נעשים, ישק זן, *cibabitur, sustentabitur. Quæcunque necessaria sunt populo meo, manu tua* (imperio tuo) *fient.* Aben Ezra in *armandi* significatione accipit, ut sensus sit, *Josephum fore ducem exercitus.* Kimchi (ut refert Fagius) per *osculari* exponit, hoc sensu, *Os tuum osculabitur omnis populus meus*, hoc est, *te suspiciet, venerabitur, colet, atque te dominum esse agnoscet.* Mercerus ait Kimchium istam expositionem aliis attribuere, ipsum autem ex significatione נשק, i. e. *armorum* interpretari, atque hoc sibi maxime arridere. Verbum נשק plerumque denotat *osculari*, nonnunquam autem *armari*, ut Psal. 78.9. נושקי, *armati*: si per constructionem liceret, non gravate hic exponerem, *osculabitur*, cum osculum obsequii ac subjectionis signum fuisse constet 1 Sam. 10. 1. 1 Reg. 19. 18. Hos. 13. 2. Psal. 2. 12. Sed nescio an על פיך ישק exponi possit, *os tuum osculabitur*; ego certe נשק pro *osculari*, cum præpositione על constructum alias non reperio. Simplicius igitur videtur interpretari, *juxta os tuum*, i. e. juxta mandatum tuum, *armabitur.* LXX sensum recte expresserunt, ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου. Et Vulg. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Drusius putat sensum esse posse, *Ad os tuum*, i. e. *sermonem tuum, osculabitur regem, quem volet è populo.* At id à simplici verborum sensu alienum puto.

42. *Et induit ei* בגדי שש *vestes byssinas*] Onkelos & Jonathan, לבושין דבוץ quod idem sonat. Sic LXX, καὶ ἐνέδυσεν αὐτὸν στολὴν βυσσίνην. Et Vulg. *vestivitque eum stola byssina.* De vocabulo Hebræo שש fuse admodum, nec minus erudite tractat Bootius Animadvers. lib. 2. cap. 1. ubi notat Syrum & Chaldæum semper vertere בוץ, similiterque Græcos βύσσος (quod ex בוץ factum est) & Hieron. *byssum*; solos autem Tremell. & Piscatorem pro *bysso* malle *xylinum.* Istam vero interpretationem ex eo rejicit ac refellit, quod שש pretiosissimum fuit genus vestis, & regum duntaxat atque magnatum gestamen, ut liquet ex hoc loco, & Prov. 31. 22. & Ezech. 16. 11, 13. tantum denique de bysso discimus ex Luc. 16. 19. Apoc. 18. 12. & 19. 8, 14. Ast Plinius de *xylinis* nihil amplius tradit (lib. 19. cap. 1.) nisi *vestes inde Ægypti sacerdotibus gratissimas esse, quia candore mollitiave nulla sint eis præferenda*: duæ autem istæ notæ, *candoris*, & *mollities*, haud suffecerint ad summum eis pretium, summumque honorem conciliandum. Addit neque eos audiendos, qui שש interpretantur *sericum*, quum Ezech. 16. 10, 13. משי quod omnium consensu *sericum* significat; & שש distincte ponantur, tanquam duæ res diversæ. Quin & eos similiter errare, qui *byssum de serico vel bombycino* interpretantur, in quo errore non solum hoc citeriore ævo, sed & ante multa secula nonnullos fuisse ostendit. Asserit denique byssum revera *lini* quoddam genus esse, ut ex Plinio loc. cit. constat; ac inter omnia lini genera proximum ab asbestino principatum obtinuisse, adeo ut quondam pari pretio atque ipsum aurum permutata fuerit. Minus igitur recte Aben Ezra ad Exod. 25. 4. exponere שש per כר, & Kimchium in Radic. per פשתן, i. e. *linum* quomodo & Munsterus plerunque interpretatur. *Accuratius* (inquit) *istu Mercerus in Dictionario Pagnini* שש *byssum, esse genus lini subtilissimi, candidissimi, & omnium pretiosissimi*; qualia habet etiam ad Genes. 41. 42. &c.

43. *Et clamaverunt ante eum*, אברך *genu flecte.*] Ut Aleph sit loco He, more Chaldaico, אברך pro הברך. Ita Fagius in Collat. refert Kimchium exponere. Aben Ezra autem in futuro accipit, hoc sensu, *Quisque coram eo clamabit, humiliabo & incurvabo me*, i. e. *honorem ei exhibebo.* Sed non solent clamare quid ipsi facient, sed quid alii facere debeant. Onkelos interpretatur in hunc modum, *Et clamaverunt coram eo*, דין אבא למלכא *hic est pater regis.* Quasi אברך sit compositum ex אב *pater*, & רך *rex.* R. Salom. hanc interpretationem secutus, notat רך Syriace *regem* significare. Jonath. eadem cum Onkelo verba habet, atque insuper addit, רב בחכמתא ורכיך בשניא, i. e. *grandis sapientia, & tener annis.* Ubi altera quædam vocis compositio insinuatur, nempe ex אב *pater*, & רך *tener.* Atque ita etiam Targum Hierosolymitanum, *Et clamabant coram eo, & dicebant*, יחי אבוי דמלכא דרב בחכמתא ורכיך בשניא, *vivat pater regis, qui est grandis sapientia, & tener annis.* R. Salom. refert & R. Judam ad istum modum interpretari; addit autem, *Ben Dormaskith dixisse R. Juda, Quousque pervertes Scripturas? Abrech non nisi ex Bircajim* (i. e. *genibus*) *significationem suam habet; ac sensus est, omnes sub manu* (seu potestate) *ejus ingressos egressosque fuisse.* LXX. καὶ ἐκήρυξεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ κῆρυξ, *& clamavit ante eum præco.* Quasi אברך *Abrec præconem* denotaret. Hieron. in Tradit. testatur Aquilam transtulisse, *Et clamavit in conspectu ejus, ad geniculationem*: Symmachum autem ipsum Hebraicum sermonem posuisse, *Et clamavit ante eum Abrech. Unde* (inquit) *mihi non tam præco sive adgeniculatio, quam in salutando, sive adorando Joseph accipi potest, intelligenda, quam id quod Hebræi tradunt, dicentes, patrem tenerum ex hoc sermone transferri.* אב *Ab, quippe dicitur* pater; רך Rech, delicatus, *sive tenerrimus, significante Scriptura, quod juxta ætatem tenerrimus adolescens & puer.* Hæc Hieron. Unde apparet interpretationem istam, quæ in Targum Jonathæ, & Hierosolymitano habetur, satis esse antiquam, quicunque tandem istorum Targumim autores fuerint. Sed quantumcunque antiqua sit, ego jocularia esse judico. Mercerus putat dictionem אברך esse Ægyptiacam, licet ad fontem Hebraicum reduci possit: qui autem vocem faciunt compositam ex אב & רך, eos misere dictioni vim facere arbitratur.

45. *Et vocavit Pharao nomen Josephi* צפנת פענח *Tsaphenath Paaneach.*] Onkelos, גברא דמטמרן גלין ליה, *vir cui secreta revelantur.* Ionathan, גברא דטמירן מפרסם, *vir qui secreta manifestat.* R. Salom. מפרש צפונות, *explicans abscondita.* Aben Ezra etiam huic interpretationi videtur astipulari; dubitat autem utrum voces sint Ægyptiacæ, quod si sint, eorum expositionem se nescire fatetur. LXX, Ψονθομφανήχ, *Psontomphanech.* Scholiastes refert Syrum habere, ὁ εἰδὼς τὰ κρυπτά, *qui novit occulta*: ac Philonem, κρυπτῶν εὑρετής, *occultorum inventor*, ἢ ὀνειροκρίτης, *vel somniorum interpres.* Nobilius ex Philonis libro de Ioseph hæc citat, μετονομάζει δὲ αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὀνειροκριτικῆς ἐγχωρίῳ γλώττῃ προσαγορεύσας, *Novum illi nomen imponit ex judicatrice somniorum facultate, vernacula lingua appellans.* Hinc apparet Philonem pro vocibus Ægyptiis accepisse. Iosephus etiam Antiq. lib. 2. cap. 3. *occultorum inventorem* interpretatur. Hieron. in Tradit. *Licet* (inquit) *Hebraice hoc nomen sonet absconditorum repertorem, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo sermone Ægyptio Salvator mundi, eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit.* Vulg. *Et vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi.* Nimium profecto audacter; Nam ut demus voces esse Ægyptias, quod maxime videtur verisimile, unde tamen constabit significare *Salvatorem mundi?* aut quomodo contra omnium aliorum Interpretum sententiam ista nobis probabitur expositio? Lyra fatetur se penitus ignorare linguam Ægyptiacam, ac propterea nescire utrum hoc nomen significet *Salvatorem mundi*, nisi in quantum id dicit Vulgata Translatio. Mercerus ait forsan Hieronymum ita ab Ægyptiis suo tempore intellexisse: at mirum mihi videtur neminem ex omnibus istis Interpretibus, qui unanimi consensu *occultorum inventorem*, seu *revelatorem* exponunt, ab Ægyptiis veram nominis significationem potuisse intelligere. *Dicat mihi aliquis* (inquit Amama in Cens.) *utra vox, prior an posterior* mundum *vel* Salvatorem *significet. Monstret quispiam ullum vestigium harum significationum ex lingua Ægyptiaca; afferat vel unam conjecturam, quæ versioni isti robur addat, & lubentes eam admittemus, utpote quæ magis factura esset ad mysterium Christi, cujus Josephum in plerisque typum fuisse pia tradidit antiquitas.* Hæc Amama, qui notat Ægyptiacam, Punicam, Arabicam, cæterasque Orientales linguas magnam cum Hebræa affinitatem habere, ejusque dialectos esse; unde probabile sane est hic צפנת etiamsi vox sit Ægyptia, significare tamen *abscondita*, prout Hebraice צפונות à צפן *abscondere.* Hac autem istius vocis significatione admissa, alteram dictionem, nempe פענח *inventorem* vel *revelatorem*, aut istiusmodi quiddam denotare, non est quod dubitemus. Hollingerus Exercit. Anti-Morin. thes. 40. citat Athanasium Kircherium in Prodromo suo Coptico similiter interpretantem hoc nomen, atque asserentem צפנת פענח idem esse quod Ægyptiacum seu Copticum Ψονθ Πανηχ, vel Ψονθομ φανηχ, quorum prius Ψονθομ in Ægyptiaca lingua, *futura*, Πανηχ vel φανηχ, *vatem* vel *augurem* significat, aut *eum, qui futura vel abscondita aperit*: atque omnes eos, qui futura prædixerunt, Ægyptiaca voce hac fuisse appellatos; maxime vero Mosen ab Ægyptiis cohonestatum fuisse, uti docet Chronicon Alexandrinum his verbis, τὸν Μωϋσῆν μετὰ τὸ ἐπαγαγεῖν αὐτόν, τὰς πληγὰς οἱ Αἰγύπτιοι Ψονθομφανὴχ προσηγόρευσαν, ὃ ἑρμηνεύεται, ὁ ἀποκαλύψας τὰ μέλλοντα. Ibidem etiam Kircherius testatur in Pentateucho Coptico, seu Ægyptiaco, qui hodie in Bibliotheca Vaticana asservatur, pro Hebræo צפנת פענח legi Ψονθομ φανηχ, quod satis arguit voces esse Ægyptiacas, nec de eo amplius videtur dubitandum.

Et dedit ei Asenath filiam Potiphera, &c.] R. Salom. ait hunc Potipheram esse Potipharum, cui in servum venditus fuit Joseph. Hieron. in Tradit. ad cap. 37. 36. ex Hebræis hanc narrat fabulam; *Tradunt* (inquit) *Hebræi, emptum ab hoc Ioseph ob nimiam*

nimiam pulcritudinem in turpe ministerium; & à Domino virilibus ejus arefactis, postea electum esse, juxta morem ἱεροφαντῶν, in pontificatum Heliopoleos; & hujus filiam esse (b) Asenath, quam postea Joseph uxorem acceperit. Et ad hunc locum sit, *Josephum domini quondam ac emptoris sui filiam uxorem habuisse.* LXX hunc pariter ac illum, cui servivit Joseph, vocant πετεφρῆν. Vulgatus item utrumque vocat (c) *Phutipharem.* Fagius etiam in Collat. ad cap. 37. 36. pro concesso sumere videtur Potipharum, cui venditus fuit Joseph, eundem esse cum Potiphera, de quo hic agitur. Inde enim argumentatur Potipharum illum non fuisse Eunuchum proprie dictum, quod liberos procreaverit. Ego autem Lyræ, Mercero atque Amamæ assentior, qui duos diversos homines fuisse sentiunt; quod ex eorum cum nominibus, tum officiis satis videtur manifestum.

. כֹּהֵן אוֹן *Sacerdotis, vel principis On.*] Aben Ezra exponit, עובד השם או עובד ע״ז, i. e. *colentis Deum, vel colentis idola.* Atque addit se existimare nomen *Cohen* semper in Scriptura significare משרת, i. e. *ministrum.* Onkelos autem & Jonathan interpretantur כהן per רבא, i. e. *principem.* Nec video quomodo ista Aben Ezræ sententia defendi queat, si per משרת, i. e. *ministrum*, is qui Deo in sacris ministrat, intelligatur, cum Davidis filii 2 Sam. 8. 18. כהנים appellentur. Ubi Chaldæus, רברבין *principes, magnates.* Ita etiam R. Salom. quam interpretationem & Kimchi probat, & addit, כלומר גדולים היו וממונים על כלם, i. e. *quasi dicat, magni* (seu magnates) *fuerunt, & super omnes constituti.* Similiter exponit R. Levi, ח״ל שרים ומושלים, i. e. q. d. *principes & dominatores.* Vide infra ad cap. 47. 22.

47. *Et protulit* (ad verb. *fecit*, וַתַּעַשׂ) *terra in annis ubertatis* לִקְמָצִים *manipulos, vel manipulatim.*] Id est, ut explicat Mercerus, *magnam frumenti copiam, ita ut per manipulos colligeretur, & inferretur in horrea.* קֹמֶץ est *pugillus*, item *manipulus*; in plurali קְמָצִים, ut à בֹּקֶר *aurora*, בְּקָרִים. Onkelos vertit, *Et collegerunt incolæ terræ in septem annis ubertatis frumentum in horrea.* Accepit *terram* pro *terræ incolis*, & קמצים interpretatus est *horrea.* Hanc interpretationem non probat Mercerus, nec eum loci sensum esse existimat, sed potius ubertatem primorum septem annorum describi. Atque hoc rectum esse non dubito, licet & R. Salom. cum Onkelo terram pro incolis terræ positam existimet, & illud לקמצים similiter de *collectione frumenti* interpretetur, quamvis interim usitatam vocis significationem retineat, קומץ על קומץ יד על יד היו אוצרין, i. e. *pugillo super pugillum, manu super manum*; (ambabus, quod ajunt, manibus) *recondebant*, scil. frumentum.

50. *Antequam veniret annus famis.*] Hinc R. Salomon observat *non licere homini tempore famis liberis procreandis operam dare*; מכאן שאסור לאדם לשמש מטתו בשני רעבון. At certe hoc in loco observatio ista fundamentum non habet.

51. כִּי־נַשַּׁנִי *Nam oblivisci me fecit, &c.*] De hoc verbo נשני Grammatici inter se dissentiunt. R. Jehuda (teste Aben Ezra, qui eum vocat ראשון המדקדקים, i. e. *Grammaticum primum*) vult esse ad formam & בנני, ut radix nempe sit נשש. At R. Moses Sacerdos Hispanus asserit Pathac esse loco Chiric, ut sit à radice נשה in Piel. Sane verbum נשה pro *oblivisci*, est satis frequens; נשש autem alibi nusquam occurrit; sed nec usitatum est ut verba in Kal istiusmodi significationem habeant; ego igitur R. Mosi potius assenserim.

56. *Et aperuit Joseph* אֶת־כָּל־אֲשֶׁר בָּהֶם *Omnia in quibus*] Scil. erat frumentum. Sic Onk. & Jon. *omnia horrea in quibus erat frumentum.* Aben Ezra exponit, *horrea, quæ inter eos erant.* Sensus eodem recidit.

וַיִּשְׁבֹּר לְמִצְרַיִם *Et vendidit Ægyptiis.*] Versu sequenti idem verbum pro *emere* usurpatur. R. Salom. notat hoc verbum שבר non tantum de terræ frugibus (תבואה) usurpari, sed etiam de vino & lacte, Isai. 55. 1. Proprie ac primario verbum istud significat *frangere*; inde autem est nomen cum sex punctis, שֶׁבֶר pro *frumento*, quo fames frangitur. Atque hinc rursus verbum שבר pro *frumentari, frumentum parare, frumentum emere*, & (quemadmodum in hoc loco) *frumentum vendere.*

(b) *In nonnullis libris perperam scribitur* Asenech. (c) *Targ. Jonath.* Et dedit ei Asenath, quam peperit Dina Sichemo, & educavit uxor Potipheræ, principis Tanis. *Atque eadem habet cap. 46. ver. 20.*

CAP. XLII.

MUNSTERUS.

1. ASpicitis] Ponitur hic verbum intransitivum, & exponitur per R. David in hunc modum, למה תתראו עצמכם, *Ut quid aspicitis vos ipsos?* Et quod sequitur, *Audivi quod sit frumentum in Ægypto*] Hebraica proprie sic habent, *Audivi fractionem esse in Ægypto*, vocans scilicet frumentum *fractionem*, לפי שהוא שובר הרעב, *eo quod frangat famem.*

5. *In medio simul venientium*] h. e. Apparuerunt fratres Josephi inter alios qui venerant emere frumentum.

9. *Nuditatem*] Hebraica vox ערוה plerunque in Scriptura usurpatur pro *turpitudine & verendis hominis*; hic vero capitur transsumptive pro *nuditate terræ*, ubi scilicet facile expugnari potest. Alii exponunt סוד הארץ, *arcanum terræ.*

11. *Recti sumus*] Plurale כנים est à singulari כן *ita*, *verum* seu *rectum est.* R. S. interpretatur אמתיים *veraces*, sicut & Aben Ezra נאמנים, i. *fideles*, exponit.

15. *Vivit Pharao*] Vel, ut Hebraica habent, *per vitam Pharaonis.* Et est modus jurandi, nedum apud Ægyptios, verum & apud Hebræos consuetus; ut, *Vivit Deus, Vivit anima tua*: sicut & Latini dicunt, *Per Deum vivum.* Et nota quod pro חי *he* fuerat dicendum חיי *heje*; est enim plurale constructivum ab absoluto חיים, sed per syncopen tollitur Jod essentiale, & manet Iod plurale.

19. *Frumentum contra famem*] Habet Hebraicus textus, *fractionem famis*: sed jam supra diximus, per *fractionem* intelligi *frumentum.* Aben Ezra post Onkelum exponit רעבון pro צורך *necessitate*; ut sit sensus, *Ferte vobiscum frumentum, quo opus habent domus vestra.*

23. *Audiret*] Capitur hic שמע pro הבין, i. *audire* pro *intelligere.* Fingebat enim Ioseph se Hebraice non intelligere; ideo loquebatur ad eos per interpretem; quem Hebræi putant fuisse Menassen filium Ioseph, qui & Hebraice & Ægyptiace sciebat. Et quod sequitur, *Simeonem*] dicunt Hebræi quod is Ioseph in lacum conjecerit, ideo eadem mensura remensum est illi qua fratri mensus fuerat, ut scilicet ipse præ cæteris in carcerem conjiceretur.

28. *Evanuit*] Hebr. *egressum est cor illorum.* Idiotismus est pro, *destitui viribus*: sicut & Germani dicunt, *elapsum est illi cor*, cum quis in magno discrimine, desperato est corde.

33. *Alimenta*] Hebraica sic habent, *& famem, seu defectum, domorum vestrarum tollite*; & secundum Kimhi est defectiva locutio, pro שבר רעבון, i. *tollite frumentum quod frangit famem.* Vel post etiam intelligi כפשוטו, i. *secundum literam*, in hunc sensum, *Famem, seu defectum, domorum vestrarum*, h. e. alimentum quo destituuntur & deficiunt domus vestræ, *tollite vobiscum.* Et quod sequitur, *Negotiando perambulate*] sciendum quod סחר proprie significat *ambulare* אחר הפרקמטיא, *post nundinationes.*

FAGIUS.

1. QUid vos ostentatis?] i. Quid vos ostentatis coram hominibus, quasi vos nullam famem patiamini, frumentis abundetis, & nihil vobis deficiat? In hunc sensum intelligunt & exponunt A. E. & R. D. K. Verba Kimhi sunt hæc, למה תתראו עצמכם שאתם שבעים ויש עמכם אוכל כי כל שאר העולם הולכים לשבור שבר ואתם יושבים, *Cur ostentatis vos quasi saturi sitis, ac sit vobis esca? Omnis siquidem mundus proficiscitur ut emat frumenta, & vos cessatis?* Alii legunt, *Quare vos ipsos mutuo aspicitis?* ut sit sensus, Quid differtis? quid cessatis & moram trahitis? Solent enim se mutuo aspicere qui moras nectunt in aliqua re. Et nos Germani hoc schemate quoque utimur, Was sehet ihr einander an? pro, *Quid moram trahitis? cur non maturatis?* Atque hunc sensum sequuntur LXX, qui legunt, *Quid pigri estis?* & Vulgata Editio, *Quid negligitis?* Sunt præterea qui legunt, *Quare consideratis vos ipsos?* i. Quare non consulitis aliis ut vobis? Quare prospicitis vobis tantummodo? Cur non consideratis quo modo possitis alere totam familiam, &c. Nec desunt qui legunt, *Quid contenditis invicem? cur non abitis & emitis frumenta vobis, ut alii faciunt?* Item, *Cur negatis, sive celatis, famem?* Vel, *Cur tabescitis fame?*

fame? Inter omnes istas lectiones duæ primæ simpliciores & veriores esse videntur.

4. *Accidat ei mors*] Ad literam est, *ne forte occurrat ei mors. Occurrere* autem pro *accidere* usurpat Hebraismus. Vult dicere, *ne forte moriatur.*

9. *Rupturam terræ*] i. ubi inermis & imbecillis sit, & qua parte hosti aditus & ingressus pateat, ut facile expugnari possit. Verum quia ערות etiam *infirmum* & *turpe* significat; quidam legunt, *Venistis ad explorandum & perscrutandum infirmiora*, sive *turpitudinem* & *nuditatem terræ*, ut Hebraismus habet, h. e. qua parte nudi & minus muniti sumus. Idem cum priore sensus.

11. *Recti sumus*] R. Salom. exponit אמתיים, *veraces*; Aben E. נאמנים, *fideles.* כן Hebræis *rectum*, *firmum*, *solidum* ac *stabile* significat: hinc כנים pluraliter, q. d. Tales sumus qui non fallimus; Vera, solida ac firma sunt quæ loquimur; Recti, veraces, sinceri sive probi sumus. Germanice, Wir sind auffredliche/ warhafftige Menner/ &c.

13. *Non ipse exstat*] Periphrasim mortis hanc locutionem esse volunt, q. d. Non superest amplius, mortuus est. Sicut & infra dicit Jacob, *Non descendat filius meus vobiscum, quoniam frater ejus mortuus est*, &c. Mihi omnino videtur istius locutionis usus esse, ubi non certo constat de morte alicujus, ignoratur quo pervenerit, dubitatur num adhuc in vita sit necne. Unde & de Hanoch supra c. 5. 24. usurpatur, quem non naturaliter mortuum, vitaque defunctum, sed ex hoc mundo translatum esse sentiunt.

15. *Vivit Pharao*] i. Per vitam Pharaonis. Ita solebant Ægyptii jurare; quemadmodum Hebræi, *Vivit Dominus*, quod vita hominum ab eo pendeat. Scribunt Hebræi, adhuc hodie moris esse in Ægypto, ut si quis juret per caput Regis, & non præstet, morte plectatur; Nec permitti ut vel auro vel ulla alia re vitam suam redimat.

23. *Quod intelligeret Joseph*] Ad literam est, *quod audiret Joseph. Audire* enim pro *intelligere* sæpe usurpat Hebraismus. Estque communicatio sensuum, & translatio ab externis sensibus ab interos.

25. *Et fecit eis sic*] i. *Ita cum eis egit*, sub. *is cui istud injunxerat Ioseph.*

28. *Et egressus est sensus cordis eorum*] Heb. *Et egressum est cor eorum.* Hebraismus est pro, *conciderunt*, *obstupuerunt*, *exanimati sunt.* Sic & Germanice dicimus, Jhm empfiel das Hertz/ der Mut/ &c. Vehementi stupore & metu percelluntur, cum magis gaudere & exsultare deberent: Sed pavida conscientia, quæ est incorruptus judex, & mille testes, conscia mali, tandem arguit eos.

30. *Habuitque nos tanquam exploratores*] Ad verbum, *Et dedit*, sive *tradidit*, *nos tanquam exploratores.* Quod bifariam intelligunt: Vel *tradidit nos*, sub *in custodiam*, *in carcerem*, *velut exploratores*: ut sit oratio concisa & ecliptica. Vel hoc sensu quem nos posuimus, ut sit, *dedit*, sive *tradidit*, pro, *habuit*, *reputavit*, sive *existimavit*, *nos tanquam exploratores.*

38. *Deducetis canitiem meam cum dolore in sepulcrum*] i. Deducetis senium meum cum mœrore in sepulcrum: h. e. Efficietis ut ego senex mœrore & tristitia moriar.

IDEM.

1. ויאמר יעקב לבניו למה תתראו, *Et dixit Jacob ad filios suos, Quare vos mutuo aspicitis.*] Variatio est in verbo תתראו, quod cum sit verbum retransitivum, seu reciprocum, Conjugationis Hithpael, varie etiam ab Hebræorum expositoribus explicatur. Quidam ad verbum sic interpretantur, *Quare aspicitis vosmetipsos?* &c. Vide supra. Alii sic legunt, *Quare consideratis vosipsos?* Vide supra. Nonnulli vertunt, *Quid contenditis*, eo quod istud verbum in conjugatione Hithpael pro *contendere*, *pugnare & præliari* alicubi usurpatur, ut 2 Reg. 14. לכה נתראה פנים, *Veni & videamus nos facie tenus*; pro, Videamus quis altero superior esse possit in pugna. Et nos Germanice quoque sic loquimur, Laß sehen was kanstu/ ubi quis cum aliquo in arenam descendere atque vires suas experiri conatur. Annotavit quoque R. Salomo esse qui per verbum ראה, quod *celare*, *negare*, item *tabescere* & *fame perire* significat, interpretantur hoc modo, למה תהיו כחושים ברעב, *Cur negatis* sive *celatis, famem?* vel, *cur tabescitis fame?* Sed quamcunque lectionem secutus fueris, omnia in eundem recidunt sensum: Voluit enim Jacob isto sermone eos adhortari ut sibi de frumentis ut cæteri homines in Ægypto prospicerent.

VATABLUS.

1. *Videns autem*, וירא] i. Intelligens. *Videre* pro *intelligere* ut & *audire*, frequens est Hebræis: estque communicatio sensuum, & translatio ab externis sensibus ad internos. ¶ *Frumentum*, שבר] *alimentum*, *annona.* ¶ *Aspicitis vosipsos?* תתראו] Mutuo se aspicere dicuntur homines, dum alius alium exspectat, & inopia consilii nemo quicquam tentare audet. Sic solent facere cessatores & desides, qui inviti ad opus se accingunt, alios sinentes agere. Alii, *Quid aspicitis vosipsos, tanquam saturi, & qui alimenta habeatis, cum alii eant ad emendum? Quare rationem vestri tantum habetis, & non aliorum?* Alii (ut refert doctus inter Hebræos) *Quare contenditis inter vos?* acsi dicat, Quare uno consensu non descenditis in Ægyptum ad emendum frumentum?

4. *Dixit*, אמר] sub. *apud se.*

5. *In medio venientium.* בתוך הבאים] Chald. paraph. *cum aliis venientibus.*

6. *Et incurvaverunt*, &c. וישתחוו לו אפים ארצה] *& adoraverunt eum prono vultu in terram usque.*

7. *Et vidit*, וירא] *Et consideravit.* ¶ *Et alienum se ostendit eis*, ויתנכר אליהם] *& quasi alienus esset, alienum sese exhibuit*, q. d. non præbuit se cognoscendum illis, sed quasi ignotus esset, duriter est eos allocutus.

9. *Nuditatem*, ערות הארץ] *turpitudinem.* Significat partem regionis infirmiorem ac minus munitam. Alii, *infirma regionis.* Alii, *secreta.* Sic dicuntur pudenda, quod nunquam nuda sint, sed tegi soleant.

11. *Veraces*, כנים] *fideles*, *probi.*

15. *Vivit Pareh*, חי פרעה] Ad verb. *vita Pharaonis*, i. per vitam Pharaonis. Ita solebant Ægyptii jurare, quemadmodum Hebræi, *Vivit Dominus*; quod vita hominum ab eo pendeat. Scribunt Hebræi, adhuc hodie moris esse in Ægypto, ut si quis juret per caput Regis, & non præstet, morte plectatur, nec permitti ut vel auro vel ulla alia re vitam suam redimat.

16. *Vincti estote*, האסרו] Imperat. Heb. pro fut. *vincti eritis.*

18. *Et vivite*: וחיו] Imperat. Heb. pro fut. *& vivetis*, vel *ut vivatis*, q. d. Si vultis consulere vitæ vestræ.

19. *Custodia vestra*: משמרכם] i. in carcere in quo fuistis. ¶ *Frumentum ad expellendam famem*, &c. שבר רעבון בתיכם] Ad verbum, *frumentum famis domus vestræ.*

20. *Et verificabuntur verba vestra.* ויאמנו דבריכם] *tum demum verba vestra deprehendentur vera.*

21. *Nam vidimus angustiam animæ ejus*, אשר ראינו צרת נפשו] *cujus animæ tribulationem vidimus.*

22. *En jam sanguis ejus requiritur*, וגם דמו הנה נדרש] Ad verbum, *& etiam sanguis ejus ecce requiritur*, i. Ad mortem poscimur quod illum occiderimus: saltem in ea pericula conjecimus unde non speraremus emersurum.

23. *Intelligeret*, שמע] Ad verb. *audiens. Audire* pro *intelligere*, Hebræis usitatum. Vide v. 1. ¶ *Interpres fuerat inter eos.* המליץ בינותם] i. locuti fuerant prius cum Joseph, & Joseph cum illis per interpretem.

24. *In oculis eorum.* לעיניהם] i. ipsis cernentibus conjecit eum in vincula.

25. *Ut implerent*, וימלאו] Ad verb. *& impleverunt.* ¶ *Et fecit eis sic.* ויעש להם כן] i. ita egit cum eis ille cui illud injunxerat Joseph.

27. *Pabulum*, מספוא] Significat omnem cibum jumentorum præter paleam, ut hordeum, spicam, avenam. Hic datur frumentum. ¶ *Qui vidit*, &c. וירא את כספו והנה הוא] Ad verbum, *Et vidit pecuniam suam, & ecce erat*, &c.

28. *Et etiam ecce*, וגם הנה] Admiratio est. q. d. Non solum frumentum est in sacco, sed etiam ipsa pecunia. ¶ *Tum egressum est cor eorum*, ויצא לבם] Ad verb. *& egressum est cor eorum.* Hebraismus, pro, *exanimati sunt.* ¶ *Quid hoc est quod fecit Deus nobis?* מה זאת עשה אלהים לנו] *Quid hoc sibi vult quod, &c.* Alii, *Cur hoc fecit*, &c.

30. *Dominus regionis*, אדני הארץ] i. Qui præest provinciæ, sive qui primas tenet in ea regione. ¶ *Dura*, קשות] sub. *verba.* i. dure, sive duriter. *Et dedit nos*, ויתן אתנו] *& tradidit nos*, sub. *in carcerem.* Oratio est concisa & elliptica. Aut exponi debet, *dedit*, sive *tradidit*, pro, *habuit*, *reputavit*, sive *existimavit*, *nos tanquam exploratores.*

31. *Vera-*

31. *Veraces*, כנים] *Probi*, *Fideles.* ut v. 11. ¶ *Nunquam fuimus exploratores.* לא היינו מרגלים] q. d. Nunquam nobis venit in mentem ut exploraremus terram tuam, tantum abest ut hoc tempore tam calamitoso velimus explorare.

32. *Filii patris nostri* : בני אבינו] i. Nati eodem patre.

34. *Negociabimini*: תסחרו] i. Tunc in hac provincia emetis quæcunque volueritis.

35. *Ligatura*, צרור] Significat loculos in quibus reposuerant pecunias suas.

36. *Super me*, &c. עלי היו כלנה] *in me reciderunt* [Ad verb. *fuerunt*] *omnia ista.* i. Omnia ista infortunia reciderunt in caput meum.

37. *Da illum in manu mea*, תנה אתו על ידי] i. Committe illum fidei meæ.

38. *Si accideret*, &c. וקראהו אסון] Ad verb. *Et accidet illi mors in via ipsa per quam ibitis, & descendere facietis*, &c. i. Si moreretur per viam, mœrore & tristitia morerer.

CLARIUS.

1. *Quare negligitis?*] Heb. *Quare vos ipsos mutuo aspicitis?* qui mos loquendi vulgo est etiam apud nos.

11. *Pacifici venimus*] Vel, *integri & recti sumus.*

13. *Alius non est super*] Ille duodecimus non extitit. Intelligunt de Joseph: illumque aut non superesse, aut nescire se ubi sit. Conscientia facti adhuc terrebat eos, ut etiam loqui trepidarent de eo.

15. *Per salutem Pharaonis*] M. Basilius in Psal. 14. dicit esse quædam verba quæ jurandi quidem formam habent, non tamen sunt jusjuranda, sed ita formata sunt, & ad aliquam audientium utilitatem ficta: ut Joseph Ægyptium se fingens juravit *per salutem Pharaonis*, & Paulus 1 Cor. 15. *per gloriationem nostram, quam habeo in Christo Jesu.*

25. *Simeon*] Dicunt Hebræi quod is Joseph in lacum conjecerit, ideo eadem mensura remensum illi qua fratri mensus erat, ut scilicet ipse præ cæteris in carcerem conjiceretur.

38. *Ad inferos*] In sepulcrum.

DRUSIUS.

29. *Quæ evenerant*] *Eventus* Ebraice מקרה vocatur. An etiam קורה? Interpretes eo sensu accipiunt hoc loco, את כל הקרת אתם *eventa eis*, ut sit verbale constructum cum casu verbi sui. Nam casus verbi tribuitur aliquando nomini; ut apud Plautum, *servitus opulento homini*, quam quis servit opulento homini: & apud Salustium, l. 3. Hist. *Facta consultaque Alexandri æmulus erat.* Nam dicimus *æmulari facta.* Sic *eventa eis*, quæ evenerunt eis. Meo judicio, non nomen est קורת, sed participium à singulari קֹרֶה *eveniens*, cujus fœm. sing. קֹרָה & plur. קוֹרוֹת *evenientia*, *quæ acciderunt aut evenerunt.* Nam קוֹרָה nomen eo significatu non est in usu, quod sciam. Sic dico, קוֹרָה significat *trabem*, aut *tignum*, non *eventum*: קֹרָה autem, *id quod evenit*, licet idem esse videatur cum *eventu*, non tamen plane idem est. Nam *eventus* מקרה appellatur: קֹרָה autem tam de persona quam de re usurpatur. Præterea hoc participium est, illud nomen: & quamvis participium quandoque transeat in naturam nominis, tamen קֹרָה pro *eventu*, quod sciam, non invenitur. Sciunt hoc qui hanc linguam probe callent. Dico, probe callent, quia multi opinione vulgi sciunt quod nesciunt. Inter cæcos luscus rex est.

IDEM.

4. אסון A. *συμπτωμα*, *casus.* Sym. *κίνδυνος*; *periculum*] Sic Arias. Uterque Chaldæus, מותא *mors.* Nec aliter R. D. Pro *morte* & Gorionides usurpat. Hist. Jud. l. 6. c. 54. Abenmelech, *Mors quæ fit manibus hominum aut manibus cæli, i. Dei. Dixerunt autem doctores nostri, manibus hominum, spinæ, laquei; manibus Dei, leo, & fames. Dixerunt etiam; Omnia fiunt manibus cæli præter spinas, laqueos.*

9. מרגלים *Exploratores.* A. *ἐφοδευταί*; *inspectores*, sive *lustratores.*] Ἐφοδευταὶ, *qui urbes aut regiones obeunt & perlustrant.* Nam ἐφοδεύω, *obeo*, *percurro*, *lustro.* Tales etiam *κατάσκοποι* vocantur, i. *exploratores.* Qua voce nunc usi sunt οἱ ὁ. Sane Suidas ἐφοδεύοντας exponit *κατασκοπεύοντας.* Vide, si vacas.

11. כנים A. *ὀρθοί*, *recti.* Sym. *ἁπλοῖ*, *simplices*] ¶ *Recti*, sic Arias. Prius erat *εἰρηνικοί*, & in nostro, *pacifici*, i. שלמים. Onk. כיוני *recti.* Jonathan, מהימני *fideles.* Santes, *veraces.* Quod hausit ex scholiis Jarii Ebræi, vel certe à Davide Hispano, quem Camium cognominant.

12. ערות הארץ *Nuditatem terræ.* A. & Sym. *τὰ κρυπτὰ τῆς γῆς*, *loca occulta regionis*] Tralatio à pudendis, quæ occulta sunt & sub vestibus latent. Sed melius alii, *nuditatem terræ*, i. loca defensoribus nudata, præsidio nuda, infirma. Doctè interpres noster, *loca infirmiora & immunita.* Vult dicere, Minus munita, aut Non munita omnino.

15. תבחנו. A. & Sym. *ἐν τούτῳ δοκιμασθήσεσθε*, *in hoc probabimini.* ¶ חי פרעה, A. *ζῇ Φαραώ*, *vivit Pharao*] Sic Onk. חי פרעה. Cæteri variant. Lxx, *νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραώ.* Hieron. *per salutem Pharaonis.* Jonathan חיי דפרעה *per vitam Pharaonis.* Sententia in idem recidit. חי R. Juda censet esse singulare nomen: sed melius, ut sit plurale, contractum ex חיי *vita*, quod in plurali facit חיים, & caret singulari. Videndus Abenmelech ad hunc locum.

16. האסרו. A. & Sym. *δεθήσεσθε*, *vinciemini.*

27. את שקו A. *θύλακον.* Sym. *σάκκον*] Θύλακον. i. saccum, qui & *θύλαξ* dicitur. Lex. vetus, *θύλακος*, *follis.* Porro autem *sacci* vocabulum omnium fere linguarum est. Nam & Ebræi sic appellant, & Syri Chaldæi ve, & Arabes, & Græci, & Latini, ut omittam vulgares linguas, de quibus ὁ Φρόνιμος Ἰσμαηλίδης.

NOTÆ MAJORES.

1. *Videns autem Jacob frumentum esse in Ægypto, dixit filiis suis, Quare vos invicem aspicitis?*

Videns autem Jacob &c] In Ebræo est ad verbum, *Et vidit Jacob quod frumentum esset in Ægypto, & dixit Jacob filiis suis.* Vidit i. *audivit.* ita Hier. explicat. Sic alibi, *& populus videbat voces.* Poeta quoque apud Nonium, *vox ipsius certe est, idem omnes cernimus.* i. audimus. Consule Quæst. meas. Aut *vidit* i. intellexit. Videt oculus quæ aspicit: videt mens quæ intelligit. Hinc video pro intelligo etiam ponitur. Cum Hier. sentiunt R. Salomo, Abenezra, Hiscuni & alii: cui etiam favet quod mox sequitur, *ecce audivi frumentum esse in Ægypto.* Huc referunt ex Zach. 9. 5. *videbit Ascalon & timebit*: quod explicant, *audiet excidium Tyri.* Eodem accommodant, *videte verbum DOMINI*: de quo vide, si placet, Mosen Ægyptium Perplexorum lib. 1. cap. 45. ¶ *Frumentum esse in Ægypto*] כי יש שבר במצרים quod esset frumentum in Ægypto. Lxx. *ὅτι ἐστὶ πρᾶσις ἐν Αἰγύπτῳ*, quod frumentum venderetur in Ægypto. Πρᾶσις proprie venditio. Hic autem significare videtur frumentum venale. Hier. *quod alimenta venderentur.* Onkelos כי אית עבורא מזדבן quod frumentum venderetur, aut, quod esset frumentum venale, Jonathan, *quod fruges emerent & efferrent* & (exportarent. verbum è verbo, *adducerent.*) *frumentum ex Ægypto.* זבן emo, unde זבנין ementes. זבן vendo. שבר idem. Unde שבר *πρᾶσις*, venditio frumenti. ¶ *Quare vos invicem aspicitis*] למה תתראו. Lxx. *ἵνα τί ῥαθυμεῖτε*, quare segnes estis? Sic interpres Romanus. Licet etiam vertere, *quare desidetis?* Lexicon vetus *ῥαθυμῶ*, *desideo*, *dissimilo*, *supersedeo.* Idem Lexicon, *ῥάθυμος*, *desidiosus*, *deses*: *ῥαθυμία*, *segnitio*, *segnities*, *desidia.* Hier. *quare negligitis?* Jonathan, *Quare timetis descendere in Ægyptum?* Onkelos למא תתחזון quare vos mutuo aspicitis? Sed in Fagio, *Quid vos ostentatis?* Quod non est penitus rejiciendum. Nam etiam Abenezra Mosen ad hunc sensum enarrat. Sed & R. David, *Quare*, inquit, *ostentatis vos ac si nihil vobis deesset. Nam cum totus mundus in Ægyptum eat frumentandi causa, vos domi desidetis.* Sensum expressi, non verba. Nam in Ebræo ad verbum, *ac si saturi essetis, & cibum sive commeatum haberetis.* Operæ pretium est videre quæ Fagius ad hunc locum annotavit. Trem. *quare mutuo vos aspicitis? ut inopes consilii solent, cunctabundi & qui rei alicujus curam in alios rejiciunt.* Ante Fagius scripserat, *Quare vos ipsos mutuo aspicitis? Sensus est, quid differtis, quid cessatis & moram trahitis? Solent enim se mutuo aspicere qui moras nectunt in aliqua re. Et nos Germani hoc schemate quoque utimur.* Abenezra etiam exponit, *quare contenditis alii cum alio?* Quod R. Levi non improbat. Idem tamen magis probat, *Quare discurritis per terram Chanaan circumspiciendo ubi sit venale frumentum, cum in Ægypto ejus copia esse dicatur. Præstat ergo vos eo ire, nam in hac regione periculum vobis à Sichemitis, eorumque vicinis.* Quidam interpretantur, *Quare negatis vel celatis inopiam*; לשון מרמה ait R. Salomo. Videndus est Hiscuni. Harum interpreta-

pretationum ea maxime probanda, quam primo loco posui. Vide Mercerum.

2. *Et dixit, Ecce audivi frumentum esse in Ægypto: descendite illuc & emite nobis frumentum inde, ut vivamus & non moriamur.*

Frumentum esse] כי יש שבר. Lxx. ὅτι ἐστὶ σῖτος. שבר ergo σῖτος, quod supra πρᾶσιν interpretati sunt. Non male Hiero. *quod triticum venundetur.* Nam שבר venditio frumenti i. frumentum quod venditur, aut, ut Onkelos & Jonathan habent, עבורא זבין frumentum venale. Nam nisi fuisset venale, non misisset eo filios. Vox שֶׁבֶר etiam cladem denotat: unde innui putant ex ambiguo calamitates, quas posteri ejus perpessi sunt in Ægypto. ❡ *Descendite*] proprie. Nam in Ægyptum descenditur. Quanquam sunt qui litteris verbi רדו significatum putant numerum annorum, quibus Israelitæ fuerunt in Ægypto. Fuerunt autem, ut communis opinio est, annis centum decem. Abenezra Gen. 38. 1. ad locum, *descendit Judas a fratribus suis, Qui ab Aquilone*, inquit, *meridiem versus tendit, descendere dicitur. Quod scrutatores rerum satis intelligunt.* Vult dicere, caussam ejus locutionis notam esse sapientibus & Physicis. ❡ *Emite nobis frumentum inde*] שברו frumentamini sive emite frumentum i. emptum adferte aut asportate. Abenezra explicat קנו שבר comparate frumentum. Lxx. πρίασθε ἡμῖν μικρὰ βρώματα. Hier. *Emite nobis necessaria.* Onk. & Jon. זבנו emite.

3. *Descenderunt igitur fratres Josephi decem ad emendum triticum ex Ægypto.*

4. *Sed Benjamin fratrem Josephi non miserat Jacob cum fratribus ejus: dicebat enim, Ne forte accidat ei mors.*

Fratres Josephi] potuisset dicere, *filii ejus.* Sed elegit dicere, *fratres Josephi*, ut simul eos perstringeret, quos fraterna charitas à tanto scelere non cohibuisset, unde patrem in summum mœrorem conjecerunt. ❡ *Ad emendum triticum*] πρίασθαι σῖτον. Verbum è verbo, *ad frumentandum triticum.* Sed שבר, ut diximus, est emo. i. זבן. בר autem triticum, aut frumentum, id est עבורא. Hier. *ut emerent frumenta.* ❡ *Ex Ægypto*] ἐξ Αἰγύπτου: & est sensus, *ut emptum exportarent ex Ægypto.* Minus recte Hier. quem Santes secutus est, *in Ægypto*, ממצרים. Possumus etiam vertere, *ab Ægyptiis.* Sic supra, *vendidit* למצרים Ægypto i. Ægyptiis. ❡ *Fratrem*] uterinum & minimum natu. ❡ *Cum fratribus ejus*] Quidam, *cum fratribus suis*, quod aliam sententiam continet. ❡ *Ne forte*] פן Hier. *ne forte.* Lxx. μήποτε, ne quando. Onk. & Jon. דלמא quod à Fagio valet, *ne forte.* Trem. *videndum ne.* ❡ *Accidat*] eveniat, συμβῇ, obveniat. ❡ *Mors*] exitium, interitus, infortunium, mors fortuita. Ebraice אסון. Lxx. μαλακία, languor. Hier. *malum.* Aquila, σύμπτωμα, casus, quod fortuito accidit alicui. Symmachus, κίνδυνος, *periculum.* Sic etiam Arias. Onkelos & Jon. מותא *mors.* Abenezra, R. David & Santes מות *mors.* Elias Germanus, מות מקרה *mors fortuita.* Trem. *exitium.* In libro Nom. *Aseneth, ruina.* Græce fuit, nisi fallor σύμπτωμα, quod hic male redditur ruina. Glossæ Nom. propriorum, *Asena periculum seu infortunium.* Usus est hac voce Gorronides lib. 6. cap. 54. Videndus Elias in notis ad radices Kimchi.

5. *Venerunt ergo filii Israel ad emendum frumentum in medio venientium: nam erat fames in terra Chanaan.*

6. (*Porro Joseph erat princeps in terra, ipse vendebat frumentum omni populo terræ*) *venerunt, inquam, fratres Joseph & adorarunt eum facie in terram.*

Venerunt ergo] vel, *iverunt ergo.* Sic mox, *In medio euntium.* Verbum enim בא utrumque significat. Sic apud authores Latinos *venio* interdum pro *eo* usurpatur. Onk. & Jon. ואתו & venerunt: Unde Maranatha, *Dominus venit*: mox, בגו עליא inter medios venientes. Cur mutant dictionem? ❡ *In medio venientium*] tam Ægyptiorum quam Chananæorum. Vel, *inter euntes* Chananæos. Cui firmando consequa verba. Jonathan, *Venerunt filii Israel quisque per portam unam, ne dominaretur in eos oculus malus* (vult dicere, vitandæ invidiæ caussa) quod accidisset, *si venissent simul ad emendum inter Chananæos, qui venerant ad emendum.* ❡ *Fames*] quæ Ægyptum infestabat. Nam Ebraice הרעב ὁ λιμός, ut si dicas, *fames illa*, ut articulus sit ἀναφορικός. ❡ *Princeps in terra*] Idem cum illo, *princeps terræ*, quod in editione Græca ὁ ἄρχων τῆς γῆς. Intelligit autem Ægyptum: unde in Hieron. *princeps in terra Ægypti.* alias, *terræ Ægypti.* Ebraice השליט על הארץ quod Onkelos reddidit, *qui dominator erat super terram.* Nam articulus aliquando pronominis relativi vim habet. Sed nescio an hoc locum habere hic possit. Trem. *Joseph autem is qui imperium habebat in ea regione.*

❡ *Princeps*] שליט Santes, *dominus.* Arias, *imperator.* Alius, *potestatem habens.* Nam princeps proprie ש dicitur. Coh. 8. 8. שלט. Luc. 22. ἐξουσιάζων. Rursum Coh. 8. 4. שלטון. Lxx. ἐξουσιάζων. Hiero. *potestate plenus.* & 7. 20. שליטים. Lxx. ἐξουσιάζοντες. Hiero. *principes.* Tremellius, *dominatores.* Editio Gallica, *gouverneurs.* Hic habet, *regent sur le pais.* Coh. 8. 9. שלט באדם. Sym. ἐξουσίασεν ἀνθρώπου. Aquila ἐνεξουσίασεν. Lxx. ἐξουσιάσατο ἐν ἀνθρώπῳ. Pro שלטון, de quo supra, Symmachus edidit, ἐξουσιαστικός, sermo authoritatem præ se ferens. Nam refertur ad λόγον, nisi legendum ἐξουσιαστής, quod adfertur ex Esaia pro *dominus.* ❡ *Vendebat frumentum*] vel, *qui vendebat frumentum.* Nam in fonte המשביר. Porro He participio prælata, relativi naturam induit. Tremellius, *vendebat annonam.* Santes, *faciebat vendere.* Nam ipse non vendebat, sed per alios id faciebat. Lxx. ἐπώλει. Onkelos, מזבן עבורא ex quo emendabis editionem Jonathæ, ubi perperam מזבן Prov. 11. 26. משביר. Lxx. μεταδιδόντος. Aquila & Theodotio, πωλοῦντος. Symmachus, πωλοῦντος. Hiero. *vendentium.* Hic habet, *ad ejus nutum frumenta populis divendebantur.* ❡ *Populo terræ*] τῷ λαῷ τῆς γῆς. Ita loquendo significant plebem & promiscuum vulgus. Vide quæ scripsimus Gen. 23. 7. Vide quoque Jer. 37. 2. ❡ *Terra*] tam Ægypti, quam vicinarum regionum. Jonathan, „Joseph potestatem habebat super terram „& sciebat fratres suos venturos ad emendum: itaque constituit „observatores in portis urbis, qui scriberent omnium eorum qui „veniebant nomina, tum etiam nomina parentum ipsorum, & „ipse vendebat frumentum &c. ❡ *Adoraverunt eum*] προσεκύνησαν αὐτῷ. R. Salomo ad hunc locum, כל השתחואה פשוט ידים ורגלים הוא omnis adoratio est extensio manuum ac pedum. Addit R. David, & *totius corporis.* Vid. notata Gen. 18. 2. ❡ *Facie*] proni. Onkelos & Jonathan, *super facies suas.* Lxx. quoque ἐπὶ πρόσωπον על אפים. Tremell. *vultu demisso.* Santes, *in faciem.* ❡ *In terram*] vel, *super terram*: ἐπὶ τὴν γῆν. Quod Chaldæi dicunt על ארעא. Ceterum in Ebræo est ארצה pro לארץ in terram. השתחוה ergo est prosternere corpus manibus ac pedibus extensis. Quocirca peccant, meo judicio, qui verbo incurvandi utuntur in eo reddendo.

7. *Cumque vidisset Joseph fratres suos, eos agnovit: Sed alienum se gerens erga eos, loquebatur cum iis dura, & dixit eis; Unde venistis? qui dixerunt, Ex terra Chanaan ad emendum cibum.*

Sed alienum se gerens erga eos] ויתנכר אליהם & alienum se finxit ad eos. Lxx. ἠλλοτριοῦτο ἀπ᾽ αὐτῶν, quod reddunt in editione Rom. *alienum se fecit ab eis.* Onkelos, *cogitabat quid loqueretur cum eis.* Quid vidit cum ita verteret? Jonathan, *factus est in oculis eorum tanquam extraneus.* Chaldaice חילוני alienus, externus: item laicus, profanus. Sensus est ut si diceret, *Ipse quidem agnovit eos, sed ipsi non potuerunt eum agnoscere.* התנכר alienum se fecit i. finxit aut simulavit. Ut alibi התעשר divitem se fecit, התרושש pauperem se fecit: sic hoc loco התנכר ignotum se fecit, q. d. noluit se illis cognoscendum præbere, hoc est, indicare quis esset. R. Salomo, *factus est eis tanquam ignotus in verbis loquendo duriter.* נכרי Ignotus. Dictus ita à verbo נכר agnovit, quasi per antiphrasin, quod minime notus sit: aut ab eo quod tales facile agnoscantur propter peregrinitatem, nam & vestibus differunt, & sæpe etiam vita & moribus. Unde omnium oculos in se convertunt. ❡ *Dura*] קשות dura i. σκληρά, & sub. דברים aut aliquid tale. Sane Jonathan habet מלין קשין verba dura. Quidam explicant *dura*, i. dure, duriter. ❡ *Unde venistis*] πόθεν ἥκατε. Pronuntiatione juvandum, ne quis amicam interrogationem esse putet. ❡ *Cibum*] Commeatum, annonam, frumentum. i. עבורא. Quod in Onkelo & Jonatha. Ceterum Lxx. habent βρώματα, & Hiero. *victui necessaria*, & Edit. Gal. *des vivres*, & noster Tremellius, *esculenta.*

8. *Agnovit, inquam, fratres suos, & ipsi non agnoverunt eum.*

9. *Et recordatus est Joseph somniorum, quæ somniaverat eis, & dixit eis, Exploratores estis, ad videndum nuditatem terræ venistis.*

Non agnoverunt eum] nam imberbis erat cum ab eis venderetur. R. Salomo, *Quum relinqueret eos, barbati erant* i. חתום זקן: *ipse autem discessit ab eis* בלא חתימת זקן *absque barba; nunc autem barbatus erat.* Jonathan, *Agnovit Joseph fratres suos quia cum separaretur ab eis, erat illis barba* חתמת דקן: *Sed ipsi non agnoscebant eum quia non erat ei tunc barba: hoc autem tempore barbam habebat.* ❡ *Quod somniaverat eis.*] vel, *de illis.* i. עליהם, quod in Ionatha, Sante & aliis editionibus. Græca hic legit, αὐτὸς; sed putarim αὐτοῖς rescribendum. Ebraice להם & in Onkelo להון illis. ❡ *Explo-*

ploratores estis] מאללים אתם *Exploratores vos.* sub. estis. Chaldaice pro מְאַלְלִין. Dicuntur & מאלין in ea lingua. Vox Hebræa dicta à pedibus. Nam fere pedes oberrant οἱ κατάσκοποι. ❡ *Ad videndum*] ad speculandum. ❡ *Nuditatem*] nuda loca, hoc est, infirma, minimeque munita. Docte Hieron. *infirmiora terræ.* Prius erat in Lxx. τὰ ἴχνη τῆς χώρας, vestigia regionis. Est autem vestigium, ἴχνος signum, quod pes incedentis solo imprimit. Ea observare solent qui aliquem persequuntur. Onkelos בדקא דארעא terræ loca rupta vel infirma. Nam בִּדְקָא in Lexico Chaldaico Munsteri exponitur, infirmum, turpe. Significat & ברק vestigo: unde forte τὰ ἴχνη *vestigia.* Fagius habet, *rupturam terræ:* Mercerus, *rimam sive rimas terræ.* In eodem Lexico Munsteri, בִּדְקָא *rima, scissura.* R. Salomo Nahum 3. ברק החומה *ruptura muri.* Vide sodes Fagium in notis ad Edit. Onkeli. Tremellius, *nudas partes hujus terræ.* Santes, *exinanitionem terræ.* Gallica, *les lieux foibles.* R. Salomo, *loca terræ aperta & retecta, unde facile potest expugnari.* Abenezra, *arcanum terræ.* R. Levi, *arcana terræ & occulta ejus.* Nam ערוה pudenda, verenda, quæ partes tectæ sunt propter honestatem. Hiscuni ad hunc locum, *In Thanchuma relatum quod Ioseph tria decreverit. Unum est, ne servus ingressus Ægyptum triticum acciperet. Secundum, ne quis duos asinos ageret ante se. Tertium, ne quis intraret urbem antequam nomen suum patrisque & avi prodidisset.* Vide sequentia. Quis hæc legens non miretur audaciam hujus gentis, nam unde hæc scire potuerunt? Nimium nimirum in commentis majorum sibi placent. Hinc *fabulæ Iudaicæ*, proverbio celebratæ, in quibus non temere credendum. Hic valeat illud Apostoli, *omnia probate, quod bonum est tenete.* ❡ *Terræ*] Ægypti.

10. *Et dixerunt ei, Non domine mi: sed servi tui venerunt ad emendum cibum.*

11. *Omnes nos filii unius viri sumus, recti sumus, non sunt servi tui exploratores.*

Domine mi] אדני pro quo in Editione Chald. רבוני: sed in Lxx. κύριε, & in Hiero. *domine*, absque pronomine. ❡ *Servi tui venerunt*] civilitatis caussa ita loquebantur, cum potuissent dicere, *nos venimus.* Sic mox, *non sunt servi tui exploratores*, idem cum illo, *non sumus*, nisi quod *honorificentiæ more*, ut ait Augustinus, *ita potius loquebantur.* ❡ *Cibum*] *cibos* est in Hieronymo. ❡ *Filii unius viri*] Quocirca non est probabile, nos exploratores esse. Nam quis liberos suos tanto numero exploratum mitteret cum summo vitæ periculo. Videndus R. Levi ad hunc locum. ❡ *Viri*] vel, *hominis.* i. ἀνθρώπου. ❡ *Recti*] כנים recti, veraces, integri, sinceri. Lxx. εἰρηνικοί. Hiero. *Pacifici.* Augustinus in libris locutionum, *juxta alia exemplaria legitur, pacati sumus.* Intelligit exemplaria veteris Editionis Latinæ quæ ex Græco. Aquila ὀρθοί, recti. Sic etiam Arias. Onkelos כֵּני recti. Symmachus ἁπλοῖ, simplices, integri, sinceri. Jonathan, מהימני fidi, fideles. Abenezra נאמנים idem. R. Salomo אמתיים veraces. Id Santes amplexus est. R. Levi אנשי אמת viri veritatis, i. veraces. Tremell. *probi. Fideles*, i. πιστοί, & *pacifici* שלמים. R. David in libro ubi vocum significata explicat כנים אמתיים recti ac veraces. Notabis in hoc versu נחנו legi pro אנחנו nos. ❡ *Non sunt*] οὐκ εἰσί. Quidam, *non fuerunt unquam.* Nam in Ebræo היו לא, quod est verbum præteritum.

12. *Et dixit eis, Non, sed nuditatem terræ venistis ad videndum.*

Non] non ita est ut dicitis. ❡ *Nuditatem terræ*] i. *immunita terræ loca*, ut recte Hieron. interpretatur. Aquila & Symmachus elegerunt, τὰ κρυπτὰ τῆς γῆς, i. loca occulta & abdita. Tralatio à pudendis quæ occulta sunt & sub vestibus latent. Videndus Abenezra: cui adsensum præbet R. Levi. Nam interpretatur *arcana & abdita terræ.* Porro *immunita* valet minus munita, vel non munita omnino. Adi nunc ad vers. 9. ❡ *Ad videndum*] ad speculandum aut speculatum. Interpretamentum Onkeli בדקא דארעא negat R. Salomon ad literam esse. Nam *omne* ערוה, inquit, *quod in Scriptura significationem habet rei retectæ ac revelatæ.* Idem adducit nescio unde, ברק הבית quod explicat רעוע הבית ruptura aut fractura domus. In Ionathan legitur ערית מסכינות ארעא de quo alias.

13. *Et dixerunt, Duodecim servi tui fratres nos filii viri unius in terra Chanaan: & ecce minimus cum patre nostro hodie est, & unus non superest.*

Duodecim servi tui fratres nos] אנחנו quod proprie sonat nos, Lxx. reddunt ἐσμέν, & Hieron. *sumus.* Quod omnino subaudiendum, nisi potius ut subaudiatur, *eramus*; nempe tunc eramus duodecim, cum Ioseph, quem mortuum credebant, adhuc viveret. Nunc undecim tantum erant opinione sua: Aut est locutio. Nam quia duodecim fuerant, ideo nunc dicunt, *duodecim sumus*, totum pro maxima parte sumentes. Augustinus in locutionibus. „Duodecim sumus pueri „tui fratres in terra Chanaan, cum posterius dicant, quod unus „eorum non sit, ipsum scilicet Joseph non esse existimantes, „i. periisse. Hac locutione dictum est etiam illud, Hi filii Ja„cob qui facti sunt ei in Mesopotamia, cum ibi non fuerit Ben„jamin. Sequitur in eodem loco, „Quod autem dixerunt, su„mus in terra Chanaan, cum eo tempore quo loquebantur in „Ægypto essent, sumus dictum est pro habitamus: inde enim „venerant, ilico redituri, ibi commorantes. Hucusque Augustinus. Similis per omnia locus 1 Corinth. 15. 5. *Visus est Cephæ, & post hoc undecim.* Nam duntaxat decem erant. Scilicet in Græco Textu esse εἶτα τοῖς δώδεκα, deinde duodecim illis. Hoc primum: deinde *sumus* potest referri ad præcedentia, ut dicant, *duodecim fratres sumus, filii viri unius, qui nunc est*, i. habitat, *in terra Chanaan.* Nam *esse* pro *habitare* usurpant, ut Ruth. 1. in illo, *Et fuerunt ibi.* Sic in precatione Dominica, *Pater noster qui es in cœlo.* Qui alioquin ubique est. Quocirca Græci interpretantur ὤν, i. οἰκῶν, habitans. Jam ad alia. ❡ *Minimus*] הקטן ὁ νεώτερος, minimus natu. ❡ *Non superest*] איננו non est, sub. in vivis. Esse dicunt pro vivere, ut, *noluit consolationem accipere de filiis suis, quia non sunt.* Sic Psalm. 103, 16. quod in fonte איננו, R. David enarrat איננו בין החיים non est inter viventes. Non est ergo, i. non vivit. Nam mortuum credebant. Vide infra Cap. 44. vers. 20. item, vers. 22. hujus capitis. Hinc fuisse de mortuis. Plautus, *Nunc illud est, cum me fuisse quam esse nimio mavelim.* Unde Gymnosophista quidam interrogatus ab Alexandro, utri plures essent vivi an mortui: vivos dixit, non esse enim mortuos. Demosthenes quoque de Corona, ζώντων, inquit, Ἀθηναίων καὶ ὄντων i. superstitibus, quod vulgo dicimus, *esse in natura.* Græci legunt hoc loco, οὐχ ὑπάρχει. Onkelos vero ליתוהי. Sed Jonathan, *unus abiit à nobis nec scimus quid ei tandem fuerit*, i. acciderit, evenerit. Hieron. *alius non est super.* Gallica, *non amplius est*, i. mortuus est.

14. *Dixit illis Joseph, Hoc est quod locutus sum ad vos dicendo, Exploratores estis.*

15. *Per hoc probabimini, vivit Pharao, si exibitis hinc, nisi prius venerit frater vester minimus huc.*

Hoc est] hoc arguit verum esse quod initio dixi vos exploratores esse. ❡ *Per hoc*] בזאת in hoc, hac re, ratione. ❡ *Probabimini*] תבחנו. Lxx. φανεῖσθε, manifesti eritis. Id emendarunt olim Aquila & Symmachus, referentes δοκιμασθήσεσθε: quos deinde secutus est qui vertit, *probabimini.* Nam in Hieronymo, *jam nunc experimentum vestri capiam.* בזאת in hoc tempore, i. jam nunc. ❡ *Vivit Pharao*] formula jurandi Ægyptiis olim usitata, ut Ebræis חי יהוה *vivit DOMINUS.* Sic alibi, *vivat via tua Bersabe*, ubi חֵי scriptum per (··). Similiter hoc loco habetur חי פרעה de quo plures opiniones sunt. Quidam existimant, esse regimen ex absoluto חַי vivus, & quia legimus חי נפשך censent חֵי degenerare in naturam adverbii, ut אמנה, licet nomen נפש etiam masculine usurpetur. Alii dicunt, *esse verbum præteritum ex integro.* חָי ad instar קָם. Sic R. David accipit Levit. 25. וחי אחיך *vivit frater tuus.* Sunt etiam qui putant contractum esse ex חַיֵּי vita, ut Beth subaudiatur, בחיי פרעה per vitam Pharaonis. Hoc Græci secuti videntur qui vertunt νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραώ; & Hiero. referens, *per salutem Pharaonis.* Jonathan quoque, qui habet, חיי פרעה vita Pharaonis. ❡ *Si exibitis hinc*] desideratur quippiam, puta, ne vivam, sim vanus, dispeream, aut tale quid. Qualia sunt, *si Davidi mentiar, si introibunt in requiem meam.* Defectus iste tam frequens est in jurando ut nihil supra. Senes habent οὐ μὴ ἐξέλθητε ἐντεῦθεν: & Hieron. *non egrediemini hinc.* Vult dicere, *ex hoc loco*, & loquitur indefinite. Nam ut reliqui exiverint, tamen unus remansit. Ita excusatur Joseph à perjurio, qui tamen à vano juramento excusari non potest. Sed de hac re alii statuent, judicabunt. ❡ *Minimus*] קלילא est in Jonatha, qui supra posuerat זעירא eodem significatu. Quo vocabulo & Onkelos utitur.

16. *Mittite ex vobis unum, qui acceptum adducat fratrem vestrum: vos autem vincimini & probabuntur verba vestra, num veritas sit vobiscum? Et si non, vivit Pharao, quod exploratores estis.*

17. *Et collegit eos in custodiam tribus diebus.*

Qui acceptum adducat] ויקח & accipiat, i. acceptum adducat. Sic alibi, *Accepisti dona in hominibus*, i. *accepta distribuisti: Accepit eum in pinnaculum templi*, i. *acceptum transtulit.* Huc refer, *capies carbones ignis super caput ipsius*, pro capies & pones. Quanquam חתה in Ebræo. Lxx. hic habent καὶ λα-

βῆτε ἐκεῖ. Hieron. *Et adducat eum* ויביא. Sic etiam Onkelos & Jonathan. ¶ *Vincimini.*] i. vincti estote, aut, vinciemini, sive, ut est apud interpretem nostrum, *eritis in vinculis.* Novum non est, ut hoc modo ponatur imperativus pro futuro. Qualia sunt, *hoc fac & vive; Ascende in montem, & morere*, aliaque non pauca. Vide fis Observationes meas. Lxx. ἀπάχθητε, abducamini, videlicet in carcerem. Supra usi sunt eodem verbo, pro, *conjici in carcerem.* Sane carcer בית האסורים vocatur. i. domus vinctorum. Aquila & Symmachus δεθήσεσθε, vinciemini. Sic etiam Onkelos & Jonathan. ¶ *Num veritas sit vobiscum*] האמת אתכם an veritas vobiscum? aut, penes vos? Lxx. εἰ ἀληθεύετε; *si vera dicitis?* Onkelos, *an verum vos dicitis?* אתון הקשוט ex elegantiis linguæ Sanctæ. Dicunt etiam מנך verba tua veritas sunt, eodem sensu. Chaldaice קשוט עמך, vel certe קשוט את אמר verum tu dicis, verba tua vera sunt. ¶ *Et si non*] Quod si non adduxerit eum: vel, si veritas non est apud vos, si falsum est quod dixistis. Ebraice ואם לא. Quod Lxx. reddunt εἰ δὲ μή. Hieron. *Utrum vera an falsa sint* cui adversatur accentus qui in Ebræo, quem Athnach vocant. Trem. *Sin autem minus.* Santes, *Et sin minus.* ¶ *Collegit*] vel contraxit, i. simul omnes conjecit. Ebraice, ויאסף quod inter alia significat contrahere, uti ibi, *stella contraxerunt splendorem suum* אספו. Lxx. hic habent ἔθετο αὐτοὺς ἐν φυλακῇ. Hieron. *tradidit vero illos custodiæ.* Mercerus, *recepit eos in custodiam.* Onkelos & Ionathan, *Congregavit eos.* Et est sermo brevis pro congregavit, & posuit aut conjecit. ¶ *In custodiam*] εἰς φυλακήν. Chaldaice לבית מטרא in domum custodiæ. Ceterum in Ebræo est אל משמר.

18. *Dixitque illis Joseph die tertio, Hoc facite & vivetis; Deum ego vereor.*

19. *Si recti estis, frater vester unus vinciatur in domo custodiæ vestræ: vos autem ite, adducite frumentum famis domuum vestrarum.*

Et vivetis] vel, *ut vivatis.* וחיו proprie, *& vivite.* Tale est, *Ascende in montem & morere.* Item illud, *hoc fac & vive.* Sic supra, *Vincimini* positum pro *vinciemini.* Vide quæ annotavimus ad eum locum. ¶ *Vereor*] vel, *timeo.* Nam interpretes *timeo* usurpant pro *vereor.* Alioqui timet proprie superstitiosus, veretur religiosus. ¶ *Recti*] in Jonatha lego מהימנין ubi in vulgatis מהימנון, mendum, quod vel cæco appareat. Vide quæ scripsimus de hac voce ad vers. 11 ¶ *Vinciatur*] vel, *ligetur*: quod in Edit. Hieron. Minus recte Lxx. κατασχεθήτω detineatur. Sed tum supple quod deest, ut sit, *detineatur vinctus.* ¶ *Custodiæ vestræ*] ubi nunc custodimini. Minus dicit Hieron. *in carcere.* Nam potuit in alio carcere detineri. Lxx. quoque habent ἐν τῇ φυλακῇ, omisso pronomine, quod tamen penitus otiosum non est. ¶ *Frumentum famis domuum vestrarum*] Quantum fames familiarum vestrarum requirit: sive, quantum sufficit ad pellendam famem domuum vestrarum. Ebraice est שבר רעבון בתיכם quod Santes interpretatur, *alimentum ad expellendam famem e domibus vestris.* Trem. vero, *frumentum, ea quorum fame tenentur familiæ vestræ.* Onkelos, *frumentum quod deficit in domibus vestris.* Ionathan, *frumentum quod emistis ad famem domuum vestrarum.* Lxx. τὸ ἀγορασμὸν τῆς σιτοδοσίας ὑμῶν, quod redditur in Editione Romana, *emptionem frumentationis vestræ.* שבר ἀγορασμὸς. Nam שבר ἀγοράζω, emo, comparo. Σιτοδοσία, frumenti largitio aut distributio, quam *frumentationem* vocant. Suetonius, *Impetum se cepisse frumentationes publicas abolendi.* רעבון aliud est. R. David in libro Radicum, *frumentum defectus domuum vestrarum*, i. חסר quantum deest familiis vestris. *Aut per famem*, inquit, *significat panem quem in fame homines valde appetunt.* Mercerus, *famem domuum vestrarum, id est, frumentum quo famem e domibus vestris propellatis. Nota Ebraismum, famem pro frumento quo fames arcetur, à fine, ut si hostem gladium appelles, quo scilicet hostis repellitur.* R. Salomo, *id quod emistis ad famem domesticorum vestrorum.* Leo Iudæ, *vehite frumentum domibus vestris, ut occurratur fami.* Editio Gallica, *du blé pour pourvoir à la famine de vos familles.*

20. *Et fratrem vestrum minimum adducite ad me, ut confirmentur verba vestra, & non moriamini: feceruntque sic.*

Ut confirmentur verba vestra] ויאמנו דבריכם ut firmentur sermones vestri. Verbum est à nomine אמן deductum, quo utuntur pro confirmandi particula. Itaque R. Salomo explicat ויאמנו יתקימו כמו אמן אמן, [id est, vera ac rata fient. Galli dicunt, *verifier.*] *verificabuntur*, (liceat mihi sic loqui) *& confirmabuntur, ut cum dicimus, Amen Amen.* Idem verbum occurrit Jes. VII. 9. לא תאמנו ubi Santes habet, *non eritis stabiles.* Hiero. ex Symmacho, *non permanebitis.* Tremell. *Quod non confirmamini.* Hic Græci vulgarunt, καὶ πιστωθήσονται τὰ ῥήματα ὑμῶν, quorum verborum hæc sententia est, ut credatur, sive fides habeatur verbis vestris. Sane אמונה fides dicitur. Tremell. *ut probentur* ויאמנו. Leo Iudæ, *ut explorentur.* Onkelos & Ionathan ויתהימנון ut credatur iis, vel certe, *ut vera deprehendantur.* Sane Fagius interpretatur, *ut vera appareant.* Sed veritas קשוט dicitur. Santes, *Et verificabuntur verba vestra.* Sic etiam interpretes è Sabaudia. ¶ *Non moriemini*] supra vers. 18. *hoc facite & vivite*, i. vivetis. Lxx. εἰ δὲ μή, ἀποθανεῖσθε, *Sin minus, moriemini.* Minus probandum. ¶ *Fecerunt sic*] *Fecerunt ut dixerat.* Hieron.

21. *Dicebant autem inter se, Vere rei sumus nos propter fratrem nostrum, cujus angustiam animi vidimus, dum deprecaretur nos, & non audiremus: idcirco advenit nobis angustia hæc.*

Inter se] איש אל אחיו vir ad fratrem suum. i. alter ad alterum. ¶ *Vere*] אבל. Lxx. ναί, na, certe. Onkelos & Ionathan בקושטא vere. Sic etiam Santes & R. Salomo. Abenezra אכן utique. Obvia hæc particula Gen. XVII. 19. ubi quidam reddunt, *imo, imo vero.* R. Salomo ait esse לשון אמתת דברים. Mercerus ad hunc locum, *Enimvero, vere, profecto, sane.* ¶ *Rei*] אשמים rei, sontes, culpabiles, delinquentes. Nam אשם delictum, Chaldaice חיבין. Lxx. ἐν ἁμαρτίαις ἐσμέν. Hieron. *peccavimus*, id est, חטאנו. Nam חטא peccatum. Santes ergo maluit, *deliquimus.* & mox, *contra fratrem nostrum.* ¶ *Propter fratrem nostrum*] על אחינו. Lxx. περὶ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν; quod reddunt, *pro fratre nostro.* Trem. *Fratris nostri caussa.* Gallica, *Quod fratrem nostrum attinet.* Onkelos & Ionathan, *Propter fratrem nostrum.* Leo Iudæ, *erga fratrem nostrum.* ¶ *Cujus angustiam anima vidimus*] vel, *quam vidimus in angustia anima sua* i. בעקת נפשיה ut Onkelos explicat. Ceterum cum nullum sit ב in textu Ebræo, videtur prior versio melior esse: quam præter Lxx. & Hiero. etiam Ionathan amplexus est, si modo עקא est angustia, quæ aliter עקתא dicitur, i. ἀνάγκη, vexatio, afflictio, res adversæ. Adi sodes ■ Quæstiones meas. Forte in Ionatha legendum עקתא. Nam proclivis sane lapsus de Nun in Ioth. ¶ *Angustiam*] θλῖψιν, צרה. ¶ *Vidimus*] Lxx. ὑπερείδομεν, despeximus. Potest sensus esse, vidimus cum voluptate. Alio sensu accipitur ibi, *vidi vidi vexationem populi mei.* Sed melius *vidimus, nec tamen audivimus.* ¶ *Dum deprecaretur nos*] ὅτι κατεδέετο ἡμῶν. Alii, *quum supplicaret nobis.* ¶ *Audiremus*] exaudiremus. ¶ *Advenit nobis*] באה אלינו. Hiero. *venit super nos* עלינו. Sic Græci ἐπῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς. Onkelos & Ionathan, אתת לנא, *venit nobis.* i. advenit, obvenit, evenit, accidit.

22. *Responditque Ruben eis dicendo, Nonne dixi vobis dicendo, Ne peccetis in puerum & non audivistis? ideo etiam sanguis ejus ecce requiritur.*

23. *Ipsi autem nesciebant quod audiret Joseph: Nam interpres erat inter eos.*

In puerum] ita Hieronymus. Ebraice est בילד, quod posses etiam reddere *in natum.* Lxx. habent τὸ παιδάριον. Onkelos בעולימא in adolescentem. Nam agebat annum decimum septimum. Ionathan בטליא in puerum. Dicitur de Ismaele 17. aut 18. annum agente Gen. 21. 14. Vide & Gen. 37. 30. Hujus loci est quod vernaculi cujuscunque ætatis ילדי בית vocentur quasi tu dicas, nati domus. ¶ *Non audivistis*] non auscultastis, non paruistis. Lxx. addunt pronomen οὐκ εἰσηκούσατέ μου. Sic etiam Jonathan. Sed & Hiero. noster, *non audistis me.* ¶ *Ideo etiam*] vel, *quinetiam.* ¶ *Sanguis ejus ecce requiritur*] ἰδοὺ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐκζητεῖται, ecce sanguinis ejus exquiritur i. culpa sanguinis. Sed quid? An eum credebat occisum esse? potest fieri. Nam aberat cum ex puteo extraheretur & Madianitis venderetur. Vide supra 37. 29. Forte quia venditum audiverat in servum, ideo eum pro mortuo reputabat. Servitus enim & perpetuus carcer morti æquiparantur. Quod autem ait *etiam sanguis ejus*, id quidam ita enarrant ac si dixisset, Non modo patris nostri sanguis, sed etiam fratris reposcitur. Dixerat enim certe pater, *descendere facietis me una cum Josepho in sepulchrum.* Nam sanguinis vocabulo etiam mors innuitur, ut in illo, *quæ utilitas in sanguine meo*, quod exponunt in morte mea. ¶ *Requiritur*] reposcitur, exquiritur. Jonathan auctior est pronomine. Vertit enim, *requiritur à nobis.* Quod in sententia verborum Scripturæ. ¶ *Quod audiret Joseph*] כי שמע יוסף. Lxx. ὅτι ἀκούει Ἰωσήφ. Sensum expressit Hiero. referens, *quod intelligeret.* Audire pro intelligere sumitur & Gen. 11. 7. *Ut non audiat vir sermonem socii sui.* Sic alibi, *gens cujus linguam non audietis.* i. intelligetis. Vide Mosen Ægyptium Perplexorum Lib. 1. cap. 44. Jonathan hic habet, *nesciebant Josephum audire* i. intelligere *linguam domus sanctuarii.* לשן בית מקדשא. Sic etiam autor Jerosolymitanæ. ¶ *Interpres*] המליץ Chaldaice מתורגמן Græce ἑρμηνευτής. Jonathan, *interpres*

Ma-

Manasses erat inter eos. Jerosolymitana, *interpres Manasse stabat inter eos.* Hiero. *eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* Quis autem interpres ille fuerit, non est temere decernendum. Valeant Judæi cum suis fabulis. Hinc discimus Josephum, cum fratres suos alloqueretur, usum fuisse lingua Ægyptia.

24. *Et avertit se ab eis flevitque: postea reversus ad eos locutus est ad eos: acceptoque ab eis Simeone vinxit eum ante oculos ipsorum.*

Et avertit &c.] vel, *& aversus ab eis flevit.* R. Salo. *procul recessit ab eis ne viderent flentem.* ¶ *Locutus est ad eos*] cum eis est in Onkelo & Jonatha. Lxx. autem dixerunt, καὶ εἶπεν αὐτοῖς quod huic loco non convenit, cum non sequatur quid dixerit. Sententia est, ut si diceret, habuit sermonem ad eos. Puto conditionem, quam ante proposuerat, nunc repetiisse. ¶ *Acceptoque ab eis Simeone*] cum accepisset ab eis Simeonem. Ceterum cum in fonte sit מאתם ἀπ' αὐτῶν, videntur fratres eum tradidisse Josepho. Quod tamen certum plane non est. Nam possumus vertere *ex eis*, quod Græce diceretur ἐξ αὐτῶν. Gallica editio habet, *d'entre eux*, מביניהם. R. Salomo ad hunc locum, *Simeon conjecit eum in fossam. Ipse quoque dixerat τῷ Levi, Ecce somniator iste venit.* Abenezra, *Accepit Simeonem quia quando plures peccant, maximus natu pro ceteris luere debet. Rubenum autem reliquit quia ipsum liberaverat.* ¶ *Vinxit*] in vincula conjecit, ἔδησεν, ligavit. ¶ *Ante oculos ipsorum*] illis præsentibus. R. Salomo, *Coram illis ligavit eum, postquam abiissent, laxavit eum deditque ei cibum ac potum.* Nec hoc juris certi est.

25. *Et præcepit Joseph ut implerent vasa eorum frumento, & ut restituerent argenta eorum cujusque in saccum ipsius, & ut darentur eis cibaria ad viam: fecitque eis ita.*

Præcepit] *famulis suis.* Jonathan. ¶ *Ut implerent*] verbum è verbo, *& impleverunt.* Lxx. ἐμπλῆσαι, impleri. ¶ *Vasa eorum*] saccos eorum. Græce est τὰ ἀγγεῖα αὐτῶν, & Chaldaice מניהון. Hiero habet, *eorum saccos* כליהם. ¶ *Frumento*] aut *tritico.* Hoc Hiero. edidit: illud Onkelos & Jonathan. Lxx. habent σίτου à frumento. Trem. *commeatu.* ¶ *Ut restituerent*] ולהשיב ut redderent. Hieron. maluit, *ut reponerent*, nempe in vasis eorum. Verbum è verbo, *ut redire facerent.* ¶ *Argenta eorum*] pecunias eorum. Nota pluraliter dici כספיהם frustra id negante Mose sacerdote. Etiam Jonathan & Onkelos usi sunt numero multitudinis. Nec obstat quod in Lxx. τὸ ἀργύριον αὐτῶν. Nam fortasse legerunt כספם absque Joth. Quanquam & hoc valet etiam, *argenta eorum.* Nam *argentum eorum.* i. כספם. Mercerus explicat, *argenteos eorum nummos.* Sed sciendum כסף dici de quavis pecunia, etiam aurea & ærea. Qua de re diximus alibi, quæ non repeto. ¶ *Cibaria ad viam*] id est viaticum. צדה cibaria, ita Hiero. quem nunc secutus sum, quia etiam Onkelos & Jonathan habent זוודין quæ vox sig. *cibaria*: unde in tractatu Thalmudico qui de cultu extraneo agit זוודין *cibaria ad viam*, nisi potius, *commeatum ad viam.* Cibaria i. ἐπισιτισμόν. Quanquam in edit. Græca ἐπισιτισμόν. Interpres vertit *cibaria*, nec male. Hesychius etiam ἐπισιτισμόν exponit i. viaticum, quod & ἐφόδιον dicitur. Sic hoc loco Tremellius & alii, *dando illis viaticum ad iter.* Sed si צדה sig. hoc loco viaticum, cur additum, *ad viam?* Est enim viaticum aliud nihil quam viæ auxilium sive commeatus qui adhibetur ad iter. Santes edidit, *escam pro via.* Mihi præ ceteris placet, *commeatum ad viam*, vel si mavis, *ad iter.* Fruatur quisque judicio suo. Gen. 45. 21. *Seda*, inquit Hiero. *omnes ore consono ἐπισιτισμόν i. cibaria vel sitarchia interpretati sunt.* Lego, sitarciam i. σιταρχίαν, annonam. Nam σιταρχία, munus præfecti annonæ, qui σιτάρχης vocatur. Psal. 132. 15. צידה Sym. τὴν σιτοδείαν αὐτῆς. R. David. מזון alimoniam ejus. Hic Galli reddunt *provision.* ¶ *Fecitque eis ita*] sic eos habuit, ita cum illis egit. Lxx. ἐγενήθη αὐτοῖς οὕτως, & factum est eis ita. Hiero. *qui fecerunt ita*, ויעש כן Hoc de ministris intelligendum.

26. *Et sustulerunt frumentum super asinos suos, & abierunt inde.*

27. *Aperuitque unus saccum suum ut daret pabulum asino suo in diversorio, & vidit argentum suum, nam ecce erat in ore sacculi sui.*

Sustulerunt super asinos suos] pro eo habendum ac si diceret, imposuerunt asinis suis. Unum pro duobus. Quæ figura loquendi frequens est in sacris. Lxx. ἐπιθέντες τὸν σῖτον ἐπὶ τοὺς ὄνους αὐτῶν, imponentes frumentum asinis suis. Hier. *portantes frumenta in asinis suis.* ¶ *Frumentum suum*] quod emerant. ¶ *Unus*] unus eorum. Hunc Levi fuisse putant Jonathan & R. Salomo. Verba Jonathæ, *Et aperuit Levi qui relictus fuit solus à Simeone socio suo.* Pro חברה socio suo, R. Salomo habet בן זוגו i. pari suo. Abenezra, *unus ex illis, & convenit ut fuerit Ruben, qui primogenitus erat & quasi unus i. primus in ordine.* ¶ *Saccum suum*] שקו. Lxx. τὸν μάρσιππον αὐτοῦ. μάρσιππον i. marsupium. Vide supra. ¶ *Pabulum*] מספוא. Vide quæ scripsimus Genes. 24. 25. Mercerus ad hunc locum, *Omne pabulum*, inquit, *significat præter fœnum & stramen, ut avenam, hordeum, & grana ejusmodi.* ¶ *Asino suo*] לחמורו τοῖς ὄνοις αὐτοῦ. Hier. *jumento suo* לחמורו. Minus recte Lxx. τοῖς ὄνοις αὐτοῦ. Nam singuli unum duntaxat agebant asinum. In exemplari Formathæ, quo usus sum, legendum בחמורו ubi vulgo לחמורו Mem in Beth mutata. ¶ *In diversorio*] vel, *in hospitio.* Sed לון proprie ubi quis pernoctat. Nam לן pernocto, i. noctem in aliquo loco transigo. Quidam, *in quodam diversorio.* Lxx. ἐν τῷ καταλύματι, *ubi diverterant.* Porro diversorium Onkelos appellat בית מבתא & Jonathan בית מבתותא i. domus pernoctationis. ¶ *Argentum suum*] pecuniam suam. ¶ *Sacculi sui*] אמתחתו valet à patre. Hier. *sacculi sui.* Est autem sacculus parvus saccus, qui in majori erat pecuniæ recondendæ. Lxx. τοῦ μαρσίππου. i. marsupii. Supra ita exposuerunt vocem שק. An igitur putarunt idem esse? Videtur. Hujus sententiæ sunt ex Ebræis R. Salomo, R. David & R. Levi filius Gerson. Appellatio ab extendendo. Nam cum impletur extendi solet. Onkelos habet טוענה quod Fagius interpretatur, *sacculi sui.* Jonathan טעונה. Idem aliter. Nam Aïn elisa, quod frequens in dialecto Chaldaica. Ex hac consuetudine antiquitas dixit Jacob pro יעקב & Chananæus ex כנעני quod plene diceretur Chanaanæus. Moses Gerundensis, *De sententia Onkeli videtur quod singuli habuerint saccum magnum & alios pannos, qui onus æquale reddebant. Ceterum universale onus vocatur* אמתחת. Idem addit sibi videri אמתחת potius esse saccum magnum qui duo latera habuerit, in quorum altero pecunia reposita fuerit, quod unus eorum forte aperuerat. *Talis saccus*, inquit, *in lingua Thalmudica vocatur* מתרתא *Mathratha.* Hier. in Quæst. ait *peronem vel follem significare.* Quid follis? Lex. vet. θύλακος. follis. Supra ex edit. Aquilæ שק θύλακος i. saccus. Legi & alibi, sed nescio ubi, *decem folles id est decem saccos.* Trem. *in ore manticæ suæ.* Est autem mantica perula qua iter facientes viaticum aliave necessaria circumferunt. Forte apud Hieron. in Quæst. leg. *peram* ubi vulgo *peronem.* Nam pero aliud est. Pera i. πήρα i. mantica. Pero etiam facci genus. Vid. infr. 44. 2. Sunt Lexicographi qui statu absoluto scribant אמתחה formæ אמתחת contra eos argumentum est ex hoc loco. Nam ab ea forma diceremus potius אמתחתו saccus ejus. Nunc quum sit אמתחתו in libris, quis ambigat quin utroque statu dicatur אמתחת sed hæc Grammaticis relinquamus.

28. *Dixitque fratribus suis, Redditum est argentum meum, quinetiam ecce in sacculo meo est: & exiit cor eorum, & expaverunt ad invicem dicendo, Quid hoc fecit Deus nobis?*

Redditum est argentum meum] reddita mihi pecunia mea: vel, restituta, reposita. ¶ *Quinetiam*] *una cum frumento vel pabulo.* R. Salomo. ¶ *Exiit cor eorum*] ויצא לבם & egressum est cor eorum. Lxx. καὶ ἐξέστη ἡ καρδία αὐτῶν, quod reddunt, *& obstupuit cor eorum*, malim, *defecit cor eorum.* Licet etiam exponere, Non constitit eis mens. Nam ἐξίσταμαι de statu mentis dejicior. Hier. *& obstupefacti.* Onkelos & Jonathan, *& exiit scientia cordis eorum.* Trem. *tum defecit animus eorum.* Santes, *& evanuit cor eorum.* Fagius ex Onkelo, *& egressus est sensus cordis eorum.* Gallica, *& le cœur leur tressaillit*, micat illis cor, exilit illis animus. Cor enim pro animo posuerunt veteres. Sane in corde animi sedem quosdam collocasse diligentissime monuit Athenæus lib. 14. Atque ita Homerus κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει, quod Ennius expressit, animus cum pectore, vel potius in pectore latrat. Ut hic, *cor exire*, ita alibi legimus, *& mortuum est cor ejus.* Nam spiritus vitæ est in corde. Itaque cum homo in angustia est, cor ejus mori dicitur. Sic alibi, *& cor meum saucium in medio mei.* Contra vivere dicitur, quoties homo ex calamitate animum quasi recreat. Vid. Caninium Ps. 22. 28. Mercerus ad hunc locum, *exiit cor ejus i. fuerunt animo dejecto.* Nos Belgæ diceremus, De moed is hun ontgaen. Bona & elegans Phrasis. ¶ *Ecce in sacculo meo est*] Hieron. *en habetur in sacco meo.* Saccum dicit quem modo sacculum vocavit. Lxx. utrobique μάρσιππον habent. ¶ *Expaverunt*] trepidarunt, commoti sunt. Lxx. ἐταράχθησαν. Hieron. *turbati.* Onkel. & Jon. ותוהו, quod redditum à Fagio, *obstupefacti sunt.* Gall. *furent saisis d'esmoi*: valde mirati, commoti aut obstupefacti sunt. חרדה עם ait R. David. ¶ *Ad invicem*] איש אל אחיו. Vir ad fratrem suum. i. alter ad alterum.

29. *Et venerunt ad Jacobum patrem suum in terram Chanaan, & indicarunt ei omnia quæ accidissent sibi dicendo.*

30. *Locutus fuit vir dominus terræ nobiscum dura, & habuit nos pro exploratoribus terræ.*

Indicarunt] narrarunt, enunciarunt, ἀπήγγειλαν. ❡ *Omnia quæ accidissent sibi*) את כל הקרת אתם. Lxx. πάντα τὰ συμβάντα αὐτοῖς, omnia quæ evenerant ipsis. קרה proprie eventa. Hic agnosco verbale cum casu verbi sui. Nam dicimus קרה אתו accidit ei, evenit ei: Qualia sunt ἡ ἀκρόασις τοῦ θεοῦ, *amulus facta*, & si quæ alia Grammatici annotarunt. Sic in libris mysticis invenes פחדם timor eos pro eorum, מהפכת סדום eversio Sodomam pro Sodomæ. Sic קרות אתם eventa eos pro eorum. Onkelos ית כל דערעא יתהון omne quod evenisset sibi. Ionathan כל דערע יתהון. Ubi notabis ערע pro ארע, Ain in Aleph versa. ❡ *Dominus terræ*] אדני הארץ bene vertunt qui vertunt ὁ κύριος τῆς γῆς, quod Chaldæi dicunt רבונא דארעא dominus terræ. Nomen enim אדנים licet habeat terminationem pluralem, tamen sensu singulare est. Sic alibi אדנים קשה dominus durus, non domini duri. Quæ est constructio sensu congrua non voce. ❡ *Terræ*] Ægypti. ❡ *Dura*] σκληρά. Hieron. *dure*, & alius *durius*. Ionathan, *verba dura*. Ebra. קשות & subintelligitur מלים aut aliquid tale. ❡ *Et habuit nos*] ויתן אתנו & posuit nos. Quidam subaudiunt, *in custodia*. Sic Græci Lxx. καὶ ἔθετο ἡμᾶς ἐν φυλακῇ. Trem. quoque, *tradidit nos in custodiam*. Nam in Ebræo ad verbum, *& dedit*. Porro *dare* & *ponere* vicissim permutantur. *Ponere* autem pro *habere* etiam Latini autores usurpant. Cicero, *At erat tua virtutis in minimis rebus tuas ponere*. Hier. *& putavit nos exploratores esse provinciæ*. Hoc significatu Cicero dixit in Bruto, de Domitio; *Nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo & Magistratus personam & consularem dignitatem tueretur*. i. puto, duco, arbitror. Hujus loci est, 1 Sam. 1. 16. *ne ponas ancillam tuam coram filia Belial*. Nam sensus est, ne habeas eam pro filia nequam. Ebraice תתן אל ne des. Santes, *ne reputes quod ancilla tua fiet coram DOMINO tanquam filia impia*. ❡ *Pro exploratoribus terræ*] כמרגלים את הארץ tanquam explorantes terram, ὡς κατασκοπεύοντας τὴν γῆν. Locum hunc interpretes qui è Sabaudia ita reddunt, *& nous a tenus pro espies du pais*. Ebra. *traittez comme espions*.

31. *Et diximus ei, Recti nos, non sumus exploratores.*

32. *Duodecim sumus fratres filii patris nostri: Unus non est, & minimus hodie est cum patre nostro in terra Chanaan.*

Recti nos, non sumus &c.] Quidam, *recti sumus, nunquam fuimus exploratores*. Lxx. εἰρηνικοί ἐσμεν, οὐκ ἐσμὲν κατάσκοποι. Hier. *pacifici sumus, nec ullas molimur insidias*. ❡ *Filii patris nostri*] υἱοὶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. Hieron. *uno patre geniti*. Sensum expressit non verba. ❡ *Unus non est*] Non est superstes. Lxx. ὁ δὲ εἷς οὐχ ὑπάρχει. Hieron. *Unus non est super*. Alius dixisset, non superest. Quale illud, *superestne & vescitur aura atherea?* Reperio & *super* pro superest. Valerius, *nec spes ulla super*. Virgilius, *O mihi sola mei super Astyanactis imago*. Item Plautus dixit, *si quid super illi fuerit, id mihi satis est*, pro si quid superfuerit illi. Jonathan hoc loco, *nescimus quid et tandem acciderit*. ❡ *Minimus*] ὁ μικρός. Chaldaice זעירא & זעירא.

33. *Et dixit nobis vir ille dominus terræ, In hoc sciam vos rectos esse, fratrem vestrum unum relinquite apud me & famem domuum vestrarum accipite & abite.*

34. *Et adducite fratrem vestrum minimum ad me, ut sciam vos non esse exploratores, sed rectos esse: fratrem vestrum reddam vobis, & terram negotiandi caussa obibitis.*

In hoc sciam] per hoc cognoscam. Supra, *In hoc probabimini, quod recti sitis*. ❡ *Rectos*] veraces, fideles, ingenuos. ❡ *Unum*] unum aliquem, ἕνα. ❡ *Relinquite*] dimittite, ἄφετε. ❡ *Apud me*] אתי mecum, μετ' ἐμοῦ. ❡ *Famem domuum vestrarum*] i. frumentum ad pellendam famem qua laborant familiæ vestræ. Frumenti vox supra expressa fuit, videlicet vers. 19. Licet etiam vertere, defectum aut indigentiam domuum vestrarum, ut רעבון sit idem quod חסר. Onkelos sane vertit, *frumentum quod familiis vestris deficit*. Jonathan, *id quod necessarium ad famem domuum vestrarum*. Aben. *Quicquid necessarium familiis vestris*. ❡ *Reddam vobis*] ἀποδώσω ὑμῖν. Ebraice אתן לכם dabo vobis i. reddam. Simplex pro composito, sic *andire* ponitur pro exaudire, & *surgere* pro resurgere. ❡ *Terram negotiandi caussa obibitis*] ואת הארץ תסחרו. Lxx. καὶ τῇ γῇ ἐμπορεύεσθε, quod reddunt, in terra negotiabimini. Sic etiam Santes vertit. Onkelos, *& in terra facietis mercaturam* sive *negotiabimini*. Idem aliter. Chaldaice est ובארעא תעבדון פרקמטיא. Jonathan, *& in terra negotiabimini per pragmatiam*. תתגרון verto, *negotiabimini*. Siquidem תגר negotiator. פרקמטיא Græca vox est πραγματεία, quæ mercaturam denotat. ejus alibi meminimus. Trem. *& in hac terra negotiari poteritis*. Arias, *& terram circuibitis*. R. Salomo סוחרים & mox סוחרים כל לשון *omnia*, inquit, *significationem habent mercaturæ aut negotiationis. Mercatores enim eunt & redeunt negotiandi caussa*. Hactenus Rabbi ille. Mercerus, סוחרים *sunt mercatores dicti sic a regionibus lustrandis & circumeundis*.

35. *Fuit autem, ipsis evacuantibus saccos suos, ut ecce esset loculus pecuniæ cujusque in sacco suo: viderunt ergo loculos pecuniarum suarum ipsi & pater eorum, & timuerunt.*

Ipsis evacuantibus &c.] vel, *ipsi evacuabant saccos suos & ecce vir. i. quisque habebat loculum pecuniæ suæ in sacco suo*. Hier. hic habet, *cum frumenta effunderent*. Lxx. ἐν τῷ κατακενοῦν αὐτοὺς τοὺς σάκκους αὐτῶν i. exhaurirent, effunderent. ❡ *Loculus pecuniæ*] vel, *fasciculus pecuniæ*. Nam צרור proprie fasciculus simul colligatus, ἀπὸ τοῦ צרר ligo, colligo. Santes, *ligaturam*. Arias *ligamen*. Quæ in hoc quidem sensu Latina non sunt. *Ligatura* Italicum est *legatura*. Ligamen id quo aliquid ligatur. Pro loculo non memini legere. Dicimus etiam *ligaculum* & *ligamentum*. In Lxx. ὁ δεσμὸς τοῦ ἀργυρίου. Jonathan quoque קטר כספא & R. Salomo קשר. Hieron. *ligatas pecunias*. Cant. 1. 13. צרור. Lxx. ἀπόδεσμος. Hieron. *fasciculus*. Aquila, ἀπόδεσμος. i. receptorium sive receptaculum ἀποδοχεῖον. Ceterum Onkelos hic habet צְרָר quod ex Ebræo צרור holem in (·) verso. Qua dialecto dicitur עָלַם seculum ex Ebræo עוֹלָם. Sic צֹר unde *Sarra* ex Ebræo צור Tyrus. Ἀπόδεσμος videtur esse à verbo ἀποδέω ligo, & tunc idem erit cum ἀπόδεσμος, legitur & ἀπόδεσμος, sed alio sensu. ❡ *Loculos*] fasciculos, τοὺς δεσμούς.

36. *Tunc dixit eis Jacob pater eorum, Me orbastis: Joseph non est, nec Simeon est, & Benjamin accipietis: contra me sunt omnia hæc.*

Me orbastis] duobus filiis: vel, *me orbatis*. Nam etiam tertium mihi auferre vultis. Lxx. ἐμὲ ἠτεκνώσατε. Hiero. *absque liberis esse fecistis*. ❡ *Joseph non est*] vel, non est in vivis: vel non esse dicit, quia certus non erat de ipsius morte. R. Levi eum dubitasse scribit. Nec obstat quod infra dicit, *mortuus est*. Nam dum in dubio est animus modo hoc modo illud asseverat. Lxx. οὐκ ἔστι. Onkelos ליתוהי. Jonathan, *dixistis eum esse devoratum à mala bestia*. Hiero. *Non est super* i. non superest. ❡ *Nec Simeon est*] ושמעון איננו & Simeon non ipse. Hic Onkelos habet, *non est hic*. Jonathan, *dixistis regem terræ vinxisse ipsum*. Sed non est credibile eos hoc dixisse. Quanquam in Hiero. *Simeon tenetur in vinculis*. Verba Ebræa nihil tale significant. Ad hæc probabilius est eos hoc tacuisse, ne patrem magis consternarent. Qui si hoc scivisset, nunquam minimum natu eo misisset. ita mihi videtur. Trem. *Et Simeon non superest*. Editio Gallica, *Simeon non est amplius*. Forte credebat eum à fratribus quoque interemtum esse. Quo facit illud, *orbastis me filiis*, filiis, inquam, non filio. Ad quem locum R. Salomo, *Docet quod eos suspectos habuerit, ne forte occidissent eum aut vendidissent eum ut Iosephum*. ❡ *Accipietis*] auferetis, abducetis: vel *accipitis*. i. accipere vultis. Jonathan & autor Jerosol. *quæritis accipere*. Hier. *auferetis*, alius, *auferetis*. Lxx. λήψεσθε. Onkelos תדברון abducetis. Hæc pronuntiatione juvanda sunt addita nota interrogandi q. d. minime abducetis, auferetis. Sic edit. Gall. *& vous prendrez Benjamin*. ❡ *Contra me sunt omnia hæc*] עלי היו כלנה contra me fuerunt omnia ista i. omnes istæ calamitates. Lxx. ἐπ' ἐμὲ ἐγένετο ταῦτα πάντα i. super me. Sic etiam Arias. Santes, *Adversum me*. Hiero. *in me hæc omnia mala reciderunt*. Jonathan, *super me est angustia omnium horum*.

37. *Dixitque Ruben patri suo, dicendo, Duos filios meos morti tradas, si non adduxero eum ad te: da illum in manu mea, & ego reducam illum ad te.*

Duos filios meos] quatuor memorantur infra 46. 9. *filii Ruben Hanoch, & Phallu & Hesron & Charmi*. ❡ *Morti tradas*] vel, *morte afficias*. Ebraice תמית mori facias. Græci θανατῶσαι dicunt. Lxx. ἀπόκτεινον. תמית Hier. *interfice*. Jonathan תקטול בשמתא occides per Sammatha. De Sammatha dictum est in priore Quæst. mearum Lib. 1. Quæst. 9. Vide, si vacas. Vide quoque Thesbiten. ❡ *Adduxero*] ἀγάγω, venire fecero. Nec male Hieron. *reduxero*. Nam הביא & השיב se mutuo explicant. בוא venio & eo: cujus compositum redeo. Sic קום surgo & resurgo, שמע audio & exaudio. ❡ *In manu mea*] vel, *in manum meam*, quod Græce legitur εἰς τὴν χεῖρά μου. Jonathan, *in manu mea*. vult dicere, in meam potestatem. ❡ *Da*] *dic*, trade. ❡ *Reducam*] ἀνάξω.

38. *Et dixit, Non descendit filius meus vobiscum: nam frater ejus mortuus est & ipse solus relictus est, quod si acciderit ei mors in via qua ibitis, descendere facietis canitiem meam cum mærore in sepulchrum.*

Non descendet] in Ægyptum. ❡ *Filius meus*] Benjamin. ❡ *Frater ejus*] Joseph, frater uterinus. ❡ *Mortuus*

tuus est] ἀπέϑανε. Nam mortuum esse credebat, quem à fera laniatum fuisse audiverat. Videtur tamen de eo dubitasse. ❡ *Solus*] ex Rachele. ❡ *Relictus est*] remansit superstes. ❡ *Quod si acciderit ei mors in via*] verbum è verbo, *& accidet ei mors in via*. Subintelligitur autem particula conditionalis, ut Mal. 1. in illo, *ipsi ædificabunt & ego destruam*. Nam sensus est, si ædificaverint. Hunc defectum supplevit Hiero. referens, *si quid ei adversitatis acciderit*. אסון adversitas. LXX. μαλακισϑῆναι, languere. Onk. & Jon. מותא mors. Proprie mors fortuita. Dixi alias, quæ non repeto. ❡ *In via qua ibitis*] vel, *per quam ibitis*. Bene LXX. ἐν τῇ ὁδῷ. Sed Hiero. *in terra ad quam pergitis*, videtur legisse בארץ. ❡ *Descendere facietis*] κατάξετε, deducetis. ❡ *Canitiem meam*] שיבתי. Hiero. *canos meos*. LXX. τὸ γῆράς μου senectam meam. proprie cana senectus. Nam senectus זקנה dicitur. Quæ & prima senectus. Nam media שיבה dicitur anno ætatis septuagesimo. In ultima est שיב ἐσχατογήρως. ❡ *In sepulchrum*] שאולה LXX. εἰς ᾅδου. Hiero. *ad inferos*. Onkelos לשאול. Jonathan קבורתא לבית in domum sepulturæ, aut sepulchri. Santes, *ad sepulchrum*. ❡ *Cum mœrore*] μετὰ λύπης cum dolore. Sed יגון mœror. Chaldaice דווי & דוי unde δύη Græcorum.

39. *Porro fames erat gravis in terra.*

Gravis] i. magna, ut Gen. 18. 20. *Peccatum eorum* כבדה *grave fuit* i. magnum. Hunc versiculum alii ponunt in principio capitis proxime sequentis. ❡ *In terra*] Chanaan, ejusque vicinia.

A M A M A.

18. **E**Br. *Hoc facite & vivite.* Vulg. *Facite quæ dixi.*] Non ad præcedentem sed ad sequentem conditionem hoc referendum est, Jam enim aliam init rationem, novum proponit consilium. Antea unum dimittere volebat cæteris in custodia detentis; nunc unum sibi relinqui postulat, cæterisque abeundi facultatem indulget.

D E M U I S.

24. **T**Ollensque *Simeon & ligans, illis præsentibus.*] Josephi fratres decem annonæ comparandæ ergo à Jacobo patre missi cum Ægyptum venissent, Josephum rerum potentem, penes quem omnis frumenti copia erat redacta, simul adeunt. Nihil de Josepho, ut quem imberbem vendidissent (sic Rasi) illis constabat. At Iosephus, qui optime fratres nosset quod eos grandiusculos jamque barba indutos reliquisset, callide agnitionem dissimulans, speculandi gratia venisse resque novas clam moliri arguebat. Illi dum crimen purgant, se duodecim fratres uno prognatos parente affirmant, quorum unus, is erat Iosephus, periisset, alter vero omnium natu minimus domi apud patrem remansisset. Tum Iosephus, qui Benjaminum germanum fratrem impense cuperet videre, eo rem deducit ut ad faciendam dictorum fidem è decem unus in vincula conjiciatur, interim dum reliqui novem ad patrem revertantur, Benjaminum inde in Ægyptum deducturi. Statimque ipsius Iosephi arbitrio Simeon pro obside in oculis aliorum in nervum compingitur: hocque S. literæ his verbis significant, *tollensque*, nempe Ioseph, *Simeon & ligans, illis præsentibus*, &c. sive, uti in Hebræo ad verb. est, *& accepit ab eis Simeonem, ligavitque eum in oculis eorum.*

Quæritur cur Simeonem inter alios voluerit Iosephus: nullum enim sanctorum virorum temere factum. Varie respondent Hebræi. Ezra quidem sic ad h. l. habet, כי כאשר יחטאו רבים הגדול שבהם יענש יותר ועבר ראובן כי הוא הצילו, *Cum plures contingit peccare (crimenve admittere) qui inter eos natu grandior est graviore eum pœna mulctari oportet. Præteriit autem ipsum Rubenem, quod ejus beneficio salvus evasisset.* Hoc vult Ezra scilicet, Cum ab omnibus simul fratribus in Josephum peccatum esset, præterito Rubene qui cæteros fratres ad cædem accensos in mitius consilium deduxerat, Simeonem in vincula à Josepho conjectum quod post Rubenem inter alios esset grandior, ideoque dignior pœna. Ezræ consentit Abarbanel, qui observat præterea è suorum Magistrorum libris Simeonem & Levi fuisse qui cæteros his verbis accenderent, Gen. 37. 20. *Nunc ergo venite & occidamus eum*, &c. quod Rubenis & Judæ in Josephum tantum odium non fuerit, ut è cap. mox citato constat: alii autem, qui ex ancillis nati essent, vix credantur eo temeritatis ausi prorumpere. Hanc conjecturam non parum adjuvat quod Simeon & Levi tum adhuc à cæde Sechemitarum recentes sanguinis fundendi, ut fit, avidiores essent. Rasi Simeonem ait fuisse qui Josephum in cisternam demiserit, ac Levi fratri dixerit, Gen. notato cap. 19. *Ecce somniator venit.* Verum hoc ex textu minime probatur, qui omnibus aut plerisque saltem simul conspirantibus id tribuere potius videtur. Addit aliud Rasi quod mihi se magis probat, studuisse Josephum Simeonem à Levi divellere ne in ipsius necem hi ambo conspirarent, qui antea perspicuum suæ crudelitatis exemplum in Sichemitarum cæde præbuissent. Non est mehercule vana hæc conjectura, quam etiam sequitur Bechai, cujus verba non pigebit adscribere; עכב את שמעון יותר מכלם כדי להפרידו מאת לוי שלא יעצו שניהם עצה כנגדו בענין שעשו כנגד שכם לפי ששניהם מצוים יותר תמיד כענין שכתוב שמעון ולוי אחים כלי חמס, *Ex omnibus* (Joseph) *retinuit Simeonem, quo ipsum à Levi sejungeret, ne ambo adversus se inirent consilium sicuti adversus Sichemum fecerant, quod inter hos præcipua quædam esset societas. Unde illud* (Gen 49. 5.) Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis, &c. Subtilius est quod annotat Rasi, idcirco ligatum dici Simeonem in oculis fratrum, quod mox, iisdem absentibus, vinculis solutus beneque cibo ac potu acceptus fuerit. Hoc enim *illis præsentibus*, seu *in oculis eorum*, aliud nihil esse videtur quam illis videntibus atque inspectantibus. Deinde isti interpretationi repugnat quod Gen. cap. 43. 23. scribitur, illis in Ægyptum cum Benjamino reversis eductum Simeonem. Unde, nisi è carcere?

27. *Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi*, &c.] Josephi fratres, comparata in Ægypto annona ac Simeone pro obside inibi relicto, ad patrem revertentes, in hospitium sero cum venissent, ecce unus illorum sacco aperto quo pabulum asino daret, pecuniam reperit in ore sacci: curaverat enim Josephus ut pecunia quam pro coempto frumento fratres numerarant clam in eorum sarcinas inderetur.

Quæritur quis illorum aperuit saccum. Rasi ipsum Levi esse conjectat, qui destitutus Simeone quicum conjunctissime vivebat, *unus* seu *unicus* dicatur. Ipsius adeo verba audiamus; ויפתח האחד הוא לוי שנשאר יחיד משמעון בן זוגו, Et aperuit unus. *Is est Levi, qui relictus fuit unicus* (absens) *à Simeone compare suo.* Hic *unus* pro *unico* exponit. Cum eo sentit & Bechai qui sic habet, ודרך הכתוב לקרות האחד את שקו זה לוי שנפרד ממנו שמעון קראו הכתוב אחד, *Quod autem scribitur; & aperuit unus saccum suum, is est Levi, propterea quod enim divulsus fuerat ab eo Simeon, eum appellat Scriptura Unum.* Ezræ *unus* est pro *uno eorum*. Addit; ויתכן להיות ראובן כי הוא הבכור כמו אחד במספר, *Apparet autem esse Ruben, quod is esset primogenitus* instar unius in numero (&) *sicut unum in numeris.* Hæc nihil solidi habere videntur: nec admodum refert scire quis ille fuerit. Majoris forsan momenti est hoc, an unus tantummodo aperuerit saccum, an etiam alii. Nonnulli sentiunt, & in iis Abarbanel, haud dubium quidem esse quin cæteri quoque saccos aperuerint, saltem ut an sua etiam pecunia in iis esset explorarent, sed quod pecunia altius in saccos intra medium frumentum esset defossa, nihil pecuniarum reperisse præter unum, in cujus sacci ore pecunia ab eo cui datum hoc negotii à Josepho fuerat forte erat relicta. Ab his quidem facit, quod, nisi exhaustis saccis domi coram patre, ab aliis non legatur repertum argentum: quæ res tum illorum animis maximum terrorem incussit, ne fortasse dolo malo pecuniam una cum frumento abstulisse accusarentur. En Textus verba, v. 45. cap. Gen. 42. *His dictis, cum frumenta* (Hebr. *saccos*) *effunderent, singuli repererunt in sacco suo:* (ita Hebraice, ut in Vulg. *in ore saccorum*) *exterritisque simul omnibus*, &c. Verum alia ex parte pugnat quod Jacobus, qui exhauriendis sarcinis postquam ad ipsum filii ex Ægypto rediissent præsens interfuit, testis est in ore saccorum repertas pecunias, Gen. 43. 11. ubi in Fonte באמתחתיכם בפי *in ore saccorum vestrorum*, non, ut in Vulg. *in saccis vestris*. Ipsi quoque Jacobi filii, dum in Ægyptum cum Benjamino reversi Iosephi œconomo de reportato in saccis argento se purgant, statim in ore saccorum repertas pecunias affirmant, neque hoc tantum, sed & in diversorio, non apud patrem, Gen. 43. 21. Adde, si vis, & ver. 8. cap. 44. Quod hic dicam certe non habeo, nisi quod uni in diversorio accidit de omnibus affirmari, nec satis singula ut facta fuerunt distingui, quod fere perinde esset in diversorio & domi id accidisse. Apud Iosephum scriptorem locupletissimum pecuniæ ab uno in diversorio repertæ nulla mentio.

G R O T I U S.

11. **P**Acifici venimus] כנים. LXX. εἰρηνικοί [*pacifici*], Aquila ὀρϑοί [*recti*], Symmachus ἁπλοῖ [*simplices*]. Sensus est, viri bonæ fidei, ut apparet infra 19. 31. 34. Quam non vera esset hæc ipsorum de se prædicatio, norat Iosephus: notant Emor & Sichem.

15. *Per salutem Pharaonis*] Gravissimum apud Ægyptios juramentum, si quis violaret, pœnam capitis secum trahens; Abenesdra ex scriptoribus Ægyptiis. Sic Romani per genium Principis jurabant.

22. *Et non audistis me*] Sic & Latine dicimus *Si me audies*.

CARTWRIGHTUS.

1. ET *vidit Jacob*, &c.] Aben Ezra ait sensus invicem permutari, ac alterum pro altero poni, quia simul in eadem sede conjuncti sunt. Hinc cap. 27.27. *Vide odorem filii mei*. Et Eccles. 11.7. *Dulcis est lux*. Et hoc in loco, *Et vidit Jacob*, &c. cum mox ver. 2. Jacob dicat se illud *audivisse*. Sed & ideo *videre* usurpatur generaliter pro *sentire*, quia visus omnium sensuum est nobilissimus; uti notat Kimchi ad Zach. 1. 9.

לָמָּה תִּתְרָאוּ *Quare alii alios aspicitis?*] Onkelos, למא תתחזון quod idem prorsus significat; Fagius autem vertit, *Quid vos ostentatis?* idque sic explicat, *Quid vos ostentatis coram hominibus, quasi vos nullam famem patiamini, frumentis abundetis, & nihil vobis deficiat?* In hunc sensum verba exponi asserit à Kimchio, & Aben Ezra. Kimchii verba citat, nempe ista, למה תראו עצמכם שאתם שבעים ויש עמכם אכל כי כל שאר העולם הולכים לשבור שבר ואתם יושבים, i. e. *Cur ostentatis vos, quasi saturi sitis, ac sit vobis esca? Omnis siquidem mundus proficiscitur ad emendum frumentum, & vos cessatis.* Verba Aben Ezræ (quæ à Fagio non citantur) ita habent, אל תראו שיש לכם הון, i. e. *Ne ostentetis vos, quod vobis sit substantia*, vel quod vobis sint opes. Addit autem Aben Ezra & aliam expositionem, אל תהיו כריבים זה עם זה, i. e. *Ne contendatis alii cum aliis.* Eo sensu verbum התראה usurpari notat, 2 Reg. 14. 8. נתראה פנים, *alter alterum facie inspiciamus*, i. e. cominus pugnemus. R. Salom. primo exponit, *Quare ostentatis vos coram filiis Ismaelis, & filiis Esavi, ac si vos saturi essetis?* Deinde asserit se audivisse verbum istud *maciem* denotare, לשון כחישה, ut sensus sit, למה תהיו כחושים ברעב, *quare estis attenuati fame?* Fagius in Collat. hæc verba interpretatur, *Cur negatis, sive celatis famem?* Vel, *cur tabescitis fame?* At etiamsi verbum כחש æque significet *negare, celare*, ac *tabescere, attenuari*; tamen si prior significatio locum hic haberet, hæc expositio à superiori haudquaquam esset diversa. Idem enim est dicere, *Cur ostentatis vos, ac si saturi essetis?* Et, *Cur famem negatis, vel celatis?* Mihi simplicissimum videtur interpretari, *Quare vos mutuo aspicitis?* Id est, quare quasi mentis ac consilii inopes, alii alios intuemini? Jonathan à verbis longius discedit, למא דין אתון דחלין למיחות למצרים, i. e. *Quare ita vos timetis descendere in Ægyptum?* LXX. sensum non incommode expresserunt, ἵνα τί ῥᾳθυμεῖτε; *quare segnes estis?* Vulg. *Quare negligitis?*

2. רְדוּ־שָׁמָּה *Descendite illuc*] R. Salom. ait Jacobum non dixisse, לכו, *ite*, sed רדו, *descendite*; nimirum hoc verbo innuisse, ac obscure significasse Israelitas fore 210. annis in Ægypto, juxta numerum, qui ex literis verbi רדו conficitur. Sed hoc est Cabbalisticum.

4. *Ne contingat ei* אָסוֹן *infortunium.*] Onkelos, Jonathan, מותא, *mors*. LXX, μαλακία, *languor*. Aquila, συνάντημα, *casus*. Symmachus, κίνδυνος, *periculum*. R. Nathan in Concordantiis exponit אסון per מות *mortem*. Atque ista interpretatio confirmari potest ex Exod. 21. 22, 23. ubi similiter Chaldæi isti Paraphrastæ habent מותא, & certum est *mortem* illic intelligi.

9. לִרְאוֹת אֶת־עֶרְוַת הָאָרֶץ בָּאתֶם *Ut videatis nuditatem terræ venistis.*] Chald. ית בדקא דארעא, i. e. *rupturam terræ*; h. e. (ut Fagius explicat) ubi inermis & imbecillis sit, & qua parte hosti aditus & ingressus pateat, ut facile expugnare possit. Addit autem, quia בדקא etiam *infirmum & turpe* significat, ideo quosdam legere, *Venistis ad explorandum & perscrutandum infirmiora, sive turpitudinem, & nuditatem terræ*, ut Hebraismus habet, h. e. qua parte nudi, & minus muniti sumus; sensu eodem cum priore. S. Salom. ait, Onkelum non accurate expressisse vocem Hebræam, prout in Scriptura usurpatur; לא גלוי הארץ כתרגם אלא לשון לכתוב הקרק לפרש אחר. Ipse autem exponit הארץ גלוי ערות, היא נוחה ליכבש, i. e. *apertum terræ*, ex qua scil. parte facile capi possit. Isto sensu asserit vocem ערוה semper in Scriptura usurpari, nempe pro גלוי, i. e. *aperto* vel *manifesto*. Aben Ezra è contra interpretatur סוד הארץ, i. e. *secretum terræ*, Per nuditatem vult intelligi secretum, quia nuditas tegi atque occultari soleat. Sic Aquila & Symmachus, τὰ κρυπτὰ, *occulta*. LXX etiam forte idem voluerunt, interpretantes, τὰ ἴχνη τῆς χώρας, *vestigia regionis*. Vulg. *infirmiora terræ*. Interpretes etiamsi verbis differant, re tamen conveniunt.

13. *Et unus non est.*] *Periphrasin mortis* (inquit Fagius) *hanc locutionem esse volunt*; q. d. *Non superest amplius, mortuus est*. Sicut & infra dicit Jacob, *Non descendet filius meus vobiscum, quoniam frater ejus mortuus est*, &c. *Mihi* (inquit) *omnino videtur istius locutionis usus esse, ubi non certo constat de morte alicujus, ignoratur quo pervenerit, dubitatur num adhuc inviva sit necne. Unde & de Hanoch supra cap. 5. usurpatur, quem non naturaliter mortuum, vitaque defunctum, sed ex hoc mundo translatum esse sentiunt.* Hæc Fagius. Infra autem vers. 36. de Josepho pariter ac Simeone vox ista usurpatur, cum tamen Simeon tantum captivus detinebatur; sed Jacob forte eum quasi mortuum reputavit.

18. *Hoc facite, & vivite*] i. e. & vivetis. Vulg. *Facite quæ dixi, & vivetis.* Miror Amamam in Censura sua hunc locum non animadvertisse, cum (ut recte notat Mercerus) Interpres perperam eum reddiderit. Neque enim cum Joseph dixit, *Hoc facite*, respexit ad id quod antea dixerat, sed quod mox dicturus erat; novam nempe rationem iniit, quam deinceps vers. 19. & 20. exponit, ad experiundum (ita præ se ferebat) utrum exploratores essent, necne.

24. (*a*) *Et accepit ex eis Simeonem.*] R. Sal. ait Simeonem fuisse, qui Josephum in puteum conjecit, & qui dixit Levi, *Ecce somniator iste venit*. Sed ista sunt ἄγραφα, ac propterea incerta. Melius Aben Ezra, qui ait, *Josephum accepisse Simeonem, quod cum plures sint qui peccent, is qui natu maximus est præcipue plecti solet; ideo autem relictum fuisse Rubenem, quod is Josephum à morte liberaverit.*

Et vinxit eum ante oculos eorum.] R. Salom. ait Simeonem non fuisse vinctum nisi ante oculos eorum: postquam enim abiissent eum libertati suæ restitutum, ac liberaliter tractatum fuisse existimat. At ex cap. 43. 23. videtur Simeon usque ad fratrum ipsius reditum vinctus mansisse; verisimile tamen est Josephum interea non nimis rigide illum tractasse.

36. אֹתִי שִׁכַּלְתֶּם *Me orbastis.*] כל מי שבניו אבודים קרוי שכול, inquit R. Salom. i. e. *Quicunque filios suos amisit, is vocatur Shacul*, i. e. orbus; de eo verbum *Shacal* usurpatur.

38. *Non descendet filius meus*, &c.] Ruben dixerat ver. 37. *duos filios meos occidas, nisi eum tibi reduxero*; Jacob autem verbis ejus persuasus non erat, uti notat R. Salom. qui in isto sermone stultitiam Rubenis observat; Quid enim lucratus fuisset Jacob, si Rubenis filios, qui & ipsius Iacobi filii fuerunt, occidisset?

וּקְרָאָהוּ אָסוֹן *Et accidet ei infortunium.*] Onkelos & Ionathan pro אסון habent מותא, i. e. *mors*. Vide supra ad ver. 4.

(*a*) Targ. Jonath. *Et accepit ex eis Simeonem, qui consilium dederat ut ipsum interficerent.*

CAP. XLIII.

MUNSTERUS.

7. SEcundum tenorem] Heb. על פי *juxta os*, על הדברים *juxta quæstiones*, seu *interrogationes istorum verborum*. ¶ *Adducite*] Hebraice, *facite descendere*. Est enim Judæa in altiori situ quam Ægyptus.

8. *Parvuli nostri*] Hebraica vox טף significat *cœtum puerorum*: derivaturque à verbo טפף quod significat *manus complodere, in plateis saltare & ludere*, ut pueri faciunt.

11. *Si ita nunc est*] Hebraismus est pro, *si ita fieri oportet*. Et quod sequitur, *De laudabilioribus*) in Hebræo habetur, *de laude terræ*: & est Hebraismus pro מיטב פירות *bonitate fructuum terræ*. Porro nomina fructuum supra explicavimus, cap. 37. Et quod hic additur, בטנים) quidam interpretantur אגוזים *nuces*, alii *pineas*. R. S. fatetur se ignorare quid hoc nomen significet.

14. *Quemadmodum orbatus sum*] h. e. *Ut prius orbatus sum Simeone, sic quoque nunc orbabor Binjamin*. Filius Ezræ tamen sic exponit, *In morte Joseph puto me omnibus orbatum*.

18. *Ut circumveniat nos*] Hebraice, *ut volvat se super nos*. h. e. Occasionem quærat contra nos.

19. *Ejus Domine*] *Dictio* בי *est* לשון בקשה ותחנונים *vox obsecrationis*; & non invenitur nisi cum dictione אדוני, ut dicit Gerundensis.

20. *Reportavimus*] Hebraice, *reduximus*. Nam est verbum

bum Hiphil, h. e. transitivum, à radice שב, i. *reversus est*, derivatum.

26. *De pace*] Hebræa vox שלום *Salom*, Latine proprie est *salus* & *integritas*, sicut & adjectivum שלם idem est quod תמים *integer*, *perfectus*, *incolumis*. Et quando additur, השלום אביכם, subintelligenda est litera servilis Lamed in hunc modum, השלום לאביכם, *Num integritas est patri vestro?*

29. *Accendebantur*] Est נכמרו secundum Judæos idem quod נכספו, sicut & nos vertimus.

32. *Minorennis*] Hebraice, *parvus secundum parvam ætatem suam*. Et quod sequitur, *Transmisit*] Hebraica habent, *tulit*, seu *levavit*.

33. *Portiones*] Hebræi exponunt hic משאת per מנות *munus*, & חלקים per ירות *partes*, seu *particulas*. Et quod in fine subditur, *Inebrietati sunt cum eo*] non sic intelligendum est quod ratio illorum vino absorpta fuerit, sed quod vino exhilarati fuerint. R.S. sicut ubique solet, sic & hic fingit commentum aliquod frivolum, dicens, *Ab ea die qua vendiderunt Joseph usque in hunc diem, neque Ioseph neque fratres ejus biberant vinum: ideo jam congregati biberunt vinum usque ad satietatem, non ad superfluitatem. Ne patrocinari videatur hic Scriptura ebriosis, qui hunc locum pro se citare consueverunt, quasi Joseph & fratres ejus biberint vinum usque ad inebriationem.*

FAGIUS.

1. Cum *consummassent edere frumentum*] i. Cum nihil superesset amplius ad edendum de frumento quod antea attulerant ex Ægypto.

8. *Peccati reus ero*, &c.] i. Peccator ero tibi & peccati reus omnibus diebus vitæ meæ. Vel, pœnæ obnoxius ero tibi. *Peccare* enim pro *pœnam peccati luere* non semel usurpat Hebraismus. Unde & Apostolus dicit Christum *factum pro nobis peccatum*, i. pœnam peccati, 2 Cor. 5. 21.

9. *Nisi moram fecissemus in hoc*] i. in hoc negotio, in hac causa, scilicet Binjamin, quem desideravimus & exspectavimus. Vel potest legi, *propter hoc*, i. propter Benjamin gratia & causa Binjamin. Idem sensus utriusque lectionis est.

10. *De optimis terræ*] Ad verbum est, *de laudabili terra*, sive *de eo quod laudatur in terra*, h. e. de præcipuis, optimis ac celebratissimis fructibus regionis.

13. *Orbatus sum, orbatus sum*] Hebræi duplicem hic sensum habent. Alter, Quemadmodum orbatus sum Josepho & Simeone, sic modo orbabor Binjamin. q. d. Præsagit mihi animus quod orbabor filio meo Binjamin, sicut orbatus sum aliis duobus, Simeon & Joseph. Alter, Mortuo Josepho, puto me omnibus privatum esse. Dicunt Hebræi שכול, i. *orbum*, vocari eum cujus filii moriuntur omnes ipso adhuc vivente. Quod Hebræi sic efferunt, הקובר את בניו קרי שכול, *Qui sepelit filios suos, vocatur* שכול *orbus*.

IDEM.

14. ואני כאשר שכלתי שכלתי *Et ego quemadmodum orbatus sum, orbatus sum*] Apud nostros Interpretes parum vel nihil est diversitatis. Verum Hebræi duplici modo exponunt hunc locum. Prior, *quemadmodum orbatus sum Iosepho & Schimeone, sic modo orbabor Benjamin*. Posterior, quem habet Aben Ezra, *Mortuo Ioseph puto me omnibus privatum esse.*

VATABLUS.

1. Revertimini, *comparate*, שבו שברו] Duo imperativa Hebræis sine copula, ut aliquando Latinis & Græcis, ad majorem accelerationem significandam: alioqui in infinitivum esset alterum vertendum.

2. *Contestando contestatus est*. העד העיד בנו] i. Dixit nobis sub attestatione jurisjurandi. Sive, Denuntiavit nobis adhibito juramento.

5. *Quod adhuc frater esset vobis?* העוד לכם אח] Aut העוד pro אשר עוד accipiendum, ut vertit noster interpres: aut nonnulla subaudienda, hoc pacto, *renuntiando vos habere fratrem viro illi qui interrogabat vos, An adhuc frater est vobis?*

6. *De nobis*, לנו] i. de conditione nostra. ¶ *Juxta verba ista*. על פי הדברים האלה] i. id quod sciscitatus est. ¶ *Nunquid cognoscendo cognoscere poteramus*. הידוע נדע] i. Nunquid divinare poteramus.

7. *Et nos*, & *tu*, & *parvuli nostri*. גם אנחנו גם אתה גם טפנו] Ad verbum, *etiam nos*, *etiam tu*, *etiam parvuli nostri*.

8. *Pœnæ obnoxius ero tibi*. וחטאתי לך] Ad verb. & *peccabo tibi*. i. reus ero peccati erga te.

9. *Jam bis*. זה פעמים] altera vice.

10. *Si ita nunc* אם כן] sub. *necesse est fieri*. ¶ *Et deferte*, והורידו] Ad verb. & *descendere facite*. ¶ *Et flacibon*, ולט] & *castaneas*.

13. *Det vobis misericordiam*, &c. יתן לכם רחמים] Hebraismus, *reddat vobis placibilem*, *bene faventem*, & *propitium virum illum*. ¶ *Ego vero quemadmodum*, &c. ואני כאשר] Quidam alterum præteritum convertunt in futurum, *orbatus sum, orbabor*. i. Orbus manebo sicuti sum. Varie hæc verba interpretes exponunt. Quidam putant eum conqueri quod nunc in totum orbus fiat. Hebræi duobus modis exponunt. I. Quemadmodum orbatus sum Josepho & Simeone, sic modo orbabor & Benjamin. q. d. Præsagit mihi animus quod orbabor filio meo Benjamin sicut orbatus sum aliis duobus, Simeon & Joseph. II. Mortuo Joseph, puto me omnibus privatum esse. Reputat enim nihil posse deterius sibi accidere ex quo Joseph perdidit, quem omnibus præferebat. Fortasse melius sic interpretabimur, Video quid agatur mecum. Ego sum miserrimus senex. Domum quæ nuper populosa erat, fere desertam video. Ut in genere deploret se nudari omnibus filiis, non de parte solum loquitur. ¶ *Steteruntque*, &c. ויעמדו לפני יוסף] i. venerunt in conspectum Ioseph.

15. *Qui præerat domui suæ*, לאשר על ביתו] Ad verb. *qui erat super domum suam*. ¶ *Et appara*: והכן] *ac convivium instrue*.

17. *Et dixerunt*, ויאמרו] sub. *intra se*. ¶ *Ut devolvat sese supra nos*, להתגולל עלינו] i. ut hoc prætextu reddat nos servos sibi.

19. *Quæsumus domine mi*, בי אדני] Particula deprecantis, *O domine*. Chald. paraph. *Quæso domine*.

22. *Pax vobis*, שלום לכם] Hebraismus, *Res vestra salva est*, *nihil est periculi*: vel, ut loquuntur, *Res vestra est in bono statu*. ¶ *Pecunia vestra*, &c. כספכם בא אלי] Hebraismus, *recepi pecuniam vestram*; sive, *eam vobis acceptam refero*.

24. *Interim dum veniret*, עד בוא] sub. *ad prandium*. Infinit. Heb. Ad verb. *usque ad venire*. ¶ *Audierant*, שמעו] pro *Intellexerant* positum, more Hebræo.

25. *Quod erat*, &c. אשר בידם] i. quod detulerant.

26. *De sanitate*, &c. לשלום ויאמר] Ad verb. *de pace*, & *dixit*, *An pax patri vestro?* Hebraismus, *de incolumitate*, *sive quomodo valerent*. *Interrogavit præterea essetne sanus*, & *an recte valeret pater eorum*. ¶ *De quo dixistis?* אשר אמרתם] i. de quo locuti estis, supra, c. 45. 13.

27. *Sanitas*, שלום] Ad verb. *Pax*.

28. *Filium matris suæ*, בן אמו] Hebraismus, pro *uterino*.

29. *Tum festinavit*, וימהר] i. Cito se recepit in cubiculum. ¶ *Incalescebant*, &c. נכמרו רחמיו] Doctus inter Hebræos dupliciter exponit: I. *Revolverunt se ac resonuerunt viscera ejus*, pro *revolvebantur ac resonabant*. Atque ita vertit Chald. paraph. II. Ut vertit noster interpres, *incalescebant*.

30. *Et continuit sese*, ויתאפק] *Et cohibuit sese*. q. d. Induit aliam personam.

31. *Non enim possunt*. כי לא יוכלון] *Non enim sustinent*. Ad verb. *Non poterunt*. i. Non solent.

32. *Primogenitus*, &c. הבכר כבכרתו] Chald. paraph. *Major natu*, *juxta majorem suam ætatem*. Significat pro ratione ætatis eos assedisse. Quanquam inter filios Jaacob quatuor erant ex ancillis nati, quia tamen majores natu sunt, ordine præcedunt fratres suos minores qui ex matribus ingenuis descenderant. ¶ *Alter ad alterum*. איש אל רעהו] Ad verb. *Vir ad socium suum*, i. Alter alterum admirabundi aspiciebant.

33. *Et accepit*, &c. וישא משאת] *Et tulit fercula* [*munera*, *dona*] *a facie sua*. i. De paropside sua, h. e. De cibis sibi appositis misit fratribus suis. ¶ *Et multiplicavit partem*, ותרב משאת] *Et multiplicatum* [vel *auctum*] *est ferculum*, aut, *portio crevit*. i. Dedit maximam partem, *ipsi Benjamin*. ¶ *Et inebriaverunt se cum eo*: וישכרו עמו] Hinc videmus lautius fuisse convivium, in quo large & hilariter præter quotidianum morem excepti fuerint. Hoc enim significat verbum שכר, quod *inebriari* vertunt, vel quia non semper vinum bibere solebant, vel quia in mensis hospitabilibus major erat indulgentia. Neque tamen hic notatur ulla intemperies, sed honesta modestaque liberalitas. Verum quidem est, verbum esse medium, & quod

quod sæpe in malam partem capitur, ut supra, c. 9. 21. & similibus locis: in loco tamen præsenti clarum est Mosis consilium. Quidam vertunt, *& potaverunt vinum*: quod id significet aliquando verbum ipsum.

CASTALIO.

33. L*iberaliter cum eo potaverunt*] Heb. *Inebriati sunt*; sed id verbum non semper *inebriari* significat, sed ea notione dicitur in bibendo, qua *satiari* in comedendo. Et in Esa 49. ad finem, dicuntur *sanguine inebriari* qui sanguinem bibunt.

CLARIUS.

14. E*Go autem quasi orbatus*] Heb. *Et ego quemadmodum orbatus sum, orbatus sum*, h. e. Ut prius orbatus sum Simeone, sic quoque nunc orbabor Benjamin. Alius sic intelligit, In morte Joseph puto me omnibus orbatum.

32. *Et mirabantur*] Heb. *Miratique sunt viri illi, quisque cum proximo suo. Et transmisit portiones à facie sua ad illos.*

33. *Et inebriati sunt cum eo*] Hebraismus est, quo significatur large & hilariter eos fuisse epulatos, sic & illud, *Comedite, amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi.*

DRUSIUS.

10. נְכֹאת A. *στύρακα, styracem*] *Storacem*, interpres Vulg. Sic etiam Hieron. Forte *στύραξ, storax*; ut *νύξ, nox*. Verba Hieron. *Ubi in nostris codicibus habetur thymiama, in Ebræo est* נכאת, *quod Aquila storacem transtulit: ex quo Domus Nechotha, quæ in Esaia legitur, manifestissime Cella thymiamatis sive storacis intelligitur, quod in illa aromata diversa sint condita.* Vide nunc sodes notata cap. 37. 25. ¶ שְׁקֵדִים A. & Sym. *ἀμύγδαλα, amygdala*] Hieron. *Terebinthum, & Nuces, sive, ut A. & Sym. transtulerunt, Amygdala.* Symmachi nomen abest in edit. Rom. *καὶ κάρυα*. A. *ἀμύγδαλα*. Suspicor exscriptum non ex Hieron. sed ex alio quopiam autore Græco.

28. רַחֲמָיו *οἱ ἄλλοι, τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, viscera ejus*] Id habent antiqui codices. In aliis est *τὰ ἔγκατα*, & in aliis *τὰ ἔντερα αὐτοῦ, intestina eius.* רחמים *τὰ σπλάγχνα* interpretantur etiam Lxx. Prov. 12. 10. Aquila vero מרחם Psal. 110. 3. reddit *ἐκ μήτρας, à matre*, sive *vulva*.

NOTÆ MAJORES.

1. *Fuit autem cum absolvissent edere frumentum quod attulerant ex Ægypto, ut diceret ei pater ipsorum, Redite, emite vobis parum cibi.*

Absolvissent edere frumentum] Est cur malim, *consumpsissent edendo frumentum.* Nam absolvit edere qui saturatus aliqua re finem facit edendi. Sic alibi de camelis, *ubi absolvissent bibere*. i. bibissent quantum satis erat. Hi si non omne frumentum, at saltem majorem ejus partem edendo consumpserant. Lxx. *ἡνίκα συνετέλεσαν καταφαγεῖν τὸν σῖτον*, quando consummaverant edere frumentum. Hiero. *Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant.* Onkelos interprete Fagio, *quum consummassent edere frumentum.* Chaldaice כד שציו quod rite scribes שֵׁיצִיאוּ. Jonathan pro eo dixit כד פסקו quum desiissent edere. vult dicere, quum nihil aut parum amplius superesset quod ederent. Nam aliquantum superfuisse credibile est. Alioquin unde Jacob interea temporis se sustentasset cum familia. In altero loco Geneseως, teste Mercero, Onkelos habet כד פסקו quum bibissent quantum satis est: sed forte legendum ex hoc loco ספקו litteris inversis ac transpositis. Videndus R. Salomo ad hunc locum. ¶ *Attulerant*] detulerant, *ἤνεγκαν*. ¶ *Redite*] revertimini. Lxx. hic habent *πάλιν πορευθέντες*, rursum profecti. ¶ *Emite*] comparate, *πρίασθε*, frumentamini. ¶ *Parum cibi*] i. frumenti. Lxx. *μικρὰ βρώματα*. Hiero. *pauxillum escarum.* Onkelos זעיר עבורא parum frumenti. Jonathan קליל עבורא aliquantum frumenti. Santes, *pusillum cibi.* Trem. *paulum esculentorum.* Gallica, *un peu de vivres*, parum commeatus vel annonæ, paulum victus aut cibariorum.

2. *Et dixit ei Judas dicendo, Obtestando obtestatus est nos vir ille dicendo, Non videbitis faciem meam nisi frater vester fuerit vobiscum.*

3. *Quod si miseris fratrem nostrum nobiscum, descendemus & ememus tibi cibum.*

4. *Si vero non miseris, non descendemus, quia vir ille dixit nobis, Non videbitis faciem meam nisi frater vester fuerit vobiscum.*

Obtestando obtestatus est nos] vel, *contestando contestatus est nos.* Trem. habet, *serio contestatus est nos.* Hiero. *denuntiavit nobis sub attestatione jurisjurandi.* alias, *sub testificatione.* R. Salomo explicat per verbum התרה quod inter alia significat protestari: unde התראה protestatio. ¶ *Vir ille*] ille honorifice positum q. d. Vir ille potens, aut, ut Lxx. ediderunt, *vir ille dominus terræ.* ¶ *Frater vester*] *frater vester minimus.* Lxx. Hier. Jonathan. ¶ *Nisi fuerit*] בִּלְתִּי dixit pro בִּלְתִּי הֱיוֹת aut idem cum בלא *absque fratre vestro vobiscum*, ita R. Salomo. Jonathan quoque בר לית. Nam Onkelos אלהין כד nisi quum fuerit. Paulo post Hiero. *absque fratre vestro minimo.* ¶ *Si miseris*] אם ישך משלח si fueris tu mittens. ¶ *Descendemus*] in Ægyptum.

5. *Dixitque Israel, Quare malefecistis mihi indicando viro illi an adhuc vobis frater?*

6. *Et dixerunt, Sciscitando sciscitatus est vir ille de nobis & de cognatione nostra dicendo, An adhuc pater vester vivit? An est vobis frater? & indicavimus ei secundum verba ista: an sciendo scire potuimus quod dicturus esset nobis, Facite ut descendat frater vester?*

Quare malefecistis mihi indicando] vel, quare hoc malo affecistis me ut indicaretis. Sensus est, Quare in hanc ægritudinem & ærumnam me conjecistis? Græce est *τί ἐκακοποιήσατέ με*; ubi *τί* valet *ἱνατί* cur, quare, ad quid. ¶ *An adhuc vobis frater*] sub. esset. Quod pro eo habendum ac si diceret, vos adhuc fratrem habere. Forte ה articulus est, qui hic relativi vim habeat העוד pro שֶׁעוֹד quod adhuc frater vobis esset. ¶ *Sciscitando sciscitatus est*] diligenter sciscitatus est. Licet etiam vertere, *interrogando interrogavit.* August. in locut. *Juxta Græca & Ebraica exemplaria legitur, interrogans interrogavit nos homo. Assidua est locutio in Scripturis, interrogans interrogavit nos, aut interrogando interrogavit, & si qua similia.* Hiero. *interrogavit per ordinem.* Trem. *diligenter percunctatus est.* ¶ *De nobis*] לָנוּ de nobis. Male Lxx. *ἡμᾶς* & Hiero. *nos.* i. unn. Fagius quoque לָנָא quod in Onkelo, perperam reddit *nos.* ¶ *De cognatione nostra*] de progenie nostra, de familia nostra. ¶ *Secundum verba ista*] על פי הדברים האלה Hiero. *juxta id quod fuerat sciscitatus.* Lxx. *κατὰ τὴν ἐπερώτησιν ταύτην*, juxta interrogationem hanc. R. Salomo, *juxta interrogationes quas interrogavit.* על פי verbum è verbo, *juxta os.* Os autem dicit pro sermone. Proinde Onkelos & Jonathan כְּפִתְגָמֵי reddunt. Potest etiam esse adjectio syllabica, ut in לפי דרכו & similibus locis. ¶ *Sciendo*] omnino aut ullo modo. ¶ *Scire potuimus*] vel, *scire poteramus.* Lxx. *ᾔδειμεν*, sciebamus. Onkelos & Jonathan הוינא ידעין fuimus scientes i. scivimus. ¶ *Quod dicturus esset*] כי יאמר Notat R. Salomo כי hic positum esse pro אשר: cui firmando editio Jonathæ. דיימר & Hiero. *quod dicturus esset.* Quanquam in Onkelo אֲרֵי quia, & in Lxx. *ὅτι*. Idem annotat כי & אשר & אשר se invicem explicare. ¶ *Facite ut descendat*] הורידו descendere facite, nempe in Ægyptum, quo proprie descenditur. Lxx. *ἀγάγετε*. Hiero. *adducite vobiscum.*

7. *Tunc dixit Judas Israeli patri suo, Mitte puerum mecum, ut surgentes abeamus & vivamus & non moriamur, etiam nos, etiam tu, etiam parvuli nostri.*

Mitte] שלחה *ἀπόστειλον*. ¶ *Puerum*] Non יֶלֶד est in Ebræo, sed נַעַר quæ vox etiam adolescentem denotat. Quocirca Onkelos interpretatur עוּלֵימָא. Erat enim, ut Mercerus autor est, 23. aut 24. annorum. Ceterum Jonathan edidit טליא & Hiero. *puerum* & Lxx. *τὸ παιδάριον*. Lexicon Hesychii, *παιδάρια, τὰ μείζονα καὶ τὰ ἀρτίως γεγονότα.* ¶ *Ut surgentes abeamus*] vel, *& surgentes abibimus ut vivamus.* Ad verb. *& surgemus & abibimus.* Lxx. *καὶ ἀναστάντες πορευσόμεθα.* Hiero. *ut proficiscamur.* ¶ *Et vivamus &c.*] vel, *sic vivemus & non moriemur.* Lxx. *ἵνα ζῶμεν καὶ μὴ ἀποθάνωμεν.* Hiero. *ut vivamus ne moriamur.* ולא נמות. Est autem pleonasmus Ebraica. Satis enim erat, *ut vivamus*, vel, *ut non moriamur*. Simile, *mendax est, & veritas non est in eo.* Hujusmodi congeminatio non caret emphasi. ¶ *Etiam nos, etiam tu*] tam nos quam tu. ¶ *Parvuli nostri*] Chaldaice טפלנא quod perperam interpretantur familia nostra. (Sic interpretatur autor Catenæ Patrum.) Lexicon Munsteri, טפלא cœtus parvulorum & infantium. Exod. 12. 37. בר מטפלא *χωρὶς νηπίων*, absque infantibus.

8. *Ego fidejubeo pro eo, de manu mea requires illum, si non adduxero eum ad te & constituero coram te, tum peccavero tibi omnibus diebus.*

9. *Nisi*

9. *Nisi enim tardavissemus, certe nunc reversi fuissemus jam bis.*

Ego fidejubeo] Onkelos & Jonathan, *ego spondeo ego.* Sic enim verto אנא מערבנא ut sit participium præsens cum pronomine אנא ערבנא spondeo ego. Lxx. ἐκδέχομαι αὐτόν, & Hiero. *suscipio puerum.* Græca verti possunt, *ego exspectabo ipsum.* Sed quid hoc ad sensum verbi אערבנו quod potius denotat ἐγγυᾶν, ut recte vertunt Proverb. 6. 1. ¶ *De manu mea*] a me non ab alio. Dicit autem *è manu mea*, quia manu accipimus ab aliis tradita. ¶ *Requires*] reposces. Lxx. ζήτησον: & Hiero. *require.* ¶ *Adduxero*] reduxero. ¶ *Constituero*] στήσω, statuero, stitero. ¶ *Peccavero*] reus peccati fuero, vel simpliciter reus fuero. Lxx. ἡμαρτηκὼς ἔσομαι. Onkelos, *ero peccans aut peccator tibi.* Jonathan, *reus ero coram te.* Jerosolymitana, *procul amovebor ne quæram de salute patris mei.* vult dicere, ne salutem patrem meum. Porro peccare dicitur & qui pœnam peccati sustinet. Nam peccatum interdum pœna peccati. ¶ *Tibi*] לך. alii, *in te* בך. Sic etiam Lxx. εἰς σέ. Alibi est, *peccatores erimus coram te*, pro rei, sontes erimus. ¶ *Omnibus diebus*] omni tempore, quoad vixero. ¶ *Nisi tardassemus*] εἰ μὴ ἐβραδύναμεν, nisi cunctati fuissemus, nisi moram traxissemus. Hiero. *Si non intercessisset dilatio.* ¶ *Jam bis*] זה פעמים jam altera vice, jam duabus vicibus, ut Gen. 27. 36.

10. *Et dixit eis Israel, Si sic est, nunc hoc facite, accipite de laudatis fructibus hujus terræ in vasis vestris, & deferte viro munus, paululum resinæ & paululum mellis, aromatum & stactes, nuces terebinthinas, & amygdala.* (vel, *nucum terebinthinarum & amygdalarum.*)

Si sic est] εἰ οὕτως ἐστί. Sic Græci qui אפוא aut plane omittunt, aut per ἐστί exprimunt, ut Onkelos & Ionathan per כען & ad præcedentia referunt. Hiero. *Si sic necesse est.* Trem. *cum ita jam sit faciendum, id facite.* Santes, *si ita nunc, hoc facite.* Legendus Mercerus. ¶ *De laudatis fructibus hujus terræ*] מזמרת הארץ de cantico sive de laude terræ, hoc est de rebus decantatis & laudatis hujus regionis. זמרה canticum hic sumitur pro eo quod canticis celebratur & laudatur, cujusmodi sunt optimi fructus. Hiero. *de optimis terræ fructibus.* alias, *frugibus.* Onkelos & Ionathan, *ex eo quod laudabile est in terra.* Sic etiam R. Salomo. Gallica, *de rebus quæ maxime celebrantur.* Abenezra, *Quicquid laudabile est in suo genere vocatur* זמרה *ex significatione* זמרות i. *cantica, laudes.* Male igitur quidam, *è palmite terræ.* Nam palmes potius זמורה dicitur. Santes, *de* [illegible] *frugibus terræ.* ¶ *Terræ*] Chanaan. ¶ *In vasis vestris*] Ionathan, *& ponite in vasis vestris.* ¶ *Vasis*] saccis. ¶ *Deferte*] הורידו descendere facite, quod Græci dicunt κατάγειν q. deorsum agere, deducere, ut apud Virgilium, *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* Sic *deducit ad inferos ac reducit*, κατάγει. Nescio an *deferre* sumatur uspiam pro *deorsum ferre*, ut *deducere* valet *deorsum ducere*, & *despicere*, *deorsum aspicere.* ¶ *Munus*] appositio: aut integrum est למנחה in munus, pro munere. Munus autem Onkelo תקרובתא hoc loco dicitur ab offerendo. Ionathan habet דורון i. δῶρον, ut nescias sitne Chaldaicum à Græco, an contra Græcum à Chaldaico. ¶ *Resinæ*] צרי resina. i. ῥητίνη. dicitur & צרי unde inversis litteris רצי resina, & ῥητίνη. Siquidem Syri Sade cum Teth permutant. Ex hac consuetudine est Tyrus, videlicet ex Ebræo צר Sor. Sic עטא dicunt pro עצה consilium. Qui Chaldaicam callent, sciunt me verum dicere. Ceterum in resinæ interpretatione consentiunt Lxx. Hiero. Santes, Arias, Leo Judæ & alii. Unus Trem. *opobalsamum* reddit, quem sequuntur Galli, altera interpretatione in marginem rejecta. Vide nunc, si vis & si otium est, quæ scripsimus cap. 37. ad vers. 25. ¶ *Aromatum*] vel magis, *aromata.* Ebraice נכאת. Id supra Hiero. verterat *aromata*: hic vertit, *storacis*, Aquilam secutus, qui στύρακα edidit i. styracem. Forte στύραξ, storax, ut νύξ, nox. In editione Græca θυμίαμα non tam *incensum* significat, quam *aroma* ad faciendum incensum. Onkelos hic habet שעוה quod exponunt *aroma*, cum potius videatur esse *cera.* Nam & in Jonatha hoc loco est שעוה & in Genesi magno נכאת, teste Jario, exponitur cera i. שעוה. Forerio נכאת est mastiche i. resina lentisci, *sic dicta*, inquit, *quod dentibus teratur & feriatur, nempe* נכה *a* נכה *ferio.* R. Salomo autor collectionem sive confectionem multorum simul aromatum נכאת dici. Mercerus ait certum genus aromatis esse, sed dubium quidnam sit. Plura de hac voce supra 37. 25. ¶ *Stactes*] vel, *stacten.* Sic Græci ἡ στακτή. Est autem liquor qui ex myrrha arbore sudat priusquam incidatur, de quo Plinius Lib. 12. cap. 16. Nomen לט sunt qui *ladanum* interpretantur: alii *myrrham* esse volunt. Certe Gallica editio hic habet *de la myrrhe.* In Genesi magno exponitur מצטכי i. mastiche, quæ est resina lentiscina, ut diximus. R. Salomo ait in Thalmud vocari לוטם. Vidi etiam qui *lotum* interpretarentur, ducti vocum affinitate. R. David in libro ubi vocum sensa collegit, *Dixerunt*, inquit, לט *esse castaneam quæ Arabice vocatur* שה בלוט. Plura cap. 37. Vide, si vacas. ¶ *Nuces terebinthinas*] Sic Trem. quem nunc secutus sum. בטן terebinthus. Arabice *Botin* & *Albotin.* Dicunt etiam *Baton* & *Boton*: quæ nomina extant inter Arabica. Græce τερέβινθος & τέρμινθος. At בטן quod inusitatum, pluralis est בטנים fructus terebinthi, *qui*, teste Theophrasto, *similes amygdalis.* Loquitur autem de Indica. *Nam & in Bactris*, ait, *Terebinthum hanc esse ferreque nuces amygdalarum magnitudine, quoniam non magnas, sed visu similes & suavitate amygdalis præstantiores.* Nucum terebinthi meminit & Plinius. Ceterum in Onkelo est בטמין quod Fagius reddit *nuces*, & in Ionatha משח דבוטמין oleum nucum terebinthinarum. Quomodo & autor Ierosolymitanæ. Alii aliter interpretantur. Lxx. τερέβινθον. Hiero *terebinthi.* Santes, *pineas.* Arias, *avellanas.* Leo Iudæ, *juglandes.* Quæ sumta ex commentario Abenezræ. Nam אגוזים *juglandes*, aut, ut alii, *avellana.* Quidam simpliciter *nuces* exponunt. R. David in Lexico suo, בטנים *vulgo* פיגנולש *Pignolles* i. *pineæ.* Sed in margine edit. meæ, *avellana sive fructus pini: Sunt qui dicant esse fructum illum qui Arabice vocatur* פסתק i. *Pistacia. Porro in Genesi magno redditur* משח דבטנים *& sic est in Thargum, quod ab urbe nomen accepit.* Hactenus Kimchi. Pistacia sive Pistacea Græcis dicuntur πιστάκια, Arabibus vero *Fustech* sive *Festuch*: Officinis & Barbaris *Fistici*: R. Salomo citat quendam R. Machir, qui in Alphabeto suo dicat significare פישטאשיש Pistasies. Plinius Lib. 13. cap. 5. *in nucum genere pistacia nota.* Sequitur in Salomone illo מיהו לי שהם אפרסקין sed videtur mihi quod sint persica, si modo אפרסקין sint persica. Mentio hujus vocis in volumine jejunii: item in Eliæ nomenclatore, qui etiam persica exponit. Quibusdam *nux Molusca* dicitur. Pro clausula, addam quod in libro nominum, *Beten, venter sive terebinthus.* ¶ *Amygdala*] שקדים. Lxx. τὰ κάρυα, nuces. Aquila ἀμύγδαλα. Hiero. *amygdalarum.* Etiam Symmachus ita vertit. Trem. & Santes, *amygdalas* sub. nuces. Onkelos שגדין ἀμυγδάλαι, amygdalæ, nuces Græcæ seu Thasiæ. Ionathan & autor Ierosoly. משח לוזין, oleum amygdalarum.

11. *Et argentum duplum accipite in manu vestra, & argentum quod repositum in ore sacculorum vestrorum reportabitis in manu vestra: fortassean error est.*

12. *Et fratrem vestrum accipite; & surgentes redite ad virum illum.*

Argentum duplum] pecuniam duplam, videlicet & eam quæ in ore sacculorum vestrorum fuerat reposita, quam reportabitis, & aliam qua de novo frumentum ematis. Sunt qui auctum fuisse putant pretium adeo, ut opus dupla pecunia ad comparandum frumentum fuerit. Quod ex hoc loco non plane liquet. Duplum autem Chaldæi vocant על חד תרי ad unum duo. Quanquam in Ierosolymitana בכיפלא quod Galli dicunt *au double.* Ebraice est כסף משנה quasi argentum repetitum aut iteratum, Græce ἀργύριον διπλοῦν (δισσὸν est in Lxx.) in editione nostra vulgata, *pecuniam duplicem.* ¶ *Et argentum quod &c.*] Hic copula sumi videtur ut in illo, *audieram & fama fuit*, quod explicant *nam fama fuit.* Reddit enim caussam cur sumi velit pecuniam duplam. Nam illa, inquit, quam in ore sacculorum vestrorum repositam habetis, referenda est. המושב autem præter morem scribitur cum (-) in ultima, cum usitate camets ibi scribatur. Quam scripturam firmat nota Massoritica quæ in margine edit. Venetæ, *Duo sunt, unum cum* (-) *& alterum cum* (·). ¶ *Repositum*] redditum, restitutum. Notum ut dare & ponere permutentur. Quod noto quia vertimus מושב repositum. Intelligens intelligit quid velim. ¶ *In ore sacculorum vestrorum*] Hiero. *in sacculis vestris*, ut Lxx. ἐν τοῖς μαρσίπποις ὑμῶν. Forte פ est adjectio syllabica. Quanquam in utroque Thargum בפום in ore. Ceterum os sacculi est summa ejus pars. ¶ *Reportabitis*] refertis. ¶ *Error est*] per errorem in sacculis vestris relicta fuit. Error Ebraice משגה hic dicitur. Chaldaice vero שלו & Græce ἀγνόημα. Ionathan habet בשלו הוה in errore fuit. ¶ *Redite*] שובו Lxx. κατάβητε. רדו i. descendite.

13. *Et Deus omnipotens det vobis miserationes coram viro, & dimittat vobis fratrem vestrum alium & Benjaminem: ego autem quemadmodum orbatus sum orbatus fuero.*

Deus omnipotens] אל שדי. Chaldæi nihil mutant. Hieron. *Deus meus omnipotens* אלי. Lxx. ὁ θεός μου. Nescio an eorum culpa exciderit ὁ παντοκράτωρ i. שדי, quod minime hic redundat. Nam significat Deum, cum sit Saddai, posse dare cui volt. Siquidem, ut R. Salomo annotat, די בידו ליתן כל יכולת *sufficiens potentia est in manu ejus ad dandum.* Sunt qui Saddai appellatum putant à mammis, quasi mammosum dicas, quod omnia

omnia alat ac nutriat. Sic πολύμαστον Græci suam Dianam appellabant, quasi mammis abundè alentem. Hæc originatio mihi displicet. Nam licet in Deo non sit sexus, tamen vocatur vir belli, non fœmina. Mammæ autem fœminarum sunt, quibus fœtus suos alunt. ¶ *Det vobis miserationes coram viro*] Hoc Hieron. explicat, *faciat vobis eum placabilem.* An rectè; videro. Trem. *det vobis consequi misericordiam.* Lxx. δώη ὑμῖν χάριν i. חן. Santes, *det vobis misericordias.* ¶ *Dimittat vobis*] vel, remittat. Pronomen redundat in Latio. Sic alibi, *Vade tibi.* Hellenismus eo utitur. Dicunt enim χαῖρέ σοι. Hieron. *remittat vobiscum* i. עמכם. Onkel. & Jon. usi sunt hoc loco verbo יפטר quod inter alia significat liberum dimittere: unde פטור liber, absolutus. Adeundus R. Salomo ad hunc locum. ¶ *Alium*] Simeonem. ¶ *Orbatus fuero*] vel, *orbatus sum.* Sic Est. 4. 16. *Quemadmodum perii perii.* Licet etiam vertere, *quum orbatus sum orbatus sum.* Lxx. καθάπερ ἠτέκνωμαι, ἠτέκνωμαι. Hieron. *ego autem quasi orbatus absque liberis ero.* Onkelos, *quemadmodum orbatus sum, orbatus sum.* Jonathan, *annunciatum mihi est per Spiritum Sanctum, si orbatus sum Josepho, orbabor Simeone & Benjamine.* Jerosolymitana, *quemadmodum non sum orbatus Josepho filio meo, sic non orbabor neque Simeone neque Benjamine.* R. Salomo, *quemadmodum orbatus sum Josepho & Simeone, orbatus sum Benjamine.* R. Levi ex Provincia Galliæ oriundus, *ut orbatus sum Josepho, ita vereor ut orber omnibus vobis.* Gallica editio in margine, *plane natus ad orbitatem sum.*

14. *Acceperuntque viri munus illud, duplamque pecuniam acceperunt manu sua, & Benjaminum, & surrexerunt & descenderunt in Ægyptum & steterunt coram Josepho.*

Acceperunt] tulerunt, sumserunt, ἔλαβον. ¶ *Munus illud*] de quo supra vers. 10. ¶ *Duplamque pecuniam*] aut, *pecuniam alteram.* i. secundam. Græci hic habent τὸ ἀργύριον διπλοῦν: in Ebræo autem est משנה כסף. Supra erat כסף משנה ordine verborum transposito. ¶ *Et Benjaminum*] sub. לקחו quod Chaldæi dicunt נסיבו: sed quia verbum illud non dicitur de animatis, ideo Jonathan & Onkelos hic subaudiunt ודברו & duxerunt secum. ¶ *Steterunt*] constiterunt, stiterunt se. Gallice, *se presenterent devant Ioseph.*

15. *Vidensque Ioseph cum illis Benjaminem dixit ei qui præerat domui suæ, Introduc viros hosce in domum, & macta mactationem, & para, quia mecum comedent viri hi meridie.*

16. *Fecitque vir ille quemadmodum dixerat Ioseph, & introduxit vir ille homines in domum Ioseph.*

Qui præerat domui suæ] לאשר על ביתו *ei qui erat super domum suam* i. præfecto domus suæ. Quod Græci extulerunt τῷ ἐπὶ τῆς οἰκίας. Hier. *dispensatori domus suæ.* Onk. לדממנא על ביתיה qui præpositus erat domui suæ. Ion. *qui constitutus erat epitropus super domum suam.* Quem Manassen fuisse putat, quod mihi non videtur. Melius ut dicamus alium fuisse. Nam Manasses ea ætate curare domum patris nondum potuit. ¶ *Macta mactationem*] i. animalia mactari ad convivium solita. Ebraice טבח טבח. Lxx. σφάξον θύματα. Hieron. *occide victimas.* Onkelos כוס נכסתא, quod Fagius perperam interpretatur, *mactando macta.* Nam כוס significat *macta*, quod legunt כס à themate נכס mactavit, necavit, occidit. נִכְסְתָא autem idem quod טֶבַח mactatio, victima. Nihil certius. Ionathan פרע בירת נכסתא aperi domum mactationis. Trem. *macta animalia.* Gallica, *tue quelque chose*, macta quippiam. Santes, *macta victimam.* Sed victima proprie in sacris est: hic de profano convivio agitur. ¶ *Para*] ἑτοίμασον i. coque, aut, ut Hieron. *instrue convivium.* Ionathan habet, *cape nervum oblivionis & prapara coctionem in fumario.* Sic interpretor באפיזין. Munsteri λέξις אמצעית *fenestra in medio domus.* tu intellige, *fumarium.* Nam in Ebræo ארובה, quæ vox etiam caminum denotat i. καπνοδοχεῖον. Consule notas meas in Hoseam. ¶ *Comedent*] comesturi sunt. ¶ *Meridie*] בצהרים in meridie. Onkelos בשירותא in prandio. R. Salomo שירותא *in lingua Aramea significat refectionem primam quæ vulgo vocatur diner* i. prandium. Hoc significatu sæpe obvium in Thalmud. Ionathan, בזמן שירותא דטיהרא in tempore convivii meridiani i. prandii. Lxx. τὴν μεσημβρίαν i. meridie. ¶ *Dixerat*] jusserat, præceperat. ¶ *In domum Ioseph*] ביתה יוסף positum pro לבית יוסף. Quod in Onk. & Ionath. ut εἰς τὸν οἶκον Ἰωσήφ in Lxx. In superioribus טבח verbum est infinitum, quod hic pro imperativo sumitur, ut in decalogo זכור meminisse i. memento. Neque enim assentior Iario qui exponit לטבח ad mactandum.

17. *Et timuerunt viri eo quod introducti fuissent in domum Ioseph, & dixerunt propter argentum quod rediit in sacculos nostros initio nos adducimur, ut devolvat se super nos & ut se ruat in nos, & ut accipiat nos in servos & asinos nostros.*

Et timuerunt] וייראו cum duplici Ioth à themate ירא timuit: itaque Onk. & Ionath. vertunt ודחילו: etiam Hieron. *illique exterriti.* Sed Græci Lxx. ἰδόντες δὲ οἱ ἄνδρες, videntur legisse ויראו cum unico Ioth, à themate ראה vidit. ¶ *Introducti*] vel, *adducti.* ¶ *Propter argentum*] על דבר הכסף propter verbum argenti i. pecuniæ. Latini dicerent, *propter rem pecuniæ,* quod idem cum illo, *propter pecuniam.* Sic, *res voluptatum.* Vide observationes meas. Onkelos & Ionathan על עסק כספא propter negotium pecuniæ. Lxx. ἕνεκα τοῦ ἀργυρίου. Trem. *ob caussam illius pecuniæ.* ¶ *Initio*] prius, τὴν ἀρχὴν, in prima profectione. ¶ *Adducimur*] in hanc domum. ¶ *Ut devolvat se super nos*] להתגלל עלינו ut volvat se super nos. Lxx. τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς ad calumniandum nos. Hieron. *ut devolvat in nos calumniam.* Onkelos לאתרברבא עלנא ut dominaretur in nos. Ionathan, לאתעקפא עלן ut callide circumveniret nos, aut ut insurgeret in nos. Sic alibi R. Salomo עקף עליה quod interpretantur, insurgit in illum. In Lexico Chaldaico Munsteri, עקף callide egit. עקיפין doli, circumventiones. Abenezra putat sumptum ex particula בגלל quæ *propter* significat q. d. ut occasionem quærat, qua nos perdat. R. Levi, *ut devolvat ad nos factum pecuniæ, dicendo, nos furatos illam fuisse.* Ad eundem fere modum & R. Salomo, qui huic verbo respondere censet in Onkelo לאשראה עלנא cum alibi pro eo quod Ebræus habet עלילות דברים in Thargum legatur מסקן עלין. Ceterum pro, *devolvat*, est cur malim, *devolvant*, nempe Ioseph & præfecti ejus, aut impersonaliter, *ut devolvatur.* Sic mox, *ut irruant*, ut irruatur: ut *accipiant nos*, ut accipiamur. ¶ *Ut se ruat in nos*] נפל est ruere, irruere, ut ibi, *ruit validis suis in turbam attritorum.* Locus est in Odis Davidicis. Hinc הפיל cadere fecit, quod & ruere dicunt, ut apud Virg. *spumas salis ære ruebant.* Sic Terent. *Ceteros ruerem, agerem, raperem.* Ab eodem התנפל significatione reciproca, quam ex Hiphil mutuatur, non è Kal, *se cadere fecit*, quod Galli dicunt *se jetter*, se ruere in aliquem. Minus rectè alii, *ut irruat*, & R. Salomo להיות נופל ut sit cadens i. cadat, irruat. Lxx. καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν, & ad imponendum nobis, vel si placet, ad insidiandum. Nam ἐπίθεσις insidiæ, dolus. Unde Proverb. 11. 1. in Aquila & Symmacho ζυγὰ ἐπιθέσεως i. מאזני מרמה bilances dolosæ: & Psalm. 120. 3. γλῶσσα κατεπιθέσεως לשון רמיה lingua dolosa. Sed melius redditur, meo judicio, *ad invadendum nos.* Nam quum hostis hostem invadit, ἐπιτίθε[illegible]itur. Sic τῇ ἀρχῇ ἐπιθέσθαι est regnum invadere ac per vim occupare. Hinc etiam נפלים dicti gigantes quia homines invadebant & in eos irruebant. Sane Philo interpretatur ἐπιπίπτοντες. i. irruentes. Sed ad rem. Onkelos ולאתרגמא עלנא. Fagius interpres, *ut quærat occasiones contra nos.* Munsteri λέξις, טקפון *occasio, adinventio.* טקפונין adinventiones. i. עלילות. Videndus R. Salomo. Jonathan למדיינא עלן ad disceptandum contra nos. Santes, *ut vertat se contra nos.* Trem. *ut irruat super nos.* Arias, *ad dejiciendum se super nos.* ¶ *Et ut accipiat nos*] τοῦ λαβεῖν ἡμᾶς. Onkelos & Jonathan, *ut emat nos.* Dubito an recte. Nam qui emit, pretium persolvit. An igitur vertendum, ut possideat, sive ut acquirat nos? Videtur. Accipere pro emere insolens non est: unde מקח וממכר acceptio & traditio i. emptio & venditio. Videndum an etiam *acquirere* significet. Hieron. hunc locum ita vertit, *ut violenter subjiciat servituti & nos & asinos nostros.* ¶ *Et asinos nostros*] Onkelos & Jonathan, *& ut abducant asinos nostros.* Quorum ille למדבר: hic vero dixit למיסב. Unde vanam esse apparet differentiam, quam ex Jario supra inter hæc verba posuimus. Siquidem נסב perspicue hic de animatis usurpatur.

18. *Quamobrem accesserunt ad virum illum, qui præerat domui Joseph, & locuti sunt ad eum in ostio domus.*

19. *Et dixerunt, Obsecro domine mi descendendo descendimus initio ad emendum cibum.*

20. *Cumque venissemus in diversorium, & aperuissemus sacculos nostros, ecce argentum cujusque in ore sacculi sui: argentum nostrum in pondere suo est, & retulimus illud manibus nostris.*

21. *Et argentum aliud detulimus manu nostra ad emendum cibum: nescimus quis posuerit argentum nostrum in sacculis nostris.*

Ad eum] *cum eo.* Onk. & Jon. ¶ *In ostio domus*] *in ipsis foribus.* Hieron. ἐν τῷ πυλῶνι τοῦ οἴκου i. in porta domus. πυλὼν porta, janua, ut 2 Machab. 8. 33. ἐν τοῖς ἱεροῖς πυλῶσι pro quo 1 Machab. 4. 38. τὰς πύλας legitur. Act. 12. τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, ostium portæ an potius vestibuli. Videtur proprie porta major & amplior esse. Onkelos & Jonathan hic habent

habent תרע quæ vox portam denotat ex Ebræo שער deducta, per Metathesin litterarum, & ש in ת versa. Gen. 19. 6. הפתחה. Lxx. πρὸς τὸ πρόθυρον, ad vestibulum. Inter פֶּתַח & שַׁעַר hoc interest. פֶּתַח proprie ipsius ostii hians inanitas. Vitruvius *hypothyrum* dixit. שַׁעַר autem postes cum utroque limine. Vide Caninium Gen. 43. 18. ¶ *Obsecro*] בִּי quæso, obsecro. Onkelos בבעו quod Fagius reddit, *obsecro*. Jonathan בבעו מנך. Alius dixisset בְּבָעוּ·בְּבָעוּ legitur eo sensu in Jon. & Gen. 44. 18. bis. Lxx. δεόμεθα. Hieron. *oramus*. לשון בקשה inquit Abenezra i. *obsecrandi particula*. Idem subaudit עון ut dicat, in me iniquitas. R. Salomo, *rogandi & deprecandi particula*. Syriace בעא. Hoc reprehendit Moses Gerundensis qui בִּיא legit cum (-) sub Beth, & particulam esse ait, qua Arabes utuntur in Threnis suis pro eo quod Ebræi dicunt אוי veh, væ. Addit deinde בְּיָא cum Scheva & Beth raphato Græci dici על הזעקה והצעקה. Suspicor in mente habuisse cum hæc scriberet, Græcum βία. In Bresith rabba הממונה על ביאה qui præest vociferationi aut clamori. Tremell. *attende ad me*. בִּי in me & sub. attende. Santes, *quæsumus*. ¶ *Domine mi*] Lxx. κύριε, simpliciter, & Hieron. *domine*. ¶ *Descendendo descendimus*] alii explicant *plane descendimus*: alii tantummodo *descendimus*; vel, si mavis, *descenderamus*. ¶ *Initio*] prius, jam ante, τὴν ἀρχήν. ¶ *Argentum*] pecunia. ¶ *In pondere suo*] Hieron. *eodem pondere*. Hinc disces argentum olim appendi solitum, hoc est ad stateram lancemque ponderari: Unde siclus appellatus. Nam שֶׁקֶל proprie pondus. Hinc etiam æs grave apud Romanos. ¶ *Retulimus*] reportavimus, ἀπεστρέψαμεν. ¶ *Cum venissemus in diversorium*] aliter paullo supra. Nam ibi de uno dicitur quod hic de omnibus narratur. Ceteri enim pecuniam suam tunc primum deprehenderunt, cum domi saccos excuterent. ¶ *Detulimus*] הורדנו proprie descendere fecimus. Itaque Trem. *descendentes attulimus*. Lxx. ἠνέγκαμεν. Hieron. *attulimus*. ¶ *Nescimus*] Hier. *non est in nostra conscientia*.

23. *Et dixit, Pax vobis, ne timeatis, Deus vester & Deus patrum vestrorum dedit vobis thesaurum in sacculis vestris, argentum vestrum venit ad me: postea eduxit ad eos Simeonem.*

23. *Introduxit ergo vir ille homines in domum Joseph, & dedit aquam & laverunt pedes, dedit etiam pabulum asinis eorum.*

Pax vobis] vide notata ad vers. 26. Jonathan, *Pax vobis à domino meo*. q. d. Quod herum meum attinet jubeo vos securos esse & in utramque aurem dormire. Nihil omnino vobis periculi ab eo. Gallica, *tout va bien pour vous*. Tremell. *pax sit vobis i. tranquillo sitis animo*. ¶ *Thesaurum*] מטמון θησαυρόν. appellatio à recondendo. Nam asservandi gratia recondi solet. Quamobrem etiam מטמונה dicitur Magistris. Jonathan vocat סימא à reponendo, quod est סם idem videlicet quod שם posuit. Onkelos habet סִימָן, id Fagius interpretatur *thesaurum*. Forte scribendum סִימִין ut sit pluralis à סִימָא. Sane Græci legunt θησαυροὺς & Hiero. *thesauros*. Proverb. 2. 4. כמטמונים. Symmachus, Theodotio καὶ ἀπόκρυφα i. abscondita. ¶ *Et laverunt*] vel, *ut lavarent*. Latine, *dedit aquam lavandis pedibus*. Mos erat ut cibum sumturi pedes lavarent. Jud. 19. 21. *ac postquam laverunt pedes, recepit eos in convivium.* Etiam peregre advenientibus pedes lavabant vel ad detergendum pulverem ex itinere contractum, vel sane quod id ad lassitudinem viæ & æstus tollendam conduceret Gen. 18. 4. *sumatur parum aquæ, & lavate pedes vestros.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

24. *Et pararunt munus donec veniret Joseph in meridie: quia audiverant quod ibi comesturi essent panem.*

Pararunt] adornarunt, ἡτοίμασαν. ¶ *Munus*] quod domo attulerant. LXX. τὰ δῶρα, & Hiero. *munera*. ¶ *Donec veniret*] dum ingrederetur, scilicet הביתה in domum, aut ad prandium. Paullo post *in meridie* i. μεσημβρίας, Onkelos reddit בשירותא idque Fagius reddit, *ad prandium*. Jonathan vero habet בשירותא דטיהרא in convivio meridiei. ¶ *In meridie*] צהרים inquit R. Levi, „vocatur tempus illud quo sol „apparet in medio cœli: quod fit paullo ante medium diem & „paulo post medium diem: ideo utuntur duali numero. Nam „pars ejus ex luce antemeridiana, & pars ejus ex luce pomeridia„na, & homines putant toto isto tempore solem esse in medio cœli „ob exiguam mutationem &c. Quæ verba abduxi ut aperirem verum etymon nominis צהרים quod ita dualiter dicitur ob geminam lucem, quando etiam dies in duas æquas partes dividitur. Quanquam צהר magis splendere denotat. Lucere enim proprie אור dicitur. Sed de hac re alias. ¶ *Comesturi panem*] sumpturi cibum. Ebraismus. Jonathan hic habet יכעון לחמא pro eo quod in Onkelo יכלון לחמא. LXX. ἤκουσαν γὰρ ὅτι ἐκεῖ μέλλει ἀριστᾷν, quod ibi pransurus esset, nempe Joseph.

25. *Interim Joseph domum venit cui obtulerunt munus quod in manu eorum in domum, & adorarunt eum in terram.*

26. *Et interrogavit eos de pace, & dixit, An pax patri vestro seni de quo dixistis? an adhuc ipse vivit?*

27. *Et dixerunt, Pax servo tuo patri nostro, adhuc ipse vivit, & incurvarunt se & adorarunt.*

Domum venit] ingressus est domum, ut R. Salomo scribit, ex prothyro sive vestibulo in triclinium. ¶ *Obtulerunt*] προσήνεγκαν, attulerunt. ¶ *Munus quod*] vel, *munera quæ*. ¶ *In terram*] *proni in terram*. Hiero. ¶ *Interrogavit eos de pace*] quæsivit quomodo valerent, aut salutavit eos: de pace, hoc est, de bona valetudine eorum. LXX. ἠρώτησεν αὐτοὺς πῶς ἔχετε, interrogavit eos, quomodo habetis? quod Ebraice diceretur השלום לכם an pax vobis est? Sic Gen. 29. 6. *An pax ei est?* i. valetne? Hiero. *At ille clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens &c.* Supra שלום לכם LXX. vertunt ἵλεως ὑμῖν, propitius vobis. Augustinus in locut. *In his verbis, quibus dictum est, Propitius vobis, duo verba sunt, quæ subaudiuntur &, sit, & Deus. Plenum est enim, propitius sit vobis Deus: quod omnino in Græco usitatissimum est.* ¶ *An pax patri vestro seni &c.*] אביכם accipio pro לַאֲבִיכֶם & est sensus ut si diceret, valet ne pater vester? Sic Græci εἰ ὑγιαίνει ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ πρεσβύτης; Hiero. *Sanusne pater vester senex?* Ion. quoque השלם לאבוכון סבא Paxne patri vestro seni? Alii dicunt שלום esse nomen adjectivum idem valens quod שלם salvus, sanus, incolumis. Abenezra censet esse abstractum pro concreto. *An pater vester pax est* i. salvus aut sanus. Sic dicunt שלום מחרח pro eo quod est, salve, vale. Nam usurpant in fine literarum. Tremellius, *Prospere? sub. vobis est? pater vester senex, quem dixistis, an adhuc vivit?* Cui distinctioni repugnat accentus major distinguens Rebia, qui in verbo אֲמַרְתֶּם dixistis. Santes, *num sanus est pater vester?* ¶ *Incurvarunt se*] proprie, inclinarunt cervicem. Nam קדקד cervix. Seneca dixit, *terram cervice petere*, quod explicant, inclinare cervicem in terram. LXX. κύψαντες, & Hiero. *incurvati*. Onkelos quoque וכרעו & incurvati sunt: proprie, *flexerunt genua*. Nam ברך genu. Ionathan וגחנו. Munsteri λέξεις גחן incurvavit se i. כרע. Gen. 27. 29. ויגחנון idem Ionathan vertit quod in Ebræo וישתחוו adorabunt. Ceterum ויקדו Santes interpretatur, & prociderunt. Mercerus, *flexerunt cervicem*, Gallica, *inclinarunt se*.

28. *Et sustulit oculos suos & vidit Benjamin fratrem suum filium matris suæ, & dixit, An iste est frater vester minimus, de quo dixistis mihi: amplius dixit, Deus gratiam faciat tibi fili mi.*

Fratrem suum filium matris suæ] τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν ὁμομήτριον. LXX. *fratrem suum uterinum*. Hiero. ¶ *Gratiam faciat tibi*] vel, *misereatur tui*, quod Græci dicunt ἐλεήσαι σε. Sic etiam Hieron. & Santes. Ebraice יחנך quod Tremellius vertit, *gratiosus esto tibi*. Galli, *Dieu te face grace*.

29. *Festinavit autem Joseph, quia incaluerant viscera ejus erga fratrem suum, & quæsivit flere: venitque in conclave & flevit ibi.*

30. *Postea lavit faciem suam, & egressus continebat se, & dicebat, Apponite panem.*

31. *Et apposuerunt ei soli, & illis solis, & Ægyptiis, qui edebant cum illo, solis; quia non poterant Ægyptii comedere cum Ebræis panem: abominatio enim est Ægyptiis.*

Incaluerant] נכמרו. Sic interpretantur Santes, Mercerus, Leo Judæ, R. Levi, & alii: ut בערו וקדו *arserunt & accensa sunt*, Abenezra: *æstuabant* Trem. Licet etiam vertere, *convolvebantur* quod in Græcis est συνεστρέφετο. Nam & Onkelos edidit אתגוללו, & R. David exponit נתגלגלו, & Arias, *revolvebantur*. Sunt qui legant *commota fuerant*: in queis Hiero. cui assensum præbent interpretes è Sabaudia: tum etiam Ionathan Chaldæus paraphrastes refert זעזעו quod valet commovebantur. Harum interpretationum utra melior verior sit fateor me ignorare. Hodie Iudæi monachos כמרים appellitant, & in libro Iuchasin Augustinus vocatur הכומר הגדול i. monachus aut sacerdos magnus. Ratio nominis ducta, ut quidam volunt, à nigrore vestium, quibus plerique eorum induuntur: ut alii, ab ardore pietatis quo fervent: vel potius, ut Elias arbitratur, ab eo quod simul habitant in unum locum contracti: כמר enim inter alia significat comburi & contrahi ut corio & hujusmodi rebus igni admotis accidit. Videndus R. Salomo ad hunc locum. Hos. 11. 9. נכמרו נחומי LXX συνεταράχθη. Hiero. *conturbata est pœnitudo mea*. Ionathan אתגוללו. R. Salomo נתחממו. Abenezra קדו תגדבי. R. David נתגלגלו convoluta sunt. Thren. 5. 10

LXX. ἐπελιώθη livida facta est. Hieron. *exusta est.* Chaldæus paraphrastes אתחמרו denigratæ sunt. R. Salomo, *incaluerunt.* Santes, *denigrata sunt.* Huc referunt quod Luc. 24. 32. *nonne cor nostrum ardebat in nobis?* καιομένη. i. נכמר. Quanquam in alia scriptura κεκαλυμμένη. i absconditum. ❡ *Viscera ejus*] τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Sic est in antiquis codicibus. Quanquam in Romæ vulgatis τὰ ἔντερα αὐτοῦ intestina ejus: in aliis τὰ ἔντερα αὐτοῦ. Ebraice רחמיו & Chaldaice רחמוהי sive רחמיו quod verti etiam potest, *miserationes ejus.* Gallica editio, *cor ipsius commovebatur intrinsecus per commiserationem. Ebraice, interanea ejus, aut miserationes commovebantur.* ❡ *Et quæsivit*] festinavit & quæsivit Latini dicerent festinavit quærere. Sed quia sequitur flere, ideo malim prius verbum reddi per adverbium *festinanter quæsivit flere.* Hieron. *erumpebant lacrymæ.* Tremellius, *festinanter quæsivit ubi fleret.* ❡ *In conclave*] vel potius, *in cubiculum.* Sic enim certe Hiero. & alii. Onkelos לאדרון בית משכביה in conclave cubiculi. Græce melius, εἰς τὸν ἀνδρῶνα τοῦ κοιτῶνος. Nam אדרון ἀνδρὼν, domus pars proprie, in quam viri seorsim à mulieribus se recipiunt. Munsteri λέξεις, אדרון cubiculum, cœnaculum, conclave. Ion. לקיטון בית מדמכיה in cubiculum ubi dormiebatur. קיטון est κοιτὼν Lex. vet. κοιτὼν, hoc cubiculum. בי מדמכא locus ubi dormitur. Dormitorium vulgo appellant. In בי abest littera ut sit בית domus, locus. דמך dormio. LXX. εἰς τὸ ταμεῖον, quod nonnemo exponit *in promptuarium*: sed melius redditur in edit. Rom. *in cubiculum.* Sane Suidas sive Sudas ταμεῖον interpretatur κοιτῶνα i. cubiculum, ut diximus. Est ταμεῖον Græce locus in quo thesauri reponuntur. Solebant autem reponi in cubiculis & conclavibus. Hinc factum putant nonnulli ut etiam pro cubiculo usurpetur. Propriè ita dicitur cella penuaria. Sed Hellenistæ utuntur pro cubiculo: quo significatu aliquoties legitur in Novo Fœdere. ❡ *Lavit faciem*] *lavit faciem à lacrymis*, Jonathan, Autor Jerosolymitanæ. Lavit i. שזג pro quo in Jerosol. שזג, an est verbum 4. litterarum, ut שזג excidit? ❡ *Continebat se*] ויתאפק LXX. ἐνεκρατεύσατο. Hiero. *continuit se.* Onk. ואתחסין confortatus fuit. Jon. ואזדרז & expedivit se. In eodem paullo ante וזרוי. putarim rescribendum ויזרז Vau in Joth mutata. R. Salomo ונתאפק confirmavit se. R. Levi filius Gerson ויתחזק & roboratus fuit. Santes, *vim sibi fecit.* Gal. *& se fit force*, sibi vim faciebat. Leo Judæ, Arias & alii, *continuit se.* Esth. 5. 10. *continuit se Haman*, ubi Hiero. *dissimulavit iram.* R. Salomo, *abstinuit.* Chaldæus ואתחסין David Kimchi *obfirmavit se*, & alias ajunt esse לשון חזק ואמוץ. Abenezra scribit habere affinitatem cum verbo סבל, quod *bajulare* significat. ❡ *Panem*] cibum. Jubet apponi cibaria, quod Græci dicunt παράθετε ἄρτους, Hiero. *ponite panes.* Prius mensa insternebatur. Non ergo plane sunt eadem, *apponere panem* & *sternere mensam.* ❡ *Apposuerunt*] panem. ❡ *Non poterant*] לא יוכלון. LXX. οὐκ ἐδύναντο. Hiero. *illicitum est.* Onkelos לא יכלין non possunt. Jonathan לא כשרין *Non placet Ægyptiis, non rectum est eis.* Verbum è verbo, *Non recti sunt Ægyptii.* Mercerus exponit, *non possunt*, non sustinent. ❡ *Qui edebant cum illo*] LXX. τοῖς συνδειπνοῦσι μετ᾽ αὐτοῦ, qui simul prandebant cum eo. Malim τοῖς συνεσθίουσι μετ᾽ αὐτοῦ. ❡ *Abominatio*] i. abominationi aut abominabile. Cur abominabile? Onkelos, *quia animalia quæ Ægyptii colunt, Ebræi comedunt.* Eadem scribit Jonathan. Videndus & Lyra. Hieron. *profanum enim putant hujusmodi convivium.* Abominatio i. βδέλυγμα. Quod in edit. Græca. Vid. Gen. 46. 34. & Exod. 8. 26. ❡ *Comedere panem*] cibum sumere, συνεσθίειν i. una vesci. ❡ *Cum Ebræis*] עם יהודאי cum Iudæis. Ionathan. Porro Iudæi mactabant & sacrificabant animalia, quæ Ægyptii pro Diis habebant. Oderant etiam Ægyptii vitam pastoritiam. R. Salomo, *Res odiosa & invisa erat Ægyptiis comedere cum Ebræis: & Onkelos reddit ejus rei causam & rationem.*

32. *Et sedebant ante illum primogenitus juxta primogenituram suam & minimus juxta minorem ætatem suam: & admirati sunt homines intuentes alter alterum.*

33. *Sumtasque partes à facie sua misit ad illos, & aucta est pars Benjamin supra partes omnium ipsorum quincuplo: & biberunt & inebriati sunt cum eo.*

Sedebant] Veteres Ebræi sedebant in mensa more nostro, ut etiam Heroes apud Homerum. Id probari potest cum ex hoc loco, tum ex 1 Reg. 20. 5. 18. 25. 34. item ex 3 Reg. 13. 20. Vid. quoque Gen. 27. 19. & Jud. 19. 6. ❡ *Ante illum*] coram eo, ἐναντίον αὐτοῦ. ❡ *Primogenitus juxta primogenituram suam*] Quisque sedebat juxta seriem ætatis suæ, videlicet primogenitus primo loco, & secundus secundo, & ita deinceps. Ceterum R. Salomo putat eos ita collocatos fuisse à Iosepho. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Feriebat scyphum suum & vocabat Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issaschar & Zabulon &c.* In eadem sententia est Nicolaus ita scribens, *facit eos sedere ordinate secundum ætates suas incipiens à primogenito.* Quin etiam R. Levi scribit eos hoc ordine jussos fuisse sedere à Iosepho, idque post admiratos fuisse fratres. Alii putant eos sponte ita sedisse, quibus ego eo libentius assentior, quod in textu sit, *sedebant ante illum*, & non, *sedere faciebat eos ante se.* Neque tamen adversor iis qui asserunt Iosephum ita jussisse, nempe quod dixerit in genere, Sedete secundum ætates vestras: non quod singulos eo ordine quo nati erant appellaverit. Sed relinquamus hoc in medio. Addam quod addendum. Primogenitus & minimus includunt medios inter eos, ut apud Sirachidem ubi de sapientia loquitur, *Neque primus neque ultimus novit eam.* Nam sententia est, nemo quisquam novit eam. ❡ *Juxta primogenituram suam*] כבכרתו. Hieron. *juxta primogenita sua.* LXX. κατὰ τὰ πρεσβεῖα αὐτοῦ, quod reddunt, *secundum jura ætatis suæ.* Nam πρεσβεῖον vocatur jus præcipuum maximi filii, quod jus primigenium vel primigenia dici potest. Autor Stephanus. Apud Ambrosium legimus, *primitivum secundum ætatem.* Onkelos hic habet רבא כרבותיה major juxta majorem ætatem suam. Ionathan כהלכת רבנותיה juxta seriem aut ordinem (liceat mihi sic loqui) majoritatis suæ. Pro ὁ πρωτότοκος in Græca editione malim ὁ πρεσβύτατος i. is qui maximus natu est. Potest autem aliquis esse maximus natu qui non sit primogenitus & contra. Verbi gratia Ioseph fuit primogenitus Iacobi, non tamen maximus natu. Similiter si Ruben vita functus fuisset, tum Simeon, qui ei proximus erat, fuisset maximus natu. Ideo sane Onkelos & Ionathan רבא posuerunt & non ut alibi בוכרא i. primogenitus. ❡ *Juxta minorem ætatem suam*] Ionathan, *juxta seriem ætatis suæ.* Sic enim vertere nunc libet, quod supra vertimus, *juxta seriem minoritatis suæ.* Nam זעירותיה proprie minor ætas. Ebraice צעירה quæ vox etiam significat minorem natu inter filias. LXX. hic legunt ὁ νεώτερος κατὰ τὴν νεότητα αὐτοῦ, junior secundum juventutem suam. ❡ *Admirati sunt*] quod tanto honore afficerentur, cum exteri essent: vel quod eo collocarentur ordine, si modo Ioseph ita collocavit eos: quod non videtur. ❡ *Homines*] האנשים οἱ ἄνδρες viri illi, vel, in edit. Græca, οἱ ἄνθρωποι, homines illi. Id accipi potest tam de Ægyptiis, quam de fratribus Iosephi. ❡ *Intuentes alter alterum*] vel, *respicientes alter alterum.* In Ebræo est ad verbum, *Admirati sunt homines vir ad socium suum.* Nos adjecimus quod desiderari videbatur. Solitum enim Ebræis hoc modo unum verbum pro duobus adhiberi. Quidam, *admirati sunt inter se.* ❡ *Sumtas partes misit*] וישא & sumpsit sive accepit, & est unum verbum pro duobus. Nam plane diceretur, *accepit & misit.* Sic alibi *accepit* pro acceptum transtulit: item pro *accepta dedit.* Quæ alias à me observata. Ceterum accepit proprie נשא. Ideo interpretes nonnulli, (Leo Iudæ & Arias Montanus) *& tulit.* On. quoque & Ioh. ונטל quod Fagius reddit, *levans dedit.* Non displicet: imo valde placet. Emenda ergo, *sublatas partes misit.* Nam cum eas accipiebat, levabat è mensa vel patina. Gallica editio, *leur presenta* i. offerebat. LXX. ἦραν δὲ. Hiero. *sumptis partibus.* ❡ *A facie sua*] ex eo quod erat ante se. Ebraice מאת פניו quod verbum è verbo sonat, *à cum facie sua.* Sententia vero est quam dixit, & quam Ionathan expressit his verbis, *Sustulit partes è mensa sua & misit eas à coram se.* ❡ *Partes*] משאת partes, portiones, fercula. LXX. μερίδας. Onkelos & Ionathan חולקין i. partes aut portiones. Leo Iudæ *fercula.* Gallica, *des mets.* Arias, *dona.* Sic etiam Abenezra. Nam משאת est donum i. δῶρον. R. Levi מנות. Placet præ ceteris *fercula*: quæ sic dicta à ferendo, videlicet ἀπὸ τοῦ נשא tulit. ❡ *Quincuplo*] πενταπλασίως. Alii, *quintuple.* Sed dicimus *quincuplex* i. πενταπλάσιος. Ebraice חמש ידות. Hiero. *ita ut quinque partibus excederet.* Onkelos & Ionathan חמש חולקין i. quinque partibus. ❡ *Biberunt*] ἔπιον i. convivati aut epulati sunt. Sic Abd. 16. *quemadmodum bibistis in monte meo sacrosancto*, ut quidem Ebræa scholia enarrant. Sic Amos. 4. 1. *Adfer & bibemus*, vel ut bibamus. Gallice *banqueter.* Hoc sensu accipiunt Est. 3. 15. & 7. 1. Atque hinc משתה convivium, & Græce συμπόσιον. ❡ *Inebriati sunt cum eo*] וישכרו עמו & inebriati sunt cum eo. Ita Hiero. Onkelos & Jonathan. Græci quoque καὶ ἐμεθύσθησαν μετ᾽ αὐτοῦ. Leo Iudæ, *Vino sunt exhilarati.* Tremellius, *affatim biberunt cum eo.* Editio Gallica, *firent fort bonne chere avec lui.* Ad sensum non male. Sane verbum שכר inebrio aliquando declarat liberalem vini usum, qui modum non excedat, ut idem sit quod sitim explere. Sic accipies Ioh. 2. 10. ὅταν μεθυσθῶσι, quum sitim expleverint: & Hag. 1. 6. *bibistis, sed non ad ebrietatem.* In summa שכרות est in potu, quod שביעה satietas in cibis. Quod si temperantiæ limites excesserit, jam שכור i. μέθη dicitur. Sic dico, inebriari usurpatur de potu largiore quando ad hilaritatem bibitur, sive ad eam speciem ebrietatis, quam Græci οἴνωσιν vocant, ex nostris quidam vinationem. Quomodo Catonem illum aliquando se inebriasse

ebriasse legimus. Vid. August. Quæst. Lib. 1. quæst. 144. Eucherius in Genesin Lib. 3. cap. 28. „Verbum inebrio in satietate solere poni in Scripturis, qui diligenter advertat, multis in „locis inveniet. Unde est inebriasti terram & satiasti. Nam „ita inebriari ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile. Hiero. in Comment. Hos. 14. in extremo, „Quod ebrietas non „eversionem mentis, sed copiam rerum omnium significet versus hic declarat Psal. 64. visitasti terram & inebriasti eam: & „Iosephi convivium, in quo inebriasse dicitur fratres suos: & „DOMINUS loquens ad Apostolos, Comedite, ait, amici mei & bibite & inebriamini fratres. Vide quæ scripsimus Animadversionibus Lib. 2. cap. 63. Nicolaus ad hunc locum, *Hic Ebrietas sumitur pro satietate* (vulgo perperam societate) *eo modo loquendi quo dicitur Cant.* 5. *Comedite & bibite & inebriamini! & talis ebrietas non est vitiosa.* Rursum Hiero. in Quæst. Ebraic. *Idioma linguæ Ebraicæ est ut ebrietatem pro satietate ponat, sicut ibi, In stillicidiis ejus inebriabitur germinans, haud dubium quin terra pluviis irrigata.*

AMAMA.

3. DE suo parenthesin illam *ut sæpe diximus* addidit Interpres. Textus enim Ebræus illam non habet, unde nec Chald. nec LXX. nec ullus alius, quod ego quidem sciam, illorum verborum meminit.

GROTIUS.

32. *Illicitum enim est Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuscemodi convivium*] Quod Abenesdra putat omni animalium esu abstinuisse Ægyptios, nullum testem habet antiquum. Ab ovillo pecore eos abstinuisse multi docent: excepto, quod Strabo addit, Nomo Nitriote. Hæc vero causa non erat satis gravis cur Ægyptii omnem mensæ communicationem cum Hebræis defugerent. Obstitere ergo specialia quædam Ægyptiorum in cibis parandis instituta: ob quæ Ægyptii Græcorum nec cultro nec olla utebantur, ut nos docet Herodotus. Erant autem illa instituta ita Ægyptiis propria, ut eadem extraneis apud se habitantibus, qualis erat Josephus, non imponerent.

CARTWRIGTUS.

2. CUm consummassent edere frumentum כַּאֲשֶׁר כִּלּוּ לֶאֱכֹל אֶת־הַשֶּׁבֶר] Id est, cum totum comedissent. R. Salom. notat hanc phrasin aliter hic usurpari, quam supra cap. 24. 22. כאשר כלו הגמלים לשתות, *cum consummassent cameli bibere*; ibi enim sensum esse, cum quantum satis erat, bibissent, tunc bibere desiisse; hic autem sensum esse, cum consumptus esset cibus. Observat propterea Chaldæum Paraphrasten istic usum esse verbo ספק, quod *sufficientiam* denotat, hic autem alio verbo uti, nempe שצא, quod *consummare*, seu *consumere* significat.

11. מִזִּמְרַת הָאָרֶץ *De præcipuis terræ fructibus.*] זמרה *Zimra* est *carmen* sive *cantio*; hic usurpari videtur pro eo quod est carmine sive cantione dignum; seu quod carmine vel cantione celebratur; quod tanquam egregium decantatur. Sic R. Sal. interpretatur, שהכל מזמרין עליו כשהוא בא לעולם, i. e. *id de quo omnes cantant, quando in mundum venit.* Onkelos, מדמשבח בארעא. Et similiter Jonathan, מנח דמשבח בארעא, i. e. *de eo quod laudatur* (seu est laudabile) *in terra*; h. e. (ut explicat Fagius) *de præcipuis, optimis ac celeberrimis fructibus regionis.* Aben Ezra etiam vocem זמרה exponit כל דבר משובח, *rem omnem laudabilem.* LXX nimis dilute, ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς, *de fructibus terræ.* Rectius Vulg. *de optimis terræ frugibus*, vel, ut est in margine, *fructibus.*

צֳרִי] De hoc vocabulo, item de נכאת & לוט. Vide supra ad cap. 37. 25.

בָּטְנִים *Nuces.*] Aben Ezra ait hanc dictionem non amplius occurrere in Scriptura, à nonnullis autem exponi אגוזים, i. e. *nuces.* Onkelos & Jonathan ipsam vocem Hebræam, Chaldaice duntaxat terminatam retinent, בוטנין. Fagius vertit *nuces*; Buxtorfius in Dictionario Syro-Chaldaico, *nuces avellanas.* R. Salom. fatetur se nescire quid vox Hebræa significet; existimat autem בטנים esse פיסטוקין, qua voce Persica significari putat Mercerus, qui de hujus vocis significatione nihil certi afferri posse asserit. LXX, τερέβινθον. Et Vulg. *terebinthi.*

וּשְׁקֵדִים *Et amygdala*] Sic omnes interpretantur præter LXX qui habent κάρυα, *nuces*, quod nimis est generale. Verbum שקד *Shakad*; *vigilare*, item, *festinare, sedulo ac diligenter operam navare*; inde שָׁקֵד *amygdalus*, sic dicta, quod *inter arbores citissime floreat*, ut notant R. Salom. & Kimchi ad Jer. 1. 11, 12. ubi in Hebræo est elegans paronomasia, *Quid vides Jeremia? Et dixi,* מקל שקד *virgam amygdalinam ego video. Et dixit Dominus ad me, Recte vidisti,* כי שקד אני על דברי לעשותו, *Nam ego vigilo, seu festino super verbum meum, ut faciam istud*, i. e. ego festino id efficere quod locutus sum.

12. *Et argentum duplex accipite, &c.*] R. S. exponit argentum duplex respectu ejus, quod antea accipiebant, quod jam forte carius quam antea frumentum venderetur. Quod autem sequitur, *Et argentum, quod repositum fuit in sacculis vestris, reportate*; de tertio argento intelligit. Ac verborum quidem series huic expositioni favere videtur; simplicior autem videtur Merceri interpretatio, ut nimirum per *duplex argentum* intelligatur argentum, quo aliud frumentum emeretur, & argentum, quod sacculis eorum repositum fuerat. Juxta hanc interpretationem particula ו, cum dicitur ואת הכסף, *& argentum, quod in ore sacculorum vestrorum repositum fuit, reportabitis*, non tam copulativa erit, quam exegetica, hoc sensu, *Nempe argentum, quod in ore sacculorum vestrorum, &c.* Vel, quod eodem redit, caussalis, *Nam argentum, quod &c.*

14. וַאֲנִי כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי *Et ego quemadmodum orbatus sum, orbatus sum.*] Aben Ezra sic exponit, *Mortuo Josepho reputo me omnibus esse orbatum.* Melius R. Salom. *Quemadmodum orbatus sum Josepho & Simeone, sic etiam orbatus sum Benjamine.* Verba autem Hebræa exponi possunt, & fortasse rectius, *Si orbatus sum, orbatus sum*; ut Esth. 4. 16. כאשר אבדתי אבדתי, *Si pereo, pereo*; ubi כאשר licet significare soleat *quemadmodum*, pro אם *si*, usurpatur; quanquam & istic Hebræi in usitata significatione pro *quemadmodum* accipiunt. Sed altera expositio sensum faciliorem ac clariorem reddit; atque ita etiam in hoc loco. *Verba* (inquit Gualtperius) *sunt viri sancti, & rerum suarum eventum committentis voluntati Dei; qualis est phrasis* Esth. 4. 16.

20. בִּי אֲדֹנִי *O domine mi.*] Onkelos, בבעו רבוני, *obsecro mi domine.* Jonath. בבעו מנך רבוני, quod idem sonat. Sic R. Salom. asserit vocem (*a*) בי esse precandi ac supplicandi particulam: atque ita etiam exponit Aben Ezra, qui addit, sibi videri concisam esse loquendi formulam, quæ sic plenius explicetur, בי אדוני העון, *in me domine sit pœna*; q. d. עשה לי כמו שתרצה ותשפטני, i. e. *mihi quidvis facias, vel me pro libitu tractes, modo me audias.* Ramban (teste Mercero) exponit *in me dominare; tuum in me dominium recipio & agnosco*; quod hæc particula semper cum אדני juncta reperiatur. Ipse Mercerus ait particulam esse obsecrantis, proprie autem usurpari cum inferior superiorem alloquitur. LXX, δεόμεθα κύριε, *Oramus domine.* Et sic Vulg.

23. שָׁלוֹם לָכֶם *Pax vobis.*] Scil. est; q. d. *Nihil vobis est periculi; salva sunt omnia; non est quod metuatis.* Non est hic vox optantis seu precantis, sed confirmantis & corroborantis. LXX, ἵλεως ὑμῖν, *propitius vobis*, scil. *est* (non, ut censuit Nobilius, *sit*) *Deus.* Sic Petrus, Mat. 16. 22. *Christo dixit*, ἵλεώς σοι κύριε. Vide Fulleri Miscel. lib. 2. cap. 2. ubi verba ista erudite explicata invenies.

28. *Et dixerunt, Pax est servo tuo, patri nostro, &c.*] LXX Interpretes hic quædam addunt, quæ in Hebræo non habentur, ut nec in Chaldaicis Paraphrasibus, nec in vulgata Latina versione, nempe hæc, καὶ εἶπεν, εὐλογημένος ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος τῷ Θεῷ, h. e. *Et dixit, benedictus* (sit) *homo iste à Deo.*

32. *Quia non poterant Ægyptii panem edere cum Hebræis; nam ea abominatio est Ægyptiis.*] Onkelos, *Quia pecus, quod Ægyptii colunt, Hebræi comedunt.* Atque eodem plane modo Jonathan, nisi quod pro עבראי *Hebræi*, habent יהודאי *Judæi.* Vide cap. 46. 34.

33. *Et mirabantur, &c.*] *De hoc* (inquit Lyra, scil. mirabantur) *quod homo, quem credebant extraneum, & eos ignorantem, fecisset eos ita sedere, sicut sedebant in domo patris sui. Si autem quæratur, quomodo non habuerunt per hoc aliquam suspicionem, quod ipse esset Joseph, qui prædictum ordinem sciebat*; dicunt Hebræi, quod *hoc fuit quia Joseph fingebat se hoc scire per artem divinandi. Percutiebat enim coram eis scyphum suum argenteum, & post primam percussionem dicebat, Talis, qui est primogenitus, primo sedeat; Et sic consequenter de aliis. Et hoc videtur concordare cum eo, quod dicitur sequenti capite, Scyphus, quem furati estis, is est, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: ac si diceretur, Sicut vidistis heri in mensa.* Hæc Lyra, quæ nimis sunt frivola & nugatoria; deprompta autem (ut alia plurima, quæ apud Lyram occurrunt) videntur ex R. Salom. qui ait *Josephum percussisse scyphum, & clamasse, Ruben, Simeon, Levi, Judah,*

(*a*) בי ad verbum sonat, *in me.*

dah, Issachar, & Zabulon, filii matris unius, accumbite hoc ordine, qui est ordo nativitatis vestræ. Et sic de reliquis; cum autem venisset ad Benjamin, dixisse, Isti non est mater, & mihi non est mater, iste igitur juxta me sedebit. Similia habet (*a*) Targ. Jonathæ, *Et accepit manu sua scyphum argenteum, & instar divinantis sonum edidit; filios Leæ collocavit ex uno latere, & filios Zilphæ ex altero latere, & filios Bilhæ ex alio latere; Benjaminem autem filium Rachelis collocavit juxta se*, vel *ad latus suum*, לציטריה. Sobrie solideque Mercerus ait, *tum Jacobi filios, tum alios, qui aderant, miratos esse, homines, ut putabant, ignotos tanto honore à terra principe fuisse affectos.*

34. וישא משאת *Et sumpsit portiones, &c.*] LXX, ἦραν δὲ μερίδας παρ' αὐτοῦ πρὸς ἑαυτούς, *Sumpserunt autem partes ab eo ad seipsos.* Quasi legissent וישאו, cum Hebræo consentiunt Chaldæi Paraphrastæ, quam autem lectionem secutus sit vulgatus, haud liquet ex ejus versione, *Et mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperant.*

וישכרו עמו *Et affatim cum eo biberunt.*] Ad verb. *Et inebriati sunt.* Sed hic verbum שכר non, ut alias plerumque, *ebrietatem proprie dictam*, sed tantum *liberaliorem quandam compotationem* denotat. Hoc etiam sensu idem verbum usurpatur Cant. 5. 1. & Græcum μεθύω Joan. 2. 10. Targ. Jonathæ, & R. Salom. dicunt, nec Josephum, nec fratres ejus, ex quo ab eis venditus fuit Joseph, ad illum usque diem vinum bibisse: sed istud nec Scripturæ autoritate, nec ratione nititur.

(*a*) Vide ad cap. 44. 15.

CAP. XLIV.

MUNSTERUS.

1. **Q**Ui erat super domum suam] Aut, si mavis, *præcepit œconomo*, sive *dispensatori*, *domus suæ*, sed nos reddere voluimus ut Hebraica habent, aliis relinquentes ut textum pro arbitrio suo Latinum faciant.

5. *Pro quo augurando auguratur*] Nostri verterunt, *in quo augurari solet*, ego vero secutus sum Hebræorum expositionem, qui בו pro בעבורו exponunt, *augurando*, inquit, *auguratur*, h. e. ut Kimhi post R. Jonam exponit, *Interrogat augures quo venerit scyphus*; vel, *cogitat amissionem scyphi, ex quo bibit, sibi esse malum omen & augurium.* Aben Ezra tamen sic exponit, *Per hunc scyphum dominus meus vos tentavit, ut sciret utrum fures essetis*, &c. Alii sic dicunt, היה הגביע מצויר וכו היה יוסף מסתכל לפני אחיו ואומר זה הוא גדול וזה נולד אחריו, *Habuit*, inquiunt, *Joseph scyphum figuratum; & simulavit se ex ejus inspectione cognoscere quis eorum esset primo natus, & quis secundo natus.*

12. *Desiitque*] h. e. Cessavit scrutari cum ad minimi fratris saccum pervenisset, & scyphum invenisset.

15. *Quod augurando augurari potest*] Nos hic verba magis quam sensum reddidimus. Est autem hic sensus, An nescitis quod vir augurandi gnarus, qualis ego sum, augurari potest, si quippiam amiserit, quale mihi contigit? Et hæc quidem dicebat, non quod augurio uteretur, sed quæ ad propositam rem faciebant loquebatur. Et quod sequitur,

16. *Quomodo justificabimus nos?*] verbum quod hic ponitur est retransitivum, à themate צדק descendens, ponitque Teth loco Tau, ut fieri solet quando Zade est prima radicalis, id quod hic scribimus propter Hebraicæ linguæ studiosos.

20. *Parvum*] Scilicet ætate: sed quod quivis facile notare potuisset.

28. *Lacerando*] Significat טרף *lacerari & discerpi dentibus bestiarum*: unde deducitur nomen *tareph*, i. *cibus qui dentibus discerpitur.*

30. *Ligata est*] Onkelos paulo explicatius hunc locum reddidit per חביבא, *Anima*, inquit, *ejus est tam dilecta illi sicut anima suiipsius.*

FAGIUS.

5. **I**nquirendo inquirit pro eo] Heb. והוא נחש ינחש בו, quod varie interpretantur. Quidam enim pro *augurari*, alii pro *augures consulere*, alii pro *tentare & probare*, alii pro *malo omine habere* accipiunt. Qui pro *augurari* exponunt, sic intelligunt, *Nonne iste est calix in quo bibit herus meus, & per quem augurari solet?* Non quod auguriis, more gentilium, Joseph usus fuerit, sed quod ea quæ ad præsens negotium facerent locutus fuerit. Vel, *Nonne iste calix est in quo bibit herus meus, & pro quo augurando auguratus est?* i. Nonne iste calix quem furati estis, est ille in quo bibere solet dominus meus, pro quo divinos consuluit, ut sciret quis eum surripuisset? A. E pro *tentare* & *probare* accipit, hoc sensu, *Per hunc scyphum dominus meus vos tentavit, ut sciret num fures essetis.* R. Jonah sic explicat, *Cogitat herus meus amissionem scyphi ex quo bibit, sibi esse malum omen & augurium.* R. D. K. in lib. Rad. hunc locum ita exponit, נחש ינחש בו ישאל מנחשים בעבור ויש שהוא עצמו ינחש בו כלומר יחשוב אבדת הגביע לנחש רע לעצמו שאבד ממנו הכלי שהיה שותה בו, i. augurando auguratur pro eo, h. e. *interrogat augures propter eum. Sunt qui exponunt quod ipsemet auguratur pro eo, q. d. Reputat amissionem scyphi omen malum sibi esse, eo quod perierit ab illo vas ex quo bibebat.* Hæc ille. Sed revertamur ad verba nostri Paraphrastis, *Inquirendo inquirit pro eo*: בדק *Badak* Chaldaice *inquirere*, *investigare* & *scrutari* significat: estque sensus, *Diligentissime quærit augures propter eum, quisnam sibi illam surripuerit.* vel, *Is scyphus est quo utitur ipse in auguriis*; vel *quem amissum diligentissime quærit*: quem sensum secutus videtur author editionis Complutensis, qui legit, *quærens quæsivit eum.* Sequatur pius lector quod vero magis consonum esse videtur.

12. *Incipiens à majore, & desinens in minore*] h. e. cessavit scrutari cum ad minimi fratris saccum pervenisset, & scyphum invenisset.

15. *Investigando investigat*] Diversimode quoque & hæc verba accipiunt, vel hoc sensu, *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Quem sensum habet Vulgata editio Latina. Vel, *An ignoratis quod talis vir, qualis ego sum, scit divinare?* sub. *si quippiam amiserit.* Vel, *An ignoratis quod homo similis mei soleat consulere augures & divinos?*

16. *A facie Domini inventum est peccatum*, &c.] Vult dicere, Recordatus est Dominus peccati servorum suorum quod admiserunt perdendo fratrem suum. Quidam *peccatum* hic pro *mulcta* & *pœna peccati* accipiunt: unde sic intelligunt, Deus invenit unde puniret servos tuos ob scelus admissum in fratrem suum. Nunc punit nos servos tuos Deus.

18. *Quoniam sicut Pharao, sic tu es*] i. Pharao est similis tibi, & tu similis Pharaoni: h. e. tu authoritate æquas Pharaonem.

21. *Ut ponam oculum meum super eum*] Hebraismus est, *ponere oculum super aliquem*, pro *videre aliquem*, non simpliciter tamen, sed cum quadam benevolentia. Quod & LXX. animadvertisse videntur, qui legunt καὶ ἐπιμελήσομαι αὐτοῦ, i. *& curam habebo illius.*

30. *Qui tamen diligit eum tanquam animam suam*] Sensum reddidi. Nam ad literam est, *Anima ejus tam dilecta est illi sicut anima sua*, h. e. unice diligit eum.

VATABLUS.

1. **P**Ræfecto domus suæ, לאשר על ביתו] Ad verb. *ei qui erat super domum suam.* ¶ *Cibo*, אכל] *annona*, *frumento*; significat quod emerant, ut ex seq. versu apparet.

2. *Scyphum præterea meum.* ואת גביעי] *Calicem præterea meum.* ¶ *Tritici sui* שברו] i. tritici ab ipso comparati.

5. *Iste est.* זה] sub. *scyphus*, vel *calix.* ¶ *Iste inquam in quo*, &c. והוא נחש ינחש] *Iste inquam per quem divinare solet*, non quod auguriis, more Gentilium, Joseph usus fuerit, sed quod ea quæ ad præsens negotium facerent locutus fuerit. Alii, *& pro quo augurando auguratus est?* i. nonne iste calix quem furati estis, est ille in quo bibere solet dominus meus, pro quo divinos consuluit, ut sciret quis eum surripuisset? Alter ex doctis Hebræorum pro *tentare* & *probare* accipit, hoc sensu, *Per hunc scyphum dominus meus vos tentavit, ut sciret num fures essetis.* Alter quidam sic explicat, *Cogitat herus meus amissionem scyphi, ex quo bibit, sibi esse malum omen & augurium.* Doctus inter Hebræos sic exponit, *Augurando auguratur pro eo*, h. e. interrogat augures propter eum. Sunt (inquit idem) qui exponunt quod ipsemet auguratur pro eo, q. d. reputat amissionem scyphi omen malum sibi esse, eo quod perierit ab illo vas ex quo bibebat. Chald. paraph. *inquirendo inquirit pro eo*, i. diligentissime quærit augures propter eum, ut indicent quisnam sibi illum surripuerit; vel is scyphus est quo utitur

utitur ipse in auguriis, vel quem amissum diligentissime quærit.

7. *Talia.* [כדברים וגו] Ad verb. *secundum verba ista? absit à servis tuis ut faciant secundum verbum hoc.*

8. *Argentum, vel aurum?* [כסף או זהב] Chald. paraph. *vasa argentea, aut aurea?*

10. *Etiam nunc produxistis.* [גם עתה כדבריכם] Ad verb. *Etiam nunc secundum verba vestra.* Gallice dicimus, *Tout à ceste heure soit ainsi que vous dictes.* Quum acceleramus, idque ex tempore fieri urgemus quod quis dicit, ne forte mutet sententiam. ¶ *Innocentes,* [נקיים] *innoxii.*

11. *Festinantes igitur dejecerunt.* [וימהרו ויורדו] Ad verb. *Et festinaverunt, & descendere fecerunt.*

13. *At illi scissis vestibus suis,* [ויקרעו שמלתם] Ad verb. *Et ruperunt vestimenta sua,* in signum scilicet mœroris & tristitiæ.

15. *Quale est opus,* &c. [מה המעשה וגו] i. Quidnam est hoc quod fecistis? q. d. Quantum scelus admisistis? ¶ *Annon nostis,* &c. [הלוא ידעתם וגו] i. nonne nostis hominem similem mei augurari ac divinare? vel, augures ac divinos consulere?

16. *Et quo justificabimus nos?* [ומה נצטדק] *& qua re justificabimur?* aut *purgabimus nos?* q. d. non possumus nos purgare. ¶ *Invenit iniquitatem,* [מצא את עון] i. recordatus est iniquitatis, &c. Non agnoscunt objectum scelus: sed quia fraudis aliqua suberat suspicio, quod ipsis injuste gravandis fuisset illud excogitatum, causam in absconditum Dei judicium transcribere malunt. Alii vertunt, *invenit mulctam peccati,* i. Deus merito punit nos propter peccata.

17. *In pace,* [לשלום] i. sine noxa.

18. *Et accessit,* [ויגש] Hæc est undecima Hebræorum sectio hujus libri, quam inscribunt à prima dictione hujus versus ויגש, *Et accessit.* ¶ *Loquatur quæso,* &c. [ידבר נא וגו] Hebraismus, *Liceat servo tuo loqui pauca verba te audiente.* ¶ *Sicut tu, sic Pharaoh.* [כי כמוך כפרעה] Ad verb. *Sicut tu, sicut Pharao,* i. Pharao est sicut tu, & tu es sicut Pharao, i. videris dignitate & authoritate æquare Pharaonem, vel per omnia es æqualis Pharaoni, aut secundas tenes à Rege Pharaone.

20. *Et puer senectutum parvus,* [וילד זקנים קטן] Hebraismus, *puer quem genuit pater in senectute.* ¶ *Solus matri suæ,* [לבדו לאמו] i. solus ex illa uxore patris mei, q. d. mater ejus duos tantum genuit, & hic solus est relictus. ¶ *Quem pater,* &c. [ואביו אהבו] Ad verb. *& pater ejus diligit eum.*

21. *Et ponam oculum,* &c. [ואשימה עיני עליו] Hebraismus, *ut intuear illum,* sive *ut eum possim intueri:* non simpliciter tamen illud significat, sed cum quadam benevolentia. Quod & LXX. animadvertisse videntur, qui legunt ἐπιμελῦμαι αὐτοῦ, i. *curam habebo illius.*

22. *Morietur,* [ומת] sub. *pater.* Ad verb. *& morietur.* ו tantum convertit præt. in fut. ut supra v. 9.

23. *Ne addatis,* &c. [לא תספון וגו] *non addetis,* &c. i. non licebit vobis posthac me intueri: non admittam vos posthac in conspectum meum.

28. *De quo dixi,* &c. [ואמר אך טרף טרף] i. quem puto dilaniatum fuisse à fera.

29. *Quod si tuleritis,* &c. [ולקחתם גם וגו] Ad verb. *Et accipietis etiam istum à conspectu meo, & accidet ei mors, & descendere facietis,* &c.

30. *Et anima ejus,* &c. [ונפשו וגו] Hebraismus, *quem unice diligit.* Chald. paraph. *Anima ejus tam dilecta est illi quam anima sua,* i. qui diligit eum tanquam animam suam.

32. *Tunc obnoxius ero pœnæ,* [וחטאתי] *tunc ero reus peccati in patrem meum.*

34. *Ne forte videam* &c. [פן אראה וגו] Hebraismus, *Ne cogar videre afflictionem quæ accidet patri meo,* vel *qua affligetur pater meus.*

CLARIUS.

5. *In quo augurari solet*] Hebræi exponunt, *pro quo auguratur,* h. e. *interrogat augures quo ierit scyphus;* vel *cogitat amissionem scyphi, ex quo bibit, sibi esse malum omen.* Alius sic exponit, *Per hunc scyphum dominus meus vos tentavit, ut sciret utrum fures essetis.*

12. *Incipiens à majore usque ad minimum*] Vel, *incipiens a majore, desiit in minimo,* h. e. Cessavit scrutari cum ad minimi fratris saccum pervenisset, & scyphum invenisset.

15. *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?*] Heb. *An nescitis quod augurando augurari potest vir qui est sicut ego sum?* Est autem sensus, An nescitis quod vir augurandi gnarus, qualis ego sum, augurari potest, si quippiam amiserit, ut mihi nunc contigit? Et hæc quidem dicebat, non quod augurio uteretur, sed quæ ad propositam rem faciebant loquebatur.

18. *Tu es enim post Pharaonem*] Vel, *Tu es enim quasi ipse Pharao.*

DRUSIUS.

15. *Virum similem mei*] Qui mei similis est, i. me. Similis locutio exstat apud Plautum, *hominem qualis ego.* Quod Senes dixerunt, οἷος ἐγώ. & autor Thargum, *qui est sicut ego:* alius, *cujusmodi ego sum.*

20. *Filius senectutis*] Non qui senex est, sed qui natus in senectute. Ebraice בן זקנים. Nomina enim ætatum fere pluraliter efferunt. Sic נעורים *adolescentia,* בחורים *juventus.* Ut *filius senectutis,* sic etiam dicunt, *natus,* aut *puer, senectutis;* hic est ילד זקנים, puer qui in senectute ipsius natus. Sic Benjamin vocatur: unde quidam interpretantur nomen illud, *filius dierum,* q. d. natus cum pater ejus in dies processisset, h. e. in provecta ætate ipsius. Hujus loci est, *uxor adolescentiæ* אשת נעורים, quam quis duxit cum adhuc adolescens esset, γυνὴ τῆς νεότητος αὐτοῦ.

21. *Ponam oculos meos super illum*] *Ponere oculum super aliquem* Ebræa phrasis est, quam interpretes non eodem modo enarrant. *Ponam oculum meum super eum.* Verba sunt Josephi patriarchæ, referente Juda, de fratre minore suo Benjamin. Ea quidam explicant, Abenezra, Tremellius, editio Gallica postrema, *videbo eum:* alii, *curam ejus geram.* Hæc posterior interpretatio robur accipit ab antiquitate. Nam in editione τῶν ἑβδομήκοντα habetur ἐπιμελῦμαι. Cui firmando Jonathan, referens, *ponam oculos meos super illum in bonum,* supplet quod videbatur deesse. Nam cum dicimus, *Ponam oculos meos in malum,* contrarium sensum habet. Dei enim *oculus* providentiam notat: Ea speculatur tam bonos quam malos; sed bonos aliter, & aliter malos. Sic accipies Sirach. 34. 19: *Oculi Domini super amantes eum,* nempe in bonum. Amat Deum, qui novit, qui colit, & qui timet. Significat ergo eum curam habere timentium se. Nam non timet verè qui non etiam amat. *Timere* hoc sensu idem est quod *vereri.* Veretur proprie religiosus. Igitur curæ ei sunt pii, qui Deum amant & reverenter colunt. Hinc lux Davidi Psal. 32. 8. si legas, *consulam tibi, super te oculus meus:* sub. *erit,* & quidem in bonum. Quod desideraretur etiam Jer. 39. 12. *oculos tuos pone super eum.* Verba enim sunt Nabuchodonosoris de Jeremia vate, cujus curam singularem haberi volebat. Hujus mandati memor præfectus satellitum Nabuzaradan ita Ieremiam alloquitur Jer. 40. 4. *Si bonum in oculis tuis* (vel, *si placet tibi*) *venire mecum Babylonem, veni & ponam oculum meum super te.* Quis jam amplius ambiget de vero sensu hujus phraseos? Si Carneades, qui de omnibus dubitare solebat, οὐκ ἐγώ.

IDEM.

2. גביע. A. σκύφος. Sym. φιάλη] Hieron. *Pro* κόνδυ, *i. poculo, quod etiam in Esaia legimus. A. Scyphum, Sym. Phialam, transtulerunt.* ¶ *Scyphus,* sic interpres noster Vulg. Onk. כליד, quod affinitatem habet cum *calido:* unde *calicem* dictum existimat Festus: nam eo calida bibebatur. Ionathan אוגבין, quod non intelligo, גביע formam diversam habebat à כוס, quod *poculum* sonat. Moses de Kotsi ait, גביעים *pocula* significare *qualia sunt Alexandrina,* κόνδυ etiam *poculum* interpretantur: sed Hesychius addit, barbaricum fuisse poculum; & Pollux, Persicum; & Athenæus, Asiaticum, quod cotylas decem capiebat. Qua de re alias. ¶ *Phialam.*] Lex. vet. φιάλη, *patera, phiala.* Hac voce Chaldæi quoque utuntur. Nec scio utrum hi à Græcis acceperint, an vero Græci ab illis.

5. והוא נחש ינחש בו. Schol. οἱ Σαμαρεῖται, ᾧ αὐτὸς πειράζων πειράζει ἐν αὐτῷ. Aliud Scholion, ᾧ γὰρ ἔγνωτε ὅτι πειραζόμενος πειράζεται ὅμοιος ἐμοί.] Hæc ita habentur in edit. Rom. πειράζει, i. מנסה. Ad hunc significatum accommodari potest בדק quod in Onkelo. Lexicon Munsteri, בדק *tento, probo.* Sic etiam נחש *exploro, investigo.* מנחש, quod in Thargum Ionathæ perperam exponitur in eodem lexico, *augurium.* Nam est participium generis activi, *auguratur;* quod noster expressit; item Græci, qui habent οἰωνίζεται. Sane נחיר in lingua Ismaelica sive Arabica, testibus Davide Camio & Iusto Iehielide, *avem* significat. Abenmelech, *Consulit augures de scypho, ut scire possit quis abstulerit eum: aut, Cogitat malum sibi augurium esse, quod scyphus è quo bibebat amissus sit.*
¶ Ten-

¶ *Tentatione tentat.* Melius, *augurando auguratur:* & in eo, i. eo. Nam præpositio in sermone Latino redundat.

15. הֲלוֹא יְדַעְתֶּם כִּי־נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ אִישׁ אֲשֶׁר כָּמֹנִי. Schol. οὐκ οἴδατε ὅτι πειρασμῷ πειράζεται ὅμοιος ἐμοί, *etenim novistis quod tentatione tentat similis mihi*] Aut *similis mei.* Videtur autem omissum ἀνὴρ culpa exscribentium. Santes, *Nonne scitis quod tentando tentat vir qui est sicut ego?* Malim, *augurando auguratur.*

30. קְשׁוּרָה. A. συνδεδεμένη, *colligata.* Sym. ἐκδέδεται, *illigatur.*] Prius erat, ἐκκρέμαται, & apud interp. nostrum, *cum anima illius ex hujus anima dependeat.* Periphrasis magni amoris. Idem verbum 1 Reg. 18. 1. ubi Lxx, ψυχὴ Ἰωνάθαν συνεδέθη τῇ ψυχῇ Δαβίδ, *Anima Jonathæ colligata fuit animæ Davidis*, vel, *cum anima Davidis.* Abenmelech, *Præ nimio amore, ac si colligata fuisset anima hujus cum anima illius, & consociata vel conjuncta fuisset ei.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et præcepit ei qui præerat domui suæ dicendo, Imple sacculos virorum istorum cibo; quantum possunt ferre, & pone argentum cujusque in ore sacculi sui.*

2. *Et scyphum meum scyphum argenteum pones in ore sacculi minimi natu, & pecuniam frumenti ejus: & fecit juxta verbum Joseph quod locutus fuerat.*

3. *Mane illuxerat & viri illi dimissi sunt, ipsi & asini eorum.*

Qui præerat domui suæ] אֲשֶׁר עַל בֵּיתוֹ qui erat super domum suam i. præfecto aut dispensatori domus suæ. Græce est τῷ ὄντι ἐπὶ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. ¶ *Sacculos*] Hieron. hic habet *saccos*, & Jonathan דִּסְקֵי quod scribi malim דִּסְקַיָּא, ut supra 42. 35. דִּסְקֵי sacci aut manticæ, quas alibi מוֹנֵי appellat, quod plene legitur in Onkelo, מוֹנֵי גֻבְרַיָּא manticæ virorum istorum. Paullo post בְּפֻם טוֹעֲנֵיהּ in ore sacculi sui. i. מוֹנֵיהּ. Appellatio à טען tulit, unde mox in Onkelo לְמִטְעַן ferre, portare. ¶ *Quantum possunt ferre*] ipsi homines videlicet. Nam Hieron. qui vertit, *quantum possunt capere*, sensum assecutus mihi non videtur. Sane quidem טען de saccis non recte exponitur, ut nec illud quod in Onkelo לְמִטְעַן & in Jonatha לְסוֹבָרָא & in edit. Græca ὅσα ἐὰν δύνωνται ἄραι. Sic dico, sacci capiunt frumentum, homines ferunt aut portant illud. ¶ *Scyphum meum*] גְּבִיעִי *scyphus.* Ita Hieron. quem nunc secutus sum. Lxx. τὸ κόνδυ. Interpres, *condy meum.* Quid condy? Lexicon Hesychii, κόνδυ ποτήριον βαρβαρικὸν, κυμβίον. Sed diversum esse κόνδυ ab eo quod Græci κυμβίον appellant, patet ex loco quodam Hipparchi, ubi simul hæc duo nomina leguntur. Locus extat in 11 Athenæi. Ceterum Nicomachus persicum esse poculum scribit, ut Athenæus Asiaticum, decem cotylarum capax. Mercerus annotat Ægyptiam vocem esse videri. Hieron. in Quæst. *Pro sacculo, peronem vel follem in Ebræo habet. Pro condy i. poculo, &c.* Onkelos כַּלִּידָא calicem, quem Festus ita dictum existimat quod in eo calidum bibatur. In Lexico Chaldaico Munsteri scriptum כליד. dubito an recte. Fagius *scyphum* reddit. Jonathan מַגְבְּנָא. Videtur depravatum esse ex Ebræo גביע Ain, ut fit, in Nun conversa. R. Salomo גביע *est poculum oblongum quod vocant* מדרנו *Maderno.* Abenezra גביע & כוס synonyma esse putat. R. David forma differre ait. Quod probari potest ex Jer. 35. Vide, si otium est. ¶ *Sacculi*] manticæ. *In Ebræo*, inquit Hier. *peronem habet.* putavi aliquando legendum, *peram.* Nunc muto. Nam perones sacci. Plin. lib. 36. cap. 14. *Id consequutus est architectus ille peronibus arenæ plenis:* ubi quidam legunt, beronibus. Alioqui pero est genus calceamenti rustici ex corio crudo. ¶ *Minimi*] vel, junioris. i. τοῦ νεωτέρου. ¶ *Pecuniam frumenti ejus*] τὴν τιμὴν τοῦ σίτου αὐτοῦ. Lxx. *pretium frumenti quod dedit.* Hieron. *argentum emtionis ejus.* Onk. & Jon. ¶ *Mane illuxerat*] τὸ πρωῒ διέφαυσε. Mane i. בֹּקֶר. Chaldaice צַפְרָא aurora, tempus matutinum. Illuxerat autem Ebraice אוֹר & Chaldaice נְהַר & נְהוֹר quod scribunt נְהִיר diluxit. Hieron. *& orto mane.* ¶ *Dimissi sunt*] facta illis potestas discedendi.

4. *Ipsi egressi erant urbem, non longe abierant, cum Joseph diceret ei qui præerat domui suæ, Surge, persequere viros illos & assequere eos & dices eis, Cur reddidistis malum pro bono.*

5. *Nonne iste est quo bibit dominus meus? & ipse augurando auguratur eo: male egistis quod fecistis.*

6. *Et assequebatur eos & loquebatur ad eos verba illa.*

Ipsi egressi erant urbem] vel, *jam exierant urbem.* Id Ebræi dicunt הֵם יָצְאוּ אֶת הָעִיר. Quo exemplo Grammatici probant אֶת aliquando poni pro מִן, nescio an satis solide. Nam etiam Græci dicunt ἐξελθεῖν τὴν πόλιν. Quanquam in Onkelo & Jonatha מִן קַרְתָּא ex urbe. ¶ *Non longe abierant*] vel, non procul aberant. Quod Græci dicunt οὐκ ἀπέσχον μακράν. Trem. *non longe abscesserant.* ¶ *Assequere eos*] Est cur malim, *cumque assecutus fueris eos dices.* Nam in Ebræo ad verbum, *& assequeris eos & dices.* ¶ *Iste*] scyphus. ¶ *Bibit*] bibere solet. Græci hic auctiores sunt integro membro ἵνα τί ἐκλέψατέ μου τὸ κόνδυ τὸ ἀργυροῦν; οὐ τοῦτό ἐστιν ἐν ᾧ πίνει ὁ κύριός μου. ¶ *Augurando auguratur eo*] נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ בּוֹ. Lxx. οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ, augurio auguratur in eo. In quibusdam libris est οἰωνιεῖται augurabitur. Hieron. *& in quo augurari solet.* Onkelos בָּדְקָא בָדִיק בֵּיהּ. Fagius, *inquirendo inquirit pro eo.* בדק inquiro, scrutor, investigo. Male Munsterus ex hoc loco בדק auguror. Significat etiam probare: Unde בדוק probatum, apud Medicos. Dicunt enim certe בדוק ומנוסה probatum & tentatum est. Jonathan כְּסָיָא הוּא מְסַיֵּר בֵּיהּ augurando augurabatur in eo. Hic notabis infinitum Pael cum מ præfixo: qualia sunt מְקַטָּלָא occidere, מְבָרְכָא benedicere. Quæ forma infiniti Syris in frequenti usu, ideoque Syriaca dicitur. Santes, *tentando tentat in eo.* Trem. *experiendo experiens discet i. certo experimento discet.* R. Levi, מנסה tentat aut probat q. d. vos probare voluit per illum scyphum quales sitis. R. Jona, *consulet augurando eo i.* כעבוד. Addit R. David, *ipse auguratur i. pro malo augurio sive omine ducit quod scyphum amiserit.* Abenezra, *Hoc scypho vos probavit ut sciat num fures sitis.* Vide quæ annotavimus Gen. 30. 26. ¶ *Eo*,] vel, *per eum.*

7. *Qui dixerunt ei, Cur loquitur dominus meus talia: absit à servis tuis ut faciant rem hujusmodi.*

Dixerunt] unus ceterorum nomine hoc dixit: ideo sequitur, *dominus meus.* Vide infra vers. 9. ¶ *Dominus meus*] Lxx. ὁ κύριος, & Hier. *dominus noster* אֲדֹנִי. ¶ *Talia*] כַּדְּבָרִים הָאֵלֶּה κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, secundum verba ista. Hier. *quare sic loquitur.* ¶ *Absit à servis tuis &c.*] Verbum è verbo, *Absit servis tuis ne faciant secundum rem hanc.* חָלִילָה absit quod Græci referunt, μὴ γένοιτο. Onkelos & Jonathan חַס pax. Id R. Salomo explicat, *Pax à DOMINO sit nobis ne faciamus istud.* Thalmudistæ dicunt eodem sensu חס ושלום, quod obvium aliquoties in commentariis Rabbinorum. Idem explicat Ebræa חולין הוא לנו לשון גנאי profanum aut res profana est nobis. Gen. 18. 25. חָלִלָה לְּךָ. Hieron. *absit à te.* Putarim & hic quoque legendum, *absit ut servi tui tantum flagitii committerint.* Sed nihil muto contra fidem exemplarium. Onkelos ibi, *hæc sunt indecora tua*: Jonathan חולין הוא לך profanum est tibi, si modo חולין significat profanum, de quo adhuc dubito. ¶ *Rem ejusmodi*] כַּדָּבָר הַזֶּה *juxta verbum hoc.* i. rem talem.

8. *Ecce argentum quod invenimus in ore sacculorum nostrorum, repertavimus ad te è terra Chanaan, & quomodo furaremur è domo domini tui argentum vel aurum?*

9. *Apud quem invenietur ex servis tuis moriatur, & etiam nos erimus domino meo servi.*

Repertavimus] retulimus. ¶ *Argentum vel aurum*] *vasa argentea aut vasa aurea.* Onkelos, Jonathan. Affine quod apud Virgilium Æneid. 1. *Ingens argentum mensis cælataque in auro*, ubi ponitur pro argenteo mensarum apparatu. ¶ *Invenietur*] scyphus aut quod quæris. ¶ *Moriatur*] ἀποθνησκέτω. Onkelos, *occidatur.* Jonathan, *sit reus mortis.* קְטוֹל ad verb. *occisio* sive *cædes.* חַיָּב reus, obnoxius. ¶ *Domino meo*] לַאדֹנִי. Lxx. τῷ κυρίῳ ἡμῶν, & Hiero. *domini nostri* לַאדֹנִי Onkelos & Jonathan לְרִבּוֹנִי domino meo. Nam unus loquitur, & quia nomine aliorum loquitur, ideo dicit, *nos erimus*, ἡμεῖς ἐσόμεθα. ¶ *Servi*] לַעֲבָדִים in servos i. servi vel pro servis. Hoc Tremell. elegit. Prius habent Hier. & Lxx. Nam παῖδες i. servi. Sic puer aliquando pro servo usurpatur. Paullo post, *apud quem invenietur erit mihi servus.* Hic est עָבֶד.

10. *Et dixit, Etiam nunc ut dicitis sic est, apud quem invenietur erit mihi servus, & vos eritis innoxii.*

11. *Festinarunt ergo & deposuerunt quisque saccum suum in terram, & aperuerunt quisque saccum suum.*

12. *Et scrutatus est, in maximo cœpit & in minimo desiit: & repertus fuit scyphus in sacco Benjamin.*

Ut dicitis] ὡς λέγετε. In Ebræo est ad verbum, *juxta verba vestra.* Hieron. edidit, *fiat juxta sententiam vestram.* ¶ *Sic est*] Sic esse convenit. Jonathan, *sic erit.* כֵּן יְהֵי. Trem. *sic esto.* Santes, *ita fit.* Ebraice כֶּן הוּא. ¶ *Innoxii*] vel, *innocentes.* Ebraice נְקִיִּם. Lxx. καθαροί, puri, mundi. Onkelos & Jonathan זַכָּאִין innocentes. Hieron. *innoxii*, quem secutus sum. Proverb. 6. 27. נקי Aquila ἀθῷος, innocentem, innoxium. Sym. ἀναίτιος, insontem: ἀναίτιος, à quo abest omnis culpa,

culpa, crimine vacans. ❡ *Festinarunt & deposuerunt*] festinato deposuerunt, aut festinarunt deponere. Pro *deposuerunt*, alius habet, *dimiserunt*. Verbum pro verbo, *descendere fecerunt*. ❡ *Quisque*] finguli. ❡ *Saccum suum*] manticam suam. ❡ *Scrutatus est*] ויחפש ἠρεύνησε. Chaldaice בלש & פשפש diligenter scrutatus est. ❡ *In maximo*] à maximo natu i. Rubene incoepit. ❡ *In minimo*] Benjamine. ❡ *Desiit*] שרי absolvit, poo cessavit. Ebraice כלה finivit, consummavit.

13. *Et sciderunt vestes suas & oneravit quisque asinum suum reversique sunt in urbem.*

14. *Et venit Judas & fratres ejus in domum Iosephi (qui adhuc erat ibi) & prociderunt ante illum in terram.*

Sciderunt vestes suas] vel, *lacerarunt vestimenta sua*. Signum doloris. *Signum magnæ tristitiæ* ait Lyra Num. 14.6. Hic mos apud Romanos etiam in usu fuit. Suetonius in Cæsare] cap. 33. *pro concione fidem militum flens, & veste à pectore discissa, invocavit*. Quin aliis quoque gentibus solennem fuisse constat ex Homero, Virgilio & Herodoto. Vide Diodorum lib. 1. p. 46. ubi dicit Ægyptios etiam vestes lacerare solitos, qua ceremonia prisci, credo, homines animum suum dolore lacerari testificabantur. Judæi peculiariter id faciebant, imo facere tenebantur, cum dictum aliquod blasphemum audirent. Scholia Græca in Acta Apostolorum, ἔθος ἐστὶν Ιουδαίοις ὅτι τοῖς κατὰ θεοῦ δυσφημίαις περιῤῥηγνύναι τὰ ἱμάτια. Hiero. *Consuetudinis Iudaicæ est, cum aliquid blasphemum contra Deum audierunt, scindere vestimenta sua. Quod Paulum quoque & Barnabam fecisse legimus, quando in Lycaonia deorum cultu honorabantur.* ❡ *Oneravit asinum suum*] onus asino imposuit. Ebraice ויעמס על חמרו oneravit super asinum suum, quod Græci reddunt, ἐπέθηκαν ἕκαστος τὸν μάρσιππον αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ὄνον αὐτοῦ. Trem. *cumque imposuisset onus quisque asino suo*. Hieron. *oneratisque asinis*. Onkelos, ורמו *& projecerunt* sub. saccum suum. ❡ *In urbem*] Metropolim Memphim, ut quidam volunt. ❡ *Venit in domum*] vel, *ingressus est domum*. ❡ *Prociderunt*] omnes pariter. Hic rursum completur somnium Josephi. ויפלו alius, *ceciderunt*; alius, *corruerunt*; alius denique *prostraverunt se*.

15. *Et dixit illis Ioseph, Quodnam est factum istud quod fecistis? nonne sciebatis augurando auguraturum virum similem mei?*

Factum] opus, facinus, πρᾶγμα. ❡ *Auguraturum*] Hic editio Romana habet οἰωνιεῖται augurabitur. Notatum autem in aliis codicibus esse οἰωνίζεται & apud Augustinum, *augurio auguratur*. Huc etiam pertinet Scholion illud καὶ γὰρ ἔγνωτε &c. Id Latine sonat, *etenim scivistis quod tentando tentat similis mei*. Hieron. *an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Jonathan etiam futuro usus est hoc loco יטיר augurabitur: quod verbum est ab avibus dictum. Sane טיר in lingua Ismaelitica sive Arabica, testibus Davide Camio, & justo Jehielide, avem significat. Ceterum auguria olim apud Ægyptios in usu fuisse, si non aliunde, saltem ex isto loco probari potest. ❡ *Similem mei*] אשר כמני qui est sicut ego. Quod Chaldæi dicunt כוותי, Græci Lxx. οἷος ἐγώ, qualis ego. Trem. *cujusmodi ego sum*.

16. *Et dixit Judas, Quid dicemus domino meo? quid loquemur? & quo justificabimus nos? Deus deprehendit iniquitatem servorum tuorum, ecce nos servi sumus domino meo, tam nos quam is in cujus manu scyphus repertus est.*

Dicemus] Lxx. ἀντεροῦμεν, contra dicemus. Hiero. *respondebimus*. Dicere & respondere vicissim permutantur. Ionathan, *Quid dicemus de argento primo? quid loquemur de altero? & quomodo tuebimur nos de scypho?* ❡ *Quo justificabimus nos*] ומה נצטדק & quid nos justificabimus? i. cur, quare q. d. frustra id fieret à nobis, cum simus in αὐτοφώρῳ deprehensi, & nostra ipsorum sententia quasi condemnati. *Quo* i. qua re aut ratione, quomodo. Qua re i. במה quod Santes vertit, *in quo*. Hiero. *quid juste poterimus obtendere?* Trem. *quomodo purgabimus nos?* הצטדק est justum sese probare. Iustus autem in foro dicitur, qui insons est & expers culpæ. Leo Iudæ, *qua ratione excusabimus nos ipsos?* Onkelos מה נזכי. Id Fagius reddit, *quo justificabimur?* Verum זכי non tam justum significat, quam insontem & innoxium. Ionathan maluit dicere נזרי quæ forma verbi magis Chaldaica est quam altera, nisi legamus נזכי purgabimus nos, ut נזכה in Ebraismo. ❡ *Deprehendit*] מצא invenit i. deprehendit: aut, detexit, in lucem produxit, patefecit. ita Mercerus explicat. Onkelos & Ionathan, *à Deo reperta est*. Quidam, *invenit iniquitatem* i. pœnam qua puniat iniquitatem servorum suorum. Videndus Abenezra. ❡ *Iniquitatem servorum tuorum*] Onkelos, *culpa servorum tuorum* i. חובת

Ionathan, *culpa contra servos tuos* עוון על. Lxx. τὴν ἀδικίαν.

17. *Et dixit, Absit à me, ut faciam istud: vir ille, in cujus manu repertus fuerit scyphus, ipse erit mihi servus, vos autem ascendite in pace ad patrem vestrum.*

Absit à me ut faciam istud] Hiero. *absit à me ut sic agam*. quod valde confirmat conjecturam meam, quam supra posui, vers. 7. Vide si placet. ❡ *Ascendite*] ἀνάβητε. Nam ex Ægypto in Chananæam ascenditur proprie. ❡ *In pace*] לשלום videtur positum esse pro בשלום quod posset reddi, *cum pace*. Ita Trem. & exponit, *absque ullo damno*. Lxx. μετ' εἰρήνης, *cum salute*. Hiero. *Vos autem abite liberi*. Mercerus, *in pace i. salvi, incolumes, impune*.

18. *Et accedens Judas ad eum dixit, Obsecro domine mi, loquatur nunc servus tuus verbum in auribus domini mei, & ne incandescat ira tua, quia tu Pharaoni par es.*

Obsecro] בי obsecro, ut supra 43. 19. Hiero. hic habet, *oro*, & Lxx. δέομαι, & Jonathan בבעו. Id Onkelos dixit בבעו. Dicunt etiam במטו מנך & בבעו מנך. In margine Venetæ editionis, quæ in octavo folium complicat, *In me fac quod vis, dummodo puer ascendat cum fratribus suis*. ❡ *In auribus domini mei*] audiente domino meo. R. Salomo explicat, *ingrediantur verba mea in aures tuas*. ❡ *Pharaoni par es*] parem cum Pharaone dignitatem obtines. Onkelos, *sicut Pharao, sic tu es*. Hiero. *tu enim es post Pharaonem dominus meus*. Lxx. σὺ εἶ μετὰ Φαραώ, tu es post Pharaonem. Tremellius, *tu es perinde ut Pharao*. Prius Leo Iudæ ita verterat. Ebraice כמוך כפרעה sicut tu, sicut Pharao. Vis in hoc sermone ut si diceret, tu es sicut Pharao & Pharao est sicut tu. Sensus autem, tu potentia & autoritate Pharaonem æquas, par est tua & Pharaonis potestas q. d. tu es alter Pharao. Ionathan, *reges & dynastæ nos sumus in terra Chanaan sicut tu*. Addendum putarim, *sicut Pharao*.

19. *Dominus meus interrogavit servos suos dicendo, An est vobis pater aut frater?*

20. *Et diximus domino meo, Est nobis pater senex & puer (vel natus) senectutis parvulus, & frater ejus mortuus est: & relictus est ipse solus matri suæ, & pater ejus amat eum.*

Puer senectutis parvulus] ילד זקנים קטן natus senectutis parvus. Lxx. παιδίον γήρως νεώτερον, puer senectutis junior. Hiero. *puer parvulus qui in senectute ipsius natus est*. optime & rectissime. *Puer senectutis* ita dicitur ut *uxor iuventutis*, quam quis duxit in juventute. Chaldaice בר סיבתין *filius senectutis*. Posses vertere, *natus senectutis* i. in senectute. Ceterum nomina ætatum fere singulari carent זקנים senectus נעורים juventus. Santes plurali usus est, *puer senectutum*. ❡ *Parvulus*] Gallica editio, *le plus petit d'entre nous* i. *minimum nostrum*. ❡ *Frater ejus*] uterinus. ❡ *Relictus est ipse solus matri suæ*] αὐτὸς δὲ μόνος ὑπελείφθη τῇ μητρὶ αὐτοῦ. Minus bene Hieron. *ipsum solum habet mater sua*. Nam ea tum obierat. Jonathan, *relictus est solus à matre sua, & propterea pater diligit eum*. ❡ *Amat eum*] רחמיה. Hiero. *tenere diligit eum*. Leo Judæ, *unice diligit*. Trem. *deamat*.

21. *Et dixisti servis tuis, Deducite illum ad me, & ponam oculos meos super illum.*

22. *Et diximus domino meo, Non poterit puer derelinquere patrem suum: quod si dereliquerit patrem suum, morietur.*

23. *Et dixisti servis tuis, Si non descenderit frater vester minimus vobiscum, non addetis videre faciem meam.*

24. *Cumque ascendissemus ad servum tuum patrem meum, indicavimus ei verba domini mei.*

25. *Et dixit pater noster, Revertimini, emite nobis parum cibi.*

Deducite] καταγάγετε. Quidam, *facite ut descendat*. Nam in Ebræo הורידהו descendere facite ipsum. Hiero. *Adducite eum* אייתוהי. Porro in Ægyptum ex Chananæa proprie descenditur. ❡ *Et ponam oculos meos super illum*] vel, *ut ponam oculos meos super illum*, vult dicere, ut videam eum. Sic Abenezra explicat, quem sequuntur Tremellius & Galli. Non plane assentior. Nam judico aliquid amplius ea locutione significari: cujus sensum optime expresserunt senes Lxx. transferentes, καὶ ἐπιμελοῦμαι αὐτοῦ, & curam illius geram. Sententiam meam firmat Jonathan referens, *ponam oculos meos super illum in bonum*. Sed & loci duo qui extant Jer. 39. 12. & 40. 4. ubi eadem phrasis invenitur. Quo accommodant nonnulli locum, qui est Psalm. 32. 8. quem interpretantur, *consulam tibi, super te oculum meum*. sub. ponam i. tui rationem præcipue habebo. Sane *oculi* vocabulo providentiam significari notius est quam ut probari debeat. Vide nunc, si placet, Mercerum. Nam is idem mecum sentit, cujus

cujus viri judicium non est leve in oculis meis. Hujus loci est Sirach. 34. 16. οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτὸν, oculi domini super amantes eum i. eorum curam gerit singularem. Jerosolym. hic habet עיני עלוי quod non intelligo, nisi hoc velit, *parcet oculus meus ei*. Cogitemus amplius. Dies diem docet. ¶ *Non poterit derelinquere*], *fieri non potest ut derelinquat*. Jonathan. ¶ *Puer*] *adolescens*. Onkelos. ¶ *Derelinquere*] deserere, καταλιπεῖν. ¶ *Quod si dereliquerit*] ועזב & derelinquet. Hiero. *si eum dimiserit*. Lxx. ἐὰν δὲ καταλίπῃ. Onk. ואם ישבוק & si dereliquerit. Jon. ואין ישבוק quod si dereliquerit. Omnes supplent particulam אם quæ desideratur in Ebræo. Tale est, *ipsi ædificabunt & ego destruam*. Nam sensus, si ædificaverint. ¶ *Morietur*] pater videlicet. ¶ *Non addetis videre*] non amplius videbitis. ¶ *Indicavimus*] narravimus. Sed narrare proprie ספר. Lxx. ἀπηγγείλαμεν. Chaldaice חוינא & תנינא.

26. *Et diximus, Non possumus descendere: si fuerit frater noster minimus nobiscum, descendemus, quia non possumus videre faciem viri illius, nisi frater noster minimus fuerit nobiscum.*

Nisi frater noster &c.] vel, *fratre nostro minimo non existente nobiscum*. Sic Græci, ἐὰν ἀδελφοῦ ἡμῶν τοῦ νεωτέρου μὴ ὄντος μεθ' ἡμῶν. In Ebræo est ad verbum, *& frater noster minimus non est nobiscum*. Hic (&) pro (*si*) usurpari videtur. Quod addendum libello de litteris משה וכלב. Hieron. *alioquin illo absente non audemus videre faciem viri*. ¶ *Videre faciem viri*] revisere virum.

27. *Tum dixit servus tuus pater meus nobis, Vos scitis quod duos filios pepererit mihi uxor mea.*

28. *Et egressus est unus à me, & dixi, Profecto rapiendo raptus est, & non vidi eum hucusque.*

29. *Quid si acceperitis etiam hunc à me & evenerit ei mors, tum descendere facietis canitiem meam cum malo in sepulchrum.*

Uxor mea] Rachel. ¶ *Unus*] Ioseph. ¶ *Et dixi*] ואמר. Quod legerunt Onkelos & Ionathan. Nam vertunt ואמרית. Sed Græci Lxx. qui habent εἴπατε, & Hiero. qui vertit, *& dixistis*, nescio an legerint ותאמ aut ואמרתם. ¶ *Profecto*] אכן certe, utique. ¶ *Rapiendo raptus est*] טרף טרף. Lxx. θηριόβρωτος γέγονεν. Hiero. *bestia devoravit eum*. Onkelos, *occidendo occisus est*. Sic etiam Jonathan. Tremellius, *omnino discerptus est*. Leo Judæ, *omnino laceratus est*. ¶ *Et non vidi eum*] *Nam non vidi eum*. Abenezra. ¶ *Hucusque*] hactenus. ¶ *Quod si acceperitis*] ולקחתם & accipietis. Idem defectus qui supra, quem supplent Lxx. ἐὰν οὖν λάβητε, & Hiero. *si tuleritis*, & alius qui vertit, *quod si abstuleritis hunc quoque*. ¶ *A me*] à facie mea. ¶ *Descendere facietis*] deducetis. ¶ *Canitiem meam*] canam senectutem meam. ¶ *Cum malo*] cum dolore ac tristitia. Sane Græci legunt μετὰ λύπης, & Hiero. *cum merore*, & Jonathan בדווי cum tristitia. ¶ *In sepulchrum*] vel, *ad inferos*. Quod Græci dicunt εἰς ᾅδου, & subintelligitur οἶκον. Jonathan לבי קבורתא *in domum sepulturæ*. Santes, *ad sepulchrum*.

30. *Nunc ergo quum venero ego ad servum tuum patrem meum, si puer non erit nobiscum (nam anima ejus alligata est animæ ipsius.)*

31. *Eritque quum videbit ipse puerum abesse ut moriatur: ita descendere facient servi tui canitiem servi tui patris nostri cum mœrore ad sepulchrum.*

Si puer non erit] והנער איננו & puer non erit: Hic rursum (&) pro (*si*) poni videtur. Quod firmant editiones antiquæ Græca & Latina. Nihil tamen obstat quin possit verti, *& puer non fuerit nobiscum*. ¶ *Nam anima ejus &c.*] Hæc inclusa parenthesi. Possumus etiam legere absque parenthesi, *cujus anima alligata est animæ illius*. Nam in Ebræo nulla Signa parentheseῶς. ¶ *Alligata*] vel devincta. Onkelos, *& anima ejus complectitur aut diligit eum sicut animam suam*. Verbum è verbo, *dilecta est illi ut anima sua*. Sensus est, quem tenere diligit. Vide 1 Sam. 18. 1. Aut *anima* i. vita, ut dicat, vitam hujus ab illius pendere vita. Mox se explicat cum ait, *quum videbit abesse puerum, morietur*.

32. *Nam servus tuus spopondit pro puero apud patrem meum, dicendo, Si non adduxero eum ad te, peccavero in patrem meum omnibus diebus.*

33. *Ideo nunc maneat nunc servus tuus pro puero servus domino meo, & puer ascendat cum fratribus suis.*

34. *Nam quomodo ascenderem ad patrem meum, si puer non erit mecum: ne videam malum quod inveniet patrem meum.*

Servus tuus spopondit] i. ego spopondi: ideo sequitur, *à patre meo*. Simile apud Ennium, *quem credidit esse meum cor.* ¶ *Spopondit pro puero &c.*] vel; *spondendo recepit puerum à patre meo*: vel, *fidejubendo obtinuit*. Verbum è verbo, *spopondit puerum à cum patre*. Sic Gallice dicimus *l'a plerge*. Quidam, *pro puero obducendo à patre meo*. i. suo. ¶ *Peccavero*] *peccati reus ero*. Hiero. ¶ *Maneat nunc*] vel, *maneat quæso* i. בבעו, ut habet Jonathan. Lxx. παραμενῶ, & Hieron. *manebo* ישב נא *mihi sedeat*. ¶ *Si puer*] vel, *cum puer*. ¶ *Ne*] vel, *ne forte, ne quando*, μήποτε. ¶ *Quod inveniet patrem meum*] quod accidet aut eveniet, continget patri meo. Hiero. *ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis adsistam*. Eadem locutio extat Deut. 31. 17. Esth. 8. 6. & alibi. Sic in Latio, *Quem sæpe transit casus aliquando invenit*.

A M A M A.

15. EBr. *Annon nostis quod augurando auguratur vir qui est sicut ego?* Vulg. *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?*) Non est in Ebræo כמוני מי *quis sicut ego?* sed כמני איש *qui sicut ego*. Sensus est, annon nostis virum Similem mihi per auguria cogniturum quid scypho factum sit? Sic & Lxx. οὐκ οἴδατε ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνιεῖται ὁ ἄνθρωπος οἷος ἐγώ. Sic & Onkelos גברא די כותי *vir qui sicut ego*. Vides longe aliter sonare has chordas Vulgati perculsas plectro. Agnoscunt hic à fontibus deviatum ipsi Steuchus & Cajet. Steuchus, *Non jactat se Joseph, sed rem omnibus principibus solitam de se refert*. Cajet. *Non sunt verba præferentis se aliis; sed dicentis communem esse divinationem sibi similibus*.

18. De suo addidit vocem *confidenter*.

27. Verba Judæ ad Josephum, *Et dixit servus tuus pater meus*, sic mutilavit Interpres, ut scopus quem sibi in oratione hac propositum habuit Judas, hac ex parte pereat. Sic enim ea vertit, *Ad quæ ille respondit*. Rectius Lxx. ne Chaldæum memorem, καὶ εἶπε ὁ παῖς σου, ὁ πατὴρ ἡμῶν.

31. Ebr. שאולה Vulgatus vertit *ad inferos*. Cajetanus emendat, *ad foveam* & addit, *de sepulcro enim sermo est*. Sheol itaque & hic sepulcrum significat. Vide quæ ad cap. 37. notavimus.

DE MUIS.

5. SCyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus; & in quo augurari solet, &c.] Josephi fratres ad patrem ex Ægypto cum annona revertentes consecutus non sine heri mandatis Josephi domus procurator, qui in Benjamini sarcinam calicem argenteum ita ut erat à domino jussus clam indiderat, postquam assecutus esset, ad istum eos modum alloquebatur, *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis*, Gen. 44. 5.

Quæritur quid sibi hoc velit, *in quo augurari solet*, quod in Vulg. versione legitur. Juvabit profecto consulere Hebraicum codicem, quid hic dicat. Hebræus igitur codex ita habet, הלוא זה אשר ישתה אדני בו והוא נחש ינחש בו, Id quod ego sic verto è Bechai mente, *Nonne hic calix est in quo bibit dominus meus? & ipse augurando auguratus est de eo*: &c. ב hic pro בעבורו R. Jona autore. Nihil me moratur verbum ינחש fut. temporis: futurum enim in consuetudine Hebraici sermonis non raro pro præterito usurpatur; *Et ipse augurando auguratus est de eo* porro cum ait ille Josephi servus, perinde esse videtur ac si diceret, Neque vero ignorare vos volo ipsum esse Josephum herum meum, qui augurii sive ariolandi scientia qua pollet vos esse qui furto calicem abstulistis divinarit: vel si minus per se ipse auguratus sit, certe, ut censent Bechai quem laudabam mox, & R. Jonas, teste Ezra, augures consuluerit, ex quibus totam rem ut habet didicerit. Probabilius tamen mihi fit velle illum Iosephi servum ipsummet Josephum auguratum esse (& id verba videntur sonare) quem eximium somniorum esse conjectorem fama vulgaverat. Quidni & augurem seu ariolum? Neque profecto id etiam latere extraneos poterat. Ad tantam eum potentiam & dignitatem evexerat conjiciendorum somniorum solertia. Utro modo accipias parum refert. Certe autem hoc illis dicebat, ne suspicarentur dolum mirarenturque cur ipsos potissimum furti suspectos insequeretur, cum tunc temporis undique terrarum mortales in Iosephi domum annonæ comparandæ gratia confluerent. Eadem de causa etiam excussurus singulorum sarcinas à natu maximo exorsus est, ne quid eis suboleret si secus fecisset. Ad superiorem interpretationem facit illud Iosephi ad fratres postquam ad illum essent adducti, eodem in capite v. 15. *Cur sic agere voluistis? annon nostis quod augurando auguratur*, sive *divinando divinat* (illic idem verbum quod hic, & ejusdem temporis) *vir qui similis est mei?* h. e. juxta Rasi, an ignoratis virum mei similem augurandi habere scientiam, certoque conjicere & cognoscere vos esse,

esse, qui surripuistis calicem? Vel juxta citatum Ionam, כי איש כמוני יש לו נחשים *viro mei simili non deesse ariolos* (seu *divinos*?) Palam cum Rasi facit istius loci vulgaris versio quæ habet, *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?*

Augurando auguratus est de eo, nempe scypho, quid eo factum sit, vos nimirum esse qui furto abstulistis. *Augurando auguratus est*, i. certo auguratus est: ejusdem quippe verbi repetitio majorem certitudinem denotat. *Augurando auguratus est de eo*, ut de aliis rebus semper solet. Atque hæc forsan causa est quamobrem hoc loco verbum futuri temporis ינחש adhibitum sit, nempe ad rem quam alias etiam facere soleret Josephus de more linguæ denotandam: quomodo mox ante ישתה pro *bibit*, seu *bibere solet*, dictum fuit. Alii aliter atque aliter accipiunt, ut est sua cuique sententia. Verum ita me Deus amet, ut interpretatio quam attulimus satis placet. Ezra sic exponit, והוא נסה אתכם בו לדעת אם אתם גנבים, *Ipse expertus vos eo calice voluit an essetis fures*: quo modo verbum נחש accipitur Gen. 30. 26. ubi נחשתי *experimento didici quod benedixerit mihi Deus*, &c. Ad hujus ergo mentem vertendum esset, *& ipse experiendo expertus est* (seu *probando probavit*) *in eo*, &c. Quid si, accipiendo prædictum verbum in *experiendi* seu *probandi* significatione, sic interpretaretur aliquis; *& ipse probando probat in eo*, q. d. ille Oeconomus, Isto calice herus meus eorum qui in ædes suas ventitant fidem probare solet? Apte sane & continuate. Quem surripuistis scyphum, is est quo potare herus meus, & ad se venientium fidem experiri solet. Utrobique autem verbum futuri temporis, quod tempus è consuetudine Hebraici idiomatis rem quæ fieri soleat frequenter atque eleganter exprimit, sicuti mox nobis dictum, aliasque observatum non semel. Ad hanc & Ezræ interpretationem satis vero conveniet illud jam citatum è 15. v. ejusdem cap. si illic quoque verbum נחש pro *experiri* ac *probare* sumatur, *annon nostis quod* ינחש נחש *probando probat vir qui similis est mei?* hoc sensu, Cur suffurari estis calicem? An nesciebatis virum mei similem eorum qui ad se ventitant fidem probare solere? etenim illi esse necesse: Isaacus Arama & Abarbanel acute satis interpretantur, quasi horum verborum *& ipse augurando auguratur in eo*, hic sensus sit, Scitote hunc quem surripuistis calicem eum esse quo potat herus meus; & in quo suæ sublimitatis felicitatisque statuit præsagium, & propter quem in posterum præclare secum actum iri auguratur. Ex quo enim uti cœpit eo calice prospere sibi semper fuisse autumat. Hoc autem, inquiunt, illis dicebat, ne forte mirarentur quamobrem tam solicitus esset de argenteo calice, re non ita magni pretii. Illud autem v. 15. *annon nostis quod augurando auguratur vir qui similis est mei?* ad suam interpretationem accommodat sic Abarbanel, An ignoratis virum mei similem in re aliqua ponere suæ felicitatis sive sublimitatis augurium? Observat Ezra esse qui dicant, in scyphum illum inspicientem coram fratribus Josephum quæ cujusque illorum ætas esset, quis major natu, quis minor, id quod satis per se cognoscebat, dixisse, meditantem tum videlicet quid facere vellet, fratrumque amorem ac fidem erga Benjaminum germanum suum eo scypho tentare destinantem. Horum sententia, vel potius somnium, si verum esset, in promptu esset horum verborum sensus, *& ipse augurando auguratur in eo*. Latini Latinæ ac Vulgatæ versionis varias quoque afferunt expositiones, quæ è suis autoribus petendæ sunt. In re dubia & incerta eligere quisque potest quod volet, suisque frui conjecturis.

G R O T I U S.

2. S*Cyphum autem meum argenteum*] LXX. τὸ κόνδυ; quod poculi Attalici genus esse ait Athenæus. Aquila σκύφον [*scyphum*], Symmachus φιάλην [*phialam*]. Simile quid Æsopo factum narrat Scholiastes ad Aristophanis Vespas; οἱ Δελφοὶ χαλεπήναντες φιάλην ἱερὰν τοῖς Αἰσώπου σκεύεσιν ὑπέβαλον. ὁ μὴ δ' εἰδὼς τὴν εἰς Φωκίδα φέρουσαν ὥρμησεν ὁδόν. οἱ δ' ἐπιδραμόντες ἐφευρόντες ἱεροσυλίας αὐτοῦ κατηγόρουν [*Delphi irati sacram phialam sarcinis Æsopi inseruere. ille rei ignarus viam inibat quæ fert in Phocidem. illi vero accurrentes quasi deprehensum accusant sacrilegii*]. Sicut hic Josephus fratres tentat, ita ferme Eumæum Ulysses apud Homerum.

5. *Ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet*] Quanquam vox נחש in lege de superstitiosis augurationibus sumitur, credam tamen olim fuisse vocem mediam, & sumi hic & infra 15. pro immissis divinitus præsagiis, ad quæ Josephus se sacrificio præparabat: in sacrificiis autem usus phialæ, ut jam ex Scholiaste audivimus. Idem Scholiastes ad illud Pacis Aristophanicæ:

——. πρῶτον ἢ σοι
Δῶρον δίδωμι τήνδ' ἵνα σπένδῃς ἔχων.

[—— *primum tibi*
Hanc dono, ut habeas vinum quo libes diis].

Τῶν παρεπιγραφή· τοῦτο γὰρ εἰπὼν δίδωσιν αὐτῷ φιάλην χρυσῆν [*Hic nota ascribitur: nam hoc dicens dat phialam auream*]. In hunc sensum & σπονδεῖα [*libatoria*], Ecclesiastici L. 15. quæ cum phialis conjungit scriptor 1. Macch. 1. 23. & Philo in legatione. Meminere σπονδείου [*libatorii*] Josephus sæpe, Athenæus quoque, Pollux, & Plutarchus Catone. Tale fuit Manio Curio guttum faginum quo sacrificaret, Plinius libro XVI. Statius 1. Thebaidos:

Iasides pateram famulos ex more poposcit
Qua Danaus libare diis, seniorque Phoroneus
Assueti. ——

Apulejus de Platone: *patera qua diis supplicabat.* Crateris usum in auspiciis apud Homerum habes, & apud Clementem Alexandrinum Strom. VI. Vide Num. XV. 5. & 10. Jud. IX. 13. Iosephum Antiquæ historiæ XII. 2.

16. *Quid respondebimus?*] Subitæ calamitates etiam disertis sermonem adimunt.

17. *Qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus*] Servitus pœna furti.

21. *Et ponam oculos meos super illum*] Favebo illi.

31. *Eum non esse nobiscum*] Ex Græco, qui ad sensum explendum μεθ' ἡμῶν [*nobiscum*] addidit. *Mecum*, Samaritanus & Syrus.

CARTWRIGHTUS.

5. E*T ipse augurando auguratur in eo* והוא נחש ינחש בו] Verbum נחש significat *augurari*, *augurium facere*, vel *augures consulere*; & sic R. Ionah (teste Aben Ezra) hic exponit, ישאל מנחשים, *consulat augures*; & בו exponit בעבורו, i. e. *de eo*, vel *propter eum*. Fagius cum in Chald. Paraph. tum in Collat. ait R. Ionam sic interpretari, *Cogitat herus meus amissionem scyphi, ex quo bibit, esse malum omen & augurium.* Sed unde Fagius illud habuerit, nescio; nam Aben Ezra, eo quo dixi modo, sententiam ejus refert. Kimchi in Radic. (ut testatur Fagius) exponit, ישאל מנחשים בעבורו, *consulet augures pro eo*; quæ est ipsissima R. Ionæ expositio ab Aben Ezra citata. Addit Kimchi *nonnullos interpretari*, *quod ipsemet auguratur pro eo*, vel *ex eo*; q. d. *reputat amissionem scyphi omen malum sibi esse, eo quod perierit ab illo vas, ex quo bibebat.* Idem autem verbum, nempe נחש significat *experiri*; *experiendo discere*, ut videre est supra cap. 30. 27. Atque ita hic interpretatur Aben Ezra, הוא נסה אתכם בו לדעת אם אתם גנבים, i. e. *ille tentavit vos eo, ut sciret an fures essetis.* Onkelos vertit, והוא בדקא מבדק ביה, *& is inquirendo inquirit in eo.* Fagius vertit, *pro eo*, & ait hunc esse sensum, *Diligentissime quærit augures propter eum, quisnam sibi illum surripuerit.* Vel, *is scyphus est, quo utitur ipse in auguriis.* Vel, *quem amissum diligentissime quærit.* LXX, αὐτὸς δὲ οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ; *ipse autem augurio auguratur in eo.* Scholiastes refert Samariticum habere, πειράζων πειράζει ἐν αὐτῷ, *tentatione tentat in eo*, quod ad interpretationem Aben Ezræ accedit. Vulg. *in quo augurari solet.*

15. *Nonne nostis* כי נחש ינחש איש אשר כמני *quod augurando augurabitur vir qualis ego sum?*] Aben Ezra ad ver. 5. hunc locum sic explicat; *Quare non metuistis, me ad tentandum vos* (לנסותכם, ad explorandum quales sitis) *coram vobis posuisse scyphum istum argenteum, ac oculos meos occultasse, donec eum acciperetis?* At ad hunc versum aliam adhibet interpretationem, nempe hanc, כי איש כמוני יש לו מנחשים, i. e. *quod vir ejusmodi, qualis ego sum, habet augures?* Atque addit nonnullos dicere scyphum istum fuisse מצויר, i. e. *figuratum*, *figuris insignitum*, atque inde (*a*) Josephum coram fratribus suis intellexisse, atque indicasse quisnam eorum esset natu maximus, quisque ei ætate esset proximus. Chald. ארי בדקא בדיק גברא דכותי, *quod investigando investigat vir qualis ego sum?* LXX, ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνιεῖται ὁ ἄνθρωπος οἷος ἐγώ; *quod augurio augurabitur homo qualis ego?* Scholiastes, ὅτι πειρασμῷ πειράζει ὅμοιός μοι; *quod tentatione tentat similis mihi?* Vulg. *quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Ad Hebræa istum sensum in se non continent; idque Cajetanus & Steuchus (teste Amama in Cens.) fatentur. *Non sunt* (inquit Cajetanus) *verba præferentis se aliis, sed dicentis communem esse divinationem sibi similibus.* *Non* (inquit Steuchus) *jactat se Joseph, sed rem omnibus principibus solitam de se refert.* Similiter & Burgensis, *In Hebraica* (inquit) *non dicitur*, *An ignoratis*, *quod non sit similis mei in augurandi scientia? sed ponuntur quædam verba, quorum sententia est*, *An ignoratis*, *quod homo similis mei possit per auguria*

(*a*) Vide ad cap. 43. ver. 33.

guria talia scire? Quod videtur magis consonum rationi. Ipsi enim non habebant unde debuissent scire, quod Joseph esset maximus augurator; sed bene poterant præsumere, quod Joseph, cum esset tam potens, posset habere augures quoscunque voluisset, præsertim cum in Ægypto essent multi conjectores, &c.

16. *Deus invenit iniquitatem servorum tuorum.*] Fagius sic explicat, Recordatus est Dominus peccati servorum tuorum, quod admiserunt perdendo fratrem suum. Addit quosdam *peccatum* hic pro *pœna peccati* accipere; q. d. *Deus invenit unde puniret servos tuos, ob scelus admissum in fratrem suum. Nunc punit nos servos tuos Deus.* Atque ita quidem Aben Ezra ait עון *iniquitatem*, hic exponi posse *iniquitatis pœnam*, uti sumitur cap. 4. 13. primo autem sic exponit, עון היה לנו כאילו נשכח ונקבר ונעלם והיום נמצא, i. e. *Iniquitas fuit nobis, & quasi oblivione sepulta, & abolita fuit, hodie autem inventa est.* Iniquitatem eorum in vendendo Josepho videtur intelligere. R. Salom. interpretatur in hunc modum, יודעים אנו שלא סרחנו אבל מאת המקום נהיתה להביא לנו זאת, i. e. *Novimus nos non peccasse* (scil. in re ista) *sed à Deo est, ut hoc* (i. e. hanc calamitatem) *in nos afferat.* q. d. Etiamsi quod ad hanc rem spectat innocentes simus, Deus tamen hac ratione viam invenit, qua ob aliud aliquod peccatum, cujus revera rei sumus, nos puniat. Similiter exponit Mercerus, *Ex sua culpa* (inquit) *hoc esse agnoscunt, quod hac ratione eos Deus punire velit; sua admiranda providentia pœnas reposcens, ubi commodum videt; ut creditor ubicunque debitorem invenit, debitum suum exigit, & repetit.* Hic autem R. Salomonem imitatus est (etiamsi ejus non meminerit) Mercerus; is enim præter illa ante citata, addit, מצא בעל חוב מקום לגבות שטר חובו, i. e. *Creditor rationem invenit, qua debitum suum exigat.*

18. כִּי כָמוֹךָ כְּפַרְעֹה *Nam tu es sicut Pharao.*] Adverb. *Nam sicut tu, sicut Pharao.* Aben Ezra ait hunc loquendi modum (qui frequens est in Scriptura) esse concisum, ac sensum plene expressum hunc esse, אתה כמלך ומלך כמוך, i. e. *tu es sicut rex, & rex est sicut tu.* Chald. כפרעה כן אתה, *sicut Pharao, sic tu.* R. Salom. ita explicat, *Honorabilis es tu in oculis meis, sicut rex.* LXX, σὺ εἶ μετὰ Φαραώ, *tu es post Pharaonem.* At hoc minus est, quam quod in Hebræo dicitur, nempe Josephum esse instar Pharaonis; hæc est vis Hebraicæ phraseos. Vide Eccles. 9. 2. & Isai. 24. 2. ubi hæc phrasiologia sæpius usurpatur; & Kimchi ibidem notat utrumque eorum, qui inter se comparantur esse & נושא, i. e. *subjectum*, & נשוא, i. e. *prædicatum*, seu *attributum*, atque ideo notam similitudinis Chaph utrique esse præfixam; q. d. כזה כזה, i. e. *Hic sicut iste, & iste sicut hic.* Vulgatus hic habet, *Tu es enim post Pharaonem dominus meus.* Ubi præterquam quod LXX Interpretes secutus est vertendo כפרעה, *post Pharaonem*, pro *sicut Pharao*, in eo etiam ab Hebræo variavit, quod verba ista, *dominus meus*, quæ cum sequentibus cohærent, ac novum versum inchoant, (אדני שאל את עבדיו, *Dominus meus interrogavit servos suos, &c.*) huc retraxit, ac partem hujus versus constituit. Unde etiam verbum tertiæ personæ in verbum secundæ personæ commutavit; *Interrogasti servos tuos, &c.* Similiter & LXX istic formam locutionis immutarunt, licet nomen Adoni suo loco reposuerunt; Κύριε σὺ ἠρώτησας τοὺς παῖδάς σου, *Domine, tu interrogasti servos tuos.*

21. *Et ponam oculum meum super eum.*] Aben Ezra simpliciter accipit pro *videre*, ואראה אותו, *ut videam eum.* At Fagius in Chald. Paraph. notat, *ponere oculum super aliquem* esse Hebraismum, pro *videre aliquem* non simpliciter, sed *cum quadam benevolentia*; unde LXX ἐπιμελοῦμαι αὐτοῦ, *curam illius habebo.* Eam sane phraseos hujus vim ac emphasin esse apparet ex Jer. 39. 12. Targ. Jonathæ hic habet, *ponam super eum oculum meum* לטבא, i. e. *in bonum*: atque ita plene exprimitur Jer. 24. 6.

28. וַנֹּאמֶר *Et dixi.*] Sic Onkelos & Jonathan ואמרית, *& dixi.* At LXX & Vulg. ab Hebræo pariter ac inter se dissentiunt. Illi enim habent, καὶ εἴπατε, *& dixistis*; hic autem, *& dixisti*, quod forte mendosum est pro *dixistis*; nam ad quem secunda persona singularis referri possit, haud intelligo; si autem in plurali legatur *dixistis*, referendum erit ad Jacobi filios; at Hebraica veritas, assentientibus Chaldæis Paraphrastibus, habet in prima persona singulari, *dixi*, ut ad ipsum Jacobum, quem ita loquentem introducit Judah, referatur.

30. וְנַפְשׁוֹ קְשׁוּרָה בְנַפְשׁוֹ *Namque anima ejus ligata est in anima illius.*] Ad verb. *Et anima ejus, &c.* si Vau more usitato accipiatur; sed hic caussalis potius quam copulativa esse videtur, pro *namque, quandoquidem, propterea quod.* Sic Isai. 64. 5. הן אתה קצפת ונחטא, *Ecce tu iratus es, &* (i. e. *nam*, vel *propterea quod*) *peccavimus.* Chaldæus autem Paraphrastes Hebræam phrasin sic explicat, ונפשיה חביבא ליה כנפשיה, *Nam anima ejus dilecta est ei sicut anima sua*; h. e. (ut Fagius reddit) *diligit eum tanquam animam suam.*

CAP. XLV.

MUNSTERUS.

2. D*Omus Pharaonis*] Non puto hic necessarium ut Hebraismum istum & alias consimiles orationes aliter explicem quàm in Hebræo habeantur; cum nemo tam stupidus sit qui per *domum* non intelligat homines qui versantur in domo. Onkelos tamen clarius reddidit in hunc modum, *Audivit*, inquit, *vir de domo Pharaonis.* Eadem fere est illa locutio quæ sequitur, *Non indignemur oculi vestri*, &c.

5. *Conservationem*] Sive *nutritionem*, aut *vivificationem.* Est enim מחיה denominativum à verbo *vivere*, sicut Latini a *vivo* faciunt *victum*; sed quod huc non quadrat.

7. *Ut ponerem*] h. e. Ut reponerem & conservarem vobis reliquias unde viveretis. Et quod sequitur, *In patrem Pharaonis*] capitur hic אב *pater* pro מורה *instructore & directore.*

9. *Ne tardaveris*] Hebraice, *ne steteris.*

11. *In inopiam*] Sive, ut Hebraismum referam, *ne fores depauperatus.* Et quod sequitur, *Quod os meum loquitur ad vos*] h. e. Ipsi advertere potestis quod sim frater vester, quia ego loquor vobiscum patria lingua, absque interprete. Nemo ergo tunc inter gentes dignabatur discere linguam Hebraicam, etiam qui vicini erant Judæorum regioni: sicut nec post Apostolos inter Christianos quispiam inventus est usque ad tempora nostra qui calluerit hanc linguam præter paucissimos, eosque pro majori parte conversos ex Judaismo ad Christum. Agnoscamus ergo bonitatem Dei, qui hoc novissimo & corruptissimo tempore nobis aperuit oculos, ut Prophetas & totam Scripturam Veteris Testamenti in ipso fonte & legamus & syncerius intelligamus quam Judæi ipsi, super quorum oculos velamen positum est in lectione veteris Legis, ut videntes non videant, &c. Vide quam brevi tempore hujus linguæ studium apud Christianos tanta incrementa susceperit, ut etiam hodie passim in omnibus Academiis publici instituti sunt Professores qui eam linguam & sacram Scripturam in ipso fonte doceant. Anno Christi MDX. ego prima rudimenta Hebraismi sub fidelissimo præceptore D. Conrado Pellicano didici, utens simul muto præceptore D. Johanne Reuchlino. Accessit quartus in Germania anno MDXIII. D. Wolf. Capito. Anno Christi MDXXII. cœpi scribere Compendia, Isagogas & Dictionarium, deinde Grammaticas: cœpitque tunc tota Germania Hebraicari, adeoque ad hunc usque Christi annum MDXLIV. quando hæc scribo, invaluit hujus sacræ linguæ studium, ut fere innumeri scripserint post me Grammaticas Hebraicas, qui pro sua virili conati sunt juvare hoc studium, nempe Capito, Santes, Stunica, Campensis, Bibliander, Auregallus, Artopœus, Fabritius, & multi alii. Quam male illud habeat Judæos, noverunt hi qui cum eis miscent colloquia habentque conversationem. Hæc volui hic obiter signare, ut posteri nostri sciant quale exordium sumpserit Hebraismi studium apud Germanos.

18. *Domos vestras*] Onkelos, *& homines domorum vestrarum.*

19. *Et tu quidem jussus es*] Ut scilicet loquaris cum fratribus tuis meo nomine in hunc modum, *Hoc facite, tollite* &c. Et est hic צויתה Pual, h. e. præteritum passivæ vocis Piel, de ordine quiescentium in Lamed He. He in fine otiose est adjecta. Et quod sequitur, *Oculus vester non parcat vasis*, Hebraismus est pro, *Vasa vestra majora & minora nolite derelinquere in terra Chanaan, sed huc adducite cunctam supellectilem.* Alii exponunt *parcere* pro חוס *misereri*; ut sit sensus, *Non curabitis etiamsi oporteat in Chanaan relinquere supellectilem; tunc fruituri sitis bonis Ægypti.*

23. *In hunc modum*] Exponitur hic כזאת pro כמנין הזה, i. *juxta hunc numerum, nempe decem asinos*, &c.

24. *Non contendatis*] Significat verbum רגז proprie *concuti, contremiscere, & ira moveri.* Hic vero secutus sum Chaldæum interpretem, qui vertit תתנצון, i. *ne altercemini.* Idem sentit R. S. Prohibet igitur ne propter venditionem suam ipsi inter se litigentur. Fabulantur hic Judæi, filiam Aser nomine Serah Jacobo avo annunciasse filium Joseph adhuc vivere, atque ob id meruisse ut viva sine morte translata sit in paradisum.

26. *Dissolutumque est cor*] Quidam ex Hebræis exponunt verbum פג pro נהפך *immutatum est.* Kimhi exponit נחלש &

נחלה

vim dissolutum est atque elanguit cor illius. Alii vero sic exponunt, *dubium erat cor illius atque vacillans.*

28. *Multum est*] h. e. Hebræi exponunt, *Abundans est mihi gaudium.*

FAGIUS.

2. *Emittebatque vocem suam cum fletu*] Ad verbum est, *Et dedit vocem suam in fletum.* Hebraismus est, quo significatur eum non simpliciter lacrymas profudisse, sed elevata voce flevisse, ita ut ab omnibus audiretur: unde & mox sequitur, *Et audierunt Ægyptii.* ¶ *Audieruntque homines de domo Pharaonis*] Ad literam est, *Et audivit homo*, sive *vir, domus Pharaonis:* quod quidam accipiunt quasi unus quidam ex familia Pharaonis audiverit fletum Josephi, qui postea aliis nunciaverit. Sed usitatum admodum est in Hebraismo & Chaldaismo ut singularis numerus pro plurali ponatur, *Homo domus Pharaonis*, i. *homines*, h. e. domestici Pharaonis, qui ex aula & familia illius erant, q. d. Non tantum apud Ægyptios sed & aulicos Pharaonis percrebuit fletus Josephi.

5. *In conservationem*] i. ut in vita vos conservem; vel *in sustentationem*, h. e. ut suppeditarem vobis victum.

7. *Ad ponendum vobis reliquias in terra, & ad conservandum*] Hæc ita intelligi possunt ut vel ad Josephum vel ad Deum referantur; *Ut ego ponerem vos*, &c. *& conservarem;* vel, *ut ipse Deus poneret vobis reliquias, & conservaret* &c. i. ut servarentur nepotes vestri in hac regione, & præberem vobis victum, ut vos eriperem à periculo maximo. Hebraismus est.

8. *Sed à facie Domini*, &c.] h. e. Consilio, voluntate, ordinatione, nutu & favore Dei missus sum.

12. *Quod vestra lingua loquar vobiscum*] i. Advertere potestis quod sim frater vester: loquor enim vobiscum patria lingua, non per interpretem.

18. *Daboque vobis bonum terræ Ægypti*] i. Optimam partem Ægypti dabo vobis, & habitabitis in parte regionis fertilissima. Ita quoque mox infra accipitur, v. 20. *Quoniam bonum universæ terræ Ægypti vestrum erit*, i. feracissima pars universæ regionis Ægypti vestra erit. Sunt tamen qui legunt in plurali numero, *Quoniam omnia bona universæ terræ Ægypti vestra erunt*, h. e. omnes opes.

20. *Non parcat vasis vestris*] Duplicem hic adferunt sensum: vel quod Pharao filios Israel admonuerit ut omnem supellectilem secum in Ægyptum adducerent, nihil de vasis tam majoribus quàm minoribus in terra Chenaan relinquendo, & hanc sententiam sequitur Latinus Vulgatus; vel quod monere eos voluerit quod non debeant multum esse soliciti & dolere, etiamsi non possint omnem supellectilem secum accipere. Ut *parcere* hic accipiatur sicut Latinis, *Parcere iræ, parcere ingenio*; sic *parcere oculis*, i. satisfacere oculis. q. d. Pharao, Nolite satis facere velle desiderio oculorum, ut solent qui alio migrant, qui omnia volunt secum vehere, & nihil post se relinquere; Vos non sic; satis vasorum, satisque supellectilis est in Ægypto.

27. *Requievit Spiritus sanctus super Jacob*] Tradunt Hebræi, Patriarcham Jacobum eo tempore quo cœpit tristari & dolere de amisso Josepho, non amplius afflatum fuisse spiritu prophetico. Cujus causam hanc assignant, Quod Spiritus sanctus non agat in hominibus tristibus, dolentibus & ignavis, (ignavum autem reddit dolor, mœror & tristitia) sed in alacribus, strenuis & expeditis: Unde est vulgo hæc apud illos jactata sententia, אין רוח הקדש שורה אלא על אדם שמח ‎ i. *Spiritus sanctus non quiescit nisi super hominem alacrem.* Quod dictum convenit cum illo, *Nescit tarda molimina sancti Spiritus* gratia. Unde & hanc causam fuisse dicunt cur omnes fere Prophetæ juvenes fuerint, quod juvenes sint magis expediti, promptiores & alacriores ad res peragendas, senes vero plerumque sint difficiles, morosi, pigri & ignavi. Quod enim Moses & Aaron in senectute sua, cum uterque jam octogesimum annum excederet, Divino Spiritu afflati fuerunt, cum populi Israelitici ex Ægypto educendi duces esse deberent, peculiare quiddam esse dicunt, & miraculum quasi, præterque usitatam & solitam illam Spiritus sancti rationem. Quia igitur Jacob supra modum tristabatur super amissione Josephi, ideo ad tempus defuisse in illo sentiunt Spiritus Divini vim ac operationem; rediisse vero, quando ex relatione filiorum suorum Josephum filium suum adhuc superstitem esse narrantium maximo gaudio affectus fuit, sicut ipse quoque dicit, *Sufficit*, vel *multum est, mihi; quod adhuc Joseph filius meus vivit.* Atque huc respexit Paraphrastes noster Chaldæus sua versione.

IDEM.

23. ולאביו שלח כזאת ‎ *Et patri suo misit in hunc modum*] Variatio est in vocula כזאת, quam Lxx. & Vulg. editio sic intellexere quasi ad precedentia pertineat; hoc sensu, quod Joseph patri suo eadem dona miserit quæ fratribus dederat; puta pecuniam, viaticum & vestes, &c. Quam sententiam habet & Aben Ezra in suo Commentario. Alii vero particulam כזאת ad sequentia referunt, nempe quod Joseph patri suo miserit ea quæ sequuntur in textu. Scilicet decem asinos ferentes de bonis Ægypti, & decem asinas ferentes frumentum, panem & cibum, &c. Valet igitur כזאת idem quod כמספר הזה, *juxta hunc numerum.* Atque hæc posterior hujus loci genuina sententia esse videtur.

25. ויפג לבו כי לא האמין להם ‎ *Dissolutumque est cor ejus, non enim credebat illis*] Quasi de gravi somno evigilans, &c. Hæc omnia addita sunt à Vulg. interprete, explicandæ rei gratia; nam textus Hebraicus non habet. Variant autem autores in verbo פוג. Quidam enim legunt, *immutatum & dissolutum est cor ejus;* alii, *elanguit*, sive *debilitatum est, cor ejus;* alii, *vacillavit cor ejus, ut non plenam fidem illis adhiberet:* quam sententiam habet Paraph. Chaldæus, quæ simplicior & verior esse videtur. Lxx. ad stuporem referunt, quasi Jacob auditis quæ à filiis de Joseph narrabantur ecstasi correptus fuerit. Patet autem, non ad stuporem sed incredulitatem referendum. Additur enim, *quia non credebat eis.* Quod si obstupuisset, utique etiam credidisset. Siquidem stupor est rerum vehementissime impressarum, & quarum est maxima repræsentatio; quæ autem non creduntur, nullum efficiunt in animo vestigium.

VATABLUS.

1. *Omnibus sibi*; &c. לכל הנצבים וגו׳] i. quanquam astarent multi, quin inclamaverit, &c. Ab verb. *omnibus astantibus juxta illum, & clamavit.* ¶ *Educite, &c.* הוציאו וגו׳] *Expellite* [*Ejicite*] *omnem*, &c. i. summovete omnes e cubiculo meo.

2. *Deditque vocem suam*, ויתן את קלו] i. Exclamavitque.

3. *Territi erant*, נבהלו] *perturbati erant*, i. præ timore non potuerunt respondere.

5. *Neque sit ira*, &c. ואל יחר בעיניכם] Hebraismus, *neque sit vobis molestum.* ¶ *Propter vitam*, למחיה] *ad vitam*, vel *sustentationem.* Quidam vertunt, *pro vivificatione.* Alii, *pro salute.* Alii, *pro victu*, i. ut suppeditarem vobis victum.

7. *Ut ponerem*, &c. לשום וגו׳] Hebraismus, *ut hac ratione servaretur semen vestrum in hac regione*, sive, ut essem causa, ut superstites essent vobis nepotes. ¶ *Utque præberem*, &c. ולהחיות וגו׳] Ad verb. *& ut vivificem vos evasione magna.* Hebraismus, *Ut vos eriperem & liberarem à magno periculo vobis impendente*, sive, ut mirabili liberatione eriperem vos à maximo illo periculo famis.

8. *In patrem*, לאב] Hebraismus, *effecit ut essem Pharaoni vice patris.*

9. *Festinate & ascendite.* מהרו ועלו] i. Cito ascendite. ¶ *Ne subsistas.* אל תעמד] *Ne cuncteris, ne demoreris.*

11. *Inopia conficiaris.* תורש] *Egestate premaris.*

12. *Oculi vestri vident*, &c. ועיניכם ראות] Hebraismus, Vos facile deprehenditis & agnoscitis quod sim frater vester: nam videtis me jam loqui sermone vestro, non per interpretem.

14. *Et jactavit se super collum.* ויפל על צוארי] *Et ruit in collum.* Vel, *& corruit;* vel, *cecidit.* Ad verb. *Et cecidit super colla.*

16. *Et fama illa.* והקל] Ad verb. *Et vox illa.* ¶ *Et placuit in oculis*, &c. וייטב בעיני וגו׳] Ad verb. *Et bonum visum est in oculis*, &c. Hebraismus, *gratissima fuit Pharaoni vox illa, & servis ejus.*

18. *Bonum terræ.* את טוב] i. Optimam partem regionis, partem feracissimam & fertilissimam. ¶ *Comedetisque pinguedinem terræ.* ואכלו את חלב הארץ] Imper. Hebr. pro fut. Chald. paraph. *Comedetisque bona terræ.* *Pinguedinem terræ* vocat electa & optima bona terræ.

19. *Jussus es*, צויתה] sub. *à me.* i. Nunc tibi mando ut dicas fratribus tuis, Facite, &c. Pharao alloquitur ipsum Joseph.

20. *Neque oculus*, &c. ועיניכם וגו׳] Ad verb. *Et oculus vester ne parcat vasis* [vel *instrumentis*] *vestris.* Duobus modis exponitur hic locus, Vel quod Pharao filios Israel admonuerit ut omnem supellectilem secum in Ægyptum adducerent, nihil de vasis

vasis tam majoribus quam minoribus in terra Chanaan relinquendo. Vel quod monere eos voluerit quod non debeant multum esse soliciti & dolere etiamsi non possint omnem supellectilem secum accipere: ut *parcere oculis* hic accipiatur pro *satisfacere oculis.* q. d. Pharao, Nolite velle satisfacere desiderio oculorum, ut solent qui alio migrant, omnia volentes secum vehere, & nihil post se relinquere: vos non sic. Satis vasorum, satisque supellectilis est in Ægypto. ¶ *Bonum universæ terræ.* טוב כל ארץ] i. Optima pars totius terræ, & feracissima.

21. *Iuxta mandatum.* על פי] Ad verb. *Iuxta os.* Vel, *sermonem.*

22. *Omnibus ipsis dedit, unicuique.* לכלם נתן לאיש] i. Omnibus & singulis dedit, excepto Binjamin. ¶ *Mutatorias vestes,* חליפות שמלות] Ad verb. *Mutationes vestium,* i. Vestes novas ac recentes, elegantioresque. Vide Jud. 14. 12, 19.

23. *Tantundem,* כזאת] Ad verb. *Sicut hoc.* Vel, *sicut istud.* i. Quinque vestes, & trecentos argenteos: præterea decem asinos, *&c.* ¶ *Ex optimo bono* מטוב] i. Ex optimis ac laudatissimis fructibus Ægypti onustos.

24. *Ne tumultuemini.* אל תרגזו] Quidam vertunt, *Ne expavescatis.* Tanquam Joseph rogaret fratres ut placido essent animo, nec supervacuo metu se turbarent. Verum potius eos ad mutuam pacem hortatur. Nam quum verbum רגז nunc *tremere* vel *expavescere,* nunc *tumultuari* significet, posterior sensus *melius* congruit circumstantiæ loci. Scimus enim filios Dei non modo esse placabiles siquid ipsis injuriæ illatum fuerit, sed etiam curare ut alii inter se concordes agant. Placatus igitur Joseph fratribus, simul etiam eos admonet nequid turbarum moveant. Timendum enim erat ne quisque se purgando, crimen transferre in alios studeret, atque ita surgeret contentio.

25. *Et debilitatum fuit.* ויפג] *Et dissolutum fuit.* Quidam intelligunt suffocatum fuisse cor Jaacob, quod velut ecstatico stupore correptus fuerit. Sed Moses aliam causam assignat, quod fidem non habens filiis inter spem & metum constrictus fuerit. Scimus autem qui audito incredibili nuntio suspensi hærent, torpere quasi exanimes. Non fuit ergo simplex lætitiæ affectus, sed mista quædam perturbatio quæ concussit mentem Jaacob. Ideo seq. versu Moses dicit, *revixisse* ejus spiritum, ubi ad seipsum reversus, composito animo, verum esse credidit quod audierat.

26. *Revixit spiritus.* ותחי רוח] i. Cœpit esse bono animo, atque recreatus est. Vide v. 26.

27. *Sufficit,* רב] *Satis est.* Alii, *Multum est* quod *adhuc,* &c. q. d. Abundans est mihi gaudium quod, &c.

CLARIUS.

7. UT *reservaremini*] Hebr. *Ut ponerem vobis reliquias in terra, & ut vitam vestram servarem in magnam salvationem.* h. e. *Ut reponerem vobis unde viveretis,* &c.

12. *Quod os meum loquatur ad vos*] Advertere (inquit) ipsi potestis quod sim frater vester, quia ego loquor vobiscum patria lingua absque interprete.

22. *Binas stolas*] Alii verterunt, *mutatorias vestes.*

23. *Tantundem pecuniæ*] Alii sic intelligunt, *Misit patri secundum hunc numerum, scilicet decem asinos,* &c.

24. *Ne irascamini in via*] Verbum Hebræum proprie significat *concuti, contremiscere, & ira moveri.* Prohibet igitur, ne propter venditionem suam ipsi mutuo irritentur.

25. *Et dubitavit cor ejus*] Alius vertit, *Et dissolutum est cor ejus.*

DRUSIUS.

24. NE *irascimini in via*] Non tam iram prohibet quam ejus pedissequas; jurgia, rixas & contentiones, quæ iram communiter sequuntur: unde Onk. *Ne contendatis:* & Jonathan, *Ne rixemini propter negotium venditionis meæ.* Verebatur enim vir sapiens ne refricata memoria rerum ante gestarum, cum primum ab iis in puteum conjectus, postea venditus esset in Ægyptum, lites inter eos excitaret, quæ gravissimæ solent esse, juxta illud, *Fratrum ira acerbissima.* Ideo monet eos serio ut memoriam talium deponant, nec ab ira se rapi patiantur ad illicita, quæ licet *cos fortitudinis* appelletur à Philosopho, & per se non sit improbanda, tamen nisi moderatio adhibeatur, culpam habet. Unde Regius Propheta David, *Irascimini, & nolite peccare.* Quod pro eo habendum ac si dixisset, Irascimini quoad licet; sicut poeta Latinus dixit, *Ni tam amarem talem merito patrem, iratus essem ad quod liceret,* h. e. In ira temperamentum adhiberem; Nam tum culpa caret ira. Quocirca Apostolus adjecit, *Sol ne occidat super iracundiam vestram.* Aut sensus est, Si contigerit vos irasci, ita temperate iram vestram ne peccetis. Simile apud Malachiam Prophetam, *Ipsi ædificabunt, & ego destruam.* Nam desideratur *si*; ut sit, *Si ædificaverint, ego destruam.* Verbum Ebræum רגז significat etiam *commoveri ex metu.* Ideo quidam hic legunt, *Ne commovemini,* sive *commoveamini,* videlicet metu ob patratum crimen in me. q. d. Ne metus ob crimen in me commissum vos conturbet in via.

IDEM.

5. לְמִחְיָה. A. εἰς ζώωσιν. Sym. εἰς σωτηρίαν] מחיה ζώωσις. *vivificatio.* Alibi *victum* designat. Hic למחיה accipi videtur pro eo quod aliquanto post להחיות, *ad vivificandum.* Sane interpretes Chaldæi utrobique referunt לקימא. Ante legebatur, εἰς ζωὴν, i. לחיים. Quod sequendo Santes patrum memoria vertit, *propter vitam.* ¶ Εἰς σωτηρίαν. Æmulatus est Hieron. si modo is autor edit. Vulg. in qua, *pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Cave spernas. Siquidem *vivificare* in his libris aliud nihil est quam *in vita conservare.* Sumitur etiam pro *servare* simpliciter, nempe ut *vita* quandoque sumitur, pro *vita jocunda & malorum experte.*

17. אֶת־בְּעִירְכֶם. A. & Sym. *Jumenta vestra.* Th. τὰ φορεῖα ὑμῶν, *vehicula vestra.*] ¶ *Iumenta,* ὑποζύγια. Quod ita legitur in Fragmentis à me juvene collectis, quæ manu descripta domi asservo. Interp. Vulg. *Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan.* Hieron. in Quæst. *Pro Vehiculis, quæ* LXX. *& Theodotio* τὰ φορεῖα *interpretati sunt, Iumenta reliqui transtulerunt.* ¶ Φορεῖα. Quæ & πορεῖα, alternantibus literis. Πορεῖον pro *vehiculo* usus est Plato. Φορεῖον proprie *gestatorium,* nempe à φορέω, *gesto.* Sunt codices in quibus φορτία scriptum. S. Ambrosius, *mandat impleri eorum sarcinas tritico.* Adi sis ad edit. Rom.

21. צֵדָה. *Omnes,* ἐπισιτισμὸν, ἢ σιταρχίαν] Hier. *Verbum* צדה *omnes hic ore consono* ἐπισιτισμὸν, i. *ciboria, vel sitarcia, interpretati sunt.* ¶ Ἐπισιτισμόν. Interp. Vulg. *cibaria.* Psal. 78. 25. צדה, Lxx. ἐπισιτισμός. Hieron. *cibaria.* Jos. 1. 11. Lxx. ἐπισιτισμόν. Vulg. *cibaria.* Rursum Psal. 132. 15. צידה. A. ἐπισιτισμὸν αὐτῆς, *cibaria ejus.* Sym. τὴν σίτησιν αὐτῆς. Apud Suidam legitur & ἐπισίτισις. ¶ Σιταρχίαν] Ita legendum putarim apud Hieron. ubi vulgo *sitarcia:* nisi quis probarit dici etiam σιτάρκια, quemadmodum eodem sensu σιτηρέσιον dicimus. Est autem *Sitarcia* annona sive commeatus. Quis ita verterit, me latet. Cum *omnes* dicit, præter Aquilam, Symmachum & Theodotionem etiam alios innuit interpretes, quorum editiones Quintæ & Sextæ nomine vulgo celebrantur. Tamen hoc pono, non statuo.

22. שְׁלֹשׁ מֵאוֹת כֶּסֶף וְחָמֵשׁ חֲלִפֹת שְׂמָלֹת. *Trecentos argenteos & quinque mutationes vestium.* Schol. Ὁ Σύρος, πέντε ζυγὰς στολῶν καὶ διακοσίους χρυσίνους.] ¶ Στολῶν, *stolarum.* Uterque Chaldæus *stolas* vocat, quas Ebræi חליפות, i. *mutatorias,* appellant: שמלות vero sunt vestes cultiores, διακοσίους χρυσίνους, *ducentos aureos:* purum putum glossema.

NOTÆ MAJORES.

1. *Tum non potuit Ioseph continere se coram omnibus adstantibus: itaque exclamavit, Exire facite omnem virum à me, & non perstitit quisquam cum illo quando cognoscendum se præbebat Ioseph fratribus suis.*

2. *Et edidit vocem suam cum fletu, & audiverunt Ægyptii & audivit domus Pharaonis.*

3. *Dixitque Ioseph fratribus suis, Ego sum Ioseph: an adhuc pater meus vivit? & non potuerunt fratres ejus respondere ei, quia conturbati erant ex conspectu ejus.*

Non potuit] vel, *non poterat.* ¶ *Continere se*] cohibere se & quasi roborare in proposito simulationis. Lxx. hic habent ἀνέχεσθαι & Jonathan לסוברא *sustinere aut differre quin fleret propter omnes qui stabant ante se.* Hucusque Jonathan. ¶ *Adstantibus*] הנצבים עליו qui stabant juxta ipsum, sive qui adstabant ei, vel, si mavis, *sibi.* על enim inter alia sig. *juxta, prope.* ¶ *Omnem virum*] pro eo habendum ac si diceret *omnes.* Unde Græci, ἐξαποστείλατε πάντας emittite omnes, & Hieron. *præcepit ut egrederentur cuncti foras.* Trem. *facite ut exeat quisque.* כל איש ¶ *A me*] ἀπ' ἐμοῦ. Ebraice מעלי quod ad verbum sonat, *à super me.* *Super* autem hic accipies pro *juxta, prope.* ¶ *Perstitit*] mansit. ¶ *Quando cognoscendum se præbebat*] vel, *dum cognoscendum se exhiberet.* Verbum è verbo, *quum notificaret se.* Lxx. ἡνίκα ἀνεγνωρίζετο τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ, quando notum se faciebat fratribus suis. ¶ *Edidit vocem*] ויתן קלו & dedit vocem suam. *Dare vocem* ut *dare miraculum,*

lum, quod usitatius dicunt, edere. Lxx. ἀφῆκε φωνὴν, emisit vocem. Hieron. *elevavit vocem.* Sic etiam Jonathan ורים. ❡ *Et audiverunt*] quam audiverunt, vel, adeo ut audirent. ❡ *Domus*] viri domus i. domestici, aut familia Pharaonis. Onkelos & Jonathan אנש בית פרעה, quod Fagius interpretatur, *homines de domo Pharaonis.*

4. *Et dixit Joseph fratribus suis, Accedite huc nunc ad me, & accesserunt, & dixit, Ego Joseph frater vester quem vendidistis in Ægyptum.*

5. *Et nunc ne doleatis, & ne molestum sit in oculis vestris, quod vendidistis me abducendum huc quoniam ad victum misit me Deus ante vos.*

6. *Nam hoc biennio fames est in medio terræ, & adhuc quinquennium, quo non erit aratio aut messis.*

Accedite nunc] pro *nunc*, quod in Onkelo, Jonathan edidit בבעו i. quæso. Sic etiam Santes & alii. R. Salomo Gen. 22.1. אין נא אלא לשון בקשה. Idem ibidem interpretatur בבקשה כנך i. quæso te, obsecro. ❡ *Ne doleatis*] ne contristemini, ne dolore afficiamini. Aliter vertas, *ne laboretis*, quod Galli dicunt, *ne soyez en peine.* עָצָב & labor & dolor. Sic πόνος in lingua Græca. Hinc אל תעצבו quod Lxx. reddunt μὴ λυπεῖσθε. Hiero. *nolite pavere* אל תעצבו. Onkelos & Jonathan לא תתנססון. Id Fagius reddit, *nolite contristari.* Lexicon Munsteri Chald. נסיס doluit, turbatus est. Occurrit idem verbum Gen. 34.7. אתנססו ubi Fagius reddit, *turbati sunt.* Leo Judæ hic habet, *nolite mœrore confici.* Tremel. *ne vos dolore crucietis.* ❡ *Ne molestum sit in oculis vestris*] אל יחר בעיניכם ne ira sit in oculis vestris. Tremell. explicat, *ne displiceat in oculis vestris* אל ירע. Sic 1 Sam. 15.11. Vide supra Gen. 31.35. Lxx. μὴ σκληρὸν ὑμῖν φανήτω, ne durum vobis videatur. Sic etiam Hiero. Leo Judæ, *ne commoveamini intra vos.* Santes, *ne ira sit in oculis vestris.* Mercerus, *ne molestum, ne grave sit in oculis vestris.* Id nunc secutus sum. Alibi reddimus, *ne incandescat.* sub. ira. Aquila diceret, μὴ ὀργίλον ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑμῶν. Gallica, *ne soyez marris.* Sed hoc ad præcedentia magis pertinet, ut legas ordine inverso, *ne soyez marris, ni en peine.* Forte hoc dicit, ne succenseatis vobis ipsis ob factum istum. Mihi nondum clara in hac phrasi lux. ❡ *Abducendum*] non est in textu Ebræo, sed subintelligitur, aut potius includitur in verbo מכר ut supra, *quem vendidistis abducendum in Ægyptum*, veritas Ebraica habet, *quum vendidistis me in Ægyptum.* Ubi pronomen אתי redundare videtur : saltem in Latio redundat. ❡ *Ad victum*] victus caussa. Ebraice למחיה Lxx. εἰς ζωὴν לחיים. Santes patrum memoria maluit, *propter vitam.* Sed puto victum denotari. Sic βιὸς usurpatur in illo versiculo βιὸς βίῳ δειμαίνῳ οὐκ ἐστι βιός. Gallica editio, *ad conservationem vitæ vestræ* : & in margine, *ad parandum vobis victum sive commeatum.* Leo Judæ, *ad conservationem.* Jonathan, *ad vivificandum vos.* ❡ *Aratio*] חריש ἀροτρίασις. Onkelos, זרועא satio, sementis. Eodem redit, nisi quod sementis Ebraice זרע dicitur. Hiero. *adhuc quinque anni restant quibus nec arari poterit nec meti.* Jonathan דלא רדין ולא חצדין. Analogia poscit כרין & est sensus, quibus neque arant neque metunt i. araturi aut messuri sunt.

7. *Et misit me Deus ante vos ut poneret vobis residuum in terra, & ut conservaret vos in evasionem magnam.*

8. *Et nunc non vos misistis me huc, sed Deus, qui posuit me in patrem Pharaoni & in dominum toti domui ejus, & dominatorem in universa terra Ægypti.*

Ut poneret] vel potius, *ut ponerem.* Verbum è verbo, *ad ponendum.* Ponere residuum aut reliquias alicui est facere ut is maneat superstes. Sensum ergo expressit Hieron. dum vertit, *ut reservemini super terram*, & Græci qui habent, ὑπολειφθῆναι ὑμῶν κατάλειμμα, ut remaneant vobis reliquiæ. ❡*Vobis*] לכם. Tremellius, *in vobis* בכם. ❡ *Ut conservaret vos in evasionem magnam*] rectius, *ut conservaret vobis evasionem magnam.* Nam in fonte לכם, non אתכם, quod proprie sig. *vos.* Hic aliqua quædam notanda. Primum להחיות verbum è verbo sonat, ad vivificandum. Quocirca non male redditur ab aliis *ut conservarem* in prima persona. Proprie ut conservarem in vita. Id facit qui aliquem nutrit. Unde in Græca edit. καὶ ἐκθρέψαι ὑμῶν κατάλειψιν μεγάλην, ut enutrirem vestras reliquias magnas. Quem sensum expressit Hiero. per hæc verba, *& escas ad vivendum habere possitis.* Editio Complutensis pro ὑμῶν legit ὑμῖν, quod textui Ebræo magis convenit. Tremellius, *ut in vita conservet vos liberatione maxima i. à periculo maximo, idque ratione admirabili.* Vide quæ notavimus ad vers. 5. hujus capitis: item Gen. 6.19. Chaldaicum לקיימא etiam nutrire significat. Hoc sensu usus est Ionathan Ies. 7. 21. ubi Santes *nutriet* & Lxx. θρέψει & Kimchi יגדל educabit, & Arias *vivificabit.* Nam in Ebræo יחיה quod Symmachus Cohel. 7.13. reddit διασώσει & Hiero. *vitam tribuet.* לכם proprie *vobis.* Sed positum videtur (ל) pro (את) ut 2 Sam. 3. 30. Ier. 40. 2. & alibi. Nihil temere statuendum. Verbum החיה alias cum את construi solet. Cogitemus amplius, פליטה evasio, liberatio, Chaldaice שיזבא. Ponitur sæpe pro iis qui evaserunt. Ceterum (ל) præfixum innuit numerosam posteritatem, in quam à Deo nunc conservati sint. ❡ *Huc*] Chaldaice הכא & הלכא quasi להכא quod idem cum הכא ὧδε, huc. ❡ *Qui posuit me in patrem Pharaoni*] Hiero. *qui fecit me quasi patrem Pharaonis.* Secutus est Græcos qui habent, καὶ ἐποίησέ με ὡς πατέρα Φαραώ. לאב quasi patrem. Sic alibi לקש similis stipulæ, לאשה pro uxore aut uxoris loco. Ionathan לרב in principem. Trem. *constituit me patrem apud Pharaonem i. primarium principem & secundum à rege.* Abenezra, למורה *in doctorem.* Sic alibi, *pater omnium tenentium citharam.* R. Salomo לחבר ולפטרון in socium & patronum. R. Levi לנגיד in ductorem. Consule Mercerum. לרב posset exponi, *in præceptorem.* Sic in adagio illo יהי מורא רבך כמורא שמים. quidam legunt, *principis tui* : alii, *præceptoris tui.* Olim qui præerant cœnobiis *patres* dicebantur : unde Abbatis nomen, quod in lingua Syriaca *patrem* denotat, & erat nomen dignitatis apud antiquos Ebræos, ut Abba Saul, Abba Iose. Caninius observat ita peculiariter appellatos fuisse sapientes senes & provectioris ætatis. Hinc intelligentiam habet illud Matth. 23.9. *Patrem neminem vocetis vobis.* Qua de re alias. ❡ *Pharaoni*] vel, *Pharaonis.* Quod edidit Hieronymus. ❡ *In dominum toti domui ejus*] vel, *dominum totius familiæ ejus.* Nam revera dominus erat, non pro domino aut ὡς κύριος. Ionathan hic rursum habet לרב in principem. Lxx. κύριον παντὸς τοῦ οἴκου αὐτοῦ. Hiero. *dominum universæ domus ejus.* ❡ *Dominatorem*] Chaldaice שליט quo is significatur qui potestatem habeat. Lxx. ἄρχοντα i. principem.

9. *Festinate & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei, Sic dicit filius tuus Joseph: Posuit me Deus in dominum toti Ægypto, descende ad me, ne stes.*

10. *Et habitabis in terra Gosen, erisque propinquus mihi tu & filii tui & filii filiorum tuorum, & oves tuæ bovesque tui & omnia quæ tibi sunt.*

11. *Et sustentabo te ibi, quia adhuc quinquennium fames, ne consumaris tu & domus tua quæ tibi sunt.*

Festinate & ascendite] Latine, festinate ascendere, aut festinanter ascendite. ❡ *Posuit me &c.*] constituit me dominum totius Ægypti. Lxx. & Hiero. ut supra, *fecit me dominum &c.* ❡ *Ne stes*] אל תעמד ne stes. vel steteris i. cuncteris, tardaveris. Hiero. *ne moreris.* Affine est Gen. 29. *stetit à pariendo* pro, cessavit parere. Paullo aliter accipitur in illo, *terra in perpetuum stat* i. manet, durat. Sic Græci hoc loco μὴ μείνῃς, ne manseris. Quanquam in edit. Rom. *ne steteris.* Onk. & Ion. לא תתעכב, ne moram traxeris, ne cunctator. Morari etiam manere significat, quod Græci dicunt χρονίζειν, & *moror*, expecto i. περιμένω. ❡ *Habitabis.*] Vel, *moraberis.* Proprie *sedebis.* i. manebis. Sic etiam Latini autores loquuntur. ❡ *In terra Gosen*] בארץ גשן Hiero. *in terra Gessen.* Absque punctis vocalibus legit גֶּשֶׁן Sic etiam Græci ἐν γῇ γεσὲν, quod perperam scribitur γεσὲμ cum μ in fine. Quale mendum est in ἰδὲμ pro ἰδὲν & in μαδιὰμ pro μαδιάν. Non est hoc interpretibus imputandum, ut existimo. Sed tamen dubito. Regio est Ægypti versus Arabiam, in qua Ramesses fuisse putatur. Sane in Lxx. legimus γεσὲμ Ἀραβίας, in Gesen Arabiæ. Hiero. *Hic Arabiæ additum est. In Ebræis enim voluminibus non habetur. Unde & error increbuit, quod terra Gosen in Arabia sit.* ❡ *Propinquus mihi*] vel *proximus mihi* i. vicinus. Ebraice קָרוֹב. quod usurpatur de propinquitate loci, temporis & sanguinis. Sic proximus in Latio. Lxx. hic habent ἐγγύς μου, & Hiero. *juxta me.* קרוב אלי prope me. Contra רחוק ממני longe à me. ❡ *Oves tuæ*] צאנך τὰ πρόβατά σου. Hiero. Lxx. Alii *greges tui* עדריך. Santes, *pecudes tuæ.* Nam etiam capras comprehendit. ❡ *Bovesque tui*] καὶ οἱ βόες σου. Hiero. *armenta tua.* Sic etiam Trem. ❡ *Quæ tibi sunt*] quæ habes, quæ possides. ❡ *Sustentabo*] ex θρέψω, alam, nutriam. Chaldaice אֵיזוּן quod sine punctis איזון scribebant. In libris editis est אֲזוּן cum (ֲ) sub Aleph. Potest etiam legi אָזוּן ut אָקוּם surgam. Lxx. hic habent ἐκθρέψω, & Hiero. *pascam* ירעה. ❡ *Adhuc quinquennium fames*] עוד חמש שנים רעב adhuc quinque annos fames. sub. erit aut durabit. Lxx. ἔτι πέντε ἔτη λιμός. Hiero. *adhuc quinque anni residui sunt famis.* Sensum expressit. Alioquin *anni famis* i. שני רעב. ❡ *Ne consumaris*] פן תורש proprie, ne paupertate aut inopia consumaris. Sic Proverb. 23. 21. יורש Hiero. *consumentur.* Lxx. ἵνα μὴ ἐκτριβῇς, ne delearis. Hiero. *ne pereas* פן תעבר. Abenezra תכרת excindaris, Editio Gallica,

ne

ne pereas inopia. Onkelos & Ionathan, דילמא תתמסכן ne forte depaupereris. Fagius reddit, *ne forte inopia labores.* מסכן pauper. Italice *meschino.* Dictus ita quod variis expositus sit periculis. Nam periculum סכנה dicitur, ut in proverbio illo, *Culter in manu stulti periculum est.* Redeamus eo unde digressi sumus. Santes, *ne paupertate conficiaris.* Mercerus, *ne ad inopiam adigaris.* ❡ *Omnia quæ tibi sunt*] omnia tua. Si legas, *ne paupertate consumaris*, videtur melius esse, *omnesque tui.* Nam homines depauperantur, non res. LXX. καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντά σε. Hiero. *& omnia quæ possides.*

12. *Et ecce oculi vestri vident, & oculi fratris mei Benjamin, os meum esse quod loquitur ad vos.*

13. *Et indicabitis patri meo omnem gloriam meam in Ægypto, & omnia quæ vidistis, & festinabitis & deducetis patrem meum huc.*

Os meum esse quod loquitur ad vos.] me proprio loqui vobiscum ore, & non per interpretem, ut antea. Onk. *quod lingua vestra loquor vobiscum.* Jon. *quod os meum lingua domus sanctuarii loquitur vobiscum.* Potest sensus esse, *oculi vestri vident*, nempe quæ videtis, *quia os meum loquitur ad vos.* ❡ *Indicabitis*] referetis, narrabitis. ❡ *Omnem gloriam meam in Ægypto*] Ion. *omnem gloriam quæ mihi est in Ægypto.* Gloriam vocat splendorem qui eum illustriorem reddebat: aut opes & divitias, ut Gen. 31. 1. *ex iis quæ fuerunt patris nostri fecit omnem gloriam istam.* Sic alibi, *Salomo in omni gloria sua.* Sic Ies. 8. 7. *Regem Assyrium & omnem gloriam ejus*: & 10. 3. *ubi relinquetis gloriam vestram* i. dignitatem, honores, divitias vestras & omnia in quibus gloriari solebatis. ❡ *Deducetis*] descendere facietis. Supra, *ascendite ad patrem meum.* R. Salomo ad hunc locum, *Terra Israel altior est reliquis terris.*

14. *Ceciditque super collum Benjamin fratris sui, & flevit, & Benjamin flevit super collum ejus.*

15. *Et osculatus est omnes fratres suos & flevit super eos, & postea locuti sunt fratres ejus cum eo.*

Super collum] ἐπὶ τὸν τράχηλον. Ebraice *super colla.* Ceterum plurali usus est Ionathan: ceteri singularem adhibent, etiam Onkelos. Cur autem pro collo colla dicant, non alia ratio est quam qua Græci dicunt δεξιὰς, cum una tantum sit dextera. Cuique linguæ sua proprietas, suus loquendi mos & consuetudo. ❡ *Flevit*] præ gaudio. ❡ *Super eos*] super colla eorum. Alii exponunt, *propter eos*: alii, *apud vel juxta eos.*

16. *Porro vox audita est in domo Pharaonis dicendo, Venerunt fratres Joseph: & bonum fuit in oculis Pharaonis & in oculis servorum ejus.*

Vox audita est &c.] divulgatum est, rumore percrebuit venisse fratres &c. ❡ *In domo Pharaonis*) Jonathan, *in domo regni* i. *regia Pharaonis*, per aulam Pharaonis, aut, ut Hiero. habet, *regis.* ❡ *Bonum fuit*) placuit. Onkelos & Jonathan, *pulchrum fuit.* LXX. ἐχάρη & Hiero. *gavisus est.* Sic *bonum corde* i. lætus animo. ❡ *Servorum ejus*] aulicorum ejus.

17. *Dixitque Pharao ad Joseph, Dic fratribus tuis, istud facite, onerate jumenta vestra, & ite, venite in terram Chanaan.*

18. *Et accipite patrem vestrum & domus vestras & venite ad me, & dabo vobis bonitatem terræ Ægypti, & comedite adipem terræ.*

Jumenta vestra] בעירכם. Aquila & Symmachus, *jumenta vestra.* puto in Græco fuisse ὑποζύγια ὑμῶν. Sic etiam Hiero. & alii. LXX. Theodotioque. τὰ φορεῖα ὑμῶν i. vehicula vestra &c. In antiquis codicibus scriptum lectum πορεῖα, quod interpretantur, *quæ ad iter faciendum sunt necessaria*: ego, *vehicula*, ut idem sit cum φορεῖα. Sane πορεῖον pro vehiculo exstat alibi in Platone. Porro jumentum Ebraice dicitur בהמה. Hic est בעיר quod à Chaldæis sumtum. Nam in ea lingua tritum est. ❡ *Ite, venite*,] vel, *agite, ite.* Nam נא etiam *eo* significat, ut antea probavimus. Leo Judæ, *euntes pergite.* Santes, *ite, ingredimini.* Tremell. *abeuntes redite.* לכו שובו Onkelos איזילו אובילו. Fagius id reddit, *abite, deferte.* Jonathan טיילו ite, adducite. ❡ *Domos*] familias. ❡ *Bonitatem terræ*,] i. terram optimam. Locutio ut *viriditas herbæ* pro herba viridis. Licet vertere, *præstantiam terræ.* טוב bonitas, præstantia. Quidam, *bonum terræ* i. טוב. Jonathan, *pulchrum desiderabile terræ.* i. partem pulcherrimam & desideratam. שפר desiderabile. Thema גרג. Legitur & Psal. 45. Hiero. *dabo vobis omnia bona Ægypti.* Sic etiam LXX. δώσω ὑμῖν πάντων τῶν ἀγαθῶν Αἰγύπτου. ❡ *Comedite*] i. comedetis. Notum ut imperat. pro fut. ponatur. Talia sunt, *Hoc fac & vive*: *ascende in montem & morere.* Sic in Latio, *Si fœtura gregem suppleverit aureus esto* i. eris. ❡ *Adipem terræ*] את חלב הארץ. LXX. τὸν μυελὸν τῆς γῆς. Hiero. *medullam terræ.* i. מוח. Eodem recidit. Onkelos ית טובא דארעא præstantiam terræ. Fagius, *bona terræ.* Sic etiam Syrus, teste Procopio in Genes. pag. 194. R. Salomo, כל חלב לשון מיטב הוא *adipis metaphora significat id quod optimum est in suo genere.* Jonathan שמנותא pinguedinem terræ i. partem ejus pinguissimam & fertilissimam. Sic etiam Abenezra, Tremell. Santes & alii. שמן pinguedo: unde forte *sumen.* Varro Lib. 1. de re rustica, *Cæsar, inquit Vopiscus, adilitius, causam cum ageret apud Censores, campos Rosea Italia dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret.* Adeps terræ, ut *adeps tritici, musti, olei* &c. Vide Quæst. meas. Psal. 147. 14. חלב חטים. R. David explicat חשוב והנבחר שבחטים, quod optimum est & lectissimum in tritico.

19. *Tu autem mandatum habes, Sic facite, accipite vobis è terra Ægypti plaustra parvulis vestris & uxoribus vestris, & portabitis patrem vestrum & venietis.*

20. *Et oculus vester ne parcat vasis vestris, quia optima pars totius terræ Ægypti vestra est.*

Mandatum habes] צויתה jussus es i. mandatum habes aut mandatum accepisti, vel, si placet, mandatum tibi est, mandato instructus es. Jonathan, *tu Joseph jussus est per gloriam patris tui.* Hieron. *præcipe* i. צוה. Sic etiam LXX. σὺ δὲ ἔντειλαι ταῦτα, tu autem præcipe hæc. ❡ *Plaustra*] ἁμάξας. Ebraice עגלות cujus singularis עגלה a Hiero. redditur *plaustrum* Ies. 5. 18. LXX. autem ibi confundunt cum עגל. Nam interpretantur δαμάλεως. Onkelos hic habet עגלן & Ionathan סדני דמתנגדן בתורי plaustra quæ trahuntur bubus. Appellatio à rotunditate. Sic orbita. In Thesau. Latino, *Orbita rota vel currus.* Lex. Chald. Munsteri, עגלא דפחרא *rota figuli.* ❡ *Parvulis vestris*] vel, *pro parvulis vestris.* Hiero. *ad subvectionem parvulorum vestrorum.* ❡ *Venietis*] revenietis. Sic קום surgo & resurgo. בנה ædifico & restauro. Exemplorum talium pleni sunt libri. ❡ *Oculus vester ne parcat vasis vestris*] hoc duobus modis exponitur. Uno modo sic, non relinquetis quicquam ex supellectili vestra. Alio modo exponitur, ne vos tædeat supellectilia vestra relinquere. Priorem secutus est Hiero. transferens, *nec dimittatis quicquam de supellectili vestra.* LXX. habent, μὴ φείσησθε τοῖς ὀφθαλμοῖς τῶν σκευῶν ὑμῶν, ne parcatis oculis vasis vestris. Lectio varians ἐπισκευῶν. i. supellectilibus. Mercerus, *ne quicquam relinquite utensilium vestrorum aut supellectilis quin omnia in plaustra imponatis.* Vide nunc, si vacat, Tremellium. ❡ *Optima pars*] טוב bonitas. i. pars optima. LXX. ἀγαθὰ, & Hiero. *opes.* Mercerus, *Hic vobis optima quæque abunde suppetent: nolite itaque accurate vestrorum vasorum rationem habere, & ita pretiosa ac chara ea ducere quasi relinquenda vobis non censeatis. Hic sensus videtur commodior.*

21. *Feceruntque sic filii Israel, & dedit eis Joseph plaustra juxta mandatum Pharaonis, item dedit illis cibaria ad viam.*

22. *Omnibus illis dedit viritim mutatorias vestes, & Benjamino dedit trecentos argenteos & quinque mutatorias vestes.*

Sic] *ut eis mandatum fuerat.* Hiero. ❡ *Juxta mandatum*] על פי פרעה secundum os Pharaonis i. sermonem, mandatum, imperium, ut Cohelet 8. 2. *os regis custodi.* i. דבר המלך sermonem aut mandatum regis. Sic Num. 13. 16. *juxta os DOMINI*, ubi vetus interpres, *sicut præceperat DOMINUS.* Hic habet, secundum Pharaonis imperium. Onkelos & Ionath. *secundum sermonem.* LXX. κατὰ τὰ εἰρημένα ὑπὸ Φαραὼ τοῦ βασιλέως. Sic alibi, *in ore ejus exibunt.* Id August. explicat in 4. locut. *cum jusserit.* Trem. maluit, *ex mandato Pharaonis.* ❡ *Cibaria*] vel, *commeatum.* Commeatum ad viam. i. viaticum, & cibaria זודין. ita Onk. & Ion. Trem. *viaticum ad iter.* Santes, *escam pro itinere.* Leo Iudæ, *Commeatum pro itinere.* ❡ *Omnibus illis viritim*] vel, *omnibus illis unicuique* i. omnibus & singulis. Verbum è verbo, *omnibus illis viro* לאיש. Viritim i. κατ᾽ ἄνδρας, per singulos viros, per singula capita. Id potius diceretur לאיש לאיש viro viro. Ad quod exemplum obvia sunt in his libris חמרים חמרים per acervos, πρασιαὶ πρασιαὶ, per areas: συμπόσια συμπόσια, per convivia. ❡ *Mutatorias vestes*] חלפות שמלות mutationes vestium i. mutatorias. LXX. διστὰς στολὰς, duplices stolas. Hiero. *binas stolas.* Onkelos אצטלין דלבוש stolas indumenti, hoc est, induendas sive quibus induerentur. Ionathan אסטלי דלבוש stolas & indumentum. Trem. *mutandas vestes.* Dictum autem *mutationes vestium* pro vestes mutationum. Quæ figura hypallage vocatur à Grammaticis. Erant autem, ut quidam opinantur, vestes eximiæ & pretiosæ, quas induebant cum foras prodirent, domum reversi mutabant cum aliis vestibus: unde mutatoriæ dictæ. Vide sequentia. Ceterum Iud. 14. 12. legitur חליפות בגדים eodem sensu. ❡ *Trecentos argenteos*] τριακοσίους χρυσοῦς est in edit. τῶν ὁ. ut in Hiero. *trecentos argenteos.* Onkelos habet, *trecentos siclos argenti* i. סלעין. Sic etiam Ionathan. Syrus autem διακοσίους χρυσοῦς, ducentos aureos. Ebraice est שלש מאות כסף, quod argenteos nummos denotat, non aureos. Neque causam video, cur Græci hic χρυσοῦς verterint. ❡ *Quinque*

quæ mutatorias vestes] Hic Græci legunt πέντε ἐξαλλασσούσας στολὰς, quod reddunt, *quinque eximias stolas*: Hiero. *cum quinque stolis optimis.* Onkelos & Ionathan, *quinque stolas vestium.* Forte supra legendum in Ionatha דלבוש ubi vulg. דלביש. Syrus πέντε ζυγὰς στολῶν quinque paria stolarum. Interpres Procopii male *libras* reddit. Verba sunt, *quinque mutatorias stolas i. varias, Syrus habet libras.* Forte legendum ζυγὰ cujus singularis ζυγὸς, jugum i. libra: item par. Sic Chaldæi dicunt זוג לבושין par vestimentorum, quod quadrat cum Græca versione quam supra produximus. Abenezra, חלפות שמלות *sunt vestes variæ ac dissimiles quæ minimum binæ erant.* 4 Reg. 5. חליפות. Lxx. ἀλλασσομένας.

23. *Patri autem suo misit similiter decem asinos portantes ex optimis Ægypti rebus, & decem asinas portantes frumentum & panem & obsonium patri ad viam.*

Similiter] כזאת sicut hoc. Lxx. κατὰ τὰ αὐτὰ, secundum eadem. Aliter κατὰ ταῦτα, juxta hæc. Onkelos כדין quod Fagius reddit, *in hunc modum.* Dubito an bene. דין idem quod זאת. Forte Caph veritatem notat quod ἀληθινὸν vocant. Jonathan כדין. Hiero. *Tantundem pecuniæ & vestium.* Refert ad præcedentia, quod alii ad sequentia referunt. Tremellius, *patri vero misit hæc.* Sic dicimus, *locutus est secundum verba ista* כדברים האלה: particula Chaph redundante in Latio. Leo Judæ, *in hunc modum.* ¶ *Portantes*] ferentes. Lxx. αἴροντας. Onkelos & Ionathan *onustos.* Hiero. *qui subveherent.* ¶ *Ex optimis rebus Ægypti*] מטוב מצרים ex bonitate Ægypti i. ex optimis ac præstantissimis rebus quæ in Ægypto. Ionathan, *onustos vino rubro & optimis rebus Ægypti.* R. Salomo, *Scriptum invenitur in Gemara quod miserit ei vinum vetus, quo senes imprimis delectantur.* Lxx. ἀπὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν. Hiero. *ex omnibus divitiis.* Trem. *de rebus præstantissimis Ægypti.* Santes *de bono Ægypti.* Gal. *de plus excellentes choses d'Ægypte.* Supra vers. 20. טוב כל ארץ posses vertere, *optima res totius terræ.* ¶ *Asinas*] Lxx. ἡμιόνους, sed minus recte. Nam אתנה asina. Mulus פרד dicitur, nisi fallor. ¶ *Frumentum*] vel, *triticum.* ¶ *Panem*] panes, ἄρτους. Hiero. Lxx. ¶ *Obsonium*] מזון esca, cibus, alimonia. Hic significat obsonium, hoc est לפתן *quicquid pani additur*, ait R. Salomo, quem nunc secutus sum. Onkelos & Ionathan זוין cibaria, esculenta. Lexicon Chaldaicum Munsteri לפתן obsonium. Abenezra, *ciceres, fabæ, lentes, milium, vicia, ficus, uvæ passæ & palmæ, omnia hæc vocantur* מזון *præter frumentum & hordeum.*

24. *Ita dimisit fratres suos, quibus abeuntibus dixit, Ne commoveamini in via.*

25. *Ascenderunt ergo ex Ægypto & venerunt in terram Chanaan ad Jacob patrem suum.*

26. *Cui indicarunt dicendo, Adhuc Joseph vivit, & certe ipse dominatur in terra Ægypti: & defecit cor ejus, quia non credebat eis.*

Ne commoveamini] אל תרגזו. Lxx. μὴ ὀργίζεσθε. Hiero. & Santes, *ne irascamini.* Onkelos, לא תתנצון ne contendatis. Sic etiam Arias. Gal. *ne débatez point.* ne litigetis, nolite jurgari. Aquila pro eo quod in Ebræo תרגזו commoveamini, vertit κλονεῖσθε. Est autem κλόνος motus, qualis est tumultuantium: item σεισμὸς i. terræ motus. Ergo κλονεῖσθε, commoveamini. Ionathan, *ne rixemini propter negotium venditionis meæ: forte irascentur vobis prætereuntes.* nempe si contenderitis inter vos. Verbum רגז sign. commoveri vel ex ira vel ex metu. ¶ *Judicarunt*] narrarunt, exposuerunt. ¶ *Et certe*] כי imo vero, quin etiam. ¶ *Et defecit cor ejus*] ויפג לבו. Lxx. καὶ ἐξέστη τῇ διανοίᾳ Ἰακώβ, quod reddunt, *& obstupuit mente Jacob.* Hiero. *quasi de gravi somno evigilans.* Nam ἔκστασις gravis somnus i. תרדמה. Proprie mentis excessus, & διανοίας ἐξίστασθαι, quando mens sibi non constat. Marc. 5. ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ, obstupuerunt stupore magno. Hoc verbo maxima admiratio significatur, nimirum tanta qua fiat, ut aliquis vix apud se esse videatur. Nam ἐξίστασθαι declarat extra se esse, sive ut Cicero loquitur, *non esse in potestate mentis.* Onkelos והוו פתגמיא פיגין על לבה interpres Fagius, *& erant verba hæc dubia in corde ejus.* Lexicon Munsteri פיגין מליא verba dubia. Similiter in Deuterosi Ebræorum מפיגים דבריהם dubiam reddunt sententiam suam, vel mutant, ut enarrat R. Salomo in comment. ad hunc locum. Sane פג inter alia etiam mutare significat. Jonathan פליג לבה divisum fuit i. dubium cor ejus. Santes, *debilitatum est cor ejus.* Leo Iudæ, *vacillabat cor*, & in margine, *alias, defluxit cor ejus.* Quidam, *remissum fuit.* R. Salomo נחלף mutatum est. Abenezra, *stetit cor ejus & siluit.* Psal. 77. 3. לא תפוג. Hiero. *non quiescit.* Sym. ἀνεπαύσατο. Arias, *remisit se.* Trem. *non intermittitur.* Habac. 1. 4. תפוג. Hiero. *lacerata est.* Santes, *debilitata.* Tremell. *intermittitur.* Alii, *cessat, infirmatur, remissa est, negligitur.* Abenezra כמו *silet, quiescit.* R. David תמס *remittitur.* Hoc verbo utuntur de corde, quando ejus motus cessat nec vena pulsatilis amplius sonat. Cant. 2. 17. Aquila ἕως πνεύσῃ donec cesset. Hiero. *aspires.* Lxx. διαπνεύσῃ.

27. *Et locuti sunt ad eum omnia verba Josephi, quæ locutus fuerat ad eos, viditque plaustra quæ miserat Joseph ad portandum eum; & revixit spiritus Jacobi patris eorum.*

28. *Et dixit Israel, Satis est, adhuc vivit filius meus Joseph: ibo & videbo eum antequam moriar.*

Revixit spiritus Jacobi] Hujus contrarium, *defecit cor ejus.* Sic alibi, *mortuum est cor ejus*: &, *anima non relicta fuit in me.* חיה vivo & revivisco i. ad vitam redeo. Est autem duplex vita: Una quæ morti opponitur; altera quæ vocatur vita jucunda, cui in adverso sunt calamitates. Significat etiam recreari & refici, ut apud Ciceronem cum ait, *Senatus ad autoritatis pristinæ spem reviviscit*: & *civitates, αὐτονομίαν adeptæ, revixerunt.* Lxx. hic habent, ἀνεζωπύρησε. Onk. *denuo habitavit Spiritus Sanctus in Iacob.* Ion. *habitavit spiritus propheticus qui ascenderat ab eo quo tempore venditus fuit Ioseph, & reversus est super Iacob.* Unde dicunt Spiritum Sanctum non habitare in homine mœsto. ותחי potest reddi, *& resedit.* Fagius interpretatur, *& quievit.* ¶ *Spiritus*] animus. ¶ *Satis est*] רב multum est. Lxx. μέγα μοί ἐστιν. Hiero. *sufficit mihi si adhuc* &c. Onkelos, *magnum mihi gaudium est.* Jonathan, *multa beneficia contulit in me DOMINUS* &c. Santes, *sufficit.* Id Tremell. explicat, *Non quæro de gloria ejus, nec tanti amplam honora quanti vitam ejus æstimo, hunc nuncium reliquis omnibus antepono.* Abenezra, *Sufficit mihi hoc gaudium.* Leo Iudæ, *Sat superque quod Joseph filius meus adhuc vivit.* Vide Mercerum.

AMAMA.

19. **N**Imis extendit vocem ובאתם *& venietis*, dum eam sic ἀφορμήσατε, *& properate quamocius venientes.*

26. Ubi Jacob audivisset nuncium de gloria & vita filii Josephi, sic de eo dicit textus ויפג לבו *vajaphog libbo*, quod alii reddunt, *Et obstupuit mente.* Alii, *mutatum fuit*, alii, *debilitatum fuit*, alii, *vacillabat*, alii, *defluxit*, alii *remissum fuit cor ejus.* Hæc eodem tendunt, satisque intelligibilia sunt; ut non opus fuerit tantum à fonte recedere. Sic enim Vulg. *Jacob quasi è gravi somno evigilans.*

GROTIUS.

5. **P**Ro *salute enim vestra*] In Hebræo proprie *ad vivificationem.* quod & Aquila vertit εἰς ζωοποίησιν. Vivificare autem Hebræis etiam in vita servare est.

12. *Os meum loquatur ad vos*] Hebræo sermone, quem Ægyptii non intelligebant. itaque explicatum Ægyptiis, venisse fratres Josephi. At illi à fratribus olim admissa ignorarunt.

CARTWRIGHTUS.

8. **E**T *posuit me* לאב *in patrem Pharaoni.*] Aben Ezra exponit למורה *in doctorem*: atque ita nomen *patris* usurpari notat cap. 4. 21. Targum Jonathæ habet similiter לרב, i. e. *in magistrum.*

10. *In terra* גשן *Gosen.*] Lxx. ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας, *in terra Gesem Arabiæ.* Hieron. in Tradit. notat hic vocabulum Arabiæ esse addititium, in Hebræis enim voluminibus non haberi: atque hinc errorem increbuisse, quod terra Gosen sit in Arabia. *Porro* (inquit) *si, ut in nostris codicibus est, per extremum scribitur* Gosem, *quod mihi nequaquam placet, terram signat compluttam.* גשן Gosen *enim in imbrem vertitur.* Sic Hieron. ut in Plantini Editione legitur; at procul-dubio legendum est, גשם Gosem *enim in imbrem vertitur.* Nam alias verba Hieronymi nec inter se consentiunt, ut cuivis patet, nec cum ipsa veritate; nam גשם *Gesem* (quod Hieron. profert *Gosem*) *imbrem* significat, sive *pluviam.* Similiter autem & cap. 46. 34. Lxx. habent ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας, at ibid. ver. 28. pro *Gosen* habent ἡρώων πόλιν, *heroum civitatem*; atque ita etiam ver. 29.

12. *Quod os meum est, quod vobis loquitur.*] Onkelos, *quod lingua vestra ego loquor vobiscum*; h. e. (ut Fagius explicat) *Advertere potestis, quod sim frater vester; loquor enim vobiscum patria lingua, non per interpretem.* Similiter Aben Ezra, *Sensus* (inquit) *est, quod loquebatur cum eis ipsorum lingua absque interprete. Antea enim per interpretem cum eis loquebatur*; cap. 42. 23. Jonathan in suâ Paraphrasi sic habet, *quod os meum in lingua domus sanctuarii loquitur vobiscum.*

18. *Et comedite pinguedinem terræ.*] Onkelos, טובא דארעא, *bonum terræ.* Sic in verbis proxime præcedentibus Hebræus textus habet, ואתנה לכם את טוב ארץ מצרים, *& dabo vobis bonum terræ Ægypti.* LXX, καὶ φάγεσθε τὸν μυελὸν τῆς γῆς. Vulg. *ut comedatis medullam terræ.* In Hebræo est חלב quod *adipem* sive *pinguedinem* denotat.

20. ועינכם אל תחס על כליכם *Et oculus vester non parcat vasis vestris.*] Ad verb. *super vasa vestra.* Chaldaicæ Paraphrases idem plane sonant. LXX, καὶ μὴ φείσησθε τοῖς ὀφθαλμοῖς τῶν σκευῶν ὑμῶν, *Et ne parcatis oculis de vasis vestris.* In aliquibus codicibus Nobilius testatur esse ἐπισκευῶν, *supellectilibus.* In Fagii Collatione est ἀποσκευῶν, quod idem valet. Vulg. *Nec dimittatis quicquam de supellectili vestra.* Quasi sensus esset, Omnem supellectilem vestram vobiscum afferte, nihil in terra Canaan relinquite. Alii vero interpretantur quod non debeant de supellectili secum comportanda esse soliciti: q. d. Nolite satisfacere velle desiderio oculorum, ut solent qui alio migrant, qui omnia volunt secum vehere, & nihil post se relinquere. Vos non sic; satis vasorum, satis supellectilis est in Ægypto. Atque hæc quidem expositio belle quadrare videtur cum eo quod sequitur, *Nam bonum totius Ægypti vestrum est*; quomodo autem sensus iste (quem genuinum esse haud dubito) verbis conveniat, non satis perspicio. Quod enim Fagius ait, *Parcere hic accipi, sicut Latinis parcere iræ, parcere ingenio: sic parcere oculis, id est, satisfacere oculis,* quid sibi velit, haud intelligo. Neque enim unquam, opinor, Latini *parcere* pro *satisfacere* utuntur; nec hoc in loco dicitur, *Ne parcatis oculis* (etiamsi sic reddant LXX.) sed, *ne parcat oculus vester, &c.* Ex aliis igitur Scripturæ locis, ubi eadem phrasis, licet non eodem plane modo usurpatur, ejus sensus hoc in loco est eruendus. Ezech. 5. 11. ולא תחוס עיני וגם אני לא אחמול, *Et non parcet oculus meus, & etiam ego non miserebor.* Sic Ezek. 9. 5. אל תחוס עיניכם ואל תחמלו, *Ne parcat oculus vester, nec misereamini:* Ex his atque aliis istiusmodi locis apparet, oculum alicujus parcere dici, quando miseretur, seu misericordia afficitur. Ita igitur hoc in loco metaphoricè dictum videtur, *Ne parcat oculus vester vasis vestris,* i.e. ne quasi misericordia quadam erga ea affecti sitis, ut ea etiam vobiscum comportetis, sed relinquite, abjicite, nullam prorsus eorum rationem habete.

23. *Et patri suo misit* כזאת *in hunc modum.*] Ad verb. *secundum hoc*; nempe (ut sequitur) *decem asinos, &c.* (*a*) LXX, καὶ τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἀπέστειλε κατὰ τὰ αὐτὰ, *& patri suo misit juxta eadem,* nempe quæ dederat Benjamini. Sic clare Vulg. *Tantundem pecuniæ, & vestium mittens patri suo, &c.* At hoc, à vero loci sensu est alienum; Nam כזאת, *juxta hoc,* seu *in hunc modum,* ut ex verborum serie manifestum est, non ea quæ præcedunt, sed quæ sequuntur, respicit. Scholiastes notat quosdam Græcos codices habere κατὰ ταῦτα, *secundum hæc,* quod cum Hebraica veritate melius convenit.

24. אל תרגזו בדרך *Ne irascamini in via.*] Onkelos, לא תתנצון באורחא, *ne contendatis in via.* Jonathan, לא תתנצון על עיסק זבינתי דלמא ירגזון בכון עברי אורחא, *Ne contendatis ob negotium venditionis meæ, ne vobis indignentur qui per viam transeunt.* Prior pars paraphrasis sat recte habet, illud autem בדרך, *in via,* minus concinne interpretatur. Metuebat Joseph, ut notat Aben Ezra, ne ipsius fratres cum in via ad patrem proficiscentes essent; alii aliis ob ejus venditionem irascerentur. Similiter R. Salom. ait simplicem verborum sensum esse, Josephum solicitum fuisse, ne in via ob venditionem ipsius contenderent, ac alii alios arguerent, dicentes, *Tu in caussa fuisti, ut venderetur, tu male de eo locutus es, & fecisti ut nos eum odio haberemus.*

26. ויפג לבו *Et debilitatum, vel dissolutum fuit cor ejus.*] Alii aliter interpretantur. Aben Ezra ait sensum esse, quod *cor ejus* עמד ודמם, i.e. *stetit & siluit*; ut idem hic sit ויפג לבו cum ומת לבו, *Et mortuum fuit cor ejus*; 1 Sam. 25. 27. Atque hoc belle convenit cum eo, quod dicitur ver. 27. *Et revixit spiritus Iacobi.* Hanc autem verbi פג significationem petit Aben Ezra ex illo Thren. 2. 18. אל תתני פוגת לך, *ne des tibi quietem, cessationem, silentium.* R. Salom. interpretatur hoc verbum פג *recedere,* quemadmodum apud Talmudicos notat usurpari; נחלף לבו והלך מלהאמין לא היה לבו פונה אל הדברים, i. e. *recessit cor ejus, & à credendo abiit; cor ejus ad verba eorum non erat conversum,* seu, *non attendit.* Onk. והוו מליא פיגן על לביה, *Et erant verba hæc* (*b*) *dubia in corde ejus.* Jonathan, ופליג לביה, *Et divisum fuit cor ejus*; h. e. dubius animi fuit, utrum crederet nec ne. At statim diserte dicitur, eum *verbis ipsorum non credidisse.* LXX, καὶ ἐξέστη τῇ διανοίᾳ, *& obstupuit mente.* Hæc interpretatio cur Fagio displiceret, non video. Quod enim dicit, *Si obstupuisset, utique etiam credidisset,* minus firma videtur argumentatio. Potuit enim ad nuntium adeo mirum ac inexpectatum obstupescere, nec tamen ei fidem habere; imo ideo fidem non habere, quia quod nuntiatum fuit, adeo mirum erat, ut eo audito obstupesceret. Vulg. *Quo audito quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.* Nimis longe (ut notat Amama in Cens.) ab Hebræo discedit.

27. *Et revixit spiritus Iacobi patris eorum.*] Onkelos, *Et quievit spiritus sanctus super Iacobum patrem eorum.* Jonathan, *Et quievit spiritus prophetiæ, qui recesserat ab eo cum vendiderint Iosephum, super Iacobum patrem eorum.* Similiter exponit R. Salomon. Fagius in Chald. Paraph. ait Hebræos tradere Patriarcham Iacobum, ex quo cœpit tristari de amisso Iosepho, non amplius afflatum fuisse spiritu prophetico; ac citat hoc Hebræorum dictum, ורוח הקדש אינו שורה אלא מתוך שמחה, *Spiritus sanctus non quiescit nisi super hominem alacrem,* seu *latum*; ad verb. *nisi in medio lætitiæ.* Kimchi ad Ios. 3. 2. ait, אין רוח הקדש שורה על אבל ועל עצב, i. e. *Non quiescit Spiritus sanctus super mæstum & tristem.* Ad hoc confirmandum primo adducit id quod de Elisha legitur 2 Reg. 3. 15. deinde id, quod hoc loco de Iacobo narratur, atque asserit, omnibus diebus, quibus Iacob lugebat Iosephum, non quievisse super eum Spiritum sanctum. Sed simplex loci sensus est, cum antea quasi examinatus fuisset, jam ad se rediisse, ac quasi revixisse; atque ita interpretari videtur Aben Ezra. LXX, καὶ ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα Ἰακώβ. Isto verbo ἀναζωπυρεῖν utitur Apostolus, hinc (ut videtur) mutuatus, 2 Tim. 1. 6.

(*a*) Aben Ezra videtur eodem modo, quo LXX & Vulg. interpretari. (*b*) Sic Fagius vertit, item *vacillantia.*

CAP. XLVI.

MUNSTERUS.

4. Ego quoque reducam te] Hebraica habent, *ascendendo faciam ascendere te:* h. e. Curabo ut in terra tibi & semini tuo promissa sepeliaris.

10. *Filius Chnaanitidis*] Putant quidam Hebræi hanc Chnaanitidem fuisse Dinam, quam oppressit Sichem Hitthæus, quamque postea duxit Chnaanæus quidam, & Simeon quasi in uxorem adoptavit. Aben Ezra vero dicit quod Simeon duxerit Chnaanitidem mulierem contra patrum prohibitionem, cum reliqui fratres acceperint Idumæas, Ægyptias & Midianitidas uxores.

16. *Triginta tres*] Scilicet si annumeretur illis adhuc una persona in Ægypto nata, nempe Jochæbed filia Levi, quæ mater fuit Mosi: alioquin erunt solum triginta duæ animæ. Sunt tamen qui negant Jochæbed fuisse filiam Levi.

26. *Quæ venerunt*] Notat hic R. S. הבאה non esse præteritum sed participium, id quod accentus Milra indicat. Paulo vero inferius, ubi filii Joseph quoque numerantur, scribitur הבאה cum accentu Millel, h. e. in penultima & ibi est præteriti temporis. Et est sensus, *Veniebat,* seu ut Hebraica habent, *erat veniens, in Ægyptum cum sexaginta sex animabus,* &c. His sexaginta sex animabus superadduntur Joseph & duo filii ejus atque Jochæbed, & fiunt septuaginta.

28. *Ut faciem suam dirigeret*] Chaldæus sic vertit hunc locum, *ut disponeret,* seu *præpararet, locum ante se in Gosen.* Potest etiam sic verti, *ut significaret ante illum in Gosen,* h. e. ut significaret adventum patris subsequentis. Est autem להורת verbum Hiphil à radice ירה. Inde מורה *doctor, legislator.*

29. *Diu*] Capitur hic עוד pro עוד *aliquandiu.* Et quod sequitur, *Abominatio est Ægyptiis*] hunc habet sensum, Exsecrantur Ægyptii omnes illos qui mactant animalia & vescuntur carnibus eorum, cum ipsi à talium esu abstineant, &c.

FAGIUS.

3. IN populum multum ponam te] i. Faciam ut relinquas magnam posteritatem in Ægypto.

4. *Ego descendam tecum,* &c.] h. e. semper habebis favorem meum tibi comitem. Sed quomodo intelligendum quod dicit, *Ego quoque ascendendo ascendere te faciam,* &c. cum ipse Jacob in Ægypto mortuus sit? Hoc dupliciter intelligi potest; vel hoc sensu, Curabo ut in terra tibi & semini tuo promissa sepeliaris; vel ut referatur ad posteritatem, quam promittit se reducturum. ¶ *Ponet manus suas super oculos tuos*] i. Oculos tibi morienti claudet; q. d. Illic relinques Joseph superstitem: tu ante illum morieris, quod maxime desideras: ipse tibi oculos claudet. Sic enim (testibus etiam Hebræis) moris erat, ut inter defuncti amicos qui illi charissimus erat oculos ejus clauderet. Jacob moritur in promissione Dei. Josephus typus fuit Christi: Ille si clauserit oculos

oculos nostros, i. si in illius fide mortui fuerimus, in fide patrum, bene habet res, & nihil est periculi. *Beati* enim *mortui qui in Domino moriuntur.*

26. *Egressa ex femore ejus*] *Egredi de femore alicujus* Hebraismus est, pro, *ortum & originem ducere ab aliquo.* Unde sensus est, Animæ quæ ortum & originem acceperunt à Jacob.

34. *Abominantur Ægyptii omnes pastores ovium*] Eo quod mactant animalia, & vescuntur carnibus eorum, à quarum esu abstinent Ægyptii. Vel, ut alii sentiunt, quod ovem sive arietem mactant, quem Ægyptii colunt. Unde supra cap. 43. 32. ubi veritas Hebraica habet, *Quia non possunt Ægyptii comedere panem cum Hebræis, siquidem id abominatio est Ægyptiis,* Paraphrastes noster habet, *Quia pecus quod Ægyptii colunt, Hebræi comedunt,* &c. Et A. E. scribit, adhuc hodie in India homines abstinere ab esu carnium, & ab omni eo quod ab animalibus provenit.

V A T A B L U S.

2. I*N visionibus noctis*, במראות הלילה] i. in visione nocturna.

3. *In gentem magnam*, &c. לגוי גדול וגו'] i. faciam ut relinquas magnam posteritatem in Ægypto.

4. *Descendam*, &c. ארד וגו'] q. d. non privabo te favore meo & gratia; semper habebis favorem meum comitem. ¶ *Ascendere*, &c. אעלך וגו'] Hebraismus, *reducam te huc in patriam tuam.* ¶ *Ponet manum suam*, &c. ישית ידו וגו'] i. tibi morienti oculos claudet, q. d. Illic relinques Joseph superstitem. Vetustissimus fuit ritus, claudendi oculos: atque ut quisque sanguine vel amore erat proximus, hoc officio defungebatur.

15. *Filiam ejus.* בתו] nempe Jaacob. ¶ *Omnes animæ* כל נפש] Sing. pro plur. *Animas pro personis, sive hominibus,* accipit hic, ut & in sequentibus locis.

20. *Principis On:* כהן און] .Vide supra, c. 41. 45.

26. *Quæ egressa sunt*, יצאי] Hebraice legitur in masculino, *Qui egressi sunt*, & est concordia in sensu tantum, non in voce, i. quos ille genuerat, & qui acceperant ortum & originem ab illo.

28. *Ad præparandum*, &c. להורות וגו'] Ita & Chald. paraph. Quia regio illa delecta fuerat à Joseph in hospitium patri & fratribus, ideo nunc rogat Jacob ut locum paratum adveniens reperiat, ut sine molestia illic tabernacula figere liceat. Alii vertunt, *ut indicaret ante faciem suam in Gosen:* i. ut indicaret adventum suum antequam veniret in regionem Gosen.

29. *Junxit autem*, ויאסר] Ad verb. *Et ligavit*, i. Jussit currum suum jungi & apparari. ¶ *Et visus est ei: jactavit autem*, וירא אליו ויפול] i. ostendit sese Israeli patri suo: tum Israel cecidit super collum Joseph, flevitque more patrum qui desiderio filiorum tenentur. ¶ *Aliquantisper:* עוד] Chald. paraph. *diu.*

32. *Pecuarii*, אנשי מקנה] Ad verb. *viri pecoris*, i. solent alere pecora, nec unquam aliam artem exercuerunt quam pastoritiam. Sic paulo post, v. 34.

33. *Quæ* sunt *opera vestra?* מה מעשיכם] i. Quid facitis? vel, Quam artem exercetis? Sic c. 47. 3.

34. *Homines pecuarii*, אנשי מקנה] Ad verb. *homines pecoris*, ut paulo ante v. 32. ¶ *Ut habitetis.* בעבור תשבו] sub. *tunc inquam sic dicetis, ut*, &c. ¶ *Abominatio Ægyptiis.* תועבת מצרים] i. detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

C L A R I U S.

10. F*Ilius Chananitidis*] Putant quidam Hebræi hanc Chananitidem fuisse Dinam, quam oppressit Sichem Hethæus, & quam postea duxit Chananæus quidam, & Simeon quasi in uxorem adoptavit. Alii vero dicunt, Simeonem duxisse Chananitidem mulierem contra patrum prohibitionem, cum reliqui fratres acceperint Idumæas, Ægyptias, & Madianitidas uxores.

15. *Triginta tres*] Scilicet si annumeretur illis adhuc una persona in Ægypto nata, nempe Jochebed filia Levi & mater Mosis: alioqui erunt solum triginta duæ animæ.

26. *Sexaginta sex*] Quibus superadduntur Joseph, & duo filii ejus, atque Jochebed, & fiunt septuaginta. At simpliciter tam hic quam alibi Scriptura accipienda est non logico modo, sed communi & populari usu: alioqui nec tot invenientur, ob quosdam jamdudum mortuos & in Chananitide terra sepultos. D. Hieronymus in libro Hebraicar. quæst. inter cætera de hac re sic scribit, *Manifestum est, omnes animas quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressa sunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Ioseph scilicet, cum duobus filiis ejus; septuagesimus autem ipse fuit Iacob. Hanc rem ne videamur adversus Scripturæ autoritatem loqui, etiam* Lxx *interpretes in Deuteronomio transtulerunt, quod in septuaginta animabus ingressus est Israel in Ægyptum.* Et paullo post, *Quod si nobis id opponitur, quomodo in Actibus Apostolorum in mentione Stephani dicatur septuaginta quinque animas ingressas esse Ægyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam quæ jam fuerat gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore* Lxx *interpretum habebatur authoritas quam Lucæ, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerunque testimoniis abutuntur quæ jam fuerant in gentibus divulgata; licet plerique tradant, Lucam Evangelistam, ut proselytum, Hebræas literas ignorasse.* Hæc Hieronymus.

24. *Detestantur Ægyptii*] h.e. Abominantur Ægyptii omnes illos qui mactant animalia & vescentur carnibus eorum, cum ipsi à talium esu abstineant. Aliam causam afferunt, quod Ægyptii luxui & deliciis essent dediti.

D R U S I U S.

27. שִׁבְעִים. Hieron. *septuaginta*, Lxx. ἑβδομηκονταπέντε; *septuaginta quinque*] ¶ *Septuaginta quinque.* Hic numerus habetur etiam Actor. 7. Ei adversatur 1. Veritas Ebraica. 2. Consensus aliorum omnium interpretum. 3. Ipsa res. Siquidem *omnes qui ingressi sunt cum Iacob in Ægyptum, egressi de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex,* v. 26. Adde Josephum cum duobus filiis, & ipsum Jacobum, en numerum, qui in Ebræo, & quem Hieron. expressit. 4. Ei repugnat Josephus ita scribens l. 2. Antiq. Jud. εἰς τὴν Αἴγυπτον σὺν τοῖς υἱοῖς καὶ παισὶ τοῖς τούτων ἀπηλλάττετο· ἦσαν δὲ οἱ πάντες ἑβδομήκοντα. 5. Ipsimet Lxx. contra hanc lectionem testimonium dicunt, Deut. 10. 22. ubi in codicibus vulgatis, quos adhuc vidi, ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς. Unde sequitur, si hæc proba & germana, priorem illam scripturam adulterinam esse: tum etiam interpretes ipsos primum edidisse ἑβδομήκοντα, cui numero postea πέντε accesserunt culpa librariorum. Idem accidit Iosepho Antiq. l. 1. ubi scribit Isahacum cum vixisset annos centum & octoginta quinque defunctum esse. Atqui constat ipsum defunctum anno ætatis centesimo octogesimo, Gen. 35. 29. *Quinque* ergo addita sunt vel à scribis, vel ab ipso denique Iosepho. Consule nunc, si otium est & si placet, Hieronymum de hoc numero disputantem in Quæst. sive Tradit. Ebr. & Augustinum Quæst. 152. item l. 16. De civit. Dei, c. 40. [Vide Bezam in Act. 7.]

30. אָמוּתָה. A. ἀποθάνοιμι] Prius erat, ἀποθανοῦμαι, *moriar.*

N O T Æ M A J O R E S.

(Deerat hic in MS. una philura, cui inscripti fuere priores quinque versus, quare à sexto demum initium fit.)

6. *Et acceperunt pecus suum & substantiam suam, quam acquisiverant in terra Chanaan, & venerunt in Ægyptum, Jacob & universum semen ejus cum eo.*

7. *Filios suos & filios filiorum suorum secum, filias suas & filias filiorum suorum, denique universum semen suum adduxit secum in Ægyptum.*

Pecus suum] pecudes suas, aut, pecora sua. Id Onkelos extulit בעיריהון. Quod non male scribes בְּעִירְהוֹן: unde רב בעיר magister pecorum. Jonathan קניניהון possessiones suas. Confundit קנין cum מקנה. Etiam Hieron. qui vertit, *omnia quæ possederat.* Græci habent τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν καὶ πᾶσαν τὴν κτῆσιν. Est cur malim τὴν κτῆσιν καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν. Supra 26. 14. מקנה צאן Hieron. *possessiones ovium.* Santes, *possessio pecudum.* Vide etiam, quæ annotavimus ad Gen. 31. 18. ¶ *Substantiam suam*] רכושם. Onkelos, *possessiones suas.* Jonathan, *facultates suas.* Innuit alias facultates præter pecora. Gen. 12. 5. רכוש Hieron. *substantia.* Lxx. τὰ ὑπάρχοντα. Locus iste admodum firmat conjecturam meam quam supra posui. Tunc dubitabam, nunc vix dubito quin legendum sit etiam hoc loco in Lxx. τὰ ὑπάρχοντα, quæ sunt bona fortunæ, ac facultates. Ne quid celem. Gen. 31. 18. רכוש. Lxx. ἀποσκευή. Schol. κτῆσις. ¶ *Quam acquisierant*] אשר רכשו quam substantiaverant. Sit

venia ita loquenti: Quid si, *& acquisitionem quam acquisiverant?* ut ב רכ sit acquisitio i. quod labore acquisivimus. Onkelos & Jonathan קנו די quam possederant sive comparaverant Gen. 12. 5. עשו Hieron. *possederant.* Lxx. ἐκτήσαντο Santes, *acquisierant.* ¶ *In terra Chanaan*] nam substantiam, quam in Syria acquisierat, fratri suo dedisse scribit R. Salomo: quod an verum sit nescio. Potius inclino, ut credam compendio dici, *in terra Chanaan* pro in Mesopotamia & in terra Chanaan. Sic alibi, legimus Israelitas peregrinatos fuisse in Ægypto annos 400, cum ibi tantum fuerint anis 210. Ideo sane interpretes addunt, *& in terra Chanaan.* ¶ *Universum semen ejus*] *omnes filii ejus.* Onkelos. Jonathan. πᾶν τὸ σπέρμα αὐτοῦ. Lxx. *cum omni semine suo.* Hieron. ¶ *Filias suas*] Hic perspicue filias dicit de una Dina. Quæ enallage in Genealogiis usitata. Sic infra vers. 23. *Filii Dan, Husin.* Sic liberi de uno singulari. Quod A. Gellius annotat, adfertque dictum Sempronii Asellionis, qui de unico sempronii Gracchi filio liberos dixit. Herennius, J. C. libro Digest. 50. idem confirmat. Augustinus de Civitat. Dei, lib. 16. cap. 40. *Sed pluraliter appellati sunt sicut Scriptura consuevit, quæ unam quoque filiam Jacob, filias nuncuparunt: sicut in Latina lingua consuetudine liberi dicuntur pluraliter filii, etiamsi non sint uno amplius.* Idem in Quæst. super Genesin, *Quærendum quomodo dicat filias & filias filiarum ejus, cum filiam unam legatur habuisse? Superius autem diximus, filias ejus accipi posse neptes ejus, sicut filii Israel omnes dicuntur, etiam universus populus ab illo propagatus, sed nunc cum dicit filias filiarum, propter unam Dinam pluralis numerus pro singulari positus est. Sicut etiam pro plurali singulari solet, nisi nurus ejus quisque afferat filias ejus potuisse appellari.* Nurus dicit uxores filiorum, quæ cum sint extra numerum 70. animarum, non videntur commode hic intelligi posse. *Abraham ὁ σοφὸς arbitratur Dinam ancillas quasdam habuisse parvulas, una secum educatas, quas Jacob hic filias appellat, quemadmodum alibi legimus, filii Michal.* Huc usque Abenezra. Locus quem citat de filiis Michal, habetur 2 Sam. 21. 8. *& quinque filios Michael filiæ Saul, quæ pepererat Adrieli*, &c. ¶ *Filias filiorum suorum*] Sara sive Sera filiam Aser. infra vers. 17. R. Salomo addit Jochabed filiam Levi: sed ea una cum Lxx. animabus non annumeratur.

8. *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt Ægyptum, Jacob & filii ejus: primogenitus Jacobi Ruben.*

9. *Et filii Ruben, Henoch & Phallu & Hesron & Charmi.*

Qui ingressi sunt Ægyptum] הבאים מצרימה venientium in Ægyptum. Lxx. τῶν εἰσελθόντων εἰς Αἴγυπτον. Hieron. Onkelos & Jonathan, *qui ingressi sunt Ægyptum.* Possumus etiam vertere, *euntium in Ægyptum.* Sic Jon. 1. 2. *invenit navem euntem Tharsis.* תרשיש באה i. mox ituram. ¶ *Primogenitus Jacobi*] Chaldaice בוכרא דיעקב vel בוכרה דיעקב. Sic promiscue loquuntur interpretes illi. Sic versu proximo בני ראובן & בנוי דראובן filii ipsius Ruben. ¶ *Henoch*] hodie Hanoch, per a raptum quod vocant. Hoc nomen aspirari debet in codicibus Græcis, rescribique ἐνὼχ. ¶ *Phallu*] פלוא. In Lxx. φαλλὸς pro φαλλοῦ, quod potest mendum esse scribarum. ¶ *Hesron*] vel, Chesron, ut Hermon & Chermon. Memineris in fine esse N, & in Lxx. ἀσρὼν i. Hasron. Hesron, Hasron, ut Chermel, Charmel; Nemrod, Namrod. ¶ *Charmi*] χαρμί.

10. *Filii autem Simeon, Iamuel & Iamin & Ahod & Iachin & Sohar, & Saul filius Chananitidis.*

Simeon] Simeonis. Ebraice שמעון. in qua Ain per e videtur expressa. Dicunt etiam Simon. Id Critici nostri male scribunt absque N, ut Simo Bosius. Nam est nomen Ebraicum non Græcum. Contra male addunt eandem litteram in σαλωμών, cum Salomo sive Solomo dicendum sit, non Salomon. Reperio & סימון quod nomen ex שמעון contractum est, fuga litteræ vastioris, quam litteram è ארנס marsupium, ex ישו Jesus, è עקב succisus & aliis multis consuetudo elegans Syri sermonis evellit. ¶ *Iamuel*] vel potius Jemuel. Nam etiam Græci legunt ἰεμουὴλ. Ebraice autem est ימואל, cum Scheva sub littera principe: & נמואל Nemuel 1 Paralip. 4. 24. Namuel. Num. 26. ¶ *Iamin*] ἰαμείν. ¶ *Ahod*] ἀὼδ. Critici Ebræorum legerunt Ohad, quod scribunt אהד, & melius. Nam Ahod alius est. Hic Ebraice אהוד vocatur Iud. 3. 13. ¶ *Iachin*] In edit Rom. ἀχεὶν, sed puto ἰαχεὶν rescribendum. Nam & in Hier. *Iachin.* Hic putatur esse Iarib 1 Paral. 4. 24. ¶ *Sohar*] צחר Sohar vel Sochar, ut Rahab & Rachab. In Lxx. σαὰρ i. צחר. Ionathan זוחר quod legi debet Sohar. In textu Nicolai, *Saber*, & Num. 26. 13. זרח Zera vel Zerach. Zade cum Zain permutata, ut in צעק & זעק. ¶ *Saul*] Ionathan, *Saul est Zamri qui patravit facinus Chananæorum in Sottim.* Quomodo Zamri esse potuit qui diu post vixit? Apage tales ineptias. ¶ *Filius Chananitidis*] Patriarchæ ducebant uxores Ægyptias, Syras, Moabitidas, Idumæas, aliasque è provinciis in quibus habitabant. Cur ergo nunc dicit, *filius Chananitidis?* Putant hoc narrari ad ignominiam Simeonis, qui uxorem ex illa maledicta gente acceperit. Quod & Iudas ante fecerat & Esau, invitis parentibus. Saltem non approbabant hoc ipsius matrimonium. Videndus Abenezra. ¶ *Chananitidis*] τῆς χαναανίδος. Est autem contracte dictum Chananitis ut Chananæus dicimus pro Chanaanæus. Sic plene dicendum fuisset Chanaanitidis. Antea monui de consuetudine antiqua, quæ Heth & Ain litteras elidere solet. Consule Observationes meas. In Jario Ebræo Scholion est ex Bresith Rabba hujusmodi, *filius Chananitidis i. Dina quæ stuprata fuit à Chananæo. Quum autem occidissent Sichem, nolebat inde exire priusquam Simeon jurasset se ducturum eam.* Credat hoc Iudæus apella: οὐκ ἔγωγε. Misera gens, quæ talibus pascitur fabulis.

11. *Et filii Levi, Gerson, Caath & Merari.*

Gerson] γηρσὼν, cum ו in fine. Ebraice גרשון. Sic etiam 1 Paral. 6. 1. Dicitur & γηρσὼμ quod in fine habet litteram μ. Hoc nomine etiam appellatus fuit filius Mosi. Ebraice גרשם. Vid. Exod. 2. & 18. גרשם pro גרשון legitur 1 Paral. 6. 16. & גרשום vers. 17. Rabbinus est, quem sæpe cito, qui Patrem habuit Gersom, non Gerson, unde Gersomi filius dicitur. Gente Gallus fuit provincialis. ¶ *Cahath*] antiqua scriptura est Caath, in qua excidit aspiratio. Græci He cum sua vocali elidunt. Nam scribunt καάθ, cui simile ut cum dicimus Aron pro Aharon. Cahath, pro Caath, ut Rahab pro Raab i. ῥαάβ. Nam Græci dictiones in medio non aspirant. Scribi etiam potest Cehath. Nam Ebra. קהת. ¶ *Merari*] μεραρί.

12. *Et filii Iuda, Er & Onan & Sela & Phares & Zara: Mortui autem sunt Er & Onan in terra Chanaan, fueruntque filii Phares, Hesron & Hamuel.*

Er] In Hieron. est *Her*: Sed melius Lxx. ἤρ, exiliter & sine aspiratione. ¶ *Onan*] cum N in calce. Lxx. αὐνάν. O in au ut Hose, Hause, quod scribunt Ause. Sic in Latio, Orum, aurum, Olla, aula. ¶ *Sela*] σηλώμ est in Lxx. ¶ *Mortui sunt autem*] וימת & mortuus est. Sic Ebræi loqui amant. Ionathan addit, *propter opera sua mala.* Idem ait, *Sela & Zara non genuisse filios in terra Chanaan.* ¶ *Hesron*] ἐσρὼν. Male Esrom in libris antiquis. Scribi enim debet cum aspiratione in prima, & cum N in ultima. Ebraice חצרן sive חצרון. Possumus etiam scribere Chesron. Hesron, Chesron, ut Hermon, Chermon. ¶ *Hamul*] חמול quod scribunt Amul, exiliter. Græce est ἰεμουὴλ: tu corrige, ἀμοὺλ. Nam *Iemuel* alius est. Vide supra vers. 10. Ionathan hic habet, *Et fuerunt filii Phares qui descenderunt in Ægyptum Hesron & Hamul.*

13. *Et filii Issachar, Thola & Phua & Job & Simron.*

Filii Issachar] Ionathan, *Filii Issachar sapientes & magistri rationum.* Vult dicere, ratiocinarii, qui à Lampridio rationales vocantur: aut calculatores, supputatores, ratiocinatores: nisi malis præfecti rationariorum, qui vulgo *Rekenmeesteri.* Chaldaice מרי חושבנא. ¶ *Thola*] θωλά. Ebraice תולע. ¶ *Phua*] φουά. פוה. Sed 1 Paral. 7. 1. פואה legitur. ¶ *Iob*] יוב Iob. Duo fuerunt hoc nomine, alter Ebraice scribitur איוב. Lxx. hic habent ἀσούμ. In textu Lyræ est *Iobab*, & 1 Paral. 7. 1. scriptum ישיב & lectum ישוב. Iasub. Sic etiam vocatur Num. 26. 24. ¶ *Simron*] vel, Semron: quod in textu Lyræ. Nam in edit. vulgata quam Plantinus edidit *Simeron* legitur. Puto Hieron. scripsisse Semron. שמרן, Semron, ut נמרד Nemrod. Legi potest & Samron. Simron, Samron, ut Simson, Samson. In edit. Romana ζαμβράμ. Hic duo notanda. Primum a pro o, ut in גרשם γηρσὼμ: deinde inserta littera β, ut in Mambres, in Iambres, in Nembrod & aliis paucis. Adi sis ad libellos meos.

14. *Et filii Zabulon, Sared & Elon & Iahelel.*

Zabulon] vel, *Zebulon.* Ionathan, *Filii ipsius Zebulon mercatores, negotiatores, alentes fratres suos filios Issachar & accipientes mercedem sicut illi.* ¶ *Sared*] סרד Sared antiquitas lectionis, ut הבל Habel, פרץ Phares. Græci tamen habent σερέδ. Pluma non interest hoc an illo modo legas. ¶ *Elon*] אלון. male *Chelon* in textu Lyræ, pro quo, *Helon* in margine. Græce est ἀλλών. i. אלון. Utrumque quercum sonat. אלון etiam planities redditur. Glossæ Philonis, *Elon, regio campestris, aut quercus vel roboreus.* Fuit & Iudex Zabulonita hoc nomine Iud. 12. 12. quem Severus & Eusebius Allon appellant, cum tamen ibi in Græco textu sit αἰλών. אלון αἰλών, ut אין גדי Αἰνγαδδί, ואין רגל Αἰν ῥωγὴλ &c. Reperio & Αἰλώμ, cum μ in extremo. ¶ *Iahelel*] יחלאל Iachleel. Sed Hier. legit *Iachelel* יחלאל. In editione Romana ἀχιήλ. Male in libris

libris *Iabeled*, & *Iabebel*, quæ vitia ſunt ſcribarum, non interpretum.

15. *Hi ſunt filii Lia, quos peperit Jacobo in Meſopotamia cum Dina filia ejus : omnes animæ filiorum ejus & filiarum ejus triginta tres.*

Filii] & nepotes. Sed nepotes nati ei ſunt in terra Chanaan. Lia peperit ei, cum adhuc in Meſopotamia eſſet, filios ſex tantum. ❡ *In Meſopotamia*] In Padan Aram ſive Padane Syriæ, hoc eſt in Meſopotamia. Nam Syriæ nomen, quod in Lxx. & Hiero. ſuperfluit. Non enim alia Meſopotamia eſt quam Syriæ, quod ſciam. ❡ *Omnes animæ*] omnia capita. ❡ *Filiorum*] & nepotum ejus. ❡ *Et filiarum*] Hic rurſum filias dicit de una Dina. Vide quæ notavimus ad verſ. 7. hujus capitis. ❡ *Triginta tres*] imo triginta quatuor. Sed ex hoc numero eximendi ſunt duo, videlicet Er & Onan, qui non ſunt ingreſſi Ægyptum. Hoc primum, deinde addendus Iacob, qui fuit ex ingredientibus. Alii Dinam excludunt : alii aliter nodum ſolvunt. Videndi ſunt Cajetanus & Mercerus. Sed & Abenezra qui parens eſt hujus opinionis ſive ſententiæ. Quod autem ait, *quos peperit Jacobo in Meſopotamia*, hæc pars reſtringi debet ad ſolos filios Iacobi, non ad nepotes, qui nati ei fuerunt in Chananæa : aut reſponde cum Auguſtino locutionem eſſe tanquam omnes ibi ortæ ſint, quorum parentes ibi orti ſunt. Hoc ait in Quæſt. ſuper Geneſin. Deinde ſubnectit, *in una filia filias nominari, plurali numero pro ſingulari poſito.*

16. *Et filii Gad, Sephjon & Haggi, Suni & Eſbon, Eri & Arodi & Areli.*

Sephjon] ita ſcriptum lectum hoc nomen in textu Lyræ, & in Philone. Noli dubitare quin ſit vera ſcriptura. Quanquam Num. 26. 15. Sephon, & in edit. Rom. σαφών. Critici Ebræorum legerunt צִפְיוֹן i. Siphjon. ❡ *Haggi*] vel, Chaggi. Nam in fonte חַגִּי. Sic dicimus Haggæus & Chaggæus : Ham & Cham : Hebron & Chebron; Hermon & Chermon. In editione vulgata Aggi pro Haggi, ut etiam Aggæus, quod ſcribendum Haggæus. Chaggi legitur in margine apud Nicolaum, ſed corruptum ibi eſt in Thaggi. Editio Rom. ἀγγίς. Additum σ more Græcorum. Græci enim nominibus in vocali deſinentibus eam litteram addere ſolent, ut Ioſe, Ioſes, Hoſe, Hoſes, unde Hauſes, Iuda, Iudas. Hinc forte Tobis in antiquis codicibus, niſi potius ut ſit ex Tobith, ſicut Ἀννίβας dicunt ex Annibal. Adi ad Obſervat. meas. ut Haggis pro Haggi, ſic mox Sunis pro Suni; quod ſcribunt σαυνὶς ſed imperitia corrupit in σαυνίς. Nam proclivis ſane lapſus de υ in ν. ❡ *Suni*] vel, Sauni, unde σαυνὶς in edit. Græca. Suni, Sauni, ut Ous, Aus, unde Auſitis. Sic Nun, Naun, Regu, Regau i. רְעוּ, quod ſcribunt Reu. ❡ *Esbon*] vel Eſebon, qui creditur eſſe Ozni אָזְנִי Num. 26. 16. Ebraice eſt אֶצְבֹּן, & in Lxx. θασοβάν. Cave cum Heſebon confundas. ❡ *Eri*] עֵרִי, quod vulgo aſpirant Heri. Sic Hir pro Er in edit. vulgata. Græci habent αὐηδείς. Malim ἠδείς. Eſſet autem ἠρείς. Sed legerunt Daleth pro Res : aut eſt mendum librariorum. Eri, ἠρεὶ, ut Eli, ἠλεί. Sic Elohim, ἐλωείμ, Seraphim, σεραφείμ, Cherubim, χερουβείμ &c. Et ἠρείς, ut ἀγγίς, ut σαυνίς, de quibus modo dictum eſt. Id Latine ſcriberetur Eris. ❡ *Arodi*] אֲרוֹדִי, ἀρωδί. Quanquam in Bibliis Græcis ἀροηδείς : quam ſcripturam in viam reduces, ſi legas ἀρωδείς. Arodi ἀρωδείς, ut Eri, ἠρείς. ❡ *Areli*] אַרְאֵלִי ἀρηλί ſive ἀρηλεί & addito Sigma ἀρηλείς : quod in editione Romana ἀρεηλείς & in Complutenſi ἀροηδίς. In eadem eſt αὐηδίς pro αὐηδείς. Sic Ιωδὴθ ibi lectum pro Ἰωδεὶθ & τωβὴθ pro τωβεὶθ. Forſan ex corrupto ſono ει η : qui hodieque apud multos obtinet.

17. *Et filii Aſer, Jamna & Jeſva & Jeſvi & Beria, & Sara ſoror eorum : & filii Beria Heber & Melchiel.*

Jamna] vel Jemna; quod in textu Nicolai, & Græce eſt ἰεμνά, Ebraice autem יִמְנָה cum chirec in principio. יִמְנָה Jemna & Jamna, ut נִמְרֹד Nemrod & Namrod. ❡ *Jeſva*] legi debet per v conſonantem Jeſva, ut ſit diſſyllabum, non Jeſua, τρισυλλάβως. Græci habent ἰεσουά. Nam cum Vau littera careant, pro eo utuntur aliquando diphthongo ου, ut cum Valerius ſcribunt οὐαλέριος & Veſpaſianus, οὐεσπασιανός. Ceterum in Ebræo eſt יִשְׁוָה. ❡ *Jeſvi*] δισυλλάβως, ut Jeſva. Græce eſt ἰεουλ, emendaverim ἰεσουὶ i. Ieſvi, ut ἰεσουά, Ieſva. Ebr. יִשְׁוִי. ❡ *Beria*] בְּרִיעָה Beria vel Baria τετρασυλλάβως. Græce βαριά. בְּרִיעָה Baria ut כְּנַעַן Chanaan, רְפָאִים Raphaim, שְׁלֹמֹה Salomo, & alia ſexcenta, in quibus Scheva per a expreſſa. ❡ *Sara*] σάρα. Ebraice שֶׂרַח Sera vel Serach. Sera, Sara, ut Thera, Thara. Cauſſa eſt cur ſcribi poſſet etiam Sare, ut Thare. Invenio & סרח per S, Samech, in Salomone Trecenſi. סרח בת אשר *Serach, filia Aſer.* ❡ *Heber*] חֶבֶר Heber vel Cheber, ut Hermon & Chermon. Græce eſt χοβὼρ Chobor. ❡ *Melchiel*] vel Malchiel. Nam Ebraice מַלְכִּיאֵל. Sed in Hieron. eſt Melchiel, & in Lxx. edit. C. μελχιὴλ, Rom. μελχιήλ. Eſt etiam ubi legatur μελχιὴλ, ſed minus bene מַלְכִּיאֵל Melchiel, ut מַלְכִּי צֶדֶק Melchiſedec. Ionathan hoc loco edidit, *filii Beria qui deſcenderunt in Ægyptum Heber & Malchiel.*

18. *Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ : quæ peperit Jacobo ſedecim animas.*

Zelpha] זִלְפָּה Zelpha, ut יִמְנָה Jemna. Hodie Zilpha. ❡ *Peperit*] ἔτεκε i. genuit Lxx. Hiero. ❡ *Sedecim animas*] videlicet tredecim filios, duos nepotes & unam filiam. ❡ *Animas*] capita vel homines. Gallice, *perſonnes*. Ceterum animam uſurpant Ebræi, ut capitis vocabulum autores Latini. Nam eo homines ſignificant. Terent. *Quot capita, tot ſententiæ.* Horat. *Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum millia.* Græci aliquando σώματα reddunt, ut Gen. 36. 6. *omnes animas domus ſuæ.* Πάντα τὰ σώματα, omnes domeſticos, omnes ſervos i. Machab. 3. 2. ἀπώλεσαν ψυχὰς ἀνθρώπων πολλὰς, peremerunt animas hominum multas, ubi poſſes per animam vitam intelligere. Pro ſedecim, quod Onkelos dicit שתא עשר, in Jonatha contractius legitur שיתסר fuga litteræ aſperioris. Sic ארביסר in eodem eſt quatuordecim.

19. *Filii Rachel uxoris Iacob Ioſeph & Benjamin.*

20. *Natique ſunt Ioſepho in terra Ægypti quos peperit ei Aſenath filia Phutiphera ſacerdotis On, Manaſſes & Ephraim.*

Uxoris Iacob] Quid? an non aliæ etiam uxores ejus? erant abſque dubio : ſed Rachel primaria uxor & præcipua erat : ceteræ duæ concubinæ vocantur, & una Lia dici poſſet uxor adventitia, vel ſi placet, ſuppoſititia. Nam ſuppoſita fuit pro Rachele. ❡ *Natique ſunt*] Jonathan addit de ſuo *filii*. Quod etiam alii ſupplent, ut Hiero. & οἱ ἑβδομήκοντα. ❡ *Aſenath*] vel Aſeneth, quod in Hiero. ut in libris Græcis Ἀσενέθ. Ionathan fabulatur hanc eſſe filiam Dinæ, quæ fuerit educata in domo Phutipharæ. Logi. ❡ *Phutiphara*] Lxx. πετεφρῆ. Hiero. *Phutipharis*. Quæ verſio multis impoſuit. Nam putarunt eundem eſſe dominum Ioſephi, qui ſatellitibus ſive ſpiculatoribus præerat regis. ❡ *Sacerdotis On*] alii, *principis On*. alii, *gubernatoris On*. Nos hic ſenes & Hiero. ſequimur. ❡ *On*] Onii ſive Heliopoleos i. ἡλιουπόλεως, quod Latine ſonat, ut ſi dicas, Civitas ſolis. An ergo eadem cum Beth Sames?

21. *Et filii Benjamin, Bela & Becher & Aſbel, Gera & Naaman, Echi & Ros, Mophim & Hophim & Ared.*

Ante hunc verſum gloſſema eſt in editione Græca, cujus meminit in Quæſt. Ebraicis Hieronymus : aitque additum eſſe ad veritatem Ebraicam. Quod verum eſt. Nam non legitur in ullis codicibus Ebræis, nec apud alios interpretes, nec etiam in editionibus Chaldaicis. Habetur tamen in collatis codicibus Græcis, & apud Philonem in libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratia. Vide ſodes edit. Roman. ❡ *Bela*] vel βαλά i. Bala. בֶּלַע Bala, ut שֶׂרַח Sara. Scribi etiam poteſt Bale, ut תֶּרַח Thare. Bale legitur in libro nominum. ❡ *Becher*] בֶּכֶר Hiero. *Bechor*. Lxx. βοχὸρ, Bochor. בֹּכֶר Bochor, ut חֶבֶר Chobor. Vide ſupra verſ. 17. Quædam exemplaria editionis vulgatæ etiam *Bochor* habent. Sonat autem, ſi velimus interpretari, πρωτότοκον i. primogenitum. Ionathan ad hunc locum, *Dictus Becher, quia Ioſeph erat primogenitus matris ſuæ.* In libro nominum, *Bechor, primogenitus* i. בכור aut בְּכֹר. ❡ *Asbel*] אַשְׁבֵּל ἀσβήλ. ❡ *Gera*] גֵּרָא quod Onkelos & Ionathan גירא ſcribunt per א in calce. Græci hic habent, ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Βαλά, γηρὰ &c. fuerunt autem filii Bala, Gera &c. Si recte, tum hi qui ſequuntur, nepotes fuerint Ephraim, non filii proprie. Sed non puto verum hoc eſſe. Ionathan diſerte, *Filii Ephraim decem, quorum nomina ſunt &c.* Ceterum in uno codice erat גרה : in aliis, quos inſpexi, גרא cum א. Puto hanc ſcripturam veram eſſe. ❡ *Naaman*] נַעֲמָן Naaman. Lxx. νοεμάν : in quo videtur Ain expreſſa per e, ut in Noemi, & ſimilibus. ❡ *Echi*] אֵחִי ἠχὶ ſive αἰχὶ aut αἰχίς : quod in ἀγχίς corruptum. Ahiram ſive Achiram dici videtur Num. 26. 38. Sed libri mirandum in modum variant. אחי αἰχί, ut אילון αἰλών. Nam η & αι permutantur. Contra factum in Ieruſalem quod ſcribunt Ieruſalaim. Sic forte עֵרִי Αἰδείς, quod in libris αὐηδείς. nos ſupra ἠδείς emendavimus. Iam vero αἰχίς, ut ἀγγίς, ut σαυνίς. In libris antiquis Iehi, ex quo legi poſſet Iechi, ut Rahab & Rachab. ❡ *Ros*] ῥώς. Ebraice ראש i. caput. Euſebius, *principatus & caput voce Ros Ebræis intelligitur.* Lib. 9. Ἀποδείξ. ❡ *Mophim*] vel, Muphim. Nunc eſt מֻפִּים in Ebræo i. Mupphim. Græci habent μαμφὶν ſive μαμφείν, ubi inſerta ν, eademque, ut fit, ante φ in μ verſa. Ne longe abeam, talis epentheſis eſt in Memphis. Nam Ebraice Moph dicitur. Sic invenies ῥεμφάν pro Rephan i. ῥεφάν.

 ❡ *Ho-*

§ *Hophim*] Scripsi cum aspiratione, licet in libris sit Ophim. Nam Ebraice חפים Hupphim vel certe Huphim. ο & υ alternant in multis. Græce est ὀφιμὶν, tu emenda ὀφιμ sive ὀφίμ. Nam utrumque recte ita scribitur. Sic ἰλωείμ & ἰλωίμ. § *Ared*] Græce ἀρὰδ: sed in fonte ארד Ard: in Hiero. autem *Ared*, quem nunc secutus sum. In μαμφεὶν ultima in ν mutavit. Nam esset μαμφείμ. Quod crebrum in antiquitate. De etymis horum nominum videndus Ionathan ad hunc locum.

22. *Hi filii Rachel, qui nati sunt Iacobo, omnes animæ quatuordecim.*

23. *Et filii Dan, Husim.* (שוחם *Suham vel Suchan.* Num. 26. 42.)

Filii Rachel] tam filii quam nepotes. § *Husim*] hic filiorum nomen usurpat de uno singulari. Quod in Genealogiis crebrum. Vide quæ supra notavimus. Ionathan appellative interpretatur חשים *prompti & mercatores & non est summa numero eorum.* Nam חוש festinavit. § *Nati sunt*] ילד pro ילדו.

24. *Et filii Naphthali, Iaseel & Guni & Jeser & Sallem.*

Naphthali] vel, *Nephthali.* Græce Νεφθαλί. § *Iaseel*] contractum ex Iahaseel, vel si mavis Iachseel. Nam Ebraice יחצאל Hiero. habet *Iasrel.* An legit יחצאל quod tamen sine apicibus scriberetur יחזאל. Lxx. ἀσιὴλ pro ἰασιὴλ. Quod librariis libentius imputaverim quam ipsis interpretibus. § *Guni*] גוני Lxx. γωυνί. § *Iesser*] יצר Lxx. ἰσσαάρ. Malim ἰσσάρ, ut legerunt יצר. Dubito an possit scribi Iaser. Dubitandi caussa quia in prima est Tseri, non Segol. § *Sallem*] vel Sillem. Hoc in textu Lyræ. Illud in margine: tum in editis à Plantino. Sed & in fonte שלם, quod non male leges Sellem. Sillem, Sellem, ut Hillel, Hellel: & Sallem, ut Simson, Samson. Græce legitur συλλήμ. Sed putarim initio scriptum fuisse σαλλήμ.

25. *Hi filii Bala, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & peperit istos Iacobo: omnes animæ septem.*

26. *Omnes animæ quæ venerunt cum Iacobo in Ægyptum, egressæ ex femore ejus (præter uxores filiorum Iacob) omnes, inquam, animæ sexaginta sex.*

27. *Et filii Ioseph qui nati sunt ei in Ægypto animæ duæ: omnes animæ domus Iacob quæ venerunt in Ægyptum, septuaginta.*

Venerunt] vel, *ingressæ sunt.* § *Cum Iacobo*] ליעקב, Iacobo. Sed ל pro עם ponitur. Quod me docuerunt interpretes Ionathan, Lxx. & Hieronymus. Nam Onkelos nihil variat ab Ebræo. § *Egressæ ex femore ejus*] Verbum è verbo, *egredientes femoris ejus.* Ceterum in Lxx. est ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ex femoribus ejus. Perinde est. Sic usurpant promiscue δεξιᾶ & δεξιῶν. Sed illud mirum cum una tantum dextera sit, cur dicant κάθου ἐκ δεξιῶν μου, sede à dexteris meis. Hic locus vulgo adducitur ad probandum animam ex traduce esse. Sed facilis responsio. Nam anima non accipitur hic pro anima proprie dicta, sed pro homine, quo sensu & Latini autores capitis vocabulum usurpant, ut diximus. § *Animæ duæ*] hunc numerum Græci temere mutarunt in ψυχαὶ ἐννέα, *animæ novem.* Nam subducto calculo secundum glossema quod in libris eorum, tantum octo sunt. Iacob enim cum his annumerari non potest. Sed adegit eos huc numerus sequens ἑβδομήκοντα πέντε, qui pulchre constat, si ad quinque filios Manasse & Ephraim, Iacob accedat, qui etiam addendus numero Ebræo, de quo nunc jam dicturi sumus. § *Septuaginta*] Hic numerus habetur Exodi. 1. 5. & Deut. 10. 22. eundem expressit Josephus Orig. lib. 2. Sed & interpretes in eo omnes conveniunt. Soli Lxx. habent ψυχαὶ ἑβδομήκοντα πέντε: de quo quid tenendum sit, non est meum nunc definire. Autoritatem ei lectioni addunt Acta, quæ vocantur, Apostolorum. Nam in narratione Stephani Græci codices eundem numerum præferunt. Nec ulla in illis varietas, quod sciam. Communis opinio est Græca exemplaria τῶν ό hic & Exod. 1. corrupta esse. Cui firmando, quod in editione Romana Deut. 10. ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς. Quanquam in libris antiquis ἐν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε. Priorem scripturam confirmat per hæc verba Hiero. in Quæst. super Genesin, *Manifestum est omnes animas quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob, fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus. Septuagesimus autem ipse fuerat Jacob. Hanc rem ne videamur adversus Scripturæ autoritatem loqui, & Lxx interpretes in Deuteronomio transtulerunt, quod in septuaginta animabus ingressus est Jacob in Ægyptum. Si quis igitur nostræ sententiæ refragatur, Scripturam inter se contrariam facit. Ipsi enim Lxx. interpretes, qui hic septuaginta quinque animas per πρόληψιν cum Joseph & posteris suis Ægyptum ingressas esse dixerunt, in Deuteronomio septuaginta tantum intrasse memorant. Quod si e contrario nobis id opponitur, quomodo in Actibus Apostolorum, in concione Stephani dicatur ad populum septuaginta quinque animas ingressas esse Ægyptum, facilis excusatio est: Non enim debuit S. Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore Lxx. interpretum habebatur autoritas, quam Lucæ, qui ignotus & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod ubicunque SS. Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis utuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata, licet plerique tradant Lucam Evangelistam, ut proselytum, Ebræas litteras ignorasse.* Hucusque Hiero. cui quod addam nihil est, nisi forte illud. Fieri potest ut Lucas initio scripserit ἑβδομήκοντα, qui locus postea correctus sit, cum in mendo cubare putaretur, ex editione Lxx. Nam πέντε, unde conjiciunt factum πέντε, in nullis invenitur codicibus, quod sciam. Tantum in Josepho habetur ἦσαν δὲ οἱ πάντες ἑβδομήκοντα, erant autem omnes septuaginta. Ceterum dubitatio non parva subit animum meum de glossemate superius memorato, fueritne parens ejus hæc scriptura, an contra scriptura hæc nata sit ex eo. Nam ad prolepsin ista revocare, prorsus alienum, ne dicam, coactum videtur. Quod autem in hoc numero septuaginta quinque quidam comprehendi putant uxores Jacobi quatuor & duos filios Judæ defunctos in terra Chanaan, pugnat cum versu qui proxime hunc antecedit: tum etiam cum ipsa editione Græca, quæ longe aliam rationem illius muneri init. Siquidem ex Josepho prognatas dicit animas novem, ubi Ebræi tantum duas memorant. Omitto quod Jacob ex hoc numero excludi non debeat cum scriptum sit, *omnis anima domus Jacob* &c.

28. *Judam autem misit ante se ut pararet sibi locum in Gosen: & venerunt in terram Gosen.*

Ut pararet sibi locum] vel, *ut dux esset ante eum in Gosen.* Vult dicere, ut eum adduceret Gosnam, ubi ipsum expectaturus esset. להורות alii vertunt *ad præmonendum* aut *significandum*, & לפניו ante suum adventum. Sensus est, antequam in Gosen veniret. Onkelos לפנאה קדמוהי i. interprete Fagio, *ut prepararet locum ante se in Gosen.* Thargum Jerosolymitanum לאתקנה לה אתר בית מישרי לגושנא ad præparandum sibi locum in quo cœnaret in Gosen. Jonathan addit לטוריא קדמוי אורחא ad indicandum ante se viam. Sed vide sis ea quæ sequuntur. Lxx. συναντῆσαι αὐτῷ, ut occurreret ei. Si legas αὐτῷ, erit vertendum *ut occurreret sibi.* Sane apud Augustinum legimus, *ut venirent sibi obviam.* Hiero. *ut nuntiaret ei.* Mercerus *ad docendum ante se i. dirigendum & præparandum omnia. Chaldaice* לפנאה *ad repurgandum & sternendum viam & habitationem &c.* Hoc Ebræi dicunt מנלה. Nunc tempus est ut interponam judicium meum הורה in communi usu significat docere, non præparare locum. Radix ירה unde & תורה doctrina, lex, & מורה doctor. Putarim igitur sensum esse, Præmisit eum Gosnam, ut admoneret Josephum de adventu suo. Alias tamen interpretationes non damno, dies certiora docebit. § *In Gosen*] On. & autor Jeres. לגשן Gosnam: Jon. vero בגשנא in Gosna. Ebraice, גשנה Lxx. καθ᾽ ἡρώων πόλιν. Sic etiam Josephus. Mox, *in terra Gosen*, eadem editio εἰς γῆν ῥαμεσσῆ. Alibi est, ἐν γῇ γεσὲμ Ἀραβίας. Terræ Ramesses mentio Gen. 47. 11. quam R. Salomo ait esse partem terræ Gosen. Hiero. in Quæstion. *Nonnulli Judæorum asserunt Gessen nunc Thebaidem vocari.* Albinus Quæst. in Gen. p. 466. *Terram Gessen Judæi autumant eam esse, quæ nunc Thebaida dicitur.* Idem ibidem, *Ramesse pagum olim Arsenatem dictum putant.* corrige *Arsinoitem.* Verba sunt Hiero. ex loco modo citato, *& quod sequitur, Dedit ei ut possiderent terram optimam Ægypti in Ramesse, terram* (alias, *pagum*) *Arsinoiten sic olim vocatam autumant.* Porro Gessen sive Gesen antiqua lectio est pro Gosen, quod scribunt גשן. Sed male Gesem i. γεσὲμ in nonnullis editionibus: Obiter noto. In Josepho Orig. lib. 2. cap. 4. legimus loco memorato συνεχώρησεν αὐτοῖς ζῆν μετὰ τῶν τέκνων ἐν ἡλιουπόλει, ubi legendum videtur ἐν ἡρώων πόλει. Nam Ebraice est Gen. 47. 6. בארץ גשן in terra Gosen. Est autem Heropolis in Ægypto ad sinum Arabicum.

29. *Iunxit autem Ioseph currum suum, & ascendit obviam Israeli patri suo in Gosen: quo viso irruit in collum ejus flevitque ad collum ejus insuper.*

30. *Et dixit Israel Iosepho, Moriar hac vice postquam vidi faciem tuam, te adhuc vivente.*

Iunxit] præcepit jungi. Simile, extruxit Salomo. § *Currum suum*] Lxx. τὰ ἅρματα αὐτοῦ & Onkelos רתיכוהי. Nam quis

quis plures currus habuerit, vix ullum dubium est. Hiero. tamen usus est singulari, ut & Jonathan qui vertit רתיכתיה currum suum. ¶ *Obviam*] in occursum. ¶ *Quo viso*] vel, *quum autem visus esset ei*. Verba Ebræa dubia sunt ad utramque interpretationem. ¶ *In collum ejus*] Ebraice, *super collo ejus*. Sed interpretes Onkelos, Jonathan & Hiero. *super collum ejus*. Græci quoque ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ. ¶ *Flevit adhuc*] Lxx. ἔκλαυσε κλαυθμῷ πίονι, flevit fletu uberi. Lectio varians, πλείονι i. multo, plurimo. Sic apud Davidem codices variant in πίονι & πλείονι. Hiero. *inter amplexus flevit*, optime & rectissime. ¶ *Insuper*] adhuc, amplius, iterum. ¶ *Moriar hac vice*] Onkelos, *si morerer hac vice, consolarer me*. Jonathan, *si morior hac vice, consolor me*. Idem dicit Hiero. qui vertit, *jam lætus moriar*. Lxx. ἀποθανοῦμαι ἀπὸ τοῦ νῦν. Aquila, ἀποθάνοιμι, quod reddunt, *mortem obeam*. Ita Simeon in Euangelio, *Nunc dimitte servum tuum* &c. Addit Jonathan, *qua morte qua moriuntur justi ego morior, postquam vidi aspectum vultus tui*. ¶ *Te adhuc vivente*] vel, *cum adhuc tu vivas*, vel, *quia tu adhuc vivis*. Quod Græci dicunt ἔτι γὰρ σὺ ζῇς: nam tu adhuc vivis. Hiero. *quia te superstitem relinquo*.

31. *Postea dixit Ioseph fratribus suis & domui patris sui, Ascendam & nuntiabo Pharaoni dicamque ei, Fratres mei & domus patris mei, qui in terra Chanaan, venerunt ad me.*

32. *Et viri illi pastores ovium sunt, quia pecuariam exercuerunt, & oves suas bovesque & quicquid habent, adduxerunt.*

Domui patris sui] reliquæ familiæ paternæ. ¶ *Ascendam & nuntiabo*] ascendam nuntiatum vel indicatum. Forte regia Pharaonis in superiore Ægypto erat, aut in edito loco, ut propterea utatur verbo ascendendi. ¶ *Qui in terra Chanaan*] sub. fuerunt sive habitarunt. Lxx. οἳ ἦσαν & Hiero. *qui erant*. Esse pro habitare sumitur cum alibi tum Ruth. 1. & *fuerunt ibi*: & in oratione legitima, *qui es in cælis*. Nam alioqui Deus ubique est. ¶ *Quia pecuariam exercuerunt*] כי אנשי מקנה היו quia viri pecoris fuerunt i. pecuarii. Hos Lxx. vocant ἄνδρας κτηνοτρόφους i. viros pecorum nutritores. Onkelos & Jonathan גברי מרי גיתי viros magistros pecorum. In quo agnoscis opinor pleonasmum, qualis in *mulier ancilla*, *homo sacerdos*, *vir piscator* & similibus. Hiero. *curamque habent alendorum gregum*. ¶ *Quicquid habent*] omne quod eis est i. omnia sua, quæcunque possident.

33. *Cumque vocaverit vos Pharao & dixerit, Quænam opera vestra?*

34. *Dicetis Pecuariam exercuerunt servi tui ab adolescentia nostra hucusque, tam nos quam patres nostri: sedeatis in terra Gosen, quoniam abominatio Ægypti omnis pastor ovium.*

Quænam opera vestra?] מה מעשיכם quæ opera vestra? Onkelos & Jonathan מה עובדיכון. Nihil variant in numero. Lxx. τί τὸ ἔργον ὑμῶν ἐστι. Legerunt forte מעשכם absque Joch. Sic etiam Hiero. legisse videtur qui vertit, *Quod est opus vestrum?* i. opificium aut artificium vestrum? Gallice *Metier*. ¶ *Pecuariam exercuerunt*] sensum expressi. Nam in Ebræo ad verbum, *viri pecoris fuerunt*. Quod nunc in Jonatha מרי גיתי magistri pecorum. Supra erat גברי מרי גיתי ut hic in Onkelo גברי מרי גיתי viri magistri pecorum, pleonasmo nota. Lxx. habent ἄνδρες κτηνοτρόφοι ἐσμέν, & Hiero. *viri pastores sumus*. Viri pastores, ut, *viri piscatores*, *viri Judæi*, ἄνδρες ἀδελφοὶ &c. ¶ *Ab adolescentia nostra*] Dicendum erat, *ab adolescentia sua*. Sed novum non est ut ita personæ permutentur. Hanc anomaliam vitarunt Lxx. & Hiero. mutatione *sunt* in *sumus*. Ebraice est מנעורינו, quod Onkelos reddit מעולימנא & Fagius, *à pueritia nostra*. Jonathan מטלייותנא Lxx. ἐκ παιδὸς, à puero. Hiero. *ab infantia nostra*. Quod minime omnium mihi probatur. Nam in infantia pecuariam exercere qui potuerunt? ¶ *Hucusque*] ועד עתה ἕως τοῦ νῦν, usque nunc i. hucusque, hactenus, in præsens. ¶ *Patres nostri*] Majores nostri. ¶ *Sedeatis*] maneatis aut habitetis. Lxx. ἵνα κατοικήσητε. Hier. *Hæc autem dicetis ut habitare possitis.* ¶ *In terra Gosen*] quæ pascua erat, hoc est pascendis pecoribus idonea. Lxx. ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας. Hic duo notanda. Primo Γεσὲμ pro Γεσὲν, quod mendum esse putarim, quale in Ἐδὲμ, in Μαδιὰμ & similibus. Deinde adjectum Ἀραβίας, quod in Ebræo & apud alios interpretes non habetur. Sed cur adjectum? Utrum διασαφήσεως ἕνεκα? An quia Arabiæ vicina erat? Nam sita erat juxta sinum Arabicum. Hiero. *in terra Gessen*. Quæ est antiquitas lectionis pro Gosen. Nam olim, cum apices abessent, tam hoc quam illo modo legi poterat. ¶ *Abominatio Ægypti*] i. Ægyptiorum. Græci hoc dixerunt, βδέλυγμα γάρ ἐστιν πᾶς Αἰγυπτίοις abominatio enim est Ægyptiis. Minus dicit Hiero. *detestantur Ægyptii*. Quod in Onkelo & Jonatha, מרחקין מצראי abominantur Ægyptii. Sic plus est, *abominatio DOMINI*: quam si dicas, DOMINUS abominatur. Intelligens intelligit mentem meam. ¶ *Omnis pastor ovium*] πᾶς ποιμὴν προβάτων. Idem cum illo, *omnes pastores ovium*. Quod Onkelos & Jonathan dixerunt כל רעי ענא. Paulo post רעה צאן עבדיך pastores ovium servi tui sunt, ubi positum videtur pro רעי hoc est ה pro Jod. Vide quæ notavimus ad illum locum. Reliquum est ut quæramus cur Ægyptiis abominationi olim fuerint pastores ovium. An quia pecudes mactabant, quas illi pro Diis habebant? Abenezra hinc elicit Ægyptios abstinuisse animalium esu, ut hodieque Indi. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, *Abominatio Ægyptiorum omnis pastor ovium, in signum quod Ægyptii olim non comederint carnes, quibus etiam non licuit mactare pecudes, quemadmodum faciunt hodie homines Indiæ. Pastores autem abominationi vel ideo sunt quod lac bibant. Sane Indi non edunt neque bibunt in hodiernum diem ullam rem quæ exit ab animante uno sensum habente.* Finiam caput, si hoc unum addidero. R. Levi quatuor caussas enumerat, ob quas existimat Josephum delegisse fratribus suis terram Gosen. Prima est quia regio erat pascuis læta. Secunda quoniam erat optima pars Ægypti. Tertia quoniam omnes simul esse volebat. Quarta quia periculum erat si sparsim habitassent inter Ægyptios, ne ipsorum moribus corrumperentur. Adde, si placet, quia pastores Ægyptiis abominabiles erant. Unde Manetho Israelitas appellat *pastores*, & *populum pastorum* quasi per contemtum. Vide Josephum contra Grammat. Appionem.

GROTIUS.

1. DEo *patris sui Isaac*] Iam mortui. Vide supra xxxv. 29.

2. *Mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum per visionem noctis vocantem se*] Nempe per Angeli ministerium.

3. *Ait illi Deus. Ego sum fortissimus Deus patris tui*] In Hebræo, *& dixit* (Angelus nempe) *Ego Deus, Deus patris tui*, ubi ἔλλειψιν [*defectum in sermone*] agnoscit Maimonides; quasi diceret Angelus, *Hæc Deus mandavit dicenda tibi: Ego sum Deus patris tui*, &c.

4. *Et ego inde adducam te revertentem*] In posteris tuis, qui cum progenitore iidem censentur.

Ioseph quoque ponet manus suas super oculos meos] quod sigillare oculos dicunt Latini. id officium parentibus morituris exhibebant liberi.

Qui ingressi sunt in Ægyptum] Sic & Hebræus codex & Græci. Sed annumerandi & illi quos in Ægypto reperit Iacob, Iosephus, & filii ejus duo, tum vero & ipse Iacobus familiæ caput. Est ergo συνεκδοχή [*Complexio*].

21. *Et Echi & Ros & Mophim*] In Hebræo אחי וראש מפים. vetus in libris error, ut ex Græco apparet. At si quis conferat locum Num. xxvi. 38. & 39. videbit hic scriptum olim fuisse אחירם ושפופם. [*Ahiram & Suphan*]. Faciles tales lapsus in nominibus propriis.

34. *Quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium*] Nimirum quia pastores pecori vitam adimebant, & carne vescebantur. Vide quæ de sacrificiis infra Exod. viii. 26. Ex hac diversitate vitæ inter pastores, qui Hycsos dicebantur, & Ægyptios alios, gravissima olim bella inter eos exstitisse ex Manethone apud Iosephum discas. Hæc ergo odii causa, qualis Iuvenalis tempore inter Copton & Tentyram. De Iudæis Tacitus, ubi ipsorum instituta Ægyptiis opponit: *Cæso ariete velut in contumeliam Ammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.* Manethon de Mose, quem & Osarphiphum vocat: ὁ δὲ πρῶτον μὲν αὐτοῖς νόμον ἔθετο, μήτε προσκυνεῖν θεοὺς, μήτε τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεμιστευομένων ζώων ἀπέχεσθαι μηδενός [*Imprimam illis legem posuit, nullo animalium abstinere eorum quæ in honore habent Ægyptii*]. Abstinentiam ab esu animalium ruris, veterem fuisse non miror. Idololatriæ tamen nulla adhuc Iosephi sæculo, in Ægypto quidem, certa vestigia reperio. A Syris cœpit is morbus, paulatimque propagatus est. Pecora autem & Ægyptii illi superstitiosiores habebant, sed lanæ & lactis causa, infra xlvii. 6.

CARTWRIGHTUS.

4. ET *ego etiam te certo reducam*.] Vel, *faciam ascendere*, אעלך. R. Salom. & Aben Ezra putant sensum hujus promissionis esse, quod Iacob in terra Canaan esset sepeliendus. Melius R. Levi Ben Gersom, qui (referente Manasse in Concil. quæst.

60. in Gen.) ait hanc prophetiam spectare posteros Iacobi, quos Dominus ex Ægypto reduxit. Ita Ionathan, אף אסיק ית בנך מתמן, i.e. *Etiam filios tuos inde faciam ascendere.* Mercerus etiam indicat ad posteritatem Iacobi potius esse referendum, quam ad sepulcrum. Lyra primo exponit de corpore Iacobi ex Ægypto in Canaan reportando; deinde addit, posse etiam intelligi de filiis Israel, quos Deus inde eduxit.

Et Ioseph ponet manum suam super oculos tuos] כמנהג כי כן מנהג החיים על המתים, inquit Aben Ezra, i. e. *cum mortuus fueris, sic enim vivi facere solent mortuis.* Apparet autem cum ex hoc loco, tum ex Ethnicorum scriptis, istud officium erga defunctos præstare solitos fuisse illos, qui iis quam maxime propinqui pariter ac chari fuerunt. Hinc Penelope in epistola ad Ulyssem de Telemacho filio loquens, sic precatur,

(*a*) *Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

5. *Filiæ ejus*] Aben Ezra ait Iacobum non nisi unam habuisse filiam, nempe Dinam, sed eam forte habuisse ancillas adolescentulas, quæ una cum ipsa educatæ fuerunt, ac propterea filiæ Iacobi vocantur, quemadmodum simili ratione Mical filios habuisse legitur. At duriusculum mihi videtur, ut filias de ancillis interpretemur. Manasses in Concil. quæst. 61. in Gen. refert R. Levi Ben Gersom, & R. Bahye (seu, ut alii scribunt, Bechai) ita interpretari, ut sit enallage numeri, scil. pluralis pro singulari; ut hoc ipso capite, ver. 23. *Filii autem Dan Chushim.* Unicum duntaxat filium habuit, & tamen in plurali dicitur, *filii.* Sic Num. 26. 8. *Filii autem Pallu, Eliab.* Hæc germana hujus loci videtur expositio. Nam quod ex Rabbinis nonnulli (teste ibidem Manasse) dicunt *unoquoque partu, quo editus est aliquis duodecim Patriarcharum, simul natam esse filiam, etiamsi Dina tantummodo memoretur,* ne refutatione quidem dignum censeo. Lyra ait filias filiorum Jacobi, filias ejus appellari, & cum Dina intelligi. At hoc dici non potest, propterea quod post filias Jacobi, ipsius filiorum filiæ distincte memorantur, licet vulgatus Interpres partem istam omiserit. Augustinus de nuribus Jacobi interpretatur, quod Mercero non probatur, quia inter 70. personas, quæ in Ægyptum descenderunt, non numerantur. Sed nec ipsius Jacobi uxores eo descendisse certum est ex ver. 26. hujus capitis. Non igitur probabilitate caret ista Augustini expositio, etiamsi illam antea memoratam existimem probabiliorem, nempe plurale positum esse pro singulari, ut in genealogiis fieri solere etiam notat Mercerus.

Et filiæ filiorum ejus.] Aben Ezra ait non nisi unum ex filiis Jacobi, nempe Asher, habuisse filiam, eamque unicam. R. Sal. autem exponit cum de Seracha filia Asher, tum de Jochebeda filia Levi. Vide ad ver. 15.

10. *Et Shaul filius mulieris Canaanitidis.*] Aben Ezra ait hoc testimonio esse, quod uxores tribuum (נשי השבטים) i. e. Patriarcharum fuerunt Arameæ, Ægyptiæ, Idumeæ, & Midianitides; hujus autem duntaxat mentionem fieri, propterea quod contra quam fieri oportuit, fecit Simeon, ducendo Canaanitidem in uxorem. Atque addit ideo mortem Er atque Onan commemorari, quod essent filii Canaanitidis.

13. ויוב *Et Job.*] Hoc nomen diversum est ab illo, cujus alibi in Scriptura frequens mentio; illud enim cum Aleph in initio scribitur, איוב, hoc autem sine Aleph, יוב. LXX habent Ἀσὼμ, *Asum,* quod nomini Hebræo nihil habet simile.

15. *Triginta & tres.*] At si particulatim numeres, inquit R. Salom. non invenies nisi triginta & duos. Asserit igitur in hoc numero comprehendi Jochebedam, de qua dicitur (Num. 26. 59.) quod *nata fuit in Ægypto*; hoc ille sic intelligit, quod nata fuit juxta muros, cum urbem ingrederentur; ait eam natam in Ægypto, non autem in Ægypto conceptam. At Aben Ezra istud de Jochebeda miratur, atque ait eam juxta istam opinionem (*b*) centum & triginta annorum fuisse, cum peperit Mosen; cum tamen Scriptura tanquam rem miram atque insolitam refert, Saram, cum nonagenaria esset, filium peperisse. Ipse igitur existimat Jacobum ipsum inter istos triginta tres numerari; idque hoc argumento confirmat, quod dictum sit (ver. 8.) *Iacob & filii ejus.* Quod si quis objecerit illud, (*c*) *Omnes, quæ exierunt è femore Iacobi, fuerunt septuaginta*; respondet, *Scripturam non solicitam esse de abstrahendo uno è septuaginta*; ac notat Scripturam etiam alibi in istum modum loqui; ut Gen. 35. 26. *qui nati fuerunt in Padan Aram,* cum tamen Benjamin ibi inter reliquos numeratos, istic natus non fuerit. Quin & ex hoc ipso capite duo profert testimonia; primum ex ver. 8. *Hæc sunt nomina filiorum Israelis, qui venerunt in Ægyptum, Iacob & filii ejus. Ecce,* inquit, *recenset Iacobum inter filios Israelis; nam Scriptura non nisi maximam partem sequitur.* Alterum est ver. 27. *Omnes animæ domus Iacobi, quæ venerunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta, cum tamen Manasses & Ephraim non venerunt in Ægyptum, sed in Ægypto nati fuerunt.* (*d*) Similiter etiam scriptum esse notat, *Patres tui cum 70. animabus descenderunt in Ægyptum, cum tamen isti duo* (Ephraim & Manasses, qui numero isto sunt comprehensi) *istuc non descenderint.* Atque iste sane Deuteronomii locus videtur refellere observationem R. Salomonis, quæ alias acuta ac subtilis videatur; nempe ver. 26. ubi dicitur, כל הנפש הבאה, (*e*) *omnes animæ, quæ venerunt cum Iacobo in Ægyptum, &c. fuerunt sexaginta & sex*; vocem הבאה habere accentum in ultima, ac esse præsentis temporis; q. d. *cum exibant in terra Canaan, ut irent in Ægyptum, non fuerunt nisi sexaginta & sex.* At ver. 27. ubi dicitur, כל הנפש לבית יעקב הבאה מצרימה שבעים, *Omnes animæ domus Iacobi, quæ venerunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta*; dictionem הבאה esse penacutam, ac præteriti temporis, propterea quod postquam in Ægyptum venissent, fuerunt septuaginta, cum nimirum istic invenerint Josephum, ac duos filios ejus; atque insuper etiam eis addita fuerit Jochebeda, בין החומות, i. e. *Inter muros, in ipso ingressu in Ægyptum,* edita. Ista observatio R. Salomonis de differentia inter הבאה ver. 26. & הבאה ver. 27. etiam Mercero placuisse videtur; mihi argutior videtur quam solidior. Istam autem opinionem de Jochebeda hic inter triginta tres numerata, non solum R. Salomoni, sed & aliis etiam Rabbinis arrisisse testatur Manasses Conciliat. quæst. 62. in Gen. ubi etiam refert R. Levi (*f*) Ben Gersom, & Abrabaneelem cum Aben Ezra sentire, nempe in hisce triginta tribus ipsum Jacobum esse comprehensum. Atque hoc ego omnino amplectendum puto. Cum enim Num. 26. 59. diserte dicatur, Iochebedam in Ægypto natam fuisse, idque post Israelitarum in Ægyptum ingressum, quorsum hic inter eas, qui una cum Iacobo in Ægyptum descenderunt, numeraretur? Manasses loc. cit. ait, *superfluum videri, declarare ubi nata esset Iochebeda*; ac propterea ex Rabbinis nonnullos conjectare, eam extra Ægyptum conceptam, in ipso autem limitum ejus ingressu natam fuisse; ideoque non adnumerari eam animis, quæ cum Iacobo fuerunt, & tamen non excludendam ex numero triginta trium, quia eum impleat. At 1. numerus iste absque ea, numerato scil. Iacobo, impletur; atque hoc quidem ratione multo commodiore, quam si ea ad implendum numerum in istis 33. comprehensa intelligatur. 2. Si non adnumeratur animis quæ cum Iacobo fuerunt, tum ex numero 33. excludatur oportet, cum numerus iste ex iis, qui cum Iacobo fuisse dicuntur, incluso tamen ipso Iacobo, assurgat. 3. Superfluum videri non debet, Mosen declarasse Iochebedam natam fuisse in Ægypto, cum Levi pater ejus, antequam in Ægyptum venerit, filios habuerit. Nullus igitur locus commento isti de Iochebeda inter muros nata relictus videtur.

20. *Et Iosepho in terra Ægypti nati fuerunt Manasse & Ephraim.*] LXX hic addunt, ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Μανασσῆ, &c. *Fuerunt autem filii Manassis, quos ei peperit concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad. Filii autem Sutalaam, Edom.* Hebræus textus ista non agnoscit; sed nec in Chaldaicis Paraphrasibus, nec in vulgata Versione apparent. Hieron. etiam in Tradit. diserte monet ea esse addita; non enim illo tempore, quo ingressus est Iacob Ægyptum, ejus ætatis fuisse Ephraim & Manassem, ut filios generare potuerint.

21. *Et filii Benjamin, &c*] In recensione filiorum Benjamin. LXX etiam ab Hebræo textu variant. Sic enim habent; υἱοὶ δὲ Βενιαμὶν, Βαλὰ &c. *Filii autem Benjamin, Bala, & Bochor, & Asbel. Fuerunt autem filii Bala, Gera, & Noëman, & Anchis, & Rhos, & Mamphim. Gera autem genuit Arad.* At in Hebræo, consentientibus Onkelo & Ionathane, & vulgato Latino interprete, decem filii Benjaminis recensentur, nempe, *Bela, Becher, Ashbel, Gera, Naaman, Achi, Rosh, Muppim, Huppim, & Ard.*

26. *Sexaginta & sex.*] Adde his Iacobum ipsum, Iosephum ejusque duos filios, & fiunt septuaginta, prout numerantur ver. 27.

27. *Et filii Joseph, qui nati ei fuerunt in Ægypto, duæ animæ.*] Sic Heb. Chald. & vulg. Lat. At LXX, υἱοὶ δὲ Ἰωσὴφ οἱ γενόμενοι αὐτῷ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, ψυχαὶ ἐννέα, *filii autem Ioseph, qui nati ei in terra Ægypto, animæ novem.* At si addamus quinque illos, quos isti Interpretes addunt ver. 10. non sunt nisi septem.

Omnes

(*a*) Ovid. epist. 1. (*b*) Vide ad cap. 42. 2. (*c*) Exod. 1. 5.

(*d*) Deut. 10. 22. (*e*) Vide ad cap. 29. 6. (*f*) Lyra inter 33. numerat Er & Onam, exclusa Dina. At, ut recte notat Mercerus, Moses non nisi eorum catalogum texit, qui in Ægyptum descenderunt, vel saltem in Ægypto fuerunt: ac propterea diserte monet Er & Onan in terra Canaan obiisse, innuens eos hoc catalogo non esse comprehensos. Vide ver. 8. & ver. 26.

Omnes animæ domus Iacobi, quæ venerunt in Ægyptum, septuaginta.] (*a*) Miror Gualtperium in Collatione sua hunc locum, præter alia antea notata, non animadvertisse, cum scriberet, *Nihil in hoc capite occurrere, quod notabilem aliquam inter Interpretes pariat diversitatem.* Nam certe cum alibi in hoc capite, tum hoc ipso loco LXX multum ab Hebræo textu pariter ac ab aliis Interpretibus sunt diversi. Pro *septuaginta* enim hic habent, ἑβδομήκοντα πέντε, *septuaginta quinque.* Numerant quippe filium nepotemque Manassis; item duos filios & nepotem Ephraim. Hieron. cum quinque istos additos esse monuisset (ut antea est notatum) etiam hunc errorem corrigit; *Ex quo* (inquit) *manifestum est, omnes animas, quæ ingressæ sunt Ægyptum de fœminis Iacob, fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Ioseph scilicet cum duobus filiis ejus; septuagesimus autem ipse fuerit Iacob.* Ad illud autem Act. 7. 14. respondens, *Facilis* (inquit) *est excusatio. Non enim debuit sanctus Lucas in gentes actorum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata, & utique majoris opinionis illo duntaxat tempore LXX Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ, &c.* Vide ad cap. 47. 21.

28. להורות לפניו *Ad instruendum ante ipsum.*] Onkelos, לפנאה קדמוהי, *ad præparandum ante ipsum.* Huic astipulatur R. Salom. כתרגומו לפנות לו מקום ולהורות האיך יתישב בה קודם שיגיע לשם, i. e. *Iuxta Chaldaicam ejus interpretationem, ad parandum ipsi locum, & ad instruendum, ubinam habitandum esset, antequam eo perveniret.* Similiter Targum Hierosol. & Targ. Ion. *ad parandum ei locum, ubi habitaret.*

29. *Et flevit super collum ejus* עוד *adhuc, vel amplius.*] עוד לשון הרבות בכיה inquit R. Salom. i. e. *vox* עוד *significat eum multum flevisse.*

30. *Moriar jam, &c.*] Chald. *Si ego hoc tempore moriar, consolationem habebo, postea quam faciem tuam vidi, &c.* Atque hunc esse literalem sensum asserit R. Salom. פשוטו כתרגומו, i. e. *Literalis sensus is est, quem expressit Chaldæus Paraphrastes.*

34. *Nam omnis pastor abominationi est Ægyptiis.*] *Propterea quod pecora Ægyptiorum dii fuerunt,* (*b*) ut exponit R. Salom. Aben Ezra ait, *hoc indicio esse, Ægyptios illis temporibus carnibus vesci non fuisse solitos.* Atque addit, *Indos* (אנשי הודו) *ad hunc usque diem nec edere, nec bibere quicquam, quod* מחי מחיים, i. e. *ab animante provenit.* Mercerus refert, quosdam literis prodidisse, *non licuisse Ægyptiis mactare nisi quatuor genera animalium, boves, sues, vitulos, & anseres. Agnis igitur & ovibus abstinuisse, quorum mactatio cum Hebræis frequens fuerit, non mirum si Hebræos abominabiles duxerint.*

(*a*) Gualtperius forte de diversitate in vocibus interpretandis intellexit. (*b*) Vide cap. 43. 32.

CAP. XLVII.

MUNSTERUS.

2. **E**T *de extremis*] Hebraice, *de extremitate fratrum suorum,* h. e. qui abjectiori erant aspectu & persona: ne, si robustiores adduxisset, Pharao illos in militiam traxisset. Alii מקצה exponunt pro מקצת, ut sit sensus, *Accepit quosdam*; nempe quinque, non omnes.

4. *Intolerabilis*] Hebraice, *gravis.*

6. *In terra bona*] Heb. *in eo quod bonam facit terram.* Scribitur enim hic participium Hiphil masculinum. Chaldæus sic habet, *in eo quod pulchrum est in terra.*

7. *Benedixit*] Capitur hic *benedicere* pro שאלת שלום, i. *salutem imprecari.*

9. *In diebus peregrinationum*] h. e. Quibus illi peregrinati sunt.

11. *Rameses*] Regio hæc optima fuit intra terram Gosen.

12. *Juxta morem puerorum*] Hebraica habent, *ad os parvulorum,* vel capitur כפי pro לפי, *sicut parvulos nutrivit eos,* vel *egit cum eis sicut fieri solet cum pueris.*

13. *Affligebatur*] Hebraicam vocem ותלה, cujus radix est להה, Kimhi exponit pro נתמהמה, i. *rabida facta est.* Sed R. Saadias dicit להה idem esse quod לאה, i. *fatigabatur terra,* &c

17. *Sustentavit eos*] Significat נהל proprie *ducere,* & *sic ducere ne pereas aut erres per viam*: hic vero capitur pro *nutrire.*

19. *Agri nostri*] Hebraismus habet, *terra nostra,* seu *humus nostra*; scilicet inculta perit, sicut paulo post explicatius scribitur.

21. *Populum vero transtulit*] Seu, ut Hebraica habent, *populum transire fecit Joseph de civitate in civitatem,* in signum quod nihil proprii amplius haberent in terra.

22. *Constitutum habuerunt*] Constituerat Pharao sacerdotibus certam panis portionem & demensum, quod illis quotidie dabatur; unde Onkelos hic pro חק exponit חולקא, i. *pars.*

24. *In proventibus ejus*] Cum scilicet advenerit tempus messis, & agri proventum suum tulerint, dabitis Pharaoni quintam partem.

27. *Detenti*] Hebraice, *& apprehensi sunt in ea,* pro, *manserunt in ea.*

29. *Pone manum,* &c.] Hebraismus est pro *jurare.* Jurabant autem patres manu sub femore posita, quod illic in locis genitalibus esset signum sacrum Divini fœderis, sicut supra quoque meminimus. Et quod sequitur, *Fac mecum misericordiam & veritatem*] sensus est, Fac mihi hoc beneficium bona fide, ut non sepelias me in Ægypto.

31. *Versus caput*] Aut, si mavis, *super caput,* vel *ad caput lecti.* Nam hæc omnia significat præpositio על secundum quod magis sententiæ congruerit.

FAGIUS.

2. **E**T *partem fratrum suorum tulit,* &c.] i. Ex fratribus accepit quinque homines. Et istam quoque sententiam habent LXX. Ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ παρέλαβε πέντε ἄνδρας. קצה Hebræis *finem, terminum, extremitatem* significat. Inde מקצת, nomen denominativum. Abutuntur autem Hebræi hac voce pro *quidam* & *quædam,* eo quod extremitas sit pars in integro & toto aliquo. Alii sic legunt, *Et de summa fratrum suorum tulit quinque,* &c. q. d. De tota summa fratrum suorum sumpsit quinque, &c. Ut sit Metalepsis, *finis* pro *summa,* rationis enim finis est summa. Eadem fere hæc sententia cum priore est. Porro quidam in hunc sensum accipiunt, *Et de extremitate fratrum suorum.* &c. sive *Extremos fratrum suorum,* &c. i. eos qui abjectiori erant aspectu & persona, ne, si robustiores adduxisset, Pharao illos in militiam traxisset. Vel contrario modo, ut scilicet intelligas præstantiores, qui cæteris proceritate & viribus corporis superiores erant, adductos fuisse à Ioseph in conspectum Pharaonis. Nam vox מקצה sive קצה in utramque partem ab Hebræis, etiam in sacris Scripturis, sumitur, ubi vel de abjectioribus & infimæ sortis hominibus, vel de præstantioribus sermo est. De posteriori locus est Iudic. 18. 2. וישלחו בני דן ממשפחתם חמשה אנשים מקצותם אנשים בני חיל: *Miserunt ergo filii Dan ex cognatione sua quinque viros, de extremitate sua, viros exercitatos in militia,* &c. Ubi per מקצותם, sicut ex ipso contextu claret, non abjecti & vulgares, sed peritiores & præstantiores intelliguntur.

6. *Terra Ægypti coram te est,* &c.] *Coram aliquo,* sive *in conspectu alicujus, quippiam esse* dicitur schemate Hebraico, quod in potestate & arbitrio alicujus esse perhibetur, q. d. Pharao, Offero tibi totam Ægyptum: elige quam partem voles pro patre tuo. Dein quod sequitur, *In meliori loco fac habitare,* &c.] sensus probe redditus est. Nam ad literam dicitur, *In eo quod pulchrum est in terra*; q. d. in amœno, fertili, & optimo loco terræ. ¶ *Viros robustos*] Ad literam est, *homines,* sive *viros, virtutis, roboris, fortitudinis*: quod non tantum de corporis sed & animi robore intelligendum. Unde non infeliciter legit vetus Latina editio, *Quod si nosti in eis viros industrios,* h. e. aptos, peritos, & gnaros pecoris alendi.

5. *Et benedixit Jacob Pharaoni*] Late accipitur Hebræis *benedicendi* verbum; hic pro *salutare, salutem imprecari, collaudare,* sive *gratias agere*: Ut sit sensus, *Benedixit,* i. salutavit, sive salutem imprecatus est Pharaoni; atque ita gratias egit quod se, quod suos, tantopere diligeret ac extulisset.

9. *Pauci & mali fuerunt dies,* &c.] Vult dicere, Si vita mea conferatur cum vita majorum meorum, brevis est & parum felix.

12. *Panem scilicet præbens secundum parvulos*] Ad verbum est, *Secundum os parvulorum.* Hebraismus autem est: q. d. Pro ratione parvulorum, secundum numerum eorum, juxta numerum familiarum præbuit eis cibos. Sunt tamen qui putant etiam hunc sensum subesse posse, quasi innuatur, Iosephum

tanto studio aluisse patrem suum, cum tota domo sua, quanto studio pueri infantes ali solent. Verum prior lectio simplicior esse videtur, quam & R. D. K. approbat; qui ita exponit, לפי שיעור הטף *secundum mensuram, rationem, seu numerum parvulorum.* Ut sit sensus, Quod unicuique fratri cibum suppeditarit prout familiam vel paucam vel multam habebat.

13. *Et deficiebat populus terræ*] R. D. K. legit, *Et rabida facta est terra Ægypti*, &c. Significat enim juxta illum verbum ותלה *præ nimia fame ad insaniam & rabiem agi.* Alii legunt, *& fatigabatur terra*, כאדם תלואה לאו ידע מה לעשות; i. *sicut qui fatigatur, ut nesciat quid faciat.* Complutensis editio habet, *Et deficiebat populus*; &c. quam secuti sumus.

15. *Quare moriemur coram te?*] Paulo ante dixi v. 6. per istam locutionem, *coram te*, arbitrium & potestatem quam aliquis habet significari; ita & hoc in loco. Perinde enim est ac si dicant, Tu posses nobis succurrere, & à morte liberare; cur igitur vides & permittis quod ita fame pereamus?

21. *Populum itaque transtulit*, &c.] Hæc translatio fuit, ut singuli ea loca & sedes ubi antea habitaverant mutare, atque alio migrare cogerentur; in signum videlicet, quod nihil proprii amplius haberent in terra. Lxx & Latina Vulgata editio non satis exprimunt vim & energiam istius loci, ut exstat in veritate Hebraica & Chaldaica: subjectionis enim qua populus Pharaoni subditus fuit tantum, non etiam translationis ex sedibus suis, mentionem faciunt. Tradunt autem Hebræi istam populi translationem factam à Josepho propter fratres, qui cum antea ab Ægyptiis tanquam exsules & peregrini vexarentur & affligerentur, hac ratione istam insultationem ac vexationem ab eis abstulit, cum jam universus populus quasi extorris, exsul & peregrinus factus esset, nemoque aliquid proprii amplius in terra Ægypti haberet.

22. *Portio dabatur sacerdotibus*, &c.] i. Alebat eos Pharao proprio sumptu: ideo habebant unde viverent, nec præ penuria cogebantur vendere possessiones suas.

31. *Adoravitque Israel super caput lectuli*] De adoratione sive incurvatione ista Jacobi, quid sibi ea voluerit, variæ sunt sententiæ. Quidam putant factam in honorem Josephi, eo quod magistratus & princeps Ægypti esset. Alii, in reverentiam שכינה (ut loquuntur Hebræi) i. *præsentiæ Divinitatis*, quam ad caput ægroti assistere Judæorum tenet opinio. Alii, quod pro beneficio illo, quod à Josepho filio suo impetraverat, de consepeliendo scilicet se cum fratribus suis, Deum ita collaudaverit ac gratias egerit. *Adorandi* enim verbum pro *collaudare* ac *gratias agere* non raro in Scripturis usurpatur. Hanc lectionem habet Thargum quoque Hierosol. ושבח ישראל על ריש ערסיה, *Et laudavit, seu gratias egit, Israel super caput lectuli.* Atqui hæc sententia arridet & D. Hieronymo, qui in Quæstionibus suis Hebraicis sic scribit, *Et dixit ei, Jura ergo mihi. Et juravit ei: & adoravit Israel contra summitatem virgæ ejus.*] *Et in hoc loco quidam frustra simulant adorasse Iacob summitatem sceptri Ioseph, quod videlicet honorans filium, potestatem eius adoraverit: cum in Hebræo multo aliter legatur*, Et adoravit, *inquit*, Israel ad caput lectuli; *quod scilicet postquam ei juraverat filius, securus de petitione quam rogaverat, adoraret Deum contra caput lectuli. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppressus senectute, sic habebat lectulum positum, ut ipse jacentis habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus.* Hæc ille. Simile quiddam & de Davide legimus, quomodo jam mortis tempore instante, super lecto suo quo decumbebat, Deum adoraverit, atque illi gratias egerit pro filio suo Salomone, quod is, se adhuc vivente, in regnum inauguratus esset. Sic enim de illo habet Scriptura, 1. Reg. 1. 47, 48. *Adoravitque rex super lectum. Insuper & ita dixit rex, Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem super solium meum, videntibus oculis meis.* Nonnulli istam adorationem ob religionem juramenti à Joseph præstiti, in quo Dei contestatio invocatioque fiebat, à Jacob factam arbitrantur. Mihi duæ posteriores sententiæ præ cæteris probantur; ut vel isthæc adoratio, collaudatio Dei, ac gratiarum actio pro impetrato à filio sepulturæ officio fuerit, vel juramenti divini religio quædam. Sunt porro qui *adorandi* verbum hoc in loco simpliciter pro *inclinare* & *incurvare* exponunt, hoc sensu, Quod Iacob senex ac decrepitus pater jam longa oratione cum Ioseph habita defatigatus morboque degravatus, se rursum ad caput lectuli, requiem capturus reclinarit. Lxx. decepti vocum similitudinem מטה *matteh*, quod *virgam baculumve* significat, pro מטה *mittah*, quod *lectum* denotat, legerunt. Facile enim fit ut alterum pro altero, si puncta demas, legatur. Quæ res etiam argumento est, ætate Lxx. Hebraica Biblia non fuisse punctata: haud enim alioqui ita in plerisque locis impingere potuissent. Lectionem vero Lxx sequitur author epistolæ ad Hebræos, c. 11. 21. Nam, ut scribit D. Hieronymus, *Sancti Apostoli, aut Apostolici viri, ubicunque ad populos loquuntur, his plerunque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.* Neque etiam idem ac concors versionis Lxx apud omnes intellectus est. Quidam enim sic intelligunt, quasi Iacob patriarcha non virgam Iosephi, sed regnum Christi (quod intelligebat ejus sceptro designari) adoraverit. Alii sentiunt senem suo baculo innixum Dominum adorasse: quæ sententia placet D. Augustino, qui pro αὐτοῦ, αὑτοῦ, vel ἑαυτοῦ, legendum putat.

IDEM.

2. ומקצה אחיו לקח חמשה אנשים, *Et de extremis fratrum suorum tulit quinque viros.*] Variatio est in vocabulo מקצה. Quidam enim legunt, *de extremitate fratrum suorum accepit quinque viros*, i. de extremis & abjectioribus, qui scilicet abjectiori erant aspectu & persona, ne si robustiores adduxisset, Pharao illos in militiam traxisset. Ita explicat R. Salomo, quam sententiam habet Vulg. editio. Quia vero קצה Hebræis *extremitatem* & *finem* significat, ideo alii per Metalepsim pro *summa* accipiunt, ut sit sensus; quod Ioseph de tota summa fratrum suorum quinque assumpserit, quos statuit ante Pharaonem, ut מקצה partem de toto significat, q. d. partem fratrum suorum accepit, nempe quinque, &c. Atque hunc sensum secuti sunt Lxx. Hunc locum quia copiosius tractavi in Annotationibus meis super Biblia Chaldaica, ad eas te remitto.

12. ויכלכל יוסף את אביו ואת אחיו ואת כל בית אביו לחם לפי הטף, *Cibavit quoque Ioseph patrem suum, & fratres suos, & totam domum patris sui panibus juxta morem puerorum.*] Variatio est circa illa לפי הטף, quæ si ad verbum transferas, sonant, *ad os parvulorum.* Quæ quidam hunc sensum habere volunt, q. d. sicut parvulos, ut לפי idem valeat quod כפי, *juxta, sicut*: ut sit sensus, Iosephum tanto studio aluisse patrem suum, cum tota domo sua, quanto studio pueri infantes ali solent. Alii sic intelligunt, quod unicuique dederit suam portiunculam cibi, tam pueris quam adultis. Kimhi ad hunc modum explicat, לפי שיעור הטף, *secundum mensuram, seu numerum, parvulorum*: ut sit sensus, Unicuique ex fratribus suis cibum, alii plus alii minus, prout liberos & familiam habebat, suppeditasse. Atqui hunc sensum, qui genuinus est, secuti sunt Lxx & Vulg. editio. Est ergo לפי הטף *ad os parvulorum* Hebraismus pro, Ratione parvulorum & juxta numerum eorum.

20. 21. ותהי הארץ לפרעה: ואת העם העביר, *Factaque est terra Pharaonis. Populum vero ipsum*, &c.] Licet Lxx & autor Lat. Vulg. editionis sensum aliquo modo expresserint, tamen Hebræa sunt clariora & magis emphatica: non enim simpliciter subjectionis qua populus Pharaoni subditus fuit mentionem faciunt, sed & rationem, modum atque ceremoniam qua ipse Joseph in subjiciendo populo Pharaoni usus fuit, exprimunt. Quæ nempe fuit, quod populum per universam terram Ægypti de civitatibus in civitates transtulit, ita ut unusquisque sedem suam ubi prius habitaverat mutare atque alio migrare cogeretur. Quod eam ob causam à Ioseph potissimum factum esse adserunt Hebræorum commentatores, maxime R. Salomo, ut non tantum ostenderet Ægyptios nihil proprii amplius in terra habere, sed ut ista ratione opprobrium quoque à fratribus suis, quos Ægyptii tanquam peregrinos exsules aspernabantur, tolleret; cum jam universus populus Ægypti exsul factus esset, nihilque proprii in terra haberet. Quidam ex nostris verbum העביר, *fecit transire*, forense faciunt, pro, in potestatem venire sive redigere, q. d. Non solum tellus ipsa facta est Pharaonis, sed & populum ipsum oppidatim proprium fecit Pharaoni, de suo jure in jus Pharaonis fecit transire: Nec desunt qui putant forte in vetustioribus exemplaribus scriptum העביד, i. *servire fecit*; ex quo factum sit העביר, quod facile fieri potuit, mutato Daleth in Res. Cui adstipulari videntur Lxx sua versione, qui per καταδουλοῦν, quod *in servitutem redigere* significat, transtulere. Sed manifesta sunt Hebræa, quæ satis etiam luculenter Paraph. Chaldæus expressit: nec est ut nodum in scirpo faciamus.

31. וישתחו ישראל על ראש המטה, *Adoravitque Israel versus caput lectuli.*] Variatur ab expositoribus in verbo וישתחו, eo quod ambiguum est ad *incurvationem* & *adorationem*. Dein & in voce המטה, quæ juxta diversitatem punctorum diversa significata habet. Nam si legas מִטָּה *Mittah*, *lectum* significat; nomen deductum à verbo נטה, i. *inclinavit*; hinc מטה *lectus* dictus, quod quietis gratia in eo fit reclinatio: sicut & Græcis κλίνη similem ob causam dicitur. Quod si מַטֶּה *Matteh* legas, *virgam*, *baculum* sive *sceptrum* significat. In priore significatione omnes Hebræi hic accipiunt, sicut & Lat. Vulg. editio. Varie autem hæc Iacob Patriarchæ incurvatio seu adoratio

ratio

ratio, quæ ad caput lectuli facta est, etiam ab Hebræis intelligitur. Vide supra.

VATABLUS.

2. *ET de extremis fratribus suis*, ומקצה אחיו] Ad verbum ut ם sit præpositio, *Et de extremitate fratrum suorum*, i. Aliquot ex fratribus suis accepit; sive, *Et partem fratrum suorum*, ut ם sit formativum nominis: h. e. Ex fratribus accepit quinque homines. Et istam quoque sententiam habent LXX. קצה Hebræis *finem*, *terminum*, *extremitatem* significat. Abutuntur autem Hebræi hac voce pro *quidam* & *quædam*; eo quod extremitas sit pars in integro & toto aliquo. Alii sic legunt, *Et de summa fratrum suorum tulit quinque*, q.d. De tota summa fratrum suorum sumpsit quinque: ut sit metalepsis, *finis* pro *summa*. Rationis enim finis est summa. Eadem fere hæc sententia cum priore est. Porro quidam in hunc sensum accipiunt, *Et de extremitate fratrum suorum*, sive *extremos fratrum suorum*, i. eos qui abjectiori erant aspectu & persona; ne, si robustiores adduxisset, Pharao illos in militiam traxisset. Vel contrario modo, ut scilicet intelligas præstantiores, qui cæteris proceritate & viribus corporis superiores erant, adductos fuisse à Joseph in conspectum Pharaonis. Nam vox מקצה sive מקצות in utramque partem ab Hebræis etiam in Sacris scripturis sumitur, ubi vel de abjectioribus & infimæ sortis hominibus, vel de præstantioribus sermo est. De posteriori locus est Jud. 18. 2. *Miserunt ergo filii Dan ex cognatione sua quinque viros de extremitate sua, viros exercitatos in militia*, &c. Ubi per קצותם (sicut ex ipso contextu claret) non abjecti & vulgares sed peritiores & præstantiores intelliguntur. Nonnulli, quoniam Hebræis קצה utramque extremitatem sonat, principii scilicet ac finis, assumptos fuisse ex primis & ultimis arbitrantur, ut illorum intuitu de omnium ætate judicium Rex faceret.

3. *Pastores*, רעה] Sing. Hebr. pro plur. ¶ *Etiam nos*, &c. גם אנחנו גו'] Hebraismus, acsi dicat, *Erant patres nostri pastores, nos quoque pastores sumus*; vel *Sicut nos sumus pastores, sic & illi erant.* Aut, *Non modo nos sumus pastores, sed etiam patres nostri fuerunt pastores.* Quidam exponunt, *Quemadmodum & majores nostri*: sive, *artem majorum nostrorum exercemus.* Sic & supra cap. 44. 16. *Servi domini mei sumus, etiam nos, etiam ille*, i. Nos etiam sumus servi quemadmodum & ille, vel non modo ille, sed etiam nos. Vide Jer. 51. 12.

4. *Ut peregrinemur*, לגור] *Ad habitandum, ut habitemus.*

5. *Venerunt ad te.* באו אליך] *receperunt sese ad te.*

6. *Terra Misraim coram te est.* ארץ מצרים לפניך הוא] Hebraismus, *In potestate & arbitrio tuo est*, q.d. Offero tibi totam Ægyptum, elige quam partem voles pro patre tuo. ¶ *Quod sint*, &c. ויש בם גו'] Ad verb. *& sint inter illos viri virtutis*, vel *roboris*, sive *fortitudinis*: quod non tantum de corporis sed & animi robore intelligendum. Propterea Vetus interpres vertit, *Si nosti in eis viros industrios*, h. e. peritos & gnaros pecoris alendi.

7. *Et salutavit*, ויברך] Ad verb. *& benedixit*, i. bene precatus est Jaacob Pharaoni, h. e. salutavit. Late accipitur Hebræis *Benedicendi* verbum, hic pro *salutare*, *salutem imprecari*, *collaudare*, sive *gratias agere*: ut sit sensus, *Benedixit*, i. salutavit, sive salutem imprecatus est Pharaoni, atque ita gratias egit quod suos tantopere diligeret ac extulisset.

9. *Parvi & mali*, מעט ורעים] Ad verb. *paucum quid & mali*, i. pauci & afflictionum pleni, sive infelices, q.d. Poterant adhuc in me vigere sensus integri, nisi quod & continuis laboribus & tristissimis curis & gravissimis miseriis exhaustæ sunt vires. ¶ *Nec attigerunt*, &c. ולא השיגו גו'] Hebraismus, longiorem ætatem vixerunt patres mei.

10. *Et salutavit*, ויברך] Ad verb. *Et benedixit.* Ut paulo ante, v. 7.

11. *Statuit igitur Joseph habitationem*, &c. ויושב יוסף את אביו גו'] Ad verb. *Et habitare fecit Joseph patrem suum & fratres suos.* ¶ *In optimo*, במיטב] i. in optima & feracissima parte.

12. *Usque ad os parvuli.* לפי הטף] Quidam *os parvuli* exponunt acsi aluisset Joseph patrem & totam familiam sicuti pueris in os ingeritur cibus, ac putant emphaticam esse locutionem, quod in fame non magis soliciti fuerint de comparando victu quam pueri, qui ne manum quidem ad cibum extendunt. Alii vertunt *pubem*, quæ Latinis etiam pro *juventute* accipitur. Alii simpliciter accipiunt *pro ratione & numero parvulorum*, & ita doctus inter Hebræos. Genuinus videtur esse sensus, quod omnes à maximo usque ad minimum paverit.

13. *Et defecit*, ותלה] *& insanivit*, vel *acta fuit in rabiem.*

15. *Quumque consumpta esset*, ויתם] *Quumque defecisset*, i. Quum omnes fuissent exhausti pecunia, ut jam vulgo pecunia non sufficeret ad emendum frumentum.

17. *Et sustentavit eos*, וינהלם] Ad verb. *& deduxit eos.* Chald. paraph., *& aluit.*

18. *Vere consumptum est argentum*, אם תם הכסף] *integra pecunia.* Alii vertunt hanc partem versus hoc modo, *Non celabimus dominum meum quod si* [i. quum] *defecerit pecunia, & possessio jumentorum*, quæ tradamus *domino meo*, *nihil est relictum*, &c. ¶ *Et grex jumentorum*, ומקנה הבהמה] *& possessio jumentorum*, i. pecora.

21. *Populum vero*, &c. ואת העם גו'] Ad verb. *Et populum transire fecit ipsum ad urbes*, i. Transtulit populum in diversas urbes, de una urbe in aliam. Hæc translatio fuit ut singuli ea loca & sedes ubi antea habitaverant, mutare, atque alio migrare cogerentur, in signum videlicet quod nihil proprii amplius haberent in terra.

22. *Tantummodo*, רק] *Attamen*, *Verum.* ¶ *Quoniam portio*, &c. כי חק גו'] i. Pharao proprio sumptu alebat sacerdotes.

24. *E frugibus, dabitis*, בתבואת] Ad verb. *Et erit in fructibus, & dabitis*, vel *in proventibus*, i. sed ea lege ut de fructibus detis quintam partem tempore quo fructus colligi solent.

25. *Vivificasti nos.* החיתנו] i. Reservasti in vitam. Restituisti nos in vitam. ¶ *Inveniamus*, &c. נמצא גו'] Hebraismus, *reputabimus hoc pro magno beneficio, si Pharao receperit nos in servitium.*

26. *Ad quintam partem*, לחמש] Hebraismus, pro *indixit Joseph hanc consuetudinem in Ægypto quæ durat usque in præsentem diem, ut quinta pars solvatur Pharaoni*: Ita & Chald. paraph. ¶ *Duntaxat*, &c. רק אדמת גו'] *nisi quod terra sacerdotum, atque ea sola, non facta est Pharaonis.* Chald. paraph. *excepta terra Sacerdotum, quæ sola non cessit Pharaoni.*

27. *In terra Gosen* בארץ גשן] i. in ea parte quæ dicebatur Gosen.

28. *Vixit autem*, ויחי] Hic incipit postrema hujus quinti libri Mosis apud Hebræos sectio, quam appellant à prima dictione hujus versus, ויחי, *Et vixit.* ¶ *Centum*, &c. שבע שנים גו'] Ad verb. *septem anni, & quadraginta & centum anni.*

29. *Et appropinquaverunt*, &c. ויקרבו גו'] i. Sub mortem suam, sive, Paululum ante diem mortis suæ, aut, Quum autem propinquus esset morti, vocavit, &c. ¶ *Si nunc inveni*, &c. אם נא מצאתי גו'] Hebraismus, *Si valeam gratia apud te. Si tibi charus sim.* ¶ *Pone quæso*, &c. שים נא גו'] Quid sibi velit hoc symbolum, dictum est supra c. 24. 2. ¶ *Et facies*, &c. ועשית גו'] Hebraismus, *& præsta mihi jam defuncto hoc beneficium*, vel *jura te haud dubie collaturum in me hoc beneficium, nempe quod non sepelies*, &c. Vide idem genus dicendi supra c. 24. 49. & 40. 14. *Et*, pro *quod.*

30. *Quum dormiero*, &c. ושכבתי גו'] Hic ו pro כאשר Hebraismus, *Quum mortuus fuero, tolles*, sive *auferes me*, &c. ¶ *Secundum verbum tuum.* כדברך] Hebraismus, *quod jubes.*

31. *Jura mihi.* השבעה לי] i. Adhibito juramento pollicere mihi te hoc facturum. ¶ *Et incurvavit se*, &c. וישתחו גו'] *& adoravit Israel ad caput lecti*, vel *in capite lecti.* Gallice, *sur le chevet du lict*; ubi scilicet sedebat: ita enim jacebat ut esset capite erecto. Jacob pro singulari bono ducit, sibi promissum fuisse à Joseph quod petierat de sepultura. Nam ad gratias Deo agendas, quo potest conatu, debile corpus incitat, tanquam potitus re maxime optabili; dicitur enim adorasse ad caput lectuli: quia quum plane assurgere non posset è lecto in quo jacebat, se tamen in formam precantis prono vultu componit. Idem habetur de Davide, 1 Par. 39. 10. quum supremi voti compos factus, Dei gratiam celebrat. Græci verterunt, *ad summitatem virgæ*, quos Apostolus secutus est Heb. 11. 21. Etsi autem similitudine vocis fuisse deceptos apparet. quia apud Hebræos eadem dictio מטה *lectum & virgam* significat pro ratione subjectorum punctorum, (nam מִטָּה *mitta* est lectus, מַטֶּה *matte*, *virga* sive *baculus*) Apostolus tamen sibi permisit locum citari qualis tunc erat in communi usu, ne rudes de nihilo offenderet. Porro qui exponunt Jacob adorasse sceptrum filii, nimis insulsi sunt. Aliorum expositio saltem tolerabilis est, quod baculo innixus caput incurvaverit. Sed quum nulla sit in verbis Mosis ambi-

ambiguitas, sufficiat memoria tenere quod dictum est, gaudii sui magnitudinem hac ceremonia palam fecisse.

CLARIUS.

2. *Extremos quosque fratrum*] h. e. Qui abjectiore erant aspectu & persona: ne, si robustiores adduxisset, Pharao illos in militiam traheret.

7. *Qui benedicens illi*] Capitur hic *benedicere* pro *salutem imprecari.*

11. *Ramesses*] Regio hæc optima fuit intra terram Gessen.

15. *Deficiente pecunia*] h. e. Defecit pecunia; & pecora etiam apud te sunt.

19. *Cur ergo morimur*] Quidam sic vertit, *Quare moriemur in oculis tuis, tam nos, quam agri nostri?* nam inculta terra perire dicitur.

21. *Populos ejus transtulit*] Sive ut Hebraica habent, *Populum transire fecit Joseph de civitate in civitatem*, in signum quod nihil proprii amplius haberent in terra.

31. *Ad lectuli caput*] Senex inclinavit emortuum caput ad caput lectuli sui.

DRUSIUS.

7. *Benedixit*] Benedicit homo homini, cum ei bene precatur. Id fit cum primum accedimus ad aliquem, & cum discedimus ab eo. Qui accedendo benedicit, Latine dicitur *salutare*; Qui discedendo, *valedicere*. Utroque modo Jacob benedixit Pharaoni, & cum eum adiret, Gen. 47.7. & cum ab eo exiret, Gen. 47.10. Sic *benedicere in via* est *salutare*. Elizæus ad Giezi puerum, *Vade*, inquit, *si quem conveneris in via, ne benedixeris ei; & si quis tibi benedixerit, ne respenderis ei.* Latine hoc diceremus, *Ne salutaveris eum; & si quis te salutaverit, ne resalutaveris.* Nam respondet in benedictione qui vicissim salutat. Verba Tertulliani hunc locum sic explicantis habentur lib. 4. adv. Marcion. quibus addit, *Quæ est enim inter vias benedictio, nisi ex occursu mutua salutatio?* Sic accipies 1 Sam. 13.10. *Egressus est Saul obviam Samueli ad benedicendum ei.* Nam sensus est, Ad gratulandum ei de adventu. Formula salutationis erat, *Pax tibi*, aut *Salvus tu sis*, quod Ebraice dicunt שלום לך, & utuntur in fine literarum pro *Vale*. In quo genere sermonis שלום non est nomen abstractum, sed concretum, h. e. non significat *pacem*, sed *salvum* & *incolumem*.

30. *Cubabo cum patribus meis*] Sensus, Si cubuero; vel certe, Cum cubuero. *Si* pro *Cum* sumitur in illo, *Si erit Jobilam:* item in illo, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cubare* autem & *dormire* differunt. Nam cubat, qui non dormit; & dormit, qui non cubat. Cubat etiam ægrotus, licet non dormiat. Tamen est cubatio quædam quæ ab Ebræis dicitur שכיבת שנה *cubatio somni.* Ea parum aut nihil differt à *dormitione:* unde ubi nos hodie legimus, *Cubavi & dormivi*, Vetus editio habet, *Dormivi & somnum cepi.* Idem aliter. Nam somnum capit qui dormit, & contra. Memoratur & κοίμησις ὕπνου Ioh. 11.13. quæ Ebraice diceretur שכיבת שנה. Mortuos autem *dormientes* vocare, qui Syriacæ linguæ proprium esse scribit, errat. Nam Dan. 12.2. nuncupantur *dormientes terræ pulveris*, ubi ישני in fonte, & 1 Reg. 1.21. שכב simpliciter usurpatur de morte. Id fere semper *dormio* interpretantur: unde שוכבים *dormientes*, i. mortui, quos Homerus εὕδοντας appellat. *Cubantes* qui vocaret eos nondum novi. Quocirca non male vertit Hieronymus hoc loco *dormiam*; & Lxx, κοιμηθήσομαι. Nam qui dormiunt, fere cubantes dormiunt: unde non mirum si *cubare* pro *dormire* ponatur. Quod noto propter eos qui nimis anxie ista distinguunt. *Cubare*, inquiunt, שכב dicitur, & *dormio* ישן. Concedo, si mihi hoc dederis, שכב aliquando usurpari pro ישן *dormio*; & cum de morte sermo est, melius dici *dormientes* quam *cubantes* aut *jacentes.* Hinc sepulcrum vocatur בית דמכא *domus dormitionis* Iob. 14.12. in Thargum. A. κοιμᾶν Græce dicta κοιμητήρια, quod Latine sonat *dormitoria:* nos *sepulcreta* vocamus. Tantum de verbo שכב.

31. *Adoravit ad caput lecti*] i. המטה. Si legas aliis vocalibus, מטה sonat *virgam* aut *baculum.* Olim cum aberant puncta, tam hoc quam illud legi poterat. Igitur unum legerunt Lxx. Senes, & Apostolus Hebr. 11. alterum, Hieron. Onkelos, Ionathan, & alii. Sed quem adoravit? Deumne, an Iosephum filium? Quidam existimant hoc facto completum fuisse somnium Iosephi de *adoratione solis.* Nam *solem* interpretantur patrem ejus: à quo si eum adoratum fuisse antea quispiam diceret, non admodum reclamarem. Nam erat eo tempore in usu adorationis ratio quædam civilis, de qua vide Observationes meas. Ita certe Abraham adoravit filios Heth. Hoc posito, dicamus aliquid de punctis vocalibus: nam id hodie in magna controversia est. Ego sic sentio, vocales consonantibus coævas esse. Quid igitur, inquis, controvertitur? Vulgo eas semper adscriptas fuisse asserunt, nos negamus. Qui adfirmat, probare tenetur quod adfirmat. De his punctis vocalibus loquor quæ sunt nunc in codicibus Ebræis. Quis veterum eorum meminit? quis interpretum usus est? Definio tempus, ante Hieronymum. Semper, inquiunt, fuerunt Biblia punctata in Templo. Quis hoc dicit? ubi testis? ubi exemplum? Nam quod ex Zohar adferunt, liber ille tam vetus non est, nec à Iohai filio conscriptus fuit, sed ab ejus discipulis. Christus ait, *neque apex, neque iota.* Ecce *apices*, i. vocales. Loquitur ibi Christus de apicibus literarum, non de apicibus vocalium. Ratio, quia tunc apices vocalium nulli erant. Sed hoc est τὸ κρινόμενον. Recte; & ideo qui adversam opinionem tuetur, debet probare apices eo tempore fuisse. Nam si non fuerunt, de iis locus ille intelligi nequit. De apicibus literarum loquitur Hieronymus cum ait Res & Daleth solo apice distingui.

IDEM.

9. ימי שני מגורי. A. ἡμέραι ἐτῶν τῆς προσηλυτεύσεώς μου, *dies annorum peregrinationis meæ*] Alias, *incolatus mei.* Sensus est, Quibus advena & peregrinus fui. Nam προσήλυτος *advena:* unde A. fecit verbum προσηλυτεύειν Psal. 120.5. כי גרתי, ὅτι προσηλύτευσα. Hinc προσηλύτευσις. Strictius accipitur pro eo quod Ebræi dicunt התגייר *proselytum fieri. Proselytus* autem dicebatur qui ex aliis nationibus progenitus in fidem & consortium populi Dei, accepta circumcisione, transierat.

22. כי חק לכהנים. A. ἀκρίβασμος γὰρ τοῖς ἱερεῦσιν. Sym. σύνταξις γὰρ ἦν τοῖς ἱερεῦσιν] § Ἀκρίβασμος, *statutum quod exacte observandum proponitur.* In Edit. Rom. Lat. *Consuesse autem Aquilam ἀκρίβασμον vocare constitutionem & ordinationem constabit ex aliis locis.* Sic Psal. 94.20. עלי חק. A. ἐπὶ ἀκριβασμόν. Psal. 2. אל חק. Schol. ἱερουσ ἀκριβασμόν. Noli dubitare quin sit declaramentum Aquilæ. Exstat & in editione τῶν ὁ. Prov. 8. ἐν τῷ τιθέναι τῇ θαλάσσῃ ἀκρίβασμον αὐτῆς. Exod. 13.10. החקה alius ἀκρίβασμον: alius πρόσταγμα. Lxx. νόμον. Hieron. *cultum.* § Σύνταξις, *constitutio.* Psal. 94.20. חק. Sym. πρόσταγμα, *præceptum.* Sic etiam Theodotio. Nec aliter Lxx. Psal. 2.

27. ויאחזו בה ויפרו. A. κατεσχέθησαν καὶ ηὐξήθησαν, *detenti fuerunt & aucti fuerunt*] Κατεσχέθησαν vero, *detenti fuerunt.* Nam κατέχομαι, *detineor, retineor.* אחז *teneo*, נאחז *teneor*; unde fut. בה ויאחזו, *& retenti fuerunt in ea.* Alii, *tenuerunt eam*, i. possederunt. Notum ut κατοχὴ sit *possessio.* Hæc etiam κατάσχεσις dicitur; Ebraice vero אחזה Psal. 2. & alibi.

31. וישתחו ישראל על ראש המטה. A. προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ κεφαλὴν τῆς κλίνης, *& adoravit Israel ad caput lecti.* Sym. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης, *ad summitatem lecti*] § Ἐπὶ κεφαλὴν alibi, ἐπὶ κεφαλῆς. Nam libri variant. § Τῆς κλίνης. Ut nunc quidem legunt, optime & rectissime. Olim, cum puncta abessent, Lxx viri legerunt המטה *virga*, sive *baculi:* quod Apostolus retinuit Hebr. 11. Cæterum המטה legerunt olim præter Hieronymum, Onkel. & Jonathan, itemque autor Jerosolymitanæ. Vide Hieronymi Quæstiones in hunc locum.

NOTÆ MAJORES.

1. *Venit autem Joseph & indicavit Pharaoni & dixit, Pater meus & fratres mei & oves eorum & boves eorum & omnia quæ habent venerunt è terra Chanaan: & ecce ipsi sunt in terra Gosen.*

Venit] ingressus est vel ivit. § *Oves*] τὰ κτήνη Lxx. quod interpretantur pecora sive pecudes. Sic accipitur id nomen 1 Macch. 1.50. Legimus alioqui Apoc. 8. καὶ κτήνη καὶ πρόβατα. Euthymius ad Psal. 8. κτήνη *juxta etymologiam animalia omnia intelliguntur, quæ prona in terram aspiciunt.* Lex. vet. κτῆνος jumentum, κτηνοτρόφος, jumentarius. § *Boves eorum*] ובקרם οἱ βόες αὐτῶν. Lxx. *armenta eorum.*

2. *Et partim fratrum suorum accepit, videlicet quinque viros & statuit eos coram Pharaone.*

3. *Dixitque Pharao fratribus ejus, Quænam opera vestra? & dixerunt Pharaoni, Pastores ovium servi tui, tam nos quam patres nostri.*

4. *Am-*

4. Amplius dixerunt, Ad peregrinandum in terra venimus, quia non est pascuum ovibus: gravis enim fames est in terra Chanaan: Nunc ergo sedeant quaso servi tui in terra Gosen.

Partim fratrum suorum] ומקצה אחיו partem fratrum suorum, quod Græci dicunt ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ· idque pro eo habendum ac si diceret, quosdam fratrum suorum. Alii, *extremitatem fratrum suorum*, & Hieron. *extremos fratrum suorum.* Quod enarrant de maximis & minimis natu, sive de senioribus & junioribus. Quidam etiam explicant de contemptioribus & abjectioribus: quorum sententiæ adversatur locus qui est Judæ 18. v.2. quem Fagius laudat. Vide, si placet, doctissimas ipsius annotationes in Thargum Onkeli: cujus exemplaria hic variant. Nam in eo quod in octavo folium complicat מקצת מן אחוהי in aliis vero מקצת אחוהי, quod Fagius reddit, partem fratrum suorum. Jonathan nihil diversus abit ab Onkelo. Aliis Mem est præpositio מקצה ab extremitate seu extremo. Nam קצה extremitas. Malo ut sit nomen מִקְצֶה formæ מִקְנֶה quæ in regimine mutat Segol in Tseri. Reperitur & מִקְצָת ad instar מִקְנָה: Unde מִקְצָת in regimine, & Dan. 1. 2. מקצת כלי בית אלהים partem vasorum domus Dei. ¶ *Quinque viros*] *Zabulon, Dan, Naphthali, Gad & Aser.* Jonathan. *Ruben, Simeon, Levi, Issachar & Benjamin.* R. Salomo. ¶ *Statuit*] constituit, sistit, ἔστησεν. ¶ *Quænam opera vestra*] vel *Quodnam opus vestrum?* ut מעשיכם sit nomen singulare & Joth loco He. Sic Græci τί τὸ ἔργον ὑμῶν, & Hiero. *Quid habetis operis?* ¶ *Pastores ovium*] sub. *sunt*, ut supra 46. 34. à רעה & Chaldaice רעי, quod expressum in Jonatha. Quanquam in Hieron. *sumus.* רעה צאן proprie sonat, *pastor ovium*, nisi dicamus Joth in He mutatum propter cognationem quæ inter litteras אהוי. Nam usi sunt numero multitudinis interpretes quos vidi, uno Tremellio excepto, qui habet, *pastor gregis est quisque servorum tuorum.* In margine editionis Venetæ ejus quæ in octavo complicat *Scriptum est* רעה *per He in sensu plurali.* Idem habetur in notis Massoriticis. ¶ *Patres*] Majores. ¶ *Ad peregrinandum*] ad commorandum ut advenæ & peregrini solent. Quod Græci dicunt παροικεῖν. Onkelos & Jonathan, לאיתותבא ad habitandum, cujus radix יָתַב habito. ¶ *In terra*] ἐν τῇ γῇ, in terra hac. ¶ *Pascuum*] νομή. Chald. רעיא quod noto, quia רעיא etiam pastorem designat i. רועה. In Jonatha est אתר בית רעיא ubi notabis אתר בית dici ἐκ παραλλήλου. Nam בית etiam locum denotat. ¶ *Ovibus*] pecoribus Lxx. τοῖς κτήνεσι. Hier. *gregibus* לצאן. ¶ *Gravis*] i. magna. Sic *grave bellum.* Aliter, *ingravescit*, sive *invalescit* vel potius, *invaluit.* i. ἰσχύσεν, ut habent οἱ ό. Siquidem כבד tam potest esse verbum præt. quam nomen adjectivum. ¶ *Sedeant*] maneant aut habitent. ¶ *Quæso*] vel, *nunc.* Ego prætuli *quæso* propterea quod antecedit ועתה nunc. Aut est παρέλκον, ut cum dicimus, *jam nunc.* Editio vulgata, *petimusque ut esse nos jubeas* i. habitare.

5. Dixitque Pharao ad Josephum dicendo, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.

6. Terra Ægypti coram te est, in optimo terra colloca patrem tuum & fratres tuos, habitent in terra Gosen, & si noveris & sint inter eos viri strenui, constitues illos principes pecorum quæ mihi sunt.

Coram te est] tibi exposita est, tibi patet, in tua est potestate. Quod Galli dicunt *à ton commandement.* Hiero. *in tuo conspectu est.* Vide supra 13. 9. & 20. 15. & 34. 10. ¶ *In optimo*] loco, aut in optima parte. מיטב proprie *bonitas.* Chaldaice שפר pulchritudo, & in Jonatha, *in loco pulchritudinis* i. pulcherrimo *terræ.* Onkelos habet, *in eo quod pulchrum est in terra.* Sic interpretor בדשפיר. Fagius maluit, *in meliori loco terræ.* ¶ *Et si noveris & sint &c*] vel, *quod si noveris esse inter eos viros strenuos.* Sic Latini potius loquerentur. ¶ *Viri strenui*] אנשי חיל viri strenuitatis i. strenui & industrii. Lxx. ἄνδρες δυνατοί, viri fortes. R. Salomo, *experti in arte pascendi pecora*, sive, in pecuaria. Sic alibi אשת חיל mulier strenua. Sed de Booz legimus quod fuerit איש חיל ubi exponunt, vir dives & opulentus. Nam חיל etiam opes denotat. Posses reddere, *homo potens.* Fallor, in Ebræo est איש גבור חיל vir opum potens. Locus est Ruth. 3. 11. Hoc sensu Plautus dixit, *in tam fortem familiam* pro divitem. ¶ *Principes pecorum &c.*] שרי מקנה על אשר לי accipio ut si dictum esset שרים על מקנה אשר לי principes sive præfectos super pecus quod mihi est. i. meum. Hoc Græci dixerunt ἄρχοντας τῶν ἐμῶν κτηνῶν, & Hier. *magistros pecorum meorum.* Chaldæi hic habent רבני גיתי. Antea vidimus מרי גיתי quod eandem sententiam continet. ¶ *Pecorum*] *ut equorum, ut mulorum.* Abenezra. ¶ *Quæ mihi sunt*] In Onkelo est דילי. Sed in uno exemplari דלי quod minus se probat mihi. Jonathan edidit דידי. Sic dicunt דידך pro דילך: idque à יד i. manu sumtum putatur.

7. Adduxitque Ioseph Iacobum patrem suum, & constituit eum coram Pharaone, & benedixit Iacob Pharaoni.

Adduxit] vel, *introduxit*, εἰσήγαγε. ¶ *Constituit*] statuit, ἔστησεν. ¶ *Coram Pharaone*] vel, *coram rege.* Nam Pharao rex. proprie Rex Ægypti, ut dictum est. ¶ *Et benedixit*] bene precatus est, bona exoptavit, ut bona ei eveniant precatus est, salutavit eum. Nam benedicit Ebraico sermone qui salutat. Vide supra. R. Salomo ad hunc locum היא שאלת שלום שלהדיוט בלע. Mens horum verborum, Benedicere est interrogare de pace sive salute i. salutare, quod vulgo dicunt *Saluder.* Jonathan, *Benedixit Iacob Pharaoni & dixit, Velit Deus ut impleantur aquæ Nili, & recedat fames* (vel *removeat famem*) *è mundo in via tua.* Quidam legunt, *ut benediceret Pharaoni*, quod non laudo.

8. Et dixit Pharao ad Iacobum, Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?

9. Et dixit Iacob Pharaoni, Dies annorum peregrinationum mearum sunt triginta & centum anni, pauci & mali sunt dies annorum vitæ meæ, & non assecuti sunt dies annorum vitæ patrum meorum, in diebus peregrinationum ipsorum.

Dies annorum peregrinationum mearum] ימי שני מגורי Hiero. *dies peregrinationis vitæ meæ.* ימי מגורי חיי. Lxx. αἱ ἡμέραι τῶν ἐτῶν τῆς ζωῆς μου, ἃς παροικῶ: dies annorum vitæ meæ, quibus advena sum. ¶ *130. anni*] ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη. Alii, 130. *annorum.* ¶ *Pauci*] מעט pauci i. מעטים. Sic accipitur ea vox Jos. 7. 3. כי מעט המה quia pauci sunt. Lxx. hic habent μικραί, breves. Onkelos זעירין. Jonathan קלילין. Hiero. *parvi* i. קטנים. ¶ *Mali*] miseri, calamitosi. ¶ *Non assecuti sunt dies*] Quidam, *non attigerunt* לא השיגו. Alii, *non pervenerunt ad dies.* Sic Græci, οὐκ ἀφίκοντο εἰς τὰς ἡμέρας &c. ¶ *In diebus peregrinationum ipsorum*) quibus diebus peregrini fuerunt. Notatum est in nomine מגורי esse significationem etiam pavoris: tum etiam, *non assecuti sunt*, referri posse tam ad vexationem dierum quam ad numerum, q. d. neque tam facile vixi, neque tamdiu.

10. Et benedixit Iacob Pharaoni, & egressus est à conspectu Pharaonis.

11. Et collocavit Ioseph patrem suum & fratres suos, & dedit illis possessionem in terra Ægypti, in optimo terræ, in terra Ramesses, quemadmodum præceperat ei Pharao.

12. Et sustentabat Ioseph patrem suum & fratres suos & omnem domum patris sui pane juxta os parvulorum.

Benedixit] bene precatus est valedicendo. Benedicere non solum est salutare, sed etiam valedicere. Sic nomine שלום utuntur & pro salve & pro vale: unde in fine litterarum, quæ in historia Ebraica, ואתה שלום & tu pax. ¶ *A conspectu Pharaonis*] מלפני פרעה. Lxx. ἀπ' αὐτοῦ. וַיֵּצֵא. Hiero. *foras* ויצא. Onkelos & Jonathan, *à coram Pharaone.* ¶ *Collocavit*] κατῴκισεν, habitare fecit. ¶ *Possessionem*] κατάσχεσιν. Chald. אחסנא. Ceterum in fonte hic est אחזה quo nomine quidam *fundum* significari putant. Iureconsultis κατοχή dicitur. Appellatio à tenendo. Nam quæ à nobis possidentur, ea in nostra tenemus potestate. Est autem duplex possessio. Una quæ κατοχή dicitur, quam aliqui *detentionem* vocant: altera quæ νομή vocatur quam proprie *possessionem* dicimus. Quid hæc inter se differant in jure Civili docet Iacobus Curtius εἰκαστῶν Lib. 1. cap. 11. & Lib. 2. cap. 1. Vide, si vacat. ¶ *In optimo terræ*] Lxx. ἐν τῇ βελτίστῃ γῇ in terra optima. ¶ *In terra Ramesses*] Ionathan & autor Ierosolymitanæ בארעא דפלוסין in regione Pelusiaca. Sic Exodi 1. 11. iidem habent פלוסין i. Pelusium, ubi in Ebræo Ramesses. Nam & urbs erat ejus nominis. Eusebius in locis, *Ramesse, urbs quam ædificaverunt filii Israel in Ægypto. Olim autem & universa provincia sic vocabatur, in qua habitavit Iacob cum liberis suis.* Hiero. *pagum* appellat, cujus verba habentur in Glossa ordinaria, & apud Alb. Quæst. in Genes. *Ramesse pagum olim Arsinoiten dictum putant.* vulgo perperam *Arsenaten.* R. Levi Gen. 46. 34. *collocavit eos in vico parvo* (בכפר קטן) *qui erat in optimo loco Ægypti, hoc est in Ramesses.* Est autem Arsinoe Ptolemæo urbs Ægypti. ¶ *Ramesses*] male Græci scribunt ῥαμεσσῆ absque ς in fine, quod ex scriptura Ebraica excidere non solet. Ebr. רַעְמְסֵס. ¶ *Sustentabat*] alebat, nempe metiendo eis triticum quantum satis erat ad vitam sustentandam. Itaque in Lxx ἐσιτομέτρει. Quod tamen verbum Ebraicum proprie non significat. Chaldaice est זן & alebat. ¶ *Pane, juxta os parvulorum*] לחם לפי הטף. Lxx. σῖτον κατὰ σῶμα, quod reddunt, triticum secundum corpus. Quid si triticum per capita? Nam σώματα, homines, servi. Hiero. *præbens cibaria singulis.* Santes, *pane quemadmodum alitur parvulus.* Leo Iudæ, *ad os pubis, ut solet pubi fieri.* Tremell. *cibo, quasi inserens in os parvulorum.* Gallica editio, *pane, juxta os familiæ ipsorum.* R. David in libro ubi vocum sensa explicat כשיעור הטף

כפי

כפי שאכלו secundum æstimationem parvulorum, quemadmodum edere solent. R. Salomo, *quantum opus erat familiæ ipsorum.* Ionathan; *juxta os indigens parvulorum.* Videndi nunc sunt Mercerus & Fagius in paraphrasin Chaldaicam Onkeli. Camii expositionem juvat locus qui est Exod. 12. איש לפי אכלו quisque juxta mensuram cibi sui.

13. *Et panis non erat in universa terra, quia gravis erat fames valde, adeo ut deficeret terra Ægypti & terra Chanaan propter famem.*

Deficiebat] ותלה defecit sive elanguit, quod Chaldæi dicunt ואשתלהי, Lxx. ἐξέλιπε in Hiero. est, *oppresserat fames terram.* Santes, *laboravit.* Tremell. *furebat.* Leo Judæ, *contabescebat.* R. Levi explicat, *lassa & fatigata erat ferendo.* Abenezra, *nesciebat quid ageret.* R. David, *insaniebat, nec erat apud se, in rabiem agebatur.* Nam fames hominem ad rabiem & insaniam adigit. Radix להה. ❡ *Terra*] *populus terræ.* Onkelos. *habitatores terræ.* Jonathan. A להה de quo supra est participium מתלהלה quod de illo dicitur, qui simulat se ac si nesciret quid ageret. Ita Saadias explicat. ❡ *Propter famem*] vel, *præ fame.*

14. *Et collegit Joseph omnem pecuniam, quæ inveniebatur in terra Ægypti & in terra Chanaan, pro frumento quod ipsi emerant: intulitque Joseph pecuniam illam in domum Pharaonis.*

Collegit] συνήγαγε, congregavit. ❡ *Omnem pecuniam*] πᾶν τὸ ἀργύριον, omne argentum. Id כסף proprie significat: Sed pro quavis pecunia ponitur Gen. 31. 15. Sic ἀργύριον Math. 25. 27. Hiero. in comment. Cohelet. 5. *Ubicunque argentum perlimus, secundum Græci sermonis ambiguitatem, potest & pecunia transferri: ἀργύριον quippe utrumque significat.* ❡ *Quæ inveniebatur*] quæ erat. Inveniri pro esse, existere. Esth. 1. 5. *populo qui inventus est in Susan &c.* i. fuit. Malach. 2. 6. *iniquitas non est inventa in labiis ejus.* Sirach 20. 2. ἔστι σιωπῶν, ὁ εὑρισκόμενος σοφός, qui est sapiens. Huc refer, *nec est inventus in ore ejus dolus.* Sic vulgo dicimus, *Hic unus inventus est, qui id posset* pro extitit. In Epist. ad Philip. cap. 2. *figura inventus est ut homo.* Quod tamen non male exponas, deprehensus est. Sic, *non est inventus in eo dolus*, non est deprehensus. Quale illud, *conjuratio inventa & deprehensa.* Terent. *in culpa es inventus.* ❡ *Pro frumento*] *pro venditione frumenti.* Hieronymus. ❡ *Quod emerant*] ὃ ἠγόραζον, quod mercati erant. Nam ἀγοράζω, emo, mercor, proprie, in foro versor. Onkelos & Jonathan, דזבנין נשין nisi quod in Onkelo דאנון quod in idem recidit. ❡ *In domum Pharaonis*] εἰς τὸν οἶκον Φαραώ. Hiero. *in ærarium regis.* Alius, *in fiscum Pharaonis.* Jonathan, לבית אפותיקי דפרעה in domum apothecæ Pharaonis. Scribunt etiam אפותיקי ἀποθήκη i. reconditorium sive repositorium, locus in quo aliquid ἀποτίθεται. Vox mere Græca, quam Chaldæi corruperunt, tenui in aspiratam versa. Sic pro India dicunt הינדיא Hindia, nisi hoc ab הודו factum putemus. Lex. vet. ἀποθήκη, *horreum.* Hic sumitur pro repositorio pecuniæ, ut idem fere sit quod θησαυρός. Gazam Persæ vocant.

15. *Et absumta fuit pecunia è terra Ægypti & è terra Chanaan, veneruntque omnes Ægyptii ad Josephum dicendo, Da nobis panem, & cur moriemur coram te? nam defecit pecunia.*

Absumta] consumta, finita, exhausta. Græce est ἐξέλιπε, defecit. Sic etiam Hiero. ❡ *Omnes Ægyptii*] כל מצרים tota Ægyptus, nos sensum expressimus. Sic etiam Lxx. πάντες οἱ αἰγύπτιοι. Sed & ambo Chaldæi כל מצראי Omnes Ægyptii. Figura nota. ❡ *Panem*] frumentum ad panem conficiendum. Sic alibi, *visitavit populum suum dando ei panem.* Ita sumes in illo, *frangam omnem baculum panis.* Lxx. ἄρτους, panes. Unde varietas in codicibus Latinis. ❡ *Cur moriemur*] *cur moriemur omnes* Jonathan. ❡ *Coram te*] te vidente, quia remedium adhibere potes, nosque servare. ❡ *Quia defecit pecunia*] vel, *cum nulla sit pecunia.* Sed אפס finita est, defecit, ἐκλέλοιπε. Chaldaice שלים. Jes. 16. 4. אפס Hiero. *finitus est.* Jonathan סף. Alius, *desiit, cessavit.* Sic alibi האפס. Santes, *an defecit?* & Psalm. 77. 9. Chald. פסק.

16. *Et dixit Ioseph, Date pecora vestra & dabo vobis pro pecoribus vestris, si defecit pecunia.*

17. *Et adduxerunt pecora sua ad Ioseph, & dedit illis Ioseph panem pro equis & pro pecore ovium, & pro pecore boum, & pro asinis: & duxit eos pane pro omnibus pecoribus eorum anno illo.*

Date] הבו legitur etiam in utroque Thargum. Lxx. habent φέρετε, & Hiero. *adducite* i. הביאו. Prius est à themate יהב dedit. ❡ *Dabo vobis*] panem videlicet aut cibum i. מזון. Hoc postremum legitur in textu Jonathæ. Quod autem in Lxx. ἄρτους, eo minus placet, quia non dedit eis panes, sed panem i. frumentum. Hiero. habet *cibos.* Infra *dedit eis panem.* ❡ *Defecit*] Jonathan hic edidit ספו. Lxx. ἐκλέλοιπε, ut supra. Hiero. *si pretium non habetis.* Onkelos שלים ut antea. Nota אפס pro deficere, quod usitatius dicitur פסק. ❡ *Pro pecore ovium*] i. pro ovibus, quod Græci dicunt ἀντὶ τῶν προβάτων. Sic mox *pro pecore boum*, ἀντὶ τῶν βοῶν, pro bobus. Tremellius maluit, *pro possessio grege & pro possessio armento.* ❡ *Duxit eos*] וינהלם duxit eos i. sustentavit sive aluit eos: quod Græci dicunt ἐξέθρεψεν αὐτούς, & Chaldæi וזנן. Trem. maluit, *fecit ut transigerent &c.* נהל proprie potum agere, ad aquarium ducere, quod Latini dicunt *irrigere*, Barbari *minare.* Hoc paullo aliter accipitur. ❡ *Pro omnibus pecoribus*] *pro commutatione pecorum.* Hiero.

18. *Finito autem anno illo venerunt ad eum anno secundo, & dixerunt ei, Non celabimus à domino meo: nam cum absumta sit pecunia & pecus bestiarum ad dominum meum pervenerit, non relictum est coram domino meo præter corpora nostra & humum nostram.*

Finito anno illo] ויתם השנה ההיא & absolutus fuit annus ille. Onkelos & Jonathan ושלימת שתא ההיא. Lxx. ἐξῆλθε δὲ τὸ ἔτος ἐκεῖνο: exivit autem annus ille. Annus exiisse dicitur cum præteriit. Sic loquitur Africanus I. C. in L. & hæc distinctio D. Locati. Livius quoque in 10. de bell. Punico, *necdum exierat induciarum dies.* ❡ *Venerunt*] Ægyptii. ❡ *Anno secundo*] anno altero à consumta pecunia, non à cœpta fame, ut quidam volunt. Hiscuni, *Anno secundo adventus Iacob qui erat quartus famis. Nam ecce proventus, qui relictus fuerat illis, ex saturitate & pecunia suffecit eis per triennium. Quarto anno dederunt pecora sua, & quinto terram suam, & sexto corpora sua: septimo dedit illis semen quod seminarent: octavo collegerunt fruges ex agris, & cessavit fames.* Hæc ille. ❡ *Non celabimus à domino meo*] vel *dominum meum*: vel, si mavis, *domino meo.* Sic interpres vetus, nisi quod in eo *nostro* pro *meo.* Ulpianus, *Fugitivus est, qui extra domini domum fugæ caussa, quo se à domino celaret, mansit.* Onkelos & Jonathan, לא נכסי מן רבוני non abscondemus à domino meo. Lxx. μήποτε ἐκτριβῶμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν. כחד מן in Kal. Aliud כחד, in Piel. Consule Grammaticos. ❡ *Pecus bestiarum*] ut sunt equi, asini, oves, & boves. *Pecus bestiarum* ita dicitur, ut *pecus ovium, pecus boum*: de quibus modo dictum est. ❡ *Quum absumta sit &c.*] absumta est ad dominum meum dixit pro absumta est & pervenit ad dominum meum. Sic sæpe unum verbum pro duobus poni solet. ❡ *Coram domino meo*] quod ei detur. ❡ *Humum nostram*] agros nostros. Sic alibi, *qui colit humum suam* i. agros suos.

19. *Cur moriemur ante oculos tuos tam nos quam humus nostra: compara nos & humum nostram pro pane, ut simus nos & humus nostra servi Pharaonis: & da semen ut vivamus & non moriamur, & humus non desoletur.*

Ante oculos tuos] *te vidente.* Hiero. *& oculi tui videntes* Jonathan. ❡ *Humus nostra*] Nulla caussa est cur hic cum Tremellio quicquam subaudiamus. Mors aliquando opponitur vitæ lætæ. Jam vero lætas segetes dicimus. Sic ridet ager. Contra idem lugere dicitur quando horret & squalet. Sed & mori, quando prorsus inculta jacet. Cui firmando quod 2 Ezræ 9. 6. *& tu vivificas hæc omnia.* Nam de terra etiam ibi loquitur. Nunc ad interpretationes alias. Nam præter Chaldæos, omnes hic à me diversi abeunt. Lxx. ἵνα οὖν μὴ ἀποθάνωμεν ἐναντίον σου καὶ ἡ γῆ ἐρημωθῇ: ne igitur moriamur coram te & terra desoletur. Quod robur accipit ex ultimo membro hujus versiculi. Vide, si placet. Hiero. *Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra nostra mortui erimus.* Tremell. *Quare moreremur ante oculos tuos? tum nos tum agros nostros exponimus.* Gallica editio, *Cur moriemur ante oculos tuos? quod nos attinet & humum nostram &c.* ❡ *Compara*] eme, κτῆσαι. ❡ *Et humus nostra*] Humus servire dicitur ei cujus propria est. Sic dico, serva est proprietarii, ut cum jureconsultis loquar: an etiam ejus qui eam colit? ❡ *Da semen*] δὸς σπέρμα. On. & Ionathan, *Da filium seminis.* Sic Chaldæi vocant ipsum semen, ut diximus: Hiero. *præbe semina* בר זרעא potest exponi triticum seminis i. quod ad serendum servatur. Hic rectum videtur. ❡ *Non desoletur*] Lxx. οὐκ ἐρημωθήσεται. Hiero. *non redigatur in solitudinem.* Ebra. לא תשם. Radix שמם.

20. *Comparavit igitur Ioseph omnem humum Ægypti Pharaoni, quia vendiderunt Ægyptii quisque agrum suum: nam invaluerat super eos fames: ita fuit terra illa Pharaonis.*

21. *Quod populum attinet, traduxit eos in urbes, ab extremitate termini Ægypti usque ad extremitatem ejus.*

22. *Duntaxat humum sacerdotum non emit: nam certa portio erat sacerdotum à Pharaone, qui comederunt portionem suam quam dederat eis Pharao: ideo non vendiderunt humum suam.*

Comparavit] emit. ❡ *Humum*] tellurem, terram. Sed

terra

terra proprie ארץ dicitur: ideo prætuli humum i. agros. A qua tamen versione mihi religio non esset recedere, si locus ita postularet. ¶ *Invaluit*] Hic est חזק: alibi גבר pro invalescere, quod Chaldæi dicunt תקף, Græci vero ἰσχύειν. Quanquam hoc loco in LXX. ἐπεκράτησεν. Hiero. *præ magnitudine famis.* ¶ *Ita fuit terra illa Pharaonis*] In Jonatha חלוטין valet, absolute, simpliciter, & est nomen pro adverbio; ut in Ebræo הולך תמים ambulans integer i. integre. Aut חלוטא i. propria, hoc est jure proprietatis. Nam חלט proprietatem habere. ¶ *Quod populum attinet &c*] vel, *Populum autem traduxit eos*, ut sit pleonasmus Ebraica, & *eos* pro eum. Nam est nomen collectivum. ¶ *Traduxit*] transtulit, transire fecit. ¶ *In urbes*] per urbes. Ebraice est לערים quod non nemo reddit, *in certas civitates*. Onkelos מקרי לקרי de urbe in urbem. קרי vel potius קרי urbs, emphaticum קריא. Quod etiam absolute dicitur, unde קרתא ἡ πόλις. Aut est nomen plurale. Quod Fagius opinatus est. Nam vertit, *de civitatibus in civitates.* Jonathan, *populum metropoleos traduxit in urbes, & populum urbium traduxit in metropolim propter fratres Iosephi ne vocarent eos* גולאי *i. circumvagos.* Thargum Jerosolym. *Populum qui habitabat in metropoli traduxit in urbes & populum qui habitabat in urbibus traduxit in metropolim ne vexarent filios Iacob & dicerent eis Hospites circumvagi.* Sic interpretor אכסני גוליא quorum prius Græcum est ξένος i. hospes, peregrinus. In Abenezra כרך מצרים videtur esse Memphis, quæ post מרים vocatur, quam Mercerus metropolim reddit. Forte per ערים intelligit ערי פרזות i. κωμοπόλεις, ubi coloni & rustici habitant. ¶ *Ab extremitate termini &c.*] pro eo habendum ac si diceret, per universam Ægyptum, sive quam late patet Ægyptus. ¶ *Humum sacerdotum*] terram sacerdotum. Nam promiscue utitur his vocibus. כהנים autem Onkelos reddit כומריא: Jonathan כומרוי: quo vocabulo significantur proprie sacerdotes idolorum, quos Ebræi כמרים appellant: unde camilli nomen. Camar, camillus, ut puer, puellus. Hodie utuntur ea voce pro monachis. Sed in libro Iuchasin Augustinus dicitur הכומר הגדול sacerdos ille magnus, vel propter celebritatem, vel quia episcopus erat. Unus Tremell. hic habet, *agros præsidum*, à quo diversi abeunt Ebræi, quos consului. Omitto Abenezram. R. Salomo diserte כהן ubique significat sacerdotem, nisi ubi habet significationem magnitudinis, ut cum legimus, כהן און quod reddunt, princeps Onii & כהן מדין princeps Madian. Idem usus est voce כהני hoc loco, de qua dictum est. Hæc scripseram: post inspexi scholia Hiscuni. Ibi repperi

הכהנים שרים כמו כהן מדין

Potest fieri, ut inde acceperit Tremellius. Gallica editio, *terras sacerdotum*, & in margine, *vel gubernatorum*. LXX. τῶν ἱερέων. Sic etiam Hiero. R. Levi Gallus, כהנים *vocantur principes magnates qui erant in Ægypto, juxta illud, & filii David sacerdotes erant. Aut significat sacerdotes excelsorum, & hi sunt cumari deorum falsorum, quemadmodum enarrat Onkelos.* ¶ *Certa portio*] חק statutum. Onkel. & Jonathan חולקא pars, portio. Hiero. *statuta cibaria.* Leo Judæ, *demensum.* Est autem demensum quod servis admetiebantur domini ad totius mensis victum. Quod fiebat singulis mensibus, unde & nomen accepit. Editio Gallica *provision* i. penus sive penum.

23. *Et dixit Ioseph populo, En comparavi vos hodie & humum vestram Pharaoni: ecce vobis semen ut conseratis humum.*

Comparavi] emi, acquisivi, ἐκτησάμην. Hiero. *En, ut cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet.* Sensum expressit, non verba. ¶ *Pharaoni*] vel, *pro Pharaone.* ¶ *Ecce vobis semen*] nove dixit, הא pro הנה. Chaldæi ejus loco scribunt הא cum camets: unde הָאֲנָא ecce, en. בר autem Onkelos & Jonathan reddit בר זרע quod interpretati sumus, *filium seminis*, puto melius esse, *triticum sive frumentum seminis*, quod videlicet ad sationem adhibetur. LXX. λάβετε ἑαυτοῖς σπέρμα. Hiero. *accipite semina* קחו לכם זרע. ¶ *Ut conseratis humum*] וזרעתם & seretis humum. Idem cum illo, Serite humum. Nam copula redundat est fut. pro imperat. Sic Græci καὶ σπείρατε τὴν γῆν, & Hiero. *& serite agros.* Aliis Vau est πλῆρες, quos nunc secutus sum. Ante Tremell. verterat, *ut seratis agros.* Nec aliter Edit. Gall.

24. *Et ex proventibus dabitis quintam Pharaoni, & quatuor partes erunt vobis ad semen agri & ad cibum vestrum & eorum qui domi vestræ, & ad edendum parvulis vestris.*

Et ex proventibus] והיה בתבואת & erit ex proventibus. Sic ב reditur in illo, *diliges Deum tuum.* בכל לבבך ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου. Alii, *in frugibus* i. tempore frugum. Onkelos באעלי עללתא. Videtur autem tempus innuere, quo fruges in horrea coguntur. Nam אעיל introduxit. Fagius interpretatur, *quum proveneris proventus.* Jonathan, באיבוע בכנוש עללתא in tempore quo fruges congregant. Idem aliter. Fruges autem sive proventus Græci vocant γεννήματα, de qua voce alias. Editio Gallica, *ubi ventum erit ad collectionem frugum.* Trem. *Sed esto de proventibus.* ¶ *Quintam*] partem videlicet, quam Græci vocant τὸ πέμπτον μέρος, Chaldæi vero חומשא, ut Jonathan, aut חד מחמש unum de quinque. Ebraice חמישית Hier. *quintam partem.* ¶ *Quatuor partes*] ארבע הידות. LXX. τὰ τέσσαρα μέρη. i. חולקין. Hiero. *quatuor reliquas.* Supra 43.33. חמש ידות quinque partes, proprie manus i. χεῖρες. ¶ *Erunt vobis*] cedent vobis vel erunt vestræ. ¶ *Ad semen agri*] Una parte agros vestros seretis: altera cedet in cibum vestrum: tertiam comedent servi & ancillæ: quartam absument filii parvuli vestri. Jonathan hic habet לבר זרע דארעא; perspicue terræ vocabulum usurpans pro agro i. ἀγρῷ. LXX. εἰς σπέρμα τῇ γῇ. Malim, τῆς γῆς. Hiero. *in sementem.* ¶ *In cibum vestrum*] LXX. εἰς βρῶσιν ὑμῖν. ולאכלכם. Sic alibi, *si fuerit propheta vester* i. vobis נביאכם. ¶ *Eorum qui domi vestræ*] vel, iis qui in domibus vestris i. famulis & famulabus. Quod Hiero. dixit, *familiis vestris*, & Onkelos, *hominibus domuum vestrarum*, sive domesticis vestris. Jonathan, *ad alendum domos* i. familias vestras. LXX. πᾶσι τοῖς ἐν τοῖς οἴκοις ὑμῶν; omnibus qui sunt in ædibus vestris. ¶ *Ad edendum parvulis vestris*] ordo & constructio, *erunt parvulis vestris ad edendum* i. in cibum: Trem. maluit, *ad cibum parvulorum vestrorum.* לאכל ut habeant quod edant & quo rumen impleant.

25. *Et dixerunt, Vivificasti nos: inveniamus gratiam in oculis domini mei, erimusque servi Pharaoni.*

Vivificasti nos] החיתנו vivificasti nos i. conservasti nos in vita, vel, si mavis, servasti nobis vitam, acsi diceret, effecisti ne fame moreremur. Eadem vis in illo, קיימתנא quod in Onkelo & Jonatha. LXX. habent σέσωκας ἡμᾶς, servasti nos ישענו. Hiero. *salus nostra in manu tua est.* ישועתנו בידך Neuter satis expressit mentem verborum Mosis. ¶ *Inveniamus gratiam in oculis tuis*] Plin. lib. 19. cap. 5. *plurimis modis austeritate victa gratiam invenit.* i. adepta & consecuta est. Hiero. *respiciat nos tantum dominus noster.* Supra 6. 9. *Noe invenit gratiam in oculis* DOMINI, quidam explicant, Deum habuit propitium. Trem. *Sola Dei misericordia servatus est.* Hanc phrasin retinent Græci. Nam vertunt Εὕρομεν χάριν ἐναντίον τοῦ κυρίου ἡμῶν. Onkelos & Jonathan, *inveniamus miserationes in oculis domini mei.* ¶ *Domini mei*] i. tuis. ¶ *Et erimus servi Pharaonis*] LXX. καὶ ἐσόμεθα παῖδες τῷ Φαραώ. Hiero. *& læti serviemus regi.* ¶ *Pharaoni*] vel, Pharaonis.

26. *Posuitque illud Joseph in statutum usque ad diem hunc de humo Ægypti ut Pharaoni quinta penderetur: dumtaxat humus sacerdotum sola non erat Pharaonis.*

Posuit illud in statutum] Onkelos & Jonathan, *posuit illud in decretum* לגזירה i. decretum ex eo fecit & quasi in legem retulit. LXX. ἔθετο αὐτὸ εἰς πρόσταγμα. An legerunt אותה pro אותה illam i. illud? Nam cum genus neutrum non habeant Ebræi, usurpant pro eo fœmininum. Trem. *sancivit illud in statutum.* Castalio, *Quam rem Josephus in legem vocavit.* ¶ *Usque ad diem hunc*] usque in hodiernum sive præsentem diem. Hoc sig. decretum illud obtinuisse adhuc Mosis ævo, nempe ut quinta solveretur regi. ¶ *Ut Pharaoni quinta penderetur*] לפרעה לחמש Pharaoni ad quintam. Desideratur autem לתת ut daretur, aut aliquid tale. Onkelos, *ut darent quintam Pharaoni.* Jonathan, *Pharaonis ut acciperet quintam.* LXX. τῷ Φαραὼ ἀποπεμπτοῦν quod redditum in edit. Rom. *ut præstent quintas Pharaoni.* Sententia est, ut quinta pars ex proventibus agrorum Pharaoni quotannis penderetur. חומש videtur magis quintationem sonare. Nam quinta חמישית supra dicitur. ¶ *Humus sacerdotum*] agri sacerdotum i. ἱερέων qui sacris operantur, quos Onkelos & Jonathan כומריא & כומרייא vocant. Quibus potius assentior quam illis, qui de principibus & gubernatoribus urbium hunc locum enarrant. Sane ut in Chaldæa olim, ita in Ægypto iidem erant Magi & sapientes & sacerdotes: quibus gentes illæ magna semper privilegia concesserunt. ¶ *Sola*] Solorum est in Ebræo, & ad sacerdotes, non ad humum eorum refertur. LXX. μόνον. Trem. *solum.* Hiero. *absque terra sacerdotali qua libera ab hac conditione fuit.* Pro לבדם, in Onk. & Jonatha legitur בלחודיהון. Fagius interpres habet, *absque terra sacerdotum, quæ sola non cessit Pharaoni.*

27. *Sedit ergo Israel in terra Ægypti, in terra Gosen, & possederunt eam; & aucti sunt prole multiplicatique valde.*

Sedit]

Sedit] habitavit, κατῴκησεν. ❡ *Israel*] Israelitæ. ❡ *In terra Gosen*] Hiero. *id est in terra Gessen.* Jonathan, *extruxerunt academias & palatia in terra Gosen.* ❡ *Et possederunt eam*] בה ויאחזו verti, *possederunt eam.* Siquidem אחזה possessio. Prius Hiero. ediderat, *possedit eam.* & ambo Chaldæi בה ואחסינו & Lxx. ἐκληρονόμησαν ἐπ' αὐτῆς, quod reddunt, habuerunt hæreditates in ea. Quanquam in antiquis libris ἐκληρονομήκεισαν. Id Aquila olim restituit, κατεσχέθησαν detenti fuerunt. Nam κατέχομαι detineor, retineor. אחז teneo: נאחז teneor: unde futurum בה ויאחזו & retenti fuerunt in ea. Alii, *tenuerunt eam* i. possederunt. Malim, *tenuerunt se in ea.* Notum ut κατοχὴ sit possessio, quæ & κατάσχεσις i. אחזה Psal. 2. & alibi. Trem. *Possessores se constituerunt in ea.* Alii, *Possessionem adierunt in ea.* Eadem Phrasis obvia supra 34. 10. Vide quæ scripsimus ad eum locum. Possederunt eam i. ויאחזו בה Vide ergo num melius sit, *possessionem adierunt in ea:* aut, *detenti fuerunt in ea.* ❡ *Aucti sunt prole*] creverunt, sobolem procrearunt, fœtum ediderunt, quod uno verbo Trem. dixit *fœtificarunt.* Olim Græci & Aquila, ηὐξήθησαν, & Hiero. *auctus est.*

28. *Et vixit Iacob in terra Ægypti septendecim annis: fueruntque dies Iacobi, anni vitæ ipsius septem anni & centum quadraginta anni.*

Vixit] Lxx. ἐπέζησεν, supervixit. ❡ *Septendecim*] δεκαεπτά. In Jonatha שבסר compendio scriptum pro שבע עשר vel si mavis שבע׳, duabus litteris elisis & expunctis. ❡ *Annis*] ἔτη, annos. ❡ *Dies Jacobi*] ambigue hoc dicitur: ideo subjecit, *anni vitæ ipsius.* ❡ *Septem anni &c.*] vel, *centum quadraginta septem annorum.*

29. *Et appropinquarunt dies Israel ad moriendum & vocavit filium suum Josephum, dixitque ei, Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, pone nunc manum tuam sub femore meo, & facies mecum benignitatem & veritatem: ne quæso sepelias me in Ægypto.*

Et appropinquarunt &c.] vel, Quum autem appropinquarent &c. vocavit filium suum. Vult dicere, Cum morti proximus esset. ❡ *Dies Israel*] dies vitæ Jacob. ❡ *Ad moriendum*] τοῦ ἀποθανεῖν, ut moreretur. ❡ *Filium suum Iosephum*] לבנו ליוסף τὸν υἱὸν αὐτοῦ τῷ Ἰωσήφ. ex elegantiis linguæ sanctæ. ❡ *Si nunc inveni &c.*] si nunc tibi gratus sum: si quid apud te valeo. ❡ *Pone nunc*] vel, *Pone quæso.* ❡ *Manum tuam sub femore meo*] ritu ac more jurantium, de quo more dictum supra, cap. 24. ubi servus Abrahæ jubetur similiter manum supponere femori domini sui. Quod ad circumcisionem referunt. Vide hoc loco Thargum Jonathæ. ❡ *Benignitatem*] beneficium. Lxx. habent ἐλεημοσύνην. Hiero. *misericordiam.* On. & Jon. טיבו bonitatem, beneficentiam. ❡ *Ne quæso*] Onk. & Jon. *ne nunc.*

30. *Sed quum cubuero cum patribus meis tolles me ex Ægypto, & sepelies me in sepulchro eorum: & dixit, Ego faciam juxta verbum tuum.*

31. *Et dixit, Iura mihi, & juravit ei: & adoravit Israel ad caput lecti.*

Sed quum cubuero &c.] Verbum è verbo, *Et cubabo cum patribus meis & tolles.* Cubare cum patribus periphrasis est moriendi. Unde mortui vocantur שכבין i. cubantes. Vulgo reddunt *dormientes.* Unde & κοιμητήρια dicta. Sed שכב potius cubo. Nam dormio ישן dicitur: quæ simul aliquando leguntur. Sunt qui maluerunt, *sed cum jacuero cum patribus meis.* eodem redit. Lxx. Ἀλλὰ κοιμηθήσομαι. i. dormiam. Sic etiam Hiero. Nec aliter editio Gallica. Tremellius, *cum occubuero.* Ut *cubare* Latini autores usurpant pro *ægrotare*, sic in Ebraismo *cubare* dicuntur mortui cum suis majoribus. Sensus ergo est, cum diem obiero. Sic alibi legimus Davidem cubuisse cum patribus suis, cum sequatur deinde, *& sepultus est in civitate David.* Quidam tamen *Et cubem* sive *jaceam cum patribus meis*, nempe in spelunca duplici, ubi patres mei sepulti sunt. Prior expositio error est, meo judicio. Videndi sunt Abenezra & R. Salomo. ❡ *Tolles me*] vel, *portabis me.* Lxx. ἀρεῖς με. Hiero. *auferas me.* Alius, *transportato.* ❡ *In sepulchro eorum*] quod erat in spelunca Machphela in Hebron. Jonathan hoc loco addit, *& quia filius ipsius erat non posuit manum suam sub femore, sed dixit.* Quod consequa verba refellunt. Nam sequitur ecce, *Ego faciam secundum verbum tuum.* ❡ *Adoravit*] Dominum an Josephum? ❡ *Ad caput lecti*] על ראש המטה. Lxx. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ: quod varie reddebatur ab antiquis. Quidam, *super summitatem virgæ ejus.* Alii, *super caput virgæ suæ* i. αὐτοῦ: Alii, *in capite*, sive *in cacumine* aut *super cacumen.* Hiero. in Quæst. *contra summitatem virgæ ejus.* Ut ut sit, legerunt מטה aliis apicibus: quam lectionem secutus est Apostolus Ebræo. 2 11. ubi Latina vulgata, *fastigium virgæ ejus.* Hiero. hic habet, *Quo jurante, adoravit Israel DOMINUM, conversus ad lectuli caput.* legit ergo המטה, ut etiam Onkelos & Jonathan: quorum ille transtulit ערסא: hic vertit דערסיה pro quo in Ierosolymitana דערסיה. Erat autem genus lecti ערס & solium majus quam ספסל, de quo alias. Qui ex hoc loco disputant contra Ebræorum codicum fidem, inepti plane sunt, & indigni quibus respondeatur. Audiamus nunc judicium Hieronymi. In Quæst. Ebra. „Alia littera, inquit, habet, & adoravit Israel contra summitatem virgæ ejus. Et in hoc loco qui„dam frustra simulant adorasse Iacob summitatem sceptri Ioseph, „quod videlicet honorans filium, potestatem ejus adoraverit, „cum in Ebræo multo aliter legatur. Et adoravit, inquit, Israel „ad caput lectuli, quod scilicet postquam ei juraverat filius, se„curus de petitione quam rogaverat, adoraverit Deum contra „caput lectuli sui. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppres„sus senectute, sic habebat lectulum positum, ut ipse jacentis „habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus. Videndus quoque August. in Quæst. super Genesin. Ut hic Iacob dicitur adorasse ad caput lecti: sic legimus de Davide 1. Reg. 1. 47. *& adoravit rex super lectum* sive *in lecto*, ubi Lxx. ἐπὶ τὴν κοίτην. Lectio varians, ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτοῦ. Ebraice est על המשכב. Autor Jerosolymitanæ hic transtulit, *Et laudavit Israel ad caput lecti.* Ceteri habent וסגיד & adoravit. Sed quem adoravit? Nam interpretes variant, etiam Ebræi. R. Salomo, „Adoravit Israel ad caput lecti, vertit sese ad latus ubi „est divinitas. Hinc dicunt divinitatem esse ad cervicalia „ægroti. Abenezra, „Adoravit Israel, hoc est, tribuit glo„riam regno: Sed rectum in oculis meis ut dicamus ipsum lau„des dedisse Deo, nec est ista adoratio similis ei quæ legitur de „Abrahamo, ubi diserte additum est, filiis Heth. R. Levi, „Conveniens est ut adoraverit DOMINUM & dederit ei lau„dem sive gratiarum actionem propter hoc, quemadmodum „vult Abenezra: sed & conveniens est ut adoraverit Josephum, „& gratias ei egerit &c. Hiscuni addit completum hoc facto fuisse somnium de adoratione solis.

AMAMA.

21. EBr. *Factaque est terra Pharaonis. Et populum transire fecit ad urbes ab extremitate termini Ægypti ad extremitatem ejus.* Vulg. *Subjecitque eam Pharaoni. Et cunctos populos ejus à novissimis terminis Ægypti, usque ad extremos fines ejus.*] Verbum העביר *hegnebir* non videtur Vulgatus vidisse, unde versum 21. cum 20. connectit, refertque ad præcedens verbum *subjecit.* Porro illud quod hic narrat Moses, Fagius & Mercerus factum putant *in signum quod nihil proprii amplius haberent in terra*, unde & Chald. videns in Ebræo ἔμφασιν esse, nihil eorum prætermisit.

DE MUIS.

18. E*Xacto autem illo anno, venerunt ad eum anno secundo.*] Ægyptiorum universa gens, in dira illa quæ terras imperiom Ægypti obtinente Pharaone incesserat annonæ inopia, cum argentum pecudesque queis frumentum compararet jam prorsus deficerent, tandem de communi sententia Josephum, penes quem rerum ac præsertim annonæ potestas erat, legitur adiisse; quo suos agros suaque corpora frumenti pretium offerret. Inter ea quibus hæc res explicatur istud est, *Exacto autem illo anno*, quo nempe sua pecora atque armenta pro pane Ægyptii vendiderant, *venerunt ad eum anno secundo*, nempe ut cum Josepho de se suisque agris pro pane paciscerentur. Quid *secundo*? An septem annorum famis secundo? Non videtur. Cui enim persuaderi poterit anni unius spatio non modo horrea Ægypti, quæ superiorum annorum septem felix ubertas impleverat, frumentis exhausta, sed eo etiam necessitatis redactos Ægyptios ut omnino jam deficiente argento, quæque pro frumento permutarent pecoribus, se & qui solum in bonis restabant agros vendere cogerentur, ni potius fame perire vellent. Audiamus igitur quæ de hac re Hebræorum sit sententia. Omnium maxime placet Bechai, cujus adeo subjiciam verba; אין יתכן שיתום הכסף והמקנה בשנה אחרת אלא הכסף לא הספיק להם כל חמש שנים כי כן דרך הארצות בזמן הרעב שהן חוסכים ומצמצמין את עצמם והכסף והמקנה יספיק אותם וכן גדול הדבר והכתוב כי אחרי שתמם הכסף לסוף חמש שנים באו אליו יוסף והוא ירד בשנה השישית ונתן להם בקניינם לחם וכלו דבאו אליו בשנה השנית לא היא השנה השביעית שהיא שנית לשנית ואמרו לו שיקנה אותם ואדמתם בלחם שיאכלו בשנה ההיא השביעית, *Qui*, inquit, *fieri potest ut pecunia simul cum pecoribus anno uno sit exhausta? Imo illis satis fuit argenti ad annos quinque; quod soleant mortales in summa rei frumentariæ difficultate moderari sumptibus, ita ut ad multum temporis* suppe-

suppeditet quod illis est pecuniarum. Sacer igitur textus meminit, postquam defecisset argentum, scilicet elapsis quinque annis, adiisse Ægyptios Iosephum, nempe anno sexto, proque pecoribus panem (seu *frumentum*) *ab eo accepisse.* Mox, *Adierunt & illum postea anno secundo, is fuit famis septimus, qui sexto fuit secundus,* (quasi tu diceres, *alter ab illo*) *rogantes ut de se suisque terris* (seu *agris*) *pro pane liceret pacisci, ne alioqui sibi sit fame pereundum.* 'Sic ferme Bechai, qui affirmat hunc esse literalem sensum. Hæc vero interpretatio confirmatur, quod eodem illo anno subministratum à Iosepho fuerit Ægyptiis semen quod terræ mandarent; (*en vobis semen, seminate ergo terram*, hujus cap. v. 23.) cum antea, nempe Gen. 45.6. exacto jam famis biennio, affirmasset Iosephus adhuc restare quinque annos quibus neque sementis fieret neque messis. Unde clare constat septimum ac ultimum fuisse illum annum, quo anno semen Ægyptiis in sequentis anni sementem à Iosepho est suppeditatum. Alioquin si Iosephus secundo famis anno semina Ægyptiis præbuisset, & illos fefellisset, & præter dictorum fidem fecisset. Neque vero possum assentiri ipsi Rasi qui *anno secundo* explicat לשני הרעב, i. *annorum famis secundo*: quod illud famis septennium, ingrediente Ægyptum Jacobo, brevius fuerit factum contractumque. Ita citat ex nescio quo Tractatu Talmudico, Tosiphta Sota, אף על פי שאמר יוסף ועוד חמש שנים אשר אין חריש וקציר כיון שבא יעקב למצרים באה ברכה לרגליו והתחילו לזרוע וכלה הרעב, *Quanquam dixerat Josephus* (Gen. 45.6.) Biennium enim est quod cœpit fames esse in terra, & adhuc quinque anni restant quibus nec arari poterit nec meti, *nihilominus ingressu Jacobi fortunata est Ægyptus, tumque cœpta est fieri sementis, & desiit fames.* In hanc sententiam abiere multi ex iis qui allegorias potius quam verum ac genuinum sensum aucupantur, quia inquiunt, כשירד יעקב למצרים מיד כלה הרעב בזכותו, *Simul ac descendit Jacobus in Ægyptum cessavit fames ipsius* gratia ac *merito.* At si ita est, Josephus videri poterat mentitus, qui septem annos sterilitatis prænunciaret. Respondent כי אחרי מות אביו חזר הרעב לישנו, *à Jacobi morte rediisse famem, qualis antea fuerat*, sicque Josephi vaticinium comprobatum, qui haud prædixerat sterilitatis annos fore continuos. Atque huc pertinere illud volunt Gen. 47. 7. *benedixitque Jacobus Pharaonem.* במה ברכו שנסתיימו שני רעב אף על פי כן שלמו אחר מיתתו, *Qua in re*, inquiunt, *ei benedixit? Quod famis anni fuerint interrupti. Nihilominus tamen ab ejus morte expleti sunt*, ut patet è cap. Gen. ultimo, v. 21. ubi patre mortuo sic fratres alloquitur Josephus, *Nolite timere: ego pascam vos, & parvulos vestros.* Atque ex ejus rei occasione quidam Simeon, referente Bechai, sic aiebat, אין זה קדוש השם שדברי צדיקים קיימים בחייהם ובטלים לאחר מיתתן, i. *Non pertinet ad Dei gloriam venerationemque, ut justorum verba* (hoc accipio de Jacobi benedictione) *solum dum ii vivunt vim suam habeant, eadem vero iis exstinctis irrita sint.* Alter autem excipiebat, זה קדוש השם שכל זמן שהצדיקים בעולם ברכה בעולם נסתלקו מן העולם נסתלקה ברכה מן העולם: *Imo vero ad Dei gloriam venerationemque pertinet ut quamdiu justi vivunt cumque mortalibus agunt prospera omnia mortalibus contingant, secus vero iisdem sublatis.* [Ad verb. *justi in mundo, benedictio sit in mundo, iisdem vero sublatis eadem tollatur.*] Verum istam opinionem palam refellit Sacri codicis contextus, qui aperte docere videtur annos illos fuisse perpetuos, postque adventum Jacobi in Ægyptum famem adhuc perseverasse. Tuum erit adire de hoc caput 47. Gen. Quod porro Pharaoni benedixisse dicitur Jacobus, nihil istis allegoricis Interpretibus favet: nam ibi *benedicendi* verbum ut alias sæpe pro salutare & fausta precari simpliciter usurpatur. Neque etiam quod mortuo Jacobo fratribus pollicetur Josephus eos se eorumque parvulos aliturum probat à morte Iacobi rediisse famem. Nihil enim aliud ibi videtur velle Iosephus quam se curam eorum alendorum deinceps suscipere; nec inde licet famem colligere. Haud multo acutior hic Abarbanel, qui *anno secundo* interpretatur annorum quinque quos adhuc restare dixerat Iosephus Gen. 45. 11. secundo, qui septem famis annorum fuerit quartus. Hic enim vult etiam שפקד ה' את הארץ לברכת יעקב כי עלה נילוס והשקה את הארץ כאשר שיוציא כדי מזונם, *Visitasse Dominum terram ob benedictionem Iacobi: siquidem ascenderit Nilus, terramque ita irrigarit ut ad victum necessaria suppeditarit.* Ita etiam Isaacus Arama.

GROTIUS.

2. **E**Xtremos quoque fratrum suorum] Melius Græci hic: ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ παρέλαβε. [*à fratribus suis accepit*]. Nam קצה Hebræum sæpe per μέρος [*partem*] vertitur.

6. *Trade eis terram Gessen*] An huc pertinet illud in Manethonis historia: τὴν τότε τῶν ποιμένων ἐρημωθεῖσαν Ἄβαριν συνεχώρησεν [*dedit eis Abarim tunc à pastoribus vacuam*].

12. *Præbens cibaria singulis*] Græci σῖτον κατὰ σῶμα [*cibaria ad quodque corpus*]. In Hebræo, *ad os parvuli*, id est, alimenta illis dedit pro numero liberum quos habebant.

21. *Subjecitque eam Pharaoni, & cunctos populos ejus à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus.*] Plus est in Hebræo: *transmovit eos in urbes*, nempe longe à natali solo eos transtulit, ac inter se cognatos notosque segregavit, ut seditionibus, quæ gravissimæ fuerant, materiam subtraheret: veterisque dominii memoriam, & ex memoria dolorem aboleret. In Africa Vandalorum feminæ atrocissimam seditionem commoverunt, quod hærere permissæ essent in fundis, quorum jus bello amiserant.

26. *Quinta pars solvitur*] Mansit hic mos diutissime. Vide Iosephum.

Absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit] A conditione vectigali, sive emphyteutica. Meminit ejus immunitatis Diodorus Siculus. Sacerdotum autem nomine comprehendebantur omnes qui Astrologiæ, Medicinæ, rerum naturalium cognitioni, mensoriæ, numerariæ, historiis operam dabant. Vide eundem Diodorum & Clementem Alexandrinum.

31. *Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput*] Id est, super lectum prostratus cervicali suo incubuit ad agendas Deo gratias pro sepultura sibi promissa. Sic & David legitur adorasse in lecto suo 1 Reg. 1.47. ubi similiter subauditur Deum, quod hic interpres ad Hebræum addidit.

CARTWRIGHTUS.

2. **E**T partem fratrum suorum accepit ומקצה אחיו לקח] Ad verb. *Et extremitatem fratrum suorum, &c.* Similiter Onkelos & Jonathan. Item Vulg. *Extremos quoque fratrum suorum, &c. Extremitas alicujus rei* (inquit Lyra) *accipitur dupliciter; scil. à parte superiori, & à parte inferiori. Et secundum hoc ista litera dupliciter exponitur, uno modo sic,* Extremos fratrum, *id est, minores & debiliores. Et hanc expositionem sequuntur Iudæi, dicentes, quod fecit hoc Ioseph, ne si rex vidisset majores & fortiores, posuisset eos cum viris bellatoribus. Alio modo sic,* extremos fratrum, *id est, majores & valentiores, ut ex hoc rex & consiliarii sui magis haberent acceptum dominium, videntes cognationem ejus esse ita gratiosam. Et istud magis concordat prædictis cap. præcedenti.* Hæc Lyra. R. Salom. ita interpretatur, quemadmodum à Judæis exponi refert Lyra, ac viros nominatim recenset, quos accepit Joseph, nempe, *Ruben, Simeon, Levi, Issachar, & Benjamin.* At Targum Jonathæ habet, *Zebulon, Dan, Naphthali, Gad & Asher.* Sed cum Scriptura duntaxat numerum virorum indicet, ipsorum nomina definire nimiæ est audaciæ. Præterea etiamsi haud dubitandum videtur, Josephum non sine delectu ex fratribus suis accepisse, quos coram Pharaone sisteret; multoque etiam verisimilius sit, eum optimos quosque ac præstantissimos elegisse; haud tamen existimo ex vi vocis מקצה, istiusmodi quicquam solide posse colligi. Quamvis enim vox ista proprie *extremitatem*, seu *extremam partem* denotet, pro qualibet tamen parte usurpatur. Genes. 23. 9. אשר בקצה שדהו Lxx, τὸ ὂν ἐν μέρει τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ, *quæ* (scil. spelunca) *est in parte agri ejus.* Vulg. *in extrema parte agri sui.* Dan. 1. 5. ומקצתם יעמדו לפני מלך, *& aliqui eorum stabunt coram rege.* R. Saadia primo exponit, *& à fine eorum*, scil. *trium annorum*, de quibus istic fit mentio; deinde addit hanc expositionem, מקצת מהם ישמשו את המלך, *pars eorum, vel aliqui eorum ministrabunt regi.* Similiter Aben Ezra refert, ac probat hanc interpretationem, ומקצת הילדים, i. e. *& pars puerorum*; quemadmodum Dan. 1. 2. ומקצת כלי בית האלהים, *Et partem vasorum domus Dei.* Quin & hunc Geneseos locum citat, ubi, ex ipsius sententia, vox מקצה ita usurpatur, scil. *pro parte.* Atque apud Rabbinos frequens est usus vocum קצת & מקצת, *pro parte, aliquibus, &c.* Hanc genuinam hujus loci expositionem esse censeo, *Et accepit partem fratrum suorum*, vel, *aliquos ex fratribus suis, &c.* In hunc sensum Lxx, ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ παρέλαβε, *de fratribus autem suis assumsit.* Sic Mercerus, *Ego* (inquit) מקצה *puto simpliciter sumi, ut alias* מקצת & קצת, *licet frequentius apud Rabbinos, pro quibusdam.*

6. אנשי חיל *Viri fortes, seu robusti.*] Vel, *industrii, gnavi, seduli.* חיל est *robur, fortitudo*; item pro *industria & sedulitate* usurpatur. Prov. 31. 10. mulier industria & sedula vocatur

catur חיל אנשי. Vulgatus vertit, *mulierem fortem*. Ita hic R. Salom. exponit, בקיאין באומנתם לרעות צאן, i.e. *Exercitati in arte ipsorum pastoritia*. Onkelos & Jonathan habent, גברין דח לא, quod idem plane sonat cum Hebræo. Fagius vertit, *viros robustos*, sed in Annotationibus monet *non tantum de corporis, sed etiam animi robore intelligendum; & vulgatam propterea non infeliciter legere*. Quod si nosti in eis viros industrios, h.e. *aptos, peritos, & gnaros pecoris alendi*. Lxx, ἄνδρες δυνατοὶ, *viri potentes*.

Præficias eos pecori meo.] Lxx. hic de suo addunt, ἦλθον δὲ εἰς Αἴγυπτον πρὸς Ἰωσὴφ Ἰακὼβ, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ ἤκουσε Φαραὼ βασιλεὺς Αἰγύπτου, *Venerunt autem in Ægyptum ad Josephum Jacob & filii ejus, & audivit Pharao rex Ægypti.* Quæ, ut in Hebræo, cum quo consentiunt Chald. & Vulg. non habentur, ita nec hic commodum habent locum. Quæ autem sequuntur apud Lxx, καὶ εἶπε Φαραὼ πρὸς Ἰωσὴφ, &c. *Et dixit Pharao ad Joseph, &c.* suo loco non sunt posita; adeo misere in ista versione Græca sacer textus est depravatus.

In terra רַעְמְסֵס. *Rameses.*] R. Salom. ait Rameses hic esse partem terræ Goshem. Similiter Aben Ezra ait Goshen comprehendere sub se Rameses. Atque addit רעמסס cum Pathac sub ע, Raamses (de qua Exod. 1. 11.) non fuisse eam, in qua habitabant Israelitæ; quippe quæ fuit una ex urbibus thesaurariis Pharaonis.

12. *Et pavit Ioseph patrem suum, & fratres suos, & totam domum patris sui, pane* לְפִי הַטָּף *juxta parvulum.*] Chald. לפום טפלא. Fagius vertit, *secundum parvulos*; & in Annotat. ait, ad verbum esse, *secundum os parvulorum*. At revera ad verbum est, *secundum os parvuli*; atque ita etiam ad verbum sonant Hebræa. Nam Hebræum טף, & Chaldaicum טפלא sunt singularia, etiamsi forte pro pluralibus usurpata, ut cap. 50. 8. טפכם, *parvulos eorum* significat, licet ad verbum sit, *parvulum eorum*. Addit autem Fagius Hebraismum esse, q. d. pro ratione parvulorum, secundum numerum eorum, juxta numerum familiarum, præbuit eis cibos. Asserit etiam Kimchium in hunc modum exponere, לפי שיעור הטף, i. e. *secundum mensuram, rationem, seu numerum parvulorum*; ut sit sensus, quod unicuique fratri cibum suppeditarit, prout familiam vel paucam, vel multam habuit. Hunc sensum simpliciorem putat Fagius eo, quem nonnulli verbis subesse existimant, nempe Josephum tanto studio aluisse patrem suum, cum tota ipsius familia, quanto pueri infantes ali solent. At fateor hanc expositionem mihi æque ac alteram, atque adeo etiam amplius arridere. Melius mihi videtur verbis quadrare, לפי הטף, *ad os*, vel *juxta os parvuli*, seu *secundum parvulum, juxta modum seu rationem parvuli*. Atque haud scio an hoc etiam voluerit Kimchi verbis istis, לפי שיעור הטף, *secundum mensuram, modum, rationem parvuli*, id est, eo modo, quo ali solet parvulus, magna scil. cura ac diligentia. Miror Gualtperium, cum exposuisset Hebræa לפי הטף, *ad os parvuli, quemadmodum alitur parvulus*, vel *juxta morem puerorum*, interpretari Chaldaica לפום טפלא, *secundum cœtum parvulorum*. פום enim Chaldaice idem plane est quod פה, & in regimine, vel litera quapiam præfixâ פי, Hebraice; utrunque certe *os*, neutrum vero *cœtum* significat. Alterum autem sensum secutus videtur R. Salom. quippe qui exponit, לפי הצריך לכל בני ביתם, i. e. *prout indigebant omnes filii domus ipsorum*. Id etiam voluisse videntur Lxx, qui interpretantur, κατὰ σῶμα, *secundum corpus*, id est, *secundum personam*, seu *personas* (singulare pro plurali posito) *pro numero personarum*. Similiter Vulg. *præbens cibaria singulis*. In hunc sensum etiam exponit Mercerus, licet alterius expositionis meminerit.

13. וַתֵּלַהּ *Et lassata est terra, &c.*] ותלה est pro ותלאה, à radice להה idem significante quod לאה, *fatigari, lassari*. Onkelos, ואשתלהי עמא דארעא, *Et defatigatus*, vel *defecit populus terræ*. Similiter Jonathan, ואשתלהון דיירי ארעא, *Et lassati sunt*, vel *defecerunt incolæ terræ*. R. Salom. ait verbum Hebræum *lassationem* denotare, לשון עיפות. Et simile huic esse illud Prov. 26. 18. כמתלהלה הירה זקים, *sicut defessus jaculatur flammas*. Sic Shindlerus etiam interpretatur locum istum; sed addit aliam interpretationem, quam ego veriorem arbitror, *Sicut furiosus jaculatur, &c.* Atque ita hoc in loco Aben Ezra ait verbum תלה, *mentis ac consilii inopiam* significare; q. d. populus terræ præ fame ac annonæ inopia eo redactus fuit, ut nesciret quid ageret. Kimchi etiam (teste Mercero) in Rad. exponit, *ad rabiem acta est terra*; ut fames ad rabiem & insaniam homines adigit.

18. *Et venerunt ad eum anno secundo.*] R. Salom. exponit de anno secundo famis; secundo ex septem annis famis hoc putat contigisse. Et ad ver. 13. ubi dicitur, *Et panis non erat in tota terra, &c.* ait Mosen redire ad primam materiam, nempe ad initium annorum famis. Existimat enim famem statim ab adventu Jacobi in Ægyptum cessasse, quod Lyra merito rejicit ac refellit, quia Joseph prædixerat famem duraturam septem annis. Vide etiam cap. 45. 11. Deinde juxta istam opinionem sequeretur Josephum sustentasse Ægyptios primo anno famis pro pecoribus, & per consequens dum adhuc duraret fertilitas, sustentasse eos pro pecuniis. *Et ideo* (inquit Lyra) *dicendum est, quod secundus annus hic intelligitur ab isto tempore, quo defecit eis pecunia ad emendum; & hoc fuit circa finem sterilitatis terræ; & maxime, quia Ioseph prædixerat publice, ita quod erat omnibus notum per totam terram Ægypti, de septem annis famis futura post sterilitatem: & ideo verisimile est, quod multi de terra Ægypti reservaverunt sibi bladum, unde poterant sustentari per aliquod tempus, ita quod non fuerunt compulsi vendere pro blado pecora sua, & possessiones suas tam cito, sed magis in ultimis annis famis.* Hæc Lyra. Vide ad ver. 19.

לֹא־נְכַחֵד *Non celabimus.*] Lxx, μήποτε ἐκτριβῶμεν, *ne forte deleamur*. Acceperunt verbum כחד in altera significatione, quam habet in Niphal, nempe, *perdi; exstirpari, deleri*; ac legerunt נִכָּחֵד. At Onkelos & Jonath. לא נכסי, *non occultabimus*. Vulg. *Non celamus*.

19. *Et da semen.*] R. Salom. ait, *Etiamsi Ioseph dixerat quinque annos restare, in quibus nec aratio, nec messis futura esset, tamen cum Iacob in Ægyptum venit, una cum eo venisse benedictionem, hominesque cœpisse serere, ac famem cessasse.* Hujus insulsi commenti meminit etiam Aben Ezra, qui addit *fieri posse, ut fames duraverit adhuc tribus annis, sed non adeo vehementer grassatam esse ac quatuor annis præteritis.* Hinc apparet eum, annum illum secundum, de quo ver. 18. non ab initio famis, ut R. Salom. sed ab adventu Iacobi in Ægyptum computare. Sed rectius Lyra *annum istum secundum* dici putat *respectu ejus anni, quo populi pecunia consumpta fuit, idque circa finem sterilitatis accidisse.* Mercerus ait, *Ægyptios anno septimo famis semen petiisse ad sementem faciendam, quia ex prædictione Josephi intelligebant famem post septem annos cessaturam.*

21. *Et populum* הֶעֱבִיר אֹתוֹ לֶעָרִים *transire fecit in urbes.*] R. Salom. non male interpretatur, *Josephum eos transtulisse ex urbe in urbem, ut ita eos non amplius partem in terra habere testatum esset.* Illud minus solidum videtur, quod addit *Iosephum ista ratione ignominiam ac opprobrium fratribus suis depulisse, ne scilicet ab Ægyptiis exules, vel migratores* (גולים) *vocarentur.* Lxx. videntur legisse העביד אתו לעבדים, vertunt enim, καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παῖδας, *Et populum subjecit ei in pueros*, seu *servos*. Vulgatus etiam Interpres similem lectionem secutus videtur, qui sic habet, *Subjecitque eam Pharaoni, cunctosque populos ejus.* Lyra dubitat utrum propter similitudinem inter Resh & Daleth Interpres iste, an Scriptores Hebræorum, qui fuerunt post tempus Interpretis, decepti fuerint. Sed præterquam quod omnes tres Chaldæi Paraphrastæ, Onkelos, Jonathan, & Hierosolymitanus habent אעבר, quod respondet Hebræo העביר, *transire fecit*, ipsa verborum series ita legendum satis arguit.

22. רַק אַדְמַת הַכֹּהֲנִים לֹא קָנָה *Solummodo terram sacerdotum non emit.*] Onkelos & Jonathan hic pro כהנים habet כומריא, quod vocabulum indicat quales fuerint sacerdotes, nempe idolorum; Hebraice vocantur כמרים *Chemarim*, Zeph. 1. 4. Aben Ezra istam interpretationem probat; הם כומרי המתרגם אמרו, i.e. *Sunt quales eos descripsit Paraphrastes Chaldæus.* Ad verb. *sunt juxta verba ejus, qui transtulit Syriace*; sed *Syriacam linguam* pro *Chaldaica* passim usurpat. Similiter R. Salom. interpretatur, הכומרים, *sacerdotes gentiles, idololatricos.* Atque addit, *dictionem* כהן Cohen *significare semper* משרת לאלוה, i.e. ministrum Dei (*sive veri, sive falsi*) *nisi quando dignitatem seu principatum denotat, ut cum dicitur Cohen Midian, Cohen On.* Vide supra ad cap. 41. 45.

29. חֶסֶד וֶאֱמֶת *Benignitatem & veritatem.*] Acute hic R. Sal. חסד שעושים עם המתים הוא חסד של אמת שאינו מצפה תשלום גמול, i. e. *benignitas, quæ exercetur erga mortuos est benignitas veritatis* (seu vera) *quia non exspectatur retributio.* Quomodo autem Aben Ezra inter hæc duo חסד & אמת distinguat. Vide supra ad cap. 24. 49.

30. *Et cubabo cum patribus meis.*] R. Sal. ait sensum esse, *Et ego cubiturus sum cum patribus meis; tu autem tolles me ex Ægypto.* Asserit, *non posse ita exponi, quasi hoc Jacob à Iosepho postulasset, ut ipsum cum patribus suis cubare faceret in spelunca illa, in qua Abraham & Isaac sepulti erant; quia mox sequitur, Et tolles me ex Ægypto, & sepelies me in sepulcro eorum.* At nimium infirma videtur ista ratio. Quidni enim postquam dixisset Jacob, *Et cubabo cum patribus meis*, i.e. hoc à te postulo, ut cum patribus meis cubem, postea plenius sese explicet, & dicat,

tat, *Tu autem tolles me, &c.* Addit igitur R. Salom. ad expositionem suam amplius corroborandam, *hanc phrasin*, cubare cum patribus, *semper mortem, nunquam autem sepulturam denotare*; idque ex eo probat, quod (1 Reg. 2. 10) de Davide dicitur, *eum cubuisse cum patribus suis*, ac deinde, *eum sepultum fuisse in civitate Davidis.* Sed quare & istud ἐξηγητικῶς additum non dicatur, nescio. Aben Ezra primo ait, *mortem hac phrasi significari*; postea autem dicit posse locum hunc sic exponi, *Ne, me quaso, sepelias in Ægypto, sed cubabo cum patribus meis. Quomodo autem istud erit? Tolles me ex Ægypto, & sepelies me in eorum sepulcro.*

31. *Et adoravit Iacob* עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה *super caput lecti.*] Ita Onkelos, על ריש ערסא. Et Jonathan, על ריש דרגשא. Et Paraphrastes Hierosolymitanus, על ריש דרגשא, quæ idem prorsus cum Hebræo sonant. Similiter Vulg. *conversus ad lectuli caput.* At LXX, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *super fastigium virgæ ipsius.* Legerunt nempe מַטֶּה quod est *virga*, seu *baculus*, pro מִטָּה quod est *lectus.* Autor Epistolæ ad Hebræos cap. 11. versionem LXX. Interpretum sequitur. Vide quæ supra ad hanc rem spectantia annotavimus ex Hieronymo, nempe ad cap. 46. 27. Ad quem locum etiam hæc præterea habet Hieron. in Tradit. *Hoc autem* (inquit) *generaliter observandum, quod ubicunque sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerunque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.* Ad hunc autem locum idem Hieron. sic scribit, *Et in hoc loco quidam frustra simulant adorasse Iacob summitatem sceptri Ioseph, quod videlicet honorans filium, potestatem ejus adoraverit; cum in Hebræo multo aliter legatur,* Et adoravit, *inquit,* Israel ad caput lectuli: *quod scilicet, postquam ei juraverat filius, securus de petitione, quam rogaverat, adoraret Deum contra caput lectuli sui. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppressus senectute sic habebat lectulum positum, ut ipse jacentis habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus.* Hæc Hieron. qui etiam notat ipsos LXX Interpretes vocabulum מטה, quod hic habetur, paullo inferius, nempe cap. 48. 2. interpretari non *virgam*, sed *lectulum.* Aquila hic, ἐπὶ κεφαλὴν τῆς κλίνης, *ad caput lecti.* Symmachus, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης, *ad summitatem lecti.* R. Salomon ait, *Jacobum se convertisse* לצד השכינה *ad præsentiam Divinitatis.* Atque addit, מכאן אמרו שהשכינה למעלה מראשותיו של חולה, i. e. *Hinc dicunt præsentiam Divinitatis esse super cervical ægroti.* Aben Ezra ait, *Jacobum laudem Deo dedisse*; ac monet *hanc adorationem non fuisse eandem cum ea quam exhibuit Abrahamum* (cap. 23.) *quia ibi expresse dicitur, Abrahamum se incurvasse filiis Heth.* Similiter Targum Hierosolymitanum, ושבח ישראל על ריש ערסא, *Et laudavit* (seu gratias egit) *Israel super caput lecti.* Simile de Davide memoratur 1 Reg. 1. 47. Fagius refert quosdam putare hanc adorationem factam in honorem Josephi, eo quod magistratus & princeps Ægypti esset. Id forte volunt ista Aben Ezræ verba, quæ ante illa superius notata, ex aliorum opinione sententia habet, שחלק כבוד למלכות, i. e. *quod exhibuit honorem regno, sive imperio*, nempe Josephi. Atque hunc esse istorum verborum sensum apparet ex verbis R. Salom. infra citatis, ad cap. 48. 2. Ista autem opinio parum est probabilis; uti etiam & ista quorundam à Fagio pariter relata, *adorandi* verbum simpliciter pro *inclinare*, *ac incurvare se*, esse accipiendum, hoc sensu, Quod *Jacob senex ac decrepitus, longa oratione defatigatus, morboque gravatus, se rursum ad caput lectuli, requiem captaturus, reclinarit.* Non existimo verbum השתחוה, quod hic habetur, nisi de *adoratione vel religiosa, vel civili* usurpari.

CAP. XLVIII.

MUNSTERUS.

4. P*Ossessionem seculi*] Hebr. *in apprehensionem seculi*, h. e. ad longum tempus. Non enim significat עולם semper tempus perpetuum, ut in Exodo demonstrabitur.

6. *Filii autem*] Hebraica veritas habet, *Et generatio tua, quam genuisti post illos*, &c.

7. *Stadium terræ*] Supra cap. 35. explicuimus hunc locum.

11. *Me visurum, &c.*] Hebræi hunc locum sic legunt, *Videre faciem tuam non arbitratus sum ego*; vel, ut Kimhi verbum פלל exponit, משפט בעצמי לא עשיתי, h. e. *Non feci tale judicium apud me, quod unquam te visurus essem.* Onkelos vero exponit לא סברית, *Non putavi*, &c. Et quod sequitur, *De gremio ejus*] in Hebr. est, *de genibus ejus.* Postquam avus in lectulo sedens osculatus fuerat nepotes, tulit eos Joseph de medio crurium ejus, & statuit unum ad dexteram & alterum ad sinistram.

14. *Prudenter dirigens*] Vel, *advertens manus suas*, h. e. Ex industria & sciens sic disposuit manus suas, non ignorans Menassen esse primogenitum, &c. Sapiens Abraham sic exponit, כאלו ידיו השכילו מה שהוא רוצה לעשות, *Perinde ac si manus ejus intelligerent quod ipse facere volebat.*

16. *Augescant*] Habet hic Hebraismus verbum דגה, quod *in modum piscium* significat *multiplicari.* Crescunt autem pisces in maximo numero.

19. *Semen ejus implebit nationes*] Onkelos sic vertit, *& filii ejus erunt potentes in populis.* Hebraica proprie sic habent, *& semen ejus erit plenitudo gentium.* Est enim hic מלא nomen, ut D. K. docet.

20. *In te benedicat*] Non est hic *benedicatur* in passiva voce, sed *benedicat* in activo genere. Et est sensus, Qui sunt futuri, benedicent filiis suis in te, dicentes, *Ponat te Deus sicut Ephraim*, &c.

22. *Partem unam*] Hebr. *humerum unum.* Exponunt tamen Hebræi שכם pro חלק *parte*, quæ scilicet in humero portatur. Et putant hic significari Sichimam, ubi sepultus fuit Joseph, quam ob constupratam Dinam acquisierunt filii Jacob: cujus etiam Joannes Evangelista meminit, cap. 4. 5.

FAGIUS.

4. I*N possessionem seculi*] Vel, *in possessionem æternam*, i. ad longum tempus. עולם enim Hebræis non semper *quod æternum est* significat, sed plerunque durationem juxta subjectam materiam de qua agitur.

5. *Mei sunt Ephraim & Manasseh*, &c.] i. Hæredes mei erunt, ut Ruben & Simeon.

6. *Nomine fratrum suorum vocabuntur*] Vult dicere, Quando dividenda erit hæreditas terræ Chananæorum, comprehendentur sub Ephraim & Menasseh.

14. *Prudenter egit manibus*] i. Sciens & prudens imposuit manus suas, quemadmodum postea eventus probavit, tanquam manus illius consciæ essent rerum futurarum.

16. *Invoceturque in eis nomen meum*] i. Dicantur posthac filii mei, & filii Abrahæ & Isaac. Magnum erat ex tribu Israel esse, & nominibus patrum nominari. Nam hoc testamentum & promissionem Dei respicit. Qui ex Judah nati erant, vocabantur *filii Iudah*; qui ex Levi, *filii Levi*: sic de cæteris: Manasses autem & Ephraim *filii* non *Ioseph*, sed *Israel*, sunt vocati. Et hoc non ad elevationem sed ad magnificentiam Joseph pertinet.

20. *In te benedicet Israel*, &c.] i. Dum populus Israel volet populis suis bona imprecari, dicet, *Multipliceris ut multiplicatus est Ephraim & Menasseh.* Hinc postea mos inolevit in Israel, ut si qui viri pietate conspicui essent, illis pueri adducerentur, ut benedicerent eis, ac bene precarentur. Hac eadem de causa & Christo adducti fuerunt pueri. Et durat adhuc hodie mos iste apud Judæos. Qui vero eis manus imponit & benedicit, sic inquit, si filius est, ישימך אלהים כאפרים וכמנשה, *Ponat te Deus sicut Ephraim & sicut Menasseh*: quod si filia est, dicit, ישימך אלהים כשרה וכרבקה, *Ponat te Deus sicut Saram & sicut Rebeccam.*

22. *Dedi tibi partem unam*, &c. *quam tuli*] Quidam Hebræorum dicunt hæc dicta esse per anticipationem, *quam tuli* sive *accipi*, pro *quam accipiam nepotesque mei accepturi sunt jure bellico.* Amorrhæum autem solum nominat, quia erant fortissimi omnium eorum quos Israelitæ devicerunt. Alii putant hic significari Sichimam, quam ob stupratam Dinam acquisierunt: Cujus etiam Johannes Evangelista meminit cap. 4. Atque hæc sententia omnino genuina hujus loci esse videtur. Sed quomodo dicit Jacob se Sichimam cepisse, cum filii hoc fecerant? Simeon enim & Levi hoc facinus patrarunt. Respondetur, Tametsi hoc factum primum patri displicuit, cum tamen deinde vidit providentia Dei hoc esse factum, & Deo minime displicere, sibi adscribit quod fecerant filii: maxime tamen eam ob causam, quod Deus propter pietatem Jacob cohibuit vicinos populos, ne ob istud facinus ipsum Jacob & filios ejus persequerentur, atque ita opprimerent. Sicut trepidans dicebat ad Simeonem & Levi, cap. 34. 30. *Turbastis me, ut fœtere me faceretis coram habitatore hujus terræ, coram Chananæo & Pherisæo: & ego parvo cum sim numero, congregabuntur illi adversum me, & percutient me; deleborque ego & domus mea.* Verum postea dicitur cap. 35. 5. *Et cum proficiscerentur, fuit terror Dei super civitates illas quæ erant per circuitum illorum; & non sunt persecuti filios Jacob*, &c. Huc respiciens Paraphrastes noster, scite

scite & lepide locutionem Hebraicam, quæ in textu Hebraico est, *In gladio meo & arcu meo*, qua jus bellicum significatur, q. d. Quam tuli jure bellico, vertit per, *In oratione mea & obsecratione mea*; innuens Jacob Patriarcham ardentibus precibus suis, quas ad Dominum habuit, efflagitasse & effecisse ut sibi Sichima à filiis expugnata remanserit, quodque nihil inde mali à circumjacente vicinia passus fuerit: aliis enim vix effugere potuissent quin à vicinis populis oppressi fuissent. Sunt præterea qui locum istum de Joseph intelligunt, cujus filii duas partes acceperunt; atque ita *partem unam ultra fratres suos* videtur accepisse Joseph.

IDEM.

14. שכל את ידיו כי מנשה הבכור, *Prudenter dirigens manus suas (sciens) quod Menaße eßet primogenitus*,] Variatio est in verbo שכל, quod Lxx & Autor Lat. editionis per *commutare* transtulere; cum Hebræis proprie *intelligere* vel *sapienter ac prudenter aliquid agere* significat: q. d. prudens, sciens & de industria fecit, quod scilicet dextram manum super juniorem, sinistram vero super primogenitum posuit. Nam nisi hoc diceret Moses, errore cæcutientis contigisse alicui videri potuisset. Sapiens Aben Ezra sic exponit, כאלו ידיו השכילו מה שהוא רוצה לעשות *Perinde ac si manus ejus intelligerent quod ipse facere volebat*. R. D. Kimhi hunc locum docte sic explicat, פירש רבי יונה הבין יעקב מידיו רוצה לומר מידי יוסף כי מנשה הבכור לפי שהרגיש כי הביאו אליו מנשה מימינו שכל וידע כי מנשה הבכור: ונכון שיהיה פירוש שכל את ידיו פעל יוצא והדרכים מעלות כלומר נתן שכל לידיו כאלו עשו בהשכל ובחכמה מה שעשו כי מנשה היה הבכור וראה בנבואה כי הזה קטן בברכה והוא השכל כי אם היה ניתן ימינו על ראש מנשה מה שכל היה בזה כן הוא דרך העולם וזה דעת המתרגם שאמר אחכמינון לידוהי. *R. Ionah sic exponit, Intellexit Iacob ex manibus ejus, h.e. ex manibus Iosephi, quod Menaße primogenitus eßet; eo quod sentiret Menaße è regione dexteræ suæ sibi adduci, hinc intellexit ac cognovit quod Menaße primogenitus eßet. Sed magis convenit hunc eße sensum, ut* שכל *sit verbum activum, & Manus id in quod agitur: q. d. dedit prudentiam (seu intellectum) manibus suis, quasi prudenter ac sapienter fecerint quod fecerunt: quoniam Menaße fuit primogenitus, viditque spiritu prophetico quod minor futurus eßet in benedictione. Atqui hæc fuit quam exhibuit prudentia. Nam si dexteram super caput Menaße collocaßet, quæ fuißet sapientia? cum istud ipsum ex communi more fieri soleat. Atque hæc est sententia Chaldæi interpretis, qui reddidit* אחכמינון לידוהי *sapientificavit manus suas.* Hactenus Kimhi. Alii sic legunt, *Intelligere fecit manus suas, quamvis Menaße eßet primogenitus*; i. scite & docte imposuit manus suas, quemadmodum postea eventus probavit: tanquam manus illæ essent consciæ rerum futurarum. Potest etiam sic legi, *Et prudenter egit cum manibus suis*, ut vocula את idem valeat quod עם *cum*, quod sæpe fit in Hebraismo.

22. ואני נתתי לך שכם אחד על אחיך אשר לקחתי מיד האמרי בחרבי ובקשתי, *Et ego dedi tibi partem unam supra fratres tuos, quam tuli de manu Æmorræi in gladio meo atque in arcu meo*,] Variatio est in voce שכם, quæ cum æquivoca est ad locum, urbem scilicet *Sichimam*, & ad *humerum*, seu *partem*, idcirco ab aliis pro nomine proprio urbis Sichimæ exponitur, ut à Lxx, ab aliis vero pro nomine appellativo, quod *humerum*, seu *partem* significat, accipitur: sicut Chaldæus Paraph. transtulit; & post illum autor Vulgatæ editionis. Nam si pro loco accipias, non convenit addi *unam*, quasi non una tantum urbs Sichem, sed duæ vel plures fuerint. Convenientior igitur lectio est, *Dedi tibi partem unam supra fratres tuos*, &c. tametsi per illam partem Sichem urbem intellexerit Iacob; unde subjungit, *quam tuli de manu Amorræi gladio meo & arcu meo*. Sed quomodo dicit se eam cepisse, cum filii hoc fecerant? Simeon enim & Levi hoc facinus patrarunt. Respondetur; Licet hoc factum ipsi Iacob primum displicuerit, tamen ubi deinceps Dei providentia hoc factum esse intellexit, sibi ascribit quod fecerant filii. Iure belli Sichem Iacob obtinuerat, lacessitus à Sichimitis injuria, quod præter fas & pactum amicitiæ Sichem violasset & stuprasset filiam suam. Nota Hebraismum, *in gladio & arcu meo*, pro Iure bellico. Porro sunt etiam inter Hebræos qui hæc, *Quam accepi de manu Amorræi*, &c. per anticipationem dicta esse putant, pro, Quam accipiam, h. e. quam nepotes & posteri mei accepturi sunt jure bellico. Alii intelligunt de Ioseph, cujus filii duas partes acceperunt: atque ita partem unam ultra fratres suos videtur accepisse Ioseph. Sed non dubium est quin Iacob non ad hoc quod adhuc futurum erat, sed quod jam factum erat, respexerit, ad facinus scilicet filiorum qui Sichimam vi occupaverant. Cujus rei nota est historia ex cap. 34. Quod si miraris quid sibi Paraph. Chaldæus velit, qui illud, *In gladio meo, & arcu meo*, reddidit, *in oratione mea & deprecatione mea*; scias illum auxilium Dei, quod ipsi Iacob & filiis ejus in expugnanda urbe Sichima præsto fuit, respexisse. Nisi enim Dominus adspirasset, non facile Sichimam utcunque debellatam retinere potuisset. Unde & dicebat ad filios suos, *Turbastis me & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me; & delebor ego & domus mea.* Quod enim terror totam viciniam invasit, ut habet sequens cap. 35. ita ut *nemo ausus fuerit persequi Iacob*, à Deo fuit. Unde & Scriptura *Dei terrorem* vocat, quod à Deo scilicet profectus fuit. Et quis dubitabit hoc ipsum Iacob, qui sibi ab hoste timebat, anxiis precibus à Domino impetrasse? Nusquam certe legimus quod Iacob armis atque externa vi contra hostes suos pugnarit: fugit enim à conspectu fratris Esau & Laban, & hic sibi valde timet ab hoste per filios lacessito. Non inepte ergo Chaldæus Paraph. per *gladium* & *arcum Iacob*, fidem atque orationes ejus intelligit. Hæc enim semper arma ejus fuerunt quibus hostes suos prostravit. Egregium certe exemplum non tam armis quam precibus cum hostibus contendendum, victoriamque piis cælitus non externa armorum vi contingere.

VATABLUS.

1. POst hæc, אחרי וגו'] Ad verb. *post verba ista*, i. his gestis. ¶ *Dictum fuit*, ויאמר] i. renuntiatum fuit. Ad verb. *& dixit*, sub. *aliquis*.

2. *Renuntiatum est*, &c. ויגד וגו'] Ad verb. *Et renuntiavit* [sub. *nuntius*, vel *qui renuntiat*] *ipsi Iaacob, & dixit.* ¶ *Et confortatus est*, ויתחזק] *Et fortificavit seipsum*, vel *confirmavit sese*, i. resumptis viribus, dedit operam ut sederet in lecto.

4. *Crescere facio te*, מפרך] Præs. heb. pro fut. *Augebo te.* ¶ *Daboque te*, ונתתיך] *ponamque te*, i. faciam te in congregationem populorum, h. e. relinques quamplurimos nepotes in terra. ¶ *Perpetuam.* עולם] Ad verb. *seculi*, i. sempiternam. Hac locutione significat, Israelitas fore perpetuos terræ hæredes usque ad Christi adventum quo renovatus fuit mundus. Vox Hebraica עולם à quibusdam pro *diuturno* solum *tempore*, ab aliis pro *æternitate* accipitur. Sed quia gratiam olim Patribus adumbratam Christus usque ad finem mundi continuat, *poßeßio seculi* doctiorum judicio tantundem valet atque *æterna*. Nam veteri populo usque ad renovationem per Christum inductam promissa fuit illa terræ portio: nunc ex quo totum orbem Dominus populo suo dicavit, plenior nobis constat hæreditatis fruitio.

5. *Mei sunt*, לי הם] habeo eos pro meis. ¶ *Erunt mei*, יהיו לי] sub. *hæredes*.

6. *De nomine*, &c. על שם וגו'] Hebraismus, Quando dividenda erit hæreditas terræ Chananæorum, comprehendentur sub Ephraim & Manasse: non habebunt hæreditatem sejunctam à fratribus suis.

7. *Equidem*, ואני] Ad verb. *Et ego.* ¶ *Milliare terræ*, כברת ארץ] Vide supra c. 35. 16. ¶ *Ipsa est*, הוא] i. quæ alio nomine dicitur.

8. *Cujus sunt isti?* מי אלה] *Quinam sunt isti?*

9. *Qui respondit*, ויאמר יוסף] Ad verb. *Et dixit Ioseph.* ¶ *Admove eos*, קחם] Ad verb. *Cape eos.* v. 10. dicit, *Et appropinquare fecit*, sive *admovit*.

11. *Non putabam:* לא פללתי] *non putaram*, vel *cogitaveram.* Ad verb. *non judicavi*, i. non venit mihi in mentem ut aliquando possem te videre.

12. *Eduxit:* &c. ויוצא וגו'] i. Removit à se filios suos, & admovit illos patri suo. Alii, *Iam vero abstulerat filios suos à gremio suo.* Ioseph filios è gremio suo eductos ad patris genua admovit, non modo honoris causa, sed ut Dei Prophetæ benedicendos offerret; quia certo persuasus erat non vulgari hominum more sanctum Iaacob appetere nepotum complexum, sed quatenus erat Dei interpres, depositam apud se gratiam ipsis velle conferre. *Et incurvavit*, &c. וישתחו] *& adoravit vultu prono in terram.*

14. *Intelligere fecit manus suas*, שכל את ידיו] Hebraismus, docte, scite, & perite imposuit illis manus. Quum hebetes senio essent oculi, ut aspectu non discerneret uter natu major esset, consulto tamen manus suas transversas posuit: ideo dicit Moses quod *intelligere fecerit manus suas*, quasi manus illæ essent consciæ rerum futurarum: quia non temere eas projecit, nec palpandi causa huc vel illuc transtulit, sed delectu adhibito sciens ac volens manum dexteram direxit ad Ephraim qui minor erat natu, sinistram autem primogenito imposuit.

15. Qui

15. *Qui pavit*, הרועה] Præf. Heb. pro præt. ¶ *A tempore meo*, מעודי] *ex quo sum*. Subaudi in fine versus, *benedicat tibi, ô fili mi Ioseph.*

16. *Et vocetur*, &c. ויקרא בהם] posthac dicantur filii mei, & filii majorum meorum. Hæc nota est adoptionis, cujus nuper facta est mentio, suum enim illis nomen imponit ut locum obtineant inter Patriarchas. Neque enim aliud sibi vult phrasis Hebraica, quam censeri sub nomine. Sic dicitur invocari nomen mariti super uxorem, Ies. 4. 1. quia uxor à capite cui subest nomen mutuatur. ¶ *Et multiplicentur plurimum*, וידגו לרב] Ad verb. *& instar piscium sint in multitudinem.*

17. *Displicuit in oculis ejus*: וירע בעיניו] Hebraismus, *ægre tulit*, sive, *gravate & moleste tulit.*

18. *Non sic*, לא כן] *Non ita*, sub. *fieri debet*, q. d. Erras, pater mi.

19. *Ipse erit in populum*, הוא יהיה לעם] i. multi populi orientur ex eo. ¶ *Crescet magis quam ipse*, יגדל ממנו] *major illo erit.* ¶ *Plenitudo gentium*: מלא הגוים] Hebraismus, *variæ gentes*, sive *multi populi ex eo nascentur*. Chald. paraph. *filii ejus erunt potentes in populis.*

20. *Benedicet*, יברך] sub. *filiis suis.* ¶ *Ponat te*, &c. ישימך וגו׳] i. Faxit Deus ut crescas & multipliceris sicut Ephraim

22. *Portionem.* שכם אחד] De Sechem loquitur. Johannes enim, c. 4. 5. de agro vicino urbi Sichar (quæ olim Sichima fuerat) loquens, eum esse dicit *quem Jacob donavit filio suo Ioseph.* Et Ios. 24. 32. dicitur venisse in possessionem duobus filiis Ioseph. ¶ *Gladio meo, & arcu meo.* בחרבי ובקשתי] i. jure belli. Quod Simeon & Levi fecerunt contra Sichimitas, ad se transfert. Etsi enim ab eorum scelere semper abhorruit, & illud proximo capite detestabitur, quia tamen armaverant totam ejus domum, quasi sub ejus auspiciis militarunt. Quod libenter fecisset, consequi non potuit, ut salvi essent cives Sichimæ: agrum tamen, eorum interitu vacuum & desertum ideo suum facit, quia in ejus gratiam homicidis Deus pepercerat.

CASTALIO.

20. Per vos bene precentur Israelitæ.] Hebr. *Per te.* Sed cum utrique dicatur bene ominari, & Græce dicatur ἐν ὑμῖν, malui per pluralem vertere. Est autem hic sensus, Opto vobis tantam felicitatem ut deinceps qui volet alicui bene precari, vestra in precando nomina adhibeat.

CLARIUS.

4. *In possessionem sempiternam*] Vel, *in possessionem seculi*, h. e. ad longum tempus. Notandum vero, dictionem Hebræam, quæ vertitur *æternum*, significare tempus longum & continuum usque ad naturalem rei præscriptæ terminum, ut Exod. 21. *Et serviet ei in æternum*, h. e. absque intervallo & citra spem libertatis usque ad jubilæum. At illud Psal. 89. *Quia dixi, In æternum misericordia præparabitur*] *absque fine* significat, nemine refragante, & ad alterum omnino seculum refertur. Erit ergo hæc ejus definitio: *Æternum* significat, *omnibus diebus continui temporis ejus rei de qua agitur*: ut ex adverso intelligas quousque proferatur ævum illud, an ad terminum finitum, an ad infinitum.

5. *Mei erunt*] In tribuum enumeratione tanquam filii mei recensebuntur. *Cæteri filii tui vocabuntur nomine fratrum suorum*, de tribu Ephraim, vel Manasse.

7. *Mihi enim*] Solicitus fuit Iacob de honore Ioseph, cujus mater, cum non esset sepulta cum majoribus, atque is fratribus exosus, filiosque in Ægypto genuisset, timuit minoris existimandam ipsius Ioseph posteritatem.

11. *Putabam me fraudandum*] Nunquam (inquit) arbitrabar me visurum te, at Deus effecit ut non te solum sed & semen tuum viderem.

16. *Et crescant*] Verbum Hebræum significat *in modum piscium multiplicari*, crescunt enim pisces in maximo numero.

19. *Iunior major erit illo*] Manebat tribum Ephraim honor Regni, & decem tribuum potentatus. Fuit enim de eadem tribu Ieroboam, & multi ejus posteri, numero virorum semper superiores tribu Manasse.

20. *In te benedicetur Israel*] h. e. Posteri benedicent filiis suis in te, ita dicentes, *Faciat tibi Deus sicut Ephraim*, &c.

22. *Partem unam*] Putant hic significari Sichimam, quam ob constupratam Dinam acquisiverunt; cujus etiam Ioannes Evangelista meminit, c. 4.

LUCAS BRUGEN.

15. Regia Biblia legunt, *Benedixitque Iacob Ioseph, & ait.* Novem scripta ab Hentenio notata, & viginti à nobis collecta, cum Rabano habent, *Benedixitque Ioseph filio suo, & ait*: & hanc germanam esse nostræ versionis lectionem vero simile est. Hebraice & Chaldaice est, *Et benedixit ipsi Ioseph, & ait.* Quod autem in aliis Latinorum exemplaribus legitur, *Benedixitque Iacob filiis*, aut *filios Ioseph, & ait*, ad Græca accedit, (quæ habent, *& benedixit eos, & ait*) & sensum exprimit: ipsi enim Ioseph in filiis benedixit.

DRUSIUS.

20. *Semen ejus erit plenitudo gentium*] Sensus, Ejus posteritas replebitur multis ac variis gentibus. Sic pisces vocantur *plenitudo maris*, quando mare iis repletur. Sic *plenitudo peccatorum* dicitur quando impleta est iniquitas peccantium. *Gentes* autem dicit familias, ut contra *familiæ* vocantur gentes. Sic *familia Ægypti*, gens Ægyptia. *Plenitudo dierum* est ætas exacta, quam qui attigit dicitur *plenus ac satur dierum.*

IDEM.

16. הגאל. Schol. ἀγχιστεύς.] Sic interpretantur & Lxx Ruth. 4. 8. Ibidem v. 4. ἀγχιστεύειν est *relictam à proximo cognato uxorem aut hæreditatem redimere jure propinquitatis.* Proprie ἀγχιστεύς *cognatus* aut *propinquus*. Idem גואל significat, si Hieronymi testimonium fide dignum putamus. In comment. Ies. 59. *Veniet Christus*, inquit, *qui redimet Sion sanguine suo, sive, juxta Ebraicam veritatem, qui propinquus est Sion, & de Israel stirpe generatus sit. Hoc enim* גואל, *i.* ἀγχιστεύς, *sonat.*

17. וירע בעיניו *& malum fuit in oculis ejus.* A. ἐκακώθη, *malum fuit.* Sym. ἀηδὲς αὐτῷ, *insuave*, sive *injucundum, ei.*] ¶ *Malum fuit*] Melius, *factum fuit male.* Adde, si placet, *in oculis ipsius*, i. judicio ipsius. ¶ *Injucundum ei*, sub. *videbatur*, aut tale quid, pro quo in editione τῶν Lxx. βαρὺ αὐτῷ κατεφάνη, *grave ei apparuit.* ἐκακώθη in edit. Rom. exponitur, *afflictus est.* Quid si, *offensus est ea re?*

NOTÆ MAJORES.

1. *Post hæc verba dictum est Josepho, Ecce pater tuus ægrotat: qui accepit duos filios suos secum, Manassen & Ephraim.*

2. *Nuntiavitque Iacobo ac dixit, Filius tuus Ioseph venit ad te: & confirmavit se Israel, & sedit super lectum suum.*

Post hæc verba] μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα. Latine, post has res, his ita gestis ac transactis. ¶ *Dictum est*] Ebraice, *dixit*, & subintelligitur nuntius vel tabellarius aut cognatorum aliquis. Ebraismum retinet Onkelos: mutat Jonathan. Nam vertit impersonaliter ואתאמר dictum est, ut etiam Lxx. qui habent ἀπηγγέλη & Hiero. *nuntiatum est* ויאמר. ¶ *Ægrotat*] חולה. Lxx. ἐνοχλεῖται, de quo Augustinus in locutio. „Quod scriptum est in Lxx. Pater tuus turbatur, aliqui codices habent, vexatur, aliqui extenuatur, & aliud alii, sicut interpretari Latini „potuerunt, quod Græce scriptum est ἐνοχλεῖται. Ideo au„tem turbatur accommodatius dici videtur, quia hoc dici solet „de iis qui afflictione corporis morte appropinquante jactantur. Onkelos & Jonathan שכיב מרע: quod scribunt שכיב alii שְׁכִיב: ego שָׁכֵב i. cubans: מרע autem æger sive infirmus aut ægrotus. Elias in Thesbite, *Qui cubat in morbo vocatur à doctoribus* שכיב מרע *Alemannice* Kranck! *Italice malado.* Cui firmando producit hunc locum. Latini autores absolute *cubantem* ponunt pro *ægroto*, & *cubare* dicunt pro *cubare in lecto ægrotum.* Horat. 2 Serm. Satyr. 3. *Mater ait pueri menses jam quinque cubantis.* Cicero, *narrabat eum graviter ac copiose cubantem disputavisse* i. decumbentem. ¶ *Qui accepit duos filios &c.*] minus dicit, plus intelligit. Nam non solum accepit eos, sed ivit cum illis ad Jacobum patrem. Ergo Lxx. ἀναλαβὼν τοὺς δύο &c. ἦλθε πρὸς Ιακώβ: & Hiero. *assumtis duobus filiis &c. iter perrexit.* Supra conjeci legendum שכב מרע cubans infirmus. Nunc eo labor ut credam rectum esse שכיב cubans, cui מרע adjectum, quia mortui absolute שכיבין appellantur i. cubantes. שכיב cubans, ut נסיב ἐπιθέτως נשי qui uxorem duxit, ὁ γήμας. Nam participia generis passivi, quando nominascunt, actionem denotant. Adi ad observationes meas. ¶ *Nuntiavit*] nuntius. Quod non male

male reddas per impersonale, *nuntiatum est.* Sic Græci ἀπηγγέλη, & Hiero. *dictum est.* In Jonatha pro ואתחוי scribendum ואתחוא, ita poscente analogia Danielis & Ezræ. ❡ *Confirmavit se*] licet ægrotaret tamen ita se confirmavit ut erectus in lecto sederet.

3. *Et dixit Iacob Iosepho, Deus omnipotens apparuit mihi Luza in terra Chanaan, & benedixit mihi.*

4. *Et dixit mihi, Ecce ego fœcundo te & multiplicabo te, & ponam te in cœtum populorum, & dabo terram hanc semini tuo post te possessionem seculi.*

Apparuit] visus est, ὤφθη. ❡ *Luza*] בלוז in Luz. Locus est qui alio nomine Bethel vocabatur. Lxx. ἐν Λουζᾷ. Hieron. *in Luza*. Luz, Luza, ut Ur, Ura. Sic Saron, Sarona. Ceterum antiquum nomen erat Luz, recentius Bethel, quod Iacob ei loco princeps imposuit. ❡ *Benedixit*] beneprecatus est. ❡ *Fœcundo*] fœcunda prole parentem facio. i. faciam. Nam est præsens pro fut. Lxx. αὐξανῶ σε. Hiero. *augebo te.* Sobole videlicet. ❡ *In cœtum populorum*] לקהל עמים in ecclesiam populorum. Lxx. εἰς συναγωγὰς ἐθνῶν, in congregationes gentium. Hier. *in turbas populorum.* On. & Jon. לכנשת שבטין in congregationem tribuum. Certum est tribus utroque nomine designari. Quanquam gentes proprie גוים dicantur. ❡ *Terram hanc*] terram Chanaan, in qua tum degebat. ❡ *Semini tuo*] posteris tuis. ❡ *Possessionem seculi*] εἰς κατάσχεσιν αἰώνιον, *in possessionem æternam.* Lxx. & Hiero. Ceterum vox Ebræa אחזת proprie denotat κατοχὴν i. retentionem, ut diximus. Non libet repetere.

5. *Nunc ergo duo filii tui qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam venirem ad te in Ægyptum mei sunt: Ephraim & Manasse sicut Ruben & Simeon erunt mihi.*

6. *Nati autem tui quos genueris post eos, tui erunt: de nomine fratrum suorum vocabuntur in possessione sua.*

Mei sunt] לי הם ἐμοί εἰσιν. Chald. דילי אנון. Hiero. *mei erunt* יהיו לי. Mox se explicat cum ait, *Ephraim & Manasse sicut Ruben &c.* Quibus verbis innuit eos æquam portionem cum illis habituros in divisione terræ. Ceterum quia Ruben primogenitus erat dupla ei portio ex jure debebatur: quæ cessit Iosepho una cum jure primogenituræ, quo Ruben exciderat propterea quod violasset lectum patris sui, committendo incestum cum concubina ejus. Vid. 1 Par. 5. ❡ *Erunt mihi*] Onkelos, *erunt coram me.* Jonathan, *reputantur mihi.* ❡ *Nati tui*] מולדתך nativitas aut cognatio tua. Id hoc loco explicant alii *proles tua*: alii, *progenies*: alii, *soboles*: alii denique, *filii tui.* Sic On. & Jon. Græci quoque τὰ ἔκγονα, quod interpretantur, *nati tui.* ❡ *Quos genueris*] vel, *si quos genueris.* Nam incertum an post alios genuerit. Lxx. ἃ ἂν γεννήσῃς, quoscunque genueris. Onk. & Jon. *quos gignes post eos.* Ebra. הולדת genuisti. Præt. pro Fut. ❡ *De nomine fratrum suorum &c.*] ac si essent filii Benjamin aut Manasse, non filii tui, ita cernent hæreditatem. Sic dico, annumerabuntur cum fratribus suis in partitione terræ promissæ, non adibunt hæreditatem cum aliis ut Benjamin & Manasse: qui duas tribus constituerunt. ❡ *De nomine*] verbum è verbo, *super nomen.*

7. *Me quod attinet cum venirem ego ex Mesopotamia mortua est mihi Rachel in terra Chanaan, in via, cum adhuc esset circiter stadium terræ ad veniendum Ephratam: & sepelivi eam ibi in terra Ephrathæ: ipsa est Bethlehem.*

Me quod attinet] vel, *Ego autem quum venirem ego*, ut sit pleonasmus Ebraica. Jonathan, *Et ego qui rogavi te ut sepelires me apud patres meos.* ❡ *Ex Mesopotamia*] מפדן ex Phadan. Lxx. ἐκ μεσοποταμίας. Hiero. de *Mesopotamia.* Alibi est פדן ארם eodem sensu. ❡ *Mortua est*] Jonathan, *mortua est subito* sive *confestim* i. בתכף. ❡ *Mihi*] meo magno malo & incommodo. עלי proprie *super me*: quod alii enarrant, *apud me*: alii, *in ulnis meis.* Lxx. & Hiero. omittunt. ❡ *In via*] in itinere. ❡ *Circiter stadium terræ*] vel, *exiguum spatium terræ.* Ebraice כברת ארץ quod alii reddunt, *milliare terræ*: alii, *jugerum terræ*: alii, *diætam terræ.* Belgice, een eetmael. Nam ברה comedo, unde & ברית juxta nonnullos. Onkelos כרוב ארעא quod Fagius explicat *spatium terræ*: sed videtur potius significare quasi multum terræ. Sane in Jonatha est סוגי ארעא de quo alias. Lxx. κατὰ τὸν ἱππόδρομον χαβραθὰ. Hieron. *eratque vernum tempus.* Idem in Quæst. *in electo tempore* (nam ברה eligo) i. *verno tempore cum in florem cuncta rumpuntur & anni tempus electum est: vel cum transeuntes per viam carpunt & eligunt è vicinis agris quodcunque ad manus venerit diversis floribus invitati.* Alibi est χαφραθὰ, quem locum Demetrius esse ait prope Bethlehem. Vide sis Eusebium περὶ τόπων. pag. 248. Vide quoque quæ scripsimus Gen. 35. 16. ❡ *Sepelivi eam*] Lxx. κατώρυξα αὐτὴν: defodi eam. ❡ *In via Ephratæ*] quæ ducit Ephratam versus. Lxx. ἐν τῇ ὁδῷ τοῦ ἱπποδρόμου, in via hippodromi. Si putarunt אפרת hippodromum esse, falsi sunt, meo judicio. Hieron. hic habet, *juxta viam Ephrathæ quæ alio nomine vocatur Bethlehem.*

8. *Viditque Israel filios Ioseph & dixit, Quinam hi sunt?*

9. *Et dixit Joseph patri suo, Filii mei sunt, quos dedit mihi Deus in hoc loco: & dixit, Acceptos adduc nunc ad me ut benedicam eis.*

10. *Et oculi Israel graves erant præ senio, non poterat videre: & admovit eos ad ipsum, qui osculatus est eos & complexus est eos.*

Quinam hi sunt?] מי אלה Hiero. *qui sunt isti?* Lxx. τίνες σοι οὗτοι, *qui sunt tibi isti?* In quo sermone σοι ex Hellenismo redundat. Jonathan, *ex qua* (uxore) *nati sunt tibi isti?* ❡ *In hoc loco*] בזה in hoc. sub. loco i. hic. Itaque Onkelos vertit הכא & Lxx. ἐν τούτῳ. Sed Hiero. *in hoc loco.* vult dicere, *in Ægypto.* ❡ *Acceptos adduc*] קחם accipe eos i. acceptos adduc. Unum pro duobus. Sic alibi ἔλαβε ponitur pro accepta distribuit: & *capies* pro capies & pones. Hiero. simpliciter, *adduc*, & Lxx. προσάγαγε, & uterque Chald. קריבנון appropinquare fac eos. קָחֶם penacutum sequente Maccaph & Segol in fine pro Cametz. Quanquam in nonnullis codicibus sit Tseri. Vide Mercerum. In margine Venetæ editionis notatum unum esse cum cametz. ❡ *Graves erant*] כבדו Hiero. *caligabant.* Sed melius Græci ἐβαρυώπησαν, cujus thema non βαρυώπτομαι, ut est in vulgi Lexicis; sed βαρυωπέω, visu sum gravato i. difficulter video, ægre admodum cerno, visu sum hebetiore ac obtuso. Nam si plane caligasset, non potuisset videre eos. Onk. & Jonath., יקרן i. *graves erant.* ❡ *Non poterat videre*] Nisi difficulter admodum. Supra vers. 8. *Et vidit Israel filios Ioseph.* Aut vidit i. *audivit adesse.* Sic alibi, *& populus videbat voces.* Sic poeta nescio quis apud Nonium, *vox illius certe est: idem omnes cernimus.* ❡ *Admovit*] Ioseph. ❡ *Complexus*] Lxx. περιέλαβεν. Hiero. *Circumplexus.*

11. *Et dixit Israel Iosepho, Videre faciem tuam non putabam, & ecce ostendit mihi Deus etiam semen tuum.*

Non putabam] vel potius, *non judicabam.* Nam פִּלִלִים judices. Sed *putabam* interpretatur Onkelos i. סברית, & *cogitabam* Jonathan, videlicet חשבית. Sic etiam R. Salomo, *Non implevit me cor meum ut cogitarem unquam videre vultum tuum.* לא מלאני לבי לחשוב לשון מחשבה. Abenezra, *non judicavi in corde meo.* לא דנתי בלבי. Hiero. *non sum fraudatus aspectu tuo.* Quod à Græcis accepit, qui legunt ἰδοὺ τοῦ προσώπου σου οὐκ ἐστερήθην. Cujus interpretationis arcanum adhuc quæro. Rab. David in libro radicum, *non judicabam intra me ipsum me unquam visurum faciem tuam.* ❡ *Ostendit mihi*] ἔδειξέ μοι, fecit ut viderem. ❡ *Semen tuum*] posteritatem tuam, filios tuos.

12. *Et abduxit Ioseph eos à genibus ejus & adoravit pronus in terram.*

13. *Acceptosque Ioseph ambos, Ephraimum in dextera sua, à sinistra Israelis, & Manasse in sinistra sua, à dextera Israelis, admovit ad ipsum.*

Abduxit eos] ויוצא אתם & eduxit eos. Sic Græci ἐξήγαγεν, & Onkelos ואפיק. Sed alii, *abduxit*, & Hieron. *tulit.* ❡ *A genibus ejus*] מעם ברכיו. Hiero. *de gremio patris.* Sed gremium חיק dicitur. Melius ergo Lxx. ἀπὸ τῶν γονάτων αὐτοῦ, & Ionathan מלות רכובוי. Quippe ברכים genua. Onkelos מן קדמוהי à conspectu ejus. מלקביה Gal. *les retira des genoux d'iceluy*, *retrahebat eos de genibus ejus.* Quidam, *à genibus suis*, pronomen ad Ioseph referentes. ❡ *Pronus in terram*] vel, *in faciem suam terram versus* sive *in terram*: & *adoravit*, procidit, prostravit se, nempe ut solent qui parentes aut viros magnos honorant. Nam adoratio etiam civilis erat. Vide hac de re Observationes meas. Lxx. καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τῆς γῆς: adoravit eum in faciem, in terram. ❡ *Acceptosque ambos*] vel potius, *acceptosque posuit* sive *collocavit ambos*, ut sit unum pro duobus. Qui modus loquendi frequens in his libris. Supra *accepit* pro acceptos adduxit. Vide quæ notavimus ad illum locum. Si hæc interpretatio admittitur, vertendum erit infra, *& admovit eos ad ipsum.* ❡ *Ambos*] את שניהם duos illos. Chald. תרויהון & תרויהום Lxx. τοὺς δύο υἱοὺς αὐτοῦ, duos filios suos. ❡ *In dextera sua*] *ad dexteram suam.* Hiero. Sed Ebraice בימינו quod proprie sonat id quod vertimus, & Lxx. reddunt ἐν τῇ δεξιᾷ. Ionathan, *à latere dextero suo, quod erat sinistrum Israelis.* ❡ *A sinistra Israelis*] Hieron. *id est ad sinistram Israelis.* Lxx. ἐξ ἀριστερῶν Ἰσραὴλ, usi numero multitudinis pro unitatis. Nam cuique homini una tantum sinistra. Tritum hoc in litteris mysticis. Sic Ps. 110. κάθου ἐκ δεξιῶν μου, sede ad dexteram meam: & mox, ἐξ ἀριστερῶν, ἐκ δεξιῶν τοῦ Ἰσραήλ. ❡ *In sinistra sua*] ad sinistram suam. ❡ *A dextera Israelis*] ad dexteram Israelis. ❡ *Admo-*

movit] ויגש & accedere fecit, applicuit, ἤγγισεν αὐτοῖς. קרב.
¶ *Ad ipsum*] Israelem.

14. *Et extendit Israel manum suam dexteram, & posuit super caput Ephraim, qui erat minor, sinistram autem suam super caput Manasse, scienter commutans manus suas, quia Manasses primogenitus erat.*

Et extendit] וישלח verto *extendit* post Hiero. Nam & Lxx. habent ἐκτείνας, & uterque Chaldæus ושוט. Mittere pro extendere sumitur etiam Gen. 8. 9. & 19. 10. & 22. 10. ¶ *Minor*] minor natu vel junior. ¶ *Posuit super caput*] imposuit capiti. ¶ *Scienter commutans manus suas*] שכל את ידיו scienter commutavit manus suas. Proprie, *intelligere fecit manus suas.* Scite autem manibus intelligentiam tribuit, ut alibi David, *intelligentia manuum suarum duxit & pavit gregem suum*: quod Mercerus laudat. Lxx. ἐναλλὰξ τὰς χεῖρας quod reddunt, *commutans manus.* Sed in Thes. ἐναλλὰξ exponitur permutato sive inverso ordine, alternatim, variatis vicibus: item vice versa, è contrario. Lex. Græc. Lat. vetus ἐναλλὰξ *mutuo.* ἐναλλάσσω, *muto, immuto, commuto.* Putarim vertendum, *commutatis manibus.* Hiero. *commutans manus.* Jonathan & author Jerosolymitanæ פרג ית ידוי quod inter alia significat commuto, permuto, reperiturque hoc significatu Gen. 31. 7. in Jerosol. Ab his diversus abit Onkelos referens, אחכמינון לידוי i. interprete Fagio, *& ita prudenter egit manibus suis.* Tremell. *cognoscebat palpando manibus suis.* Quidam explicant, *reddebat eas intelligentes, ac si quod agebat bene intellexissent.* Forsterus in Lexico suo, *attente adaptavit manus suas.* Quibus hoc subjungit, „ Omissis aliorum doctorum variis in„terpretationibus unam tantum autoris Toletanæ editionis, quis„quis ille fuerit, expositionem: deinde quæ adjungit, di„gna quidem si vera sunt, cognitione, annotabo. Sic autem in „hoc loco verbum שכל transtulit, commutans manus suas: „& in Dictionario quod in calce editioni suæ adjecit, scribit in„ter alia verbum hoc etiam sig. superponere in modum crucis, „nomenque Maschal tam Chaldæorum quam Indorum lingua „sig. crucem. Atque à se Indum quendam Christicolam, qui „crucem in manu sua semper gestaret, interrogatum, quo il„lam nomine lingua sua vocaret, respondisse מַשְׂכִּיל: inde colli„git Paulum Apostolum ad hanc vocem allusisse 1 Corinth. 1. ita „scribens, Nos prædicamus Jesum Christum crucifixum, Iudæis „quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: sed iisdem vo„catis Iudæis pariter & Græcis Dei potentiam ac Dei sapientiam „&c. Siquidem hæc vox commutatis tantum litteris symbolicis, „crucem, scandalum, stultitiam & sapientiam significat. Hæc Theologus ille. ¶ *Quia Manasses &c.*] vel, *quamvis Manasse primogenitus esset.* Videndus Abenezra.

15. *Et benedixit Josepho & dixit, Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isahac, Deus qui pascit me ex quo sum usque ad diem hunc.*

16. *Angelus qui redemit me ab omni malo benedicat pueris, & vocetur in illis nomen meum, & nomen patrum meorum Abraham & Isahac, & multiplicentur ut pisces in multitudinem in medio terræ.*

Josepho] in filiis. Sic Noë maledixit Chamo in filio Chanaan. Verba sunt, *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Lxx. καὶ εὐλόγησεν αὐτούς. Hiero. *Benedixit Iacob filiis Ioseph.* alias, *Ioseph filio suo.* ¶ *In cujus conspectu ambulaverunt patres mei*] quem coluerunt patres mei vitam ex ejus præscripto instituendo. Eadem phrasis obvia Gen. 24. 40. Vide quæ notavimus ad illum locum. Lxx. hic habent ᾧ εὐηρέστησαν οἱ πατέρες μου ἐνώπιον αὐτοῦ. Ad sensum non male. Nam qui sic vivit ut Deo placeat, coram eo ambulare dicitur. Sic Gen. 17. 1. *ambula coram me*, iidem ediderunt εὐαρέστει ἐνώπιον ἐμοῦ. i. ita vive ut mihi placeas. Hujus loci est, *ambulabo coram DOMINO in terra viventium.* Onkelos & Ionathan, די פלחו אבהתי קדמוהי quem coluerunt patres mei semper ante eum versantes. Mercerus, *q. d. ad cujus legis & voluntatis normam & præscriptum sese composuerunt & totam vitam formarunt ac traduxerunt, non secus ei obtemperantes quam si assidue ob ejus oculos versarentur, quod sibi semper illi proposuerunt tota vita &c.* Scitum illud Senecæ, *Ita vivendum cum hominibus tanquam Deus videat: sic loquendum cum Deo tanquam homines audiant.* ¶ *Qui pascit me*] הרעה אתי. Hoc participium etiam præteritum includit q. d. qui pavit me hactenus, & adhuc pascit. Notum ut præsens simpliciter pro præterito ponatur. Sane legimus Gen. 32. 9. *qui dicis mihi* pro qui dixisti. Ionathan hic edidit דזן יתי quod mihi fumus in oculis & acetum in dentibus. Quid? an transpositæ litteræ pro זן? aut א redundat, ut cum אדם dicimus pro דם sanguis. Id si recipimus, scribendum erit זָן pascens. Sed forte Ionathan scripsit דְזָן qui pascit. Lxx. ὁ τρέφων, qui alit. ¶ *Ex quo sum*] מעודי ex quo adhuc ego. & subintelligitur; *sum* aut *fui.* Lxx. ἐκ νεότητος. Hiero. *ab adolescentia mea* מנעורי. Onkelos & Ionathan מדאיתי ex quo ego sum. Santes, *à tempore præcedenti.* Leo Iudæ, *tota vita mea.* ¶ *Qui redemit me*] גאל. redimere solet. Santes, *qui redemit me.* Sed est Benoni hoc est participium temporis præsentis הגאל אתי quod elegantissime redditur, *qui redimit me.* Quanquam tempus pro tempore ponitur, ut supra, *qui pascit me.* Quale illud Manilii, *dum quærimus ævum perdimus*, ubi vulgo, *perdidimus.* Sic Laberius. *Porrò Quirites libertatem perdimus*, non, *amisimus*, ut quædam exemplaria habent. Temporis enallage, ut hoc in transcursu notem, observata mihi nunc & supra vers. 6. אשר הולדת quos genuisti pro genueris. Sic etiam Latini autores loquuntur: Cicero, *Unum ostende in tabulis, aut tui, aut patris tui emtum, & vicisti* i. viceris. Quintilianus, *dimitte tantum & evocasti* pro evocaveris. Iam ad propositum. *Qui redimit*, vult dicere, qui liberavit. Sane Hiero. vertit, *qui emit me*: & Trem. *qui vindicat me*: & Lxx. ὁ ῥυόμενός με. Quanquam in Scholio ὁ ἀγχιστεύς i. propinquus, redemtor, vindex. Onkelos די פרק יתי qui redemit me. Ionathan, *quem præparasti mihi ad redimendum me*, sive ut redimat me. ¶ *Pueris*] vel, *pueris istis.* ita Hiero. Ebraice הנערים את. Lxx. τὰ παιδία ταῦτα. Onkelos, *adolescentibus* ית עולימיא. ¶ *Vocetur in eis nomen meum*] vocentur de nomine meo filii Israel aut Iacob: item de nomine patrum meorum filii Abraham aut Isahac. Hiero. *invocetur super eos nomen meum.* sed in fonte בהם non עליהם. ¶ *Et multiplicentur ut pisces*] וידגו. Verbum à piscibus deductum, qui magna copia multiplicari consueverunt. Ergo Ionathan [illegible], *quemadmodum pisces maris admodum multiplicantur in aqua: sic filii Ioseph admodum crescant in multitudinem in medio terræ.* Sed & Onkelos, *tanquam pisces maris multiplicentur in medio hominum super terram.* Ceterum pisces maris quos Ebræi vocant דגי הים, ille appellat נוני ימא: hic, videlicet Onkelos נוני ימא. Græci dicerent ἰχθύες τῆς θαλάσσης. Recentior quidam interpres, *magno incremento augeantur.*

17. *Videns autem Ioseph quod posuisset pater ejus dexteram suam super caput Ephraim, malum fuit in oculis ipsius, tenuitque manum patris sui ut amoveret eam à capite Ephraim & poneret super caput Manasse.*

18. *Dixitque Ioseph patri suo, Non sic, mi pater; Nam hic primogenitus est, pone dexteram tuam super caput ejus.*

Malum fuit in oculis ejus] displicuit ei. Lxx. βαρὺ αὐτῷ κατεφάνη, grave ei visum est. Hiero. *graviter accepit.* Vide supra. ¶ *Dexteram suam*] quæ honoratior quam sinistra, quod vel ex hoc loco doceri potest, & Abenezra diserte id affirmat per hæc verba, *dextera honoratior sinistra & magis valida.* ¶ *Tenuit*] ויתמך tenuit, prehendit: vel sustentavit, fulcivit. Quod Chaldæi dicunt וסעד. Sed in Hiero. *apprehensam manum patris levare conatus est &c.* Sic accipitur hoc verbum in illo תומך שבט quæ periphrasis est regum. Sig. autem proprie tenentem sceptrum, ut apud Græcos autores legimus σκηπτοῦχοι βασιλεῖς. Quidam, *sustinuit manum patris sui.* ¶ *Ut amoveret eam*] Hic rursum unum verbum est pro duobus, *amoveret* pro amoveret & poneret. Hiero. habet, *levare conatus est & transferre*: ad sensum, non male. Onkelos & Ionathan, *ad amovendum eam à capite Ephraim, ad ponendum eam super caput Manasse.* לאעדאה. Supra, *vocetur in his nomen meum*, Abenezra explicat, *vocentur filii mei de nomine ipsorum.* Sane Israelitæ omnes vocantur *filii Ephraim*: item *filii Ioseph*: & legimus, *Rachel plorans filios suos*: quod idem intelligit de filiis Israel. ¶ *Pone*] ἐπίθες. Chaldaice שו & שי. Sic dicimus חו & חי indica, nuncia. Ebraice est שים pro השים. ¶ *Non sic, pater mi*] non ita debet fieri, mi pater. Sunt qui hæc præterita omnia per plusquamperfecta reddunt. Viderat, displicuerat, tenuerat &c. quod valde probo, ut hæc omnia gesta sint ante cœptam benedictionem. Vide Mercerum.

19. *Et renuit pater ejus & dixit, Novi, fili mi, novi, etiam ipse erit in populum, & etiam ipse magnus evadet: Verum frater ejus minor eo major erit, & semen ejus erit plenitudo gentium.*

Renuit] οὐκ ἠθέλησεν Lxx. ¶ *Novi, fili mi, novi*] On. *Scio, fili mi, scio.* Sic etiam Jonathan, qui addit insuper, *ipsum esse primogenitum, & etiam scio ipsum fore in populum multum vel magnum.* רב enim utrumque significat. יָדַעְתִּי contractum est ex, ידע אני. Quocirca male scribunt יְדַעְתִּי cum scheva sub Jod. חכימנא quoque valet חכים אנא scio ego. ¶ *In populum*] לעם εἰς λαόν. Hiero. *in populos* לעמים. Jonathan לעם רב quod modo interpretati sumus. ¶ *Magnus evadet*] יגדל magnus erit. Lxx. ὑψωθήσεται: ירום. Hiero. *multiplicabitur.* ירבם. Uterque Chaldæus יסגי magnus vel multus erit. ¶ *Verum*] ואולם veruntamen. Onkelos & Jonathan

than יותר. Lxx. ἀλλὰ καί. Sic etiam Hiero. Santes, *& verè.* Gal. *mais toute fois.* A כרם videntur Latini accepisse, *verum.* Quod tamen pono, non statuo. ¶ *Minor*] ὁ νεώτερος, junior. * ¶ *Plenitudo gentium*] Lxx. εἰς πλῆθος ἐθνῶν quod vertunt, *in multitudinem gentium.* Sed apud Ambrosium in libro de benedictionibus Patriarcharum cap. 1. *multitudo gentium.* Hiero. *crescet in gentes.* Trem. *magna multitudo gentium.* Editio Gallica, *plena multitudo gentium.* alias abundantia i. plurimæ gentes. Onkelos, *filii ejus erunt dynastæ in populis.* שליטין dynastæ, aut potestatem habentes. Fagius reddit, *potentes.* Ionathan, *filii ejus erunt multi in populis.* Scholion Abenezræ, *gentes multa exibunt ex eo.*

20. *Et benedixit eis in die illa, dicendo, In te benedicet Israel dicendo, Ponat te Deus ut Ephraim & ut Manasse, & posuit Ephraimum ante Manassen.*

In die illa] in tempore illo. ¶ *In te benedicet Israel*] Jonathan, *In te Joseph fili mi benedicent domus Israel infantem die circumcisionis.* ¶ *In te*] per te. ¶ *Benedicet*] יְבָרֵךְ Lxx. εὐλογηθήσεται. Hiero. *benedicetur* יְבֹרַךְ ¶ *Israel*] domus Israel, Israelitæ. ¶ *Ponat te Deus &c.*] Lxx. ποιήσαι σε ὁ θεός. Hiero. *faciat tibi Deus.* Alius, *Constituat te Deus.* Gal. *Dieu te face tel &c.* Talis formula bene precandi habetur Ruth. 4. 11. & 12. ¶ *Posuit Ephraimum ante Manassen*] præposuit eum Manassi non solum in benedictione, sed etiam in primogenitura. Hiero. *Constituit Ephraim ante Manassen.* Ionathan, *Quum numerabuntur tribus numeretur princeps Ephraim ante principem Manasse: ita constituit Ephraimum ut esset ante Manassen.*

21. *Dixitque Israel Josepho, En ego morior: sit Deus vobiscum, & restituat vos in terram patrum vestrorum.*

22. *Et ego dedi tibi partem unam supra fratres tuos quam accepi e manu Amorrai gladio meo & arcu meo.*

Morior] ἀποθνήσκω i. jam jam moriturus sum, aut, mox moriar. Simile, *quo ego vado vos non potestis venire.* Jonathan, *attigit finis meus ad moriendum.* Morior Chaldaice מָאִית vel מָיִית. Ebra. מֵת. ¶ *Sit Deus vobiscum*] On. & Ion. *sit sermo DOMINI vobis auxilio.* ¶ *Restituat*] reducat, redire faciat. ¶ *In terram patrum vestrorum*] in regionem patribus vestris promissam. ¶ *Partem unam*] שכם אחד Hiero *partem unam.* Sic etiam Santes & alii. Onkelos quoque חולק חד.* Sed & R. Levi חלק אחד partem unam. שכם alioqui humerum significat quæ est pars corporis. Sed hic latius extenditur. Lxx. σίκιμα ἐξαίρετον. Id nomen est a שכם declinatum, quo significatur urbs ejus nominis; quam filii Jacob diripuerunt cum princeps ejus Sichem Dinam sororem eorum stuprasset. Historia nota est. Ad eam respexisse nunc putatur Jacob. Jonathan diserte, *dedi tibi urbem Sichem, & ecce ego dedi tibi partem unam dono.* Sane Joseph ibi sepultus fuit, ut habetur Jos. 24. 32. Autor editionis, quam Ierosolymitanam appellant, *Dedi tibi partem unam excellentem supra fratres tuos, vestem primi hominis, quam acceperat Abraham pater patris mei e manu Nemrodi improbi, & dederat eam Isahaco patri meo, & Isahac pater meus dederat eam Esavo, & ego accepi eam è manibus Esau fratris mei, non gladio meo, neque arcu meo; sed meritis meis & operibus bonis.* Quis talia legens, non pelvim poscat? Quid? tu audes negare quod Moses affirmat? R. Salomo, *Sichem erit tibi pars una eximia supra fratres tuos. Aliter, Partem unam vocat primogenituram, quam abstulerunt duo filii ejus.* Quibus deinde subjungito, Sechem habere significationem partis &c. Abenezra, „ Sunt qui dicant „ ipsum innuere urbem Sichem &c. Sed secundum sententiam „ meam שכם est pars i. חלק, ex familia illius, ad colendum eum „ humero uno. *Hiero. in Quæst.* Ego dedi tibi partem unam „ extra fratres tuos. Iuxta aliam litteram, Et ego dedi tibi Si„ chimam præcipuam super fratres tuos &c. Sichima juxta „ Græcam & Latinam consuetudinem declinata est. Alioquin „ Ebraice Sichem dicitur, & est nunc Neapolis urbs Samaritano„ rum. Quia igitur Sichem lingua Ebræa transfertur in hume„ rum, pulchre allusit ad nomen, dicens, & ego dabo tibi hu„ merum unum. Pro præcipuo eum i. ἐξαίρετον, unum scribi„ tur in Ebræo. ¶ *E manu Amorrai*] Sichem Hevæus erat. An igitur in mente habuit historiam aliam, quæ divinis monumentis prodita non sit? Sunt qui tradant Hevæos in gente Amorræorum fuisse. Lxx. ἐκ χειρὸς Ἀμορραίων, *è manu Amorræorum.* Sic etiam Ionathan. R. Salomo, *è manu Esau, qui facit opera Amorræorum.* Forte hausit ex Thargum, de quo supra. Cave assensum præbeas. R. Levi & Abenezra, *quam posteri mei accipient è manu Amorræorum.* Qua enallage prophetæ familiariter utuntur. Nam futura narrant ut si præterita essent. Sunt autem hæc omnia mere prophetica. Amorræus ita dicitur quandoque ut unam tantum gentem comprehendat ex illis septem, quas Israelitæ ejecerunt: quandoque omnes septem hoc nomine significantur & comprehenduntur. Sane terra Chanaan vocatur interdum terra gentis Amorræorum. Nam una erat ex præcipuis illarum septem. Qua de re dicam alias, si Deus permiserit. Terra Amorræi vocatur Amos. 2. 10. Vid. Observat. lib 4. 12. ¶ *Gladio meo & arcu meo*] i. *vi & armis*, proverbiale. Lxx. ἐν μαχαίρᾳ μου καὶ τόξῳ μου. Hiero. *in gladio & arcu meo.* Onkelos, *precibus meis & obsecratione mea.* Ionathan, *gladio meo & arcu meo.* Thargum Ierosolymitanum negare videtur quod Moses affirmat: sed puto sensum esse, non armis proprie sed bonis operibus, quæ arma erant Iacobi. Quidam pronomen ad Deum referunt, sed nimis dilute, meo judicio. R. Salomo, *Sapientia mea & oratione mea.* R. Levi, *gladio seminis mei & arcu eorum: aut vult dicere, & ope & auxilio Dei benedicti qui est gladius meus & arcus meus quemadmodum exposuit Abenezra.* Nicolaus, *gladio meo & arcu meo i. jure belli.* Vide sequentia. Adi sis etiam ad Proverbia mea.

A M A M A.

7. IDem error commissus circa vocem כִּבְרַת quem ad Gen. 35. 16. notavimus.

16. Ebr. *Vocetur in iis nomen Patrum meorum.* Vulg. *Invocetur nomen meum & nomen Patrum meorum super eos.*

Verba sunt Iacobi utrique nepoti suo ex Ioseph benedicentis. Quorum, ipso Lyra præeunte, hic sensus est, adopto eos in filios meos, licet ex te nati sint, tamen dicantur filii mei, uno ordine habeantur cum filiis meis ex me immediate natis in divisione terræ & constitutione tribuum, denominentur non de nomine tuo sed meo. Similis locutio Ies. 4. 1. *Tantummodo vocetur super nos nomen tuum* i. denominemur de nomine tuo, ubi iterum Vulgatus, *invocetur nomen tuum super nos.* Ex hoc loco prout à Vulgato conversus est, Invocatio Sanctorum vires & incrementa sumpsit. Hinc enim disputant, (*a*) Monachi Burdigalenses (*b*) Eccius & (*c*) Canisius. Hinc (*d*) Bell. & (*e*) Valentia nomen Invocationis hominibus competere probare satagunt. Sed vel sola collatio loci ex Ies. citati docere eos potuisset in phrasi illa pro Invocatione Sanctorum nihil omnino situm esse præsidii. Mea hæc est sententia, non tam versionem, quæ commoda aliqua interpretatione locorumque aliorum collatione leniri posset, quam non intellectum Ebraismum, vocemque *invocetur* sine necessitate pro simplici *vocetur* positam indoctiores decepisse. Plane nobiscum hic faciunt (*f*) Ribera, Cajet. ad hunc locum, Hugo Card. nec non quidam (*g*) Hector Pintus Lusitanus. Nec video quomodo ab his separari queat ipse Bellarminus (*h*). Negat enim sanctos ante ascensum Christi in cœlos à vivis adoratos fuisse. *Quia ante id tempus,* inquit, *sancti non videbant Deum, non fuit consuetum in V. T. ut diceretur, sancte Abraham ora pro me* &c. Claudam verbis Merceri ad hunc locum, *Ebraismorum ignorantia* (addo, & eum subsecutus fontium contemptus) *multos errores peperit & invexit in Ecclesiam.*

(*a*) *Artic 57. Professionis fidei in Aquitania edita: Extat inter opera Sadeëlis.* (*b*) *In Enchiridio de Vener. Sanct.*

(*c*) *Catech. cap. 3. art. 8. in margine.* (*d*) *De Beat. Sanct. lib.* 1. 20. (*e*) *De Idolol.* 3. 7. (*f*) *Ad Amos* 9. *Num.* 42. (*g*) *Ad Jes.* 4. 1. (*h*) *De Beat. Sanct. lib.* 1. 19.

GROTIUS.

QUi confortatus sedit in lectulo] Hebræa vox המטה pro diversitate punctorum vocalium, quæ olim nulla scribi, sæpe & varie pronuntiari solebant, tam lectum potest significare, quam baculum, quali sustentare se ægroti solent, ubi eos cubandi cœpit tædium: & sic sumsit scriptor ad Hebræos XI. 21.

16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis*] Lxx. ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν [*qui vindicavit me à malis omnibus*]. Sic Messias גואל [*Vindex*] dicitur Esaiæ LIX. 19. Quidam verterunt hic ὁ ἀγχιστεὺς [*propinquus*], quia גואל in legibus Hebræis is dicitur, qui jure propinquitatis aliquam ducit in uxorem, & sic eam ab opprobriis incommodisque cœlibatus liberat. Post Deum, Angelum nominat, ut Dei ministrum.

Invocetur super eos nomen meum] Id est, quanquam nepotes sunt, vocabuntur filii mei adoptionis jure, ac perinde ut filii singulas partes ferent: *in capita succedent, non stirpis nomine.

19. *Frater ejus minor major erit eo*] Propter regnum decem tribuum quod in Ephraimi posteritate cœptum, diuque consedit. Vide 1 Reg. XI. 26. Itaque Prophetæ illud regnum Ephraimi nomine appellant.

20. *Faciat tibi Deus sicut Ephraim & Manasse*] Solitum id dici pueris Hebræis: puellis vero: Ponat te Deus sicut Saram & Rebeccam.

22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos*] Idest, Latine, do tibi hoc præcipuum. Vox *partem* in Hebræo שכם simul ipsum locum ænigmatice significat, Sicima scilicet, quod nomen proprium hic posuere LXX.

Cepi] Capiam per posteros meos. Mos Prophetarum verbis præteriti vel præsentis temporis futura, tanquam non minus certa, enuntiare. Servius ad illud II. Æneidos. *Video concurrere: pro concursurum esse: licet quasi dea bene præsenti usa sit tempore, quæ etiam futura cernebat.* Dicuntur autem patres facere quod liberi faciunt, ob sanguinis nominisque communionem. supra XLVI. 4. Id rectius quam referre hoc ad perfidum factum Simeonis & Levi, quod & supra detestatus est Jacobus, XXXIV. 30. & mox detestabitur XLIX. 5.

CARTWRIGHTUS.

2. **E**T *roboravit se Israel* ויתחזק ישראל] *Dixit* (inquit R. Salom.) *Etiamsi filius meus sit, rex est, exhibebo ei honorem*; מכאן שחולקין כבוד למלכות, i. e. *Hinc discimus, imperio honorem esse exhibendum.*

5. & 6. *Ephraim & Manasseh quasi Ruben & Simeon erunt mihi, &c.*] *Illud* (inquit in Tradit. Hieron.) *significat; Sicut Ruben & Simeon duæ tribus erunt, & ex suis vocabulis appellabuntur; sic Ephraim & Manasseh duæ tribus erunt, duosque populos procreabunt; & sic hæreditabunt repromissionis terram, sicut & filii mei. Reliquos autem ait filios, quos post mortem meam genueris* (*ostendens necdum eo tempore procreatos*) *tui erunt, in nomine fratrum suorum vocabuntur in hæreditatem suam; Non*, inquit, *accipient separatim terram, nec funiculos proprios habebunt, ut reliquæ tribus, sed in tribubus Ephraim & Manasse, quasi appendices populi commiscebuntur.* Hæc Hieron. Lyra notat *Ruben & Simeon in exemplum potius quam alios poni, quia erant primogeniti; atque ideo quia æquiparavit filios Josephi istis, per consequens & aliis minoribus.*

6. *Juxta nomen fratrum suorum vocabuntur in hæreditate ipsorum.*] Hoc est (ut Fagius explicat) *quando dividenda erit hæreditas terræ Canaan, comprehendentur sub Ephraim & Manasseh.* In eundem sensum R. Salom. *Si* (inquit) *rursus prolem habueris, non erit in numero filiorum meorum, sed inter tribus Ephraim & Manasseh comprehendetur, nec quod ad hæreditatem attinet, erit eis nomen inter tribus.* Addit, *etiamsi terra divisa fuit* למנין גלגלתם, i. e. *juxta numerum capitum, seu personarum* (uti scriptum est, Num. 26. 54. *Si major fuerit tribus, majorem ei tribues hæreditatem*) *ac unusquisque, exceptis primogenitis, æqualem accepit portionem, non tamen nisi hosce* (scil. Ephraim & Manasseh) *appellatos fuisse tribus.* Similiter etiam exponit Aben Ezra, *Quos genueris post Ephraim & Manasseh, ii vocabuntur nomine fratrum ipsorum memoratorum, nempe cum eis in eorum hæreditate possessiones habebunt.* Addit *sibi non probari, quod quidam exposuit illud,* והולדת, *& quos genueris, &c. de filiis Machir, qui super genua Josephi nati* (vel educati) *fuerunt,* שילדו על ברכי יוסף, *id enim minime convenire cum eo, quod dicitur, juxta nomen fratrum suorum vocabuntur.* Quod si quis objecerit, nos non invenire Josephum alios habuisse filios, respondet, *hanc objectionem nullius esse momenti; forte eum habuisse, sed propterea quod una cum fratribus suis possessionem acceperint, ideo Scripturam eorum non meminisse.*

7. *Ego vero cum venerim ex Padan, &c.*] Aben Ezra putat Jacobum id jam recitare, ne Joseph ægre ferret, id eum ab ipso postulare (nimirum ut in sepulcro patrum suorum sepeliretur) quod ipse Racheli, matri ipsius non præstitit. Existimat Jacobum sese de hac re excusare, ac rationem reddere, quare alibi Rachelem sepelierit, nempe, *quod subito in via mortem obierit.* R. Salom. exponit quasi dicat Jacob, *Etiamsi id tibi oneris imponam, ut me sepeliendum in terram Canaan transferas; non ita cum matre tua egi, propterea quod moriebatur prope Bethleem.* Lyra ait doctores nostros sic exponere, ac si diceret Jacob, *Debes me excusatum habere de hoc, quod non portavi eam ad sepulcrum majorum, quia habui legitimum impedimentum* (scil. quod in itinere esset, & à loco sepulturæ prædictæ nimis distaret) *sed nihilominus construxi ei nobile sepulcrum.* Hebræos autem asserit aliter exponere, licet in eundem finem, scil. ad excusandum Jacobum de hoc, quod Rachel non erat sepulta in Hebron. *Et secundum eos* (inquit) *Jacob se non excusat propter difficultatem portandi corpus Rachel ad locum prædictum; imo excludit istam causam, dicens,* Mortua est Rachel in terra Canaan, in qua erat Hebron; *Et ideo longitudo itineris me non impedivit, &c. Quid igitur? voluntas Dei, & ejus ordinatio. Dicunt enim Hebræi, quod Jacob scivit ex divina revelatione, quod tempore Nebuchodonosor destruenda erat Hierusalem, & quod Nabuzaradan duceret populum ejus captivum in Babylonem, & quod transirent juxta sepulcrum Rachel, quod est super viam illam, & tunc in transitu illorum ipsa Rachel de sepulcro miraculose clamaret ad Deum, quærens misericordiam ejus super populum captivatum, ut scribitur* Jerem. 31. 15. Hæc Lyra, quæ nimium sunt inepta, meritoque à Burgensi explosa. Quos autem ex Hebræis hic Lyra intellexit, nescio; Aben Ezra, contra quam ille de Hebræis refert, indicat difficultatem portandi corporis Rachelis, cum in via mortua esset, in causa fuisse, quod Jacob eam una cum majoribus suis non sepelierit. Forte idem etiam voluit R. Salom. verbis antea citatis. Apertissime vero Jonathan, cujus paraphrasis ita habet, ולא יכלית לסוברתה למקברה במערת כפילתא וקברתה תמן באורח אפרת היא בית לחם, i. e. *Nec potui portare eam, ut sepeliretur in spelunca duplici; sed sepelivi eam illic in via Ephrata, quæ est Bethlehem.*

8. *Et vidit Israel, &c.*] At vers. 10. dicitur, *eum non potuisse videre.* Aben Ezra igitur ait sensum esse, eum non clare videre potuisse, ita ut eos cognosceret; unde hoc ipso versu dicitur, eum à Josepho quæsisse quinam essent. Istam expositionem etiam Abrabaneli, R. Levi Ben Gersom, R. Aramæ, & R. Obadiæ Sphorno placuisse, testatur Manasses Ben Israel in Concil. quæst. in Genes. 63.

11. ראה פניך לא פללתי *Videre faciem tuam non putavi.*] Sic Onkelos, למחזי אפך לא סברית, quæ idem sonant, si Latine verteris. Uti etiam ista Jonathanis, למחמי סבר אפך לא חשבית. At LXX, vel aliud quiddam legisse, vel verbum פלל, quod est *judicare, arbitrari, &c.* in alia significatione accepisse videntur; quippe qui sic interpretantur, ἰδὼ, τῦ προσώπε σε ἐκ ἐστερήθην, *Ecce, facie tua non sum privatus.* Ubi etiam pro infinitivo ראה apparet eos legisse in imperativo ראה. Vulgatus similiter vertit, nisi quod ראה pro ראות videtur insuper habuisse, *Non sum fraudatus aspectu tuo.*

12. *Et eduxit Ioseph eos, &c.*] Aben Ezra vult hic esse ὑστερολογίαν, hoc nempe factum à Josepho, posteaquam filiis ejus Jacob benedixerit: & exponit illud vers. 13. ויקח יוסף את שניהם, *Et accepit Ioseph eos ambos*, וכבר לקח, i. e. *Et jam acceperat.* At R. Salom. ait Josephum, postquam Jacob filios ipsius osculatus fuerat, eos eduxisse è genibus ejus, ut constitueret unum ei ad dexteram, alterum ad sinistram, quo manus eis imponeret, eisque benediceret.

וישתחו *Et incurvavit se.*] LXX, προσεκύνησαν, *& adoraverunt.* In plurali, ut referatur non ad Josephum, sed ad filios ejus, aut ad ipsum una cum filiis. Videntur legisse וישתחוו, nisi forte mendosum sit προσεκύνησαν pro προσεκύνησε. Onkel. & Jonath. in singulari legunt, וסגיד, *& adoravit*, quomodo etiam legit Vulgatus.

14. שכל את ידיו *Intelligere fecit manus suas.*] Sic Hebræa sonant, si verbum verbo reddatur. Sensus est, Sciens ac prudens manus suas ita disposuit, ut etiamsi Manasseh erat primogenitus, ac ei ad dextram collatus, Ephraim autem junior, ac ad sinistram positus, dextram tamen Ephraimo, sinistram autem Manassi imponeret. Aben Ezra ait, כאלו ידיו השכילו מה שהוא רוצה לעשות, i. e. *Manus ejus quasi intellexerunt, quid ille facere voluit.* Nimium oscitanter in Collatione sua hic se gerit Gualtperius; *R. Iacob* (inquit) *& Kimchi transitive exponunt, intellexit Jacob ex manibus ejus, nempe Ioseph, quod Manasses esset primogenitus; quia ex eo quod sensit illum* (a) *ad se Manasseh à dextera sua, intellexit & cognovit Manasseh esse primogenitum.* Sic ille; at primo, Num hoc est transitive exponere? שכל *Sacel* transitive sumptum, est *intelligere, facere, instruere &c.* hic autem exponitur *intelligere*, quod est intransitive exponere; verba enim sensus ac intellectus immanentem, non transeuntem denotant actionem. Deinde (ut videre est in Collatione Fagii, unde

(a) Ita codex habet, forte pro *adferre* vel *adducere.* In Fagio est, *eo quod sentiret Manasseh è regione dextera sua sibi adduci, &c.*

unde hæc, ut penè omnia, ubi de Rabbinis agit, desumpsit Gualtperius) R. Jonah quidem in istum modum exponit; at non item Kimchi; Is enim hac expositione R. Jonæ recitata, addit sibi rectum videri, ut שכל hic sit שכל, i. e. *dedit intellectum manibus suis, quasi intelligenter & prudenter fecerint id quod fecerunt. Manasseh enim* (inquit) *fuit primogenitus; vedit autem* (Jacob) *per prophetiam quod is benedictione minor esset futurus. Atque hæc fuit illa, quam exhibuit prudentia. Nam si dextram super caput Manassis collocasset, quanam in eo fuisset prudentia? cum id ex communi hominum more fieri soleat.* כן הוא דרך העולם, ad verb. *sic est via mundi.* Hæc Kimchi, qui addit hanc esse sententiam Chaldæi Paraphrastis, qui interpretatur, אחכמינון לידוהי, *sapientificavit* (eo sensu vocabulo utitur Fagius) *manus suas.* Targum Hierosolymitanum, & Targum Jonathanis habent, פרג ידיו, i. e. *permutavit manus suas.* Sensum potius verbi, quam verbum expresserunt.

15. *Coram quo ambulaverunt patres mei.*] LXX, ᾧ εὐηρέστησαν οἱ πατέρες μου ἐνώπιον αὐτοῦ, *cui placuerunt patres mei in conspectu ejus.* Vide supra ad cap. 5. 22.

16. ויקרא בהם שמי *Et vocetur super eos nomen meum.*] Id est, ut Fagius explicat, *dicentur posthac filii mei, &c.* Manasseh & Ephraim filii non Joseph, sed Israel sunt vocati. Vulg. *Invocetur super eos nomen meum.* Bellarminus hunc locum ad invocationem sanctorum astruendam trahit; quod etiamsi majori probabilitatis specie fieri potuisset, si interpres dixisset, *invocetur ab eis nomen meum*, utcunque tamen ineptum esset, & homine Hebraice docto (qualem se professus est Bellarminus) prorsus indignum. Vide Jer. 7. 11. & Isai. 4. 1. ubi, ut alia interim loca omittam, eadem phrasis usurpatur.

. וידגו לרב *Et multiplicentur copiosissime.*] Verbum Hebræum à דג, i. e. *pisce*, derivatum est, ac significat ita copiose multiplicari, ut pisces solent. Onkelos vim verbi exprimit, וכנוני ימא יסגון, *Et sicut pisces maris multiplicentur.* Similiter Jonathan, *Et sicut pisces maris copiose multiplicantur in aquis, sic filii Joseph valde multiplicentur in terra.*

20. *In te benedicet Israel, &c.*] Hoc est (ut explicat R. Salom.) *Qui benedixerit filiis suis, benedicet eis benedictione eorum; & dicet quisque filio suo, Constituat te Deus sicut Ephraim & Manasseh.* Targum Jonathæ sic habet, *In te, Joseph fili mi, benedicet domus Israel puero in die circumcisionis, dicens, Ponat te Dominus sicut Ephraim, & sicut Manasseh.*

22. *Et ego dedi tibi* שכם אחד *partem unam supra fratres tuos, quam cepi è manu Amorræi gladio meo, & arcu meo.*] Vox שכם & appellativum est pro *humero*, item pro *parte*, & proprium nomen urbis, quæ appellata est *Sechem.* LXX, ἐγὼ δὲ δίδωμί σοι Σίκιμα ἐξαίρετον, *Ego autem do tibi Sicimam præcipuam, &c. Sicima* (inquit Hieron. in Tradit.) *juxta Græcam & Latinam consuetudinem declinata est; alioquin Hebraice Sichem dicitur, ut Ioannes quoque Evangelista testatur, licet vitiose ut Sichar legatur, error inolevit; & est nunc Neapolis urbs Samaritanorum. Quia igitur* שכם Sichem *lingua Hebræa transfertur in* humerum, *pulcre allusit ad nomen, dicens*, Et ego dabo tibi humerum unum. *Pro præcipuo enim, id est*, ἐξαίρετον, *unum scribitur in Hebræo. —— Quod autem ait*, super fratres tuos, *ostendit absque sorte dedisse eam tribui Ioseph; siquidem eodem loco sepultus est Ioseph, & mausoleum ejus ibi hodie cernitur.* Hæc Hieron. qui videtur hic שכם pro *humero* seu *parte* accipere, ita tamen ut urbs eo nomine appellata *pars* ista fuerit. Atque hæc est Merceri sententia. *Nota* (inquit) *in nomine* שכם *esse amphiboliam. Nam cum* humerum *seu* partem *significet, est & nomen urbis, &c. Hoc itaque loco, quod alius sermo assequi non potest, sub nomine* שכם partis unius, *significat, meo judicio, se illi dare ultra portionem fratrum urbem Sichem, ut postea Ephraim eam in sorte sua nactus est*, Jos. 13. *Ideo & Græci simpliciter hoc loco* Σίκιμα *verterunt, & addiderunt pro* unum, ἐξαίρετον, eximiam. *Haud tamen intelligo cum nonnullis Iosephum tres portiones consecutum, &c. sed Sichem volo in una duarum portionum connumerari, quam Ephraim pro sua portione cum aliis adjacentibus sit consecutus.* Hæc Mercerus, qui etiam monet Joan. 4. *Sichar* pro *Sichem* nonnihil immutata voce, temporum injuria corrupte legi. R. Salom. interpretatur de urbe Sichem, in quam ex Ægypto ossa Josephi fuerunt deportata. Addit autem exponi posse de primogenitura, ut sensus sit, Josephi filios duas habituros portiones, atque vox שכם hic appellative sumpta *partem* denotet. Aben Ezra refert quosdam interpretari de urbe *Sichem*, quæ ad filios Iosephi pertinebat; ipse autem existimat vocem שכם hic significare חלק, i. e. *partem.* Atque ista quidem voce ad hanc interpretandam utuntur Onkelos, Ionathan, & autor Paraphrasis Hierosolymitanæ. Fagius putat vocem שכם hic non posse commode accipi pro *urbe*, quia additur *unam*, quasi non *una* tantum urbs Sichem esset, sed *duæ* vel plures. Convenientiorem igitur lectionem arbitratur, *Dedi tibi partem unam, &c.* tametsi per partem illam Sichem urbem intellexit Iacob; id quod non inepte colligit ex verbis istis, *quam tuli de manu Amorræi, &c.* Quod autem istorum verborum sensum attinet, Hieron. sic explicat, *Arcum* (inquit) *hic & gladium, justitiam vocat, per quam meruit peregrinus & advena, interfecto Sichem & Emor, de periculo liberari. Timuit enim, ut supra diximus, ne vicina oppida & castella ob eversionem fœderatæ urbis adversum se consurgerent; & Dominus non dedit eis, ut nocerent illi. Vel certe sic intelligendum*, Dabo tibi Sicimam, quam emi in fortitudine mea, *hoc est, in pecunia, quam multo labore & sudore acquisivi.* Hæc Hieron. cujus expositio, præsertim hæc posterior, nimium dura videtur. Aben Ezra notat *Amorræi* mentionem fieri, quod inter septem populos fortissimus esset; atque adeo Josuam post occisos reges Amorræorum, questum esse, *se dandum esse in manum Amorræorum.* Illud autem, *quam cepi*, exponit, אשר יקחו ישראל, i. e. *quam accipient Israelitæ:* quam prolepsin non immerito dicit Mercerus sibi non probari. Fagius in Chald. Paraph. quærit *quomodo Jacob dicat se Sichimam cepisse, cum filii hoc fecerunt?* Addo ego Jacobum prorsus ignorasse, cum filii istud fecerint; at cum primum istud intellexerit, graviter esse commotum. Respondet, *Tametsi hoc factum primo patri displicuit, cum tamen vidit providentia Dei hoc esse factum, & Deo minime displicere, sibi asscribere quod fecerant filii; maxime ob eam caussam, quod Deus propter pietatem Iacob cohibuit vicinos populos, ne ipsum persequerentur, & opprimerent.* At quomodo dici possit factum istud filiorum Jacob, cum atrox & crudele fuerit, atque eo nomine ipsi Jacob invisum ac exosum, Deo non displicuisse, haud intelligo. Cautius igitur in Collatione sua Fagius hunc locum interpretatur. *Licet* (inquit) *hoc factum ipsi Iacob primum displicuerit, tamen ubi deinceps Dei providentia hoc factum esse intellexit, sibi adscribit quod fecerant filii. Iure belli Sichem Iacob obtinuerat, lacessitus à Sichimitis injuria, quod præter fas & pactum amicitiæ Sichem violasset & stuprasset filiam suam.* Hæc ille, quæ haud satis commode nodum solvere videntur; nec enim vel Dei providentia, vel injuria Iacobo facta istud filiorum ejus facinus excusat, ut idonea sit caussa quare facinus istud sibi asscriberet. Mercerus ait, *Deum permisisse Iacobum frui isto agro, quem non citra sævitiam prædati erant filii, quod possessoribus vacuus esset; & vellet Deus eum ipsi concedere in compensationem justi doloris de stupro Dinæ concepti.* Sed ne adhuc quidem persuasum est, Iacobum istud filiorum factum, quod tantopere detestatus fuerat, sibi asscribere. Nec istud dicit Mercerus, sed *non dubium esse, quin Iacob in armis paratus fuit, si forte à vicinis invaderetur; atque ideo arcui suo ac gladio ejus terræ acquisitionem tribuere, quia non filiorum, sed sua caussa nemo ei obviam prodire ausus fuerit.* Similia habet R. Salom. *Cum* (inquit) *Simeon & Levi viros Sichem interfecissent, vicini populi se congregaverunt, ut in eos irruerent; unde Iacob se ad eis resistendum armavit.* Hinc Lyra, *Dicunt* (inquit) *Hebræi, quod depopulata urbe Sichem per filios Iacob, populi qui erant in circuitu, congregaverunt se, ut irruerent super Iacob, & filios ejus: sed ipse armavit se, & familiam suam ad resistendum eis, confidens de divino adjutorio, sicut sibi promissum fuerat à Domino. Unde & timor Dei*, id est, *à Deo immissus, cecidit super illos, & non sunt ausi invadere illum; ut habitum est supra cap. 35. Et ideo locum istum obtinuit jure belli; tum quia Dominus dederat sibi illam terram; tum quia propter violationem Dinæ digni erant eam perdere Sichimitæ. Et ideo quando Iacob fuit in possessione, videtur quod licite potuit eam, ut suam retinere. Unam etiam partem emerat, ut habetur cap. 33. sed de illa, quia modica erat, non facit hic mentionem. Ex tunc autem locus fuit ipsius Iacob; propter quod dictum est supra cap. 37. quod filii Iacob omnes præter Ioseph & Benjamin, pascebant oves in Sichimis, &c. Ex quo patet, quod ibi morabantur ad tempus. Et ideo verisimile est, quod haberent ibi domos ad habitandum, & caulas pro pecoribus, tanquam in loco, qui erat patris ipsorum.* Hæc Lyra. Similiter intellexisse videtur Ion. cujus paraphrasis ita habet; *Ego autem, ecce, dedi tibi partem unam dono supra fratres tuos, quam accepi è manibus Amorrhæorum, quo tempore ingressi estis in eam,*

& surrexi, & auxiliatus sum vobis gladio meo, & arcu meo. Onkelos autem ista, *gladio meo, & arcu meo*, metaphorice accipit, quippe qui interpretatur בצלותי ובבעותי, i. e. *oratione mea, & obsecratione mea.* Quam interpretationem Fagius scitam ac lepidam appellat; *atque innuere ait, Jacobum ardentibus precibus suis, quas ad Dominum habuit, efflagitasse, ac effecisse, ut sibi Sichima à filiis expugnata remanserit, nec quicquam inde mali à circumjacente vicinia passus fuerit.* Precibus sane Jacobum id à Deo impetrasse, haud dubium est; at istud verbis hisce significari, haud est probabile. Ipse Fagius in Collat. etiamsi dicat Chaldæum Paraphrasten non inepte per *gladium & arcum* Jacobi, *fidem atque orationes* ejus intelligere; jubet tamen notare Hebraismum, quo, *in gladio & arcu meo*, pro *jure bellico* usurpatur.

CAP. XLIX.

MUNSTERUS.

3. R*Oboris mei*] Licet און aliquando significet *dolorem*, tamen hic, sicut & in multis aliis locis, præsertim Deut. 11. in simili sententia significat idem quod כח, vel, ut Onkelos vertit, תקפי, *fortitudinem.* Nec intellexit hic Steuchus Aben Ezram, qui in hæc verba scribit, חבור קרא ראשית און, &c. Porro שאת est à נשא *sublevavit*; inde שאת *sublimitas.* Kimhi tamen exponit כפרה *propitiationem.* Est ergo sensus, *Tu, cum sis primogenitus meus & principium roboris mei, deberes habere præ fratribus prærogativam primogenituræ & primam dignitatem; sed quia levis fuisti*, &c. Sequitur, *Levis ut aqua*] Kimhi sic exponit, *Fuisti tam mobilis & levis, ex mala illa tua inclinatione, quasi aqua levis, quæ se continere intra suos terminos non valet; & ideo non venies ad dignitatem Regiam. Nam ascendisti lectum patris tui: & ab illo die quo hunc polluisti, stratum meum esse desiit.* Capitur enim nonnunquam עלה pro *recedere.* Et hic quoque Steuchus non advertit verbum עלה, sicut nec interpres noster. Aben Ezra sic exponit, יצועי עלה מעלי, *Stratum meum discessit à me.*

5. *Vasa violentiæ*] Seu *instrumenta*, aut *arma, iniquitatis.* Et quod sequitur, *in habitaculis eorum*] qui sequuntur Chaldæum interpretem exponunt sic, *in terra peregrinationis eorum.* Alii putant מכרתיהם Græcam esse vocem, nempe *machæra eorum*; & tunc hic erit sensus; *Machæra eorum sunt arma violenta & iniqua.* Et quod rursum sequitur, *Suffoderunt murum*] Hebræi exponunt hic שור pro שורה *muro*, & non pro *tauro*, præter unum R. S. qui per Taurum docet intelligendum Joseph.

8. *Cui confitebuntur*] Vel, *quem celebrabunt*, tanquam qui dignus est Regia corona.

10. *Sceptrum*] Sive, ut Hebraica habent, *virga*, scilicet regia. *Et scriba*] sic enim vertit Onkelos. Est autem מחוקק *præceptor, statutorum editor, legislator.* Judæi plerunque exponunt תלמיד, i. *discipulum, qui sedet ad pedes principum.* Autor libri Nizahon interpretatur מושל *dominatorem & ducem terræ.* Porro *Silo* quidam interpretantur בנו *filium ejus*, intelligentes scilicet David, qui fuit de tribu Iuda: ut sit שילה idem quod שלו, *qui ejus.* Alii Chaldæum interpretem sequentes exponunt משיחא *Messiam.* Aben Ezra intelligit locum Silo, & torquet textum istum ad hunc sensum, *Donec veniat finis Silo*; tunc enim regnavit David, & plenum consecutus est dominium, & non recessit à tribu Iuda sceptri Regnum. Et quod sequitur, *Ad illum aggregatio populorum*] etiam varie ab Hebræis exponitur. Quidam enim interpretantur משמעת *auditum*, h. e. obedientiam, sive קבול מצוה *auscultationem præcepti.* Alii exponunt אסיפה *collectionem*; putantque radicem ejus esse יקה. Et in hac opinione est Kimhi. Gerundensis vero putat veram radicem esse קהה, quod significat *retundere & obstupescere in morem dentium*; & tunc יקהת idem est quod חלשות *debilitatio*: exponitque sic hunc locum, *Non recedet virga exactoris de Jehuda, donec veniat filius ejus ad quem erit debilitatio gentium*, h. e. *qua ille debilitabit subjugabitque sibi gladio suo.* Et tantum de expositione vocabulorum quæ in hac sententia obscura videbantur. Porro quis sensus in his lateat verbis Christianus homo non ignorat. Iudæi vero pertinacissimi pariter & obstinatissimi nullum non movent hic lapidem, ut nobis hoc tam apertum de Christo nostro testimonium pervertant, & ad suos errores torqueant. Cum enim Scriptura aperte dicat, dignitatem Regiam non tollendam donec venerit Messias, depravat eam Gerundensis sic, *In captivitatem ducti non habuerunt Regem, igitur, &c. Unde cum dicit*, Non recedet de Iuda, *intelligendum est, quod non transferetur dignitas illa de tribu Juda ad aliam tribum.* Non advertit iste Rabi, Iudæos semper habuisse מחוקקים de tribu Iuda, etiam cum in captivitate & post captivitatem nullos haberent Reges de tribu Iuda. Nec admodum moveor verbis ejus, quando dicit, *nullum esse in Israel* מחוקק *nisi qui in manu sua habuerit* טבעת המלך *annulum & sigillum Regis.* In hoc vero videtur mihi benedicere, quod *jus illud Regiæ dignitatis, tribui Judæ collatum, à nulla alia tribu citra peccatum potuerit usurpari.* Dico *usurpari*: quia Saul à Domino fuit institutus, sicut & Machabæi; etiam si illi insimulentur ab hoc Rabi, quod temere se ingesserint imperio, & propterea unus post alium occisus fuerit, imo totum semen Mathathiæ non ob aliam causam interiit nisi quod regnare voluerunt, cum tamen non essent de tribu Iuda, sed fuerunt sacerdotes de tribu Levi, quorum officium erat ea curare quæ templum Domini & ejus altare concernebant. Hinc arguunt Iudæi contra Christianos, *Si Messias, ut vos dicitis, mox venire debuit ubi cessavit imperium Juda, debuit venire in captivitate Babel, aut mox post illam captivitatem, & non quadringentis annis, ut vos asseritis, post captivitatem.* Responsio; Fuerunt post captivitatem semper מחוקקים apud Iudæos, quos ipsi alio nomine *Sanhedrin*, i. *Regios consiliarios*, vocant: & hos quoque suspectos habuit Herodes, æque ut semen Machabæorum, qui tunc imperio potiebantur; ideoque jugulavit in universum. Audiamus nunc & autorem Nizahon, qui hunc quoque locum prolixe, sed in magnum contemptum Christianorum, ut ubique facere solet tractat: *Dicunt*, inquit, *Christiani, Jesum Messiam suum mox venisse ubi cessavit Regnum Judæorum, juxta prophetiam Jacob. In hoc autem mentiuntur, quandoquidem in domo secunda non fuerit Rex, sed fuerunt* נציבים, i. *præfecti, quos instituerunt Reges Medorum & Persarum atque Romanorum, à tempore scilicet Sedechiæ usque ad tempus quo natus est Jesus illorum.* Sed mentitur Judæus ille in caput suum, cum tempore Machabæorum Judæi nullo externo paruerint Regi, sed nec parere voluerunt, quin & sub Romanorum potestate non fuerunt, usquedum hæc Patriarchæ prophetia cœpit impleri, & Christi adventus jam esset in foribus. Adducit deinde contra se dictum Jeremiæ, dicens, *Futurum est ut regnet Rex in Israel, contra Christianorum sententiam, qui negant post Jesum venire alium Regem, cum Propheta dicat*, Et ego congregabo reliquias gregis mei de terris in quas dispersi illas, & reducam eas; & crescent & multiplicabuntur; & constituam super eos pastores qui pascent illos, & non timebunt amplius, *&c. Et rursum ait*, Et constituam ipsi David germen justum, & regnabit Rex, & prudens erit, facietque judicium & justitiam in terra. In diebus ejus salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter. *Et quando Christiani dicunt hæc in Messia suo impleta, interoga eos quomodo id probare possint etiam ex Evangelio suo, Christum natum de tribu Juda, quando genealogia ejus dicit illum solum ex muliere natum, & non ex Joseph, qui fuit de domo David, & tota genealogia quam Matthæus describit non ad Mariam sed ad Joseph deducatur. Et quando Propheta dicit quod* in diebus ejus salvabitur Jehuda, *quomodo id potest intelligi de Jesu, cum à diebus ejus nunquam pejus habuerint Judæi? Nam exsulamus, tribulamur, blasphemamur, & occidimur magis quam unquam, & ubi est id quod* habitare *debemus* confidenter? Vides Iudæorum fallacias & dolos, quibus simplicibus imponunt. *Sed respondent*, inquit, *Christiani, Christi fideles qui ex Judæis crediderunt significari per* Iehudam salvatum. *Id si verum est, ubi est illud quod Propheta quoque dicit.* Ego congregabo reliquias gregis Dei de cunctis terris? *&c.* Quasi vero non ex omnibus terris Iudæi aliqui, & plane reliquiæ quædam Iudæorum, quas Dominus sibi delegit, cæteris in errore pereuntibus, ad Christi fidem pervenerint. Scribit & multa alia rabula ille, sed quæ me piget hic referre, præsertim cum instituti mei non sit nisi succinctas scribere annotationes, quæ obscuram explicent literam. Supra cap. 3. nonnihil diximus de hac promissione, quomodo scilicet translata fuerit ad tribum Iuda, unde exspectabatur Messias. Sed redeuntes ad id unde digressi sumus, reliquas obscuras voces quæ in benedictione Iehuda scribuntur, more nostro dilucidabimus.

11. *Ligans ad vitem*] In dictione אסרי Jod finale est omnino otiosum, sicut & in multis aliis invenitur locis. Idem sentiendum de חכלילי. Porro in עירה He ponitur loco Vau relativi, sicut & in סותה dictione, quæ mox sequitur. Est autem hæc sententia hujus loci, Terra Jehuda, sive sors quæ illi obveniet, erit tam ferax vini, ut vir aliquis possit ligare asinum suum ad vitem unam, & ex ejus fructu onerare asinum, eritque tanta vini copia, ut possint lavare in eo vestimenta sua. Rubescent, inquit, oculi virorum Jehuda ab ipso vino, quod ter-

ra tam largiter illis proferet : quin & lactis in ea sorte tanta erit copia, ut dentes ipsi ex ejus frequenti esu sint albicaturi. Et hinc advertis, lector, quam perperam locus iste à nostris redditus sit, qui ita verterunt, *Rubicundiores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Expendatur, quæso, Hebraismus ipse, & conferatur cum his verbis.

13. *Zebulun juxta mare habitabit*] In eo loco quo naves mercimoniis oneratæ, appellere solent. *Extendetur* ירכתו, *latus ejus*, i. גבולו, *terminus*, *usque ad Sidonem.*

14. *Issachar asinus*, גרם] i. *osseus*; laboris scilicet patiens: qui *inter duas sarcinas*, ex utroque latere sibi impositas, & *cubare* & surgere valet. Exponitur autem המשפתים pro שני משאות, *duobus oneribus.* Alii interpretantur, *accubans inter duos fines.*

16. *Dan pariter judicabit omnes tribus Israel*] Hoc Hebræi impletum asserunt in Samsone, qui apprehensis columnis dejecit atque interfecit omnes qui sedebant super domum illam, haud secus quam cum serpens morsu suo ascensorem ab equo dejicit. Alii sic exponunt, *Judicabit Dan populum suum sicut una ex tribubus Israel.*

19. *Gad*] Est locus iste obscurissimus. Et nostri quidem sic verterunt, *Gad accinctus ducet exercitum, & reducet*, verum nescio si is sensus ex Hebraico textu haberi possit. Est גדוד *turma*, & *exercitus*, atque *cuneus*, qui aliquod robur penetrare potest : hinc גוד verbaliter accipitur pro כרת *exstirpare & superare.* Porro עקב secundum Kimhi, quem hic secutus sum, capitur hoc loco pro סוף *ad finem.* Alias עקב est *finis corporis humani*, scilicet *calcaneus.* R. S. paulo aliter hunc explanat locum.

20. *De Aser*] Scilicet hoc dico, quod terra pinguescet pro pane illius. Non enim potest שמנה, quod est femininum, referri ad לחם, quod est masculinum; etiamsi Aben Ezra contrarium sentiat. R. S. sic interpretatur, *De Aser proveniat pinguedo olei cum pane suo*, h. e, Habebit victualium abundantiam.

22. *Joseph filius*, פורת] Quidam Hebræorum putant hoc nomen esse à פרה *crevit*, ut nos vertimus, alii à פאר *decoravit*, quiescente scilicet Aleph in Holem : & tunc sic erit vertendus hic locus, *filius decorus*, vel, ut Hebraismus habet, *filius decoris.* Gerundensis vero sic explicat, *filius ramosæ arboris juxta fontem.* Invenitur enim Isa. 10. & Ezech. 31. פארה pro סעיף *ramo arboris.* Arbor autem juxta fontem aquarum plantata gratissima est. Unde sequitur, *Filiæ discurrerunt super murum*] ut scilicet pulchritudinem ejus contemplarentur. Et quod rursum sequitur, *Jaculis confoderunt*] radix verbi est רבב, id quod Dages in Beth indicat, & non ריב, quod *contendere* significat, etiamsi R. S. hic pro *contendere* exponat. Secutus autem sum expositionem Kimhi.

24. *Inde pastor*] Scilicet factus est in Ægypto. Postquam multa perpessus fuerat, horrendis agitatus calamitatibus; & variis petitus jaculis, a fratribus, & uxore domini sui in Ægypto, mansit animus ejus constans & immobilis : quo factum est ut potestas illi traderetur à magnifico Deo Jacob, fieretque pastor & pater totius Ægypti, lapis ille immobilis Israel. Kimhi tamen ponit *lapis* in genitivo, exponitque pro גוף כל ישראל, i. *universo corpore*, seu *congregatione Israelis*, quorum pastor factus est Ioseph. Et quod sequitur, *A Deo patris tui*] intelligendum, *factum est istud.* *Et cum omnipotente*] subaudi, *fuit cor tuum*; ut non audires vocem dominæ tuæ. Et quod iterum sequitur, *Benedictionibus uberum & uteri*] quidam Hebræorum asserunt esse idem quod prius dixerat, *benedictionibus cœli.* Est enim cœlum pluens quasi ubera terram lactantia; & terra proferens fructus est quasi uterus fœcundus. Kimhi tamen putat hæc ad literam intelligenda, quod tam ubera obstetricum quam uteri prægnantium non sint habitura defectum aut abortum. Et durabunt hæ benedictiones *usque ad* תאות] quod tam Kimhi quam R. S. exponit pro גבולי *termino*; ut sit sensus, Omni tempore quo steterit terminus collium mundi, erunt hæ benedictiones super caput Ioseph, & super verticem illius qui est נזיר, i. *corona*, *fratrum suorum*, aut *qui est veluti* נזיר, i. *sejunctus & separatus à fratribus suis.* Utramque enim expositionem Kimhi affert. Alii sic legunt, *usque ad desiderabiles colles qui jam olim fuerunt*, &c.

27. *Biniamin*] Referunt Hebræi hanc prophetiam ad Biniamitas, qui ob uxorem Levitæ constupratam fere omnes extincti fuerunt; & ad Saul, atque Mardochæum & Ester, qui fuerunt de tribu Biniamin. Porro עד hic idem est quod שלל, *spolium*, *præda.*

FAGIUS.

1. *Congregamini, ut annunciem vobis*, &c.] Thargum Hierosolym. hic habet, אתכנשו ואתני לכון קיצא גניזא רזיא טמירייא ומתן אגריהון דצדיקייא ופורענותהון דרשיעייא שלוותיה דגן עדן מה היא, *Congregamini, & docebo vos finem reconditum, arcana, abscondita, & præmium mercedis quod manet justos; pœnam item impiorum, atque felicitatem horti Eden, quanam illa sit.* Hæc propterea annotare libuit, ut videas etiam veteres illos Hebræos in ea fuisse sententia, quod Iacob in ista sua prophetia non tantum ad temporalia sed etiam ad spiritualia respexerit : de quo infra latius circa hæc verba, *Salutem tuam expecto, Domine.*

3. *Robur meum, & principium fortitudinis meæ.*] Primogenitus filius *robur & principium fortitudinis paternæ* dicitur, eo quod pater in illo primum exserit masculam suam virtutem, & declarat se virum esse. Alii sic explicant, *Robur meum*, &c. i. Quem genui cum adhuc essem fortis, in florenti scilicet ætate mea. *Primogenituram scilicet*, &c.] Prærogativa primogeniti erat, testibus Hebræis, quod succederet patri in dignitate, principatu atque honore, ita ut autoritatem haberet in minores, atque reliqui fratres minores consurgerent à conspectu ejus, & ministrarent illi sicut filii patri. Alii quoque & hoc addunt, quod primogenitus accipiebat ex omnibus bonis paternis duas portiones.

4. *Quia abisti secundum iram tuam*, &c.] i. Quia indulsisti iræ & furori tuo. Sed quæ fuit ira Ruben? Respondent Hebræi, Ruben in tantum commotum fuisse ex eo quod, mortua Rachele, lectum illius, non in tabernaculum matris suæ Leæ, sed in tabernaculum Bilhæ, quæ ancilla Rachelis erat, transferri videret, unde argumentum colligebat, matrem suam Leam non usque adeo amari à patre suo, ut ingressus tabernaculum Bilhæ, lectum ad illam translatum magno cum furore turbaverit ac destruxerit, volens ita præpostero quodam zelo ulcisci matris contemptum. Atque istiusmodi expositione quidam Hebræorum explicant locum qui supra habetur c. 35. 22. ubi dicitur, *Factumque est, cum habitaret Israel in terra illa, ut abiret Ruben, & dormiret cum Bilhah concubina patris sui.* Ubi *dormiendi* verbum non pro *concumbere* & *coire* exponi volunt, sed pro *perdere, corrumpere, ac destruere*; quod scilicet Ruben non coiverit cum Bilhah, sed tantum lectum patris illuc translatum ob commemoratam causam destruxerit : & hoc facinus Scripturam ita exaggerare, quasi Ruben patris concubinam stupraverit violenterque compresserit. Ad hunc modum Judæi quidam facinus istud Ruben præpostera quadam religione excusare, illumque stupri crimine levare conantur. Et hanc sententiam Paraphrastes noster hoc in loco secutus esse videtur sua versione. Et hac de causa illius iram & furorem aquis effusis ac diffluentibus, quæ scilicet ruptis aggeribus erumpunt, diffluunt, omniaque vastant ac depopulantur, comparari volunt. Hæc ideo hic annotare libuit, ut appareat quo respexerit Paraphrastes sua versione, & quid illum ad eam moverit. Complutensis editionis author hunc locum ita transtulit ex Chaldæo, *Sed quia secutus es voluntatem tuam*, &c. quod non tam ad iram quam ad libidinem referri potest, sicut fere omnes nostri commentatores intelligunt, q. d. Jacob, primogenitus eras Ruben, ideoque fortis esse debebas; sed pessime abusus es tua fortitudine, indulgendo pravis affectibus tuis ad fœdam libidinem te solicitantibus, quibus quia non restitisti, sed te ab illis vinci passus es, atque ita turpiter diffluxisti, more aquarum erumpentium celeriterque diffluentium, ob id non excelles, h. e. non frueris tua prærogativa; transferetur à te jus primogenituræ, sacerdotium & regnum. Jus enim primogenituræ ad Joseph, (nam duas hæreditatis partes habuit) sacerdotium ad Levi, regnum vero ad Judam translatum est. Et hunc sensum quoque habet Thargum Hierosol. ראובן בוכרי את חילי ושירוי צערי חמי הוה לך ראובן ברי למיסב תלתא חולקין יתיר על אחך בכירותא כהונתא ומלכותא ועל דחטית ראובן ברי איתיהבת בכירותא ליוסף ומלכותא ליהודה וכהונתא רבתא לשבטא דלוי, *Ruben, primogenitus meus es tu, robur meum, & principium doloris mei. Vide, tuum erat, ut acciperes tres partes potiores præ fratribus tuis, Primogenituram, sacerdotium, & regnum. Verum quia peccasti, Ruben mi fili, data est primogenitura Joseph, & regnum Jehudah, atque sacerdotium magnum tribui Levi.*

5. *In terra peregrinationis suæ*, &c.] Cum peregrinarentur, audax facinus perpetrarunt. Revertebatur enim pater eorum cum ipsis de Haran, quando occiderunt Sichimitas.

6. *In secretis eorum non fuit anima mea*, &c.] Sensus est, Non fui adhibitus in consilium, quando consultarunt & deliberarunt de occidendis Sichimitis, q. d. Cum ignorante me fecerunt. Et quod sequitur, *Non descendi de gloria mea*] diversum sensum habet. Vel, *Non descendi*, &c. h. e. Non con-

consensi cum congregarentur ad perimendos Sichimitas, ut non amitterem gloriam & bonam famam meam quam hactenus habui. Non excidi ea, non amisi illam, postquam hoc crudele facinus præter meam voluntatem accidit. Vel, *Non descendi de gloria mea*, i. Non reliqui Deum, vel recessi à Deo, qui est gloria mea, ut impium tale quiddam contra illum designarem. Vel, *Non descendi de gloria mea*, i. Non deserui statum & conditionem meam gloriosam & honorificam, non oblitus sum meæ gloriæ; bene memor fui quid deceret gloriam meam, quid videlicet æquum, justum, honestum & gloriosum esset. Et nos Germani dicimus,

Er ist umb sein Ehr kommen.
Er hatt seiner Ehren vergessen.

quod dici solet de eo qui aliquid admittit quod ipsum minime decet. Thargum Hierof. locum ita transtulit, בעצתהון לא אתרעיית נפשי ובכנישתהון לכרכא דשכם לחרבא יתא לא חסו על יקרי ארום ברוגזהון קטילו מלכין עם שלטונין וברעותהון זבנו יוסף אחוהון דמתיל לתורא, *Consilium eorum non placuit animæ meæ. Et cum congregarentur contra civitatem Sichem, ut depopularentur eam, non pepercerunt gloriæ meæ. Quoniam in ira sua occiderunt cum principibus, & in voluntate sua vendiderunt Ioseph, qui assimulatus est bovi.* ¶ *Occiderunt occisionem*] i. Magnum, horrendum & crudele homicidium perpetrarunt. Geminatio enim verbi vehementiam addit.

7. *Dividam eos in Jacob*, &c.] Vult dicere, Quia abusi fuerunt sua consuetudine, concordia & conspiratione ad malum, multorumque perniciem, ideo efficiam ut posthac non conjungantur, sed disjungantur: juxta illud Sap. 11. *Per quæ peccat quis per hæc & punitur.* Sors enim filiorum Simeon in medio tribus Judah fuit, ut est Jos. 19. 1, 9. Levitæ nihil possederunt, sed sors eorum dispersa fuit in hæreditate aliarum tribuum. Tradunt quoque Hebræi, scribas, pædotribas, pædagogos, & doctores puerorum fere omnes ex tribu Schimeon fuisse, qui, ut haberent unde viverent, sparsim & oppidatim pueros informare cogebantur. Cui sententiæ adstipulatur & Thargum Hierof. quod ita habet, *Dixit pater noster Iacob, Non convenit ut hæc castra simul sint: alioqui nullus populus nullumque regnum poterit consistere coram eis. Dividam ergo tribum Schimeonis, ut sint scribæ & doctores legis in synagoga Iacob: Tribum vero Levi distribuam, ut præsint concionibus inter filios Israel.* Hactenus Thargum.

8. *Iehudah, tu confessus es, & non erubuisti*] Diversæ hic sunt sententiæ. Quidam enim referunt ad hoc, quod non negavit factum quod egerat cum Thamar, cum illa produceretur ut combureretur, dicens, *Iustior me est*, &c. ut supra legimus c. 38. 26. Alii vero ad hoc, quando dixit ad fratres suos, volentes ex invidia fratrem suum Josephum occidere, *Quæ est utilitas, si occiderimus fratrem nostrum*, &c. *non sit manus nostra in eo: nam frater noster & caro nostra est*, &c. supra c. 37. 26, 27. Alii, quod libere dixit coram Joseph in Ægypto, cum vellet retinere Biniamin, *Quid dicemus ad dominum meum? quid loquemur? aut quomodo justificabimus nos? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum*, &c. Alii sic intelligunt, *Iehudah, tu confessus es*, scilicet Deum tuum; *& non erubuisti*, sive non te puduit. Vel, ut legatur in futuro, *Iehudah, tu confiteberis, & non confunderis.* In prophetiis enim præterita pro futuris propter certitudinem ponuntur. Istiusmodi Hebræorum expositiones hic & in aliis locis adducere soleo, ut appareat quo respexerit semper Paraphrastes sua translatione. Jam diligentis & pii lectoris erit ex tot sententiis eam eligere quæ vero propior, & cum analogia fidei magis convenire videbitur. ¶ *In te confitebuntur fratres tui*] Potest legi vel *in te*, vel *per te*, vel *propter te*, vel simpliciter, *te confitebuntur*, sive *laudabunt*, &c. Thargum Hierof. ita legit, יהודא לך יודון כל אחך ועל שמך יתקרון כל יהודאי *Iehuda, te confitebuntur*, sive *laudabunt*, *omnes fratres tui, & nomine tuo vocabuntur omnes Iudæi.* ¶ *Petituri pacem tuam*] Hæc phrasis לשאול בשלום duplicem potest habere sensum: vel, ut significet *salutare aliquem, pacem*, h. e. salutem & omnia fausta, *alicui precari*; vel *ambire pacem alicujus*, i. cupere & desiderare cum aliquo in pace esse. In utramque sententiam hoc schema in Scripturis usurpatum invenitur.

9. *Potestas erit in principio*, &c. Sensus est, Primum non erit justum Regnum in Judah, sed magnificentia quædam, potestas, dominium & imperium quoddam, quod tamen temporis progressu in justum Regnum assurget. ¶ *Eo quod à judicio occisionis, mi fili, animam tuam abstinuisti*] Hoc alii ad factum Thamar, quam ab incendio liberavit, alii ad Josephum, quem manibus fratrum interficere eum volentium eripuit, referunt.

10. *Non auferetur qui facit potestatem*] *Facere potestatem*, idiotismus est linguæ, pro, *exercere potestatem*, h. e. dominari, principem esse, & fungi magistratu. Sentiunt autem Regnum permansurum esse in Juda usque ad Christum. Observa quæso, pie & Christiane lector, à Paraphraste nostro expresse hic poni nomen *Messiæ*, qui per vocem Hebraicam שילה *Schilo* intelligitur: Quod certe multum facit pro tuenda confirmandaque fide ac religione nostra Christiana, contra impudentes quosdam Judæos, qui impie contendunt hunc locum non esse de Messiah seu Christo intelligendum; ideoque variis stultis, frivolis, tortis & impiis expositionibus conantur nobis eum obscurare; Quas majori ex parte impræsentiarum referre placet, una cum confutationibus & solutionibus suis, ut erudiam ac instruam Christianum lectorem quomodo vanas Judæorum cavillationes quas in hunc insignem de Regno Christi locum inferunt, eludere debeat. Locus de quo potissimum disputatio est in veritate Hebraica ita habet, לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים *Non recedet sceptrum de Jehudah, & scriba, sive legislator, de medio pedum ejus, donec veniat Schiloh, & ad illum erit aggregatio populorum*, &c. Hæc R. S. unus ex præcipuis Judæorum commentatoribus, junioribus tamen, sic explicat, ut sentiat *à tempore Davidis non auferendum rursum sceptrum de tribu Jehudah, usque dum veniat Messias.* Quod si rogas, Ubi ergo hodie est sceptrum Judaicum? Respondet, *In Babylonia.* Ibi fingit adhuc hodie superesse Principes de tribu Jehudah, populoque illic exsistenti præesse. *Confutatio*; Bene quidem dicit iste Rabbi in eo, quod per *sceptrum* potestatem, imperium & regimen intelligit; quod sentit non auferendum à tribu Jehudah usque ad adventum Schilo, i. Messiæ. Sed in eo toto cœlo errat, quod tenet Messiam nondum venisse, cum tamen universo orbi notum sit, Judæis suum sceptrum penitus ablatum esse. Nam quod dicit sceptrum Jehudah adhuc in Babylonia durare, plane ridiculum vanissimumque cavillum est. Sed facit ille Rabbi ut Judæi vulgo dicunt, רוצה לשקר ירחיק עדיו, i. *Qui vult mentiri, procul faciat testes suos*; Germanice, In die Weite ist gut liegen. Est enim notandum, per *sceptrum* hic præclarum illud regimen politicum, quod semper penes tribum Jehudah fuit, à patriarcha Jacob intelligi; quodque in ipsa terra Israel, non extra terram, verum suum usum habuit. Hoc certe hodie nullibi terrarum, nedum in Babylonia, ostendere possunt Judæi, cum proprie ad ipsam terram Israel pertineat. Alii *sceptrum* hic pro primatu, principatu, & (ut ipsi loquuntur) pro גדולה, i. *magnificentia, dignitate, præstantia* ac *prælatura* quadam accipiunt, quam sentiunt à Jehudah non transferendam donec veniat Schilo, i. David, qui primus Rex fuit de tribu Jehudah. *Tum enim*, inquiunt, גדולה לה למלכות *transiit* i. eminentia illa potestatis, quæ penes Jehudah erat, in Regiam dignitatem commutata fuit. Atque ita volunt alterationem quandam regiminis factam fuisse, quam Jacob in spiritu præviderit. *Confutatio*; Stulta & absurda hæc est expositio. Non enim dicit Jacob, *transferendum esse* sceptrum Jehudæ ad ampliorem potestatem & dignitatem, sed plane *tollendum & auferendum esse.* Ad hæc obsecro, quid derogatum fuit tribui Judah, quod sceptrum attinebat, Davide in Regem evecto, cum per hoc tribus Judah recte demum florere celebrisque fieri cœpit propter David, qui ex illa tribu erat? Alii *Schiloh* pro nomine loci accipiunt: unde sic legunt, *Non recedet sceptrum de Jehudah*, &c. *donec veniat finis Schiloh*: quasi scriptum esset, עד כי יבוא קץ שילה, *donec veniat finis Schiloh*, h. e. Donec devastetur & pereat Schiloh. Quod impletum dicunt, quando arca Domini reducta à Philistæis non est restituta in Schiloh, qui locus fuit in tribu Ephraim & Joseph, sed pro ejus domicilio electa fuit tribus Judah. Et in confirmationem istius suæ sententiæ, citant locum qui est in Psal. 78. *Deseruit tabernaculum Siloh*, &c. *Et elegit David servum suum.* Verum istius sententiæ confutatio eadem est quæ & præcedentis. Nam ista ratione nihil decessit tribui Jehudah, sed potius accessit. Jacob autem diserte dicit, *auferendum sceptrum à Judah, adventante Schiloh.* Sunt porro qui Schiloh non ad Davidem, sed ad Regem Saulem referunt: quapropter sic legunt, *Non recedet sceptrum de Jehuda*, &c. *donec veniat Schiloh*, i. Donec veniat Saul ungendus in Schiloh. Tum enim dicunt sceptrum amotum fuisse ex tribu Judah ad tribum Biniamin, de qua Saul erat. *Confutatio*; Hæc expositio falsissima est: Tum, quia antequam Saul eligeretur in Regem, arca Domini, in qua unctio servabatur, jam à Schiloh in Cariathiarim transposita erat, ut patet 1 Sam. 7. 1. & ex consequenti Saul non in Schiloh, sed in Cariathiarim unctus fuit. Tum etiam, quia immediate post Saulem, imo ipso Saule adhuc regnante, David, qui primus ex tribu Judah regnavit, Rex institutus atque à Samuele unctus fuit. Quare minime verisimile est, quod tunc sceptrum de tribu Judah ablatum fuerit, quan-

quando eadem tribus ad Regni perfectionem propinquissima erat. Praeterea non desunt qui illud, *Donec veniat Schiloh*, de Hieroboam, qui de tribu Ephraim oriundus erat, dictum volunt. Nam cum decem tribus, ob duram responsionem à Roboam Rege, Salomonis filio, populo datam, à Regno Iehudah defecissent, ipsum Hieroboam sibi Regem delegerunt: Quo tempore dicunt sceptrum à Jehudah ablatum fuisse. Unde sic exponunt verba Jacob, *Donec veniat Schiloh*, i. Donec veniat Hieroboam coronandus in Schiloh. *Confutatio*; Falsissimum quidem est & hoc glossema: Partim, quia illa decem tribuum congregatio ac conspiratio, quae Hieroboam sibi in Regem constituit, non in Schiloh sed in Sichem facta fuit, ut ex 1 Reg. 12. 1. apertissime colligitur. Partim, quia non fuit tunc Regnum à domo Judah amotum; quod ex eo maxime liquet, quod ex tribu Iehuda per haereditariam successionem, usque ad Babylonicam captivitatem, per annos ferme CCCCXCII. sine intermissione Reges fuerunt. Et illi etiam soli veri Reges censebantur, cum in regia urbe Hierusalem regnarent, & per unctionem quae in templo erat instituerentur. Exstant item qui vocem שילה *Schiloh* à verbo שלח, quod *mittere* significat, deducunt, hoc sensu, *Non recedet sceptrum de Jehudah, donec veniat qui mittendus est*: atque illum Nabuchodonosor esse dicunt, qui propter peccata populi ad totius terrae illius perditionem Regnique ablationem à Deo missus fuit. Tunc enim ajunt, interfecto Rege Sedekiah, qui de tribu Iudah erat, ac filiis ejus, Regnum penitus defecisse, ita ut ab eo tempore nullus unquam postea ex tribu Iehuda regnaverit. *Confutatio*; Hoc commentum vanissimum esse multis modis & rationibus probatur: I. Quod per captivitatem Babylonicam sceptrum de domo Iudah non plane ablatum fuit; id quod manifesto ex eo liquet, quod tunc non omnes Sanhedrin, qui capita Iudaeorum erant, à Nabuchodonosor interfecti fuerunt, cum multi eorum in Babyloniam descenderint, ibique juxta eorum leges & mores, ex Regis consensu, Iudaeorum causas judicabant ac determinabant. II. Quod post captivitatem illam Babylonicam, per eos qui ex tribu Iudah prodierant, usque ad Herodem Ascalonitam, Iudaeorum populus gubernatus fuit. Nam Zorobabel, qui populi in ejusdem captivitatis reditu Princeps exstitit, de tribu Iehuda fuit, ut legitur Zach. 4. & Hag. 1. Similiter & alii omnes penes quos usque ad Machabaeos regimen populi perseveravit, de tribu Iudah fuerunt. Machabaei quoque, qui postea usque ad Herodem Ascalonitam Iudaeorum principatum obtinuerunt, de tribu Iudah censebantur, quia tribus Regia & tribus Sacerdotalis commixtae erant, ut patet 2 Paral. 22. 11. Unde & ipsi Machabaei secundum genus maternum ex tribu Iudah processerant. III. Quod sceptrum à Iudah per Nabuchodonosor non fuerit penitus ablatum, probatur etiam authoritate veterum Rabbinorum, ut est videre in libro Sanhedrin in Breschith Rabba super praesentem locum. Item in Midrasch Schir Haschirim, i. commentario super Cantica canticorum, in hunc locum, *Dilectus meus descendit ad hortum suum, ad areolam aromatis*, &c. Ubi & Thargum sic dicit, *Dominus seculi suscepit orationem eorum cum complacentia, descenditque in Babyloniam ad sapientes Sanhedrin.* IV. Probatur per Chaldaicam R. Onkelos translationem, quae diserte dicit *mansurum sceptrum apud tribum Judah usque ad adventum Messiae.* Quod idem tenet & Thargum Hierosol. quod ita habet, לא פסקן מלכין מדבית יהודה אף לא כתבין מלפי אורייתא מבני בנוי עד זמן דייתי מלכא משיחא דדיליה היא מלכותא ולדה עתידין וישתעבדון כל מלכותא דארעא. *Non deficient Reges de domo Jehuda, neque scribae doctores legis de filiis filiorum ejus, usque ad tempus quo veniet Rex Messias, cujus est Regnum. Et ei subjicientur tandem omnes Reges terrae.* V. Infirmum admodum est, quod pro שילה *Schilo* שלוח, i. *mittendus*, legunt, exponentes de Nabuchodonosor, ut supra enarratum est. Est quoque & hoc falsum, quod objiciunt nostri Judaei, Messiam secundum nostram sententiam quadringentis annis ante destructionem secundi templi venire debuisse; cum jam sufficienter probatum sit, sceptrum Judaicum non omnino defecisse per Babylonicam captivitatem, sed duravisse usque ad Herodem Ascalonitam, à quo demum penitus ablatum est, una cum Sanhedrin, h. e. judiciaria potestate, sicut etiam historiae testantur. Sunt denique qui voces שבט *sceptrum*, & מחקק *scribam* sive *legislatorem*, in malam partem accipiunt: exactionem enim, tyrannidem, oppressionem, exsilium & captivitatem, qua etiamnum hodie detinentur Judaei, per eas intelligi volunt; quibus malis omnibus ad adventum sui Messiae, quem stultus populus adhuc exspectat, se liberandos esse dicunt. *Confutatio*; Quod שבט hic non pro *virga exactionis*, sed pro *regio sceptro*, h. e. principatu, imperio, magistratu, regiaque dignitate, quae penes tribum Judah tantisper esse debebat quantisper Messias non veniret, accipiatur, testantur omnes veterum Hebraeorum interpretationes, nec non & Onkeli paraphrasis: Quare hoc glossema recentiorum Judaeorum frivolum commentum est, data opera hunc locum depravantium. Postremo, ut caecitas ac impietas recentiorum Judaeorum adhuc magis pateat, quidam hunc locum ita depravant, quod dicunt Jacob patriarcham hic voluisse significare, nunquam sceptrum à Judah auferendum cum venerit Messias, sed perpetuo apud illam tribum dein mansurum. Verum tu noveris, Christiane lector, hanc expositionem plane novam esse, à junioribus nostratibus Judaeis excogitatam, tortam & violentam, ut quam etiam apud nullum veterum Scriptorum invenias. Estque sane contra naturam istius loci, sicut quoque ipsa vocum significatio, constructio, punctatio, omnesque denique circumstantiae convincunt, ut vel omnibus parum Hebraice doctis notum est. Sed ea proh dolor nostrorum Judaeorum est impudentia, ut quascunque absurdissimas interpretationes quas contra nos adducere possunt, non abhorreant; tantum ne colla veritati subdere, atque Christum fateri & recipere cogantur; Digni sane qui, siquidem cum sacra Scriptura ita impie ludunt, istis suis plusquam Cimmeriis tenebris perpetuo involvantur, &, nisi resipiscant, ad aeterna tandem Tartara praecipitentur. Jam placet etiam quaedam adferre de varia interpretatione vocis שילה *Schiloh*, quam Paraphrastes noster recte per *Messias* transtulit. Author Latinae Vulgatae editionis per *mittendus est* reddidit: ita enim legit, *Non auferetur sceptrum de Judah, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, &c. Quasi scriptum esset שלוח vel שלח à verbo שלח, quod *mittere* significat. Et invenias qui in ea sententia sunt, quod pro שילה, quod modo in Hebraicis Bibliis legitur, olim fuerit שלח, vel שלוח, Judaeorum autem perfidia corruptum esse, quod viderent שילה sibi commodiorem vocem esse detorquendi eam ad sua impia placita, quam שלח, quae plus stabiliat nostram de Christo fidem. Ego hic nihil certi pronunciare ausim, nisi quod forte quis conjecturam aliquam facere potest ex Vulgata editione Latina, quae *mittendus* transtulit. LXX. legunt, *Donec veniant reposita ei*; quasi שילה compositum sit ex ש, i. *quod* vel *qua*, & לו, i. *ei*, posito He pro Vau: Sunt enim literae אהוי, i. permutabiles. q. d. *Donec veniat cui repositum est Regnum.* Mire quoque Hebraei variant. Quidam enim per שילה Messiam intelligentes, sic eum dictum putant שלו המלוכה i. *quod illius sit regnum*, & ad ipsum vere spectet ac pertineat. Alii ab offerendis ei muneribus sic appellatum volunt, q. d. שי לו *Schai lo*, i. *munera ei*, scilicet adferent, juxta illud Psalmographi יובילו שי למורא, *Deferte munera terribili*, Psal. 76. 11. Alii שילה idem valere sentiunt quod בנו, i. *filius ejus*: & per hunc filium intelligunt David, qui fuit de tribu Judah. Verum illorum sententia mihi omnium simplicissima & verissima esse videtur, qui שילה à verbo שלה, quod *prosperè & feliciter agere* significat, deducunt. Hinc שילה *Schilo* Messias dictus est, quod per illum vera salus ac felicitas orbi allata sit. Nec tamen improbo eorum sententiam qui *Schiloh* à שליה *Schiliath*, quod *secundinas*, i. pelliculam illam in qua foetus involvitur significat, derivant; vulgo die Wandelbürd. In qua sententia est & R. D. K. qui in lib. Rad. ita scribit, עד כי יבא שילה פירוש בנו והמאמר על דוד שהוא משבט יהודה או על המשיח והוא מלשון בשליתה, i. *Donec veniat Schilo*, i. *filius ejus. Estque prophetia de Davide, qui est de tribu Judah, aut de Messiah, deducta voce a* שליה *quae secundinas significat.* Haec ille. Ex nostris Scriptoribus quidam *Schiloh* à *Schiliath* dictum volunt, ad innuendum quod verus homo futurus esset Messias, qui hic tribui Judae promittitur. Cui sententiae accedit Author Galatinus, qui in opere suo De arcanis catholicae veritatis, l. 4. c. 4. ita scribit in hunc locum, *Non abs re profecto sic locutus est. In hoc enim aperte innuere voluit, Messiam à matre absque patre nasciturum, sive de matris materia sine viri semine concipiendum fuisse. Quod R. K. in libro Scheraschim (i. Radicum) manifeste testatur; dum ita de eo ait,* "*Vocatur Messias, princeps & dominator. Mos* "*enim dominantis est, ut sit virga in manu ejus. Et quia* "*virga disciplinae plebis in manu ipsius erit, ideo* מחקק "*Mehokec etiam dicitur, quod Scribam significat. Porro,* " donec veniat Schilo, *i. filius ejus, foeminini generis, expo*"*nitur. Et est prophetia de Messiah. Derivaturque* שילה "*Schilo à vocabulo* שליה *Schilsia, quod est sacculus qui*"*dam in quo manet infans in utero matris; qui aliquando in Scriptura pro embryone in matrice sumitur. Haec omnia R. Kimhi. Ex quibus apertissime liquet, quod* Schilo *in antedicta prophetia idem est quod* filius mulieris. *Ex quo palam est, ideo Prophetam dixisse,* Donec veniat Schilo, *ut ostenderet Messiam ipsum de matre absque patre nasciturum fuisse. Quibus ex omnibus manifeste patet, contra Judaeorum nostri temporis perfidiam, quod juxta vete-*

rum Thalmudistarum expositiones præmissa prophetia de nullo alio recte intelligi potest quam de Messia. Et per consequens, secundum dicta antiquorum concluditur, quod in adventu ipsius Messiæ Regni Judaici sceptrum penitus deficere debebat. Hactenus Galatinus. Et hæc certe sententia & expositio multum arridet quibusdam ex nostris Theologis recentioribus. Sed placet jam paucis indicare, quis sit totius istius loci, vaticinii scilicet Jacob de Judah, simplex ac genuinus sensus. Laudat & extollit Jacob Judam super omnes filios suos, idque ab his potissimum rebus: I. A principatu & magistratu, quem præ omnibus fratribus suis habiturus esset. II. A bellis & victoriis, quibus hostibus suis superior futurus esset. III. A regni duratione, securitate & firmitate; cujus auspicia, progressum, securitatem, firmitatem, necnon & finem pulchre ostendit *leonum* similitudine, quibus illum assimilat, ut pulchre etiam Paraphrastes noster expressit. IV. Ab ipso Messiah qui ex ejus tribu proditurus sit, ad cujus adventum temporale Regnum Jehudæ finem sit accepturum. V. A loci & terræ fertilitate quam sit inhabitaturus. Primatum & principatum his verbis innuit Jacob, *Judah tu es, te laudabunt fratres tui. Te adorabunt filii patris tui*, &c. Bella & victorias, cum dicit, *Manus tua in cervice hostium tuorum*; q. d. Bella geres cum hostibus tuis, sed tu victor evades. Auspicia Regni indicat, quod comparat cum *catulo leonis*: quod in Saule impletum fuit, qui fuit primus Rex in Israel. Incrementum ac propagationem Regni, quod dicit, *A præda, mi fili, ascendisti*, &c. quod in ipso Davide impletum est. Durationem, securitatem & firmitatem Regni, quod *accubanti leoni* ac *leænæ* eum comparat: quod revera sub Salomone Rege confirmatum est, de quo Scriptura commemorat, tempore illius tantam pacem fuisse, ut *unusquisque secure sederit sub vite & ficu sua à Dan usque ad Beer-scheba*, &c. A leonibus vero similitudinem potius quam ab aliis animalibus traxit, quod ea pulchre faciat ad præsens institutum, ad indicandum scilicet Regni incrementa. Tradunt enim Hebræi de leonis natura, quod per gradus quosdam magis atque magis robustior fiat, donec ad summum roboris gradum perveniat. In primo enim gradu vocatur גור, *catulus*; in secundo, כפיר, *leunculus*; in tertio, אריה, *leo*; in quarto, לביא, *leo senex*; in quinto, ליש, *leo magnus & multorum annorum.* Regni vero temporalis ablationem innuit, quando dicit, *Non auferetur sceptrum à Juda*, &c. Loci & terræ fertilitatem his verbis describit, *Ligans ad vitem pullum suum*, &c. q. d. Tanta erit vini copia, ut quis ab una vite asinum suum onerare possit, atque in eo, si velit, vestimenta sua lavare: Tamque largiter homines illud bibent ut oculi illorum sint rubicaturi. Tanta denique & lactis copia erit, ut dentes illorum sint albicaturi.

11. *Juxta doctrinam ejus*] Sentit homines Divinæ legi operam daturos, prout ipse jusserit ac docuerit. Ejus autem doctrina fuit, quod non ceremonias traditionesque patrum, Pharisæorum more, docuit, sed totam Legem omnesque Prophetas in dilectione Dei & proximi consummari diligenter monuit, Matth. 7. *Omnia igitur quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, sic & vos facite illis. Hæc enim est Lex & Prophetæ.* Atque hæc est doctrina Christi, cujus hic mentio fit.

13. *Bonumque maris comedet*] i. Fruetur bonis maris: *comedere* enim pro *frui* sæpe utitur Hebraismus.

14. *Inter terminos*] Varia hic lectio est, idque propter ambiguitatem vocis Hebraicæ המשפתים *Hamischpethaim*: quam alii exponunt, *inter duas sarcinas*, vel, *duo onera*; i. Hæc tribus erit fortis velut asinus, qui inter duo onera, si succumbat, resurgit tamen: ita hæc tribus nunquam succumbet, etiam in periculis maximis. Alii vertunt *inter duos terminos*, sicut habet editio Vulgata Latina. Alii, *inter terminos urbium.* Alii, *inter acies.* Hæc varietas hinc provenit, quod vox Hebraica המשפתים in toto Bibliorum volumine tantum in duobus locis reperiatur, hic, & Judic. 5. Potest tamen & is sensus esse, quod velit significare, Isachar habitaturum inter terminos, i. inter regiones, provincias, confinia & terminos populorum, unde affatim habere possit quæ sibi necessaria erunt. Habuit enim in circuitu suo Zebulun, Nephtalim, Aser, Ephraim, &c. Quo & Lxx. respexisse videntur qui legunt, *ἀναπαυόμενος ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, requiescens inter sortes.* Alii sic intelligunt, Quod Isachar, quia inter populos habitabat, timens ne continuis bellis attereretur, quo in pace & tranquillitate vivere posset (habebat enim terram pinguem & jucundam ob fructuum suavitatem) maluit ferre sibi onus impositum & pensitare tributum. Sed diversam sententiam sequitur noster Paraphrastes, nempe quod alios sibi tributarios fecerit.

18. *Redemptionem tuam exspecto, Domine*] Mos est Spiritus Sancti in verbo suo, ut si quando mentionem facit magni alicujus auxilii, & salutis conferendæ populo Dei per aliquos, sermonem inde dirigere ad præclaram, insignem ac magnificam illam salutem orbi per Christum conferendam. Hoc idem & Jacob Patriarcha impræsentiarum facit. Postquam enim prædixit fore ut ex tribu Dan prodiret qui populum à tyrannide hostium suorum liberaturus esset, quod in Samsone completum fuit, vertit sermonem & vaticinium ad Christum, cujus ille typus quodammodo erat: Cujus salutem ac redemptionem mundo per illum advehendam, non sine magna animi consolatione, in spiritu prævidit, atque prædixit: q.d. Jacob, Plausibilia sunt hæc quæ de Samsone prædixi, sed adhuc longe plausibiliora sunt quæ per Christum illum dilectum filium tuum conferes populo tuo. Quod autem proprie illa ad Christum pertineant, luculenter videre est ex paraphrasi Thargi Hierosolymitani, quæ in hunc locum ita habet, אמר אבונא יעקב לא לפורקנה דגדעון בר יואש דהוא פורקן שעה ולא פורקנה דשמשון בר מנוח דהוא פורקן עבר אלא לפורקנה דמשיח בן דויד דהוא עתיד לאתתאה בני ישראל ליה לפורקנה סכיית נפשי, *Dixit pater noster Iacob, Non exspecto redemptionem Gideonis filii Ioas, quæ est salus temporalis; neque redemptionem Samsonis, quæ est salus transitoria; sed exspecto redemptionem Christi*, sive *Messiæ, filii David, qui venturus est ut adducat sibi filios Israel: hujus redemptionem exspectat*, sive *desiderat, anima mea.* Hæc ita habentur quoque in paraphrasi Chaldaica Complutensis editionis. Ex quo rursum videmus, quam longe sincerius & dexterius veteres illi Hebræi Scripturas intellexerunt atque interpretati sunt quam Judæi recentiores. Sunt ergo observandi ejusmodi loci in paraphrasibus; faciunt enim multum pro nobis contra Judæos, ad contundendam illorum impietatem.

23. *Viri dissensionis ejus*] Ad literam est, *divisionis ejus*: חלק enim *dividere & partiri significat*; & metaphoricωs pro *contendere & rixari* accipitur. Unde & controversiam & contentionem מחלוקת Hebræi vocant. Intelligit autem fratres Joseph, qui contendebant cum illo, motique invidia erga ipsum, separaverant eum à se.

24. *Posuitque fortem fiduciam suam*] Potest etiam *legi, Posuit robur*, seu *fortitudinem, fiduciam suam*, sed idem sensus est: & intelligit Deum in quo posuerit suam fiduciam.

27. *Præsentia divinitatis*] Intelligit conditionem ac rationem illam Divinæ præsentiæ quæ sese exserebat circa arcam fœderis, quam Hebræi à *quiescendo* שכינה *Schechinah* vocant. Supra de hoc nonnihil annotavimus c. 9.

IDEM.

3, 4. ראובן בכרי אתה כחי וראשית אוני יתר שאת ויתר עז׃ פחז כמים אל תותר כי עלית משכבי אביך אז חללת יצועי עלה, *Ruben primogenitus meus: tu virtus mea, & principium roboris mei, excellentia dignitatis & excellentia fortitudinis. Levis ut aqua non excelles: quia ascendisti ad lectulum patris tui: tunc violasti, & stratum meum esse desiit.*] Primum indicabo ubi varient Interpretes, dein germanum sensum hujus loci ex veritate Hebraica ostendam. Ubi Lat. Vulg. editio legit, *principium doloris mei*, Hebraica veritas habet, *principium roboris, fortitudinis*, sive *virtutis meæ.* Nam licet און aliquando *dolorem* quoque significet, tamen hoc in loco pro *robore* seu *fortitudine* accipiendum esse patet ex circumstantiis, ex versione Onkeli & Lxx, necnon & aliis concordantibus Scripturæ locis ubi de primogenito mentio fit, ut Deut. 21. *Iste est enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita*, &c. Ibi Hebraice exstat, כי הוא ראשית אנו לו משפט הבכרה *Quia ipse est principium virtutis ejus, ei* debetur *jus primogenituræ.* Vocatur autem primogenitus *principium virtutis*, eo quod in illo pater primum ostendit se virum esse, utpote in quo exserit masculam suam virtutem. Vel, ut alii sentiunt, quod nascitur dum adhuc pater fortis & in florenti sua ætate est. Qui Vulgatam editionem amplectuntur, sic intelligunt quasi per *dolorem* hic partus dolor significetur. Sed non video quid vir hic doloris sentiat, & magis in primogenito quam in aliis. Vel, quod Jacob per *dolorem* istum miserias intelligat quas perpessus sit in Ruben, maxime vero quod cubile ipsius commaculaverit. Sed quomodo iste *principium dolorum ejus* erit, cum ante istud facinus non parvum dolorem concepisset ex constupratione Dinæ, & depopulatione urbis Sichimæ, quam Simeon & Levi designaverant? Quare infirma hæc videntur. Secundo, ubi Vulg. editio habet, *Prior in donis, major in imperio*, Hebraice est, *excellentia dignitatis*, vel *sacerdotii, & excellentia fortitudinis*; vel, *excellens in dignitate, prælatura*, vel, *sacerdotio, & excellens in fortitudine*: potest enim יתר substantive & adjective reddi. Ceterum voce פחז, quæ venit à ver-

bo נשא, quod *tollere, auferre, elevare* & *offerre* significat, intelligitur primogenituræ jus & sacerdotium. Nam primogenitus duplicem partem bonorum paternorum præripiebat. Dein penes illum erat dignitas sacerdotii, quod venit appellatione משאת, ab offerendis scilicet sacrificiis, & elevatione sive expansione manuum, quæ Hebræis נשיאות כפים dicebatur, qua populum Sacerdotes benedicebant atque peccata remittebant. Nam hæc duo præcipua munia erant officii Sacerdotalis, puta, oblatio sacrificiorum, & peccatorum expiatio. Postremo, & magistratus, sive regnum, primogenito debebatur, quod hic per *fortitudinem* intelligitur. Tria ergo notat Iacob quæ Ruben tanquam primogenito jure debebantur, nempe, Primogenitura, Sacerdotium, & Regnum. Sed his privatus fuit ob perpetratum scelus, & alio translata fuere. Primogenitura, i. duplex hereditatis portio, ad Ioseph, Sacerdotium ad Levi, Regnum ad Iudam translatum fuit. Atque hunc sensum pulcre etiam reddidit Paraph. Chaldæus. Mirum quid Græcos moverit, qui legunt, *Durus ad ferendum, & durus contumax*: quæ certe alienissima sententia est à veritate Hebraica. Tertio variatur ibi, *Effusus es sicut aqua, non crescas*, &c. quibus sensus potius expressus est quam verba Hebraica, quæ sic habent, *Festinatio, levitas, velocitas*, sive *motus, tanquam aquarum, non excelles*, &c. qua formula loquendi taxat Iacob fœdam libidinem qua diffluxerat Ruben, quam comparat aquis quæ ruptis aggeribus erumpunt atque celeriter labuntur, ita diffluentes ut nemo eas cohibere possit: q. d. primogenitus eras Ruben, ideoque fortis esse debuisti, sed pessime abusus es tua fortitudine, indulgendo pravis affectibus tuis ad fœdam libidinem te solicitantibus, quibus quia non restitisti, sed te ab illis vinci passus es, atque ita turpiter diffluxisti, ob id *non excelles*, h. e. non pertinebit ad te neque jus Primogenituræ, neque Sacerdotii, neque Regni. Postremo, variatio est circa illa, אז חללת יצועי עלה, i. *tunc violasti stratum meum ascendendo*; ubi Vulg. interpres neglexit *ascendendi* verbum sua translatione, tantum enim legit, *Et maculasti stratum ejus*. Est autem diversa lectio ac expositio verbi עלה etiam apud Hebræos hoc in loco. Quidam enim simpliciter pro *ascendere* exponunt, intelligentes Ruben tum patris cubile commaculasse quando illud ascendit, atque cum Bilha concubina ejus rem habuit. Alii vero, quia עלה formam præteriti habet, *ascendit* legunt, sic tamen ut idem valeat quod abiit, recessit, desiit, sive defecit, ut sit sensus, Ex quo contaminasti stratum meum, *ascendit*, h. e. desiit esse stratum meum, abstinui siquidem posthac à congressu cum Bilha. R. Salomon refert ad Deum, quasi ille offensus scelere Ruben recesserit à cubili Iacob: sed judaizat hoc. Iam sensum totius loci hujus paucis sic accipe; *Ruben, primogenitus meus es tu, robur meum, & principium virtutis meæ*, &c. i. in te primum apparuit atque visa est mascula virtus mea; propterea dignum erat te reliquos fratres tuos excellere prærogativa potioris Hereditatis, Sacerdotii, & Regni. Sed quia habenas laxasti fœdæ libidini, atque diffluxisti, non aliter atque erumpentes aquæ diffluunt (tum scilicet quando victus obscœno amore turpiter constuprasti concubinam meam, atque ita commaculisti thorum meum) idcirco non eris excellentior atque superior fratribus tuis, imo inferior, simulatque privaberis dignitate ac jure tuo. Exstant tamen apud Hebræos qui concubinam Iacob Bilham nequaquam à Ruben constupratam volunt; sed tenent tantum lectum patris in illius tabernaculum post obitum Rachelis, cujus Bilha ancilla fuerat, translatum, ab illo destructum ac depopulatum fuisse: quæ res inde nata est, quod videret matrem suam Leam non usque adeo etiam à morte Rachelis à patre amari. Cujus certum argumentum esse putabat, quod lectus conjugalis mortua Rachele, non in matris suæ Leæ, sed Bilhæ tabernaculum translatus fuisset; hinc motus præpostero zelo, quo pro matre zelavit, lectum patris corrupit atque destruxit. Sic tenet quorundam Iudæorum opinio, qui ad hunc modum facinus Ruben præpostera quadam religione palliare conantur. Atqui huic sententiæ nonnihil patrocinari videtur Onkelus sua paraphrasi, qui illud פחז כמים אל תותר, *velociter sicut aqua diffluxisti*, &c. sic transtulit, על דאזלת לקביל אפך, *eo quod abiisti juxta*, vel *secundum, iram tuam*; h. e. qui indulsisti & obtemperasti furori tuo, &c. Tametsi Complut. editio Paraph. Chaldæum sic verterit, *Sed quia secutus es voluntatem tuam*, &c. Cæterum historia de stupro Ruben nota est ex 35. cap. ubi Scriptura manifesto dicit, *Et abiit Ruben, & dormivit*, seu *concubuit, cum Bilha concubina patris sui*, &c.

5. &c. שמעון ולוי אחים כלי חמס מכרתיהם, *Simeon & Levi fratres, vasa violentiæ in habitaculis eorum.*] Variatio est in voce מכרתיהם, quam alii ita exponunt ut idem sit quod מגורתיהם, i. *peregrinationes eorum*, mutato scilicet Gimel in Caph; sunt enim de eadem prolatione, & ideo literæ permutabiles. Est autem sensus juxta hanc lectionem, Simeonem & Levi violentum facinus designasse in loco peregrinationis suæ; cum ut peregrini reverterentur ex Charan. Et hunc sensum secutus est Paraph. Chald. qui legit, *in terra peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem*. Alii volunt מכרות *gladios* significare, ut idem sit quod Græcis μάχαιραι, quod vocabulum illos ab Hebræis accepisse putant, q. d. *vasa rapinæ, machæræ*, seu *gladii, eorum*. Et in hanc sententiam inclinat Vulg. edit. Latina, quæ habet, *vasa iniquitatis bellantia*. Aben Ezra legit, *vasa rapinæ habitacula eorum*, sive *in habitaculis eorum*, deficiente scilicet Beth servili, quod *in* valet, id quod sæpe in Hebraismo fieri solet. Tunc sensus erit, Simeonem & Levi secum habere in habitaculis suis prædam, quam inique & violenter rapuerint. Nam כלי Hebræis generale nomen est ad omnia vasa, instrumenta & supellectilia. Erit ergo כלי חמס hoc in loco *supellex violenter rapta*. Et historia etiam hujus facinoris habet, quod diripuerint civitatem, cunctaque quæ in civitate & in campo erant abstulerint. Cæterum dictionem מכרות *habitationem* significare, etiam ex aliis Scripturæ locis patet, ut Ezech. 16. מכרתיך ומלדתיך מארץ הכנעני, *Habitationes tuæ & nativitates tuæ de terra Chananæi*. Item cap. 21. בארץ מכורתיך אשפט אתך, *in terra habitationum tuarum judicabo te*. Et rursum cap. 29. על ארץ מכורתם, *in terram incolatus eorum*. Quod si pro *machæris & gladiis* accipere mavis, sensus erit, Jacob conqueri de filiis suis, Simeone scilicet & Levi, quod armis suis temere ad rapinam & violentiam abusi fuerint, quodque illis arma sua fuerint non defensiva, sed offensiva. Sed utram lectionem secutus fueris, nihil erit periculi. Lxx relictis verbis sermonem metaphoricum in ἁπλῆν, h. e. *simplicem & planum*, transtulerunt: sic enim reddiderunt, *Consummaverunt iniquitatem propositi sui*. Secundo, variatio est circa illa, בסדם אל תבא נפשי, *In secretum eorum non veniat anima mea*: Sic fere omnes reddunt. Quidam tamen in secunda persona sic legunt, *In arcanum eorum ne venias, ô anima mea*: *Ne sis una in cœtu eorum, ô gloria mea*: i. fuge cœtum eorum. Diversam hanc lectionem facit verbum תבא, quod & secundæ & tertiæ personæ esse potest. Jam quod ad sensum horum verborum attinet; Quidam ad præteritum referunt, quasi Jacob indicare velit se non consensisse in consilium Schimeonis & Levi quando Sichimitas perdiderunt, præter suam voluntatem & consilium hoc facinus perpetratum esse. Et huic sententiæ patrocinatur Onkelus sua Paraphrasi, qui transtulit, *in secreto*, h. e. in consilio, *eorum non fuit anima mea*. Alii de futuro dictum intelligunt, quod scilicet Jacob videns quam pessime abusi fuissent consiliis suis in perniciem aliorum, isto sermone significare voluerit quantum ipsius mens abhorreat à cœtu & consiliis ipsorum, adeo ut posthac nihil velit cum eis habere commune. Sed nota etiam proprietatem verborum Hebraicorum. סוד, i. *arcanum, secretum*, pro consilio, קהל *cœtus*, pro communione, נפש *anima*, pro animo & voluntate accipitur, sicut & כבוד, quod idem valet quod נפש. Est enim, ut Hebræi dicunt, כפל ענין במלות שונות, *repetitio ejusdem rei, aliis tamen verbis*: quod admodum crebrum est in Prophetiis. Alii per antonomasiam sic explicant, *In consilium eorum non veniat anima mea, & cœtui eorum non uniatur gloria mea*: h. e. Ego non intrabo in cœtum eorum. Lxx qui legunt, *Et in cœtu illorum non contendant jecora mea*, decepti fuere vocum similitudine. Nam כבוד *Cafod*, i. *gloria*, per כבד *Cafed*, quod *jecur* significat. Et pro תחד, i. *uniatur*, תרד legerunt, Daleth pro Res aspicientes, cujusmodi errata multa apud illos invenies. Cæterum Paraphraseôs Onkeli, *Non descendi de gloria mea*, is videtur esse sensus, Non perdidi sive amisi dignitatem, gloriam, laudem ac bonam famam meam pessimo isto scelere. Tertio variatur in voce שור, quam quidam *taurum* vertentes, per illum, vel Sichem principem Sichimitarum, qui cum Dina filia Jacob dormierat, vel Ioseph, quo tellus Ægypti recte proscissa & arata fuit, intelligunt. Et Iudæi vulgo interpretantur illud, עקרו שור Sie wolten außreissen den Ochsen; intelligentes de Ioseph dictum, quem ex reliquis fratribus isti duo Simeon & Levi maxime interficere conabantur. Nam Ruben & Iudas laborabant eum è manibus eorum liberare, post quos isti duo erant præcipui. Alii שור *murum* interpretantur, intelligentes mœnia urbis Sichimitarum quæ devastarunt. Atqui hæc videtur esse lectio germanior, quam & Onkelus secutus est. Cui adstipulatur & D. Hieronymus, qui in Quæst. Hebr. sic scribit, *Necessitate compellimur juxta propositum operis longius ea repetere quæ ab Hebraa veritate discordant.* Legitur enim ibi, Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis arma eorum. In arcanum eorum ne intret anima mea, & in conventu eorum ne dissolvatur gloria mea: quia in furore suo interfecerunt virum, & in libidine sua suffoderunt murum. *Significat autem non sui consilii fuisse quod Sichem & Emor federatos viros interfecerint, contraque jus pacis & amicitiarum sanguinem fuderint innocentem, & quasi quo-*

si quodam furore, sic crudelitate rapti, muros hospita urbis everterint, Unde sequitur & dicit, MALEDICTUS FUROR EORUM, QUIA PROCAX, &c. Hæc Hieronymus.

8. יהודה אתה יודוך אחיך ידך בערף איביך ישתחוו לך בני אביך,&c. *Jehudah, tu es cui confitebuntur fratres tui: manus tua in cervice inimicorum tuorum: incurvabuntur coram te filii patris tui,* &c.] Primum variatio est in illo יהודה אתה: quod Hebræorum quidam sic explicant, quasi Iudah, ubi vidit patrem fratres Ruben Simeonem & Levi durius alloqui, & infausta potius quam multa bona illis prædicere, timens sibi ne & ipse quid sinistri à patre audiret, cœpit retrocedere, volens declinare patris conspectum. Quod ubi in ipso pater animadvertit, blande compellavit eum, dicens, *Iehudah, tu,* &c. q.d. Non est Iehudah ut tu tibi timeas sicut cæteri, לא אתה כאחים, i. *tu non es similis eis.* Aben Ezra sic exponit, *Iehudah, tu,* h.e. tu revera id es quod præ se fert nomen tuum. Tu eris laus & gloria fratrum tuorum. Tu ille ex quo laudem & gloriam omnes fratres consequentur. Nam à Judah omnes Judæi appellati sunt. Et de tribu illa natus est Christus. Unde & Christus ipse dicit Joh. 4. *Salus ex Judæis est,* &c. Secundo variatur ibi מטרף בני עלית, i. *à præda, mi fili, ascendisti.* Quod quidam Hebræorum sic intelligunt, quasi Jacob ista locutione commendare voluerit Jehudam, quod sibi caverit à præda Ioseph & Thamar h.e. quod suo studio effecerit ne occisus fuerit Ioseph à fratribus, in quorum manus inciderat, dicebat enim, *Quid prodest nobis si occiderimus fratrem nostrum?* Dein quod non negaverit à se gravidam factam Thamar, quæ ejus rei gratia jam de vita periclitabatur. Nostri vero sic accipiunt, quod Iacob isto sermone innuere voluerit Iehudam cæteris fratribus superiorem futurum. Ideo comparat eum leoni. Atqui tribus Iuda semper fuit superior, constantissima & fortissima, ut nulla alia tribus ausa fuerit eam irritare aut excitare. Nam tametsi & ipsa tribus Iuda aliquando ob peccatum concidit, tamen non fuit derelicta sicut cæteræ tribus, duravit etiam diutius antequam aboleretur. Lxx טרף pro *germine & surculo* exponunt: legunt enim, *Ex germine, fili mi, ascendisti.* Sentientes ipsum Iehudam paulatim superiorem futurum, instar germinis quod sensim ac paulatim altius succrescit. Et in hanc sententiam inclinat Onkelus Chaldæus sua paraphrasi, quæ habet, *Dominium erit ei in principio, & in fine magnificabitur regnum de domo Iehudah.* Tertio, ubi Lxx & Vulg. editio legunt, *Et dux de femore ejus,* &c. Hebraice est ומחקק מבין רגליו, *& scriba, sive legislator, de medio pedum ejus.* חקק enim Hebræis *condere leges, ordinare, præcipere & instituere* significat. Hinc מחקק *præceptor, scriba, legislator,* vel *rerum agendarum descriptor.* Quod autem dicit, *de medio pedum ejus,* respexit, ut inquit Aben Ezra, ad morem quo scribæ seu legumlatores ad pedes principum sedere solebant. Duo ergo hic innuit patriarcha Iacob, quæ regnum efficiunt, sceptrum & legum condendarum potestatem. Nec desunt qui רגליו pro exercitu pedestri exponunt, hoc sensu, *Nec auferetur dux de exercitu ejus.* Sed Hebræorum lectio verior est. Quarto, variatio est in voce שילה, quæ variis modis ab Hebræis, Græcis & Latinis redditur. Vulg. Lat. editionis autor reddidit, *Qui mittendus est,* q. scriptum esset, שלח *Schileach,* vel שליח *Schaliach,* quod *missum* Hebræis significat, à verbo שלח, quod est *mittere.* Et invenias qui plane in ea opinione sunt, pro שילה, quod modo legitur in Hebraicis Bibliis, olim fuisse שלח, quod Iudæorum perfidia corruptum fuerit, quod שלח videtent plus juvare nostram religionem, שילה vero commodiorem vocem esse detorquendi eam ad sua mala placita. Lxx legunt, *Donec veniant reposita ei,* quasi שילה compositum sit ex ש, *quod,* vel *qua,* & לו, *ei,* posito He pro Vau; sunt enim literæ מתחלפות, *permutabiles.* Mire quoque Hebræi variant. Quidam enim per שילה Messiam intelligentes, sic eum dictum putant, שלו המלוכה, quod *ipsius esset regnum,* & ad ipsum vere spectaret ac pertineret. Quam sententiam ponit R. Salomo; עד כי יבא שילה מלך המשיח שהמלוכה שלו וכן תרגמו אונקלוס; *Donec veniat Schilo, i. rex Messias, cujus est regnum, sicut & Onkelus interpretatus est.* Alii שילה dictum autumant à muneribus quæ illi offerentur, q.d. ש לו, i. *munera ei,* scilicet adferent: juxta illud Psalmographi, יובילו שי למורא, *Deferte munera terribili,* Psal. 76. Alii שילו idem valere putant quod בנו, *filius ejus.* Et per hunc *filium* intelligunt David, qui fuit de tribu Iuda. Nonnulli per שילה civitatem Silo intelligunt, hoc sensu, *Non auferetur sceptrum,* &c. *donec veniat finis Silo,* h.e. donec pereat & devastetur Silo. Verum eorum sententia omnium simplicissima simul atque verissima est qui שילה à verbo שלה, quod *prospere & feliciter agere* significat, deducunt. Hinc Messias שילה dictus est, quod veram salutem ac prosperitatem attulit populo Israelitico. Postremo, variatio est in illo, ולו יקהת עמים. Quidam enim legunt, *& ei erit obedientia, sive auscultatio, populorum,* h.e. populi auscultabunt, obedient & obtemperabunt ei, sicut etiam Onkelus transtulit, ולֵיה ישתמעון עממיא: & post eum Kimhi in Radicibus, אליו ישמעו העמים לקבל עליהם מה שיצוה, *Ei auscultabunt populi, ut recipiant quod præcipiet illis.* Alii vertunt, *Et ei collectio,* sive *aggregatio,* populorum. Vulg. editio secuta Septuaginta legit, *Et ipse erit exspectatio gentium.* Sed hæc omnia, quod sensum attinet, fere eodem tendunt. Nec desunt porro qui יקהת à verbo קהה, quod *obstupescere & contundere* significat, deducentes, pro contractione, debilitatione, & devastatione exponunt. Cui sententiæ ex junioribus Hebræorum accedit Gerundensis, qui sic explicat hunc locum, *Non recedet virga exactoris de Iehuda, donec veniat filius ejus, ad quem erit debilitatio gentium,* h.e. quas ille debilitabit, subjugabitque sibi gladio. Nec porro feliciter expressit Vulgata editio sensum veritatis Hebraicæ, ubi dicit, *Pulcriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Nam litera Hebraica sic sonat, *Rubicundos habet oculos à vino, & albos dentes à lacte.* Quibus verbis innuitur vini & lactis copia & abundantia: homines scilicet tam large bibituros vinum ut oculi illorum sint rubicaturi, & præ nimio lactis esu dentes eorum sint albicaturi. Copiosiorem hujus loci tractationem simulatque Iudaicarum variarum in hunc locum expositionum confutationem invenies in Annotationibus meis super Biblia Chaldaica à me Latine versa, ubi vide.

19. גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב, *Gad cuneus devincet eum, ipse devincet tandem.*] Hic locus nonnihil obscurus esse videtur, propterea quod omnia concise & vocibus etiam ambiguis efferuntur. Video tamen plerosque, cum nostros tum Hebræorum interpretes, in hanc fere propendere sententiam, quasi Iacob significare voluerit, fore ut exercitus quidam ipsam tribum Gad invadat, quem tamen ipse tandem sit expugnaturus ac devicturus: quam sententiam Aben Ezra in suo super h.l. Commentario Hebraice sic tradit, התנבא שיבא עליו גדוד והוא ינצחנו, *Prophetavit venturum super ipsum exercitum, quem ipse tamen tandem sit devicturus.* Atque huic sententiæ accedunt & Lxx sua versione. R. Nachmanni refert ad crebras illas incursiones ac irruptiones quas à vicinis suis Ammonitis & Moabitis perpessi fuere. Mihi præ omnibus probatur Paraphrasis Chaldaica Onkeli, qui germanum illius loci sensum egregie expressisse videtur. Alludit enim Iacob patriarcha ad nomen Gad, cui cum ab expeditione nomen sit, vaticinatur fore quomodo ipse armatus & expeditus reliquas tribus antecedat, donec & unaquæque sortem suam in terra promissa occupet. Quod impletum legimus Iosu. 1. quando, ad hortationem ducis Iehosua, una cum Rubenitis & dimidia tribu Menasse armati, cæteras tribus antecedere & juvare juberetur, donec tota terra Israel ab eis occuparetur: quo facto postea reversi sunt ad sortem suam ac tabernacula sua cum substantia multa ac divitiis, ut patet ex cap. 22. Iosuæ. Potest ergo hic locus ex veritate Hebraica ad verbum sic reddi, *Gad cuneatus cuneabit eum,* scilicet Israel, *atque ipse cuneabit tandem:* h.e. Gad cum turmis & copiis suis præcedet reliquas tribus donec terram possideant, quo facto ipse cum copiis suis rursum ad sua redibit. Vel sic, *Gad cuneum cuneabit ipse,* &c. h.e. ipse ducet exercitum ac copias Israel. Fuit enim hæc tribus cæteris bellicosior. Nec desunt qui sic reddunt, *Gad exercitus succidet eum, atque ipse succidet calcaneum,* vel *demum* sive *tandem*: quæ lectio convenit cum prima quam retulimus sententia. Sed posterior sententia simplicior est, cui adstipulatur & Vulgata editio. Placet porro & huc referre quæ D. Hieronymus habet in Quæst. suis super h.l. Cujus verba sunt hæc, GAD LATRUNCULUS LATROCINABITUR EUM, ET IPSE LATROCINABITUR PLANTAM. *Juxta Hebræum interpretati sumus: Sed ubi nos* latrunculum *posuimus, ibi scriptum est* גדוד Gedud, *ut ad Gad nomen alluderet, qui significantius* εὔζωνος, i. *accinctus sive expeditus, exprimi potest. Totum autem illud, quod ante Ruben dimidiam tribum Manasse ad filios quos trans Iordanem in possessionem dimiserat, post 14. annos revertens prælium adversum eos gentium vicinarum grande repererit; & victis hostibus fortiter dimicarit. Lege librum Iesu Naue & Paralipomenon.* Hæc ille.

22, 23. &c. בן פרת יוסף בן פרת עלי עין בנות צעדה עלי שור, *Filius fructificationis Ioseph, filius ubertatis juxta fontem: filiæ discurrerunt super murum.*] Primum in quibus variatio sit, dein quis hujus loci simplex, literalis ac historicus sensus sit, ostendam. Primum variatur circa hæc, בן פרת יוסף בן פרת עלי עין. Quæ quidam sic vertunt, *Filius fructificationis,* seu *fructificans, Ioseph, filius fructificationis juxta fontem.* Intelligunt autem per *filium fructificationis* ramum seu plantam fructificantem, seu fructiferam, quæ juxta fontes aquarum plantata cæteris viridior ac fructuosior est. Huic Iosephum à Iacob assimilari dicunt,

dicunt, propter copiosam sobolem quæ ex illo provenit. Duæ siquidem tribus populosissimæ Manasse & Ephraim ex illo prodiere, quas duas tribus repetito schemate בן פרת innui sentiunt. Et hanc sententiam secutus est Onkelus sua Paraphrasi. Alii sic legunt, *Filius decoris Joseph, filius decoris super oculum.* Deducunt enim פורת à verbo פאר, quod *decorare* significat, quiescente scilicet Aleph in Holem. Ut sint hæc verba Iacob periphrasis & commendatio elegantiæ, venustatis & formæ qua pollebat Ioseph: q. d. Filius elegans & formosus Ioseph, cui tanta inest gratia, ut ea videndo magis atque magis crescat & augeatur, quanto magis enim videtur tanto formosior ac dignior apparet. Unde etiam quod mox subditur, בנות צעדה עלי שור, bifariam quoque reddunt. Qui enim priorem sententiam sequuntur, sic legunt, *Filiæ gradiuntur super murum.* Vel, *unaquaque filiarum graditur super murum.* Crebro enim fit in lingua Hebræa ut singulare verbum ad plurale nomen adstruatur ad includendum distributivum. Per *filias* autem palmites, surculos, seu frondes arboris intelligunt, quos in tantam altitudinem surrecturas dicit ut murum excedant. Quemadmodum & R. D.K. in Radicibus suis præsentem locum in hunc sensum explicat. Sic enim inquit, כל אחת מהבנות נגבהת עד שעולה על החומה והבנות הם הענפים i. *Quælibet filiarum sublimatur, donec excedat murum: sunt autem filiæ rami*, seu *palmites.* Qui vero posteriorem sententiam amplectuntur, ad hunc modum interpretantur, *Filiæ discurrerunt super murum*, ut habet Vulg. editio. Quod eo referunt, quod filiæ Ægyptiorum muros conscenderint, ut inde Josephi pulcritudinem contemplarentur. Nonnulli ex nostris per *filias* civitates & urbes quæ in tribu Ioseph fuerunt intelligunt, quorum insignis ac præclara politia fuit. Quod insinuari dicunt per istam locutionem בנות צעדה עלי שור, *filiæ gradiuntur* (sive *incedunt*) *juxta ordinem.* Nam שור Hebræis etiam *lineam, ordinem & dispositionem* significat: q. d. ordinata beneque instituta politia in urbibus Manasse & Ephraim erit. Secundo, variatio est in verbo ורבו, quod alii à verbo רוב, quod *contendere* significat, derivantes, *contenderunt* seu *jurgati sunt* reddiderunt. Alii vero radicem ejus רבב statuentes, *jaculati sunt*, exposuere: Quod etiam juxta Grammaticam rationem magis quadrat: nam Beth daggessatum defectum alterius Beth indicat, & magis etiam *jaculandi* significatio convenit cum de sagittariis mentio fiat. Tertio variatur in illo, ויפזו זרעי ידיו, quod Lat. Vulg. interpres reddidit, *Et dissoluta sunt vincula brachiorum*, &c. Cum tamen פזז non *dissolutionem*, sed *corroborationem* & *fortificationem* potius significet, hoc modo, *Roborata sunt brachia manuum ejus*, &c. Et hanc germanam esse lectionem facile liquet ex antecedenti & consequenti. Commendat siquidem Iacob ipsum Ioseph à robore, fortitudine & constantia. Ideo dicit, *Mansit in fortitudine arcus ejus, & corroborata fuerunt brachia manuum ejus, per manus* Dei *magnifici Iacob*, &c. Quarto, variatio est ibi, משם רעה אבן ישראל, quod Vulg. editio legit, *Inde pastor egressus est lapis Israel.* Alii legunt, *Inde pastor & lapis Israel.* Alii, *Inde pastor lapidis Israelis.* Per *pastorem* autem & *lapidem* quidam ipsum Deum intelligunt, quem sic dici sentiunt quod sit fortitudo & virtus illorum. Alii ipsum Iacob intelligunt, quod fuerit lapis & basis, h. e. pater omnium Israelitarum. Alii ad ipsum Iosephum referunt, quem *pastorem* & *lapidem*, h. e. basim Israelis dici volunt, eo quod patrem & fratres in Ægypto nutriverit, atque ita in vita conservarit, juxta illud, *Cibavit quoque Ioseph patrem suum & fratres suos, & totam domum patris sui panibus, juxta morem puerorum.* R. D. Kimhi legit, *Inde pastor lapidis Israelis, h. e. universi Israelis*, qui per *lapidem* intelligitur. Sic enim exponit hunc locum in Radicibus, משם רעה אבן ישראל ר"ל כל ישראל לפי שהאבן גוף אחד כשלוכד כל ישראל כאחד אמר אבן ישראל או לפי שישראל עקר בנין העולם קראם אבן על דרך משל, *Inde pastor lapidis Israelis, h. e. universi Israelis. Quia enim lapis corpus unum est, cum voluit complecti universum Israelem, fecit id appellatione LAPIDIS. Vel, quia Israel fundamentum est mundi conditi, ob id vocavit eos LAPIDEM parabolicus.* Nonnulli sic enodant hunc locum; Postquam multa perpessus fuerat Ioseph, & variis petitus jaculis à fratribus & uxore domini sui in Ægypto, mansit animus ejus constans & immobilis: quo factum est ut potestas illi traderetur à magnifico Deo Iacob, fieretque pastor & pater totius Ægypti, lapis ille immobilis Israel. Mihi certe valde probatur nostrorum quorundam sententia, qui per *pastorem* & *lapidem* prophetas, doctores & rectores populi intelligunt, quos semper insignes & præclaros habuit Israel, quorum plerique ex tribu Joseph fuerunt. Nec te moveat, quod singulariter dicitur *pastor* & *lapis.* Nam frequens admodum est in lingua sancta singularibus pro pluralibus uti. Quinto variatur circa hæc, ברכות אביך גברו על ברכות הורי עד תאות גבעת עולם תהיין לראש יוסף ולקדקד נזיר אחיו, Quæ ad verbum ex Hebræo sic transferuntur, *Benedictiones patris tui fortiores fuerunt benedictionibus genitorum meorum, usque ad extremitatem collium mundi erunt super caput Ioseph, & in vertice Nazaræi fratrum suorum.* Hallucinatus est Vulg. interpres in voce הורי, quam *patrum ejus* reddidit, cum pronomen affixum non tertiæ sed primæ personæ sit; & significat *majorum parentum*, sive *genitorum, meorum*: Vult enim innuere Jacob ampliores futuras benedictiones Joseph benedictionibus quibus benedixerunt eum majores sui: q. d. *eris me multo felicior.* Et quod sequitur, עד תאות גבעת עולם, quidam ad amplitudinem, alii ad perpetuam durationem benedictionum referunt: quam diversam lectionem peperit vocum ambiguitas. Nam תאוה & *desiderium*, & *terminum* sive *extremitatem*, עולם *mundum* & *æternitatem* significare potest. Qui ad magnitudinem & amplitudinem referunt, legunt, *Usque ad extremitatem*, sive *terminum, collium mundi*; sub. *pertingent istæ benedictiones*: quo significat maximas & amplissimas benedictiones futuras. Qui vero ad durationem referunt, sic legunt, *Donec desiderium*, sive *terminus & constitutio, collium mundi durabit, durabunt & hæ benedictiones.* Quem sensum habet D. Kimhi in Radicibus, ubi sic inquit, כל זמן שיהיה קיים גבול גבעות עולם תהיינה הברכות לראש יוסף, *Omni tempore quo steterit terminus collium mundi, erunt hæ benedictiones in capite Ioseph.* Jam quod sequitur, *Et in vertice Nazaræi fratrum suorum*, quidam vocem נזר pro *coronato ac principe* exponunt, hoc sensu, *Eruntque benedictiones super caput Ioseph, & super verticem coronati fratrum suorum*: i. super verticem ejus qui est princeps inter fratres suos. Alii vertunt, *super verticem ejus qui fuit separatus à fratribus suis.* Est autem *super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi*, repetitio verbis immutatis, more Hebræorum, qui gaudent hujusmodi repetitionibus. Separatus autem fuit Joseph quando venditus fuit. Sed jam simplicem ac nativum totius istius loci sensum paucis sic accipe, Prædidicit Patriarcha Jacob, idque spiritu Prophetico, Primo, populosissimam fore tribum Joseph, ideo comparat eum plantulæ frondosæ & frugiferæ ad fontes plantatæ; Dein, insignem fore ejus populi politiam; Tertio, non tamen cariturum & hostibus suis: nam felicitatis comes est invidia. Superiorem tamen futurum, non propriis quidem viribus, sed Dei favore & auxilio. Quarto, claram fore tribum Joseph ob insignes prophetas, doctores & rectores populi, quos sit habitura. Quinto, sortem ejus futuram in terra fertilissima ob frequentes pluvias & rores de cœlo, agros irriguos, & copiosos frugum proventus, felicem quoque gregum & liberorum copiam futuram. Sexto, non tantum amplas & magnas fore ejus tribus benedictiones, majoresque benedictionibus antecessorum suorum, sed & diuturnas. Sunt ergo hæc, ut semel dicam, quæ continet hæc prophetia Jacob de Ioseph filio suo; Multitudo populi, Optimus regiminis status, Victoria hostium, Claritas principum & doctorum, Terræ fertilitas, Gregum & liberorum felicitas. Denique hæc omnia non illico rursum evanitura, sed diu duratura, idque Dei favore & beneficio.

VATABLUS.

1. ET *renuntiabo*, ואגידה] *& indicabo.* ¶ *In novissimis diebus.* באחרית הימים] *in fine dierum*, i. vobis & nepotibus vestris.

3. *Et principium roboris mei.* וראשית אוני] i. quem genui quum adhuc essem fortis, in florenti scilicet ætate mea. Bis idem dicit, *Robur meum, & Principium roboris mei.* Nomen און quidam pro *semine*, alii pro *dolore* accipiunt; atque ita vertunt, *tu virtus mea, & principium doloris*, vel *seminis.* Quibus placet vox *doloris*, rationem hanc assignant, Quia liberi parentibus curam & anxietatem afferunt. Atqui si hæc significatio probatur, potius esset antithesis inter *virtutem* & *mœstitiam.* Sed quia uno contextu Jaacob dignitatis elogia recenset quæ in primogenitum competunt, non dubium quin *principium suæ virilitatis* nominet. Nam quum homines in filiis quodammodo revigescant, merito *vigoris principium* dicitur primogenitus. Eodem pertinet quod statim sequitur, quod fuerit excellentia dignitatis & excellentia roboris antequam utroque jure se privasset. Ponit enim Jaacob filio Ruben ante oculos pristinum honorem, quia ei utile est probe sentire unde exciderit. Chald. paraph. *robur meum, & principium fortitudinis meæ: te decebat ut acciperes tres partes, primogenituram scilicet, sacerdotium, & regnum.* Simplicius revera accipiendum ut dictum est, Si in suo gradu stetisset Ruben, primatum omnis excellentiæ futurum fuisse penes eum.

4. *Levitas*, &c. פחז כמים] Hebraismus, Quemadmodum aqua celerrime effluit facto foramine quo elabatur, ita fuit tibi ingenium leve admodum & proclive ad libidinem. Taxat impetum

petum libidinis Ruben. ❡ *Non excelles.* אל תותר] *ne excellas*, q. d. Privaberis illa excellentia quæ debebatur primogenito, i. non pertinebit ad te jus neque sacerdotii, neque regni, neque primogenituræ : nam constuprasti Bilham concubinam meam. Ob id certe primogenitura delata fuit ipsi Joseph: nam duas hæreditatis partes habuit : sacerdotium ad Levi, regnum vero ad Judam translatum est. ❡ *Cubile*, משכבי] Plur. Heb. pro singul. *stratum*, *lectum*, i. concubuisti cum Bilha concubina mea. ❡ *Evanuit.* עלה] Ad verb. *ascendit*, i. abiit & evanuit ; veluti fumus ascendens discutitur : sensus est, Dilapsam esse ac extinctam excellentiam Ruben, ex quo polluit lectum patris: nam de lecto exponere, quod desierit lectus esse conjugalis Jaacob propter repudium Bilha, nimis frigidum est.

5. *Fratres*, אחים] i. socii in scelere perpetrando. ❡ *Arma iniquitatis*, &c. כלי חמס מכרתיהם] i. injusta vis penes eos habitat ; quia adeo sanguinarii fuerunt. Alii, *vasa violentiæ*, *machæra eorum*, i. gladii ipsorum scelerate fuerunt polluti sanguine innoxio : abusi sunt armis suis ad iniquitatem.

6. *In secretum eorum*, בסדם] *in consilium illorum arcanum*, q. d. Animus meus maxime abhorret à consilio eorum. ❡ *Gloria mea.* כבודי] *Gloriam* pro *anima* posuit, ut quibusdam placet, q. d. Recede longius à cœtu eorum. Idem bis dicit diversis verbis. Alii exponunt pro *lingua*, hoc sensu, quod Jaacob ex animo detestetur patratum à filiis scelus, nec ullum assensum lingua præbeat. ❡ *In furore suo*, באפם] *Furor* perversum & cæcum iræ impetum significat : *voluntas* autem, sive *libido*, moderatæ rationi opponitur, quia nullo jure grassati sunt. *Virum*, sive *hominem*, vocat Sichimitas : & est singul. pro plur. ❡ *Eradicaverunt*, עקרו] *effoderunt*, *everterunt*, q. d. ne ædificiis quidem pepercerunt filii.

7. *Pertinax.* עז] *Fortis.* Iram Simeon & Levi eo magis detestabilem esse pronuntiat, quia & initio violenta, & usque in finem implacabilis fuerit. ❡ *Dividam eos*, &c. אחלקם וגו׳] Levitæ enim non habuerunt possessionem separatam ab aliis fratribus, sed datæ fuerunt illis urbes procul inter se dissitæ. In Simeone duravit quoddam, licet obscurum, maledictionis vestigium : quia filiis ejus non contigit sorte propria regio, sed tribui Judæ fuerunt permisti, sicuti habetur Jos. 19. 1. Postea profecti in montem Seir, expulsis inde Amalecitis, eorum ditione potiti sunt, ut scriptum est 1 Par. 4. 40.

8. *Iehudah tu*, *te laudabunt*, יהודה אתה יודוך] *O Jehudah*, *laudabunt*, &c. In verbo *laudandi* allusio est ad nomen *Juda*: sic enim à matre vocatus fuerat, quod materia esset laudandi Dei. Novam etymologiam affert pater, quod celebre erit & splendidum ejus nomen inter fratres, ut ab omnibus instar primogeniti colatur. ❡ *Manus tua*, &c. ידך וגו׳] Ad verb. *manus tua in cervice inimicorum tuorum*, i. tu vertes in fugam inimicos tuos, atque expugnabis eos. Significat Judam non fore immunem ab hostibus : sed quamvis multi negotium illi facessant, & eum jure suo depellere conentur, victoriam ei promittit : non quod semper prævaluerit, sed hac saltem in parte superior fuit quod in illa tribu semper steterit Regia sedes quam Deus probabat. Chald. paraph. *Manus tua prævalebit hostibus tuis*, *dissipabuntur inimici tui*, *erunt vertentes cervicem coram te* : *præveniéntque te petituri pacem tuam filii patris tui.*

9. *Catulus leonis.* גור אריה] Similitudo hæc postremam sententiam confirmat, quod hostibus formidabilis futurus sit Juda. Tu (inquit) Juda, velut catulus leonis vinces inimicos, & reportabis amplissima spolia. Ad posteros autem Judæ referendum est; & debent omnia verti per futurum : prophetiæ enim sunt. ❡ *Incurvavit se*, *accubuit sicut leo*, כרע רבץ כאריה] Præt. Heb. pro fut. i. si semel recubuerit, nemo erit qui audeat eum excitare, q. d. nihil timebit, erit fortissimo audentique animo. Chald. paraph. *quiescet*, *habitabit in fortitudine sicut leo & sicut leæna* : non est regnum quod commovere eum possit.

10. *Non recedet Sceptrum*, לא יסור שבט] *Non auferetur Sceptrum.* sub. Regium, i. Dignitas Regalis esse non desinet. Dicit Regnum permansurum esse in Juda usque ad Christum, quantumvis affligeretur, & prope collapsum videretur. Nam Regni cladem prædicit Ezech. c. 21. 26. *Aufer, tolle cidarim, coronam: hac non erit hac: perversam, perversam perversam pono eam donec veniat cujus est.* Satis hic demonstratur quomodo sceptrum diruendum, & tamen à Domino servandum fuerit donec in manus Christi veniret. Aliæ promissiones sunt quæ Solii diruti & lacerati restitutionem prædicant, *Ecce dies veniunt*, *quibus suscitabo tabernaculum David quod cecidit*, *& ædificabo rupturas ejus*, *& quæ corruerant instaurabo*, Amos 9. 11. Perpetua autem gubernatio quomodo interea fuerit in ea tribu post Davidis Regnum collapsum, sic ostendunt docti, Quum ab exilio reversus est populus, loco Regii sceptri fuit principatus, qui usque ad Machabæos duravit. Deinde successit tertius regiminis modus : quia summi judicandi potestas penes LXX fuit, quos ex genere Regio delectos fuisse, ex historiis constat. Adeo autem non conciderat illa Regii generis authoritas, ut Herodes ad causam dicendam citatus, vix capitale supplicium effugerit, quia contumaciter se subduxerat. Quamvis igitur non resplenduerit Regia majestas à Davide usque ad Christum, stetit tamen aliquis principatus in tribu Iuda : atque ita impletum fuit oraculum. Deus enim non astringebatur visibilem Regni gloriam è sublimi semper ostendere. Tenendum autem est, dum Iaacob usque ad Messiæ adventum sustinere vult suorum animos, ne longioris moræ tædio deficiant, specimen in temporali Regno proponere: acsi dixisset, non esse cur Israelitæ collapso Davidis Regno spes suas huc illuc inclinent ; quia non alia succedet mutatio quæ Dei benedictioni respondeat, donec appareat Redemptor. Quod duriter aliquot annos ante Christum exhibitum vexata gens fuit ac serviliter oppressa, mirabili Dei consilio factum est, ut continuis stimulis ad optandum redemptionem pungerentur. Interea stare oportuit aliquod gentis corpus in quo vigeret promissio. ❡ *Et Legislator e pedibus ejus* : ומחקק מבין רגליו] Ad verb. *& scribens* [vel *scriba*, aut *scribere faciens*] *de inter pedes ejus.* Hoc dicit (ut scribunt doctiores Hebræi) quod mos dominantis sit ut scriba ad pedes ejus maneat. Regem igitur in solio locatum esse oportet, ut scriba sedeat inter ejus pedes. Doctus inter Hebræos scribit rectum esse ut vox מחקק exponatur pro *dominante*, sive *dominatore*; quod is in sua terra scribat sive ponat statuta & leges : acsi dicat, *Non recedet virga* sive *sceptrum de Iuda*, *& dominator de inter pedes ejus*, i. de semine ejus, quod egreditur de inter pedes ejus. Alludit ad situm pudendorum, quæ sunt instrumenta generationis. In hanc sententiam vertit Chald. paraphr. his verbis, *Et scriba de filiis filiorum ejus.* Thargum vero Hierosol. habet, *Non deficient Reges de domo Jehudah*, *neque Scribæ doctores Legis.* ❡ *Siloh*, שילה] i. felicitas, sive author felicitatis, & abundantiæ omnium rerum : à verbo שלה, quod *prospere & feliciter agere* significat. Christum Salvatorem significat. Etiam Hebræi ipsi de Messia exponunt : unde & Chald. paraph. vertit, *donec veniat Messiah.* Doctus inter Hebræos dicit in dictione שילה positum esse ה pro ו, quod est pronomen, & vertendum, *donec veniat filius ejus.* Filium autem Judæ Messiam intelligit, qui de tribu Judæ descendit, cui bona pars Gentium credidit. ❡ *Aggregatio*, יקהת] i. ad eum congregabuntur populi, sive adjungentur. Alii vertunt, *obedientia*, i. obedient ei populi.

11. *Ligans*, אסרי] In hac voce י redundat, i. *Ligabit.* De situ regionis loquitur quæ sorte filiis Judæ obtigit : significat autem tantam illic fore vitium copiam, ut passim obviæ prostent, non secus atque alti vepres vel infrugifera arbusta. Nam quum ad sepes ligari soleant asini, vites ad hunc contemptibilem usum deputat. ❡ *Filium asinæ suæ.* בני אתנו] i. pullum asinæ suæ. In בני redundat י ut ait doctus inter Hebræos. Non est igitur vertendum, *Filium meum*, neque *Filiimi.* ❡ *Lavit*, כבס] Præt. Heb. pro futuro. Tantam vini abundantiam fore intelligit his hyperbolicis loquendi formis, ut promiscue ad lotiones, perinde ut aqua, effundi queat sine magno dispendio.

12. *Rubicundior oculis præ vino*, חכלילי עינים מיין] Eodem pertinent & hæ loquendi formæ, Rubescent etiam oculi virorum Iuda ab ipso vino: tanta abundantia vinum proferet terra illa: Quin & lactis in ea tribu tanta erit copia ut dentes ipsius ex frequenti ejus usu sint albicaturi.

13. *Et erit in portum navium.* והוא לחוף אניות] i. in ea tribu stabunt naves. Regio maritima datur tribui Zabulon, quam sorte post annos ducentos ab hac benedictione adepta est.

14. *Fortis*, גרם] Ad verb. *ossis*, i. osseus & fortissimus. ❡ *Inter duas sarcinas.* בין המשפתים] Vulgo vocamus *Balles*, ut etiam scribit doctus inter Hebræos : quæ ad ferendum imponuntur asino, una hinc, altera inde : acsi dicat, Asinus adeo fortis ut etiamsi jaceat inter duas sarcinas, resurget tamen cum illis. Alii exponunt, *qui ultro & sua sponte succumbit sarcinis*, h. e. qui renuit ferre sarcinam magnam, q. d. fortis quidem, sed piger. Quanquam enim vocetur asinus osseus ob fortitudinem qua ferendis laboribus sufficiet, ac præsertim rusticis, simul tamen notatur pigritia : nam paulo post additur, servili fore ingenio. Quare sensus est, filios Issachar licet robore polleant, quietos tamen magis quam cordatos fore, & ferendæ servituti paratos, non secus atque latera sua clitellis ac sarcinis muli accommodant. Ratio etiam exprimitur, nempe quod fertili & amœno suo agro contenti, modo quiete fruantur, non refugient vicinis suis pendere tributum.

15. *Viditque*, וירא] i. Consideravit. ❡ *Pulchra.* נעמה] *amœna*, q. d. Tametsi sit fortissimus, tamen consideravit bonum esse in quiete ; & regionem suam esse jucundam ob fructuum suavitatem : propterea maluit ferre onus sibi impositum, & pensitare

sitare

ftare tributum, quam continuis atteri bellis. ¶ *Propterea inclinavit*, ויט] Ad verb. *& inclinavit*. Alii, *& extendet*: ut sit præt. pro fut. ut etiam mox, *& erit tributo serviens*, i. tributaria erit tribus Issachar.

16. *Iudicabit*, ידין] i. reget, & moderabitur. Allusio est ad nomen: nam quum Hebræis דין *judicare* significet, Rachel Deo gratias agens, filio sibi ex ancilla nato inde nomen imposuerat, quasi Deum haberet causæ suæ jurisque vindicem. Nunc rationem nominis alio convertit Iaacob, quod licet Dan ex concubina sit natus, unum tamen fore ex judicibus Israel: quia penes ejus sobolem in communi politia pars gubernationis & imperii erit, ut tribus illa caput unum efficiat.

17. *Serpens juxta viam*, נחש עלי דרך] Repetitio est, verbis immutatis. Comparat Jaacob populum hunc serpentibus qui ex latebris furtim adoriuntur incautos quibus nocere volunt. Sensus ergo est, Non fore tam animosum ut strenuè & ingenuè in apertum certamen descendat, sed astu & insidiis pugnaturum. Interea tamen ostendit superiorem fore suis hostibus quos manibus consertis aggredi non auderet, ut serpentes occulto morsu equum & sessorem dejiciunt. ¶ *Mordens calcaneos equi, & cadet*, הנשך עקבי סוס ויפל] Præt. Heb. pro fut. quod indicat præcedens verbum יהי, q.d. Non servabuntur inimici ejus opera & velocitate equorum.

18. *Exspectavi*, קויתי] Præt. Heb. pro præs. Exclamatio est Jaacob; quum velut ex alta specula generis sui statum variis inclinationibus subinde obnoxium fore cerneret, imo procellis jactandum, qui à subversione parum distarent, solicitudine & metu non poterat non commoveri. Videns igitur multas molestias, multa discrimina, multos insultus, multas etiam clades, quæ semini suo totidem minantur exitia, fieri non potuit quin condoleret, atque etiam secundum hominem turbaretur. Verum ut victrice animi constantia contra omne tentationum genus insurgat, sese ad Dominum transfert, qui pollicitus fuerat se illius populi fore præsidem per Filium suum Messiam. Hac etiam exclamatione filiis suis consuluit, ut eos secum in eandem erigeret fiduciam.

19. *Exercitus superabit*, &c. גדוד יגודנו וגו׳] *Exercitus invadet illum, & expugnabit demum*; vel, *in fine*, i. Tribum quidem Gad exercitus invadet: at ipsa tandem expugnabit illum exercitum. Alludit etiam Jaacob ad nomen *Gad*. Sic vocatus fuerat quod ex matre ejus Lea numerosam sobolem genuisset Jaacob. Nunc admonet pater, etiamsi nomen adeptus sit à *multitudine*, fore tamen ei negotium cum tanto hostium numero ut ad tempus opprimendus sit. Atque hoc ideo prædicit, ne posteri viribus suis confisi superbiant, sed comparent se ad subeundas ærumnas: simul etiam erigat & animet ad sperandam tandem victoriam de inimicis.

20. *De terra Aser*, &c. מאשר וגו׳] Dictio שמנה fœminina refert ארץ fœmineum, quod deest; ut sit, *De terra pingui Aser erit panis ejus*, sive cibus: nomine enim *panis* comprehendit omnem cibum. Ita exponunt doctiores inter Hebræos. Hæreditatem Aser optimi frumenti & suavissimi feracem pronuntiat fore, ut alieno subsidio non indigeat quoad victum qui domi suppetet. ¶ *Delicias Regis*. מעדני מלך] *Voluptates Regis*, i. Regias, sive dignas Regibus, q. d. Deportabuntur inde ad alias nationes deliciæ, sive fructus suaves, quibus etiam Reges contenti esse possint. *Regias delicias* pro *exquisitis* posuit.

21. *Cerva dimissa*, אילה שלחה] i. quæ venatione capta non occiditur, sed potius fovetur in deliciis. Alii vertunt, *cerva missa*: sub. *ad aliquem principem*, quæ solet esse pulcherrima. Putant quidam laudari celeritatem in tribu Nephthali: at doctioribus alius sensus magis probatur, quod humanitati, suavibus verbis & pacis artibus magis studebunt quam ut se armorum præsidio muniant. ¶ *Dans eloquia pulchritudinis*. הנתן אמרי שפר] *datur us est verba eloquentiæ*. Præs. Heb. pro fut.

22. *Ramus crescens*, בן פרת] Hoc loco בן est fœmineum, quod ostendit פרת à פרה, i. *crescens*, vel *fructifer*, aut *magnus*, ut ait doctus inter Hebræos. Quidam vertunt, *Filius decoris*. Utrumque convenit. Doctiores in priorem sensum magis inclinant, quia illis respicere videatur Jaacob ad ejus nomen, quo notatur *accessio*, vel *incrementum*: & quod mox sequitur, satis indicat similitudinem esse sumptam ab arbore quæ juxta fontem plantata, ab irrigua terra humorem & succum haurit, quo melius crescat. Dicit igitur quod ad crescendum sit natus instar arboris prope fontem sitæ, ut sua pulchritudine & procera statura propinqua obstacula superet. ¶ *Filiæ incedunt super murum*. בנות צעדה עלי שור] Ad verb. *Filiæ deambulavit super murum*. Aut vertendum, *Quæque filia deambulavit*, vel *incessit*, *circa murum*. Aut sing. est pro plur. & præt. pro præs. Doctiores non interpretantur concursum fore virginum super muros, quas illexerit arboris conspectus; sed continuam esse metaphoram scribunt, ramusculos *filias* vocari existimantes: *& discurrere super muros*, quum alte sese diffundunt. Porro non simpliciter de tota tribu habetur sermo, nec merum vaticinium est futuri temporis; sed persona Joseph cum suis posteris miscetur: ita quædam ei proprie conveniunt, alia ad duas tribus, Ephraim & Manasse, pertinent.

23. *Sagittarii*. בעלי חצים] Ad verb. *magistri sagittarum*, i. periti sagittandi. Quidam præt. pro fut. esse dicunt, q. d. multos habitura est inimicos tribus ista. Doctiores istud referunt ad ipsum Ioseph. Et quia *arbori* eum contulerant, ita hostes, tam fratres quam Putiphar & ejus uxorem, vocat *sagittarios*.

24. *Et habitavit*, &c. ותשב וגו׳] *Sed sedit in loco forti arcus ejus, & fortia fuerunt brachia manuum ejus à manibus fortis Iaacob*, &c. i. Habitavit in loco forti cum auxilio forti: defendit illum locus fortis & milites fortes ope & auxilio fortis Dei Iaacob: *unde*, sive à quo Deo, & cujus ope, *pavit lapidem*, basim *Israel*, nempe me Iaacob qui sum pater omnium Israelitarum. Postquam enim multa perpessus fuerat, & variis jaculis petitus à fratribus & domina sua, tandem Dei auxilio immobilis permansit, & nutrivit patrem & fratres. Similitudinem mutat, quia Ioseph similem facit strenuo jaculatori cujus arcus non languescit, & cujus brachia non laxantur, nec quicquam remittunt ex suo vigore; quibus verbis prædicat (ut dictum est) ejus fortitudinem: quia nullis quamlibet duris infestisque ictibus succubuit. ¶ *In manibus potentis Iaacob*, מידי אביר יעקב] *A manibus*, &c. Admonet non propria virtute stetisse ejus brachia, sed roborata fuisse Dei manu, quem insigni elogio nominat *fortem Iaacob*, i. quem coluit Iaacob. ¶ *Unde pascens lapidem Israel* משם רועה אבן ישראל] *Inde pastor Israel*: acsi dicat Iaacob ipsum fuisse nutritium & rupem vel fulturam domus suæ. Alii vertunt, *pastor lapidis*, in genitivo; *lapidem* accipientes pro *familia*. Doctiores ad Deum referunt, qui pastoris munus servo suo injunxit. Unde autem factum est ut gentem suam aleret, nisi quia Divinæ beneficentiæ erat minister?

25. *A Deo patris tui*, מאל אביך] sub. *hac omnia provenient*. Iterum plenius confirmat, Ioseph non propria industria sed Dei gratia ereptum fuisse ex morte, & in tantam dignitatem evectum, ratione pacti sui cum Patribus initi. ¶ *Benedictionibus cæli*, &c. ברכות שמים וגו׳] Hebraismus, faciet ut habites in terra fertilissima ob frequentes pluvias & rores, agros irriguos, & copiosos frugum proventus dabit tibi: felicem te præterea faciet gregum & liberorum copia. *Abyssum* vocat mare, q. d. dabit tibi tempestivam & opportunam pluviam. Alludit ad nubes quæ excitantur sursum è mari. Chald. paraph. *Benedictionibus quæ descendunt de rore cælorum superne, benedictionibus quæ ascendunt de profundis terræ inferne, benedictionibus patris tui & matris tuæ*.

26. *Fortiores erunt*, גברו] Præt. Heb. pro præs. aut fut. Alii, *majores sunt*. Dicit se efficacius benedicere filio quam ipse benedictus fuerit à Patribus. Quanquam enim ab initio verax fuerat Deus in suis promissis, effectum tamen perinde distulit acsi verbis tantum Abraham, Isaac & Iaacob lactaret; immensum enim illud semen quod æquaret arenam maris, non datum fuit illis, sed posteris: fuit igitur multo felicior patre suo. *Perpetuorum*, עולם] Ad verb. *seculi*. Quidam ad locorum distantiam, alii ad temporis perpetuitatem referri volunt; uterque sensus non malè convenit, vel quod felicitas Ioseph se longe lateque ad extremos usque mundi colles diffundet, vel quod durabit quousque stabunt colles seculi, qui sunt firma terræ portio. Dicit autem fore super caput ipsius, ne putetur vota sua in aërem spargere: nam hac voce notatur subsistentia, ut ita loquar. ¶ *Nazaræi*, נזיר] i. coronati, vel separati. Sic vocat ipsum Ioseph; vel quod sit eorum corona, propter communem gloriam quæ ab ipso in omnes redundat, vel quia propter dignitatem qua excellit, ab omnibus sit segregatus. Quidam vertunt *principis*, i. ejus qui principatum obtinet inter fratres, Chald. paraph. *& super virum qui separatus fuit à fratribus suis*.

27. *Lupus rapiet*, זאב יטרף] i. superabit inimicos, lacerabit prædam, & omnia faciet quæ solent facere victores. Quidam scribunt, ingenium ac mores totius gentis describi, quod ex præda victuri essent.

28. *Iuxta benedictionem suam*, כברכתו] Confirmat Moses non tantum filiis bene precatum esse Jaacob ex paterno voto, sed protulisse quod Deus in ore ejus posuerat: quia tandem probavit eventus efficaces fuisse Prophetias. ¶ *Benedixit*. ברך אתם] Ad verb. *benedixit eis*. Redundat *eis*.

30. *Machpelah*, המכפלה] Vide supra cap. 23. 9. ¶ *In possessionem sepulcri*. לאחזת קבר] i. ut illic sepeliretur cum sua posteritate.

33. *Collegit*, ויאסף] Ad verb. *aggregavit*, i. retraxit. Exprimit Moses placidam sancti viri quietem: acsi diceret, sanctum senem tranquillo animi statu membra direxisse quo voluit, qualiter sani & vegeti se ad somnum componere solent. ¶ *Aggregatusque*,

que, &c. ויאסף i. collectus est, sive appositus, ad populares, sive majores suos.

CASTALIO.

4 *NOn excelles*] Rubenis erat, fratres, ut ætate, sic etiam cæteris rebus antecellere. Sed quia patris concubinam stupravit, jus illud amisit. Neque hoc solum de ætatis prærogativa intelligo, sed etiam de hominum numero, quo ab aliis superata est tribus Rubenia, quod idem Moses Deut. 33. prædicit his verbis, *Vivat Ruben, nec moriatur, sed erit numero paucus*.

6. *Eorum nolim aut in fidem vita mea veniat, aut in societatem honos committatur*] Quod verto *Fidem*, in Hebræo est *arcanum*. Est autem hæc sententia, Nolim vitam meam eorum arcano (i. fidei, nam quibus fidimus, eorum in arcana & penetralia intrare non dubitamus) committere. Nam mihi facerent ut fecerunt Sichemitis, quos contra datam fidem peremerunt. Nolim item honorem meum eorum societati concredere; sunt enim perfidi, qui illis promissa non præstiterint: id quod dedecori esset etiam mihi, si eissem eorum socius. Loquitur autem per primam personam pro quavis: ut sit hæc sententia, Non est tutum eis fidem habere vel vitæ vel honoris. Quomodo loquitur Virgilius,

> *Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,*
> *Neu dorso libeat nemoris jacuisse per herbam.*

i. Periculosum est eo tempore sub dio dormire aut jacere. Quod autem dicit, *Murum subruerint*, significat eorum nefariam in Sichemam irruptionem. Deinde quod sequitur, *Eos inter Iacobeos distribuam*, hoc significat, Sunt inter alios dispergendi, ut minus possint ad nocendum coire. Modus est loquendi, cum quis dicitur aliquid fecisse, aut facturus esse, quod factum aut futurum dicit. Ut Virgilius de Sileno,

> *Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ*
> *Corticis, atque solo proceras erigit alnos.*

Neque enim id faciebat Silenus, sed factum canebat. Talem figuram invenies & apud Ezechielem, initio c. 43.

9. De Juda, quod eum *catulo leonis* ac *leoni* comparat, vaticinatur de virtute bellica ejus tribus. Quod autem dicit, *non defuturum de ejus interfemineo rectorem*, circumlocutio est feminis, quod inter femina, i. femora, emittitur. Sed Hebræa verba sunt significantia, מבין רגליו, *de inter pedes ejus* (ut ita loquar, docendi gratia) nam *pes* significat totum crus: quo fit ut non male vertisse videar *Interfemineum*. Eadem loquendi ratio est Deut. 28. ubi de menstruis loquitur *inter pedes fluentibus*. Est igitur sensus, Non defuturum de ejus semine qui regat ac imperium teneat. Hoc enim significat מחקק, ab חקק *decernere*. Quod deinde sequitur, *Donec veniat Sospitator*, in Hebræo est שילה, quod ab שלה deductum significat *sospitalem & felicitatis authorem*, i. Christum Jesum Dominum nostrum de Judæ semine creatum. Cujus in adventu Regnum ad Herodem, hominem alienigenam, i. Idumæum, transierat, cum semper antea Judæa tribus aut imperium aut certe jus imperii habuisset: id quod intelligens Herodes conatus est Davidicam stirpem funditus evertere.

11. Quod de *vite* dicit, sive *palma* (quæ eadem est, est enim gemina sententia) significat immensam vini copiam, quo Judæis oculi rubeant (id quod fieri solet ex vini potione) nec non lactis, quo bibendo dentes albeant; non quia lacte bibendo reddantur albi dentes in perpetuum, ut vino rubent oculi, sed quia tum cum lac bibitur dentes eo albescunt.

14. *Issachar asinus osseus*] Quemadmodum tardus & durus asinus pastum nactus mavult sarcinis premi, & succumbere, dum pascat, quam cedere, ita Issachariani mallent tributarii esse quam bonam terram nacti deserere.

16. *Dan populum suum ulciscetur*] Hoc voluit de Samsone dici, qui in eo similis fuit serpentis, quod Palæstinos ex improviso magnis cladibus affecit. Additur autem, *Salutem à te exspecto, Jova*] Ubi Iacobus omnium Israelitarum nomine dicit, se à Samsone illo auxilium exspectare: nam hoc significat plerumque *salus*. Et de Samsone ita legitur Iud. 13. *Incipiet Israelitas à Palæstinis servare*, i. defendere aut vindicare. Sicut Matth. 1. dicitur Christus *populum suum à peccatis servaturus*, i. defensurus & vindicaturus.

19. *Gadus à cuneo disjicietur*] *Gadum cuneum* significat, quæ acies est in cunei formam instructa. Significat, Gadinos primum victum iri, sed tandem superaturos.

22. *Fæcundus Josephus*] Hebr. *Filius fæcundus*. Sed *filius* sæpe dicitur pro eo quod Latini adjectivo declarant; ut *filius iræ* pro *puniendo*, *filius interitus* pro *perdito*. Atque id nomen etiam in stirpibus dicitur, ut hic. Alludit enim ad arborem ad fontem satam; ut sit hæc sententia, Iosephus similis est arbori *ad fontem satæ*, & ideo *fæcunda*; adeo formosus ut ejus videndi studio *puella in muros ascendant*, ut fieri solet cum plenæ spectatorum viæ sunt: Nec solum formosus, sed etiam fortis est & continens; qui & fratrum, & uxoris Potipharis *telis* quasi quodam robustissimo *arcu & brachiis* restiterit; non sua vi ille quidem (neque enim potuisset evadere) sed à *lacertis*, i. præsidio, *Numinis* (sic enim verto אביר, quod *fortem* & *invictum* declarat) *Jacobi: unde*, i. à quo Numine, *est pastor lapis Israelis*, videlicet JESUS CHRISTUS, Israelitarum & Pastor & Fundamentum firmissimum. Deinde apertius declarat quod sit illud Numen: *Tui*, inquit, *lacertorum tori, Iosephe, corroborati sunt à Deo patris mei*, i. meo, *qui tibi auxiliatus est* in tuis rebus adversis; *ab Omnipotente, qui idem te locupletabit omnibus*, quæ & cœli temperie & terræ bonitate (quorum neutrum sine altero satis est) procreantur; nec non tum mulierum tum pecorum *fætura atque lacte*. *Quæ tui patris ubertates, quæ* quidem *montes ubertatis superant* (quomodo Latine dicimus *montes auri*) *& voluptatem collium sempiternorum*, i. diutissimorum (i. quæ sunt quam abundantissimæ) *exundabunt in caput tuum*, i. tibi cumulate contingent, *qui es fratrum excellentissimus*, (ejus enim fuit ætatis prærogativa, ut est 1 Par. 5.) Æquum est enim, ut qui alios virtute superas, eosdem etiam felicitate antecedas. נזיר enim, ab *amputando & eximendo* ductum, significat *eximium & ex aliis propter excellentiam segregatum*: ut positum est Nah. 3. quales erant Nazaræi (quod verbum hinc ductum est) homines Deo devoti, & ex aliorum numero tanquam singulares quidam sepositi.

27. *Beniamin ceu lupus prædabitur*] Significat, fore illam tribum venandi studiosam atque bellicosam.

CLARIUS.

1. *IN diebus novissimis*] h. e. Post multa tempora: nam quædam contigerunt post promissionis terram jam possessam, quædam Christi mysterium indicant.

3. *Principium doloris*] Vel, *roboris mei*: nam vox Hebræa utrumque significat. ¶ *Prior in donis*] Debebatur tibi sacerdotium, tanquam primogenito, & imperium in fratres, nisi culpa tua jus primogenituræ amisisses. Potest etiam verti *excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis*. Nos reliquimus quod verterat interpres, cum videatur sensum transtulisse.

4. *Effusus es sicut aqua*] Vocabulum quod hic ponitur non est verbum sed nomen, & significat *levitatem*. Quare videtur exprimere voluisse scelus ipsum, & concubitum cum uxore patris. Et illud, *maculasti stratum ejus*, in Hebræo est, *tunc violasti; & stratum meum excisum fuit*, vel, ut alius vertit, *stratum meum esse desiit*.

5. *Vasa iniquitatis bellantia*] Nam cædem in Sichimitas exercuerunt.

6. *Suffoderunt murum*] Sic communiter exponunt Hebræi, præter unum, qui exponit *taurum*, & intelligit Ioseph. Nos Christum intelligere possumus, quem Levitæ & Scribæ crucifixerunt: tribus enim Simeon præ aliis omnibus Scribas habuit.

7. *Dividam eos*] Non enim habuerunt proprias possessiones, sed per alias dispersi sunt; Levitæ in totum, Simeon partim in tribu Iudah.

9. *Catulus leonis*] Tribus hæc semper fuit fortior, contra adversarios populi Dei potenter bella gerens. ¶ *Accubuit*] Quasi intrepide quiescens, *ut leo*, quem aliæ feræ invadere non audent, multo minus *leænam*, natura sæviorem. Eatenus autem gloriosa fuit hæc tribus, ut post reditum quoque è Babylone totius gentis agnominationem obtinuerit, ut postea non *Israelita* sed *Iudæi* sint appellati.

10. *Non auferetur*] Apertissimus de Christo locus, cujus duntaxat tempore *sublatum est sceptrum Iuda*. Nam fuerunt eis semper etiam post captivitatem duces ac rectores, quos ipsi suo nomine *Sanhedrin*, h. e. regios consiliarios, vocant: quos postea Herodes & ipsos suspectos habuit, æque ut semen Machabæorum, qui tunc imperio potiebantur, ideoque jugulavit in universum. Sed ne sub Romanorum quidem potestate antea fuerunt quam hæc Patriarchæ prophetia cœpit impleri, cum Christi adventus jam esset in foribus. Porro illud, *Donec veniat qui mittendus est*, vel *Silo*] plures Hebræi, Chaldæum sequentes interpretem, exponunt *Messiam*. Qui autem verterat, *qui mittendus est*, videtur accepisse literam He pro litera Heth. At vero vir quidam eruditus, & linguæ præterea Hebrææ peritissimus, censebat hanc esse sententiam, *Non auferetur potestas sive jus vere Regium sic à Juda, quin ille sit nasciturus ex eo cujus vere illud perpetuo erit, non in corpora tantum, more Regum hujus mundi, sed multo maxime in animos. Significatur ergo per*

sceptrum *jus, sive occulta potestas Divina, producendi Regem Regum, qui ex illa tribu nasciturus erat. Quod autem de Divina hac potestate loquatur, apparet, quia præcipua miracula quæ Deus in gratiam populi Judaici edidit, non per Iudam, sed per Mosen, & Iosue, qui non fuis de tribu Iuda, & tandem per Machabæos, Saul, &c. exhibita sunt. Videtur autem usum hujus Regiæ potestatis ob id rarius Iudæ fuisse concessum, ne suspicaremur Spiritum Sanctum de regno hujus mundi fuisse locutum, quod Christus oblatum rejecit.* Et quod sequitur, *Et dux de fæmore ejus*] Hebraice habetur, *& legislator*, quod proprie in Christum quadrat. Esai. 42. *Et legem ejus insulæ expectabunt.* Quod autem nullus legitur fuisse legislator in tribu Juda præter unum Christum, confirmare videtur sententiam de *sceptro* dictam. Sic illud, *Qui mittendus est*] ubi Hebraice habetur, *Silo*, idem vir dicebat, nequaquam verti posse *mittendus. Significat* (inquit) Silo *multa, non pugnantia inter se, sed sic inter se cognata, ut Iacob in hac prophetia omnia ea conjunctim de Christo intelligi voluerit: sicut in plurimis aliis Scripturæ locis varia significatio unius vocabuli sententiam pleniorem reddit. Significat ergo in primis*, cujus illud, *scilicet sceptrum proprie erit. Secundo significat id quod* filius ejus, *ut sit sententia, Donec veniat Filius Iuda Christus Dominus. Item secundum R. S.* munera ei, *scilicet offerentur. Item* felicitatem, sive prosperitatem. *Hæc omnia conjunctim Propheta tribus Christo voluit.* Et illud, *Ipse erit exspectatio gentium*] in Hebræo est, *ipsi erit aggregatio populorum.*

11. *Ligans ad vitem*] Sensus literæ hujus loci hic est, Sors quæ tribui Juda obveniet erit tam ferax vini ut quivis possit ligare asinum suum ad vitem unam, & ex ejus fructu onerare asinum: eritque tanta vini copia ut possint lavare in eo vestimenta sua. *Rubescent* (inquit) *oculi* virorum Juda *ab ipso vino*, quod terra tam largiter illis proferet. Quin & *lactis* in ea sorte tanta erit copia, ut *dentes* ipsi ex ejus frequenti esu *sint albicaturi*. Sin mysterium spectes, quidam Hebræus etiam ante Servatoris adventum retulit ad mysterium corporis & sanguinis Christi: sed rem describi ait obtectis verbis, cum ut venustior esset oratio, tum ut sententia occultaretur. Ex quo colligere possumus quam multa delitescant arcana in Scriptura, quæ nos latent, soloque Spiritu revelante sciri possunt

13. *Zabulon in littore maris*] Sic enim sors illius cecidit ut essent maritimi: Ut discamus etiam sortes à Domino temperari, ut nihil fiat fortuito, & omnia Dei providentia gubernari.

14. *Inter duos terminos*] Duo littora, maris Magni, & maris Galilæi. Alius vertit, *inter duas sarcinas*: ut sic intelligatur, Issachar ut asinus osseus ac laboris patiens, qui inter duas sarcinas ex utroque latere sibi impositas & cubare & surgere valet.

15. *Supposuit humerum suum*] Cultu ipsius terræ nutrivit se, & sapientiæ vacavit præ aliis tribubus, eligens servire tributis Regum magis quam bella sectari.

16. *Dan judicabit*] Hoc Hebræi impletum asserunt in Samsone, qui apprehensis columnis dejecit atque interfecit omnes qui sedebant super domum illam, haud secus quam cum serpens morsu suo ascensorem ab equo dejicit.

18. *Salutare tuum exspectabo, Domine*] Putatus est Samson Christus esse, sponte pro fidelibus mortuus; sed quia non resurrexit, sed tantum figura fuit, ideo aliam mundi Salvatorem exspectandum significavit, idcirco addidit, *Salutare tuum exspectabo, Domine*: q.d. Potens quidem futurus est, & judex populi; sed vera salus à Juda exspectanda est.

19. *Gad accinctus præliabitur ante eum*] Vel, *devincet eum*. Ii, cum jam citra Iordanem hæreditatem fuissent assecuti, pugnarunt pro fratribus suis, & post acquisitam pro eisdem promissam terram redierunt integro numero. Alius sic vertit, *Gad, cuneus devincet eum, & ipse devincet tandem.* Difficilis est etiam Hebræis hic locus.

20. *Aser, pinguis panis ejus*] Prædicitur illi fertilitas terræ, in qua delicatiores futuræ essent fruges.

21. *Nephthali cervus emissus*] Vel, *cerva emissa*. Et exponitur de cantico Deboræ post prælium Israelis contra Sisaram per mille viros de tribu Nephthali peractum cum Barach duce. Vel si rectius, Timidior quàm ut bella gerere audeat, vel Reip. negotiis immersare se, literis operam dabit. Unde adhuc hodie extant observationes ejus tribus & tribus Aser in libros sacros.

22. *Filius accrescens*] Vel, *decorus*; unde sequitur, *Filiæ discurrerunt super murum*, ut scilicet pulchritudinem ejus contemplarentur.

23. *Exasperaverunt eum*] Significat persecutionem quam à fratribus est passus, & jacula ab uxore domini sui.

24. *Sedit in forti*] Constans fuit contra adversa, libidines, factiones: & *manus potentis Dei Iacob corroboravit eum: inde factus est pastor* & pater totius Ægypti, & *lapis* immobilis *Israelis*.

25. *Deus patris tui*] Hebr. *A Deo patris tui, qui adjuvit te*, &c. h. e. *Egreditur pastor lapis Israel*, sed tamen non per te, sed per Judam.

26. *Benedictiones patris tui*] Videtur hujus loci sensus hic esse posse, *Benedictiones* quibus ego *pater tuus* benedico tibi, una cum *benedictionibus primogenitorum meorum, usque ad desiderium collium æternorum* (i. juxta; tanquam dicat, illa sola excepta quæ de Christo facta est mihi) universæ inquam aliæ, & patrum meorum & meæ, *fiant in capite Ioseph.* Illud vero, *benedictionibus parentum meorum*, alius vertit, *matrum*, vel *utero gestantium*. ¶ *In vertice Nazaræi*] Joseph, qui est veluti Nazaræus, h.e. sejunctus & separatus, à fratribus suis. Alii exponunt, *qui est corona fratrum suorum.*

27. *Benjamin lupus rapax*] Referunt Hebræi hanc prophetiam ad Benjamitas, qui ob uxorem Levitæ constupratam fere omnes exstincti fuerunt, & ad Saul, atque Mardochæum & Esther, qui fuerunt de tribu Benjamin. Alii, ut refert Hieronymus, sic edisserunt hunc locum, *Altare, in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basim illius fundebatur, in parte Benjamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo significat, quod sacerdotes mane immolant hostias, & ad vesperam dividunt ea quæ sibi à populo ex lege collata sunt, lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum divisionem super sacerdotibus, qui servientes altari vivunt de altari.*

28. *Benedictionibus propriis*] Suum cuique tribuens.

DRUSIUS.

10. *Sceptrum*] Nomen שבט significat communiter *tribum* & *virgam*. Virga duplex est, Regni, & Castigationis. Virgam Regni memorat Regius Vates Psal. 45.6. *Virga æquitatis virga regni tui*: ut virgam Castigationis Salomo Rex Prov. 22. 15. *Stultitia alligata est animo pueri, virga castigatrix procul repellet eam ab eo.* Quod etiam hic noto, quia ubi Vulgata nostra habet, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, ibi Santes reposuit, *Non recedet virga ex Iehuda*: quæ interpretatio multis errandi caussam præbuit, ac præsertim Judæis quibusdam neotericis, qui hic per *virgam* intelligunt castigationes gentis suæ, quas duraturas credunt ex hoc loco donec veneris ὁ ἐληλυθὼς αὐτῶν, h.e. usque ad calendas Græcas. Messias enim qui hic prædicitur jamdudum venit; à quo tempore non minutæ sed auctæ fuerunt eorum castigationes. Certum est, vocem Ebræam ambiguam esse, & tam *virgam castigationis* quam *sceptrum* denotare: sed castigationem *virgam* significare hoc in loco non potest, cum ob alias caussas, tum quia sequitur, *neque legislator de inter pedes ejus.* Quid enim legislatori cum virga hujusmodi? Propterea interpres noster melius vertit, *sceptrum*: quo nomine significatur jurisdictio politica, quæ erat penes Judices magni Synedrii, quod appellant *Sanhedri gedola*: quorum Princeps sive Nasi, quem etiam Regem vocant, semper fuit ex tribu Juda usque ad Christum: quo tempore cœtus ille plane dissipatus fuit à Romanis, cujus autoritatem Herodes antea non parum diminuerat, ut liquet ex historia Ebraica. Sunt tamen qui malunt, *non recedit sceptrum de Iuda.* De qua versione dicam alias, si Deus voluerit. Nam quæ nunc posui, ea arbitraria esse volo; nolo ut sint certa.

14. *Asinus osseus*] Os ambigue dicitur tam ab *ore* quam ab *osse*. Hanc ambiguitatem tollebat ætas Augustini, quæ *ossum* dicebat. Legitur ea vox apud Terentium, sed alio sensu, *Viden'*, inquit, *ossum & cibus quid faciat alienus?* Hic *ossum* dicit cibum Parasitorum, qui sunt mensarum assedæ, itidem ut canes, quibus ossa projici solent: unde adagium, *Os quod cecidit in sorte tua, rode illud.* Quod idem cum illo, *Spartam nactus hanc orna.* Os hoc גרמא dicitur, vel certe גרם, quod hic obvium גרם חמר, & non uno modo interpretantur. Nam גרם *frangere ossa*, unde גרם *fractio*, ut dicat, *asinus fractus*, qui se movere loco non potest. Sic R. quidam Jona Grammaticus Ebræus. Melior interpretatio, *asinus ossis*, i. osseus, ex Ebraismo. Sed quid *asinus osseus*? An durus, firmus, & ad onera ferenda idoneus? Sic *verbum molle frangit ossa*, i. durissima quæque. Nam dura sunt ossa, quæ etiam עצמים appellant à *robore* ac *firmitate*, cùm sint firmissima pars corporis. Sanè in plerisque editionibus Latinis, *asinus fortis.* Ebræi exponunt, *ossibus valens*: idem aliter. Nam qui ossibus valet, à robore firmus est. Sed non celabo vos esse qui exponant de asino qui valde macer sit, ut qui tantum ex ossibus constet, nihil carnis habeat: sicut

ſicut ille dicebat, *Oſſa atque cutis ſum miſer à macritudine.* Vide nunc A. M.

24. *Potentis Iacob*] Inter Dei epitheta eſt אביר יעקב, quod valet ut ſi dicas, *potens Iacobi.* Nam אביר & כביר, *potens*, unde κάϐειροι, *Dii potes*, ſive *potentes. Deus potens* habet editio noſtra, Gen. 49. 24. ubi Lxx, δυνάςυ Ἰακώϐ· alibi reddunt, ὁ Θεὸς Ἰακώϐ, videlicet Pſal. 131. 2, 5. qui Ebræis eſt 132. In fonte אביר nomen conſtructum ex abſoluto אביר, quod tamen non eſt in uſu, ſed pro eo אביר uſitatum, etiam in regimine, 1 Sam. 21. 7. Obvia hæc dictio Jeſ. 49. 26. & 60. 16. *Redemptor tuus potens.* Aut, *Deus Iacobi.* Quod enarrari poteſt vel de ipſo Patriarcha vel de poſteris ejus. Reperio & אביר ישראל eodem ſenſu Jeſ. 1. 24. *Dicit Dominus,* DOMINUS *exercituum, potens Iſrael.* Sane Ieſ. 60. ubi noſter habet *fortis Iacob*, Senes ediderunt *Deus Iſrael.* Sic אל epitheton notiſſimum ab his redditur, *Deus*, & ab illis ἰσχυρὸς καὶ δυνατὸς, *fortis & potens.* Sed ubi legimus, אל גבור, ſatis, meo judicio, *Deus potens:* niſi mavelis, *Deus fortis potens;* quod non caret emphaſi. ¶ *Lapidem Iſraelem* dici putant ipſum Iſraelem, vel quod ſit quaſi lapis angularis & fundamentum totius mundi, vel quod lapis ſit corpus ſolidum, unde quidam totum Iſraelem eo nomine ſignificari putant. Locus eſt Gen. 49. 24. *inde paſcens lapidem Iſraelem:* quem de Ioſepho enarrant, qui totum Iſraelem paſcebat in Ægypto durantibus annis illis quibus fames vigebat. Sane *lapidum* vox ad homines transfertur: unde Græci vocantur *lapides fundæ*, Zach. 9. 15. & Iudæi, *lapides coronæ*, ibid. ver. 16. Similiter fideles appellantur *lapides vivi*, 1 Pet. 2. 5. Nam vitam accipiunt à Chriſto, qui proprie *lapis vivus* dicitur, ut & *lapis angularis & caput anguli.* Ut redeam unde digreſſus ſum, *lapidem Iſrael* accipio non pro *lapide Iſraelis*, ſed pro *lapide Iſraele*, qui eſt Iſrael: veluti ſi quis dicat, *Offenderunt ad lapidem Chriſtum*, qui eſt Chriſtus. Nam אבן hic interpretari *patrem & filium* mihi durum & coactum videtur. Scio *patrem* אב dici, & *filium* בן: ſed nihil hoc ad אבן, quod *lapidem* uſitate & communiter ſignificat, non *patrem*, non *filium.*

26. *Nazaræus* à *Nazir* dictus, unde ſcribi malim *Naziræus.* Sed quid ego contra tyrannum Conſuetudinem? Dicam tamen quid mihi videatur. *Nazaræus* ſcribendum, cum eſt à *Nazareth; Naziræus* autem, cum eſt à *Nazir.* Sciendum in ſcriptura Hebraica eſſe *Nazareth*, per *S*, Sade; unde *Naſaræus* malim quam *Nazaræus*, licet ita ſcribatur hoc nomen in codicibus Græcis. Leve hoc. Illud gravius, Gen. 49. 26. ubi vulgo, *Nazaræus fratrum ſuorum*, ex hac obſervatione ſcribendum eſſe, *Naziræus.* Nam eſt נזיר in fonte. Sic loquendo Joſephum innuit, quem ita vocat vel quod prudentia & vitæ ſanctitate ſeparatus eſſet à fratribus ſuis, נזר à נεζὰς, *ſeparo:* vel quod princeps & quaſi rex eorum eſſet propter autoritatem qua inter eos eminebat. Sane diadema נזר dicitur unde נזיר qui illud geſtat, quem propter בעל נזר appellitant. Obvia hæc phraſis Deut. 33. 16. ubi Lxx. δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς, *honoratus inter fratres.* Sunt qui nomen inde habere putant quod tanquam Naziræus dominaretur in cupiditates & affectus ſuos. Nam dolorem ſuum non modo non ulciſcebatur, ſed memoriam eorum quæ fratres in ſe commiſerant penitus deponebat & obliterabat, ut vel ideo *Naziræus* jure merito dici poſſit.

Fortior eſt qui ſe quam qui fortiſſima vincit
Oppida.

33. *Collegit pedes ſuos ad lectum, & exſpiravit*] Gen. 35. 29. *Exſpiravit & mortuus eſt.* An is qui exſpirat duntaxat non moritur? Neſcio an ea fuerit opinio veterum: Hoc ſcio, Judæos ex hoc loco colligere Jacobum Patriarcham non fuiſſe mortuum. *Nam Scriptura*, inquiunt, *non utitur hic verbo Moriendi.* Si non hic utitur, tamen utitur infra 50. 15. *Cum viderent fratres Ioſeph mortuum eſſe patrem ſuum.* Ecce clare dicunt eum mortuum eſſe. Mortuus ergo fuit & exſpiravit. Nam qui exſpirat, etiam moritur; licet non omnes qui moriuntur, etiam exſpirent. Nam exſpirat proprie qui facilem mortem & doloris expertem obit. Qui putant de morte juſtorum proprie dici, falluntur. Etiam exſpirant qui non juſti, ut Iſmael, Gen. 25. 17. Autor libri Ohel Moed, *Exſpiratio vera levis eſt & ſine longo morbo.* Moſes Gerundenſis, *Mors abſque morbo dolorem afferente & abſque caſtigationibus dicitur exſpiratio.* Hinc intelliges quid ſit, *Iacob non fuit mortuus.* Nam non fuit diuturno morbo confectus, ſed facilem animam egit. Igitur qui exſpirat aliquo ſenſu non moritur. De Adam primo noſtro parente dictitant, *Quo die peccavit, mortuus eſt.* Mors aliquando in oppoſito habet vitam jocundam. Ergo qui in morbum aut calamitatem incidit, *mors* dicitur. Moritur etiam qui peccat, unde peccatores *mortui* vocantur. Sic pro eo quod apud Apoſtolum noſtrum, *Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem*, autor Sapientiæ, quæ vulgo Salomoni tribuitur, dixit, *ne malitia mutaret intellectum ejus* h. e. ne vitiis ſeculi ſui corrumperetur. Scitum illud, *Improbi dum vivunt mortui ſunt, juſti autem vivunt etiam in morte ſua.* Puto jam liquere quo ſenſu dictum ſit, *Iacob non fuit mortuus.* Hujuſmodi facilem mortem Græci εὐθανασίαν appellant, quam ſibi optare ſolitus eſt Auguſtus Cæſar. Vide Suetonium in Vita ejus.

IDEM.

3. ראובן בכרי אתה כחי וראשית אוני יתר שאת ויתר עז A. —— σὺ ἰσχύς μου, καὶ κεφάλαιον λύπης μου, περισσὸς ἄρσει, καὶ περισσὸς κράτει. *Tu fortitudo mea & caput doloris mei, abundans elatione, & abundans potentia.* Sym. Ῥουβὴν πρωτότοκός μου, καὶ ἀρχὴ ὀδύνης, περισσὰ λαβεῖν, καὶ ἐκ περισσοῦ ὑπερέζεσας. *Ruben primogenitus meus & principium doloris, excellentia ad capiendum, & præter modum efferbuiſti.* Syrus, Ῥουβὴν πρωτότοκός μου, ἡ δύναμίς μου, καὶ ἀρχὴ τῆς ἰσχύος] Vide Procop. p. 199. ¶ Κεφάλαιον, *caput.* Ambroſius Exaem. l. 1. c. 4. ἐν κεφαλαίῳ, *in capite.* Aut *capitulum.* Hieron. in principio Quæſt. quas in Gen. conſcripſit, *LXX. & Sym. & Th. In principio, tranſtulerunt, quod Aquila interpretatur, In capitulo.* Jam non dubito quin Græce fuerit, ἐν κεφαλαίῳ. Sed hic melius redditur *caput doloris mei, vel triſtitia mea.* Sic enim Latini loquuntur, ut cum dicunt, *Caput ſapientiæ; Ille huic rei caput eſt.* Cicero, *Caput eſt in omni procuratione negotii ac muneris publici, ut avaritiæ appellatur etiam minima ſuſpicio.* Hoc ſenſu *ſumma, & caput, & cardo, & vertex* uſurpatur. ¶ Λύπης μου, *doloris mei.* In lib. nom. Hebraic. *On, dolor, Onam, dolor vel triſtitia eorum.* Pſal. 105. 36. ראשית אונם Lxx. ἀπαρχὴν παντὸς πόνου αὐτῶν. Eſt autem πόνος & *labor* & *dolor.* Deut. 26. 14. באוני, Scholia Ebraica באבלי *in luctu meo.* Thargum Jeroſol. hoc loco שרוי צער *initium doloris mei.* ¶ Περισσὸς ἄρσει, *præſtans dignitate.* Ἄρσις proprie *elevatio* ſeu *elatio*; item *evectio*, quando quis in altum gradum dignitatis evehitur. Hic ſumi videtur pro ipſa *dignitate.* ¶ Περισσὸς κράτει, *præſtans robore*, i. עז. Quod nomen יתר attinet, ſign. potius *præſtantiam* ſeu *excellentiam.* Tale eſt צדיק quod antiqui reddunt δίκαιος *juſtus.* ¶ Ῥουβὴν. Sic etiam Lxx. in edit. Rom. minus autem recte Ῥουβὶμ in aliis. Quale mendum in Ἐδὲμ & Μαδιὰμ ſupra notavimus. ¶ Πρωτότοκος, *primogenitus*, qui primus vulvam aperit. Hic deſideratur, σὺ ἰσχύς μου, aut δύναμίς μου. ¶ Ἀρχὴ ὀδύνης. Abeſt pronomen, ut ſit ὀδύνης μου, *principium doloris mei.* Sic alibi in Lxx, ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, υἱὸς ὀδύνης μου. Hebræus habet בן אוני *Ben-oni, filius doloris mei.* Locus habetur Gen. 35. 18. Rurſus Deut. 26. 14. באוני. Lxx, ἐν ὀδύνῃ μου, *in dolore meo.* ¶ Περισσὰ λαβεῖν. Nam נשא λαμβάνειν. ¶ Ἐκ περισσοῦ. Pſal. 31. 23. על יתר. Lxx, περισσῶς, *eximie, excellenter*, aut *redundanter, ſupervacanee, abunde.* ¶ Ὑπερέζεσας. פחז עז interpretatur ὑπερέζεσας. Sig. autem ὑπερζέω, *vehementer ferveo, ſupra modum efferveſco*, item, *circumfunder fervendo.* Quo pertinet quod in Vulgata noſtra, *tu effuſus es.* Nam legit פחז. Poteſt etiam fieri ut declaratio τοῦ עז ſtrag. Sym. exciderit. ¶ Ἡ δύναμίς μου. leg. σὺ δύναμίς μου, vel certe σὺ ἡ δύναμίς μου, *tu potentia mea.* Quæ tamen in codicibus Hebræis hodie ſic diſtincta leguntur, πρωτότοκός μου σὺ, δύναμίς μου, *primogenitum meus tu es, potentia mea.* Quæ è Syro produximus, debemus Romanenſibus, qui ex Diodoro ea deſcripſerunt. Quod autem interpres ille vertit, ἀρχὴ τῆς ἰσχύος μου, id Onk. dixit ריש תקפי *caput roboris mei.* Similiter Hoſ. 12. 4. ובאונו Hieron. *in fortitudine ſua.* Jon. ובתקפיה *in robore ſuo.* Hujus loci eſt אונים *vires*, quod reperitur Jeſ. 40. & Prov. 11. Lxx. hic habent ἀρχὴ τέκνων μου, ad ſenſum non male. Quippe primus erat liberorum ipſius: & און de *ſemine* aut *filio* dici notavit non nemo. Hieron. ex Hebræo, *fortitudo mea, & capitulum in liberis meis: major ad portandum, & major robore.* Vulg. interp. *tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major & imperio.*

4. פחז כמים אל תותר. Aquila, ἐθαμβώθης ὡς ὕδωρ, μὴ περισσεύσῃς. Symmachus, ὑπερέζεσας ὡς ὕδωρ, οὐκ ἔσῃ περισσότερος. Syrus, ἐπλανήθης ὡς ὕδωρ; μὴ παραμείνῃς. [Vide Procop. p. 199.] ¶ Ἐθαμβώθης, i. ἐθαμβήθης, *obſtupuiſti pavore attonitus.* Sed quid? an etiam aqua obſtupeſcit? Alii referunt, *levis animo & inſtabilis* [*mobilis*] *ut aqua.* Sane פחזים vocantur homines leves: pro quo Lxx Jud. 9. 4. θαμβούμενοι, & A. Soph. 3. 5. θαμβαζόμενοι. Interpres Roman. *turbaſti ut aqua: ne excellas.* ¶ Περισσεύσῃς, *præſtares, excelleres.* Supra περισσὸς, *excellens, præſtans, eximius.* Inde ſignificatio petita. Nam alioqui περισσεύω in communi ſermone ſignificat *redundo*; item, *ſupero, reliquus ſum.* Eodem

accom-

accommodabis quod in Symmacho, οὐκ ἔσῃ περισσότερος. ¶ Ὑπερζέσῃς. Vide quæ scripsimus ad v. 3. ¶ Ἐπλανήθης, *vagatus es, errasti*. Si bona hæc interpretatio, פחזים erunt *homines vagabundi* καὶ πλάνοι, quales agyrtæ & circulatores. Hoc genus hominum levissimum est. A Latinis etiam *plani* vocantur. ¶ Μὴ περισσεύσῃς. ἀντὶ τοῦ, μὴ ζήσῃς. Quod notatum in edit. Rom.

6. עִקְּרוּ־שׁוֹר. Schol. ἐξερρίζωσαν τεῖχος, *eradicarunt murum*.] Ita Santes. Sensus est, Omnino subverterunt. tralatio ab arboribus. Nos diceremus, *funditus subruerunt*, aut *everterunt*. Nam fundamenta in muris quod radices in arboribus. ¶ Τεῖχος, *murum*. שור & שור *murus*, i. חומה. Abenmelech, שור *cum Holem significat murum*. Sic utuntur hoc vocabulo Chaldæi. שור significat etiam *bovem*, unde hic Lxx ταῦρον, *taurum*. R. Jacob filius Eleazari, *eradicaverunt bovem*, i. *dominatorem : qui Bos vocatur, ut alibi principes magni vocantur Arietes & Hirci*. Sic, *Tauri Basan circumdederunt me*. Interp. Jerosol. *Vendiderunt Joseph fratrem suum, qui similis est bovi*. Nec aliter R. S.

9. גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ כָּרַע רָבַץ A. σκύλαξ λέοντος, Ἰούδα. ἀπὸ ἁλώσεως, υἱέ μου, ἀνέβης, κάμψας κατεκλίθης. *catulus leonis Juda à captura, fili mi, ascendisti cum incurvasses te reclinatus es*. Sym. σκύμνος λέοντος, Ἰούδα. ἐκ θηριαλωσίας, υἱέ μου, ἀνέβης, ὀκλάσας ἡδράσθης. [Euseb. lib. 8. Ἀποδείξ. p. 235.] ¶ Σκύλαξ λέοντος, *catulus leonis*. Lex. vet. Σκύλαξ, *catulus*, proprie catulus canis, sed generaliter de quovis catulo usurpatur, unde σκύλαξ ἄρκτου, *catulus canis*. ¶ Ἀπὸ ἁλώσεως, *à captura*. Sic טרף interpretantur Lxx Job. 24. 5. Procop. p. 205. *Aquilas evidenter præsentem locum transtulit, Catulus leonis, Juda : ab spoliis & captivitate ascendisti, fili mi*. Nam ἅλωσις aliquando *captivitas* : unde Josephus Περὶ ἁλώσεως, *De captivitate Judaica*. ¶ Κάμψας κατεκλίθης, *cum incurvasses te reclinatus es*. Veritas, *incurvatus cubavit*, [vel, *incurvavit se, cubavit*] ut suspicari quis possit A. edidisse κατεκλίθη, nisi alii etiam interpretes cum Aquila consentirent רבצ pro רבץ legendo. Psal. 18. 39. תכריע. A. κάμψεις. Hieron. *incurvabas*. ¶ Σκύμνος. ὡς σκύμνος, ἤτοι, ὅμοιος σκύμνῳ, *sicut catulus, aut, similis catulo*, ut Prov. 8. *eram ei* אמון, *ut alumnus*. Tale est, *Nec excitatur classico miles gravi*. Nam sensus, *ut miles*. ¶ Ἐκ θηριαλωσίας, *ex captura ferarum*, seu *belluarum*. Hinc θηριάλωτον, *à bestia comestum*, quod Hebræi טרפה dicunt. Vide Lev. 17. 15. & 22. 8. ¶ Ὀκλάσας, *postquam ingeniculasses te*, seu *postquam in genua procubuisses*, ἡδράσθης, *firmatus es, stabilitus es*.

10. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים A. οὐκ ἀναστήσεται σκῆπτρον ἀπὸ Ἰούδα, καὶ ἀκριβαζόμενος ἀπὸ μεταξὺ ποδῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ. καὶ αὐτῷ σύστημα λαῶν. Sym. οὐ περιαιρεθήσεται ἐξουσία ἀπὸ Ἰούδα. Th. οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν.] ¶ Οὐκ ἀναστήσεται, *non exsurget*, לא יסור. Sensus est, *Non discedet*. Sic ex Thucydide citatur, ἀνίσταμαι ἀπὸ Αἰγίνης, pro, *discedo ab Ægina*. Vel, *non migrabit*. ¶ Σκῆπτρον. Schol. Ἀκύλας, σκῆπτρον. & mox, σκῆπτρον ἡ φυλὴ ὀνομάζεται. Sane intelligendum. Nam *sceptrum* non significat unquam *tribum*. Quid igitur? Eadem vox quæ *sceptrum* denotat apud Hebræos, etiam *tribum* significat. Est autem שבט unde sunt qui reddant, *non recedat tribus*. Plerique tamen *sceptrum* elegerunt, in queis & Vulgarius noster; per *sceptrum* Regiam potestatem intelligentes. Itaque Jonathan habet, *non cessabunt reges & dynastæ de domo Juda*. & Tharg. Jerosol. *non desinent esse reges e domo Juda*. Dixi σκῆπτρον non significare *tribum*. Hoc de communi lingua Græca intelligendum. Nam in Hellenistica etiam *tribum* significat, ut 3 Reg. 12. 20. πλὴν σκῆπτρον Ἰούδα καὶ Βενιαμίν, & alibi. ¶ Ἀκριβαζόμενος. Familiare huic interpreti nomen חק, quod *statutum* significat, reddere ἀκρίβασμός. Id alibi verto *accuratum edictum*. Sic forte ἀκριβαζόμενος, *legislator*, dictus eo nomine ab accurata examinatione legum, quas promulgat. Aut ἀκριβαζόμενος est *scriba probatus & examinatus*. Nam ἀκριβάζομαι *examinor cum cura* : unde ἠκριβάσθη, *accurate probatus est*, Sirach. 46. 18. Sane Onk. ספרא, *& scriba de filiis filiorum ejus in seculum usque*. Ad eundem modum Jonathan interpretatur, *& scriba docentes legem de semine ejus*: & autor Jerosol. *neque etiam docti legem docentes de filiis filiorum ejus*. Abenmelech, מחקק, i. *scriba*. *Quippe mos regum est ut habeant scribam ante pedes suos : aut ipse Rex ita vocatur, quia ponit statuta in terra sua*. ¶ Σύστημα, i. *cœtus*, aut *congregatio*. Sic R. Sal. אסיפת עמים, *i. collectio populorum*. Alii aliter. Onk. *ei obaudient populi*. Sic etiam R. David. Tharg. Ierosol. *ei servitura sunt omnia regna terræ*. ¶ Οὐ περιαιρεθήσεται, *non auferetur*. Verbum Hebræum eo modo interpretantur Lxx. cum alibi, tum Zach. 10. 11. καὶ σκῆπτρον Αἰγύπτου περιαιρεθήσεται, *& sceptrum Ægypti auferetur*. Sensus est, Regnum Ægypti. Sic hoc loco, *non recedet sceptrum*, i. regnum. Quo significatu etiam profani scriptores usurpant. Vide scholiasten Euripidis in Oreste. ¶ Ἐξουσία, *potestas*, i. jurisdictio, quæ penes judices Sanhedrin erat : quos Herodes magnus excidit. ¶ Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων, &c. Hæc descripsi ex editione τῶν ό. cum apud Eusebium reperissem, ταῦτα ὁμοίως τοῖς ἑβδομήκοντα ὁ Θεοδοτίων ἡρμήνευσεν. Ἄρχων, *princeps*. Semel ita interpretantur Lxx nomen שבט, & semel ἄνθρωπος, Num. 24. 17. ubi Symmachus σκῆπτρον, ut etiam Psal. 74. 2. ut mirum videri possit cur hic aliter verterit. Sed non semper sibi constant interpretes. Vox Hebræa & *virgam* notat, i. ῥάβδον. Unde quidam Iudæus hunc locum exposuit, *Non recedet virga*, i. vexatio, afflictio. Sed enim refellit membrum proxime sequens, *neque legislator de inter pedes ejus*. Ies. 11. 4. ubi Lxx τῷ λόγῳ τοῦ στόματος, alii retulerunt, τῇ ῥάβδῳ τοῦ στόματος, *virga oris*. ¶ Ἡγούμενος, dux. Alibi ediderunt ἄρχων, & alibi βασιλεύς, ut Psal. 60. 7. & 108. 8. ¶ Ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, *de femoribus* ejus. Sensum expressit, non verba. Nam in fonte, *de inter pedes ejus*. Pedes autem vocantur id quo viri sumus, unde *aqua pedum*. ¶ Τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Alias, ᾧ ἀπόκειται. Sensum eleganter expresserunt interpp. Chaldæi. Nam Onk. *donec veniat Messias, cujus est Regnum*. Ionathan, *usque ad tempus dum veniret Rex Messias parvus filius ejus*. Autor Ierosol. *usque ad tempus dum venerit Rex Messias, cujus est Regnum*. Ad eundem modum R. S. *Siloh*, inquit, *est Rex Messias, cujus est Regnum*. ¶ Προσδοκία, *exspectatio*: confundit יקהת cum קוה *exspecto*. Senes hanc vocem γῆρας interpretantur Prov. 30. 17.

12. חַכְלִילִי. Schol. θερμοί, διάπυροι, φοβεροί] ¶ Θερμοί, *calentes, ferventes*, ut δάκρυα θερμά, *lacrymæ calentes*, Interp. Rom. *ardentes*. Calent autem oculi ex vino, unde Prov. 23. 29. *cui rubedo oculorum?* Hebr. חכללות, & in Lxx. τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί, i. *liventes*. Malim, *rubentes, rubicundi*. ¶ Διάπυροι, *ardentes, fervidi, vehementes, acres*. Interp. Rom. *ignei*. Quæ omnia rubedinem innuunt, quam vocabulum Hebræum hic significare scribit Abenmelech. Idem annotat per *oculos* aspectum denotari. Nam עין *aspectus*. ¶ Φοβεροί, *formidabiles*, sive, ut est apud Cyprianum in libris veteribus, *formidolosi*. Noster habet, *pulchriores*, & duo Thargumim, videlicet Jonathæ & Jerosol. יאי *pulchri*, & Lxx χαροποιοί, quod interpretantur, *gratifici, lætifici, formosi*. Lex. vetus, Χαροποιῶ, *gaudifico, gratifico*. In aliis codicibus est χαροποί, de quo alias.

14. בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם. A. ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, *inter cleros*. Sym. *viciniarum*] ¶ *Inter cleros*; vel, *inter medios cleros*. Hoc habetur in edit. τῶν ό. qui sic interpretantur vocem Hebræam & Psal. 68. 13. unde mihi suspectum est. Quin eo labor ut credam aliter vertisse Aquilam; videlicet ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων, *inter medios terminos*. Utut sit, descripsi è Fragmentis quæ olim collegi cum adhuc adolescens essem. ¶ *Viciniarum*] γειτονιῶν, ἰσως, *inter vicinias*. Onkelos, *inter terminos*. Jonathan, *inter terminos fratrum suorum*. Vulg. interp. *inter terminos*. Sic etiam Santes. Abenmelech, *inter duas sarcinas* (*bales* vulgo) *quibus hinc inde oneratus incedit*.

15. וַיְהִי לְמַס־עֹבֵד. A. & Sym. καὶ ἔσται γεωργὸς ὑπηρετῶν, *& est agricola ad ministrandum*. Schol. ἄνθρωπος εἰς φόρον δουλεύων, *homo sub tributo serviens*.] ¶ *Agricola ad ministrandum*. Prius erat in Lxx ἀνὴρ γεωργός, *vir agricola*. Quis credat hos interpretes ita ex Hebræo transtulisse. In Lex. Chaldaico, מס *canis*, i. כלב. Hesychius, Λαμάς, μῦς. nihil hæc ad agricolam, qui עובד אדמה dicitur, i. *agricultor*, ¶ *Homo sub tributo serviens*. Optima interpretatio, quam Aquilæ libentius tribuerim. Si conjecturæ locus esset. Hieron. *factusque est tributis serviens*. Siquidem מס *tributum*, & למס *sub tributo*, εἰς φόρον, ut Jud. 1. 30. ἐγένετο αὐτῷ εἰς φόρον, *factus est ei tributarius*.

19. גְּדוּד. A. Ἐυζωνος, *accinctus*. Sym. λόχος, *cohors*] ¶ *Accinctus*, vel, *expeditus*. Utroque modo Hieron. interpretatur : unde in Vulg. nostra, *Gad, accinctus*. & in lib. nom. Hebr. *Gad, fortuna, & accinctus*. Rursum Psal. 18. 30. גדוד. Hieron. *accinctus* : videtur probasse præ cæteris. Gen. 30. 11. בגד A. *venit accinctio*. & in lib. nominum, *Gadan, accinctio populi*, גד עם. In Th. Job. 19. 12. μονόζωνοι, quod pariter interpretantur *accincti* ex Græcis τῶν Lxx. ubi hæc vox aliquando occurrit. Hic habent πειρατήριον, quod redditum Latine *tentatio*: sed videtur potius significare *globum piratarum*, ut in loco Jobi citato, ubi iidem habent ὁμοθυμαδὸν ἦλθεν τὰ πειρατήρια, i. *globi*, aut *incursiones*, *piratarum*. ¶ *Cohors*, vel potius

tius *turma*. Lex. vetus, λόχος, παράταξις, turma. Eadem vox denotat insidias. Idem Lex. λόχος, ἐνέδρα, *insidia*. Hinc Hos. 6. 9. גדודים איש. Sym. *quasi viri insidiatoris*. Conjicio in Græco fuisse ὡς ἀνδρὸς λόχων, quod reddi etiam potest, *quasi viri turmarum*, i. latronis sive latrunculi. Sed Hieron. elegit *insidiatoris*, quem secutus sum, cum Græca nondum viderim. Ex conjectura nihil temere mutandum. Idem Sym. in Jobo λόχοι edidit.

23. וישטמהו בעלי חצים, *& oderunt eum sagittarii*. Sch. τὸ Σαμαρειτικὸν, καὶ ἐμίσησαν αὐτὸν κάτοχοι μερίδων, *& odio habuerunt ipsum tenaces partium*] Interp. Rom. *& oderunt eum tenaces factionum*. שטם *odi, odivi, odio habui*. Hinc משטמה *odium*, Hos. 9. 8. ubi A. ἐγκότησις. Ipsum verbum שטם sic interpretantur Lxx. Gen. 27. 41. & Psal. 55. 3. ἐνεκότουν μοι, *irascebantur mihi*. ¶ *Tenaces partium*. Κάτοχος, *eorum qua apprehendit tenax*. Nam κατέχω, *teneo, detineo, retineo*. Multa alia significat. Nam & κατοχὴ *possessio*. & בעלי חצים *qui sagittas habent*, aut *possident*, *quasi domini sagittarum*, i. sagittarii, pro quo in Lxx. κύριοι τοξευμάτων, & in Vulg. nostra, *habentes jacula*. ¶ *Partium*, μερίδων. Confundit חץ cum חצי. non laudo. Nam חץ *sagitta* radicem habet חצץ: *dimidium* autem, i. חצי quasi *pars media*, deducitur à חצה, quod reddunt, ἡμισεύω *dimidio*, Psal. 55. 23. & μερίζω *partior*, Iob. 40. 25. Græca Ecclesia hic legit κύριοι τοξευμάτων, quod interpretantur *domini sagittationum*, & alii *arcuum*. non bene. Prætulerim, *domini sagittarum*. Nam τόξευμα, *sagitta*. Vide sequentia.

24. ותשב באיתן קשתו. Eadem editio Samaritana, καὶ ἔμεινεν ἐν βάθει τόξευμα αὐτοῦ, *& mansit in profundo sagitta ejus*). Interpres Rom. *arcus ejus*, i. τόξον αὐτοῦ: quæ simul leguntur Ezech. 39. 9. καὶ τόξοις καὶ τοξεύμασι, *& arcubus & jaculis*. Proprie τόξευμα *jaculum arcu emissum*, *sagitta*: quæ aliter βέλος vocatur, & βολίς, & ῥίζα. קשת tamen significat *arcum*, non *jaculum*. Sed & τόξευμα pro *arcu* sumi videtur Ies. 7. 24. in illo, μετὰ βέλους καὶ τοξεύματος. Similiter τὰ τόξα & *arcus* & *sagitta*.

26. גבעת עולם. A. βουνῶν] *Collium*. Sic alibi fere Lxx. Hic habent θινὰς sive θῖνας, i. teste Hieronymo, *cumulos arenarum*: pro quo Aquilam interpretatum fuisse βουνὸς *colles*, testis mihi Theodoretus qualis & quantus Theologus! גבעה ergo *collis*. Cui firmando *Gabaa*, quod βουνὸν interpretantur, cum sit nomen proprium loci.

27. יחלק שלל. A. διαμεριεῖ λάφυρα. Sym. μεριεῖ σκῦλα] ¶ Διαμεριεῖ idem quod μεριεῖ, *dividet*. Verbum est διαμερίζω, quo Lxx usi sunt v. 7. & alibi non semel. ¶ Λάφυρα, *exuviæ*, vel *spolia*, i. σκῦλα. & διαμεριεῖ, *distribuet*, *partietur*. Lexicon vetus, Λάφυρα, *exuviæ*, *spolia*, *præda*. *Exuviæ* pluraliter tantum declinantur. Significat etiam bona domestica, ut σκῦλον Prov. 31. 11. & forte Prov. 1. 13. πλήσωμεν οἴκους ἡμετέρους σκύλων. ubi A. λαφύρων. Credo & in alio item loco ita transtulisse. ¶ Μεριεῖ σκῦλα. Sic Exod. 15. 9. in Lxx μεριῶ σκῦλα, *dividam spolia*. & alibi, μερισθήσεται ἡ γῆ, *dividetur terra*, ἀπὸ τοῦ μερίζω *divido*. Aliud scholion exstat in editio Roman. *Syrus*, ἑσπέρας ἁρπάσεται, καὶ τὸ πρωϊνὸν μεριεῖ σκῦλα, *vespere rapiet*, *& mane dividet spolia*. Nam lupi vespere grassantur. Unde in proverbio, *Lupi vespertini*, de quibus alias. Vide, si otium est, Adagia nostra sacra.

NOTÆ MAJORES.

1. *Vocavit autem Jacob filios suos, & dixit, Colligimini, ut indicem vobis quæ eventura sunt vobis in extremitate dierum.*

2. *Congregamini, & audite filii Jacob, audite, inquam, Israelem patrem vestrum.*

Colligimini] האספו colligite vos. Idem cum illo, *congregamini* הקבצו. Quod Græci dicunt συνάχθητε, & Chaldæi אתכנשו. Jonathan hic habet אידכו מסואבותא mundamini ab immunditia. Quid vidit cum ita verteret? ¶ *Ut indicem*] ואגידה & indicabo. Lxx. ἵνα ἀναγγείλω. Hiero. *ut annuntiem*. Onk. & Jon. ואחוי Sed in Jon. ואחוי quod legendum ואחוי Thargum Jerosl. ואתני & narrabo, sive ut narrem. ¶ *Quæ eventura sunt*] את אשר יקרא quod eventurum est. i. יקרה eveniet, continget, accidet. Lxx. τί ἀπαντήσει. Hiero. *quæ ventura sint* i. eventura. Onkelos ית די יערע. Jonathan מה די עתיד. Hinc disces ערע & ערע synonyma esse. Sic permutantur אבא & אביי. Ita mos est linguæ Aramææ. Ebræi quoque litteras quiescentes inter se permutare solent. Ne longe abeam, sit pro exemplo קרא, evenio, contingo, accido, i. קרה, ubi He in Aleph versa. Nam קרא proprie voco. ¶ *In extremitate dierum*] In Ebræo est הימים cum articulo τῶν ἡμερῶν quasi tu dicas, *dierum illorum*. Id Hiscuni observat & existimat denotari finem 400. annorum Abrahæ olim significatorum, cum Deus cum illo fœdus percuteret. Tremellius aliter nodum solvit. Nam interpretatur *sequentibus temporibus*, & אחרית ait proprie significare consequentiam, de quo ego valde dubito. Onkelos & Jonathan בסוף יומיא in fine dierum. Lxx. ἐπ' ἐσχάτων ἡμερῶν. Hiero. *in diebus novissimis*. Sic loquendo innuunt communiter tempora Messiæ, cujus adventus hic etiam prædicitur. R. Salomo, *voluit patefacere finem*, *ascendit ab eo divinitas*, *& cœpit dicere res alias*. Nicolaus, *diebus novissimis. i. postquam filii vestri reversi fuerint ad terram promissionis. Dixit etiam in novissimis, quia aliqua dixit eis de adventu Christi, cujus tempora dicuntur novissima.* Aliter exponas באחרית הימים i. posterioribus temporibus. Nam אחר post, & אחרית non tam extremitas, quam (liceat mihi sic loqui cum bona venia vestra) ipsa posteritas. hoc est posterius tempus. ¶ *Audite Israelem*] Onkelos & Jonathan, *accipite doctrinam ab Israele patre vestro*. Sunt qui putant in hoc capite tantum prædici temporalia. Aliter Thargum quod ab urbe nomen accepit. Nam ejus autor versum qui hunc antecedit ita παραφράζει, *Congregamini & docebo vos finem reconditum*, *arcana occulta*, *& ut præmio justi*, *pœna improbi afficiantur*, *& felicitatem paradisi*, *quænam ea sit*.

3. *Ruben primogenitus meus tu es*, *virtus mea & initium roboris mei*, *excellens dignitate & excellens fortitudine*.

4. *Levitas es ut aqua*, *ne excellas*, *quia conscendisti cubile patris tui*, *tunc polluisti stratum meum ascendit*.

Tu es] Sic Ebræi & Chaldæi distinguunt, Græci aliter, σὺ ἰσχύς μου: quos secutus est Hiero. *tu fortitudo mea*. ¶ *Virtus mea*] Quidam, *vis mea*: alii, *vires meæ*. Sic poëta, *nate meæ vires*, *mea magna potentia solus*. Virtus mea i. robur meum. Sic Ennius eam vocem usurpat. Et *virtus mea* quia in eo utpote primogenito, virtutem suam exeruit. Eodem pertinet, ¶ *Initium roboris mei*] Nam hoc peculiariter dicitur de iis qui vulvam aperiunt, hoc est de primogenitis. Sic dico, virtus patris vocatur is quem primum procreat, etiamsi uxor ex alio alios habuerit. Chaldaice est in Onkelo חילי & in Ierosolymitana חֵילִי quod scribunt חיילי per duplex Joth. Ionathan habet *caput virium ministerii vel coitus mei*. רישׁ חילי שמושי. Innuit autem coitum, qui à Magistris שמוש vocatur: unde תשמיש המטה negotium thori, actus venereus, & אבר התשמיש genitale membrum, quo viri aut feminæ sumus. Item שמש coco, המשמש עם אשה qui rem habet cum muliere. Nota hæc sunt iis qui Rabbinos triverunt. Vide Thesbiten Eliæ. Jam ad ראשית אוני quod Hiero. vertit, *principium doloris mei*: & Leo Iudæ, *robur quidem meum*, *at principium doloris mei*. Autor quoque Thargum Ierosolymitani ושירוי צערי & initium doloris mei. Hæc interpretatio merito ab aliis rejecta est. Nam ut demus און dolorem quandoque significare, tamen hoc loco aliud denotat. Nam primus non affecit patrem dolore. Præcessit enim cædes Sichimitarum à Simeone & Levi patrata. Rectius ergo Onkelos וריש תקפי, & Syrus, ἡ δύναμίς μου καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ἰσχύος, alias, ἰσχύος μου. Vide Frag. in Genesin, & alius, *principium potentiæ meæ*, & Santes, *principium roboris mei*: & Mercerus, *principium virium mearum*, *virilitatis meæ*. Soli Lxx. ἀρχὴ τέκνων μου. ad sensum, non male. Nam principium roboris periphrasis est primi filii, vel certe primæ prolis, si de fœminis etiam dicitur. און autem vires denotare cum alii attestantur, tum R. Salomo probat his exemplis, מצאתי און לי inveni potentiam mihi i. opes. מרוב אונים ob multitudinem virium לאין אונים absque viribus. Abenezra, *Virtus mea*, *in te apparuit initio vis mea*: *& primogenitus vocatur initium roboris*, *cui simile* ראשית אונים *principium virium*. Hiscuni nove interpretatur, *debueras esse principium potentiæ meæ*, *i. opum mearum*. ¶ *Excellens dignitate*, *excellens fortitudine*] יתר שאת ויתר עז excellentia dignitatis, excellentia roboris. עז robur, fortitudo, valentia, ut צר angustia. Talia sunt תם integer & integritas. עד testis & testimonium. Lxx. σκληρὸς φέρεσθαι καὶ σκληρὸς αὐθάδης, quod vertunt, durus ad ferendum, & durus pervicax. Hiero. *durus ad ferendum & durus procacitate*. Ambrosius, *durus portari*, *durus & temerarius*. Latina vulgata, *prior in donis*, *major imperio*. Onkelos, *tibi conveniebat ut acciperes tres portiones*, *primogenituram sacerdotium & regnum*. Ionathan, *decebat te accipere primogenituram & dignitatem sacerdotii & regnum*: *sed quia peccasti*, *fili mi*, *dedi primogenituram Josepho*, *& regnum Judæ*, *& sacerdotium Levi*. Thargum Ierosolymitanum, *Decebat te*, *Ruben fili mi*, *accipere tres partes supra fratres tuos*, *primogenituram*, *sacerdotium*, *regnum*: *sed quia peccasti*, *fili mi Ruben*, *data est primogenitura Josepho*, *& regnum Juda & sacerdotium summum tribui Levi*. Hiero. in Quæst. *In Ebræo ita scriptum est*, *Ruben primogenitus meus*, *fortitudo mea*, *& capitulum in liberis meis*: *major ad por-*

tan-

tandum & major robore. Est autem sensus hic, Tu es primogenitus meus, major in liberis & sedebas juxta ordinem nativitatis tuæ, & hæreditatem quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium scilicet & regnum accipere: hoc quippe in portando onere & prævalido robore demonstratur. ¶ *Excellens*] יתר excellens, præstans: nomen adjectivum, ut ארך longus, כבד gravis. Aut, excellentia, præstantia, idem videlicet quod יתרון. Hoc R. David, illud Abenezra sequitur. Potest etiam regimen esse ex absoluto יֶתֶר præstans: quod invenitur Proverb. 2. Sic שֶׁכֶם in regimine facit כֶּתֶף humerus, scapula: יָרֵךְ femur, in regim. יֶרֶךְ Qua de re consulendi sunt Grammatici. ¶ *Dignitate*] שאת elatione. Nomen ex infinito. Quale est דעת scientia & שבת sedes. Radix נשא tollo, extollo, elevo, αἴρω: unde ἀρετὴ in quibusdam edit. Græcis. R. Salomo, *decebat te supra fratres tuos excellere sacerdotio.* alias, *extolli sacerdotio.* Abenezra, *conveniebat te efferri supra omnes.* R. Levi, *excellens donatione, aut excellentia donationis.* *Nam* משאת *donum. Et est sensus, Quia primogenitus es, decebat te accipere aliquid amplius ex hæreditate, juxta morem & consuetudinem primogeniti, cui portio addebatur supra reliquos fratres.* *Aut hoc vult, excellentia elationis. Nam quia erat maximus natu, debebatur illi regnum & dignitas, juxta illud, Et regnum dedit Joramo, quia ipse erat primogenitus:* Hiscuni, *conveniebat tibi ut tolleres* (שְׂאֵת pro לָשֵׂאת) *partem præstantiorem in robore meo & principio mearum opum.* אוני לשון ממון, *ut in illo, Inveni ON. i. opes mihi.* ¶ *Fortitudine*] aut, *robore.* i. עז per Holem. Quod forte antiqui legerunt. Nam עז potius fortem & robustum denotat i. תקף, ut exponit Abenezra, & est nomen adjectivum, *excellentia robusti*: quod idem cum illo, *excellens robore.* Interdum עז ponitur pro עז פנים i. impudens & duri oris, unde in Græca editione αὐθάδης. R. Salomo *regnum* significari putat. Sic etiam Forsterus qui vertit, *excellentia regni.* Huc accommodant, *dedit robur regi suo.* ¶ *Lenitas es*] q. d. ipsa lenitas. Sic alibi homo dicitur vanitas & mendacium, & apud Herodotum συμφορή i. ærumna, aut calamitas: Qui sermo ἐμφατικώτερος est, quam si dixisset in concreto lenis es. R. Levi subaudit nomen איש ut dicas, *vir lenitatis* i. lenis es. Sic dolus ponitur pro vir doli i. dolosus: & vinum pro vir vini i. vinosus. Mercerus, *lenitas tibi est.* Trem. *rapiditate* inde ruat: quæ postrema verba non habentur in Ebræo. Nihil opus ut aliquid subaudiamus, פחז a Camio exponitur תנועה mobilitas הרוד וקלות & lenitas animi aut indolis. R. Levi, *lenitatem dicit hominem lenem ac præcipitem qui omnia facit festinanter ac temere, nec considerat utrum expediat facere nec ne.* ¶ *Ut aqua*] quæ natura lenis est, hoc est, velox ac rapida quando in declive fertur. ¶ *Ne excellas*] vel, non excelles, ut sit אַל pro לא, quemadmodum apud autores Græcos μὴ pro οὐ usurpatur. אל תותר ne excellas. Sensus est, ne pervenias ad ullam dignitatem. Lxx. hunc locum ita convertunt, ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ, μὴ ἐκζέσῃς: fecisti contumeliam ut aqua: Non effervescas, malim, *petulanter evagatus es ut aqua.* Nam flumina dicuntur ἐξυβρίζειν quum extra alveos erumpentia petulantius evagantur. Ne effervescas sive ne ebullias i. ne fervide erumpas. Theodoretus, μὴ θερμανθεὶς εἰς πολυγονίαν: ne calefias ad multos procreandos. ἐκζέω sign. etiam scateo, augeor. Aquila, ἐθαμβώθης ὡς ὕδωρ, μὴ περισσεύσῃς. In edit. Rom. *turbasti ut aqua, ne excellas.* Vide supra. In Symmacho, ὑπερέζεσας ὡς ὕδωρ, οὐκ ἔσῃ περισσότερος. Sig. autem ὑπερζέω vehementer ferveo, supra modum effervesco: item circumfundor fervendo. Quo pertinet quod in Vulgata nostra, *effusus es sicut aqua, non crescas.* Nam legit תוה. Syrus, ἐπλανήθης ὡς ὕδωρ, μὴ παραμείνῃς. ἀντὶ τοῦ μὴ ζήσῃς: vagatus es, ut aqua, ne permaneas, pro ne vivas. Hoc postremum scholion est illius, ne permaneas, nam permanere dicitur qui in vita manet. Idem יתיר Ebræis. Latini dicerent superesse. Onkelos, *Quoniam ivisti coram facie tua ecce sicut aqua: verum non profuit tibi, partem potiorem non accipies.* לקבל אפך verto, coram facie tua, & est sensus, quia defluxisti ut aqua. Fagius interpretatur, *sed quia abiisti secundum viam tuam*: quem vide sis ad hunc locum. Jonathan, *assimilo ego te horto parvo, cujus medium intrant torrentes rapide fluentes & prævalentes, ita ut non possis sustinere illos &c.* Pro *rapide fluentes & prævalentes*, Jerosolymitana habet, *inundantes.* Cetera fere conveniunt, nisi quod pro שלפין גברין in Jerosolymit. sit נגדין ומגברין & לְסוֹבָרָא pro לְמִסְבְּלָא portare, ferre, sustinere: quod usitatius diceretur לְמִסוֹבְלָא. ¶ *Conscendisti*] ascendisti, ἀνέβης. ¶ *Cubile*] τὴν κοίτην. In Ebræo est ad verbum, *cubilia patris tui.* Id Onkelos reddidit, *domum cubilium patris tui.* Cubilia patris ascendere est rem habere cum uxore aut concubina patris sui. Sic Græci verbo βαίνειν utuntur: unde ἐμβατικοί sive ἐμβατεύοντες dicuntur qui aliorum cubilia perambulant, ut Catullus loquitur. Jonathan, *quia imputabitur tibi ac si ingressus fuisses ad uxorem, qua usus fuit pater tuus, quo tempore perturbasti stratum meum, quem conscendere solitus sum.* Sequitur communem opinionem Ebræorum, quam memorat Fagius in Onkelum. Vide, si placet. ¶ *Polluisti, stratum meum ascendit*] Parum refert utrum comma ponas post, *polluisti*, an post, *stratum meum.* Simul ac, inquit, polluisti stratum meum, ascendit. i. periit, excisum est: aut, *simul ac prophanasti cubile meum, stratum meum ascendit* q. d. ascendit à me, non amplius eo visus sum. Galli hoc dicunt, *mon lit s'en est perdu.* Ascendere i. עלה cui respondet τὸ ἀναβαίνειν, accipitur pro ἐπαίρεσθαι καὶ ὑψοῦσθαι: postea factum est ut eleganti translatione sumeretur pro tolli è medio, & pro evanescere, fumi ac vaporis instar, qui Ebraice dicitur ascendere è terra, atque adeo pro penitus deleri atque exscindi i. כרת. Videndus Abenezra ad hunc locum. Hanc sententiam secutus est Santes, qui vertit, *tunc polluisti stratum meum excisum fuit.* Aliis עלה est nomen, ascensus, ascensio, ad instar כלה consumtio. Hiero. in Quæst. Ebræis habet, *Ascendisti enim cubile patris tui, & contaminasti stratum in ascensu.* Forsterus in Lexico suo, *contaminasti stratum meum ascensione.* Idem interpretatur עלה ascensio, transcensio. Jer. 48. & Paralip. 13. Leo Judæ, *Tunc stratum meum prophanasti ascendendo* i. עלה. Onkelos, *tunc violasti stratum meum, fili mi, quod ascendisti.* Alias, *quando ascendisti.* In Chaldaico tantum est סליקתא ascendisti. Ego די subintelligendum putarim. In qua sententia me confirmat Jonathan, qui habet דסליקת עלה quem ascendere solitus eram. Lxx. τότε ἐμίανας τὴν στρωμνήν, οὗ ἀνέβης: tunc violasti stratum, quo ascendisti. i. עלית.

„ *R. Levi*, Antea prophanasti stratum meum, quod conscendisti, & est enallage personarum, quæ figura frequens in sacris. „ Aliter, stratum meum excisum est, juxta illud, Ne ascendere facias me in medio dierum meorum. Vult dicere, quod „ postea non accesserit ad eam. *Hiscuni*, Ab eo die quo polluisti cubile meum, ascendit stratum meum. Nam ab eo tempore non concubuit Jacob cum Bala. עלה id est נסתלק ut ibi, „ Ne ascendere facias me in medio dierum meorum. Alia expositio, Polluisti eum qui ascendit super lectum meum, hoc est, „ te ipsum. Alia, stratum meum ascendit. Hæc loquitur ad „ reliquas tribus conversus q.d. Ne miremini quod ita eum alloquor. Nam ecce ipse graviter deliquit violando thorum „ meum. *Hucusque Hiscuni.* *R. David in libro Radicum*, „ Ex quo die polluisti cubile meum, cessavit sive desiit esse stratum meum. *Tremell.* tunc prophanasti ea, stratum meum „ ascendit. Hac apostrophe reliquis filiis justam esse ostendit „ privationis caussam, & hujus pœnæ exemplo omnes alios à „ peccatis absterret. *Mercerus*, Cum ascendisti cubilia patris tui, „ tum ea scilicet prophanasti, tunc, inquam, stratum meum ascendit i. abiit in auras, evanuit, abiit ejus dignitas, utpote à „ te polluti, inquinati & violati.

5. *Simeon & Levi fratres, vasa violentiæ in commorationibus suis.*

Fratres] Quid! An non omnes fratres erant ex eodem patre, & plures ex eadem matre? An fratres dicit, quia consimiles in moribus erant? Nam frater similis, ut Prov. 18. *Qui remissus est in opere suo frater est decoctoris sive nepotis.* Aut fratres appellat propter societatem & amicitiam quam inter se colebant. Nam frater amicus, ut cum Salomo dicitur fuisse pater Hirami. Sic Tyrii vocantur fratres Judæorum, & legimus Esther 15. 8. *Ego sum frater tuus, confide, non morieris.* Verba sunt Assueri ad Estheram. Sic *frater magnus* i. amicus intimus aut summus. Omnino oportet aliquam singularem caussam fuisse cur eos ita vocet. Abenezra censet fratres ideo dici quod simul oppresserint Sichimitas. Addit R. Salomo, quod etiam primi consilium inierint de occidendo Josepho. Quod sic probat, *Ait Moses, dixit vir ad fratrem suum. Quinam hi fuerunt? Nam Ruben & Judas non consenserunt in cæde ejus. Filii autem ancillarum non oderant eum odio perfecto. Nam dicitur, Et ipse puer erat cum filiis Bala & cum filiis Zelphæ, Issachar & Zabulon non ausi fuissent loqui coram fratribus suis majoribus. Sequitur necessario Simeon & Levi esse quos fratres nuncupat.* Hactenus ille. Thargum Ierosolymitanum habet אחין תלמין (Legerim תוֹאמִין vel תְּאֵמִין vel certe תְּיָמִין ex dialecto Syriaca.) pro quo in Ionatha תלאמין. Quod quid sit nescio. Hoc tantum ponas, quæ inter duos sulcos Ebraice תלמים dici. Sic etiam vocantur in lingua Chaldaica & in Thalmud. ¶ *Vasa violentiæ*] כלי חמס. Hiero. *vasa iniquitatis* i. homines violenti aut iniqui. Nam, כלי ad homines eleganter transferunt, ut cum dicunt σκεύη ἐλέους. i. vasa misericordiæ. Sic

σκεύη

ἐκδίκησις ὀργῆς vasa iræ, & *vas electionis* i. electum & Ies. 13. 5. *DOMINUS & vasa indignationis ejus.* Ita vocat Medos ac Persas, per quos iræ suæ indicia exercebat in Babylonios. Lxx. *συνετέλεσαν ἀδικίαν.* i. כלו, Vau pro Ioth legentes. Onkelos גברין גברין Viri potentes aut robusti. Jonathan, *vasa armorum acutorum ad diripiendum.* Thargum Jerosolymitanum, *potentes magistri armorum acutorum, commiserunt prælia à pueritia sua in terra hostium suorum &c.* ❡ *In commorationibus suis*] מכרתיהם ita redditur ac si haberet ב in capite. Sic sane Santes vertit, *in habitationibus suis*, & Onkelos בארע תותבותהון, in terra habitationis suæ. Alibi est מכורה eodem significatu. Id exponunt מגורה Chaph in Gimel versa. Nam communem familiam habent. Lxx. *ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν*, quod reddunt, *propositi sui*: alii, *voluntatis suæ*: alii, *adinventionis suæ.* Sed puto veram lectionem extare apud Chrysostomum Hom. 67. *ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν*, ex electione sua, ut legerint מבחירתם, hoc est Beth pro Caph. Siquidem בָּרָה eligere, unde ברית, opinione quorundam i. fœdus, quod ab utraque parte eligatur. Hiero. *vasa iniquitatis bellantia.* Quæ juvantur editionibus Chaldaicis. Nam in Onkelo, *fecerunt fortiter*; & in Jerosolymitana, *fecerunt pugnam*: & mox, *victorias consecuti sunt præliando.* Sed in Jonatha, *Hæc est, Hæc est cognitio eorum*, tanquam ab הכיר cognovit, agnovit. Arias, *Machæra eorum.* Sic etiam Leo Iudæ מכרה Machæra. Quæ vox legitur apud Plautum. Est autem Græcum vocabulum *μάχαιρα*. R. Salomo, *Gladius in lingua Græca* מכר *vocatur.* In Ilmedenu (liber est ejus nominis, qui & Thanchuma vocatur), In lingua Græca vocant gladios מכרין i. *μαχαίρας*. R. Eliezer, *maledixit gladiis ipsorum lingua Græca usus, cum diceret, Simeon & Levi fratres vasa violentiæ Machæra ipsorum.* R. Levi Provincialis, מכרותיו *sunt arma ipsorum. Dixerunt Doctores nostri felicis memoriæ vocem Græcam esse. Nam in ea lingua vocant gladios Macherin: & rectum videtur in oculis meis ut sit* מְכֵרוֹת *idem cum* מְגוּרוֹת *versa* ג *in* כ, *quæ litteræ cum sint ejusdem organi, facile inter se permutantur.* Ceterum *μάχαιρα* non tam gladium denotat (quanquam & hoc denotat) quam cultrum, ut possis legere, *vasa violentiæ cultri eorum*, qui videlicet ad usum longe alium parati. Trem. *conventiones eorum.* Abenezra, *sunt qui significationem petant ex illo* הכרת פניהם *agnitio vultus ipsorum. Sed hoc non est rectum in Grammatica.* Alii vertunt, *possessiones ipsorum* ex illo מאת מכרכם, quod tamen ibi sig. *fodere.* Alii, *venditiones eorum.* Et secundum opinionem meam eadem est significatio quæ in illo Ezec. 16. 4. מכורתיך *commorationes tuæ*, & est sensus de violentia quam perpetrarunt, quum post fœdus initum cum Sichimitis, eos dolo interimerent. Quod Tremellium attinet, qui transtulit, *conventiones eorum*, videtur mihi habuisse in mente verbum מכר quod *vendere*, &, si placet, *mercari* significat: unde Forsterus in Lexico suo, *venditiones eorum, commutationes eorum.* Vide nunc sis Mercerum.

6. *In consilium eorum ne veniat anima mea, in cœtum eorum ne uniatur gloria mea: quia in ira sua occiderunt virum, & voluntate sua suffoderunt murum.*

In consilium eorum] *εἰς βουλὴν αὐτῶν.* Sic interpretantur Hiero. & Lxx. סוד consilium: proprie secretum consilium. Nam סוד arcanum, secretum: unde Onkelos ברזהון in secreta eorum. Sed cum Hiero. sentiunt Jonathan & autor Jerosolymitanæ. Nam uterque vertit *in consilium eorum.* Consilium autem unus appellat בעצת & alter בסוד Tsade in Teth versa. Ceterum videtur potius scribendum esse concilium per *c* in antepenultima, ut Ps. 1. *in concilio improborum*, ubi similiter Græci legunt *ἐν βουλῇ.* Nam innuit conventicula & conventus eorum. Dicuntur autem eo nomine clandestini conventus à secreto quod in iis tractatur. Sane סוד R. David nescio quo in loco exponit בחברתם in collegio, in societate. Vide illum, si vacas, Ps. 89. 8. & 64. 3. in quo postremo loco סוד interpretatur קבץ, ut possis vertere מסוד à conventiculis. Hiero. ibi habet *à consilio.* Lxx. *ἀπὸ συστροφῆς.* Alius, *ab arcano consilio.* alius, *à secreto.* Sic variant interpretes Prov. 15. 22. in באין סוד quod alii reddunt *absque consilio*, & alii, *absque secreto.* Nam & sine consilio nihil recte fit, & consilia nisi arcana fuerint raro felicem finem sortiuntur. Quocirca putarim vertendum, *absque secreto consilio.* Veniamus nunc ad nuperos interpretes. Ergo Santes habet, *in secretum eorum.* Trem. *in arcanum eorum.* Sic etiam Leo Judæ. Gallica, *en leur conseil secret*: in arcanum eorum consilium. Valde probo. ❡ *Ne veniat anima mea*] *μὴ ἔλθοι ἡ ψυχή μου.* Idem cum illo, *ne veniam ego.* Galli dicerent, *que ma personne n'entre point.* Onkelos, *non fuit anima mea.* Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *non habeat complacentiam.* Alii, *non ingrediatur, non intret.* Tremell. *ne ingreditor.* ❡ *In cœtum eorum ne uniatur &c.*] Lxx. *ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρείσαι τὰ ἥπατά μου*: in cœtu eorum ne contendant jecinora mea. Ambrosius cap. 3. *in congregatione eorum ne contendant viscera mea* i. *τὰ σπλάγχνα μου.* Hiero. in Quæst. Ebra. *Non æmuletur jecur meum.* Est etiam ubi legatur *μὴ ἐρείσαι* & apud Tertul. adversus Judæos, *Non incubuerint viscera mea.* Interpres Orig. *non invitantur viscera mea.* Legerunt absque dubio כבדי jecur meum. Hoc certum. Potest etiam fieri ut legerint יחד hoc est Res pro Daleth. Hieronymus, *in cœtu eorum non sit gloria mea.* אל תחד. Onkelos, *quum congregarentur ipsi ut irent ad eundum, non descendi è gloria mea.* Chaldaice לְמֵיזַל ut irent, quod male scriptum in libris לְמֵיזַל. Thema זל ivit. Sensus est, ut irent Sicimam versus ultum injuriam Dinæ illatam. Reliqua explicata sunt à Fagio quem te adire volo. Jonathan, *Quum congregati tenderent Sicimam ad destruendum eam non unita fuit gloria mea.* Thargum Jerosolymitanum, *Quum congregati ipsi irent ad urbem Sichem ad destruendum eam, non pepercerunt gloriæ meæ.* ❡ *In cœtu eorum*] קהל cœtus, congregatio, conventus. Idem *σύστασις*, quando late sumitur. Nam stricte acceptum, est cœtus eorum, qui conspirationem moliuntur. Nam *σύστασις* proprie conspiratio, coitio, conjuratio. Quo significatu & hic sumi posset, si nomen Ebræum id pateretur. ❡ *Ne uniatur*] אל תחד ne uniat se. Constructio sensu congrua, non voce. Nam כבוד nomen est masculinum. Aut lege cum Pagnino, *ne uniaris*, in secunda persona. Trem. *ne adjunator.* Leo Judæ, *ne in unum conveniat.* Gallica editio, *ne soit point jointe.* Radix יחד potius quam, ut alii (in queis est Moses sacerdos, Grammaticus, vid. Aben.) opinantur, אחד. Cui firmando est Jonathan referens יחידא. ❡ *Gloria mea*] i. *anima mea.* Moses sacerdos, Abenezra, alii. *Lingua mea*, notæ Gallicæ ad hunc locum. Sic apud Davidem, ubi vulgo, *exultat gloria mea*, Græca editio *ἡ γλῶσσά μου*, quam lectionem Apostolus retinuit. *Corpus meum*, Judas Balaami F. Hispanus. En tres expositiones. Mihi prima perplacet. Secundam alibi refello. Tertiam refutat Abenezra in comment. ad hunc locum. Vocatur autem anima כבוד quia est hominis pars honoratior. R. Levi, *Anima est pars honoratior in animatis.* Animatum sive anima præditum appellat בעל נפש. Idem כבודי interpretatur נפשי: quomodo & Abenezra. ❡ *In ira sua*] באפם in ira sua. i. irati. Per iram nihil recte fit. Lxx. *ἐν τῷ θυμῷ αὐτῶν.* Hiero. *in furore suo.* Chaldæi tres ברוגזהון in ira sua. Trem. *pro ira sua.* ❡ *Virum*] i. viros, homines. Intelligit autem Sicimitas. Aut est nomen *ἀρετῆς*, ut ibi, *In loco ubi non sunt viri virum te præsta.* Sane Jonathan habet *regem & dynastam ejus*, & autor Jerosolymitanæ, *reges cum dynastis.* Lxx. ediderunt *ἀνθρώπους.* i. אנשים. Trem. *Viros.* Gal. *les gens.* Hoc malo. Abenezra, איש *nomen est speciei, ut bos, ut asinus: & innuit* אנשי עיר שכם *cives urbis Sichem.* Nicolaus, *Virum i. viros Sichem, ut Exod. 8. venit musca i. multitudo muscarum.* ❡ *Voluntate sua*] ברצונם in voluntate sua. Mercerus explicat, *studio ac data opera.* Trem. *pro arbitrio suo.* Gal. *pour leur plaisir.* i. animi caussa. Lxx. *ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν*, in cupiditate sua. Posses elucidare, *quia illis ita placuit.* Nam רצון, vetusta declaratione, beneplacitum i. *εὐδοκία.* ❡ *Suffoderunt murum*] ita Hiero. quem nunc secutus sum. Murum. i. muros. Sig. autem ædium muros, an ipsius urbis? עקר proprie, eradicarunt sive eradicaverunt. Quod in editione Pagnini, ut etiam in scholio Græco *ἐξερρίζωσαν τεῖχος.* Nos diceremus, funditus everterunt vel subruerunt. Tralatio ab arboribus. Nam fundamenta in muris, quod radices in arboribus. Ceterum murus usitatè שור dicitur. Hic est שור in Ebræo, quod magis bovem denotat. Unde Lxx. *ἐνευροκόπησαν ταῦρον*, subnervaverunt taurum, & alius, *abegerunt boves*, nempe avulsos à præsepibus. Sed operæ pretium est videre ceterorum interpretationes. Igitur Onkelos habet, *fregerunt* i. diruerunt *murum* sive muros *osoris* i. hostium sive inimicorum. Jonathan, *destruxerunt murum vel muros hostium suorum.* Thargum Ierosolymitanum, *vendiderunt Josephum fratrem suum qui similis est bovi.* R. Salomo, *voluerunt eradicare* i. perdere, *occidere, Josephum, qui vocatur bos Deut. 33. 17.* עקר *vernacule arracher*, quod scribit ארשיר *esracher*, ubi notabis ch Gallicum expressum per ש. Qualis est sonus litteræ t. in ratio & similibus. Sic Græci *Τίνας* vocant, quas Hispani Chinas dicunt, in quo nomine Arabes utuntur littera Tsad. Sic Sade Ebræorum permutatur cum Teth in dialecto Chaldaica: unde טוּר, quod fortasse Chanes pronuntiandum. Abenezra, שור murus i. שור. Nam Holem & Schurec vicissim permutantur. R. Levi, ברצונם benevolentia sua, ut apud Davidem ברצונך *benevolentia tua constituisti menti meæ* i. intellectui meo, *robur.* ei opponitur באפם in ira sua. Comparat autem hominem

minem valde fortem cum bove, qui est valde fortis, & est sensus, quod perdiderint Sicimitas, cum se ergâ eos benevolos ostenderent. Hiscuni, שור *murum*, *Nam Holem & Schurec permutantur. Sic editio Onkeli, fregerunt murum inimici: & is est murus urbis Sichem.*

7. *Maledicta ira eorum, quoniam valida est, & indignatio eorum, quoniam dura est: dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.*

Maledicta] ἐπικατάρατος, detestanda, execrabilis. ¶ *Valida*] עז robusta, vehemens: aut, pertinax, obstinata, pervicax, αὐθάδης. Hoc Græci & Hiero. secuti sunt: illud Chaldæi tres, qui תקיף ediderunt i. fortis, valida. Gallica editio habet *impudente* i. impudens. *ou violente*, aut violenta. Sed violentia חמס dicitur. Impudens autem עז פנים ut Dan. 8. 23. rex impudens & duri oris. Sunt qui עז præfractum & obfirmatum interpretantur. ¶ *Indignatio eorum*] ita Hiero. Lxx. habent ἡ μῆνις αὐτῶν, ira eorum. Sunt qui μῆνιν interpretentur, iram memorem, permanentem, pertinacem, παρὰ τὸ μένειν. Quidam indignationem furentem exponunt. Ebraice hic est עברה quod tres Chaldæi per רגז reddunt. Id sig. *excandescentiam*. Trem. *furorem* interpretatur. Santes *iram*. Dicta eo nomine παρὰ τὸ עבר transeo, vel quod cito transeat, vel quod modum transcendat, vel certe quod omnia pervadat & pertranseat, juxta illud quod habetur Ies. 25. 5. *Spiritus præfractorum similis est inundationi quæ parietem prosternit.* ¶ *Dura est*] קשתה dura fuit, ἐσκληρύνθη. Hiero. *quia dura.* כי קשה. Sic etiam Onkelos & Ionathan, ארום תקיפא. Autor Ierosolymitanæ plenius ארום תקיפא קשיא הוות, quia dura fuit. Indignatio dura i. pertinax, qualem Achilli tribuunt, de quo Horatius, *Nec gravem Pelidæ stomachum cedere nescii.* ¶ *Dividam eos &c.*] Ionathan, *Dixit Jacob, Si duo isti simul habitarent, non est rex aut dynasta, qui posset eis resistere: dividam hæreditatem filiorum Simeonis in duas partes. Una exibit ei è media hæreditate filiorum Juda, altera pars erit ei inter reliquas tribus Jacobi: tribum autem Levi dispergam per medium omnium tribuum Israel.* Thargum quod ab urbe appellatum: *Dixit pater noster Jacob, Si duo isti simul habitarent, non est natio vel regnum quod posset resistere illis: dividam tribum Simeonis qui sint scribæ docentes legem per Synagogas Jacobi, & dispergam tribum Levi per academias filiorum Israel.* In hoc loco scribæ vocantur ספרין quos alii litteratores, alii מקריין appellant. R. Salomo, „ Non sunt pauperes scribæ & docentes pueros nisi ex tri- „bu Simeonis. Nicolaus, „ Sed addunt Ebræi de dispersione „Simeonis dicentes, non est pauper scriptor nec pædagogus nisi „de Simeon. Hoc est dictum, quod illi de tribu Simeon discur- „rebant per sortes aliorum ad quærendum victum scribendo vel „pueros docendo, sicut Clerici pauperes faciunt apud Christianos. Abenezra, „ Dividam eos & dispergam eos. Sensus est, digni „sunt qui dispergantur & non conjungantur simul. Sane inve- „nimus sortem Simeonis cecidisse in mediam possessionem filio- „rum Iuda: ita ecce ipse erat in potestatem alterius: etiam ur- „bes ejus non erant junctæ, sed dispersæ per sortem Iuda. Simi- „liter Levi habebat quadraginta octo urbes sparsas per alias tribus. ¶ *In Jacob*] per Iacob, inter filios Iacob.

8. *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicem hostium tuorum: adorabunt te filii patris tui.*

9. *Catulus Leonis Juda, à præda fili mi ascendisti, incurvatus accubuit ut leo, & ut vetulus leo, quis eriget illum?*

Te laudabunt] αἰνέσουσι: vel, laudent αἰνεσάτωσαν. Utraque lectio extat in codicibus Græcis. Vide Romanam editionem Latinam. Ebraice est יודוך: unde Iudas appellatus q. d. Te, ô Iuda, qui à laude nomen accepisti, laudabunt fratres tui. Communiter vertunt, *confitebuntur tibi* i. ἐξομολογήσονται. Quod noto propter veteres glossas. Hesychius, Ἰούδας, ἐξομολόγησις Θεῷ: imo ἐξομολόγησις simpliciter. Origenes Hom. 17. in Genesin, *Juda confessio interpretatur in lingua Ebræa.* Idem in 26. Matth. *Iudas interpretatur confessor.* In libro nominum, qui Philoni vulgo adscribitur Iuda, laudatio sive confessio. Laudatio i. αἴνεσις. Hiero. in nom. ex epist. ad Ebræos, *Judas, confitens vel laudator.* Onkelos hic habet, *Juda, tu professus es nec pudor ii te, in te profitebuntur fratres tui.* Alias, *te laudabunt.* Ion. *Iuda, tu confessus es de facto Thamar: ideo tibi confitebuntur fratres tui* i. ἐξομολογήσονται, *& vocabuntur Judæi de nomine tuo.* Thargum Ierosolymitanum, *Juda, te laudabunt fratres tui, & de nomine tuo vocabuntur omnes Iudæi.* ¶ *Manus tua in cervicem hostium tuorum*] vel potius, *in cervice.* q. d. hostes tergum tibi obvertent & in fugam se dabunt. Onkelos, *manus tua roborabitur contra hostes tuos.* i. prævalebit eis. Ionathan, *manus tua vindicabunt te de hostibus tuis: imponendo eis jugum quando reflectent cervicem coram te.* Sic fere autor Ierosolymitanæ. Lxx. αἱ χεῖρές σου ἐπὶ νώτῳ τῶν ἐχθρῶν σου: Manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum. Hiero. *manus tua in cervicibus,* &c. Trem. *tenebit cervicem.* Gallica, *erit super collum.* Santes & Leo Judæ, *erit in cervice.* ¶ *Adorabunt te*] quod impletum quum ipsius posteri regnum obtinuissent, Davidis ævo & deinceps. ¶ *Catulus leonis*] ut catulus leonis, similis es catulo leonis. Quidam, *Catula leonis, Juda:* quod minus arridet. Ferme exciderat, Pro, *adorabunt te*, Chaldæi legunt, *anteverteut* sive *occupabunt quærere de pace tua.* i. salutare te, vel certe, petere à te pacem. Consule Fagium. Redeo domum. Catulum leonis appellat propter animositatem corporisque & animi robur. Onkelos, *Dynasta erit in principio, & in fine creabitur rex de domo Juda.* Jonathan & autor Jerosolymitanæ, *Assimilo ego te, Juda fili mi, catulo leonis.* Quod observo, quia leonem vocant בר אריון filium leonum, vel, si placet, leaenarum. Quod Joël. 1. interpretamentum est שן לביא quo vetulum leonem significare inde colligunt quod in Jobo ei filii. i. catuli tribuantur. Ceterum memini eo loco reprehensum Jonathanem à Davide Camio, qui mihi olim persuaserat: nunc meliora edoctus, aliter sentio. Qua de re aliquid in libellis meis. ¶ *A præda fili mi ascendisti*] Quidam hic præterita narrari, alii futura prædici putant. Notum ut prophetæ futura enuntient verbis præteritis. Cujus rei caussa & ratio quod quæ semel decreta in consilio Dei, tam certa sunt, quam ea habentur quæ jam evenerunt. Ergo prædici putant claritatem quam David adeptus est ex cæde gigantis Goliath, & *in præda* exponunt *post prædam* vel *ob prædam ascendisti*, videlicet ad regii fastigii dignitatem. Sed alii aliter hæc accipiunt quorum interpretationes nunc adducam. Lxx. ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης. ex germine, fili mi, ascendisti. i. מטרף. Sed videntur in mente habuisse טרף quod Gen. 8. 11. Hieron. reddit *folium virens*, & alioqui Chaldæi folium טרפא appellant. proprie folium ab arbore decerptum. Hieronymus, *Ad prædam* &c. לטרף. Onkelos, *à judicio cædis, fili mi, animam tuam abstinuisti.* quod accipiendum putarim de cæde Josephi, quam Judas impedivit. Clare hoc docet Jonathan, inquiens, *A cæde Josephi, fili mi, abstinuisti animam tuam, & à judicio Thamar fuisti liberatus.* Cui consentanea interpretatur autor is qui Mosen Chaldaice transtulit, quod vulgo Thargum Jerosolymitanum dicitur, *A cæde Iosephi tu liberatus es, à judicio Thamar, fili mi, tu fuisti purus.* Notat Abenezra de Josepho commode hunc locum intelligi non posse propterea quod in textu sit, *ascendisti.* Nam *alias*, inquit, *dixisset* העלית *ascendere fecisti.* Idem enarrat, *Iuda similis fuisti catulo leonis, quum ascenderes à præda &c.* Ceterum טרף Job. 24. 5. ab Aquila redditur ἅλωσις i. captura. Sed vide sequentia. ¶ *Incurvatus accubuit*] כרע רבץ incurvavit se, accubuit. Lxx. ἀναπεσὼν ἐκοιμήθης, recumbens dormisti. Sic Psal. 95. 6. ubi Hieron. *curvemur*, & in Ebræo est, נכרעה, Lxx. habent, προσπέσωμεν, accidamus. Hieron. *quiescens accubuisti* i. רבצת. Trem. *cum in crura se demiserit, cubuerit.* Nam כרעים crura. Sed juxta definitionem Ebræorum כרע est inclinare caput cum parte corporis, ut cum genua flexa submittimus. Certe legimus ויכרע על ברכיו incurvavit genua sua. Onkelos ינוח quiescet ישרי בתקוף castra ponet in fortitudine. Alias, *habitabit in robore.* Jonathan נייח ושרי בתקוף quievit & habitavit cum robore. Jerosolymitana, *quievit & castra metabitur in medio belli.* ¶ *Accubuit*] transit à secunda ad tertiam. Quod crebrum in his litteris. Porro רבץ verbum proprium est in feris, ut שכב in hominibus. ¶ *Ut Leo*] ὡς λέων. Chaldaice כאריא in Onkelo. Ceterum Jonathan habet היך אריא & autor Jerosolymitanæ היך אריא: unde conjecturam capio. הין factum esse ex הא ecce & כ nota similitudinis. Quod tamen arbitrarium esse volo, nolo ut sit certum. ¶ *Ut vetulus leo*] כלביא Lxx. ὡς σκύμνος. כגור. Hiero. *quasi leæna.* כלביאה Onkelos & Ionathan לליתא quæ vox mihi facta videtur ex Ebræo ליש Sin in Thau, ut fit, versa: unde & λῖς leo, apud Homerum. Trem. *tanquam immanis leo.* Malim, *tanquam animosus leo.* Nam לביא dictus à corde, ut apparet. Sane cor לב dicitur. Cor autem pro anima sumi notius est quam ut probari debeat. Santes, *sicut leo major.* De nominibus leonum, quæ distinguuntur secundum ætates, vide Observationes meas. Non est omittendum. Editio Ierosolymitana היך אריא tanquam leones an leænæ? ¶ *Quis eriget illum*] vel potius *erigat?* Hiero. *quis suscitabit eum?* מי יקימנו Lxx. τίς ἐγερεῖ αὐτόν; Onkelos, *non est regnum quod commoveat ipsum.* Jonathan, *quum quiescit quis erigat eum?* Thargum Ierosolymitanum, *Non est natio neque regnum quod surgat contra te.* *Mos leonis*, inquit Abenezra, *ubi prædam ceperit, ut sedeat super crura vel cubet, & licet prætereant omnia genera ferarum, tamen non surgit propterea ut fugiat, sed imperterritus manet ubi est.* Hæc Abenezra.

10. *Non recedet sceptrum de Iuda, aut legislator de inter pedes*

pedes ejus, donec venerit Schilo: & ad eum aggregatio gentium.

Non recedet sceptrum de Iuda] לא יסור שבט מיהודה. Lxx. οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα: Non deficiet princeps ex Iuda. לא תנוך מכף שבט tenens sceptrum i. princeps aut rex. Onkelos, *non amovebitur potestatem exercens è domo Iuda.* עבר שולטן ἐξουσιάζων i. rex aut princeps, aut magistratum gerens, penes quem potestas est faciendi quod magistratus & dynastæ solent. Ionathan, *Non deficient reges & dominatores de domo Iuda.* Thargum Ierosolymitanum, *non deficient reges de domo Iuda.* Hic est ספקן, ibi ספקן. Omnes isti testimonium dicunt contra illos, qui per שבט virgam hoc loco significari putant, hoc est castigationes & afflictiones. Nam ut demus alibi pro virga sumi, tamen hic aliter accipi docent consequa verba, *& legislator de inter pedes ejus*: quæ de castigationibus intelligi nullo modo possunt. Iam vero quod objiciunt regnum non durasse in ea tribu usque ad tempora Christi, ad hanc objectionem respondeo sub regni vocabulo comprehendi etiam jurisdictionem Sanhedrim quorum princeps ex tribu David fuisse perhibetur: tum etiam sunt qui prodiderunt Hasmonæos, quod maternum genus attinet, ex eadem tribu fuisse, cum regia & sacerdotalis inter se confusæ essent. Cui hæc non placent, accipiat sane שבט pro tribu, dummodo sciat tribus Christi ævo non fuisse penitus ablatas, ut ut sint qui hoc asserere non vereantur. ¶ *Sceptrum*] Vide supra. Videndus Tremellius. Sed & Gallica editio. ¶ *Aut legislator de inter pedes ejus*] ומחקק מבין רגליו & scriba sive legislator de inter pedes ejus. Lxx. ac Theodotio, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, & dux è femoribus ejus. Id Hiero. per singularem extulit, referens, *è femore ejus.* Vide supra. Obiter noto. Scribæ in Ionatha vocantur ספרין, in Ierosolymitana vero ספרין: quæ vox invenitur & vers. 7. hujus capitis, & usus ea est Saadias Dan. 7. *Omnis sapiens*, וסבר & *litterator & intelligens scientiam.* Origo ex ספר scriba, doctus, litteratus, Phe in Beth mutata. Quod fit de facili cum sint ejusdem organi communemque familiam habeant. Aut appellatio à divinando & conjiciendo quod est סבר in lingua Magistrorum. Nihil temere statuendum. ¶ *Legislator*] νομοθέτης. Psal. 60. 9. Hiero. Lxx. βασιλεύς. R. David ad hunc locum המלך יקרא מחוקק *rex vocatur Mechocec, ut ibi, legislator de inter pedes ejus.* Aquila, ἀκριβαστής. Theodotio ἀκριβαστευόμενος. Symmachus, στρατιάρχης. Rursum Psal. 108. 9. יהודה מחקקי. Lxx. Ἰούδας βασιλεύς μου. Hiero. *Iuda dux meus.* Editio Gallica, *mon legislateur, mon siege royal.* Appellatio ab incidendo. Nam leges & statuta in æs olim incidebantur, aut in aliam materiam durabilem, ut sunt lapides &c. ¶ *De inter pedes ejus*] Castellio, *de ejus interfeminio.* Tremellius, *è medio pedum ejus.* Santes, *de pedibus ejus.* Sunt qui pedum nomine etiam femur comprehendi tradant: unde in Vulgata nostra, *de femore ejus.* ex quo gignendi facultas esse creditur. Sed sciendum pedes aliquando dici partes pudendas: unde *aqua pedum* i. urina, lotium: & *pilus pedum* Jes. 7. 20. i. pudendorum: & *pedes tegere* pro exonerare alvum. Chaldæi dicunt, *facere necessitatem suam.* i. necessaria naturæ, debitum naturæ exolvere. R. David interpretatur urinam reddere, sive vesicam levare. Idem רגליו interpretatur dicens significare אבר הזרע membrum, quod ἀναγκαῖον Artemidoro. Pedes ergo i. semen, stirps, posteri. Sic in Latio proles vocantur ipsi testiculi Arnobius Lib. 5. *proles cum ipsis genitalibus occupat*: & alibi, *proles arietis.* Pedes tegere Latini etiam dicunt, *ad officia naturalia sive ad ventris secreta secedere.* ¶ *Donec venerit Schilo*] עד כי יבא שילה donec veniat Silo. Theodotio post Lxx. ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ: donec veniant quæ reposita ei. alias ᾧ ἀπόκειται, cui repositum est. De hac varietate consule sis editionem Romanam, tam eam quæ Latine prodiit, quam eam quæ Græce vulgata. Utraque Romæ excusa est. Hiero. *donec veniat qui mittendus est.* Videtur legisse Heth pro He. Qui error sane proclivis est. Aquilas apud Eusebium ἕως ἂν ἔλθῃ. reliqua desiderantur. De etymo nominis Siloh, variæ sunt opiniones. R. Salomo, *usque dum veniat Messias cujus est regnum.* שִׁלֹה quasi שֶׁלּוֹ. Sic interpretatur Onkelos. Et in Medras Haggada שַׁי לוֹ munus ei שַׁי לוֹ quemadmodum dicitur יובלו שי adducent munus. Tremellius, *usque dum veniat filius ejus.* שיל filius. Nam שליה secunda. Vulgo *secundina* vocatur. R. Levi, *Siloh. i. filius ejus: & vocat eum* שילה *quia fuerat* בשליא *in secunda.* Consentanea his scribit R. David in libro Radicum. Idem שליא definit חכים שעמר בה הולד בטעי אמו. Significat autem membranam illam cui embryo involvitur. Lampridius in vita Antonini Diadumæi *pileum naturalem* appellat. Sed quia plures sunt hujusmodi membranæ operæ pretium est audire quid hac de re scribat Lemnius noster de miraculis naturæ Lib. 2. c. 8. „Tria, „inquit, sunt involucra seu membranæ quibus in materni uteri „latebris fœtus obtegitur. Exterior Græce χορίον seu χωρίον, La„tine secunda dicitur, quod statim à partu prodeat. Subsunt „huic duæ aliæ membranæ, quarum prior à figura farciminis allan„toides appellatur, ex fœmineo semine generata, quæ capiti, „clunibus ac pedibus obtenditur, partibusque eminentibus in„cumbit, cujus usus est ut infantuli efformati urinam excipiat. „Postrema tenuissima est membrana ac pellicula, quæ sudorem „vaporemque emanantem à maturescente fœtu absorbet, eum„que orbiculatim ambit & complectitur, Ammios i. agnina à mol„litie & teneritate dicta. Illud autem velamen quo facies obdu„citur Flandri helm i. galeam vocant. Dicitur autem χωρίον, „quia fœtui χώρημα i. spatium & locum dat. Dicta שליא, ut quidam volunt, à securitate quam præstat embryoni. Ceterum שילה diversam radicem habet. Sed ex eo non sequitur quod quidam opinantur. Nam & שלו invenitur eodem sensu. Sic חם & חמה & חמם ejusdem significationis sunt. Mercerus, *Messias* שילה *dicitur q. embryo aut embryoneus ob exigua & tenuia initia, sicut & ob eandem caussam in prophetis* צמח *i. germen vocatur. Ab exiguis enim initiis ad magna incrementa pervenit. Malim tamen cum aliis epitheton hoc Messiæ à* שלו *deduci, ut sonet tranquillum, prosperum, pacatum, felicem, augustum &c.* Hoc ex Forstero hausit, ut conjicio. Castellio habet, *donec veniat sospitator.* Forte an compositio nominis est ex ש & ש & לה quod usitatius dicunt לו cujus sunt omnia, vel cujus est regnum. Sic Deum Arabes vocant אללה, vel, ut Pœni pronuntiant *Illé*, nomine composito, ut arbitratur Caninius, ex articulo אל ὁ, & לה ei, quasi dicas, is cujus omnia sunt, qui omnia habet. ¶ *Ad eum aggregatio gentium*] ולו יקהת עמים Lxx. καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. Hiero. hoc interpretatus est, *& ipse erit expectatio gentium.* Fallor si non in mente habuerunt verbum קוה expecto. Aquilas, καὶ αὐτῷ σύστημα λαῶν. i. cœtus aut congregatio. R. Salomo אסיפת עמים collectio populorum. R. Levi, קבוץ הגוים congregatio gentium. Aliter, *& ei erit obedientia populorum* q. d. obedient ei & dicto audientes erunt. Id Onkelos extulit ולה ישתמעון עממיא. In eadem sententia est R. David. *Audient*, inquit, *& recipient jussa ejus.* Assentiuntur Tremellius & Arias. Thargum Ierosolymitanum, *futurum est ut ei serviant omnia regna terræ.* Ceterum dages quod in littera Coph, ornatus caussa adhibetur, ut in מִקְּדָשׁ & similibus. Absque eo esset יִקְהַת formæ שִׁפְחַת ancilla, vel גְּבֶרֶת, unde יקהת & יקהתי cum Ioth paragogico. Semel adhuc invenitur, videlicet Proverb. 30.

11. *Ligans ad vitem pullum suum, & ad vitem optimam filium asinæ suæ, lavabit in vino indumentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum.*

Ligans ad vitem pullum suum] Significat in ipsius sorte tantam vini copiam futuram, ut etiam pullos asinorum, quos ad stipitem alligare solent, sint vitibus alligaturi, & quod magis mirandum, etiam optimum genus vineæ, quod *sorec* appellant, asellis suis relicturi, cum eos uvis onerabunt. אֹסְרִי ligans pro אֹסֵר. Chaldaice אָסַר. Talia sunt חושבי qui sedes. שכני habitans. עיר proprie parvus asinus: unde in quibusdam editionibus, *asellum suum.* Sed Lxx. habent τὸν πῶλον αὐτοῦ, & Hieron. *pullum suum.* Dicitur etiam de pullo onagri, quia Latinis *lalisio* vocatur. Martialis, *dum tener est onager, solaque lalisio matre Pascitur.* A עַיִר esset עַיְרוֹ: sed pro eo obtinuit ut diceretur עִירֹה vel עִירוֹ asellus ejus. Ad quod exemplum legitur Jes. 10. 17. שִׁיתוֹ spina ejus pro שַׁיִת ex absoluto שַׁיִת spina, vepres, sentis. עִירוֹ etiam sig. *urbem ejus.* Nam עיר urbs, civitas. ¶ *Ad vitem optimam*] vel, *ad palmitem electum.* Prius erat in Hieron. *ad vitem* simpliciter. Sed vitis גפן dicitur. Hic est שורקה in textu, quam R. David ait esse *vitem optimam ac laudatissimam.* Chaldæus quodam in loco interpretatur גפן בחירא vitem electam sive lectam: alius, *luxuriantem.* Addit R. Giath, *in ejus acinis non inveniri vinaceos.* R. Salomo definit זמורה ארוכה palmitem longum, qui vulgo dicitur קורייר courire, quod longe lateque excurrat. Lxx. habent τῇ ἕλικι quod alius reddit, *ad Helicem;* alius, *ad palmitem.* Hieron. *funiculo.* Lex. Græco-Lat. vetus, ἕλιξ ἀμπέλου, *pampinus, clavicula, corimbi.* Hier. in Quæst. *Ad sorec i. electam vitem.* Idem ibid. Juxta Lxx. *Alligans ad vitem pullum suum, & funiculo pullum asinæ. In Ebræo ita habet, Alligans ad vitem pullum suum, & in Sorec, fili mi, asinam suam.* Forte in לשרקה pleonasmus est qualis in לשאולה quod reddunt *in sepulchrum.* ¶ *Filium asinæ suæ*] i. pullum. בני pro בן. Quanquam in vulgata nostra, *ó fili mi.* Lxx. τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ pullum asinæ suæ. Sic etiam Trem. Si recte, tum אתון erit asina, quæ potius חמורה diceretur. Sed forte אתנו posuit pro אתונו. Quod insolens non est in hac lingua. Mercerus quoque vertit, *filium asinæ suæ.* Potest fieri, cum asinus חמור dicitur, ut אתון sit proprie asina. Nam sic etiam

Santes

Santes exponit, *& ad vitem optimam, mi fili, asinam suam,* & Leo Judæ, *& ad Sorec filius meus asinam suam.* In libro Radicum אתון asinus. Ex quo vertendum, *filium asini sui.* Nescio quid voluerit Onkelos cum verteret, *circumdabit Israel urbem ejus & populus meus ædificabit templum ejus &c.* Jonathan quoque aliena interpretatur, inquiens, *Quam pulcher est rex Messias, qui exurget è domo Juda: ligans lumbos suos descendet & prælium instruet cum hostibus suis, & occidet regem cum dynastis suis, nec erit rex aut dynasta qui surget coram eo, rubefaciet montes sanguine interfectorum suorum.* Pro טוריא montes, in Jerosolymitana est נהריא flumina. Vide, si otium est. ¶ *Lavabit in vino &c.*] hyperbola. Nam vestes aqua lavari solent, non vino. Sig. ergo vinum præ copia vilissimum fore. כבס lavit i. lavabit, πλυνεῖ. Præt. pro fut. Quod in prophetis frequens. Nam futura fere aliter non enuntiant. ¶ *Indumentum suum*] לבשו Lxx. τὴν στολὴν αὐτοῦ. Hieron. *stolam suam.* Notatum est στολὴν pro quavis veste sumi. Onkelos, *Purpura optima vestes ejus.* Lex. Latin. Græcum vetus, *stola,* ἔνδυμα i. indumentum. ¶ *In sanguine uvarum*] alii, *in succo uvarum.* Sed succus etiam de vino albo dicitur. Sanguis uvarum proprie est succus vini rubri, qui sanguini effuso similis est. Sic αἷμα σταφυλῆς Sirach. 39. 31. & 50. 16. *sanguis uvæ & mori, qui elephantis ostenditur* 1 Machab. 6. *ad acuendum eos in prælium.* Jam ad interpretes. Lxx. ἐν αἵματι σταφυλῆς. Hieron. *in sanguine uvæ.* Jonathan, *vestes ejus imbiberunt sanguinem qui similis est succo ex uvis expresso.* i. לעצר ענבין דמי למיא. Sic etiam autor Jerosolym. nisi quod in eo דעצר. Est autem עצר inter alia exprimere. In Onkelo מילת quod Fagius reddit sericum, potius est lana agnina, forte à Græca voce μῆλον, qua ovem significant. Ceterum in edit. Complut. est מלת unde μηλωτή, pellis ovina vel agnina. צבעונין sunt vestes vermiculo aut cocco baphico tinctæ. ¶ *Operimentum suum*] סותה Lxx. τὴν περιβολὴν αὐτοῦ, amictum suum. Hieron. *pallium suum.* Sunt qui decurtatum putant ex כסותה. Est autem כסות operimentum aut velamen. Sane Onkelos hoc loco habet כסותה. Abenezra ejus originem refert ad מסוה velum, velamen. Genes. 20. כסות עינים Forsterus interpretatur, *quasi velamen oculorum,* ut Caph sit nota similitudinis.

12. *Rubicundi oculi ejus à vino, & albus dentibus à lacte.*

Rubicundi oculi ejus &c.] Quippe vinum largius epotum, quod in magna copia & abundantia fieri solet, oculos rubentes facit: unde apud Salomonem, *Cui rubedo sive rubor oculorum.* Sig. autem id ebriosis communiter accidere. Saadias hunc locum ita olim exposuit, *rubicundiores oculi ejus vino, & candidior dentibus lacte.* Notum proverbiale, *lacte candidior.* Usus est, nisi fallor, Propheta Jeremias in Threnis suis. *Vino.* i. vino rubro. Sic Jes. 1. *lana* ponitur pro *lana alba.* ¶ *A vino*] Præ vino. Ceterum חכלילי ab antiquis varie redditur. Hier. *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Quod in Jonatha & Jerosolymitana יאין. *Quam pulchri sunt oculi Messiæ.* Lxx χαροποὶ. alias χαριτωμένοι. Vide nunc edit. Rom. Latinam. ¶ *Albus dentibus à lacte*] vel, *præ lacte. Ob largius epotum lac, dentes,* inquit, *albos habebat.* Ita loquendo sig. magnam copiam lactis fore in Judæa. Unde vocatur, *terra fluens melle ac lacte.* לְבֶן anomalon est pro לְבַן ex absoluto לָבָן candidus, albus. Aut Segol est propter Maccaph. Nam reperitur חֲלַב in regimine. Sic forte לְבֶן in constructione. ¶ *Dentibus*] שנים ὀδόντες propter geminum ordinem dentium. Vide Abenezram. Onkelos hunc locum sic convertit, *Rubicundi erunt montes ejus vineis ejus, stillabunt torcularia ejus vino, albescent campi ejus* (*vel colles ejus.* Videndus R. Salomo.) *frumento & gregibus ovium.* Jonathan, *Quam pulchri sunt oculi ipsius regis Messiæ, sicut vinum purum, ne videant turpitudinem & effundant sanguinem innoxium, & dentes ejus mundi à lacte, ne comedant raptum aut vi ablatum: & ita rubent montes ejus, & torcularia ejus vino, & colles ejus albescunt frumento & caulis ovium.* Pro *caulis ovium* in Jerosolymitana est עדרין דען gregibus ovium. Cetera fere conveniunt. גלוי ערוה est retectio pudendorum.

13. *Zabulon ad littus marium habitabit, & ipse erit portus navium, & latus ejus ad Sidonem.*

Zabulon ad littus &c.] Cur hunc sequenti præponit, cum post eum natus sit? An quia, ut Abenezra censet, hæreditas Issacharis media erat inter Zabulon & Dan? Si verum hoc, tunc habuit rationem situs terræ, non nativitatis. ¶ *Ad littus marium*] לחוף ימים ad littus marium. Hieron. *in littore marium* בחוף. Lxx. παράλιος maris accola, maritimus: vel, si placet, *juxta mare.* Onkelos על ספר ימא. alias יממא per duplex מ. Fagius interpretatur, *in littore maris*: ego, *ad terminum marium* i. regionem vicinam illis. Jonathan על ספרי ימא ad limites maris: Nam ספר terminus, limes: item littus. Hanc vocem in mente habuit Hieron. cum scriberet *Sephar ad in lingua Assyriorum terminum significare.* Ebræi sic definiunt, ספר *est terra populorum vicina terra Israel: item civitas maritima vocatur* ספר. R. Salomo, חוף juxta ejus Thargum est ספר, vernacule מַרְקֵא *marché ou bien marke* i. limites aut fines, unde Hispani appellant *Comarcanos,* quorum fines se invicem attingunt. Santes & alii recentiores, *ad portum marium.* Nam חוף etiam portus i. נמל, ut Abenezra explicat. Sed hic potius ipsum littus designat. i. שפה, ut interpretantur R. David & R. Levi. Est autem שפה proprie labrum sive labium. Labrum maris, ut labrum fluminis. Hic ripam, ibi littus denotat. ¶ *Ipse erit portus navium*] vel, *statio navium.* Verbum è verbo, *in portum sive stationem.* Ebraismus notus. Hieron. *in statione navium* בחוף. Trem. *ipse, inquam, in portu navium erit.* Santes, *& ipse juxta portum navium.* sub. habitabit: quod repeti debet ἀπὸ κοινοῦ, ex præcedentibus. Lxx. καὶ αὐτὸς παρ' ὅρμον πλοίων. Est autem ὅρμος statio navium: item portus καὶ συνεκδοχικῶς. Qua figura loquendi ἑστία pro οἶκος, & δίφρος pro ἅρμα ponitur. Nam in portu statio navium. Onkelos, *ipse subiget portus marium navibus, & bonum mariscomedet.* i. fruetur maris commoditate. Jonathan, *ipse erit dynasta in portibus, & subiget hyparchos maris navibus.* שליט dynasta, princeps, dominator, potestatem habens. ¶ *Ipse*] terra ejus. Sic mox, *latus ejus* pro terræ aut regionis ejus. ¶ *Portus*] לחוף in portum. Hic חוף est portus vel statio. Differt autem portus à statione, quia in portu statio, ut diximus. Ebræi explicant per נמל & נמל i. λιμὴν, transpositis litteris. Nomen Ebræum derivatur à חפף quod tegere significat. Nam tegit naves à ventorum injuria. Vel ita vocatur littus ab eo quod naves in illud trahantur & subducantur. Sane חפף *trabo* in lingua sapientum. Significat etiam pectere, quod vernacule dicunt פינר peigner. Videndus R. David in libro Radicum. ¶ *Et latus ejus ad Sidonem*] Lxx. καὶ παρατενεῖ ἕως Σιδῶνος: & pertendet Sidonem usque. Hieron. *pertingens usque ad Sidonem.* עד צידן. Onkelos, *& terminus ejus pertinget ad Sidonem.* Jonathan, *& limes ejus perveniet Sidonem usque.* Hic est עד צידן: ibi, hoc est in Onkelo על צידן quod alii reddunt, *versus Sidonem,* alii, *contra Sidonem.* i. è regione Sidonis. Potest etiam verti, *juxta Sidonem.* Notum ut על significet, juxta, prope, secus. R. Salomo, *finis termini ejus erit contiguus Sidoni.* ירכתו finis i. סוף. R. Levi קצה ארצו finis vel extremum terræ ipsius. R. David, *angulus ejus.* i. זוית. Sic Exod. 26. ירכתי המשכן anguli aut latera tabernaculi. ¶ *Ad Sidonem*] prope Sidonem. Sic in Latio, *sedit ad Numicum amnem* i. prope, juxta. Hiscuni hoc dicit סמך לצידן proximus vel contiguus Sidoni.

14. *Issachar asinus osseus, recubans inter duos terminos.*

Asinus osseus] חמור גרם asinus ossis i. osseus. Latina vulgata, *asinus fortis.* Sic etiam Santes. Sed & R. Salomo. Nam חזק fortis. Idem habet בעל עצמות. Quod R. Levi dixit בעל עצם. Tremellius, *ossibus valens.* Hier. Quæst. Ebraic. *asinus osseus*: quod secutus sum. Osseus i. ὀστώδης. Lxx. τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, bonum concupivit. Agnosco חמד pro חמר, hoc est Res pro Daleth. Iam vero in Lexico Chaldaico reperio גרם beneplacere: גרם beneplacitum. Onkelos, *dives opum*: Jonathan, *gravis in præsepi & tribus fortis.* חמר gravis, quod & חמור. Alioqui חמר ut Arabice חמאר asinus. Autor Jerosolymitanæ *tribus fortis.* Hieron. in Quæst. „Asinum osseum vocat & humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ & vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans. Ajunt Ebræi per Metaphoram significari, quod Scripturas sanctas die ac nocte meditans, studium suum dederit ad laborandum, & ideo ei omnes tribus serviunt, quasi magistro dona portantes. R. Salomo, „ Asinus ossibus valens portans jugum legis, ut asinus fortis, quem onerant gravibus sarcinis. Quidam, *asinus osseus.* i. macer valde, qui nihil aut parum carnis habeat, ossa atque cutis, ut ille ait, & miser à macritudine. Alii, *asinus robustus & ad onera ferenda idoneus.* Alii, *asinus qui præ gravitate corporis non valet incedere aut exire extra regionem suam, ut Zabulon, negotiandi caussa.* Quo accommodant illud, *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis.* ¶ *Recubans*] רבץ verbum proprium in bestiis, quo propterea usus est, quia eum cum asino contulerat. Vetus editio habet, *accubans,* & Græca, ἀναπαυόμενος. i. requiescens: & Jonathan מרבע: quod ab Ebræo רבץ derivatum, צ in ע versa. Sic dicunt אע ex Ebræo עץ, in quo insuper Holem in Camets mutavit. ¶ *Inter duos terminos*] prius erat *inter terminos,* & in Hieron. Quæst. Ebraic. *recum-*

recumbens in terminis. Sed exprimendus erat dualis, qui in voce Ebræa מִשְׁפְּתָיִם. Quod ante me fecit autor Jerosolymitanæ, referens, *terminus ejus erit medius* (verb. è verb. *dimidians*) *inter duos terminos.* Chaldaice יהי עדבה בין תחומין. Ceterum in termino consentiunt Onkel. & Jonathan: quorum ille vertit, *hæreditas ejus inter terminos*, hic edidit, *ipse recubat inter terminos fratrum suorum.* Consensus iste veterum interpretum in caussa est cur termini versionem retinuerim. Non est temere recedendum ab antiquis. Nec obstat quod in LXX. ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, inter medios cleros. Nam κλῆρος est sors. Sors cujusque & pars erat terminus, qui sorte ei obtigerat. Ex Symachi citatum inveni olim *viciniam.* Tremellius habet, *inter duas sarcinas.* Sed editio Gallica, *entre les barres des estables.* Videamus quid secuti sint. Nam non suxerunt è suo pollice. Tremellium juvant interpretes Ebræi Abenezra & R. Levi, qui lucem huic loco dant hoc Scholio בין שני משמרות inter duos ordines. Nam sententia est ut si dicerent, *inter duas sarcinas hinc inde ordinatas.* Quod docet R. David per hæc verba, משפתים *sunt duo ordines, videlicet sarcina quibus onerant asinum ab utraque parte, vulgo* בלש *i. bales. i. fasces mercium, & adeo robustus est, ut cubet inter duos hujusmodi fasces & surgat cum eis.* Quod Gallicam editionem attinet, *les barres* sunt repagula vel septa in stabulis, inter quæ asini & equi stant aut cubant. Mirari libet. Nam qui ita vocabulum Ebræum enarraret, neminem adhuc inveni. Jud. 5. בין המשפתים inter terminos. R. David ibi exponit ממשפתות וגדרות הצאן ordines & macerias vel septa ovium.

15. *Vidit requiem bonam esse, & terram amœnam, inclinavitque humerum suum ad bajulandum & fuit tributo serviens.*

Bonam esse] כי טוב quod bonum i. res bona esset. Aliter, *vidit*, i. probavit *requiem*, *quia bonum* i. res bona esset. Puto rectum esse, *Vidit requiem* i. locum requietis suæ. Mox ait, הארץ cum articulo, cujus ea vis, ut si diceret, *terram suam* i. quæ videlicet ei forte obtigerat. Nam futura narrat ac si præterita essent. Similis per omnia locus Gen. 1. 3. *Vidit lucem quod bona esset*, sive *bonam esse.* ❡ *Requiem*] τὴν ἀνάπαυσιν. Onkelos חולקא i. partem suam. Jonathan, *quietem seculi venturi.* Thargum Jerosolymitanum, *domum sanctuarii, qua vocatur requies.* Heu pravam interpretationem. Domus sanctuarii vocatur requies DOMINI, non requies absolute, quod sciam. R. Salomo, *Vidit pro parte sua terram benedictam & bonam ad producendum fructus.* ❡ *Terram*] partem terræ Israel. ❡ *Amœnam esse*] כי נעמה quod amœna esset. Sic David ait, *hæreditas obtigit mihi* בנעמים *in amœnis.* Lxx. ὅτι πίων quia pinguis. Hiero. *quod optima.* Onkel. *quod fructus ferret*, sive, *quod fructifera esset.* Jonathan, *quod amœna esset:* si modo בסימא sig. amœnam. Nam usitate sonat *dulcem, suavem.* Potest etiam reddi, *mella.* Thargum Jerosolymitanum, *fructus ejus pingues esse.* Santes, *quod esset pulchra.* ❡ *Inclinavitque humerum suum ad bajulandum*] ויט שכמו לסבל Lxx. ὑπέθηκε τὸν ὦμον αὐτοῦ εἰς τὸ πονεῖν. Hier. *& supposuit humerum suum ad portandum.* εἰς τὸ πονεῖν magis sonat ad laborandum. Jonathan, *propterea inclinavit humerum suum* (lego ארכין ex Jerosolym.) *ad laborandum in lege.* Autor Jerosolymitanæ, *& inclinavit humerum suum ad laborandum in lege.* Chaldaica sunt ארכין כתפיה למלעי באורייתא. Quibus verbis usus est etiam Jonathan. Onkelos, *& subegit sive domavit terminos populorum, & delevit habitatores eorum.* ❡ *Inclinavit*] R. Salomo explicat השפיל humiliavit. *Sic accipitur*, inquit, *in illo Davidis, inclinavit cœlum*, & in illo, *inclinate aures vestras.* tralatio à bajulis qui humerum inclinare solent cum sarcinas aut onera iis imponuntur. Sequitur in dicto Rabbino, *Onkelos aliter* ἀλλοφρασεῖ, *inclinavit humerum suum ad sustinendum bellum & ad domandum terminos, quos habitant ad littus, eritque hostis ab eo subactus sub tributo serviens.* ❡ *Et fuit tributo serviens*] ויהי למס עבד Lxx. καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός, & factus est vir agricola. Videntur legisse לאיש עבד. Quod ita dicitur pro עבד אדמה colens terram i. agricola sive agricultor. In edit. Vulgata, *factusque est tributis serviens.* Onkelos, *Qui autem remanebunt in eis, erunt ei servientes & portantes tributa.* Jonathan, *& fratres ejus ei adferent dona.* Jerosolymitana, *& omnes fratres ejus adferent tributa.* ❡ *Tributo serviens*] למס עבד accipiunt ac si dictum esset עבד למס serviens tributo, hoc est, *tributum pendens.* Ita Santes & alii. Quo facit quod in edit. Vulgata. Prætulerim, *sub tributo serviens.* Vult dicere, quod illi pendunt qui serviunt aliis. Viderunt hoc ante me Galli qui vertunt, *& a été assujetti au tribut de ceux qui sont asservis.* Sunt qui legant, *in tributum serviens.* i. servile: ac si aliud tributum esset non servile. Obvia hæc phrasis Jos. 16. 10. & 1 Reg. 9. 21. Alioqui, *esse sub tributo* i. למס fig. tributum pendere quod vulgo dicunt, *tributarium esse.* Hoc sensu Salomo dixit, *manus ignava erit sub tributo* i. tributaria.

16. *Dan judicabit populum suum ut una tribuum Israel.*

17. *Erit Dan serpens juxta viam, cerastes juxta semitam, qui mordet calces equi adeo ut cadat sessor ejus retrorsum.*

18. *Salutem tuam expectavi DOMINE.*

Dan] tribus Dan, aut unus aliquis ex ea tribu. Quod communiter exponatur de Samsone. Omitto Hieron. Nicolaum & alios. R. Levi, *ex Dan erit qui populum suum judicabit &c.* Onkelos, *ex domo Dan eligetur & surget vir, in cujus diebus vindicabitur populus ejus & in annis ejus quiescent pariter tribus Israel.* Jonathan, *E domo Dan exsurget vir qui judicabit populum suum judiciis veris & æquis, simul obedient ei tribus Israel. Vide sequentia.* ❡ *Judicabit*] κρινεῖ. Id exponunt, *reget:* alii, *vindicabit.* R. Salomo & Hiscuni, *vindicabit vindictam ejus.* Sic alibi, *DOMINUS judicat populum suum* i. vindicat. Hæc tribus, teste Hiscuni, sequebatur vexilla, & extremum agmen claudebat. Abenezra, *Innuit eum futurum vexilliferum, ut unum ex filiis herarum.* i. justarum uxorum. Vexilliferum autem appellat בעל דגל dominum vexilli. Porro *judicabit.* i. ידין in quo allusio ad nomen דן Dan, & est elegans paranomasia, ut si Latine dicas, *Sanctus sanctificabit: justus justificabit &c.* ❡ *Populum suum*] populares suos Israelitas. ❡ *Sicut una tribuum Israel*] כאחד שבטי ישראל. Lxx. ὡσεὶ καὶ μία φυλὴ ἐν Ἰσραήλ: sicut & una tribus in Israel: Hieron. *sicut & alia tribus in Israel.* Videtur legisse Res pro Daleth. Nam אחר alia. φυλὴ ἐν Ἰσραήλ שבט בישראל. Quidam, *tanquam vir unus erunt tribus Israel.* Vult dicere, *concordibus animis ipsum juvabunt, eique parebunt.* ❡ *Una*] una quæpiam aut aliqua. Sic *Vir unus* i. quidam. Onkel. & Jonathan כחדא una, simul, pariter. i. יחד. Dubito an כאחד eo significatu uspiam accipiatur. Alioqui posset sensus esse, judicabit populum suum, hoc est Danitas, & simul alias tribus Israel. ❡ *Serpens juxta viam*] proverbiale quod in eum proprie competit qui callide inimico insidias parat. Nam hoc serpens facit secus viam observans prætereuntem hominem, quicum naturaliter inimicitias gerit. Græce est ὄφις ἐφ᾽ ὁδοῦ. Ebraice vero נחש עלי דרך. *Serpentem* autem Onk. appellat חויא חורמן: Jonathan חורמנא & Autor Jerosolymitanæ חורמן unde lux Eusebio [illegible]. pag. 40. quo in loco ita scribit, [illegible] ὄφις [illegible]. Arabes dicunt חיה. Appellatio à vivacitate. Nam חיים vita. In Hispaniola regione Indiæ serpentes sunt quæ vocantur *Hyuana.* Chaldæi *feram* i. θηρίον appellabant חיה & חיותא. Porro ἐν τοῖς θηρίοις οἱ ὄφεις. ❡ *Cerastes*] ita Hieron. Est autem κεράστης genus serpentis, qui & κεράστης, à corniculis, quæ, teste Plinio, sæpe quadrigemina in ejus corpore eminent, ita dicti. Aetius auctor eum habere in capite duas eminentias ad cornuum similitudinem. Gregorius in 31. Moralium, *Dan non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur, à cornibus.* κέρατα *enim Græce cornua dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur.* Ceterum in Ebræo est, שפיפן quod idem cum שוף contero, τηρέω, ut Genes. 3. *tu conteres ei caput & ipse conteret tibi calcem:* quod de serpente ibi dicitur. Lxx. habent ἐγκαθήμενος, insidens. Onkelos חורמן, quod genus colubri Ebræi פתן indigitant. Jonathan, ריש חויין capita serpentum. Thargum Jerosolymitanum חורמנא quod vocabulum usurpavit Jonathan in declaratione τοῦ נחש i. serpentis: Munsterus in Lexico suo *regulum* sive *basiliscum* interpretatur. R. Salomo, שפיפן *est serpens:* & mox, *Onkelos vertit* כחיו חורמן, *Id est genus serpentis morsu ictum inferens immedicabilem, & vocatur alio nomine* צפעוני, diciturque חורמן *quia omnia exterminat.* חורמן *autem est* פתן, *&* יכמון *idem quod* יארב *insidiatur.* Gallica editio, *coluber*, quia propriè serpens nemorum umbras incolens. R. Levi פתן i. interprete Hieron. *coluber.* Leo Judæ *aspis.* Quod est interpretamentum τοῦ פתן. Tremel. *acontias:* in quo significatio jaculi, quod ἀκόντιον dicitur. Unde in Thesauro redditur *iaculus*, & est species serpentis. Moses Gerundensis filius Nahaman scribit *hanc speciem serpentis exiguam esse, & pilum humanum referre, & data est*, inquit, *potestas terræ ut diffundatur coram eo:* ejus mentio in Thalmud quod Ierosolymitanum appellatur. Cur autem Samson serpenti assimiletur, idem hanc ponit causam, *quia*, inquit, *per insidias aggressus est hostes suos, & solus; non cum exercitu.* Vide, si placet. ❡ *Adeo ut cadat sessor ejus &c.*] nam equus à serpente morsus elevat anteriores pedes atque ita excutit sessorem suum. ❡ *Calces equi*] עקבי סוס Lxx. πτέρναν ἵππου, calcem sive calcaneum equi. Hieron. *ungulas equi* פרסתא. Ionathan, *qui mordet equum in calce.* Ierosolym. *qui percutit equum in calcaneo*

canco ejus. Gallica editio, *le paturons du cheval*, quod reddunt, *suffragines equi.* ❡ *Adeo ut cadat*] ויפל & cadit. Onkelos videtur legisse יַפִּיל. Nam vertit ויפיל & dejiciet, cadere faciet. ❡ *Sessor ejus*] Hiron. *ascensor.* Lxx. ὁ ἱππεύς. i. eques. Thargum Ierosolym. *præ terrore ipsius opinatur sessor ejus quod retrorsum se vertat.* ❡ *Salutem tuam expectavi DOMINE*] Quidam, *pro salute tua*, (ô Dan) *expectavi*, vel si mavis, *speravi DOMINUM.* Siquidem קוה est cum spe expectare opem vel auxilium ab aliquo. Priorem interpretationem, quam veram esse puto, firmant Onkelos & Lxx. Nec adversatur Hieron. Etiam Ebræa verba ei firmandæ sunt. Trem. *In salutem tuam exspectavi Jehovam*, non placet. Ionathan & autor Ierosolymitanæ, „Expectavi salutem non Gedeonis filii „Ioas, quæ duntaxat ad tempus durant, nec eam quam præstitit „Samson: sed tuam quæ sempiterna est." Sensum expressi, non verba. Nam in Ierosolym. „Sed in salutem quam dixisti verbo „tuo adducere populo tuo Israelio respexit anima mea. Ionathan quoque aliquantum variat in verbis. Ego ita censeo. Qui sententiam bona fide reddit, non debet de cetero admodum sollicitus esse. Abenezra præter dictas interpretationes aliam adfert quæ hanc sententiam continet ut si diceret, *expectavi sive expecto DOMINUM, qui te, o Dan, servet in periculo constitutum.* לישעתך pro להושיעך ad servandum te. Quod insolens non est in hac lingua. ❡ *Salutem tuam*] τὴν σωτηρίαν σου. Hier. *salutare tuum*, τὸ σωτήριόν σου. Sic Aquila vertit nomen ישועה Ies. 26. ad quem locum Eusebius Emisenus ἡ ἑβραϊκὴ λέξις αὐτὴ τοῦ σωτηρίου τὸ ὄνομα Ἰησοῦς δηλοῖ ὡς ἔοικεν. αὐτὸς χρηματίζει ὁ σωτὴρ ἡμῶν ἑβραϊκῶς χρηματίζων. Quod noto propter Gregorium, qui in 31. Moralium ita scribit, *Quod salutare dicimus Latine, hoc verbo Ebraico Jesus dicitur.* Cum bona venia eorum qui sic sentiunt dictum hoc sit. Salutare dicitur ישועה: Iesus autem vocatur יֵשׁוּעַ & contractius יֵשׁוּ. Nam quod nonnulli scribunt יְשׁוּעַ cum Scheva sub Ioth, error est, non veritas scripturæ. Non est omittendum veteres Christianos hunc locum enarrasse de Anti-Christo, quem ex hac tribu nasciturum huc usque multi credunt. Qua de re Ambrosius, „Fuit autem & Samson de tribu Dan, & judicavit Israel 20. annis. Sed non hunc „prophetia significat, sed Antichristum, qui futurus est ex tribu Dan. Et Theodoretus, „Ego vero in eam sententiam venio, ut existimem Spiritum Sanctum ea quæ ad salvatorem nostrum pertinent vaticinari, atque hoc loco Antichristum prædixisse: quæ enim scripta sunt illi maxime conveniunt, Dan „judicabit &c. Quemadmodum enim ex tribu Iuda servator „noster germinans, terrarum orbem servabit: ita ex tribu Dan „exitialis ille serpens egredietur & quæ deinceps sequuntur. Vide, „si placet.

19. *Gad turma turmatim invadet eum, & ipse turmatim invadet finem.*

Turma turmatim invadet eum] גדוד יגודנו Lxx. πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν: quod reddunt, *tentatio tentabit eum.* Nam πειρατήριον, tentamentum, experimentum. Putarim vertendum, *globus pyratarum prædabitur ipsum*, ut πειρατήριον sit cœtus & conciliabulum piratarum, hoc est τὸ πειρατικόν, manus piratica, cohors vel turba piratarum. Πειρατεύω autem in communi usu sig. piraticam facio exerceo ve. Est autem piratica vitæ genus quod piratæ sequuntur. Interpres vetus, *accinctus præliabitur ante eum.* Conjicio legendum, *prædabitur ante eum.* Nam ita exponitur verbum πειρατεύει à nonnullis. Hieron. in Quæst. *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantam. Juxta Ebræum interp. sumus. Sed ubi nos latrunculum exposuimus, ibi scriptum est* גדוד *ut ad Gad nomen alluderet, qui significantius εὔζωνος i. accinctus seu expeditus exprimi potest.* Santes, *exercitus succidet eum.* Trem. *Turma turmatim populabitur eum.* Leo Iudæ, *Cuneus latronum grassabitur in eum.* Arias, *exercitus superabit eum.* Gallica, *troupe lui courra sus.* Abenezra & R. Levi, *globus invadet eum & in captivitatem ducet eum: sed ipse invadet & vincet globum illum tandem.* ❡ *Turma*] cuneus, globus. Vide supra. ❡ *Turmatim invadet*] יָגֻד ut יָשֻׁד. Hoc à שדד, illud à גדד. Sic יָרֹן à רנן. Esset autem יָשׁוֹד cum Holem in ultima. ❡ *Finem*] extremum agmen. Alii, *novissime:* alii, *tandem*, & subaudiunt, *illam turmam.* Historia hodie ignorata. Sapienter Abenezra, cui R. Levi succinit, *Nescimus hodie omnes molestias quæ patribus nostris acciderunt.* עקב proprie calx sive calcaneus, & metaphorice finis, à simili simile. Nam calcaneus finis est & extrema pars corporis humani. Quamobrem etiam pro mercede ponitur, quæ in fine operis persolvitur. Lxx. hic habent, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας: quod interpretantur, *ipse autem tentabit eum secus pedes.* Sed πειρατεύειν, ut diximus, aliud hoc loco significat. Hieron. „& ipse accingetur retrorsum. Onkelos, „Ex iis quæ de domo Gad castra armatorum erunt, quum transibunt Iordanem ante fratres suos ad „pugnam, & cum divitiis multis revertentur in terram suam. Ionathan, „Tribus Gad transibunt armati cum reliquis tribubus „torrentem Arnon, & ipsi subjicient sibi columnas terræ illius, „& redibunt armati ad extremum cum opibus multis & habitabunt quiete ultra Iordanem &c. Thargum Ierosolymitanum, „Qui de domo Gad castra &c. & ipsi facient ut Israelitæ trajiciant „Iordanem & possideant terram Chanaan, & postea redibunt „cum pace ad tabernacula sua.

20. *Ex Aser pinguis panis ejus & ipse præbebit delicias regis.*

Ex Aser] ex terra sive sorte Aser. Quidam, *de Aser* sive *quod Aser attinet.* Alii מן redundare putant, ut Lxx. Hier. & Ebræorum nonnulli. ❡ *Pinguis panis ejus*] frumentum ejus optimum ac præstantissimum. Aut panis ejus. i. cibus ejus. Sed pro *frumento* ponitur sæpe, ut alibi notamus. Quemadmodum hic, *panis ejus pinguis erit:* sic legimus, *adeps frumenti, medulla tritici* pro eo quod optimum in frumento & tritico. Græcus Scholiastes, *Sortita est hæc tribus hæreditatem circa Sidonem & Ptolemaida regionem frumenti fertilem.* Lxx. habent πίων αὐτοῦ ὁ ἄρτος. ❡ *Pinguis*] optimus. Nam quod optimum in quaque re pingue dicitur. Sic holocaustum pingue. Ambrosius de Cain & Habel, lib. 2. cap. 5. „Frequenter pingue opus dicimus quod spissum & operosum inteligi volumus, „& opima hostia prædicatur, quæ non sit tenuis non exilis. Unde & sacrificium pingue recte nuncupamus, quod optimum „cupimus declarare, & holocaustum pingue, acceptabile est sacrificium, quod pingue, quod nitidum, & quodam pabulo „fidei ac devotionis verbique cœlestis uberiore alimonia saginatum. Ebraice שמנה quod arguit לחם ex iis nominibus esse quæ modo masculine, modo fœminine construuntur: qualia sunt, teste Abenezra, בית domus, מקום locus, יד manus, אש ignis, עין oculus, רוח spiritus, ארץ terra, ארון arca, עם populus. His adde, si placet, נפש anima. ❡ *Panis ejus*] vel, *panis* simpliciter, ut Vau in לחמו sit paragogicum. Quid Galli existimasse videntur, qui verterunt *le pein gras proviendra d'Ascher.* i. panis pinguis proveniet ex Aser. Quid si pronomen referatur ad *regem* de quo mentio in sequenti membro? Onkelos, *Aseris terra bona erit.* Ionathan, *Beatus Aser ex pinguibus sunt fructus terræ ipsius.* Thargum Ierosolymitanum, *Beatus Aser quam pinguis est terra eius.* Sunt qui Patriarcham allusisse putant ad nomen אשר in quo significatio beatitudinis. Qua de re Rupertus, *Aser beatus interpretatur. Bene ergo allusit ad nomen eius dicendo, pinguis panis eius. Pinguedo namque vel abundantia panis, quædam beatitudo est vulgi judicio.* ❡ *Et ipse præbebit delicias regis*] והוא יתן מעדני מלך. Lxx. καὶ αὐτὸς δώσει τρυφὴν ἄρχουσι. Lectio varians τροφήν, & in Ambrosio, *escam.* Hieron. *& præbebit delicias regibus.* Onkelos, *& ipse enutritus in deliciis regum.* Ierosolymitana, *& ipse suppeditabit delicias regibus Israelitarum.* R. Salomo, *Cibus qui provenit ex parte Aser, erit pinguis. Nam erunt olivæ plurimæ in sorte ipsius.* Et mox, *Ita benedixit ei Moses, inquiens, intingens in oleo pedem suum.* ❡ *Delicias*] cibos delicatos. ❡ *Regis*] regales, vel regias.

21. *Nephthali, cerva emissa, qui dat sermones elegantia.*

Cerva emissa] אילה שלחה. Lxx. στέλεχος ἀνειμένον, quod alii reddunt, *virgultum resolutum:* alii, ut Ambrosius, *vitis remissa.* Lexicon vetus, στέλεχος, *stirps, codex, robur.* In Thesauro exponitur, *truncus, caudex.* Hiero. *cervus emissus.* אילה שלוחה. Idem in Quæstion. *ager irriguus.* Verba sunt, „Juxta Lxx. Nephtalim virgultum resolutum, dans in generatione pulchritudinem. In Ebræo ita scriptum est, Nephthalim ager irriguus, dans eloquia pulchritudinis. Signans quod „aquæ calidæ in ipsa nascuntur tribu, sive quod super lacum Genesareth & fluento Jordanis irrigua sit. Ebræi autem volunt propter Tyberiadem quæ legis videbatur habere notitiam, agrum „irriguum & eloquia pulchritudinis prophetari. Porro ubi nos „agrum irriguum, in Ebræo legitur AIALA SELUCHA, quod „potest cervus emissus transferri, propter temporaneas fruges „velocitatem terræ uberioris ostendens. Onkelos, „Nephthali „in terra bona jacietur sors ejus. Jonathan, „Naphthali nuncius velox similis cervæ quæ currit &c. Thargum Jerosolymitanum: *nuncius celer ad nunciandum nuncia bona.* Vide sequentia. ❡ *Cerva*] cervarum velocitas in proverbium abiit. Unde *pedes cervarum* de velocissimis. Ps. 18. 34. & in Hieroglyphicis litteris cursum pernicissimum ex cervi currentis specie olim significabant. Porro cervæ, quia cornibus minus gravantur, creduntur velociores esse. In Jonathæ מבשר בשורן טבן nuncians nuncia bona. Hinc perspicuum בשר latius patere quam vulgo existimant. ❡ *Emissa*] dimissa, laxata. Abenezra,

etra, missa dono. Qui autem accipit donum, dare solet verba pulchritudinis i. pulchra, elegantia. Cervæ vox inter amatoria, ut *cerva amorum*. Quid si ergo vertamus, *Naphthali, cerva dimissa, qui dat sermones elegantes?* Vult dicere, ut uxor quam vir dimisit & repudiavit, dat verba pulchra & elegantia, quibus maritum sibi reconciliare intendit & redire cum eo in gratiam conatur. Hoc pono, non statuo. ¶ *Qui dat*] הַנֹּתֵן qui dat vel dans. Lxx. ἐπιδιδοὺς, part. mas. quod ideo ad Naphthali referri debet. Nam cerva genere ab eo discordat. ¶ *Sermones elegantiæ*] אִמְרֵי שָׁפֶר sermones pulchritudinis. Lxx. ἐν γεννήματι κάλλος. Quid viderunt cum ita verterent? Hiero. „eloquia „pulchritudinis. Onkelos, „Hæredes ejus edent fructus de qui„bus gratias agent & benedicent (*Deo*). Jonathan, „Quum ape„riet os suum in Synagoga Israel ad laudandum, potior erit omni„bus linguis. Thargum Jerosolymitanum, „quum ipse aperiet „os suum in Synagoga Jacobæorum, lingua ejus dulcior erit mel„le. Abenezra, „Sunt qui dicant per cervam innui Deboram, „& per sermones elegantiæ canticum illud quod cecinit una cum „Barac, qui ex tribu Nephthali. R. Levi. „Ecce cerva velociter movetur, & est parabola de Barac filio Abinoam, qui celeri„ter paruit dicto Deboræ cum eum mitteret adversus Sisaram, cui „erant nongenti currus ferrei, & in fine negotii dedit verba ele„gantiæ cantico quod cecinerunt ipse & Debora. R. Salomo, „Dans sermones elegantiæ, juxta Thargum ejus יִתְרְמֵי עַדְבֵיהּ „projicietur sors ejus i. יִפֹּל חֶבְלוֹ cadet funiculus ejus, & ipse „laudabit partem suam verbis pulchris & elegantibus. Alia ex„positio: de bello Sisaræ vaticinatur], quo confecto cecinerunt „canticum Debora & Barac &c. ¶ *Elegantiæ*] vel, *pulchritudinis*. שֶׁפֶר pulchritudo i. יֹפִי κάλλος. Chaldaice שְׁפַר, unde שְׁפַר אַרְעָא pulchritudo terræ, שַׁפִּיר pulcher, שַׁפִּירָא, pulchra, & verbum שְׁפַר pulchrum fuit, placuit.

22. *Ramus fructum ferens Joseph, ramus fructum ferens juxta fontem: rami procedunt supra murum.*

Ramus fructum ferens] aut, *filius fœcundus*. Nam in fonte בֵּן פֹּרָת. Porro בֵּן usitate filium denotat: interdum etiam ramum significat i. עָנָף, vel potius malleolum aut propaginem, surculumve. Ita sumitur Ps. 80. 16. ubi editio Gallica, *les provins*. Est autem *provin*, propago, progenies vitis, malleolus. Lxx. υἱὸς ηὐξημένος, filius auctus. Hiero. *filius accrescens*. Onkelos בְּרִי דְיִסְגֵּי *filius meus qui multiplicabitur sive augebitur*, vel si placet, *magnus evadet*. Jonathæ & Jerosolymitana, *filius meus qui auctus es*. Vides antiquos omnes in filii declaratione consentire. Ea res facit ut jam dubitare incipiam de ramo. Sed novum non est ut populus Israel comparetur cum vite. Hujus progenies sive propago vocatur בֵּן, quod perinde se habeat ad radicem vel truncum ut filius ad matrem. Firmabo hoc testimoniis Ebræorum. Ergo sapiens Abenezra interpretatur סְעִיף, ut etiam R. Levi, & Hiscuni עָנָף. Quomodo & David cognomento Camius apud Davidem loco supra citato. Cum Hiscuni consulerem, offendi alium locum ab eo nove expositum è superiore versu. Is est אַיָּלָה שְׁלֻחָה quod interpretatur, לְשׁוֹן מִישׁוֹר planities sive campus, vel quercetum plantatum i. נְטוּעָה. Idem אִמְרֵי שָׁפֶר exponit ramos pulchros (Nam אָמִיר ramus) hac sententia, regio ejus plana erit consita ramis qui fructus ferant pulchros & elegantes. Hæc obiter. Jam ad propositum. Ebræorum sententiam secuti sunt Santes, Tremell. & interpretes qui è Sabaudia. Sed Arias, *filius frutescens*: & Leo Iudæ, *filius fructum edens*. Mercerus, *filius i. ramus: ideo cum fœminino adjectivo jungitur*, פֹּרָת, *quod habeatur ratio Synonymi* פֹּרִיָּה, quæ est constructio sensu congrua, non voce. ¶ *Fructum ferens*] fructifer, fœcundus, fructuosus, καρποφόρος. Ebraice פֹּרָת cum (ׇ) in ultima. Sic editio Veneta secunda & alii libri correctiores. Quanquam in quibusdam פֹּרַת ultima (ַ). Reperitur etiam פּוֹרִיָּה eodem sensu. Esset autem, פּוֹרָה ut גּוֹלָה. Scire licet fœminina terminari promiscue in ה præcedente (ׇ) cum accentu, & in ת præcedente qualibet vocali. Sic אֵיכָה & אֵיכָת &c. Sunt etiam qui פֹּרָת accipiunt pro פֹּרָה in significatione פֹּארָה. Vide Abenezram. ¶ *Ramus fœcundus Joseph, ramus fœcundus*] repetitio ad auxesin facit. Simile, *quia ecce hostes tui DOMINE, quia ecce hostes tui*. Cui par, *sustulerunt flumina DOMINE, sustulerunt flumina vocem suam*. Nec dissimile, *ego DOMINO, ego canam*. Videndus Hiscuni. ¶ *Juxta fontem*] עֲלֵי עָיִן super fontem i. juxta, prope, secus. Sic Junius dixit, *super Numicum amnem*. Onkelos, *filius meus qui benedicetur ut vitis plantata juxta fontem aquæ*. Editio Jonathæ & Jerosolymitanæ, *Assimilo ego te Joseph, fili mi, viti plantatæ secus scaturigines aquarum, quæ emittit radices, &c.* Hieron. *decorus aspectu*. Siquidem עַיִן proprie oculus: Inde transfertur ad fontes qui sunt quasi quidam oculi terræ. R. Salomo, *filius gratiosus* (פֹּרָת in lingua Chaldæorum חֵן gratia) *cujus gratia extensa est super oculum qui videt eam*. ¶ *Rami procedunt ultra murum*] palmites & malleoli murum transcendunt. Solent enim vites juxta murum plantari. Ita sig. singularem duarum tribuum, quæ ex Ioseph prodierunt, fœcunditatem. Quod amplius firmant filii Ioseph in oratione quam ad Iosuam habuerunt, ubi inter alia hæc verba leguntur, *Ego populus multus cui hucusque benedixit DOMINUS*. Iam ad aliorum interpretationes. Hieron. *filiæ discurrerunt super murum*, nempe ad videndum speciem ejus. בָּנוֹת צָעֲדָה unaquæque filiarum incedit. R. Salomo עֲלֵי שׁוּר interpretatur עַל רְאִיָּתוֹ ad videndum eum. *Filiæ*, inquit i. puellæ aut fœminæ, *incedebant ad contemplandum pulchritudinem ejus, filiæ plurimæ, unaquæque earum ibat ad locum unde ipsum videre poterat*. Onkelos, *duæ tribus exibunt de filiis ejus, accipient partem & hæreditatem*. Nota historia de filiabus Manasse & Salphaad, quæ acceperunt hæreditatem in utraque ripa Iordanis. Ionathan & autor Ierosolymitanæ, *Quum te collocarent in curru secundo regis & proclamarent ante te, Pater regis vivat & salvus sit pater regis qui magnus est sapientia & parvus annis, tum filiæ regum & dynastarum saliebant propter te in fenestras &c.* In Ionatha est מְהַלְּכָן עַל שׁוּרַיָּא ibant super montes. Santes, *filiæ incedebant super murum*. Tremellius, *imo duo rami procedit uterque ultra murum*. Harum duarum interpretationum Galli unam in textu posuerunt, alteram in margine. Textum occupat Tremellii, marginem Pagnini versio. Hiscuni, *Filiæ sunt rami qui exeunt e corpore arboris: dicit autem ramos illos magnos & altos evadere adeo ut murum transcendant*. R. Levi, *ex ramo illo germinarunt ramuli & in altum creverunt donec procederent supra murum. Id innuit felicitatem Josephi & multiplicationem seminis ipsius post ipsum*. Consimilia his invenies in commentariis Abenezræ, ad quem te remitto. Vide quoque Mercerum. Pro clausula addam versionem Lxx. ea est πρός με ἀνάστρεψον i. עֲלֵי שׁוּר. Quis credat eos vigilasse cum ita verterent?

23. *Et exacerbaverunt eum & jaculati sunt: Nam odio prosequebantur eum jaculatores.*

Exacerbaverunt eum] Sic vertit Hiero. in Quæstion. ubi & צָעֲדָה reddit, *gradu composito incedentes*. Quod notandum duxi propter viri autoritatem. Ebraice est, וַיְמָרְרֻהוּ & amaritudine affecerunt eum. Quod Græci exprimunt verbis πικραίνω & πικραίνω. Nam πικράζω aliud est. Potest etiam legi, *exasperaverunt eum*. Quod ad Iosephum alii, alii ad totam tribum referunt. Tremell. *Quamvis amaritudine affecerint eum*. Arias, *amarificarunt eum*, quod plane barbarum est. Augustinus alibi, *Ipsi amaricaverunt Deum, qui peccando in eam agritudinem devenerunt*. Calep. *vox est barbara & Latinis auribus inaudita*. Onkelos, עִמֵּהּ וְאִתְמַרְרוּ exacerbarunt se cum eo. Codex qui in octavo complicat מרו habet, quod mihi suspectum. Ionathan וּמְרִירוּ לֵהּ putarim legendum אַמְרִירוּ, ut in Ierosolymitana אַמְרוּ pro eo quod in libris אִמְרוּ. Est autem præteritum imperfectum ad instar אַרְקִי. Utriusque thema מרר. Aut אַמְרוּ dixit pro מְרוּ ut דַּקִּי redundante Aleph, ut in אָדָם sanguis, מרו i. amari fuerunt לְקִבְלֵהּ coram eo. R. Salomo, *exacerbaverunt eum fratres: item Phutiphar & uxor vinciendo eum*. R. Levi, *Recte etiam exponitur de futuro* &c. licet vertere, *petiverunt fel ejus & jaculati sunt*. Nam מרה fel. Dicitur & מְרֵרָה & מְרוֹרָה, quod Rabbi David interpretatur כִּיס הַמְּרֵרָה receptaculum fellis. Idem in libro Radicum, *jaculati sunt sagittas in fel usque*. Abenezra, *dicit Hannagid sensum esse, posuerunt fel ejus scopum sive aggerem & postea jaculati sunt*. Vide sequentia. Hæc interpretatio à Christianorum nullo adhuc notata est, quod sciam. ¶ *Et jaculati sunt*] וָרֹבּוּ Lxx ἐλοιδόρουν, conviciabantur, maledicebant. Onkelos, וְאִתְנַקְּמוּ i. interprete Fagio, *& ulti sunt eum*. Hiero. *& jurgati sunt*. Ionathan וּנְצוֹ לֵהּ & contendebant cum eo. An legerunt וַיָּרִבוּ à themate רוב, unde & רִיב Lis, contentio, jurgium? Aut existimarunt רבב hoc loco habere significationem jurgii i. רִיב. Nam ordines hoc modo sæpe confunduntur. R. Salomo, *facti ei sunt viri jurgii* i. אַנְשֵׁי רִיב, quod idem cum illo, *jurgati sunt cum eo*. Potior altera versio, *circulati sunt*: quam firmant sequentia: tum etiam dictio רַבִּים Ier. 30. quæ ibi *sagittarios* seu *jaculatores* denotat. Hanc tuentur Abenezra, David Camius & R. Levi: quos deinde secuti sunt Santes, Trem. & alii recentiores. Santes habet, *jaculaverunt*. Nam etiam *jaculo* dicimus pro jaculor. Claudianus, *latis jaculabat in armis*. ¶ *Nam odio prosequebantur eum*] וַיִּשְׂטְמֻהוּ Lxx. καὶ ἐνεῖχον αὐτῷ, & intendebant ei. Hiero. *inviderunt que ei* וַיְקַנְאוּ. Nam קִנְאָה invidia. Onkelos וְעָקוּ לֵהּ angustia affecerunt eum. Ionathan & autor Ierosolymitanæ, *calumniati sunt eum coram Pharaone*. Præcedit autem, *magi & sapientes Ægypti*. Non est de nihilo quod ita vertant. שָׂטַם enim & שָׂטָן synonyma

ma sunt. Itaque utrumque à Camio exponitur לשון איבה inimicum esse, aut inimicitias exercere. שטן autem Græci reddunt ἐνδιαβάλλειν, ut Psal. 109. 20. שטני ἐνδιαβαλλόντων με. i. calumniantium me. Unde Satan, qui Græco vocabulo diabolus dicitur i. calumniator. Chaldaice est אכלו קורצין de quo alias. Santes, *& oderunt eum* *intestino*. Trem. *quamvis intestino odio prosecuti sunt eum.* Sic משטמה Hos. 9. 8. idem reddit, *intestinum odium.* Lxx. μανία. Aquila, ἐγκότησις, quæ est vetus & gravis altaque mente reposta ira. Psal. 55. 4. ישטמוני. Hiero. *adversabantur mihi.* Santes, *adversati sunt.* Lxx. ἐνεκότουν μοι. Gen. 27. 41. וישטם. Hiero. *oderat.* Lxx. ἐνεκότει. Onkelos & Ionathan, *servavit odium.* Abenezra notat hoc loco figuram esse quæ hysteron proteron dicitur. *Nam prius*, inquit, *oderant eum : deinde jaculati sunt &c. & innuit fratres ejus, qui vendiderant eum.* Hactenus Abenezra. ¶ *Jaculatores*] בעלי חצים domini sagittarum i. sagittarii aut jaculatores. Gallica editio, *les maistres tireurs des flesches:* quo significant eos magistros fuisse in ea arte. Lxx. quoque habent κύριοι τοξευμάτων, quod reddunt, *domini sagittationum.* Malim *sagittarum.* Nam τόξευμα, sagitta, jaculum. τὸ σαμαρειτικὸν, καὶ ἐμίσησαν αὐτὸν κάτοχοι μερίδων : *Samariticum exemplar, & oderunt eum tenaces factionum.* Nos diceremus, *studiosi partium.* Onkelos, *viri robusti domini divisionis* vel *contentionis.* Nam פלגותא etiam contentio. Vide Fagium. Ionathan & autor Ierosoly. *usi sunt lingua tertia quæ tam dura est quam sagitta.* De lingua tertia, quæ a Syrachide γλῶσσα τρίτη dicitur, vide Quæstiones nostras. R. Salomo, *quorum lingua est tanquam sagitta.* Hiero. *Habentes jacula.* Santes, *sagittarii.* Leo Iudæ, *periti sagittandi.* Quod in Hiero. *habentes jacula*, rationem habet ex antiquitate. Nam antiqua declaratione Baal, ὁ ἔχων. In libro nominum, *Baal, habens. Baala, habens eam.* Hiero. in comment. Hos. 2. *Lingua Ebræa & Syra Baal interpretatur ὁ ἔχων, & apud utramque gentem uxores viros suos vocant Baals i. vir meus; quod intelligitur habens me, & est sensus, habens me in conjugio.* Si quæris judicium meum, puto בעלי חצים pro eo habendum ac si dixisset אנשי חצים. Nam in multis בעלי idem quod אנש, ut Iud. 9. 6. בעלי שכם Sichimitæ 9. 52. בעלי העיר, cives, opidani. בעלי הגבעה viri Gabaa 20. 5. בעלי קעילה 1 Sam. 23. 11. בעלי יריחו Ios. 24. 11. qui & אנשי יריחו i. viri Iericho.

24. *Seditque in firmo arcus ejus, & roborata sunt brachia manuum ejus : à manibus potentis Jacobi, inde pascens lapidem Israelis.*

Seditque in firmo arcus ejus] ותשב באיתן קשתו Lxx. καὶ συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν : & contriti sunt cum robore arcus eorum. Conjicio eos in mente habuisse verbum שבר quod inter alia frangere significat : unde שבר frustum ex trabe & משברים i. frangentes, conterentes id est שוברים. Vide Camium in radice שבר. Hiero. *Sedit in forti arcus ejus.* Sensus est, in forti loco i. firmo ac valido, robusto. Onkelos *Et posuit in robore* (בתוקפא hoc est in Deo. Sic δύναμις usurpatur in Novo Fœdere) *fiduciam suam.* Editiones Venetæ, quæ in folio complicant habent תוקפא absque ב, quod Fagius convertit, *posuitque fortem fiduciam suam* i. Deum. Verbum è verbo, *posuit robur sive fortitudinem.* Notum inter Dei epitheta esse גבורה. Sic אל proprie sig. ἰσχὺν καὶ δύναμιν, ut Eusebius mihi testis est. Thargum Ierosolymitanum ושוי תוקפא רוחצנה & posuit robur fiduciam suam. Firmat scripturam quam Fagius secutus est, quæ etiam legitur in Salomone Trecensi. Santes, *Et habitavit in forti loco arcus ejus.* Trem. *tamen permansit in robore arcus ejus.* Gallica, *Sed arcus ejus mansit in robore suo.* Leo Iudæ, *Mansit tamen arcus ejus firmus.* Munsterus, *mansit in fortitudine arcus ejus.* ¶ *Sedit*] mansit, perstitit. Sedere hoc sensu sumitur cum alibi tum Gen. 22. 5. & 34. 10. ¶ *In firmo*] באיתן in valido. sub. loco id est במקום. Sic fere commentatores Ebræi. Qui vertunt, *in robore*, juvantur aliquot locis in quibus איתן nomen est, ut dialectici loquuntur, abstractum. Talia sunt תמים integer & integritas, עד testimonium & testis : צר angustia & adversarius. Licet etiam exponere *in forti*, hoc est in Deo, ut איתן sit unum ex epithetis Dei. Thema est: יתן vel, ut alii volunt, אתה. Consule Grammaticos. ¶ *Arcus ejus*] קשתו. R. Salomo exponit תקפו robur ejus. ¶ *Roborata sunt brachia manuum ejus*] Lxx. καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χειρὸς αὐτῶν : & dissoluti sunt nervi brachiorum manus ipsorum. Hiero. *& dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius.* Ionathan, *& dispersa sunt manus ejus cogitatione seminis, & domavit affectus suos.* Nescio quid viderit cum ita verteret. Onkelos, *ideo projectum est aurum super brachia ejus, fuitque hæres regni.* R. Salomo, *Sig. positum fuisse annulum super manum ejus.* R. Levi. Alia expositio, *Positum est aurum super brachia ejus, quod est signum magnitudinis & dominii.* Qui sic sentiunt deducunt verbum Ebræum à nomine aurum significante, quod est פז : unde & *Fessa* dicta, à cumulo auri ibi reperto, ut Iohannes Leo scribit. Porro Ionathan פזר confundit cum פזר per S, Sade. ¶ *Roborata sunt*] ויפזו. Sic exponunt Abenezra, David Kimchi & R. Levi : quos deinde secuti sunt interpretes nostri ævi, à quibus nobis religio fuit discedere. Unus Hiscuni habet, *incurvata sunt brachia manuum ejus.* i. נכפפו, nempe cum nervum arcus attraheret sive intenderet. Idem arcum interpretatur בליסטרא, quod est vocabulum Græcum βαλλίστρα. Nam Latini dicunt *balista.* Est autem tormenti bellici genus, quo lapides & jacula mittebantur. R. Salomo scribit בליסטרא per Samech Exod. 14. & postea אבני בליסטראות lapides balistæ, cap. 19. Plautus etiam usurpat pro tormenti telo. In glossis Latino-Hispanicis reperio, *del arco ò balestra :* ubi arcum denotare videtur. Nam alioqui balistam appellant *trabuco*, ut me Adrianus Iunius docuit. Dictus Hiscuni איתן interpretatur lignum validum ac robustum, quod vocant ... : & post adfert alias interpretationes duas : quarum una est de auro, quam supra notavimus : altera est hæc, mansit in forti arcus ejus. q. d. non fecit quod illi fecerunt, non reddidit malum pro malo. ¶ *A manibus potentis Jacobi*] מידי אביר יעקב Lxx. διὰ χεῖρας δυνάστου Ἰακώβ. Hiero. *per manum potentis Jacob.* i. בידי. Onkelos, *Hoc fuit ei à Deo forti Jacob, sive Jacobæorum.* Chaldaice מן קדם אל quod magis sonat, *à coram Deo.* Jonathan, *confirmavit se ex doctrina quam accepit à Jacobo.* Thargum Jerosolymitanum, *quæsivit miserationes à robusto patris sui Jacob.* vult dicere à Deo patris sui. Sic אביר יעקב aliud nihil est quam Deus Jacob. Sane Psal. 132. 2. Græci legunt, τῷ Θεῷ Ἰακώβ, & Hiero. *Deo Jacob.* ubi codex Ebræus habet לאביר יעקב i. potenti aut robusto Iacobi. Ut hic *potens Jacobi*; sic Ies. 1. 24. אביר ישראל potens Israelis. δυνάστης Ἰσραήλ. ¶ *Inde pascens lapidem Israelis*] Lxx. ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραὴλ : *inde qui confortavit Israel.* In Ambrosio, *qui confortavit te : ὁ κατισχύσας σε.* Hiero. *inde pastor egressus est, lapis Israel.* Idem in Quæst. sive Tradit. *inde pascetur lapis Israel.* Prior interpretatio favet iis qui alterum Messiam (nam duos memorant) futurum putant ex domo Ioseph. Qua de re R. Levi ad hunc locum, *Hic locus innuit Messiam filium Joseph secundum sententiam meam. vult dicere quod ex Joseph egredietur vir qui pascet lapidem Israelem.* Vide sequentia. Onkelos, *qui verbo suo pascit patres & filios semen Israelis.* In Fagio est, *cujus verbo cibavit*, nempe Iacob. Prior versio de Deo capienda. Videtur Onkelos in ea hæresi fuisse ut existimarit אבן compositum esse ex אב pater & בן filius. R. Salomo, אבן per notaricon sig. patrem & filium, vult dicere, Iacobum & filios ejus. Ionathan, *inde meruit ut pasceret & conjungeret in sculptura nomina super lapides filiorum Israel.* Trem. *unde fuit pastor & lapis Israelis.* Santes, *inde pascens lapidem Israel.* Arias, *inde pastor, lapis Israel.* Sic etiam editio Gallica. ¶ *A manibus potentis*] Idem cum illo, à potente. אביר potens, qui & אַבִּיר & כביר, unde κάβειροι Dii potes sive potentes. ¶ *Inde*] משם inde i. à Ioseph vel à Deo. Quidam enarrant מז ex tunc. Nam שם pro אז usurpatur, ut apud Davidem, *ibi paverunt pavore.* Sic in Terentio, *Ibi homo cœpit me obsecrare.* Hiscuni exponit, *ex illa dignitate.* Alius, *ex ea indole.* ¶ *Pascens*] vel, *pastor.* ¶ *Lapidem Israelis*] lapis pro lapis angularis, (qui Græce ἀκρογωνιαῖος, & totius ædificii molem sustinet) ut alibi אבן ponitur pro lapide pretioso sive gemma. Sig. autem ipsum Iacobum, quem in Ægypto cum tota familia pavit Ioseph. Alii, *lapidem Israelis* i. ipsum Israelem. אבן lapis, ut עצם os : unde עצמו, ille ipse, עצמך tu ipse. Mercerus, *lapidem Israel* i. totum Israelem. Alii lapidem vocari putant Israelem quod in exilio esset tanquam lapis. Vide Gersomi filium. Hiero. *ex tuo semine tribus nascetur Ephraim, instar lapidis durioris invicta.* Hiscuni censet Nun heemanticum esse, idemque valere quod אב ישראל pater Israelis : sed hoc alienum, ne dicam coactum. Rupertus, *lapis, id est fortitudo Israel.* Nicolaus, *sedit in forti*, hoc est in Deo omnipotenti. *Arcus ejus*, defensio ejus. *Per manus &c.* per virtutem illius qui est potentia & virtus ipsius Iacob. i. per Deum. Ebræi dicunt hic, *Et deaurata sunt brachia manuum ejus*, quod exponunt de ornamentis quæ erant in brachiis &c. *Inde pastor egressus est Jeroboam, qui ascendit ad dignitatem regiam, quæ per pastoris officium designatur. Lapis Israel, qui fuit primus Rex in regno Israel.* Hactenus Lyra. Mercerus, *qui pavit lapidem* i. ducem præcipuum Israelitarum, me sc. cum tota familia. *Lapidem pro corpore, fundamento, duce ac præcipuo ponit.*

25. *A Deo patris tui, qui adjuvat te, & ab omnipotente*

qui

qui benedicit tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi cubantis deorsum: benedictionibus uberum & vulvæ.

A Deo patris tui] παρὰ θεοῦ τοῦ πατρός σου. Qui vertunt, *à Deo forti*, iis adversatur Onk. in loco superius citato, ubi simul ponit אל & שדי quod proprie *fortem* denotat. Sic alibi אל גבור quod tamen reddi posset, *Deus fortis potens*. Sed profecto אל vetere declaratione est Deus, à qua temere discedendum non est, licet appellatio nominis sit à fortitudine. Hiero. hic habet, *Deus patris tui erit adjutor tuus*. Onk. *Sermo Dei patris tui erit in auxilio tuo*. Latine, *erit tibi auxilio*. Jonathan, *A verbo Dei patris tui erit auxilium tuum*. ¶ *Qui adjuvat te*] vel, *adjuvabit*. Ebraice est ויעזרך & adjuvabit te, auxiliabitur tibi. ¶ *Et ab omnipotente*] ואת שדי Lxx. ὁ θεὸς ὁ ἐμός. Hiero. *& omnipotens*. Onk. ואת Particula את quandoque regit casum nominativum. An etiam רוח Jonathan, *ab eo qui vocatur Saddai*, i. omnipotens. Santes, *& omnipotente*. Trem. *& ab omnipotente*. את pro מאת. Debet enim repeti מן ex præcedentibus. R. Salo. *& cum Deo benedicto*. Videtur את pro עם accipere. Quod in communi usu sæpe sig. ¶ *Qui benedicit tibi*] ויברכך & benedicet tibi. Lxx. καὶ εὐλόγησέ σε i. benedixit. Sic etiam Tremell. ¶ *Benedictionibus cœli*] vel, *benedictiones cœli*. Ordo & constructio, à Deo patris tui qui adjuvat te, & ab omnipotente qui benedixit hactenus tibi, erunt tibi benedictiones cœli &c. Innuit autem pluviæ copiam, quam cœlum effundit super terram. ¶ *Cœli*] *quæ descendunt à rore cœli*. Onkelos & Jonathan: ubi roris vocabulum late accipitur, ut etiam pluviam comprehendat. ¶ *Desuper*] ἄνωθεν. Quidam, *superne*, Ebraice est מעל pro מלמעל, quod Chaldæi dicunt מלעילא unde Milel apud Grammaticos i. מלעיל: quando accentus est in penultima aut ante penultima. Ceterum pro ברכת Græci videntur legisse ברכה. Nam vertunt εὐλογίαν. Nomen autem שדי alii à vastando, quod est שדד; alii à mammis deducunt quasi mammosum dicas, quod omnia alat ac nutriat: alii denique compositum putant ex ש & די sufficiens, quod sibi soli sufficiat, nec ullius indigeat. ¶ *Abyssi*] unde fontes & flumina. ¶ *Cubantis*] Hiero. *jacentis*. רבצת תחת Trem. *subjacentis*. Nam תחת sub, subtus. Sed hic positum videtur pro מתחת deorsum, inferne. Onkelos, *benedictiones quæ stillant aut profluunt ex profunditatibus terræ inferne* i. מלרע: *unde Milra Grammaticorum*. Jonathan, *& à bono benedictionum scaturiginum abyssi, quæ ascendunt & aperiunt germina inferne*. ¶ *Deorsum*] מתחת & תחת se mutuo explicant. Nam ut hic תחת ponitur pro מתחת: sic contra מתחת usurpatur pro תחת ut apud Florum desub legitur pro sub vel subtus. ¶ *Benedictionibus uberum & vulvæ*] Onkelos, *benedictione patris tui & matris tuæ*. ita verto, quia in libris ברכתא. Græci quoque habent ἐντεῦθεν εὐλογίας. Forte rescribendum ברכתא unius apicis immutatione. Id sonat, *benedictionibus*. R. Salomo, *Benedictionibus patris & matris, ac si diceret, benedicentur genitores & genitrices*. שדים genitores, quod semen ejiciant, παρὰ τὸ ירה ejicio. Verbum est Chaldaicum. Jonathan, *benedicta erunt hubera quæ suxisti, & viscera in quibus jacuisti*. Thargum Jerosoly. *benedictionibus uberum ex quibus suxisti, & viscerum in quibus jacuisti*. Porro hubera benedicta copiosum lac suppeditant infanti: item tales matres lacte proprio alunt matres suas. Vulva cum abortum facit tum certe benedicta dici non potest. Hujus contrarium, *Dabo illis. Quid dabis illis? vulvam orbantem & ubera arentia.*

26. *Benedictiones patris tui prævaluerunt benedictionibus genitorum meorum, usque ad terminum collium seculi, sint in capite Josephi, & in vertice Nazirai fratrum suorum.*

Prævaluerunt benedictionibus] vel, *prævalida fuerunt supra benedictiones*. Utrumque Græce dicitur ὑπερίσχυσεν ὑπὲρ εὐλογίας. Ebræi fere exponunt עצמו validiores i. plures fuerunt. Sed גברו etiam sig. excellere, ut Psal. 117. 2. *Prævaluit erga nos benignitas tua* i. excelluit. Tremell. *valida fuerunt plusquam benedictiones*. Sant. *fortiores fuerunt*. Hiero. *confortata sunt*. Et *benedictiones patris tui*, quibus Deus patri tuo benedixit, vel, ut alii, *quibus ego benedico nunc tibi*. ¶ *Genitorum meorum*] הורי Lxx. ὀρέων μονίμων, montium manentium aut stabilium. הר mons הור nomen montis, in quo sepultus Aharon. Hæc quam sint aliena nemo non videt. Hiero. *patrum ejus* הורי. Onkelos, *benedictiones patris tui addentur ad benedictionem qua mihi benedixerunt patres mei* אבהתי. Sic etiam Jonathan. Sed in eo corruptum אבהתי in אבהתי. Thargum Jerosolymitanum, *Benedictiones patris tui addentur tibi ad benedictionem qua tibi benedixerunt patres tui Abraham & Isahac, qui similes sunt montibus*. Confundit הורים cum הרים, licet magnum inter ea sit discrimen. ¶ *Usque ad terminum collium seculi*] Hoc vult, quamdiu erit terminus collium seculi. Quod pro eo habendum ac si diceret, *in æternum*. Sic alibi, *donec erit luna*. Adi sis ad Proverbia mea. תאות exponitur à Davide Camio & R. Levi, גבול, quos nunc secutus sum. Alioquin in comm. usu sig. cupiditatem: item desiderium: unde apud interpretem nostrum, *donec veniat* (alias, *veniret*) *desiderium collium æternorum*. Et in Græca editione, citante Theodoreto, καὶ ἐπιθυμίας θινῶν αἰωνίων. Nec aliter Chrysostomus. Ambrosius quoque habet, *& desideria collium æternorum*. Quod noto, quia in editione Roma. ἐπ' εὐλογίαις θινῶν αἰωνίων, *& in benedictionibus collium æternorum*. Addit autem Theodoretus Aquilam τὰς θῖνας interpretatum esse βουνοὺς i. colles. Sane in fragmentis à me collectis גבעות עולם. Aquila βουνῶν αἰωνίων, collium æternorum. Onkelos, *quas desideraverunt optimates qui à seculo*. Jon. *quas desiderarunt magnates seculi Ismael & Esau & filii Ceturæ*. Thargum Jerosolym. *ex benedictione quatuor matrum, quæ similes sunt collibus, Sara, Rebecca, Rachel & Lea venient omnes benedictiones istæ*. Lego אמהתא matres. Nam אמהתא quod in libris, magis ancillas denotat. Quæ scriptura huic loco non quadrat. Santes, *usque ad desiderium collium perpetuorum*, hoc est, usque ad Christum. Arias, *usque ad terminum collium seculi*. Tremell. *usque ad finem collium seculi*. Leo Judæ, *usque ad desiderabiles colles qui jam olim fuerunt*. R. Salomo, *usque ad fines*. עד קצוי Vide similes locutiones Psal. 72. 5. 7. 17. & Psal. 89. 37. 38. ¶ *Sint*] vel, *erunt*. ¶ *In capite Josephi*] Sic alibi, *Benedictiones super caput justi*. Nam bona omnia e cœlo. Licet etiam vertere, *in caput*, & *in verticem*. ¶ *In vertice Nazirai fratrum suorum*] ולקדקד נזיר אחיו. Lxx. καὶ ἐπὶ κεφαλῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν, & super caput fratrum quorum dux fuit. Non male ad sensum. Mercerus, *Nazirai i. principis, ducis, quasi coronati. Nam* נזר *est corona*. Hiero. *in vertice Nazaræi inter fratres suos*. Confundit, suo more, Naziræum cum Nazaræo. Proprie Nazaræus qui ex urbe Nazareth. Nam ita scribebant pro Nazareth. Nazaræi i. separati. Onkelos, *& super virum separatum à fratribus suis*. Chaldaice פרישא: unde Pharisæi nomen. Mercerus, *segregati à fratribus suis virtute ac præstantia, ut Nazaræi erant à reliquis vitæ sanctimonia separati*. Verbum è verbo, *viro separato fratrum suorum*. Jonathan, *& in vertice viri qui fuit princeps & dynasta in Ægypto, & solicitus de honore fratrum suorum*, vel, *studiosus honoris fratrum suorum*. Sic etiam autor Jerosolymitanæ. Santes, *super verticem Nazaræi fratrum ejus*. Tremell. *in vertice separati inter fratres suos*. נזיר בין אחיו. Abenezra deducit à נזר Id exponunt עטרה coronam aut diadema, ut נזיר sit בעל נזר. Sensus ergo ut si diceret, diademate insignitus, vel potius dignitate præstans inter fratres suos. Sane Deut. 33. 16. ubi eadem phrasis obvia, in Lxx. legitur δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς honoratus inter fratres. R. Salomo, *Pharisæus fratrum suorum* i. separatus & divisus à fratribus suis. R. Levi, *Pro eo habendum ac si diceret, in capite Joseph*. Nam Joseph vocatur נזיר אחיו *eo quod esset magis separatus & dominans in cupiditates vel affectus suos*. Vide sequentia. Hiscuni, *princeps inter fratres suos*, ut in illo, *puriores fuerunt Nazirai ejus nive*. Nicolaus, *in cervice Nazaræi* i. ipsius Joseph, qui est Nazaræus i. Sanctus inter fratres suos. Psal. 89. 40. נזרו Lxx. τὸ ἁγίασμα αὐτοῦ. Aquila ἀφόρισμα. Sym. ἄθικτον. Theod. νάζερ. R. David in libro Radicum, *Caput fratrum suorum & coronatus*. *Fieri autem potest ut dicatur Naziræus fratrum quia separatus erat ab illis.*

27. *Benjamin lupus rapiet, mane comedet prædam, & vesperi dividet spolium.*

Lupus] ut lupus. Simile, *nec excitatur classico miles gravi*. Sic in libro Proverbiorum, *eram ei alumnus*, tanquam alumnus. ¶ *Rapiet*] vel, *discerpet*. Quidam vertunt, *lupus qui rapit vel discerpit*. Quod idem cum illo, *lupus rapax*. Ita Hiero. Prius Lxx. ediderunt λύκος ἅρπαξ. Onk. *Benjamin in terra ejus habitabit divinitas, & in hæreditate ejus extruetur sanctuarium*. Jonathan, *Benjamin tribus fortis, benedicta raptura ejus: in terra ejus habitabit divinitas domini totius mundi, & in possessione ejus ædificabitur domus sanctuarii*. Editio Jerosolymitana, *similem facio eum lupo rapaci, in termino ejus ædificabitur sanctuarium, & in hæreditate ejus habitabit gloria divinitatis DOMINI*. In codice, quo usus sum, erat כדוב חטוף. Si recte, דב quod proprie ursum denotat, pro דוב ponitur. Contra דוב invenitur, teste Elia, pro זאב. Sic dico, lupus דיב vocatur, ursus דוב, quæ propter affinitatem interdum confunduntur. R. Levi, *Mens horum verborum*

quod

quod Benjamin erit similis lupo qui rapit ac discerpit, & hoc propter robur & felicitatem ejus. ❡ *Mane comedet prædam*] עד præda, ut Jes. 33. עד שלל præda & spolium. Chaldaice עדאה. Dicunt & עדי & עדיתא eodem sensu. Lxx. τὸ πρωϊνὸν ἔδεται ἔτι i. עוד. Sic Prov. 29. 13. לעד Aquila interpretatur εἰς ἔτι: & Job. 20. 4. מני עד. Lxx. ἀπὸ τοῦ ἔτι, ubi Sym. ἀπ' αἰῶνος, ab æterno. Onkelos, *Mane & vesperi offerent sacerdotes oblationem.* בעדא vespera quod tunc dies inclinet. Jonathan, *mane offerent sacerdotes agnum jugem usque ad quatuor horas, & inter duos soles offerent agnum alterum.* Thargum Jerosol. *Mane offerent sacerdotes agnum jugem & munus ejus, & cum occasu solis offerent agnum jugem & munus ejus.* ❡ *Vesperi dividet spolium*] vel *spolia*, hoc est vestes & aliam supellectilem, quam bello ceperit. Lxx. καὶ εἰς τὸ ἑσπέρας δίδωσι τροφήν. Onkelos, *tempore vespertino divident residuum partium suarum de reliquiis quæ sanctificata sunt.* Jonathan, *vespere divident quod supererit de reliquiis oblationum, & comedet quisque partem suam.* Jerosolymitana, *& vesperi divident oblationes filiorum Israel.*

28. *Omnes isti sunt tribus Israelis duodecim: & hoc est quod loquebatur eis pater eorum & benedixit eis, cuique secundum benedictionem suam benedixit eis.*

Omnes isti] vel, *omnes istæ.* ❡ *Duodecim*] Si Levi annumeretur, sunt tredecim. Sed hic Joseph pro una tribu recensuit, quæ in divisione terræ in duas tributa fuit, & Levi tribus ibi exclusa. ❡ *Pater eorum*] vel, *earum*, videlicet tribuum. ❡ *Et benedixit eis*] vel, cum benediceret eis. Hiero. *omnes hi, in tribubus Israel, duodecim* (בשבטי) *Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis.* Jonathan addit, *omnes justi pariter.* ❡ *Cuique secundum benedictionem suam*] prout cuique conveniebat benedici, juxta ea quæ singulis eventura erant. Hoc Hiero. extulit, *benedictionibus propriis.* R. Salomo, *benedixit eis benedictione, quæ obventura erat singulis.* Verbi gratia, Judæ tribuit robur leonis, Benjamino rapacitatem lupi, Naphthali velocitatem cervorum. Tales enim erant illæ tribus. Quæ satis arguunt superiora, non tam de personis, quam tribubus accipienda esse.

29. *Præcepitque eis & dixit eis, Ego colligor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis, in spelunca quæ in agro Ephronis Hetthæi.*

30. *In spelunca quæ in agro duplici, quæ è regione Mamre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro illo ab Ephrone Hetthæo in possessionem sepulchri.*

31 *Ibi sepelierunt Abrahamum & Saram uxorem eius, ibi sepelierunt Isahacum & Rebeccam uxorem ejus, & ibi sepelivi Liam.*

32. *Emtio agri & speluncæ quæ in eo à filiis Heth.*

Colligor ad populum meum] i. morior. Sic accipies Gen. 25. 8. *collectus est ad populum suum*, ubi codex Ebræus habet אל עמיו ad populos suos. Hinc liquet mortem significari hac locutione, non sepulturam. R. Salomo, *introducor ad populum meum.* Quod ad animam refert. *Anima enim*, inquit, *in certum locum introducuntur*, quem appellat locum גנוזים quod in eo quasi recondantur: unde & גנוזים vocantur libri apocryphi. Nam גנז ἀποκρύπτω. ❡ *Cum patribus meis*] ita Hiero. Trem. & Santes. Græci quoque μετὰ τῶν πατέρων μου: & R. Salomo, עם אבותי. Ceterum codex Ebræus habet אל & uterque Chaldæus לות. Id reddi potest, *ad patres meos* i. apud, juxta, ut Gen. 24. 11. אל באר מים ad puteum aquæ. Lxx. παρὰ τὸ φρέαρ & Jon. עם: Livius, *habes hortos ad Tyberim* i. prope, juxta. Cicero, *decem fiscos ad senatorem quendam relictos.* ❡ *In spelunca*] אל המערה ἐν τῷ σπηλαίῳ. Hic אל pro ב usurpatur, ut Ezech. 44. אל ביתך in domo tua. Exod. אל הארון in arca. 1 Sam. 10. אל הכלים inter vasa. ❡ *In agro duplici*] vel potius, *in agro Machphela*, ut sit nomen loci proprium. Chaldæi *Chaphelthа* vocant. Arias *in agro duplicitatis* i. duplici. ❡ *E regione Mamre*] על פני ממרא contra faciem Mamre. Lxx. τῷ ἀπέναντι μαμβρῆ. Hiero. *contra Mambre.* Mamre, Mambre, ut Iamre, Jambre: Nemrod, Nembrod. ❡ *Mamre*] i. Chebron. Eusebius in locis, *Mamre hæc est Chebron, juxta quam sepultus est Abraham cum Isahac & Jacob.* Eadem scribit Albinus in Genesin pag. 461. Hiero. in Quæst. ad locum, *Venit in Mamre civitatem Arbe. Hæc est Hebron: Pro Arbee in Lxx. habet campum, cum Chebron in monte sita sit. Eadem autem civitas dicitur & Mambre, ab amico Abrahæ ita antiquitus appellata.* Hucusque Hiero. Verba Albini, *Mamre dicta Hebron à quodam amicorum Abrahæ.*

33. *Et absolvit Jacob præcipere filiis suis collegitque pedes suos ad lectum, & expiravit, & collectus est ad populos suos.*

Absolvit] ויכל finivit, consummavit. Onkelos ושיצי. Ionathan פסק cessavit. Lxx. κατέπαυσεν. ❡ *Præcipere filiis suis*] accipio ut Ies. 38. 1. *præcipe domui tuæ.* Sic 1 Macchab. 9. 55. καὶ ἐντείλασθαι περὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ. hoc est, testamentum condere. * Unde testamentum צואה dicitur. Nam testamentum aliud nihil est quam mandatum de eo quod post mortem fieri volumus. Hiero. *finitisque mandatis quibus filios instruebat.* Græce est διάταξιν, & Chaldaice לפקדא. ❡ *Collegitque pedes suos ad lectum*] nam prius sedebat pedibus è lecto propendentibus, ut fieri solet apud nos, *qui lectos habemus diversos à lectis Arabum sive Ismaelitarum*, ait Abenezra. ❡ *Ad lectum*] vel, *in lectum.* Ebraice אל המטה quod minus bene reddunt *super lectulum.* Ionathan habet, *in medium lecti* i. לגו: sed perperam in libris לגי. ❡ *Expiravit*] ויגוע. Lxx. ἐξέλιπε, defecit. Hiero. *& obiit.* De hoc verbo alias. R. Salomo ad hunc locum, *Mors non dicitur de eo: ideo dixerunt doctores nostri, Iacob pater noster non est mortuus.* Quod sane intelligendum. Nam mortuus fuit revera, sed quoniam Scriptura non utitur hic verbo moriendi, propterea negatur mortuus esse. Sic Melchisedec legitur fuisse ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, non quod parentes aut genus non habuerit, [illegible] quod eorum nulla mentio in divinis libris. Sic de Henoch loquens Moses ait eum non fuisse, quia Deus rapuerat: unde opinio nata eum non fuisse mortuum. Quæ vera quidem est, si bene intelligatur. Nam non est mortuus modo ordinario. Sunt qui immutatum credant. Apostolus diserte, *translatus est ne videret mortem.* Sed est mors peccatorum, & legimus pro eo in libro Sapientiæ, *ne malitia mutaret intellectum ejus*, hoc est, ne vitiis ævi sui depravaretur. Hæc velim expendi à Theologis, ne temere damnent quod non intelligunt. Nam qui asserunt Henochum adhuc vivere, indigni sunt quibus respondeatur. Credula vetustas multa scripsit, de quibus merito nunc dubitatur. ❡ *Collectus est ad populos suos*] Onk. & Ion. *aggregatus est ad populum suum.* Lxx. προσετέθη πρὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ. Hiero. *appositus est ad populum suum.* Theodoretus, *Quod dictum est, Appositus est ad populum suum, resurrectionis spem declarat.* Si enim omnino interirent, nec ad alium populum transirent, nunquam dixisset, *appositus est* &c. Quod etiam Abraham à DOMINO dictum est, *Tu autem ibis ad patres tuos.* Hinc & DOMINUS Sadducæorum incredulitatem arguit, *Ego sum Deus* &c. Vide sis August. in Quæst. super Genesin ad hunc locum.

A M A M A.

3. E Br. *Tu fortitudo mea & principium roboris mei* אוני, Vulg. *& principium doloris mei.*] On און ambigua vox est, tam *luctum* ut Gen. 35. quam *robur* significans. Interpretes nostri, & Chald. vertunt in signif. *roboris*: Vulgatus vero solus, *doloris.* Sed quia uno contextu, inquit Vatablus, dignitatis elogia recenset, quæ primogenito competunt, non dubium quin principium virilitatis intelligat. Quin [illegible] dolorem intelligas ex stupratione concubinæ perceptum, cogit cordolium ex temerata Dina & crudelitate Simeonis & Levi erga Sichimitas exercita tempore fuisse prius. Sed quid opus est verbis? Sola collatio hujus loci cum Deut. 21. 17. hanc ambiguitatem explicat. Ibi enim cum eadem locutio ut periphrasis primogeniti occurrat, ubi notioni *doloris* nullus locus, non dubium quin Cajetanus Chaldæus nostrique Interpretes locum hunc optime reddiderint; Vulgatusque ambiguitate vocis deceptus sit. Locus Deut. sic habet, כי ראשית אונו, ubi Vulg. *quia principium liberorum ejus.* August. Steuchus dicit Abenezram exposuisse locum hunc in signif. *doloris* atque hæc citat ex Abenezra, הבכור יקרא ראשית און כמו כי הוא ראשית אונו. Sed infeliciter interpretatur Rabbinum, *Primogenitus solet vocari principium doloris, quasi ille incipiat dolorem afferre Patri suo.* Sed qui vel triduum lectioni Rabbinicæ insumpsit, videbit Abenezram more suo locum per locum interpretari & sic vertenda ejus verba, *Primogenitus vocatur Reshith On, sicut,* (illo loco) *ki hu reshit ono.* Qui locus extat Deut. 21. 17. Sed hoc ignoravit Steuchus vel potius non advertit. Rabbini non solent loca citata alio charactere exprimere, nec libros aut capita ascribere, ut Christiani, sed per suum illud כמו indicata diligentis Lectoris memoriæ aut in Concordantiis inquirenda relinquunt. Adeo ut versatissimum in Scripturis oporteat esse eum qui hic nunquam impinget. Erravit itaque Steuchus, atque principium petit ejus interpretatio. Erravit & Fonseca qui ad marginem Cajetanus ut multa alia, ita & hæc ex Steucho descripsit, *Tradit Abenezra primogenitum principium doloris vocari, eo quod ille incipiat dolorem afferre Patri.*

tri. Similem periphrasin primogeniti habes Psal. 78. 51. & 105. 36.

5. Ebr. *Vasa iniquitatis in habitationibus suis.* Vulg. *Arma iniquitatis bellantia.*] At מְכֵרֹתֵיהֶם nunquam signif. *bellantia.* Sunt qui putant vocem Græcam esse *μάχαιρα Machæra*, ut Arias, Leo Judæ, R. Eliezer aliique quos denotat R. Levi his verbis, *Dixerunt Dd. nostri b. m. vocem Græcam esse*, ut sic reddatur, *Vasa iniquitatis machæra ipsorum.* Sed absurdum id non immerito videbitur doctis, & si ita esset, vox *bellantia* tamen nimium adhuc deviaret. In significatione habitationis consentiunt Onkelos, *in terra* תותבותהון *habitationis suæ.* R. Levi, *Rectum in oculis meis videtur ut* מכורות *sit pro* מגורות: Chaph in Gimel versa. Sunt enim literæ ejusdem organi, vulgo literas גיכק vocant. Sic alibi (*a*) מכורות exponunt מגורות. Certe in גור habitationis significatio. Abenezra, postquam retulisset opinionem eorum qui reddunt *agnitionem*, ac si esset ab הִכִּיר, & *possessiones & venditiones*, easque refutasset, ait sibi rectum videri ut exponatur ex loco Jezech. 16. 4. *commorationes.* Steuchus quoque nobiscum est, qui ad testimonium Abenezræ adjicit Kimchium exponentem, *locum habitationis perpetuæ.* Sic quoque Santes. LXX. ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, ex electione eorum. Cl. Drusius putat eos legisse בכרותיהם Beth pro Caph, ut ב sit serviens pro מן, themaque sit בָּחַר elegit.

9. Vocem כָּרַע *incurvavit se* reddidit per part. *requiescens.* separatque à sequentibus, jungitque cum כְּלָבִיא non obstante accentu distinguente.

10. Ebr. שילה SILOH. Vulg. *Qui mittendus est.*] De voce שילה variæ Dd. opiniones sunt, in eo tamen conspirantes Messiam hic denotari. Communis opinio est ut שילה sit pro שֶׁלוֹ, atque hoc pro שליתו *shiljatho* ut פשתי *Pishti* pro פשתתי *Pishthathi.* שליה *Schiljah* autem est id quod nos secundas vel secundinas dicimus, thema שלה tranquillus fuit, quod in iis שלה הילד *sholeh hayeled*, tranquille degat infans sive fœtus. Erit ergo continens pro contento, filius secundis involutus. Alii volunt שילה proprie significare filium à שלה (*b*) parere. Vide Abenezram. Mihi arridet eorum opinio, qui putant ה affixum non esse sed literam thematis, formæ קיטר & קיטוש & significari *tranquillatorem*, omnis tranquillitatis authorem, Sospitatorem &c. Ut ut sit, omnibus expositionibus aliquid prætexi potest, præterquam duabus, quarum una est LXX. interpretum, altera interpretis nostri. LXX. reddiderunt, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ quasi esset שלו *shello*, quod adhuc nimis esset contortum. Eusebius citat, ᾧ ἀπόκειται, *cui repositum est sc. Regnum.* R. Salom. *Rex Messias* שלו שהמלוכה *cujus est regnum.* Huic inquam interpretationi nihil prætenderis sine manifestaria coactione, nisi quis ostenderit ש solere post se habere hiric longum in compositione. Altera est Vulgati, *mittendus.* Duo obstant, primo litera ה, nam *mittere* dicitur שלח cum ח. 2. Forma nominis, tum enim שלוח vel certe שליח forma Chaldaica dicendum esset. Quin & hac interpretatione abusi nonnulli ex Iudæis sunt, ut probarent non hic de Messia, secus quam Chald. Rab. Sal. aliique exponunt, sed de Nebucadnetzar agi, qui ad castigandum duræ cervicis populum à Deo missus fuit, quo certe reliquarum interpretationum nulla trahi posset. Sed posterius obstaculum facile corruet, si credamus locum hunc à Judæis malitiose corruptum esse, si enim ח ausi fuerunt mutare in ה, quid ni & ausi puncta mutare, formamque aliam voci indere? Id certe persuadere nobis satagit Steuchus, *Existimo*, inquit, *hunc locum corrupisse Iudæos.* Sed ridiculum omne id est, quod hic somniant zelotæ. Cum enim Ebræi ante Hieronymum & post eum locum hunc de Messia acceperint, quis crediderit locum hunc ab iis corruptum, & quidem eo fine, ut illi volunt, ne de Messia locus exponeretur. Consulatur uterque Chaldæus, R. Salomo, Thalmud, author Bereshit Rabbæ aliique, quos citat Cl. Buxtorf. in Lexico, ubi & illud Δεξιδικῶς addit שילה in numeris valere 385 totidem משיח.

22. Joseph comparatur cum ramo (id enim בן aliquando significat) fructum ferente juxta fontem, Ebr. בן פורת יוסף בן פורת עלי עין. Ramus פורת fructum ferens vel fructum ferentis scilicet arboris, est enim anomalia in voce פורת. At Vulgatus sic ea convertit, *accrescens & decorus aspectu.* Vide St. & Cajetanum.

24. Plane invertit & pervertit Vulg. membrum illud hujus versus, ויפזו זרעי ידיו *& roboravrunt se brachia manuum ejus.* Licet R. Sal. ducta significatione à nomine פז vertendum putet, *& deaurata sunt.* Sed prior interpretatio recepta ab Ebræis nostrisque est. Vulgatus tamen sensu plane, ipso Steucho judice, contrario vertit, *& dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum ejus*, deceptus quippe hic à LXX. qui locum sic reddidere, καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα &c. *& dissoluta sunt vincula &c.*

26. Aliud dicit Jacob, aliud loquentem eum introducit Vulgatus. Ebræi ad verbum, *Benedictiones patris tui (meæ)* גברו על ברכות הורי *prævaluerunt benedictionibus progenitorum meorum* .i. efficacius tibi benedico quam mihi à meis parentibus benedictum est. At Vulgatus, *Confortatæ sunt benedictiones patris tui benedictionibus patrum ejus.* Aut ego admodum hebes sum aut hæc diversa sunt. Videatur Cajet.

30. Desiderantur hæc verba, *In spelunca quæ est in agro Machpela.* Quæ legere LXX. licet מַכְפֵּלָה accipientes appellative; ἐν σπηλαίῳ τῷ διπλῷ.

32. Versus totus desideratur Latine sic sonans, *Emptio agri & spelunca quæ est in eo* (fuit vel est) *a filiis Heth.*

G R O T I U S.

1. *IN diebus novissimis*] Id est, secuturis temporibus multum remotis à mea ætate. Ita אחרית, non per ἔσχατον [*ultimum*] tantum, sed & per ὕστερον [*posterius*] vertitur. Et Exodi IV. 9. vocem illam Hebræam alii Græce vertunt δευτέρου [*secundi*], alii ἐσχάτου [*ultimi*], alii ἐπιόντος [*sequentis*].

3. *Prior in donis, major in imperio*] Fuisses scilicet, nisi te eo jure privasses delinquendo. Primogenitorum erat pars major in hereditate & principatus. Hic datur Judæ: illa Josepho: sacerdotium autem, quod jus tertium, datum Levi.

5. *Vasa iniquitatis bellantia*] Varie exponitur מכרותיהם, alii subaudito ב in habitationibus, alii ex pactis ut מ sit præpositio. Maxime probabile est vocem esse Persicam, quæ à Persis in Græciam venerit, μάχαιρα. Gladios enim Persicos Xenophon machæras vocat. *Machæra eorum instrumenta iniquitatis*, nimirum ob ea quæ narrata sunt supra c. XXXIV.

6. *In cœtu illorum non sit gloria mea*] Melius Chaldæus, *cum illi inter se coirent, non descendit gloria mea.* Legit תרד [*descendat*], non תחד [*uniat*], & sumsit tum hoc, tum quod præcessit תבא [*venis*] in sensu præterito. Sensus est: Non contaminavi famam meam, consentiendo ipsorum coitioni.

Suffoderunt murum] Græci & Hierosolymitanus, *exciderunt taurum*, id est, occidere voluerunt Josephum. XXXVII. 20. Bos erat in vexillo Ephraimi, ideo quod Josephus agriculturam restituerat. Præterea ταῦρος ἄνδρα οὐ τὸν τυχόντα σημαίνει [*taurus hominem significat non vulgarem*], ait Artemidorus: nimirum quia taurus inter mansueta animantia principatum habet, ut ait Macarius. Præterea in Hieroglyphicis Ægyptiorum virum simul fortem & temperantem, qualis eximie fuit Iosephus, tauri imagine designari notat Horapollon. Et quidam Apidis venerationem apud Ægyptios hinc ortam putant. Vide Theophilum Antiochenum, & librum 1. de mirabilibus Scripturæ, cap. 15. in operibus Augustini.

7. *Dividam eos*] Mala coitio divisione ponitur.

9. *Catulus leonis Iuda*] Refer ad generosum ejus animum, qui apparuit Gen. XXXVII. 26. & in omni historia rerum in Ægypto. Hoc initium est excellentiæ ipsius.

Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo] Hoc refer ad incrementum tribus Iudæ, Iud. 1. Davidis maxime temporibus cum vicinorum plerique subacti. Vide Num. XXIV. 17. Ps. II. LIX. II. Sam. VIII. X. XII. De viris fortibus qui fuere eo tempore vide II. Sam. XXIII.

Et quasi leæna] Hebraice, quasi leo major: quo tertius gradus excellentiæ significatur impletus.

10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*] οὐκ ἐκλείψει [*non deficiet*]. יסור vox est in Zacharia, & quidem conjuncta cum voce שבט, id est, sceptri, ubi Græci, καὶ σκῆπτρον Αἰγύπτου ἀφαιρεθήσεται [*& sceptrum Ægypti tolletur*], qui locus hunc egregie illustrat, & Iudæorum recentiorum cavillationes refellit. Chaldæus יסור per יעדי [*transibit*] bene expressit. Inter Iudæos, qui à Iuda nomen habent, mansit imperium, quod sceptri nomine indicatur, ad Christi tempora. Iudæ hoc potius tribuitur quam tribubus aliis, quia decem tribus abductæ à Chaldæis non rediere; rediit Iudas cum Benjamine, quæ tribus Benjamin Iudæ fuit accessio, unde terra Iudæa dicta, gens Iudæi. Imperii vis primum in ductu militari, Iudic. 1. quo loco Iosephus, Ἰούδα φυλῇ ἡ ἡγεμονία παρέχεται [*tribui Iuda datur ducatus*]: deinde in nomine regio, post Ethnarcharum, iterumque regio, donec Archelao ereptum regnum ac Iudæa provincia Romanorum facta, nunquam postea sceptrum recuperavit. Sub Asmonæis & Herode imperium penes Iudam fuit, non minus quam penes Romam Gallis aut Thracibus in imperium electis. Intercisiones fuere

(*a*) Ezech. 16. v. 4. (*b*) 2 Reg. 4. v. 28. juxta quosdam.

fuere breves, si ad spatium annorum prope mille & quingentorum comparentur, sub tyrannis externis in Iudicum historia memoratis, sub Saule; LXX. annis exsilii vix computandis, quia Prophetæ restituendi imperii Iudæ spem certam fecerant. Illo autem quod diximus spatio reveriti quidem Iudæi interdum magnitudinem Persicam, Macedonicam, Ægyptiam, Romanam, sed salvo ipsis manente imperio, quod non male ostendit Chrysostomus oratione, Christum esse Deum. Abeant ergo Iudæi cum suis commentis novis, quæ per שבט aut tribum aut castigationes volunt intelligi, contra interpretes veteres omnes: quorum Aquila verborum retinens, σκῆπτρον [*sceptrum*] dixit: ubi LXX. ἄρχων [*princeps*], Symmachus ἐξουσία [*potestas*], Chaldæi שולטן, sensu plane eodem.

Et dux de femore ejus] Ex Græco: Καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ [*& præpositus ex femoribus ejus*]. Pro duce Hebræus textus habet מחקק, quod optime explicat Chaldæus Scribæ, id est, doctoris vocabulo. Tales autem & duces populi recte dicuntur, ad scientiam scilicet. Verbum חקק, unde id nomen aut participium fluit, Græcis vertitur ἀφορίζειν, γράφειν, διαγράφειν, ἐξερευνᾶν, διατάττειν [*determinare, scribere, describere, inquirere, ordinare*]. unde Aquila מחקק ἀκριβαστὴν [*scrutatorem*] vertit non incommode. Pro illo *de femore ejus*, in Hebræo est *de inter pedes ejus*: ubi illud *inter pedes* est honesta circumlocutio genitalium, ut Deut. XXVIII. 57. Sic Latini eandem partem interfeminium vocant, & operam ipsam pedes tollere non apud Martialem tantum, sed & apud Ciceronem. Sensus ergo est, doctores ex Iudæ posteritate præituros populo ad tempora usque Messiæ, qui summus & imperator & doctor futurus sit, nec Iudæorum tantum, sed & omnium gentium. Florebant ad Christi tempora Sameæ & Hillelis scholæ.

Donec veniat qui mittendus est] Verba quæ hic sunt Hebræa Iudæi posteriorum temporum mire distorquent, alii Silo locum interpretantes, alii Saulem, alii Nabuchodonosorum. Repugnat & hic illis veterum consensus, eorum qui magnam apud ipsos auctoritatem habent. Onkelos, Ionathan, Hierosolymitanus, Paraphrastæ, Thalmudici, Bereschith Rabba, Rabbi Salomo, Echa Rabthi: omnes Messiam hic indicari consentiunt: sed horum vocem ipsam alii interpretantur aliter. Alii enim Silo exponunt בנו filium ejus, à secundinis deducto vocabulo; alii pacificum à שלה verbo, alii compositum censent ex relativo & dativo casu pronominis demonstrativi, ut ש sit pro אשר positum, quod non caret exemplis: ex quibus particulis, ut sensum elicerent Græci addidere participium τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ [*reposita ipsi*]: quod cum durius sit, & Hebræam phrasin magis sapiat, alii itidem Græci interpretes clarius posuere ᾧ ἀπόκειται [*cui reposita sunt*], nempe πάντα [*omnia*], cui omnia servantur: cujus est regni jus, ait Rabbi Salomo post Hierosolymitanum Paraphrasten. Utriusque expositionis sensus idem, nisi, quod illud magis Hebraismum sapit. Unde apparet immerito à Juliano Christianos accusari mutatæ hic versionis, cum ipsorum nihil id intersit. Itaque Justinus adversus Tryphonem modo his, modo illis verbis utitur, affirmatque codices LXX. sui temporis habuisse ᾧ ἀπόκειται [*cui reposita sunt*], quod de quibusdam codicibus facile credo. Priori autem modo hunc locum pro se adducunt Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Origenes, Eusebius, Cyrillus. Mihi maxime se probat versio Latina, ut sit שלוח pro שילה. Quid enim facilius, quam aut variante dialecto, aut scriptura aberrante, mutari inter se litteras tam vicinas & soni & figuræ? Est ergo Siloh ἀπεσταλμένος [*missus*] nomen maxime Messiæ proprium, qui summa cum potestate atque auctoritate à Deo missus est. Vide Matth. X. 40. IX. 34. X. 16. Joh. III. 17. 34. commate 36. VI. 57. VII. 29. 36. XI. 42. XVII. 3. 8. 18. XVII. 21. 23. 25. Actor. IX. 17. I Joh. IV. 9. 10. 14. Hebr. III. 1. in quibus locis ubique est verbum ἀποστέλλειν [*mittere*], aut inde derivata. Idem alibi exprimitur verbo πέμπειν, Joh. IV. 34. commate 23. 24. 30. 37. VI. 37. 40. 44. VIII. 16. 18. 28. 33. VIII. 16. 18. 26. 29. IX. 4. XII. 44. 45. 49. XIII. 20. XIV. 24. XV. 21. XVI. 5. Rom. VIII. 3. quæ omnia loca, sed maxime illud de Siloa, quod est Joh. IX. 17. ut ubi diximus, hoc vaticinium respicere videntur.

Et ipse erit exspectatio Gentium] יקהת pro diverso significatu in Hebræa vicinisque linguis diversis modis vertitur, puta προσδοκία exspectatio, obedientia, aggregatio. Sensus est quem jam attigimus, Messiam eximio modo & regem fore & doctorem, non Iudæorum modo, sed & omnium gentium. Hierosolymitanus hic: *Et servitura sunt regna terra.* Vide Dan. VII. 14. Esai. XL. 10. XLIX. 6. LV. 4. LX. 3. & vaticinia alia. Bereschith Rabba hoc loco: Futurum est, ut Gentes seculi deferant munera Messiæ filio David.

11. *Lavabit in vino stolam suam*] Tanta erit in ejus sorte vitium abundantia.

12. *Pulchriores sunt oculi ejus vino*] Melius vertas: *Rubebunt oculi ejus ex vino*: & sic quod sequitur, *& candidi erunt dentes ejus ex lacte*, nimirum quod illa terræ portio ut vinetis ita & pascuis abundet.

In sanguine uvæ] sic & Deut. XXXII. 14. Sic & Tyriis vinum αἷμα βοτρύων [*sanguis uvarum*], ut ex Achille Tatio colligimus.

13. *Pertingens usque ad Sidonem*] Id est Phœnicen, cujus caput Sidon. Ideo pro Sidoniis Phœnicas, pro Sidone Phœnicen ponunt Septuaginta, Deut. III. 9. Esaiæ XXIII. 2.

14. *Issachar asinus fortis*] חמר גרם. At LXX. qui vertunt τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν [*desideravit id quod pulchrum est*], legisse חמד satis apparet: alteram vocem quomodo legerint non expedio. Non longe habet גרן, quod fructus significat.

Supposuit humerum suum ad portandum] Ad portanda arma.

Factusque est tributis serviens] מס potest significare liquefactos, consumtos, ut sensus sit: Reliquias Cananæorum sibi subegit: & hoc Hebræi præferunt ut gloriosus.

16. *Dan judicabit*] Allusio ad nominis originem. Impletum in Samsone, qui judicis, id est, interregis functus officio. Eodem refer sequentia: significant enim ultionem de Philistinis sumtam.

19. *Gad accinctus præliabitur ante eum & ipse accingetur retrorsum*] Hic quoque ad nominis originem fit allusio, sed גוד superare optime vertas, & עקב tandem; ut sensus sit, superabitur ab exercitibus, sed tandem ipse eos superabit, ut prædicatur hic quod narratur Iud. X. XI. Nam Galaad Gadis portio. 1 Par. V. 16.

22. *Et decorus aspectu*] Pro עלי עין [*super fontem*] videtur legisse עלין [*eximius*], ut & LXX. qui vertunt ζηλωτὸς [*admirabilis*].

Filia discurrerunt super murum] Rami ejus late super mœnia se fundebant, ut in arboris similitudine maneatur. At LXX. pro בנות צעדה עלי שור legere בני צעירי אלי שוב, υἱός μου νεώτατος πρὸς με ἀνάστρεψον [*filius meus minimus natu ad me rediit*], unde appareret quanta fuerit codicum diversitas.

23. *Iurgati sunt*] Legit & hic interpres & Rabbi Salomo, quasi esset à ריב [*litigare*], non à רבב [*multiplicare*], ut nunc legimus. Sed quod habet Hebræus codex cum sequentibus melius convenit. Et sic legere Græci, ἐνεῖχον [*insidiati sunt*].

27. *Benjamin lupus rapax mane comedet prædam, & vesperi dividet spolia*] Impletum in Saule maxime. At Hebræi ad sacrificia matutina & vespertina trahunt, ideo quod pars Templi in sorte fuerit Benjaminis.

CARTWRIGHTUS.

1. **C***Ongregamini, & indicabo vobis, &c.*] Targum Jonathæ sic habet, *Puri estote à pollutione, & indicabo vobis secreta abscondita, eventus occultos, & donum mercedis justorum, & vindictam impiorum, & oblectationem seu requiem* (ניחותא) *horti Eden, quanam sit.* Similia etiam habet Targum (*a*) Hierosolymitanum. Aben Ezra ait, *hic prophetiam esse de futuro, ac errare eos, qui benedictiones esse dicunt, propterea quod dicitur ver. 28.* Jacobum filiis suis benedixisse. *Ubi enim* (inquit) *est benedictio Ruben, & Simeon, & Levi?* Vult igitur Jacobum primo prophetice filiis suis, quæ ipsis eventura essent, *prædixisse*; ac deinde postea eis *benedixisse*; quænam autem istæ benedictiones fuerint, Scripturam non commemorare. Certe verba illa, אשר יקרא אתכם, *quod eveniet vobis*, latius patet quam ut ad *benedictiones* restringatur, cum ad mala æque ac bona extendi queat. R. Salomonem hic prætermisissem, nisi quod eum à clarissimo quodam (*b*) viro memorari, atque adeo, nec sane immerito, exagitari videam. *Detestandum ait esse ejus audaciam, ac impietatem, si quod ei adscribit Tostatus, proferre sit ausus, Jacobum scilicet paratum*

(*a*) Fagius citat verba Paraphrasis Hierosolymitanæ, atque inde observat *veteres Hebræos sensisse Jacobum in hac prophetia non solum ad temporalia, verum etiam ad spiritualia respexisse.*
(*b*) Rivet. exerc. 176. in Gen.

tum fuisse benedicere filiis suis, sed recedente ab eo Spiritu Dei, incidisse in delirium, eoque factum esse, ut quibusdam benediceret, quibusdam malediceret. Verba R. Salomonis ita habent, בקש לגלות אתהקץ ונסתלקה ממנו שכינה והתחיל אומר דברים אחרים, i. e. *Quæsivit* (seu *studuit, in animo habuit*) *revelare finem* (quid tandem filiis suis eventum esset) *sed recessit ab eo divina præsentia* (vel Spiritus Dei propheticus) *Et incepit res alias dicere.*

3. כחי וראשית אוני *Fortitudo mea, & principium roboris mei.*] Vulg. *Tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* At nonnulli codices in margine pro *doloris* habent *roboris.* Amama in Censura diversæ lectionis non meminit, sed asserit *neminem præter vulgatum Interpretem hoc loco exponere* אוני *doloris mei.* At in eo fallitur vir eruditissimus. Aquila enim (ut à Græco Scholiaste & Nobilio est notatum) transtulit, κεφάλαιον λύπης μου. Et Symmachus, ἀρχὴ ὀδύνης. Et Paraphrasis Hierosolymitanæ autor, ושרוי צערי, i. e. *& principium afflictionis meæ.* Falsam autem esse istam interpretationem haud dubium est. Etiamsi enim און *On* interdum *dolorem* significat, ut patet ex cap. 35. 18. hic tamen non *dolorem*, sed *robur* significare, constat cum ex voce præcedenti כח, quæ non nisi *fortitudinem* denotat, tum ex Deut. 21. 17. ubi cautum est, ne quis primogenitum suum, etiamsi forte filius sit uxoris exosæ, duplici portione fraudet, propterea quod est ראשית אונו, *principium* (non *doloris*, sed) *roboris ejus.* Item ex Psal. 105. 36. ubi primogeniti Ægyptiorum, à Deo percussi, vocantur ראשית אונם, *principium roboris eorum.* Et ex Psal. 78. 51. ubi idem de iis dicitur. Ac postremum istum locum, ad hunc illustrandum, hic citat Aben Ezra, non illum Deut. 21. 17. ut putavit Amama, licet utriusque loci eadem sit ratio. Apparet Amamam non inspexisse locum Aben Ezræ, sed ejus verba, prout apud Steuchum invenit, recitasse. Recte autem docet verba Aben Ezræ à Steucho, quem errantem secutus est (ut idem refert) Fonseca, perperam intellecta, cum dicit *Aben Ezram exponere locum hunc in significatione doloris*, hæc citans ex Aben Ezra, הבכור יקרא ראשית און כמו כי הוא ראשית אוני, quæ sic interpretatur, *primogenitus solet vocari principium doloris, quasi ille incipiat dolorem afferre patri suo.* Sed *qui vel triduum* (inquit Amama) *insumpsit lectioni Rabbinicæ, videbit Aben Ezram more suo locum per locum interpretari, & sic vertenda ejus verba*, Primogenitus vocatur *Reshit On*, sicut (illo loco) *Ki hu reshith ono.* Qui locus extat Deut. 21. 17. At revera verba Aben Ezræ, prout in Editione Buxtorfiana extant, ita habent, הבכור יקרא ראשית און וכמוהו ראשית אונים, h. e. *Primogenitus autem vocatur* Reshit On; i. e. *principium roboris; & simile huic est illud* (scil. Psal. 78. 51.) reshith onim, i. e. *principium roboris, seu virium.* R. Salom. etiam hic exponit אוני per כחי, & plures Scripturæ locos citat, in quibus *On* pro *robore* seu *viribus* usurpatur. Ita etiam Onkelos interpretatur ריש תקפי, i. e. *& principium fortitudinis meæ.* Syrus etiam (ut ex Diodoro Græcus Scholiastes refert) ἀρχὴ τῆς ἰσχύος. Quid Jonathan in Paraphrasi sua voluerit, haud satis assequor, sed videtur ad alteram significationem *doloris* respexisse, dum sic interpretatur, ושירוי קריות הרהורי, i. e. *Et principium eventus cogitationis meæ.* LXX, à verbis hic nimium recedunt, ἀρχὴ τέκνων μου, (*a*) *principium filiorum meorum. Vocatur autem* (inquit Fagius) *primogenitus principium virtutis, eo quod in illo pater primum ostendit se virum esse, utpote in quo exerit masculam suam virtutem. Vel, ut alii sentiunt, quod nascitur, dum adhuc pater fortis, & in florenti sua ætate est. Neque enim* (inquit Mercerus) *hoc cum quibusdam recentiorum ad primum robur, & veluti columen familiæ refero, sed ad primam vim generandi, quæ in primogenito exeritur.*

יתר שאת ויתר עז *Excellentia dignitatis, & excellentia roboris*] Verbum נשא, unde שאת, & *ferre* seu *portare* significat, & *elevare* seu *tollere*; hinc alii aliter interpretantur. LXX, σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρὸς αὐθάδης, *durus ad ferendum*, & *durus pervicax.* Vulg. *prior in donis, major in imperio.* Hiero. in Tradit. *major ad portandum, & major robore.* Sensum præterea loci sic explicat, *Tu es primogenitus meus, major in liberis; & (b) debebas juxta ordinem nativitatis tuæ, & hæreditatem, quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium scilicet & regnum accipere: hoc quippe in portando onere, & prævalido robore demonstratur. Verum quia peccasti, & quasi aqua, quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu, idcirco præcipio tibi, ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnam ex peccato luens, quod primogeniti ordinem perdidisti.* Onkelos ita habet, *Te decebat*, seu *ad te pertinebat* (לך חזי תלת חולקין) *ut acciperes tres partes, primogenituram scilicet, sacerdotium, & regnum.* Jonathan paulo fusius, *Ad te pertinebat primogenitura, & dignitas sacerdotis, & regnum; sed propterea quod peccasti, fili mi, data est primogenitura Josepho, & regnum Judæ, & sacerdotium Levi.* In eundem etiam modum Hierosolymitanus Paraphrastes. R. Sal. sic, *Tibi conveniebat ut praecelleres fratribus tuis sacerdotio, & regno.* Primogenituræ, id est, duplicis portionis, quæ primogenitis debebatur, non meminit, uti nec Hieronymus: at vide 1 Paral. 5. 1, 2. Fagius ait, dignitatem sacerdotii venire appellatione שאת, ab *offerendis* scilicet *sacrificiis*, & *elevatione* sive *expansione manuum*, quæ Hebræis נשיאת כפים dicitur, qua populo sacerdotes benedicebant, &c. Mihi simplicissimum videtur, ut שאת *dignitatem*, seu *excellentiam* significet, qua quis supra alios elevatur, nec ex vocis proprietate ad sacerdotium magis quam ad ullam aliam dignitatem referatur.

4. פחז כמים אל־תותר *Instabilis, vel (c) levis, ut aqua, ne excellas.*] Fagius ait Jacobum hac loquendi formula taxasse fœdam libidinem, qua diffluxerat Ruben, quam comparat *aquis*, quæ ruptis aggeribus erumpunt atque celeriter labuntur, ita diffluentes, ut nemo eas cohibere possit. Locum autem in hunc modum ἐφώρισεν, *Quia habenas laxasti fœdæ libidini, atque diffluxisti, non aliter atque erumpentes aquæ diffluunt; tum scil. quando victus obscœno amore, turpiter constuprasti concubinam meam, atque ita commaculasti torum meum: idcirco non eris excellentior, atque superior fratribus tuis, imo inferior, simul atque privaberis dignitate, ac jure tuo.* Sic ille, apposite sane, atque eleganter; cujus ipsissima verba, tacito autoris nomine, habet Gualtperius. Chaldæi Paraphrastæ, ac Rabbini (quorum mihi copia) hic vel frigent, vel ineptiunt, nec quicquam memoratu dignum exhibent.

אל־תותר *Ne excellas.*] Id est, *non excelles.* אל hic pro לא, i. e. *ne* pro *non* poni videtur, etiamsi emphasin quandam possit habere, *nequaquam excelles; absit ut excellas.* Vulg. *non crescas.* Aquila, μὴ περισσεύσῃς, *ne abundes; ne plus habeas*, scil. *quam fratres tui.* Sic Rom. 3. 1 τί τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; *quid est quod plus habet Judæus?* scil. *quam Gentiles. Quænam est illius super hanc prærogativa?* Atque hoc proprie denotat verbum Hebræum יתר. Similiter exponit Symmachus, οὐκ ἔσῃ περισσότερος, *non eris abundantior.* In eundem etiam modum interpretatur Casaubonus Exercit. 1. §. 2. μὴ πλέον ἴσχε, *ne plus habeto, ne excellito posthac eo jure, quod tibi ordo nascendi dederat. Id jus* (inquit) *præcedente versu Jacobus appellaverat elegantissime* יתר שאת ויתר עז *præcellentiam dignitatis, & præcellentiam roboris: quem sensum Latinus Interpres illis verbis expressit, prior in donis, major imperio.* Nam cum dicit Jacobus, ejusdem originis verbo utens, אל תותר, *Ne excellito supra fratres, jus prius illi aufertur.* Idem jus tribuitur Judæ illis verbis, *adorabunt te filii patris tui. Primogenituræ jura erant, portio bonorum amplior*, Deut. 21. 17. *Et inter fratres præcellentia. Bona quæ Rubeno debebantur, Jacob transtulit ad Josephum, honorem in Judam derivavit; ut exprimitur Chronicorum lib. 1. capitis quinti initio.* Hæc ille, apposite sane, & erudite. LXX quid in animo habentes nescio, vertunt, μὴ ἐκζέσῃς, *ne effervescas.*

5. *Simeon & Levi fratres.*] Hoc est, ut bene interpretatur R. Salom. *in uno eodemque consilio conjuncti.* Illud autem minus recte ab eo additum, *Contra Sichem, & contra Josephum.* Atque huc nimium violenter trahit illud cap. 37. 19, 20. *Et dixerunt alii aliis* (ad verb. *vir fratri suo*, איש אל אחיו) &c. quod non nisi de Simeone & Levi vult intelligi. Sanius Aben Ezra, qui hunc locum ad id, quod in urbe Sichem factum est (prout narratur supra cap. 34.) duntaxat refert.

כלי חמס מכרתיהם *Instrumenta, vel arma violentiæ (in) habitationibus eorum.*] Sic Aben Ezra exponendum judicat, ut מכרתיהם hic idem sit, quod מכורה Ezech. 16. nempe *habitatio*; idque etiam Mercero placet. R. Sal. ait מכרה significare *arma*, ac lingua Græca *gladium* sic appellari, quasi מכרה idem esset cum Græco μάχαιρα. Addit autem & aliam expositionem, nempe illam Aben Ezræ, *in terra peregrinationis ipsorum, instrumentis seu armis violentiæ sese exercitaverunt.* Ac notat Onkelum in istum modum interpretari, *Viri fortes in terra peregrinationis ipsorum fecerunt fortitudinem.* Quæ verba (contra Jacobi mentem) laudem potius quam vituperium sonant. LXX, συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, *consummaverunt iniquitatem propositi sui.* Pro כלי procul-dubio legerunt כלו. Hieronymus vertit, *vasa iniquitatis arma eorum*; unde apparet eum

(*a*) Sic Hieron. in Tradit. *Et capitulum in liberis meis.*
(*b*) Mendose nonnulli libri habent, *sedebas.*

(*c*) *Mobilis, effusus.*

eum hodiernam lectionem vocis כלי, interpretationem autem dictionis מכרותיהם, quam primo posuit R. Salom. secutum esse. Vulg. *Vasa iniquitatis bellantia.* Quod ab Hebræo est remotius.

6. בְּסֹדָם אַל־תָּבֹא נַפְשִׁי *In secretum eorum ne veniat anima mea.*] Onkelos, ברזהון לא הוה נפשי, *in secretis eorum non fuit anima mea.* Quasi Jacob profiteretur se consilii factique eorum minime conscium fuisse; quum Hebræa potius detestationem consilii eorum sonent. Jonathan & Hierosolymitanus, *In consilio eorum* לא אתרעיית נפשי *non acquiescit, non delectatur anima mea.* Aben Ezra exponit בסודם per במועדם, i.e. *cum congregati fuerint, cum coierint.* Sic enim interdum סוד *concilium* sive *cœtum* significat, sæpius tamen *secretum.* Vult autem Aben Ezra hic, ut alibi sæpe, idem utroque versus membro significari, ut בסודם idem sit cum בקהלם, i.e. *in congregatione eorum*; & אל תבוא idem cum אל־תחד, i.e. *ne uniaris*; & נפשי idem cum כבודי, i.e. *gloria mea.*

אַל־תֵּחַד כְּבֹדִי *Ne uniaris gloria mea.*] Ita necessario exponendum esse monet R. Salom. propterea quod כבוד est masculini generis, atque ideo non potest conjungi cum תחד si tertiæ personæ fuerit, cum tunc sit fœmininum. Erit igitur תחד secundæ personæ, masculini generis, & כבודי vocativi casus, ut sensus sit, אתה כבודי אל תתיחד עמם, i.e. *Tu, ô gloria mea, ne cum eis teipsum unias.* Aben Ezra probat interpretationem R. Mosis sacerdotis, qui hic per *gloriam* intelligit *animam*, quemadmodum vox ista interdum in Psalmis usurpatur. LXX, μὴ ἐρείσαι τὰ ἥπατά μου, *ne contendant* (alia lectio, quæ videtur melior, habet μὴ ἐρείσαι, *ne innitantur*) *viscera mea.* Videntur pro כְּבֹדִי legisse כְּבֵדִי. Nam כבוד *Cabod* est *gloria*; at כָּבֵד *Cabed* est *jecur.* Chaldæi Paraphrastæ habent יקרי, *gloria mea.* Et sic Vulg. & Hier. in Tradit. ubi interpretationem τῶν LXX, *jecur meum* (ut ille vertit) *improbat.*

עִקְּרוּ־שׁוֹר *Destruxerunt murum.*] Sic Aben Ezra שור interpretatur חומה, i.e. *murum*, licet ea significatione cum Shurec scribi soleat; sed (ut idem notat) Shurec & Cholem facile inter se permutantur. R. Nathan etiam in Concordantiis exponit שור hoc in loco *murum.* Sic Onkelos, תרעו שור בעלי דבבהון, *fregerunt murum inimici.* Et Jonathan, פכרו שור בעלי דבבהון, *diruerunt murum inimicorum suorum.* Similiter Hieron. in Tradit. *suffoderunt murum.* Et sic Vulg. Alii autem exponunt, *eradicarunt bovem.* LXX, ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *subnervaverunt taurum.* Ista significatione accipit R. Salom. & de Josepho nimium profecto inscite intelligit; רצו לעקור יוסף שנקרא שור, i.e. *voluerunt eradicare Josephum, qui appellatur bos.* Similiter Paraphrastes Hierosolymitanus, זבינו יוסף אחוהון דמתיל לתורא, i.e. *vendiderunt Josephum fratrem ipsorum, qui assimilatur bovi.* Alludunt ad locum Deut. 33. 17. Mercerus mavult *Shor* positum esse pro *Shur*, ut infra ver. 22. scribitur. Atque hoc mihi potius videtur, ut sensus sit, quemadmodum explicat Hier. *quasi quodam furore, sic crudelitate rapti, muros hospitæ urbis everterunt.*

וּבִרְצֹנָם *Et in (a) voluntate sua.*] Sic Vulg. LXX, ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν, *in cupiditate ipsorum.* Vox רצון *Ratson* (inquit Graserus in Dan. 11. exerc. 2.) *hujusmodi propriè animi affectionem significat, in quam quis motu spontaneo propendet, & in eadem cum delectatione acquiescit.. Vis ejus in sacris maxime conspicua est in designando propenso illo amoris & benevolentiæ affectu, quo Pater Unigenitum filium, & nos in illo complectitur. Hieronymus putat radicis hujus tantam in hoc genere emphasin esse, ut vix habeat Græca, quod eidem æquipolleat, ut LXX in hunc usum vocem (b)* εὐδοκία *excogitaverint. —— Per hanc phrasin* (עשה כרצונו pro libitu tuo Dan. 11. 36.) *Propheta hujusmodi insolentiam tribuit Regi nostro, qua is contempta omni divina & humana autoritate, excussoque legum fræno, omnia ad suam libidinem revocat, quam pro jure, & norma juris vult haberi; juxta illud,* Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. *In qua tyrannidis notione voce hac* (scil. רצון) *Jacobus utitur Genes. 49. 6. de truculento facto duorum filiorum, Levi & Simeon, in Sichemitas.* Hæc Graserus.

7. *Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.*] Aben Ezra notat sortem tribus Simeon cecidisse in medio hæreditatis Judæ, nec urbes ejus inter se fuisse conjunctas, sed à se invicem dispersas: item Levi 48. urbes habuisse, quæ per tribus dispersæ fuerunt. R. Levi Ben Gersom ad Jos. 15. 21. loquens de eo, quod scriptum est Jos. 19. 1. & 9. ait, sic impletum esse id, quod dicitur in Lege, *Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.* Similiter Kimchi ad 1 Paral. 4. 24. ait post genealogiam Judæ recenseri genealogiam Simeonis, *propterea quod hæreditates eorum inter se vicinæ* (imo permixtæ) *erant*; non enim separatam per se hæreditatem habuisse Simeonem, sed in medio hæreditatis Judæ; atque id esse, quod dictum est, *Dividam eos in Iacob, &c.* Hieronymus etiam in Tradit. hunc locum explicans, *Levi enim* (inquit) *hæreditatem propriam non accepit, sed in omnibus (c) sceptris paucas urbes ad habitandum habuit. De Simeone vero in libro Iesu scriptum est, quod & ipse proprium funiculum non fuerit consecutus, sed de tribu Iuda quiddam acceperit. In Paralipomenis autem manifestius scribitur, quod cum multiplicatus fuisset, & non haberet possessionis locum, exierit in desertum.* Hæc Hier. Vide Jos. 19. & 1 Paral. 4. R. Salom. ait, אין לך עניים סופרים ומלמדי תינוקות אלא משמעון כדי שיהיו נפוצים, i.e. *Non sunt tibi pauperes scribæ, & pædagogi, nisi ex Simeone* (ex tribu Simeonis) *ut essent dispersi.* Hanc antiquam esse Hebræorum traditionem apparet etiam ex Targum Hierosolymitano, quod sic habet, *Dixit pater noster Iacob, Si castra hæc* (scil. Simeonis & Levi) *simul fuerint, non poterit natio, vel regnum coram eis consistere. Dividam tribum Simeonis, ut sint Scribæ, & Doctores legis in congregatione Iacob; & distribuam tribum Levi, ut præsint (d) concionibus filiorum Israel.* Jonathan in hunc modum *&c.* *Dixit Iacob, si castra horum duorum sint simul, non erit rex, vel Dynasta, qui ante eos consistat; dividam hæreditatem filiorum Simeon in duas partes; pars una exibit ei è medio possessionis filiorum Iuda, & pars una erit inter reliquas tribus Iacob; & distribuam tribum Levi inter omnes tribus Israel.*

8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ *Iudah tu* (es) *te laudabunt fratres tui.*] In verbis Hebræis יהודה & יודוך est elegans paronomasia, quales in hoc capite plures reperiuntur. *Iudah* derivatur à *Iadah*, quod est *confiteri, gratias agere, laudare.* Ratio nominis redditur cap. 29. 35. Onkelos habet, *Iehudah, tu confessus es, & non erubuisti, in te* vel *per te* (בך) *confitebuntur fratres tui.* Jonathan explicat quid sit quod Judah confessus est, *Iudah tu confessus es de negotio Thamaris* (vide cap. 38. 26.) *propterea tibi confitebuntur fratres tui, & de nomine tuo vocabuntur Iudæi.* Similiter, quod posteriorem partem paraphrasis spectat, Hierosolymitanus; *Iudah, tibi confitebuntur omnes fratres tui, & de nomine tuo vocabuntur omnes Iudæi.*

9. מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ *à præda, fili mi, ascendisti.*] LXX. ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης, *ex germine, fili mi, ascendisti.* At טרף *raptum*, vel *prædam* significat, à טרף *rapere, diripere.* Vulg. *Ad prædam, fili mi, ascendisti.* At מן non *ad*, sed *à* vel *ab* significat. Hieron. in Tradit. ait in Hebræo esse, *De captivitate, fili mi, ascendisti*; ut ostenderet eum captivos populos esse ducturum; & juxta intelligentiam sacratiorem, *ascendisse in altum, & captivam duxisse captivitatem.* Certe ut טרף *Tereph, præda*, pro *captivitate*, seu *captivis* accipiatur, non est alienum.

10. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה *Non recedet sceptrum à Iuda, nec Scriba, vel (e) Legislator è medio pedum ejus, usquedum Shiloh venerit.*] Onkelos sic *&c.* לא יעדי עבד שולטן מדבית יהודה וספרא מבני בנוהי עד עלמא עד דייתי משיחא דדיליה היא מלכותא, i.e. *Non recedet exercens potestatem à domo Iudæ, nec Scriba à filiis filiorum ejus in seculum, usque dum venerit Messiah, cujus est regnum.* Aperte hunc locum de Messiah interpretatur. Atque ita etiam Jonathan, *Non cessabunt reges, & dominatores à domo Iudæ; nec Scribæ docentes Legem ex semine ejus, usque ad tempus, quo veniet rex Messiah, parvulus filiorum ejus.* Et Hierosolymitanus, *Non cessabunt reges à domo Iudæ, nec Scribæ docentes Legem ex filiis filiorum ejus, usque ad tempus, quo venerit rex Messiah, cujus est regnum.* Sic & R. Salom. ait *Siloh* esse. מלך המשיח שהמלוכה שלו, i.e. *regem Messiam, cujus est regnum.* Illud autem, *Non recedit sceptrum de Iuda*, sic exponit, מדוד ואילך ואלו ראשי גליות שבבבל שרודים את העם בשבט שממונים על פי המלכות, i.e. *à Davide & deinceps hi* (scil. qui ex tribu Judæ) *sunt capita captivorum in Babylonia, qui populo dominantur sceptro, qui præfecti sunt ex mandato regis*; ad verb. secundum os regni. Morinus vertit, *quia gubernant ad modum regni.* Fagius ita inter-

(a) Vel, *in libidine sua.* Nostri feliciter exprimunt, *in their selfwill.* (b) Ita quidem plerunque LXX interpretantur vocem רצון sed hic interpretatio ista non congrueret.

(c) Id est, *tribubus.* Nam שבט *Shebet, sceptrum* pariter ac *tribum* significat. (d) בבתי מדרשא ad verb. *in domum concionum.* (e) Deuter. 33. 21. מחוקק est *Legislator*, & à Chaldæo de Mose intelligitur. Isai. 33. 22. de Deo ipso usurpatur.

interpretatur sententiam R. Salomonis, ac si de iis loqueretur, qui jam hodie in Babylonia de tribu Judæ principatum habent. Mihi autem dubium est, utrum verba ejus (quæ integre citavi) eo usque extendi debeant, an potius de iis solis intelligenda sint, qui olim principes fuerunt in Babylonia, cum Iudæi isti captivi fuerint. Hoc posteriori modo intellexisse videtur R. Salomonis verba Galatinus de Arcan. lib. 4. cap. 4. Et Morinus in Append. diatr. cap. 1. Fateor tamen probabile esse, verba citata ita esse intelligenda, ut ea interpretatus est Fagius, cum quia dicitur שורים, quod est præsentis temporis, *qui dominantur*, non שרו in præterito, *qui dominati sunt*; tum quia alias nihil obtendere videretur iste Rabbinis, quo minus ex hac Iacobi prophetia evidenter constaret Messiam jam venisse. At si id sibi voluerit R. Salom. ad suam usque ætatem in Babylonia fuisse quosdam ex tribu Iudæ, qui principatum in Iudæos ibi commorantes tenerent, est miserrimum plane κενοφώνημα, & merito in eum illud Hebræorum dictum torquet Fagius, ירחיק עדיו הרוצה לשקר, i. e. *Qui vult mentiri, procul faciat testes suos*; scilicet ut in mendacio non facile deprehendatur. Præterea, diu ante tempora R. Salomonis omnia apud Iudæos adeo confusa ac perturbata fuerunt, ut nulla prorsus tribuum distinctio remanserit. Aben Ezra hunc locum plane pervertit, dum sic exponit, לא יסור שבט גדולה מיהודה עד שבא דוד שהוא תחלת מלכות יהודה, i. e. *Non recedet sceptrum dignitatis à Iuda, donec veniat David, qui fuit principium regni Iudæ*; h. e. qui fuit primus rex ex tribu Iudæ. Atque addit, *hoc*, Non recedet sceptrum, &c. *non sic esse intelligendum, ac si cum venerit Shiloh, tunc sceptrum recederet; sed istiusmodi locutionem esse, ac cum dicitur, Non deerit huic vel illi cibus, donec arva & vineas habuerit*: ac citat illud cap. 28. 15. *Non relinquam te donec, &c.* At etiam עד כי vel עד אשר, i. e. *donec*, interdum eo sensu usurpatur; hic tamen alia hujus phraseos ratio esse videtur. Nam experientia ipsa clare indicat sceptrum à Iuda recessisse, idque à longo jam tempore: Iacob igitur hic prophetice tempus præfiniit, quando sceptrum recessurum esset, nempe postquam *Shiloh* venerit. Nec potest hic per *Shiloh*, *David* intelligi; sic enim falsa esset prophetia. Etiamsi enim (ut notat Aben Ezra] aliquamdiu ante Davidem tribus Iudæ principatum habuit (vexillum siquidem Iudæ primo loco proficiscebatur, Num. 2. 3. Et Dominus dixit, *Judas primus ascendet*, Iudic. 1. 2.) tamen (præterquam quod interdum Iudices ex aliis tribubus erant, ut Ehud, Gedeon, Sampson, Eli) quamdiu Saul regnavit, cessavit principatus Iudæ, ac propterea ablatus fuit antequam Shiloh (si David sit iste Shiloh) venerit. Cautius igitur Kimchi, licet non satis caute, qui in Radic. (prout à Fagio citatur) ait הנבואה על דוד שהוא משבט יהודה או על המשיח, i. e. *Prophetia autem est de Davide, qui de tribu Iudæ fuit; aut de Messia.* Sunt ex Rabbinis (ibi refert Manasses in Concil. quæst. 65. in Gen. num. 8.) qui שבט *Shebet* hic non *sceptrum* seu *potestatem* significare volunt, sed *virgam castigationis*; ut sensus sit, *Non tolletur castigatio à Iuda*, i. e. ab Israelitis, qui vocantur Iudæi; *& legislator e medio pedum ejus*, h. e. semper erunt quasi in portis eorum inimici, qui leges eis præscribant, *donec veniat Shiloh*, id est, Messias. Hic primo *Shiloh Messiam* esse conceditur; deinde quod vocem *Shebet* attinet, etiamsi interdum *castigationem* denotet, ut Psal. 89. 32. hic tamen pro *sceptro & potestate* accipi, apparet ex voce מחוקק *Mehokek*, quæ *Scribam* vel *Legislatorem* significat. Nec potest intelligi de Legislatore extraneo (ut auteres isti volunt) cum diserte dicatur, Legislatorem fore *e medio pedum ejus*, nempe Iudæ; qua phrasi (ut viri docti annotarunt) honeste significatur (a) *locus virilitatis*, & sensus est, eum ex tribu Iudæ esse oriundum. Ad hæc, de castigatione ac afflictione locum hunc interpretari, haud quadrat cum eis, quæ præcedunt ac sequuntur, in quibus nihil non prosperum ac lætum de Iuda prædicitur. Denique verum non est, Israelitas usque ad Messiæ adventum perpetuis conflictatos esse ærumnis, cum halcyonios dies multos habuerint, eo nempe tempore quo regnarunt David & Salomon, aliique deinceps fere usque ad Sedekiam. Ibidem Manasses num. 3. refert in Bereshith Rabba hanc explicationem reperiri, *Non auferetur sceptrum à Iuda in æternum, quando veniet ille cui* (regnum) &c. Ut *Shebet* hic significet *sceptrum*, עד *Ad*, *æternitatem*, & כי *Chi*, *quando*. Huic interpretationi favere accentum asserit Manasses; עד enim habere accentum Jethib, qui distinguit, & dividit periodos. At primo, ut verum sit accentum Jethib interdum usui isti inservire, id tamen rarum est, nec nisi quatuor sunt accentus, in quorum numero Jethib non est, qui munus id obire soleant. Deinde עד כי, *ad chi*, quotiescunque simul, nulla interposita dictione, occurrunt, semper conjunctim sunt sumenda pro *donec*, *usquedum*, *&c.* Nec unquam, opinor, ita à se invicem divulsa sunt, ut unum ad præcedentia, alterum ad sequentia referatur. Quantula denique esset ista consolatio, sceptrum non auferendum à Juda postquam Messias venerit, si interea nullum tempus denotetur quando Messias sit venturus? imo si (quod Judæi somniant) sub ipsum mundi finem adventus iste Messiæ sit futurus? Alia quædam istiusmodi Rabbinorum commenta à Manasse referuntur, quibus prophetiam hanc ita interpretari conantur, ut vel ad Messiam non spectet, vel Messiam jam venisse non arguat, sed adeo fere sunt insulsa & inepta, ut ne recitationem quidem, nedum refutationem mereantur. De voce autem *Shiloh*, unde derivetur, ac quid proprie denotet, variæ sunt sententiæ. (b) Sunt qui שלה idem valere putent quod שלו, i. e. *cujus*. Ita sensisse apparet Onkelum, & Paraphrasten Hierosolymitanum, & R. Salomonem, quorum verba antea sunt citata. Eadem etiam LXX Interpretum sententia fuisse videtur, quippe qui sic locum hunc exponunt, Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *Non deficiet princeps ex Iuda nec dux ex femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei.* Pro istis autem verbis, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ alii (ut Nobilius post Scholiasten notat) legunt, ᾧ ἀπόκειται, *cui repositum est*: quæ lectio magis mihi videtur probanda. Utrovis autem modo legas, videntur isti Interpretes accepisse *Shilo* pro *Shello*, quod pro ratione loci significare potest vel *cujus*, vel *cui*, vel *quod*, vel *quæ*, *&c.* Aben Ezra refert alios deducere שילה à vocabulo Rabbinis usitato שליל, quod *abortivum* significat; at quomodo significationem istam huic loco accommodent, non ostendit. Mercerus exponit שליל *embryonem*, ut Messias dicatur *embryo*, vel *embryoneus*, ob exigua & tenuia initia, sicut & ob eandem caussam צמח, i. e. *germen* vocatur. Nonnulli (teste Aben Ezra) *Shiloh* hic de urbe sic appellata interpretantur, ac verbum יבא (*veniet*) eo sensu accipiunt, quo *sol* dicitur בוא, i. e. *occidere*, ut sensus sit, *donec occidat Shiloh*, vel *donec veniat finis Shiloh*: quia scriptum est, Psal. 78. 67. & 70. *Et deseruit tabernaculum Shiloh. Et elegit servum suum Davidem.* Hanc expositionem Aben Ezra censet non esse alienam, cum alienissima sit, maximeque coacta; quin & eisdem rationibus, quibus interpretatio Aben Ezræ de Davide hic intellecto, refutatur. Idem Aben Ezra refert quosdam deducere Shiloh ex voce שליה *Shiliah*, quæ *secundinam* significat, & pro *fœtu* usurpatur Deut. 28. 57. Denique ait Shiloh posse exponi בנו, i. e. *filius ejus*, ut ה in שלה sit loco ו, ut אהלה pro אהלו c. 29. 21. (c) Hæ autem duæ postremæ expositiones vocis *Shiloh* inter se haud differre videntur; ac propterea Kimchi in Radic. pro una eademque accipit: De voce enim *Shiloh* loquens, prout in hoc loco usurpatur, ait, פירוש בנו, i. e. *Expositio ejus est, filius ejus.* Et mox, והוא מלשון בשליתה, i. e. *Et deducta est* (scil. vox Shiloh) *à voce Beshiljatha*, quæ scil. occurrit Deut. 28. 57. ubi *fœtum* (ut antea notatum) significat, cum proprie *secundinam*, qua fœtus involvitur, denotet. Hoc sensu accepit vocem *Shiloh* Jonathan, qui in paraphrasi sua pro *Shiloh* habet, מלכא משיחא זעיר בנוי, i. e. *rex Messiah parvulus filiorum ejus*, scil. Judæ. R. Salom. testatur nonnullos interpretari *Shiloh* שי לו, i. e. *munus ipsi*; quia de Messia dicitur Psal. 68. 29. לך יובילו מלכים שי, i. e. *tibi afferent reges munus.* Ex nostris multi deducunt *Shiloh* à שלה *Shalah*, quod est *tranquillum esse, prospere agere.* Mercerus profitetur se malle à *Shalah* deduci, ut sonet *tranquillum*, *prosperum*, *cui omnia prospere succedunt*, *&c.* Fagius ait Messiam vocari *Shiloh*, quia veram *felicitatem* ac *prosperitatem* affert. Shindlerus & Glassius volunt *Shiloh* à *Shalah* deductum esse, ad formam nominum קמוש & קישור, ac *Salvatorem felicem* denotare. Amametiam ait sibi maxime arridere, ut *Shiloh* sit à *Shalah*, & *tranquillatorem*, *sospitatorem*, *omnis tranquillitatis autorem* significet. Morinus (in Append. diatr. cap. 1.) testatur lectionem textus Hebræi Samaritanam esse שלה, *Illi* (inquit, nempe Samaritani) legunt שלה, *tranquillus*, *pacificus*, *seu potius pacificans*, *tranquillans.* Ex omnibus hisce expositionibus vocis *Shiloh* maxime mihi arridet, ut vel *tranquillum*, seu potius *tranquillatorem* significet, à verbo Shalah;

(a) *Vide Deut.* 28. 57.

(b) *Grotius in Annot. ad lib. 5. de verit. Relig. Christ. ait Chaldæum, R. Shiloh, R. Bechai, R. Salomonem, Aben Ezram & Kimchi exponere* שלה *per* בנו, *i. e.* filius ejus. *At Chaldæus, scil. Onkelos, & R. Sal. exponunt potius per* שלו, *i. e.* cujus; *nec Aben Ezra exponit per* בנו, *sed tantum ita exponi posse asserit.* (c) *Sic hoc ipso cap. ver. 11.* עירה *&* סותה *pro* עירו *&* סותו.

lah; vel *filium ejus*, à *Shiliah*; ut inde sit nomen שיל *filius*, & cum He pro Vau, שילה, *filius ejus*. Utra harum alteri sit præferenda haud facile dixerim; utramvis autem earum reliquis præferre haud dubitarim. Vulgatus Latinus Interpres aliam procul-dubio lectionem habuit; quippe qui ita interpretatur, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Videtur pro שילה legisse שלוח, vel שלח, omnino ח pro ה legit. Morinus, acer ac vehemens hodierni textus Hebraici impugnator, in appendice diatribes, cap. 1. & 2. magno conatu id agit, ut hunc locum corruptum & depravatum esse, ac primitus non שילה, sed vel שלו, vel שילו lectum fuisse demonstret. At revera nugas agit, imo adeo turpiter se ipse refellit, ut se omnibus merito deridendum propinet. *Argumentum* (inquit) *istud, quo tam valide Judæorum perfidia ex Latina Græcaque editione revincitur, debile plane, & caducum est ex Hebræo textu, ut nunc legitur, desumptum. Respondeo, 1. Editiones, Græca & Latina, hic δὶς διὰ πασῶν inter se differunt; atque ideo utrinsque lectio genuina esse non potest.* 2. Galatinus de Arcan. lib. 4. cap. 4. longe aliter quam Morinus censet. *Multo* (inquit) *melius pro fide nostra Hebraica veritas habet.* Atque huic suffragatur Joannes Isaacus, ex Judæo Christianus, in Defensione Hebraicæ veritatis contra Lindanum, lib. 3. *Verum* (inquit) *quod tu dicis, Judæos minus hoc vocabulo* Siloh *urgeri, quam illo*, qui mittendus est; *nemo non, qui vel micam judicii habet, pervidere potest contrarium esse longe verissimum; quod & Petrus Galatinus, vir insignis pietatis, & incomparabilis eruditionis comprobat.* Hæc Isaacus. Sed & ante Galatinum idem censuit Porchetus adversus Judæos, parte 1. cap. 2. *Ubi nos* (inquit) *habemus*, Non auferetur sceptrum, &c. donec veniat qui mittendus est, *aliter se habet Hebraica veritas. Ista namque translatio magis est juxta sententiam, quam literalis. Quapropter Judæi in hac parte viam latam habent fugiendi, & negandi veritatem, faciem veritatis habentem. Objicere enim nobis possunt, quod prædicta autoritas non de Messia dicatur, sed de aliquo altero, ut de Nabuchodonosor rege Babylonis, qui mittendus erat ad innumera peccata ipsorum, sive patrum ipsorum punienda, &c.* Eadem etiam pene ad verbum habet Galatinus loco citato; ac totum sane librum Porcheti compilavit, cujus tamen nullam unquam mentionem facit, ut non injuria Morinus eum *portentosum* appellet *plagiarium*. Sed ad ipsum Morinum redeo. *Aliter* (inquit) *nec legerunt, nec legere potuerunt LXX, quam* שֶׁלּוֹ quod, *vel* quæ ipsi. *Sic legit Onkelos; sic Salomon Jarki & textum, & Onkelos interpretatur: Targum Hierosolymitanum legit eodem modo* שֶׁלּוֹ *Eodem modo legit Saadias Gheon, & Syrus Interpres. Paraphrastes autem Chaldæos, & consequenter alios, qui interpretati sunt*, cujus est, *vel* quod ipsi *legisse in textu Hebræo* שלו, *ut nos colligimus, testatur R. Aben Melek in libro* Miclal Jophi *ad hunc locum*; המתרגם על המשיח תרגם שילה כמו שלו דרלה וכן בברי׳ עד כי יבאו שלה עד שיבאו מי שמלכות שלו, h.e. *Qui interpretatus est hæc de Messia, interpretatus est quoque* Shilo *veluti* Shello, *cujus est. Et sic in Bereshith Rabba, Donec veniat Shiloh* (i.e.) *donec veniat ille, cujus est regnum.* Hæc Morinus. Resp. 1. Si LXX & Paraphrastes Chaldæi, aliique antiquissimi Hebræorum legerunt שלו, quod nobis se abunde demonstrasse putat Morinus; unde, quæso, prodiit illa altera lectio שילה, quemadmodum Hieronymum legisse contendit, nec sane immerito, modo Hieronymus vulgatæ versionis Latinæ autor fuerit? 2. Ubi nunc Vulgatæ editionis αὐθεντία, à Concilio Tridentino, adversus quod hiscere Morino nec fas, nec tutum, decreta? Si enim (quod Morino maxime arridet) vera germanaque lectio est שלו, alteram illam lectionem שילה spuriam ac suppositititiam esse necesse est. 3. Audiamus iterum Joannem Isaacum, qui loco ante citato de versione LXX Interpretum agens, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *Ex qua* (inquit) *interpretatione luce clarius perspicitur, LXX Interpretes iisdem literis* שילה *legisse, quibus nunc in textu Hebræo scriptum cernitur. Existimaverunt autem* ה *in fine esse loco* ו, *ut aliquoties fieri solet.* Hæc ille. 4. Ii ipsi autores, quos pro se affert Morinus, contra ipsum faciunt, nempe R. Salomon Jarchi, & R. Aben Melek. Quod ad R. Salomonem attinet, interpretatur ille quidem *Shilo* per *Shello*, *cujus*, ac notat Onkelum sic interpretari. At quid tum postea? Num propterea in textu Hebræo legit *Shelio*, non *Silo*? Quis adeo ineptus, ut existimet? Cum (ut ipse Morinus nobis ostendit ex tractatu Talmudico, Sanhedrim,) multis annorum centuriis ante natum R. Salomonem *Shilo* lectum fuerit. Aben Ezra, qui vel ut R. Salomonis æqualis fuit, vel eo non multo junior, cujusque verba citat Morinus; de dictione *Shilo* loquens ait, ואין כדרך המתרגם ארמית כטעם שלו, i.e. *Sicut qui interpretantur juxta Chaldæum Paraphrasten eodem sensu quo Shello*, i.e. *cujus est.* Dicit hic Rabbinus *Shilo* à Chaldæo ac aliis quibusdam ita exponi, ac si idem valeret quod *Shello*; *Shilo* autem, non *Shello* eum legisse (ac alios etiam ita legere existimasse) est apertissimum. Unde enim aliæ istæ expositiones, ab eo (ut supra notatum) memoratæ, de *urbe Shilo*, & de voce *Shilo* à *Shilja* deducta? Similiter Aben Melek (ut ex verbis ejus videre est; & gratias sane ago Morino, quod verba istius Rabbini, cujus alias inspiciendi mihi copia non est, exhibuit) non testatur (ut suadere velit Morinus) vel Paraphrastas Chaldæos, vel alios quoscunque legisse *Shello* pro *Shilo*, sed interpretatos esse *Shio cemo Shello*, h.e. *ita ac si esset* (ac si idem valeret quod) *Shello*. Hoc longe profecto aliud est ab eo, quod Morinus colligit. *At* (inquit Morinus) *legere hanc dictionem per He* (quemadmodum in Bibliis Hebræis nunc legitur, שילה) *barbarismus esset, seu potius solœcismus, quo genus fœmininum pro masculino enuntiaretur.* Resp. 1. Mirum ni Morinus peritior sit linguæ Hebraicæ, quam ipsi Rabbini, iique antiquissimi, qui (fatente ipso) legerunt *Shiloh* cum He, שילה. 2. Si ideo in voce שילה est barbarismus, vel solœcismus, quod He sit loco Vau, in textu Hebræo plurimi erunt barbarismi, vel solœcismi, cum istarum literarum inter se permutatio sæpe reperiatur. Præter loca ante citata, vide Genes. 13. 3. & Ezech. 12. 14. Et Psal. 42. 9. Denique Morinus objicit, *ex textu Hebræo neoterico* (sic appellat scilicet) *Shiloh, nullum validum adventus Messiæ argumentum elici posse; ac rationem* asserit *esse evidentem ac necessariam, quod nesciretur quid sit Shiloh, dictio in Scripturis inusitata, quæ alibi præterquam in hoc loco nusquam deprehenditur, cujusque ut vocis barbaræ ignoratur significatio.* Respons. 1. Eadem ratione contendere quis possit multa Scripturæ loca esse corrupta, in quibus inveniuntur vocabula ἅπαξ λεγόμενα, quorum significationes propterea sint minus certæ, quæque ab aliis aliter exponuntur. 2. Etiamsi Rabbini pariter ac nostri variè deducant significationem hujus dictionis *Siloh*, in eo tamen fere omnes conveniunt, *Messiam* ea denotari. *Quotquot sunt* (inquit Joan. Isaacus, ubi supra) *paucissimis exceptis, qui Shiloh quocunque modo interpretantur, fatentur Messiam denotare.* Ipse Morinus (quod & ante à Galatino factum) ex tractatu Sanhedrim ostendit *Shiloh* inter *nomina Messiæ*, ab antiquis Hebræorum Doctoribus recenseri; רבי ר׳ שילא אמר שילה שמו שנאמר עד כי יבאו שילה, i.e. *Qui sunt ex domo R. Sila, dicunt, Shiloh est nomen ejus, ut dictum est, donec veniat Shiloh.* Obiter nota, qua probabilitatis specie, quave fronte Morinus hanc lectionem *Shiloh* neotericam appellare potuit, ac obtendere R Salomonem (scilicet) non *Shiloh*, sed *Shello* legisse, cum in tractatu Talmudico ita textus Hebræus legatur, atque inde *Shiloh* inter nomina Messiæ numeretur. Præterea, *constans Judæorum antiquorum traditio* (sunt ipsissima verba Morini) *fert locum istum de Messia intelligendum esse.* Citat trium Paraphrastarum disertum (ut ipse appellat) de hac re testimonium; nec non RR. Salomonis Jarchi, Bechai, Aben Melech, & Karantæ anonymi; Talmudistas porro in hanc rem citat; item antiquissimum (ut vocat) commentarium, Bereshith Rabba, R. Mosen Bar Nachman, R Aramam, Abarbinelem, R. Mosen Atsich, & autorem libri celebris Arba turim; unde de hoc loco tandem sic concludit, *Licet igitur ex vi textus Hebraici, ut nunc legitur, nullum possit adventus Messiæ argumentum elici, id tamen, ut demonstratum est, ex constanti Judæorum traditione textus conjuncta validissime probatur.* Hæc ille. Nonne autem adeo constans Judæorum traditio satis validum præbet argumentum, hodiernam hujus loci lectionem antiquissimam esse, planeque genuinam? Cum igitur in omnes sese formas mutaverit Morinus, nullumque non moverit lapidem, ut textum Hebræum hoc in loco depravate legi ostenderet, quid aliud tanto molimine effecit, quam ut hodiernam ejus lectionem quam maxime firmam stabilemque reddiderit? Ex iis certe, quæ hactenus dicta sunt, satis luculenter apparet, utut plurimæ sint hujus loci interpretationes, omnes tamen Interpretes, præter vulgatum Latinum, *Shiloh* in textu Hebræo legisse. Fagius in Chald. Paraph. ait, *inter Judæos esse, qui vocem* שילה Shiloh *à verbo* שלח *deducant, quod significat* mittere, *hoc sensu*, Non recedet sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est. *Atque illum* (inquit) *Nabuchodonosor esse dicunt, qui propter peccata populi ad totius terræ illius perditionem, regnique ablationem à Deo missus fuit. Tunc enim aiunt, interfecto rege Zedekia, qui de tribu Juda erat, ac filiis ejus, regnum penitus defecisse, ita ut ab eo tempore nullus unquam postea ex tribu Juda regnaverit.* Hæc Fagius, quem, cum in hoc literarum genere eruditissimus fuerit, miror in animum potuisse inducere, vocem שילה cum He, à verbo שלח ulla ratione potuisse deduci.

ci. Postea autem ibidem Fagius ait *inveniri, qui in ea sunt sententia, quod pro* שילה, *quod modo in Hebraicis Bibliis legitur, olim fuerit* שלוח *vel* שלח, *Judæorum autem perfidia corruptum esse, quod viderent* שילה *sibi commodiorem vocem esse detorquendi eam ad sua impia placita, quam* שלוח, *quæ plus stabiliat nostram de Christo fidem. Ego* (inquit) *hic nihil certi pronuntiare ausim, nisi quod forte quis conjecturam aliquam facere potest ex vulgata editione Latina, quæ* mittendus *transtulit.* Gualtperius hæc Fagii verba referens, sic legit, *quod viderent* שלוח *sibi commodiorem vocem esse detorquendi eam ad sua impia placita, quam* שילה, *quæ plus stabiliat nostram de Christo fidem.* At ista lectio procul-dubio est vitiosa, ac forte inter Errata Typographica numeranda. Miror autem Fagium tam molli brachio sententiam istam perstringere, cum ex versionibus LXX Interpretum, & Chaldæorum Paraphrastum, & ex omnibus omnium expositionibus datum satis manifestumque sit, veram ac primogeniam lectionem esse non שלוח vel שלח sed שילה. Glassius in Philolog. S. lib. 1. tract. 1. contra Huntlerum Jesuitam disputans, qui zelo tuendæ vulgatæ editionis contendit primitus lectum fuisse שלח, ac postea à Judæis in שילה mutatum. *Contra vero* (inquit) *altera voce* שילה *magis pro perversa sua sententia potuissent uti; & quo uti possent, pro litera* ה *quosdam Judæos legisse* ו *nonnulli autumant.* Hoc ille; atque hoc fortasse est quod voluit Fagius, cum dixerit *ex Judæis esse, qui vocem* שילה *à* שלח *deducunt*; id forte voluit, Judæorum nonnullos pro שילה legere שלח. Utut sit, ego non dubito inane prorsus esse commentum, Judæorum ullos legisse שלח, cum nihil istiusmodi ex ipsorum scriptis appareat. Orta videtur ista suspicio ex eo, quod vulgatus Interpres ita vertit, ut liquido constet eum non שילה, sed שלוח legisse. Non possum autem satis demirari, Galatinum dicere שילה æquivocum esse, & posse significare *missionem* sive *missum*, à verbo שלח, atque inde ex Judæis nonnullos interpretari hanc vocem de *Nabuchodonosor, qui propter peccata populi ad totius terræ illius perditionem, atque ad regni ablationem à Deo missus fuit.* Sed & Lyra similiter asserit *dictionem Hebraicam* Silo, *& esse proprium nomen loci, & significare in alio sensu missionem; ac propterea Judæos aliquos in istum modum de Nabuchodonosor hunc locum interpretari.* Hæc verò istiusmodi sunt, ut ab hominibus Hebraice doctis potuisse dici, potuisse legi, & non refelli, mihi tantum non stuporem incutit. Porchetus quidem (ut notatum supra) rectè meritoque asserit, *Judæos, si legeretur* שלוח *missus*, vel *mittendus, latam fugiendi viam habere, ac de Nabuchodonosor posse exponere*: ita autem vel legisse, vel exposuisse non dicit; nec jure, opinor, dici potest. Ipse Morinus, etiamsi malit legi שלוח, vel שילה, quam שילה, quod tanquam barbarum & solœcum detestatur, miratur tamen Lyram & Galatinum testari, nonnullos Judæos hanc dictionem שלח *missionem* interpretari, & per eam *Nabuchodonosorum* intelligere, quasi qui *mittendus fuerit*, ut Judæorum peccata puniret. *Verum* (inquit) *cui harum rerum scienti incognitum esse potest,* שילה *missionem, sive mittendum nulla ratione significare posse? Quomodo Judæis illis, si ulli unquam fuerunt, qui sic hanc dictionem interpretati fuerint, assentiri potuerunt?* Addit Morinus, à Judæo quodam Karaïta perhiberi, Judæos quosdam per *Shiloh Nabuchodonosorum* intellexisse, atque eundem etiam intelligere videri *Julianum Apostatam* apud Cyrillum lib. 8. in ipsum; at interpretationis suæ rationem non à significatione Grammatica istius dictionis, quicquid tandem illa significet, sed ab urbis templique ruina, & Sedekiæ regis filiorumque captivitate derivare. Hanc autem interpretationem utrumque (Karaïtam scil. illum, & Cyrillum) improbare, idque meritissime. Prædicere enim Jacobum non Judæorum calamitatem, sed gloriam, ut ex toto contextu patet. Deinde non omnino *recessisse sceptrum à Juda*, quum è Davidis familia in ipsa captivitate principes habuerint *Salathielem* & *Zorobabelem, &c.* Antequam de hac voce שילה *Shiloh* dicendi finem faciam, illud prætermittere non possum quod habet Galatinus (de Arcan. lib. 3. cap. 4.) nempe *hac dictione innui Messiam ex virgine natum.* Quin & in hanc sententiam citat Kimchi in Radic. sic (si ipsi credimus) scribentem, *Donec veniat Shiloh, id est, filius ejus, fœminini generis exponitur. Et est prophetia de Messia, derivaturque* שילה Shiloh à שליה Shiliah, *quod est sacculus quidem, in quo manet infans in utero matris, qui aliquando in Scriptura pro embryone in matrice sumitur. Ex quibus* (inquit Galatinus) *apertissime liquet, quod Shilo in antedicta prophetia idem est, quod filius mulieris. Ex quo palam est, ideo prophetam dixisse, donec veniat Shilo, ut ostenderet Messiam ipsum de matre absque patre nasciturum fuisse.* Hæc ille, quæ cum à Fagio etiam, ac post Fagium à Gualtperio sint citata, nulla censura fuisse notata mirum videtur. Neque enim de fœminino genere quicquam habet Kimchi, ubi de hac voce *Shiloh* loquitur. Verba Kimchi, prout à Fagio referuntur, hæc sunt, עד כי יבא שילה פירוש בנו והנבואה על דוד שהוא משבט יהודה או על המשיח והוא מלשון ובשליתה, h.e. (ut Fagius vertit) *donec veniat Shilo, id est, filius ejus. Et est prophetia de Davide, qui fuit de tribu Juda, aut de Messia; voce deducta à Shilsah, quæ secundinas significat.* In hisce autem Kimchii verbis non dicitur pronomen, *ejus*, esse fœminini generis; imo contrarium potius dicitur, cum exponitur שילה *Shilo* per בנו *Beno, filius ejus* (scil. viri) non per בנה *Benah, filius ejus*, scil. mulieris. Et certum est, litera He in Shiloh, si non sit de radice (ut existimant illi qui à verbo שלה *Shalah* deducunt) sed affixi locum habeat, esse pro Vau; alioqui enim cum puncto camets, שִׁילָה *Shilah*, non cum cholem, שִׁילֹה *Shiloh* legeretur. Hæc eis ignota esse non possunt, qui primoribus (quod ajunt) labris Hebræam linguam degustarunt. Ipsa denique verborum series satis indicat; pronomen *ejus* (si ita interpretari oporteat *Shiloh, filius ejus*) ad Judam esse referendum. Glassius loco citato ait à nonnullis observari, שילה habere *literam ultimam* ה, *quâ notari solet affixum pronomen fœmininum; habere autem simul punctum Holem quo significatur pronomen masculinum; atque inde colligi, respectum haberi & ad matrem Domini, & simul ad Judam, ex cujus familia Messias promittitur nasciturus. Quantum autem* (inquit) *Judæorum perfidiæ hæc expositio officiat, cuivis patet.* Sed etiamsi hoc adversus Huntlæum, quicum istic Glassio res est, vim suam habeat, observatio tamen ipsa nihili est, nec adversus Judæos quicquam valet, quum litera ה non cum puncto Holem, sed cum puncto Camets pronomen fœmininum designet, cumque inusitatum non sit in Scriptura (ut jam antea ostensum est) ut ה cum Cholem loco ו pronomen masculinum denotet. Judæos igitur hinc urgere, vel mysterium aliquod hic suspicari, mihi sane haud tutum videtur. Qui plura de loco hoc πολυθρυλλήτῳ videre velit, præter Commentatores in Genesin consulat Galatinum de Arcan. lib. 4. cap. 4. & 5. & 6. Casaubon. Exercit. §. 1, 2. & 3. Cunæum de Repub. Hebr. lib. 1. cap. 9. & 10. & 11. Et Medum nostrum in Diatribe super hanc prophetiam composita. Horum tres postremi etiamsi in nonnullis levioris momenti à se invicem dissentiant, in eo tamen ab aliis plerisque discrepantes inter se consentiunt, quod ablationem scepteri Iudaici, non in *Herode, sed in Hierosolymorum totiusque Iudaicæ Reipublicæ omnimoda eversione* contigisse existiment; quod mihi maxime amplectendum videtur. Neque enim video, cur regnante Herode sceptrum à Iuda (i.e à populo Iudaico) recessisse dicatur, cum Herodes proselytus, ac propterea etiamsi non origine, religione tamen Iudæus fuerit. Quod si quis dixerit, ideo sceptrum tunc Iudæ ablatum fuisse, quod Herodes ex tribu Iudæ non erat; eadem certe ratione diu ante Herodem ablatum fuit, cum scil. *Machabæi*, qui ex tribu Levi fuerunt, rerum potiti fuerint. At objici potest, diu ante excidium Hierosolymitanum, *Shilo*, i.e. *Messiam* venisse. Respondeo, in hac prophetia non dici, statim ab adventu Shiloh sceptrum à Iuda auferendum, (nedum ante adventum Shilo, quod tamen evenisset, si Herodes illud abstulisset) sed non auferendum ante adventum Shilo; ita ut necesse fuerit Shilo prius venire, quam sceptrum auferretur. Optime igitur hæc prophetia impleta fuisse ostenditur, si tunc cum funditus eversa fuerit respublica Iudaidaica, sceptrum à Iuda recessisse dicatur; cum è contra, qui regnante Herode id accidisse volunt, in istiusmodi angustias se redigant, unde haud facile se expedire posse videntur. Alteram præterea hujus objectionis solutionem, quam nempe D. Medus adhibet, vide in nota proxime sequente.

Nam auferetur sceptrum de Iuda.] Molinæus vir eruditus, in libro qui inscribitur Vates, lib. 4 cap. 7. vertit, *Non recedet tribus à Iuda*; atque asserit sensum esse, fore ut tribus Iuda nunquam desinat tribum efficere, & habere aliquos magistratus de sua tribu, donec Gentes adventu Messiæ ad fidem convertantur. Ac cap. 8. dicit, omnia esse plana, si per שבט *Shebet, tribus*, non vero *sceptrum* intelligatur; flammam autem ex nive petere, & historiæ fidem vertere in somnia, qui vult à Iacobi morte ad nativitatem Christi sceptrum sive principatum fuisse penes tribum Iuda. Et cap. 9. improbat opinionem Pererii & Casauboni, qui volunt, quæ Iacob dixit de tribu Iuda, ad totum Israelem pertinere, quasi Iacob dixisset, fore semper in Israele aliquem principatum. Cum enim unaquæque tribus suum habeat vaticinium peculiare, rationem non pati, ut sola tribus Iuda nihil habeat sibi proprium, & quod Iudæ dicitur, ad alios Iacobi filios transferatur. At, ut fateor, vix ullam hujus prophetiæ explicationem inveniri posse, quæ suis non laboret difficultatibus, ita à communi, & recepta fere ab omnibus interpretatione

tione

tione vocis *Shebet* haud puto discedendum. Certum est dictionem istam quandoque *sceptrum* designare; eo sensu bis usurpatur Psal. 45.6. Quin & in ista significatione hic accipi arguit vocabulum מחוקק *Mehokek*, quo ipse Molinæus cap. 10. mavult *Legislatorem* denotari, quam *scribam*, quia חק *Hok statutum* significat, & *legem*; Psal. 2.7. & 105.10. Eo sensu, nempe pro *Legislatore* notat usurpari vocem *Mehokek* Psal. 60. 9. (al. 7.) & Judic. 5.7. etiam si ibi sit למחוקק non מחקק, sed חקק & מחוקק pro uno eodemque nomine sumenda videntur. Deinde si *Shebet* hic *tribus* exponatur, ut sensus sit, tribum Judæ ante adventum Messiæ non cessaturam, nihil certe huic tribui peculiare in se habebit hæc prophetia; idem enim & de tribu Benjamin dici potuit. Sed nec video quomodo tueri possit Molinæus, Judam semper habuisse aliquos Magistratus de sua tribu, si verum sit quod dicit cap. 8. αἰχμαλωτάρχην, qui Hebræis dicitur *Rosh galutha*, titulo tenus fuisse principem, nec ullum habuisse civile imperium, nec Præfectos & Proreges à regibus Persarum constitutos. Nam procul-dubio non majorem authoritatem in propriam tribum habuerunt magistratus tribui peculiares, quam in totum populum habuit αἰχμαλωτάρχης, nec non Præfecti & Proreges à Persarum regibus constituti. Quin & Præfectos Proregesque hosce civile aliquod imperium habuisse, licet non summum ac plane regium, ex historia Ezræ, Nehemiæ, & Zorobabelis est satis manifestum. De Pererii autem ac Casauboni expositione, quod adversus eum objicit Molinæus, haud tantarum virium esse videtur, ut propterea sit deserenda, si sano modo intelligatur. Nam etiamsi quod de tribu Juda hic dicitur, ad (a) alias etiam aliquot tribus, nempe *Benjamin* & *Levi* pertinebat, hoc tamen peculiariter ad honorem tribus Judæ spectabat, quod totus populus ab ea denominatus esset, & populus Iudaicus, seu populus Iudæorum appellaretur. Vide, si libet, Cunæum.

Ibid. cap. 7. Molinæus ait per adventum Messiæ in hac prophetia non esse intelligendum Christi *nativitatem*, sed *manifestationem Christi per Evangelium*. Nam rempublicam Iudæorum stetisse, & formam aliquam politiæ habuisse per annos 70. post Christum natum. Et cap. 9. manifestationem Christi per Evangelium, & vocationem gentium intelligendam esse per hunc adventum Shiloh, probari asserit ex verbis sequentibus, *Et ad eum populi congregabuntur*. At utraque ratio infirma esse videtur. Nam quod priorem attinet, pro concesso sumit rempublicam ac politiam Iudæorum protinus ex quo Shiloh venerit esse cessaturam, cum verba sacri Vatis id præ se non ferant, sed tantum eam ad adventum usque Shiloh duraturam, nec cessaturam priusquam Shiloh venerit. Ad posteriorem autem facile est respondere, adventum Shiloh, & populorum ad eum aggregationem duo à se invicem distincta esse, nec unum per alterum esse exponendum.

וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים *Et ei* (erit) *congregatio populorum.*] Sic R. Salom. interpretatur, אסיפת עמים, i. e. *collectio*, seu *congregatio populorum*. Lyra etiam asserit in Hebræo esse, *Et erit ei aggregatio gentium*; cum Vulgatus habeat, *Et ipse erit exspectatio gentium*. Et similiter LXX, καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. Fagius in Collat. testatur nonnullos Hebræorum deducere יקהת à קהה *obstupescere*, *contundere*, ut hic significet *confractionem*, *debilitationem*, & *devastationem*, q. d. *Et ille debilitabit*, *subjugabitque* (b) *gentes*. Onkelos exponit, וליה ישתמעון עממיא *& ei obedient populi*. Sic Aben Ezra ait sensum esse, שיסור גוים אלי משמעתו, i. e. *quod gentes ad obedientiam ejus convertentur*. Kimchi etiam in Radic. (ut refert Fagius) ita explicat, אליו ישמעו עמים לקבל עליהם מה שיצום, i. e. *Ei auscultabunt populi, ut recipiant super se id quod eis præcipiet.* In eundem sensum Paraphrastes Hierosolymitanus, וליה עתידין דישתעבדון כל מלכותא דארעא, i. e. *& futurum est, ut ei serviant omnia regna terræ.* Mercerus simplicius putat pro *obedientia* accipere: atque ita idem nomen usurpari ait Proverb. 30.17. ליקהת אם. Ad quem locum refert, Kimchi & istic, & hoc in loco exponere *obedientiam*, *& imperii receptionem*. Aben Ezra autem istic exponit חבור, i. e. *consociationem*. Et R. Salom. קבוצת, i. e. *collectionem*; & de *collectione rugarum*, nempe *ex senio* interpretatur. Unde LXX vertunt γῆρας. Quod ad hujus loci sensum attinet, parum refert, utrum interpretemur, *Et ei erit obedientia populorum*, an, *& ei erit collectio seu congregatio populorum*. Ideo enim se populi ad eum congregabunt, ut ei obediant. D. Medus hic τὸν ἕως repetit verba ista עד כי, *donec*, ut sensus sit, *Non recedet sceptrum à Juda, &c. donec venerit Shilo, & donec ei aggregati fuerint populi. Regnante autem Herode, etiamsi Shilo venit, non tamen nisi post multos annos populi ad ejus fidem atque obedientiam, Apostolorum prædicatione, sunt adducti; quo facto, Hierosolyma à Romanis sunt deleta, ac respublica Judæorum eversa.* Hanc expositionem, acutam sane, & ingeniosam, confirmat ex illo Salvatoris dicto Matth. 24. ver. 14. *Et hoc evangelium regni prædicabitur in toto mundo in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis*, scil. politiæ Judaicæ.

11. *Ligans ad vitem pullum suum, &c.*] Aben Ezra notat י in אֹסְרִי, i. e. *ligans*, esse (c) addititium, ac sensum ait esse, *adeo copiosum fore proventum vinearum ejus, ut liget pullum suum ad vitem, nec curet si uvas comedat.* Fagius sic explicat, *Tanta erit vini copia, ut quis ab una vite asinum suum onerare possit.* Eodem plane modo interpretatur R. Salom. licet Fagius mentionem ejus non fecerit. Onkelos hic עיר non pro *pullo*, sed pro *civitate* accepit: Sic enim exponit, *Circumdabit Israel civitatem suam, populus ædificabit templum* (d) *suum, eruntque justi in circuitu ejus, & factores legis juxta doctrinam ejus: purpura bona erit vestimentum ejus; operimentum ejus sericum tinctum coccino, variisque coloribus.*

Lavabit vino vestimentum suum.] R. Salomo recte ait, *hæc omnia vini abundantiam denotare*, כל זה לשון רבוי יין.

Et sanguine uvarum operimentum suum.] *Succus uvarum*, ut notat Aben Ezra, *ob rubedinem sanguis appellatur.* Idem refert nonnullos dicere סותה hic esse cum defectu literæ Caph, pro כסותה, i. e. *operimentum*, ipse autem putat ex eadem radice deductum esse, ex qua מסוה, quod *velum*, sive *velamen* significat. R. Sal. ait סות esse *genus quoddam vestis*, nec amplius in Scriptura reperiri.

12. חַכְלִילִי עֵינַיִם מִיָּיִן וּלְבֶן שִׁנַּיִם מֵחָלָב *Rubicundus oculis ex vino, & albus dentibus ex lacte*] LXX, ὑπὲρ οἶνον, *super vinum*, &, ἢ γάλα, *quam lac*, id est, μᾶλλον ἢ γάλα, *magis quam lac.* Ista quidem sæpe præpositio מן, *ab*, *ex*, comparationibus inservit, ut Cant. 1. 2. *amor tuus bonus est* מיין *præ vino*, *melior est vino.* LXX istic ὑπὲρ οἶνον: sic etiam ver. 4. *recordabimur amoris tui* מיין *præ vino*, *super vinum*, *plus quam vini.* Hic autem ex versu antecedente apparet vini (ac propterea etiam & lactis) copiam denotari; ut sensus sit, *tantam vini lactisque fore abundantiam, ut inde rubicundos oculos, ac albos dentes habeat.* Nobilius testatur in quibusdam libris esse ἀπὸ οἴνου, & apud Latinos fere *à vino*; & apud Ambrosium, *hilares oculi ejus vino.* Vulgatus alteram lectionem ὑπὲρ οἶνον secutus videtur, quippe qui vertit, *Pulcriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Fagius in Collat. legit ἀπὸ οἴνου, & interpretatur *præ vino*, quod potest accipi vel pro *ex vino*, vel pro *super vinum.* Certe illud ἢ γάλα arguit veram lectionem (licet minus rectam versionem) esse ὑπὲρ οἶνον, vel saltem ἀπὸ οἴνου eodem sensu usurpari. Lyra ait in Hebræo esse, *Rubicundiores vino oculi ejus; quia potatio vini abundans, & maxime quando vinum est bonum, apparet in oculis scintillantibus citius quam in aliis partibus.* Ego vero dixerim in Hebræo esse, *Rubicundi oculi ejus vino*; vel, *rubicundus oculis ex vino*; atque huic versioni, non autem alteri, convenit ista expositio, nisi forte *rubicundiores* non comparative, sed positive sumatur. Similiter cum Lyra ait verbis istis, *Et dentes ejus lacte candidiores, designari abundantiam lactis, quia albedo lactis, in dentibus eorum qui istud comedunt, apparet*; aut *candidiores* positive accipit, aut certe sensus iste verbis non congruit.

13. *Zebulun habitabit ad portum maris.*] Aben Ezra notat tribus eo ordine, quo natæ erant, recensitas esse, excepto quod hic Zebulun ponitur ante Issachar, propterea quod hæreditas Issachar inter Zebulun & Dan ceciderit. R. Salom. ait, *Zebulun mercaturæ deditum fuisse* (עסק בפרקמטיא) *ac de annona prospexisse* (ממציא מזון) *tribui Issachar, qui in lege occupati fuerunt.* In hanc sententiam citat illud Deut. 33.18. *Et de Zebulun dixit, Lætare Zebulun in exitu tuo; & Issachar in tentoriis tuis*; quasi Moses istic innueret, Zebulun ad mercaturam exercendam exire, Issachar autem Legi in tentoriis operam dare.

14. *Issachar* חֲמֹר גָּרֶם *asinus ossis*, i. e. *osseus*, *robustus.*] Vulg. *asinus fortis.* (e) R. Sal. כמו חמור בעל עצמות חזק, i. e. *portat*

(a) *Ad totum nempe populum, qui cessabit, decem tribubus ab exilio nunquam reversis.* (b) *Ad istum modum Jonathan*, וברליה יתמסון עממיא *i. e.* & propter eum liquescent populi. *Nisi forte id voluerit, populos quam celerrime se ad eum recepturos.*

(c) *Sic etiam ibidem in* בני. (d) *Sic Fagius vertit. Potest verti* ejus, *scil.* Messiæ. (e) *Targ. Hierosol.* שבטא תקיף, *i. e.* tribus fortis. *Et sic Jonathan.*

portat jugum Legis instar asini fortis. LXX, Ἰσαχὰρ τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, *Issachar bonum desideravit.* Pro חֲמֹר *asinus*, legerunt, חמד *desideravit*; quare autem גרם interpretati sunt *bonum*, conjicere haud possum. Hieron. in Tradit. ex Hebræo vertit, *Issachar asinus osseus.* Drusius refert R. Jonam exponere *asinum fractum*, id est, qui de loco movere non potest. גרם est *frangere*, גרם est *os*; item exponi potest *fractio*, licet eo sensu occurrere non soleat. Addit Drusius, *alios exponere asinum macrum, qui tantum ex ossibus constet, nihil carnis habeat.*

רֹבֵץ בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם *Recumbens inter duo onera.*] Vel, *inter duos terminos.* R. Sal. sic explicat, *Sicut asinus, qui die noctuque iter facit, nec in ædibus pernoctat, sed si quando ad quiescendum recumbat, recumbit inter terminos* (בין התחומין) *in terminis urbium, ad quas merces portat.* Aben Ezra exponit משפתים per המערכות, i. e. *acies*, vel, *ordines.* שפת est *ponere, disponere, ordinare.* Onkelos & Hierosolymitanus interpretantur תחומין, & Jonathan, תחומי *terminos.* Onkelos in hunc modum ... *Issachar dives facultatibus, & possessio ejus inter terminos.* Hierosolymitanus sic, *Issachar tribus fortis, & terminus ejus erit in medio inter duos terminos.* Jonathan vero sic, *Issachar fervidus in Lege, & tribus fortis, novit dispositiones temporum* (ידע בזני מזמניא) *& recumbit inter terminos fratrum suorum.* LXX. ἀναπαυόμενος ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, *requiescens inter cleros*, seu *fortes.* Vulg. *accubans inter terminos.* Hieron. *recumbens in terminis.* Fagius ait sensum esse posse, *Issachar habitaturum inter terminos, id est, inter regiones, provincias, confinia, & terminos populorum, unde affatim habere possit, quæ sibi necessaria erunt. Habuisset enim in circuitu suo Zabulon, Nephthalim, Asher & Ephraim.* Atque hoc putat LXX interpretes respexisse. Idem notat vocabulum משפתים nusquam in Scriptura reperiri nisi hoc in loco, & Judic. 5. Lyra sic exponit, *Habitans inter terminos, quia ex una parte sors ejus terminabatur ad mare mediterraneum, & ex alia ad Iordanem fluvium, ubi est mare Galilææ, id est, lacus magnus per quem transit Iordanis fluvius. Simplex sensus* (inquit Mercerus) *est, inter duos terminos, seu limites; intellige mare Galilææ, & montem Tabor, aut Iordanem ex altera parte.*

15. *Et vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod esset amœna, & inclinavit humerum suum ad portandum,* וַיְהִי לְמַס־עֹבֵד *& fuit tributo serviens.*] LXX, καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός, *& factus est vir agricola.* Acceperunt hic עבד pro *agricola*, quia עבד interdum pro *colere terram* usurpatur: at illud למס *tributo*, vel *ob tributum*, indicat עבד usitata significatione hic sumi, nempe pro *servire.* Aquila tamen & Symmachus feruntur transtulisse, καὶ ἐγένετο γεωργὸς ὑποτελῶν, *& est agricola ad ministrandum.* Sed rectius Hieron. *Et factus est in tributum serviens.* Et Vulg. *Factusque est tributis serviens. Asinum autem osseum vocant* (inquit Hieron.) *& humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ, & vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans. Ajunt Hebræi, per metaphoram significari, quod Scripturas sanctas die ac nocte meditans, studium suum dederit ad laborandum; & ideo ei omnes tribus serviant, quasi magistro dona portantes.* Hæc Hieron. Quod autem de Hebræis refert, verum esse apparet ex R. Salomone, qui ita exponit, *Vidit portionem suam esse benedictam & fertilem; & inclinavit humerum suum ad ferendum*, scil. jugum Legis; *Et tributo serviebat, & omnibus fratribus tributo* (i. e. ut ab eis tributum acciperet) *serviebat, ut eos Legem doceret, atque ordines intercalationum* (וסדרי עבורין) At citat illud 1 Paral. 12. 32. ubi dicitur, *viros Issachar temporum intelligentiam habuisse*, ad sciendum quid Israëlitis facto opus esset. Similiter Paraphrastes Hierosolymitanus, *Et vidit domum sanctuarii, quæ vocatur requies, quod esset bona; & terram, quod fructus ejus essent pingues; & inclinavit humerum suum ad laborandum in Lege; & fratres ejus ei tributa offerebant.* In eundem sensum etiam Jonathan, *Et vidit requiem seculi futuri, quod sit bonum, & partem terræ Israël, quod sit jucunda; propterea inclinavit humerum suum ad laborandum in Lege; & fratres ejus ei dona offerebant.* Onkelos de fortitudine tribus Issachar interpretatur, *Et vidit partem* (suam) *quod bona esset, & terram, quod esset fructifera; & subegit provincias populorum, & devastavit habitatores eorum; & qui relicti sunt in eis, ei servient, & tributarii erunt.* Aben Ezra contrario sensu accipit, *Et quando vidit terram suam, & locum ubi quiescebat, amœnam esse, inclinavit humerum suum ad ferendum quodvis onus, quemadmodum fert asinus; & fuit sicut servus, pendens tributum.* Et sensum ait esse, *Issacharitas non fuisse fortes, nec relicto loco suo ad bellum exisse*; atque id Mosen significasse, cum dixit, *Issachar in tentoriis permanere.* Deut. 33. 18. Hæc expositio literæ maxime conformis videtur.

16. דָּן יָדִין עַמּוֹ *Dan judicabit populum suum.*] In Hebræo elegans est paronomasia, ut supra v. 8. Hunc autem & sequentem versum R. Salom. ait esse *prophetiam de Sampsone*; atque ita intellexisse videtur Onkelos, cujus paraphrasis ita habet; *De domo Dan eligetur, & consurget vir; in diebus ejus redimetur populus ejus; & in annis ejus quiescent simul tribus Israël. Erit vir, qui eligetur & consurget de domo Dan; terror ejus irruet super populos, & cædes ejus prævalebit super Philisthæos; sicut serpens, exitiosus quiescet in via, & tanquam aspis insidiabitur in semita; interficiet fortes in castris Philistæorum, equites cum peditibus; enervabit equos eorum cum curribus, & dejiciet assessores eorum retrorsum.* Verba ista Chaldaica, כחיו חורמן Fagius vertit, *tanquam serpens, & coluber*, quasi duæ species intelligerentur, cum nulla sit nota copulativa, nec nisi unica serpentis species significari videatur, quæ appellatur *Hurman*, à *perdendo*; חרם *Haram* est *perdere*, unde חרמן *Hurman*, *perniciosus.* Atque ita R. Salom. Chaldæum explicat, Onkelos autem (inquit) reddit, *Sicut serpens Hurman, quod est nomen serpentis cujusdam, cujus morsus est insanabilis; is autem est basiliscus,* צפעוני. *Et vocatur* Hurman, *quia unumquemque* (scil. quem momorderit) *efficit* Herem, i. e. *perditum, funditus perdit.* Jonathan & Hierosolymitanus similia habent, & Samsonem expresse nominant. Lyra hic corrigit Vulgatum, qui vertit, *Dan judicabit, &c.* asserens in Hebræo esse, *vindicabit*, & exponi de Samsone. Burgensis dicit dictionem Hebraicam quandoque significare *judicare*, quandoque *vindicare.* Primo certe ac proprie significat *judicare*, & ex consequenti *vindicare*, quod quempiam de adversario suo, à quo læsus, vel injuria affectus est, *vindicare*, ad judicem spectat. *Vindica me de adversario meo*, dixit vidua judici, ut in parabola habetur, Luc. 18. 3. Mercerus ait Jacobum hic significare fore, ut hæc tribus inter alias locum suum obtineat, & perinde populum suum regat, ac aliæ; q. d. *Erit è numero tribuum.* Atque hoc ad totam tribum, non cum Hebræis specialiter ad Samsonem refert; quod & mihi videtur esse simplicius; etiamsi nihil obstet, quo minus id, quod generatim de tota tribu dicatur, in uno quopiam de ista tribu magis conspicue, atque eminenter impletum appareat.

18. *Salutem tuam exspectavi Domine.*] LXX. τὴν σωτηρίαν περιμένων Κυρίου, *salutem expectans Domini.* Ad Dan hoc referunt, cum in Hebræo sit קויתי, i. e. *exspectavi*; Forsitan in Græco codice mendosum est περιμένων pro περιέμεινα. Certe Hieronymus in Tradit. legit exspectabo (hoc est, περιμενῶ) sic autem exponit, (a) *Salvatorem tuum exspectabo Domine. Samson Judex Israël, de tribu Dan fuit, hoc ergo dicit; Nunc videns in spiritu comam nutrire Samson, Nazaræum tuum, cæsis hostibus, triumphare; quod in similitudinem colubri regulique obsidentis vias, nullum per terram, Israël transire permittat; sed etiam, si quis temerarius virtute sua, quasi equi velocitate confisus, eam voluerit prædonis more populari, effugere non valebit: Totum autem per metaphoram serpentis, & equitis loquitur: Videns ergo tam fortem Nazaræum tuum, quod & ipse propter meretricem mortuus est, & moriens nostros occidit inimicos, putavi, ò Deus, ipsum esse Christum filium tuum: verum quia mortuus est, & non resurrexit, & rursum captivus ductus est Israël, alius mihi Salvator mundi, & mei generis præstolandus est, ut veniat cui repositum est, & ipse erit exspectatio gentium.* Hæc Hiero. Fagius in Chal. Paraph. pie & præclare hunc locum illustrasse videtur; *Mos est* (inquit) *Spiritus sancti in verbo suo, ut si quando mentionem faciat magni alicujus auxilii, & salutis conferendæ populo Dei per aliquos, sermonem inde dirigere ad præclaram, insignem, ac magnificam illam salutem orbi per Christum conferendam. Hoc idem & Jacob Patriarcha impræsentiarum facit. Postquam enim prædixit fore, ut ex tribu Dan prodiret, qui populum à tyrannide hostium suorum liberaturus esset, quod in Samsone completum fuit; vertit sermonem, & vaticinium ad Christum, cujus ille typus quodammodo erat, cujus salutem, ac redemptionem mundo per illum adhibendam, non sine magna animi consolatione, in Spiritu prævidit, atque prædixit. Quasi dicat Jacob, Plausibilia sunt hæc, quæ de Samsone prædixi; sed adhuc longe plausibiliora sunt, quæ per Christum illum dilectum Filium tuum conferes populo tuo.* Hæc ille; atque addit Targum Hierosolymitanum de Christo exposuisse in hunc modum; *Dixit pater noster Jacob, Non* (exspecto) *redemptionem*

(a) *In Hebræo est* ישועתך, *i. e.* salutem tuam, *non* מושיעך, *i. e.* Salvatorem tuum.

ptionem Gideon filii Joash, quæ est (a) *temporalis redemptio; neque redemptionem Samsonis, quæ est salus transitoria; sed* (expecto) *redemptionem Messiæ filii Davidis, qui venturus est; ut adducat sibi filios Israël; cujus redemptionem exspectat, sive desiderat anima mea.* Sic Fagius verba istius Targum citat; at neque in Veneta, quam mihi videre contigit, editione, neque in Basiliensi ulla fit mentio *Messiæ filii Davidis*; sed verba ita habent, אלא לפורקנא דאמרת במימרך למיתי לעמך בני ישראל לידך לפורקנך סכית נפשי, i. e. *sed redemptionem, quam* (b) *in verbo tuo dixisti te adducturum populo tuo, filius Israël, istam* (inquam) *redemptionem tuam exspectat anima mea.* Etiamsi autem Messias istic diserte non exprimatur, haud dubium tamen quin ejus redemptio intelligatur. In eundem autem modum & Jonathan παραφράζει, *Dixit Jacob, quando vidit Gideon filium Joash, & Samson filium Manoah, quod redemptores consurgerent* (דקימין לפורקן) *non redemptionem Gideon ego exspecto, nec redemptioni Samson ego adhæreo, quod redemptio eorum sit redemptio momentanea* (פורקן דשעתא, ad verb. *redemptio horæ*) *sed redemptionem tuam exspecto, eique adhæreo Domine, quod redemptio tua sit redemptio sempiterna.* Posteriores Judæi hic cœcutiunt, ut in istiusmodi mysteriis solent; Aben Ezra pronomen in לישועתך, i. e. *salutem tuam*, ad Dan refert, hoc sensu, *Quoniam Dan mordet pedes equi, metuit Jacob, ne eques gladio suo caput ejus contunderet; atque ideo dixit, Exspecto Deum tibi auxilio seu saluti fore.* Idem refert R. Isaacum dicere, *Jacobum, cum filium suum more prophetico* (ברוח הנבואה) *vidisset in similitudine serpentis statim expavisse, ac dixisse, Exspecto Domine salutem tuam.* R. Salom. exponit de Samsone à Philistæis excæcato, atque opem à Deo ad se ulciscendum implorante.

19. גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ וְהוּא יָגֻד עָקֵב *Gad, turma eum invadet, ipse autem in fine superabit.*] In verbis Hebræis est paronomasia, eaque multiplicata. Prædicit autem Jacob (ut interpretatur Aben Ezra) fore, ut turma sive exercitus contra Gad veniat, ipse autem tandem victoriam consequatur. Onkelos ita interpretatur, *De domo Gad castra armata erunt, quando transibunt Jordanem ante fratres suos ad prælium; & cum multis opibus revertentur in terram suam.* R. Salom. istam interpretationem sequitur, ac עקב, quod Aben Ezra interpretatur באחרונה, i. e. *in fine, ad extremum*, pro *via*, vel *semita* accipit, בדרכן ובמסלותם שהלכו ישובו, i. e. *in via ac semitis suis, quibus ibant, revertentur.* עקב est *calcaneus*, item *finis*, & *vestigium*. In eundem etiam sensum Jonathan, & Paraphrastes Hierosolymitanus interpretantur. Fagius etiam istum germanum loci sensum esse existimat. Alludere siquidem ait Jacobum ad nomen *Gad*, cui ab *expeditione* nomen est, ac vaticinari fore, ut ipse armatus, & expeditus reliquas tribus antecedat, donec & unaquæque sortem suam in terra promissa occupet. Addit posse ex Hebræo sic ad verbum reddi, *Gad cuneatus cuneabit eum* (scil. Israël) *atque ipse cuneabit tandem*: h. e. Gad cum turmis & copiis suis præcedet reliquas tribus, donec terram possideant; quo facto, ipse cum copiis suis rursum ad sua redibit. Vel sic, *Gad cuneum cuneabit ipse, &c.* h. e. ipse ducet exercitum, ac copias Israël. Sed quomodo יגודנו exponi possit, *cuneabit ipse*, fateor me nescire, cum affixa, quod sciam, nunquam sic usurpentur, nempe ut personam agentem denotent. Vulgatus Interpres videtur eodem modo, quo Chaldæi Paraphrastæ, & R. Salom. intellexisse, quippe qui reddit, *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.* Hieronymus in Tradit. ad expeditionem illam refert, sed & ulterius progreditur; *Totum autem* (inquit) *illud est, quod ante Ruben,* (c) *dimidiam tribum Manasse, ad filios quos trans Jordanem in possessione dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prælium adversum eos gentium vicinarum grande repererit, & victis hostibus, fortiter dimicarit. Lege librum Jesu Nave, & Paralipomenon.* Hæc Hieron. cujus expositio superiori præferenda videtur, quod in illa nihil de tribu Gad speciatim dicatur, quod non æque de tribu Ruben, & de dimidia tribu Manassæ dici possit. Lyra ait, *Viros Gad eodem numero rediisse ad sortem suam, nec ullum ex iis in prælio cecidisse*; quod unde habuerit, miror. Mihi Aben Ezræ interpretatio simplicissima videtur. Mercerus etiam putat hic significari, tribum hanc ob vicinos hostes, Ammonitas, Moabitas, & Syros, multa bella experturam, sed tandem eos fortiter repulsuram, & superaturam. LXX vertunt, *Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτῶν κατὰ πόδας*: Latina Versio sic habet, *Gad, tentatio tentabit eum; & ipse tentabit eum secus pedes.* Nobilius autem monet πειρατήριον posse significare *globum atque incursionem piratarum*. Isto sane sensu hic potius sumendum videtur, cum Hebræum גדוד eo spectet, *tentationem* autem haudquaquam significet. Suspicor autem posterius αὐτῶν mendosum esse, ac legendum αὐτόν, ut ad πειρατήριον referatur. Hieron. ex Hebræo vertit, *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantam.* Addit, גדוד, pro quo posuit *latrunculus*, significantius exprimi posse εὔζωνος, id est, *accinctus*, sive *expeditus*. Atque ita Aquilam vertisse testantur Græca Scholia; Symmachum autem λόχος, i. e. *agmen insidiatorum*; sic Nobilius vertit; at λόχος simpliciter *agmen* sive *cohortem* significat. Idem etiam vocabulum *insidias* significat, at *agmen insidiatorum*, potius quam eorum, qui aperto marte rem agunt, non opinor, significat.

20. מֵאָשֵׁר שְׁמֵנָה לַחְמוֹ *ex Asher pinguis* (erit) *panis sive cibus ejus.*] LXX, Ἀσὴρ, πίων αὐτοῦ ὁ ἄρτος, *Aser, pinguis* [illegible] *panis.* Et sic Vul. Omiserunt Mem in מאשר, quasi redundaret. Atque ita Aben Ezra refert nonnullos existimare literam Mem hic esse נוסף, i. e. *additiliam, redundantem*: ipse autem existimat sic exponendum, שמארץ אשר יבא לחם ושמן, i. e. *quod ex terra Asher veniet panis & oleum, sive pinguedo.* Similiter etiam & R. Salom. interpretatur, מאכל הבא מחלק של אשר יהא שמן שיהיו זיתים מרובים בחלקו, i. e. *Cibus, qui provenit ex portione Asher, erit pinguis, quia multæ oleæ erunt in portione ejus.* Ac notat Mosen in istum modum ei benedixisse, *Et pedem suum oleo tingat.* Deut. 33. 24.

21. נַפְתָּלִי אַיָּלָה שְׁלֻחָה *Naphthali* (est) *cerva emissa &c.*] Per *cervam emissam* R. Salom. intelligit *vallem Genesar*, seu *Genesaret*, בקעת גינסר, quæ fructus suos cito maturos reddit, sicut *cerva*, quæ cursu velox est. LXX, pro *cerva emissa* vertunt στέλεχος ἀνειμένον, i. e. *virgultum resolutum*, ut Hieronymus interpretatur, qui ait in Hebræo esse, *Nephthalim ager irriguus*; ac significari, quod *aqua calida in ista nascantur tribu*; sive quod *super lacum Genesareth, & fluenta Jordanis irrigua sit.* Hebræos autem refert velle propter Tiberiadem, quæ Legis videbatur habere notitiam, *agrum irriguum*, & *eloquia pulcritudinis* prophetari. Addit denique verba Hebræa אילה שלוחה *ajala Seluha* transferri posse, *cervus emissus*, propter *temporaneas fruges velocitatem terræ uberioris ostendens. Sed melius* (inquit) *si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus, quod ibi vel maxime docuerit, ut in Evangelio quoque scriptum est.* Hæc Hieron. cujus postrema interpretatio verborum Hebraicorum, nempe *cervus emissus* (prout etiam habet Vulgata editio, etiamsi malim in fœminino, quemadmodum est in Hebræo, *cerva emissa*) est verissima; nec intelligo quomodo vel *virgultum resolutum*, vel *ager irriguus* verbis Hebraicis significetur. Quod ad posteriorem versus partem attinet, R. Salom. eam intelligendam ait sicut interpretatus est Onkelos, cujus paraphrasis ita habet, *Naphthali, in terra bona cadet sors ejus; & possessio ejus erit fructifera: gratias agent, & benedicent super eos*, scil. fructus. Sic Fagius vertit; at על הון verti potest, *super ista*, scil. terram bonam, & possessionem fructiferam. Addit autem R. Salomon & aliam expositionem, ut nimirum sit prophetia de bello cum Sisera gesto, & de cantico Barak (qui fuit de tribu Naphthali) & Deboræ: cujus expositionis etiam meminit Aben Ezra. Simplicissimum videtur cum Mercero intelligere, miram hujus tribus *celeritatem*, ac *gratiam in rebus agendis* significari.

22. בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף *Filius fructifer Ioseph.*] LXX, υἱὸς ηὐξημένος, *filius auctus.* Vulg. *filius accrescens.* Onkelos, ברי דרבי יוסף ברי דיתברך, *filius meus, qui multiplicabitur Ioseph; filius meus, qui benedicetur, &c.* Jonathan, ברי דרבית, *filius meus, qui auctus* seu *multiplicatus*, vel *magnificatus es, &c.* Atque ita etiam Hierosolymitanus. Aben Ezra ait בן (*filius*) hic idem valere quod סעיף, i. e. *ramus*, ac fœminini generis esse, uti & פורת. Fagius in Collat. vertit, *Filius fructificationis Ioseph, filius ubertatis, &c.* Ut פורת sit nomen substantivum, & à בן regatur; at si בן esset in regimine, scribendum esset cum segol, non cum tsere. Sunt (ut ibidem testatur Fagius) qui deducant פרת à פאר *decorare*, vel intransitive *decorum esse*, quiescente scil. litera radicali Aleph in vocali longa Cholem; (d) *Filius decoris Ioseph, &c.* ut sit commendatio elegantiæ, venustatis & formæ, qua pollebat Joseph. Sed magis analogum videtur, ut פורת à פרה *fructificare*, deducatur.

עלי

(a) *Vel* momentanea, דהוא פורקן שעה. *Sic in edit. Basil. in edit. Venet.* פורקן *omittitur: quod minus rectum videtur.* (b) *Vel*, per verbum tuum. (c) *Videtur deesse conjunctio, &c.*

(d) R. Salom. exponit בן חן, i. e. *filius gratiæ*, seu *gratiosus*.

[עֲלֵי־עָיִן *Juxta oculum, vel fontem.*] Nam עין utrumque denotat. Priori sensu accepit Vulgatus, qui vertit, *decorus aspectu.* Ita etiam opinor LXX, qui interpretantur, ζηλωτὸς, *zelatus*, seu (ut Fagius vertit) *desiderabilis.* Alii autem exponunt *fontem*, juxta quem arbor plantata copiose crescit. Sic Onkelos, כגופן דנציב על עינוי דמיא, i. e. *sicut vitis quæ plantata est juxta fontem aquarum.* Similiter etiam Jonathan, & Hierosolymitanus Paraphrastes, nec non Aben Ezra. R. Salom. autem pro *oculo* sumit, ac sic explicat, חנו נטוי על העין הרואה אותו, i. e. *gratia ejus inclinata est ad oculum ejus, qui videt eum*; h. e. gratiosus est in oculis eorum, qui ipsum intuentur.

בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר *Filiæ gradiuntur super murum.*] Nonnulli intelligunt sensum esse, *quod filiæ Ægyptiorum muros conscenderint, ut inde Josephi pulcritudinem contemplarentur.* (a) Ita R. Salom. interpretatur, & Lyra, atque etiam Hieronymus in Tradit. *Sunt ex nostris* (uti testatur Fagius) *qui sic legunt, filiæ gradiuntur juxta ordinem. Nam* שור (inquit) *Hebræis etiam* lineam, ordinem, *&* dispositionem *significat. Et per filias intelligunt Civitates, quarum insignem politiam hic insinuari volunt.* Horum sententiæ ipse Fagius accedere videtur, quod inter ea, quæ hic Josepho promittuntur, secundo loco recenseatur insignis populi politia, seu optimus regiminis status. At etiamsi in Rabbinorum scriptis שורה *lineam* atque *ordinem* significet, in ista tamen significatione nusquam (quod sciam) vel שור, vel שורה in Scriptura usurpatur. Mihi maxime placet eorum expositio, qui figuratum putant esse sermonem (cujusmodi passim in hoc capite occurrit) quo Joseph *ramo fructifero* comparatur, vel *arbori juxta aquas plantatæ*, quæ adeo crescit, ut *filiæ*, i. e. *rami murum altitudine sua superent.* Ad istum modum explicat Aben Ezra item (ut refert Fagius) Kimchi in Radic. Ita etiam Onkelos intellexisse videtur, cujus in totum versum paraphrasis sic habet, *Filius meus, qui multiplicabitur, Joseph; filius meus, qui benedicetur, sicut vitis, quæ consita est juxta fontem aquarum: duæ tribus egredientur ex filiis ejus; accipient partem & hæreditatem.*

23. וַיְמָרְרֻהוּ וָרֹבּוּ וַיִּשְׂטְמֻהוּ בַּעֲלֵי חִצִּים *Et exacerbaverunt eum*, vel, *& acerbe seu amarulenter eum tractarunt, & jaculati sunt, & oderunt eum sagittarii.*] Aben Ezra notat in hisce verbis esse ὕστερον πρότερον: prius enim *odisse* eum; deinde in eum *jaculatos esse.* Monet autem intelligi de *Josephi fratribus*, qui eum vendiderunt; nec de eo arbitror esse dubitandum, etiamsi Jonathan & Hierosolymitanus alio referant, nempe ad *Ægyptiorum magos*, quos Josepho invidisse ac studuisse ut eum de honore ac imperio suo dejicerent, hic significari existimant. R. Salomon deducit רבו non à רבב *jaculari*; sed à ריב *contendere*; sic etenim interpretatur, נעשו לו אחיו אנשי ריב, i. e. *facti sunt ei fratres ejus viri contentionis.* Ita etiam accepisse videtur Onkelos, qui sic ..., *Et exasperaverunt eum, & ulti sunt eum, & affixerunt eum viri fortes, habentes litem cum eo;* בעלי פלגותיה ad verb. *viri dissensionis ejus.* Editio Veneta in 8°. legit, בעלי פלגותא, *viri dissensionis*; at Basiliensis habet פלגותיה, *dissensionis ejus*; atque ita etiam legit Fagius. Daghes autem in Beth indicat רבו esse à רבב potius quam à ריב.

24. וַתֵּשֶׁב בְּאֵיתָן קַשְׁתּוֹ וַיָּפֹזּוּ זְרֹעֵי יָדָיו מִידֵי אֲבִיר יַעֲקֹב מִשָּׁם רֹעֶה אֶבֶן יִשְׂרָאֵל *Et mansit in fortitudine arcus ejus, & roborata sunt brachia manuum ejus, à manibus, seu per manus (b) Magnifici Jacob; inde pastor, lapis Israel.*] Onkelos paraphrastice sic reddit, *Et completa est in eis prophetia ejus, eo quod servavit Legem in occulto, & posuit fortitudinem* (i. e. Deum) *fiduciam suam; (c) tunc positum est aurum super brachia ejus, & possedit regnum, & confirmavit: Hoc contigit ei à conspectu Dei fortis Jacob, cujus verbo* (h. e. mandato) *cibavit patrem suum, & filios semen Israel.* Illud ויפזו videtur deducere à פז quod aurum significat, idque *optimum ac purissimum.* Ita etiam verbum istud interpretatur R. Salom. לשון זהב מופז, i. e. significationem habet ex illo (1 Reg. 10. 18. *Zahab muphaz*, i. e. *auro optimo.* Aben Ezra istam interpretationem improbat, & exponit ויפזו per ויחזקו, i. e. *& roborata fuerunt:* atque ita etiam interpretatur R. Nathan in Concordantiis. Hæc expositio simplicior videtur, meliusque convenit cum eo quod præcessit, *Et mansit in fortitudine arcus ejus.* LXX, καὶ συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, *Et contriti sunt in potentia arcus eorum.* Quasi in Hebræo scriptum esset, ותשבר באיתן קשתם. Deinde, καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χειρὸς αὐτῶν, *Et dissoluti sunt nervi brachiorum manus eorum.* Quasi hæc non de Josepho, sed de aliis ei adversantibus dicerentur. Vulgatus etiam vertit, *Et dissoluta sunt vincula brachiorum, &c.* licet ad Josephum referat. Similiter Hieronymus, qui in hunc modum exponit, *Verum tu* (Joseph) *arcum tuum, & arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis est propugnator, & vincula tua, quibus te fratres ligaverunt, ab ipso soluta sunt, & dirupta, &c.* Sic ille in Tradit. At in Hebræo nulla est mentio *vinculorum*, nec verbum פז unde ויפזו *dissolutionem, vel diruptionem*, sed *corroborationem & fortificationem* potius (ut notat Fagius) significat. זהב מופז 1 Reg. 10. 18. optime Shindlerus in Pentagl. exponit *aurum solidum.* Contextus etiam arguit germanam interpretationem esse, *Et roborata fuerunt*; Nam à *robore, fortitudine, & constantia* Joseph commendatur; ideo dicitur, *Mansit in fortitudine arcus ejus, & corroborata sunt brachia manuum ejus, &c.* Ultima autem illa verba, *inde pastor, lapis Israel*, Chaldæus ad Josephum refert, atque ita etiam R. Sal. Similiter & Hier. *Ut ex tuo* (inquit) *semine tribus nascatur Ephraim, fortis & stabilis, & instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Israel.* Idem Hieron. notat LXX Interpretes ab Hebræo dissentire, dum sic vertunt, ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραὴλ παρὰ Θεοῦ τοῦ πατρός σου, *Inde qui confortavit Israel à Deo patris tui.* Sed & ipse Hieronymus ad Hebræa non satis accedit, cum legit, *inde pascetur lapis Israel à Deo patris tui.* Nam רֹעֶה est *pastor*, seu *pascens*, non *pascetur*: & verba ista מֵאֵל אָבִיךָ *à Deo patris tui*, novum versum inchoant, etiamsi possint (fateor) cum præcedentibus cohærere. Vulg. *Inde pastor egressus est, lapis Israel.* Deinde ver. 25. *Deus patris tui erit adjutor tuus, &c.* Hic, ut sæpe alibi, observare licet Vulg. versionem à Hieronymo discrepare, quod argumento est Hieron. versionis illius non fuisse autorem. Aben Ezra illud משם, *inde*, refert ad אביר יעקב, *potentem Jacob*, i. e. Deum; רעה *pastor*, exponit de Josepho, אבן autem non conjungit per appositionem cum רעה, sed cum ישראל, ut idem valeat quod אבן ישראל, q. d. *pastor ipsius Israelis.* Kimchi etiam (teste Fagio) per אבן ישראל, *lapidem Israelis*, intelligit כל ישראל, (d) *universum Israelem, qui assimilatur lapidi, qui unum corpus est; vel quia Israel est* עקר בנין העולם, i. e. *fundamentum ædificii mundi.* Fagio maxime probatur nostrorum expositio, ut per *pastorem & lapidem Israel*, intelligantur *doctores, & rectores populi, quorum plerique ex tribu Joseph fuerunt.* Sed unde id constet, haud scio. Lyra exponit de *Jeroboam*, qui ex tribu Ephraim erat, constitutusque est rex Israel. Istam expositionem improbat, nec (ut mihi videtur) injuria Burgensis, qui de *Christo* interpretatur, idque ad hunc modum; Inde, i. e. *à potente Jacob*, scil. à Deo, *egrediens est pastor*, scil. Christus; *similiter & lapis Israel*, scil. ille, quem reprobaverunt ædificantes, &c. Ac testatur R. Mosen Gerundens. expresse dicere, *Lapidem, de quo hic fit mentio, intelligi illum, de quo Psal. 118. dicitur, Lapis quem reprobaverunt, &c.*

25. *A Deo patris tui, &c.*] Aben Ezra refert R. Saadiam exponere, אשאל מאל אביך, i. e. *petam à Deo patris tui, &c.* ipse autem vult hæc cohærere cum iis, quæ præcedunt, hoc sensu, Robur istud, quod in manu tua erat, fuit à Deo patris tui; atque is tibi erit auxilio. Similiter exponit & R. Salom. A Deo patris tui fuit hoc, & ille tibi auxiliabitur. Onkelos ita accepit, ac si esset precatio, ממימר אלהא דאבוך יהי בסעדך, i. e. *Verbum Dei patris tui sit* [vel erit] *tibi auxilio.* Sic & Jonathan, ממימר אלקא דאבוך יהי סעדך, i. e. *à verbo Dei patris tui sit* [vel, erit] *tibi auxilium.*

Et benedicet tibi benedictionibus cœli, &c.] Onkelos, *Et benedicet tibi benedictionibus, quæ descendunt è rore cœli desuper; benedictionibus quæ proveniunt è profunditatibus terræ inferne; benedictionibus patris tui, & matris tuæ.* Jonathan postremam partem versus sic reddit, *Benedicta erunt ubera, quæ suxisti; & viscera, in quibus jacuisti.* At hoc ineptum videtur, cum ejus mater jamdudum esset mortua. Melius Hierosolymitanus, *Benedictionibus* [i. e. *benedicet tibi benedictionibus*] *uberum, quæ suxisti; & viscerum, in quibus cubuisti.* Optime autem Aben Ezra interpretatur ista verba, *Benedictionibus uberum, & matricis*, significare שירבו בניו, i. e. *futurum, ut filii ejus multiplicentur.* Ac notat huic contrarium esse istud, Hos. 9. 14. *Da eis uterum abortientem, & ubera sicca.* Illud vero minus rectum videtur, quod ubera cœlo, uterum abysso comparari existimet. R. Salom. putat שָׁדַיִם hic non ubera denotare, sed significationem suam habere à שדא, quod Chaldaice idem valet cum Hebræo ירה, h. e. *projicere, jaculari*, ut ad

(a) Ita etiam Jonathan & Hierosolymitanus. LXX videntur legisse בני הצעיר עלי שוב Sic enim interpretantur, υἱός μου νεώτατος πρός με ἀνάστρεψον, *filius meus: novissimus, ad me revertere.* (b) Id est, *Dei Jacob.* (c) Vel, *propterea*, בכן.

(d) Istam Kimchi expositionem non alienam censet Mercerus.

ad masculos referatur, qui semen instar sagittæ ejaculantur; utque sensus sit, semen emissum conceptui aptum fore, nec mulieres abortum esse passuras. Cum autem primo Chaldaicis verbis utatur, ברכתא דאבא ואמא, i. e. *benedictionibus patris, & matris*; nescio an [ut sæpe solet] Chaldæi Paraphrastis interpretationem citet; quod si fecerit, aliam secutus est lectionem, quam quæ nunc cernitur. Nam & in Veneta editione in 8°. & in Basiliensi in folio legitur, ברכתא דאבוך ודאמך, i. e. *benedictionibus patris tui, & matris tuæ*: atque ita etiam legit Fagius.

26. בִּרְכֹת אָבִיךָ גָּבְרוּ עַל־בִּרְכֹת הוֹרַי *Benedictiones patris tui prævaluerunt super benedictiones progenitorum meorum.*] Verbum הרה, proprie ad fœminas refertur, & significat *concipere*; hic autem הורי idem est quod ילדי, i. e. *genitores mei*, uti interpretatur Aben Ezra; qui putat hunc esse verborum sensum, *Benedictiones, quibus tibi benedixi, fortes sunt*; & [a] conjungentur cum benedictionibus, quibus genitores mei mihi benedixerunt. Expositio R. Salomonis sic habet, *Benedictiones, quibus mihi Deus benedixit, prævaluerunt super* [seu superarunt] *benedictionibus, quibus benedixit genitoribus meis.* Ac notat, Deum tantum terram Canaan Abrahamo promisisse, ac similiter Isaaco; Jacobo autem dixisse, *Et erumpes* [sive multiplicaberis] *ad Occidentem, & ad Orientem, &c.* c. 28. 14. Atque ideo Prophetam Isaiam [cap. 58. 14.] dixisse, Et cibabo te hæreditate Jacobi patris tui; non hæreditate Abrahami. Sed hæc non tam solida, quam arguta esse videntur: ac ex c. 35. 12. & 48. 4. à Burgensi refelluntur. Hinc enim manifestum ait esse, promissionem Jacobo factam cap. 28. 14. non se extendisse ultra terram Canaan: illud igitur, *Dilataberis ad Orientem, & ad Occidentem, &c.* intelligi de Orientali, & Occidentali plaga terræ Canaan. Ipse autem Burgensis ad hujus loci explicationem observat, quod cum Jacob à patre suo benedictus esset, nulla expresse mentio facta est de multiplicatione animalium, quæ intelligitur *benedictionibus vulvæ*; nec de bona eorum gubernatione, seu nutritione, quæ *benedictionibus uberum* significatur. Asserit igitur Jacobum hic amplius benedixisse Josepho, quam ipse à patre suo benedictus fuit; atque hoc esse quod dicitur, *Benedictiones patris tui*, scil. quibus tibi benedico, *confortatæ sunt super benedictiones patrum meorum*; i. e. quibus patres mei benedixerunt. In eundem sensum Fagius, *Vult*, [inquit] *innuere Iacob, ampliores futuras benedictiones Joseph, benedictionibus, quibus benedixerunt ei majores sui*, q. d. *Eris me multo felicior.* Hæc ille; atque istam genuinam verborum expositionem esse arbitror.

עַד תַּאֲוַת גִּבְעֹת עוֹלָם *Usque ad terminum collium seculi, seu collium æternorum.*] Vulg. *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Onkelos, דחמידו להון רברביא דמן עלמא, i. e. *quas* [scil. benedictiones] *desiderarunt sibi magnates, qui à seculo fuerunt.* Acceperunt utrique תאות pro *desiderio*; atque ita quidem תאוה ab אוה deductum, significat. Quin & Jonathan eodem modo, quo Onkelos interpretatur. At R. Salom. hic exponit תאות per [b] גבול, i. e. *terminum*; ac notat verbum התאוה ea significatione usurpari, nempe pro *terminare, designare*, Num. 34. 10. Ex quo loco etiam Aben Ezra hunc interpretatur. Ea significatione etiam Kimchi accipit, qui [prout à Fagio citatur] sic hunc locum explicat, כל זמן שיהיה קיים גבול גבעות עולם תהיינה הברכות לראש יוסף, i. e. *Quamdiu steterit terminus collium æternorum, erunt hæ benedictiones in caput Iosephi.* R. Salomon cum præcedentibus hæc connectit in hunc modum, *Propterea quod benedictiones meæ* (i. e. in me collatæ) *prævaluerunt usque ad finem terminorum collium seculi* [*seu mundi*; sic enim mox vocem *Olam* pro mundo usurpat] *Dedit enim mihi Deus benedictionem erumpentem extra Ægyptum* [פורצת בלא מצרים] *quæ pertingit usque ad quatuor extremitates mundi.* In hanc rem citat illud cap. 28. 14. *Et erumpes ad Occidentem, & ad Orientem, &c.* Kimchii expositio simplicior & germanior videtur. LXX hic, & in præcedentibus cum Hebræo textu parum conveniunt; [ἕνεκεν] εὐλογίας πατρός σου, καὶ μητρός σου· ὑπερίσχυσεν ὑπὲρ εὐλογίας ὀρέων μονίμων, καὶ ἐπ' εὐλογίαις θινῶν αἰωνίων, [*Propter*] *benedictionem patris tui, & matris tuæ: prævaluit super benedictiones montium stabilium, & in benedictionibus collium æternorum.* De suo addiderunt, *Et matris tuæ*, Et legisse videntur הררי עד, i. e. *montium æternitatis, seu æternorum*, pro הורי עד, i. e. *genitores mei, usque ad, &c.* Fagius vertit, גבעות עולם, *collium mundi*; atque asserit עולם & *mundum*, & *æternitatem* significare: Apud Rabbinos quidem passim pro *mundo* usurpatur, vix autem, opinor, in Scriptura isto sensu invenitur. Istam certe significationem, si usquam in Scriptura, habere videtur Eccles. 3. 11. גם את העלם נתן בלבם, *etiam mundum posuit in corde eorum.* Vulgatus vertit, *Et mundum tradidit disputationi eorum.* At Aben Ezra ad istum locum diserte notat vocem *Olam* non inveniri in Scriptura, nisi pro *tempore*, vel *æternitate*; atque ideo sic exponit, *Etiam æternitatem posuit in corde eorum*; ut sensus sit, filios hominum ita esse occupatos, ac si in æternum essent victuri.

Erunt super caput Joseph, & super verticem נְזִיר אֶחָיו *ejus, qui separatus fuit à fratribus suis.*] Sic Onkelos, גברא פרישא דאחוהי. Et R. Salomon, שנבדל מאחיו, quæ idem plane sonant cum eo quod interpretatus sum. Vulg. *Et in vertice Nazaræi inter fratres suos.* נזר *Nazar* est *separare*; inde נזיר *separatus*, item *Nazaræus*, vel *Nazaræum*, à separatione sic appellatus. Quoniam autem נזר cum quinque punctis, *Nezer* coronam denotet, ideo hic nonnulli נזיר pro *coronato, rege, principe* accipiunt. Isto sensu sumit Jonathan sic ἀποφθέγγων; *Et super verticem viri*, [c] *qui fuit princeps, & rector seu dominator*, ושליט, in Ægypto, & splenduit honore fratrum ipsius: nec aliter interpretatur Hierosol. Paraph. Hanc significationem τοῦ נזיר amplexi sunt LXX. etiamsi perperam caput fratrum Josephi, pro capite Josephi supposuerunt. Sic enim [nisi forte locus sit depravatus, quod passim in ista interpretatione usu venit] interpretantur, καὶ ἐπὶ κορυφῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν, *& super capite fratrum, quorum dux fuit.* Mercerus exponit, Nazaræi, i. e. *principis, ducis fratrum suorum*; eximii inter fratres suos, quasi coronati; à Nezer, *corona*: vel segregati à fratribus suis virtute & præstantia, ut Nazaræi, de quibus in Numeris erant à reliquis vitæ sanctimonia separati. At quidni de ista separatione intelligi possit, qua Joseph à fratribus suis, cum eum vendiderint, fuit separatus. Refert quidem alicubi Mercerus Ramban, seu Gerundensem existimare, Jacobum de venditione Josephi nihil unquam intellexisse; sed nec Mercero videtur hoc arrisisse, nec mihi videtur [d] verisimile. Certe quod hic ver. 23. & 24. item cap. 50. ver. 16. & 17. scriptum est, huic opinioni satis aperte videtur repugnare.

27. *Benjamin* (sicut) *lupus lacerabit; mane comedet prædam, & vespere dividet spolium.*] Aben Ezra ait Benjamin ideo lupo comparari, כי גבור היה, i. e. *propterea quod fortis esset*; fortitudinem autem tribus istius ex viris Gibeæ apparere. At lupi *rapacitate* potius quam *fortitudine* sunt celebres; malim igitur cum R. Salomone dicere, rapacitatem hujus tribus hic denotari: rapaces autem fuisse probat ex eo, quod Judic. 21. scribitur, nempe viros Benjamin uxores sibi rapuisse: sed ad generale Benjamitarum institutum, ac nativum ingenium, potius quam ad illud speciale, & accidentarium (ut ita loquar) eorum facinus Jacobum respexisse crediderim. Addit autem R. Salom. idem etiam colligi posse ex eo, quod 1 Sam. 14. 47. Saul hostes suos undiquaque vexasse, ac spoliasse dicitur: huc etiam applicat illud Mordochei & Estheris, qui Hamanis spolia dividebant. Onkelos hic allegorice accipit, ac sic exponit, Benjamin in terra ejus habitabit divina præsentia, & in possessione ejus ædificabitur sanctuarium; mane & vespere offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino divident residuum portionum suarum, de reliquis, quæ sanctificata sunt. Hieron. in Tradit. primo ait manifestissimam prophetiam esse de Paulo Apostolo, quod in adolescentia sua persecutus Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelii fuerit. Deinde addit Hebræos sic edisserere, Altare in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basin illius fundebatur in parte Benjamin fuit. Hoc ergo ait juxta eos significare, quod sacerdotes mane immolant hostias, & ad vesperam dividunt ea, quæ sibi à populo ex Lege collata sunt. Ad istum autem modum & Jonathan & Paraphrastes Hierosolymitanus interpretantur. Lyra ait sic à nonnullis tum Hebræorum, tum Catholicorum exponi; istam autem expositionem alienam esse, quod rapacitas lupi ubique in Scriptura in malam partem sumatur: ideo sensum esse, quod tribus Benjamin esset valde bellicosa, ut patet ex Judic. 20. At certe rapaces potius quàm bellicosi, lupis sunt comparandi; etiamsi nihil vetet eosdem & bellicosos esse, & rapaces. Mercerum igitur sequi velim, qui generaliter ad ingenium totius tribus referendum putat, forte scilicet rapacem, non quidem [inquit] in suos [licet fortasse interdum etiam in suos] sed in hostes. LXX hic deviant; nam pro יאכל עד habent ἔδεται ἔτι, *comedet adhuc*; quasi scriptum esset עוד, quod

[a] Ad istum modum Jonathan, *Benedictiones patris tui additæ erunt super benedictiones, quibus benedixerunt mihi patres mei Abraham & Isaac.* Idem forte voluit Hierosolymitanus, qui sic habet, *Benedictiones patris tui additæ erunt tibi super benedictiones, quibus benedixerunt tibi patres tui Abraham & Isaac.* [b] Ita etiam R. Nathan in Concordantiis.

[c] דהוה בקרא דאחוי. [d] Vide ad cap. 50. 16.

quod est *adhuc, amplius*, non עד, quod alias est *usque, usque ad*, hic autem prædam significat; atque ita Vulgatus exponit. Deinde יחלק שלל, *divides spolia*, ut vertit Vulgatus, ad verbum *spolium*. LXX nescio quid in animo habentes interpretantur δίδωσι τροφὴν, *dat escam*. Dici potest eos sensum, non verba spectasse. Aquila, διαμερεῖ λάφυρα, *divides spolia*. Similiter Symmachus, μερεῖ σκῦλα.

28. *Et benedixit eis, unicuique juxta benedictionem ipsius benedixit.*] Dicunt aliqui (inquit Lyra) quod illud refertur ad ea, quæ dicta sunt, ita quod Jacob obiter non benedixit filiis suis, nisi prædicendo eis futura. Sed hoc non videtur verum, quia in præcedentibus, aliquibus eorum non benedixit, [illegible] magis maledixit; sicut patet de Simeon & Levi, & Ruben: & tamen dicitur hic, quod benedixit singulis. *Et ideo melius videtur dicendum, quod postquam prædixerat eis futura, imprecatus est eis bona, & sic benedixit eis; sed forma benedictionis non exprimitur hic, quia non omnia scripta sunt. Non enim verisimile est, quin Jacob moriens imprecatus sit bona, spiritualia, & æterna singulis filiorum suorum, ad quæ debet dirigi finalis intentio omnium actuum humanorum.* Hæc Lyra; nec improbabilis est expositio, videturque esse R. Salomonis ad hunc versum; aperte autem est Aben Ezræ ad ver. 1. ut istic notatum. Probabilius tamen videtur, non alias benedictiones intelligi, quam quæ in hoc capite commemorantur. Id sane innui videtur hisce verbis, *Hi omnes sunt tribus Israel duodecim; & hoc est quod dixit eis pater eorum, & benedixit eis*, איש אשר כברכתו ברך אתם, *juxta uniuscujusque benedictionem benedixit eis*, id est, unicuique propriam ac peculiarem quandam benedictionem contulit; ac juxta Lyræ expositionem una eademque benedictione, nempe spiritualia ac æterna bona eis precando, omnibus benedixit. Cum Mercero igitur dixerim, licet Jacob adversa nonnullis prædicat, id in eorum potius bonum esse, ut externe castigati vitam emendarent, &c.

30. & 31. & 32. *In spelunca, &c.*] Mercerus notat hanc speluncam copiose à Jacobo hic describi, quia cum jam per multos annos abfuissent, poterant esse ejus obliti. Item ne quicquam dubitarent, aut timerent, quasi quisquam negotium ac molestiam eis de illa exhibiturus esset.

33. וַיֶּאֱסֹף רַגְלָיו אֶל־הַמִּטָּה *Et collegit pedes suos in lectum.*] R. Salom. exponit, הכניס רגליו, i. e. *ingredi fecit pedes suos; introduxit pedes suos.* Quasi antea pedes ejus extra lectum fuissent. Ita etiam intellexisse videtur Aben Ezra, *Nam in principio* (inquit, i. e. cum primum filios suos alloqui cœperit) *sedebat super lectum, & pedes ejus pendebant.* Addit istum sua ætate morem fuisse terræ Edom; non autem ita compositos fuisse lectos Ismaelitarum.

וַיִּגְוַע *Et exspiravit.*] Mercerus ait εὐθανασίαν hic verbo isto significari, seque antea dixisse mortem facilem ac suavem, absque lento cruciatu verbo גוע denotari. At ad cap. 25. 8. istam Hebræorum de hoc verbo sententiam potius repudiat; ac existimat idem esse גוע quod Latine *animam efflare*; id quod verius esse apparet ex cap. 7. 21. Vide supra ad cap. 25. 17.

CAP. L.

M U N S T E R U S.

2. A*Romatibus condirent*] Significat חנט *facere pigmentum ex* סמים, i. *speciebus aromaticis*, quo corpora defunctorum inuncta, incorrupta manent multo tempore.

10. *Ad aream Atad*] Plerique ex Hebræis accipiunt *Atad* appellative pro קוצים *spinis*, quæ vulgo, ut dicit Kimhi, vocantur קרדון, i. *carduus*. Obsidebat enim horreum illud arbor quædam spinosa, quæ locum illum insignem reddidit.

15. *Forte*] Dictio לו aliquando capitur pro אם, *si*; & aliquando pro אולי, *forsitan*, ut in hoc loco.

16. *Et mandaverunt*] Heb. *Et præceperunt.* Capitur autem hic, sicut & in aliis quibusdam locis, צוה pro שלח, i. *misit*: ut ויצום אל בני ישראל, *Et præcepit eis ad filios Israel*, h. e. *Cum mandatis misit eos ad filios Israel*, &c.

19. *Num pro Deo ego sum?*] Abraham Sepharadi sic exponit, *Nunquid ego sum Deus, qui possim cursum mundi & ordinem ejus invertere? Duodecim sunt horæ diei, pariterque duodecim noctis: duodecim sunt signa cælestia, & duodecim menses in anno: & multa in illis contingunt præter voluntatem hominis, sed non Dei. Et vos quidem cogitastis me perdere, sed Deus aliud disposuit: nam ne vos periretis, me servavit; id quod probat dies hæc.* Notandum hic in fine hujus historiæ quod tam R. Abraham Sepharadi quam R. Mose Gerundensis hic mentionem faciunt de quadam pugna quæ accidit interim quo Joseph exsequias patris sui celebravit; & quoniam Hebraicæ linguæ studiosis gratificari cupimus, annotabimus Hebraice quid de hac pugna Mose Gerundi in suo super Torah Perus scripserit. Inquit autem, מצינו בספר דברי הימים ליוסף בן גוריון הלוקח מספרי הקדמוניות כי בא צפו בן אליפז בן עשו ותשרה עצמם קמה על זה עד שערכו מלחמה ותגבר יד יוסף ותפש צפו עם סגנו גבוריו והביא למצרים ועמד שם בתפיסה כל ימי יוסף וברח משם במותו והלך לארץ כנפניא והלך על כתים בחזקה וכבש ומלך על ארץ איטליא והוא אשר מלך ראשון על רומה: Vocant autem Hebræi Josephum historicum *filium Gorion*, qui hic citatur. Et nos superiori anno illum Hebraice & Latine evulgavimus post editionem Constantinopolitanam. Antiquitates tamen Hebraice non vidimus.

Finit liber Geneseos; habetque versus seu sententias, quas Hebræi פסוקים *vocant, mille quingentos & triginta quatuor.*

F A G I U S.

3. S*ic enim complentur*, &c.] i. Apparatus ille non absolvitur ante quadragesimum diem.

15. *Servabit nobis inimicitiam*] Idiotismus est, pro, *odio & invidia nos prosequetur; adversabitur nobis*, &c.

16. *Et legatos miserunt*, &c.] Sensum expressimus: nam ad verbum est, *Et præceperunt ad Joseph*, i. Cum mandatis miserunt ad Joseph.

19. *Quoniam Dominum ego timeo*] Heb. כי התחת אלהים אני, i. *Quoniam num pro Deo*, vel *loco Dei*, *ego sum?* quod varie intelligitur. Quidam hoc sensu accipiunt, quasi dixerit, Tam abest ut vobis nocere cupiam, ut hactenus vobis loco Dei fuerim, h. e. benefactor, auxiliator & liberator vester. Id quod ex eo manifestum est, quod malum vestrum quod contra me cogitastis, Dei beneficio cessit vobis in magnum bonum. Alii sic legunt; *Num pro Deo*, vel *loco* aut *vice Dei*, *ego sum?* h. e. Num Deus ego sum, ut possim vobis vel detrimentum vel emolumentum adferre? Penes illum, non penes me est, supplicia de hominibus sumere. Alii, *Num pro Deo ego sum?* vel, *Num Deus ego sum?* sub. *ut sic fecerim*, q. d. Hoc non factum est consilio meo, sed Divino, cujus voluntati non licet resistere: quem sensum secuta est Vulgata editio Latina, quæ habet, *Nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati?* q. d. Ita visum est Domino; ita fieri ipse voluit. Alii putant hæc propterea ab ipso dicta esse, quod videret se adorari à fratribus suis; q. d. Hic honos Deo, non mihi haberi debet. Lxx videntur id sensisse quod Paraphrastes noster, qui habet, *Quoniam Dominum ego quoque timeo*; Illi, *Nam Dei sum ego*, q. d. Tametsi in idololatrica impiaque gente hactenus versatus fuerim, licetque magnus factus sim dominus, ita ut facile, si vellem, illatam mihi à vobis injuriam ulcisci possem, tamen propterea non abjeci timorem Dei; adhuc illum timeo & veneror; Non ignarus illius voluntate quod factum est accidisse. Absit ergo à me quàm longissime ut vindicare velim quod Domini consilio & voluntate utrisque nobis cessit in magnum bonum. Timeo Deum, scio me non impune abiturum, si vobis malum rependere conarer.

20. *Secundum diem hanc*] i. Sicut hodie videtis, sicut testatur & declarat præsens dies. Et nos Germani dicimus, wie es am tag ligt, de re nota & manifesta. ¶ *Ut vivificaret populum multum*] i. Ut multos populos meo ministerio pasceret, in vita conservaret, tempore famis.

21. *Locutusque est consolationes super cor eorum*] h. e. Locutus est ad eos verba consolatoria, blande ac leniter locutus est cum eis; atque ita dolorem illorum blandis verbis lenivit. Id est, *loqui super cor* Hebræis.

Finis Geneseos.

V A T A B L U S.

2. M*Edicis*, את הרפאים] Eos intelligit qui curandis funeribus præerant.

3. *Et completi sunt ei*, וימלאו לו] Hebraismus, pro *Vacaverunt quadraginta diebus in condiendo corpore.* ¶ *Sic enim complentur*, &c. כי כן ימלאו וגו׳] i. apparatus ille non absolvitur ante diem quadragesimum.

4. *Si nunc*, &c. אם נא וגו׳] Hebraismus, *Si vobis sum gratus & acceptus.* ¶ *His verbis*, לאמר] Ad verb. *dicendo.*

10. *Et gravi valde.* וכבד מאד] *atque acerbissimo.*

11. *Videntes autem habitatores*, וירא יושב] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Vocavit*, קרא) sub. *is qui indidit illi nomen*; vel, *vocatum est.*

15. *Videntes autem*, ויראו] i. Cogitantes & considerantes apud se.

17. *Parce nunc*, &c. שא נא וגו׳] *condona nunc peccatum fratribus tuis, & iniquitatem eorum*: vel *peccatum.* Vel remitte

mitte nunc scelus [transgressionem aut iniquitatem] fratrum tuorum, & iniquitatem quam admiserunt. ¶ *Nunc ergo,* ועתה] Verba sunt legatorum.

18. *Accesserunt autem,* וילכו] *Et perrexerunt, abierunt, adierunt.* ¶ *Ecce nos,* &c. הננו לך לעבדים] *En sumus tibi servi.*

19. *Num enim,* &c. 'כי התחת וגו] sub. *ut sic fecerim?* q.d. Hoc non factum est consilio meo, sed Divino. Alii sic intelligunt, Nolite timere quia de vobis supplicium non sumam: neque enim Deus sum. Hæc opinio doctoribus non probatur, quod ita sibi Joseph non temperaret à retalianda injuria, ut Deum fore ultorem speraret. Alii existimant, hoc ab eo propterea dictum esse quod à fratribus adoraretur: ac si diceret, Hic honos Deo, non mihi, haberi debet. Sed hoc nihil habet coloris, quum sæpe alias passus sit hoc modo se coli, & longe alium fratribus animum esse sciat quàm Dei cultum in hominem mortalem transferre. Prior expositio doctioribus magis probatur. Ad verbum legitur, *quia an sub Deo?* כי causalis est particula. התחת cui præponitur interrogationis nota, nunc vicem denotat, ut Latinum *Pro*; nunc subjectionem. Itaque duobus modis verti potest locus, *An enim sum vice Dei?* vel, *Annon enim sub Deo sum?* Si priorem versionem sequaris, significabit se Deo minime parem esse; ut quod ille in salutem disposuit, in perniciem convertat. Si vero posteriorem, *Annon enim sub Deo sum?* tum admonebit Joseph, quia Dei imperio subest, non suum esse præire, sed sequi. Utramvis tamen expositionem eligas, quoad rei summam parum interest. Nam quia Joseph Divinæ providentiæ finem expendit, quasi injecto fræno compescit suos affectus, ne intemperanter exsultent. Erat quidem miti humanoque ingenio: sed nihil est sedandæ ejus iracundiæ melius vel magis appositum quàm se Deo regendum submittere.

20. *Cogitastis,* &c. 'חשבתם וגו] Heb. *Machinati estis mihi malum, at Deus convertit illud in bonum.* ¶ *Secundum diem hanc,* &c. 'כיום הזה וגו] Heb. ut extolleret me in istam dignitatem qualem videtis hodie, ut servarem populum multum, qui alioqui periisset.

21. *Ita consolatus,* &c. 'וינחם וגו] Ad verb. *& consolatus est eos, & locutus,* &c. i. locutus est illis grata, ac verbis blandis lenibusque lenivit mœstitiam mœroremque illorum.

23. *Tertiorum,* שלשים] i. filiorum qui tertia generatione nati sunt. q.d. Vidit quartam generationem nepotum suorum. ¶ *Educati sunt ad,* &c. 'ילדו על וגו] Ad verb. *nati sunt,* i. educati sunt apud illum. Chald. paraph. *Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt, quos nutrivit Joseph.* Vel, *simulatque filios Machir filii Manasse* [sub. *vidit*] *quos Joseph educavit.*

24. *Morior.* מת] i. dies mortis meæ instant. Sic v. 5. ¶ *Visitando visitabit vos,* פקד יפקד אתכם] *reminiscendo reminiscetur vestri.* ¶ *Et ascendere faciet vos.* והעלה אתכם] Hic ו pro *id est* ponitur: nam exponit quid *Visitare,* vel *Reminisci* significet, i. memor vestri educet vos è terra ista. ¶ *Quam juravit,* אשר נשבע] i. interposito juramento pollicitus est se daturum Patriarchis.

25. *Quum visitando visitabit.* פקד יפקד] Ad verb. *Visitando visitabit Deus vos, & ascendere facietis*; vel, *Recordando recordabitur,* i. Quum visitaverit vos Deus, educite, vel asportate ossa mea ex hoc loco. Hic locus clare docet quorsum spectaverit tam anxia sepulcri electio: nempe ut redemptionis sigillum foret. Postquam enim fidelem Deum asseruit, qui præstabit suo tempore quod pollicitus est, continuo post fratres suos adjurat ut ossa sua transferant. Illæ utiles erant reliquiæ quarum aspectus clare personabat, hominum morte minime exstinctum esse æternum Dei fœdus, in quo Joseph tuto quiescere jubet posteros: nam jusjurandum Dei adducere satis habet, ut de suo exitu nihil dubitent.

26. *Natus centum,* &c. 'בן מאה וגו] Ad verb. *filius centum & decem annorum.* ¶ *Et positus est,* ויישם] Hic Hiric est loco Surec, & י loco ו pro ויושם. Alii vertunt, *& posuit,* sub. *is qui illum sepelivit, in arcula,* vel *loculo,* aut *sarcophago.*

CLARIUS.

2. *Medicis*] Intellige hic pollinctores, qui curandis funeribus præerant; sic autem defunctorum corpora condiebantur, ut incorrupta manerent multo tempore.

19. *Num Dei possumus resistere voluntati?*] Heb. *Num pro Deo ego sum?* h.e. Nunquid ego possum cursum mundi & ordinem ejus invertere? cum, etsi multa contingant præter voluntatem hominis, nihil fiat tamen sine nutu Dei, qui peccatis hominum & quibuscunque malis utitur in gloriam suam & fidelium bonum.

DRUSIUS.

5. *In sepulcro quod fodi mihi*] Unus Onkelos, *quod emi mihi.* Quomodo emit illud? An ut partem fratris Esau emit sibi? Nam ipsum sepulcrum in agro Macphela emerat Abraham à filiis Heth. Si Abraham, non ergo Jacob. Forte hæres emisse se dicit, quæ is emit cujus hæres est. Hoc non esset adeo absurdum. Contra legimus Act. 7. 16. *Translati sunt in Sichem, & positi in sepulcro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem.* Pugna hic est cum ipsa historia. Nam Jacob emit à filiis Hemor, non Abraham. Utrum igitur *Abraham* dicit pro *Abrahamites,* aut *Abrahami Filius?* Sic sane *Israel* ponitur pro *Israelita.* Potest etiam error esse exscribentium, quanquam pervetus. Nam has literas immunes non esse à talibus docet ipsa experientia. Quod sequitur *filii Sichem,* ex Græco est τοῦ Συχὲμ, ubi tam *pater* subaudiri potest quàm *filius.* Erat certe Hemor pater Sichemi: sed fieri potest ut etiam patrem habuerit ejus nominis. Sic dico, Avus potuit esse Sichem, filius Hemor, nepos Sichem: quod novum aut insolens non est. Amant enim hodieque filio imponere nomen avi. Sic avus meus vocabatur Johannes, filius ejus Clemens, nepos rursum Johannes, in quo avi nomen renatum, ut in filio meo, qui obiit in Anglia, patris. Nam is quoque Johannes nominabatur.

11. *Abel Mesraim*] Locus est à *luctu Ægyptiorum* sic appellatus. De quo etymo dubitare nos non patitur ipse textus: nec ego id reprehensum eo. Quid igitur? perperam reddi à nuperis intrepibus, *luctus Ægypti,* sive *Ægyptiorum.* Nam *Abel,* ut ibi punctatur, non significat *luctum,* qui potius *Ebel* dicitur, aut, ut antiqui legebant, *Abel,* i. אֵבֶל. Unde non mirum si Græci ediderunt Πένθος Αἰγύπτου· nam *Abel* eo modo punctatum, est *luctus.* Nunc est אָבֵל in fonte, quod Onk. & Jonathan sic immutatum relinquunt, cum *luctum* alioqui אבלא vocitent. Sed quid *Abel?* Hic est nomen loci, ut *Adam* nomen primi parentis à *terra* sic dicti, non tamen *terram* significat, quæ potius *Adama* dicitur. Cæterum *Abel,* cum appellative sumitur, tunc duo significat. Primo Significat *lugentem,* unde constructum כַּאֲבֶל אֵם Psal. 35. 14. *sicut lugens matris.* Quod ita dicitur, ut *metuens Dei, appetens vini, fugitans litium.* Deinde significat *planitiem,* ut *Abel Mehola,* quod Jonathan interpretatur מישר *campum, planitiem,* Jud. 7. & *Abel vinearum,* h. e. interprete eodem, *planities,* Jud. 11. Audiamus nunc Eliam Levitem Judæum, *Abel Mesraim à Luctu nomen habet, sed rectius est ut exponamus illud in sensu Planitiei, ut* Abel Mehola. *Ratio, quoniam Onkelos reliquit illud ut est in Ebræo, nec interpretatur Chaldaice.* אבלא מצרים, Luctus Ægyptiorum, *quemadmodum interpretatur,* luctus gravis iste, אבלא תקיף דין, luctus fortis iste. Quod autem sequitur, *qui est trans Jordanem,* cum in fonte sit בעבר, tam de citeriore ripa quam de ulteriore accipi potest. Hoc notum iis qui illum callent illius particulæ.

26. *Aromatibus condierunt*] Qui corpora defunctorum aromatibus condiunt, à Græcis dicuntur ἐνταφιασταί, à verbo ἐνταφιάζειν, quod eo significatu legitur v. 2. Sed & ἐθάφαν occurrit hoc versu, pro eo quod in Ebræo ויחנטו. *& aromatibus condiverunt, funerarunt.* Quod observo propter articulum illum, ἐτάφη, qui in Symbolo Apostolorum, quem reddunt, *sepultus est*: sed vide num possit reddi ex lingua horum interpretum, *funeratus,* aut, *conditus, fuit.* Autor vetus qui commentarium scripsit in Symbolum Apostolorum, sive is Cyprianus fuerit, sive Rufinus, sive Hieronymus (nam & inter hujus opera legitur) parum refert, explicans illud, Descendit ad inferos, *Vis,* inquit, *eadem atque in illo,* Sepultus est. Nam plane eadem ἐτάφη exponas eo modo quo dixi. Nam aliud *condire,* vel *funerare* sive *funus curare,* & aliud *descendere ad inferos,* h. e. sepeliri: nam εἰς ᾅδου sæpe idem valet atque *in sepulcrum.* Cæterum Balsami usus præcipuus erat in condiendis corporibus mortuis, quod ita dictum videtur quasi בעל סמים, i. *dominus aromatum.* *Baal, bal,* ut *beel, bel,* contractio usitata veteribus; quæ in *Annibal, Asdrubal,* & similibus.

IDEM.

19. כי התחת אלהים אני. A. ὅτι μὴ ἀντὶ Θεοῦ ἐγώ; *quoniam an pro Deo ego?* Sym. μὴ γὰρ ἀντὶ Θεοῦ εἰμι ἐγώ; *num enim pro Deo sum ego?* Aliud Scholion, Ἀκύλας, ὅτι μὴ Θεὸς ἐγώ; *nam an Deus ego?* Sym. μὴ γὰρ ἀντὶ Θεοῦ ἐγώ; *num enim pro Deo ego?*] Scire licet & Aquilæ & Symmachi duas editiones olim fuisse. ¶ *An pro Deo.* Schol. τὸ Σαμαρειτικόν, Μὴ φοβεῖσθε· ἡ γὰρ φοβούμενος Θεὸν εἰμι ἐγώ, *Samariticus, Ne metuite: etenim timens Deum ego sum.* Onkel. *Ne timete: nam timens*

De-

Domini ego sum. ❡ *Ne metuito:* vel potius, *Ne timeatis*, quod Ebræi dicunt אל תיראו, & est idem cum illo, *Ne timete.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et ruit Joseph super faciem patris sui, & flevit super eum, osculatusque est eum.*

2. *Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem suum, & aromatibus condierunt medici illi Israëlem.*

Ruit] ἐπέπεσε. Jon. *inclinavit se.* ❡ *Flevit super eum*] flevit jacens super eum. Lxx. ἔκλαυσεν αὐτὸν, flevit sive deflevit eum. ❡ *Medicis*] הרופאים. Chald. אסותא, cujus singularis אסיא medicus: pluralis absolutus אסין medici, emphaticum אַסְוָתָא οἱ ἰατροὶ, quod sine punctis scribunt אסותא. Lxx. τοῖς ἐνταφιασταῖς, quod in editione Romana redditum, *sepultoribus* i. קברים. Aliud חנט unde חנטים ἐνταφιασμοί. August. in libris locut. „Non invenit lingua Latina, quemadmodum „appellaret ἐνταφιαστάς. Non enim ipsi sepeliunt i. terræ man„dant corpora mortuorum, quod non est Græce ἐνταφιάσαι, „sed θάψαι. Illi ergo ἐνταφιασμοὶ id agunt, quod exhibetur „corporibus humandis vel condiendo vel siccando vel involven„do vel alligando: in quo opere maxime Ægyptiorum cura præ„cellit. Quod ergo dicit etiam, sepelierunt, curaverunt intel„ligere debemus. ❡ *Ut aromatibus condirent*] ita Hieron. Ebraice est לחנט & Chaldaice in Onkelo לחנטא, & in Jonatha, לבסמא & in Lxx. ἐνταφιάσαι, & in Aria, *ad balsamandum.* Ceterum aromata Ebraice dicuntur בשמים & סמים unde balsamum quasi בעל סמים dominus aromatum. Antiqui enim contrahebant Baal in Bal, ut Bel dicebant pro Beel. Porro balsami usus præcipuus in condiendis corporibus mortuis. R. David in radicibus de verbo חנט ita scribit, *Significat opus aromatum quod faciunt mortuo ut perduret caro ejus diebus multis ne putrescat & ne fœteat.*

3. *Et impleti sunt ei quadraginta dies (nam ita implentur dies eorum qui aromatibus condiuntur) & fleverunt eum Ægyptii septuaginta diebus.*

Impleti] expleti, finiti. ❡ *Quadraginta dies*] addit Jonathan מן דאתבסם *ex quo conditus fuit.* Condire est quod Galli dicunt *embaumer*, ut non sit necesse addere *aromatibus.* ❡ *Eorum qui aromatibus condiuntur*] החנטים conditorum. Chaldaice חניטיא & בסימיא. Gall. *de ceux qu'on embaumoit.* ❡ *Septuaginta diebus*] sub hoc numero comprehenduntur quadraginta dies חנוטיו i. conditura ejus, de quibus dictum est. Procopius, „Ægyptii hunc numerum in lugendis & ad sepul„turam præparandis mortuis observant. Penes Judæos in usu „fuisse triginta dierum spatium satis comprobant exempla Aha„ronis & Mosis, quibus lugendis dati sunt dies triginta, ut patet „ex Numeris & Deuteronomio. Hæc Procopius. R. Salomo, *Triginta dies dati sunt fletui, & quadraginta conditura ipsius.* Pro quo in Græca editione hic legitur τῆς ταφῆς, ubi ταφὴ usurpatur pro ἐνταφιασμοῦ, ut forte in Symbolo ἐτάφη vertendum sit, *conditus fuit.* Nam quod sequitur, *descendit ad inferos*, vim habet eandem, teste Rufino, cum illo, *sepultus est.* Hoc arbitrarium esse volo, nolo sit certum. Docti expendant, mihi sensus illius articuli nondum plane perspectus.

4. *Cumque transissent dies fletus ejus, locutus est Ioseph ad domum Pharaonis, dicendo, Si nunc inveni gratiam in oculis vestris loquimini quæso in auribus Pharaonis, dicendo.*

5. *Pater meus adjuravit me, dicendo, Ecce ego morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan ibi sepelite me: nunc igitur obsecro ascendam & sepeliam patrem meum, & revertar.*

6. *Et dixit Pharao, Ascende & sepeli patrem tuum, quemadmodum adjuravit te.*

Fletus ejus] בכיתו Lxx. τοῦ πένθους. i. luctus. Hiero. *& expleto planctus tempore.* Ceterum luctus Ebraice אבל dicitur, & planctus מספד. ❡ *Ad domum Pharaonis*] Hiero. *ad familiam Pharaonis.* optime & rectissime. Nam domus hic pro familia ponitur. Lxx. πρὸς τοὺς δυνάστας Φαραώ: ad dynastas Pharaonis. Onkelos, *cum domo sive familia Pharaonis.* Jonathan, *cum principibus domus Pharaonis.* ❡ *Si nunc*] Jonathan, *si quæso* aut *obsecro.* ❡ *In oculis vestris*] Lxx. ἐναντίον ὑμῶν. Hiero. *in conspectu vestro.* ❡ *Quæso*] vel, *nunc.* Sic vertunt Onkel. & Jon. ❡ *In auribus Pharaonis*] Lxx. εἰς τὰ ὦτα Φαραώ, in aures Pharaonis. Onk. *coram Pharaone.* Jonathan במשמעיה דפרעה audiente Pharaone. Tremel. explicat, *apud Pharaonem.* ❡ *Adjuravit me*] jurejurando obstrinxit me. ❡ *Morior*] jam jam aut brevi moriturus sum. ❡ *Quod fodi mihi*] אשר כריתי לי. Lxx. ὃ ὤρυξα ἐμαυτῷ. Hiero. *quod fodi mihi.* Jonathan דחפרית לי quod cavi mihi. Abenezra אשר חפרתי לי. Unus Onkelos, דאתקינית לי quod paravi mihi. Fuit aliquando tempus cum existimarem vertendum esse, *quod emi mihi.* Nam כרה emere significat: unde apud Hoseam ואכרה לי *comparavi eam mihi.* Huic interpretationi obstat ipsa historia. Nam non Jacob illud emit, sed avus ejus Abraham. Cui objectioni respondet R. David in libro Radicum, inquiens, *Quamvis Abraham emerit sepulchrum, tamen perinde est ac si ipse emisset illud: vel quia emit partem Esau &c.* R. Salomo, כריתי i. fodi: aut קניתי emi, comparavi. Dicit R. Aquiba, *Cum irem per urbes maritimas vocabant venditionem* כירה. ❡ *Et revertar*] postea revertar.

7. *Ascenditque Joseph ad sepeliendum patrem suum, & ascenderunt cum eo omnes servi Pharaonis, senes domus ejus, & omnes senes terræ Ægypti.*

8. *Et universa domus Joseph, & fratres ejus, & domus patris ejus: duntaxat parvulos suos, ovesque suas & boves suos, reliquerunt in terra Gosen.*

9. *Et ascenderunt cum eo etiam currus, etiam equites, fuitque exercitus gravis valde.*

10. *Veneruntque ad aream Atad, quæ trans Jordanem, & planxerunt ibi planctum magnum & gravem admodum: fecitque patri suo luctum septem dierum.*

Senes domus ejus] vel, *seniores familiæ ipsius.* Tremellius, *Seniores* i. primates, ut senatores, consiliarii, præfecti. ❡ *Omnes senes*] *cuncti majores natu.* Hier. ❡ *Universa domus*] *Omnes domestici.* Jonathan. *tota familia.* Tremellius. πᾶσα ἡ πανοικία, Septuaginta. Id uno verbo dicunt πανοικεὶ & πανοικὶ & πανοικίᾳ, cum tota domo, cum tota familia. Reperitur etiam πανοικησίᾳ. ❡ *Domus patris ejus*] ἡ οἰκία ἡ πατρικὴ αὐτοῦ, domus paterna ejus. Lxx. ❡ *Oves & boves*] *greges & armenta.* Hiero. alii. ❡ *Etiam currus, etiam equites*] tum currus tum equites: καὶ ἅρματα καὶ ἱππεῖς. ❡ *Exercitus*] המחנה. Lxx. ἡ παρεμβολή. i. castra. Hiero. *turba.* Alii, *turma, comitatus.* ❡ *Gravis*] multus, numerosus. Sic, ἐν λαῷ βαρεῖ, in populo gravi i. multo. Lxx. hic habent, μεγάλη. Hiero. *Non modica.* Onkelos & Jonathan סגיאה i. magna vel multa. ❡ *Ad aream Atad*] εἰς ἅλωνα Ἀτάδ. Onkelos & Jonathan, *ad locum arearum Atad.* Eusebius de locis, *locus trans Jordanem, in quo planxerunt quondam Jacob, tertio ab Jericho lapide, duobus millibus à Jordane, qui nunc vocatur Bethagla, quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circumierint in funere Jacob.* Procopius, *Situs est locus ille ad tertium lapidem ab Ierichunte, & distat ab Iordane duobus lapidibus. Nunc ei nomen est Bethagla. Nominis significatio est domus circuli. Nam cum ibi lugerent Iacobum defunctum, in orbem circumsteterunt & quasi corona cinxerunt cadaver.* Augustinus refert *locum hunc ab eo in quo sepulti fuerunt patriarchæ abfuisse milliaria plusquam quinquaginta.* Vide Quæstion. ipsius in Genesin. Ceterum אטד in lingua Ebraica significat spinas adultiores: unde R. Levi, *area Atad est area cincta spinis.* Autor Lexici Thalmudici scribit *esse spinas steriles quibus aream circumdant muniendi & servandi causa.* Sunt qui *rhamnum* interpretentur. Veteres Ebræi exponunt dicentes esse aream cinctam sepimento spineo. R. Salomo מוקף אטדים היה circumdata erit rhamnis. ❡ *Planctum magnum*] vel, planctu magno. Sed ita dicitur *planxerunt planctum*, ut *gaudere gaudium*, μάχεσθαι μάχην, & alia ejus generis. ❡ *Gravem*] multum, vehementem. Onkelos & Jonathan תקיף. Lxx. ἰσχυρὸν. *vehementem.* ❡ *Fecitque luctum*] post sepulturam. Abenezra, *prius sepelivit eum, deinde luctum fecit, quemadmodum dixerunt antiqui Doctores nostri, felicis memoriæ.*

11. *Videntes autem habitatores terræ illius Chananæi luctum illum in area Atad, dixerunt, luctus gravis hic est Ægyptiis: ideo vocatum est nomen ejus, Luctus Ægypti, qui est trans Iordanem.*

Videntes autem &c.] Verbum è verbo, *Et vidit habitator terræ illius Chananæus.* Sic etiam est in Onkelo. Jonathan, *Et vidit* i. viderunt, *incola terræ illius Chananæi.* Lxx. καὶ εἶδον οἱ κάτοικοι τῆς γῆς Χαναάν. Hiero. *Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan.* Sensus eodem recidit. ❡ *In area Atad*] ἐπὶ ἅλωνι Ἀτάδ. Trem. *in ea area cynosbatis septa.* Est autem κυνόσβατος sive κυνόσβατον (nam utroque genere dicitur) rubus caninus. Columella Lib. 11. cap. 4. *sentem canis* appellari dicit. Ejus verba sunt, *Ea sint vastissimarum spinarum, maximeque rubi & paliuri, & ejus quam Græci vocant κυνόσβατον, nos sentem canis appellamus.* ❡ *Gravis*] magnus, vehemens. ❡ *Vocatum est*] קרא vocavit i. vocatum est. Ebraismum retinent Lxx. ἐκάλεσε: mutant Hiero. & alii. ❡ *Luctus Ægypti*] vel potius, *Abel Mesraim.* Nam luctus אֵבֶל dicitur. Hic autem est אָבֵל in fonte, quæ vox, cum appellative sumitur, potius lugentem denotat. Lxx. tamen ediderunt πένθος Αἰγύπτου. & Hiero. *Planctus Ægypti.* Onkelos & Jonathan nihil variant ab Ebræo. ❡ *Qui est trans Iordanem*] Qui locus vel quæ area. Pro, *trans Iordanem*, quod Græci dicunt πέραν τοῦ Ἰορ-

dæni. Trem. habet, *ad vadum Iordenis.* Sciendum vero עבר de utraque ripa dici, hoc est tam citeriore quam ulteriore. Sic Chaldaice עיברא & עברא. Jordanis autem ab Onk. vocatur ירדנא & à Jon. יורדנא cui familiare Schurec aut Kibbuts ponere loco chirec aut patach. Ceterum à Jurdena putarem esse nomen Iordanis.

12. *Feceruntque filii ejus, sic quemadmodum præceperat eis.*

13. *Et portarunt eum filii ejus in terram Chanaan, & sepelierunt eum in spelunca agri duplicis, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephrone Hethæo, è regione Mamre.*

Sic quemadmodum] כן כאשר. Trem. *præcise quemadmodum.* Sunt qui comma ponant post (sic) cui distinctioni repugnant accentus Ebraici. Gallica editio, *ainsi comme.* Ion. היכדין כמא ד. Onk. כן כמא ד. Dicunt etiam הכן eodem sensu. ❡ *Agri duplicis*] vel potius, *agri Machphela.* ❡ *Quam emerat cum agro*] Vide num possit verti, *quem emerat agrum*, ut sit pleonasmus Ebraica, qualis in illo, *quam propellit eam ventus.*

14. *Reversusque est Ioseph in Ægyptum ipse & fratres ejus & omnes qui ascenderant cum eo ad sepeliendum patrem ejus, postquam sepelivit ipse patrem suum.*

Qui ascenderant cum eo] οἱ συναναβάντες. ❡ *Ad sepeliendum*] θάψαι. Hic Ion. habet למקבר, quod scribes לִקְבַּר vel certe לְמִקְבּוֹר cum Holem in ultima, ut alibi reperitur לְמִרוֹד absque Mem, ad rebellandum. Ceterum in Onk. est לְמִקְבַּר. ❡ *Sepelivit*] vel, *sepelivisset.*

15. *Videntes autem fratres Ioseph mortuum esse patrem suum dixerunt, Fortasse odio prosequitur nos Ioseph, & reddendo reddet nobis omne malum quod intulimus ei.*

16. *Itaque miserunt cum mandatis ad Iosephum qui dicerent, Pater tuus præcepit ante mortem suam, dicendo.*

17. *Sic dicetis Iosepho, Obsecro, condona nunc scelus fratrum tuorum & peccatum eorum. Nam malum intulerunt tibi, nunc ergo condona obsecro scelus servorum Dei patris tui: & flevit Ioseph cum loquerentur ipsi ad eum.*

18. *Et iverunt etiam fratres ejus & procideruut ante faciem ejus, & dixerunt, Ecce nos sumus tibi servi.*

Videntes autem] ויראו & viderunt. Lxx. ἰδόντες δὲ. Hier. *timentes* וייראו quod interdum scribunt ויראו unica Ioth, cujus loco fere ponitur accentus post chirec, qui docet scheva sequens mobile esse, à themate ירא timuit, cum alterum sit a ראה quod Chaldæi hic dicunt חזו & חמו. ❡ *Mortuum esse patrem suum*] כי מת אביהם ὅτι τέθνηκεν ὁ πατὴρ αὐτῶν, quod mortuus esset pater eorum. Quod non adversatur lectioni Hieronymianæ, de qua dictum est. ❡ *Fortasse odio prosequitur nos*] לו ישטמנו Lxx. μήποτε μνησικακήσῃ ἡμῖν. Hiero. *ne forte memor sit injuriæ quam passus est.* Onk. *forte servabit nobis odium.* Chaldaice דילמא יטר לנא דבבו. Sic etiam Ion. nisi quod in eo סנו pro דבבו. Utrumque sig. odium: unde דבה ex odio conficta criminatio. Abenezra, *Forte servabit nobis inimicitiam* i. איבה. Santes, *fortasse odio habebit nos.* לו alibi aliud significat. Hic interpretantur אולי forte, forsitan, fortasse. Quo significatu & אולי inveniri quidam annotat. Videndus R. Salom. ❡ *Prosequitur*] vel, *prosequetur.* ❡ *Quod intulimus ei*] אשר גמלנו אותו. Hiero. *quod fecimus ei.* גמל non tam sig. malum reddere, quam inferre. Sig. etiam beneficium conferre & referre, hoc est reddere sive retribuere, quod Græci dicunt ἀνταποδιδόναι. ❡ *Miserunt cum mandatis ad Iosephum*] ויצוו אל יוסף. Santes, *præceperunt nuncio misso ad Iosephum.* Trem. *amandarunt aliquos ad Iosephum.* וישלחו. Nam amandare est mittere aliquo, quod & mandare simpliciter. Editio Gallica, *ils manderent à Ioseph.* Arias, *mandaverunt ad Ioseph.* Hiero. *mandaverunt ei.* i. לו. Onk. ופקידו לות יוסף quod Fagius ad sensum reddit, *legatos miserunt ad Ioseph.* Verb. è verbo, *præceperunt ad Ioseph*, & est unum pro duobus. Quæ figura loquendi frequens in his libris. ❡ *Miserunt*] *Balam ancillam Rachel.* Ion. & interpres Ierosol. *filios Bala.* R. Salom. *aliquos.* Trem. ❡ *Præcepit*] mandavit, ἐνετείλατο. Lxx. habent ὥρκισεν אשביען adjuravit. ❡ *Ante mortem suam*] vel, *antequam moreretur*, πρὸ τοῦ τελευτῆσαι αὐτόν. Interpres Ierosolym. *antequam congregaretur*, videlicet ad populum suum. Idem aliter. ❡ *Dicendo*] *ut hæc tibi verbis illius diceremus.* Hiero. Ut hic, *mandavit ad Ioseph*: sic alibi legimus, *mandata dedit eis ad filios Israel*, quod R. Sal. explicat, *mandavit Mosi & Aharoni ut essent legati ad filios Israel.* Vide, si vacas. ❡ *Obsecro*] אנא cum Aleph in ultima & duobus accentibus. Hinc Græcum ἄνα, quod obsecrandi vim habet apud Poëtas. Chaldæi dicunt בבעו & במטו. Græci ὦ & ὦ δή: quod ultimum legitur in Aquilæ ceterisque editionibus. ❡ *Condona nunc scelus*] שא נא פשע *tolle nunc scelus.* i. condona, ut ibi, *agnus Dei qui tollit peccata* i. condonat. Onk. & Ion. *remitte nunc debita* i. peccata. Chaldaice חובין. Hinc in oratione legittima, *remitte nobis debita nostra*, τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν. Lxx. ἄφες αὐτοῖς τὴν ἀδικίαν. Hiero. *ut obliviscaris sceleris.* שא tanquam à נשה obliviscor. Cave sequaris. *Condona.* i. סלח. ❡ *Scelus*] Trem. *defectionem.* ❡ *Condona obsecro*] שא נא condona quæso i. כבש. ita Ionathan. Nam in Onkelo est כען i. nunc. Dictio Ebraica utrumque significat. Lxx. δέξαι τὴν ἀδικίαν. i. suscipe, accipe. August. in locutio. *Puto inde dictum esse accipe, ac si diceretur æquo animo accipe, hoc est, noli indigne ferre.* δέξαι. i. קח. Locus iste revocat in memoriam quod non est omittendum. Supra vers. 15. ubi nos posuimus, *quod intulimus ei*, Græci transtulerunt, ἃ ἐνεδειξάμεθα εἰς αὐτόν, quæ ostendimus in illum. Id valet, interprete Augustino, *quæ fecimus ei.* Verba sunt in locut. *quæ in ostendimus ei* (legit αὐτῷ: quæ lectio hodieque extat in nonnullis codicibus) *Ex hac locutione ait & Apostolus*, (2 Tim. 4. 14.) *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Ostendimus enim dictum est, vel ostendit, pro eo quod est, fecimus vel fecit.* Hæc Augustinus. Theodorus interpretatur, *multa mala mihi exhibuit.* Quod mihi quoque non displicet. Sic verti posset, quod in hoc versu, ὅτι πονηρά σοι ἐνεδείξαντο quoniam mala tibi exhibuerunt. Quem locum Apostoli Ebraice non male reddes, רעות רבות גמלני mala multa intulit mihi. ❡ *Servorum*] τῶν θεραπόντων. Lxx. ❡ *Flevit*] ἔκλαυσεν. Iam septimum flet Ioseph. Vide Mercerum. ❡ *Iverunt*] וילכו Hiero. *& venerunt.* Quod non est rejiciendum. Quippe הלך & בא se invicem explicant. Lxx. quoque habent, ἐλθόντες. Sic לך veni, לכו venite &c. ❡ *Prociderunt ante facies ejus*] *proni adorantes in terram.* Hier. ❡ *Servi*] οἰκέται. Lxx. Hier. *in servos.* Tremellius, *pro servis.* Mercerus. Nam Ebraice לעבדים.

19. *Dixitque eis Ioseph, Ne timeatis: quia nunquid pro Deo ego sum?*

20. *Vos quidem cogitastis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum, ut facerem sicut hodie, vivificando populum multum.*

Nunquid pro Deo ego sum?] התחת אלהים אני an pro Deo ego? LXX. τοῦ γὰρ θεοῦ εἰμι ἐγώ: Dei enim sum ego. תחת אלהי *sub Deo*, i. sub ejus imperio ac potestate. Onkelos, *quoniam timor DOMINI ego*, pro, vir timoris i. timens, & תחת pro ירא. Ionathan, *quia metuens DOMINI ego.* Verbum è verbo, *à coram DOMINO.* Interpres Ierosolym. *Nonne coram DOMINO sunt cogitationes hominum?* Tremellius, *nam an loco Dei sum ego?* Sic etiam edit. Gal. R. Levi, *quia certe pro Deo ego sum vobis, non debetis metuere me.* Litteram ה quæ aliis est interrogandi nota, ipse dicit esse He ἀληθινόν, cujus eadem vis cum, *utique, vere, recte.* Saadias, *An me pro Deo habetis quem sic adoratis?* quasi vero adoratio tantum divina, & non etiam civilis olim fuerit. Rursum R. Levi, Alia expositio, *Ego non sum pro Deo, qui valeam vobis facere male, aut etiam debeam, cum malefactum vestrum Deus in bonum verterit.* ❡ *Contra me*] κατ᾽ ἐμοῦ. Hiero. *de me*, περὶ ἐμοῦ. ❡ *Malum*] רעה Lxx. εἰς πονηρὰ לרעה. Ionathan, *cogitationes malas.* Hoc vult dicere, *cogitastis malefacere mihi.* ❡ *Cogitavit illud in bonum*] pro eo habendum ac si diceret, cogitavit ac vertit illud in bonum. Unum pro duobus. LXX. ἐβουλεύσατο περὶ ἐμοῦ εἰς ἀγαθά: deliberavit de me in bonum. Hiero. *sed Deus vertit illud in bonum.* ❡ *Hoc die*] hoc tempore. ❡ *Vivificando*] in vita conservando, alendo. LXX. καὶ τραφῇ, & nutriretur sive aleretur. Pro *ut facerem*, potest legi, *ut faceret*, nempe deus per me. Sane Hiero. vertit, *ut exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, & salvos faceret populos multos.* In quibus verbis hoc notandum, quod עשה interpretatur *exaltare.* Non est de nihilo. Sic alibi legimus, *qui fecit Mosen & Aharonem*, pro eo quod est, qui eos ad dignitatem evexit.

21. *Nunc ergo ne timeatis, ego sustentabo vos & parvulos vestros: & consolatus est eos locutusque est ad cor eorum.*

Sustentabo] אכלכל. LXX. διαθρέψω. Santes, *alam.* Onkelos & Ionathan אזון cibabo, nutriam. Hieron. *pascam* רעה, ποιμανῶ. ❡ *Locutusque est ad cor eorum*] de hac locutione diximus in libris Observationum. Hiero. hic habet, *& blande ac leniter est locutus.* Lxx. καὶ ἐλάλησεν αὐτῶν εἰς τὴν καρδίαν, & locutus est ad cor eorum. Onkelos, *locutusque est consolationes ad cor eorum.* Sic etiam Ionathan. R. Salomo, *locutus est verba quæ recipiuntur sive admittuntur in cor.*

22. *Seditque Joseph in Ægypto, ipse & domus patris ejus, & vixit Joseph centum decem annis.*

23. *Et vidit Joseph ex Ephraim filios pronepotum: etiam filii Machir filii Manasse nati sunt super genua Joseph.*

Sedit] mansit, vel habitavit. Sed hoc significatu Latinum non est. Quanquam sedes pro habitatione inveniatur. ❡ *Et domus patris ipsius*] Lxx. καὶ πᾶσα ἡ πανοικία τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. non sine pleonasmo. Nam πανοικία tota domus: unde πανοικεί adverbium, *cum tota domo.* ❡ *Ex Ephraim*] vel, *ab Ephraim.* Ebraice לאפרים τῷ Ἐφραΐμ, ipsi Ephraim. Simile, *Salus DOMINO* i. ליהוה quod reddunt, à DOMINO.

❡ *Fi-*

¶ *Filios pronepotum*] i. abnepotes. שלשים, qui sunt in tertia generatione, pronepotes. Eorum filii vocantur בני שלשים quasi filios tertiorum dicas. i. eorum qui sunt in tertia generatione. Tales Ebræi רבעים appellant, Latini *abnepotes*, qui sunt in quarta generatione sive ætate. Sunt qui בני שלשים accipiunt de pronepotibus. Quod duobus modis fieri potest. Primum eo modo quo dicimus filios hominum pro ipsis hominibus. Sic filii Medicorum, ipsi Medici. Filii Æthiopum, filii Græcorum. Alio modo id fieri potest ut sit בני pro בנים hoc est status constructus pro absoluto. Quam opinionem firmat Onkelos referens בנין תליתאין filios pronepotes. Jonathan quoque habet בנין דרין תליתאין filios generationum tertiarum. Nos diceremus, *tertiæ generationis aut ætatis*. Lxx. παιδία ἕως τρίτης γενεᾶς. Quod Latine convertit Hier. *filios usque ad tertiam generationem*. Hac locutione tantum nepotes significari videntur. Tu expende. Hisconi ad hunc locum, *Joseph non vidit ex Ephraimo nisi filios filiorum: sed ex Manasse vidit filios nepotum ejus.* Aliter Abenezra & R. Levi: ad quos te adire cupio. Vide quoque Mercerum. ¶ *Nati sunt*] ילדו. Non tam nati quam educati. Quocirca sapiens Abenezra exponit גדלו. Nec aliter R. Levi. Onk. quoque habet, *nati sunt quos educavit Joseph*. רבי & enutrivit, educavit. Et R. Salomo, *juxta Thargum ejus*, inquit, *educavit eos inter genua sua*. Jonathan, *quum nati sunt circumcidit eos*. ¶ *Super genua*] Lxx. ἐπὶ μηρῶν, super femora. Hier. *in genibus*.

24. *Et dixit Joseph fratribus suis, Ego morior, & Deus visitando visitabit vos & ascendere faciet vos ex terra hac in terram quam juravit Abrahamo, Isahaco & Jacobo.*

25. *Adjuravitque Joseph filios Israel dicendo, Visitando visitabit Deus vos, & ascendere facietis ossa mea hinc.*

26. *Et mortuus est Joseph natus centum decem annis, & aromatibus condiverunt eum, positusque est in loculo in Ægypto.*

Morior] vicinus morti sum. ¶ *Visitabit*] respiciet. Sic, *visitavit nos germen ex alto*. ¶ *Ascendere faciet*] ἀνάξει. Alibi est יוציא educet. Sed העלה proprie educere ex loco inferiore in locum superiorem; qualis erat Judæa ad Ægyptum comparata. ¶ *Juravit*] juravit daturum se, aut juramento promisit; unde, *terra promissionis* dicta. Vulgo, Het Land van beloften. ¶ *Visitabit vos & ascendere facietis*] Sensus est, *quum visitabit vos, tum ascendere facietis*. ¶ *Ascendere facietis*] subvehetis. Pro visitabit, uterque Chaldæus habet, *recordabitur*. Tum autem recordatus fuit eorum, quum eos ex Ægypto educeret. ¶ *Hinc*] מזה ex hoc: sub. loco. Chaldaice מכא. Hier. *de loco isto*. Lxx. ἐντεῦθεν. Jonathan, *Adjuravit Joseph filios Israel dicendo filiis eorum, Ecce vos servietis in Ægypto, & non præsumetis ascendere illinc usque ad tempus quo venient duo liberatores qui dicent vobis, Recordando recordatus est DOMINUS vester, & quo tempore vos ascendetis, subvehetis ossa mea hinc.* ¶ *Natus* 110. *annis*] Ad verbum, *filius* 110. *annorum*. Docte ad sensum Hier. *expletis centum decem vitæ suæ annis*. ¶ *Aromatibus condiverunt*] Medici, qui & ἐνταφιασταί. Hier. *conditus aromatibus*. Non male. Lxx. καὶ ἔθαψαν αὐτὸν, quod reddunt, *& sepelierunt eum*. Puto sensum esse, *& condiverunt eum*. Ipsa res clamat ita locum exponendum esse. Sic ταφὴ supra ponitur pro ἐνταφιασμῷ. Quod movit viros doctos ut etiam in Symbolo exponerent ἐτάφη, conditus fuit. Qua de re antea vos monui. Non sunt hæc temere rejicienda. Quod imperiti faciunt, & illi quibus nihil sapit nisi quod à Magistris suis didicerunt. Jejunæ animæ, quæ nihil ex se parere possunt. Semper discentes & nunquam ad solidam eruditionem pervenientes. Tales ego vitandos censeo. Nam pestes sunt veræ Orthodoxæ Ecclesiæ. ¶ *Positus est*] וישם & posuit. sub. qui posuit i. positus est. Radix שום quæ eandem habet significationem cum שים. Talia non pauca sunt in hac lingua. Nec audiendus R. Jona Grammaticus qui Chirec cum Schurec permutat, ac si esset ויושם. Sunt qui legant, *& posuit se*: quod exponunt, *poni curavit*. Quomodo & Salomo Rex dicitur extruxisse templum. Nam ipse hoc non fecit, sed alii, ad hoc ab ipso conducti. Sic dico, curavit extrui templum, non ipse extruxit. ¶ *In loculo*] בארון in arca aliqua, vel potius, in urna. Est autem theca in qua mortuorum ossa aut cineres conduntur. Plutarchus in Marcello κάλπιν vocat. Interpres Jerosol. גלוסקמא i. γλωσσόκομον. Quæ vox extat & in Jonatha, & in novo Fœdere. Lxx. hic habent ἐν σορῷ, & Hier. *in loculo*: quem nunc secutus sum. Pro, *& posuit*, quod nos interpretati sumus, *positus est*, Lxx. ediderunt καὶ ἔθηκαν. Onk. ושמוהי & posuerunt eum, quod Jonathan dixit יתיה וחנטו. Trem. *repositum servaverunt*. Jonathan addit, quam ego puto fabulam esse, *& demerserunt eum in medium Nili*. Vide Mercerum.

A M A M A.

7. VOx עבר. 8. ובית אביו *domus patris sui* ab Interp. omissa sunt.

23. Omissione subjecti vid. *Joseph* ambiguitati involutum est prius Hemistichium. Quis enim hæc Vulgati legens, *Et vidit Ephraim filios usque ad generationem tertiam*. 3. sine collatione textus Ebraici aut aliarum versionum non putaret Ephraim subjectum propositionis esse? At diserte sic Ebræa, *Et vidit Ioseph* לאפרים τῷ *Ephraim vel de Ephraim filios tertiorum*. Ideo & LXX. & Chald. vocem Joseph sibi exprimendam censuerunt.

G R O T I U S.

2. UT *aromatibus condirent Patrem*] Vide quæ diximus ad Matth. IX. 23.

5. *Quod fodi mihi*] Sic & Græci. Melius alii *emi*, quomodo כרה sumitur Deut. II. 6. Oseæ III. 2. & inde מכר & מכרה pretium. Sumendum autem videtur *emi* pro *ex empto acquisivi*. Emerat enim Abrahamus ab Hemore. Act. VII. 10. Titulus auctoris est titulus heredis.

19. *Num Dei possumus resistere voluntati?*] In Hebræo nunc est, *Numquid pro Deo ego?* Quod Symmachus interrogatione retenta vertit: μὴ γὰρ ἀντὶ θεοῦ εἰμι ἐγώ; Aquila interrogatione per negationem explicata, ὅτι μὴ ἀντὶ θεοῦ ἐγώ [*nam non sum ego pro Deo*]. At olim pro התחת [*an pro*] fuit in codicibus Samaritanis vetustioribus, quam quæ nunc habemus, הירא [*timens*], unde est quod Scholiastæ Græci vertunt, καὶ γὰρ φοβούμενος τὸν θεὸν εἰμι ἐγώ. [*nam timeo Deum ego*]. quod non est cur displiceat. Nam sic & Chaldæus.

21. *Blande ac leniter locutus est*] Græci Hebraismo retento, ἐλάλησεν αὐτῶν εἰς τὴν καρδίαν [*locutus est illis ad cor*].

24. *Vobiscum*] Hoc aut ad sensum implendum, aut ex codicibus aliis apponunt Samaritanus, Syrus, Lxx. quos Latinus sequitur.

CARTWRIGHTUS.

2. ET *Joseph præcepit servis suis* את־הרפאים *medicis*.] LXX, τοῖς ἐνταφιασταῖς, quod in Edit. Rom. Latine vertitur, *sepultoribus*: & non sepultores, at qui cadaver aromatibus condiunt, hic dicuntur, ἐνταφιασταί. Inter ἐνταφιάζειν & θάπτειν est discrimen, ut erudite observat RR. Usserius in Tract. de Descensu ad inferos; illud *funerare*, seu ad sepulturam præparare, hoc *sepelire*; illud *aromatibus condire*, hoc *humo condere* significat. Vide notam sequentem.

לחנט את־אביו ויחנטו הרפאים את־ישראל *Ut aromatibus condirent patrem suum, & aromatibus condierunt medici Israelem.*] LXX, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ. Iterum pro Hebræo הרפאים, i.e. *medici*, habent ἐνταφιασταί. Latina versio hic similiter laborat, ut sepelirent patrem ejus, & sepelierunt sepultores ipsum Israel. Augustinus in Locut. (ut ad hunc locum notat Nobilius) sic scribit, *Non invenit Latina lingua, quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς. Non enim ipsi sepeliunt, id est, terra mandant corpora mortuorum, quod non est Græce ἐνταφιάζειν, sed θάπτειν. Illi ergo ἐνταφιασταί id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, vel siccando, vel involvendo & alligando; in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit etiam, sepelierunt, curaverunt intelligere debemus.* Hæc August. At οἱ ἐνταφιασταί Latine dicuntur *pollinctores*; sic enim appellantur, qui mortuos curant, ut docet Nonius Marcellus de proprietate vocum. Condire autem aromatibus mortuorum corpora, quod Hebræo חנט denotatur, apud Ægyptios in usu fuisse docet Herodotus, quem in hanc rem citat Shindlerus in radice חנט. Jonathan pro לחנט habet לבסמא, *ut ungerent*, seu *aromatibus condirent*; Et pro ויחנטו similiter habet ובסמו, (a) *& unxerunt, seu aromatibus condierunt*. Ita etiam R. Sal. de verbo חנט loquens, ait, ענין מרקחת בשמים הוא, i.e. *aromatibus condire significat*.

3. ימי החנטים *Dies eorum, qui aromatibus condiuntur.*] LXX, αἱ ἡμέραι τῆς ταφῆς, *dies sepulturæ*. Acceperunt החנטים non pro participio, sed pro nomine, & τῆς ταφῆς posuerunt pro τοῦ ἐνταφιασμοῦ.

Et fleverunt eum Ægyptii septuaginta diebus.] R. Salom. ait, *quadraginta dies conditura datos fuisse, ac triginta luctui*. Sic & Lyra, 70. *dies, scil.* 40. *dies condimenti, &* 30. *fletus*. Ita etiam Shindlerus in suo Pentaglotto interpretatus.

4. *Et locutus est Ioseph* אל־בית פרעה *ad domum Pharaonis.*] LXX, πρὸς τοὺς δυνάστας Φαραώ, *ad potentes seu magnates Pharaonis*. Per domum Pharaonis non male intelligunt eos, qui in domo Pharaonis autoritate erant præditi, quique apud Pharaonem plurimum valere poterant. Vocantur ver. 7. זקני ביתו, *senio-*

(a) Ita etiam ver. 6. & ibidem Hierosolymitanus.

seniores domus ejus. Jonathan etiam interpretatur, עם רבני בית פרעה *cum magistris seu præfectis domus Pharaonis.*

5. *In sepulcro meo* אֲשֶׁר כָּרִיתִי לִי *quod fodi mihi.*] Sic Vulg. & Lxx, ᾧ ὤρυξα ἐμαυτῷ. Ita etiam Aben Ezra exponit כריתי per חפרתי, i.e. *fodi*; prout verbum כרה usurpatur Exod. 21. 33. Ex quo loco etiam R. Salom. hunc interpretatur. Refert autem nonnullos interpretari, *comparare*, *acquirere*; ac R. Akibam dixisse, cum profectus esset ad loca maritima, לכרכי הים, ibi hoc verbum pro *vendere* usurpatum fuisse, הוי קורין למכירה כירה. At *emere* potius quam *vendere* hic significat: & fortasse R. Sal. per כירה hic *emptionem* intelligit, licet *venditionem* plerumque denotet. Nam & verbum מכר, quod est *vendere*, nonnulli (ut refert Shindlerus) Amos 2. interpretantur *emere*. Onkelos hic vertit, דאתקנית לי, *quod comparavi mihi*, vel (ut Fagius refert) *præparavi*. Jonathan autem habet, דחפרית לי, *quod fodi mihi*. Lyra refert Hebræos dicere quod emit, quia Hebraica dictio & *fodere* significat, & *emere*. Et secundum hoc (inquit) dicendum, quod Jacob emit locum sepulcri, non in se, sed in avo suo Abraham, &c. Addit, Jacobum ibi pro se & Lea fecisse speciale habitaculum. Sic Mercerus, qui mavult exponi, *fodi*, ait, verisimile esse Jacobum, cum ibi sepelivit Leam, simul admonitum fuisse de excidendo sibi sepulcro.

8. *Et tota domus Iosephi, & fratres ejus, & domus patris ejus.*] LXX addunt, καὶ πᾶσα συγγένεια αὐτοῦ, *& tota cognatio ejus.* Nobilius autem monet in quibusdam Græcis codicibus legi, καὶ τὴν συγγένειαν, *& cognationem*; pro quo (inquit) in Hebræo est, *tantum parvulos suos.* Ista procul-dubio est vera lectio, καὶ τὴν συγγένειαν, καὶ τὰ πρόβατα, καὶ τὰς βόας ὑπελείποντο, &c. *Et cognationem, & oves, & boves reliquerunt, &c.* Aliter enim si legatur, καὶ ἡ συγγένεια αὐτοῦ, cum ista redundant, tum nihil est in Græcis, quod Hebraicis istis, רק טפם, *tantum parvulos suos*, respondeat. Vulgatus hic paullo est contractior, *Domus Ioseph cum parvulis suis, absque parvulis, &c.* Omisit illa, ובית אביו, *& domus patris ejus.*

15. לוּ יִשְׂטְמֵנוּ *Forte nos odio habebit.*] R. Sal. notat particulam לו *Lu* varias habere significationes. Aliquando vocem esse rogantis, seu supplicantis, לשון בקשה, ut cap. 30. 34 לו יהי כדברך, *utinam sit*, vel *obsecro ut sit juxta verbum tuum.* Aliquando idem valere, quod אם, i. e. *si*; ut Deut. 32. 29. לו חכמו, (*a*) *si sapientes essent.* Aliquando autem usurpari pro שמא, i. e. *fortasse*, ut hoc in loco. Per שמא etiam hic exponit Aben Ezra, qui similiter monet pluribus modis in Scriptura usurpari. Onkel. interpretatur, דלמא, i. e. *forte*, *ne forte*: atque ita etiam Jonath. Sic LXX, μήποτε. Vulg. *Ne forte.*

16. וַיְצַוּוּ אֶל־יוֹסֵף *Et legatos cum mandatis miserunt ad Josephum.*] Ad verb. *Et mandarunt ad Josephum.* Onkelos, ופקידו לות יוסף. Fagius vertit, *Et legatos miserunt, &c.* Et in Annotat. Sensum (inquit) expressimus; nam ad verbum est, *Et præceperunt ad Ioseph*, i. e. *cum mandatis miserunt ad Ioseph.* Ita etiam R. Salom. exponit, *Præceperunt nuntio suo, ut iret ad Iosephum, ac ad istum modum ei loqueretur.* Et notat verbum צוה, *mandare*, *præcipere*, similiter usurpari Exod. 6. 13. ויצום אל בני ישראל ואל פרעה, *Et præcepit eis ad filios Israel, & ad Pharaonem*, i. e. *Et misit eos cum mandatis ad filios Israel, & ad Pharaonem.* Vulg. *mandaverunt ei.* LXX, καὶ παραγενόμενοι πρὸς Ἰωσὴφ εἶπαν, *& accedentes ad Ioseph dixerunt.* At ipsi ad eum non accedebant, sed legatos, vel legatum ad eum mittebant. Jonath. & Hierosol. Paraph. (qua ratione freti, nescio) dicunt eos (*b*) Bilham ad eum misisse.

Pater tuus præcepit, &c.] Mercerus ait Hebræos putare hoc à Josephi fratribus fuisse confictum; ac Ramban in ea esse sententia, quod Josephum à fratribus suis fuisse venditum, ad Jacobi notitiam nunquam pervenerit. Venditum quidem (inquit) intellexerat, sed ita forte fortuna, ut in itinere pergens ad fratres captus ab exteris fuerit, & pro servo venditus in Ægyptum. Sane verisimile non est Josephum id patri detexisse, multo minus ipsos, &c. Hæc Mercerus, qui tamen alibi huic opinioni non tantum tribuere videtur. Mihi certe haud videtur verisimile, Jacobum usque ad mortem, Josephi venditionem ignorasse. Existimo ipsos Josephi fratres sua sponte id patri indicasse, cum Josephum ad tantum honoris fastigium evectum viderint, ac præsertim cum criminis perpetrati serio ipsos pœnituerit. Quod si illi ad crimen suum confitendum minus prompti paratique fuissent, Jacob ex se facile suspicari potuit, Josephum à fratribus suis male fuisse tractatum, nec ab exteris, sed ab eis venditum, propterea quod tunicam ejus sanguine tinctam ob ipsum retulerant. Denique hic ipse locus idem arguit; etiamsi enim Josephi fratres id, quod de suo patre dicunt, confinxerint; quo tamen prætextu istud fingere potuerunt, nisi res patri ipsorum cognita fuerit; imo & ei cognitam fuisse ipse Joseph intellexerit?

17. שָׂא נָא לְפֶשַׁע *Remitte, quæsumus, iniquitatem, &c.*] LXX, δέξαι τὴν ἀδικίαν, *accipe iniquitatem.* נשא interdum valet *accipere*, hic autem est *remittere* seu *condonare*: ipsi LXX hoc ipso versu antea verterunt (idque multo, quam hic, commodius) ἄφες, *remitte.* Acute hæc verba explicat R. Salom. q. d. *Etiamsi pater tuus mortuus est, tamen Deus ejus vivit, & illi sunt servi ejus.*

19. הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי *Num loco Dei sum ego?*] Ad verb. *Num sub Deo sum ego?* Sed תחת, quod proprie est *sub*, interdum pro מקום, i. e. *loco* usurpatur. R. Saadia (teste Aben Ezra) existimat Iosephum ideo sic locutum, quod fratres ejus coram eo (velut adorabundi) prociderunt, ac dixerunt, *Nos servi tui sumus.* R. Salom. in hunc modum exponit, *Forte loco Dei sum; ut cum admiratione quadam sit dictum*, q. d. *Si vellem vobis quicquam nocere, num id facere valeo? Nonne vos omnes in me malum cogitastis; & Deus id in bonum disposuit? quomodo igitur ego solus vos lædere potero?* Onkelos interpretatur, דחלא דיי אנא, *Ego Dominum timeo.* Et similiter Ionathan. LXX, τοῦ γὰρ Θεοῦ εἰμι ἐγώ; *Dei enim sum ego.* Eundem sensum cum Chaldæo Paraphraste eos secutos putat Fagius; q. d. *Timeo Deum, scio me non impune abiturum, si vobis malum rependere conabor.* At quomodo iste sensus verbis conveniat, vix perspicio. Sic enim potius diceretur, הלא תחת אלהים אני, *Nonne sub Deo sum?* id est, *Nonne Deo sum subditus? Nonne ei servio? Nonne ejus sum, eumque timeo?* Vulg. *Num Dei possumus resistere voluntati?* q. d. *Hoc non factum est consilio meo, sed divino, cujus voluntati non licet resistere.* Ita sensum istius interpretationis explicat Fagius. Et ad istum modum Mercerus hunc locum intelligit, *Summe Dei loco, ut impediam ejus providentiam? Deus vos servatos hac ratione voluit, sicut & me; ego nitar adversus ejus providentiam? Absit.* Sic Mercer. At nec ista expositio sat congrua videtur; juxta eam enim potius dicendum esset, *Num supra Deum sum*, quam, *Num sub Deo sum?* Vel, *Num major Deo sum*, quam, *Num loco Dei sum?* Fagius refert à nonnullis sic exponi, *Nolite timere, quia numquid pro Deo, vel loco, seu vice Dei ego sum?* q. d. *Tantum abest, ut vobis nocere cupiam, ut hactenus vobis loco Dei fuerim, hoc est, benefactor, auxiliator, & liberator vester. Id quod manifestum est; quod malum vestrum, quod contra me cogitastis, Dei beneficio cessit vobis in magnum bonum.* At si iste esset sensus, non dicendum esset, התחת אלהים אני, *Num loco Dei sum?* sed הלא תחת אלהים אני, *Nonne loco Dei sum?* Eorum igitur sententiæ accedo, qui sic explicant, *Num pro Deo ego sum?* id est, *Num Deus ego sum, ut supplicium de vobis sumam? penes illum, non penes me est supplicium sumere.* Illud certe ob oculos habuisse videtur Ioseph, quod Scriptura docet, ac præcipit, Prov. 24. 29. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei; & reddam homini secundum opus suum.* Et Rom. 12. 19. *Ne ulciscamini vosmetipsi, sed date locum iræ.* Scriptum enim est, *Mea est ultio, ego rependam, dicit Dominus.* Eisdem verbis, licet ex alia occasione, usus est Iacob cap. 30. 2. Sensus utrobique est, *Numquid id quod Deo proprium est, & ad eum speciatim pertinet, meum est facere?*

23. *Et vidit Ioseph* לְאֶפְרַיִם בְּנֵי שִׁלֵּשִׁים *Ephraimi filios tertiæ generationis.*] Ad verb. *Ephraim* (vel Ephraimo) *filios tertiorum.* Quia vox בני est in regimine, ideo Aben Ezra vult intelligi הבנים רבעים, i. e. *filios quartos*, *seu quartam generationem.* Chaldæus autem habet, בנין תליתאין, *filios tertios*, vel (ut Fagius vertit) *filios in tertiam generationem.*

Et filii Machir, filii Manassis, יֻלְּדוּ עַל־בִּרְכֵּי יוֹסֵף *nati fuerunt super genua Iosephi*] Onkelos, אתילידו ורבי יוסף, *nati fuerunt, & educavit (eos) Ioseph.* Huic astipulatur R. Sal. כתרגומו גדלן בין ברכיו, i. e. quemadmodum Chaldæus interpretatus est, *educavit eos inter genua sua.* Ionathan, nescio quare ad circumcisionem eorum à Iosepho procuratam, refert, כד אתילידו גזרינון יוסף, *quando nati fuerunt, circumcidit eos Ioseph.* Hoc innuere videtur eos à Iosepho in domum familiamque suam fuisse ascitos.

26. וַיַּחַנְטוּ אֹתוֹ *Et aromatibus condierunt eum.*] Lxx, καὶ ἔθαψαν αὐτὸν, *& sepelierunt eum.* Melius ἐνεταφίασαν, ut ver. 2.

(*a*) Ibi exponi commode potest, *utinam saperent.* (*b*) R. Sal. ait, eos misisse filios Bilhæ, quod Joseph eis assuetus fuerat, ut habetur cap. 37. 2. At locus iste æque facit pro filiis Zilphæ.

ANNO-

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNOTATA AD EXODUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

1. PRincipiò, quod attinet ad tempus, referam hîc breviter quid autor libri Seder Olam cap. 2. scribat: *Postquam Jacob*, inquit, *rediit ex Mesopotamia, mortua est uxor ejus Rahel, cùm scilicet esset* XXXVI *annorum. Lea verò vixit* XLIV *annis: fuerúntque ambæ* XXII *annorum cùm desponsarentur Jacob. Nam creduntur fuisse gemellæ; etiamsi textus dicat unam fuisse minorem alterâ. Cùm verò Jacob rediret ad Isaac patrem suum, fuit Joseph* IX *annorum; & cùm venderetur in Ægyptum, fuit* XVII *annorum: mortuáque est in eo anno Lea.* XII *mensibus servivit Joseph in domo Potiphera, &* XII *annis in vinculis fuit. Nam* XXX *ætatis suæ anno productus est ad Pharaonem: quo anno obiit Isaac avus ejus. Successerunt* VII *anni saturitatis: & deinde anno secundo postquam fames invaluit, venit ad eum Jacob in Ægyptum, quando scilicet fuit* XXXIX *annorum. Mortuus verò est ipse Joseph primus omnium fratrum suorum: cùm Scriptura dicat*, Mortuus est Joseph & fratres ejus. *Fuitque, cùm moreretur,* CX *annorum. Breviorem itaque habuit vitam quàm singuli fratres sui. Levi verò longissimè vixit, quippe qui* CXXXVII *attigit annum; nec afflicti sunt filii Israel quamdiu ille vixit. Effluxerunt autem à morte Levi usque ad exitum de Ægypto* CXVI *anni. A principio verò mundi usque ad exitum de Ægypto fluxerunt* MMCCCCXLVIII *anni. Fuerúntque filii Israel in Ægypto* CCX *annis.* Hæc ex majori & minori Seder Olam huc retuli. Incipit proinde iste liber in Hebræo à conjunctione copulativa *Et*, quòd ad priorem pertineat librum, & in eo continuetur historia filiorum Israel postquam descenderunt in Ægyptum, quam in præcedenti libro Moses describere cœpit.

7. *Generatione aucti sunt*] Verbum Hebræum שרץ significat *procreari in morem reptilium*, ut sunt ranæ, formicæ, & locustæ, quæ semper in maximo producuntur numero; At פרה significat *germinare & fructum facere quemadmodum arbores fructus ferunt: &* רבה significat *multiplicari magnâ copiâ.* Portò עצם significat *ingenti fortitudine roborari.* Et hæc verba omnia adaptantur filiis Israel, qui cum septuaginta animabus descenderunt in Ægyptum, & creverunt in ducentis annis in multa centena millia hominum. Nam singulæ mulieres genuerunt duos aut tres filios simul, ut dicit Aben Ezra: qui etiam meminit se quatuor vidisse filios ab una muliere simul natos. Et idem dicit quòd naturaliter una mulier possit simul septem parere filios. Ex hoc itaque loco patet, quàm constans, firma & inviolata sit veritas Divinarum promissionum. Dominus enim promisit Abrahæ tantam seminis multiplicationem quanta est arena maris & multitudo stellarum in coelo. Et quando subditur, *Surrexit rex novus*, dicunt Hebræi hunc Regem vocatum [illegible], sicut & suprà Gen. 15. signavi.

11. *Urbes pro opibus*] Secundùm omnes Hebræos מסכנות sunt [illegible] *thesauri:* inter thesauros autem numerantur etiam frumenta. Exstruxit itaque Rex Ægypti urbes pro thecis & granariis frumenti, ut Kimhi explicat.

21. *Fecit eis domos*] Sunt Hebræi discordes in explicatione hujus sententiæ. Abraham Sepharadi talem adfert expositionem, *Posuit*, inquit, *Deus in corde Israelitarum ut exstruerent obstetricibus domos fortes, in quibus tuti essent à malorum incursu.* R. S. exponit *de domo Sacerdotii & Regni.* Kimhi verò interpretatur *domum, familiam; Quòd* scilicet *obstetrices creverunt in familiam, rependeritque eis Deus per benedictionem illa beneficia populo Israel exhibita contra mandatum Regis.*

22. *Natum filium*] Est hîc ילוד idem quod *jalud* in participio præterito. Vel, ut Aben Ezra dicit, est adjectivum ejusdem formæ cum [illegible], [illegible]. Et quando Scriptura hic dicit historiam istam factam juxta יאר, & non נהר, quod propriè *fluvium* significat, dicit Kimhi יאר *esse rivum magnum qui ex fluvio aliquo magno ad agros irrigandos ducitur, sicut aqua Nili in varios apud Ægyptios distrahitur rivos.*

FAGIUS.

8. N*On servabat decretum Joseph*] i. Non servabat ea quæ Joseph bene decreverat, ordinaverat & statuerat: Sed novas leges ac constitutiones faciebat juxta illud vulgatum dictum, *Novus rex, nova lex*, &c. Atque istam sententiam habet Thargum Hieros. *Et surrexit rex super Ægyptum qui non cognovit Joseph, neque ambulavit in statutis ejus.* Vel sensus esse potest, Non stabat pacto & fœdere quod antea fuerat inter Joseph & Regem Ægypti: iniquus erat in posteritatem Josephi, immemor summi illius beneficii & salutis qua tota Ægyptus affecta fuerat à Josepho tempore famis.

10. *Sapienter agamus contra illos*] Ad verbum est, *Sapientes nos faciamus propter eos.* h. e. Sapiens, prudens ac callidum consilium de perdendis eis capiamus. Germ. diceretur, Lasst uns ihrenthalben mit ein andern berahten. Lxx dicunt, κατασοφισώμεθα αὐτούς, *utamur sophisticatione contra illos*, h. e. callidè vel astutè circumveniamus eos. Quòd si rogas quænam fuerit sapientia & calliditas illorum, respondent Hebræi, *Inter se dixisse, Si gladio eos perdiderimus, gladio & nos vicissim peribimus: Si igni, similiter & in nos ignis deflagrabit: Et quocunque genere mali eos delere conabimur, eodem & nos delebimur. Quandoquidem Deus (ut Hebræi dicunt)* לעולם מדה כנגד מדה, *semper mensuram mensurâ recompensat. Callidè ergò excogitarunt, se aquis pueros Hebræorum perdituros. Ità enim fore, ut non ipsi vicissim aquis perdantur, Posteaquam Deus dixerit & promiserit se non ampliùs homines aquis perditurum.*

11. *Principes qui affligerent*] Ad verbum est, *principes malefactores*, h. e. qui vexarent, affligerent ac molestarent. שרי מסים, *principes tributorum*, h. e. exactores, qui tributa & census ab illis exigerent. Huc enim spectabat Regis consilium, ut non tantùm labore ferendísque oneribus sed & tributis solvendis gravarentur, ut neque numero neque divitiis augerentur. ¶ *Urbes thesaurarias*] i. Urbes pro thecis & granariis frumentorum. Id enim rectè hoc in loco significat vox Hebraica מסכנות, sicut & in aliis locis, ut est videre 2 Paral. 17. 12. & 32. 27. Inter thesauros autem & frumenta connumerantur. Súntque hæc repositoria granaria, & thecæ frumentariæ Hebræis ab *utilitate* dicti. סכן enim illis *prodesse & utile esse* significat; hinc מסכנות. Sunt enim maximè & necessaria & utilia regnis. Nescio quid Vulgato interpreti in mentem venerit, quòd *urbes tabernaculorum* verterit; nisi quòd deceptus videtur vocum similitudine, atque סכות *Succoth*, quod *tabernacula* significat, pro מסכנות legisse. Lxx verterunt πόλεις ὀχυράς, *civitates munitas.* Est enim mos Regum & Principum etiam exstruendis munitionibus, præsidiis, arcibus, &c. subditos suos molestare. Sed sententia Hebræorum hic verior est. ¶ *Pithom & Raameses*] Thargum Hieros. ית טאנים וית פילוסין, i. *Tanis & Pelusium.* Referunt Hebræi, Judæos in Ægypto, cùm istæ urbes exstruerentur, adeò segniter laborasse, ut nomina istarum urbium in proverbium apud illos abierint, quo adhuc hodie utuntur, de hominibus ignavis, pigrè & segniter laborantibus. Dicunt enim, Es ist Pithom Rameses / quo volunt significare, talem esse laborem qualis olim fuerit Judæorum Pithom & Ramses in Ægypto ædificantium. Quàm verè competat hoc dictum in veterem illum populum Dei, viderint qui hoc affirmant: In Judæos autem nostri seculi verissimè dici nemo dubitet, cùm, quod honestos labores, artes & studia attinet, non sit pigrior & magis ignavus sub sole populus, ad usuram autem reliquasque inhonestas artes exercendas non est acutior & impigrior.

15. *Nomen unius erat Schiphra*, &c.] Thargum Hieros. ità habet,

habet, *Et dixit Rex Ægypti ad obstetrices Hebræas, quarum altera vocabatur Schiphrah; & hæc erat Jochabed: altera verò nominabatur Puah; & hæc erat Miriam.*

16. *Et videritis in partu*] Variatio est in voce מתבר *Mathberah*, sicut & in voce Hebr. האבנים Haasnaiim. Quidam enim sedem interpretantur in qua recipitur fœtus; vel, in qua sedet quæ parit. Judæi vulgò nuncupant gebår sessel. Alii vulvam significare volunt; & per vulvam significari fœtum, q. d. Cùm videritis fœtum qui egreditur ex utero matris. משבר *Maschber* autem vocari dicunt à *frangendo*; (שבר *schibber* enim *frangere* significat: quòd cùm fœtus eò pervenerit, cardines vulvæ rumpantur, & maximè torqueatur parturiens) אבנים *Afnaim* verò, à *fœtu*, sive à *pueris* indè enascentibus. Sed quia R. D. K. hunc locum in lib. Rad. ex veritate Hebraica ad longum tractat, placet ejus verba hic adscribere. Locum Hebraicè primùm ponit, וראיתן על האבנים. Post quem ità scribit, *Locus est* (scilicet האבנים) *in quem cadit fœtus ex utero matris suæ, qui & alias* משבר *Maschber vocatur. Verùm derivatur hæc dictio* (scilicet האבנים) *a* בן *Ben seu* בנים *Banim* (quod *filium*, & *filios* significat) *cum superaddito Aleph. Et juxta meam sententiam* אבנים *hoc in loco vulvam ipsam significat, quæ ità vocatur à* בנים *fœtu seu filiis; sicut & Maschber vocatur propter fracturam mulieris parturientis & dolores ejus. Nam si* אבנים *locus esset in quem fœtus recipitur postquam egressus est ex utero matris, quid opus erat dicere*, Et videritis in ipsis sellis, *&c. cùm certè antequam totus egrediatur ex utero, conspiciant obstetrices, masculus an fœmella sit? Nam masculus faciem suam deorsum versam habet, fœmella verò sursum. Nec porrò ratio exstat cur locus ille in quem fœtus cadit* משבר *Maschber vocetur: quod patet etiam ex isto loco Scripturæ*, Esai. 66. Nunquid ego frangam, & non faciam gignere? *Ex quo manifestum est, fracturam antecedere partum. Habet autem* אבנים Afnaim *formam dualis numeri, propter cardines qui sunt in ostio vulvæ, quorum duo sunt, sicut sunt duo cardines januæ. Quemadmodum tradiderunt Rabini nostri, præsertim R. Eliezer, qui ità inquit, Sicut janua cardines habet, ità & mulier. Unde est quod dicitur*, 1 *Sam.* 4. Et incurvavit se, & peperit: nam versi fuerunt in ea cardines ejus. *Quod verò dicitur apud Danielem cap.* 10. Inversi sunt dolores mei super me. *&c. comparatio est ad dolores parturientis, quos sentit mulier in cardinibus vulvæ. Nam* צירים Zirim *nomen est æquivocum tam ad cardines ostii quàm ad dolores.* Hactenus R. D. K. cujus verba ex Hebræo quà potuimus fide vertimus & huc transtulimus. Qui autem mavult ipsius verba Hebraica videre, videat eum in lib. Rad. citato, in radice אבן.

19. *Sapientes enim sunt*] In textu Hebraico est, כי חיות הנה, circa quæ est etiam interpretum variatio, maximè in voce חיות *Chaioth*, quam alii à verbo חיה, quod *vivere* significat, deducentes, *vivaces* exponunt, q. d. Mulieres Hebræorum non sunt ità teneræ, delicatæ, imbecilles & infirmæ ut Ægyptiorum; sed vivaces sunt, h. e. validæ, robustæ, vigorosæ, patientes laborum & dolorum. Atque ità exponit etiam A. E. כי העבריות אינן כמצריות כי כח חיים הרבה ישלהם *Quia Hebrææ non sunt sicut Ægyptiæ; nam robur vitæ multum est eis*: q. d. Mulieres vivacissimæ & robustissimæ sunt; præveniunt nos, neque indigent ope nostrâ. Alii חיות à singulari חיה *Hajah*, quod *animal & bestiam* significat, deducunt, hoc sensu, Mulieres Hebræorum non sunt sicut mulieres Ægyptiorum, sed similes sunt bestiis, quæ dum pariunt non indigent obstetricibus. Nonnulli חיות pro *obstetricibus* exponunt, quam significationem habet in Chaldæo, & frequens in hoc usu est in commentariis. Vocantur autem sic à חיה *vivificando*, sicut Hebræis מילדות *Mejaledoth* à ילד *pariendo*, quòd scilicet mulieribus parturientibus adsint in partu, & juvent eas, ut fœtus in lucem veniat, & ità quasi vivificare fœtum viderentur, unde חיות nominantur. Est autem sensus juxta hanc lectionem, Hebræorum mulieres non sunt similes Ægyptiis, sed ipsæmet sunt obstetrices omnes, atque obstetricandi scientiam norunt; non opus habent aliis obstetricibus, ut Ægyptiarum mulieres. Et hanc sententiam habet noster Paraphrastes, quam secutus est author Latinæ Vulgatæ editionis. Thargum Hierosf. ità habet, ארום חיין אינון עד לא יתי לותהון ילידתא אינון מצלן קדם אבוהון דבשמיא והוא עני יתהון והינון ילדן, *Quoniam vivificant ipsæ antequam veniat ad eas obstetrix, orant coram Patre suo cœlesti, & exaudit eas, atque ità pariunt.*

21. *Fecit eis domos*] Multiplex sensus est horum verborum. Quidam referunt ad populum Israeliticum, hoc sensu, Quasi ipsi scilicet filii Israel suis obstetricibus domos munitas exstruxerint, in quibus, quod non exsequerentur mandatum Regis de interficiendis infantibus, ab incursu Ægyptiorum tutæ esse possent. Alii ad Pharaonem referunt, Quòd is videlicet proprias & peculiares domos illis exstruxerit, unde exire illis non licebat, sed exspectare ibi cogebantur mulieres Hebræas parturientes; quæ ad ipsas adducebantur ex præcepto Regio, ut ista ratione Ægyptii unà cum illis cognoscerent num filius aut filia nasceretur. Alii ad Deum referunt, quòd ille fecerit eis domos: Et hoc etiam varie exponunt: Vel, quòd obstetricibus *domos fecerit*, i. protexerit ac defenderit eas. Quæ sententia non improbatur R. D. K. In lib. enim Rad. ità scribit, הנראה בעני כי פירוש ויעש להם בתים שהסתירם מפרעה שלא יזיק להם כענין שנאמר בירמיה וברוך ויסתירם יהוה, i. *Videtur mihi is esse sensus*, Et fecit eis domos, *h. e. abscondit eas à Pharaone, ut nihil mali eis faceret: juxta illud quod dicitur de Jeremia & Baruch*, Et abscondit eos Dominus, Jer. 36. Hæc ille. Vel, quòd Deus propter beneficium quod contulerunt in Hebræos, non occidendo illorum infantes, eas remuneraverit, bonorum videlicet ubertate, quæ per *domos* intelligatur, concessâ. Et ità *domos illis construxerit*, h. e. rem familiarem earum adauxerit, ità ut omnium rerum quæ ad regendam alendámque familiam requirebantur copiam habuerunt. Nam *domum facere* Hebræis etiam *rem domesticam curare* & *rei augendæ operam dare* significat. Hinc Jacob dicebat ad Laban, ועתה מתי אעשה גם אנכי לביתי. *Et nunc quando faciam etiam ego domum meam?* Gen. 30. 30, h. e. Quando curabo & prospiciam mihi quoque de rebus necessariis, quæ requiruntur ad instituendam & sustentandam familiam? Vel, quòd *fecerit eis domos*, Sacerdotii scilicet & Regni. Dicunt enim Hebræi duas illas obstetrices fuisse Miriam & Jochebed matrem ejus, filiam Levi, ex qua nati sunt Aaron & Moses, penes quos Sacerdotium & Regnum fuit. Et qui hunc sensum sequuntur, hos movit, quòd in Scripturis aliquando appellatione *domus* Regnum & Sacerdotium veniunt. Et hæc sententia placet Paraphrastæ Hierosf. qui ità habet, ארום דחילן ילידתא מן קדם יהוה וקנין להן שום טב בנוהריא ועבדו להן מימרא בתין רליוה וכיתא רכהנה רבתא *Quia obstetrices timebant Dominum, ideo conciliarunt nomen bonum inter conceives. Feceruntque sibi domos, domum scilicet Levitici ministerii, & domum sacerdotii magni.* Vel, quòd Deus *fecerit eis domos*, i. auxerit & multiplicaverit eorum familias, scilicet filiorum Israel. Nam pronomen relativum להם *eis*, masculinum est: unde commodè ad universum populum referri potest. Et *domum* pro *familia* accipi, frequentissimum est in Divinis literis. Atque hæc postrema lectio omnium simplicissima esse videtur. Quam & R. D. K. in Rad. suis habet: ubi בתים *domos*, per בני בתים *liberos domesticos*, sive *familias*, exponit. Est ergò sensus, Timore obstetricum quo Deum timuerunt, & non interfecerunt pueros Hebræorum, ut Rex Pharao præceperat, factum est ut familiæ Hebræorum in immensum creverint, auctæ ac multiplicatæ fuerint: secundùm illud quod dicitur, *Quantò autem magis afflixerunt eos, tantò magis crescebant & augebantur.*

IDEM.

10. הבה נתחכמה לו פן ירבה *Eja callidè agamus contra eum ne multiplicetur.*] QUOD sensum attinet, omnia eodem tendunt. Quòd si verbum Hebraicum נתחכמה לו ad verbum reddas, sonat, *Sapientes nos ipsos faciamus propter ipsum, vel ejus gratiâ.* Est enim verbum in conjugatione Hithpael, quæ reciprocam significationem habet. Estque sensus, sapienter consilium capiamus, sive consultemus de ipso. LXX dixerunt κατασοφισώμεθα αὐτοὺς, vel *astute circumveniamus eos*, utamur sophisticatione contra eos. Germanicè Hebræa significantiùs exprimimus, Wir wollen uns ihrenthalben berahten. h. e. *prudens aliquod consilium de ipsis perdendis excogitabimus.* Et ità etiam explicat R. Schlomo, נתחכמה מה לעשות לו, *sapienter consultabimus quid faciendum sit ei, vel quid agendum sit cum eo.* Causam habes supra cur aquis potiùs Ægyptii liberos Hebræorum suffocare voluerint, si modò Judæis in hoc credere placet.

11. וישימו עליו שרי מסים למען ענותו בסבלותם *Constituerunt igitur super illum principes, tributa exigentes, ut affligerent illum cum oneribus suis*,] Hebraica vox מסים non propriè *opera*, qua in significatione omnes ferè interpretes nostri hic accipiunt, sed *census* & *tributa* potiùs significat. Plurale enim est à singulari מס, i. *tributum*, *census*; *unde* שרי מסים, secundùm Hebræos vocantur, non qui ad labores & opera servilia filios Israel adigebant, sed qui tributa & census ab eis exigebant.

Sicut

Sicut & R. Salomo exponit, שרים שגובים מהם המס, *Principes qui colligebant ab eis tributum.* Est ergò sensus quòd non tantùm labore ferendisque oneribus sed & solvendis tributis opprimebantur filii Israel. Huc enim spectabat Regis consilium, ut neque numero neque divitiis augerentur.

Ibid. ויבן ערי מסכנות לפרעה את פתם ואת רעמסס *Exstruxeruntque urbes pro opibus reponendis Pharaoni, Pithom & Raamses*] Omnes Hebræi מסכנות hoc in loco sicut & Paraph. Chaldæus pro אוצרות *thesauris* accipiunt. Inter thesauros autem numerantur etiam frumenta. Exstruxit ergò rex Ægypti *urbes thesaurarias*, h. e. urbes pro thecis & granariis frumenti. Per מסכנות ergò intelliguntur *loca in quibus reponuntur triticum, vina & hujusmodi:* sicut etiam patet ex his locis Scripturæ, ומסכנות לתבואת דגן ותירוש ויצהר, *Et thecas pro proventu frumenti, pro vino & oleo*, &c. 2 Par. 32. ויבן ביהודה בירניות וערי מסכנות; *Et ædificavit in Jehudah arces & civitates thesaurarias* 2 Par. 17. Alii מסכנות pro *arcibus, præsidiis & munitionibus* exponunt, quam sententiam secuti sunt LXX. Intelligentes Hebræos non simpliciter ad labores & onera coactos fuisse, sed sic ut arces munitissimas tutissimáque præsidia Pharaoni ædificarint. Quem morem etiam hodie servant principes, rusticos ad construenda mœnia ac propugnacula cogentes. Non video quid Vulgato interpreti in mentem venerit quòd *urbes tabernaculorum* vertit: est enim obscurum quid per *urbes tabernaculorum* velit. Sed deceptus videtur vocum similitudine, & משכנות pro מסכנות quod *tabernacula* significat, legisse. Mihi lectio Hebræorum omnium maximè probatur. Et מסכנות ab *utilitate* nomen habet. Nam verbum unde deductum, est סכן, quod *prodesse* & *utile esse* significat; sunt enim hujusmodi repositoria valde necessaria & utilia regnis. Libet quoque & hoc monere, quòd verbum Hebraicum ויבן, quod omnes pluraliter reddunt, singulare est, *Et ædificavit*, &c. Et potest non tam ad populum Israeliticum quàm ad ipsum regem Pharaonem referri. *Et ædificavit civitates thesaurarias Pharaoni*, h. e. Rex sibi ipsi exstruxit.

16. בילדכן את העבריות וראיתן על האבנים *Quando facitis parere Hebræas, & videritis in ipsis sellis*] Variatio est in voce אבנים, quam alii pro *sede in qua* vel *recipitur fœtus*, vel, *in qua sedet mulier quæ parit*, accipiunt; quam & alio nomine משבר vocant: quo usus est Onkelos Chaldæus in sua super hunc locum Paraphrasi. Alii vulvam אבנים vocari sentiunt, & per vulvam significari fœtum: q. d. cùm videritis fœtum qui egredietur ex utero matris. Quidam ex nostris deducentes ab אבן, quod *lapidem* significat, deducentes, pro *pondere* exponunt, hoc sensu, Cùm tempus partûs venerit, i. dum in propinquo est, in propendendo scilicet; im übertwagen, ut fit in librando; utpote cùm puer exire & mulier parere cogitur: quem sensum secutus est vulgatus interpres. Verùm quia R. D. Kimhi in suis Radicibus hunc locum prolixè & non indoctè explicat, placet ipsius verba huc apponere; וראיתן על האבנים: מקום נפלת הולד מבטן אמו ויקרא [illegible] הולדה. Quorum interpretationem supra vide.

VATABLUS.

1. ET *hæc*, ואלה] Hic ו redundat, ut solet in principiis librorum Hebraicorum: nisi fortè aliquando convertat præteritum in futurum, aut fut. in præt. Pollicitationem Abrahæ & semini ejus factam, Gen. 15. 5. scribit Moses: Quo verò ordine, quáque virtute & magnificentiâ hanc præstiterit Deus, præsenti libro prosequitur. Primùm autem nomina eorum qui Ægyptum cum Jaacob ingressi sunt recenset, ad præterita respiciens, ut commodiùs ad futuram historiam initium sumat.

3. *Et Benjamin.* ובנימן] Beniamin præponitur Dan & aliis, non quòd esset major natu, sed quoniam illi essent filii ancillarum.

5. *Egressi*, &c. יצאי ירך] Ad verb. *egressores femoris.* ¶ *Joseph verò*, ויוסף] *Nam Joseph*, q. d. Causa descensûs eorum in Ægyptum fuit Joseph, quòd is gratiâ valeret apud Regem Ægypti. Doctus inter Hebræos exponit, *Cum Joseph qui fuerat in Ægypto.* sub. *erant inquam septuaginta animæ.*

6. *Atque universa generatio illa* וכל הדור ההוא] Hebraismus, pro, *omnes homines illius ætatis.* Hoc dicit ut ostendat afflictionem non accidisse Israelitis vivente Joseph. Hîc דור non *cognationem* significat sed *seculum.*

7. *Creverunt*, פרו] Hæc dictione significat augmentum plurimum. ¶ *Et nati sunt in multitudine.* וישרצו] Hæc vox propriè de piscibus dicitur, qui fœtum edunt multiplicem & numerosum. Chald. paraph. *procreaverunt liberos.* ¶ *Copiosissime*, במאד מאד] Ad verb. *valde valde:* nam ב redundat. i. mirum in modum. ¶ *Illis:* אתם] Positum est pro מהם, ab את quando significat *ex*, & affixo.

8. *Surrexit interim*, ויקם] Ad verb. *Et surrexit*, q. d. Regnum Ægypti translatum fuit ad alium. ¶ *Non noverat* לא ידע Emphasim habet: neque enim corpore nosse poterat Rex Ægypti Joseph, qui aliquot seculis antea obierat: sed oblitus beneficiorum quibus Joseph affecerat Ægyptios, ingratus fuit. His igitur verbis non solùm ingratitudo malignitásque sed & imprudentia ac stultitia Regis taxatur.

9. *Filiorum Israel*, בני ישראל] *Filii Israel*, nominativo casu per appositionem dictum, *Et populus, nempe filii Israel.*

10. *Agitè*, הבה] Imperativum verbum pro adverbio hortandi, Vide Gen. 11. 3. ¶ *Sapientiores*, &c. נתחכמה לו] *Simus sapientes erga illum.* Hebraismus, Inveniamus rationem aliquam callidam & subtilem quâ opprimere possimus illum. Alii vertunt, *Consilium capiamus de ipsis.* Alii, *Sapienter opprimamus illum.* ¶ *Evenerit bellum*, תקראנה מלחמה] Verbum plurale nomini singulari junctum: propterea quidam vertunt, *evenerint bellum & bellum*, i. ingruerint crebra bella. ¶ *Et terra:* מן הארץ] i. è regione in qua nunc habitat, h. e. facessat hinc, & recedat à nobis.

11. *Præposuerunt ergò*, &c. וישימו וגו'] i. Exegerunt ab illo tributa magna. ¶ *Oneribus suis:* בסבלתם] i. magnis tributis. ¶ *Ædificavitque*, ויבן] sub. *populus Israeliticus jussu regio.* ¶ *Thesaurorum*, מסכנות] *thesaurarias*, i. urbes pro thecis & granariis frumentorum: id enim rectè hoc in loco significat vox Hebraica מסכנות, sicut & in aliis locis, ut videre est 2 Paral. 17. 12. & 32. 27. Inter thesauros autem & frumenta connumerantur: suntque hæc repositoria, granaria, & thecæ frumentariæ Hebræis ab utilitate dictæ; סכן enim illis *prodesse* & *utile esse* significat: hinc fit מסכנות; sunt enim maximè & necessaria & utilia regnis. Nescio quid Vulgato interpreti in mentem venerit quòd *urbes tabernaculorum* verterit: nisi quòd deceptus videatur vocum similitudine, atque משכנות, quod *tabernacula* significat, pro מסכנות legisse. LXX verterunt πόλεις ὀχυράς, *civitates munitas:* est enim mos Regum & Principum, etiam exstruendis munitionibus, præsidiis, arcibus, & hujusmodi subditos molestare. Sed sententia Hebræorum hic verior est.

12. *At quò magis*, &c. וכאשר יענו וגו'] Ad verb. *Et secundùm quod affligebant eum, sic crescebat, & sic multiplicabatur.* ¶ *Et angustiis afficiebantur*, ויקצו וגו'] *adeò ut taderet eos propter filios Israel*, i. visâ prosperitate filiorum Israel.

13. *Durè:* בפרך] Ad verb. *cum duritia*, i. citra clementiam, aut citra ullam misericordiam, h. e. in servitutem durissimam.

14. *Opere duro*, בעבודה קשה] *servitute asperâ.* vel, *famulatu immiti*, aut, *inclemente.* ¶ *In luto & lateribus*, בחמר ובלבנים] Subaudienda singulis nominibus sua verba, *in luto parando, & in lateribus conficiendis.* ¶ *In agro*, בשדה] i. agresti & rustico. ¶ *In quo operâ illorum abutebantur*, אשר עבדו בהם] Similis locutio legitur & Jer. 25. 14. ubi עבד construitur cum ב, quod quoties fit, significat *servitium quod exigunt domini:* alioqui significat *servitium impensum à servis.* Quidam vertunt, *in omni inquam opere in quo servire fecerunt illos servitutem.* ¶ *Durè:* בפרך] Vide paulò antè v. 13.

15. *Siphrah*, שפרה] Principes oportet fuisse istas duas inter alias obstetrices, quas solas nominaverit: alioqui solæ non suffecissent.

16. *Quum obstetricabitis*, בילדכן] i. Quum officio obstetricis fungemini erga Hebræas. ¶ *Super sedem:* על האבנים] Varia est hujus dictionis expositio. Quidam enim *sedem* interpretantur in qua recipitur fœtus, vel in qua sedet quæ parit. Alii per *sedem* vulvam significari volunt, & per eam fœtum; ac si di-

dicat, Quum videritis fœtum qui egreditur ex utero matris: משבר autem vocari dicunt à *frangendo*, quòd quum fœtus eò pervenerit, cardines vulvæ rumpantur, & maximè torqueatur parturiens: אבנים verò à *fœtu*, sive à *pueris* indè enascentibus. Doctus inter Hebræos sic locum istum exponit, המאבנים *locus est in quem cadit fœtus ex utero matris suæ, qui & aliàs* משבר *vocatur. Verùm derivatur hæc dictio* מאבנים *à* בן *seu* בנים *quod filium & filios significat, cum superaddito* א. *At juxta meam sententiam* (inquit ille) אבנים *hoc in loco vulvam ipsam significat, quæ ita vocatur à* בנים *fœtu seu filiis: sicut &* משבר *vocatur propter fracturam mulieris parturientis. Nam si* אבנים *locus esset in quem fœtus recipitur postquam egressus est ex utero matris, quid opus erat dicere*, Et videritis in ipsis sellis, &c. *quum certè antequam totus egrediatur ex utero, conspiciant obstetrices, masculus an fœmella sit? Nam masculus faciem suam deorsum versam habet, fœmella verò sursum.* Idem paulo pòst, *Dictio* אבנים *habet formam dualis numeri, propter cardines qui sunt in ostio vulvæ: qui duo sunt sicut cardines januæ, quemadmodum tradiderunt nobis Rabbini nostri, præsertim R. Eliezer.* Hactenus doctus ille inter Hebræos. Alii, *videritisque, in procinctu esse fœtum.* אבן, inquiunt, significat *lapidem*, aut *pondus*, aut *stateram*. Sensus ergò est, Quum tempus partûs advenerit, h. e. dum in propinquo est, in propendendo scilicet, ut fit in librando, utpote quum & puer exire, & mulier parere cogitur. ¶ *Vivat:* וחיה] *servetur.*

17. *Sed vivos*, &c. 'וגו ותחיין] Ad verb. & *vivificaverant pueros*, sive mares editos in lucem, i. dederunt operam ut servarentur incolumes.

18. *Ut vivos servaretis*, ותחיין] Ad verb. & *vivificastis.*

19. *Quia*, כי] Quidam dicunt hanc vocem hoc loco redundare. *Nam vivaciores sunt ipsæ:* כי חיות הנה] Id ab חיה deductum est, quod *vivere* significat, q. d. Mulieres Hebræorum non sunt ita teneræ, delicatæ; imbeciles & infirmæ ut Ægyptiorum: sed vivaces sunt, h. e. validæ, robustæ, patientes laborum & dolorum. Atque ità etiam exponit alter ex doctis Hebræorum, dicens, *Nam robur vitæ multum est eis:* ac si dicat, Mulieres vivacissimæ ac robustissimæ sunt: præveniunt nos, neque indigent ope nostrâ. Alii חיות, à nomine singulari חיה, quod *animal & bestiam* significat, deducunt, hoc sensu, Mulieres Hebræorum non sunt sicut mulieres Ægyptiorum, sed similes sunt bestiis, quæ dum pariunt non indigent obstetricibus. Nonnulli חיות pro *obstetricibus* exponunt: quam significationem habet in Chaldæo, & frequens in hoc usu est in Commentariis Hebræorum. Vocantur autem sic ab חיה *vivificando*, sicut Hebræis מילדות à ילד *pariendo*, quòd scilicet mulieribus parturientibus adsint in partu, & juvent eas ut fœtus in lucem veniat, & ità quasi vivificare fœtum videntur, unde חיות nominantur. Est autem sensus juxta hanc lectionem, Hebræorum mulieres non sunt similes Ægyptiis, sed ipsæmet sunt obstetrices, atque obstetricandi scientiam norunt, nec opus habent aliis obstetricibus, ut Ægyptiorum mulieres. Et hanc sententiam habet Chaldæus paraph. Thargum Hierosol. vertit, *Quoniam vivificant ipsæ antequam veniat ad eas obstetrix: orant coram Patre suo cœlesti, & exaudit eas, atque ità pariunt.*

21. *Timuerunt.* וייראו] in servandis scilicet pueris Hebræorum. ¶ *Fecit eis domos:* ויעש להם בתים] Quidam referunt ad populum Israeliticum, hoc sensu, quasi ipsi filii Israel suis obstetricibus domos munitas exstruxerint, in quibus, quòd non exsequerentur mandatum Regis de interficiendis infantibus, ab incursu Ægyptiorum tutæ esse possent. Alii ad Pharaonem referunt, quòd is videlicet proprias & peculiares domos illis exstruxerit, unde exire illis non licebat, sed exspectare ibi cogebantur mulieres Hebræas parturientes, quæ ad ipsas adducebantur ex præcepto Regio: ut istâ ratione, Ægyptii unà cum illis cognoscerent num filius aut filia nasceretur. Alii, atque ii doctiores, ad Deum referunt, quòd ille fecerit eis domos: quod etiam variè exponunt: Vel quòd obstetricibus *domos fecerit*, i. protexerit ac defenderit eas. Quæ sententia non improbatur docto inter Hebræos, dicenti, *Videtur mihi is esse sensus istorum verborum*, Fecit eis domos, *quòd Deus abscondérit eas à Pharaone ut nihil mali eis facerent, juxta illud quod dicitur de Jeremia & Baruch*, Et abscondit eos Dominus. *Jer.* 36. 26. Hæc ille. Vel quòd Deus propter beneficium quod contulerunt in Hebræos, non occidendo illorum infantes, eas remuneraverit, bonorum videlicet ubertate, quæ per *domos* intelligatur, concessâ: & ità *domos illis construxerit*, h. e. rem familiarem earum adauxerit, ità ut omnium rerum quæ ad regendam alendámque familiam requirebantur, copiam habuerint. Nam *domum facere* Hebræis etiam *rem domesticam curare & rei augendæ operam dare* significat. Hinc Jaacob dicebat ad Laban, *Et nunc quando faciam etiam ego domum meam?* Gen. 30. 30. h. e. Quando curabo & prospiciam mihi quoque de rebus necessariis quæ requiruntur ad instituendam & sustentandam familiam? Vel quòd dederit illis prolem numerosissimam, h. e. reddiderit illas fœcundas ex viris suis. Propterea Hebraicè usus sit Moses relativo masculino; quia nomen à viris accipiunt familiæ. Aliquando tamen ם pro ן accipitur. Vel quòd *fecerit eis domos*, Sacerdotii scilicet & Regni. Dicunt enim Hebræi duas illas obstetrices fuisse Mariam, & Jochabed matrem ejus, filiam Levi, ex qua nati sunt Aaron & Moses, penes quos Sacerdotium & Regnum fuit. Et qui hunc sensum sequuntur, hos movit, quòd in Scripturis aliquando appellatione *domûs* Regnum & Sacerdotium veniunt. Et hæc sententia placet Paraphrastæ Hierosolymitano, qui sic habet, *Quia obstetrices timebant Dominum, ideo conciliarunt sibi nomen bonum inter concives, feceruntque sibi domos, domum scilicet Levitici ministerii, & domum sacerdotii magni.* Vel quòd Deus *fecerit eis domos*, i. auxerit & multiplicaverit eorum familias, scilicet filiorum Israel; nam pronomen relativum להם *eis*, masculinum est: unde commodè ad universum populum referri potest: & *domum* pro *familia* accipi, frequentissimum est Divinis literis. Atque hæc postrema lectio quibusdam simplicissima omnium esse videtur: quam & doctus inter Hebræos probare videtur, exponens בתים *domos* per בני בתים *liberos domesticos*, sive *familias*. Est ergò sensus, Timore obstetricum quo Deum timuerunt, & non interfecerunt pueros Hebræorum ut Rex Pharao præceperat: factum est ut familiæ Hebræorum in immensum creverint, auctæ ac multiplicatæ fuerint, secundùm illud quod v. 12. dictum est, *At quantò magis affligebant eum, eò magis crescebat, eóque magis multiplicabatur.*

22. *Projicite:* תשליכוהו] Ad verb. *projicietis eum.* Fut. Heb. pro Imperat. ¶ *Servate incolumem:* תחיון] Ad verb. *vivificabitis.*

CLARIUS.

LIber hic, qui à Græcis *Exodus* dicitur, h. e. *exitus*, ab Hebræis vocatur *Veelle semoth*, h. e. *Et hæc nomina*, accipiens scilicet appellationem à primis ipsius libri dictionibus: Qui mos est plerisque aliis locis servatus: nam & Genesis appellatur *Beresith*, i. *In principio*; & Leviticus, *Vaicra*, i. *Et vocavit*, &c.

6. *Quo mortuo*] Scribunt Hebræi Joseph XII mensibus servisse in domo Pothiphera: & XII annis in vinculis fuisse. Nam XXX ætatis suæ anno productus est ad Pharaonem, quo anno obiit Isaac avus ejus. Successerunt VII anni fæcunditatis: deinde anno secundo postquam fames invaluit, venit ad eum Jacob in Ægyptum, quando scilicet fuit XXXIX annorum. Mortuus verò est ipse Joseph primus omnium fratrum suorum: cùm Scriptura dicat, *Mortuus est Joseph, & fratres ejus*, fuitque cum moreretur, CX annorum. Breviorem itaque habuit vitam quàm singuli fratres sui. Levi verò longissimè vixit, quippe qui CXXXVII attigit annum: nec afflicti sunt filii Israel quandiu ille vixit. Effluxerunt autem à morte Levi usque ad exitum de Ægypto CXVI anni. A principio verò mundi usque ad exitum de Ægypto fluxerunt MMCCCCXLVIII anni. Fuerúntque filii Israel in Ægypto CCX annis.

7. *Et quasi germinantes*] Verbum Hebræum significat *procreari in morem reptilium*, ut sunt ranæ, formicæ, & locustæ, quæ semper in maximo producuntur numero. Sic filii Israel, qui cum LXX animabus descenderunt in Ægyptum, creverunt ducentorum annorum spatio in multa centena millia hominum. Nam ferunt singulas mulieres consuesse gignere duos ac tres filios simul.

11. *Urbes thesaurorum*] Inter thesauros numerantur etiam frumenta, quando *thesaurus* idem est, quod *reconditorium*: exstruxit itaque Rex Ægypti urbes pro thecis & horreis frumenti.

19. *Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam*] Alius vertit, *Sunt enim vivaces.*

21. *Ædificavit eis domos*] Videtur Hebraismus esse, cujus superiùs facta mentio est: h. e. *Auxit earum rem familiarem ac familiam.* Alii sic exponunt, *Posuit Deus in corde Israelitarum ut exstruerent obstetricibus domos fortes, in quibus tutæ essent à malorum incursu.* Sunt enim Hebræi discordes in explicatione hujus sententiæ. Alius autem refert ad Israelitas, Quòd scilicet, cùm obstetrices Deum timuerint, nec occiderint pueros, contigerit augeri Israelitas.

DRU-

DRUSIUS.

8. **S** *Urrexit rex novus*] Hic Græci legunt βασιλεὺς ἕτερος, *rex alius*, quod retinuit Lucas Act. 7:8. 18. Sic *sacerdos novus* an *sacerdos alius* dicas, parùm refert. Nam qui novus est alius est. Sic *dii novi* vocantur Jud. 5.8. qui alibi *dii alii*. In Decalogo, *Non habebis Deos alios coram me*, h.e. deos novos. Nam alius à vero novus est, saltem aliquando fuit, qui non æternus, ut verus Deus, qui propterea *antiquus dierum* nuncupatur. Semper enim fuit, est, & erit. Cujus comparatione dii alii omnes novi sunt. *Novus*, i. καινὸς. Id corruptum in κενὸς, primùm Jud. 5. 8. ubi exemplaria quædam θεοὺς κενοὺς pro καινούς: deinde Job 29. 20. ubi vulgò, ἡ δόξα μου κενή, cùm legendum sit καινὴ, *nova*. Error ex recepta patrum ævo pronuntiatione Kὶ pro Kαὶ, quæ me puero, cùm Gandavi literis operam darem, adhuc obtinebat. Nos enim qui *Kai* sonabamus ridebant ex aliis scholis (novem ibi erant) qui ad *Ke* assueverant.

21. *Fecit eis domos*] Difficultas hîc ex pronomine להם *eis*; quod masculinum est: unde quidam ad pueros referunt quos obstetrices servaverant in vita: alii putant esse enallagen generum, להם pro להן. ut contrà Ruth. 1. 13. להן ponitur pro להם. Solens hoc fit in his literis; quod suo loco indicabimus. Nunc alia nobis agenda. Fortè quia להם posuit, innuere voluit maritos earum, ut hoc dicat, Fecit maritos obstetricum domos, h. e. Prole fœcundavit eos, ità ut plures domus ex iis ortæ sint. Nam aliud *facere domos*, & *facere domum*. *Facere domum* legitur 2 Sam. 7. 1. *quia domum faciet tibi Dominus*, i.e. te sobole beabit, ità ut domus tua sit perennatura in omnes ætates. Hoc alibi dixit, *Ædificabo tibi domum firmam ac stabilem*; quod vulgò reddunt, *domum fidelem*. *Facere domos*, non unam, sed plures innuit familias, vel certè domos patrum. Nam in una familia possunt esse plures domus hujusmodi. Augustinus non optime huc refert ex editione τῶν ἑβδομήκοντα, *Nunc ego quando faciam & ego mihi domum*. Locus est Gen. 30. 30. sed ibi in Ebræo habetur, *faciam Domini meæ* i. לביתי Id aliud est. Nam hoc potiùs dicit, Æquum est ut & ego provideam domui meæ. Quis non videt hic aliam sententiam esse. Imposuit viro doctissimo mala versio, ut sæpe Theologis linguarum imperitis, cum ex lacunis hauriunt veritatem. Utinam parem candorem adferrent ad res Divinas. Nam errare humanum, errorem defendere belluinum est. Ferri possent, nisi succenserent eis qui errantes in viam revocant. Hodie benefacere quibusdam eos occidere est: Tantum odium veritatis. Verum est illis non quod verbo Dei consentaneum est, sed quod ipsi à magistris suis didicerunt. Hanc appellant *religionem receptam*, à qua vel latum unguem non licet recedere: quasi verò Ordines Belgii receperint omnes eorum inepitas & hallucinationes. Si quid mutarunt in religione, mutarunt dumtaxat quòd aperte falsum & verbo Dei contrarium erat: cætera viris doctis discutienda reliquerunt, libertate concessâ, quæ ad verum investigandum necessaria. Solem è mundo tollet qui hanc adimet literatis hominibus. Addam pro coronide; Theodoretus hunc locum enarrat, ἀφθονίαν ἀγαθῶν ἐδωρήσατο. Nam *domus* non solùm familia, sed etiam bona & facultates, ut Esth. 8. 1. *Dedit ei domum Haman*, videlicet Estheræ reginæ, & Luc. 20. 46. *Devorant domos viduarum* Augustinus, *Nunquid antea non habuisse domos existimandum est? An ad divitias hoc nomen pertinet, vel potiùs ad aliquas rei familiaris idoneas facultates?*

IDEM.

7. ישרצו ἐξέρπυσαν. Sym. ἐξῆρψαν *ereptarunt* sive *erepserunt*. שרץ ἑρπετὸν, *i. reptile*. Hinc ἕρπω sive ἑρπύζω *serpo*, *repo*, *repto*; & compositum ab eo ἐξέρπω, *erepo*, unde ἐξῆρψαν, *erepserunt*, *proreptarunt*. Vult dicere, *Reptilium in morem genuerunt*, bella interpretatio. Priùs erat χυδαῖοι ἐγένοντο. Id enarrans Theodoretus, οὕτως, inquit, ηὐξήθησαν ὡς τὰ πάντας ἐκείνης ἐμπλῆσαι τόπους τῆς γῆς. deinde subjicit, οὕτως καὶ οἱ περὶ τὸν Ἀκύλαν ἡρμήνευσαν, cui loco claritas accedit ex his quæ modò diximus.

8. מלך חדש A. & Th. βασιλεὺς καινὸς, *rex novus*] Hoc ad sensum non malè. Lxx verterunt, βασιλεὺς ἕτερος, *rex alius*. Sic fortè apud Davidem, *canticum novum*, i. aliud. Sæpè Marc. 16. 17. *novæ linguæ* vocantur, quas Lucas Act. 2. 4 ἑτέρας appellat.

11. שרי מסים. Schol. ἐργοδιώκτας] *Qui operas urgent, cessantesque castigant*. Tales ab Ebræis נוגשים vocantur. שרי מסים potiùs designat *præfectos tributis*. sed Lxx hic, ἐπιστάτας τῶν ἔργων, & noster, *magistros operum*. Hos sanè Græci appellant ἐργεπιστάτας & ἐργοδιώκτας, & ἐργεπιστάτας. Dicunt etiam ἐργεπιστάτης, *præfectus operum*.

12. ויקצו A. ἐσικχαίνοντο, *tædio afficiebantur*] Gen. 27. 46. קצתי A. ἐσίκχανα. Verbum est, σικχαίνομαι, quod significat *tædio afficior*, & σικχασία, *tædium*, *molestia*. Schol. Ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος, ἐθλίβοντο ὁρῶντες αὐτοὺς πληθυνομένους, καὶ ἐκάκουν αὐτοὺς, *Affligebantur cùm viderent auctos, & vexabant eos*. R. S. *Doctores nostri enarrant, Fuerunt tanquam spinæ in oculis eorum*. Nam קוץ *spina*.

19. כי חיות הנה בטרם תבוא אלהן המילדת וילדו Sym. μαῖαι γάρ εἰσι, καὶ πρὶν εἰσελθεῖν τὰς μαίας, τίκτουσιν, *Obstetrices enim sunt, & antequam ingrediantur obstetrices pariunt*. Th. ὅτι ζωογονοῦσιν αὐταί, διότι πρὶν εἰσελθεῖν πρὸς αὐτὰς, τίκτουσιν, *quia vividos edunt: ideo priusquam ingrediantur ad eas, pariunt*] ¶ Μαῖαι γάρ εἰσι. חיות μαῖαι. Sic etiam Santes. Onc. *sapientes sunt*, i. obstetrices Gall. *sages femmes*. Sic etiam Belgæ eas vocant. Hieron. *obstetricandi habent scientiam*. R. S. *Peritæ sunt artis obstetricandi*, vel potiùs; *Expertæ sunt in ea arte aut scientia*. Verba Ebræa sunt חכימות בקיאות. Sic est profectò; μαῖαι in lingua Chaldæorum חייתא vocantur. Mox in hoc versu. המילדת Onc. & Jon. חייתא, autor Jerosol. מילדתא, *obstetrix*. Veteres Ebræi, חיות הנה, *feræ sunt, quæ non egent obstetricibus*. Sic dico, Similes sunt in eo feris agrestibus, quæ sine obstetrice pariunt. Μαῖα etiam est *nutrix*, τροφὸς; ut possis vertere, *Nutrices enim sunt*. Nam tales etiam pueros infantes מחיות, i. *in vita conservant*. R. D. in lib. Rad. *Doctores vocant obstetricem* חיה, *ut cum dicunt*, *Tres fideles sunt erga primogenitum*, *Pater*, *Mater*, & חיה, i. *Nutrix* vel *Obstetrix*. *Similiter exponās* חיות הנה *Obstetrices ipsæ sunt, ac si diceret, Non opus illis est obstetricibus aliis: nam ipsæ sibi obstetrices sunt*. Hucusque Rabbinus ille. ¶ Τὰς μαίας. Puto eum legisse המילדת. Nam olim, cùm puncta deerant, tam hoc modo legi poterat quàm quo nunc legunt. המילדת, i. *obstetrix*. Tantum obstat verbum singulare תבוא, quod receptam Ebræorum lectionem ità roborat ut nihil magis. ¶ Ζωογονοῦσιν, *vividos infantes edunt*, aut *vividum fœtum procreant*: non placet. Quid si חיות הנה *vividæ ipsæ sunt?* Ζωογονοῦσιν, i. מחיות, quod sæpius reddunt ζωογονοῦσιν. Est autem *in vita conservare*, quod faciunt μαῖαι καὶ τροφοί. ¶ Πρὸς αὐτάς. Desideratur τὰς μαίας, nisi vertendum existimemus, *priusquam veniamus ad eas*. Nam obstetrices hæc dicunt.

21. ויעש להם בתים: καὶ ἐποίησεν αὐταῖς οἰκίας, *& fecit eis domos*] Schol. ἀντὶ τοῦ, ἐξ αὐτῶν γένος ἐπλήθυνεν. &, ηὔξησεν ὁ Θεὸς αὐταῖς τὸ γένος. Optima explicatio & auro contrà non cara. Sic David ait, *collocat solitarios in domo*. Psa. 68. 7. Sensus est, Eos qui sine liberis sunt, reddit multorum liberorum parentes. Rursum David Psal. 113. 9. *Qui collocat sterilem in domo*. alias, in domum. vult dicere, ut sit ei domus i. familia. Nam solus nemo domum aut familiam facit: requiruntur uxor & imprimis liberi. Quæ ergò illiberis, sive quod idem, improlis est, nec ei *domus* esse dicitur. Contrà *in domo habitat*, quæ prolem habet, quæ prole fœcunda est.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et hæc sunt nomina Filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacobo, singuli cum Domo sua ingressi sunt.*

E *T hæc sunt nomina*] Vetus interpres omittit copulantem, & sane redundare videtur ex Ebraismo: nisi potius ut referatur ad præcedentia. Nam repetit breviter, quæ antea de ingressu in Ægyptum fuse dixerat. Vide infra 13, 17. Videndi sunt doctores Ebræorum, qui magis in hanc posteriorem sententiam inclinant: nec mihi ea displicet. Verba Ebræa sunt ואלה שמות, quibus tituli vice, suo more, utuntur Judæi. Dicunt etiam brevius, cum Exodum citant, שמות quod scriptum in Eusebio σμώθ. שמות Smoth, ut שמואל Smuel; unde Σαμουήλ i. שמואל apud eundem Eusebium. Sic Liber Geneseōs appellatur בראשית à prima voce i. Beresith, *in principio*. Quod æmulati Jurisconsulti Leges suas cum laudant, primas ad eam rem voces earum adhibent. ¶ *Qui ingressi sunt*] Ebraicè הבאים *ingredientium* pro ingressorum; ut mox יוצאי, *egredientium* pro egressorum. Præsens pro præterito. Sæpius idem tempus pro Futuro usurpatur. Esset autem absque enallage באו אשר. ¶ *In Ægyptum*] vel, *Ægyptum*. Sic

dicimus, *ingredi domum*, & *in domum*: Forum & in forum. ¶ *Singuli cum domo sua*] איש וביתו Vir & domus ejus. i. familia. Domum pro Familia etiam Latini autores usurpant. Hier. *cum domibus suis.* ובני ביתו Lxx ἕκαστος πανοικὶ αὐτῶν. גבר ואנש ביתיה Onkelos, *& homo domus ejus.* Jonathan, *cum viro domus sua.* Utrobique est אנש in Chaldaismo. Cur addiderunt hoc nomen? An quia in numero Lxx non comprehenduntur fœminæ? Abenezra negat per בית fœminas uspiam intelligi. Qua de re cogitandum amplius esse censeo.

2. *Ruben, Simeon, Levi & Juda.*

3. *Jssachar, Zabulon, & Benjamin.*

4. *Dan & Nephthali, Gad & Aser.*

In his nominibus hunc ordinem servat, ut primo loco recenseat filios uxorum Liæ & Rachel: secundo ancillarum Balæ & Zelphæ. Josephi autem, qui tum in Ægypto erat, post meminit. Abenezra hoc loco commemorat sex modos, quibus nomina inter se conveituntur. Primus est ut, *Elam & Assur & Arphaxad.* Secundus ut, *In carbunculo, purpura, in phrygionica & bysso.* Tertius ut, *Sardius, Smaragdus & chrysolithus.* Quartus ut, *Dan & Nephthali, Gad & Aser.* Quintus ut, *Myrrha & aloe, casia.* Sextus ut, *Adam, Seth, Enos.* In hoc postremo nulla est copula. Grammatici ἀσύνδετον, appellant. ¶ *Jssachar*] In scriptura Ebraica יששכר redundat alterum ש, proinde male ei supponitur Scheva in editione Jonathæ.

5. *Fueruntque omnes animæ eorum, qui egressi sunt ex femore Jacob septuaginta: Joseph autem erat in Ægypto.*

Omnes animæ &c.] In Ebræo est ad verbum, *Et fuit omnis anima egredientium femur* (alias femoris) *Jacobi septuaginta animæ.* Hic quædam observanda. Primum *omnis anima* pro omnes animæ. Deinde *egredientium* pro egressorum, ut supra *ingredientium* pro ingressorum. Tertio *septuaginta anima*, pro septuaginta animæ: ubi vox *anima* in Latino sermone redundat. Itaque omissa fuit à Hier. & à me, aliisque interpretibus. Porro *animam* usurpant Ebræi, ut capitis vocabulum autores Latini. Nam eo homines significant. Terentius, *quot capita, tot sententiæ.* Horatius, *Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia.* Dicunt etiam animas hominum eodem intellectu 1 Machab. 9. 2. ἀνώλεσαν ψυχὰς ἀνθρώπων πολλὰς i. multos homines. Sic hoc loco, *omnes animæ egredientium*, positum videtur pro illo, omnes egredientes. ¶ *E femore Jacob*] Hier. de femore. Familiare huic interpreti *de* pro *ex* usurpare. Quod nonnullis occasionem errandi dedit. Sciendum vero in fonte haberi ad verbum, *egredientium femoris* i. femur aut è femore. Id Græci contrahunt, vertendo, ἐξ Ἰακὼβ, ex Jacob. Quod eandem sententiam continet. ¶ *Femore*] Id quo viri sumus, honeste significant Ebræi partibus vicinis membro, ut sunt femur & pedes. Ergo legimus alibi, *aqua pedum*: &, de *inter femora ejus*: &, *tegere pedes.* Ita enim rerum turpitudinem verbis honestis tegunt, ut cum dicunt, *cognoscere feminam*, aut, *accedere, ingredive ad eam.* Quæ omnia quanquam per se consuetudine loquendi turpia sint, tamen sic elata minus turpiter sonant. ¶ *Septuaginta*] Hunc numerum explet Jacob cum nepotibus duobus ex Joseph. Quod indicat Onkelos, ita transferens, *& Joseph qui erat in Ægypto*: sed manifestius Jonathan, *cum Josepho & filiis ejus, qui erant in Ægypto.* Lxx hic habent πέντε καὶ ἑβδομήκοντα i. septuaginta quinque. De quo numero dixi antea, quæ non repeto. Inde petat qui volet.

6. *Mortuusque est Joseph & fratres ejus, & omnis ætas illa.*

Et fratres ejus] Jonathan, *& post illum mortui sunt omnes fratres ejus.* Chronicon Ebræorum majus, *Joseph obiit anno ætatis 110, nemo ex fratribus ejus breviores annos fecit: contra diutissime omnium vixit Levi, à cujus obitu ceperunt Ægyptii vexare populum.* Hæc ibi. *Omnis*] vel, *tota.* ¶ *Ætas illa*] homines illius ætatis. Ætas non habet certum spatium temporis. Pater & filius duas ætates faciunt. Job qui vixit annos 140 post calamitatem suam, vidit quatuor ætates. Ab Adam ad Noe decem ætates numerantur: totidem à Noe ad Abram. Ita veteres Ebræi, teste Aben Ezra. Ætas ergo est vita hominis. Græci γενεὰν, latini translatores generationem appellant. Quo vocabulo hic usus est Santes. Nam Hier. qui vertit, *omnique cognatione sua*, sibi non constat, cum alias reddere solitus sit eam vocem generationis vocabulo. Nam cognatio potius משפחה dicitur.

7. *Filii autem Jsrael fœtificarunt & repsilium in morem progenuerunt, multiplicatique sunt, & roborati admodum admodum, adeo ut repleta sit terra eis.*

Fœtificarunt] Ebraice, *fructificarunt.* Tralatio ab arboribus. Nam quod in arbore fructus, id in homine fœtus. Qua de re diximus abunde in Genesin. Quidam, *prolificarunt*: alii, *fœcundi fuerunt.* Hier. *creverunt.* ¶ *Repsilium in morem progenuerunt*] binos, ternos, vel etiam quaternos uno partu. Talem fœminam vidisse se scribit Abenezra: Ego quoque vidi, Londini cum essem in Anglia, & mecum innumeri mortales. Addit Abenezra ex Medicorum sententia posse mulierem parere septenos. Aut *reptilium more* i. fœcundissimè. Onkelos & Jonathan [illegible] quod reddunt, *nati sunt.* Santes, *nati sunt in multitudine.* Hier. *quasi germinantes multiplicati sunt.* Lxx χυδαῖοι ἐγένοντο; de quo mox. Leo Judæ, *vermium more scaturiebant.* Quid si piscium? Nam שרץ etiam de piscibus dicitur. ¶ *Multiplicatique sunt*] nempe quia partus eorum vitales erant, nec immatura morte extinguebantur, ut solent homines sæpe in infantia, vel simul ac nati sunt vitam cum morte commutare. ¶ *Et roborati*] robuste ac bene compacto corpore fuerunt. Alia interpretatio, *invalueruntque.* Sic Græci Lxx. κατίσχυσε, scilicet numero, ut alibi, *invaluerunt viduæ ejus* (desideratur *magis*, ut sit *magis*,) *quam arena maris* i. plures aut numerosiores fuerunt. David quoque eodem verbo usus est in illo, *validiores fuerunt pilis capitis mei.* ¶ *Admodum admodum*] repetitio non caret emphasi. Posses vertere, *valde valde*: aut, *nimis nimisque.* במאד מאד propriè, *in admodum*: cui simile in Latio, *inante.* ¶ *Terra*] Gosen, sive Ramesses.

8. *Et surrexit Rex novus super Ægyptum, qui non noverat Josephum.*

Surrexit] extitit, exortus est, ut Gen. 41: 20. *Surgent septem anni famis.* Sic in Evangelio, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* ¶ *Rex novus*] ex alia familia. Josephus. Qui non erat ex stirpe regia. Ebræi quidam. Quod tamen Aben Ezra non probat. Certe ex nomine חדש id colligi non potest. Quocirca nos & fidem minime habemus. Hunc regem communi nomine Pharaonem vocabant, proprio autem Oza sive Ora [illegible], ut Ebræi volunt, de quo ut dubitemus facit Eusebius in Chronico, qui nullum hoc nomine Pharaonem agnoscit. Vide Fragmenta veterum interpretum, nostraque in illa notas. ¶ *Qui non noverat Josephum*] nam tempus memoriam beneficiorum ejus obliteraverat. Josephus, qui non habebat rata decreta Josephi. Onkelos, qui non noverat Josephum, nec ambulabat in statutis ejus. Jonathan, Jerosolymitanus.

9. *Et dixit ad populum suum, Ecce populus, filii Jsrael, multus est & validus quam nos.*

Ad populum suum] ad Ægyptios. ¶ *Populus filii Jsrael*] Sic Onkelos & Abenezra, & est figura, quæ vocatur à grammaticis appositio, populus videlicet filii Jsrael, sive, ut Jonathan habet, *domus Jsrael.* Alii, *populus filiorum Jsrael* i. Jsraeliticus. Græci legunt, τὸ γένος τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Nam usitatum illis interpretibus עם per γένος declarare. Ita supra legimus in Genesi, υἱὲ τοῦ γένους μου i. [illegible]. ¶ *Multus & validus quam nos*] plures & validiores sunt nobis. Validiores i. fortiores, robustiores, à viribus firmiores: aut, copiosiores sive numerosiores, ut in illo, *validiores fuerunt viduæ ejus arena maris.* ¶ *Quam nos*] magis quam nos. Talis defectus est in illo Plauti, *bona tacita mulier quam loquax*: & in illo Taciti, *claris majoribus quam vetustis.* Sensus enim est, magis quam loquax, &c.

10. *Agite, sapienter nos geramus adversus eum, ne multiplicetur, & accidat cum evenerit bellum, ut adjungatur etiam ipse inimicis nostris, & pugnet in nos, aut ascendat è terrâ.*

Sapienter nos geramus adversus eum] Pro eum Onkelos habet *eos.* Sic Græci Κατασοφισώμεθα αὐτούς, quod reddamus, circumveniamus eos. Similiter Act. 7: 19. Κατασοφισάμενος, interpres vetus reddit, *circumveniens.* Initio usus est Pharao fraude ac dolis. vid. Ps. 105: 24. Verum postea non fraude usus est, sed aperta vi. Ideo alius interpretatur *ingeniose*, sive ingenio solerti usus. Jonathan, *consilium capiamus contra eos, quibus judiciis minuamus eos, antequam augeantur &c.* ¶ *Sapienter*] Solerter aut callidè. Hoc sensu serpentes appellantur sapientes, & legimus apud Apostolum, *sapientes ad faciendum malum.* ¶ *Cum evenerit*] In Ebræo habetur, *quia evenerit.* Ergo Abenezra subaudit עת eventu belli. Nam in verbo sæpe hoc modo includitur verbale. Alii aliter defectum supplent, ut Trem. qui vertit, *si quando inciderint occasiones belli.* ¶ *Et pugnet in nos*] Tale est illud Claudii Quadrigarii, nisi fallor, *postquam pugnatum est in Gallos.* Notavi olim in libellis meis. ¶ *Aut ascendat*] In fonte, *& ascendat.* Eadem copula in illo, *qui percusserit patrem aut matrem.*

¶ *Asc-*

¶ *Ascendat*] Nam ex Ægypto ascenditur in terram Canaan. ¶ *E terra*] vel, *ex hac terra*. Sic הלילה hac nocte, היום hodie. Nam articulus pollet aliquando vi demonstrandi.

11. *Et posuerunt super eum principes tributorum ut affligerent eum oneribus suis: et ædificavit urbes Thesaurorum Pharaoni Phithom et Ramesses.*

Posuerunt super eum] Constituerunt super eum, præfecerunt ei. Quinam illi? videlicet quibus Pharao dixerat, *Sapienter nos geramus adversus eum*, hoc est, Ægyptii. ¶ *Principes tributorum*] Hoc est, tributa exigentes. Tales vulgo vocamus magistros impositionum. Sed varie redditur. Lxx. ἐπιστάτας τῶν ἔργων, præfectos operum. Quidam vertit, *magistros operum*. Sic etiam Hiero. In Scholio est, ἐργοδιώκτας, qui operas urgent morasque cessantium castigant. Vide notas meas in Fragmenta. Posses vertere, *præfectos tributis*. Nam מסים tributa, cujus singularis מס quemadmodum à עם dicimus in plurali עמים a in i versa. Tributa vero penduntur pecunia, corpore, aliis rebus. R. Salomo, *Hi principes exactores erant qui exigebant ab eis tributum. Quale tributum? ut ædificarent urbes thesaurorum Pharaonis.* Nam loco pecuniæ, ut credibile est, certum numerum dabant hominum è corpore suo, qui urbes illas extruerent Pharaoni. Quoniam autem hujusmodi opera coacta erat, ideò non nemo vertit, *præfectos angariarum*. Nam angaria coacta servitus. Vox est Persica, quâ utuntur etiam Judæi extra Biblia. ¶ *Ut affligerent eum*] Nam afflictio tristitiam gignit: tristitia hominem exsiccat & ineptum reddit ad gignendum. ¶ *Affligerent*] Alias, *vexarent*. ¶ *Oneribus suis*] quæ eis imponebant. ¶ *Urbes Thesaurorum*] In quibus thesauri reponebantur. Erant autem urbes munitæ admodum, ut olim Gaza, in qua Cambyses gazam suam recondidit, cum Ægyptum bello vexaret. Autor Pomponius Mela. Ceterum thesauri vocem latius nunc accipio, ut etiam horrea comprehendat, hoc est, repositoria frugum, & apothecas vini oleique. Ebræi מסכנות appellant. Quo nomine usi sunt hoc loco etiam interpretes Chaldæi Onkelos & Jonathan: quorum ille interpretatur, *urbes domi thesauri*: hic edidit, *urbes celsæ ad reponendum domum thesaurorum Pharaonis*. Nunc ad interpretationes alias. Ergo Lxx. πόλεις ὀχυρὰς, urbes munitas. Probarem, si מסכנות denotaret munitiones. Quod multi affirmant, sed non persuadent. Hiero. *Urbes tabernaculorum*. Confundit סכן cum שכן. Nam משכן tabernaculum. Sic Jes. 22. 15. סכן idem Hiero. *Qui habitat in tabernaculo*. Prius Aquila posuerat, τὸ σκηνοῦντα, quem secutus mihi videtur. Nam in Sym. τὸ σκηνοποιοῦντα, facientem tabernacula. Quæ significatio huic loco non bene quadrat. Ideò prætuli, *thesaurorum*. Quod etiam Santes habet. Tremellius maluit, *armamentariorum*: idque Galli secuti sunt. Expende lector, si vacat. Mihi nunc otium non est. ¶ *Pharaoni*] vel *Pharaonis*, hoc est, regis Ægypti. Eusebius in Chronico, *Ægyptiorum reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen, sed pro dignitate reges tunc vocabantur hoc nomine, sicut & apud nos imperatores Augusti appellantur. Habebat ergo unusquisque Pharao proprium nomen. Hoc nos ex libris Manethonis sacerdotis Ægyptiorum lectum posuimus.* ¶ *Phithom*] Lxx. τήν τε Πειθὼ. Esset autem Φιθὼμ. Sed nomina ebraica valde corrupta leguntur in ea editione. Jonathan & autor Jerosolymitanæ, Tanes i. Tanis. Hæc urbs Ebraicè צען Soan dicitur. Inde Tanes, Sade, ut fit, in Teth versa. ¶ *Ramesses*] Ῥαμεσσῆ. Hodie legunt Raamses. Dicti interpretes Chaldæi vertunt פלוסין id est Pelusium, nisi fallor. Raamses i. רעמסס. Sed Gen. 47. & Num. 33. רעמסס cum nudo scheva sub Ain. Inde, ut puto, Ramesses. *Pagum Arsinoiten sic olim vocatum autumant Ebræi.* Hier. in Quæst. Ebra. p. 225. Erat & nomen regiunculæ. Eusebius de locis, *Ramesse, urbs quam ædificarunt filii Israel in Ægypto: olim autem & universa provincia sic vocabatur, in qua habitavit Jacob una cum liberis suis.*

12. *Et prout affligebant eum, ita multiplicabatur, & sic erumpebat sobole, adeò ut tædio afficerentur propter filios Israel.*

13. *Et servire fecerunt Ægyptii filios Israel cum sævitiâ.*

Prout &c.] vel, *quantò magis affligebant eum, tantò magis multiplicabatur*. ¶ *Affligebant*] vexabant. Lxx. ἐταπείνουν humiliabant. Hiero. *opprimebant*. Quod Ebræi sig. verbo ענה. ¶ *Erumpebat sobole*] copiosam sobolem procreabat. Translatum ab aquâ, quæ aggeres perrumpit. Sed & ipsum torcular erumpere dicitur, quum vino redundat. Santes & Hiero. *crescebat*. Tremel. *erumpebat in multitudinem*. Uterque Chaldæus, *sic roborabantur*. ¶ *Adeo ut tædio afficerentur*] vel, *nausearent*. Verbum è verbo, *& tædio afficiebantur*. Vult dicere: tædebat eos vitæ suæ, cum viderent non succedere quod conabantur. Rupertus, *Hoc agebat natura hostis demens & inefficax, qui quasi sole æstivo radices arborum ne in flores aut poma prorumperent, exurere certabat. Æstu namque laboris operosi, natura radix non arescit, sed potius post laborem, cibi potusque ac somni avidior fit, quibus rebus voluptas non emori solet: sed refota gliscere & prorumpere gestit. Frustra igitur sic invidia pugnabat, præsertim ubi cœli ros & terra pinguedo i. Dei & patrum benedictio sterilem esse Israelem non sinebat.* Jam ad interpretationes. Lxx. ἐβδελύσσοντο. i. abhorrebant vel abominationi erant. Onkelos, *angustia erat, cruciabantur*. Jonathan, *cruciabant se Ægyptii in vitâ suâ*. Aquila, ἐσικχαίνοντο, quod reddunt, *execrabantur*: ego, *tædio afficiebantur*. Num. 21. 5. קצה A. σικχαίνει. Sym. ἐναυτιᾶ. Hiero. *nauseat*. Tremel. *adeò ut distaderet Ægyptios*. Munsterus, *et nauseam habuerunt*. Leo Judæ, *ut nauseam conciperent*. ¶ *Cum sævitia*] vel, *cum duritia*, sive duriter. Ad verb. *in duritia*. Chaldaicè בקשיו in On. & Jon. quod Fagius interpretatur, *cum difficultate*. Munsterus ex Ebræo transferens, *cum tyrannide*. Lxx. μετὰ βίας, i. per vim. פרך duritia vel sævitia. Appellatio à frangendo, nam frangit corpus hominis, id est, מפרכה. Sunt qui hinc ferociam dictam putant. Cum doli non succederent, abhibent vim, primum occultam, deinde apertam. Nam Ægyptios dolis usos fuisse testatur aperte David propheta Psal. 105. 24. Unde robur accipit interpretamentum vetus κατασοφισάμενος, circumveniens. Vide Theodorum Acto. 7. 19.

14. *Et amaram fecerunt vitam eorum opere duro, luto & lateribus, & omni opere rustico, cum omni servitute quam serviebant inter eos per sævitiam.*

Amaram,] asperam, acerbam, tristem, injocundam. Sic Plautus, *amariorem me senectus facit*. i. asperiorem. Quidam, *felle imbuerunt*. Nam מרר fel eodem redit. Sic dicimus plus fellis esse in vita, quam mellis. In historia Ruth נעמי Noomi & מרא Mara exponuntur. Illud sig. jocundam: hoc amaram. vide notas meas. ¶ *Opere duro*] cujusmodi sunt opera eorum qui lapides portant ad ædificandum. Sed fortasse melius alii, *servitute durâ*. siquidem עבודה servitus; item cultus: unde זרה עבודה cultus extraneus, idololatria. Idem פולחן in lingua Chaldæorum. ¶ *Luto & lateribus*.] Hiero. *Luti & lateris*. i. לבנה: Quod minus probo. Lxx. τῷ πηλῷ καὶ τῇ πλινθείᾳ, luto & opere lateritio. Lutum chaldaicè טינא dicitur, & lateres לבנין sive לבני. Ebraicè autem לבנים. ¶ *Opere rustico*] In Ebræo est ad verbum, *& omni opere in agro sive ruri*. Opus in agro i. rusticum. Genus loquendi ut *miles in armis*, pro armatus. Opera rustica nota sunt. Hinc elicimus eos etiam ad agriculturam adhibitos fuisse. Quod grave pastoribus, hoc est, iis qui à pueris pastoritiam exercuissent, tantum. ¶ *Cum omni servitute quam serviebant*] vel, *cum omni opere quod faciebant*. Sed videsis sequentia. ¶ *Cum omni servitute*] Sensum non verba reddunt, qui reddunt *præter omnem servitutem*. Nam את non significat unquam *præter* quod sciam. ¶ *Quam serviebant inter eos*,] vel, *qua utebantur eorum servitio per vim*. De hoc verbo Abenezra notat, Quando construitur, inquit, "
cum ב, tum duas significationes habet. Prima est ut in Ho- "
sea, *& servivit Israel in uxore* i. pro uxore. Secunda ut "
ibi לא תעבד בו בפרך non uteris ejus servitio per vim. Hic "
suspicio mihi de lapsu memoriæ. Nam Levit. 25. 43. & 46. "
תרדה legitur i. dominaberis. Sententiæ suæ firmandæ addu- "
cit ex Deut. 21. 3. עבד בה & ex Deut. 21. 4. לא יעבד בו "
quod Santes interpretatur, *in quâ* (valle scilicet) *non est* "
agricolatum. Hactenus Abenezra. Nunc ad alia. Lxx. ὡς κατεδουλοῦντο αὐτοὺς μετὰ βίας: quod reddunt, *quibus serviliter premebant eos cum violentia*. Onkelos פלחו בהון בקשיו i. interprete Fagio, *qua eos sibi servire faciebant*. Santes, *cum omni opere eorum, in quibus operati sunt durè*. Arias emendat, *quibus operati sunt in eis*. Tremel. *quam exigebant ab iis*. licet etiam vertere, *Omnis servitus, quam serviebant inter eos, in duritia erat*. i. dura & sæva coactaque. Sic Munsterus, quanquam paulò aliter, *nam omnis servitus illorum, qua illis serviebant, erat tyrannica*: & Leo Judæ, *omnis servitus, quâ illos premebant, sævissima erat*. Qua illis serviebant Ebraicè diceretur עבדו בם. Quod tamen Hiero. interpretatur Gen. 15. 13. *subjicient eos servituti*: Et Lxx. δουλώσουσιν αὐτοὺς, servitute prement eos. Hic alia constructio est. Ideò Jonathan interpretatur, *omnem servitutem servire faciebant in eis per duritiem*. Gallica editio postrema, *breviter omnis servitus qua ab illis præstabatur, erat cum rigore aut sævitia*. In tanta varietate non est meum definire quid sequendum quidve vitandum sit. Alii id facient. Tempus etiam certiora nos docebit. Addam ex Bibliis Vatabli, *cum omni opere suo in quo opera illorum abutebantur duro.*

15. *Et*

15. *Et dixit rex Ægypti obstetricibus Ebrais, quarum unius nomen erat Sephra, & nomen secundæ Phua.*

16. *Dixit, inquam, Cum obstetricabitis mulieribus Ebrais, & videbitis in sellam, si filius fuerit, morte afficietis eum, sin filia fuerit, vivet.*

Obstetricibus Ebrais] למילדת העברית. Lxx ταῖς μαίαις τῶν Ἑβραίων. Hiero. obstetricibus Ebræorum למילדות העברים. Onkelos & Jonathan, *obstetricibus Judaicis.* Nam Ebræus & Judæus, quoties id nomen latè sumitur, synonyma sunt. τῶν Ἑβραίων verti etiam posset, *Ebræarum mulierum.* Nam obstetricabantur fœminis, non viris. Hinc argumentum petas contra eos qui putant has obstetrices Ægyptias fuisse. Nam tales non possent dici obstetrices Ebrææ, meo judicio. Nugantur Jonathan & autor Jerosolymitanæ cum scribunt Sephram fuisse Jochabed, matrem Mosis: Phuam verò Mariam sororem ejus. Quis hoc eis revelavit? Abenezra censet plus quam quingentas obstetrices fuisse, quibus hæ duæ præerant. Quod ut temerè dicitur, ita temerè negari potest. (Obstetricum collegio præerant aliquæ quæ regi tributum pendebant ut se vidisse testatur Abenezra in multis locis) De somnio Pharaonis, & responso Magorum videndus Jonathan. Nomina Magorum principum duo erant, Jannes & Jambres, Jannes ibi vocatur יניס. Jambres autem ימברס cum chirec sub Jod. Hem, penè exciderat. Ex Scriptura Ebraica למילדת non solum Hieronymi, ut diximus, sed etiam Græca versio infirmari potest. Nam *obstetricibus Ebræarum mulierum*, ebraicè diceretur לַמְּיַלְּדוֹת cum chirec sub Lamed. Sed puncta olim aberant. Hieronymum autem planè convincit plurale fœmininum העבריות. Hæc scribenti aderat adolescens non è multis. Is rogabat ut somnium Pharaonis, de quo supra, latinis auribus darem. In eo vox est difficilis מוזנא, quam nunc interpretabimur trutinam, dum certiores edocti erimus. Accipite igitur somnium, sed somnium. *Pharao dormiens videbat in somnio & ecce tota terra Ægypti stabat in lance trutinæ cujusdam, & agnus filius pecudum in lance trutinæ erat: Et incurvabatur lanx trutinæ ab agno qui in medio ejus. Statim misit Pharao qui vocarent omnes magos Ægypti, quibus edisseruit somnium suum. E vestigio aperuerunt os suum Jannes & Jambres principes magorum, dixeruntque Pharaoni, Filius unus nascetur in synagoga Israel, qui manibus suis vastabit universam terram Ægypti. Tunc consuluit Pharao rex Ægypti obstetricibus &c.* ¶ *Obstetricibus*] Si principes obstetrices erant, ut vult Abenezra, genus hoc loquendi firmabis his exemplis. Nam & sacerdos ponitur pro summo sacerdote, & pistor pincernaque pro summo pistore pincernaque; et Angelus pro Archangelo. Quid ergo mirum, si obstetrices etiam vocarentur illæ, quæ reliquis præfectæ erant & quasi principatum gerebant inter eas? ¶ *Sephra*] Hæc in editione vulgata latina *Sephora* vocatur: in Græca verò Σεπφώρα: unde in historia Severi, *Sepphora.* Ita nomen cum nomine confundunt. Nam Sepphora i. צפורה uxor Mosis Exod. 2. 21. In libro nominum rectè scriptum Sephra. Ceterum ut vacca cibum sequitur, ita error errorem trahit. Nam in glossa interlineari, *Sephora passer*, i. צפור. Hodie legunt Siphra: in quo significatio pulchritudinis. ¶ *Phua*] Φουά. Ebraicè פועה. Alibi Phua est פוה Gen. 46. 13. & פואה Jud. 10. 1. Cave confundas. ¶ [*Obstetricabitis Ebrais*] Obstetrices munere fungemini apud Ebræas. Reperias & obstetricor in Calepino. Ebraicè est ad verbum, *cum parere facietis Ebræas*: & inde obstetrix dicta מילדת quod quasi parere faciat fœminam cui adest. Certè adjuvat parturientem. ¶ *In sellam*] in sedem parturientis. Videtur autem duplex fuisse. Ideò usus est numero duali אבנים. Aut verte, *in sellas*, ut sit dualis pro numero multitudinis. Sic שמים plures coelos, עינים plures oculos denotant. Sunt qui eo nomine significari putant sellam non parturientis fœminæ, sed eam in quâ fœtus recipitur. R. David matricem sive vulvam interpretatur, cujus duo cardines צירים dicti, quos effringit infans: ideò משבר & chaldaicè מתברא à frangendo nuncupatur. Videndus est liber Radicum, & Fagius in Paraphrasin Onkeli. אבנים alii à בנה deducunt, ab אבן alii. Ad quod exemplum obvia vox אפנים Ezech. 47. 4. Veniamus jam ad aliorum interpretationes. Igitur Lxx. vertunt, καὶ ὦσι πρὸς τῷ τίκτειν. Hiero. *Et partus tempus advenerit.* Tremel. *Cum inspicietis in sellas parturientium.* Santes, *& videbitis super sellas.* Munsterus, *in ipsis sellis.* Leo, *videritisque eas in partu filium parturire.* Galli, *Sur la selle*, super sellam. R. Salomo, אבנים *Sedes est mulieris parturientis, quæ alibi* משבר *vocatur.* Levi Gersomo natus, *Quando fœtus exit è vulva sive matrice, tunc est* עת האבנים *quam esse dicunt sellam parturientis mulieris.* Videtur ergo quod rex voluerit hoc modo celare ac tegere tyrannidem suam, si obstetrices ei obsequutæ fuissent, nec magis Deum metuissent quam ipsum regem. Vide nunc, si placet, & si habes, notas Vatabli ad hunc locum. ¶ *Morte afficietis*] Occidetis, necabitis, interficietis. ¶ *Vivet*] aut, *vivat.* i. in vita conservator, ne occiditor. Ebraicè וחיה novè dictum pro ותחיה vel certè תחיה, ut alibi legitur תשקה spiravit, videl. 57. 2.

17. *Timuerunt autem obstetrices Deum & non fecerunt quemadmodum locutus fuerat ad eas rex Ægypti: sed vivificarunt natos.*

18. *Et vocavit rex Ægypti obstetrices, dixitque eis, Quare fecistis verbum hoc, & vivificastis natos?*

19. *Dixeruntque obstetrices Pharaoni, Quia Ebrææ non sunt sicut mulieres Ægyptiæ: sunt enim vividæ*, [vel potius vegetæ] *& priusquam veniret ad eas obstetrix pepererunt.*

Vivificarunt] conservarunt in vitâ, non occiderunt. ¶ *Natos*] pueros mares. ¶ *Verbum hoc*] rem hanc. ¶ *Natos*] Onkelos & Jonathan, filios. ¶ *Vivificastis*] Lxx. ἐζωογονεῖτε. Eodem verbo usi sunt *vers.* 17. ἐζωογόνουν, ubi Hiero. *Sed conservabant mares.* Talem intellectum habet Luc. 17. ζωογονήσει αὐτήν i. servabit eam. Idem ζωοποιεῖ Cohel. 7. 13. תחיה ζωοποιήσει, i. vivificabit. Contra ζωογονεῖν ponitur pro ζῳογονεῖν vermino, vermes genero. R. Levi, *vivificarunt natos.* vult dicere, non modo non occiderunt eos, sed etiam dederunt operam, quantum in ipsis fuit, ut in vita manerent. R. Salomo, *suppeditarunt illis cibum.* Nam חיה etiam nutrire i. τρέφειν. Sic Jes. 7. 21. יחיה Lxx. θρέψει Hiero. nutriet. Sic etiam Santes & alii Psal. 33. 19. ולחיותם Lxx. διαθρέψαι αὐτούς. ¶ *Vividæ*] multo vigore præditæ; aut *vegetæ*, sive corpore vegeto ac valenti robustoque. Minus rectè alii, *vivaces* aut *vivaciores.* Onkelos, חכימן sapientes, id est; peritæ artis obstetricandi. Jonathan, *promptæ & sapientes in scientia sua.* Ceterum obstetrices vulgò vocantur sapientes fœminæ; etiam in Gallicâ linguâ, *sages femmes.* Quod interpretes è Sabaudia hic posuerunt, post Santem, qui vertit, *obstetrices.* [Vide Frag. interpretum veterum & nostras in ea notas] Ante illum Sym. ediderat Μαῖαι, & Jerosolymitanus חיין. Quanquam & hoc reddi posset *vegetas.* Μαῖα etiam nutricem designat. In lingua sapientum חיה obstetrix, μαιεύτρια. Accedit lingua Chaldaica, in quâ nutrices מחייתא vocantur. Quod ita notum, ut nihil supra. Tamen Abenezra hoc loco חיות explicat *multo vitæ robore præditæ*: et R. Levi, *sanæ & integro robore.* Nam tales vix egent opera obstetricum. ¶ *Obstetrix*] Chaldaicè in On. & Jon. חייתא, in Jerosolymitano, מילדתא. Sic Ebraicè vocatur מילדת quod partum adjuvet, ut diximus. Quod reliquum est, laterem lavat qui hic excusare conatur obstetrices à mendacio. Nam ut demus verum fuisse quod dicunt mulieres Ebræas vividas ac vegetas esse, tamen illud certè falsum quod sequitur; *priusquam veniret ad eas obstetrix pepererunt.* Verum esse potest, si verum eas non interfuisse cum parerent. Forte monitæ ab illis mulieres Ebrææ de Pharaonis mandato, non vocabant eas nisi post partum. De hoc mendacio videndus est Augustinus contra mendacium, cap. 15. & in Exodum quæst. 1. Vide quoque Thomam secunda secundæ, quæstione 110. art. 4. in 4. respon.

20. *Et benefecit Deus obstetricibus, & multiplicatus est populus, & roborati sunt admodum.*

21. *Fuitque, quia timuerunt obstetrices Deum, ut faceret eis domus.*

22. *Et præcepit Pharao cuncto populo suo, dicendo, Omnem filium qui natus fuerit in rivum projicietis illum, & omnem filiam vivificabitis.*

Multiplicatus est] ἐπλήθυνε, auctus est, crevit. ¶ *Roborati sunt*] vel, invaluerunt i. multi ac numerosi evaserunt. ¶ *Quia timuerant*] vel, quum timerent. Lxx. ἐπειδὴ ἐφοβοῦντο. Onkelos, כד דחילא i. quum. Sic etiam Jonathan. ¶ *Faceret eis domus*] ויעש להם בתים. Antè omnia sciendum pronomen *illis* in Ebraeo masculinum esse. Unde multi ad infantes illud referunt, ut sensus sit, fecit natis illis, quos obstetrices conservaverant, domos sive familias. Alii per enallagen generum de obstetricibus dictum accipiunt. Nam hujusmodi enallage insolens non est in hoc idiomate. Lxx. καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἰκίας, & fecerunt sibi domos, ויעש. In editione Romana scholion est ad hunc locum non ineptum, de quo in Fragmentis. Hier. *ædificavit eis domos.* Deo tribuit quod Senes obstetricibus. Perinde est. Sic in historia Ruth legimus de Rachele ac Lea, *quæ ædificarunt domum Israel.* Nam ex illis duabus prognati sunt Patriarchæ. Siquidem ancillarum liberi heris attribuuntur quandoque. Onkelos, *& fecit illis domos.* Usus autem fuit pronomine fœminino להן. Nam masculinum est להון. Jonathan, *compararverunt sibi nomen bonum in ætatibus, & ædificavit illis sermo DOMINI domum regni & domum summi sacerdotii.* Paulò aliter Jerosolymitanus, *compararunt sibi nomen bonum inter ætates sive generationes, & fecerunt sibi domos, domum Levitarum & domum sacerdotii summi.* Nihil adfirmo.

adfirmo, tamen fieri potest ut in verbis Ebraicis enallage sit ויעש & fecerunt, להם sibi: cui similis in Salomone, Sapientes mulierum בנתה i. ædificant. Neque multum refert utrum dicas, *Deus fecit illis domos*, an *obstetrices fecerunt sibi domos.* Nam certum est non sine Deo id eas fecisse. Abenezra, *fecit eis domos*, ut ibi, *& domum faciet tibi Dominus.* Id obscurius dictum ità explicat R. Levi, *Vult dicere quod ex illis egressi sint reges & ductores, juxta illud, quia domum faciet tibi Dominus* i. faciet fœcunda prole parentem. Par pari. Nam quia filios servaverant, ideò dedit eis filios. Finiam, si hoc unum addidero. Sunt ex interpretibus qui pronomen להם *illis*, ad totum populum referant, hac sententià, Quoniam obstetrices Deum metuentes non occiderunt pueros filiorum Israel, ideò numerus eorum in immensum crevit, adeò ut plures familiæ ex illis exortæ sint. Vide nunc, si placet, notas Vatabli. ¶ *Filius*] masculus. Hiero. *quicquid masculini sexus natum fuerit.* Lxx. addunt τοῖς ἑβραίοις i. Ebræis. ¶ *Qui natus fuerit*] Onkelos & Jonathan, *qui nascetur Judæus.* ילוד natus. Nomen est adjectivum, ut גבור potens, שכור ebrius. Verendum ergo πᾶν τὸ τεχθὲν, omnis filius natus. ¶ *In rivum*] Hiero. *in flumen.* Lxx. εἰς τὸν ποταμὸν. Sic etiam Onkelos & Jonathan. Nos prætulimus, *in rivum*, quia in Ebræo יאר. Id sæpius de Nilo dicitur, ut hoc loco. Unde non male vertunt qui vertunt, *in flumen.* Sit hoc cuique liberum. Quanquam *in flumen* potius Ebraicè diceretur נהר.

A M A M A.

11. Ebr. *Urbes* מסכנות *thesaurorum.* Vul. *Urbes tabernaculorum.*

VOx מסכנות pro thesauris ponitur 2. Chr. 17. 2. Chr. 32. 28 Chald. vertit קרי בית אוצרא *urbes domus thesaurorum*, unde & סכן Jes. 22. *thesaurarium* significat, licet & ibi noster Interpres lapsus sit. Et quia inter thesauros etiam frumenta, proventusque vini & olei, non improbàrim eorum opinionem qui hic intelligunt repositoria, granaria & apothecas frumentarias cum doct. Fagio. Lyra quoque & Joh. Benedict. Parisiensis agnoscunt vocem Ebr. *thesauros* significare. Quin, quod primarium hic est, ipse Vulgatus 2. Chron. 32. 28. vocem hanc *apothecam* reddidit, ut temerè admodum Lyram hic flagellaverit Steuchus. Impegit itaque hîc Vulgatus, dum vertit, *urbes tabernaculorum*, confundens שכן sive סכן cum שכן. משכן enim cum puncto in dextro cornu est tabernaculum. Certe minùs aberrarunt LXX. vertentes πόλεις ὀχυρὰς *urbes munitas*, quomodo & Vulg. 2. Chr. 8. 4. *urbes munitissimas* vertit. Sic & Cajet. *urbes munitionum.*

Vers. 12. Aliud & plus dicit Ebræus textus quam Vulgatus ויקצו מפני בני ישראל קוץ cum ב vel מפני constructum significat fastidire aliquem vel aliquid, abhorrere a re aliqua, quam vel infectam vel perditam vellemus, & cum libidini vel desiderio nostro circa rem talem non satisfit, angustiis affici. Sic Gen. 27. 46. קצתי בחיי מפני fastidio vitam meam, tædet me vitæ meæ propter filias Heth, vellem matrimonia infecta, verùm cum fieri id non possit, angor animi. Sic hoc loco, invidebant Ægyptii fœlicitati & fœcunditati filiorum Israel, optabant eos perditos vel in Ægyptum nunquam detulisse pedem, cum autem hîc libidinem suam explere non possent, fastidiebant eos. Unde alii verterunt, *& distædebat Ægyptios propter filios Israel*, alii, *Et angustiis afficiebantur*, ut Pagn. & Joh. Benedict. Paris. Onk. *angustiâ cruciabantur.* Jonath. *cruciabant se Ægyptii in vita sua.* R. Sal. *fuerunt sicut spina in oculis ipsorum.* Tigurini, *ut nauseam conciperent adversus &c.* Aquila, ἐναυχαίνοντο i. tædio afficiebantur. Non ergo Vulgatus textum Ebr. assecutus est vertendo, *Oderantque filios Israel*, imo ne ipsos LXX. quidem, qui hîc optime, καὶ ἐβδελύσσοντο οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ: & abhorrebant vel abominationem habebant Ægyptii a filiis Israel. Sic enim vocem Græcam redditam invenio apud Interpretes. Aliàs enim LXX. textui Ebr. διαμέτρως repugnarent.

13. Ebr. *Et servire fecerunt Ægyptus (id est Ægyptii) filios Israel* בפרך *in durita.* Vulg. *Et affligebant illudentes iis.*

Primo vocem ויעבדו nimis laxe reddit *affligebant.* 2. In פרך nulla *illusionis* significatio. Unde Chaldæi vertunt בקשיו *in duritia.* R. Sal. בעבודה קשה המפרכת ומשברת in servitute] dura affligente vel conterente corpus. LXX. βίᾳ i. tyrannide. Vide Cajet. hoc loco.

DE MUIS.

7. F*Ilii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram.*] Erant Israelitarum tum cùm florente Josepho in Ægyptum demigrarunt omnino capita septuaginta. Sed brevi postea, Josepho iisque qui è Chananæa in Ægyptum devenerant fato functis, eorum soboles mirum in modum propagata est. Id significat textus Vulgatæ Edit. his verbis; *Filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt*, &c. Hebraicus verò istis, ובני ישראל פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד מאד ותמלא הארץ אתם, quæ sic ad verbum exprimi possunt, *Porrò filii Israel fructificaverunt, & reptificaverunt, multiplicatique sunt, ac roborati valde valde: & repleta est terra illis.* Hîc quatuor verba idem ferme significantia non frustrà congeri docet Abarbanel, qui verbo פרו, quod propriè est *fructus ediderunt*, vel, si Latinus sermo pateretur, *fructificaverunt*, indicari ait neminem tam virum quàm feminam fuisse sterilem partûsve expertem, sed omnes frugiferæ arboris instar singulis annis fœtum edidisse, neque verò singulas mulieres singulos duntaxat filios tulisse sed plures, ità ut instar reptilium, quorum fœcunda est maximè procreatio, nasci viderentur, ideóque non sine causa adhiberi τὸ וישרצו, quod propriè sonat *& reptificaverunt*, seu *copiosè produxerunt more reptilium.* Quoniam autem, inquit idem Abarbanel, gemelli ferè sunt debiles & imbecilli בסבת מיעוט החומר *propter paucitatem materiæ*, ideóque citò exstinguuntur nec ætatem ferunt, ac si qui paulùm ultra primos annos progrediuntur infirmà admodum corporis compositione ac debili temperamento existunt: eam ob rem Sacer textus usus est de industria verbo וירבו *& multiplicati sunt*, quo quidem datur intelligi numerosam illam Israelitarum sobolem non fuisse ejusmodi quæ subitò, ut fit, moreretur, sed ætate processisse longiùsque in annos provectam totum incrementum accepisse, neque verò infirmam sed robustam exstitisse; hæcque causa est, inquit, quamobrem dicatur ויעצמו במאד מאד *roborati sunt valde valde*, i. admodum. Ità ferme singulorum hujus versûs verborum pondera expendit Abarbanel. Eodem etiam modo Ezra, nisi quòd expendit etiam ista verba במאד מאד, *valde valde*, iisque vult significari non potuisse magis robustos effici. Paulò aliter veteres Rabbini, teste Bechai, qui sic citat ex Midras; ובני ישראל פרו וישרצו מהו וישרצו אל תקרי וישרצו אלא ששה בכרס אחד כשרצים הללו יכול נמוכים כשרצים תל׳ וירבו בעלי קומה יכול חלשים תל׳ ויעצמו במאד מאד, Porrò filii Israel fructificaverunt, & reptificaverunt. *Quid verò istud? Hoc*, & reptificaverunt, *satis declarat perinde ac si diceretur, reptilium instar sex eodem partu editi sunt: ac nè isti brevi forte statura ad modum reptilium fuisse crederentur, subjungitur statim*, & magni facti sunt, *seu creverunt*, (ità enim reddi etiam potest וירבו) *i. proceram staturam nacti sunt. Ne porrò debiles & infirmos illos quis putaret, additur denique*, & roborati sunt valde valde. Rasi quoque sex uno partu vult esse tum editos; Aben Ezra gemellos pluresve. Baal hatturim hîc, ut solet, delirat, sexque his vocabulis, פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד מאד innui vult sex editos uno partu. Haud dubium sanè est quin Israelitæ in Ægypto novo & insolito quodam modo fuerint propagati. Alioquin quî intra ducentorum & decem annorum spatium (neque enim in Ægypto diutiùs hæsisse creduntur) vel, si vis etiam, quadringentorum triginta, tam pauci homines ad tantum numerum excrescere potuerunt, nempe ad millia sexcenta? Tot enim censa sunt cùm Ægyptum exierunt, præter pueros, feminas ac promiscuum vulgus.

8. *Surrexit interim Rex novus super Ægyptum qui ignorabat Joseph.*] Cum tot támque præclara Josephi in Ægyptiorum gentem cæterósque mortales merita exstitissent, ut (juxta versionem vulgatam in cap. 41. Gen. v. 45.) *Servator orbis terræ*, ab Rege ipso indito nomine, fuisset appellatus, jure ac meritò mirum videri debet quî fieri potuit ut non ità multo tempore ab ejus morte in ea gente Rex fuerit qui Josephum ignoraret. Rasi commodè mihi videtur interpretatus, *qui ignorabat Joseph*, עשה עצמו כאלו לא ידע, i. *ità se gessit ac si ipsum ignorasset* nescivissétque ejus in Ægyptios beneficia. At vide porrò. Qui hîc dicitur Josephum ignorare, statim, nempe Exod. 5. 2. se nescire Dominum ait. Unde Hebræi in Midras exstruunt ejusmodi γνώμην, כל הכופר בטובתו של חבירו סוף שיכפור בטובתו של הקדוש ברוך הוא: *Quicunque negat beneficium acceptum ab homine, tandem negabit beneficia accepta à Deo Opt. Max.* seu, *Quicunque ingrato est animo erga homines, eodem sit tandem erga Deum necesse est*, sibique sua non Deo accepta referat, sicuti Nabuchodonosorus, & ille qui dicebat Ezec. 29. 3. לי יאורי ואני עשיתני *Meus est fluvius meus, & ego feci memetipsum.* Tantum est ingrati animi vitium ut ad Dei contemptum & summam impietatem hominem ad-

adducat: & verissimè ac rectissimè dixit, quisquis est, *Dixeris maledicta cuncta cùm ingratum hominem dixeris.* Abarbanel, qui hoc quod dicitur, surrexisse Regem novum qui Josephum ignoraret, vult ad ea pertinere quæ mox subjiciuntur, nempe quòd Rex ille cùm videret populum Hebræum citò numero ac viribus crevisse, multiplicatáque supra modum progenie universam ferme Ægyptum replevisse, veritus sit nè quandoque si quod ingrueret bellum hostibus sese ille conjungeret, ac libertatem éque Ægypto exitum armis quæreret; iste, inquam, Abarbanel in hunc sensum accipit quod dicitur, Regem illum novum non novisse Josephum: כי אלו ידע לא היה עולה בלבו שרעיו יוכלו בכוח להקשר ולה, *Quia si eum satis nosset nunquam illi venisset in mentem cogitare illius genus ac nepotes deficere & conjurare unquam posse.* Ezra & alii, in quibus Flavius Josephus, censent Regem illum novum מזרע המלוכה *è regia stirpe* minimè fuisse, ut mirum videri haud debeat quòd Josephum minimè nosset. Colligit hoc Ezra ex eo quòd dicatur ויקם *& surrexit.* Sed hoc frivolum esse argumentum rectè contendit Abarbanel, quòd illud verbi de quovis novo rege usurpari in more sit. Deinde, ut iste Rex regio è genere non esset, non tamen latere illum potuerunt Josephi in Ægyptiorum gentem beneficia.

15. *Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræarum; quarum una vocabatur Sephora, altera Phua.*

21. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.*

QUòd exigua Jacobi soboles (tum enim erant omnino capita septuaginta non ampliùs) quæ florente Josepho in Ægyptum demigrârat brevi tempore in tantum numerum excrevisset, jure ut timeri jam posset & censeri pro gente, Ægyptiorum Rex Pharao de consilii sententia variis Israelitas laboribus atque ærumnis exercere statuit, quòd attriti viribus minùs deinceps possent in liberis procreandis. Sed cùm ea ratio nihil proficeret quin Israelitas continuis ærumnis vegetiores foecundioresque in dies fieri cerneret Pharao, tandem accersitis Hebræarum obstetricibus, quæ & ipsæ, ut apparet, Hebrææ erant, (earum uni Siphræ, seu Sephoræ, alteri Phuæ nomen erat) edixit ut quicquid inter Israelitas masculini sexûs nasceretur statim suffocarent necarentque, servatis tantùm feminis. At illæ (ut est religiosus & clemens muliebris semper animus) Deum magis quàm Regem veritæ, tantíque sceleris horrentes, præsertim in suum genus, vivos etiam mares conservarunt, nec vitam innoxiis infantibus adimere sustinuerunt. Quam pietatem Deus Opt. Max. qui nullum rectè factum absque præmio abire sinit, amplâ statim mercede remuneratus est. Hanc historiam dum explicat Sacer textus, hæc habet inter cætera, *Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræarum*, seu potiùs *Hebræis*, *quarum una vocabatur Sephora*, seu *Siphra*, *altera Phua*, &c. Exod. cap. 1. v. 15. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit*, seu *fecit*, *eis domos*, ibid v. 21.

Duo hìc quæruntur; An Hebræis mulieribus, eo tempore cùm Hebræa gens mirum in modum jam esset propagata, duæ sufficere potuerint obstetrices. Deinde, quid hæc sibi velint verba ויעש להם בתים *& fecit eis domos.*

Quod ad primum attinet, responderi potest Siphram & Phuam obstetricum principes fuisse, quæ tributum Regi penderent: iis autem, ut fit, à Rege edictum quid vellet a cæteris quæ sub illarum potestate essent fieri. Ezra in hac est sententia, qui habet, שרות היו על כל המילדות כי אין ספק כי יותר מחמש מאות מילדות היו אלא אלו שתים שרות היו עליהן לתת מס למלך מהשכר וכנה ראיתי היום במקומות רבות והאם והבת היו כדרך קבלה, *Principes fuerunt super omnes obstetrices: dubium enim non est quin amplius quingentæ obstetrices fuerint. Verum hæ duæ aliarum principes erant, quæ Regi vectigal penderent ex mercedula. Ac sic vidi hodiéque fieri multis in locis. Cabbala porrò docet matrem & filiam eas fuisse.* Refellit hanc opinionem Abarbanel, quia si ità esset Textus debuisset eas vocare *principes obstetricum*, quemadmodum vocat *principem pincernarum* & *principem pistorum*, Gen. 40. 2. & *principem laniorum* non semel in Genesi. Tum autem, inquit, quid profuisset Pharaoni id edicere principibus istis nisi etiam omnibus quæ iis subjacerent edixisset, aut saltem imperasset illis obstetricum principibus ut ad alias obstetrices regium mandatum perferendum curarent? Atqui hac de re nihil in Sacro exstat codice. Censet igitur laudatus Abarbanel consuetudinem obtinuisse in Ægypto ut parturienti obstetrices adessent duæ, quarum una exeuntem partum adjuvaret ejúsque membra & corpus aptaret, ac propterea diceretur שפרה *Siphra* à שפר quod est *pulcrum esse*, שמשפרת את הולד על quod venustatem *conferret fœtui*: altera verò parturientem consolaretur, verbis, voce & precibus opem ferret, atque idcirco appellaretur פועה *Phua* à verbo פעה quod est *clamare*, quòd clamore tantùm adjuvaret. Vult igitur hoc quod Textus ait, *Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræarum, quarum una vocabatur Siphra, altera Phua*, non de duabus modò intelligendum obstetricibus, sed de omnibus, quarum duo scilicet essent officia, ità ut obstetricantium una Siphra, altera Phua diceretur. Satis subtiliter quidem, sed non æquè forsan solidè. Rasi & Bechai alteram פועה *Phuam* à verbo notato dictam volunt, על שם שפועה ומדברת והוגה לולד כדרך הנשים המפייסות תינוק בוכה, *quòd clamaret, alloqueretúrque & veluti confabularetur cum recèns nato, more mulierum quæ flentes puerulos deliniunt ac permulcent.* Abarbanel eas obstetrices non existimat Hebræas fuisse sed Ægyptias: non enim commissurum Hebræis mulieribus id negotii Pharaonem, nec speraturum unquam ut in suos sic sævirent. Ego verò Hebræas fuisse puto. Nam quare hic diceretur למילדות העבריות *obstetricibus Hebræarum* nisi & ipsæ Hebrææ fuissent? Quasi verò Ægyptiæ mulieres ad Hebræis obstetricandum destinatæ ante etiam illum diem fuissent. Cur? An quia deessent mulieres Hebrææ quæ obstetricandi artem scirent ac probè exercere possent? Non apparet profectò. Deinde ut dicam quod sentio, illæ Hebrææ voces propter ה emphaticum quod in pathach sub ל includitur, non mihi videntur reddendæ *obstetricibus Hebræarum*, sed *obstetricibus Hebræis*: nomina enim & participia more nominum in regimine usurpata respuunt ה emphaticum. Intelligunt qui Hebraicè sciunt. Id verò convincit Chaldæa Onkeli paraphrasis, לחייתא יהודייתא *obstetricibus Judæis*, nec non Hierosolymitana, לחייתא עבראייתא *obstetricibus Hebræis.* Ecce tibi ex Hebræis arioli, qui, si Deo placet, divinent Siphram eandem cum Jochabeda Moysis matre, Phuam autem Mariam illius filiam, ejusdem Moysis sororem fuisse. In iis sunt Autor paraphraseos Hierosolymitanæ, Bechai, nec non Rasi, celebris ille apud Judæos Magister. Ridiculum. Unde enim probant? Quòd המילדות, quæ vox hîc pro *obstetricibus* usurpatur, si monadem tantummodo addas idem arithmeticè valeat ac יוכבד בת לוי *Jochabed filia Levi.* Nugæ. Si porrò Cabbala tantum nituntur, vereor ut satis tutò nitantur. Non minùs lepidum sanè est quod legitur apud Baal Hatturim; quo autore nihil magicius, unde obstetricantium illa שפרה diceretur, in hæc verba, דרך המילדות שמקנחים בשפופרת גומי כשהולד מת ותוקע בו כדי להחיות את הולד ושפופרת נקראת שפורה, *Consuetudo obstetricis est, ut cùm interdum fœtus in lucem editur mortuus, canna (seu arundinis) calamum illius faucibus visceribúsque inserendo ac in eum insufflando spiritum atque animam reddat.* Indè שפרה *Siphra* à שפופרת quod est *calamus* apud Hebræorum Magistros: non enim occurrit ea vox in S. codicibus. Quis Medicorum illud credat? Istúdne verò alicubi Hippocrates docuit aut Galenus?

Altera restat quæstio de sensu horum verborum, *& fecit eis domos*, nempe obstetricibus, quòd Deum veritæ magis quàm Pharaonis imperium nascentibus Israelitarum maribus quos suffocare jussæ erant pepercissent. Ego post multos interpretor *Deum fecisse illis domos*, i. opum, honorum ac liberorum ingentem vim illis concessisse; quo sensu 2 Sam. 7. 11. dicitur, *Prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.* Huc referri potest illud Psal. 113. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo*, seu *domum*, *matrem filiorum lætantem*: nec non Psal. 68. 7. *Deus est qui inhabitare facit unicos in domo*: de quorum verborum sententia adi, si libet, nostros in Psalmorum librum Commentarios. David Kimhi ad v. 7. Psal. 68. etsi ad interpretationem quam mox attulimus non recedit, tamen his verbis *& fecit eis domos*, sentit præsertim significari absconditas & occultatas à Deo obstetrices illas, nimirum, sic enim interpretor, quibusdam in domibus ubi à Pharaone cui dicto minùs audientes fuerant tutæ essent: quo modo Jer. 36. 26. dicitur Deus abscondisse Baruchum scribam & Jeremiam prophetam, nè iis scilicet manus injicerent quibus abs Joakimo Rege mandatum fuerat. Allegoricè liberiùs, suo more, domos hìc interpretantur Sacerdotii, Levitatûs ac Regni, illorum quidem ex Jochabeda, hujus ex Maria, sicuti legere est in Massecheth Sota. Frivolum hoc dignumque suis autoribus, è quibus tantùm hoc excerpsisse sat sit. Quod legatur in Textu *& fecit* להם (apud Chald. etiam להון) i. *eis*, in masc. genere, non autem להן i. *eis*, in femin. censent nonnulli debere potiùs hoc illud pronomen ad Israelitas referri, ut hic sit sensus, Ex eo quòd timuerint obstetrices Deum, nec interfece-

fecerint sicuti à Rege jussæ erant nascentes Israelitarum mares, crevisse populum Israeliticum: atque hoc ipsum esse *& fecit eis domos*, quasi diceretur, Per eam obstetricum pietatem fecit Deus ut liberis auctæ atque amplificatæ mirum in modum Israelitarum domus ac familiæ brevi evaserint. Si assentirer huic sententiæ, non tamen propter illud pronomen masc. gen. Quanquam enim pro more linguæ, versu hujusce capitis 18. dicitur de obstetricibus, ויאמר להן מדוע עשיתן *Dixitque illis*, fem. gen. *Cur fecistis*, fem. gen. nihilominus tamen scio esse ex usu S. literarum ut de feminis genus masculinum interdum usurpetur. Ex. gr. ponatur illud Exod. 2. 17. ויבאו הרעים ויגרשום, *Supervenere pastores, & ejecerunt eas*, nempe filias Sacerdotis Madian: & tamen ם affixum pronomen masculini est generis. Ac deinde etiam mox sequitur, ויושען וישק את צאנם, *& servavit eas*, f. g. *& adaquavit oves earum*; hic quoque affixum masc. Alia quæ idem confirmarent proferre certe possem, nisi hæc satis superque fore arbitrarer. Sed enim Bechai caussam cur pronomen masc. tribuat Scriptura hoc loco obstetricibus adfert haud absurdam sanè ac levem, quò illas scilicet dignitate pares maribus faceret ob conservatos mares. Ejus adeò audiamus verba; בשכר המצוה שנשתדלו על החיות הזכרים, i. *in præmium præcepti cui operam dederunt conservando mares*. Verùm ut eò unde paululùm digressi sumus revertamur, sunt qui hoc *& fecit eis domos* non pertinere ad Deum volunt, sed ad Pharaonem cujus statim fit mentio his verbis, *Præcepit ergò Pharao omni populo suo, dicens. Quicquid masculini sexus natum fuerit in flumen projicite*, &c. Nempe sic existimant, Pharaonem quòd suspectam obstetricum Hebræarum fidem haberet certas iis ad habitandum domos assignasse unde exire non possent quin sentirent Ægyptii: ut cùm aliquò irent obstetricatum eas comitarentur Ægyptii, qui in flumen quotquot masculini sexûs nascerentur ex edicto Regio dejicerent: quò pertinet id quod mox sequitur, *Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens, Quicquid masculini sexus natum fuerit in flumen projicite*, &c. quasi hoc ità cum præcedente versu cohæreat, Postquam obstetricibus, quæ Deum magis erant reveritæ quàm suum imperium, constituisset Rex Pharao certas illas domos, de quibus mox dictum, mandâsse eundem Ægyptiis ut quotquot deprehenderent nasci mares, secuti scilicet Hebræarum, seu Hebræas obstetrices, eos in flumen dejicerent. Ex iis qui hoc *& fecit eis domos* ad Pharaonem putant pertinere, sunt qui להם ad Israelitas referunt, ad istum modum, *& fecit eis domos*, nempe Pharao Israelitis: quasi diceretur, Cùm obstetrices Deum magis quàm Regem veritæ mares conservassent, custodes Israelitis adhibuit Pharao, ac duas inter Israelitarum domos Ægyptii unam esse voluit, nè ibi celare possent natos mares. Hunc esse literalem sensum affirmat Bechai. Verùm illud non sentio neque hoc neque illo modo ad Pharaonem referendum, nec id ferre contextum, ut per se quisque judicare nullo negotio potest. Adi tu locum, & judica.

16. *Præcipiens eis, Quando obstetricabitis Hebræas, & videbitis super sedem*, &c.] Hæc & quæ ibi sequuntur dicebat Ægyptiorum Rex Pharao cùm Hebræis obstetricibus, de quibus mox dictum, ut quotquot masculini sexûs inter Israelitas nascerentur statim suffocarent præciperet. Sed quæritur quid illic vox האבנים significet. Bechai eam vocem ait significare *sellam, in qua parturiens sedet*. Sic autem appellatam על שם שירכי היולדת מתקררות כאבנים, *quòd parturientium femora lapidum instar* (qui אבנים Hebræis dicuntur) *frigescant*. Itidem etiam illam vocari משבר à שבר quod est *frangere*, על שם שאברי היולדת כמשתברים, *quòd parturientis membra veluti disrumpantur*: Indéque esse quòd Onkelus hic interpretatur, מתברא. Observat idem Bechai esse, ex allegoricis scilicet Interpretibus, qui אבנים velint esse quasi שש בנים, i. *sex filios*, (ה enim 5. א verò unum in numeris notat) quòd tum שש בכרס אחד *sex uno partu editi sint liberi*. Alii putant אבנים propriè *rotam figulorum* significare, eámque vocem, quòd illa rota apud Orientales duobus lapidibus seu molaribus constaret, quorum superior & minor moveretur, inferior verò ac major immotus staret, qualem formam obtinere, indè autem sellam cui insideret parturiens dictam à similitudine; vel quòd, ut est in Baal-Hatturim, כמו היוצר שעושה כלי ירכיו מכאן ומכאן והאבנים באמצע כך היולדת ירכיה מכאן ומכאן והולד באמצע, *quemadmodum figulus dum opus facit hinc & illinc habet femora, in medio autem est rota; ita parturientis femoribus hinc & illinc positis in medio fit infans*. Est qui, auctore Ezrâ, א in isto nomine ut & in אבנים, Ezech. 47. 3. putet esse מוסף *heemanticum*, seu *additititium*, quasi illud nomen esset à radice בנה quæ est *ædificare*, unde בן *filius*, in plur. בנים *filii*, ac denique אבנים, quâ voce *sedes* significatur *ubi nascuntur filii*. Ipse Ezra vult א esse radicale: & est, meâ quidem sententiâ. Bis tantùm hanc vocem in S. literis occurrere, notat Massora, hîc in significatione *sedis seu sellæ parturientis*, & Jer. 18. 3. in significatione *rotæ figularis*.

GROTIUS.

8. **Q***Ui ignorabat Joseph*] Immemor erat eorum quæ Ægypto præstiterat & consuluerat Josephus, & eorum quæ ipsi promissa fuerant. Verè dicitur:

Φεῦ τῶν θανόντων ὡς ταχεῖ' ὄλλυται χάρις.

[Heu! mortuorum gratia ut subito interit.]

Quid mirum beneficia humana facilè excidere animis, cùm & divinis beneficiis idem eveniat? Vide Judicum 11. 10.

10. *Ne fortè multiplicetur*] Triplex est metus à peregrinis, ubi multùm increscit eorum multitudo, ne conspiratione indigenas opprimant, ne hostibus se adjungant, ne vi exitum quærant.

11. *Ut affligerent eos oneribus*] Manethos in historia Ægyptia de hac re: τῶν δὲ ταῖς λατομίαις ὡς χρόνος ἱκανὸς ταλαιπωρούντων [*cùm vero illi in latomiis diu misere agerent*] Pyramidum faciendarum causa regibus Ægypti, ne plebs esset otiosa. Plinius libro XXXVI. c. 12. Aristoteles Politic. V. c. 11. καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους τυραννικόν, ὅπως μήτε φυλακὴ τρέφηται, καὶ πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν [*Est & hoc tyrannorum, subditos pauperes reddere, ne necesse sit præsidium alere, & ut illi in victum quotidianum intenti ad insidias faciendas tempus non habeant vacuum.*] Pari de caussâ Tarquinius plebem Romanam in fossas cloacasque exhauriendas demersit. Tacitus de Germania: *Otiosa armatorum manus facilè lascivium.* Idem Annal. 1. *Intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles.* Vita Agricolæ: *Discordia laboratum, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret.* Huic malo remedia quæsita à principibus. Ita vallum, fossas, aliaque, non ex necessitate semper, sæpè adversus otium castrorum quæsita, idem ille Tacitus Annalium 1. memorat: alibi amphitheatro pontes adjicit.

Phithom] Quæ Pathomus ad Bubastim Herodoto. Unde Pathmeticum ostium Ptolemæo in descriptione Ægypti.

16. *Et partus tempus advenerit*] Quod in Hebræo est האבנים, videntur esse fores uteri משבר.

21. *Ædificavit eis domos*] Sobolem eorum auxit, quòd Hebrææ soboli pepercissent. Ita Ambrosius rectè. Sic בנה [*ædificare*] sumitur Gen. XVI. 2. & 30. 3. quibus in locis Græci utuntur verbo τεκνοποιεῖν [*sobole augeri*], & inde בן [*filius*]. Plautus: *Primum dum parentes fabri liberûm sunt.*

CARTWRIGHTUS.

5. **S***Eptuaginta*] Lyra hîc in Vulg. legit *septuaginta quinque*, ac monet in Hebræo esse *septuaginta*. Ego in codice meo vulgatæ versionis non invenio nisi *septuaginta*, nec de variâ aliquâ lectione in margine quicquam annotatur. LXX. quidem Interpretes hic habent πέντε καὶ ἑβδομήκοντα, *septuaginta quinque*, quemadmodum etiam legunt *Gen.* 46. 27. Vide quæ ad istum locum annotavimus. Rectè autem notat hic Aben Ezra, Jacobum ipsum numero isto contineri, id quod probat ex *Deut.* 10. v. *ult. Patres tui descenderunt in Ægyptum, septuaginta animæ*, &c. Ad verbum prout habet vulgatus, *in septuaginta animabus*. Nec ex adverso quicquam faciunt verba ista, quæ hic habentur, *Omnes animæ, quæ exierunt è femore Jacob, fuerunt septuaginta*. Nam ut idem *Aben Ezra* ad *Gen.* 46. 15. respondet, Scriptura non est sollicita de abstrahendo uno è septuaginta, sed quoniam omnes illi septuaginta, uno duntaxat excepto è *Jacobi* femore exierunt, Idcircò de omnibus in universum idem pronunciat. Quemadmodum *Gen.* 35. 26. dicitur omnes Jacobi filios, anteà memoratos, in Padan Aram natos fuisse, quoniam omnes præter Benjaminem ibi nati fuerunt.

וְיוֹסֵף הָיָה בְמִצְרָיִם *Joseph autem erat in Ægypto*] Scil. antequam *Jacob* cum filiis in Ægyptum descendit. *Onkelos*, ויוסף דהוה במצרים, *& Ioseph, qui fuit in Ægypto*. Rectè innuit *Josephum* numero isto septuaginta personarum, quarum facta est mentio, esse comprehensum. Quod autem de *Josepho* dicitur, de ipsius etiam filiis, *Ephraim* & *Manasse*, pariter est intelligendum.

6. וְכָל־הַדּוֹר הַהוּא *Et tota ista generatio*] דור *Dor* significat ætatem, sæculum, item universitatem hominum qui eodem sæculo vivunt. Posteriori sensu hîc sumitur. De hoc vocabulo vide si libet Bootium Animadvers. lib. 4. cap. 10. sect. 16.

7. וַיִּשְׁרְצוּ *Et copiosè multiplicabantur*] Vulg. *Et quasi germinantes multiplicati sunt*. שֶׁרֶץ *Sherets*, significat reptile, & de piscibus usurpatur. Inde שָׁרַץ *Sharats* significat copiosè;

instar piscium multiplicari; quo sensu verbum דגה *Dagah* à דג *Dag*, pisce formatum usurpatur, Ge. 48. 16. De vocabulis שרץ *Sherets*, & שרצו *Sharats* vide Annotationes nostras ad Gen. 1. 20. Lyra refert Hebræos dicere, mulieres Hebræas quolibet partu plures peperisse, aliquando quatuor, nonnunquam etiam sex. Et quidem R. Salomon ait, שהיו יולדות ששה בכרס אחד i. *quod pariebant sex in uno ventre.* Aben Ezra etiam ait hoc verbum וישרצו innuere, fœminas gemellos & amplius peperisse. Quin & refert se vidisse quatuor filios, quos una mulier simul peperit. Addit insuper medicos rationem reddere, quare usque ad septem ex uno ventre simul nasci queant.

8. *Et surrexit rex novus super Ægyptum.*] R. Sal. refert ex Rabbinis quosdam dicere regem hunc simpliciter novum fuisse, חדש ממש, alios autem velle eum novum appellari, quòd ejus decreta nova fuerint; שנתחדשו גזרותיו, Sed prius est simplicius.

Qui non noverat Josephum,] i. e. non noverat quantum Ægyptiis Joseph profuisset. Non quòd penitus hujusce rei ignarus esset; Sed quòd beneficii istius memoriâ non magis affectus fuerit, quàm si id penitùs ignorâsset. Onk. דלא מקיים גזרת יוסף *qui non servabat decretum Josephi.* Id est, ut Fagius primò explicat, *Non servabat ea, quæ Joseph bene decreverat, ordinaverat, & statuerat; sed novas leges & constitutiones faciebat, juxta illud vulgatum dictum, Novus rex, nova lex.* Posteà autem addit sensum esse posse, *non stabat pacto & fœdere, quod anteà fuerat inter Joseph & regem Ægypti; iniquus erat in posteritatem Josephi, immemor summi illius beneficii, & salutis, quâ tota Ægyptus affecta à Josepho tempore famis.* Postremis hisce verbis, verum ac genuinum Hebræi textûs sensum contineri, quicquid velit Chaldæus, nullus dubito. Jonathan & Hierosolymitanus Paraphrastes priorem sensum sequuntur; דלא חכים ית יוסף ולא הליך בנימוסי *qui non consideravit Josephum, nec in statutis ejus ambulavit.* R. Sal. sic exponit, עשה עצמו כאלו לא ידע, i. e. *Ita se gessit, ac si illum non novisset.* Rem (quod ajunt) acu mihi videtur tetigisse.

10. נתחכמה לו *Sapienter, vel callidè cum eo agamus*] (a) LXX. κατασοφισώμεθα αὐτούς, Latinè vertitur, *circumscribamus illos.* Malim cum Fagio (in Collatione) vertere, *Sapienter opprimamus eos.* Idem in Chald. paraph. (b) Græca ista vertit, *utamur sophisticatione contra illos*; ac porrò explicat, *hoc est, callidè vel astutè circumveniamus eos.* Vulg. *Sapienter opprimamus eum.* Fagius (in Chald. paraph. ac in Collat.) refert Hebræos explicare quænam fuerit hæc sapientia & astutia, quâ usi sunt Ægyptii; ita scilicet eos inter se dixisse, *Si gladio eos perdiderimus, gladio & nos vicissim peribimus. Si igni, similiter & in nos ignis deflagrabit. Et quocunque genere mali eos delere conabimur, eodem & nos delebimur.* (*Quandoquidem Deus ut Hebræi dicunt,* לעולם עושה מדה כנגד מדה i. e. *Semper mensuram mensurâ recompensat*) *Callidè ergò excogitârunt, se aquis pueros Hebræorum perdituros. Ita enim fore, ut non ipsi vicissim aquis perdantur; posteaquam Deus dixerit & promiserit, se non amplius homines aquis perditurum:* R. Sal. istiusmodi quiddam innuit: refert enim Rabbinos ita exponere, נתחכם למושיען של ישראל נדונם במים שכבר נשבע שלא יביא מבול לעולם i. e. *Sapienter seu callidè agamus cum servatore Israelis; perdemus eos aquis; nam juravit ille se diluvium iterum nunquam allaturum.*

Et ascendat à terrâ] על כרחנו, inquit R. Sal. i. e. *nobis invitis.* Addit autem Rabbinos ita intelligere, ac si sensus esset, ואנו נעלה מן הארץ והם יירשוה i. e. *Et nos ascendemus* (cogemur exire) *è terrâ, ipsi autem eam possidebunt.* Aben Ezra etiam refert R. Marinum similiter exponere ועלה *& ascendet*, per ונעלה *& ascendemus.* Addit autem hanc expositionem sibi haud videri necessariam. Nec ulla sane ratio cogit aliter interpretari, quam ut sensus sit, Ægyptios metuisse, ne Israëlitæ ita aucti ac multiplicati essent, ut ipsis invitis ex Ægypto discederent, unde non exiguo commodo, quo ex ipsorum operâ fruebantur, privati essent.

11. *Et constituerunt super eos* שרי מסים *Principes tributorum, seu tributa exigentes*] LXX. ἐπιστάτας τῶν ἔργων, *præfectos operum.* Vulg. *magistros operum.* Jon. רברבנין מפלחנין *præfectos, qui eos servire fecerunt.* Onk. שלטונין מבאשין, *rectores male* (eos) *tractantes. Veritas Hebraica* (inquit Fagius) *habet* שרי מסים *principes tributorum, hoc est, exactores, qui tributa & censum ab illis exigerent. Huc enim spectabat regis consilium, ut non tantùm labore ferendisque oneribus, sed & tributis solvendis gravarentur, ut neque [illegible] tiis augerentur.* Atque ita quidem R. Sal. exponit, [illegible] הגובים מהם המס, i. e. *Principes sive præfectos, qui tributum ab eis exigerent.* מס *Mas*, est tributum; atque inde vult factum plurale, quod hîc occurrit, מִסִּים *Missim*, licèt regulariter debeat esse מַסִּים *Massim.* At sanè verba quæ sequuntur [illegible] ענתו בסבלתם *Ut affligerent eos oneribus suis, &c.* indicant expositionem Græcorum Interpretum, Vulgati Latini, & Jonathanis, à quibus non abludit Onkelos, esse genuinam. Atque ad istum modum usurpatur singulare מס *Mas* 1 Reg. 9. 15. וזה דבר המס אשר העלה המלך שלמה *Et hæc est ratio tributi, quod exegit ex eis Salomon.* Et v. 21. ויעלם שלמה למס עבד *Et exegit ex eis Salomon tributum servitii.* Ita profectò hoc in loco si שרי מסים, *principes tributorum* interpretari placet (quod cur displiceat haud video) de istiusmodi tamen tributo, nempe tributo servitii locus intelligendus videtur.

ערי מסכנות *Urbes thesaurorum*] (c) LXX. πόλεις ὀχυρὰς, *Urbes munitas.* Vulg. *Urbes tabernaculorum.* Quasi [illegible], Lyra ait in Hebræo esse *thesaurorum*, ac urbes sic dictas autumat, non quòd reverà thesauri ibi essent reconditi, sed quòd ita validæ ac munitæ essent, ac si thesauri ibi recondi deberent. Onk. קרוי בית אוצרא *urbes domûs thesauri*, i. e. urbes in quibus thesauri reconderentur. Huic expositioni subscribit R. Salomon. Similiter & Aben Ezra exponit, [illegible] i. thesauros. Fagius, à quo non dissentit Amama, urbes pro thecis & granariis frumentorum intelligi putat. *Id enim* (inquit) *rectè hoc in loco significat vox Hebraica* מסכנות, *sicut & in aliis locis, ut est videre* Paral. 2. 32. & Paral. 2. 17. *Inter thesauros autem & frumenta connumerantur. Suntque hæc repositoria, granaria & thecæ frumentariæ Hebræis ab utilitate dicta.* סכן *Etenim illis prodesse & utile esse significat; hinc* מסכנות, Hæc ille certè locus iste, 2. Paral. 32. 28. apertè indicat vocem מסכנות interdum pro istiusmodi repositoriis seu granariis usurpari. ומסכנות לתבואת דגן ותירוש ויצהר *Et thecas pro proventu frumenti, & vini, & olei.* Ex eo ipso autem loco apparet vocem Hebræam מסכנות pro repositoriis rerum quarumcunque, quæ in usus necessarios reconduntur, usurpari. Atque isto loco (quod & Amama in Censurâ suâ notavit) vulgatus vertit מסכנות *apothecas.*

ואת רעמסס *Et Ramses.*] Aben Ezra hîc notat רעמסס cum pathac sub ע scribi, ac non esse locum, in quo habitabant Israëlitæ. Eandem etiam notam habet ad Gen. 47. 11. Diversimodè quidem scribuntur רַעַמְסֵס hoc in loco, & רַעְמְסֵס Gen. 47. 11. ac diversa loca fuisse apparet; hîc enim רעמסס est nomen urbis, illic autem regionis. LXX. hic post καὶ Ῥαμεσσῆ habent καὶ Ὤν, ἥ ἐστιν Ἡλιόπολις, *Et On, quæ est Heliopolis.* Sed ista sunt addititia: Steuchus à librariis addita existimat, nec LXX. Interpretibus adscribenda.

12. וכאשר יענו אתו כן ירבה וכן יפרץ *Et quemadmodum affligebant eos, sic multiplicabantur, & crescebant.* Id est, Quò magis eos afflixerunt, eò magis multiplicati & aucti fuerunt. R. Sal. בכל מה שהם נותנין לב לענות לב הקב״ה להרבות ולהפריץ i. e. *In quacunque re animum suum applicabant Ægyptii ad eos affligendos, Deus benedictus ad eos multiplicandos ac augendos animum suum applicabat.*

ויקצו מפני בני ישראל *Et tadio affecti erant propter filios Israël.*] Nempe quòd ita eos, non obstante ipsorum afflictione, multiplicari cernerent. Jon. ועקת מצראי בחייהון מן קדם בני ישראל *Et arctati seu graviter afflicti fuerunt Ægyptii in vitâ ipsorum à conspectu filiorum Israël.* Similiter Onk. ועקת למצראי מן קדם בני ישראל *Et arctatio seu gravis afflictio fuit Ægyptiis à conspectu filiorum Israël.* Fagius vertit, *Et anxii erant Ægyptii propter filios Israël.* Vulg. *Oderantque filios Israël Ægyptii.* Amama notat Hebræum textum aliud ac plus [illegible], ac verbum קוץ *Kuts* cum ב vel מפני constructum significare *fastidire, à re aliquâ abhorrere, & cum libidini vel desiderio nostro circa rem talem non satisfit, angustiis affici.* Sic Gen. 27. 46. קצתי בחיי מפני בנות חת *fastidio vitam meam, tadet me vitæ propter filias Heth. Vellem matrimonia infecta [illegible] fieri id non possit, angor animi.* Addit R. Salomonem exponere, *fuerunt sicut spina in oculis ipsorum.* Itaquidem R. S. testatur Rabbinos enarrare, כקוצים היו בעיניהם, Nomen קוץ *Kots* Spinam denotat. Ipse autem R. Sal. exponit, קצו בחייהם *fastidiebant vitam suam, vita sua eos tadebat.* LXX. καὶ ἐβδελύσσοντο οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. *Et abhorrebant* [illegible]

(a) Act. 7. 19. οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν. Hic calliditate usus adversus gentem nostram, ut vertit H. Stephanus. (b) Jonathan, נתייעט עליהון consilium capiamus adversus eos.

(c) Steuchus *ait vocem Hebraicam significare tabernaculum, hic autem ab Hebræis non pro tabernaculis, sed pro arcibus & præsidiis accipi. At quomodo* מסכן *nisi cum* משכן *confundatur, tabernaculum significet, non intelligo.*

bant Ægyptii à filiis Israël. Ita in Romanâ τῶν LXX. Editione Latina versio habet, & quidem rectè. Nobilius ait fortasse etiam posse verti, *abominationi habebantur Ægyptii à filiis Israël*. At si ita vertatur, contrarium planè dicitur quàm quod in Hebræo textu habetur. Atque ita, perperam, Græcam istam versionem intellexit *Steuchus*.

13. *Et Ægyptii fecerunt filios Israël servire* בְּפָרֶךְ *duriter*] LXX. βίᾳ, *violentiâ*, seu violenter. Onk. & Jon. בִּקְשִׁיוּ, *in (a) duritie*, i.e. *duriter*. פרך Chaldaicè est *frangere*, *succidere*, unde R. Salom. sic explicat, בעבודה קשה המפרכת ומשברת את הגוף i.e. *servitute durâ, quæ frangit & comminuit* seu *debilitat corpus*. Quid sibi voluit hic Vulgatus nescio, qui vertit, *Et affligebant illudentes eis*, (b) *& invidentes*. Nam (ut notat Amama in Cens.) in voce פרך, *Pherec nulla* est *illusionis*, sed nec *invidiæ* significatio.

15. *Et dixit rex Ægypti obstetricibus*, &c] Aben Ezra censet duas istas obstetrices, quæ hic memorantur, cæterarum omnium fuisse principes. Nec improbabilis ista videtur sententia. Jonathan, Hierosolymitanus Paraphrastes & R. Salomon asserunt *Shiphram* esse *Jochebed*, & *Puam* esse *Miriam*; sed vel nullis, vel non nisi frivolis & ineptis rationibus id astruunt. Meritò igitur Lyra opinionem istam improbat; quod autem ad eam refellendam affert, *Jochebed* tunc mortuam fuisse videri, quomodo cum historiâ capite sequenti narratâ consistere possit, haud scio. Quod enim de Mose & *Jochebed* matre ejus istic narratur, Pharaonis de interficiendis pueris edictum proculdubio sequebatur. Nec hujus capitis versus sextus, cui Lyra innititur, pro eo facit; Dicitur enim Josephum, ejusque fratres, ac totam istam generationem, omnes nempe eorum æquales fuisse mortuos; at eorum liberi, numero isto comprehendi non debent, ac propterea ad Jochebed filiam Levi istud non pertinet.

16. עַל־הָאָבְנָיִם *Super sellas.*] R. Sal. ait אבנים *Obnaiim* esse מושב האשה היולדת *sedem mulieris parientis*; quemadmodum idem vocabulum, *Jer.* 18. 3. pro sellâ figuli usurpatur. Kimchi in Radic. Cujus verba Latinè reddita Fagius citat in Chald. Paraph. (ipsa autem etiam Hebraica in Collat.) Existimat אבנים hoc in loco ipsam רחם i. vulvam significare, eámque אבנים vocari על שם הבנים propter filios, sive fœtum, ut Aleph scilicet sit addititium. Mihi cum ob locum istum Jeremiæ, tum ob præpositionem עַל, quæ hic adhibetur R. Salomonis expositio longè videtur præferenda; atque eam doctissimo Fullero nostro multo magis arrisisse video, quem vide in Miscell. lib. 5. cap. 19. Ubi de hoc vocabulo eruditè, ut solet, disserit. LXX. Interpretes sensum potiùs quàm verba expressêrunt, καὶ ὦσι πρὸς τῷ τίκτειν, *Et propè partum erunt*. Similiter Vulg. *Et partûs tempus advenerit*. Illud addo, cum hic dicitur וראיתן על האבנים subintelligi אתן, *cum videritis* (*eas*, nempe mulieres Hebræas) *super sellas*. Hoc multo videtur concinnius, quàm ut cum quibusdam interpretemur, *cum videritis super sellas*; h. e. cum in sellas oculos conjeceritis. Vide Fuller. loc. citat.

Si filius fuerit, interficietis eum] *Non præcepit* (inquit R. Salom.) *nisi de masculis, propterea quòd astrologi ejus* (אצטגניניו) *dixerunt ei futurum ut nasceretur filius qui eos* (nempe Israëlitas) *servaret*. Jonathan hic prolixiorem narrat fabulam, nempe Pharaonem in somnio suo vidisse totam terram Ægypti in unâ lance positam, in alterâ autem agniculum recens editum, atque hanc lancem alteri præponderasse, hinc igitur statim augures suos consuluisse, ac Jannem ac Jambrem principes augurum respondisse, puerum inter Israelitas nasciturum, qui totam terram Ægypti perderet, ac propterea Pharaonem hanc rationem iniisse, quâ Israeliticos pueros recèns editos statim aboleret. Hæc sunt somnia Rabbinorum, vera autem hujus Pharaonis edicti ratio ex v. 10. satis liquet.

19. כִּי־חָיוֹת הֵנָּה *Nam vivida sunt*] (c) Onk. ארי חכימן אנין *Nam sapientes sunt*; h. e. obstetricandi peritæ sunt. Id cum Fagio arbitror Paraphrastem istum voluisse. Ita clarè Vulg. *ipsæ enim obstetricandi habent scientiam*. Atque isto sensu interpretatur R. Salm. בקיאות כמילדות *in facultate obstetricandi exercitatæ*. Notat etiam מילדות i. e. obstetrices à Chaldæo Paraphraste vocari חייתא, id quod ex hoc ipso capite abundè est manifestum. Addit autem Rabbinos subtilius in hunc modum exponere, משולות לחיות השדה שאינן צריכות מילדות, i. e. *similes sunt bestiis terræ, quibus non opus est obstetrice*. Aben Ezra, ni fallor, rem acu tetigit, כי כח חיים חזקה יש להם *Nam robur vitæ multum eis inest*.

(a) *Fagius reddit* cum difficultate. (b) *Amama recensens hanc versionem verba ista* & invidentes *omisit*.

(c) *Steuchus fatetur in Hebræo aliquanto secus esse quàm in vulgatâ versione, nec ad scientiam & peritiam referri, sed robur ac vires, quibus prædita essent mulieres.*

Antequam ad eas venit obstetrix, pariunt] Hierosolym. *Orant ad patrem suum cælestem, & ipse eos audiens parturit*. Ac ad istum etiam modum Jonathan.

21. *Et fecit eis domos.*] LXX καὶ ἐποίησαν ἑαυταῖς οἰκίας, *& fecerunt sibi domos*. Sed in Hebræo verbum est singulare, ויעש *& fecit*, nempe Deus. Atque ita Onkelos & vulgatus Latinus Interpres. Hierosol. *Et acquisiverunt sibi nomen bonum inter generationes, & (d) fecerunt sibi domos, nempe domum ministerii Levitici, & domum summi sacerdotii*. Jon. *Et comparârunt sibi nomen bonum in generationes, & ædificavit eis Verbum Domini domum regni, & domum sacerdotii summi*. Sic illi interpretantur, quòd existiment obstetrices hásce fuisse Jochebed & Miriam; quod neutiquam est probabile. Similiter R. Sal. exponit de domibus sacerdotii ministeriique Levitici, & regni. Et majoris explicationis gratiâ addit כהונה ולויה מיוכבד ומלכות ממרים i. e. *Sacerdotium ministeriumque Leviticum ex Jochebed: & regnum ex Miriam*. Hinc patet Fagium cùm in Chald. Paraph. tum in Collat. ab Hebræorum sensu aberrare, cum eorum sententiæ de domibus sacerdotii & regni rationem istam reddit, quòd ex Jochebed nati fuerunt Aaron & Moses, penes quos sacerdotium & regnum fuit. Vera eorum sententiæ ratio (licet sententia ipsa veritati haud sit consona) est, quòd existiment Miriam (quam alteram harum obstetricem fuisse putant) nuptam fuisse Calebo, qui fuit ex tribu Juda. Sed hoc ἄγραφον ac incertum. Kimchi in Radic. (uti refert Fagius) hunc locum ita explicat, *fecit eis domos, h. e. abscondit eas à Pharaone ut nihil mali eis faceret*. Mihi autem germana hujus loci expositio petenda videtur ex illo 2 Sam. 6. 11. *Nam domum tibi faciet Dominus*; quem locum ad hunc explicandum adducit Aben Ezra. Sensus nempe est, Deum obstetricibus istis ita benedixisse, ut familias ipsarum auxerit, omniumque rerum, quæ ad familiam alendam sustentandámque sunt necessaria, copiam eis suppeditârit. Simplicissimum enim videtur, etiamsi aliter sentiant nonnulli, ut illud *& fecit* ad Deum, illud autem *eis* ad obstetrices referatur. Nec obstat quod in Hebræo pronomen להם formâ sit masculinum, non enim inusitata apud Hebræos est ista generis enallage. Vide si placet Ruth. 1. 8. Ubi עמכם pro עמכן, & עשיתם pro עשיתן. Et v. 9. Ubi לכם pro לכן, atque ita etiam v. 11. vide etiam hîc cap. 2. 17.

23 הַיְאֹרָה תַּשְׁלִיכֻהוּ *In flumen projicite*] Sic Vulgatus, & quidem rectissimè, nec satis mirari possum quid Steucho in mentem venit, cùm hàc de causâ Interpreti isti succensuerit, ac asseruerit in Hebræo de flumine nullam esse mentionem; cum omnibus Hebraicè quicquam intelligentibus contrarium luculenter appareat.

Omnem filium qui nascitur] Rab. Salom. ineptè exponit de Ægyptiorum pariter ac Hebræorum filiis. Sanè ac sobriè Onkelos, כל ברא דיתיליד ליהודאי *Omnis filius, qui nascetur Judæis*. Atque ita etiam disertè interpretatur Jonathan.

IDEM.

10. נִתְחַכְּמָה. *Sapienter agamus*] ad hunc locum respicit Psaltes Psal. 105. 25. ubi de Pharaone & Ægyptiis agens, ait, Deum corda eorum convertisse להתנכל בעבדיו *ut machinarentur* (vel *astutè agerent*) *adversus servos ipsius*. Pro verbo חכם quod in laude positum sibi tribuebant Ægyptii Spiritus Sanctus ponit נכל (e) quod in malam partem, nempe ad versutiam, fraudem, & machinationem designandam usurpatur.

11. עָרֵי מִסְכְּנוֹת.] Vulg. *Urbes Tabernaculorum*. Vatablus putat Interpretem istum, vocum similitudine deceptum, pro מסכנות legisse משכנות, At certè voces istæ מסכנות & משכנות non adeo inter se sunt similes: cum autem משכן cum ש Tabernaculum denotet, משכנות ab Interprete isto lectum, vel saltem animo ejus obversatum esse, haud dubitandum videtur.

19. כִּי־חָיוֹת הֵנָּה. *Nam vivida sunt.*] Kimchi in Rad. exponit, אינן צריכות למילדות אחרות כי הן עצמן מילדות *Non indigent aliis obstetricibus: nam ipsæ sunt obstetrices*. Monet ibidem Rabbinis verbum חיה *parere* nomen חיה *obstetricem* denotare.

21. *Et fecit eis domos*] Quia pronomen להם *eis* est masculinum, Vatablus censet ad Israelitas referri debere; q. d.

(d) ועבד להון *Consentit hîc Hierosolymitanus LXX Interpretibus, quibus se iniquiorem præbet Steuchus, ajens eos tam malè hunc locum depravatum habere, ut nihil possit dici depravatius.*

(e) פירוש גנות החכמה המשמש לעשות רע כמו *R. Nathan in Concord.*

Auxit & multiplicavit familias filiorum Israel. Sed generis (f) enallage Hebræis inusitata non est, & pronomen hic aliò quàm ad obstetrices referre, coactum videtur.

IDEM.

7. **F**ilii autem Israel fructificabant, &c.] Observat ita de iis scriptum, Gen. 47. 27. Sed ne post Jacobi mortem divina benedictio cessasse videretur, iterùm hic dici, etiam cum Joseph, & omnes qui in Ægyptum venerunt, mortui essent, Israelitas nihilominus multiplicatos esse. Notat etiam quatuor vocabula ad multiplicationem Israelitarum exprimendam hic adhibita, nempe פרו *fructificabant*, instar arboris, quæ singulis annis fructum suum producit: וישרצו *& creverunt*, scilicet instar reptilium, vel piscium, ex quibus fœtus copiose gignitur: וירבו *& multiplicati sunt* seu *& adoleverunt*, non in puerili ætate mortui sunt, sed ad maturitatem pervenerunt: ויעצמו *& robusti facti sunt*, non erant infirmi, & imbecilles, ut gemelli esse solent, si forte vixerint.

15. *Obstetricibus* (g) *Hebræis*, &c.] Improbat eorum opinionem, qui putant obstetrices hic memoratas cæterarum principes fuisse, quòd de reliquis inferioribus nihil dictum sit. Asserit igitur in Ægypto moris fuisse, ut mulieri parturienti duæ præstò essent obstetrices, quarum una educendo fœtui, eique ornando operam daret, ac propterea vocata erat שפרה *Shiprah*, שמשפרת את הולד *quòd fœtum pulchrum redderet*: altera autem puerperam verbis & orationibus confortaret, atque ideò vocabatur פועה *Puah* à פעה *clamare*, vel *vocem edere*. Pharaonem igitur omnes obstetrices allocutum esse; sed cum eæ in duo genera ex officio suo divisæ essent, ideò dictum esse, earum unam vocatam esse *Shiphram*, alteram autem *Puam*. Addit obstetrices istas non fuisse Hebræas, sed Ægyptias, ac מילדות העבריות idem esse quod מילדות את העבריות *obstetrices Hebræarum*, ut v. 16. בילדכן את העבריות *cum Hebræis mulieribus vos obstetrices præbetis*.

(f) *Gen.* 31. 9. אביכם *pro* אביכן *ut v.* 7.
(g) *Vel* Hebræarum, *nempe*, *mulierum*.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. **A**Biit vir de domo Levi] Hic fuit Amram, qui amitam suam, h. e. patris sui sororem, duxit in uxorem, nempe Jochæbed, quæ filia fuit Levi, sicut & pater Amram, scilicet Kehath, filius fuit Levi: id quod infrà cap. 6. explicatur.

3. *Pro eo arcam arundineam*] Dicit *pro eo*, quæ scilicet puero apta esset. Exponit autem Kimhi גמא pro *ligno levissimo*, quale est arundo marina. Et quod sequitur, *In carecto*] putat idem Kimhi סוף idem esse quod גמא, vel קנה, i. *canna*, seu *arundo*, ductum quidem à verbo סף, quod *deficere* significat. nam arundo facillimè absumitur. Proinde quod nos vertimus, *Linivit eam bitumine*] quidam Hebræorum legunt; *Infarcivit eam luto atque pice*; pice foris, & luto intus. Libuit hic adjicere quid Abenezra magnus astrologus scribat super hunc locum, *Abscondi eum tribus mensibus*] רבי חכמים [illegible] : Hæc Astrologiæ candidatis excutienda relinquo; qui ex partu horam conceptionis investigare contendunt; sicut & hic Rabi se quinquies fecisse scribit, observato hunc gradu. Omitto hic somnia Judæorum, qui dicunt filiam Pharaonis appellatam בתיה *Bathiam*, illamque meruisse ob enutritum Mosen quòd translata fuit in Gan Eden sine prævia morte: Item, quomodo Moses infans recusarit sugere mamillas mulieris gentilis; &, quomodo tulerit coronam de capite Pharaonis, præsagieritque hoc facto quid posteris temporibus futurum esset; item, quomodo carbonem ignitum immiserit in os suum, & ob id contraxerit labia incircumcisa, h. e. inexpedita ad sermonis elocutionem. Qui has ineptias legere vult (Hebræi vocant *miracula*) consulat librum Hebraicum de Miraculis Mosi, Constantinopoli à Judæis impressum.

9. *Tolle*] Heb. היליכי pro הוליכי. Est enim verbum Hiphil; nec semper mutatur Jod in Vau quiescentem, sicut & ינק, *sugit*, fit היניק, & non הוניק, *lactavit*. Et quod sequitur, *Vocavit nomen ejus Mose*] dicit Aben Ezra quòd linguâ Ægyptiacâ vocatus fuerit מוניוס *Monios*, quod Hebraicè sonat *Mose*. Idque dicit se habere ex libro quodam Arabico, cujus titulus est עבודת האדמה, i. *cultura terræ*. Dicit textus filiam Pharaonis nomen imposuisse puello cùm ablactatus fuisset. Non autem dedit nomen nisi in sua lingua, quod Hebræi postea verterunt in linguam Hebraicam: sicut & Græci quædam nomina Hebraica ab eventu instituta transtulerunt in linguam suam, ut *Petrus* pro *Cepha*, *Christus* pro *Maschiah*, *Ecclesia* pro *Cheneset*, *Evangelium* pro *Besora*, *Apostolus* pro *Schaliah*, &c. Quale verò Moses in circumcisione, antequam exponeretur aquis, acceperit nomen, non constat.

11. *Laborem illorum*] Vel, *onera eorum*, aut *sufferentiam laboriosam illorum*. Significat enim סבל *ferre*, *pati*, *sustinere*, & similia.

15. *Midian*] Sic legunt Hebræi, & non *Madian*. Est autem Hebræis dissyllabum.

16. *Sacerdoti*] Usurpatur apud Hebræos כהן, aliquando pro עבד אלהים, *ministro Dei*, & quandoque pro ראש העם, *magistratu populi*, sicut hic Onkelos vertit רבא. Kimhi verò dicit illum fuisse idolorum sacerdotem. Vocatúsque est *Jithro*, & pater ejus *Rehuel*, qui hic quoque pater filiarum Jithro vocatur, tametsi avus earum fuerit.

21. *Et consensit*] Radix verbi יאל idem significat quod רצה *voluit*, *complacuit*, *consensit*. Sunt tamen inter Hebræos qui etiam אלה & נשבע, i. *juravit*, exponunt: *Juramento*, inquiunt, *obstrinxit se Moses Jithro ut non discederet citra illius consensum*.

FAGIUS.

1. **V**Ir de domo Levi] i. quidam Levita. Hic fuit Amram, qui amitam suam, patris sui sororem, duxit in uxorem, nempe Jochæbed. Unde & Thargum Hierosl. ità legit, *Et abiit vir de tribu Levi, duxitque Jochæbed amitam suam in uxorem.*

5. *Extendit brachium suum*] Heb. *Misit famulam suam.* Diversa hæc lectio nata est ex ambiguitate vocis אמה *Amah*, quæ pro variatione punctorum modò *cubitum* seu *brachium* significat, quando scilicet Mem litera Daghes punctum habet, quam lectionem secutus est noster Paraphrastes: modò *ancillam* & *famulam* significat, cùm caret eo punctulo. Testis horum est etiam sapiens A. E. qui in hunc locum ità scribit, [illegible], *Non convenit juxta rationem Grammaticam ut* אמה *hic brachium significet, eò quòd Mem est raphatum. Quod aliàs, quando brachium significat, daggessatur; ad hæc, quod cubiti mensuram potiùs quam brachium significat.*

16. *Principi autem Midian*, &c.] Vox Hebraica כהן, quæ hic ponitur in textu Hebraico, aliquando significat עבד אלהים ministrum Dei. i. Sacerdotem qui facit sacra: aliquando verò, ראש העם, *caput & magistratum populi*; in qua significatione hic accipit noster Paraphrastes, qui *principem* interpretatus est. Vocantur autem magistratus & principes כהנים, i. *sacerdotes*, etiam in Scripturis, eò quòd olim utrumque officium, & sacerdotale & politicum, penes illos erat, etiam apud ethnicos; & quòd magistratus inprimis cultum Dei, & quæ ad gloriam illius faciant, promovere debet. Ob hoc enim maximè *minister Dei* vocatur, Rom. 13. 4, 6. In hoc autem consentiunt Hebræi, quòd iste sacerdos seu princeps Midianitarum, de quo hic sermo est, Jethro fuerit. In hoc autem dissentiunt, quòd quidam putant eum fuisse sacerdotem cultorem idolorum; in qua sententia est R. D. K. Aben Ezra tamen tenet eum Dei sacerdotem & cultorem fuisse: ità enim scribit, [illegible], *Omne vocabulum Cohen quod in Bibliis exstat ministrum Dei aut idolorum significat. Jethro autem Dei minister erat.* Hæc ille. Sed de hoc infrà latius.

20. *Ut comedat panem*] Hebraismus est, pro, *ut apud nos cibum capiat*. Fit enim denominatio ab eo quod præcipuum in convivio & in cibis est, nempe pane; tametsi לחם Hebræis generale nomen sit ad omnes cibos.

IDEM.

5. ותשלח את אמתה ותקחה *Misit famulam suam ut tolleret illam*,] Variatio est in voce אמתה, quam alii pro *ancilla* exponunt, quam lectionem sequuntur omnes nostri Interpretes & plerique Hebræorum. Alii, ut R. Salomo etiam in commentario suo indicat, pro *cubito* seu *brachio* interpretantur: quod Onkelus secutus est suâ Paraphrasi. Diversæ hujus interpretationis causa est, quòd vocabulum אמה æquivocum est ad *ancillam* & ad *cubitum* seu *brachium*. Tu tamen noveris quod quando *cubitum* significat, tunc Mem litera debet esse dagessata, hoc modo, אמה & *mensuram* etiam, h. e. cubicalem longitu-

gitudinem veriùs quàm *brachium* significat. Unde quia hic in אמתה Mem raphata est carens punctulo dagges, ideò doctiores Hebræorum pro אמתה *ancilla* & *servula* potiùs exponendum ducunt. Quod ex verbis sapientissimi Hebræorum Commentatoris A. E. animadvertere licet, quem supra adduximus.

17. ויבאו הרעים ויגרשום ויקם משה ויושען וישק את צאנם *Et venerunt pastores atque repulerunt eas: & consurgens Moses auxiliatus est eis, potavitque oves illarum*] Placuit hunc locum hîc quoque referre, non quòd sit multa Interpretum varietas, sed quòd quidam laborant & torquent se in pronominibus relativis quæ adhærent vocibus ויגרשום & צאנם, quæ cùm in Hebræo masculini generis sint, vertendum erat, *Et expulerunt eos, & potavit oves eorum.* Unde quidam moti ad שבע, h. e. *gregem*, potiùs quàm ad בנות, *filias* sacerdotis Midian, referendum esse ducunt. Sed tu noveris ex proprietate linguæ Hebrææ esse ut Nun relativum Femininum, masculos, & Mem relativum masculinum, feminas aliquando contra naturam referat. Præterea sapiens Aben Ezra in suo commentario hunc nodum sic solvit, מ״ם ויגרשום כמו נון כי לא תחבר המלה עם הנון הנוסף לעתיד ובנה צאנם כמ״ם שלא לחחבר עם נוני *Mem relativum in verbo* ויגרשום *idem valet quod Nun. Non enim conjungitur hac dictio cum Nun superaddito in futuro. Sic quoque se habet Mem in* צאנם: *non enim convenit duo Nun conjungi.* Hæc ille.

21. ויואל משה לשבת את האיש *Et consensit Moses habitare cum viro illo.*] Variatio est in verbo יואל, eò quòd ambiguum est Hebræis, significans vel *jurare*, vel *velle*, *consentire*, *desiderare*. Hinc quidam legunt, *Et juravit Moses habitare cum viro illo*, h. e. juramento se obstrinxit non discessurum citra illius consensum: quam lectionem sequitur Lat. Vulg. editio. Alii legunt, *Et voluit, complacuit* sive consensit, *Moses habitare cum viro*, &c. quod secutus est Parap. Chaldæus. Nec desunt porrò qui יואל ibi pro *cœpit* exponunt, hoc sensu, *Et cœpit Moses habitare.* Sunt qui in Græco mendum esse putant; & κατῴκισε, *habitavit* positum esse pro κατῳκίσθη, *adjuratus est.* Sed quodcunque ex his omnibus interpretationibus secutus fueris, nihil erit periculi.

22. Τὸ δ' ὄνομα τοῦ δευτέρου ἐκάλεσεν Ἐλιέζερ, ὁ γὰρ Θεὸς τοῦ πατρός μου βοηθός μου, καὶ ἐῤῥύσατό με ἐκ χειρὸς Φαραώ.] LXX. *Alterum verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adjutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis*, &c. Vulg.] Hæc omnia non leguntur hoc loco in codicibus Hebraicis; neque etiam in quibusdam exemplaribus Latinis scriptis; quare à sciolo quodam aliunde in hunc locum translata esse videntur.

VATABLUS.

1. **P***Errexit autem*, וילך] i. Ex illa civitate in qua erat, abiit in aliam. ¶ *Vir de domo Levi*, איש מבית לוי] i. quidam Levita, Hic fuit Amram, qui amitam suam, sive patris sui sororem, duxit in uxorem, nempe, Jochabed. Vide infrà c. 6. 20. Chald. paraph. Hierosol. *Et abiit vir de tribu Levi, duxitque Jochabed amitam suam in uxorem.*

2. *Quæ videns eum*, &c. ותרא אתו וגו׳] Ad verb. *Et vidit eum quòd pulcher esset, & abscondit*, &c. ¶ *Tribus mensibus.* שלשה ירחים] Sunt qui dicant, juxta edictum Regium visitationem fieri solitam tertio quoque mense: idcirco non potuisse eum diutiùs occultare. Alii dicunt, *tribus mensibus*, i. quandiu potuit: non potuit autem diutius. De hoc meminit Stephanus, Act. 7. 20.

3. *Arcam junceam*, תבת גמא] *arculam junci* i. ex junco factam. Doctus inter Hebræos dicit גמא esse arborem admodum levem. Alii (inquit idem) dicunt significare *algam*, vel *cannam*, ex qua fiunt naviculæ, quas bitumine liniunt, vel pice, ne ingrediantur aquæ: suntque leves super faciem aquæ. Vide Jesa. 18. 2. ¶ *Quam linivit* ותחמרה] Ad verb. *Et bituminavit eam.*

4. *Stabat autem*, ותתצב] *Collocata autem fuerat.* sub. à matre.

5. *In flumine*, על היאר] *ad flumen*, & à præcedenti verbo regitur, quod est *descendit*. ¶ *Et puella ejus* ונערתיה] *interea dum ancillæ ejus*: q. d. sola remansit cum una ex ancillis in uno loco, ut sese lavaret, reliquæ verò exspatiabantur. ¶ *Misit ancillam suam*, ותשלח] Si ם in אמתה sit sine Dagues, sive punctulo in ventre, significat *famulam*: sive verò habeat Dagues, significat *cubitum* sive *brachium*: propterea quidam vertunt, *extendit brachium suum*: & ita Chaldæus paraph. quod alteri ex doctioribus Hebræorum non probatur hoc loco.

6. *Vidit ipsum infantem*: ותראהו את הילד] Ad verb. *Et vidit illum, infantem.* quod Hebræi exponunt, *vidit eum, quem vidit? puerum.* Addidit *puerum*, ut declararet relativum. Sic Zach. 12. 8. *Tanquam Deus, tanquam Angelus Jehova.* Vide annotationem eo loco.

7. *Soror ejus*, אחתו] nempe pueri, sive infantis. ¶ *Et lactabit* ותינק] *ut lactet*, vel, *quæ lactet.*

9. *Ei*, לה] nempe matri pueri.

10. *Crevit autem puer*, &c. ויגדל הילד וגו׳] *Quum autem adolevisset puer, adduxit eum.* ¶ *Dixit enim*, ותאמר] Hîc ו pro כי, ut ex v. 22. & similibus apparet.

11. *Onera eorum*, בסבלתם] i. oppressiones illorum consideravit. Quo ætatis suæ anno Moses inviserit fratres suos Israelitas, habes Act. 7. 23.

13. *Die secundo*, ביום השני] *postridie.* Et hæc narrantur à Stephano Judæis, satis multis verbis, quæ intelligentiæ hujus loci lucem afferunt, Act. 7. 24, 25, 26. ¶ *Impio*, לרשע] *improbo.* i. ei qui inferebat injuriam.

14. *Principem*, לאיש שר] Ad verb. *in virum principem.*

15. *Seditque juxta puteum*, וישב על הבאר] multa subaudienda, cujusmodi, *ubi quum aliquandiu commoratus esset, quievit & sedit aliquantum temporis juxta puteum.* Fortasse rectiùs verteris ut quidam, præcedens illud וישב per *proficisci*, hoc modo, *& profectus est in terram Madian, seditque juxta puteum.*

16. *Sacerdoti autem*, ולכהן] Chald. paraph. *Principi autem.* Vox ista significat aliquando *ministrum Dei*, i. sacerdotem qui facit sacra: aliquando verò ראש העם *caput & magistratum populi.* In qua significatione hic accepit Chald. paraph. Vocantur autem Magistratus & Principes כהנים *Sacerdotes*, etiam in Scripturis, eò quòd olim utrumque officium, & sacerdotale & politicum, penes illos erat, etiam apud Ethnicos; & quòd Magistratus in primis cultum Dei, & quæ ad gloriam illius faciunt, promovere debet. Ob hoc enim maximè *minister Dei* vocatur, Rom. 13. 4. In hoc autem consentiunt Hebræi, quòd iste Sacerdos seu Princeps Madianitarum de quo hic sermo est, Jethro fuerit. Dissentiunt verò in hoc, quòd quidam putant eum fuisse sacerdotem cultorem idolorum: in qua sententia est doctus inter Hebræos. Alter verò ex doctioribus illorum in ea est sententia ut Dei sacerdotem & cultorem fuisse existimet. Ita enim scribit, *Omne vocabulum* כהן *quod in Bibliis extat, ministrum Dei aut idolorum significat: Jethro autem Dei minister erat.*

17. *Et expulerunt eas.* ויגרשום] Quidam annotant relativum referre ad non nota, quod sit masculinum. Alii volunt ם pro ן positum esse, ut sæpe fit. ¶ *Pecudibus earum.* צאנם] Et hic ם pro ן. Alter ex doctioribus Hebræorum dicit factum fuisse propter concursum duorum ב.

18. *Avum suum*, אביהן] *patrem suum.* nam binominis fuit juxta quorundam opinionem. ¶ *Festinastis venire*, מהרתן בא] i. celeriùs solito venistis.

19. *Hauriendo hausit*, דלה דלה] sub. *aquam.* Ista verborum geminatio (ut sæpius dictum est) emphasin habet, i. diligenter ac magna cum fide multóque sudore hausit.

20. *Ad neptes suas*, אל בנתיו] *ad filias suas.* Vide paulò antè, v. 18. ¶ *Ubinam est?* ואיו] Ad verb. *Et ubi ipse?*

21. *Et voluit*, ויואל] Chald. paraph. *Et consensit, acquievit.* i. placuit Mosi habitare cum illo. Quidam vertunt, *Juravit Moses quòd habitaret cum eo.* sed loco parùm convenit. ¶ *Neptem suam*, בתו] *filiam suam.* ut suprà v. 18, & 20.

22. *Vocavitque*, ויקרא] sub. *Moses* ¶ *Gersom*, גרשם] Significat *Peregrinus ibi.* His nominibus pii sese ad gratitudinem & laudem Dei excitare volebant, ut quandocunque liberos aspicerent aut nominarent, Divinorum beneficiorum memoria eos subiret.

23. *Post dies multos illos*, בימים הרבים ההם] Hebraismus, *post multos annos.* ¶ *Propter opus*, מן העבדה] sub. *durum.* Alii, *propter servitutem.* sub. *illam duram.*

25. *Viditque Deus*, &c. וירא אלהים וגו׳] i. Vidit quomodo palàm & publicè affligerentur: cognovit præterea cogitationes Ægyptiorum, quomodo scilicet illos perdere vellent.

CLARIUS.

1. **V***Ir de domo Levi*] Hic fuit Amram, qui amitam suam, h. e. patris sui sororem, duxit in uxorem, nempe Jochabed, quæ filia fuit Levi, sicut & pater Amram, scilicet Cehath, filius fuit Levi. id quod infrà cap. 6. explicatur.

3. *Fiscellam scirpeam*] Vel, *arcam arundineam.*

18. *Cùm revertissent ad Raguel patrem suum*] Is Raguel non fuit Jethro, sed pater ipsius Jethro, & avus virginum. Nec rarum

ratum est in Divinis Scripturis *patrem* dici qui sit avus. Jethro autem etiam alio nomine *Hobab* dicitur, & *Jether*, & *Cinaeus*, & secundum aliquos *Raguel*.

DRUSIUS.

10. MOses] Qui *Mosis* etymon extra Mosem quaerit, frustrà quaerit. Erravit hunc errorem (si error est) Josephus, minùs tamen culpandus quam ille qui *Adam* nominis etymologiam accersit ex lingua Aduatica, in qua *halitus Adem* dicitur, *& indè Adam*, inquit, *cui Deus inspiravit halitum vitae*. Nugae. Ut *homo* ab *humo*, sic *Adam* ab *adama*, i. *terra*; sic *Moses* ab *extrahendo*. Nam משה *extraxit*. Disertè textus, *Vocavitque nomen ejus Moses, & dixit, Quia ex aqua extraxi eum*. Quid clarius? non ergò à Mo *aqua* & HYSE *servatus*, sed à MASA *extraho*. Et quia משה formam habet participii activi, quod *extrahentem* propriè sonat, ideò alibi legimus, *Mosen populi sui*, ut si dicas, *Extrahentem populum suum*, sive, quod idem, *Extractorem populi sui*. Allusio est ad verum etymon. Nam ut ipse ex aqua extractus fuit, ità populum extraxit, h. e. eduxit, ex Ægypto, ubi tanquam in aqua rerum adversarum demersus fuerat. Aben Ezra censet nomen hoc interpretatum esse ex Ægyptio *Monios*, quod Hebraicè sonet *Moses*. Id se legisse scribit in libro quodam Ægyptio de agricultura, quem translatum vidit in linguam Cedarenorum, i. Arabum, sive Ismaelitarum. Fides penes ipsum esto. Addit & eadem haberi in libris sapientum Graeciae. Ut ut sit, credibile est filiam Pharaonis, cùm Ægyptia esset, imposuisse puero nomen Ægyptium, nisi fortè à sorore matreve didicit Hebraicum, quod infanti, quem sciebat Hebraeum esse, indidit. Nihil temere adfirmandum. Superest alia quaestio. Nam cùm die octavo circumcideretur, quo pueris nomina dari solent, verisimile est aliud nomen ei tunc inditum fuisse. Quodnam illud nomen erat? Scriptura tacet, taceamus & nos. Clemens tamen Alexandrinus non tacuit. Nam in lib. Strom. pag. 129. scribit ei proprium nomen fuisse primùm nato *Joachim*. Mirum unde hauserit. An à Numenio philosopho, qui eum *Joacim* nominatum fuisse scribit; Addit Clemens ille, forsan ex eodem Numenio, postquam in coelum receptus est nomen ei fuisse *Melchi*, quod sonat *Rex meus*. Manetho Ægyptius eum appellat *Osarseph*. Artabanus autor ab Ægyptiis *Hermen* dictum fuisse, & ab eo *Hermenopolim* urbem. Vide sis Eusebium Praep. Euang. l. 9. Plura nomina invenies in Phesichta, fol. 2. col. 2. ubi & illud, *Moses appellatus quia extrahit Israelem ex Ægypto*. Verum, quod suprà posui. Orpheus hunc in mente habuisse videtur cùm ità caneret.

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξε.

ὕδος poeticè *aqua*, unde ὑδογενής. Nam quia ex aqua extractus, ideo in ea genitus existimabatur.

18. *Ad Raguel*] Qui Raguelem eundem faciunt cum Hobab, eos ego nunc errare docebo. Socer Mosis vocatur *Jethro* Exod. 3. 1. & *Jether*, quod Graeci legunt *Jothor*, Exod. 4. 18. & *Hobab*, Num. 10. 29. & *Rechab* in illo, *è filiis Rechab soceri Mosis*. In his omnibus locis est חתן, quod ajunt aliquando *fratrem uxoris* denotare. Qui sic sentiunt, dicunt Hobab fuisse filium Jethro, & Jethro eundem faciunt cum Raguel: Sed non persuadent. Nam ubi eadem vox in Hebraeo, non temere sensus ejus immutandus est. Si ergò ubique idem significat, tum *Jethro & Hobab & Rechab* synonyma sunt, quorum pater Raguel. Sanè legimus Num. 10. 29. *Dixit Moses Hobabo filio Raguelis Madianitae socero Mosis*: ubi quidam *soceri Mosis*, quos refellit alius locus qui habetur Judic. 4. 11. *è filiis Hobab soceri Mosis*. Igitur Hobab socer Mosis, & Raguel ejus pater. Omnia liquida, nisi quis evicerit Hobab fuisse fratrem uxoris Mosis. Quod etiam dici posset de Jethro. Ego imbibi eundem esse Jethro cum Hobab, & patrem utriusque fuisse Raguelem. Cui firmando Jonathan Chald. paraph. Nam ubi codex Hebraeus habet Exod. 2. 18. *Venerunt ad Raguel patrem suum*, ipse vertit, *Venerunt ad Raguel patrem patris sui*, Novum non est ut avus *pater* dicatur, & *filius* qui nepos est. Sic *filiae* sunt neptes, hoc cap. v. 20. *Dixit filiabus suis*, ubi idem interpres, *Dixit filiabus filii sui*. Filia filii mei est neptis mea. Sed de hac re cùm variae sint opiniones ego nemini praejudico. Tantùm illud nunc statuo, Raguelem diversum esse ab Hobab, contra Liram & alios qui eundem faciunt. Judicent eruditi.

IDEM.

2. טוב כי. A. ἀγαθόν. Sym. καλόν] i. *bellum*, *scitum*. Sic, *bonus aspectu*, i. pulcher. Olim erat ἀστεῖον. de quo vide quae scripsimus Observat. l. 4. c. 12.

NOTÆ MAJORES.

ET abiit vir de domo Levi; *& accepit filiam Levi*.

Et abiit] domo vel ex urbe suâ: Nam vir quaerit, foemina quaeritur & invenitur: unde illud, *qui invenit uxorem*. Dicunt etiam proverbii loco, *quaeris quod amisit*, de eo qui uxorem quaerit. Nam quaerit costam, quam in creatione homo amisit. ¶ *Vir*] quidam. ¶ *De domo Levi*] ex tribu Levi, sive ex filiis Levi. Jonathan, *Amram vir ille* (גברא ὁ ἀνήρ) *qui ex tribu Levi erat*. Ubi ille honorifice positum q. d. vir ille insignis. Hiero. hic habet, *egressus est*. ¶ *Accepit*] duxit. ¶ *Filiam Levi*] puellam generis Levi, aut ex tribu Levi. Filia Levi, ut *Filia Juda*, *filia Israel* de Susanna: sic *filia Ebraeorum*. Judith 10. 12. θυγάτηρ εἰμι τῶν Ἑβραίων. sic *filia Juda* pro puellae aut mulieres Judaeae. Gen. 30. 13. *beatam me dicent filiae*. i. puellae aut mulieres. Quod postremum interpretantur Onkelos & Hieronymus. Sed quid nodum in scirpo quaerimus? Nam duxit Jochabed amitam suam, quae filia erat Levi revera. vide Num. 26. 29. Hiero. tamen, *accepit uxorem stirpis suae*. Quâ de re lex postea constituta: Nam non licebat extra tribum suam uxorem ducere.

2. *Et concepit mulier illa, & peperit filium, & vidit eum quod bellus esset, & abscondit eum tribus mensibus.*

Peperit filium] post sex menses. Jonathan. septimo mense. Alii. Et hi & ille affirmant quod nesciunt. ¶ *Quod bellus esset*] aut, *bellum esse*. LXX. ἀστεῖον, quod reddunt *elegantem*. Sic interpres Origenis. Aquila ἀγαθόν. Sym. καλόν i. bellum, scitum, pulchrum. Jonathan, *quod vitalis esset*. R. Levi, *bona forma & magno corpore*. Abenezra, *bona forma*. Santes, *pulcher*. Augustinus de Civitate Dei. lib. 15. cap. 23. *Consuetudo scripturae speciosos corpore bonos vocare*. Vide quae notavimus Gen. 6. ad locum, *videntes filii Dei filias hominum, quod bonae essent*. i. pulchrae, formosae. Sic καλὸν utrumque & bonum & pulchrum denotat. Terentius, *ut ni vis boni in ipsa inesset forma, haec formam extinguerent*. Contra malum pro deformi ponitur. Unde apud Terent. *Mancipium non malum* i. non deforme. De aetate Jochabed, cum pareret Mosem, variae opiniones sunt. Quidam existimant eam tum egisse annum 130, ut Jonathan & R. Salomo: Alii censent peperisse Mosem cum ageret annum 58. Quâ de re videndus R. Levi. Quaestio est non indigna quae tractetur ab homine Theologo. Mihi nunc otium non est. Ad alia propero.

3. *Et non potuit amplius abscondere illum: itaque accepta ei arca juncea, oblevit eam bitumine & pice: posuitque in ea puerum, & posuit in junceto super labrum rivi.*

Et non potuit] abscondidit eum tribus mensibus, hoc est, quam diu potuit. Si diutius potuisset, diutius abscondidisset. Forte tertio mense innotuerat vicinis Ægyptiis eam peperisse: aut vagitus pueri jam grandioris exauditus erat, aut tum diligentius scrutabantur domos Ebraeorum. ¶ *Ei*] Puero. Santes, sibi לו. Cave sequaris. Nam in fonte pronomen masculinum. Alioqui *accepit sibi*, Ebraismus est notus: quem etiam Graeci aemulantur, ut cum dicunt, γενήσου σοι, συγχώρησόν σοι &c. ¶ *Arca juncea*] תבת גמא arca junci. i. juncea: aut *scirpi*. i. scirpea. Hiero. *fiscellam scirpeam*. In editione Graeca θίβιν παπύρου. Sed exemplaria variant. Nam in aliis θίβιν: in aliis θίβην: in c. vero θήκην i. thecam. Reperias & θίβην. Dictio est mere Ebraica תבה θίβη vel θίβα, & erat genus navigii: quo usus Cadmus, cum ex Asia in Europam trajiceret, Thebas ex ejus nomine appellavit. παπύρου autem vox abest à plerisque libris, etiam in editione Romanâ. Dicam nunc de his vocibus quae legi, quae observavi. Primum de θίβη: deinde de גמא. Theba Chaldaicè תיבותא in Onkelo & Jonatha: unde θιβωτὰ, κιβωτός, ἰβηρικὸν ὄνομα. Clemens Stromat. Libro 5. pag. 241. lin. 4. Usurpatur de arca Noe, Lucianus λάρνακα vocat arcam, quam pro luvii tempore Deucalion conscendit. Hesychius, θίβις, πόλις Βοιωτίας ἢ κιβώτιον. eam Cadmus condidit, ut diximus, & à navicula, qua vectus ex Asia in Europam trajecit, nomen urbi imposuit. Idem, θίβη, πλεκτὸν κιβωτοειδὲς, ἐκ γλωσσοκόμων: Sudas sive Suidas, θίβος, κιβώτιον ἐκ βύβλου πλεκτὸν ὡς κοφινῶδες. Augustinus in locutionibus, *Quid sit Thibin, ideò difficile est nosse, quia nec Graecus interpres ex Ebraeo, nec Latinus ex Graeco transtulit hoc nomen, sed vertit nominavit*. Interpres Origenis, *Thibis genus est tegminis ex virgis aut ex papyro contextum, vel etiam ex arborum cortice formatum*. Scholion, θίβη, κιβωτὸς παπύρου, ἢ ὕδρία, ἢ πλατυσμός, ἢ τινες καλοῦσι σέτλιν. alias θίβις. Πλατυσμός autem est latum vas. κιβωτός, navigium tectum arcae in modum, sive velo aut remis. Tantum de תבה: nunc de גמא: quam vocem retinet Onkelos, Jonathan in גומא transfert. Jes. 18. 2. גמא כלי naves

ves è papyro. Dictionem סוף quam juncetum alii, alii algam interpretantur, Jerosolymitanus גומייא (Hoc ità citatum repperi, sed dubito an benè) reddit. Hic tamen habet חשוא, quod non intelligo. R. Levi, גומא *est arbor levis admodum*. Idem scribit David Ebræus cognomento Camius. Sunt qui cannam sive arundinem interpretantur, & cum סוף confundunt. Sed canna sive calamus propriè קָנֶה dicitur. גֹּמֶא de quo supra, Munsterus exponit dicens esse fiscellam de juncis factam in Thargum Jerosolymitano. fallitur. Nam ait, *posuit eam* בְּאֵפִירָה ubi Jonathan habet גו גומייא in medio juncorum. Ergo אפירה potius arundo vel juncus, vel tale quid. Fiscellam hoc loco significare non potest. Lippomannus θίβην corruptum esse putat ex θῖνα, cui in eo non assentior. Nam verum quod posui. Si conjecturæ locus, putarim θῖνα in Complut. editione scriptum ab iis qui θίβην quid esset ignorarent. Sic alibi ἄρεις i. הרים corruptum in ἱερεῖς, Sacerdotes. Sic ex κεδρῶν quod est nomen torrentis, factum κέδρων. i. cedrorum. Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ *Oblevit eam*] וַתַּחְמְרָה. Lxx. κατέχρισεν αὐτὴν. Hiero. *linivit eam*. Verbum est à nomine quod bitumen sig. Unde Santes, *bituminavit eam*. Græce ἐσφάλτωσεν αὐτὴν. Quo verbo usi sunt Senes Gen. 6. Desideratur autem punctum in littera ה, quod ei imprimitur cum est pronomen affixum. Sic alibi שְׁמָרָה custodivit eam. Sic לה ei pro לָהּ in Zacharia. Aut est ה paragogicum. Quod si recipimus, tum vertendum erit, oblivit sive perlivit. vel, si mavis, *perlevit*. Pronomen interpretantur etiam Onkelos & Jonathan. ¶ *Bitumine*] בַּחֵמָר in bitumine. Terra est tenax ac lenta, rufi coloris, ait Abenezra, quæ invenitur in terra Israel. vulgo **Podenleim.** Ceterum in Aben. pro terra est lutum. i. טיט. Arabicè אלחמר, eodem teste. De bitumine vide Abbinum in Genesin, pag. 452. Nos quoque de eo diximus alibi. Reperio & חמר eodem intellectu, nisi mendum in Historia Gorionidis, ubi ימת החמר vocatur asphaltitis Lacus. Sæpius חמר est lutum, generaliore significatione. Hiscuni, *si foris illevisset bitumine, aqua extinxisset puerum*. Ergo bitumen non arcet aquam. R. Salomo, גומא *in lingua Deuterotarum vocatur* גמי *& vernacule junco. Lavit autem arculam illam foris pice & intus luto, ne justus odore picis offenderetur*. Ecce lutum appellat i. טיט, quod nos bitumen, cum Hiero. ceterisque interpretibus. Nam etiam Chaldæi ediderunt חמרא. R. Levi, *linivit eam bitumine, ne aqua intraret, & puto hoc bitumen esse lutum illud quod experti aurifices appellant lutum sapientiæ*. Rabanus, *Natura bituminis est ut in viminalibus vasculis posita, accessum possit aquæ coercere*. ¶ *Et pice*] καὶ πίσσῃ. Senes ex duabus vocibus, *bitumine ac pice* unum fecerunt ἀσφαλτοπίσσῃ. Unde colligas picem bitumine mixtam fuisse. Et est bituminis genus picem odore referens, quod vocatur πισσάσφαλτος: de quo Plinius. Lib. 24. cap. 7. & l. 35. c. 15. Brodæus Miscel. l. 4. cap. 23. Ceterum bitumen conglutinabat juncos, pix aquam arcebat. Nam bituminis mira vis ad conglutinandum: unde gluten Judaicum vocatur. Nam ejus magnam copiam suppeditat mare mortuum. De quo in hunc modum Brocardus Monachus in descriptione terræ Sanctæ, *Invenitur in eo mari bitumen, collectum de fundo ejus, quod agitante vento sibi ipsi cohæret, & littori appulsum in magna legitur quantitate. Est autem medicinale & durum, nec resolvi potest, nisi sanguine menstruo, appellaturque Gluten judaicum, & ab eo lacus asphalt. i. bituminis appellatur, de quo in Genesi ità legimus, Vallis sylvestris, quæ nunc est mare Salis, habebat puteos multos bituminis. Hi putei usque in hodiernum diem cernuntur in littore ejus, habentes singuli pyramides erectas, id quod oculis meis vidi.* ¶ *In junceto*] בַּסּוּף. Lxx. εἰς τὸ ἕλος, in palude. Id Hiero. emendavit, *in carecto*. Est autem carectum locus caricibus plenus. Hiero. secuti sunt Leo Judæ & Munsterus. Nam Tremel. edidit, *in alga*. Certum est סוף algam denotare: quæ tamen interpretatio huic loco minime quadrat. Nam alga in fundo maris progenit. Tradunt autem Ebræi סוף hoc loco idem esse cum גֹּמֶא, quod modo juncum interpretati sumus. in Deuterosi vocatur גמי. Interpretationem nostram adjuvat Jonathan, referens גו גומייא in medio juncorum. Sic expones quod in Onkelo בְּיַעְרָא Significat enim sylvam juncorum vel arundinum i. juncetum vel arundinetum. Nec alium intellectum habet interpretamentum Jerosolymitani בְּאֵפִירָה. Quanquam in Lexio Chaldaico Munsteri, אֵפִירָא, *fiscella de juncis facta Exod. 2. in Targum Jerosolymitano*. Scatet illud Lexicon talibus: ideò cum judicio legendum. Hujus & supra meminimus. Gallica editio hic habet, *en une rosiere*: in canneto sive arundineto quodam. ¶ *Super labrum rivi*] juxta labrum rivi aut fluminis. Super pro *juxta* etiam Livius usurpavit. Labrum autem rivi appellat ripam Nili, vel certe rivi alicujus ex Nilo derivati. Sisenna apud Nonium, *Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitque in labro summo fluminis, cælo albente*. Gen. 22. 7. *super labrum maris*. Hic littus designat. Ergo Hiero. vertit, *in littore maris*. Lxx. παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης, servatâ translatione. Obiter noto, pro כֵּף, quod in Onkelo ripam denotat, in Jonathane haberi כֵּיף, & in Jerosolymitano גיף. Munsteri λέξεις habent כף hoc significatu.

4. *Et stetit soror ejus procul ad cognoscendum quid fieret eo.*

5. *Descenditque filia Pharaonis ad lavandum super rivum, & puellæ ipsius ambulabant juxta latus rivi: & vidit arcam illam in medio junceti, misitque ancillam suam quæ acciperet eam.*

6. *Et aperuit & vidit ipsum scilicet natum, & ecce puer flebat, & miserta ejus dixit, Ex natis Ebræorum hic est.*

Et stetit soror ejus] Alii, *collocavit sororem ejus*: quod minus probo. Idem verbum Psal. 2. 2. *consisterunt reges terræ*. Ad verbum, *sistit se*. Nam Ebraicè תֵּתַצַּב forma verbi anomala pro תִּתְיַצֵּב in conjugatione reciproca, quam vocant Hithphael. Ideo vertunt; *statuit sive collocavit se*. ita plerique omnes interpretes: quibus ego assentior. ¶ *Soror ejus*] Maria. ¶ *Procul*] מֵרָחֹק *de procul*, aut *de longe*, vel si mavis, *à longè*. De procul ità dicitur, ut, *de sub*. Quod è Floro laudatur. Græcè ἀπὸ μακρόθεν. Quanquam in Lxx. hoc loco μακρόθεν, & in Hiero. *procul* tantum. ¶ *Ad cognoscendum*] nove dixit לְדֵעָה pro לָדַעַת ad sciendum. דֵּעָה scire: aut est nomen pro gerundio. Sic לְמִשְׁחָה ad imperandum. ¶ *Eo*] vel *ei*. מַה יֵּעָשֶׂה לוֹ. Lxx. τὸ ἀποβησόμενον αὐτῷ. Hiero. *eventum rei*. ¶ *Descendit*] e palatio suo. Aut, *descendit*, quia ad flumen descenditur. ¶ *Filia Pharaonis*] Thermothe. Rabanus. Thermutis. Josephus. Græcè Θερμουθίς. Sed in Ruffino Thermut i. Θερμουτ, vel certè Θερμουθ, ut legas Thermuth. Nam proclivis lapsus de th. in t. ¶ *Ad lavandum*] vel, *ut lavaret*. Hiero. *ut lavaretur*. Lxx. λούσασθαι: Onkelos, *ut lavaret*. Jonathan, *ut refrigeraretur*. Josephus, *ut luderet*. Si non legendum λούσασα pro παίζουσα. ¶ *Super rivum*] secus rivum aut flumen. Alii, *ad rivum* עַל הַיְאֹר. Nam hæ particulæ se mutuo explicant. Hiero. *in flumine*. Lxx. ἐπὶ τὸν ποταμόν. ¶ *Puellæ ejus*] αἱ ἅβραι αὐτῆς. i. ancillæ ejus honoratiores, quas Galli vocant *filles d'honneur*, & Belgæ mei, **Staetdochters**. Onkelos & Jonathan, *adolescentulæ ejus*. ¶ *Ambulabant*] deambulabant, ibant, gradiebantur. ¶ *Juxta latus rivi*] ad verbum, *super manum rivi*. Manus pro latere. Vide Observationes meas. Alii locum exponunt. i. מָקוֹם. Onkelos, *super ripam fluminis*. Sic etiam Jonathan. Ripam autem ille כֵּף, hic כֵּיף appellat. Lxx. παρὰ τὸν ποταμόν עַל יַד הַיְאֹר. Hiero. *per crepidinem alvei*. Santes, *juxta locum fluminis*. Tremel. *secundum rivum illum*. Abenezra עַל מְקוֹם הַיְאֹר Gallica editio, *sur la rive du fleuve*. i. super ripam. Ità יָד hoc loco idem erit cum שָׂפָה de quo supra. Leo Judæ, *in littore fluminis*. puto legendum in latere. Aut littus usurpat pro ripa. Munsterus, *juxta ripam fluminis*. Plerique omnes in ripa consentiunt. Ego *manus* ripa. ¶ *In medio junceti*] Onkelos, *in medio sylvæ*. Jonathan, *in medio juncorum*. Hiero. *in papyrione*. i. in loco papyris pleno. Dicimus autem papyrus & papyrum. Lex. vetus, Πάπυρον, *papirum*, *scirpus*. Fruticis genus. Nascitur in palustribus Ægypti, & quiescentibus Nili aquis. Ex eâ naves fiebant, quæ papyraceæ dicebantur. Vide Plinium Lib. 13. cap. 11. & l. 6. c. 22. Andreas Placus, *Papyrio à papyro derivatur, quæ a nostris juncus dicitur aut scirpus. Locus est ubi papyrus crescit.* Supra ubi nos habemus, *arcam junceam*: Græca quædam exemplaria præferunt θίβιν παπύρου. i. papyri aut papyraceam. Ex his liquet papyrionem à Hiero. dici quod nos potius diceremus papyretum ut juncetum, cannetum, arundinetum. ¶ *Ancillam suam*] אֲמָתָהּ Hiero. *unam è famulabus suis*. Lxx. τὴν ἅβραν ancillam i. unam ex puellis, de quibus supra. Onkelos nihil variat ab Ebræo. Nam אַמְתַּהּ ancilla. Sed potius ut significet ibi cubitum aut brachium. Siquidem præcedit וַתִּשְׁלַח extendit. Ancilla non extenditur, sed mittitur. Jonathan quoque habet גרמידא, quæ vox etiam cubitum denotat. Forte legerunt אַמָּתָהּ cum patach & dages. Sane אַמָּה cubitus, & est mensuræ genus, quod pro brachio unquam accipi negat Abenezra. Ideò in omnes partes melior interpretatio recepta, *ancillam suam*. Alioqui שָׁלַח pro extendo insolens non est. Sic alibi, *misit manum suam*, i. extendit, ἐξέτεινε. ¶ *Aperuit*] arcam.

¶ Na-

¶ *Natum*] vel *puerum*, aut potius, *puerulum*. *Puer flebat*] vel, *puer flens*. Sic Graeci LXX, παιδίον κλαῖον. Hiero. *parvulum vagientem*. Puer hic ab Onkelo עוּלֵימָא dicitur, à Jonatha, רביא. ¶ *Ex natis Ebraeorum*] Onkelos & Jonathan, ex filiis Judaeorum. Sed unde hoc scire potuit? an conjecturam fecit ex loco, ubi absconditus erat? Theodoretus arbitratur eum id cognovisse ex circumcisione. Nam eo tempore, inquit, Aegyptii non circumcidebant infantes suos. Quod verum an falsum sit aliis dijudicandum relinquo. Certe Jeremia prophetante habebant circumcisionem. Quod autem legimus, *omnes gentes praeputium habent*, in eo loco Hiero. *omnes* accipit pro pleraque parte. Nam & gentes quaedam, inquit, circumcidebantur, ut Aegyptii, Idumaei, Ammonitae, Moabitae, Arabes: quos enumerat in comment. Jerem. 9. pag. 252.

7. *Et dixit soror ejus ad filiam Pharaonis, Ibone & vocabo tibi mulierem nutricem ex Ebraeis quae lactet tibi natum.*

8. *Et dixit ei filia Pharaonis, Ito: & ivit adolescentula & vocavit matrem nati.*

9. *Cui dixit filia Pharaonis, Abduc natum hunc, & lacta eum mihi, & ego dabo tibi mercedem tuam: accepitque mulier natum & lactavit eum.*

Ejus] pueri. ¶ *Vocabo tibi*] καλέσω σοι. Pleonasmus Ebraica, ut *vade tibi*, *faciamus nobis &c.* eum retinent interpretes omnes quos vidi, etiam LXX. & Hier. Possumus vertere, *ibone vocatum tibi*. ¶ *Mulierem nutricem*] mulier nutrix, ut *mulier ancilla*. Quod genus pleonasmi tribus in linguis usitatum est. *Mulier ancilla*, invenies apud Salustium, ut apud Herodotum, ἀνὴρ ἁλιεὺς, vir piscator. Sic *homo Sacerdos*. Huc retulerim *vir aethiops*. Act. 8. *vir Judaeus*. Zach. 8. 23. *vir Aegyptius* in Genesi. Quae locutiones non minus elegantes sunt, quam frequentes. LXX. hic habent γυναῖκα τροφεύουσαν *mulierem nutrientem* i. nutricem. Nam participia, etiam apud Ebraeos, saepè hoc modo nominascunt. Sane מֵינֶקֶת participium est, quod in nominis naturam transiit. In editionibus Chaldaicis אִתְּתָא מֵינִקְתָּא mulierem nutricem. Nihil variant ab Ebraeo. ¶ *Ex Ebraeis*] ex Ebraeis mulieribus. Nam obliquus est à recto *Ebraea*. ¶ *Quae lactet tibi*] καὶ θηλάσει σοι Lxx. & *lactabit tibi*. Santes. Sic in Ebraeo est ad verbum. ¶ *Natum*] puerum, infantem, τὸ παιδίον: Hunc supra ילד vocavit. Causam reddit Abenezra quia grandiore corpore erat. Idem annotat id significari verbis illis, *quod bonus esset*, ut *bonus* ibi sit pulcher & grandiusculus. Quod de Mose etiam Josephus scriptum reliquit. Hoc me fugit, cum eum locum enarrarem, observare. ¶ *Adolescentula*] הָעַלְמָה Lxx. νεᾶνις. Hiero. *puella*. Sic etiam Jonathan. Nam טַלְיְתָא puella: unde in novo Foedere, Talitha cumi. i. puella surge. Graecè est κοράσιον σοι λέγω &c. Onkelos עוּלֵימְתָּא adolescentula. Santes, *puella*. ¶ *Matrem nati*] τὴν μητέρα τοῦ παιδίου, matrem pueri. Hiero. *matrem suam*. אמא vel אִמֵּהּ. Onkelos & Jonathan, *matrem ipsius pueri*. *Abduc*] הֵילִיכִי ità dicitur ut הֵינִיקִי lacta, ἀπὸ τοῦ ילך. Reperitur etiam הוליך deduxit, Jod in Vau conversa. Jam ad interpretationes. Lxx διατήρησόν μοι: conserva mihi. Onkelos & Jonathan, אוֹבִילִי, abduc. Quanquam in Fagio, tolle. In Veneta, quae in octavo folium complicat, repperi הָא לִיכִי. R. Salomo, *Prophetat ignara. Quid prophetat?* הֵי שֶׁלִּיכִי *ecce tuus est*. Quod si admittimus, erit dictio composita ex הֵי sive הא ecce, & לִיכִי pro לָךְ, quod novum in oculis meis. Aut לִיכִי decurtatum ex הוליכי abduc. Sed & hoc exemplo caret. Quocirca non est recedendum a priore interpretatione. Santes, *deduc*. Munsterus, *tolle* שְׂאִי. Leo Judae, *cape* קְחִי. Quid si לִיכִי pro הֵילִיכִי, ut בִּינִי dicimus pro הָבִינִי à themate לך quod idem cum ילך. Cui simile נוק & יָנַק. Hoc pono non statuo. ¶ *Lacta eum*] הֵינִקִהוּ θήλασον αὐτό. Esset autem הֵינִיקִיהוּ. Sic Onkelos, אוֹנִיקִיהִי lacta illum. Aut est enallage generum. Hiero. omisit pronomen. Nam vertit, *nutri*. ¶ *Et lactavit eum*] וַתְּנִיקֵהוּ καὶ ἐθήλαζεν αὐτό. *Thema* ינק. Quod arguit scheva sub littera Thau יָנַק & יָנֵק, ut טוֹב & יָטַב, unde הֵטִיב benefecit.

10. *Crevit autem natus & adduxit eum ad filiam Pharaonis, eaque fuit pro filio, vocavitque nomen ejus Moses, & dixit, Quia ex aqua extraxi eum.*

Crevit] magnus evasit, adolevit. ¶ *Natus*] vel potius, *puer*. ¶ *Pro filio*] aut, *filii loco*: ad verbum, *in filium*. Esse in filium, ut esse in uxorem: quod duobus modis accipitur. Uno modo ut hîc: alio ut significet filium revera. Sic *fuit ei in uxorem*. i. uxor revera. Filios autem dicimus & quos adoptavimus: & quos educavimus, enutrivimus. Videndus hoc loco Abenezra. ¶ *Moses*] Ebraicè Mose. i. מֹשֶׁה. Mose, Moses; ut Jose, Joses: Mamre, Mamres. Nominibus enim in vocali desinentibus Graeci *s* addere consueverunt. Sic Juda, Judas: Jesu, Jesus: Tobi, Tobias. Tractabo nunc aliquot quaestiones, sed breviter, meo more. Prima est an aliud nomen antea habuerit? Credibile est alio nomine vocatum fuisse cum circumcideretur. Clemens hoc disertè affirmat. Unde habuerit nescio. Ait ei nomen proprium fuisse primum nato Joacim. Hoc scribit in libris Stromat. pag. 129. Secunda quaestio, An nomen hoc Ebraicum impositum ei fuerit à filia Pharaonis, quae Aegyptia erat? Abenezra scribit Aegyptium nomen fuisse Monios. Id Ebraice sonat Moses. Est ergo nomen interpretatum ex linguâ Aegyptiacâ. Forte Thermuthis callebat Ebraicè: aut à sorore matreve didicit. Nihil etiam mirum si Ebraeo puero nomen imponat Ebraicum. Tertia quaestio, Cum extractus fuerit ex aquâ, quare dicitur מֹשֶׁה, quod potius extrahentem sonat? Respondeo nomen esse proprium, non appellativum. In illis non est eadem ratio quae in his. Quarta quaestio, Cur antiqui scribunt Μωϋσῆς id est Moyses? Ante omnia sciendum nomen hoc pronunciandum esse διασυλλαβῶς. Quod autem vulgari pronunciatione Moyses trissyllaba vox sit, in causa esse creditur vitiosus effatus litterae υ, qui à nonnullis cum ι confunditur. His praemissis, ajo scripturam illam natam videri ex etymo Josephi μω aqua, *hyses* servatus. *Mo* vocabulum est Aegyptium, quod multi scribunt *mos*, sed perperam. *Hyses* sive ὑσῆς i. יֶשַׁע servatus. Hoc Josephus nunquam scripsisset, si Mosem in sua linguâ diligentiùs evolvisset. Sed forte imposuit ei Scriptura Graeca: quae sane antiquior est, si Senes qui Josepho multò antiquiores sunt, eâ usi sunt. Relinquamus hoc in medio. Temerè nihil affirmare aut negare debemus. In מְשִׁיתִהוּ latet Jod, ut in הֵינִקִהוּ lacta eum. Quanquam hîc tseri, illic sit chirec. Thema est מָשָׁה. LXX. αὐτὸν ἀνειλόμην. Hiero. *tuli eum*. שְׁלִיתִיהִי. Onkelos & Jonath. שְׁחֵיתִיהּ. R. Salomo interpretatur, *eduxi eum*, הוצאתיו. Est etiam ubi legatur שְׁחִיתִהוּ transpositis litteris. Quod frequens in eâ linguâ. Porro Monios Ebraice מושה. Hyses autem hanc rationem habet. ישע Hysa, & ἀρχαϊσμὸς Hyse: deinde Hyses Graecâ declinatione.

11. *In diebus illis cum crevisset Moses, egressus est ad fratres suos, viditque onera ipsorum, & vidit virum Aegyptium percutientem virum Ebraeum è fratribus suis.*

12. *Et circumspiciens huc illuc, cum neminem videret, percussit Aegyptium & abscondit eum in arena.*

Quum crevisset] aut, *magnus evasisset*, quod Graeci dicunt μέγας γενόμενος. Nam annum tunc agebat quadragesimum. Stephan. Act. 7. 23. ¶ *Egressus est*] ex aula Pharaonis, ubi eruditus fuerat in omni sapientiâ Aegyptiorum. ¶ *Ad fratres suos*] Israelitas. Lxx. Stephanus, agnatos & gentiles, ut mox, *e fratribus suis*. ¶ *Onera ipsorum*] בְּסִבְלֹתָם in oneribus ipsorum. Hoc certè non vidit libenter & cum voluptate. Falsum ergò quod Grammatici notant de verbo ראה, quando cum ב construitur. Saltem perpetuum non est. Pro *onera ipsorum*, Lxx. τὸν πόνον αὐτῶν סבלם. Hiero. *afflictionem eorum*, ענים. Onkelos, *servitutem eorum* בְּשִׁעְבּוּדְהוֹן. Jonathan, *vexationem animae eorum & multam servitutem ipsorum*. עָקָא & עָקְתָא vexatio, angustia. i. צרה aut עקה. aut lege, suspiria eorum. Nam אנק suspiro. ¶ *Virum Aegyptium*] Quendam Aegyptium. Aut *virum Aegyptium*, ut ἄνδρες Ἀθηναῖοι: de hoc pleonasmo diximus supra. Lxx. ἄνθρωπον Αἰγύπτιον. ¶ *Percutientem*] τύπτοντα, verberantem, injuria afficientem. Vide Actor. 7. 24. Hunc putant fuisse ex praefectis regiis, qui operas Judaeorum exigebant, morasque cessantium castigabant. Licet etiam exponere, percutientem, occidentem, ut mox, *percussit Aegyptium*. ¶ *E fratribus suis*] *è cognatione suâ*. Abenezra. *Maritum Salomith filiae Dibri*. R. Salomo. ¶ *Percussit*] occidit. Psal. 136. 17. *qui percussit reges magnos*. paulò post se explicans ait, *occidit reges inclytos*. Sic autores Latini percussorem vocant eum qui aliquem occidit, maximè si ad hoc fuerit conductus. ¶ *In arenâ*] ἐν τῇ ἄμμῳ. LXX. *in sabulo*. Hiero. Est autem sabulum propriè arena crassior & ponderosior: unde sabuletum.

13. *Et egressus die altero, cum ecce duo viri Ebraei contenderent, dixit impio, Quare percutis socium tuum?*

14. *Qui dixit, Quis posuit te in virum principem aut judicem super nos? An occidere me tu cogitas, quemadmodum occidisti Aegyptium? timuitque Moses & dixit, Vere innotuit verbum istud.*

Die altero] die postero. Ebraicè, *die secundo*. Acto. 7. 26. τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ: die sequenti. ¶ *Duo viri Ebraei*] Dathan & Abiron. Jonathan. R. Salomo. ¶ *Contenderent*] vel, *rixarentur*. Lxx. vertunt, μάχομαι διὰ λόγων, rixa, μάχομαι διὰ λόγων litigatio, jur-

Jurgium. Verbum è verbo, *Et egreſſus eſt die ſecundo & ecce duo viri contendentes.* Hiero. *rixantes.* Lxx. διαπληκτιζομένους. Stephanus μαχομένους. i. pugnantes. Lex. vet. μάχη, ἡ ἐν πολέμῳ, prælium, pugna. Certum eſt non fuiſſe pugnam verborum tantùm. Nam ſequitur ecce, *cur percutis ſocium tuum?* Ideò minus proprie vertunt qui vertunt, *litigabant*, ut Santes & alii. Obſerva in Ebræo נצים pro ננצים & eſt nomen Thoar ex conjugatione Niphal. ¶ *Impio*] ei qui faciebat injuriam. Hiero. Prius Lxx. τῷ ἀδικοῦντι. Tremel. *iniquo.* Jonathan, *videns quod Dathan elevaſſet manum contra Abiron ad percutiendum eum, dixit ei.* Onkelos, *peccatori.* ¶ *Socium tuum*] ità Onk. & Jon. alii, *proximum tuum*, ut Hiero. Santes, Tremel. & Lxx. τὸν πλησίον. ¶ *Poſuit*] conſtituit, κατέστησεν. ¶ *In virum principem*] Latinè, *virum principem*: & eſt pleonaſmus, ut *homo piſcator*, *mulier nutrix.* Satis enim erat, *principem.* i. ἄρχοντα: Quod in Hiero. Lxx. & Act. 7. 27. ¶ *Et judicem*] καὶ δικαστήν. ¶ *Cogitas*] aut, *vis.* In Ebræo eſt ad verbum, *dicis.* Id pleniùs efferunt, *dicis in corde tuo.* Ceterum in Lxx. & apud Lucam eſt θέλεις, & in Hiero. *vis.* Dicere pro velle notavit ex Ebræis Moſes Gerundenſis: (Idem interpretatur, *dixit Deus fiat lux*, voluit ut eſſet lux.) pro cogitare, Abenezra, & alii. Ita ſane ſumitur Jeſ. 8. 12. Gen. 20. 11. Joſ. 22. 24. ¶ *Verbum iſtud*] τὸ ῥῆμα τοῦτο. i. res iſta. ¶ *Innotuit*] *palam factum eſt.* Hieronymus. ¶ *Vere*] alii, *profectò.* ¶ *Quemadmodum occidiſti*] Heri. i. χθές. Lxx. Lucas.

15. *Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quæſivit occidere Moſem: & fugit Moſes à facie ejus & habitavit in terra Madian, & ſedit juxta puteum.*

Sermonem hunc] rem hanc. ¶ *A facie ejus*] pro eo habendum ac ſi diceret, ab eo, ſive illum, aut metu illius. Sic, *cum fugeret David à facie Abſalom filii ſui.* ¶ *Habitavit*] ᾤκησεν. Hiero. *moratus eſt*: alius, *manſit.* ¶ *Madian*] Nomen hoc ſcribi debet cum [illegible] in ultimâ. Quod autem in Libris Græcorum μαδιὰμ, mendum eſt ab exſcriptoribus, quale in Ἐδὲμ & ſimilibus. Hodiè Midian, & eſt diſſyllabum. Joſephus urbem eſſe dicit in littore maris rubri ſitam. Euſebius in locis duas urbes memorat ejus nominis. Prior, inquit, eſt trans Arabiam ad meridiem in deſerto Saracenorum, contra orientem maris rubri: unde vocantur Madianæi & Madianæa regio. Alia eſt juxta Amonem & Areopolin, cujus nunc ruinæ tantummodo demonſtrantur. [illegible] hac Moſem exulaſſe ſcribit Hiero. In locis Act. Apoſt. ¶ *Sedit*] ἐκάθισεν. Alii *habitavit.*

16. *Et ſacerdoti Madian ſeptem erant filiæ, quæ venientes hauriebant & replebant canales ut adaquarent gregem patris ſui.*

17. *Et ſupervenientes paſtores repulerunt eas, ſurgens autem Moſes ſervavit eas & adaquavit gregem earum.*

Sacerdoti] τῷ ἱερεῖ. Hiero. Lxx. Joſephus. Cui firmando Abenezra ità ſcribens, *omnis ſacerdos*, (כהן) *eſt miniſter Dei aut idolorum. Iſte autem erat Jethro miniſter Dei, quemadmodum adhuc declarabo.* Onkelos tamen לרבא i. principi, & Jonathan לטורנוס tyranno. Id ſecutus noſtrâ ætate Tremel. vertit, *Præſidi autem Madianitarum.* Vide quæ ſcripſimus Gen. 41. 45. ¶ *Madian*] Urbis an regionis? ¶ *Canales*] הרהטים Lxx. & Joſephus, τὰς δεξαμενὰς, quæ ſunt ὑδάτων δοχεῖα. i. receptacula. Hiero. *canales.* Alius, *aqualiculos.* De hac voce alibi. Interpres Joſephi, *lacunas* reddit. Loquor de interprete nupero. ¶ *Ut adaquarent*] vel, ut potum darent: ποτίσαι. ¶ *Gregem*] ovium. In quibuſdam latinis Hiero. *greges.* Lxx. πρόβατα, oves. Alii, *pecudes.* ¶ *Patris ſui*] τοῦ πατρὸς αὐτῶν Ἰοθόρ. Lxx. mox, *venerunt ad Raguel patrem ſuum.* Vide quæ obſervamus ad illum locum. ¶ *Paſtores*] urbis aut regionis Madian. ¶ *Repulerunt eas*] Lxx. ἐξέβαλον αὐτάς. Hiero. *ejecerunt.* Santes, *expulerunt.* Id Chaldæi ſignificant verbo טְרַד, de quo alias. ¶ *Servavit*] liberavit, defendit, vindicavit. ¶ *Gregem earum*] Lxx. τὰ πρόβατα αὐτῶν: quod ambigue dicitur. Nam tam *eorum* quam *earum* ſignificat. Hiero. *oves earum.* Sic etiam Onkelos & Jonathan. Scire licet pronomen in Hebræo maſculinum eſſe. Tremel. *eorum* i. *omnium & puellarum & paſtorum.* ego præfuli *earum.* Quæ enallage inſolens non eſt. Ne longè abeam, in hoc ipſo verſu legimus ויגרשום & repulerunt eas, ubi perſpicuè Mem pro Nun. Abenezra id fieri putat differentiæ cauſa, ne quis paragogen eſſe arbitraretur. Idem in צאנם vitatum exiſtimat concurſum duarum litterarum ſimilium.

18. *Et venerunt ad Raguel patrem ſuum, qui dixit, Quare properaſtis venire hodie?*

19. *Et dixerunt, Vir Ægyptius liberavit nos è manu paſtorum, & inſuper hauriendo hauſit nobis, & adaquavit gregem.*

Venerunt] Revenerunt ſive redierunt. Contra *redire* pro *venire* uſurpatur. Vide notas meas in hiſtoriam Ruth. ¶ *Raguel*] ῥαγουήλ. רעואל ῥαγουὴλ, ut רע ῥαγαῦ, ubi & pro ου eſt αυ. ſic עזה Gaza: quæ ſcriptura multis impoſuit. Poſſet etiam ſcribi Raüel aut Reuel. Simile Seor & Segor. ¶ *Patrem ſuum*] avum ſuum. Abenezra, R. Levi, & alii. Nam pater Jethro dicebatur & Hobab. Ut pater pro avo, ità filius ponitur pro nepote. Aliter Lyra, qui ei quatuor nomina tribuit, *Raguel, Jethro, Cyneus, & Hobab.* Cui ſententiæ firmandæ varia lectio quæ in libris Latinis. Nam in pleriſque, *ad Jethro patrem ſuum*: tum etiam Scholion illud, ῥαγουὴλ ἰοθόρ, quod in editione Romana. Porro Jothor eſt Jethro. Thargum Jonathæ, *venerunt ad Raguel patrem patris ſui.* ¶ *Quare properaſtis venire hodie*] Hiero. *cur velocius veniſtis ſolito?* ¶ *Venire*] revenire. Simplex pro compoſito. ¶ *Vir Ægyptius*] Quidam Ægyptius. Si mendacium dicunt, non tamen mentiuntur. Sed profectò non eſt mendacium. Nam Ægyptius erat, quia in Ægypto natus. Ut ut ſit, quia habitu Ægyptio indutus erat, ideò putabant eſſe Ægyptium. ¶ *Gregem*] oves, pecudes.

20. *Et dixit filiabus ſuis, Ubi is eſt? quare reliquiſtis virum? vocate eum ut comedat panem.*

21. *Et voluit Moſes habitare cum viro illo, qui dedit Sephoram filiam ſuam Moſi.*

22. *Ea peperit filium, & vocavit nomen ejus Gerſom: Nam dicebat, quia peregrinus fui in terra aliena.*

Filiabus ſuis] Jona. *filiabus filii ſui.* Si avus erat, ergo filias dicit neptes: quod & alias fieri obſervavimus. Sic filius pro nepote ſumitur. Quod notius eſt quam ut probari debeat. ¶ *Reliquiſtis*] καταλελοίπατε, dimiſiſtis. ¶ *Ut comedat panem*] ut cibum apud nos ſumat. ¶ *Et voluit*] Sic Onkelos, Jonathan & Santes. Thema יאל. Tremel. *Acquievit tandem ut maneret.* eodem recidit. Unus Hiero. *Juravit ergo, quod habitaret cum eo*: ac ſi eſſet ab אלה juramentum. Sic exponitur in Medras, referente Jario, *Juravit* [illegible] *ſe non moturum inde abſque conſenſu ipſius.* Non eſt dubium, quin Hiero. à Judæis ſui temporis id acceperit. ¶ *Habitare*] vel, *ſedere, manere.* ¶ *Cum viro*] apud virum. Sic alibi, *Satias lætitiarum cum vultu tuo.* ¶ *Sepphoram*] σεπφώραν. Ebraicè צִפֹּרָה, quod nunc legunt ac ſcribunt, Sipphora. Editio Hiero. *Sephora.* i. צִפֹּרָה. Reperio & σεμφώρα in B. ubi μ ex epentheſi Nun; vel certe à manu aberrante: unde [illegible] Remphan, & alia non pauca. De hac Sepphora videndi ſunt Euſebius Προπαρασκ. Lib. 9. pag. 257. & Theodoretus in Num. quæſt. 22. ¶ *Filiam*] neptem. Mirum autem patris nullam hic mentionem fieri. Abenezra conjicit eum tunc abfuiſſe. Sed quid? An ſine ejus conſenſu filiam elocare potuit avus? ¶ *Moſi*] ei. nomen loco pronominis. ¶ *Et vocavit*] Moſes. ¶ *Gerſom*] גֵּרְשֹׁם cum holem. Sic legerunt Onkelos & Jonathan. Quod noto, quia in Lxx. γηρσάμ, & in Hiero. *Gerſam*, i. גֵּרְשָׁם cum cametz. Olim cum puncta deerant tam hoc quam illo modo legi potuit. Jam verò dialectus Syriaca mutat holem Ebræorum in camets. Inde Gehennam pro Gehennom. In libro nominum, *Gerſan, advena ibi, aut adjectio eorum.* lege, *ejectio.* גר advena, שם ibi. גרש ejicio, expello. ¶ *Peregrinus*] גר advena, πάροικος. Chaldaicè דיר Erant autem duo genera peregrinorum ſive advenarum. Alii legem Moſis amplexabantur, & propriè Gioræ (Proſelyti) dicebantur. ¶ *In terra aliena*] ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ. Jonathan, *in terra ignota non mea.*

23. *In diebus illis multis cum mortuus eſſet rex Ægypti, ſuſpirarunt filii Iſrael ex ſervitute, & vociferati ſunt: & aſcendit clamor eorum ad Deum ex ſervitute.*

24. *Audivitque Deus clamorem eorum, & recordatus eſt Deus pacti ſui cum Abraham, cum Iſahac & cum Jacob.*

25. *Viditque Deus filios Iſrael & cognovit Deus.*

In diebus illis multis] Hiero. *Poſt multum vero temporis.* Senes, μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας τὰς πολλὰς ἐκείνας, poſt dies multos illos. ¶ *Cum mortuus eſſet rex Ægypti*] Moſes natus fuit ſub principatu Amenophis. Fugit autem cum Orus rerum potiretur, vel certè in principio regni Acengeres ſive Acencris. Rediit cum Cenchres regnaret in Ægypto, qui in mari rubro periit. Hæc ferè Euſebius. Unde colligimus plures uno vita functos, interea dum apud Madianitas degeret. Fuit enim ibi an. 20. Nam anno ætatis 40. fugit. Rediit autem 80. ¶ *Ex ſervitute*] vel, *ex opere*, i. propter opera dura quæ illis impoſita erant, quibusve gravabantur. Abenezra ſcribit, cum prius coluiſſent Deos falſos Ægyptiorum; ut ex Ezechiele colligere

ligere est, eos tum rediisse ad veri Dei cultum. ¶ *Ascendit clamor eorum*] tam magnus fuit, ut ad Deum usque penetrarit. ¶ *Ex servitute*] Hiero. *ab operibus*. Sic Græci ἀπὸ τῶν ἔργων. ¶ *Clamorem eorum*] vel *gemitum eorum*. Hoc interpretantur Hiero. Tremel. & Munsterus: illud Onkelos, Jonathan & Santes. LXX. quoque habent, τὸν στεναγμὸν αὐτῶν. ¶ *Recordatus est pacti sui*] vel, *fœderis sui*. In hoc fœdere tempus definitum erat servitutis eorum, quod jam ad finem pervenerat. Duo ergò Deum moverunt, ut liberaret eos ex Ægypto. Primum clamor eorum, qui certe comitem habebat pœnitentiam & mutationem vitæ in melius: deinde pactum quod pepigerat cum majoribus ipsorum, & inprimis cum Abrahamo. ¶ *Vidit*] respexit & propitius fuit: aut vidit vexationem eorum. Sic alibi, *vidi vidi afflictionem populi mei*. ¶ *Et cognovit*] ut Psal. 1. 6. *quia novit DOMINUS viam justorum*. Jonathan, *cognovit pœnitentiam quam egerunt in occulto*. Abenezra, *vidit violentiam, quæ illis fiebat palam: & cognovit quæ clam in eos moliebantur Ægyptii*. Eodem fere modo Vatablus. ¶ *Deus*] Elohim, in quo significatio judicii.

A M A M A.

11. **E**br. ויאל *voluitque Moses habitare cum viro isto*. Vulg. *Et juravit Moses habitare &c.*] יאל in Hiphil proprie velle significat. Unde Chald. וצבי & voluit. Sic R. Sal. Santes, Vatablus & alii, Joh. Benedict. & Trem. *acquievit*. Paulus Burg. ait esse vocem univocam & significare ipsum actum volendi. Quod verò quidam dicunt significare aliquando juramento astringere aliquem, verum esse potest. Saltem unico isto quem Pagninus in Thes. attulit, loco, aliter accipi non potest. Locus iste est 1. Sam. 14. 24. ויאל שאול את־העם *& adjuravit Saul populum*. At illud Vulgatum non juvat, nec enim hic *adjuravit*, sed *juravit*, vertit Interpres. Magnum autem inter utrumque discrimen est. Deinde construitur ibi verbum cum Accusativo qui hic nullus est. Eadem enim hic constructio, quæ aliis volendi verbis competit. Recte itaque & meritissimè hunc locum taxavit Steuchus dicendo, *nulla hic juramenti mentio*. Et Cajet. *Nulla est mentio juramenti sed liberæ voluntatis*. Ridiculus hic omnino est Math. Doring, replicator. Reprehensurus enim Burgensem qui dixerat in Ebraica litera non poni quicquam ad juramentum pertinens, sic dicit, *sed quicquid sit de litera Ebraica non judico*. Si non judicas, quid ergo virum doctum reprehendis Barbare, qui ex lingua fundamentum assertionis petiit. Sed credimus tibi injurato te literas Ebraicas nescivisse. Et ut alii idem credant, rideantque producam locum ex Replica ejus ad Exod. 3. Ibi enim reprehensurus Burgensem affirmantem nomen Tetragrammaton יהוה carere plurali numero, ut videl. cætera nomina propria, serio rogat quid obstet quominus dicere liceat a Tetragrammaton, Tetragrammatones, sicut a Simeon Simeones? Arbitratus fuit homo stupidus & simul arrogantissimus de ipsa voce *Tetragrammaton* sermonem esse Burgensi & non potius de nomine Dei יהוה quod a numero 4. literarum τετραγράμματον vocant docti. Et si ita esset, tamen a neutro plurali tertiæ declinat. Græcorum, non posset formari plur. Masculinum in *Ones*, quo ipso & peritiam suam Græci sermonis prodidit. Vere itaque de eo Steuchus ad Gen. 37. 3. Eum vid. universam Vet. Testam. scripturam conspurcasse eamque fœdissima barbarie & fœditate barbara refersisse ac proinde indignum esse qui nominetur.

Vers. 22. Hæc in Ebr. veritate non leguntur ideoque obelo confodienda, *Alterum vero peperit quem vocavit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adjutor meus & eripuit me de manu Pharaonis*. Descripta autem a Vulgato sunt ex LXX. qui hæc ex cap. 18. 4. huc transtulere. Cajetanus idem disertis verbis agnoscit, ut & Joh. Benedict. Paris. Quin & Lovanienses Theologi monent in Ms. quibusdam non legi, nec Chald. Ebræosque codices illud habere. Romanus tamen Pontifex uterque hæc retineri voluit. Vide Appendicem.

D E M U I S.

1. **I***Vitque vir de domo Levi, & accepit filiam Levi*, &c.] Initio cap. 2. Exodi explicatur ortus Moysis, ac primò quidem dicitur ejus pater fuisse è familia Levi, mater verò ipsius Levi filia: sic enim habet Hebraica veritas, *Ivitque vir de domo Levi, & accepit filiam Levi*. Qui illi fuerint docet cap. 6. ejusdem libri v. 20. Nempe ille fuit Amramus, hæc verò Jochabeda: Amramus autem ex Caatho Levi nepos fuit, hæc verò ipsius Levi filia, Amrami amita, ut è cap. 6. Exodi versu mox citato videre est. Sed hic non levis difficultas exoritur, qui fieri potuit ut è Jochabeda Levi filia natus sit Moyses. Nam cùm totos saltem 210. annos Israelitas in Ægypto fuisse constet, indéque eos eduxerit Moyses anno ætatis 80. Levi autem fuerit circiter 50. annorum cùm Ægyptum venit, aut Levi fuerit admodum senex cùm genuit Jochabedam, aut Jochabeda cùm Moysem genuit necesse est. Alioquin 210. illorum annorum numerus non constabit, nisi ad 80. annos Moysis (tot enim erat natus cùm Israelitas ex Ægypto eduxit) accedant 130. quorum spatium decurrisse partim Levi partim Jochabedam ante natum Moysem oportet. At si è 130. accrescant duntaxat 60. ad 50. annos ipsius Levi, cùm Ægyptum venit, fient 110. adhúcque supererunt 70. qui Jochabedæ ætatem conficiant. Utraque autem hæc ætas, nempe 110. annorum in viro & 70. in femina, non admodum apta ad generandum videri possit, illis præsertim temporibus, cùm deterior jam ac brevior facta vita mortalium esset.

Sic ferme ex Hebræis solvi hic nodus potest. Seniores quidem viri si cum vetulis feminis dormiant generare minimè possunt; secùs si cum juvenculis. In juvencula quippe senex maritus potest, ut quotidiana experientia docet, quod in exsucca vetula frustrà tentaret. Hoc volebat Abrahamus, cùm Gen. 17. 17. Deo sobolem pollicente, apud se ac ridens aiebat, *Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Scilicet non tam ætatis suæ imbecillitatem quàm uxoris accusabat. Nec satis habuit si centum se annos natum diceret nisi etiam Saræ uxoris effœtam ætatem notasset. Si jam tum Abrahamus vires ad generandam impares cognovisset, cur diu post, cùm jam Isaacus Saræ illius nonagenariæ filius 40. annum attigisset, quòd Sara naturæ concessisset, uxorem duxit Ceturam? Quàm verò frustrà dixerit declarant sex liberi mares ex ea suscepti, ut legere est Gen. 25. 2. Tunc temporis autem cùm illam duxit annum egisse illum 140. nimis palàm fit: sed Ceturam sanè oportet fuisse juvenem quæ virum tot pignoribus bearit. Similiter de Levi dicendum, ipsum, cùm jam in Ægypto esset, ex juniore quadam uxore suscepisse Jochabedam. Levi quando Ægyptum venit circiter 50. annorum erat, huic nata sit Jochabeda anno ab ingressu in Ægyptum 87. nempe ultimo ipsius ætatis anno: (vixit enim Levi 137. annos; Exod. 6. 20.) ac siquidem Moyses octogenarius Israelitas ex Ægypto eduxit, tribuantur Jochabedæ quando edidit Moysem duntaxat 43. anni: ità conficientur 210 anni mansionis Israelitarum in Ægypto. Quòd si plures annos ipsi Jochabedæ cùm Moysem genuit tribuere forsan voles, id quod rationi nequaquam repugnabit, tot tibi de annis Levi cùm Jochabedam genuit erunt deducendi. In edit. Vulgata, quæ Exod. 2. 1. pro eo quod Hebraicè legitur *filiam Levi*, habet *uxorem stirpis suæ*, Exodi verò 6. 20. patruelem non amitam Amrami ait fuisse Jochabedam, nulla primâ fronte apparet difficultas; nisi quòd Num. 26. 58, 59. in eadem editione Vulgata cui consentit Hebræus codex legitur, *At verò Caath genuit Amram, qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto*: unde apertè constat ipsius Levi filiam fuisse Jochabedem. Facilè porrò se expediunt è Rabbinis illi qui affirmant Jochabedem cùm centum esset annorum, ad annos pubertatis reversam, novámque puellam anno demum 130. factam, genuisse Moysem. Sed somnia ista sunt, quæ nisi fatuis probari non possunt.

At cur tandem dicitur vir ille accepisse filiam Levi? An quia tum primùm sibi illam despondit? Non. Jam enim nati illi erant Maria & Aaron. Bechai putat dici illam accepisse, שהחזירה לפי שפירש ממנה בגזרת כל הבן הילוד היאורה תשליכהו, *quòd eam redire jusserit à qua secesserat propter Pharaonis edictum de projiciendis in flumen omnibus maribus*. Idem sentit & Rasi.

G R O T I U S.

2. **F***iscellam scirpeam*] Vocem Hebræam servarunt hîc Græci. Significat λάρνακα [*arcam*], quâ voce utitur Strabo in narratione de Auge & Telepho, Simonides de Danaë & Perseo. Strabonis verba libro XIII. Εὐριπίδης δ᾽ ὑπ᾽ Ἀλέου τοῦ τῆς Αὔγης πατρὸς εἰς λάρνακα τὴν Αὔγην καταπεθῆσαν ἅμα τῷ παιδὶ Τηλέφῳ [*Euripides ait Augen à patre suo Alea cum filio Telepho in arcam inclusam*], &c. Simonides: ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ ἄνεμος βρέμῃ πνέων, κινηθεῖσά τε λίμνα δείματι ἔρειπεν [*Cum jam fremeret ventus in arcam*, &c.]. Scirpeam, id est, ex papyro. Lucan. lib. IV.

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

16. *Sacerdoti*] Veri Dei, qualis & Melchisedech. Nondum enim idololatria se tam latè diffuderat.

18. *Ad Raguelem patrem suum*] Id est, avum, ut colligitur Num. x. 29. confer quod Gen. XXIV. 48.

23. *Ad Deum*] Quem invocare tunc plerique cœperant, Num. XX. 16. relictis idolis Ægypti, Ezec. XX. 8.

CAP.

CARTWRIGHTUS.

1. *ET mulier concepit*] Scriptura (ut notat Aben Ezra) de nativitate Aaronis & Miriam mentionem non facit, propterea quòd tunc cum ipsi nascerentur, nihil novi accidit.

Et vidit eum כי טוב הוא *quòd pulcher* (ad verb. *bonus esset*) Hebræum טוב *bonus* generale est, & de corporis pariter ac animi dotibus usurpatur. 1 *Sam.* 9. 2. Saul dicitur fuisse טוב *bonus*, i. e. procerus: atque additur inter filios Israëlis neminem fuisse טוב ממנו *meliorem eo*, i. e. proceriorem. Chaldæus ibi interpretatur טוב per שפיר *i. e.* pulchrum. Sed non tam pulchritudo Saulis (quanquam formæ venustatem atque elegantiam non excluserim) quam proceritas istic denotatur, uti apparet ex 1 Sam. 10. 23. De Davide etiam dicitur eum fuisse rubicundum pulchrumque oculis, וטוב ראי & *bonum* seu *elegantem aspectu*. LXX (a) hic vertunt ἀστεῖον, *venustum*, sive (ut reddit vulgatus) *elegantem*. Atque istud vocabulum usurpatur in Novo Testamento, ubi de de Mose recèns edito est sermo, nempe Act. 7. 20 & Heb. 11. 23. Græca scholia notant Aquilam hic vertisse ἀγαθόν, *bonum*: Symmachum autem καλόν, *pulchrum*.

Et occultavit eum tribus mensibus] Jonathan & R. Sal. fabulantur, Jochebed intra sex menses Mosen peperisse, ac propterea tribus mensibus eum occultare potuisse, quòd Ægyptii non expectarent ut ante novem menses pareret. Hujus commenti meminit Aben Ezra, sed ità ut illud, idque meritissimè, rejiciat, inquiens זה דרש *hac est minime simplex ac germana expositio*. Et mox הוא זר *aliena est*.

3. *Et accepit ei* תבת גמא *arcam junci*] i. e. ex juncis contextam. R. Sal. ait, גומא *gome* esse vernaculè junc *junco*. Vulg *fiscellam scirpeam*. LXX θῖβιν, *thibin*. Videtur esse vox ex Hebræo תבה *theba* vel (ut illi videntur legisse) *thiba* conficta. Græca autem Scholia testantur alios libros habere θῖβην, quòd hodiernæ lectioni propiùs respondet. Quin & istud habetur Scholion, θῖβη κιβωτὸς παπύρου, ἢ ὑδρία, ἢ πλάστωμα, ἣν τινες καλοῦσι σίτην, *Thibe est arca ex papyro, vel hydria, vel latum vas, quam nonnulli vocant Stiten*. Nobilius refert in aliquâ editione esse θῖβιν παπύρου, *thiben ex papyro*. In Complutensi autem θήκην, *thecam*. At apparet Augustinum, uti etiam alios antiquiores legisse θῖβιν. *Quid sit thiben* (inquit Aug. uti eum citat Nobilius) *ideò difficile est nosse, quia nec Græcus Interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, sed transtulit ut invenit*. Steuchus notat LXX Interpretes Hebræam vocem retinuisse; atque hinc suspicatur Philonem, totum hoc de arca omisisse, quod vocem istam θῖβη ignoraret, quippe qui Hebrææ linguæ, etiamsi Judæus, peritus haud fuerit. Meritò etiam refellit Origenem dicentem (quanquam Nobilius istud Interpreti potius quàm ipsi Origeni tribuit) thibin esse tegimen è papyro contextum, cum arca Noæ dicta sit תבה *theba* (unde istud thibe, seu thibis) quæ tamen non erat scirpea. Sane *thibe* seu arca, de qua hic agitur, scirpea fuit, id autem non ex vi istius vocis *thibe* seu *theba*, sed ex voce adjuncta *gome* innotescit.

Et oblevit luto & pice.] *Pice extrinsecus, & luto intrinsecus*, inquit R. Salomon, ac rationem reddit, *ne picis odor infantem offenderet*. At cur non existimemus arcam extrinsecus luto simul ac pice fuisse illitam?

5. ותשלח את אמתה *Et misit ancillam suam*] Sic R. Sal. את שפחתה quod idem sonat. Similiter Aben Ezra ait אחת מהנערות *unam ex juvenculis* (quarum fit mentio) missam fuisse. LXX ἀποστείλασα τὴν ἅβραν, *missâ ancillâ*. Vulg. *misit unam è famulabus suis*. Onkelos hic diversus abit, ואושיטת ית *& porrexit brachium suum*. At ut notant R. Sal. & Aben Ezra est contra Grammaticam ut אמה *Ama* hic significet brachium; sic enim Mem esset daghessatum, אמה *Amma*. Addit etiam Aben Ezra אמה cum daghes non brachium, sed mensuram (nempe cubitum) denotare.

6. *Et Ecce* נער *puer flevit.*] Aben Ezra ait, היו איברי נער כאלו היה נער i. e. id est, *Membra ejus grandiuscula erant perinde ac si adolescens fuisset*. (b) Ita hic Aben Ezra נער *naar* pro juvene seu adolescente accipit, quomodo vox ista sæpè usurpatur. Verùm enim verò puerum etiam, atque adeò infantem significat, uti in Annotationibus ad Gen. 8. 21. ostendimus, ubi pro Hebræo מנעריו Onkelos habet מזעריה *à parvitate suâ*, vel (ut Fagius vertit) *ab infantia suâ*. Et R. Sal. ad ipsam vocis originationem respiciens exponit, משעה שננער לצאת ממעי אמו i.e. *ex quo excussus est ut egrediatur e visceribus matris suæ*. נער igitur infantem recèns in lucem editum ex ipsâ vi vocis propriè designat.

Ex pueris Hebræorum est iste.] Aben Ezra ait eam vidisse puerum circumcisum; inde scilicet Hebræum esse ei innotuisse. Hoc Steucho placuit, qui etiam Theodoretum citat dicentem, ἡ περιτομὴ τοῦτο ἐδήλωσε, *Circumcisio hoc manifestum fecit*. Addit insuper Theodoretus hinc constare Ægyptios tunc non fuisse circumcisos, licet posteà Hebræos imitati, ritum istum observârint. Ego verò vix arbitror mulierem ita penitùs puerum inspexisse, sed ex eo potiùs, quòd ita expositus esset, cum Hebræum esse conjectâsse.

7. *Num ibo, & accersam tibi nutricem ex mulieribus Ægyptiis?*] R. Sal. qui istiusmodi commentis nimiùm indulget, ait filiam Pharaonis multas Ægyptias mulieres ad lactandum puerum adhibuisse, cum autem earum neminem sugere voluisse, לפי שהיה עתיד לדבר עם השכינה *Propterea quod cum Divinâ Majestate collocuturus erat*. Commentum autem istud non fuisse à R. Salomone excogitatum constare potest ex Josepho; qui Antiq. l. 2. c. 5. refert Mosen multarum mulierum mammas sibi oblatas recusasse, ac sororem ejus propè adstantem causam indicâsse, nempe quòd mulieris istæ alieni generis essent, nec Hebræum puerum nisi Hebrææ mulieris mammam sugere voluisse.

10. *Et fuit ei in filium*] Jon. והוה לה חביב הי כבר *& fuit ei dilectus* seu *charus, ac si fuisset filius*. (a) At ea reverà eum in filium adoptavit. Act. 7. 21. Heb. 11. 24. Non inconcinnum est quod habet Aben Ezra ad *v.* 3. Si Moses inter fratres suos educatus fuisset, eos eum despecturos, & tanquam unum è multis habituros fuisse. Sed & rectè etiam observat, ומחשבות השם עמוקות ומי יוכל לעמוד בסודו i. e. *Cogitationes seu consilia Dei profunda sunt; & quis in secreto sive consilio ejus stare poterit?*

Et vocabit nomen ejus משה *Mosen, & dixit, nam ex aquis* משיתהו *extraxi eum.*] Miror Lyram, hominem Hebraicè eruditum, ita delirâsse, ut diceret nomen *Moyses* puero fuisse impositum, quòd in linguâ Ægyptiacâ *Moys* aquam significet, *ses* autem salvatum. (b) Josephum haud moror, qui similiter se ineptum exhibuit. Eum enim, uti etiam Philonem Hebraicæ linguæ minus gnarum fuisse docti observârunt. Ratio nominis ex Hebræo textu clarè patet, nempe dictum משה *Moshe* à משה *Masha* extrahere, eò quòd ex aquâ extractus fuit. Verbum משה *Masha* eâ significatione occurrit, Psal. 18. 16. Satis igitur constat nomen *Moshe* seu *Moses* non Ægyptiacum esse, sed Hebræum. Etiamsi autem hoc ipsâ meridianâ luce clarius mihi videtur, Kircherus tamen in Prodromo Coptico (uti ab Hottingero citatur in exercitationibus Anti-Morinianis pag. 48.) non dubitat asserere eos, qui nomen Mosis ab Hebraicâ voce משה deductum volunt, graviter errare. At hoc profectò nihil aliud est, quam cornicum (quod ajunt) oculos configere; & nisi res in contrarium esset manifesta, haud existimassem quenquam reperiri potuisse, qui Hebræum textum legere atque intelligere posset, & tamen eo non obstante nomen Mosis aliunde quàm ab Hebræo משה deductum putaret. Nec Kircheri ratio adeò est valida, ut me quicquam moveat; nomen scilicet non à parentibus, nec ab alio aliquo ex Hebræorum gente, sed ab ipsâ Pharaonis filiâ fuisse impositum; eam autem non nisi Ægyptiacam linguam calluisse, ac propterea nomen esse Ægyptiacum. Unde enim constat Pharaonis filiam Hebræam linguam non intellexisse? Mihi neutiquam videtur probabile Ægyptios & Israëlitas ita inter se conjunctos fuisse, & tamen alteros alterorum linguam ignorasse. Quin & ratio ipsa suadet, Pharaonis filiam puero Hebræo Hebræum nomen imponere voluisse. Non enim libenter existimarim aliud quoddam nomen Ægyptiacum puero fuisse impositum, quod ab extrahendo deductum esset, quemadmodum Hebræum nomen *Moshe* inde deducitur. Si enim istud obtinuerit, non video quomodo argumentum, ad antiquitatem linguæ Hebrææ probandam, ab etymologiis nominum *Adam*, *Eva*, *Kain*, *&c.* desumptum, quod tamen penè est palmarium, quicquam valeat. Nisi fortè dixerimus, unius fortè alicujus nominis candem in diversis linguis rationem reddi posse (quemadmodum *Adam* ab *Adamah*, & homo ab humo) cum tamen in multis nominibus idem perspici non possit. Ut ut sit, ratio ista, quam

(a) *Steuchus ait LXX Interpretes non tam propriè reddidisse* טוב ἀστεῖον: *at cur ista interpretatio displiceat haud intelligo.*

(b) *Isto etiam sensu hic* נער *accepisse videtur R. Sal. cujus hæc est glossa,* קולו כנער i. e. Vox ejus quasi adolescentis fuit.

(a) *Aben Ezra ait Mosen vocari filium filiæ Pharaonis propterea quòd ab eâ educatus fuit, quo sensu de filiis Micha Scriptura loquitur; ac Zerubbabelem filium Salathielis appellat.* (b) *Clemens etiam Alexan.* (*citante Hottingero*) *Mosem sic dictum vult à μῶυ, quod Ægyptiacè aquam significare dicitur. Eandem etiam opinionem Philoni Hottingerus ascribit.*

quam Kircherus urget, infirmior est quàm ut à sententiâ primo statim aspectu ex Hebræo textu se conspicuam exhibente, quenquam divellat. Aben Ezra autem, nescio unde, asserit nomen puero impositum Ægyptiacâ linguâ fuisse מוניוס *Monios.*

11. ויגדל משה *cum crevisset Moses*] R. Sal. ex antiquiore quodam Rabbino rationem reddit quare hoc iterum repetatur, cum anteà v. 10. dictum esset ויגדל הילד *& crevit puer*, nempe illud de staturâ, hoc autem de dignitate est intelligendum; sensum siquidem hic esse, Mosen à Pharaone domui ipsius præfectum fuisse. Sed hæc argutiora sunt, quam solidiora. Quod enim hoc loco dicitur, de ulteriori porro staturæ ac ætatis augmento intelligi debet. Quod si de eodem planè augmento intelligatur, non est tamen inanis & supervacanea repetitio, cum sequentis historiæ narrationi inserviat.

וירא בסבלתם *& aspexit onera eorum*] R. Sal. ait eum oculos pariter atque animum advertisse נתן עיניו ולבו Verbum ראה *raah*, non tantùm videre & aspicere significat verum etiam contemplari & considerare. Vide præter alia Scripturæ loca *Eccles.* 7. 14.

12. *Et respexit huc illuc, & cum vidisset* כי אין איש *quod nemo esset*] Nempe in propinquo, seu qui ipsum aspiceret. Jonathan, & Hierosolymitanus, & R. Sal. dicunt Mosen prævidisse ex isto Ægyptio neminem proventurum fuisse, qui esset Proselytus, ac resipisceret, ac propterea eum interfecisse; sed hoc à simplici ac genuino Scripturæ sensu est alienum.

13 *Duo viri Hebræi*] Jonathan & R. Sal. quâ ratione freti nescio, dicunt hos fuisse Dathan & Abiram.

14. *Num occidere me* אתה אמר *tu dicis?*] Scilicet בלבך *in corde tuo*, ut rectè explicat Aben Ezra, id est, cogitas. Verbum אמר *amar*, quod propriè est *dicere* sæpe idem valet ac *cogitare*, quod est in *corde dicere*, ut aliquando plenè exprimitur, ut *Gen.* 8. 21. & *Psal.* 14. 1. R. Sal. ineptissimè hic accipiens dictionem אמר quasi ore dicere significaret, inde colligit Mosen prolato nomine tetragrammato Ægyptium occidisse.

אכן נודע הדבר *certe res ista est cognita*] Onk. בקושטא *in veritate, vere.* LXX. εἰ οὕτως *si sic.* Ac si in Hebræo esset אם כן, Quid autem secutus sit Vulgatus nescio, qui vertit, Quomodo palàm factum est verbum istud.

16. ולכהן מדין *& Sacerdoti Midian*] Sic Vulg. & Lxx τῷ δὲ ἱερεῖ μαδιάμ, (a) Aben Ezra ait hunc fuisse כהן לשם *Sacerdotem Dei:* atque asserit dictionem כהן *Cohen* ubique in Scripturâ significare ministrum Dei, vel idolorum. Verba ejus sunt, וכל כהן שבמקרא משרת הוא לשם או לע״ז At etiamsi vox ista eâ notione plerumque usurpetur, non tamen semper, ut evidentissimum est ex 2 *Sam.* 8. 18. ubi filii Davidis dicuntur fuisse כהנים *Cohanim*, i. e. non Sacerdotes, sed Principes. Atque isto sensu cum alibi, tum hoc in loco *Cohen* à multis exponitur. Onk. vertit רבא, & R. Sal. similiter exponit רב quod Magistrum, sive Principem sonat. Jon. רבא, quod Dominum significat. Fagius ait Magistratus & Principes vocari, *Cohanim, eò quod olim utrumque officium & sacerdotale, & politicum penes illos erat, etiam apud Ethnicos, id quod Magistratus inprimis cultum Dei, & quæ ad gloriam illius faciunt, promovere debet. Ob hoc enim maximè ministrum Dei vocari, Rom.* 13.

17. ויגרשום *& expulerunt eas*] Nempe mulieres anteà memoratas. Ubi *Mem* affixum masculinum est pro *Nun* affixo fœminino. Aben Ezra ait, Mem hîc esse pro Nun, ne aliàs dictio confunderetur cum eâ in quâ Nun est paragogicum. Hoc ipso etiam versu est צאנם pro צאנן oves earum. quod Aben Ezra factum ait, ne alioqui duo Nun conjungerentur. Fagius in Collatione refert nonnullos affixis hisce (quoad formam) masculinis permotos, ad צאן hoc est gregem potius quàm ad בנות id est filias Sacerdotis Midian referre. Sed *tu* (inquit) *noveris ex proprietate linguæ Hebrææ esse, ut Nun relativum fœmininum masculos, & Mem relativum masculinum Fœminas aliquando contra naturam referat.* Sic ille, atque hoc quidem quod de horum relativorum naturâ ac usu dicit verissimum, at etiamsi Mem in verbo ויגרשום ad צאן referri posset, quomodo tamen idem de Mem in dictione צאנם dici queat, planè nescio. Res satis in aperto est, relativum illud, sive (ut vocant) affixum, non nisi violenter aliò quàm ad sacerdotis istius filias referri posse. Sed ut pessimè mihi videtur Fagius, vir alioquin Hebraicè eruditissimus, verba Aben Ezræ interpretari, ubi dicit Mem in ויגרשום esse pro Nun, שלא תתערב המלה עם הנון הנוסף לעתיד Verba ista ille sic Latine reddit, *Non enim conjungitur hæc dictio cum Nun superaddito in futuro*, Quæ istiusmodi sunt ut fatear me, quid sibi velint, assequi non posse, cum Hebraicorum verborum sensus sit manifestus, quæ ita reddi debent, *Ne confundatur dictio cum Nun superaddito*, seu *paragogico in futuro*, sed vult, si hîc fuisset ויגרשון tunc videri potuisse Nun non affixi seu relativi locum obtinere, (sed ut in istiusmodi futuris fieri solet paragogicum esse, ac propterea in Mem esse mutatum, ac pro ויגרשון dictum esse ויגרשום quod ex Fagii interpretatione Latinâ nemo; opinor, intelligeret.

Et surrexit Moses, & opem eis tulit] Jon. *Et surrexit Moses* בכח גבורתיה *in robore potentiæ suæ, & vindicavit eos.*

18. *Et venerunt* אל רעואל אביהן *ad Reüel patrem suum*] Aben Ezra ait, Reüel hîc vocari patrem earum, cum avus esset, Jethro enim fuisse socerum Moses, eundémque appellatum Hobad, *Judic.* 4. 11. ac filium fuisse Reüel, *Num.* 10. 29. Atque hæc quidem Aben Ezræ expositio ex istis Scripturæ locis, quæ citat, plana apertáque esse videtur. Eam plurimis Rabbinis placuisse docet Manasses Ben Israel in Concil. quæst 1. in *Exod.* §. 1. istis ab eo citatis addi potest R. Sal. qui ad *Num.* 10. 29. ait Hobab esse Jethro, & quod hæc in *Exodo* verba spectat, moris fuisse, ut liberi patris sui patrem (seu avum) patrem appellarent. Ibidem autem §. 2. Manasses refert Hebræorum nonullos velle Reüel & Jethro & Hobab, unius ejusdémque hominis nomina fuisse, unde sequitur (ut idem ex R. Elia Ægyptio notat) patri juxta ac filio Reüel nomen fuisse, hoc nempe loco per Reüel filium, at *Num.* 10. 29. patrem eodem nomine insignitum intelligi. Sed etiamsi id ita esse potuerit, altera tamen sententia simplicior videtur. In sententiâ autem sua se minùs constantem ostendit Aben Ezra. Nam ad Num. 10. 29. scribit Reüel fuisse patrem Sephoræ ac Hobab, qui & Jethro, Sephoræ fratrem fuisse. Quod si quis objiciat Jethro ac Hobab in Scripturâ appellari חתן (i. socerum) Mosis, respondet vocem istam חתן *Chothen* latiùs sumi, ac non tantum de uxoris patre, verùm etiam de ejus fratre usurpari. At violenta prorsus videtur ista vocis *Chothen* interpretatio, nec unquam in Scripturâ nisi ad socerum, id est uxoris patrem significandum, quantum scio, adhibetur. Theodoretus tamen (ut refert Drusius Miscel cent. 2. cap. 69.) in isto Judicum loco πενθερὸν interpretatur τῆς γαμετῆς ἀδελφὸν, uxoris fratrem, quod coactum planè videtur. Miror autem quid Drusio in mentem venit, cum ibidem colligeret Hobab ex sententiâ Demetrii vetusti scriptoris fuisse fratrem Sephoræ, propterea quod dicat, ἐκ ῥαγουὴλ (γενέσθαι) ἰόθορ, καὶ ἄβαβ, ἐκ δὲ τοῦ ἰόθορ σεπφώραν &c. *cum dicit Hobab* (inquit Drusius, non dubitans Habab eundem esse cum Hobab) *fuisse fratrem Jethro, necesse est, ut per socerum ibi* (Jud. 4. 11.) *intelligamus fratrem uxoris.* Mira profecta ratiocinatio. Si enim (ut Demetrius iste dicit) Habab & Jethro fratres fuerint, Sephora autem filia Jethro, cum Habab dicitur *Chothen* sive socer *Mosis*, per *Chothen* sive socerum non uxoris fratrem, sed ejus patris fratrem, sive patruum intelligi necesse est.

21. ויואל משה וגו׳ *Et consensit Moses, &c.*] Onk. וצבי משה *Et voluit Moses.* Atque istam expositionem approbat R. Sal. ac citat illud *Jud.* 19. 6. הואל נא ולין *Consentias quaso & pernoctes. LXX.* κατῳκίσθη δὲ Μωυσῆς *habitavit autem Moses.* Fagius in Collat. ait nonnullos existimare locum esse mendosum, ac legendum κατωρκίσθη *adjuratus est.* Ego verò arbitror LXX. Interpretes totius sententiæ sensum exprimere, quam singulorum verborum vim expendere voluisse; pro eo igitur quod dicendum erat, *consensit habitare*, dixerunt *habitavit.* Vulgatus quidem habet, *Juravit ergo Moses, quòd habitaret cum eo.* Sed & R. Sal. refert à nonnullis ità exponi, ac si ויואל esset (b) ab אלה jurare, hoc sensu נשבע לו שלא יזוז ממדין כי אם ברשותו i. e. *juravit ei se non migraturum è Midian injussu ejus*, seu nisi ille demigrandi potestatem faceret. At Verbum יואל à יאל formetur necesse est, quod in Hiphil significat *consentire, velle, acquiescere*, interdum quidem jurandi, seu potius adjurandi significationem habet, ut 1 Sam. 14. 24. ויואל שאול את העם *Et adjuravit Saul populum*, i. e. jurejurando populum obstrinxit. Hoc autem (ut notat Amama) Vulgatum Interpretem haud juvat, cum inter adjurare, & jurare magnum sit discrimen; deinde ibi ויואל accusativum post se habeat, hic non item. Ipse igitur Steuchus, licèt vulgatæ versionis patronus fatetur in Hebræo nullam juramenti esse mentionem, sed sensum esse, *placuit* aut *voluit.*

22. *Et peperit filium, &c.*] Vulgatus hic præterea habet, Alte-

(a) *Kimchi* (*referente Fagio*) *existimat hunc fuisse sacerdotem idolorum. Quod si modo sacerdos fuerit, videtur verisimilius.*

(b) *Vel idem significaret quod* אלה לשון אלה

Masculum vero peperit, quem vocavit Eliezer, &c. Atque ista etiam in nonnullis codicibus LXX. Interpretum haberi refert Nobilius, in Romanâ autem istius versionis editione non habentur, quemadmodum nec in Hebræo textu, nec in Chaldaicis Paraphrasibus reperiuntur.

25. [illegible] *Et cognovit Deus*] i. e. *admodum cognoscentis se habuit, ostendendo dilectionem circa eos*; ut non incommodè exponit Lyra. In eundem sensum R. Sal. [illegible] *apposuit super eos cor, nec occultavit oculos suos*, (a) Onkelos sensum potius quàm verba expressit [illegible] *Et dixit verbo suo, seu per verbum suum ut liberaret eos Dominus.* Similiter Vulg. *Et liberavit eos.* Ita in codice meo legitur; in margine autem pro *liberavit* positum *cunavit*. LXX. Interpretes videntur pro [illegible] legisse [illegible] quippe qui interpretantur, *καὶ ἐγνώσθη αὐτοῖς* & *innotuit eis.* Jonathan peculiarem quendam sensum verbis tribuit; ejus Paraphrasis ita habet, [illegible] & *revelata fuit coram eo pœnitentia, quam egerunt in occulto, ita ut quid socius suus faceret, nemo intelligeret.* Sed hoc nimis longè petitum videtur. Aben Ezra illud in initio Versus *Et (b) vidit Deus filios Israel*, ita exponit, *Nempe vidit oppressionem, quâ eos Ægyptii oppresserunt in propatulo.* Hoc autem quod sequitur, & *cognovit Deus*, sic explicat, [illegible] i. e. *cognovit quemadmodum Ægyptii eos opprimebant in occulto.* Sed hoc æquè ac illud Jonathæ, à simplici ac genuino verborum sensu remotum arbitror.

IDEM.

2. ET *oblevit eam luto*] Heb. [illegible]. Kimchi in Rad. accepit [illegible] pro cæmento, quod ex calce et arena confectum, ad oblinenda ædificia adhibetur. [illegible] Addit autem ex nonnullorum sententia [illegible] picis quoddam genus esse, vel pici illi simile [illegible]. Vide Shindl. Pentag. in [illegible] ex Gen. 11. 3. apparet [illegible], quod hic occurrit, esse *bitumen*, quod pici fortè non absimile dici potest, [illegible] autem *cæmentum*, LXX. utrobique reddunt [illegible] *ἀσφάλτῳ*. Vulg. *bitumen*.

Ibid. [illegible] *Juxta ripam fluvii*] Kimchi in Rad. ait [illegible] denotare aquas è flumine in agros deductas [illegible]. Atque addit Nilum hic appellari [illegible] quòd ejus aquæ in agros, ad eos irrigandos, deductæ essent. R. Sal. ad Gen. 41. 1. asserit nullum fluvium præter Nilum vocari [illegible], at (ut Kimchi observat) ita etiam appellatur Hiddekel, Dan. 12. 5.

18. *Et venerunt ad Reuel patrem suum*] Kimchi in radice [illegible], refert R. Jonam velle Reüel esse Jethro, ac Hobab ejus fuisse filium: ac propterea [illegible] Judic. 4. 11. (ubi Hobab vocatur [illegible]) exponere *uxoris fratrem.* Id autem meritò improbat, rectèque refellit ex Num. 10. 31. collato cum Exod. 18. 1. &c. unde Hobab & Jethro unum eundemque fuisse apparet. Hujus igitur patrem dicit fuisse Reüel, atque hic per [illegible] (*patrem ipsarum*) intelligi [illegible] *patrem patris*, seu *avum ipsarum*: sic enim in Scriptura avum patrem, & nepotem filium appellari solere [illegible]

IDEM.

10. ET *vocavit nomen ejus Moses*] Rejicit opinionem Aben Ezræ & aliorum, qui volunt Mosen à Pharaonis filiâ alio nomine Ægyptiacâ linguâ appellatum fuisse, quod Hebraicè redditur [illegible] *Moses.* Sic enim idem dici posse de nominibus *Adam, Eva, Cain*, &c. ac proinde ex illorum nominum etymologiis Hebrææ linguæ antiquitatem probari non posse. Præterea dicit inusitatum esse; ut nomina propria ab unâ linguâ in aliam transferantur: eum qui verbi gratiâ [illegible] Simeon Hebraicè appellatur, à [illegible] *audivit*; eum in aliâ quâlibet linguâ eodem nomine appellari. Notat etiam Onkelum nomen [illegible] *Moses* retinere, etiamsi verba; quibus ratio nominis redditur, Chaldaicè interpretetur. Errandi occasionem hanc fuisse ait, quòd existimarunt Mosen sic a Pharaonis filiâ vocatum fuisse, cum verba illa, & *vocavit nomen ejus Moses*, ad Mosis matrem, ut & reliqua in versu isto; referri velit, ut sensus sit; eam, Pharaonis filiæ dixisse, se ac domesticos suos appellasse eum Mosen, quòd ex aquis extractus esset. Quin & illud [illegible] non vult reddi, *extraxi eum*: sic enim dicendum fuisse, [illegible] Sed *extraxisti eum*, sic nempe matrem Mosis

(a) i. e. *Eis curæ sibi esse ostendit.* (b) *Seu respexit* Heb. [illegible]

Pharaonis filiam esse allocutam. At certè punctatio voci [illegible] arguit positam esse pro [illegible] alioqui enim sic punctanda esset; [illegible] quod ab Abrabanele non animadversum esse miror. Quod autem Aben Ezra refert, se in libris ex Ægyptiacâ lingua in Arabicam versis invenisse, nomen Mosis fuisse *Monios*, id inde factum putat, quòd *Monios* idem nomen sit quod *Moses*, licet diversimodè, ut in diversis linguis fieri solet, pronunciatum. Addit nomen *Monios* fortè ab Ægyptiis Mosi tributum ob miracula, quæ istic fecit; sic enim peritos tradere, *Monios* linguâ antiqua Ægyptiacâ idem significare quod [illegible] id est, *qui facit miracula.* Nomen igitur *Moses* fuisse nomen substantiale, seu proprium ([illegible]) à matre, cum infans esset, ei impositum; nomen autem *Monios* esse nomen superadditum, seu cognomen ([illegible]) quod postquam 80. annorum erat, Ægyptii ob miracula ab eo facta ei indiderint.

11. *Cum adolevisset Moses*] Dicit Mosen videri 20. annorum fuisse, cum Ægyptium interfecit, ac metu Pharaonis ex Ægypto fugit: quin & ea fortè vera esse, quæ in Chronicis Mosis ([illegible]) scripta sunt, nempe Mosen antequam in terram Midian profectus est, in Æthiopiâ regnasse, ac Æthiopissam uxorem duxisse. Hæc nihili planè sunt, sed ideò notanda duxi, quod ex istis Chronicis Josephus historiam Sacram interpolasse videtur, *Antiq. lib.* 2. *cap.* 5.

Exiit ad fratres suos] Non improbabile est quod ait, Mosen cum nutricem suam Jochebed sæpè inviseret, ab eâ intellexisse, se Hebræum esse, ac propterea fratrum suorum miseriarum sensu affectum fuisse.

CAP. III.

MUNSTERUS.

2. IN *flamma*] Scribitur hic [illegible] pro [illegible] licet alii dicant [illegible] hic idem esse quod [illegible], *cor* seu *medium*. Et quod sequitur, *Rubus*] est [illegible] arbor sterilis & senticosa, quam avis citra deplumationem intrare non potest, ut Hebræi dicunt: crescens in deserto, à quo nomine & arbore mons Sinai [illegible] est appellatus. ¶ *Consumpta*] Hebraicè [illegible]: in passivo Piel, i. *comedebatur*. In Hebraica enim lingua *comedit* animal, *comedit* gladius, *comedit* ignis.

5. *Solve calceamenta*] Radix verbi [illegible] est [illegible], idem significans quod [illegible], *extraxit*.

8. *Fluentem*] Est [illegible] participium fœmininum constructivum, à radice [illegible] derivatum. Indè [illegible] *fluens*, in fœminino genere. Et quando subjungitur, *Ad locum Chnanæi*, &c.] omittitur una gens, nempe *Girgasæi*, quòd illa cæteris gentibus minor fuerit. Sciendum quoque, quòd omnes hæ septem gentes propagatæ sunt à Chnaanæo; atque ideo non rarò in Scriptura uno nomine *Chnaanæi* vocantur. *Pherezæi* putantur fuisse Sidonii.

12. *Coletis Deum*] Sive, *servietis Deo*, aut *adorabitis Deum, juxta hunc montem*: in quo post tres menses vobis daturus sum Legem.

14. *Sum qui sum*] Aut juxta Grammaticas regulas, *Ero qui ero*. Verùm Hebræi sæpe usurpant futurum loco præsentis. Gerundensis hunc locum sic interpretatur, [illegible] *Est Deus illa existentia qua nec præterit nec præteribit: h. e. Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinet, sed transcendit omnem temporis rationem, & qui solus dicere potest*, Sum. *Est enim ipse omnis essentia atque vita fons & plenitudo; à quo omnia quæ sunt habent esse quod sunt.* Et quando subditur, *Hoc memoriale meum*] colligunt hinc Hebræi, nomen Domini tetragrammaton non proferendum secundùm dispositionem literarum & punctorum; sed in animo tantùm commemorari debet, non autem labiis exprimi. Imò habent scriptum in Thalmud in tractatu *p'lerek-helek* in hunc modum, [illegible] *Qui exprimit nomen Domini per literas suas non habet partem in futuro seculo.* Vide stultitiam illorum hominum. Licet nomen commemorari, non autem exprimi. Atque adeò hæc superstitio invaluit apud Judæos, ut obstupescant ad prolationem hujus nominis, si forte à Christiano audiant ipsum pronunciari, timeantque ruere cœlum. Et quidem fieri potuit, ut initio Seniores docuerint pueros suos legere pro *Jehova, Adonai*; ne frequenti usu veræ prolationis vilesceret Deus apud pueros: sed hæc institutio cessit postea apud Judæos in maximas superstitiones & impietates.

16. *Visitando*] Hebræi hic, sicut & in multis aliis locis, exponunt [illegible] pro [illegible] *recordari*: *Recordatus sum*, inquit, *vestri*:

vestri: & injuria illius quæ facta est vobis in Ægypto non sum immemor.

18. *Occurrit nobis*] Heb. *obvius factus est nobis.* Est enim passivum à קרה *occurrit.* Infrà cap. 5. scribitur cum Aleph.

19. *Neque in manu valida*] h. e. Neque si viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, concedet vobis abitum. Alii exponunt ולא pro *nisi.*

22. *Cohabitatrice*] Est hic גרת participium à verbo גר, nisi quòd He propter regimen migravit in Tau. Porrò נצלתם in Piel scribitur, sicut & in 2 Paralipomenωn invenitur in hac conjugatione.

FAGIUS.

1. P*Ost bona pascua deserti*] Ad verb. *post pulchra*, sive *amœna*, *pascua deserti.* Est autem frequens in Hebraismo & Chaldaismo ut *pulchrum* pro *bono*, & è contrà *bonum* pro *pulchro* accipiatur.

2. *Angelus Domini*] Quidam dicunt per *Angelum* intelligi verbum Dei; alii, ipsum Angelum, qui postea dicetur *Dominus:* dicuntur enim Angeli de nomine mittentis.

8. *Facientem lac & mel*] i. abundantem lacte & melle. Est autem Hebraismus, pro, abundantem optimis quibusque fructibus & rebus delicatissimis.

14. *Ero qui ero*] Lxx & author Vulgatæ editionis Latinæ hæc in præsenti transtulerunt, *Ego sum qui sum.* Frequens enim admodum est in Hebraismo, futurum pro præsenti poni. Tenent autem commentatores cùm Hebræi tum etiam nostri, istà locutione æternitatem Dei significari. Futurum enim tria tempora complectitur; sicut & Thalmudistæ dicunt, verbum אהיה *ero* trium temporum differentias in se continere, præteriti, præsentis & futuri, *Fui*, *Sum*, & *Ero*; adseruntque eo innui summam, omnimodam & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit, est, & erit. Cui sententiæ non malus author apud Hebræos Nehemanides quoque accedit; sic enim scribit in hunc locum, והא המציאות אשר לא עבר ולא יעבור, *Deus est illa existentia*, vel *subsistentia*, *quæ nec præteriit nec præteribit*, &c. h. e. *Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinit, sed transcendit omnem rationem temporis, & qui solus dicere potest, Sum, vel Ero. Est enim ipse omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo, à quo omnia quæ sunt habent esse quod sunt. Quia igitur æternitas nullis finibus comprehenditur, ideo nullo tempore describi potest: quo fit ut rectè vocetur*, Qui est, Qui fuit, Qui erit. *Nam omnia tempora, cùm de Deo loquimur, confunduntur.* Nomen hoc Dei Græcè expressit Joannes, Apoc. 1. cùm dixit, *ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*, *ab eo qui est, & qui erat, & qui erit.* R. Hizkuni, ex recentioribus Hebræorum commentatoribus, hunc locum sic explicat, ut primum אהיה, *Ero*, sit nomen Dei; alterum verò, אשר אהיה, *qui ero*, sit ejus expositio, q. d. *Nomen meum est Ero.* ratio, *Quia ero in secula seculorum, absque fine. Dein, quòd ero etiam vobiscum, ut redimam vos à tyrannide Ægyptiorum.* Sunt enim plerique Hebræorum in ea sententia, quòd Deus hoc sermone ad Mosen non tantùm æternitatem suam indicare voluerit, sed simul quoque indicare, se populo suo præsentem fore suâ ope Divinâ non tantùm in hac præsenti tribulatione, sed & in omnibus aliis adhuc futuris calamitatibus; ideóque repeti verbum אהיה *ero.* Unde & R. S. sic exponit, אהיה עמם בצרה זו אשר אהיה עמם בשעבוד שאר מלכיות, *Ero cum eis in præsenti tribulatione, qui ero cum eis in afflictione reliquorum regnorum.* Referunt quoque Hebræi, Cabalam fuisse apud illos, Tum adfore illis liberationem, quando ille qui eam ipsis annunciaturus esset, hoc ipsum facturus esset per hæc verba היה & פקד, *sum* vel *fuit*, & *visitavit*; atque istud innuisse & Jacob Patriarcham, quando dixit ad Joseph, אנכי מת והיה אלהים עמכם והשיב אתכם אל ארץ אבותיכם, *Ecce ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum*, Gen. 48. 21. similiter & ipsum Joseph, quando dixit ad fratres suos, פקד יפקד אלהים אתכם, *Visitando visitabit vos Deus*, Gen. 50. 25.

15. *Nomen meum in æternum*] Ità communiter interpretes, maximè nostri, interpretantur. Non desunt tamen qui legendum putant, *Hoc est nomen meum occultandum*, deducentes dictionem לעלם à verbo עלם, quod *occultare* significat: quasi innuatur hoc nomine Dei אהיה tanta mysteria contineri שאין לגלות אלא לאדם צנוע ומבין, *quæ non nisi homini probo Cabalæque perito* (ut Hebræi dicunt) *sint revelanda.* Qua de re si plura scire desideras, vide Galatinum l. 2. c. 14. ¶ *Memoriale meum*] i. Istud erit mihi nomen æternum: sive, Istud nomen meum est per quod homines recordabuntur mei.

18. *Occurrit nobis*] i. apparuit nobis: proinde per te liceat nobis ire per desertum itinere trium dierum, ut immolemus ei, q. d. *Deus* Hebræorum vult à nobis coli extra Ægyptum.

19. *Neque etiam propter præsentiam ejus*, &c.] Heb. ולא ביד חזקה, *neque in manu valida.* quæ diversis modis intelliguntur. Quidam hoc sensu accipiunt, Etiam si viderit manum meam Dei potentem, h. e. miracula & plagas, nequaquam tamen ob id vos dimittet. Et hanc sententiam sequitur R. Hizkuni, qui meo judicio hunc locum non indoctè hunc in modum explicat, *Tametsi ego ostendero ei novem plagas, quæ vocantur* manus fortis, *adhuc tamen non permittet vobis exire. Verùm ubi extendero manum meam, & percussero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Hæc ille. Atque hæc omnino videtur esse sententia quoque nostri Paraphrastis. Alii negativam ולא conjunctionaliter legunt, hoc modo, *Non dimittet vos, nisi viderit manum meam fortem*, h. e. donec extendero manum meam fortem, atque vos etiam invito eo potenter eduxero. Accipitur enim *manus fortis* pro cæde & plaga forti, eò quòd virtus & potentia, ut inquit R. D. K. manu perficitur. Et hunc sensum sequuntur Lxx & Vulgata editio. Exstant præterea inter Hebræos qui ad hunc modum intelligunt, Novi quòd Rex Ægypti non sit vos dimissurus, idque propter potentiam suam: est enim Rex fortis & potens. In quam sententiam etiam paraphrasis Chaldaica transferri posset, hoc modo, *Non dimittet vos Rex Ægypti, propterea quòd vis*, sive *robur & potentia, ejus magna sit.* Sed versio quam nos posuimus, omnino vera & genuina esse videtur. Sunt porrò qui ità explicant, *Non permittet vobis Rex Ægypti ut exeatis neque armata manu.* Autor Complutensis editionis hunc locum ex paraphrasi Chaldaica ità reddidit, *Et in conspectu meo manifestum est, quòd non dimittet vos Rex Ægypti ut eatis, nisi propter timorem fortem*, q. d. Cùm invadet illum magnus timor & horror ex percussione primogenitorum, tum demum dimittet vos. Videtur ובקליה non à קיל, quod *exercitum, robur, vim* & *virtutem* significat, deduxisse, sed à דחלא, quod *timorem* significat. Verùm expositio R. Hizkuni videtur mihi omnium simplicissima & verissima esse.

21. *Dabóque populum istum in gratiam*] Hebraismus est, *dare aliquem in gratiam*, pro *gratum aliquem reddere.*

IDEM.

2. וירא מלאך יהוה אליו *Visúsque est illi Angelus Domini*,] Hunc locum propterea annotare libuit, ut videas omnes interpretes ex Hebræo transtulisse, ut est, *Angelus Domini*, præter unum Vulg. interpretem, qui vertit pro מלאך יהוה *Angelus Domini*, *Dominus.* Et B. Stephanus Act. 9. Angelum Moysi apparuisse asserit. Sed videtur Lat. interpres *Dominum* legisse, quòd in posterioribus Scriptura Deum locutum ait; & familiares admodum Hebræis sunt alloœóses personarum: Sensum ergò magis quàm verba secuta est Lat. editio.

19. ואני ידעתי כי לא יתן אתכם מלך מצרים להלך ולא ביד חזקה *Et ego cognovi, quod non concedet vobis Rex Ægypti ut abeatis, neque in manu valida.*] Variatio est circa illa ולא ביד חזקה, *neque in manu valida.* Quidam enim negativè sic interpretantur; etiamsi viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, nequaquam tamen ob id vobis abitum concedet: atque hunc sensum sequitur R. Hizcuni qui præsentem locum, meo judicio, non indoctè Hebraicè ad hunc modum elucidat, אף על פי שאני מראה לו התשע מכות שנקראו יד חזקה כדכתיב ולכל היד החזקה ואמרינן אלום מכות עדיין לא יתן אתכם להלך אבל כשאשלח את ידי והכיתי את מצרים במכת בכורים אחרי כן ישלח אתכם, *Tametsi ego ostendam ei novem plagas, quæ vocantur manus fortis, sicut scribitur*, sed & secundùm cunctam manum robustam, Deut. 34. *ubi intelliguntur novem plagæ Ægypti: adhuc tamen non dimittet vos exire: verum ubi extendero manum meam, & percussero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Hactenus ille. Alii ולא conjunctionaliter legunt, hoc modo, *Non dimittet vos, nisi videris manum meam fortem*; vide supra. Exstant præterea inter Hebræos qui hæc ולא ביד חזקה ad Pharaonem, i. potentiam, fortitudinem ac robur ipsius, referunt, sic ut Beth litera in ביד vim habeat præpositionis בעבור i. *propter*, q. d. novi quòd Rex Ægypti non sit vos dimissurus, idque propter potentiam suam: est enim Rex fortis & potens. Et huic sententiæ adstipulari videtur Onkelus suâ Paraphrasi, quam & Aben Ezra sequitur. Cæterùm non desunt inter nostros, qui ad hunc modum exponunt, *Neque in manu forti*, aut *armata manu*, *exibitis*; *Nam ego educam vos.* Verum enarratio Hizcuni mihi omnium maximè probatur.

VATA-

VATABLUS.

1. Sacerdotis, כהן] Vide c. 2. 16. ¶ *Post desertum*, אחר המדבר] i. in partem intimam deserti: ad Australiorem partem sinûs Elanitidis, quà is maximè in continentem se effundit: nam mons Horeb etiam intimo sinu Elanitide est Australior.

2. *Angelus*, מלאך] Quem nunc vocat *Angelum*, v. 4. appellat *Deum*. Sic vocavit Christum Moses, non modò quia Angelos semper comites habuit, & quasi apparitores; sed quòd illa populi redemptio nostram omnium adumbravit, cujus causâ mittendus erat Christus à Patre ut formam servi cum carne nostra indueret. ¶ *In flamma ignis*, בלבת אש] Ad verb. *in corde ignis*, i. de medio ignis. Quia cor in animantibus medium locum obtinet, ideo *cor* accipitur pro medio cujuscunque rei. ¶ *Rubus ardebat*, הסנה בער] Quid significet rubus, ac quomodo Christus vocetur Angelus, dictum est in Glossa nostra ordinaria in Acta Apostolorum, c. 7. 30.

5. *Solve calceamenta tua*, של נעליך] Etiam istum locum reperies tractatum in Actis, c. 7. 33.

7. *Videndo vidi*, ראה ראיתי] Hebraismus, quo & Græci sæpe utuntur, *Eundo ivit*: significat autem hæc verborum geminatio aut vehementiam, aut certitudinem, aut celeritatem. ¶ *Propter exactores ejus*: מפני נגשיו] i. propter eos qui exigunt operas eorum sine ulla clementia.

8. *Descendi itaque*, וארד] Deus *Descendere* dicitur quando exaudit nos, favet & auxiliatur nobis: nam omne auxilium de cœlo est. ¶ *Et educam eum*, ולהעלתו] Ad verb. *& ut ascendere faciam eum.*

9. *Venit ad me*: באה אלי] q. d. Jamjam habiturus sim rationem clamoris eorum.

10. *Veni*, לכה] Verbum pro adverbio hortantis, de quo Gen. 11. 3.

11. *Ut vadam*, כי אלך] i. ut mittar à te. Humilis sui ipsius abjectio, & plena verecundiæ excusatio, q. d. Non sum sufficiens huic legationi, nec dignus subire tantam legationem.

12. *Profectò tecum ero*: כי אהיה עמך] Quidam vertunt *quòd*, & subaudiunt *Scito*, vel *Persuadeas tibi quòd ero tecum*, i. Adero tibi, sive Favebo, aut כי redundat.

14. *Ero qui ero*. אהיה אשר אהיה] Lxx. & Vulgata editio, hæc in præsenti transtulerunt, *Sum qui sum*. Frequens enim est Hebræis futurum pro præsenti poni. Scribunt autem Hebræi istâ locutione æternitatem Dei significari. Futurum enim tria tempora complectitur: sicut etiam Thalmudistæ dicunt, verbum אהיה *ero* trium temporum differentias in se continere, præteriti, præsentis, & futuri, *fui*, *sum*, & *ero*: asseruntque eo innui summam, omnimodam, & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit, est, & erit. Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinit, sed transcendit omnem rationem temporis: & qui solus dicere potest, *Sum & ero*: est enim ipse omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo; à quo omnia quæ sunt, habent esse quod sunt. *Ipse dat omnibus vitam & halitum per omnia*, ut inquit Paulus, Act. 17. 25, 28. & *in ipso movemur, vivimus, & sumus*. Quia igitur æternitas nullis finibus comprehenditur, ideo nullo tempore describi potest. Quo fit ut rectè vocetur, *Qui est, qui fuit, qui erit*: nam omnia tempora, quum de Deo loquimur, confunduntur. Nomen hoc Dei Græcè expressit Johannes, Apoc. 1. 4. dicens, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, i. *ab eo qui est, & qui erat, & qui erit*. Doctus inter Hebræos sic locum istum explicat, ut primum אהיה sit nomen Dei, alterum verò אשר אהיה sit ejus expositio: acsi dicat Moses, *Nomen meum*, Ero: *ratio*, *quia ero in secula seculorum absque fine: dein quòd ero etiam vobiscum, ut redimam vos à tyrannide Ægyptiorum*. Sunt enim plerique Hebræorum in ea sententia, quòd Deus hoc sermone ad Mosen non tantum æternitatem suam indicare voluerit, sed simul quoque indicare se populo suo præsentem fore suâ ope Divinâ, non tantùm in hac præsenti tribulatione, sed & in omnibus aliis adhuc futuris calamitatibus, ideòque repeti verbum אהיה. Ab hoc verbo deductum est *Jehovah*, de quo Psal. 1. 2.

15. *Hoc*, זה] nempe *Jehovah*, vel *Ero*. ¶ *Memoriale meum*, זכרי] i. istud nomen meum est per quod homines recordabuntur mei omnibus ætatibus.

16. *Et congrega*, ואספת] Fut. pro imperat. ¶ *Recordando recordatus sum vestri*, &c. פקד פקדתי וגו'] i. Tandem recordatus sum vestræ afflictionis quâ affligimini ab Ægyptiis. Quidam vertunt, *Visitando visitavi vos*: minùs rectè.

17. *Propterea dixi*, ואמר] sub. *apud me*, i. Proposui ac decrevi. Eadem sententia quæ paulò antè, v. 8. ¶ *Educam vos*, אעלה אתכם] Ad verb. *Ascendere vos faciam*.

18. *Et obedient voci tuæ*: ושמעו לקלך] i. acquiescent dictis tuis; sive, credent tibi. ¶ *Occurrit nobis*: נקרה עלינו] i. visus est nobis, sive apparuit. ¶ *Eamus*, נלכה] i. per te liceat nobis ire.

19. *Nisi in manu forti*. ולא ביד חזקה] Hebraismus, *nisi manu forti coactus fueris*. Ad verb. *& non in manu forti*: quod quidam sic vertunt, *neque in manu forti*: atque ità exponunt, Scio inefficaces fore preces vestras apud tyrannum; adhæc nihil effecturam manum meam fortem quam ostendam variis signis ac miraculis: nullâ re moveri poterit obstinati Regis animus. Alius potest esse sensus, *Non in manu forti*, h. e. vos non forti aut armatâ manu exibitis: nam ego ducam vos. Prior sensus videtur esse genuinus: nam sequitur, *Mittam igitur manum meam*, &c.

20. *Mittam igitur*, ושלחתי] Ad verb. *Et mittam*, i. Extendam. ¶ *Omnibus mirabilibus meis*. בכל נפלאתי] i. omnibus operibus meis mirandis: h. e. miraculis meis editis.

21. *Dabóque gratiam*, &c. ונתתי את חן וגו'] Hebraismus, *Reddam populum hunc gratissimum Ægyptiis*.

22. *Sed postulabit mulier*, ושאלה אשה] i. Mutuabitur quælibet mulier. ¶ *Et ab hospita domûs suæ*, ומגרת ביתה] i. ab hospita sua. ¶ *Quæ ponetis*, &c. ושמתם וגו'] Hebraismus, *Quibus ornabitis liberos vestros*. ¶ *Et spoliabitis*, ונצלתם] i. hoc pacto, hac ratione, jussu meo spoliabitis Ægyptios.

CASTALIO.

2. Qui hic Mosi apparet, idem *Angelus* aut *nuncius*, & *Jova* & *Deus* vocatur in hoc capite, & Judic. 2. Idem Gen. 18. ubi Abrahamo apparet, *Jova* dicitur. Idem Hagarem in deserto errantem & ut Angelus & ut Deus alloquitur, Gen. 21. v. 17. Idem cùm Balaamo in asina equitanti occurrit, *Angelus* vocatur; & tamen dicit Balaamo *iter esse contra se institutum*: id quod Dei, non Angeli loquentis est. Eundem Jacobus Gen. 32. & *Deum* vocat & *Angelum*. Ac nè singula prolixius persequar, plenæ sunt exemplorum literæ: quare hæc res nobis paulò altiùs repetenda est. Principiò, qui hic Mosem alloquitur, non videtur esse Princeps ille, & Christi Pater, Deus; neque enim *nuncius* dici posset, cùm neminem habeat à quo mittatur: Neque item *Angelus*; nam *Jova* non diceretur, cùm hoc sit proprium Dei nomen, cúmque is majore authoritate imperet quàm Angelum conveniat. Quis ergò est? Is profectò quem Paulus 1 Cor. 10. 9. dicit à Judæis fuisse *tentatum*, ideòque eos *à serpentibus exstinctos*: videlicet Christus, per quem Deus Mundum & fecit & regit: quem Sibylla versibus illis quos in Gen. 1. posui, *Filium Dei* vocat. Is est qui Israelitas ex Ægypto eduxit, cum quo Moses & Elias in monte Taburo loquebantur, qui hoc loco *Dei nuncius* vocatur, quòd à Patre missus est; quoniam Patris ipsius præsentiam mortales non ferunt. Idem *Jova* dicitur ab הוה, quod *esse* significat, quoniam semper fuit, semper est, semper erit, sicut in Apocalypsi dicitur ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος est enim unum cum Patre, eique coævus, à quo omnium natura pendet. Eundem *Jovam* vocat & Esaias c. 40. cùm de Johanne Baptista loquitur his verbis, *Vox clamantis in desertis, Parate viam Jovæ*, & paulo pòst, *Ecce Dominum Jovam fortiter venientem*, &c. Et David Psal. 68. si quis eum diligenter legat. idem *Deus* dicitur, ut est: & ut Thomas reipsa victus fatetur, *Dominus meus, & Deus meus*: & Paulus Rom. 9. profitetur, *A quibus* (inquit) *ortus est Christus, quod ad corpus attinet, qui est super omnia Deus laudandus in sempiternum*. Et Angelus Luc. 1. *Israelitarum Deum* appellat. Et Esaias cap. 9. *Deum fortem*: & Sibylla quoque eum vocat *Deum*, his verbis lib. 8. pag. 240. in Acrostichi de Christo.

Rex tibi nunc nostris descriptus in ordine summo
Versibus: hic noster Deus est, nostraque salutis
Conditor æternus, perpessus nomine nostro.

& in eodem libro,

E cœlo veniens mortales induit artus.

Et in eodem libro Gabriel Mariam alloquens, pag. 256. sic ait.

Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

CLARIUS.

2. Angelus Domini] Idem & *Angelus Domini* & *Deus* appellatur: significatque, ut ait M. Basilius, ipsum Servatorem Christum, qui & Deus est, & *magni consilii Angelus* vocatus. ¶ *De medio rubi*] Rubus est arbor sterilis & lenticosa, quam avis citra deplumationem intrare non potest, ut Hebræi dicunt, crescens in deserto: à quo nomine & arbore mons *Sinai* appellationem acceperit. Idcirco verò de rubo ardente sed non combusta Mosen Deus alloquitur, quia de fornace crudelissimæ servitutis liberandi erant filii Israel, in qua cremabantur sed non consumebantur: quod populo Dei usu venit.

5. *Solve calceamentum*] Præcipitur ei per hoc reverentia & humilitas, quódque nihil mortuum terrenúmve divinis rebus est permiſcendum.

8. *Ad loca Chananai*] Omittitur una gens, *Gergeſai*, quòd illa cæteris gentibus minor fuerit. Sciendum quoque, quòd omnes hæ ſeptem gentes propagatæ ſunt à Chananæo, atque ideo non raro in Scriptura uno nomine *Chananai* vocantur. *Pherezai* putantur fuiſſe Sidonii.

14. *Ego ſum qui ſum*] Aut juxta Grammaticas Hebræorum regulas, *Ero qui ero.* Verùm Hebræi ſæpe uſurpant futurum loco præſentis. *Eſſe* autem ſoli Deo convenit, qui eſt illa Eſſentia quæ nec præteriit nec præteribit, h. e. ſemper eſt, qui nunquam cœpit, nec unquam deſiturus eſt, ſed tranſcendit omnem temporis rationem, & qui ſolus dicere poteſt, SUM. Eſt enim ipſe omnis eſſentiæ atque vitæ fons & plenitudo, à quo omnia quæ ſunt habent eſſe quod ſunt. Atque ex hoc loco mihi videtur Plato & Platonici accepiſſe, unde de Deo res hujuſcemodi philoſopharentur. ¶ *Qui eſt miſit me ad vos*] Alius vertit, *Sum miſit me ad vos.* Eſt enim in Hebræo eadem dictio quæ dudum, ubi dictum eſt, *Sum qui ſum.* Sunt etiam qui velint hanc vocem ſignificare tria tempora, præſens, præteritum, & futurum, ut magis ſempiterna Dei ſtabilitas exprimatur.

19. *Niſi per manum validam*] Sunt qui pro *niſi* dicant *neque*, ut ſit ſenſus, Neque ſi viderit manum Dei potentem, & confeſſus fuerit digitum Dei eſſe, permittet vos abire. Nam in Hebræo eſt, *& non in manu valida.*

DRUSIUS.

14. SUm qui ſum] היה & הוה idem ſignificant. Ab hoc eſt אהיה, unum ex nominibus τοῦ ὄντος. Id meliùs redditur *Sum* quàm *Ero.* Nam, ut Paulus de S. Maria Burgenſis epiſcopus annotat, *Eſſe in præſenti maxime competit Deo, cujus eſſe non novit præteritum neque futurum.* Et mox, *Æternitati non competit præteritum aut futurum.* אהיה *Eheje* igitur *ſum*, ab היה *fuit.* Ab הוה autem eſt יהוה nomen Jod, He, Vau, He, factum ex futuro, ut *Iſahac*, *Jacob*, *Jared*, & alia ejus generis. Hiſcuni, *Deus ſeipſum vocat* אהיה Sum, *& homo ipſum appellat* יהוה Eſt, *quod idem cum* הוה. Sed hoc profanum eſt verbum, illud nomen Dei ſacroſanctum, quod olim Samaritani legebant *Jave.* Id contractum ex *Jahave*, ſicut *Jacob* dicimus pro *Jaacob.* Hoc primum: deinde ἀρχαϊκῶς lectum *Jahave* pro *Jeheve*, ſicut hodie יַהֲרֹג legimus pro יֶהֱרֹג *occidet*: vel יהוה *Jave*, ut יבנה *Jamne.* Ut ut ſit, conjicio germanam eſſe lectionem nominis tetragrammati, de qua hodie tantopere controvertitur. Natio ſimplex & rituum ſuorum tenaciſſima eam retinuit. Cur ſpernimus? Nam & antiquos characteres Hebræorum eadem conſervat, quos Judæi commutarunt cum Aſſyriis. De hoc nomine capiendum Exod. 3. 15. *Hoc eſt nomen meum in ſeculum*: quod nunc legunt לעלם abſque Vau; ſed cùm puncta olim abeſſent, legi poterat לעלם *ad occultandum.* Admodum enim occultant illud Judæi; nec Deus vocari eo nomine promiſcuè ab omnibus voluit. Tantùm in templo pronuntiabatur à ſacerdotibus. Eo deſtructo, deſiit ejus pronuntiatio, in tantum ut jam neſciant quomodo prolatum olim fuerit propriis ſuis vocalibus. Diſcant ergò à Chriſtianis, ſi nolunt à Samaritanis diſcere.

19. *Non permittet rex Ægypti vos abire, & non in manu forti*] Hic vetus editio Lat. habet, *niſi per manum validam*; & Græca, ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς, *niſi cum manu valida.* Ego ולא *& non* pro אם לא *niſi* non memini legere. Hoc primum: deinde non permiſit eos abire per manum validam, niſi coactus. Nam poſt ultimam plagam, cùm volens nolens dimiſiſſet populum, coacto exercitu inſecutus eſt eos ad mare uſque Rubrum, in quo periit. Malim igitur, *nè quidem manu forti*, aut *validâ*: quod etiam dicunt גם אין, ut Pſal. 14. 3. *non eſt etiam unus.* Latinè, *nè unus quidem.* Sic Exod. 8. 31. *non remanſit unum*, i. nè unum quidem. Sed nonne, inquies, eduxit Iſraelem ex Ægypto manu forti? Reſpondeo, aliud eſſe populum educere, & aliud licentiam ei facere abeundi. Deus manu robuſtâ eduxit populum; Pharao nè quidem manu illâ preſſus voluit eum dimittere: nam id quod fecit, invitus & coactus fecit. Cæterum pro *in manu forti* legitur ſimpliciter *in manu* Jeſ. 28. 2. *Manum* autem dicit Dei potentiam quam exſeruit contra Ægyptios; vel plagas decem, quibus gentem illam afflixit ob pertinaciam Regis. Sic Exod. 14. in extremo, *vidit Iſrael magnam manum quam fecerat Dominus in Ægypto*, i. magnam potentiam, vel certè magnam plagam. Sic *manus Dei* vocatur plaga Dei, & legimus, Pſal. 17. 14. *à mortalibus manu tuâ*, qui ſunt manus, i. plaga tua. Quod ità notum ut exemplis probare velle ſit lucernam accendere in meridie: quod qui facit, deſipere putatur.

IDEM.

2. בער. A. ἀναπτόμενος, *accenſus.* Sym. φλεγόμενος, *ardens*] Vel, *ſuccenſus.* Sic alibi. בער תנור *ſuccenſus à coquente.* Quod tamen ἀντιλεξεὶ ſonat, *ardens à coquente.* Adi ſis ad Obſervat. meas.

5. של. A. ἔκσπασον, *extrahe.* Sym. ὑπόλυσον, *ſolve*] ¶ Ἔκσπασον, i. שלף. Quo verbo hic uſi ſunt Jon. & autor Jeroſol. ¶ *Solve*, ὑπόλυσον. Priùs erat λῦσαι, & in Onk. ſtro שרי *Solve calceos tuos.*

9. וגם ראיתי את הלחץ אשר מצרים לחצים אתם. A. καί γε ἑώρακα τὸν ἀποθλιμμὸν ὃν οἱ Αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτούς, *& verò vidi oppreſſionem quâ Ægyptii premunt eos*] Ἀποθλιμμὸν, *afflictionem*, *vexationem*, *calamitatem.* Propriè *afflictio vehemens.* Nam ἀποθλίβω, *vehementer affligo.* Idem לחץ in ſermone ſacro. ¶ *Premunt vos.* Θλίβειν non ſimpliciter *premere*, ſed *vehementiùs premere.* Interp. vetus *tribulare* convertit; alii, *affligere.* Hinc θλιμμὸς, quod legitur hoc loco in editione τῶν ό. pro quo tritum & uſitatum magis eſt nomen θλίψις in eadem editione.

16. את זקני ישראל. A. τοὺς πρεσβύτας Ισραήλ, *ſenes Iſrael*] Hoc Chaldæi dicunt סבי ישראל. Sunt igitur iidem סבין & זקנים, quanquam שיבה propriè *cana ſenectus*, quæ Græcis πολιά. Antè fuit in LXX γερουσία. id reddi poteſt *Senatus.* Plutarchus, ἡ τῶν Ῥωμαίων σύγκλητος ἀρχὴ νῦν γερουσία καλεῖται. Senes ergo i. magiſtratus.

22. ונצלתם את מצרים. Sym. καὶ συλήσετε τοὺς Αἰγυπτίους, *& ſpoliabitis Ægyptios*] Συλάω *ſpolio*, quod & συλέω & ſυλάω, Dicitur & σκυλεύω: unde in lib. veterib. edit. LXX σκυλεύσατε, cùm in aliis ſit ſυσκευάσετε, ἤτοι σκυλεύσετε. Quam poſtremam lectionem Theodoretus agnoſcit Quæſt. 23. in Exodum ita ſcribens, Τί αἰτιῶνταί τινες τὸ προστεταχέναι τὸν Θεὸν τοῖς Ἑβραίοις αἰτῆσαι τοὺς Αἰγυπτίους σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, καὶ ἱμάτια, καὶ ſυλεῦσαι (ità leg. non, ut in vulgatis, ſυλεῦσαι) τοὺς Αἰγυπτίους; οὕτω γὰρ ὁ Σύμμαχος τὸ σκυλεύσασθε ἡρμήνευσεν. In Fragmentis quæ olim collegi, Sym. ſυλήσετε τοὺς Αἰγυπτίους, puto verum eſſe quod poſui. In notatis ad edit. Rom. Σκυλεύσατε τοὺς Αἰγυπτίους. Ità LL. VV. In aliis eſt ſυσκευάσετε. Schol. ἄλλος φησὶ, καὶ ſυνεπάγετε αὐτοῖς τὴν ὅσ τὴν σκεύην αὐτῶν δύναμιν.

NOTÆ MAJORES.

1. MOſes autem paſcebat oves Jethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian, duxitque oves poſt deſertum, & venit ad montem Dei, Horebum.

2. *Apparuitque Angelus DOMINI ei in flammâ ignis è medio rubi, & vidit & ecce rubus ardebat igne, nec tamen rubus conſumebatur.*

Paſcebat oves] Nam ex Ebræis erat qui paſtores vocabantur & populus paſtorum. erant enim tales. ¶ *Jethro*] Ebraicè יִתְרוֹ. Sed & יֶתֶר dicitur Exod. 4. 18. unde forſan Ιοθὸρ, quod hic in Editione Græca. Reperio & Ιωθὼρ in B. & Jethor apud Severum in nonnullis editionibus. Jothor vocatur etiam à Demetrio apud Euſebium Προπαρασκ. Lib. 9. pag. 257. ¶ *Soceri ſui*] Ità Hiero. Onkelos & Jonathan. Quanquam in quibusdam latinis, *cognati ſui.* Græca quoque exemplaria variant. Nam in aliis τοῦ γαμβροῦ αὐτοῦ, & in aliis τοῦ πενθεροῦ. Utrumque ſignificat *Socerum.* Γαμβρὸς etiam frater uxoris, & generalius, affinis. Exod. 18. 5. חתן A. νυμφευτής. Sym. πενθερὸς. LXX γαμβρὸς. Hiero. *cognatus.* Interpretes Galli, חתן eſt pater uxoris, aut frater, aut denique affinis. R. David in libro ubi vocum ſenſa explicat, חתן *eſt pater uxoris: ſcribit autem R. Jona fratrem uxoris vocare maritum ejus* חתן. Et mox, *Jethro aliter Hobab appellatur. Raguel autem erat pater Jethro. Quod autem legimus, ad Raguel patrem ſuum, mos lingua avum vocare patrem, & nepotem filium.* ¶ *Sacerdotis Madian*] fieri poteſt ut idem ſacerdos fuerit & princeps regionis. Sic Melchiſedec rex Salem ſimul ſacerdos erat Dei excelſi, & Jonathan ethnarcha Judæorum pontifex erat ejusdem gentis. Porro ex Ebræis nonnulli cenſent eum ſacerdotem fuiſſe idolorum, ut R. David & alii à quibus Abenezra diſſentit. ¶ *Et duxit oves*] Hiero. *cumque minaſſet gregem.* Minare eſt aquatum aut paſtum agere. ¶ *Poſt deſertum*] אחר המדבר LXX ὑπὸ ἔρημον. quod reddunt, *in deſertum.* Hiero. *ad interiora deſerti.* Onkelos, *in locum pulchri paſcui ſive optimi paſtus in deſertum.* Jonathan, *in locum pulchri paſcui qui erat poſt deſertum.* Videtur autem certum aliquod innuere deſertum, ut eſt deſertum Sinai aut deſertum arenæ, quod mare arenoſum vocant, in quo nulla paſcua: quod piloto duce

Digitized

mercatores hodie trajiciunt pyxide nautica usi. Quo facit articulus qui in Ebræo significans desertum vastum, cum aliud sit non vastum, in quo & urbes & pascua. Sunt et interpretibus qui eum eo secessisse putant metu Pharaonis, cum ibi tutiùs latere potuerit. ¶ *Ad montem Dei*] Cur vocat montem Dei? An quia Deus ei apparuit in eo? Sic Onkelos & Jonathan. Id si damus, erit figura quam prolepsin vocant. Aut mons Dei i. magnus, ingens; *ut ignis Dei, montes Dei, flamma DOMINI* &c. Prius veriùs videtur. ¶ *Horebum*] חֹרֵבָה ad Horeb i. לְחֹרֵב ut est in Editionibus Chaldaicis. Lxx. εἰς τὸ ὄρος χωρήβ. Partim tamen codicum habent, τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ. Horeb, Choreb; ut Hermon, Chermon: Hebron, Chebron. Appellatio à siccitate. Nam tanta in iis locis siccitas. Hunc montem alii à Sinai diversum, alii eundem faciunt. Hiero. in comment. Malach. 4. *In monte Horeb, qui est Sina.* Nicolaus ad hunc locum, *iste est mons Sinai.* Si diversus, tum contiguus erat. Eusebius de locis, *Choreb, mons Dei in regione Madian juxta montem Sina supra Arabiam in deserto: cui jungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Horeb vocetur.* Hæc interpres Hieronymus. Situs est ad sinum Arabicum, quo in loco melanos montes describit Ptolemæus, tridui itinere ab Ægypto distans. ¶ *Angelus DOMINI*] ἄγγελος Κυρίου Lxx. *angelus DOMINI* (*Christus magni consilii angelus.* Doctores catholici.) Onk. *Ragnugael angelus Domini.* Jonathan. *DOMINUS*, Hiero. Sic & infra vocatur. ¶ *In flammâ ignis*] ità Onkelos, Jonathan, Hiero. Græca exemplaria variant. Nam in aliis ἐν φλογὶ πυρός: & in aliis ἐν πυρὶ φλογός in igne flammæ. Vide Rom. edit. latinam. Abenezra novè interpretatur, *in corde ignis.* לב & לבת, ut גן & גנה sive גנה hortus. Sensus est, *in medio ignis.* Cor ignis, ut cor cœli, maris, terræ. Hoc sensu Hiero. dixit, *in corde voluminis.* ¶ *Rubi*] βάτου. Ebraicè הַסְּנֶה rubus sive rubetum i. locus rubis refertus. Chaldaicè סנא & סניא. etiam Arabes hoc nomine utuntur. In Sylvatico Alhasegi, rubus. Vide num legendum sit Alhaseni. Quod Arabica vox sit testis mihi Abenezra qui scribit esse spinæ aridæ genus. Quod & Saadias ante illum observavit. Ab eo mons Sinai dictus, quem Justinus ex Trogo Sineum appellat. Forte quia circa eum frequentes rubi erant. ¶ *Et ecce rubus ardebat*] Severus, *repente rubus ardere visa.* Nam ecce notat rem improvisam & inopinatam, repentinam. ¶ *Ardebat*] בֹּעֵר ardens. Lxx. καίεται. Sym. φλεγόμενος. A. ἀναπτόμενος, accensus. Onkelos & Jerosolymitanus בער Jonathan משלהב exsiccans. Abenezra, *comburens.* Scilicet vicina quæque. Et est sensus, ignis comburebat in rubo. Simile, mons comburebat igne. Talis hypallage & in illo, *Projecerunt in ignem sanctuaria tua.* ¶ *Consumebatur*] consumebatur ab igne i. comburebatur, κατεκαίετο, ut Hiero. & Lxx. Ad verb. comedebatur. Sic ignis vorare dicitur ea quæ consumit.

3. *Et dixit Moses, Accedam nunc ut videam visionem magnam hanc, quare non comburatur rubus.*

4. *Vidit autem DOMINUS quod accederet ad videndum, & clamavit ad eum Deus è medio rubi, & dixit, Mose, Mose: & dixit, Ecce me.*

5. *Et dixit, Ne appropinques huc, exue calceos è pedibus tuis: locus enim in quo tu stas humus sancta est.*

Accedam] concedam, divertam, deflectam. Ebraicè אָסֻרָה recedam. Nam qui aliquo concedit, idem recedit ab eo loco in quo erat. Affine est quod reverti apud Ciceronem legitur pro accedere, si non fallunt nos ejus interpretes, in secundam Agrariam, *De commodo vestro prius dicam, Quirites, deinde ad amplitudinem & dignitatem revertar.* i. accedam. Sic exponunt סורו אלי recedite ab eo loco in quo estis, & accedite ad me. Vide Abenezram hoc loco. ¶ *Visionem magnam hanc*] Hoc est primum signum, quod Deus Mosi ostendit: in quo rubus Israelem præfigurat, ignis vexationem quam in Ægypto pertulerunt. ¶ *Quare non comburatur*] ità Hiero. Lxx. Onkelos & Jonathan. Quos secuti nunc sumus, licet idem verbum modo exposuerimus, *ardebat*, ut etiam Santes hoc loco, *cur non ardeat rubus.* Sed hoc perspicuè falsum. Nam rubus ardebat, non tamen comburebatur. Quod Jonathan dixit לא שרף. Idem supra, *rubus comburebat igne.* i. משרף. vult dicere, ignis comburebat rubum, ut sit hypallage. ¶ *DOMINUS*] Angelus apparuit, DOMINUS loquitur, sed per Angelum, si pater DOMINUS: Sed per [illegible], si filius DOMINI angelus. Novum non est ut dem in eodem loco modo Angelus, modo DOMINUS etiam nomine tetragrammato, dicatur. Fagius in Onkelum, *Appellantur Angeli de nomine mittentis.* Abenezra censet DOMINUM vidisse accedentem Mosem, ac tum Angelo mandasse ut ipsum inclamaret, quem אלהים i. Deum post vocat. ¶ *Accederet*] Onk. & Jon. *deflecteret.* ¶ *Deus*] Elohim. Id sæpè de angelis usurpatur. Lxx. hic habent, Κύριος. Onkelos & Jonathan יי. Quæ interpretationes Abenezræ sententiam planè convellunt. Hiero. *Cernens autem DOMINUS quod pergeret ad videndum vocavit eum de medio rubi.* ¶ *Mose, Mose*] de hac repetitione diximus in Abraham, Abraham. Vide notas nostras in Genesin. ¶ *Ecce me*] הִנֵּנִי Hiero. *adsum.* Lxx. τί ἐστι; *quid est?* Onkelos הא אנא, quod Jonathan contraxit in האנא. Id alii scriberent הא אנא. Nam הא ecce. ¶ *Huc*] ad rubum. ¶ *Ne appropinques*] ne propius accedas. ¶ *Exue calceos tuos*] vel, *extrahe.* Sic Aquila ἀπέκσπασον. Hiero. *solve*, ut Lxx. λῦσον. & in Actis λῦσον. Sequitur autem τὸ ὑπόδημα, quâ voce non tam calcei significantur, quam soleæ, quæ vinculis astringebantur: Unde & ὑποδήματα dicta. Sym. ὑπόλυσον. ¶ *Calceos tuos*] נְעָלֶיךָ Hiero. calceamentum. Jerosolymitanus סנדלך, sandalia tua. Onk. & Jon. סינך, quod reddi potest calceum tuum, & calceos tuos. Sic עבדך servus tuus & servi tui. Sic סנדלך sandalium tuum. Porro sandalii voce utuntur pro calceis. Sic etiam scriptores novi fœderis. Sed cur jubet exui calceos? An in signum reverentiæ, quæ loco illi sancto debebatur? Vide Jos. 5. 15. Quod observatum postea sacerdotibus, cum in sanctuario munus obirent. Autor Theodoretus. ¶ *Humus sancta*] vel, *terra sancta.* i. γῆ ἁγία. Ita Hiero. & Lxx. Nam Deus præsentia sua eam sanctificaverat. Onkelos & Jonathan, *locus sanctus est.* In fonte ad verbum, *humus sanctitatis:* & est Ebraismus notus: et הוא pronomen masculinum, quia ad מקום locum refertur.

6. *Et dixit, Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Jshac & Deus Jacob: & abscondit Moses faciem suam, quia timebat ne aspiceret ad Deum.*

7. *Dixitque DOMINUS, Videndo vidi vexationem populi mei qui in Ægypto, & clamorem eorum audivi ab exactoribus ejus, quia novi dolores ejus.*

Dixit] Hiero. in epist. ad Galatos, cap. 3. *In omni veteri Testamento, ubi angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, angelus quidem vere ex ministris pluribus quicunque sit visus, sed in illo mediator loquitur qui dicit; Ego sum Deus Abraham &c. Nec mirum si Deus loquatur in angelis, cum etiam per angelos, qui in hominibus sunt loquatur Deus in prophetis, dicente Haggeo, & ait angelus qui loquebatur in me: Ac deinceps inferente, Hæc dicit DOMINUS omnipotens. Neque enim Angelus, qui esse dictus fuerat in Propheta, ex sua persona audeat loqui, Hæc dicit DOMINUS omnipotens.* Hucusque Hiero. ¶ *Patris tui*] patrum tuorum. Act. 7. 33. ¶ *Abscondit*] Onk. & Jon. וכסי quod Fagius reddit *abscondit:* alius, *inclinavit.* Ego, *avertit.* Sic alibi, כסה פניך averte faciem tuam. ¶ *Ne aspiceret ad Deum*] vel, *ne intueretur in Deum.* In concione Stephani, ἔντρομος γενόμενος Μωσῆς οὐκ ἐτόλμα κατανοῆσαι: tremefactus Moses non audebat considerare. Credebant veteres, si Deum vidissent, se statim morituros. Onk. & Jon. *ne consideraret cum exiret gloria DOMINI.* ¶ *Videndo vidi*] Lxx. ἰδὼν εἶδον, videns vidi. Tremel. *probè vidi.* Alius, *vidi vidi.* Hiero. *vidi.* Onkelos & Jonathan, *planè patefacta est coram me vexatio &c.* ¶ *Vexationem*] afflictionem. ¶ *Clamorem eorum*] vociferationem eorum. Pro eo in actis est τοῦ στεναγμοῦ αὐτῶν. i. suspiria sive gemitum eorum. ¶ *Ab exactoribus ejus*] qui manat ab exactoribus ejus. Vult dicere, quem exactores & operum præfecti sævitiâ suâ ab illis extorquent. Santes, *propter exactores ejus.* Hiero. *propter duritiam eorum qui præsunt operibus.* Lxx. ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν, ab iis qui operas urgent. Onk. & Jon. *à conspectu eorum qui eos servire cogunt.* ¶ *Novi dolores ejus*] Nosse hic est curare, rationem habere; ut Psal. 8. *Quid homo ut cognoscas eum?* Sic alibi, *cognitor tuus.* i. *curator tuus.* Huc retulerim, *novit sperantes in se: justus novit faciem jumenti sui: Deus novit viam justorum.* Quod aliter explicant, probat, approbat. Sed hæc inter se conjuncta sunt. Nam quæ Deus approbat, etiam curat. Onkelos & Jonathan, *patefacti sunt coram me dolores eorum.*

8. *Et descendi ut liberem eum è manu Ægyptiorum, & ut educam eum è terra illa in terram bonam & latam, in terram fluentem lacte ac melle, in locum Chananæi, & Hethæi & Amorræi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi.*

Descendi] è cœlo. Augustinus de civitate Dei lib. 16. cap. 5. *Descendere dicitur Deus, cum aliquid facit in terrâ, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo declarat, ostendit.* Eucherius de formulis spiri-

spiritualibus, *Descendere dicitur Deus in mundum, quando aliquid novum, quod antea non fuerat, in creatura humana operatur.* In notis Vatabli, *Deus descendere dicitur, quando exaudit nos, favet & auxiliatur nobis. Nam omne auxilium de cælo est.* ¶ *E manu*] è potestate. ¶ *Educam*] ascendere faciam. Nam Judæa altior Ægypto. ¶ *E terrâ illa*] in qua nunc duram servitutem servit. ¶ *Bonam*] pinguem, opimam, fertilem. ¶ *Et latam*] Jonathan, *& latam terminis.* Hiero. *& spatiosam.* Lxx. καὶ πολλὴν i. multam. An legerunt רבה pro רחבה? ¶ *Fluentem lacte & melle*] ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι. Onk. & Jonathan, *facientem lac & mel.* Id exponunt, abundantem lacte ac melle. Ceterum terra non facit mel, sed apes: item pecudes lac suppeditant. Sic in Genesi terra dicitur facere manipulos, quos homines in eâ faciunt. ¶ *Fluentem*] manantem. hyperbola copiæ & abundantiæ. ¶ *In locum*] in regionem. ¶ *Chananæi*] Chananæorum & sic deinceps. Sex autem hoc loco tantùm gentes recenset, licet septem fuerint: quæ omnes sub generali nomine Chanaan interdum comprehenduntur. Nam ab eo ceteri prognati. Omisit autem Gergesæum: quod quare à Mose factum sit, fateor me ignorare. Abenezra, id fieri arbitratur, quia ea gens inter septem minima erat. (Alii dicunt quia non contenderunt bello cum Israelitis, sed ante adventum eorum spontè cesserunt.) Idem scribit Pherezæum Sidonem esse. Lxx. omnes septem recensent, hoc ordine, τῶν χαναναίων, καὶ χετταίων, καὶ ἀμοῤῥαίων, καὶ φερεζαίων, καὶ γεργεσαίων, καὶ εὐαίων, καὶ ἰεβουσαίων: Chananæorum & Chetthæorum, & Amorrhæorum, & Pherezæorum, & Gergezæorum & Evæorum & Jebusæorum.

9. *Et nunc ecce clamor filiorum Israel venit ad me, & etiam vidi oppressionem quâ Ægyptii opprimunt eos.*

Vidi oppressionem &c.] Lxx. ἑώρακα τὸν θλιμμὸν, ὃν οἱ Αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτούς: quod reddunt, *vidi tribulationem, quâ Ægyptii tribulant eos.* Hiero. *vidi afflictionem eorum quâ ab Ægyptiis opprimuntur.* In editionibus Chaldaicis est ודחקא quod scribi posset דוחקא oppressio, & דחק oppressit, ἔθλιψε, afflixit.

10. *Et nunc veni, mittamque te ad Pharaonem; ut educas populum meum filios Israel ex Ægypto.*

11. *Dixitque Moses Deo, Quis ego ut eam ad Pharaonem & ut educam filios Israel ex Ægypto?*

Veni] age vel agedum. Sic, *venite, faciamus nobis lateres.* agitedum. Lxx. δεῦρο. Tremel. *adesdum.* ¶ *Ut educas*] והוצא & educ i. educes. Simile, *hoc fac & vive:* item, *ascende in montem & morere.* Sic in Latio, *Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.* pro eris, Eadem enallage in Chaldaico ותפיק quod in Onkelo & Jonatha. Lxx. καὶ ἐξάξεις, & educes. Sic etiam Santes. Nos Hiero. secuti sumus, qui vertit, *ut educas.* Tremel. *deinde educito.* ¶ *Populum meum filios Israel*] appositio, ut supra, *populus filii Israel*, quod ibi convertunt, *populus filiorum Israel.* Nostra interpretatio ex hoc loco robur accipit. Quis ego? τίς εἰμι ἐγὼ; quis sum ego? Lxx. Hiero. Sententia est, neque aptus sum qui mittar ad tantum regem, neque si aptus essem, possem ex Ægypto educere filios Israel. Ad eam legationem opus est aliquo qui me sit eloquentior & facundior.

12. *Et dixit, Quia ero tecum, & hoc tibi signum, quod ego miserim te, quum eduxeris populum meum ex Ægypto coletis Deum super montem istum.*

Quia ero tecum] Hiero. *ego ero tecum.* interpretatur אני pro כי. Forte כי redundat & otium agit. Onk. & Jon. *Quia sermo meus erit tibi auxilio.* Lxx. ὅτι ἔσομαι μετὰ σοῦ: Quidam, *fac*, aut, *scito* subaudiunt. Alii כי utique, certè, profectò reddunt. Ceterum respondet primum ad illud, Quis ego &c.? q. d. noli metuere Pharaonem, quia ego tibi adero. ¶ *Et hoc tibi signum*] Responsio est ad illud, *& ut educam filios Israel ex Ægypto.* q. d. de eventu non debes ambigere, non etiam de auxilio meo. Rubus qui nunc ardet nec comburitur, tibi signum erit, quod ego miserim te. Aut legationis tuæ signum erit vaticinium quod sequitur, *Quum eduxeris populum meum* &c. Simile apud Esaiam, *Et hoc tibi signum, Comedes anno hoc spontè natum* &c. Alia expositio, Hoc, videlicet quod tecum ero signum tibi erit, unde cognosces te à me missum esse. Ideò cum eduxeris populum meum, coletis eum super hunc montem. Quod erit argumentum grati animi, qui pios decet. Hanc sententiam illustrabit distinctio, si verba illa, *& hoc tibi signum erit, quod miserim te*, incluseris parenthesi. ¶ *Coletis Deum,*] vel, *servietis Deo*, λατρεύσετε τῷ θεῷ. Malè Hiero. *immolabis.* In quo dupliciter peccatum. Primum enim verbum plurale sine ullâ necessitate reddit per singulare: deinde confundit עבד cum זבח, quod propriè sacrificare & immolare denotat. ¶ *Super montem istum*] juxta vel prope montem istum. Ità *super accipitur in illo, & super maria fundavit eam.* Sic Galli dicunt, *sur la mer*, pro secus, juxta, ad mare.

13. *Dixit Moses ad Deum, En ego venio ad filios Israel, & dicam illis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos: & dicent mihi, Quod nomen ejus? Quid dicam illis?*

14. *Et dixit Deus ad Mosem, Sum qui sum: & dixit, Sic dices filiis Israel, Sum misit me ad vos.*

15. *Dixitque amplius Deus ad Mosem, Sic dices ad filios Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham Deus Isahac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in ætatem ætatem.*

Venio] i. veniam. Simile, *quò ego eo, vos non potestis venire.* i. ibo, aut mox iturus sum. Hiero. hoc loco retulit, *vadam.* & Santes, *ibo.* Nam sic בא aliquando sumitur, etiam *venio* apud autores Latinos. Vide quæ in Genesin notavi. ¶ *Sum qui sum*] אהיה אשר אהיה Lxx. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, quod reddunt, *ego sum qui sum.* Sic etiam Hiero. Jonathan, *qui dixit & est mundus, dixit & sunt omnia.* Quibus verbis innuit Deum per se esse, cetera omnia ab eo habere suam essentiam. Unde propriè de Deo dicitur Sum. Nam is solus verè est, solus æternus est. Esse autem est æternum esse, ut vult Plato. Jerosolymitana, *qui dixit mundo, Esto, & fuit: & futurum est ut dicat ei, esto, & erit.* Santes, *Ero qui ero.* Trem. *Eheje, qui ero.* id est אהיה כי. Solet autem אשר & pro כי usurpari. Hiscuni, *Prius nomen est, & alterum explicatio nominis.* q. d. *Nomen meum est Eheje, propterea quod ero & manebo in secula seculorum absque fine & ero vobiscum* &c. Inter nomina Dei recensetur etiam a Hiero. אהיה. Quanquam in eo אשר אהיה qui sum. Sunt autem tria quæ essentiam ejus declarant; quorum unum est decurtatum, ut videtur, ex tetragrammato יה quod reddunt DOMINUS. Secundum est nomen Jod, He, Vau, He: Quod Hiero. ubi scribit ex duobus יה compositum esse. Verius ut sit nomen ex tertiâ personâ futuri יהוה erit. Nam etiam הוה dicimus. Tertium Eheje, factum ex prima personâ illius temporis. In his tribus nominibus reperias omnes litteras quiescentes, quæ sunt numero quatuor: quarum tres, videlicet אהו, ab Ebræis dicuntur matres lectionis. Nam olim cum apices abessent lectionem juvabant. Ceterum Deus appellatur ὁ ὢν tribus potissimùm de causis. Prima est quia per se est: secunda quia semper idem est: tertia quia æternus est. Videndi sunt Hiero. super epistolam ad Ephesios, cap. 3. Augustinus, *De eo quod dictum est à Deo ad Moysem, Ego sum qui sum.* Thomas part. 1. quæst. 2. art. 3. & alii orthodoxi patres. ¶ *Sum*] vel, Eheje. Quod Onkelos & Jerosolymitanus etiam habent. Sed in hoc scriptum אהיה, in illo autem, ut etiam in Ebræo אהיה. perinde est. LXX. ὁ ὤν, quod reddi potest, *qui sum.* Vulgò tamen interpretantur, *Qui est.* Sic etiam Hiero. autor editionis vulgaris. Jonathan, *ego sum qui sum & ero.* אנא הוא propriè, *sum ego*, id est אנא הוא. Quidam censent אהיה & יהוה unum & idem nomen esse. Utrumque certe æternam Dei essentiam notat, qui fuit, qui est, qui erit in omnem æternitatem. Quanquam ut esse Deum nemo infitiatur, ità fuisse aut futurum propriè loquendo nonulli negant. Quâ de re diceraus alias. ¶ *Hoc est nomen meum*] Eheje i. ero sive sum. Hiscuni, *Eheje, est nomen meum in seculum. Sic enim scribimus nos nomen proprium per Jod, He, Vau, He: quia Deus benedictus vocat seipsum אהיה, & nos vocamus eum יהוה, quod idem est cum יהיה est. Nam Vau est loco Jod, quemadmodum הוה dicimus & היה pro eodem.* Id ideò factum putatur ut discrimen sit inter יהיה quod profanum est verbum, & יהוה nomen sacrosanctum, quod Samaritani olim legebant Jave. יַהְוֶה Jave, ut פִּסְגָּה Phasga. Sic יַמְנֶה Jamne. Posset etiam legi יֶהֱוֶה Jeheve: & est nomen ex tertia futuri, ut יַעֲקֹב Jacob, יִצְחָק Isahac, יָרִיב Jarib. Græci legebant Ιαὼ i. IAVO יָהוּ cametz per ω exprimentes. Ex hac consuetudine Josephus scripsit Ἀδάμ pro Adam, & Hiero. Attho, tu: lecho, tibi. Ità conjicio, puto autem conjecturam meam non omnino vanam esse. ¶ *In seculum*] Scriptum לְעֹלָם absque Vau: *quod absconderunt*, inquit R. Salomo, *ut ostenderent non esse legendum hoc nomen secundum scripturam suam.* Judicent eruditiores; mihi verum non videtur. ¶ *Memoriale meum*] τὸ μνημόσυνόν μου. ¶ *In ætatem ætatem*] in omnem ætatem. Desideratur autem copula, quam supplent plerique omnes interpretes, vertendo, *in ætatem & ætatem.* On. & Jon. *in omnem ætatem & ætatem.* Hiscuni, *Hoc est nomen meum*, videlicet אהיה vel יהוה: *& memoriale meum.* Deus patrum vestrorum: vel Adonai Deus, quæ est lectio nominis tetragrammati. Videnda Pauli Burgensis additio ad hoc caput, quæst. 12.

16. Va-

16. *Vade, & congrega senes Israel, & dic eis, DOMINUS Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Isahac, & Jacob: visitando visitavi vos, & id quod factum est vobis in Ægypto.*

17. *Et dixi, Educam vos ex afflictione Ægyptiorum, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorræi, & Pherezæi, & Hevæi & Jebuzæi, ad terram fluentem lacte & melle.*

Vade] i, ito. ¶ *Congrega & dic*] Ebraicè, *congregabis & dices.* Sæpè ità futurum pro Imperativo ponitur. Hiero. *congrega & dices.* Sic Græci συνάγαγε καὶ ἐρεῖς. ¶ *Senes Israel*] πρεσβύτας Ἰσραήλ. A. Non est nomen ætatis hoc loco, sed honoris ac dignitatis. Unde non malè Lxx. τὴν γερουσίαν. i. senatum. On. & Jon. סבי. Tremel. *Seniores.* ¶ *Apparuit*] visus est, ὤπται sive ὤφθη. ¶ *Deus Abraham*] Sic vocatur ob fœdus quod cum eo pepigerat. ¶ *Visitando visitavi vos*] Hiero. *visitans visitavi vos.* Lxx. ἐπισκοπῇ ἐπέσκεμμαι ὑμᾶς. Tremel. *omnino rationem habui vestri.* Onkelos & Jonathan, *recordando recordatus sum vestri.* ¶ *Visitavi*] respexi. Sic alibi, *visitavit nos germen ex alto.* Idem cognoscere: idem recordari aut meminisse. Notum illud, *Quid homo ut memor sis ejus, aut filius hominis ut visites eum?* alibi, *ut cognoscas eum.* ¶ *Et id quod factum est vobis*] & omnia quæ acciderunt vobis. Hiero. Idem de suo addit, *vidi:* Quod non habetur in Ebræo, nec apud alios interpretes. ¶ *Et dixi*] *Et dixi in sermone meo.* Jonathan. *Antea dixi patribus vestris.* Abenezra. *Dices eis me dixisse sive quod dixerim. i. decreverim.* Hiscuni. *Quapropter dixi.* Tremel. editio Gallica. ¶ *Educam*] ascendere faciam. Perperam in Tremel. *deducam.* Puto mendum esse typographiæ. ¶ *Afflictione*] vexatione, κακώσεως. ¶ *Chananæi, & Hethæi* &c.] *Chananæorum, Hethæorum* &c. Onkelos, Jonathan, alii.

18. *Et auscultabunt voci tuæ, & venies tu & senes Israel ad regem Ægypti, & dicetis ad eum, Dominus Deus Ebræorum occurrit nobis: & nunc eamus quæsumus viam trium dierum in desertum, & sacrificemus Domino Deo nostro.*

19. *Et ego novi quod non finet vos rex Ægypti abire, & non in manu valida.*

20. *Et extendam manum meam & percutiam Ægyptum, omnibus mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio ejus: & postea dimittet vos.*

Auscultabunt voci tuæ] Auscultare propriè dicuntur qui auditis parent. Idem שמע quando cum ל aut ב construitur. Vide Abenezram. Hiero. *Et audient vocem tuam:* quod aliam sententiam continet. Itaque Santes emendavit, *& obedient voci tuæ.* ¶ *Venies*] ibis, accedes. ¶ *Ebræorum*] *Judæorum.* On. & Jon. Ceterum pro *venies* quod Onkelos interpretatur, Hiero. habet *ingredieris.* Sic etiam Onkelos & Jonathan. ¶ *Et dicetis*] Lxx. καὶ ἐρεῖς, ut Hiero. & *dices.* ¶ *Occurrit nobis*] vel, *obviam factus est nobis.* Hiero. *vocavit nos.* Sic Græci Lxx. προσκέκληται ἡμᾶς. Confundunt נקרה occurrit, cum נקרא vocavit. Onkelos & Jonathan אתקרי עלנא, quod non nemo interpretatur, *invocatus est super nos.* ego, *factus est nobis obviam.* Sic etiam Paulus Fagius. Vulgata versio latina occasionem dedit Thomæ disputandi hoc loco de duplici vocatione. Externa & Interna. *Interna,* inquit, *est quidam mentis instinctus, quo cor hominis movetur à Deo ad assentiendum his quæ sunt fidei vel virtutis.* ¶ *Eamus*] abeamus, liceat nobis ire. ¶ *Quæsumus*] vel, *jam.* Sic Onkelos & Jonathan. *Nunc jam,* παραυτίκα ut *repentè subito.* ¶ *Viam trium dierum*] *Tantum intervallum inter montem Horeb, super quem Deo sacrificaverunt, & limites Ægypti veteris.* Abenezra. *trium dierum iter ab ingressu deserti sive solitudinis.* Alii quidam. ¶ *In desertum*] Ebraicè, εἰς τὴν ἔρημον, cum articulo. Significat autem desertum illud quod inter Ægyptum & Palæstinam sive terram Chanaan. Id ab aliis desertum Arabiæ vocatur, in quo mare sabulosum. ¶ *Et sacrificemus*] Hiero. *ut immolemus.* Sic Græci, ἵνα θύσωμεν. Parum refert hoc an illo modo legamus. Nam etiam Santes habet, *ut sacrificemus.* Notum (&) pro ἵνα usurpari. ¶ *Novi*] certe scio, compertum habeo. ¶ *Non sinet*] vel, *non permittet.* Sic Onkelos, Jonathan & R. Salomo. In Ebræo est ad verbum, *non dabit.* Non dabit abire, hoc est interprete Abenezra, לא יניח non sinet, vel לא יתן רשות non dabit licentiam abeundi. Dicimus etiam permittere licentiam, & concedere & largiri. ¶ *Et non in manu valida*] Sic est in Ebræo ad verbum. Sed variè redditur & exponitur. Hiero. *nisi per manum validam.* i. אם לא. Lxx. ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς nisi cum manu valida. Onkelos, *& non propterea quod robur ejus validum.* Sic interpretor ולא מן קדם דחילתיה תקיף. Alii aliter. Nam Fagius, *neque etiam propter præsentiam ejus cujus virtus fortissima est.* Interpres Complutensis, *nisi propter timorem fortem.* Nam דחלא timor. Jonathan, *& non quia robur ejus validum sed quia in sermone meo redarguere illum plagis malis.* Abenezra, *& non propter manum validam, hoc est potentiam quam obtinet.* Saadias, *& non cum manu valida primâ vice.* Hiscuni, *ne quidem manu valida hoc est novem plagis.* Santes, *nisi in manu forti.* Tremel. *ne quidem manu forti pressus.* Munsterus, *neque si viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, concedet vobis abitum.* R. Salomo, *& non propterea quod manus ejus valida.* Vatablus, *nisi manu forti coactus fuerit.* ¶ *Extendam*] Sic etiam Hiero. & Lxx. Nam ἐκτείνω extendo. Santes, *mittam:* Nam Ebraicè ושלחתי. *Mittere* pro extendere notum ex iis quæ in Genesin commentati sumus. Onkelos, *mittamque plagam potentiæ meæ.* Jonathan, *& retardabuntur sive moram trahent ibi donec misero plagam meam fortem.* Mittam *manum* i. plagam. Cave spernas. Prius tamen veriùs videtur, eique firmando sunt consequta verba. ¶ *Ægyptum*] id est Ægyptios. τοὺς Αἰγυπτίους. Sic Onkelos, Jonathan, & Lxx. ¶ *In medio ejus*] בקרבו ἐν μέσῳ αὐτοῦ. Quod ad Ægyptum referri non potest, cum nomen sit fœmininum. Est ergo constructio sensu congrua, non voce. Sed מצרים non tàm Ægyptum sig. quam ipsos Ægyptios. Ideò Hiero. ad sensum non malè vertit, *in medio eorum.*

21. *Et dabo gratiam populo huic in oculis Ægyptiorum, eritque cum abibitis non abibitis vacuè.*

22. *Sed postulabit unaquaque à viciná suâ & ab hospita domus suæ vasa argentea & vasa aurea & vestes, quæ imponetis filiis vestris & filiabus vestris: atque ità spoliabitis Ægyptum.*

Dabo gratiam populo huic] δώσω χάριν τῷ λαῷ τούτῳ i. העם הזה. ità Hiero. & Lxx. Nam in Ebræo, *populi hujus.* Sensus est, reddam hunc populum gratiosum, conciliabo ei gratiam & autoritatem apud Ægyptios. Posses reddere, *Ponam gratiam populi hujus.* Nam *dare* & *ponere* permutantur. Onkelos & Jonathan, *Dabo sive ponam populum istum in miserationes.* ¶ *Vacuè*] i. vacui, κενοί. Quod chaldaicè ריקנין. Sic in historia Ruth, *vacuè reduxit me DOMINUS* i. vacuam. Ebraicè utrobique est ריקם quasi adverbialiter. Nam quæ in A M desinunt, naturam habent adverbiorum. Talia sunt חנם gratis אמנם verè, revera. Sic in Latio, *palam, donicum,* idest, donec &c. ¶ *Postulabit*] vel, *postulet.* Sed in Lxx. αἰτήσει. Quidam, *petet commodato.* Sic Exod. 12. 36. וישאלום Hiero. *ut commodarent eis.* i. commodato darent. Sic שאל mutuum accipiens השאיל mutuum dans. Minus rectè Vatablus, *mutuabitur.* ¶ *Unaquæque*] vel, *qualibet.* Ad verbum. *Mulier.* Quod apud vetustos interpretes. ¶ *Ab hospita domus suæ*] מגרת ביתה. Hiero. *ab hospita sua.* Lxx. παρὰ συσκήνου αὐτῆς, à contubernaria sua. Lex. vet. *contubernarius* σύσκηνος, σύσκηνος. In edit. Rom. *à contubernali suâ.* Augustinus in locut. *ab inquilina sua.* Idem ibid. *Græcus habet, à cohabitatrice sua, hoc est* συσκήνου, *quod latini aliqui interpretati sunt, a concellaria sua.* Et quæst. 39. *Mulier à vicina sua & concellaria, vel concellanea, si ità dicendum est, vel cohabitatrice sua.* Σύσκηνος sive ὁμόσκηνος, qui eodem tabernaculo utitur. Solet autem tebernaculum & pro domo usurpari. Ergo σύσκηνος idem cum σύνοικος, qui eâdem in domo nobiscum habitat. Munsterus, *à cohabitatrice domus suæ.* Onkelos, *ab hospita domus sua,* si modo קריבת est hospita, ut Fagius interpretatur. Nam potius propinquam denotat. Eadem voce usus est Jonathan, qui de suo addit כותלה. parietis ejus domus q. d. quæ intra parietes domus moratur. Jerosolymitana משכנתה ab hospita sua. R. Salomo, *ab ea quæ commoratur cum ea in domo.* ¶ *Vasa*] supellectilia vel ornamenta, ut erant inaures, torques, ἐνώτια, lunulæ, armillæ &c. Videndus Abenezra. ¶ *Spoliabitis*] ita Hiero. Alius, *diripietis.* Lxx. σκυλεύσατε, Spoliate. Sic Libri veteres. In aliis est, συσκευάσετε, convasabitis, & in C. ἐπισυσκευάσατε, convasate. Schol. ἄλλος φησί, καὶ συνεχέετε αὐτοῖς τὴν ἐν τοῖς σκεύεσιν αὐτῶν δύναμιν: & conjungite sive colligite vobis ipsis (lego αὐτοῖς) opes quæ sunt in vasis eorum. Sym. σκυλεύσετε. Est autem σκυλεύω, spolio, &c. Vide supra. Onkelos & Jonath. ותרוקנון exinanietis, evacuabitis. Abenezra, *Sunt qui dicunt patres nostros fures fuisse: Sed hi nonne vident mandatum fuisse à Deo supremo? cujus mandati caussam quærere non debemus. Nam Deus creavit omnia, & ipse dat opes cui vult, & adimit uni & dat alteri: Nec est malum hoc quia omnia ipsius sunt.* Ceterum Hiscuni arbitratur Israelitas hæc supellectilia dono accepisse ab Ægyptiis, *qui etiam* inquit, *vestes petierunt ad celebrandum festum. Nam diebus festis ac latis homines induunt vestes cultiores & hono-*

honoratiores. Meminentes autem longe ante dictum fuisse Abrahamo, Et exibunt inde cum substantia multa.

AMAMA.

VErs. 2. Ebraice est מלאך יהוה Angelus Domini. At Vulg. vertit, Dominus. Fateor eum qui hic vocatur *Angelus DOMINI* postea vocari יהוה, Fateor libens hic denotari increatum illum Angelum, Angelum fœderis magnique consilii, Jesum Christum Deum benedictum in secula, tamen vocem מלאך non de nihilo hic additam, ac proinde a Vulg. omitti non debuisse contendo. Certe Onk. & LXX. eam otium agere non opinati sunt, dum ille מלאכא דיי, hi vero ἄγγελος Κυρίου reddiderunt.

18. Ebr. *Dominus Deus Ebræorum* נקרה *obviam factus est nobis.* Vulg. *vocavit nos.*] קרה cum ה in Kal & Niphal *occurrere* significat, unde & illud cum apocope literæ ה Num. 23. 4. ויקר *& occurrit* Deus ipsi Bileam. At Vulg. confudit illud cum קרא. Scio ordines istos crebrò inter se confundi & in iis קרא & קרה. Sed קרא sive קרה in Niphal nunquam significat *vocavit* active. Ideo Steuchus & Cajet. optime emendant, *occurrit nobis*, Abenezra quoque per נקרא *occurrit* reddidit. Frustra ergo ex hoc loco Thomas de vocatione duplici interna & externa disserendi occasionem sumpsit. Nihil enim ejusmodi in fonte est.

19. Ebr. *Non permittet rex Ægypti vos abire* ולא *& non in manu forti.* Vulg. *Nisi per manum validam.*] Asscribam verba Cl. Drusii præceptoris & decessoris nostri optime de nobis studiisque nostris meriti, quæ scripsit in Comm. ad loca diff. hujus libri, *Ego*, inquit ולא pro אם לא *nisi*, *non memini legere. Hoc primum; deinde non permisit eos abire per manum validam nisi coactus. Nam post ultimam plagam quum volens nolens dimisisset populum, coacto exercitu insecutus est eos ad mare rubrum usque, in quo periit. Malim igitur ne quidem, quod etiam dicunt* אף לא. Sed nonne exiit, inquies, Israel manu forti Dei eductus? Exiit, sed tamen non dimissus a Pharaone est i. licentiam abeundi Israel a Rege impetrare non potuit, etiam cum gravissimâ plaga Rex pressus esset. Invito enim eo egressus est. Hanc expositionem stabilit Onk. quem hic sic interpretatur Fagius, *neque etiam propter præsentiam ejus cujus virtus fortissima est.* Sic Trem. Munst. & Hisc.

GROTIUS.

2. QUod rubus arderet, *& non combureretur*] Imago populi Israelitici.

4. *Vocavit eum de medio rubi*] Citantur versus ex Tragœdia Græca de Deo:

Οὐκ οἶδα δ' αὐτόν. ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαίνεται
Ἄπλατον ὁρμῇ.
[*Ignotus ille est: nunc ut implacabilis*
Apparet ignis]

Tale visum videnti magnam gloriam portendere persuasio erat gentium eo tempore, ut hic notat Josephus.

5. *Solve calceamentum*] Pythagoras imitatus apud Jamblichum de vita ejus c. XXIV. ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει [*liber à calceis fac sacra & adora*]. Marinus de Proclo: ἀπολυσάμενος αὐτόθι ἃ εἶχεν αὐτῷ ὑποδήματα ἀφόρτων ἐκεῖνον τὴν θεὸν ἠσπάζετο [*ibidem solutis quæ habebat calceamentis ardentibus illic deam salutavit*]. Nudi pedes ad religionem pertinent. Persius de regibus Judæis.

Exercent ubi festa mero pede sabbata reges.

8. *In terram bonam & spatiosam*] Hecatæus de Judæis ait: τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται [*ter millies mille semijugera possident terra optima ac fertilissima*].

15. *Hoc nomen mihi est in æternum*] Erit. Maimonides rectè. Nam in benedictionibus sacerdotalibus in Templo pronuntiatum fuit nomen illud יהוה, quod vim continet ejus quod præcessit, אהיה אשר [*qui est*], factum ad normam humanorum nominum quibus י præponi solet, & littera י media inter duo ה mutata in ו, ut sæpè, εὐφωνίας [*soni suavioris*] causa.

19. *Nisi per manum validam*] Sic & Græci, ἐὰν μὴ [*nisi*]. Et sensus id exigit, ut apparet infrà VI. 1. Videtur ergo fuisse in Hebræo בלא [*nisi*], non ולא [*& non*] quod sensum faceret ab historia alienum. Manus autem valida intelligenda est occisio primogenitorum: ultio maxima, ἐκδίκησις μεγάλη, VII. 4.

Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis] Faciam eos gratiosos.

CARTWRIGHTUS.

VErs. 1. אחר המדבר *Post desertum*] Onk. בתר שפר רעיא למדברא *post pulchra seu amœna pascua deserti*: est autem frequens (inquit Fagius) in Hebraismo & Chaldaismo, ut pulchrum pro bono, & contra bonum pro pulchro accipiatur. R. Sal. ait Mosen ita fecisse, ne in alienis agris oves suas pasceret. LXX. ὑπὸ τὴν ἔρημον; *sub desertum*, in *edit. Rom. Latinè vertitur in desertum*; *quod potius est* ὑπὸ τὴν ἔρημον *vel* εἰς τὴν ἔρημον Vulg. *ad interiora deserti.*

Et venit ad montem Dei] Onk. & Ion. (*a*) *ad montem super quem revelata fuit gloriâ Dei.* Hic autem mons Horeb ita appellatur per anticipationem על שם העתיד ut loquitur R. Sal. h. e. (ut exponit Lyra) *ratione eventûs futuri, quòd ibi Deus daturus erat Legem.*

חרבה *Ad Horeb*] Vox Horeb siccitatem denotat; atque à calore & siccitate mons iste sic dictus videtur, quòd (ut notat Aben Ezra) cum prope Ægyptum esset, nec nisi tridui itinere ab eâ distaret (cap. 5. 3) pluvia in eam non descendebat.

2. *Apparuit illi Angelus Domini*] Ex v. 6. Hunc angelum increatum fuisse (*b*) apparet. Et sic in Pirke, sive Capitulis R. Eliezer cap. 40. dicitur, *Ibi autem revelatus est Sanctus benedictus*) *medio rubi, juxta illud, apparuit illi angelus Domini in flammâ ignis è medio rubi.*

בלבת אש *In flamma ignis*] LXX. ἐν πυρὶ φλογός, *in igne flammæ*, seu in igne flammanti, Act. 7. 30. ἐν φλογὶ πυρός, in flammâ ignis, illud ad Hebræum Textum propiùs accedit, atque ita etiam in multis codicibus versionem LXX. Interpretum habere, itaque legere Theodoretum testatur Nobilius. Onk. בשלהובית אשתא *in flammâ ignis.* Atque ita Vulg. Aben Ezra ait nonnullos exponere בלבת אש quod idem sonat, sibi autem potiùs sensum videri בתוך אש *in medio ignis*, uti Ezek. 16. 30. מה אמלה לבתך *quàm imbecille est cor tuum?* Quod autem in isto Ezechielis loco Lamed sub se habet Chirek, hic autem pathac, parùm referre existimat; ita enim להב & לבה promiscuè usurpari observat. R. Sal. primò exponit בשלהבת אש *in flammâ ignis.* Deinde addit, לבו של אש *Corde ignis*, ac ista in Ezechiele verba ad expositionem istam confirmandam citat. At præterquam quod prior interpretatio plurium atque antiquissimorum Interpretum consensu, atque adeò Novi Testamenti authoritate comprobatur, mihi, ut לבה pro להבה usurpatur, duriusculum videtur.

מתוך הסנה *è medio rubi*] Aben Ezra ait סנה *Seneh* esse מין קוץ ביש *speciem spinæ aridæ*, atque ita in linguâ Ismaeliticâ sive Arabicâ appellari, quin & inde montem dictum סיני *Sinai* בעבור הסנה *propter rubum*, hoc est, vel quòd rubi istic propè montem copiosè nascebantur, vel propter rubum istum, in quo angelus Domini apparuit. Hoc potiùs opinor, sibi voluit Aben Ezra. Ita apertè in Pirke Eliezer c. 41. *à die quo creati sunt cœli & terra, vocatum fuit nomen istius montis Choreb; Postquam autem apparuit Sanctus benedictus Mosi è medio rubi, nomine* סנה *Seneh* (i. rubi) *Choreb dictus est* סיני *Sinai. Unde verò probas, quod receperint in se Legem in monte Choreb? quia dicitur, Hodie stetisti coram Domino Deo tuo in Choreb.* Sic Vorstius interpretatur, malim verò, *Qua die stetisti*, &c. יום אשר עמדת *Deut.* 4. 10.

3. אסרה נא *secedam nunc*] ממקום להתקרב שם inquit R. Sal. i. e. *ab hoc loco, ut istûc appropinquem.* Aben Ezra notat verbum סור *Sur* constructum cum מן *Min* elongationem denotare; ut סורו ממני *discedite à me*; idem valet ac רחק ממני, *procul à me abesse.* Sin autem sequatur præpositio אל *El*, contrariam significationem habere. Ut סורה אלי *appropinqua mihi.* q. d. סור ממקומך ובא אלי *discede è loco tuo & ad me veni.* Vide Annotat. ad Gen. 19. 2.

את המראה הגדול הזה *Visionem hanc magnam*] Japheth referente Aben Ezra) non ineptè visionem hanc ita interpretatur, ut per ignem inimicus, per rubum Israel intelligatur.

5. *Exue calceos tuos*] Lyra ait antiquorum fuisse morem, ac præcipuè Hebræorum, ut non ingrederentur sancta loca calceati. Hoc à Saracenis observatum testatur. In Pirke Eliezer cap. 40. dicitur. *Dixit illi Sanctus benedictus, Moses, Moses, subsiste in gressu tuo, quia hic daturus sum legem prout dicitur, Ne appropinques huc, exue calceamentum tuum è pedibus tuis. Hinc dicunt, quicunque consistit in loco Sancto, illum oportet extrahere calceamentum è pedibus suis. Sic enim dixit Sanctus benedictus Mosi, exue, &c. Nam locus super quem stas, sanctus est.* Jon. *Nam locus super quem stas, locus sanctus est, & futurum est, ut super eum accipias legem, ut eam filios Israel edoceas.* At locus illic jam tum sanctus fuit, eò quòd Deus speciali modo se ibi præsentem exhibuit.

(*a*) *LXX. Omisso nomine Dei* [illegible] (*b*) *Vulg.* [illegible] *ruitque illi Dominus*

7. מִפְּנֵי נֹגְשָׂיו *Propter exactores ejus*] LXX ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν *propter exactores operum*. Vulg. *propter duritiam eorum, qui præsunt operibus*. Onk. מִן קֳדָם מְפַלְחֵיהוֹן *propter eos, qui ipsos servire faciunt*; qui ad servitutem exigendam ipsis sunt præfecti.

8. *Et descendi ut liberem eos*, &c.] Onk. *Et manifestavi me ipsum ut liberem eos*. In Perke Eliezer cap. 40. ita scriptum habetur, *Deseruit autem totum montem, & descendit in rubum, atque illic commoratus est, rubus verò affligit & tribulat vel pungit, & totus est ex spinis & tribulis. Cur autem habitabat in angustiâ & tribulatione? Quia videbat Israilitas in magnâ afflictione, ipse quoque cum ipsis habitavit in afflictione. Hinc illud, In omni afflictione illorum erat ipsi afflictio*. Isa. 63. 9.

Fluentem melle & lacte.] Augustinus Quæst. in Exod. dubitat utrum hoc spiritualiter accipi debeat, an locutio ista ad laudem ubertatis & suavitatis referatur. Hanc posteriorem expositionem simplicem ac germanam esse haud dubium est.

Ad locum Canaanæorum, &c.] Lyra notat Girgasæos hic prætermitti, atque ita etiam alibi aliquoties, idque ex Hebræorum sententiâ, quòd filiis Israël non restiterunt sicut alii, sed ante eorum adventum recesserunt. Atque id quidem de Girgasæis tradit R. Sal. ad cap. 33. 2. & ad c. 34. 11. eàque de causâ eos prætermissos existimat. At nullo, quod sciam, Scripturæ fundamento istud nititur; imò Deut. 7. 1. Girgasæi inter eos quos Deus ante Israelitas expulit, disertè recensentur. Meliùs igitur Aben Ezra, qui ideò nullam Girgasæorum mentionem factam putat, propterea quod inter septem istos populos minimi fuerunt. Quòd si quis quærat, quare cum sex illæ gentes ex Canaan ortæ sint, peculiaris mentio fiat Canaanæorum: respondet, totam terram dictam esse Canaan, ac istud nomen (Canaanæorum) esse generale, & reliquos populos sub se comprehendere. Istud sibi velle videtur. Ejus enim verba sunt subobscura, ac fortasse mutila. כי הוא הכלל שהוא ... פרט At etiamsi omnes septem populi dicti sint Canaanæi, uti tota regio dicta est Canaan, hic tamen, atque in aliis istiusmodi locis, Canaanæorum nomen (*a*) uni alicui ex istis populis tribuitur; alioqui non video quomodo septem gentes fuerint, prout disertè appellantur Deut. 7. 1. & Act. 13. 19. LXX hic, uti etiam alibi contra quàm in Hebræo textu legitur, habent καὶ Γεργεσαίων. Chaldæus, & Vulgatus Latinus Hebræo consentiunt.

11. מִי אָנֹכִי *quis sum ego*, &c.] מה אני חשוב לדבר עם המלכים *Quænam est mea dignitas, seu existimatio, ut cum regibus loquar?* Sic R. Sal.

Et educam filios Israel, &c.] R. Sal. porrò sic παραφράζει, *Quod siqua mea est dignitas, quid meruerunt filii Israël, ut in eorum gratiam miraculum fiat, & ego eos Ægypto educam?*

12. *Et dixit*, כִּי אֶהְיֶה עִמָּךְ *Nam ero tecum*] vel, *Certè ero tecum*. Onk. & Jon. ארי יהי מימרי בסעדך *Nam verbum meum erit tibi auxilio*. R. Sal. ait Deum ad priorem Mosis quæstionem respondere; cum Moses dixit, *Quis sum ego, ut ad Pharaonem eam?* respondet Deus, *Non tuâ potentiâ res fiet, sed meâ* לא משלך הוא כי אם משלי *Ego enim ero tecum, & hæc ipsa visio, quam vidisti in rubo, signum tibi erit, me te misisse, & potentem esse eripere; quemadmodum vidisti rubum legationem meam perficere, nec esse consumptum: sic tu legatus meus eris, nec ullo damno afficieris, & hoc tibi erit signum*, &c.

(*b*) *Cum eduxeris populum meum*, &c.] R. Sal. ait Deum hic ad posteriorem Mosis quæstionem respondere, Putat enim Mosen quæsivisse quid meriti essent Israelitæ, ut eos ex Ægypto educeret, atque ad istam quæstionem, Deum hic respondere, magnum quiddam hac Israelitarum ex Ægypto eductione se effecturum (דבר גדול יש לי על הוצאה) futurum siquidem, ut post tres menses super montem istum Legem acciperent. Addit autem R. Sal. & aliam expositionem, quæ ita habet. *Tecum enim ero, & hoc quod nimirùm in hac legatione tuâ prospere; signum tibi erit ad confirmandam aliam promissionem quam tibi facio, tempore cum eduxeris eos ex Ægypto, fore, ut colant me super hunc montem, quod scilicet ibi Legem accepturi sunt*. Et secundum hanc expositionem simile ait esse illud Isa. 37: 30. וזה לך האות אכול השנה ספיח וגו׳ h. e. ut ille exponit, cædes Senacherib significabit rem aliam à Deo promissam, nimirùm quòd cum terra vastata sit, & spoliata fructibus, ita benediceret germinibus sponte natis, ut esui sufficerent.

Servietis Deo super hunc montem] vel *juxta hunc montem*. H. Jon. תפלחון קדם ײ דתקבלון ית אורייתא על טורא הדין על ההר הזה *Servietis*, seu *cultum exhibebitis coram Domino, eo quod accipietis Legem super montem istum*. Similiter exponit R. Sal. nempe ut cultus iste, de quo hic fit sermo, de Legis acceptione intelligatur, ut in annotatione præcedenti videre est. Malim verò cum Aben Ezra cultum hunc de sacrificiis Deo oblatis intelligere. Vide cap. 5: 3. & cap. 24: 4. 5. quæ loca ad hunc illustrandum (ut notat Aben Ezra) apprimè faciunt. Vulg. *Immolabis Deo super montem istum*. Non malè, nisi quod contra quàm in Hebræo, Chaldæo & Græco habetur, singulare ponit pro plurali, *immolabis* pro *immolabitis*. Etiamsi enim (ut notat Steuchus) verbum עבד *Abad* generale sit atque omnem divinum cultum denotet, hîc tamen ad immolationem speciatim referendum videtur. Quapropter Amama in Censura sua hunc locum non immeritò intactum prætermisit.

14. אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ero qui ero*] LXX. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν *ego sum qui sum*. Sic græca ista latine sunt reddita; atque ita habet vulgata versio. Malim autem Græca ista interpretari, (*c*) *Ego sum is, qui est*. Hebræa autem ad verbum sonant, *ero qui ero*. Onkelos Hebræa verba retinet, אהיה אשר אהיה At Jonathan παραφράζει, דין דאמר והוה עלמא אמר והוה כולא *Is qui dixit & fuit Mundus, dixit & fuit universum*. Simili modo Hierosolymitanus Paraphrastes, דין דאמר לעלמא הוי והוי ועתיד למימר ליה הוי והוי, i. e. *Qui dixit mundo, esto, & fuit, & dicturus est ei, esto, & erit*: posterius illud והוי fortè debet esse ויהי Helvicus de Chald. Paraphras. c. 9. verba Hierosolymitani sic latinè vertit, *Hic qui dixit, æternus fuit, & est, & erit, ut de eo dicatur, fuit & est*. At procul dubio hic hallucinatus est vir alioquin doctissimus. Nam cum ex ipsis Paraphrastæ verbis Chaldaicè repræsentatis, tum ex Jonathane, (quem cum Hierosolymitano plerunque convenire ipse observat Helvicus, ibid. Cap. 3.) apparet eum esse sensum, quem exposui. R. Salomon sic explicat, *Ero cum eis in hoc afflictione, qui ero cum eis in servitute alienorum regnorum*. Aben Ezra ait אשר אהיה *qui ero*, expositionem esse istius אהיה *ero*, Atque ita exponit Hiskuni, unus ex recentioribus Hebræorum Rabbinis, uti refert Fagius; nempe ut primum *Ehjeh* i. *ero* sit nomen Dei, alterum vero *asher ehjeh*, i. e. *qui ero*, sit ejus expositio. Q. d. nomen meum est, *Ero*; ratio, quia ero in secula seculorum absque fine. Burgensis ait Deum hisce verbis, *Ero qui ero*, non voluisse nomen aliquod suum exprimere, sed potius ostendisse interrogationem Mosis de nomine Dei non fuisse necessariam; ac sensum esse, Ero cum eis, qui ero tecum; Q. d. ego dixi tibi, quòd ero tecum (v. 12.) in hac liberatione; similiter dico quòd ero cum eis. Addit etiam antiquos Hebræorum hoc non de nomine aliquo divino exposuisse, sed dixisse Deum hîc promisisse se futurum cum Israelitis in hac tribulatione Ægyptiaca, ac in alia quandocunque contingeret. Atque in istum quidem modum (ut ostendimus) R. Sal. qui antiquiores sequi solet, exponit. At certè id quod proximè sequitur, *Et dixit, sic dices filiis Israel, Ehjeh misit me ad vos*, id, inquam, argumento est *Ehjeh* pro Dei nomine hîc usurpari. Nec in adversum valet argumentum, quo utitur Burgensis, Deum alibi nusquam hoc nomine appellari: satis enim est, si vel semel sic appellatum constet; id autem ex verbis jam citatis est manifestum. Deinde nec illud prætermittendum, quod refert Amama, (*d*) esse qui putant *Ehjeh* esse nomen tetragrammaton (יהוה *Jehovah*) & quod Deus dixit de se in prima persona *Ehjeh* (i. e. (*e*) *ero* id homines de illo efferre in tertia, יהיה (*Jihjeh* i. *erit*) & mutato י in ו יהוה *Jehovah*, ut vulgò pronunciatur. In hanc sententiam citat Hiskuni sic scribentem הקב״ה קורא לעצמו אהיה ואנו קורין לו יהיה i. e. *Sanctus ille Benedictus seipsum vocat Ehjeh, & nos eum vocamus Jihjeh*. Nota אתבש in illa permutatione literarum, quæ dicitur *Athbash* (h. e. quâ Aleph & Thau, Beth & Shin, & sic reliquæ invicem permutantur) esse יהיה *jihjeh*, i. *erit*, & אתבש esse אהיה *ehjeh*, i. *ero*. Addit insuper Hiskuni, Vau in אתבש (i. e. יהוה) poni pro Jod, ut in הוה pro היה quia minimum non convenit, ut dictio

(*a*) *Vide infra ad cap*. 13. 5.

(*b*) *Aben Ezra per signum cujus hîc fit mentio, intelligit rubum ardentem, minimeque consumptum, uti etiam primo exponit R. Sal. Quod autem sequitur*, cum eduxeris populum, &c. *ita interpretatur ut novam sententiam inchoet, ac rationem reddat, quare Deus eos ex Ægypto educeret. Hæc expositio textui maxime conformis videtur*.

(*c*) *Vide Apoc*. 1. 4. & 4. 8.

(*d*) *Amama in Antibarb*. (*e*) *Aben Ezra hîc ad v*. 15. *similiter dicit*, אהיה & יהיה *eo tantùm differre, quod illud prima persona sit, seu Deum de seipso loquentem respiciat, hoc autem tertia persona sit, & ad homines de Deo loquentes respectum habeat*.

ctio ſignificans eſſentiam ſanctitatis (i. Dei ſanctiſſimi) ſit eadem cum dictionibus ſignificantibus eſſentiam profanam, ideò mutatam eſſe ab aliis profanis vocibus, viz. migratione τῦ *Jod* in *Vau*. Manaſſes in Conc. quæſt. in Exod. 3. ait *Ehjeh* denotare ipſam divinam exiſtentiam, ac Deum non ſolùm Moſi nomen ſuum revelaſſe, verùm & certiſſimas rationes; ex quibus colligeretur, eum eſſe fontem omnium eorum, quæ exiſtunt: id enim hoc vocabulum denotare, uti & tetragrammaton. (a) Maimonides ait *Ehjeh asher Ehjeh* tantundem eſſe ac *hannimza asher hubannimza*, i. e. Exiſtens, qui eſt exiſtens, h. e. Is qui neceſſariò exiſtit. *Hoc enim* (inquit) *eſt quod probare & demonſtrare debuit* (ſc. Moſes) *Deum eſſe ens neceſſario exiſtens, neque unquam vel non fuiſſe, vel non futurum eſſe.*

אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם *Ehjeh* (ſive *ero*) *miſit me ad vos*] Onkelos & Hieroſolymitanus habent etiam אהיה *Ehjeh*: at Jonathan reddit, אנא הוא דהוינא ועתיד למהוי i. e. Ego *ſum qui fui, & futurus ſum.*

15 *Hoc eſt nomen meum* לְעֹלָם *in perpetuum.* R. Sal. notat vau in לעלם deeſſe; inde autem colligit ſenſum eſſe, העלימהו שלא יקרא ככתבו, nomen illud tetragrammaton (יהוה) eſſe occultandum (ita enim עלם ſignificat occultari) nec legendum eo modo quo ſcribitur. Sic etiam Fagius refert nonnullos hic legere, *Hoc eſt nomen meum occultandum*, deducentes dictionem לעלם à verbo עלם quod occultare ſignificat. *Quaſi* (inquit) *innuatur hoc nomine Dei* יהוה tanta myſteria contineri, שאין לגלות אלא לאדם צנוע ומבין *id eſt, quæ non niſi homini probo, Cabalaque perito (ut Hebræi dicunt) ſint revelanda.* Sed hæc ſunt Cabbaliſtica, nec palato meo ſapiunt. Qui hujuſmodi argutiis (ne dicam ineptiis) delectatur, conſulat Galatinum de Arcan. l. 2. cap. 4. quò etiam Fagius lectorem remittit. (b) Maimonides hic interpretatur לעלם *mundum*, aſſerens Patriarchas tam propè appropinquaſſe ad Deum, ut in ipſis. Nomen ejus mundo notum factum fuerit. Et ad id confirmandum hunc locum adducit: unde meritò colligit Buxtorfius ad mentem Maimonidis verba Hebræa ſic interpretanda, *hoc nomen meum ad Mundum.* Sed עֹלָם *olam* (quod alicubi monet Aben Ezra) in ſcriptura non ſolet ſignificare mundum, etiamſi apud Rabbinos frequentiſſimè in eo ſenſu uſurpetur. Vide Annotat. ad Gen. 49. 26. Burgenſis hic fuſe tractat de nomine tetragrammato יהוה, ac inter alia monet eſſe nomen (c) non appellativum, ſed proprium, quod nec plurale habeat, nec habere poſſit; ita enim formatum eſſe, ut pluralem ejus numerum fingere ſit impoſſibile. Ridiculè hic ſe opponit Matthias Doring, aſſerens fingi poſſe tetragrammatones, ſicut Simones: quaſi ſcilicet Burgenſis de hâc ipſâ voce *tetragrammaton* locutus fuiſſet, & non de nomine יהוה, quod tetragrammaton vocatur, eò quòd ex quatuor literis conſiſtit. Sed in iſtiuſmodi abſurditates incidat neceſſe eſt, qui provinciam, ad quam minimè eſt idoneus, in ſe ſuſcipere, & de rebus ſibi prorſus incompertis & incognitis pronunciare audeat.

16. *Et congrega ſeniores Iſrael*] LXX τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, *ſenatum filiorum Iſraël.* Similiter R. Sal. exponit, המיוחדים לישיבה i. *eos, qui conſeſſui* (ſeu conſiſtorio) *peculiariter deſignati erant.* Et probat ſeniores ſimpliciter, ſeu omnes ætate provectiores non poſſe intelligi, quòd impoſſibile eſſet Moſen inter ſexcenta virorum millia omnes iſtiuſmodi ſeniores congregare. (d) *Bertramus* hinc colligit Hebræos in Ægypto politiam aliquam habuiſſe, quòd Moſes, in Ægyptum profecturus mandatum à Domino habet, ut ſeniores adeat. Et notat Aben Ezram ad cap. 4. 29. Seniores interpretari eos, qui in conſilium adhibiti fuerunt in ætate & ætate, id eſt (inquit) anterioribus ſeculis; malim, ſingulis ætatibus ſive ſeculis. Verba Aben Ezræ ſunt, הזקנים הם היועצים בכל דור ודור i. e. *Seniores ſunt ii, qui in omni ætate & ætate* (e) *conſiliarii fuerunt.*

18. נִקְרָה עָלֵינוּ *Occurrit nobis.*] LXX προσκέκληται ἡμᾶς, *vocavit nos.* Et ſic Vulgatus. At aliud eſt קרא cum Aleph, aliud קרה cum He; illud enim vocare, hoc autem occurrere. Quamquam nec ipſum קרא cum Aleph (ut notat Amama) in Niphal vocare ſignificat, ſed vocari.

19. וְלֹא בְּיָד חֲזָקָה *Et non manu forti*] ſeu, *ne quidem manu forti.* LXX. ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς *niſi cum manu validâ.* Similiter Vulg. *niſi per manum validam*; Quaſi in Hebræo eſſet אם לא *ſi non* i. e. niſi. *Ego verò* (inquit Druſius ab Amama citatus) ולא pro אם לא *niſi*, *non memini* legere. *Malim igitur ne quidem, quod etiam dicunt*, ואף גם Onk. ולא כן קדם דחליה תקיף, *nec* (f) *coram eo, cujus potentia eſt valida.* Fagius vertit, *neque etiam propter præſentiam ejus, cujus virtus fortiſſima eſt.* Ex Hebræo autem vertit, *neque in manu validâ.* Refert Hiskuni commentatorem Hebræum non indoctè in hunc modum explicare; Tametſi *ego oſtendero ei novem plagas* (quæ vocantur manus fortis) *adhuc tamen non permittet vos exire. Verum ubi extendero manum meam, & percuſſero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Atque hanc Onkeli ſententiam fuiſſe putat Fagius; quanquam addat ejus verba aliter transferri poſſe, hoc modo, *Non dimittet vos rex Ægypti, propterea quod potentia ejus magna ſit*, Atque in iſtam ſententiam nonnullos Hebræorum Hebræa verba exponere teſtatur. Ita quidem R. Sal. refert (g) eſſe qui exponant, ולא בשביל שידו חזקה *& non* (idque non faciet, vos non dimittet) *propterea quod manus ejus eſt valida.* Ipſe autem R. Sal. exponit, אם אין אני מראה לו ידי החזקה *niſi ego oſtendero ei manum meam validam.* Quod cum Græca, & Vulgatâ Latinâ interpretatione prorſus convenit. Alias quaſdam Rabbinorum expoſitiones commemorat Manaſſes Ben Iſrael loco in margine citato, ſed iſtiuſmodi ſunt, ut eas recenſere pigeat. Mihi maximè arridet, ut ולא hic valeat *ne quidem*, quemadmodum etiam ipſe Manaſſes interpretatur, utque ſenſus ſit, Pharaonem nolle Iſraelitas dimittere, ne quidem manu validâ, i. e. idque etiamſi Deus validam manum ſuam in eum extenderit. Ita ſiquidem hiſtoria indicat Deum multas plagas Pharaoni inflixiſſe, cum tamen cor ſuum obduraſſe, nec populum Iſraeliticum ante decimam plagam dimittere voluiſſe, cumque eos dimiſiſſet, cum facti ſui pœnituiſſe, eoſque perſecutum eſſe, ac in Ægyptum reducere ſtuduiſſe. In hunc ſenſum intellexiſſe hunc locum videtur R. Saadia, qui (teſte Aben Ezra) Sic explicat, ולא ביד חזקה בפעם אחת *Et non* (ne quidem) *manu validâ aliquamdiu.* Ad verbum, vice unâ, ſeu ſemel Sed non ſemel duntaxat, ſed iterum iterumque, quàm ſæpiſſimè, ne quidem ob validam Dei manum in ipſum exertam Iſraelem voluit Pharao dimittere.

22. *Et petet mulier* (ſeu *quæque* אִשָּׁה) *à vicinâ ſuâ, &c.*] Aben Ezra ait, hic mulierum præſertim mentionem fieri, quod eæ præcipuè ornamentis & monilibus oblectari ſoleant. Simili de causâ ubi lex contra veneficos lata eſt, notat Hebræam vocem eſſe fœmininum, quòd mulieres potius quàm viri veneficiis ſint deditæ.

וּמִגָּרַת בֵּיתָהּ *& ab ea quæ domi ipſius eſt peregrina*] Onk. ומקריבת ביתה *Et ab ea quæ domi ſuæ eſt propinqua.* Jon. ומן קריבת כותליה ביתה (h) *& ab ea quæ propinqua eſt parieti domus ſuæ.* At verba Hebræa non propinquam domui (eam enim anteà ſignificavit vox משכנתה *à vicina ſua*) ſed peregrinantem, ſeu hoſpitantem in ipſa domo deſignant, ממשה שהיא גרה אתה בביתה h. e. *ab ea quæ in domo cum ipſa peregrinatur*, ut explicat R. Sal. LXX. καὶ συσκήνου αὐτῆς, *& contubernali ſuâ.* Auguſtinus quæſt. in Exod. (uti notat Nobilius) vertit, *ab inquilinâ ſuâ*; atque addit, *Græcus habet à cohabitatrice ſuâ, hoc eſt* συσκήνου *quod Latini aliqui interpretati ſunt, à concellariâ ſuâ.* Vulg. *& ab hoſpita ſuâ.*

Vaſa argentea, &c. & ſpoliabitis Ægyptios] *Mandatum Dei eſt* (i) (inquit Auguſtinus) *de quo non judicandum, ſed obtemperandum fuit, ille enim novit quàm juſtè mandaverit, ad ſervum autem pertinet obedienter facere quod mandavit.* In eundem etiam modum Aben Ezra; *ſunt* (inquit) *qui dicunt patres noſtros fuiſſe fures: At nonne iſti vident divinum fuiſſe mandatum? nec quæri debet quare. Deus enim creavit omnia, & dat opes cui voluerit, auferet etiam huic, & dabit alteri, quod injuſtum non eſt, cum omnia ipſius ſint.*

IDEM.

2. A*Ngelus Domini, &c.*] Maſii verba ad Joſ. 5. 13. 14. non indigna ſunt, quæ hîc adſcribam. *Deum ipſum fuiſſe, non angelum quempiam miniſtrum; qui ſuam in rubo præſentiam declarabat, Moſes quoque atteſtatus eſt* (k) *cum habitatoris rubi favorem Joſepho precaretur.*

18. נִקְרָה עָלֵינוּ *occurrit nobis*] קרה eſt *occurrere*: ita hic expo-

(a) *Maimon. More Neb. part. 1. cap. 62.*
(b) *More Neb. part. 3. cap. 5.*
(c) *Similiter ad hunc locum Aben Ezra, qui tamen ad cap. 6. 3. ait* יהוה *interdum eſſe nomen proprium, interdum nomen Toar, ſeu appellativum, quod quid ſibi velit, haud aſſequor.* (d) Bertram. de Repub. Judaic. c. 5. (e) Seu Senatores βουλευταί.

(f) *Vel* propter eum. (g) *Ita exponit Aben Ezra, itáque Onkelum intelligit Manaſſes Concil. in Exod. qu. 4. In Complutenſi editione (ut refert Fagius) Onkeli verba redduntur, niſi propter timorem fortem. Quaſi* דחליה *eſſet à* דחלא *timor, cum potius ſit à* חיל *robur, potentia,* ה *autem idem valeat quod Hebrais* ירא.
(h) *Videtur legendum* דביתה
(i) *Auguſt. Quæſt. ſuper Exod.* (k) *Deut. 33. 16.*

exponit. R. Sal. לשון מקרה. Onk. אתקרי עלנא, Fagius vertit, *occurrit nobis*; at vertendum potius videtur, *vocatur super nos*, cum נקרא sit à קרא *vocare*. LXX. προσκέκληται ἡμᾶς, *vocavit nos*. & sic Vulg. unde Lud. Cappellus in Crit. S. vult Interpretes hosce legisse קרא, sed id futurum est, *vocabit*, non præteritum, *vocavit*, quanquam dici potest, temporis enallagen apud Hebræos non adeò esse inusitatam.

IDEM.

12. *ET hoc tibi erit signum*, &c.] Post alias expositiones hanc affert, signo hic memorato intelligi id, quod Moses dixit v. 11. *Quis sum ego*, &c. Hoc enim ipsum, quòd Moses adeò erat contemptibilis, signum fore eum à Deo missum fuisse. Cum enim Pharaoh & Ægyptii viderent senem, nihil nisi baculum manu tenentem, adeò fortiter se gerere, ac miracula facere, agnituros fuisse, Deum ipsum misisse, ac Dei virtute omnia ab ipso dicta factaque esse: quin & inde etiam futurum, ut Israelitæ ex Ægypto educti, una cum Mose Deum debito honore ac cultu ad montem istum prosequerentur, quòd nimirum planum apertumque esset, non nisi à Deo fuisse, ut tot tantaque à Mose fierent.

14. אהיה וגו׳ *Sum*, &c.] Refert in Midras sic exponi, אני שהיתי ועכשיו אני הוא ואני הוא לעתיד לבוא לכן כתוב כאן אהיה שלשה פעמים *Ego qui fui, etiam nunc sum*, (c) *& futurus sum: ideo Ehieh (sum) ter scribitur.* Maimonidem verò sic interpretari ait, כביאתי הויתי הוא בעצמי לא בסבה אחרת *Existentia & essentia mea est à me ipso, non à causa alia.* Ipse autem sic exponi posse dicit; q. d. *Quid ad illos attinet de nomine meo interrogare? Deus est id quod est: ipsorum non est de occultis esse sollicitos: sed sic ad eos loqueris, Is qui de se dixit, sum, qui nempe est Ens absconditum, cujus quidditas comprehendi nequit,* (שלח אהיה אתכם) *is me misit ad vos: & hoc duntaxat est, quod oportet eos scire, quod ego sum Deus patrum ipsorum*, &c.

19. ולא ביד חזקה *Et non manu forti.*] Hoc ita exponit, *Et novi quod non exibunt manu forti, nempe ipsorum Israelitarum*, q. d. *Nec sponte suâ eos Pharaoh dimittet, nec suis ipsi viribus abire poterunt: sed ego manum meam extendam*, &c. Sed Israelitas suis ipsorum viribus non potuisse abire adeò Mosi notum erat, ut Deum id ei narrare voluisse minùs verisimile videatur.

(c) *Vide Apoc.* 1. 4.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

2. *QUid est hoc*] Est hîc מזה idem quod מה זה, *Quid hoc in manu tua?*

6. *Leprosa*] Onkelos vertit חורא, *alba quasi nix.* Est enim quædam species candidæ lepræ.

7. *Reversa est sicut caro ejus*] Sensus est, Reversa est in formam reliquæ carnis.

10. *Os grave*] Heb. *Quoniam gravis ore & gravis linguâ ego sum.* Est enim hic status regiminis, cùm in כבד mutata sint puncta. Onkelos sic vertit, *Habeo enim difficilem loquelam & profundam linguam.*

13. *Mitte nunc per manum*] Gerundensis sic interpretatur, *Mitte per manum illius quem soles mittere; vel, per manum alterius, quemcunque volueris mittere, qui ad hoc munus magis idoneus sit quàm ego. Deficit autem hic relativum* אשר, *cum hæc integra sit litera*, ביד אשר תשלח.

14. *Levites*] Additur nomen cognationis, quòd alii quoque in populo essent qui *Aharon* vocabantur.

16. *Quasi os*] Capitur hîc פה pro מליץ, *interprete*; & *deus*, pro שר, *principe*, vel רב, *duce.*

18. *Jather*] Habet socer Mosi multa nomina. Vocatur *Rehuel, Jithro, Jather, Cinæus, Hobab*, &c. Quanquam quidam putent *Rehuel* esse nomen patris ejus.

20. *Virgam Dei*] Vocatur hæc virga *virga Dei* propter prodigium per eam Dei virtute factum.

21. *Prodigia*] Est מופת ferè idem quod אות, nisi quòd אות latiùs sese extendit quàm מופת. Dicimus enim אות ברית, *signum fœderis*; אות דגל *signum vexilli*: sed מופת tantùm se extendit ad *portentum* & *prodigium*, quod non fit virtute מולדת *naturæ*. Radix ejus est יפת, sed quæ non est in usu. ¶ *Ego tenebo cor illius*] Potest etiam sic verti, *ego indurabo*, seu, ut Onkelos vertit, *ego fortificabo cor illius.* Nam utrumque significat חזק, & *tenere* & *fortificare*. Quod verò paulò post verti, *Ego quidem dixi tibi ut dimitteres filium meum, & renuisti*] Hebraismum reddidi ut ille habet, non ignorans quòd Rabbini sic exponunt. *Ego dico tibi, ut dimittas filium meum: & si nolueris, occidam primogenitum tuum.*

24. *Quæreret occidere eum*] R. Abraham Sepharadi dicit hîc sic, *Volebat eum occidere, quod parùm sollicitus esset in commisso negotio, ducendo secum uxorem & filios, qui illi esse poterant* עכוב, i. *impedimento. Reliquit igitur illos in hospitio: & tulit uxor ejus petram, Mose absente, sed jussa ab eo, & ut potuit abscidit præputium Eliezer filii sui.* (Utuntur tamen hodie Judæi in circumcisione novaculâ acutâ.) *Deinde dixit ad filium circumcisum, applaudens ei, & complexans eum materno more, Tu mihi es sponsus sanguinis.* Kimhi verò aliter tractat hunc locum; & nescio si in omnibus illi sit subscribendum: *Voluit*, inquit, *Angelus Mosen occidere eo quòd non circumcidisset filium suum: unde jussit ut uxor circumcideret illum. Ipse enim non potuit ob ægritudinem quâ premebatur. At illa ablatum præputium applicuit pedibus Mosi, perinde quasi diceret, Si ob hanc causam infirmatus es, en remedium, nempe sanguis circumcisionis: & jam mihi ob hanc circumcisionem quasi novus factus es sponsus, quem Angelus Domini per mortem mihi ferè subtraxerat. Et mox, ut sanguis circumcisionis contigit pedes ejus, dimissus est ab infirmitate.* Alii verò referunt verbum וירף ad Angelum Domini. Porrò radix verbi est רפה, *dimisit, dissolutus est*, &c. Rescindimus hîc varias opiniones Hebræorum, quas Sapiens R. Abraham commemorat. Omittimus & opinionem illam stultam quam in Medras רבה commemorant, ubi scribunt Satan occurrisse Mosi in specie serpentis, &c.

FAGIUS.

6. *CAndida erat*, &c.] i. *leprosa erat*, ut habet etiam veritas Hebraica.

7. *Reversa est ut caro ejus.*] i. reversa est in formam reliquæ carnis.

8. *Ad vocem signi prioris*] i. Si non paruerint verbis tuis, & non crediderint verbis tuis quæ confirmaveris priore miraculo, certè credent quum posteriore miraculo illis fidem feceris.

10. *Non vir sermonis ego sum*] Idiotismus est, pro, Non sum eloquens, facundus & disertus, quales oportet esse eos qui verba apud Principes facturi sunt. ¶ *Ab heri & nudius tertius*] i. Hactenus non fui eloquens. Hebraismus est. ¶ *Gravis loquelæ, profundæque linguæ*] i. Tardus sum ad loquendum, & linguâ impeditâ.

13. *Mitte per manum illius*; &c.] i. Mitte quemcunque volueris, modò me non mittas, minùs idoneum ad hoc munus, q. d. Mitte aliquem qui sit politæ linguæ, quique dignus & idoneus est ad subeundam istam functionem. Nemo siquidem in mundo est qui non sit me magis idoneus ad istud munus. Ad hunc modum Nehemanides hunc explicat locum. Idem quoque hæc verba summâ animi humilitate à Mose prolata fuisse sentit, quâ virtute cunctis mortalibus illum præstitisse Divinæ quoque de illo testantur literæ, Num. 12. 3. והאיש משה ענו מאד מכל האדם אשר על פני האדמה, *Et vir Moses humilis*, sive *mansuetus*, *valde erat*, *magis quàm omnis homo qui in terra est.* Alii putant Mosen isto sermone respexisse ad Aharonem fratrem, quem voluerit suo loco mitti, quòd ille hactenus prophetam egisset in Israel, q. d. Mitte obsecro, Domine, cum quo hactenus Propheta in populo tuo usus es, nempe Aharonem fratrem meum, qui me est longè magis idoneus ad hanc rem. Et in confirmationem istius sententiæ adducunt ex Ezechiele, quòd Deus prophetam in Israel miserit antequam veniret Moses; quod de Aharone dictum volunt: item illud quod Dominus ad Aharonem dicebat, v. 27. *Vade obviam Mosi in desertum*, &c. Alii sentiunt eum respexisse ad Jehosuam: quasi voluerit dicere. Quandoquidem scio me populum non introducturum in terram promissam, sed alium, nempe Jehosuam, ad hoc destinatum esse, hunc obsecro illum, non me mittas. Nostri commentatores secuti translationem Vulg. editionis, præsentem locum ità intelligunt quasi Moses respexerit ad promissum Messiam, quem suo loco mitti à Deo cupiverit, q. d. Quandoquidem (quod scio Domine) missurus es quem promisisti, benedictum scilicet Semen, jam eundem mitte; in illius manu rem perfice, is idoneus & satis potens erit. Tametsi hæc interpretatio alicui fortè non satis firma esse videtur contra Judæos, maximè cum in eam non videatur inclinare paraphrasis Chaldaica, quæ non facilè supprimit ubi de Christo sermo est, tamen mihi pia Christianisque hominibus digna esse videtur. Videmus enim veteres illos Patres in gravioribus illis causis & negotiis semper ad Chri-

stum

ſtum promiſſum reſpexiſſe; ut Jacob Patriarcha vaticinans de ſalute poſteris ſuis per Samſonem conferenda, erumpit tandem in iſtam plenam gaudii & conſolationis de Chriſto vocem, *Salutare tuum exſpecto*, Domine, Gen. 49. 18. Ita & Moſes videns adeſſe tempus liberationis Ægyptiacæ, ſine dubio non ſine magno gaudio illi in mentem venit adeſſe tempus veri Liberationis Chriſti, ideóque ut ille mitteretur maximo deſiderio à Domino poſtulavit, dicens, שלח ביד תשלח, ut habet veritas Hebraica, *Mitte in manu*, ſive *per manum*, *illius quem tandem mittes*; q. d. Mitte obſecro eum quem promiſiſti, & quem tandem etiam miſſurus es, & illius operâ hanc magnam rem perfice. Eſt ex recentioribus Theologis noſtri ſeculi qui in hunc locum ità ſcribit, *Quod autem hoc tribuitur Redemptori, dicam certè quod ſentio; Non fieri piè, ſed magis ſuperſtitioſè, hoc enim eſt extorquere Divinas literas. Medium iter tenendum eſt, & Meſſiæ tribuenda ſunt quæ ejus ſunt, & quæ aliorum aliis. Quæ res ſi confundatur, fieri ſine maximo flagitio non poterit. Qui enim quod de Meſſiah ſcribitur ad alias torquet perſonas, is certè & impius eſt, & malignos Judæos imitatur: qui verò quæ de aliis dicuntur ei tribuit, is in eorum numerum referendus eſt qui ſuperſtitioſi ſunt, & imperitè has literas interpretantur.* Hæc ille. Lxx ſequuntur Hebræorum ſententiam, ita enim hunc locum tranſtulerunt, Καὶ εἶπε Μωυσῆς, Δέομαι, Κύριε, προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον, ὃν ἀποστελεῖς, *Et dixit Moyſes, Obſecro, Domine, elige potentem alium quem mittas.*

16. *Eritque ipſe tibi in interpretem*, &c.] Senſus eſt, Tametſi Aharon fungetur oratoris officio, erit interpres tuus, loquetur pro te ad populum, tamen non illum tibi, ſed te illi præficiam, ut tu ſis princeps, judex & magiſtratus ejus. Penes Aharonem ergò verbi miniſterium & ſacerdotium, penes Moſen verò poteſtas gladii eſſe debebit. Textus Hebraicus habet, *Ipſe* (ſcilicet Aharon) *erit os tuum, & tu eris illius Deus.* Nam principes, judices & magiſtratus *dii* vocantur in Scriptura, propterea quod Dei judicium in terris exercent, ut Hebræi loquuntur. Lxx tamen & Vulg. interpres alium ſenſum habent: ità enim legunt, *Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* q. d. Quæ volo vos ſcire, tibi revelabo, tecum ego loquar, & tu poſtea illi indicabis: ipſe amplius populo exponet.

24. *Factum verò eſt in itinere, in domo diverſorii*, &c.] Tametſi multæ ſint Hebræorum expoſitiones in hunc locum, ex omnibus illis quam R. D. K. habet in lib. Rad. tantùm huc referre placet, Ubi ſic ſcribit, *Veriſimile videtur, quòd ſicut homo in die nuptiarum ſuarum* חתן, *ſponſus vocabatur, ita & puerum in die circumciſionis ſic vocatum fuiſſe. Etymon enim vocabuli* חתן *eſt, quod novum gaudium quoddam ſignificat. Et quemadmodum renovatur gaudium in die nuptiarum, ità renovatur quoque in die circumciſionis. Porrò ſenſus iſtius*, Quoniam ſponſus ſanguinum tu es mihi, *is eſt. Primum dicit*, Et factum eſt in itinere, in ipſo hoſpitio, quæſivit occidere eum. q. d. *Quæſivit Angelus occidere Moſen, eo quòd non circumcidiſſet Eleazarum filium ſuum. Quod ubi intellexit Moſes, propter culpam circumciſionis iſtud fieri, præcepit Zipporæ ut circumcideret eum: ipſe enim non poterat, præpeditus gravi morbo, qui illum corripuerat.* Accepit itaque Zipporah petram, & abſcidit præputium filii ſui, applicuítque ad pedes ejus, h. e. *ad pedes Moſis. q. d. Si ob hanc cauſam ægrotus factus es, en habes ſanguinem circumciſionis.* Dixitque, Quoniam ſponſus ſanguinum tu mihi es. q. d. *Factus es mihi hodie ſponſus ſanguinum & interfectionis mariti mei. Poſtquam autem applicuiſſet de ſanguine circumciſionis ad pedes Moſis, & reliquiſſet eum morbus, tunc cognovit & dixit*, Sponſus ſanguinum circumciſionis, q. d. *Tu quem vocavi ſponſum ſanguinis, non es ſponſus ſanguinis interfectionis, ſed ſanguinis circumciſionis.* Hactenus Kimhi. Thargum Hieroſ. hunc locum ità habet, *Et præſcidit præputium filii, applicuítque ipſum ante pedes Angeli devaſtatoris, dicens, Sponſus meus volebat circumcidere, at ſocer ejus non permittebat ei. Nunc ergò propitius eſto propter ſanguinem circumciſionis iſtius peccatis ſponſi mei iſtius. Cùmque reliquiſſet eum, tunc cum laude dixit Zipporah, Quam gratus eſt ſanguis circumciſionis, qui eripuit ſponſum meum de manibus Angeli mortis!* Hæc Thargum. Cæterùm ſententia iſtius loci hæc videtur eſſe omnium ſimpliciſſima; Iraſcitur Dominus Moſi, quòd filiolum ex gentili uxore ſuſceptum, nimium indulgendo illi, non circumcidiſſet; dein quòd iter non maturaret, ſed in ipſo diverſorio in quod diverterat, etiam hac in parte cùm uxori tum puero nimiùm indulgendo, moram traheret, non ſtrenuè munus ac functionem ſuam ad quam ab ipſo Domino vocatus erat exſequendo. Quâ re Dominus ità in eum commotus fuit ut illum propterea per Angelum ſuum interficere voluerit. Quod ubi intellexit uxor ejus Zipporah, mox arrepto ſaxo acuto præputium filioli ſui amputavit, haud ignara hoc malum ſibi indè impendere. Reſectum ergò præputium mox ad mariti pedes advolvit, dicens. *Quoniam ſponſus ſanguinum tu mihi es.* q. d. Sanguine te redimere ac retinere cogor, nempe ſanguine filioli mei, quem niſi circumcidiſſem, ac ſanguinem ejus fudiſſem, actum erat de vita tua, & jam mihi ereptus eſſes. Quo facto ilico Moſes mortis periculo, quam illi Angelus Domini intentabat, liberatus fuit. Alii hæc, *Quoniam ſponſus ſanguinum tu mihi es*, ſic accipiunt, Video me multa tecum paſſuram, intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occaſionem fore. Nè dubitemus Deum iſto facto declarare voluiſſe, ut nullos amicos, etiam conjunctiſſimos, tam charos habeamus, ut in ipſorum gratiam nos à vocatione noſtra, & ab his quæ à Deo nobis commiſſa ſunt, avocari patiamur: Dein, quam indignè ferat ignaviam ac moram quam in negotiis ſuis nectimus: maximè autem in illis ægrè eam ſuſtinet qui populi ſui rectores & capita eſſe debent, ut erat tum Moſes dux & liberator populi Iſraelitici ab ipſo Domino electus & conſtitutus. Nam cùm omnis mora & ignavia noxia & periculoſa ſit, periculoſiſſima eſt quæ in rebus Divinis nectitur.

IDEM.

13. ויאמר בי אדני שלח נא ביד תשלח. *Qui ait, Obſecro Domine, mitte nunc per manum quem miſſurus es.*] Latini Commentatores hunc locum ferè omnes ſic intelligunt, quaſi Moſes iſto ſermone reſpexerit ad promiſſum Meſſiam, quem ſuo loco mitti à Deo voluerit: q. d. Quandoquidem (quod ſcio Domine) miſſurus es quem promiſiſti, benedictum ſcilicet ſemen; jam eundem mitte, in illius manu rem perfice; is idoneus eſt, & ſatis potens erit. Et hunc ſenſum ſequitur Lat. Vulg. editio. Cæterùm Hebræi omnes, maximè recentiores, ſic explanant, ut Moſes non de futuro Meſſia hic locutus ſit, ſed potiùs de Aarone fratre ſuo, aut de Jehoſhua vel de quovis alio in genere, q. d. Mitte per manum ejus quem ſoles mittere, h. e. Aaronem fratrem meum, qui Propheta eſt in Iſrael, me eloquentior, & per omnia ad hoc munus magis idoneus quam ego. Et in confirmationem hujus ſententiæ adducunt ex Ezechiele quòd Deus Prophetam in Iſrael miſerit, antequam venerit Moyſes, quod de Aharone intelligunt. Item illud quod mox infrà Dominus ad Aharonem dicit, *Vade in occurſum Moyſi in deſerto*, &c. R. Salomo etiam de Jehoshua duce populi Iſraelitici accipi poſſe autumat, hoc modo, Quandoquidem ſcio me populum non introducturum in terram promiſſam ſed alium, nempe Jehoshuam, ad hoc electum, fac illum, non me, mittas. R. Nehemanidi hæc placet lectio, Mitte quemcunque voles, nemo ſiquidem in mundo eſt qui non ſit magis aptus & idoneus ad iſtam functionem. Atque hæc ſummâ animi humilitate à Moyſe prolata ſentit, quâ virtute omnibus præſtitit mortalibus, teſte etiam S. Scripturâ. Idem quoque R. Onkeli verſionem ad hunc modum explicat, Mitte quæſo aliquem qui ſit politæ linguæ, quíque dignus eſt ut hanc ſubeat functionem. Hebræorum ſententiam ſecuti ſunt etiam Lxx ſuâ verſione.

16. והיה הוא יהיה לך לפה ואתה תהיה לו לאלהים *Eritque ipſe quaſi os tibi, & tu eris illi in Deum.*] Septuaginta & Vulg. editio Latina non videntur ſatis expreſſiſſe vim Hebraiſmi ואתה תהיה לו לאלהים *Et tu eris ei in Deum*: nam ſenſus eſt, Tametſi Aharon fungetur officio Oratoris, erit interpres tuus, loquetur pro te ad populum, tamen non illum tibi, ſed te illi præficiam, ut tu ſis princeps, judex & magiſtratus ejus. In S. literis enim principes, judices & magiſtratus appellatione Elohim veniunt, eò quòd Dei judicium, ut Hebræi dicunt, in terris exercent. Penès Aharonem ergò Verbi miniſterium & Sacerdotium, penès Moyſen verò Poteſtas gladii eſſe debebat. Atque hunc ſenſum habet Paraph. Chaldæus. Quidam Septuaginta modeſtiæ causâ vertiſſe putant, *Tu autem eris ei quæ ad Deum pertinent*, quòd durum videbatur Hebræa ad verbum reddere, quod tamen aliis in locis facere non horruerunt.

24. ויהי בדרך במלון ויפגשהו יהוה ויבקש המיתו *Factum verò eſt in itinere, in ipſo hoſpitio, ut occurreret illi Dominus, & quæreret occidere eum*, &c.] Primum, ubi ſit variatio oſtendam; dein, quomodo Hebræi hunc locum & exponant & intelligant. Primùm ergò variatur ibi, ויפגשהו יהוה *& occurrit ei Dominus*, pro quo quidam legunt *& occurrit ei Angelus Domini*, ut Onkelus Chaldæus & Lxx. Qui nimirum eò reſpexerunt, quòd hoc negotium per Angelum miniſtrum Dei tranſactum fuit: Nam licèt Deus ubique præſens ſit, & virtute ſuâ omnia operetur, utitur tamen Angelis cæteriſque creaturis, ut in omnibus ipſum agnoſcamus. Hinc eſt

quòd

quod familiares sunt ἀλλοιώσεις in Divinis literis ut nunc à Dei persona ad Angelum desiliat oratio,* & è contra. Simili modo infrà, nunc Dominus ipse Deus, nunc Angelus populum suum præcedere dicitur: hoc & Aben Ezra in præsenti loco observavit. Secundò, variatio est ibi, ויבקש המיתו *& quæsivit occidere eum*, quod alii ad *Mosen*, alii verò ad puerum suum *Eleazarum* referunt, quem Deus occidere voluerit eò quòd non esset circumcisus. Tertiò, variant in illo ותגע לרגליו *& applicuit ad pedes suos*, scilicet vel Mosis, vel Angeli, vel pueri. Quartò, varietas est ותאמר כי חתן דמים אתה לי, *& dixit quia sponsus sanguinum tu es mihi.* Aliis videlicet ad *Mosen*, aliis ad *puerum* à Zippora hæc dicta referentibus, sicut & illud quod mox sequitur, *& cessavit ab eo* וירף ממנו (vel Mose, vel puero scilicet) morbus, vel Angelus. Jam quo sensu Hebræi hunc locum explicent, obiter indicabo. Quidam indignum putant dicere quòd Dominus Mosen occidere voluerit, quem in ducem & liberatorem populi sui elegerat. Unde quæ hic dicuntur, *Et occurrit ei Dominus & quæsivit occidere eum*, &c. de puero ipsius Eleazaro dicta esse volunt. Alii verò ad ipsum *Mosen* referunt, eò quòd moram traheret in itinere, quam sibi uxorem injicere sustineret, quodque illi indulgens filium non circumcidisset. Tametsi Hebræi impeditæ neglectæque circumcisionis hanc potissimùm assignant causam, quòd Moses timuerit nè fortè puer ob iter ex circumcisione periclitaretur: Cabalam enim apud eos fuisse tradunt, nè quis cum puero iter faciens atque legatione fungens puerum circumcideret. Sed placet ordine referre Hebræorum in præsentem locum expositionem. *Et factum est in itinere, in diversorio*, &c. h. e. Accidit cùm moram traheret in itinere atque in ipso diversorio, ob * continuam videlicit uxoris & liberorum, *& occurrit ei Dominus, ac quæsivit eum occidere*, h. e. subitaneo, insperato gravissimóque morbo, quo ad mortem usque periclitaretur, corripuit eum; quod cùm primùm animadvertit Zippora hoc malum hinc esse quòd infantem circumcidi non sustinuisset, mox arrepto acutissimo saxo præputium pueri sui resecavit. Quòd videlicet Moses ob membrorum tremorem qui eum ex gravi morbo invaserat, officium circumcisionis in filio suo præstare minùs posset, resectum verò præputium mox pedibus mariti applicuit, dicens, Si hinc morbus ille lethalis te corripuit quòd filium non circumcidisti, sit remedium sanguinum, scilicet circumcisionis; quo facto subitò relinquit eum morbus, & ab hoc eventu vocavit eum *sponsum sanguinis*, quòd sanguine circumcisi filii illum redemisset, atque in vita conservasset. Alii verò volunt quòd amputatam cuticulam ad Angeli pedes devolverit, quo conspecto desisteret à necando marito, sicut & infrà cap. 12. Angelus devastator ab occidendis Hebræorum primogenitis sibi cavisse commemoratur, quòd in postibus & superliminari ædium illorum sanguinem respersum aspiceret. Nec desunt qui resectum præputium ad infantis pedes projectum sentiunt, ad quem etiam sequentia verba referunt, *Quoniam sponsus sanguinis tu es mihi*, quasi his verbis Zippora filiolo jam circumciso applauserit, ac complexans eum dixerit, *Tu mihi es sponsus sanguinum.* Scribit enim Aben Ezra matres pueros circumcisos *sponsos sanguinum* vocare solitas. Quòd si te delectat audire quo modo R. D. Kimhi hunc locum in Radicibus suis ad verbum explicat, sic accipe ejus verba; נראה מסברא כי כמו שהיו קורים לאיש ביום חופתו חתן כך היו קורים לתינוק ביום המולו חתן [illegible] את לדמי המולות, Versionem in præcedentibus vide. Cæterùm juxta literam & historiam is videtur esse hujus loci sensus germanus, Irascitur Dominus Mosi quòd filium ex gentili uxore susceptum in illius gratiam non circumcidisset, dein, quòd uxori & puero nimiùm indulgendo in itinere, quod ex jussu Domini susceperat, atque adeò in ipso diversorio, moras traxit, haud strenuè injunctum sibi à Domino officium exsequendo? Hinc tantopere Dominus illi indignatur ut eum è medio tollere cogitet. Quod ubi intellexit uxor ejus Zippora; mox accepto saxo præputium filioli amputavit, non ignara indè malum illud impendere, quod etiam resectum statim ad pedes mariti advolvit, dicens, *Quoniam sponsus sanguinum tu es mihi*, q. d. sanguine te redimere & retinere cogor, nempe sanguine filioli mei, quem nisi circumcidissem & sanguinem ejus fudissem actum erat de salute tua, atque jam mihi ereptus esses. Quo facto illico mortis periculo, quod illi Dominus intentabat, liberatus fuit. Alii hæc, *quoniam sponsus sanguinum mihi es*, sic enodant, Video me multa tecum passuram, intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occasionem fore. Non dubitemus Dominum isto facto declarare voluisse, ut nullis amicis utcunque nobis charis sic indulgeamus ut ipsorum gratià ejus jussa intermittamus, ac prorsus negligamus; quin potiùs strenuè à Deo nobis commissa exsequamur. Dein, quam iniquè ferat moram, ignaviam, negligentiam, in rebus suis, maximè autem in illis qui aliis ad regundum præpositi sunt, ut tum erat Moses, dux & liberator populi Israelitici à Domino electus & constitutus. Nam cùm omnis mora & ignavia periculosa est, periculosissima est quam in rebus Divinis nectimus.

VATABLUS.

1. ECce, והן] Ad verb. *Et ecce.* Redundat ו.

3. *Et fugit*, וינס] perterritus scilicet.

5. *Ut credant.* למען יאמינו] Nonnulla subaudiri debent, cujusmodi, *Istud facies coram filiis Israel:* vel, *Hoc tibi præcepi facere:* vel, *Hoc feci coram te*, ut, &c. Aut refertur ad illud, *Projice in terram*, &c.

6. *Leprosa erat*, &c. מצורעת כשלג] i. præ lepra erat alba velut nix; hoc enim refertur ad candorem. Chald. paraph. *erat alba sicut nix:* præ lepra scilicet.

7. *Reversa erat sicut caro ejus:* שבה כבשרו] i. recuperavit colorem pristinum reliquæ carnis.

8. *Nec obedierint*, &c. ולא ישמעו וגו׳] Prosopopœia est: loquitur enim nobis Deus per miracula, i. si non paruerint verbis tuis, neque crediderint sermonibus quos confirmaveris priore miraculo, certè credent quum posteriore miraculo illis fidem feceris.

*10. *Non sum vir verborum*, לא איש דברים אנכי] Hebraismus, Non sum eloquens, facundus & disertus, quales oportet eos esse qui verba apud principes facturi sunt. ¶ *Etiam ab heri*, &c. גם מתמול וגו׳] *neque à die externa, neque à die abhinc tertia, neque ex quo cœpisti alloqui servum tuum.* Hebraismus, *Nunquam fui eloquens.* Hunc esse hujus loci sensum, docent consequentia verba, & sequens versus. Quidam annotant ex Josepho, Mosen fuisse eloquentem, & propterea videri alium esse sensum, nempe, Ecce ego ab hoc tempore quo tecum cœpi loqui, sic stupui ut jam planè loqui nihil sciam. Quò magis mens humana in Deum elevatur, hoc magis homo extra se rapitur; stupet caro ad Dei eloquium: vehemens enim est & efficax sermo Domini. Rugiente leone, homo timet: ad vocem Dei quis non obstupescet? Amos 3. 8. ¶ *Gravis oris*, &c. כבד פה וגו׳, Hebraismus, Tardus sum ad loquendum, & linguæ impeditæ, ut loquente me, non possint intelligere quid dicam. De *gravi lingua habes* Ezech. 3. 5, 6. ubi sic loquitur Dominus, *Non ad populos multos profundi labii, & gravis linguæ mitteris, quorum non intelligas verba.*

11. *Quis posuit*, &c. מי שם פה לאדם] i. Quis donavit hominem facultate loquendi? *Ponere* pro *dare*, frequens Hebræis. ¶ *Ponit*, ישום] Fut. Heb. pro præs. Quidam vertunt, *quis ponet*, i. quis reddere potest mutum, &c.

12. *Ero cum ore tuo:* אהיה עם פיך] Hebraismus, Reddam te facundum ac disertum. Mox seipsum exponit.

13. *Mitte quæso*, &c. שלח נא וגו׳] q. d. Mitte quemcunque volueris, modò nè me mittas minùs idoneum ad hoc munus. Quidam intelligunt de Aarone fratre. Lxx verterunt, *Elige potentem alium quem mittas.* Alii præsentem locum ità intelligunt quasi Moses respexerit ad promissum Messiam quem suo loco mitti à Deo cupiverit, q. d. Quandoquidem (quod scio, Domine) missurus es quem promisisti (benedictum scilicet semen) jam eundem mitte: in illius manu rem perfice: is idoneus & satis potens erit. Videmus enim veteres illos Patres in gravioribus istis causis & negotiis semper ad Christum promissum respexisse, ut Jacob Patriarcha vaticinans de salute posteris suis per Christum conferenda, erumpit tandem in istam plenam gaudii & consolationis de Christo vocem; *Salutare tuum exspecto, Domine.* Ità & Moses videns adesse tempus liberationis Ægyptiacæ, non sine magno gaudio illi in mentem venit, adesse tempus veri Liberatoris Christi: ideóque ut ille mitteretur, maximo desiderio à Domino postulavit, dicens, *Mitte, in manu* (sive *per manum*) *illius quem tandem mittes*, q. d. Mitte obsecro eum quem promisisti, & quem tandem etiam missurus es, & illius operâ hanc magnam rem perfice.

14. *Nonne Aharon fratrem tuum*, &c. הלא אהרן וגו׳] *Nonne Aharon frater tuus Levita, scio quòd loquendo loquetur ipse?* q. d.

Sciò

Scio necesse esse ut utaris operâ Aharonis fratris tui, illéque pro te loquatur, quum sis impedito ore. Mira elegantia Hebraici sermonis, quo exemplar iratorum & concitatorum pulchrè exprimitur: sic enim commoti loqui solent, verbum scilicet quod præcedere debebat, postponendo. Quidam hic, *Loquendo loqui*, pro *vehementer disertum & eloquentem esse* exponunt.

15. *Et pones verba in ore ejus*, ושמת את הדברים בפיו] Hebraismus, pro, Omne negotium ei mandabis. ¶ *Ero cum ore tuo*, אהיה עם פיך] Vide suprà v. 12.

16. *Erit tibi pro ore*, והיה לך לפה] Hebraismus, Erit tibi vice interpretis: tu verò narrabis ei quæ ego dixero tibi, & te consulet tanquam me.

18. *Eam quæso*, אלכה נא] i. Liceat mihi per te ire & reverti ad, &c. ¶ *Vade in pace.* לך לשלום] Perinde hoc valet acsi dicas, *Vade sanus*, ut LXX verterunt, *βάδιζε ὑγιαίνων*. Gallicè dicimus, *Va en bonne santé.*

19. *Dixerat enim*, ויאמר] *Jam verò dixerat.* ¶ *Qui quærebant animam tuam.* המבקשים את נפשך] Hebraismus, Qui insidiabantur animæ tuæ, & volebant te perdere.

20. *Et imposuit eos asino:* וירכבם על החמר] Ad verb. *& equitare fecit eos super asinum.*

21. *Quæ posui in manu tua*, אשר שמתי בידך] i. quæ posui in facultate & potestate tua, ut facias illa quum voles; vel, quæ me authore facere poteris, sive quorum authoritatem tibi dedi. ¶ *Et ego*, ואני] *ego autem*, *ego verò.* Alii, *ego tamen.*

22. *Primogenitus meus* est *Israel:* בכרי ישראל] Docet Mosem quo pacto sermonem ordiatur coram Pharaone, q. d. Hoc scito, Pharao, Israelem, i. populum Israeliticum, loco filii primogeniti mihi esse. Tam charus est mihi, tam pretiosus Israel, quàm solent patribus esse primogeniti. Ex omnibus enim mortalibus mihi hunc populum peculiariter selegi.

23. *Et renuisti*, ותמאן] *quoniam verò renuisti.* Alii, *quod si renueris*; ut sit præt. pro fut. ¶ *Primogenitum tuum.* בכרך] Quidam *Primogenitum* hic pro electis, præcipuis, & pretiosis quibusque rebus accipiunt. Verùm primogeniti occisi postea fiet mentio, cap. 11.

24. *Et fuit in via*, &c. ויהי בדרך וגו'] *Quum autem in itinere esset in diversorio, occurrit*, &c. Alii, *Accidit autem in via, quum essent in diversorio, ut occurreret ei*, &c. vel, *ut irrueret in eum Jehováh*, i. correptus fuit gravissimo morbo (ut dicunt Hebræi) propter intermissam circumcisionem. Irascitur Dominus Mosi quòd filiolum ex Gentili uxore susceptum, nimium indulgendo illi, non circumcidisset: Dein, quòd iter non maturaret, sed in ipso diversorio, etiam hac in parte cùm uxori tum puero nimiùm indulgendo, moram traheret, non strenuè munus ac functionem suam ad quam ab ipso Domino vocatus erat, exsequendo. Quare Dominus ità in eum commotus fuit ut illum propterea per Angelum suum interficere voluerit.

25. *Acutum*, צר] Subaudivit noster interpres ex Jos. 5. 2, 3. substantivum *gladius*, ubi Dominus præcipit Josue; *Fac tibi* חרבות צרים *cultros acutos.* Alii *petram* vertunt. Mulier impotentiâ animi ardens, Deo & marito obstrepit, quòd filii sanguinem ipsa effundere cogatur; non ignara tamen viro suo malum impendere propter incircumcisum filium. ¶ *Et tetigit pedes ejus*, ותגע לרגליו] Ad verb. *& tangere fecit pedes ejus*, sub. *mariti*; vel, ut alii, *Eleazari*; i. projecit ad pedes illius: nempe Angeli, ut nonnulli exponunt; præ ira & indignatione. ¶ *Quia sponsus*, &c. כי חתן דמים וגו'] *Certe sponsus sanguinum tu mihi*, i. Sanguine te redimere ac retinere cogor, nempe sanguine filii mei, quem nisi circumcidissem, ac sanguinem ejus fudissem, actum erat de vita tua, & jam mihi ereptus esses. Quidam sic verba ista accipiunt, Video me multa tecum passuram, intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occasionem fore. Doctus inter Hebræos refert hæc ad Eleazarum, quem vocaverit sponsum suum, sic, *O fili, sponsus es mihi, tinctus sanguine, non cædis, sed circumcisionis*, q. d. Propter te morietur maritus meus, quòd te octavo die non circumciderit. Verùm prior expositio verior est.

26. *Et recessit ab eo*, וירף ממנו] sub. *Angelus*, i. Morbus; acsi dicat, Circumciso Eleazaro, Moses ilico mortis periculo, quam illi Angelus intentabat, liberatus fuit: statim restituta fuit illi sanitas. ¶ *Tunc dixit*, &c. אז אמרה וגו'] *Tum autem dicere cœpit*, *Sponsus*, &c. q. d. Tu moriturus eras, quia neglexeras circumcisionem filii tui. Alii vertunt per imperfectum, *Tum autem dixerat*, *Sponsus*, &c. ut ostendat quare Sephora vocaverit maritum suum *Sponsum sanguinum*; nempe propterea quòd coacta fuerit circumcidere filium, alioqui periisset vir ejus.

28. *Mittebat eum*, שלחו] *miserat eum.*

31. *Postquam audierunt*, וישמעו] i. postquam intellexerunt. Hic ו pro *postquam*, ut scribit ex doctioribus Hebræorum alter. Alii, *audierunt namque.* ¶ *Visitasset Jehováh filios Israel*, פקד יהוה את בני ישראל] *recordatus esset Jehováh filiorum Israel.*

CASTALIO.

14. J*Ova eum petebat ad necem*] Moses uxori, ut videtur, morem gerens (nam ea, cùm Judæa non esset, à circumcisione abhorrebat) filium non circumciderat. Eam ob rem Deus eum, tanquam uxori magis quàm Deo obedientem, petebat ad necem. Sed Sephora causam intelligens, filium circumcidit, ejusque præputium ad mariti pedes abjecit, *maritum sanguinarium* vocans, quòd ejus vitam filii sanguine redemisset.

CLARIUS.

2. Q*Uid est quod tenes in manu?*] Sicut Dominus in Evangelio saturaturus tot millia hominum, priùs interrogat discipulos quot panes haberent, ut postea recordati exiguum fuisse numerum panum meliùs intelligerent miraculi magnitudinem; ità nunc ob eandem causam interrogat Dominus quid sit quod in manu habeat: consuevit enim repentina novitas inducere oblivionem.

6. *Leprosam instar nivis*] Est enim quædam species candidæ lepræ.

10. *Ab heri*] h. e. Nunquam fui eloquens.

11. *Quis fecit os?*] Scio (inquit) qualis sis, cùm ego tuum sensuum & dem & adimam; mihi ergò fidere debes, non tuas apud te vires metiri.

14. *Levites*] Additur nomen cognationis, quòd alii quoque in populo essent qui *Aaron* vocabantur.

16. *Tu eris illi in Deum*] Tu Dei voluntatem ei patefacies.

19. *Mortui sunt*] Vide ut eadem verba de Servatore, cujus typum gessit Moses, Angelus dixerit ad Joseph, *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri.*

21. *Indurabo cor ejus*] Intellige hanc obdurationem quemadmodum & Paulus ait, *Tradidit illos Deus in immunditiam*; &, *Tradidit illos in reprobum mentem*: familiare est enim huic linguæ Deo tribuere quæ ipse evenire sinit.

23. *Dixi tibi, Dimitte*] Hunc Hebraismum Rabini sic exponunt, *Ego dico tibi ut dimittas filium meum*; &, *si nolueris, occidam primogenitum tuum.*

24. *Volebat occidere eum*] Iratus quòd susceptum ex Madianitide filium non circumcidisset. Mulier itaque, cujus consilio opus neglectum vel vetitum erat, intelligens ob eam causam iratum Dominum, mox temere saxum arripiens puerum circumcidit, nequid mali pateretur maritus. Sic docetur, baptismum infantium non temere differendum.

25. *Tetigitque pedes ejus*] Referendum est ad pedes Mosis secundùm Hebræos. Projecit enim præputium præcisum ad pedes mariti. Referri & ad Angelum potest, quasi projecerit Domino præputium, quod tantâ indignatione exigere videbatur.

26. *Sponsus sanguinum*] q. d. Jam mihi ob hanc circuncisionem quasi novus factus es sponsus, quem Angelus Domini per mortem mihi ferè subtraxeras. Alius sic exponit, *Video me multa passuram pericula tecum, ut mihi sponsus sanguinis futurus sis.* Variè enim hæc tota narratio ab Hebræis exponitur. Helias Levites magister meus ajebat referri hæc verba ad puerum, & vulgò etiam nunc apud eos dici, *sponsum sanguinum* qui recens esset circuncisus.

26. *Tunc ille dimisit eum*] Nempe Angelus Mosem.

LUCAS BRUG.

18. P*Ro eo quod multi codices habent*, *Et reversus est ad Jethro socerum suum*, antiquiores ferè legunt, *Et reversus est ad Jethro cognatum suum.* Id quod non solùm à nobis nostris in scriptis deprehensum est, verùm etiam in illo quod antè descripsimus correctorio est annotatum, his verbis, *Item* d. *Antiqui, & reversus est ad Jethro cognatum suum. Novi, pro cognatum, socerum posuerunt, quasi istud Hebræum non habeat; sed idem Hebræum quod est hic, sumitur pro* cognato, *infrà* xviii. 2. Hæc ibi. Septemdecim nostrorum Mss. legunt *socerum*, quatuordecim *cognatum*: atque ex quatuordecim lectionis diversitatem duo in margine indicant. Similis est locus Exodi 3. v. 1. ubi, etsi pleraque nostrorum exemplarium legant *soceri*; undecim, cum Rabano & Eugubino, habent *cognati*. Hebræis utrobique est

חתן,

חתן; quod Exodi 18. non solùm a, sed etiam b, c, & d, similiter legitur, & constanter ab Interprete nostro *cognatus* redditur. Sed & Num. 10 29. & Jud. 4. 11. ubi Hobab dicitur משה חתן, noster *cognatum Moysi* transtulit. Itaque Exo. 3. 1. & 4. 18. quibus in locis lectionis diversitas est, illa nostri Interpretis videtur scriptura, quæ Jethro *cognatum Moysis* vocat. Alii transtulerunt *socerum*; nec solùm neoterici, sed etiam veteres LXXII locis proximè recitatis πενθερὸν dixerunt, aliis γαμβρὸν, si emendatioribus exemplaribus, Vaticano & Complutensi, fides habenda est. Chaldæus ubique חמו reddidit, quod *socerum* denotat. Neque hæc Hebrææ vocis significatio Latinum latuit Interpretem: id enim vel ex cap. 19. Judicum manifestum est: si tamen idem fuerit Interpres libri Judicum & Pentateuchi. Videri autem possit ex his hæc ejus fuisse sententia, Raguelem patrem esse Jethro & Sephoræ, cæterarúmque filiarum quæ sacerdoti Madian fuisse dicuntur; & Raguelem quidem socerum Moysis, Jethro verò fratrem uxoris Moysis, quem *cognatum Moysi* dixerit, nisi per *cognatum* cum Ruperto socerum intelligis, quod est insuetum. Nonnulli existimant Raguelem fuisse patrem Jethro, Jethro autem patrem Sephoræ & cæterarum illarum puellarum, eundémque esse Hobab qui Jethro. Aliorum sententia est, socerum fuisse Raguelem, dictum & Raguelem & Jethro; hujus autem filium fuisse Hobab: quam & B. Hieronymi esse, in libro Adversus Helvidium, maximè quoad priorem partem, comperio: *Disce*, ait, *Scripturæ consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel, socer Moysi, & Jethro dicitur.*

26. *Et dimisit eum postquam dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem.* Quemadmodum hac lectione totum repetitur quod præcedenti versu dictum legitur, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, sic etiam nonnulli codices Græci totum repetunt hoc loco quod posuerant proximo, *Stetit sanguis circumcisionis filii mei*: quanquam Græca Germanorum editione, cum Aldino exemplari, nihil repetant. Genebrardus verò annotat; nostræ editionis veram posteriori loco esse lectionem, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, omissis videlicet illis verbis *tu mihi es*: quæ lectio ab octo nostrorum Mss emendatiorum ferè probatur, & Hebræo conformis est, atque Augustinianæ lectioni consimilis. Augustinus enim quæst. super Exod. 11. quanquam LXXII interpretatione utatur, nec cum Græcis Germanorum libris nihil repetit, nec cum Græcis Vaticanæ Bibliothecæ & Hispanorum exemplaribus totum refumit; sed huic Latinorum atque Hebræorum lectioni similiter partem quod priùs legerat repetit, *defluxit sanguis circumcisionis*. Cùm angelus Domini Moysi diverterit nocturno interrumpere, ob intermissam filii circumcisionem, uxor ejus periculo exterrita, accepto cultro petrino circumcidit filium, *& sanguine circumcisionis pedes Moysis tetigit, dixitque, Sponsus sanguinum tu mihi es.* Sanguine te mihi jungo. Sanguine te mihi retinere cogor. Dimisit autem angelus Moysen postquam illa eum *sponsum sanguinum* vocaverat; dimisit, inquam, ob circumcisionem. Potest autem, eodem ferè sensu, particula, *ob circumcisionem*, ad proxima referri: Liberatus est mortis periculo Moyses postquam Sephora eum, quòd filium pro ejus salute circumcidere coacta esset, *sponsum sanguinis* dixerat, i. postquam filium circumciderat. Chaldæus Paraph. locum istum ad hunc modum explicuit; *Tulitque Sephora acutum, & circumcidit præputium filii sui, & obtulit coram angelo, & dixit, Propter sanguinem circumcisionis hujus, detur sponsus mihi. Et cum quievisset ab eo, tunc dixit, Nisi sanguis circumcisionis hujus (fusus fuisset,) condemnatus erat sponsus ad mortem.*

DRUSIUS.

DE cognomine ADONAI. *Cognomen* voco quod כנוי appellant Ebræi, quale & *Elohim*. Unde dictitant, *Nomen pronunciatur in templo per vocales suas, in terminis verò per cognomina sua*, h. e. per *Adonai* aut *Elohim*. Igitur *Adonai* unum est ex Dei cognominibus, & tunc significat *Dominum*, scribiturque אדני cum (ָ) in ultima, ut Exod. 4. 10. *Obsecro, Domine*: ubi malè reddunt, *Domine mi*, ut Cajetanus & alii. Nam quandò significat *Domine mi*, tunc scribitur אדני cum (ַ) in ultima, quod in (ָ) mutari potest propter accentum. Cùm autem ità scribitur, tunc est nomen profanum אדנים *Domini*, & אדני *Domini mei*, & cùm de uno sermo est, אדני *Domine mi*. Abenezra negat rectè dici אדני, sed pro eo אדוני dicendum! rectè, si significare velis *Domine mi*, in singulari. Nam pro *Domini mei* reperitur Gen. 19. 2. Idem annotat non rectè dici אדנים, cùm tamen id legitur in Johasm 141. 2. Sic אדנים contemptùs speciem habet in Habacuc, de idolo Babyloniorum. De *Adonai*, quando est nomen sacrum, adhuc dubito sitne factum ex אדני, quod est nomen plurale cum pronomine primæ personæ, an ex forma sive terminatione plurali absoluta אדני *Dominus*; cui similis est, ut cùm dicimus גבי *locustæ* pro גבים, & חלוני *fenestræ* pro חלונים. Sic fortè אדני pro אדנים *Dominus*. Ego אדני hoc sensu adhuc quæro. *Adonai* autem cùm non est nomen profanum, semper scribitur cum (ָ) in ultima, & hoc est illud nomen quod vocant *Aleph, Daleth*, & plenius *Aleph, Daleth, Nun, Jod*: cujus puncta subsunt literis nominis tetragrammati, quod propterea legi debet *Adonai*, nisi cùm habet puncta nominis *Elohim*, ut fit quando antecedit aut sequitur *Adonai*: tunc legi debet *Elohim*, & exponi *Deus*, non *Dominus*. Hæc tam certa sunt quàm quæ ad Sagram, & tamen in Christianismo sunt Carneades qui dubitant, imò qui *Jehova* & *Jehovi* legendum esse contendant. Quid non potest recepta consuetudo? plus certè quàm illud Tertulliani, *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

18. *Socerum suum*] Dixi חתן etiam *affinem* significare, h. e. fratrem uxoris, quem Hieronymus *cognatum* appellat, Exod. 4 18. Si ergò Jethro fuit frater uxoris Mosis, quod de Hobab quoque legitur, & de Rechab, videndum an non Raguel fuerit pater Sepphoræ uxoris Mosis, & Jethro, Hobab, Rechab fratres ejus. Quod expendi velim ab iis quibus hæc res cordi. Sunt qui Jethro in circumcisione *Hobab* appellatum fuisse censent: Nam moris erat ut tunc nomina immutarentur. Abenezra Num. 10. 29. חתן *non uxoris frater quàm ejus pater.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

20. *Super asinum*] Aliquid hìc notabo quod me inter legendum nonnihil torsit. Scribit R. Levi Gallus provincialis in Ægypto vulgus promiscuum asinis vehi solitum, eò quòd equis uti non liceret absque venia Regis. Quò accommodat locum illum Gen. 41. 44. *Absque te non levabit quispiam manum aut pedem*, ut dicat, Absque tua venia nemo equum conscendet. Cui firmando Abenezra cognomento Sophus, ad hunc locum annotat LXX senes in locum *asini* reposuisse *portans homines* (fortè interpretari voluit ὑποζύγιον, *jumentum subjuge*) quia contemptibile ac indecorum erat uxorem prophetæ cum duobus filiis asino vehi. Vide quæ scripsimus hac de re in De quæstio per epistolam, epist. 86. Adde, quod miror, asinos in Ægypto mulis honoratiores esse. Nam si honoratiores sunt ibi mulis, quomodo plebejum iis vehi? An muli erant viliores? Si tamen hoc verum de Ægypto, alibi alia consuetudo, alius usus obtinuit. Nam Num. 22. 21. Balaamo profecturo sternitur asina, & Abrahamo Gen. 22. 3. asinus; Quin Abigail opulenta mulier asino vehitur, 1 Sam. 25. 20. & familia Regis, 2 Sam. 16. 2. & Vir Dei, h. e. propheta, 1 Reg. 13. 13, 23. Filii quoque Jair equitant super asellos, Jud. 10. 4. Videndus R. D. ad hunc ultimum locum. Quæ adduxi ut ostenderem non ubique vile ac plebeium fuisse asino vehi. Nam & Christus asino insidens cum triumpho & magno applausu vulgi puerorùmque Jerosolymam ingressus est. Locus exstat apud Zachariam prophetam, ubi vox עני, quam *pauperem* reddunt, potius denotat *mitem* aut *mansuetum*. Addam aliud. Quærunt hìc interpretes quare Moses uxorem & filios duxerit secum in Ægyptum proficiscens, unde populum educturus erat. Et videtur hoc factum ipsius culpam aliquam habere. Qua de re videndus Abenezra. Nec Prophetæ dignitas ipsum excusat, cùm Nathan ejusdem ordinis homo, licet in minore gradu, Davidi ut templum ædificaret consilium dederit, Deo id nocte quæ insecuta est prohibente. Unde concludi potest Prophetas in rebus mundanis & secularibus interdum hallucinari. Quod firmari potest exemplo Petri Apostoli, quem Paulus errantem reprehendit, idque meritò. Clausula erit de voce חמור, quam Senes sæpiuscule ὄνον, interdum etiam ὑποζύγιον interpretantur, ut Gen. 36. 24 Exod. 20. 17. Deut. 5. 14 Jud. 1. 14. Job. 24. 3. & alibi. Lexicon vetus, Ὑποζύγιον, *jumentum subjugium.*

23. *Renuisti dimittere illum*] Quid mirum, inquit aliquis, cùm Deus illius *cor obfirmaverit*, sive, quod idem, *induraverit*? Hoc non excusat Pharaonem à peccato. Nam ut Deus autor sit obdurationis, non tamen est autor culpæ. Culpa penes solum hominem est. Quomodo ergò, inquies, indurat? Indurat non solum permittendo, seu gratiam suam subtrahendo, sed justitiam exercendo in eum quem indurat, juxta illud Apostoli, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Miseretur per gratiam, indurat per justitiam. Ubi est justitia, ibi nulla culpa, nullum peccatum. Si ergò malum est indurare cor, malum est pœnæ respectu Dei, & culpæ respectu hominis tantùm. Deus certè non peccat, etiam cum peccat is quem peccare permittit obfirmando sive obdurando. Audiamus nunc Ebræum Hiscuni ad hunc locum, *Non debemus dicere quod Deus laudandus obfirmet aut induret corda ut non possint redire*

quam Kircherus urget, infirmior est quàm ut à sententiâ primo statim aspectu ex Hebræo textu se conspicuam exhibente, quenquam divellat. Aben Ezra autem, nescio unde, asserit nomen puero impositum Ægyptiacâ linguâ fuisse מוניוס *Monios*.

11. וַיִּגְדַּל מֹשֶׁה *cum crevisset Moses*] R. Sal. ex antiquiore quodam Rabbino rationem reddit quare hoc iterum repetatur, cum anteà v. 10. dictum esset ויגדל הילד *& crevit puer*, nempe illud de staturâ, hoc autem de dignitate est intelligendum; sensum siquidem hic esse, Mosen à Pharaone domui ipsius præfectum fuisse. Sed hæc argutiora sunt, quam solidiora. Quod enim hoc loco dicitur, de ulteriori porro staturæ ac ætatis augmento intelligi debet. Quod si de eodem planè augmento intelligatur, non est tamen inanis & supervacanea repetitio, cum sequentis historiæ narrationi inserviat.

וַיַּרְא בְּסִבְלֹתָם *& aspexit onera eorum*] R. Sal. ait eum oculos pariter atque animum advertisse נתן עיניו ולבו Verbum ראה *raah*, non tantùm videre & aspicere significat verum etiam contemplari & considerare. Vide præter alia Scripturæ loca *Eccles.* 7. 14.

12. *Et respexit huc illuc, & cum vidisset* כִּי־אֵין אִישׁ *quod nemo esset*] Nempe in propinquo, seu qui ipsum aspiceret. Jonathan, & Hierosolymitanus, & R. Sal. dicunt Mosen prævidisse ex isto Ægyptio neminem proventurum fuisse, qui esset Proselytus, ac resipisceret, ac propterea eum interfecisse; sed hoc à simplici ac genuino Scripturæ sensu est alienum.

13 *Duo viri Hebræi*] Jonathan & R. Sal. quâ ratione freti nescio, dicunt hos fuisse Dathan & Abiram.

14. *Num occidere me* אַתָּה אֹמֵר *tu dicis?*] Scilicet בלבך *in corde tuo*, ut rectè explicat Aben Ezra, id est, cogitas. Verbum אמר *amar*, quod propriè est *dicere* sæpe idem valet ac *cogitare*, quod est in *corde dicere*, ut aliquando plenè exprimitur, ut *Gen.* 8. 21. & *Psal.* 14. 1. R. Sal. ineptissimè hic accipens dictionem אמר quasi ore dicere significaret, inde colligit Mosen prolato nomine tetragrammato Ægyptium occidisse.

אָכֵן נוֹדַע הַדָּבָר *certe res ista est cognita*] Onk. בקושטא *in veritate, vere*. LXX. εἰ οὕτως sic. Ac si in Hebræo esset אם כן, Quid autem secutus sit Vulgatus nescio, qui vertit, Quomodo palàm factum est verbum istud.

16. וּלְכֹהֵן מִדְיָן *& Sacerdoti Midian*] Sic Vulg. & Lxx τῷ δὲ ἱερεῖ μαδιάμ, (a) Aben Ezra ait hunc fuisse כהן לשם *Sacerdotem Dei*: atque asserit dictionem כהן *Cohen* ubique in Scripturâ significare ministrum Dei, vel idolorum. Verba ejus sunt, וכל כהן שבמקרא משרת הוא לשם או לעז At etiamsi vox ista eâ notione plerumque usurpetur, non tamen semper, ut evidentissimum est ex 2 *Sam.* 8. 18. ubi filii Davidis dicuntur fuisse כהנים *Cohanim*, i. e. non Sacerdotes, sed Principes. Atque isto sensu cum alibi, tum hoc in loco *Cohen* à multis exponitur. Onk. vertit רבא, & R. Sal. similiter exponit רב quod Magistrum, sive Principem sonat. Jon. רבה, quod Dominum significat. Fagius ait Magistratus & Principes vocari, *Cohanim, eo quod olim utrumque officium & sacerdotale, & politicum penes illos erat, etiam apud Ethnicos, id quod Magistratum imprimis cultum Dei, & quæ ad gloriam illius faciunt, promovere debet. Ob hoc enim maximè ministrum Dei vocari, Rom.* 13.

17. וַיְגָרְשׁוּם *& expulerunt eas*] Nempe mulieres anteà memoratas. Ubi *Mem* affixum masculinum est pro *Nun* affixo fœminino. Aben Ezra ait, Mem hic esse pro Nun, ne aliàs dictio confunderetur cum eâ in quâ Nun est paragogicum. Hoc ipso etiam versu est צאנם pro צאנן oves earum. quod Aben Ezra factum ait, ne alioqui duo Nun conjungerentur. Fagius in Collatione refert nonnullos affixis hisce (quoad formam) masculinis permotos, ad צאן hoc est gregem potius quàm ad בנות id est filias Sacerdotis Midian referre. Sed *tu* (inquit) *noveris ex proprietate linguæ Hebrææ esse, ut Nun relativum fœmininum masculos, & Mem relativum masculinum Fœminas aliquando contra naturam referat*. Sic ille, atque hoc quidem quod de horum relativorum naturâ ac usu dicit verissimum, at etiamsi Mem in verbo ויגרשום ad צאן referri posset, quomodo tamen idem de Mem in dictione צאנם dici queat, planè nescio. Res satis in aperto est, relativum illud, sive (ut vocant) affixum, non nisi violenter aliò quàm ad sacerdotis istius filias referri posse. Sed ut pessimè mihi videtur Fagius, vir alioquin Hebraicè eruditissimus, verba Aben Ezræ interpretari, ubi dicit Mem in ויגרשום esse pro Nun, שלא תתערב המלה

(a) *Kimchi* (*referente Fagio*) *existimat hunc fuisse sacerdotem idolorum. Quod si modo sacerdos fuerit, videtur verisimilius.*

עם המלה שנוסף לנון לעתיד Verba ista ille sic Latine reddit, *Non enim conjungitur hæc dictio cum Nun superaddito in futuro*, Quæ ejusmodi sunt ut fatear me, quid sibi velint, assequi non posse, cum Hebraicorum verborum sensus sit manifestus, quæ ita reddi debent, *Ne confundatur dictio cum Nun superaddito*, seu *paragogico in futuro*, sed vult, si hic fuisset ויגרשון tunc videri potuisse Nun non affixi seu relativi locum obtinere, (sed ut in istiusmodi futuris fieri solet paragogicum esse, ac propterea in Mem esse mutatum, ac pro ויגרשון dictum esse ויגרשום quod ex Fagii interpretatione Latinâ nemo, opinor, intelliget.

Et surrexit Moses, & opem eis tulit] Jon. *Et surrexit Moses* בכח גבורתיה *in robore potentiæ suæ, & vindicavit eas.*

18. *Et venerunt* אֶל־רְעוּאֵל אֲבִיהֶן *ad Reüel patrem suum*] Aben Ezra ait, Reüel hic vocari patrem earum, cum avus esset, Jethro enim fuisse socerum Moses, eundémque appellatum Hobad, *Judic.* 4. 11. ac filium fuisse Reüel, *Num.* 10. 29. Atque hæc quidem Aben Ezræ expositio ex istis Scripturæ locis, quæ citat, plana apertáque esse videtur. Eam plurimis Rabbinis placuisse docet Manasses Ben Israel in Concil. quæst 1. in *Exod.* §. 1. istis ab eo citatis addi potest R. Sal. qui ad *Num.* 10. 29. ait Hobab esse Jethro, & quod hæc in *Exodo* verba spectat, moris fuisse, ut liberi patris sui patrem (seu avum) patrem appellarent. Ibidem autem §. 2. Manasses refert Hebræorum nonnullos velle Reüel & Jethro & Hobab, unius ejusdémque hominis nomina fuisse, unde sequitur (ut idem ex R. Elia Ægyptio notat) patri juxta ac filio Reüel nomen fuisse, hoc nempe loco per Reüel filium, at *Num.* 10. 29. patrem eodem nomine insignitum intelligi. Sed etiamsi id ita esse potuerit, altera tamen sententia simplicior videtur. In sententiâ autem sua se minùs constantem ostendit Aben Ezra. Nam ad Num. 10. 29. scribit Reüel fuisse patrem Sephoræ ac Hobab, qui & Jethro, Sephoræ fratrem fuisse. Quod si quis objiciat Jethro ac Hobab in Scripturâ appellari חתן (i. socerum) Mosis, respondet vocem istam חתן *Chothen* latiùs sumi, ac non tantum de uxoris patre, verùm etiam de ejus fratre usurpari. At violenta prorsus videtur ista vocis *Chothen* interpretatio, nec unquam in Scripturâ nisi ad socerum, id est uxoris patrem significandum, quantum scio, adhibetur. Theodoretus tamen (ut refert Drusius Miscel cent. 2. cap. 69.) in isto Judicum loco πενθερὸν interpretatur τῆς γαμετῆς ἀδελφὸν, uxoris fratrem, quod coactum planè videtur. Miror autem quid Drusio in mentem venit, cum ibidem colligeret Hobab ex sententiâ Demetrii vetusti scriptoris fuisse fratrem Sephoræ, propterea quod dicat, ἐκ ραγουὴλ (γενέσθαι) ἰόθορ, καὶ ἀβὰβ, ἐκ δὲ τοῦ ἰόθορ σεπφώραν &c. *cum dicit Hobab* (inquit Drusius, non dubitans Habab eundem esse cum Hobab) *fuisse fratrem Jethro, necesse est, ut per socerum ibi* (Jud. 4. 11.) *intelligamus fratrem uxoris.* Mira profectâ ratiocinatio. Si enim (ut Demetrius iste dicit) Habab & Jethro fratres fuerint, Sephora autem filia Jethro, cum Habab dicitur *Chothen* sive socer *Mosis*, per *Chothen* sive socerum non uxoris fratrem, sed ejus patris fratrem, sive patruum intelligi necesse est.

21. וַיּוֹאֶל מֹשֶׁה וגו׳ *Et consensit Moses, &c.*] Onk. וצבי משה *Et voluit Moses.* Atque istam expositionem approbat R. Sal. ac citat illud *Jud.* 19. 6. הואל נא ולין *Consentias quæso & pernoctes. LXX.* κατῳκίσθη δὲ Μωσῆς *habitavit autem Moses.* Fagius in Collat. ait nonnullos existimare locum esse mendosum, ac legendum κατωμόσθη *adjuratus est.* Ego verò arbitror LXX. Interpretes totius sententiæ sensum exprimere, quam singulorum verborum vim expendere voluisse; pro eo igitur quod dicendum erat, *consensit habitare*, dixerunt *habitavit*. Vulgatus quidem habet, *Juravit ergo Moses, quòd habitaret cum eo.* Sed & R. Sal. refert à nonnullis ità exponi, ac si ויואל esset (b) אלה jurare, hoc sensu נשבע לו שלא יזוז ממדין כי אם ברשותו i. e. *juravit ei se non migraturum è Midian injussu ejus*, seu nisi ille demigrandi potestatem faceret. At Verbum ויואל à יאל formetur necesse est, quod in Hiphil significat *consentire, velle, acquiescere*, interdum quidem jurandi, seu potius adjurandi significationem habet, ut 1 Sam. 14. 24 ויואל שאול את העם *Et adjuravit Saul populum*, i. e. jurejurando populum obstrinxit. Hoc autem (ut notat Amama) Vulgatum Interpretem haud juvat, cum inter adjurare, & jurare magnum sit discrimen; deinde ibi ויואל accusativum post se habeat, hîc non item. Ipse igitur Steuchus, licèt vulgatæ versionis patronus fatetur in Hebræo nullam juramenti esse mentionem, sed sensum esse, *placuit* aut *voluit*.

22. *Et peperit filium, &c.*] Vulgatus hic prætereà habet, Alte-

(b) *Vel idem significaret quod* אלה לשון אלה

d by Google

Abortum vero peperit; quem vocavit Eliezer, &c. Atque ista etiam in nonnullis codicibus LXX. Interpretum haberi refert Nobilius, in Romanâ autem istius versionis editione non habentur, quemadmodum nec in Hebræo textu, nec in Chaldaicis Paraphrasibus reperiuntur.

25. [illegible] *Et cognovit Deus*] i. e. *admodum cognoscendo se habuit, ostendendo dilectionem circa eos*; ut non inconcinnodè exponit Lyra. In eundem sensum R. Sal. נתן עליהם לב ולא העלים עיני *apposuit super eos cor, nec occultavit oculos suos*. (*a*) Onkelos sensum potiùs quàm verba expressit [illegible] *Et dixit verbo suo, seu per verbum suum ut liberaret eos Dominus.* Similiter Vulg. *Et liberavit eos.* Ita in codice meo legitur; in margine autem pro *liberavit* ponitur *cognovit*. LXX. Interpretes videntur pro וידע legisse [illegible] quippe qui interpretantur, *καὶ ἐγνώσθη αὐτοῖς & innotuit eis.* Jonathan peculiarem quendam sensum verbis tribuit; ejus Paraphrasis ita habet, [illegible] *& revelata fuit coram eo pœnitentia, quam egerunt in occulto, ita ut quid socius suus faceret, nemo intelligeret.* Sed hoc nimis longè petitum videtur. Aben Ezra illud in initio Versus *Et (b) vidit Deus filios Israel*, ita exponit, *Nempe vidit oppressionem, quâ eos Ægyptii oppresserunt in propatulo.* Hoc autem quod sequitur, *& cognovit Deus*, sic explicat, [illegible] i. e. *cognovit quemadmodum Ægyptii eos opprimebant in occulto.* Sed hoc æquè ac illud Jonathæ, à simplici ac genuino verborum sensu remotum arbitror.

IDEM.

3. ET *oblevit eam luto*] Heb. [illegible] Kimchi in Rad. accepit חמר pro cæmento, quod ex calce et arena confectum, ad oblinenda ædificia adhibetur. [illegible] Addit autem ex nonnullorum sententia חמר picis quoddam genus esse, vel pici esse simile [illegible] Vide Shindl. Pentag. in חמר ex Gen. 11. 3. apparet חמר, quod hic occurrit, esse *bitumen*, quod pici fortè non absimile dici potest, חֹמֶר autem *cæmentum*, LXX. utrobique reddunt חמר *ἄσφαλτον*. Vulg. *bitumen*.

Ibid. [illegible] *Juxta ripam fluvii*] Kimchi in Rad. ait יאר denotare aquas è flumine in agros deductas [illegible] Atque addit Nilum hìc appellari יאר quòd ejus aquæ in agros, ad eos irrigandos, deductæ essent. R. Sal. ad Gen. 41: 1. asserit nullum fluvium præter Nilum vocari יאר. at (ut Kimchi observat) ita etiam appellatur Hiddekel, Dan. 12. 5.

18. *Et venerunt ad Reuel patrem suum*] Kimchi in radice חתן, refert R. Jonam velle Reüel esse Jethro, ac Hobab ejus fuisse filium: ac propterea חתן Judic. 4. 11. (ubi Hobab vocatur חתן משה) exponere *uxoris fratrem*. Id autem meritò improbat, rectèque refellit ex Num. 10. 31. collato cum Exod. 11. 1. &c. unde Hobab & Jethro unum eundemque fuisse apparet. Hujus igitur patrem dicit fuisse Reüel, atque hic per אביהן (*patrem ipsarum*) intelligi אבי אביהן *patrem patris*, seu *avum ipsarum*: sic enim in Scriptura avum patrem, & nepotem filium appellari solere [illegible]

IDEM.

10. ET *vocavit nomen ejus Moses*] Rejicit opinionem Aben Ezræ & aliorum, qui volunt Mosen à Pharaonis filia alio nomine Ægyptiacâ linguâ appellatum fuisse, quod Hebraicè redditur משה *Moses*. Sic enim idem dici posse de nominibus *Adam*, *Eva*, *Kain*, &c. ac proinde ex istorum nominum etymologiis Hebrææ linguæ antiquitatem probari non posse. Præterea dicit inusitatum esse; ut nomina propria ab una linguâ in aliam transferantur: nam qui verbi gratiâ שמעון Simeon Hebraicè appellatur, à שמע *audivit*; eum in aliâ quavis linguâ eodem nomine appellari. Notat etiam Onkelum nomen משה *Moses* retinere, etiamsi verba, quibus ratio nominis redditur, Chaldaicè interpretetur. Errandi occasionem hanc fuisse ait, quòd existimarunt Mosen sic a Pharaonis filiâ vocatum fuisse, cum verba illa, *& vocavit nomen ejus Moses*, ad Mosis matrem, ut & reliqua in versu isto, referri velit, ut sensus sit, eam Pharaonis filiæ dixisse, se ac domesticos suos appellasse eum Mosen, quòd ex aquis extractus esset. Quin & illud משיתהו non vult reddi, *extraxi eum*: sic enim dicendum fuisse, [illegible] sed *extraxisti eum*, sic nempe matrem Mosis Pharaonis filiam esse allocutam. At certè punctatio vocis משיתהו arguit positam esse pro משיתיהו alioqui enim sic punctanda esset; משיתיהו quod ab Abrabanele non animadversum esse miror. Quod autem Aben Ezra refert, se in libris ex Ægyptiacâ linguâ in Arabicam versis invenisse, nomen Mosis fuisse *Monios*, id inde factum putat, quòd *Monios* idem nomen sit quod *Moses*, licet diversimodè, ut in diversis linguis fieri solet, pronuntiatum. Addit nomen *Monios* fortè ab Ægyptiis Mosi tributum ob miracula, quæ illic fecit, sic enim peritos tradere, *Monios* linguâ antiqua Ægyptiacâ idem significare quod [illegible] id est, *qui facit miracula*. Nomen igitur *Moses* fuisse nomen substantiale, seu proprium (עצמי) à matre, cum infans esset, ei impositum; nomen autem *Monios* esse nomen superadditum, seu cognomen ([illegible]) quod postquam 80. annorum erat, Ægyptii ob miracula ab eo facta ei indiderunt.

11. *Cum adolevisset Moses*] Dicit Mosen videri 20. annorum fuisse, cum Ægyptium interfecit, ac metu Pharaonis ex Ægypto fugit: quin & ea fortè vera esse, quæ in Chronicis Mosis (דברי הימים של משה) scripta sunt, nempe Mosen antequam in terram Midian profectus est, in Æthiopiâ regnasse, ac Æthiopissam uxorem duxisse. Hæc nihili planè sunt, sed ideò notanda duxi, quod ex istis Chronicis Josephus historiam Sacram interpolasse videtur, *Antiq. lib. 2. cap. 5.*

Exiit ad fratres suos] Non improbabile est quod ait, Mosen cum nutricem suam Jochebed sæpe inviseret, ab eâ intellexisse, se Hebræum esse, ac propterea fratrum suorum miseriarum sensu affectum fuisse.

(a) *i. e. Sic eis verbo sibi esse ostendit.* (b) *Seu respexit* Heb. וירא [illegible]

CAP. III.

MUNSTERUS.

2. IN *flamma*] Scribitur hic לבת pro להבת. licet alii dicant לבת hic idem esse quod לב, *cor* seu *medium*. Et quod sequitur, *Rubus*] est סנה arbor sterilis & senticosa, quam avis citra deplumationem intrare non potest, ut Hebræi dicunt: crescens in deserto, à quo nomine & arbore mons *Sinai* סיני est appellatus. ¶ *Consumpta*] Hebraicè אכל: in passivo Pihel, i. *comedebatur*. In Hebraica enim lingua *comedit* animal, *comedit* gladius, *comedit* ignis.

5. *Solve calceamenta*] Radix verbi של est נשל, idem significans quod שלף, *extraxit*.

8. *Fluentem*] Est זבת participium fœmininum constructivum, à radice זוב derivatum. Indè זבה *fluens*, in fœminino genere. Et quando subjicitur, *Ad locum Chnaanæi*, &c.] omittitur una gens, nempe *Girgasæi*, quòd illa cæteris gentibus minor fuerit. Sciendum quoque, quòd omnes hæ septem gentes propagatæ sunt à Chnaanæo; atque ideo non rarò in Scriptura uno nomine *Chnaanæi* vocantur. *Pherezæi* putantur fuisse Sidonii.

12. *Coletis Deum*] Sive, *servietis Deo*, aut *adorabitis Deum, juxta hunc montem*: in quo post tres menses vobis daturus sum Legem.

14. *Sum qui sum*] Aut juxta Grammaticas regulas, *Ero qui ero*. Verùm Hebræi sæpe usurpant futurum loco præsentis. Gerundensis hunc locum sic interpretatur, [illegible] *Est Deus illa exsistentia qua nec præteriit nec præteribit: h. e. Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinet, sed transcendit omnem temporis rationem, & qui solus dicere potest, Sum. Est enim ipse omnis essentia atque vitæ fons & plenitudo; à quo omnia quæ sunt habent esse quod sunt.* Et quando subditur, *Hoc memoriale meum*] colligunt hinc Hebræi, nomen Domini tetragrammaton non proferendum secundùm dispositionem literarum & punctorum; sed in animo tantùm commemorari debet, non autem labiis exprimi. Imò habent scriptum in Thalmud in tractatu חלק *helek* in hunc modum, [illegible] *Qui exprimit nomen Domini per literas suas non habet partem in futuro seculo.* Vide stultitiam illorum hominum. Licet nomen commemorari, non autem exprimi. Atque adeò hæc superstitio invaluit apud Judæos, ut obstupescant ad prolationem hujus nominis, si fortè à Christiano audiant ipsum pronunciari, timeantque ruere cœlum. Et quidem fieri potuit, ut initio Seniores docuerint pueros suos legere pro *Jehova*, *Adonai*; ne frequenti usu veræ prolationis vilesceret Deus apud pueros: sed hæc institutio exiit postea apud Judæos in maximas superstitiones & impietates.

16. *Visitando*] Hebræi hic, sicut & in multis aliis locis, exponunt פקד pro זכר, *recordari*: *Recordatus sum*, inquit, *vestri*:

vestri: & injuria illius quæ facta est vobis in Ægypto non sum immemor.

18. *Occurrit nobis*] Heb. *obvius factus est nobis.* Est enim passivum à קרה *occurrit.* Infrà cap. 5. scribitur cum Aleph.

19. *Neque in manu valida*] h.e. Neque si viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, concedet vobis abitum. Alii exponunt ולא pro *nisi*.

22. *Cohabitatrice*] Est hic גרת participium à verbo גר, nisi quòd He propter regimen migravit in Tau. Porrò נצלתם in Piel scribitur, sicut & in 2 Paralipomenωn invenitur in hac conjugatione.

FAGIUS.

1. POst *bona pascua deserti*] Ad verb. *post pulchra*, sive *amœna*, *pascua deserti.* Est autem frequens in Hebraismo & Chaldaismo ut *pulchrum* pro *bono*, & è contrà *bonum* pro *pulchro* accipiatur.

2. *Angelus Domini*] Quidam dicunt per *Angelum* intelligi verbum Dei; alii, ipsum Angelum, qui postea dicetur *Dominus:* dicuntur enim Angeli de nomine mittentis.

8. *Facientem lac & mel*] i. abundantem lacte & melle. Est autem Hebraismus, pro, abundantem optimis quibusque fructibus & rebus delicatissimis.

14. *Ero qui ero*] Lxx & author Vulgatæ editionis Latinæ hæc in præsenti transtulerunt, *Ego sum qui sum.* Frequens enim admodum est in Hebraismo, futurum pro præsenti poni. Tenent autem commentatores cùm Hebræi tum etiam nostri, istà locutione æternitatem Dei significari. Futurum enim tria tempora complectitur; sicut & Thalmudistæ dicunt, verbum אהיה *ero* trium temporum differentias in se continere, præteriti, præsentis & futuri, *Fui*, *Sum*, & *Ero*; adseruntque eo innui summam, omnimodam & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit, est, & erit. Cui sententiæ non malus author apud Hebræos Nehemanides quoque accedit; sic enim scribit in hunc locum, הוא המציאות או הקיים אשר לא עבר ולא יעבר, *Deus est illa existentia*, vel *subsistentia*, *quæ nec præteriit nec præteribit*, &c. h. e. *Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinit, sed transcendit omnem rationem temporis, & qui solus dicere potest, Sum, vel Ero. Est enim ipse omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo, à quo omnia quæ sunt habent esse quod sunt. Quia igitur æternitas nullis finibus comprehenditur, ideo nullo tempore describi potest: quo fit ut rectè vocetur*, Qui est, Qui fuit, Qui erit. *Nam omnia tempora, cùm de Deo loquimur, confunduntur.* Nomen hoc Dei Græcè expressit Joannes, Apoc. 1. cùm dixit, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *ab eo qui est, & qui erat, & qui erit.* R. Hizkuni, ex recentioribus Hebræorum commentatoribus, hunc locum sic explicat, ut primum אהיה, *Ero*, sit nomen Dei; alterum verò, אשר אהיה, *qui ero*, sit ejus expositio, q. d. *Nomen meum est Ero.* ratio, *Quia ero in secula seculorum, absque fine. Dein, quòd ero etiam vobiscum, ut redimam vos à tyrannide Ægyptiorum.* Sunt enim plerique Hebræorum in ea sententia, quòd Deus hoc sermone ad Mosen non tantùm æternitatem suam indicare voluerit, sed simul quoque indicare, se populo suo præsentem fore suâ ope Divinâ non tantùm in hac præsenti tribulatione, sed & in omnibus aliis adhuc futuris calamitatibus; ideóque repeti verbum אהיה *ero.* Unde & R. S. sic exponit, אהיה עמם בצרה וו אהיה עמם בשעבוד שאר מלכיות, *Ero cum eis in præsenti tribulatione, qui ero cum eis in afflictione reliquorum regnorum.* Referunt quoque Hebræi, Cabalam fuisse apud illos, Tum adfore illis liberationem, quando ille qui eam ipsis annunciaturus esset, hoc ipsum facturus esset per hæc verba היה & פקד, *sum* vel *fuit*, & *visitavit*; atque istud innuisse & Jacob Patriarcham, quando dixit ad Joseph, אנכי מת והיה אלהים עמכם והשיב אתכם אל ארץ אבותיכם, *Ecce ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum*, Gen. 48. 21. similiter & ipsum Joseph, quando dixit ad fratres suos, פקד יפקד אלהים אתכם, *Visitando visitabit vos Deus*, Gen. 50. 25.

15. *Nomen meum in æternum*] Ità communiter interpretes, maximè nostri, interpretantur. Non desunt tamen qui legendum putant, *Hoc est nomen meum occultandum*, deducentes dictionem לעלם à verbo עלם, quod *occultare* significat: quasi innuatur hoc nomine Dei אהיה tanta mysteria contineri שאין לגלות אלא לאדם צנוע ומבין, *quæ non nisi homini probo Cabalaque perito* (ut Hebræi dicunt) *sint revelanda.* Qua de re si plura scire desideras, vide Galatinum l. 2. c. 14. ¶ *Memoriale meum*] i. Istud erit mihi nomen æternum: sive, Istud nomen æternum est per quod homines recordabuntur mei.

18. *Occurrit nobis*] i. apparuit nobis: proinde per te liceat nobis ire per desertum itinere trium dierum, ut immolemus ei, q. d. Deus Hebræorum vult à nobis coli extra Ægyptum.

19. *Neque etiam propter præsentiam ejus*, &c.] Heb. ולא ביד חזקה, *neque in manu valida.* quæ diversis modis intelliguntur. Quidam hoc sensu accipiunt, Etiam si viderit manum meam Dei potentem, h. e. miracula & plagas, nequaquam tamen ob id vos dimittet. Et hanc sententiam sequitur R. Hizkuni, qui meo judico hunc locum non indoctè hunc in modum explicat, *Tametsi ego ostendero ei novem plagas, quæ vocantur* manus fortis, *adhuc tamen non permittet vobis exire. Verùm ubi extendero manum meam, & percussero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Hæc ille. Atque hæc omnino videtur esse sententia quoque nostri Paraphrastis. Alii negativam ולא conjunctionaliter legunt, hoc modo, *Non dimittet vos, nisi viderit manum meam fortem*, h. e. donec extendero manum meam fortem, atque vos etiam invito eo potenter eduxero. Accipitur enim *manus fortis* pro cæde & plaga forti, eò quòd virtus & potentia, ut inquit R. D. K. manu perficitur. Et hunc sensum sequuntur Lxx & Vulgata editio. Exstant præterea inter Hebræos qui ad hunc modum intelligunt, Novi quòd Rex Ægypti non sit vos dimissurus, idque propter potentiam suam: est enim Rex fortis & potens. In quam sententiam etiam paraphrasis Chaldaica transferri posset, hoc modo, *Non dimittet vos Rex Ægypti, propterea quòd vis, sive robur & potentia, ejus magna sit.* Sed versio quam nos posuimus, omnino vera & genuina esse videtur. Sunt porrò qui ità explicant, *Non permittet vobis Rex Ægypti ut exeatis neque armata manu.* Autor Complutensis editionis hunc locum ex paraphrasi Chaldaica ità reddidit, *Et in conspectu meo manifestum est, quòd non dimittet vos Rex Ægypti ut eatis, nisi propter timorem fortem*, q. d. Cùm invadet illum magnus timor & horror ex percussione primogenitorum, tum demum dimittet vos. Videtur וקליל non à קליל, quod *exercitum, robur, vim & virtutem* significat, deduxisse, sed à וקלא, quod *timorem* significat. Verùm expositio R. Hizkuni videtur mihi omnium simplicissima & verissima esse.

21. *Dabóque populum istum in gratiam*] Hebraismus [illegible], *dare aliquem in gratiam*, pro *gratum aliquem reddere.*

IDEM.

2. וירא מלאך יהוה אליו *Visusque est illi Angelus Domini*,] Hunc locum propterea annotare libuit, ut videas omnes interpretes ex Hebræo transtulisse, ut est, *Angelus Domini*, præter unum Vulg. interpretem, qui vertit pro מלאך יהוה *Angelus Domini*, *Dominus.* Et B. Stephanus Act. 9. Angelum Moysi apparuisse asserit. Sed videtur Lat. interpres *Dominum* legisse, quòd in posterioribus Scriptura Deum locutum ait; & familiares admodum Hebræis sunt alloeôses personarum: Sensum ergò magis quàm verba secuta est Lat. editio.

19. ואני ידעתי כי לא יתן אתכם מלך מצרים להלך ולא ביד חזקה *Et ego cognovi, quod non concedet vobis Rex Ægypti ut abeatis, neque in manu valida.*] Variatio est circa illa ולא ביד חזקה, *neque in manu valida.* Quidam enim negativè sic interpretantur; etiamsi viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, nequaquam tamen ob id vobis abitum concedet: atque hunc sensum sequitur R. Hizcuni qui præsentem locum, meo judicio, non indoctè Hebraicè ad hunc modum elucidat, אף על פי שאני מראה לו התשע מכות שנקראו יד חזקה כמו שכתוב לכל היד החזקה ואפילו אלום מכות ערין לא יתן אתכם לצאת אבל כשאשלח ידי והכיתי את מצרים במכת בכורים אחריכן ישלח אתכם *Tametsi ego ostendam ei novem plagas, quæ vocantur manus fortis, sicut scribitur*, sed & secundùm cunctam manum robustam, Deut. 34. *ubi intelliguntur novem plagæ Ægypti: adhuc tamen non dimittet vos exire: verum ubi extendero manum meam, & percussero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Hactenus ille. Alii ולא conjunctionaliter legunt, hoc modo, *Non dimittet vos, nisi viderit manum meam fortem*; vide supra. Exstant præterea inter Hebræos qui hæc ולא ביד חזקה ad Pharaonem, i. potentiam, fortitudinem ac robur ipsius, referunt, sic ut Beth litera in ביד vim habeat præpositionis בעבור i. *propter*, q. d. novi quòd Rex Ægypti non sit vos dimissurus, idque propter potentiam suam: est enim Rex fortis & potens. Et huic sententiæ adstipulari videtur Onkelus suâ Paraphrasi, quam & Aben Ezra sequitur. Cæterùm non desunt inter nostros, qui ad hunc modum exponunt, *Neque in manu forti*, aut *armata manu*, *exibitis*; *Nam ego educam vos.* Verùm enarratio Hizcuni mihi omnium maximè probatur.

VATA-

VATABLUS.

1. *Sacerdotis*, כהן] Vide c. 2. 16. ¶ *Post desertum*, אחר המדבר] i. in partem intimam deserti: ad Australiorem partem sinûs Elanitidis, quà is maximè in continentem se effundit: nam mons Horeb etiam intimo sinu Elanitide est Australior.

2. *Angelus*, מלאך] Quem nunc vocat *Angelum*, v. 4. appellat *Deum*. Sic vocavit Christum Moses, non modò quia Angelos semper comites habuit, & quasi apparitores; sed quòd illa populi redemptio nostram omnium adumbravit, cujus causâ mittendus erat Christus à Patre ut formam servi cum carne nostra indueret. ¶ *In flamma ignis*, בלבת אש] Ad verb. *in corde ignis*, i. de medio ignis. Quia cor in animantibus medium locum obtinet, ideo *cor* accipitur pro medio cujuscunque rei. ¶ *Rubus ardebat*, הסנה בער] Quid significet rubus, ac quomodo Christus vocetur Angelus, dictum est in Glossa nostra ordinaria in Acta Apostolorum, c. 7. 30,

5. *Solve calceamenta tua*, של נעליך] Etiam istum locum reperies tractatum in Actis, c. 7. 33.

7. *Videndo vidi*, ראה ראיתי] Hebraismus, quo & Græci sæpe utuntur, *Eundo ivit*: significat autem hæc verborum geminatio aut vehementiam, aut certitudinem, aut celeritatem. ¶ *Propter exactores ejus*: מפני נגשיו] i. propter eos qui exigunt operas eorum sine ulla clementia.

8. *Descendi itaque*, וארד] Deus *Descendere* dicitur quando exaudit nos, favet & auxiliatur nobis: nam omne auxilium de coelo est. ¶ *Et educam eum*, ולהעלתו] Ad verb. *& ut ascendere faciam eum*.

9. *Venit ad me*: באה אלי] q. d. Jamjam habiturus sim rationem clamoris eorum.

10. *Veni*, לכה] Verbum pro adverbio hortantis, de quo Gen. 11. 3.

11. *Ut vadam*, כי אלך] i. ut mittar à te. Humilis fui ipsius abjectio, & plena verecundiæ excusatio, q. d. Non sum sufficiens huic legationi, nec dignus subire tantam legationem.

12. *Profectò tecum ero*: כי אהיה עמך] Quidam vertunt כי *quòd*, & subaudiunt *Scito*, vel *Persuadeas tibi quòd ero tecum*, i. Adero tibi, sive Favebo, aut כי redundat.

14. *Ero qui ero*. אהיה אשר אהיה] Lxx. & Vulgata editio, hæc in præsenti transtulerunt, *Sum qui sum*. Frequens enim est Hebræis futurum pro præsenti poni. Scribunt autem Hebræi istâ locutione æternitatem Dei significari. Futurum enim tria tempora complectitur: sicut etiam Thalmudistæ dicunt, verbum אהיה *ere* trium temporum differentias in se continere, præteriti, præsentis, & futuri, *fui*, *sum*, & *ero*: asseruntque eo innui summam, omnimodam, & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit, est, & erit. Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinit, sed transcendit omnem rationem temporis: & qui solus dicere potest, *Sum & ero*: est enim ipse omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo; à quo omnia quæ sunt, habent esse quod sunt. *Ipse dat omnibus vitam & halitum per omnia*, ut inquit Paulus, Act. 17. 25, 28. & *in ipso movemur, vivimus, & sumus*. Quia igitur æternitas nullis finibus comprehenditur, ideo nullo tempore describi potest. Quo fit ut rectè vocetur, *Qui est, qui fuit, qui erit*: nam omnia tempora, quum de Deo loquimur, confunduntur. Nomen hoc Dei Græcè expressit Johannes, Apoc. 1. 4. dicens, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος· i. *ab eo qui est, & qui erat, & qui erit*. Doctus inter Hebræos sic locum istum explicat, ut primum אהיה sit nomen Dei, alterum verò אשר אהיה sit ejus expositio: acsi dicat Moses, *Nomen meum*, Ero: *ratio, quia ero in secula seculorum absque fine: dein quòd ero etiam vobiscum, ut redimam vos à tyrannide Ægyptiorum*. Sunt enim plerique Hebræorum in ea sententia, quòd Deus hoc sermone ad Mosen non tantum æternitatem suam indicare voluerit, sed simul quoque indicare se populo suo præsentem fore suâ ope Divinâ, non tantùm in hac præsenti tribulatione, sed & in omnibus aliis adhuc futuris calamitatibus, ideòque repeti verbum אהיה. Ab hoc verbo deductum est *Jehovah*, de quo Psal. 1. 2.

15. *Hoc*, זה] nempe *Jehovah*, vel *Ero*. ¶ *Memoriale meum*, זכרי] i. istud nomen meum est per quod homines recordabuntur mei omnibus ætatibus.

16. *Et congrega*, ואספת] Fut. pro imperat. ¶ *Recordando recordatus sum vestri*, &c. פקד פקדתי וגו'] i. Tandem recordatus sum vestræ afflictionis quâ affligimini ab Ægyptiis. Quidam vertunt, *Visitando visitavi vos*: minùs rectè.

17. *Propterea dixi*, ואמר] sub. *apud me*, i. Proposui ac decrevi. Eadem sententia quæ paulò antè, v. 8. ¶ *Educam vos*, אעלה אתכם] Ad verb. *Ascendere vos faciam*.

18. *Et obedient voci tuæ*: ושמעו לקלך] i. acquiescent dictis tuis; sive, credent tibi. ¶ *Occurrit nobis*: נקרה עלינו] i. visus est nobis, sive apparuit. ¶ *Eamus*, נלכה] i. per te liceat nobis ire.

19. *Nisi in manu forti*. ולא ביד חזקה] Hebraismus, *nisi manu forti coactus fuerit*. Ad verb. *& non in manu forti*: quod quidam sic vertunt, *neque in manu forti*: atque ità exponunt, Scio inefficaces fore preces vestras apud tyrannum: adhæc nihil effecturam manum meam fortem quam ostendam variis signis ac miraculis: nullâ re moveri poterit obstinati Regis animus. Alius potest esse sensus, *Non in manu forti*, h. e. vos non forti aut armatâ manu exibitis: nam ego ducam vos. Prior sensus videtur esse genuinus: nam sequitur, *Mittam igitur manum meam*, &c.

20. *Mittam igitur*, ושלחתי] Ad verb. *Et mittam*, i. Extendam. ¶ *Omnibus mirabilibus meis*. בכל נפלאתי] i. omnibus operibus meis mirandis: h. e. miraculis meis editis.

21. *Dabóque gratiam*, &c. ונתתי את חן העם וגו'] Hebraismus, *Reddam populum hunc gratissimum Ægyptiis*.

22. *Sed postulabit mulier*, ושאלה אשה] i. Mutuabitur quælibet mulier. ¶ *Et ab hospita domûs suæ*, ומגרת ביתה] i. ab hospita sua. ¶ *Quæ ponetis*, &c. ושמתם וגו'] Hebraismus, *Quibus ornabitis liberos vestros*. ¶ *Et spoliabitis*, ונצלתם] i. hoc pacto, hac ratione, jussu meo spoliabitis Ægyptios.

CASTALIO.

2. Qui hic Mosi apparet, idem *Angelus* aut *nuncius*, & *Jova* & *Deus* vocatur in hoc capite, & Judic. 2. Idem Gen. 18. ubi Abrahamo apparet, *Jova* dicitur. Idem Hagarem in deserto errantem & ut Angelus & ut Deus alloquitur, Gen. 21. v. 17. Idem cùm Balaamo in asina equitanti occurrit, *Angelus* vocatur; & tamen dicit Balaamo *iter esse contra se institutum*: id quod Dei, non Angeli loquentis est. Eundem Jacobus Gen. 32. & *Deum* vocat & *Angelum*. Ac nè singula prolixius persequar, plenæ sunt exemplorum literæ: quare hæc res nobis paulò altiùs repetenda est. Principiò, qui hic Mosem alloquitur, non videtur esse Princeps ille, & Christi Pater, Deus; neque enim *nuncius* dici posset, cùm neminem habeat à quo mittatur: Neque item *Angelus*; nam *Jova* non diceretur, cùm hoc sit proprium Dei nomen, cùmque is majore authoritate imperet quàm Angelum conveniat. Quis ergò est? Is profectò quem Paulus 1 Cor. 10. 9. dicit à Judæis fuisse *tentatum*, ideòque eos *à serpentibus exstinctos*: videlicet Christus, per quem Deus Mundum & fecit & regit: quem Sibylla versibus illis quos in Gen. 1. posui, *Filium Dei* vocat. Is est qui Israelitas ex Ægypto eduxit, cum quo Moses & Elias in monte Taburo loquebantur, qui hoc loco *Dei nuncius* vocatur, quòd à Patre missus est; quoniam Patris ipsius præsentiam mortales non ferunt. Idem *Jova* dicitur ab הוה, quod *esse* significat, quoniam semper fuit, semper est, semper erit, sicut in Apocalypsi dicitur ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος· est enim unum cum Patre, eique coævus, à quo omnium natura pendet. Eundem *Jovam* vocat & Esaias c. 40. cùm de Johanne Baptista loquitur his verbis, *Vox clamantis in desertis, Parate viam Jovæ*, & paulo pòst, *Ecce Dominum Jovam fortiter venientem*, &c. Et David Psal. 68. si quis eum diligenter legat. idem *Deus* dicitur, ut est: & ut Thomas reipsa victus fatetur, *Dominus meus, & Deus meus*: & Paulus Rom. 9. profitetur, *A quibus* (inquit) *ortus est Christus, quod ad corpus attinet, qui est super omnia Deus laudandus in sempiternum*. Et Angelus Luc. 1. *Israelitarum Deum* appellat. Et Esaias cap. 9. *Deum fortem*: & Sibylla quoque eum vocat *Deum*, his verbis lib. 8. pag. 240. in Acrostichi de Christo.

Rex tibi nunc nostris descriptus in ordine summo
Versibus: hic noster Deus est, nostræque salutis
Conditor æternus, perpessus nomine nostro.

& in eodem libro,

E cœlo veniens mortales induit artus.

Et in eodem libro Gabriel Mariam alloquens, pag. 256. sic ait.

Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

CLARIUS.

2. Angelus Domini] Idem & *Angelus Domini* & *Deus* appellatur: significatque, ut ait M. Basilius, ipsum Servatorem Christum, qui & Deus est, & *magni consilii Angelus* vocatus. ¶ *De medio rubi*] Rubus est arbor sterilis & senticosa, quam avis citra deplumationem intrare non potest, ut Hebræi dicunt, crescens in deserto: à quo nomine & arbore mons *Sinai* appellationem acceperit. Idcirco verò de rubo ardente sed non combusta Mosen Deus alloquitur, quia de fornace crudelissimæ servitutis liberandi erant filii Israel, in qua cremabantur sed non consumebantur: quod populo Dei usu venit.

5. *Solve calceamentum*] Præcipitur ei per hoc reverentia & humilitas, quódque nihil mortuum terrenúmve divinis rebus est permiscendum.

8. *Ad loca Chananæi*] Omittitur una gens, *Gergesæi*, quòd illa cæteris gentibus minor fuerit. Sciendum quoque, quòd omnes hæ septem gentes propagatæ sunt à Chananæo, atque ideo non rarò in Scriptura uno nomine *Chananæi* vocantur. *Pherezæi* putantur fuisse Sidonii.

14. *Ego sum qui sum*] Aut juxta Grammaticas Hebræorum regulas, *Ero qui ero*. Verùm Hebræi sæpe usurpant futurum loco præsentis. *Esse* autem soli Deo convenit, qui est illa Essentia quæ nec præteriit nec præteribit, h. e. semper est, qui nunquam cœpit, nec unquam desiturus est, sed transcendit omnem temporis rationem, & qui solus dicere potest, SUM. Est enim ipse omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo, à quo omnia quæ sunt habent esse quod sunt. Atque ex hoc loco mihi videtur Plato & Platonici accepisse, unde de Deo res hujuscemodi philosopharentur. ¶ *Qui est misit me ad vos*] Alius vertit, *Sum misit me ad vos*. Est enim in Hebræo eadem dictio quæ dudum, ubi dictum est, *Sum qui sum*. Sunt etiam qui velint hanc vocem significare tria tempora, præsens, præteritum, & futurum, ut magis sempiterna Dei stabilitas exprimatur.

19. *Nisi per manum validam*] Sunt qui pro *nisi* dicant *neque*, ut sit sensus, Neque si viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, permittet vos abire. Nam in Hebræo est, *& non in manu valida*.

DRUSIUS.

14. *Sum qui sum*] הוה & היה idem significant. Ab hoc est יהוה, unum ex nominibus τȣ̃ ὄντος. Id meliùs redditur *Sum* quàm *Ero*. Nam, ut Paulus de S. Maria Burgensis episcopus annotat, *Esse in præsenti maxime competit Deo, cujus esse non novit præteritum neque futurum*. Et mox, *Æternitati non competit præteritum aut futurum*. אהיה *Eheje* igitur *sum*, ab היה *fuit*. Ab הוה autem est יהוה nomen Jod, He, Vau, He, factum ex futuro, ut *Ishac*, *Jacob*, *Jared*, & alia ejus generis. Hiscuni, *Deus seipsum vocat* אהיה Sum, *& homo ipsum appellat* יהוה Est, *quod idem cum* אהיה. Sed hoc profanum est verbum, illud nomen Dei sacrosanctum, quod olim Samaritani legebant *Jave*. Id contractum ex *Jahave*, sicut *Jacob* diximus pro *Jaacob*. Hoc primum: deinde ἀρχαϊκῶς lectum *Jahave* pro *Jeheve*, sicut hodie יהרג legimus pro יַהֲרֹג *occidet*: vel יהוה *Jave*, ut ימנה *Jamne*. Ut ut sit, conjicio germanam esse lectionem nominis tetragrammati, de qua hodie tantopere controvertitur. Natio simplex & rituum suorum tenacissima eam retinuit. Cur spernimus? Nam & antiquos characteres Hebræorum eadem conservat, quos Judæi commutarunt cum Assyriis. De hoc nomine capiendum Exod. 3. 15. *Hoc est nomen meum in seculum*: quod nunc legunt לעלם absque Vau; sed cùm puncta olim abessent, legi poterat לעלם *ad occultandum*. Admodum enim occultant illud Judæi; nec Deus vocari eo nomine promiscuè ab omnibus voluit. Tantùm in templo pronuntiabatur à sacerdotibus. Eo destructo, desiit ejus pronuntiatio, in tantum ut jam nesciant quomodo prolatum olim fuerit propriis suis vocalibus. Discant ergò à Christianis, si nolunt à Samaritanis discere.

19. *Non permittet rex Ægypti vos abire, & non in manu forti*] Hic vetus editio Lat. habet, *nisi per manum validam*; & Græca, ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς, *nisi cum manu valida*. Ego ולא *& non* pro כי אם *nisi* non memini legere. Hoc primum: deinde non permisit eos abire per manum validam, nisi coactus. Nam post ultimam plagam, cùm volens nolens dimisisset populum, coacto exercitu insecutus est eos ad mare usque Rubrum, in quo periit. Malim igitur, *nè quidem manu forti*, aut *validâ*: quod etiam dicunt גם אין, ut Psal. 14. 3. *non est etiam unus*. Latinè, *nè unus quidem*. Sic Exod. 8. 31. *non remansit unum*, i. nè unum quidem. Sed nonne, inquies, eduxit Israelem ex Ægypto manu forti? Respondeo, aliud esse populum educere, & aliud licentiam ei facere abeundi. Deus manu robustâ eduxit populum; Pharao nè quidem manu illâ pressus voluit eum dimittere: nam id quod fecit, invitus & coactus fecit. Cæterum pro *in manu forti* legitur simpliciter *in manu* Jes. 28. 2. *Manum* autem dicit Dei potentiam quam exseruit contra Ægyptios; vel plagas decem, quibus gentem illam afflixit ob pertinaciam Regis. Sic Exod. 14. in extremo, *vidit Israel magnam manum quam fecerat Dominus in Ægypto*, i. magnam potentiam, vel certè magnam plagam. Sic *manus Dei* vocatur plaga Dei, & legimus, Psal. 17. 14. *à mortalibus manu tuâ*, qui sunt manus, i. plaga tua. Quod ità notum ut exemplis probare velle sit lucernam accendere in meridie: quod qui facit, desipere putatur.

IDEM.

2. בער. A. ἀναπτόμενος, *accensus*. Sym. φλεγόμενος, *ardens*] Vel, *succensus*. Sic alibi. בער כאש *succensus à coquente*. Quod tamen ἀντολεξεὶ sonat, *ardens à coquente*. Adi sis ad Observat. meas.

5. של. A. ἐκσπάσον, *extrahe*. Sym. ὑπόλυσον, *solve*] ¶ Ἐκσπάσον, i. שלף. Quo verbo hic usi sunt Jon. & autor Jerosol. ¶ *Solve*, ὑπόλυσον. Priùs erat λῦσαι, & in Onk. שרי *Solve calceos tuos*.

9. וגם ראיתי את הלחץ אשר מצרים לחצים אתם. A. καί γε ἑώρακα τὸν ἀποθλιμμὸν ὃν οἱ Αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτοὺς, *& verò vidi oppressionem quâ Ægyptii premunt eos*] Ἀποθλιμμὸν, *afflictionem*, *vexationem*, *calamitatem*. Propriè *afflictio vehemens*. Nam ἀποθλίβω, *vehementer affligo*. Idem לחץ in sermone sacro. ¶ *Premunt vos*. Θλίβω non simpliciter *premere*, sed *vehementiùs premere*. Interp. vetus *tribulare* convertit; alii, *affligere*. Hinc θλιμμὸς, quod legitur hoc loco in editione τῶν ό. pro quo tritum & usitatum magis est nomen θλίψις in eadem editione.

16. זקני ישראל. A. τὰς πρεσβύτας Ἰσραὴλ, *senes Israel*] Hoc Chaldæi dicunt סבי ישראל. Sunt igitur iidem זקן & סבא, quanquam שיבה propriè *cana senectus*, quæ Græcis πολιά. Antè fuit in Lxx γερουσία. id reddi potest *Senatus*. Plutarchus, ἡ ἣ Ῥωμαίων σύγκλητος ἀρχὰς τὸν γερουσία καλεῖ. Senes ergo i. magistratus.

22. ונצלתם את מצרים. Sym. καὶ συλήσετε τοὺς Αἰγυπτίους, *& spoliabitis Ægyptios*] Συλάω *spolio*, quod & συλέω & σύλαω, Dicitur & σκυλεύω: unde in lib. veterib. edit. Lxx. σκυλεύσατε, cùm in aliis sit συσκευάσετε, ἤτοι σκυλεύσετε. Quam postremam lectionem Theodoretus agnoscit Quæst. 23. in Exodum ita scribens, Τί αἰτιῶνταί τινες τὸ προστεταχέναι τὸν Θεὸν τοῖς Ἑβραίοις αἰτῆσαι τοὺς Αἰγυπτίους σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, καὶ ἱμάτια, καὶ συλῆσαι (ità leg. non, ut in vulgatis, σκυλεῦσαι) τοὺς Αἰγυπτίους; οὕτω γὰρ ὁ Σύμμαχος τὸ σκυλεύσατε ἡρμήνευσεν. In Fragmentis quæ olim collegi, Sym. συλήσετε τοὺς Αἰγυπτίους, puto verum esse quod posui. In notatis ad edit. Rom. Σκυλεύσατε τοὺς Αἰγυπτίους. Ità LL. VV. In aliis est συσκευάσετε. Schol. ἄλλος ὁμοῦ, καὶ συνεπάγετε αὐτοῖς τὴν ἐκ τούτων σκευῆν αὐτῶν δύναμιν.

NOTÆ MAJORES.

1. *Moses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian, duxitque oves post desertum, & venit ad montem Dei, Horebum.*

2. *Apparuitque Angelus DOMINI ei in flammâ ignis è medio rubi, & vidit & ecce rubus ardebat igne, nec tamen rubus consumebatur.*

Pascebat oves] Nam ex Ebræis erat qui pastores vocabantur & populus pastorum. erant enim tales. ¶ *Jethro*] Ebraicè יתרו. Sed & יתר dicitur Exod. 4. 18. unde forsan, Ἰοθὸρ, quod hic in Editione Græca. Reperio & Ἰωθὼρ in B. & Jethor apud Severum in nonnullis editionibus. Jothor vocatur etiam à Demetrio apud Eusebium Προπαρασκ. Lib. 9. pag. 257. ¶ *Soceri sui*] Ità Hiero. Onkelos & Jonathan. Quanquam in quibusdam latinis, *cognati sui*. Græca quoque exemplaria variant. Nam in aliis τοῦ γαμβροῦ αὐτοῦ, & in aliis τοῦ πενθεροῦ. Utrumque significat *Socerum*. Γαμβρὸς etiam frater uxoris, & generalius, affinis. Exod. 18. 5. חתן A. νυμφευτὴς. Sym. πενθερός. Lxx. γαμβρὸς. Hiero. *cognatus*. Interpretes Galli, חתן est pater uxoris, aut frater, aut denique affinis. R. David in libro ubi vocum sensa explicat, חתן *est pater uxoris: scribit autem R. Jona fratrem uxoris vocare maritum ejus* חתן. Et mox, *Jethro aliter Hobab appellatur. Raguel autem erat pater Jethro. Quod autem legimus, ad Raguel patrem suum, mos lingua avum vocare patrem, & nepotem filium.* ¶ *Sacerdotis Madian*] fieri potest ut idem sacerdos fuerit & princeps regionis. Sic Melchisedec rex Salem simul sacerdos erat Dei excelsi, & Jonathan ethnarcha Judæorum pontifex erat ejusdem gentis. Porro ex Ebræis nonnulli censent eum sacerdotem fuisse idolorum, ut R. David & alii à quibus Abenezra dissentit. ¶ *Et duxit oves*] Hiero. *cumque minasset gregem*. Minare est aquatum aut pastum agere. ¶ *Post desertum*] אחר המדבר. Lxx. ὑπὸ ἔρημον. quod reddunt, *in desertum*. Hiero. *ad interiora deserti*. Onkelos, *in locum pulchri pascui sive optimi pastus in desertum*. Jonathan, *in locum pulchri pascui qui erat post desertum*. Videtur autem certum aliquod innuere desertum, ut est desertum Sinai aut desertum arenæ, quod mare arenosum vocant, in quo nulla pascua: quod piloto duce-

mercatores hodie trajiciunt pyxide nautica usi. Quo facit articulus qui in Ebræo significans desertum vastum, cum aliud sit non vastum, in quo & urbes & pascua. Sunt ex interpretibus qui eum eo secessisse putant metu Pharaonis, cum ibi tutius latere potuerit. ¶ *Ad montem Dei*] Cur vocat montem Dei? An quia Deus ei apparuit in eo? Sic Onkelos & Jonathan. Id si damus, erit figura quam prolepsin vocant. Aut mons Dei i. magnus, ingens; *ut ignis Dei, montes Dei, flamma DOMINI* &c. Prius verius videtur. ¶ *Horebum*] חֹרֵבָה ad Horeb i. לְחֹרֵב, ut est in Editionibus Chaldaicis. Lxx. εἰς τὸ ὄρος χωρήβ. Partim tamen codicum habent, τὸ ὄρος τοῦ θεοῦ. Horeb, Choreb; ut Hermon, Chermon: Hebron, Chebron. Appellatio à siccitate. Nam mira in iis locis siccitas. Hunc montem alii à Sinai diversum, alii eundem faciunt. Hiero. in comment. Malach. 4. *In monte Horeb, qui est Sina.* Nicolaus ad hunc locum, *iste est mons Sinai.* Si diversus, tum contiguus erat. Eusebius de locis, *Choreb, mons Dei in regione Madian juxta montem Sina supra Arabiam in deserto: cui jungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Horeb vocetur.* Hæc interpres Hieronymus. Situs est ad sinum Arabicum, quo in loco melanos montes describit Ptolemæus, tridui itinere ab Ægypto distans. ¶ *Angelus DOMINI*] ἄγγελος Κυρίου Lxx. *angelus DOMINI* (*Christus magni consilii angelus.* Doctores catholici.) Onk. *Ragnugael angelus Domini.* Jonathan. *DOMINUS*, Hiero. Sic & infra vocatur. ¶ *In flammâ ignis*] ità Onkelos, Jonathan, Hiero. Græca exemplaria variant. Nam in aliis ἐν φλογὶ πυρός: & in aliis ἐν πυρὶ φλογός in igne flammæ. Vide Rom. edit. latinam. Abenezra novè interpretatur, *in corde ignis.* לב & לבת, ut גן & גנה sive hortus. Sensus est, *in medio ignis.* Cor ignis, ut cor cœli, maris, terræ. Hoc sensu Hiero, dixit, *in corde voluminis.* ¶ *Rubi*] βάτου. Ebraicè סנה rubus sive rubetum i. locus rubis refertus. Chaldaicè סנא & סנאה. etiam Arabes hoc nomine utuntur. In Sylvatico Alhasegi, rubus. Vide num legendum sit Alhaseni. Quod Arabica vox sit testis mihi Abenezra qui scribit esse spinæ aridæ genus. Quod & Saadias ante illum observavit. Ab eo mons Sinai dictus, quem Justinus ex Trogo Sineum appellat. Forte quia circa eum frequentes rubi erant. ¶ *Et ecce rubus ardebat*] Severus, *repente rubus ardere visa.* Nam ecce notat rem improvisam & inopinatam, repentinam. ¶ *Ardebat*] בער ardens. Lxx. καίεται. Sym. φλεγόμενος. A. ἀναπτόμενος, accensus. Onkelos & Jerosolymitanus בער Jonathan מיתוקד exsiccans. Abenezra, *comburens.* Scilicet vicina quæque. Et est sensus, ignis comburebat in rubo. Simile, mons comburebat igne. Talis hypallage & in illo, *Projecerunt in ignem sanctuaria tua.* ¶ *Consumebatur*] consumebatur ab igne i. comburebatur, κατεκαίετο, ut Hiero. & Lxx. Ad verb. comedebatur. Sic ignis vorare dicitur ea quæ consumit.

3. *Et dixit Moses, Accedam nunc ut videam visionem magnam hanc, quare non comburatur rubus.*

4. *Vidit autem DOMINUS quod accederet ad videndum, & clamavit ad eum Deus è medio rubi, & dixit, Mose, Mose: & dixit, Ecce me.*

5. *Et dixit, Ne appropinques huc, exue calceos è pedibus tuis: locus enim in quo tu stas humus sancta est.*

Accedam] concedam, divertam, deflectam. Ebraicè אָסֻרָה recedam. Nam qui aliquo concedit, idem recedit ab eo loco in quo erat. Affine est quod reverti apud Ciceronem legitur pro accedere, si non fallunt nos ejus interpretes, in secundam Agrariam, *De commodo vestro prius dicam, Quirites, deinde ad amplitudinem & dignitatem revertar.* i. accedam. Sic exponunt אלי סורו recedite ab eo loco in quo estis, & accedite ad me. Vide Abenezram hoc loco. ¶ *Visionem magnam hanc*] Hoc est primum signum, quod Deus Mosi ostendit: in quo rubus Israelem præfigurat, ignis vexationem quam in Ægypto pertulerunt. ¶ *Quare non comburatur*] ità Hiero. Lxx. Onkelos & Jonathan. Quos secuti nunc sumus, licet idem verbum modo exposuerimus, *ardebat*, ut etiam Santes hoc loco, *cur non ardeat rubus.* Sed hoc perspicuè falsum. Nam rubus ardebat, non tamen comburebatur. Quod Jonathan dixit מיתוקד לא. Idem supra, *rubus comburebatur igne.* i. בער, vult dicere, ignis comburebat rubum, ut sit hypallage. ¶ *DOMINUS*] Angelus apparuit, DOMINUS loquitur, sed per Angelum, si pater DOMINUS: Sed per se, si filius DOMINI angelus. Novum non est ut dem in eodem loco modo Angelus, modo DOMINUS etiam nomine tetragrammato, dicatur. Fagius in Onkelum, *Appellantur Angeli de nomine Domini.* Abenezra censet DOMINUM vidisse accedentem Mosem, ac tum Angelo mandasse ut ipsum inclamaret, quem אֱלֹהִים i. Deum post vocat. ¶ *Accederet*] Onk. & Jon. *deflecteret.* ¶ *Deus*] Elohim. Id sæpe de angelis usurpatur. Lxx. hic habent, Κύριος. Onkelos & Jonathan יי. Quæ interpretationes Abenezræ sententiam planè convellunt. Hiero. *Cernens autem DOMINUS quod pergeret ad videndum vocavit eum de medio rubi.* ¶ *Mose, Mose*] de hac repetitione diximus in Abraham, Abraham. Vide notas nostras in Genesin. ¶ *Ecce me*] הִנֵּנִי Hiero. *adsum.* Lxx. τί ἐστι; *quid est?* Onkelos האנא, quod Jonathan contraxit in האנא. Id alii scriberent הנא. Nam הא ecce. ¶ *Huc*] ad rubum. ¶ *Ne appropinques*] ne propius accedas. ¶ *Exue calceos tuos*] vel, *extrahe.* Sic Aquila ἐκτίναξον. Hiero. *solve*, ut Lxx. λῦσαι. & in Actis λῦσον. Sequitur autem τὸ ὑπόδημα, quâ voce non tam calcei significantur, quam soleæ, quæ vinculis astringebantur: Unde & ὑποδήματα dicta. Sym. ὑπόλυσον. ¶ *Calceos tuos*] נְעָלֶיךָ Hiero. calceamentum. Jerosolymitanus סנדלך, sandalia tua. Onk. & Jon. סינך, quod reddi potest calceum tuum, & calceos tuos. Sic עבדך servus tuus & servi tui. Sic סנדלך sandalium tuum. Porro sandalii voce utuntur pro calceis. Sic etiam scriptores novi fœderis. Sed cur jubet exui calceos? An in signum reverentiæ, quæ loco illi sancto debebatur? Vide Jos. 5. 15. Quod observatum postea sacerdotibus, cum in sanctuario munus obirent. Autor Theodoretus. ¶ *Humus sancta*] vel, *terra sancta.* i. γῆ ἁγία. ità Hiero. & Lxx. Nam Deus præsentia sua eam sanctificaverat. Onkelos & Jonathan, *locus sanctus est.* In fonte ad verbum, *humus sanctitatis:* & est Ebraismus notus: et הוא pronomen masculinum, quia ad מקום locum refertur.

6. *Et dixit, Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Jsahac & Deus Jacob: & abscondit Moses faciem suam, quia timebat ne aspiceret ad Deum.*

7. *Dixitque DOMINUS, Videndo vidi vexationem populi mei qui in Ægypto, & clamorem eorum audivi ab exactoribus ejus, quia novi dolores ejus.*

Dixit] Hiero. in epist. ad Galatas, cap. 3. *In omni veteri Testamento, ubi angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, angelus quidem vere ex ministris pluribus quicunque sit visus, sed in illo mediator loquitur qui dicit; Ego sum Deus Abraham* &c. *Nec mirum si Deus loquatur in angelis, cum etiam per angelos, qui in hominibus sunt loquatur Deus in prophetis, dicente Haggeo, & ait angelus qui loquebatur in me: Ac deinceps inferente, Hæc dicit DOMINUS omnipotens. Neque enim Angelus, qui esse dictus fuerat in Propheta, ex sua persona audeat loqui, Hæc dicit DOMINUS omnipotens.* Hucusque Hiero. ¶ *Patris tui*] patrum tuorum. Act. 7. 33. ¶ *Abscondit*] Onk. & Jon. כסי quod Fagius reddit *abscondit:* alius, *inclinavit.* Ego, *avertit.* Sic alibi, כבוש פניך averte faciem tuam. ¶ *Ne aspiceret ad Deum*] vel, *ne intueretur in Deum.* In concione Stephani, ἔντρομος γενόμενος Μωσῆς οὐκ ἐτόλμα κατανοῆσαι: tremefactus Moses non audebat considerare. Credebant veteres, si Deum vidissent, se statim morituros. Onk. & Jon. *ne consideraret cum exiret gloria DOMINI.* ¶ *Videndo vidi*] Lxx. ἰδὼν εἶδον, videns vidi. Tremel. *probè vidi.* Alius, *vidi vidi.* Hiero. *vidi.* Onkelos & Jonathan, *planè patefacta est coram me vexatio* &c. ¶ *Vexationem*] afflictionem. ¶ *Clamorem eorum*] vociferationem eorum. Pro eo in actis est τοῦ στεναγμοῦ αὐτῶν. i. suspiria sive gemitum eorum. ¶ *Ab exactoribus ejus*] qui manat ab exactoribus ejus. Vult dicere, quem exactores & operum præfecti sævitiâ suâ ab illis extorquent. Santes, *propter exactores ejus.* Hiero. *propter duritiam eorum qui præsunt operibus.* Lxx. ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν, ab iis qui operas urgent. Onk. & Jon. *à conspectu eorum qui eos servire cogunt.* ¶ *Novi dolores ejus*] Nosse hic est curare, rationem habere; ut Psal. 8. *Quid homo ut cognoscas eum?* Sic alibi, *cognitor tuus.* i. *curator tuus.* Huc retulerim, *novit sperantes in se: justus novit faciem jumenti sui: Deus novit viam justorum.* Quod alter explicant, probat, approbat. Sed hæc inter se conjuncta sunt. Nam quæ Deus approbat, etiam curat. Onkelos & Jonathan, *patefacti sunt coram me dolores eorum.*

8. *Et descendi ut liberem eum è manu Ægyptiorum, & ut educam eum è terra illa in terram bonam & latam, in terram fluentem lacte ac melle, in locum Chananai, & Hethai & Amorrai, & Pherezai, & Hevai, & Jebusai.*

Descendi] è cœlo. Augustinus de civitate Dei lib. 16. cap. 5. *Descendere dicitur Deus, cum aliquid facit in terrâ, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo declarat, ostendit.* Eucherius de formulis spiri-

spiritualibus, *Descendere dicitur Deus in mundum, quando aliquid novum, quod antea non fuerat, in creatura humana operatur.* In notis Vatabli, *Deus descendere dicitur, quando exaudit nos, favet & auxiliatur nobis. Nam omne auxilium de cœlo est.* ¶ *E manu*] è potestate. ¶ *Educam*] ascendere faciam. Nam Judæa altior Ægypto. ¶ *E terrâ illa*] in qua nunc duram servitutem servit. ¶ *Bonam*] pinguem, opimam, fertilem. ¶ *Et latam*] Jonathan, *& latam terminis.* Hiero. *& spatiosam.* Lxx. καὶ πολλὴν i. multam. An legerunt רבה pro רחבה? ¶ *Fluentem lacte & melle*] ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι. Onk. & Jonathan, *facientem lac & mel.* Id exponunt, abundantem lacte ac melle. Ceterum terra non facit mel, sed apes: item pecudes lac suppeditant. Sic in Genesi terra dicitur facere manipulos, quos homines in eâ faciunt. ¶ *Fluentem*] manantem. hyperbola copiæ & abundantiæ. ¶ *In locum*] in regionem. ¶ *Chananæi*] Chananæorum & sic deinceps. Sex autem hoc loco tantùm gentes recenset, licet septem fuerint: quæ omnes sub generali nomine Chanaan interdum comprehenduntur. Nam ab eo ceteri prognati. Omisit autem Gergesæum: quod quare à Mose factum sit, fateor me ignorare. Abenezra, id fieri arbitratur, quia ea gens inter septem minima erat. (Alii dicunt quia non contenderunt bello cum Israelitis, sed ante adventum eorum sponte cesserunt.) Idem scribit Pherezæum Sidonem esse. Lxx. omnes septem recensent, hoc ordine, τῶν χαναναίων, καὶ χετταίων, καὶ ἀμορραίων, καὶ φερεζαίων, καὶ γεργεσαίων, καὶ εὐαίων, καὶ ἰεβουσαίων: Chananæorum & Chetthæorum, & Amorrhæorum, & Pherezæorum, & Gergezæorum & Evæorum & Jebusæorum.

9. *Et nunc ecce clamor filiorum Israel venit ad me, & etiam vidi oppressionem quâ Ægyptii opprimunt eos.*

Vidi oppressionem &c.] Lxx. ἑώρακα τὸν θλιμμὸν, ὃν οἱ Αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτούς: quod reddunt, *vidi tribulationem, quâ Ægyptii tribulant eos.* Hiero. *vidi afflictionem eorum quâ ab Ægyptiis opprimuntur.* In editionibus Chaldaicis est עקתא quod scribi posset עָקָה oppressio, & עוק oppressit, ἔθλιψε, afflixit.

10. *Et nunc veni, mittamque te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel ex Ægypto.*

11. *Dixitque Moses Deo, Quis ego ut eam ad Pharaonem & ut educam filios Israel ex Ægypto?*

Veni] age vel agedum. Sic, *venite, faciamus nobis lateres.* agitedum. Lxx. δεῦρο. Tremel. *adesdum.* ¶ *Ut educas*] והוצא & educ i. educes. Simile, *hoc fac & vive*: item, *ascende in montem & morere.* Sic in Latio, *Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.* pro eris, Eadem enallage in Chaldaico אפק quod in Onkelo & Jonatha. Lxx. καὶ ἐξάξεις, & educes. Sic etiam Santes. Nos Hiero. secuti sumus, qui vertit, *ut educas.* Tremel. *deinde educito.* ¶ *Populum meum filios Israel*] appositio, ut supra, *populus filii Israel*, quod ibi convertunt, *populus filiorum Israel.* Nostra interpretatio ex hoc loco robur accipit. Quis ego? τίς εἰμι ἐγὼ; quis sum ego? Lxx. Hiero. Sententia est, neque aptus sum qui mittar ad tantum regem, neque si aptus essem, possem ex Ægypto educere filios Israel. Ad eam legationem opus est aliquo qui me sit eloquentior & facundior.

12. *Et dixit, Quia ero tecum, & hoc tibi signum, quod ego miserim te, quum eduxeris populum meum ex Ægypto coletis Deum super montem istum.*

Quia ero tecum] Hiero. *ego ero tecum.* interpretatur אני pro כי. Forte כי redundat & otium agit. Onk. & Jon. *Quia sermo meus erit tibi auxilio.* Lxx. ὅτι ἔσομαι μετὰ σοῦ: Quidam, *fac*, aut, *scito* subaudiunt. Alii כי utique, certè, profectò reddunt. Ceterum respondet primum ad illud, Quis ego &c.? q. d. noli metuere Pharaonem, quia ego tibi adero. ¶ *Et hoc tibi signum*] Responsio est ad illud, *& ut educam filios Israel ex Ægypto.* q. d. de eventu non debes ambigere, non etiam de auxilio meo. Rubus qui nunc ardet nec comburitur, tibi signum erit, quod ego miserim te. Aut legationis tuæ signum erit vaticinium quod sequitur, *Quum eduxeris populum meum* &c. Simile apud Esaiam, *Et hoc tibi signum, Comedes anno hoc sponte natum* &c. Alia expositio, Hoc, videlicet quod tecum ero signum tibi erit, unde cognosces te à me missum esse. Ideò cum eduxeris populum meum, coletis eum super hunc montem. Quod erit argumentum grati animi, qui pios decet. Hanc sententiam illustrabit distinctio, si verba illa, *& hoc tibi signum erit, quod miserim te*, incluseris parenthesi. ¶ *Coletis Deum,*] vel, *servietis Deo*, λατρεύσατε τῷ Θεῷ. Malè Hiero. *immolabis.* In quo dupliciter peccatum. Primum enim verbum plurale sine ullâ necessitate reddit per singulare: deinde confundis עבד cum זבח, quod propriè sacrificare & immolare denotat. ¶ *Super montem istum*] juxta vel prope montem istum. Ità *super* accipitur in illo, *& super maria fundavit eam.* Sic Galli dicunt, *sur la mer*, pro secus, juxta, ad mare.

13. *Dixit Moses ad Deum, En ego venio ad filios Israel, & dicam illis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos: & dicent mihi, Quod nomen ejus? Quid dicam illis?*

14. *Et dixit Deus ad Mosem, Sum qui sum: & dixit, Sic dices filiis Israel, Sum misit me ad vos.*

15. *Dixitque amplius Deus ad Mosem, Sic dices ad filios Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham Deus Isahac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in ætatem ætatem.*

Venio] i. veniam. Simile, *quò ego eo, vos non potestis venire.* i. ibo, aut mox iturus sum. Hiero. hoc loco retulit, *vadam.* & Santes, *ibo.* Nam sic בא aliquando sumitur, etiam *venio* apud autores Latinos. Vide quæ in Genesin notavi. ¶ *Sum qui sum*] אהיה אשר אהיה Lxx. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, quod reddunt, *ego sum qui sum.* Sic etiam Hiero. Jonathan, *qui dixit & est mundus, dixit & sunt omnia.* Quibus verbis innuit Deum per se esse, cetera omnia ab eo habere suam essentiam. Unde propriè de Deo dicitur Sum. Nam is solus verè est, solus æternus est. Esse autem est æternum esse, ut vult Plato. Jerosolymitana, *qui dixit mundo, Esto, & fuit: & futurum est ut dicat ei, esto, & erit.* Santes, *Ero qui ero.* Trem. *Eheje, quia ero.* id est אהיה כי. Solet autem אשר & pro כי usurpari. Hiscuni, *Prius nomen est, & alterum explicatio nominis.* q. d. *Nomen meum est Eheje, propterea quod ero & manebo in secula seculorum absque fine & ero vobiscum* &c. Inter nomina Dei recensetur etiam a Hiero. אהיה. Quanquam in eo אהיה qui sum. Sunt autem tria quæ essentiam ejus declarant: quorum unum est decurtatum, ut videtur, ex tetragrammato יה quod reddunt *DOMINUS.* Secundum est nomen Jod, He, Vau, He: Quod Hiero. alibi scribit ex duobus יה compositum esse. Verius ut sit nomen ex tertiâ personâ futuri יהוה erit. Nam etiam יהו dicimus. Tertium Eheje, factum ex prima personâ illius temporis. In his tribus nominibus reperies omnes litteras quiescentes, quæ sunt numero quatuor: quarum tres, videlicet אהי ab Ebræis dicuntur matres lectionis. Nam olim cum apices abessent lectionem juvabant. Ceterum Deus appellatur ὁ ὤν tribus potissimùm de causis. Prima est quia per se est: secunda quia semper idem est: tertia quia æternus est. Videndi sunt Hiero. super epistolam ad Ephesios, cap. 3. Augustinus, *De eo quod dictum est à Deo ad Moysem, Ego sum qui sum.* Thomas part. 1. quæst. 2. art. 3. & alii orthodoxi patres. ¶ *Sum*] vel, Eheje. Quod Onkelos & Jerosolymitanus etiam habent. Sed in hoc scriptum אהיה, in illo autem, ut etiam in Ebræo אהיה. perinde est. LXX. ὁ ὤν, quod reddi potest, *qui sum.* Vulgò tamen interpretantur, *Qui est.* Sic etiam Hiero. autor editionis vulgaris. Jonathan, *ego sum qui sum & ero.* אֶהְיֶה propriè, *sum ego*, id est אני הוא. Quidam censent יהוה & היה unum & idem nomen esse. Utrumque certe æternam Dei essentiam notat, qui fuit, qui est, qui erit in omnem æternitatem. Quanquam ut esse Deum nemo infitiatur, ità fuisse aut futurum propriè loquendo nonulli negant. Quâ de re diximus alias. ¶ *Hoc est nomen meum*] Eheje i. ero sive sum. Hiscuni, *Eheje, est nomen meum in seculum. Sic enim scribimus nos nomen proprium per Jod, He, Vau, He: quia Deus benedictus vocat seipsum אהיה, & nos vocamus eum יהיה, quod idem est cum יהוה est. Nam Vau est loco Jod, quemadmodum הוה dicimus & היה pro eodem.* Id ideò factum putatur ut discrimen sit inter יהיה quod profanum est verbum, & יהוה nomen sacrosanctum, quod Samaritani olim legebant Jave. יַהְוֶה Jave, ut פִּסְגָּה Phasga. Sic יַמְנָה Jamne. Posset etiam legi יֶהֱוֶה Jeheve: & est nomen ex tertia futuri, ut יַעֲקֹב Jacob, יִצְחָק Isahac, יָרִיב Jarib. Græci legebant Ἰαὼ i. IAVO יהוה cametz per ω exprimentes. Ex hac consuetudine Josephus scripsit Ἀδάμ pro Adam, & Hiero. Attho, tu: lecho, tibi. Ità conjicio, puto autem conjecturam meam non omnino vanam esse. ¶ *In seculum*] Scriptum לְעֹלָם absque Vau: *quod absconderunt*, inquit R. Salomo, *ut ostenderent non esse legendum hoc nomen secundum scripturam suam.* Judicent eruditiores; mihi verum non videtur. ¶ *Memoriale meum*] τὸ μνημόσυνόν μου. ¶ *In ætatem ætatem*] in omnem ætatem. Desideratur autem copula, quam supplent plerique omnes interpretes, vertendo, *in ætatem & ætatem.* On. & Jon. *in omnem ætatem & ætatem.* Hiscuni, *Hoc est nomen meum*, videlicet אהיה vel יהוה: *& memoriale meum.* Deus patrum vestrorum: vel Adonai Deus, quæ est lectio nominis tetragrammati. Videnda Pauli Burgensis additio ad hoc caput, quæst. 12.

16. Va-

16. *Vade, & congrega senes Israel, & dic eis, DOMINUS Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Isaac, & Jacob: visitando visitavi vos, & id quod factum est vobis in Ægypto.*

17. *Et dixi, Educam vos ex afflictione Ægyptiorum, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorræi, & Pherezæi, & Hevæi & Jebusæi, ad terram fluentem lacte & melle.*

Vade] i, ito. ¶ *Congrega & dic*] Ebraicè, *congregabis & dices.* Sæpè ità futurum pro Imperativo ponitur. Hiero. *congrega & dices.* Sic Græci συνάγαγε, καὶ ἐρεῖς. ¶ *Senes Israel*] πρεσβύτας Ισραὴλ. A. Non est nomen ætatis hoc loco, sed honoris ac dignitatis. Unde non malè Lxx. τὴν γερουσίαν. i. senatum. On. & Jon. סבי. Tremel. *Seniores.* ¶ *Apparuit*] visus est, ὤφθη sive ὤφθη. ¶ *Deus Abraham*] Sic vocatur ob fœdus quod cum eo pepigerat. ¶ *Visitando visitavi vos*] Hiero. *visitans visitavi vos.* Lxx. ἐπισκοπῇ ἐπέσκεμμαι ὑμᾶς. Tremel. *omnino rationem habui vestri.* Onkelos & Jonathan, *recordando recordatus sum vestri.* ¶ *Visitavi*] respexi. Sic alibi, *visitavit nos germen ex alto.* Idem cognoscere: idem recordari aut meminisse. Notum illud, *Quid homo ut memor sis ejus, aut filius hominis ut visites eum?* alibi, *ut cognoscas eum.* ¶ *Et id quod factum est vobis*] & omnia quæ acciderunt vobis. Hiero. Idem de suo addit, *vidi*: Quod non habetur in Ebræo, nec apud alios interpretes. ¶ *Et dixi*] *Et dixi in sermone meo.* Jonathan. *Antea dixi patribus vestris.* Abenezra. *Dices eis me dixisse sive quod dixerim. i. decreverim.* Hiscuni. *Quapropter dixi.* Tremel. editio Gallica. ¶ *Educam*] ascendere faciam. Perperam in Tremel. *deducam.* Puto mendum esse typographiæ. ¶ *Afflictione*] vexatione, κακώσεως. ¶ *Chananæi, & Hethæi* &c.] *Chananæorum, Hethæorum* &c. Onkelos, Jonathan, alii.

18. *Et auscultabunt voci tuæ, & venies tu & senes Israel ad regem Ægypti, & dicetis ad eum, Dominus Deus Ebræorum occurrit nobis: & nunc eamus quæsumus viam trium dierum in desertum, & sacrificemus Domino Deo nostro.*

19. *Et ego novi quod non sinet vos rex Ægypti abire, & non in manu valida.*

20. *Et extendam manum meam & percutiam Ægyptum, omnibus mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio ejus: & postea dimittet vos.*

Auscultabunt voci tuæ] Auscultare propriè dicuntur qui auditis parent. Idem שמע quando cum ל aut ב construitur. Vide Abenezram. Hiero. *Et audient vocem tuam*: quod aliam sententiam continet. Itaque Santes emendavit, *& obedient voci tuæ.* ¶ *Venies*] ibis, accedes. ¶ *Ebræorum*] *Judæorum.* On. & Jon. Ceterum pro *venies* quod Onkelos interpretatur, Hiero. habet *ingredieris.* Sic etiam Onkelos & Jonathan. ¶ *Et dicetis*] Lxx. καὶ ἐρεῖς, ut Hiero. & *dices.* ¶ *Occurrit nobis*] vel, *obviam factus est nobis.* Hiero. *vocavit nos.* Sic Græci Lxx. προσκέκληται ἡμᾶς. Confundunt קרה occurrit, cum קרא vocavit. Onkelos & Jonathan איתקרי עלנא, quod non nemo interpretatur, *invocatus est super nos.* ego, *factus est nobis obviam.* Sic etiam Paulus Fagius. Vulgata versio latina occasionem dedit Thomæ disputandi hoc loco de duplici vocatione. Externa & Interna. *Interna*, inquit, *est quidem mentis instinctus, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum his quæ sunt fidei vel virtutis.* ¶ *Eamus*] abeamus, liceat nobis ire. ¶ *Quæsumus*] vel, *jam.* Sic Onkelos & Jonathan. *Nunc jam*, παραυτίκα ut *repentè subito.* ¶ *Viam trium dierum*] *Tantum intervallum inter montem Horeb, super quem Deo sacrificaverunt, & limites Ægypti veteris.* Abenezra. *trium dierum iter ab ingressu deserti sive solitudinis.* Alii quidam. ¶ *In desertum*] Ebraicè, εἰς τὴν ἔρημον, cum articulo. Significat autem desertum illud quod inter Ægyptum & Palæstinam sive terram Chanaan. Id ab aliis desertum Arabiæ vocatur, in quo mare sabulosum. ¶ *Et sacrificemus*] Hiero. *ut immolemus.* Sic Græci, ἵνα θύσωμεν. Parum refert hoc an illo modo legamus. Nam etiam Santes habet, *ut sacrificemus.* Notum (&) pro ἵνα usurpari. ¶ *Novi*] certe scio, compertum habeo. ¶ *Non sinet*] vel, *non permittet.* Sic Onkelos, Jonathan & R. Salomo. In Ebræo est ad verbum, *non dabit.* Non dabit abire, hoc est interprete Abenezra, יניח לא non sinet, vel רשות יתן לא non dabit licentiam abeundi. Dicimus etiam permittere licentiam, & concedere & largiri. ¶ *Et non in manu valida*] Sic est in Ebræo ad verbum. Sed variè redditur & exponitur. Hiero. *nisi per manum validam.* i. אם לא. Lxx. ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς nisi cum manu valida. Onkelos, *& non propterea quod robur ejus validum.* Sic interpretor ולא מן קדם דחילה תקיף. Alii aliter. Nam Fagius, *neque etiam propter præsentiam ejus cujus virtus fortissima est.* Interpres Complutensis, *nisi propter timorem fortem.* Nam דחילא timor. Jonathan, *& non quia robur ejus validum sed quia in sermone meo redarguere illum plagis malis.* Abenezra, *& non propter manum validam, hoc est potentiam quam obtinet.* Saadias, *& non cum manu valida primâ vice.* Hiscuni, *ne quidem manu valida hoc est novem plagis.* Santes, *nisi in manu forti.* Tremel. *ne quidem manu forti pressus.* Munsterus, *neque si viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, concedet vobis abitum.* R. Salomo, *& non propterea quod manus ejus valida.* Vatablus, *nisi manu forti coactus fuerit.* ¶ *Extendam*] Sic etiam Hiero. & Lxx. Nam ἐκτείνω extendo. Santes, *mittam.* Nam Ebraicè ושלחתי. *Mittere* pro extendere notum ex iis quæ in Genesin commentati sumus. Onkelos, *mittamque plagam potentiæ meæ.* Jonathan, *& retardabuntur sive moram trahent ibi donec misero plagam meam fortem.* Mittam *manum* i. plagam. Cave spernas. Prius tamen veriùs videtur, eique firmando sunt consequa verba. ¶ *Ægyptum*] id est Ægyptios. τοὺς αἰγυπτίους. Sic Onkelos, Jonathan, & Lxx. ¶ *In medio ejus*] בקרבו ἐν μέσῳ αὐτῶ. Quod ad Ægyptum referri non potest, cum nomen sit fœmininum. Est ergo constructio sensu congrua, non voce. Sed מצרים non tàm Ægyptum sig. quam ipsos Ægyptios. Ideò Hiero. ad sensum non malè vertit, *in medio eorum.*

21. *Et dabo gratiam populo huic in oculis Ægyptiorum, eritque cum abibitis non abibitis vacuè.*

22. *Sed postulabit unaquæque à vicinâ suâ & ab hospita domus suæ vasa argentea & vasa aurea & vestes, quæ imponetis filiis vestris & filiabus vestris: atque ità spoliabitis Ægyptum.*

Dabo gratiam populo huic] δώσω χάριν τῷ λαῷ τούτῳ i. חן העם הזה, ità Hiero. & Lxx. Nam in Ebræo, *populi hujus.* Sensus est, reddam hunc populum gratiosum, conciliabo ei gratiam & autoritatem apud Ægyptios. Posses reddere, *Ponam gratiam populi hujus.* Nam *dare* & *ponere* permutantur. Onkelos & Jonathan, *Dabo sive ponam populum istum in miserationes.* ¶ *Vacuè*] i. vacui, κενοί. Quod chaldaicè ריקנין. Sic in historia Ruth, *vacuè reduxit me DOMINUS* i. vacuam. Ebraicè utrobique est ריקם quasi adverbialiter. Nam quæ in A M desinunt, naturam habent adverbiorum. Talia sunt חנם gratis אמנם verè, revera. Sic in Latio, *palam, clanicam, tantisper*, donec &c. ¶ *Postulabit*] vel, *postulet.* Sed in Lxx αἰτήσει. Quidam, *petet commodato.* Sic Exod. 12. 36. וישאילום Hiero. *ut commodarent eis.* i. commodato darent. Sic לוה mutuum accipiens מלוה mutuum dans. Minus rectè Vatablus, *mutuabitur.* ¶ *Unaquæque*] vel, *quælibet.* Ad verbum. *Mulier.* Quod apud vetustos interpretes. ¶ *Ab hospita domus suæ*] ומגרת ביתה. Hiero. *ab hospita sua.* Lxx. καὶ συσκήνου αὐτῆς, à contubernaria sua. Lex. vet. *contubernarius* σύνοικος, σύσκηνος. In edit. Rom. *à contubernali suâ.* Augustinus in locut. *ab inquilina sua.* Idem ibid. *Græcus habet, à cohabitatrice sua, hoc est συσκήνου, quod latini aliqui interpretati sunt, a concellaria sua.* Et quæst. 39. *Mulier à vicina sua & concellaria, vel concellanea, si ità dicendum est, vel cohabitatrice sua.* Σύσκηνος sive ὁμόσκηνος, qui eodem tabernaculo utitur. Solet autem tabernaculum & pro domo usurpari. Ergo σύσκηνος idem cum σύνοικος, qui eàdem in domo nobiscum habitat. Munsterus, *à cohabitatrice domus suæ.* Onkelos, *ab hospita domus sua*, si modo אתותבת est hospita, ut Fagius interpretatur. Nam potius propinquam denotat. Eadem voce usus est Jonathan, qui de suo addit כותלה. parietis ejus domus q. d. quæ intra parietes domus moratur. Jerosolymitana מאכסניתה ab hospita sua. R. Salomo, *ab ea quæ commoratur cum ea in domo.* ¶ *Vasa*] supellectilia vel ornamenta, ut erant inaures, torques, ἐνώτια, lunulæ, armillæ &c. Videndus Abenezra. ¶ *Spoliabitis*] ita Hiero. Alius, *diripietis.* Lxx. σκυλεύσατε, Spoliate. Sic Libri veteres. In aliis est, συσκευάσετε, convasabitis, & in C. ἐπισυσκευάσατε, convasate. Schol. ἄλλος φησί, καὶ συνεπάγετε αὐτοῖς τὴν ἐν τοῖς σκεύεσιν αὐτῶν δύναμιν: & conjungite sive colligite vobis ipsis (lego αὐτοῖς) opes quæ sunt in vasis eorum. Sym. συλεύσετε. Est autem συλεύω, spolio, &c. Vide supra. Onkelos & Jonath. ותרוקנון exinanietis, evacuabitis. Abenezra, *Sunt qui dicunt patres nostros fures fuisse: Sed hi nonne vident mandatum fuisse à Deo supremo? cujus mandati caussam quærere non debemus. Nam Deus creavit omnia, & ipse dat opes cui vult, & adimit uni & dat alteri: Nec est malum hoc quia omnia ipsius sunt.* Ceterum Hiscuni arbitratur Israelitas hæc supellectilia dono accepisse ab Ægyptiis, *qui etiam* inquit, *vestes petierunt ad celebrandum festum. Nam diebus festis ac lætis homines induunt vestes cultiores & hone-*

honoratiores. Meminentes autem longe ante dictum fuisse Abrahamo, Et exibunt inde cum substantia multa.

AMAMA.

VErs. 2. Ebraice est מלאך יהוה Angelus Domini. At Vulg. vertit, Dominus. Fateor eum qui hic vocatur *Angelus DOMINI* postea vocari יהוה, Fateor libens hic denotari increatum illum Angelum, Angelum fœderis magnique consilii, Jesum Christum Deum benedictum in sæcula, tamen vocem מלאך non de nihilo hic additam, ac proinde a Vulg. omitti non debuisse contendo. Certe Onk. & LXX. eam otium agere non opinati sunt, dum ille מלאכא דיי, hi vero ἄγγελος Κυρίου reddiderunt.

18. Ebr. *Dominus Deus Ebræorum* נִקְרָה *obviam factus est nobis.* Vulg. *vocavit nos.*] קרה cum ה in Kal & Niphal *occurrere* significat, unde & illud cum apocope literæ ה Num. 23. 4 וַיִּקָּר *& occurrit* Deus ipsi Bileam. At Vulg. confudit illud cum קרא. Scio ordines istos crebrò inter se confundi & in iis קרא & קרה. Sed קרא sive קרה in Niphal nunquam significat *vocavit* active. Ideo Steuchus & Cajet. optime emendant, *occurrit nobis*, Abenezra quoque per נִקְרָא *occurrit* reddidit. Frustra ergo ex hoc loco Thomas de vocatione duplici interna & externa disserendi occasionem sumpsit. Nihil enim ejusmodi in fonte est.

19. Ebr. *Non permittet rex Ægypti vos abire* וְלֹא *& non in manu forti.* Vulg. *Nisi per manum validam.*] Ascribam verba Cl. Drusii præceptoris & decessoris nostri optime de nobis studiisque nostris meriti, quæ scripsit in Comm. ad loca diff. hujus libri, *Ego*, inquit ולא pro לא אם *nisi*, *non memini legere. Hoc primum; deinde non permisit eos abire per manum validam nisi coactus. Nam post ultimam plagam quum volens nolens dimisisset populum, coacto exercitu insecutus est eos ad mare rubrum usque, in quo periit. Malim igitur ne quidem, quod etiam dicunt* אף כי. Sed nonne exiit, inquies, Israel manu forti Dei eductus? Exiit, sed tamen non dimissus a Pharaone est i. licentiam abeundi Israel a Rege impetrare non potuit, etiam cum gravissimâ plaga Rex pressus esset. Invito enim eo egressus est. Hanc expositionem stabilit Onk. quem hic sic interpretatur Fagius, *neque etiam propter præsentiam ejus cujus virtus fortissima est.* Sic Trem. Munst. & Hisc.

GROTIUS.

2. QUod *rubus arderet, & non combureretur*] Imago populi Israëlitici.

4. *Vocavit eum de medio rubi*] Citantur versus ex Tragœdia Græca de Deo:

> *Οὐκ οἶδα δ' αὐτόν. ποτὲ μὲν εἰς πῦρ φαίνεται*
> *Ἄπλαστον ὁρμῇ.*
> [*Ignotus ille est: nunc ut implacabilis*
> *Apparet ignis*]

Tale visum videnti magnam gloriam portendere persuasio erat gentium eo tempore, ut hîc notat Josephus.

5. *Solve calceamentum*] Pythagoras imitatus apud Iamblichum de vita ejus c. XXIV. ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει [*liber à calceis fac sacra & adora*]. Marinus de Proclo: ὑπολυσάμενος αὐτόθι ἃ εἶχεν αὐτῷ ὑποδήματα ὁρώντων ἁπάντων τὴν θεὸν ἠσπάζετο [*ibidem solutis quæ habebat calceamentis ardentibus illic deam salutavit*]. Nudi pedes ad religionem pertinent. Persius de regibus Judæis.

Exercent ubi festa mero pede sabbata reges.

8. *In terram bonam & spatiosam*] Hecatæus de Judæis ait: τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται [*ter millies mille semijugera possident terræ optimæ ac fertilissimæ*].

15. *Hoc nomen mihi est in æternum*] *Erit.* Maimonides rectè. Nam in benedictionibus sacerdotalibus in Templo pronuntiatum fuit nomen illud יהוה, quod vim continet ejus quod præcessit, אהיה אשר [*qui est*], factum ad normam humanorum nominum quibus י præponi solet, & littera י media inter duo ה mutata in ו, ut sæpè, εὐφωνίας [*soni suavioris*] causa.

19. *Nisi per manum validam*] Sic & Græci, ἐὰν μή [*nisi*]. Et sensus id exigit, ut apparet infrà VI. I. Videtur ergo fuisse in Hebræo בלא [*nisi*], non ולא [*& non*] quod sensum faceret ab historia alienum. Manus autem valida intelligenda est occisio primogenitorum: ultio maxima, ἐκδίκησις μεγάλη, VII. 4.

Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis] Faciam eos gratiosos.

CARTWRIGHTUS.

VErs. 1. אחר המדבר *Post desertum*] Onk. לשפר בית רעיא מדברא *post pulchra seu amœna pascua deserti*: est autem frequens (inquit Fagius) in Hebraismo & Chaldaismo, ut pulchrum pro bono, & contra bonum pro pulchro accipiatur. R. Sal. ait Mosen ita fecisse, ne in alienis agris oves suas pasceret. LXX. ὑπὸ τὴν ἔρημον, *sub desertum*, in edit. Rom. Latinè vertitur *in desertum*; *quod potius est* ἐπὶ τὴν ἔρημον *vel* εἰς τὴν ἔρημον Vulg. *ad interiora deserti.*

Et venit ad montem Dei] Onk. & Ion. (*a*) *ad montem super quem revelata fuit gloriâ Dei.* Hic autem mons Horeb ita appellatur per anticipationem על שם העתיד ut loquitur R. Sal. h. e. (ut exponit Lyra) *ratione eventûs futuri, quòd ibi Deus daturus erat Legem.*

חֹרֵבָה *Ad Horeb*] Vox Horeb siccitatem denotat; atque à calore & siccitate mons iste sic dictus videtur, quòd (ut notat Aben Ezra) cum prope Ægyptum esset, nec nisi tridui itinere ab eâ distaret (cap. 5. 3) pluvia in eum non descendebat.

2. *Apparuit illi Angelus Domini*] Ex v. 6. Hunc angelum increatum fuisse (*b*) apparet. Et sic in Pirke, sive Capitulis R. Ebiezer cap. 40. dicitur, *Ibi autem revelatus est Sanctus benedictus) medio rubi, juxta illud, apparuit illi angelus Domini in flammâ ignis è medio rubi.*

בְּלַבַּת אֵשׁ *In flamma ignis*] LXX. ἐν πυρὶ φλογὸς, *in igne flammæ*, seu in igne flammanti, Act. 7. 30. ἐν φλογὶ πυρὸς, in flammâ ignis, istud ad Hebræum Textum propiùs accedit, atque ita etiam in multis codicibus versionem LXX. Interpretum habere, itaque legere Theodoretum testatur Nobilius. Onk. בשלהובית אשא *in flammâ ignis.* Atque ita Vulg. Aben Ezra ait nonnullos exponere כלב אש quod idem sonat, sibi autem potiùs sensum videri בלב אש *in medio ignis*, uti Ezek. 16. 30. מה אמלה לבתך *quàm imbecille est cor tuum?* Quod autem in isto Ezechielis loco Lamed sub se habet Chirek, hîc autem pathac, parùm referre existimat; ita enim לִבָּה & לַבָּה promiscuè usurpari observat. R. Sal. primò exponit בשלהבת אש *in flammâ ignis.* Deinde addit, לבו של אש *Corde ignis*, ac ista in Ezechiele verba ad expositionem istam confirmandam citat. At præterquam quod prior interpretatio plurium atque antiquissimorum Interpretum consensu, atque adeò Novi Testamenti authoritate comprobatur, mihi, ut לַבַּת pro לֵבַת usurpatur, duriusculum videtur.

מִתּוֹךְ הַסְּנֶה *è medio rubi*] Aben Ezra ait סנה *Seneh* esse מין קוץ יבש *speciem spinæ aridæ*, atque ita in linguâ Ismaeliticâ sive Arabicâ appellari, quin & inde montem dictum סיני *Sinai* בעבור הסנה *propter rubum*, hoc est, vel quòd rubi istic propè montem copiosè nascebantur, vel propter rubum istum, in quo angelus Domini apparuit. Hoc potiùs opinor, sibi voluit Aben Ezra. Ita apertè in Pirke Eliezer c. 41. *à die quo creati sunt cœli & terra, vocatum fuit nomen istius montis Choreb; Postquam autem apparuit Sanctus benedictus Mosi è medio rubi, nomine* סנה *Seneh* (i. rubi) *Choreb dictus est* סיני *Sinai. Unde verò probas, quod receperint in se Legem in monte Choreb? quia dicitur, Hodie stetisti coram Domino Deo tuo in Choreb.* Sic Vorstius interpretatur, malim verò, *Quo die stetisti*, &c. יום אשר עמדת *Deut.* 4. 10.

3. אָסֻרָה־נָּא *secedam nunc*] אסור מכאן להתקרב שם inquit R. Sal. i. e. *ab hoc loco, ut istuc appropinquem.* Aben Ezra notat verbum סור *Sur* constructum cum מן *Min* elongationem denotare; ut סורו ממני *discedite à me*; idem valet ac רחקו ממני, *procul à me abesse.* Sin autem sequatur præpositio אל *El*, contrariam significationem habere. Ut סורה אלי *appropinqua mihi.* q. d. סור ממקומך ובוא אלי *discede è loco tuo & ad me veni.* Vide Annotat. ad Gen. 19. 2.

אֶת־הַמַּרְאֶה הַגָּדֹל הַזֶּה *Visionem hanc magnam*] Japheth (referente Aben Ezra) non ineptè visionem hanc ita interpretatur, ut per ignem inimicus, per rubum Israel intelligatur.

5. *Exue calceos tuos*] Lyra ait antiquorum fuisse morem, ac præcipuè Hebræorum, ut non ingrederentur sancta loca calceati. Hoc à Saracenis observatum testatur. In Pirke Eliezer cap. 40. dicitur. *Dixit illi Sanctus benedictus, Moses, Moses, subsiste in gressu tuo, quia hic daturus sum legem prout dicitur, Ne appropinques huc, exue calceamentum tuum è pedibus tuis. Hinc dicunt, quicunque consistit in loco Sancto; illum oportet extrahere calceamentum è pedibus suis. Sic enim dixit Sanctus benedictus Mosi, exue, &c. Nam locus super quem stas, sanctus est.* Jon. *Nam locus super quem stas, locus sanctus est, & futurum est, ut super eum accipias legem, ut eam filios Israel edoceas.* At locus iste jam tum sanctus fuit, eò quòd Deus speciali modo se iste præsentem exhibuit.

7. ויאמר

(*a*) *LXX. Omisso nomine Dei* εἰς ὄρος χωρήβ. (*b*) *Vulg. apparuitque illi Dominus*

7. נֹגְשָׂיו מִפְּנֵי *Propter exactores ejus*] LXX ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν *propter exactores operum.* Vulg. *propter duritiam eorum, qui præsunt operibus.* Onk. מִן קֳדָם מְפַלְחֵיהוֹן *propter eos, qui ipsos servire faciunt;* qui ad servitutem exigendam ipsis sunt præfecti.

8. *Et descendi ut liberem eos,* &c.] Onk. *Et manifestavi me ipsum ut liberem eos.* In Perke Eliezer cap. 40. ita scriptum habetur, *Deseruit autem totum montem, & descendit in rubum, atque illic commoratus est, rubus verò affligit & tribulat vel pungit, & totus est ex spinis & tribulis. Cur autem habitabat in angustiâ & tribulatione? Quia videbat Israëlitas in magnâ afflictione, ipse quoque cum ipsis habitavit in afflictione. Hinc illud, In omni afflictione illorum erat ipsi afflictio.* Isa. 63. 9.

Fluentem melle & lacte.] Augustinus Quæst. in Exod. dubitat utrum hoc spiritualiter accipi debeat, an locutio ista ad laudem ubertatis & suavitatis referatur. Hanc posteriorem expositionem simplicem ac germanam esse haud dubium est.

Ad locum Canaanæorum, &c.] Lyra notat Girgasæos hic prætermitti, atque ita etiam alibi aliquoties, idque ex Hebræorum sententiâ, quòd filiis Israël non restiterunt sicut alii, sed ante eorum adventum recesserunt. Atque id quidem de Girgasæis tradit R. Sal. ad cap. 33. 2. & ad c. 34. 11. eáque de causâ eos prætermissos existimat. At nullo, quod sciam, Scripturæ fundamento istud nititur; imò Deut. 7. 1. Girgasæi inter eos quos Deus ante Israëlitas expulit, disertè recensentur. Melius igitur Aben Ezra, qui ideò nullam Girgasæorum mentionem factam putat, propterea quod inter septem istos populos minimi fuerunt. Quòd si quis quærat, quare cum sex illæ gentes ex Canaan ortæ sint, peculiaris mentio fiat Canaanæorum: respondet, totam terram dictam esse Canaan, ac istud nomen (Canaanæorum) esse generale, & reliquos populos sub se comprehendere. Istud sibi velle videtur. Ejus enim verba sunt subobscura, ac fortasse mutila. כי הוא השם הכלל שהוא מכן At etiamsi omnes septem populi dicti sint Canaanæi, uti tota regio dicta est Canaan, hic tamen, atque in aliis istiusmodi locis, Canaanæorum nomen (*a*) uni alicui ex istis populis tribuitur; alioqui non video quomodo septem gentes fuerint, prout disertè appellantur Deut. 7. 1. & Act. 13. 19. LXX hic, uti etiam alibi contra quàm in Hebræo textu legitur, habent καὶ Γεργεσαίων. Chaldæus, & Vulgatus Latinus Hebræo consentiunt.

11. מִי אָנֹכִי *quis sum ego,* &c.] מה אני חשוב לדבר עם המלכים *Quænam est mea dignitas, seu existimatio, ut cum regibus loquar?* Sic R. Sal.

Et educam filios Israël, &c.] R. Sal. porrò sic παραφράζει, *Quod si qua mea est dignitas, quid meruerunt filii Israël, ut in eorum gratiam miraculum fiat, & ego eos Ægypto educam?*

12. *Et dixit,* כִּי אֶהְיֶה עִמָּךְ *Nam ero tecum*] vel, *Certè ero tecum.* Onk. & Jon. ארי יהי מימרי בסעדך *Nam verbum meum erit tibi auxilio.* R. Sal. ait Deum ad priorem Mosis quæstionem respondere; cum Moses dixit, *Quis sum ego, ut ad Pharaonem eam?* respondet Deus, *Non tuâ potentiâ res fiet, sed meâ* לא משלך הוא כי אם משלי *Ego enim ero tecum, & hæc ipsa visio, quam vidisti in rubo, signum tibi erit, me te misisse, & potentem esse eripere; quemadmodum vidisti rubum legationem meam perficere, nec esse consumptum: sic tu legatus meus eris, nec ullo damno afficieris, & hoc tibi erit signum,* &c.

(*b*) *Cum eduxeris populum meum,* &c.] R. Sal. ait Deum hic ad posteriorem Mosis quæstionem respondere, Putat enim Mosen quæsivisse quid meriti essent Israëlitæ, ut eos ex Ægypto educeret, atque ad istam quæstionem, Deum hic respondere, magnum quiddam hac Israëlitarum ex Ægypto eductione se effecturum (דבר גדול יש לי על הוצאה) futurum siquidem, ut post tres menses super montem istum Legem acciperent. Addit autem R. Sal, & aliam expositionem, quæ ita habet. *Tecum enim ero, & hoc quod nimirùm in hac legatione tuâ prospere; signum tibi erit ad confirmandam aliam promissionem quam tibi facio, nempe cum eduxeris eos ex Ægypto, fore, ut colant me super hunc montem, quod scilicet ibi Legem accepturi sunt.* Et secundum hanc expositionem simile ait esse illud Isa. 37: 30. וזה לך האות אכול השנה ספיח וגו׳ h. e. ut ille exponit, cædes Senacherib significabit rem aliam à Deo promissam, nimirùm quòd cum terra vastata sit, & spoliata fructibus, ita benediceret germinibus sponte natis, ut esui sufficerent.

Servietis Deo super hunc montem] vel *juxta hunc montem. H.* תעבדון את האלהים על ההר הזה Jon. חלף דיהבתון קדם יי דתקבלון ית אורייתא על טורא הדין *Servietis, seu cultum exhibebitis coram Domino, eo quod accipietis Legem super montem istum.* Similiter exponit R. Sal. nempe ut cultus iste, de quo hic fit sermo, de Legis acceptione intelligatur, ut in annotatione præcedenti videre est. Malim verò cum Aben Ezra cultum hunc de sacrificiis Deo oblatis intelligere. Vide cap. 5: 3. & cap. 24: 4. 5. quæ loca ad hunc illustrandum (ut notat Aben Ezra) adprimè faciunt. Vulg. *Immolabis Deo super montem istum.* Non malè, nisi quod contra quàm in Hebræo, Chaldæo & Græco habetur, singulare ponit pro plurali, *immolabis* pro *immolabitis.* Etiamsi enim (ut notat Steuchus) verbum עבד *Abad* generale sit atque omnem divinum cultum denotet, hic tamen ad immolationem speciatim referendum videtur. Quapropter Amama in Censura sua hunc locum non immeritò intactum prætermisit.

14. אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ero qui ero*] *LXX.* ἐγώ εἰμι ὁ ὤν *ego sum qui sum.* Sic græca ista latine sunt reddita; atque ita habet vulgata versio. Malim autem Græca ista interpretari, (*c*) *Ego sum is, qui est.* Hebræa autem ad verbum sonant, *ero qui ero.* Onkelos Hebræa verba retinet, אהיה אשר אהיה At Jonathan παραφράζει, דין דאמר והוה עלמא אמר והוה כולא *Is qui dixit & fuit Mundus, dixit & fuit universum.* Simili modo Hierosolymitanus Paraphrastes, דין דאמר לעלמא הוי והוי, ועתיד למימר ליה הוי והוי, i. e. *Qui dixit mundo, esto, & fuit, & dicturus est ei, esto, & erit:* posterius illud והוי fortè debet esse ויהי Helvicus de Chald. Paraphras. c. 9. verba Hierosolymitani sic latinè vertit, *Hic qui dixit, æternus fuit, & est, & erit, ut de eo dicatur, fuit & est.* At procul dubio hic hallucinatus est vir alioquin doctissimus. Nam cum ex ipsis Paraphrastæ verbis Chaldaicè repræsentatis, tum ex Janathane, (quem cum Hierosolymitano plerunque convenire ipse observat Helvicus, ibid. Cap. 3.) apparet eum esse sensum, quem exposui. R. Salomon sic explicat, *Ero cum eis in hoc afflictione, qui ero cum eis in servitute alienorum regnorum.* Aben Ezra ait אשר אהיה *qui ero,* expositionem esse istius אהיה *ero,* Atque ita exponit Hiskuni, unus ex recentioribus Hebræorum Rabbinis, uti refert Fagius; nempe ut primum *Ehjeh* i. *ero* sit nomen Dei, alterum vero *asher ehjeh,* i. e. *qui ero,* sit ejus expositio. Q. d. nomen meum est, *Ero;* ratio, quia ero in secula seculorum absque fine. Burgensis ait Deum hisce verbis, *Ero qui ero,* non voluisse nomen aliquod suum exprimere, sed potius ostendisse interrogationem Mosis de nomine Dei non fuisse necessariam; ac sensum esse, Ero cum eis, qui ero tecum; Q. d. ego dixi tibi, quòd ero tecum (v. 12.) in hac liberatione; similiter dico quòd ero cum eis. Addit etiam antiquos Hebræorum hoc non de nomine aliquo divino exposuisse, sed dixisse Deum hic promisisse se futurum cum Israëlitis in hac tribulatione Ægyptiaca, ac in alia quandocunque contingeret. Atque in istum quidem modum (ut ostendimus) R. Sal. qui antiquiores sequi solet, exponit. At certè id quod proximè sequitur, *Et dixit, sic dices filiis Israël, Ehjeh misit me ad vos,* id, inquam, argumento est *Ehjeh* pro Dei nomine hic usurpari. Nec in adversum valet argumentum, quo utitur Burgensis, Deum alibi nusquam hoc nomine appellari: satis enim est, si vel semel sic appellatum constet; id autem ex verbis jam citatis est manifestum. Deinde nec illud prætermittendum, quod refert Amama, (*d*) esse qui putant *Ehjeh* esse nomen tetragrammaton (יהוה *Jehovah*) & quod Deus dixit de se in prima persona *Ehjeh* (i. e. (*e*) *ero* id homines de illo efferre in tertia, יהיה (*Jihjeh* i. *erit*) & mutato · in ו יהוה *Jehovah,* ut vulgò pronunciatur. In hanc sententiam citat Hiskuni sic scribentem הקבה קורא לעצמו אהיה ואנו קורין לו יהיה i. e. *Sanctus ille Benedictus seipsum vocat Ehjeh, & nos eum vocamus Jihjeh.* Nota אתבש in illa permutatione literarum, quæ dicitur *Ethbash* (h. e. quâ Aleph & Thau, Beth & Shin, & sic reliquæ invicem permutantur) esse יהיה *jihjeh,* i. *erit,* & אתבש esse אהיה *ehjeh,* i. *ero.* Addit insuper Hiskuni, Vau in יהוה (i. e. יהוה) poni pro Jod, ut in הוה pro היה quia minimum non convenit, ut dictio

(*a*) *Vide infra ad cap.* 13. 5.

(*b*) *Aben Ezra per signum cujus hic fit mentio, intelligit rubum ardentem minimèque consumptum, uti etiam primo exponit R. Sal. Quod autem sequitur,* cum eduxeris populum, &c. *ita interpretatur ut novam sententiam inchoet, ac rationem reddat, quare Deus eos ex Ægypto educeret. Hæc expositio textui maximè conformis videtur.*

(*c*) *Vide Apoc.* 1. 4. & 4. 8.

(*d*) *Amama in Antibarb.* (*e*) *Aben Ezra hic ad v.* 15. *similiter dicit,* אהיה & יהיה *eo tantùm differre, quod illud prima persona sit, seu Deum de seipso loquentem respiciat, hoc autem tertia persona sit, & ad homines de Deo loquentes respectum habeat.*

ctio significans essentiam sanctitatis (i. Dei sanctissimi) sit eadem cum dictionibus significantibus essentiam profanam, ideò mutatam esse ab aliis profanis vocibus, viz. migratione τῦ *Jod* in *Vau*. Manasses in Concil. quæst. in Exod. 3. ait *Ehjeh* denotare ipsam divinam existentiam, ac Deum non solùm Mosi nomen suum revelasse, verùm & certissimas rationes; ex quibus colligeretur, eum esse fontem omnium eorum, quæ existunt: id enim hoc vocabulum denotare, uti & tetragrammaton. (*a*) Maimonides ait *Ehjeh asher Ehjeh* tantundem esse ac *hannimza asher hahannimza*, i. e. Existens, qui est existens, h. e. Is qui necessariò existit. *Hoc enim* (inquit) *est quod probare & demonstrare debuit* (sc. Moses) *Deum esse ens necessario existens, neque unquam vel non fuisse, vel non futurum esse.*

אהיה שלחני אליכם *Ehjeh* (sive *ero*) *misit me ad vos*] Onkelos & Hierosolymitanus habent etiam אהיה *Ehjeh*: at Jonathan reddit, אנא הוא דהוינא ועתיד למהוי i. e, *Ego sum qui fui, & futurus sum.*

15 *Hoc est nomen meum* לְעֹלָם *in perpetuum.* R. Sal. notat vau in לעלם deesse; inde autem colligit sensum esse, העליכהו שלא יקרא ככתבו, nomen illud tetragrammaton (יהוה) esse occultandum (ita enim עלם significat occultari) nec legendum eo modo quo scribitur. Sic etiam Fagius refert nonnullos hic legere, *Hoc est nomen meum occultandum*, deducentes dictionem לעלם à verbo עלם quod occultare significat. *Quasi* (inquit) *innuatur hoc nomine Dei* יהוה tanta mysteria contineri, שאין לגלות אלא לאדם צנוע ומבין *id est, quæ non nisi homini probo, Cabalæque perito (ut Hebræi dicunt) sint revelanda.* Sed hæc sunt Cabbalistica, nec palato meo sapiunt. Qui hujusmodi argutiis (ne dicam ineptiis) delectatur, consulat Galatinum de Arcan. l. 2. cap. 4. quò etiam Fagius lectorem remittit. (*b*) Maimonides hîc interpretatur לעלם *mundum*, asserens Patriarchas tam propè appropinquasse ad Deum, ut in ipsis. Nomen ejus mundo notum factum fuerit. Et ad id confirmandum hunc locum adducit: unde meritò colligit Buxtorfius ad mentem Maimonidis verba Hebræa sic interpretanda, *hoc nomen meum ad Mundum.* Sed עלם *olam* (quod alicubi monet Aben Ezra) in scriptura non solet significare mundum, etiamsi apud Rabbinos frequentissimè in eo sensu usurpetur. Vide Annotat. ad Gen. 49. 26. Burgensis hic fuse tractat de nomine tetragrammato יהוה, ac inter alia monet esse nomen (*c*) non appellativum, sed proprium, quod nec plurale habeat, nec habere possit; ita enim formatum esse, ut pluralem ejus numerum fingere sit impossibile. Ridiculè hic se opponit Matthias Doring, asserens fingi posse tetragrammatones, sicut Simones: quasi scilicet Burgensis de hàc ipsâ voce *tetragrammaton* locutus fuisset, & non de nomine יהוה, quod tetragrammaton vocatur, eò quòd ex quatuor literis consistit. Sed in istiusmodi absurditates incidat necesse est, qui provinciam, ad quam minimè est idoneus, in se suscipere, & de rebus sibi prorsus incompertis & incognitis pronunciare audeat.

16. *Et congrega seniores Israel*] LXX τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, *senatum filiorum Israël.* Similiter R. Sal. exponit, המיוחדים לישיבה i. *eos, qui consessui* (seu consistorio) *peculiariter designati erant.* Et probat seniores simpliciter, seu omnes ætate provectiores non posse intelligi, quòd impossibile esset Mosen inter sexcenta virorum millia omnes istiusmodi seniores congregare. (*d*) *Bertramus* hinc colligit Hebræos in Ægypto politiam aliquam habuisse, quòd Moses, in Ægyptum profecturus mandatum à Domino habet, ut seniores adeat. Et notat Aben Ezram ad cap. 4. 29. Seniores interpretari eos, qui in consilium adhibiti fuerunt in ætate & ætate, id est (inquit) anterioribus seculis; malim, singulis ætatibus sive seculis. Verba Aben Ezræ sunt, הזקנים הם היועצים בכל דור ודור i. e. *Seniores sunt ii, qui in omni ætate & ætate* (*e*) *consiliarii fuerunt.*

18. נִקְרָה עָלֵינוּ *Occurrit nobis.*] LXX προσκέκληται ἡμᾶς, *vocavit nos.* Et sic Vulgatus. At aliud est קרא cum Aleph, aliud קרה cum He; illud enim vocare, hoc autem occurrere. Quamquam nec ipsum קרא cum Aleph (ut notat Amama) in Niphal vocare significat, sed vocari.

19. וְלֹא בְּיָד חֲזָקָה *Et non manu forti*] seu, *ne quidem manu forti.* LXX. ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς *nisi cum manu validâ.* Similiter Vulg. *nisi per manum validam*; Quasi in Hebræo esset אם לא *si non* i. e. nisi. *Ego verò* (inquit Drusius ab Amama citatus) ולא pro אם לא *nisi, non memini le*gere. *Malim igitur ne quidem, quod etiam dicunt*, [illegible] Onk. ולא מן קדם דחיליה תקיף, *nec* (*f*) *coram eo, cujus potentia est valida.* Fagius vertit, *neque etiam propter potentiam ejus, cujus virtus fortissima est.* Ex Hebræo autem vertit, *neque in manu validâ.* Refert Hiskuni commentatorem Hebræum non indoctè in hunc modum explicare; *Tametsi ego ostendero ei novem plagas* (quæ vocantur manus fortis) *adhuc tamen non permittet vos exire. Verum ubi extendero manum meam, & percussero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Atque hanc Onkeli sententiam fuisse putat Fagius; quanquam addat ejus verba aliter transferri posse, hoc modo, *Non dimittet vos rex Ægypti, propterea quod potentia ejus magna sit*, Atque in istam sententiam nonnullos Hebræorum Hebræa verba exponere testatur. Ita quidem R. Sal. refert (*g*) esse qui exponant, ולא בשביל שידו חזקה *& non* (idque non faciet, vos non dimittet) *propterea quod manus ejus est valida.* Ipse autem R. Sal. exponit, ולא אם לא אני מראה לו ידי החזקה *nisi ego ostendero ei manum meam validam.* Quod cum Græca, & Vulgatâ Latinâ interpretatione prorsus convenit. Alias quasdam Rabbinorum expositiones commemorat Manasses Ben Israel loco in margine citato, sed istiusmodi sunt, ut eas recensere pigeat. Mihi maximè arridet, ut ולא hic valeat *ne quidem*, quemadmodum etiam ipse Manasses interpretatur, utque sensus sit, Pharaonem nolle Israelitas dimittere, ne quidem manu validâ, i. e. idque etiamsi Deus validam manum suam in eum extenderit. Ita siquidem historia indicat Deum multas plagas Pharaoni inflixisse, cum tamen cor suum obdurasse, nec populum Israeliticum ante decimam plagam dimittere voluisse, cumque eos dimisisset, eum facti sui pœnituisse, eosque persecutum esse, ac in Ægyptum reducere studuisse. In hunc sensum intellexisse hunc locum videtur R. Saadia, qui (teste Aben Ezra) Sic explicat, ולא ביד חזקה כפעם אחת *Et non* (ne quidem) *manu validâ aliquamdiu.* Ad verbum, vice unâ, seu semel Sed non semel duntaxat, sed iterum iterumque, quàm sæpissimè, ne quidem ob validam Dei manum in ipsum exertam Israelem voluit Pharao dimittere.

22. *Et petet mulier* (seu *quæque* אשה) *à vicinâ suâ, &c.*] Aben Ezra ait, hic mulierum præsertim mentionem fieri, quod eæ præcipuè ornamentis & monilibus oblectari soleant. Simili de causâ ubi lex contra veneficos lata est, notat Hebræam vocem esse fœmininam, quòd mulieres potius quàm viri veneficiis sint deditæ.

וּמִגָּרַת בֵּיתָהּ *& ab ea quæ domi ipsius est peregrina*] Onk. ומקריבת ביתה *Et ab ea quæ domi suæ est propinqua.* Jon. ומן קריבת כותליה ביתה (*h*) *& ab ea quæ propinqua est parieti domus suæ.* At verba Hebræa non propinquam domui (eam enim anteà significavit vox משכנתה *à vicina sua*) sed peregrinantem, seu hospitantem in ipsa domo designant, ומאשה אשר גרה אתה בביתה h. e. *ab ea quæ in domo cum ipsa peregrinatur*, uti explicat R. Sal. LXX. καὶ συσκήνου αὐτῆς, *& contubernali suâ.* Augustinus quæst. in Exod. (uti notat Nobilius) vertit, *ab inquilinâ suâ*; atque addit, *Græcus habet à cohabitatrice suâ, hoc est* συσκήνου *quod Latini aliqui interpretati sunt, à concellariâ suâ.* Vulg. *& ab hospita suâ.*

Vasa argentea, &c. *& spoliabitis Ægyptios*] *Mandatum Dei est* (*i*) (inquit Augustinus) *de quo non judicandum, sed obtemperandum fuit, ille enim novit quàm justè mandaverit, ad servum autem pertinet obedienter facere quod mandavit.* In eundem etiam modum Aben Ezra; *sunt* (inquit) *qui dicunt patres nostros fuisse fures: At nonne isti vident divinum fuisse mandatum? nec quæri debet quare. Deus enim creavit omnia, & dat opes cui voluerit, auferet etiam huic, & dabit alteri, quod injustum non est, cum omnia ipsius sint.*

IDEM.

2. Angelus Domini, &c.] Masii verba ad Jos. 5. 13. 14. non indigna sunt, quæ hîc adscribam. *Deum ipsum fuisse, non angelum quempiam ministrum; qui suam in rubo præsentiam declarabat, Moses quoque attestatus est* (*k*) *cum habitatoris rubi favorem Josepho precaretur.*

18. נִקְרָה עָלֵינוּ *occurrit nobis*] קרה est *occurrere*: Ita hic expo-

(*a*) *Maimon. More Neb. part. 1. cap. 62.*
(*b*) *More Neb. part. 3. cap. 5.*
(*c*) *Similiter ad hunc locum Aben Ezra, qui tamen ad cap. 6. 3. ait* יהוה *interdum esse nomen proprium, interdum nomen Toar, seu appellativum, quod quid sibi velit, haud assequor.* (*d*) Bertram. de Repub. Judaic. c. 5. (*e*) Seu Senatores βουλευταί.

(*f*) *Vel* propter eum. (*g*) *Ita exponit Aben Ezra, itáque Onkelum intelligit Manasses Concil. in Exod. qu. 4. In Complutensi editione (ut refert Fagius) Onkeli verba redduntur, nisi propter timorem fortem. Quasi* דחיליה *esset à* דחילו *timor, cum potius sit à* חיל *robur, potentia,* ד *autem idem valeat quod Hebræis* אשר.
(*h*) *Videtur legendum* דביתה
(*i*) *August. Quæst. super Exod.* (*k*) *Deut. 33. 16.*

exponit. R. Sal: לשון מקרה Onk. אתקרי עלנא, Fagius vertit, *occurrit nobis*; at vertendum potius videtur, *vocatur super nos*, cum אתקרי sit à קרא *vocare*. LXX. προσκέκληται ἡμᾶς, *vocavit nos*. & sic Vulg. unde Lud. Cappellus in Crit. S. vult Interpretes hosce legisse יקרא, sed id futurum est, *vocabit*, non præteritum, *vocavit*, quanquam dici potest, temporis enallagen apud Hebræos non adeò esse inusitatam.

IDEM.

12. *ET hoc tibi erit signum*, &c.] Post alias expositiones hanc affert, signo hic memorato intelligi id, quod Moses dixit v. 11. *Quis sum ego*, &c. Hoc enim ipsum, quòd Moses adeò erat contemptibilis, signum fore eum à Deo missum fuisse. Cum enim Pharaoh & Ægyptii viderent senem, nihil nisi baculum manu tenentem, adeò fortiter se gerere, ac miracula facere, agnituros fuisse, Deum ipsum misisse, ac Dei virtute omnia ab ipso dicta factaque esse: quin & inde etiam futurum, ut Israelitæ ex Ægypto educti, unà cum Mose Deum debito honore ac cultu ad montem istum prosequerentur, quòd nimirum planum apertumque esset, non nisi à Deo fuisse, ut tot tantique à Mose fierent.

14. אהיה וגו׳ *Sum*, &c.] Refert in Midras sic exponi, אני שהיתי ועכשיו אני הוא ואני הוא לעתיד לבא לכן כתוב כאן אהיה שלשה פעמים *Ego qui fui, etiam nunc sum*, (c) *& futurus sum: ideo Ehieh (sum) ter scribitur*. Maimonidem verò sic interpretari ait, מציאותי והויתי הוא בעצמי לא מסבה אחרת *Existentia & essentia mea est à me ipso, non à causâ aliâ*. Ipse autem sic exponi posse dicit; q. d. *Quid ad illos attinet de nomine meo interrogare? Deus est id quod est: ipsorum non est de occultis esse sollicitos: sed sic ad eos loqueris, Is qui de se dixit, sum, qui nempe est Ens absconditum, cujus quidditas comprehendi nequit*, (שלא יוכל להשיג) *is me misit ad vos: & hoc duntaxat est, quod oportet eos scire, quod ego sum Deus patrum ipsorum*, &c.

19. ולא ביד חזקה *Et non manu forti.*] Hoc ita exponit, *Et novi quod non exibunt manu forti, nempe ipsorum Israelitarum*, q. d. *Nec sponte suâ eos Pharaoh dimittet, nec suis ipsi viribus abire poterunt: sed ego manum meam extendam*, &c. Sed Israelitas suis ipsorum viribus non potuisse abire adeò Mosi notum erat, ut Deum id ei narrare voluisse minùs verisimile videatur.

(c) *Vide Apoc.* 1.4.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

2. *QUid est hoc*] Est hîc מזה idem quod מה זה, *Quid hoc in manu tua?*

6. *Leprosa*] Onkelos vertit חורא, *alba quasi nix*. Est enim quædam species candidæ lepræ.

7. *Reversa est sicut caro ejus*] Sensus est, Reversa est in formam reliquæ carnis.

10. *Ore grave*] Heb. *Quoniam gravis ore & gravis linguâ ego sum*. Est enim hic status regiminis, cùm in כבד mutata sint puncta. Onkelos sic vertit, *Habeo enim difficilem loquelam & profundam linguam*.

13. *Mitte nunc per manum*] Gerundensis sic interpretatur, *Mitte per manum illius quem soles mittere; vel, per manum alterius, quemcunque volueris mittere, qui ad hoc munus magis idoneus sit quàm ego. Deficit autem hic relativum אשר, cum hæc integra sit litera*, ביד אשר תשלח.

14. *Levitem*] Additur nomen cognationis, quòd alii quoque in populo essent qui *Aharon* vocabantur.

16. *Quasi os*] Capitur hîc פה pro מליץ, *interprete*; & *deus*, pro שר, *principe*, vel רב, *duce*.

18. *Jether*] Habet socer Mosi multa nomina. Vocatur *Rehuel, Jithro, Jether, Cinæus, Hobab*, &c. Quanquam quidam putent *Rehuel* esse nomen patris ejus.

20. *Virgam Dei*] Vocatur hæc virga *virga Dei* propter prodigium per eam Dei virtute factum.

21. *Prodigia*] Est מופת ferè idem quod אות, nisi quòd אות latiùs sese extendit quàm מופת. Dicimus enim אות ברית, *signum fœderis*; אות דגל *signum vexilli*: sed מופת tantùm se extendit ad *portentum* & *prodigium*, quod non fit virtute תולדה *naturæ*. Radix ejus est יפת, sed quæ non est in usu. ¶ *Ego tenebo cor illius*] Potest etiam sic verti, *ego indurabo*, seu, ut Onkelos vertit, *ego fortificabo cor illius*. Nam utrumque significat חזק, & *tenere* & *fortificare*. Quod verò paulò post verti, *Ego quidem dixi tibi ut dimitteres filium meum, & renuisti*] Hebraismum reddidi ut ille habet, non ignorans quòd Rabbini sic exponunt. *Ego dico tibi, ut dimittas filium meum: & si nolueris, occidam primogenitum tuum.*

24. *Quæreret occidere eum*] R. Abraham Sepharadi dicit hîc sic, *Volebat eum occidere, quod parùm sollicitus esset in commisso negotio, ducendo secum uxorem & filios, qui illi esse poterant עכוב, i. impedimento. Reliquit igitur illos in hospitio: & tulit uxor ejus petram, Mose absente, sed jussa ab eo, & ut potuit abscidit præputium Eliezer filii sui.* (Utuntur tamen hodie Judæi in circumcisione novaculâ acutâ.) *Deinde dixit ad filium circumcisum, applaudens ei, & complexans eum materno more, Tu mihi es sponsus sanguinis.* Kimhi verò aliter tractat hunc locum; & nescio si in omnibus illi sit subscribendum: *Voluit*, inquit, *Angelus Mosen occidere eo quòd non circumcidisset filium suum: unde jussit ut uxor circumcideret illum. Ipse enim non potuit ob ægritudinem quâ premebatur. At illa ablatum præputium applicuit pedibus Mosi, perinde quasi diceret, Si ob hanc causam infirmatus es, en remedium, nempe sanguis circumcisionis: & jam mihi ob hanc circumcisionem quasi novus factus es sponsus, quem Angelus Domini per mortem mihi fere subtraxerat. Et mox, ut sanguis circumcisionis contigit pedes ejus, dimissus est ab infirmitate.* Alii verò referunt verbum וירף ad Angelum Domini. Porrò radix verbi est רפה, *dimisit*, *dissolutus est*, &c. Rescindimus hîc varias opiniones Hebræorum, quas Sapiens R. Abraham commemorat. Omittimus & opinionem illam stultam quam in Medras רבות commemorant, ubi scribunt Satan occurrisse Mosi in specie serpentis, &c.

FAGIUS.

6. *CAndida erat*, &c.] i. *leprosa erat*, ut habet etiam veritas Hebraica.

7. *Reversa est ut caro ejus.*] i. reversa est in formam reliquæ carnis.

8. *Ad vocem signi prioris*] i. Si non paruerint verbis tuis, si non crediderint verbis tuis quæ confirmaveris priore miraculo, certè credent quum posteriore miraculo illis fidem feceris.

10. *Non vir sermonis ego sum*] Idiotismus est, pro, Non sum eloquens, facundus & disertus, quales oportet esse eos qui verba apud Principes facturi sunt. ¶ *Ab heri & nudius tertius*] i. Hactenus non fui eloquens. Hebraismus est. ¶ *Gravis loquela, profundaque lingua*] i. Tardus sum ad loquendum, & linguâ impeditâ.

13. *Mitte per manum illius*; &c.] i. Mitte quemcunque volueris, modò me non mittas, minùs idoneum ad hoc munus, q. d. Mitte aliquem qui sit politæ linguæ, quique dignus & idoneus est ad subeundam istam functionem. Nemo siquidem in mundo est qui non sit me magis idoneus ad istud munus. Ad hunc modum Nehemanides hunc explicat locum. Idem quoque hæc verba summâ animi humilitate à Mose prolata fuisse sentit, quâ virtute cunctis mortalibus illum præstitisse Divinæ quoque de illo testantur literæ, Num. 12. 3. והאיש משה ענו מאד מכל האדם אשר על פני האדמה, *Et vir Moses humilis*, sive *mansuetus*, *valde erat*, *magis quàm omnis homo qui in terra est*. Alii putant Mosen isto sermone respexisse ad Aharonem fratrem, quem voluerit suo loco mitti, quòd ille hactenus propheticam egisset in Israel, q. d. Mitte obsecro, Domine, cum quo hactenus Propheta in populo tuo usus es, nempe Aharonem fratrem meum, qui me est longè magis idoneus ad hanc rem. Et in confirmationem istius sententiæ adducunt ex Ezechiele, quòd Deus prophetam in Israel miserit antequam veniret Moses; quod de Aharone dictum volunt: item illud quod Dominus ad Aharonem dicebat, v. 27. *Vade obviam Mosi in desertum*, &c. Alii sentiunt eum respexisse ad Jehosuam: quasi voluerit dicere. Quandoquidem scio me populum non introducturum in terram promissam, sed alium, nempe Jehosuam, ad hoc destinatum esse, hunc obsecro illum, non me mittas. Nostri commentatores secuti translationem Vulg. editionis, præsentem locum ita intelligunt quasi Moses respexerit ad promissum Messiam, quem suo loco mitti à Deo cupiverit, q. d. Quandoquidem (quod scio Domine) missurus es quem promisisti, benedictum scilicet Semen, jam eundem mitte; in illius manu rem perfice, is idoneus & satis potens erit. Tametsi hæc interpretatio alicui fortè non satis firma esse videtur contra Judæos, maximè cum in eam non videatur inclinare paraphrasis Chaldaica, quæ non facilè supprimit ubi de Christo sermo est, tamen mihi pia Christianisque hominibus digna esse videtur. Videmus enim veteres illos Patres in gravioribus illis causis & negotiis semper ad Chri-

quod familiares sunt ἀποστροφαὶ in Divinis literis ut nunc à Dei persona ad Angelum desiliat oratio, * & è contra. Simili modo infrà, nunc Dominus ipse Deus, nunc Angelus populum suum præcedere dicitur: hoc & Aben Ezra in præsenti loco observavit. Secundò, variatio est ibi, ויבקש המיתו *& quæsivit occidere eum*, quod alii ad *Mosen*, alii verò ad puerum suum *Eleazarum* referunt, quem Deus occidere voluerit eò quòd non esset circumcisus. Tertiò, variant in illo ותגע לרגליו *& applicuit ad pedes suos*, scilicet vel Mosis, vel Angeli, vel pueri. Quartò, varietas est ותאמר כי חתן דמים אתה לי, *& dixit quia sponsus sanguinum tu es mihi*. Aliis videlicet ad *Mosen*, aliis ad *puerum* à Zippora hæc dicta referentibus, sicut & illud quod mox sequitur, *& cessavit ab eo* וירף ממנו (vel Mose, vel puero scilicet) morbus, vel Angelus. Jam quo sensu Hebræi hunc locum explicent, obiter indicabo. Quidam indignum putant dicere quòd Dominus Mosen occidere voluerit, quem in ducem & liberatorem populi sui elegerat. Unde quæ hic dicuntur, *Et occurrit ei Dominus & quæsivit occidere eum*, &c. de puero ipsius Eleazaro dicta esse volunt. Alii verò ad ipsum *Mosen* referunt, eò quòd moram traheret in itinere, quam sibi uxorem injicere sustineret, quodque filii indulgens filium non circumcidisset. Tametsi Hebræi impeditæ neglectæque circumcisionis hanc potissimùm assignant causam, quòd Moses timuerit nè fortè puer ob iter ex circumcisione periclitaretur: Cabalam enim apud eos fuisse tradunt, nè quis cum puero iter faciens atque legatione fungens puerum circumcideret. Sed placet ordine referre Hebræorum in præsentem locum expositionem. *Et factum est in itinere, in diversorio*, &c. h. e. Accidit cùm moram traheret in itinere atque in ipso diversorio, ob * continuam videlicit uxoris & liberorum, *& occurrit ei Dominus, ac quæsivit eum occidere*, h. e. subitaneo, insperato gravissimóque morbo, quo ad mortem usque periclitaretur, corripuit eum; quod cùm primùm animadvertit Zippora hoc malum hinc esse quòd infantem circumcidi non sustinuisset, mox arrepto acutissimo saxo præputium pueri sui resecavit. Quòd videlicet Moses ob membrorum tremorem qui eum ex gravi morbo invaserat, officium circumcisionis in filio suo præstare minùs posset, resectum verò præputium mox pedibus mariti applicuit, dicens, Si hinc morbus ille lethalis te corripuit quòd filium non circumcidisti, sit remedium sanguinum, scilicet circumcisionis; quo facto subitò reliquit eum morbus, & ab hoc eventu vocavit eum *sponsum sanguinis*, quòd sanguine circumcisi filii illum redemisset, atque in vita conservasset. Alii verò volunt quòd amputatam cuticulam ad Angeli pedes devolverit, quo conspecto desisteret à necando marito, sicut & infrà cap. 12. Angelus devastator ab occidendis Hebræorum primogenitis sibi cavisse commemoratur, quòd in postibus & superliminari ædium illorum sanguinem respersum aspiceret. Nec desunt qui resectum præputium ad infantis pedes projectum sentiunt, ad quem etiam sequentia verba referunt, *Quoniam sponsus sanguinis tu es mihi*, quasi his verbis Zippora filiolo jam circumciso applauserit, ac complexans eum dixerit, *Tu mihi es sponsus sanguinum*. Scribit enim Aben Ezra matres pueros circumcisos *sponsos sanguinum* vocare solitas. Quòd si te delectat audire quo modo R. D. Kimhi hunc locum in Radicibus suis ad verbum explicat, sic accipe ejus verba, נראה מסברא כי כמו שהיו קוראים לאיש ביום חופתו חתן כך היו קוראים לתינוק ביום המילה חתן כי קצת מלת חתן והוא ענין התחתנות בשמחה וכמו שמתחדש השמחה ביום החופה כן מתחדש השמחה ביום המילה ופירוש כי חתן דמים אתה לי אמר בתחלה ויהי בדרך במלון ויבקש המיתו כלומר שבקש המלאך להמית את משה מפני שלא מל אליעזר בנו והרגיש משה כי בעבור המילה היה הדבר הזה את צפורה לפי שהוא כי הוא לא היה יכול מפני החולי שהיה כבד עליו ותקח צפורה צר ותכרות את ערלת בנה ותגע לרגליו פירוש לרגלי משה כלומר את מפני הקטנה הזה נתרפא משה מן החולי ותאמר כי חתן דמים אתה לי כלומר נעשית לי היום חתן לדמים להודיעו בקלי כשהגיעו עם המילה לרגלי משה שלח החולי ממנו אז הכירה ואמרה חתן דמים למולות כלומר אתה שקראתיך חתן דמים אתן חתן לדמי ובריתו ער לדמי המולות, Versionem in præcedentibus vide. Cæterùm juxta literam & historiam is videtur esse hujus loci sensus germanus, Irascitur Dominus Mosi quòd filium ex gentili uxore susceptum in illius gratiam non circumcidisset, dein, quòd uxori & puero nimiùm indulgendo in itinere, quod ex jussu Domini susceperat, atque adeò in ipso diversorio, moras traxit, haud strenuè injunctum sibi à Domino officium exsequendo? Hinc tantopere Dominus illi indignatur ut eum è medio tollere cogitet. Quod ubi intellexit uxor ejus Zippora; mox accepto saxo præputium filioli amputavit; non ignara indè malum illud impendere, quod etiam resectum statim ad pedes mariti advolvit, dicens, *Quoniam sponsus sanguinum tu es mihi*, q. d. sanguine te redimere & retinere cogor, nempe sanguine filioli mei, quem nisi circumcidissem & sanguinem ejus fudissem actum erat de salute tua, atque jam mihi ereptus esses. Quo facto illico mortis periculo, quod illi Dominus intentabat, liberatus fuit. Alii hæc, *quoniam sponsus sanguinum mihi es*, sic enodant, Video me multa tecum passuram, intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occasionem fore. Non dubitemus Dominum isto facto declarare voluisse, ut nullis amicis utcunque nobis charis sic indulgeamus ut ipsorum gratià ejus jussa intermittamus, ac prorsus negligamus; quin potiùs strenuè à Deo nobis commissa exsequamur. Dein, quàm iniquè ferat moram, ignaviam, negligentiam, in rebus suis, maximè autem in illis qui aliis ad regundum præpositi sunt, ut tum erat Moses, dux & liberator populi Israelitici à Domino electus & constitutus. Nam cùm omnis mora & ignavia periculosa est, periculosissima est quam in rebus Divinis nectimus.

VATABLUS.

1. Ecce, והן] Ad verb. *Et ecce*. Redundat ו.
3. *Et fugit*, וינס] perterritus scilicet.
5. *Ut credant*. למען יאמינו] Nonnulla subaudiri debent, cujusmodi, *Istud facies coram filiis Israel*: vel, *Hoc tibi præcepi facere*: vel, *Hoc feci coram te*, ut, &c. Aut refertur ad illud, *Projice in terram*, &c.
6. *Leprosa erat*, &c. מצרעת כשלג] i. præ lepra erat alba velut nix; hoc enim refertur ad candorem. Chald. paraph. *erat alba sicut nix*: præ lepra scilicet.
7. *Reversa erat sicut caro ejus*: שבה כבשרו] i. recuperavit colorem pristinum reliquæ carnis.
8. *Nec obedierint*, &c. ולא ישמעו וגו'] Prosopopœia est; loquitur enim nobis Deus per miracula, i. si non paruerint verbis tuis, neque crediderint sermonibus quos confirmaveris priore miraculo, certè credent quum posteriore miraculo illis fidem feceris.
* 10. *Non sum vir verborum*, לא איש דברים אנכי] Hebraismus, Non sum eloquens, facundus & disertus, quales oportet eos esse qui verba apud principes facturi sunt. ¶ *Etiam ab heri*, &c. גם מתמול וגו'] *neque à die externa, neque à die abhinc tertia, neque ex quo cœpisti alloqui servum tuum*. Hebraismus, *Nunquam fui eloquens*. Hunc esse hujus loci sensum, docent consequentia verba, & sequens versus. Quidam annotant ex Josepho, Mosen fuisse eloquentem, & propterea videri alium esse sensum, nempe, Ecce ego ab hoc tempore quo tecum cœpi loqui, sic stupui ut jam planè loqui nihil sciam. Quò magis mens humana in Deum elevatur, hoc magis homo extra se rapitur; stupet caro ad Dei eloquium: vehemens enim est & efficax sermo Domini. Rugiente leone, homo timet; ad vocem Dei quis non obstupescet? Amos 3. 8. ¶ *Gravis ore*, &c. כבד פה וגו', Hebraismus, Tardus sum ad loquendum, & linguæ impeditæ, ut loquente me, non possint intelligere quid dicam. De *gravi lingua* habes Ezech. 3. 5, 6. ubi sic loquitur Dominus, *Non ad populos multos profundi labii, & gravis linguæ mitteris, quorum non intelligas verba*.
11. *Quis posuit*, &c. מי שם פה לאדם] i. Quis donavit hominem facultate loquendi? *Ponere* pro *dare*, frequens Hebræis. ¶ *Ponit*, ישום] Fut. Heb. pro præs. Quidam vertunt, *quis ponet*, i. quis reddere potest mutum, &c.
12. *Ero cum ore tuo*: אהיה עם פיך] Hebraismus, Reddam te facundum ac disertum. Mox seipsum exponit.
13. *Mitte quæso*, &c. שלח נא וגו'] q. d. Mitte quemcunque volueris, modò nè me mittas minùs idoneum ad hoc munus. Quidam intelligunt de Aarone fratre. Lxx verterunt, *Elige potentem alium quem mittas*. Alii præsentem locum ità intelligunt quasi Moses respexerit ad promissum Messiam quem suo loco mitti à Deo cupiverit, q. d. Quandoquidem (quod scio, Domine) missurus es quem promisisti (benedictum scilicet semen) jam eundem mitte: in illius manu rem perfice: is idoneus & satis potens erit. Videmus enim veteres illos Patres in gravioribus illis causis & negotiis semper ad Christum promissum respexisse, ut Jacob Patriarcha vaticinans de salute posteris suis per Christum conferenda, erumpit tandem in istam plenam gaudii & consolationis de Christo vocem; *Salutare tuum exspecto, Domine*. Ità & Moses videns adesse tempus liberationis Ægyptiacæ, non sine magno gaudio illi in mentem venit, adesse tempus veri Liberatoris Christi: ideóque ut ille mitteretur, maximo desiderio à Domino postulavit, dicens, *Mitte, in manu* [sive *per manum*] *illius quem tandem mittes*, q. d. Mitte obsecro eum quem promisisti, & quem tandem etiam missurus es, & illius operà hanc magnam rem perfice.
14. *Nonne Aharon fratrem tuum*, &c. הלא אהרן אחיך וגו'] *Nónne Aharon frater tuus Levita, scio quod loquendo loquetur ipse?* q. d.

Sciò

Scio necesse esse ut utaris operâ Aharonis fratris tui, illéque pro te loquatur, quum sis impedito ore. Mira elegantia Hebraici sermonis, quo exemplar iratorum & concitatorum pulchrè exprimitur: sic enim commoti loqui solent, verbum scilicet quod præcedere debebat, postponendo. Quidam hic, *Loquendo loqui*, pro *vehementer disertum & eloquentem esse* exponunt.

15. *Et pones verba in ore ejus*, ושמת את הדברים בפיו] Hebraismus, pro, Omne negotium ei mandabis. ¶ *Ero cum ore tuo*, אהיה עם פיך] Vide suprà v. 12.

16. *Erit tibi pro ore*, יהיה לך לפה] Hebraismus, Erit tibi vice interpretis: tu verò narrabis ei quæ ego dixero tibi, & te consulet tanquam me.

18. *Eam quæso*, אלכה נא] i. Liceat mihi per te ire & reverti ad, &c. ¶ *Vade in pace.* לך לשלום] Perinde hoc valet acsi dicas, *Vade sanus*, ut LXX verterunt, βάδιζε ὑγιαίνων. Gallicè dicimus, *Va en bonne santé.*

19. *Dixerat enim*, ויאמר] *Jam verò dixerat.* ¶ *Qui quærebant animam tuam.* המבקשים את נפשך] Hebraismus, Qui insidiabantur animæ tuæ, & volebant te perdere.

20. *Et imposuit eos asino:* וירכבם על החמר] Ad verb. *& equitare fecit eos super asinum.*

21. *Quæ posui in manu tua*, אשר שמתי בידך] i. quæ posui in facultate & potestate tua, ut facias illa quum voles; vel, quæ me authore facere poteris, sive quorum authoritatem tibi dedi. ¶ *Et ego*, ואני] *ego autem*, *ego verò.* Alii, *ego tamen.*

22. *Primogenitus meus est Israel:* בני בכרי ישראל] Docet Mosem quo pacto sermonem ordiatur coram Pharaone, q. d. Hoc scito, Pharao, Israelem, i. populum Israeliticum, loco filii primogeniti mihi esse. Tam charus est mihi, tam pretiosus Israel, quàm solent patribus esse primogeniti. Ex omnibus enim mortalibus mihi hunc populum peculiariter selegi.

23. *Et renuisti*, ותמאן] *quoniam verò renuisti.* Alii, *quòd si renueris*; ut sit præt. pro fut. ¶ *Primogenitum tuum.* בכרך] Quidam *Primogenitum* hìc pro electis, præcipuis, & pretiosis quibusque rebus accipiunt. Verùm primogeniti occisi postea fiet mentio, cap. 11.

24. *Et fuit in via*, &c. ויהי בדרך וגו'] *Quum autem in itinere esset in diversorio, occurrit*, &c. Alii, *Accidit autem in via, quum essent in diversorio, ut occurreret ei*, &c. vel, *ut irrueret in eum Jehovah*, i. correptus fuit gravissimo morbo (ut dicunt Hebræi) propter intermissam circumcisionem. Irascitur Dominus Mosi quòd filiolum ex Gentili uxore susceptum, nimium indulgendo illi, non circumcidisset: Dein, quòd iter non maturaret, sed in ipso diversorio, etiam hac in parte cùm uxori tum puero nimiùm indulgendo, moram traheret, non strenuè munus ac functionem suam ad quam ab ipso Domino vocatus erat, exsequendo. Quare Dominus ità in eum commotus fuit ut illum propterea per Angelum suum interficere voluerit.

25. *Acutum*, צר] Subaudivit noster interpres ex Jos. 5. 2, 3. substantivum *gladius*, ubi Dominus præcipit Josue; *Fac tibi* חרבות צרים *cultros acutos.* Alii *petram* vertunt. Mulier impotentiâ animi ardens, Deo & marito obstrepit, quòd filii sanguinem ipsa effundere cogatur; non ignara tamen viro suo malum impendere propter incircumcisum filium. ¶ *Et tetigit pedes ejus*, ותגע לרגליו] Ad verb. *& tangere fecit pedes ejus*, sub. *mariti*; vel, ut alii, *Eleazari*; i. projecit ad pedes illius: nempe Angeli, ut nonnulli exponunt; præ ira & indignatione. ¶ *Quia sponsus*, &c. כי חתן דמים וגו'] *Certe sponsus sanguinum tu mihi*, i. Sanguine te redimere ac retinere cogor, nempe sanguine filii mei, quem nisi circumcidissem, ac sanguinem ejus fudissem, actum erat de vita tua, & jam mihi ereptus esses. Quidam sic verba ista accipiunt, Video me multa tecum passuram, intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occasionem fore. Doctus inter Hebræos refert hæc ad Eleazarum, quem vocaverit sponsum suum, sic, *O fili, sponsus es mihi, tinctus sanguine, non cædis, sed circumcisionis*, q. d. Propter te morietur maritus meus, quòd te octavo die non circumciderit. Verùm prior expositio verior est.

26. *Et recessit ab eo*, וירף ממנו] sub. *Angelus*, i. Morbus; acsi dicat, Circumciso Eleazaro, Moses ilico mortis periculo, quam illi Angelus intentabat, liberatus fuit: statim restituta fuit illi sanitas. ¶ *Tunc dixit*, &c. אז אמרה וגו'] *Tum autem dicere cœpit*, *Sponsus*, &c. q. d. Tu moriturus eras, quia neglexeras circumcisionem filii tui. Alii vertunt per imperfectum, *Tum autem dixerat*, *Sponsus*, &c. ut ostendat quare Sephora vocaverit maritum suum *Sponsum sanguinum*; nempe propterea quòd coacta fuerit circumcidere filium, alioqui periisset vir ejus.

28. *Mittebat eum*, שלחו] *miserat eum.*

31. *Postquam audierunt*, וישמעו] i. postquam intellexerunt. Hic ו pro *postquam*, ut scribit ex doctioribus Hebræorum alter. Alii, *audierunt namque.* ¶ *Visitasset Jehovah filios Israel*, פקד יהוה את בני ישראל] *recordatus esset Jehovah filiorum Israel.*

C A S T A L I O.

14. J*Ova eum petebat ad necem*] Moses uxori, ut videtur, morem gerens (nam ea, cùm Judæa non esset, à circumcisione abhorrebat) filium non circumciderat. Eam ob rem Deus eum, tanquam uxori magis quàm Deo obedientem, petebat ad necem. Sed Sephora causam intelligens, filium circumcidit, ejusque præputium ad mariti pedes abjecit, *maritum sanguinarium* vocans, quòd ejus vitam filii sanguine redemisset.

C L A R I U S.

2. Q*Uid est quod tenes in manu?*] Sicut Dominus in Evangelio saturaturus tot millia hominum, priùs interrogat discipulos quot panes haberent, ut postea recordati exiguum fuisse numerum panum meliùs intelligerent miraculi magnitudinem; ità nunc ob eandem causam interrogat Dominus quid sit quod in manu habeat: consuevit enim repentina novitas inducere oblivionem.

6. *Leprosam instar nivis*] Est enim quædam species candidæ lepræ.

10. *Ab heri*] h. e. Nunquam fui eloquens.

11. *Quis fecit os?*] Scio (inquit) qualis sis; cùm ego ususum sensuum & dem & adimam; mihi ergò fidere debes, non tuas apud te vires metiri.

14. *Levites*] Additur nomen cognationis, quòd alii quoque in populo essent qui *Aaron* vocabantur.

16. *Tu eris illi in Deum*] Tu Dei voluntatem ei patefacies.

19. *Mortui sunt*] Vide ut eadem verba de Servatore, cujus typum gessit Moses, Angelus dixerit ad Joseph, *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri.*

21. *Indurabo cor ejus*] Intellige hanc obdurationem quemadmodum & Paulus ait, *Tradidit illos Deus in inobedientiam*, &, *Tradidit illos in reprobum mentem*: familiare est enim huic linguæ Deo tribuere quæ ipse evenire sinit.

23. *Dixi tibi, Dimitte*] Hunc Hebraismum Rabini sic exponunt, *Ego dico tibi ut dimittas filium meum*; &, *si nolueris, occidam primogenitum tuum.*

24. *Volebat occidere eum*] Iratus quòd susceptum ex Madianitide filium non circumcidisset. Mulier itaque, cujus consilio opus neglectum vel vetitum erat, intelligens ob eam causam iratum Dominum, mox temere saxum arripiens puerum circumcidit, nequid mali pateretur maritus. Sic docetur, baptismum infantium non temere differendum.

25. *Tetigitque pedes ejus*] Referendum est ad pedes Mosis secundùm Hebræos. Projecit enim præputium præcisum ad pedes mariti. Referri & ad Angelum potest, quasi projecerit Domino præputium, quod tantâ indignatione exigere videbatur.

26. *Sponsus sanguinum*] q. d. Jam mihi ob hanc circumcisionem quasi novus factus es sponsus, quem Angelus Domini per mortem mihi ferè subtraxerat. Alius sic exponit, *Video me multa passuram pericula tecum, ut mihi sponsus sanguinis futurus sis.* Variè enim hæc tota narratio ab Hebræis exponitur. Helias Levites magister meus ajebat referri hæc verba ad puerum, & vulgò etiam nunc apud eos dici, *sponsum sanguinum* qui recens esset circumcisus.

26. *Tunc ille dimisit eum*] Nempe Angelus Mosem.

L U C A S B R U G.

18. P*Ro eo quod multi codices habent*, *Et reversus est ad Jethro socerum suum*, antiquiores ferè legunt, *Et reversus est ad Jethro cognatum suum.* Id quod non solùm à nobis nostris in scriptis deprehensum est, verùm etiam in illo quod antè descripsimus correctorio est annotatum, his verbis, *Item* d. *Antiqui, & reversus est ad Jethro cognatum suum. Novi, pro cognatum, socerum posuerunt, quasi illud Hebræum non habeat; sed idem Hebræum quod est hic, sumitur pro* cognato, *infrà* xviii. 2. Hæc ibi. Septemdecim nostrorum Mss. legunt *socerum*, quatuordecim *cognatum*: atque ex quatuordecim lectionis diversitatem duo in margine indicant. Similis est locus Exodi 3. v. 1. ubi, etsi pleraque nostrorum exemplarium legant *soceri*; undecim, cum Rabano & Eugubino, habent *cognati.* Hebræis utrobique est חתן,

חתן, quod Exodi 18. non solùm a, sed etiam b, c, & d, similiter legitur, & constanter ab Interprete nostro *cognatus* redditur. Sed & Num. 10. 29. & Jud. 4. 11. ubi Hobab dicitur חתן משה, noster *cognatum Moysi* transtulit. Itaque Exo. 3. 1. & 4. 18. quibus in locis lectionis diversitas est, illa nostri Interpretis videtur scriptura, quæ Jethro *cognatum Moysis* vocat. Alii transtulerunt *socerum*; nec solùm neoterici, sed etiam veteres LXXII locis proximè recitatis πενθερὸν dixerunt, aliis γαμβρὸν, si emendatioribus exemplaribus, Vaticano & Complutensi, fides habenda est. Chaldæus ubique חמוי reddidit, quod *socerum* denotat. Neque hæc Hebrææ vocis significatio Latinum latuit Interpretem: id enim vel ex cap. 19. Judicum manifestum est: si tamen idem fuerit Interpres libri Judicum & Pentateuchi. Videri autem possit ex his hæc ejus fuisse sententia, Raguelem patrem esse Jethro & Sephoræ, cæterarúmque filiarum quæ sacerdoti Madian fuisse dicuntur; & Raguelem quidem socerum Moysis, Jethro verò fratrem uxoris Moysis, quem *cognatum Moysi* dixerit, nisi per *cognatum* cum Ruperto socerum intelligas, quod est insuetum. Nonnulli existimant Raguelem fuisse patrem Jethro, Jethro autem patrem Sephoræ & cæterarum illarum puellarum; eundémque esse Hobab qui Jethro. Aliorum sententia est, binomium fuisse Raguelem, dictum & Raguelem & Jethro; hujus autem filium fuisse Hobab: quam & B. Hieronymi esse, in libro Adversùs Helvidium, maximè quoad priorem partem, comperio: *Disce*, ait, *Scripturæ consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel, socer Moysi, & Jethro dicitur.*

26. *Et dimisit eum postquam dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem.* Quemadmodum hîc lectione totum repetitur quod præcedenti versu dictum legitur, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, sic etiam nonnulli codices Græci totum repetunt hoc loco quod posuerant proximo, *Stetit sanguis circumcisionis filii mei*: quanquam Græcæ Germanorum editiones, cum Aldino exemplari, nihil repetant. Correctorium verò annotat; nostræ editionis verum posteriori loco esse lectionem, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, omissis videlicet illis verbis *tu mihi es*: quæ lectio ab octo nostrorum Mss emendatiorum ferè probatur, & Hebræo conformis est, atque Augustinianæ lectioni consimilis. Augustinus enim quæst. super Exod. 11. quanquam LXXII interpretatione utatur, nec cum Græcis Germanorum libris nihil repetit, nec cum Græcis Vaticanæ Bibliothecæ & Hispanorum exemplaribus totum resumit; sed huic Latinorum atque Hebræorum lectioni similiter, partim quod priùs legerat repetit, *desiit sanguis circumcisionis.* Cùm angelus Domini Moysi diverterti mortem intentaret, ob intermissam filii circumcisionem, uxor ejus periculo exterrita, accepto cultro petrino circumcidit filium, *& sanguine circumcisionis pedes Moysis tetigit; dixitque, Sponsus sanguinum tu mihi es:* Sanguine te mihi jungo. Sanguine te mihi retinere cogor. Dimisit autem angelus Moysen postquam illa eum *sponsum sanguinum* vocaverat; dimisit, inquam, ob circumcisionem. Potest autem, eodem ferè sensu, particula, *ob circumcisionem*, ad proxima referri: Liberatus est mortis periculo Moyses postquam Sephora eum, quòd filium pro ejus salute circumcidere coacta esset, *sponsum sanguinis* dixerat, i. postquam filium circumciderat. Chaldæus Paraph. locum istum ad hunc modum explicuit; *Tulitque Sephora petram, & circumcidit præputium filii sui, & obtulit coram angelo, & dixit, Propter sanguinem circumcisionis hujus, detur sponsus mihi. Et cum quievisset ab eo, tunc dixit, Nisi sanguis circumcisionis hujus (fusus fuisset,) condemnatus erat sponsus ad mortem.*

DRUSIUS.

10. De cognomine ADONAI. *Cognomen* voco quod כנוי appellant Ebræi, quale & *Elohim*. Unde dictitant, יהוה *pronunciatur in templo per vocales suas, in terminis verò per cognomina sua*, h. e. per *Adonai* aut *Elohim*. Igitur *Adonai* unum est ex Dei cognominibus, & tunc significat *Dominum*, scribitúrque אדני cum [ָ] in ultima, ut Exod. 4. 10. *Obsecro, Domine*: ubi malè reddunt, *Domine mi*, ut Cajetanus & alii. Nam quandò significat *Domine mi*, tunc scribitur אדני cum [ַ] in ultima, quod in [ָ] mutari potest propter accentum. Cùm autem ità scribitur, tunc est nomen profanum אדנים *Domini*, & אדני *Domini mei*, & cùm de uno sermo est, אדני *Domine mi*. Abenezra negat rectè dici אדני, sed pro eo אדוני dicendum: rectè, si significare velis *Domine mi*, in singulari. Nam pro *Domini mei* reperitur Gen. 19. 2. Idem annotat non rectè dici אדני, cùm tamen id legitur in Johalin 141. 2. Sic אלהים contemptus speciem habet in Habacuc, de idolo Babyloniorum. De *Adonai*, quando est nomen sacrum, adhuc dubito sitne fictum ex אדני, quod est nomen plurale cum pronomine primæ personæ, an ex forma sive terminatione plurali absoluta אדני *Dominus*; cui similis est, ut cùm dicimus גבי *locusta* pro גבים, & חלוני *fenestra* pro חלונים. Sic fortè אדני pro אדנים *Dominus*. Ego אדני hoc sensu adhuc quæro. *Adonai* autem cùm non est nomen profanum, semper scribitur cum [ָ] in ultima, & hoc est illud nomen quod vocant *Aleph, Daleth*, & plenius *Aleph, Daleth, Nun, Jod*: cujus puncta subsunt literis nominis tetragrammati, quod propterea legi debet *Adonai*, nisi cùm habet puncta nominis *Elohim*, ut fit quando antecedit aut sequitur *Adonai*: tunc legi debet *Elohim*, & exponi *Deus*, non *Dominus*. Hæc tam certa sunt quàm quæ ad Sagram, & tamen in Christianismo sunt Carneades qui dubitant, imò qui *Jehova* & *Jehovi* legendum esse contendant. Quid non potest recepta consuetudo? plus certè quàm illud Tertulliani, *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

18. *Socerum suum*] Dixi חתן etiam *affinem* significare, h. e. fratrem uxoris, quem Hieronymus *cognatum* appellat, Exod. 4. 18. Si ergò Jethro fuit frater uxoris Mosis, quod de Hobab quoque legitur, & de Rechab, videndum an non Raguel fuerit pater Sepphoræ uxoris Mosis, & Jethro, Hobab, Rechab fratres ejus. Quod expendi velim ab iis quibus hæc res cordi. Sunt qui Jethro in circumcisione *Hobab* appellatum fuisse censent: Nam moris erat ut tunc nomina immutarentur. Abenezra Num. 10. 29. חתן *tam uxoris frater quàm ejus pater.* Vide quæ notavimus ad illum locum.

20. *Super asinum*] Aliquid hîc notabo quod me inter legendum nonnihil torsit. Scribit R. Levi Gallus provincialis in Ægypto vulgus promiscuum asinis vehi solitum, eò quòd equis uti non liceret absque venia Regis. Quò accommodat locum illum Gen. 41. 44. *Absque te non levabit quispiam manum aut pedem*, ut dicat, Absque tua venia nemo equum conscendet. Cui firmando Abenezra cognomento Sophus, ad hunc locum annotans LXX senes in locum *asini* reposuisse *portans homines* (fortè interpretari voluit ὑποζύγιον, *jumentum subjuge*) quia contemptibile ac indecorum erat uxorem prophetæ cum duobus filiis asino vehi. Vide quæ scripsimus hac de re in De quæsitis per epistolam, epist. 86. Addit, quod miror, asinos in Ægypto mulis honoratiores esse. Nam si honoratiores sunt ibi mulis, quomodo plebeium iis vehi? An muli erant viliores? Si tamen hoc verum de Ægypto, alibi alia consuetudo, alius mos obtinuit. Nam Num. 22. 21. Balaamo profecturo sternitur asina, & Abrahamo Gen. 22. 3. asinus; Quin Abigail opulenta mulier asino vehitur, 1. Sam. 25. 20. & familia Regis, 2 Sam. 16. 2. & vir Dei, h. e. prophetes, 1 Reg. 13. 13, 23. Filii quoque Jair equitant super asellos, Jud. 10. 4. Videndus R. D. ad hunc ultimum locum. Quæ adduxi ut ostenderem non ubique vile ac plebeium fuisse asino vehi. Nam & Christus asino insidens cum triumpho & magno applausu vulgi puerorúmque Jerosolymam ingressus est. Locus exstat apud Zachariam propheten, ubi vox עני, quam *pauperem* reddunt, potius denotat *mitem* aut *mansuetum*. Addam aliud. Quærunt hîc interpretes quare Moses uxorem & filios duxerit secum in Ægyptum proficiscens, unde populum educturus erat. Et videtur hoc factum ipsius culpam aliquam habere. Qua de re videndus Abenezra. Nec Prophetæ dignitas ipsum excusat, cùm Nathan ejusdem ordinis homo, licèt in minore gradu, Davidi ut templum ædificaret consilium dederit, Deo id nocte quæ insecuta est prohibente. Unde concludi potest Prophetas in rebus mundanis & secularibus interdum hallucinari. Quod firmari potest exemplo Petri Apostoli, quem Paulus errantem reprehendit, idque meritò. Clausula erit de voce חמור, quam Senes sæpiusculè ὄνον, interdum etiam ὑποζύγιον interpretantur, ut Gen. 36. 24. Exod. 20. 17. Deut. 5. 14. Jud. 1. 14. Job. 24. 3. & alibi. Lexicon vetus, Ὑποζύγιον, *jumentum subjugium.*

23. *Renuisti dimittere illum*] Quid mirum, inquit aliquis, cùm Deus illius *cor obfirmaverit*, sive, quod idem, *induraverit*? Hoc non excusat Pharaonem à peccato. Nam ut Deus autor sit obdurationis, non tamen est autor culpæ. Culpa penes solum hominem est. Quomodo ergò, inquies, indurat? Indurat non solum permittendo, seu gratiam suam subtrahendo, sed justitiam exercendo in eum quem indurat, juxta illud Apostoli, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Miseretur per gratiam, indurat per justitiam. Ubi est justitia, ibi nulla culpa, nullum peccatum. Si ergò malum est indurare cor, malum est pœnæ respectu Dei, & culpæ respectu hominis tantùm. Deus certè non peccat, etiam cum peccat is quem peccare permittit obfirmando sive obdurando. Audiamus nunc Ebræum Hiscuni ad hunc locum, *Non debemus dicere quod Deus laudandus obfirmet aut induret corda ut non possint redire*

dire ad se per pœnitentiam, si voluerint redire: sed cùm ait, Obfirmabo cor ejus, vult dicere, Ego efficiam ne moriatur præ timore, aut mollescat cor ejus præ metu, donec plagæ omnes absolutæ fuerint. Hæc Judæus ille, cui *durum cor*, quod flecti aut exorari nequit, nec ullo metu terretur. Tales ἀκαμπεῖς dicuntur: qualis erat Achilles, de quo Poëta,

Pelidæ stomachum cedere nescium.

25. *Sponsus sanguinum mihi es*] Certum est *virum* sive *maritum* dici qui sponsus est: unde Joseph vocatur *vir Mariæ*, licèt Maria ei tantùm desponsata esset. Sic Maria vocatur *uxor Josephi*: qua de re aliàs. Nunc quæro an qui vir sive maritus est, etiam *sponsus* dici possit? Theologi affirmant ex hoc loco. *Sponsus sanguinum mihi es*: quem de Mose enarrant, cùm possit exponi de infante recèns circumciso, quem allocuta mater dixerit, *Sponsus sanguinum mihi es.* Nam infans ille à mulieribus etiam *sponsus* vocabatur. Abenezra, *Mos fœminarum vocare filium, cum circumcisus est*, חתן *Sponsum.* R. Levi, *Sponsus in principio connubii vocatur qui alicui promissus est. Inde transfertur ad initium rerum aliarum, ut cum infans recèns circumcisus est à mulieribus Sponsus vocatur: nam tunc primùm incipit Deo servire.* Consimilia scribit R. D. in lib. Rad. ex conjectura addens חתן habere significationem innovandi per lætitiam: *Nam ut innovatur*, inquit, *lætitia in die nuptiarum, sic innovatur eadem in die circumcisionis.* Quæ firmat Onc. referens. *In sanguine circumcisionis istius datus est sponsus nobis*, i. infans circumcisus. Qui de Mose locum exponunt, juvantur verbis illis, *fecit ut attingeret ad pedes ejus*: quod Ebræus dicit ותגע, sed Hieron. olim legisse videtur ותגע, nam interpretatur, *& tetigit pedes ejus.* Cave spernas. *Tetigit*, i. læsit, ut ibi, *Nolite tangere unctos meos*; & *pedes ejus*, i. membrum genitale pueri, cujus præputium præciderat. *Pedes* hoc sensu sumitur in illo, *neque legislator de inter pedes ejus*; item ubi legimus, *aqua pedum*, & *pilus pedum.* *Pedes* ergò id quo viri sumus. Huc refer *tegere pedes*: de quo aliàs.

27. Osculo se excipiebant propinqui, in queis fratres, cùm sibi invicem occurrerent: ut Moses & Aharon, hoc loco. Id Thanchuma vocat osculum פרקים 23. 4. quæ vox me aliquandiu torsit: Nam quid esset quidve significaret divinare non poteram. In Chaldaismo פרק *redimo* unde פרק *redemptor*, *propinquus*, cujus pluralis פרקים, *propinqui*, ut erant fratres inter se, qui propterea jure propinquitatis, quod גאולה appellant, ducebant viduam defuncti fratris ut semen ei suscitarent. An igitur נשיקה פרקים est *osculum propinquiorum*? ità mihi videtur. Si quis meliora & certiora protulerit, cedam libens: non ero pertinax. Ibidem memoratur osculum פרישה *separationis*, cùm alter ab altero separamur, quod Latinè non malè voces *osculum valedictorium.* Nam etiam osculo valedicebant; cujus moris exempla exstant, Gen. 31. 28. & Ruth. 1, 14. Tertium osculum ibi laudatum est osculum גדולה *magnitudinis* sive *dignitatis*, ut quando eum quem Regem fecimus deosculamur. Exemplum habes 1 Sam. 10, 1. ubi Samuel propheta Saulem, quem unxerat, deosculatur. Quò referunt illud Psal. 2. *Osculamini Filium*, ut dicat, Osculo excipite Filium meum, quem vobis Regem dedi, eique homagium præstate. Reperio & osculum *precationis* sive *precum*, cùm, nisi fallor, Deum precaturi manum ad os admovebant, quod propriè *adorare* dicitur.

IDEM.

8. האות האחרון. A. τῦ σημείυ τῦ ἐσχάτυ, *signi ultimi.* Sym. τῦ ἑπομένυ, *sequentis.*

10. לא איש דברים. A. ἐκ ἀνὴρ ῥημάτων, *non vir verborum.* Sym. ἐκ εὔλαλος, *non bene loquens*] i. facundus, disertus.

11. אלם. A. Sym. & Th. μογιλάλον; *difficulter loquentem*] Talis suprà dicitur כבד פה וכבד לשון, *gravis ore & gravis linguâ*, i. balbus, qui linguam impeditam habet. אלם potiùs designat *mutum*: quo significatu μογιλάλος accipi videtur, Marc. 7. 32. Vetus sanè interp. ibi *mutum* reddit.

12. הוריתיך. A. Φωτίσω. Sym. ὑποδείξω] Φωτίσω. Plenum est, Φωτίσω σε, *illuminabo te*: quod non malè reddes, *docebo te.* Nam doctrina mentem illuminat. Potest etiam reddi *patefaciam tibi*, ut 1 Cor. 4. 4. Φωτίσει τὰ κρυπτὰ, *patefaciet occulta.* Propriè *illuminando patefacere*, aut *docere.* Psal. 119. 33. הורני, *doce me.* A. Φώτισόν με. Prov. 4. 4. ויורני idem, ἐφώτιζέν με, *docebat me.* ¶ Ὑποδείξω, *ostendam*, *demonstrabo.* Sic etiam vertit idem verbum Psal. 119. & Prov. 4.

21. אחזק את לבו. A. ἐνισχύσω, *corroborabo.* Sym. θρασὺν, *audax*, sive *confidens*, *reddam*] Ἐνισχύσω. Plenum, ἐνισχύσω τὴν καρδίαν αὐτῦ, *obfirmabo cor ejus.* Idem verbum activè usurpat Aquila idem Cohel. 7. 19. ἡ σοφία ἐνισχύσει τὸν σοφὸν, *sapientia roborat sapientem*; & Lxx. Joel. 3. 16. ἐνισχύσει τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ, *confirmabit filios Israel*; & Euangelista Luc. 22. 43. ὤφθη δὲ ἄγγελος Κυρίυ ἀπ' ὐρανῦ ἐνισχύων αὐτὸν, *apparuit angelus Domini confirmans ipsum.*

23. ותמאן. A. ἀνένευσας, *renuisti.* Sym. ἠπείθησας, *recusasti*] Lex. vetus, Ἀπειθῶ, *detrecto*, *recuso*, *inobedio.* Sirach 16. ἐκ ἀπειθήσυσι τῦ λόγυ αὐτῦ, *non detrectant imperium ejus.*

24. יהוה. A. Θεός. Sym. & Th. Κύριος] Θεός. אלהים. ¶ Κύριος. Editio τῶν Lxx, ἄγγελος Κυρίυ. Sic interpretantur etiam Onk. & Jon. Notum ut Angelus Domini יהוה, i. *Dominus*; simpliciter vocetur. Sunt qui Christum intelligant, qui *Dominus*, & *Angelus Domini*, & *magni consilii* appellatur.

25. צר. A. πέτραν, *petram*] Interp. vetus, *acutissimam petram.* Uterque Chaldæus טנרא. Scribo טנרא vel, si mavis, טנרא, quod referendum ad צור, ut illud ad צפר *passer*, *avis.* Sic כנר *cinnar*, *cithara*, כנרא *cinnera*, ἡ κιθάρα. Nam Aleph, quod in fine, vim habet articuli. ¶ ותגע לרגליו ותאמר כי חתן דמים אתה לי. Alius, καὶ ἁψαμένη τῶν ποδῶν αὐτῦ εἶπεν, ὅτι νυμφίος αἱμάτων σύ μοι, *& tangens pedes ejus dixit, Sponsus sanguinum tu mihi es.* Alius, καὶ ἥψατο τῶν ποδῶν αὐτῦ, καὶ εἶπεν, ὅτι νυμφίος αἱμάτων σύ μοι; *tetigitque pedes ejus, & dixit, Sponsus sanguinum tu mihi.*

26. וירף ממנו אז אמרה חתן דמים למולת. Alius, ἀφῆκε δὲ αὐτὸν, ὅτι εἶπεν, Νυμφίος αἱμάτων τῆς περιτομῆς, *dimisit autem illum, quia dixerat, Sponsus sanguinum circumcisionis.* Alius, καὶ ἀφῆκεν αὐτὸν, ὅτι εἶπεν, Νυμφίος αἱμάτων εἰς περιτομάς, *& dimisit illum; quia dixerat, Sponsus sanguinum ad circumcisiones.* Alius, Νυμφίον αἵματος ἔχω, *Sponsum sanguinis habeo*] *Sponsus sanguinum*, i. sanguinarius; ut alibi *vir sanguinum*, homo sanguinarius. ¶ *Quia dixerat*, כי אמרה. ¶ *Ad circumcisiones.* Alii, *propter circumcisiones*: alii, *de circumcisione.* In notis ad edit. Rom. *Aliud scholion*, ἡ Σεπφώρα, ἐσφράγισε τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς, *obsignavit sanguinem circumcisionis.*

NOTÆ MAJORES.

1. R*Espondensque Moses dixit, Et ecce non credent mihi, nec auscultabunt voci meæ: quia dicent mihi, Non apparuit tibi DOMINUS.*

2. *Et dixit ad eum DOMINUS, Quid hoc in manu tua? Et dixit, Virga.*

3. *Et dixit, Projice illam in terram, & projecit illam in terram, & versa est in serpentem, fugitque Moses à facie ejus.*

Et ecce] והן & en. Vatablus copulam redundare putat: Alii eam exprimunt per At, sed. Lxx. per, ἐάν, si. Nam הן si, unde Græcum ἤν, & הן לא ἢν μὴ, nisi. Chaldaicum est hoc significatu. Alioqui vertissem, *Quod si.* Onkelos & Jonathan, והא & ecce, quod scribunt הא. ¶ *Nec auscultabunt voci meæ*] si senes mihi auscultabunt, non tamen populus id faciet. ¶ *Apparuit*] visus est. ¶ *Quid hoc in manu tua?*] מזה pro מה זה quid hoc, & est pleonasmus. Nam satis erat, Quid in manu tuâ? ¶ *Virga*] vel, *baculus.* Græcè ῥάβδος & Chald. חוטרא. Sunt qui baculum pastorale: alii scipionem significari putant, quo se senex sustentabat. ¶ *Et versa est in serpentem*] ויהי לנחש, & fuit in Serpentem. i. versa sive conversa est: vel, fuit serpens. Græcè ἐγένετο ὄφις. ¶ *Serpentem*] *colubrum.* Hiero. *A facie ejus*] sive, *ab eo.* i. ἀπ' αὐτῦ. Ita Græci Lxx. Nam Hiero. omittit, contentus dicere, *ità ut fugeret Moses.* Onkelos & Jonathan, *fugit à conspectu ejus.* Fuga hæc ostendit verum serpentem fuisse, sine ullis præstigiis.

4. *Et dixit DOMINUS ad Mosem, Extende manum tuam, & prehende caudam ejus: & extendit manum suam, & prehendit eam, & fuit virga in manu ejus.*

5. *Ut credant quod apparuit tibi DOMINUS Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isahac, & Deus Jacob.*

Extende] mitte, ἔκτεινον. ¶ *Prehende*] apprehende, ἐπιλαβοῦ. ¶ *Caudam ejus*] ad verbum, *in cauda ejus.* Cauda vero Græcè κέρκος dicitur, & Ebraicè זנב, & Chaldaicè זנב, vel קטנא & in Targum Jerosolymitano בית קטנא locus caudæ. Chaldæi dicunt etiam דנב & דנבא, unde apud Arabes ذنب cauda. Interpretes scribunt Dunab & Zanab. Vulgò Sanab, sed perperam. Forte Danab legendum. ¶ *Prehendit eam*] ויחזק בו & apprehendit sive tenuit eam. Propriè firmiter prehendit. Id Chaldæi dicunt אתקף sive תקף. In utroque significatio roboris

boris & vitium. R. Salomo, *Verbum* פרו *quando cum* ... *conjunitur*, *significat prehendere*. ... ¶ *Eam*] caudam: vel, *eum*, nempe serpentem aut colubrum. ¶ *Fuit virga*] versa est in virgam. ¶ *Ut credant*] ἵνα πιστεύσωσι. Quidam, *propterea credent*: quod minus probo. Sig. se hæc signa edere non propter Mosem, sed propter populum. Sic dico, vult ut Moses per hæc signa populo fidem faciat & persuadeat se à Deo missum esse.

6. *Dixitque DOMINUS ei adhuc, Induc manum tuam in sinum tuum, & induxit manum suam in sinum suum, & eduxit eam, & ecce manus ejus leprosa erat ut nix.*

7. *Et dixit, Reduc manum tuam in sinum tuum, & reduxit manum suam in sinum suum, eduxitque illam è sinu suo, & ecce reversa est ut caro ejus.*

Adhuc] עוד amplius: vel, rursus, πάλιν, rursum. Ità Lxx. & Hiero. Jonathan quoque hoc loco reddit תוב iterum: pro quo Thalmudici dicunt תו, ususque fuit eâ particula Calmus Judæus in litteris ad me datis. ¶ *Induc*] introduc, infer, εἰσένεγκον. ¶ *In sinum tuum*] εἰς τὸν κόλπον σου. Sinus Ebraicè dicitur חק sive חיק. Id Saadias interpretatur dicens significare ... i. locum illum qui intra complexum brachiorum continetur. Alii dicunt denotare vestem pectori proximam. Ut ut sit, sinus Chaldaicè ab Onkelo ... vocatur, à Jonatha verò ..., sive ..., quod & ... Heth in Ain versa. ¶ *In sinum suum*] *in medium sinum suum*. Jonathan. ¶ *Leprosa ut nix*] desideratur aliquid. Oratio plena erit si legas, *leprosa & candida* sive *alba*. Siquidem nix non est leprosa: sed lepra hæc candida erat ut nix. *Candor lucis ortus in cute signum est lepræ*, Levit. 13. *Albedo autem nivis habet quandam lucem* &c. Niolaus. Lxx. hic habent, καὶ ἐγενήθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὡσεὶ χιών, & fuit manus ejus sicut nix. Hiero, *protulit leprosam instar nivis*. Onkelos, *& ecce manus ejus alba sicut nix*. Jonathan, *leprosa alba tanquam nix*. R. Salomo, *solet lepra esse alba*. Editio Gallica, *erat alba præ lepra tanquam nix*. Valdè probo. Aloysius Lippomanus, *Quædam lepræ species valdè candida est*. Hic Lippomanus Metonensis episcopus fuit & Catenam Patrum connexuit. ¶ *Reduc*] *retrahe*, Hiero. ¶ *Reversa est ut caro ejus*] rediit ad pristinam speciem sic ut similis esset reliquæ carni, quemadmodum antea fuerat. Onkelos, *rediit, fuit ut caro ejus* i. iterum fuit. Lxx. καὶ πάλιν ἀπεκατέστη εἰς τὴν χρόαν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ: & rursum restituta est in colorem carnis ejus.

8. *Quod si non crediderint tibi, neque auscultaverint voci signi prioris, tum credent voci signi posterioris.*

9. *Quod si non crediderint etiam duobus signis istis, neque auscultaverint voci tuæ, tum accipies ex aqua rivi, & effundes super aridam, eritque aqua, quam accipies è rivo, eritque, inquam, sanguis in arida.*

Quod si non crediderint] verbum è verbo, *& erit si non crediderint* &c. *& credent*, sive *ut credant*. ¶ *Voci signi*] id est sermoni meo per signum sive miraculum confirmato. Hiero. hic edidit, *neque audierint sermonem signi prioris*. Tremel. *voci & signo*: inserit copulam, quæ nulla est in Ebræo. Ut hic, *vox signi*: sic alibi, *manus linguæ*. Quæ translata sunt ab hominibus. Aut *voci signi*. i. signo. Sic *verba cantici* pro ipso cantico. Similiter Plautus, *res voluptatum* dixit pro ipsis voluptatibus. ¶ *Signi posterioris*] in quo plaga lepræ figurabat, ut quidam volunt, res adversas quas Israelitæ pertulerunt in Ægypto. Ebraicè est האחרון האות. Id A. olim exposuit τοῦ σημείου τοῦ ἐσχάτου signi ultimi. Sym. vero reddidit, τοῦ ἑπομένου id est sequentis. ¶ *Duobus signis istis*] τοῖς δυσὶ σημείοις τούτοις. ¶ *Rivi*] aut *fluminis*. Onk. & Jon. *Quæ in flumine*. ¶ *Super aridam*] super terram. Græcè est ἐπὶ τὸ ξηρόν: unde ξηροβατικὸν, ξηρονομικὸν, ξηροβιωτικὸν, ξηροτροφικόν. In Novo fœdere, καὶ τὴν ξηράν. Contra Homerus πολλὴν ἐφ᾽ ὑγρὴν dixit de mari. Affine est quod Horatius liquidum usurpat pro aquâ, cum ait, *ut tibi sit opus liquidi non amplius urna*. Expositio mea robur accipit ex illo Mosis, *& vocavit terram aridam*. Nam elementum est aridissimum & siccissimum, ut Physici tradunt. Alibi יבשה est locus siccatus καὶ ἄνυδρος, ut Jes. 44. 3. ¶ *Erit Sanguis*] vertetur in sanguinem. Ebraicè est ad verbum, *erit in sanguinem*.

10. *Dixitque Moses ad DOMINUM, Obsecro Domine, non sum vir eloquens ego, etiam ab heri & à nudiustertius, etiam ex quo tempore locutus es ad servum tuum: quia gravis ore & gravis lingua ego sum.*

11. *Et dixit DOMINUS ad eum, Quis posuit os homini, aut quis ponit mutum aut surdum aut videntem aut cæcum, nonne ego DOMINUS?*

Obsecro] δέομαι. Ebraicè בי. Id Onkelos & Jonathan explicant per בבעו quæso, obsecro, & ... omnes interpretes Ebræi uno ore, ait Abenezra. R. Juda Levi ait sermonem brevem esse בי *in me* sub. iniquitas est q. d. Fac de me quod libet, modo liberes ab hac legatione. Tremel. *attende ad me*. Vide nunc quæ scripsimus Gen. 43. 19. ¶ *Domine*] אדני quod reddi posset, *Domine mi*: de quo in hunc modum Cajetanus, *Adonai numeri est pluralis significans Domini mei. Et cum manifeste habeat suum singulare, & debuisset dici Adoni i. Domine mei, dicendo Domini mei, insinuat consuetudinem fuisse apud Ebræos, quæ nunc est in vulgari Italico, ut magnates alloquamur in numero plurali*. Hæc ille: quibus addo posse fieri ut sit nudus pluralis אדני pro אדנים, ut alibi גבי pro גבים locustæ, & חלוני fenestræ. Sic אדני cum patach, quod deinde in cametz mutavit, ut sit aliquod discrimen inter nomen sacrum & profanum. Hoc pono; non affirmo, non statuo. ¶ *Vir eloquens*] איש דברים, vir verborum, id est, eloquens, facundus, disertus. Ebraismum servat Aquila. Nam vertit, οὐκ ἀνὴρ ῥημάτων. Symmachus eum mutat. Nam edidit, οὐκ εὔλαλος, non benè loquens i. facundus, disertus. Lxx. ἱκανὸς, i. idoneus. Sic edit. Rom. In aliis libris est, εὔλογος, eloquens. Quod etiam legitur in Augustino & apud Philonem in libro, *Quod deterius meliori insidiatur*. Omitto Hieronymum, qui habet, *non sum eloquens ab heri*. Onkelos, גבר מלול vir sermonis. *Hoc est*, inquit Fagius, *disertus* &c. *quales oportet eos esse qui verba ad principes facturi sunt*. Jonathan ... גבר. Idem aliter. Nam ... eloquens. Sig. etiam verbosum & agrestem. In Lexico Chaldaico, ... *loquax*. Hic in bonam partem sumitur. Nam etiam ... איש denotare potest hominem verbosum & loquacem quem Comicus locutuleium appellat, ut sit דברים pro ... verborum multorum. ¶ *Etiam ab heri & à nudius tertius*] proverbiale pro *antea*. Cato hoc sensu dixit *pridie*. Ideò Tremel. vertit, *neque unquam antea fui*. Onkelos quoque & Jonathan, *ab heri & antea*. Vide proverbia mea. ¶ *Ex quo tempore locutus es*] מאז *ex tunc* i. ab eo tempore quo locutus es. Sic Onkelos & Jonathan. Quanquam in Jonathan, *ab illa horâ quâ locutus est*. Nam hora i. ... ibi pro tempore ponitur i. אז. Hiero. *ex quo locutus es*. Lxx. οὐδὲ ἀφ᾽ οὗ ἤρξω λαλεῖν: neque ex quo cœpisti loqui. ¶ *Gravis oris*] כבד פה Lxx. ἰσχνόφωνος, quod reddunt, *gracili voce*. Sed hoc non respondet Ebræo. Malim ergo, *in sermone titubans aut hæsitans*. Nam ἰσχνοφωνία non solum vocis exilitas, sed etiam linguæ hæsitantia. R. Salomo, *graviter sive difficulter ego loquor*. *Vernaculè balbo* i. balbus. Tales à Græcis μογιλάλοι vocantur. Hiero. *impeditioris linguæ sum*. Præterlerint, *impeditioris oris*. Onkelos, יקיר ממלל gravis loquelæ, vel potius gravis sermone. Jonathan, ... claudus ore. Jerosolymitanus habet ... Thema, ... quod in Lexico exponitur, *balbutire*. Quæ omnia declarant hominem impediti oris, qui imperfectè loquitur, nec potest benè exprimere verba sua. ¶ *Et gravis lingua*] וכבד לשון Lxx. καὶ βραδύγλωσσος, i. tardioris linguæ. Sic etiam Hiero. In Ebræo est ad verbum, βαρύγλωσσος, cui lingua gravis est. Sententia in idem recidit. Nam significat se linguæ impeditioris esse. Onkelos, עמיק לשן, i. *profundæ linguæ*. (Sic, *populus profundi labii* Ezec. 3. 5.) hoc est, inquit Fagius, *lingua impedita*. Jonathan, ... ממלל claudo sermone, sive qui balbutit inter loquendum. Jerosolymitanus ... ממלל, dura loquela sive durioris sermonis, vel potius duri sermonis, qui vitio linguæ hæsitat & balbucinatur, nec potest rectè proferre certas litteras. ¶ *Quis posuit os*] i. fecit. Hiero. *dedit*. ἔδωκεν Lxx. ¶ *Homini*] Jonathan, *Quis posuit sermonem oris in ore hominis primi*. ¶ *Ponit*] facit, ποιεῖ. i. ponere aut facere solet. Quanquam in Lxx. ἐποίησεν, & in Hiero. *fabricatus est*. Santes quoque, *posuit*. ¶ *Mutum*] אלם Lxx. δύσκωφον. A. Sym. Th. μογιλάλον i. difficulter loquentem. Sed pro muto sumitur Marc. 7. 32. Vetus certè interpres ibi mutum reddit. ¶ *Videntem*] פקח βλέποντα, propriè apertum, id est apertos oculos habentem. Hic opponitur cæco. Interdum etiam surdo. Chaldaicè אתפתח, unde ἐφφαθά, adaperitor. Infra 23. 8. פקחים Lxx. βλεπόντων. A. σοφῶν, Onkelos, *sapientum*. Hiero. *prudentes*. R. Salomo, *sapientum in lege* i. *legisperitorum*. Verba sunt, *munus excæcat oculos videntium*.

12. *Et nunc vade, & ego ero cum ore tuo, & docebo te quæ loquaris.*

13. *Et dixit, Obsecro DOMINE, mitte nunc quem missurus es.*

14. *Et incanduit ira DOMINI in Mosem, & dixit, Nonnè Aha-*

nam aliquando in bonam partem sumitur. Augustinus in locutio. super Exodum, *Qui quaerebant animam tuam non in malo tantum, sed etiam in bono dici solet in Scripturis.* Vide sequentia. Locus quem citat ex Davide, *non est qui requirat animam meam*, habetur Psal. 142. 5. & ibi in Ebraeo est דורש quaerens, requirens. Hic verò legitur המבקשים quaerentes. Ceterum Abenezra nos admonet initio hujus versiculi legendum esse, *Et dixerat DOMINUS*, per praet. plusquam perfectum. Cui in eo assentior. Nam inclino ut credam haec dicta esse priusquam Moses socero valedixisset.

20. *Et accepit Moses uxorem suam & filios suos; & imposuit eos asino, reversusque est in terram Ægypti, vel accepta virga Dei manu suâ.*

Accepit] tulit, sumpsit, ἔλαβεν. ¶ *Filios suos*] Gerson & Eliezer. Prioris mentio supra. Abenezra hic meminit libri cujusdam apocryphi hoc titulo דברי הימים של משה verba dierum Mosis, i. annales sive Chronicon. Monet autem ne fidem habeamus aut innitamur ei. Nam omnia vana esse quae in illo continentur. Qualis liber Henoch Tertulliano tantopere laudatus. Ejusdem farinae est Testamentum 12. patriarcharum. De his Augustinus, *In apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica autoritas.* Videtur autem is liber Abenezrae lectus fuisse. Forsan ex illis erat, quos Judaei cum libris canonicis ad Ptolomaeum miserunt, qui numero fuerunt, teste Epiphanio, duo supra septuaginta, tot videlicet quot interpretes. Nam & hi erant LXXII. ex quaque tribu sex, si credendum Aristeae. ¶ *Imposuit eos asino*] וירכבם על החמור & equitare fecit eos super asinum. הרכיב à curru dictum, ut equito ab equo. Posses reddere, *vehi fecit*. Nam רכב vehens & vectus. Sed non malè Hiero. *imposuit eos super asinum.* Ad hunc locum Abenezra observat asinos in Ægypto mulis honoratiores esse. In aliis locis alia consuetudo obtinet. Nam viles & plebei asinis vehuntur. Unde fortasse Senes verterunt ἀνεβίβασεν αὐτὰ ἐπὶ τὰ ὑποζύγια. Est autem ὑποζύγιον jumentum subjuge. Lex. vetus ὑποζύγιον, *jumentum, subjugium.* Vulgo, subjugale vertunt. Ebraei videntur hoc interpretati esse נושא אדם portans hominem. Vide quae scripsimus hac de re in Quaesitis, Epist. 86. Abenezra, *Coacti fuerunt Senes interpretari, super jumentum portans hominem: propterea quod nimis vile & indecorum videtur ut uxor prophetae insideat asino.* ¶ *Virgam Dei*] quâ fiebant signa à *Deo.* Onkelos & Jonath. *per quam Deus faciebat miracula.* Alii. τὴν ῥάβδον τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ. Lxx. *portans virgam Dei manu suâ.* Hiero. In fonte est ad verbum, *& accepit Moses virgam Dei in manu suâ.* Vide supra versum 16. Haec virga vocatur etiam virga Mosis, & virga Aharonis. (vide Abenezram,) Itâ vocatur Ebraeo. 9. 4

21. *Dixitque Deus ad Mosen, Quum profectus fueris revertendo in Ægyptum, vide omnia portenta quae posui in manu tua, ut facias ea: ego autem obfirmabo cor ejus, & non dimittet populum.*

22. *Et dices ad Pharaonem, Sic dicit DOMINUS, Filius meus primogenitus meus Israel.*

23. *Et dixi tibi, Dimitte filium meum ut serviat mihi, & renuisti dimittere illum: ecce ego occido filium tuum primogenitum tuum.*

Quum profectus fueris revertendo] Pro eo habendum ac si diceret, *quum profectus redieris in Ægyptum*, sive, *cum iveris & reversus fueris.* Quidam, *quandoquidem proficisceris, ut revertaris.* Graeci Lxx. πορευομένου σου καὶ ἀποστρέφοντος εἰς Αἴγυπτον: profecto te & reverso in Ægyptum vel potius, proficiscente ac revertente. Nam participia sunt praesentis temporis. ¶ *Vide omnia portenta &c.*] Ordo & constructio, *vide ut facias omnia portenta quae posui in manu tua.* ¶ *Portenta*] המפתים. Lxx. τὰ τέρατα, prodigia. Hiero. *ostenta.* Jonathan תמהיא miracula. Onkelos תמהיא. Fagius, *prodigia.* Alibi *signa* vocantur, i. אתות, quae Graecis σημεῖα. Editio Gallica, *Miracula.* Portenta propriè signa quae portendunt, ut *ostenta*, quae aliquid ostendunt, *monstra* quae aliquid monstrant. Psal. 71. 7. כמופת Hiero. *quasi portentum.* Lxx. ὡσεὶ τέρας. Tremel. *tanquam ostentum.* Gallica, *ut monstrum.* Interdum מופת est τεκμήριον. i. certum & indubitatum argumentum, ut in historia Ebraica, cap. 61. Hic sumi videtur pro signo sive miraculo simpliciter. ¶ *Quae posui in manu tuâ*] quibus te instruxi potestate ad hoc data. Sive quae poteris facere cum voles. Nam *in manu* hoc est potestate. ¶ *Ut facias ea*] Ebraicè, *& facies ea.* Quid si ergo, *vide omnia portenta.* i. provide, cura: aut intellige, considera? aut *vide.* i. recordare. Sed hoc sensu non memini legere adhuc. Scire licet supra ראה vide accentum esse qui distinguit, ut possis vertere, vide, *omnia miracula quae posui in manu tua facias ea.* Tum vau redundabit. Sic dico, convertit tantum, non copulat. Vide Gall. edit. ¶ *Obfirmabo*] אחזק roborabo, obfirmabo. Hiero. Santes & alii, *indurabo.* Vide quae notavimus infra ad v. 23. Senes quoque σκληρυνῶ. Sed Aquila ἰσχυρῶ, corroborabo. Sym. θρασυνῶ, audax sive confidens reddam. Vide Fragmenta. ¶ *Cor ejus*] *Figmentum cordis ejus.* Jonathan. ¶ *Filius meus primogenitus meus*] ex elegantiis linguae Sanctae. Sane repetitio pronominis emphasin habet. Quidam enarrant, *filius meus primogenitus.* i. charissimus. probarem, si esset, unicus meus. Nam μονογενὴς ἀντὶ τοῦ ἀγαπητοῦ ponitur. An etiam πρωτότοκος? Satis autem videtur, *primogenitus meus.* Nam in eo filius intelligitur. Sed, ut dixi, emphasis est in singulis verbis. Nam & *filius*, & *meus*, & *primogenitus* & iteratum pronomen, non otiosè ponuntur. Filius ex pacto, in quo verba illa, *Ego ero ei pater & ipse mihi erit filius.* Primogenitus ex consuetudine Ebraeorum, qui primogenitum vocant eum qui vulvam aperit, etiamsi nullus postea sequatur. Sunt qui Israelem primogenitum dici putant respectu gentium, quae post adoptatae fuerunt. ¶ *Et dixi tibi*] verba Dei, non Mosis. Sic dico, Moses haec in persona Dei loquitur. ¶ *Dimitte filium meum*] quia filius meus est, ideò non potes illum detinere contra voluntatem meam, ideò mihi servire debet in loco quem ei praescripsi. ¶ *Renuisti dimittere illum*] vide supra. ¶ *Occido*] occidam. Sic Graeci ἀποκτενῶ. & Hiero. *interficiam.* Aut, jam jam occisurus sum. Nam praesens non tam pro futuro ponitur, quam pro paulo post futuro. Sic alibi, *ecce ego commoveo caelum & terram*, brevi commovebo: *invenit navem euntem*, mox ituram. Exemplorum talium pleni sunt libri mystici. Item, pene oblitus eram. *Ut serviat mihi*, ut mihi sacra facat: quod jus erat olim penes primogenitos. Ideò dixerat, *filius meus primogenitus meus.* expende.

24. *Fuit autem in via in diversorio ut occurreret ei DOMINUS & quaereret morte afficere eum.*

25. *Et accepit Sepphora petram, & amputavit praeputium filii sui, fecitque ut tangeret* (vel potius *attingeret*) *ad pedes ejus, & dixit, Quia sponsus sanguinum tu mihi es.*

26. *Et abscessit ab eo, & tunc dixit, Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem.*

Fuit autem &c.] vel, *Cumque esset in itinere in diversorio, occurrit ei DOMINUS.* Itâ Hiero. ¶ *In diversorio*] ἐν τῷ καταλύματι, in diversorio quodam. Chaldaicè, בבית מבתא, alias מבותא, in loco pernoctationis. Augustinus Quaest. 11. *ad refectionem.* Posses vertere, *in hospitio.* ¶ *DOMINUS*] יהוה. Sym. Th. Κύριος. A. Θεός. Hiero. DOMINUS. Lxx. ἄγγελος Κυρίου. Onkelo & Jonathan, *Angelus DOMINI.* Θεὸς i. אלהים, quod nomen Chaldaei saepe interpretantur יי i. DOMINUS. ¶ *Morte afficere eum*] המיתו Hiero. *occidere eum* קטלו. Santes, *interficere eum.* Quapropter? An quia uxorem & filios secum ducebat in Ægyptum, unde populum educturus erat? aut potius quia filium non circumciderat die octavo? nihil temerè statuendum. Sunt etiam qui pronomen *eum* referunt non ad Mosem, sed ad infantem, quem angelus volebat occidere quia die octavo non fuerat circumcisus. Videtur autem Deus morbum immisisse Mosi periculosum in itinere, unde post amputatum praeputium filii convaluerit. De hac re variae sunt interpretum sententiae, quas non commemoro. Hoc tantum dico, si filius aegrotasset, mater certè illum non circumcidisset. Nam itâ dolorem dolori addidisset. Jonathan, *quaerebat occidere eum propterea quod Gerson filius ejus non erat circumcisus. Ejus rei causam praebuerat Jethro socer ejus qui non permittebat ut circumcideretur: Verum Eliezer circumcisus erat. Ita enim convenerat inter eos.* Restat difficultas, quam objiciunt interpretes quaerentes cur Moses punitus fuerit ob incircumcisum filium, cum post in deserto nemo circumcideretur, nec tamen propterea quisquam puniretur. Respondent Ebraei quia propheta & vir magnus erat, juxta proverbium, *Pro camelo sarcina.* Nam Deus in talibus punire solet, quae in aliis impunita relinquit. Vide Adagia mea. ¶ *Petram*] acutum quid. Hic interpretes variant. Lxx. ψῆφον, calculum. Onkelos & Jonathan טינרא i. petram. Aquila, πέτραν. Hiero. *acutissimam petram.* Tremel. *cultrum acutum.* Hiscuni, איזמל חריף scalpellum acutum i. σμίλη. Idem tamen etiam צור i. lapidem interpretatur. *Nam in itinere quod obvium, inquit, & paratum erat accepit.* Abenezra, דבר חד rem acutam. R. Levi, *gladium.* i. חרב. propriè gladius acutus. Plures tamen in petra consentiunt. Leo Judae, *acutum silicem.* Nicolaus, Ebraei dicunt, *aciem vel novaculam.* Novaculam i. תער. *Cultellum lapideum.* Thomas. Qui cultrum subaudiunt, juvantur loco qui est Jos. 5. 2. & 3. עשה לך חרבות צרים fac tibi cultros acutos. ¶ *Ac-*

cepit & amputavit] Sepphora videlicet. Nam propheta ob morbum id facere non potuit. Hinc quidam colligunt fœminis licere sacramenta in necessitate administrare. De quo audire malim aliorum sententiam, quam meam proferre. Porro apparet eam non admodum peritam fuisse secandi: ideò tam multum sanguinis effudit. ¶ *Filii sui*] recens nati Eliezeri. Plerique omnes interpretes. Nam Jonathan hîc nugatur. ¶ *Fecitque ut tangeret* (id est, manaret) *ad pedes ejus.*] ותגע לרגליו fecit ut attingeret pedes ejus, sive ut perveniret ad pedes ejus. Quidam, *admovit pedibus ejus.* Munsterus, *applicavitque pedibus ejus.* Hiero. *tetigitque pedes ejus* נָגַע. Sed & נגע tangere aliquando significat ut Jes. 6. Quod legit interpres Græcus qui vertit, καὶ ἥψατο τῶν ποδῶν αὐτοῦ εἶπεν: Et alius qui habet, καὶ ἥψατο τῶν ποδῶν αὐτοῦ, καὶ εἶπε: & tetigit pedes ejus & dixit. Consule Fragmenta. Onkelos aliter, *& admovit coram eo.* וְקָרִיבַת. Jonathan & Jerosolymitanus, והקריבה יתיה quod reddunt, *obtulit ipsum.* ¶ *Ad pedes ejus*] Cujus? *ad pedes Mosis.* Abenezra, alii: *filii sui circumcisi*, Nicolaus, R. Samuel: *angeli vastatoris.* Jonathan, Thargum Jerosolymitanum. Videndus Hiscuni. Vulgata versio, *& tetigit* (id est læsit ut ibi, *nolite tangere Christos meos*) *pedes ejus.* Non malè intelligetur de membro infantis, cujus præputium mater præcidebat. Sic, *aqua pedum*: Et, *de inter pedes ejus*, & *pilus pedum.* R. Salomo, *Projecit illud ante pedes ipsius Mosis*, nempe *præputium.* Lxx. καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ: & procidit ad pedes ejus לְרַגְלָיו. ¶ *Sponsus sanguinum tu mihi es*] ità Hiero. Sed & alii ante eum Græci ὅτι νυμφίος αἱμάτων σύ μοι. Nam Lxx. longius recedunt à verbis Ebraicis. Onkelos, *in sanguine circumcisionis istius datus est sponsus nobis*, Sponsus i. infans circumcisus. Abenezra, *Mos fœminarum vocare filium cum circumcisus est* חתן i. sponsum. Jonathan, *sponsus meus voluit circumcidere, sed socer ejus retardavit eum, & sic sanguis circumcisionis hujus expiat pro sponso meo.* Hic interpres apertè per sponsum Mosem intelligit. Sic etiam Jerosolymitanus, cujus hæc sunt interpretata, *Sponsus meus quæsivit circumcidere, sed socer ejus non permisit ei: & sic expiat sanguis circumcisionis hujus pro peccatis sponsi hujus.* R. Levi, *Sponsus in principio connubii vocatur qui alicui promissus est. Inde transfertur ad initium rerum aliarum, ut cum infans recens circumcisus est à mulieribus sponsus vocatur. Nam tunc primum incipit Deo servire.* Consimilia scribit R. David in libro Radicum ex conjectura, addens חתן habere significationem innovandi per lætitiam. *Nam ut innovatur*, inquit, *lætitia in die nuptiarum, sic innovatur eadem in die circumcisionis. Sententia est, Angelus volebat occidere Mosen, eò quòd non circumcidisset Eleazarum filium suum. Sensit hoc Moses: itaque præcepit uxori ut circumcideret eum. Nam ipse propter morbum id facere non poterat. Jussum executa est Sephora, manante sanguine ad pedes ipsius Mosis; ac si diceret, Si propter hanc rem incidisti in morbum, ecce sanguis circumcisionis. Amplius dixit, factus es mihi hodie sponsus sanguinum & cædis mariti mei. Quum autem attingeret sanguis ad pedes Mosi, & sanatus esset morbus, tunc agnovit causam & dixit, Quod vocavi te sponsum sanguinum, non es sponsus sanguinum cædis, sed tantum circumcisionis.* Hactenus R. David. Vatablus, *Coget te redimere sanguine filii mei, quem nisi circumcidissem, actum erat de vita tuâ.* Mirum verò cur dicat, *sponsus sanguinum, & non maritus sanguinum.* Id cogit Ebræos de filio hunc locum enarrare. Nam sponsum vocare eum qui maritus sit, absurdum videtur. Videtur sensus esse, Propter te qui mihi olim sponsus fuisti, sanguis hic effusus est. Dicit autem sponsus sanguinis, & non vir sanguinis, vitandæ ambiguitatis gratia. Nam vir sanguinum qui cædem commisit, homicida. Aut fœminæ olim viros suos etiam post initum matrimonium sponsos vocabant. Aut capiendum de infante recens circumciso, quem autoribus Ebræis antiqui sponsum vocaverint. Quâ de re mihi adhuc non liquet: itaque ampliandum censeo. ¶ *Abscessit ab eo*] ממנו וַיִּרֶף Lxx. ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ. Santes, *recessit ab eo.* Alius, ἀφῆκε δὲ αὐτόν, dimisit eum. Sic etiam Hiero. Onkelos, נח כנה *& quievit ab eo.* Jonathan, פסק cessavit, desiit. Idem addit, *angelus vastator.* Jerosolymitanus, שבק, quod idem est cum וַיִּרֶף. Libri antiqui edit. τῶν ό. additum etiam habent ἄγγελος. ¶ *Ab eo*] Mose. ¶ *Ob circumcisiones*] Cur usus est numero multitudinis? an in mente habuit etiam alterius filii circumcisionem? Scire licet pleros que interpretes usos esse singulari, in queis & Hiero. Lxx. ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. Alius, νυμφίος αἱμάτων τῆς περιτομῆς. Alius, εἰς περιτομὰς, ad circumcisiones. Puto Aquilam esse. Alius, νυμφίος αἱματώσεως Schol. Ebræus habet ἐσφάγιστο τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς i. חתן. Onkelos, *Absque sanguine circumcisionis iste sponsus meus reus esset mortis.* Jonathan ac Jerosolymitanus, *Quam charus est sanguis circumcisionis quia liberavit sponsum meum è manibus angeli mortis.*

27. *Et dixit DOMINUS ad Aharonem, Vade in occursum Mosis in desertum: & abiit & occurrit ei in monte Dei, & osculatus est eum.*

28. *Et indicavit Moses Aharoni omnia verba DOMINI, qui miserat eum, & omnia signa quæ præceperat ei.*

29. *Abiitque Moses & Aharon & congregaverunt omnes senes filiorum Israel.*

In occursum] obviam. ¶ *Mosis*] vel, *Mosi.* Sic interpres vetus. Mosi ut Achilli. Reperies etiam Moseos apud Augustinum. ¶ *In monte Dei*] ἐν τῷ ὄρει τοῦ Θεοῦ. Quidam, *juxta montem Dei.* Hiero. *perrexit obviam ei in montem Dei.* Onkelos & Jonathan, *in monte ubi apparuit gloria DOMINI.* ad verbum, *ubi patefacta est.* David Camius Psal. 68. 16. ad locum, *Mons Dei mons Basan, Sunt montes*, inquit, *laudati; sed mons Dei, qui est mons Sinai, licet sit in deserto & in loco sicco ac sitienlosi humilisque, tamen est mons laudatus, quia in eo habitat gloria* i. Deus. Supra Exod. 3. 1. *ad montem Dei Horebum.* Cajetanus, *De monte Sinai est sermo, qui mons Dei dicitur, eò quod ibi apparuit Deus legislator. Moyses enim nominat montem nomine solito in populo Israel post acceptam legem. Scripsit enim hæc post datam legem.* Hæc roborant eorum sententiam qui Horeb eundem faciunt cum Sinai, inter quos & Lippomanus episcopus. ¶ *Osculatus est eum*] osculo salutavit ut fieri solet in congressu affinium & amicorum. Etiam osculo valedicebant, cujus moris exempla extant Gen. 31. 29. & Ruth. 1. 4 ¶ *Qui miserat eum*] vel, *quibus miserat eum*, ut ad verba referatur. Hiero. *pro quibus miserat eum.* Trem. *ad quæ mittebat se.* Lxx. πάντας τοὺς λόγους Κυρίου οὓς ἀπέστειλε i. quos miserat. Onkelos & Jonathan, דשלחיה quod Fagius interpretatur, *propter, quæ miserat eum*: ego, *qui miserat eum.* Quanquam eadem ambiguitas, quæ in Ebræo. ¶ *Quæ præceperat ei*] *ut faceret*, Jonathan. Verba sunt, דפקדיה למעבד, *quæ mandaverat ei facere.* ¶ *Omnia signa*] πάντα τὰ σημεῖα. Sensus est, omnia signa quæ mandaverat ei ut faceret primum coram Israele, deinde coram Pharaone. ¶ *Congregaverunt*] συνήγαγον, quod Chaldæi dicunt כנשו et Ebræi אסף. Alioqui קבץ potius colligere denotat. ¶ *Senes*] *consiliarii*, Abenezra, *sapientes*, Alii. *τοὺς γερουσίαν.* Lxx. Senatores, Magistratus & judices. Vide supra.

30. *Loquutusque est Aharon omnia verba, quæ loquutus fuerat DOMINUS ad Mosem, & fecit signa in oculis populi.*

31. *Et credidit populus, & audiverunt quod visitasset DOMINUS filios Israel, & quod vidisset afflictionem eorum, & inclinato vertice adoraverunt.*

In oculis populi] vidente populo. Quidam, *coram populo.* לְעֵינֵי הָעָם. Sic Græci ἐναντίον τοῦ λαοῦ. ¶ *Locutusque est Aharon*] qui Mosis interpres erat. Ideò semper verba facit ad populum. Supra vers. 16. *& ipse erit tibi pro ore.* ¶ *Et audiverunt*] *postquam audivissent.* Abenezra. Quidam ad sequentia referunt, *cumque audivissent &c.* Lxx. καὶ ἐχάρη וישמעו confundunt Ain cum Heth. ¶ *Fecit signa*] primum virgam in serpentem mutavit & contra: deinde manum è sinu leprosam eduxit, quæ postea ad priorem speciem rediit: postremo aquam rivi vertit in sanguinem. Quod Hiscuni his verbis innuit, dum ait, *fecit signa e serpente, e manu sua, & ex aquâ.* ¶ *Quod visitasset filios Israel*] accipio ut Psal. 8. *Quid homo ut visites illum?* & Luc. 1. *visitavit nos germen ex alto.* Thomas enumerat tres visitationes Dei. *Una*, inquit, *est condemnationis ut Jerem. 8. In tempore Visitationis suæ corruent: altera, correptionis, ut ibi, Visitabo in virgâ iniquitates eorum. Locus est apud Davidem. Tertia consolationis, ut hæc. Breviter, visitat nos Deus & cum in nos animadvertit, & cum respicit hoc est propitius est. Quo pertinet illud, Visitavit populum suum dando eis panem.* Onkelos & Jonathan hic habent, *quod recordatus fuisset filios Israel.* Idem aliter. Nam recordari & visitare, quando in bonam partem sumitur, synonyma sunt. ¶ *Vidisset*] i. respexisset. Sic alibi, *vidi, vidi afflictionem populi mei.* ¶ *Inclinato vertice adorarunt*] וישתחוו ויקדו Et inclinarunt verticem (alias, incurvaverunt se) & adoraverunt. Thargum Jerosol. וגחנו & incurvarunt se, ut olim Isahac fecit cum patri

ei cervicem præberet. LXX. κύψας δὲ ὁ λαὸς προσεκύνησε: inclinatus vero populus adoravit. Hiero. *proni adoraverunt.* Porro autem cervix קדקד dicitur: unde קדד ut quidam volunt. Vide quæ scripsimus Gen. 24. 48. & 43. 27. Onkelos usus est verbo סגד Similiter, inflexo genua. וסגידו autem vertit cum Jonathane סגיד quæ simul leguntur Jes. 44. 17. Vide Castellum ad illum locum.

DE MUIS.

JUssus à Deo Moyses Israelitarum Seniores convenire, iisque significare sibi apparuisse Dominum, qui vellet illos ex Ægypti miseriis in terram lacte melléque circumfluentem educere; primò quidem detrectabat imperium, quòd diceret suis verbis fidem fortasse non habituros Israelitas, negaturósque sibi visum Deum. At jubere Deus Moysi ut quam manu teneret virgam in terram abjiceret. Fecit: & ecce virga in serpentem subitò mutata, qui mox caudâ prehensus à Moyse in virgam rediit. Post hoc jussus etiam Moyses manum in sinum condere, cùm paruisset, ecce repentè leprosam inde niviqúe similem exseruit, quæ denuo in sinum condita pristinum colorem recepit. Quorsum autem ista signa? Non tam sanè ut promissorum fidem acciperet Moyses, qui rubi flammis innoxiis ardentis novo miraculo satis fuerat confirmatus, quàm ut ea apud Israelitas fidei faciendæ gratiâ ederet. Ità sentit Ezra cujus hæc verba sunt, זה האות לא נתנו למשה שיאמין כי כבר נתן לו אות הסנה רק עשה לו האות שיעשה כמוה לבני ישראל על כן כתוב למען יאמינו טעמו תעשה כן לפניהם, *Hoc signum*, virgæ scilicet in colubrum versæ qui deinde redierit in virgam, *non exhibuit Deus Moysi quò ipse crederet, jam enim illi exhibuerat rubi signum: verùm illud ei signum fecit* (seu *ostendit*) *quod itidem apud Israelitas faceret. Idcirco scriptum est* (hìc, v. 5. Ut credant quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, &c. *Quorum verborum hæc sententia; Itidem tu facito apud illos*, Ut credant, &c.

Sed enim haudquaquam tacendum est quod hìc observat Bechai, duobus his prodigiis voluisse Deum docere Moysem שבידו להחיות את המת ולהמית את החי כי המטה היה עץ יבש כמו כן מת ונעשה נחש וכן יד שהיתה חיה נעשה כמתה שהצרעת חולי חשוב כמיתה כענין שכתוב אל נא תהי כמת *posse se mortuum vita restituere, viventem verò morti tradere: siquidem virga illa* Moysis *sicca mortui instar conversa sit in viventem serpentem: ejusdemque etiam manus antea rectè valens facta sit tanquam mortua: lepra enim morbus pro morte habetur, juxta illud* Aaronis ad Moysem, cùm Mariam sororem vidisset perfusam leprâ, *Nè, quæso, fiat hæc quasi mortuum, quod dum egreditur è vulva matris suæ, ecce jam medium carnis ejus devoratum est*, Num. 12. 12. Rasi, Ramban, Bechai quoque & alii, è veterum Hebræorum mente, primo istorum signorum docent indicare voluisse Deum Moysi, שספר לשון הרע על ישראל ותפש אומנות של נחש *male ipsum* ac secùs quàm par esset *de Israelitis locutum, serpentisque* antiqui *artem exercuisse* atque imitatum esse cùm dixit, *Ecce non credent mihi, neque obedient voci meæ*, Exod. 4. 1. postquam præsertim ipsi dixisset, *Et obedient voci tuæ*, Exod. 3. 18. Altero verò à Moyse Deum pœnas obtrectationis exigere voluisse: ideóque non ut promissorum fidem acciperet Moyses, sed ut ex uno intelligeret malè se de Israelitis locutum, altero autem peccati pœnas daret, edita tum ista signa, quæ alioqui satis fuisset Israelitis exhiberi ubi ad illos venisset Moyses. Negat Abarbanel hoc esse satis, ut loquuntur, literale. Excogitat igitur aliud, sed quod contortum & subtile nimis videtur, neque placet. Idcirco parcam referre. Adeant illum quibus libet.

20. *Tulit ergo Moyses uxorem suam & filios suos, & imposuit eos super asinum*, &c.] In Ægyptum ad Pharaonem Dei jussu proficiscens Moyses quò Israelitas suos ex Ægyptiaca servitute liberaret, uxorem secum & communes liberos ducebat. Illud exprimitur his verbis, *Tulit ergò Moyses uxorem suam & filios suos, & imposuit eos super asinum*, &c.

Quæri jure ac meritò potest quid sibi proponeret Moyses ut duceret secum uxorem & liberos. Uxoris enim & liberorum cura à negotiis gerendis avocat: nec satis benè & feliciter rempub. administrare potest qui rei familiaris curâ distinetur. Respondeo ex Abarbanele, videri ad factum à Moyse ut cùm ad Israelitas pervenisset majorem iis salutis fiduciam ostenderet, nihilque se timere à Pharaone & Ægyptiis probaret, qui uxorem & charissima pignora non dubitasset in Ægyptum adducere, nunquam facturus nisi omnino securus esset. Neque verò nunc attinet disputare, pervenerintne nécne Sephora & liberi usque in Ægyptum, id quod negat Abarbanel: quia de re dicendi alter erit locus. Sanè verò cùm illos initio profectionis sibi adjunxit, id ei consilii fuisse videtur quod diximus.

Quærere item solent hoc loco Hebræi, qui uxori Moysis & liberis duobus sufficere unus asinus potuerit. Hic enim scribitur *& imposuit eos asino.* Japhetus & alii *asini* vocabulum hìc collectivè, sive, ut ipsi loquuntur, ceu שם המין *nomen speciei*, sumendum docent pro multis asinis, quomodo Gen. 32. v. 5. ויהי לי שור וחמור. Ad verb. *Et est mihi bos & asinus*, pro, *Sunt mihi boves & asini.* Hos refellit Ezra, quòd non hìc locus sit ubi id nominis collectivè usurpari possit. Censet igitur esse accipiendum ut sonat, atque ità sessio in asino Sephoram ut Eliezerum adhuc infantulum & qui nondum circumcisus esset gestarit in sinu, alterum verò filium non multò fortasse majorem à tergo habuerit: asinos autem apud Ægyptios mulis digniores esse habitos. Ego simpliciter hoc sic accipio, ut dicatur Moyses uxorem & liberos imposuisse asino, quòd forsan illorum unumquemque asino imposuerit, additis etiam fortasse comitibus famulisve qui singulos asinos regerent & infantulos curarent. Nunquam aliter passurus videtur fuisse Jethro Moysis socer eos abire. Quasi verò Jethroni Madianitarum Sacerdoti atque etiam, uti quidem plerique existimant, principi deessent asini. Gallicè dicimus, *Il les mist trou à cheval*, etiam de eo qui in plures equos intulit. Sanè fatendum est movere interdum Hebræos difficultates ubi nihil opus est. Dicat aliquis, Ut Abrahamus vir potens & magna in re Hagarem & Ismaelem filium domo cùm ablegavit solos jussit abire quò necessitas duceret, pane duntaxat & utre aquæ Hagaris humeris imposito, nec saltem asino dato qui ea conveheret; sic fieri etiam potest ut Jethro solos abire siverit Moysem, Sephoram & liberos: eam enim fuisse istorum temporum simplicitatem. Respondeo, non simplicitatem istam dicendam sed inhumanitatem. Neque verò illius memoriæ hominum tantam fuisse simplicitatem ut abeuntibus nulla comitatis officia præstarent probat satis illud Labani ad Jacobum socerum, Gen. 31. 26, 27. *Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas, quasi captivas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi ut prosequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & citharis?* Quod ad Abrahamum attinet, fecit quod illum facere dignum fuit in eos qui se insolenter gessissent in domo ipsius. Ac profectò nihil fecit præter Dei mandatum, qui ei jusserat ut de Hagare & Ismaele faceret quod vellet Sara: Sara autem volebat ejici. At si asinos & servos illis comites adjunxisset, non ejectio fuisset. Neque verò passura erat Sara cum honorifico comitatu abire quos ignominiâ dignos potiùs judicabat.

22. *Filius meus, primogenitus meus Israel.*) Jussit Deus Moysi ut Pharaoni renuenti dimittere Israelitas ad se colendum hoc diceret, *Filius meus, primogenitus meus Israel*, Exod. 4. 22. Quibus verbis nihil aliud significari Deus voluit quàm Israelitici populi præ reliquis eximiam ac peculiarem dignitatem, qualis esse primogeniti solet inter cæteros fratres, quòd nempe Dei populus esset. Quo sensu Psal. 89. 28. de Davide dicebat quisquis est, *Etiam ego primogenitum ponam illum: excelsum præ Regibus terræ.* Ezra *filium Dei primogenitum* explicat Gentem cujus majores jam ab initio coluerint Deum. Aptè: nam hinc datur intelligi non temere fuisse quòd istius gentis peculiarem ac perpetuam usque curam Deus egerit. Non sanè displicet id quod observat Rasi, etsi est allegoricum; כאן חתם הקב"ה על מכירת הבכורה שלקח יעקב מעשו *Subscripsit hic autórque fuit sanctissimus ille Deus venditioni primogenituræ quam acceperat Jacobus ab Esau: quasi diceretur, Hîc demum adhibito veluti chirographo ac sigillo comprobavit Deus, ratámque habuit primogenituræ venditionem, de qua Esao cum fratre Jacobo omnium Israelitarum parente pridem convenerat, Gen. 25. Est hoc leve profectò, sed non caret tamen acumine.

24. *Cúmque esset in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus & volebat occidere eum.*] Exod. 4. sub finem, Moysi ad Pharaonem è Madianea regione proficiscenti, cùm esset in quodam diversorio, occurrisse Dominus legitur eúmque petiisse ad necem. Sacri textûs hæc verba sunt, *Et fuit in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & quærebat occidere eum.*

Quid hoc sit quæritur. Accipiant alii quomodo volent: ego hìc existimo occurrisse Deum Moysi eúmque expetiisse ad necem, quòd ei Divinitus contigerit lethalis morbus. Similem legere est loquendi modum Exod. 5. 3. *Dixeruntque* nempe Moyses & Aaron Pharaoni, *Deus Hebræorum obviam venit nobis: Eamus, quæso, viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro:* פן יפגענו בדבר או בחרב, *ne forte occurrat nobis* Dominus *peste aut gladio.* Illic verbum פגע

hic

hic נגע, quæ duo idem significant. Sed cur morbus à Deo tum inflictus Moysi? Aiunt vulgò Hebræi quòd non circumcidisset Moyses filium Eliezerum octavo die, sive quòd hic ægrotaret, sive quòd metueret periculum Moyses si filius in itinere circumcideretur. Ità esse docet id quod mox sequitur, Sephoram Moysis uxorem cùm cerneret id quod viro acciderat, arrepto silice filio præputium præscidisse; atque hoc ubi factum esset omissum à Deo Moysem. Intelligebat nempe Sephora id quod erat, non aliam ob causam incidisse in morbum Moysem quàm ob dilatam filii circumcisionem. Nisi profectò ità esset non cohæreret satis quod narratur de Sephora. Tum ægrotasse Moysem & graviter quidem satis videtur demonstrare, quòd non ipse circumciderit filium sed Sephora: nunquam enim omissurus erat illud officium si per valetudinem licuisset, præsertim qui sciret Abrahamum suâ manu Ismaeli filio servísque omnibus præputium amputasse, Gen. 17. Samuel filius Cophni negat Moysem fuisse quem Deus ad necem expetierit; verum ait fuisse Eliezerum. Absit, inquit, ut quem legatum Deus mittebat ad suos liberandos eum interficere in itinere voluerit. Non nominatur hic tamen, inquit, Eliezerus, quòd tunc nondum haberet nomen. Simile profert ex Gen. 38. 27. *Et fuit eâ* Thamare] *pariente, dedit manum.* Ubi non nominatur qui protulit manum, quia nondum obtinebat nomen. Refellit hunc Ezra, quia si malè habebat Eliezerus non debuit eum circumcidere Sephora: alioquin dolorem dolori addidisset, quod fuisset inhumanum atque adeò matris clementiâ indignum.

25. 26. *Dixitque* Sephora, *Quia* [*Sane* vel *Num*] *sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum* Dominus, qui voluerat eum interficere: *tunc dixit* Sephora, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem.*] Eliezer filii præputium ubi præcidisset Sephora, כי חתן דמים אתה לי, *Quia* (*Sane*) *sponsus sanguinum tu mihi es*, aiebat, Exod. 4. 25. Cui verò? Moysi, an filio? Hoc putat Rasi ad filium pertinere, ut ei dicat Sephora, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, i. Tu es in causâ cur sponsus meus sit occidendus: quæ mox restitutâ Moysi valetudine, nimirum post peractam circumcisionem, ait, חתן דמים למולת *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*; quasi tum demum certò intelligens Moysem propter dilatam circumcisionem fuisse interficiendum, (ab angelo nempe, uti ipse censet, נעשה כמין נחש *speciem serpentis induto*) dicat, Sponsus meus fuerat occidendus ob circumcisionem filii dilatam. Ezra annotat morem esse mulierum ut filium postquam circumcisus est vocent *Sponsum.* Ac illud quidem *Sponsus sanguinum tu mihi es* accipit ut Rasi; hoc verò *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, aliter ad istum ferme modum, Non tu quidem sponsus sanguinum es, quòd propter te occisus sit vir meus; רק אתה חתן מתבוסס בדם המילה *veruntamen tu es sponsus volutatus* seu *volutans, te in sanguine* & cruore *circumcisionis.* Postquam nimirum cerneret Moysem peractâ circumcisione convaluisse, corrigebat quod mox antè dixerat. Cum hoc consentit Isaacus Arama, qui ad hoc, *dixitque, Sane sponsus sanguinum tu mihi es*, sic interpretatur, כשראתה בסכנת בעלה אמרה על בנה כבר נולדת לסיכן דמים בביתי ולרעתי אמנם כשראתה שרפתה כמנו הסכנ" והצער אמרה חתן דמים למולות יצאו שנהפכו הדמים האלו לדמי ברית מילה ושמחה: *Cum vidisset* Sephora *in periculo esse maritum, filio dixit, Natus es in signum domi meæ sanguinum, & in malum meum. Verùm eadem cum animadvertisset desiisse periculum & dolorem*, (subitò mutatâ sententiâ,) *ait*, Sponsus sanguinum, ob circumcisionem, *quasi hoc vellet, Conversi sunt illi sanguines in sanguines fœderis Circumcisionis & lætitiæ.* Ego utrumque ad Moysem referendum censeo, totámque rem sic explico. Cùm videret Sephora Moysem gravi & periculoso morbo decumbere, hærebat quæ hujus morbi causa esset, an quòd non circumcidisset ipse filium, an quòd secum ipsam abduceret in Ægyptum. Tum igitur arrepto silice filii præputium præscidit, dixitque, *Num* forte, ó Moyses, *sponsus sanguinum tu*, h. e. Num tu lethali hoc morbo correptus es, לי pro בעבורי *propter me*, non autem propter dilatam filii circumcisionem? Dubitabat scilicet à se esset causa mali, an à filio. At, peractâ circumcisione, ut vidit Moysi melius esse factum, ait, Tu *sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, quasi hoc vellet, Nunc tandem intelligo causam morbi fuisse dilatam circumcisionem, non me. Accentus Regius seu distinctivus תביר proxime præcedens probat לי & למולת eodem esse modo accipienda & distinguenda, ad istum modum, *Sponsus sanguinum tu, propter me*, &, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem.* Intelligunt hoc vel mediocriter Hebraicè docti. Expendit Bechai cur dicatur וירף ממנו *Et dimisit eum*; ad v. *Et destitit ab eo* tantùm, non autem, & recessit ab eo omnino, nimirum Dominus seu Angelus; vultque, ostendere ac significare tum voluisse Angelum, reliquum fuisse adhuc aliquid, ac nondum completum Circumcisionis mandatum amputato præputio; sed faciendam fuisse præterea פריעה i. *denudationem*, quam vocant; idque intelligentem Sephoram statim peregisse denudationem; atque idcirco dixisse in numero multitudinis למולות, quo designaret שתי כרתות מילה ופריעה *duo illa quæ fiunt in Circumcisione, amputationem & denudationem.* Intelligunt qui morem circumcidendi Hebræorum sciunt.

GROTIUS.

1. *AB heri & nudius tertius*] Id est, hactenùs. Græci, χθὲς καὶ τρίτην [*heri & nudius tertius*] de re tantùm recenti usurpant.

13. *Mitte quem missurus es*] Græci meliùs: προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον, ὃν ἀποστελεῖς: id est, mitte aliquem qui idoneus sit mitti. Nam יד Hebræis sæpè quamvis aptitudinem significat. Apparet hic modestia Mosis prædicata infrà Num. XII. 3. sed cogitare debuit, qui à Deo mittuntur, ab eo & idoneos reddi: quod in Apostolis maximè emicuit.

14. *Aaron frater tuus Levites scio quod eloquens sit*] Sic magnæ auctoritatis legatis addi interpretes aut oratores solent. Moses Aarone præstantior, quantum mens sermone.

16. *Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent*] Hebraïcè, *Tu eris ipsi in Deum*, id est, jus gladii habebis in ipsum & alios. Nunquam enim hoc nomen hominibus datur, nisi ad significandum jus vitæ ac necis. Vide infra VII. 1.

24. *Occurrit ei Dominus*] יהוה. Aquila θεὸς [*Deus*], Symmachus & Theodotion κύριος [*Dominus*]. At LXX. ad sensum magis quàm ad vocem ἄγγελος [*angelus*]. de qua re alibi dictum ab aliis & nobis.

26. *Et dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum ob circumcisionem*] Sensus in Hebræo facilior, *Et discessit ab eo* (Sephora à Mose), *dixerat autem sponsus sanguinum, ob circumcisiones*, id est, ob morem circumcisionis qui Medianitidi mirus videbatur. Vide infrà XVIII. ubi Sephora ad maritum redit.

27. *In montem Dei*] Ubi Deus per Angelum Mosi apparuerat.

29. *Seniores*] Numero LXX. Exod. XXIV. 1. 9. Num. XI. 16

CARTWRIGHTUS.

1. והן לא יאמינו לי *Et ecce non credent mihi*] LXX ἐὰν μὴ πιστεύσωσί μοι, *Si non crediderint mihi.* Quasi הן hic idem valeat quod אם *si.* Vulgatus voculam istam planè omisit, *Non credent mihi.*

3. ויהי לנחש *Et fuit Serpens*] Ad verb. *in serpentem.* Hebraismus iste quandoque in Novo Testamento reperitur, ut Mat. 19. 5. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. In Pirke Eliezer cap. 40. dicitur hunc serpentem fuisse ignitum; quod unde colligatur nescio. Ibidem autem dicitur, ideò Deum hoc signum Mosi ostendisse, *quia sicut serpens mordet, & morte afficit homines; Ita quoque Pharao, & Ægyptii mordebant & necabant Israelitas; posteà autem facti sunt veluti lignum aridum.* Similiter Aben Ezra Notat ex sententiâ Japhethi hoc signo innui, Pharaonem primò fuisse lenem (דבר רך ad verb. *rem teneram*) instar virgæ seu baculi, sed in serpentem fuisse mutatum, quemadmodum appellatur (Ezech. 29. 3.) התנין הגדול *serpens* sive draco *magnus*; tandem autem in pristinum statum reversurum, ac futurum, quasi non fuisset. ובסוף ישוב כבראשונה והיה כלא היה

4. ויחזק בו *Et apprehendit eum*] R. Sal. observat verbum חזק cum Beth constructum apprehendi significationem. כל לשון חזוק הדבוק לב"ית לשון אחיזה הוא.

6. *Et ecce manus ejus*, מצרעת כשלג *leprosa ut nix*] Vulg. *protulit leprosam instar nivis.* LXX. καὶ ἐγενήθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὡσεὶ χιών, *& facta est manus ejus quasi nix.* Nobilius testatur & in nonnullis codicibus, & apud Theodoretum legi λεπρῶσα, *leprosa.* Onk. חוורא כתלגא *Candida instar nivis.* In Pirke Eliezer cap. 40. quæritur, *Cur Deus ostendit Mosi per rem impuram signum Pharaonis, & non per rem puram?* Respondetur. *Quia sicuti leprosus est impurus, & reddit immundum; sic quoque Pharao ejusque populus erant impuri, atque Israelitas contaminabant, Reduxit (manum) & fuit pura reddita. Dixit illi Sanctus benedictus, sic puri reddentur Israëlitæ à sordibus Ægyptiorum.* R. Jeshua (referente Aben Ezra) vult signo isto indicatum fuisse, Israelitas primò fuisse liberos, deinde Dominum servitute Ægyptiacâ eos percussisse, tandem autem eum illos sanaturum, ut ad libertatem suam redeant.

9. והיו לדם *Et erunt in sanguinem*] Aben Ezra monet hoc signum à primâ plagâ, quâ percussi sunt Israelitæ, fuisse diversum.

10. בי אדני *Obsecro Domine*] *Omnes expositores* (inquit Aben Ezra) *uno ore dicunt* (*a*) בי *esse* לשון בקשה *orandi particulam.* Addit autem R. Jehudam Levitam velle vocem istam usurpari דרך קצרה ita ut sit concisi loquendi formula, ac sensum esse בי אשם העון i. e. *in me Domine sit* (*b*) *iniquitas*, & bi כי עשה כל שתרצה ותעניש מזה שלא תשלחני עשה h. e. *quidvis tibi pœnas dabo, modò me liberum ab hâc legatione esse finas.* Similiter illud Gen. 44. 18. בי אדני ידבר נא עבדך דבר *Quæso, Domine, loquatur nunc servus tuus verbum*, ab illo exponi ait, עשה בי מה שתרצה ותניחני לדבר i. e. *Quidvis mihi facito, modò me loqui patiaris.* Vide quæ ad Gen. 43. 20. annotavimus. Onk. בבעו, *Obsecro, Domine.* Et sic Vulg. Similiter LXX. *Δέομαι κύριε.*

איש דברים *Vir verborum*] id est, eloquens, dicendi peritus. LXX. ἱκανὸς, *idoneus.* Fortè voces nonnullæ desiderantur, πρὸς τὸ λέγειν, aut istiusmodi. Græca autem Scholia & Nobilius testatur in vetustis libris pro ἱκανὸς esse εὔλογος, i. e. *eloquens.* Atque ita habet vulgata Versio. Symmachus εὔλαλος, *disertus.* Aquila ad Verb. ἀνὴρ ῥημάτων, & similiter Onkelos, גבר דמלול *vir sermonis*, ex iis autem quæ sequuntur, apparet Mosen oris ac linguæ quâdam difficultate laborâsse, nec verba sua expeditè proferre potuisse.

כבד פה וכבד לשון *Gravis ore, & gravis linguâ.* h. e. ore ac linguâ impeditus. Onk. יקיר ממלל ועמיק לישן *gravis sermone, & profundus linguâ.* Seu ut Fagius vertit, *gravis loquela, profundaque lingua.* Id est (inquit Fagius) *tardus sum ad loquendum, & linguâ impeditâ.* Hierosolymitanus, חגר פום וקשי ממלל *claudus linguâ, & difficilis loquelâ.* Jonathan, חגר פום וחגר ממלל *claudus ore, & claudus loquelâ.* LXX. ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι, (*c*) *gracili voce, & tardâ linguâ sum ego.* At in Hebræo nihil est quod vocis gracilitatem, sed duntaxat loquendi tarditatem designet. Meliùs itaque Vulg. *Impeditioris, & tardioris linguæ sum.* R. Nathan Mardochai in Concordantiis suis ait כבד hic denotare לאות המעתיק *fatigationem Interpretationis*, h. e. loquendi difficultatem, uti Hebræa ista explicat doctissimus Fullerus, Miscell. lib. 6. cap. 19. *Quum quis* (inquit) *impeditâ linguâ, ægrè, quid sentiat, exprimere & efferre potest; cujusmodi à Latinis Balbus vocatur.* & paulò inferiùs, *Rectè autem fatigatio nominatur, siquidem Balbis tanquam permolestum, ac penè Colossicum onus est vitium illud, quo velut fatigati, & propemodum oppressi, vocis cursum subinde sistere, unde ἰσχνόφωνοι, & hæsitante linguâ tardiùs progredi coguntur, unde βραδύγλωσσοι iidem nuncupantur à Septuaginta, eodem prorsus loco, in quo thema* כבד *hunc ipsum, de quo agitur, intellectum habens, positum invenitur, nempe Exodi* 4. 10. Hæc ille, à quo cur quisquam hîc dissentiat nullus video. Ad eundem modum R. Salomon exponit בכבדות אני מדבר ובלשון לעז בלבו i. e. *Cum difficultate ego loquar, & vernaculè istiusmodi vocatur balbo.*

11. *Quis posuit os homini?*] Jon. *Quis est ille qui posuit sermonem, seu loquelam oris in ore primi hominis?* vel *in ore Adami primi* (hominis) בפום אדם קדמאי.

13. *Mitte per manum ejus quem mittes.*] Onk. *Mitte nunc per manum ejus*, מן דכשר למשלח *qui dignus est ut mittatur*, vel *quem oportet mittere.* Aben Ezra ait deesse in Hebræo אשר, ac Mosen intellexisse Aharonem qui solitus fuerat Israelitis prophetare; inde in Ezechiele scriptum esse, Deum Israelitis prophetam misisse ante Mosen. Similiter R. Salomon explicat, *per manum ejus quem tu solitus es mittere*; *atque is est Aharon.* Annectit autem alteram expositionem, quam ego veriorem judico, ביד אחר שתרצה לשלוח i. e. *Mitte per manum alterius quem volueris mittere.* Non arbitror Mosen Deo præfiniisse quem mitteret, sed id tantùm petiisse, ut se excusato alius quilibet mitteretur. Fagius notat nostros commentatores ad Christum hoc referre, istámque expositionem piam, ac Christianis hominibus dignam censet: mihi verò neutiquam germana videtur.

14. ויחר אף יהוה במשה *Et accensa est ira Domini in Mosen*] R. Sal. refert R. Joshuam Ben Karchæ dixisse, ubicunque in Lege ira Domini accensa legitur, iræ istius signum quiddam fuisse impressum, (עשה רושם) hoc est pœnam quandam fuisse inflictam; hîc autem iræ, de quâ fit mentio, nullum signum fuisse impressum; non reperiri scilicet pœnam quæ Mosi fuit inflicta. Addit autem R. Jose asseruisse etiam & iram, de quâ hîc agitur, signum sui impressum habuisse. At certè de supplicio Mosi irrogato nihil video. Aben Ezra putat se ostendere etiam alibi in Lege excandescentiæ Dei mentionem fieri, cum tamen supplicium non sit irrogatum. Citat autem illud Num. 12. 9. ויחר אף יהוה בם *& exarsit ira Domini in eos*, nempe Aharonem & Miriam, ac urget Aharonem nullo affectum fuisse supplicio. At minùs appositè videtur locus iste allegatus, cum, quod satis sit, Miriam pœnas dedisse Scriptura illic testetur.

Nonne Aharon Levita est frater tuus?] Aben Ezra censet Aharonem eo nomine notum fuisse inter Israelitas; atque ita ab aliis, qui itidem dicti erant Aharones, fuisse distinctum. Hoc multo simplicius est, quàm quod dicit R. Sal. nempe futurum fuisse (nisi Moses hîc se minus obsequentem Deo præbuisset, ut Aharon Levita duntaxat esset, ad Mosen autem sacerdotium pertineret; nunc autem vice versâ Aharonem fore sacerdotem, posteros autem Mosis inter Levitas duntaxat recensendos, prout factum legitur, 1. Chron. 23. 14.

16. ודבר הוא לך אל העם *Et is pro te loquetur ad populum*] לך hic idem valet quod בשבילך i. e. *pro te*, vel *propter te*, ut rectè exponit R. Sal. qui insuper addit ל post verbum דבר semper idem significare quod על i. e. *propter.*

Et erit ille tibi לפה *in os, & tu eris ei* לאלהים *in Deum*] Onk. *Ille tibi erit* למתורגמן *pro interprete, & tu eris ei* לרב *in principem*, seu *magistrum.* Jonathan לרב תבעי אולפן מן קדם *Magister quærens doctrinam à conspectu Domini.* Atque id quidem verum est Mosen ipsum à Deo prius edoctum fuisse, quàm Aharonem instrueret; augustum tamen quiddam est, quod hîc ei promittitur, nempe loco Dei futurum, ut Aharoni, quid dicere ac facere debeat præscribat. LXX. Interpretes dictionem emollire studuerunt, σὺ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν. Atque ita etiam Vulgatus, *tu eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.*

17. *Et virgam hanc accipies in manu tuâ*] LXX τὴν ῥάβδον ταύτην τὴν στραφεῖσαν εἰς ὄφιν, *virgam hanc, quæ in serpentem fuit conversa.* At de istâ virgæ in serpentem conversione nulla hîc in Hebræo mentio.

18. *Et abiit Moses, & reversus est*, אל יתר חתנו *ad Jether socerum suum*] Certum est *Jether* hîc eundem esse cum *Jethro*, uti notat Aben Ezra, qui observat unum eundemque hominem similiter dictum גשם *Geshem* Neh. 6. 1. 2. & גשמו *Gashmu*, ibid. v. 6. R. Salom. ait Mosis socerum septem nomina habuisse, quorum tamen quatuor duntaxat enumerat, nempe, *Reuel*, *Jether*, *Jethro*, & *Kinai*, sive *Kinæus*: sed *Kinæus* gentile nomen fuisse, non proprium videtur; & *Reuel* non eundem cum *Jethro*, sed ejus patrem fuisse arbitror. Atque istud sensisse videtur R. Salomon ad cap. 2. 18. Vide quæ ad locum istum sunt annotata.

19. *Et dixit Dominus Mosi in Midian*, &c.] vel, *Dixerat enim Dominus*, &c. uti exponit Aben Ezra, qui notat in scriptura non esse מוקדם ומאוחר i. e. *prius & posterius*; hoc est, res non semper eo ordine commemorari, quo gestæ fuerunt: hîc igitur ויאמר idem valere ac וכבר אמר hoc est, *jam antea dixerat.*

Nam mortui sunt viri, qui quærebant vitam tuam] Jon. ארום איתרוקינו ונחתו מנכסיהון והא אינון חשיבין כמיתין h. e. *Spoliati sunt, & descenderunt de divitiis suis, & ecce reputantur quasi mortui.* Sed hoc à simplici verborum intellectu nimis est remotum.

20. וירכבם על החמר *Et fecit eos equitare super asinum.* Singulare hîc pro plurali usurpatur, *super asinum*, pro *super asinos.* LXX ἐπὶ τὰ ὑποζύγια *super subjugalia.* Aben Ezra ait הזקנים Senes (nempe LXX Interpretes) (*d*) coactos fuisse interpretari על החמור *super asinum* per על נושא אדם *super portans hominem*, seu *super jumentum*; quòd vile & indecorum videretur, ut uxor prophetæ unà cum duobus filiis uno asino veheretur. Drusius in quæsitis per epistolam, epist. 87. refert Ebræos in Annalibus Templi secundi scribere LXX Interpretes locum hunc immutasse, ne asino vectus Moses eo nomine in contemptum veniret apud regem Ptolomæum: item ne rex diceret, *qui potuit unus asinus portare matrem cum duobus filiis? hoc nihil aliud quam paupertatem & contemptum arguit.* Japheth (teste Aben Ezra) vult asinum hîc speciem denotare, ut alibi interdum solet; Aben Ezra hoc improbat, ac simpliciter ut sonat (כמשמעו) accipiendum putat; atque asserit asinos Ægyptiacos fuisse pretiosos, ac præstantiores mulis; nec mirandum si Gersham post matrem equitavit, fortè enim pullum adhuc fuisse; Eliezer autem, utpote nondum circumcisum,

f 3

(*a*) בי *Ad verbum sonat* in me. (*b*) *Vel* pœna; *nam* עון *utrumque significat.*

(*c*) *Ita in Rom. edit. Latinè vertitur, at* ἰσχνόφωνος, *uti docet Aristoteles in Problem. Sect.* 10. *quæst.* 33. & *Sect.* 11. *quæst.* 30. & 35. *is etiam dicitur qui impeditè, ac difficulter verba sua profert.*

(*d*) *In edit. Buxtorf. mendosè legitur* זקנים *pro* הזקנים.

ſum, in gremio matris collocatum. Quod autem de Gerſhom dicit, haud quaquam veriſimile videtur, nec cum rei geſtæ hiſtoriâ convenire. Ut ut iſtud ſit, ego cum Druſio numeri *integrum* hîc eſſe cenſeo. R. Sal. quia חמור hîc habet ה literam præfixam, ineptè fabulatur iſtum fuiſſe aſinum, quem ſtravit Abraham, cum ad immolandum Iſaacum profectus fuerit, & quo vehendus ſit rex Meſſiah, de quo dicitur (Zach. 9. 9.) *pauper*, *& equitans ſuper aſinum.* Hoc tamen benè habet, quod iſtum Prophetæ locum de Meſſia exponit.

Et reverſus eſt in terram Ægypti.] Aben Ezra ait Moſen ſolum in Ægyptum rediiſſe, poſteaquàm enim ei in diverſorio occurriſſet Dominus, Eliezer fuiſſe circumciſum, ac deinde cum ſanatus fuit, Sephoram cum filiis ſuis ad patrem rediiſſe. Et paulò anteà idem Rabbinus aſſerit Moſen in animo habuiſſe uxorem & filios ſuos ſecum in Ægyptum adducere; conſilium autem iſtud minùs rectum fuiſſe; qui enim conveniret, ut cum Iſraelitas ex Ægypto educturus eſſet, ipſe eò cum uxore & filiis veniret? Addit autem neminem mirari debere ſi Moſes, etiamſi propheta, ita ſe geſſit, cum ſimiliter Nathan propheta à Davide de extruendo Templo conſultus, contra quàm oportuit ei primò, reſpondit. Atque hæc quidem ſatis probabiliter dicta videntur; nam ex iis quæ infrà cap. 18. ſcripta habentur, Sephoram unà cum filiis ad Jethro dimiſſam fuiſſe apparet.

Et accepit Moſes virgam Dei in manu ſuâ.] LXX. τὴν ῥάβδον τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ, *Virgam, quam à Deo acceperat.* Onk. *Virgam, quâ facta fuerunt miracula à facie Domini.* Atque eâ ſanè de causâ dicta eſt *virga Domini*, quòd in patrandis miraculis Dominus eâ Moſen uti voluit. Jonathan hîc ineptus, imò impius eſt; aſſerit enim virgam iſtam inſculptum ac expreſſum habuiſſe שמא רבא ויקירא *nomen magnum & glorioſum* (nempe tetragrammaton יהוה) atque inde (ſcilicet) vim patrandi miracula ei affuiſſe.

21. *Omnia ſigna, quæ poſui in manu tuâ, &c.*] R. Sal. ait hoc non intelligendum de tribus iſtis ſignis ſuprà in hoc capite memoratis, ſed de aliis, quæ Deus in manu Moſis poſiturus erat, cum in Ægypto eſſet. Illa enim quorum anteà fit mentio, non coram Pharaone, ſed coram Iſraelitis, ad fidem eis faciendam Moſen à Deo miſſum fuiſſe, facienda fuiſſe. Nec mirari quemquam debere ait, propterea quòd ſcriptum ſit, אשר שמתי *quæ poſui*, ſenſum enim eſſe, tunc cum Moſes cum Pharaone loqueretur Deum iſta ſigna in manu ejus poſuiſſe. In hiſce me facilè ſibi aſſentientem habet.

23. *Ecce ego interficio filium tuum, primogenitum tuum*] Non inconcinnum eſt, quod hîc habet R. Sal: nempe interfectionem iſtam, de quâ hîc fit ſermo, ultimam plagam fuiſſe quam Pharaoni inflixit, cum tamen ſtatim ab initio de eâ fuiſſe præmonitum, propterea quòd omnium plagarum eſſet graviſſima. Deum ſiquidem homini haud eſſe ſimilem; hominem enim, cum de quopiam ultionem quærit, conſilium ſuum occultare, ne alioqui alter manus ipſius evadat; Deum autem adeò præpotentem eſſe, ut niſi ad ipſum revertendo, ultionem ejus nemo effugere valeat, ac propterea eum quid facturus ſit, apertè indicare.

24. וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְהוָה. *Et occurrit ei Dominus*] Onk. & Jon. מלאכא דיי *angelus Domini.* Sic LXX. ἄγγελος κυρίου. ac etiamſi vox *Elohim* de angelis uſurpetur, tamen illud tetragrammaton (quod vocant) Deo eſt peculiare.

25. *Et accepit Sephora* צֹר *cultrum*] Sive lapidem. Chaldæus vertit טינרא, quod Fagius interpretatur *Petram.* Ita vox iſta plerumque ſignificat; hîc autem Buxtorfius junior in Lexico Syro-Chald. & Senior in Lexico Talmud. volunt ſignificare cultrum acutum, Hebræum צֹר & צור quandoque autem de cultro ſeu gladio uſurpari, ut 2 *Sam.* 2. 16. חלקת הצרים: Pſal. 89. 43. aciem gladii denotat; צור חרבו. Rectè igitur Aben Ezra exponit דבר חד rem acutam. Joſ. 5. Ubi de circumciſione etiam agitur, eadem vox in plurali צורים reperitur.

וַתַּגַּע לְרַגְלָיו *Et fecit tangere pedes ejus*] Projecit præputium ad pedes ejus, nempe, ut opinor, Moſis. Alii aliter exponunt, Hieroſol. ואקריבת יתיה קדם ריגלוי דמחבלא *Et fecit appropinquare coram pedibus deſtructoris.* Intelligit Angelum Moſen interficere ſatagentem. Similiter Jon. *& appropinquare fecit* (a) *exciſionem circumciſionis* (hoc e. præputium exciſum) *pedibus Angeli vaſtatoris.* R. Salomon de pedibus Moſis interpretatur, השליכתו לפני רגלי של משה *projecit illum* (b) (puerum) vel *illud* (præputium pueri) *ante pedes Moſis.* Ita etiam Aben Ezra לפי דעתי לרגלי משה i. *juxta ſententiam meam ad pedes Moſis.* Refert autem Rab. Samuelem de pedibus Eliezer intelligere. *Mihi* (inquit Chamierus loco infra citato) *rectiùs & aptius atque congruentius narrationi ſcripturæ ſentire atque interpretari videntur, qui pronomen illud ejus referunt ad Moſen, ad cujus pedes abjecit Sephora præputium amputatum filii:* In hanc ſententiam alios Pontificios pariter ac Proteſtantes citat.

וַתֹּאמֶר כִּי חֲתַן דָּמִים אַתָּה לִי *Et dixit certè ſponſus ſanguinum tu mihi*] Onk. (c) *Propter ſanguinem circumciſionis hujus,* מהולא דין אתיהב לנא *datur* (Fagius vertit,) *datur ſponſus nobis.* Jon, (d) *Sponſus quæſivit circumcidere, & ſocer ejus impedivit, & poſteà ſanguis circumciſionis hujus propitiabitur pro ſponſo meo.* Hieroſol. *Sponſus quæſivit circumcidere, & ſocer illum non permiſit. Nunc igitur propitiabitur ſanguis circumciſionis hujus* (אדם גזירתא הדין) *pro peccatis ſponſi hujus.* R. Sal. ait Sephoram ita filium eſſe allocutam, q. d. *Tu in causâ fuiſti, ut ſponſus meus interficeretur; tu mihi maritum meum interficis.* Similiter Lyra; *Ferè propter te* (ſcilicet Eliezer, cujus pedes tetigit, id eſt, ad cujus pedes manavit ſanguis ex inciſione) *Sponſus meus Moſes fuit occiſus.* Addit autem & aliter poſſe exponi, ut nimirum præputium ad pedes Moſis fuerit projectum, & ei dictum, *Sponſus ſanguinum tu mihi*, i. e. propter te, qui es ſponſus meus, ne te angelus occideret, ſanguis filii mei effuſus eſt. Atque hanc expoſitionem ait meliùs convenire ei, quod ſequitur, *Et dimiſit eum*, ſc. (ut ipſe exponit) Sephora indignata à Moſe diſceſſit, & ad patrem ſuum unà cum filiis rediit; id quod confirmat ex cap. 18. 5. At verba iſta, *Et dimiſit eum*, aliter videntur intelligenda: & (ut Burgenſis notat) ex cap. 18. 2. apparet Moſen uxorem ſuam ad patrem remiſiſſe, non illam indignabundam ab eo receſſiſſe. Aben Ezra ait מנהג הנשים לקרא לבן כאשר ימול חתן i. e. *Solent mulieres appellare filium, cum circumciditur, Chathan* ſive *Sponſum.* Ac ſenſum verborum ita explicat, איש דמים אתה לי כי בעבורך ימות בעלי i. e. *Vir ſanguinum tu mihi es; nam propter te interficietur maritus meus.* Quod cum priore R. Salom. interpretatione convenit. (e) Druſius etiam citat R. Levi ſic ſcribentem, *Sponſus in principio connubii vocatur, qui alicui promiſſus eſt: inde transfertur ad initium rerum aliarum, ut cum infans recens circumciſus eſt, à mulieribus ſponſus vocatur. Nam tunc primùm incipit Deo ſervire.* Addit R. Davidem in libro Radicum conſimilia ſcribere, & ex conjecturâ adjicere חתן habere ſignificationem innovandi per lætitiam. *Nam ut innovatur* (inquit) *lætitia in die nuptiarum, ſic innovatur eadem in die circumciſionis.* Verba R. Davidis prout à Fagio referuntur, indicant eum dubitaſſe an חתן diceretur puer in die circumciſionis; aſſeruiſſe autem etymon vocabuli חתן eſſe, quod novum gaudium quoddam ſignificat. (f) Medus noſter eodem modo, quo Druſius, R. Davidis ſententiam recitat. Quin & inſuper notat, ex eo, quòd puer quo tempore circumciſus eſſet, vocabatur חתן, Arabicè חתן eſſe circumcidere, & חִתּוּן circumciſionem מחתן circumciſum denotare. Idem etiam argumentatur, hæc verba à Sephorâ non Moſi, ſed puero dicta fuiſſe, quòd maritus, non niſi ſtatim à nuptiis vocari ſoleat *ſponſus*; haud quaquam igitur veriſimile eſſe Sephoram, jam cum duorum filiorum mater eſſet, Moſen ſponſum appellâſſe. Atque huic quidem argumento, quid commodè reſponderi poſſit, ignoro. Concludit igitur verba iſta, *Sponſus ſanguinum tu mihi*, fuiſſe verba ſolemnia, quæ in circumciſione uſurpare ſolebant, ac ſenſum eſſe, *ſis mihi initiatus circumciſione* (ut quemadmodum *filius percuſſionis* idem valet quod *percuſſus*; *& filius fœderis*, idem quod *fœderatus*; ſic חתן דמים (g) *gener ſanguinum*, id eſt, ut ſtatim exponitur, *circumciſionis* idem valeat, quod circumciſus, q. d. *Pronuntio te circumciſum.* Putat etiam hâc loquendi formulâ innui circumciſum, quaſi generum circumcidentis, & Sponſum circumciſionis fieri, q. d. *Es* vel *ſis mihi in generum deſponſatus circumciſioni*, in hunc ſenſum interpretatur verba (h) Onk. *In ſanguine circumciſionis iſtius datus eſt Sponſus* vel *gener mihi.* Similiter etiam intelligit verſionem LXX. interpretum legens non ἔστη *ſtetit*, (quod mendoſum cenſet) ſed ἔστω τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου, *ſit hic ſanguis circumciſionis filii mei.* Auguſtinus legens *ſtetit*, myſterium hîc ſubeſſe

(a) גזירת מהולתא (b) *Chamier: tom: 4. l. 5. c. 14. Sect. 24. putat R. Sal. de puero intellexiſſe; at verba æquè ad præputium referri poſſe videntur.*

(c) *Vel in ſanguine* בדמא (d) *Jonathan paulò antè ait Gerſhom nunc à Sephora circumciſum; non enim permiſiſſe Jethro, ut circumcideretur, inter illum autem & Moſen conveniſſe ut Eliezer eſſet circumciſus, ſed vide ipſum.* (e) *Druſ. ad diffic. loca. Exod. c. 11.* (f) *Medus in Diatr. de verbis Sephoræ.* (g) חתן *propriè generum ſignificat.* (h) *Onkelum autem aliud quiddam ſenſiſſe apparet ex ejus verbis, quæ citantur. v. 26.*

esse existimat. *Non enim* (inquit) *ait recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem, sed quia fletit sanguis circumcisionis; non quia cucurrit, sed quia fletit; magno, nisi fallor, sacramento.* Hæc ille; sed in verbo isto, quod non immeritò ex depravatâ lectione ortum judicatur, & utcunque mihi in Hebræo habet, cui respondeat, mysterium frustrà quæritur.

26. וַיִּרֶף מִמֶּנּוּ *Et dimisit eum.*] Onk. ונח מניה *& quievit ab eo.* Jon. ופסק מלאך חבלא מניה *& cessavit angelus Vastator ab eo.* Hieros. וכד אזיל מחבלא מניה *& quando discessit ab eo Vastator*, &c. R. Sal. etiam de angelo exponit, qui postquam puer circumcisus fuit, Mosen persequi desiit: in eundem sensum, Aben Ezra ait morbum & tremorem (החולי והחרדה) à Mose recessisse; ac rectè refellit Rab. Samuelem, qui existimavit Eliezer ob omissam circumcisionem fuisse percussum, ac cum circumcisus esset, liberatum. *Quomodo enim* (inquit) *circumcideret Sephora puerum morbo laborantem? Quid hoc aliud esset, quàm dolorem dolori addere?* Quin & Liram meritò redarguit Steuchus, eumque mirè hallucinatum dicit, quòd de Sephora Mosen deserente hæc verba interpretetur, cum verbum (וירף) sit masculinum, vide supra, ad v. 25.

Tunc dixit חֲתַן דָּמִים לַמּוּלֹת *Sponsus (sive gener) sanguinum propter circumcisionem.*] Onk. אלולי דמא דמהולתא הדין אתחייב חתנא קטול *Absque sanguine Circumcisionis hujus fuisset, sponsus meus fuisset reus occisionis, seu fuisset occidendus.* Hieros. *Quam clarus hic sanguis circumcisionis, qui liberavit sponsum è manibus angeli mortis?* Et eodem prorsus modo Jonathan, nisi quòd pro מלאך מותא *angeli mortis habet* מלאך חבלא *angeli perditoris.* R. Sal. exponit חתני היה נרצח על דבר המילה *Sponsus meus fuit occisus (seu occidendus) propter negotium circumcisionis.* Addit postea ואונקלוס תרגם דמים על דם המילה *Onkelos autem interpretatus Damim est* (i. e. *Sanguinum*) *de sanguine Circumcisionis.* Aben Ezra notat vocem *Damim* in linguâ sanctâ duplicem habere acceptionem; interdum enim occisionem, interdum autem sanguinem simpliciter denotare. Asserit igitur Sephoram, cum vidisset Mosen morbo liberatum dixisse, אין אתה בני חתן דמים שהוא מענין הריגה *Non es tu (fili mi) sponsus (seu gener) sanguinum, quatenus vox ista occisionem importat* (quo sensu putat eam primò dixisse, *Sponsus sanguinum tu mihi*) רק אתה חתן מתבוסס בדם המילה *Sed tu es Sponsus (sive gener) volutatus sanguine circumcisionis.* Mihi simpliciùs multò videtur, ut verba ista, חתן דמים *Sponsus sanguinum* utroque in loco eundem sensum habeant, ac posteriori loco illud למולות *ob circumcisionem* explicationis gratiâ sit additum, quo nempe clariùs intelligatur quamobrem sive Mosen, sive puerum (quod amplecti potius voluerim) *Sponsum* seu *generum sanguinum* appellârit.

29. *Et congregabant omnes seniores filiorum Israël*] Vide supra ad cap. 3. v. 16.

I D E M.

25. *Et accepit Tsephora* צֹר] Kimchi in Rad. ait צור hic & Ezech. 3. 9. significare *petram* seu *rupem* סלע עזים, at Jos. 5. 2, 3. חַרְבוֹת צֻרִים exponit *gladios*, seu *cultros* (*a*) *acutos* חרבות חדודין כלומר חרבות שיש להן חדודין, Sic Psal. 89. 43. צור חרבו interpretatur, חדוד חרבו *aciem gladii ejus.* Cum autem hic pariter ac Jos. 5. de circumcisione agatur, non aliter hic צור quàm illic צרים sumendum videtur. LXX. hic habent ψῆφον, *calculum*, in Josua autem μαχαίρας πετρίνας, *gladios petrinos.* Kircherus in Concordantiis suis istum Josuæ locum omittit, hunc autem Exodi bis citat, primò nempe in hunc modum, καὶ λαβοῦσα σεπφώρα ψῆφον, deinde verò sic, καὶ λαβοῦσα σεπφώρα πέτραν, cum illud πέτραν non τῶν LXX. sed Aquilæ sit interpretamentum.

Ibid. כִּי חֲתַן דָּמִים אַתָּה לִי *Nam sponsus sanguinum*, &c.] Kimchi in radice חתן de hoc loco agens, sic scribit &c. דרך סברה כי כמו שהיו קורים לאדם ביום חופתו חתן כן היו קורים לתינוק ביום המילה חתן כי עקר מלת חתן הוא ענין החדוש בשמחה וכמו שמתחדש השמחה ביום חופה כן מתחדש ביום המילה, *videtur ex conjecturâ, quòd ut in die nuptiarum vocabant hominem Chathan (seu Sponsum) ita etiam in die circumcisionis vocabant puerum Chathan* vel *Sponsum. Nam vox Chathan ex origine suo denotat* (*b*) *innovationem cum lætitia. Et quemadmodum innovatur lætitia in die nuptiarum, sic etiam innovatur in die circumcisionis.* Asserit autem sensum esse, quasi dixisset Tsephora נעשית לי היום חתן לדמים ולהריגת בעלי *Factus es hodie mihi Chathan (vel sponsus) propter* vel *ad sanguinem & occisionem mariti.* Cum autem projecisset ex sanguine circumcisionis ad pedes Mosis (ובשהגיעה בדם המילה לרגלי משה) &

(*a*) *Ad verb.* gladios acierum. (*b*) *Fagius vertit* novum gaudium.

morbus ab eo recessisset, tunc eam dixisse ait חתן דמים למולות *Sponsus sanguinum (es) propter circumcisionem.* Q. d. רוצה לומר שקראתיך חתן דמים אינך חתן לדמי הריגה כי אם לדמי המולות *Tu, quem vocavi sponsum sanguinum, non es sponsus ob sanguinem occisionis, sed ob sanguinem circumcisionis.* Illud non prætermittendum, quod habet Elias in Thisbi, nempe hominem per septem dies, quibus nuptiale convivium duravit, vocari חתן, & uxorem ejus כלה, posteà autem non vocari eum חתן, nec illam כלה nisi à sponsi & sponsæ parentibus. Id vult, durante duntaxat nuptiali convivio חתן pro Sponso, & כלה pro Sponsa, postea autem חתן pro genero & כלה pro nuru usurpari. Hinc Medus noster non ineptè argumentatur, vocem חתן hoc in loco non ad Mosen, sed ad puerum esse referendam.

CAP. V.

M U N S T E R U S.

4 A*Bstrahitis*] Exponitur verbum פרע per הרחיק, *elongavit*, & המרה, *rebellem fecit*, item per הבדיל, *separavit.* A. E. exponit שבש, *corrupit.*

6. *Exactoribus*] Seu *angariatoribus.* Et hi fuerunt ex Ægyptiis, præpositi quidem לשוטרים, qui fuerunt ex populo Israëlitico.

7. *Non adjicietis*] Ponitur Aleph loco Vau. Utitur proinde hic Hebraismus nomine & verbo ab eadem radice formatis, scilicet, *laterificent lateres.* Sic à קש, *stipula*, fit verbum קשש, *stipulas collegit.*

8. *Summam*,] Est מתכנת idem quod תכונה seu מתכן, *summa & certus numerus.* Porro תמול capitur pro *hesterno*, & aliquando pro *quocunque pristino die.* ¶ *Otio torpent*] Heb. נרפים participium passivum derivatum à verbo רפה, ut sit sensus, *Dissoluti*, seu *laxati*, *sunt ab opere & labore.*

9. *Non respiciant*] K. exponit, יבטחו, pro *confidere in verba falsa.* Vocat autem verba Mosi verba vana & falsa.

12. *Ut colligerent stipulas pro paleis*] Sensus est, ut colligerent stipulas loco palearum.

16. *Peccatur in populum tuum*] Heb. *Peccatum populi tui*; quod variè exponitur. Quidam enim sic interpretantur, *Peccatum populi super te est*: alii sic, *Sævitur in populum tuum quasi in peccatorem*; vel, *Peccatum populo tuo imputatur.*

19. *Cum mærore*] Heb. *cum malo*, scilicet aspectu. Alii exponunt hic אתם pro עצמם & אותם, ut sit sensus, *Viderunt præfecti Israelitarum se esse in magno mærore, potissimùm cum dixisset Pharao, Non minuetis de numero laterum*, &c.

20. *Occurrerunt Mosi*] R. S. exponit את pro præpositione עם. Et tunc hic sensus erit, *Occurrerunt autem illi cum Mose & Aharon, ipsis exactoribus*, &c.

24. *In manu validâ*] Capitur hic præpositio *in* pro מפני, i. *propter*: ut sit sensus, Propter plagas magnas & validas cogetur tandem dimittere eos.

F A G I U S.

3. N*E occurrat nobis morte vel occisione*] i. *ne interficiat nos peste aut gladio.* Quem sensum expressit etiam Vulg. editio Latina. Et in multis locis Germaniæ pestis *mors* vocatur: dicitur enim *mors esse* in aliquo loco ubi pestis grassatur. Hebræi tamen hunc locum ità explicant, quasi non de se, sed de Ægyptiis potiùs hæc dixerint, quos peste & gladio perituros significare voluerint, eò quòd non dimitterent Israel; in se tamen hæc transtulisse modestiæ causâ, honorem ità Regi deferentes.

7. *Sicut hactenus*] Sensum reddidi. Nam ad literam est, *sicut heri & nudius tertius.* Sed idiotismus est, pro *antea*, *prius*, sive *hactenus*; de quo & supra.

9. *Ut occupentur in ea, & non occupentur*, &c.] Vult dicere, Gravius illis opus imponatur, & occupentur in eo opere, ut non attendant verbis fallacibus, i. Mosi & Aharoni, qui verbis fallacibus decipiant illos.

12. *Stipulas paleæ*] Potest etiam legi, *stipulas pro paleas*, i. quibus uterentur vice palearum.

13. *Per singulos dies*] Sensum reddidimus. Nam ad verbum est, *Rem diei in die suo.* Quod idiotismus est, pro *pensum diurnum.*

14. *Nec heri nec hodie*] Concisus sermo est. Subaudiendum enim verbum est, *perfecistis* scilicet.

16. *Et peccat contra vos populus tuus*] h. e. Peccati se reum facit

facit populus tuus, eò quòd verberant & iniquè tractant nos servos tuos, cùm impossibile sit ut reddamus numerum laterum, posteàquam deest filiis Israel palea quâ opus habent in conficiendis lateribus. Veritas Hebraica habet, וחטאת עמך, quod variè redditur & exponitur. Nostri commentatores sic intelligunt, Nos quidem præfecti cædimur, *at peccatum*, i. culpa, *populi est*. q. d. Tametsi populus opus absolvere non potest, nos nihilominus cædimur. Vel sic, Injustè sanè nobiscum agitur: nam nos cædimur immeritò; dein populus iniquè opprimitur, eò quòd tantum numerum laterum conficere cogitur, cùm non habeat paleas. Et hunc sensum habet Vulg. Interpres. Variant quoque Hebræi. R. S. sic explicat, *Et peccatur in populum tuum, h. e. Hæc res, quò ità in nos sævitur, malè cedet populo tuo. Populus tuus dabit pœnas istius tyrannidis quæ in nos exercetur.* A. E. dicit חטאת esse præteritum loco futuri: unde sic interpretatur, *Populus tuus se reum peccati faciet*, Dein Volck wirt sich versündigen oder verschuldigen. Sentit autem hæc על דרך כבוד, ut ipse inquit, i. *civilitate quadam*, de populo & subditis dici, cùm de Pharaone loquantur, q. d. Tu es causa hujus mali atque peccati: posses enim facilè cavere ut non ità sæviretur in populum tuum; tuâ culpâ fit quicquid fit.

19. *Et aspexerunt*, &c. *eos torve*, &c. Ad verb. *Et aspexerunt præfecti filiorum Israel eos in malo*, vel *cum malo*, &c. Quæ bifariam intelliguntur. Primùm hoc modò; Deprehenderunt seipsos in malo esse, h. e. malè secum agi, quòd nihil minueretur de laboribus sed magis augerentur. Et hunc sensum sequitur Vulg. editio; *Videbántque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quòd diceretur eis, Non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies.* Vel ut sit sensus, Quòd exactores operis malo & torvo vultu aspexerint filios Israel, quò faciliùs extorquerent ab eis numerum laterum conficiendorum.

21. *Fœtere fecistis odorem nostrum*] Ità vertit author Complutensis editionis, quem secutus sum; tametsi Chaldaicè ad literam est, *Malum fecistis odorem nostrum.* אבאיש *enim Chaldais malum facere* significat. Est autem *fœtere*, sive *malum odorem esse*, locutio metaleptica, à re graveolenti transumpta, à qua faciem & nares avertimus: q. d. Viles & abominabiles nos reddidistis coram Pharaone & Ægyptiis; horrent, abominantur, & irascuntur nobis: cujus rei vos estis authores. Germanicè, Ihr habt uns unwerth gemacht. D. Paulus 2 Cor. 2. 15. hàc metalepsi in contrario sensu usus est, cùm dixit nos *Christi bonum odorem esse*: *odorem* autem pro *fama* accipit: tunc enim bonus odor sumus cùm ità nos gerimus ut grati & accepti simus, & homines bene de nobis loquantur ac prædicent. Germanicè quoque dicimus, Ihr stinckt mich an / de eo quem vehementer odimus. Unde & Gen. 34. 30. ubi Patriarcha Jacob dicit ad filios suos, cum exscidissent urbem Sichimam, *Turbastis me, ut fœtere me faceretis coram habitatore terræ hujus*, &c. Paraphrastes noster habet, *Turbastis me ut poneretis inimicitiam inter me & habitatores terræ*, &c. q. d. Odium mihi conflastis; vilem, abominabilem & invisum me reddidistis, &c.

VATABLUS.

1. UT *festa celebrent*, ויחגו] Synecdoche est: per partem enim totum intelligitur, nam *festum celebrare* oblationem & sacrificium complectitur; quòd in festivitatibus etiam sacrificarent.

3. *Occurrit nobis*, נקרא עלינו] *Apparuit nobis.* Alii, *invocatur super nos.* ¶ *Eamus quæso*, נלכה נא] i. liceat nobis per te ire. ¶ *Occurrat nobis*, יפגענו] i. irruat in nos, h. e. invadat nos *peste aut gladio.*

4. *Cessare facitis*, תפריעו] *abstrahitis, abducitis.*

5. *Et cessare facitis*: והשבתם] *propterea cessare facitis*: i. avertitis eos ab operibus illis injunctis. Fut. Heb. pro Præs. q. d. Freti multitudine intermittitis opus, & cogitatis de rebellando.

7. *Non dabitis posthac*: לא תאספון לתת] Ad verb. *Non addetis ut detis.* ¶ *Ad conficiendos lateres* &c. ללבן הלבנים וגו'] Ad verb. *ad laterificandum lateres, sicut heri, nudiustertius.* i. ad conficiendos lateres, sicut antea, vel priùs soliti estis.

8. *Summam tamen*, ואת מתכנת] Ad verb. *Et summam.* Quidam, *At summam.* ¶ *Otiosi sunt*, נרפים] *remissi sunt*, vel, *sunt enim animo remisso.*

9. *Aggravetur opus*, תכבד העבדה] i. homines illi jam dediti otio, obruantur operibus. ¶ *Et occupentur in eo*, ויעשו בה] sub. *opere.* Ad verb. *& faciant in eo.* ¶ *In verbis mendacii.* בדברי שקר] i. Mosi & Aharonii, qui verbis fallacibus decipiunt illos.

10. *Ego non sum daturus*, אינני נתן] Ad verb. *Ego non dans.*

12. *Ut colligeret stipulam*, לקשש קש] Ad verb. *ad stipulandum stipulam*, si Latinè dici posset. ¶ *Pro palea.* לתבן] i. quâ uterentur vice paleæ.

13. *Urgebant*, אצים] sub. *populum.* Alii *instabant*, ut sit intransitivum. ¶ *Opera vestra*, מעשיכם] i. numerum laterum vobis injunctum. ¶ *Pensum diurnum tempore suo*, דבר יום ביומו] Ad verb. *rem diei in die suo.* Per appositionem dictum, i. opus demensum in singulos dies tempore suo.

14. *Et cæsi sunt*, ויכו] *Et flagellati sunt*, vel *percussi.* ¶ *Statutum vobis*, חקכם] *pensum vestrum, opus demensum vobis.* ¶ *Conficiendo lateres*, &c. ללבן כתמול וגו'] *laterificando sicut heri & nudiustertius, etiam heri, etiam hodie?* Posterius præcedenti jungendum est, *Cur non perfecistis etiam heri, etiam hodie?* i. Quare heri & hodie non reddidistis numerum illum laterum quem reddere solebatis?

16. *Et dicunt*, &c. ולבנים וגו'] Ad verb. *Et lateres, dicunt nobis, facite.* Ordo inversus. ¶ *Et peccat*, וחטאת] Præt. Heb. pro præs. i. *dicitur peccare: fit reus peccati*: aut, *imputatur peccatum populo tuo*, quasi rebelles sint & nolint parêre mandato. ת ponitur pro ה, & א quiescit. Ex doctis Hebræorum alter dicit esse Præt. vertendum per fut: propter ו. q. d. *Populus tuus se reum peccati faciet.* Civilitate autem quadam utuntur quum de populo & subditis loquentes, de Pharaone ipso intelligunt: ac si dicerent, Tu es causa hujus mali atque peccati: nam posses facilè cavere, ut non ità sæviretur in populum tuum: tuâ culpâ fit quicquid fit. Nonnulli existimant חטאת esse nomen, non verbum, vertentes, *peccatum populi tui est*, q. d. Nos quidem præfecti cædimur: ac peccatum, i. culpa, populi est: tametsi enim populus absolvere opus non potest quòd paleæ illis non dentur, nos nihilominus cædimur.

17. *Vacatis, vacatis*: נרפים אתם נרפים] *Remissi, remissi estis*, i. Valde estis remissi: aut, Animo valde remisso estis: nimium otiosi estis.

18. *Operamini*: עבדו] *facite opus vestrum.* ¶ *Et summam*, ותכן] *& numerum*, i. & tamen reddetis singulis diebus numerum laterum.

19. *Se ipsos esse in malo*, אתם ברע] *se ipsos esse in afflictione*: vel, *miseria*, h. e. secum malè agi. ¶ *De penso*, &c. דבר יום ביומו] Ad verb. *De re diei in die suo.*

20. *In occursum eorum*, לקראתם] *ex adverso* [vel *è regione*] *eorum.* Apparet Mosen & Aaronem sic in aliquo loco statuisse, ut dum præfecti filiorum Israel à Pharaone exissent, intelligerent quidnam cum illis actum esset.

21. *Videat Jehovah*, &c. ירא יהוה וגו'] i. Deus, cognitâ causâ, judicet de vobis. ¶ *Quia fœtere fecistis*, &c. אשר הבאשתם וגו'] Hebraismus, Qui reddidistis nos abominabiles apud Pharaonem, veluti rem putidam, ac fœtidam. Vide Gen. 34. 30.

22. *Ut quid*, למה זה] Hic זה redundat.

CLARIUS.

4 SOlicitatis *populum*] Vel, *abstrahitis, avocatis.*

6. *Præfectis operum*] Erant primùm exactores Ægypti ex aula Pharaonis instituti, quibus suberant ex filiis Israel selecti, qui præfecti populo illum ad opus urgerent.

9. *Non acquiescant verbis mendacibus*] Vocat verba Mosis mendacia & vana.

12. *Ad colligendas stipulas pro paleis*] h. e. *loco palearum*, idque non ex uno loco, sed ex tota Ægypto. At tu vide, ut tum maximè populus Dei affligatur cùm propinqua est salus ac liberatio. *His autem* (inquit) *fieri incipientibus, suspicite, atque attollite capita vestra, ecce enim appropinquat redemptio vestra.*

16. *Injustè agitur*] Heb. *Peccatum populi tui*, quod variè exponitur. Quidam enim sic interpretantur, *Peccatum populi super te est*: alii sic, *Sævitur in populum tuum quasi in peccatorem.*

DRUSIUS.

7. כתמול שלשם הם ילכו וקששו להם תבן] A. καθὼς ἐχθὲς καὶ τρίτης αὐτοὶ πορευέσθωσαν — *sicut heri & nudiustertius ipsi vadant.* Sym. καθάπερ καὶ πρότερον αὐτοὶ ἀπερχόμενοι καλαμάσθωσαν ἑαυτοῖς ἄχυρα, *sicut & prius ipsi abeuntes colligant sibi paleas.* Th. καθάπερ ἐχθὲς καὶ τρίτης αὐτοὶ πορευέσθωσαν καὶ καλαμάσθωσαν ἑαυτοῖς ἄχυρα, *sicut heri & nudiustertius ipsi profecti colligant sibi paleam*] *Sicut & prius.* Sensum optimè expressit

pressit. Nam *heri & nudiustertius* proverbiale est pro *antea*. Sic Vulg. noster, *ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant, & colligant stipulas.* ¶ Πορευθέντες καὶ. Malim πορευέσθωσαν καὶ, aut deletâ copulâ, πορευθέντες καλαμάσθωσαν. Est autem καλαμᾶσθαι propriè *stipulas colligere*. Nam καλάμη *stipula*, i. קש: unde hic verbum in Ebræo ושש, quod vertunt simpliciter *colligunt*. Sign. etiam *spicas colligere post messores*.

16. והנה עבדיך מכים וחטאת עמך. A. Καὶ ἰδοὺ οἱ δοῦλοί σου πεπληγμένοι, καὶ ἁμαρτία λαῷ σου, & *ecce servi tui percussi sunt, & peccatum est populo tuo.* Sym. καὶ οἱ δοῦλοί σου μεμαστίγωνται, καὶ ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν λαόν σου, & *servi tui flagellantur, & peccatum in plebem tuam*] *Percussi*, Vel *cæsi*, i. cæduntur. Quod patrum memoriâ Santes edidit. Onk. לקן. i. *vapulant*. Cæterùm πεπληγμένοι scribi debet cum η in antepenultima. Est enim participium à πλήττομαι, cujus activum πλήττω, *percutio, cædo, ferio.* ¶ Μεμαστίγωνται. מוכים. Nam antiquâ declaratione μαστιξ מכה dicitur. Nunc *plagam* addunt. Propriè ἀφὴν, *tactum denotat.* ¶ *In plebem tuam*] לעמך Sic R. S. Vulg. *injustè agitur contra populum tuum.* Idem aliter. Onk. *peccant adversum eos populus tuus.* Arias, *peccat populus tuus*: peccat, i. peccati pœnam sustinet. Hunc sensum Santes exprimit, referens, *punitur populus tuus.* Notum ut ἁμαρτία ponatur pro *pœna peccati*.

19. יגרעו. A. οὐκ ἀφελεῖτε] Ἀφαιρέω, *subtraho, subduco*, item *diminuo*: unde ἀφαίρεσις, *diminutio*. Interp. vetus, *non minuetur quicquam*.

21. הבאשתם. A. & Sym. ἐβδελύξατε, *putere fecistis*] Vulg. Lat. *fœtere fecistis*, באש *putridum reddo*: & interdum *putridum oleo, fœteo.* Idem σαπρίζω, quod usitatè sign. *putreo*; Metaphoricè verò, *odio ac fœtori sum*, velut res putrida ac fœtida quam aversamur. Prius erat in Lxx. ἐβδελύξατε, abominabilem sive execrabilem reddidistis.

NOTÆ MAJORES.

1. *ET post ingressi sunt Moses & Aharon, & dixerunt ad Pharaonem, Sic dicit DOMINUS Deus Israel, Dimitte populum meum ut festum celebrent mihi in deserto.*

2. *Dixitque Pharao, Quis DOMINUS cujus voci auscultem dimittendo Israelem? non novi DOMINUM, & etiam Israelem non dimittam.*

Post] Postquam Aharon signa fecisset. ¶ *Ingressi sunt*] Εἰσῆλθον. Santes, *venerunt*. Malim, *inierunt*. Nam בא etiam *eo* significat. Tremel. *accesserunt*. Santem excusabis si *venerunt* positum dicas pro iverunt. Quo sensu Terentius id verbi usurpat. ¶ *Deus Israel*] Populi Israel, Israëlitarum. *Hoc adjecit*, inquit Abenezra, *quia nomen Jod, he, vau, he Pharaoni non erat notum.* ¶ *Ut festum celebrent mihi*] ויחגו לי. Lxx. ἵνα μοι ἑορτάσωσιν, ut mihi festivitatem celebrent. Sic etiam Onkelos. Quod noto, quia in Lippomano, *Chaldaica est cum latina interpretatione.* Nam latina, *ut sacrificet mihi*. Conjuncta tamen ista sunt. Nam in festis sacrificabant & victimas immolabant. Ergo R. Levi exponit, *ut sacrificent mihi*, & ait hujusmodi sacrificia vocari in monumentis Doctorum שלמי חגיגה i. pacifica festivitatis. Sane sacrificandi verbo usus est Moses in præcedentibus. Jonathan hoc loco habet, *ut faciant mihi festum.* Quod Aben. illustrat, *immolando hostias.* Vide, si placet. Atque hinc festum i. חג, ponitur pro agno qui die festo immolabatur. ¶ *Festum*] Festum solemne. editio Gallica. ¶ *Quis DOMINUS?*] Onkelos & Jonathan, *nomen DOMINI non est mihi patefactum.* Sic etiam interpretatur Onkelos, *non novi DOMINUM.* Sunt qui putant Mosem pronuntiasse nomen tetragrammaton suis propriis vocalibus, & quia hoc mandatum erat Pharaoni, ideò, inquiunt, dixit, *non novi DOMINUM.* Quod ex responso Mosis robur accipit. Nam ait, *Deus Ebræorum*, &c. Quod supra fugit, non planè effugit, ויחגו Hiscuni post Abenezram interpretatur, *ut sacrificent*; idque sumptum arbitratur ab eâ significatione nominis חג qua pro sacrificio sive hostia ponitur, ut in illo, *ligate festum funibus* i. agnum in festo immolandum. ¶ *Non novi*] Lxx. οὐκ οἶδα: Hieron. *Nescio.* Jonathan, *Non inveni in libro angelorum scriptum nomen DOMINI: cum ego non timeo.* Quis iste liber angelorum? An qui ab angelis scriptus credebatur? aut potius liber erat apud Ægyptios, in quo continebantur nomina deorum & angelorum?

3. *Et dixerunt, Deus Ebræorum vocatur super nos, ibimus nunc viam trium dierum in deserto, & sacrificabimus DOMINO Deo nostro, ne quando occurrat nobis pestilentia aut gladio.*

Ebræorum] *Judæorum.* On. & Jon. *Deus Abraham, Isahac, & Jacob.* Abenezra. Nam Abraham Ebræus vocatur i. עברי, quod reddunt περάτης, à transitu fluminis. Sed verius ità nominatum esse ab Eber patriarcha, ad quem genus suum referebat. Nec obstat quod alii multi ab eo progeniti sint: sæpe enim hoc modo nomina restringuntur. Sic vocantur aliquando *filii Abraha*, licet plures ex eo prodierint. Respondet autem Moses ad illud, *Quis DOMINUS?* &c. *non novi DOMINUM.* ¶ *Vocatur super nos*] Vis in hoc sermone ut si diceret, Nos vocamur populus aut filii ejus. Ebraicè est נקרא עלינו, quod alii reddunt, *obviam factus est nobis.* Vide supra 3. 18. Hieron. *vocavit nos.* Lxx. προσκέκληται ἡμᾶς, quod similiter reddunt, *vocavit nos.* Onkelos, *revelatus est nobis.* Jonathan, *vocatum est nomen ejus super nos.* Santes, *occurrit nobis.* Arias, *invocatum est super nos.* Abenezra, נקרא per Aleph, ut נקרה per He, significationem habet occurrendi. Inde sanè קריאה in occursum, quod perpetuo cum א scribitur. ¶ *Ibimus*] Vel, *eamus* q. d. liceat nobis ire. ¶ *Viam trium dierum*] Itinere tridui. Tantum intervallum inter Ægyptum & montem Horeb. Abenezra, *Inter Ægyptum & montem Sinai, si quis recta eat nec deflectat à via, spatium est tridui.* Sunt qui nomine dierum menses intelligant. Tertio enim mense venerunt ad montem Sinai. Minus probo. ¶ *Et sacrificabimus*] Vel, *ut sacrificemus.* ¶ *Ne quando nobis occurrat cum pestilentiâ aut gladio*] Hieron *ne forte accidat nobis pestis aut gladius.* Lxx. μήποτε συναντήσῃ ἡμῖν θάνατος ἢ φόνος. פן יפגענו בדבר או בחרב. Hic aliqua notanda. Primum pestem pro pestilentia usurpari, quæ à Græcis vocatur θάνατος, ut à Chaldæis מותא sive מותנא & Gallicè, *mortalité*: deinde pro חרב gladius, quod à Græcis redditur φόνος, etiam Chaldaicè legi קטל, sive קטול occisio, cædes. ¶ *Occurrat nobis*] Occidat nos. August. lib. 7. quæst. 96. *Legitur in libro Judicum de Samsone, ne forte occurratis in me vos: ubi alii, ne forte veniatis adversus me vos. Sic in libro Regnorum, Vade, occurre ei. Id militares potestates dicunt, vade, alleva illum* (Belgicè licht hem) *Solet & vulgo apud nos dici, Compediavit illi: quod est occidit illum. Et hoc nemo intelligit, nisi qui audire consuevit.* Alii, *irruat in nos, invadat nos.* ¶ *Pestilentia*] Santes, *cum pestilentia*: ad verb. *in pestilentia.* Tremel. *ne occurrens nos cadat peste.* Sed pestis est pernicies, vel calamitas: unde pestis reipublicæ. ¶ *Nobis*] Tam Israelitis quam Ægyptiis.

4. *Et dixit eis Rex Ægypti, Quare Moses & Aharon avertitis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.*

5. *Et dixit Pharao, Ecce multi sunt populus terræ, & cessare facitis eos ab oneribus eorum.*

Avertitis] Abstrahitis, cessare facitis. Hoc Jonathan & Onkelos: illud interpretantur Tremel. & Munsterus. Græci autem habent διαστρέφετε, & Hieron. solicitatis. Ebraicè est תפריעו. Quidam, *abducitis.* Abenezra פרע quod sensum habet perplexitatis. ¶ *Ite ad onera vestra*] Hoc dicit senibus populi: quos adfuisse vel hinc liquere potest. ¶ *Multi sunt populus terræ*] Non moramur pestilentiam cum tam multi sint. Japheth Ebræus. Avertitis eos à multo opere, cum multi sint numero. Abenezra. *Freti multitudine intermittitis opus, & cogitatis de rebellando.* Vatablus. Quidam etiam per interrogationem legunt, *& cessare faceretis eos ab operibus suis?* ¶ *Multi sunt*] Alii, *multus est.* Populus multi sunt, ut *turba ruunt.* Est enim collectivum. ¶ *Populus terræ*] Infima plebs, & vulgus promiscuum. Tres ordines erant in populo Israëlio, Principes sive Magistratus, sacerdotes, & populus terræ. De his alias. Hieron. hic luxuriat aliquantum à verbis, *multus est populus terræ: videtis quod turba succreverit: quantò magis si dederitis eis requiem ab operibus.* Aliter Græci. Vide.

6. *Præcepitque Pharao in die illo exactoribus populi, & præfectis ejus, dicendo.*

7. *Non addetis dare paleam populo huic ad conficiendos lateres, ut heri nudiustertius: ipsi eant & colligant sibi paleam.*

8. *Et summam laterum quam ipsi faciebant heri nudiustertius imponetis eis, non minuetis ex ea, quia otiosi sunt: ideò ipsi vociferantur, dicendo, Eamus, sacrificemus Deo nostro.*

Exactoribus populi] Ità Santes. In Ebræo est הנגשים בעם, qui exactiones faciebant in populo, vel, si mavis, in populum. Hi Ægyptii erant, & exactiones operis agebant. Sic dicò, exigebant operas à filiis Israel. Præfecti autem Ebræi erant, ut annotat Abenezra. Nunc ad versiones. Igitur Lxx. τοῖς ἐργοδιώκταις τοῦ λαοῦ, exactoribus operum populi: optimè & rectissimè. Onkelos & Jonathan, שלטוני עמא, quod Fagius reddit, *præfectis populi.* alius forte mallet, *principibus populi.* Hieron. *præfectis operum.* Munsterus, *exactoribus qui erant in populo. Et hi erant*, inquit, *ex Ægyptiis præpositi præfectis, qui Israëlitæ erant.* ¶ *Et præfectis ejus*] שטריו. Lxx. καὶ τοῖς γραμματεῦσι, & scribis: nisi vertendum, *præfectis.* Sic γραμματεύς pro præfecto usurpat Lucas Act. 19. 35. καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, ubi

ubi Syrus [illegible] præfectus urbis. Alibi eadem editio habet γραμματοεισαγωγεῖς, & semel τοὺς ἀναγκάζοντας: Quod sumptum videri possit ex Aquilæ; sanè Proverbiorum 6. 7. שׁוֹטֵר A. ἀναγκάζων. Th. ἐκβιαστής. Sym. γραμματεύς. Sic etiam Lxx. Num. 11. 16. [illegible] καὶ γραμματεῖς αὐτῶν. Hinc intelliges quid sit 1 Machab. 5. 42. γραμματεῖς τοῦ λαοῦ. Neque dubito quin Ebraicè fuerit שׁוֹטְרֵי הָעָם. Hieron. hoc loco, *exactores*, & in Numeris, *Magistros*. Onkelos & Jonathan סָרְכִין quæ vox obvia Dan. 6. 2. sed cum (·) in primâ. Sym. ibi vertit *principes*: Aquila συνεκτικούς. Theod. verò τακτικούς. Vide Fragmenta. Munsteri λέξεις סרכא *princeps*, *exactor*; סרכיא caduceatores, satellites. Appellatio, ut apparet à vinciendo. Nam סְרַךְ vincio, colligo, συνέχω. Sic Ebræi שׁוֹטְרִים definiunt eos qui ligant homines jussu magistratuum. Lictores Latini appellant. Interpretantur etiam שׁוֹטֵר dicentes esse eum qui a rege constituitur aut præficitur alicui loco, videlicet Proverb. 6. Editio Gallica hoc loco, *commissaires d'icelui*. Lipponianus, *Dicunt exactores esse publicorum operum, qui ex aula Pharaonis instituti demensum præscribebant pro personis & temporibus exhibendum in laboribus. Quibus suberant ex filiis Israel selecti, qui præfecti populi dicebantur, & illos ad opus urgebant, quos Ebræi præcones & sollicitatores pro singulis operibus vocabant, rationem exactoribus reddituri. Alii contra præfectos populi angustiatores ejus ex domo Pharaonis fuisse dicunt: exactores autem sollicitatores ex Ebræis, qui præfectis Ægyptiis rationem operum reddebant.* ¶ *Non addetis dare*] Non amplius dabitis. ¶ *Paleam*] Ἄχυρον. In Hieron. est *paleas*. Glossa interlinearis, *Paleæ dabantur vel ut earum admixtione tenacius fieret opus, vel ut ex ipsis lateres coquerentur*. Abenezra, *Solent* בּוֹנֵי עָפָר *qui ex terrâ ædificant, miscere eam cum palea vel stipula ut tanto firmior sit*. Nicolaus Brabantinus, *Paleæ commiscebantur cum luto ut lateres fortiores essent. ex lateribus autem fiebant ædificia in Ægypto, quia rari lapides sunt ibi*. Glossa supradicta, *Ideo autem maxime in Ægypto lateres fiebant, ut inde civitates fierent, quia ibi lapides non abundant* ¶ *Ad conficiendum lateres*] לִלְבֹּן verbum est à latere ductum, qui לְבֵנָה appellatur, ut si Latine dicas laterificare i. lateres ducere aut facere. Nam lateres aut fiunt aut ducuntur. Fiebant autem ex certa terra, in quâ paleæ ponebantur: deinde ducti ad solem exsiccabantur. Adhibe Vitruvium lib. 2. cap. 3. R. Salomo, *lateres fiebant ex luto, cui palea admixta, eos in sole siccabant aut in fornace coquebant*. Hactenus ille. Qui coquitur fornacibus propriè testa dicitur aut later coctus. Later absolutè sumptus in sole siccabatur. R. Abraham, *Ædificium ex lateribus constructum firmius est eo quod ex lapidibus construitur. Nam ædificium terreum læditur ab aquâ, & lapideum ab igne: & sic scriptum est, erant illis lateres pro lapide*. i. lapidibus. Rursum R. Salomo, quod addendum superioribus, *Exactores erant Ægyptii, præfecti ex Israel: exactor constitutus erat super multos præfectos, & præfectus constitutus erat ut dominaretur in facientes opus*. Nicolaus, *Andreas eosdem esse putat exactores & præfectos: sed hoc falsum, idque liquet ex eo quod postea sequitur, flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis*. Vide sequentia. Later Gallicè *brique & tuile*, i. lateres: unde hic in Jario [illegible] *tuiles* i. lateres: & לָבַן πλινθεύω, lateres formo, fingo, duco, coquo, facio. Senes hic ediderunt, εἰς τὴν πλινθουργίαν, ad laterum confectionem. vulgò laterificium reddunt. Later Hesychio dicitur πηλὸς ὀπτηθείς: quod de latere cocto capiendum. Nam è terra figlina coqui solet. ¶ *Ut heri nudiustertius*] Ut antea. Lxx. καθάπερ χθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν. A. καθὰ ἐχθὲς καὶ τρίτης. Sym. καθάπερ καὶ πρότερον, sicut & prius. Id æmulatus est Hieron. referens, *sicut prius*. R. Salomo, *quemadmodum fecistis huc usque sive hactenus*. Theodotio, καθάπερ ἐχθὲς καὶ τῆς τρίτης. vide Fragmenta. ¶ *Et colligant sibi*] וְקֹשְׁשׁוּ לָהֶם Lxx καὶ συναγαγέτωσαν ἑαυτοῖς. Hieron. *& colligant*. Onkelos & Jonathan [illegible], quod Fagius reddit, *& colligant sibi*. ¶ *Paleam*] Hieron. *Stipulas*. Cui firmando, quod R. Salomo תֶּבֶן interpretatur [illegible] *estouble*. Nam videtur mihi stipulam innuere, quæ Belgis meis **stoppel** dicitur. Sic etiam Germani eam appellant. Dicunt enim certè **Stopffel**. ¶ *Summam laterum*] i. מַתְכֹּנֶת quod in Onkelo & Jonatha, Sante, Tremellio. Alii aliter. Nam Hieron. *mensuram*: alius, *demensum*. R. Levi, *numerum*. Galli, *quantité*, quod latinè non malè reddes, *numerum*. Lxx. τὴν σύνταξιν i. constitutum. In edit. Rom. summam latericii i. τῆς πλινθείας. Vult dicere, quantum laterum quotidie conficere solent. Abenezra חֶשְׁבּוֹן. R. Salomo [illegible] summam numeri laterum. ¶ *Otiosi sunt*] נִרְפִּים הֵם Hieron. *vacant*, Lxx. σχολάζουσι, otiantur. Quidam, *desides sunt*. Alius, *otio torpent*. Onkelos & Jonathan, [illegible] otio vacant, aut otiosi sunt. Nam [illegible] otiosus. R. Salomo, *remissi ab opere sunt, propterea cor eorum respicit ad otium*: Et mox, *opus remissum est in manu eorum & omissum sive relictum ab eis & ipsi sunt otiosi ab eo*. Propriè igitur נִרְפִּים remissi sive qui ab opere cessant, otiosi. ¶ *Vociferantur*] Clamant.

9. *Aggravetur opus super homines istos, & occupent se in eo, & ne intendant in verba mendacii.*

Aggravetur] Βαρυνέσθω. ¶ *Opus*] Opera, τὰ ἔργα. vel, *servitus*. Nam in fonte הָעֲבֹדָה. ¶ *Homines*] הָאֲנָשִׁים viros. ¶ *Occupent se in eo*] Ebraicè est ad verbum, *faciant in eo*. Facere, pro facere opus: sic ἐποίησαν usurpatur in Novo fœdere. Faciant ergo i. operentur. Sic Tremell. Vide notas nostras in Ruth. Onkelos & Jonathan, [illegible] & occupent se in eo. Id nunc secutus sum. Hieron. *expleant ea*. Lxx. μεριμνάτωσαν αὐτά, curent ea. Munsterus, *qua se exerceant*. malim, *exerceant se in eo*, sub. opere. ¶ *Et ne intendant in verba mendacii*] Vel, *ne respiciant*. Idem verbum in illo, *Respexit ad munus Habeli*. Hieron. *Non acquiescant in verbis mendacibus*. Lxx καὶ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς: ne ponant curam in sermonibus vanis. Onkelos, *ne occupent se in verbis otiosis*. Fagius habet, *ne occupentur verbis otiosis*. Jonathan, *ne confidant in verbis mendacii*. sic etiam Santes. Nam Tremel. *ut non attendant*. Munsterus, *ne respiciant ad verba vana*. Leo Judæ, *neque respiciant ad res vanas*. Saadias, *ne sustentantur verbis mendacii*. ac si esset יִשָּׁעֲנוּ. Sed Nun hoc modo abesse non solet. Abenezra, *ne remissi sive otiosi aut desides sint propter verba mendacii* אַל יִרְפּוּ. R. Salomo, *ne loquantur semper verba ventosa dicendo, Eamus*, &c. Hiscuni, *ne desides sint propter verba mendacii quæ dicunt illis Moses & Aharon* [illegible]. Sic alibi [illegible] desiste à me, [illegible] destiterunt à me. R. Levi, *ne respiciant & eligant verba mendacii. Nam si aggravabitur opus super eos, non erit illis otium ad consilia hujusmodi animo agitanda aut volvenda*, &c. R. David, [illegible] *ne confidant*, vel si mavis, *fiduciam ponant in*, &c.

10. *Igitur egressi sunt exactores populi & præfecti ejus, & dixerunt ad populum, dicendo, Sic dicit Pharao, Ecce non do vobis paleam.*

11. *Vos ite, accipite vobis paleam, undecunque inveneritis: Nam non diminuitur ex opere vestro quicquam.*

Egressi sunt] A Pharaone, sive ex aula Pharaonis. ¶ *Exactores populi & præfecti ejus*] Hieron. *præfecti operum & exactores*: Quod ansam dedit nonnullis errandi circa hæc nomina præfectos cum exactoribus confundentes: sunt etiam qui nullum inter hos discrimen ponunt; in quibus Andreas quidam, à Nicolao eo nomine notatus: cujus verba supra produximus. ¶ *Non do*] Non dabo, sive daturus sum posthac. ¶ *Accipite*] Lxx. συλλέγετε, & Hieron. *colligite*. לְכוּ. ¶ *Undecunque inveneritis*] Ex eo loco in quo invenire poteritis sive is propinquus fuerit sive remotus, non refert. Hieron. *Sicubi invenire poteritis*. Lxx. ὅθεν ἐὰν εὕρητε: undecunque inveneritis. Onkelos & Jonathan, *ex loco ubi reperietis*, aut, *repereritis*. ¶ *Nam non minuitur*] Quidam, *etsi non diminuitur*. Hieron. *nec minuetur*. ¶ *Quicquam*] דָּבָר verbum i. מְאוּמָה quicquam. Sic Onkelos & Jonathan: item Hieron. ¶ *Ex opere vestro*] Lxx. ἀπὸ τῆς συντάξεως ὑμῶν, ex constituto vestro. Alii, *de servitute vestra*. Rursus Senes habent, οὐ γὰρ ἀφαιρεῖται, non enim demetur sive auferetur. Abenezra scribit נִגְרָע esse nomen Thoar. Mihi participium videtur temporis præsentis quod vocant Benoni, ex conjugatione Niphal. Notabo nunc, quod vers. 9. me fugit. Observat R. Salomo verbum שָׁעָה quando cum אֶל construitur, habere significationem respiciendi, ut ibi, *respexit ad Habel*, &c. cum ב vero constructum habere sensum loquendi aut meditandi, ut Psalm. 119. in Samech, *Meditor* (alias, oblecto me) *in statutis tuis jugiter*, alias, *loquor de statutis tuis*. Alii scribunt habere tum significationem בטח spei vel fiduciæ: alii verò dicunt intentionem cum ea præpositione denotare. Grammatici certant & adhuc sub judice lis est.

12. *Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendum stipulam pro palea.*

13. *Exactores autem urgebant, dicendo, Complete opera vestra pensum diei in die suo quemadmodum cum erat palea.*

Dispersusque est populus] διεσπάρη ὁ λαός. Hieron. Lxx. Onk. Jon. & alii. Solus Arias, *dispersit se*. Abenezra verò, *dispergique fecit Pharao populum*. Nam Ebraicè וַיָּפֶץ. Quod sæpius in tertium transit. Aliter tamen 1 Sam. 13. & Job. 38. ¶ *Ad colligendum stipulam*] לְקֹשֵׁשׁ קַשׁ R. Salomo interpretatur, *ad colligendam collectionem*, scribitque קַשׁ habere significationem [illegible] i. collectionis, ut cum res dispersa colligitur. Potest ita esse: tamen קַשׁ aliis omnibus est stipula i. καλάμη, quæ à Chaldæis [illegible] & [illegible] dicitur. Unde & illud sequitur, quod etiam supra notavimus, קֹשֵׁשׁ denotare propriè stipulam colligere i. καλαμᾶσθαι. ¶ *Pro palea*] Vice aut loco paleæ terræ figlinæ sive

luto

ftro admifcenda. Verbum è verbo, *in paleam:* quem Ebraifmum exprimunt Græci vertentes εἰς ἄχυρα, in paleas. Ebraicè לתבן ubi Lamed exponitur in Abenezra תחת pro, & in Hifcuni במקום in loco: ut in Gen. לחותי vice lui. ¶ *Urgebant*] אצים. Hieron. inftabant. Lxx. κατέσπευδον αὐτοὺς, feftinare faciebant eos, vulgo reddunt, *urgebant eos.* Ex Ebræis Abenezra notat effe verbum tranfitivum. Onkelos & Jonathan דחקין impellebant. Vide Gen. 18. 15. ubi Hieron. *cogebant.* Lxx. ἐσπούδαζον. ¶ *Complete*] Perficite. ¶ *Penfum diei in die fuo*] דבר יום ביומו. Verbum diei in die fuo i. jufta operum cujufque diei, penfum quotidianum. Galli dicunt, *la tafche.* Lxx. τὰ καθήκοντα καθ' ἡμέραν. quæ quotidie peragenda erant, aut facere oportebat. ¶ *Quemadmodum cum erat palea*] *Ut prius facere folebatis quando dabantur vobis palea.* Hieronymus, Onkelos, Jonath. καθάπερ καὶ ὅτε τὸ ἄχυρον ἐδίδοτο ὑμῖν. Lxx.

14. *Et cæfi funt præfecti filiorum Ifraël, quos pofuerant fuper eos exactores Pharaonis, dicendo, Quare non complevistis ftatutum veftrum conficiendo lateres ut heri nudiustertius, etiam heri etiam hodie?*

Cæfi funt] Vel cædebantur. Hieron. *flagellati funt.* ex Græco ἐμαστιγώθησαν. Nam μάστιξ flagellum. Idem לקי apud interpretes Chaldæorum. ¶ *Præfecti filiorum Ifraël*] Qui præerant operibus filiorum Ifraël. Hinc intelliges quid fit in Græca editione, οἱ γραμματεῖς τοῦ γένους τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ i. עם בני ישראל. ¶ *Super eos*] Super filios Ifraël. ¶ *Pofuerant*] Conftituerant. ¶ *Exactores Pharaonis*] Duo hic dicit. Primum præfectos Ifraëlitarum conftitutos fuiffe ab exactoribus Pharaonis: deinde cæfos fuiffe ab eifdem. Quod clarè docet Hieron. referens, *flagellatique funt qui præerant*, &c. *ab exactoribus Pharaonis:* Lxx. ὑπὸ τῶν ἐπιστατῶν τοῦ Φαραώ: Quod reddunt, *à præfectis Pharaonis.* ¶ *Statutum veftrum*] Demenfum aut penfum veftrum. Hieron. *Menfuram laterum.* Lxx. τὰς συντάξεις. ¶ *Conficiendo lateres*] Hoc Chaldaicè dicitur, לְמִרְמֵי לִבְנִין. Græci uno verbo dicunt πλινθεύειν, quod Ebræis eft לִלְבֹּן facere lateres. ¶ *Complevistis*] Perfeciftis. R. Salomo hic obfervat præfectos operum fuiffe ex fenioribus populi, qui poftea in fenatores electi funt, quos Sanhedrin appellant, qui numero feptuaginta erant: de quibus alibi. ¶ *Ut heri nudiustertius*] *Sicut prius.* Hieron. & eft proverbiale: Quod hic locus ità evincit, ut de eo dubitare non amplius debeamus. R. Salomo videtur שלשום תמול fimul accipere pro nudiustertius, *qui eft dies* inquit *ante diem hefternum.* Ipfe autem vocat תמול השלישי quafi heri tertium.

15. *Ingreffi autem præfecti filiorum Ifraël, vociferati funt ad Pharaonem, dicendo, Quare facis fic fervis tuis?*

16. *Palea non datur fervis tuis, & lateres, inquiunt nobis, conficite, & ecce fervi tui caduntur, cum peccatum fit populi tui.*

Ingreffi] Εἰσελθόντες. Hieron. *venerunt.* Sic etiam Santes. Onkelos quoque & Jonathan אתו, quod fcribi malim אתא, unde Maran-atha, Dominus venit. ¶ *Ad Pharaonem*] Coram Pharaone, On. Jon. ¶ *Quare facis fic*] Quare ità agis cum. ¶ *Servis tuis*] Nobis qui fervi tui fumus. ¶ *Et ecce fervi tui caduntur*, &c.] והנה עבדיך מכים Lxx. καὶ ἰδοὺ οἱ παῖδές σου μεμαστίγωνται: Et ecce pueri tui flagellantur, id eft fervi tui. Supra לעבדיך τοῖς σου οἰκέταις. Eft autem οἰκέτης propriè fervus domefticus. Hic latius accipitur. Hieron. *En famuli tui flagellis cæduntur.* Vide Fragmenta. In Onkelo eft לקן verberantur: in Jonathan לקן quod fcribendum ἀναλόγως לקין flagellantur, vapulant. ¶ *Cum peccatum fit populi tui*] וחטאת עמך & peccatum populi tui. Quod penfum, inquiunt, non abfolvamus, id fit culpa populi tui, hoc eft exactorum, qui plus à nobis exigunt quam præftare poffumus. Melior interpretatio, *& peccat populus tuus*, ut חטאת fit tertia vox fœm. pro חטאה quemadmodum alibi קראת legitur pro קראה. Hanc opinionem tenentur Abenezra, David Camius & R. Levi. Notum ut עם interdum fœmininè conftruatur. Quod exemplis probat Abenezra. R. Salomo, quia fub Teth eft Camets, fubaudit ל ut fi diceret, peccatum eft populo tuo. Quod idem cum illo, populi tui. Nam fi effet in regimine haberet Patach. Jam ad interpretationes alias. Lxx. ἀδικήσεις οὖν τὸν λαόν σου: facies igitur injuriam populo tuo. An legerunt וחטאת, & peccabis? Peccat in populum qui cum injuria afficit. Aquila, καὶ ἁμαρτία λαῷ σου: & peccatum eft populo tuo. i. לעמך. Sym. καὶ ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν λαόν σου: & peccatum in populum tuum, לעמך, ut fupra. Hieron. & injuftè agitur contra populum tuum. Onkelos, *peccant adverfum eos populus tuus.* Scribo autem חטן ubi vulgò חטן peccantes. fub. funt i. peccant. Jonathan, *peccatum populi tui validum eft & vlceratum.* Validum i. multum, grande. Quidam, *peccat populus tuus* i. peccati pœnam fuftinet. Gallica editio *populus tuus punitur ac fi peccaffet.* R. Levi, *Non dicit, tu peccas, fed populus tuus peccat, ad tribuendum honorem regio* i. *civilitatis gratia.*

17. *Et dixit, otiofi vos eftis, otiofi: ideò vos dicitis, Eamus, facrificemus DOMINO.*

18. *Nunc ergo ite, operamini, & palea non dabitur vobis; & fummam laterum dabitis.*

Otiofi] נרפים remiffi, videlicet in opere. Hieron. *vacatis otio.* Santes, *vacatis.* Tremel. *defides.* Cajetanus, *pigri.* Lxx. σχολάζετε, vacatis: & mox σχολασταί ἐστε, otiofi eftis. Repetitionem quæ non caret emphafi, vulgo explicant, Valde eftis otiofi, nimium vacatis. ¶ *Eamus, facrificemus*] Vel, *ibimus, facrificabimus.* Quod pro eo habendum ac fi diceret, liceat nobis ire, &c. ¶ *Operamini*] Ἐργάζεσθε, facite opus. Ebraicè עבדו. Tremel. *fervite.* Onkelos & Jon. פלחו. id Fagius reddit, *laborate.* Hinc עבודה quod ab aliis transfertur in opus, ab aliis vero in fervitiis. ¶ *Palea*] Tremel. *ftramen.* ¶ *Et fummam*] Et nihilominus fummam laterum dabitis. תכן fumma, numerus, conftitutum. Hieron. hoc loco, *& reddetis confuetum numerum.*

19. *Et viderunt præfecti filiorum Ifraël fe in malo effe, cum diceretur, Non diminuetis de lateribus veftris penfum diei in die fuo.*

20. *Et occurrerunt Mofi & Aharoni ftantibus in occurfum eorum, cum egrederentur ipfi à Pharaone.*

21. *Dixeruntque ad eos, Videat DOMINUS de vobis & judicet, qui fœtere fecistis odorem noftrum in oculis Pharaonis, & in oculis fervorum ejus dando gladium in manu eorum ad occidendum nos.*

Se in malo effe] אותם pro נפשם animam fuam, aut עצמם feipfos. Notavit Abenezra. Licet etiam vertere, *viderunt eos in malo effe.* nempe filios Ifraël. Debet autem connecti cum fequentibus, Cum viderent malè agi cum populo, & incidiffent egreffi à Pharaone in Mofem & Aharonem, dixerunt, &c. Hieron. *videbantque fe præpofiti filiorum Ifraël in malum* (alias in malo) *eo quod diceretur eis.* Senes quoque ἑώρων ἑαυτοὺς ἐν κακοῖς, λέγοντες. Tremel. *Cum autem moderatores filiorum confiderarent eos alloquendum effe inique.* Nimium recedit à verbis. Quid fi, *viderunt fecum effe malum?* ut fit אותם pro אתם. Quæ permutatio infolens non eft. ¶ *Cum diceretur*] לאמר dicendo, quod novè reddunt hoc loco, *cum diceretur.* Eft tamen cur malim, *eò quod diceretur.* באמר *propter dicere* i. dictum five fermonem *non diminuetis*, &c. Solet enim ל poni pro בעבור quod ità notum ut nihil magis. ¶ *Diminuetis*] Subtrahetis. ¶ *Occurrerunt Mofi*, &c.] Inciderunt in Mofem & Aharonem. ¶ *Stantibus in occurfum eorum*] נצבים לקראתם. Hieron. Qui ftabant ex adverfo. Santes, *ftantes in occurfum eorum.* Tremel. *qui ftabant è regione ipforum.* Lxx. ἐρχομένοις εἰς συνάντησιν αὐτοῖς: venientibus obviam illis. Onkelos & Jonat., *Stantibus in occurfum eorum.* Pro, *non diminuetis.* Aquila retulit, οὐχ ὑφελεῖτε. Eft autem ὑφαιρέω, fubtraho, fubduco: item diminuo; unde ὑφαίρεσις, diminutio. Interpres vetus, *non minuetur quicquam.* ¶ *Videat de vobis*] Tremel. *cognofcat de vobis.* Videre pro intelligere ponitur: an etiam pro cognofcere? Onkelos, *Reveletur DOMINUS fuper vos.* Jonathan, *Patefiat DOMINO afflictio noftra.* Videtur legiffe ירא quod nunc legunt ירא immutatione unius puncti. ¶ *Et judicet*] On. *& ulcifcatur.* Jon. *& ultionem fumat de vobis.* Lippomanus, *Deus cognitâ causâ judicet de vobis.* Certum eft judicare pro punire poni. Hic tamen aliter fumi videtur. Non enim certè puniri eos volunt, fed à Deo judicari caufam quæ inter eos. Sic alibi, *Judicet Deus inter te & me.* ¶ *Fœtere fecistis*] A. & Sym. ἐσαπρίσατε putere feciftis. σαπρίζω, putreo. tranflatè, odio ac fenio fum, velut res putrida ac fœtida quam averfamur. Prius erat in Lxx. ἐβδελύξατε, abominabilem five execrabilem reddidiftis. Jonathan אסריתון fœtere feciftis. Inde סריא & סרחון fœtor, putor. Joël. 2. 20. Dicunt etiam de hofpite, *Primo die.* אורח *viator eft: fecundo* טורח moleftus: *tertio* סרוח fœtet. Hoc fenfu Monachale proverbium eft ex verbis Euangelii, *Quatriduanus eft, fœtet.* ¶ *Odorem noftrum*] Nomen noftrum. ¶ *In oculis Pharaonis*] Potiùs, *in naribus:* fed *in oculis.* Hieron. explicat *coram*, & Lxx. ἐναντίον. ¶ *Dando gladium in manu eorum*] Proverbiale.

22. *Reverfufque eft Mofes ad DOMINUM & dixit, DOMINE quare malefecisti huic populo, quare mififti me?*

23. *Nam ex quo ingreffus fum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, malefecit huic populo, & liberando non liberafti populum tuum.*

Malefecisti populo huic] Vel, *afflixifti populum hunc.* ità Hieron. Senes quoque τί ἐκάκωσας τὸν λαὸν τοῦτον; Quid vexafti populum hunc. Præter opinionem ejus accidit quod Pharao ag-

gravavit jugum populi. ¶ *Quare misisti me*] Ebraicè ad verbum. *Quare hoc misisti me:* in quibus verbis pronomen *hoc* Latinis redundat. ¶ *Ut loquerer in nomine tuo*] Ut ei nomine tuo significarem quæ mandaveras. ¶ *Malefecit populo huic*] Aggravando jugum eorum. ¶ *Liberando non liberasti*] Vel, *emendo non emisti populum tuum.* Quidam, *prorsus non liberasti:* ego, *nullo modo liberasti:* sperabat enim fore ut post expositam legationem populus mitius haberetur. Quæ spes ipsum frustrata est. Alioqui Deus monuerat ipsum de obfirmatione regis.

AMAMA.

3. Commissus idem error quem supra 3. 18. notavimus circa vocem נקרא, nam vertendum est, aut; *obviam factus est nobis* ut supra, aut, si fortassis hic א pro ה ponitur (ut sunt literæ illæ ordinesque ex iis constituti inter se alternantes) *vocatus est super nos.* i. vocamur populus ejus. Certe per *vocavit* nullo modo reddi potest. Atque hoc versu accedit illud, quod ubi Ebr. habent admodum emphatice, *ne forte* יפגענו *irruat in nos* vel, *occurrat nobis in pestilentia aut gladio*, ille simpliciter verterit secutus Lxx. *ne forte accidat nobis* pestis vel gladius. Nec enim פגע simpliciter *accidere* significat, nec ad pestem vel gladium sed ad Deum refertur.

5. Ebr. *Et cessare facitis eos ab operibus ipsorum.* Vulg. *Videtis quod turba succreverit, quanto magis si dederitis eis requiem.*

Hoc hemistichio nimium luxuriat Vulgatus. Ebræa clara sunt continentque invectivam Regis in exactores seu ἐργοδιώκτας, והשבתם אתם מסבלתם. Videantur Cajetanus & Steuchus.

12. *Et dispersus est populus per universam terram Mitzraim* לקשש קש לתבן *ad colligendam stipulam pro* vel *in paleam.* Sic Ebræa sonant. Ea sic mutilavit Interpres Vulgatus, *ad colligendas paleas*, voce קש & particula ל ante תבן elisis. At bene hic Lxx. verterunt, συναγαγεῖν καλάμην εἰς ἄχυρα.

GROTIUS.

3. *Ut eamus viam trium dierum*] Benè verteris, *liceat nobis ire*; nam נא sæpè est precantis.

7. *Sicut prius*] Ex Symmacho, καθάπερ καὶ πρότερον. Benè ad sensum, quanquam & Græci dicunt χθὲς καὶ τρίτην [*heri & nudiustertius*]: sed paulò alio sensu, ut modò diximus.

8. *Valent enim & idcircò vociferantur*] Otio lasciviunt. Vide quæ initio hujus libri.

16. *Et injustè agitur contra populum tuum*] Hebraïcè, *peccat populus tuus:* id est, injuriam nobis faciunt Ægyptii tui. Sic enim solemus loqui, ubi de regibus ipsis conquerimur, κατὰ χαριεντισμὸν [*locutione suaviore*], ut notavit Abenezra. Græci neglecto hoc schemate, ἀδικήσεις οὖν τὸν λαόν σου [*injuriam igitur facies populo tuo*].

21. *Fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone*] Ita ab ingratis populis excipi solent libertatis auctores, ubi successus non sunt pro voto. Vide & infrà XIV. 11.

CARTWRIGHTUS.

3. *Deus Hebræorum* נִקְרָא עָלֵינוּ *occurrit nobis*) Hic נקרא cum Aleph est pro נקרה cum He prout scribitur, cap. 3. vers. 18. *Dominus Deus Hebræorum*, נקרה עלינו *occurrit nobis* (ad verb. *super nos*) Abenezra notat similiter usurpari. 2 Sam. 1. vers. 6. נקרא נקראתי בהר הגלבע *occurrendo occurri in monte Gilboa*; habere siquidem significationem occurrendi; אתו כמועם מגיעו Onkelos reddit אתגלי עלנא *revelavit se nobis*, Jonathan in significatione vocandi (prout קרא *Kara* cum Aleph sumi solet) accepit, אתקרי שמיה עלנא *nomen ejus super nos vocatum est.* Similiter Lxx. nisi quòd contra quàm vocis forma patitur, activè exposuerunt, προσκέκληται ἡμᾶς, *vocavit nos.* atque ita etiam interpretati sunt cap. 3. 18. ubi *nikrah* cum He legitur, ad eundem planè modum utroque loco Vulgatus.

פן יפגענו *Ne in nos irruat*, &c.] R. Sal. ait eos dicere debuisse פן יפגעך *ne in te irruat*, sed honorem Regi habuisse שלא שלקו כבוד למלכות ac ad seipsos potiùs quàm ad illum retulisse, sed hoc nimis argutum est; meliùs Abenezra, qui pronomen *nos* vult & Israëlitas, & Pharaonem etiam unà cum Ægyptiis comprehendere. Quanquàm simplicissimum videtur, ut de Israëlitis tantummodo intelligatur: certè ea satis idonea causa fuit, cur abeundi ac sacrificandi potestatem à rege peterent, quòd alioqui gravi aliquo supplicio à Deo suo afficerentur.

בדבר *Peste*] Onk. במותא *morte.* Similiter Lxx. μήποτε συναντήσῃ ἡμῖν θάνατος, *ne occurrat nobis mors.* Ita pro peste usurpatur θάνατος Apoc. 6. 8. ad quem locum D. Medus observat pestem ex usu Orientis θάνατον dici; ita nempe Chaldæum Paraphrasten pro *Deber* (peste) ponere solere *Motha* (mortem) & Hellenistas plerumque vertere θάνατον, similique notione Ecclesiasticis Scriptoribus *mortalitatem* dici solere, quæ jam in multas linguas vernaculas migravit. Fagius testatur in multis Germaniæ locis pestem vocari mortem, ac dici mortem esse in aliquo loco, ubi pestis grassatur. Nota autem Lxx. Interpretes ita hunc locum vertisse, ac si in Hebræo esset, יפגענו דבר או חרב absque litera Beth præfixa vocibus *deber* & *chereb.* Ita etiam Vulg. *Ne forte nobis accidat pestis aut gladius.*

4. *Ite ad onera vestra*] R. Sal. ita exponit, *Ite* (vos Moses & Aharon) *ad opus vestrum, quod in domibus vestris vobis est faciendum.* Asserit opus illud, quod serviendo Ægyptiis faciebant Israëlitæ, non impositum fuisse tribui Leviticæ, idque inde constare putat, quòd Moses & Aharon egrediebantur, & ingrediebantur, i. e. huc illuc liberè cursitabant. At hoc argumentum nimis videtur invalidum, nec verisimile est vel totam aliquam tribum, vel tribum Levi præ reliquis à servitute ista fuisse immunem. Abenezra putat similiter Pharaonem verbis istis allocutum esse Mosen & Aharonem, eos autem positos esse pro omnibus Israëlitis; neque enim onera ista, de quibus fit mentio, de domesticis negotiis posse exponi כי אין בלותם כי עסקים. Urget etiam illud quod sequitur vers. 5. *Ecce populus terræ multus est, & vos eos ab oneribus suis cessare facitis.* Atque ob hasce quidem rationes, id quod probare satagit, satis videtur probabile. Existimo tamen æque probabiliter dici posse, Pharaonem, cum ista diceret, sermonem suum convertisse ad seniores populi, quos una cum Mose & Aharone Pharaonem adiisse apparet ex cap. 3. 18.

5. *Ecce multi sunt populus terræ*, והשבתם אתם מסבלתם *Et cessare facitis eos ab oneribus suis.*] Vulg. *Videtis quod turba succreverit, quanto magis si dederitis eis requiem?* Amama hunc locum in Censurâ suâ notavit, sed molli brachio eum perstrinxit; id enim tantum dicit, Vulgatum interpretem hoc hemistichio nimium luxuriare. At certè interpres iste animi sui sensum potiùs, quàm quòd in Hebræo textu dicitur, expressit. Neque enim hic de multiplicatione populi Israëlitici queritur Pharao, sed quòd cum admodum esset numerosus, si ab oneribus suis otiari pergeret, ipse & Ægyptii gravi inde damno afficerentur. Lxx. Interpretes, licèt orationis formam mutârunt, sensum tamen verborum assecuti sunt; ἰδοὺ νῦν πολυπληθεῖ ὁ λαός, μὴ οὖν καταπαύσωμεν αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἔργων, *Ecce nunc valde multiplicatur populus; non igitur cessationem illis demus ab operibus.*

6. *Et præcepit Pharao in die isto* את הנגשים *exactoribus*] Onkel. ית שלטוני עמא *Rectoribus populi.* Lxx. τοῖς ἐργοδιώκταις, *exactoribus operum.*

ואת שטריו *Et præfectis eorum*] Lxx. καὶ τοῖς γραμματεῦσι, & scribis. * Fullerus ait versionis istius originem a Syris deductam esse, qui chirographum, seu syngrapham שטר dicere solent. Notat autem eosdem interpretes sæpius Hebræum שוטרים reddere γραμματεοεισαγωγεῖς *scriptorum* vel *literarum introductores*, forsan quòd mandata, publicis litteris consignata, & à magistratibus accepta, ad ipsos jam confecta referrent, Returners of Writs / Warrants / &c. Onk. vertit ית סרכוהי & *exactoribus ejus*, uti Fagius Latinè interpretatur. Usurpatur autem ista vox, Dan. 6. 2. & 7. Buxtorfius in Lexico Chaldaico notat respondere plerumque Hebræo שטר radicem autem סרך ait respondere Hebræo סרך *pervertere.* Fullerus ait exponi שטר *apprehendit*, item ab Elia in Thisbite suo קשר *ligavit: Quare* (inquit) שוטרים *eorum in numero habendos censuit, quos Romani viatores ac lictores appellant.* Notat etiam vir eruditus Onkelum alicubi (nempe Deut. 16. 18.) שוטרים *interpretari* פורעין à פרע *quod rependere & ulcisci* significat. *Hinc igitur* (inquit) *conjicere licet, eos tanquam vindices quosdam atque ultores fuisse a magistratibus constitutos, qui ipsorum sententiam exequerentur, & sceleribus meritas pœnas rependerent.* In eandem ferè sententiam observat Aquilam & Theodotionem שטר Prov. 6. 7. reddidisse ἐκβιαστὴν *compulsorem*, quòd vi homines ad parendum adigeret. Eodem etiam recidere interpretamentum illud, quod ipsis Lxx. illic (sed Symmachi potiùs esse existimat) adscribitur, nempe ἀναγκάζων, quod eum denotat, qui cogit, & quandam veluti necessitatem imponit obtemperandi. Addit veterem interpretem Latinum variè admodum Hebræam vocem reddidisse; sæpe namque שוטרים *præpositos interpretari* seu præfectos, sæpe *magistros*, quandoque *duces*, præterea *exactores*, *præceptores*, *principes*, *præcones*, ex omnibus autem illis versionibus Lyræ maximè placere. *Exactores*, cujus verba ad Deut. 16. 18. ita recenset, *Judices & Magistros constitues*, &c. In Hebræo ha-

* *Full. Misc. lib. 3. cap. 19.*

habetur, Judices & Exactores; ut vocentur Judices, qui habent inquirere veritatem industriâ mentis, & cautelâ verborum, & dare sententiam secundum inventa. Exactores verò, qui veritatem inquirunt verberibus, & exequuntur Judicum sententiam; quia frustra daretur sententia, nisi esset qui eam exequeretur. Sed & Latinam *apparitorum* appellationem longè aptissimam judicat Fullerus; ex Budæo autem ostendit apparitores fuisse *ministros, apparituram magistratibus factitantes, multiplici ac distincta functione τὰς ταττομένας τοῖς ἐπ' ἀξιώσεως, qui presto erant magistratibus ad imperia accipienda & exequenda.* Inde executores quoque in Justiniani Codice nominari; Jurisconsultos Græcos passim ἐκβιβαστὰς appellare. (a) Bertramus ait *Shoterim* seu præfectos istiusmodi videri fuisse rerum judicandarum peritiores & consultiores reliquis senioribus, & earundem judicatarum executores; ita ut essent maximè authoritatis apud ipsum populum; unde & *Pharaonis* publicanos & exactores iis usos esse dirigendis Israëlitarum operibus. *Shoterim* (inquit Cl. (b) Constantinus L'Empereur) *Judicasse vix credo, sed judicata mandasse executioni, & populum ad obsequium coegisse. Idcirco passim in sacris literis à senioribus & judicibus distinguuntur*, ut Deuter. 16. 18. Jos. 8. 33. & alibi. *Itaque R. Moses de Cozi rectè observat ad* Deuter. 16. שופטים הם הדיינים הפוסקים את הדין ושוטרים הם הרודים את העם במקל וברצועה *Judices sunt Senatores, qui decidunt causam; at* (c) *apparitores sunt qui regunt populum ex illorum præscripto, baculo & loro.* Hæc doctissimi viri sententia (qui alia præterea multa de voce *Shoterim* habet, eadem penè cum eis quæ apud Fullerum reperiuntur) mihi maximè conformis veritati videtur, ut nempè *Shoterim* inferiores quosdam *officiales* (quos vocant) qui Magistratibus subserviebant, significet. Non tamen negaverim id quod asserit Fullerus, adeò nempe honestum fuisse nomen illud, ut Provinciarum Persici imperii præsidibus attributum fuerit vulgò ab Orientalibus, indeque ad Occidentales tandem manasse. Etenim Satrapam quasi שטר אפא h. e. *apparitorem faciei* nuncupatum videri, utpote ὑπηρέτην seu δοῦλον τοῦ μεγάλου βασιλέως ut loquitur Aristoteles (de mundo cap. 6.) qui expeditum ad Regem magnum aditum habebat, quemque olim verisimile est (ut exemplo Nehemiæ liquet) ex eorum ordine deligi solitum, qui jugiter Regi magno apparebant, vel ministrabant. Notat autem hic Abenezra נוגשים (*Exactores*) fuisse Ægyptios, שוטרים verò (*apparitores*) Israëlitas. Idem etiam observat R. Sal. quin & Nogeth (exactorem) præpositum fuisse multis *Shoterim* (Apparitoribus) *Shoter* autem (apparitorem) ad regendos operarios fuisse constitutum. Atque hæc quidem ex iis, quæ habentur infra vers. 14. satis sunt manifesta.

9. ואל ישעו בדברי שקר *Et ne occupentur verbis mendacibus.*] Onk. ולא יתעסקון בפתגמין בטלין *Et ne occupentur verbis otiosis*, seu *vanis*. R. Sal. exponit ואל יהגו וידברו תמיד בדברי רוח *nec meditentur, & loquantur assiduè verba venti*, seu *inania*. Notat verbum שעה eo sensu usurpari Psal. 119. 117. ואשעה בחקיך תמיד *& meditabor in statutis tuis perpetuò.* Asserit non posse hic ita accipi, quemadmodum accipitur Gen. 4. 4. וישע אל הבל וגו' *Et respexit ad Abel*, &c. Quando enim respiciendi significationem habet cum אל vel cum ל construi; cum ב autem constructum *meditari ac loqui* denotare. Abenezra refert R. Saadiam (quem vocat הגאון *Haggaon* seu Doctorem præcellentem) velle אל ישעו esse idem quod אל ישען (d) *ne innitantur verbis mendacibus*. Quasi in ישען delit Nun. Ipse autem existimat esse ex radice שעה, id quod vocis forma omninò postulat: & exponit ישעו *ne remissi sint, ne languescant propter verba mendacia, quibus eos confidere faciunt Moses & Aharon.* Ad istum modum id usurpari verbum שעה Isai. 32. 3. ולא תשעינה עיני ראים *nec caligabunt oculi videntium.* Ego verò si per particulam Beth liceat (nec video cur non liceat) libentissimè velim שעה hic interpretari *respicere*; ut sensus sit, *& ne respiciant verba mendacia.* Atque ita Psal. 119. vers. 117. *& respiciam statuta tua assiduè.* Lxx. καὶ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς, *& ne ponant curam in sermonibus vanis.* Vulg. *ut non acquiescant verbis mendacibus.*

12. לקשש קש לתבן *ad colligendam stipulam pro paleâ*] Vel *loco paleæ*, vel *in paleam*. Lxx. συναγαγεῖν καλάμην εἰς ἄχυρα *ad colligendam stipulam in paleas.* Vulgatus nimiùm concisè, *ad colligendas paleas.* Ubi etiam minùs rectè vertit קש *paleas*, cum *stipulam* significet, תבן autem sit *palea* sive *stramen*. Potest etiam verti, *ad quærendam stipulam*, &c. R. David Kimchi ad Zeph. 2. 1. ait verbum קשש quærendi ac colligendi significationem habere [illegible] אין התבן מצוי להם לקושש.

16. וחטאת עמך *Et peccavit populus tuus.*] Onk. וחובא תקיף עליהון [illegible] עמך *& peccatum contra eos populus tuus.* R. Sal. ait si וחטאת punctatum fuisset cum Pathac, se dicturum fuisse nomen esse in regimine, ut sensus sit, וחטאת עמך [illegible] *& culpa ista est peccatum populi tui.* At cum habeat Camets (a) absolutè positum esse, atque ita interpretandum, וחטאת היא באה על עמך *& res ista peccatum inducit super populum tuum.* Ut עמך sit pro לעמך. At Abenezra (b) asserit וחטאת esse verbum præteritum, ac (ut fieri solet) cùm Vau præfixo pro futuro poni. Esse igitur וחטאת pro וחטאת, ac ת fœmininè usurpari, quod & alibi aliquoties fieri observat. Vult autem sensum esse, *Peccatum erit super te*, sc. ipsum Pharaonem; eos autem דרך כבוד *per modum civilitatis* formam sermonis immutasse, ac dixisse, peccatum fore super populum ejus. At haud arbitror præfectos istos in animo habuisse ipsum Pharaonem perstringere, sed id tantùm voluisse ipsius populum, nempe exactores ejus in culpâ fuisse, quòd ita inique cum Israëlitis agerent, ut etiamsi stramen eis non concederent, eundem tamen, quem anteà, laterum numerum ab eis, exigerent. Lxx. ita interpretantur ac si scriptum esset, וחטאת עמך ἀδικήσεις οὖν τὸν λαόν σου. *Facies igitur injuriam populo tuo.* Quod nisi per interrogationem molliatur, longè profectò durius est, quàm ut ab eis dictum credam. Vulgatus magis cautè reddidit, *Et injustè agitur contra populum.* Ipse autem pariter ac Lxx. Interpretes hic per populum Pharaonis intelligunt Israëlitas, cum Ægyptii potiùs intelligendi videantur.

19. ויראו שוטרי בני ישראל אתם ברע *Et viderunt præfecti filiorum Israel se (esse) in malo.*] R. Sal. pronomen אתם interpretatur *eos*, uti significare solet, ac de Israëlitis, quibus præfecti præerant, exponit. Ego etiamsi eos non excludendos censeam, malim tamen cum Abenezra אתם hic reciprocum esse, atque idem valere quod עצמם sive נפשם i. e. *seipsos*; ut Ezech. 34. 8. וירעו הרעים אותם *Et pastores seipsos pascebant.* Chaldaica Paraphrasis idem prorsus cum Hebræo textu sonat, וחזו סרכי בני ישראל יתהון בביש, Fagius autem vertit, *Et aspexerunt præfecti filiorum Israel eos torvè.* At in Annotationibus ait ad verbum esse, *Et aspexerunt præfecti filiorum Israel eos in malo*, vel *cum malo*. Hæc autem bifariam ait intelligi. Primùm hoc modo; *Deprehenderunt seipsos in malo esse, hoc est, male secum agi, quod nihil minueretur de laboribus, sed magis augerentur.* Vel ut sit sensus, quòd exactores operis malo & torvo vultu aspexerint filios Israel, quo faciliùs extorquerent ab eis numerum laterum conficiendorum. At cum omnes loci circumstantiæ, tum ea præcipuè quæ sequuntur, priorem expositionem germanam esse arguunt.

21. ירא יהוה עליכם וישפט *Aspiciat Dominus super vos, & judicet*] ירא hic est pro יראה in kal, *aspiciat*: at Onkelos videtur accepisse pro יראה in Niphal, *aspiciatur, appareat.* Sic enim vertit, יתגלי יי עליכון ויתפרע *Revelatur Dominus super vos, & ulciscatur.* At tunc scribendum esset ירא ut cap. 6. 3. וארא *& apparui.*

Fecistis odorem nostrum fœtere in oculis Pharaonis.] *Scias* (inquit Abenezra) *quinque sensus in uno loco supra frontem conjunctos esse, ac propterea unum sensum pro altero poni.* Ut Eccles. 11. 7. *Dulcis est lux.*

22. *Et reversus est Moses ad Dominum, & dixit, quarè Domine malefecisti populo huic*, &c.] *Quæri potest* (inquit Abenezra) *cum Deus notum fecisset Mosi, Pharaonem non permissurum fuisse, ut Israëlitæ abirent, antequam signa omnia Mosi mandata ederentur, quarè Moses cum Deo expostularet, dicens, Quarè sic me misisti? & prorsus non liberâsti populum tuum. Sed respondetur, Mosen existimasse, postquam ad Pharaonem* loqueretur levatum fore jugum Israëlitarum, cum tamen contrà quàm ille expectavit, gravius quam anteà redderetur.

IDEM.

3. בדבר *Peste*] Kimchi in Rad. ait דבר cum sex punctis significare מות *mortem.*

6. ואת שטריו *& præfectis ejus*] Nempe populi Israëlitici de voce שוטרים libet hic attexere, quæ Cl. Seldenus habet de Syned. Vet. Ebr. lib. 1. cap. 15. *Certissimum* (inquit) *est receptissimumque, hosce fuisse præfecturis juridicis ministros, seu judiciorum, & præjudiciorum solennium executores, sine quibus frustra exerceri jurisdictionem nemo non videt. Atque ideo eos Judicibus adjunxisse se ait in* (c) *Deuteronomio Moses, utpote undiquaque & perpetuo necessarios, tametsi in Jethronis ipsius de judicibus historiola eorum in Ebræo mentio fiat nulla. Inde Ju-*

(a) *Bertramus de Repub. Jud. cap. 5.* (b) *Constant. L'Emp. in Annotat. in Bertramo.* (c) *Sic reddit vocem* Shoterim. (d) *In Edit. Buxtorf. mendosè scribitur* אל ישען כל pro אל ישען.

(a) קמץ גדול. (b) *Eodem modo observat alicubi* [illegible] *pro* [illegible] *usurpari.* (c) *Deut. 1. 16. vide etiam Deuter. 16. 18.*

Judæi Hispanienses vertunt Alquaziles, & germanenses Baitil pro lictoribus seu Bedellis, quibus & consoni Gracienses, qui habent ראבדוטריש ῥαβδατόρις pro eo quod Græcè est ῥαβδοῦχος, seu littores, apparitores, id genus alios foro officia præstantes, tam lites, controversias, actiones ritè introducendo, tractando. que quam judicia postmodum exequendo. Atque illinc sane Græcis dicti sunt γραμματοεισαγωγεῖς, seu introductores ac dispositores scripturarum litium actionum, postulationum, & quæ id genus judiciis aut necessaria, aut pro re nata magis idonea; uti apud Athenienses fuere εἰσαγωγεῖς, qui actiones ad Judices introducebant. Γραμματεῖς item sæpius dicuntur, seu Scribæ. Et hallucinati sunt procul dubio, qui de literarum docendarum munere vocem sumsere Græcam. Id certum est, שטרא Chaldæis, שטר Rabbinis scriptum, seu γράμμα legitimum, maximè quod ad contractus, & obligationem hominum mutuam spectat, adeoque ad res forenses, significare: etiam & commentaria, & codicillos qualescunque negotiorum sive præstitorum sive præstandorum. Indeque puto factam hic vocem Græcam, quæ etiam Scribas seu actuarios denotat. Inde τῶν γραμματέων signarunt nomine Græci שוטרים Shoterim Pharaonis, qui exactores in Israelitas præfecti. Non desunt, qui etiam ipsos judices fuisse perperam velint. Græci vero etiam judicibus ministros fuisse expressim ajunt * *Γραμματοεισαγωγεῖς τοῖς κριταῖς ὑμῶν, unde dubitari nequit, quin pro לשבטיכם tribubus vestris, legerint illi לשופטיכם* seu *לשטריכם, elementorum figurâ adeo invicem cognata.*

12. לקשש קש לתבן *ad colligendam stipulam loco paleæ*, seu *straminis*] Kimchi in Rad. ait קש significare התבן הדק *minutam paleam*, seu *stramen tenue:* או העצים הדקים *aut minuta ligna.* Hic certè קש à תבן apertè distinguitur. A nomine autem קש deductum ait verbum קשש ad significandum rerum tenuium, nempe stipulæ ac lignorum collectionem. Monet insuper verbum קשש usurpari de scrutandis maculis, & erratis, quæ instar rerum tenuium multo atque accurato indigent scrutinio. Zeph. 2. 1. התקוששו וקושו *Scrutamini vos ipsos, & scrutamini.* Quasi dicat, התחפשו ממומיכם הרעים ואחר כך חפשו האחרים *Excutite vos ipsos à maculis vestris malis, ac deinde excutite alios.* Atque hinc Rabbinos refert dicere, † קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים, *Orna teipsum, ac deinde orna alios.* Quin & ex hoc verbo קשש sic metaphoricè usurpato exponit illud Isai. 29. 21. ולמוכיח בשער יקושון Q. d. שמוכיחים למוכיחים אותם *Increpantes ipsos increpant.* Hinc proverbialiter dici ait, דור ששופט את שופטיו אומר לו טול קיסם מבין שניך אומר לו טול קורה מבין עיניך *Generatio (est) quæ judicat judices suos. Cum ei dicitur, Tolle festucam è dentibus tuis respondet, Tolle trabem ex oculis tuis.* Pro שניך (*dentibus tuis*) in Kimchio legendum videtur עיניך (*oculis tuis*) uti posteà legitur. Ita sanè Buxtorf. in Lex Talm. è Misna citat, ‡ טול קיסם מבין עיניך *Tolle festucam ex oculis tuis*, atque inde illud Christi desumptum videtur, *Cur aspicis festucam, quæ est in oculo fratris tui*, &c. Matth. 7. 3, 4, 5.

16. *Et peccat populus tuus*] i. e. (inquit Vatablus) *dicitur peccare, sit reus peccati, aut imputatur peccatum populo tuo, quasi rebelles sint, & nolint parere mandato.* Quod de populo Pharaonis hic dicitur, ad Israelitas refert, cum de Ægyptiis potius (sensu supra explicato) intelligendum videatur.

* *Deut.* 1. 16. † *Eadem etiam habet ad Zeph.* 2. 1. ‡ *In radice* קסם.

Cap. VI.

MUNSTERUS.

3. IN *Deo omnipotente*] Hebraismus est, pro, *in omnipotentia Divina.* Exponunt autem quidam שדי pro אשר די, *cui est sufficientia.* Alii putant ipsum esse idem quod תקיף, *fortissimus.* Sunt etiam qui exponunt צריך, *necessarius.* ¶ *In nomine meo* Jehova *non sum cognitus eis*] In Hebræo non est præpositio *in*, sed K. illam addit, ut audiatur passivum, *cognitus sum.* Sunt tamen quidam ex Hebræis qui נודעתי exponunt pro הודעתי, *notum feci*, sed quos recentiores rejiciendos censent. Porrò JEHOVAH est nomen illud Dei sacrum & ineffabile: non quòd vox ipsa exprimi non possit, cùm certis constet literis & vocalibus, sed quòd Dei natura, essentia immutabilis, æterna, præsens & imperscrutabilis per ipsum significata, à nulla creatura exprimi possit, cùm sit infinita, atque ob id ineffabilis. Judæi Cabalistici dicunt exstare expositionem hujus sacri & Divini nominis, quam vocant שם המפורש, *nomen expositum*, sic quidem vocatum quòd per certa nomina explicet Dei naturam, quantum ab homine comprehendi possit: & ajunt posse fieri magna miracula per illud nomen, si interpretatio ejus vera haberetur. Autor libri Nizahon mentitur in quodam loco, Christum Servatorem nostrum miracula illa quæ fecit vi hujus nominis perpetrasse, haud secùs quàm magi usque in hunc diem preculis quibusdam videntur mira agere. Virtus hujus sancti nominis dicit A. E. primùm innotuit Mosi, qui tam mira opera in Ægypto egit לעשות תולדות עולם השפל ולחדש אותות ומופתים. Patribus verò prioribus innotuit majestas Dei in nomine אל שדי, *Dei omnipotentis*, sicut hic dicitur, qui etiamsi nomen יהוה non ignorarint, mysterium autem ejus ignoraverunt. Sunt ex nostris qui à יהוה putant gentiles *Jovis* nomen pro deo suo mutuasse.

8. *Pro qua levavi manum*] Hebraismus est, pro *jurare*, כאדם שנושא ידו אל השמים ונשבע.

9. *Angore spiritûs*] Sive *ob brevem anhelitum*, vel, ut Hebraismus habet, *propter brevitatem spiritûs.* Adeo enim affligebantur ut vix potuerint spiritum trahere.

16. *Anni vitæ Levi*] Levi inter duodecim Patriarchas ultimus mortuus est: & describuntur hic anni vitæ suæ ut innuatur quamdiu duraverit afflictio Hebræorum in Ægypto. Levi itaque genuit Kehath filium & Jochæbed filiam. Kehath genuit Amram, qui patris sui sororem Jochæbed duxit uxorem, filiam scilicet Levi, ut suprà cap. 2. 1. dicitur. Fuit igitur Moses propter matrem nepos Levi & propter patrem abnepos ejus. Sunt ex nostris qui contendunt hanc Jochæbed non fuisse immediatè filiam Levi, sed natam ex familia ejus, magisque fuisse patruelem Amram, h. e. avunculi sui filiam; sed quos Paulus Burgensis redarguit. Vide illum, si placet, Exodi 2. Delirant Hebræi in hoc Amram, quando sic scribunt, שלשה נבראו בלא חטא עמרם אבי משה ישי אבי דוד וכלאב בן דוד, i. *Tres sunt creati absque peccato, nempe Amram pater Mosi, Isai pater David, & Chiliab filius David.*

28. *Factumque est in die*] A. E. fatetur se ignorare quomodo & ob quam causam pasuc iste in hunc relatus sit locum. Quidam ex nostris sic legunt, *Factumque est in die quo loqueretur Dominus ad Mosen in terra Ægypti, loquebatur ad Mosen in hunc modum.*

30. *Incircumcisus labiis*] H. e. habeo labia gravia & inexpedita ad orationis prolationem.

FAGIUS.

1. IN *manu forti dimittet eos*] i. coactus manu forti, magnâ vi, plagis magnis & ingentibus, q. d. Ubi viderit plagas magnas & validas, dimittet vos. Ità exercebo fortem manum meam in illum, ut tandem cogatur vos ejicere.

3. *Nomen autem meum Adonai non notum feci illis*] Variæ sunt commentatorum interpretationes in hunc locum; quarum aliquot hic referre volumus. Quidam sic intelligunt, Quòd Deus quidem generalem quandam sui cognitionem Patribus revelaverit, sed non tam claram & perspicuam quàm revelata est per Mosen; & inter Patriarchas obscurè adhuc de Deo prædicatum, per Mosen autem manifestiorem prædicationem de Deo vulgatam esse. Alii dicunt quòd hoc nomen Dei ADONAI manifestum quidem & usitatum fuerit Patriarchis secundùm vocem, sed non secundùm significatum, mysterium aut virtutem ejus; videlicet quòd Patriarchæ sciverint quidem Deum satis fortem & potentem esse ad edenda miracula & prodigia, sed non sciverint nomen Dei tetragrammaton יהוה nomen illud esse quo possit homo tanquam cooperator & delegatus à Deo miracula edere; quemadmodum Mosen putant virtute hujus nominis יהוה *Adonai* miracula edidisse. Mihi videtur omnium simplicissima sententia esse eorum qui ad hunc modum explicant, quasi Deus hoc sensu hæc verba ad Mosen dixerit, Omnipotentem quidem me esse patribus declaravi, & mihi abundè esse divitiarum ut illos divites redderem, at in nomine meo *Adonai* non fui cognitus illis, i. Verùm opere non complevi quod illis sum pollicitus, q. d. Promittentem quidem me illis terram Chananæorum audierunt & crediderunt, sed opere promissa complentem non viderunt, quemadmodum tu visurus es. Tibi igitur in nomine meo *Adonai* cognitus ero, i. Videbis me id facere quod nomen meum sonat, nempe veracem esse, &c. Observa his tria nomina Dei commemorari. Primum est אל *El*, quod Robur & Potentiam Dei notat, unde & אלהים *Elohim* deducitur. Alterum est שדי *Schadai*, quod Copiam & Sufficientiam Dei denotat: q. d. שדי *Schadai*, vel אשר די *Escher dai*, i. *Cui sufficit & satis est:* Vel, ut alii volunt, Vis, Fortitudo & Potentia illa Dei ultrix, quâ cunctos hostes suos dicto citiùs in nihilum redigere potest, designatur. Deductum nomen à verbo שדד *Schadad*, quod *contundere, devastare & depopulari* significat. Indè Deus *Schaddai* dictus, *fortis devastator & depopulator.* Postremum est sacrum Dei nomen יהוה *Adonai*, שם

שם בן ארבע, i. *nomen quatuor literarum*, ut vocant Hebræi, *nos tetragrammaton*; שם המפרש והנכבד, *Nomen terribile & venerandum*, ut iidem dicunt. Quod juxta elementa & puncta quidem יהוה JEHOVAH sonat. A Judæis verò veteri quâdam religione *Adonai* profertur. Quo nomine propriè Naturam ac Substantiam Dei ineffabilem significari volunt. Et deducunt à היה *Hajah*, quod *esse & exsistere* significat. Hinc Deus יהוה dictus, non tantùm indè quòd à seipso æternus exsistat, sed & quòd omnibus creaturis suum esse largiatur, juxta illud Act. 17. *In ipso sumus, vivimus, & movemur.* Imò Veritatem Divinarum promissionum, quas fidelibus suis factas infallibiliter præstat, hoc nomine Dei maximè significari contendunt. Atque huc impræsentiarum respexisse Deum, quando dixit ad Mosen, *Ego sum Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis*; h. e. Promisi quidem patribus terram Chanaan, non tamen implevi hanc promissionem temporibus patrum, nunc autem re ipsâ impleturus sum, ut confirmetur veritas nominis mei, quo dicor יהוה *Adonai*, h. e. *consistens, constans, firmus & verax in promissionibus meis.* Atque hanc sententiam etiam confirmant quæ mox sequuntur in textu, *Pepigique fœdus cum eis, ut darem illis terram Chanaan*, &c. Hanc sententiam quoque habet R. S. qui in commentario suo hunc locum ità exponit, הבטחתים הבטחות ובכולן אמרתי להם אני אל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם לא הודעתי אין כתוב כאן אלא לא נודעתי לא נכרתי להם במדת אמתות שלי שעליה נקרא שמי יהוה נאמן לאמת דברי שהרי הבטחתים ולא קיימתי, i. *Promisi eis promissiones, & in omnibus eis dixi ad eos, Ego sum Deus omnipotens. Et in nomine meo Adonai non sum notus factus eis.* Non notum feci, *non scribitur hic, sed*, Non notus factus sum. *i. Non cognitus factus sum eis in proprietate veritatis meæ, propter quam vocatur nomen meum Adonai, i. verax, fidele, constans, propter veritatem verborum meorum, quoniam ecce promisi eis, & nondum præstiti seu confirmavi.* Hæc ille. Multa mysteria eruunt Hebræi ex nomine tetragrammato יהוה *Adonai:* sed illa videntur mihi non absurda, quòd dicunt hoc sacrum nomen compositum esse ex literis היה, quæ *esse & subsistere* significant, ad denotandum quòd Deus à seipso ab æterno exsistit, omnibusque creaturis suum esse largitur. Eædem literæ & *flatus literæ* ab Hebræis dicuntur, ad indicandum quòd ipse solus est qui spiritum & flatum omnia vivificantem suppeditat. Similiter & *quietis literæ* ab Hebræis dicuntur, ad innuendum quòd in ipso solo vera & solida quies, i. æterna felicitas & beatitudo consistit ac conquiescit. Ipse enim est Alpha & Omega, principium & finis. Paraph. Hierosol. hunc locum ità transtulit, ואתגלי בממרי ה' על אברהם על יצחק ועל יעקב באלהא שמיא ושם מימרא דה' לא הודעית להון i. *Et revelavi me in verbo meo super Abraham, super Isaac, & super Jacob, in Deo cælorum. Nomen autem verbi Domini non notum feci eis.*

6. *Brachio excelso & judiciis magnis*] i. Magnâ vi, vel, brachio extento ad percutiendum. Metaphora sumpta à forma hominum iratorum, qui quò potentiùs percutiant & conterant aliquid, altiùs manus & brachium elevant. Capitur ergo *brachium excelsum* sive *extentum* pro summa vi & potestate, quæ potest comminuere omnia: estque gravis comminatio in Pharaonem: Ità ut per *judicia* intelliguntur signa & facta memorabilia, i. gravissimæ vindictæ, pœnæ & supplicia.

9. *Propter angustiam spiritûs*] Innuitur hoc schemate usque adeò eos afflictos oneribus & laboribus gravatos fuisse ut vix spiritum trahere & respirare potuerint.

12. *Gravis loquela*] Expressit Hebraismum, *Et ego incircumcisus labiis*, i. Vir sum infacundus, rusticus, inelegans, incivilis, inurbanus, nescio aulicè loqui, impeditæ linguæ sum, rudis in loquendo & ineptus. Græci ἄλογος, dicunt, i. *parco sermone, desunt mihi verba*, quasi balbus sum, & labia mea sunt pinguia, non est caro exsecta quæ orationem impedit. Vel, ut alii exponunt ἄλογος, *nullius æstimationis, nullius pretii sum* apud Ægyptios.

16. *Per generationes suas*] Id est, Hi sunt qui genus suum duxerunt à Levi, unà cum illis quos & ipsi genuerunt.

28. *Et factum est in die*, &c.] Hic versus quibusdam negotium facit. Aut enim videtur concisus aut imperfectus sermo esse, & aliquid desiderari, aut non bene cohærere cum sequenti contextu. Sed nihil difficultatis est si ad hunc modum legas & construas, *Accidit autem quo die locutus est Dominus ad Moysen in terra Ægypti, ut diceret ad eum, Ego sum Dominus*, &c.

IDEM.

3. וארא אל אברהם אל יצחק ואל יעקב באל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם *Ego apparui Abraham, Ishac & Jacob in Deo Omnipotente, & in Nomine meo Jehova non sum cognitus illis*] Quod vocum redditionem attinet, non est multa Interpretum dissonantia; nisi quòd Lxx. & Vulg. Interpres Latinus verbum Hebraicum נודעתי, quod passivæ significationis est, *notus factus sum*, activè reddiderunt. Lxx. item nomen Dei Tetragrammaton per Κύριος & *Dominus* reddidere. Latinus verò interpres per *Adonai* extulit, secutus nimirum Hebræos, qui religione quadam יהוה non *Jehova* juxta puncta, sed *Adonai* sonant. De Sensu hujus loci vide supra.

19. ותלד לו את אהרן ואת משה *Genuitque illa ei Aharon & Mosen*] Lxx. & Vulg. Interpres dissentiunt à veritate Hebraica & Chaldaica, quòd plus habent, nempe illud, *& Mariam sororem eorum:* hæc enim non sunt neque in Hebræo, neque in Chaldæo, imò nec in quibusdam Latinis scriptis codicibus: videntur ergò adjecta esse à sciolo quodam, qui putabat commodè hic posse addi, cùm aliàs meminerit Scriptura nativitatis Mariæ sororis Mosis & Aharonis.

VATABLUS.

1. IN *manu forti*, &c. 'כי ביד חזקה וגו] i. coactus virtute meâ forti, dimittet filios Israel, invitusque magnâ vi adactus videbitur quasi ejicere è regione sua.

3. *Apparuique*, וארא] Hebræi secundam hujus libri sectionem incipiunt à præcedenti versu, eamque appellant à prima voce hujus versûs, וארא. ¶ *In Deo omnipotente*, &c. 'באל שדי וגו] Tria Dei nomina hic commemorantur: Primum אל, quod robur & potentiam Dei notat, quod ab איל deducitur. Alterum est שדי, quod copiam & sufficientiam Dei notat, quasi dicatur, שדי sive אשר די, i. *cui sufficit & satis est.* Vel potiùs, ut alii volunt, vis, fortitudo, & potentia illa Dei ultrix, quâ cunctos hostes suos dicto citiùs in nihilum redigere potest, designatur. Deductum nomen à verbo שדד, quod *contundere, devastare, & depopulari* significat: & י est loco literæ geminandæ, h. e. alterius ד. Lxx. Job. 5. 17. & 11. 7. & 15. 25. verterunt παντοκράτωρ, *omnipotens:* aliquando, ἱκανὸς, *copiosus, sufficiens, valens:* ut Job. 21. 15. Alii *fortem* exponunt, alii *victorem.* Tertium Dei nomen est *Jehovah.* Sensus autem hujus loci est, ut doctioribus placet, Omnipotentem me illis declaravi, & mihi abundè esse divitiarum ut illos divites redderem; at opere non complevi quod illis sum pollicitus, h. e. Promittentem quidem me illis terram Chananæorum audierunt & crediderunt, sed opere promissa complentem non viderunt, quemadmodum tu visurus es. Tibi igitur in nomine meo *Jehovah* cognitus ero, i. e. videbis me id facere quod nomen meum sonat, nempe *facientem esse*, h. e. præstantem quod sum pollicitus: educam enim vos de terra Ægypti, & introducam in terram Chanaan. Quemadmodum antea vocatus sum Deus omnipotens, Deus altissimus qui creavit cœlum & terram, ità nunc vocabor Jehovah Deus qui eduxi vos de terra Ægypti. Hanc sententiam confirmant ea quæ hoc loco sequuntur, *Pepigi fœdus cum eis ut darem illis terram Chanaan.* Quòd siquis contendat nomen יהוה fuisse etiam Patribus ante Mosen cognitum & usitatum, nihilominùs tamen erit hujus loci sententia, quòd Deus promiserit quidem Patribus terram Chanaan, non tamen impleverit temporibus Patrum: nunc autem reipsa impleturus sit, ut confirmetur veritas nominis sui quo dicitur יהוה, i. *consistens, constans, firmus & verax in promissionibus suis.* In hanc sententiam quidam etiam magni nominis apud Hebræos exponit locum istum in hæc verba, *Promisi eis promissiones, & in omnibus eis dixi ad eos, Ego sum Deus omnipotens. At in nomine meo* יהוה *non sum notus factus eis.* Non notum feci, *non scribitur hic; sed*, non notus factus sum, *i. non cognitus factus sum eis in proprietate veritatis meæ propter quam vocatur nomen meum* יהוה, *i. verax, fidele, constans: quia ecce promisi eis, & nondum præstiti seu confirmavi.* Hæc ille.

4. *Etenim*, &c. 'וגם הקמתי וגו]. i. Nam interposito fœdere promisi me daturum illis terram, &c. Ad verbum, *Et etiam*; quod quidam vertunt in *Præterea.* ¶ *In qua peregrinati sunt.* אשר גרו בה] Exponit quid significet per *terram peregrinationis.*

5. *Ægyptii servire faciunt.* מצרים מעבדים] Ad verb. *Ægyptus servire faciunt.* Continens pro contento, i. Ægyptii nimiâ servitute opprimunt.

6. *Ego Jehovah*, אני יהוה] q. d. Ego Deus ille verax qui adimplere soleo quæ promisi. ¶ *Ab oneribus Misraim*, 'מתחת וגו] Ad verb. *de sub oneribus*, vel *sarcinis Ægypti*, i. à sub-

subjectione illa Ægyptiaca. Se ipsum mox exponit. ¶ *Et redimam vos*, וגאלתי אתכם] *Et eripiam vos*, vel *liberabo vos brachio extenso*, i. ego vi magnâ & prodigiis magnis eripiam vos. Metaphora sumpta a forma iratorum hominum qui præ indignatione, & quò potentiùs percutiant & conterant aliquid, altiùs brachium elevant. Capitur autem pro *summa vi & potestate*, quæ potest comminuere omnia. *Judicia* vocat signa & facta memorabilia, i. gravissimas vindictas, pœnas & supplicia.

7. *Ac scietis*, וידעתם] *Ut sciatis*. ¶ *Qui educo*, המוציא] Ad verb. *qui educens*, i. qui eduxerim.

12. *Et ego sum incircumcisus labiis?* ואני ערל שפתים] i. quum ego sim rudis sermone, sive in loquendo rusticus & inelegans, qui nesciam aulicè loqui.

14. *Ista sunt capita*, &c. אלה ראשי וגו׳] Adjiciuntur hæc quasi per epilogum; dicta autem sunt ut appareat unde nati sint isti per quos ingens hoc negotium Deus perfecerit.

20. *Sororem patris sui*, דדתו] Ita Chald. interp. ut noster vertit. Alii, *filiam fratris patris sui*.

26. *Per exercitus eorum*. על צבאתם] q. d. qui erant in maximo numero.

27. *Ut educerent*, להוציא] *ad educendos*; vel, *ut educeret*: sub. *Deus*.

28. *In ipsa die*, ביום] Quidam jungunt versum istum sequenti, subaudientes יהי, hoc modo, *Accidit autem die quo locutus est ad Mosen, in terra Ægypti, ut ipse Jehovah diceret ad Moseh his verbis*.

30. *Incircumcisus labiis*, ערל שפתים] Vide suprà, vers. 12. ¶ *Audiet me*, ישמע אלי] i. acquiescet mihi, vel credet.

CLARIUS.

1. PEr *manum fortem*] Propter plagas multas & validas cogetur tandem dimittere eos.

3. *In Deo omnipotente*] Hebraismus est pro, *In omnipotentia Divina*. ¶ *Nomen meum* ADONAI] Hoc loco est illud, JEHOVA, nomen Dei sacrum & ineffabile: non quòd vox ipsa exprimi non possit, cùm certis constet literis & vocalibus, sed quòd Dei natura per ipsum significata à nulla creatura exprimi possit, cùm sit infinita, atque ob id ineffabilis. Ferunt virtutem hujus sancti nominis primùm innotuisse Mosi. Sunt ex nostris qui putent ab hoc nomine Gentiles *Jovis* nomen pro Deo suo mutuasse. Observandum est hoc loco, Notitiam hujus nominis Dei habere sua incrementa, sicut hic manifestè dicitur; Majorem contigisse Mosi quàm patribus; Quam Paulus adventu Christi adeò auctam esse dicit ut principum & potestatum cœlestium de Deo cognitionem auxerit: Et in nobis quoque consummandam confidimus, quando Dominum videbimus facie ad faciem. Atque hoc est quod toties in Psalmis dicitur, *Cantate Domino canticum novum*: tanquam dicat, Assiduè nobis suppeditat Dominus nova cantandi argumenta.

9. *Propter angustiam spiritus*] Adeò enim affligebantur ut vix potuerint spiritum trahere.

12. *Cùm sim incircumcisus labiis*] h. e. Cùm habeam labia parùm expedita ad orationis pronunciationem.

13. *Locutusque est Dominus ad Mosen & Aaron, & dedit mandatum*] Epilogus est, cui subnectit catalogum patrum quorundam, ut agnosceretur unde nati sint Moses & Aaron & Phinees.

16. *Anni autem vitæ Levi*] Levi inter duodecim patriarchas ultimus mortuus est: & describuntur hic anni vitæ ejus, ut indicetur quandiu duraverit afflictio Hebræorum in Ægypto. Levi itaque genuit Caath filium & Jochabed filiam. Caath genuit Amram, qui patris sui sororem Jochabed duxit in uxorem, filiam scilicet Levi. Fuit igitur Moses propter matrem nepos Levi, & propter patrem abnepos ejus.

DRUSIUS.

3. VErba Hieronymi sunt, si modò is autor Vulgatæ versionis Latinæ, Exod. 6. 3. *Nomen meum* ADONAI *non indicavi eis*. Literæ majusculæ indicant esse nomen tetragrammaton, quod olim legebant & nunc etiam legunt per cognomen *Adonai*. Id sonat *Dominum*: sed nos, cùm est quadriliterum, semper scribimus & scribendum etiam monuimus DOMINUS characteribus grandiusculis. Circa hoc nomen graviter peccatur ab iis qui *Jehova* legunt, quæ lectio nihili est. Quocirca miror Anglos, qui usi eo sunt interdum. Nollem factum. Nam aut genuina est lectio, aut corrupta. Si genuina, cur non semper utuntur? Si corrupta, cur aliquando? Nam quod corruptionem habet exsulare penitus debet à literis mysticis. Fortè noluerunt nomen profanum, quod sacrum esse putabant, nimiùm profanare. Ego sic sentio, cùm non habeat proprias vocales, non posse legi suis consonantibus. Quomodo igitur inquies legendum? Per eas consonantes quarum vocales ei substernuntur, h. e. modò ADONAI, ut hic, modò ELOHIM, cùm vel præcedit vel sequitur *Adonai*. Qui consonantium rationem habent, vocant illud nomen Jod, He, Vau, He; aut breviùs, nomen Jod, He. Hoc notum jam doctis. Pro *nomen meum non indicavi eis*, vertendum ex Ebræo, *nomine meo non innotui eis*, ut a repetatur ex iis quæ præcedunt. Quod sensum attinet, videtur hoc velle, In virtute nominis mei Jod, He, Vau, He, non innotui eis. Tradunt Ebræi per nomen hoc edi solere miracula, &, ut sunt audaces in affirmando quod ignorant, dicunt Christum eo usum fuisse cùm signa illa ederet quorum memoria usurpatur in Euangelio. Ut ut sit, ante Mosen non innotuit Patriarchis per signa & miracula, sed tantùm per visiones aut somnia. Hoc significat cùm ait, *apparui eis in Deo Saddai*: quod reddunt vel ἱκανὸν vel παντοκράτορα. Ἱκανὸς denotat eum qui sibi sufficit, nec ullius ope aut auxilio indiget. Παντοκράτωρ est *omnipotens*. Fortè Moses miracula fecit in nomine *Jod, He*, ut Apostoli in nomine *Jesu*. Nam qui *Jesus* in Novo Fœdere, vocatur etiam nomine *Jod, He* in Veteri. Abenezra, *Dignitas patrum non erat tanta quanta erat Mosis, qui vidit Deum facie ad faciem: ideò potuit immutare ordinem naturæ, & edere signa & miracula, quæ patres non potuerunt edere*. Et ecce Moses dicit duo. Unum est, Quare misisti me? *Alterum*; liberando non liberasti populum tuum. *Respondet ad ultimum primo loco*, Nunc videbis quæ facturus sum; *& ad primum, secundo*, Ego Dominus, *&c. Et est sensus, Per patres innotuit nomen meum quod est* Deus omnipotens, *per te autem innotescet nomen meum* Adonai *honorandum in mundo, quemadmodum dicit, Ego* DOMINUS, *& ecce misi te ad notificandum hoc nomen*.

8. *Levavi manum meam*] Manum levare gestus erat non modò precantium, sed etiam jurantium. Solebant enim jurantes vel alteram vel utramque in cœlum levare. De altera, h. e. de dextra, quæ hodie levatur duobus digitis erectis, cæteris complicatis, nulla controversia est. De utraque testimonium præbet Abenezra, *Qui jurat*, inquiens, *levat dexteram suam & sinistram suam in cœlum*. Firmanda hæc exemplis. Gen. 14. vers. 22. *Sustuli manum meam ad* DOMINUM *Deum supremum possessorem cœli ac terræ*. Exod. 6. 8. *Levavi manum meam dare illam Abrahamo*, &c. i. juravi daturum me illam. Hic est נשא, ibi הרים. Vide Num. 14. 30. Psalm. 106. 26. & Camium hoc loco. Deut. 32. 40. *Levabo in cœlum manum meam, & dicam, Vivo ego, dicit* DOMINUS. Sunt qui putant gestum esse promittentis. Quod à verbo *promittere* non prorsus abhorret. Est enim *promittere* de sententia quorundam q. τείνω, i. *longè* seu *procul mittere*. Et quia promissis, ut videtur, manibus pollicebantur homines, invaluit usus ut *promittere manus*, deinde detracto vocabulo *promittere* simpliciter, dicerent pro *polliceri*: sicut videmus & in aliis solere detrahi voces, ut cùm dicimus *decies sestertiùm* pro eo quod est *decies centena millia sestertiùm*, & *trajicere* pro *trajicere per ignem*. Non recedo à priore sententia.

15. *Filius Chananitidis*] *Chananæa*, quæ & *terra Chanaan*, duobus modis accipitur, latè, angustè. Cùm latè sumitur, significat terram septem gentium: cum angustè, denotat regionem quæ à Græcis *Phœnice* sive *Phœnicia* vocatur: unde Eusebius Chanaan appellat *patrem Phœnicum*. Legimus quoque Exod. 6. 15. *filius Chananitidis*, ubi LXX. ὁ ἐκ τῆς Φοινίσσης, *qui ex Phœnissa*: nec malè. Nam una eademque gens Chananæorum apud Ebræos & Phœnicum apud Græcos. Sanè pro *terra Chanaan* Φοινίκη legitur Exod. 16. 35. Vide Augustinum Quæst lib. 2. quæst. 63. & Eusebium Προπαρασκ. lib. 9. qui appellat Chanaan patrem Phœnicum. Scaliger existimat Chanaan cognomentum habuisse פינחס, quod nunc legunt *Phinchas*, olim *Phinees* & *Phœnix*, unde *Phœnice*, quæ apud Stephanum Χνᾶ dicitur, nomine, ut videtur, decurtato ex *Chanaan*, primùm *Chnaan*, deinde *Chnan*, & abjectâ ultimâ *Chna*. Quod tamen arbitrarium esse volo, non certum.

IDEM.

3: וארא אל־אברהם אל־יצחק ואל־יעקב באל שדי. A. καὶ ὤφθην πρὸς Ἀβραάμ, πρὸς Ἰσαὰκ καὶ πρὸς Ἰακὼβ ἐν τῷ Θεῷ ἱκανῷ, *& visus sum Abrahæ, Isahaco & Jacobo in Deo sufficiente*] ἱκανὸς, *sufficiens*. Scitum illud,

Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri.

Deus rectè αὐτάρκης est, & sibi solus sufficit. Potest etiam reddi ἱκανὸς, *potens*, i. δυνατός. Hieron. Ezech. 1. *Saddai, Aquila, Sym-*

Symmachus & Theodotio ἱκανὸν *transtulerunt, quod Fortem Potentemque significat.* Alibi aliter. Epist. cxxxvi. Saddai, *Aquila interpretatur* ἄλκιμον *quod nos Robustum & Sufficientem ad omnia perpetranda possumus dicere.*

9. מקצר רוח Schol. ἀπὸ κολοβότητος πνεύματος, *præ defectione spiritûs*] A Lxx. vocatur ὀλιγοψυχία. Cicero *animi angustiam* appellat. Verbum è verbo, *decurtatio spiritûs.* Fit autem quando deficiente spiritu syllabæ curtæ & aliqua ex parte truncatæ proferuntur.

12. ואני ערל שפתים. A. ἀκρόβυστος χείλεσι, *præputiatus labiis.* Sym. οὐκ εἰμὶ καθαρὸς τῷ φθέγματι, *non sum purus voce.* Th. ἀπερίτμητος τοῖς χείλεσιν, *incircumcisus labiis*] *Præputiatus*, i. præputium habens. Sic etiam Tremellius. Hoc ità dicitur Latinè ut *capitatus*, *hastatus*, *clypeatus.* Priùs erat in Lxx. ἄλογος, i. interprete Augustino Locut. l. 2. p. 77. *ineloquens*, aut, ut alii, *facultatis dicendi expers.* Verba Augustini, *Ineloquens sum quod ait Moses ad Dominum, ἀλόγιος dixit Græcus: non imperitus quasi ἀμαθὴς vel ἄπειρος.* Paulò pòst reddunt idem ἰσχνόφωνος, *gracilem vocem habens.* ¶ Καθαρός, ערל. R. S. exponit אטום, *clausus.* Et sanè ἀκρόβυστος dicitur qui extremam colis partem tectam sive clausam habet. Sed *clausus labiis*, i. ἄλαλος, elinguis, mutus. Rectiùs Onk. יקיר ממלל *qui graviter loquitur*, & Jon. קשי ממלל *qui difficulter loquitur*, quem μογιλάλον Græci vocant. ¶ *Incircumcisus labiis*. Sic etiam interp. noster. Vulgò enarrant, *impeditioris linguæ.* Sunt autem ἀπερίτμητος & ἀκρόβυστος synonyma.

30. אני ערל שפתים. Schol. οὐκ εἰμὶ καθαρὸς χείλεσι, *non sum purus labiis*]. Interpretamentum hoc Symmachi est. Sententia est ut si diceret, *Impurus sum labiis*, i. incircumcisus. Nam tales impuri erant in veteri lege.

NOTÆ MAJORES.

1. D*ixitque DOMINUS ad Mosem, Nunc videbis quid facturus sim Pharaoni: quia per manum validam dimittet eos, & per manum validam ejiciet eos e terrâ suâ.*

2. *Locutusque Deus ad Mosem dixit ei, Ego sum DOMINUS.*

3. *Et apparui* (vel qui visus sum) *Abrahamo & Isahaco & Jacobo in Deo omnipotente, & nomine meo DOMINUS non innotui eis.*

Per manum validam] Vel, *fortem*, ità Hieron. Ceterùm in Ebræo est ad verbum, *in manu valida.* Intelligit autem manum (i. plagas) Dei, quæ Pharaonem compellebat dimittere filios Israël. Sunt qui legant *propter manum validam.* Sic interpretor בשביל יד חזקה ob manum meam fortem. Extat in Comment. Salomonis Ebræi. ¶ *Ejiciet*] Expellet. ¶ *Ego DOMINUS*] *Idoneus ut reddam bonam mercedem iis qui ambulant coram me.* R. Salomo. ¶ *Et apparui Abrahamo*, &c.] Lxx. καὶ ὤφθην πρὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ, &c. Aquila, καὶ ὠράθην πρὸς Ἀβραάμ, πρὸς Ἰσαὰκ καὶ πρὸς Ἰακώβ: visus sum Abrahæ, Isahaco & Jacobo. ¶ *Apparui*] De nocte. Abenezra, *Prophetiæ patrum fuerunt in visionibus nocturnis: ideo dicit apparui sive visus sum.* ¶ *In Deo omnipotente*] באל שדי. Lxx. Θεὸς ὢν αὐτῶν, Deus eorum existens. Tremel. *nomine Dei fortis omnipotentis.* Onkelos & Jonathan nihil variant ab Ebræo. Jerosolymitanus באלהא דשמיא in Deo cœli. Hieron. & San. *in Deo omnipotente.* Duo hic nomina Dei. Unum est אל quod accepit à fortitudine: unde Aquila pro eo posuit Psalm. 22. ἰσχυρός. Sed hic habet ἐν τῷ θεῷ ἱκανῷ, in Deo sufficiente. vult dicere qui sibi sufficit, juxta illud, *Ipsa suis contenta opibus nihil indiga nostri.* De natura sermo, quæ & Deus. Vide Fragmenta. Secundum nomen est שדי quod Aquila ut diximus, ἱκανὸν convertit, & alibi ἄλκιμον, id est robustum & sufficientem ad omnia perpetranda: Lxx. sæpius interpretantur παντοκράτωρ, i. omnipotens. Quod hic habet Hieron. de etymo duæ apud Ebræos sententiæ sunt. Una est quam tuetur R. Saadia, qui scribit compositum esse ex ש qui & די sufficiens. Alia est Rab. Samuelis, qui Hannaged cognominatur. Is Arabicè interpretatur אלקאהר, quæ vox vincentem & fortem denotat. Addit Abenezra Joth in fine positum esse pro tertia thematis, ut in דלי elevate: cui in eo non planè assentior. Magis inclino ut credam tertiam, quæ per dages geminatur, potestate secundam continere, & Jod ad formam nominis pertinere, ut in שדי ager & similibus. ¶ *Nomine meo DOMINUS non innotui eis*] Majusculi characteres indicant nomen Jod, He, Vau, He: quod ineffabile & tetragrammaton appellant. Pro eo Hieron. hic posuit Adonai, ut mox ostendam. Nam Jehova vox est nihili. Si legendum esset secundum consonantes, prætulerim Jeheve aut Jave, vel certe Javo. Hoc Græci scribunt Ἰαὼ: illud Samaritani Ἰαβαί, ubi β pro Vau, ut in Δαβίδ. De hoc nomine tractatum peculiarem scripsimus, rogatu venerabilis & optime de ecclesiâ meriti Johan. Utenbogardi. Veniamus nunc ad examen interpretationum. Lxx. τὸ ὄνομά μου Κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς. Hieron. *nomen meum Adonai non indicavi eis.* Nam יהוה in lectione Adonai. Sic legerunt omnes interpretes nullo excepto. Id sonat Κύριος. Onkelos, *Nomen meum Adonai non feci eis notum.* Jerosolymitanus, *Nomen sermonis DOMINI non indicatus est.* Omnes hi interpretantur הודעתי cum in fonte sit נודעתי innotui, cognitus sum. Quod interpretantur recentiores: etiam Jonathan, *nomine meo*, inquit, *Adonai* (*verum in irâ divinitatis meæ*) *non innotui eis.* i. אתידעית, ubi forte Patach pro i legi propter gutturalem. Ceterùm explicationem hujus loci triplicem invenies apud Lippomanum in Catena patrum. Quibus addo ex Raschai summæ autoritatis apud suos Rabbinos, *Non indicavi*, inquit, *scriptum, sed innotui sive cognitus sum illis in proprietate veritatis meæ, propter quam vocatur nomen meum* יהוה q. *constans in veritate verborum meorum: quia ecce promisi eis, sed non firmavi sive præstiti.* Vide, si placet, Fagii Annotationes in Paraphrasin Chaldaicam. Non est omittendum, ubi vulgò, *in Deo omnipotente* legi etiam posse, *in potentia Saddai.* Nam אל quandoque potentia i. δύναμις καὶ ἰσχύς, ut interpretatur Eusebius Pamphyli. Jam vero Marinos Ebræus sequentia legit, *Et nomen meum DOMINI, non innotui eis*, videlicet quemadmodum tibi innotui. Nam Moses Deum vidit facie ad faciem. Idem scribit in verbis illis, *& nomen meum DOMINI*, jurandum contineri, ut cum legimus, *ego DOMINUS*: aut *vivit DOMINUS*: cui firmando Vau, quod apud Arabes in juramentis adhibetur. Pergam notare quæ legi, quæ vidi apud Ebræos. Manahem Judæus arbitratur ושמי positum esse pro הודעתי indicavi, notum feci: quod Abenezra quidem improbat, verùm interpretes plerique veteris ævi videntur idem cum illo sensisse: quos juvat quod in Ebræo שמי absque Beth, quam tamen Abenezra repetit ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Saadias cognomento Haggaon subaudit dictionem עוד quæ interdum desideratur, ut ibi, *non Jacob dicetur amplius nomen tuum, sed Israel.* Oratio plena & vera erit si addas, *tantum* aut *solummodo.* Nam sententia est, Non Jacob tantum dicetur nomen tuum, sed etiam Israël. Sic hoc loco inquit, nomine meo Adonai tantum non innotui eis: quemadmodum nunc tibi me cognoscendum præbeo. Jesuas quidam, qui Ebraicè ישעיה autor nomen tetragrammaton patribus planè ignotum fuisse: quanquam Moses scriptor Geneseōs eo interdum usus sit. Cui sententiæ robur addit Paulus de Sancta Maria archicancellarius regis Castellæ ac legionis ità scribens, *Nec etiam inconvenienter diceretur quod nomen tetragrammaton etiam secundùm vocem non fuit patribus revelatum. Quod autem objicitur à postillatore de hoc quod habetur* Gen. 15. *Ubi dicitur ego sum DOMINUS qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ubi in Ebræo loco hujus nominis DOMINUS ponitur tetragrammaton, non valet. Nam illa sunt verba Mosis scribentis ea, quæ transierunt inter Deum & Abraham: quem Deum Moyses cognoscebat sub nomine tetragrammato, & ideo sic eum nominabat.* Dionysius quoque in historia sua scribit Ἰαὼ nomen esse Dei Mosis. Tamen Abenezra hanc opinionem improbat: qui nove interpretatur, *in nomine meo Adonai non innotui eis*, quatenus est nomen adjectivum vel appellativum; sed tantum quatenus est nomen substantivum, aut proprium. Hoc appellat שם העצם: illud שם התאר nomen formæ. Ait autem tetragrammaton aliquando nomen appellativum esse, ut cum legimus יהוה צבאות. Nam propria non admittunt post se genitivum, hoc est non ponuntur in regimine unquam. Quid sibi velit, nescio. Videndus est in comment. ad hunc locum. Forte hoc vult, quod Nicolaus etiam annotavit, nomen tetragrammaton patribus notum fuisse quoad vocem, ignoratum quoad significatum. Nam soli Mosi dixit, *Ego sum qui sum.* Quam opinionem refellit Paulus supra memoratus. Sed alia mens Abenezræ, qui supra citatus. Videndus quoque Lyra ad hunc locum cum additionibus Episcopi Burgensis.

4. *Et etiam statui fœdus meum cum illis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in quâ peregrinati sunt:*

5. *Et etiam ego audivi gemitum filiorum Israël, quos Ægyptii servire cogunt: & recordatus sum fœderis mei.* (vide Gen. 30. ad locum *recordatus est DOMINUS Rachelis.*)

Statui]. Ἔστησα, Santes, Lxx. Alii, *stabilivi.* הקמתי Hieron. *pepigi* כרתי. Hiscuni, נשבעתי i. juramento firmavi. Nam קים in lingua Chaldaica *jurare.* Licet etiam vertere, *adhibito jurando pepigi.* Quod autem præcedit וגם & etiam (id Jonathan hoc loco reddit ולחוד) referri debet ad *quare misisti te.* Quare, inquit, misisti me? respondet, Quia ego DOMINUS, tum etiam propter fœdus quod inii cum majoribus tuis, quibus promissi

misi me daturum terram Chanaan, &c. deinde quia audivi gemitum sive clamorem filiorum Israël, &c. ¶ *Ut darem illis*] Alius, *daturum me illis.* Sed hoc leve. ¶ *Chanaan*] Τῶν χαναναίων. Lxx. Sic כנענים Ægyptii. Vide sequentia. ¶ *Peregrinationis eorum*] Mox se explicat cum ait, *in quâ peregrini & advenæ fuerunt.* Nam ea vis in illo, *in quâ peregrinati sunt.* Ceterum singulari usi sunt interpretes. Onkelos, Hieron. Santes, Jonathan. Licet in Ebræo sit pluralis, *peregrinationum ipsorum.* ¶ *Gemitum*] Τὸν στεναγμὸν. Hieron. Lxx. Tremel. *clamorem.* Onkelos, Santes *angustiam.* Jonathan. Sed potius ut נאק sit gemitus. Lexicon Munsteri, נאק *suspiravit ex angustiâ:* נאקה *suspirium, gemitus.* ¶ *Ægyptii*] Hic perspicuè מצרים Ægyptios denotat. ¶ *Servire cogunt*] Servire faciunt.

6. *Ideò dic filiis Israël, Ego DOMINUS, & educam vos de sub oneribus Ægyptiorum, & liberabo vos à servitute ipsorum, & redimam vos brachio extento & judiciis magnis.*

7. *Et assumam vos mihi in populum, & ero vobis Deus, & scietis me esse DOMINUM Deum vestrum qui eduxerim vos de sub oneribus Ægyptiorum.*

8. *Et inducam vos in terram quam levata manu juravi me daturum Abrahamo, Isahaco & Jacobo, daboque eam vobis hæreditatem, ego DOMINUS.*

Ego DOMINUS] Qui non mutor ac proinde promissis sto. ¶ *De sub oneribus*] De sub ut de super, ut inante, ut מבין in inter. Libenter enim Ebræi præpositiones hoc modo geminant. De sub inveniri ajunt apud Florum autorem Latinum: ideò non veritus sum eo uti. Hieron. *De ergastulo Ægyptiorum.* Est autem ergastulum locus in quo servi opus faciunt. Lxx. ἀπὸ τῆς δυναστείας τῶν Αἰγυπτίων. Onkelos & Jonathan, *ab oppressione servitutis Ægyptiorum*, i. quâ opprimunt Ægyptii filios Israël. Tremel. *à subjectione onerum.* ¶ *Brachio extento*] Vel, *extenso:* Quod alius retulit, *exerto.* Ebraicè est זרוע נטויה. Id Hieron. interpretatur, *brachio excelso.* Cave mendum esse credas. Nam etiam Senes habent ἐν βραχίονι ὑψηλῷ. Nec aliter interpretes Chaldæi. Nam מרמם elevato, sublato. Idem מרים quod compendio itâ dicitur pro מרומם quemadmodum בין dicimus pro בינת. Consule Gram. Chaldaicam nostram pag. 33. Sciendum tamen Hieron. Psalm. 136. 12. habere, *Brachio extento.* Brachium extensum, ut *manus extensa:* quod obvium aliquoties Jes. 9. Vide Caninium vers. 20. Utroque autem nomine vires ac potentia significantur, ut Psalm. 10. 15. *frange brachium improbi.* ¶ *Et judiciis magnis*] Id est pœnis ac suppliciis. Minus rectè Senes ἐν κρίσει μεγάλῃ, in judicio magno. Nam sic vocatur communiter & usitatè judicium extremum. Porro judicia Ebraicè hic dicuntur שפטים & Chaldaicè דינין. Alibi est משפטים, & tunc aliud significat. ¶ *Assumam*] Accipiam, adoptabo, adsciscam, λήψομαι. Non omittendum. Onkelos & Jonathan אקרב. Verto, admovebo sive applicabo. Verbum è verbo, *appropinquare faciam.* Quanquam in Munstero, קרב capere, accipere. ¶ *In populum*] Non pro populo, sed ut sitis populus meus revera. Id factum cum legem acceptarent in monte Sinai. ¶ *Deus*] לאלהים in Deum, i. Deus revera. Sic לאשה uxor revera. Hieron. *& ero vester Deus.* eodem recidit. Sic Græci, καὶ ἔσομαι ὑμῶν Θεὸς. Onkelos & Jonathan, לאלהא in Deum. Quod noto quia terminationem pluralem exprimunt per nomen, quod tàm terminatione quam sensu singulare est. Cuique linguæ sua proprietas. ¶ *Inducam*] Εἰσάξω, introducam. ¶ *Quam levata manu juravi*] אשר נשאתי את ידי לתת אתה quam levavi manum meam dare illam. Hieron. *Super quam levavi manum meam ut darem eam.* Lxx. εἰς ἣν ἐξέτεινα τὴν χεῖρά μου δοῦναι αὐτὴν: in quam extendi manum meam ad dandum eam. Onkelos & Jonathan, *Quam juravi per sermonem meum daturum me illam.* Optimè & rectissimè. Levare manum gestus est jurantium. Vide supra. ¶ *Scietis*] Cognoscetis per experientiam. ¶ *Hæreditatem*] Hoc usitatius dicunt, *in hæreditatem.* Sensum expressit Hieron. *possidendam:* non Senes qui vertunt ἐν κλήρῳ.

9. *Et locutus est Moses sic ad filios Israël, qui non audiverunt Mosem ob angustiam spiritus, & ob servitutem duram.*

10. *Locutusque est DOMINUS ad Mosem, dicendo.*

11. *Ingredere, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israël è terrâ suâ.*

12. *Locutusque est Moses coram DOMINO, dicendo, En filii Israël non audiunt me, & quomodo audiet me Pharao, cum ego sim incircumcisus labiis?*

Sic] Quemadmodum jusserat ei Deus. ¶ *Non audiverunt Mosem*] Audire hic significat non auscultare i. auditis parere: sed attendere ad ea quæ dicuntur. Ideò non nemo vertit, *non attenderunt ad Mosem.* Quod significat Abenezra hoc scholio, *non inclinarunt aurem ad verba ejus.* Ebraicè est ad verbum, *Non audiverunt ad Mosem.* Hieron. *Non acquieverunt ei.* Sic etiam On. & Jon. ¶ *Ob angustiam spiritus*] מקצר רוח Hieron. *Propter angustiam spiritus.* Sic etiam Santes. Alii, *præ angustiâ spiritus.* Eodem redit. Lxx. ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας. Quod Latinè legitur apud Augustinum, *à defectione spiritus.* Posses vertere, *præ pusillanimitate.* Lxx. vet. ὀλιγόψυχος pusillanimus. Onkelos מעקת רוח *præ angustia spiritus.* Jonathan & Jerosolymitanus מקטיעות רוח. Est autem קטיעות idem quod κολόβωσις, i. decurtatio. Posses vertere, *præ defectione spiritus.* קצר etiam est contrahere. Contrahi autem spiritus dicitur & in irâ: unde קצר אפים iracundus; qui Ebraicè dicitur קצר רוח brevis spiritu, nisi mavis, *decurtatus spiritu.* ¶ *Ob servitutem duram*] Vel, *propter opus durum.* Sic Græci καὶ ἀπὸ τῶν ἔργων τῶν σκληρῶν: & Hieron. *Et opus durissimum.* ¶ *Non audiunt me*] Non attendunt ad verba mea. ¶ *Incircumcisus labiis*] ערל שפתים. Hieron. *incircumcisus labiis.* Lxx. ἄλογος, quod reddunt, *sine sermone:* ego, *facultatis dicendi expers.* Augusti. vide supra. Hieron. Ezech. 43. Ego autem, *sum tardi sermonis.* Pro quo Lxx. dixere ἐγὼ ἄλογός εἰμι. Quod melius habetur in Ebræo, ego autem, *incircumcisus sum labiis.*

13. *Locutusque est DOMINUS ad Mosem & ad Aharonem, & mandata dedit eis ad filios Israël, & ad Pharaonem regem Ægypti ut educerent filios Israël e terra Ægypti.*

Mandata dedit eis] ויצום & præcepit eis. Abenezra subaudit ללכת ut irent. Melius Hieron. *dedit mandatum.* Nam צוה sequente אל non tàm præcipere significat, quàm ad aliquem dare mandata. ¶ *Ut educerent*] Moses & Aharon. Ebraicè להוציא ad educendum, quod Senes ad Pharaonem referunt, interpretantes ἐξαποστεῖλαι ut dimitteret. Si rectè, quod mihi non videtur, vertendum, *ut egredi sineret.* Unde & illud sequeretur verba conjugationis Hiphil aliquando permissionem significare. De quo Theologos inter & Grammaticos hodie controversia est.

14. *Hæc sunt capita domus patrum ipsorum: Filii Ruben primogeniti Israëlis, Henoch & Phallu, Hesron & Charmi. Hæ sunt familiæ Ruben.*

Hæc sunt capita domus patrum ipsorum] Capita i. primores. Græci habent ἀρχηγοί. Hieron. *principes:* alius, *primarii.* *Domus patrum ipsorum:* à Hieron. redditur, *domorum per familias suas*, à Lxx. οἴκων πατριῶν αὐτῶν. Est autem πατριὰ, familia, quam Ebræi nomine *domus* designant. ¶ *Ipsorum*] Mosis & Aharonis, an potius Israëlitarum? ¶ *Israëlis*] Jacobi patriarchæ. ¶ *Henoch*] Græcè Ἐνὼχ leniter & sine aspiratione. Contra factum in Ἱερουσαλὴμ & Ἱεροσολύμα, aliisque non paucis. Henoch i. חנוך quod nunc legunt חנוך Hanoch. In Josepho est Ἄνωχος, & in textu Lyræ Enoch. ¶ *Phallu*] פלוא cum dages in lamed. Quanquam in Jonatha פלו Phalu, omissa א. Græcè est Φαλλοὺς Phallu, Phallus, ut Jesu, Jesus. In quo *s* additum ex Græca consuetudine. ¶ *Hesron*] חצרון Hesron sive Chesron; ut Hebron & Chebron. Quod in iis nominibus obtinet, quæ ab Heth incipiunt. Vulgò Chesron. In textu Lyræ Esron & in edit. Græcâ Ἀσρὼν, quod libentiùs scripserim Ἀσρὼν. Contra factum in מלכיצדק Melchisedec. Forte legerunt Hasron διαφόρως ἔνεκα. Nam Ἐσρὼν primogenitus Phares Gen. 46. 12. ¶ *Charmi*] כרמי Χαρμεί. ¶ *Familiæ*] *Cognationes.* Hieron. *prosapia.* Jonathan. ἡ συγγένεια. Lxx. *Hi quatuor in Ægyptum descenderunt*, Abenezra.

15. *Filii Simeon, Jamuel & Jamin & Ahod, & Jachin, & Sohar & Saul filius Chananitidis: Hæ sunt familiæ Simeonis.*

Jamuel] ימואל quod nunc legunt Jemuel. Sic etiam olim Græci Ἰεμουήλ, ut habetur in edit. Rom. ימואל Jamuel ut שמואל Samuel. ¶ *Jamin*] ימין Ἰαμὶν sive Ἰαμείν. Nam Ἰαμὶν quod in editione Rom. mendum continet quale in μελχὶμ. Sic Βδὲμ reperias pro Ἐδὲν: Quæ scriptura imposuit Theodoreto & aliis. ¶ *Ahod*] Malim Ohad. Nam Ahod i. אהד. Tamen in Hieron. Ahod & in Lxx. Ἀὼδ, etiam Gen. 46. 10. Ebraicè & Chaldaicè אהד: cujus familiam extinctam arbitratur Abenezra in Ægypto vel in deserto, cum in sectione Phinees nulla ejus memoria usurpetur. ¶ *Et Jachin*] ויכין καὶ Ἰαχὶν. Scribi debet hoc nomen cum N in ultimâ. ¶ *Sohar*] Vel, *Sachar*, ut Rahab & Rachab. Quod tum obtinet cum media est Heth. Græca editio Σαὰρ i. צחר. Nam olim puncta non erant adscripta. In textu Nicolai Soher צחר alias *Sober:* corrigo, *Soher.* Supra in eodem textu Ahod; alias Abod. Nam proclivis sane lapsus de *h* in *b.* Ebraicè צחר etiam Chaldaicè. Nam Chaldæi nomina propria raro immutant. Hic Zare vocatur i. זרח Num. 26. 13. per Metathesin, & sade cum zain permutata. ¶ *Filius Chananitidis*] Vel contractiùs, *Chananitidis.* Sic Chananæus dicimus pro integro Chananæus. Similis contractio in Jacob pro Jaacob. Quod notum ex libellis meis. Vide supra. ¶ *Familiæ*] Lxx. πατριαί. Hieron. *progenies.*

16. Et

16. *Et hæc sunt nomina filiorum Levi secundum generationes suas, Gerson & Cahath & Merari: anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem.*

Secundum generationes suas] לתלדתם. Lxx. κατὰ συγγενείας αὐτῶν. Hieron. *per cognationes suas.* Jonathan, *secundum prosapias eorum.* Santes, *secundum generationes eorum.* Tremel. *per generationes suas.* ¶ *Gerson*] גרשון cum Nun in fine. Editio Græca τῶν ϛ. γεδσῶν. Forte legerunt Daleth pro Resch: aut est mendum librariorum pro γερσῶμ. ¶ *Cahath*] Ita scribendum, non Caath, ut est in Hieron. videlicet ex Græco καὰθ. Græci enim nomina in medio non aspirant. Ebraicè קהת quod nunc legunt & scribunt Cehath. Similis error in Raab pro Rahab. ¶ *Merari*] מררי μεραρεὶ. ¶ *Centum triginta septem*] In Ebræo est, *septem triginta & centum anni.* Solent enim Ebræi minorem numerum præmittere. Contra Chaldæi cæterique. Nam Onkelos & Jonath. *Centum & triginta & septem anni.* Lxx. ἑκατὸν τριακονταεπτά. Hieron. *Septem triginta septem*: quod secutus sum. Jonathan hoc loco, *Anni vitæ Levi 137. anni dum vidisset Mosem & Aharonem liberatores Israelis.* Quid? An Levi vidit Mosem? falsum, falsum. Nam scriptum est ecce, *mortuus est Joseph & omnes fratres ejus*: deinde sequitur, *& surrexit rex novus.* Intelligens intelligit quid velim.

17. *Filii Gerson, Lebni & Semei secundum generationes suas.*

Gerson] גרשון in Jonatha hic est גרשם cum M in fine. Quod excusari potest. Nam similis varietas in codicibus Ebræis. Sane qui Gen. 46. 11. Gerson vocatur per N in fine, 1 Paralip. 6. 16. dicitur Gersom per M. Unde colligimus unum idemque nomen esse. ¶ *Lebni*] Antiquitas lectionis pro Libni, i. לבני quod Hieron. legit *Lobni*: pro quo in textu Nicolai *Lobeni*, & in Lxx. λοβενεί. ¶ *Semei*] Σεμεεὶ. שמעי Semei, ut שמעון Simeon.

18. *Filii Cahath, Amram, & Isahar & Hebron & Oziel: & anni vitæ Cahath centum triginta tres.*

Amram] עמרם ἀμράμ, quod in Edit. Rom. ἀμβράμ. Amram, Ambram; ut Mamre, & Mambre. Sic Jamres & Jambres: Nemrod & Nembrod: Samson & Sampson, i. Σάμψων. Hic *p* inserta, ibi *b.* ¶ *Isahar*] יצהר Ishar, & ἀρχαϊκῶς Isahar, quod leviter scriptum in Hieron. Isaar, & in Lxx. Ἰσσαάρ, cum duplici *s.* יצהר Isahar, ut יצחק Isahac. ¶ *Hebron*] חברון Hebron sive Chebron, quod Græcè legitur Χεβρών. ¶ *Oziel*,] vel, Uziel. Sic Ozias & Uzias. Sic promiscuè dicimus עז robur meum & עז per Cametz breve. Græcè Ὀζιήλ. ¶ *Anni vitæ Cahath*] Addit Jonathan de suo, *usque dum vidisset Phinees, ipse est Elias sacerdos magnus, qui mittendus est ad deportationem Israel in fine dierum.*

19. *Et filii Merari, Mahali & Musi. Hæ sunt familiæ Levi secundum generationes suas.*

Mahali] Vel, Machali i. מחלי quod Senes legerunt μοολὶ i. מחלי unde in Hieron. *Moholi.* Ceterum in Lyra est *Mooli.* ¶ *Musi*] מושי quod nunc scribunt, Muschi. Sed in Hieron. *Musi*, & in Lxx. ὁμουσεί; lego μουσί: aut ὁ μουσί, divisim, ut sit articulus.

20. *Et accepit Amram Jochabed amitam suam sibi in uxorem, quæ peperit ei Aharonem & Mosen: anni autem vitæ Amram centum triginta septem anni.*

Jochabed] Τὴν Ἰωχαβέδ. Hodiè Jochebed. ¶ *Amitam suam*] i. sororem patris sui, quam Græci πατραδέλφην appellant. Ebraicè דודתו. Chaldaicè vero אחת אבוהי, quâ voce usus est hoc loco Jonathan. Nam in Onkelo, אחת אבוהי, sororem patris sui. Rectè sanè. Nam erat filia Levi 2. 1. Quanquam in Hieron. *patruelem suam.* Et in Lxx. θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, filiam fratris patris sui. R. Salomo, *Soror erat patris ipsius filia Levi, soror Cahath.* ¶ *Anni vitæ Amram*] Jonathan addit, *dum vidisset filios Rechabia filii Gersom filii Mosis.*

21. *Et filii Jsahar, Core & Nepheg & Zechri.*

Core] Κορὲ. קרח. Core, ut תרח Thare. Non male etiam scribitur Corach, ut Noach: à quo tamen Nochus, non Noachus, ut imperiti scribunt. ¶ *Nepheg*] נפג Nepheg, vel Napheg: ut הבל Habel. Napheg scriptum in textu Lyræ. Senes habent ναφὲκ: in quo erratum quale in δαιὴκ. Nam veritas lectionis ναφὲγ & δαιὴγ. Talia scribis imputanda potius quam interpretibus. ¶ *Zechri*] זכרי Zechri, ut לבני Lebni. Græcè ζεχρεί, hodie Zichri.

22. *Et filii Oziel, Misael & Elisaphan & Sethri.*

Misael] מישאל μισαήλ. ¶ *Elisaphan*] Ἐλισαφάν. Hieron. Lxx. Ebraicè est Elsaphan per S, Sade i. אלצפן. ¶ *Sethri*] סתרי Sethri, ut זכרי Zechri. Græcè esset σεθρί: sed in editione Rom. σεγρί, θ in γ versa. Hodie Sithri. In Lyra Sechri pro Sethri.

23. *Et accepit Aharon Elisabe filiam Aminadab, sororem Nahason, sibi in uxorem: quæ peperit ei Nadab & Abihu, & Eleazar & Ithamar.*

Elisabe] Lxx. Τὴν ἐλισαβὲθ. Hieron. quoque Elisabeth. Littera addita, ut in Nazareth, Genesareth & similibus. Quâ de re vide comment. nostrum ad voces N. T. Scribunt etiam Elisabeth per *s*, simplex. Quale est εὐιλάτ. Nam Ebraicè חוילה Havila, non Havilat aut Hevilat. Quidam scribunt Elisaba. Nam in fonte אלישבע. Nos antequam consuetudinem secuti sumus שבע Sabe, ut תרח Thare. ¶ *Aminadab*] Ἀμιναδὰβ, unica *m* libri Græci & Latini: Amminadab i. עמינדב geminato M Ebræi & Chaldæi. Glossæ Philonis, *Aminadab pater meus spontaneus.* Sic etiam Eucherius pag. 52. in libros Regum. Confundunt Aminadab cum Abinadab. Hoc sonat quod interpretantur: illud, *populus meus spontaneus.* Res est, non conjectura. In eodem glossario, *Abinadab, populus meus spontaneus*, i. Aminadab. ¶ *Nahason*] נחשון scribunt etiam נחשון Nachson. In antiquis Hieron. *Naason*, & in Lxx. ναασσὼν i. Naasson, duplici *s*. Ad quod exemplum obvium passim, Messias, Pharissæi i. Φαρισσαῖοι. נחשון legitur in On. & Jon. Puto autem sororem fuisse ex eodem patre ac matre. ¶ *Nadab*] Ναδὰβ, alibi est βαδὰτ: sed perperam. Ebraicè נדב. ¶ *Abihu*] אביהוא Abihu, non Abiu. Quod ex Græco Ἀβιοὺ; pro quo in editione Rom. Ἀβιοὺδ Abiud, vitio, ut reor, exscribentium, quibus solitum hoc modo nomen cum nomine permutare. ¶ *Eleazar*] אלעזר Ἐλεάζαρ unde Eleazarus, & ab eo decurtatum Lazarus. ¶ *Ithamar*] איתמר ἰθάμαρ. Id sonat, insula palmæ. Nam Thamar palma, & אי insula. Reliquæ interpretationes, quæ in libro nominum, folia farsari sunt & Næniæ butubata.

24. *Et filii Core Aser & Elcana & Abiasaph: Hæ sunt familiæ Coritarum.*

Aser] Sic editio Latina vetus. Malim *Asir.* Nam & Græcè est ἀσείρ, & Ebraicè אסיר Assir, S, geminata. Jam vero Aser alius est. Non sunt confundenda nomina, quæ ab Ebræis distinguuntur. ¶ *Elcana*] אלקנה ἐλκανά. Perperam Helchana in quibusdam libris. ¶ *Abiasaph*] אביאסף. Hoc nomen corruptum est libris quibusdam in Abiasab. Græcè quoque legitur ἀβιάσαρ pro ἀβιάσαφ. Unde in libro nominum, *Abiasar, patris mei collectio.* Malam scripturam bene interpretantur. Nam אסף collegit, non אסר quod potius vincire significat. ¶ *Coritarum*] הקרחי Coritæ i. Coritarum. Santes, *Corchita*, in quo Heth per ch. expressa: nos Hieron. secuti sumus, qui eam elisit more apud Chaldæos tralatitio. Sic Jarius dicimus pro Jarchius qui Ebraicè ירחי. Tremel. *gentis Corachææ*, nempe à Corach, quod antiqui legebant Core. Id habetur hoc loco in Onkelo & Jonatha. Græci quoque αὗται αἱ γενέσεις κορέ: Hæ sunt generationes Core i. קרח.

25. *Et Eleazar filius Aharonis accepit sibi de filiabus Phutiel in uxorem, quæ peperit ei Phinees: Hæc sunt capita patrum Levitarum secundum familias suas.*

Phutiel] פוטיאל Φουτιήλ. Hinc Abenezra scribit fuisse ex filiis Israël. Contra Jonathan, *accepit sibi ex filiabus ipsius Jethro, qui vocatur Phutiel.* R. Salomo, *ex semine Jethro: aut ex semine Joseph.* Nicolaus, *Iste fuit Jethro, ut dicunt Ebræi.* ¶ *Accepit sibi*] Hic *sibi* redundat in Latio. Nam Ebræi & Græci eleganter sic loquuntur *Accepit sibi*, ut *vade tibi*, γράψον σοι, *faciamus nobis*, &c. ¶ *Phinees*] Τὸν Φινεές. Ebraicè פינחס quod scribunt Phinchas, licet sermo Ebræus careat P. latinorum. Ab hoc nomine putatur esse Græcum Phœnix: unde Φοινίκη i. Phœnice. ¶ *Capita patrum Levitarum*] Hieron. *principes familiarum Leviticarum.* Lxx. αἱ ἀρχαὶ πατριᾶς λευιτῶν. *principia familiæ Levitarum.* Tremel. *primarii paternarum familiarum Leviticarum.*

26. *Iste est Aharon & Moses, quibus dixerat DOMINUS, Educite filios Israël ex terra Ægypti per exercitus suos.*

27. *Ipsi sunt qui loquebantur ad Pharaonem regem Ægypti ad educendum filios Israel ex Ægypto: Iste est Moses & Aharon.*

Aharon & Moses] Mox ait, *Moses & Aharon.* Cur mutat ordinem? an ut ostendat pares fuisse? ità R. Salomo. Abenezra notat primum præponi Aharonem quia natu major erat, tum etiam quia functus fuerat antea munere prophetico: *post præponitur*, inquit, *Moses propter dignitatem à versu qui sequitur & deinceps in totâ hâc legatione, imò in totâ lege. Sic apud Davidem, Moses & Aharon in sacerdotibus ejus.* ¶ *Per exercitus suos*] Hieron. *per turmas suas.* Ebraicè על צבאתם quam particulam Onkelos & Jonat. retinent: R. Salomo explicat per ב: Senes per σὺν i. cum. Sic alibi על נשים cum uxoribus. ¶ *Ad Pharaonem regem*] *Cum Pharaone rege.* Onkelos & Jonathan. ¶ *Qui loquebantur*] Vel, *qui loquentur.* Hieron. & Santes, *qui loquuntur.* Tremel. *qui allocuti sunt.* Lxx. οἱ διαλεγόμενοι: qui disserebant.

28. *Fuit autem quo die locutus est DOMINUS ad Mosem in terrâ Ægypti.*

29. Ut

29. *Ut loqueretur DOMINUS ad Mosen dicendo, Ego DOMINUS, loquere ad Pharaonem regem Ægypti omnia quæ ego loquor ad te.*

30. *Dixitque Moses coram DOMINO, Ecce ego incircumcisus labiis sum, & quomodo audiet me Pharao?*

Fuit autem, &c.] Hunc versum Senes & Hieron. cum superioribus connectunt. Legendus Abenezra hoc loco: item Lippomanus. ¶ *Quæ ego loquor*] i. loquar aut locuturus sum: vel etiam *locutus sum*, ut supra המדברים *qui locuti sunt*. ¶ *Incircumcisus labiis*] Lxx. ἰσχνόφωνός εἰμι i. gracili voce sum. vide supra. ¶ *Audiet me*] Attendet ad me, hoc est ad verba mea.

AMAMA.

20. EBra. *Accepit autem Amram uxorem Jochabed* דודתו *amitam suam*. Vulg. —— *Jochabed patruelem suam.*

Patruelem] i. filiam fratris patris sui. Sic enim Græci, quos hic expressit noster, θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. At Ebræa vox דודה nunquam patruelem significat, דוד patruus, דודה amita. Unde & Steuchus magnus ille Vulgatæ Patronus huc descendit, ut asserat, *Hieronymum per* patruelem *intellexisse Patrui sororem* i. materteram. Amitam voluit dicere. Et Cajetanus, *juxta Ebræum*, inquit, *habetur*, *amitam suam*. Consentit Chald. אחת אבוהי *sororem patris sui*. Et Joh. Benedictus, qui in margine reposuit *amitam*. Confirmat hanc expositionem manifestarius locus Num. 26. 59. quem adi. Verùm minus decorum forte Interpreti visum est hoc matrimonium. Nos scimus ante Legem multa etiam à sanctis factitata, quæ Lex postea districtè prohibuit; sic Jacob geminas sorores habuit uxores, quæ matrimonia postea sublata sunt expressâ lege Levit. 28. Vide pro nobis Bellarm. de Matrimonii sacr. lib. 1. 27.

GROTIUS.

5. IN *Deo omnipotente*] Ut qui possem præstare promissa.

Nomen meum Adonai non indicavi eis] Adonai pro יהוה, ut Hebræi legunt, ad servandam reverentiam nomini præcipuo. Sensus autem est, ut cohærentia indicat, non ostendi me eum esse qui reipsa promissa implerem. Eò enim spectat vox אהיה [*sum*], & inde facta יהוה: verba mea res sunt. Vidit hoc Rabbi Solomo.

4. *Ut darem eis*] Id est, posteritati eorum. Communicant enim inter se nomina parentes & liberi: præsertim cùm liberis benè fit ob parentes.

9. *Propter angustiam spiritus*] Angustias pectoris dixit primâ Philippicâ Cicero, quod explicat egestatem animi: sed hoc loco magis anxietas significatur, ut sequentia indicant. Lxx. ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας [*ob impatientiam*]. At alia vetus versio ad corporis vitium ex laboribus contractum retulit, dicens ἀπὸ κολοβότητος πνεύματος [*ad spiritum intercisum*], sicut Plutarchus in vita Demosthenis γλώττης ἀσάφεια καὶ πνεύματος κολοβότης ἐπιταράττουσα τὸν νοῦν τῶν λεγομένων [*linguæ difficultas & spiritus intercisio eorum quæ dicebat sensum obscurabant*].

Et opus durissimum] Hic addunt codices Samaritani hujus temporis: *Et dixerunt Mosi: desiste à nobis ut serviamus Ægyptiis, quia melius est nobis servire Ægyptiis, quàm mori in deserto.* Causa hujus additionis & multarum aliarum satis est frigida, quia infrà talium ut antè dictorum fit mentio. Sumtum enim hoc ex eo quod infrà, xiv. 12. quasi verò aut singula cujusque dicta in historiis referantur, aut nullæ sint in eis ex occasione ἐπάνοδοι [*retrogressiones*]. Hæ stultæ sunt in magno otio transscribentium περιεργίαι [*curiositates*].

20. *Patruelem suam*] Sic & Græci θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ [*filiam fratris patris sui*]. Revera fuit amita, idque vox Hebræa significat. Mutarunt qui quod lege vetitum est semper putarunt nefas fuisse. Vide quæ dicta de Jure belli ac pacis lib. II. c. V. §. 14.

CARTWRIGHTUS.

3. ET *apparui Abrahamo, Isaaco & Jacobo* באל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם (*nomine*) *Dei Omnipotentis, sed nomine meo Jehova non sum cognitus eis*] Onk. *Et revelavi meipsum Abrahamo, Isaaco & Jacobo (nomine) Dei omnipotentis*; ושמי יי׳ לא הודעית להון *Sed nomen meum Jehova non notum feci eis.* Sic Abenezra refert Menahim interpretari נודעתי per הודעתי, i.e. *notum feci*; id autem improbat, asserens esse conjugationis Niphal (id quod vocis forma clarè indicat) ac ושמי esse pro בשמי *at nomine meo*, vel, *at per nomen meum*; ut immediatè antea באל שדי quod perinde est ac si dictum esset בשמי אל שדי *nomine meo*, vel *per nomen meum Dei omnipotentis*. Variæ sunt hujus loci expositiones, sed genuinum ejus sensum assecutum arbitror R. Salomonem. qui cum sic explicat: הבטחתים הבטחות ובכלן אמרתי להם אני אל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם לא הודעתי אין כתב כאן אלא לא נודעתי לא נכרתי להם במדת אמתות שלי (a) שבעבורה נקרא שמי יהוה נאמן לאמת דברי שהרי הבטחתי ולא קיימתי h.e. *Promisi eis promissiones, & in omnibus iis dixi illis, Ego sum Deus omnipotens; at in nomine meo Jehova, non sum notus eis. Non scribitur hic, non notum feci* (sc. nomen meum Jehova) *sed non notus sum, non cognitus sum illis proprietate veritatis meæ propter quam vocatur nomen meum Jehovah, id est, verax* (seu *fidelis*) *propter veritatem verborum meorum, quoniam ecce promisi eis, sed non præstiti.* Hæc sententia omnium simplicissima visa est Fagio, quasi Deus hoc sensu, hæc verba ad Mosen dixerit; *Omnipotentem quidem me esse patribus declaravi, & mihi abunde esse divitiarum, ut illos divites redderem. At in nomine meo* (b) *Adonai non fui cognitus illis. Id est, verum opere non complevi, quod illis sum pollicitus. Quasi dicat, promittentem quidem me illis terram Chananæorum audierunt, & crediderunt, sed opere promissa complentem non viderunt, quemadmodum tu visurus es. Tibi igitur in nomine meo Adonai cognitus ero; id est, videbis me facere quod nomen meum sonat, nempe veracem esse*, &c. Nomen שדי *Shaddai* vel componitur ex אשר די *asher dai*, *qui est sufficiens*; (c) vel (quod mavult Abenezra) deducitur à שדד *Shaddad*, *vastare*, atque idem valet quod מנצח *vincens*, *superans*, *qui potentiâ suâ omnia vincit ac superat; cui nihil est impossibile, nihil difficile.* At יהוה *Jehova* deductum est à verbo הוה *Hava* idem significante quod היה *Haia*, id est, *esse*, atque ideò Deus sic dictus est, quòd à seipso sit, atque aliis omnibus esse largiatur, quin & verbum suum existere faciat, id est, quod verbo dicit, illud opere compleat. Quod igitur adversus Rab. Salomonis expositionem (quam genuinam esse non dubito) Lyra objicit, parùm valet, nempe Veritatem, prout denotat impletionem promissi, non significare divinam naturam in se, sed cum respectu ad creaturam, ac propterea nomine tetragrammato non designari; id enim (prout docet R. Moses) essentiam divinam in se, absque respectu ad creaturas significare. Hoc (inquam) argumentum parùm valet; nam doctissimorum virorum consensu nomen tetragrammaton non tantùm essentiam divinam in se significat, verùm etiam respectum ad creaturas habet, quatenus nimirùm eis Deus essentiam tribuit, atque in causâ est, ut existant. At rursus ex adverso se opponit Lyra, dicens tempore Mosis non impletam fuisse promissionem de terrâ Canaan; neque enim Mosen eam ingressum esse. Respondeo, Ad fines terræ Moses pervenit, eamque oculis perlustravit, ac novit populum jamjam eam ingressurum esse, unde meritò dicatur ejus tempore impletam esse promissionem. Quin & illud satis est, tempore Abrahami, Isaaci & Jacobi promissionem istam non fuisse impletam, nunc aut hominibus illius generationis, in quâ vixit Moses, fuisse implendam. Sunt qui existimant nomen tetragrammaton ante tempora Mosis non fuisse cognitum, atque in istam sententiam propendet Burgensis, mihi autem haudquaquam videtur probabilis. Nam (si Mosi fides habenda) Deus patres Mose antiquiores alloquens, se nomine isto appellavit; ac vicissim patres isti Deum nomine isto nuncuparunt. Vide Gen. 15. 7. 8. & 22. 14. & 24. 7. 12. 27. & 27. 7. 20. Respondet Burgensis (atque ita R. Jesuam respondisse refert Abenezra) ista esse verba Mosis scribentis ea, quæ à Deo ac patribus dicta fuerunt. Id vult, Mosen suis verbis Dei ac patrum dicta recitasse. Sanè si aliâ linguâ Deus ac Patres locuti fuissent, aliâ autem Moses scripsisset, id dicendum esset; at cum una eademque loquentium pariter ac scribentis lingua fuerit, ea ipsa verba, quibus Deus ac Patres usi sunt, à Mose recitata esse verisimilius videtur. Quicquid sit, locum hunc aliorsum spectare, mihi plenè persuasum est, nec de ipsis nominibus *Shaddi* & *Jehova*, sed de istorum nominum significationibus (eo sensu, quo supra exposui) intelligi debere; id quod ex v. 6. & 7. satis videtur manifestum. Lxx. Καὶ ὤφθην πρὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, θεὸς ὢν αὐτῶν, καὶ τὸ ὄνομά μου κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς. *Et apparui ad Abraham, & Isaac, & Jacob, Deus existens eorum; Et nomen meum Dominus non indicavi eis.* Illud נודעתי acceperant cum Chaldæo Paraphraste pro הודעתי *notum feci*; שדי *Shaddai* autem verterunt Θεὸς αὐτῶν *Deus eorum*, quemadmodum alibi sæpè vox ista ab illis Interpretibus exponi solet. Vide Annotat. ad Gen. 17. 1. Vulg. *Qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai non indicavi eis.* Unde apparet Judæorum consuetudinem, quâ pro *Jehova* (si ita pronunciare liceat) legitur *Adonai*, anti-

(a) *Lege* שבעבורה נקרא *sic*. (b) *Sic ille Judæorum more legis* יהוה *Jehova*. (c) *Vide Annotat. ad Gen.* 17. 1.

antiquam esse, ac Hieronymi (quem vulgatæ versionis authorem esse haud dubitandum censeo) obtinuisse.

5. *Et recordatus sum fœderis mei.*] Nimirùm (ut rectè exponit R. Sal.) fœderis illius, quod Gen. 15. 14. memoratur.

6. *Et redimam vos* בזרוע נטויה *brachio extento*] Nempe extento (ut exponit Abenezra) מן השמים על הארץ *e cœlo ad terram.*

8. *Et introducam vos in terram* אשר נשאתי את ידי לתת *Quam levavi manum meam, ut darem,*] Id est, quam juravi me daturum. Onk. & Jon. קיימית במימרי *Juravi in verbo meo;* Vel per *verbum meum.* Abenezra ait metaphoricè dictum esse, ad similitudinem hominis, qui cum jurat, manum suam ad cœlum elevat, & citat Deut. 32. 40. & Dan. 12. 7. Similiter exponit R. Sal. נשאתי את ידי הרימותי לישבע בכסאי *Levavi manum meam* (i. e.) *Sustuli eam, ut per thronum meum jurarem.* Vide quæ ad Gen. 14. 20. sunt annotata.

9. מקצר רוח *Præ angustia spiritûs*] Velut Vulg. *propter angustiam spiritûs.* Lxx. ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας, *præ pusillanimitate.* in Rom. edit. latinè vertitur, *à defectione animi.* Atque ita Augustinum legere notat Nobilius, qui addit posse etiam verti *præ pusillanimitate.* Ἀπὸ in hujusmodi locutionibus valet *præ.* ut Matth. 13. 44. ἀπὸ χαρᾶς, *præ gaudio.* Per angustiam * autem spiritûs doloris vehementia significatur; nam gaudium dilatat, dolor autem coarctat spiritum. Scholiastes quidem Græcus exponit, ἀπὸ κολοβότητος πνεύματος, *præ mutilatione* seu *inopiâ spiritûs.*

12. ערל שפתים *Incircumcisus labiis*] Onk. יקר ממלל *Gravis loquelâ.* Jon. קשי ממלל *difficilis sermone.* Atque ita etiam interpretantur infrà v. 30. Idem hic significari videtur, quod suprà cap. 4. 10. Lyra ait eum propriè dici incircumcisum labiis, qui verbis superfluis utitur, hic autem Phrasin istam largè accipi, ac quemlibet eloquentiæ defectum denotare, id quod Mosi ex vocis gracilitate accidisse existimat. Ego potius cum Burgensi arbitror impedimentum aliquod sermonis ex parte oris vel linguæ, hâc phrasi significari. Lxx. hoc in loco ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι *ego verò expers sermonis,* seu *imperitus dicendi sum.* (Hinc probabile est eos cap. 4. 10. vertisse εὔλογος) At v. 30. ἰσχνόφωνος. Vide ad cap. 4. 10. Sym. οὐκ εἰμὶ καθαρὸς τῷ φθέγματι, *non sum purus sermone.* Nempe Moses, clarè, distinctèque verba sua proferre non potuit. Fagius explicat, *Vir sum infacundus, rusticus, inelegans, incivilis, inurbanus, nescio aulicè loqui.* At quomodo istud de Mose, qui in aulâ educatus fuit dici possit, fateor me nescire. Addit, *impedita lingua sum, rudis in loquendo, & ineptus.* At illud *impedita lingua sum* à reliquis phrasibus, quæ coacervatæ sunt, diversum denotat. *Græci* (inquit) ἄλογος *dicunt, id est careo sermone, desunt mihi verba, quasi balbus sum, & labia mea sunt pinguia, non est caro execta, quæ orationem impedit.* Atque ista quidem satis commodè mihi videntur Mosis mentem exprimere. Quod autem subjicit, *vel ut alii exponunt* ἄλογος, *nullius æstimationis, nullius pretii sum apud Ægyptios,* cum Hebraicorum verborum sensu nihil habet affine.

14. *Hæc sunt capita domûs patrum ipsorum,* &c.] Quia de Mose & Aharone cum mandatis à Domino ad Israëlitas, & ad Pharaonem missis facta est mentio, ideo (ut observat R. Sal.) intermissâ narratione, quæ inchoata fuit, ad indicandam genealogiam Mosis & Aharonis, hæc sunt interposita. Ut autem ad Levi, ex quo orti sunt Moses & Aharon perveniretur, idoneum visum est genealogiam Rubenis & Simeonis prius persequi. Idem etiam ab Abenezra est annotatum, non fuisse Mosis institutum nisi suam ipsius ac Aharonis genealogiam hic describere, proptereà autem de Rubene ac Simeone verba fecisse, quod natu majores essent quàm Levi, à quo originem suam traxerunt Moses, & Aharon.

16. *Et anni vitæ Levi,* &c. *Quare* (inquit R. Sal.) *numerati sunt anni Levi? Ut intelligeretur quamdiu duravit servitus. Nondum enim illa inchoata fuit, quamdiu ex duodecim Jacobi filiis* (Ad verb. ex tribubus, מן השבטים) *quispiam fuit superstes. Sic enim dicitur* (cap. 1. 6, 8.) *Josephum mortuum esse, atque omnes ejus fratres; deinde surrexisse novum Regem,* &c. *Levi autem inter Jacobi filios diutissimè vixit.* Sic ille. At quomodo tamen hinc constare poterit, quot annis Israëlitæ Ægyptiacâ servitute oppressi fuerunt, haud assequor, planiùs probabiliusque mihi videtur quod dicit Abenezra, annos Levi & Kohathi, & Amrami in honorem Mosis ac Aharonis esse numeratos; etiamsi in eum duntaxat finem id factum esse haud facilè dixerim.

18. *Et anni vitæ Kohathi,* &c.] R. Sal. ex computatione annorum Kohathi, & Amrami rectè colligit; quadringentos annos, quibus Israëlitæ dicuntur peregrinati esse in Ægypto, non de Ægypto solummodo esse intelligendos, cum Kohath ex iis fuerit, qui in Ægyptum descenderunt. Nam si omnes annos quibus vixit Kohath, nempe 133. omnesque annos quibus vixit Amram, nimirum 137, ac octoginta annos Mosis (totidem scilicet annorum fuit cum Israëlitæ ex Ægypto egressi sunt) in unum conjunxeris, ad quadringentorum numerum non pervenies; multi autem annorum Amrami in annis Kohathi, & similiter annorum Mosis in annis Amrami absorbentur.

20. *Et accepit Amram Jochebedam* דדתו *amitam suam*] Onk. אחת אבוהי *sororem patris sui.* Jonath ברת אחבוהי *amitam suam.* Sic Hierosolymitanus Paraphrastes, cap. 2. 1. *Et abiit vir de tribu Levi, & duxit Jochebedam* אחבוהי *amitam suam in uxorem.* Ita exponit Fagius, etiamsi mendosè scriptum sit *amicam* pro amitam. In Jonathane Levit. 10. 4. אחבוי usurpatur pro patruo, uti notat Buxtorfius Junior in Lexico Syro-Chaldaico, etiamsi istic אחבוי non nisi socrum interpretetur. Buxtorfius Senior in Lexico Chaldaico-Talmudico אחבו & אחבוי similiter exponit socrum, atque ita significare notat in Targum Hierosolymitano, Deut. 27. 23. Addit autem Aruch adducere etiam אחבתיה pro Hebræo דודתו amita ex Exod. 20. 20. (sic scribitur, sed procul dubio debet esse, Exod. 6. 20.) sed (inquit) *jam Targum illud non habet,* Ita sanè Targum Hierosolymitanum non habet loci hujus interpretationem, at (quod à Buxtorfio non fuisse animadversum miror) in Jonathane, hic eo sensu vox ista occurrit. Lxx. θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ *filiam fratris patris sui.* Vulg. *Patruelem suam.* Amama notat Ebræam vocem דודה nunquam significare patruelem, sed דוד esse patruum, דודה amitam. Steuchus putat Hieronymum per *patruelem* intellexisse patrui sororem, h. e. (inquit) materteram; sed (ut notavit Amama) amitam dicere debuit. Est autem verisimile vulgatum interpretem idem cum Lxx. Interpretibus sensisse, quos ipse Steuchus ait à Vulgata versione non dissentire, etiamsi eorum interpretatione citatâ subjungat, eam non filiam, sed sororem patrui fuisse. Æquè dicere potuit sororem patris; atque ita sanè Jochebed uxor Amrami, fuit soror Kohathi patris Amrami, uti ex Num. 26. 59. est perspicuum. Ibi enim disertè appellatur filia Levi, eique in Ægypto natam fuisse dicitur. Unde hic R. Sal. אחות אביו בת לוי אחות קהת *sororem patris sui, filiam Levi, sororem Kohathi.*

137. *Anni.*] Lxx. ἑκατὸν τριάκοντα δύο ἔτη, sic Rom. Edit. habet; at Scholia testantur alios libros habere τριάκοντα ἑπτά.

26. *Hi sunt Aharon & Moses*] Abenezra ait Aharonem Mosi præpositum esse, tum quod ætate grandior esset, tum quòd ante adventum Mosis Israëlitis prophetâsset. Versu autem sequenti Moses Aharoni præponitur, *Hi sunt Moses & Aharon,* atque ita ferè deinceps in lege, & Prophetis & Hagiographis, quòd (ut idem notat) Moses munere ac dotibus Aharonem longè superavit.

29. *Et dixit Dominus Mosi,* &c.] Hic (inquit R. Sal.) *est ille ipse sermo, qui supra habitus est* (nempe versu 11.) *sed quia intermissus fuit ob recensionem genealogiæ nunc ad eum redit Moses.*

30. *Incircumcisus labiis*] Lxx. ἰσχνόφωνος, *gracili voce,* Sic legit Augustinus, unde miratus est, si Moses tam gracilis vocis fuerit, ut ab uno homine audiri non potuerit. Ac suspicatur regem fortè nôn permisisse quempiam de proximo loqui. At de vocis gracilitate nihil in Hebræo habetur; sed & Græca vox aliud quiddam denotat, ut notatum est anteà ad caput 4. versus 10. in margine. Vide etiam ad v. 12. hujusce capitis.

IDEM.

30. ערל שפתים *incircumcisus* (seu *præputiatus*) *labiis.*] Kimchi in radice ערל asserit omnem rem superfluam, & onerosam, quæ abjici debeat, & amoveri appellari ערלה i. e. *præputium;* Atque addit, balbo onerosa esse verba, quæ profert, eumque verba superflua proferre, donec id, quod velit, proferre poterit. Ex ejus igitur sententiâ Moses balbutienti linguâ erat. Vide Annotat. ad v. 12.

IDEM.

3. שדי *Shaddai*] Non placet ei, nomen istud deductum esse à שדד *vastare,* quòd שודד *vastator* in malam partem usurpari soleat. At Joël, 1. 15. dicitur ושד משדי יבוא *vastatio à Shaddai veniet:* ubi ut elegans est paronomasia, ita etiam innui videtur utramque vocem שד & שדי ab eadem radice descendere. Probat autem sententiam R. Saadiæ, nempe *Shaddai* denotare, שאמר לעולמו די *qui dixit mundo, sufficit;* ut nomine isto significetur...

* Innuitur hoc Schemate, usque adeo eos afflictos oneribus, & laboribus gravatos fuisse, ut vix spiritum trahere & respirare potuerint, *Fagius.*

 signi-

significetur, mundum non ex necessitate, sed ex voluntate & beneplacito Dei creatum fuisse. Atque ita à Rab. *Eliezer* dictum observat, שהיו השמים נמתחים והולכים עד שאמר להם די *Cæli extensi magis magisque fuerunt, donec eis dixit, sufficit.* Sed nec displicet ei eorum opinio, qui Deum sic appellatum putant *quòd sibi ipse sufficiat.* Ea sanè optima nominis istius ratio esse videtur, etiamsi nolim cum Abrabaneele hanc Dei sufficientiam ad ejus existentiam coarctare; האל שדי לו במציאותו, cum sibi ad omnia, nec sibi solum; sed & omnibus etiam creaturis abundè sufficiat: sed hæc etiam in eo, quod de existentiâ ejus dicitur, comprehendi forsan possunt.

26. *Hi sunt illi Aharon & Moses,* & v. 27. *Hi sunt illi Moses & Aharon.*] Illic nativitatis, hîc dignitatis rationem habitam monet, natu enim majorem fuisse Aharonem, Mosen autem dignitate superiorem. Quin & observat triplicem horum fratrum præcellentiam indicari. 1. Utrumque fuisse prophetam, propterea dictum, *quibus locutus est Dominus.* 2. Fortes ac animosos eos fuisse; atque ideò dictum, *qui locuti sunt ad Pharaonem regem Ægypti.* 3. Legationis suæ felicem habuisse successum; propterea dictum, *ut educerent filios Israel ex Ægypto.*

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. **D***Eum Pharaonis*] i. Constitui te judicem, vel, ut Onkelos vertit, רב, *magistrum & dominum,* super Pharaonem. Sapiens R. Abraham hunc locum sic edisserit, *Reputaberis in oculis Pharaonis* כמלאך, *juxta angelicam dignitatem.* Est enim hic אלהים idem quod מלאך. Aharon verò hic dicitur *propheta,* ob id quòd fuit Mosi מתרגם, i. *interpres.*

3. *Indurabo cor Pharaonis*] Quærit R. Abraham autor Fasciculi myrrhæ, in hunc modum, *Cum Dominus sit justus & rectus, & non pervertat judicium, quomodo dicitur indurasse cor Pharaonis, & deinde obstinatum variis afflixisse plagis?* Respondet, *Pharao fuit sibi ipsi causa indurationis, & non Deus. Fuit quidem Deus causa, verùm haud aliter quàm lapis in via in quem incircumspectus impingit. Noluit enim Pharao agnoscere Dominum, atque hoc ipso sibi ipsi fuit* סבת אבידתו, i. *causa suæ perditionis.* R. S. verò sic explicat hunc locum, *Quia enim Pharao voluit impiè agere, & me irritare, haud dignus fuit ut spiritus meus descenderet in eum, & daret illi cor tractabile atque perfectum,* &c. A. E. dicit, *Dominum indurasse cor Pharaonis per multa illa signa quæ fecit in Ægypto, unde ille non melior sed pejor redditus, etiam cum apertam Dei sentiret virtutem, noluit ei dare gloriam debitam.* Scopus totius Scripturæ est, Deum exsecrari peccatum, & nunquam esse autorem peccati. Ergò quando dicitur, *Ego indurabo cor Pharaonis,* habet alium intellectum quàm simplicia verba præ se ferunt. Suprà dicitur, *Ego scio quod non dimittet vos nisi per manum validam. Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum cunctis mirabilibus meis, & post hæc dimittet vos:* ergò quando hîc dicit, *Ego indurabo,* idem est quod, *Scio cor ejus indurandum esse, & induratione ejus ego utar pro vestra salute in gloriam meam. Ego objiciam ei verbum meum & miracula, ex quibus magis indurabitur, quia est naturaliter impius; ubi autem impio proponitur verbum Dei, fit magis impius.* Sed dices, Quare Deus non immutavit animum ejus ut obsequeretur ei? Respondeo, Abstinendum est nobis à tali quæstione. Id magis rejiciendum est ad imperscrutabilem majestatem Dei, qui *cui vult miseret, & quem vult indurat.* Electio Dei & reprobatio, quâ Deus omnia secum disposuit ab æterno, occulta est. Nos hanc animo complecti non possumus, atque ob id magis cogitare de Deo debemus sicut se nobis offert in Scriptura.

9. *Pro vobis prodigium*] h. e. Ut probetis verba vestra esse vera, facite signum aliquod.

11. *Incantationibus suis*] Onkelos vertit, *susurrationibus suis.* Significat autem להט propriè *flammam,* & subinde *fulgorem gladii & lanceæ.* Unde R. Abraham Sepharadi dicit, quòd *magicæ artes nedum nominibus & exsecrationibus fieri solent, verum etiam* בכלים *per instrumenta, sicuti magi Pharaonis fecerunt.* Et nota quòd hîc per *sapientes* intelliguntur חכמי מזלות, *astrologi;* & per *incantatores* מכשפים דהו התולדות לפנינים חנין, *præstigiatores, qui rem sub oculis intuentium immutant: Magi* verò sunt היודעים סוד התולדות, *qui ex secretis naturæ mira agere possint.* Et putat A. E. dictionem חרטמים esse Ægyptiam, ob id quòd quatuor radicalibus constat literis, contra morem Hebraicarum dictionum.

19. *Rivos eorum*] Qui scilicèt fluunt ex piscinis & magnis stagnis, ut R. S. exponit. Porrò אגמים sunt מים מכונסים שאין נובעים ואין מושכים. Per מקוה verò filius Ezræ docet intelligendos fontes, super שור Nili inundationem. ¶ *In lignis*] Hebr. *in lignis & in lapidibus,* in quibus scilicet aqua continebatur. Unde Onkelos vertit במני אעא, *in vasis ligneis,* &c. Sed quare immisit Deus Ægyptiis hanc plagam sanguinis? Respondent Judæi, מפני שהמצריים מונעין ישראל מלעשות טבילה, *Quia prohibuerunt Judæis baptisari in aquis Ægypti. Per quæ autem quis peccat, per hæc & punitur.*

22. *Susurrationibus suis*] Hic scribitur בלטיהם absque He, à radice לאט. Et sunt לטים secretæ orationes incantatorum, quibus faciunt פעולה זרה, ut Hebræi vocant, *operationem innaturalem.*

FAGIUS.

4 **P***Lagam fortitudinis meæ*] i. plagam fortem & potentem meam. Hanc putant esse percussionem & interfectionem primogenitorum, quâ plagâ demum perterrefactus Pharaoh dimisit populum.

6. *Sic inquam fecerunt*] Hoc redundare videtur per pleonasmum. Sed notat Hebraismus studium & diligentiam, quòd scilicet nihil istorum quæ Dominus præceperat intermiserint, sed omnia diligentissimè fecerint.

23. *Non posuit cor suum etiam ad hoc*] Hebraismus est, pro, Non movebat eum tantum periculum, sive, Non adjecit animum ad tam insigne miraculum, vel, Non curavit.

VATABLUS.

1. **V***Ide, dedi te,* &c. ראה נתתיך וגו'] i. Attende diligenter quæ tibi dico, Tu eris Pharaoni vice Dei: h. e. dices nomine meo & verbis meis Pharaoni quid ego velim fieri: Aharon autem frater tuus erit interpres verborum tuorum. Versu seq. seipsum declarat: nam idem dicit aliis verbis. Chald. paraph. *Vides quòd constitui te principem Pharaonis, & Aaron frater tuus erit interpres tuus.*

2. *Ut dimittat,* ושלח] Ad verb. *& dimittet,* i. etiam invitus, velit nolit amandabit.

3. *Et multiplicabo,* והרביתי] *Et multa faciam,* i. diversa signa faciam.

4. *Et dabo manum meam in Misráim.* ונתתי את ידי במצרים] *Et ponam manum meam in Ægypto,* i. percutiam Ægyptum. ¶ *In judiciis magnis.* בשפטים גדלים] *Per magna judicia,* i. gravissimè puniendo Ægyptios. Vide cap. 6. 6.

5. *Ego Jehovah,* אני יהוה] i. qui præsto quod promisi.

9. *Date,* תנו לכם] Ad verb. *date vobis.* Redundat, *vobis. Date portentum,* sub. *ad confirmationem dictorum vestrorum.* ¶ *In draconem.* לתנין] *In colubrum.*

11. *Et maleficos.* ולמכשפים] *Et præstigiatores.* ¶ *Virga Aharon,* &c. מטה אהרן וגו'] i. serpens ille in quem mutata fuerat virga, devoravit serpentes illos in quos versæ fuerant virgæ illorum.

13. *Et roboravit se,* ויחזק] *Et obduruit,* vel, *induratum fuit.*

15. *In occursum ejus,* לקראתו] *E regione ejus, ex adverso ejus.*

16. *Hisce mandatis,* לאמר] Ad verb. *dicendo.*

18. *Et fætebit,* ובאש] *Et computrescet.* ¶ *Et laborabunt,* &c. ונלאו וגו'] *Et delassabuntur Ægyptii bibendo aquas,* &c. i. abhorrebunt à potu aquæ amnis; aut, gravatè bibent aquas, &c. De his Ægypti plagis vide Psal. 78. 44. & 105. 28.

19. *Paludes eorum.* אגמיהם] *Rivos eorum, stagna eorum.* ¶ *Et in lignis & lapidibus.* ובעצים ובאבנים] Chald. paraph. *in vasis ligneis & lapideis.*

21. *Et fœtuit,* ויבאש] *Et computruit.*

22. *Et roboravit se.* ויחזק] *Et fortificavit sese,* i. induratus fuit.

23. *Et vertit se,* ויפן] *Et conversus est,* i. discessit. ¶ *Nec apposuit,* &c. ולא שת וגו'] Hebraismus, Nec movebat eum tantum periculum: vel, Non adjecit animum ad tam insigne miraculum: aut, Non curavit.

25. *Et completi sunt,* &c. וימלא שבעת ימים וגו'] i. Duravit septem dies portentum illud aquarum in sanguinem conversarum.

CLARIUS.

7. **D***Eum Pharaonis*] Divinam quandam dignitatem præ te feres. *Aaron* verò *propheta*] h. e. interpres voluntatis Divinæ, quam à fratre audiebat.

3. *Indurabo cor ejus*] Hebræi sic tractant hunc locum ut dicant

cant fuisse quidem Pharaonem sibi ipsi causam obdurationis, Deum verò haud aliter causam fuisse quàm sit lapis in via in quem incircumspectus impingit: &, quia Pharao voluit impiè agere, idcirco illum minime dignum fuisse in quem Spiritus Dei descenderet, & daret illi cor tractabile. Alius ait, Dominum obdurasse cor Pharaonis per multa illa signa quæ fecit in Ægypto, unde ille non melior sed pejor redditus, etiam cùm apertam Dei sentiret virtutem, noluit ei dare gloriam.

11. *Sapientes & maleficos*] Ferunt per *sapientes* intelligi Astrologos; per *maleficos* sive *incantatores* præstigiatores, qui rem sub oculis intuentium immutent; per *magos*, eos qui ex secretis naturæ mira agere possunt.

22. *Feceruntque similiter malefici*] Sed unde hauserunt aquam quam verterent in sanguinem, cùm omnes aquæ jam sanguis essent? Opinantur quidam, aliunde virtute dæmonum allatam. Sed facilior solutio est, si dicamus eos accepisse aquam de qua pòst paulò dicitur, *Foderunt Ægyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent.*

25. *Impleti sunt septem dies*] Duravit hæc plaga sanguinis septem diebus.

DRUSIUS.

22. JUvabo nunc eos qui legunt Chaldaicas paraphrases & commentarios Hebræorum, in quibus aliquoties occurrit vox אצטגנין, quam Munsterus in lexico suo interpretatur *astrologum*, cùm in libro Musar 98. 1. simul legantur *astrologi*, quos autor appellat אסטרולוגוסין *astrologosin* (nam *astrologolin* mendum est) & אצטגנינין *astagninin*, quos fortasse nos *astronomos* dicimus, qui differunt ab *astrologis* aliquo modo. Siquidem *Astronomia* est scientia astrorum, & *Astronomus* ejus scientiæ peritus; *Astrologus* autem qui peritiam habet *Astrologiæ*, quæ ex astrorum scientia futura prædicit. Hi *Chaldæi* olim vocabantur & *Genethliaci*, & Augustini temporibus *Mathematici Planetariique*. R. S. Jes. 44. 25. *Astagnine Babel, erant inspectores astrorum.* Sed ibi scriptum אצטגניני per *S*. Sade, ut etiam Exod. 7. 22. in Thargum Jonathæ, & in Michlol in ea parte ubi agit de ministerio literæ Caph, & in libro ubi vocum sensa explicat, radice סגן, de Sisara loquens, quem Deus traxerat ad torrentem Cison, Jud. 4. *Dicunt*, inquit, *astrologos ejus vidisse ruinam ejus, & prohibuisse illum ne exiret ad bellum, sed Deus benedictus obfirmavit cor ejus, & traxit eum ad torrentem Cison.* Exod. 8. 18. in Jonatha reperitur איסטגניני cum *S*, Samech. Refert Suidas Magos in Persarum gente *Ostanas* dictos esse, fortè ab Ostane mago & astrologo, ut & אצטגנין *Astagnin*, si me non fallit conjectura. Autor libri qui vocatur מ״ס per sigla 11.1. *Astagninim sunt qui dicunt, Dies iste malus, Dies iste bonus est, & alia ejus generis: item qui dicunt, Non incipiemus rem hanc nisi in capite mensis*, i. in Neomenia sive calendis. David Pomarius confundit singularem cum plurali. Nam אצטגנין interpretatur חוזים *astrologi*. In eodem lexico, quod *Germen Davidis* inscripsit, אצטגנות *astrologia*, i. חוזה. Sed malè אצטגנות reddit *theatrum*, cùm sit *stadium* vox Latina. Igitur אצטגנין est *astronomus* aut *astrologus*, & אצטגנינין *astronomi* vel *astrologi*. Cæterùm pluma non interest *Astagnin* legas an *Estagnin* aut *Istagnin*, quem Latinè non ineptè *astagninum* dicas. Exod. 8. 7. in Jonatha reperio אצטגניניא terminatione fœmininâ. Fortè mendum est. Vide nunc A. M. Exod. 8. 18.

IDEM.

1. ראה נתתיך אלהים לפרעה. A. Ἴδε, δέδωκά σε θεὸν Φαραώ, *vide, dedi te Deum Pharaoni*. Sym. Ἴδε, κατέστησά σε θεὸν Φαραώ, *vide, constitui te Deum Pharaoni*] Δέδωκά σε θεὸν Φαραώ. Sic Lxx. nescio an Aquila sic verterit. Tantùm in edit. Rom. habetur Ἴδε, *vide*: quod pro ἰδοὺ, *ecce*, usurpant. Δέδωκα autem, *posui*. ¶ *Deum*. *Elohim*. Onk. רב *principem*. Jon. *timorem Pharaonis, ac si ei Deus esses*. R. S. *judicem & dominatorem ut domineris in eum plagis & castigationibus*. David Camius alibi, *Omne Elohim significationem habet Judicis*.

11. חרטמים. A. κρυφιασμοὶ] In edit. Rom. τοὺς σοφιστὰς Αἰγύπτου, καὶ τοὺς φαρμακοὺς κρυφιαστάς. *Sophistas Ægypti*, i. חכמי מצרים: pro quo in Hebræo tantùm חכמים, σοφοὺς. Iidem pòst vocantur חרטמי מצרים. Ad quem locum judico pertinere fragm. A. κρυφιαστάς. Sanè Genes. 41. 8. חרטמי מצרים, idem κρυφιαστὰς, & Sym. μάγους. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

22. ויעשו כן חרטמי מצרים בלטיהם. A. καὶ γε αὐτοὶ οἱ κρυφιασταὶ Αἰγύπτου καὶ ἐν ἠρεμαίοις αὐτῶν ὥστως, *& sane etiam cryphiastæ Ægyptii & in susurris suis sic*. sub. *fecerunt*. Alius, καὶ αὐτοὶ οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων διὰ τῶν ἀποκρύφων αὐτῶν ὡσαύτως, *& ipsi incantatores Ægyptiorum per occulta sua similiter*. Alius, καί γε αὐτοὶ οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐν ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν ὡσαύτως, *& sane ipsi incantatores Ægyptiorum veneficiis suis similiter*.] Οἱ κρυφιασταί. Et hic locus juvat emendationem meam quam posui suprà v. 11. Juvat? imò planè roborat. Κρυφιασταὶ autem sunt Magi, ab *occultando* ità dicti, vel quòd artem occultam profiteantur, vel quòd res occultas efficiant, vel denique quòd scientiam suam occultent quò in majore admiratione sit apud homines. ¶ Ἐν ἠρεμαίοις αὐτῶν, *incantationibus suis*. Τὰ ἠρεμαῖα dicta quòd submissâ voce fierent. Eadem originatio in בלטיהם. Sanè לאט valet ἠρέμαιος, *placidè, leniter*: unde λάθρα, clam. R. Salomo, לט *est incantatio quam dicunt tacite & in silentio*. Idem Abenezra sensit. ¶ Ἐπαοιδοὶ, *incantatores*. Sic etiam Lxx. ¶ Διὰ τῶν ἀποκρύφων αὐτῶν. לט *quod latet*, vel *tectum est*, *occultum*, *absconditum*. Unde לט *quidam reddunt* ἐν ἀποκρύφῳ, & Abenezra exponit בלטיהם *verbis absconditis, quæ latent oculos*. Innuit autem ità loquendo incantationes & præstigias Magorum, quas Aquila τὰ ἠρεμαῖα dixerat, nempe ab *occultando*, unde & κρυφιαστὰς, q. *occultatores* dicas. ¶ Φαρμακείαις, *veneficiis*; aut *magicis incantationibus*. Sanè φαρμακεὺς à Budæo exponitur *magus*, & ab Hesychio ἐπαοιδὸς, *incantator*. Synesius, ἦσαν δ' ἄρα Αἰγύπτιοι φαρμακεῖς, i. *magi*.

24. ויחפרו כל מצרים סביבת היאר מים לשתות כי לא יכלו לשתת ממימי היאר. A. Καὶ ὤρυξε πᾶσα ἡ Αἴγυπτος κυκλόθεν τοῦ ῥείθρου ὕδωρ τοῦ πιεῖν, ὅτι οὐκ ἠδύναντο πιεῖν ἐκ τοῦ ὕδατος τοῦ ποταμοῦ, *Et fodit universa Ægyptus in circuitu rivi aquam ad bibendum, quia non poterant bibere de aqua fluminis*.

NOTÆ MAJORES.

1. DIxitque DOMINUS ad Mosem, *Vide, posui te Deum Pharaoni, & Aharon frater tuus erit propheta tuus.*

Vide] ראה A. & Sym. Ἴδε. Lxx. ἰδοὺ. Hieron. *ecce*. Onkelos חזי vide. Sic etiam Jonathan. Nam חזי idem significat. ¶ *Posui te*] Constitui te i. κατέστησά σε. Hieron. Sym. δέδωκά σε. Lxx. Aquila. Sic est in Ebræo ad verbum נתתיך constitui te. Onkelos יהבית posui te. Jonathan. Notum ut dare & ponere permutentur. ¶ *Deum Pharaoni*] Vel, *Pharaonis*, ut Hieron. Ebraicè אלהים לפרעה. Lxx. θεὸν Φαραώ: Deum Pharao. Santes, *Deum ipsi Pharao*. Galli, *ut sis Deus Pharaoni*. Tremel. *vice Dei* i. באלהים. Abenezra, *Angelum*. *Sensus*, inquit, *eris in oculis ipsius tanquam angelus*. Nicolaus, *Potentem super eum in plagis Dei virtute & ejus judicio infligendis*. Vatablus, *Vice Dei i. dicas nomine meo ac verbis meis Pharaoni, quid ego velim fieri*. Quæ habentur etiam in Catena patrum: ubi & illud, vel, *divinam quandam præ te feres dignitatem*. *Sunt qui reddant, constitui te judicem Pharaoni: alii, Magistrum ac dominum super Pharaonem*. Hic notabis nomen אלהים, licet sit plurale, tamen habere sensum singularem. Nam de uno Mose dicitur, ut & de uno Deo, & de uno vitulo. Continet autem iste locus responsum ad verba Mosis. Primum respondet ad illud, *quomodo audiet me Pharao?* q. d. reverebitur te tanquam Deum: deinde ad alterum membrum, *incircumcisus sum*. Nam quia, inquit, linguam impeditam habes, ideo Aharon erit propheta tuus. ¶ *Erit propheta tuus*] Ἔσται σου προφήτης. Hieron. Lxx. Jonathan. מתורגמנך interpres tuus. Onkelos. *ut esset interpres tuus*. Tremellius. Cæterum interpretem Græci hac ætate appellant δραγούμανος voce corrupta ex antiquiore τερψιμένος. Turci dicunt *Draguman* & *Droguman*. Galli *Truchemant*. quæ omnia originem habere videntur è Chaldaico תרגמן. Nam Thargum apud eos est interpretatio. Vulgo restringunt ad interpretationes Chaldaicas. Prophetes autem dicitur qui verba pro aliquo facit, sive ex unâ linguâ in aliam ea interpretetur sive non.

2. *Tu loqueris omnia quæ præcipiam tibi, & Aharon frater tuus loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israël è terrâ suâ.*

3. *Et ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa mea & prodigia mea in terra Ægypti.*

4. *Et non audiet vos Pharao & ponam manum meam in Ægypto, & educam exercitus meos, populum meum filios Israël à terrâ Ægypti, judiciis magnis.*

5. *Et cognoscent Ægyptii me esse DOMINUM quum extendero manum meam contra Ægyptios, & eduxero filios Israël è medio eorum.*

Tu loqueris] Ad Aharonem sive Aharoni i. אתה תדבר. Jonathan. σὺ δὲ λαλήσεις αὐτῷ Lxx. *Tu loqueris ei* Hieron. ¶ *Quæ præcipiam tibi*] Ὅσα σοι ἐντέλλομαι. Lxx. quæ mando tibi. Hieron. mandabo sive præcipiam. On. Jonath. præcepero. Tremel.

¶ Ad

¶ *Ad Pharaonem*] Cum Pharaone. On. Jon. ¶ *Indurabo cor Pharaonis*] ואני אקשה את לב פרעה Hieron. indurabo cor ejus. Lxx. σκληρυνῶ τὴν καρδίαν Φαραὼ. indurabo figmentum cordis Pharao. Jonathan. cor Pharaonis Onkelos. Supra est, *obfirmabo cor ejus*. Vide notata ad illum locum. Theodoretus, *Ego indurabo cor Pharaonis, vult dicere, ego voluntatem Pharaonis durum offirmatam pertinacemque esse ostendam*. Gregorius 31. moralium cap. 11. *indurabo i. non emolliam*. Contra legimus, *non remittetur ei neque in hoc*, &c. Quod interpretantur, punietur & in hoc seculo & in futuro. Eucherius, *Indurari sinam, non auferam duritiem ejus*. Chrysostomus, *Quemadmodum Sol debilem oculorum aciem perstringit, ita & Pharaonis cor indurasse dicitur*. Vide Augustinum in Quæst. super Exodum, Quæst. 18. ubi inter cætera & illud, *Videndum sane utrum sic accipi possit, ego indurabo, i. Quam durum sit demonstrabo*. R. Jesua, *Indurabo ad ferendum plagas*: Quod improbat Abenezra. Idem movet quæstionem, non solvit, *si Deus*, inquit, *induravit cor Pharaonis quodnam est scelus aut peccatum ejus? Et responsio est, quia Deus dedit sapientiam homini & posuit in corde ejus intellectum ad accipiendum virtutem superiorem ut addat ad bonum suum aut minuat malum suum. Et hoc exponam in sectione* כי תשא, *& in versu, Quis dabit ut sit cor eorum*, &c. *Et ecce sensus, indurabo cor ejus ut multiplicentur prodigia mea*. Hactenus ille. R. Salomo, *Postquam impiè egit & irritavit me, mihique notum est, quod non sit requies spiritus in nationibus, ut adhibeant cor integrum ad redeundum in viam, melius est mihi ut induretur cor ipsius ad multiplicandum eo signa mea*. Nicolaus Lyrensis, *Sciendum quod DOMINUS non est causa obdurationis cordis in quantum est peccatum, sed hoc modo est à libero arbitrio. DOMINUS autem est causa indurationis in quantum est quædam pœna: quia in pœnam peccati perpetrati subtrahit gratiam, cujus est cor mollificare, & ideo ea subtracta sequitur induratio cordis humani in malo suo*. Hoc scribit Exod. 4. ad locum, *Ego indurabo cor ejus, non dimittet populum*. Finem faciam si prius locum Apostoli produxero. Ait Paulus, *cui vult miseretur, quem vult indurat*. Miseretur per gratiam, indurat per justitiam. Si per justitiam indurat, non peccat. Ubi est justitia, ibi nulla culpa, nullum peccatum. Durum autem dicitur & quod flecti nequit, intractabile, ἀκαμπτής: unde σκληροκάρδιος i. duræ cervicis homo. ¶ *Prodigia mea*] Lxx. τὰ τέρατα. Hieron. *ostenta*, Jonath. *miracula*. ¶ *Ponam manum meam in Ægypto*] ונתתי את ידי במצרים Hieron. *immittamque manum meam super Ægyptum*, בשלחי את ידי על מצרים. sic etiam Lxx. quos mihi secutus videtur, καὶ ἐπιβαλῶ τὴν χεῖρά μου ἐπ' Αἴγυπτον. Santes, *dabo manum meam in Ægypto*. Tremel. *cum apposuero manum meam ad Ægyptum*. Munsterus, *ut extendam manum meam super Ægyptum*. Galli, *ponam manum meam super Ægyptum*. Onkelos, *ponam plagam potentiæ meæ in Ægypto*. Jonathan, *ponam plagam potentiæ meæ super Ægyptum*. ¶ *Manum meam*] *Plagam meam*. Abenezra: *ipsam manum ad feriendum ea*. R. Salomo. ¶ *Exercitus meos*] *Copias meas*. Onkelos חילי & Hieron. *exercitum meum* צבאי. Lxx. σὺν δυνάμει, cum potentia. Abenezra, *Israelitæ vocantur exercitus Dei in terrâ, ut Angeli sunt exercitus ejusdem in cælo*. ¶ *Judiciis*] Pœnis. Nam judicare punire. Senes hic habent σὺν ἐκδικήσει μεγάλῃ. ¶ *Cognoscent*] Per experientiam. Sane Tremel. vertit, *experientur*. ¶ *Extendero*] *Extulero sive levavero*. Onkelos & Jonathan. ¶ *Manum meam*] *Plagam potentiæ meæ*. iidem.

6. *Fecit itaque Moses & Aharon sicut præceperat DOMINUS eis, ità fecerunt.*

7. *Moses autem erat octoginta annorum, & Aharon octoginta trium, cum alloquerentur Pharaonem.*

8. *Et dixit DOMINUS ad Mosem & ad Aharonem, dicendo.*

9. *Cum loquetur ad vos Pharao dicendo, edite prodigium, tum dices ad Aharonem, Cape virgam tuam & projice coram Pharaone & coram servis ejus, erit draco.*

Ità fecerunt] Redundare videtur: sed non redundat. Nam hæc iteratio significat nihil ab illis omninò prætermissum fuisse, omniaque ex præscripto Dei acta. ¶ *Octoginta annorum*] Ebraicè & Chaldaicè, *filius* 80. *annorum*: & mox, *filius* 83. *annorum*. de hoc Ebraismo diximus alibi. Hinc duo eruimus. Primum est ambos Senes prophetasse: alterum Mosen annos 40. egisse apud Jethro sacerdotem Madian. Nam quadragesimum annum agebat cum Ægyptium occideret. Quod ex narratione Stephani clarum. Adde 40. annos quibus fuit in deserto, habes tempus vitæ ejus. Vixit enim certè 120. annos. ¶ *Cum alloquerentur Pharaonem*] Ebraicè, *cum loquerentur ad Pharaonem*. Sic vocare in aliquem, dicunt pro invocare aliquem. Pro ἐλάλησεν, quod in nonnullis codicibus Græcis, in edit. Rom. est ἐλάλησεν *loqueretur*. בדברו. ¶ *Edite prodigium*] תנו לכם מופת, date vobis prodigium sive ostentum. Hic aliqua quædam observanda. Primum, *dare prodigium* pro edere, ut *dare miraculum*. Secundo prodigium pro signo, quod Onkelos hoc loco reddit אתא: Jonathan אתא miraculum. Hieron. *Ostendite signa*. Lxx. σημεῖον ἢ τέρας. Tertio, *date vobis*, pro quo in Lxx. δότε ἡμῖν, date nobis: sed puto legendum ὑμῖν vobis. Nam facilis lapsus de υ in η, nec planè insolens. Nos pronomen omisimus, quia in Latio redundat. dare vobis, ut, *faciamus nobis*. Græci eleganter ità loquuntur. ¶ *Prodigium*] *Signum ad ostendendum quod sit facultas in eo qui misit vos*. R. Salomo. Si rectè, poteris vertere, *ostentum*. Nam id aliquid ostendit, unde nomen צורך *verto facultatem* לשון יכולת ait Hiscuni. Sic alibi, *idola in quibus non est* צורך i. *potentia*: alii, *utilitas*. ¶ *Virgam tuam*] Hic vocatur *virga Aharonis*, quæ alibi: *virga Mosis*, &, *virga Dei*. Nam per eam Aharon signa edebat. ¶ *Erit draco*] Erit in draconem i. draco: aut *vertetur in draconem*. Lxx. καὶ ἔσται δράκων. Hieron. *quæ versa est in colubrum*. R. Salomo, *in serpentem* i. נחש. Aliud draco, aliud serpens. In dracone consentiunt etiam Onkelos & Jonathan. Japheth Ebræus arbitratur תנין hoc loco positum esse pro נחש serpente: cui favet quod infra vers. 15. *quæ versa fuit in serpentem* לנחש. Hujus opinionis fuit etiam Tremellius. Quid si hunc postremum locum accipiamus de signo quod edidit coram Senibus, virgam in serpentem sive colubrum mutando? Videndus Abenezra. Nam is censet signa diversa fuisse. Quâ de re altum silentium apud interpretes. ¶ *Draco*] לתנין in draconem, quod Onkelos dicit לתנינא, à quo diversus abiit Jonathan, qui edidit לחיוי חורמן in quo significatio serpentis. תנין autem draconem esse probari potest ex linguâ Arabica. Certè apud Avicennam draco Thennin vocatur.

10. *Ingressus est Moses & Aharon ad Pharaonem & fecerunt sic quemadmodum præceperat eis DOMINUS: Et projecit Aharon virgam suam coram Pharaone, & coram servis ejus: & fuit draco.*

11. *Vocavitque etiam Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi magi Ægyptiorum incantationibus suis sic.*

12. *Et projecerunt singuli virgam suam, & fuerunt dracones, & deglutivit virga Aharonis virgas eorum.*

Ingressus est] In palatium sive aulam. ¶ *Coram Pharaone*. Jonathan, *antequam videret Pharao*: & mox, *antequam viderent servi ejus*. Ità enim interpretor quod in Chaldæo קדם חמי. ¶ *Fuit draco*] Aut, *versa est in draconem*. Jonathan לחורמנא in serpentem, & Hieron. *in colubrum*. Dicunt etiam חיוי חורמן pro eodem, & חורמנא. Vide Gen. 49. 17. חורמן Munstero est regulus, qui Græcè βασιλίσκος; Ebraicè vero צפע. ¶ *Sapientes*] Philosophos, sophistas. Sic enim certè hoc loco Græci legunt, τοὺς σοφιστάς. Scire licet antiquos sophistam pro sapiente usurpasse. Quâ de re alias. Unde in latinis veteribus, *sapientes*. Vide Augustinum in locutionibus, cui magis placet, *sophistas*. In edit. Rom. ex Aquila hic adfertur κρυφιαστάς: quod videtur magis pertinere ad חרטמי מצרים. Vide sequentia. Abenezra significari putat חכמי המזלות i. Astrologos. ¶ *Et maleficos*] Ità Hieron. & Santes. Est autem maleficus interdum idem quod veneficus & incantator. Quod ultimum in Munstero, Leone Juda & Gallica editione. Senes habent καὶ τοὺς φαρμακούς, quod interpretantur, *& veneficos*. Tremel. & Arias, *præstigiatores*. Abenezra מכשפים *dicuntur qui mutant rem naturalem ad aspectum oculi. sig. præstigiatores*. Nam illi oculos hominum fallunt. Sed dices si מכשפים sunt præstigiatores, quorsum vocantur Dan. 2. ad somnium regis declarandum? Respondet R. David ex eodem Abenezra, *vocavit Nabuchodonosor præstigiatores, quia ipsi norunt horas idoneas ad faciendum in illis opera sua. Fortasse cognoscent quodnam sit somnium juxta dispositiones stellarum in eâ horâ*. Hæc habentur in libro radicum, quæ vos expendere cupio. Jonathan & Onkelos חרשין i. maleficos, incantatores. Quanquam in Fagio, *Magos*. ¶ *Magi Ægyptiorum*] Vel, *Ægypti*. Nam in fonte חרטמי מצרים. Id Lxx. transferunt, οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν αἰγυπτίων, incantatores Ægyptiorum. Onkelos, *incantatores Ægypti*. Jonathan, *Janis & Jambres incantatores qui in Ægypto*. i. חרשין, quæ vox etiam Magos denotat. Santes & alii recentiores, *magi Ægypti*. Id Arias emendat, *genethliaci*. Abenezra, *Hi sunt qui norunt arcanum naturæ, & est vox Ægyptiaca vel Chaldaica. Nam duntaxat invenitur in his duobus populis*. Aquila ut ego quidem conjicio, κρυφιαστάς, in quo significatio rei arcanæ. ¶ *Incantationibus suis*] Hieron. *Per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam*. חרטמי מצרים interpretatur, incantationes Ægyptiacas & בלהטיהם arcana quædam. Nam לט arcanum. Paulò post 22. בלטיהם A. ἐν ἠρεμαίοις αὐτῶν: alius, διὰ τῶν ἀπορρήτων

αὐτῶν. Hic est בלהטיהם. Lxx. ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν, veneficiis, vel si placet, maleficiis suis. Onkelos בלחשיהון i. interprete Fagio, *susurrationibus suis*: prætulerim *incantationibus suis*: Lexicon Munsteri לחשא incantatio. Jonathan בלחשי קוסמיהון incantationibus divinationum suarum. Aben. existimat לט contractum esse ex להט in quo sensus inflammandi. R. Salomo distinguit. Nam לט ait esse incantationem quæ dicitur בלט tacitè & בלאט, in silentio. R. Levi בלוטיהם arcanis sive occultis suis, ex illo, *& rex texit sive occultavit faciem suam.* id est, לאט. ¶ *Sic*] Similiter. ¶ *Singuli*] איש vir i. quisque, singuli, ἕκαστος. Idem valent גבר & אנש in lingua Chaldæorum. Horum magorum principes fuerunt Jannes & Jambres, vel Mambres, Apostolo nominati 2. Timoth. 3. 8. eorum & Numenius meminit philosophus Pythagoricus. Mentio in Talmud tractatu de oblationibus, cap. 9. ¶ *Et fuerunt dracones*] Hieron. hic, *quæ versa sunt in dracones.* Jonathan לחורמנין in serpentes. De hoc facto magorum videndi sunt August. Quæst. 21. & in tertio de Trinitate, cap. 7. & 8. & in libro sententiarum 2. 4. Thomas 2. 2. quæst. 17. ar. 2. in corol. quæst. & super Matthæum cap. 24. Lippomanus in Catena patrum & alii. Jonathan addit de suo, *& statim versi sunt dracones illi in speciem priorem*, hoc est in virgam. ¶ *Deglutivit*] Absorpsit, devoravit. ¶ *Virga Aharonis*] versa in serpentem. R. Jesua idem sentit quod Jonathas, videlicet serpentem prius versum fuisse in virgam, ut antea fuerat. Quod majus est & illustrius miraculum.

13. *Et obfirmatum est cor Pharaonis, & non audivit eos, quemadmodum locutus fuerat DOMINUS.*

14. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Grave est cor Pharaonis, renuit dimittere populum.*

15. *Ito ad Pharaonem mane, ecce egreditur ad aquas & stabis in occursum ejus super labrum rivi, & virgam quæ versa fuit in serpentem accipies in manu tuâ.*

Obfirmatum est cor Pharaonis] Quia videbat incantatores & magos Ægypti similia perpatrantes, vel potiùs quia Deus non emolliverat cor ejus, quod in suâ duritiâ & obfirmatione mansit etiam cum artes magorum deficerent. Videndus Lyra ad hunc locum. Idem doctè disputat de virga Aharonis quæ devoravit virgas magorum. Nam doctores (etiam Ebræi quidam in quibus R. Levi ad quem te adire velim) catholici censent virgam prius mutatam fuisse in draconem. ¶ *Obfirmatum est*] ויחזק Lxx. κατίσχυσεν invaluit sive roboravit se. Quomodo & Santes & Ebræi. Hieron. *induratum est*. Munsterus & Leo Judæ, *induruit.* ¶ *Cor*] *Figmentum cordis.* Jonathan. ¶ *Grave est*] כבד grave fuit, ut זקן senuit. Verbum est, non nomen. Hieron. Santes & alii, *aggravatum est*. sic etiam Onkelos. Nam יקר *aggravatum est*, etiam interprete Fagio. Senes quoque βεβάρυται, quod similiter reddunt, *aggravatum est*. Jonathan תקיף obfirmatum est, sive roboravit sese, κατίσχυσεν. ¶ *Renuit*] Recusat, non vult. ¶ *Ito ad Pharaonem mane*] βάδισον πρὸς Φαραὼ τὸ πρωΐ. ¶ *Mane*] On. & Jon. בצפרא in aurora. ¶ *Egreditur ad aquas*] id est egredietur, ut non malè ad sensum Hieron. Notat Abenezra hunc morem obtinere hodieque in Ægypto, ut rex mensibus Thammuz & Ab exeat ad flumen mane visum quot gradibus aqua creverit. Nam ex eo conjecturam capiebant de illius anni futura sterilitate, aut ubertate fertilitateque. ¶ *Stabis*] i. sta. ¶ *In occursum ejus*] E regione ejus, ut supra 5. 20. *stantibus in occursum ejus.* Vide notata ad illum locum. ¶ *Ad aquas*] Ad flumen Nili. Jonathan, *ad observandum divinationes juxta aquas tanquam Magus.* Jerosolymitanus, *ad refrigerandum se.* Vult dicere, ad captandum auram frigidam. R. Salomo, *ad secreta naturæ. Causa spatiandi*, Hugo de sancto victore. ¶ *Super labrum rivi*] Juxta ripam fluminis. ¶ *Quæ versa fuit in serpentem*] *Coram senioribus populi priusquam ad Pharaonem irent.* Abenezra. *coram Pharaone cum virga in Draconem verteretur.* Alii. Hi draconem cum serpente confundunt. Quâ de re diximus antea. Hic quæri solet An dracones magorum veri dracones fuerint: Nam de Aharonis dracone non dubitatur. Videndus hac de re Thomas. R. Levi ad locum, *& deglutivit virga Aharonis virgas eorum*, ità scribit, *ex quo tempore versa fuit in draconem, deglutivit reliquos dracones, qui fuerunt ei pro cibo, donec cum rediisset in virga non extitit ibi nisi virga Aharonis: Et hæc est virga illa, de quâ præceperat ei Deus ut acciperet eam in manu suâ & faceret per eam signa, & in hoc signo virga Aharonis versa fuit in serpentem. Verum non imaginarium duntaxat sive apparentem, quod Ebraice dicitur דמיוני לעין ad aspectum; quemadmodum erant serpentes magorum.* Ex his liquet quid senserit de serpentibus magorum, nempe non fuisse veros serpentes, sed tantum speciem habuisse serpentum, ut magi solent præstigiis suis oculos fascinare ità ut videantur esse quæ non sunt. ¶ *In serpentem*] Lxx. εἰς ὄφιν. Hieron. *in draconem.* On. & Jonathan לחויא in colubrum. Mirari libet cur Hieron. נחש verterit colubrum; & תנין draconem. Nam ut eadem sit significatio utriusque, tamen interpreti hæc erant distinguenda.

16. *Et dices ad eum, DOMINUS Deus Ebræorum misit me ad te, dicendo, Dimitte populum meum ut serviant mihi in deserto, Et ecce non audivisti huc usque.*

17. *Sic dicit DOMINUS, in hoc cognosces me esse DOMINUM, Ecce ego percutio virga quæ in manu mea super aquas, quæ in rivo, & vertentur in sanguinem.*

18. *Et piscis qui in rivo morietur, & fætebit rivus, & laborabunt Ægyptii bibere aquam e rivo.*

Ut serviant mihi] Hieron. *ut sacrificet mihi.* ויעבדני. Nam servit Deo qui ei sacrificat. ¶ *Huc usque*] עד כה hactenus. Hieron. *usque ad præsens* עד הזמן הזה. Tremel. *adhuc.* עוד. Lxx. ἕως τούτου, quod transferunt *huc usque.* Onkelos עד כען, usque nunc. Jonathan, עד כדון idem. ¶ *Non audivisti*] Non attendisti. ¶ *In hoc*] Per hoc, hac re. Jon. *in hoc signo.* ¶ *Cognosces me esse DOMINUM*] Qui dixistis, *non novi DOMINUM.* ¶ *Percutio*] Τύπτω i. percutiam τύπτω. Percussit autem quia jussit percuti. Abenezra, *legatus*, inquit, *loquitur ore mittentis se.* Aut percutio per servum meum Aharonem. ¶ *Virga quæ in manu mea*] Et hoc mirabile loquendi genus. Nam virga erat in manu Aharonis: aut Moses eam gestabat, quam postea dabat Aharoni cum jam signa editurus esset. Hoc autem signum unum est ex decem plagis Ægypti. Nam conversio virgæ in draconem non numeratur inter plagas. ¶ *Super aquas quæ in rivo*] vel, *super aquam quæ in flumine.* Id Hieron. contraxit in, *aquam fluminis.* Lxx. ἐπὶ τὸ ὕδωρ τὸ ἐν τῷ ποταμῷ. Porro aqua Chaldaicè dicitur מי & מיא. ¶ *Piscis morietur*] Latinè *pisces morientur.* Est enim nomen collectivum hoc loco. Sic alibi, bestia pro bestiis; rana pro ranis, & alia sexcenta. Ceterum interpretes omnes quos vidi pluralem usurpant referentes, *pisces qui in rivo morientur.* ¶ *Fætebit rivus*] ובאש היאר & fœtebit fluvius, quod Chaldaicè legitur in On. & Jon. ויסרי נהרא. Græcè in Lxx. ἐποζέσει ὁ ποταμὸς. alibi est ὑποζέσει, subolescet, sicut Comicus dixit, *corrumpitur cœna; hem subolet.* Paulo post. καὶ ἐπώζεσεν ὁ ποταμός, quod interpretantur *computruit*, ut hoc loco Hieron. *computrescent aquæ.* Sed in Edit. Rom. Latina, *effervescet fluvius*, & *efferbuit.* Nam ζέω, ferveo, bullio: a quo ἐπιζέσει, & ἐπέζεσεν ebulliit. Ceterum ab ὄζω futurum est ὀζήσω, sive ὀζέσω, unde ὑπώζεσεν & ἐποζέσει. ¶ *Laborarunt bibere*] Infra, *non potuerunt bibere.* scire licet Ægyptum aliam aquam non habere præter eam quæ ex Nilo derivatur. Nam in eâ regione nunquam aut raro pluit, præsertim in superiore Ægypto, ubi tam rara pluvia, ut portenti loco habeatur, si aliquando pluat. Nilus autem totam Ægyptum irrigat, quem ideò pro Deo colebant, si non fallit nos Ebræus Salomo, ad hunc locum ità scribens, *Imbres non descendunt in Ægypto, sed Nilus ascendit & irrigat terram, & Ægyptus colit Nilum: propterea flagellavit primum timorem* i. *Deum ipsorum, postea flagellavit eos.* Ceterum Hieron. hîc transtulit, *& affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.* Lxx. καὶ οὐ δυνήσονται οἱ αἰγύπτιοι πιεῖν ὕδωρ ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ: & non poterunt Ægyptii bibere aquam è fluvio. Sic Abenezra, נלאו *laborabunt*, inquit, *est verbum conjugationis Niphal a לאה, juxta sensum illius לא יכלו non potuerunt.* Tremel. *& defetiscentur Ægyptii quærendo quam bibant aquam ex aliquo rivo.* Fagius ex Onkelo, *molestum erit Ægyptiis bibere aquam è fluvio.* In Onkelo autem est וילאון pro quo Jonathan ויתמרמרון & laborabunt sive lassabuntur. Radix מרמר verbum quatuor literarum. Editio Gallica, *se travailleront pour boire.* Munsterus, *molestabuntur ad bibendum.* Leo Judæ, *delassabuntur ut possint bibere.* In textu Vatabli, *laborabunt ut bibant.* Lippomanus, *ægrè bibent aut abhorrebunt à potu aquæ fluminis.* Cajetanus, *fatigabuntur Ægyptii cum non poterunt bibere aquam rivi ex quo soliti sunt haurire aquam.* Vide sequentem versum 24. Nam inde lux huic loco. ¶ *E rivo*] E Nilo.

19. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Dic ad Aharonem, accipe virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, super fluvios eorum, super rivos eorum, & super stagna eorum, & super omnem congregationem aquarum eorum, & sint sanguis, eritque sanguis in totâ terrâ Ægypti, & in lignis, & in lapidibus.*

Accipe] קח cape, λάβε. Senes addunt ἐν χειρί σου. Hieron. *tolle.* שא. ¶ *Extende manum tuam*] Virga percutiebat rivum: deinde manum extendebat ad alias aquas, quæ in Ægypto. Quoniam autem aquæ reliquæ longè aberant, probabile est ipsum extendisse manum suam ad omnes plagas Ægypti.

Vide

Vide Abenezram. ¶ *Super aquas*] Tàm rivi hoc est Nili, quam aliorum fluminum & lacuum. ¶ *Ægypti*] Vel, *Ægyptiorum.* Sic Onkelos & Jonathan. ¶ *Super fluvios eorum*] Ægyptiorum constructio sensu congrua, non voce. Sed Ægyptus, ut diximus, ponitur pro ipsis Ægyptiis. Sunt qui referunt, *eorum*, & ad aquas referunt, ut aquarum sint fluvii & rivi & stagna. ¶ *Super rivos eorum*] E Nilo enim plures rivi derivantur, qui hic perspicuè à fluminibus distinguuntur. Porro Nilum Abenezra vocat hoc in loco שחור Sihor, quem dicit peculiariter rivum appellari. *Non est*, inquit, *rivus* i. יאר *nisi Sihor.* R. Salomo rivos intelligit ex piscinis manantes operâ hominum factis more fluminum. Fossas possis appellare: quales erant quæ è Nilo deducebantur ad commoditatem hominum. Has Jonathan ביביא. Onkelos אריתא nuncupat: quorum hoc rivos, illud foveas sive fossas interpretantur. Lippomanus, *rivi sunt qui fluunt ex piscinis & magnis stagnis.* R. Levi, *Dicit in genere aquas Ægypti, & postea particulariter distinguit eas in flumina, rivos, stagna & congregationem aquarum. Flumina sunt aquæ fluentes quæ fontem habent, aut fontes unde profluunt: rivi etiam aquæ sunt fluentes sed non ex fonte. Stagna vero & congregatio aquarum sunt aquæ stantes in uno loco nec fluentes. Vocantur autem stagna sive lacus cum aqua est multa, & congregatio aquarum cum est modica.* Hujusque Rabbinus ille. Addit, simulac Aharon virgâ percussit rivum, reliquas aquas totius Ægypti versas fuisse in sanguinem. ¶ *Stagna*] Hieron. *paludes.* Lxx. τὰ ἕλη αὐτῶν. Iidem אגמיהם interpretantur διώρυγας, quod in rivos transferunt. Jonathan על שקייהון super loca irrigua eorum. R. Salomo, אגמיהם *sunt aquæ in unum congregatæ, quæ non fluunt, sed stant in uno loco, & vocantur vernaculè* אשטנק i. stagna. ¶ *In lignis & in lapidibus*] *Tam in ligneis vasis quam in saxeis* Hieron. Sic etiam Onkelos & Jonathan. sed & R. Salomo. Nec aliter R. Levi, Abenezra & alii. Notabis ergo lignum prò vase ligneo poni, & lapidem pro vase lapideo. Item, ferè exciderat, *congregationem aquarum*, On. & Jon. interpretantur, *locum congregationis aquarum.* Id Abenezra intelligit de fontibus, cisternis & puteis. expende.

20\. *Feceruntque sic Moses & Aharon quemadmodum præceperat* D O M I N U S, *& elevavit virgam & percussit aquas quæ in rivo ante oculos Pharaonis & ante oculos servorum ejus, conversæque sunt omnes aquæ quæ in rivo in sanguinem.*

21\. *Et piscis qui in rivo mortuus est & fœtuit rivus & non potuerunt Ægyptii bibere aquas è rivo: fuitque sanguis in universa terrâ Ægypti.*

Elevavit] Sustulit Aharon. Scire licet in fonte esse, *elevavit in virgam.* id est במטה ut aliquid abesse videatur, puta *elevavit manum suam cum virga.* Jonathan quoque & Onkelos habent בחוטרא in baculo: & Senes καὶ ἐπάρας τῇ ῥάβδῳ αὐτοῦ: Quanquam in nonnullis codicibus τὴν ῥάβδον. ¶ *Ante oculos &c.*] Jonathan, *vidente Pharaone & videntibus servis ejus.* Hieron. *coram Pharaone.* לפני פרעה. Santes, *in oculis.* בעיני. ¶ *Quæ in rivo*] Tremel. *quæ in unoquoque rivo.* sed est ביאר ἐν τῷ ποταμῷ, cum articulo. Malim ergo, *in illo rivo*, videlicet quem feriebat, & cui adstabat. ¶ *Piscis mortuus est*] Pisces mortui sunt. ¶ *Fœtuit*] Hieron. *computruit.* Lxx. ἐπώζεσεν. Vide supra versum 18. ¶ *Sanguis*] *Plaga sanguinis.* Jonathan. ¶ *Per universam terram*] Ubicunque aqua erat, *etiam in lavacris & balneis adium.* R. Salomo.

22\. *Et fecerunt sic Magi Ægyptiorum incantationibus suis, obfirmatumque fuit cor Pharaonis & non audivit eos, quemadmodum locutus fuerat* D O M I N U S.

23\. *Et avertit se Pharao & ingressus est domum suam, nec posuit cor suum etiam ad hoc.*

Sic] Similiter. Sed quæritur quomodo potuerint hoc facere magi, cum omnis aqua Ægypti versa esset in sanguinem? Respondetur variè, ut sunt hominum varia judicia. Abenezra, *Aharon non vertit in sanguinem nisi aquam quæ supra terram: magi foderunt puteos & inde aliam aquam hauserunt, quam incantationibus suis in cruorem verterunt.* Hanc sententiam amplexus est Tremellius, qui ad hunc locum annotat, *Aquam sumpserunt è fossis quas cogebantur Ægyptii potus causâ fodere, de quibus vers. 24. alioqui solus Nilus Ægypto potum præbet teste Plinio lib. 6. cap. 29.* Eadem scribit R. Levi, cujus verba brevitatis causa omitto. Hiscuni præterea aliam sententiam adsert, inquiens, *Non fuit conversa aqua in sanguinem nisi ad horam: interea mortui sunt pisces rivi: inde fœtor, unde non potuerunt bibere aquam rivi, licet colorem nativum & à sanguine diversum haberet.* Quæ eadem leguntur apud Græcum scholiastem. Verba sunt, *nec absurdum est si dicamus, Mosem postquam aquam in sanguinem commutavit, illam de integro in pristinam naturam convertisse, ut Ægyptiorum magi haberent, unde artem suam ostentarent.* Sunt qui aliquam aquam integram remansisse. Quod autem legimus omnes aquas versas fuisse in sanguinem, in eo sane (omnes) accipi potest pro majori parte, ut in illo, *Omnes gentes habent præputium.* Idem Græcus, *Vel omninò divina dispensatione factum est, ut nonnihil aquæ reliquum fuerit, quæ ab Aharon in sanguinem non sit commutata.* Theodoretus, *Vel dici potest mare illis proximum fuisse, aquam vero quæ potari potest i. duntaxat in sanguinem versam. Marina igitur aqua in regiam domum adferri poterat, atque in sanguinis colorem converti.* Augustinus in Quæst. super Exodum Quæst. 23. *Quæritur unde aquam in sanguinem verterunt, si tota aqua Ægypti in sanguinem conversa jam fuerat? Unde intelligendum est, regionem ubi filii Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam, & inde potuerunt incantatores aquam haurire quam in sanguinem verterent* &c. Lippomanus, *Vel dicere potes ministerio dæmonum fortasse advectas fuisse aquas aliunde i. ex terra extra Ægyptum, quod facere potuerunt mirâ celeritate.* Nicolaus a Lyra, *Doctores Ebræi dicunt quod non omnes aquæ Ægypti fuerunt conversæ in sanguinem, sed sola aqua fluminis & quæ inde manabat ad rivos & paludes &c. Doctores autem nostri communiter dicunt quod fuerit apportata de terrâ Gessen: ubi habitabant filii Israel, & quod prædicta plaga ibi non fuit: sed hoc est contra illud quod dicit hic Josephus, quod ille fluvius ita ibi conversus fuit in sanguinem sicut alibi, & hoc videtur verum, quia aliter Ægyptii qui cum Ebræis manebant in terra Gessen non fuissent afflicti illâ plagâ.* ¶ *Incantationibus suis*] בלטיהם Lxx. ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν, veneficiis suis. Hieron. *Incantationibus suis.* On. & Jonath. בלחשיהון. Est autem לַט incantatio. Ejus species est לט, si rectè definitur à Jario, incantatio quæ fit בלט tacitè בחשאי & in silentio. Ceterum Magos Ægypti, Jonathan hic appellat אצטגניניא astrologos. Sic interpretatur eam vocem in Lexico suo Chaldaico Munsterus Jes. 44. 25. reperio אצטגני כבל in Salomone Jario, & mox הוי חוזים בכוכבים inspiciebant stellas: unde apud populares meos Belgas vocantur **sterren-kijkers.** R. David in eâ parte Michlol ubi agit de Ministerio litteræ Chaph meminit magorum Pharaonis, quos appellant אצטגניני פרעה, fortasse ab Oschanè mago & astrologo, à quo Suidas refert magos in Persarum gente Hostanas cognominatos fuisse. Satis de hac voce, quam etiam offendes Jes. 10. in dicto Salomone Jario. Vide supra. Sunt qui לטיהם contractum arbitrantur ex להטיהם de quo supra, elisa littera He, ut in לַבַּת flamma Aron pro Aharon & similibus. Mos iste obtinet apud Aramæos in Heth & Ain: cur non idem fieri possit in He? *Sed He non est littera protractionis in medio*, ait Abenezra. Quid tum postea? An elidi non potest, quia non est littera protractionis? Quid? An Heth & Ain sunt litteræ Mesech i. protractionis? Judicent eruditi. Mihi hæc Abenezræ ratio invalida videtur. Ideò potius accedo Gersomi filio, qui להטיהם inter & לטיהם non distinguit. Quanquam R. Salomo, *Dixerunt doctores nostri* בלטיהם *esse opus dæmonum, &* בלהטיהם *esse opus maleficorum.* Quasi opera maleficorum, non sint etiam opera dæmonum. ¶ *Avertit se*] ויפן. Lxx. ἐπιστραφεὶς i. reversus שב. Hieron. *Avertitque se.* Tremel. *Avertens enim se.* Santes, *Et respexit Pharao.* Onkelos ואתפני quod Fagius interpretatur, *& conversus inde.* Quid si, *reflexit se?* Jonathan, *Fecit necessitatem suam* i. exoneravit alvum. Quod alibi dicitur phrasi Ebraicâ, *texit pedes suos.* Editio Gallica, *ayant tourné le dos*: cum tergum vertisset eis. Munsterus, *Conversus.* Leo, *Reversus.* In textu Vatabli, *vertit se.* Vide Gen. 18. 22. & 24. 49. ¶ *Non posuit cor suum*] Non apposuit cor suum, non applicuit animum. Lxx. οὐκ ἐπέστησε τὸν νοῦν αὐτοῦ. Non apposuit mentem suam. Tremel. *Non adjecit animum suum.* Fagius, *Ebraismus est pro, non movebat eum tantum periculum, sive non adjecit animum ad tam insigne miraculum: vel, non curavit.* Eadem habentur in notis Vatabli: ubi & illud, *Conversus est i. discessit.* Vide quoque Lippomanum. ¶ *Ad hoc*] *Ad hoc signum* R. Salomo: *Ad hanc plagam.* Jonathan. In Hieron. est, *hac vice.* גם לזאת. ¶ *Etiam*] Nec ad miraculum quo virgam in draconem convertit, nec etiam ad hoc signum, quo aqua Ægypti versa est in sanguinem.

24\. *Et foderunt omnes Ægyptii per circuitus rivi aquam ad bibendum. Nam non poterant bibere ex aquâ rivi.*

25\. *Ita impleti sunt septem dies postquam percussisset* D O M I N U S *rivum.*

Ægyptii] *Etiam Ebræi.* Abenezra. *Nam hæc plaga, ut reliquæ duæ sequentes, communis erat tàm Ebræis quam Ægyptiis.* Idem qui supra. Alii aliter censent. Ego pedibus eo in priorem sententiam. Primum quia novum miraculum fuisset si, cum omnes aquæ converterentur in sanguinem, Ebræorum

aqua

aqua sola excepta fuisset, cum Ebræi promiscuè habitarent cum Ægyptiis, & nulla ejus mentio fiat, quod vel maximè erat memorandum. Jam vero quid necesse erat fodere aquam, si Ebræorum aqua erat incorrupta? Saltem ab hac pœnâ immunes fuissent Ægyptii qui communem cum Ebræis habitationem habebant. Unde sequeretur plagam hanc non fuisse per universam Ægyptum, contra expressa Mosis verba. ¶ *Per circuitus rivi*] סביבות היאר. Hieron. *Per circuitum fluminis*. Lxx. κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ. A. κυκλόθεν τοῦ ῥείθρου. Vide Fragmenta. Tremel. *Circa rivum*. Leo, *Circa flumen*. Desideratur autem ad plenam orationem præpositio ut sit בסביבות in circuitibus. Idem defectus in Chaldaismo. ¶ *Non poterant bibere*.] Aut quia fœtebat, aut quia versa erat in sanguinem, hoc est in colorem sanguineum. Sic, *Luna vertetur in sanguinem*. Certè non erat sanguis revera. Sic fieri potest ut hæc aqua habuerit colorem sanguineum duntaxat. Nihil temere affirmo. Judicent qui de his rebus judicare possunt. Jonathan hoc loco, *Et foderunt Ægyptii per circuitum fluminis aquam ad bibendum, & non invenerunt claras sive limpidas quia non potuerunt bibere ex aqua quæ fluminis*. Nota locutionem, foderunt aquam pro foderunt puteos aquarum, aut fodiendo quæsiverunt aquam. ¶ *Impleti*] Completi. ¶ *Septem dies*.] Tremel. *Septiduum*. Quod ità dicitur ut biduum, triduum. Sic *octiduum*. Sed ut *quatriduum* rectè dicitur, ità dubito an in usu sint *septiduum* & *octiduum*. ¶ *Postquam percussisset*.] addit Jonathan, *Postea sanavit sermo DOMINI flumen*.

26. *Et dixit DOMINUS ad Mosem, Ingredere ad Pharaonem, cui* (per Aharonem videlicet interpretem tuum) *dices, Dimitte populum meum ut serviant mihi*.

27. *Quod si renueris tu dimittere, ecce ego percutio omnem terminum tuum ranis*.

28. *Producetque fluvius ranas, & ascendent & ingredientur in domum tuam & in conclave cubilis tui, & super lectum tuum & in domum servorum tuorum & populi tui, & in furnos tuos & in reliquias ciborum tuorum*.

29. *Et in te & in populum tuum & in omnes servos tuos ascendent ranæ*.

Et dixit DOMINUS] Græci & Latini hîc inchoant caput octavum. Quæ distinctio mihi non displicet, ut nova plaga novum caput constituat. Nolui tamen à codicibus Ebræis, quos interpretor, nunc recedere. ¶ *Ut serviant mihi*] Ἵνα μοι λατρεύσωσι. Hieron. ut supra, *ut sacrificet mihi*. ¶ *Si renueris*] מאן pro מָאֵן si renuis i. renues. Abenezra scribit esse nomen adjectivum actionem significans מאן qui aliquid renuit i. מָאֵן. On. & Jonathan סרב renuis, recusas. Hieron. *Si autem nolueris dimittere*. Ad sententiam non malè. Sic Græci εἰ δὲ μὴ βούλει σύ. ¶ *Percutio*] τύπτω i. percutiam aut feriam. Ebraicè נגף, quod Onkelos & Jonathan interpretantur מחי percutio. R. Salomo מכה. Abenezra משחית perdo. Trem. *Verberaturus sum*. Percutere i. נגף interdum est occidere. Id נגף unquam significare negat Salomo, is quem modo nominavi, מכה inquit, *non significat mortem, sed tantum percussionem vel plagam*. i. מכה. ¶ *Omnem terminum tuum*] Omnes terminos tuos, totam regionem sive oram tuam. Hieron. Vatablus, Tremel. Editio Gallica. In Catena patrum, *Terminos sive fines posuit pro regionibus*. Hoc tritum. ¶ *Ranis*] Τοῖς βατράχοις. Ranæ autem Ebraicè dicuntur צפרדעים, Chaldaicè verò עורדעניא. De voce Ebræâ controversiam movent nonnulli qui crocodilos eâ voce innui scribunt: sed errare ac decipi eos puto. Nam omnes interpretes in ranâ conveniunt, etiam Arabs qui vertit צפאדע nec aliud significare putarim Persicum [illegible], de quo alias. Vide Abenezram. ¶ *Produxit*] In magna copiâ, reptilium aut piscium in morem. Interpretes Chaldæi hîc habent ירבי in quo significatio multitudinis tantùm. Hieron. *Ebulliet*: & Lxx. ἐξερεύξεται, eructabit. ¶ *Ingredientur*] intrabunt, εἰσελεύσονται. ¶ *In domum tuam*] Vel, domum tuam & sic deinceps. ¶ *In conclave cubilis tui*] חדר Hieronymo est *cubiculum*, & משכב *lectulus*, ut Santi *lectus* i. משכב. Melius Lxx. εἰς τὰ ταμεῖα τῶν κοιτώνων σου, ut חדר sit ταμεῖον, & משכב κοιτὼν locus in quo sunt cubilia, cubiculum. Onkelos pro conclavi posuit אדרון quasi ἄνδρων, & Jonathan קטון i. κοιτών. Cubile autem ille vocat בית משכבך, hîc בי דמכך. Utrumque significat locum in quo cubatur i. cubiculum. Conclave autem sive conclavium locus est secretior in penetralibus intimis domus. ¶ *Et populi tui*] Sub. *domum*, quod repeti debet ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Hieron. tamen *in populum tuum*, etiam Santes & alii, licet mox sequatur, *& in populum tuum*: quam tautologiam nos vitare studuimus. Galli hic legunt, *parmi tout ton peuple*. ¶ *In furnos tuos*] Ἐν τοῖς κλιβάνοις σου Lxx. ¶ *In reliquias ciborum tuorum*] ità Hieron. Alii, *in cibos tuos*: Alii, *in reliqua tua*. Nam שאר reliquum. Ebraicè autem est במשארותיך quod Santes reddit, *in pastas tuas*. Arias, *In conspersiones tuas*. Lxx. ἐν τοῖς φυράμασί σου, in conspersionibus tuis. Alibi, in conspersis tuis. Vide Rom. edit. Sunt etiam qui φύραμα massam reddant. Lex. Vet. Φύραμα, μάγμα, massa. Onkelos & Jonathan עצותך quod Fagius interpretatur, *in pastam tuam*: Alii, *cibos*: Alii, *panaria*. Idem in notis, Significat vox Ebræa משארת & Chaldaica עצות *locum in quo subigitur massa ad conficiendum panem*. Tremel. *In mactras tuas*. Est autem mactra arca panaria: item alveus in quo panis subigitur. Leo Judæ, *In farinam tuam aqua conspersam*: & in margine, *Potest etiam legi, in reliqua tua, vel in receptacula reliquiarum tuarum*. Munsterus, *In cibos tuos, Ebraicè in reliquias*. R. David in libro radicum, משארת est mactra in quâ subigunt pastam: aliquando etiam ipsam pastam significat. In notis Vatabli, *in panaria tua, propriè significat locum in quo subigitur massa ad conficiendum panem*. Si quæras judicium meum, probo maximè Tremel. Versionem, *in mactras tuas*. Dicitur autem μάκτρα, ἀπὸ τοῦ μάττειν, & κάρδοπος & ἀρτοθήκη i. theca panaria. Lex. Vet. μάκτρα, magis. Græcè μαγίς, & σκαφὴ Polluci. Lippomanus, *Sunt & qui in pistrina seu panaria tua reddunt, & ità etiam habet Chaldaica. Dicuntque Ebraicam vocem locum signif. in quo subigitur massa ad conficiendum panem, hoc est ubi pinsitur & fit panis. Alii loca esse dicunt ubi panis servatur & reponitur*, à שאר *quod est esca*. Vide præcedentia. ¶ *In te*] *in corpus tuum*. Jonathan. ¶ *Et in populum tuum*] *Et in corpus populi tui*, idem. *intrabant in medium viscerum ipsorum & coaxabant*. R. Salomo. *Contra te & contra populum tuum*. Alii. An etiam in Israelitas? Japheth Ebræus negat: Abenezra dubitare videtur. Gregorius Nissenus cum Japeto sentit. ¶ *Ascendent*] *E flumine, quod urbe depressius esse solet*. Abenezra. Hieron. hic habet, *intrabunt* יעלו. Jonathan, *Dominabuntur*. i. ישלטון. Lxx. ἀναβήσονται. Sic etiam Onkelos.

AMAMA.

11. **E**Bra. *Et fecerunt etiam ipsi Magi Ægypti* חרטמי מצרים בלהטיהם *similiter*. Vulg. *Et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quadam similiter*.

Vox חרטמי nunquam incantationes sed potius incantatores significat, sed decepit forte Vulg. antegressum illud pronomen הם. Et ut ut לט, להט *arcana quædam* significet, tamen ב præfixum satis ostendit vocem eam hic adhiberi ad denotandum vel instrumentum vel modum actionis quæ hic describitur. Si thema velis esse להט, unde להט *ferrum* vel *fulgor gladii*, forte hic dicendum, eos incantationes illas perfecisse fulgore gladii, de quo genere incantationis locum ex Ezech. suggerit Steuchus. Si verò thema erit לוט ut ה pro א sit positum, quia mox occurrit בלטיהם, in qua voce sign. est occultandi &c. dicendum erit eum hoc velle, eos incantationes suas susurris perfecisse, quod & Chald. innuit dum vertit, בלחשיהון. R. Sal ait לט esse incantationem quæ fit בלט tacite שחוי & in silentio. Lxx. καὶ ἐποίησαν οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν ὡσαύτως. Optime, nisi quod בלהטיהם veneficia reddiderint, illud saltem ex ea Interpretatione liquet eos aliquam rationem literæ ב habuisse. Vers. 22. circa hanc eandem vocem sed contractam bene se gessit Interpres.

GROTIUS.

1. **E***Cce constitui te Deum Pharaonis*] Est hic in Hebræo vox אלהים quæ, ut notat Kimchi aliique Hebræi, sive de Deo sumatur, sive de Angelis, sive de hominibus, judiciariam potestatem significat. Sensus ergo est, positum Mosem ut judicia divina in Pharaonem exerceat, velut rex regis ipsius. Onkelos principem transtulit: Jonathan timorem Pharaonis, ac si Deus esset: Rabbi Solomo judicem, optimè, scilicet Dei mandatu magnis prodigiis testato.

10. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in colubrum*] Vide an hinc ad finitimas primùm gentes, deinde ad Græcos Romanosque mos venerit legatis ferendi caduceum.

14. *Ingravatum est*] In Græco, βεβάρυνται ἡ καρδία τοῦ Φαραὼ [*grave factum est cor Pharaonis*]. Præcessit, *obfirmavit se cor Pharaonis*. Hoc ipsum quod Pharao intra se fecerat, Deus patefacit Mosi: vide mox 32. Fuit in Pharaone, ut notat Josephus, ἀφροσύνη μετὰ πονηρίας καὶ κακίας [*imprudentia simul cum pravitate & malitia*].

22. *Incantationibus suis*] Et hic vox Ægyptia est לט, quam Lxx. in Ægypto versati transferunt, ταῖς φαρμακείαις [*veneficiis*]: Alii ἐν κρυφαίοις [*in secretis*]: alii, διὰ τῶν ἀποκρύφων, arcanis artibus, quales magorum esse solebant. Fortè λιταὶ [*supplicationes*] Græcum ab Ægypto venit.

 CART-

CARTWRIGHTUS.

1. *Posui te* אלהים *Deum Pharaoni*] Onk. רב *Principem.* Jonath. דחילא לפרעה כאילו אלהא דיליה *formidabilem Pharaoni, tanquam Deum ipsius.* R. Sal. exponit, שופט ורודה לרדותו במכות ויסורין *Judicem & rectorem, ad regendum* (seu coercendum) *cum plagis & afflictionibus.* Abenezra hic *Elohim* angelum interpretatur, ut * interdum vox ipsa usurpatur. ראה שעשיתי לך גדולה גדולה שתהיה נחשב בעיני פרעה כמעלת מלאך והוא אלהים *Ecce, ad grandem te honorem evexi; in oculis enim Pharaonis honorabilis eris instar Angeli; is siquidem voce Elohim denotatur.* Mihi R. Salomonis expositio magis arridet. *Augustinus notat † supra dictum fuisse Mosi, *& tu illi in iis, quæ ad Deum* non autem *tu illi Deus.* At etiamsi Lxx. Interpretes (ut anteà est notatum) ita interpretati sunt, in Hebræo tamen est, *tu eris ei Deus*, vel *in Deum.*

Et Aharon pater tuus erit, נביאך *Propheta tuus*] Onk. מתורגמנך *interpres tuus.* Istam interpretationem probat R. Sal. Similiter Lyra, qui dicit nomen Prophetæ hic largè sumi, pro eo, qui verba Dei enuntiat, licèt eaà Deo immediatè non habeat, quique magis propriè dicendus sit interpres vel prolocutor, vide cap. 4. vers. 16. R. Sal. ait vocem נבא *Nabi*, quæ Prophetam significat, deductam esse ab illo (Isai. 57. 19.) ניב שפתים *fructum labiorum.* Id autem improbat Abenezra, propterea quod ניב vel est ex duplicantibus secundam literam thematis juxta sententiam sapientûm Galliæ, vel ex quiescentibus literâ secundâ radicali juxta sententiam sapientûm Hispaniæ; נבא autem habet Aleph de radice. Quin & ex illo, Gen. 20. 7. *Restitue uxorem viri,* כי נביא הוא *nam propheta est*, probat vocabulum נביא non denotare מליץ i. e. interpretem, seu locutorem, sed eum, cui Deus secreta revelat. Ego verò arbitror Hebræum *Nabi* significare eum, cui arcana à Deo revelantur; & qui cùm à Deo ad homines prædicando, tum ab hominibus, vel pro hominibus ad Deum orando loquitur. Sic enim in isto Geneseos loco sequitur, *& ille pro te orabit.*

2. *Tu loqueris quicquid tibi mandavero, & Aharon frater tuus loquetur ad Pharaonem.*] Tu loqueris ad Aharonem, &c. *Etsi igitur* (inquit Abenezra) *non semper fit mentio Aharonis cum Moses ad Pharaonem venit, novimus tamen eos semper simul venisse.*

ושלח *Et mittet*] Sic ad verbum sonat; sensus autem est, *ut mittat.* Nam Vau hic non tam copulativa est, quam explicativa; declarat nempe quid, ac quorsum ad Pharaonem loqueretur. Sic cap. 6. 11. Ita loquere ad Pharaonem regem Ægypti, וישלח *& mittet*, id est, *ut mittat*, seu dimittat filios Israël, &c. Ex iis, quæ hic versu 3. & 4. sequuntur, hunc esse sensum apparet.

4. ונתתי את ידי במצרים *Et ponam manum meam in Ægyptum*] Quia homines manu solent percutere ac plagam infligere, ideò (ut notat Abenezra) plaga à Deo inflicta, manus ejus appellatur. Sic Onk. ואתן ית מחת גבורתי במצרים *Et ponam plagam fortitudinis meæ in Ægyptum.* Similiter vers. 5. ידי *manum meam* interpretatur ית מחת גבורתי *Plagam fortitudinis meæ.*

7. *Moses autem erat octoginta annorum*, &c.] Abenezra ait non commemoratum esse in Scripturâ, prophetas in senectute suâ prophetasse, præter hosce, qui omnibus Prophetis erant præstantiores; ac propterea eorum ætatem hic esse memoratam. At alias hujus commemorationis causas fuisse magis videtur verisimile.

9. יהי לתנין *erit serpens*] Ad verb. *in Serpentem.* R. Sal. interpretatur תנין *Thannin* per נחש *Nachash.* i. *Serpentem.* Abenezra existimavit vocabula ista res diversas significare. Asserit enim hoc signum, quo baculus in *Thannin* conversus est, non idem fuisse cum eo, quod coram Israëlitis factum fuit; tunc enim baculum non nisi in *Nachash* fuisse mutatum. Addit Japhethum dicere *Nachash* & *Thannin* idem esse. Lxx. pro לתנין hic habent δράκων, *draco.* Vulg. *in colubrum.* Drusius ad Apoc. 12. vers. 3. ait draconem Arabicè *Thennin* vocari. Vide Annotat. ad Gen. 1. 21.

11. *Et vocavit etiam Pharao* לחכמים *sapientes*] Abenezra exponit, חכמי המזלות *peritos siderum, astrologos.* Lxx. τοὺς σοφιστάς, *Sophistas.*

ולמכשפים *Et incantatores*] Sequitur, *& fecerunt etiam ipsi* חרטומי מצרים *magi Ægypti incantationibus suis similiter.* Onk. utramque vocem, מכשף & חרטומים interpretatur per חרש i. e. *magum.* Abenezra exponit מכשפים *præstigiatores*, משנים דבר התולדות למראית העין *qui rem naturalem quoad speciem* (ad verbum, *ad aspectum oculi*) *transmutant.* חרטומים autem exponit, היודעים סוד התולדות *eos, qui callent secretum naturæ.* Drusius ad Nah. 3. vers. 4. ait se non assentiri iis, qui Abenezram secuti כשפים præstigias interpretantur, sed artes maleficas, quales sunt magarum & maleficarum, eâ voce significari. Constantinus L'Empereur in Paraph. Jach. in Dan. 2. 2. asserit inter מכשף *Mecassepth* & חרטום *Chartom* hanc propriè differentiam esse, quòd ille ope diaboli opera sua perficiat, hic vero abutatur סגולות הדברים rebus naturalibus, ut observat Abrabaneel. In Codice Sanhedrin cap. 7. §. 11. dicitur, המכשף זה העושה מעשה ולא האוחז את העינים i. e. *Mecassepth is est, qui rem patrat, non qui ludit oculos.* Quod expositioni Abenezræ planè est adversum. Ibidem sequitur, העושה מעשה חייב האוחז את העינים פטור *Qui rem patrat, reus est, qui oculos ludit liber est.* De voce חרטומים vide quæ annotavimus ad Gen. 41. 8.

בלטיהם *Incantationibus suis.*] v. 22. est בלהטיהם sine He. Onk. בלחשיהון *susurrationibus suis.* Similiter exponit R. Sal. qui notat huic simile (vocem istam eâ significatione alibi) non reperiri in scripturâ. Posse autem ei assimulari illud (Genes. 3. 24) להט * החרב המתהפכת *Flammam gladii versatilem*, seu *seipsum versantem: Videbatur* (inquit) *gladius iste incantatione* (seu *mussitatione*) *sese vibrare!* המה הוא מתהפכת על ידי לחש. Coch in Annotat. ad cap. 7. Sanhedr. ait ex sententiâ R. Sal. significari voce בלהטיהם opus, quod à seipso fit vi carminum; atque id quidem verba R. Sal. quæ citavi, sibi velle videntur. Abenezra ait hanc vocem בלהטיהם (apud illum in Codice meo scribitur בלטיהם sine He, prout infra v. 22. habetur) deductam esse ex illo להט החרב, Et ex illo אשכבה לוהטים Psalm. 57. 4. Item ex illo Mal. 4. 1. ולהט אותם in quibus locis flammam vel inflammationem vox ista denotat. Unde vocem, quæ hoc in loco occurrit, sic explicat, והוא כמו ברקים ואש עוברת והוא אחיזת עינים id est, Et est quasi fulgor, & ignis prætervolans; atque hæc est retentio oculorum. *Censet notari præstigias, quæ fallaci & evanidâ specie oculos eludunt*, inquit Coch, qui hanc sententiam sibi placere asserit. Lxx. ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν, *veneficiis suis.* Vulg. *Et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter.* Amama in Censurâ putat hanc Interpretem rationem literæ Beth in בלהטיהם non habuisse, atque eo nomine Græcos Interpretes ei præfert. Apparet igitur eum verba vulgatæ versionis ita intelligere, ac si ista, *arcana quædam*, cum verbo fecerunt constructa essent; at mihi æquè verisimile videtur particulam *&*, non hîc idem valere quod *etiam*, sed *incantationes Ægyptiacas* & *arcana quædam* inter se copulare, ita ut præpositio *per* ad hæc pariter ac illa vim suam extendat. Quod autem Hebræa ista חרטומי מצרים *incantatores Ægyptiaci*, reddidit, *per incantationes Ægyptiacas*, verba quidem minùs advertit, sensum tamen satis expressit. Illud observatu non indignum, Jonathanem hic nominare *Jannem* & *Jambrem*, uti suprà cap. 1. 16. Sic & Lyra ait magos hîc memoratos fuisse *Jannem* & *Jambrem*, de quibus fit mentio, 2 Tim. 3. 8. De *Janne* autem, & *Jambre*, vide plura in Præfatione Annotat. in Gen.

12. *Et devoravit baculus Aharonis baculos eorum.*] R. Jehoshua (uti refert Abenezra) existimat baculum, qui in serpentem conversus fuerat, priùs in pristinam formam rediisse, ac deinde magorum baculos devorasse. Atque ita etiam exponit R. Sal. כאשר שחזר ונעשה מטה בלע את כלן i. e. *Postcaquam demò factus est baculus, omnes eos* (nempe magorum baculos) *devoravit.* Mihi multo magis arridet sententia Abenezræ, nempe baculum Mosis jam in serpentem fuisse mutatum, cum baculos magorum specie tenus similiter in serpentes conversos devoravit; vocari autem baculum, quia sic erat initio. וקרא מטה מעין כי כן היה בתחלה Imò non solum paulo antè fuit baculus, verùm etiam ita mox futurus fuit.

15. *Ecce, egreditur ad aquas.*] Jon. למטר קסמין עילוי מיא *ad observandum divinationes juxta aquas.* Et sic etiam interpretatur cap. 8. 20. At simplicius est, quod dicit Hierosolymitanus Paraphrastes, לאתקררא על מיא *ad refrigerandum se juxta aquas.* R. Sal. exponit, לנקביו *ad exonerandum alvum*; ita scilicet eum intellexisse, se, uti fallò sibi persuaserat, Deum non esse. Sed hoc ineptum. Abenezra ait regem Ægypti usque ad hodiernum diem solitum esse mense Tammuz (i. e. Junio) & Ab i. e. Julio) ad fluvium Nilum exire, ut perspiceret quantum super terras ascenderit; istis enim mensibus Nilum crevisse.

17. *Baculo, qui est in manu mea*] Hæc ipsius Domini verba esse videntur, quoniam præcessit, *Sic dicit Dominus*, &c. Abenezra ait sermonem esse concisum (ודרך קצרה) ac deesse vocem שלוחו *nuntius ejus*; q. d. *Ecce ego nuntius ejus percutio baculo, qui est in manu meâ.* Addit autem Mosen dicere *in manu meâ*, etiamsi baculus in manu Aharonis esset, propterea quod ambo

* *Psalm. 8. 5.* † *Cap. 4. 16.*

* *Lege* להט.

ambo in signo sive miraculo patrando ex æquo conjuncti fuerint. כי אמרתם שרים ושופטים נגוד Imò Moses primas tulit, neo nisi ex ejus mandato Aharon quicquam gessit.

18. וְנִלְאוּ מִצְרַיִם לִשְׁתּוֹת מַיִם מִן־הַיְאֹר *Et defatigabuntur Ægyptii bibere aquam ex fluvio.*] R. Sal. exponit ונלאו לבקש רפואה ליאור יהיו ראוין לשתות *fatigati erunt quærendo quomodo aquis fluvii mederi possint, ut ad potandum sint idonea.* Atque ista expositio ex v. 24. confirmari videtur. Quanquam sensus esse potest, *tædebit Ægyptios bibere aquam è fluvio.* Lxx. Interpretes reddunt, καὶ ἐ δυνήσονται οἱ αἰγύπτιοι πιεῖν ὕδωρ ἀπὸ τῦ ποταμῦ, *Et non potuerunt Ægyptii bibere aquam de flumine.* Atque ita etiam Abenezra videtur velle id quod hoc in loco dicitur exponendum esse juxta illud quod v. 21. habetur, ולא יכלו מצרים לשתות מים מן היאור *Et non potuerunt Ægyptii bibere aquam è fluvio.* At illud נלאו à לאה *laborare, fatigari, defessum esse*, est ἐμφατικώτερον. Vulg. *Et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.*

19. עַל־נַהֲרֹתָם *Super flumina ipsorum*] R. Sal. ait voce ista intelligi aquas, quæ instar fluviorum nostrorum currunt. Abenezra de Schichor sive Nilo, atque aliis fluminibus exponit.

עַל־יְאֹרֵיהֶם *Super rivos ipsorum*] R. Sal. interpretatur בריכות stagna, quæ hominum manu fiunt, quæque Nili exundantis aquis implentur. Vide ad Genes. 41. 1. Abenezra ait plurale hic usurpari, propterea quòd יאור rivus iste (Nilum intelligit) in pluribus locis fit.

וְעַל־אַגְמֵיהֶם *Et super stagna ipsorum*] R. Sal. exponit collectiones aquarum, quæ non fluunt, sed in eodem loco consistunt. Abenezra interpretatur de aquis, quæ ex pluvia suâ sponte (absque hominum operâ ac industria) inter se consociantur מים מחוברים מעצמם כמי המטר

וְעַל כָּל־מִקְוֵה מֵימֵיהֶם *Et super omnem congregationem aquarum ipsorum.*] Abenezra putat hic innui fontes, & puteos, & fossas הם המעינים והבארות והבורות

וּבָעֵצִים וּבָאֲבָנִים *Et in lignis, & in lapidibus.*] Idest, ut interpretatur Onk. במאני אעא ובמאני אבנא *& in vasis ligneis, & in vasis lapideis.* Similiter etiam exponunt R. Sal. & Abenezra.

22. בְּלָטֵיהֶם *Incantationibus suis.*] Onk. בלחשיהון *mussitationibus suis*, uti v. 11. Ubi cum He scribitur בלהטיהם. Propriè לחש est *mussitare*; inde autem etiam ponitur pro *incantare*, quia (ut notat in Lex. Tal. Buxtorfius) id mussitando fieri solet. Similiter Hebræam vocem exponit R. Sal. לחש שאומרין אותו בלט בחשאי i. e. *mussitationem sive incantationem, quæ fit tacitè, & in silentio* לאט & sine Aleph לט *occultum* significat, atque inde incantationem, quæ in occulto fieri solet, significare existimatur. Ita interpret. Abenezra, qui asserit בלטיהם non esse idem quod בלהטיהם † extrita litera He, quod He in medio vocis, non sit litera protractionis. מחמת חסרון ex diversis fortè radicibus sint istæ voces, sed idem denotare non est dubitandum. Lxx. hic, ut anteà, habent ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν, *veneficiis suis.* In Gemara Sanhed. cap. 7. R. Chaius filius Abba dicit, בלטיהם אלו מעשה שדים בלהטיהם אלו מעשה כשפים *Belatehem notat opus Dæmonum; Belahatehem notat opus magiæ.* Atque istud Rabbinorum dictum hic à R. Salomone memoratur. Coch. in Annotat. ait *Belatehem* sonare *in secretis ipsorum*; Dæmones autem ut ait Glossa, latere invisibiles. At *Belahatehem* sonare *in flammis* vel *fulgoribus suis.* Vide supra ad v. 11. Notat autem Abenezra quæri posse, si Aharon omnes aquas Ægyptii in sanguinem convertit, ubinam magi invenerunt aquam quam converterent. Respondetque Aharonem non convertisse nisi aquas, quæ erant supra terram, non eas quæ erant sub terra: magos igitur fodisse, & eduxisse aquam, eamque à se in sanguinem conversam esse præ se tulisse. Addit magnum discrimen fuisse inter Aharonis, & magorum opus; Aharonem enim vertisse universum fluvium, qui ante ipsum erat, & totam aquam quæ in tota Ægypto erat, etiamsi eam non videbat: quin & aquas perpetuò fluentes vertisse, ac septem dies plagam istam permansisse, magos autem paululum duntaxat aquæ visos esse convertere, idque quod in vase stabat, nec nisi ad momentum, nempe dum Pharao domum revertebatur. Vide Manassen concil. quæst. 8. in Exod.

Et obfirmatum est cor Pharaonis] R. Sal. ait eum dixisse Mosi & Aharoni, *vos incantationibus ita facitis; vos infertis stramen in Aphrajim, urbem quæ abundat stramine: vos in Ægyptum, quæ incantationibus repleta est, incantationes affertis.* Similiter in Talmude (referente Buxtorfio in *Lex.* Talm. rad. תבן) libro מנחות dicitur * Jochana & Mamre dixisse Mosi, *Fœnum* (sic Buxtorf. reddit תבן, quod alii *stramen* interpretantur) *tu importas in Aphrajim.* Ac Mosen eis respondisse, *Vulgo dicunt homines, in urbem olerum, olera deferto.*

24. *Et foderunt omnes Ægyptii*, &c.] Jonathan addit, ולא אשכחו צלילן *Et non invenerunt limpidam.* Abenezra ait Israëlitas etiam similiter fodiendo aquam quæsivisse. Ab iis enim dissentit, qui putant aquas apud Ægyptios fuisse ‡ rubicundas instar sanguinis, apud Israëlitas autem albas, hoc est, non fuisse mutatas; existimat plagam sanguinis, & ranarum & pediculorum ad Israëlitas pariter, ac Ægyptios se extendisse; ista quippe leviuscula fuisse: in plagâ autem mixtionis diversorum animalium, quæ gravior fuit, Dominum inter Israëlitas & Ægyptios distinxisse; atque ita in plagâ pestis, & grandinis, non autem ulceris & locustarum. At etiamsi de quibusdam tantùm plagis disertè dictum sit, eas Israëlitas non attigisse, cum tamen Israëlitarum gratiâ plagæ omnes Ægyptiis inflictæ fuerint, Israëlitas ab omnibus immunes fuisse libentiùs censerim.

25. *Et impleti sunt septem dies*, &c.] Jon. *Et consummati sunt septem dies posteaquam Dominus percusserat fluvium, & deinde verbum Domini sanavit fluvium.*

IDEM.

3. אֶת־אֹתֹתַי וְאֶת־מוֹפְתַי *signa mea, & portenta mea.*] Inter אות & מופת Kimchi sic (a) distinguit, ut אות generale sit, & quodvis signum denotet, מופת autem non usurpetur nisi de portento, seu miraculoso quodam signo, quod ad fidem faciendam adhibetur. המופת הוא דבר נראה להאמין בו דבר כמו שנאמר לו שעתיד להיות ונלמד אותו חבוא גם כן בורה הזמן אלא שפעמים תבוא לסימן לדבר ולאבן מלת מופת

11. בְּלַהֲטֵיהֶם *incantationibus suis.*] Kimchi in Rad. deducit à לאט, literâ א in ה mutatâ: atque inde etiam, literâ nempe א penitus extritâ, deducit בלטיהם vers. 22. & cap. 8. 7. Asserit autem vocem istam significare præstigias (b) clam & occultè factas, ita ut homines, quemadmodum fiant, non percipiant. Addit autem fortasse בלהטיהם esse à להט quod flammam significat. Idem etiam dicit in radice להט idque ob hanc rationem, כי יש במעשה הכשפים כלהט החרב *quia præstigiæ quædam fiunt fulgore gladii.* Idem fortè vult quod (c) Abenezra, cujus expositio in Annotationibus est allata: nescio autem an βελομαντεῖαν quandam intelligat, nempe qua harioli ex fulgore gladii divinabant: ejusmodi certè quiddam habet ad Ezech. 21. 21. sed judicent peritiores. Lyra ad 2 Tim. 3. 8. putat Apostolum non nisi ex revelatione cognita habuisse incantatorum, de quibus hìc agitur, nomina, nempe *Jannes* & *Jambres*, propterea quòd nec in Josepho, nec in R. Salomone reperiantur: sed non necesse est ad revelationem confugere, cum Jonathan Paraphrastes hoc ipso loco, uti etiam alibi, hæc nomina habeat: quin & in Talmude pariter ac in aliis Hebræorum scriptis nomina ista, licet diversimodè scripta, occurrunt. Vide Buxtorf. in Lex. Talmud. in יון.

IDEM.

3. אֶת־אֹתֹתַי וְאֶת־מוֹפְתַי *Signa mea, & portenta mea*] Inter אות & מופת sic distinguit, ut אות signum debilius, מופת autem signum fortius designet: atque ideò observat in disciplinis *Demonstrationes* seu rationes validas appellari מופתים, sed tamen & מופת denotare vult signum naturale, quod nimirùm naturæ viribus effici possit: unde etiam observat de falso propheta dictum esse, (d) *Si dederit tibi* אות או מופת ac statim sequi, *& evenerit* האות והמופת. Per אות *signum* intelligit ראיה חלושה *rationem debilem*, & per מופת *portentum*, ראיה חזקה *rationem validam*.

11. בְּלַהֲטֵיהֶם *Incantationibus suis*] Vel, *præstigiis suis.* Juxta Maimonidem dicendum ait, Magos istos celeri manuum suarum motione oculos spectatorum fefellisse, ut res aliud quàm reverà esset, appareret; atque ideò dictum בלהטיהם, quod esset כלהט החרב המתהפכת *instar flammæ* (seu *fulgoris*) *gladii vibrati*, seu huc illuc agitati. Posteà autem refert Doctores dicere, eos ope dæmonum oculos hominum præstrinxisse, ut id quod reverà non fecerunt, fecisse viderentur; atque ideò vers. 22. & cap. 8. 7. usurpari vocem בלטיהם *occultis mussitationibus suis.* Ait igitur Magos videri in opere serpentum motiones suas exercuisse, sed in sanguine ac ranis mussitationibus usos esse, atque ideo illic vocem בלהטיהם hìc autem בלטיהם esse usurpatam.

† *Amamain Cens. dubitat utrum thema vocis* בלהטיהם *sit* להט *an He pro Aleph posito* לאט. * *Ita istic appellantur, qui alias dicuntur Jannes & Jambres.*

‡ אדומים כדם *ita quorundam opinionem refert, cum aqua in sanguinem reverà essent conversa.* (a) *In Radice* אות. (b) לאט *absconditum denotat.* (c) *Sed tunc dicendum potius esset* כלהט *sicut fulgor: atque ita forte est legendum. Vide infrà ex Abrabanele.* (d) *Deut.* 13. 1, 2.

Concludit autem opus magorum fuisse שקר מרמה *mendacium & falsitatem.*

25. *Et impleti sunt septem dies*, &c.] Hoc ideò dictum vult, ut intelligatur quanta fuit in Pharaone cordis durities, qui etiamsi tam diù plaga sanguinis duravit, ejus tamen sensu affici noluit. Vel hæc cum sequentibus connecti posse censet, ut sensus sit, post septem dies, ex quo venit plaga sanguinis, secutam esse plagam ranarum. Vel denique sic intelligi debere, per septem dies post plagam sanguinis Ægyptios requiem habuisse, antequam plagâ ranarum percussi essent. Quid ex hisce potissimum sit sequendum, vix ausim dicere; prima tamen expositio mihi præ cæteris arridet.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

3. *Scatebit*] h.e. ebulliet & reptificabit fluvius in maximo numero & multitudine ranas. Significat enim שרץ *in modum piscium & reptilium multiplicari.* ¶ *In cibos tuos*] Heb. *in reliquias tuas.* Exponit tamen K משארות pro עיסה *pasta.*

9. *Gloriare super me*] Est sensus, Gloriari poteris atque bono esse animo, ut cùm ego oravero pro te auferantur ranæ. Hanc spem de tuis magis habere non potes.

12. *Propter ipsas ranas*] Hebr. *super causa ranarum.* Quidam tamen putant hic דבר accipiendum pro verbo, ut sit sensus, *Super verbo ranarum quod posuit*, seu *constituit & promisit*, *Pharaoni.*

14. *Acervatim*] Hebr. *& congregaverunt eas in acervos, acervos:* h.e in plurimos acervos.

15. *Respiratio*] Habet Hebraica vox רוחה contrariam significationem dictioni צרה, quæ *angustiam undique imminentem* significat; רוחה verò significat *liberationem ab illa angustia*, & sæpe capitur pro *dilatione & respiratione cordis.*

16. *Pediculos*] Est כן genus quoddam exiguæ bestiolæ, sed quæ insensissima esse solet, lædens cutem & penetrans per nares atque aures. Et fortè in his partibus non invenitur, sicut nec ranæ de quibus hic agitur. Quærunt Hebræi quare Dominus induxerit ranas super terram Ægypti, & quare pulvis versus fuerit in pediculos pungentes, item quare incursiones fecerit leonum, ursorum, luporum, &c. Respondentque, הביא ה"בה צפרדעים לפי שהיו המצריים אומרים לישראל לכו וצודו לנו דגים מן הים וטאטאו את בתינו ואת חצרינו ואת השוקים וצודו לנו חיות מן השדה *Induxit*, inquiunt, *Deus Ægyptiis ranas*, &c. *quia dixerant Israelitis, Ite & capite nobis pisces è mari, Scopate domos nostras, atria nostra, & plateas nostras, Venamini nobis feras de sylva.*

19. *Digitus Dei*] Hebraismus est, pro *potentia Dei*, sicut & *manus* & *brachium* in Hebraica lingua sæpe capitur pro גבורה *potentia*, & aliquando pro מכה *plaga.*

21. *Insecta*] Vocabulum Hebraicum ערב propriè significat *mixturam collectam ex* מינים הרבה *variis & multis speciebus bestiolarum seu insectorum.* R.S. intelligit etiam *serpentes & scorpiones atque alia venenata animalia.* Sepharadi dicit fuisse *incursionem leonum, pardorum, luporum, serpentum, & similium noxiarum bestiarum.* Idem sentit A.E.

26. *Conveniet*] Sive, *non est rectum.* ¶ *Quoniam abominationem Ægyptiorum sacrificaremus*] Onkelos sic vertit, *quoniam jumenta Ægyptiorum sunt dii illorum, quos ipsi timent, & ex illis nos sacrificabimus coram Domino Deo nostro?* Vocat enim sæpe Scriptura deos gentium *abominationes.* Colebant autem Ægyptii arietem: ideo ipsi abominabantur pastores ovium, præsertim eos qui vescebantur carnibus ovium aut caprarum.

29. *Fallaciter agere*] Est התל idem quod שקר, & scribitur hic in Piel, mutaturque Dages in vocem magnam, haud secus quàm si media esset gutturalis.

FAGIUS.

3. *Et in pastam tuam*] Alii vertunt, *cibos tuos*, vel, *panaria tua.* Significat vox Hebræa משארות *Mischearoth*, & Chaldaica עצות *Azuath*, locum in quo subigitur massa ad conficiendum panem.

9. *Pete tibi magnum aliquid*] Sensum nos reddidimus. Nam ad literam est, *Pete tibi potentiam*, h.e. rem magnam & potentem, ad quam conficiendam requiritur magna vis & potentia. Hebræi etiam Deum à *vi* & *potentia* quam habet גבורה nuncupant. Unde & sensus esse potest, Pete tibi Divinum quiddam, ad quod perficiendum opus est Divinâ quadam virtute. Hebr. התפאר עלי *Gloriari super me*, &c. h.e. Hoc honoris tibi sume ut designes mihi tempus in quo orem pro te. Aut, Hoc tibi tribuo ut præfigas mihi tempus quando orem pro te. Alii hunc sensum esse volunt, Tunc gloriari poteris atque bono animo esse, cùm me orante pro te auferentur ranæ. Hanc spem de tuis magis & ariolis habere non potes. Alii sic legunt, *Indica mihi*, dic clarè & apertè. A. E. ità interpretatur, *Faciam tibi honorem ut orem ad Dominum, quò auferat plagam in die quo petes.*

12. *Super causa ranarum quas posuerat Pharaoni*] Alii sic legunt, *Super causa*, vel *negotio, ranarum quod proposuerat Pharaoni*, h.e. pro ranis tollendis, quod se facturum pollicitus fuerat Pharaoni. Et hæc lectio mihi magis etiam probatur.

14. *Congregaverunt eas in acervos*] Ad literam est, *In acervos, acervos.* Hebraismus est, pro, *in multos*, sive *immensos, acervos*; vel *acervatim.* Repetitio enim vocis multitudinem importat. Sic Genes. 14. 10. *Et in valle Siddim erant putei putei bituminis*, &c. i. multi putei.

15. *Quod facta esset dilatatio*] רוחה Hebraicè, & Chaldaicè רווחא, *dilatationem* propriè significat, & opponitur צרה, quod *angustiam* denotat, & transumitur ad liberationem ex angustia; item ad quietem, dilatationem & respirationem animi, quæ liberationem ex angustia sequitur, ut hoc in loco.

16. *In pediculos*] Vox Hebræa כנים *chinnim*, & Chaldaica קלמתא *Kalmetha*, significat genera quædam exiguarum bestiolarum quæ insensissimæ esse solent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atque aures. Quidam dicunt significare vermiculos alatos similes culicibus. Veteres tamen Hebræi dicunt significare *pediculos. Ciniphes* vocem ex Hebraico desumptam putant, additis tamen quibusdam literis, nec facilè etiam reperiri apud alios Græcos & Latinos Scriptores. Philo de isto animalculo ità scribit, Ζῶον εἰ καὶ βραχύτατον, ἀλλὰ ὅμως ἀργαλεώτατον· οὐ γὰρ μόνον λυμαίνεται τὴν ἐπιφάνειαν, κνησμὸς ἐμποιῶν ἀηδεῖς καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς διαδύεται διὰ μυκτήρων καὶ ὤτων. σίνεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰσπετόμενον, εἰ μὴ φυλάξαιτό τις. i. *Eabestiola, tametsi exigua admodum sit, infestissima tamen solet esse: non solùm enim summam cutem lædit, pruritum in sensum immittens ac noxium, sed etiam ulteriùs penetrat per nares atque aures. Lædit etiam oculos, nisi quis cautus fuerit.* Hæc ille. Omnino puto tale genus pediculorum fuisse, quale hodie filtzlaus vocamus.

19. *Plaga à facie Domini*] i. Virtute Divinâ facta est hæc plaga, non arte magicâ. Hebr. *Digitus Dei est. Digitum* autem Dei non rarò Scriptura manifestam Dei potentiam & virtutem, quæ negari non potest, vocat. Quod enim manifestum & notum esse volumus, digito monstramus. Simili de causa Christus *digito Dei se ejicere dæmonia* dicebat contra Pharisæos, Luc. 11. vers. 20. i. virtute Divinâ, non humanâ aut diabolicâ, Matth. 12. 27, 28. Loquitur ergò Scriptura ἀνθρωποπαθῶς de Deo, manus, digitos, brachium, aliaque membra illi tribuendo. Sunt qui Synecdochicam locutionem esse volunt, quâ virtutem Dei Hebræi non elevant, sed amplificant potiùs, q. d. Tam potens est Deus ut solo digito omnium potentum hujus mundi potentiam facilè superet.

21. *Mixturam bestiarum noxiarum*] Vox Hebræa ערב *Arof* turbam, misturam collectam ex variis & multis speciebus bestiolarum, seu insectorum, significat, sicut testatur & R. D. K. in Rad. suis, ubi ità scribit, ערב הם אספה חיות ממינים הרבה *Arof, collecta animalia sunt ex speciebus multis.* Alii intelligunt etiam serpentes & scorpiones atque alia venenata animalia, ut R. S. qui dicit, כל מיני חיות ונחשים ועקרבים בערבוביא: *Omnia genera bestiarum, etiam serpentum & scorpionum promiscuè.* Nonnulli dicunt fuisse incursionem leonum, pardorum, luporum, serpentium, & similium noxiarum bestiarum. Sed quid movit Vulg. Lat. interpretem, qui legit, *Omne genus muscarum.* Secutus videtur Lxx. apud quos legitur vox κυνόμυιαν, *muscam caninam.* Volunt tamen errorem esse in Græcorum codicibus; siquidem, ut scribit etiam D. Hieron. Lxx. interpretati sunt non *muscam caninam*, sed κοινόμυιαν, i. *generalem muscam.* Et quoniam maxima est similitudo inter κοινόμυιαν, *communem muscam*, & κυνόμυιαν, *muscam caninam*, ex eo factum est ut à Scriptoribus alterum in alterum depravatum sit.

22. *Segregabo autem*, &c.] Verbum Chaldaicum ואפריש, sicut & Hebraicum והפליתי, non simpliciter *separare, segregare* & *secernere* significat, sed miraculo quodam, unde & Chaldaismus res mirabiles sive miracula פרישן vocat. Est ergò sensus, Segregabo: i. miraculosè agam cum terra Gosen. Unde Lat. interpres Vulg. non malè legit, *Faciamque mirabilem in die illa terram Gosen*, &c. ¶ *Princeps in medio terræ*] Metaphora sumpta est à regibus & principibus, qui sedes suas ferè habent in mediis provinciis, ut ex æquo illis prospicere, regere, gubernare, tueri & defendere eas, ubi opus sit, possint: Ad similitudinem cordis humani, quod in medio corpore constitutum ad-

adferunt, ut hinc tanquam ex fonte spiritus vitalis; quo totum corpus vivificatur, commodiùs in omnia membra diffundi possit. Hac de causa, inquiunt, Deus sedem suam habuit Hierosolymis, quæ in meditullio terræ *Judææ* juxta Hebræorum sententiam fuit, ut ex æquo omnibus ad istum locum ubi cultus Dei erat, & ubi Dominus illis propitius, precesque eorum exaudire volebat, aditus pateret. Hæc ferè in præsentem locum A. E. annotavit. Et Christus in Euangelio eâdem locutione usus est, quando dixit, *Ubi erunt duo vel tres congregati in nomine meo, ego ero in medio illorum.* Tanquam Dominus scilicet, Magister & Princeps, ut adsit eis, juvet, defendat, tueatur. Hæc propterea adduxi ut eò meliùs intelligatur isthæc locutio, *in medio esse.*

23. *Ponamque liberationem populo meo*] i. liberabo eos: faciam ut populus Ægypti lædatur à feris noxiis, & populus meus non lædatur.

26. *Jumentum quod Ægyptii colunt*] Colebant Ægyptii Arietem, à quo cultu abhorrebant Judæi. Propterea non audebant coram Ægyptiis sacrificare Deo arietes, nè occiderentur.

IDEM.

9. התפאר עלי למתי אעתיר לך *Gloriare super me, & dic, quando orem pro te,*] Lxx. & Vulg. Interpres sensum quidem hujus loci non adeò malè expresserunt; attamen Hebræa sunt magis emphatica, *Gloriare super me*, &c. q. d. Moses ad Pharaonem, Tu suspicaris quasi artibus magicis, aut virtute alicujus determinatæ constellationis ranas produxerim, nec possim rursus eas auferre quandocunque voluerim; verùm ut diversum videas, nihil hic magicum esse, sed omnia Divinitus geri, penes te est tempus quodcunque volueris mihi præscribere ut auferantur ranæ. Quod si non fiat, tunc poteris contra me gloriari, quòd Magiâ utar. Fusiùs hunc locum tractavi in Annotationibus super Biblia Chaldaica, ad quæ te remitto.

15. ויכבד את לבו ולא שמע אלהם כאשר דבר יהוה *Aggravavitque cor suum, & non audivit eos, sicut locutus erat Dominus,*] Hallucinatus est Vulg. Interpres in eo quod vertit, *sicut præceperat Dominus*, pro, *sicut locutus erat Dominus.* Estque sensus, Quòd Pharao aggravaverit cor suum, & non obsecundarit Mosi & Aharoni, sicut hoc futurum antea illis prædixerat Dominus, fore scilicet ut Pharao induraret cor suum. Non est ergò referendum ad præceptum Domini, de educendis filiis Israël, quod Dominus Mosi & Aharoni dederat, & Vulg. Interpres intellexit. Rectiùs ergò Lxx. verterunt. Idem error & infrà est in eodem capite in Vulg. editione, quæ similiter emendari debet.

16. והיה לכנים בכל ארץ מצרים *Ut sit in pediculos per totam terram Ægypti,*] Hunc locum annotare libuit propter dictionem *cinifes*, quam quidam deductam putant à voce Hebraica כנים, additis tamen quibusdam literis. *Chinnim* autem significare dicunt genera quædam *exiguarum bestiolarum quæ infensissimæ esse solent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atque aures.* Quidam dicunt significare *vermiculos alatos similes culicibus.* Veteres tamen Hebræi significare dicunt *pediculos.* Sed vide de hoc latiùs, si placet, Annotationes in Biblia Chaldaica.

21. הנני משליח בך ובעבדיך ובעמך ובבתיך את הערב *Ecce ego mitto in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas,*] Variatio est in voce ערב, quam Lxx. *muscam caninam*, Vulg. interpres *omne genus muscarum* transtulit. Significat autem ערב Hebræis mixturam collectam ex variis & multis speciebus animalium, puta leonum, pardorum, luporum, serpentum, scorpionum, & similium bestiarum noxiarum. Estque vox deducta à verbo ערב, quod *miscere* significat: hinc *Arof* nomen, i. *turba*, sive *mixtura variorum animantium.* Quia ergò & varia genera Muscarum sunt, hinc ideo pro *muscis* Vulg. interpres reddidit, secutus nimirum versionem Septuaginta. Tametsi errorem esse putem in illorum versione ut hodie exstat, ut κυνόμυιαν quod *muscam caninam* significat, pro κοινόμυιαν, quod *generalem muscam* significat, positum sit, quod facilè fieri potuit vocum affinitate, ut à scriptoribus alterum in alterum depravaretur. Vide Annotationes in Biblia Chaldaica.

23. ושמתי פדות בין עמי ובין עמך *Et ponam redemptionem inter populum meum, & inter populum tuum,*] Vox Hebræa פדות non *divisionem*, ut Lxx. & Vulg. interpres transtulerunt, significat, sed *redemptionem* sive *liberationem*, &c. h. e. faciam ut populus tuus lædatur à feris noxiis, & populus meus non lædatur. Sicut hunc sensum expressit Chaldæus.

26. ויאמר משה לא נכון לעשות כן כי תועבת מצרים נזבח ליהוה אלהינו הן נזבח את תועבת מצרים לעיניהם ולא יסקלנו *Et respondit Moses, Non convenit ut sic agamus, quoniam abominationem Ægyptiorum sacrificaremus Domino Deo nostro. Sed etsi sacrificaremus abominationem Ægyptiorum in oculis eorum, nonne lapidarent nos?*] Hunc locum quoque adduxi, non quòd sit magna discrepantia; nam, quod sensum attinet, omnia benè conveniunt. Et noster Vulg. interpres Latinus suâ versione magis Paraph. Chaldæum secutus esse videtur. Porrò pecus quod Ægyptii colebant Aries erat.

VATABLUS.

2. Percutio, נגף] Præs. Hebr. pro fut. *percutiam*: paratus sum percutere omnem regionem tuam.

3. *Et producet*, ושרץ] Significat *producere in magna copia.* ¶ *Et in cubiculum*, ובחדר] *& in penetrale.* ¶ *Et in conspersiones tuas*, ובמשארותיך] i. in panaria tua. Propriè significat locum in quo subigitur massa ad conficiendum panem.

4. *Ascendent*, יעלו] i. te & tuos invadent ranæ.

5. *Et super paludes*: ועל האגמים] *& super stagna.* ¶ *Et ascendere facias*, והעל] *ut ascendere facias.*

6. *Et ascenderunt*, ותעל] Sing. Hebr. pro plur.

7. *Magi*, החרטמים] *præstigiatores magici.* Significat *genethliacos*, qui ex die natali fortunam hominis successumque pronuntiant, ut ex doctis Hebræorum alter ait.

9. *Gloriare super me*, התפאר עלי] h. e. Hoc honoris tibi sume ut designes mihi tempus in quo orem pro te: aut, Hoc tibi tribuo ut præfigas mihi tempus quando orem pro te. Alii hunc sensum esse volunt, Tunc gloriari poteris atque bono animo esse quum me orante pro te, auferentur ranæ: hanc spem de tuis magis & ariolis habere non potes. Alii, Gloriari potes quòd me orante morituræ sint ranæ. Ex doctioribus Hebræorum alter ità interpretatur, Faciam tibi hunc honorem ut orem ad Dominum qui auferat plagam in die quâ petes. Chald. paraph. *Pete tibi* גבורה *portentum*, vel *potentiam*, h. e. rem magnam & potentem, ad quam conficiendam requiritur magna vis & potentia. Hebræi etiam Deum à *vi & potentia* quam habet גבורה nuncupant: unde & sensus Chaldæi esse potest, Pete tibi Divinum quiddam, ad quod perficiendum opus est Divinâ quâdam virtute. ¶ *Ut excidere faciam ranas*, להכרית הצפרדעים] *ad exterminandas ranas*: vel, *ad abigendas ranas.*

12. *Propter ranas quas posuerat*, על דבר הצפרדעים אשר שם] Ad verb. *super negotio ranarum quas posuerat*, i. immiserat, ità operante Domino per ipsum: sic & Chald. paraph. Alii vertunt, *propter negotium ranarum quod proposuerat Pharaoni*, h. e. pro ranis tollendis: quod se facturum pollicitus fuerat Pharaoni. Quæ lectio doctioribus magis probatur.

13. *Juxta verbum Moseh*, כדבר משה] Hebraismus, Fecit per omnia quod petebat Moses. ¶ *E villis*, מן החצרת] *ex atriis.*

14. *Et fœtuit*, ותבאש] *& computruit.*

16. *In pediculos*, לכנם] Hæc vox כנים, atque etiam Chaldaica קלמתא, significat genera quædam exiguarum bestiolarum quæ infensissimæ esse solent, lædentes cutem, & penetrantes per nares atque aures. Quidam dicunt significare vermiculos alatos similes culicibus. Veteres tamen Hebræi dicunt significare *pediculos.* *Ciniphes* vocem ex Hebraico desumptam putant, additis tamen quibusdam literis: nec facilè etiam reperiri apud alios Græcos & Latinos Scriptores. Philo de isto animalculo ità scribit, *Ea bestiola, tametsi exigua admodum sit, infestissima tamen esse solet: non solum enim summam cutem lædit, pruritum infensum immittens ac noxium, sed etiam interius penetrat per nares atque aures. Lædit etiam oculos, nisi quis cautus fuerit.* Lxx. verterunt σκνίφες, qui sunt vermiculi innascentes materiis, qui eroso ligno subinde locum mutant. Origenes scribit, hoc animal pennis quidem suspendi per aëra volitans, sed ità subtile & minutum, ut oculi visum, nisi acutè cernentis, effugiat; corpus tamen, quum insederit, acerbissimo terebrare stimulo, ità ut quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.

18. *Fuerunt itaque pediculi*, ותהי הכנם] Sing. Hebr. pro plur.

19. *Digitus Dei est*, אצבע אלהים הוא] *Digitum Dei* non rarò Scriptura manifestam Dei potentiam & virtutem, quæ negari non potest, vocat. Quod enim manifestum & notum esse volumus, digito monstramus. Simili de causa Christus *Digito Dei se ejicere dæmonia* dicebat contra Pharisæos, Luc. 11. 20. i. virtute Divinâ, non humanâ, aut Diabolicâ. Loquitur ergò Scriptura ἀνθρωποπαθῶς de Deo, manus, digitos, brachium, aliaque membra illi tribuendo. Sunt qui synecdochicam figuram esse volunt, quià virtutem Dei Hebræi non elevant, sed amplificant potiùs. q. d. Tam potens est Deus ut solo digito omnium potentum hujus mundi potentiam facilè superet. ¶ *Et roboravit se*, ויחזק] *& induratum est*; *fortificavit se*; vel, *fortificatum est.*

20. Egre-

20. *Egreditur*, יוצא] Præf. Heb. pro fut. *egressurus est.*

21. *Mitto*, משליח] Præf. Heb. pro fut. *missurus sum.* ¶ *Omne*, &c. את הערב] Vox ista turbam sive misturam collectam ex variis & multis speciebus bestiolarum, seu insectorum, significat, sicut testatur & doctus inter Hebræos, ità scribens, ערב *collecta animalia sunt ex speciebus multis.* Alii intelligunt etiam serpentes & scorpiones, atque alia venenata animalia, ut & quidam Hebræorum sentit. Nonnulli dicunt fuisse incursionem leonum, pardorum, luporum, serpentium, & similium noxiarum bestiarum. Hieron. dicit Lxx. vertisse κοινόμυιαν, i. *generalem muscam*, non κυνόμυιαν, *caninam muscam*: unde apparet corruptos esse Græcorum codices. ¶ *Insuper & terra*, &c. וגם האדמה וגו] Ad verb. *& terra ipsa in qua ipsi super eam.*

22. *Et separabo*, והפליתי] i. ponam divisionem inter terram Ægypti & terram Gosen.

23. *Et ponam redemptionem*, ושמתי פדת] i. liberabo. Hebraismus, q. d. Faciam ut populus tuus lædatur à feris noxiis, populus autem meus non lædatur.

24. *Corrumpebatur terra*, תשחת הארץ] i. perimebantur ac perdebantur omnia quæ erant in terra.

26. *Ecce sacrificabimus*, &c. הן נזבח וגו'] Chald. paraph. *Ecce sacrificabimus pecudem Ægyptiorum ipsis videntibus, annon jubebunt lapidari nos?* q. d. Si sacrificaverimus oves quas colunt Ægyptii, lapidabunt nos. Colebant enim Ægyptii arietem, à quo cultu abhorrebant Judæi: propterea non audebant coram Ægyptiis sacrificare Deo arietes, nè occiderentur.

28. *Verumtamen elongando*, &c. רק הרחק וגו'] Hebraismus, Modò nè longiùs abeatis; vel, ea lege quod non procul discederis.

29. *Ut recedat*, וסר] Ad verb. *& recedet.* ¶ *Nè addat* &c. אל יסף וגו'] *Nè ultra Pharao mentiatur*, vel, *fallat.*

31. *Fecitque Jehovah*, &c. ויעש יהוה כדבר משה] Hebraismus, Exaudivit Jehovah deprecationem Mosis.

CASTALIO.

19. D*Igitum esse Dei*] i. manum, pars pro toto, i. opus. Sic Psal. 8. dicuntur cœli *opera digitorum Dei*, i. manuum.

CLARIUS.

9. C*Onstitue mihi*] Heb. *Gloriare super me*; ut sit sensus, Gloriari poteris ac bono animo esse, quòd cùm ego oravero pro te, auferendæ sint ranæ. Quòd si legas, *Constitue mihi*, dictum erat nè putarent certâ temporum observatione miracula illa fieri, sed intelligerent omnia illa à Divina duntaxat virtute proficisci.

16. *Et sint sciniphes*] Alii verterunt *pediculos.* Est autem genus quoddam exigui insecti, sed quod infestissimum esse solet, lædens cutem, & penetrans per nares atque aures. Id opinor esse quod experimur quibusdam in locis æstivis noctibus molestissimum.

17. *Digitus Dei*] Hebraismus est pro, *potentia Dei*: sicut & *manus* & *brachium* in Hebræa lingua sæpe capitur pro *potentia*, & aliquando pro *plaga.* Observa verò, Deum permisisse illos Magos in duobus prioribus signis vim artis suæ exercere, in tertio verò, re tam exiguâ, voluisse ut deficerent. Fiunt autem hæc omnia, ut & piorum probetur fides, & impiorum audacia confundatur.

21. *Omne genus muscarum*] Alii verterunt, *omne ferarum genus*, vel *insecta.* Sed vocabulum Hebræum proprie significat *mixturam collectam ex variis & multis speciebus bestiolarum*, seu *insectorum.* Quidam Hebræorum intelligunt etiam Serpentes, & Scorpiones, atque alia venenata animalia: feruntque fuisse etiam incursionem Leonum, Pardorum, Luporum, Serpentum, & similium noxiarum bestiarum.

23. *Ponamque divisionem*] Non *divisionem* Hebræi legunt, sed *redemptionem*, vel *liberationem*, quæ fit interstitio ab hostibus separante.

26. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?*] Sic cum interrogatione legendum est: ut sit sensus, Si sacrificaremus Deo nostro abominationem vestram, vestro scilicet ritu & more, qui nobis abominabilis est, offenderemus Deum nostrum. Si verò abominationem nostram, h. e. ritu & more nostro, qui Ægyptiis abominatio est, sacrificaremus Deo nostro coram Ægyptiis, nos lapidarent. Quidam Hebræorum sic interpretantur, *Jumenta Ægyptiorum sunt dii eorum, quos ipsi timent; & ex illis nos sacrificabimus coram Domino Deo nostro?* Vocat enim sæpe Scriptura deos gentium *abominationes.* Colebant autem Ægyptii arietem, ideo ipsi abominabantur pastores ovium, præsertim eos qui vescebantur carnibus ovium aut caprarum.

DRUSIUS.

24. G*Ravis*] Vox Ebræa כבד, quæ propriè *gravem* denotat, valet aliquando idem quod *multus, numerosus*, ut Num. 11. 14. *populus gravis*, & Psal. 35. 18. *In populo gravi laudabo te*, i. frequenti. & 1 Reg. 3. *populum tuum gravis iste.* Sic Exod. 8. 24. *miscellanea turba gravis.* Jes. 32. 2. *umbra gravis.* Rursum Exod. 10. 14. *locusta gravis*, & 9. 18. *grando gravis valde.* Hinc *gravis pecore*, qui multas pecudes habet, dives pecoris, Gen. 13. & כבד *gravitas*, multitudo, ingens numerus, Nah. 3. 3. Nonius, *Grave, multum, valde, significare veteres probant.* Titin. Psaltria: *gravique obsonio convivas.* nam & graviter multum intelligitur. Cæcilius Plocio: *placere hoc cœpit graviter, postquam est mortua.* i. multum. Vide sequentia. Est ubi meliùs exponitur per גדול, *magnus*, ut Gen. 41. 31. *gravis fames*; & Jes. 32. 2. *petra gravis*, i. ingens; & *manus gravis*, i. magna plaga, Job. 23. 2. & 1 Sam. 5. 6. *pestilentia gravis*, Exod. 9. 3. ubi Lxx. θάνατος μέγας, *mortalitas magna*, ad verbum, *mors magna.* Sic Chaldæi pestilentiam מותא appellant, quam Galli *mortalité* indigitant. Vide Miscell. cent. 2. c. 100.

IDEM.

16. כנם. Alius, Φθεῖρες] Hic versus in nostro exemplari est 12. Φθεῖρες, i. *pediculi.* Ità Santes & Arias, Josephus quoque l. 2. c. 5. Φθειρῶν ἄπειρόν τι πλῆθος, i. *Hakkinnam*, הכנם, quod legitur v. 17. est nomen collectivum. Porrò in כנם deficit Joch, ut sit כנים *pediculi.* Hujus singularis in lingua Magistrorum כנה, ut cùm dicunt, *Qui necat pediculum in sabbato.* Fagius existimat propriè significare *pediculum inguinalem*, qui Germanicè filtzleuß.

21. ערב A. πάμμυιαν, *omnimodam muscam*] Vel, *omne genus muscarum.* Sic interp. noster. Hieron. Psal. 105. 31. *musca omnimoda.* Josephus Hist. Ant. lib. 2. cap. 1. θηρία παντοῖα καὶ πολύτροπα. Prius erat κυνόμυια, *musca canina.* Lectio varians, κοινόμυια. Priorem Philo adstruit. In edit. Rom. τὸ Σαμαρειτικὸν, κόρακα, i. ערב. Corvus. Chaldæus alter ערבוב, alter ערבוב, i. *colluvies insectorum* aut *animalium*, *colluvio mistorum omnis generis animantium*, optima interpretatio. Hic versus in nostro exemplari est 17. Nos secuti sumus exemplar Venetum in quarto folium complicans, quod tunc ad manum erat.

25. התל. A. & Sym. παραλογίσασθαι] Hoc interpres Vulg. dixit, *fallere*, & Lxx, ἐξαπατῆσαι, & Chaldæus alter, שקרא, *mentiri.* Mentitur autem & qui fallit quempiam.

NOTÆ MAJORES.

1. E*T dixit DOMINUS ad Mosen, Dic ad Aharonem, extende manum tuam cum virga tua super flumina, & super rivos, & super stagna: & ascendere fac ranas super terram Ægypti.*

2. *Extenditque Aharon manum suam super aquas Ægypti, & ascendit rana, & operuit terram Ægypti.*

3. *Et fecerunt sic magi incantationibus suis, & ascendere fecerunt ranas super terram Ægypti.*

Stagna] Hieron. *paludes.* Lxx. διώρυγας καὶ ἕλη. ¶ *Ascendere fac ranas*] Educ ranas, fac ut ascendant è rivo. Ceterum pro *stagna* in Jonatha est שקיא quod sensum habet, locorum irriguorum. Videndum an etiam stagna denotet. Jerosolymitanus edidit בריכא quod interpretantur, *paludes*, vel *stagna*: Onkelos אגמיא cujus origo Ebraica. ¶ *Manum suam*] Cum virga sua. ¶ *Rana*) Plaga ranarum. Jonathan, *Ascenderunt ranæ operueruntque.* Hieron. Sic etiam Onkelos. Rana pro ranis, ut alibi locusta pro locustis. Sic arbor pro arboreto sive arboribus. Augustinus locut. 37. *Rana pro multitudine ranarum positum est. Nescio quo autem modo per loquendi consuetudinem imbutis sensibus hominum, sæpe plus videtur quod singulariter quam quod pluraliter dicitur. Nam plus accipitur cum dicitur, verbi causâ, est illic miles, quam, sunt illic milites: est illic piscis, quam sunt illic pisces.* Lxx. hic habent ἀνεβιβάσθη ὁ βάτραχος, educta est rana. ¶ *Operuit*] Obtexit, ἐκάλυψε. ¶ *Extendit*] *Levavit, sive sustulit.* Onkelos. Jonathan. ¶ *Sic*] Similiter. ¶ *Magi*] Ægyptiorum. In Jonatha hic est אסטגניין nisi legendum אסטגנינין quod ex aliis locis robur accipit. Hieron. *Malefici.* Lxx. οἱ ἐπαοι-

Digitized by Google

ἐπαοιδοί. On. [illegible] incantatores. ¶ *Ascendere fecerunt*] Eduxerunt.

4. *Vocavitque Pharao Mosem & Aharonem & dixit, Orate supplices ad DOMINUM, ut amoveat ranas à me & à populo meo, & dimittam populum ut sacrificent DOMINO.*

5. *Dixitque Moses Pharaoni, Gloriare de me, quando supplex orabo pro te & pro servis tuis & pro populo tuo ut excindat ranas à te & à domibus tuis: duntaxat in rivo remanebunt.*

6. *Et dixit Cras, & dixit Juxta verbum tuum ut cognoscas non esse similem DOMINO Deo nostro.*

7. *Et recedent ranæ à te & à domibus tuis & à servis tuis, & à populo tuo: duntaxat in rivo remanebunt.*

Vocavitque Pharao Mosem &c.] Quia magi non potuerunt ranas ab illis excitatas amovere. ¶ *Orate supplices*] Aut, orate simpliciter. Ità Hieron. Santes, Onkelos & Jonathan. Senes quoque εὔξασθε habent. Id reddunt, orate. Hinc [Hebr.] Proverb. 27. 6. ubi Aquila ἱκετικά i. supplicatoria. Vide nunc quæ scripsimus de hoc verbo Gen. 25. 21. ¶ *Amoveat*] Auferat, removeat, περιελέτω. Clarè agnoscit manum Dei. Nam magi ejus, licet ranas aliquas è rivo eduxerint, tamen eas quas Moses & Aharon eduxerant, amovere non potuerunt. Ideò supplex fit Ebræis quos pessimè oderat. R. Levi tentandi & probandi causâ hæc dici putat. Vide si placet. ¶ *Populum*] [Hebr.] τὸν λαόν. Sig. autem populum filios Israël. Tremel. articulum expressit per pronomen, referens *hunc populum*. ¶ *Gloriare de me*] [Hebr.] Lxx. τάξαι πρός με. Hieron. *Constitue mihi*. Santes & alii, *gloriare super me*. Onkelos, *Postula tibi potentiam, constitue tibi tempus*. Potentiam i. [Hebr.] Fagius interpretatur *magnum aliquid*: alii, *divinum aliquid*. Nam [Hebr.] etiam Deus. Jonathan, *Lauda animam tuam* sive teipsum; hoc est gloriare *propter me*. Jerosolymitanus, *constitue signum* &c. Tremel. *Assume gloriam supra me*. Vide notas. Abenezra, *Faciam tibi hanc gloriam ut orem ad Deum, qui auferat hanc plagam quum voles*. R. Salomo, *Gloriare super me sapiendo ut petas rem magnam & dicas me non posse facere illam. Sic alibi, An gloriabitur securis contra secantem ea, ut dicat Ego major te. Vernaculè vanter*. R. Levi censet Pharaonem, quæ supra petiit, tentandi tantum animo petiisse, quod ambigeret adhuc utrum plaga illa fortuita esset an à Deo. Ideò Moses ei respondet, Gloriare super nos & convince mendacii si potes, & ecce amplius proba nos constituendo tempus quando ranas amoveri vis. Videndi sunt Vatablus, Lippomanus, & Fagius in paraphrasin Chaldaicam ad hunc locum. Hiscuni, *Gloriare super me, Constitue mihi quando dimissurus sis filios Israël, & ego orabo ut ranæ statim excindantur*. Sunt etiam qui referant, *Gloriare contra me*. ¶ *Ut excindat*] Deus videlicet. Legi potest, *ut excindantur*, sive ut Hieron. *abigantur*. Lxx. ἀφανίσαι, ut *deleat* aut *deleantur*. Quidam, ut *propulsentur*. ¶ *In rivo*] Tremel. *in unoquoque rivo*. Sub hoc nomine flumina & stagna comprehendi putant quidam. Vide Abenezram. ¶ *Remanebunt*] Relinquentur: sunt qui legant, *relinquantur* aut *remaneant*, quod non improbo. ¶ *Cras*] Cur non hodie? Cur non statim? An ità probare voluit Dei servos? Videtur. Pro *cras*, quod in Hieron. & Sante Senes habent εἰς αὔριον in crastinum. Tremel. *intra crastinum*, Galli, *pour demain*. Ebraicè [Hebr.], quod ità dicitur, ut paulò ante [Hebr.] quando, & alibi [Hebr.] ex. Sic *inante* apud autores Latinos. ¶ *Juxta verbum tuum*] Sub. *Fiet*, aut *faciam*. Quod supplet Hieron. Senes habent ὡς εἴρηκας, *ut dixisti*. ¶ *Ut cognoscas*] Ut experiaris. Tremel. ¶ *Et recedent*] [Hebr.] accentum habet in ultimâ præter morem. Notavit Abenezra. Sic [Hebr.] contenderunt Gen. 26. 22. [Hebr.] posuerunt [Hebr.] Jes. 37. 22. Vide Camium. In Onkelo est [Hebr.] quod ritè punctabis [Hebr.] quanquam in Jonatha [Hebr.] amovebuntur. ¶ *In rivo*] *Quæ in rivo*. Onkelos & Jonathan. ¶ *Remanebunt*,] *relinquentur*.

8. *Et egressus est Moses & Aharon à Pharaone, clamavitque Moses ad DOMINUM propter verbum ranarum, quod posuerat Pharaoni.*

9. *Fecitque DOMINUS juxta verbum Mosis, & mortuæ sunt ranæ è domibus, ex atriis & ex agris.*

10. *Et coacervarunt eas acervatim, fœtuitque terra.*

Egressus est] Ἐξῆλθε, exivit. ¶ *A Pharaone*] [Hebr.] à cum Pharaone. Chaldaicè [Hebr.] Dicunt etiam [Hebr.] eodem sensu. ¶ *Propter verbum ranarum*] Hieron. *pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni*. Lxx. περὶ τοῦ ὁρισμοῦ τῶν βατράχων, ὡς ἐτάξατο Φαραώ: *pro finitione ranarum sicut constituit Pharaoni*. Sic interpres Lippomanus. Nam in edit. Rom. est, *sicut constituit Pharao*: nimis ambiguè. Quid finitio? Puto vertendum *pro sponsione*: neque mihi dubium est quin Hieron. huc respexerit. Lexicon vetus, ὁρισμός, *sponsio, definitio*. Onkelos & Jonathan, *Oravit Moses coram Pharaone pro negotio ranarum, quod posuerat Pharaoni*. Dignum notâ, *clamavit ad DOMINUM* i. oravit. Tremel. *propter ranas illas, quas imposuerat Pharaoni*. Santes, *Propter ranas quas posuit Pharaoni*. Munsterus, *propter ipsas ranas quas posuit propter Pharaonem*. Editio Gallica in margine, *juxta verbum quod posuerat*. i. *ordinaverat Pharaoni aut contra Pharaonem quoad ranas*. ¶ *Verbum*] Negotium, causam. Posses vertere, *ob rem ranarum*. Res ranarum ut *res voluptatum*. Adhibe libellos meos. ¶ *Posuerat*] Proposuerat aut imposuerat. Simplex pro composito. Quod tritum in hac linguâ. ¶ *Juxta verbum Mosis*] Quemadmodum dixerat se facturum Pharaoni Moses. ¶ *Ex Atriis*] Aut, *è villis*. Hoc interpretantur Hieron. Santes & Tremel. illud Munsterus, Leo Judæ & Arias. Græci transferunt ἐκ τῶν ἐπαύλεων, quod reddunt *de villis*. Onkelos & Jonath. [Hebr.] Est autem [Hebr.] in Lex. Chaldaico, *villa*: item *atrium*. Malè autem ibi scribitur [Hebr.]. Fagius interpretatur, *quæ erant in habitationibus*. Ebraicè est [Hebr.] à singulari [Hebr.] atrium, villa, vicus rusticus, pagus. ¶ *Coacervarunt*] Congregarunt. ¶ *Acervatim*] Per acervos. Ad verbum, *acervos acervos*. Sic alibi συμπόσια συμπόσια per convivia: πρασιαὶ πρασιαί per areas. Porro acervi Ebraicè [Hebr.] dicuntur, Chaldaicè autem [Hebr.] & [Hebr.] quorum illud usurpat Onkelos, isto utuntur Jonathan & Jerosolymitanus. In Salomone Trecensi legitur etiam [Hebr.] & [Hebr.] eodem significatu, nempe à verbo [Hebr.] quod reddimus *coacervo*: [Hebr.] acervos acervos i. per multos acervos. Vide Gen. 14. 10. Senes hîc habent, συνήγαγον αὐτοὺς θημωνίας θημωνίας. Hieron. *Congregaveruntque eas in immensos aggeres*. ¶ *Fœtuit*] Ὤζεσεν i. fœtore fuit repleta. Hieron. *Computruit*. Onkelos, *Fœtuerunt super terram*. Jonathan ut nos. Tremel. *Adeò ut fœteret ipsa terra*.

11. *Viditque Pharao quod esset respiratio & aggravavit cor suum, & non audivit eos, quemadmodum locutus fuerat DOMINUS.*

Respiratio] [Hebr.] Tremel. *Respiratio aliqua*. Jonathan *Respiratio angustiæ suæ*, vel si mavis, *in angustia suâ*, ut sit [Hebr.] pro [Hebr.]. Nam in Chaldæo est [Hebr.]. Quâ voce usus fuit & Onkelos. Fagius dilatationem interpretatur, atque ei opponi [Hebr.] angustiam. Vide Fagium. Lxx. ἀνάψυξις refrigeratio: item recreatio, refocillatio, unde καιροὶ ἀναψύξεως Actor. 3. 19. tanquam ab æstu ærumnarum & miseriæ. Hesychius etiam ἀνάπαυσιν exponit: quod secutus videtur hoc loco Hieron. Nam vertit, *videns autem Pharao quod data esset requies*. Galli dicunt, *Respi*. Lippomanus, *Dicunt dictionem Revacha propriè significare liberationem ab aliqua angustia undique imminenti, poniqne sæpè pro dilatatione & respiratione cordis*. ¶ *Aggravavit*] Hieron. *Ingravavit*. Lxx. ἐβαρύνθη, aggravatum est. In Ebræo est [Hebr.] aggravare. Nota Enallagen. Nam sensus est, *aggravavit*. Id Chaldæi dicunt [Hebr.], quod scripserim libentius [Hebr.]. Certe Onkelos habet [Hebr.] & magistri utuntur in hac conjugatione, ut cum dicunt [Hebr.] aggravare proventum. Quod authores Latinitatis dicerent, *annonam flagellare, incendere, excandefacere, vexareque*. Supra 7. 14. *grave sive aggravatum est cor Pharaonis*. Alibi dicitur Deus illud aggravare, sive quod eodem redit, obfirmare, indurare. ¶ *Non audivit eos*] Tremel. *Non auscultavit eis*.

12. *Dixit DOMINUS ad Mosen, Dic Aharoni, Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & sint cinipes per totam terram Ægypti.*

Extende] *Eleva*. On. Jon. ¶ *Pulverem terræ*] Τὸ χῶμα τῆς γῆς. Lxx. Est autem χῶμα Græcis non pulvis, ut quidam interpretantur: sed agger, aggestus, tumulus. Sane in Augustino legitur, *percute aggerem terræ*. Lex. Vet. χῶμα, *agger, rudus, tumulus*. Mihi videtur χῶμα positum hoc loco pro pulvere, qui & χοῦς in novo Fœdere, licet autoribus Græcis χοῦς propriè sit terra egesta. Hæc est illa lingua quam Hellenisticam vocare soleo, quæ voces Græcas longè aliter usurpat quam alii qui non fuerunt Hellenistæ. Hellenistas voco Judæos linguâ Græcâ utentes, qui præter Ebraismos alia multa peculiaria habent, ut cum χάριν usurpant pro χαρᾷ gaudio, & ἕτοιμον appellant firmum ac stabilem: unde ἑτοιμάσθη stabilitum fuit, & alia sexcenta. ¶ *Et sint ciniphes*] Ità Hieron. Ebraicè est [Hebr.] & sint in ciniphes, velut alii, pediculos. Lxx. καὶ ἔσονται σκνῖφες: & erunt sciniphes, alibi est σκνίψ scinipes, ut apud Origenem & Philonem de vitâ Mosis, lib. 1. In editionibus latinis reperio & cyniphes: & in Scholio, ἄλλος, φθεῖρες: quæ verba significant alium interpretem vertisse pediculos, ut nunc fere recentiores omnes. Ceterum accedo iis qui hunc locum exponunt, *& sit sub terra i.* ver-

vertatur in *ciniphes aut pediculos.* Nomen enim ץרא sæpè masculinè construitur, ut Psal. 63. 2. & alibi. *Sit terra per universam terram* locutio est, cui similem adhuc quæro. Brevius diceretur, *Sit universa terra Ægypti* i. vertatur *in ciniphes.* Jam ad ciniphes, cujus nominis scriptura varia. Nam est ubi legatur cyniphes. In Osorio autem lib. 7. cap. 18. reperio *scinifices* pro scinifes. Nam ità scribendum esse putarem. Severius in historia sacra ciniphes scribit; ut hoc loco Hieron. Qui Græcè σκνῖπες & κνῖπες Plinio culices sunt, insectum infestans arbores & jumenta. Genebrardo cyniphes sunt pediculi canini. De hoc animalculo ità scribit Philo Judæus, ζῶον εἰ καὶ βραχύτατον, ἀλλὰ ὅμως ἀργαλεώτατον· οὐ γὰρ μόνον λυμαίνεται τὴν ἐπιφάνειαν κνησμοὺς ἐμποιοῦν ἀηδεῖς, καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς βιάζεται διὰ μυκτήρων καὶ ὤτων· σίνεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰσπετόμενον, εἰ μὴ φυλάξαιτό τις. Et Origenes, *Hoc animal pennis quidem suspenditur, per aera volitans; sed ità subtile est & minutum, ut oculi visum nisi acutè cernentis, effugiat: corpus tamen cum insederit acutissimo terebrat stimulo, ita ut quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.* Rupertus, *Sunt igitur Cyniphes muscæ minutissimæ, aculeis permolestæ.* Lippomanus, *Ciniphes vocem Ebraicam, quam Lxx. & Hieron. intactam reliquerunt, alii muscarum genus exiguum, sed infestissimum extitisse dicunt: alii pediculos: quidam vermiculos alatos culicibus similes innascentes materiis, qui croso ligno subinde locum mutant.* Quod postremum hausit è Græcis Lexicis, ubi σκνὶψ sive κνὶψ *vermiculus erodens ligna culici similis, Aristoteli.* Lex. Vet. σκνὶψ, curculo, ἡ μύρμηξ, ἀκρὶς ἢ κώνωψ. Porro Jonathan hoc loco habet קלמי & Onkelos קלמתא nisi legendum potius קלמיא ut sit pluralis emphaticus ex קלמי, de quo vide tis Fagium. Vulgo pediculos interpretantur. R. Salomo, *Pedulicre*, quod non intelligo. Dicunt à Mulierculis Ebræorum pediculum hodieque nuncupari *Chinna.* Quod testatur Cajetanus per hæc verba, *Dictionem Ebraicam interpres reliquit intactam, & alii intelligunt quasdam subtiles muscas, aculeo quasi terebro lædentes, alii autem pediculos. Et quoniam Ebræorum est hic secundus sensus, & dictio Ebraica est nota etiam mulierculis Ebrais, quoad illum primitivum Chinna* i. כנה *amplectendus est.* Nomenclator Eliæ, *pediculus* כנה. Obiter noto, **filtlauß** est pediculus inguinalis, quod pubem & inguina infestat. Belgicè **platluys** à latitudine. Gallicè, *morpion.* Pro clausula, pediculi a latinis etiam pedes vocantur, unde *pedibus obsitus* i. pediculis. ¶ *Per totam terram*] בכל ארץ in universa terrà.

13. *Feceruntque sic, & extendit Aharon manum suam cum virga sua, & percussit pulverem terræ, fueruntque ciniphes in hominibus & in bestiis, omnis pulvis terræ fuit in ciniphes per universam terram Ægypti.*

Sic] Similiter. ¶ *Extendit*] *Sustulit, elevavit.* Onkelos, Jonathan. ¶ *Cum virga sua*] במטהו in virga sua i. cum virga sua, aut virga sua. Senes, *Extendit manu virgam*; τῇ χειρὶ τὴν ῥάβδον. ידו במטהו את. Hieron. *Extendit manum virgam tenens.* ¶ *Fueruntque ciniphes*] Καὶ ἐγένοντο οἱ σκνῖφες, Lxx. *& facti sunt ciniphes.* Hieron. Ebraicè est ותהי הכנם quod reddi mavelim, *& fuit ciniphum copia* sive *multitudo.* Onkelos קלמתא pediculus. Jonathan, *Plaga ciniphum aut pediculorum* i. מחת קלמי. Tremel. *Et extitit pediculorum copia.* Videtur esse nomen collectivum: aut singularis pro plurali, ut צפרדע rana pro ranis. Mem autem addita ut in הנם & ריקם & אמנם. Japheth Ebræus existimat pronomen esse כנם pediculus eorum (Ægyptiorum videlicet) ex absoluto כן pediculus: aut est contractum ex כנהם ut alibi פנה legitur pro פנתה angulus ejus. Cui sententiæ obstat articulus qui poni non solet ante nomen cui additum pronomen affixum, nisi admodum raro ut in האהלי tabernaculum meum & similibus. Quo exemplo se tuetur munitque Ebræus ille. Abenezra scribit nomen speciei esse, ut אדם homo. Cum apices aberant, poterat legi etiam כנם i. pediculi, quod plenè scribitur כנים. R. Salomo כנם interpretatur per הרמשה. Id signif. τὸ κινητὸν vel τὸ ἑρπετόν. Nam pediculi inter serpentum genera, unde serpentes appellantur. Plinius lib. 7. cap. 51. *Ut Pherecydes Syrius copia serpentum ex corpore ejus erumpente expiraverit.* Copia serpentum i. הכנם pediculorum. Heraclides περὶ πολιτειῶν lib. 1. Φερεκύδης ὁ Σύριος ὑπὸ φθειρῶν καταβρωθεὶς ἐτελεύτησεν. Idem Ælianus var. hist. lib. 4. & Plutarchus in vita Syllæ de hujus Pythagorici præceptoris morte narrant. Sed hæc ἀπροσδιόνυσα. Jam ad rem. כנה & כנים ut חטה & חטים frumentum. Pro pediculo usurpatur in monumentis τῶν διδασκάλων ההורג כנה בשבת qui occidit pediculum in sabbatho. Meminit R. David in libro ubi vocum sensa colligit. Idem כנם ait esse nomen כלל כל המין quod totam speciem comprehendit. כן & כנים ut בת filia, בתם filia eorum, & כנים ut ספים à sing. סף limen: ut פתים buccæ à singul. פת buccea. ¶ *Fuit in ciniphes*] Versus in ciniphes i. לכנים. Ceterum in Ebræo est, *fuit ciniphes.* i. כנים. Santes, *Versus est in pediculos.* Tremel. *Totus pulvis terræ fuit pediculi.* Sententia in idem recidit. Jonathan, *Versus est ut esset pediculi, aut ciniphes.* Lxx. Ἐν παντὶ χώματι τῆς γῆς ἐγένοντο οἱ σκνῖφες: In omni pulvere terræ fuerunt ciniphes. In Onkelo קלמתא pediculus; si legas קלמיא. sonat pediculi, ex sing. absoluto קלמי. ¶ *In bestiis*] Alii *in jumentis*: alii, *in quadrupedibus*, ἐν τοῖς τετράποσι. Sed בהמה bestiam significat, & angustiore significatu jumentum, non quadrupes, quod sciam.

14. *Feceruntque sic magi incantationibus suis ut educerent ciniphes & non potuerunt: fuitque copia ciniphum in hominibus & in bestiis.*

Fecerunt] Conati sunt facere. Nota novitatem significationis. Augustinus locut. 40. *fecerunt dictum est pro eo quod est conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter, procul dubio eduxerunt cyniphes: sed quia sequitur ut educerent & non potuerunt, non ergo similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt. Aut si forte & ipsi quamvis veneficiis agerent, eadem tamen agendi specie virgam extendebant, quod scriptura non expressit.* Quod ultimum amplexus est autor glossæ interlinearis. Nam ait, *fecerunt similiter malefici, manum scilicet extendendo virgas tenentes sicut Moses & Aharon, sed non potuerunt cyniphes educere.* Lippomanus, *Modus hic loquendi notandus, facere pro ordiri & conari.* Abenezra, *fecerunt sic* i. *percusserunt similiter terram.* R. Levi השתדלו *Satagerunt, laborarunt.* Hinc forte Tremel. sumpsit, qui transtulit, *laborantes vero similiter magi suis incantationibus ut producerent pediculos.* Gallica editio *feceruns similiter.* Sensus est, percusserunt similiter pulverem quemadmodum Aharon fecerat. Gersomi filius censet primum pulverem terræ versum fuisse in pediculos, qui deinde invaserunt & infestarunt homines, &c. ¶ *Magi*] Jonathan hic habet חרשיא איצטגניני ubi quædam notanda. Primum איצטגניני scribi hoc loco per Samech, cum alibi scribatur per S. Sade: deinde perperam legi apud Munsterum in Lexico Chaldaico, איצטגנין *sunt inspectores astrorum, astrologi* pro איצטגנינין, nisi contractum esse putemus, quemadmodum fieri aliquando solet, ut cum לסטים dicimus latrones pro לסטיסים ex Græco λῃστής, latro: etiam in textu Biblico reperitur interdum תנים dracones pro תנינים. Paulò post in Jonatha איצטגניני פרעה Magi Pharaonis. Quod autem sequitur חרשיא ejus sensum non intelligo, licet non sim nescius חרש magum denotare, à quo pluralis חרשין magi, & חרשיא οἱ μάγοι. Videtur additum explicationis causà. Nam astrologos inter & magos magnum discrimen est. ¶ *Non potuerunt*] Vel quia Deus non permittebat, vel quia eorum ars hic deficiebat. Quod postremum firmatur autoritate Judæorum. Liber est perantiquus qui vocatur Beresith rabba i. Genesis magnus. In eo scriptum lectum Dæmonem non habere potestatem in creaturam quæ sit minor grano quale hordei est (Videsis Nicolaum Lyranum, qui hoc refutat) Videndi sunt R. Levi & Hiscuni. Forte per ciniphes, à quibus etiam infestabantur, non licebat illis artem suam exercere. ¶ *Copia ciniphum*] הכנם pediculus i. pediculi. Onkelos קלמתא ut supra, & Jonathan קלמי. Forte legerunt כנים cum chiric sub Nun. Hieron. *Erantque ciniphes.* Lxx. Καὶ ἐγένοντο οἱ σκνῖφες. ¶ *In bestiis*] Vel magis, *in jumentis.* Quod in Hieron. Sante & aliis. ¶ *In hominibus*] *Etiam in magis Ægyptiorum.* Abenezra.

15. *Et dixerunt magi ad Pharaonem, Digitus Dei hoc est: & obfirmatum fuit cor Pharaonis, & non audivit eos, quemadmodum locutus fuerat DOMINUS.*

Magi ad Pharaonem] Jonathan, *astrologi Pharaonis.* ¶ *Digitus Dei hoc est*] Lxx. Δάκτυλος θεοῦ ἐστι τοῦτο. Hieron. *Digitus Dei hic est.* alias, *hoc.* Nam libri variant. *Hic* i. הוא; quomodo forte olim legit Hieron. Sed Ebræorum critici Massoritæ nos admonent legendum esse היא i. hoc. Solet enim genus fœm. pro neutro usurpari. Hoc. i. hæc plaga. Sic Onkelos, *Plaga à Deo hæc est*: & Jonathan, *Non ex vi potentiæ Mosis & Aharonis hæc est, sed plaga missa divinitus.* Licet etiam vertere, *Digitus Dei hæc est*, ut plaga subauditur. Sic apud Davidem, *unam petii à DOMINO*: vel, *unam*, sub. petitionem, non concubinam, ut bonus quidam sacerdos cum locum suis enarrabat. Sed quid *digitus Dei*? Nota genus loquendi: virtus est & potentia Dei. Pro eo legitur in Euangelio, *Spiritus Dei.* Nam quod unus dixit, *in digito Dei*, alius extulit, *in Spiritu Dei.* Etiam illud notandum. Non dicunt, *digitus DOMINI* i. יהוה, qui Deus est Ebræorum, sed *Dei* i. אלהים, quod accipi potest de creatore, quem Pharao & Magi agnoscebant, licet Deum Ebræorum, hoc est DOMINUM ignorarent. Videndus Abenezra. Scio doctores catholicos aliter sentire: sed tamen secuta obfirmatio Pharaonis facit ut in

di-

diversam sententiam potius concedam. Salvo tamen judicio eorum, qui de his rebus melius quam ego judicare possunt. Ut nemini præjudico, ita libere dico quod sentio, paratus mutare sententiam, si quis meliorem attulerit. ¶ *Obfirmatum fuit*] Induratum est. Hieron. ¶ *Cor*] *Figmentum cordis*. Jonathan.

16. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Surge mane mane & siste te coram Pharaone (ecce egreditur ad aquas) & dices ei, Sic dicit DOMINUS, Dimitte populum meum ut serviant mihi.*

17. *Quod si non dimiseris populum meum, ecce ego immitto in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas miscellaneam turbam animalium, & implebuntur Domus Ægyptiorum miscellanea turba animalium, & etiam humus super quam illa erunt.*

Surge mane mane] i. summo mane. Græci eleganter ὀρθρίζειν τὸ πρωί. Nam השכים ὀρθρίζω mane surgo aut aliquid facio. ¶ *Ecce egreditur*] *Divinandi causa*, Jonathan: *Animi gratia*, alius. Mos regum ut mane ad aquam prodeant deambulatum: *Nam aspectus aquæ oculis conducit*. Abenezra. *Fortasse non admittebatur ad regem cum in palatio esset*. Lippomanus. ¶ *Ad aquas*] Rivi, hoc est, Nili. ¶ *Sic dicit*] *Hæc dicit*. Hieron. ¶ *Ut serviant mihi*] *Ut sacrificet mihi*. Idem. vide supra vers. 4. ¶ *Immitto*] Ἐξαποστέλλω. Lxx. immittam. Hieron. מגרי quod reddi potest, immitto. Nam שלח mitto. R. Levi, רוצה לשלח. R. Salomo. מגרי. vernaculè שולח. Santes, *mittere facio*. Nam in fonte משליח. Nota novitatem conjugationis. In hoc sensu usitatam magis שלח in Piel. ¶ *Miscellaneam turbam animalium*] Vel, *varii mixtique generis animantes*. Sunt qui mixturam insectorum muscarumve eo nomine significari putant. Posses vertere miscellanea insectorum, aut miscellum genus animantium. Ebraicè ערוב. Chaldaicè verò ערבוב in Onkelo. Nam in Jonathâ ערבוב חיות ברא miscellaneæ feræ. Autor Jerosolymitanæ ערבוביא cujus pluralem ערבובין apud Davidem Psalm. 78. Munsterus in Lexico suo muscas interpretatur. Origo nominis à ערב misceo, & ultima thematis iterata, unde ערבוב pluvia quæ sic dicta παρὰ τὸ עצר claudo. Ergo ערבוב mistura bestiarum. Idem ערב. De quo tamen alii aliter sentiunt. Sane οἱ ό interpretantur κυνόμυιαν. Id valet muscam caninam. Lex. vet. κυνόμυια, musca canina. Isidorus. Lxx. *Interpretes hoc in loco, κυνόμυιαν hoc est muscam caninam posuerunt*. Aliis κυνόμυια est ricinus, qui tarmes Festo, vermis carnibus infestus. Sed est qui emendat κοινόμυιαν, i. muscam communem. Quam scripturam probare videtur in extremâ epistolâ ad Suniam Hieronymus. Philo tamen lib. 1. περὶ βίου Μωυσέως Cynomyam appellatam scribit nomine composito ex muscâ & cane. Quæ originatio maximè firmat scripturam receptam, quæ legitur & apud interpretem Origenis, & apud D. Augustinum in locutionibus. Relinquamus hoc in medio. Aquila teste Hieron. παμμυίαν pro eo reposuit: unde in edit. Lat. vulgata, *omne genus muscarum*. Sic etiam habetur Psalm. 78. 45. in edit. Hieron. Alibi est in eadem editione *musca omnimoda*, videlicet Psal. 105. 31. Santes, *Omne ferarum genus*. Arias ejus correctior, *mixtionem*. Tremel. *Colluviem animalium*. Munsterus, *Insecta*. Leo, *Varii generis insecta*. R. Salomo, *Omne genus bestiarum malarum ut sunt serpentes & scorpiones mixti inter se*. Abenezra, *Fera pessima mixta invicem ut sunt leones, lupi, ursi & pardi*. R. Levi, *Fera miscellanea ex multis generibus ut lupi & vulpes, quæ comedebant annonam eorum in domibus & in agro & vastabant pecus*. Cajetanus ait fuisse mixturam animalium, agrestium quidem, sed parvorum. Quæ si vera opinio, erit vertendum, *miscellanea bestiola*: aut *varii mixtique generis animalcula*, vel si mavis, *miscellaneam turbam animalculorum*. ¶ *Implebuntur domus*, &c.] Hoc loco Hieron. habet, *Et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis*. Cæteri ut supra. *Muscis diversi generis*. Τῆς παμμυίας, vel si placet, κοινομυίας i. Coenomya. Nam κυνόμυια, aliud est, ut diximus. Sed in Psalterio Gallico Psalm. 77. 5. Cynomya, in Romano autem, *musca canina*. Quod autem ait, implebuntur domus, ex eo colligit Cajetanus non fuisse magna animalia. *Unus enim, inquit, leo sufficit ad evertendam domum unam*. expende. ¶ *Etiam humus*] Etiam terra replebitur, in quâ illa fuerint.

18. *Et segregabo in die illo terram Gosen, in quâ populus meus stat, ut non sit ibi miscellanea turba animalium, ut cognoscas me esse DOMINUM in medio terræ.*

Segregabo terram Gosen] והפליתי ביום ההוא את ארץ גשן. Santes, *separabo terram Gosen*. Idem verbum in illo, *Quia segregavit DOMINUS benignum sibi*. Onkelos usus est ad hoc significandum verbo אפריש quod inter alia separare significat, etiam Abenezra, qui thema ejus scribit פלה cum He in ultimâ. Nec aliud in mente habuit Tremellius cum verteret, *Et excipiam terram Gosen*. Hieron. *Faciamque mirabilem in die illa terram Gosen*, tanquam à פלא. Sic οἱ ό. referunt παραδοξάσω τὴν γῆν γεσέμ: ubi γεσὲν legendum ex codicibus Ebræorum: & est mendum quale in Ἐδὲμ pro Ἐδὲν. Simile in Μαδιὰμ pro Μαδιάν. Παραδοξάζω i. mirabilem faciam, mirabiliter distinguam: unde παράδοξον, quod adeò mirum est ut fidem superet & incredibile sit. Sig. etiam παράδοξον inauditum. Psalm. 118. 24. נפלאת היא. Ἀὐτὸ παράδοξον, est mirabile. Vulgata versio, παραδοξάσω, *gloriosam faciam*, extat in edit. Rom. & apud Augustinum in locutio. In Thesau. Stephani, παραδοξάζω, valdè honoro, illustro. Jonathan novè interpretatur, *faciam miracula cum terra Gosen*. פלא accipit pro פלה. Non displicet. Tantum obstat verbum הפליתי cur ea significatio nova, & mihi adhuc non observata. Tremel. *Excipiam in die illa terram Goschenis*. Sic etiam Leo Judæ. Munsterus, *Mirabilem reddam*. Hinc eliciunt priores plagas communes fuisse Israëlitis cum Ægyptiis, etiam in terra Gosen. Quæ si vera, falluntur qui scribunt inde aquam allatam quam magi verterint in sanguinem. ¶ *Gosen*] גשן Ex scriptura Græca γεσέμ videtur aliquando lectum fuisse גשם ab antiquis i. Gesen: pro quo in edit. Lat. Vulgata Gessen, s. duplicata. Albinus, *Terram Gessen Judæi autumant eam esse quæ nunc Thebaida dicitur*. Vide quæ scripsimus Gen. 46. 28. Nota geminationem litteræ in Gessen: Quod in antiquitate crebrum. Hinc forte Gomorra, Messias, Debbora, Pharisæi & alia non pauca. ¶ *In quâ populus meus stat*] i. manet, moratur, habitat. Verbum è verbo, *super quam stat*. Onkelos & Jonath. שרי habitat. Hieron. *in quâ populus meus est*. Lxx. ἔπεστιν ἐπ' αὐτῆς: quod redditum in edit. Rom. *inest super eam*. Malim, est super eam, vel, exstat, existit. Ad verbum, *superest*, vel si mavis, *supra est*. Id meo judicio Hieron. vertit, *est in eâ*. Nam ἐπὶ ad, in, super. Santes, *In quâ populus meus manet*. Tremel. *Moratur*. Leo, *Habitat*. Munsterus, *Manet*. Nota novitatem significationis, *stare* pro habitare. Frequentius id *sedere* dicunt i. ישב. Sic accipi posset, *Quis stabit in tabernaculo tuo?* de quo alias. ¶ *Me esse DOMINUM in medio terræ*] Lxx. ὅτι ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεὸς πάσης τῆς γῆς, אלהי כל הארץ. Onkelos & Jonath. *Quia ego DOMINUS potestatem habens vel dominans*, i. שליט *in medio terræ*. Tremel. *In medio hujus terræ*. ¶ *In medio terræ*] Ductum à regibus qui sedem ponunt in medio regni sui. Sic Deus cor & spiritum posuit in medio corporis, tanquam regem aliquem. Sic Sion sita creditur in medio terræ habitatæ. Hoc vult, licet in cœlo habitem, tamen providentia mea rego hæc inferiora.

19. *Ponamque redemptionem inter populum meum & inter populum tuum, cras erit signum istud.*

Ponamque redemptionem, &c.] ושמתי פדת. Lxx. καὶ δώσω διαστολήν. Hieron. *Ponamque divisionem*. Notum ut dare & ponere permutentur. Onkelos, *Ponamque liberationem populo meo, & contra populum tuum adducam plagam*. Ad eundem modum Jonathan interpretatur. Tremel. *Sic ponam redemptionis judicium*, &c. Ità circumcisio, inquit, *fœdus & signum dicitur* Gen. 7. *parva pecus Passcha*, infra 12. *arca fœderis Deus* Psalm. 24. & alibi: *Synecdoche*. Gallica editio, *Ponamque differentiam sive discrimen*. Ex Ebræis Abenezra פדת interpretatur dicens habere sensum הבדלה. Id valet distinctio, divisio, discretio, separatio: cui affine ait cum redemptionem significat. Idem διαστολή: Lex. vetus, διαστολή, *distinctio*. In Thesauro Stephani exponitur etiam divisio. R. Levi, *Ponam redemptionem quæ distinguet sive dividet inter populum meum & tuum*. Sic etiam R. Salomo. Unde colligunt Ægyptios, qui in terrâ Gosen habitabant inter Israëlitas ab hac pœnâ minimè immunes fuisse. ¶ *Populum meum*] Israëlitas. ¶ *Et populum tuum*] Ægyptios. ¶ *Cras*] למחר in crastinum i. crastina die. Quod Jonath. dixit ליום מחר. Lxx. ἐν τῇ αὔριον: sub. ἡμέρᾳ i. die crastina sive crastini, aut crastino. Tremel. *Intra crastinum futurum est signum hoc*. Vide notata ad versum 6. hujus capitis.

20. *Et fecit DOMINUS ità, venitque miscellanea turba gravis in domum Pharaonis, & domum servorum ejus, & in universa terra Ægypti corrupta fuit terra illa miscellanea turba horum animalium.*

Venit] Παρεγένετο, advenit. ¶ *Gravis*] Multa, numerosa. Sic, *populus gravis*. Notum illud, *in populo gravi laudabo te*. Vide infra 10. 14. & Gen. 13. 2: item 50. 9. Eadem vis in Chaldaico תקיף i. valida. Senes videntur legisse כבד. Nam vertunt πλῆθος i. multitudo. Eadem vox pro magno ponitur, ut *gravis fames* Genes. 41. 31. *umbra gravis*. Jes. 32. 2. Gravis pro multo etiam latini autores usurpant. Vide Nonium & Micell. cent. 2. cap. 100. ¶ *Et domum servorum ejus*] Plenum esset *in domum* ובית sive לבית sive quod idem ביתה εἰς τὸν οἶκον, & est sensus *in domos*, εἰς τοὺς οἴκους: sing. pro plur. quam enallagen ut hic probo, ità in superiori membro nullam agnosco.

Quan-

Quanquam in Lxx. εἰς τοὺς οἴκους Φαραώ, & in Hieron. *in domos Pharaonis.* ¶ *In universa terrâ*] Per universam terram. ¶ *Corrupta fuit*] Vel, *corrumpebatur*, *vastabatur.* ¶ *A miscellanea turba*, &c.] Santes, *Propter omne ferarum genus.*

21. *Vocavitque Pharao Mosem & Aharonem & dixit, ite, sacrificate Deo vestro in hac terra.*

22. *Dixitque Moses, Non est rectum ut faciamus ità: nam abominationem Ægyptiorum sacrificaremus DOMINO Deo nostro: en sacrificabimus abominationem Ægyptiorum coram oculis eorum, & non lapidabunt nos?*

Non est rectum ut faciamus ità] Vel, *Non convenit facere sic.* Hieron. *Non potest ità fieri.* Quod ex Græco vertit οὐ δυνατὸν γενέσθαι οὕτως. Onkelos & Jonathan לא תקין non decet, non convenit, non est rectum. ¶ *In hac terra*] בארעא ἐν τῇ γῇ. Hic articulus perspicuè vim obtinet pronominis demonstrativi. Proinde Hieron. habet, *in terrâ hâc*, & Jonathan [illegible] in terrâ istâ. Concedit ut sacra faciant in Ægypto, & non alibi. Aben. *In terra hac, sensus est in regno meo & non in loco alio.* ¶ *Abominationem Ægyptiorum*] Idola sive deos Ægyptiorum, vel si placet, animalia quæ Ægyptii colunt & pro diis habent. Appellat autem *abominationem* vel respectu Judæorum, qui tales deos abominabantur; vel respectu Ægyptiorum, qui talia sacrificia detestabantur. Porro idolum abominationis vocabulo significari, si non esset maxime, tamen notum fieret ex hoc loco. Sic alibi, *Et Melchon abominatio filiorum Ammon*: item Jes. 44. 19. *residuum ejus faciam in abominationem*, ubi vulgatus interpres, *in idolum*: R. David, *In rem quam abominatur Deus, prohibuitque ne serviamus eis.* Pro eo quod nos edidimus Hieron. habet, *abominationes*, & Lxx. τὰ βδελύγματα: Onkelos vero, *pecudem quam Ægyptii timent vel colunt.* Jonathan, *agnos idola Ægyptiorum.* R. Salomo, *Deus Ægyptiorum. Apud Israëlem vocat eam abominationem: aut possumus dicere quod res abominanda & exosa sit Ægyptiis ipsum sacrificium, quod nos sacrificamus. Nam ecce nos sacrificamus timorem* i. *Deum ipsorum.* Malè quidam, *animalia quæ abominantur Ægyptii.* Nam certè bovem & arietem non abominabantur cum eos deorum loco haberent. ¶ *En sacrificabimus*] Deest particula (*si*) ut dicat, *en si sacrificaverimus.* Simile, *ipsi ædificabunt & ego destruam.* Nam sensus, si ædificaverint: locus est Malach. 1. Lxx. ἐὰν γὰρ θύσωμεν. Hieron. *Quod si mactaverimus.* Ambo הן reddunt per, si; quæ significatio vocis in lingua Chaldaica. ¶ *Abominationem Ægyptiorum*] Ea quæ colunt Ægyptii. Hieron. *En si obtulerimus nos idola Ægyptiorum.* Jonathan. *Ecce sacrificabimus pecudem quam Ægyptii colunt.* Onkelos. ¶ *Sacrificaremus DOMINO*] Onkelos, *Acciperemus ab eo* (i. ab iis) *ad sacrificandum.* Jonathan, *Ab illis acciperemus, & offerremus DOMINO Deo nostro.* ¶ *Coram oculis eorum*] *Ipsis videntibus.* Onkelos. ¶ *Non lapidabunt nos*] Pronunciatione juvandum, ut illud Jobi, *Bona a Deo accepimus & mala non accipiemus?* Santes, *Nonne lapidabunt nos?* Sensum ejus expressit Hieron. referens, *lapidibus obruent nos*, & Græci vertentes λιθοβοληθησόμεθα, lapidabimur. Onkelos, *dicent* i. jubebunt *lapidari nos.* Jonathan, *Æquum est ut obruant nos lapidibus.*

23. *Viam trium dierum ibimus in deserto, & sacrificabimus DOMINO Deo nostro quemadmodum dixit ad nos.*

24. *Dixitque Pharao, Ego dimittam vos ut sacrificetis DOMINO Deo vestro in deserto: tantummodo ne longe longe abeatis, orate supplices pro me.*

Viam trium dierum] Ad montem Sinai usque ubi procul erimus ab Ægyptiis, qui immolationem animalium abominantur. Locus iste in memoriam revocat quæ Abenezra notavit ad versum qui hunc antecedit, sanè digna legi, *Dicit R. Jesua, Moses scripsit abominationem Ægyptiorum in contemptum idolorum, sed non dixit Pharaoni nisi Deum Ægyptiorum: & hoc dixit quia Deus eorum habebat formam arietis. Credebant enim arietem signum cœleste dominari in terram suam: ideò non comedebant carnem. Sed si hoc ità erat, quare non edebant carnem bovis, aut carnem hædorum? & secundum sententiam meam, Ægyptii Mosi ævo erant in sententia hominum Landia, qui sunt plusquam media pars orbis. Hi omnes sunt filii Cham, & non comedunt carnem in hodiernum usque diem, etiam sanguinem, lac, piscem aut ova, & in genere ullam rem quæ prodit ab animante vivo, & abominantur eum qui comedit illa, & opificium detestabile est in oculis eorum, pascere oves quemadmodum scriptum, Abominatio Ægyptiorum omnis pastor ovium quin hodieque non permittant homini ut edat carnem in terrâ suâ, & si aliquis ex illis venerit in terram peregrinam, fugit omnem locum ubi editur caro, neque comedit ullam rem, quam attigeris cibus ex carnibus, cujus etiam vasa polluta sunt in oculis eorum, sicut scriptum est, non possent Ægyptii comedere cum Ebræis panem. Et ecce Joseph cum esset domi Phutipharis, dominum eum constituit Phutiphar super omnia, pane excepto, quem ipse comedebat, quia non attingebat illum propterea quod Ebræus esset. Nec est cur quæras quorsum illis pecora fuerint, si comedere non licebat. Nam etiam Landiani pecudes habent ac asinis quidem equisque & camelis utuntur ad onera ferenda & equitandum, & bubus ad arandum*, &c. *Qua de re dicam amplius in* [illegible] מזרים. *Porro autem Japheth ait abesse notam interrogandi in illo, & non lapidabunt nos? esset enim, nonne lapidabunt nos? sed de animi mei sententia dictio* הן *habet vim interrogandi, si sacrificabimus*, &c. ut alibi [illegible] הן *si fuit tale quid?* Hactenus Abenezra. ¶ *Dixit ad nos*] i. nobis. אלינו pro לנו. Quod interpretantur Onkelos, Jonathan & Lxx. & *dicit* i. jussit, præcepit. Quod postremum legitur in Hieronymo. Dicere pro jubere notius est quam ut probari debeat. ¶ *Tantummodo ne longè longè abeatis*] Eâ conditione vos dimitto ne longius abeatis. Verbum è verbo, *tantum elongando non elongabitis ire, sive abire.* ¶ *Orate supplices pro me*] Vel, *orate* simpliciter. Quod in On. & Jonath. צלו עלי. Hieron. habet, *rogate pro me.* Senes, εὔξασθε οὖν περὶ ἐμοῦ πρὸς Κύριον: orate igitur pro me ad DOMINUM. Ordo ac sensus, Orate pro me, ut Deus auferat à me & à populo meo hanc plagam: tum dimittam vos eâ conditione ne longius abeatis quam itinere tridui.

25. *Dixitque Moses, Ecce ego egredior à te & orabo supplex ad DOMINUM, ut recedat miscellanea turba à Pharaone & à servis ejus, & à populo ejus cras, tantummodo ne addat Pharao fallere ut non dimittat populum ad sacrificandum DOMINO.*

A Pharaone] Positum hoc loco pro, *à te.* Sic mox, *à servis ejus & à populo ejus*, pro, *à servis tuis & à populo tuo.* ¶ *Ne addat Pharao fallere*] Hieron. *Noli ultra fallere.* Mutavit genus loquendi, nec malè. Lxx. προσθῇς ἔτι Φαραὼ ἐξαπατῆσαι: ne addas adhuc Pharao decipere [illegible]. Onkelos, *Ne addat Pharao mentiri.* Sic etiam Jonathan. Tremel. *Ne pergat Pharao illudere.* Hoc dicit quia antea ipsos fefellerat. ¶ *Fallere*] A. & Sym. παραλογίσασθαι, de quo in Genesi. Ceterum fallit etiam qui mentitur: unde *mendacium* pro fallaciâ ponitur. Nota הָתֵל pro הָתֵל, sic alibi הָתֵל pro הֵתֵל contra analogiam. Sic יְהוֹסֵף in fut. ¶ *Ad sacrificandum DOMINO*] *Ad immolandam victimam festi coram DOMINO*, Jonathan.

26. *Egressus ergo Moses à Pharaone oravit ad DOMINUM.*

27. *Fecitque DOMINUS juxta verbum Mosis, & amovit miscellaneam turbam à Pharaone & à servis ejus, & à populo ejus: ne unum quidem relictum fuit.*

28. *Et aggravavit Pharao cor suum etiam vice hac, & non dimisit populum.*

Juxta verbum] Jonathan, *Juxta verbum rogationis.* Verbum rogationis, ut *verbum mendacii* pro ipso mendacio. Sensus ergo, juxta rogationem sive petitionem Mosis. ¶ *Oravit*] ויעתר in Kal. supra העתירו in hiphil. Talia verba pauca sunt. Sic ירה & יָרָה, jaculatus est. Notavit Abenezra. ¶ *Ne unum quidem relictum fuit*] Ex illis animalibus vel insectis. Ebraicè, *non relictum est unum*: Quod pro eo habendum ac si diceret, ne unum quidem. Sic apud Davidem, *Non est etiam unus* i. ne unus quidem. Lxx. οὐ κατελείφθη οὐδεμία. Hieron. *Non superfuit ne una quidem.* Sub. musca. ¶ *Aggravavit*] ἐβάρυνε, minus rectè Hieron. *Ingravatum est cor Pharaonis.* Nam hoc Ebraicè diceretur ויכבד לב פרעה ubi eadem quidem verba, sed alius ordo. Augustinus in quæst. super Exodum, Quæst. 29. *Certè nunc non est dictum, ingravatum est cor Pharaonis, sed ingravavit Pharao cor suum. Sic utique in omnibus plagis. In voluntate quippe hominis est origo vitiorum: moventur autem causis corda hominum, alia sic, alia vero sic, etiam non diversis causis, sæpè diverso modo secundum proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.* ¶ *Cor suum*] *Figmentum cordis sui.* Jonathan. ¶ *Vice hac*] ἐπὶ τοῦ καιροῦ τούτου. Lxx. [illegible] *tempore hoc.* On. & Jon.

GROTIUS.

2. R*Anis*] Est & hic Ægyptia vox [illegible] genus est ranarum, aut ranis simile Ægypto proprium, ut alibi dixerat. Manet nomen apud Arabas, extritâ *r* litterâ.

15. *Videns autem Pharao, quòd data esset requies, aggravavit cor suum*] Deus plerunque eis quos corrigere vult immittit adversa, quibus si non rectè utantur, traducit eos per prospera.

16. *Sci-*

Digitize

16. *Sciniphes*] Expolita pronuntiatio, pro Græco σκνῖφες, σκνίπες, κνῖπες, nam tot modis scribitur. Culicum genus arboribus infestum.

19. *Digitus Dei hic est*] Hoc miraculum à Deo est, ut hîc explicat Chaldæus.

21. *Omne genus muscarum*] Vox ערב, quæ hic apparet, est & ipsa Ægyptiaca κυνόμυιαν [*muscam caninam*] significans, ut vertunt LXX. Philo, alii. Qui ad Hebræam originem hanc vocem referre voluêre, alii à miscendo eam derivant, ut hîc Latinus: alii mutatis vocalibus corvum interpretantur, ut vetus interpres Samaritanus.

26. *Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*] Græcè, τὰ γὰρ βδελύγματα τῶν Αἰγυπτίων θύσομεν κυρίῳ τῷ θεῷ ὑμῶν. Noli interpretari cum quibusdam, βδελύγματα [*abominationes*], idola: is enim sermo neque loco huic, neque tempori conveniret: sed intellige hoc de re de qua agitur: offeremus ea Deo quæ occidi, ac proinde Deo sacrari nefas habent Ægyptii. Vide suprà Gen. 43. 32.

32. *Et ingravatum est cor Pharaonis*] Clariùs hic Græci: καὶ ἐβάρυνε Φαραὼ τὴν καρδίαν αὐτοῦ [*& grave fecit Pharao cor suum*].

C A R T W R I G H T U S.

2. **E**Cce ego percutio omnem terminum tuum בצפרדעים *ranis*] Onk. & * Jon. בעורדעניא quod similiter interpretantur. Abenezra ait inter Interpretes de Hebræâ voce minimè convenire. Multorum enim opinione eam significare speciem quandam piscis, qui in Ægypto reperitur, qui linguâ Arabicâ vocatur † תמסח qui è fluvio egrediens homines abripit. Alios autem dicere voce istâ denotari animalia, quæ in multis sunt fluviis, quæque vocem edunt; atque hoc sibi rectum videri. Videtur ranas, quæ coaxatione suâ sunt notabiles, designare. Prior certè interpretatio parùm est probabilis, nec iis quæ v. 3. & 4. habentur, satis congruit.

3. ובמשארותיך *& in mactra tua*] Onk. ובאצותך Fagius vertit, *& in pastam tuam*. Buxtorfius autem interpretatur, אצוה & אצותא *mactram, panarium*. Sic & ipse Fagius in Annotat. ait Hebræam vocem משארת & Chaldaicam אצותא significare locum in quo subigitur massa ad conficiendum panem. Hebræa vox deducitur à verbo שאר quod significat *superesse*, *reliquum esse*, unde vulgata versio hîc ita habet. *Et in reliquias ciborum tuorum*. LXX. Interpretes verborum ordinem inverterunt, legentes ἐν τοῖς φυράμασί σου, καὶ ἐν τοῖς κλιβάνοις σου, *in conspersis tuis, & in furnis tuis*, cum in Hebræo sit ובתנוריך ובמשארותיך *& in furnos tuos, & in conspersa* (sive *mactra*) *tua*.

4. *Et in te, & in populum tuum*] Abenezra putat ranas etiam super Israelitas ascendisse, atque improbat sententiam Japheti, qui putat hisce verbis innui Pharaonem, ejusque populum duntaxat hâc plagâ fuisse percussum. Mihi autem hæc sententia videtur probabilior. Vide ad cap. 7. 24.

6. *Et Aharon extendit manum suam*, &c.] Jonathan ait Mosen non percussisse aquas, ut vel in sanguinem mutarentur, vel ranas emitterent, eò quòd in aquis servatus esset, cum mater ipsius eum in fluvium projecisset. sic & R. Sal. ad cap. 7. 19. *Dic Aharoni*, &c. *Propterea* (inquit) *quòd fluvius protexit Mosen, cum in eum projectus fuit, non percussus est manu ejus, nec in plagâ sanguinis, nec in plagâ ranarum, sed percussus est manu Aharonis*. Hujus etiam rationis ab Hebræis assignatæ meminit Lyra ad cap. 8. 2. Ipse autem ait ideo factum, quòd Aharon non ita suspectus esse potuit Ægyptiis de arte Magicâ, ac Moses. Simplex ratio esse videtur, quod in hac ad Pharaonem legatione Deus Aharonem ad subserviendum Mosi tanquam ministrum conjunxerat. Vide cap. 7. 9.

7. *Et fecerunt magi similiter*, &c.] *Quæritur* (inquit Augustinus) *unde, si jam ubique factum erat, sed similis quæstio est, unde aquam in sanguinem verterent, si tota aqua Ægypti in sanguinem conversa jam fuerat. Unde intelligendum est, regionem, ubi filii Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam, & inde potuerunt incantatores vel aquam haurire, quam in sanguinem verterent, vel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicæ potentiæ. Quanquam potuerunt etiam postquam illa compressa sunt, facere*. Hæc Augustinus, de aqua autem à magis in sanguinem conversa, melius mihi arridet id quod ab Abenezra dictum anteà annotavi ad cap. 7. 22. nec quod ranas spectat, istiusmodi videtur esse scrupulus; neque enim (opinor) omnia ita ranis erant oppleta, quin tantillum loci esset, quod magis ad artem suam ostentandam sufficeret. Quanquam si in terra Goshen hoc pariter ac illud à magis factum fuisse quis contenderit, haud repugnandum censeo; regionem enim istam plagarum, quibus percussi sunt Ægyptii, expertem fuisse magis (ut dixi) videtur verisimile.

8. *Et vocavit Pharao Mosen & Aharonem*, &c.] Abenezra ait Pharaonem eos vocasse, ac ut plaga ista auferretur rogâsse, quòd videret magos plagam non minuere, sed augere. [illegible] autem ut fortè non est nihil, ita nec totum esse videtur. Nam & plagam priorem magi non minuerunt, sed auxerunt, nec tamen ideò Mosi ac Aharoni supplicâsse Pharao legitur: id autem nunc fecisse videtur, quòd hæc plaga priori gravior fuerit.

9. התפאר עלי *Gloriari adversum me*] Vel *attollas te super me*. Vel *efferas te*. LXX. τάξαι πρός με *constitue mihi*. Atque ita habet vulgata versio. Sensum potiùs quàm verba expresserunt. Onk. שאל לך גבורא הא לך זמן *pete tibi fortitudinem* (i. e. rem magnam & difficilem) *& constitue tibi tempus*. Abenezra non incommodè explicat, עשה לך תפארת שאעתיר אל השם ויסר המכה ביום שתבקש *Exhibebo tibi honorem, ut orem ad Dominum, & auferat plagam, eo die quo petes*. Fagius refert nonnullos velle hunc esse sensum, *Tunc gloriari poteris; atque bono animo esse, quum me orante pro te auferentur ranæ. Hanc spem de tuis magis, & ariolis habere non potes*. Alios autem sic legere, *Indica mihi, dic clarè & aperte*. Expositio Abenezræ reliquis præferenda videtur; פאר est *ornare, decorare*, in Hithpael התפאר *ornare seu decorare se; gloriari, gloriosè se efferre*. Verbum istud sequente על ut hoc in loco occurrit Isai. 10. 15. היתפאר הגרזן על החצב בו *Nunquid securis gloriabitur* (seu *gloriosè se efferet*) *contra eum* (*vel super eum*) *qui scindit eâ?*

למתי אעתיר לך *In quodnam tempus orabo pro te?*] Alii interpretantur, *Quando orabo*, &c. Sed ut notat R. Sal. tunc dicendum esset, מתי אעתיר, cum autem dictum sit למתי, sensus esse videtur, *Ego hodie orabo, ut auferantur eo tempore quod mihi præstitues. Quando igitur velis ut auferantur*.

10. *Et dixit*. למחר *In crastinum diem*] i. e. ut explicat R. Sal. התפלל היום שיכרתו למחר *ora hodie ut crastino die* (ranæ) *excindantur*. Abenezra refert Rab. Samuelem Ben Hophni dicere homines non solitos esse petere, nisi ut statim absque mora plaga ab ipsis auferatur; Pharaonem autem existimasse ex astrorum dispositione ranas venisse, ac jam fortè tempus fuisse quo auferrentur, ac propterea ad tentandum Mosen tempus protraxisse, ac petiisse ut die crastino auferrentur. Ego verò arbitror Pharaonem optasse ut primo quoque tempore à plaga liberaretur, sed existimasse rem majoris momenti, atque operæ esse, quàm ut illicò nullâ interpositâ morâ id consequi posset, atque ideò diem crastinum, quo voti compos fieret, præfiniisse.

12. *Et clamavit Moses ad Dominum*] *E vestigio* (inquit R. Sal.) *clamavit ut crastino die* (ranæ) *excinderentur*.

על־דבר הצפרדעים *Super negotio ranarum*] i. e. super ranis, ut ranæ tollerentur, quod pollicitus fuerat Pharaoni. LXX. περὶ τοῦ ὁρισμοῦ τῶν βατράχων, *pro finitione ranarum*. Vulg. *pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni*.

14. חמרם חמרם *Acervatim*] Ad verb. *acervos, acervos*. Repetitio enim vocis (ut notat Fagius) multitudinem importat: vide ad Gen. 14. vers. 10. Jonathan & Hierosolymitanus reddunt כרוין כרוין *Coros, coros*, i. e. *per coros*. Est autem Corus mensura quædam eâdem quantitate quâ Chomer, ut videre est Ezechiel. 45. 14. atque eâ significatione vocem Hebræam isti Interpretes hic accepisse videntur, cum potiùs acervum (ut alibi sæpè) hic significet, Onk. דגורין דגורין *acervos, acervos*, i. e. acervatim, seu in acervos. LXX. θημωνίας θημωνίας. Vulg. *in immensos aggeres*. In eundem sensum R. Sal. & Abenezra interpretantur.

16. *Dic Aharoni*, &c.] Abenezra notat tres primas plagas, quæ in inferioribus mundi partibus aquâ scilicet & terrâ factæ fuerunt, manu seu ministerio Aharonis advenisse; at plagas, quæ in superioribus mundi partibus factæ fuerunt (nempe grandinem, & locustas quas ventus adduxit, & tenebras, quæ in aëre fuerunt) manu Mosis, qui Aharone erat superior, factas fuisse. Ratio ista non magni ponderis esse videtur; sed multo ineptius est quod dicit R. Sal. nempe Mosen cum occidisset Ægyptum eum arenâ occultasse, ac propterea haud æquum fuisse, ut terra, cui suam quodammodo salutem debuit, ipsius manu percuteretur.

והיה לכנם *Et erit in pediculos*] * R. Sal. כנים interpretatur רמש פידוליירא בלע״ז *reptile, vernaculè pedolajiera*. Intelligit opinor, pediculum. Onk. לקלמי *in pediculos*. Similiter Jon. לקלמי *Vox Hebræa* כנים *Chinnim* (inquit Fagius) *Et Chaldai-*

* LXX. βατράχοις. Vulg. *ranis*. † *Vide Genebrard. ad Psalm. 104. vers. 30.*

* *Stanchus ait Josephum & R. Salomonem* pediculos *interpretari.*

ca קלמתא *Kalmetha significat genera quædam exiguarum bestiolarum, (a) quæ infensissima esse solent, lædentes cutem, & penetrantes per nares, atque aures. Quidam dicunt vermiculos alatos, similes culicibus. Veteres tamen Hebræi dicunt significare pediculos.* Hæc ille. Lxx. καὶ ἔσονται σκνῖφες. Ita veteres libros & Augustinum (b) legere notat Scholiastes; alios autem libros habere σκνῖπες, atque ita legi apud Originem & Philonem, Vulg. *& sint ciniphes.* Steuchus putat vocabulum istud ex Hebræo *Chinnim* additis quibusdam literis sumptum esse. Vide Genebrardum ad Psalm. 104. 31.

19. *Digitus Dei est*] Onk. *Plaga à conspectu Domini est.* Jon. *Non ex robore potentiæ Mosis & Aharonis est, sed est plaga à Domino missa.* R. Sal. *Hæc plaga non est per incantamenta, sed à Deo est.* Luc. 11. 20. Christus dixit se digito Dei ejicere dæmonia, i. e. virtute divinâ, non humanâ nec diabolica. Matth. 12. 28. i. *est spiritu Dei.*

21. הערוב *mixturam animalium*] Jon. ערבוב חיות ברא *mixturam bestiarum agrestium.* Lyra ait ex Josephi & Hebræorum sententiâ fuisse multitudinem animalium diversorum generum, quæ aspectu terribilia, & morsu noxia erant, quæque homines & animalia domestica interficiebant. R. Sal. exponit כל מיני חיות רעות ונחשים ועקרבים בערבוביא *Omnes species malarum bestiarum, & serpentum, & scorpionum inter se permixtas.* Abenezra, חיות רעות מעורבות כמו אריות ואבים ודובים ונמרים *Bestias malas inter se permistas, ut leones, lupos, ursos & pantheros.* Fagius refert R. Davidem in radicibus interpretari ערוב הם אספסוף החיות מינים הרבה *Arob significat animalia collecta ex multis speciebus.* Cap. 12. 38. ערב *Ereb* pro mixta multitudine usurpatur. Lxx. Interpretes reddunt ערוב κυνόμυιαν *cynomyam* (*caninam muscam.*) Sic legit Augustinus; atque ita legendum esse Scholiastes probat ex etymologia, quam Philo lib. 1. de vita Mosis explicat, quasi scilicet (ut notat Nobilius) animal esset ex cane & musca compositum. Addit autem idem Nobilius Hieronymum in extrema epistola ad Suniam putare meliùs scribi κοινόμυιαν quomodo etiam aquila dixit παμμυίαν *omnimodam muscam.* Inde Vulg. *Omne genus muscarum.* Scholiastes Græcus ait Samariticum habere κόρακα *corvum.* At corvus Hebraicè est עורב *Oreb.*

22. והפליתי וגו׳ *Et separabo in die illo terram Goshen*, &c.] Sic Onk. ואפריש *& separabo.* Et similiter cap. 9. 4. pro והפלה habet ויפריש Jon. ויעבד פלאין *& faciam miracula.* Et similiter cap. 9. 4. ויעבד " פלאין. Radices פלה (c) *separare*, & פלא *mirabilia facere*, inter se sunt cognatæ. R. Sal. etiam פלא exponit *separare*, Abenezra interpretatur והפליתי per ואפריש *& separabo.* Lxx. καὶ παραδοξάσω *& gloriosam faciam.* Nobilius ait Græcum illum verbum etiam valere, *faciam mirabilem & eximiam, distinctamque à cæteris*, aut *mirabiliter distinguam.* Atque ita quidem latinè vertitur capite 9. 4. Vulg. *Faciamque mirabilem*, &c. Vide Annotationes nostras ad Gen. 18. 14.

Ut sciat me esse Dominum in medio terræ] Abenezra ait metaphoram esse sumptam à regibus, qui sedem habere solent in medio regni, ut omnibus undequaque finibus ex æquo sint propinqui: quemadmodum cor humanum in medio corpore à Deo creatur [ut scilicet eò commodiùs spiritus vitalis per omnia membra diffundi possit.] Fagius ait Christum eâdem locutione usum esse, cum dixit, *Ubi erant duo vel tres congregati in nomine meo, ego ero in medio illorum.* Quod sic explicat, *Tanquam Dominus, Magister, & Princeps, ut adsit eis, juvet, defendat, tueatur.*

23. ושמתי פדת בין עמי ובין עמך *Et ponam divisionem* (ad verbum *redemptionem*) *inter populum meum, & populum tuum.*] Onk. ואשוי פורקן לעמי ועל עמך אייתי מחא *Et ponam redemptionem populo meo; super populum autem tuum afferam plagam.* R. Sal. sic explicat, ושמתי פדות שיבדיל בין עמי ובין עמך *Et ponam redemptionem, quæ separet inter populum meum, & populum tuum.* Abenezra exponit פדת per הפרש *differentiam* seu *discrimen.* Lxx. καὶ δώσω διαστολὴν, &c. *Et dabo interstitium*, &c. Vulg. *Ponamque divisionem*, &c.

26. *Abominationem Ægyptiorum sacrificabimus*, &c.] i. e. istiusmodi sacrificium, quod abominationi erit Ægyptiis. Onk. *Bestiam, quam Ægyptii colunt, nos accipiemus ad sacrificandum.* Jon. *Pecora quæ sunt idola Ægyptiorum, accipiemus & sacrificabimus.* R. Sal. exponit, יראת מצרים *Deum* (ad verbum *timorem*) *Ægyptiorum.* [Ac putat respectu Israëlis vocari *abominationem*, quòd nimirùm istiusmodi dii fictitii, veri Dei cultoribus abominationi essent; quo sensu Chemosh dicitur abominatio Moab, & Molech abominatio filiorum Ammon. 1 Reg. 11. 7. * Similiter & cum Abenezra testatur Rab. Jeshuam dicere Mosen, cum historiam hanc scripto mandaverit, in contemptum idoli vocasse *abominationem Ægyptiorum*, at cum *Pharaonem* allocutus fuerit dixisse *deum Ægyptiorum.* Addit eundem Rabbinum asserere deum Ægyptiorum sub specie arietis (על צורת טלה) fuisse adoratum: Ægyptios enim existimasse Sydus coeleste arietis in terram ipsorum dominium habere, ac proptereà ab esu carnium abstinuisse. Adversus hanc sententiam objicit Abenezra rationem istam haud videri idoneam, cur à bobus ac hædis abstinerent. Existimat igitur Ægyptios tempore Mosis eodem animo fuisse, † quo viri Lindiæ (אנשי לנדיאה) quos dicit plus quàm dimidiam mundi partem esse, atque Chami posteros; ad hodiernum autem diem carnibus nequaquam vesci, nec sanguine, nec lacte, nec piscibus, nec ovis, nec ullà re quæ ab animante provenit; quin & abominari eos, qui istiusmodi cibis utuntur, ac oves pascere apud eos turpe haberi. Pecora tamen hisce hominibus esse, quemadmodum etiam Ægyptiis fuerunt, quod aliis usibus, præterquam esui, inserviant.

ולא יסקלנו *Et nonne nos lapidabunt?*] Onk. הלא ימרון לסרגמנא *annon dicent nos esse lapidandos?* ולא *& non* idem valet quod הלא *& nonne?* Sic Japheth (teste Abenezra) vult ה in ולא deesse. Ipse autem Abenezra putat ea quæ præcedunt interrogativè legi debere, *Ecce sacrificabimus abominationem Ægyptiorum coram eis, & non lapidabunt nos?* Sed hoc eodem redit. Lxx. Interpretes sensum retinuerunt, sed orationis formam immutarunt; λιθοβοληθησόμεθα, *lapidabimur.* Similiter. Vulg. *Lapidibus nos obruent.*

IDEM.

3. ושרץ וגו׳ *& copiose producet*, &c.] Kimchi in Rad. notat verbum שרץ hic atque alibi in Scripturâ copiosam productionem denotare. ענינו ענין תולדה עם הרבוי Addit Chaldæum Paraphrasten in movendi notione accipere; פירשו מתרגמים ענין תנועה. Atque ita quidem Gen. 1. ubi aliquoties hoc verbum occurrit, Chaldæus interpretatur per ירחש, quod movendi significationem habet; Buxtorfius tamen Senior in Lexico magno vertit etiam, *Progignere, Producere:* Et Buxtorfius Junior in Lex. Syro-Chald. *Abundè progignere, vel producere instar reptilium.* At ipse Chaldæus in hoc Exodi loco pro ושרץ habet ויגדי *Et multiplicabit*, vel, *& copiose producet*, vide suprà ad cap. 1. 7.

Ibid. ובמשארותיך *Et in Mactras tuas*] Vel *panaria tua.* משארת (uti Kimchi in Rad. explicat) est עריבה שלשין בה העיסה *mactra, in quâ subigitur massa.* At cap. 12. 34. Kimchi vult massam ipsam voce istâ significari, & fortè escam in genere, quia panis est escæ humanæ fundamentum.

22. והפליתי וגו׳ *Et separabo*, &c.] Kimchi in Rad. sic exponit, ואפריש ארץ גושן וכול׳ *Separabo terram Goshen à reliquâ terrâ Ægypti, ut non sit istic mixtura animalium.* Similiter illud cap. 33. 16. ונפלינו אני ועמך exponit, נהיה נפרשים מכל העמים בבוא שכינתך וכבודך בינינו *Erimus separati ab omnibus populis, cum præsentia, & gloria tua inter nos venerit.*

23. ושמתי פדת וגו׳ *Et ponam redemptionem*, &c.] Sensus (inquit ‡ Kimchi) est, שהפדות הוא שיפדו וינצלו הם מן הערוב ויהיו הפרש והבדלה בין עמי ובין עמך *Redemptio ista est, quòd redimentur, & eripientur illi à mixturâ illâ animalium; atque ista erit differentia, & distinctio inter populum meum, & populum tuum.*

IDEM.

2. בצפרדעים *ranis*] Sic plerique vocem istam interpretantur: Sed Abrabaneel refert R. Hananeelem velle eam *crocodilos* significare שהם ה״בח תנינים שבנילוס הנקראים בלשון ערב אלתמסאח Istam opinionem, etiamsi ab Interpretibus ferè rejectam, probabilem censet, 1. quòd verbum נגף lethalem percussionem denotare soleat. 2. Quia dictum est, *tantum in fluvio relinquentur*, id est, in Nilo, cum ranæ (הצפרדעים הקטנים) in omnibus ubique fluviis ac paludibus reperiantur. Hoc etiam verbis Doctorum innui putat qui dixerunt הצפרדעים (animalia sic dicta) castrasse Ægyptios, hoc est (ut ipse explicat) devorasse liberos eorum, ac orbos eos reddidisse, perinde ac si castrati fuissent vel reverà eos castrasse, ipsorum nempe genitalia (אברי התולדה

(a) *In istam sententiam citat Philonem.* (b) *Augustinus legit Scynphes.* (c) *Fagius ait Hebræam pariter ac Chaldaicam vocem non simpliciter* separare *significare, sed miraculo quodam; unde & miracula Chaldaicè vocari* פרישן.

* *Vulg.* Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii, *&c. Hebræus textus utrobique habet* abominationem Ægyptiorum. † *Fagius ait Ægyptios coluisse arietem à quo cultu abhorrebant Judæi. At unde istud de Ægyptiis constet, nondum scio.* ‡ *In radice* פדה.

(מזרים הכושים) comedisse. At quod de animalibus hisce dicitur vers. 3. 4. ranis potius quam crocodilis convenit; nec rationes Abrabanelis in adversum validæ esse videntur. Nam verbum נגף de percussione etiam non lethali usurpatur. Vide Shindleri Pentagl. etiamsi & illud dici possit, plagam ranarum, nisi Deus eam sustulisset, futuram fuisse lethalem. Illud autem de animalibus hisce non nisi in fluvio relinquendis, sic intelligendum est, ea deinceps hominibus in terrâ, atque adeò intra domos, ac penetralia sua non fore infesta. Existimat autem Abrabaneel ante hanc plagam nullos in Nilo crocodilos fuisse, cum in aquis dulcibus nec crocodili, nec ulli grandes pisces inveniri soleant. Existimat igitur eos à Deo ex Oceano Æthiopico (מהים הכושי מים של) in Nilum esse deductos, atque ibi brevi miraculosè multiplicatos.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

DEscribuntur in hoc capite tres plagæ, nempe plaga Ulcerum, plaga Pecorum, & plaga Grandinum, quas Dominus non sine certis rationibus immisit Ægyptiis, ut scribunt Hebræi. Primæ hæc causa fuit, כי אמרו המצריים לישראל לכו ועשו לנו מרחצאות לרחץ עצמו בהן: *Quia cogebant eos reficere balnea eorum quibus pro voluptate utebantur. Ulcera autem inflammant corpus sicut æstuaria. Item dixerunt*, לכו חרשו וזרעו שדותינו וארצינו: *Ite, colite & seminate agros nostros atque terram nostram. Volebant præterea Ægyptii Israëlitas habere custodes pecorum suorum, sed quia Dominus* דן מדה כנגד מדה *judicat eâ mensurâ hominem quâ ille mensurat, immisit pestem in pecora Ægyptiorum.*

3. *Super gregem tuum*] Licèt Ægyptii abstinerent ab esu animalium, nutriebant tamen ea propter servitia & lanam, ut dicit sapiens R. Abraham.

4. *Mirabiliter aget*] Vel, *mirabilem se ostendet*, vel, ut Hebræi interpretantur, הפלה יי *distinctionem faciet Dominus.*

8. *Favillâ*] Est פיח *id quod ignis efflat.* Significat enim radix verbi *exsufflare.* Hæc verò favilla vel cinis in aërem sparsa, nutu Dei universam superficiem Ægypti in modum pulveris obtexit, & inde secuta est tam in hominibus quàm in jumentis & pecoribus pestis quædam tumens & ardens, atque in tetrum crescens virus. Et si dixeris, Priùs occisa fuerunt universa pecora Ægypti, quomodo igitur hic narrantur ulceribus percussa? Respondeo, Suprà scribuntur ea pecora interiisse quæ in campo reperta sunt.

14. *In cor tuum*] Aut, si mavis, *in medium tui*, capitur enim nonnunquam *cor* pro *medio.*

16. *Conservavi te*] Hebr. *feci te stare*, seu *manere*, nolens te illico ob tuam impietatem exterminare.

17. *Adhuc tu te elevas?*] Potest & in hunc modum verti, *Adhuc tu calcatorem populi mei te facis?* Significat enim radix verbi סלל *calcare* & *elevare.* K. post A. Ezra, primam amplectitur expositionem, & Sepharadi alteram.

28. *Multum enim est*] Onkelos sic vertit, *Magnum coram me est lucrum, quòd non sint super nos voces illa exsecranda*, exponens scilicet Mem literam *bach lam* negativè. Alii sic legunt, *plus tonitruorum est quàm hactenus esse convenit*; acsi diceret, *abunde sat est: si non fuerint tonitrua, dimittam vos.*

31. *Maturescebat*] Sive, ut K. exponit, *in spicam crescebat*, quanquam אביב hic sit nomen adjectivum, tamen capitur pro *culmo* & *spica.* Sic גבעל significat קנה, i. *calamum* seu *culmum lini.*

32. *Triticum verò & frumentum*] Intelligunt Hebræi per *frumentum* כוסמת אישפילטא *speltam*, genus scilicet frumenti quod tritico conforme est, nisi quòd grana in ipsa arista & extrà thecis includuntur.

33. *Cessaverunt ad expansionem manuum Mosi grandines*, &c.] Hebræi, qui miri sunt in excogitandis prodigiosis figmentis, sic scribunt, בשעה שנשא משה ידיו לה׳ כה עשו הברד בין השמים ובין הארץ עד שבא יהושע ולחם עם מלכים אשר מלכים השליכם הברד עליהם וגו׳ וכתיב אשר מתו מאבני הברד מאשר הרגו בחרב בני ישראל ונשאר עשה הנה על גוג ומגוג: Hæc Hebraicæ linguæ studiosis interpretanda relinquo, quandoquidem nihil difficile in hac lectione continetur.

FAGIUS.

3. MOrs magna nimis, &c.] Hebr. *Pestis gravis nimis. Pestem* autem mortem vocat paraph. noster, eò quòd letiferum ulcus sit, præsentissimam afferens mortem; & quòd citò etiam enecet hominem. Hinc & *manus Domini* dicitur; propter magnam perimendi vim quam habet. Et observa quòd *manus*, seu *plaga*, *Domini*, *pestis* & *mors*, pro eodem accipiunt.

14. *Omnes plagas meas in cor tuum*] Plagam grandinis *omnes suas plagas* vocat, eò quòd, ut A. E. dicit, multæ plagæ simul fuerunt, grando scilicet, tonitrua, fulgura, ignis, & pluvia. Unde & Pharaoh ac servi ejus ab ista plaga sibi plus timuerunt quàm ab omnibus aliis quæ antecesserant; ideo erumpebat in istam vocem; *Dominus justus est, ego verò & populus meus impii sumus.* Et istud etiam innuere Dominus volebat quando dixit, *Hâc vice ego mittam omnes plagas meas in cor tuum.* i. Ego cor tuum tangam plagis meis, ut potentiam meam & sentias & agnoscas, quam & ferre cogeris, quantumvis resistas. Ego talibus plagis vos percutiam ut etiam in corda vestra penetrent, ut summo dolore & timore adficiant corda vestra.

15. *Plagam fortitudinis meæ*] i. plagam fortem meam. Intelligit autem pestem, quæ jam antea grassata erat in animantia. Omnes ferè nostri interpretes hallucinati sunt in vertendo & intelligendo isto versu. Reddunt enim per futurum hoc sensu, q. Deus novam plagam sit immissurus quà & regem & populum sit deleturus. Ità enim transtulit autor Vulg. edit. Latinæ, quem ferè commentatores nostri sequuntur, *Nunc enim extendens manum percutiam te & populum tuum peste, peribitisque de terra*, &c. Sed ubi quæso rex Pharao & populus peste deletus est, cùm in mari omnes suffocati fuerint? Satis ergò audacter & confidenter sciolus quidam ex recentioribus Scriptoribus gloriatur, se diligentissimè hoc caput in veteri translatione ad veritatem Hebraicam examinasse, & nihil emendatione dignum reperisse: Cùm certè iste locus ex veritate Hebraica ità debeat intelligi, non quòd Deus hic comminetur pestem quâ ipsum Pharaonem & populum ejus perdere ac de terra delere velit, sicut nostri interpretes intellexerunt, sed quòd indicet sibi non defuisse potentiam delendi ipsum cum universo populo suo, si voluisset, peste scilicet eâ quâ pecora illorum peremerat: Sed reservasse eum adhuc majoribus & gravioribus rebus, unde futurum sit ut magis universo orbi potentia ac virtus sua innotescat. Quod factum est quando cum toto exercitu suo in mari suffocatus fuit. Quare iste versus ex veritate Hebraica ità legendus est, כי עתה שלחתי את ידי ואך אותך ואת עמך בדבר ותכחד מן הארץ, *Quoniam nunc extenderam manum meam ut percuterem te.* Vel, *Si nunc extendissem manum meam, & percussissem te, & populum tuum peste illâ, deletus esses de terra.* q. d. Facillimè potuissem te peste illâ perdere quâ perdidi animantia, & jam actum esset de te & de populo tuo, sed reservavi te, &c. Atque ità etiam R. S. non malè interpretatur, כי אלו רציתי כשהיתה ידי במקנך שהכיתם בדבר שלחתיה והכיתי אותך ואת עמך עם הבהמות ונכחדת *Quoniam si voluissem, quando erat manus mea in pecore tuo, percutiendo ea cum peste, misissem quoque eam & percussissem te & populum tuum unà cum jumentis, & jam deletus esses*, &c.

17. *Sub jugo retines populum meum*] Hebr. עודך מסתולל בעמי לבלתי שלחם, *Adhuc tu te elevas contra populum meum, non dimittendo eum.* Vel, *Adhuc tu calcatorem populi mei te facis.* Nam verbum Hebraicum סלל utrumque & *elevare* & *calcare* significat. Alii legunt, *Adhuc aggerem ponis*, ut sit sumpta metaphora ab his qui erumpentium aquarum excursionem ac impetum opposito aggere cohibent, nè latiùs evagentur. Verbum Chaldaicum quod Paraphr. noster posuit כבש significat propriè *cogere*, *subjicere*, & *hostili quodammodo vi subjugare.* Gen. 1. 28. ubi Deus homini potestatem dat subjiciendi sibi terram, habetur idem verbi in textu Hebraico quod Paraphr. noster hic usurpat, וכבשה, *Et subjicite eam*, &c.

21. *Non posuit cor suum*] Hebraismus est, pro, *Qui non curavit, non attendit, neglexit*, sicut & Vulg. interp. expressit, *Qui autem neglexit sermonem.*

28. *Et multa est coram eo dilatatio*, sive *respiratio*] Diversa hic lectio est. Juxta versionem quam nos posuimus sensus est, Intercedite pro me & populo meo apud Dominum: nam licèt magna, vehemens & terribilis est hæc plaga, tamen Deus facilè potest efficere ut desinat, quò dilatationem sive respirationem habeamus: ut vox רוח opponatur עקתא *angustia*, de quo & suprà. Alii legunt, *Et sufficiat coram eo lucrum. Revach* enim in Chaldaismo & commentariis non raró pro lucro usurpatur. Et tunc sensus erit, Satis lucratus est Dominus plagis istis suis, maximè hàc plaga grandinis; satis sumus humiliati: agnovimus ejus potentiam, quid possit & valeat. Fatemur nos impios & injustos esse, illum verò pium & justum esse. Quidam ità legunt, *Magnum coram me est lucrum quod non sint super nos voces illa exsecranda.* q. d. Satis lucratus sum si effeceris precibus tuis apud Dominum ut desinat grando & tonitrua, &c.

IDEM.

IDEM.

14, 15, 16. כי בפעם הזאת אני שלח את כל מגפתי אל לבך &c. *Alioquin hac vice ego mitto omnes plagas meas in cor tuum*, &c.] Lxx. & Vulg. interpres Latinus quique illos sequuntur hallucinantur in isto loco, eò quòd ista, *Nunc extendens manum meam percutiam te & populum tuum peste, peribisque de terra*, &c. per futurum reddiderunt, cùm potiùs per præteritum vertere debebant. Est enim sensus hujus loci is, Comminatur Deus per Mosen Pharaoni novam plagam post plagam pestis quæ transierat, nempe grandinem & tonitrua, quæ vocat *omnes plagas suas*, eò quòd, ut Hebræi dicunt, multæ plagæ simul fuerint, grando scilicet, tonitrua, fulgura, ignis & pluvia, &c. vide supra. Et nè putarent Ægyptii quòd tantùm minis secum ageret, quòd ideo coacervaret tot plagas, ut ità terrorem ipsis incuteret quò & faciliùs populum Israeliticum dimitterent, nec in potestate ejus esse ut ipsis mortem inferret; ideo subdit Dominus, *Quoniam nunc extendissem manum meam ut percuterem te*, vel, *si nunc extendissem manum meam & percussissem te & populum tuum peste illâ, deletus esses de terra*: q. d. facillimè potuissem te peste perdere, quà perdidi animantia, & jam actum esset de te & populo tuo. Et mox subdit causam quare eum hactenus in omnibus plagis conservaverit, diutiusque superstitem eum esse voluerit, dicens, *Veruntamen ob id conservavi te*, vel, ut Hebraismus habet, *stare*, sive *manere*, *te feci, ut ostenderem tibi potentiam meam, utque narretur nomen meum in universa terra*, &c. Erraverunt ergo Lxx. & alii quòd hæc כי עתה שלחתי את ידי ואך אותך ואת עמך בדבר ותכחד מן הארץ per futura transtulerunt, cùm potiùs per præterita reddenda essent, ut paulo suprà explicui.

17. עודך מסתולל בעמי לבלתי שלחם *Adhuc tu te elevas in populum meum ut non dimittas eos?*] Sensus quidem non malè expressus est à nostris, nisi quòd verbum Hebraicum מסתולל magis emphaticum est quàm ut illi satisfaciat *retinendi* vocabulum: significat enim non simpliciter *retinere*, sed *elevatione*, sive *calcatione* quadam. q. d. Adhuc tu te elevas contra populum meum, vel adhuc calcatorem agis populi mei. Quod secutus est Paraph. Chaldæus, qui per כבש, quod *cogere* vel *violenter subjicere* significat.

28. העתירו אל יהוה ורב מהית קלת אלהים וברד *Orate ad Dominum, multum enim est, ut fuerint tonitrua Dei & grando*,] Hunc locum adduxi propter Paraphrasim Chaldaicam, quæ nonnihil variat à veritate Hebraica, & vario etiam modo redditur & intelligitur. Primùm hoc sensu, q. d. Pharao, Intercedite pro me & populo meo apud Dominum, &c. ut supra. Sed præpositio Chaldaica קדמוהי *coram eo*, non *coram me* significat.

VATABLUS.

1. Ut serviat mihi. ויעבדני] Ad verb. *& serviet mihi*, i. ut sacrificet mihi.

3. *Manus Jehovæ erit*, יד יהוה הויה] Præs. Hebr. pro fut. i. percutiam pecora & alia animalia peste gravissimâ. Est enim appositio, *Manus mea pestis gravis*. Chald. paraph. *plaga à facie Jehovæ*. ¶ *In bobus & in ovibus*, בבקר ובצאן] *In armentis & gregibus*.

5. *Et posuit Jehovah tempus*, וישם יהוה מועד] *Et præfixit [condixit] Jehovah tempus*. Significat tempus præfixum & determinatum.

7. *Et misit*, וישלח] Sub. *in Gosen nuntios qui inviserent Israelitarum pecora, num etiam mortua essent*: qui retulerunt nullum esse mortuum. ¶ *Et non dimisit populum*, ולא שלח את העם] *Neque dimisit populum*. Alii, *ut non dimitteret populum*.

8. *Plenas volas*, &c. מלא חפניכם וגו'] Ad verb. *plenitudinem pugillorum vestrorum favilla fornacis*. i. tantum favillæ fornacis quantum manibus vestris continere poteritis. Intelligit cinerem tenuissimum quo operiuntur carbones exstincti.

9. *In ulcus germinans inflationes*, לשחין פרח אבעבעת] *In scabiem producentem pustulas*: vel, *furunculos*: aut, *vesicas turgentes*.

10. *Tum sparsit*, ויזרק] Ad verb. *& sparsit*. ¶ *Et fuit ulcus*, &c. ויהי שחין וגו'] *& fuit scabies pustularum germinans*: vel, *& orta est, scabies plena pustulis*: sive, *scabies vesicarum turgentium*.

11. *Ulcera*: השחין] Sing. Heb. pro plur.

12. *Et roboravit*, ויחזק] *Et induravit*.

14. *Mittam*, שלח] *Missurus sum*. Præs. Heb. pro fut.

15. *Missurus sum*, שלחתי] Præt. Heb. pro fut.

16. *Constitui te*, העמדתיך] Ad verb. *stare feci te*: vel, *manere*; i. nolui te illico ob tuam impietatem exterminare: vel, idcirco feci te Regem, ut, &c. Hunc locum exponit Paulus Rom. 9. 17. ¶ *Utque narrent*, ולמען ספר] Sub. *homines*. Ad verb. *& propter narrare*: vel, *& ad narrandum*.

17. *Elevas te*, מסתולל] *Extolleris*:

18. *Pluam*, ממטיר] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Qualis non*, &c. אשר לא וגו'] Ad verb. *qualis non fuit sicut ipsa*. Redundat Latinè *Sicut ipsa*.

19. *Omnes homines*, &c. כל האדם והבהמה] Sing. Heb. pro plur.

20. *Fugere fecit*, הניס] *compulit*; i. fugiendo repetere fecit domos.

21. *At qui non opposuit cor*, &c. ואשר לא שם לבו וגו'] Hebraismus, At qui verbum Dei neglexit. His contrarium est quod vers. 20. *Qui timuit verbum Domini*. ¶ *Dereliquit*, ויעזב Sub. *& ita perierunt*. Hic ו tantum convertit.

23. *Descenditque*, ותהלך] Ad verb. *& ambulavit*. Quidam *discurritque*.

24. *Et ignis mistus grandini*, ואש מתלקחת וגו'] Ad verb. *& ignis mistus in medio grandinis*. i. fulgur permistum grandini. ¶ *Qualis non fuit*, אשר לא היה כמהו] Ad verb. *qualis non fuit sicut ipsa*. Redundat Latinè *Sicut ipsa*, vers. 18. ¶ *Facta est in gentem*. היתה לגוי] Hebraismus, Ex quo cœpit habitari.

26. *Tantùm*, רק] *Veruntamen*.

28. *Tonitrua Dei*, קלת אלהים] i. tonitrua illa ingentia. Vide Genes. 1. 2. ¶ *Et ampliùs*, &c. ולא תספון לעמד] Ad verb. *neque addetis stare*, vel, *manere*, i. & ultrà non maneatis in Ægypto.

30. *Scio quod*, &c. טרם תיראון וגו'] Ad verb. *Et tu, & servi tui, novi, quod antequam timeretis à facie Jehovæ*. Oratio imperfecta, quam doctus inter Hebræos sic perficit, *Novi quod tu, & servi tui, antequam orarem pro vobis, timebatis à facie Domini Dei: at postquam oravi, cessaruntque tonitrua ac pluvia, denuò peccatis*. Chald. paraph. *Tu verò & servi tui, novi quod adhuc non humiliati estis à facie Domini Dei*.

31. *Fuerunt percussa*: נכתה] Singul. Heb. pro plur. ¶ *Viride* erat, אביב] Erat in *spica*.

32. *Serotina*, אפילת] Ad verb. *caliginosa*, i. abscondita sub terra: vel, nondum erat in calamo.

35. *Et roboratum est*, ויחזק] *Et induratum est*, vel, *induravit sese*.

CASTALIO.

6. Mortuo omnis generis pecore] Ad verbum legitur, *Mortuum esse omne pecus*, h. e. pecora omnis generis: non tamen omnia, ut postea apparet in grandine, & quadrigariis. Hoc pacto, Gen. 24. dicitur Abrahami dispensator in Mesopotamiam ferre *omnia bona domini sui*: & Act. 10. dicuntur in illo utensili quod visus est sibi videre Petrus, esse *omnia terrestria quadrupeda*.

CLARIUS.

3. Super gregem tuum] Licèt Ægyptii abstinerent ab esu animalium, nutriebant tamen ea propter servitia & lanam.

9. *Ulcera & vesica turgentes*] h. e. Pestis quædam tumens & ardens invasit homines & pecora quæ supererant: nam superiùs ea tantùm pecora scribuntur interiisse quæ in campo reperta sunt.

14. *Super cor tuum*] h. e. In medium tui: capitur enim nonnunquam *cor* pro *medio*.

16. *Posui te*] Heb. *Feci te stare*: nolens scilicet te illico ob tuam impietatem exterminare; qui si non corrigere, ego interea converterem obdurationem tuam in gloriam meam. Hunc locum aliter etiam exposuimus in epist. ad Romanos.

17. *Adhuc retines*] Alius vertit, *adhuc tu te elevas in populum meum?*

28. *Orate Dominum, & sufficiat*] Quidam Hebræorum exponunt sic, *Magnum coram me est lucrum, quòd non sint super nos voces illa exsecranda*.

31. *Quòd hordeum esset virens*] Vel, *maturesceret, & in spicam cresceret*.

LUC. BRUGENSIS.

9, 10, 11. Sextam Ægypti plagam alii nostrorum codicum *ulcera* vocant, alii *vulnera*. Hebraicè dicitur שחין, quam vocem hoc an illo modo hoc loco Interpres verterit, non satis constat, cùm quòd codices varient, tum quòd utroque modo aliis atque aliis locis transtulisse legatur. Deut. 28. 35. *ulcus*; Isaiæ 38. 21. *vulnus* reddidit. Adhæc, *ulcus* transtulit Lev.

Digitized by Google

Lev. 13. 18, 19, 20, 23. (his enim jam commemoratis locis 35 consultis scriptis exemplaribus, lectionis nullam reperimus diversitatem.) Secundi autem capitis Job. vers. 7. si genuina est lectio quæ à Gregorio lecta est & Correctorio probata, *vulnus* interpretatus est. Itaque utra sit hoc Exodi loco Germana interpretis scriptura non facilè quis dixerit. Autor Correctorii *vulnera* legendum existimat: cujus sanè sententiam nostra scripta confirmare videntur. Nam tribus *ulcera* legentibus, septendecim *vulnera* legunt, cum sex ab Hentenio notatis: alia undecim, cum tribus Hentenii, uno loco hanc, alio illam habent lectionem: sed eo ferè ordine, ut primo loco *ulcera* scribant, posterioribus *vulnera*, id quod *vulnerum* lectionem non parùm stabilire videtur. Cæterùm, Isidorus Rabanus & Beda *ulcera* legunt: & Deut. 28. 27. ubi hanc Ægypti plagam transgressoribus Israelitis Moyses imprecatur, codicibus sibi consentientibus, vertit Interpres, *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti.* Atque huic lectioni conforme est quod LXXII interpretati sunt, ἕλκος, idque universis quæ jam recensita sunt locis, uno Isaiæ dempto, quo prætermiserunt, ut Hieronymus annotavit. Sed cùm ex scabie, ulceribus, apostematibus (quibus ferè modis Hebræam vocem reddunt) vulnera nasci, & ex vulneribus ulcera redire soleant, etsi *vulnera* nuncupetur, eadem intelligi potest plaga: quam ad hunc Josephus describit modum, δεινῶς αὐτοῖς ἐξηλκωῦντο τὰ σώματα τῶν ἐντὸς διαφθειρομένων. Chaldæus ubique Hebræum verbum retinuit, de cujus significatione Hieronymus, productum Isaiæ locum enarrans, ex proposito agit.

DRUSIUS.

32. **S***erotina*] In editionibus nuperis, *latentia erant.* Non planè latebant sub terra (nam anni tempus hoc non patiebatur) sed comparatione ad hordeum & linum, quæ in culmum & calamum ascenderant, quasi latere videbantur. Est tamen cur malim, *serotina erant*, quæ Græci vocant ὄψιμα, & Onk. אפלתא, & Jon. לקישן, & R. S. *tardiva*, i. מאוחרות. Vox Ebræa אפילות propriè *obscura* & *caliginosa* significat. Nam *Aphela*, *caligo.* Sanè quæ serò proveniunt, ea obscura sunt, tenuiterque videntur, dum adhuc serotina sunt. R. D. postquam exposuisset hanc vocem, *obscura & latentia sub terra*, addit מאחרות *tardantia.* Utramque interpretationem simul complectitur. Nam utraque simul stare potest, si omisisset illud *sub terra.* Quomodo enim sub terra latere potuit triticum eo tempore quo instabat messis hordei? Nam inter triticeam messem & hordeaceam intervallum erat duntaxat unius mensis. An tam brevi tempore quod latet sub terra in culmum ascendere potest, & ità maturescere ut metendum ac succidendum sit? non fit verisimile. Quocirca non est recedendum, meo judicio, ab antiquis interpretibus, qui omnes in *serotina* conspirant. Unius Rabbini autoritas non tanti debet esse apud nos, præsertim ubi ratio repugnat, ut hic. In monumentis doctorum reperio אפיל, quâ voce significantur ea quæ præcocia præmaturaque sunt & celeriter proveniunt, ut contrà quæ tardiùs maturescunt אפיל dicuntur. Lexicon Chaldaicum Munsteri, אפיל *serotina.* David Pomarius in Germine Davidis, quod vocat צמח דוד, אפל *serotinum*, מאוחר *tardivum.* Baal Aruch, h. e. autor Lexici Thalmudici, laudat has voces ex principio Gemaræ, quod appellat זרעים. *Latentia sub terra* Tremellii est, quod habuit non tantùm à Davide Camio, sed etiam ab eo qui Sapiens cognominatur aut Abenezra, cujus hac de re verba sunt, *Sensus est, quòd fuerint adhuc sub terra, nec apparuerint.* Quæ firmat Aloysius Lippomanus ità scribens, *Ubi serotina legimus, Ebræi habent Aphiloth, quasi subobscura: nondum visibilia vel prodeuntia fuerunt, sed latentia adhuc sub terra.* Duo dicit, quorum unum verum esse potest, alterum apertè falsum est. Verum esse potest, *latentia adhuc in gramine:* falsum est, *latentia sub terra.*

IDEM.

9. אבעבעת. A. πεταζόμενα, *pansa, expansa.*] In edit. Rom. *volaticum.* Nam פרח *volo* in lingua Chald.] Sym. ἐξανθοῦνα, *efflorescentes*] Olim erat in LXX. ἀναζέουσα, & in Hieron. *turgentes.*

23. קלת. Alius, ἀνέμων ἦχος, *ventorum sonos:* alius, βροντὰς, *tonitrua*] Sic alibi, *& populus cernebat voces*, i. tonitrua, ubi *cernere* valet *audire.* Sic in Latio, *Vox illius certè est: idem omnes cernimus.* Sæpius est, *vox Domini*, hoc quidem sensu.

27. בפעם. Schol. ἐν καιρῷ ἕως τοῦ νῦν.

32. כסמת. A. ζειά. Th. ὄλυρα] Ζέα vel ζειά, *far.* Hieron. Jes. 28. 25. *Pro farre, quod Græci ζέαν vocant, quidam Viciam intelligunt.* Idem Ezech. 4. *Quam nos Viciam interpretati* sumus, *pro quo in Ebræo dicitur* כסמים. LXX. *Theodotioque posuerunt* ὄλυραν, *quam alii Avenam, alii Secalem putant: Aquila autem prima editio & Symmachus* ζέας *sive* ζειὰς *interpretati sunt, quas nos vel Far, vel gentili Italia Pannoniaque sermone Spicam Speltamque dicimus.* Lexicon vetus, *Far*, ζειά, σῖτος, ὄλυρα. *Farra*, ζειά, ὄλυρα. Hesychius quoque ζειὰς exponit ὀλύρας. Aliter Plinius; quem vide, si placet. R. D. in lib. Rad. כסמת *spelta.* Idem in commentariis, quos in Ezechielem composuit, כסמים *vulgò*, inquit, שיפון, i. *secale*, si rectè capio.

NOTÆ MAJORES.

1. **E***T dixit DOMINUS ad Mosem, Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum, Sic dicit DOMINUS Deus Ebræorum, Dimitte populum meum ut serviant mihi.*

2. *Quod si renuis tu dimittere & adhuc retines eos.*

3. *Ecce manus DOMINI est in pecus tuum, quod in agro, in equis, in asinis, in camelis, in bobus & in ovibus; pestilentia gravis admodum;*

Renuis] מאן pro מאן: & præsens pro futuro; *renues*, vel; *renueris.* ¶ *Retines eos*] מחזיק בם. LXX. ἐγκρατεῖς αὐτοῦ i. eū. Nam ad populum refertur. Nota ἐγκρατέω pro retineo. Sic enim certè habet versio Romana. Hieron. quoque edidit *retines eos.* Propriè *firmiter retines.* Quod Onkelos dixit מתקיף בהון. Nam in חזק significatio fortitudinis, ut etiam in תקף, unde תוקף robur. ¶ *Manus DOMINI*] ἡ χεὶρ Κυρίου. LXX. *Manus mea.* Hieron. *Plaga à DOMINO.* Onkelos. *Plaga manus DOMINI.* Jonathan. ¶ *Est*] i. erit, ut rectè Hieron. interpretatur. Ebra. הוה & Chaldaicè הוה. Esset autem תהיה & תהא erit. Hæc enallage frequens est in his libris. ¶ *Pestilentia*] דבר LXX. θάνατος. On. & Jon. מותא. Hieron. *pestis.* Sic etiam Santes. Aliud pestis, aliud pestilentia, quæ Lucillio & Lucretio *pestilitas* dicitur. ¶ *Gravis*] Magna. Sane Onkelos habet מותא סגי & LXX. θάνατος μέγας. Eadem vis in illo Jonathæ, *pestilentia valida.* ut hic, *pestilentia gravis*, sic alibi, *fames gravis* i. magna. ¶ *Ingredere ad Pharaonem*] Vult dicere, in palatium Pharaonis. Sic apud Ciceronem legimus, *ivit ad Pompejum*, pro ad ædes Pompei. Ad hunc locum Abenezra, *dicit R. Juda Levita, Duæ plagæ fuerunt in aqua: prima est quod ea versa sit in sanguinem, sic ut pisces in ea mortui sint: altera quod ranas produxerit. Duæ etiam plagæ fuerunt in terra, Cinipes sive pediculi, & miscellanea turba i. feræ permixtæ invicem. Duæ item fuerunt in aëre: Nam pestilentia nihil aliud est quam calor aut frigus præter consuetudinem, sive diversum a consueto vel calore vel frigore, ità ut uno momento moriantur absque numero i. innumerabiles, quia spiritus vitalis, qui est in corde, pendet ab aëre. Secunda est plaga ulceris: Nam scriptura vocat expansum quod super caput eorum cœlum. Porrò septima plaga mixta erat partim ex sphæra tempestatis, partim ex sphæra ignis. Nam ecce scriptum est,* (Infra vers. 24.) *Et grando & ignis mixta pariter ferebantur. Octava erat plaga locusta quæ veniebat è longinquo per ventum adducta. Nona erat plaga mirabilis, in qua fuit lux duorum luminarium & syderum è terra Ægypti. Decima continet descensum vastatoris è sphæra gloriæ ad occidendum primogenitos. Ceterum à* דבר *voce pestilentiam significante non invenitur verbum, nisi uno in loco* ותאבד את זרע הממלכה *& peste perdes semen regni, pro quo in libris Regum* ותאבד *& perdes; Et hæc interpretatio aliena est; sed non habemus aliam meliorem.* Hucusque Abenezra.

4. *Et segregabit DOMINUS inter pecus Israël & pecus Ægypti, & non morietur ex omnibus quicquam filiis Israël.*

5. *Constituitque DOMINUS tempus dicendo, Cras faciet DOMINUS rem hanc in terra.*

Segregabit] ויפרש Onkelos, *& separabit.* R. Salomo, *distinguet.* San. *dividet.* Tremel. *discrimen ponet.* Hieron. *faciet mirabile.* Jonathan, *faciet miracula*, si modo פלאין sunt miracula. Vide supra 8. 18. ¶ *Israël*] Israëlitarum. ¶ *Ægypti*] Ægyptiorum. On. Jon. Pro faciet mirabile, Senes habent καὶ παραδοξάσω ἐγὼ והפליתי. ¶ *Ex omnibus quicquam filiis Israël*] מכל לבני ישראל דבר ex omnibus filiis Israël verbum. Ordo ac sensus, non morietur filiis Israël ex omnibus pecoribus quicquam i. ullum pecus. Aut hoc vult, non morietur ex omnibus quæ sunt filiorum Israël, ut אשר subaudiatur. Ità Hieron. *Ut nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israël.* LXX. ἀπὸ πάντων τῶν τοῦ Ισραὴλ υἱῶν ῥῆμα. Onkelos, *Ex omnibus filiorum Israël* i. quæ sunt filiorum Israël. ¶ *Quicquam*] מדעם On. Jon. ¶ *Constituit*] Definivit, præfixit. Jonath. ¶ *Tempus*] מועד tempus certum ac definitum, statutum. LXX. καὶ ἔδωκεν ὁ θεὸς ὅρον dedit i. posuit, *terminum* i. tempus. Sic ὅρος τῶν γάμων tempus nuptiarum. propriè, tempus definitum. Sane ὁρίζω,

ὁρίζω, definio. Lex. vetus, *ὅρος modus. ὅρος, ἐπὶ χώρας, terminus, limes, terminatio. ὅρος ἐν δίκῃ πράγματος, definitio, sponsio, terminatio*, *Lex.* Porro מועד sig. statum tempus notius est quam ut probari debeat. Hinc מועד יום vocatur dies mortis, & בית מועד domus constituti temporis i. sepulchrum; nihil enim tam certum & statutum quam semel mori. יום מועד interdum est dies condicti temporis, etiamsi festus non sit: sæpius tamen de die festo usurpatur. ¶ *Rem hanc*] Verbum hoc. ¶ *In terra*] Vel, *in hac terra: nomen terræ*, inquit Hieron. *de ea debet accipi regione de qua sermo est.* Ergo *in terra* i. in Ægypto.

6. *Fecitque DOMINUS rem hanc postridie, & mortuum est omne pecus Ægypti, de pecore autem filiorum Israël non est mortuum unum.*

7. *Et misit Pharao & ecce ne unum quidem ex pecore Israël mortuum erat, aggravatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.*

Postridie] Vel die altero, aut postero die. Ebraicè ממחרת, quasi à crastino, vel, expostridie, ut *exante* dicimus. Id On. extulit ליום חרן die altero, pro quo Gen. 19. 34 in eodem מיומחרא unica dictione. Onkelos ליומא בתרוהי die qui post eum i. postridiè. Hieron. *altera die.* Lxx. τῇ ἐπαύριον. ¶ *Omne pecus*] Omnia pecora. Nam etiam pecora habebant, licet ea non ederent, licet pastores eorum detestarentur. Sic sues olim erant apud Judæos, ut ex novo Fœdere liquet, etsi ab iis omninò abhorrerent. Itaque Ælius Hadrianus, cum Jerosolymam restauraret, suem in fronte illius portæ quæ Bethlehem ducit, sculpi curavit, ut vel hoc modo Judæis ægrè faceret. ¶ *De pecore*] Vel, *ex pecoribus*. ¶ *Misit Pharao*] In terram Gosen, ubi colonia erat Judæorum. Hieron. *Misit ad videndum*. Jon. *Misit fabas ad videndum.* פולין verto fabas. Forte corruptum est ex פילוסין i. Pelusium. Supra 1. 11. *Phithon & Ramesses.* Idem interpres Tanin & Pelusium. Si ædificabant eas urbes, ergo ibi erant Israëlitæ, & per consequens pecora eorum, si non omnia saltem aliqua. ¶ *Ne quidem unum*] Ad verbum, *usque ad unum.* Sic alibi, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* ¶ *Aggravatum est*] ἐβαρύνθη. Sed quis aggravavit? Et Deus & Pharao. Deus per justitiam: Pharao per contumaciam. In Pharaone solo culpa hæret qui ad tam manifestum miraculum non resipuit. Vide Augustinum Quæst. super Exodum, quæst. 30. Addam aliqua. Vers. 3. *ecce manus DOMINI*, de pestilentia. mox se explicat. Vulgo **Gods handt.** Vocatur autem manus Dei quia immediatè à Deo inflicta sine cujusquam ministerio. Quod notavit Lippomanus vers. 6. *omne pecus Ægypti* de pleraque parte. Nam sane non omnia mortua sunt. Docent consequia verba. Quidam existimant mortua ea quæ in agro erant, non quæ domi. Fortasse nec illa omnia mortua sunt. Quis hoc negare aut affirmare audit.

8. *Et dixit DOMINUS ad Mosem & ad Aharonem Accipite vobis plenos pugnos vestros favilla fornacis, & spargat eam Moses cælum versus in oculis Pharaonis.*

9. *Et erit in pulverem super omnem terram Ægypti, eritque super homines & super jumenta in ulcus germinans pustulas per omnem terram Ægypti.*

Accipite vobis, &c.] Decem plagarum aliæ cum denuntiatione immissæ sunt, aliæ non. Posterioris generis est hæc plaga: item tertia supra 8. 12. & nona infra 10. 21. ¶ *Plenos pugnos vestros*] Ebraicè, *Plenitudinem pugnorum vestrorum.* Hieron. *Plenas manus* מלא ידים. Sic Græci πλήρεις τὰς χεῖρας. Santes, *Plenas volas* מלא כפיכם. Munsterus, *Pugillos vestros plenos* חפניכם מלאים Leo Judæ, *Volas vestras plenas.* ¶ *Favilla fornacis*] Hieron. *Cineris de camino.* Lxx. αἰθάλης καμιναίας. Est autem αἰθάλη favilla. exponitur etiam fuligo & cinis. Jonathan, קטם דקיק cineris tenuissimi è fornace. Santes, *è cinere fornacis.* Alius, *favilla fornacis.* R. Levi פח האתון. In Lexico Thalmudico פירוש כלע צני סה. Hispanicum est *Ceniza*, cinis. Munsterus etiam favillam interpretatur. Ergò רמץ cinis, favilla. Græcè τέφρα καὶ σποδός. Arabice etiam קטם dicitur. Appellatio à flando. Nam vento propter levitatem facillimè deflatur. ¶ *Cælum versus in oculis Pharaonis*] Vel, *in cælum ante oculos Pharaonis.* R. Levi putat denuntiationem præcessisse, ut in ceteris plagis. ¶ *Erit in pulverem*] Vertetur in pulverem. Aut, *erit pulvis.* Quidam, *pulvisculus.* Hieron. *fit pulvis.* Lxx. γενηθήτω κονιορτός. Quid si, *erit ut pulvis?* i. volitabit per aerem ut pulvis solet à vento circumactus. ¶ *Super jumenta*] Quæ in urbibus, vel etiam in agris. Nam ex superiore clade quin aliqua remanserint in vivis vix ullum dubium est. Nec obstat particula *omnis*, quæ interdum de multis aut majori parte usurpatur. ¶ *In ulcus germinans*] Vel, *ulcera germinantia.* Nam est nomen collectivum, ut *rana*, ut *pediculus.* שחין ulcus. eo & Jonathan usus est. Sed in Onkelo, שחנא. In utroque significatio caloris. Nam שחן caleo aut calefacio. Verbum frequens apud Deuterotas Deuterosin Misne vocant. Inde R. Salomo laudat שחונה שנה annus calidus. Arabes dicunt סכן quibus solitum Heth Ebræorum in Chaph mutare. Sunt qui שחין apostema reddant. Aliis est inflammatio. ¶ *Germinans pustulas*] Id est פורח. Ita R. Salomo & Santes. Alii, *efflorescens pustulis.* Nam in fonte פורח florens seu florescens, pullulans. Tremel. *erumpens.* Sym. ἐξανθοῦσαι, efflorescentes. Sub φλυκτίδες, vesicæ. Lxx. ἀναζέουσαι, effervescentes. Aquila, πεταζόμεναι, volaticæ. Nam פרח in lingua Chaldaicâ, volo. Licet etiam vertere, *pansa, expansa.* Hieron. *turgentes.* Onkelos & Jonathan סגי. Quod Fagius reddit, *producentem.* Ex Jario verti posset, *germinantem.* Editio Gallica, *cum vesicis egerminantibus sive pullulantibus*, vel si placet, *gemmas producentibus.* ¶ *Pustulas*] אבעבעת. Hieron. *Vesicæ.* Lxx. φλυκτίδες. Santes, *Inflationes.* R. Salomo, בועות. Onkelos אבעבועין alias אבעבועין. Jonath. שלפוקין. Jerosolymitanus שלבוקין, Phe in Beth versa. Nam hæ litteræ alternant. Thema בוע & litteræ geminantur ut in שעשע, cujus radix שעע, oblectavit se: & שגשג, cujus thema שגג, erravit. Lxx. φλυκτίδες. Philo in vitâ Mosis, φλυκταίνας. Utraque vox pustulas sive papulas notat. Interpres *vesicas* reddit. Lex. vet. φλύκταινα papula. Est autem tumor vel tuberculum in cute ex adustione. *Quidam*, inquit Gorræus, *Vesiculas interpretantur: oriuntur maxime à ferventibus & acerrimis humoribus, iis quæ ab igne aut ferventi aqua gignuntur, similes.* Editio Gallica, *Vessies* i. pustulæ. Ceterum quæ à Græcis *Phlyctæna*, à Columella *pusula* dicitur.

10. *Et acceperunt favillam fornacis, & steterunt coram Pharaone, sparsitque eam Moses cælum versus, & fuerunt ulcera pustularum germinantia in hominibus & in jumentis.*

11. *Nec potuerunt magi stare coram Mose propter ulcera, nam erant ulcera in magis & in omni Ægypto.*

Fueruntque ulcera pustularum] ויהי שחין אבעבעת & fuit ulcus pustularum i. pustulosum. Quidam, *scabiem pustulosam* appellant. Quæ interpretatio mihi non displicet. Lippomanus, שחין & *scabiem & ulcus significat.* Ulcus pustulosum ἕλκος φλυκταινῶδες. Sic *Herpes pustulosus*, ἕρπης φλυκταινώδης. Scabies alio nomine גרב dicitur, & חרס definitur scabies sicca, ad quam scalpendam testa solet adhiberi i. חרש ut liquet Job. 2. Aliis שחין est φλεγμονή, inflammatio. Sunt qui sic definiant שחין est inflammatio sive ulcus ex ardore & colore ignis experte proveniens. Quod si ignis causetur inflammationem, tum מכוה dicitur & כי. Quod ulcus significat, probari potest & ex Syra editione. Nam Luc. 16. 11. ulcera i. ἕλκη שוחנין appellantur. Magistri etiam dicunt שחינה. ¶ *Germinantia*] Vel, *efflorescentia.* Hieron. *Ulcera vesicarum turgentium:* sed minus benè. Quod ex ipso fonte clarum. Nam vox *ulceris* singularis est, ut etiam ea cui respondet participium, *turgentium:* & quia reddimus *ulcera*, ideo vertendum absque ullo dubio, *turgentia.* ¶ *Erant ulcera*] היה השחין erat ulcus. Jon. *plaga ulceris sive ulcerum.* ¶ *In omni Ægypto*] *Per totam Ægyptum*, vel *in omnibus Ægyptiis.* Hoc interpretantur On. & Jon.: illud Lxx. & Hieron. ut etiam Tremel.

12. *Et obfirmavit DOMINUS cor Pharaonis, qui non audivit eos: quemadmodum locutus fuerat DOMINUS ad Mosem.*

13. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Surge mane mane, & siste te coram Pharaone, & dic ei, Sic dicit DOMINUS Deus Ebræorum, dimitte populum meum ut serviat mihi.*

14. *Quia hac vice ego mitto omnes plagas meas in cor tuum, & in servos tuos, & in populum tuum, ut cognoscas non esse mei similem in tota terra.*

Obfirmavit] ויחזק. Lxx. ἐσκλήρυνε. Hieronymus, *induravit* הקשה Alibi est, *aggravavit* הכביד. Quæ tria verba Moses fere promiscuè usurpat. Obfirmavit autem Chaldæi dicunt תקיף, nisi legendum תקף in Pael. Quod se mihi magis probat. Notabis etiam supra 8. 25. haberi, *Induravit Pharao cor suum:* & alibi, *Induratum est cor Pharaonis.* Cur autem Deus illud induraverit, docet infra vers. 16. ¶ *Cor*] יצרא דלבא *figmentum cordis.* Jon. ¶ *Ad Mosem*] *Cum Mose*, On. & Jon. Scholion est Abenezræ ad hunc locum, *Obfirmavit DOMINUS cor Pharaonis: ideò non petiit ut orarent pro se.* ¶ *Mane mane*] Summo mane. Id Cicero dixit, *bene mane*, & *benè ante lucem.* Benè mane i. valdè mane. Sic *benè multi.* ¶ *Hac vice*] Ebraicè, *in hac vice.* Ità Hieron. Lxx. ἐν τῷ γὰρ νῦν καιρῷ. On. & Jon. *in hoc tempore.* ¶ *Mitto*] Missurus sum. Lxx. ἐξαποστέλλω. Hieron. *mittam.* In On. & Jonath. legendum, meo judicio, שלח id est mitto, & non שלח. ¶ *Omnes plagas meas*] Reliquas. Nam quatuor adhuc supererant. Decem enim decretæ videntur. R. Levi, *omnes* i. plurimas. R. Salomo, *Discimus hinc plagam primogenitorum æquivalere reliquis omnibus.* Abenezra, *Dicit pla-*

Digitized

plagas ob tonitrua & grandinem & pluvias & ignem, quæ simul junctæ fuerunt, neque vidimus quod ita metuerit ullas plagas præteritas, quemadmodum hanc metuit. Vide infra versum 27. Jonathan hoc loco habet, *Ego mitto plagam tibi è cælo, indesque plagas meas quibus percussi te cordi tuo.* In editione Onkeli quâ usus sum perperam מַחָתִי pro מַחָתַי. Nam est pluralis ex מַחָא plaga. ¶ *In cor tuum*] אֶל לִבְּךָ *ad cor tuum.* Onkelos, בְּלִבָּךְ *in cor tuum.* Jonathan לְלִבָּךְ. idem Hieron. *Super cor tuum* עַל לִבְּךָ. Lxx. εἰς τὴν καρδίαν σου. Quidam, *in medio tui.* Nam cor pro medio ponitur. Quod an hic locum habeat, nescio. Nam sensus est, quæ altè descendent in cor tuum. ¶ *In servos tuos & in populum tuum*] Lxx. καὶ τῶν θεραπόντων σου, καὶ τοῦ λαοῦ σου. Nam repetunt εἰς τὴν καρδίαν in cor, ἀπὸ κοινοῦ.* Quod frequens in Ebraismo. ¶ *Ut cognoscas*] Experimento sive per experientiam. ¶ *Non esse similem mei*] Quod non sit sicut ego i. similis mei. Hoc Jon. & Hieron. illud On. & Lxx. ediderunt. *Et similis mei* i. tam potens quam ego. Verba Jonathæ, דְּדָמֵי לִי.

15. *Modo enim misi manum meam, quod si percussissem te & populum tuum pestilentia, excisus esses e terra.*

16. *Et certe propter hoc feci ut stares ut ostenderem in te potentiam meam, & ut narretur nomen meum in universa terra.*

Modo enim] כִּי עַתָּה quia nunc i. modo. ¶ *Misi*] Extendi. Minus rectè alii, *mittam.* Nam loquitur de plaga superiore. Quod qui non animadverterunt, malè hunc locum interpretati sunt, ut fieri solet quando non intelligimus quod interpretamur aut vertimus. Id quod multis nostro & patrum ævo accidit. Vide Fagium in paraphrasin Chaldaicam. ¶ *Manum meam*] Plagam meam i. pestilentiam; quæ etiam vulgò κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur manus Dei. Onkelos, *Prope erat ut mitterem plagam potentiæ meæ.* Jon. *Misi manum potentiæ meæ.* ¶ *Quod si percussissem te*] וָאַךְ אוֹתְךָ, & percussissem te. Subintelligitur autem אִם *si*, ut alias sæpe. Jonathan, *debuissem percutere te*, vel potiùs, *æquum erat ut percuterem te.* q. d. Satis meritus eras. R. Salomo, *Si, cum esset manus mea in pecore tuo, & percuterem illud pestilentiâ, si voluissem percutere te & populum tuum cum bestiis, excisus jam esses e terra.* Actum esset de te, non amplius viveres, aut in rerum natura existeres. R. Levi, *Vult dicere, si misissem plagam meam & percussissem te & populum tuum pestilentia, nemo alius Israelem prohibuisset exire terram hanc ad sacrificandum mihi.* ¶ *Excisus esses*] Cum servis tuis & populo tuo. ¶ *Certe*] Verè, profectò, utique, veruntamen i. בְּרַם. Sic On. interpretatur, & post eum Tremel. Lxx. ἕνεκεν τούτου. Hier. *Idcirco.* לָכֵן sive עַל כֵּן propterea. Jonathan, *Verum, certè.* ¶ *Feci ut stares*] i. restares & remaneres in vita. Hieron. *Posui te* הֶעֱמַדְתִּיךָ. Lxx. διετηρήθης, *conservatus es:* ad sensum non male. Onkelos קַיֵּימְתָּךְ in vita conservavi te. Jonathan, *Non ut benefacerem tibi conservavi te vivum* (נֵיטִיבוּ benefacerem, ut נִקְטוֹל occidam. Pluralis pro singulari ex dialecto Jerosolymitana) *sed ut ostenderem in te potentiam meam.* Nota significationem, *stare* pro in vitâ manere, superstitem esse. Multa significat hoc verbum, quæ suis locis indicabimus. Sic alibi, *Quis staret Jacobo?* i. superstes esset. Sed ibi est יָקוּם. Itaque alii vertunt *quomodo surgat Jacob?* Locus est Amos 7.2. ¶ *In te*] ἐν σοὶ. Hieron. Lxx. Quid si, *ut ostenderem tibi?* Nam in fonte הַרְאֹתְךָ. ¶ *Narretur*] διαγγελῇ. Hieron. Lxx. סַפֵּר verbum est infinitum. Posses vertere, *ut narret*, sub. populus meus: vel, *ut narrent* pii. ¶ *Nomen meum*] *Nomen meum sacrosanctum.* Jonathan. *Potentiam nominis mei.* Onkelos.

17. *Adhuc tu extollis te in populum meum ut non dimittas eos.*

18. *Ecce ego pluo circa hoc tempus cras grandinem gravem valdè, cui similis non fuit in Ægypto à quo die fundata fuit usque ad hoc tempus.*

Extollis te] Vel, *elevas te.* Ebraicè, מִסְתּוֹלֵל cujus thema סָלַל unde & מְסִלָּה via elevata. Sed varie hoc loco redditur. Hieron. *Retines populum meum.* Mirum unde hauserit. Nam in Lxx. ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου, quod reddunt, *insultas populo meo.* Jonath. מִתְרַבְרַב בְּעַמִּי. Magnificè extollis te in populum meum, aut superbis contra eum. Jerosolymitanus מִתְקִיף obfirmas te. Onkelos, domas ac subigis populum meum. Fagius interpres, *Sub jugo retines populum meum.* eodem redit. Vide sis eum in notis ad hunc locum. Quidam, *calcas populum meum.* הִסְתּוֹלֵל calco à מְסִלָּה callis. Sic דָּרַךְ calco à דֶּרֶךְ via. Mihi hoc durum & coactum videtur. Nec magis arridet, *Adhuc aggerem ponis.* Quanquam סֹלְלָה agger. Leo Judæ, *Adhuc tu te aggerem opponis populo meo.* Editio Gallica, *te dresses tu*, te erigis adhuc contra populum meum. Abenezra מִתְפָּאֵר gloriaris. Arias, *evehis te.* Sic alibi סַלְסְלֶהָ evehe eam & extollet te. Locus est in libro Proverbiorum Salomonis. R. Salomo vernaculè interpretatur קלק״ר Calcare, & ait ductum esse ex nomine מְסִלָּה viam stratam significante i. אוֹרַח כְּבִישָׁא. Sic enim certè reddunt eam vocem Thargumistæ. R. Levi, כּוֹבֵשׁ *subigis* ודורכם & *calcas populum meum*, *ex illo* דרך לא סלולה *via non calcata.* alias, *elevata.* Hiscuni, *Gloriaris & effers te quod eos retinere potes.* ¶ *Pluo*] ὕω, i. pluam, ut habetur in editione Hieron. Simile, *En ego commoveo cælum & terram.* Onkelos, *Dimitto sive descendere facio.* Jonathan, *Descendere facio è thesauris cæli.* Tremel. *Dimittam pluviam* אֲחִית מִטַר. Arias, *Pluere facio.* Notavimus alibi מַמְטִיר & de cœlo dici & de Deo, & etiam de nubibus. Nam nubes pluviam effundunt. Sic natura pluit i. מַמְטֶרֶת. Quis unquam id dixit, pluere facit? ¶ *Circa hoc tempus*] כָּעֵת in quo inclusus articulus, qui sæpè vim habet pronominis demonstrativi, ut in הַיּוֹם hodie, הַלַּיְלָה hac nocte, & in aliis. Hieron. *Hac ipsâ horâ.* In quo Senes æmulatus est. Nam Lxx. ταύτην τὴν ὥραν. Consuevit autem ὥρα & pro tempore poni. Forte an est Chaph ἀληθινὸν hoc loco? ut dicas, ... hoc tempore. Onkelos כְּעִדָּנָא הָדֵין. Id Fagius convertit, *hoc ipso tempore.* Malim, *circa hoc tempus.* Nec aliter Jonathan, nisi quod in eo כְּעִדָּן absque Aleph. Santes, *In tempore crastino.* Videtur legisse ב pro כ. Tremel. *Sub hoc tempus*, i. paulò ante. R. Salomo, *Circa hoc tempus. Ducta linea in pariete; cras, inquit, quum pertigerit sol huc usque descendet grando.* Nugator, qui scis ipsum duxisse lineam in pariete? ¶ *Cras*] מָחָר accipio adverbialiter pro לְמָחָר. Sic Græcè αὔριον & εἰς τὸ αὔριον. Onkelos מְחַר & Jonathan לִמְחַר crastine sive crastino. עֵת מָחָר tempus crastinum, ut לְעִידָן מְחַר quod in Jonatha supra 8.19. *tempore crastino.* Hoc rectè: sed an etiam dicimus עֵת מָחָר? valdè dubito. Viderit Santes qui vertit, *in tempore crastino.* ¶ *Grandinem*] χάλαζαν. Ad miraculum facit quod in Ægypto nulla pluvia aut grando. *Nec hodie quidem*, inquit Abenezra, *ibi descendit, nisi* כִּמְעַט שֶׁל. Id non intelligo. Fortè legendum שֶׁלֶג ut dicat, *aliquid simile nivi.* Scio שַׁל inveniri 2 Sam. 6.7. pro temeritate: sed quid hoc ad istum locum? nihil sane huc facit. ¶ *Gravem*] Id est multam, πολλήν. Ità Hieron. & Lxx. aut *magnam*, ut *fames gravis* i. magna. Onkelos & Jonathan תַּקִּיף validam. ¶ *Valde*] Nimis, σφόδρα. Chaldaicè לַחֲדָא i. singulariter. ¶ *Cui similis non fuit in Ægypto*] Apud Herodotum legimus in superiore Ægypto aliquando pluisse. Id quia insolens erat portenti loco habebatur. Erat autem pluvia minuta admodum, qualis illa, quam Græci ψεκάδων voce significant. Sic fieri potest ut interdum grando ibi visa sit, nec id obstat sententiæ Ebræi supra memorati. Nam quod tàm raro fit, communiter non fieri dicitur. Una hirundo non facit ver, ut est in proverbio. ¶ *A quo die fundata fuit*] In לְמִן Lamed πλεονάζει. Itaque omissa fuit à Jonathâ. Satis enim erat מִן הַיּוֹם. Pro *fundata fuit*, Senes ediderunt ἔκτισαι condita est. Jonathan, *Fundata fuit fundamenta ejus.* Lippomanus, *Fundari terra dicitur quando incipit coli & habitari.* Huc facit illud, *Fundavit legibus urbem.* Jes. 40. vers. 21. *Fundamenta terræ*, quo nomine David Camius intelligit quatuor elementa, ignem, aërem, aquam & terram. ¶ *Usque ad hoc tempus*] וְעַד עָתָּה Huc usque. Hieron. *Usque in præsens tempus.* Lxx. ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Tremel. *Usque adhuc.* Verbum è verbo, & *usque nunc:* ubi (&) in sermone Latino redundat.

19. *Et nunc mitte, congrega pecus tuum & omnia quæ tibi in agro: quicunque homo aut bestia invenietur in agro, nec colligetur in domum, descendet super eos grando & morientur.*

20. *Qui timebat sermonem* D O M I N I *ex servis Pharaonis, fecit ut confugerent servi sui & pecus suum in domos.*

21. *Qui vero non ponebat cor suum ad sermonem* D O M I N I, *is relinquebat servos suos, & pecus suum in agro.*

Mitte, congrega] Mitte congregatum aut qui congregent: aut missis famulis congrega. Lxx. κατάσπευσον συναγαγεῖν, festina congregare i. מַהֵר. ¶ *Congrega*] הָעֵז συνάγαγε. Hieron. *Congrega.* On. & Jon. כְּנוֹשׁ. R. Levi, אֱסוֹף collige. Abenezra הָנֵס fac confugere & אֱסוֹף coge, congrega, collige. Thema עוּז, non עָזַז ut quidam putant. Ei firmando הָעִיזוּ congregate, quod obvium Jerem. 6. & 4. & הֵעִיזוּ quod legitur Jes. 10. R. David interpretatur dicens habere significationem refugii & collectionis in urbem. Addit Elias quosdam dicere שֶׁהוּא לְשׁוֹן נִיסָה וּבְרִיחָה. Sane Abenezra הָעֵז interpretatur הַבְרִיחוּ facite confugere: Jonathan vero גְּלוֹ migrate. Adhibe Radices Camii Ebræi. ¶ *Pecus tuum*] Hieron. *Jumenta tua.* Lxx. τὰ κτήνη σου. Onkelos בְּעִירָךְ i. interprete Fagio, *Jumenta tua.* Jon. גֵּיתָךְ pecora tua. ¶ *Quæ tibi in agro*] *Quæ habes in agro.* Hieron. *Bestia*] Vel, *jumentum.* Santes, *animal.* Licet vertere, *omnes homines & jumenta.* Sic oi 6. ¶ *Invenietur*] i. erit aut existet. Sic Esth. 1. vers. 5. *Populo qui inventus est in Susan castro.* Malach. 2.6. *Iniquitas non est inventa in labiis ejus.* Gen. 47.14. *Omnem pecuniam quæ inveniebatur.* Sirach. 20.3. ἔστι σιωπῶν, εὑρισκόμενος σοφός. Sic dicimus Latinè, *Hic unus inventus est qui hoc posset* i. ex-

extitit. ¶ *Colligetur*] Congregabitur, recipietur. Lxx. *καὶ μὴ εἰσέλθῃ εἰς οἰκίαν*. Quod firmat R. Salomo. Ait enim יאסף hoc loco esse לשון הכנסה hoc est habere significationem introducendi q. d. nec introducetur in domum. Editio Gallica, *Qui non retrahentur, vel potius fuerint retracti.* ¶ *Super eos*] Tàm homines quam bestias. ¶ *Qui timebant sermonem DOMINI*] הירא את דבר יהוה Hieron. *Qui timuit verbum DOMINI.* Lxx. *ὁ φοβούμενος τὸ ῥῆμα Κυρίου.* In On. *Qui timebat à verbo DOMINI.* Pro דחיל מן lego דחיל. Jonathan, *Job qui timebat à verbo DOMINI inter servos Pharaonis*, &c. ¶ *Sermonem DOMINI*] Quem per Mosem ipsis denuntiaverat. ¶ *Fecit ut confugerent*] Aut, *fecit confugere servos suos & jumenta sua.* Ita Hieron. הניס fecit confugere. Id fecit eodem ipso die. Lxx. *συνήγαγε.* On. & Jon. כנש congregavit. R. Salomo הבריח fugavit. In quo sensus celeritatis. Nam fugere dicitur qui celeriter aliquò abit. Genes. 27. Fuge ad Laban fratrem meum. Nah. 3. 17. *& fugiunt* de locustis. Quanquam hîc נודד in fonte. Sic ברח sumi notatur Nehem. 10 Cantic. 8. 14. Sic Φεύγειν Græcis. Matth. 10. 23. *Quum persequentur vos in unâ urbe, fugite in aliam.* i. celeriter abite. Plus ergo הניס quam כנש. Nam hoc significat simpliciter congregavit: illud valet, celeriter congregavit sive retraxit aut recepit, vel sane reduxit. ¶ *In domos*] *εἰς τοὺς οἴκους.* Jonathan, *in mediam domum.* ¶ *Non ponebat cor suum*] Animum non advertebat, applicabat, adjiciebat. Sic alibi, *Divitiæ si affluant, ne appone cor.* Plus ergo est quam negligere. Quanquam Hieron. hoc loco, *Qui autem neglexit sermonem DOMINI.* Lxx. *ὃς δὲ μὴ προσέχειν τῇ διανοίᾳ εἰς τὸ ῥῆμα Κυρίου*: qui non attendit mente ad verbum DOMINI. Jonathan, *Balaam qui non apponebat cor ad sermonem DOMINI*, &c. Lippomanus, *Apponere cor ad verbum DOMINI est monitis divinis acquiescere.* ¶ *Is relinquebat*] ויעזב & relinquebat. copulam expressi per pronomen. Quod sæpè fit in hac linguâ. Alioquin in otio cubat. Quale apud Arabas Phe quod Ismaciticum vocant. Sic alibi ויקח sustulit. Videndus Abenezra. Supra versu 19. ומתו morientur. Non plane otium agit in Ebræo. Nam convertit hic futurum in præteritum, ibi præt. in futur. Licet etiam vertere, *illi morientur.*

22. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Extende manum tuam versus cœlum, & erit grando in universa terra Ægypti super homines & super bestias, & super omnem herbam agri in terra Ægypti.*

Manum tuam] Cum virga. ¶ *Versus cœlum*] על השמים quod supra dixit השמימה. Prius Chaldæi reddunt על צית שמיא: alterum לצית i. versus. R. Salomo לצד השמים ad latus cœli. Idem aliter. Lxx. *εἰς τὸν οὐρανόν.* Hieron. *In cœlum.* Sic etiam Santes. Cave rejicias. Nam cœlum pro aëre posuit, ut cum legimus *aves cæli.* Absurdi homines Mosem arbitrantur à Deo sublatum fuisse supra cœlum. Apage tales ineptias. Non pectus ei sapit, quem talia delectant. ¶ *Bestias*] Vel, *jumenta.* Pro, *extende* On. & Jon. ארים tolle in altum. ¶ *Omnem herbam*] *πᾶσαν βοτάνην.*

23. *Et extendit Moses virgam suam versus cœlum, & DOMINUS dedit voces & grandinem, & ambulavit ignis per terram, & pluit DOMINUS grandinem super terram Ægypti.*

Extendit] Sustulit in altum, levavit. ¶ *Virgam suam*] Manum cum virga. Non conjectura est, ut putat Abenezra, sed res certa. ¶ *Dedit voces*] Intonuit sive tonuit. Nam *voces* tonitrua. Quod notavit ante nos Augustinus, Latinè *movere tonitrua* aut *cœlum ciere tonitru.* Sane Hieron. & Santes, *Dedit tonitrua*, & ex Græcis interpretibus *βροντάς.* Schol. alius *ἀνέμων ἤχους*, ventorum sonos sive fragores. Tremel. *Edidit sonos.* On. & Jon. יהב קלין i. voces. Sic alibi, *& populus cernebat voces* i. tonitrua: & *cernebat* i. audiebat. Tonitru vocatur etiam, *vox DOMINI*: ex quo illud *DOMINUS e cœlo rugiit*, &, *dedit vocem suam.* Ubi *rugire* idem est quod tonare. ¶ *Ambulavit ignis per terram*] Perambulavit sive pervasit terram. Intelligit autem ignem fulguris, qui Ebraicè vocatur אש הברק, ut Psalm. 148. 8. in Camio, ad locum *ignis & grando.* Quod firmat Hieron. referens, *& discurrentia fulgura super terram.* Prius erat in editione Græcâ, *καὶ διέτρεχε τὸ πῦρ ἐπὶ τῆς γῆς.* Jonathan מתלהבא corruscabat ignis super terram, aut fulgebat. Nota verbum הלך de fulgure dici. Vide Job. 38. 35. Hunc ignem Lucretius lib. 2. appellat *ignem cœlestis fulminis.* ¶ *Per terram*] ארצה Hieron. *Super terram* על הארץ. Sic permutantur השמימה & על השמים. Solet autem ignis naturaliter alta petere. ¶ *Pluit grandinem*] Hoc uno verbo dicunt *grandinavit.* Lxx. *καὶ ἔβρεξε χάλαζαν.* Onkelos hic habet אמטר pluit. Jonathan ut supra אחית descendere fecit, demisit.

24. *Eratque grando & ignis qui se comprehendebat in medio grandinis, gravis valdè, cui similis non fuit in universa terra Ægypti, ex quo fuit in gentem.*

Qui se comprehendebat] מתלקחת qui se accipiebat. Hieron. *Grando & ignis mista pariter ferebantur.* Ad sensum non malè. Hæc mixtio necessaria erat propter ignem, qui naturâ levis est. Certè opus erat aliquo graviore corpore quod ipsum in terram deprimeret. Nam naturaliter cœlum petit. Ideò in supplicio Sodomæ mixtum habebat sulphur. Lxx. *καὶ τὸ πῦρ φλογίζον ἐν τῇ χαλάζῃ*, quod reddunt, *Et ignis flagrans in grandine.* Onkelos, משתלהבא גו ברדא. Fagius interpres, *Flammam ejaculans in ipsa grandine.* Quid si, *fulgens aut corruscans?* Potest etiam reddi, flammans i. *φλέγον* aut *φλογίζον.* Lex. vet. *Φλέγω*, flammo. Alius diceret, *fiammigo.* Jonathan, מתקפץ qui contrahebat se, vel certe ferebatur. Santes, *Comprehendens se.* Tremel. *Qui se accendebat.* Munsterus, *Ignis intra grandinem receptus.* Leo, *Sese recipiens intra grandinem.* R. Salomo, *Miraculum in medio miraculi: ignis & grando miscentur. Atqui grando est aqua. Sed ut facerent voluntatem creatoris sive possessoris sui, inierunt pacem inter se.* ¶ *Gravis*] Multa vel magna. Hoc Hieron. illud Lxx. interpretantur. ¶ *Ex quo fuit in gentem*] מאז היתה לגוי Hieron. *Ex quo gens illa condita est.* Onkelos, *A tempore quo fuit in populum.* Vult dicere, à tempore quo fuit ibi populus. Nam verbum *fuit*, cum sit fœmininum in Ebræo, ad terram referri debet. Jonathan, *Ex quo tempore fuit in nationem & regnum.* Eadem sententia. Lxx. *ἀφ' ἧς ἡμέρας γεγένηται ἐπ' αὐτῆς ἔθνος*: ex quo die fuit in eâ gens. Tremel. *Ex quo fuit gentis alicujus.* Alius, *Ex quo fuit gens* i. à gente habitata. In Ægypto non est tanta frigiditas ut possit ibi pluvia generari in aëre, multò minus grando. Primum ergo miraculum quod ibi grandinaverit. Secundum quod ignis fuerit admixtus, quem grando violento motu secum in terram pertraxit. Miraculi magnitudinem auxit grando tàm ingens tàmque multa & insolita.

25. *Et percussit grando per totam terram Ægypti omnes qui erant in agro ab homine ad bestiam, & omnem herbam agri percussit grando, & omnem arborem agri confregit.*

Percussit] Occidit, læsit. Occidit homines & bestias; læsit herbas. Quanquam & Herbæ occiduntur. Nam omne quod vitam vivit mori potest. Si moriuntur herbæ, igitur occidi possunt. Percutere autem hoc significatu sumitur Psalm. 136. 17. *qui percussit reges magnos.* Mox se explicat cum ait, *occidit reges inclytos.* Sic autores Latini *percussorem* pro interfectore ponunt. Vide Gen. 14. 5. & 7. & Exod. 2. 12. ¶ *Ab homine ad bestiam*] Tàm homines quàm bestias, vel, si mavis, jumenta. Talia sunt, *à minimo ad maximum: à puero ad senem: à bono ad malum*, &c. ¶ *Herbam agri percussit*] i. *læsit*, interprete Tremel. Lxx. *ἐπάταξεν.* Philo, *Cum Ægyptus in ipsâ hieme ver agat, neque penitus nivem sentiat, subito tamen aer ille tenuis & temperatus naturam novam propemodum induit, ut quæcunque jam virescere inceperant læderentur.* ¶ *Omnem arborem*] Hoc Hieron. dixit, *omne lignum*: & Lxx. *πάντα τὰ ξύλα*, omnia ligna. Onkelos, *omnes arbores agri.* עץ & lignum & arbor. Hinc Ebraismus ille, si Ebraismus est, ac non potius idiotismus linguæ Hellenisticæ. ¶ *Confregit*] Jonathan, *Fregit & eradicavit.* Pro שבר est cur malim קצץ confregit. Sic עקר radicem evulsit.

26. *Duntaxat in terra Gosen, ubi erant filii Israël, non erat grando.*

27. *Misitque Pharao, & vocavit Mosen & Aharonem, & dixit ad eos, Peccavi hac vice, DOMINUS justus est, & ego & populus meus improbi sumus.*

28. *Orate ad DOMINUM (nam satis est) ne sint voces Dei & grando, & dimittam vos & non addetis manere.*

Misit & vocavit] Misit qui vocarent aut vocatum, aut per famulos suos eos ad se vocavit. ¶ *Peccavi hac vice*] Hanc confessionem extorsit pœna: ideò non est vera confessio, sicut nec illa quam metus exprimit. Vera confessio comites habet odium peccati & amorem Dei. Quæ conjuncta sunt. Nam qui Deum amat, etiam peccatum odit. Jonathan hoc loco habet, *Et misit Pharao fabas ad vocandum Mosem*, si modò פולין sunt fabæ. Supra verti *Pelusium* videlicet vers. 7. hujus capitis. Quæramus amplius. ¶ *Hac vice*] הפעם Lxx. *τὸ νῦν.* Hieron. *etiam nunc.* On. & Jon. *hoc tempore.* *Etiam nunc* Ebraice diceretur גם עתה vel si placet גם הפעם. Quod qui dicit, fatetur se antea peccasse. Hoc verba Mosis non dicunt. Plus ergo est in editione Latina, quam in Ebræo. Lippomanus, *Inter confitendum peccatum perfidiam suam prodit dicens, Peccavi hac vice, quasi prius non æque peccaverit.* ¶ *DOMINUS Justus est*] Utitur Dei nomine proprio, quod tetragrammaton appellant. Id à Mose didicerat. Jonath. *Novi DOMINUM esse Deum nostrum.* Hæc est specialis cognitio, quam gentes habent de

Deo,

Deo, vel expressa pœnis ut hîc, vel orta ex benefactis ut Jes. 45. vers. 3. *dedi tibi Thesauros occultos*, &c. *ut cognosceres me esse* DOMINUM: Et alibi, DOMINUS *Deus cœli dedit mihi omnia regna terræ*. Verba sunt Cyri regis Persarum. ¶ *Justus est*] Sumptum à foro, ut & illud quod sequitur, *improbi sumus*. Nam in foro justus appellatur reus insons: contra improbus ibi dicitur qui sons est, ut apud Davidem, *cum litigabit exibit improbus*. ¶ *Orate*] Orate supplices. ¶ *Nam satis est*] Hæc parenthesi inclusimus. In Ebræo est ad verbum, *& satis est*. Quem locum alii aliter interpretantur. Hieron. ut ab eo incipiam, *orate* DOMINUM *ut desinant tonitrua Dei*, &c. omittit illud רב tanquam superfluum, aut interpretatur pro eo, *ut desinant*. Sic οἱ ό, καὶ παυσάσθω τοῦ γενηθῆναι, & desinant fieri. Non concilio cum veritate Ebraica. Nam id mihi ἀδύνατον. רב enim significat multum esse, non desinere aut cessare. *Magnum coram me est lucrum*. Munsterus. An legit קדמי, coram me? si aliter legit malè vertit. Onkelos, *Multa coram eo respiratio ut non sint voces maledictionis quales ista sunt à* DOMINO, *& grando*. Jonathan, *Et sit multum coram eo* (i. sufficiat ei) *ne sint voces maledictionis à* DOMINO *& grandines*. R. Salomo, *Sufficiat ei hoc quod jam descendere fecit sive dimisit*. Santes, *Et sufficiet ne sint voces Dei*. Munster. *Multum enim est ut fuerunt*. Idem in notis, *Plus tonitruorum est quàm hactenus esse consuevit*. q. d. *abunde sat est: si non fuerint tonitrua dimittam vos*: Leo Judæ, *Et abunde sat si non fuerint*. Vatablus, *Et sufficiat illi, ita ut non sint*. Editio Gallica, *Suffiçat & ne sint amplius*. Lippomanus, *Multum est enim ut fuerint*. *Alii malunt, sufficiat ut non sint*. Vide sequentia. ¶ *Voces Dei*] Sic Græci Φωνὰς Θεοῦ. Minus benè Hieron. *tonitrua Dei*. Nam *voces Dei* aliud nihil sunt quam tonitrua. Aut *tonitrua Dei* i. magna, vehementia, fortia, ut *ventus Dei*, *montes Dei*, *flamma* DOMINI, *vox Omnipotentis*, &c. Job. 38. 35. *An emittes fulgura & obambulabunt?* R. Levi recenset duo genera tonitrui. *Unum est*, inquit, *quod obambulat cum in terram descendit, & vocatur vulgo* פודרש *foudres: alterum est quod recto motu descendit & vocatur vernaculè* לאמש *lames*. Hæc ille. Dixi tonitrus esse quos Ebræi vocant voces Dei. Sic apud Davidem, *Vox* DOMINI *frangit cedros*: & alibi, DOMINUS *emisit* (*dedit*) *vocem suam*. Pro eo absolutè dicunt *voces*. Cui simile, ut cum *via* ponitur pro via DOMINI, & *sermo* pro sermo DOMINI. Hoc pono non statuo. ¶ *Non addetis manere*] Non amplius hic manebitis לעמד ad verbum *stare*. i. manere, μένειν. Hieron. Lxx. aut morari, cunctari. On. Jonathan. Sic Gen. 45. 9. *Descende ad me, ne stes*. Hieron. *ne moreris*. Alius, *ne tardes*. morari i. אתעכב. Fagius *moram facere*. Supra 8. 18. עמד moratur, manet.

29. *Dixitque ad eum Moses, Cum egressus fuero urbem expandam manus meas ad* DOMINUM, *voces cessabunt, & grando non erit amplius ut cognoscas* DOMINI *esse terram*.

30. *Te autem & servos tuos novi nondum timere à facie* DOMINI *Dei*.

Cum egressus fuero urbem] ὡς ἂν ἐξέλθω τὴν πόλιν. Ebraicè את העיר. Hieron. *de urbe*. Onkelos מן קרתא ex urbe. perinde est. Jonathan מכוון לקרתא propriè urbem. Sed cur non erat in urbe? An propter Deos falsos, qui colebantur ibi? sed etiam, ut credibile est, in agro colebantur. Abenezra, *Dicunt expositores quod non potuerit manus expandere in Ægypto quoniam plena erat idolis*. R. Salomo, *In urbe non orat quia erat plena diis falsis*. Aliter R. Levi, quem te adire cupio. ¶ *Expandam manus meas*] Gestus precantium. Ideò Jon. & On. addunt בצלו in oratione. Lxx. ἐκπετάσω τὰς χεῖράς μου πρὸς τὸν Κύριον. ¶ *Manus meas*] Hieron. *Palmas meas*. Ebraicè autem est כפי volas meas. sed pro manu ponitur. Itaque On. & Jon. ידי manus meas. ¶ *Voces cessabunt*] Videtur abesse copula, ut sit, & *voces cessabunt* i. voces Dei sive tonitrus. ¶ *Grando*] ἡ χάλαζα, grando illa. ¶ DOMINI *esse terram*] Si DOMINI est, non tua est. Cur ergo nos detines in terrâ alienâ, contra expressum ejus, cujus hæc terra est, mandatum? ¶ *Te autem & servos tuos*] ואתה ועבדיך & tu & servi tui. Vult dicere, quod te & servos tuos attinet. Hieron. *Novi quod tu & servi tui*. Licet vertere, *Tu autem & servi tui novi quod nondum timeatis à facie* DOMINI. Sententia in idem recidit. ¶ *Nondum*] Vel, *necdum*. Ità Hieron. Ebraicè est טרם. Quod in hac significatione novum. Lxx. οὐδέπω. Santes, *nondum*. Nec aliter Tremel. Onkelos, *Quod hucusque sive hactenus non humiliatis estis*. Jonathan, *Donec dimiseritis populum meum non timebitis à* DOMINO *Deo*. R. Levi, *Quanquam tu & servi tui non quod prius timeatis à facie* DOMINI *Dei*. Vult dicere, ante remotam plagam. Ea remota rursum ad ingenium redîtis. Pulchra expositio. Nam טרם pro nondum sive necdum non memini legere. Quanquam à Jario exponatur עד לא quem Abenezra refutat. Sed ἐπέχω. Nam Genes. 2. 5. Tremel. *nondum*: & infrà 10. 7. Aquila ἔτω. Onkelos *hucusque*. R. Salomo ait semper ita significare. Hic Abenezræ dicitur עבר שלא si non alius est. ¶ *A facie* DOMINI *Dei*] *Ob præsentiam* DOMINI *Dei*. Tremel. *Necdum timeatis* DOMINUM *Deum*. Hieron. Timere DOMINUM & à DOMINO synonyma sunt. Post טרם Abenezra subaudit, expando manus meas q. d. antequam ad Deum precor, timetis Deum, &c. Saadias, *Priusquam timebatis Deum & linum & hordeum læsum erat*.

31. *Et linum & hordeum læsum fuit, quia hordeum culmum, & linum calamum*.

32. *Triticum vero & far non sunt percussa, quia latentia erant*.

Linum] Τὸ λίνον. Chaldaicè כתנא unde כתנת propriè linea tunica, ex quo Græcum ὁ χιτών. ¶ *Hordeum*] ἡ κριθή. Chaldaicè סערא ex quo contractum ערא in Jonatha; sed in Onkelo סערי & לחמא πληθυντικῶς. ¶ *Læsum fuit*] נכתה Lxx ἐπλήγη. Hieron. *Læsum est*. propriè *percussum est*. On. לקו *percussa sunt*. Jonathan לקיו addita Nun per paragogen, tanquam à לקי: prius est à לקא percussit. Ordines sæpè ita confunduntur. ¶ *Culmus*] Sub. *erat*. i. in culmum assurrexerat. Ebraicè אביב. Hieron. *virens*. Sant. *viride*. Lxx. παρεστηκυῖα, quod reddunt, *ad vigorem venerat*. Jonathan הוה כבירא, id non intelligo. On. אביב. Fagius, *maturuerat*. Munsterus, *maturescebat*. Editio Gallica, *erat in spica matura*. R. David, אביב *spica cum calamo, spica virens adhuc*. Cajetanus, *Juxta Ebræum habetur primitivum*. Legendus R. Salomo. Lippomanus, *Erat virens aut in spica, utrumque* אביב *significat*. ¶ *Calamus*] In calamum assurrexerat sive in calamo erat, ut littera ב subaudiatur היתה בקנה. Ità R. David & post eum Elias Levites Germanus גבעל calamus lini, ut אבש hordei aut tritici. Nos culmum interpretati sumus. Hieron. *Et linum jam folliculos germinabat*. Lxx. τὸ δὲ λίνον σπερματίζον. Linum verò semen faciebat. Onkelos, גבעלין i. interprete Fagio, *jam folliculos protulerat*. Jonathan עבד פוקלין. Quod alium interpretem requirit. In Aruch פוקלין exponitur נקי משתן linum purum sive mundum. Jerosolymitanus, *In calamos assurrexerat & abjecerat florem*. Lippomanus, גבעל *& folliculum & calamum significat*. Santes, *in calamo erat*. Editio Gallica, *le lin étoit en tujau*. Est autem *tujau* propriè ἔκφυσις τῆς χλόης, herba in quâ delitescit culmus cum arista priusquam exoriatur: item calamus. ¶ *Triticum vero*] ὁ δὲ πυρὸς, quod minus benè hîc reddunt, *frumentum*. Nam id latius patet. Ebræi recensent חטה inter frumenti genera, ut & כסמת de quo mox. Sic hordeum est genus frumenti i. דגן. Onkelos & Jonath. חטין in numero multitudinis. Arabes *Henta* dicunt & *Hanta*. ¶ *Et far*] Ita Hieron. alii *Zea*, quod idem est. Santes, *spelta*. Sic vulgò vocatur far. Porro zean & far idem esse docet Halicarnassæus libro secundo, τοῦ Φαρὸς, inquit, ὁ καλέομεν ἡμεῖς ζέαν. Lxx. hic habent, καὶ ἡ ὀλύρα. Id Herodotus idem esse testatur cum zea. Lex. vetus, ὄλυρα far, ador. Onkelos & Jonathan כונתא quod Fagius siliginem interpretatur. Meo judicio, nihil aliud est quam zea, quam Itali *speltam* vocant. In Lexico Chaldaico Munsteri כונתא & כונתין spelta. Vide Fragmenta. ¶ *Latentia erant*] i. latebant sub terrâ. ità Tremel. Vox Ebræa sig. propriè obscura sive caliginosa, quam alii serotina interpretantur. Sane Lxx. ὄψιμα γὰρ ἦν, & Hieron. *Serotina erant*. & Jonathan לקישן qua voce significantur ea quæ tardius & serius proveniunt è terra. Ebraicè אפילת & Chaldaicè אפילן in Onkelo; quod Fagius reddit, *serotina*. R. Salomo מאחרות tardina.

33. *Egressusque Moses urbem à Pharaone expandit manus suas ad* DOMINUM, *& cessarunt voces & grando & pluvia non fuit effusa super terram*.

34. *Videns autem Pharao quod cessasset pluvia & grando, & voces, addidit peccare & aggravavit cor suum, ipse & servi ejus*.

35. *Obfirmatumque est cor Pharaonis, & non dimisit filios Israel, quemadmodum locutus fuerat* DOMINUS *per Mosem*.

Urbem] Ex urbe. De אפילת Lippomanus, *Ubi serotinum legimus, Ebræi Aphiloth habent, quasi subobscura, nondum visibilia vel prodeuntia fuerint, sed latentia adhuc sub terra vel in gramine*. Abenezra, *Sensus est, quod fuerint adhuc sub terra, nec apparuerint*. Hoc noto, ne quis patrem hujus interpretationis existimet esse Tremellium. Nam ab his ille didicit. ¶ *Et pluvia non fuit effusa*] Cessabat etiam pluvia quæ prius cum grandine super terram effundebatur. Onkelos, *Et pluvia quæ descendebat non pertingebat terram*. Sic etiam Jonat. R. Salomo, *Non effusa est* i. *non attigit, etiam ea quæ erat in aere non pervenit ad terram*. Meo judicio, hoc non reticuisset Moses, si ità fuisset. Videndus R. Levi. Desideratur autem in Ebræo, *adhuc* aut *amplius*. Quod non latuit Hieron. cum ver-

teret, *nec ultra stillavit pluvia super terram.* Quæ Græcè leguntur in Edit. τῶν Lxx. καὶ ὁ ὑετὸς οὐκ ἔσταξεν ἔτι ἐπὶ τὴν γῆν i. non amplius stillabat. ¶ *Addidit peccare*] Iterum peccavit. supra vers. 27. *peccavi hac vice.* Hieron. *auxit peccatum:* alius, *perrexit peccare.* ¶ *Aggravavit cor suum*] Lxx. ἐβάρυνεν αὐτοῦ τὴν καρδίαν. Minus rectè Hieron. per impersonale, *ingravatum est cor Pharaonis.* ¶ *Ipse & servi ejus*] Non ergo culpa sola Pharaonis erat, sed etiam servorum ejus. ¶ *Locutus fuerat*] *Prædixerat.* Tremel. ¶ *Per Mosem*] בְּיַד מֹשֶׁה per manum Mosis. Lxx. τῷ μωυσῇ. ¶ *Obfirmatum est*] Lxx. ἐσκληρύνθη. Hieron. *ingravatum est.* וַיִּכְבַּד.

AMAMA.

3. **E**Bra. *Ecce manus DOMINI erit* בְּמִקְנְךָ *in pecus tuum quod in agro est.* Vulg. *Manus mea erit super agros tuos.*

Sic & Græci, ἰδοὺ χεὶρ Κυρίου ἔσται ἐν τοῖς κτήνεσί σου τοῖς ἐν τοῖς πεδίοις. Et Chald. בִּבְעִירָךְ דִּי בְּחַקְלָא. Ipse Cajet. hoc agnovit.

15. Ebra. כִּי עַתָּה שָׁלַחְתִּי אֶת יָדִי וָאַךְ אוֹתְךָ וְאֶת עַמְּךָ בַּדָּבֶר וַתִּכָּחֵד מִן הָאָרֶץ Vulg. *Nunc enim extendens manum meam percutiam te & populum tuum peste, peribisque de terra.*

Si in Vulgati verba jurasti, meritò ex te quæram ubi hujus comminationis complementum sit. In mari suffocatum Pharaonem legimus, peste ablatum non legimus. Miror autem Cajetanum asserere submersionem illam vocari pestem, cum ante notaverit in textu Ebr. versum hunc per præterita legi. Melius mentem Mosis assecutus est Fonseca ille, qui notas marginales Cajetani commentariis apposuit: sed quid nodum in scirpo quærimus? Textus Ebr. habet præterita, quæ pro imperfectis & plusquam perf. poni pueris notum est. Sic ergo vertendus locus, Fonseca teste, *Nam nunc extenderam manum meam ut percuterem te populumque tuum ut succideretis de terra.* 16. *Verum ob id*, &c. Vel sic, subaudito אִם si, *Nam* (si) *nunc extendissem manum meam & percussissem te & populum tuum peste, deletus esses de terra. Verum ob id*, &c. Quasi dicat, inquit, inquit P. Fagius, non defuisse sibi potentiam delendi ipsum cum suis peste eâ quâ pecora Ægyptiorum ceciderant, sed se reservasse cum potentiæ suæ declarandæ. Ita R. Salomo, cujus hæc verba, כִּי אִלּוּ רָצִיתִי כְּשֶׁהָיְתָה יָדִי בַּמִּקְנֶה שָׁם יַחַד בַּדֶּבֶר שִׁלַּחְתִּיהָ וְהִכֵּיתִי אוֹתְךָ וְאֶת עַמְּךָ עִם הַבְּהֵמוֹת וְנִכְחַדְתָּ id est, nam si voluissem, cum erat manus mea contra pecus tuum cum perueterem illud peste, misissem eam quoque & percussissem te populumque tuum cum bestiis & succisus esses. Sic & Chald. *Quia nunc prope erat coram me*: i. parum aberat, *quin percussissem & misissem*, &c. Sed Vulgatus qui errantes Lxx. secutus est, non mirum si & ipse erraverit. Ut contra mirum quod Steuchus non observarit hunc errorem versionis, quâ nullam dicit esse elegantiorem & meliorem. Ostendimus jam omnibus fere locis discrepantiam Vulgatæ & Chaldaicæ Edit. de qua (Chaldaica) asseruit pag. 80. *eam semper veram inveniri* & pag. 138. *eam optimam & fidelissimam inveniri.* Quæ si verè de Chaldæa pronunciata sunt, non obscure Vulgatam damnavit, iis saltem locis ubi Chaldaicæ aut contraria, aut ab ea diversa est.

17. Ebra. *Adhuc tu* מִסְתּוֹלֵל בְּעַמִּי. Vulg. *Adhuc retines populum meum.*

Plus dicit vox Ebræa quam expressit Vulgatus. מסתולל enim nunquam signif. nudum *retinere.* Chaldæus Paraphrastes per כְּבַשׁ reddidit, id est subigere, subjugare vel retinere sub jugo ut vertit Fagius. Sed tamen nec is vocem Ebræam assecutus est. Cajetanus fatetur in Ebræo esse, *adhuc tu calcas in populo meo*, additque, *ad similitudinem enim calcantis opprimendo detinebat populum Israël.* Et Joh. Bened. Paris. Theol. *Adhuc tu te elevas in populum meum.* Sic est profecto, vox סָלַל duo significat, 1. *calcare*, unde interpretamentum Cajet. & R. Levi & R. Salom. qui itidem voce Gallicâ קל״ק calcare reddit, ut sit significatio ex מְסִלָּה (*via strata*) deducta. 2. *elevare*, quo respexit Benedictus. Certe מסלה via elevata. Optima hæc interpretatio, elevas, extollis te contra populum meum. Unde & Jon. magnifice extollis te. Aben. מתגאה gloriaris, effers te. Sunt & qui significationem hujus vocis ex סוללה deducunt, quæ vox *aggerem* significat, unde reddunt, *adhuc aggerem te ponis contra populum meum.* Metaphora ab iis sumpta qui aquarum erumpentium impetum objecto aggere cohibent. Sic Leo Judæ. Lxx. ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου *insultas populo meo.*

GROTIUS.

15. **N***Unc enim extendens manum percutiam te*] Rectiùs, *Nunc si extendissem manum meam, percussissem te.* Et sequentia: *Verùm ideò te sustentavi, ut ostendam robur meum.*

29. *Extendens palmas meas*] Mos orantium apud omnes ferè gentes. Lucretius:

Nec procumbere humi prostratum & pandere palmas
Ante Deûm delubra.

Seneca Oedipode:

Testor licet jam tollere ad cœlum piè
Puras nec ulla scelera metuentes manus.

Confer 1 Tim. 11. 8. Tertullianus Apologetico: *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis.* Et adversùs Judæos, *Expansis manibus orabat.* Idem dixit, *manus aperire* libro de Baptismo.

35. *Et ingravatum est cor ejus*] Græci, καὶ ἐβάρυνε Φαραὼ τὴν καρδίαν αὐτοῦ [*& gravefecit Pharao cor suum*].

CARTWRIGHTUS.

3. דֶּבֶר *Pestis*] Onk. מותא *mors.* Vide suprà ad cap. 5. 3.

4. וְהִפְלָה יהוה *& separabit Dominus*, &c.] Vulg. *Et faciet Dominus mirabile.* Vide ad cap. 8. 22.

6. *Et moriebantur omnia pecora Ægyptiorum*] R. Sal. infrà ad vers. 10. quærit quomodo super bestias essent ulcera, cum hic dictum sit omnia pecora peste fuisse absumpta; ac respondet hanc pestis plagam ad ea tantùm pecora spectasse, quæ erant in agris, quoniam vers. 3. dicitur, *Ecce manus Domini est super pecus tuum, quod est in agro*; qui autem timebant verbum Domini, pecus suum in stabula collegisse; vide vers. 20. Abenezra exponit כל מקנה *universum pecus* per רוב i. e. *magna ejus pars*: & in testimonium adducit illud de grandine. vers. 25. Collatum cum illo de locustis, cap. 10. 15. Atque ea ratione hæc expositio alteri præferenda videtur, quòd ad hunc modum id quod de grandine dicitur, nempe omnem herbam agri, omnemque arborem percussisse, intelligatur necesse sit. Alias quasdam expositiones recenset Manasses Concil. quæst. in Exod. 9. sed quia minùs mihi probabiles videntur, eas prætermittendas censeo.

8. *Sumite vobis volas vestras plenas* פִּיחַ כִּבְשָׁן *favillæ fornacis.*] R. Sal. interpretatur פיח *piach*, דבר הנפח מן הגחלים עמומים הנשרפים בכבשן i. e. *id quod difflatur à carbonibus absconditis, qui in fornace ardent.* Favillam videtur intelligere. Addit פיח ab efflando sic dictum esse, לשון הפחה quòd nimirum flatu venti dispellatur. שהרוח מפיחו ומפזרו.

9. לִשְׁחִין *in ulcus*] R. Sal. ait vocem istam calorem denotare לשון חמימות, atque in Misna frequenter usurpari. Eo etiam sensu in Targum sæpè reperitur. שחין *Shechin* igitur significat istiusmodi ulcus, quod inflammationem secum conjunctam habet.

פֹּרֵחַ אֲבַעְבֻּעֹת *pullulans pustulis*] Onk. בְּנֵי אַבְעִבוּעִין *plenum pustulis.* Jon. מלי שלופקין quòd idem sonat. Hierol. שלובקין cum ב, literæ istæ ב & פ sunt ejusdem organi, nempe labiales, ac facilè inter se permutantur.

Et super bestiam] Vide ad vers. 6.

11. הַחַרְטֻמִּים *magi*] Jon. איצטגניני *astrologi.* Vide ad cap. 7. vers. 11.

14. *Omnes plagas meas*] R. Sal. ait hinc disci plagam primogenitorum instar omnium plagarum fuisse. At de ista plaga speciatim nondum est sermo; nam tres aliæ plagæ adhuc ante istam erant infligendæ. Abenezra interpretatur de plaga proximè sequente, in qua fuit quædam plagarum congeries, cum tonitrua & grando, & pluvia, & ignis simul conjuncta fuerint. Ego verò de universis, quæ adhuc restabant, plagis intelligendum arbitrarer, nisi forte verba ista huic expositioni obstiterint בפעם הזאת *hâc vice*, quæ innuere videntur, istas plagas, quæ jam proximè, & simul mitterentur, esse intelligendas. Observat etiam Abenezra Pharaonem ad hanc proximè sequentem plagam plus quàm ad omnes præcedentes trepidasse, ac dixisse, *Dominus est justus.* Ista Abenezræ expositio visa est placere Fagio, qui etiam notat à Domino dictum. *Hac vice ego mittam omnes plagas meas in cor tuum*; *Q. d. Ego cor tuum tangam plagis meis, ut potentiam meam & sentias, & agnoscas, quam & ferre cogeris, quantumvis resistas. Ego talibus plagis vos percutiam, ut etiam in corda vestra penetrent, ut summo dolore, & timore afficiant corda vestra.*

15. כִּי עַתָּה שָׁלַחְתִּי אֶת־יָדִי וָאַךְ אוֹתְךָ וְאֶת־עַמְּךָ בַּדָּבֶר וַתִּכָּחֵד מִן־הָאָרֶץ *Nam nunc extenderam manum meam, & percusseram te ac populum tuum peste, ut succidereris è terra.* Sequitur vers. 16. *Veruntamen propter hoc feci te subsistere*, &c. Onk. *Nam nunc prope erat coram me, ut misissem etiam plagam meam fortem* (ad verb. *plagam fortitudinis meæ*, ית מחת גבורתי) *& percussissem te, & populum tuum morte, atque deletus esses de terra. Veruntamen propter hoc in vitâ te conservavi*, &c. Ad eundem ferè modum R. Sal. exponit; *Si voluissem, cum manus mea erat super pecora tua, quæ peste percussi, immisissem eam, & percussissem te, & populum tuum unà cum bestiis, & excisus esses*

esses è terra. Sed propter hoc feci ut subsisteres, &c. Eandem fuisse sententiam Abenezræ, apparet ex iis quæ de voce, הכתי scribit, nempe sensum esse, *Illa notâ peste, quâ pecora vestra interfeci, similiter vos homines universos unà cum iis interfecissem.* Lxx. Νῦν γὰρ ἀποστείλας τὴν χεῖρα πατάξω σε, &c. *Nunc enim mittam manum, & percutiam te*, &c. Vulg. *Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste*, &c. Fagius notat omnes ferè nostros interpretes hallucinatos esse in vertendo & intelligendo isto versu. Per futurum enim reddere, quasi Deus novam plagam sit immissurus, quâ & regem & populum sit deleturus. *Sed ubi quæso* (inquit) *Rex Pharao & populus peste deletus est, cum in mari omnes suffocati fuerint?* Similiter Amama, *si* (inquit) *in Vulgati verba jurasti, meritò ex te quaram ubi hujus comminationis complementum sit. In mari suffocatum Pharaonem legimus, peste ablatum non legimus.* Mox. *Sed quid nodum in scirpo quærimus? Textus Ebræus habet præterita, quæ pro imperfectis, & plusquam perfectis poni pueris notum est. Sic ergo vertendus locus*, Fonseca teste, *Nam nunc extenderam manum meam, ut percuterem te, populumque tuum, ut succidereris de terra.* 16. *Verum ob id*, &c. *Vel sic, subaudito* אם *si, Nam (si) nunc extendissem manum meam, & percussissem te & populum tuum peste, deletus esses de terra. Verum ob id*, &c. Ita Fagius asserit hunc locum ex veritate Hebraica ita debere intelligi, *non quod Deus hîc comminetur pestem, quâ Pharaonem, & populum ejus perdere ac de terra delere velit; sed quod indicat sibi non defuisse potentiam delendi ipsum cum universo populo suo, si voluisset, peste scilicet eâ, quâ pecora illorum peremerat. Sed reservasse eum adhuc majoribus & gravioribus rebus, unde futurum sit, ut magis universo orbi potentia ac virtus sua innotescat. Quod factum est, quando cum toto exercitu suo in mari suffocatus fuit.* Propterea versum istum *ex veritate Hebraica ita legendum esse ait, quoniam nunc extenderam manum meam, ut percuterem te.* Vel, *si nunc extendissem manum meam, & percussissem te, & populum tuum peste illâ, deletus esses de terra. Quasi dicat facillimè potuissem te peste illâ perdere, quâ perdidi animantia, & jam actum esset de te, & de populo tuo; sed reservavi te*, &c.

16. ואולם בעבור זאת העמדתיך *Veruntamen propter hoc, feci te stare*] Vide ad vers. 15. Vulg. *Idcircò autem posui te.* Lxx. Καὶ ἕνεκεν τούτου διετηρήθης *& propter hoc conservatus es.* Apostolus autem Rom. 9. 17. εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, *In hoc ipsum te excitavi.* Quomodo autem accommodatio hujus loci ab Apostolo facta consentiat Expositioni Chaldæi Paraphrastis, & R. Salomonis, quæ Fagio ac Amamæ germana visa est, ac mihi (fateor) arridet, quærendum censeo.

בעבור הראתך את־כחי *Ut ostendam tibi potentiam meam.*] Ad verbum *ut faciam te videre potentiam meam.* Sic Psalm. 4. 6. מי יראנו טוב *Quis faciet nos videre*, i. e. *Quis nobis ostendet bonum?* Vulg. *Ut ostendam in te fortitudinem meam.* Lxx. ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν ἰσχύν μου. Similiter Apostolus Rom. 9. 17. ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, *ut ostendam in te potentiam meam.* Sic interdum affixa verbis adduntur, ita ut præpositio aliqua, cui affixa ista addi debeant, intelligatur, etiamsi frequentiùs (opinor) in verbis intransitivis id usu venire soleat. Ut Psalm. 5. 4. לא יגורך רע *non commorabitur tecum malus* sive *malum.* Ubi יגורך idem valet quod יגור עמך ut explicat Kimchi, qui notat ita dictum Job. 31. 18. גדלני pro גדל עמי *educatus fuit mecum.* Atque addit multa esse similia. Ita hic הראותך pro הראות בך.

17. עודך מסתולל בעמי *Adhuc tu attollis teipsum adversus populum meum*] Onk. כבישת ליה לעמי * *subjugas populum meum.* Jon. אנת מתרברב בעמי *magnificè te geris, adversus populum meum.* Lxx. ἔτι οὖν σὺ ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου; *adhuc igitur tu insultas populo meo?* Vulg. *Adhuc retines populum meum.* Vim vocis Hebrææ non expressit. סלל est *calcare*, item *elevare* מסלה est *via elevata.* In Targum dicitur אורח כבישא *via subjugata*, seu *strata*, ut notat R. Sal. † qui propterea Onkeli interpretationi hoc in loco suffragatur, licèt nec eum vocem Ebræam assecutum esse dicat Amama, qui addit optimam hanc esse interpretationem, *elevas, extollis te contra populum meum.* Fagius similiter exponit; item *Adhuc tu calcatorem populi mei te facis.* Addit autem alios legere; *Adhuc aggerem ponis* (סוללה est agger) Ut sit sumpta Metaphora ab his qui erumpentium aquarum excursionem ac impetum, opposito aggere cohibent, ne latiùs evagentur. Abenezra exponit מתנשא *te jactas*, sive *effers.*

18. כעת מחר *Juxta tempus hoc cras*] R. Sal. כעת הזאת למחר *Juxta hoc tempus crastinæ diei.* Atque addit Mosen incisuram fecisse in pariete, ac dixisse, *Cras cum Sol huc pervenerit, descendet grando.* Quod nisi illustrandæ tantùm rei causâ dictum sit, pro commento Rabbinico meritò habeatur.

19. העז את־מקנך *Recipe pecus tuum*] Onk. כנוש *Congrega, collige.* Atque isti expositioni R. Sal. suum apponit calculum. Atque eâ significatione usurpari verbum istud asserit, Isai. 10. vers. 31. ישבי הגבים העיזו Abenezra exponit, הנס או אסף * *fac fugere*, vel *recipe*, ac similiter istum Isaiæ locum citat. Bootius animadv. lib. 1. cap. 10. contendit verbum העיז congregandi ac colligendi significationem non habere, sed quendam fugæ intellectum ei inesse; Atque Abenezram, Isai. 10. rectè explicare הבריח *fugâ subduxit.* Mercerum etiam citat in Dict. Pagn. asserentem genuinam significationem esse *recipere & colligere in locum tutum.* Certè quod in hoc loco dicitur העז vers. sequente dicitur הניס *fecit fugere*, seu *fuga subduxit.*

ולא יאסף הביתה *Et non recipietur domum*] Onk. ולא יתכנש לביתא *& non congregabitur, vel colligetur domum.* Verbum אסף *Asaph* plerumque congregandi, & colligendi significationem habet, hic autem ubi passivum est reddi debet *recipi*, uti notat Bootius loco suprà citato, quemadmodum Jer. 4. 6. האספו *recipite vos.* & Psalm. 104. 22. יאספון *se recipient.*

22. *Extende manum tuam versus cælum*] Abenezra ait per modum conjecturæ videri (בדרך סברא יראה) istam manûs extensionem baculo factam fuisse; quia mox sequitur, *Et extendit Moses baculum suum versus cælum.* At inde res aperta, ac extrà dubium posita esse videtur.

23. ותהלך־אש ארצה *Et cucurrit* (Ad verb. *ambulavit*) *ignis humi*] Abenezra notat hoc contra naturam ignis fuisse, quippe qui in sublime ferri solet.

24. ואש מתלקחת בתוך הברד *Et ignis se recepit in medium ignis*] Vel *intra ignem.* Sensus est, ignem grandine permixtum fuisse. † Sic (ut notat R. Sal.) *fuit miraculum intra miraculum* נס בתוך נס *Ignis & grando inter se permista fuerunt, cum grando sit aqua (nempe concreta & condensata) ut voluntati creatoris sui obtemperarent pacem inter se fecerunt.*

25. *Et omnem herbam agri*, &c.] Abenezra (ut notatum supra ad vers. 6.) interpretatur omnem herbam, id est, magnam partem herbæ; quia infrà cap. 10. 5. dicitur locustas absumpturas id quod grando reliquerat. R. Sal. ad vers. 32. ait intelligi posse de herbis caulem habentibus, quæ grandinis percussioni sunt obnoxiæ.

28. ורב *Nam sufficit*] Onk. וסגי קדמוהי רוח *& multa est coram eo dilatatio.* Sic Fagius vertit; in Annotationibus autem ait diversam hic esse lectionem; id vult verba Onkeli diversimodè exponi. Juxta versionem istam sensum esse, *Intercedite pro me, & populo meo apud Dominum, nam licet magna, vehemens & terribilis est hæc plaga, tamen Deus facile potest efficere ut desinat, quo dilatationem sive respirationem habeamus.* ut vox רוח opponatur τῷ עקא angustiæ. Alios autem legere, *& sufficiat coram eo lucrum.* Nam רוח *Revach* etiam pro lucro usurpatur. q. d. *Satis lucratus est Dominus plagis istis suis, maximè hâc plagâ grandinis; satis sumus humiliati, agnovimus ejus potentiam, quid possit & valeat. Fatemur nos impios & injustos esse, illum verò pium & justum esse.* Quosdam denique ita legere, *Magnum coram* ‡ *me est lucrum.* Q. d. *Satis lucratus sum, si effeceris precibus tuis apud Dominum, ut desinat grando & tonitrua*, &c. Quicquid sit de Onkeli interpretatione, R. Sal. Hebræum Textum non ineptè mihi videtur explicare, די לו במה שהרביר כבר *Sufficiat ei id quod dimisit.* Quemadmodum Horatius dixit, *Jam satis terris nivis atque diræ Grandinis*, &c. Lxx. Et Vulgatus istud ורב omiserunt, neque enim in eorum versionibus quicquam, quod ei respondeat, invenio.

קלת אלהים *Voces seu tonitrua Dei*] Potest exponi, *magna & miranda tonitrua.* Nam nomen Dei rebus ad magnitudinem earum indicandum apponi solet. Vide quæ annotavimus ad Gen. 30. 8. Vel sensus esse potest, *tonitrua à Deo missa.* Onk. & Jon. קלין דלוט מן קדם יי *tonitrua maledictionis à conspectu Domini.* Sic etiam vers. 33. pro קלות *voces*, seu *tonitrua*, Jonath. habet קלין דלוטין & vers. 34. קלייא דלוטין *voces seu tonitrua maledictionis.*

30. טרם תיראון וגו׳ *Nondum timebitis*, &c.] Onk. עד כען לא אתכנעתון *adhuc non humiliati estis.* Similiter R. Sal. exponit עדין לא תיראון *adhuc non timebitis.* Atque asserit טרם *Terem* semper in Scriptura significare עדין לא *adhuc non* seu *nondum*, non autem קודם *prius.* (a) Abenezra autem ait post טרם semper sequi דגשין

* *Onk. etiam vers.* 20. *pro* הניס *habet* כנש. † *Similiter Abenezra*, פלא בתוך פלא miraculum in medio miraculi. ‡ *At* קדמי *est* coram me קדמוהי *est* coram eo. (a) *Lud. de Dieu ad Gen.* 2. 5. *ait eos qui volunt* טרם *semper significare* antequam, *cogi vim inferre huic Exodi loco; item illi* 1 *Sam.* 3. 7. *Atque ideo existimat per se semper denotare* nondum; *addito autem Beth*, בטרם *significare* antequam; *q. d. in nondum, quam nondum. Interdum autem simplex* טרם *idem valere ut Psalm.* 119. 67. טרם אענה אני שגג nondum humiliabar, ego orabam; *i. e. quum nondum antequam humiliabar.*

דבר rem ipsam, seu negotium de quo agitur, Ut Gen. 19. post שכבו טרם scribitur 'ואנשי העיר וגו *& viri civitatis*, &c. Et similiter in aliis exemplis, quæ adducit. Refert igitur R. Saadiam sic conjungere cum sequentibus, *Antequam timuisti, & confessus es, & dixisti, Jehova justus est, jam percussum est linum & hordeum.* Quasi dixerit Moses Pharaoni, *ego orabo ut removeatur hac plaga grandinis, sed quod perdidit, perdidit. Linum & hordeum jam percussa sunt, ea non restituentur, nec ut ea sanentur, orabo.* Ista autem est prorsus coacta Expositio. Ipse igitur Abenezra putat aliquid esse subintelligendum quasi Moses diceret, *Antequam ego extendero manus meas, vos timetis Deum, tu & servi tui.* Hoc autem dici ait דרך כוסר *per modum increpationis*, ac sensum esse, *remotâ plagâ rebellabitis.* Mihi Onkeli & R. Salomonis expositio simplex & genuina videtur.

29. *Cum egressus fuero ex urbe*] R. Sal. ait Mosen, dum in urbe esset, non potuisse orare, propterea quòd urbs idolis plena esset. Abenezra etiam refert istam rationem, cur Moses urbe exiverit, ab interpretibus esse assignatam. Dixerim potius Mosen ideò exiisse, ut à turba semotus commodiùs orationi vacaret. Sic in Evangelio, Christus in montem ad orandum exiisse legitur.

32. כִּי אֲפִילֹת הֵנָּה *Quia serotina erant.*] Sic Vulg. Similiter Lxx. ὄψιμα γάρ ἦν. Ita etiam R. Sal. אפילות exponit אפלות מאוחרות *serotina.* Addit ea adhuc tenera fuisse, atque inde factum, ut grandine non læderentur. Vide suprà ad vers. 25. Quoniam autem אפל significat obscurum, & tenebrosum, ideò Abenezra ait sensum esse, שהיו עוד תחת הארץ ולא נראו *quod fuerunt adhuc sub terra, ita ut non viderentur.* Fullerus Miscel. lib. 3. cap. 11. testatur R. Davidem hanc pariter atque alteram afferre interpretationem, priori autem ipse adhærescendum putat. Ex Plinio enim ostendit, in Ægypto hordeum sexto à satu mense, frumenta septimo meti solita; unde colligit fieri non potuisse, ut tanto temporis spatio hordeum anteverteret triticum & zeam, quantum interfuisse necesse est, si cum hordeo spica esset mutica, triticum & zea adhuc sub terra latitarent. Concedit Fullerus vocem אפלות commodè reddi posse *obscura*; obscurum quippe dici solere, non quod omninò non videtur, sed quod parùm ac tenuiter. Id tamen magis probat, ut interpretatio ista *serotina* retineatur. Nam propriam istius latinæ vocis significationem propriæ vocis אפילות significationi admodum esse affinem. Nec enim aliud esse ὀψίαν vel serum dici, quàm ipsius diei אפלה i. e. caliginem seu obscuritatem, aut saltem tempus diei in obscuritatem seu caliginem jam vergentis. Et metaphoricam illius latinæ vocis acceptionem, metaphoricæ hujus Hebrææ acceptioni ex æquo respondere. Utrumque siquidem nomen in utroque idiomate denotare id, quod tardiùs maturescit. Addit hinc, quod in textu sacro narratur, hordeo læso incolume mansisse triticum, statim patere, utique id optimâ contigisse ratione. *Quippe* (inquit) *quum hordei propè jam maturi culmus, aliquantum arefactus, ideoque induratus, non cederet ictibus grandinis, sed obniteretur, itaque continuo frangeretur. Triticum autem, tenerum adhuc, & in herba veluti abditum, lenta flexilique suâ mollitia satis quidem tuto procellæ impetum devitaret, & ingruentes ictus declinaret, atque subterfugeret.* Idem porrò vir doctissimus monet mirum non esse, si apud Ægyptios messis hordeacea, contrà quàm apud nos, prior fuerit triticeâ. Nam ex cœli lenissima ac suavissima temperie, qua nos multum superant Ægyptii, ingens operum rusticorum discrimen oriri, ut aliis in rebus, sic potissimùm in serendi, metendique temporibus.

33. *Et expandit manus suas ad Dominum.*] Onk. & Jon. *Et expandit manus suas in Oratione ad Dominum.*

34. וַיַּכְבֵּד לִבּוֹ הוּא וַעֲבָדָיו *Et ingravavit cor suum, ipse & servi ejus.* Lxx. καὶ ἐβάρυνεν αὐτοῦ τὴν καρδίαν, καὶ τῶν θεραπόντων αὐτοῦ, *Et ingravavit cor suum, & (cor) servorum suorum.* At illud aliud est ab eo quod in textu Hebræo habetur. Hebraicæ autem veritati conformis est Chaldaica Paraphrasis ויקריה ללביה הוא ועבדוהי. Vulgatus ambiguè, *Et ingravatum est cor ejus, & servorum illius.*

I D E M.

9. לִשְׁחִין *in ulcus*) Vox Hebræa (teste Kimchi in Rad.) significat plagam, quæ ex calore quolibet præterquam ignis provenit. הוא נגע הבא מצד חמימות זולתי האש, Sic (inquit) Doctores dicunt, איזהו שחין לקה בעץ או באבן או בזפת או במי טבריא *Quid est Schechin? Quando quis percussus est ligno, vel lapide, vel pice, vel aquis calidis.* Ad verbum, *aquis Tiberiadis.*

32. כִּי אֲפִילֹת הֵנָּה *Nam serotina erant.*] Kimchi* primò exponit אפלות מוסתרות תחת הארץ *obscura, & abscondita sub terrâ.* Deinde addit, exponi posse מאוחרות *Serotina:* atque isto sensu vocem illam à Rabbinis usurpari testatur.

I D E M.

10. אֲבַעְבֻּעֹת] Dicit vocem istam denotare pustulas, quæ oriuntur in cute, easque vocari בועות, sed quia multæ erant, & inter se consertæ ac complicatæ (בועות ונקפות זו עם זו) ideò geminatis literis vocari אבעבועות.

14. *Hac vice*, &c.] Existimat illud, *hâc vice*, non ad plagam grandinis duntaxat, sed ad eam pariter ac reliquas, quæ sequuntur, plagas esse referendum. Nota autem Abrabanelem à R. Salomone hic aliam secutum esse lectionem, quàm quæ in Buxtorfianis Bibliis habetur: nam in eis ita, ut supra ad hunc locum notavi, legitur, Abrabaneel autem pro מכת בכורות *plaga primogenitorum*, legit מכת בצורת *plaga penuria* seu *famis*, atque glossam ejus eâ ratione refellit, quòd penuria non ex plagâ grandinis, sed ex plagâ locustarum orta sit.

29. *Cum egressus fuero ex Urbe*, &c.] Ait Mosen extra Urbem domum quandam habuisse, in quâ semotus à turbâ commodiùs orare posset. Quin & id, quod valdè mirum mihi videtur, addit, domum istam adhuc manere, ac Deo dicatam esse, omnesque in istis partibus habitantes Judæos illic festa celebrare חגים שם.

C A P. X.

M U N S T E R U S.

2. F*Eci*] Sic Onkelos vertit. K. verò sic exponit, *quibus ostendi opera mea terribilia atque magna.*

4. *Locustam*] Habet locusta in Hebræa lingua nomen ארבה à verbo רבה, quod *multiplicari* significat, eò quòd insectum illud semper in immensum multiplicari soleat numerum, שהוא יותר רב ממינים אחרים, ut A. E. scribit. Causam hujus plagæ scribunt Hebræi fuisse, שהיו מצרים המצריים לישראל לכו ונטעו לנו אילנות ושמרו פירותיו, *quòd coegerunt Ægyptii Israelitas ad plantandum arbores, & custodiendum fructus eorum.*

7. *Nondum scis?*] Capitur hic טרם pro עדיין לא, *adhuc non*, sicut & supra Gen. 2. Alii sic vertunt, *Visne prius experiri Ægyptum esse perditam?*

8. *Reductus est*] Est verbum הושב hîc passivum Hiphil, à radice שוב *reversus est.*

10. *Videte quia malum*] Abraham Hispanus dicit quòd primò abitum concesserit, quando dixit, *Sit ità*, & *sit Dominus vobiscum*; sed intuens Mosen & Aharon, suspicatus est dolum subesse, ideo subjecit, *Videte, malum ex facie vestra dignoscitur; & idcirco non fiet juxta postulationem vestram; nam fugam meditamini.*

11. *Ejecit eos*] Subaudiendum est מגרש, *ejector.* Et vocatur talis loquendi modus לשון קצר, *locutio truncata.*

19. *Vertit ventum*] h. e. Ventum Orientalem, qui adduxerat locustas, vertit in ventum ab Occidente flantem, quem Hebræa lingua vocat *ventum maris*, eò quòd mare Mediterraneum sit ad Occidentem respectu terræ Promissionis. ¶ *Concussitque*) h. e. Cum magna collisione & fragore dejecit eas in mare Rubrum. Vocant proinde Hebræi mare Rubrum *mare Suph*, h. e. *procellosum*, vel *fruticosum.* Significat enim סוף & *procellam*, & *fruticem* seu *caricem.*

21. *Quæ palpari possint*] Verbum Hebræum מש duo significat, videlicet *auferre* & *tangere.* Et sunt multi qui post Chaldæum interpretem exponunt pro primo significato, & tunc is erit sensus, *& auferat tenebras*, h. e. inductæ tenebræ auferant tenebras noctis, sicut lux major tollit minorem. Secundùm alios capitur hic מש in secundo significato, & est tunc hyperbolica locutio. Non enim tenebræ quantumlibet densæ palpari possunt, cùm præter nudam lucis privationem nihil sint. Hebræi more suo hic egregiè delirant quando sic scribunt, vocantes tenebras illas tenebras gehennales, הביא הב"ה חשך גיהנם על המצריים ומי שהיה יושב לא יכול לעמוד ומי שהיה עומד לא היה יכול לישב מפני כובד החשך והביא ה' עליהם חשך מפני שהיו פושעים בישראל ובקשו ה' להמיתם בשלשת ימי אפלה כדי שלא יראו המצריים במפלתם וישמחו עליהם.

25. *Remaneant*] Hebr. *collocati sint parvuli vestri*, scilicet in loco suo, & non abeant vobiscum.

26. *Faciamus*] Capitur hic *facere* pro *offerre*; sicut & paulò post, *servire* pro *sacrificare* transumitur.

* *In radice* אפל.

F A G I U S.

5. **E***T operiet radios solis*, &c.] Sensum expressi. Nam aliàs ad literam est, *Et operiet oculum solis terra. Oculum* autem pro splendore & radiis solis accipit.

10. *Sit ità verbum Domini vobiscum*] Μυκτηρισμὸς est, sermo cum naso & sanna, *Sic fiat Dominus vobiscum quemadmodum dimissurus sim vos cum parvulis vestris.* ¶ *Videte quòd malum vestrum.*] Imper. est loco Indicativi, at cum interrogatione quadam, q. d. Videtis quòd malitia vestra quam cogitatis revertetur in vos: vel, Videtis quòd malum est vobis proximum: vel, Videte quòd malum vobis propositum est, h. e. Quivis potest videre quòd aliquid mali moliamini: ex vultu vestro hoc ipsum apparet. Et hanc postremam sententiam etiam Hebræorum quidam sequuntur. Nam Abraham Hispanus dicit quòd primò abitum concesserit, quando dixit, *Sit ità*, &, *fit Dominus vobiscum*; sed intuens Mosen & Aharon, suspicatus est dolum subesse, ideo subjecit, *Videte, malum ex facie vestra dignoscitur, & idcirco non fiet juxta postulationem vestram: nam fugam meditamini.*

19. *Convertit Dominus ventum Occidentalem*] i. Ventum Orientalem, qui adduxerat locustas, vertit in ventum ab Occidente flantem. Alii vertunt, *Flare fecit ex contraria parte cœli.*

21. *Postquam recessit caligo noctis*] i. Et illæ tenebræ posteriores expellant priores tenebras noctis, h. e. Sint multò densiores tenebris nocturnis.

I D E M.

2. ולמען תספר באזני בנך ובן בנך את אשר התעללתי *Et ut narrares in auribus filii tui atque nepotis tui, quæ feci in Ægypto,*] Hunc locum annotare libuit propter verbum illud התעללתי, quod cùm Lxx. per *illudere*, Vulgatus verò interpres per *conterere* transtulit, Hebræis *facere*, *agere*, & *operari* significat, sicut & Paraph. Chaldæus reddidit. R. D. Kimhi in libro Radicum ità exponit, שעשיתי בהם מעשי הנוראים והגדולים, *quibus ostendi opera mea terribilia atque magna.*

7. הטרם תדע כי אבדה מצרים *Nondum scis quod perierit Ægyptus?*] Hebræi vocem הטרם duobus modis interpretantur, vel per *nondum*, vel per *priusquam*, *antequam*: Est ergò & duplex lectio hujus loci; potest enim sensus esse *an nondum scis quòd perierit Ægyptus?* vel, priusquam experiri vis ut pereat Ægyptus quàm ut dimittas populum?

10. ויאמר אלהם יהי כן יהוה עמכם כאשר אשלח אתכם ואת טפכם ראו כי רעה נגד פניכם *Et ait ad eos, Sit ità Dominus vobiscum cum emisero vos & parvulos vestros, videte quia malum est coram vobis.*] Variatio est primùm in his, *Sic Dominus sit vobiscum*, &c. non quidem quod verborum redditionem sed quod sensum attinet. Primùm enim hic sensus esse potest, *sic sit Dominus vobiscum, quemadmodùm ego vos dimisero*; q. d. sicut ego non dimittam vos, ità nec Dominus erit vobiscum: vel potest esse Ironia, seu μυκτηρισμὸς, *Sic sit Dominus vobiscum*, &c. Quidam Hebræorum sic legunt quasi primùm eis abitum innuerit quando dixit, *sit ità Dominus vobiscum*; sed intuen postea Mosen & Aharonem suspicatus est dolum subesse, ideo subjecit, *videte, malum ex facie vestra dignoscitur*, & idcirco non fiet juxta postulationem vestram; nam fugam meditamini. Dein variatio est in illo, *videte quòd malum est coram vobis.* Quidam enim hunc putant habere sensum, Videtis quòd malitia quam cogitatis revertetur in vos; quam lectionem sequitur Chaldæus: vel, Videtis quòd malum est vobis proximum; vel, videtis quòd malum est vobis propositum. q. d. Nemo non videre potest quòd aliquid mali moliamini, ex vultu vestro hoc ipsum apparet. Et hanc sententiam habent Lxx. & Vulg. Interpres. Error porrò est quòd Lxx. vocem Hebraicam טפכם *Supellectilem vestram* reddiderunt, cùm propriè *parvulos* significet. Cùm enim parvulos suos se quoque secum ducturos dicerent, hinc aliquid mali suspicatus est Pharao, quòd si aliam rem se asportaturos dixissent, non usque adeò dubitassent.

13. ויהוה נהג רוח קדים בארץ *Et Dominus adduxit ventum Orientalem super terram,*] Variatio est in voce קדים, quæ *ventum qui flat ab Oriente* significat; Græci *Apheliotem* appellant, quòd à Sole spirat, unde & à Latinis eàdem ratione *Subsolanus* appellatur: sed Subsolanus est ab Oriente Æquinoctiali, ad Septentrionem Vulturnus, ad Meridiem Eurus. Hi sunt calidi & sicci, quia sub Sole diu morantur; & in ortu diei salubres sunt, quia veniunt ab aëre temperato. Isti tres venti Orientales vocantur קדים in S. literis, addito plerumque vocabulo רוח quod *ventum* significat. Vulg. interpres *ventum Orientalem* vertit, eò quòd ventus Orientalis est calidus. Lxx ἄνεμον νότον reddiderunt, qui idem & *Auster* dicitur, ventus calidissimus, & à Zona torrida profectus, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptissimus propter caliditatem & humiditatem, quæ in rebus omnibus eo flante solet contingere. Hinc ergò & locustæ causantur; quæ postea flante Borea rursum omnes exstinctæ sunt & in mare Rubrum conjectæ. Et porrò omissum in Lat. Vulg. editione illud, *super terram*, quod culpâ scriptoris fieri potuit.

V A T A B L U S.

1. **I***Ngredere*, בא] Hic secundò partiuntur Hebræi secundum istum Mosis librum, quam sectionem inscribunt בא, *Ingredere*, quæ est quarta hujus versùs dictio. ¶ *Ut ponam*, &c. למען שתי 'וגו] i. ut edam in regno ejus, ipso spectante, hæc signa mea.

2. *Et ut narres*, &c. ולמען תספר] i. ut filii Israël narrent filiis & nepotibus suis.

3. *Renues*, מאנת] Præt. Heb. pro fut. vel præs. *renuis.*

4. *Inducam*, מביא] Præs. Heb. pro fut. *paratus sum immittere.* ¶ *Locustas in regionem tuam:* ארבה בגבלך] Ad verb. *locustam in terminum tuum.* Sing. Heb. pro plur.

5. *Residuum quod evasit*, את יתר הפלטה] Ad verb. *residuum evasionis*, i. quicquid remansit intactum à grandine. ¶ *In agro.* מן השדה] Hic מן pro ב positum est.

6. *Quales*, אשר] *quod.*

7. *In laqueum?* למוקש] *in offendiculum?* i. usquequo istud quod fit ab istis nobis damnosum erit? ¶ *Num ante vis scire*, הטרם תדע] *nonne prius scies.* Priùs, i. antequam dimittas populum, Chald. paraph. *An adhuc non scis quod perierit Ægyptus?*

8. *Quinam sunt*, &c. מי ומי ההלכים] Ad verb. *quis & quis* qui *ituri sunt?*

9. *Solennitas*, &c. חג יהוה לנו] Hebraismus, Sumus celebraturi solennitatem Domini Dei nostri.

10. *Jehovah vobiscum*, &c. יהוה עמכם 'וגו] Hebraismus, Vellem Dominum non majori animo esse erga vos ut vos juvet, quàm sum ut vos dimittam cum, &c. ac si dicat, Nunquam sum dimissurus vos cum parvulis. ¶ *Videte quòd*, &c. ראו כי 'וגו] Chald. paraph. *Videte quòd malum quod vos putatis facere, in faciem vestram revertetur.* Imper. est loco Indicativi, at cum interrogatione quadam, q. d. Videtis quòd malitia vestra quam cogitatis, revertetur in vos. Vel, Videtis quòd malum vobis est proximum: aut Videte quòd malum vobis propositum est, h. e. Quivis potest videre quòd aliquid mali moliamini, ex vultu vestro hoc ipsum apparet. Hanc posteriorem sententiam etiam Hebræorum quidam sequuntur, dicentes, quòd primò abitum concesserit, quando dixi, *Sit ità* &, *fit Dominus vobiscum*: sed intuens Mosen & Aharon suspicatus est dolum subesse: ideo subjecit, *Videte, malum ex facie vestra dignoscitur: & idcirco non fiet juxta postulationem vestram: nam fugam meditamini.*

11. *A facie sua.* מאת פני פרעה] Ad verb. *à facie Parôh.* Antecedens pro relativo.

12. *Pro locusta.* בארבה] Sing. Heb. pro plur. & ב pro בעבור. *pro locustis*, sub. *adducendis.*

13. *Adduxit*, נהג] *sustulit, advexit.* ¶ *Orientalem*, קדים] Sic vocant Hebræi Subsolanum, Eurum, Vulturnum. Græci *Apelioten* appellant, quòd à Sole spiret: unde & à Latinis eàdem ratione *Subsolanus* appellatur; sed Subsolanus est ab Oriente æquinoctiali, ad Septentrionem Vulturnus, ad Meridiem Eurus. Hi sunt calidi & sicci, quia sub sole diu morantur, & in ortu diei salubres sunt, quia veniunt ab aëre temperato. Prædicti tres flant ab Oriente: & in Sacris literis plerunque additur רוח *ventus*, ut hic.

14. *Et demisit*, וינח] *& requiescere fecit.* ¶ *Graves*, כבד] i. innumeras Sing. Heb. pro pluralibus.

16. *Tunc festinavit*, וימהר] Ad verb. *Et festinavit.*

17. *Mortem istam.* את המות הזה] i. *perniciem istam*, nempe multitudinem locustarum.

19. *Et convertit*, &c. ויהפך 'וגו] i. Ventum Orientalem, qui adduxerat locustas, vertit Dominus in ventum ab Occidente flantem. Alii, *Flare fecit ex contraria cœli parte.* ¶ *Occidentalem*, ים] Ad verb. *Maris. Mare Mediterraneum* pro *Occidente* accipiunt Hebræi, quòd illis sit ab Occidente. ¶ *Et dejecit eas*, ויתקעהו] Significat cum magna collisione & fragore dejicere. Relativum *eas*, cum suo antecedente singulari Heb. pro plur. ¶ *Suph*, סוף] Hæc vox significat *caricem* seu *papyrum.* Hebræi dicunt mare istud vocari ideo *caricosum* sive

pa-

papyrosum, quòd ad ejus littora copiosissima sint carecta & papyriones. *Mare rubrum* à Latinis dicitur, teste Plinio, quòd arena ejus rubra sit, & aquæ quasi rubere videantur. Græcis dicitur θάλασσα ἐρυθρὰ, non à colore tantùm rubro, ut dictum est, sed à rege Erythra qui eo in loco regnavit.

20. *Et roboravit*, ויחזק] *Et induravit.*

21. *Et palpabit tenebras.* וימש חשך] Sub. *Ægyptius*, i. oborientur tenebræ densissimæ, palpabiles. Alii, *& expellent tenebras*, q. d. Posteriores illæ tenebræ expellent priores tenebras, i. erunt densiores tenebris nocturnis.

23. *Non videbat alter alterum*, לא ראו וגו'] Ad verb. *Non viderunt vir fratrem suum.* Hebraismum Latinè convertit noster interpres.

24. *Remanebunt*, יצג] Quibusdam est præt. pro fut. *locatum erit*, i. consistet, sub. *in loco suo.* Aliis est participium, *statutum.* Gall. *et arreté*, ut aliò transferri nolim.

25. *Ut faciamus*, ועשינו] Ad verb. *& faciemus*, i. ut sacrificemus illa, Sic Eze. 43. 25.

26. *Quo colemus Jehovam*, מה נעבד את יהוה] i. quâ specie sacrificaturi simus Jehovæ.

29. *Rectum*, כן] *Rectè. Benè. Verum.*

CLARIUS.

10. SIc *Dominus sit vobiscum*] Sensus est, Ità Dominus vobis faveat sicut ego vos cum parvulis vestris sum dimissurus, q. d. Nullo modo hoc permittam. Imprecatur ergò illis ironicè Dei auxilium.

19. *In mare rubrum*] Vocant Hebræi mare Rubrum *mare Suph*, h. e. *procellosum*, vel *fruticosum*: nam vox Hebræa significat & *procellam* & *fruticem* seu *caricem.*

21. *Ut palpari queant.*] Hyperbole est: non enim tenebræ, quantumlibet densæ, palpari possunt, cùm præter nudam lucis privationem nihil sint.

25. *Quæ offeramus*] Vel, *quæ faciamus*: quod is imitatus est qui dixit, *Cum faciam vitula.* Capitur enim *facere* pro *offerre*, sicut & *servire* pro *sacrificare*: nam quod paulò antè ait, *Ite sacrificate Domino*, in Hebræo est, *Ite servite Domino.*

29. *Non videbo ultrà faciem tuam*] Tanquam dicat, Non ampliùs blandiar tibi, sed tu potiùs mihi.

DRUSIUS.

13. VEntum qui קדים Ebræis, Lxx. νότον interpretantur, Exod. 10. 13. & alibi: quam interpretationem firmat Lippomanus in Catena Patrum, usus verbis Augustini Steuchi Eugubini, in recognitione vetustæ Editionis ad veritatem Ebraicam sic scribens, קדים *non est dubium esse Austrum: Quippe qui sit ventus calidissimus & a zona torrida profectus, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptissimus. Itaque Lxx. expresse verterunt νότον notum qui & auster. Appellaturque notus ab humiditate quæ in rebus omnibus ab eo solet contingere. Miror autem Nicolaum, qui cùm sciret Ebraice, non intellexerit hunc ventum esse Austrum, eo quòd asserit hic de vento calido & sicco scribi. Nullus autem ferè ventus est calidus qui siccus sit, cum in ventis ex caliditate efficiatur humiditas. Atque hoc est quod locustæ, flante borea omnes extinctæ sunt, & in mare rubrum conjectæ.* Imò Physici tradunt Subsolanum cum suis collateralibus moderatè calidum & siccum esse. קדים autem ventum esse Orientalem, qui *Eurus* & *Subsolanus* dicitur, probo his rationibus. Prima est ab etymo. Nam קדם *Oriens*, qui sic vocatur eò quòd solem respiciens ante se habeat Orientem. Quâ ratione Occidens אחור dicitur, quòd idem cum habeat post se; & Meridies *dextera*, & Septentrio *sinistra.* Secunda ratio petita est ab autoritate Ebræorum, qui omnes unanimi consensu *ventum Orientalem* interpretantur. Tertia sumpta est ab ipsa re. Nam si locustæ ascenderunt è mari Rubro, profectò non Auster, sed Eurus eas advexit in Ægyptum, vel certè Boreas. Sed de Euro habemus testimonium Scripturæ. Nam quod Steuchus ait, *locustas flante Borea omnes exstinctas fuisse & in mare Rubrum conjectas*, apertè pugnat cum verbis textûs, qui habentur in hoc capite, v. 19. Vide si placet & si otium. *Ventus* enim *maris* non est Boreas, sed Occidentalis. Siquidem *mare* quod *magnum* appellant & *mediterraneum* pro ipso *Occidente* positum passim invenitur. Quomodo sanè Boreas pelleret locustas quæ in Ægypto in mare Rubrum, cùm sit ventus adversus? Nam Ægyptus in Austro, mare autem illud ejus respectu in Septentrione, vel certè in Oriente, cui oppositus Occidens. Quod Nicolaum attinet, non puto eum magnam peritiam habuisse sermonis Ebraici, &, si habuit, quid mirum si hoc dicit quod omnes Ebræi dicunt? Psal. 78. 26. ventus ille qui coturnices adduxit in castra Israelitarum vocatur קדים, & paulò pòst תימן. Unde R. D. colligit fuisse Euroaustrum, h. e. mixtum ex Euro & Austro. Lxx. קדים ibi νότον reddunt, & תימן λίβα, i. Africum. Sed hoc jam modò refutavimus. *Theman* alio nomine *Darom* dicitur, & *Nageb*, à siccitate.

14. *Ascenditque locusta super omnem terram Ægypti, & requievit in omni termino Ægypti gravis valde: Ante illam non fuit sic locusta ei similis, & post illam non erit sic.* Locum hunc facilem difficilem reddunt alii duo, quorum unus est Joël. 1. 2. *An fuerit hoc in diebus vestris, & si in diebus patrum vestrorum?* alter Joël. 2. 2. *Similis ei non fuit a seculo, & post eum non addet (esse) usque ad annos*, &c. Utrobique sermo de calamitate quam locustæ frugibus & arboribus attulerunt. Conciliatio non adeò facilis. Nam qui respondent Joëlis ævo fuisse quatuor genera locustarum, Mosis autem unum duntaxat, habent sibi adversantem Davidem in libro hymnorum, ubi de hac plaga loquens, *Venit locusta*, inquit, *& bruchus absque numero*: & alibi, *Dedit asello*, sive *attelabo*, *proventum eorum.* Ecce duæ aliæ species quæ in Ægypto fruges vastarunt. Non ergo una tantùm ibi fuit. Fortè Moses enarrandus de sola Ægypto, cum Joël sermonem faciat de Judæa. His adde quòd in Ægypto simul omnes venerunt & eodem tempore: secùs quàm in Judæa, ubi una species aliam secuta est quatuor annis continuis: Primò venit eruca, secundò locusta, tertiò bruchus, & quartò asellus. Hoc significat Propheta cùm ait, *Residuum erucæ comedit locusta.* Vide nunc, si vis, A. M.

IDEM.

7. למוקש. A. πρόσκομμα, *offendiculum.* τὸ Σαμαρειτικὸν, εἰς ἄτας, *in noxas*] *Offendiculum*, πρόσκομμα, *offensio* sive *impactio pedis.* Psal. 69. 22. Lxx. εἰς σκάνδαλον A. εἰς σκῶλον. Dicitur & πρόσκομμα. Hieron. hoc loco, *Usquequo patiemur hoc scandalum?* ¶ *In noxas*: vel, *in damna.* ἄτη enim *noxa*, *damnum*, *clades.* Est & Dea ejus nominis, quæ damnum & cladem infert hominibus. ¶ הטרם תדע. A. ἄρα οὔπω οἶδας, *profectò nondum nosti.* τὸ Σαμαρειτικὸν, πρὶν γνῷς, *priusquam cognoscas*: & mox, כי אבדה מצרים, ὅτι ἀπόλλυται Αἴγυπτος, *quoniam periit Ægyptus*] *Nondum.* Onk. *An hucusque non nosti?* Similiter & Jonathan. ¶ *Quoniam periit*: vel, *quod perierit.* Latinè, *antequam scias periisse Ægyptum.*

NOTÆ MAJORES.

1. ET *dixit DOMINUS ad Mosen, Ingredere ad Pharaonem: Nam ego aggravavi cor ejus, & cor servorum ejus ad ponendum signa mea hæc in medio ejus.*

2. *Et ut narres in auribus filii tui, & filii filii tui, quæ feci in Ægypto, & signa mea quæ posui in eis*, & *cognoscatis me esse DOMINUM.*

Aggravavi cor ejus] i. non emollivi, ut exponit Gregorius 29. Moralium: aut permisi ut induraret cor suum ut alii. Supra 9. 34. *& aggravavit cor suum*, de Pharaone. Aliter Deus, aliter Pharao. Deus per justitiam, Pharao per obstinationem, quæ culpam continet, cum in Deo nulla culpa sit. Quicquid enim Deus facit, justè facit. ¶ *Servorum*] aulicorum. ¶ *Ad ponendum*] Est cur malim, *ut ponerem ego.* Nam in Ebræo שתי למען quod plenè scriberetur שיתי vel שיתתי. Ponere autem usurpat pro dare, ut ibi, *posuit mihi semen pro Habel.* Nam sensus est, dedit. Sic ponere gloriam pro dare gloriam. Jes. 42. 12. Contra dare valet ponere Psal. 8. 1. *dare signa*, ut *dare miracula.* Latini dicerent, edere signa. Hiero. habet, *ut faciam signa mea hæc in eo.* Lxx. ἵνα ἑξῆς ἐπέλθῃ, ut deinde superveniant. ¶ *In medio ejus*] In medio populi ejus aut regni ejus. Alia expositio, *in corde ejus.* Nam cor pro medio ponitur, & contra medium pro corde. Onkelos & Jonathan, *inter eos.* Hiero. *in eo.* Lxx. ἐπ' αὐτούς. Supra 9. 14. *ego mitto omnes plagas meas in cor tuum.* Quod autem dicit, *Ingredere ad Pharaonem*: & postea subjicit, *nam ego aggravavi cor ejus*, hanc sententiam continet, ne consterneris aut mireris, si hactenus tam grave fuit cor ejus. Nam ego illud aggravavi &c. Vide R. Levi & Abenezram. ¶ *In auribus filii tui*] Audiente filio tuo. ¶ *Et filii filii tui*] i. nepotum tuorum. Lxx. καὶ τοῖς τέκνοις τῶν τέκνων σου: & filiis filiorum tuorum. ¶ *Quæ feci in Ægypto*]. On. & Jon. *Miracula quæ feci in Ægypto.* Hiero. *Quoties contriverim Ægyptios.* Quid vidit cum ità verteret? Nam עלל non significat conterere, quod sciam.

sciam. Si Lippomano credendum, sig. devastare. Quæ cognata inter se sunt. Lxx. ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς Αἰγυπτίοις, quæcunque illusi Ægyptiis. Vult dicere, quæ feci eis quasi per modum illusionis. Vide Cajetanum. התעלל hoc sensu sumitur 1 Sam. 31. vers. 4. ubi Hieron. *illudentes mihi*. Sic etiam enarrat R. Salomo. Idem negat habere hoc loco significationem operis & actionum sive factorum hoc est מעללים. Nam *tunc*, inquit, *dicendum fuisset* עוללתי. Nihilominus R. Levi explicat עשיתי, & Santes aliique, *feci*. Unus Tremel. habet, *præclare gessero*. Forsterus in Lexico suo, *Iudicare ego cum Ægypto*. Leo, *quæ ego tentaverim in Ægypto*. Alius, *quoties vindemiaverim Ægyptum*. עולל propriè ἐπιφυλλίζειν hoc est, colligere racemulos post vindemiam. Vindemiare aliud est. Abenezra, *Loquitur lex more humano cum dicit* התעללתי *ut homo qui immutat naturam ad ulciscendum se de alio*. ¶ *Posui*] Hieron. *feci*. Lxx. ἐποίησα. Trem. *edidero*. Hic est שׂם in Ebræo. Vide supra versum primum. Ceterum עלילה R. David interpretatur in lib. Radicum dicens significare opera magna, & התעללתי *ostendi in eis opera mea terribilia & magna*. Id Tremel. secutus videtur. Observa mutationem numeri, ut *narres* & *ut cognoscatis*. Quod crebrum ubi de populo sermo est. Nam in Mose totus populus continetur *ut narres* tu & populus meus. Vide Abenezram.

3. *Ingressusque est Moses & Aharon ad Pharaonem, & dixerunt ad eum, Sic dicit* DOMINUS *Deus Ebræorum, quousque renuis humiliari à facie mea? dimitte populum meum ut serviant mihi.*

4. *Quod si renuis tu dimittere populum meum, ecce ego adduco cras locustam in terminum tuum.*

Ebræorum] *Judæorum*. On. & Jon. ¶ *Humiliari à facie mea*] לענת מפני Hieron. *subjici mihi*. Lxx. ἐντραπῆναί με, revereri me. On. להכנעא מן קדמי humiliari à coram me. Jonathan, *Ne humilieris à coram me*. vulgò, *coram me*. Sic etiam Santes. Id Ebraicè diceretur ללני & Chaldaicè קדמי. Tremel. *Abjicere te ob præsentiam meam*. ¶ *Renuis*] οὐ βούλει. Lxx. *non vis*. Hier. אתה מסרב On. & Jon. ¶ *Humiliari*] לענות pro להענות quidam, *submittere te mihi*: alii, *deprimere te coram me*. R. Salomo, *Renuis esse humilis & abjectus à facie mea*. עני ושפל pauper vel mansuetus & humilis. ¶ *A facie mea*] Vel, *propter faciem* i. *præsentiam meam*. Editio Gallica, *coram facie mea*. Alias, *a coram facie mea* מלפני. Quid si, *à facie mea*, à me, hoc est à signis meis? ¶ *Adduco*] Adducam. ¶ *Locustam*] Nomen est, ut vocant, speciei: aut *locustam* dixit pro locustas. Quod postremum invenies in Tremellio. Ebraicè ארבה παρὰ τὸ רבה quod numerosior sit reliquis locustarum generibus, aut quod admodum multiplicetur, vel quia simul omnes magna copia volitant. Notabis dupliciter hoc nomen accipi, latè, strictè. Cum late sumitur comprehendit omnes species locustarum. Strictè sumitur Joel 1. 4. *Residuum erucæ comedit locusta*, &c. Nam etiam eruca inter genera locustarum: item bruchus & asellus sive asiracus, quorum ibi mentio fit. Lxx. hoc loco habent ἀκρίδα πολλήν, locustam multam. Augustinus in locut. ad hunc locum, *Ecce quemadmodum superius dixit ranam, ubi diximus plerumque plus intelligi cum aliquid hujusmodi singulariter dicitur, quam si pluraliter diceretur. Manifestum est enim plus sonare locustam multam, quam si diceret locustas multas*. ¶ *In terminum tuum*] In terminos sive in fines tuos; vel, si placet, in oras tuas. Sic vulgò interpretantur. nec sperno: malim tamen, *in terminum tuum*, in regionem tuam, ut sit synecdoche. Vide sis Exod. 8. 2.

5. *Quæ operiet superficiem terræ, & non poterit (homo) videre terram, & comedet residuum evasionis, & quod reliquum est vobis à grandine: & comedet omnem arborem, quæ oritur vobis ex agro.*

6. *Et implebuntur domus tuæ, & domus omnium servorum tuorum, & domus omnium Ægyptiorum: quod non viderunt patres tui & patres patrum tuorum à die quo fuerunt ipsi super terram, usque ad diem hunc: ità vertit se Moses & egressus est à Pharaone.*

Operiet] Teget. ¶ *Superficiem terræ*] Ità Hieron. & Santes. Superficies terræ usitate dicitur פני הארץ. Ideò alii verterunt, *aspectum terræ*: quod mihi quoque non displicet. Jonath. certè חזוא & R. Salomo מראה i. aspectum. On. עין שמשא דארעא aspectum solis terræ. Verbum è verbo, *oculum solis* i. expositore Fagio, *Splendorem & radios*. *Sol terræ* i. qui terram illuminat. עין propriè oculum denotat: sed pro aspectu usurpatur, ut Ezech. 1. & alibi. Gallica Editio, *Quicquid videri poterit de terrâ*. ¶ *Non poteris videre*] Sub. איש quisquam. Hieron. *Ne quicquam ejus appareat*. Lxx. καὶ οὐ δυνήσῃ ולא יוכל. Quid si, *& non poteris videri terra?* Nam את aliquando patienti postponitur. Jam vero nomen עין masculinum est cum alibi tum Psalm. 63. 2. & ראות videri, passivè, ut בשפטך cum tu judicaberis i. litigabis. Exempla plura quærenti obvia erunt, si plura desiderabis. Ne longè abeas, ecce tibi, *Tunc cæptum est* לקרא *invocari*. Et Proverb. 25. vers. 6. טוב אמר לך satius est dici tibi. ¶ *Comedet*] Absumet, devorabit. ¶ *Residuum evasionis*] Ejus quod evasit ex superiore tempestate. Vult dicere quod læsum non fuit: Evasio ut *deportatio* pro deportatis Jes. 45. *captivitas* pro ipsis captivis. Sic *voluntas* id quod quis vult. Sæpius dicitur de personis פליטה qui evasit ex aliqua clade è manibus hostium. Chaldaicè שיזבא vel שיזיבא. Lxx. ad sensum non malè τὸ καταλειφθέν: quod remansit sive relictum fuit. Mox se explicat, cum ait, *Et quod reliquum est vobis à grandine*. ¶ *Quæ oritur*] הצמח. Tremellius, quicquid oritur כל הצמח. Sæpè autem hoc modo repetuntur dictiones ex iis quæ præcedunt. Ceterum Japheth homo Ebræus ex hoc loco colligit multum temporis intercessisse inter hanc plagam & superiorem: Vide Abenezram. ¶ *Oritur*] Germinat. ¶ *Ex agro*] Ex terra. Lxx. ἐπὶ τῆς γῆς. Hieron. *in agris* בשדה. On. & Jon. מן חקלא unde *Haceldema*, ager sanguinis. ¶ *Et implebuntur domus tuæ*, &c.] Vel, *implebunt domus tuas*, &c. Hoc Hieron. interpretatur itemque Tremellius, illud Onkelos & Jonathan. Santes quoque, *replebuntur*. & Lxx. πλησθήσονταί αἱ οἰκίαι, &c. Videndus Abenezra ad hunc locum. ¶ *Omnium Ægyptiorum*] Vel, *totius Ægypti*. ¶ *Quod non viderunt*] Sic Græcè ἃ οὐδέποτε ἑωράκασι, quæ nunquam viderunt. Hieron. *Quantam non viderunt*: alii, *Qualem non viderunt*. Ebraicè אשר quam vel quod i. quam rem, aut etiam si ità placet, qualem. ¶ *Patres patrum tuorum*] Avi tui, item proavi, abavi, attavi & reliqui ascendentes. Qui patrum nomine interdum significantur. Lxx. οἱ πρόπαπποι αὐτῶν, proavi eorum. Ceterum ut hoc obiter notem, anus ab Elia vocatur זקן Senex, & à Johanne Ilahaco אבי זקן pater Senex. Hieron. hic edidit, *avi tui*. ¶ *Ità vertit se*] Hieron. *avertitque se*. Ebraicè ויפן. Id Onkel. & Jonath. interpretantur ואתפני. Santes, *respexit*. Trem. *avertens se*: alius, *aversus*. R. Jesua, *Tribuebat honorem regno*. *Nam regem aspiciebat quamdiu in ipsius conspectu esset*. Vult dicere, non obvertebat ei tergum cum exiret. Qui mos in regno China pertritus: Vide historiam lib. 3. cap. 19. ubi de mutuis salutationibus Chinarum, & usitatis apud ipsos gestibus. Plura de hoc verbo alibi; quæ non repeto.

7. *Dixeruntque servi Pharaonis ad illum, Quousque hic erit nobis in scandalum? dimitte viros istos ut serviant* DOMINO *Deo suo. An nondum cognoscis quod periit Ægyptus?*

Hic] Moses videlicet: alii, *hoc*, i. hæc res. Sic Græci τοῦτο. Quod eò minus placet, quia in Ebræo est זה & non זאת. ¶ *Erit nobis in scandalum*] Santes, Tremel. *in laqueum*. Munsterus, *in offendiculum*. On. & Jon. לתקלא quod Fagius reddit, *in offendiculum*. Idem זה iste interpretatur *hoc* i. דא. Hieron. *Usquequò patiemur hoc scandalum*. Lxx. ἕως τίνος ἔσται τοῦτο ἡμῖν σκῶλον, quousque erit nobis hoc scandalum? Πρόσκομμα alio nomine πρόσκομμα dicitur. Psal. 69. 25. למוקש Lxx. εἰς σκάνδαλον. A. εἰς σκῶλον. Porro in laqueum Ebraicè potius diceretur לפח. Cajetanus, *Scandalum appellant afflictiones, eò quod frequenter velut impingentes Ægyptii cadebant modò in jumentis modo in ulceribus*, &c. ¶ *Viros*] τοὺς ἀνθρώπους, homines. ¶ *Ut serviant* DOMINO] Ut colant DOMINUM, alii. ¶ *An nondum cognoscis quod periit Ægyptus?*] Locum hunc alii reddunt, *An prius cognoscere vis quod perierit Ægyptus?* Sane טרם communiter & usitatè significat prius, priusquam, antequam. Hieron. *Nonne vides quod perierit Ægyptus?* An legit אתה pro תדע? Lxx. εἰ εἰδέναι βούλει ὅτι ἀπόλωλεν Αἴγυπτος? num scire vis quod perierit Ægyptus? Onkelos, *An huc usque non cognovisti quod periit Ægyptus?* Jonathan, *An hactenus non didicisti, quod per manum ipsius (Mosis) futurum est ut pereat terra Ægypti?* Ambo עד כען interpretantur hucusque, hactenus: quod idem cum illo, *nondum*. R. Salomo, העוד לא ידעת *Numquid adhuc non cognovisti, quod periit Ægyptus?* Abenezra, *An prius vis ut evidenter tibi liqueat quod periit Ægyptus?* Tremel. *An nondum cognoscis periisse Ægyptum?* Santes, *Num ante scire vis quod periit Ægyptus?*

8. *Reductusque est Moses & Aharon ad Pharaonem qui dixit eis, Ite, servite* DOMINO *Deo vestro, quinam sunt qui eunt?*

9. *Et dixit Moses, Cum pueris nostris & cum senibus nostris ibimus, cum filiis nostris & cum filiabus nostris, cum ovibus nostris & cum bobus nostris ibimus: nam festum* DOMINI *est nobis.*

Moses] משה את ipse Moses. Sic אהרן את ipse Aharon. Nam את notat עצם hoc est rei substantiam: unde אותם pro עצמם Gen. 5. 19. Videndus Abenezra ad hunc locum. Jonathan hic habet, *Mandavit ut reducerentur Moses & Aharon ad Pharaonem* i. ad se. Locutio est ut, *dixit Moses socero Mosis*. Sic

mox;

mox, *expulit eos à facie Pharaonis* i. sua. ¶ *Ite*] Abite. ¶ *Quinam sunt qui eunt?*] i. ituri sunt? licet vertere, *Quinam sunt euntes?* i. ituri. Sic Jon. 1. *Invenit navem euntem* i. ituram. Quanquam hic באר in fonte. מי מי qui & qui. elegans sermo. Lxx. τίνες δὲ καὶ τίνες πορευόμενοι. Hieron. *Quinam sunt qui ituri sunt?* Onkelos, *Quinam & quinam euntes.* Jonathan, *Qui & qui sunt illi illi qui abeunt?* Latinè, qui sunt, qui, inquam, sunt. Quæ repetitio non caret emphasi. ¶ *Cum pueris nostris*] בנערינו. Hieron. *Cum parvulis nostris.* Lxx. σὺν τοῖς νεανίσκοις. Vox נער utrumque sig. Tale est עולימא, quod in Onkelo. Nam de Mose trium mensium puero dicitur Exod. 2. vers. 6. Itaque Fagius interpretatur, *Cum pueris nostris.* Quod Jonathan extulit בטליא. Nota in Ebraismo & in Chaldaismo ב pro σὺν usurpari. ¶ *Et senibus*] Senes à Chaldæis סבין vocantur, à Lxx. πρεσβύτεροι, à Hieron. *Seniores.* ¶ *Et bobus*] Vel, *armentis.* Illud interpretantur Lxx. On. & Jon. Hoc Hieron. Tremelliusque. ¶ *Festum DOMINI*] ἑορτὴ Κυρίου. On. & Jon. *Festum coram DOMINO.* ¶ *Nobis*] Omnibus, etiam pueris, etiam uxoribus nostris. Pecudes autem immolare illo die solemus. Quocirca domi eas relinquere nec possumus nec debemus.

10. *Et dixit ad eos, sit ità DOMINUS vobiscum, quemadmodum dimittam vos & parvulos vestros: videte, quia malum est ante faciem vestram.*

11. *Non ità, ite nunc viri & servite DOMINO, quia illud vos quæritis: ita expulit eos à facie Pharaonis.*

Sit ita vobiscum] Ità faveat vobis, ità sit propitius. ¶ *DOMINUS*] Deus vester: quem fortasse credebat Deum malum esse, cum tot mala esset ab eo expertus. ¶ *Quemadmodum dimittam vos*] Pro eo habendum ac si diceret, non dimittam vos ut petitis. Sane male illis volebat. Unde non optabat Deum illis propitium ex animo. Ceterum in Onkelo est, *quum dimittam vos.* Nam particula כאשר hoc etiam sig. Lxx. καθότι ἀποστέλλω ὑμᾶς, sicut dimitto vos. Jonathan, *ut dimittam vos.* Hieron. *quomodo ego dimittam vos* אך אני וגו. ¶ *Parvulos vestros*] Lxx. τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν, supellectilem vestram. Arias, *familiam vestram.* משפחתכם. Quidam hæc ità distinguunt, *Sit ita*, ut dicitis: *DOMINUS vobiscum erit quum dimittam vos & parvulos vestros.* ¶ *Malum ante facies vestras*] Vel hoc dicit, malum vobis proposuistis, nihil boni habetis in animo, fugam cogitatis: aut hoc, malum vobis imminet proque foribus est, & quasi ante facies vestras. Hieron. *Cui dubium est quod pessime cogitetis?* πονηρία πρόσκειται ὑμῖν, quod reddunt, malignitas proposita est vobis. Onkelos, *Malum quod vos putatis facere in caput vestrum redibit.* Sensum reddidi non verba. Nam in Chaldaismo לקביל אפיכון contra facies vestras. Jonathan, *In offendiculum malum erit vobis ante facies vestras in via vestra quam inibitis, donec perveneritis ad locum habitationis vestræ.* Forte hoc dicit, ob oculos vestros versabitur. Nam in Chaldæo אזלא למהך quod non tam sig. redire, quam obire, circumire. Tu expende. Multa enim in his mihi quidem adhuc dubia. ¶ *Non ita*] Sub. fiet aut erit. Jonathan, *Non quemadmodum vos putatis.* ¶ *Viri*] הגברים qui viri estis. q. d. non pueri, non fœminæ. ¶ *Illud*] Malum: aut *ut sacrificetis.* Nam moris est ut viri sacrificent non pueri aut fœminæ. ¶ *Et expulit eos*] Pharao, aut is cui Pharao hoc mandaverat. Si Pharao, tum in sequentibus nomen erit loco pronominis. Lxx. ἐξέβαλον δὲ αὐτοὺς, *ejecerunt autem eos*, nempe servi Pharaonis. Hieron. *Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.*

12. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Extende manum tuam super terram Ægypti pro locusta, & ascendat super terram Ægypti, & comedat omnem herbam terræ, omne quod reliquum fecit grando.*

13. *Et extendit Moses virgam suam super terram Ægypti, & DOMINUS duxit ventum orientalem in terram, toto die illo & tota nocte: mane erat & ventus orientalis elevabat locustam.*

Manum] Cum virga. ¶ *Super terra Ægypti*] ἐπὶ γῆν Αἰγύπτου. Quidam, *contra terram Ægypti.* ¶ *Terram*] Regionem. ¶ *Ægypti*] Tremel. *Ægyptiorum*, quod minus se probat mihi. ¶ *Pro locusta*] בארבה in locusta. Onkelos, *& veniat locusta*, sive *ut veniat locusta.* Jonathan, *propter locustam.* Hieron. *ad locustam* אל הארבה. Tremel. *pro locustis.* Munsterus & Leo, *pro locusta.* Santes, *in locusta.* Alius, *ut veniant locustæ.* Editio Gallica, *pro adducendâ locustâ.* R. Levi, *propter locustam.* Salomo Trecensis, *ob plagam locustæ.* Abenezra, בארבה כמו ut veniat. R. Mose sacerdos, *Ad locustam quæ erat in regione inferiore.* Quod Abenezra improbat. ¶ *Et ascendat*] Nam è mari ascenditur. Omninò videntur adductæ per Eurum è sinu Arabico, quem Ebræi vocant mare Suph: nos mare rubrum appellamus. ¶ *Comedat*] Jonathan, *perdat.* Hieron. *devoret.* Lxx. κατέδεται. alius, *absumat.* ¶ *Reliquum fecit*] Vel, *reliquit.* Ebraicè השאיר, quod Senes reddunt ὑπελίπετο. Onkelos אשאר. Jonathan שייר. Scribo שָׁיַר ad instar קָדַם. Patach autem pro Chirec propter litteram Res. ¶ *Duxit*] Adduxit, ἐπήγαγεν, induxit. ¶ *Ventum orientalem*] רוח קדים. Hieron. *ventum urentem.* Idem Psal. 48. 8. *in vento uredinis*, ubi Aquila πνεύματι καύσωνος. Id secutus videtur Hieron. Nam & Senes interdum ità vertunt. Hic reddunt ἄνεμον νότον, id est Notum sive austrum. קדים eurum denotare, qui est ventus orientalis & Græcè ἀπηλιώτης dicitur, præter interpretes nuperos, etiam Ebræi attestantur dicentes esse ventum qui ab oriente flat: quos juvat ratio nominis קדים παρὰ τὸ קדם oriens, aut quod sit prima plagarum. Nam sol ibi oritur, unde קדים appellatur, quemadmodum è contrario plaga occidentis אחור dicitur, & auster ימין i. dextera, & septentrio sinistra. Quâ de re diximus aliquid in Quæstionibus. Hiscuni, קדים *est ventus orientalis, & vocatur ita propterea quod sol incipiat ab eo exoriri.* Vide sequentia. Ventum orientalem vocat רוח מזרח. eundem R. Levi appellat רוח מזרחית. Abenezra scribit קדים dici quia reliquas plagas antecedit. *Nam ab eo*, inquit, *sol oritur*, & *similiter occidens vocatur* אחור, *quasi postrema & ultima plaga.* Vide notas Vatabli ad hunc locum. ¶ *Elevabat*] Vel, *apportabat.* Ebraicè נשא, quod Hieron. interpretatur, *levavit.* Lxx. ἀνέλαβε assumpsit. On. & Jon. נטל *levavit.* Quanquam in Fagio, *attulit.* Santes habet, *elevavit*, nempe è mari aut è terra ubi erat.

14. *Et ascendit locusta super omnem terram Ægypti, & requievit in omni termino Ægypti gravis valdè, ante illam non fuit sic locusta ei similis, & post eam non erat sic.*

Requievit] κατέπαυσεν, resedit. On. & Jon. שרא. Hieron. *sedit.* ¶ *In omni termino*] In totâ regione, aut in omnibus terminis, finibus. ¶ *Gravis*] Multa, numerosa. Lxx. πολλή. On. & Jon. *valida.* Hieron. *innumerabiles.* ¶ *Ante illam non fuit sic, &c.*] Hunc locum difficilem reddit alius qui est Joël. 1. 2. Respondet Joëlis ævo fuisse quatuor genera locustarum: Hic unum duntaxat, ità R. Salomo. Sed hoc non videtur verum. Nam David ait, *Venit locusta & bruchus absque numero:* & alibi, *dedit asello* לחסיל sive *asiraco proventum eorum.* Ecce loquitur de hac plagâ, & commemorat alias duas species, quæ hic, ut credibile est, sub generali nomine ארבה continentur. Ergò alii nodum hoc modo solvunt. Similis locusta non erit in Ægypto: nec talis qualis fuit Joëlis tempore unquam fuit in Judæa. Sic R. Levi. Nicolaus aliter, *Dicendum*, inquit, *quod Joël non loquitur ibi de locustis ad litteram, sed de gentibus quæ vastaverunt terram Israël secundum aliquos. Secundum verò alios dicendum quod ista locustæ fuerunt graviores intensè, sed non extensè, quia modico tempore durarunt, sed illæ diutius, ut ibidem plenius dicetur, DOMINO concedente.* Hiscuni, *locustæ Mosis omnes simul eodem tempore venerunt: Joëlis diversis temporibus terram vastarunt, una videlicet species post aliam. Quod docent illa verba, Residuum erucæ comedit locusta*, &c. David Ebræus cognomento Camius in comment. ad locum Joëlis, *Locusta quæ erat in Ægypto non fuit nisi species una, quamvis dictum sit in libro Psalmorum, Dedit asello proventum eorum: Et Bruchus absque numero. Locusta erat præcipua species & duæ reliquæ species veniebant cum ea. Ideo nulla mentio eorum in lege, nisi tantum locustæ, quæ non fuit nisi tempore uno. Sed hæc locusta Joëlis, erant 4. genera, eruca, locusta, bruchus, Asellus. Hæ locustæ venerunt quatuor annis una post aliam, quemadmodum dicitur, Residuum bruchi comedit locusta*, &c. Joël 1. 4. Lippomanus ad hunc locum, *Nunquam fuerunt visæ locustæ in tanto numero. Quod prophetico spiritu Moses protulit. Non enim aliter is scire potuit, quod tot locustæ simul non essent amplius venturæ in terram.* ¶ *Ei similis*] Vel, *sicut ipsa.*

15. *Operuitque aspectum totius terræ illius & obscurata est terra illa, & comedit herbam terræ & omnem fructum arborum, quem reliquum fecerat grando: & non relictus est ullus viror in arboribus & in herba agri in universa terra Ægypti.*

Operuit] Texit, obtexit. ¶ *Aspectum*] Onkelos, *aspectum solis totius terræ.* Vult dicere, obscuravit solem: quod faciunt locustæ dum in aëre adhuc volitant. Nunc autem in terra resederant: unde melius Jonathan, *aspectum terræ*, ità ut terræ superficies ob multitudinem locustarum quæ eam operiebant, videri non potuerit. Melius quoque Hieron. ad sensum, *operueruntque universam superficiem terræ.* Lxx. τὴν ὄψιν τῆς γῆς. Alii, *oculum terræ.* Sed עין etiam aspectum denotat, ut Ezech. 1. vers. 4. Forte hoc dicit, tanta copia locustarum erat ut inter volandum terram obscurarint ejus aspectum hominibus adimendo. Quod firmant consequentia verba: cum etiam interpretes Abenezra

&

Digitized

& R. Levi. Verba illius, *Quod dicit tenebris obductam esse terram, hanc sententiam continet, videlicet locustam mediam inter solem & terram obscurasse illam, quemadmodum semper fieri solet.* Verba hujus, *Aspectum totius terræ* i. עין: aut *vult dicere quod obtexerit universam terram* (כל הנראה quicquid videri potest de terra) *ità ut non potuerit oculus videre ex ea quicquam. Nam tota terra obscurata fuit umbra locustarum, quam ob multitudinem suam fecerant.* ¶ *Obscurata*] In Ebræo est ad verbum, *obtenebrata* i. tenebris obducta. Quidam etiam legunt, *ità ut obscurata fuerit terra.* Jonat. *donec obscurata est terra.* עד donec, usquedum. Hieron. *vastantes omnia.* Quod accepit à Græcis, in quorum editione vulgata, καὶ ἐφθάρη ἡ γῆ. Verbum Ebræum hoc non significat. ¶ *Terra illa*] Vel, *terra* simpliciter. Sig. autem Ægyptum. Nam terræ nomen, etiam cum additur particula omnis, de eâ debet accipi regione de quâ sermo est. ¶ *Omnem fructum arborum*] Hieron. *Quicquid pomorum in arboribus fuit.* i. fructuum. Nam pomum generale omnium fructuum qui ex arboribus esui aptis proveniunt. Græci ὀπώραν dicunt. Sic accipies de Adamo ubi dicitur comedisse pomum vetitum; non utique id quod vulgus Gallorum pomum vocat. Nam hoc Latini *malum* appellant. Sunt qui ficum fuisse putant. ¶ *Arborum*] עץ arboris i. arborum. Hic apertè sing. pro plur. ponitur. Sic in Genesi, *abscondit se in medio arboris* i. arborum. Qui locus non intellectus Temporario. Nam quod de ficu Indica ex hoc loco disputat, ipsâ vanitate vanius est. ¶ *Ullus viror*] Quicquam viride. Santes, *virens.* Hieron. *folium viride.* R. Salomo. vernaculè *verdure.* χλωρὸν οὐδὲν Lxx.

16. *Et festinavit Pharao vocare Mosem & Aharonem, & dixit, Peccavi DOMINO Deo vestro & vobis.*

17. *Et nunc condona, quæso, peccatum meum tantum hac vice, & orate DOMINUM Deum vestrum ut amoveat à me duntaxat mortem hanc.*

Festinavit vocare] Lxx. κατέσπευδε καλέσαι. Hieron. *festinus vocavit.* Jonath. *Properavit Pharao & misit Phulin*, id est fabas *ad vocandum Mosem*, &c. Forte פלין contractum ex פלוסין i. Pelusium. Juva me lector, judicio tuo. Nam mihi hic adhuc tenebræ. ¶ *Peccavi DOMINO*] Vel, *in DOMINUM*, &c. ità Hieron. Tremel. & alii. Lxx. ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ ὑμῶν, καὶ εἰς ὑμᾶς. On. & Jon. *Coram DOMINO Deo vestro & vobis* i. לכון *peccavi vobis*, non *coram vobis.* Hoc adjecit quia eos expulerat cum ignominia à conspectu suo. ¶ *Condona*] שא tolle i. condona, remitte aut tolle è medio. Sic accipies, *agnus qui tollit peccata mundi.* On. & Jon. שבוק, & in oratione legitima ἄφες, remitte. Dicunt etiam נשוי עון quasi levatus sceleris, ut levatus curarum dicimus & solicitudinis. Senes habent προσδέξασθε, suscipite שא. Sic Gen. ultimo, *Accipe iniquitatem Dei servorum patris tui* i. δέξαι Hos. 14. 3. *Omnem tolles iniquitatem* i. dimittes, condonabis. ¶ *Tantum*] אך tantummodo. San. *veruntamen.* Sic etiam On. & Jon. Arias, Tremel. *tantum.* Munsterus, *saltem.* Tantum etiam habet Hieron. Psalm. 39. 7. Sed & Gen. 7. 23. R. Salomo לבד *solummodo.* ¶ *Orate*] Supplices. ¶ *Duntaxat*] רק San. *tantum.* Tremel. *tantummodo.* On. & Jon. להוד *solummodo, tantum:* Fagius, *saltem.* Editio Gallica *seulement.* Sic etiam אך interpretatur eadem editio. ¶ *Mortem*] Pestem, perniciem. ità loquendo significat locustarum plagam.

18. *Et egressus est à Pharaone & oravit ad DOMINUM.*

19. *Et vertit DOMINUS ventum maris fortem valdè, qui levavit locustam & defixit eam in mare Suph: non relicta est locusta una in universo termino Ægypti.*

20. *Et obfirmavit DOMINUS cor Pharaonis & non dimisit filios Israël.*

Egressus est] Una cum Aharone. ¶ *Vertit ventum maris*] i. occidentalem. Et est sermo brevis. Plenè diceretur, ventum orientalem vertit in occidentalem, eumque immisit & levavit locustam. Ergo Tremel. edidit, *Immisit ex adverso.* Vult dicere, contrarium ventum. Lxx. μετέβαλε ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης. Hieron. *Flare fecit ventum ab occidente* i. מים. Hic notabis mare pro occidente poni. Id rectè capies de mari magno, quod mediterraneum appellant, & Judæam alluit ab occidente, etiam Ægyptum. Vocatur autem mare magnum respectu aliorum marium Judææ, quæ minora sunt. Abenezra scribit hoc mare latum esse 300. parasangis i. פרסאות, quarum unaquæque, teste Eliâ, continet quatuor miliaria. Contendamus nunc cum mari rubro, quod eodem autore non est latum ultra 30. parasangas. Idem scribit de m[illegible] Gennesaret, & de lacu Sodomeno, quem mare salis vocitant. Fides penes ipsum est: ego fideliter ejus verba expressi. Vide nunc si placet Observ. meas. ¶ *Fortem*] Vehementem. ¶ *Maris*] Onkelos, *occidentis.* Jonathan, *ab occidente.* ¶ *Levavit*] Sustulit. ¶ *Defixit eam in mare Suph*] Hieron. *Acceptam locustam projecit in mare rubrum.* Lxx. ἔβαλεν αὐτὴν εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν שרמה. Onkelos, ורמה & projecit eam. Jonathan, וטלקה. idem aliter. Sed תקע propriè id quod verti. Munsterus, *Concussit i. cum magna collisione ac fragore dejecit.* Idem habetur in notis Vatabli. Textus autem habet, *dejecit.* ¶ *Suph*] Vox hæc Ebræis algam significat. Ergo Mare Suph, i. algosum. Dictum ità à copia algæ, quæ in ipsius fundo invenitur. Sunt qui Suph Juncum reddant; & Mare Suph, mare juncosum: alii, carectosum. Perperam nonnemo procellosum. Nam procella סופה dicitur, non סוף; quod sciam. Hoc mare situm in oriente terræ Israël, & ex adverso habet mare Palæstinum. R. Salomo scribit ex parte occidentem respicere, nempe respectu plagæ australis. Ut ut sit, locustæ istæ vento ab occidente flante delatæ fuerunt in hoc mare, hoc est in sinum Arabicum, cui Ægypti pars in meridie, pars in occidente. Augustinus Steuchus, *Ægypto mare, in quod Nilus septem ostiis se se infert, ab occasu est & versus septentrionem. Atque ideò flantibus Etesiis, qui venti aquilonares sunt, commoda navigatio in Alexandriam est. Quæ causa etiam facit ut intumescat Nilus flantibus Etesiis*, &c. ¶ *In termino*] aut in terminis. ¶ *Obfirmavit*] Hieron. ut antea, *induravit* & Lxx. ἐσκλήρυνε יחזק. ¶ *Cor*] *Figmentum cordis.* Jonath.

21. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Extende manum tuam versus cælum, & sint tenebræ in universa terra Ægypti; & palpet* (quivis) *tenebras.*

22. *Et extendit Moses manum suam versus cælum; & fuerunt tenebræ caliginis in universa terrâ Ægypti tribus diebus.*

23. *Non videbant vir fratrem suum, nec surgebant vir è loco suo tribus diebus: sed omnibus filiis Israël erat lux in habitationibus eorum.*

Extende] ἔκτεινον. ¶ *Versus cælum*] Lxx. εἰς οὐρανὸν, & Hieron. *in cælum.* On. & Jon. על צית שמיא i. interprete Fagio, *versus cælum.* Id nunc secuti sumus. ¶ *Tenebræ*] σκότος. ¶ *Et palpet* (quivis) *tenebras*] Dictionem inclusam parenthesi adjecimus ad veritatem Ebraicam. Nam deesse videtur in sermone latino. Lxx. ψηλαφητὸν σκότος i. palpabiles tenebræ. Hieron. *Tam densæ ut palpari queant.* Jerosolymitanus, *& sint palpantes tenebras.* Nam משש palpo. Idem ימש apud Ebræos: unde hoc loco וימש quod nonnulli à מוש deducunt, ut Onkelos qui vertit, *Postquam recesserit obscuritas noctis.* alias, *caligo noctis.* Jonathan quoque referens, *Et sint tenebræ per universam terram Ægypti in aurora, & recedant prius tenebræ noctis.* Uterque habet ויעדי, quod verti etiam possit, *recedere faciat sive removeat*, ut sit verbum personale pro impersonali: aut tenebræ auferant tenebras noctis, sicut lux major tollit minorem. Quidam, *& palpare faciant tenebræ.* Sensus est, faciant ut homo dum per viam incedit palpet parietem, ut cœci solent. *Palpabiles* ergo *tenebræ*, ut *pallida mors* quæ homines pallidos facit. Nam alioqui tenebræ palpari non possunt, cum nihil aliud sint quam absentia sive privatio lucis. Aut *palpabiles* quia in aëre tenebroso densi & grossi vapores erant, qui palpari poterant. Hinc factum adagium, *Tenebræ Ægyptiæ*, ut *Cimmeriæ tenebræ.* de quibus alias. Abenezra, *Dicit Japheth* וימש *positum esse pro* ימיש *hac sententia, removebat omnes tenebras notas ipsis, & inferebat alias tenebras crassiores. Sunt qui dicant abesse Aleph, ut sit* ויאמש *quod derivatum ex nomine* אמש *nox hesterna sive præterita. Arabicè* שמש *Sin in Samech versa. Quod usitatum in ea lingua. Sic ex* שמש *dicunt* שמס *Sol.* Hanc sententiam tuetur R. Salomo. Idem ait Onkelon exposuisse in significatione removendi i. ויעדי. *Sed Naedras Haggadah, inquit, exposuit illud in sensu palpandi.* Vide si placet. R. Levi, *Liber est qui vocatur Bresith rabba i. Genesis magnus. In eo scriptum lectum quod Deus innovaverit densitates mirabiles in aëre sic ut potuerit homo tangere palpareve illum, & rectum hoc est. Propterea non poterat alter alterum videre, & è loco suo surgere.* Vide sequentia. ¶ *Manum suam*] Quæ virgam tenebat, ut probabile est. ¶ *Tenebræ caliginis*] i. caliginosæ. Παράλληλον, ut *terra pulveris, lutum cæni.* Jonathan חשוך ורקבל, quod eandem sententiam continet. Onkelos חשוך קבל. Fagius, *tenebræ obscuræ.* Hieron. *tenebræ horribiles.* licet etiam vertere, *tenebræ, caligo:* sic Græci σκότος, γνόφος: quibus addunt de suo θύελλα, turbo. Aut est glossema sumptum ex alio loco, ut multa sunt hujusmodi glossemata in editione illa. Supra produximus opiniones duas de verbo מש ex Aben. quas ipse non probat, negans ullam commodam sententiam continere. Censet autem potius esse ut vertamus *& palpet Ægyptus. Nam ea vox*, inquit, *aliquando masculinè construitur.* Quod verum est. *Sensus autem, palpent manibus suis tenebras, quæ adeò densæ erunt, ut nec ignis nec lux diei nec etiam lucerna lucem præbere hominibus potuerint.* Hactenus Abenezra. ¶ *Tribus diebus*] Quod scire potuit Moses ex luce quæ apud filios Israël. ¶ *Vir fratrem*

trem suum] Alter alterum. Ebraismus. Nam in illis tenebris ignem aut candelam accendere non poterant ob spissitudinem aeris. ¶ *E loco suo*] E loco in quo erat. R. Salomo, *Qui sedebat non poterat surgere, & qui stabat, non poterat sedere.* Hieron. *neque movit se de loco in quo erat.* Lxx. οὐκ ἐξανέστη οὐδεὶς ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ i. è lecto sive cubili suo. Abenezra, *e domo sua.* ¶ *Tribus diebus*] *Alii.* R. Salomo. *iisdem*, ego. ¶ *Lux*] Interdiu. ¶ *In habitationibus eorum*] in locis ubi habitabant. Hieron. *Ubicunque habitabant filii Israël lux erat.* Lxx. κατεγίνοντο erant. ¶ *E loco suo*] Lippomanus, *Locus hic dicitur non in quo quisque esset circumscriptus, sed domus aut habitatio in quâ manebat.* Alius, *e domo sua ad faciendum opus vel exeundum.* Aben. *E domo sua ut ibi, redierunt singuli* ויחזו *in locum suum. Nam quo irent luce carentes?* R. Levi, מתחתיו *quo significat* תחת *hoc loco idem esse cum* במקום. Vide si vacas. Hic quæritur utrum in terrâ Gosen etiam lux fuerit Ægyptiis qui cum Israëlitis habitabant? & respondet R. Levi dicens in ædibus Israelitarum fuisse lucem, in Ægyptiorum autem domibus tenebras. Cogitemus amplius.

24. *Et vocavit Pharao Mosem & dixit, Ite, servite DOMINO, dumtaxat pecudes vestræ, & armenta vestra remaneant: etiam parvuli vestri ibunt vobiscum.*

Vocavit] *Post triduum.* Jonathan. ¶ *Pecudes vestræ*] Hieron. *oves vestræ*; alius, *greges vestri.* ¶ *Armenta vestra*] Vel, *boves vestri.* Ebraice בקרכם, unde *bucerum pecus*, & *buceriæ greges.* Innuit autem majora animalia, ut sunt equi, asini, boves, cameli. Peculiariter autem ipsum nomen Ebraicum de bobus usurpatur. ¶ *Remaneant*] Ità Hieron. & Santes, nec male ad sensum. Dico ad sensum, quia in verbo est, *sistantur* videlicet יצג. Id Tremel. interpretatur *sistuntor.* Lxx. ὑπολείπεσθε, relinquite. R. Salomo יעמדו במקומו *statuatur & remaneat in loco suo.* Onkelos ישבקון *relinquite.* Jonath. יקומון גבי *stent.* i. maneant apud me. R. Levi יעזבו ויונחו פה *relinquantur & remaneant hic.* Hisceni, *Maneant in pignus quod reversuri sitis.* Dubitabat enim de illorum fide Pharao; ideò nolebat eos dimittere, nec tantum bolum sibi eripi, unde tot ei commoditates.

25. *Et Moses dixit, Etiam tu dabis in manu nostra sacrificia & holocausta, & faciemus DOMINO Deo nostro.*

Etiam tu dabis in manu nostra] Dabis, id est, debes dare. Simile, *filius honorat patrem*, debet honorare. Et *dabis* de tuo. Nam mox ait, *Etiam pecora nostra ibunt nobiscum.* ¶ *In manu nostra*] ἡμῖν, nobis. Lxx. Hieron. ¶ *Sacrificia*] Ità Santes. Alii, *hostias*: alii *victimas.* Lxx. θυσίας, quæ a mactando dictæ. Nam θύω macto. *Hostias* etiam Hieron. vertit. Ebraicè זבחים, è quibus pars aliqua sacerdotibus & convivio decidebatur, ut rectè Hieron. notat Jes. 5. 6. On. & Jon. hic habent נכסת קודשין *hostiæ sive victimæ sanctæ.* ¶ *Et faciemus*] *Facere* dixit pro facere rem divinam, ut Virgil. Ecloga 4. *cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.* Vide Macrobium Saturnal. lib. 3. cap. 2. Licet vertere, *ut faciamus.* Lxx. ἃ ποιήσομεν, quæ faciemus. Facere hostias, ut *facere boves* Psal. 66. 15. *filium bovis.* Genes. 18. 7. i. coquere, parare, apparare. Quod loquendi genus frequens est apud Catonem & Varronem. Adagium est apud Latinos, *Dii facientes adjuvant.* Id explicant, ritè sacris operantes. Facere ergo est sacris operari. Quo pertinet etymon Scævolæ, qui pontifices dictos arbitratur tanquam potifices, qui facere possent. i. sacrificare. Psal. 66. 15. Græca editio habet, ποιήσω σοι βόας μετὰ χιμάρων. Vide, si placet.

26. *Et etiam pecus nostrum ibit nobiscum, non relinquetur ungula. Nam ex eo accipiemus ad serviendum DOMINO Deo nostro. Nos autem nescimus quo servituri simus DOMINO donec venerimus illuc.*

Pecus nostrum ibit] Pecora nostra ibunt. ¶ *Ungula*] *Ungula una.* Jonathan. *quicquam.* Onkelos, proverbiale. Vide Proverbia nostra. Lxx. οὐχ ὑπολειψόμεθα ὁπλήν, non relinquemus ungulam, eadem sententia. Hieron. addidit, *ex eis.* Nam præcedit, *greges.* Sic etiam Jonathan. On. *ex eo*: videlicet, *pecore.* ¶ *Ungula*] *Planta*, R. Salomo. ¶ *Ad serviendum DOMINO Deo vestro*] Λατρεῦσαι τῷ Κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν. Hieron. *Quæ necessaria sunt in cultum DOMINI Dei nostri.* Possumus vertere, *ut colamus DOMINUM Deum nostrum.* Servire hic fere idem est quod *sacrificare.* ¶ *Quo servituri simus*] Quo genere pecoris sacrificaturi, & quot hostias immolaturi simus. Hieron. *Præsertim cum ignoremus quid debeat immolari.* Lxx. τί λατρεύσωμεν, quid servituri simus. Jonathan במה *ex quo.*

27. *Et obfirmavit DOMINUS cor Pharaonis, qui noluit dimittere illos.*

28. *Dixitque ei Pharao, Abi à me, cave tibi, ne addas videre faciem meam, quia quo die videbis faciem meam morieris.*

29. *Et Moses dixit, Rectè locutus es, non addam amplius videre faciem tuam.*

Obfirmavit cor] Alibi est, *roboravit cor*, eodem sensu i. אמץ, videlicet Deut. 2. 30. *quia induravit DOMINUS Deus tuus spiritum ejus, & roboravit cor ejus.* De Sehon rege Hesebon. ¶ *Qui noluit*] Ebraicè, *& noluit.* ¶ *Abi*] Facesse, apage. Lxx. ἄπελθε. Hieron. *recede.* Nam qui abit ab aliquo recedit. ¶ *Ne addas videre*] Ne iterum videas. ¶ *Morieris*] *Reus mortis eris*, Abenezra. *Tradam te in manus hominum illorum qui quærunt animam tuam ad occidendum te.* Jerosolymitanus. Jonathan. Quanquam in verbis aliqua varietas. Nam Jerosoly. *inter manus* populi &c. Jonathan verò, *ad tollendum te e medio.* Vide & confer. ¶ *Rectè locutus es*] כן דברת rectum locutus es. Hieron. *ità fiat, ut locutus es.* Lxx. εἴρηκας. Sed in C. οὕτως εἴρηκας, sic dixisti. Legitur & καθὼς εἴρηκας i. כאשר. On. & Jon. *pulchrè locutus es.* Fagius habet, *bene.* In Chaldaismo est יאות. Jerosolymitanus, *verum loquutus es.* Ad verbum, *veritatem* i. קשוט. Munsterus, *sicut locutus es.* Leo Judæ, *Quemadmodum locutus es.* R. Salomo, *Pulchrè locutus es, & in tempore suo locutus es veritatem.* R. Levi *Verbum veritatis locutus es* i. verum, verax: ut ibi, כנים אנחנו certi nos sumus. Abenezra, *Dictio* כן *hic sumitur, ut* Num. 27. 7. *rectum filiæ Salphaad loquuntur.* i. אמת verum ישר & rectum. Sic alibi לא כן exponitur à Camio לא טוב non bonum. ¶ *Non addam amplius videre*] non iterum adhuc videbo. Pleonasmus.

AMAMA.

13. Ebr. *Adduxitque Deus ventum* קדים. Vulg. *Adduxitque Deus ventum urentem.*

Et hic & alibi vocem קדים. Vulgatus vertit *urentem*, ut supra Gen. 41. *uredinem*, cum omnes Ebræi & Christiani unanimi consensu Orientalem interpretentur. Aquilam & Lxx. excipio, quorum ille alibi cum Lxx. πνεῦμα καύσωνος, hi hoc loco νότον reddunt. Sed dum interpretantur καύσωνα, nescio an probari queat eos pro Orientali vento vocem hanc non accepisse, cum illis in locis * calidior fuerit ac magis urens Eurus. Sed cur Interpres *urentem* vertit? In קדם enim nulla adustionis significatio. Putant eum a Lxx. deceptum Austrum seu ventum Merid. intellexisse. Firmant eam opinionem Lippomanus & Steuchus, quorum hic in notis suis ad hunc locum diserte, *Non est dubium*, inquit, *quin* קדים *sit auster.* Et paulo post, *Miror Nicolaum, quod cum Ebræa sciret non intellexerit hunc ventum esse Austrum.* Miror te potius mi Steuche, quod ita veritati obstrepas, Annon קדם est oriens? Quid oppones præter studium defendendi Vulgatum? Annon omnes Ebræorum Interpretes, omnes Lexicographi Ebræi & Christiani Eurum seu רוח מזרחית interpretantur: Ipse Genebr. ad Ps. 78. vers. 31. fatetur Kadim *ventum* esse qui flet a קדם i. Oriente. Vers. 19. dicitur Deus convertisse ventum occidentalem. Sensus, convertit Deus ventum orientalem qui antea flabat in occidentem, i. ex adverso immisit occidentalem. Adversus ergo erat orientalis. Sed vide Cl. Drusium ad loca difficil. Exodi cap. libri 19. Fagium, Genebrardum &c. Coronidis loco de plagis mundi hæc observanda sunt Tyronibus, 1. in plerisque denominationibus plagarum mundi Ebræorum rationem habuisse situs corporis humani versus Orientem solem. 2. in plerisque autem situs terræ sanctæ; sic dico, plagæ Orbis juxta situm Jerusalem & terræ S. sæpe intelliguntur. †

Lubet hic, nec ingratiis tuis id futurum spero Lector, aliquot Mundi & terræ S. plagarum nomina uno quasi intuitu exhibere, prout ante dies pauculos ea in prælectione publica exhibuimus. ORIENS vocatur 1. KEDEM, *ante*, quod sit anterior plaga homini Orientem Solem intuenti. 2. MIZRACH *Oriens.* 3. NEHAR PHERATH, Deut. 11. 24. *fluvius Euphrates* (locutio ut *Urbs Roma, urbemque Patavis*) 4. Jam, *Mare.* Intellige ‡ Sodomenum lacum, Ebræi siquidem omnem aquarum conflugem seu conceptelam, stagna, lacus, &c. vocant *Maria.* Hoc lacus *mare mortuum*, *mare Salsum* & mare asphaltites vocatur a Scriptoribus. Jos. 15. 5. Mare *Arabæ* i. *planitiei*, vel ut Symm. & Vulg. *mare solitudinis*, vocatur, fortè quod gravitate odoris (a) accolis ita pestiferum sit & circumjacentia loca igne cœlesti exusta & per se jam torrida halitu te-

tro

* *Theodoretus qu.* 8. *in Gen.* Τῷ εὔρῳ πνέοντι τὸ πεπηγὸς ὕδωρ διαλύεσθαι πέφυκεν. *Euro flante concreta aqua dissolvi solent.* (†) *Hier. Zach.* 2. *Ribera ibidem.* (‡) *Num.* 34. 3. *Zach.* 14. (a) *Tacit. Histor. lib.* 5.

tro ita inficiat, ut ab hominibus pecudibusque ibi solitudo sit. *Mortuum* vocant 1. ob eam forte causam quæ appellationi jam dictæ causam præbuit. 2. quod (b) vento non impellatur, in maximis etiam tempestatibus fluctus ejus vix tolluntur. 3. (c) quod nec pisces aut suetas aquis volucres patiatur ob nimiam forte aquarum salsilaginem & bitumen. Quid si & hæc ratio 4. quod, (d) cum navigari nescium sit (omnia enim superjacta ut solido feruntur) homines non ferat, eorumque commerciis aliisque usibus plane sit inidoneum. Quomodo enim id fulcent naves, in quo ne gravissima quidem demergi queant. Periti imperitique natandi perinde attolluntur in eo & quasi vi spiritus sursum projecti in eo fluitant. Cujus rei experimentum (e) Vespasianus sumsit, quibusdam natandi insciis vinctis post terga manus in id præcipitatis. Vocatur *Lacus* (f) *Asphaltites* Ebr. *AGAM HACHOMER* seu *bituminosus* à copia bituminis quod inibi gignitur & certo anni egeritur, cujus legendi modum sane mirabilem tradunt Josephus & Tacitus. *Salsum* vocatur, Ebr. (g) *Jam hammelach*, ob salsilaginem quandam peculiarem qua infectum est, cujus adjuncti originem ab isto Sale arcessunt Ebræi, quem unà cum Sulphure depluisse non quidem in Gen. sed Deut. 29. memorat Moses. Licet alii a fodinis Salis quarum mentio etiam Soph. 2. 9. appellationem deductam velint. Ebræi passim *jam Kadmoni*, mare Orientale vocant.

OCCIDENS vocatur 1. ACHOR *post*, posterior plaga, in opposito habet vocem KEDEM. 2. MAARAB à vespera sic dictum. 3. MABO *introitus*. BA enim de Sole usurpatum sign. *occidere*, propriè introire, ingredi, videtur enim Sol, cum occidit, introire Oceanum καὶ δύειν ὑπὸ γαῖαν. 4. JAM *mare*, intellige Philisthæum, & Mediterraneum, quod Ebræi mare magnum vocant, non ratione Oceani sed aliorum marium, mortui, rubri, Genezareth seu Tiberiadis, aliorumque stagnorum, quæ Ebræi solent appellare maria. Hoc mare per excellentiam plerunque vocatur *mare* simpliciter.

MERIDIES. 1. JAMIN Dextra 2. THEMAN, ab eodem themate. Homini enim orientem Solem intuenti meridionalis plaga a dextra est. 3. DAROM. 4. NEGEB a siccitate. 5. MIDBAR, desertum, Kades sc. vel Sin. 6. Mare SUPHI. algæ, vel junci vel caricis. Litora enim ejus algam abundare proditum ab historicis est. Græci θαλάσσαν Ἐρυθραῖαν vocant, non a colore undarum vel arenæ, rident id commentum (h) Curtius, (i) Brodæus (k) Suidas &c. sed ab Erythro rege ibi submerso, quem locis istis dominatum fuisse Suidas testatur. Hunc Esavum fuisse conjectarunt viri docti (l) Drusius, (m) Genebr. (n) Fullerus, (o) Bekmanus & alii, qui *Edom* i. rufus cognominatus, Rufus i. ἐρυθρός. Cum ergo Græcis licuerit Ebræum *Edom* tanquam appellativum interpretari Ἐρυθρὸς, cur Latinos culpabimus quod vocem Græcam reddiderint *Rubrum*? Sed scribenda ea vox cum R. majusculo, ut non appellativum sed nominis proprii interpretamentum esse sciamus. Hoc mare absolute vocatur mare Psal. 107. 3. Rabbini *jam deromi* mare australe vocant. 7. *Fluvius Ægypti*, Nilus Gen. 15.

SEPTENTRIO 1. TZAPHON, ab abscondendo q. d. plagam absconditam, eò quod illi Sol quasi abditus & absconditus sit, unde apud Homerum ζόφος ut notat doctissimus Capellus. 2. LEBANON Libanus Deut. 11. 24. 3. Introitus Hemath 1. Reg. 8. Vide Riber. Amos 6. Num. 45. Sunt & alia sed rarius obvia. Illud hic mihi nota Tyro, in Exodo 23. 31. mare rubrum a quibusdam accipi pro termino Orient. Euphratem verò pro Septentrionali: ut enim illud versus Orientem, ita hic versus Sept. se porrigebat. Aliàs enim Septentrionalis plaga ibi non memoraretur. Sed tempus est ut ex diverticulo in viam.

15. Ebr. *Et obscurata fuit terra.* Vulg. *Vastantes omnia.* Ebr. ותחשך הארץ. Vulgatus hæc hausit ex Lxx. καὶ ἐφθάρη ἡ γῆ, corruptaque est terra.

GROTIUS.

7. NOnne vides, quòd perierit Ægyptus] Nondum vides periisse Ægyptum? nempe, si ita agitur. Aquila benè, ἄρα οὔπω οἶδας [an nondum cognoscis].

10. *Cui dubium est*] Benè expressit sensum verbi *videte*, quod in Hebræo est, id est, quivis videat.

19. *Mare rubrum*] Id est Erythræum, ab Erythra qui Esa-

(b) *Ibid.* (c) *Ibid.* (d) *Ibid. vide & Joseph. lib.* 5. *belli Jud. cap.* 5. (e) *Joseph. ibid.* (f) *Plin. lib.* 5. 16. *Tacit. loco citato. Joseph. l. c.* (g) *Jos.* 15. 5. (h) *Lib.* 8. & 10. (i) *Miscell. lib.* 3. 9. (k) *In* ἐρυθρός. (l) *Ad loca diff. Exodi pag.* 187. (m) *Ad Ps.* 106. (n) *Misc. lib.* 4. *cap. ult.* (o) *In voce Ægyptus.*

vus. Sed Hebræis mare algosum dicitur: est enim algæ plenum, ut constat ex Agatharchide, Diodoro Siculo, & Artemidoro apud Strabonem.

CARTWRIGHTUS.

1. UT ponerem hæc signa mea בקרבו *in medio ejus.*] Onk. בֵּינֵיהוֹן *inter eos*, nempe Pharaonem & servos ejus. Lxx. ἵνα ἑξῆς ἐπέλθῃ τὰ σημεῖα ταῦτα ἐπ' αὐτούς. *Ut deinde superveniant signa hæc super eos.* Vulg. *Ut faciam signa mea hæc in eo.* V. sequenti est, *signa mea, quæ posui* בם in eis; vel *inter eos.*

2. *Ut narres*, &c. את אשר התעללתי *ea qua operatus sum*] Onk. ית נסין די עבדית *miracula quæ feci.* Lxx. ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς αἰγυπτίοις, *quæcunque illusi Ægyptiis.* Similiter exponit R. Sal. שחקתי illusi. Atque ita verbum istud התעלל usurpari notat Num. 22. 29. כי התעללת *illusisti mihi.* Ad quem locum digitum intendit Nobilius, asserens illudendi notione dictionem istam sumi. Num. 22. Ubi Lxx. ἐμπέπαιχάς μοι. Vulg. *illusisti mihi.* Onk. ארי חייכת בי *irrisisti me.* R. Sal. insuper addit eâdem significatione verbum istud accipi, 1 Sam. 6. 6. Ubi de Ægyptiis etiam sermo est. כאשר התעלל בהם ubi etiam Lxx. ὅτε ἐνέπαιξεν αὐτοῖς, *quando illusit eis.* Chald. כד אתעביד בהון פורענו *quando ultionem de eis sumpsit.* Vulgatus sensum potius quam verba respexit, *quando percussus est*, nempe Pharao, cujus anteà facta est mentio. Hoc autem in loco vulgatus habet, *quoties contriverim Ægyptios.* Verbum עלל varias habet significationes, plerumque autem *operari*, *agere*, *moliri*, *machinari* denotat; atque ita commodissimè hoc in loco exponi potest, *quæ operatus sum in Ægypto*, vel in *Ægyptios*, sive *inter Ægyptios*, במצרים, uti mox sequitur, & *signa mea, quæ posui* בם *in eis*, *vel inter eos.* R. Sal. velle videtur verbum עלל nunquam ita usurpari in Hithpael, sed duntaxat in Piel; at illud Psal. 141. 4. להתעולל עלילות contrarium arguit, *ad operandum operationes*, vel *ad machinandum machinationes.* Lxx. τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις *ad excusandum excusationes.* At alius quispiam Græcus interpres (uti ex Chrysostomo notat Scholiastes) ἐννοεῖν ἐννοίας *ad cogitandum cogitationes*, quæ interpretatio est Symachi, ut ex Theodoreto refert Nobilius. Atque ita Chaldæus, למחשב מחשבן *ad cogitandum cogitationes.* Kimchi autem in commentariis ad locum exponit לעשות מעשה רשע *ad operandum opus impietatis.* In textu est, להתעולל עלילות ברשע *ad operandum operationes in impietate.*

Ut narres filio tuo] Abenezra notat Deum hic alloqui Mosen & Mosen esse כנגד כל ישראל loco omnium Israelitarum.

4. ארבה *locustam*] Abenezra putat locustam dici ארבה *Arbe* à רבה *Raba* multiplicari, quòd multæ ac numerosæ sint locustæ.

5. *Omnem arborem, quæ vobis oritur è terrâ*] Abenezra refert Japhetum existimare multum temporis intercessisse inter plagam grandinis, & hanc plagam, quia nimirum dictum est, omnes arbores grandine fuisse percussas, cap. 9. 25. At illud de magna arborum parte debet intelligi, nam in hoc ipso capite v. 15. disertè dicitur locustas absumpsisse omnem fructum arborum, quem grando reliquerat.

7. עד מתי יהיה זה לנו למוקש *quamdiu erit iste nobis in laqueum?*] Lxx. ἕως τίνος ἔσται τοῦτο ἡμῖν σκῶλον *quousque erit hoc nobis scandalum?* Quod sensum Hebræi textûs minùs clarè exprimit. Nec satis dilucidè vulgatus, *Usquequò patiemur hoc scandalum?* Hebraica veritas de Mose loquitur, quod ex versionibus istis haud patet.

הטרם תדע כי אבדה מצרים *An nondum scies Ægyptum esse perditam?*] Jon. הא עד כדון לא חכימת ארום על ידוי עתידא למובדא ארעא דמצרים. *Nonne adhuc intellexisti futurum esse, ut per ejus manus terra Ægypti deperdatur?* Onk. העד כען לא ידעת *an adhuc non nosti perditam esse Ægyptum?* R. Sal. העוד לא ידעת *an adhuc non nosti?* At Abenezra (qui vult טרם significare *prius*) exponit in hunc modum הטרם תרצה שיתבאר לך כי אבדה מצרים, *an prius voles, ut declaretur tibi Ægyptum esse perditam?* * Lxx. Interpretes dictionem טרם prætermiserunt, ἢ εἰδέναι βούλει ὅτι ἀπόλωλεν αἴγυπτος. *An scire velis Ægyptum esse perditam?* Melius Aquila, ἄρα οὔπω οἶδας, *an nondum nosti?* Scholiastes notat Samariticum exemplar habere, πρὶν γνῷς, ὅτι ἀπόλλυται αἴγυπτος, *antequam scias*, &c. Quasi esset טרם non הטרם quod interrogationem indicat. De voce autem טרם *Terem.* Vide suprà ad cap. 9. 30.

10. ראו כי רעה נגד פניכם *Videte* † *nam malum est ante faciem*

* *Vulg.* Nonne vides quòd perierit Ægyptus? † *Vel*, quòd malum est ante faciem vestram.

ciem vestram? Onk. חזו ארי בישא דאתון סבירין למעבד לקביל אפיכון יתחזר *Videte quod malum, quod vos cogitatis facere, in faciem vestram revertetur.* Sic Fagius vertit, ac in Annotationibus ait imperativum esse loco indicativi, at cum interrogatione quâdam. Q. d. *Videtis quod malitia vestra, quam cogitatis, revertetur in vos.* Vel, *videtis quòd malum est vobis proximum?* Addit autem aliam expositionem, *Videte quòd malum vobis propositum est.* Quod sic porrò explicat, *Hoc est quivis potest videre, quod aliquid mali moliamini; ex vultu vestro hoc ipsum apparet.* Prior autem expositio simplicior magisque genuina videtur, nimirùm ut verba ista comminationem quandam Pharaonis adversus Mosen & Aharonem in se contineant. Abenezra tamen posteriori modo intellexisse videtur, dicit enim Pharaonem jam cogitasse eos fugere voluisse, atque exponit כי רעה קרובה מכם תגר פניכם *nam malum est à vobis* (sc. oriturum) *& ante faciem vestram.* Lxx. Ἴδετε ὅτι πονηρία πρόκειται ὑμῖν. *Videte quod malignitas proposita est vobis.* Quod cum posteriori expositione coincidere videtur. In istam sententiam apertè Vulgatus, *cui dubium est quòd pessimè cogitetis?* Hanc expositionem nolim aspernari etiamsi alteram præferendam sentiam.

11. כִּי אֹתָהּ אַתֶּם מְבַקְשִׁים *Nam id vos quæritis*] * Abenezra putat Pharaonem hisce verbis respicere id quod dixit, *Nam malum est ante vos.* Q. d. malum vos cogitatis, id vos quæritis. Ego verò potiùs assentior R. Sal. Pharaonem argumentari, ex eo quod Moses dixerat, sacrificemus Deo nostro, Q. d. Ite igitur vos qui viri estis, & sacrificate Deo vestro, Non enim solent parvuli sacrificare.

12. *Extende manum tuam*, &c. בָּאַרְבֶּה *In locusta*] Sic ad verbum sonat; sensus autem est, *propter locustam.* Vulg. ad locustam. Lxx. καὶ ἀναβήτω ἀκρὶς, *&c. Et ascendat locusta, &c.* Onk. וייתי גובא *& veniet locusta.* R. Sal. exponit בשביל מכת הארבה *propter plagam locustæ*, seu *Locustarum.* Abenezra similiter, בעבור שיבא *ut veniat* nempe locusta. Ac reprehendit R. Mosen Sacerdotem, qui illud בארבה innuere putat, locustam baculo fuisse appositam (שארבה שם במטה) quod meritò rejiciendum videtur.

13. *Et Dominus adduxit*, רוּחַ קָדִים *ventum orientalem*] Vulg. *Ventum urentem.* Sic & alibi solet vocem istam interpretari. קדים *Kadim* autem est à קדם *Kedem oriens*, Lxx. tamen reddunt ἄνεμον νότον, *ventum austrum*, & Steuchus ait absque dubio *Kadim* esse austrum. At certè si origenem vocis spectemus Eurum denotat; atque ita omnes Hebræorum Interpretes, omnes Lexicographos Hebræos, & Christianos Eurum seu רוח מזרחית (i. e. *ventum orientalem*) interpretari testatur Amama. Ita sanè hic exponit R. Sal. nec aliter sensit Abenezra, uti ex commentariis ejus apparet. Notat enim *Kedem*, quod propriè prioritatem significat, denotare orientalem plagam, ac *Kadim* ventum orientalem, quod plaga ista omnium sit prima (שהוא נקדם בפאות) inde enim solem oriri incipere. Ludovicus de Dieu Lxx. Interpretibus & Steucho nonnihil patrocinatur. Cum enim notasset Drusium reprehendere Lxx. Interpretes, quòd *Kadim* hic vertunt νότον *austrum*, & Steuchum quod v. 19. רוח הים dicat esse Boream, *At verò* (inquit) *situm Ægypti inspicientibus constat esse eam mari mediterraneo australem, ipsum vero mare ei Septentrionale; mare autem rubrum spectare Eurum versus, id est, non esse Ægypto simpliciter orientale, sed inter orientem & austrum medium. Boreas, quæ occidentem spectat, Euro directè adversatur. Fateor quidem mare mediterraneum passim pro occidente sumi, at respectu terræ Canaan, quæ isti mari est orientalis, non respectu Ægypti, quæ est australis. Itaque* רוח הים (*ventus maris*, v. 19.) *respectu Ægypti est Boreas, & hoc quidem loco vergens paululum ad occidentalem. Sicut contra* קדים *hic est ventus orientalis, sed vergens multum ad austrum, & hactenus non malè* νότος. *Quemadmodum & Psal. 78. 26. ventus ille qui advexit coturnices in castra Israelitarum vocatur simul* קדים *orientalis, &* תימן *australis. Quomodo australis, si fuit orientalis? quia inter utrumque medius.* Hæc ille.

14. *Ante eas non fuerunt istiusmodi locustæ, nec post eas futuræ sunt*] At Joël. 2. 2. dicitur locustis, de quibus illic fit mentio, similes nunquam extitisse. Respondet hic R. Sal. & similiter ad illum Joëlis locum, eas à Joële memoratas respectu specierum, hisce, de quibus Moses loquitur, fuisse numerosiores; multas siquidem species simul fuisse congregatas, nempe locustam, erucam, rubiginem & bruchum; at istas, quibus Moses percussit Ægyptum, unius duntaxat fuisse speciei, atque ita nullas eis similes, vel fuisse, vel futuras esse. Ad istum etiam modum loca ista Scripturæ, quæ inter se pugnare videntur, conciliant Abenezra & Kimchi in Commentariis suis ad Joël 2. 2. At quod dicunt in Ægypto unicam tantum locustarum speciem fuisse, (ita disertè aiunt R. Sal. & Kimchi) haud satis congruit cum eo quod legitur, Psal. 78. 46. & 105. 34. Quidni igitur dicamus Hyperbolicam quandam locutionem cum hoc in loco, tum apud Joëlem usurpari? Quâ ratione etiam ista Scripturæ loca, 2 Reg. 18. 5. & 2 Reg. 23. 25. inter se conciliandа videntur. Manasses in Concil. quæst. 10. in Exod. refert nonnullos inter Rabbinos, ac nominatim R. Levi Ben Gershom, & Abrabanaëlem ita verba Moses interpretari, ut sensus sit istiusmodi locustas nunquam anteà in Ægypto fuisse, nec postea futuras. Mihi magis arridet, ut Mosis pariter ac Joëlis verba generaliùs accipiantur, utque hyperbolicè dicta intelligantur.

17. וְעַתָּה שָׂא נָא חַטָּאתִי *& nunc remitte quæso peccatum meum*] Onk. וכען שבוק כען חובי *Et nunc remitte nunc peccatum meum.* Fagius vertit, *& nunc remitte quæso*, &c. At כען duntaxat *nunc*, nunquam (opinor) *quæso* significat. Hebræum autem נא etiamsi interdum idem valeat quod כען i. e. nunc, hoc tamen in loco est potiùs orandi particula *quæso, obsecro*, &c. R. Sal. ad cap. 11. 2. ait אין נא אלא לשון בקשה i. e. *Na semper obsecrationem denotat.* At ea significatio isti loco haud convenit. Rectè ibidem Abenezra exponit עתה i. *nunc.* Vide Annotat. ad Gen. 12. 11. Lxx. Interpretes hîc נא interpretantur προσδέξασθαι *suscipite*; mutarunt singulare in plurale, ut hæc cum præcedentibus meliùs cohærerent, at satis dura est ista locutio, *suscipite peccatum meum*, pro *remittite* seu *condonate.* Ita tamen & alibi loquuntur isti interpretes, nempe Genes. 50. 17. καὶ νῦν δέξαι τὴν ἀδικίαν, &c. *Et nunc accipe* (vel *suscipe*) *iniquitatem servorum Dei patris tui.* Hebræum נשא *Nasa* primò significat *tollere, elevare, suscipere, ferre*, &c. At deinde etiam significat *remittere, condonare*, atque in ea significatione hisce in locis sumitur.

18. וַיֶּעְתַּר אֶל־יְהוָה *Et supplicavit Domino*] De verbo עתר vide quæ ex R. Salomone annotavi ad Gen. 25. 21.

19. *Et convertit Dominus* רוּחַ־יָם *ventum occidentalem*] Ad verb. *ventum maris.* ים *mare* pro occidente sæpè ponitur. Vide supra ad v. 13. Onk. רוח מערבא & R. Sal. רוח מערבי i. e. *ventum occidentalem.* Abenezra ait, מערב i. e. occidentem vocari ים i. e. mare, propterea quòd mare magnum, quod exit ex Hispania (מספרד) & transit per Ægyptum (vel juxta Ægyptum, על מצרים) ad terram Israëliticam, sit ad plagam occidentalem; non autem esse oceanum. Mare autem Hispanicum vocari mare magnum, quòd latitudo ejus sit trecentorum milliarium (ג' מאות פרסאות) cum reliqua maria, quæ sunt in terra Israëlitica, ut mare rubrum, mare Cinnereth (seu Genasâreth, seu Tiberiadis, ים כנרת) & mare salsum, non extendantur latitudine ad triginta milliaria. Quamlibet magnam aquarum collectionem Hebræis vocari mare, ad Gen. 1. 10. est annotatum.

21. *Extende manum tuam*, &c.] Abenezra conjecturam facit, in manu Mosis baculum fuisse, etiamsi id scriptum non sit. Illud sanè ex v. 12 & 13. satis fit verisimile. Vide ad cap. 9. 22.

וְיָמֵשׁ חֹשֶׁךְ *Et palpet* (quis, vel unusquisque) *tenebras*] Onk. בתר דיעדי קבל לילא i. e. *postquam recesserint tenebræ noctis.* עדא est *recedere.* cap. 13. 22. לא ימיש *non recessit.* Sic Abenezra refert Japhetum dicere ימש hic idem valere quod ימיש & sensum esse, *recedant omnes tenebræ quæ erant illis notæ, & veniant aliæ eis densiores.* Eadem videtur fuisse Onkeli sententia, nempe tenebras, quibus Deus Ægyptios percuteret, nocturnis tenebris multò fore densiores. Monet etiam Abenezra nonnullos existimare in וימש deesse Aleph, ut sit ימש pro יאמש ab אמש quod significat הלילה שעבר i. noctem præteritam. Atque ita quidem exponit R. Sal. Sed istam expositionem tanquam inanem sensusque expertem meritò rejicit Abenezra; והנה אין טעם לפירושם. Ipse igitur deducit ימש à משש *palpare*, ut Psal. 115. 7. *Manus sunt eis*, ולא ימישון *Et tamen non palpant.* Ut sensus hic sit, tenebras adeò densas fore, ut Ægyptii eas palpent, & contrectent. Similiter in Midrash Agada exponi testatur R. Sal. Ita Lxx. ψηλαφητὸν σκότος, *palpabiles tenebræ.* Et Vulg. *Tam densæ ut palpari queant.* Hierosolymitanus Interpres etiam verbum ימש in palpandi significatione accipit, sed alio sensu, ויהון ממשמשין בחשוכא *Et erunt palpantes in tenebris.* Ut חשך sit pro בחשך. Sed altera expositio præferenda videtur, ut sensus sit, tenebras præ densitate fore palpabiles, hoc est aërem, adeò densâ caligine crassisque vaporibus refertum fore, ut palpari possit.

22. *Et fuerunt tenebræ*, &c. *tribus diebus*] Abenezra ait Ægyptios non novisse triduò durasse tenebras, nisi quòd Israëlitæ, qui in luce erant, ita dixerunt. Atque addit in Oceano in-

* *Vulg.* hoc enim & ipsi petiistis.

interdum adeò densas esse tenebras, ut diem à nocte quis nequeat discernere, ac tenebras istas ad quinque dies manere, id quod se non rarò expertum asserit.

23. *Nec surrexit quisquam*, ולא קמו *è* * *loco suo per tres dies*] R. Sal. ait sedentem non potuisse stare, nec stantem sedere אשר אין יכול לעמוד והעומד אין יכול לישב Melius Abenezra illud מתחתיו *è loco suo* exponit מביתו *è domo sua*.

24. *Et vocavit Pharao*, &c.] Nempe ut exponit Abenezra, post triduum, cum lucem videbant.

25. *Etiam tu dabis in manu nostra sacrificia*, &c.] R. Sal. ita exponit, quasi Moses Pharaoni dixisset, *Non satis est pecora nostra nobiscum ire; sed de tuo insuper nobis dabis.* Abenezra autem in hunc modum interpretatur, *Etiam tu debes in manum nostram tradere victimas & holocausta*, להקריב בעדך *quæ pro te offerantur.* Ego simplicem loci sensum esse arbitror, non satis esse ut Pharao Israëlitas ipsos unà cum parvulis abire permittat, verùm etiam oportere ut pecora ipsorum ad sacrificia & holocausta offerenda eos secum auferre sinat. Atque ista expositio ex versu sequenti satis confirmatur.

26. *Non relinquetur ungula*, &c.] Nempe (ut explicat Abenezra) *ex ulla specie pecoris nostri, propterea quòd non novimus ex qua specie eligemus, nec quot ex ista specie offeremus.* Atque hoc illud est quod dicit, *Non novimus quo* (pecore) *cultum exhibebimus Domino, usque dum eò pervenerimus.*

29. כן דברת *Rectè dixisti*] Onk. יאות מללתא † *Pulchre* (seu ut Fagius vertit *bene*) *locutus es.* Sic R. Sal. יפה דברת. Abenezra notat dictionem כן eo sensu usurpari. Num. 27. 7. כן בנות צלפחד דברות *Rectè loquuntur filiæ*, &c. *Tselophecad.* Lxx. εἴρηκας. At Nobilius testatur in Complutensi esse οὕτως εἴρηκας. Ita כן solet significare οὕτως *sic*, hîc autem, ut in illo Numerorum loco, aliam habet significationem.

IDEM.

19. ויתקעהו *Et dejecit eas*] Vatablus ait verbum Hebræum significare, *cum magnâ collisione, & fragore dejicere.* Certè תקע passim usurpatur pro *figere*, seu *infigere*: videtur igitur hoc verbo significari, locustas ita in mare rubrum dejectas fuisse, ut ibi penitus fixæ essent.

26. *Nec nos novimus*, מה־נעבד את־יהוה *quo colemus Dominum.*] מה pro במה positum videtur. Kimchi in Rad. ait nonnullos interpretari איך *quomodo*: sed id (inquit) necesse non est; sensus enim est, *Nos non novimus*, באיזה מין במיני המקנה נעבדנו *quo genere pecudis eum culturi sumus.* Vulg. *quid debeat immolari.*

IDEM.

14. **A***Nteà non fuerunt*, &c.] Refert Nahmanidem refutasse R. Salomonis sententiam supra memoratam, ex Psalm. 78. 46. & 105. 34. Vult igitur sensum esse, Ægyptum nunquam anteà istiusmodi locustis fuisse afflictam, nec posteà affligendam. Atque ita sanè locus iste cum *Joel* 2. 2. commodissime conciliari posse videtur.

19. *Non manebat una locusta*, &c.] Refert R. Hananeelem dicere, adeò efficacem fuisse Mosis supplicationem, ut nunquam posteà locustæ Ægyptum infestarent; sed, si è terrâ Israëlis in Ægyptum processerint, terræ tamen proventum non læderent: quin & asserere, hoc notum minimeque dubium esse, ואמר שזה דבר ידוע ומבלי ספק idque verbis hisce significari. Credat Judæus.

17. *Et supplica Domino*, &c.] Quærit quarè id jam petiit Pharao, cum locustæ terræ proventum penitùs absumpsissent: & respondet, Deum porrò minatum esse ædes Pharaonis & Ægyptiorum locustis fore refertas. vers. 6. atque ideo Pharaonem istud metuisse, ac ne contingeret, petiisse ut locustæ auferrentur.

* Lxx. ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ è lecto suo. *At in Hebræo nulla fit lecti mentio.* † *Vulg.* Ita fiat ut locutus es.

Cap. XI.

MUNSTERUS.

1. **P***Erfectâ dimissione*] Hebraica sic propriè habent, *cùm ille emiserit, consummatim*, sive *in universum, repellendo repellet vos hinc.*

4. *Et ait Moses*] Quando scilicet adhuc stabat coram Pharaone. ¶ *Cùm medium fuerit noctis*] Heb. *cùm mediaverit nox.* Est enim infinitivus Pichlam. Sed quare mediâ nocte? Adfert R. Menahem de Rakanati egregium commentum, *Quia*, inquit, *illa erat hora* מאדים *Martis, qui ad sanguinis cooperatur effusionem.* Sapiens R. Abraham exponit sic, כאשר יעבור חצי הלילה, *Cum pertransierit medium noctis.*

7. *Movebit canis*] Sic K. exponit. R. S. verò ait יחרץ hîc significare idem quod שנן *acuit.* Onkelos sic vertit, *non nocebit canis linguâ suâ*, &c. A. E. exponit נבח, *non latrabit canis linguâ suâ, ut aliquem exterreat.*

8. *Sub pedibus tuis*] Hebraismus est, pro, *qui te & tuum consilium sequitur*; vel, ut sapiens Abraham exponit, שהם ברשותך, *qui sunt sub potestate tua, egrediantur tecum*, &c.

FAGIUS.

1. **E***T dixit Dominus ad Mosen*] Jam verò dixerat, quando scilicet apparuerat ei Dominus in rubo ardenti. Hæc autem debent legi per parenthesin usque ad hæc verba, *Et dixit Moses, Sic dixit Dominus, Mediâ nocte*, &c. ¶ *Omnino ejiciendo ejiciet*] i. Non simpliciter dimittet vos, sed vi quodammodo expellet vos: non dabit ut moram nectatis amplius. Alii legunt, *Consummatim*, sive, *in universum, repellendo repellet vos hinc.* q. d. Non partem aliquam duntaxat dimittet, retinendo vel parvulos, vel pecora, ut antea cupiebat, sed vos omnes & omnia vestra dimittet.

3. *Et dedit Dominus populo gratiam*, &c.] Ad literam est, *Et dedit Dominus populum in gratiam in oculis Ægyptiorum*, &c. quam locutionem supra explicuimus.

4. *Et dixit Moses, Sic dixit Dominus*, &c.] Antequam scilicet egrederetur à facie ipsius Pharaonis. i. Prædixit illi ultimam plagam. Redit enim ad interruptam historiam. ¶ *Mediâ nocte*] Ad literam est, *circa divisionem noctis.*

7. *Non nocebit canis*] Heb. לא יחרץ כלב לשנו. Quod alii exponunt, *Non movebit canis linguam suam.* Alii, *non acuet.* Alii, *non latrabit.* Noster paraphr. *nap ladet*, ut vel latrando saltem aliquem exterreret; sicut & A. E. interpretatur.

IDEM.

1. אחרי כן ישלח אתכם מזה כשלחו כלה גרש יגרש אתכם מזה *Postea dimittet vos hinc perfectâ dimissione, repellendo repellet vos hinc.*] Vulgarus interpres minus habet quam reliqui; non enim expressit illa כשלחו כלה *perfectâ dimissione*, h.e. penitus, sine ullis conditionibus, & in universum dimittet vos omnes. Non partem aliquam duntaxat dimittet, pecora vel parvulos vestros retinendo, sed vos omnes & omnia vestra dimittet.

7. ולכל בני ישראל לא יחרץ כלב לשנו *Apud cunctos autem filios Israël non movebit canis linguam suam.*] Septuaginta & Vulg. interpres non usque adeò malè reddiderunt verbum Hebraicum יחרץ, licèt Hebræorum alii per *acuere*, ut R. Salomo; alii per *movere*, ut Kimchi; alii per *latrare*, ut Abenezra; alii per *nocere*, ut Paraph. Chaldæus, exponant.

VATABLUS.

1. **D***Ixit præterea*, ויאמר] Quidam tres istos primos versus legunt per parenthesin, & vertunt per plusquam perf. *Jam verò dixerat:* quando scilicet apparuerat ei Dominus in rubo ardenti, suprà cap. 3. 20, 21, 22. ¶ *Omnino*, &c. כלה גרש וגו'] *Perfectè, ejiciendo ejiciet vos*, i. quum dimittet vos sine ulla conditione (nam cap. 8. 28. cum conditione dicit, *Dimittam, modò nè longius eatis.* & cap. 10. 11. *Ite viri, sine parvulis & pecoribus.* Paulò pòst, vers. 24. *Ite, & parvuli, tantum pecora remaneant.*) non cum pace & tranquillè dimittet, sed vi quodammodo expellet, nec sinet ut moram nectatis amplius. Quidam adverbium *Omnino*, sive *perfectè*, sequentibus jungunt, sic, *Omnino* [sive *consummatim & in universum*] *repellendo repellet vos hinc.* q. d. Non partem aliquam duntaxat dimittet, retinendo vel parvulos vel pecora, ut antea cupiebat, sed vos omnes & omnia vestra dimittet.

2. *Et petant singuli*, &c. וישאלו וגו'] *& mutuentur* [i. ut mutuentur, sive mutuo accipiant] *singuli à socio suo.*

3. *Et dedit Jehovah*, &c. ויתן יהוה וגו'] Hebraismus, Reddidit populum Israëliticum gratissimum Ægyptiis.

4. *Dixitque Moseh*, ויאמר משה] *Dixit autem Moses*, vel *Adjecit Pharaoni Moses*: antequam scilicet egrederetur à facie ipsius Pharaonis: i. prædixit illi ultimam plagam. Redit enim ad interruptam historiam quæ est in fine præced. capitis. ¶ *Quum media fuerit nox*, כחצות הלילה] *Circa medium noctis.* ¶ *Et transibo*] Istud subaudivit noster interpres ex cap. 12. 12.

5. *Qui sedet*, הישב] *sedente.* i. sessuro. h.e. qui jure sessurus erat super solium patris. ¶ *Quæ est post molas*, אשר אחר הרחים] i. quæ in pistrino circumagit molam.

6. *Qualis non fuit*, &c. 'אשר כמהו לא נהיתה וגו] *Ad verb. qui sicut ille non factus est, & sicut ille non addet*; i. non erit ultra. Ex doctioribus Hebræorum alter interpretatur, *Qui pro re simili non factus est, & pro simili non est futurus.* Interpretatur autem sic, quòd verbum est femininum, & pronomen masculeum.

7. *At omnibus filiis*, &c. 'ולכל בני ישראל וגו] *Apud omnes filios*, &c. i. In omnibus domibus filiorum Israel ne canis quidem allatrabit uni ex filiis Israël, neque hominibus neque jumentis. Chald. paraph. *Inter cunctos autem filios Israel non nocebit canis linguâ suâ, saltem latrando, ab homine usque ad jumentum.* ¶ *Diviserit* יפלה] *Discrimen posuerit.*

8. *Et incurvabunt se mihi*, והשתחוו לי] *Et adorabunt me.* i. supplices dicent mihi. ¶ *In pedibus tuis*, ברגליך] *Sub pedibus tuis.* i. tibi subditus. ¶ *In ira furoris.* בחרי אף] *Cum furore iræ.* i. mirum in modum iratus.

9. *Ut multiplicem portenta mea*, למען רבות מופתי] i. Quamvis multa prodigia edam.

10. *Roboravit autem*, ויחזק] *Induravit autem.*

CLARIUS.

4. ET *ait*] Quando scilicet adhuc stabat coram Pharaone. Non enim postea reversus erat quàm ei dixerat Pharao, *Cave ne ultra videas faciem meam.* Observa verò, tum demum impios consequi supremum interitum cùm à se viros sanctus ejecerint.

LUC. BRUGENSIS.

10. MOyses *autem & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone.* Est quidem hæc lectio plerisque Græcis libris consentanea: sed correctiora exemplaria, cum Hebræis atque Chaldæis codicibus, & Græco Regiæ editionis textu, nonnihil superfluere docent. Quædam vero & *ostenta* demunt: at ea præferenda videntur, etiam Correctori, quæ *signa &* auferunt. Quanquam enim Hebræa vox מופת *signum* denotet, atque ad eum modum hujus capitis vers. 9, & 3 Regum 13. vers. 3, ac 5. ab Interprete transferatur; tamen non qualecumque signum, sed *portentum* propriè designat. Quamobrem Exod. 4. 21. *ostentum*, Ezech. 12. 11. *portentum* reddidit. LXXII. τέρας transtulerunt. Conjunctisque duobus his verbis אות & מופת, illud Interpres vulgatus vertit *signum*, hoc *portentum*, Exod. 7. 3. Deut. 13. 1. LXXII similiter, σημεῖον καὶ τέρας. Chaldæus 3 Reg. 13. & Ezech. 12. מופת exposuit אתא: aliis autem locis eas fere retinuit dictiones quæ in Hebræo leguntur.

DRUSIUS.

1. עוד נגע אחד. A & Sym. ἔτι μίαν ἀφὴν, *adhuc unam plagam*] Vel, *unum ictum*: ἀφὴ propriè *tactus*. Sed pro *plaga* usurpatur hic & alibi. Interdum lepram peculiariter designat. Olim legebatur, ἔτι μίαν πληγήν. Cur mutarunt? An quia מכה solet reddi πληγή? An potiùs quia נגע *tetigit*, & indè נגע, ἀφή? Verum videtur.

5. עד בכור השפחה. Alius, ἕως πρωτοτόκου τῆς αἰχμαλωτίδος, *usque ad primogenitum captivæ*] שבויה, cujus pluralis שבית Gen. 31. 26. *captivæ*. In scholiis Jarii Hebræi, 'עד בכור השבי, *Cur flagellantur captivi? ne dicant, Timor eorum* (i. Deus eorum) *quærit affligere eos: ideo adducit plagas super Ægyptum.* שפחה melius redditum in Lxx. θεράπαινα, & in Hieron. *ancilla*, & in utroque Thargum אמתא, i. *ancilla, famula.*

NOTÆ MAJORES.

1. ET *dixit DOMINUS ad Mosem, Adhuc plagam unam adducam super Pharaonem & super Ægyptum, postea dimittet vos hinc, quum ipse dimittet absolute, expellendo expellet vos hinc.*

2. *Loquere nunc in auribus populi, & petat vir à socio suo, & mulier a socia sua vasa argentea & vasa aurea.*

3. *Et dedit DOMINUS gratiam populo in oculis Ægyptiorum, etiam vir ille Moses magnus erat valdè in terra Ægypti in oculis servorum Pharaonis, & in oculis populi.*

Et dixit] Nempe postquam è conspectu Pharaonis discessisset: aut jam antea dixerat, puta cum in Madian aut in monte Sinai ei appareret, aut priusquam postremo ad Pharaonem rediret. Ceterum de hac plaga mentio supra 4. 23. de spoliis 3. 20. Videtur ergo eadem nunc repetiisse. ¶ *Adhuc unam plagam*] Plaga hic נגע dicitur à verbo quod significat in communi usu *tangere*: unde Aquila & Sym. ἔτι μίαν ἀφὴν, *adhuc unum ictum*, vel, si mavis, *unam plagam*. Nam ἀφὴ, plaga i. πληγή. Sic usurpant prisci Translatores. Interdum *lepram* peculiariter designat. Vide Fragmenta. Propriè ἀφὴ tactus. Nam ἅπτομαι, tango. Intelligit autem occisionem primogenitorum, quæ decima plagarum, eademque ultima & postrema. ¶ *Super Ægyptum*] Vel, *super Ægyptios.* ¶ *Absolute*] Plenè, consummatè: vel, omnino, penitus. Sed כָּלָה è verbo sonat, *consummationem.* Dimittet consummationem, vel potius כלה *in consummatione* i. consummatè. Lxx. σὺν παντὶ i. omnino, aut cum omni re vestra. Lectio varians σὺν πάσῃ ἐκβολῇ, &c. *cum omni ejectione.* quod non probo. Jonathan, *consummatio erit ei.* Ne sperne. Onkelos, גְּמִירָא consummationem. Quanquam Fagius, *omnino*: quod ad sequentia refert: *omnino ejiciendo ejiciet vos.* Vide notas ipsius. Trem. *ad vivum expellendo expellet vos.* Santes, *omnino*: Munsterus, *perfecta dimissione, propriè consummatim sive in universum.* Editio Gallica, *du tout* i. omnino. R. Levi, בשלמות *perfectè. Vult dicere quod non postulabit à vobis ut relinquatis aliquid.* Leo, *quumque plene dimittet, omnino expellet vos.* Idem aliter. ¶ *Expellendo expellet*] Hieron. *exire compellet.* q. d. non tantum licentiam vobis faciet abeundi, sed etiam hinc discedere compellet. ¶ *Hinc*] Ex hoc loco. ¶ *In auribus populi*] Audiente populo. Ebraismus. ¶ *Nunc*,] Vel, quæso. R. Salomo נא אין נא אלא לשון בקשה *nullum est* נא *quod non habeat significationem obsecrandi.* Sed Abenezra interpretatur per עתה nunc. Sic etiam Onkelos & Jonathan. Lxx. hic habent οὖν & Hieron. *ergo.* ¶ *Petat*] Commodato. Hieron. *postulet.* Lxx. αἰτησάτω. In Ebræo est ad verbum, *petant*: quod Onkelos dixit ישאלון & Jonathan, cui familiare א in Jodh mutare ישיילון, vide supra 3. 22. Pro, *in auribus populi*, Senes habent κρυφῇ εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ, secreto in auribus populi. Quod noto, quia κρυφῇ additum videtur explicationis gratiâ. In notis Vatabli, ישאלו *mutuentur sive mutuo accipiant*, malim *commodato sumant.* Nam mutuum sumimus, ut verbi causâ, pecuniam, frumentum & similia. Intelligens intelligit quid velim. ¶ *Vir à socio suo*] Vel, *quisque ab amico suo.* Amicum autem dicit Ægyptium familiarem aut vicinum. Lxx. παρὰ τοῦ πλησίον. Jonathan, *ab amico suo Ægyptio.* Amici vocabulo usus est etiam Hieron. Ceterum in Onkelo est מִן חַבְרֵהּ à socio suo. Santes, *unusquisque à proximo suo.* Proverb. 6. 1. לרעך. Lxx. σὸν φίλον. A. ἑταῖρον. Sym. Th. πλησίον. Hieron. *amico tuo.* Hinc intelligentiam accipit, *Dilige amicum tuum tanquam te ipsum.* Id enim vel Apostolo interprete & expositore valet τὸν ἕτερον, alium quemvis. ¶ *Mulier à socia sua*] γυνὴ παρὰ τῆς πλησίον αὐτῆς mulier à proxima sua. Ita Libri antiqui: sed ut edit. Rom. abest. Hieron. *à vicinâ suâ* רְעוּתָהּ. Onkelos, *à socia sua.* Jon. *ab amica sua Ægyptia.* Mulier i. quæque. ¶ *Vasa aurea*] Senes addunt καὶ ἱματισμὸν & vestem. Scire licet vasis nomine aliquando vestem significari, ut in illo, *non induet vir vas mulieris.* i. vestem. Quæ tamen hic locum non habent. ¶ *Dedit gratiam populo in oculis Ægyptiorum*] Reddidit populum gratiosum, sive conciliavit ei gratiam apud Ægyptios. In Ebræo est ad verbum, *gratiam populi*, ut possis vertere, *posuit gratiam populi*, &c. Nam dare & ponere permutantur. Quod notum jam lippis & tonsoribus. ¶ *Vir ille*] הָאִישׁ ὁ ἀνήρ. pronomen *ille* honorifice positum q. d. vir ille insignis. Sed & nomen איש significationem habet ἀρετῆς, ut cum legimus, *In loco ubi non sunt viri, da operam ut ibi virum te præstes.* Vide Proverbia mea. 1 Reg. 2. 1. *esto in virum* i. vir. 1 Sam. 26. 15. *Nonne tu es vir? & quis tui similis?* Jud. 7. 14. *Gedeon filius Joas vir Israel.* Hoc sensu Cicero dixit, *virum putabo*: &, *vir est inter viros.* Malè igitur Lxx. καὶ ὁ ἄνθρωπος Μωυσῆς: & homo Moyses. ¶ *In oculis populi*] *Apud Ægyptios*, Abenezra. *coram populo*, Jonathan. *coram omni populo.* Hieron. sed cur hoc adjecit? An ut Abenezra putat, quia multi Ægyptiorum commodabant vasa sua Israëlitis propter gloriam Mosis? Sunt qui memoriæ prodiderunt Pharaonem non ausum fuisse manum mittere in Mosen, quod gratia & autoritate valeret apud populum: metuebat enim inquiunt, ne seditio excitaretur, si hoc fecisset. Vide sis Lippomanum.

4. *Et dixit Moses, Circa medium noctis ego egredior per medium Ægypti.*

5. *Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui sedet super solium ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est post molas, & omne primogenitum jumenti.*

Circa medium noctis] Vel, *circiter mediam noctem.* Ebraice כחצת הלילה quod Santes interpretatur, *quum media fuerit nox.* Hieron. *media nocte.* Videtur legisse בחצת, hoc est Beth pro Chaph, quod & בחצי dicitur. Lxx. περὶ μέσας νύκτας, circa medias

dias noctes. Hîc enallage numeri qualis in illo, *νάθε ἐν δεξιᾷ μα*. Nam una tantùm dextera. Onkelos, כפלגות ליליא. Verto, *circa medium noctis*. Prius erat in Fagio, *media nocte*, & in notis, *circa divisionem noctis*. Sed חצות medium. Jonathan, *nocte alia hac hora*. Hæc Moses dixerat antequam à Pharaone discessisset. ¶ *Noctis*] *Hujus noctis*. Tremel. *Noctis certi cujusdam diei*. In notis ad Gallicam editionem כחצות quum mediabit, ut כעלות quum ascendet: aut est nomen חצה medium, ad instar אחות soror. ¶ *Egredior*] Egressurus sum. On. & Jon. *ego revelabor*. ut alibi *descendere*, sic hoc loco dicitur *egredi*, quia decreta à Deo exeunt: aut egrediar per angelum vastatorem. Vide Abenezram. R. Levi putat כחצות idem esse cum כחצות ut alibi כחצות וגו׳ quum egrederer urbem ירושלים. Vide & hic Abenezram, qui ad hunc locum ità scribit, *Sunt Grammatici qui dicunt* חצות *esse nomen verbi, & sensum esse, quum erit medium noctis*, &c. Et mox, *Notum est non posse sapientem scire momentum medii diei nisi cum magna molestia per instrumenta ærea, multo minus scire potest momentum media noctis*, &c. ¶ *Per medium Ægypti*] *Per medios Ægyptios*. On. & Jon. Interpres vulgatus, *ingredior in Ægyptum*. Quod ex Græco ità vertit *εἰσπορεύομαι εἰς μέσον Αἰγύπτου*. ¶ *Qui sedet*] Aut, *sedentis*. & sedet i. sessurus est, enallage nota. Hanc explicationem roborant editiones Onkeli & Jonathæ. Etiam Abenezra qui explicat de primogenito cui convenit sedere in solio ejus. Quidam ad Pharaonem referunt, hac sententia, *qui sedet in solio suo*. Sed minus benè. ¶ *Super solium ejus*] On. & Jon. *Super solium regni ejus*. Ancillæ השפחה *τῆς θεραπαίνης*. Infra 12. 29. *Usque ad primogenitum captivæ, quæ in domo carceris*. Vide Fragm. Porro ancillas appellat famulas, quæ in ergastulo molas trudebant. Sensus est, à primogenito honoratissimi usque ad primogenitum vilissimæ & abjectissimæ ancillæ sive servæ. Nam tales erant quæ molas ante se agebant: molas dico trusatiles, quas corpore toto propellebant & circumagebant captivæ in pistrino. ¶ *Post molas*] Hieron. *ad molam*. Lxx. *παρὰ τὸν μύλον*. ¶ *Omne primogenitum jumenti*] *Omnia primogenita jumentorum*. Hieron.

6. *Et erit vociferatio magna per universam terram Ægypti, cui similis non fuit, & similis ei non addet esse.*

Vociferatio magna] Vel, *clamor magnus*. ¶ *Cui similis*] Terræ an vociferationi? Hieron. *Eritque clamor magnus, qualis nec ante fuit nec postea futurus est*. R. Levi, *Qualis terra non fuit nec addet esse*, videlicet quæ tot plagis affecta sit aut afficietur. Nec obstat masculinum pronomen in כמוהו cum terræ nomen etiam masculinè construatur. Abenezra negat simile exemplum extare uspiam in Scriptura. Nam sequitur ecce תסף verbum fœmininum, & נהיתה fuit. ¶ *Non addet esse*] לא תסף, non addet, sub. esse. Similis defectus in illo Proverbiorum 1. *Si lactaverint te peccatores, ne velis* אל תבא subaud. acquiescere eis.

7. *Et contra omnes filios Israël non movebit canis linguam suam, ab homine usque ad jumentum, ut cognoscatis quod discriminaverit DOMINUS inter Ægyptios & Israelem.*

8. *Descendentque omnes servi tui isti ad me, & adorabunt me dicendo, Egredere tu & omnis populus qui in pedibus tuis; & postea egrediar: egressusque est Moses à Pharaone cum excandescentia ira.*

Contra omnes filios Israël] Hieron. *Apud omnes filios Israël*. Sic etiam Tremel. Idem mox, *contra ullum hominem aut jumentum*. ¶ *Non movebit canis linguam suam*] Proverbiale pro, non lædet neque terrebit eos quicquam: & est in dicto hyperbole. Nulla enim re minus terretur homo quam latratu canis. Ceterum pro *non movebit* quidam ediderunt, *non acuet*. Lxx. *οὐ γρύξει*. Hieron. *non mutiet*. Lex. vetus *γρύζω, mutio*. Onkelos, *Non nocebit canis linguâ suâ allatrando ab homine ad jumentum*. Sic etiam Jonathan, *Sensus est*, inquit Abenezra, *non latrabit aut non mordebit. Tantum abest ut eorum primogeniti fuerint occisi*. ¶ *Discriminaverit*] Discrimen fecerit aut posuerit. Lxx. *παραδοξάσει*. Hieron. *quanto miraculo dividat*. Santes, *quod diviserit* יפלה. Trem. *quantum discrimen ponat*. On. & Jon. דיפריש *quod separaverit aut segregaverit*. Munsterus, *quod distinctionem fecerit*. ¶ *Descendent*] è palatio tuo, quod in loco editiore fuisse videtur. ¶ *Servi tui*] Aulici tui, consiliarii & ministri tui. ¶ *Et adorabunt me*] Non dubium quin jussu tuo. Minus dicit, plus intelligit. Nam sensus est, adorantes petent à me sive rogabunt me. Quod postremum in Onkelo & Jonatha. ¶ *Populus qui in pedibus tuis*] העם אשר ברגליך Lxx. *ὁ λαός σου ὃ σὺ ἀφηγῇ*, populus quem tu ducis. Hieron. *Qui subjectus est tibi*. On. & Jon. *Qui tecum sive apud te est*. Tremel. *Qui vestigia tua sequitur*. Editio Gallica, *Qui tibi subest, qui est ad pedes tuos, quem tu ducis*. Vatablus, *Sub pedibus tuis* i. tibi subditus. Abenezra, *Qui est in potestate tuâ, quem ducis quo vis*. Eadem phrasis obvia Jud. 4. 10. R. Salomo, *Qui tuum consilium sequuntur & incessum*. ¶ *Cum excandescentia ira*] בחרי אף in excandescentia iræ. Nam offensus fuit, ut credibile est, illis verbis, Cave ne ultra videas faciem meam. Hieron. *iratus nimis*. Lxx. *μετὰ θυμοῦ*. Tremel. *accensus ira*. Ebra. *cum accensione iræ*. Ut 1 Sam. 20. 34. Santes, *in ira furoris*. On. & Jon. בתקוף רגז cum vehementia iræ. תקוף propriè ita valida & vehemens. Fagius reddit, *irato vultu* בתקוף אפין. Nam in lingua Chaldæorum אף vultus. Alibi est חרון אף eodem intellectu. Thema חרה incanduit, incaluit, accensus est. Nam ira nihil aliud, teste Damasceno, quam sanguinis circa cor accensio.

9. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Non audiet vos Pharao ut multiplicentur prodigia mea in terra Ægypti.*

10. *Moses autem & Aharon fecerunt omnia prodigia ista coram Pharaone: Et obfirmavit DOMINUS cor Pharaonis, qui non dimisit filios Israël è terrâ suâ.*

Dixit] Antea dixerat. ¶ *Non audiet vos*] Non attendet ad verba vestra. ¶ *Prodigia*] Signa, miracula, ostenta. ¶ *Obfirmavit*] *Non emollii*. Aben. ¶ *Qui non dimisit*] Vel, nec dimisit. Thomas, *In sacra scriptura consuetum est dici quod Deus aliquando indurat vel excæcat ex eo quod gratiam non elargitur per quam quis emolliatur & videat*. Augustinum vide Quæstio. super Exodum, quæst. 40.

GROTIUS.

5. **A** *Primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus*] Id est, qui sessurus erat, ex jure illo gentium, de quo testimonia vide libro de Jure belli & pacis II. c. VII. 13.

7. *Non mutiet canis*] Proverbiale.

8. *Et omnis populus qui subjectus est tibi*] Græcè, *καὶ πᾶς ὁ λαός σου ὃ σὺ ἀφηγῇ* [*& omnis populus tuus cui tu praes*]. Hebræa verbo tenus: *qui in pedibus tuis*. Agrætius, *circum pedes sunt officia servorum*: nisi fortè hic fuerit, ante literæ unius valdè similis factam mutationem, בדגליך *sub vexillis tuis*.

CARTWRIGHTUS.

1. ויאמר יהוה *Et dixit Dominus Mosi*, &c.] Vel *Dixerat autem Dominus Mosi*. Sic exponit Abenezra וכבר אמר *& jam dixerat*. Asserit sequi debuisse ea vers. 4. *Et dixit Moses, Sic dicit Dominus*, &c. sed hanc sectionem, *Adhuc unam plagam*, &c. esse interpositam. * Putat autem hæc à Domino Mosi dicta fuisse, quum adhuc esset in terra Midian, ac locum hunc respicere ad id quod dicitur cap. 4. vers. 23. Sed † id nimis longè petitum videtur, etiamsi in istam sententiam concesserit Fagius, qui in hunc modum explicat, *Jam verò dixerat, quando scilicet apparuerat ei Dominus in rubo ardenti*. Facilè autem ei assentior, hæc debere legi per parenthesin usque ad hæc verba, *Et dixit Moses, Sic Dixit Dominus, Mediâ nocte*, &c.

כשלחו כלה גרש יגרש אתכם מזה *Cum dimiserit, omninò ejiciendo ejiciet vos hinc*] Abenezra ait hoc parallelum esse ei quod dictum est cap. 6. 1. *Et manu forti expellet eos è terra sua*. Fagius sic explicat, *Non simpliciter dimittet vos, sed vi quodammodo expellet vos; non dabit ut moram nectatis amplius*. Addit autem alios legere, *Consummatim sive in universum repellendo repellet vos hinc*. Q. d. *Non partem aliquam duntaxat dimittet, retinendo vel parvulos, vel pecora, ut antea cupiebat; sed vos omnes, & omnia vestra dimittet*. Mihi prior explicatio verisimilior videtur, etiamsi & ista firmamentum suum habeat ex cap. 12. 31, 32, 33. Atque eò spectare videtur Lxx. Interpretum versio, *ὅταν δὲ ἐξαποστέλλῃ ὑμᾶς, σὺν παντὶ ἐκβαλεῖ ὑμᾶς ἐκβολῇ*, *Cum autem dimiserit vos, omninò ejiciet vos ejectione*. Sic Latinè vertimus; monet autem Nobilius illud *σὺν παντὶ* posse significare *cum omni re vestrâ*. Addit in aliis editionibus esse *σὺν πάσῃ ἐκβολῇ ἐκβαλεῖ ὑμᾶς, cum omni ejectione ejiciet vos*; quod cum priori expositione potiùs congruere videtur. Ex accentu Rebia supra dictionem כשלחו posito apparet vocem כלה cum sequentibus esse conjungendam. Vulg. *Et post hæc dimittet vos & exire compellet*. Illud כלה *omninò, prorsus*, &c. parùm videtur advertisse.

2. דבר־נא באזני העם *Loquere nunc in auribus populi*] R. Salomo minus rectè asserit particulam נא semper in obsecratione esse positam; quasi scilicet hic Deus Mosen obsecraret, ut de re ista Israëlitas instrueret ac admoneret, idque (sic ille commentus est) ne Abraham diceret id quod Deus dixerat (Gen. 15. 13.) fore ut Israëlitæ servirent Ægyptiis, ac ab eis affligerentur, ratum fuisse, non

* *Ad declarandum id quod dixit Moses*, Sic dixit Dominus.
† *Vide ad vers. 2.* דבר נא Loquere nunc.

non autem id quod dixerat Gen. 15. 14. fore ut Israëlitæ tandem cum magnâ opulentiâ ex Ægypto exirent. Rectè Abenezra interpretatur נא per עתה i. e. *nunc.* Chald. מליל כען *loquere nunc.* LXX. λάλησον οὖν κρυφῆ εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ, *Loquere ergo secreto in aures populi.* At illud κρυφῆ *secreto* nihil in Hebræo habet, cui respondeat. Vulg. *Dices ergo omni plebi.* Voculam נא haud satis videntur perpendisse. Ex eâ autem constare potest, hunc locum non intelligendum esse de eo, quod in terra Midian, sed quod jam paulò ante in Ægypto Deus Mosi dixerat.

Ut petat unusquisque a proximo suo, &c.] *Non* (inquit Augustinus) *hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret, nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt.*

3. גם האיש משה וגו׳ *Etiam vir Moses fuit valdè illustris* (גדול ad verbum *magnus*) *in terra Ægypti*, &c.] Abenezra non malè existimat hoc additum esse, ad innuendum multos Ægyptiorum in honorem Mosis res suas pretiosas Israëlitis commodasse. Kimchi ad Psal. 4. 2. & 49. 2. notat איש *Ish* denotare virum magnum & illustrem, & è contrà אדם *Adam* virum tenuem, & ignobilem. Similiter *Jachiades* in Paraphrasi in Dan. 10. 16. שם איש יורה על מעלה ושם אדם יורה על פחיתות *Nomen Ish denotat excellentiam, nomen autem Adam denotat humilitatem.* Masius item ad Jos. 2. 1. ait, sicut apud Latinos vir à vi, ita apud Hebræos איש *Ish* ab אשש *Ashash* h. e. à firmitate, sive fundamento dictum videri.

4. *Et dixit Moses, Sic dicit Dominus*, &c.] Hoc cohæret cum eo, quod in fine præcedentis capitis dictum est, uti suprà ad v. 1. ex Abenezra est observatum. Similiter R. Sal. hic notat Mosen ista dixisse dum adhuc coram Pharaone consisteret; nam ex quo ab eo discessit denuò non vidisse. cap. 10. 29.

5. מבכור פרעה היושב על כסאו *à primogenito Pharaonis qui sedet super Thronum suum.*] Illud היושב Abenezra refert ad primogenitum Pharaonis, quippe qui sic exponit הראוי לשבת על כסאו אחריו i. e. *ad quem spectat sedere super Thronum ejus post ipsum.* Similiter Onkelos, דעתיד למיתב על כורסי מלכותיה i. e. *qui sessurus est super Thronum regni ejus.* Eadem etiam fuit Jonathæ sententia; mihi tamen ad Pharaonem ipsum potius referendum videtur.

עד בכור השפחה אשר אחר הרחים *Usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam.*] Sic Vulg. ad verbum *post molam*, nempe trusatilem. Abenezra refert pronomen אשר ad primogenitum; sic enim explicat שהוא טוחן *qui molit.* Ego ad ipsam ancillam potius referri debere arbitror; fortè enim primogenitus ætate minor erat, quam ut istiusmodi operi esset idoneus. Rectè autem ad hunc locum illustrandum adducit illud de Sampsone dictum Judic. 16. 21. ויהי טוחן בבית האסורים *Et fuit molens in domo vinctorum*, i. e. in carcere.

Et omnem primogenitum bestiæ] R. Sal. ait, primogenitos bestiarum fuisse occisos, propterea quòd Ægyptii bestias adoraverint; Atque addit כשהקבה נפרע מאומה נפרע מאלהיה i. e. *Cum Deus benedictus vindictam sumit de gente aliqua, vindictam etiam sumit de diis ejus.* Sed hoc a simplici Scripturæ sensu est remotum; sufficit dicere, id ad cumulum miseriæ Ægyptiorum accessisse, hominum pariter ac bestiarum primogenitos fuisse interfectos.

7. ולכל בני ישראל לא יחרץ כלב לשנו *At adversus ullos filiorum Israël non movebit canis linguam suam.*] Onk. לא ינזק כלבא בלישניה לנכנח *non nocebit canis linguâ suâ, saltem latrando.* Sic Fagius vertit; ad verbum est, *ad latrandum.* Abenezra exponit de latrando vel mordendo שיהיה נובח או נושך Ego verò non morsum, sed latratum duntaxat Hebræâ phrasi significari autumo; non enim linguâ, sed dentibus canis mordere solet. R. Sal. interpretatur, *Non acuet canis linguam.* Atque ita in aliis scripturæ locis dictionem istam חרץ in acuendi notione accipit. Mihi movendi seu agitandi significatio optimè convenire videtur. Vulg. *non mutiet canis.* LXX. οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ, *non mutiet canis linguâ suâ.* Eadem locutio reperitur Jos. 10. 21. לא חרץ לבני ישראל לאיש את לשנו, *Non movit* (quisquam) *linguam suam adversus filios Israël, ne quidem adversus ullum eorum.*

אשר יפלה יהוה בין מצרים ובין ישראל *quod discernet seu separabit* (discrimen faciet) *Dominus inter Ægyptios, & filios Israël*] Onk. דיפריש *separabit*, seu (ut Fagius vertit) *distinctionem fecerit.* Sic R. Sal. exponit יפלה per יבדיל *separabit.* LXX. ὅσα παραδοξάσει κύριος ἀνὰ μέσον τῶν αἰγυπτίων καὶ τοῦ ἰσραήλ, *quanta mirabiliter* (sic Latinè vertitur; malim *quàm mirabiliter*) *distinguet*, &c. Vulg. *quanto miraculo dividat* &c. פלה *dividi*, in Hiphil הפלה *dividere*, cognationem habet cum פלא *mirabile esse*, in Hiphil הפליא *mirabile facere.* Vide ad c. 9. 4. & ad c. 8. 22.

8. *Et descendent omnes hi servi tui ad me*, &c.] R. Sal. ait Mosen hic honorem Pharaoni habuisse, ac in honorem ejus dixisse, *Descendent servi tui*, cum dicere potuisset, *Tu descendes.* Ita enim factum putat, Pharaonem scilicet ipsum Mosen adiisse noctu, ac dixisse, *Surgite, exite, &c.* uti legitur Exod. 12. 31. At in hoc vehementer errat; nam (ut ipse anteà notavit, vide ad ver. 4.) postquam Moses à Pharaone egressus est, alter alterum non viderunt. Quod igitur cap. 12. 31. narratur, non est ita intelligendum, ac si ipse Pharao ad Mosen & Aharonem profectus esset, sed quòd servos suos ad eos miserit; id quod hoc loco futurum Moses prænuntiat. Atque ex hoc ipso loco, alia loca, quæ haud satis inter se consentire videntur, nempe cap. 10. 29 & 12. 31. facilè conciliantur. Hoc nimirùm est quod dicunt Rabbini, *Duo scripturæ loca inter se dissentiunt; venit autem tertius locus, ac ea conciliat.*

Egredere tu, & universus populus אשר ברגליך *qui est ad pedes tuos*] Id est qui te sequitur. Onk. די עמך *qui est tecum.* Quod nimis est dilutum. Meliùs LXX. καὶ πᾶς ὁ λαός σου οὗ σὺ ἀφηγῇ *& omnis populus tuus, quem tu ducis.* Et Vulg. *Et omnis populus, qui subjectus est tibi.* Similiter exponit Abenezra, שהם ברשותך *qui sunt in potestate tuâ.* Et aliquantò planiùs pleniusque R. Sal. ההולכים אחר עצתך והלוכך *qui ambulant post* (seu *qui sequuntur*) *consilium tuum, ac gressum tuum*, vel *exemplum tuum.*

Et exivit à Pharaone בחרי אף *in æstu*, seu *excandescentiâ iræ*] Id est, vehementer iratus. Nempe (ut notant R. Sal. & Abenezra) quia Pharao ei præceperat, ne ampliùs ipsius faciem videret.

Ut multiplicentur ostenta mea in terrâ Ægypti.] R. Sal. exponit de intersectione primogenitorum, & divisione maris rubri, & Ægyptiorum in mari isto submersione. Ego vero potiùs assentior Abenezræ, illud ויאמר יהוה אל משה exponendum esse hoc versu, ut in aliis sæpè locis, כבר אמר *Jam autem dixerat*; ut per ostenta, de quibus hic fit mentio, etiam ea, quæ percussionem primogenitorum præcesserunt, intelligantur.

I D E M.

1. כשלחו כלה וגו׳ *cum dimiserit vos, plenè, &c.*] Kimchi in radice כלה sic exponit, כשישלחכם כשלוח כלכם ולא ישאר אחד *Cum vos dimiserit, plenè vos omnes, ne uno quidem relicto, dimittet.*

I D E M.

5. Et *morietur omnis primogenitus, &c.*] Per *primogenitum* intelligi vult primarium quemque & maximè honorabilem in familiâ. הוא קרא בכור כל גדול הבית והנכבד שבו.

A primogenito Pharaonis היושב על כסאו *sessuro super solium ejus.* Sic exponit שהיה עתיד לישב על כסא למלך אחרי מותו *qui ipso mortuo in throno ejus ut rex sessurus erat.* Ita etiam exponit, cap. 12. 29.

C A P. XII.

M U N S T E R U S.

2. *Mensis iste*] Hic est mensis qui postea Chaldaico vocabulo *Nisan* est appellatus, & respondet plerumque Martio nostro: dico plerumque; nam initium ejus aliquando præcedit, & aliquando sequitur æquinoctium vernale, secundùm quod annus Embolismicus propè vel longè abfuerit.

3. *Pecudem*] Est שה agnus ovium, vel agnus caprarum.

4. *Ipso agno*] h. e. Si pauciores fuerint quàm qui pro esu agni necessarii fuerint, vocet alios, & tot qui sufficere possint. Cur autem agnus ad hoc sacrificium & in hoc tempore sumi jubeatur, Gerundensis hoc pro ratione affert deliramentum: *In ea*, inquit, *lunatione Aries signum cœleste magnam habet vim, siquidem facit renasci plantas terræ: & Dominus jubet occidi arietem juvenculum, atque devorari, ut ostenderet quod filii Israël non vi illius signi, sed virtute Dei exierint de terra Ægypti.*

6. *Inter vesperas*] Heb. *inter duas vesperas.* Quem locum K. sic explanat, *Prima vespera incipit à sexta diei bora, quando scilicet sol incipit declinare versus Occidentem, secunda vero incipit post occasum solis.* Gerundensis autem intelligit hic per *vesperam* mixturam diei & noctis, quæ scilicet mox post occasum solis contingit. A. E. verò dicit primam vesperam esse tempus illud quod mox sequitur post occasum solis; & alteram, tempus illud quando radii solares post solis occasum amplius

plius in nubibus videri nequeunt: ut sit prima vespera, vespera solis; altera, vespera radiorum solarium.

8. *Et amaris*] Sunt מרורים propriè *amaritudines*: per quas intelliguntur omnes amaræ & subacerbæ herbæ; quarum gustu Judæi recolere debuerunt amaram servitutem, de qua Deus ipsos liberavit.

11. *Pasah*] Est פסח idem quod דלוג, *saltus* vel *transcensio*. Quod nomen tam Græci quàm Latini perperam *Pascha* legunt.

12. *In cunctis diis*] Exponit Onkelos, & reliqui interpretes, טעותא, i. *erroneos & fictitios deos*, sive *idola*, qui per judicium Dei, ut vani, confusi sunt & ad terram prostrati. Scribunt autem sic, בשעה שהגיע הב״ה מכות בכורות על׳ המצרים אלוהים תלוהים אותן שהיו של כסף נישור׳ עץ נרקבו המתכת ונתכו וגמסים הכל אלוהים של עץ נרקבים ונשברו׃

15. *Infermentata*] Apud R. Mosen de Cozi mira invenies de fermento & ejus generatione. Vide præcepto negativo LXXVI, & LXXIX.

16. *Convocatio sancta*] h.e. dies solennis, in qua convenire jubentur.

17. *Azyma*] Elicit ex hoc loco autor Zeror Hammor, azyma esse סימן חירות, i. *signum quod Judæos monere debuit Divinæ liberationis, qui eripuit eos ab omni amaritudine spiritûs*.

19. *De peregrino*] Vocant Hebræi uno modo peregrinum qui est נכרי, *ex obscura progenie*, & non constat ex qua familia prodierit; & è contrà אזרח est *indigena* qui est מגולה, *clarus ex sua prosapia*, cujus antecessores longo tempore urbem aliquam incoluerunt: Alio modo accipitur, גר, *peregrinus* seu *advena*, pro eo qui ex Paganismo ad Judaismum est conversus: de quo in Levitico.

21. *Extrahite*] Sub. *de ovili*: vel, *trahite*, seu *ducite*, *ad mactandum*. Quidam ex nostris exponunt *abite*, sicut in Germanica lingua dicere consuevimus, **ziehend hin.**

22. *Projicite*] Heb. *facite contingere*. Est enim והגעתם Hiphil à radice נגע *tetigit*.

25. *Cultum*] Est עבודה *servitus & ministerium*: hic verò accipitur pro *ritu*. Unde monet A. E. quòd hinc pateat, solùm in terra Israël mactandum agnum paschalem, & non extra.

29. *In carcere*] Heb. *in domo lacûs*.

32. *Benedicite mihi*] Onkelos, *& orate pro me*, scilicet nè moriar.

34. *Cibos suos*] R. quoque exponit שארם pro עיסה *pasta subacta*: vox tamen ipsa magis *reliquias* significat *ciborum*, sicut & R. S. exponit: tametsi hic quoque sensus esse possit, *Tulit populus pastam suam pro cibis suis*, &c.

38. *Promiscuum vulgus*] Heb. *mixtura*, scilicet peregrinorum; h.e. qui relicto Paganismo ad Judaismum conversi mixti sunt inter Judæos.

39. *Placentas*] Est עגות panis super carbones, & non in fornace, coctus: quem Latini *subcinericium* vocant *panem*.

40. *Quâ manserunt in Ægypto*] Suprà ex Sedar Olam invenimus solùm CCX annos, quibus Hebræi in Ægypto habitaverunt. Audiamus nunc & alium Chronicum, nempe R. Abraham Leviten, qui in libro quem קבלה inscripsit, sic ait, *A tempore quo Jacob in Ægyptum descendit, usque ad mortem ejus, fluxerunt anni* XVII. *Hinc usque ad mortem Joseph* LIII. *Hinc usque ad tempus quo surrexerunt falsi prophetæ de filiis Ephrajim & Gilead, qui seduxerunt filios Israël, & ob id occisi fuerunt, effluxerunt* CX *anni; hinc usque ad exitum de Ægypto* XXX *anni. Collectis autem illis annis, invenies tantùm* CCX, *sicut & suprà in Sedar Olam collegimus. Verùm in hoc capite numerantur omnes illi anni qui fluxerunt ab eo tempore quo dictum est ad Abraham*, Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, &c. Sic Hebræi hunc nodum solvunt.

42. *Nox observabilis*] Heb. *Nox observantiarum est Domino*: sed quod non discrepat à priori sensu. Sic pro eo quod nos vertimus, *Quam custodiant*, in Hebræo est, *custodiæ*, seu *observantia*, *omnibus filiis Israël erunt*, h.e. Observabunt hanc noctem perpetuis temporibus, & memores sint quomodo ego in Ægypto custodierim eos, quando Ægyptiorum omnia primogenita interfeci, & eduxerim eos, &c.

45. *Mercenarius*] h.e. gentilis & incircumcisus. Exponunt enim hîc Hebræi תושב ושכיר pro *gentilibus incircumcisis*: alioquin תושב capitur pro קנוי קנין עולם והוא נרצע, i. pro *subulato*, *& qui acquisitus est ad* עולם, i. *usque ad jubileum*. At שכיר est *qui emptus est ad* VI *annos*, quibus expletis liber egreditur.

F A G I U S.

2. PRincipium mensium erit, primus, &c.] Eandem sententiam verbis diversis effert. Et sunt qui ità explicant, Mensis iste vobis caput mensium erit, hoc est, mensis præcipuus inter omnes: unde ab ipso annum posthac auspicabimini. Et hic mensis est qui postea Chaldaico vocabulo ניסן *Nisan* est appellatus, & plerunque respondet Martio nostro: nam initium ejus aliquando præcedit, aliquando sequitur æquinoctium vernale, secundùm quod annus Embolismicus propè vel longè fuerit. Antea annum auspicabantur à mense תשרי *Tisri*, qui respondet Septembri, quòd isto mense mundum à Deo conditum Judæorum tenet opinio. Sentiunt quoque Hebræi Deum hoc tempore magis quàm alio educere voluisse populum suum ex Ægypto, quòd commodum admodùm sit iter facturis propter temperatam tempestatem, quæ tum nec nimis friget nec nimis calet.

3. *In decima die mensis hujus*] Quatuor ferè causæ ab Hebræis adferuntur quare Deus voluerit ut decimâ die agnus protraheretur, & usque ad decimum quartum diem, quo demum mactandus erat, servaretur. I. Nè fortè negotiorum turbâ, quibus se ad profectionem præparabant, impediti oblivioni traderent. II. Ut eò meliùs observarent si fortè defectus aliquis in agno esset, qui integer & immaculatus esse debebat. III. Ut ex aspectu agni occasionem haberent inter se colloquendi ac disputandi de redemptione sua ex Ægypto: unde ex traditionibus Hebræorum refertur, istum agnum productum, interea temporis donec mactaretur decimo quarto die, in hypocausto ad fulcrum spondæ alligatum fuisse, ut omnium aspectui pateret, atque ità ipsis de redemptione sua, adeoque misericordia Dei, qui illos tam clementer respexerat, inter se conferendi occasionem daret. IV. Ut istâ ratione in tempore sese ad bonum opus perficiendum accingerent ac præpararent. Dicunt enim sapientes Hebræorum non minùs gratum esse Deo, si quis in tempore sese bono operi agendo accingat, adeoque animum, voluntatem, studiumque ostendat, quàm ipsum opus. Unde est apud illos hæc sententia, כזרז למצוה כעושה למצוה, i. *Qui strenuè parat se ad præceptum seu bonum opus, perinde est atque cùm facit.* ¶ *Tollat unusquisque sibi pecudem*] i. agnum aut hœdum. Nam hæc vox שה *Seh* tam *agnum* quàm *hœdum* significat, teste etiam R. D. K. qui ità dicit, קטן מן הכבשים ומן העזים הוא שיקרא שה, i. *Parvus agnus vel hœdus vocatur* שה *Seh.* ¶ *Juxta domum patrum*] Universus populus Israël in duodecim tribus divisus erat, quæ divisæ erant in patrias aut familias, deinde familiæ in domos. In familiis & domibus quidam erant præcipui, quos *patres* vocant. Juxta domus ergò & patrias familias pecudem occidere jubentur.

4. *Juxta numerum animarum*] i. hominum. Hebraismus est, qui totum hominem jam *corporis* aut *carnis*, jam *animæ* vocabulo appellat.

5. *Quem ex agnis aut ex capris tolletis*] Lat. Vulg. interpres hunc locum obscurè & confusè admodum ex Hebræo transtulit; ità enim habet, *Juxta quem ritum tolletis & hœdum*, &c. quasi cum agno hœdus simul sit mactandus, cùm alter per singulas familias tantùm jubeatur & occidi & mactari. Sed error iste apud illum hinc natus esse videtur, quòd non satis diligenter animadvertit conjunctionem Vau non semper copulativam, sed & disjunctivam aliquando constituere, *aut*, *vel*, ut hic, מן הכבשים ומן העזים תקחו i. *de agnis aut de capris accipiatis*, q. d. sive de ovili sive de caprili.

6. *Inter vesperas*] Ad verbum est in Chaldæo, *Inter duos soles*. Quod quidam sic intelligunt, Inter solem declinantem in puncto Meridiei, & inter solem Occidentem, h.e. inter Meridiem & Occidentem. Alii dicunt unam esse vesperam solis, cùm sol transit horizontem; alteram luminis, cùm non apparet lumen solis post occasum. Et ità ait immolandum esse agnum inter occasum & principium noctis. R. D. K. vocem Hebraicam בין הערבים *inter vesperas* in Rad. sic explicat, מה שנקרא בין הערבים הוא משש שעות ולמעלה מפני שהם שנים ערבים כי כשהשמש נוטה לערב הוא ערב אחד וכשנשקע הוא ערב השני ובין הזמן הזה הוא מה שאמר עליו בין הערבים i. Inter vesperas, *est tempus quo declinat sol ad occasum. Dicit autem*, inter vesperas, *eo quod sunt dua vespera. Nam cùm incipit sol inclinare, est una vespera; & postquam occidit, est vespera secunda. Et quod est intra istud tempus intelligitur per Vesperas.* Hæc ille. A. E. adhuc clariùs exponit: ità enim scribit in suo commentario super hunc locum, הנה יש לנו שני ערבים האחד שקיעת השמש והוא עת ביאתו תחת הארץ והשני כיאת אור הנראה בעננים והנה יש בינתים קרוב משעה ושליש שעה, *Ecce sunt dua vespera. Una, vespera solis, h. e. tempus quo occidit & absorbetur sub terram. Vespera secunda est lux, splendor sive irradiatio illa qua post occasum ejus in nubibus adhuc aliquandiu apparet. Durat autem hoc tempus quod est inter occasum solis & irradiationem illam ejus in nubibus, ad integram horam & tertiam partem hora.* Hæc Ezra: qui non probat sententiam illorum qui vesperas illas incipiunt mox à meridie, adducitque certos locos Scripturæ quibus illos errare probat, suamque sententiam stabilit.

8. *Cum*

8. *Cum amaris herbis*] Lat. Vulg. interpres legit, *Cum lactucis agrestibus*: sed non probatur hoc quibusdam, qui volunt lactucas non esse amaras, quæ à Medicis propter nutrimentum edi præcipiuntur, amara autem non nutrire. Vox autem Hebræa מררים ab *amaritudine* nomen habet. Et volunt de omnibus herbis quæ acres sint & aspero succo intelligendum esse. Unde & Lxx. legunt, ἐπὶ πικρίδων, *cum amarulentis*, sive *subacerbis*, *herbis*. Præceptum enim est Hebræis ut herbas amaras degustarent, qui se eo argumento ab acerba & amarulenta servitute redemptos cognoscerent. Id enim Deus dabat operam, ut sua illis beneficia semper ingereret, quibus ad diligendum se provocarentur. Eadem fuit ratio quod panis azymus comedebatur, quia is non tam suavis est ut fermentatus. Ex quibus fiebat ut præteritam suam amaritudinem recolerent, & Deum, qui ab hac eos redemisset, laudarent. Hæc etiam ipsi Judæi agnoscunt, unde sic scribunt; פסח כגיד שפסח הק"בה על' בתי אבותינו במצרים, *Pasah indicat quod transilivit Deus domos patrum nostrorum in Ægypto.* מרור מגיד שמררו המצרים חיי אבותינו במצרים, *Amara herba significant quòd Ægyptii amaritudine afficiebant patres nostros in Ægypto.* מצה מגידה שנגאלו, *Azyma significant quòd fuerunt redempti.* Hæc propterea huc referre placuit, ut videamus Judæos non errare quòd hæc mysticè intelligunt, quod & in aliis facere deberent quæ ad Christum pertinent, ubi miserè fere cæcutiunt, hallucinantur, turpiter literæ adhærentes.

9. *Non comedatis ex eo crudum*] R. S. dicit vocem Hebraicam נא *Na* significare *quod non satis assatum est*: ità enim scribit, שאינו צלוי צרכו קרוהו נא בלשון ערבי, i. *Quod non satis assatum est, vocatur* נא Na *in lingua Arabica.* A. E. exponit pro *carne cruda* seu *viva*, quam in lingua Arabica vocem ני *Nei* significare dicit, ut quæ lingua multum affinitatis habeat cum lingua Hebræa. Judæi vulgò exponunt **raag rotv.**

13. *Et miserebor vestri*] Secutus sum Compl. editionem, quæ secuta nonnullos ex Hebræis verbum Hebraicum פסח *Pasach* in toto hoc capite per *misereri* & *parcere* interpretatur. Significat autem vox Hebræa פסח proprie *saltare* & *transilire*; unde & claudum Hebræi פסח *Pisseach* appellant, quòd cum ingreditur quasi saltare & subsilire videtur. Hinc & festum illud nomen accepit à *saltu* Angeli devastatoris. Sicut & R. D. K. exponit, ופסח יהוה על הפתח כלומר ידלג על הפתח בראותו הדם ולא יבא המשחית ולפיכך נקרא הזבח ההוא פסח. i. Et transiliet Dominus, *q. d. Transiliet ostium, cum viderit sanguinem, & non ingredietur devastator. Propterea vocatum est etiam sacrificium illud Pasach.* Hæc ille. Variis modis id nomen tam apud nos quam apud Græcos corruptum est. Græci enim in aliam vocem ejus similem eam immutarunt, sc. *Pascha.* Quod nomen quàm plurimos decepit, qui putarunt à verbo Græco πάσχω duci. Reprehendit tamen Augustinus eos qui ab eo verbo, scilicet *patior*, eam vocem dici putarent. Liquet enim non esse vocem Græcam, sed Hebraicam corruptam. De qua re scribit fusiùs Gregorius Nazianzenus in sermone de Pascha, hoc modo, Τὸ πάσχα τοῦτο τὸ μέγα τε καὶ σεβάσμιον Φάσκα τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν. δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν, ἱστορικῶς μὲν διὰ τῆς ἐξ Αἰγύπτου πρὸς τὴν Χαναναίαν φυγήν τε καὶ μετανάστασιν, πνευματικῶς δὲ διὰ τῆς ἐκ τῶν κάτω πρὸς τὰ ἄνω καὶ τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας πρόοδον καὶ ἀνάβασιν. ὅπερ δὲ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς συμβὰν εὕρομεν, ἀπὸ τῶν ἀσαφεστέρων μετακινηθέντα τινὰ τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὸ σαφέστερον, ἢ τῶν ἀγροικοτέρων ἐπὶ τὸ εὐσχημονέστερον, τοῦτο κἀν ταῦθα τεθεωρήκαμεν· τοῦ γὰρ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναί τινες νομίζοντες, εἶτα ἐξελληνίζοντες τὴν φωνήν, Πάσχα τὴν ἡμέραν προσηγορεύκασι· παραλαβοῦσα δὲ ἡ συνήθεια τὴν φωνὴν ἰσχυροτέραν ἐποίησε, προστρεχούσης τῆς τῶν πολλῶν ἀκοῆς ὡς εὐσεβεστέρῳ τῷ ῥήματι. *Hoc venerabile & divinum pascha ab Hebræis Phasca secundùm eorum linguam vocatur, quæ vox significat Transitum: historicè quidem, eum quo ex Ægypto in terram Chananæorum commigrarunt Hebræi; secundum spiritum verò, eum transitum quo nos ab his caliginosis locis devolamus ad superos. Et quod solet sæpe in Divinis literis usu venire, accidisse etiam hoc loco comperimus, scilicet transferri aliqua nomina, quæ aut obscura sunt aut horrida, in alia nomina, quæ & illustriora sint & venustiora. Nam hoc nomine putarunt quidam vocari ipsam salutarem Servatoris passionem, ad Græcamque linguam vocem accommodantes fecerunt ex Phasca Pascha. Quod cùm usus recepisset, jam vehementer inolevit, assentientibus ipsis auribus, utpote sanctiori nomini.* Hæc ille. Non est præterea silentio prætereundum, hunc diem adeò sacrum ac venerabilem visum esse Hebræis, ut in eo multis antè annis præclarissima multa accidisse commemorent: de quibus etiam apud nos fit commemoratio. Sed quod est præcipuum, & omnem eorum facilè potest convincere pertinaciam, sentiunt nobiscum eàdem die redimendum esse populum Israël à Messiah, quem venturum exspectant. Id quod patet ex ipsorum verbis, quæ apud illorum Cabalistas in hunc modum leguntur. בו ביום בחמשה עשר בניסן עתידים ישראל לגאול בימות המשיח כשם שנגאלו אותו יום כמאמר כימי צאתך מארץ מצרים אראנו נפלאות. h. e. *Et in eadem die, videlicet quinta decima die mensis Nisan, scilicet Martii, redimendus est Israël in diebus Messiæ, quemadmodum redempti sunt eo die, de quo scribitur, In diebus egressionis tuæ ex Ægypto ostendam mirabilia.* Ecce refragari gens pertinacissima non potest quin ille sit verus Messias quem colimus ipsi, qui eà die universum redemit orbem.

15. *Exscindatur anima illa de Israel*] Istam locutionem hic & in aliis locis Hebræorum quidam ità intelligunt, q. talis homo non debeat habere partem futuri seculi, intelligentes per *animam*, animam immortalem, quam alio nomine נפש העליונה *animam supremam* nuncupant. Sed verior est A. E. sententia, qui per נפש intelligit *hominem*, &c, ut ipse inquit, גוף שיש לו נפש, i. *corpus animatum*, juxta illud, *Anima quæ peccaverit*, &c. i. homo qui peccaverit. Debet ergò secundùm illius sententiam anima, h. e. homo transgressor azymorum, exscindi ex Israël, q. d. Non debet tolerari, sed potiùs exstirpari & occidi. Diversimode quoque istud excidium intelligunt. Quidam enim putant כרת *Careth*, i. *exstirpationem, exterminium* sive *excidium* illud esse, quando quis præmaturà morte præventus obiit diem suum, h. e. circiter annum quinquagesimum secundum. Alii, quando quis moritur sine liberis, nullam post se relinquens posteritatem: unde dicunt, מי שאין יש לו בנים חשוב כמת אבל מי שיש לו בנים כאלו הוא חי ושמו לא נכרת, i. *Cui non sunt liberi, reputatur tanquam mortuus. Cui verò sunt liberi, perinde est ac si adhuc vivat, & nomen ejus non est deletum.* Annotavit quoque idem author non malè, se in tota Scriptura sacra invenire viginti tres locos in quibus Deus כרת, *exterminium* comminatur his qui transgrediuntur præcepta negativa: Juxta præcepta verò affirmativa, ubi aliquid fieri præcipitur, tantùm inveniri כרת *excidium* circa præceptum Circumcisionis & Paschatis ritè celebrandi: quod propterea fit ut innueret Deus quo loco & æstimatione istas ceremonias in suo populo haberi vellet, ità ut à nemine qui sui populi esset, negligerentur, sed potiùs summo studio & diligentiâ ab omnibus observarentur. Ideo dicit, *Omnis cœtus Israël faciat eum*, scilicet agnum paschalem. Atque hinc est dictum illud sapientum Hebræorum, המבזה את המועדות והמפר בריתו של אברהם אבינו אין לו חלק לעולם הבא, i. *Qui contemnit solennia festa, vel cœtus ecclesiasticos, Quique irritum facit fœdus Abrahami patris nostri, non habebit partem futuri seculi.* Hæc notent neglectores & contemptores rerum sacrarum, cœtuum ecclesiasticorum & sacramentorum. Si enim Deus olim in populo suo tanti haberi voluit ceremonias illas umbratiles, quanti putas haberi vult à nobis sacra illa symbola à dilecto Filio suo instituta, quibus ille nobis sui veram communionem ad vitam exhibet æternam?

16. *Convocatio sancta erit*] i. dies solennis in quo convocari jubetur populus, h. e. Ex illis septem diebus primus & septimus erunt vobis solennes.

22. *Fasciculum hyssopi*] Iste fasciculus, testibus Hebræis, fiebat ex tribus caulibus conjunctis. Quæ res ad mysterium Trinitatis applicari potest, cujus fide mundamur & absolvimur à peccatis & morte æterna.

40. *Habitatio autem filiorum Israël*, &c. *quadringenti & triginta anni*] Hæc non sunt ità intelligenda q. tot annis continuis filii Israël in Ægypto fuerint: Nam constat, sicut & Hebræi eos supputant, non ultra ducentos & decem annos in Ægypto fuisse. Quare isti anni non tantùm referendi sunt ad istud tempus quo in Ægypto fuerunt, sed & ad hoc tempus quo in terra Chanaan & Philistinorum peregrini fuerunt, antequam in Ægyptum descenderit Jacob cum sua familia. Quò omnino respexisse videntur Lxx. cum sua versione, qui legunt, *Habitatio filiorum Israël quam habitaverunt ipsi & patres eorum in terra Ægypti & in terra Chanaan, quadringenti & triginta anni*, &c. Quod verò in veritate Hebraica tantùm Ægyptiacæ mansionis sive habitationis mentio fit, à qua tota mansio denominatur, propterea fit quòd ea reliquis diuturnior & posterior fuerit. Debet autem incipi ab illo tempore quo dixit Dominus ad Abraham, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua*, Gen. 15. 13. atque ità etiam supputant Hebræi. Sed placet huc adscribere verba R. S. בין הכל משנולד יצחק עד עכשיו היו ארבע מאות משהיה לו זרע לאברהם נתקיים כי גר יהיה זרעך ושלשים שנים היו משנגזרה גזרת בין הבתרים עד שנולד יצחק ואי אפשר לומר בארץ מצרים לבדה שהרי קהת מן הבאים עם יעקב היה צא וחשוב כל שנותיו וכל שנות עמרם בנו ושמונים של משה לא תמצאם כל כך ועל כרחך הרבה שנים היו לקהת עד שלא ירד למצרים והרבה משנות עמרם נבלעים בשנות קהת והרבה משנים של משה נבלעים בשנות עמרם הרי שלא תמצא ארבע מאות לביאת מצרים והוזקקת לומר על כרחך שאף שאר הישיבות נקראו גרות ואפילו בחברון שנאמר אשר גר שם אברהם ויצחק ואומר את ארץ מגוריהם

מצריים אשר מהי בה לצריך אתה צריך לומר כי גר יהיה זרעך משהיה לו זרע ויהיו הבשתבשרו ח׳ שנה. כשנולד יצחק תמצא כביאתן למצרים עד יציאתן ד׳ מאות שנה משנולד יצחק הוא אחר בין הבתרים שטנו להלל׳ המלך. *Intellige totum illud tempus quod fluxit ab eo tempore quo natus est Isaac usque ad præsens, quod facit CCCC annos, ab eo scilicet tempore quo fuit Abrahamo confirmatum semen, de quo dixerat*, Quoniam peregrinum erit semen tuum, &c. *Triginta autem anni intercesserunt ab eo tempore quando fœdus initum est inter partes animalium divisas, Gen. 17. donec natus est Isaac. Nec potest esse ut dicas omnes istos annos intelligendos esse de sola habitatione Ægypti. Nam ecce Kahath ex his fuit qui Ægyptum ingressi sunt cum Jacob. Jam supputa omnes annos ejus, & annos Amram filii ejus, et LXXX annos Mosis, & non invenies tot annos. Addito simul quòd necesse est Kahath multos annos habuisse antequam descenderit in Ægyptum; multi adhuc quoque anni ex annis Amram in annis Kahath absorbentur; multi quoque ex octoginta annis Mosis absorbentur in annis Amram. Ex quo patet non effluxisse CCCC annos ab eo tempore quo Ægyptum ingressi sunt. Necessariò ergò cogeris dicere quòd etiam reliquæ habitationes sive mansiones pertinent ad istud tempus peregrinationis: Etiam ea quæ in Hebron fuit, sicut dicitur*, ubi peregrinatus est Abraham & Isaac, *Gen.* 35. 27. *Item*, ut darem illis terram Chanaan, terram peregrinationum eorum, in qua peregrinati sunt, &c. Exod. 6. 4. *Quapropter oportet te dicere quod illud quando Deus dixit*, Peregrinum erit semen tuum, *inceperit quando fuit ei semen. Jam si numeras quadringentos istos annos ab eo quo natus est Isaac, invenies ab ingressu in Ægyptum usque ad egressum ejus fluxisse tantùm ducentos & decem annos. Et hoc unum fuit ex his quæ olim docuerunt Regem Ptolemæum.* Hactenus R. S.

42. *Nox observabilis est coram Domino*] Ad verbum est in veritate Hebraica, ליל שמורים הוא ליהוה, *Nox custodiarum*, vel *observantiarum, est Domino.* Diverso sensu accipi potest, Vel, quòd ità dicta sit hæc vox, quòd Dominus in hac nocte custodivit filios Israël nè læderentur à vastatore, ut educeret eos de terra Ægypti, & assereret in libertatem. Vel, quòd filii Israël istam noctem posthac omnibus seculis summa cum religione observare deberent, atque in ea memores esse beneficiorum Dei, quomodo ipsi custoditi essent, primogenitis Ægyptiorum omnibus interfectis; quodque eâ nocte liberati essent durâ servitute. Disputatur porrò cur noctu potiùs quàm interdiu Deus istam redemptionem populi sui fieri voluit. Verùm inter rationes quæ hîc adferuntur hæ solidiores sunt: Magnum erat opus quod Dominus facturus erat; noctem ergò sibi magis quàm diem elegit, ut Ægyptii magis terrerentur. Plus enim horrori quodammodo sunt quæ ità noctu quàm interdiu accidunt. Dein, ut animis ac pectoribus eorum hoc facinus potentiùs infigeretur ac insideret. Postremò, ut potentiam suam eo etiam declararet, more principum ac regum, qui cum regna ac urbes capiunt, noctu ingrediuntur, ad ostendendum sibi omnia subjecta esse, nihil periculi ampliùs subesse, ut liceat etiam vel mediâ nocte in regna sua ingredi. Quod ad mysterium attinet, significatum est eo, populum Dei per Christum transferri ex regno tenebrarum, peccati & mortis, in regnum lucis vitæ æternæ. Cujus illa typus fuerunt.

IDEM.

5. מן הכבשים ומן העזים תקחו *Quem ex ovibus, aut ex capris, tolletis*,] Vulgatus interpres malè reddidit hunc locum, quasi scilicet cum agno hœdus simul mactari debeat, cùm alter tantùm per singulas familias occidi & manducari jubetur: Cùm enim præscripsisset qualisnam esse debet Agnus, nempe integer, masculus & anniculus, mox subjungit unde accipiendus sit, מן הכבשים ומן העזים *de agnis & de capris tolletis*, h. e. sive de ovibus sive de capris. Nam conjunctio copulativa & apud Hebræos non rarò pro *aut* accipitur.

6. ושחטו אתו כל קהל עדת ישראל בין הערבים *Mactabitque eum omnis cœtus Israël inter vesperas*,] Variatio est in voce Hebraica הערבים quam Lxx. & Vulg. interpres singulariter *vesperam* reddiderunt. Sed Hebræis est pluralis seu potiùs dualis numeri, & significat *vesperas*. Quæ verò istæ duæ vesperæ sint etiam Hebræi variant. Quidam enim unam vesperam faciunt quando Sol declinat in puncto meridiei, alteram verò quando jam planè occidit; ut sit *inter vesperas* idem quasi dicat inter Meridiem & Occidentem. Alii unam vesperam faciunt quando Sol transit Horizontem, alteram luminis, cùm non apparet lumen Solis post occasum: & ità ait immolandum esse agnum inter occasum Solis & principium noctis. Posteriorem sententiam sequuntur ferè doctiores Hebræorum, quæ & mihi magis probatur. Sed vide Annotationes meas in Biblia Chaldaica, ubi fusiùs hunc locum tracto.

8. ומצות על מררים יאכלהו *Atque cum azymis panibus, & amaris herbis comedent eum*,] Vulgatus interpres ab aliis dissentit, quòd vocem Hebraicam מררים, quæ *herbas amaras* significat, ut & Lxx. transtulere, per *lactucas* reddidit. Lactucas autem non volunt esse amaras, quæ à Medicis propter nutrimentum edi præcipiuntur. Amara autem non nutriunt.

22. ולקחתם אגודת אזוב וטבלתם בדם אשר בסף *Accipiteque fasciculum hyssopi, & tingite in sanguine qui est in pelvi*,] Manifestus error est in translatione cùm Septuaginta tum Vulg. interpretis; quod illi vocem Hebraicam בסף *apud januam*, hic verò *in limine* transtulit, cùm ea vox, testibus omnibus Hebræis, *pelvim* sive *catinum* significat. Et hoc convincit etiam circumstantia textûs. Quomodo enim sanguis de limine sumi poterat in quo etiam nondum erat? Sed in hunc errorem eos induxisse videtur multiplex hujus vocis significatio, quæ alicubi & *limen* significet, pro eo & hoc in loco verterunt, non habitâ ratione circumstantiæ. Et Latinus interpres secutus esse videtur. Lxx. Sunt tamen qui hunc errorem non autoris vitio sed temporum injuriâ accidisse putant.

34. וישא העם את בצקו טרם יחמץ משארתם צררת בשמלתם על שכמם *Et tulit populus pastam suam priusquam fermentaretur, cibos suos ligatos in vestibus super humerum suum*,] Variatio est in voce Hebraica משארת, quam alii *massam* vertunt, ut Lxx, alii, *reliquias ciborum*, alii *panaria*, h. e. vasa in quibus servatur massa. R. D. K. in libro Radicum exponit pro *massa*, sive *farina, subacta*.

40. ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה *Habitatio autem filiorum Israël, quâ manserunt in Ægypto, triginta fuerunt anni & quadringenti anni*,] Hunc locum annotavi propter versionem Septuaginta, quæ plus habet quàm veritas Hebraica, præsertim illud & *in terra Chanaan*, quod ab illis adjectum videtur ex interpretatione Hebræorum, qui istos quadringentos & triginta annos numerare incipiunt ab eo tempore quo Deus dixit ad Abrahamum, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua*, Gen. 15. Non enim tot continuos annos filii Israël in Ægypto fuerunt, sed tantùm 210 annos, ut Hebræi supputant: Quare isti anni non tantùm referendi sunt ad istud tempus quo in terra Chanaan & Philistorum peregrini fuerunt, quò omnino respexisse videntur Septuaginta suâ versione. Sed plura de his vide in Bibliis meis Chaldaicis.

VATABLUS.

2. PRimus erit, &c. (ראשון הוא וגו׳)] Eandem sententiam verbis diversis effert. Sunt qui ità explicant, Mensis iste vobis caput mensium erit, h. e. mensis præcipuus inter omnes, unde ab ipso annum posthac auspicabimini. Et hic mensis est qui postea Chaldaico vocabulo ניסן *Nisan* mensis est appellatus, & plerunque respondet Martio nostro. nam initium ejus aliquando præcedit, & aliquando sequitur æquinoctium vernale, secundùm quod annus Embolismicus propè vel longè fuerit. Antea annum auspicabantur à mense תשרי *Thisri*, qui respondet Septembri: quod isto mense mundum à Deo conditum fuisse opinarentur Hebræi. Sentiunt quoque illi Deum hoc tempore magis quàm alio educere voluisse populum suum ex Ægypto, quòd valde commodum sit iter facturis, propter temperatam tempestatem, quæ tum nec nimis friget nec nimis calet.

3. *Tollent* ויקחו] *tollant.* Redundat ו. ¶ *Agnum* שה] Significat fœtum & ovis & capræ. ¶ *Per domum patrum*, לבית אבות] i. per singulas familias. ¶ *Agnum per domum*, שה לבית] Repetitio est, *agnum per singulas domos*, sive *familias*.

4. *Minor fuerit*, ימעט] sub. *numero.* Alii, *paucior fuerit.* ¶ *Quàm ut agnum comedere possit*, מהיות משה] Ad verb. *quàm ut sit de agno.* i. quàm ut sufficere possit edendo agno. ¶ *Pro numero animarum*, במכסת נפשת] Ad verb. *in numero animarum.* i. habitâ ratione numeri personarum & capitum familiæ. q. d. Prout numerosa fuerit familia, ità sibi magnam vel parvam familiam adjunget; oportet enim ut agnus ille ambabus sufficiat. ¶ *Singuli*, &c. איש לפי וגו׳] *Singuli secundùm comestionem suam*, &c. i. singuli habitâ ratione cibi quem edere possint, numerabitis personas ad agnum edendum. q. d. Quisque tot sibi assumet personas quot sibi satis esse possunt ad edendum agnum paschalem.

5. *Perfectus*, תמים] *Integer.* i. cui nihil desit, sine macula. ¶ *Anniculus erit vobis*, בן שנה יהיה לכם] Ad verb. *filius anni erit vobis.* i. anniculus deligetur à vobis. ¶ *Aut è capris*, ומן העזים] Ad verb. & *ex capris.* ו pro disjunctiva particula *aut, vel.*

6. *Eritque*, &c. והיה לכם למשמרת] Hebraismus, Custodietis autem illum. ¶ *Inter duas vesperas*, בין הערבים] Doctus inter Hebræos sic exponit, בין הערבים *Inter vesperas, est tempus* quo

quo declinat sol ad occasum, ab hora sexta usque ad noctem. Utitur autem duali quòd sint duæ vesperæ; nam quum incipit sol inclinare, est una vespera: & postquam occidit, est vespera secunda. Et quod est intra istud tempus, intelligitur per vesperas. Alter ex doctioribus Hebræorum adhuc clariùs exponit, his verbis, *Ecce sunt duæ vesperæ: una vespera solis, hoc est tempus quo occidit & absorbetur sub terram. Vespera secunda est lux, splendor, sive irradiatio illa quæ post occasum ejus in nubibus adhuc aliquandiu apparet. Durat autem hoc tempus quod est inter occasum solis & irradiationem illam ejus in nubibus, ad integram horam & tertiam partem horæ.* Hæc ille, qui non probat sententiam Chaldæi paraph. vertentis, *inter duos soles*, h. e. inter solem declinantem in puncto Meridiei, & inter solem occidentem, h. e. inter Meridiem & Occidentem. adducitque certos locos Scripturæ quibus illum errare probat, suamque sententiam stabilit.

8. *Carnem*, את הבשר] Sub. *illius agni.* ¶ *Et infermentata*, ומצות] *& panes infermentatos.* ¶ *Cum amaroribus*, על מררים] i. Cum herbis amaris comedent illum agnum.

9. *Ne comedatis*, אל תאכלו] *Non comedetis.* ¶ *Crudum*, נא] *Semicoctum; quod non satis assatum est.* Ità exponit magni nominis apud Hebræos vir. Ex doctis illorum alter dicit נא opponi cocto: & significare quod alias Hebræi *vivum* appellant, ut 1 Sam. 2. 15. ¶ *Et elixatum aqua*, ובשל מבשל] Ad verb. *& elixum elixum.* ¶ *Caput ejus*, ראשו] Sub. *comedite*, vel *comedetis.* q. d. erit devorandus omnino.

11. *Pesah est Jehovæ*, פסח הוא ליהוה]. Nam *pesah est Jehovæ*, i. nam imminet, vel instat, hora quâ Jehovah transiturus, sive præteriturus, est vos, perculsis Ægyptiis. Latini, qui ad nos ex Hebræo transferunt, dicunt, *Phase*: Syri verò, sive Chaldæi, פסחא *Pisha*, quod nos & Græci, Hiric in α sive *a*, & ח in *ch* sive χ mutato, dicimus *pascha.* Sensus autem hujus loci petendus est ex vers. 13. *& transibo*, vel *præteribo, vos.*

12. *Nam transibo*, ועברתי] Ad verb. *Et transibo.* ¶ *Et in cunctis*, &c. ובכל וגו'] i. de omnibus idolis Ægypti sumam pœnas legitimas.

13. *Sanguis ille*, הדם] Sub. *agni paschalis, quo tincti fuerint postes.* ¶ *Vobis*, לכם] i. in vestram utilitatem. ¶ *In signum*, לאות] sub. *Angelo percutienti.* ¶ *Quumque videro sanguinem, præteribo vos*, וראיתי את הדם ופסחתי עלכם] Ad verb. *& videbo sanguinem, & præteribo super vos.* Ex doctis Hebræorum alter exponit, *aspiciam enim sanguinem*, & *præteribo vos*: aut, *viso sanguine transcendam domos vestras*: aut, *saltabo ultra vos*: sive, *transcendam vos*: id significat פסח, unde *pascha.* ¶ *Ad perditionem quando percutiam.* למשחית בהכותי] *Ad exterminationem quando percutiam*, sub. *primogenita.*

14. *In memoriam:* לזכרון] Sub. *tanti beneficii: vice memorialis*: vel, *in monumentum.* ¶ *Celebrabitisque*, &c. וחגתם וגו'] Ad verb. *festum agetis illum, festum inquam Jehovæ*: vel, *festivabitis illum festum Jehovæ*, i. celebrabitis in illo diem festum solennem Domino. ¶ *In generationibus vestris.* לדרתיכם] *per ætates vestras.* ¶ *Perpetuo*, עולם] Ad verb. *mundi*, i. sempiterno.

15. *Cessare facietis*, תשביתו] Hebraismus, *auferetis*, vel *curabitis auferendum*, i. primo illo die auferetis totum fermentum, ita ut nullum inveniatur in domibus vestris. Vide vers. 19. interpretationem hujus versûs ab ipso Mose. ¶ *Excidetur*, &c. ונכרתה וגו'] i. is delebitur de catalogo Israelitarum. Inversus est ordo Hebræis, *excidetur anima illa ex Israel, à die primo*, &c. pro, *Quicunque comederit fermentatum à die primo*, &c. *excidetur*, &c.

16. *Convocatio sancta:* מקרא קדש] *Indictio sanctitatis*, i. dies solennis & sancta, in qua convocari jubetur populus, q. d. Ex illis septem diebus primus & septimus erunt vobis solennes. ¶ *Fiet*, יעשה] *parabitur*, sub. *in diebus illis*, i. nullum opus fiet à vobis in illis diebus, præterquam quòd licebit vobis parare cibum necessarium.

17. *Observabitisque infermentata:* ושמרתם את המצות] i. observabitis ritum edendi azymos panes: erat enim signum quod Judæos monere debuit Divinæ liberationis, quæ eripuerat eos ab omni amaritudine spiritûs. ¶ *Hâc ipsâ die*, בעצם היום הזה] Ad verb. *in corpore diei hujus.* Vide Gen. 7. 11.

18. *In vespera*, בערב] i. nocte sequente.

19. *Exterminabitur*, ונכרתה] *Delebitur, excidetur.* ¶ *Tam peregrinus*, &c. בגר ובאזרח וגו'] Ad verb. *in advena, & in indigena terræ*, i. sive advena, sive indigena terræ fuerit.

22. *Accipietis quoque*, ולקחתם] Verti hæc possunt per Imperativa, *Et accipite*, &c. *& tingite*, &c. ¶ *Et applicabitis*, &c. והגעתם וגו'] *& aspergetis superliminare & ambos postes.*

23. *Transiliet Jehova juxta ostium*, ופסח יהוה על הפתח] Qui præpositionem על non convertunt, transferunt, *transiliet Jehova ostium*, i. relinquet domum illam intactam.

25. *Cultum hunc*, העבדה הזאת] *Ritum hunc*, i. has ceremonias, & hanc religionem. Alii, *opus hoc.*

26. *Quum autem dixerint*, והיה כי יאמרו] Ad verb. *Et erit, quum dicent.* ¶ *Quid* est, &c. מה העבדה וגו'] Hebraismus, Quid sibi vult cultus iste quem observatis? Quare hunc ritum observatis?

27. *Sacrificium Pésah est*, זבח פסח הוא] i. Victima est transilitionis, sive præteritionis: h. e. quæ nobis est vice memorialis beneficii accepti, quòd Dominus transilierit, sive præterierit, domos nostras, non affligens nos, quum Ægyptios percuteret, sed domos nostras reliquit illæsas. Vide supra, vers. 11. ¶ *Et incurvavit sese*, ויקדו וגו'] i. Demisso capite adoravit.

28. *Quemadmodum*, &c. כאשר וגו'] Declarat quod dixerat, *Et fecerunt.*

29. *Sedente*, הישב] *sessuro.* Vide cap. 11. 5. ¶ *Captivi*, השבי] Ad verb. *captivitatis.* Quidam vertunt *captiva.*

30. *Mortuus.* מת] *Cadaver.*

31. *Et vos & filii*, גם אתם גם בני] Ad verb. *etiam vos, etiam filii.* ¶ *Ut dicitis.* כדברכם] Ad verb. *juxta loqui vestrum.*

32. *Quin & greges*, &c. גם צאנכם וגו'] Ad verb. *Etiam pecora vestra, etiam boves vestros.* ¶ *Et benedicite*, &c. וברכתם וגו'] i. mihi quoque bene precemini. Chald. paraph. *orate etiam pro me.*

33. *Et invalescebat Misraïm*, &c. ותחזק מצרים וגו'] *Et instabat Ægyptus*, &c. Hebraica phrasis, Totis autem viribus Ægyptii urgebant populum ut maturè discederet ex Ægypto: vel, festinabant magno conatu dimittere populum Israeliticum. ¶ *Omnes sumus mortui*, כלנו מתים] i. actum est de nobis.

34. *Conspersiones suas*, &c. משארתם צררת בשמלתם] *Cibos suos circumvolutos*, &c. Alii, *panaria sua involuta vestibus*, i. vasa in quibus servabatur massa illa: ut tamen sit continens pro contento, q. d. conspersiones suas conspersas. Alii, *reliquias ciborum involutas*, &c. Alii subauditâ præpositione *in*, vertunt, *in panariis suis involutis vestibus.*

35. *Nam mutuo acceperunt*, וישאלו] *Nam postulaverunt.*

36. *Dedit gratiam* &c. נתן וגו'] Hebraismus, fecit ut populus gratiâ valeret apud Ægyptios.

38. *Et etiam mistio multa*, וגם ערב רב] Chald. paraph. *Alieni [Extranei] quoque multi.* ¶ *Pecudes quoque*, &c. וצאן וגו'] Ad verb. *greges quoque & armenta, pecus grave valde.*

39. *Erat fermentata*, חמץ] Sub. *illa conspersio.* ¶ *Viaticum*, צדה] *Escam.*

41. *Hâc ipsâ die*, בעצם היום הזה] Vide suprà vers. 17. & Gen. 7. 11.

42. *Nox custodiarum est Jehovæ*, ליל שמרים הוא ליהוה] *Nox observantiarum est ipsi Jehovæ.* Vel ità dicitur hæc nox quòd Dominus in ea custodiverit filios Israel nè læderentur à vastatore, ut postea educeret eos de terra Ægypti, & assereret in libertatem. Vel quòd filii Israel, istam noctem posthac omnibus seculis summa cum religione observare deberent in honorem Jehovæ, atque in ea memores esse beneficiorum Dei, quomodo ipsi custoditi essent, primogenitis Ægyptiorum omnibus interfectis: quodque eâ nocte liberati essent à dura servitute. Juxtà hanc expositionem vertenda erunt mox sequentia, *quæ eduxit eos*, &c. ¶ *Observantiæ*, שמרים] plurale est, q. d. Nox ista observabitur ab omnibus filiis Israel in honorem Domini, per ætates suas, sive tempore suo.

43. *Hoc statutum Pesah*, זאת חקת הפסח] i. Talis debet esse ritus sive observantia edendi agni Paschalis, hoc more celebrandum est Phase. ¶ *Alienigena*, בן נכר] Ad verb. *filius alienigenæ*, i. extraneus, alienus a gente Judæorum, & religione.

44. *Emptum argento*; מקנת כסף] Ad verb. *emptionem argenti.*

46. *Educes*, תוציא] *Asportabis.*

47. *Facient ipsum.* יעשו אתו] *Præparabunt ipsum.*

48. *Peregrinabitur apud te*, יגור אתך] i. transibit per te, & habitabit apud te. ¶ *Et faciet*, ועשה] i. facere volet. ¶ *Ad faciendum illud:* לעשתו] i. ad immolandum agnum Paschalem. ¶ *Nullus enim*, &c. וכל ערל וגו'] Ad verb. *& omnis præputiatus non comedet ex eo.*

50. *Quemadmodum*, &c. כאשר וגו'] Declarat quid fecerint filii Israel.

51. *Hoc ipso die*, בעצם היום הזה] Vide suprà v. 17. & Gen. 7. 11. ¶ *Per exercitus eorum.* על צבאתם] *Cum exercitibus eorum*: vel, *cum copiis suis.*

C A-

C A S T A L I O.

3. A*Gnos aut hœdos mansionatim sumant*] Hebræum verbum unum est, agnorum & hœdorum commune: sed hic verbi laboramus penuriâ.

8. *Cum cichoreis*] Herba est Hebræis ab *amaritudine* dicta, ut & Græcis, qui πικρίδα verterunt. Latini *intubum* aut *cichoreum* vocant.

12. *Deque omnibus Ægyptiorum diis pœnas sumam*] In Hebræo est, *Judicia faciam.* Sed hominum judicia sæpe ab effectu sunt separata: Dei judicio & decreto conjunctus est eventus rei: quo fit ut sæpe *judicium* pro *ultione*, quæ judicium consequitur, ponatur: quemadmodum ברך cùm de hominibus dicitur, significat *bene velle* aut *precari*; at cùm de Deo, significat *fortunare* & *fœcundare*, quoniam cum Dei voluntate res ipsâ conjuncta est. Sumpsit autem pœnas Deus de Ægyptiorum diis, cùm Ægyptios, qui in eorum tutela erant, ipsis invitis occidit. Neque tamen dii erant, cùm sit unus: sed *deos* humano more vocat, quicquid illud erat quod pro Deo habebatur.

29. *Ab ipsius Pharaonis, qui in solio sederet, ad servarum primogenitos*] In Hebræo sermone dubium est, utrùm Pharao an filius in solio sedere, h. e. regnare, aut (si de filio) regnaturus esse, dicatur. Sed cùm autor Pharaonem ancillis, summum infimis, opponat, non dubium est quin & Pharaonis opus, quod est *in solio sedere*, ancillarum operi, quod est *molam trudere*, opponat. Adde quòd præsens participium, quod *sedentem* sonat, pro *sessuro*, non satis aptè poneretur. Quod autem verti; *in solio*, in Hebræo est, *solio suo*, addito pronomine, quod apud nos est sæpe superfluum: sicuti quod paulò antè dictum est, *Bacillos manibus tenentes*, in Hebræo est *Bacillos vestros*: & cap. 21. *Foras baculo innixus iverit*, in Hebræo est, *Baculo suo*: & 1 Reg. 18. *Saulus mille, decem superavit millia David*, in Hebræo est, *Suum mille*, & *sua decem millia*.

C L A R I U S.

2. M*Ensis iste*] Hic est mensis qui postea Chaldaico vocabulo *Nisan* est appellatus, & respondet plerumque Martio nostro: plerumque inquam; nam initium ejus aliquando præcedit, aliquando sequitur æquinoctium vernale, secundùm quod annus Embolismicus propè vel longè abfuerit.

6. *Ad vesperam*] Heb. *Inter vesperas.* Intelligitur autem mixtura illa diei & noctis quæ scilicet mox post occasum solis contingit. Et putant quidam primam esse vesperam tempus illud quod mox sequitur post occasum solis; & alteram, tempus illud quando radii solares post solis occasum ampliùs in nubibus videri nequeunt: ut sit prima vespera solis, altera vespera radiorum solis: quarum intercapedinem vesperarum ferunt horâ integrâ durare cum tertia parte horæ. Intra illud tempus exituri erant de Ægypto. Mysteriorum autem enarratio quibus hic Scriptura gravida est, longior est quàm ut hic arctari debeat.

8. *Cum lactucis agrestibus*] Vel, *cum amaritudinibus*: per quas intelliguntur omnes amaræ & subacerbæ herbæ, quarum gustu Judæi recolere debuerunt amaram servitutem de qua Deus ipsos liberavit.

10. *Nec remanebit*] Qui sacrificium Paschæ immolant Deo, sub eodem die comedere jubentur, non præteriti diei carnibus vesci, h. e. non Legis literam sequi, quæ præcessit.

12. *Et in cunctis diis*] Exponunt Hebræi *erroneos & factitios Deos*, qui per judicium Dei, ut vani, confusi sunt & ad terram prostrati.

16. *Convocatio sancta*] h. e. Dies solennis, in qua convenire jubentur.

19. *De advenis*] Vocant Hebræi uno modo *advenam* sive *peregrinum*, qui est ex obscura progenie, & non constat ex qua familia prodierit; contrà verò, *indigenam*, clarum prosapiâ, cujus majores longo tempore urbem aliquam incoluerint. Alio modo accipiunt *advenam* pro eo qui è Paganismo ad Judaismum est conversus: de quo in Levitico.

25. *Ceremonias istas*] Quidam Hebræorum colligunt ex hoc loco, solùm in terra Israel mactandum agnum Paschalem.

38. *Vulgus promiscuum*] Heb. *Mixtura*, scilicet peregrinorum: h. e. qui relicto Paganismo ad Judaismum conversi mixti sunt inter Judæos.

40. *Quâ manserunt in Ægypto*] In hoc numero quadringentorum triginta annorum collocantur omnes illi anni qui fluxerunt ab eo tempore quo dictum est ad Abraham, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua*, &c. Sic Hebræi hunc nodum solvunt: nam tempus quo fuerunt in Ægypto sunt tantum ducenti & decem anni.

45. *Mercenarius*] h. e. Gentilis & incircumcisus.

L U C. B R U G E N S I S.

24. C*Ustodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum.* Ità plerique codicum legunt. Quatuor autem Hentenii, cum uno nostro, *Custodite verbum istud legitimum vobis & filiis vestris usque in æternum.* Fortasse reddidit Interpres, *Custodite verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum.* Hoc enim Chaldæo, Græco, & (quod præcipuè spectandum est) Hebræo conforme est. Sex scriptorum nostrorum exemplarium hoc habent modo, *Custodi verbum istud: legitimum erit tibi & filiis tuis usque in æternum*: quæ distinctio in aliis etiam exemplaribus *erit* omittentibus conspicitur; eaque lectioni Hebraicæ aptiùs convenire videtur.

D R U S I U S.

11. M*Orem calceos exuendi in mensa observat R. Levi in hunc locum, ad Calceamenta vestra in pedibus vestris.* Nam quia properè comedendum erat pascha, ideo noluit ut exuerent calceos quò paratiores essent ad iter. Certè pedes lavari non poterant nisi exutis calceis. Ex quo illud Luc. 7. *aquam pedibus meis non dedisti*, i. lavandis pedibus. Martialis lib. 5.

Deposui soleas, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, &c.

Quippe nudis pedibus cœnabant. Terentius in Seipsum cruciante,

Accurrunt servi, soleas detrahunt.
Video alios festinare, lectos sternere, cœnam parare.

Qui à mensa recedebat, poscebat soleas: unde Horatius, *Et soleas poscit.* Plinius l. 8. epist. 7. *Quàm multi cum lector aut lyristes aut comœdus inductus est* (scilicet ad cœnam) *calceos poscunt.* Christus quoque in ultima cœna lavit pedes Apostolorum. Tunc obtinebat accumbendi ratio. An etiam cùm sederent ad mensam, ut antiquitus mos erat, nudis pedibus sedebant? Nam pedes iis quoque lavabantur. Patet ex historia patriarchæ Abraham, cùm Angelos exciperet convivio. Pedes enim lavari non poterant, nisi exutis calceis.

I D E M.

11. בחפזון. A. ἐν θάμβῳ, *cum stupore.* Sym. ἐν ἐπείξει, *cum festinatione*] Psal. 31. 23. בחפזי. A. ἐν θαμβήσει μου. Sym. ἐν τῇ ἐκπλήξει. Hieron. *in stupore meo.* Rursum Psal. 116. 11. A. ἐν τῷ θαμβεῖσθαι, *dum obstupescerem.* Hieron. *in stupore meo*] ¶ *Cum stupore*: pavore stupido & attonito. ¶ *Cum festinatione*, i. festinanter, properanter. Quod uterque Chaldæus dicit בבהילו. Psal. 116. 11. Arias, *in festinatione mea.* Tremell. *accelerando*, Psal. 31. 22. Chaldæus, *in fuga mea.* Santes, *dum festinarem.* Tremell. *in festinatione mea.* Cevallerius, *in præcipiti fuga mea.* ¶ פסח. Sym. ὑπέρβασις. Th. Φασέχ] Υπέρβασις, *transgressio.* Locus iste sumptus est ex Theodoreto. Habetur autem in Quæst. ad Exod. Qu. 24. Sic autem citatum invenio in edit. Rom. τὸ δὲ πάσχα ὁ μὲν Φίλων ἡρμήνευσεν διαβατήρια· ὁ δὲ Ἰώσηπος, ὑπερβασία· ὁ δὲ Σύμμαχος, ὑπέρβασις· ὁ δὲ Θεοδοτίων, Φασὲκ, αὐτὴν τὴν Ἑβραίων φωνὴν τεθεικώς. Hæc paulò aliter leguntur in exemplari Lutetiæ impresso, ὁ δὲ Ἰώσηπος, ὑπέρβασιν· ὁ δὲ Σύμμαχος, ὑπερβάσεις· ὁ Θεοδοτίων, Φασέχ, αὐτὴν τὴν Ἑβραίων τεθεικὼς φωνήν. Ex quo olim descripsimus; פסח. Sym. ὑπερβάσεις. Verba latinè conversa sic habentur in edit. Rom. *Illud Pascha Philo quidem interpretatus est* διαβατήρια, *sacrificia pro transitu, Josephus autem* ὑπερβασία. *alias* ὑπέρβασιν. *Sym. autem* ὑπέρβασιν. *alias* ὑπερβάσεις (*quibus nominibus item transitus significatur*) *Theodotio autem Phasec, ipsam Ebraicam vocem ponens. Sig. autem nomen Ebraicum primogenitorum salutem.* Huc usque Theodoretus. Philonis locus est lib. 3. de vita Mosis, ubi addit Chaldaicè dici πάσχα sive πάσκα. Nunc veriorem judico scripturam illam priorem, quam etiam secutus sum. Porrò Φασὲκ, quòd in edit. Rom. minùs rectè ità scribitur, cùm sit H, Heth in ultima, ideo prætuli Φασέχ.

19. גר. A. προσήλυτος] Priùs erat γειῶρα, i. גיורא. quod in Thargum Onkeli: nam est forma nominis Chaldaica. Theodoretus, γειώραν τὸν προσήλυτον προσηγόρευσεν, *Gioran proselytum appellavit.* Hesychius, Γειώρας, γείτονας ἐξ ἄλλυ γένυς, καλυμένυς τῷ Ἰσραὴλ προσηλύτυς. Editio Lat. Vulg. habet *advenas.*

37. לבד מטף. A. χωρὶς νηπίων, *absque infantibus*] Hieron.

Tom. I. Pars I.

abs-

absque parvulis. Chaldæus uterque, בר מטפלא. Alter addit, videlicet Jonathan, *cuique quinos fuisse:* quod fabulam Judaicam olet, ut alia pleraque quæ in illo Paraphraste.

42. ליל שמרים. A. --- παρατηρήσεως, *observationis.* Sym. --- παρατετηρημένη, *observata.* τὸ Σαμαρειτικόν, Φυλάξεως, *custodiæ*] *Observata:* i. *observabilis*, ut rectè Hieron. interpretatur. Sic in N. Fœdere κατεγνωσμένος, *condemnabilis.* Vel, παρατετηρημένη, *diligenti observatione notanda.*

NOTÆ MAJORES.

DIxit quoque DOMINUS ad Mosem & ad Aharonem in terra Ægypti, dicendo.

2. *Mensis iste vobis caput mensium, primus erit vobis in mensibus anni.*

Dixit quoque) ità Hieron. Alii, *Dixerat autem.* Nam hæc ante triduanas tenebras dicta esse colligi potest ex vers. 3. hujus capitis. Sane selectio pecoris è grege præcedebat mactationem ejus quatuor diebus. Quà de re mox in sequentibus. ¶ *Ad Mosem & Aharonem*) Vel ad utrumque simul, vel ad Mosem, qui deinde retulit ad Aharonem fratrem suum. ¶ *In terra Ægypti*) Alia præcepta data sunt in monte Sinai: alia in tabernaculo conventus: alia denique in campestribus Moab. ¶ *Mensis iste*] Qui Nisan Chaldaico vocabulo post appellatus. Is respondet ex parte Aprili nostro, magis tamen Martio. Quà de re videndus est Lyra. Ab hoc eodem mense incepisse annum Romanum veterem argumento est september, & qui menses eum sequuntur usque ad Januarium. Nam is a Martio septimus est. Hoc primum: deinde colligimus ex hoc loco annum ante aliud initium habuisse. Communis opinio Ebræorum mundum conditum fuisse in Autumno: itaque annum inchoabant a Thesri. Qui annus antiquus appellatur: item naturalis & Ægyptiacus. Nam idem mensis caput anni fuisse perhibetur in Ægypto. Quod ut non refello, ità pro certo affirmare non ausim. Puto Josephum id affirmare, cui fidem in eo derogare non debemus. Scio esse qui conditum mundi referant in æquinoctium vernum; veruntamen, illud quidem certe negare non possumus veriorem esse opinionem diversam, si verum ante exitum ex Ægypto annum Ebræorum aliud initium habuisse. Sed de his alias. Peculiarem enim tractatum requirunt. Mihi nunc ad alia properandum. ¶ *Caput*] Initium. Mox se explicat cum ait, *primus erit vobis* &c. Senes certè transferunt ἀρχή, & Hieron. *principium.* ¶ *Vobis*] Non Ægyptiis, non aliis gentibus. ¶ *In mensibus anni*] Qui numero erant duodecim, & in embolismo tredecim. Tum enim Adar mensis ultimus iterabatur, & Adar Veadar dicebatur. Porro annum Ebræorum solarem fuisse ex Judæis scriptum reliquit R. Juda Perses, quem Abenezra prolixe refutat. Vide, si placet & si mathematicus est. Videndus & R. Levi. Mensis Ebraicè חדש ab innovando, παρὰ τὸ חדש. Nam tum luna innovatur. Sig. etiam primum diem mensis, qui neomenia Græcis. Latini calendas appellant. Jonathan hunc versum ità convertit, *Mensis iste vobis* determinando eum caput mensium erit, *& ab eo incipietis numerare festa & tempora & thecuphas sive revolutiones: ipse vobis primus erit in numero mensium anni.* Hactenus Jonathan.

3. *Loquimini ad omnem cœtum Israël, dicendo, decimo mensis hujus ut accipiant sibi quisque agnum per domum patrum, agnum per domum.*

Loquimini ad] Alloquimini. ¶ *Cœtum*] συναγωγήν. Lxx. On. Jon. ¶ *Decimo*] Die. ¶ *Mensis hujus*] Nisan. ¶ *Ut accipiant*] Vel potius, *accipiant*, ut Vau otium agat. quale est Phe Arabicum. Et accipiant qui habent; qui non habent, emant sibi. Abenezra dubitat sitne hoc præceptum perpetuum, an tantum illius ævi. Volebat Deus omnia parata esse ad diem decimum quartum, quo pascha celebrabant. Ideo præcipit ut electio fiat quatriduo ante. Causæ duæ adferuntur. (Fagius plures adfert, vide illum in paraphrasin Chaldaicam) Vide Lyram. R. Levi, *intra illud tempus poterant probare utrum agnus maculam habeat nec ne:* & mox, *Hæc selectio, quæ fiebat decimo die, non astringit reliquas ætates, sed tantum eos qui in Ægypto erant.* Eadem habet Jonathan paraphrastes. ¶ *Agnum*] Ità Hieron. Onkelos & Jonathan. Ante in Lxx. legebatur πρόβατον ovem. Vox Ebræa etiam hœdum sig. Unde Tremel. *parvam pecudem.* Alibi est, *ex ovibus aut ex capris sumetis.* Lippomanus. *Quod autem reliqui verterunt pecudem, intelligendum est de parva pecude, hoc est agno. Nam licet שה tam agnum quam hœdum, ac etiam pecudem significet, quia tamen mox subditur, agnus anniculus, patet de agno esse intelligendum, ut usus quoque declarat.* Scire licet vers. 5. pro agno, in Ebræo esse שה. R. David in libro Radicum, שה *est parva ovis vel parva capra.* R. Levi, שה est agnus aut hœdus i. טלה או גדי. Nicolaus, *Immolatio debebat fieri de agno si poterat haberi bono modo: & si non poterat haberi, de hœdo.* Ex his quæ dicta sunt, apparet vertendum, agnum aut hædum. ¶ *Per domum patrum*] לבית אבות. Hieron. *per familias.* Tremel. *pro familia paterna.* Munsterus, *juxta domum patrum.* Sic etiam Fagius in Chaldaismo לבית אבא. Quod in edit. Onkeli. Melius autem redditur, *juxta domum patris* i. paternam. Nam אבא nomen est singularis numeri: Unde in N. T. *Abba pater.* Leo, *juxta domos patrum.* Mihi non displicet ut לבית reddatur, *per domos.* quæ enallage frequens in his libris. Vide Fagii notas ad paraphrasin Chaldaicam. Jonathan, לבית גניסא *per domum familiæ.* Quod idem cum illo, *per familias.* Et est παράλληλον. Nam domus idem hoc loco quod familia. Lxx. κατ' οἴκους πατριῶν, quod reddunt, *per domos patriarum.* Quid patriæ? Cyprianus lib. 2. adversus Judæos interpretatur, *per domos tribuum.* Cui firmando est Hesychius, in quo, πατριὰ, Φυλή. Augusti. in locut. *Quas dicat patrias non facile est intelligere: utrum civitates in quibus commanebant? an potius numerosas familias, a cujusque velut paternitate propagatas. Hoc enim magis in Græco significari perhibetur.* Id firmabis ex Act. 3. ubi πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς redditur, *omnes familiæ terræ.* R. Salomo, *pro familia una.* R. Levi, למשפחות *per familias,* Hiscuni, *licet non sint ex una familiâ, modo fuerint in una domo accipient sibi agnum aut hœdum.* ¶ *Per domum*] Abenezra, *per singulas domos.* Sic dico, si fuerint pauci sument agnum per domum patrum: si autem multi fuerint, sument per singulas domos. Nam in domo patrum possunt esse plures domus, hoc est, familiæ, quæ unum eundemque patrem habent. Jonathan, *Sument sibi agnum pro domo familiæ, quod si numerum excesserint, sument agnum pro domo.*

4. *Et si minor fuerit domus quam ut sit par agno, tum accipiet ipse etiam vicinum suum proximum domui suæ pro numero animarum, quemque juxta cibum suum numerabitis ad agnum.*

Par agno] Edendo. In Ebræo est ad verbum *ab agno*, nisi vertendum, *propter agnum.* Sensum expressit Hieron. per hæc verba, *Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum.* Quod Onkelos dixit, מלאתאכלא על אמרא Jonathan pressius interpretatur, *Sin autem pauciores viri domus fuerint quam decem, quot sufficiunt ad edendum agnum.* Verbum è verbo, *numero decem* i. denario. Abenezra, *quam ut sint pauciores ab usu agni*, vult dicere, ut possint edere agnum. Vatablus, *quam ut sit de agno* i. *quam ut sufficere possit edendo agno.* ¶ *Ipse*] Paterfamilias. ¶ *Etiam vicinum suum proximum*] Quidam, *& vicinus ejus proximus domui ejus.* Hi agnum subintelligunt. Ipse, inquit, paterfamilias & vicinus ejus accipient agnum sive fœtum ovis aut capræ, juxta numerum animarum &c. Cetèrum in Ebræo ושכנו ubi vau per etiam explicatur. Sic καὶ usurpatur in sermone Græco. Copula (&) eundem usum habet in Latio. Consule Grammaticos. ¶ *Vicinum suum*] Israëlitam. ¶ *Pro numero animarum*] במכסת נפשות in numero animarum. Lxx. κατὰ ἀριθμὸν ψυχῶν. Hieron. *juxta numerum animarum.* An legerunt כמכסת hoc est Chaph loco Beth? Error iste natus ex similitudine litterarum illarum, & est frequens in editionibus veterum. מִכְסָה numerus i. מִנְיָן. Sic interpretantur Onkelos & R. Levi. Jonathan habet סְכוּם numerus, summa; quod Elias scribit סְכוּם, & à סכם deducit. R. Salomo חשבון. Abenezra חֵלֶק pro parte sive portione animarum. Idem radicem ponit כסס. Quod si est, perit dages nota geminationis, ejusque loco scheva substituitur. Rarum hoc, & ideo notandum. ¶ *Animarum*] Capitum. ¶ *Quemque*] Unumquemque. Sed forte meliùs alii, *quisque numerabitis.* Ebraice איש vir i. quisque aut quilibet. ¶ *Juxta cibum suum*] Jonathan, *juxta sufficientiam cibi sui.* Vult dicere, pro eo quod ei sufficit ad cibum. Lxx. ἕκαστος τὸ ἀρκοῦν αὐτῷ unusquisque quod sufficit sibi. לְפִי quidam reddunt, *juxta os cibi sui.* Sed pro juxta usurpatur, ut apud Salomonem לפי דרכו *juxta viam suam.* Tremel. *pro ratione cibi sui.* Santes, *secundum edere ejus.* Leo, *quantum singuli edant.* Munsterus, *singuli pro esu suo.* Videtur hoc velle, numerum inibitis pro ratione cibi quem edunt. Nam minus edunt Senes & ægroti, quam juvenes & sano corpore præditi. Ut ut sit, debebant totum agnum edere. Quod supererat, id incendio deputabatur. Nolebant enim quicquam ex eo in usum profanum cedere. ¶ *Numerabitis ad agnum*] Ad edendum agnum. Obiter hic noto, quod supra notatum oportuit. שה inquit Munsterus, *est agnus ovium aut caprarum.* Malim, *fœtus ovium* &c. Nam agnus tantum de ovibus dicitur. De capris non memini legere. Est enim agnus fœtus ovis, qui nondum annum egressus est. Quod si probari posset de capris etiam dici,

Digit

ei, tum optima esset interpretatio eorum qui מנה agnum reddunt, תכסו numerabitis. Dages quod in Samech a nonnullis codicibus abest, sed perperam. Onkelos interpretatur תתמנון, Jonathan autem אימר ית תכוסון id valet, si non fallor, *mactabitis agnum.* Videtur enim futurum esse παρὰ τὸ כסס mactó, jugulo. Sed ampliandum puto. Lxx. συναριθμήσεται εἰς πρόβατον, connumerabitur ad ovem, sive, ut in edit. Rom. *ad pecus.* Quæ significatio huic loco magis convenit. Lex. Vet. πρόβατον, ἀρνίον, *verbella, ovis, verbix.* Vide Augustinum quæst. 41. & 42. In Thesauro Stephani, πρόβατον pecus. Camerarius, πρόβατα vocant omnes pecudes. Autor Galenus Hypocratem eo nomine appellasse πάντα τὰ βοσκήματα. Idem שה apud Ebræos. Hieron. in Comment. Ezech. 45. pag. 482. שה βόσκημα, *ad cuncta animantia referri potest.* In libro nominum, Sodoma pecus tacens שה דומה. Glossæ veteres, *Sodoma pecus silens. Sodomita, pecora silentia. Son, pecus eorum. Soni, pecus vel dentes.* Quæ omnia pro iis faciunt qui hoc loco legunt, *pecudem:* & πρόβατον eo modo interpretantur. Qui sensus & in Chaldaico אמרא quòd agnum convertimus. Lexicon Munsteri אמר sive אמרא pecus, ovis, agnus, idem videlicet quod שה tam hædus quam agnus. Scribi autem debet אמר cum Dages in Mem, & alia forma אמרא unde emphaticum, אמרתא.

5. *Agnus integer, masculus, anniculus erit vobis ex ovibus aut ex capris accipietis.*

6. *Et erit apud vos in custodia usque ad quartum decimum diem mensis istius, & mactabitis eum omnis cœtus synagoga Israel inter duas vesperas.*

Agnus masculus] Ut *lupus mas.* Nam & lupus fœmina dicebant. Sic agnus fœmina, quam posterior ætas agnam dixit. Aut verte, *Pecus integra, mascula.* Nam pecus utrumque sexum complectitur, ut etiam שה apud Ebræos. ¶ *Integer*] Hieron. *absque macula.* R. Salomo & Abenezra בלא מום. Lxx. πρόβατον τέλειον. Alibi additum ἄμωμον, quod a glossemate. Id sumptum putarim ex aliâ editione, quam Hieron. secutus sit Psal. 15. 2. תמים Lxx. ἄμωμος. item 19. 8. sed Genes. 17. 1. ἄμεμπτος, irreprehensus. ¶ *Anniculus*] Filius anni i anniculus. Onkelos, *filius anni sui.* Sed libri variant. Lxx. ἐνιαύσιον. ¶ *Ex ovibus, aut ex capris*] In Ebræo est ad verbum, & ex capris. Quale illud, *qui percusserit patrem aut matrem*, ubi similiter (&) in Ebræo. Unde lucem facies versioni Græcæ, ἀπὸ τῶν ἀμνῶν καὶ τῶν ἐρίφων. Quod si in mentem venisset Hieron. nunquam profectò ità vertisset, *juxta quem ritum tolletis & hædum.* Quæ versio errandi causam nonnullis præbuit ut existimarint una cum agno etiam hædum immolatum fuisse. Sane hac re Theodoretus, *Præcipit non ut utrumque simul immolent, sed ut is qui ovem habet, agnum immolet: qui vero caret ove, immolet hædum.* Nihil melius. ¶ *Ovibus*] Onk. & Jon. אמריא quæ vox sumitur latè & strictè. Cum latè sumitur, tum sig. pecudes minores: cum stricte, tum sig. oves i. כבשים aut agnos. ¶ *Accipietis*] Sumetis, seligetis. ¶ *Erit apud vos in custodia*] Ebraicè, *erit vobis in custodiam.* i. custodietis eum, sive ut Hieron. *servabitis.* Lxx. καὶ ἔσται ὑμῖν διατετηρημένον. Jonathan, קטיר ונטיר ligatus & adservatus. Memoriæ proditum est hunc agnum usque ad 14. diem quo mactabatur ad fulcrum spondæ alligatum fuisse, ut omnium aspectui pateret, atque ità illis de redemptione suâ inter se conferendi occasionem daret. Autor Fagius in notis ad vers. 3. hujus capitis. Vide si habes & si vacat. Supra ex Onkelo produximus, *filius anni sui.* Id Ebraicè diceretur בן שנתו. Abenezra ad illum locum, *Dicit R. Josua discrimen esse inter filius anni, & filius anni sui. Nam de quo dicitur filius anni, ei ascendit annus: filius autem anni sui significat id quod sonat. Et ecce in oblatione principum legitur, agnus unus filius anni sui: & post scriptum est, agnus filius anni.* Hæc ille. ¶ *Et mactabitis*] Tum mactabitis, videlicet 14. Nisan. ¶ *Eum*] Agnum. R. Moses Amrami F. Persa scribit in terra Israel etiam juvencum mactatum fuisse in Paschate: sed fallitur. Qua de re videndus ad hunc locum Abenezra. ¶ *Omnis cœtus synagoga Israel*] Vel, *tota ecclesia congregationis Israel:* Et est παράλληλον ut *lutum cœni, terra pulveris:* aut pro eo habendum ac si dixisset, *omnis cœtus & synagoga.* Quale illud, ירח שמש Sol, Luna. Est tamen discrimen aliquod. Nam קהל absolutè ponitur, קהל autem in regimine. Non ergo propriè est ἀσύνδετον, ut R. Levi opinatur. Idem observat particulam כל non dici de paucioribus quam tribus: ideò requiri putat ad mactationem agni ad minimum tres cœtus. Singulum autem cœtum ait continere decem homines. Mihi hoc subtilius quam verius videtur. Simplex sensus est ut eum mactent omnes Israelitæ per domos & mactationi intersint quotquot ad esum agni requiruntur. Nam sacramentum erat veteris instrumenti cui successit cœna DOMINI. ¶ *Inter duas vesperas*] Inter horam nonam & duodecimam. Hora nona, quæ nobis tertia post meridiem, incipiebat vespera prima, quæ ab Ebræis dicitur ערבית השמש quando sol ad occasum vergit. Hora 12. incipiebat vespera altera, quam vocant ערבית הלילה, post occasum solis. Tempus intermedium vocatur ערב quasi ἑσπερισμός, & בין הערבים τὸ μεταξὺ δυοῖν ἑσπέραιν. In eo & sacrificium vespertinum fiebat, & agnus paschalis mactabatur. Sic dico, duplex erat apud Judæos olim vespera. Una erat tempus oblationis vespertinæ; altera occasus solis, principium videlicet diei civilis sequentis. Intervallum inter has duas vesperas vocabatur ערבים quasi duæ vesperæ. Quâ de re doctissimus Scaliger in sexto de emendatione temporum: quibus addit vesperam incipere à nona horâ i. à tertia exacta post meridiem, & Pascha ab illa hora immolari solitum. Unde liquet, si diem solarem in quatuor æquales partes dividas, primam esse tempus matutinum: secundam antemeridianum: tertiam pomeridianum: quartam τὸν ἑσπερισμόν. Unaquæque pars tres horas continet, cum sint horæ diei duodecim, secunda vespera ad diem sequentem pertinebat: unde & illud sequitur, agnum non mactatum fuisse illa vespera, cum Moses eum mactari præcipiat die 14. & vespera illa referatur ad diem 15. Hæc mea sententia est. Videamus nunc quid alii hac de re senserint. Rabbenu Samuel homo judæus intervallum hoc, de quo diximus, computat ab eo tempore quo sol inclinare incipit ad occasum post meridiem. R. Salomo, *Ab hora sexta & deinceps dicitur inter duas vesperas, quo sol declinat ad locum occasus sui,* πρὸς ἑσπερισμόν, ubi ערב alio intellectu usurpare videtur, quam nos supra usurpari ex Scaligero diximus. Pergit R. Salomo, *Tempus inter duas vesperas videtur mihi esse inter illas horas quæ inter vesperam diei & vesperam noctis. Vespera diei est in principio septima horæ, ex quo declinare incipiunt umbræ vespertinæ, Vespera autem noctis est in principio noctis.* Hæc ille, si modò ערב est vespera, & non potius ἑσπερισμός. Abenezra, *Duæ sunt vesperæ. Una est vespera solis, & est tempus illud quo sol terram subit. Altera est tempus illud, quo lux ejus, quæ in nubibus conspicitur, occidit. Inter utrumque propè est hora & tertia pars horæ.* Sed quid? an tàm brevi tempore agnus potuit mactari, coqui apparique? Hæc expendere debet, qui hanc tueri volet sententiam: tum vero etiam an crepusculum duret in Palæstina horam cum tertia parte horæ. R. Levi, *Significat meridiem quæ est inter duas vesperas, videlicet inter vesperam quæ precedit ortum solis, & eam quæ est post occasum solis. Utraque enim vocatur vespera aut crepusculum, ut cum dicit, à crepusculo & usque ad vesperam postridie* (Interdum ממחרת ἀπὸ τῆς δευτέρας i quæ est xvi. Nisan δευτέρα τοῦ Πάσχα) *Rei firmandæ quid hi temporibus lux tenebris permixta, unde ערב appellationem accepit. Nam ערב misceo, commisceo. Lux autem tenebris mixta est propter solem qui apparet in nubibus. Porro tempus illud, quod antecedit ortum solis consuevit Scriptura vocare auroram: tempus autem quod sequitur occasum solis eadem appellat vesperam. Ecce a medio die ac deinceps tenentur mactare agnum paschalem, & non antea.* R. David in libro Radicum, *Inter duas vesperas, hoc est à quo tempore declinat sol ad occidentem. Id fit à sexta hora & deinceps usque ad noctem. Nam à quo primum tempore incipit sol declinare est vespera una, & post occasum solis est vespera secunda. Intra hoc spatium continetur id quod dicit, inter duas vesperas.* Ex his constat, eos pomeridianum tempus totum sub nomine ערב vesperam significante comprehendere: rectè an secus judicium esto eorum qui hæc intelligunt. Cajetanus, *Hora occidendi statuitur inter vesperas, hoc est inter occasum solis, & vesperam, hoc est declinationem solis ad occasum, hoc est per duas horas vel circiter ante solis occasum, ut habeatur tempus commodum ad excoriandum & ad coquendum, ità ut statim post solis occasum possint comedere illum.* Lippomanus, *Inter vesperas duplices. Quod hic, & alibi Scriptura habet intelligendum unam eam haberi vesperam qua rota solaris jubaris orizonta jam tenet, & aliam cum nihil jam superesse videtur luminis de radiis solaribus quibuscunque, tempus scilicet crepusculi, quarum intercapedo vesperarum, hora integra durat cum tertia parte horæ. Infra illud tempus exituri erant de Ægyptiacis habitaculis, & sub illud tempus Phase edendum erat & edebatur quotannis.* Hæc ex Abenezra desumpta. Sequitur in Lippomano, *Alii mixturam intelligunt illam diei ac noctis, quæ scilicet mox post occasum solis contingit. An forte quia multa in nocte illa peragenda erant (quæ tam brevis temporis spatio confici nequaquam poterant) duæ vesperæ totam noctem comprehendunt, ob occasu scilicet solis usque ad ejus ortum, juxta illud, Vespere autem sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi.* Quam postremam sententiam convellit ratio temporum: Nam post solem occasum incipit decima quinta. Pascha vero mactari debe-

bebat decima quarta. Quod ità certum ut nihil magis. Miremur ergo hoc viro docto in mentem venisse. Vatablus, *Inter vesperas est tempus quo declinat sol ad occasum, ab hora sexta usque ad noctem. Utitur autem duali quod sint duæ vesperæ. Nam cum incipit inclinare sol est una vespera, & postquam occidit est vespera secunda.* Post recenset sententiam Abenezræ quam supra produximus. Vide si placet. Lxx. hic habent, πρὸς ἑσπέραν. & Hieron. *ad vesperam:* non omninò male. Nam intervallum, quod inter duas vesperas, etiam vespera dicebatur, unde *sacrificium vespertinum*, quod eo tempore fiebat, videlicet post tertiam pomeridianam. Id perspicuè docet Abenezra ità scribens, *Momentum inter duas vesperas vocatur vespera. Nam sic scriptum est, inter duas vesperas comedetis carnem: & mox, cum dederit DOMINUS vobis vespere carnem ad edendum. Rursum scriptum est, ibi sacrificabitis Phase vesperi quum occidit sol quo tempore egressi estis ex Ægypto.* Quum occidit sol i. כבא השמש quasi περὶ ἡλίου δυσμάς. A quo differre ait Abenezra בבאת השמש, δύσιν ἡλίου occasum solis, & rectè, meo judicio. Videndus Scaliger pag. 532. qui mihi videtur Abenezram non rectè percepisse. Forte alio codice usus est. Onkelos בין שמשיא inter duos soles. *Quod quidam sic intelligunt*, &c. Vide Fagium. Jonathan בין שמשיא puto legendum שמשיא inter soles, ut sit pluralis emphaticus ex absoluto שמשין soles. Duos autem soles vocare videtur unum qui supra terram apparet, alterum qui postquam terram subiit in nubibus conspicitur. Sed forte aliud in mente habuit. Moses Gerundensis, *Vespera pro tota nocte ponitur, & pro fine diei: item legimus apud Psalmographum, vespere, & mane & meridie meditor & perstrepo. Ecce tria hæc tempora comprehendunt totum diem. Si sic est, vespera vocatur tempus illud quod meridiem statim subsequitur. Ceterum omne tempus quo sol est in ortu nuncupatur* בקר *mane. Id continet quatuor horas. Deinde sequitur meridies, quemadmodum dicitur, à mane usque ad meridiem, & sunt duæ horæ, videlicet quinta & sexta. Ubi autem sol recedit ab ortu post meridiem vocatur* ערבים *duæ vesperæ, quia tum sol miscetur è duobus*, &c. Post distinguit inter duas vesperas & vesperam diei i. ערב היום quo tempore mactatio fieri non poterat. Ea vespera continet horam & quartam partem. *Nam ecce*, inquit, *Scriptura dicit mactandum esse agnum in medio duarum vesperarum, hoc est à sexta hora & deinceps usque ad initium occasus solis* i. שקיעת החמה. Et post ait, *Quo inclinat Onkelos qui vertit, inter duos soles, videlicet inter solem orientem, & solem occidentem.* Idem citat ex monumentis doctorum. *Vespere tu mactas, quum occidet sol* i. περὶ ἡλίου δυσμάς, *tu comedis, tempore exitus ex Ægypto, tu comburis.* Hactenus doctor ille Ebræus, è quo aliqua vertimus, non omnia. Nam consulendum erat brevitati. Properamus enim ad alia. Nicolaus, *Secundum doctores Ebræos vespera prout hic accipitur incipit à septima quartadecimæ diei, quia tunc sol incipit tendere ad occasum: & ab illa hora usque ad principium noctis potest immolari Phase secundum eos. Immolabatur autem ad vesperam, quia illa hora jam pertinebat ad diem sequentem solemnem, in qua exiverunt de Ægypto.* In notis Tremellii, *Duas vesperas i. duas vespertini temporis extremitates, quarum prior ad finem diei inclinantis pertinet, ut apparet ex versu 18. posterior ad principium noctis, quo sequens dies inire dicitur Gen. 1. 5.*

7. *Accipientque è sanguine, & ponent super utrumque postem & super limen superum, in domibus, in quibus comedent eum.*

Accipient] Sument, λήψονται. ¶ *E sanguine*] Agni sive pecudis. Hunc recipiebant in vase ad hoc parato, inde sumebant quantum satis esset ad tingendum postes & superliminare. Id fiebat fasciculo Hyssopi. R. Levi. ¶ *Super utrumque postem*] Vel, super ambos postes. Postes voco antas hoc est latera ostiorum sive arrectaria (מזוזות R. Salomo) utrumque ostii latus munientia, quos Græci σταθμὰς appellant. ¶ *Postes*] Portæ domus, nunc cubiculi, in quo agnum edebant. Sed quorsum hæc aspersio? An ut agnus viso sanguine sciret esse domos Israëlitarum, quas transiliebat? An potius hoc factum in contumeliam Ægyptiorum, qui arietem pro Deo colebant? prius verius videtur. Nam cum tenebræ essent, sanguis ille videri non poterat ab Ægyptiis nisi postridiè. Theodoretus, *Notandum quod Deus jusserit postes sanguine tingi, ut cum exterminator transiret ad Ægyptiorum primogenita perdendum, sanguinem super postes aspiciens, Ebræorum domos illæsas transiliret. Non quia his natura illa corporis expers indigeret, sed ut illi hoc signo docerentur, quanta erga illos esset Dei cura ac providentia.* ¶ *Limen superum*] Latini superliminare vocant, ut Græci ὑπέρθυρον, & ἀνώφλιον: etiam φλιὰν. quod hic in Lxx. Ebræi dicunt משקוף & Onkelos שקפא appellatio à prospiciendo. Nam inde prospiciebant pulsantem ante fores. Non enim eadem forma erat superliminarium apud Ægyptios & Israëlitas, atque hodie apud nos Christianos. Quod notavit Abenezra. Forsterus, משקוף *superliminare hoc est fenestra in superliminari, per quam ex alto prospicitur super pulsantem fores.* Jonathan habet עילאה שקופא. i. limen superius. Nam שקופא de utroque limine usurpatur; Unde התחתונה אסקופה in Salomone Jario Amos 9. 1. & אסקופה העליונה in eodem. Dicitur etiam משקוף & latinè sublimen sive sublimentum. Scaliger in Varronem p. 255. ¶ *In domibus, in quibus comedebant*] Non in stabulis, non in horreis. Sed an etiam in iis domibus, cujus habitatores ad vicini ædes propter pascha commigraverant? Nam quid opus eas tingere cum nulli ibi essent primogeniti? Arbitratur tamen R. Levi eas etiam tinctas fuisse. ¶ *Eum*] Agnum.

8. *Comedentque carnem nocte illa, assam igni & azymos panes: cum lactucis agrestibus comedent illam.*

Comedent] i. comedunto. ¶ *Carnem*] Agni. Et *carnem*, non ossa, non nervos. R. Salomo. *carnes.* Hieron. τὰ κρέα. Lxx. *carnem illius.* Tremel. Nam articulus aliquando vim habet pronominis. ¶ *In illa nocte*] Ergo Phase comedebatur die quintadecima. Nam Ebræi diem à vespera inchoant. Sic dico, mactabatur ante solis occasum, comedebatur post. Jonathan, *In nocte illa, quæ erat 15. Nisan usque ad mediam noctem.* ¶ *Azymos panes*] Ità Hieron. prius erat in Lxx. ἄζυμα. Santes habet, *infermentatos.* Tremel. *azymos panes.* Gen. 19. 3. Hieron. *azyma.* Lxx. ἀζύμους. San. *infermentata.* Ebraicè מצה quod à מצץ deducunt, alii à מץ, alii denique à נסה, ut sit formæ מסה tentatio. Sunt qui exponant dicentes significare placentas infermentatas. Chaldaicè פטיר. ¶ *Cum lactucis agrestibus*] Non modo Hieron. ità vertit על מררים, sed etiam Lxx. ἐπὶ πικρίδων, quod Cyprianus vertit, *cum picridibus:* Faustus apud Augustinum lib. 32. cap. 3. *cum picridiis*, tanquam à recto picridia. Edit. Rom. lat. *super picrides.* Est autem πικρὶς intybum seu cichorium sylvestre. Gaza πικρίδες alicubi lactucas agrestes, alibi amaragines transtulit. Mihi nullum dubium quin Hieron. per lactucas agrestes eam vocem Græcam exprimere voluerit. Plinius lib. 19. cap. 8. ubi de lactucæ generibus, *Pessimum autem genus, cum exprobratione amaritudinis appellavere picrida.* Sed est qui negat lactucas amaras esse, Hieron. reprehendens: frustra. Nam sylvestrem lactucam habere folia amara homines rei herbariæ periti prodiderunt. Sunt qui veram endiviam esse contendunt, quæ herba est insignis amaritudinis, cujus species κιχώριον seu πικρὶς, hoc est, lactuca sylvestris amarore reliquas superans. Unde Virgo *amaris intyba fibris.* Sane Theophrastus πικρίδα videtur numerare inter τὰ κιχωριώδη. Dioscorides autem lib. 2. cap. 166. τὴν ἀγρίαν θρίδακα dicit esse πικρὰν τῇ γεύσει i. gustu amaram. Hæc Hieron. interpretationem plane corroborant, à qua temerè nimis discesserunt recentiores. Est quidem, fateor, inter πικρίδα propriè dictam, & lactucam sylvestrem aliqua differentia: sed tamen cum utrumque gustum habeat amarum & ejusdem intybi seu seridis sint species, aliquando confunduntur. Ut πικρὶς, ità voces Ebræa מרורים & Chaldaica מררין quâ usus est Onkelos, appellationem habent ab amaritudine. In Jonatha reperio עולשין על תמכה, sunt duæ species herbarum. Prior תמכה à Salomone Jario exponitur vernaculè מרובין i. marrubium. Posterior עולשין, invenitur & Cant. 2. In Gemara, ut habetur in Sebbole Lecheth (liber est ejus nominis) exponitur endivia i. intybus sive intybum. Alii interpretantur ארולא. Puto significari scariolam. Autor pandectarum medicinæ, *Lactuca agrestis est species scariolæ.* Est autem scariola, cichorea seu endivia domestica, quam foliis latis similem lactucæ describunt Serapio & Dioscorides. Aliam autem nempe agrestem i. πικρίδα, folia lata non habere autor est idem quem modò nominavi Dioscorides. In Sebbole Lecheth, quo libro usus sum in Anglia cum Oxoniæ viverem, enumerantur quinque species חזרת lactuca עולשין intyba, תמכה marrubium quæ dactylo involvitur & מרור quam R. Salomo vulgò interpretatur אמרוגא. Hic ait esse nomen generale ad omnes herbas amaras. Nam in voce, ut dixi, significatio amaritudinis. Unde Hieron. in epist. ad Eustachium, *Pascha*, inquit, *Christi cum amaritudinibus manducatur*, respexit ad nomen מררים quo cichorium agreste sig. sive lactucæ agrestes, quæ amarum quiddam habent, ut diximus. Obiter noto. Endivia vox est Arabica. Dicunt enim certè Arabes *Hundebe* vel *Endeba:* unde proverbium, *intyba successit ambrosiæ.* Quo appositè utemur cum lætis tristia succedunt. Jam ad alios interpretes. Igitur Santes, *cum amaritudinibus.* Tremel. *cum herbis amaris.* Sic etiam Munsterus & alii. Concludo pro veteribus non omnes herbas amaras, sed certam speciem ea voce denotari. R. Levi, מררים *sunt herbæ amaræ, ut lactuca & תמכה & aliæ iis similes.* Ceterum assentior iis qui has lactucas adhibitas fuisse volunt in memoriam eorum malorum quæ passi erant in Ægypto. Nam ea amaram reddiderant animam ipso-

ipsorum. R. Salomo, *Præcepit eis comedere amarum in memoriam ejus, & amaram fecerunt animam suam.* Quæ opinio fuit veterum Ebræorum. Videndus Abenezra. Ex quo illud observo, *Dixit unus ex sapientibus Hispaniæ, notum est humorem dominari in Ægypto, propter aquas Nili, & quia non descendit ibi pluvia. Sane aer est perpetuò humidus. Ideo receptum erat apud eos ut semper apponerent in mensâ lattucas agrestes aut alias species herbarum similes, & sinapi. Et licet unus tantum panis esset in mensa Ægyptii, semper aderant picrides ad tingendum eo panem illum. Nam sunt medicina in illo aëre.* Huculque.

9. *Non comedetis ex eo crudum, aut coctile coctum aquâ, sed assum igni, caput ejus cum cruribus ejus & cum interaneis ejus.*

10. *Nec relinquetis ex eo usque manè, quod autem reliquum erit ex eo usque mane igne comburetis.*

Crudum] ὠμόν. alius *crudum quid.* On. & Jon. כַּד חַי *quando vivum* i. crudum est. Sic *caro viva* i. cruda. Ebraicè נא, quo & Arabes utuntur. Doctores Ebræorum definiunt quod non est coctum satis. Ergò non tàm crudum, quam semicoctum aut non plenè coctum, semicrudum. Nicolaus, *In Ebræo habetur semicoctum quod Gallicè dicitur imacru.* Forte leg. *amicru.* Plenum est *à demi crud* quod & demi crud. i. semicrudum. Nam *semicoctum, demi cuit*, & semi assum, *demi roti*: Gallica editio, *à demi cuit* i. semicoctum. R. Levi נא *est id quod cœptum est coqui nec tamen perfectè coctum est.* Abenezra, *Quidam non comedetis ex eo ut nunc est* i. *vivum sive crudum. Quo sensu alibi non legitur. Alii ab נוא deducunt, hoc sensu, non comedetis ex eo confractum sive in frusta concisum. Sed hoc non est rectum quia post dicit, & os non confringetis ex eo. Secundum sententiam meam non habet socium in scriptura, & opponitur cocto, & est quod alias appellant vivum, ut 1 Sam. 2. vers. 15. Antea dixi majorem partem linguæ Arabicæ affinem esse linguæ Ebrææ. Porro in ea lingua caro viva sive cruda vocatur* ני *Aleph in Jod versa. Sane litteræ quiescentes apud eos permutantur perinde atque apud nos.* נא *concisum* Galli habent in margine editionis ultimæ. Mirari libet. In monumentis doctorum quid sit מִצָּה נָא docebit te David Camius in lib. Radicum. Vide si otio abundas. ¶ *Aut coctile coctum*] Quidam, *elixatum.* בָּשֵׁל nomen est, non verbum. Id Santes reddit, *coctione.* Arias, *coquendo*, ac si esset בשׁל in Ebræo. Talis congeminatio usitata in præteritis & futuris. An etiam in participiis? Hoc negat Abenezra. In notis Vatabli, *elixum elixum.* Editio Gallica, *nec ullo modo elixum aquâ.* Leo, *aut quod coctione coctum sit aqua.* In Onkelo בשׁלא videtur esse nomen verbi. מְבֻשָּׁל de carne assâ dicitur, ut notat Abenezra. Nam coquit carnem etiam qui eam assat ad ignem. Idem existimat innui morem usitatum in culinis regum: quem his verbis describit, *Convenit ut exponamus coctile coctum juxta cibum regum, qui hoc modo elixatur. Ponunt super ignem vas æneum latum, quod implent ad dimidium aqua, quæ ubi ebullierit, tum ponit ollam carnium cum aquis frigidis super aquas bullientes: atque ità elixatur caro. Ceterum cibus hoc modo coctus salubris est supra omnes alios cibos, qui igni admoventur: Et propter duas coctiones ideò dicit* בָּשֵׁל מְבֻשָּׁל *ut alibi legimus* הֻכֵּה מִכָּם *item* בָּרוּךְ מְבֹרָךְ. Vide, si vacas. Jonathan בָּשֵׁל vino aut oleo, &c. מבושל aqua. ¶ *Assum igne*] Onkelos & Jonathan טְוֵי נוּר. Lxx. ὀπτὰ πυρί; quod reddunt, *assata igni.* Scilicet ὀπτὸν etiam de assâ carne dici, ut בשל apud Ebræos. ¶ *Caput ejus*] Jonathan, עִם רֵישֵׁיהּ cum capite ejus. ¶ *Cum cruribus ejus*] עַל כְּרָעָיו. Lxx. σὺν τοῖς ποσί. Hieron. *cum pedibus ejus.* Jonathan עִם רַגְלוֹהִי. Sed in Onkelo עַל כְּרָעוֹהִי cum cruribus ejus. Hæc omnia prius in aquâ lavabantur. Nota עַל pro עִם usurpari. Sic alibi עַל נָשִׁים cum fœminis aut uxoribus. ¶ *Cum interaneis ejus*] עַל קִרְבּוֹ. Lxx. τοῖς ἐνδοσθίοις. Hieron. *intestinis.* Santes, *cum interioribus ejus.* Alius, *cum intestinis ejus.* קֶרֶב medium & omnia interiora, quæ Psal. 103. vers. 1. קְרָבַי appellantur. Onkelos habet עַל גַּוֵּיהּ quod obscurius dictum. Jonathan elucidat עִם בְּנֵי גַוֵּיהּ cum filiis medii ejus i. intestinis sive interaneis. Videndus R. Levi. ¶ *Relinquetis*] Reliquum facietis. ¶ *Usque mane*] Diei decimi quinti. ¶ *Quod autem reliquum fuerit*] *Ut si aliquis fuerit qui non poterit comedere partem suam.* Abenezra. Ex quo colligas agnum in partes sectum fuisse, & cuique unam partem datam fuisse, more apud antiquos illos veteres usitatissimo. ¶ *Igne comburetis*] Non definit tempus. Nam id fieri poterat, imò debebat alio die non festo, aut qui pro meliore habetur. Jonathan, *Quod reliquum erit ex eo usque mane, asservabitis illud & luce decima sexta igne comburetis, quia fieri nequit ut comburatur residuum victimæ sacræ in die bono.* Augustinus quæst. in Exod. Quæst. 41. *Intelligitur quoniam dictum est, os non conteretis ex eo, remansura utique fuisse ossa quæ igni cremarentur.* Idem Japheth homo Ebræus opinatur. Sed Abenezra improbat. Lippomanus, *Possunt autem etiam hæc de crustulis & nervis reliquisque quæ edi non possunt intelligi.* In Medras, *Non comburitur quicquam die bono, sed postridie:* & alibi, *Quod reliquum fuerit ex eo mane primo remanebit usque ad mane alterum; & tunc comburetur.* Vide Salomonem Jarchi.

11. *Sic autem comedetis illum, lumbi vestri accincti erunt; calcei vestri in pedibus vestris, & baculus vester in manu vestra: & comedetis illum cum festinatione, Phase est DOMINO.*

Sic autem comedetis eum] Ebræi annotant hoc præceptum non pertinere nisi ad eos qui in Ægypto erant: qui cum subitò discessuri essent, debebant esse accincti ad iter. Jonathan, *Hoc ritu comedetis illum tempore isto, & non in ætatibus.* Sunt tamen Judæi qui hæc ità faciunt, die 15. exeunt è terrâ sua in memoriam exitus ex Ægypto. Hos Abenezra Hæreticos appellat, & errantes spiritu, dicitque habitare in Argelan, בארגלן. ¶ *Lumbi vestri accincti*] Ergo ante illud tempus discingebant se cibum sumpturi, sive quod idem, discincti comedebant. *Qui mos hodieque obtinet in quibusdam locis*, ait R. Levi. ¶ *Lumbi vestri*] αἱ ὀσφύες ὑμῶν. Hieron. *renes vestros.* Sic interpretatur vocem Ebræam & Job. 12. 18. ubi Symmachus, κατὰ λαγόνων. Est ubi Aquila νῶτον eam reddit, ut Proverb. 30. 31. ubi Sym. τὴν ὀσφὺν. Quomodo fere Senes. ¶ *Calcei vestri in pedibus vestris*] Morem exuendi calceos, priusquam mensæ accumberent, notavit ad hunc locum R. Levi. De quo dubitare non debemus, nos præsertim qui scimus usitatum fuisse antiquitus ut ante cibum pedes lavarent. Quod notum ex Euangelio: item ex historiâ Abrahæ. ¶ *Calceos*] Lxx. ὑποδήματα, soleas. Hieron. *calceamenta.* On. & Jon. סִנְּיָן. ¶ *Et baculus vester in manu vestrâ*] Nam viatores baculo utebantur: unde Jacob Patriarcha, *baculo meo transivi Jordanem.* Aut innuit baculum pastoralem, pedum vulgò vocant. Erant enim certè pastores. Baculo etiam asinos regebant. Sane legimus, *& percussit asinum baculo.* ¶ *Cum festinatione*] i. festinanter. Ebraicè בחפזון. Quod Senes reddiderunt μετὰ σπουδῆς. Hieron. *festinantes.* On. & Jon. בבהילו celeriter. Aquila, ἐν θάμβῳ, cum stupore. Sym. ἐν ἐπείξει, cum festinatione. Psalm. 31. בחפזי in præcipitatione mea. Aquila ἐν θαμβήσει μου. Sym. ἐν τῇ ἐκπλήξει. Hieron. *in stupore meo.* Rursum Psal. 116. 11. A. ἐν τῷ θαμβεῖσθαι, dum obstupescerem. Hieron. ut supra. R. Levi hoc loco במהירה cum celeritate. Volebat autem agnum festinanter comedi propter angelum vastatorem, qui creditur circa medium noctis primogenitos Ægyptiorum occidisse: unde dicunt *non editur nisi ad mediam noctem, non editur nisi assum.* Citius enim certè assatur caro quam elixatur. ¶ *Phase*] פֶּסַח Phase, ut תֶּרַח Thare. Chaldaicè פִּסְחָא quod antiquitus legebant Phascha i. פַּסְחָא; unde Pascha, aspirata, ut fit, in tenuem versa. פִּסְחָא Phascha, ut פִּסְגָּה Phasga. Sic ex Chermel sive Charmel factum Carmelus. In edit. Hieron. *Phase* i. *transitus.* Idem in Matthæum, cap. 26. *Pascha, quod Ebraicè dicitur Pesach, non à passione* (παρὰ τὸ πάσχειν: unde Nanzianzenus πάσχα esse putat, cum prius φάσχα scriberetur. Vide illum in sermone de Pascha) *ut plerique arbitrantur, sed à transitu nominatur, eo quod exterminator videns sanguinem in foribus Israëlitarum pertransierit, nec percusserit eos.* Verum etymon, nec aliud quærendum, nisi errare velimus. Mox ait versus 13. ופסחתי עליכם quod Hieron. reddit, *& transibo vos.* Cave sequaris eos qui de transitu maris rubri suspicantur. Vide Lippomanum & Quinquagenam Ælii Antonii Nebrissensis, cap. XXXIII. ¶ *DOMINO*] Vel DOMINI i. Κυρίῳ q. d. DOMINUS tunc transibit per Ægyptum. Vel solemnitatem innuit illius diei. Quandoque agnus eo vocabulo afficitur. Unde, *comedere Pascha* i. agnum paschalem. Onkelos, *coram DOMINO.* In Jonatha quid sit חיסא aliis disquirendum relinquo. Lexicon Chaldaicum Munsteri, חיסא extinctio. Videtur hic aliud significare. Forte à חוס pepercit, misertus est. Nam sequitur, *vobis erit à DOMINO.* R. Salomo, *Oblatio vocatur Phase à transiliendo, eò quòd Deus benedictus transilierit domos Israëlitarum quæ inter domos Ægyptiorum, & quod saltaverit ab Ægyptio ad Ægyptium, & ità Israel qui in medio erat evaserit.* Vide Fagium in paraphrasin Onkeli ad hunc locum. Ex dictis liquet vocabulo Pascha tua significari Transitum i. διάβασιν, vel potius transilitionem: ipsum festum & agnum festi, חיסא autem sine dubio est verbale à verbo חוס pepercit, quo utuntur vers. 13. in declaratione פֶּסַח transilio.

12. *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, & percutiam omnem primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad jumentum: & in omnes deos Ægypti faciam judicia, ego DOMINUS.*

Transibo] διελεύσομαι. On. & Jon. *revelabor* sive *patefiam.* Sunt etiam qui enarrent, indignabor in terram Ægypti. Siquidem

dem עֶבְרָה indignatio, sic dicta à transeundo, vel quod citò transeat, juxta illud, *ira furor brevis est*, vel quod modum transcendat. Dicit autem transibo propter effecta potentiæ ipsius, aut quia exterminator angelus transibat. Alioqui Deus non movetur de loco in locum, cum ubique sit. Abenezra, *Cum vis Dei & virtutes ejus transeunt, perinde est ac si ipse transiret.* R Levi, *Ostendam inter eos opus meum & plagam meam: aut sensum habet indignationis, & est humanitus dictum, quia Deus nihil patitur.* Rupertus, *Quod dicit transibo, secundum figuram temporis illius pro simili dictum est i. egrediar ad modum gigantis in fortitudine contra hostem irruentis*, &c. R. Salomo, *Transibo ut Rex qui transit de loco in locum, & momento uno omnes vapulant.* Cajetanus, *Transire dicitur Deus quia ad similitudinem transeuntis facit effectum, occidit hic & illic.* Probo maximè, *transibo per Angelum.* Jonathan, *Apparebo in terra Ægypti per divinitatem gloriæ meæ nocte hac, & mecum una nonaginta millia myriadum angelorum perdentium seu exterminantium.* ¶ *Percutiam*] Occidam. Onk. Jonathan. Psalm. 136. 17. *percussit reges magnos.* Mox se interpretatur, cum ait, *occidit reges inclytos.* Idem aliter. ¶ *Omnem primogenitum in terra Ægypti*] Tam Ægyptiorum quam advenarum in Ægypto habitantium, exceptis Judæis. Alibi legimus, *Percussit Ægyptios in primogenitis eorum.* Sed in fonte מִצְרַיִם quod reddi potest, *Ægyptum*: utut sit, cum sequatur, *eorum*. sensus est de Ægyptiis. ¶ *Jumentum*] Hieron. *pecus.* Lxx. ἕως κτήνους. ¶ *In omnes Deos Ægypti faciam judicia*] Variè exponitur. Tremel. *Judiciis meis declarando quam vani sint, fallaces, & omni facultate opis ferendæ destituti.* Sic etiam Galli. Abenezra, *Capiendum ut ibi, & caput Dagon cadebat coram eo in terram.* R. Levi, *Deos nihili eorum perdam igne aut alio modo.* Hiscuni, *In omnes principes Ægypti*, &c. *Nam pœna non cadit in res quæ spiritu vitæ destituuntur.* R. Salomo, *Quæ ex ligno putrescent & quæ ex metallo liquescent.* Jonathan, *In omnia idola Ægyptiorum faciam quatuor judicia: idola fusa colliquescent: lapidea concidentur: testacea confringentur: lignea in cinerem redigentur, ut cognoscant Ægyptii me esse DOMINUM.* Hieron. ad Fabiolam, *Illud Ebræi autumant quod nocte qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sunt, sive motu terræ sive tactu fulminum.* Cajetanus, *Qualia fuerint hæc judicia non est scriptum: rationi tamen consentaneum est quod ceciderint vel deleta seu comminuta fuerint nocte illa omnia simulachra deorum in Ægypto.* Videndus & Lyra. ¶ *In omnes deos*] Hieron. *in cunctis diis.* Lxx ἐν πᾶσι τοῖς θεοῖς. Idola Chald. טָעֲוָן vocantur eò quòd in errorem nos inducunt. Nam טְעָא erravit. Posses vertere, *in omnes errores Ægyptiorum.* Aut quia circa eos erratur. Unde & mendacium appellantur. ¶ *Faciam Judicia*] Sumam de iis pœnas. Sic alibi, *judiciis magnis* i. pœnis aut suppliciis magnis. Ebraicè utrobique שְׁפָטִים. Lxx. ποιήσω τὴν ἐκδίκησιν. ¶ *Ego DOMINUS*] Videtur esse species juramenti. q. d. tam verè hoc faciam quam ego verè sum DOMINUS. R. Salomo explicat, *per me ipsum & non per legatum.*

13. *Erit autem sanguis vobis in signum, in domibus in quibus eritis, & videbo sanguinem & transibo super vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percutiam in terra Ægypti.*

Sanguis] Tremel. *sanguis ille.* ¶ *Vobis*] Idem *pro vobis*. ac si diceret, commodo vestro, aut ut Lippomanus, *in utilitatem vestram.* ¶ *In signum*] Erit signum angelo exterminatori, aut pro signo., minus rectè Lxx. ἐν σημείῳ. Malim, εἰς σημεῖον. On. לְאָת quod scribes לְאָת per (·) Jonathan, *Erit autem sanguis mactati agni vobis ut faciatis ex eo signum in domibus.* ¶ *In domibus*] Hieron. *in ædibus.* alius, *super domos.* ¶ *Transibo super vos*] וּפָסַחְתִּי עֲלֵכֶם. Hieron. *transibo vos.* Lxx. καὶ σκεπάσω ὑμᾶς: & protegam vos. On. & Jon. וְאֵחוּס עֲלֵיכוֹן & parcam vobis sive miserebor vestri. Qui sensus in verbo עָבַר cum dicimus, *transire super scelus.* Quod Latini dicerent connivere ad scelus aut potius ignoscere. Tremel. *ut transeam præter vos.* Munsterus, *præteribo vos.* Sic etiam Leo Judæ. R. Salomo וְחָמַלְתִּי & parcam. Sed mox ait esse לְשׁוֹן דִּלּוּג וּקְפִיצָה quasi dicas transiliam vos i. ædes vestras. Nam cum Ægyptii promiscuè habitarent cum Israelitis, transiliebat de domo in domum præteritis Judæorum ædibus, ubi sanguis erat agni, ut quidam opinantur, in parte interiore. Quod colligunt ex verbis illis, *Erit vobis in signum*: vobis, inquam, qui intus estis, non qui extra sunt. Hæc Rabbinus ille. Idem observat claudum פִּסֵּחַ dici ab hoc verbo, quod saltantium more incedat. Nam cum ingreditur subsilire videtur. Hiscuni פָּסַחְתִּי *gradiar super vos.* Ab hoc verbo Pascha dictum. R. David, *Transibit ostium quum videt sanguinem, & non intrat vastator: propterea vocatur hostia illa Phase*: videlicet à saltu exterminatoris, non à transitu populi ex Ægypto in terram Chanaan. Quod multi tamen opinantur. Quos nunc errare aio. Res est, non conjectura. Vetustissimi Ebræorum tradiderunt hoc die redimendum esse populum à Messia quem expectant. Qua de re videndus Fagius in notis ad hunc locum. ¶ *Plaga disperdens*] Ità Hieron. Ebraicè נֶגֶף לְמַשְׁחִית plaga in perditionem. Sed varie redditur. Lxx. πληγὴ τοῦ ἐκτριβῆναι, quod vertunt, plaga diminutionis. Quid si, plaga ad perdendum? ut sit לְמַשְׁחִית pro לְהַשְׁחִית. Quod insolens non est in hac lingua. Sic Onkelos מוֹתָא לְחַבָּלָא mors ad destruendum, quanquam in Fagio, *Mors depopulans.* Fortè locutio est ut *canes ad venandum* pro venatici. Sic *mors destruens.* Jonathan, *Non dominabitur in vos Angelus mortis cui data est potestas perdendi* לְחַבָּלָא *vel destruendi.* Santes, *plaga ad perditionem.* Tremel. *plaga in exitium* i. exitialis. Munsterus & alii, *plaga interitus.* Leo, *internecionis.* R. Levi, *Ex parte vastatoris, qui percutit Ægyptum.* Fuit aliquando tempus cum putarem vertendum, plaga ab exterminatore, לְמַשְׁחִית ab exterminatore, ut לַיהוָה à DOMINO. ¶ *Quando percutiam in terrà Ægypti*] Oratio defecta. Eam supplebis ex versu 12. *Quando percutiam omnem primogenitum in terra Ægypti.* Aut percutiam absolutè posuit pro cædem faciam. On. & Jonath. בְּמִקְטְלִי cum occidero. Hieron. *quando percussero terram Ægypti.* Santes, *quando percutiam*, &c. Sic etiam Gallica edit. Scire licet verbum הִכָּה etiam cum ב construi, ut infra 17. 6. וְהִכִּיתָ בַצּוּר & percuties petram: & Num. 11. 33. וַיַּךְ בָּעָם. San. *& percussit populum.* Ergo Hag. 2. 18. *percussi vos*, אֶתְכֶם R. David positum putat pro בָּכֶם. Munsterus, *cum cædem exercuero.* Tremel. *cum cædam primogenita.*

14. *Et erit vobis dies ille in monumentum, & celebrabitis eum festum DOMINO per ætates vestras; statuto seculi celebrabitis eum.*

15. *Septem diebus azyma comedetis, enimvero die primo abolebitis fermentum è domibus vestris: quia omnis comedens fermentatum excindetur anima illa ex Israel à die primo usque ad diem septimum.*

Dies ille] 15. Nisan. ¶ *In monimentum*] לְזִכָּרוֹן. Lxx. μνημόσυνον. Hieron. *in monimentum.* Santes, *ad memoriam.* Alius, *in memoriam.* sub. tanti beneficii. Quidam, *vice memorialis.* ¶ *Celebrabitis eum festum DOMINO*] Significantius. Lxx. ἑορτάσετε αὐτὴν ἑορτὴν Κυρίῳ. Innuit autem Phascha, hoc est, ipsum festum. Quod unum erat ex sacramentis veteris instrumenti, loquor de pecudis esu. Aliud erat circumcisio. An plena fuerint, nescio. Quidam addunt consecrationem sacerdotum. Sed de hoc Theologi statuent, decernent. ¶ *Per ætates vestras*] In generationibus vestris. ¶ *Statuto seculi*] Hieron. *cultu sempiterno.* Malim *ritu sempiterno.* Lxx. νόμιμον αἰώνιον, quod vertunt, *legitimum æternum.* τὰ νόμιμα i. חֻקּוֹת. Ità vocantur ritus & ceremoniæ legis. Santes, *statuto perpetuo.* In notis Vatabli, *statuto mundi.* perperam. Nam in textu sacro hoc significatu non usurpatur, quod sciam. Scio doctores mundum עוֹלָם appellare. Utut sit, hoc loco non sig. mundum, sed seculum, quod extenditur usque ad tempora Messiæ. Nam tunc est finis prioris seculi: ex quo illud, *neque in hoc neque in futuro seculo.* Testis mihi Don Abarbinel futurum seculum aliquando dici de temporibus Messiæ. Abenezra censet hoc statutum obtinuisse tantum in terra Israel. Unde sequeretur non teneri ad illud observandum, qui extra eam habitarent. Viderint recutiti. Nam talium οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. ¶ *Septem diebus*] à fine 14. usque ad vigesimam primam. ¶ *Azyma*] Panes azymos sive infermentatos. Hoc fiebat in memoriam eorum quæ ipsis acciderant cum exirent ex Ægypto. Nam tum comedebant tales panes. ¶ *Enimvero*] אַךְ enimvero, sane, profecto, utique. On. & Jon. בְּרַם verum. Santes & alii, *verumtamen.* Gallica editio *pourtant* i. ideò, propterea. ¶ *Die prima*] Dabitis operam ne ullum sit fermentum die prima, quæ est 15. mensis, in ædibus vestris. Ceterum fermentum amovebatur die 14. ante vesperam, vel potius, ut Nicolaus annotat, ante horam septimam, antequam Pascha immolarent. Similis locutio, *Et perfecit opus suum die septimo.* Nam ante perfecerat. Dicit autem Abenezra perfectionem operis non esse opus. Fallitur. Sed Deus absolvit opus suum die sexto. Nulla difficultas si legas, *perfecerat.* Quod rectum puto. Idem annotat traditionem fuisse apud Israelitas de tempore mactandi agni, videlicet sole ad occasum vergente. Non ergo horà septima mactabatur, ut vult Nicolaus. Sed nihil decerno. Hoc tantùm observo ex Ebræorum commentariis, præceptum de septem diebus non habuisse locum in prima celebratione paschatis. Videndus Lyra. ¶ *Abolebitis*] Amovebitis, cessare facietis. Hieron. *In die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Lxx. ἀπὸ δὲ τῆς ἡμέρας τῆς πρώτης ἀφανιεῖτε ζύμην, &c. Jonathan, *à dimidia parte diei quæ ante festum abolebitis*, &c. ¶ *Fermentum*] שְׂאֹר ζύμη. Chaldaicè, חֲמִיר;

חמירא; unde חמיר לחם panis fermentatus, qui & חמץ. ¶ *Fermentatum*] Panem, qui Græcè ζυμίτας: Ebraicè חמץ, unde Chaldaicum חמיע Sade in Ain versa, ut in אע lignum, ubi & Ain in Aleph mutata. Nam Ebraice est עץ. ¶ *Excindetur*] Hieron. *peribit*. Lxx. ἐξολοθρευθήσεται. San. *excidetur*. Cajetanus, *pœna mortis decernitur*. Vide Gen 17. 14. ¶ *Anima illa*] *Homo ille*. On. Jon. *persona illa*. Galli. ¶ *A die primo usque ad septimum*] Sunt qui primum diem interpretentur eum qui ante festum, hoc est 14. Mensis Nisan. Alii primum numerant quo egressi sunt ex Ægypto: & septimum quo Pharao submersus est cum exercitu suo. Vide Tremellium. Pro *septem diebus* in alio loco est, *sex diebus comedes azyma*. An ergo sensus est *usque ad septimum* exclusivè? R. Salomo annotat licuisse Judæis die septimo comedere azyma: duntaxat abstinebant eo die à pane infermentato. Addit R. Levi, *Non puniri hac lege nisi qui per contumaciam violat eam. Qui coactus comedit panem fermentatum immunis est: qui vero ignorans id facit, hostiâ Deum placat*. Hæc ille.

16. *Die primo convocatio sancta, & die septimo convocatio sancta erit vobis: ullum opus non facietis in eis, duntaxat quod comedetur ab omni anima, ipsum solum fiet vobis.*

Die prima] Quam inchoari dicunt alii à vespera 15. alii à septima quartæ decimæ, ut dictum est. ¶ *Convocatio sancta*] מקרא קדש. Hieron. *sancta atque solennis*. Lxx. κληθήσεται ἁγία: vocabitur sancta. Onk. מערע קדיש pro quo in Jonatha est מערע. Utrumque convocationem interpretantur. Santes, *convocatio sanctitatis*. Fagius explicat, *Dies solennis, in quâ convocari jubetur populus. Hoc est*, inquit, *ex septem illis diebus primus & septimus erunt vobis solennes*. Quidam, *lectio sancta*. Nam קרא etiam legit: unde Alcoran. ¶ *Ullum opus*] Ad verbum, *omne opus*. Ebraismus. ¶ *Duntaxat*] Santes, *veruntamen*: Arias, *tantum*. Hieron. *exceptis his quæ ad cibum pertinent*. ¶ *Comedatur*] Comedendum erit. ¶ *Ab omni anima*] Omni animæ i. homini. Jon. *duntaxat id quod fiet ad comedendum omnem animam*. Vult dicere, quemvis hominem. Tremel. *quod comedendum erit unicuique animæ*. R. Levi, *opus*, inquit, *duplex est. Unum quod lex vocat* מלאכת עבודה *alterum quo cibus paratur animæ necessarius. In quo genere sunt, coquere, mactare, molere, pinsere &c. Item cibus alius editur ipso facto, alius esui est*. ¶ *Fiet*] Parabitur. ¶ *Convocatio sancta*] Idem Rabbi exponit dies solemnis, sive solemnitas DOMINI. Quod probat ex illo; *Hæ sunt solemnitates DOMINI convocationes sanctæ &c*. Quæratur, R. Salomo, *Convocatio sancta ad cibum, potum & vestitum*. Id Lyra hoc modo elucidat, *Dies erit sancta in cultu divino & amictu honesto, & in cibo delicato secundum possibilitatem cujuslibet. Unde Nehem. 8. dicit: comedite pinguia & bibite mulsum*: dies enim DOMINI *sanctus est*. ¶ *Ab omni anima*] R. Salomo, *etiam à jumentis*.

17. *Et observabitis azyma, nam in robore diei hujus eduxero exercitus vestros ex terrâ Ægypti: propterea observabitis diem hunc per ætates vestras statuto seculi.*

Azyma] Diem azymorum sive infermentatorum. ¶ *In robore diei illius*] Latinè, *illo ipso die*. Hinc Magistri dixerunt עצמו ille ipse, עצמך tu ipse, עצמי ego ipse. Lxx. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. Hieron. *in eadem ipsa die*. Onk. & Jon. בכרן יומא הדין. Quod Fagius interpretatur, *in eadem die hac*: Munsterus, *in articulo diei hujus*. Vide Gen. 7. 13. ¶ *Eduxero*] הוצאתי eduxi. Sed tunc nondum eduxerat. Ergo est præteritum pro fut: aut respexit ad ætates, quibus dicetur, *eduxit*, & in persona Dei, *eduxi*. Sic Abenezra, Lxx. ἐξάξω. Hieron. *educam*. Onkelos אפקית eduxi. Jonathan. " אפיק eduxit DOMINUS. Quod in idem recidit. Josias quidem doctor Ebræus pro מצות infermentata, legit מצות præcepta. Verba ejus habentur apud Salomonem Trecensem, *ne lege Massoth, sed lege Misvoth. Ut enim non fermentatur panis Azymus, sic non debet fermentari præceptum. Quod si veneris in manum tuam, fac illud statim*. Hinc liquet olim vocales abfuisse à codicibus Ebræis. Ceterum contra hanc lectionem, etiam quando puncta absunt, illud adferri potest, quod præcepta scribant מצוות cum duplici Vau. ¶ *Exercitus vestros*] Turmas vestras. Videtur tribus innuere. Jonathan, *copias vestras redemptas aut liberatas*. Lxx. τὴν δύναμιν ὑμῶν; & Hieron. *exercitum vestrum* צבאותיכם. Vide supra 6. 26. & infra vers. 51. Vocantur etiam exercitus Dei 7. 4. & 12. 41. ¶ *Propterea observabitis*] Vel, observabitis, inquam. Nam in fonte ושמרתם & observabitis, sive ut Hieron. *custodietis*. Lxx. καὶ ποιήσετε & facietis: ותטרון. ¶ *Statuto seculi*] i. sempiterno. Hieron. *ritu perpetuo*. Lxx. νόμιμον αἰώνιον. vide notata ad versum. 14. ¶ *Per ætates vestras*] Vel, *in generationes vestras*. Notatum à Nicolao Pascha non fuisse observatum toto illo tempore quo fuerunt in Ægypto. Quod etiam de circumcisione dici potest. Vide illum, si placet. Idem ad verba illa, *nihil operis facietis*, hæc scribit, *non solum manibus propriis, sed nec per manus gentilium licebat eis operari, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Talia enim in solemnitate paschali poterant facere, & illa quæ ad hæc sunt necessaria, sicut accendere ignem, haurire aquam, scindere ligna & similia, secundum quod dicit R. Salomo: excepta tamen die sabbathi. Quod si festum cadebat in diem sabbathi non licebat hoc fieri: & quantum ad hoc sabbathum strictius observabatur quam alia festa.*

18. *Mense primo quarto decimo die mensis, vespere comedetis azyma, usque ad diem unum & vigesimum mensis vesperè.*

19. *Septem dies fermentum non invenietur in domibus vestris: nam omnis qui comedet fermentatum excindetur anima illa ex cætu Israel, tam advena quam indigena terræ.*

Mense primo] בראשן in primo. sub. mense. Quem defectum nos supplevimus, authorem Hieronymum secuti. Lxx. ἐναρχόμενοι incipientes, aut ut est in C. ἐναρχομένῃ *incipiente*. Onkelos, *in Nisan*. Sic etiam Jonath. Scire licet nomina mensium fere Chaldaica esse. Itaque veteribus ante deportationem Babylonicam ignorata fuerunt. Porro Nisan mensis primus esse cœpit primum post exitum ex Ægypto. ¶ *Quarto decimo*] Vel, *decimo quarto*. Chaldaicè in Jon. בארבסר in quo duæ litteræ elisæ. Nam integrum esse בארבעה עסר quod habetur hodiè in Onkelo. ¶ *Vespere*] בערב in vespera. Hieron. ad *vesperam* Lxx. ἀφ' ἑσπέρας. San. *in vespera*. Jonathan, *Mense Nisan 14. mensis mactabitis Phase, & in vespera 15. comedetis azymos*. ubi חמיסר pro חמשה עשר quinto decimo. ¶ *Unum*] Primum. Sic Cicero locutus est, *uno*, inquit, *& vigesimo die mortuus est*. Sic Genes. 1. 5. *Et fuit vespera & fuit mane dies unus*. Hinc intelliges quid sit, μία τῶν σαββάτων. Nam sensus est prima hebdomadæ. Est autem dies solis, qui nobis Dominicus dicitur. ¶ *Vespere*] A vespera 14. usque ad vesperam 21. hoc est, septem dies plenè. Jonathan, *in vespera 22. comedetis fermentatum*. Nicolaus, *Istud fuit præceptum ad memoriam ejus quia filii Israel exeuntes de Ægypto non poterant fermentare; & coacti sunt azymis uti*. Hinc eruimus dies Ebræorum à vespera incepisse. ¶ *Excindetur anima illa è cætu Israel*] Anima i. homo sive corpus animatum. On. Jon. Abenezra, *anima propriè dicta*. Alii q. d. ne habeat partem in futuro seculo. Minus placet. *Peribit totaliter*. R. Levi. ¶ *E cætu Israel*] Supra, *ex Israel*. On. & Jon. *ex synagoga Israel*. Alius, *ex congregatione*. Lxx. ἐκ συναγωγῆς Ισραὴλ. ¶ *Fermentatum*] ζυμωτόν. ¶ *Tam advena*] Aut *peregrini*. Chaldaicè גיורא unde γειώρας. Quo vocabulo usi sunt hic Lxx. ἔντε τοῖς γειώραις. Innuit autem proselytos. Vide Fragmenta. ¶ *Indigena*] Qui Ebraicè אזרח Chaldaicè יציב. Græcè autem αὐτόχθων dicitur.

20. *Omne fermentatum non comedetis, in omnibus habitationibus vestris comedetis azyma.*

Omne] Ullum. Sic accipies illud, *non est* ἀδύνατος *apud Deum omne verbum*: & illud, *non justificabitur ex operibus legis omnis caro*. Consule Observ. meas. Jonathan hic habet, *omnes mixtiones fermentati*. Vult dicere, quicquid mixtum est cum fermento aut fermentato. Cajetanus, *Non solum panis fermentatus, sed etiam quæcunque fermentata (ut lagana & similia) prohibentur*. ¶ *In habitationibus vestris*) Ubicunque sedem fixam habebitis, ut in terra Chanaan. Nam in deserto vagam vitam degebant. ¶ *Azyma*] Panes infermentatos, nempe in memoriam ejus quod patres vestri eâ nocte qua Ægyptum reliquerunt, propter festinationem panem fermentare non potuerint. Vide Lippomanum in Catena patrum, ad hunc locum.

21. *Vocavitque Moses omnes Senes Israël, & dixit ad eos, seligite & accipite vobis ovem per familias vestras, & mactate Phase.*

Vocavit] Convocavit. ¶ *Senes Israël*] Lxx. γερουσίαν υἱῶν Ισραὴλ: & Hieron. *Seniores filiorum Israël*. Hi deinde quæ à Mose acceperant, ad populum retulerunt. ¶ *Seligite*] משכו accipio pro delectum habere, ut Jud. 4. 6. ומשכת בהר תבור & delectum habeto in monte Thabor. Sic etiam editio Gallica. Nam *trier* est eligere, seligere, legere, deligere, segregare. Alii aliter. Tremel. & Munsterus, *extrahite*, nempe ex ovili. Santes, *trahite*, videlicet ad lanienam. Lxx. ἀπελθόντες abeuntes. Hieron. quoque *ite*. Nec aliter Leo Judæ. Sic Germanus dicit, **ziehend hin**. Jonathan, *Abstrahite manus vestras ab idolis Ægyptiorum* ונסבו. R. Levi, *Qui habetis, protrahite, hoc est producite in medium: qui non habetis, accipite & emite*. R. Salomo, *Qui habet ovem, protrahat de suo: qui non habet, accipiat e foro*. Hiscuni, *trahite vos ipsos*, ut Jud. 4. 7. ubi Tremel. *Convocabo adversum vos*, &c. Verbum è verbo, tra-

trabam. ¶ *Accipite*] Sumite: aut, emite. Nam dat qui vendit: accipit, qui emit. ¶ *Ovem*] שה quæ vox etiam capram denotat. Lxx. πρόβατον Hieron. *animal*. Onk. & Jon. *ex filiis ovium* i. agnis. Sunt qui ex hoc loco colligunt in Ægypto agnum immolatum fuisse: extra Ægyptum licebat etiam hœdum mactare. R. Levi admonet nos de Ægyptiis, quod magis abominarentur immolationem ovium quam hœdorum. Alioqui lex jubet accipi שה i. parvum pecus ex ovibus vel ex capris. ¶ *Mactate*] Immolate, θύσατε. ¶ *Phase*] Vel Pascha i. agnum Paschalem, quem Jonathan appellat אימר פסחא. Sunt qui שחטו putant esse Imperat. conjugationis secundæ, ut dicat, mactare facite. Sed meo judicio hoc præceptum ad omnes pertinet.

22. *Acceptumque fasciculum Hyssopi tingetis in sanguine qui in vase, & facite ut attingat superius limen & duos postes de sanguine qui in vase: vos autem ne exeatis unusquisque ostium domus suæ usque mane.*

Fasciculum] On. & Jon. איסרא & Lxx. δέσμη. R. Salomo, *tres caules faciunt fasciculum*. Ebraicè אגדה. Thema אגד quod in Lexico Chaldaico exponitur per קבץ. Sanè Gen. 26. 26. nomen אחזת. R. Salomo ait esse לשון קבצה אגודה. Abenezra interpretatur חבורה Reperio & אגרת עזים pro capite alii cum nucleo & coma. R. Marinos, quem Camius in Michlol ait eundem esse cum R. Jona, radicem ponit גדד, ut & Forsterus in Dictionario suo. Porro in גדוד significatio turmæ seu cunei aut globi. ¶ *Hyssopi*] Non est temerè discedendum ab hac interpretatione. Vide Ebræo 9. 19. Ebraicè אזוב, Chaldaicè autem אזובא. Lxx. ὕσσωπος. Etiam Arabicum est. Simon Jarmensis in Clavi sanationis, Suse, hyssopus. *Suse ratab*, hyssopus humida, *suse jabes*, Hyssopus arida. Stephanus Arabicarum vocum collector *susa* scribit. In Lexico Arabico latino quo usus sum aliquando à cognato meo Nicolao Stunone زوفا Hyssopus. Saadias Ebræus origanum esse contendit, quod Arabicè צעתר dicitur. Sed cum falli ac decipi docet Abenezra. Deceptus videtur similitudine. Nam origanum heracleoticum folium habet Hyssopi similitudine. De legitima Hyssopo loquor cujus iconem habes apud Dodonæum ex codice Cæsareo, a vulgari nonnihil variantem. In glossis Arabicis, *Hyssopus Cyse sive tusa*. Scripserim zusa. Qui muscum hic reponunt, merito ab aliis explosi sunt. Nam & Galli posteriores interpretes hyssopum retinuerunt. Ceterum putatur hyssopus veterum diversa fuisse à nostrate. Nam illa proveniebat in parietibus & cedro opponitur, unde colligas herbam humilem fuisse minimeque fortem aut robustam. Abenezra ingenuè fatetur se nescire quale genus herbæ fuerit. Nos etiam nesciremus absque Hieronymo, qui post Græcos hyssopum reddidit. ¶ *Qui in vase*] Vel, *qui in pelvi*. Nam vasis nomen generalius est. Eo tamen usus est Onkelos. Jonathan quoque habet, *in vase testaceo*. Santes Onkelum secutus videtur: reliqui fere posuerunt, *in pelvi*: in queis & Arias. Lxx. ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ παρὰ τὴν θύραν, & Hieron. *qui in limine*. Nam סף etiam limen. Abenezra, *sunt qui dicant Phase mactatum fuisse in limine portæ, in quo sanguine tinxerunt fasciculum hyssopi, & post admoverunt ad postes: alii dicunt* סף *vas esse quo sanguis agni mactati excipiebatur*. Ei simile ספות 2. Sam. 17. 28. quod polubrum reddunt, ut hic סף. Cajetanus malluvium. Est autem vas quo aqua ex ablutis manibus polluta excipitur. Sed alii lectum, alii cubile interpretantur. Sequitur autem ספלות quod scyphos alii, alii crateres reddunt. סף pro vase obvium & Zach. 12. 2. Lippomanus autumat vas hoc positum fuisse juxta limen aut januam domus. Quod ante illum August. notaverat. Vide quæstiones ejus super Exodum quæst. 40. ¶ *Facite ut attingat*] Id est aspergite. Quod in Onk. Jon. & Hieron. Scribo autem in Jonatha ותדון cum dages in Daleth παρὰ τὸ נדא quod factum ex Ebræo נזה aspersit. Nihil verius. Addendum hoc verbum Lexico Chaldaico, in quo desideratur. Lxx. καθίξετε tangetis. alias θίξετε, & apud Augustinum, *linietis*. vide Rom. edit. latinam. Tremel. *admovetote*. Munsterus, *projicite*. Leo Judæ, *tingite*. Obiter noto. סף Nicolaus bacinum reddit, quâ voce usi sunt hoc loco interpretes Galli. Idem ait fuisse vas argenteum, in quo recipiebatur sanguis agni immaculati. Addit deinde, *quia tamen iste bacinus erat prope limen ostii, quando debebat fieri aspersio: ideò forsan translator posuit in limine*. ¶ *Superius limen*] לאסקופתא עליא Jonathan. ¶ *Duos postes*] Binas antas ostii domus, in quâ agnus mactabitur. Hieron. *utrumque postem*. Ceterum Lippomanus ait fasciculum hyssopi trium calamorum habuisse longitudinem: quod unde acceperit, nescio. Suspicor Ebræum Salomonem non rectè ab eo intellectum fuisse. Is ait, quod etiam supra notavimus, fasciculum vocari tres caules i. קלחין. Sed nihil decerno. ¶ *Usque mane*] ἕως πρωΐ. Cur prohibentur exire domo? An ne in manum angeli percutientis inciderent? ità quidam opinantur, quos juvant consequa verba.

23. *Et transibit DOMINUS ad percutiendum Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superiore limine, & in utroque poste, transiliet DOMINUS ostium, nec sinet exterminatorem ingredi domos vestras ad percutiendum.*

Transibit DOMINUS] *Revelabitur gloria DOMINI.* Onk. Jon. ¶ *Ad percutiendum*] In Jonatha putarim leg. למִמְחֵי pro eo quod in editis לְמִיחַמֵי quod leges ἀναλόγως ad videndum: nisi חמא inversis litteris idem cum מחא percutit. ¶ *Ægyptios*] Primogenitos Ægyptiorum. Licet etiam vertere, *ut percutiat Ægyptum* i. primogenita Ægypti. Quod eandem sententiam continet. ¶ *Superiori limine*] Superliminari. Id Jonathan hoc loco אסקופא vocat sine ulla additione. ¶ *In utroque poste*] In ambobus antis, quæ Chaldæi סיפי vocant i. limina. ¶ *Transiliet DOMINUS*] Hieron. *transcendet*. Lxx. παρελεύσεται i. transibit. On. ויחוס parcet. Id autem fiebat prætereundo & transiliendo. Jon. ויגין proteget. R. Salomo וחמל & *parcet*. Sed addit, *possumus dicere* ודלג & *transiliet*. Quod fugit, non effugit. בסף idem interpretatur בכלי in vase, ut cum legimus ספות כסף vasa argentea. Hinc fortè Nicolaus סף ait esse bacinum argenteum: si nihil aliud vidit, fallitur fallitur. Non enim ea mens Salomonis. Quid igitur. Ait סף sig. vas, quemadmodum significat in illo loco ubi legimus, *pelves argenteas*. Hoc obiter. Pro *transiliet*, quod in Sante & Munstero, Leoneque Juda, Tremellius habet, *transibit*. Sic etiam Edit. Gallica. Supra *Phase* i. *transitus*, in edit. lat. vulgata. ¶ *Non sinet*] לא יתן non dabit i. sinet, permittet. Quod Onk. & Jon. dixerunt לא ישבוק Lxx. οὐκ ἀφήσει, non remittet i. permittet. Quo sensu legimus in Irenæo, *remittite mortuos sepelire mortuos suos*. Adhibe Observat. Cujacii J. C. Abenezra לא יניח. R. Salom. *non dabit potestatem*. Hieron. *non sinet*. Quod autem hinc argumentum petunt pro angelo malo, id prorsus infirmum est. Vide Cajetanum. Hoc extra omnem controversiam est, nec dubitare debemus, quin verbum נתן quoties post se habet gerundium aliquod, sinere sive permittere denotet. ¶ *Exterminatorem*] Hieron. *percussorem* המכה. Santes & Leo Judæ *vastatorem*. Tremel. *interfectorem* המשחית. Lxx. τὸν ὀλοθρεύοντα. Munsterus, *disperditorem*. On. מחבלא i. interprete Fagio, *devastatorem*. Jonathan, מלאכא מחבלא angelum devastatorem. Hic quæritur fueritne angelus bonus an malus. Qua de re videndus Lyra. Cajetanus censet fuisse multitudinem angelorum. Ebræi angelum מחבלא destructorem, inter malos angelos recensent. Ut ut sit, uterque fuit minister Dei. Qui Sodomam evertit inter bonos numeratur. Cur non & iste talis esse potuit? ¶ *Ad percutiendum*] Hic Jonathan habet למחי, unde firmatur conjectura mea de mendo, quod supra notavimus.

24. *Et observabitis rem hanc pro statuto tibi & filiis tuis usque in seculum.*

25. *Quum autem veneritis in terram quam dabit DOMINUS vobis, quemadmodum locutus est, observabitis cultum hunc.*

Observabitis] Custodietis, φυλάξασθε. ¶ *Rem hanc*] את הדבר הזה τὸ ῥῆμα τοῦτο, verbum hoc, videlicet immolationem agni. Nam reliquæ ceremoniæ pleræque tantum obligabant eos qui in Ægypto erant. Cujusmodi erant aspersio sanguinis & mansio in domo usque mane. ¶ *Pro statuto*] לחק in statutum. Hieron. *legitimum*, nempe ex Græco νόμιμον. ¶ *Tibi*] Lxx. σεαυτῷ, tibi ipsi. Multi putant receptionem sanguinis in vas, & intinctionem fasciculi in sanguinem aliaque quæ in superiore versu sequuntur, pertinuisse ad ætates. Qua de re ità scribit Abenezra, *Plurimi opinantur quod superliminare & ambo postes sanguine aspergi mandantur, id mandatum pertinere ad ætates quia sequitur proximè, rem hanc postquam dixisset, Accipietis fasciculum Hyssopi & intingetis, & quia scriptum lectum postea, qui transiliit domos filiorum Israël, & per conjecturam rectum hoc est nisi obstaret traditio veritatis perfecta: & ecce convenit ut illud, rem hanc, redeat ad, mactabitis Phase*. Hactenus Abenezra. ¶ *Filiis tuis*] Jonathan addit, *masculis sive maribus*. ¶ *In seculum*] Ad tempus Messiæ. Videatur Lippomanus ad hunc locum. ¶ *Quum veneritis in terram*] Vel, *quum ingressi fueritis terram*. ¶ *Dabit*] Daturus est. Jon. עתיד למתן μέλλει δοῦναι. ¶ *Observabitis*] Idem addit, *ab eo tempore quo illuc perveneritis*. ¶ *Cultum hunc*] את העבודה הזאת Santes, *opus hoc*. Hieron. *ceremonias istas*. Lxx. τὴν λατρείαν ταύτην.

26. *Cum dixerint ad vos filii vestri, Quis cultus iste vobis?*

27. *Dicetis, victima Phase DOMINO est, qui transivit domos filiorum Israël in Ægypto, quum percuteret ipse Ægyptios, & domos nostras eripuit: tunc inclinavit verticem populus & adoravit.*

28. *Et abierunt & fecerunt filii Israël, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi & Aharoni sic fecerunt.*

Quis

Di

Quis cultus iste vobis?] Hieron. *quæ est ista religio?* Santes. *Quid opus hoc vobis?* Alius, *quid sibi vult hic cultus vobis?* Cultum autem dicit, quem Ebræi עבודה unde עבודה זרה Cultus extraneus i. idololatria, Chaldæi פולחנא: Græci λατρείαν appellant. ¶ *Victima Phase DOMINO est*] Hic Phase denotat ipsum festum: aut sig. transitum sive transilitionem. Sane Hieron. habet, *victima transitus DOMINI est.* Lxx. θυσία τὸ πάσχα τοῦτο κυρίῳ. Id B. Augustinus in locut. reddit, *immolatio pascha hoc DOMINO* i. agnus paschalis, qui etiam Phase dicitur, ut antea notavimus. On. דבח חיס הוא קדם יי sacrificium misericordiæ est coram DOMINO. Pro quo Jon. ניכסת פסחא victima misericordiæ. Est enim nomen à verbo חס misertus est, pepercit: quo uterque mox utitur, exponens sequentia, *qui misertus est verbo suo domorum filiorum Israel.* Alias, *qui pepercit super domos filiorum Israel.* Quanquam in Fagio, *qui transiliit domos.* Sed חס hoc non significat. Lippomanus Onkelon ità interpretatur, *sacrificium pro misericordia est coram DOMINO. vult dicere, sacrificium hoc institutum est pro misericordia quam præstitit nobis Deus quando præteriit domos* &c. ¶ *Transilivit*] Vel, *transivit.* ità Hieron. Lxx. ὡς ἐσκέπασε, *qui protexit.* alias ὡς. ¶ *Domos*] Ad verb. *super domos.* ¶ *Quum perouteret ipse*] Jonathan במחבלא quum disperderet ipse: unde מחבלא vastator, exterminator i. המשחית ¶ *Eripuit*] שזיב liberavit. Lxx. ἐῤῥύσατο. Id pro eo habendum ac si diceret, *non percussit.* Contra lectum in Euangelio, *non remittetur ei nec in hoc nec in futuro seculo*, quod explicant, punietur & in hoc & in futuro seculo. ¶ *Inclinavit verticem*] Jonathan, *Quum audivissent domus Israel verbum hoc ex ore Mosis, inclinarunt se* &c. Non ex ore Mosis, ô bone: sed ex ore seniorum. Vide supra vers. 20. Abenezra scribit ad hunc versum, חמלה *idem quod* חמלה *clementia, misericordia. Porro quia Deus pepercit primogenitis Israel, propter sanguinem agni vocatur ipse agnus Phase, ut ibi, Mactate Phase. Saadias autem dictum putat a* פסח *quod claudum sonat. Nam angelus claudi in morem saltabat præteriens domos Israelitarum* &c. Vide, si otium. ¶ *Et fecerunt*] Acceperunt agnum decimo die mensis, quemadmodum jussi erant. Et quia læti erant de liberatione quæ instabat, ideò reverentiam & honorem exhibuerunt verticem inclinando & in terram se prosternendo more adorantium. ¶ *Adoravit*] Deum in signum gratitudinis.

29. *Fuit autem in medio noctis ut DOMINUS percuteret omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio ejus usque ad primogenitum captivæ, quæ in domo carceris, & omne primogenitum jumenti.*

In medio noctis] Vel, *media nocte.* Hoc habet Santes: illud Onkelos, Jonathan, & Hieron. Soli Lxx. μεσούσης τῆς νυκτὸς quod in idem recidit. Tremel. *sub mediam noctem:* quod valet, paulò ante. An igitur Chaph, loco Beth? Nam כחצי circiter medium. Scire licet omnes codices, quos vidi, Beth habere. Jonathan, *Media nocte quintæ decimæ.* Nicolaus, *In noctis medio scilicet illius noctis in cujus vespera filii Israel immolabant agnum paschalem.* Hoc tempus Græci μεσονύκτιον appellant. Lex. vet. μεσονύκτιον, *media nox, intempesta nox.* Dicitur & ἡ μέση νύξ. ¶ *Percussit*] *Occidit.* On. Jon. ¶ *Omne primogenitum*] Minus rectè quidam, *omnem primogenitum.* Nam etiam jumentorum primogenita percutiebat. Docent consequa verba. ¶ *In terra Ægypti*] *Etiam eorum qui illic peregrini & advenæ erant.* R. Salomo. ¶ *Qui sedebat in solio ejus*] *Sedebat* dixit pro sessurus erat, si vixisset. Aut qui sedet, quem conveniebat sedere. Simile, *filius honorat patrem*, debet honorare. Quidam, *qui sedebat in solio suo:* Quod de Pharaone dictum accipiunt. Minus placet. Nam cum nox esset intempesta non sedebat tum pro solio. Forte hoc vult, à primogenito Pharaonis qui tum regnabat, ut *sedere in solio suo* sit regnare. Expende. Optima expositio, qui debebat patri succedere in regno. On. & Jon. *qui sessurus erat in solio regni ejus.* Hieron. *qui in solio ejus sedebat.* alias, *in solio suo.* Lxx. τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου. Hiscuni, *qui sessurus erat super solium ejus si vixisset. Simile, & accepit filium suum primogenitum, qui regnaturus esset pro se.* אשר ימלוך תחתיו. ¶ *Captivæ*] In Ebræo ad verb. *captivitatis.* Id reddi potest tam *captivi*, quàm *captivæ.* Prius elegerunt è nuperis interpretibus Munsterus, Tremel. & alii. Posterius habet Hieron. post Lxx. in quibus, τῆς αἰχμαλωτίδος. Quam interpretationem juvat locus qui supra, *usque ad primogenitum ancillæ.* Jonathan, *Usque ad primogenitos filiorum regum qui captivi erant.* In Onkelo est שביא quod Fagius reddit, *captivi:* Lippomanus autem, *captiva.* Hic aliqua quædam notanda. Primum *captivitatem* poni pro captivo sive captiva. Deinde primogenitum dici qui vulvam aperit. Vide Hieron. adversus Helvidium. Postremo aliunde liquet ut captivi dum in carcere essent, opus aliquod facerent, quale est molas trudere, quas ideò trusatiles appellabant. Quâ de re diximus alias. Sed cur occisa primogenita? An quia primogenitus Dei Israel tam duriter habitus fuerat in Ægypto? ¶ *In domo carceris*] Pro eo habendum ac si diceret, *in carcere.* Id Senes dixerunt ἐν τῷ λάκκῳ, in fovea. Hieron. *in carcere.* Alius, *in ergastulo.* Onkelos, *in domo vinctorum.* Jonathan, *qui intra foveam oppignorati erant Pharaoni.* Ubi notabis participium משכונין factum ex nomine משכון pignus. Sic ex nomine תרגם interpretes fecerunt verbum תרגם interpretor. Utrobique Mem littera servilis in radicem transiit. Vide Gram. nostram Chaldaicam, pag. 77. Hoc primum: deinde *foveam*, quæ Ebraicè בור Chaldaicè גובא, Græcè autem λάκκος dicitur, pro carcere poni. Unde bene Abenezra exponit בית הסהר Idem citat Japetum Ebræum scribentem noctu lapide molari occlusum fuisse puteum, in quo captivi detinebantur, qui interdiu molam trudebant, & ideò dictum esse *quæ post molam* legi. Addit Jonathan, *& quia lætabantur* (filii regum videlicet) *de servitute Israelitarum flagellati sunt etiam illi.* ¶ *Jumenti*] i. jumentorum. Santes, *animalis.* Lxx. παντὸς κτήνους. Sed cur jumenta plectuntur? An propter Ægyptios, qui ea numinis loco colebant? ità Jonathan opinatur. Verba Jonathæ, *Et omnia primogenita jumentorum mortua sunt propterea quod Ægyptii colebant ea.*

30. *Surrexitque Pharao nocte ipse & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus: & fuit clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non esset ibi mortuus.*

31. *Vocavitque Mosen & Aharonem nocte, & dixit, Surgite, abite e medio populi mei, etiam vos etiam filii Israel: & ite, servite DOMINO, sicut locuti estis.*

32. *Etiam oves vestras, etiam boves vestros accipite & abite, quemadmodum locuti estis, euntes autem benedicite etiam mihi.*

Surrexit] è lecto. ¶ *Cunctaque Ægyptus*] Omnes denique Ægyptii. ¶ *Clamor magnus*] Vociferatio magna. ¶ *Neque enim erat domus*, &c.] Capiendum ut, *Omnes gentes habent præputium.* Abenezra, *Scriptura loquitur de pleraque parte.* R. Salomo, *Maximus natu qui in domo vocatur primogenitus.* Nicolaus, *Quia Deo ordinante sic acciderat ut in qualibet domo Ægyptiorum esset primogenitus.* ¶ *Mortuus*] *Primogenitus moriens.* Jonathan. Vide Augustinum, Quæst. 44. Cajetanus, *Quod si adhuc miraris in qualibet domo inventum primogenitum, responderi posset appellatione primogeniti apud homines intelligi non solum eum qui primum natus est, sed etiam eum, qui primo nato mortuo succedit in juribus primogeniti.* ¶ *Non esset*] *Non jaceret.* Hieron. ¶ *Ibi*] Redundat in sermone latino. ¶ *Vocavit*] Per servos suos. ¶ *Mosen & Aharonem*] Qui tunc putantur fuisse adhuc in urbe regia, quæ in veteri Ægypto, ubi thesauri Josephi hodieque ostenduntur. Aberat autem locus ille, ut scribit Abenezra, à Ramesses, ubi filii Israel habitabant, sex parasangis, si modo פרסה est parasanga, cujus pluralis פרסאות. Ceterum quæri potest, an hi duo cum reliquis Israelitis Pascha comederint. Potest fieri ut seorsim comederint in eâ domo ubi tum erant cum senioribus. Egressi autem sunt post cædem patratam, cum eos Pharao accerseret. Nihil hic definio aut statuo. Malo audire aliorum sententiam, quam meam proferre de rebus tam incertis. Quod autem supra dixit, *non videbo ultra faciem tuam*, id cum restrictione intelligi posset, nisi videlicet me accersiveris ad te. Sunt qui per internuntios hæc omnia gesta putant. Abenezra censet eos Ramessen profectos ad educendum Israelem in crepusculo matutino, cum adhuc tenebræ essent. Idem ait tempus illud à quo lux apparet in nubibus usque ad ortum solem durare horam justam cum tertia parte horæ. Quod etiam scribit de crepusculo vespertino, in quo agnus mactabatur, secundum sententiam ipsius. Quod tempus Moses vocat inter duas vesperas. Dixit mihi mathematicus noster crepusculum illud sub elevatione graduum 32. & 14. Nisan continere horam cum dimidia. Quod Scaliger negare videtur. Adiisis ad libros de Emend. Temporum. ¶ *Nocte*] Post mediam noctem. Jonathan, *Terminus terræ Ægypti habebat iter 400 parasangarum, & terra Gosen, ubi Moses & Aharon, erat in medio terræ Ægypti, & palatium domus regni.* i. *regiæ Pharaonis in capite terræ Ægypti erat*, &c. Quæ Geographis expendenda relinquo. ¶ *Surgite*] Agitedum. ¶ *Etiam vos*, &c.] Tam vos quam filii Israel. ¶ *Sicut locuti estis.*] cum uxoribus & liberis. ¶ *Servite*] Hieron. *immolate* i. וזבחו. Potes legere, *colite DOMINUM.* Colit autem DOMINUM, qui sacra ei facit. ¶ *Boves vestros*] τὰς βόας ὑμῶν. Lxx. Alii, *armenta vestra.* ¶ *Oves*] Pecudes. ¶ *Benedicite etiam mihi*] Voculario *etiam* non est otiosa. Hoc videtur velle, Quemadmodum ego benedixi i. benefeci vobis, dando boves & oves ad sacrificium; sic vos debetis etiam mihi benedicere i. benè precari & orare Deum ut avertat à me hanc pestem. Onkelos, *orate etiam*

etiam pro me. Jonathan, *nihil peto à vobis, nisi ut oretis pro me ne moriar.* Verba illa, *etiam vos etiam filii Israël*, R. Salomo interpretatur, *tam vos viri, quam parvuli vestri.* expende.

33. *Porro cogebat Ægyptus populum ut festinarent dimittere illos è terra: dicebant enim, Omnes nos moriemur.*

Cogebat Ægyptus populum] Vel, *fortiter instabat apud populum.* Ebraicè ותחזק מצרים: & quia verbum fœm. est, ideò interpretes subaudiunt מדינה regio, aut ארץ terra, vel יד manus, ut sit, manus Ægypti sive Ægyptiorum. Hieron. *urgebant Ægyptii populum.* Lxx. κατεβιάζοντο οἱ Αἰγύπτιοι τὸν λαὸν i. cogebant populum, aut vim ei faciebant. Ità Santes, *vim fecit Ægyptus populo.* Alius, *invalescebat super populum.* Tremel. *vehementer instabant apud populum.* Editio Gallica, *cogebant populum.* Arias, *invaluit Ægyptus super populum.* Tale est Gen. 47. vers. 20. חזק עליהם הרעב invaluerat super eos fames. ¶ *Populum*] Israël, an potiùs Ægypti populum intelligit, ut sensus sit, Servi Pharaonis populum urgebant ut festinanter dimitterent Israëlitas? Adhibe Catenam Patrum. ¶ *Ut festinarent dimittere illos*] Vel, *cogebat festinare dimittendo eos.* ¶ *Moriemur*] Vel, *morimur*: quod magis se probat mihi. morimur i. moriemur. Jonathan, *Si tardaverint hic ad unam horam ecce nos omnes morimur.* Vult dicere, periimus, actum est de nobis. Sic etiam Jerosolymitanus. Quidam, *mortui sumus*, eadem sententia. Ebraicè מתים, quod potest esse nomen: sed magis ut sit participium. Tremel. *jamjam morituri sumus.*

34. *Tulitque populus massam suam antequam fermentaretur: & mactras suas ligatas in vestimentis suis super humerum suum.*

Tulitque] ישא reddi potest, *& portavit.* Quod etiam Chaldaicum נטל significat. Tremel. *& accepit* ויקח. Lxx. ἀνέλαβε. ¶ *Massam suam*] בצקו. Hieron. *conspersam farinam.* Santes, *pastam suam*: quæ vox Gallica, non latina est. Dicunt enim certè, *sa paste.* Id latinè sonat, *massam suam.* Est enim massa farina omnis macerata & aqua subacta, quam Galli sua lingua *pastam* vocant. Arias, *conspersionem suam.* Lxx. τὸ σταῖς αὐτῶν, quod reddunt, *farinam suam.* Sed σταῖς propriè farina triticea aqua subacta. Marcel. annotat esse farinam aqua maceratam manibusque subactam antequam fermentescat in panificio. Sic & alii tradunt esse farinam ad pinsendum maceratam & recentiorem, quippe quæ fermenti acorem nondum contraxerit. On. & Jon. לישיהון massas suas. Jonathan addit, *super capita sua.* Nicolaus. *Tulit igitur populus farinam conspersam per aquæ commixtionem. Unde in Ebræo habetur, pastam.* R. David interpretatur עסה id est massa. Vox est Rabbinica. Pasta etiam Italica vox est. ¶ *Mactras suas*] Santes, *pastas suas.* Arias, *conspersiones suas.* Ebraicè משארתם quod alii cibos interpretantur, alii reliquias ciborum. Nam שאר reliquum sive residuum. Lxx. τὰ φυράματα αὐτῶν, quod reddunt, *conspersiones suas*: ego, *massas suas.* Lex. vet. φύραμα, μαγμα, massa. Idem ergo quod בצק. Sanè R. David in libro Radicum ait הערכה עבצק ipsa massa. Cui firmando est שאור quod in Onkelo. Nam id quoque massam denotat. Verba Onkeli מותר אצוותהון צריר בלבשיהון quæ Fagius sic latina fecit, *una cum reliquis cibis suis.* tu emenda, *& residuum massarum ipsorum ligatum erat in vestibus eorum.* Secundum hunc interpretem משארת non sunt massæ, sed reliquiæ massarum. Alibi עוצא est mactra, locus in quo subigitur massa ad conficiendum panem. Vide Fagium Exod. 8. 3. Jonath. hic habet, *Et ex eo quod relinquitur vobis de panibus infermentatis & picridibus aut herbis amaris.* Jerosolymitanus, *residuum paschæ* i. agni paschalis. Abenezra, vas est ligneum ut ibi, *canistrum tuum & mactra tua* ומשארתך. R Levi, *sunt vasa in quibus subigunt massam.* R. Salomo, *reliquias panis infermentati & picridis.* Editio Gallica, *en leurs mais.* Est autem *mais* mactra i. alveus in quo panis conficitur. Vide Exod. 7. 28. ubi Hieron. *in reliquias ciborum tuorum.* Quæ interpretatio mihi non displicet. eam ex Ebræis R. David tuetur: quem si sequemur eadem vox & mactram & massam denotabit. Alibi mactram, hic massam. Nam quomodo mactra in veste ligari potuit? probo igitur, reliquias massæ tuæ, ut בצק sit massa, & משארת ejus reliquiæ. Nihil tamen decerno. ¶ *Ligatas in vestibus suis*] Si mactræ in vestibus ligabantur, oportet admodum parvas fuisse, saltem minores quam hodiè sunt mactræ nostræ, quas *trogas* vocamus. Quidam arcam panariam eo nomine significari putant, quam Galli etiam *May* vocant. Lippomanus, *alii significari volunt panaria i. vasa in quibus servatur massa conspersa.* Vide sequentia. ¶ *In vestimentis suis*] בשמלתם. Lxx. ἐν τοῖς ἱματίοις αὐτῶν. Jonath. & Onkelos בלבושיהון. Quanquam in Onkelo בלבשיהון quod mendam esse putarim. Hieron. in palliis. Gen. 9. vers. 23. השמלה Hieron. *pallium.* Sic etiam Tremel. Alii, *vestimentum.* Sic Græci τὸ ἱμάτιον. On. כסותא tegumentum. Jonathan אסטלא stolam. Rursum Gen. 35. 2. שמלותיכם. Lxx. τὰς στολὰς ὑμῶν. Hieron. *vestimenta vestra.* Abenezra, בגד nihil differre ait à שמלה. Est tamen ubi de vestitu cultiore usurpetur, ut Ruth 3. 3. ubi R. Salomo interpretatur dicens significare *vestes Sabbathi.* Nos diceremus, Sondaggs kleideren. Autor Jerosolymitanæ בשושיפיהון. Est autem שושיפא pallium. Ebraicè שמלה. ¶ *Super humerum suum*] *Nam asini eorum vestibus onerati erant, quas ab Ægyptiis petierant.* Abenezra, *Asini eorum onusti erant vasis argenteis & aureis & vestibus.* Hiscuni, *Quamvis jumenta multa secum duxerint, tamen diligebant mandatum, hoc est gestabant humeris mactras quia sic mandatum erat.* Addit Hiscuni, *In memoriam hujus ligationis mactrarum in vestimentis morem obtinuisse apud Judæos, ut media pars massæ infermentatæ, quæ אפיקומן dicitur, sub mappa ponatur post cœnam.* Vide, si habes.

35. *Filii autem Israël fecerunt juxta verbum Mosis, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & vasa aurea & vestimenta.*

36. *DOMINUS autem dedit gratiam populo in oculis Ægyptiorum, qui commodarunt illis: atque ita spoliaverunt Ægyptios.*

Juxta verbum Mosis] *Verbum* i. mandatum, præceptum. Ergo hoc dicit, *sicut præceperat eis Moses.* Eadem vis in illo, sicut præceperat DOMINUS Moysi. Quod in Edit. lat. vulgata. ¶ *Petierunt*] Commodato. Credibile autem est, quod Aben. annotat unumquemque petiisse pro dignitate suâ. *Nam in opere*, inquit, *tabernaculi soli principes adduxerunt lapides pretiosos & aromata & oleum sive unguentum.* ¶ *Vasa*] Tremel. *supellectilia.* Hic argentum auro præponit. Non ergo in ordine posita semper dignitas. ¶ *Vestimenta*] Lxx. ἱματισμόν. Hieron. *vestem plurimam.* Ebraicè שמלות, quam vocem idem pallia reddidit in versu qui hunc antecedit. ¶ *Dedit gratiam populo*] Ità Hieron. Sic etiam Lxx. ἔδωκε τὴν χάριν τῷ λαῷ. In Ebræo est ad verbum, *dedit gratiam populi*, nisi malis vertere *posuit* pro dedit. Vide supra 3. 21. Tremel. *gratiosum reddiderat populum.* ¶ *Qui commodarunt illis*] *Non tantum ea quæ petierant, sed alia plura.* R. Levi. Hieron. *ut commodarent eis.* Non improbo. ¶ *Spoliaverunt Ægyptios*] ἐσκύλευσαν τοὺς Αἰγυπτίους. Jonathan, *exinaniverunt Ægyptios opibus suis.* Quâ de re Philo Judæus, *Post primogenitorum Ægypti internecionem Ebræis expulsis generosi ac nobilis generis sui in mentem venit, atque ob id præclarum facinus, quale liberos decet, ausi sunt. Multam prædam asportarunt, partim ipsimet gerendo, partim vero jumentis imponendo, neque id aut avaritia, aut alienæ rei cupiditate adducti fecerunt; sed primum ob diuturnam servitutem, quam Ægyptiis servierunt, necessariam mercem referentes: deinde ut talionem rependerent, neque tamen par pari referentes. Neque enim libertatis privatio cum pecuniarum jactura comparari potest, cum pro libertate tuenda hi qui sanæ mentis sunt, non tantum facultates, sed & vitam ipsam projicere non recusent.* Vide Irenæum adversus Hæreses lib. 4. cap. 49. August. Quæst. 45. Bernardum de præcepto & dispensatione. Ceterum vasa hæc petierant ante interfectionem primogenitorum, ut notatum ab Augustino. ¶ *Spoliaverunt*] R. Levi admonet verbum נצל habere significationem separandi & segregandi: quod exemplis duobus confirmat. Unum est Gen. 31. 9. & 16. Alterum Exod. 33. 6. Sic ergo hunc locum enarrat: separarunt ab illis omnes res pretiosas ipsorum quas abstulerunt secum, &c. ¶ *Ægyptios*] Vel, Ægyptum.

37. *Profectique sunt filii Israël de Ramesses in Socchoth circiter sexcenta millia peditum virorum præter parvulos.*

De Ramesses] Hujus nominis ultima rejecta à Græcis & Latinis. Scribunt enim certè ἐκ ῥαμεσσῆ, de Ramesse. Quod mihi non se probat admodum. Malim ἐκ ῥαμεσσῆς. Nam Græca consuetudo addit σ in fine, non abjicit. Jonath. hic habet, *de Pelusio.* Glossa interlinearis, *Ramessen quidam Thebaiden esse dicunt.* Hieron. an Eusebius de locis Ebraicis? *Ramesse, urbs quam ædificaverunt filii Israël in Ægypto: olim autem & universa provincia sic vocabatur, in qua habitavit Jacob una cum liberis suis.* Autor Catenæ, *Ramesses autem provincia vel ducatus est: non urbis aut villæ nomen secundum Ebræos, quam aliter nominant Pelusinam.* Hanc chartæ Geographicæ in finibus Ægypti collocant. Cajetanus opinatur etiam Pharaonem in eâ habitasse: in quo falli ac decipi eum puto. Sanè Abenezra scribit Ramessen abfuisse ab urbe regiâ Pharaonis sex parasangis, si modo פרסאות sunt parasangæ. Hoc scribit ad vers. 31. hujus capitis: ubi & illud, *Ait terram Ramesses ab uno termino ad alium continere plusquam octo parasangas.* Fides penes ipsum esto. De Ramesses plura Gen. 46. 34. Albinus quæst. in Genesin, *Ramesse pagum olim Arsenaten dictum putant.* lego, Arsenoiten. Est autem Arsinoë Ptolemæo Urbs Ægypti. ¶ *In Socchoth*] εἰς σοκχώθ. Hodiè Succhoth. Sic antiqui Otios legebant per οι

quod

Digitizé

quod nunc Uzias per ו breve. Sic Zio pro Zin; quod in scriptura Ebraica monosyllabum est. Sunt qui scribant Sochoth unico c. Pro eo Gen. 33. 17. in Lxx. est σκηναί i. tabernacula. Vide Annot. Origenes homilia 5. in Exodum, *Socchoth, tabernacula intelligi apud Ebræos tradunt interpretes nominum.* Idem scribit homilia 27. in Numeros. Hinc *festum Socchoth* i. tabernaculorum, & *vallis Socchoth* Psalm. 60. 8. Nota diligenter Socchoth Gen. 33. locus est trans Jordanem, ubi Jacob tentoria fixit pecori suo, unde & nomen accepit. Hic alium locum denotat prope Ægyptum. Eusebius de locis, *Socchoth prima mansio filiorum Israel in deserto, postquam de Ægypto sunt profecti, antequam mare rubrum transirent.* Cave confundas. Prioris loci meminit Josephus his verbis, ἀφίκετο εἰς τὰς ἔτι νῦν σκηνὰς λεγομένας. Vide Masium in Josuam, pag. 238. Jonathan, *Profecti sunt filii Israel de Pelusio in Socchoth centum triginta milliaria.* R. Salomo, *centum & viginti milliaria erant.* Abenezra hic scribit Ramesses nomen esse מחוז i. regionis, non עיר urbis. ¶ *Circiter sexcenta millia*] Hieron. *sexcenta fere millia.* Lxx. εἰς ἑξακοσίας χιλιάδας. Tremel. *ad sexcenta millia.* Santes, *ferme sexcenta millia.* Munsterus, *quasi sexcenta millia.* Quasi pro circiter non memini legere. Vetus interpres Johan. 1. quasi usurpat pro tanquam כ in illo, *gloriam quasi unigeniti*, periculoso, inquit Erasmus, solœcismo. Nam quasi simulationem declarat, non veritatem. At Christus erat verè unigenitus patris. Ebræi Chaph illud vocant Chaph ἀληθινὸν: cujusmodi fortasse in hoc loco. Nam fermè i. μικρῦ δεῖ. Quod etiam per Chaph enuntiant: sed eadem litterâ utuntur, cum ità rem adfirmant, ut de eâ dubitari non possit. Hic quæri solet an tam brevi tempore, quo fuerunt in Ægypto, in tantam multitudinem excrescere potuerint. Quâ de re vide sodes August. Quæst. 43. sed in primis Temporarium in Chronologia lib. 2. pag. 142. ubi schema propagationis Jacobæorum in Ægypto. ¶ *Peditum virorum*] Inter hæc duo nomina Tremel. ponit comma, *peditum, virorum.* Græci quoque habent πεζῶν, οἱ ἄνδρες: peditum, viri. In utroque erratum. Nam in fonte רגלי גברים pedites virorum: & est locutio ut, sapientes mulierum. Sic ad imitationem Græcorum Plinius dixit, *nigra lanarum:* &, *canum degeneres.* Ceterum cum viros dicit, excludit fœminas, ut non sit opus legere, *absque parvulis & mulieribus.* Quod tamen in nonnullis codicibus editionis vulgatæ. ¶ *Virorum*] Nomen non tam ætatis, quam sexus: ideò adjecit, præter parvulos. Pro quo in Aquila χωρὶς νηπίων, absque infantibus: in Lxx. πλὴν τῆς ἀποσκευῆς, quod reddunt, *præter apparatum.* Quidam putant eâ voce omnem turbam imbellem significari. Augustinus ait solere verti, censum, instructum, substantiam. Vide illum quæst. 47. ubi diligenter de ejus notione disputat: Sunt qui tradant significare familiam minimè idoneam militiæ. Chaldæus uterque טפלא, quod Fagius reddit *parvulos.* Ad nomen *virorum* notat R. Salomo, *a filio 20. annorum & supra.* Ergo etiam ætatem designat, & pueros excludit.

38. *Sed & miscellanea turba multa ascendebat cum eis, & oves & boves, & pecus grave admodum.*

Miscellanea turba multa] On. & Jon. *extranei multi.* Addit Jonathan, *ex illis ducenta & quadraginta myriades.* logi. Hieron. *vulgus promiscuum innumerabile.* Lxx. ἐπίμικτος πολὺς, commixta turba multa. Sub. enim λαὸς, ut sit λαὸς ἐπίμικτος, populus mixtus. Santes, *mixtio multa.* Jerosolymitanus ערב ערבוב etiam miscellanea. Munsterus, Ebraicè, *Mixtura scil. peregrinorum, hoc est, qui relicto paganismo ad judaismum conversi mixti erant inter Israelitas.* R. Salomo, *Mixtum genus ex nationibus advenarum vel proselytorum.* R. Levi, *signif. homines qui mixti erant cum eis ex reliquis populis, puta Ægyptii & alii, qui viderant miracula divinitus edita in gratiam populi.* Aben. *Miscellanea turba ex Ægyptiis, qui collecti fuerant ad eos.* Cajetanus, *Mixtura diversorum hominum non Israëlitarum, videlicet famulorum, famularum & pauperum qui serviebant illis.* Lippomanus, *Qui ad Judaismum conversi tam de peregrinis quam de Ægyptiis mixti erant inter eos.* Ebraicè ערב mixtio diversorum hominum, vel diversarum rerum. ¶ *Oves & boves*] Alii, *greges & armenta.* ¶ *Pecus grave*] Iidem, *possessio gravis.* Hieron. *Animantia diversi generis multa.* Præter oves & boves, alias omnes pecudes hoc nomine significari putarim. Lxx. κτήνη πολλὰ σφόδρα, quod reddunt, pecora multa valdè. On. בעירא pecora. Jonath. ... idem aliter. ¶ *Grave*] i. multum. Editio Gallica, *du gros bestail en fort grans troupeaux.*

39. *Coxeruntque massam illam quam extulerant ex Ægypto (& fecerunt) subcineritios panes azymos, quoniam non erat fermentata: Nam expulsi ab Ægyptiis non poterant cunctari, unde etiam viaticum non paraverant sibi.*

Massam illam] הבצק את. Tremel. *è massâ illâ.* Sumplit את pro מן ut in illo יצא את העיר egressus est ex urbe. Quod tamen latinè dicimus, *egressus est urbem.* Quocirca testimonium illud non sufficit ad hoc probandum. Alia exempla quærenda sunt. Nam, *acquisivi virum* את יי, quod reddunt, *à DOMINO:* melius redditur, *cum DOMINO.* Ceterum pro *massam illam*, Græci habent τὸ σταῖς. Hieron. autem *farinam:* alius, *massam farinaceam.* ¶ *Et fecerunt*] Non est in fonte. Habetur autem in Hieron. qui de suo illud addidit ad verba Mosis; cum in sententia contineretur. Posses supplere defectum per Lamed, ut sit, *coxerunt massam illam in placentas.* Nam, *coxerunt massam placentas*, dura constructio videtur. Sic tamen est ad verbum in Ebræo: etiam in Lxx. ἔπεψαν τὸ σταῖς ἐγκρυφίας ἀζύμους, coxerunt farinam subcineritia azyma. ¶ *Subcineritios panes azymos*] Vel, *placentas infermentatas.* עגה placenta. Hieron. fere vertit, *panis subcineritius*, qui à Græcis ἐγκρυφίας, & aliquando κολλύρα dicitur. Seneca Philosophus lib. 14. ep. 91. Tunc farinam aqua sparsit, & assidua pertractatione perdomuit; finxitque panem: quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit. Deinde furni paulatim reperti. עגה ergo panis coctus in cinere, non in furno: unde & subcineritius dictus. De voce ἐγκρυφίας diximus alibi. Onkelos hic habet גריצן. Id Fagius reddit *placentas.* Eadem vox obvia Matth. 14. 17. apud interpretem Syrum, ubi Græcus habet ἄρτοι i. panes. Lexicon Chaldaicum Munsteri גריצא *torta seu placenta panis, crustula, lagana.* Jonathan חררן, cujus singularis חררא Hos. 7. 8. placenta sive panis subcineritius, qui Græcè ἀπανθρακίς. Rabbinicè חרה sic dic a quod una parte aduri soleat, & plura. חררות placentæ. Reperio & חרר הלחם. R. David in libro Radicum, radice חרר interpretatur dicens esse placentam quæ super prunas coquitur. Appellatio ab adurendo. Nam aduruntur facies ejus. Munsterus appellatam putat à foraminibus quæ fiunt in eo: חר enim foramen denotat. Vide Gen. 18. vers. 6. ¶ *Azymos*] Non fermentatos. ¶ *Non erat fermentata*] Scilicet massa illa. Ideò panes non fermentatos ex ea faciebant. Quare autem non firmentaverunt massam, ratio redditur in sequentibus. ¶ *Ab Ægyptiis*] Vel, *ex Ægypto.* ¶ *Non poterant cunctari*] Hieron. *Neque enim poterat fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram.* ¶ *Cunctari*] Tardare, ἐπιμεῖναι, morari. ¶ *Viaticum*] צדה Lxx. ἐπισιτισμὸν εἰς τὴν ὁδὸν, cibaria ad iter. Santes, *escam.* R. Salomo addit לדרך. Onkelos & Jonathan זוון. Hieron. *nec pulmenti quicquam occurrerat præparare.* alias, *curaverant præparare.* R. Levi, *panem ad edendum.* ¶ *Non paraverant*] Ad verbum, non fecerant, οὐκ ἐποίησαν.

40. *Et habitatio filiorum Israël, qui habitaverant in Ægypto, quadringentorum triginta annorum.*

41. *A fine autem quadringentorum triginta annorum, in ipsomet die hoc, egressi sunt omnes exercitus DOMINI è terra Ægypti.*

Qui habitaverant] Vel, *qua habitaverunt*, sive ut in Hieron. *qua manserunt.* Nam ישב etiam manere significat. Lxx. ἣν κατῴκησαν, quam habitaverunt. & additum in nonnullis codicibus αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ipsi & patres eorum. Quod nec in Ebræo legitur, nec apud alios interpretes. ¶ *In Ægypto*] Lxx. ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναάν. Abenezra, Senes addiderunt, *& in reliquis terris.* Per Senes intelligit τοὺς ό. Augustinus Quæst. 47. *Quam incoluerunt in terra Ægypti & in terra Chanaan ipsi & patres eorum.* Vide, si libet, Jonathan, *Dies quibus habitaverunt filii Israël in Ægypto triginta remissiones sive sabbatha annorum: quorum summa ducenti & decem anni. Numerus autem 430. annorum computatur ab eo tempore quo locutus est DOMINUS ad Abrahamum: ab eâ, inquam, horâ, quâ locutus est cum eo decima quinta Nisan inter divisiones usque ad diem quo egressi sunt ex Ægypto.* R. Salomo, *Qua habitaverunt in Ægypto post reliquas habitationes, quas habitaverunt peregrini in terra non sua.* ¶ *Habitatio*] κατοίκησις. Tremel. *incolatus.* Sic etiam Augustinus ex Græco. Sed discrimen est. Nam incolatus magis παροίκησις diceretur. Notum ut differant παροικεῖν & κατοικεῖν. Forte per מושב sig. tempus illud quo peregrini fuerunt in terrâ non sua. Tum nulla erit in verbis difficultas. expende. ¶ *430. annorum*] In Ebræo est ad verbum, *triginta annorum & quadringentorum annorum.* Hoc leve. R. Levi subintelligit voculationem עד, ut dicat, usque ad quadringentesimum trigesimum annum. Non quod toto illo tempore habitaverint in Ægypto, sed quod, quum inde exirent, annus ageretur is quem dixi. Similis defectus Deut. 25. vers. 3. in ארבעים יכנו. Nam plena oratio erit, si legas, *usque ad quadraginta.* Quanquam in Sante, *quadragesies.* Hæc R. Levi: cujus sententiam expressit Cajetanus ità scribens, *Non est littera hujus sensus, quod habitatio filiorum Israël in Ægypto fuit 430. annis: sed sensus est, quod pervenit ad quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ de Ur Chaldæorum.*

Ab

Ab illo siquidem tempore usque ad exitum de Ægypto, supputatur tempus 430. annorum. Nam 210. in Ægypto 130. vita Jacob ante ingressum Ægypti, 60 Isahac, ante nativitatem Jacob, & 25. Abraham ante nativitatem Isahac ab egressu de Charan, quibus, si addantur anni quinque, quibus moratus est Abraham in Charan egressus de Ur, ut iret in terram Chanaan supputantur anni 430. Quod terminum attinet, à quo hi anni computandi sunt, in eo diversus abit à Cajetano doctor ille R. Levi. Sic enim scribit, *Videtur mihi quod iste numerus incipiat vel à tempore quo natus est Isahac, vel à tempore quo Deus apparuit Abrahæ inter divisiones Gen. 15. 18. Id tempus antecessit nativitatem Isahaci circiter quindecim an. Hoc postremum se magis probat mihi. Et ecce 400. anni quorum mentio Gen. 15. 13. incipiunt à tempore quo natus fuit Jacob. Nam is primus peregrinatus est in terra non sua. Et ecce egressi sunt Israëlitæ ante finem Abrahamo prædictum circiter 45. an.* Vide sequentia. R. Salomo, *à tempore quo natus fuit Isahac usque ad hoc tempus anni sunt 400. Tum primum cœpit esse peregrinum semen Abrahæ in terra non sua. Triginta reliqui anni computantur ab eo tempore quo Deus pepigit fœdus cum Abrahamo inter segmenta usque ad natum Isahacum.* Et mox, *Quum numeras 400. annos à nato Isahaco invenies ab ingressu in Ægyptum ad exitum Israëlitarum 210. annos. Ceterum unus hic est locus ex iis quos mutaverunt (Senes) Ptolemæo regi.* Abenezra hos 430. annos numerat à tempore quo Abraham egressus est Ure Chaldæorum. Nam tum cœpit esse peregrinus in terra aliena. Id ferè doctiores sequuntur. Vide notas Tremel. ad hunc locum. Videndus & Lyra, qui secundum doctores Catholicos computat ab egressu è Carris: cui computo desunt quinque anni. Gallica Editio, *Habitatio filiorum Israel quemadmodum habitarunt in Ægypto.* Alias, *postquam habitassent in Ægypto.* ¶ *A fine 430. annorum*] Si ut finem notavit, ità etiam initium notasset, nulla esset difficultas in hoc loco. Videndus Abenezra, qui plura hujusmodi testimonia citat. Jonathan hic habet, *Fuit autem post finem 30. annorum ex quo factum fuit decretum illud donec natus fuit Isahac, donec egressi sunt redempti ex Ægypto 400. annorum, in illo ipso die egressi sunt exercitus DOMINI*, &c. Ceterum in Ebræo est ad verbum, *Fuit autem à fine 430. annorum, fuit*, inquam, *ut* &c. Id Hieron. dixit, *Expletis 430. annis*: alius, *Exactis 430. annis*, &c. ¶ *Omnes exercitus DOMINI*] Omnes tribus. ¶ *In ipsomet die hoc*] Simul omnes eo die egressi sunt. erat autem 15. Nisan: quo die, si credendum Ebræis, & angeli venerunt ad Abrahamum nunciatum de filio, & Isahac natus fuit, & ictum est fœdus inter divisiones. Videndi sunt Lyra & R. Salomo.

42. *Nox observanda est DOMINO, qua eduxit eos è terra Ægypti, nox est ista DOMINO observanda omnibus filiis Israel per ætates suas.*

Nox observanda] Quidam, *valdè observanda.* Hieron. *observabilis.* Ad verbum, *nox observationum.* Onkelos נטיר custodita sive custodienda. Jonathan נטיר לפורקן observanda propter redemptionem. τὸ συμπαρειτικόν, Φυλάξεως i. custodiæ. Lxx. προφυλακή. alias, νὺξ προφυλακῆς. Abenezra, *Quia DOMINUS servavit eos ea nocte, voluit ut ea nox observaretur per ætates.* Alias, *Ut ea nocte vigilarent, & non dormirent, sed Deum celebrarent, & ipsius fortia facta commemorarent.* R. Levi, ait esse לשון זכירה ut si dicat, nox memorabilis. Sensus est, *Deus recordatus est hujus diei, & observavit eum educendo copias suas è terra Ægypti.* R. Salomo, *Dies observationum i. observata, quia Deus laudandus observavit eam ad stabiliendum promissum suum educendo eos è terra Ægypti.* ¶ *DOMINO*] τῷ Κυρίῳ. Hieron. DOMINI. On. & Jon. *coram* DOMINO. Alius, *à DOMINO.* Jonathan tres præterea noctes alias recenset observabiles: quarum prima est nox quæ primum diem præcessit Gen. 1. 2. altera qua Deus pepigit pactum cum Abrahamo inter segmenta. De quarta vide illum & Jerosolymitanum. ¶ *Quà eduxit eos*] In Ebræo est להוציאם ad educendum eos: unde putarim vertendum superius membrum, *nox observata DOMINO.* Quo magis cogito, eò magis se mihi probat hoc. Editio Gallica, *eò quòd tunc illos eduxit.* Santes, *ut educat eos.* Hieron. *quando eduxit eos.* Tremel. & Munster. *qua eduxit eos.* Sic etiam Leo Judæ. Lxx. ὥςε ἐξαγαγεῖν αὐτὸς, quod versum in editione Rom. *ad educendum eos.* Lippomanus, *ut educeret eos.* ¶ *DOMINO*] Vel DOMINI: & repeto nomen ליי ἀπὸ κοινοῦ, ut sensus sit, nox ista DOMINO nox observationum i. observanda. Hoc vult, quemadmodum observata fuit à DOMINO, ità etiam observanda est filiis Israël per ætates. ¶ *Ætates*] Vel, *generationes.* Hieron. *in generationibus suis.* Lxx. εἰς γενεὰς αὐτῶν, quod redditum in C. *in progenies eorum.* Leo, *per posteritates suas.* Munsterus, *in generationes suas.*

43. *Dixitque DOMINUS ad Mosem & Aharonem, Hoc statutum Paschatis, Nullus alienigena comedet ex eo.*

44. *Nec ullus servus emptus argento: sed circumcides eum, tunc edet ex eo.*

45. *Inquilinus & mercenarius non ederit ex eo.*

Statutum Paschatis] Lxx. ὁ νόμος τοῦ πάσχα. Hieron. *religio Phase.* On. & Jon. גזרת, quod ritum interpretantur. Ebraicè חקת. Id Græci sæpius δικαίωμα reddunt. Sig. autem propriè ceremonias legis. ¶ *Nullus alienigena*] Hieron. *Omnis alienigena non comedet ex eo.* Nos Ebraismum vitavimus. Nam *omnis non* in Latio aliud significat. בן נכר alienigena. Sic Hieron. interpretatur. Senes quoque habent ἀλλογενής. Nicolaus, *Vocatur hic alienigena omnis qui est extra ritum Judæorum, sive sit gentilis sive Judæus baptizatus, ut dicit R. Salomo.* Ubi hoc dicit: Nam ad hunc locum annotat, *Alienigena, cujus opera aliena sunt à patre ipsius qui è cœlo.* Ebraicè est בן נכר, quod verbum è verbo sonat *filius alienus*, vel magis, *filius alieni* sub. populi. Nam dicimus in plur. בני נכר filii alieni, ubi quidam אל subintelligunt i. Dei alieni, sive qui Deum alienum colunt. Onkelos, *omnis filius Israel qui defecit*, nempe à fide. Fagius reddit, *qui fuerit apostata.* Posses vertere, *qui remotus est*, nempe à communione piorum & fidelium. Jonathan, *Omnis filius populorum aut filius Israel, qui defecit nec rediit.* Abenezra, *Alienigena, qui non est ex semine Israel, aut, si est Israëlita, colit Deum alienum.* R. Levi, *Alienigena qui tenet aliam fidem licet sit ex Israel. Unde perspicuum quod Israël excommunicatus comprehendatur sub eo nomine.* Idem paulo ante, *Alienigena non denotat eum qui est ex alio populo. Nam licitum erat proselyto edere Pascha.* ¶ *Paschatis*] Agni Paschalis. ¶ *Comedet ex eo*] Aut *vescetur eo.* Ebræi annotant ב hic positum esse pro ממנו ex eo. Quod etiam in lingua Arabica fieri docet Abenezra. ¶ *Servus*] Vide Lyram qui duas ad hunc locum adfert expositiones. Lxx. οἰκέτης. Jon. *extraneus venditus in servum.* ¶ *Emptus argento*] Ebraicè, vir emptio argenti i. ἀργυρώνητος, quem Hieron. *empticium* appellat. R. Levi, *Innuit servum, cujus corpus emptum fuit, velut est Chananæus.* Jonathan, *Ab homine Israëlita emptus pecunia.* Nomen איש omissum vel potius neglectum fuit in versione nostra. Id alii exprimunt vertentes, *omnem servum viri.* Sed edic. Complut. πάντα οἰκέτην τινὸς, & alius, *servus cujusque.* ¶ *Argento*] Pecunia. Jonathan, *viro Israëlita emptus argento.* ¶ *Sed circumcides eum*] Vel, *cum circumcideris eum.* ¶ *Inquilinus*] תושב. Lxx. πάροικος. Hieron. *advena.* Jonathan, *habitator inquilinus.* Jerosolymitanus, *inquilinus viri*, sive *cujusque.* Abenezra, *inquilinus ex Israël.* R. Salomo, *advena inquilinus.* Nicolaus, *advena dicitur qui ex aliena gente veniebat ad manendum inter Judæos.* R. Levi, *advena inquilinus, qui cultum idolorum abjuravit. Alias non posset vivere inter Judæos.* Vide Hiscuni. Lippomanus, תושב is *dicitur, qui de gentilitate ad populum Israël venit, & illis cohabitat etiam fide non consentiens.* Tremel. *inquilinus tantum, hoc est fide non imbutus, ac proinde incircumcisus.* Supra ad locum illum, *sed circumcides eum*, Abenezra addit si voluerit. Quo innuit neminem cogendum esse ad hoc. ¶ *Mercenarius*] Jonathan, *Mercenarius externus sive peregrinus.* Jerosolymitanus, *Mercenarius quum fuerit filius peregrini aut peregrinus.* Nicolaus, *Mercenarius dicitur gentilis serviens in domo Judæi pro mercede.* Chaldaicè אגיר. Græcè autem μισθωτός. R. Salomo, *Mercenarius iste est* GOI i. paganus aut gentilis. Ibidem ערבי מהול est Arabs circumcisus, & גבעוני Gabaonita. Lippomanus, *Mercenarius est gentilis in domo Judæi serviens pro mercede, etiam ipse non circumcisus.* R. Levi, שכיר *cujus corpus non est emptum.* Nota; servum circumcisum edisse Pascha, mercenarium non item. Vide Gersomi filium.

46. *In domo una edetur, non efferes è domo de carne foras, & os non confringetis in eo.*

47. *Omnis cœtus Israël facient illum.*

In domo unâ] ἐν οἰκίᾳ μιᾷ. On. & Jon. בחבורא חדא in societate unâ. Sic etiam Sapientes, quos Abenezra laudat. Ebræa sunt בחבורה אחת. Id Rabbino illi rectum videtur. R. Levi, *in loco uno.* ¶ *Foràs*] *Extra societatem.* Jonathan, R. Salomo. Solebant autem partes mittere ad amicos & affines. Quod hic fieri prohibetur. Ratio quia totus agnus edebatur. Quod supererat igne comburebatur. Adhæc ea nocte qua occisi fuerunt primogeniti nemo pedem domo efferebat. ¶ *Os non confringetis in eo*] Hoc Christo accommodatur Johan. 19. 36. Agnus figura erat Christi 1 Corinth. 5. 7. Frangebant autem ossa ad medullam educendam. Vide Nicolaum. Jonathan hoc loco habet, *Non efferetis è domo de carne extra societatem, neque mittetis dona* (apophoreta vocantur) *alter ad alterum, & os non confringetis in eo ut comedatis id quod in medio ejus.* ¶ *In eo*] ἐπ' αὐτῷ. Lxx. ¶ *Omnis cœtus*] πᾶσα συναγωγὴ Lxx. Onk. & Jonath.

¶ *Israël*]

¶ *Israël*] Filiorum Israël. Hieron. υἱῶν Ἰσραήλ. Lxx. ¶ *Faciet illum*] Coquet sive apparabit illum, ut Gen. 18.7. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Illum*] Agnum. Hieron. *illud.* Videlicet Pascha. Sic etiam Lxx. αὐτό. Autor catenæ, faciet illud i. *sacrificabit.* displicet. Nam agnus non sacrificabatur, sed mactabatur, coquebatur, edebatur.

48. *Quum autem peregrinabitur apud te peregrinus, & fecerit Pascha DOMINO, circumciditor ei omnis masculus, & tunc accedet ad faciendum illum, & erit tanquam indigena terræ: Et nullus incircumcisus edet ex eo.*

49. *Lex una erit indigenæ & peregrino, qui peregrinatur inter vos.*

Peregrinabitur] Commorabitur ut advena. Editio Græca προσέλθῃ, nisi legendum προσηλυτεύσῃ: quo verbo usus est Aquila Psalm. 5.5. & alius Psalm. 120.5. unde προσηλύτευσις, peregrinatio Gen. 47.9. in Aquila. Nam προσήλυτος, advena, peregrinus i. גר qui Syriacè & Chaldaicè גיורא, unde γειώρας: unde & verbum אגייר peregrinus fio. ¶ *Apud te*] עמך tecum i. apud te. Jonathan, *vobiscum.* ¶ *Peregrinus*] Præputiatus aut incircumcisus. Hic communiter proselytus dicitur. Eucherius in libros Regum, pag. 81. *Proselyti vocabantur Græcè qui ex aliis nationibus progeniti in fidem & consortium populi Dei accepta circumcisione transierunt.* ¶ *Fecerit*] Voluerit facere. Hieron. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase DOMINI.* Lxx. ποιῆσαι τὸ Πάσχα, ad faciendum Pascha. ¶ *Circumciditor ei omnis masculus*] Non ipse tantum sed omnes mares, qui sunt in familia ipsius aut ad ipsum pertinent, circumcidi debent. Hieron. hic habet, *Circumcidetur prius omne masculinum ejus.* Sic Græci περιτεμεῖς αὐτῷ πᾶν ἀρσενικόν. Pro, *& fecerit Pascha*, possumus legere, *& faciet* i. facturus est. Vult dicere, cum facturus est. Sed Abenezra interpretatur רוצה לעשות: & verba sæpè conatum & voluntatem tantùm denotant. Quo pertinet & illud 1 Mach. 1. *divisit regnum servis suis*, ut sensus sit, voluit dividere, in animo illud habuit. ¶ *Omnis masculus*] Vel, *omnis mas.* ¶ *Nullus incircumcisus edet ex eo*] Hoc accipi debet de Israëlitis, qui metu mortis aut alia de causâ filios non circumcidebant, ut in deserto accidisse legimus. Videndus Lyra. ¶ *Incircumcisus*] Præputiatus. ¶ *Indigena*] τῷ ἐγχωρίῳ. Lxx. Supra ubi nos vertimus, *tanquam indigena terræ*, iidem habent ὡς αὐτόχθων τῆς γῆς: Chaldaicè utrobique est יציב. ¶ *Peregrino*] προσηλύτῳ Lxx. *colono.* Hieron.

50. *Feceruntque omnes filii Israël, sicut præceperat DOMINUS Mosi & Abaroni sic fecerunt.*

51. *Et fuit illo ipsomet die ut educeret DOMINUS filios Israël è terra Ægypti per exercitus suos.*

Fecerunt] Dixeruntfacere, sive promiserunt se facturos. Simile, *& fecerunt sic magi*, dixerunt se facturos aut conati sunt facere. Sermo est de productione ciniphum aut pediculorum. Aptius exemplum extat Jon. 1.16. *& immolaverunt hostiam.* Nam perspicuè sensus est voverunt se immolaturos. Sane in navi facere id non poterant. Abenezra putat eos hoc fecisse cum in deserto Sinai Pascha celebrarent; *tunc enim*, inquit, *circumciderunt omnes peregrinos.* Vide, si placet. ¶ *In ipsomet die*] Hieron. *eadem die eduxit.* Hoc ad sequentia refertur. Videndus est Aben. sed & R. Levi. ¶ *Per exercitus suos*] Hieron. *per turmas suas.* Minùs rectè Lxx. σὺν δυνάμει αὐτῶν, cum exercitu eorum. Interpres Romanus, *cum virtute eorum.* Hinc intelligentiam habet, *virtutes cælorum commovebuntur.* Nam in Græco est δυνάμει.

AMAMA.

5. **E**Bra. *Agnus perfectus, masculus, anniculus erit vobis, quem ex ovibus & (*: aut) *capris accipietis.* Vulg. *Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus, juxta quem ritum tolletis & hædum.*

Ex hac Vulgati interpretatione fatetur Steuchus complures in eam opinionem prolapsos, duo distincta sacrificia agni hœdique hic præcipi. Bene ergo notavit Cajetanus pro posteriori membro in Ebræo esse, *Ex agnis & ex capris accipietis*, & addit, *Hinc clare patet quod dictio superius interpretata * agnus communis est tam agno quam hœdo, ex eo quod jubetur accipi ex agnis & capris, id est vel ex ovibus vel ex capris.* Optime & doctissime. Vau enim hic valet א aut, ut, *qui maledixerit Patri & matri*, id est, *aut matri.* Sic & Jud. 11. in voto Jephthæ והעליתיהו aut offeram. Jubet itaque, verba Theodoreti, ἵνα ὁ μὲν πρόβατον ἔχων τοῦτο θύσῃ, ὁ δὲ σπανίζων τοῦ προβάτου τὸν ἔριφον, i. ut qui ovem habet eam immolet, qui vero eâ caret, loco ejus hœdum. Sic Græci, sic Chaldæus quoque locum reddidit. Breviter; Vulgatum turbavit particula Vau, quam disjunctivam hic esse videtur ignorasse. Cajetani vel potius veram germanamque vocis שה interpretationem firmatum ibo authoritate Davidis Kimchii, qui sic ait, הקטן בן הכבשים ומן העזים יקרא שה i. parvus ex ovibus vel capris vocatur שה. Prolixe hic pro nobis dissertentem vide Lyram ad hunc locum.

* שה.

Absque macula] i. sine vitio, non mutilus aut truncatus ulla parte corporis. Vox Ebræa significat & *perfectum.* Ideo R. Sal. & Aben. בלא מום sine macula, ἄμωμος, quæ vox ab Ebr. מום videtur derivata, hinc (a) Genebrardus colligit תמים hoc significatu non esse à תמם sed à מום. Ridicule. Quis enim unquam ejusmodi formam Heëmanthicam ex Quiesc. Ain vidit derivatam? Et si id daret quispiam, tamen vox ea magis *maculatum* quàm *immaculatum* significaret. Nisi quispiam ostendat ת Heëmanthicum vim τοῦ α στερητικοῦ habere. Quid ergo? תמים semper à תמם. De victimis usurpatum optime redditur *perfectum, immaculatum, sine macula.* Hominibus verò etiam sanctissimis tributum ut Abrahæ, (b) Noæ, (c) Davidi, (d) Jobo, significat, syncerum, integrum, ἄδολον, sine fuco, Belgis oprecht. Hoc sensu acceptum Vulgatus aliq. *simplicem* & תם *simplicitatem* vertit, ut Gen. 20.5. & 6. Optime. Sed aliquando (e) *perfectum*, aliq. (f) *immaculatum*, aliq. (g) *sine macula* reddidit. Distinguunt inter perfectionem viæ & patriæ, absolutam & comparatam, graduum & partium. Posset & interpretamentum significationis unius (ut fit in πολυσήμοις) exponi per alterum, ut cum (h) ξύλον pro arbore ponitur, quia vox Ebr. עץ utrumque significat, sic *perfectus* pro *syncero* quia Ebr. vox utramque signif. admittit, sed quia ambiguitas ea periculosa, puto locis prædictis interpretamenta illa tutiùs omitti. Quod ad locum Gen. 6. notatum oportuerat.

6. Ebr. *Cum* מרורים. Vulg. *Cum lactucis agrestibus.*

Hunc locum castigabo periculo verbisque Cajetani & Lyræ; quorum ille, *In Ebræo habetur*, super amaris comedent ipsum. *Herbas amari saporis aut forte succum earum adhiberi jubet.* Hic vero, *In Ebræo habetur*, in amaritudinibus. *Et per hoc intelliguntur herbæ amaræ indifferenter, nec plus fuit præceptum de lactucis quam de aliis herbis.* Lxx. quoque ἐπὶ πικρίδων cum amarulentis, Chald. על מררין laxe. Sunt qui negant lactucam agrestem amaram esse. Vide Fagium. Ego nihil definio, tantum notare libuit quid ipsi Pontificii hic desiderarint. Vide & Steuchum.

22. Omisit Interpres ea verba מן הדם אשר בסף *de sanguine qui in pelvi*, vel ut ipse initio hujus versus vertit, *in limine.* Chald. certe & Lxx. non judicarunt hæc verba esse superflua. Hoc unum. Alterum est quod prius illud בסף Vulgatus reddiderit, *in limine, de sanguine qui est in limine.* Cum enim in Ebræo sit סף vox indifferens tam ad pelvim seu vasculum quam ad limen, Augustinus Steuchus, Joh. Bened. & Cajet. audacter pronunciant *pelvim* hic significari. *Manifestè locus corruptus est*, inquit Steuchus, *temporum injuria non autoris vitio.* Si ita est, cur ergo Pontifices Clemens & Sixtus locum non restituêre? Sed non constat sibi Steuchus, ecce enim sub finem hujus annotationis dicit Hieronymum partim authoritate τῶν Lxx. partim ambiguitate vocis in eam Interpretationem inductum. Chaldæus hic habet במנא in vase.

(a) *Ad Psal.* 119.1. (b) *Gen.* 6. (c) *Psal.* 18. (d) *Job.* 1.1. (e) *Gen.* 6. (f) *Ps.* 119.1. (g) *Ps.* 15.1. (h) *Apoc.* 2.7. & 22.2.

GROTIUS.

5. **A***Gnus absque macula*] שה tam de caprugno quàm de ovillo genere partum significat. Itaque unâ voce Latinâ reddi nequit. Lxx. laxiùs nomen sumsêre πρόβατον [*pecus*]. תמים τέλειον [*perfectum*] Lxx. alii ἄμωμον [*sine vitio*]. Eodem sensu ἐντελῆ θυσίαν [*perfectam victimam*] dixit Lucianus de sacrificiis. Explicationem hujus vocis habes Levit. XXII. 22. 23. 24. Deut. XV. 21. XVII. 1. Maculam enim hic Latinus dixit corporis vitium, aut morbum, ut in Ædilitio erat edicto. Ægyptii, teste Chæremone, non admittebant ὅσα δίδυμα, ἢ κατάστικτα, ἢ ἑτερόχροα, ἢ παραλλάσσοντα τῇ μορφῇ [*quæ gemina, aut maculosa, aut versicoloria, aut formæ præter naturam*]. Porphyrius II. de Abstinentia: οὐδὲν γὰρ μᾶλλον οὕτω ἢ τὰ ἀνάπηρα θυτέον [*id nihilo est melius quam sacrificare mutila*]. Aristophanis Scholiastes ad Acharnenses, & ex eo Suidas: τὰ γὰρ κόλοβα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται, καὶ καθόλου πᾶν ὃ μὴ τέλεον καὶ ὑγιὲς οὐ θύεται τοῖς θεοῖς [*mutila enim in sacrificiis non offeruntur, ac in universum quod non integrum & sanum diis non sacratur*]. Athenæus ex Aristotelis Symposio: οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς

τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ πάντα τέλεια καὶ ὅλα [*nihil mutilum Deo offerimus, sed integra & perfecta omnia*]. Hinc mos probandi victimas apud Philonem, apud Aristotelem, laudante Athenæo libro xv. apud Ciceronem II. contra Rullum. Lucianus de Sacrificiis: *στεφανώσαντες τὸ ζῶον καὶ πολύγε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς, ἵνα μηδὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι, προσάγουσι τῷ βωμῷ* [*animal coronatum, multoque prius exploratum an sit integrum, ut nequid mactetur inidoneum, admovebunt altari*].

6. *Et servabitis eum*] Ut ejus aspectus homines sacris præpararet.

Ad vesperam] In Hebræo, inter duas vesperas, id est, inter initium & finem, circa horam diei decimam.

8. *Assus igni*] Veru mali Punicæ, quæ frequens Ægypto, ut Plinius nos docet lib. XIII. c. 19. in hujus sacri usu mansit.

10. *Nec remanebit quicquam ex eo usque mane; si quid residuum erit, igne comburetis*] Pascha est διαβατήριον [*profectivum*] Philoni. Id rectè Latinè vertas, propter viam, id est, proficiscendi gratiâ, Festo interprete. In sacris autem propter viam etiam gentibus usurpatum quod hic dicitur. Macrobius Saturn. II. c. 2. *Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur propter viam; in eo mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. hinc Catonis jocus est: nam & Albidium quendam, qui sua bona comedisset, & novissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, propter viam fecisse dicebat, quod comesse non potuerat id combussisse.* Apparet hinc Pascha naturam habere εὐχαριστικοῦ [*sacrificii ad agendas gratias*], cujus lex est ne quid manè sit reliquum. Levit. VII. 15. de aliis victimis comburitur, si quid superest non comesum, die tertiâ. Levit. VII. vers. 17.

11. *Renes vestros accingetis*] Quæ hoc commate dicuntur, item ut sanguinis aspersio, tantùm pro illo tempore imperata sunt: ideoque in legibus anniversarii Paschatis non repetuntur.

15. *Septem diebus azyma comedetis*] *Flamines farinam fermentatam contingere non licebat.* Servius ex codice Fuldensi ad I. Æn. Nimirum ἄζυμα [*non fermentata*] significationem habent puritatis, I Cor. v. 7. & animi submissi: nam fermentum est ἔπαρσις [*elatio*]. Sed Hebræi herbas amaras ad servitutis, azyma ad libertatis partæ significatum malunt trahere. Tacitus: *raptarum frugum argumentum panis Judaicus nullo fermento detinetur.*

Peribit anima illa de Israël] כרת. Mortem immaturam id significat; quæ pœna suprà Gen. XVII. 14. præcepto circumcisionis invenitur apposita: præterea aliis præceptis XXIII. sed quæ omnia sunt ex vetantium genere.

16. *Nihil operis facietis in eis*] מלאכה Lxx. hic & in Levitico & in Numeris vertunt ἔργον λατρευτὸν [*opus servile*], nimirùm ex Levit. XXIII. ubi additur explicandi causâ מלאכה עבדה. id vetus Romanorum jus Pontificium vocabat opus famulum. Cicero de Legibus II. *Feriis jurgia amovento, easque in famulis operibus patratis habento.* Opus servile vertit Tertullianus adversus Judæos, & Hieronymus ad XXVIII. Esaiæ. Vide & Servium ad I. Georg.

26. *Et cùm dixerint vobis filii vestri*] Anno XII. filii à parentibus ad Templum ducebantur, Luc. II. 42. Ab eo tempore incipiebant de Paschate & aliis sacris vesci. Confer quæ infrà XIII. 8. & 14. Hyrcanus apud Josephum XII. 4. ὅτι νόμος ἐστὶ παρ' αὐτοῖς κωλύων τὸν γεννηθέντα γεύσασθαι θυσίας, πρὶν εἰς τὸ ἱερὸν ἔλθῃ καὶ θύσῃ τῷ θεῷ [*Lex est apud ipsos vetans ne quis natus de victimis edat, priusquam in templum eat, & Deo sacrificet.*]

29. *Primogenitum captivæ quæ erat in carcere*] Sic & Græci. In Hebræo est *captivitatis*: quòd rectè intelligas de servis pessimæ conditionis, id est, in pistrinum datis. Confer suprà XI. 5.

37. *Sexcenta ferè millia peditum virorum*] Minùs mirabitur duobus sæculis sic auctam Jacobi progeniem, si quis consideret in Ægypto mulieres esse valdè εὐεκφόρους [*fœcundas*], ut Aristoteles affirmat de Historia animantium lib. VII. c. 4. ita ut multæ uno partu septenos edant, ut testatur Paulus l. Antiqui. D. si pars hereditatis petatur. Adde Gellium libro X. c. 2. Valdè autem hic numerus convenit cum eo qui est in loco Chæremonis apud Josephum. Is enim priùs ponit millia ducena quinquagena, deinde millia tercentena octogena.

39. *Coxeruntque farinam*] In Hebræo, ut vertit Pagninus: *Et coxerunt conspersionem quam eduxerunt ex Ægypto, placentulas infermentatas, quia non fermentatum fuerat, quia expulsi fuerunt ex Ægypto, & non demorari potuerunt, & etiam escam non sibi fecerant.* Sensus est: quia placentæ ob festinationem exitus fermento mixtæ non fuerant, ideò eas non coxerant Hebræi in exitu. Sed ubi Succothas venerunt, addito quod secum attulerant fermento, coxêre eas, ut cibos alios.

40. *Habitatio autem filiorum Israël quâ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*] Cùm ultra ducentos & decem annos in Ægypto non fuerint Israëlitæ; aliquid hic interpretamenti vice addendum censuêre interpretes. Lxx. addunt post Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν τῇ γῇ Χαναάν [*Ægypto, & in terra Canaan*]: in quibusdam libris additur etiam post κατῴκησαν, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν [*habitarunt, & patres eorum*]. Agnoscit utrumque additamentum Augustinus libro II. in Exodum, quæstione 47. Aliter hic habere Lxx. quàm Hebræos codices notatum in utroque Thalmude. Illud *& in terra Canaan* ex Lxx. additum & Samaritano. Rabbi Salomon Jarchi vult subintelligi *& in terris aliis.* Sensus non malus erit, si interpreteris exsilium illud Ægyptiacum durasse ad annum usque quadringentesimum & tricesimum, ex quo Deus id Abrahamo præsignificaverat, Gen. XV. 13. & sequentibus. Eo autem spatio annorum elapso, Deum vindictam in Ægyptios, ita ut tunc prædixerat, exercuisse; quò pertinent ea quæ statim sequuntur.

45. *Advena & mercenarius non edent ex eo*] Nempe nisi sponte velint circumcidi; neque enim eos cogendi jus erat. Intelligitur id tum ex præcedentibus verbis, tum Num. IX. 14.

48. *Voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini*] Lxx. ἐὰν δέ τις προσέλθῃ πρὸς ὑμᾶς προσήλυτος ποιῆσαι τὸ πάσχα κυρίῳ [*si quis vero venerit ad vos proselytus, & fecerit transitum Domino*]. In Hebræo: *Cum peregrinatus fuerit tecum peregrinus & fecerit transitum Domino*: id est, divinæ legi se subjecerit, factus sit גר צדק [*advena justitiæ*].

CARTWRIGHTUS.

2. החדש הזה לכם ראש חדשים *mensis iste vobis erit principium* (adverb. *caput*) *mensium.*] Quid intelligatur per ראש חדשים *caput mensium*, explicatur verbis proximè sequentibus. ראשון הוא לכם לחדשי השנה *primus erit vobis inter menses anni.* Mensis iste appellatur *Nisan*, ac ferè Martio respondet. Esth. 3. 1. *Mense primo, is est mensis Nisan*, &c. R. Sal. sic explicat, על חדש ניסן אמר לו זה יהי ראש לסדר מנין החדשים שיהא אייר קרוי שני סיון שלישי *De mense Nisan ad eum loquitur, dicens, hic erit caput* (sive *initium*) *in ordine numeri mensium, ita ut Aijar* (mensis qui proximè sequitur Nisan) *vocetur mensis secundus, & Sivan tertius.* Abenezra ait *Nisan Aijar, Sivan*, & ejusmodi nomina mensium, non esse Hebraica, sed Chaldaica, ac propterea non inveniri nisi in iis scripturæ libris, qui post captivitatem Babylonicam conscripti fuerunt. Burgensis asserit ante captivitatem Babylonicam menses non fuisse propriis nominibus insignitos, sed tantùm dictos primum, secundum, &c. post istam autem captivitatem propria habuisse nomina, *Nisan, Tisri*, &c. At etiamsi ista Abenezræ sententia ob rationem, quam affert, satis sit verisimilis, id tamen quod dicit Burgensis, nonnullis scripturæ locis repugnare videtur. Nam capite proximo vers. 4. iste ipse mensis, de quo hic fit mentio, proprio nomine insignitur, nempe *Abib.* Similiter I Reg. 6. 1. mensis secundus, qui post captivitatem Babylonicam appellatus est Aijar, Hebraicè vocatur זו *ziu*, & I Reg. 8. 2. mensis septimus (post captivitatem Babylonicam dictus *Tisri*) appellatur איתנים *Ethanim.* * Nec in adversum mihi valere videtur quod nonnulli respondent, nomina ista non esse propria, sed duntaxat appellativa, ac ad proprietates istorum mensium denotandas adhiberi. Etiamsi enim vocabula ista suas insuper habeant significationes, quæ mensibus sic appellatis conveniant, id tamen non obstat, quo minùs tanquam propria istorum mensium nomina usurpentur. Asserit etiam Burgensis nusquam in S. Scripturâ legi, Hebræos computasse tempora ab initio mundi, ac propterea cum dicitur, *Mensis iste erit vobis principium mensium*, non ita esse intelligendum, ac si anteà alium mensem pro primo mense habuissent, sed sensum esse, jam deinceps futurum, ut ab illo mense computarent, ob beneficium liberationis ex Ægypto, mense isto in eos collatum. Sed cum (ut ipse agnoscit Burgensis) ex S. Scripturâ constet Hebræos duplex habuisse anni initium, nempe à mense *Nisan*, sive † Martio, & à mense *Tisri*, sive Septembri, verisimile videtur eos à mense *Tisri* annum inchoasse, propterea quòd mense isto mundus esset creatus, quemadmodum ob liberationem ex Ægypto mense *Nisan* factam, ab illo mense annum inchoarunt. Kimchi ad I Reg. 8. 2. testatur nonnullos ex Rabbinis antiquioribus velle mensem septimum (si nimi-

* *Sic I Reg. 6. 38. mensis octavus vocatur* Bul. † Accedit quòd Martio Israëlitas ex Ægypto educens, Dominus, jussit deinceps eum mensem primum ab illis haberi; quod jussurus non erat, si semper pro primo eum habuissent. *Manass. in Exod. quæst.* II.

nimirùm à Nisan fiat computatio) vocari איתנים *Ethanim*, quòd mense isto nati fuerint patres (primi parentes, אבות) qui fuerunt איתני עולם *fortes* seu *fundamenta mundi*, uti Mich. 6. 2. fundamenta terræ vocantur האיתנים, Manasses Ben Israël in Concil. quæst. 11. in Exod. docet inter veteres Hebræorum Doctores fuisse dissidium; quosdam enim mundum in Tisri seu Septembri, alios autem in Nisan seu Martio conditum existimasse. Buxtorfius autem in Synagoga Judaica, cap. 12. testatur Judæos adhuc in hodiernum usque diem tempora annorum Post conditum mundum supputantes, à mense Tisri initium anni ipsorum facere. Ratione festorum Nisan sive Martium anni initium fuisse apparet. Festum siquidem azymorum fuit mense primo; hoc est in Nisan mense tertio, hoc est in Sivan, qui à Nisan fuit tertius, fuit festum hebdomadarum; & mense septimo, hoc est in Tisri, qui à Nisan fuit septimus, fuit festum tabernaculorum. Vide Exod. 19. 1. & Levit. 23. 34. Quin & regum Israëliticorum anni à mense Nisan supputati fuerunt, uti ex 1 Reg. 6. 1. licet colligere. Ibi enim mensis Ziu dicitur mensis secundus regni Salomonis; Ziu autem secundus est anni mensis, si à Nisan seu Martio fiat supputatio. Mensis siquidem proximus, qui alias Aijar appellatur, & respondet præcipuè Aprili, sed aliquâ etiam ex parte Maio, iste, inquam, mensis dicitur Ziu, quod splendorem denotat, quòd mense isto (ut Kimchi notat) arbores ac flores splendere soleant. At habitâ ratione anni Sabbatici, & Jubilæi, Tisri sive September anno initium dedit. Annum Jubilæum à Septembri fuisse computatum apparet ex Levit. 25. 9. Ubi decimo die mensis septimi clangi buccinâ, ac Jubilæum celebrari præcipitur. Inde etiam anni Sabbatici factam fuisse computationem hâc ratione ostenditur, quod anno isto nec serere liceret, nec metere. *Unde* (ut Burgensis utar verbis) * *Si annus iste computandus esset à primo mense* (à Nisan sive Martio) *quæ eo mense nascerentur, præcedenti anno seminata, à Dominis suis non colligerentur, sed essent omnibus communia similiter in autumno & hyeme ejusdem anni non liceret serere; atque ita eveniret, ut duorum annorum fructibus in qualibet annorum hebdomade privarentur.* Manasses (loco citato) ex Exod. 23. 16. probat Septembrem anni & principium & finem fuisse, quia nimirum dicitur, *festumque collectionis in exitu anni.* Septemb. ait, vocari exitum anni, quia mense isto circulus anni absolvitur, & incipit. Vide infrà ad cap. 23. 16. Concludit igitur Manasses, quantum ad festa, & supputationem annorum regum Israël, mensem Nisan, i. e. Martium, esse primum anni, quantum autem ad creationem mundi, & res civiles, Tisri, aut Septembrem. Ac notat ideò Sapientes orientis & Chaldæos mensem istum appellasse *Tisri*, quia תשרי *Tisri*, derivatur à ראשית *Reshit*, *principium*, per metathesin literarum, quemadmodum & pro התחלתי † Chaldæus habet שריתי *incepi*. Abenezra notat veteres Hebræorum sapientes asserere quatuor fuisse anni initia; quod quâ ratione dictum fuerit, fusiùs explicat Buxtorfius in Syn. Jud. cap. 12.

3. *Decimo die mensis hujus*, &c.] Abenezra ait sibi non liquere, utrùm præceptum istud primo duntaxat paschati fuerit peculiare, an omnibus ex æquo commune. Jonathan autem in sua Paraphrasi asserit hoc præceptum istud solùm tempus, non autem futuras generationes spectasse. Atque ita R. Sal. פסח מצרים מקחו בעשור ולא פסח דורות *Pascha in Ægypto celebratum, decimo die fuit acceptum, non autem Pascha, quod postea per generationes fuit celebratum.* Lyra etiam testatur hanc esse Hebræorum opinionem; idque propterea quòd causæ, quare agnus in Ægypto immolandus, quatriduo ante immolationem esset eligendus, posteà cessaverunt. Duas autem istius rei causas commemorat. 1. Ne Israëlitæ, dum se ad egrediendum ex Ægypto pararent, immolationem agni, quæque ad eam pertinebant, negligerent. 2. Ut isto quatriduo explorarent diligenter ne qua fortè macula agno inesset, & si minus idoneus esset, alium ante immolandi tempus opportunè quærerent. Priorem causam posterioribus seculis locum non habuisse apertum est. Sed & alteram etiam cessasse notat Lyra, quòd cum quotidiè immolarentur agni, facilè ac nullo negotio inspicere potuerunt an agnus paschalis istiusmodi esset, qualem Lex præscripsit. In Tractatu Talmudico, qui inscribitur Middoth (ubi de mensuris Templi agitur) dicitur fuisse לשכת טלי קרבן *conclave agnorum oblationis*, i. e. (ut Constantinus L'Empereur explicat) conclave, in quo lustrabantur agni quotidiano sacrificio destinati, ac in eorum munditiem inquirebatur. Notat in Editione Basiliensi ac Venetâ hoc conclave simpliciter appellari לשכת קרבן *conclave oblationis.* Fagius præter duas istas rationes à Lyra commemoratas, alias etiam totidem refert ab Hebræis assignari, quamobrem agnus paschalis decimo die mensis è grege extraheretur, cum decimo quarto die esset immolandus. 1. Ut ex aspectu agni occasionem haberent inter se colloquendi ac disputandi de redemptione suâ ex Ægypto. Unde ex traditionibus Hebræorum referri ait, (a) istum agnum productum, intereà temporis dum mactaretur, in hypocausto ad fulcrum spondæ alligatum fuisse, ut omnium aspectu pateret, ac ipsis de redemptione suâ, adeoque de misericordia Dei, qui illos tam clementer respexerat, inter se conferendi occasionem daret. 2. Ut ista ratione in tempore sese ad bonum opus perficiendum accingerent, ac præpararent. Notat enim Hebræorum sapientes dicere, non minus gratum esse Deo, si quis in tempore sese bono operi agendo accingat, adeoque animum, voluntatem, studiumque ostendat, quàm ipsum opus. Ac hanc eorum sententiam citat, מזרז למצוה כעושה למצוה (b) *Qui strenue parat se ad præceptum* (seu bonum opus) *perinde est atque cum facit.* Hæ autem rationes ad sequentia Paschata æquè ac ad primum vim suam extendere videntur. *

Et accipiant sibi quisque שה *parvam pecudem*] Onk. אמרא; *agnum* vel *pecudem* uti Fagius interpretatur, ac similiter Buxtorfius in Lexico Chaldaico ostendit vocem generaliorem esse quàm ut ad agnum restringatur. Lxx. (c) πρόβατον, *Ovem.* Latinè vertitur *pecus*, quod Nobilius commodius esse judicavit. Vulg. *agnum.* Steuchus ait Hebræum שה tam de agno posse intelligi, quam de (d) adultâ pecude; hic autem de agno esse intelligendum. Fagius asserit vocem istam tam agnum quàm hœdum denotare; ac citat R. Davidem sic scribentem, הקטן מן הכבשים וכן העזים הוא שיקרא שה *Parvus agnus vel hædus vocatur Se.* Vide Annotat. in v. sequentem.

4. איש לפי אכלו *Quisque juxta esum suum*] R. Sal. explicat, הראוי לאכילה פרט לחולה ולזקן שאינו יכול לאכול כזית i. e. *Qui idoneus est ad comedendum, excepto ægroto, & sene, qui non potest comedere, quantum est oliva.* Volunt enim Rabbini, unumquemque debuisse tantum de agno Paschali comedere, nec posteà ullum alium cibum gustare. Vide Ludovicum Capellum in Animadversionibus, in Exercitationem Buxt. de Cœnâ Domini.

5. מן הכבשים ומן העזים תקחו *ex agnis, vel ex capris tolletis.*] R. Sal. rectè explicat, או מזה או מזה שאף עז קרוי שה שנאמר ושה עזים *Vel hinc, vel inde; nam & hædus vocatur Se* (e), *quemadmodum dictum est* (nempe (f) Deut. 14. 4.) שה כבשים ושה עזים, Locus iste apertissimè ostendit vocem *Se* æquè ad hœdum atque ad agnum pertinere. Vulg. *Juxta quem ritum tolletis & hædum.* Quæ interpretatio non nostris solùm, uti Fagio & Amamæ, verum etiam ipsis Pontificiis nimirùm Steucho ac Cajetano displicuit. Nimiùm sanè est ambigua, atque ita accipi potest, quasi præter agnum etiam hœdus pro Paschate esset parandus, in quem errorem ex istâ versione nonnullos prolapsos esse fatetur Steuchus. Mens tamen interpretis ab isto errore, opinor, immunis fuit, nec aliud voluit, quàm si fortè agnum idoneum non haberent, hœdum æquè isti usui inservire potuisse. Vau hic, cum dicitur ומן העזים non tam copulativa est, quàm disjunctiva, (g) *aut* potiùs quam *Et* reddi debet, ut Fagius atque Amama observarunt. Ut Exod. 21. 15. ומכה אביו ואמו מות יומת *Et qui percutit patrem suum aut matrem suam omnino morte afficietur.* Vide ad loc. Abenezra refert R. Mosen filium Amrami Persam dixisse *Se* i. e. agnum sive hœdum pro paschate in Ægypto fuisse immolandum, postea autem in terra Israëlitica juvencam (פר) sufficere potuisse, quia dicitur (Deut. 16. 2.) *Et immolabis Pascha Domino Deo tuo* צאן ובקר *oves & boves.* Hoc autem improbat, propterea quòd pascha postea celebratum memoriale fuit Paschatis in Ægypto celebrati, atque ideò alterum ab altero tantum differre non debuit. ולא דבר נכונה כי כל פסח דורות הוא זכר לפסח מצרים ואין ראוי לשנות, Illud igitur quod ex Deut. objicitur, sic exponit, ut צאן *oves* ad pascha, & בקר *boves*, ad pacifica sive Eucharistica sacrificia, quæ tempore festi oblata erant, referamus. Atque ita etiam in commentariis ad locum interpretatur; similiter etiam ibidem R. Sal. necnon Onkelos, ותכוס פסחא קדם יי אלהך מן בני ענא ונכסת קודשיא מן תורי, *Et immolabis Pascha coram Domino Deo tuo ex ovibus* (ad verb. *ex filiis ovium*) *Et victimas sanctas*

* *Isto argumento ad id comprobandum utitur Abenezra.*
† *Deut.* 2. 32.

(a) *Idem etiam ex Rabbinorum scriptis refert Buxtorfius in Syn. Jud. cap.* 12. (b) *Vide* 2 *Cor.* 8. 10. (c) Apud Eustathium & Suidam πρόβατα πάντα τὰ τετράποδα. *Serar. in Jos.* 5. *quæst.* 19. (d) *Sic usurpatur Levit.* 22. 28. (e) *Abenezra etiam notat* Se *utrique speciei, nempe agno & hædo competere idque probat ex Deut.* 14. 4. (f) Latiùs quam ovem, aut agnum patere vocem Hebræam (*Se*) docet locus Deuteronomii citatus (*Nempe Deut.* 14. 4.) *Serar. in Jos.* 5. quæst. 19. (g) Inusitatum non est ut particula *Et* in Hebræo, Chaldæo, & Græco posita, à Latino etiam indicata, pro vel accipiatur. *Serar. ubi supra.*

sanctas ex bobus. Fagius notat Paraphrasten quod de filiis ovium dicit, intelligere victimam Paschalem; de bobus autem, hostias festivas, quemadmodum explicatur Levit. 23. Innuit (opinor) illud Levit. 23. 8. *Et offeretis Domino oblationem igne factam septem diebus*, nempe quibus festum paschatis fuit celebratum. Certè (ut observat Abenezra) in Chronicis (nempe 2 *Chron.* 35. 13.) inter Pascha, & victimas, quæ præterea durante festo oblatæ fuerunt, manifestè distinguitur. Atque inde etiam Manasses in Exod. quæst. 13. locum Deuteronomii sic explicandum esse ait, *Et mactabis Pascha Domino Deo tuo, oves & boves*, i. e. Oves ad sacrificium Paschatis, boves ad sacrificium Eucharisticum. Addit autem ibidem, R. Mosen Gerundensem & Abrabaneelem locum istum exponere, *Et mactabis pascha Domino Deo tuo*; deinde pausâ illic factâ, *oves & boves*, nempe mactabis ex oblationibus, quas quisque facturus esset ad celebrandum festum Paschatis cum domo suâ, cum Levitâ, cum peregrino. Juxta istam expositionem deest Vau, ut sit צאן pro וצאן & *oves*; ut Hab. 3. 11. שמש ירח עמד pro וירח *Sol (&) Luna stetit.* Quomodocunque locus iste Deuteronomii exponatur, victimam Paschalem, quæ decimo quarto die mensis immolata fuit, non ex bobus, sed vel ex ovibus, vel ex hœdis fuisse Scriptura ubique indicat.

שה תמים *Agnus* (seu *hædus*) *perfectus*] R. Sal. exponit בלא מום, atque ita etiam Abenezra, i. e. *sine macula.* Lxx. πρόβατον τέλειον. Scholiastes autem refert in aliis libris legi ἄμωμον. Sicut Petr. 19. Christus vocatur ἀμνὸς ἄμωμος *agnus immaculatus.* Græcum μῶμος unde ἄμωμος, ab Hebræo מום *Mum*, quod maculam sive vitium significat, ortum existimatur. Quod autem Genebrardus ad Psalm. 119. 1. asserit ת in תמים cum immaculatum significat, esse servile, quasi scilicet a מום *macula* formaretur תמים *immaculatus*, hoc meritò ridiculum censuit Amama. *Quis enim* (inquit) *unquam ejusmodi formam Heemantheicam ex quiescentibus Ain vidit derivatam? Et si id daret quispiam, tamen vox ea magis maculatum, quam immaculatum significaret. Nisi quispiam ostendat ת Heemantheicam vim τοῦ α στερητικοῦ habere. Quid ergo? תמים semper a תמם De victimis usurpatum optime redditur perfectum, immaculatum, sine macula. Hominibus vero, etiam sanctissimis, &c. significat sincerum, integrum, sine fuco.* Hæc ille. Vide, si libet, quæ de voce תמים ad Gen. 6. 9. annotavi.

בן שנה *anniculus*] Ad verb. *filius anni.* R. Sal. ait כל שנתו קרוי בן שנה כלומר שנולד בשנה זו i. e. *Toto anno suo* (toto anno, quo natus est) *vocatur filius anni, quasi dicat, qui natus est hoc anno.* Abenezra refert R. Jeshuam discrimen facere inter בן שנה *filius anni*, & בן שנתו *filius anni sui*, quomodo Num. 7. sæpè legitur. Velle enim eum, qui prætergressus est annum, עלתה לו שנה vocari בן שנה *filium anni*; at בן שנתו *filius anni sui*, ita ut sonat, כמשמעו, esse accipiendum; nempe (opinor) phrasi istâ significari eum, qui annum adhuc non complevit. Notat autem Abenezra Num. 7. ubi de oblationibus principum fit sermo, phrases istas promiscuè usurpari. Nam cum anteà dictum fuerit de agno in holocaustum oblato, quòd esset בן שנתו *filius anni sui*, vers. 15. & alibi, tandem tamen vers. 87. ubi agni isti summatim recensentur, vocantur בני שנה *filii anni*, non בני שנתם *filii anni ipsorum.*

6. *Usque ad decimum quartum diem mensis hujus.*] Masius in Jos. 5. 10. refert in Talmude ubi de anni principio disputatur, scriptum reperiri, celebrem fuisse apud priscos Judæos opinionem, * eum diem, qui Israëlitis fuisset libertatis Ægyptiacæ initium, olim ipsis quoque initium fore libertatis, quam essent à Messia recepturi. *Quam id autem* (inquit) *pulchrè cum nostræ religionis consentiat doctrinâ, nemo non videt. Adepti sunt enim illi in Ægypto libertatem mense primo medio, hoc est, cum luna ex adverso soli opposita toto suo luceret orbe. Christus quoque eodem illo mense, lunaque similiter affectâ nobis ex cruce libertatem suâ morte dedit.*

Et mactabit eum tota congregatio Israëlis בין הערבים *inter duas vesperas*] Sic ad verbum sonat. Lxx. πρὸς ἑσπέραν *ad vesperam.* Et sic Vulg. Onk. בין שמשיא *inter duos soles.* Id Fagius ait quosdam sic intelligere, *Inter solem declinantem in puncto meridiei, & solem occidentem*, hoc est inter meridiem & occidentem. Lyra ait Doctores Hebræos vesperam, uti hic accipitur, incipere ab horâ septimâ diei decimæ quartæ, quia ab illo tempore sol incipit tendere ad occasum; ac juxta eorum sententiam ab istâ horâ usque ad principium noctis Pascha potuisse immolari. Ita quidem exponit R. Sal. atque etiam Kimchi in Rad. uti ex verbis ejus à Fagio citatis apparet, licet

* *Steuchus ad v. 11. citat Cabbalistas asserentes Israëlem eodem die à Messia redimendum, quo ex Ægypto est liberatus. Atque ita etiam Fagius ad v. 13.*

mutilata videantur, ac à Fagio ita intellecta, ac si idem sentiret cum Abenezra, cujus tamen sententia longè est diversa, uti ex ipso Fagio abundè licet perspicere. Asserit autem Abenezra se quærendo invenisse כי יקרא רגע בין הערבים ערב *quòd breve tempus inter duas vesperas vocatur vespera.* Et notat aliquot Scripturæ locos, ex quibus inter se collatis apparet בין הערבין, *inter duas vesperas, &* ערב *vesperam* promiscuè usurpari. Ut Exod. cap. 16. 12. בין הערבים תאכלו בשר *inter duas vesperas comedetis carnem.* Ibidem autem v. 8. dicitur, *Cum Dominus dederit vobis* בערב *in vesperâ carnem ad comedendum.* Similiter Exod. 30. 8. בהעלות אהרן את הנרות בין הערבים *Cum Aharon accenderit lucernas inter duas vesperas.* De eadem autem re cap. 27. 21. dicitur, *Ordinabit eam* (nempe lucernam) *Aharon, & filii ejus* מערב עד בקר *à vespera ad auroram.* Quin & de ipso Paschate, quod hic immolari præcipitur בין הערבים *inter duas vesperas*, notat dici (Deut. 16. 6.) *immolabis Pascha* בערב כבא השמש מועד צאתך ממצרים *vespere, cum sol occidit, quo tempore egressus es ex Ægypto.* Sic igitur suam de voce ערבים sententiam profert, ac quare dualis sit numeri explicat, והנה יש לנו שני ערבים האחד עריבת השמש הוא עת בואו תחת הארץ והערב השני ביאת אור הנראה בעבים והנה יש ביניהם כמו משעה ושליש שעה h. e. *Et ecce sunt nobis duæ vesperæ; una est vespera solis, nempe tempus quo sol occidit sub terra; Secunda autem vesperæ est occasus luminis solis, quod apparet in nubibus. Et inter hasce vesperas est quasi hora, & tertia pars horæ.* Masius ad Jos. 5. vers. 10. ait certum esse ex iis, quæ Exod. 12. 6. & Deut. 16. scripta habentur, בערב (vespere) & בין הערבים (inter duas vesperas) idem tempus denotare. Scrupulum autem movet ex eo, quod scribitur Num. 33. 3. Israëlitas die decimo quinto mensis, postridiè Paschatis, ex Ægypto egressos esse, cum Pascha vesperi celebratum esset, ac vespera apud Hebræos ad diem sequentem pertineret, ex historiâ autem constet Israëlitas die, qui vesperam, quâ celebratum est Pascha, proximè secutus est, ex Ægypto excessisse. *Sic ergò* (inquit) *statuendum est,* בערב *&* בין הערבים*, hoc est, vesperam, illud diei tempus, quo nondum quidem orbe finiente excessit sol, sed tamen inclinatissimus prope ob occasu abest, agnumque Paschalem mactari solere die quidem 14. sed ejus extremâ parte; cum autem mactatus jam deinde esset assandus, cœnaque comparanda, noctem intereà advenisse, quæ ad diem 15. pertineret. Itaque in epulo accubuisse omnes eâ nocte, quæ lucem diei 15. cum præcederet, ejus diei esse pars censebatur.* Dubitat autem an in celebrandi Paschatis narratione, noctem insequentem possit quis dicere attributam esse diei præcedenti; atque ab istâ opinione existimat R. Mosen Nehemanidem non fuisse alienum. *Sane* (inquit) *nostros Evangelistas sic esse locutos fateri cogimur, cum eum diem, quo Christus [illegible]ebat suos abire paratum Cœnam, vocarent azymorum diem. Decimum enim quintum diem fuisse azymis consecratum, res est S. literis testata. Edebantur enim azyma simul cum agno eâ nocte, quæ ad diem 15. pertinens, decimumquartum finiebat. Et quid mirum est sic esse locutos Evangelistas, cum deus ipse jusserit* (Exod. 12. 18.) *azymis omnes vesci die 14. vesperi; quæ vespera erat reverâ diei 15. initium.* Addit se non facilè statuere posse, istorumne, qui post solis occasum mactandum esse agnum censent: an illorum, qui ante, opinio sit ad verisimilitudinem propensior. Concludit denique, aut mactandum fuisse ante occumbentem solem diei 14, ut plerique Judæi putant, aut si post occasum mactabatur, ut Abenezra & Faber autumant, tempus istud, ratione cæteroqui inusitatâ, fuisse diei decimo quarto adscribendum. † Mihi maximè videtur verisimile, agnum aliquot horis ante solis occasum fuisse mactatum, alioqui non video quomodo ante profundam noctem potuisset comedi, quod rationi parùm videtur consentaneum. * Serarius ostendit ex Josepho agnum fuisse immolatum ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης *a nona hora usque ad undecimam*, ita ut horâ tertiâ pomeridianâ (ut nos computare solemus) agnum immolare inciperent. Agni autem esum post solem occumbentem fuisse, potiùs quàm ante, cum ‡ Serario arbitror. Hoc ipso enim capite ver. 8. disertè dicitur agni carnes nocte fuisse edendas. Qui plura hùc spectantia videre cupit, consulat Serarium loco infra citato.

7. *Et accipient de sanguine, & ponent super duos postes* ועל המשקוף *& super superliminare*] Abenezra refert nonnullos existimare sanguinem ideò positum super postes & superliminare ostii, ut ostenderent se abominationem Ægyptiorum palam immolare, necne ab iis lapidarentur metuere, quod terror Israëlitarum in Ægyptios ceciderat. Hoc autem improbat, proptereà

† *Vide ad v. 15. Annot. 2.* * *Serar in Jos. 5. quæst. 31.* ‡ *Serar. & ib.*

reà quòd vesperi agnus esset immolatus, ac secretò clausis foribus omnia erant peracta. Rationem igitur istius ritus hanc assignat, ut sanguis iste propitiatio esset pro unoquoque, qui in in domo de agno comedisset, להיות כופר בעד כל האוכל בבית, atque signum esset exterminatori, cum eum aspiceret, quemadmodum dictum est (*Ezech.* 9. 4.) *Et signabis signum* &c. Similiter Kimchi ad illum Ezechielis locum, ait eum eodem modo intelligendum, quo id quod hic de sanguine agni Paschalis memoratur, excepto quòd cum hoc revera gestum fuerit, illud in visione Prophetica duntaxat fuit repræsentatum. Quorsum ista sanguinis aspersio spectabat, Deus ipse indicat v. 13. Hoc autem ad Christum (quem Judæi pro cæcitate suâ aspicere non possunt) cujus sanguine si corda nostra respersa fuerint, tuti erimus, referri novimus. R. Sal. ait superliminare seu superius limen vocari משקוף *quod ostium cum occluditur*, שוקף עליו *percutiat illud.* שקף Chaldaicè est *percutere*. Atque inde etiam Buxtorfius in Lexico Chaldaico magno ait superliminare sic dictum esse, nempe משקוף, *quia à januâ subinde percutitur.* Alii sic dictum putant à שקף Hebraicè *aspicere*, *prospicere*, quòd prospectui pateat. Abenezra per משקוף videtur intelligere fenestram super ostium, quemadmodum in tota Arabia usitatum esse testatur. Atque ex ejus (opinor) sententia Shindlerus in Pentaglotto, cum primò exposuisset משקוף *superliminare, limen superum prospectui patens*, addit, *aut fenestella supra ostium, per quam videtur, quis pulset aut vocet.* Et mox, *In Ægypto, sicut nunc in Arabia, erant fenestræ super januis ædium.* Cum autem postium mentio fiat, meliùs quadrare videtur, ut voce משקוף superliminare significetur. Lxx. ἐπὶ τὴν φλιὰν, *super limen.* Vulg. *in superliminaribus.*

8. על־מררים *Cum amaris* (*herbis.*)] Onk. על מררין quod idem sonat. Lxx. ἐπὶ πικρίδων, Latinè vertitur, *super picrides.* Cyprianus, referente Nobilio, habet *cum picridibus.* Notat autem Nobilius πικρίδα à Theodoro Gaza apud Aristotelem & Theophrastum verti *amaraginem* ac genus intybi esse asserit. Vulg. *cum lactucis agrestibus.* Lyra monet in Hebræo esse *cum amaritudinibus*, & quaslibet amaras herbas indifferenter intelligi. Jonathan autem certas quasdam herbarum species designat על תמכה ועולשין *Cum raphano majori*, *& nasturtio*, vel *cicoreâ.* Nam alii aliter interpretantur, ut notat Buxtorfius Junior in Lexico Syro-Chaldaico. Buxtorfius Senior in Lexico Chaldaico magno vertit, *Cum raphano & intybis.* R. Sal. ait כל עשב מר נקרא מרור i. e. *Omnis herba amara dicitur* * *meror.* Atque addit ideo agnum cum amaris herbis fuisse edendum, ut amaritudinis ejus, quam in Ægypto perpessi sunt memores essent, quemadmodum dictum est c. 1. 14. וימררו את חייהם *Et amaram reddiderunt vitam eorum.* Ita veteres Hebræorum Doctores sensisse docet Abenezra. Fagius istud Hebræorum dictum recitat מרור על שם שמררו המצרים חיי אבותינו במצרים, i. e. *Amara herba significant, quòd Ægyptii amaritudine afficiebant vitam patrum nostrorum in Ægypto.* Nota autem על quod propriè est *super*, hic idem valere quod עם. i. e. cum. Sic versu sequente, ראשו על־כרעיו *Caput ejus super crura ejus*, i. e. cum cruribus ejus, uti illic Abenezra notat על *super*, esse pro עם cum; atque ita alibi dictum observat, ויבאו האנשים על הנשים *Et venerunt viri super mulieres*, i. e. cum mulieribus.

9. *Ne comedatis ex eo* נא *crudum*] Onk. כד חי (a) *quando vivit*, seu *crudus est.* Sic enim חי 1 *Sam.* 2. 15. cùm in Hebræo textu, tum in Chaldaica Paraphrasi pro crudo usurpatur. R. Sal. ait id, quod non plenè assatum est, שאינו צלוי כל צרכו in Arabica lingua vocari נא *Na.* Similiter Abenezra ait Arabicè נא crudum significare; inter Arabicam autem linguam & Hebræam magnam esse cognationem, ac in utraque lingua literas אהוי sæpe inter se permutari. Lyra asserit in Hebræo esse *semicoctum*, quod quomodo verum sit, (b) non perspicio. Forte sequens vocabulum בשל cum נא conjungendum putavit; at accentus Rebia inter voces istas distinguit, unamque ab altera sejunctam esse arguit. Steuchus etiam citatâ expositione R. Salomonis ait Hebræum נא non *crudum*, sed *semicoctum* fuisse interpretandum. At istius assertionis suæ nullam rationem reddit.

ובשל מבשל במים *Nec coctum aqua*] Ad verb. *nec coctum coctum aquâ.* Atque ita Onk. ולא כד בשלא מבשל במיא. Jonathan fusius, sed non (opinor) rectiùs ולא כד בשלא בחמרא ומשחא ושקיני ולא מבשל במיא h. e. *nec quando coquitur vino, vel* (c) *oleo*, vel (*ullo*) *potu* seu *liquore*, *nec coctum aquâ.* Post בשל addi videtur majoris duntaxat explicationis gratiâ מבשל במים non ut diversa coctionum genera significentur. Sic Abenezra ait, מבשל

במים expositionem esse ejus quod præcessit בשל, ac monet vocem בשל de eo etiam usurpari, quod est igne assatum. Sic enim de agno Paschali, qui assandus erat, dictum esse (sc. Deut. 16. 7.) ובשלת ואכלת. Putat autem Abenezra verbis hisce מבשל במים specialem fortè quendam coquendi modum denotari, quem in regum eduliis usurpari ait, nimirum cum aheno aquâ simpleno supra ignem posito, simul ac aqua fervefacta fuerit, olla cum carnibus ac aqua frigida in eam imponitur, atque ita coquitur. Cibum ita coctum ait multò commodiorem esse, quàm qui igni appropinquat. Monet insuper בשל hic esse verbale adjectivum, ejusdem formæ cum כבד *gravis*, nec posse esse infinitum Piel, cùm quia Caph est cum cametz, & Beth raphata, tum quòd infinitivus non soleat ita conjungi cum participiis, sed duntaxat cum verbis sive præteritis, sive futuris. Hic igitur dictum esse בשל מבשל quemadmodum dicitur חכם מחכם *sapiens sapientificatus*, si ita loqui liceat.

10. *Et quod relictum ex eo usque ad auroram, igne comburetis*] Jon. *Et quod relictum fuerit ex eo usque ad auroram, seponetis, & die decimo sexto igne comburetis, neque enim licitum est ut reliquiæ oblationis sanctæ* (מותר נכסת קודשיא) *in die festo* (ביומא טבא) comburantur. Abenezra hic improbat opinionem Japheti, qui id quod de reliquiis igne comburendis dicitur, de ossibus exponit; ipse autem sic explicat אם יהיה אחד מכם שלא יוכל לאכול חלקו i. e. *Si quis infirmus sit, ut portionem suam comedere non possit.*

11. *Et sic comedetis eum, lumbi vestri erunt accincti*, &c.] Jon. *Et in hunc modum* (Vel *& juxta hunc ritum*, וכדין לכון) *comedetis eum hoc tempore, non autem per generationes, sive in secula* ולא לדריא. Id vult, tunc solummodò, cum primùm Pascha celebratum fuit, ritus istos fuisse observandos, non autem deinceps cum quotannis Pascha celebraretur. Similiter Abenezra ait hæc ad illud Pascha Ægyptiacum solummodò pertinere. Et refert hæreticos quosdam (המינים אשר בשעלן) hodie morem istum observare in memoriam egressionis ex Ægypto, ac eadem etiam de causa quindecim diebus è terra sua egredi. Vel, die decimo quinto יום חמשה עשר Id melius videtur quadrare; nam istô die mensis Israëlitæ ex Ægypto sunt profecti: Sed tunc dicendum videtur ביום חמשה עשר ut cap. 16. 1. & alibi sæpè in Scriptura legitur.

פסח הוא ליהוה *Pesach* (seu *Pascha*) *est Domini.* Chald. פסחא הוא קדם * *Pischa* (Sic Chaldaicè sonat) *est coram Domino.* Lxx. * πάσχα ἐστὶ κυρίῳ, *Pascha est Domino.* Scholiastes ex Theodoreto notat Philonem *Pesach* interpretari διαβατήρια *sacrificia pro transitu*; Josephum ὑπερβάσια, Sym. ὑπέρβασιν, *transitum.* Theodotionem autem ipsum Hebræum nomen retinuisse Φασέκ. Nobilius porrò citat Theodoretum asserentem nomen Hebraicum significare primogenitorum salutem, quod certè summam Hebrææ linguæ ignorantiam arguit. Vulg. *Est enim Phase* (id est *transitus*) *Domini.* Lyra monet ista, *id est transitus*, non esse in Hebræo, sed esse expositionem nominis *Phase* à Translatore additam. Minùs autem rectè rationem nominis reddit, nempe quòd tunc filii Israël recesserunt de Ægypto, ut transirent ad terram promissionis; item quod illâ nocte Dominus transiens per Ægyptum, percussit Ægyptios, & servavit Hebræos. Atque hoc ait id esse quod dicitur, *Et transibo per terram Ægypti*, &c. v. 12. Miror profectò vehementer hæc à Lyra homine Hebraicè erudito dici potuisse, cum istic in Hebræo sit ועברתי *Et transibo*, nec ad nomen פסח *Pesach* seu *Pascha*, seu *Phase* ulla sit allusio. Quid? quod v. 13. clarissimè ratio nominis est expressa, *Et erit sanguis vobis in signum super domos, in quibus estis, & videbo sanguinem* ופסחתי עלכם *& transibo* (seu potiùs, *& transiliam*) *super vos*, &c. Verbum פסח *Pasach* significat *transire*, seu potiùs *transilire*; atque inde nomen פסח *Pesach transitus*, seu potius *transilitio*, atque ideò ceremonia ista sic dicta fuit, quòd cum Deus peremisserit primogenitos Ægyptiorum, Israëlitarum domos agni sanguine respersas transilivit, eosque illæsos & incolumes servavit. Sic v. 27. זבח פסח הוא ליהוה אשר פסח על בתי בני ישראל במצרים בנגפו את מצרים ואת בתינו הציל i. *Pesach* (seu *transitio*) *est Domini qui transilivit domos filiorum Israël in Ægypto, cum percusserit Ægyptios, & domos nostras liberaverit.* Vide infra ad versum istum. R. Sal. ad hunc v. 11. rectissimè explicat, הקרבן הוא קרוי פסח על שם הדלוג שהקב״ה מדלג בתי ישראל מבין בתי מצרים וקופץ ממצרי למצרי וישראל אמצעי נמלט i. e. *Oblatio ista vocatur Pesach propter subsilitionem, quâ Deus quasi subsultim transivit domos Israëlitarum, quæ inter domos Ægyptiorum erant interpositæ; atque ita ab Ægyptio ad Ægyptium subsultavit, ut Israëlita in medio positus evaderet.* Miror hæc à Lyra, qui R. Salomonis vestigiis ubique ferè solet insistere, non fuisse animadversa. Fagius

* מרר Marar *est* amarum esse. (a) *Atque ita etiam Jonath.* Lxx. ὠμὸν crudum. *Et sic Vulg.* (b) *Forte Lyra, (atque ita etiam Steuchus) vocem* coctum *latius sumit, ut idem quod* assatum *denotet.* (c) *Vel* pinguedine, *ut etiam exponit Buxtorf. in Lex. Chald.*

* *Nobilius testatur in nonnullis codicibus & apud Theodoretum esse πάσχα γάρ ἐστι κυρίου*, Pascha enim est Domini.

gius refert nonnullos Hebræorum verbum פסח *Pasach* in toto hoc capite interpretati, *misereri & * parcere.* Quamvis autem ipse secutus (ut ait) Complutensem editionem, ita vertat, tamen non dissimulat Hebræum פסח propriè significare *saltare*, & *transilire*; atque inde claudum dici פסח *Pissech*, quòd cum ingreditur, quasi saltare & subsilire videatur. Hinc autem & festum illud nomen accepisse, à saltu angeli devastatoris. Et citat R. Davidem sic scribentem, ופסח יהוה על הפתח כלומר ידלג על הפתח בראותו הדם ולא יבא המשחית ולפיכך נקרא הזבח ההוא פסח h. e. *Et Pasach Dominus super ostium, quasi dicat, & transiliet ostium, cum viderit sanguinem, nec intrabit vastator; atque inde sacrificium istud vocatum est Pesach.* Notat insuper Græcam vocem πάσχα multos decepisse, quasi scilicet esset à πάσχω *patior*; quos tamen ab Augustino reprehensos dicit, ac citat Nazianzenum asserentem Hebræam vocem significare διάβασιν i. e. transitum. Perperam autem Nazianzenus ab illo citatus id ita explicat, quasi de Israëlitarum transitu ex Ægypto in terram Canaan esset intelligendum. Casaubonus exercit. 16. §. 11. ait eum veterem fuisse morem, sive curiositatem, ut in vocibus peregrinis, quarum non ignorarent etymum, satagerent aliquid invenire, quod earum significationi accommodarent. Sic in dictionibus Hebraicis etyma Græca, aut etiam Latina patres commentos esse, non quòd veram originem ignorarent, sicut multi hodie sibi persuadent, sed ex mera illa curiositate. Sic nomen *Jesus* a Græco ἰᾶσθαι *sanare* deduxisse; atque ita vocem πάσχα a verbo πάσχω, non quod veritatem ignorarent, sed propter illam ipsam curiositatem. Vide ibidem plura de voce πάσχα annotata.

13. *Et erit sanguis iste vobis in signum*, &c.] Jon. *Et erit sanguis victimæ Paschalis, & circumcisionis permixtus vobis, ut ex eo faciatis signum super domos in quibus habitatis, & videbo meritum sanguinis* (ית זכות ארמא) *& parcam vobis, nec in vos potestatem habebit angelus mortis, cui permissum est perdere, cum in terra Ægypti occisionem fecero.* Quod de merito sanguinis dicit, non malè dicitur, si de sanguine Christi ad quem circumcisio pariter ac agnus Paschalis respexerunt, intelligatur.

Et videbo sanguinem: &c.] R. Sal. ait omnia coram Deo esse aperta ac manifesta, sed hoc ita esse intelligendum quasi Deus diceret, נותן אני את עיני לראות שאתם עסוקים במצותי ופוסח אני עליכם i. *Ponam oculum meum, ut videam vos in mandato meo exequendo occupatos, & transiliam vos.* R. Arama (referente Manasse quæst. 15. in Exod.) ait Deus non indigere signo ullo, uti exploratores, qui jusserunt Rahab funiculum dibaphum è fenestra suspendere; sed hoc signum fuisse אות ברית i. *signum fœderis*, nempe inter Deum & Israëlitas facti. Certissimum est, signum istud non ad commonefaciendum Deum, sed ad confirmandos Israëlitas fuisse institutum, præterquam quòd altius mysterium in re ista fuerit.

ופסחתי עלכם *Et transiliam vos*] Onk. ואחוס עליכון *Et parcam vobis.* Et sic Jon. vide supra quæ ad v. 11. in margine sunt notata. LXX. καὶ σκεπάσω ὑμᾶς, *Et protegam vos*, & sic v. 27. פסח reddiderunt ἐσκέπασε *protexit.* At v. 23. ופסח יהוה על הפתח καὶ παρελεύσεται κύριος τὴν θύραν, *Et pertransibit Dominus ostium.* Chaldæus ubique *parcere* interpretatur.

15. *Septem diebus comedetis azyma*] Lyra ait R. Salomonem in hunc locum dicere, præceptum de comedendis azymis septem diebus, in primâ Paschatis celebratione locum non habuisse; idque ita videri ait, quia dicitur Israëlitas ex Ægypto exeuntes non potuisse panes suos præ festinatione fermentare, Ægyptiis nimirum eos ad exeundum urgentibus. Hinc enim videri causam, quarè comederunt azyma, non fuisse præceptum aliquod, quo ad id erant obstricti, sed duntaxat quòd tempus fermentandi non habebant. Item quia suprà dictum est, *Et edent carnes nocte illâ assas igne, & azymos panes*; ex verbis illis, *nocte illâ*, videri obligationem de azymis non extendisse se nisi ad vesperam primi diei, quando carnes agni comedebantur; Rationem autem hanc assignat, quod erant in itinere; propterea enim ait eis prohibitum non fuisse comedere fermentatum, si haberent, nisi eâ vesperâ, quâ agnus fuit immolatus. Quod autem de R. Sal. refert Lyra, ego in illius ad hunc locum commentario non invenio. Istiusmodi quædam habet Abenezra, qui ait Israëlitas jussos esse comedere panes azymos septem diebus in memoriam exitus ipsorum ex Ægypto; non enim jussos fuisse comedere azyma (in primâ sc. Paschatis celebratione) nisi ea, quæ cum Paschate (seu agno Paschali) ante mediam noctem fuerunt comesa. At septem diebus jussos fuisse vesci azymis in memoriam ejus, quod eis accidit, cum ex Ægypto egressi sunt, nempe massam ipsorum, uti dicitur v. 39. non fuisse fermentatam. Si enim eis per Ægyptios moram facere licuisset, eos massam suam fermentaturos fuisse; septem autem diebus ex quo ex Ægypto exierunt, eos azyma comedisse, nempe (a) usquè ad diem quo submersus est Pharao, quod die septimo post exitum Israëlitarum ex Ægypto accidisse existimat; atque istam omnium Hebræorum sententiam esse Tremellius & Junius ad hunc locum testantur. Citat autem Abenezra illud Deut. 16. 3. *Septem diebus comedes cum eo* (nempe cum agno Paschali) *azyma, panem afflictionis (nam festinanter egressus es ex Ægypto) ut memor sis ejus diei, quo egressus es ex Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.*

אך ביום הראשון תשביתו שאר מבתיכם *Utique die primo cessare facietis fermentum ex domibus vestris*] (b) Abenezra ait Israëlitas ex traditione incepisse mactare agnum Paschalem cum sol ad occasum inclinaret; ac scriptum esse (nempe Exod. 23. 18.) לא תזבח על חמץ דם זבחי *non sacrificabis* (sic in textu Hebræo habetur, in commentariis autem Abenezræ est לא תשחט *non mactabis*) *sanguinem sacrificii mei cum fermento.* Ac propterea hunc locum ita intelligendum ait quemadmodum cum dicitur (Gen. 2. 2. ויכל יהוה ביום השביעי *Et compleverat Dominus in die septimo*, h. e. cum inchoatus esset dies septimus, jam completum fuit ejus opus. Ita hoc in loco, *in die primo cessare facietis fermentum e domibus vestris*, *i. e.* cum inchoatus fuerit dies primus, jam tunc erit, ut omne fermentum in domibus vestris esse desinat. תבואו היום הראשון כבר נשבת כל השאור מבתיכם Addit autem initium diei primi esse finem diei decimi quarti in vesperà. Hic enim scriptum esse *à die primo ad diem septimum*; septem autem dies completos fuisse à die decimo quarto in vesperà, quæ fuit finis istius diei decimi quarti, ad diem vicesimum primum vesperi. Istis nimirùm septem diebus comedere debebant azyma, uti disertè dicitur *v.* 18.

Nam quicunque comederit fermentatum, excindetur anima ex Israële.] In Codice Maccoth c. 3. §. 2. inter eos, qui vapulationi subjacent, recensetur האוכל חמץ בפסח *qui comedit fermentatum in Paschate.* Coch in Annotat. ait huic supplicio succumbere, qui violat interdictum, quod Excisionem animæ comminatur; morti autem corporis non addicit. At quid per excisionem istam, de quâ hic & alibi sæpè in Scripturâ fit mentio, intelligatur, inter ipsos Hebræorum Doctores haud satis convenit. R. Bechai à (c) Seldeno citatus dicit triplicem esse excisionem, nempe יש כרת לגוף לבדו *est* (inquit) *excisio, qua corpus solum exciditur.* ויש כרת לנפש לבדה *& est excisio, qua anima duntaxat exciditur.* ויש כרת לשניהם לגוף ולנפש *Et est excisio, quâ anima pariter ac corpus exciditur.* Per primum excisionis genus Seldenus ex Hebræorum sententiâ ait mortem præmaturam intelligi; per secundum autem ipsius animæ interitum, ita ut esse planè desinat. Per tertium denique genus excisionis, tam vitam ante tempus cœlitùs præripi, quam animam ampliùs omninò non esse. Asserit idem (d) Seldenus כרת i. e. Excisionem Talmudicis esse pœnam (e) cœlitùs infligendam, ac propterea reprehendit quendam, qui in versione Canonum Maimonidis de pœnitentiâ כרת non semel vertit *excommunicatio*, quam interpretationem à mente Magistrorum alienissimam esse dicit. Fagius ait excisionem animæ hic & in aliis locis memoratam, quosdam Hebræorum ita intelligere, quasi talis homo partem non haberet futuri seculi, per animam intelligentes animam immortalem, quam alio nomine נשמה העליונה *animam supremam* nuncupant. Sed veriorem esse ait Abenezræ sententiam, (f) qui per נפש i. e. *animam* intelligit hominem שיש לו גוף i. corpus animatum. *Debet ergo* (inquit) *secundum istius sententiam anima, hoc est, homo transgressor azymorum, excindi ex Israël, q. d. non debet tolerari, sed potiùs extirpari & occidi.* Addit Hebræos diversimodè quoque istud excidium intelligere. (g) Quosdam enim putare excidium istud esse, cum quis præmaturà morte præventus obiit, hoc est, circiter annum quinquagesimum secundum. Alios autem, quando quis moritur sine liberis; ac dictum eorum citat, כי שאין יש לו בנים חשוב כמת אבל כי שיש לו בנים כאלו הוא חי ושמו לא נכרת i. e. *Cui non sunt filii,* re-

* *Sic Onk. & Jon. ver. 13. & 23. & 27. Et R. Sal. ibi primò exponit (sed ex aliorum, ut videtur, sententiâ)* וחמלתי *per* וחמלתי *i. & parcam; Sed addit,* ואני אומר כל פסיחה לשון דלוג וקפיצה *i. Ego autem dico vocem Pasach semper saltationem denotare, & mox* וכן כל הפסחים הולכים כקופצים *& sic omnes Pissechi, i. e. claudi ambulant, quasi saltantes. Vide ad v. 13.*

(a) Vide ad v. 16. (b) קבלה היתה ביד ישראל שהלו לשחוט את הפסח כנטות השמש לצד מערב (c) *Seld. de Jur. Nat. &c. lib. 7. cap. 9.* (d) *Seld. ibid.* (e) *At vide c. 31. 14, 15. Et quæ ad locum istum sunt annotata.* (f) *Ita vocem istam exponit Abenezra ad Gen. 17. 14.* (g) *Ista etiam ex Abenezra ad Gen. 17. sunt excerpta.*

reputatur quasi mortuus. Cui vero sunt filii, perinde est ac si adhuc vivat, & nomen ejus non est excisum. R. Sal. ad Gen. 17. vers. 14. utrumque (ut ad locum istum olim annotavi) per excisionem animæ intelligit, nempe & orbitatem, & præmaturam mortem. Ejus verba sunt, הולך ערירי ומת קודם זמנו Hic autem non possum præterire insignem hallucinationem * Chamieri, viri alioquin eruditissimi (neque enim fas esse arbitror ita de eo suspicari, ac si sciens prudens falsum scripserit) qui contendens infantes, qui post octavum diem moriebantur incircumcisi, æternæ damnationi fuisse obnoxios (quo nomine doctissimus † Rivetus eum meritò redarguit) asserit exterminium illud (de quo Scriptura loquitur) etiam Rabbinos de morte æterna interpretari. Ac deinde citat Abenezram sic scribentem, כי אם מת הנער ולא נמול אין לו חלק לעולם הבא i. *Nam si moritur puer, & non fuerit circumcisus, non habebit partem in futuro seculo.* At (quod ad Geneseos locum annotavi) hæc non est ipsius Abenezræ sententia, sed aliorum quorundam, quos refellit, ac errantes appellat. Ante verba ista à Chamiero citata sic habet, ושבו הטועים i. e. *Errantes autem existimabunt*; deinde ista ab eo citata sequuntur, כי אם מת וכול h. e. *quod si moriatur*, &c. Sic enim illic כי verti debet *quod*, non *nam*. Refert etiam Fagius eundem authorem (nempe Abenezram) ‡ annotare se in totâ Scriptura invenire viginti tres locos, in quibus Deus כרת i. e. *exterminium* comminatur his, qui transgrediuntur præcepta negativa, at de præceptis affirmativis, ubi aliquid fieri præcipitur, tantum inveniri כרת *excidium* ubi de circumcisione & Paschate rite celebrando agitur. Hinc Fagius non malè observat, quanti facienda sunt Sacramenta à Christo instituta, quibus ille veram sui communionem nobis exhibet.

16. וביום הראשון *Et in die primo*] Abenezra ait primum istum diem eum esse, in quo egressi sunt Israelitæ ex Ægypto; septimum autem eum, in quo Pharao est submersus. Vide ad v. 15. Annotat. 1.

כל־מלאכה לא־יעשה בהם *Nullum opus fiet in eis*] Ad verb. *Omne non fiet*, &c. Sed Hebræis *omnis non* valet *nullus*. Sic Psalm. 143. 2. לא יצדק לפניך כל חי *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. i. e. Nullus vivens justificabitur. Hebraismus iste etiam in Novo Testamento reperitur Rom. 3. 20. διότι ἐξ ἔργων νόμου ὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. *Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro*; i. e. nulla caro justificabitur. Et Luc. 1. 37. ὅτι ὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα. *Nam non erit impossibilis apud Deum omnis res*; i. e. nulla res erit impossibilis, *Ubi etiam ex Hebrææ linguæ idiotismo ῥῆμα verbum pro re usurpatur.* Lxx. πᾶν ἔργον λατρευτὸν ὐ ποιήσετε. *Nullum opus servile facietis.* Hinc constare potest, distinctionem, quam inter λατρείαν & δυλείαν assignant Pontificii, nempe λατρείαν strictius sumi, ac cultum Deo soli debitum denotare, esse inanem. Ad hunc ipsum Græcæ versionis locum Nobilius fatetur, etiamsi λατρεία sæpe significet cultum religiosum Deo exhibitum, tamen istius vocabuli notionem latiùs patere, atque interdum utilia etiam ministeria significare.

17. ושמרתם את־המצות *Et observabitis azyma*] i. e. festum azymorum. Lyra etiam hic de R. Salomone id refert, quod ego apud eum non reperio, nempe hinc constare obligationem hujus præcepti suspensam fuisse quamdiu fuerunt in deserto, nec celebratum fuisse Pascha post exitum ex Ægypto nisi semel, nempe anno secundo, ex quo egressi sunt: atque ideò dici לדרותיכם *in generationes vestras*, scilicet quæ intrabunt in terram promissionis. In commentario R. Sal. ad hunc locum hujusmodi nihil habetur. Abenezra autem ad vers. 25. ait inde constare, immolationem Paschatis ad terram Canaan fuisse limitatam; עתה פירש כי שחיטת הפסח תלויה בארץ Nec obstare ait, quòd ad montem Sinai Pascha fuit celebratum; id enim ex peculiari Dei mandato factum fuisse (כי מצוה עליונה היתה) aliud autem, præter illud Pascha in deserto Israëlitas non celebrasse. Istic enim ad montem Sinai propè terram habitatam fuisse (עם חשוב) ac azymos panes invenisse; at cum in deserto isto, per quod nemo transiit, fuerint, nihil nisi mannam habuisse. Ad istum etiam locum (nempe vers. 25.) Lyra ait inde videri Israëlitas ad observandas ceremonias Paschales non fuisse obligatos usque dum in terram promissam venissent. Mihi videtur verisimilius eos à prima Paschatis institutione id quotannis observare debuisse, nisi forte ex itinere essent præpediti. Vide Num. 9. 10, 11, 12, 13. Illud magis in adversum valere videtur, quod circumcisio toto tempore profectionis Israëlitarum in deserto intermissa fuit, uti constat ex Jos. 5. 5. incircumcisis autem de agno Paschali comedere non licuit, uti hic vers. 48. disertè dicitur.

18. בראשן בארבעה עשר יום לחדש *In primo (mense) in quarto decimo die mensis*, &c.] Jon. *In Nisan, decimo quarto mensis sacrificabitis Pascha, & in vespera diei decimi quinti comedetis azymaque ad diem vicesimum primum mensis; in vespera autem dies vicesimi secundi comedetis fermentatum.* Abenezra monet hic cum dicitur בראשון concisam esse locutionem (דרך קצרה) ac sensum esse, בחדש הראשון *in mense primo*. Sic *Ezech.* 29. 1. בעשרי בשנים עשר לחדש, *In decimo (mense) (die) duodecimo mensis.* Masius ad Jos. 5. 10. (ut supra ad vers. 6. retuli) notat peculiarem quendam loquendi modum hic usurpari, cum dicitur die decimo quarto vesperi azyma fuisse comedenda; nam vesperam istam reverà ad diem decimum quintum pertinuisse. * Goodwinus noster in libro vernaculâ linguâ scripto, cui titulum fecit *Moses & Aharon*, monet Judæos de Paschate loquentes aliquando juxta civilem computationem, quâ dies ab ortu solis, aliquando autem juxta sacram computationem, quâ dies ab occasu solis inchoatur, locutos esse. Atque hinc cum aliis Scripturæ locis conciliari illud quod hoc in loco dicitur, quasi nimirùm decimus quartus dies primi mensis fuisset primus dies azymorum. Similiter & illud Matth. 26. 17. ubi dicitur discipulos primo die azymorum ad Christum venisse dicentes, *Ubinam vis paremus Pascha?* Quasi scilicet primus dies azymorum præcessisset Pascha. Juxta dierum civilium computationem hæc vera esse dicit, etiamsi juxta dierum festorum computationem festum azymorum die decimo quinto inceperit, ac Paschate posterius fuerit. Atque hinc etiam interpretatur id quod Josephum Antiq. lib. 2. cap. 5. refert dicere, nempe azymorum festum per octiduum durasse, si nimirum dies ab ortu solis ad occasum mensuretur, alioqui reverà non nisi septiduanum istud festum fuisse.

19. בגר ובאזרח הארץ *Sive sit peregrinus, sive indigena terræ.*] Ad verb. *in proselyto, & indigena terræ.* Abenezra ait intelligendum de גר צדק *proselyto justitiæ* Proselyti nimirum duplicis fuere generis; fuerunt *proselyti justitiæ*, qui circumcisi fuerunt, ac omnes legales ritus observaverunt. Fuerunt item גרים תושבים *proselyti* † *inhabitantes*, sive *inquilini*, qui modò septem præcepta filiis Noæ, i. e. toti humano generi data observarent; à circumcisione ac reliquis Legis ceremoniis fuerunt liberi. Vide Buxtorf. in Lex. Talmud. rad. גור, & Selden. de Jure Nat. &c. lib. 2. cap. 3.

21. משכו וקחו לכם צאן *Extrahite, & accipite vobis pecudem*] Hebræum צאן *Tson*, etiamsi plerumque reddatur *ovis*, tamen ad capras pariter ac oves refertur. Hoc in loco tam hædum, quàm agnum denotat. Quod autem hic dicitur משכו *trahite* vel *extrahite*, Jonathan in alienum sensum trahit, quippe qui sic παραφράζει, נגודו ידיכם מטעות מצרים, *abstrahite manus vestras ab idolis Ægyptiorum.* Similiter R. Sal. ad vers. 5. refert R. Mattathiam exposuisse משכו ידיכם מע״ז וקחו לכם צאן של מצוה i. e. *abstrahite manus vestras ab idololatria, & sumite vobis pecudem præcepti*, id est, quam præcepit Deus. At ipse R. Sal. ad hunc versum exponit, משכו מי שיש לו צאן ימשך משלו *Extrahite; Qui habet pecus, de suo extrahat.* וקחו מי שאין לו יקח מן השוק *Et accipite; Qui non habet, aliunde accipiat.* Ludovicus de Dieu ad Jer. 5. 8. ait verbum משך (quod est *trahere, extrahere*, &c.) cum absolutè usurpatur, sæpe significare משך הרגל *protractionem pedis*, atque idem esse quod *ire, incedere, progredi*. Sic exponit illud Gen. 37. 29. וימשכו ויעלו את יוסף מן הבור *Et protraxerunt* (sc. pedes i. e. iverunt) *Et sustulerunt Josephum è fossa.* In eundem modum exponit verbum illud Deuter. 21. 3. & Jud. 4. 6. & 20. 37. & Job. 21. 33. Ita & hoc in loco, Ite & accipite, &c. Uti Lxx. ἀπελθόντες λάβετε. Et Vulg. *Ite tollentes.* Quin & alibi sæpe Lxx. Interpretes istud verbum ita interpretari observat. Sanè in aliquibus horum locorum, nimirùm Jud. 4. 6. & 20. 37. & Job. 21. 33. *trahendi* significatio minùs quadrare videtur: at hoc in loco satis videtur commoda, ut nimirùm ad pecudem referatur. Nec video cur non satis sit idonea ista interpretatio Gen. 37. 29. & Deut. 21. 3.

22. *Et accipietis* אגדת אזוב *fasciculum hyssopi*] R. Sal. ait שלשה קלחין קרוין אגדה *tres caules* (sc. inter se conjuncti & colligati) *vocantur agudda* sive *fasciculus*. Buxtorfius in Lex. Talm. rad. אגד & Lud. de Dieu. ad hunc locum citant Maimonidem dicentem אגודה esse כה שאוחז אדם בידו אחת *quantum quis comprehendit manu unâ*; ita אגודה erit *manipulus*. Ibidem etiam Lud. de Dieu & Buxtorf. in Lex. Talm. rad. אזב ex Hebræorum sententia docent fasciculum hunc ex tribus caulibus factum fuisse, quorum quisque tres alios ramusculos habebat; Buxtorfius ait minimùm tres. Ac citant ex codice Talmudico *Para* cap. 11. מצות אזוב שלשה קלחי׳ ובהם שלשה גבעולים *Præceptum hyssopi* (id est,

* *Cham. tom. 4. l. 3. c. 3.* † *Rivet. in Gen. Exercit. 89.* ‡ *Ista habet Abenezra ad v. 47.*

* *Goodwin. Mos. & Ahar. lib. 3. cap. 4.* † *Secundi generis proselytus etiam dicitur* גר שער *proselytus portæ. Vide infra ad v. 49.*

est, de fasciculo hyssopi) *erat ut constaret tribus caulibus, in quibus essent tres culmi*, sive *ramusculi*. De voce autem * אזוב *Ezob*, plerique vertunt hyssopum, idque ob affinitatem literarum, ut notat Lud. de Dieu, qui tamen refert Arabem Interpretem vertere *Origanum*; atque ita etiam interpretari R. Davidem in Radic. Addit alios *parietariam* fuisse velle, vel *rutam murarium*, motos sc. loco 1 Reg. 4. 33. In lingua autem Æthiopica ait אזב significare *mentham*; poni enim pro ἡδύοσμον Matth. 23. 23. Atque illam herbam asserit meliùs quadrare cum loco 1 Reg. 4. 33. quàm hyssopum. Cum enim non fruticescat, neque liquescit, quorum utrumque contingit hyssopo, rectiùs opponi cedro, tanquam minimam plantam altissimæ arbori. Cumque nullo negotio, & luxuriosè admodum proveniat mentha, abundeque propagetur, sic ut eradicari vix possit, ubi semel radices egit, non ineptè etiam è pariete egredi dici. Eandem quoque herbam in fasciculum colligatam aptissimam esse adspergillis. R. Sal. de hoc vocabulo tantùm ait מין ירק שיש לו גבעולין i. e. *Est species oleris* (sive *herbæ*) *cui sunt caules*. Abenezra refert R. Saadiam dicere *Ezob* Arabicè esse צעתר Vernaculè אוריגנו *origanum*, herbam nempe pretiosam inter species ciborum delectabilium. Hoc autem improbat, propterea quòd *Ezob* in Scriptura dicatur è pariete exire. Fatetur igitur se nescire quid sit, sed conjecturam facere herbam esse invalidam, quippe quæ cedro opponitur.

Et tingetis sanguine quæ est בַּסַּף *in pelvi*] Chald. בִּמָנָא *in vase*. Jon. בִּמַן פַּחְרָא *in vase figulino*. Rab. Salomon בכלי *in vase*; ac indicat simili sensu dictionem istam reperiri 2 Reg. 12. 13. ספות כסף *crateres argentei*. Ita etiam usurpatur vox ista in plurali ספות 2 Sam. 17. 28. Abenezra de interpretatione vocabuli סף *Saph* hoc in loco videtur hæsitasse; nihil enim ipse statuit, sed tantùm refert nonnullos pro vase accipere, prout in isto Samuelis loco sumitur; alios autem interpretari limen, uti vox ista alibi in Scriptura sæpe significat. Agnum ex eorum sententia juxta limen ostii mactatum fuisse ait, atque ita hyssopum sanguine agni tinctum postes aspersisse. Lxx. Interpretes eo sensu acceperant, ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ παρὰ τὴν θύραν, *de sanguine, qui est juxta ostium*. Sic Vulg. *in sanguine qui est in limine*. Augustinus interpretatione ista motus dubitat utrum agnus juxta ostium erat occidendus, an potiùs ille, qui liniturus erat super limen & postes, vas ipsum in quo sanguinem excepit, juxta ostium erat positurus, ut ad manum haberet quando tingeret. Certe cum dictio סף *Saph* etiam de vase usurpetur, ea significatio multo melius hic convenit. Steuchus etiamsi Vulgatum Interpretem aliquatenus excusare conetur, fatetur tamen Hebræam vocem hic pelvim denotare, uti omnes testantur Hebræi. Idem de Benedicto & Cajetano testatur Amama. *In Hebræo* (inquit Lyra) *est in bacino, est enim vas argenteum, in quo recipitur sanguis agni immolati*. Addit, *Quia tamen iste bacinus fuit prope limen ostii, quando debebat fieri aspersio, ideo forsan Translator posuit, in limine*. At potiùs (ut suspicatus est Steuchus) Interpres vocis ambiguitate deceptus fuit. Quòd autem Lyra dicit *Saph* esse vas argenteum, nescio unde habuit. Fortè oculum suum defixum habuit in illud quod R. Sal. ex 2 Reg. 12. citat, ספות כסף quod tamen non arguit *Saph* ubicunque de vase usurpatur, vas argenteum denotare.

24. *Et observabitis hanc rem*, &c.] Abenezra ait multos existimare aspersionem superliminaris, & duorum postium sanguine per singulas generationes fuisse observandum in celebrando Paschate, quoniam illud *& observabitis rem istam*, &c. statim post mentionem de hyssopo assumendo, eoque in sanguine intingendo factam sequitur; & quia posteà (nempe vers. 27.) dicitur *Et dicetis Pascha* (seu *Transilitio*) *est Domini qui transilivit domos filiorum Israël*, &c. Et ait per conjecturam (seu probabiliter כדרך הסברא) ita videri potuisse nisi obstaret perfecta veritatis traditio (לולי קבלת האמת הנגמר) Respondet igitur illud, *Observabitis hanc rem* referri ad illud, *immolate Pascha*, vers. 21. filios autem ideò de Paschate quæsituros (uti dicitur vers. 26.) quòd viderent totam familiam congregatam agnum comedere integrum, caput unà cum cruribus & intestinis, nec ullum ex ossibus ejus confringi; quodque alienigena, & inquilinus, & præputiatus de eo non comederet, cujusmodi in aliis solennitatibus consuetudo non erat.

25. *Et eris cum veneritis in terram*, &c.] Vide supra ad vers. 17.

27. זֶבַח־פֶּסַח הוּא לַיהוָה אֲשֶׁר פָּסַח עַל־בָּתֵּי בְנֵי־יִשְׂרָאֵל בְּמִצְרַיִם *Sacrificium Paschatis est Domini, qui transilivit domos filiorum Israël in Ægypto*.] Onkel. דבח חיס הוא קדם יי דחס על בתי בני ישראל במצרים *Sacrificium misericordiæ est coram Domino, qui misertus est domorum filiorum Israël in Ægypto*. Fagius aliam secutus videtur lectionem; quippe qui vertit, *Sacrificium Pesah est coram Domino, qui transilivit domos*, &c. Similiter Jon. נכסת חיסא הוא קדם יי דחס במימריה על בתי בני ישראל במצרים *Sacrificium misericordiæ est coram Domino, qui verbo suo misertus est domorum filiorum Israël in Ægypto*. Ita etiam Abenezra hic פסח exponit *parcere*, atque ait agnum vocatum esse *Pesach*, quia Deus ob sanguinem agni primogenitorum Israëlis misertus est, eique pepercit. Atque eam verbi istius notionem esse arbitratur, Isai. 31. 5. פסח והמליט Abrabaneel ad illum Prophetæ locum in eundem modum explicat, ר״ל שירחם עליהם ויפלט אותם *vult dicere, quod miserebitur eorum, & eripiet eos*. Mihi expositio R. Salomonis antea ad vers. 11. memorata videtur amplectenda.

29. *Et factum est* בַּחֲצִי הַלַּיְלָה *in medio noctis*] Jon. בפלגות ליליא דחמיסר *in divisione* seu *parte noctis decimæ quintæ*. Vocabulum חצי, etiamsi exponi soleat *dimidium*, tamen non semper præcisè dimidium designat, sed quamlibet partem. Formatur nimirum à חצה quod est *dividere*, sive id in duas æquales partes fiat, sive non. Vide quæ ad Gen. 33. 1. annotavi. Onkelos igitur & Jonathan interpretantur חצי per פלגות quod simpliciter sonat *divisionem*, à פלג *dividere*. Quod autem hic noctu factum fuisse narratur, id Num. 8. 17. diei attributum videtur; ביום הכותי כל בכור בארץ מצרים *quo die percussi omnem primogenitum in terrâ Ægypti*. Sed * Manasses Ben Israël rectè hoc conciliat, observans discrimen esse inter יומם *interdiu*, & יום *dies*; illud enim diem artificialem, nempe tempus, quod ab ortu solis ad occasum durat, denotare; hoc autem diem naturalem, qui ex 24 horis constat, ac propterea etiam noctem in se complecti. Imò יום interdum generaliùs sumi, ac idem quod זמן i. e. *tempus* significare; ac propterea in illo Numerorum loco potiùs vertendum esse, *quo tempore percussi*, &c.

A primogenito Pharaonis הַיֹּשֵׁב עַל־כִּסְאוֹ *qui sedebat super thronum suum*.] Onkelos & Jonathan ad primogenitum sessionem istam referunt. Sic enim vertunt דעתיד למתב על כורסי מלכותיה *qui sessurus erat super thronum regni ipsius*. Vide suprà ad cap. 11. vers. 5.

עַד בְּכוֹר הַשְּׁבִי אֲשֶׁר בְּבֵית הַבּוֹר *Usque ad primogenitum captivi, qui erat in foveâ*.] Ad verb. *in domo foveæ*. cap. 11. 5. עד בכור השפחה אשר אחר הרחים *Usque ad primogenitum ancillæ, quæ est post molam*. R. Sal. ait primogenitum ancillæ hic esse comprehensum; computationem enim factam esse à summo ad infimum; captivam autem ancillâ esse inferiorem. Ego potiùs assentiendum arbitror Abenezræ, qui ad cap. 11. 5. notat Prophetas non tam ad verba, quàm ad sensum attendere. Sic enim *Gen*. 24. vers. 17. esse הגמיאיני at vers. 45. השקיני. Verba sunt diversa, sensus idem. Sic etiam in præcepto quarto Exod. 20. notat esse זכור *memento*, at Deut. 5. שמור *Observa*. Et in præcepto nono Exod. 20. esse עד שקר *testis mendax*; at Deut. 5. עד שוא *testis vanus*. Et in præcepto decimo Exod. 20. esse לא תחמד *Non concupisces*; at Deut. 5. לא תתאוה *Non desiderabis*. Hæc etiamsi verbis differant, tamen (ut dicit) שוים בטעם *sensu conveniunt*. Similiter his in locis *primogenitum ancillæ*, & *primogenitum captivi* eodem recidere כי השביה שפחה היא *Captivam enim fuisse ancillam*. Quin & vinctos, (ac molentes interdiu) ait noctu in foveam fuisse detrusos; quemadmodum Joseph dixit se in foveâ fuisse positum. Gen. 40. 15. Ad hunc autem locum dicit בבית הבור *in domo foveæ* idem valere quod בבית הסהר *in domo carceris*; etiamsi referat Japhethum dicere captivos qui interdiù in carcere molebant, noctu in foveam fuisse demissos, & lapidem molarem ad ostium foveæ fuisse positum. Mihi videtur בית הבור *domus foveæ* minus latè patere quàm בית הסהר *domus carceris*, ut nimirum per foveam, sive domum foveæ infima pars carceris intelligatur; atque in istam carceris partem captivos & vinctos noctu fuisse detrusos (quod & apud nos fieri videmus) satis est verisimile, etiamsi lapidem molarem ostio foveæ fuisse impositum minùs videatur probabile.

30. *Neque enim domus erat, in quâ non erat mortuus*] *An & hoc* (inquit Augustinus) *divinitus præscientiâ Dei fuerat procuratum, ut in omnibus omninò essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Ægyptii?* Abenezra ait, Scripturam id de omnibus dicere, quod maximæ parti competebat על הרוב דבר הכתוב. Atque ita quidem non rarò loqui solet Scriptura. Vide Isai. 57. 1. Jer. 5. 1. & 9. 2. Ezech. 22. 30. Phil. 2. 21. R. Sal. non improbabiliter ait, † Si in domo aliquâ fuit primogenitus, eum

* *Chald.* אזובא Lxx. ὑσσώπου. *Vulg. hyssopi.*

* *Manass. concil. in Exod. quæst.* 16. *Sic Abenezra ad c.* 13. 21. *notat* יומם *semper denotare tempus, quo sol est super terram; at* יום *etiam de nocturno tempore interdum usurpari, ac certè illud Num.* 8. 17. *&* 2 *Reg.* 7. 9. † *Sic Trem. & Jun.* Sive primogenitus, sive primarius loco primogeniti.

cum mortuum esse; si non fuit primogenitus, qui in domo maximus fuit, pro primogenito habitum fuisse; ac citat illud Ps. 89. vers. 27. אף אני בכור אתנהו *Etiam ego primogenitum constituam eum*, i. e. summum, maximum, prout sequitur, *celsiorem regibus terræ*.

31. ויקרא למשה ולאהרן *Et inclamavit Mosen & Aharonem*] R. Sal. ineptit, asserens Scripturam hîc indicare, Pharaonem ad portas urbis se contulisse, ac clamasse, *ubi habitat Moses? ubi habitat Aharon?* Quomodo autem id quod hîc de Pharaone narratur, intelligi debeat, vide supra ad cap. 11. 8.

32. *Et benedicatis etiam mihi.*] Abenezra hinc colligit Pharaonem Mosi ac Aharoni sacrificia, quæ pro ipso afferrent, dedisse. Sed parum firma est collectio. Vide ad cap. 10. 25.

33. *Dixerunt enim, Omnes sumus mortui.*] Jon. & Hieros. *Si Israelitæ morati fuerint hîc horâ unâ, ecce omnes sumus mortui.*

34. על שכמם *Super humeros suos*] R. Sal. ait Israelitas, etiamsi multa jumenta secum haberent, humeris tamen suis massam ac mactram portasse præ animi alacritate, quâ ad divinum mandatum exequendum se accinxerunt. אף שבהמות הרבה הוליכו עמהם מחבבים היו את המצוה Ego potiùs cum Abenezra existimarim Israelitarum jumenta supellectile istâ pretiosâ, quam ab Ægyptiis petierunt, fuisse onusta.

36. וישאלום *& dederunt* (nempe Ægyptii) *illis* (sc. Israëlitis)] שאל *Shaal* est *petere*; השאיל *Hiphil*, *dare*, *tradere*. Ad verb. juxta analogiam verborum in Hiphil sonat, *facere ut quis petat*. Eam verbi vim hîc in animo habuisse videtur R. Sal. qui sic explicat; אף מה שלא היו שואלים הם היו נותנים *etiam quod* (*Israëlitæ*) *non petebant*, *illi* (*sc. Ægyptii*) *dabant*. Verbo isto innui putat, Ægyptios plus, quàm Israelitæ petebant, dedisse. Quasi diceret Ægyptius אתה אומר אחד טול שנים ולך *Tu unum petis, accipe autem duo & vade*. Ita scilicet Israelitarum discessum desiderabant Ægyptii. Lxx. καὶ ἔχρησαν αὐτοῖς, *& commodaverunt eis*. Vulg. *ut commodarent eis*. Sic plerique interpretantur השאיל *commodare*, *mutuo dare*. At certè si Israëlitæ ab Ægyptiis mutuabantur ea, quæ ab illis habebant, fidem fefellerunt, ac dolosè cum eis egerunt, cum res mutuò acceptas nec reddiderunt, nec cum peterent, reddere in animo habuerint. Quemadmodum igitur vers. 35. וישאלו ממצרים ipsi Lxx. Interpretes simpliciter reddunt, καὶ ᾔτησαν παρὰ τῶν αἰγυπτίων, & vulgatus Interpres, *& petierunt ab Ægyptiis*; ita hoc versu וישאלום reddi debet, *& dederunt eis*. Trem. & Jun. *adeò ut dederint petentibus*; quæ interpretatio, ut vim verbi exprimere videtur, ita huic loco satis congruit. Etiamsi autem שאל in Kal sit *petere*, tamen השאיל in Hiphil videtur esse simpliciter *dare*, sive quis rogatus, sive ultrò dederit. Sic enim 1 Sam. 1. 28. Hanna de filio suo Samuele loquens ait, השאלתיהו ליהוה *dedi eum Domino*. Chald. מסרתיה *tradidi eum*. Minus commodè illic reddi posset, vel *commodavi eum Domino*, vel *Domino eum petenti dedi*; etiamsi Lxx. κἀγὼ κιχρῶ αὐτὸν τῷ κυρίῳ, & Vulg. *Et ego commodavi eum Domino*. Trem. & Jun. *precariò datum sisto eum Jehovæ*. Sic nimirum ostendere voluerunt verbo השאיל aliquam petendi notionem inesse. Sed id nimis violenter isto loco factum videtur, ac propterea simplicissimum arbitror, ut absolutè *dare* sive *tradere* significet.

37. מרעמסס *à Rameses*] Jon. מפילוסין *à Pelusio* seu *à Pelusio*. Rectiùs Abenezra ואיננו עיר כי אם שם מחוז *est nomen regionis sive provinciæ, non urbis*. Vide ad cap. 1. 11.

לבד מטף *Præter parvulos*] Nempe eos, qui nondum viginti annos nati fuerunt, uti exponit Abenezra. Et similiter R. Sal. per הגברים *viros*, intelligi ait eos, qui vicesimum ætatis annum, aut ampliùs attigerunt. Lxx. * πλὴν τῆς ἀποσκευῆς, *præter apparatum*, seu *supellectilem*. Sic isti Interpretes solent Hebræum טף *taph*, quod *parvulum* denotat, interpretari; quod meritò mirum videatur. Ista certe interpretatio Augustinum, virum quidem doctissimum, sed Hebraicè nihil quicquam intelligentem, adeò in angustias redegit, ut quemadmodum se expedire posset, non reperiret; cum tamen acutus esset, benè vidit homines hoc in loco esse intelligendos. Nimis certè absurdum est, ut supellex hîc intelligatur. *Quis enim* (ut ad hunc locum Steuchus) *ita loqueretur, Erat eorum numerus 600000 exceptâ supellectile? Quæ enim affinitas viris & supellectili?* Nobilius ad cap. 10. 10. ait Lxx. nomine ἀποσκευῆς significare familiam, & filios. Et ad hunc locum, *Omnino* (inquit) *ut alibi notavimus, apud Lxx. videtur significare familiam minime idoneam militiæ.* Sanè locorum circumstantiæ plerumque istiusmodi significationem dictioni isti aptare cogunt, at quemadmodum ista ei conveniat, mihi parùm constat.

39. וגם צדה לא עשו להם *nec cibum sibi paraverant*] Non habebant viaticum, ut explicat R. Sal. (צדה) qui addit hoc in laudem Israelitarum dictum esse, eos nempe non dixisse, *Quomodo in desertum egrediemur sine commeatu?* Sed in Deo confisos abiisse. Sed hoc argutius quàm verius mihi videtur.

40. *Et commoratio* seu *habitatio* (ומושב) *filiorum Israël, qui commorati sunt* (vel *habitaverunt* אשר ישבו) *in Ægypto, fuit* * *triginta annorum, & quadringentorum annorum*] Jon. *Et dies quibus commorati sunt filii Israel in Ægypto, fuerunt triginta hebdomades annorum* (תלתין שבעין דשנין) *hoc est, ducenti & decem anni: numerus autem quadringentorum & triginta annorum computandus est ab eo tempore quo Dominus locutus est ad Abrahamum decimo quinto die mensis Nisan* בין בתריא *inter partes* (*animalium*) *dissectas*. Intelligit nimirùm id quod scriptum habetur Gen. 15. 13. R. Sal. ait à nativitate Isaaci ad exitum filiorum Israël ex Ægypto fuisse quadringentos annos, de quibus fit mentio Gen. 15. atque annos istos inde esse computandos, quia ibidem dicitur, *peregrinum erit semen tuum*; nam semen istud in Isaac incepisse: triginta autem annos, qui hîc sunt additi, ab illo tempore, quo inter partes animalium dissectas, fœdus cum Abrahamo Deus fecit, ad nativitatem usque Isaaci computari debere. Non posse autem hosce 430 annos præcisè de terra Ægypti intelligi ex eo probat, quod Cohath ex iis fuit, qui cum Jacobo in Ægyptum venerunt; at si omnes anni quibus vixit Cohath, ac anni quibus vixit filius ejus Amram, & octoginta anni, quibus, cum filii Israel ex Ægypto egressi sunt, vixerat filius ejus Moses, in unum conferantur, non efficient tot annos, quot vel hoc in loco, vel Gen. 15. memorantur; cum tamen id necessariò concedi debeat, Cohathum multos annos vixisse antequam in Ægyptum descendit, multosque Amrami annos in annis Cohathi esse absorptos, ac similiter ex octoginta annis Mosis multos in annis Amrami absorptos esse. Necessariò igitur dicendum esse, commorationes Israëlitarum in aliis locis præter Ægyptum intelligendas esse, ac illud *peregrinum erit semen tuum*, Gen. 15. ex quo Abrahamo semen fuit, id est, ex quo natus est Isaac, esse computandum. Atque addit, quandoquidem quadringenti anni à nativitate Isaaci numerantur, ab ingressu Israëlitarum in Ægyptum usque ad eorum exitum ducentos & decem annos reperiri. Abenezra (uti olim ad Gen. 15. vers. 13. annotavi) ad hunc locum ait, quadringentos annos *Gen.* 15. 13. memoratos non esse intelligendos de tempore, quo servitute oppressi ac afflicti fuerunt Israelitæ, sed quo peregrinati sunt in terra non sua, prout istic scribitur. Atque ita etiam hîc Augustinus, *Ex illa* (inquit) *promissione, quâ vocatus est Abraham, & credidit Deo post* 400. *annos factam legem dicit Apostolus* (Gal. 3.) *non ex tempore, quo Jacob intravit in Ægyptum. Non itaque quod ait* (Gen. 15.) *in servitutem redigent eos, & nocebunt illis, ad* 400. *annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitute: sed referendi sunt* 400. *anni ad id quod dictum est, peregrinum erit semen tuum in terra non propria; quia sive in terrâ Canaan, sive in Ægypto, peregrinum erat illud semen antequam hæreditatem sumerent terram*, &c. *Ut hyperbaton hîc intelligatur, & ordo verborum sit, sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria* 400. *annos; Illud autem interpositum intelligatur, & in servitutem redigent eos, & nocebunt illis, ita ut ad* 400. *annos ista interpositio non pertineat.* Ibidem ait, quia scriptum est, *In Isaac vocabitur tibi semen*, ex anno nativitatis Isaaci usque ad annum egressionis ex Ægypto computari 405. annos. *Cum ergo* (inquit) *de* 430. *detraxeris* 25. *qui sunt à promissione usque ad natum Isaac, non mirum est, si* 400. *voluit appellare Scriptura; quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summâ perfectionis numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur.* Abenezra quadringentos annos, de quibus Gen. 15. Scriptura loquitur, à nativitate Isaac computat, hosce autem triginta annos, qui hîc sunt additi, ab illo tempore quo Abraham ex terrâ nativitatis suæ, nempe ex Ur Chaldæorum exiit, ac cum patre suo ad Charan venit, ubi quinque annis eum mansisse putat. Fuit autem (ut Scriptura indicat) 75. annorum cum in terram Canaan venit, ac centum annorum cum natus est Isaac. Unde inter exitum Abrahami ex Ur Chaldæorum, & natum Isaacum, triginta annos intercessisse apparet. In hunc modum computat Abenezra; atque hoc verisimilius videtur quàm quod in Seder Olam, & ab aliis etiam dicitur, Abrahamum primò in terram Canaan venisse cum septuagesimum annum ageret, deinde iteratò Haran petiisse, ac postea cum 75. annorum esset, in terram Canaan rediisse. Nec minùs videtur probabile, hosce 430. annos computari debere ab anno Abrahami septuagesimo

Q 3 quin-

* *Aquila*, χωρὶς νηπίων, præter parvulos.

* *Sic Hebræa ad verbum sonant; sensus autem est* quadringentorum & triginta annorum.

quinto, quo in Canaan venit, ita ut cum inde ad nativitatem Isaac numerati sint anni 25. à nato Isaaco ad egressionem Israelitarum ex Ægypto fuerint anni 405. etiamsi propter rotunditatem numeri (ut censet Augustinus) non nisi 400. numerentur. Buxtorfius in dissertatione de confusione linguarum thesi 71. primò ait, Abrahami peregrinationem initium habuisse anno vitæ ipsius septuagesimo, quo ex Ur exiit, & * Cananæam est ingressus, ac non longè post fame pulsus in Ægyptum abiit, Gen. 12. vers. 10. Inde ad Isaacum annos esse 30. atque ab illo ad exitum ex Ægypto annos 400. qui conjunctim faciunt dictam peregrinationis summam annorum 430. Deinde addit, posse etiam triginta annos claudi in quinto Isaaci anno, & inde initium fieri quadringentorum annorum; quòd tunc prædicta seminis Abrahami afflictio, primùm irrisione illâ inciperet, quâ Ismaël fratrem Isaacum derisit & afflixit; deinde in expulsione Ismaëlis & matris Hagar. At cum incertum est Isaacum quinque annorum fuisse, cum ab Ismaële derisus fuerit; tum nullo modo convenit, ut Ismaël hic pro Abrahami semine, de quo fit sermo, habeatur. LXX. Interpretes ad locum alioqui obscurum & difficilem explicandum, aliquid de suo addiderunt; sic enim habet eorum versio, ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ χαναὰν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. *Habitatio autem filiorum Israel, quam habitaverunt in terra Ægypti, & in terra Canaan, anni quadringenti triginta.* Monet autem Scholiastes pariter ac Nobilius alios libros habere, αὐτοὶ καὶ πατέρες αὐτῶν, *ipsi & patres eorum*; atque ita legit Augustinus. R. Sal. ait hunc unum esse ex locis, quos illi interpretes immutarunt. Et Abenezra ait eos addidisse, *in Ægypto, & in reliquis terris.* Sic igitur de hoc loco statuendum censeo, etiamsi incertum sit unde hi 430. anni sunt computandi, certum tamen esse, de Israelitarum in Ægypto commoratione simpliciter ac absolutè annos istos non posse intelligi; sed duplicem hic Synecdochen debere admitti, nimirùm ut nomine filiorum Israël ipsi & patres eorum intelligantur; & in Ægypto etiam terra Canaan, & Philistinorum terra comprehendatur. Ideò autem commorationis in Ægypto duntaxat mentio fieri videtur, quia (ut Lyra & Fagius observant) ea cæteris diuturnior posteriorque fuit.

41. בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *eo ipso die*] LXX. Interpretes, quantum ex versione eorum Rom. edit. apparet, ista omiserunt. Vulg. *eadem die.* Lyra sic explicat, quasi sensus esset, omnes in universum Israëlitas simul unâ eâdemque die ex Ægypto esse egressos, quod in tantâ multitudine ait satis fuisse mirabile. Jonathan videtur intellexisse eum ipsum diem, quo de hâc re Abrahamo à Deo facta est promissio. Ego arbitror verbis hisce significari promissionem, quam de Israelitarum liberatione Deus fecerat, tempore quod præstituerat, fuisse impletam. Atque ea R. Salomonis videtur sententia כגיר שכיון שהגיע הקץ לא עכבם המקום *Indicat, quod cum tempus præfinitum venisset, Deus eos non est moratus.*

42. לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה *Nox observabilis est Domino*] Ad verb. *Nox observationum.* Juxta R. Salomonem vertendum est, *Nox observata est à Domino.* Is enim sic explicat שהיה הקבה שומר ומצפה לו לקיים הבטחתו להוציאם מארץ מצרים *Quia Deus benedictus, observavit & speculatus est eam, ut stabiliret promissionem suam, ac eos educeret è terra Ægypti.* Fagius ait in Hebræo esse, *Nox custodiarum* vel *observantiarum est Domino*, idque diverso sensu accipi posse; vel quòd ita dicta sit hæc nox, quia Dominus in hâc nocte custodivit filios Israel, ne læderentur à vastatore, ut educeret eos de terra Ægypti, & assereret in libertatem, vel quòd filii Israël illam noctem summâ Religione quotannis observare deberent. Hanc posteriorem loci expositionem germanam esse arbitror, idque ex fine versus satis colligi videtur, הוא הלילה הזה ליהוה שמרים לכל בני ישראל לדרתם *Ea est nox Domini, observanda ab omnibus filiis Israël per generationes ipsorum.* Abenezra autem utramque expositionem conjungere videtur נראה כי הטעם בעבור שהשם שמרם ולא נתן המשחית לבוא אל בתיהם לנגוף צוה שיהיה זה הלילה שמורים לכל בני ישראל לדורותם i. e. *Sensus esse videtur, quòd quia Deus custodivit eos, nec permisit vastatorem ingredi domos eorum ad percutiendum, præcepit ut nox ista observaretur ab omnibus filiis Israël per generationes ipsorum.* Addit dictam observationem de Paschate, & azymis, & amaris herbis nocte istâ comedendis esse intelligendam; atque istud verè ab eo dictum nullus dubito, etiamsi in ista ceremoniali observantia acquiescendum haud erat. LXX. προφυλακὴ ἐστι τῷ κυρίῳ *Custodia est Domino.* Et mox, ἐκείνη ἡ νὺξ αὕτη, προφυλακὴ κυρίῳ, ὥστε πᾶσι τοῖς υἱοῖς ἰσραὴλ εἶναι εἰς γενεὰς αὐτῶν, *Illa nox hæc, custodia Domino, ut omnibus filiis Israël sit in progenies eorum.* Nobilius autem monet in Complutensi esse, νὺξ προφυλακῆς, *Nox custodiæ.* Aq. παρατηρήσεως, *observationis.* Sym. παρατετηρημένη, *observata.* Vulg. *Nox est ista observabilis Domini.* Et mox, *hanc observare debent omnes filii Israël in generationibus suis.*

43. כָּל־בֶּן־נֵכָר לֹא־יֹאכַל בּוֹ *Nullus alienigena de eo comedet*] Onk. כל בר ישראל דאשתמד לא יכול ביה *Nullus filius Israël, qui Apostata fuerit, comedet de eo.* At interpretatio ista nimis est restricta. R. Sal. exponit ferè ad istum modum; שנתנכרו מעשיו לאביו שבשמים i. e. *Cujus opera patri suo cœlesti aliena sunt ac extranea.* Verum autem est quod addit, אחד הגוי ואחד ישראל משומד במשמע *Gentilis autem, & Israelita apostata simpliciter unum sunt.*

44. וּמַלְתָּה אֹתוֹ *circumcides eum*] ו istic in ומלתה redundare videtur, quemadmodum & ה in fine. Benè autem exponit Abenezra, לרצונו שישוב לדת ישראל אם הוא בן מצוה i. e. *Ex voluntate, seu consensu ejus (sc. circumcides eum) quippe qui convertetur ad Religionem Israëlis, si filius præcepti fuerit*, i. e. si eâ ætate fuerit, ut præcepti sit capax.

45. תּוֹשָׁב וְשָׂכִיר לֹא־יֹאכַל בּוֹ *Inquilinus & mercenarius non comedet de eo.*] R. Sal. putat Arabes, & Gibeonitas hic intelligi; ut sensus sit eos, etiamsi essent circumcisi, de agno Paschali comedere non debuisse. At si Nethinæi, de quibus Scriptura loquitur, fuerunt Gibeonitæ (quod ipse R. Sal. ad Ezr. 2. 43. innuit, Abenezra autem apertè indicat) quin religionem Israëliticam amplexi fuerint, haud dubitandum puto.

48. וְכָל־עָרֵל לֹא־יֹאכַל בּוֹ *Nullus autem præputiatus comedet de eo.*] Jon. *Nullus autem præputiatus Israelita comedet de eo.* Sic Lyra ait hoc non intelligendum esse de gentibus, qui anteà exclusi fuerunt, sed de filiis Israël, qui timore infirmitatis vel mortis non erant circumcisi. Ego existimarim generaliter de quibusvis incircumcisis debere intelligi.

49. *Una lex erit indigenæ, & peregrino*] Seu *proselyto*, וְלַגֵּר Abenezra benè monet זה הגר הוא גר צדק לא גר שער *Iste peregrinus, est peregrinus justitiæ, non peregrinus portæ.* Vide suprà ad vers. 19. Peregrinus sive proselytus justitiæ, & indigena, quoad omnia Legis præcepta, (ut hic notat R. Sal.) fuere æquales.

IDEM.

6. בֵּין הָעַרְבָּיִם *Inter duas vesperas.*] Id est, inquit Kimchi in Rad. *ex quo sol ad occasum vergit*, והוא מעת נטות השמש להערב; Addit ערבים in duali esse positum, quia cum sol ad occasum vergit, est una vespera, & altera cum occidit; tempus autem intermedium hic intelligi.

9. *Ne comedatis ex eo* נא *crudum*] Kimchi in Rad. ait נא id denotare, quod non plenè * assatum est. שאינו מבושל כל צרכו Atque ita à Rabbinis vocem istam usurpari asserit.

15. *Anima ista excindetur ex Israële*] Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 6. ostendit varias esse Hebræorum sententias de Excisione, cujus hic atque alibi in Lege fit mentio, in eo tamen omnes consentire, a Deo duntaxat hanc pœnam infligendam, atque inter alia citat illud R. Eliæ Ben Mosis, Karei, כל כרת שבתורה הוא כרת בידי שמים בין בגופו בין בנפשו *Omnis excisio in Lege memorata, est per manus Dei infligenda, aut in pœnam corporis, aut pœnam animæ.* In Tract. Talm. כריתות cap. 1. observatur 36. peccata esse, quibus Lex excisionem decernit, inter ea autem non nisi duo, quibus præcepta affirmativa, nempe de Paschate, & de Circumcisione, violantur.

22. *Et accipietis fasciculum* אֵזוֹב *hyssopi*] Kimchi in Rad. ait אזוב Arabicè vocari צעתר, & vernaculè אוריגנו, *Origanum.* Addit herbæ hujus septem esse species, atque hanc in Lege memoratam non habere epithetum, sive nomen sibi additum, (אין לו שם לווי) uti dicunt Rabbini. Id, opinor, vult, quamlibet hujus herbæ speciem, juxta Rabbinos, hic atque alibi in Lege esse intelligendam.

IDEM.

1. Hic mensis erit vobis principium mensium*] Dicit eos, qui non sunt ex filiis Israël, annum à Nisan seu Martio, & diem ab ortu solis, inchoare, quòd lux & calor sint habitus, (במדרגת קנין) tenebræ autem & frigus sint privationes; (במדרגת העדר) & habitus priores sint privationibus: Judæos verò annum à Tisri seu Septembri, & diem à nocte præcedente inchoare. Et ad rationem ex adverso allatam respondet, habitus quidem essentiâ & dignitate (בעצם ומעלה) non autem existentiâ & tempore (אינה קודמת ומצות ר״ל קדימת במציאות וזמן) esse priores; atque ideò con-

* At Scriptura dicit Abrahamum 75. annorum fuisse, cum in Canaan venit.

* Vel, coctum.

congruum esse, ut dies & annus, cum sint mensuræ temporales, (מתוך מחסר) à privatione incipiant. Atque hâc ratione, ut animalia primò in utero gestantur, deinde ex utero prodeunt; sic ratione diei solem, ratione anni plantas primò quasi in utero terræ latere, deinde ex utero ejus prodire. Igitur juxta ordinem naturalem (כפי הסדר הטבעי) anni initium esse in Tisri vel Septembri. Quin & refert, etiamsi R. Josua existimarit mundum in Nisan vel Martio conditum fuisse, eique assensi sint Gemarici, cum è contra R. Eliezer in Tisri seu Septembri creatum censuerit, ipsum tamen R. Josuam ejusque sequaces Tisri seu Septembrem anni initium esse voluisse, quod non a creatione mundi, sed à naturâ rerum in mundo existentium, nempe ab earum conceptione, quæ est in Tisri, annum inchoandum existimarent. Quemadmodum autem על דרך ההורה והסכמה *per modum institutionis & consensûs*, Græci antiquitus ab *excidio* Troiæ, Romani ab Urbe condita, & alii aliter annos suos numerabant; ita ait Israelitas à Nisan seu Martio annum inchoasse. Observat etiam non simpliciter dictum esse, *Mensis iste principium mensium*, sed, *Mensis iste vobis principium mensium*; hoc scilicet innuere, cum naturaliter juxta motum solis in Zodiaco (כמו המולות) non esse principium mensium, sed tamen ipsis, ac ipsorum respectu (לאבם ובערכם) ex institutione & consensu principium mensium fore. Concludit igitur Israelitis duplex fuisse anni initium, unum naturale (טבעית) à Tisri, & alterum positivum (הוריה והסכמה) à Nisan, ut nimirùm liberationem suam ex Ægypto in memoriâ conservarent.

6. [בין הערבים] Id exponit, בערב *vesperi*, atque ait nullam pluralitatem voce ערבים denotari, uti nec vocibus עצלתים *pigritia*, & צהרים *meridies*; sed ut meridies appellatur צהרים, quod tunc maximus lucis sit splendor, ita perfectam vesperam (תכלית חשך) vocari ערבים quod tunc maxima sit (ערבות החשכה) tenebrarum commixtio. At certè vocula בין *inter* argumento est, vocem ערבים non solùm formâ, verùm etiam sensu dualem esse.

8. על מרורים *Super amarores*, seu *amaras herbas*] Sic simpliciter interpretandum censet, ut sensus sit, eos primò in memoriam servitutis Ægyptiacæ, quæ vitam ipsorum * amaram reddidit, amaras herbas, ac posteà agnum comedisse. Agnum enim Paschalem juxta Doctores fuisse comedendum postquam aliis cibis satiati essent. (היה נאכל על השבע)

9. *Ne comedatis ex eo crudum*] Sic alii interpretantur; Abrabaneel autem vult id hîc, ut alibi, tempus præsens designare. Q. d. *Ne comedatis ex eo nunc, nec ante vesperam diei decimi quarti.* Sed cum v. 6. Moses dixisset, agnum usque ad diem decimum quartum fuisse custodiendum, supervacaneum fuisse videtur, ut eis posteà præciperet, ne statim agnum comederent.

מְבֻשָּׁל בַּמָּיִם *Coctum aquâ*] Monet vocem במים *aquâ* esse additam quòd verbum בשל etiam *assare* significet; ut 2 Chron. cap. 35. 13. ויבשלו את הפסח באש כמשפט *& assabant Pascha igne, &c.*

11. *Lumbis vestris accinctis, &c.*] Dicit morem fuisse Ægyptiorum (eumque etiam hodiè esse Ismaëlitarum) ut cibum sumpturi cingula ac calceos exuerent, & super lectos discumberent: atque ideò Deum mandasse, ut festinationis gratiâ non ita agnum comederent, sed lumbos accinctos, calceos pedibus indutos, & baculos in manibus haberent, tanquam homines ad iter parati. Ex iis autem quæ hic de Paschate præscripta sunt, monet nonnulla primo Paschati in Ægypto celebrato fuisse peculiaria, nempe quod agnus quatriduo antequam mactaretur sumendus esset, postes agni sanguine spargerentur, lumbi accincti, calcei induti, & baculi in manibus esse deberent: reliqua autem omnia etiam in posterum perpetuo fuisse observanda: hæc enim ad substantiam Paschatis, (גוף הפסח) illa autem ad ejus circumstantias, personas nempe tunc comedentes pertinuisse.

12. *Et in omnes deos Ægypti, &c.*] כי אין הקבה נפרע מהאומה עד שנפרע מאלהיה. *Non enim Deus benedictus ultionem sumit de gente, donec ultionem sumpserit de diis ejus.*

15. *Septem diebus, &c.*] Hoc præceptum etiam in primâ Paschatis celebratione observandum fuisse censet. שלא יאכלו חמץ מליל יציאתם ממצרים עד שטבעו המצרים בים סוף *Non debebant comedere fermentum à nocte quâ egressi sunt ex Ægypto, usquedum Ægyptii submersi fuerunt in mari rubro*; quod post septem dies ab egressu ex Ægypto factum volunt Hebræi. Vide Tremel. ac Jun. ad hunc locum. Addit autem non ita hoc intelligendum, ac si omnibus septem diebus azyma comedi deberent, id siquidem non nisi primâ nocte (nempe cum agnus comederetur) necesse fuisse: sed sensum esse, per omnes septem dies festi nullum panem nisi azymum fuisse comedendum. Eadem etiam habet ad cap. 13. vers. 6, 7.

Ibid. *Cessare facietis fermentum, &c.*] Notat non dici תוציאו *exportabitis*, vel *exire facietis*, sed תשביתו *abolebitis*, seu *cessare facietis*, שדי שיבטל אותו בלבו ותחשב אותו לעפרא דארעא *quod satis esset, si quis in animo fermentum aboleret, & quasi pulverem terræ reputaret.*

18. *Die decimo quarto vesperi, &c.*] Istam autem noctem ad diem decimum quintum pertinuisse dicit.

20. *In omnibus habitationibus vestris*] Hoc ideò dictum ait, quod agnum Paschalem non nisi in terrâ Israël, panes aut azymos etiam extra eam ubicunque essent, comedere debebant: præceptum enim de azymis à præcepto de Paschate non pendere.

21. *Et vocavit Moses omnes seniores, &c.*] Putat horum verborum sensum non esse, quod Moses mandatum Dei de Paschate senioribus populi narravit; id enim toti populo à Mose narratum fuisse: sed quod Moses suspicatus populum præ metu Ægyptiorum non ausurum mandato obedire, seniores ac principes populi hortatus est, ut ipsi primò ad observandum præceptum sese accingerent: populum enim sequi solere exempla magnatum. כי העם תמיד נמשך במעשה בדרך הגדולים, Sed simplicius videtur cum R. Jonathane (uti de eo refert Abrabaneel) dicere, Mosen duntaxat senioribus, seniores autem reliquo populo præceptum Dei de Paschate narrasse; & cum Nahmanide, Mosen omnia, quæ à Deo acceperat, plenè ac particulatim declarasse, hîc autem rem concisè esse memoratam.

40. *In Ægypto*] Ex versu sequenti colligit, finem istorum annorum, non autem initium, in Ægypto fuisse.

430. *Annorum.*] Dicit ob Israëlitarum in Ægypto idololatriam, 30. annos eorum captivitati fuisse additos, cum Genes. cap. 15. 13. quadringentorum duntaxat annorum mentio fiat. Sed id minùs concinnum videtur. Vide si libet quæ ad istum Geneseos locum annotavi.

C A P. XIII.

M U N S T E R U S.

2. Primogenitum] Hebraica ad verbum sic sonant, *omne primogenitum, aperturam cujusque vulvæ:* h. e. quod primò aperit matris uterum.

3. *Memento*] Verbum זכור hîc scribitur in Infinitivo, ut sit sensus, *Recordari*, scilicet debetis. ¶ *De domo servorum*] Hebraismus est, pro, *de domo servitutis*, seu *de domo in qua servi fuistis.*

4. *Maturescentis frugis*] Significat propriè אביב *culmum frumenti crescentis in spicam:* hic verò capitur pro illo tempore quo fruges ad maturitatem tendunt; quod in terra promissionis fit proximâ lunatione post æquinoctium vernum, h. e. in principio Aprilis. Erravit igitur hic Santes, qui אביב *mensem Julium* interpretatus est, refragante totâ Scripturâ. Non est hic אב, quod *Julium* significat, sed אביב, qui est mensis ambulationi convenientissimus, quippe qui nec nimis calidus nec nimis frigidus est, ut R. S. hunc locum interpretatur.

10. *A diebus in dies*] h. e. per singulos annos. Capiuntur enim *dies* in Scriptura non rarò pro *anno.*

12. *Quodcunque ejectitium*] Exponunt Hebræi שגר pro שלח, *emisso fœtu*, præsertim qui ante tempus à natura statutum emissus fuerit. Sensus igitur est, Si tibi fuerit jumentum cujus uterum fœtus aliquis, etiam immaturus, primò aperuerit, isque masculini fuerit sexûs, Domini erit. Onkelos quoque pro שגר vertit ולד, fœtum.

15. *Cùm difficilem se redderet*] K. sic exponit, *Cùm induraffet cor suum.*

16. *In monimentum*] Apud Magistros טוטפות alio nomine vocantur תפלין. Et est frontalis quædam scheda, quæ inter oculos, h. e. super oculos, fronti affigitur, pertingens ab aure usque ad aurem, in qua certæ quædam sententiæ scribuntur, nempe hæ, *Sanctifica mihi omne primogenitum adaperiens vulvam,* &c. Et, *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est,* &c. Atque hic miris utuntur superstitionibus. Nam hæc קלף, seu *membranula*, debet esse de animali mundo; debet scribi dextrâ manu; lineæ debent esse rectissimæ; charta debet esse integra sine ullo foramine; scribique debet ex illa parte quâ carni pecudis membranula conjuncta fuit. Hæc si in cubili fuerit, non licet thoro frui, nisi intra tertium reclusa fuerit scrinium. Rescindo multa alia absurda quæ hic commemorant R. Jacob, autor Arba Turim, & R. Mosche de Cozi. Sunt de autem apud Hebræos qui dicunt טוטפות esse dictionem Ægyptiam, ut sit idem quod

* Cap. 1. 8

quod מִשְׁקֶפֶת, *specularia* seu *conspicilia*, quæ seniores adhibent oculis suis, quo clariùs videant. Voluit igitur Dominus ut oculi suorum fidelium jugiter versarentur circa Legem suam. A. E. exponit dictionem ipsam pro זכרון *memoriali*.

18. *Armati*] Hebræa vox propriè significat, *quintò facere*. Et exponitur à R. sic, *& accincti armis in quinta costa*. Alii autem sic exponunt, *& accincti quinque armorum generibus*. Sepharadi verò sic hunc locum explicat, *Quinque turmis ascenderunt sub quatuor vexillis. Nam Moses cum senioribus Israël in medio quatuor turmarum manebat.*

FAGIUS.

2. **A***Perit vulvam*] *Aperire vulvam* Hebraismus est, pro, *primogenitum nasci*.

3. *Ut non comedatur fermentatum*] q.d. Ut scilicet hâc ratione memores sitis quomodo non tantùm vi exiistis ex Ægypto, sed etiam ità festinanter ejecti fuistis ut non licuerit immorari diutiùs ad parandum viaticum, nondumque massæ vestræ essent fermentatæ: tantum abest ut vos retinuerint.

4. *In mense maturescentis frugis*] Ad literam est, *In mense spicarum*, i. mense quo spicæ exeunt è calamis. Nam vox Hebræa אביב propriè *calamum in cujus summitate spica est* significat. Hoc in terra promissionis fit mense Martio, vel in principio Aprilis. Alii אביב hîc non pro *novis frugibus*, aut tempore quo fruges ad maturitatem tendunt, accipiendum esse putant, sed pro *florido & virenti*, quasi Scriptura velit innuere populum eo tempore egressum fuisse ex Ægypto quo omnia sunt in flore ac virent, quod est verno tempore. Sed prior lectio simplicior est, quam & omnes Hebræi sequuntur. Temporis autem verni istius hîc mentionem fieri sentiunt Hebræi, ad indicandum quam commodo tempore Deus populum suum ex Ægypto eduxerit, de quo & suprà nonnihil dictum est super cap. 12.

8. *Propter hoc fecit mihi Dominus*, &c.] Videtur esse sermo concisus & imperfectus. Ità ergò intelligendum est, *Propter hoc*, i. propter ea signa quæ fecit Dominus, propter occisa primogenita, celebramus paschæ istius festum in memoriam beneficii accepti.

10. *A tempore in tempus*] i. de anno in annum, h. e. quotannis, sive per singulos annos.

12. *Transire facies*] i. separabis ac consecrabis Domino. Nam, ut inquit R. Salom. verbum העביר *Heesir*, *traduxit*, *transtulit*, *transire fecit*, ubique separationem significat, ut & Vulg. interp. hîc transtulit. Similiter exponit & Abenezra תעביר לשם שלא יתערב עם אחר, *Transferas ad Dominum, ut non commisceatur cum aliis.* ¶ *Quicquid item vulvam aperit*] Ad verb. *Omnem aperitionem fœtus jumenti*. Per fœtum hîc intelligi volunt ejectitium, h. est, qui ante tempus à natura statutum emittitur atque ejicitur; & hunc quoque adducendum Domino. q. d. Si tibi fuerit jumentum cujus uterum fœtus aliquis etiam immaturus primò aperuerit, isque masculini fuerit sexûs, Domini erit.

14. *Interrogaverit te filium cras*] *Cras*, i. *in posterum*, Hebraismus est. Ita & in Euangelio dicitur à Christo, *Nolite esse soliciti in crastinum*.

16. *Et in appensum quoddam*, &c.] Chaldaicè ad verbum est ולתפלין *Thephillin*. Vocabulum hoc hodie usitatissimum est apud Judæos, quo vocant signa illa quæ singulis diebus cùm capiti tùm sinistro brachio alligant, ut admoneantur præceptorum Dei. תפלין *Thephillin* autem quidam ea dicta putant à verbo תפל, quod *conjungere*, *alligare & appendere* significat, quam rationem secutus esse videtur Lat. interp. qui vertit, *Et quasi appensum quid*; sicut & author Complut. Editionis reddidit, quos & ipse secutus sum. Alii à voce תפלה, quæ Hebræis *precem & orationes* significat, derivant: q. d. *oratoria*, sic appellata quod Judæi istis signis in precibus & orationibus suis quotidie utantur. Sed placet hîc de istiusmodi signis aliquid ex Judæorum scriptis adferre, in quem finem tandem videbit lector Christianus. Duplicia sunt hæc signa: quædam enim sunt capitis, quæ תפלין של ראש vocant, quædam vero manûs aut brachii sinistri, quæ תפלין של יד nuncupant. Ea parantur ex membranula quæ de pelle animalis mundi sumitur: in illa scribuntur quatuor tractatus Scripturæ, quos ipsi suâ linguâ פרשיות *Parschioth* nominant; quæ postea diligentissimè corio includuntur. Magnâ autem superstitione illa omnia & parantur & scribuntur. Cùm enim Judæus vitulum unde membranam pro conficiendis Thephillin accipere statuit, vult mactare, dicere tenetur, *Hunc vitulum propterea macto quod ex ejus pelle membranam pro parandis Thephillin mihi desumere volo.* Coriario, cùm eam parandam præbet, similiter dicit, *Hanc pelliculam mihi parato, nam ex ea mihi Thephillin fieri volo.* Membranam scriptori cùm suppeditat, identidem dicit, *Hanc membranam ideo tibi do ut mihi in ea Thephillin describas.* Quòd si illarum rerum aliquid intermittitur, credit stulta gens Judaica hæc signa postea usurpata eo minùs valere. Sed placet huc apponere quæ hac de re scripsit R. Mosche de Cozi, אך שקשרין על המצח הקפה מאזן לאזן נקרא טוטפות בתורה והוא נקרא כתרי ורבותינו אמרו לברכה תפלין וכותבין בהן קריית שמע והיה צוה אותנו כדי שתמיד נעסק בתורה אפילו אם עתידים לגזור על ישראל להעבירם על דת ושלא יעסקו בתורה כמו שקרה בגירוש פורטוגאל שגזרו שלא יחדשו כנסיות ושלא ילכו לתינוקות ולקחו כל הספרים שלה ונעסק בתורה עד שכמעט נשתכחה תורת ישראל כי אין ילמדו לבניהם בלי ספר ובלי מלמד ולא נשאר להם אלא שילמדו שמע ישראל וידעו אין יהוה אחד וראוי לאהבו ולמסור נפשו על קדושתו ולכן נתן השם לישראל לאותם ובניהם פרשה קריית של שמע שהיא כולל כל התורה ואם לא יוכלו לידע כל הפרשה לפחות ידעו פסוק שמע וילמדו אותו לבניהם ואם יבאו בני בליעל להדיחו מעל יהוה יסור נפשו למיתה על קדושת יהוה כשאמר ואהבת את יהוה אלהיך בכל נפשך וכל שכן בכל ממונך ואם יגזרו שלא יניחו תפלין כמו שקרה בימי חכמי התלמוד וקרה גם כן בפורטוגאל ראוי שתעשה לך סימנים ותקשור חוט השני על ידך לזכור דם הברית וכן תשים סימנים על מזוזות ביתך ובשעריך, i. *Lamina quam alligant fronti, quæ circuit ab aure ad aurem, vocatur Totaphoth in lege, apud Rabbinos autem Thephillin, in quibus scribunt lectionem istam,* Audi, Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est, &c. Deut. 6. 4. *Præcepit autem Dominus nobis ut perpetuò legi incumbamus, etiam cum erit ut Israël præceptis gentium ad transgrediendam legem cogatur; quemadmodum accidit cum profligarentur Judæi ex Portugalia. Tum enim præcipiebatur illis ut non ampliùs interrogarent Rabbinos, neque docerent pueros. Abstuleruntque omnes libros, quo minus operam dare possent legi, usque adeò ut ferè legem oblivioni tradiderint Judæi. Quomodo enim docere poterant pueros suos absque libris & præceptoribus? Nihil ergo reliquum illis fuit, nisi ut docerent eos* istam lectionem, Audi, Israël, &c. *ut scirent quid Dominus dixisset; & quòd dignum est diligere eum, & tradere animam suam pro gloria illius. Eapropter dedit Dominus Israëlitis signa ista hæc, capitulum breve istud,* Audi, Israël, &c. *quæ summa est totius Legis. Quòd si non poterunt ediscere totum istud caput, poterunt tamen discere versum istum,* Audi, Israël. *Et si forte venirent homines scelerati, qui vi abstinere vellent aliquem à Domino, citiùs animam suam in mortem traderet pro gloria Dei, secundùm id quod dixit,* Et diligas Dominum Deum tuum in tota anima tua. *Quantò magis adhuc plus eum diligere debes quàm divitias tuas? Et si porrò futurum esset ut præciperent eis quo minus uterentur Thephillin, sicut accidit tempore Sapientum illorum qui fuerunt authores Thalmud; similiter & in Portugalia; dignum est ut facias tibi signa, & alliges filum coccineum super manum tuam, in memoriam sanguinis fœderis. Sic quoque ponas signa in postibus domus tuæ & in portis tuis.* Idem quoque Rabbi de parandis Thephillin & usu eorum ità scribit, הקלף שכותבין בהן פרשיות וגם הרצועות וגם עור הבתים צריך להיות מבהמה או חיה הטהורה שנ׳ למען תהיה תורת יהוה בפיך וצריך שיכתוב בימינו אף אם הוא שולט בשתי ידיו ואם הוא אטר יד שמאל רהידה הוא ימין וכי שאינו יודע ליישר השיטה בלא שרטוט טוב הוא שישרטט ליישר הכתב ויהא הקלף שלם שלא יהיה בו נקב שאין הדיו עובר ואם נפסק אות אחת או תינוק שלא חכם ולא טפש יודע לקרותו כשר הוא ואם לאו פסול ואין צריך להניח חלק אלא למעלה כדי נוה של למד ולמטה כשיעור אורך כף ונון ותפלין אין כותבין אלא לצד בשר בקלף וצריך לשרטט התפלין ארבע שיטין כנגד הגלין אבל אין צריך בין שיטה לשיטה התפלין של ראש צריך לכתוב בעור קלף ולצור לבן וארבע פרשיות יכתוב בארבע חתיכות והשיטים לא תהא אחת ארוכה ואחת קצרה אלא שוות לא יהלך אדם בבית הקברות ותפלין בראשו בתוך ד׳ אמות בית שיש בו תפלין או ספר תורה אסור לשמש מטתו עד שיוציאם או יניחם בכלי אחר ואם הניח כלי בתוך כלי מותר להניחם תחת מראשותיו בין כר לכסת, i. *Alliganda sunt Thephillin capiti, juxta id quod dicitur,* Et erunt in monumenta inter oculos tuos. *Membrana in qua scribunt capitula, lori item, atque corium receptaculorum, necesse est ut sint de jumento aut de bestia munda, sicut dicitur,* ut sit lex Domini in ore tuo. *Necesse item est ut scribat dexterâ suâ, etiamsi potest uti utrâque manu. Quòd si sinister est, sinistra manus ejus loco dextra est. Et qui non novit rectas ducere lineas absque lineamento, bonum est ut lineas faciat, ut possit rectam facere scripturam. Sit quoque membrana integra, nullum habens foramen, ut non perfluat atramentum. Quod si deest aliquid in literis, ita tamen ut puer non omnino sapiens, nec etiam fatuus, ipsum legere possit, sufficiens est & non vitiosa scriptura. Nec porro necesse est relinquere spatium, nisi in superiori parte, propter tectum literæ Lamed. Inferior autem pars debet habere spatium, juxta mensuram longitudinis Caph & Nun. Thephillin quoque non debent scribi nisi in ea parte ubi caro fuit. Debent quoque qua-*

tur linea duci in margine Thephillin per circuitum. Non tamen hoc necesse est inter lineam & lineam. Thephillin capitis scribi debent in pelle membranæ, quâ parte candida est. Quatuor præterea capitula scribi debent quatuor sectionibus; ita ut linearum non sit alia longa, alia brevis, sed æquales. Non obambulet aliquis in loco sepulturæ, cum habet Thephillin in capite suo, nisi absit spatio quatuor cubitorum. Prohibitum est præterea uti re Venerea in domo in qua sunt Thephillin, aut liber legis, donec extrahat ea, aut ponat sub vase aliquo, ita ut vas vase alio recondas. Licet tamen ponere ea sub capite in stramentis cervicalis. Hactenus ex R. Cozi de præparandis & conficiendis Thephillin. Quæ hîc adducere placuit, non ut Judaicas nænias & stultitias alicui obtrudere velim, sed tantùm ut appareat cæcitas miseræ gentis Judaicæ, quam anxii, religiosi aut potius superstitiosi sint in rebus minutulis, non necessariis, & quæ nullius sunt momenti, ut rectè dixerit Christus eos *excolare culicem & devorare camelum*, *omittentes* ac negligentes interim *quæ sunt graviora legis*. Sed jam quoque commemorare placet unde venerit quod istorum receptaculorum, quæ illi בתים *domunculos* vocant, in quibus quatuor lectiones in membranulis scriptæ inclusæ continentur, quatuor esse oporteat. Si enim vel plura vel pauciora essent, gravissimum peccatum delinqui sentiunt in illud dictum, *Non addas neque detrahas verbo meo*, Deut. 12. Colligunt hoc inquam ex virtute vocabuli Hebraici טוטפות, *Totaphoth. Tot* enim R. S. alicubi in Caspia *duo* significare contendit: similiter & פות *Poth* in alio quodam loco, nempe Africa: Hinc sequitur quod quatuor debent esse *Parschioth*, i. *lectiones sacræ*, quæ in Thephillin includuntur. Vide obsecro, pie & Christiane lector, quam solidum fundamentum habeat fides & religio Judæorum. Sunt enim Thephillin præcipua hodie Judæorum ceremonia: Quam tanti faciunt, ut si quis eâ quotidie utatur, & non negligat, perinde sit ac si quis servet omnia præcepta Dei. Unde est apud illos hæc sententia, כל המקיים מצות תפלין מעלה עליו הכתוב כאשר לומד יומם ולילה, *Quicunque servat præcepta de ponendis Thephillin, huic tribuit Scriptura quasi discat dies & noctes.* Cæterum sacræ lectiones quas in Thephillin inclusas habent sunt hæ. Prima est desumpta ex Deut. 6.4--9. *Audi, Israël, Dominus Deus noster Deus unus est. Diliges itaque Dominum Deum tuum toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, atque totâ virtute tuâ. Et erunt verba ista quæ ego præcipio tibi hodie, super cor tuum. Recensebisque ea filiis tuis, & loqueris de eis cum resides in domo tua, atque cum ambulas per viam, cum vadis dormitum, & cum iterum surgis. Ligabis denique ea in signum super manum tuam, eruntque monitoria inter oculos tuos. Scribes etiam ea super postes domûs tuæ, & in portis tuis.* Hactenus prima lectio sive Pareschah, ut illi vocant. Secunda habetur Exod. 13. vers. 1--10. *Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens, Sanctifica mihi omne primogenitum quod quamcunque aperuerit vulvam in filiis Israël, tam in homine quam in jumento: meum enim est. Et ait Moses ad populum, Memento diei hujus, in quo egressi estis de Ægypto, de domo servorum, quoniam per potentiam manûs eduxit vos Dominus hinc; ut non comedatur fermentatum. Hodie vos egredimini, in mense maturescentis frugis. Et erit cum introduxerit te Dominus in terram Chananei, Hitthæi, Æmorræi, Hivæi & Jebusæi, quam juravit patribus tuis ut tibi daret, terram fluentem lacte & melle, celebrabis ritum hunc mense isto. Septem diebus comedes Azyma, & in die septima festum Domini est. Azyma comedetur septem diebus, & non videatur apud te fermentatum: neque videatur apud te fermentum in cunctis terminis tuis. Indicabis autem die illo filio tuo, dicens, Propterea fecit mihi Deus sic, cum egrederer de Ægypto. Eritque tibi in signum super manum tuam, & in memoriale inter oculos tuos, ut scilicet sit lex Domini in ore tuo, quoniam in manu valida eduxit te Dominus de Ægypto. Custodies igitur statutum istud tempore suo, à diebus in dies.* Hucusque secunda lectio. Tertia ibidem habetur: Nam consequenter in textu ità subjicitur, *Et futurum est quod introducet te Dominus in terram Chananæi, quam juravit tibi & patribus tuis, dabitque eam tibi. Et tunc adduces omne quod aperit vulvam ad Dominum: & quodcunque ejectitium primo aperuerit pecudem, quæ tibi fuerit, masculina Domini erunt. Porrò omne primogenitum asini agno redimes: & si non redemeris, decervicabis ipsum: & omne primogenitum hominis de filiis tuis redimes. Et erit, cum interrogaverit te filius tuus cras, dicens, Quid est hoc? dices ad eum, In fortitudine manûs eduxit nos Dominus de Ægypto, de domo servitutis. Factumque est, cum difficilem se redderet Pharao ut dimitteret nos, interfecit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis usque ad primogenitum jumenti: & idcirco ego sacrifico Domino omne quod ex masculis*

aperit vulvam; atque omne primogenitum filiorum meorum redimo. Erit itaque in signum super manum tuam, & in monumentum inter oculos tuos, quod per fortitudinem manûs eduxerit nos Dominus de Ægypto. Hactenus tertia lectio. Quarta desumpta est ex Deut. 11.13, &c. *Erit itaque si audiendo audieritis præcepta mea, quæ ego præcipio vobis hodie, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatis ei toto corde vestro, & totâ animâ vestrâ; Et dabo ego pluviam terræ vestræ in tempore suo, pluviam temporaneam & serotinam, ut congregare possis frumentum tuum, vinum tuum, & oleum tuum. Dabo quoque herbam in agro tuo pro jumentis tuis, ut & tu comedas & satieris. Cavete autem vobis, ne fortè seducatur cor vestrum, & recedatis atque serviatis diis alienis, adoretisque eos. Et iratus Dominus contra vos, claudat cælum nè sit pluvia, & terra non det proventum suum, pereatisque citò de terra bona quam Dominus dat vobis. Ponetis itaque hæc verba mea super cor vestrum, & super animam vestram, ligabitisque ea in signum super manum vestram, ut sint veluti monitorium inter oculos vestros. Docebitis etiam filios vestros, ut loquantur de eis, cum sederis in domo tua, & cum ambulaveris per viam, cum dormitum ieris, atque surrexeris. Scribes quoque ea super postes domûs tuæ, & in portis tuis. Ut scilicet multiplicentur dies vestri, & dies filiorum vestrorum super terram, quam juravit Dominus patribus vestris ut daret eis, juxta dies* quibus steterit *cælum super terram.* Hæ sunt quatuor sacræ lectiones, quas Judæi suis Thephillin inclusas circumferunt, singulisque diebus capiti & manui alligant, non aliter abutentes illis quàm quidam abutuntur initio Euangelii secundum Johannem, qui se satis tutos existimant si sacra verba in scheda circumferant, quantumvis interim sceleratam vitam vivant. Ità & miseri Judæi ludunt cum verbo Dei, ut videas Satanam impostorem in omnibus suis organis sui similem esse. Invenias inter Judæos qui parandis & conficiendis Thephillin sibi victum quæritant. Ibi semel insignis quidam magister fuit, qui Judæis suis aliquot millia Thephillin vendidit, quibus multis annis usi fuere, in quibus tamen non sacræ istæ lectiones, sed tantùm inanes chartulæ lusoriæ inclusæ fuerunt. Digni certè quibus Satan propter suam superstitionem & impietatem ità illuserit. Utinam cognoscerent quisnam sit ille sanguis fœderis cujus hic memoriam agi dicunt. Sed cæcitatem istam meretur illorum impietas. Parce, Christiane lector, quòd Judaicis illis fortassis nimiùm immoratus fuerim. Ideo enim feci ut appareat quàm incertum, vanum, & nihil nisi humanum commentum sit, quo Judæi hodie potissimum nituntur, cui insistit illorum religio, & in quo summam fiduciam collocant. Est enim valde ridiculum; quod quatuor istas lectiones colligunt ex vocabulo טוטפות, quod cum nesciant quid verè & propriè significet, credunt interim miseris & cæcis suis Rabbinis, qui somniant, bis duo significare, ut suprà ex Rabbi Salomone ostensum est. Istiusmodi fundamentis nititur hodierna Judæorum fides, sicut etiam in aliis locis luculenter ostendam. Sed reverà digni sunt ut in hujusmodi tenebris versentur, quandoquidem oblatam sacri Euangelii veritatem respuerunt, & adhuc respuunt.

17. *Non duxit eos Dominus*, &c.] Annotavit A. E. regiam & compendiariam viam ex Ægypto in terram Sanctam esse per Philistæam, atque in decem diebus hoc iter confici posse, verum Dominum noluisse eos per istam viam ducere, nè fortè bello à Philistæis lacessiti, perterrefacti, reditum in Ægyptum meditarentur. Quia enim servi fuerant in Ægypto, ideo serviles habebant animos, ad bella minùs aptos & exercitatos. Quæ causa etiam fuit ut tantoperè sibi timerent ac trepidarent cùm insectaretur illos Pharao exercitu suo non usqueadeò magno, cùm tamen illorum erant sexies centum millia; similiter & postea, quando Amalekitæ illis bello occurrebant.

18. *Et armati ascenderunt*] Lxx. hunc locum ex veritate Hebraica ità transtulerunt, *Quintâ autem generatione ascenderunt filii Israël ex terra Ægypti*, i. quinto seculo: quod videlicet jam supra quadringentos annos quibus Deus semen Abrahæ in terra aliena peregrinum futurum prædixerat, effluxissent triginta anni, ut jam quintum seculum agi videretur. Sed ad hanc suam versionem movisse eos potissimùm videtur ambiguitas vocis Hebraicæ quæ ibi ponitur, חמשים *Hamuschim*, quæ ab חמש deducta etiam *quinque* significare potest. Pro *accingi* tamen & *armari* quoque accipitur, à חמש *Chomesch*, quod *quintam costam* significat, quod circa eam arma quibus se homines muniunt ferè adhiberi soleant. Et istam posteriorem sententiam sequuntur omnes Hebræi, noster Paraph. & Vulg. interp. Latinus. Vult enim dicere Scriptura, quod filii Israël non ut servi fugitivi clam ex Ægypto egressi fuerint, sed palam & armatâ manu.

IDEM

16. והיה לך לאות על ידך ולטוטפת. *Erit itaque in signum super manum tuam, & in monumentum inter oculos tuos,*] Variatio est in voce Hebraica טוטפות, quam Lxx. quasi non habentes vocem Græcam, quæ ei respondeat, per ἀσάλευτον, i. *immobile*, sive inconcussum & firmum reddiderunt. Quid autem *Totaphoth* Hebræis significet, & quid sit verum ejus Etymon, nec ipsis sanè constat: nisi quòd R. Salomo vocem compositam esse dicit ex duabus linguis, ex his duo significare. Unde postea colligunt quatuor tantùm receptacula esse debere in quibus quatuor locos Scripturæ descriptos habent, quæ quotidie capiti & brachio adhuc hodie alligant Judæi. Vulgò *Thephillim* appellant, quâ voce & Paraph. Chaldæus usus est. *Thephillim* autem dicta esse putant vel à תפל, quod *conjungere*, *alligare* & *appendere* significat, quam interpretationem secutus videtur interpres Latinus; vel à תפלה quod *preces* & *orationem* significat, q. d. *Oratoria*, sic appellata quòd Judæi istis signis in precibus & orationibus suis quotidie utantur. Quantâ superstitione Judæi in parandis istis signis etiamnum hodie utuntur prolixè tractavi in Annotationibus meis super Biblia Chaldaica, ad quas te remitto.

18. ויסב אלהים את העם דרך המדבר ים סוף *Sed circumduxit Deus populum per viam deserti maris Rubri,*] Hunc locum annotare libuit propter vocem Hebraicam ים סוף, quam Lxx. & Vulg. Interpres ubique *mare rubrum* interpretantur, cùm tamen סוף Hebræis non *rubrum* sed *caricem* seu *papyrum* sonat. Hinc Hebræi ים סוף *mare caricosum* vel *papyrosum* appellari dicunt, eo quòd ad ejus litora copiosissima sint carecta sive papyriones. Abenezra de hac voce in suo Comment. sic annotavit, יש אומרים שנקרא כן בעבור שיש סביביו סוף ואחרים שאמרו שמו כנזרת סוף שהוא סוף העולם והוא ים אוקינוס, *Dicunt nonnulli vocari mare eo nomine quòd per ejus circuitum nascuntur papyri; alii autem existimarunt ideo vocari* MARE SOPH, *quia* SOPH *etiam* finem *sonat; dicuntque hoc mare terminum esse mundi, h. e. ipsum Oceanum.* Hæc ille. Refellitque hanc ultimam opinionem. Non enim sinus Arabicus est mare Oceanus, ut satis compertum est. R. quoque Salomo hoc idem sentit, וסוף הוא לשון אגם גדלים בו קנים, *SOPH* Juncum *significat, quo nomine mare illud appellatur, quòd calamorum & papyrorum copia in eo nascatur.* Non ergò ex eadem causâ à nobis & Hebræis ei mari inditum est nomen: nam *rubrum* à Græcis appellatum est, Plinio teste, quòd arena ejus rubra sit, & aquæ quasi rubere videantur; sicut omnes propè asserunt.

VATABLUS.

1. **H***Is verbis*, לאמר] Ad verb. *dicendo*.

2. *Sanctifica*, קדש] i. consecra, vel, dedica. ¶ *Quicquid aperit vulvam*, פטר כל רחם] Ad verb. *apertionem omnis vulvæ*. Per appositionem dictum, i. adaperiens vulvam cujusque animalis. ¶ *Meum enim est:* לי הוא] q. d. meum esse volo in memoriam tanti beneficii quod à me accepistis.

3. *Mementote*, זכור] Infinit. pro Imperat. ¶ *E domo servorum.* מבית עבדים] Per appositionem Ægyptum vocat *domum servorum*, i. locum in quo serviebant durissimam servitutem. ¶ *Neque comedatur fermentatum:* ולא יאכל חמץ] Ut scilicet hàc ratione memores sitis quomodo non tantùm vi exiistis ex Ægypto, sed etiam ità festinanter ejecti fuistis, ut non licuerit immorari diutiùs ad parandum viaticum, nondumque massæ vestræ essent fermentatæ, tantum abest ut vos retinuerint.

4. *Abib.* האביב] i. *spicæ* pro *Spicarum*, h. e. mense quo Spicæ exeunt è calamis: nam hæc vox propriè significat *calamum in cujus summitate est spica.* Hoc in terra promissionis & apud Ægyptios fit mense Martio, vel in principio Aprilis: hoc est, circa æquinoctium Vernum: sicut collectio aliorum fructuum in fine anni, h. e. circa æquinoctium Autumnale, fieri solet. Incipiunt enim Hebræi annum suum circa æquinoctium Autumnale: licèt in Sacris ab æquinoctio Verno illum jubeantur auspicari. Quidam אביב non pro *novis frugibus*, aut tempore quo fruges ad maturitatem tendunt, accipiendum esse putant, sed pro *florido & virenti:* acsi dicat Moses populum eo tempore egressum fuisse quo omnia florent ac virent, quod est verno tempore. Prior lectio verior est, quam & omnes Hebræi sequuntur.

5. *Quum autem introduxerit*, והיה כי יביאך] Ad verb. *Et erit, quum introduxerit.* ¶ *Tunc coles cultum istum*, ועבדת את העבודה הזאת] *Tum celebrabis ritum hunc.*

7. *Apud te*, לך] *Tibi*, i. à te. Sic mox.

8. *Eo die*, ביום ההוא] Quo scilicet comedes azyma. ¶ *Propter hoc quod fecit*, בעבור זה עשה] i. Propterea signa quæ fecit Dominus, (i. propter occisa primogenita) celebramus Paschæ illius festum in memoriam beneficii accepti. Alii vertunt, *Propterea hoc fecit mihi Jehovah*, sub. *ut essemus memores accepti beneficii*, q. d. Deus fecit illa signa quum egrederer ex Ægypto, ut perpetuò memores essemus illius beneficii, & quòd semper adesse solet suis in necessitate. Prior interpretatio verior.

9. *Et erit tibi*, &c. והיה לך וגו׳] i. Externæ istæ ceremoniæ sint tibi non secus acsi quis aliquod signum habeat in manu, aut monumentum ante oculos suos, quod eum perpetuò admoneat beneficii accepti. Solent enim qui tardioris ingenii aut futilis memoriæ sunt, admoneri ut aliquid in manum sumant, aut signum aliquod sibi faciant, nè eorum quæ eis commissa sunt obliviscantur; aut, si excidant, faciliùs reminiscantur. Signa in hoc prosunt, ut spiritualium cœlestiumque rerum aspectum terreno quodam modo nobis exhibeant, omnesque sensus nostros exteriores exerceant, moneant ac solentur. Dicit ergò Deus per Mosen populo, Eam ob causam præcepi tibi hanc ceremoniam observari, ut potentiam ac beneficentiam meam quâ te liberavi, ac è servitute eduxi, quasi in oculos & manum dem: ut videant oculi tui, & palpent manus tuæ, nè unquam tibi desit quod carnis infirmitatem adjuvet. Fiet autem quum hæc exteriora ob oculos versabuntur, & manibus tractabuntur, ut tibi potentia, gratia & misericordia mea velut renoventur: nam harum te admonebunt ceremoniæ. Consideratâ autem tantâ Dei bonitate quâ te liberavit, calefiet cor tuum ut tantum benefactorem redames, timeas, colas, innocenter coram eo ambules: quò enim plus amabis, hoc plùs studebis ejus voluntati obtemperare: sicque fiet ut Lex Dei semper sit in ore tuo, ut semper ejus beneficentiam laudes, extollas, atque opere magnificias: ut totâ vitâ tuâ Dei virtutem testeris, ut nusquam ab ejus Lege vel unguem latum discedas. Vide eadem paulò pòst vers. 16. ¶ *Quia in manu forti eduxit te Jehovah*, כי ביד חזקה הוציאך יהוה] *Quod in manu forti eduxerit te Jehovah.* Antecedens pro Relativo *Ipse.*

10. *In tempore suo quotannis.* למועדה מימים ימימה] Ad verb. *in tempore statuto à diebus in dies.* Hebraismus, quotannis incipiendo scilicet à diebus illis, & revoluto anno, rursus in illis diebus celebrate Pascha. Nam quum annus diebus constet, utuntur Hebræi *diebus* in plurali pro *annis*.

12. *Tunc transferes*, והעברת] Adverb. *Et transire facies*, i. separabis ac consecrabis omne primogenitum Domino. Nam (ut inquit quidam Hebræorum) verbum העביר *traduxit*, *transtulit*, *transire fecit*, ubique separationem significat. Similiter exponit & ex doctis illorum alter, *Transferas ad Dominum, ut non commisceatur cum aliis.* ¶ *Apertionem vulvæ*, פטר רחם] Sic vocat primogenitum, ut ex vers. 2. apparet, in quo utrumque conjungit, *primogenitum*, & *apertionem vulvæ*. ¶ *Apertionem, emissionem jumenti*, פטר שגר בהמה] *Apertionem*, sub. *vulvæ:* appositivè, *emissionem jumenti:* h. e. quod aperit vulvam bestiæ, & emittit bestiam. Significat pluribus verbis primogenitum. Chald. paraph. vertit, *omnem apertionem, & fœtum jumenti:* per *fœtum* hic intelligens ejectitium (h. e. qui ante tempus à natura statutum ejicitur) & hunc quoque adducendum Domino. q. d. si tibi fuerit jumentum cujus uterum fœtus aliquis etiam immaturus primò aperuerit, isque masculini fuerit sexûs, Domini erit.

13. *Omne autem primogenitum*, וכל פטר] Ad verb. *Omnem autem apertionem*, sub. *vulvæ.* Non licebat consecrare asinum Domino, quòd immundum esset animal: sed loco illius immolandus erat hœdus vel agnus. ¶ *Hœdo:* בשה] *Agno.* Utrumque significat hæc vox. ¶ *Redimes.* תפדה] Sub. *animali mundo quod offeres pro eo.*

14. *Cras*, מחר] i. in posterum, posthac. ¶ *In fortitudine manûs*, בחזק יד] i. manu forti & robustâ: magnis viribus. ¶ *E domo servorum.* מבית עבדים] Vide vers. 3.

15. *Quum indurasset*, &c. כי הקשה וגו׳] Adverb. *quum indurasset se Pharao ad dimittendum nos:* i. quum obfirmasset vultum suum, se non dimissurum nos. ¶ *Omnem apertionem vulvæ*, כל פטר רחם] i. omne quod aperit vulvam, h. e. omne primogenitum. Ut vers. 12. & 13. ¶ *Redimo.* אפדה] *Redimere soleo.* Fut. Heb. pro Præs.

16. *Et in frontalia*, ולטוטפת] Chald. paraph. *& in thephillin:* quod vocabulum hodie usitatissimum est apud Judæos, quo vocant sigilla quæ singulis diebus tum capiti tum sinistro brachio alligant, ut admoneantur præceptorum Dei. תפלין autem quidam ea dicta putant à verbo תפל, quod *conjungere*, *alligare*, & *appendere* significat: quam rationem secutus esse videtur Vetus Interpres, qui vertit, *Et quasi appensum quid.* Alii à voce תפלה, quæ Hebræis *preces* & *orationem* significat, derivant: q. d. *oratoria:* sic appellata quòd Judæi istis signis in precibus & orationibus suis quotidiè utantur. Prior opinio verior. Dicit igitur Moses,

ses, Hæc oblatio primogenitorum revocabit tibi perpetuò in memoriam beneficia Dei, ut solent signa & frontalia Legem Domini. Paulo antè, vers. 9. pro *frontali* Moses posuit *memoriale*. ¶ *Quia in fortitudine*, &c. כי בחזק יד] *Quòd in fortitudine manus eduxerit nos*, &c. Sic potiùs vertendum videtur, ut sit sensus, Ista oblatio primogenitorum reducet tibi in memoriam quòd in fortitudine manûs eduxerit te, &c. ut solent signa & frontalia esse memoriale Legis Dei. Vide vers. 9.

17. *Quum emisisset*, בשלח] Hic tertia est Hebræorum hujus secundi libri Mosis sectio, quam à secunda voce istius versûs appellant בשלח, *In emittendo*. ¶ *Bellum*, מלחמה] Sub. *imminere*.

18. *Maris Suph*, ים סוף] Adjacentis *Rubro mari*. Chald. paraph. *ad mare rubrum*. ¶ *Et accincti*, וחמשים] Sub. *armis*. Hæc vox *accingi* & *armari* significat: ab חמש, quæ *quintam costam* significat, quòd circa eam arma quibus se homines muniunt, ferè adhiberi soleant. Sic omnes Hebræi. Chald. paraph. מזרזין *accincti*, vel (ut alii vertunt) *festinabundi*, *soliciti*, *circumspecti*, & *expediti*. Lxx, *quintâ autem generatione ascenderunt*, &c. i. quinto seculo, quòd videlicet jam supra quadringentos annos, quibus Deus semen Abrahæ in terra aliena peregrinum futurum prædixerat, effluxissent triginta anni, ut jam quintum seculum agi videretur. Quod ut sic transferant, ambiguitas vocis eos movit, quæ ab חמש deducta *quinque* significare potest. Verùm prior versio, melior. Vult enim dicere Moses, quòd filii Israël, non ut servi fugitivi clam ex Ægypto egressi fuerint, sed palàm & armatâ manu.

19. *Visitando visitabit*, &c. פקד יפקד וגו'] Hebraismus, Quum visitaverit vos Deus, efferte, & asportate.

20. *In fine*, בקצה] *In ora: in extremitate.*

CLARIUS.

4. *Mense novarum frugum*] Vel *mense maturescentis frugis*. Et capitur pro illo tempore quo fruges ad maturitatem tendunt; quod in terra Promissionis fit proximâ lunatione post æquinoctium vernum, h. e. in principio Aprilis: errant ergò qui verterunt, *in mense Julii*.

9. *Et erit signum in manu tua*] *Signum in manu*, & *monumentum ante oculos*, idiotismus est Hebraicus quotidiani exercitii, & meditandæ legis Divinæ, & per rectè facta exercendæ.

10. *A diebus in dies*] h. e. per singulos annos. Accipiuntur enim *dies* in Scriptura non rarò pro *anno*.

12. *Et quod primitivum est*] Alius vertit, *& quodcunque ejectitium primo aperueris pecudem*: ut sit sensus, Si tibi fuerit jumentum cujus uterum fœtus aliquis, etiam immaturus, primò aperuerit, isque masculini fuerit sexûs, Domini erit.

13. *Mutabis ove*] Alii verterunt, *agno*, vel *hædo*.

16. *Et quasi appensum quid*] Vel *monumentum*. Ferunt frontalem quandam esse schedam, quæ inter oculos, h. e. super oculos fronti affigitur, pertingens ab aure usque ad aurem, in qua certæ quædam sententiæ scribuntur, nempe hæ, *Sanctifica mihi omne primogenitum ad aperiens vulvam*, &c. Et, *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est*, &c. Atque hic miris utuntur superstitionibus: Nam hæc membranula sit oportet de animali mundo, scribenda dexterâ manu, lineæ rectissimæ, charta integra sine ullo foramine: scribique debet ex illa parte quâ carni pecudis membranula conjuncta fuit. Hæc si in cubili fuerit, non licet thoro frui, nisi intra tertium clausa fuerit scrinium; multaque alia ridicula. At hæc nolebat Dominus, sed ut oculi suorum fidelium jugiter versarentur circa legem suam.

DRUSIUS.

10. מימים ימימה. Alius, ἀκρίβασμόν· alius, πρόσταγμα; *præceptum*] ¶ Alius, ἀκρίβασμόν. Aquila. Gen. 47. 22. חק, A. ἀκρίβασμόν. Psalm. 94 vers. 20. עלי חק, idem, ἐπ' ἀκρίβασμόν. Prov. 8. 15. יחקקו, A. Sym. Th. ἀκριβάσοντα. Rursum, Psal. 60. vers. 7. מחקקי, A. ἀκριβασμός μου. Th. ἀκριβαζόμενος. ¶ Alius, πρόσταγμα. Symmachus, Psalm. 94. 20. עלי חק, Sym. κατὰ προστάγματος. 60. 7. מחקקי, idem, προστάσσων ὁ ἐμός. Alibi tamen חק reddit σύνταξιν, videlicet Gen. 47. 22. ¶ *Præceptum*] i. חקה.

13. וערפתו. A. τενοντώσεις, *decervicabis*. Sym. ἀποκτενεῖς, *interficies*. Th. νωτοκοπήσεις αὐτό. *decollabis illud*] *Decervicabis*. Vel, *cervicem truncabis*. Nam *decervicare* Latinum non est, quòd sciam. Dicitur tamen ut *decollare*. Lexic. vet. Τένων, *cervix*. Hinc ὑψιτένων, *qui alta cervice est*; & τενοντόω, verbum effictum ab Aquila, *cervicem amputo*. In edit. Rom. τενοντώσεις, jugulabis. ¶ Νωτοκοπήσεις, *exdorsuabis*. Siquidem νῶτος *dorsum*. Id Probo significat posteriorem corporis partem, in qua collum: unde interpretati sumus, *decollare*.

16. ולטוטפת. A. καὶ εἰς ἐνωτεῖ.] Hoc quid sit, nescio, nisi significationem habeat *ferendi* & *portandi*, ab ἐνέγκω seu φέρω: unde ἐνεκτέον, *ferendum*. Santes ex Ebræo vertit, *in frontalia*. Hieron. *quasi appensum quid*. Lxx. ἀσάλευτον, i. *immobile & inconcussum*. Ambo Chaldæi לתפלין, εἰς φυλακτήρια. Sic etiam R. S.

18. וחמשים עלו בני ישראל מארץ מצרים. A. ἐνοπλισάμενοι ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς γῆς Αἰγύπτου] In edit. Rom. ומשים. A. & Sym. καθωπλισμένοι. Th. πεμπταῖζοντες] Ἐνοπλισάμενοι; i. ἔνοπλοι, sive ἐνόπλιοι, *armati*. Putavi aliquando legendum esse ἐνοπλισμένοι. Hieron. epist. cxxv. quæ ad Damasum scripta; *Aquila namque, qui non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum, in eo loco ubi Lxx. posuerunt*, [*Quintâ autem generatione ascenderunt filii Israël de terra Ægypti*] *ità transtulit*, Καὶ ἐνοπλισάμενοι ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς γῆς Αἰγύπτου, i. *Et armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti. Licet pro eo quod nos Armati diximus, secundum Græci sermonis ambiguitatem, Instructi, sive Muniti, propter supellectilem, quâ Ægyptios spoliaverant, possit intelligi.* Idem paulò pòst, *Aquilam verò, ut in cæteris, & in hoc maximè loco propriè transtulisse, omnis Judæa conclamat, & Synagogarum universa consonant subsellia.* Καθωπλισμένοι, *armati*. Nam καθοπλίζω *armo*, idem videlicet quod ὁπλίζω. Tharg. Jerosol. מזרזין, sed addit, *opere bono*. R. S. מזוינים, Utrumque sign. *armis instructi*. Onk. מזרזין, *instructi*, vel *accincti*. Hieron. *armati*. Santes, *accincti*, i. εὔζωνοι. ¶ Πεμπταῖζοντες, *numero quinario*: verbum à πεμπτὰς deformatum. Jon. *quilibet cum quinque infantibus aut puerulis*. R. S. *Alia expositio* חמשים, i. מחומשים *singuli ex quinque. Siquidem quatuor partes obierant in tribus illis diebus caliginis*. Vult dicere, quòd caligo Ægyptum obtexerat. R. Levi, *cum omnibus possessionibus suis*. David Camius in libro ubi vocum sensa collegit, חמשים; *qui quintam costam*, חמש *dictam, succinctam habent armis militaribus*. חמש *certè, teste R. Jona, est* חמש חומר, *i. costa quinta, unde fel & jecur dependent. Et sunt qui interpretentur dicentes, quemlibet eorum gestasse quinque arma: sed prius rectum est.* Hactenus R. ille.

NOTÆ MAJORES.

1. ET *locutus est* DOMINUS *ad Mosen dicendo.*

2. *Sanctifica mihi omne primogenitum aperiens omnem vulvam in filiis Israël, tam in homine quam in jumento: meum enim est.*

Ad Mosen] Cum Mose: On. Jon. ¶ *Sanctifica*] ἁγίασον, consecra, separa. Fiebat autem sanctificatio duobus modis. Uno, ut cum tribus Levi Deo consecrabatur: altero, cum primogeniti Deo sistebantur, qui pretio redimebantur: pro asino autem ovis pendebatur. ¶ *Omne primogenitum*] Masculini generis. ¶ *Aperiens omnem vulvam*] Lxx. διανοῖγον πᾶσαν μήτραν. Hieron. *quod aperit vulvam*: omisit particulam כל. Vulva sive matrix Chaldaicè ולדא dicitur, quæ vox etiam puerum denotat. Nota רחם pro רחם contra usum communem linguæ. Aperit autem vulvam qui primo nascitur, sive mas sive fœmina sit. Ideò Jonathan adjecit post *primogenitus*, דכוריא masculorum. Nam fœminæ non consecrabantur Deo. ¶ *Tam in homine*, &c.] Hier. *tam in hominibus quam in jumentis*. Lxx. ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους. באדם עד בהמה. ¶ *Meum enim est*] לי הוא meum est, quod Græci dixerunt ἐμοί ἐστιν retento Ebraismo. On. & Jon. דילי הוא meum est. Hieron. *mea sunt enim omnia*. Nam quia, cum percuteret primogenita Ægyptiorum, servaverat primogenita Ebræorum ideò ei obligata erant. Quod enim quis servat, hoc ei jure debetur.

3. *Dixitque Moses ad populum, Mementote diei hujus quo egressi estis ex Ægypto è domo servorum: quia in fortitudine manus eduxit* DOMINUS *vos hinc; & non edetur panis fermentatus.*

4. *Hodie vos egredimini, in mense Abib.*

Mementote] זכור meminisse. Infinitum est. Id reddi potest *memento* & *mementote*, μνημονεύετε. In decalogo redditur *memento*. Nam ubi legimus, *memento diei Sabbathi*, textus Ebræus habet זכור meminisse. Simile apud Hesiodum γυμνὸν σπείρειν, nudus ara. Alibi, *erit vobis dies iste* לזכרון εἰς μνημόσυνον. ¶ *E domo servorum*] Quasi ex ergastulo, in quo durissimam servitutem serviistis: unde alibi vocatur, *fornax ferrea*. Aut *è domo servorum* i. Ægyptiorum, qui posteri erant Cham, patris Chanaan: de quo prophetatum, *servus servorum erit fratribus suis*. Origenes hom. 16. in Genesin, *Ægyptus vocatur domus servorum, qui omnes servi erant adempta libertate.* Abenezra, *E domo servorum quia servire cogebant eos ac si essent omnes servi eorum*. R. Levi, *E domo servorum, quia conclusi fuerant illi*

in terrâ illa conclusum perfecta, quemadmodum concluduntur servi in ergastulo, ubi opus faciunt. Sensum expressi, non verba. Hieron. *de domo servitutis.* Sic etiam Onkelos. Senes quoque ἐξ οἴκου δουλείας. Jonathan, *è domo servitutis servorum.* Venerabilis Beda, *Dicitur Ægyptus domus servitutis, quod Israël ibi servivit: vel quod idolis Ægyptiorum servierunt, sive quod quinta pars regibus dabatur.* ¶ *In fortitudine manus*] Manu forti ac valida, robusta. Lxx. ἐν χειρὶ κραταιᾷ. Jonathan בתקוף גבורת ידא in robore potentissimæ manus. ¶ *Hinc*] Ex hoc loco. ¶ *In mense Abib*] בירח אביב Lxx. ἐν τῷ μηνὶ τῶν νέων. Id Hieron. dixit, *mense novarum frugum.* Jonathan, 15. *Nisan: hic est mensis Abiba.* Macarius appellat mensem florum, ἐν τῷ μηνὶ τῶν ἀνθῶν ἐξάγει αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου. Alibi vocat Aprilem. Stephanus Gobarus apud Photium, ἐν τῷ μηνὶ τῶν νέων, οἷον Ἀπρίλλιῳ, ὃν οἱ Ἑβραῖοι νεὰν καλοῦσι. Hieron. Hag. 2. *Nisan apud Ebræos mensis primus, qui appellatur mensis novorum, eo tempore quo Pascha faciunt i. incipiente veris exordio: qui secundum lunæ cursum sæpe quandam partem mensis Martii, interdum incipit in Aprili.* Vide additiones Pauli Episcopi Burgensis, Exod. 12. addit. 1. Quæri potest unde sint hæ variæ appellationes? puto esse ex variâ interpretatione nominis אביב, quod nunc in Ebræo. Id firmabo testibus. Abenezra אביב כמו בכור. Sig. ergo fructus primitivos i. novos. Ambrosius epist. 83. *In Ægypto hoc primo mense nova secantur frumenta.* Nova frumenta i. אביב. In notis Vatabli, *Quidam אבי non pro novis frugibus, aut tempore quo fruges ad maturitatem tendunt, accipiendum esse putant; sed pro florido ac virenti: ac si dicat, populus eo tempore egressus est quo omnia florent ac virent, quod est verno tempore.* Hinc, *mensis florum:* Gallica Editio, *in mense quo spica maturescunt.* Munsterus, *maturescentis frugis.* Quidam Abib cum אב confundunt. Male. Nam אב respondet ex parte Julio nostro. In Abenezra אב non est nomen mensis, sed vox appellativa patrem significans, qui primus est respectu filii: unde אביב. Sic ille. Propriè אביב spica cum calamo, spica virens adhuc, culmus. Vide notas Exod. 9. 31. Tremel. אביב i. *hordei cum spica, quia ibi hordeum jam spicas extulerat.* Levit. 10. 10. & 15. Liber Radicum אביב *est spica cum calamo suo, qui aliud nihil est quam עץ lignum i. culmus.* Vide sequentia. Elias, *secundum expositores non est* אביב *aliud quam* בכור, & sic interpretatur Onkelos אביבא, item Jonathan; cui באבא idem quod מבכרת. Lippomanus, *Sciendum dictionem Abib descendere ab* אבב, *quod sig. virens: unde* אביב *novas fruges adhuc virescentes significat. Significat etiam calamum, in cujus summitate spica est cum novis frugibus tritici aut hordei.* Vide sequentia. Vide & Exod. 34. vers. 22. & 26. qui duo loci firmant ea quæ dicta sunt de בכור.

5. *Quumque introduxerit te DOMINUS in terram Chananæi, & Hethæi, & Amoræi, & Hevæi, & Jebusæi, quam juravit patribus tuis daturum se tibi, terram fluentem lacte & melle, coles cultum hunc in mense isto.*

6. *Septem diebus comedes azyma, & die septimo festum DOMINO.*

In terram Chananæi, &c.] Septem erant gentes in terra Chanaan, quæ ideò terra septem gentium vocatur. Duas ergo prætermisit, quas Græci adjecerunt post Ἰεβουσαίων, addentes καὶ Γεργεσαίων καὶ Φερεζαίων ex aliis locis. ¶ *Quam juravit*] Gen. 22. ¶ *Patribus tuis*] Abrahamo, Isahaco, Jacobo. ¶ *Fluentem*] Manantem. On. & Jon. *facientem lac & mel.* ¶ *Coles cultum hunc*] Tremel. *ut obeatis cultum istum.* Hieron. *celebrabitis hunc morem sacrorum.* Lxx. ποιήσεις τὴν λατρείαν ταύτην. Santes, *servies servitutem hanc.* Alius, *celebrabitis ritum hunc.* ¶ *Comedes azyma*] Vesceris azymis. ¶ *Festum*] Solemnitas.

7. *Azyma comedentur septem diebus, & non conspicietur in te fermentatum, neque conspicietur in te fermentum, in omnibus terminis tuis.*

8. *Et indicabis filio tuo in die illo, dicendo, Propter hoc fecit DOMINUS mihi cum exirem ex Ægypto.*

¶ *Comedentur*] Ad verb. *comedetur.* Nota genus loquendi. ¶ *Septem diebus*] Hic est ritus sive cultus ille, de quo supra. ¶ *Conspicietur*] Vel, *conspiciatur.* ¶ *In te*] In domo tua. Simile in Latio, *ivit ad Pompejum* pro ad ædes Pompei. Ebraicè & Chaldaicè לך tibi. Hieron. *apud te* עמך. Lxx. σοι. Santes, *tibi.* Tremel. *apud te.* Si *tibi*, tum redundat in sermone latino. Hieron. versionem amplexi sunt præterea Munsterus & Leo Judæ. ¶ *Fermentatum*] ζυμωτόν. ¶ *Fermentum*] ζύμη. Chaldaicè חמיר. Sic Exod. 12. 15. ¶ *In omnibus terminis tuis*] Hieron. *in cunctis finibus tuis.* Lxx. ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις σου. Aben. *in loco ubi potestas vel jurisdictio tua.* ¶ *Indicabis*] Narrabis. ¶ *Propter hoc fecit DOMINUS mihi*] בעבור זה עשה יהוה לי Hieron. *hoc est quod fecit mihi DOMINUS.* עשה זה יהוה לי Lxx. διὰ τοῦτο ἐποίησε Κύριος ὁ Θεός μοι ὡς ἐξεπορευόμην. Jonathan, *ob præceptum istud fecit sermo DOMINI mihi signa & miracula.* Tremel. *propter hoc fecit ista Jehova mihi.* Editio Gall. *fecit me educendo me* יהוה עשה לי. Lippomanus, *propter hoc quod fecit DOMINUS mihi.* Id habetur in textu, qui Bibliis Vatabli insertus. Dicam nunc meam sententiam. ¶ *Propter hoc*] Ob hunc ritum vel cultum. Finis enim beneficiorum Dei erga nos ut eum rite colamus. ¶ *Fecit*] Judicia, ut Ps. 119. in Ain; *tempus faciendi DOMINO.* & 22. 33. *quia fecit.* sub. judicium. Sic Malach. 3. 17. & 14. 3. *eritis mihi, in die quæ ego faciam, peculium.* In his locis facere absolutè ponitur pro facere judicium. Quod notatum à me in Quæsitis per epistolam. ¶ *Mihi*] In gratiam meam. ¶ *Cum exirem ex Ægypto*] Educente DOMINO, qui propter cultum suum me inde eduxit. Supra, *cum eduxeris populum ex Ægypto, coletis Deum in monte isto:* & alibi, *eduxi vos è terra Ægypti ut essem vobis Deus.*

9. *Et erit tibi in signum super manum tuam, & in monimentum inter oculos tuos, ut sit lex DOMINI in ore tuo: quia manu forti eduxit te DOMINUS ex Ægypto.*

10. *Custodies itaque statutum istud stato tempore suo, à diebus in dies.*

In signum] Pro signo aut quasi signum. Quod ultimum habetur in Edit. Hieron. Sic לקש tanquam stipula. Forte melius *erit tibi signum.* Sic Græci, καὶ ἔσται σοι σημεῖον: & Jonathan ויהי לך ניסא. ¶ *Super manum tuam*] Hieron. *in manu tuâ.* Alius, *ad manum tuam.* Sig. autem, ut R. Levi annotat, manum sinistram. Quod firmat R. Moses Sacerdos ità scribens, *Manus vocabulum plerumque de leva sumitur ut Jes. 48. 13. etiam manus mea fundavit terram, & dextera quasi palmo formavit cælum.* Hoc primum: deinde per manum intelligit, autore R. Levi, superiorem partem manus in junctura media inter scapulam & brachium. Quod ex eo probat quia scriptum lectum; *erit in signum tibi. Nam si esset,* inquit, *super manum propriè dictam, etiam aliis signum esset, & risum excitaret gentibus.* Sane nomen יד aliquando latè sumitur, ut etiam brachium comprehendat: unde Gen. 24. 18. על ידה. Lxx. ἐπὶ τὸν βραχίονα αὐτῆς. Sic etiam Gen. 27. 16. Sunt qui hæc omnia figuratè dicta interpretentur, ut apud Salomonem, *Scribe ea in tabula cordis tui:* &, *additamentum gratiæ erum capiti tuo, & torques gutturi tuo.* Vide Abenezram qui adversus ità sentientes disputat, negans in lege figuratum sermonem esse quem vocat דרך משל qualis in Proverbiis Salomonis, cujus inscriptio משלי i. Proverbia sive Parabolæ. Jonathan hoc loco habet, *Et erit tibi signum istud sculptum & expositum in phylacterio manus in summitate sinistræ tuæ.* ¶ *In monimentum*] Rursum Hieron. *quasi monimentum.* Lxx. μνημόσυνον, quod reddunt, *memoriale.* Malim, *monimentum:* si tamen hoc singularem habet, quod negat autor Lex. veteris, in quo μνημόσυνον, *memorabile.* μνημόσυνα, *monumenta. Singularem non habet.* Santes, *in memoriam.* Editio Gal. *pro memoriali.* ¶ *Inter oculos tuos*] Lxx. πρὸ ὀφθαλμῶν σου, ante oculos tuos. Sic etiam Hieron. Qui sæpe non ex Ebræo, sed ex Græco vertit. Jonathan, *In memoriam sculptum & expositum in phylacterio capitis fixo ante oculos supra caput tuum.* R. Levi, *Locus est in capite inter oculos, ubi cerebrum pueri tenerum est.* Hiscuni, *Erit signum primum tibi, deinde aliis, hoc est, & in monumentum inter oculos tuos. Hoc est quod dicitur, videbunt omnes populi terræ nomen DOMINI invocari super vos. Et dicit Mar, Hæc sunt phylacteria capitis.* Nicolaus, *Judæi occasionem hujus scribunt hoc in cedula, & ligant in manu sinistra, & similiter in capite: sed patet quod illud quod præcipitur hic non est nisi ad fortiter imprimendum memoriæ. Quando enim quis vult alicujus rei recordari pro signo recordationis ligat in manu filum, vel ponit ante oculos aliquid in signum recordationis: Et hoc modo loquitur hic Scriptura.* R. Salomo, לטוטפות בין עיניך in frontalia sive phylacteria inter oculos tuos. Hæc phylacteria Chaldæi תפלין appellant. Legitur utraque vox infra vers. 15. ¶ *Custodies*] Positum pro custodito. Alias, *observato.* ¶ *Statutum istud*] החקה הזאת. Hieron. *hujusmodi cultum.* Malim, *ritum.* Lxx. τὸν νόμον τοῦτον החקה הזאת. Alius, ἀκριβασμόν. Puto Aquilam esse. Alius, πρόσταγμα i. præceptum. Sic חק interpretantur Psalm. 2. ¶ *Stato tempore suo*] למועדה. Hieron. *statuto tempore.* Lxx. κατὰ καιροὺς ὡρῶν, quod interpretantur, *secundum tempora statuta.* Alias, *secundum tempora annorum.* Onk. בזמנה in tempore suo. Sic etiam Santes. Jonath. *Observabis statutum hoc phylacteriorum sive frontalium in tempore convenienti illi, diebus quibus opus sit, non sabbathis aut in solemnitatibus.* ¶ *Diebus in dies*] Annuatim sive quotannis. Notum ut *dies* pro anno ponantur. Sic alibi, *diebus erit redemptio ejus:* i. anno. Item *post tres dies.* i. annos. Vide Animadversiones meas: & R. Levi Gen. 40. 4. Commentarius

num pro die usurpatur. Abenezra, *annus est dies magnus, & dies annus parvus.* Videamus nunc aliorum interpretationes. Onkelos, *de tempore in tempus.* Id Fagius explicat, *de anno in annum* i. quotannis sive per singulos annos. Jonath. *interdiu & non noctu.* Hieron. *à diebus in dies.* Lxx. ἀφ' ἡμερῶν εἰς ἡμέρας. Santes, *quotannis.* Hiscuni, *duodecim menses appellat hic dies.* Autor Catenæ, *à diebus in dies* i. *quotannis sive per singulos annos: alii jugiter verterunt. Sensus est, incipies annum ab illis diebus, & revoluto anno rursum incipies celebrare pascha. Nam cum annus diebus constet, utuntur Ebræi quandoque diebus in plur. pro annis.* R. Salomo משנה לשנה *de anno in annum.* Nicolaus, *à diebus in dies, hoc est ab anno in annum.*

11. *Cumque introduxerit te DOMINUS in terram Chananæi, sicut juravit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam.*

12. *Transire facies quicquid aperit vulvam DOMINO, & quicquid aperit, fœtum jumenti quod erit tibi, mares DOMINO erunt.*

13. *Et omnem primogenitum asini redimes ove, quod si non redemeris ipsum, tum cervicem ei franges, & omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes.*

Juravit] Juramento promisit, nempe cum diceret, *Tibi & semini tuo dabo terras has.* ¶ *Chananæi*] Sub hoc nomine reliquas sex gentes complectitur. Erat enim Chanaan, ut recte Abenezra observat, pater earum. ¶ *Transire facies*] והעברת Hieron. *separabis.* Lxx. καὶ ἀφελεῖς. Alias, καὶ ἀφοριεῖς. Quod ultimum in antiquis libris. R. Salomo, *verbum* והעברת *nihil aliud est quam separare* והעברתם וגו', *ut ibi, transire facies possessionem ejus ad filiam ejus.* Quod amplius firmat Jonathan referens ותפרש *& separabis.* Fagius, *transire facies* i. *separabis & consecrabis DOMINO.* Abenezra, *traduces ad DOMINUM, ne misceatur cum alio.* Tremel. *ut emancipes.* Munsterus, *transferes:* alius, *adduces.* Hiscuni, *transire facies primogenitum à lege reliquorum filiorum ut eum des sancto benedicto.* ¶ *Quicquid aperit vulvam*] Ad verb. *omnem aperturam vulvæ.* ¶ *Aperit*] Vulvam ut supra. ¶ *Fœtum jumenti*] שגר בהמה emissum à jumento. R. Salomo de abortivo intelligit. Sic enim scribit, שגר *est abortivus quem emisit mater ejus ante tempus.* & mox, *etiam qui non est abortivus vocatur* שגר, *ut ibi* שגר אלפיך *fœtum boum tuorum. Sed hoc loco sig. abortivum; quia ecce ante scriptum est, quicquid aperit vulvam.* Hieron. *Et quod primitivum est in pecoribus tuis.* Onkelos, *omne quod aperit fœtum jumenti.* Jonath. *Omne quod aperit vulvam jumenti, quod emisit sive ejecit mater ejus.* Santes, *Quicquid primum aperit vulvam & emittit animal.* Arias, *Et emissionem animalis.* Tremel. *Quicunque aperuerit vulvam, fœtus jumentorum qui fuerit tibi.* Leo, *Omne primogenitum fœtus jumenti.* Munsterus, *Quodcunque ejectitium primum aperuerit pecudem.* Editio Gal. *Quicquid exiens aperit matricem.* Rursum Munsterus in notis, *Exponunt Ebræi* שגר *pro emisso fœtu, præsertim qui ante tempus à natura emissus fuerit. Sensus igitur est, si tibi fuerit jumentum, cujus uterum fœtus aliquis, etiam immaturus primum aperuerit, isque masculini fuerit sexus, DOMINI erit.* In monumentis magistrorum שגר יונה emissio columbæ i. שלח ut quidem interpretatur R. David. ¶ *Quod erit tibi*] Vel, *qui erit tibi.* Quid si *qui erunt tibi mares* &c. Hunc sensum Hieron. expressit per hæc verba, *quicquid habebis masculini sexus consecrabis DOMINO.* ¶ *Jumenti*] Mundi. *Quod omisit*, inquit Hiscuni, *quia præter asinum nullum erat apud eos jumentum immundum.* ¶ *Primogenitum asini*] פטר חמור aperturam asini i. primogenitum, ut rectè Hieron. exponit. Nam synonyma sunt primogenitus & aperiens vulvam. Ergo Senes habent διανοῖγον μήτραν ὄνου. Vide Lyram. Onkelos, *quod aperit primogenitum asini.* Jonathan, *Omne quod aperit vulvam asini.* Omnes idem dicunt. ¶ *Redimes*] Lxx. ἀλλάξεις. Hieron. *mutabis.* ¶ *Ove*] προβάτῳ: vel pecude i. agno vel hœdo. Tremel. *parva pecude.* Santes, *hœdo.* Arias, *agno.* R. Levi, *ex ovibus aut capris, tam mas quàm fœmina; nec refert maculam habeat nec ne.* ¶ *Cervicem ei franges*] Vel potius, *caput ei amputabis*, quod uno verbo decollare dicunt. Eo utitur Tremel. referens *decollato eum.* Lxx. λυτρώσῃ αὐτό. Hieron. *interficies.* Jerosolymitanus, *occides eum.* Onk. & Jon. usi sunt verbo נקף quod idem cum Ebræo ערף cervicem frangere. R. Salomo, *frangit ei cervicem coxide vel securi & occidit eum.* Sunt qui exponant, *scribes in cervice illius, Sanctitas. Hoc qui dicit*, ait Abenezra, *asinus est duræ cervicis. Nam* ערף *denotat amputare cervicem, decervicare. Quod enim Deo non consecrabatur, nec redimebatur, occidendum erat.* Vide sequentia & quæ supra notata. ¶ *Redimes*] *Pretio.* Hieron. Senes hic habent λυτρώσῃ, qui supra idem vertebant ἀλλάξεις. Nam redimere & mutare synonyma sunt; quæ tamen interpretes illi, nisi mendum in libris eorum, distinguere videntur. ¶ *In filiis tuis*] Hieron. *de filiis tuis.* Lxx. τῶν υἱῶν σου. Jonathan, *in filiis tuis & non in servis tuis.* ¶ *Redimes*] *Redimes pecunia.* Idem. R. Salomo, *quinque siclis redemptio ejus determinata est alibi.* Vide Num. 18. 16.

14. *Quod si interrogaverit te filius tuus cras, dicendo, Quid hoc? dices ei, In fortitudine manus eduxit nos DOMINUS ex Ægypto, è domo servorum.*

15. *Fuit autem cum indurasset* (*cor suum*) *Pharao ad dimittendum nos ut occideret DOMINUS omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis usque ad primogenitum jumenti: ideò ego immolo DOMINO omne quod aperit vulvam, ipsos mares, & omnem primogenitum filiorum meorum redimo.*

Cras] In posterum aut futuro tempore: quod Græci dixerunt μετὰ ταῦτα. Loquor de Lxx. interpretibus. Nam posset etiam legi εἰς αὔριον. Sane θησαυρὸς est pecunia reposita εἰς αὔριον, unde appellatio, ubi εἰς αὔριον denotat futurum tempus. Sic Christus, *ne estote solliciti in crastinum*; & alibi legimus, *quum dixerint filii tui cras:* & Gen. 30. *exaudiet me cras justitia mea.* Vide Hieron. in epistola ad Amandum, cujus initium, *Brevis epistola:* & Zachariam in unum de quatuor ex Augustino, pag. 86. R. Juda Levita putat in מחר cras abesse Aleph, ut sit מחר אחר מ אחר id quod est post hunc diem. ¶ *Quid hoc?*] Hieron. *quid est hoc?* ubi est valet *significat* aut sibi vult. Lxx. τί τοῦτο; Jonathan, *Quodnam est hoc mandatum primogenitorum?* Alibi est *quanam hæc testimonia & statuta & judicia. Prior interpretatio*, inquit R. Salomo, *est filii fatui, altera sapientis. Sunt autem quatuor genera filiorum. Unus improbus est. Secundus non novit interrogare. Tertius interrogat stultè. Quartus interrogat sapienter.* Hactenus R. Salomo. Quæ mihi folia farfari videntur & Nævii butubata. Melius Hiscuni, *Quid hoc sibi vult? Nam de Paschate & azymis audivimus, sed nescimus quid sibi velit redemptio primogenitorum.* ¶ *In fortitudine manus*] Manu forti. Posses legere, *in robore manus.* Notum ut manus pro plaga sumatur. Ergo Abenezra intelligit per *manum fortem*, plagam primogenitorum. Quod firmant consequa verba. ¶ *Quum indurasset*] Sub. cor suum. Hieron. *cum induratus esset.* Lxx. ἡνίκα δὲ ἐσκλήρυνε Φαραώ. Quod reddunt, *cum indurasset se Pharao.* Sic etiam Santes ex Ebræo. Quid si, *cum indurasset Pharaonem?* puto rectum esse. Tremel. *Quum durum se præbuisset Pharao in dimittendis nobis.* Jonathan, *Quum induraffet sermo DOMINI cor Pharaonis.* ¶ *Immolo*] Sacrifico. Vide Lyram. ¶ *A primogenito hominis &c.*] Tàm primogenitum hominis quàm jumenti. ¶ *Redimo*] *Pecunia.* Jonathan. Vide Num 18. 16. & Luc. 2. 22. Nomine asini sunt qui quodvis animal sacrificiis ineptum intelligant. Vide Tremel. vers. 13.

16. *Et erit in signum super manum tuam, & in frontalia inter oculos tuos, quod in robore manus eduxerit te DOMINUS ex Ægypto.*

In signum] Aut *signum.* Hujusmodi signa Ebræi תפלין vocant i. phylacteria, quæ Porchetus appellat conservatoria legis. Nam & nostra ætate Judæi quibusdam appendicibus utuntur, quibus sententias aliquot ex lege minutissimis characteribus scriptas includunt, easque oraturi non modo fronti, sed etiam alteri brachio alligant. Hæc Forsterus in Dictionario suo. Erant autem duo genera phylacteriorum: alia quæ dicebantur תפלין של יד phylacteria manus: alia תפלין של ראש phylacteria capitis sive frontalia, quæ mox טטפת vocantur. ¶ *Manum*] *Sinistram.* Jonathan. De qua voce R. Salomo duas conjecturas habet. Una est hæc. Putat compositam esse ex טט & פת, quorum utrumque duo significet. Posterius linguæ Africanæ est. Bis duo faciunt quatuor, erant enim certè quatuor domus. Altera est Manahemi Ebræi, qui ejus originem ad verbum נטף refert. Id stillare & loqui sig. *Nam qui videbat ea*, inquit, *ligata inter oculos recordabatur signi & loquebatur de eo.* Hieronymus hic habet, *quasi appensum quid ob recordationem.* Lxx. ἀσάλευτον, immobile & inconcussum. Aquila, καὶ εἰς ἐνοπτά. Id redditum in edit. Rom. & in appensa quædam. Chaldæus uterque לתפלין εἰς φυλακτήρια. Pro טטפת supra v. 9. Moses habet זכרון monimentum sive memoriale. Nam in memoriam revocabant Dei legem. R. Abahu scribit ab una aure ad alteram pertigisse. Abenezræ aliena videtur sententia Manahemi, quam supra ex Jario produximus. Idem etiam approbat consuetudinem sapientum in scribendis philacteriis. Hiscuni censet habere significationem intuendi & videndi. *Nam qui vident illa, recordantur signorum Dei, quæ fecit populo in Ægypto.* טף *aspicio, intueor* והטף וגו', *unde* מטפטף *oculo ejus intuen-*

tuentur. Hactenus ille. Quod mihi coactum & longe petitum videtur. De his Hieron. in comment. Ezech. 24. *Ajunt Ebræi usque hodie Babylonios magistros legis præcepta servantes decalogum scriptum in membranulis circumdare capiti suo, & hæc esse quæ jubeantur ante oculos & in fronte pendere, ut semper videant quæ præcepta sunt.* Ab eodem vocantur pictatiola decalogi Matth. 23. Fiebant ex corio bestiæ mundæ. Quâ de re vide Baal Aruch in voce קמיע, ubi hæreticus quidam quærit à R. Josua quare Phylacteria non scriberentur nisi super pellem mundæ animantis. Zacharias in unum de quatuor, Deut. 6. *Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus, Præcepta mea opere compleantur & mediteris in iis die ac nocte. Hoc Pharisæi male interpretantes scribebant in membranulis decalogum Mosis i. decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur. Quod usque hodie Judæi ac Babylonis faciunt, & qui hoc habuerit quasi religiosus in populis judicatur.* Vide sequentia: & annotationes Munsteri Matth. 23. in Euangelium Ebraicum ipsius: Videndus quoque Aruch in אצ & in טטפות. Reperio אצעדה 2 Regum 1. ubi codex Ebræus habet אצעדה armilla: & alibi טוטפתך pro eo quod in fonte עיניך. Hujusmodi phylacteria à patribus concilii Laodicensis prohibentur, quæ δεσμωτήρια τῶν ψυχῶν ibi vocantur. Alias plura, & fortasse peculiarem librum edam de illis. Det modo Deus vires & valetudinem.

17. *Cum autem dimisisset Pharao populum, non duxit eos Deus per viam terræ Philisthum, quoniam propinqua erat: Nam dicebat, nequando pœniteat populum, cum viderint ipsi bellum, & revertantur in Ægyptum.*

18. *Sed circumduxit Deus populum per viam deserti, ad mare Suph, porro armati ascenderunt filii Israel è terra Ægypti.*

Cum autem dimisisset) Ad verbum, *Et fuit cum dimisisset Pharao populum, ut duceret eos* &c. Et est initium novæ sectionis quæ vocatur בשלח *cum dimisisset*, à secunda ejus voce. Similiter liber iste vocatur שמות compendii causa, licet incipiat ואלה שמות. Vocatur etiam plenius ויהי בשלח. ¶ *Per viam terræ Philisthum*) ὁδὸν γῆς Φυλιστιείμ. Hoc vult, non recta via eos duxit. *Philisthum*) i. Philisthæorum sive Palæstinorum. Nomen hoc late & stricte sumitur, latè, ut cum tota terra Chanaan Palæstina vocatur; strictè, ut hoc loco, ubi restringitur ad eam regiunculam, quæ à numero quinque urbium Pentapolis à nonnullis vocatur. Sunt autem Gaza, Ascalon, Azotus, Accaron, Geth. Hieron. *Terra Philisthiim illa quæ nunc dicitur Ascalon; & circa eam regio Palæstinæ.* ¶ *Quoniam propinqua erat*] Hieron. *vicina.* Lxx. ὅτι ἐγγὺς ἦν, quia propè erat. Lippomanus, *distabat decem dierum itinere.* Id hausit ex Abenezra, cujus hæc sunt, *ab Ægypto Jerosolymam usque viâ rectâ per Palæstinam iter est circiter decem dierum.* ¶ *Non duxit*] In Ebræo est ולא cum copula, quæ hic perspicuè otium agit. Quale Phe quod vocant Arabicum. Abenezra nuncupare solet Phe Ismaelitarum. Idem est. Nam Ismaëlitæ, Arabes. ¶ *Nequando pœniteat populum*] μήποτε μεταμελήσῃ τῷ λαῷ. ¶ *Cum viderint ipsi bellum*] Videre bellum, ut *videre periculum, videre malum*: aut cum viderint adversum se bella consurgere. Hoc Hieron. habet. Augustinus, *Hic ostenditur omnia fieri debere quæ consilio rectè fieri possunt, ad evitandaque adversa sunt, etiam cum Deus apertissimè adjutor est.* ¶ *Per viam deserti*] Alias, *viâ deserti.* Vult dicere quæ ducit in desertum. Quod Græcè legitur in edit. τῶν Lxx. ὁδὸν τὴν εἰς τὴν ἔρημον: & deserti i. המדבר cum articulo. Sig. enim desertum Arabiæ, in quo mons Sinai, qui propterea mons Arabiæ vocatur. ¶ *Ad mare Suph*] Sic Onkelos לימא דסוף & Lxx. εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν. Hieron. *quæ est juxta mare rubrum.* Id mare adjacet Arabiæ. Ideò sinus Arabicus appellatur. Ebræis autem vocatur mare Suph, de quo mox. Prius notabo in Jonatha esse, *deserti maris Suph.* Quam interpretationem Abenezra & Hiscuni maximè probant. Obstat tamen articulus qui in המדבר. Sed respondent sermonem brevem esse pro המדבר מדבר ים סוף deserti, deserti, inquam, maris Suph. Qualis constructio in illo האבן האבן הבדיל lapidem, lapidem stanni. Sunt alia exempla quæ brevitatis causa omitto. Mirum ni est ἀσύνδετον pro *deserti & maris rubri sive Suph.* De hac appellatione variæ sunt opiniones. Quidam interpretantur *mare finis* i. extremum. Nam est, inquiunt, finis mundi. Prorsus imperite. Primum finis סוף dicitur, non סף. Deinde sinus est, non oceanus. Ergo Abenezra censet, Suph nomen loci esse. Si vere, tum ei simile erit cum dicimus, *mare Tyberiadis.* Nam ab adjacente oppido lacus ille nomen accepit. Sic mare Suph à loco vicino. Hoc ut affirmatur, ità negari potest. Alii dictum putant Suph à copia algæ quæ in illo mari. Nam Suph alga. Juncum alii, alii carecem reddunt. Ergo mare Suph i. algosum. Est & סופה tempestas, unde quidam appellationem petunt; erat enim certè mare tempestuosum. Non minus in quæstione est cur mare rubrum dicatur. Nam aquam ejus rubere negant qui mare illud navigarunt. An igitur à Rege Erythro ibidem submerso? De hac re fusè dicam alibi. ¶ *Armati*] Ità Hieron. Sic etiam autor Jerosolymitanæ. Nam מזרזין i. armati. Sed & R. Salomo qui Ebraicè hoc extulit מזוינים. Id Græcè legitur in Fragmentis ex Aquila & Symmacho καθωπλισμένοι. Nam καθοπλίζω, armo, idem videlicet quod ὁπλίζω. Quanquam in Hieron. ἐνοπλισάμενοι, pro quo putavi aliquando legendum esse ἐνωπλισμένοι. Nam armati. i. ἔνοπλοι sive ἐνόπλιοι. Verba Hieron. habentur supra. Tremel. *militari ordine.* Abenezra, *Sunt qui exponant, pleni opibus & rebus necessariis: Et ecce scriptum est, viaticum non fecerant sibi. Quid ergo sibi vult* חמשים? *puto sensum esse* חגורי מחניהם *accinctam habentes quintam costam ad bellum. Sic alibi* חלוצים *exponitur* חגורי חלצים *accincti lumbis, sive accinctos habentes lumbos armis.* Hiscuni, כמלכלים *sustentati massa, quam eduxerunt ex Ægypto, quæ sufficiebat eis usque ad decimam quintam mensis Jar.*

19. *Et accepit Moses ossa Josephi secum, quia adjurando adjuraverat filios Israel dicendo, Cum visitando visitaverit Deus vos efferetis ossa mea hinc vobiscum.*

20. *Profectique de Succoth castrametati sunt in Etham, in extremo deserti.*

Accepit] Tulit, ἔλαβεν, sumpsit. Onkelos & Jon. *ascendere fecit*, Id enim latinè sonat אסיק. posset verti, abduxit. Quanquam in Fagio, tulit נסב. ¶ *Ossa Josephi*] *Urnam in cujus medio erant ossa Josephi.* Jonathan, *ascendere fecit* i. *eduxit è Nilo & abduxit secum.* Idem. Nilus enim locum, ubi sepultus erat Joseph, inundaverat. Vide Lyram. Mihi fabula videtur. ¶ *Adjuraverat*] Jurejurando devinxerat aut obstrinxerat eos Joseph. ¶ *Cum visitando visitaverit*] Ad verbum *visitando visitabit.* Subintelligitur autem כאשר quum, quando. Onk. & Jon. *recordando recordabitur vestri.* Jerosolymitanus addit, *in verbo suo & miserationibus bonis.* ¶ *Efferetis*] Ascendere facietis, abducetis. ¶ *Hinc*] Ex hoc loco. ¶ *Vobiscum*] Non planè constat aut liquet ex hoc loco una cum ossibus Josephi ceterorum quoque Patriarcharum ossa abducta fuisse. Nam *vobiscum* i. cum ossibus vestris durum est in oculis meis. ¶ *Succoth*] Vel, Socchoth. i. σοκχώθ, vel sanè Sochoth. Nam Socoth, quod apud Hieron. in mendo cubat. Vide quæ scripsimus Exod. 12. 37. Hieron. Fabiolæ, *ex hoc loco intelligimus locum Socchoth adhuc juxta Ægypti fuisse regiones.* ¶ *In Etham*] Nomen deserti. Abenezra scribit esse desertum Sur. Scribi debet hoc nomen cum M. in fine. Nam Ethan cum N. aliud est. Quanquam confundi sciam. Nam in codicibus Græcis ποταμὸς ἠθάμ pro ἠθάν. Lxx. hic habent ὀθώμ. ¶ *In extremo deserti*] Hieron. *In extremis finibus solitudinis.* Onk. & Jon. *in latere deserti.* Jerosolymitanus, *in finibus deserti.* Lxx. παρὰ τὴν ἔρημον, juxta desertum. Ebraice est בקצה המדבר quod alius reddit, *in extremitate deserti*; alius, *in fine ipsius deserti.*

21. *DOMINUS autem ibat ante eos interdiu in columna nubis ad deducendum eos per viam, & noctu in columna ignis ad lumen præbendum eis, ut progrederentur interdiu ac nocte.*

22. *Non amovit columnam nubis interdiu, & columnam ignis nocte ante populum.*

Ibat ante eos] Præcedebat eos. ¶ *Interdiu*] יומם quod, teste Abenezra, non usurpatur nisi de tempore quo sol est super terram. ¶ *In columna Nubis*] ἐν στύλῳ νεφέλης. Hæc columna vocatur angelus DOMINI 14. 19. *Noctu sequebatur castra ne conspici possent ab insequentibus.* Jonathan. Quod robur accipit ex loco modò citato. Vide, si vacas. Ceterum columnam appellat, quia nubes illa formam habebat columnæ, quâ domus sustentatur. ¶ *Ad deducendum eos*] Erat ergo dux itineris nubes aut potius Deus per nubem. Nicolaus, *Columna non solum ostendebat viam, sed etiam protegebat eos ab ardore solis: cujus calor est multum intemperatus in terra illâ.* ¶ *Ad lumen præbendum eis*] Santes, *ut lumen faceret eis.* Alius, *ad afferendum eis lucem.* Autor Catenæ, *ad illuminandum eis.* Arias, *ad illucendum eis* להאיר. Minus probo. ¶ *Eis*] *coram eis.* Jonathan. Hæc columna etiam dux erat itinere: unde Hieron. *ut dux esset itineris utroque tempore.* Videlicet interdiu, nubes: noctu vero ignis. ¶ *Non amovit*] לא ימיש non fecit recedere. Vel, *non faciebat, non amovebat.* Partim interpretum, *non recedebat.* Verbum enim מוש quandoque intransitivè sumitur. Hoc sequuntur Jonathan, Jerosolymitanus, (Hic edidit *non cessabat.*) Munsterus & Leo: illud Santes, Arias, Tremel. Onkelos & Galli. Porro in Lxx. est οὐκ ἐξέλιπεν: & in Hieron. *nunquam defuit.* Præterdictos interpretes etiam Aben. & R. Salomo verbum ימיש transitivè hoc loco sc-

cipiunt. ¶ *Ante populum*] Semper enim præcedebat populum. Hieron. *coram populo.* Lxx. ἐναντίον παντὸς τοῦ λαοῦ. Quæritur utrum duæ columnæ fuerint, an una tantùm. Sententiæ variant. Vide Lyram. Tremel. *à conspectu ipsius populi.* לפני העם.

GROTIUS.

12. *ET quod primitivum est*] In Hebræo, כל־פטר שגר. Vox prior Hebræa per Chaldæam alteram explicatur.

Mutabis ove] Agno vel hœdo. Nam שה est in Hebræo, quod, ut diximus, utrumvis significat.

13. *Quòd si non redemeris, interficies*] Id additum, ne omitteretur redemtio.

14. *Cras*] In posterum. Vide Matt. VI. 34.

16. *Frontalia*] Vide Deut. VI. 8.

17. *Ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere*] Longa enim servitus frangit animos.

18. *Armati ascenderunt*] In Hebræo חמשים quintati. Theodotion πεμπταίζοντες [*quinctantes*]. Id Lxx. interpretantur *generatione quintâ.* At Kimchi: accincti quintam costam militariter: nam nomen חמש pro quinta costa est II. Sam. II. 23. Hunc sensum secuti Aquila & Symmachus, verterunt hic καθωπλισμένοι [*armati*], & ipsi LXX. Jos. I. 14. εὔζωνοι [*expediti*], & eodem libro IV. 12. διεσκευασμένοι [*præparati*].

CARTWRIGHTUS.

1. *ET dixit Dominus Mosi, &c.*] Dominus Mosi jussit, ut sanctificaret ipsi omnem primogenitum i. ut præciperet Israëlitis omnem primogenitum Deo sanctificare. Sic Japheth (uti refert Abenezra) exponit, Mosen jussum nempe fuisse sanctificare primogenitos בפה *ore*, quemadmodum Sacerdos (Lev. 13.) dicitur contaminasse leprosum, (וטמא הכהן) hoc est, pronuntiasse seu declarasse illum contaminatum ולא יטמאנו כהן רק שיאמר שהוא טמא. Ista expositio melius mihi arridet quàm quod dicit Abenezra, Mosen scilicet hic loco omnium Israëlitarum esse positum, כי משה כנגד כל ישראל.

2. *Sanctifica mihi omnem primogenitum*] Lxx. πᾶν πρωτότοκον πρωτογενές, Latinè vertitur, *Omne primitivum primogenitum.* At utraque vox Græca significat primogenitum, nec dubitandum censeo, quin duplici hic (ut alibi non raro) coeunte interpretatione, altera vox planè sit superflua.

4. *In mense Abib*] Hebraicè אביב *Abib* significat spicam maturescentem, seu novas fruges. Levit. 2. 14. אביב קלוי באש *spicas tostas igne*, &c. * Abenezra ad istum locum deducit ab אב *pater*, atque ait ita dictum שהוא ראשון *quod sit primulum.* Hinc Nisan sive Martius vocatur *mensis Abib*, seu mensis spicarum maturescentium, vel mensis novarum frugum, ut hic habet Vulgata Latina versio. Lxx. Similiter, ἐν μηνὶ νέων, *in mense novorum*, sc. fructuum. Abenezra exponit, וכאשר היה זה בזמן שהאביב נמצא ככה תעשו בכל שנה בעת המצא האביב בארץ ישראל, *Et quemadmodum hoc factum est, cum spica inventa est, sic facietis* (celebrabitis Pascha in memoriam egressionis ex Ægypto) *singulis annis eo tempore, quo spica in terra Israëlitica inventa fuerit.* Addit hanc spicam (seu primulum, primitivum, vel primigenium; sic enim explicat אביב *Abib* per בכור *Becor*, quod primogenitum significat, ac deflexum ait ab אב *Ab* pater, qui primus est respectu eorum, qui ab ipso sunt geniti) esse spicam hordei. In oriente siquidem hordeum prius tritico maturescebat, uti apparet cap. 9. 31, 32. Ubi hordeum spicatum fuisse dicitur (In Hebræo hæc ipsa vox *Abib* usurpatur, השערה אביב) cum triticum vel nondum è terra prodiisset, vel (quod verius videtur) adhuc propè terram in herba latitaret. Vide quæ ad locum istum sunt annotata. Fagius asserit vocem Hebræam *Abib* propriè significare calamum, in cujus summitate est spica. † Addit alios *Abib* hic non pro novis frugibus, aut tempore, quo fruges ad maturitatem tendunt, accipiendum putare, sed pro florido & virenti. Quasi scriptura velit innuere populum eo tempore egressum fuisse ex Ægypto, quo omnia sunt in flore, ac virent, quod est verno tempore. *Sed prior* (inquit) *lectio simplicior est, quam omnes Hebræi sequuntur.* Sane dictionem *Abib* istiusmodi significationem, qualem explicat Fagius, habere apparet ex locis anteà citatis, nempe Exod. cap. 9. 31. & Levit. 2. 14. atque etiam aliis, in quibus vox ista reperitur.

5. *In terram Cananæorum, & Hittæorum, &c.*] *Etiamsi* (inquit R. Sal.) *non numerat nisi quinque nationes, omnes tamen septem intelliguntur. Omnes enim nomine Cananæorum sunt comprehensæ; una autem ex familiis Canaan fuit, quæ non alio quàm Cananæorum nomine fuit appellata.* Abenezra ait omnes septem nationes hic non commemorari, quia jam alibi eas commemoraverat. At plenam septem nationum (quot disertè appellantur Deut. 7. 1. ubi etiam omnes singulatim recensentur) enumerationem alicubi in præcedentibus reperiri posse haud puto. Vide supra ad cap. 3. v. 8. Annotat. 3. Lxx. Interpretes hic etiam *Perizzæorum* & Girgasæorum (qui in Hebræo, uti etiam in Chaldaica Paraphrasi, & Vulgatâ Latinâ Versione desiderantur) mentionem faciunt.

6. *Septem diebus comedes azyma*] Deut. 16. 8. dicitur, *Sex diebus comedes azyma.* Alii aliter hæc conciliare student, uti ostendit Manasses Concil. quæst. 17. in Exod. Mihi maximè probabile videtur vel quod primo loco ex Abrabaneele citat, nempe sensum esse, *Præter diem primum, quem celebrasti, sex insuper diebus azyma comedes* (Typographi culpâ perperam apud Manassen legitur, *sex insuper dies præceptum azymis abstinendi observabis*) Vel quod ultimo loco dicit, septem illis diebus duo festa includi, nempe festum azymorum, & interdicti; ac Scripturam cum ait, *septem diebus azyma comedes* (sic etiam istic præcipitur Deut. 16. 3.) ostendere etiam septimo die, sive festo interdicti, illa comedenda; quando verò dicit, *Sex diebus azyma comedes, & dies septimus festum interdicti*, significat, sex illis diebus * solùm fermento abstinendum, aut azyma comedenda; at die septimo aliquid etiam amplius esse requisitum, nimirum ut ab omni opere abstineatur.

7. *Azyma comedentur septem diebus*, &c.] Lyra ad hunc locum ait hoc præceptum juxta R. Salomonem non obligare ad comedendum azyma nisi primo die, quando comedebatur agnus; reliquis autem diebus satis fuisse si à fermento & fermentato abstinerent. Atque istiusmodi quiddam apud Rab. Salom. ad Deut. 16. vers. 8. habetur. Quin & Manasses loco citato ait in Siphre ex utroque loco (nempe hoc Exodi, & illo Deuteronomii) colligi, obligationem comedendi azyma non ultra primam noctem septem dierum durasse; at reliquis satis fuisse, si fermento abstineretur, & licitum cuique è cæteris cibis uti quo vellet. Quomodo autem ex hisce Scripturæ locis istud possit colligi, fateor me nescire. Imo (quantum video) Scriptura non minùs disertè præcipit ut azyma septem diebus, quàm ut cum agno Paschali comederentur. Nam quemadmodum dictum est, cap. 12. 8. *Et edent carnes nocte illâ assas igne, & azymos panes:* ita etiam ibid. v. 15. dicitur, *Septem diebus azyma comedetis.* Atque ita hoc in loco, & alibi.

Nec conspicietur † tecum fermentum in omnibus finibus tuis.] Abenezra putat sensum esse, Israëlitas non debuisse permittere, ut quis in regione ipsis subditâ viveret, nisi eâ conditione ut in Paschali solennitate à fermento abstineret; quemadmodum etiam cautum fuit, ne quis inter eos esset, quin in Sabbato, & in die expiationum ab opere requiesceret. At illud לך *tibi*, vel *tecum*, seu *apud te*, huic expositioni nonnihil adversari videtur.

8. *Et narrabis filio tuo in die illo inquiens,* בעבור זה עשה יהוה לי בצאתי ממצרים *propter hoc (quod) fecit Dominus mihi, cum egressus sum ex Ægypto.*] Imperfecta est oratio, atque ad eam complendam istiusmodi quiddam est addendum, *hoc festum celebratur.* R. Sal. בעבור שאקיים מצותיו כגון פסח מצה ומרור הללו *Ut perficerem mandata ejus, nempe hæc de agno Paschali, azymis, & amaris herbis.* Vulg. *Hoc est quod fecit mihi Dominus*, &c. Sed sic Hebraicè legendum esset זה אשר עשה יהוה לי. Jonathan in eundem sensum, quo R. Salomon, *Propter hoc mandatum fecit mihi Dominus signa & miracula, cum eduxerit me ex Ægypto.* At Hebræa verba non tam indicant, Deum ideò miraculosè Israëlitas ex Ægypto eduxisse, ut festum illud celebrarent, quàm ideò eos festum illud celebrasse, quòd Deus eos ita ex Ægypto eduxerat. *Ita ergo* (inquit Fagius) *intelligendum est; Propter hoc, id est, propter ea signa, quæ fecit Dominus, propter occisa primogenita, celebramus Pascha istius festum in memoriam beneficii accepti.*

9. *Et*

* *R. Sal. ad cap. 23. 15. ait mensem* Abib *sic dictam esse quod in eo fruges primitivæ sint plenæ, seu maturæ;* שהתבואה מתמלאת בו באביה *Atque addit* Abib *denotare idem quod* אב pater בכור primogenitus, & ראשון *primus, nimirum mensem, quo primò maturescunt fruges hâc voce significari;* לבשל פירות.
† Testatur Scriptura (*Ex.* 9.) hordeum Abib factum, id est, assurrexisse in culmum cum spicâ; id quippe significat Abib. *Fuller. Misc. l. 3. c. 11.*

* *At primo die festi azymorum æquè ac ultimo ab opere abstinendum erat, Levi.* 23. 7, 8. † *Heb.* לך *ad verb.* tibi. *Vulg.* apud te.

9. *Et erit tibi* לאות *in signum super manum tuam,* ולזכרון *& memoriale inter oculos tuos.*] Onkelos hic ab Hebræo textu nihil quicquam recedit. Jonathan autem sic habet, *& erit tibi hoc miraculum insculptum, & expressum super phylacterium manus* (תפלה ידא) *in summitate sinistræ tuæ; & in memoriale insculptum, & expressum super phylacterium capitis* (תפלה רישא) *sixum coram oculis tuis, in summitate capitis tui.* R. Sal. eodem modo hunc locum intelligit. Quin & Abenezra contendit eum simpliciter ut sonat intelligi debere, non autem metaphoricè, ut illud Prov. 3. 3. *Ligato illa circa collum tuum, scribito illa super tabulas cordis tui.* Uterque etiam indicat phylacteria sinistræ manui fuisse alligata. Abenezra autem refert R. Mosen Sacerdotem observare יד i. e. *manum* plerumque in Scriptura sinistram denotare, ac locos aliquot adducere, in quibus ita usurpatur. Verùm addit, ודברי הקבלה תקיפים ואין צריכין חזוק, *Sed verba Kabbala* (seu *Traditionis*) *sunt firma, nec confirmatione indigent.* Innuit traditionem fuisse ut phylacteria sinistræ manui alligarentur. Lyra etiam notat Judæos hinc in schedula hoc scribere, & ligare in manu sinistra, & similiter in capite: hunc autem locum metaphoricè putat intelligendum, nempe beneficium liberationis ex Ægypto mentibus eorum fuisse imprimendum. *Quando enim* (inquit) *vult quis alicujus rei recordari, pro signo recordationis ligat in manu suâ filum; vel ponit ante oculos aliquid in signum recordationis; & hoc modo loquitur hic Scriptura.* Atque ita sanè hic locus mihi intelligendus videtur, nec ad Tephillin sive phylacteria spectare eum existimo, etiamsi istiusmodi phylacteria reverà à Deo præscripta fuisse videantur, nempe hoc ipso capite v. 16. & Deut. 6. 8, 9. Atque hoc mihi videtur constare ex Matth. 23. 5. Ubi Servator non reprehendit Scribas & Pharisæos quòd phylacteria habuerint, sed quòd hypocriticè eis abusi fuerint, quemadmodum & fimbriis, quas tamen certum est Israelitas ex Dei præcepto in legis recordationem habere debuisse. Num. 15. 38, 39. De Tephillin sive phylacteriis vide plura ad vers. 16.

10. *Et observabis hoc statutum* למועדה מימים ימימה *tempore ipsius præstituto ab anno in annum.* Ad verbum *à diebus ad dies.* Sed ימים *Jamim*, id est, *dies* (in plurali) pro anno interdum ponitur; atque ita hic intelligendum, ut rectè exponit R. Sal. משנה לשנה *ab anno in annum.* Jonathan aliter, sed ineptè interpretatur, *& observabis hoc statutum de Phylacteriis tempore ei conveniente, in diebus operariis, non autem in Sabbatis, & festis; item interdiu, non autem noctu.* At per statutum, cujus hic fit mentio, festum azymorum intelligitur. Onkelos paulò laxiùs reddit מזמן לזמן *à tempore ad tempus.* Interdum autem *tempus* annum denotat. Dan. 4. 16. 23. 25. & 7. 25. & Apoc. 12. vers. 14. Lxx. ἀφ' ἡμερῶν εἰς ἡμέρας. Vulg. *à diebus in dies.* Abenezra eodem modo exponit, quo R. Sal. ac notat dictionem *Jamim* eo sensu usurpari, Levit. 25. 29. עד ימים תהיה גאלתו (*intra*) *annum erit redemptio ejus.*

11. אל ארץ הכנעני *in terram Canaanæorum*] Ad verb. *Canaanæi*, sed singulare (ut fieri solet) pro plurali ponitur. Abenezra ait Canaanæum duntaxat memorari, quòd is reliquorum omnium esset pater כי הוא אב לכלם, At non כנעני *Canaanæus*, sed כנען *Canaan* fuit omnium istorum populorum pater. Vide Gen. 10. 15, 16, 17. Inde tamen sequitur omnes dici posse Canaanæos. Vide supra ad vers. 5.

12. והעברת כל פטר רחם ליהוה *Et transire facies* (seu *separabis*) *Domino quicquid aperit vulvam.*] R. Sal. ait verbum העביר separationem denotare. אין והעברת אלא לשון הפרשה. Atque ita verbum istud usurpari ait Num. 27. 8. והעברתם את נחלתו לבתו *& separabis hæreditatem ejus filiæ ipsius.* Ibi autem commodiùs videtur posse exponi, *Et transire facietis* (seu *transferetis*) *hæreditatem ejus ad filiam ipsius.* At hoc in loco verbum *separandi* optimè quadrat. Lxx. καὶ ἀφελεῖς, vel ut alios libros habere testantur Scholiastes & Nobilius, καὶ ἀφοριεῖς, *& separabis.* Atque ita Vulg. Abenezra bene explicat, תעביר לשם שלא יתערב עם אחר *transferes* (seu *separabis*) *Deo, ne cum altero commisceatur.*

13. *Et omnem primogenitum asini redimes.*] R. Sal. ait, פטר חמור ולא פטר שאר בהמה טמאה *Primogenitum asini, non autem primogenitum aliarum bestiarum immundarum.* At Synecdochen speciei pro genere hic esse arbitror, nempe asinum pro omni immunda bestia esse positum. Abenezra primò explicat, *Et omnem primogenitum asini* שהוא טמא תפדה בשה, *qui est immundus, redimes agno.* Mox autem ea subjungit, quæ mihi perquàm mira videntur, כי לא היו לישראל בהמות טמאות כי אם החמורים לבדם על כן לא יפדה בכור מין אחר *Non enim fuerunt Israelitis bestiæ immunda nisi duntaxat asini, ac propterea non debebant redimere primogenitum alterius speciei.* Quid ista sibi velint, fateor me ignorare, cum præter asinos certissimum sit Israelitis multas bestias immundas ac ad sacrificandum minimè idoneas fuisse. Vide Isai. 66. 3. Kimchi ad istum locum rectè exponit, sacrificia ab Israelitis in impietate suâ perseverantibus oblata, non aliter Deo fuisse accepta, quàm si bestias istas immundas, canem & suem, sacrificassent.

ואם לא תפדה וערפתו *Et si non redemeris, tunc cervicem ejus franges.*] Vel, *excindes.* Onk. ותנקפיה. Jon. ותקפיה בקופיץ *tunc decollabis eum.* Hierosol. ותקטליה ית קופיץ *tunc occidetis eum.* Lxx. ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσῃ αὐτό, *si autem non mutaveris, redimes illud.* Quod cum Hebraica veritate parùm congruit, & nonnihil suspicor versionem horum Interpretum, ut alibi sæpe ita, istic esse depravatam. Aquila, τενοντώσεις *jugulabis.* Theodotio τενοντώσεις αὐτό, *cervicem illi franges.* Sym. ἀποκτενεῖς, *occides*, vel (ut habet Vulgatus) *interficies.* Steuchus corrigit, *decervicabis eum*, aut *execerebrabis eum.* Abenezra ait nonnullos interpretari, הכתוב על ערפו קדש *Inscribes collo ejus, Sanctitas*, h. e. scripto cervici ejus apposito indicabis, eum Domino esse consecratum. Meritò autem istos expositores redarguit, inquiens, והאומר כה אומר אני שהוא חמור קשה עורף *At qui ita exponit, ego dico eum esse asinum durâ cervice præditum.* Nam à ערף *cervice* est ערף *cervicem frangere*, vel *excindere.* Deuteron. 21. 4. וערפו שם את העגלה בנחל *Et ibi decervicabunt juvencam in valle.* Isai. 66. 3. זובח השה עורף כלב *Qui sacrificat agnum, est quasi canem decollaret.* Interdum de inanimatis usurpatur, ac simpliciter *frangere, excindere, destruere* significat. Hos. 10. 2. הוא יערף מזבחותם *Is destruet altaria eorum.* R. Sal. exponit יחריב *perdet.* Kimchi ait diruendi & confringendi significationem habere; ענין הריסה ושבירה * Shindlerus ait verbum istud ibi de altaribus usurpari, *quia altaria ut cornua, ita cervices suas habebant.* Sed id argutius esse videtur. Non ineptum autem est quod hic habet R. Sal. הוא הפסיד ממונו של כהן לפיכך יפסד ממונו *Is perdidit substantiam* (sive *opes*) *sacerdotis ideò & ejus substantia erit perdita.*

Et omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes] R. Sal. notat pretium hujusce redemptionis, quâ primogenitus hominis fuit redimendus, alibi esse constitutum, nempe quinque siclos. Vide Num. 3. 46, 47.

14. *Cum filius tuus te interrogaverit* מחר *cras*] i. e. Olim. R. Sal. observat dictionem מחר *Machar* quod propriè diem crastinum significat, interdum de tempore instanti (de crastino propriè dicto) usurpari, interdum autem de tempore diu pòst futuro; ut hoc in loco, & Jos. 22. 27. *Cum dixerint filii vestri* מחר *cras* (i. e. olim) *filiis nostris*, &c. Abenezra refert R. Jehudam dicere מחר dictum esse quasi מאחר & significare כל יום שהוא אחר היום, *diem illum, qui hodiernum diem sequitur.*

מה זאת *Quid est hoc?*] i. e. ut Jonathan bene explicat, מה היא מצוותא דבוכריא. *Quid est* (vel, *Quid sibi vult*) *hoc præceptum de primogenitis?*

15. *Tunc interfecit Dominus omnem primogenitum Ægyptiorum, à primogenito hominis usque ad primogenitum bestiæ; propterea ego sacrifico Domino omnem masculum, qui aperit vulvam, & omnem primogenitum filiorum meorum redimo*] Abenezra ait Mosen hic concisè loqui; in eo enim quod dicit, *tunc interfecit Dominus omnem primogenitum Ægyptiorum, à primogenito hominis usque ad primogenitum bestiæ*, intelligendum esse, *& liberavit* (seu *conservavit* הציל) *primogenitos nostros, & primogenitos bestiarum nostrarum;* deinde huic conservationi primogenitorum Israëliticorum, non autem interfectioni primogenitorum Ægyptiacorum annecti, *propterea ego sacrifico*, &c. Id vult, etiamsi Moses interfectionis primogenitorum Ægyptiorum duntaxat meminerit, conservationem tamen primogenitorum Israëlitarum etiam debere intelligi, cum non simpliciter ex eo quòd primogeniti Ægyptiorum interfecti, sed quòd primogeniti Israëlitarum conservati fuerint, primogenitos suos vel sacrificare, vel redimere debuerint.

Quicquid aperit vulvam inter masculos.] Ex ejusmodi nempe animalium genere, quod ad sacrificandum erat idoneum, ut rectè exponit Abenezra.

16. ולטוטפת בין עיניך *Et in frontalia inter oculos tuos.* Onk. & Jon. לתפלין *in Tephillin*, sive *phylacteria.* De Phylacteriis legimus Matth. 23. 5. Ista autem *Phylacteria* à Judæis vocantur *Tephillin*, quam vocem nonnulli (teste Fagio) deducunt à פלל *conjungere, alligare, appendere*, ita enim appellant signa quædam capiti pariter ac manui sinistræ alligata, ut inde præceptorum Dei memores sint; Unde φυλακτήρια in novo Testamento hoc est, *conservatoria* appellantur, quod ad legem Dei in memoriâ conservandam adhibita essent. Alii autem *Tephillin* formant à תפלה quod orationem significat, quòd Judæi istis *Tephillin* in precibus & orationibus utantur. De hisce *Tephillin* latè tractat Fagius ad hunc locum, item Buxtorfius in Synagogâ Ju-

* *Shindl. in Pentagl.*

Judaicâ cap. 4. & in Lexico Chaldaico magno rad. פלל. Notant isti autores *Tephillin* esse præcipuam Judæorum ceremoniam, eosque in *Tephillin* parandis, ac observandis admodùm esse superstitiosos. Fagius hanc eorum sententiam memorat, כל המקיים מצות תפלין כתלה עליו הכתוב כאשר לומד יומם ולילה *Quicunque servat preceptum de Tephillin, huic tribuit Scriptura, quasi discat dies & noctes.* De voce autem טוטפות, quæ hic in Hebræo textu habetur, uti etiam Deut. 6. 8. unde derivetur, quidque propriè significet, ipsi Rabbini parum intelligere videntur. R. Sal. ait *Tephillin* vocari (a) *Totaphoth*, propterea quod in istis signis, quæ vocant *Tephillin*, sunt quatuor cellulæ (ארבעה בתים) nempe in quibus quatuor sectiones Legis solent inscribere; טט *tot* enim alicubi (בכתפי Fagius interpretatur, *in Cassiâ*) ait significare *duo*, atque ita (b) etiam in *Africâ* (באפריקי) פת *Photh* idem denotare. Sed hoc nimis videtur ineptum. R. Menachem (referente eodem R. Salomone) deducit טוטפות à verbo נטף in Hiphil הטיף quod propriè est *stillare*, sed de verborum stillatione usurpatur, ac idem valet quod *sermocinari*, ita ut *Totaphoth* sermocinationem quandam denotet, quòd qui ista signa inter oculos alligata videt, rei statim significatæ recordetur, deque eâ sermonem habeat. Hujus interpretationis meminit Abenezra, sed (c) alienam censet. Vulgatus interpres hic vertit, *Et quasi appensum quid*, Aquila, *καὶ εἰς ἔνευτα*, quod Nobilius interpretatur, *& in appensa quadam*. Lxx. *καὶ ἀσάλευτον & immobile*. Atque ita etiam Deut. 6. 8. nisi quòd nonnulli libri (uti Scholiastes & Nobilius testantur) in plurali habeant *ἀσάλευτα, immobilia*. At ibi Vulgatus ex adverso, *& movebuntur inter oculos tuos*. Atque ita (d) Camero putat Lxx. interpretes scripsisse *ἀσαλευτὰ* (e) טוטפות enim deductum esse à טפף quod non simpliciter *incedere* significat, sed inter incedendum corpus totum juveniliter agitare. Itaque Isaiam cap. 3. 16. exprobrare puellis Israëliticis הלוך וטפוף quòd inter incedendum ita sese agitarent. טוטפות *Totaphoth* igitur esse frontis ornamenta, quæ in incessu agitantur. Ac requirere Deum à populo suo, *ut quemadmodum fieri non potest, ut quis obliviscatur ornamenti, quod movetur, neque id solum, sed etiam quod movetur ob oculos ad omnem motum corporis, ita ne tradant oblivioni seu ejus benefacta seu etiam præcepta.* Observat etiam idem vir doctissimus, 2 Sam. 1. 10. Hebr. אצעדה à Chaldæo Paraphraste exponi שירא, illud autem אצעדה *armillam* denotare, à צעד incedere, quòd ornamenta ista ad motum corporis moverentur, ac magis conspicua redderentur. (f) Fullerus autem in Miscellaneis suis de hac dictione טוטפות eruditè disserit, ac de ejus interpretamento Chaldaico תפלין. Maximè consentaneum rationi existimat originationem vocabuli טוטפת peti ex Arabicâ linguâ, in qua טף *circuire* denotat; inde scilicet dictum טוטפת, quia frontem brachiumque circumire, eisque ritu Judaico circumdari solebat. Asserit autem תפלא (cujus plurale est תפלין) ad radicem תפל referri oportere, nec audiendum esse Eliam cum suis, qui à פלל deducunt; Jod enim post Pe olim collocari solitum, non esse loco Chirec parvi, sed ipsius (g) Scheva potiùs vicem gerere; atque istud satis ex idiomate Syriaco constare posse, ubi subjectis punctis תְּפִלָּא planè haberi ait, non ut in Thargum תְּפִלָּא, quemadmodum etiam à Judæis recentioribus profertur. Porrò תפל ait manifeste derivari ab Hebræo טפל quod testibus Hebræis, חבור ודבוק conjunctionem *& adhæsionem* denotat. Hinc manasse interpretamentum Aquilæ, qui טוטפות *Totaphoth ἔνευτα* vertit, q. d. *adhæsitia*, aut potiùs *alligabilia*, sive *ligamina*, à verbo *ἐνέχεσθαι*, quod *obstringi, obligari*, seu *alligari* significat. Hinc quoque veterem interpretem *appensa* transtulisse. Nec aliud voluisse putat Septuaginta, cum interpretati sunt *ἀσάλευτα immobilia*, quòd eodem in loco, nempe in fronte, manuque sinistrâ (quibus alligari moris est Judaici) semper hærere (præsertim inter orandum) nec inde moveri deberent. Quocirca emendandam censet vulgatam versionem Deut. 6. 8. *nec* pro *&* reposito. Notat insuper טוטפת sive טוטפתא apud Chaldæum Paraphrasten non solùm (ut antea observatum) 2 Sam. 1. 10. *armillam*, verùm etiam Esth. 8. vers. 15. & Ezech. 24. 17. & 23. *tiaram* significare, nempe quia טוטפת & capiti instar tiaræ, & brachio instar armillæ circumponi, & alligari consuevit. Propterea non incommodè ex sententia Paraphrastæ טוטפת *monile frontis*, vel *monile brachii manusve* reddi posse. Nomen autem *monile* (à monendo deductum, uti volunt Grammatici) apertissime quadrare ad vetustum illud Phylacterii annectendi consilium, nempe ut adminiculum esset ad efficacem Legis memoriam firmiùs conservandam. Sic Abenezra טוטפות exponit כמו זכרון *tanquam memoriale*.

17. כי קרוב הוא *etiamsi propinqua esset.*] Sic R. Moses ab Abenezra citatus, אף על פי שהוא קרוב Onkel. ארי קריבא הוא *quia propinqua erat*, Ita intellexit R. Salom. qui putat hic rationem reddi, quare Deus Israëlitas per viam Philistæorum non duxit, nempe, quia propinqua erat, ונוח לשוב באותו הדרך למצרים, *& istâ viâ facilè in Ægyptum redire poterant.* Atque ad eundem modum exponit Abenezra, הגיד למה לא נחם אלהי' דרך ארץ פלשתי' בעבור שהוא קרוב והנה נחם דרך רחוקה שלא יראו מלחמה ויאמרו נתנה ראש ונשובה מצרימה i. e. *Indicat quare Deus non duxit eos per terram Philistæorum, propterea scilicet quod propinqua esset; ecce autem duxit eos per viam longinquam, ne viderent bellum, & dicerent, constituamus caput* (seu *ducem*) *& redeamus in Ægyptum.* Similiter Lxx. *ὅτι ἐγγὺς ἦν, quia propè erat.* Vulg. *quæ vicina est*; fortè legi debet *quia vicina est*. Atque ita quidem sæpissimè כי est particula causalis, & significat *nam*, vel *quia*: hic autem commodissimè exponitur *etiamsi*, quemadmodum interdum usurpatur, uti concedit Abenezra. Neque enim ista proprie fuit ratio, quare Israëlitæ per terram Philistæorum ducti non fuerint, quòd propinqua esset, sed uti expressè dicitur verbis immediate sequentibus, ne cum bellum (nempe à Philistæis illatum) viderent, ipsos profectionis suæ pœniteret, & in Ægyptum redirent.

פן ינחם העם *ne pœniteat populum*, &c.] Abenezra ait Scripturam hic more humano loqui, דברה תורה כלשון בני אדם Deum enim omnia futura certò scire, ac novisse fore, ut si per terram Philistæorum Israëlitas duxisset, ipsos pœniteret. Videtur existimare פן *ne*, dubitandi esse particulam; atque ita quidem nonnulli Hebraicè docti existimant, qui interpretantur *ne forte*, sed minus recte, uti olim ad Gen. 3. 3. annotavi. Vide locos istic citatos, nempe Psalm. 2. 12. & 50. 22. Augustini autem ex hoc loco observatio digna est quæ memoretur; *Hinc* (inquit) *ostenditur omnia fieri debere, quæ consilio recte fieri possunt, ad evitandum quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissimè adjutor est.*

18. *Circumduxit autem Deus populum per viam deserti* ים סוף *maris algosi.*] Lxx. *καὶ ἐκύκλωσεν ὁ θεὸς τὸν λαὸν ὁδὸν τὴν εἰς τὴν ἔρημον, εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, Et circumduxit Deus populum viâ, quæ ad desertum ad rubrum mare.* Vulg. *Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare rubrum.* Sunt, * qui etiam Chaldæum Paraphrasten ita interpretari dicunt, sed hallucinantur; is enim Hebræum סוף *retinet*; ליַמא דסוף, Fagius quidem vertit *maris rubri*, סוף autem *juncum* seu *algam* significat, atque ex juncis in eo nascentibus, mare istud sic appellatur, uti notat R. Sal. וסוף הוא לשון אגם שגדלי' בו קנים Ibi אגם quod alioqui paludem seu stagnum significat, idem valet quod גמא, i. e. *juncus*, quâ voce R. Nathan Mordecai in Concordantiis suis hanc dictionem סוף, prout hîc & alibi usurpatur, exponit. Abenezra ait סוף *Suph* esse nomen loci; atque ita ad cap. 15. 4. refert R. Jesuam dicere *Suph* esse nomen loci, & *mare Suph* sic dictum esse quemadmodum *mare Chinnereth*, vel (ut in Euangelio legitur) *mare Tiberiadis.* Ibidem autem citat Japhethum eodem modo quo R. Sal. interpretantem. Ad hunc verò locum ait nonnullos סוף *Suph* pro fine accipere, ut idem sit cum סוף *Soph*, quod finem significat, quod nimirùm (ut illorum sententiam explicat) mare istud sit סוף העולם *finis mundi*; hunc autem magnum errorem esse asserit, cum mare Hispanicum isto, de quo hic sit sermo, sit majus. At Benjamin in Itinerario (referente Shindlero in Pentagl.) dicit hoc mare appellari ים סוף *mare finis*, quod sit ים האחרון *mare ultimum*, nempe (ut Shindlerus explicat) terræ sanctæ. Fullerus autem Miscell. lib. 4. cap. 20. istam interpretationem inscitiæ & erroris etiam damnandum asserit; nam Hebraicè ים האחרון esse *mare, quod retro est*, vel *à tergo*, Deut. 11. 24. eique oppositum esse ים הקדמוני *mare, quod anteest*, vel *à fronte.* Joël. 2. 20. Zach. 14. vers. 8. Utráque autem formulâ, Hebræos exprimere mare, hâc quidem orientale, illâ autem occidentale; quia (ut Kimchium eruditè monere ait) cum quis ad orientis solis lucem se convertit, mundi pars anterior ei ortus est, posterior occasus; quâ etiam ratione australem plagam Hebræis dextram nominari, Septentrionalem autem sinistram. Appellationem igitur illam ים האחרון cum naturali positione maris rubri mirabiliter pugnare. Etenim mare rubrum non à tergo terræ sanctæ situm esse, sed à fronte,

hoc

(a) *Similia etiam habet R. Sal. ad Deut.* 6. 8. (b) *Buxtorf. in Lex. Talm. rad.* טט *istam vocis* Totaphoth *derivationem haberi docet in tract. Sanhedrin, atque etiam alibi, legit autem* tat & Pat. (c) *Ita etiam eam improbat ad Deuter.* 6. *vers.* 8. (d) *Cam. Prælect. in Matth.* 19. 3. &c. (e) *Shindlerus in Pentagl. putat forsan* טוטפות *deductum esse à* טפף incedere *per antiphrasin, quòd loco non moveantur; sicut* כוכב stella à כבה extinctus est. (f) *Full. Misc. lib.* 5. *cap.* 7. (g) *Id ait sæpius usu venire, quoties sine vocalibus scribitur; at mihi id satis insitatum esse videtur.*

* *Willetus ad cap.* 14. 30.

hoc est, non ad occidentem solem spectare, sed ad orientem. Vult autem Fullerus mare istud vocari ἐρυθρὰν θάλασσαν *rubrum mare*, non quod (a) rubri sit coloris, ut nonnulli sunt opinati, nec ut alii tradiderunt, à rege quodam Erythrà, vel (ut est apud Curtium) Erythro, nisi per *Erythram* illum intelligatur Esau, qui dictus est Edom, quod est ἐρυθρὸς vel *Ruber*. Hunc siquidem, nempe Esavum, qui à ruso jusculo, quod tantopere appetivit, dictus est Edom Gen. 25. 25. hunc (inquam) & regioni, & mari nomen dedisse. Multa ad hanc sententiam stabiliendam habet vir eruditus, quem qui volet, consulat. Notat autem Lxx. Interpretes *Jam Suph* ubique nuncupare *mare rubrum*, præterquam tribus in locis; nempe Judic. 11. 16. ubi θάλασσα (b) σιφ redditur, quod non immeritò perperam à librariis pro σὺφ positum existimat. Item Jer. 49. 24. ubi depravatiùs legi ait θαλάσσης ἐκ in aliis autem libris σῦ ἐν θαλάσσῃ pro ἐν θαλάσσῃ σὺφ. Locus autem iste apud Fullerum, Typographi, opinor, incuriâ, perperam citatur. Tertius ultimusque ab illo citatus locus est 1 Reg. 9. 26. ubi *Jam Suph* ἡ ἐσχάτη θάλασσα transfertur, quasi pro *Suph* isti interpretes legissent, *Soph*. Istam autem interpretationem interpolem minimeque sinceram arbitratur. Etiamsi autem Græcos istos interpretes in eo, quòd *Jam Suph* toties verterint, τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν *rubrum mare*, defendendos censeat, non tamen dissimulat Hebræum *Suph* significare *juncum*, aut *caricem*, aut *algam*; ac mare istud sic dictum, quod & ipsum, & littora circumjacentia istis abundare compertum sit.

וחמשים עלו *Et accincti ascendebant*, &c.] Onk. ומזרזין סליקו Fagius reddit, *Et* (c) *armati ascenderunt*. Sed מזרזין generalius est, & idem valet quod *accincti*, *expediti*, *parati*, ac pro loci circumstantiâ *armati*, quemadmodum hic multi Hebræum חמשים interpretantur. (d) Hierosolymitanus Paraphrastes מזרזין *armati*: atque ita Vulgatus. R. Sal. etiam ait אין חמושים אלא מזרזים *Vox Chamushim non significat nisi armatos.* Et citat illud Jos. 1. 14. ואתם תעברו חמשים. At si illic ita significet, non propterea ita ubique significat. R. Sal. ait Onkelum ita interpretari מזרזין, & citat illud Gen. 14. 14. וירק את חניכיו Ubi Onk. habet וזריז, Sed verbum זרז (ut dixi) latius patet, ut videre est apud Buxtorfium in Lex. Chald. magno, ubi Hebræorum dictum citat: מזרז למצוה כעושה המצוה *Qui se accingit ad præceptum, est quasi faciens præceptum.* Addit autem R. Sal. aliam expositionem, sed ineptam, nempe חמשים idem esse quod מחומשים i. e. *quintati*, אחד מחמשה יצאו וארבעה חלקים מתו בשלשת ימי אפלה *unus è quinque exiit, & quatuor partes intra triduum tenebrarum moriebantur.* Abenezra exponit, חגורי חומש למלחמה *accincti circa hypochondria ad bellum.* Atque istam interpretationem satis confirmatam putat ex illo Jos. 1. 14. ואתם תעברו חמושים quia pro חמושים (e) alibi est חלוצים *circa lumbos accincti*, (חגורי חלצים) nempe gladio, & balteo militari. Sed ratio ista minùs videtur idonea. Cum enim dictiones istæ accinctionem in genere denotare videantur, interdum de accinctione ad prælium, interdum autem de accinctione ad iter sive ad opus aliquod usurpari possunt. Lxx. πέμπτῃ δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν, &c. *Quintâ autem generatione ascenderunt*, &c. Hic se torquet Augustin. dubitans utrùm quinta generatio sic intelligatur, quòd post 430. annos exierint, an quòd Moses generationis ordine à Jacobo quintus fuerit. Stenchus autem vehementius in Lxx. Interpretes insurgens *Vide* (inquit) *quale ac quantum erratum hoc sit. Nam quartâ generatione reversi sunt*, &c. Gen. 15. 16. Theodotio eodem modo, quo Septuaginta, hic videtur intellexisse Hebræam vocem חמשים, quippe qui vertit, πεμπταίζοντες, quod à Nobilio redditur *quintati*, sed rectius opinor, (f) Fullerus interpretatur *quintani existentes*, ita ut vox πεμπταίζοντες denotet adnepotes, quintas nempe ordine generationis, à patribus personas. Existimat autem Fullerus Theodotionem potiùs vertisse πεμπτάζοντες. *Valet autem* (inquit) πεμπτάζειν *idem quod* πεμπάζειν *verbum Æolicum, nimirum, per quinos numerare, adeoque si sensu reciproco intelligatur* (*ut in multis evenit*) *exponi potest, Numerare se, vel Numerari. Quare* (חמשים) πεμπτάζοντες ἀνέβησαν *sonat, Numerantes se, vel Numerati* (*diligentissimè scilicet, ad ipsas usque* πεμπτάδας, *vel quiniones*) *ascenderunt filii Israël.* Hanc nominis hujus (חמשים) ubique quidem pulchrè, hic autem pulcherrimè congruere asserit. Mihi autem nec verisimile videtur Theodotionem scripsisse πεμπτάζοντες, sed potiùs πεμπταίζοντες, cùm quòd (ut Fullerus ex Hieronymo notat) Theodotio cum Lxx. Interpret. sæpè concordet: tùm quòd alioqui πεμπταζόμενοι potiùs quàm πεμπτάζοντες dicendum fuerit. Nec utcunque ista mihi placet interpretatio; rectè enim solideque mihi videtur * Masius similem expositionem refellere. *Sunt* (inquit) *qui* חמשים *sic interpretentur, quasi quinis viris ordines agminis densati fuerint. Sed hanc ego opinionem repudio prorsus propter nominis* חלצים *similitudinem, cum hoc ab illiusmodi notione sit alienum.* Ita sanè res habet; חמשים & חלצים tanquam ἰσοδυναμοῦντα usurpantur; at חלצים à חלצים i. *lumbus* formari certissimum est: similiter & חמשים à חמש i. *quintâ costâ*, sive *lumbis* dictum esse (uti inde ratiocinatur Masius) planè est credibile. Dubitat autem Masius, utrum voces istæ חמשים & חלצים armis contectos ad quintam usque costam, aut ad lumbos usque significent; an verò succinctos balteo militari; atque hoc posterius sibi magis placere asserit. Mihi maximè placet, ut dictiones istæ simpliciter succinctos, sive accinctos significent. Etiamsi enim (ut observat Fullerus) vox חמשים (cui synonyma est חלצים) alibi satis congruè reddatur, *armati*, hic tamen significatio ista haud convenit. Quomodo enim Israelitis durissimâ servitute oppressis arma suppetere potuerunt? Isto etiam argumento pugnat Masius adversus eos, qui armis contectos usque ad lumbos vocibus istis significari existimant. Mihi autem & contra balteum militarem, de quo ipse loquitur, valere videtur. Unde enim Israelitæ istiusmodi balteos haberent? Aut quorsum haberent, nisi aliis insuper armis instructi essent? Lyra putat eos, ut alia, ita etiam arma ab Ægyptiis petiisse; [illegible] id minus videtur verisimile; ita enim nimis apertè præ se tulissent animum revertendi sibi non fuisse. Omnibus igitur pensitatis sic statuendum censeo, vocem חמשים ut ut alibi accinctos ad bellum, sive armatos significet, hic duntaxat accinctos ad iter sive expeditos significare. Atque hoc Serarius vidit pariter & agnovit, qui ad Jos. 1. versionem Vulgatam sic defendit: *Rectè igitur* (inquit) *vertit noster, armatos, vel quia lumborum tenus armati erant; vel potius quia armis quibuscunque, & quomodocunque, prout illud tempus, & cujusque ratio ferebat; vel denique* (NB) *quia ipso ad iter paratu, ordine, alacritate, succinctu instructi. Et sic etiam accipi possunt armati*, Exod. 13. vers. 18. *Ubi eadem, quæ hic vox, de quâ ibidem plura*, &c. Indicat Serarius se etiam in Exodum scripsisse commentarios, sed istos adhuc non vidi. Lxx. Jos. 1. vers. 14. חמשים vertunt εὔζωνοι, *benè accincti*, sive (ut Augustinus) *expediti*. Atque ita etiam interpretantur dictionem synonymam חלצים Jos. cap. 4. vers. 13. ipsum autem חמשים ibidem vers. 12. διεσκευασμένοι, *parati*.

19. *Et accepit Moses ossa Josephi*, &c.] Lyra refert nonnullos ex Hebræorum opinione (ut præ se ferunt) dicere, Nilum plus solito inundasse, ac locum, ubi recondita erant ossa Josephi, operuisse; Mosen autem, ut locum inveniret, scripsisse nomen Dei tetragrammaton in laminâ aureâ, quæ in aquam projecta, eo usque processit, donec super Josephi sepulchrum consisteret. Alios verò dicere, ovem natando, & loquendo ostendisse Mosi locum, ubi sepulchrum fuit. Hæc autem conficta putat, quòd nec in Josepho, nec in Hebræorum glossis ea inveniret. At Hebræorum nonnullos istiusmodi commenta habuisse, ex Jonathane licet colligere; cujus hæc sunt verba, ונסיק משה ית ארונא דיוסף בגוה מנילוס *Et extulit Moses arcam, in quâ erant ossa Josephi, è Nilo.*

השבע השביע את בני ישראל *Adjurando adjuravit filios Israël*] *i. e.* Firmissimo juramento obstrinxit. R. Sal. ait השביעם שישביעו לבניהם i. *Obstrinxit eos jurejurando, ut filios ipsorum jurejurando obstringerent.* Deinde quærit, quarè Joseph non obstrinxit juramento filios suos, ut statim ex quo mortuus esset, ipsum in terram Canaan deportarent, quemadmodum ipse Jacobum, ad id juramento ab illo obstrictus, deportavit. Ac respondet, Josephum, cum in Ægypto principem ageret, facilè id efficere potuisse, Ægyptios autem minimè permissuros fuisse, ut filii ejus istud facerent.

Et efferetis ossa mea vobiscum] R. Sal. notat Josephum sic fratres suos allocutum esse, atque ex eo, quòd dicit, *Vobiscum*, acutè colligit, אף עצמות כל השבטים העלו עמהם *Etiam omnium tribuum* (i. e. omnium filiorum Jacobi) *ossa Israëlitas secum extulisse*, vide Act. 7. 15, 16.

21. בעמוד ענן *In columnâ nubis*] Abenezra rationem reddit, quare sic appelletur, nempe quòd non esset instar aliarum nubium, sed instar columnæ à cœlo ad terram extensa. Ac notat columnam Hebraicè dici עמוד *Ammud*, à verbo עמד *Amad stare*,

(a) Mare certè quo alluitur, ne colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt. *Curtius lib.* 8. Rubrum mare non à colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari. Id. lib. 10. (b) *Nobilius ad istum locum testatur alios* (*opinor codices*) *habere* ἐρυθρᾶς (c) *Ita etiam Masius ad Jos.* 1. 14. *intellexit vocem illam* מזרזין. (d) *Aquila & Symmachus* καθωπλισμένοι armati. (e) *Deuter.* 3. *vers.* 18. (f) *Fuller. Miscel. l.* 5. *c.* 2.

* *Masius ad Jos.* 1. 14.

Digitiz

re, עליו מעמיד והבית מעבר *propterea quòd domus super columnam stat*, *i.e.* columnæ innititur, eaque supportatur.

Et nocte in columnâ ignis ad illucendum eis] Jon. *Et nocte reversa est columna nubis à tergo eorum, ut eis, qui ipsos persequebantur, tenebras offunderet, & (fuit) columna ignis, ut luceret coram eis.* Videtur oculum intendisse ad id quod infrà cap. 14. 19, 20. scriptum habetur: at hic (ut ex versu sequenti apparet) non particulare aliquod factum, sed constans ac perpetua ratio, quâ Deus Israëlitis in itinere prospexit, commemoratur.

I D E M.

2. *Quicquid aperit vulvam*, &c.] Hoc propterea dictum ait, quòd de primogenito respectu patris dubitari possit, utrum scilicet genitus fuerit ex primo semine (כהטפה הראשונה) non autem de primogenito respectu matris, utrum nempe primò ex utero prodiit. Addit etiam primarium domûs (הגדול שבבית) vocari primogenitum, atque ideò hic disertè indicari de quo primogenito præceptum intelligi debeat.

10. ימימה מימים *Ab anno in annum*] Ad verb. *à diebus in dies.* Notat annum vocari ימים *dies* (in plurali) quòd sit כיום ארוך *quasi dies longus.*

14. *Cum filius tuus*, &c.] Notat Israëlitas ter monitos esse, ut quæ in memoriam liberationis ex Ægypto instituta erant, filios suos docerent; nempe cap. 12. 26, 27. ubi de celebrando Paschate; & cap. 13. 8. ubi de azymis; & hic, ubi de sanctificandis primogenitis agitur.

16. ולטטפת *Et in frontalia*, &c.] Refert Nahmanidem observare, vocem טטפות *non habere notam familiam in scripturâ:* nonnullos etiam dicere, eam Ægyptiacam esse, ac *cerebrum* denotare. Quod autem statim addit, solere homines, si quid in memoriâ retinere velint, signum aliquod manui, seu digito, vel capiti super tiaram, vel galerum (על המצנפת) apponere, ac propterea Legem hic more hominum loqui, non id (opinor) vult, Legem hanc non ad literam fuisse observandam, præsertim cum de Tephillin manus pariter ac capitis multa tradat, sed duntaxat Legem Dei hac in re consuetudinem hominum esse imitatam.

17. כי קרוב הוא *Quia (vel etiamsi) propinqua erat*] Refert in Libro de divisione terræ Canaan (בספר חלוקת הארץ) scriptum esse, ab Ægypto ad Jerusalem per viam urbis Ashkelon esse tantùm iter octo dierum. Notat autem triplicem fuisse causam, quarè Deus non duxit Israëlitas per terram Pelistæorum: 1. Quia Moses Pharaoni dixisset, eos in deserto Deum culturos fuisse; propterea enim ne Pharao Mosen mendacem diceret, si per terram Pelistæorum ivissent, Deum aliâ via eos duxisse: hoc innui verbis istis, *Cum Pharao populum dimisisset*; cum enim ideò populum dimisisse, ut Deum in deserto colerent: cap. 12. 31. 2. Ne Pelistæis per terram suam transitum denegantibus, Israëlitæ bello essent impliciti, eique adhuc minùs idonei terga verterent, & in Ægyptum, quæ propinqua erat, reverterentur: hanc causam clarius exprimi, *Dixit enim Dominus, Ne fortè populum pœniteat*, &c. Tertiam denique ac præcipuam causam fuisse, ut Deus miraculosè populo suo per mare transitum faceret, & Ægyptios mari demergeret; illud innui vers. 18. ויסב אלהים וגו׳ q. d. ולהסב *& ut Deus circumduceret populum per viam deserti maris rubri.* Monet insuper circumductionem istam fuisse, quòd columna nubis viâ istâ Israëlitis præibat.

21. *Et Dominus ibat ante eos*, &c.] Refert nonnullos, qui sibi sapere videbantur, (חכמים בעיניהם) miris modis hoc exposuisse. Alios enim intellectum agentem, (שכל הפועל) alios autem columnam nubis, alios denique Mosen hic per Dominum intellexisse. Explosis autem istis opinionibus, asserit sensum esse, Dei providentiam (השגחה) Israëlitis præivisse, ut eos ab omni malo conservaret: in elemento scilicet aëris Deum potentiâ ac providentia sua columnam fecisse, quæ à cœlo ad terram pertingebat, & Israëlitis viam, quâ proficiscerentur, ostendebat. Id autem hîc memorari dicit, quia si per terram Pelistæorum profecti fuissent, ejusmodi duce opus non fuisset, quia nota erat semita; (דרך סלולה) sed cum per desertum eundum esset, dux istiusmodi erat necessarius; atque ideò Deum eorum necessitati per columnam istam prospexisse.

C a p. XIV.

M U N S T E R U S.

3. *Irretiti*] Hebraicum vocabulum נבכים est passivum, à verbo בוך quod significat *animo perplexum esse & sic ambiguum ut nescias quò te vertas.* Sic enim exponitur ab A. E.

7. *Et duces*] Onkelos exponit שלישים per גברין כנון, *viri præfecti.* K. exponit per קצינים, *duces.* Et vocantur שלישים, quòd tertii sint à Rege, atque sub secundo post Regem.

11. *Nunquid*] Non rarum est apud Hebræos ut duæ negationes mox sese consequantur, & tamen non efficiant unam affirmationem. Accipitur itaque המבלי pro הלא, *nunquid.* Et hæc verba dixerunt impii qui erant in multitudine: Prudentiores verò invocaverunt Dominum.

14. *Pro vobis*] Hebraica dictio לכם, i. *vobis*, capitur pro בעבורכם, i. *pro vobis.* Sed mirari aliquis posset cur tot millia Judæorum non restiterunt hosti insequenti. Respondet A. E. quòd non fuerunt assueti rebus bellicis, & præterea à juventute fuerunt tyrannide oppressi, & sub metu Regis enutriti, quæ illis omnem virilem ademerunt animum.

20. *Nubes illa atque tenebra*] h. e. Columna illa quæ ex parte Israël noctem illuminabat, erat ex parte Ægyptiorum nubes obscura atque tenebrosa. Et hæc est expositio Chaldæi interpretis, & R. Abraham Sepharadi.

22. *Ingressi sunt in medium maris*] Arguit hic autor Zeror Hammor sic, *Si ingressi sunt mare, non erat siccum; aut si siccitatem habuerunt, non sunt ingressi mare:* unde dicit quòd *ingressi sunt primùm mare usque ad nares, & tunc cœpit abire mare, & ambulaverunt per siccum.* Subscribat qui volet, præsertim cùm paulò superiùs Scriptura dicat, aquas per ventum abactas, & in muri soliditatem firmatas.

24. *De columna ignis*] Heb. *in columna ignis.* h. e. Vertit se cum columna ignis contra Ægyptios, in magnum illorum terrorem & tumultum, & nolentes coëgit ire בכבדות *in gravitatem*, h. e. in graviores & profundiores aquas, ut quidam exponunt. Alii autem sic hunc locum ediderunt, *Sustulit à curribus rotas; ut equi illos non nisi cum magna vehementia trahere possent.*

27. *Cum impetu suo*] Chaldæus & omnes Hebræi expositores aiunt איתן capiendum pro תקף *robore*, & לפנות pro לפני, ut sit sensus, Antequam illucesceret dies, mare revertebatur omni robore suo in occursum fugientium Ægyptiorum, & impulit eos Dominus per vehementes fluctus in medium maris, atque submersit insanos illos homines qui agnoscere noluerunt potentiam ejus & inaudita mirabilia. ¶ *Et impulit Dominus*] Exponunt Hebræi verbum ניער per רגה, *projecit.* Scribunt hic Hebræi mirabilia de mari, de Pharaone, & de Ægyptiis. Et quoniam cupimus studiosos juvare in lingua, & deinde ostendere in quàm reprobum sensum Judæi dati sunt, subjiciemus pauca ex illorum Medrasim; עשרה הים עשה י״ב דרכים כנגד י״ב שבטי ישראל והגביה את גליו למעלה עשו כמין אבות ותקפאה עצמה כלבנה והמתיקה מימיה ונעשתה את עצמה כחוכה ועשו בה חלונות שהיו ישראל רואים זה את זה ומהללים להקב״ה בשירות ותשבחות ומהלכין בתוך הים כאדם שמהלך בביתו עד שיצאו ליבשה. והיו שלש כתות אחת אמרה נפול בים ושנית אמרה נשוב למצרים ושלישית אמרה נערוך אתם מלחמה. אז אמר להם משה התיצבו וראו את ישועת יי׳ לא תטבעו. לא תוסיפו לראותם עוד עד עולם לא תשובו למצרים ו יי׳ ילחם לכם ואתם תחרישון : וכיון שראה הקב״ה את המצרים בורחים שגר לפניהם מלאך ברמות סוס נקבה ונכנסה לים ורצו הסוסים לים. כיון אמר הקב״ה למשה נטה ידך על הים : ובשעה שאמרו ישראל השירה לפני הקב״ה שמע אותה פרעה שהיה משקיף בים ונשא אצבעו לשמים ואמר מאמין אני בך שאתה הצדיק ואני ועמי הרשעים ולא יש אלוה בעולם אלא אתה : באותה שעה בא גבריאל והטיל על צוארו שלשלת של ברזל ואמר לו רשע אתמול אמרת מי יי׳ אשר אשמע בקולו ועכשו אתה אומר יי׳ הצדיק מיד הורידו לנצולות ים ועכבו שם חמשים יום והעלה אותו כדי שיכיר נפלאותיו של הקב״ה ועשו פרעה חי ועומד פתח נינוה ומכנסין אמות העולם כיון הוא מודיע להם גבורתו של הקב״ה ואומר להם כמוני כה לא לכולכם מלכי דעת כי יש שכפרתי בהקב״ה לכן שלח בי עשר מכות ואף טבעני בים ועכבני שם חמשים יום ולאחר כן העלני מן הים לבשורה ואמנתי בו : Vide, lector, Theologiam Hebræorum. Possem hic absurdiora adjicere, nisi offenderem pias aures. Sic ludunt Athei homines in Scriptura sacra, vertuntque omnia in fabulas Luciani.

F A G I U S.

2. *Ante Hiratha*] Ad verb. *super os Hiratha.* Per *os* autem quidam intelligunt vallem quæ ibi inter duas rupes excelsas fuit: q. legas, *juxta vallem Hiratha.* Et R. S. sic denominatum putat illum locum quòd filii Israël ibi liberi facti sunt: חרות enim *libertatem* Hebræis significat. A. E. *super os* idem esse dicit quod *super faciem*, i. coràm, antè, vel in parte anteriori. ¶ *E regione Baal Zephon*] Tradunt Hebræi Baal Zephon idolum fuisse arte Magorum Ægyptiorum comparatum; atque in isto loco collocatum ut servos ex Ægypto fugitivos observaret ac retineret: צפה enim *speculari & observare* significat. Hinc *Baal zephon* dictus, *dominus speculationis*, quòd ibi constitutus esset ut specularetur ac observaret si qui ex Ægypto fugere vellent, ut eos retineret. Quam virtutem illum habere credebant Ægyptii, & hâc retentos quoque fuisse filios Israël; ideoque di-

dixiſſe Ægyptios, *Perplexi*, ſive *irretiti ſunt in deſerto*. q. d. Deus noſter Baal Zephon retinet eos, impedit fugam eorum. Sentiunt enim Hebræi ex omnibus idolis Ægyptiorum iſtud adhuc remanſiſſe, ut ipſis adhuc majoris indurationis atque ità interitus ſimul occaſio eſſet.

3. *Coartati ſunt*] Vox Hebraica נבוכים *Nevuchim*, & Chaldaica מערבלין *Mearblin*, ſignificat propriè ità animo perplexos & uſque adeò ambiguos eſſe ut neſciant quò ſe vertant.

5. *Converſum eſt cor Pharaonis*] i. Mutata eſt ſententia Pharaonis & ſervorum ejus, ut qui priùs coëgiſſent exire, jam mutato conſilio in priſtinam invidiam & duritiam relabantur. Et nos Germani quoque ità dicimus de eo qui mutavit ſententiam, Er hatt ſich gewandt / umbgekert / &c.

9. *Egreſſi ſunt capite aperto*] Duplicem poteſt habere ſenſum: Vel, egreſſi ſunt palam, non clam, ut faciunt fugitivi. Vel, egreſſi ſunt animoſe, alacriter, nihil ſibi timentes. Qui fugiunt & timent ſibi, caput & faciem abſcondunt, obvelant, involvunt, deprimunt, ut non agnoſcantur: Qui verò animoſi ſunt, læti & hilares, nihilque timentes, erecto capite, apertaque facie incedunt; In Hebræo eſt, *Egreſſi ſunt excelsâ manu*, quod alii ad animoſitatem, audaciam & alacritatem referunt; alii vero ad potentiam, quod armatâ & potenti manu exiverint. Manus elevant tum qui læti, alacres, hilares & animoſi ſunt, tum qui armatâ manu incedunt.

12. *Hoc eſt verbum quod locuti ſumus*] i. e. Nonne hæc eſt res quam loquebamur tecum in Ægypto? q. d. Sicut locuti tecum fuimus in Ægypto, ità nunc occidit. *Verbum*, *ſermo*, in Hebraiſmo pro *re*, *cauſa*, *negotio* frequenter accipitur. Et Hebraiſmus eſt quod dicunt paſtores, *Eamus in Bethlehem*, & *videamus verbum hoc*, i. rem iſtam, &c. Luc. 2. 15.

13. *Quoniam ſicut vidiſtis Ægyptios*] Senſus eſt, Hoc modo quo nunc videtis Ægyptios, armatos ſcilicet, perſequentes & imminentes vobis, non ampliùs videbitis, ſed mortuos & ſuffocatos. Et hunc ſenſum etiam Lxx. explicuerunt, cùm dicunt, ὃν τρόπον, &c.

14. *Et vos tacebitis*] i. Dominus ipſe in ſe ſuſcipiet pugnam veſtram; *vos tacebitis*, h. e. quieti & tranquilli eritis. Et nos Germani *ſilere* pro *quietum & tranquillum eſſe* accipimus. Schweig ſtill / dicimus ad aliquem quem volumus bono & quieto animo eſſe.

16. *Et ingrediantur filii Iſrael in ipſum mare*, &c.] Noſtri commentatores hunc & ſimiles locos ferè omnes ità intelligunt, quaſi populus Iſraeliticus per medium maris Rubri tranſierit, totum trajecerit, ab uno ſcilicet latere ad alterum latus pervenerit. Verum Hebræos in diverſâ ſententia eſſe video, nempe Iſrael non totum mare tranſiviſſe de uno latere ad alterum, ſed aliquouſque tantum in mare ingreſſos fuiſſe, donec Pharao cum ſuo exercitu ſuffocaretur, quo facto, rurſum è mari ad idem littus unde ingreſſi fuerant egreſſos fuiſſe. Sed placet Hebræorum verba huc adſcribere. A. E. ſuper hæc verba quæ mox ſequuntur, *Et ingreſſi ſunt filii Iſrael in medium maris*, &c. ità ſcribit, אל תחשוב בעבור שאמר הכתוב בתוך הים כי הגיעו עד חצי ים סוף רק אם נכנסו אפילו חצי פרסה בתוך הים יקרא תוך הים כמו והאספסוף אשר בקרבו ולא היו באמצע המחנה ושנים בתוך המקום שהיה שם ים בתחלת הלילה. *Ne putes propterea quod dicit Scriptura*, Et ingreſſi ſunt in mare, &c. *quod ad medium maris pervenerint. Nam ſi tantum dimidium paſſum in ipſum mare ingreſſi fuerunt, vocatur* בתוך הים, i. *intra mare. Ita & promiſcuum illud vulgus in medio Iſraelis eſſe dicitur, cum tamen non fuerit in medio loco caſtrorum. Per* בתוך הים *ergo intelligitur locus ubi mare erat in principio noctis.* Hactenus Abenezra. R. Hizkuni ſuper hunc locum ità ſcribit ויבאו בני ישראל בתוך הים לא שעברו בני ישראל את הים דרך רחבו כי ידוע שאין הים מפסיק בין ארץ מצרים ובין ארץ כנען אלא לא היה צריך שנכנסו בו רק כדי שיכנס פרעה אחריהם ויטבע בו בים. Et ingreſſi ſunt filii Iſrael in medium maris. *Hoc non ita intelligendum eſt, quod filii Iſrael totum mare tranſiverint. Nam notum eſt quod mare non dividit inter terram Ægypti & terram Chanaan. Imò non fuit neceſſe ut ingrederentur mare, niſi ut Pharao quoque ingrederetur poſt eos, atque ita ſubmergeretur.* Hæc ille. Habent quoque Hebræi & alia argumenta quibus colligunt filios Iſrael non penitus trajeciſſe mare, ſed tantùm aliquouſque per modum ſemicirculi ingreſſos, rediiſſe ad idem littus. Ut quod dicitur cap. 13. 20. *Profecti itaque de Succoth, manſerunt in Etham in extremitate deſerti.* Et Num. 33. 8. dicuntur in eodem deſerto Etham ad tres dies vagatos, caſtra ſua poſuiſſe in Mara. Sic enim ibi legitur, *Et profecti de Succoth, moverunt caſtra in Etham, quæ eſt in extremitate deſerti. Et profecti de Etham, redeundo in Pi-Hiroth, quæ eſt in ſuperficie Baalzephon, poſuerunt caſtra ante Migdol. Et proficiſcentes de planitie Hiroth, tranſierunt per medium maris in deſertum, atque euntes per iter trium dierum in deſerto Etham, poſuerunt caſtra in Mara.* Porrò tu nota quòd præpoſitio Hebraica בתוך *Bethoch* duplicem habet vim ſignificandi: aliquando enim *medium* ſignificat, ut communiter noſtri interpretes hic accipiunt; aliquando verò præpoſitionem *in* vel *intra* conſtituit, qua in ſignificatione Hebræi hic accipiunt, ut ſit ſenſus, Filios Iſraël aliquouſque in ipſum mare intraviſſe, &c. ut ſupra.

20. *Et fuit nubes & caligo Ægyptiis*] i. Columna illa quæ erat inter utraque caſtra, ex parte Iſraelis noctem illuminabat, ex parte autem Ægyptiorum erat nubes obſcura & tenebroſa.

27. *Ad fortitudinem ſuam*] Vel, *ad robur ſuum.* Senſus eſt, Reverſæ fuerunt ad priorem locum ſuum, habueruntque cum fortem curſum & impetum ut antea.

IDEM.

20. ויהי הענן והחשך ויאר את הלילה *Et fuit nubes illa atque tenebra, illuminans noctem*,] Lxx. in hoc diſſentiunt à veritate Hebraica, quòd *caliginis* & *tenebrarum* tantùm mentionem faciunt, non autem *nubis illuſtrantis noctem*, pro quo poſuerunt illud, *& venit vox*, ubi textus Hebræus habet ויאר הלילה, *& illuminabit noctem*, ſcilicet nubes illa ignea. Volunt autem quidam illam nubem ſic diſpoſitam eſſe ut quà parte reſpiceret caſtra Ægyptiorum, caliginoſa eſſet, quà verò caſtra Iſraelitarum, lucida eſſet. Quam ſententiam etiam ſecutus eſt Vulg. Interpres Latinus, qui legit, *Et erat nubes tenebroſa & illuminans noctem.* Hebraicè ad v. eſt, *Et erat nubes & tenebra*, quod alii ſic explicant, non quòd eadem nubes & tenebroſa & lucida fuerit, ſed quod tenebræ fuerint Ægyptiis, nubes verò Hebræis.

22. ויבאו בני ישראל בתוך הים ביבשה *Et ingreſſi ſunt filii Iſraël in medium maris in ſiccum*,] Hunc locum quoque adducere placuit, non quòd in redditione verborum ſit diſſenſio Interpretum, ſed quòd in ſenſu hujus loci ſit apud autores diverſitas. Noſtri Scriptores hunc & ſimiles locos ità ferè intelligunt, quaſi filii Iſrael totum mare tranſiverint, atque ab uno litore ad alterum quod è regione erat pervenerint. Quam ſententiam ſtabilire videntur & alii loci Scripturæ, in quibus iſtius tranſitûs quoque mentio fit, ut quod mox infrà dicitur, *filii autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris*, &c. item illud in Numeris cap. 33. *Profectique de Phihahiroth tranſierunt per medium maris in ſolitudinem*, &c. Illud quoque Pſal. 77. *Interrupit mare & perduxit eos*, &c. Et quod Apoſtolus ſcribit 1 Cor. 10. *Patres noſtri omnes ſub nube erant, & omnes per mare tranſierunt.* & ad Hebr. cap. 11. *Per fidem tranſierunt mare rubrum veluti per ſiccam terram.* Præterea locus qui eſt Joſuæ cap 4. *Quando interrogaverint filii veſtri cras patres ſuos, & dixerint eis, Quid ſibi volunt lapides iſti? Docebitis eos, atque dicetis, Per arentem alveum tranſivit Iſrael Jordanem iſtum, ſiccante Domino Deo noſtro aquas ejus in conſpectu noſtro, donec tranſiretis, ſicut fecerat prius in mari Rubro, quod ſiccavit donec tranſiremus.* Hebræi verò omnes ferè hanc tenent ſententiam, non quòd filii Iſrael totum mare rubrum tranſiverint, ab uno litore ad alterum litus oppoſitum, ſed quòd aliquò uſque mare ingreſſi fuerint, pergendo per longitudinem non per latitudinem maris, donec ſequeretur exercitus Pharaonis ut ſuffocaretur, & quaſi ſemicirculo facto reverſi ſint ad idem litus unde ingreſſi fuerint. Ad iſtam ſententiam maximè movit eos quod Exod. 13. legitur, quòd *profecti de Succoth manſerint in Etham.* Et in Num. 33. ubi hæc hiſtoria repetitur, rurſum legitur, Quòd *poſtquam tranſierant mare venerant in deſertum Etham.* Utraque ſententia probabilis eſt, licet noſtri magis inclinent ad priorem, Hebræi verò in poſteriorem. Vide de hoc loco latius, ſi placet, in Bibliis meis Chaldaicis.

25. ויסר את אפן מרכבתיו וינהגהו בכבדת *Et ſuſtulit rotas quadrigarum ejus, atque violenter duxit eum*,] Lxx. diſſentiunt ab aliis, quòd pro verbo *abſtulit* legunt *colligavit*, & pro *deduxit*, *fregit*. Bifariam autem hunc locum interpretantur. Prior ſenſus is eſt, Quòd ſcil. Deus rotas à curribus deturbarit, atque in profundum maris præcipitaverit, ut per בכבדת *in gravitatem*, intelligantur aquæ graviores & profundiores. Et hoc ſecutus eſt Vulg. interpres Latinus. Alter ſenſus eſt, Quòd Deus rotas à curribus abſtulerit, ità ut graviter & nonniſi cum maxima difficultate eos ducere potuerint. Atque hunc ſenſum Hebræi ferè amplectuntur, ut qui veritati Hebraicæ proprior, quem Chaldæus ſecutus eſt. Notes præterea quòd illud quod præcedit hunc locum, ויהם את מחנה מצרים, *& conturbavit caſtra Ægyptiorum*, Vulg. interpres reddidit, *& interfecit exercitum eorum*, poſterius ſcilicet pro priori ponendo: priùs enim contur-

turbavit ac terrorem immisit, postea interfecit. Et verbum Hebraicum הום propriè *conturbare & terrorem incutere* significat, unde & Lxx. rectiùs verterunt per *συνετάραξε τὴν παρεμβολὴν αὐτῶν conturbavit aciem eorum*.

27. וישב הים לפנות בקר לאיתנו *Et reversum est mare, cùm lux matutina juxta vim suam luceret,*] Variatio est in voce Hebraica איתן, quam nostri Interpretes pro loco alvei exponunt; Hebræis autem *robur & fortitudinem* significat. Et innuitur quòd Mare cùm aurora jam potenter emergeret tum reversum est ad robur suum, vim seu vehementiam suam, h. e. rursùm magnâ vi fluere cœpit atque involvit Ægyptios & suffocavit eos. Et quod sequitur, *fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ*, ut habet Vulg. editio, Hebraicè ad verbum est, *& Ægyptii fugerunt in occursum illius*, scilicet maris; quo innuitur Ægyptios adeò attonitos fuisse ut in ipsas aquas occurrentes fugerent. Hunc sensum viderunt & Lxx, unde legunt, *Οἱ δὲ Αἰγύπτιοι ἔφυγον ἐπὶ τὸ ὕδωρ, & Ægyptii fugerunt ad aquam.*

VATABLUS.

3. *Confusi sunt*, נבוכים] *Perplexi sunt.* ¶ *Clausit*, &c. סגר עלי] *Præclusit sese illis.* q. d. viæ deserti sunt præclusæ illis; ideo errant in deserto, nesciuntque quà ituri sint in deserto ipso.

4. *Et roborabo*, וחזקתי] *Et indurabo.* ¶ *Et glorificabor*, ואכבדה] *& gloriabor*, i. gloriosus apparebo, vel, *gloria mea apparebit.* Alii, *magnificabor*, *magnalia*, vel *magnifica ostendam.* ¶ *Et fecerunt sic*, ויעשו כן] i. retrocesserunt.

5. *Et versum est*, ויהפך] *& immutatum est:* mutata est sententia Pharaonis.

6. *Junxit autem*, ויאסר] *Vinxit autem*, vel, *Ligavit autem.* Vide Gen. 46. 29. i. Curavit apparandum currum suum: olim enim pugnabant in curribus.

8. *Egrediebantur*, &c. ובני ישראל יצאים ביד רמה] i. egressi erant magnâ audaciâ & animo alacri, animosi, magna sperantes, hilares: qui enim læti sunt, manus elevant, altiusque incedunt.

9. *Castrametantes*, חנים] i. quum castra posuissent. ¶ *Omnes equi currus*, כל סוס רכב] Sub. *persecuti sunt inquam eos.* Sing. Heb. pro plur. *omnis equus currus Paroh & equites ejus*, pro, *persecuti inquam sunt eos omnes equi curruum Pharaonis, & equites.* h. e. omnis equitatus Pharaonis. Exponit quod dixerat, *Persecuti sunt Ægyptii*, &c. ¶ *Et exercitus ejus*, וחילו] Sub. *assecutus est eos*, &c.

10. *Quumque Paroh applicuisset*, ופרעה הקריב] Ad verb. *Et Pharao appropinquavit*; vel, *admovit*; sub. *castra sua.* i. Quamproximè potuit fieri, posuit castra sua juxta castra filiorum Israël. ¶ *Insequebantur eos*, נסע אחריהם] Ad verb. *proficiscebantur post eos.*

11. *An quod non*, המבלי אין] Duæ dictiones idem significantes. Alii, *an nulla erant sepulcra*, &c.

12. *Nonne hoc ipsum est*, הלא זה הדבר] Ad verb. *Annon hoc verbum?* ¶ *Cessa à nobis*, חדל ממנו] *Discede à nobis. Facesse. Recede.* i. Permitte nobis ut, &c. vel, Sine nos servire.

13. *State*, התיצבו] *Sistite gradum, consistite.* ¶ *Salutem Jehovæ*, &c. את ישועת יהוה] *Opem Jehovæ quam laturus est.* ¶ *Non estis visuri*, &c. לא תוספו וגו׳] Ad verb. *non addetis ut videatis eos ultra in sempiternum.* i. nunquam posthac estis visuri eos.

14. *Tacebitis*, תחרישון] i. quiescetis. tranquilli & quieti eritis.

15. *Quid clamas ad me?* מה תצעק] Hic Moses (ut nonnullis placet) populi personam sustinet. q. d. Quare populus, cui præes, clamat ad me?

16. *Intra mare*, בתוך הים] Ad verb. *in medium maris.* Quidam existimant Israëlitas trajecisse penitus mare, ab uno latere ad alterum latus. At Hebræorum sententia est, illos tantùm aliquousque per modum circuli ingressos fuisse in Mare, donec ipse Pharao cum suo exercitu suffocaretur: quo facto rursum è Mari ad idem littus unde ingressi fuerant egressos fuisse. בתוך namque aliquando *medium* significat, ut vulgò hoc loco exponunt: aliquando *In*, vel *Intra*, ut Hebræi hic accipiunt, hoc sensu, filios Israël aliquousque in ipsum Mare intravisse. Nihil tamen obest sensui quin transferas, *per medium mare*, ut docti vertunt: & sic paulò pòst, v. 22. neque intelligendum erit propterea de una ripa ad alteram eos trajecisse. ¶ *Per aridam*, ביבשה] *Per siccum*, i. siccis pedibus.

17. *Roborato*, מחזק] *Indurabo.* Præs. Heb. pro fut. ¶ *Et glorificabor* ואכבדה] Ut v. 4. i. & ità obruam, sive interficiam, ipsum Pharaonem, &c. unde gloria mihi reddetur & laus.

20. *Et venit*, ויבא] *Et ingressus est.* Alii, *Et ingressa est nubes.* ¶ *Eratque* ויהי] Sub. *Ægyptiis.* ¶ *Et illuminavit*, ויאר] *Et illustravit*, sub. *Angelus aliis Israël.*

21. *Et jam scissa erant aqua*, ויבקעו המים] *Ac ità divisæ sunt aquæ.*

25. *Et deduxit eos graviter*, וינהגהו בכבדת] *Et deducebat* [*agebat*] *illos* [sub. *currus*] *cum difficultate.* Ad verbum, *cum gravitate.* Chald. paraph. *ità ut difficulter eos ducerent:* i. cum magna difficultate deducerent currus suos.

27. *Respiciente mane*, &c. לפנות בקר וגו׳] *Appetente manè.* i. primâ luce, ad pristinum vigorem.

31. *Manum magnam*, את היד הגדולה] *Virtutem* [*potentiam*] *magnam:* & ità Chald. paraph. ¶ *Fecit*, עשה] *Exercuerat.*

CLARIUS.

11. *Forsitan non erant sepulchra*] Hæc verba dicebant impii qui erant in multitudine: prudentiores verò invocaverunt Dominum.

14. *Et vos tacebitis*] Mirari aliquis posset cur tot millia Judæorum non restiterint hosti insequenti. Sed respondent Hebræi, illos non assuetos fuisse rebus bellicis, & præterea à juventute fuisse tyrannide oppressos, & sub metu Regis enutritos, quæ omnem illis virilem ademerant animum. Ubi observa, Antequàm populus comederet panem de cœlo & biberet aquam è petra, dictum esse ei, *Dominus pugnabit pro vobis*; post verò & ipse pugnet.

20. *Tenebrosa & illuminans noctem*] Columna illa, quæ ex parte Israël noctem illuminabat, erat ex parte Ægyptiorum nubes obscura atque tenebrosa.

24. *Per columnam ignis & nubis*] Vertit se cum columna ignis contra Ægyptios, in magnum illorum terrorem & tumultum, & nolentes coëgit ire in profundiores aquas, ut quidam exponunt. Alii sic exponunt, quòd sustulerit à curribus rotas, ut equi illos non nisi cum magna vehementia trahere possent.

27. *Cùm lux matutina*] Hebraismus habet, *Aspiciente manè ad fortitudinem suam.*

LUC. BRUGENSIS.

19. *Tollensque se Angelus Domini qui præcedebat castra Israël, abiit post eos.*] Quatuor Hentenii Mss. auferunt *se:* quod Græcis quidem codicibus similiter non additur, sed vel legendum est, vel subaudiendum: sensus enim est, Angelum Dei ex anteriori castrorum loco in postremum exercitûs agmen se transtulisse. Hebraicè est ויסע מלאך, *& profectus est Angelus.* Fortè Interpres noster cum Lxx. legit ויסע, quod est, *& sustulit*, Ἐξῆρε δὲ quanquam voces istæ nec significatis absimiles sint, sicuti quod Chaldæus reddidit, נטל, & *levare & proficisci* significat.

DRUSIUS.

7. *Duces*] Sunt voces aliquot quæ à Græcis Interpretibus effictæ videntur ad exprimendum ea quæ ex Hebræo aliter exprimi non poterant. Qualis est ἀνδρὶς in editione Symmachi, i. *vira*, ab ἀνὴρ, *vir*; ut Hebræis ISSA dicitur ab IS, i. *vira à viro.* Cui Hieronymus annumerat aliam, quâ expresserunt nomen Hebræum רצון *benevolentia:* Ea est εὐδοκία, frequenter obvia in Novo Testamento. Sonat autem ut si dicas *bona voluntas* aut *benevolus affectus*, *propensaque animi affectio.* Nec alienum ab hoc ordine videtur ἐνωτίζω, verbum ab *auribus* deformatum, quod Hebræi dicunt האזין, *auribus percipio.* Similiter ὀρθρίζω, *manè desurgo*, aut *aliquid facio*, i. השכים, quod autores alii dicunt, ὀρθρεύω. Item τριστάτης, cui respondet in lingua originali שליש *salis*, in quo sensus numeri ternarii. Usi sunt hoc vocabulo præter Lxx. alii translatores Ezech. 23. 15, & 23. τριστατῶν, ubi Symmachus σκυλευτῶν. Senes autem eo utuntur Exod. 14. 7. & 15, 4. item 4 Reg 7. 2, & 17. nec non 9. 25. & 10. 25. & 15. 25. De hoc R. D. *Salis est Dux: aut sic vocatur qui est sub eo quem vocant secundum à Rege.* Si rectè, tunc τριστάτης erit *tertius à Rege.* Voco tertium aut secundum, ubi Rex primus est. Alioquin שליש est secundus à Rege, & משנה primus. Quod innuit Hieronymus his verbis, *Tristata nomen est apud Græcos secundi gradûs post Regiam dignitatem.* שליש ergo est τριστάτης, *qui tertius*, h. e. in tertia dignitate. Nam Rex in prima est, & ejus *Misne* in secunda. Hebræa sonant verbum è verbo, *secundus Regi*, vel *Regis*, משנה למלך. *In Exodo*, teste Hieronymo, *Tristatas Latina simplicitas Ternos statores transtulit.* Abenezra,

Scito Regem quasi primum esse in ordine: ideo Misne vocatur qui post eum est in dignitate secunda; & Salis, qui in tertia. Hieron. de his scriptum esse censet, *Veruntamen ad tres primos non pervenit*] *Hi principes*, inquit, *equitum peditumque erant & tributorum: quos nos Magistros utriusque militiæ & Præfectos annonarii tituli nominamus.* Idem exponens verba illa Dan. 5. 7. τρίτος ἐν τῇ βασιλείᾳ μυ ἄρξει, sic scribit, *Tertius in regno meo erit*] *Vel tertius post me, vel unus è tribus principibus quos alibi τριςάτας legimus.* Aliter Euthymius monachus Zigabonus. Nam quia Exod. 14. 7. *Omnes currus Ægypti, & tristatæ super omnes*] *Illos Tristatas dicit*, inquit, *eo quòd tres in uno curru sedere solebant, & unus quidem currum agebat habenasque moderabatur, reliqui autem duo adversus hostes decertabant.* Gregorius Nyssenus his adjecit novam expositionem, quia legit (ità videtur) *omnem equum* pro *omnem currum*. Verba ejus interprete Caraffa hæc sunt, *Nomine isto τριςάτας hic significat. Contra hostiles manus antiqui magnos currus faciebant adeò ut tres homines caperent. Unus quidem aurigæ officio fungebatur, alter verò protegebat, tertius pugnabat. Vel tristatas dicit eos qui ascenderant super tres equos. Antiqui enim in bellum exeuntes super tres equos vehebantur. Inquit enim*, omnem equum, & tristatas super ipsos. Videtur hunc locum in mente habuisse, ubi sanè in Hebræo (nam Græcam editionem non consului) *omnem currum*, & non *omnem equum*. Pergit Theologus ille, *Vel tristatas dicit eos qui in acie tertii stabant in phalange. Primo enim cadente vel defesso ac laborante, tristata succedebat in locum illius. Vel significat τριςὸν, h. e. eum qui sedente Rege tertius stat, vel tertiam sedem habet, qualis erat David apud Saul.* Vide nunc Origenem hom. 6. Sunt qui dicunt fuisse *Regios satellites tria hastilia manu tenentes*, in queis Hesychius, & autor magni Etymologici. In loco Exodi memorato videtur latiùs accipi pro *ducibus*, quos קצינים appellant. Itàque R. S. interpretatur, dicens esse *duce exercitus* juxta Thargum, h. e. Chaldaicam editionem. R. Levi exponit *dynastas* & *principes*. Vide Rom. edit. Latinam Exod. 15. 4. ubi Abenezra, *Quia memincrat Exercitus, meminit etiam Tristatarum*, i. SALISIM, *quia præerant toti exercitui.* Onk. hic habet, *dynastæ* sive *potentes ejus*. Jon. *juvenes dynastæ ipsius*. Jerosol. *juvenes & dynastæ ejus*. Plura de his aliàs, si Deus permiserit.

22. *Ingressi sunt in medium mare*] h. e. intra mare. *Medium* hic תוך dicitur, alibi קרב, & alibi *cor*, unde *cor maris*; & Tyrus sita legitur *in corde maris*, quoniam intra mare non procul à continente. Sic Christus fuit *in corde terræ*, h. e. in Sepulcro quod intra terram. Hoc observo, quoniam Israëlitæ ingressi sunt mare in deserto Etham, & in idem desertum egressi sunt. Non igitur *medium* hic accipitur Mathematicè, sed eo sensu quo dixi. Quicquid enim intra rem aliquam, in ejus *medio* esse dicitur. Sic sanè cor est in *medio* hominis, h. e. intra hominem. Nam propriè loquendo magis vergit ad sinistram; quam partem, quia frigidior est, calefacit. Non ergò in medio hominis est præcisè, aut ut est in medio aliorum animantium. Sic, *vulgus promiscuum quod erat in medio ejus*, h. e. intra castra ejus. Quæ dixi firmabo autoritate sapientum Hebræorum. Abenezra, *Ne cogites, quia dicit*, Ingressi sunt in medium maris, *quod pervenerint ad dimidium maris Suph. Nam si ingressi sunt duntaxat dimidium parasangæ vel milliaris intra mare, dicitur Medium maris. Nam sensus est, In locum ubi fuerat mare.* Hiskuni, *Intrarunt medium mare, non quod transierunt mare qua parte latum est. Notum enim, mare illud disterminare Chananæam ab Ægypto; nec erat necesse ut ingrederentur illud nisi ob Pharaonis exercitum, qui ibi submergendus erat. Ingressi ergò sunt figurâ semicirculari. Nam ecce in deserto Etham intrarunt in mare, & in desertum Etham redierant cùm è mari exirent.* Vide nunc, si otium & si vis, quæ Fagius annotavit ad paraphrasin Chaldaicam Onkeli, quem Aquilam esse putant.

31. *Crediderunt* DOMINO, *& Mosi*] Vel, *in* DOMINUM, *& in Mosen*: quod ἑβραϊκώτερον, imò purus putus Hebraismus est. Nam quod Latini dicunt *credere Deo*, id Hebræis est *credere in Deum*. Sic, *Abraham credidit Deo*, vel *in Deum*, illud Græcis ità interpretantibus, quos Apostolus deinde secutus fuit. Sed quia hic sequitur, *& in Mosen*, ideo interpretes maluerunt, *Deo & Mosi*. Nam *credere in Mosen* inaudita hactenus locutio fuit, saltem vulgò ignorata. Unde distinctio illa, quæ apud Augustinum, inter *credere Deo* & *in Deum*, quam Theologi ferè omnes receperunt. Non invideo: tantùm admoneo, nihil in ea soliditatis esse. Si frugibus inventis aliquis sit qui velit vesci glandibus, vescatur sane: per me hoc ei licet. Nec assentior per omnia Hieronymo scribenti eandem fidem haberi in Deum & in sanctos ejus. Nam aliter credimus Deo, & aliter sanctis ejus. Non enim certè eam fiduciam ponimus in hominibus quam ponimus in Deo, si omnino ponimus fiduciam in hominibus. Verba Hieronymi habentur in comment. super epist. ad Philem. *Quæritur quomodo eandem fidem in Christo Jesu habere quis possit & in sanctos ejus. Ad cujus expositionem de Exodo sumamus exemplum:* Credidit populus Deo & Moysi servo ejus. *Una atque eadem credulitas in Moysen refertur & in Deum, ut populus qui credebat in* DOMINUM, *æque credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solùm in Moyse, sed in omnibus sanctis ejus est, ut quicunque credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat nisi credat & in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectiò & fides quæ in ministros ejus odio & infidelitate terminatur.* Vide sequentia.

IDEM.

15. וְיִסָּעוּ. Τὸ Σαμαρειτικὸν, ἵνα ἀπάρωσιν, *ut proficiscantur*] Sic etiam Hieron. Tres quoque Interp. Chaldæorum ויטלון, ut *abeant, ut discedant*. Verbum נטל sign. *tollere, auferre*. Sic & ἀπαίρω. Sed ἀπαίρω sæpius est *navi proficiscor, solvo*.

16. בַּיַּבָּשָׁה Schol. εἰς χέρσον. εἰς ξηρὸν] Εἰς χέρσον, *per terras*, sive *continentem*. Pleniùs hoc dicunt εἰς χέρσον γῆν, cui opponitur ἡ κατακλυζομένη, *quæ tegitur undis marinis*. ¶ Εἰς ξηρὸν, *per siccum*. Dicunt etiam ἡ ξηρὰ pro *arida*: quod obvium in N. Fœdere. Lxx. hic habent, κατὰ τὸ ξηρὸν, *secundum siccum*. Hieron. *per siccum*. optimè & rectissimè. Santes, *per aridam*.

20. וַיְהִי הֶעָנָן וְהַחֹשֶׁךְ וַיָּאֶר אֶת־הַלָּיְלָה וְלֹא־קָרַב זֶה אֶל־זֶה. A. καὶ ἐγένετο ἡ νεφέλη σκότος. καὶ ἐφώτισε τὴν νύκτα καὶ οὐκ ἤγγισεν οὗτος πρὸς τοῦτον, *& facta est nubes tenebræ, & illustravit noctem: & non appropinquavit hic ad illum.* Sym. καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν, *& erat nubes tenebræ quidem illic, lucens verò hic.* τὸ Σαμαρειτικὸν, καὶ ἦν τὸ νέφος καὶ τὸ σκότος, καὶ ἔφαινε τῇ νυκτί· *& erat nubes & tenebræ, & lucebat nocte*] *Hic ad illum*: alter ad alterum. Vult dicere, Ægyptius ad Israëlitam. ¶ *Illic*] In castris Ægyptiorum. ¶ *Hic*] In castris Israëlitarum. ¶ *Et lucebat*] ויאר per (ֵ) breve in syllaba ultima.

25. וַיָּסַר. Sym. μετέστησε, *transtulit.*] Antea erat συνέδησε, *colligavit*, tanquam ab אסר, *vincio, ligo*. Cave sequaris. Hieron. *subvertit*. Onk. ואעדי. Santes, *& removit*.

27. לְאֵיתָנוֹ. A. εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτοῦ, *in antiquum locum suum*] Hieron. *in priorem locum*. Uterque Chaldæus, לתקפיה, *ad vehementiam suam*, i. ad solitum fluxum. Psal. 74. 15. נהרות איתן. A. στερβάς. Sym. ἀρχαίους. ¶ וַיְנַעֵר. A. ἀνέβρασεν, *æstuando expulit*, aut, *vi æstûs & agitationis ejecit*.

NOTÆ MAJORES.

1. *ET loquutus est DOMINUS ad Mosen, dicendo.*
2. *Loquere ad filios Israël, ut reversi castra ponant ante Phi-habiroth, inter Magdol & mare, ante Beelsephon, è regione ejus castraponetis super mare.*

Ut reversi castra ponant] Vel, *ut revertantur & castraponant*. Revertantur, inquam, Ægyptum versus. Cur hoc? an ad fallendum Pharaonem? qui fortasse non insecutus eos fuisset, nisi aberrasse putasset à rectâ via. Voluit autem DOMINUS suam in eo potentiam ostendere. Cajetanus, *Non erat directa reversio, sed species quædam reversionis ad locum Ægypto propinquiorem eundo, & propterea vocatur reversio.* Abenezra, *Jubet eos redire ac retrocedere per astutiam ut Pharao egressus persequeretur eos atque ità in mare demergeretur. Cogitationes autem DOMINI profundæ sunt.* Ex his liquet minus appositè versum esse à nupero interprete, *ut divertant & castrametarentur*. Nam divertere quis aliquò potest, qui tamen non revertatur aut retrocedat. ¶ *Ante Phi-habiroth*] Vel Phihachiroth. Nam scribitur per litteram Heth in penultimâ. Hieron. Fabiolæ, *Quidam male Chiroth villas putant, errorque manifestus, quod pro supradicto elemento Ain litteram legant.* Notare videtur Lxx. in queis ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, quod reddunt, *è regione suburbii*. Sed apud interpretem Origenis hom. 5. *inter Epauleum*. Trem. *ante fauces montium Chirotharum*: Alius, *ante Phi-biroth*. Abenezra, *Alibi vocatur Phane-biroth, & est nomen loci.* Phane i. facies. Ebraice פני. Onkelos, ante os hiratha. Vide notas Fagii. Jonathan, *ante ora sive fauces Hiratha*. Jerosolymitanus, *ante cauponas Hiratha*, si modò פונדקי sunt cauponæ. Rursum Jonathan, *locus est qui Thanis vocatur*. R. Salomo, *Phi-habiroth est Phithom, quæ nunc sic vocatur propterea quod ibi facti sunt liberi. Erant autem duæ petræ celsæ erectæ, in quarum medio vallis dicta vallis petra-*

trarum sive rupium. ¶ *Magdol*] vel Migdol. Sic critici Ebræorum. Magdol antiquitas lectionis, unde in Lxx. μάγδωλον. Quanquam in Hieron. *Magdalum*, ut videatur mihi legisse Magdal. sanè in scriptura Ebraica desideratur Vau, quæ Holem indicare solet, cum apices absunt. Hujus mentio Jer. 46. 14. & in Ezechiele. Tres Chaldæi habent Migdol, cum vau. Origenes hom. 5. turrim interpretatur. i. מגדול. ¶ *Mare*] rubrum. ¶ *Beel-sephon*] sic olim Hieron. legit, ut etiam Onkelos בעל צפון Nunc legunt Baal-sephon. Id Jonathan interpretatur, *ante errorem Sephon*. Jerosolymitanus, *ante Idola Sephon*. Abenezra, *dicit magos Ægyptiorum fecisse imagines æneas, quas non poterant transire qui ex Ægypto fugiebant: & hæ sunt Baal-sephon*. Sed vide sis sequentia. ¶ *Super mare*] ut *super Nunicum amnem*. i. *Juxta mare*. Pro Baal-sephon Græci habent Βεελσεπφῶν, Beelsepphon. R. Salomo, *remansit ex omnibus diis Ægypti* &c. Beel-sephon, nomen idoli, ut Beel-phegor. Mihi potius nomen loci videtur.

3. *Diceteque Pharao de filiis Israel, Perplexi sunt in terra, conclusit eos desertum.*

4. *Et obfirmabo cor Pharaonis, qui persequetur eos, honoraborque in Pharaone & in omni exercitu ejus: ità cognoscent Ægyptii me esse DOMINUM: & fecerunt sic.*

Dicet Pharao] cum vos retrocessisse audierit. ¶ *De Filiis Israel*] Hic perspicuè ל valet de. Nam non dicebat hæc filiis Israel; sed de filiis Israel. Sic alibi לי אמר dic de me. Hier. hoc dixit, *super filiis*. Quale illud, *multa super Priamo rogitans, super Hectore multa*. Lxx. ad sensum non malè, *Dixit populo suo*, *Filii Israel perplexi sunt* &c. Jonathan, *Dicet Pharao Dathami & Abiramo filiis Israel qui remanserant in Ægypto*. Unde hoc scis, nugator? Utrum ex traditione? Nam de ל jam dictum est. Non semper est articulus dativi. Onkelos, *super filios Israel*. Jerosolymitanus, *super negotio populi, filiorum Israel*. ¶ *Perplexi sunt*] ut qui consilio destituti nesciunt quid faciant aut quo se vertant. Abenezra. Ebraicè est נבכים הם. Id Hier. interpretatur *coarctati sunt*. Lxx. πλανῶνται errant. Sic etiam autor Jerosolymitanæ. Nam טעין errantes. Onkelos מערבלין, de quo Fagius, *Vox Chaldaica significat ità animo perplexos, & usque adeò ambiguos esse, ut nesciant quo se vertant*. Jonathan, מטרפין *quasi abrepti & mente alienati*. R. Salomo, *cohibiti & conclusi sunt intra desertum, & nesciunt exire inde, aut quò vadant*. ¶ *In terra*] Jerosolymitanus, *in deserto*. ¶ *Conclusit eos*] συγκέκλεικε αὐτοὺς. Id Jonathan & Jerosolymitanus dixerunt אחד: Onkelos אחד comprehendit. Josephus ait inter rupes & mare conclusos fuisse, quo loco mons præ asperitis invius ad littus usque procurrit. Vide illum libro 2. cap. 6. ¶ *Desertum*] Etham. Supra 13. 20. ¶ *Obfirmabo cor Pharaonis*] post tot plagas de novo induratur & obfirmatur Pharao. ¶ *Honorabor*] aut, *glorificabor*. Nam cum punit improbos, nomen ejus honoratur & glorificatur. Sic dico, accessio honoris Deo ex pœna improborum. ¶ *Cognoscent Ægyptii me esse DOMINUM*.] Id est יהוה verum Deum. Nam ità vocatur ab Ebræis. Sed alia præterea hac voce continentur. Nam significat Deum esse primum & per se Ens, à quo omnia entia: item in eo entium omnium omnes perfectiones inesse, idque perfectissimè & perfectissimo modo: eoque esse sapientissimum, potentissimum, optimum: imò ipsam sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, justitiam: eoque regi ab ipso mundum, justos curari, malos puniri: & alia id genus infinita. Hæc fere Theologus in opere de operibus Dei intra spacium sex dierum creatis pag. 181. ¶ *Ægyptii*] qui reliqui erunt. ¶ *Fecerunt sic*] Israelitæ fecerunt quemadmodum illis præceptum erat, hoc est retrocesserunt.

5. *Et nunciatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus, versumque est cor Pharaonis & servorum ejus erga populum, & dixerunt, Quid hoc quod fecimus, quod dimisimus Israelem ne serviret nobis.*

6. *Junxit ergò currum suum & populum suum assumpsit secum.*

7. *Et assumpsit sexcentos currus delectos, & omnes currus Ægypti, & duces præerant omnibus illis.*

Nunciatum est] ab exploratoribus. ¶ *Quod fugisset*] quod animo fugiendi abiissent, non revertendi. Nam si rectà sacrificatum ivissent, non deflexissent à viâ: aliud iter instituissent. Ceterum pro *fugisset* Onkelos habet אזל *abiisset*. R. Salomo, *exploratores misit cum eis, cum autem confecissent iter trium dierum, quod condixerant ad eundum & revertendum, & viderent eos non redire in Ægyptum, venerunt & nunciaverunt Pharaoni die quarto: Quinto & sexto persecutus est eos. Nocte septimi diei descenderunt in mare: manè dixerunt canticum, quod est septimum Paschatis. Ideò nos legimus canticum illud in die septimo.* ¶ *Versum est*] μετεςράφη Lxx. *immutatum est* Hieron. *vertit se in malum*. Jonathan. ¶ *Quid hoc quod fecimus*] vel, *quid fecimus*, ut זה redundet. Hieron. *qui voluimus facere*. Lxx. τί τοῦτο ἐποιήσαμεν; quid hoc fecimus? Sic est in fonte ad verbum. Nos אשר subaudimus. ¶ *Junxit currum suum*] *ipsemet junxit*. Jonathan; R. Salomo *per ministros suos*. Nicolaus: *mandavit ità fieri*. Abenezra. * Simile, *& ædificavit Salomo templum*. ¶ *Currum suum*] Lxx. τὰ ἅρματα αὐτοῦ, currus suos. Ceteri *currum suum*, etiam Hiero. ¶ *Assumpsit*] *duxit*. Onkel. & Jonat. ¶ *Sexcentos currus*] Apud interpretem Josephi nuperum, *septingenti currus*: malè. Nam & in Græco est ἑξακόσια, & in Ruffino, *sexcenti*. Senes quoque hic habent ἑξακόσια, & Chaldæi שש מאה ut dubitare de eo nemo debeat. Sig. autem currus bellicos, quorum usus olim frequentissimus erat. ¶ *Delectos*] sive lectos, aut electos. Lxx. ἐκλεκτά. Selegerat enim ex omnibus curribus Ægypti præstantissimos quosque. Onkelos בחיר, quod noto quia in Jonathâ est בחירין. Videtur esse enallage generum. ¶ *Et omnes currus*] In Ebræo est, *& omnem currum*. Lxx. καὶ πᾶσαν τὴν ἵππον, *& omnem equitatum*. Josephus, ἑξακόσια γὰρ αὐτοῖς ἅρματα εἵπετο σὺν ἱππεῦσι πεντακισμυρίοις, καὶ ὁπλιτῶν μυριάδες εἴκοσι. Ruffinus, *sexcenti enim currus persequebantur eos, & equites quinquaginta millia, & ducenta millia pariter armatorum*. ¶ *Et duces præerant omnibus illis*.] על כלו ושלשם Et duces super totum illum. Sub. exercitum. Onkelos, *& potentes præerant omnibus illis*. Hieron. *& duces totius exercitus*. Lxx. καὶ τριςάτας ἐπὶ πάντων. Optimè interpretantur שלשים τριςάτας. Nam in utroque sensus numeri ternarii. שלש enim tria sig. unde שליש i. τριςάτης, qui in regno aut republica tertiam dignitatem obtinet. Nam primus est rex: Secundus משנה vocatur: tertius τριςάτης, qui est secundus à rege, ut משנה primus. Abenezra, *Scito regem esse quasi primum in ordine: Ideo* משנה *vocatur, qui post eum est in dignitate secunda: &* שליש *qui in tertiâ*. Hieron. Ezech. 23. *Duces & magistratus, sive tristatas, quos nos principes principum interpretati sumus. De quibus & in Exodo legimus, electos ascensores tristatas: pro quibus latina simplicitas ternos statores transtulit. Tristata autem nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem: de quibus scriptum est, veruntamen ad tres primos non pervenit. Qui principes equitum peditumque erant & tributorum: quos nos Magistros utriusque militiæ, & præfectos annonarii tituli nominamus.* Videndus Origenes hom. 6. Gregorius Nyssenus interprete Carafta, *Nomine isto* τριςάτας *hic sig. Contra hostiles manus antiqui magnos currus faciebant, adeò ut tres homines caperent: unus quidem auriga officio fungebatur, alter vero protegebat: tertius vero pugnabat. Vel tristatas dicit eos, qui ascenderant super tres equos. Antiqui enim in bellum exeuntes super tres equos vehebantur. Inquit enim omnem equum & tristatas super ipsis. Vel robustos & eos qui adversus tres possent consistere. Vel eos qui in acie tertii stabant in phalange, hoc ipso modo, exercitu consistente in phalangis. Primo enim cadente vel defesso, ac laborante, tristata succedebat in locum illius. Vel sig.* τρισσὸν. *i. Eum qui sedente rege tertius stat, vel tertiam sedem habet; qualis erat David apud Saul.* Sunt qui dicant fuisse regios satellites, tria hastilia manu tenentes. Τοὺς ἔχοντας λόγχας ἀνὰ τρεῖς κατὰ χεῖρα. Rursum Hieron. exponens illa verba Danielis, cap. 5. Τρίτος ἐν τῇ βασιλείᾳ μου ἄρξει, *Tertius*, inquit, *in regno meo erit: vel, tertius post me. Vel, unus è tribus principibus, quos alibi* τριςάτας *legimus*. R. Salomo, שלשים *sunt duces exercitus, juxta Chaldaicam interpretationem*. ¶ Levi, גבורים ושרים *potentes & principes*. David Kimchi קצינים *duces*, edit Gal. *capitaneos*. Centuriones alii vocant. Pœne exciderat ויהפך quod reddidimus *versum est*. Hiscuni ait habere sig. doloris, ut apud Davidem, & vertit se cor in medio mei.

8. *Et obfirmavit DOMINUS cor Pharaonis regis Ægypti, & persecutus est Filios Israel. Filii autem Israel egrediebantur manu sublata.*

9. *Persecutique sunt Ægyptii eos & assecuti sunt eos castra metantes super mare, omnes equi curruum Pharaonis, & equites ejus & exercitus ejus, super Phi-hahiroth ante Beel-sephon.*

Obfirmavit cor Pharaonis] ambiguum & suspensum animum ejus ità confirmavit ut persequeretur Israelitas, oblitus eorum quæ præterierant. ¶ *Manu sublata*] vel, *manu elata*, Hoc est intrepidè & sine ullo metu. Proverbiale. Hieron. *in manu excelsa*. Lxx. ἐν χειρὶ ὑψηλῇ. Onkelos, *capite retecto*, sive *aperto*. Lippomanus, *cum magna potentia, & magna audacia animoque alacri*. R. Salomo, *cum potentia celsa &*

manifesta. Abenezra, *non egrediebantur more fugientium, sed habebant omnia genera armorum.* R. Levi, *non fugientium in morem.* Hiscuni, ברשות cum licentia vel potestate. Jonathan בריש גלי מרכמא manu elevata. Jerosolymitanus פריקין *liberi.* Nam qui vincti sunt, manus elevare non possunt ad libitum. Tremel. *manu sublata, non ut fugitivi trepidè manibus remissis, sed securè, instructa acie, ut dimissi, Supra 13. 18. Sic Num. 15. 30.* Nicolaus, *manu excelsa i. in potestate divina, ut patet ex prædictis.* Vide sis Adagia mea sacra. ¶ *Persecutique sunt &c.*] doctè interpres noster, *Cumque persequerentur vestigia præcedentium.* Nam in Ebræo ad verbum, *post eos.* i. vestigia eorum. Ex Ebræis Abenezra notat hoc loco vau positum esse pro כאשר quum, quando. Sic alibi וירא העם ויראו & vidit populus &c. Sensus est, quum vidisset. ¶ *Super mare*] juxta mare rubrum. ¶ *Castrametantes*] *quum castrametarentur.* Onk. Jonat. ¶ *Omnes equi*] כל־סוס omnis equus; Hieron. *equitatus.* Sic Græci πᾶσα ἡ ἵππος. Santes, *omnes equi.* Tremel. *equitæ cisarii.* Onkelos סוסותא quod Fagius reddit equitatum. Jonathan סוסות in quo enallage pro סוסים Cant. 1. 9. לססתי Hieron. *equitatus meus.* Lxx. ἡ ἵππος μου. Malim ἡ ἵππος. Sed סוסים equites denotare videtur Jer. 12. 5. *quomodo miscebis te cum equis* את הסוסים i. equitibus. Syrus certe ἱππεῦσι. ¶ *Et exercitus ejus*] reliquus exercitus, hoc est pedites. ¶ *Super*] על juxta, prope. ¶ *Beel-sephon*] vel, *Baal-sephon.* Onk. & Jon. *ante idola sephon.* Cisiarii, ut hoc obiter notem, sunt aurigæ cisii. Est autem cisium vehiculum habens duas rotas. Malim ergo, *equites curruum.* Nam currus bellicos regebant, non cisia.

10. *Et Pharao appropinquavit, & sustulerunt Filii Israel oculos suos, & ecce Ægyptius proficiscebatur post eos: & timuerunt valde, clamaveruntque Filii Israel ad DOMINUM.*

11. *Et dixerunt Mosi, An eo quod non essent sepulchra in Ægypto abduxisti nos ut moreremur in deserto: quid hoc quod fecisti nobis, ut educeres nos ex Ægypto?*

Et appropinquavit Pharao] Hieron. *Cum appropinquasset Pharab*, optimè & rectissimè. Nos verbum e verbo expressimus. הקריב appropinquavit αὐτοπαθῶς. Sic Onkelos. Nec aliter Lxx. Nam προσῆγε accessit. Quanquam in nonnullis codicibus, προῆγεν. Alii, *admovit exercitum*, ἀλλοπαθῶς. Sic Tremel. Santes quoque, *accedere fecit.* Quæ roborat Abenezra negans verbum הקריב in scriptura neutraliter usurpari. R. Levi, *duxit exercitum suum magna celeritate utcum admoveret castris Israelitarum.* Jonathan, *Cum vidisset idolum Sephon destructum obtulit coram eo oblationes.* Munsterus & Leo, *Cumque Pharao applicuisset.* Editio Gallica, *se fut aproché.* R. Salomo, *Debuisset dicere* קרב *appropinquavit. Quid est* הקריב*: Appropinquare fecit se ipsum* &c. הקריב absolutè ponitur & Gen. 12. 10. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Sane Santes ibi vertit *appropinquavit.* Falsum ergo quod Abenezra notavit ad hunc locum. ¶ *Ægyptus*] vel, *Ægyptius:* & est locutio, ut *Romanus cedendo vicit*, pro Ægyptii proficiscebantur. Licet vertere, *& ecce Ægyptius proficiscens post eos:* Id Hieron. dixit, *viderunt Ægyptios post se.* Lxx. ἐστρατοπέδευσαν, חונים. ¶ *Clamaverunt*] vociferati sunt. Jonathan, *oraverunt* sive precati sunt. ¶ *An eo quod non essent*] In מבלי אין pleonasmus est qualis apud Græcos οὐ μή: item alibi in רק אך. Notavit Abenezra. ¶ *Sepulchra*] μνήματα, monumenta. Jonathan, *domus sepulturæ*, Sepulchretum. Locus in quo mortui sepeliuntur. ¶ *Abduxisti nos*] לקחתנו assumpsisti nos. Lxx. ἐξήγαγες ἡμᾶς. הוציתנו. Hieron. *tulisti nos.* Onk. & Jon. דברתנא duxisti nos. Idem verbum signifi. adducere Gen. 42. 16. propriè assumptum adducere vel abducere.

12. *Nonne iste est sermo quem locuti sumus ad te in Ægypto dicendo, desiste à nobis ut serviamus Ægyptiis? Melius est nobis servire Ægyptiis, quam mori nos in deserto.*

Quem locuti sumus] nusquam hoc disertè scriptum. Verum tamen esse dubitare non debemus. Nam absit ut credamus eos in præsentia Mosis mentitos fuisse. Abenezra putat contineri in verbis illis, *& non auscultarunt Mosi.* Similis locus Jes. 49. 9. & deinceps. Vide scholia Ebraica ad illum locum. ¶ *Ad te*] *tecum* Onk. & Jon. ¶ *Desiste à nobis*] חדל ממנו cessa à nobis. Ita Jon. פסק מננא. Onkelos שבוק מננא. Id Fagius interpretatur, *sine nos.* Hieron. *recede à nobis* סור ממנו. Lxx. πάρες ἡμᾶς: dimitte nos. ¶ *Servire*] Onk. *ut serviamus.* Sic etiam Jonathan. ¶ *Mori*] *ut moriamur*; iidem.

13. *Et dixit Moses ad populum, Ne timeatis, consistite, & videte salutem DOMINI quam faciet vobis hodiè: Nam quod vidistis Ægyptios hodiè, non addetis videre eos ultra usque in seculum.*

14. *DOMINUS pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

Consistite] state, sistite vos. ¶ *Salutem*] liberationem, victoriam. ¶ *Quod vidistis*] vel, quos vidistis. ¶ *Usque in seculum*] usque in æternum. Vult dicere, nunquam videbitis eos amplius. Jonathan & Autor Jerosolymitanæ, *Quatuor erant catervæ apud mare rubrum. Una dicebat, descendamus in mare: altera, redeamus in Ægyptum: tertia, instruamus contra eos prælium: quarta, animemus nos contra eos & perturbemus eos. Prima respondit, ne paveatis, state & videte salutem &c. Secunda, non redibitis, quia quemadmodum vidistis eos hodie ita non videbitis posthac amplius. Tertia, ne pugnate, quia DOMINUS pugnabit pro vobis. Quarta, tacete & date gloriam Deo.* Hæc ibi. ¶ *In seculum*] εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον Lxx. ¶ *Tacebitis*] non amplius clamabitis: & est fut. pro imperat. *Tacete.* Tremel. *quiescite.* Notum ut silere pro quiescere ponatur, sed tum est דמם in Ebræo textu. Hic est תחרישון obmutescetis quod an eo significatu uspiam sumatur quærendum est. Onkelos, *silebitis.* Jerosoly. *silete & date gloriam Deo.* Gallica, *& vos quiescetis.* ¶ *Quos vidistis Ægyptios*] vivos vidistis, non videbitis posthac nisi mortuos. אשר Chaldaicè accipiunt pro כאשר quemadmodum, ut littera Chaph desideretur. Sic etiam Lxx. ὃν τρόπον. expende.

15. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Quid clamas ad me? loquere ad Filios Israel ut proficiscantur.*

16. *Tu autem attolle virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & finde illud, ut ingrediantur Filii Israel per medium maris in sicco.*

Quid clamas ad me?] Sunt qui Mosen ipsum orasse putant: sunt alii qui hæc referunt ad clamorem populi, inqueis Abenezra. Onkelos, *accepi precationem vestram.* Jonat. *Quare stas & oras coram me? Oratio populi mei antevertit tuam.* Jerosolymitanus, *quousque tu stas orans coram me? Audita est oratio tua, verum oratio populi mei ante præverterat tuam.* Sed vide sis Abenezram. R. Levi cum iis sentit qui censent eum preces fudisse ad Deum pro salute populi. ¶ *Ut proficiscantur*] ἵνα ἀπάρωσιν. Quod è Samaritico notatum in edit. Romana. Nam in Lxx. ἀναζευξάτωσαν. Id militare verbum esse ajunt & sig. dissolvere tentoria. Interpres habet, *ut disjungant.* Vide Rom. edit. sed *disjungo* potius διαζευγνύω sive διαζεύγνυμι dicitur. Ἀναζευγνύω est movere castra, solvere, tralatione sumpta ab iis qui equos iterum jungunt currui ad reditum. ¶ *Attolle*] הרם ἔπαρον, leva in altum, eleva. Id Onk. retulit טול. Jonathan ארים. Jerosolymitanus ארים. Quod verbum hoc quidem sensu non memini legere. ¶ *Extende*] ἔκτεινον. Onk. ארים extolle. Jonath. ארכין protende, inclina. Sic etiam Jerosolymitanus. ¶ *Per medium maris*] vel, *in medium mare.* Hieron. *gradiantur in medio mari.* Lxx. εἰς μέσον τῆς θαλάσσης. ¶ *In sicco*] vel, *per siccum.* Ita Hieron. Minus rectè Santes, *per aridam*, nisi sub. notam similitudinis, ut sensus sit, *tanquam per aridam.* Tremel. *in ipsa arida.* Forte nescivit יבשה poni aliquando pro loco sicco & arido. Sic usurpatur supra. 4. 8. & Jes. 44. 3. Vide Scholia Camii ad hunc postremum locum. Editio Gallica *à sec.* Lxx. κατὰ τὸ ξηρὸν, per siccum. Schol. εἰς ξηρὸν, εἰς χέρσον. Vide Fragmenta interpretum veterum. ¶ *Finde illud*] Hieron. *divide illud.* Lxx. ῥῆξον αὐτήν, quod reddunt, *finde illud.* Ceterum virga non fidit mare, sed simulac Moses elevasset manum suam, DOMINUS immisit ventum orientalem qui mare siccaret & quasi in partes finderet. Vide Abenezram.

17. *Et ego ecce ego obfirmabo cor Ægyptiorum, ut ingrediantur post eos, & honorabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus, in curribus ejus, & in equitibus ejus.*

18. *Cognoscentque Ægyptii me esse DOMINUM, cum honorabor in Pharaone, & in curribus ejus, & in equitibus ejus.*

Et ego] alii, *de me autem*; sive *quantum ad me.* Sic nulla erit redundantia in sermone. ¶ *Ægyptiorum*] non Pharaonis tantùm, sed etiam ipsorum Ægyptiorum. ¶ *Ut ingrediantur*] Mare. ¶ *Honorabor*] vel, glorificabor ἐνδοξασθήσομαι: Nam submerso Pharaone & exercitu ejus, maximè conspicua fuit gloria Dei. Nemo enim dubitare poterat quin hæc omnia divinitus accidissent. ¶ *In exercitu ejus*] vel, *in copiis ejus.* Intelligit autem copias peditum. ¶ *Cognoscent*] per experientiam. ¶ *Ægyptii*] qui in mari erunt mortis periculo impendente, & qui remanebunt superstites. ¶ *Me esse DOMINUM*] verum Deum æternum, qui quæcunque vult facit, cui nemo potest resistere.

19. *Et profectus angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, ibat post eos, profectaque columna nubis à facie ipsorum stabat post eos.*

20. *Et venit inter castra Ægyptiorum & castra Israel, fuitque*

Digitize

que nubes & tenebrae, & illuminabat noctem, neque appropinquavit hic ad illum tota nocte.

Et profectus] ויסע & proficiscebatur. Quod sane capiendum. Nam non jam primum proficisci incipiebat, sed antea id fecerat, nempe ab eo tempore, quo Deus dixerat, *Loquere ad Filios Israel ut proficiscantur.* Vide Abenezram. ¶ *Angelus Dei*] Quidam hoc de columna nubis interpretantur: ego potius iis assentior qui angelum à columna diversum faciunt, in queis Abenezra. Doctè Severus, *Angelus qui populum praecedebat, à columna diversus erat, itemque columna ipsa ab angelo illo differebat. Ipsius autem DOMINI veluti corporeum instrumentum erat, per quem, quum ipse naturâ expers corporis sit, & supra omnem essentiam quae materia ac sensu praedita sit, proprio colloquio Mosem dignum existimabat.* ¶ *Dei*] האלהים τοῦ θεοῦ, in quo significatio Judicii. R. Salomo, *Non est Elohim uspiam nisi judex. Docet quod positi fuerunt in judicio illa ipsa hora sive ad evadendum, sive ad pereundum cum Aegyptiis.* Aut utitur eo Epitheto quia Deus judicaturus erat inter Aegyptios & Israelitas: aut quia sumpturus erat supplicium de Pharaone &c. ¶ *Qui praecedebat castra*] ההלך לפני מחנה qui ibat ante castra. Onk. & Jon. *qui dux erat ante castra.* Lxx. ὁ προπορευόμενος τῆς παρεμβολῆς. ¶ *Et stabat*] καὶ ἔστη. Onk. & Jon. ושרא & manebat. ¶ *Post eos*] ad verb. *de post eos.* ¶ *Nubes & tenebrae*] Hieron. *& erat nubes tenebrosa.* Ut, *arma virumque* pro armatum virum. Sic *nubes & tenebrae* pro nubes tenebrosa. Cave spernas. Lxx. καὶ ἐγένετο σκότος καὶ γνόφος i. tenebrae & caligo. Aquila, καὶ ἐγένετο ἡ νεφέλη σκότος, & facta est nubes tenebrae. Samariticum, καὶ ἦν τὸ νέφος καὶ τὸ σκότος, & erat nubes & tenebrae. Onk. *fuitque nubes & caligo Aegyptiis.* Jonathan, *fuitque nubis pars dimidia lux, & pars altera dimidia tenebrae: ex latere uno tenebras faciebat Aegyptiis, & ex latere altero illuminabat Israelem tota nocte.* Jerosolymitanus, *Et fuit nubes dimidia lumen & dimidia tenebrae: Lumen illuminabat Israelem, tenebrae autem obscurabant Aegyptios.* R. Salomo, *fuit nubes & tenebrae Aegyptiis.* ¶ *Et illuminabat noctem*] Israeli. Aquila καὶ ἐφώτισε τὴν νύκτα, & illustrabat noctem. Sym. καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν: & erat nubes tenebrae quidem illic, lucens vero hic. Samariticum, καὶ ἔφαινε τῇ νυκτί, & lucebat nocte. Onkelos, *& Israeli erat lux tota nocte.* ¶ *Hic ad illum*] alter ad alterum. Aquila καὶ οὐκ ἤγγισεν οὗτος πρὸς τοῦτον. Ceterum nocte Israelitae ingressi sunt mare. Nox tenebras adducebat: nubes lumen obscurabat, quod illuminabat Israelitas, ne ab Aegyptiis videri possent.

21. *Extenditque Moses manum suam super mare, & abire fecit DOMINUS mare vento orientali valido tota nocte, posuitque mare in siccum, & diffissae sunt aquae.*

22. *Ingressique sunt Filii Israel in medium mare per siccum, & aqua illis murus erat, à dextera ipsorum & à sinistra ipsorum.*

Manum suam] cum virga. Onk. *sustulit*, habet pro extendit. Vide supra versum 16. Jonathan addit in hac virga sculptum fuisse nomen magnum i. tetragrammaton. Vide sequentia. ¶ *Super mare*] על הים. Quidam, *versus mare*, אל הים. ¶ *Et abire fecit*] ויולך. Hieron. *abstulit.* Lxx. ὑπήγαγε. Onk. & Jon. דבר Subduxit. Alius, *abegit.* Galli, *fecit recedere.* ¶ *Vento orientali*] ברוח קדים vento oriente. Hieron. ἐν ἀνέμῳ νότῳ. Lxx. Si vere, קדים erit auster, non eurus, aut subsolanus. Quod tuetur Augustinus Steuchus Exod. 10. sanè ventus ille qui coturnices adduxit vocatur Psal. 78.26. קדים & post aliquanto, תימן i. auster, ut possis dicere mixtum fuisse ex euro & austro, quasi euroaustrum dicas. Accedit quod in glossa Thalmudicâ, in tractatu de cultu extraneo, fol. 29. col. 1. רוח מזרחית אינה קשה *ventus orientalis non est vehemens.* Nam constat ex testimonio veritatis minimè dubio ventum, qui קדים dicitur, vehementissimum esse, cum etiam cedros Libani confringere legatur. Sed tamen à communi sententiâ Ebraeorum & interpretum non est temerè recedendum. Hunc ventum Nicolaus ait calidum & siccum esse. Id miratur Steuchus. *Nam nullus*, inquit, *fere ventus calidus qui siccus sit, cum in ventis ex caliditate efficiatur humiditas.* Contra Physici tradunt eurum calidum & siccum esse. Quod firmant autoritate Aristotelis. Vide ejus Meteorologica de ventis pag. 259. edit. Basil. ¶ *Valido*] vehementi. Senes hic habent βιαίῳ violento. ¶ *Posuit*] redegit, vertit. Sed *vertit* id est וישם. Jonathan, posuit mare siccum i. נגיבא. Lxx. καὶ ἐποίησε τὴν θάλασσαν ξηράν. Ebra. חרבה. ¶ *Diffissae*] Vel, *scissae.* Jonathan, *fissae sunt in 12. fissiones, respectu duodecim tribuum Jacob.* Has alii *divisiones*, alii *segmenta* vocant. Psal. autem 136.13. appellantur גזרים. Id Senes reddunt διαιρέσεις. A. ἀποτμήματα. Sym. τομάς. Vide scholia Camii ad hunc locum. Jon. hic habet בזיעין. ¶ *Murus*] Hieron. *quasi murus.* Onkelos, *muri.* Lxx. τεῖχος ἐκ δεξιῶν καὶ τεῖχος ἐξ εὐωνύμων, murus à dextrâ & murus à sinistrâ. Jonathan, *aquae condensabantur tanquam muri 300. miliarium.* ¶ *In medium mare*] בתוך הים in medium maris. Hieron. *per medium maris.* Lxx. Εἰς μέσον τῆς θαλάσσης. Onk. & Jon. גו ימא. Id explicant, *in ipsum mare sive intra mare.* Nam certum est Israelitas non pervenisse ad medium maris rubri. Quâ de re dicam mox. Prius notabo quod non puto notum in vulgus. Medium Ebraicè dicitur תוך & קרב & לב. Hoc postremum propriè cor denotat. Sed pro medio sumitur, ut cum dicimus in corde coeli, in corde terrae, in corde voluminis. Sic, *in corde maris.* Quae interdum idem valent quod *intra*, ut cum Tyrus dicitur sita esse in corde maris, & Christus sepultus in corde terrae. Sic alibi, *& vulgus promiscuum quod erat* בקרבו *in medio ejus.* Sensus est, intra castra, non praecisè in medio eorum. His notatis, redeamus unde digressi sumus. Dixi Israelitas non pervenisse ad medium maris. Addo non trajecisse medium mare. Nam in idem littus egressi sunt. Docet hoc Abenezra per haec verba, *ne cogites quia dicit, ingressi sunt medium maris, quod pervenerint ad dimidium maris Suph. Verum si ingressi sunt duntaxat dimidium parasangae intra mare dicitur medium maris. Nam sensus est, in medium maris, in loco ubi fuerat mare.* Hiscuni, *ingressi sunt medium mare, non quod transierint mare qua parte latum est. Notum enim mare illud non disterminare Chanaanaeam ab Aegypto. Nec erat necesse ut ingrederentur illud nisi ob Pharaonis exercitum qui ibi submergendus erat. Ingressi ergò sunt figura semicirculi. Nam ecce à deserto Etham intrarunt in mare, & in desertum Etham redierunt, cum è mari exirent.* Vide nunc, si placet, Pauli Fagii notas in Paraphrasin Chaldaicam.

23. *Et persequentes Aegyptii ingressi sunt post eos omnes equi Pharaonis, currus ejus, & equites ejus in medium mare.*

24. *Fuitque in vigilia matutina ut prospectaret DOMINUS ad castra Aegyptiorum in columna ignis & nubis: & conturbaret castra Aegyptiorum.*

Omnes equi] כל סוס omnis equus. Lxx. πᾶς ἵππος i. omnes equi. Hieron. *omnis equitatus.* Onk. & Jon. סוסות. Utrum intelligit equos curruum, an alios? ¶ *Currus ejus*] Tremel. *cisiarii ejus.* ¶ *Equites*] ἀναβάται. ¶ *In vigilia matutina*] ἐν τῇ φυλακῇ τῇ ἑωθινῇ. Erant autem tres vigiliae noctis, aut, ut alii volunt, quatuor. Ea quae lucem antecedebat, matutina dicitur. R. Salomo, *Tres partes noctis vocantur vigiliae, & ea quae ante mane vocatur vigilia matutina.* Manutius ad Epist. Cic. lib. 3. Epist. 7. *Nox in tres vigilias distribuebatur: vigiliae vero in quatuor horarum spatia.* Macrobius in Comment. super Avoth, fol. 62. *vigilia tertia praecedit lucem matutinam.* R. David in Psal. 63.7. *vigiliae sunt tempora noctis, in quibus homo expergiscitur è somno suo. Sunt autem tres, sicut scriptum est, in vigilia matutina. Legitur etiam caput vigiliarum: & vigilia media* &c. Aliter Scaliger de emend. Temporum pag 597. *Vigilia matutina*, inquit, *durabat à sole orto usque ad meridiem.* Plura de his Observat. lib. 10. cap. 10. ¶ *Prospexit*] è coelo. ¶ *DOMINUS*] Angelus DOMINI. Abenezra, *Legatus vocatur de nomine mittentis. Simile in historia Gedeonis.* ¶ *In columna ignis & nubis*] Jonathan, *in columnâ ignis ad projiciendum super eos carbones ignitos: & in columna nubis ad projiciendum super eos grandines.* ¶ *Et conturbaret*] ויהם. Hieron. *interfecit.* Lxx. καὶ συνετάραξε. Onkelos ושגש, id est, interprete Fagio, *conturbavit.* Jon. ושגישינון pro quo in Jerosolymitano ובלבלינון & obstupefecit, conturbavit. R. Salomo לשון מהומה. Vernaculè *estourdisson* quasi attonitos reddidit. Tremel. *ut funderet.* Munsterus, *tumultuari fecit.* Rursum R. Salomo, *perturbavit eos & abstulit signa sive vexilla eorum.* R. Eliezer filius R. Jose Galilaei, *ubicunque legitur* מהומה *significatur* קול הרעמה *i. tonitru.* Abenezra, *Ideo dicit Psaltes, vox tonitrui tui in rota. Sic, fulgura jaculatus est & conturbavit: & alio in loco, conturbavit eos.* Hiscuni, *Cum Aegyptii viderent columnas ignis & nubis, quas non consueverant videre, conturbati fuerunt* &c. Santes, *& contrivit.* Psal. 18.14. ויהמם San. *& perdidit eos.* Hieron. & Arias, *conturbavit eos.* Alius, *contrivit eos.* R. David in libro Radicum ait המם & הום habere significationem שבר i. contritionis.

25. *Et amovit rotas curruum ejus, & duxit eas cum gravitate: dixitque Aegyptus, Fugiam à facie Israelis, quia DOMINUS pugnat pro eis in Aegyptios.*

Et amovit] ex axibus suis videlicet. Ebraice ויסר. Id Onkelos reddit ואעדי & removit vel abstulit. Jonathan ונסר & incidit,

unde & מסור serra, Jerosolymitanus ותבר & fregit. Hieron. & *subvertit*. Lxx. *συνέδησε*, colligavit aut impedivit, tanquam ab אסר. Symmachus *μετέςρεψε*, transtulit, pervertit. Santes, *removit*. Tremel. *abstulit*. Thema est סור recessit: unde הסיר recedere fecit, amovit. *Et est sensus*, inquit Abenezra, *dissoluta sunt vincula rotarum ab equis* &c. *Alii dicunt habere significationem* סרר *quia qui præcedebat volebat evertere currum*. Hactenus Abenezra. Hiscuni, *Reflexit Ægyptius rotas curruum suorum*, ut Jud. 4. 18. ויסר אליה *& deflexit ad eam. Studebat reflectere currum retrorsum & fugere*. R. Salomo, *Propter vim ignis exustæ sunt rotæ & currus implicitæ sunt & qui in eis sedebant commovebantur & membra eorum diffringebantur*. ¶ *Rotas*] ad verb. *rotam*. ¶ *Et duxit eas*] quomodo potuit ducere, si remotæ erant ab axibus? An verior interpretatio Hiscuni, *flexit rotas curruum*? Aut vertendum *duxit eos*, videlicet equos curruum. Verbum è verbo, *eum* i. unumquemque eorum: aut eos currus, ut sit constructio sensu congrua, non voce. Ceterum currus in Jonatha vocantur רידון novo vocabulo, in Hierosolymitana vero רידין quos Onkelos רתיכין dicit. A. רידן Sing. est רידא hinc rheda fortasse, unde רדיפה דפרעה currus ipsius Pharaonis. ¶ *Cum gravitate*] i. graviter, difficulter: vel tarde. Sed tarde fieri potest, quod tamen non fit difficulter. Ebraice est בכבדת in gravitate. Hieron. *ferebanturque in profundum*. Lxx. *μετὰ βίας*, cum violentia. Onk. בתקוף valide. Jon. בקשיו cum difficultate i. difficulter. Tremel. *tarde*: & in margine, *cum remota siccitate terra fermentesceret, quæ tenaciter hærebat rotis & peditum ut frustra de fuga cogitarent. Judith* 3. 7. & 8. R. Salomo, *duxit eos ductu gravi ac difficili*. San. *in profundum*. Videndum an כבד accipiatur pro profundo. Gallica editio, *bien pesamment* i. admodum graviter aut ponderosè. Munsterus, *violenter*. Leo, *difficulter*. Abenezra, *Turbatio DOMINI, de qua scriptum est supra, cecidit super eos & super equos ipsorum, & non potuerunt ducere eos nisi cum difficultate*. ¶ *Et dixit Ægyptiis*] dixerunt Ægyptii. Hinc lux illi loco, *Et cognoscent Ægyptii me esse DOMINUM*, videlicet ante mortem ipsorum. Id habetur supra vers. 18.

26. *Dixitque DOMINUS ad Mosem, Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ super Ægyptium super currum ejus & super equites ejus.*

27. *Et extendit Moses manum suam super mare, & reversum est mare appetente mane ad vehementiam suam, Ægyptii autem fugiebant in occursum ejus: & excussit DOMINUS Ægyptios in medium mare.*

Extende] *eleva, sustolle* Onk. ¶ *Super mare*] Alius, *versus mare*. dubito an benè. Nam id potius Ebraicè diceretur אל הים. ¶ *Aquæ*] quæ prius immotæ stabant instar muri. Unde refelli potest opinio eorum, qui putant Mosem observasse recessum maris. Vide sis Abenezram. ¶ *Ægyptium*] Ægyptios. ¶ *Currum ejus*] currus eorum. Sing. pro plur. ¶ *Appetente mane*] לפנות בקר. Hier. *primo diluculo* Est autem diluculum, cum sole nondum orto jam lucet. Id בקר etiam significat. Sed & ante lucem בקר dicitur. Sæpius tamen pro ipso mane accipitur. Lxx. hic habent *πρὸς ἡμέραν*, quod redditum in editione Rom. versus diem. Onkelos, לעדן צפרא tempore matutino sive in ipsa Aurora. Verbum è verbo, *tempore Auroræ*. In Jonatha pro לעידוני putarim legendum לעידני ut hoc dicat in tempore ipsius Auroræ. Quomodo sane interpretatus est autor Jerosolymitanæ. Santes, *respiciente mane*. Munsterus, *antequam illucesceret mane*. Leo, *ante lucem*. Abenezra קרוב מבקר appropinquante mane. Ad verbum, propinquum à mane: ac nescio an hoc potius dicat, tempore propinquiore quam sit ipsum mane. R. Salomo, *tempore quo mane respicit ad veniendum* i. appetit. Hiscuni, *quum declinat mane & tempus est proximum meridiei*. Nova interpretatio, quæ mihi non omninò displicet. Sed *ἐπέχω*: Edit. Gallica, *cum appeteret mane*. Ut hic לפנות בקר appetente mane: Sic Gen. 24. 63. לפנות הערב appetente vespera. Hieron. *inclinata jam die*. Lxx. *πρὸς δείλης*, ad vesperam. Abenezra *appetente tempore illo quo sol occidit*. Sic etiam R Levi. Vide Annot. meas. ¶ *Ad vehementiam suam*] alii, *ad robur suum*: alii, *ad fortitudinem suam*. Videtur sensus esse, ad solitum fluxum. Sed variè redditur. Hieron. *ad priorem locum*. Lxx. *ἐπὶ χώρας*. Onkelos, לתקפיה ad robur suum. *Sensus est*, inquit Fagius, *reversæ fuerunt ad priorem locum suum, habueruntque eum fortem cursum & impetum ut antea*. Aquila, *εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτῆ*, ad antiquum sive pristinum. Hic tam fluxus, quam locus subaudiri potest. Jonathan ut Onkelos. Jerosolymitanus לאתריה ad locum suum. R. Salomo, *ad vigorem sive robur suum pristinum*. Abenezra, ad robur suum לתקפו & est nomen verbi, ut Psal. 74. 15. איתן נהרות ubi A. *ἀρχαίους*. Sym. autem *ἀγκῶνας*. Tremel. *ad vim suam*. Munsterus, *cum impetu suo*. Leo Judæ, *in alveum suum*: alias, *in robur suum*. Gal. *en sa roideur*. ¶ *In occursum ejus*] vel *obviam ei*. Jonathan, *contra undas ejus*. ¶ *Ejus*] maris. Lxx. *ὑπὸ τὸ ὕδωρ*: alias, *ἐπὶ τὸ ὕδωρ*. ¶ *Excussit*] *ἐξετίναξε*. Lxx. Ebraicè est וינער. Id Aquila olim vertit *ἀνέβρασεν* i. æstuando expulit, aut vi æstus & agitationis ejecit. Hieron. *involvit eos DOMINUS in mediis fluctibus*. Onkelos ושקע & excussit. Quanquam in Fagio, *suffocavit*. Verbum hoc sig. etiam submergere. Jonathan ושנים. Dubito an in fine sit samech. R. Salomo, *ut homo qui agitat caldarium, & quod sursum est deorsum vertit*. ניעור autem habet significationem נוער abripiendi in lingua Aramæa, & frequens est in homiliis Aggada. Abenezra, השליכם בים *projecit in mare*. Tremel. *excussit dejiciens ex curribus & equis*. Munsterus, *impulit*. Leo, *præcipitavit*. R. Levi, *ventus qui impulit super eos aquas maris confudit eos & excussit eos & deduxit eos in profundum aquarum maris. Et hoc est quod dicitur, descenderunt in profunda sicut lapis. Fieri etiam potest ut sensus sit, clamare fecit eos. Nam quum viderent aquam maris magnum clamorem ediderunt, ut credibile est. Sic alibi* ינערו כגורי אריות *vociferati sunt ut catuli leonum*. Huc usque Rabbinus ille.

28. *Reversæque sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis qui ingressi fuerant post eos in mare, ne unus quidem in eis relictus fuit.*

29. *Filii autem Israel ibant per siccum in medio mari, & aquæ illis murus erant à dextera ipsorum & à sinistra ipsorum.*

Aquæ] *undæ sive fluctus maris*. Jonathan. ¶ *Cuncti*] totius. ¶ *Qui ingressi fuerant*] הבאים *ingredientium*. Pro qui ingressi fuerant, ut alibi הבאים qui ingressi fuerant. ¶ *Post eos*] Israelitas. Posses legere, *sequentes eos*. Aut, *post eos*, equites & currus, ut nomine *exercitus* pedites intelligantur. Hoc malo. ¶ *Ne unus quidem*] עד אחד usque ad unum i. ne unus quidem. Nota usum particulæ עד. Abenezra interpretatur per אפילו etiam unus. *Non remansit etiam unus* i. ne unus quidem. Tremel. *Non est relictus ex eis vel unus*. Sic etiam Santes. Psaltes dixit, *unus ex illis non fuit reliquus*. Hinc lucem facies loco Davidis, *non est qui faciat bonum usque ad unum*: quem malè exponunt, usque ad unum Christum. Sic alibi, *non mortuum fuit ex pecore Israel usque ad unum* i. ne unum quidem. Lxx. hic habent *οὐδὲ εἷς*. ¶ *Ibant per siccum*] magnum miraculum erat quod per siccum irent in mari: Majus quod in uno loco aqua immota staret, & in alio vicino flueret more solito. Aquam constipabat eurus, dissolvebat alius ventus. Hinc liquet non fuisse accessum ullum aut recessum maris: quemadmodum illi opinantur, qui miraculi fidem elevare student. ¶ *Murus*] tanquam murus, aut pro muro. Hieron. *quasi pro muro*. Jonathan, היך בשורין tanquam muri.

30. *Et servavit DOMINUS in die illo Israelem è manu Ægyptiorum, viditque Israel Ægyptium mortuum in littore maris.*

31. *Et vidit Israel manum magnam, quam fecerat DOMINUS in Ægypto, timuitque populus DOMINUM, & crediderunt in DOMINUM & in servum ejus.*

Servavit] liberavit, eruit, eripuit. ¶ *Ægyptium mortuum*] Ægyptios mortuos. ¶ *In littore maris*] על שפת הים super labrum, i. littus maris, nempe quod egressi & ingressi fuerant. Jonathan, *vidit mortuos & non mortuos projectos super littus maris*. Hic rursum littus שפה vocatur, pro quo in Onkelo est כיף. Nam Gimel & Chaph alternant. Quidam, *vidit Israel qui super littus maris Ægyptios mortuos*. Ceterum solet mare mortuos suos in littus ejicere. ¶ *Manum*] potentiam aut plagam. Lxx. *τὴν χεῖρα τὴν μεγάλην*. Onk. & Jon. *potentiam manus*. ¶ *Timuit*] veritus est. Sic alibi, *Et timuit eo die David DOMINUM*, videlicet quum mortuus esset Uza, qui manum arcæ injecerat. Verbum è verbo, *Et timuerunt*. ¶ *Et in Mosen servum ejus*] ubi sunt qui negant dici, *Credo in ecclesiam*? Nam si rectè dicitur, *credo in Mosem*, cur non etiam diceretur, *credo in sanctam ecclesiam*? Hieron. hic edidit, *crediderunt DOMINO, & Mosi servo ejus*. Lxx. quoque *τῷ θεῷ καὶ μωυσῇ τῷ θεράποντι αὐτῆ*. Onkelos, *crediderunt in sermonem DOMINI, & in prophetiam Mosis servi ejus*. Jonathan, *in nomen sermonis DOMINI* &c. Aben. *crediderunt in DOMINUM, qui est ipsa veritas, & in Mosen qui erat servus ejus*. R. Levi, *crediderunt DOMINO in omnibus quæ promiserat eis: & Mosi servo ejus in omnibus quæ dixerat eis nomine Dei*.

Porro

Porro *credere in Deum* Ebraïca Phrasis est, ut *credere Deo* Latina. Vide sis Observationes meas. Hieron. in epistolam ad Philemonem, *Quaritur quomodo eandem fidem in Deum habere quis possit & in omnes Sanctos ejus? Ad cujus expositionem de Exodo sumamus exemplum, Credidit populus Deo & Mosi servo ejus, una atque eadem credulitas in Mosem refertur & in Deum, ut populus qui credebat in DOMINUM, eque credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis ejus est, ut quicunque credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat nisi credat & in Sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio & fides, qua in ministros ejus odio & infidelitate terminatur.* Vide sequentia.

G R O T I U S.

2. B*Eelsephon*] Idolum erat finibus custodiendis, & ad impediendam fugam è regno. Ideò nominatur, ut appareat quàm nihil contra Israëlitas potuerit.

13. *Ægyptios enim quos nunc videtis*] Legit, ut nos, כי אשר. At LXX. כאשר, ὃν τρόπον [*quo modo*].

22. *Per medium sicci maris*] Maris siccati & deinde redditi memoriam in his locis conservarunt accolæ Ichtyophagi, teste Diodoro Siculo libro III.

24. *Respiciens Dominus*] Angelus suprà dictus, v. 19. Dei personam referens.

C A R T W R I G H T U S.

2. L*Oquere nunc ad filios Israël*, וישבו *& revertantur*] R. Sal. ait Israëlitas toto die tertio retrogressos fuisse, ac ad Ægyptum appropinquasse, nempe ut deciperetur Pharao, cum eos in via oberrare existimaret. Abenezra etiam notat hoc *quasi astutè* (דרך ערמה) à Deo factum fuisse, ut Israëlitæ retrò se verterent, nimirum ut Pharao exiret, ac persequeretur eos, tandemque in mari mergeretur. Benè autem monet, מחשבות השם עמוקות i. *Cogitationes Dei profundas esse*, ac propterea haud convenire, ut de opere Dei quispiam quærat, *Quare ita fecit?* Omnia enim opera ejus sapienter facta esse, ac hominis sapientiam, si cum eo conferatur, nihil esse.

Et castra metentur לפני פי החירת *coram Pi Habiroth*] חירת *Hiroth* Hebræis libertatem significat; R. Sal. igitur ait locum hunc sic dictum, quòd Israëlitæ nunc liberi facti essent; שנעשו בני חורין Addit *Hiroth* esse duas rupes excelsas & arduas, & vallem interjacentem earum os appellari. Primò autem dicit, הוא פיתום *Pi Habiroth*, vel *os Habiroth est Pithom*; quod ego certè non capio. Pithom enim urbs fuit; c. 1. 11. Abenezra tantùm dicit *Habiroth* esse nomen loci; פי autem hîc faciem denotare. Certè *Pi* non esse partem nominis apparet ex Num. 33. 8. ubi dicitur Israëlitas profectos esse מפני החירת à facie *Habiroth* LXX. ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, *è regione suburbii*, prout Latine vertitur. Vulg. *è regione Phihahiroth.*

לפני בעל צפן *Ante Baal zephon*] Hierosf. טעות צפון *idolum zephon.* Ita etiam Jonathan, qui præterea addit, cæteris Ægyptiorum idolis à Deo percussis (c. 12. 12.) hoc solum remansisse, quod cum Ægyptii adoraturi erant, invenerunt ibi Israëlitas juxta littus maris. Fagius similiter refert Hebræos sentire † ex omnibus idolis Ægyptiorum istud adhuc remansisse, ut ipsis adhuc majoris indurationis, atque ita interitus occasio esset. Et quoniam צפון *Zephon* deductum videtur, à צפה *Zapha speculari*, ideò Hebræi (uti etiam Fagius testatur) tradunt ‡ *Baal Zephon* idolum fuisse, arte magorum Ægyptiorum comparatum, atque in isto loco collocatum, ut servos ex Ægypto fugientes observaret, ac retineret. Hujus igitur idoli virtute Israëlitas illic retentos credidisse Ægyptios. Istius commenti hic meminit Abenezra, sed ita ut partim probare videatur. Ait enim se existimare, propterea quòd Moses Pharaoni dixit, se unà cum Israëlitis itinere trium dierum velle in desertum ire, Pharaonem existimasse Mosen viam, quà irent, cognovisse; cùm autem posteà intelligeret, eos retrò rediisse, tum demùm putasse Mosen astutè secum egisse, nec ad sacrificandum (uti præ se ferebat) sed ad fugiendum animum intentum habuisse. Qui enim fugit, eum perplexum in via esse solere, nec, quà eundum sit, intelligere.

3. *Et dixit Pharao* לבני ישראל *de filiis Israël*] ל hic idem valet quod על *de*. Onk. על בני ישראל Atque ita R. Sal. qui notat v. 14. לכם similiter positum esse pro עליכם *pro vobis.* Nam על & *de*, & *pro* denotat. Et Gen. 20. 13. אמרי לי i. e. על *dic de me.* Ita etiam Gen. 26. v. 7. וישאלו אנשי המקום לאשתו *Et interrogabant viri istius loci de uxore ejus.* Ita & אל, quod aiat idem valere solet quod ל, pro על usurpatur Gen. 20. 2. *Et dixit Abraham* אל שרה אשתו *de Sara uxore suâ, soror mea est.* Jonathan hic usitatam particulæ ל significationem retinet, sed ita ut sensum ineptissimum exhibeat. Sic enim interpretatur, seu potiùs fabulatur, *Et dixit Pharao Dathani & Abiramo filiis Israël, qui remanserunt in Ægypto.* Sanè sobriéque Hierosolymitanus Paraphrastes, על עסק עמא בני ישראל *de negotio populi, filiorum Israël.*

נבכים הם בארץ *Perplexi sunt in terrâ.*] Onk. מערבלין אנון בארעא quod idem sonat. Vel, ut Fagius vertit, *coarctati sunt.* Atque ita Vulgatus ex Hebræo interpretatur. Similiter R. Sal. exponit כלואים הם במדבר שאינם יודעים לצאת ממנו ולהיכן ילכו *Clausi sunt in deserto, ita ut quomodo egrediantur, & quo eant, ignorent.* Ista expositio benè convenit ei, quod sequitur, סגר עליהם המדבר *conclusit eos desertum.* LXX. πλανῶνται *errant.* Abenezra notat Hebræam vocem נבכים significare *inopes esse consilii, ac quid faciant nescire.* Sic Esth. 3. 15. Civitas Shushan dicitur fuisse נבוכה *perplexa.* Maimonides librum quendam inscripsit מורה נבוכים *Doctor perplexorum.* *Vox Hebraïca* נבכים (inquit Fagius) *& Chaldaïca* מערבלין *significat propriè, ita animo perplexos, & usque adeo ambiguos esse, ut nesciant quò se vertant.*

סגר עליהם המדבר *conclusit eos desertum*] *Montibus scilicet suis, quos conscendere tanto exercitui difficillimum erat*, inquit Ludovicus de Dieu. Atque addit *desertum* vocari מדבר *Midbar*, non tam à Chaldaïcâ *ducendi* significatione, quòd in *desertum* pecora pastum abducantur, quam ab Æthiopico דבר quod montem denotat. Montes enim incultos esse solere, & inhabitatos. Notat 1. Sam. 23. 14. Davidem dici mansisse in deserto in munitionibus, quia montosa deserti loca habebant multas munitiones; ac propterea statim addi, *& mansit in deserto Ziph.* Nec aliam ob causam asserit Joannem Baptistam dici Luc. 1. 80. fuisse *in desertis*, usque ad diem, quo patefactus fuit Israëli, nisi quia parentes ejus habitabant in montosa regione tribus Judæ v. 39.

5. *Et conversum est cor Pharaonis & servorum ejus* אל העם *adversus populum.*] אל hic idem valet quod על *adversus, contra.*

6. *Et ligavit currum suum*] R. Sal. ait Pharaonem ipsum id fecisse, הוא בעצמו, tanto scilicet animi ardore ad persequendum Israëlitas fuisse abreptum. Rectiùs autem Abenezra exponit Pharaonem mandato suo fecisse, בצוי, Quod enim quis fieri præcipit, id facere dicitur, si præcepto obtemperetur. Sic de Salomone dictum notat, *& ædificavit Salomon domum.*

7. *Et omnes currus Ægypti.*] LXX. καὶ πᾶσαν τὴν ἵππον, *&c. Et omnem equitatum*, &c. R. Sal. quærit unde jumenta habuerint Ægyptii, cum cap. 9. 6. dictum sit, omnia animantia Ægyptiorum mortua esse; ac cap. 10. 26. Israëlitas omnia sua secum portaturos. Respondet, eorum, qui verbum Domini timebant, animantia fuisse conservata, atque ita ad hanc expeditionem jumenta Ægyptiis suppetiisse. Hinc citat R. Simeonis dictum, טוב שבנחשים רצוץ את מוחו *Optimus inter serpentes est excerebrandus.* Id, opinor, innuit, optimum inter Ægyptios fuisse nequam ac perditum. Vide autem suprà ad cap 9. 6.

ושלשם *Et* (a) *duces*] seu præfectos. Onk. וגברין גבּרין (b) *viros fortes constituit.* Sic R. Sal. exponit שרי צבאות כתרגומו *duces exercituum, prout interpretatus est Chaldæus Paraphrastes.* Abenezra autem vim vocis expendens ait regem esse primum, qui autem dignitate ei proximus est, vocari משנה quasi à rege secundum; qui tertium denique dignitatis locum obtinet, appellari שליש, nempe à שלשה quod *tres* significat. LXX. etiam dictionis originem respicientes reddunt, καὶ τριςάτας, *& tristatas.* Sic cap. 15. 4. ומבחר שלשיו טבעו בים LXX. ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριςάτας, *electos ascensores tristatas.* Nobilius ibi ex Gregorio Nysseno varias profert explicationes dictionis τριςάται nempe vel significari magnos currus, qui tres homines caperent, ut unus auriga esset, duo autem certarent. Vel tristatas esse eos, qui ascenderant super tres equos, Antiquos enim in bellum exeuntes super tres equos fuisse vectos. Vel robustos intelligi, &

 eos

† *Ad istum modum hic commentatur R. Sal.* ‡ Baal Zephon autem urbs seu oppidum erat. *Vide Num.* 33. 7. *Seld. de diis Syris part.* 1. *c.* 3. *ubi etiam ex antiquo quodam poeta citat* Βεελζέφων τις ἐπάξεται πόλις βροτοῖς.

(a) *Sic Vulg.* (b) *Sic cap.* 15. 4. *pro* שלשיו *Onkelos habet* גברוהי *fortes ejus. Item* 2. *Reg.* 7. 2. *ו*השליש *à Chaldæo Paraphraste redditur* גברא vir fortis. *Atque ita etiam ibidem v.* 17. *Locus iste indicat* שליש tristatam (*ut illic etiam habent LXX.*) *principem & præcipua dignitatis virum denotare. Kimchi ibi exponit per* שוטר *i. e.* rectorem, *sive* præfectum.

eos, qui adversus tres possent consistere. Vel eos, qui in acie, tertii stabant in phalange. Vel tristatam esse eum, qui sedente rege tertius stat, vel tertiam sedem habet; qualis erat David apud Saul. Hæc ultima expositio cum illâ Abenezræ planè convenit. Similiter Hieronymus ad Ezech. 23. (uti hic refert Nobilius) *Tristata autem nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem.* Dicit *secundi gradus*, nimirum rege non numerato, alioqui est tertii gradus, uti ipsa vox Græca pariter ac Hebræa indicat.

8. *Et filii Israël exibant* בְּיָד רָמָה *manu elatâ.*] Jonath. בריש כרכא מתגברין על מצראי *manu excelsâ prævalentes super Ægyptios.* R. Sal. exponit בגבורה גבוהה ומפורסמת *fortitudine* seu *potentiâ excelsâ & manifestâ.* Abenezra vult sensum esse, eos non tanquam fugitivos abiisse, ac omnia instrumenta bellica secum habuisse. De primo ei assentior, non autem de altero. Onk. *Et filii Israël exibant* בריש גלי *capite aperto*, i. e. palàm, animosè, confidenter; quod sensum non male exprimit. Fagius ait illud in Hebræo, *excelsâ manu*, alios ad animositatem, audaciam ac alacritatem referre; alios verò ad potentiam, quòd armatâ & potenti manu exierint. Manus enim elevare, tum qui læti, alacres & animosi sunt, tum qui armatâ manu incedunt. Mihi prior sensus arridet; neque enim (ut ad cap. 13.18. dixi) Israëlitæ armatâ manu ex Ægypto exiisse videntur.

10. *Et clamabant filii Israël ad Dominum*] R. Sal. ait eos apprehendisse ac exercuisse artem patrum ipsorum: תפשו אומנות אבותם. Ac citat locos quosdam scripturæ, in quibus Abrahamum, Isaacum & Jacobum preces ad Deum fudisse legitur. At certè Israëlitæ patribus suis parùm similes hic se præbuerunt. Nam ex sequentibus apparet, clamorem eorum non ex fide, sed ex diffidentiâ ac desperatione esse profectam.

12. *Nonne hoc illud est, quod diximus, &c.*] Abenezra notat nusquam legi, eos ita Mosen antehàc esse allocutos, cum tamen id ei coram & in os dicant, haud dubiè ita locutos esse. Putat igitur hoc in eo comprehensum esse, quod dicitur c. 6. 9. eos Mosi non auscultasse. R. Sal. refert hoc ad illud c. 5. 21. ubi narratur Israëlitas Mosi ac Aharoni dixisse, *Dominus super vos aspiciat, & judicet.* Ego existimarim eos jam præ mœrore ac impatientiâ quicquid in buccam venit, effudisse; etiamsi & antea in Ægypto de successu legationis Mosis eos planè desperasse appareat.

13. כִּי אֲשֶׁר רְאִיתֶם אֶת-מִצְרַיִם הַיּוֹם לֹא תֹסִפוּ לִרְאֹתָם עוֹד עַד-עוֹלָם *Nam quemadmodum vidistis Ægyptios hodie, non videbitis eos amplius in æternum.*] אשר hic idem valet quod כאשר *sicut*, vel *quemadmodum.* Hunc sensum secutus est Onk. ארי כמא דחזיתון ית מצראי יומא ד׳ *Nam sicut vidistis Ægyptios hodie, &c.* Hoc est (ut Fagius rectè explicat) *Hoc modo, quo nunc videtis Ægyptios, armatos scilicet persequentes, & imminentes vobis, non amplius videbitis, sed mortuos & suffocatos.* Similiter Lxx. ὃν τρόπον γὰρ ἑωράκατε τοὺς αἰγυπτίους σήμερον, οὐ προσθήσεσθε ἔτι ἰδεῖν αὐτοὺς εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον. Alii aliter, sed (ut mihi videtur) sive verba, sive rem respicias, minus commodè interpretantur.

14. יְהוָה יִלָּחֵם לָכֶם *Dominus pugnabit pro vobis*] R. Sal. exponit לכם per בשבילכם i. *pro vobis*, vel *propter vos.* Sic notat infra v. 25. dictum esse, יהוה נלחם להם *Dominus pugnat pro eis.* Quin & plures Scripturæ locos citat in quibus ל pro על *pro*, vel *propter* usurpatur. Ut Job 13. 8. האל תריבון *Num pro Deo contendetis?* Et Jud. 6. 31. האתם תריבון לבעל *Num vos pro Baal contendetis?* Similiter Aben exponit לכם per בעבורכם *propter vos.* Atque addit verbum *pugnandi* sequente ל semper auxilium denotare. At videtur obstare illud, Psal. 56. 2. רבים לוחמים לי מרום Multi pugnant *contra me, ô excelse.* Dicit quidem hic Abenezra R. Mosen Sacerdotem etiam istic לי exponere בעבורי *pro me.* Atque ita ad locum istum ipse Abenezra exponit, ויש לי מלאכים רבים במרום נלחמים בעבורי. *Sunt autem mihi angeli multi in excelsis pro me pugnantes.* Atque istic etiam addit verbum לחם *pugnare*, cum post se habeat ל, auxiliarem pugnam significare; cum autem sequatur עם *cum*, idem esse quod *adversari*, seu *pugnare contra.* At Lxx. Vulgatus Latinus Interpres, Chaldæus Paraphrastes, & Kimchi stant ex adverso, & לוחמים לי interpretantur, *pugnant meum*, vel *adversum me.* Atque ita interpretandum esse præcedentia arguunt: dictio autem מרום quæ altitudinem denotat, pro Deo altissimo in vocandi casu ponitur, ut Chaldæus, R. Sal. & Kimchi exponunt. Nam Lxx. (quos sequitur, imò transfert Vulgatus) cum sequentibus vocem istam, sed parùm commodè connectunt.

15. *Quare clamas ad me?*] Onk. sensum potiùs quam verba expressit, קבלית צלותך *Suscepi orationem tuam.* Hinc certè (ut notat R. Sal.) Mosen ad Deum orasse apparet. *Quid est* (inquit Augustinus) *quod dicit, quid tu clamas ad me? nisi quia intelligi voluit, hoc eum vocis silentio egisse, ut corde clamaret?* Abenezra ait Mosen hic personam totius Israëlis sustinere (כנגד כל ישראל) atque ideò Deum Mosi dicere, *Quare tu ad me clamas?* quia (ut dictum est v. 10.) filii Israël ad Deum clamabant. Improbat autem eorum sententiam, qui Mosen ipsum ad Deum clamasse existimant, sed in hoc ipse est improbandus. Nec ratio ejus in adversum valet, nempe Deum anteà Mosi dixisse (v. 4.) Se in Pharaone velle glorificari. Nam quid tum posteà? Quasi Sancti non soleant id à Deo petere, quod Deus se facturum promisit. Vide 2. Sam. 7. 27, 28.

16. *Et veniant filii Israël* בְּתוֹךְ הַיָּם *in medium maris*] Vel, *in mare*, vel, *intra mare.* Nam תוך *medium* non semper ita strictè sumitur, ut eam partem, quæ ab utraque extremitate æqualiter distat, significet, sed idem valet quod *in*, vel *infra*; atque ita hic, & infrà ab Hebræis exponitur. Abenezra ad v. 22. *Ne existimes* (inquit) *propterea quod dicit Scriptura* בתוך הים *in medium maris, eos pervenisse* עד חצי ים סוף *usque ad mediam partem maris rubri. Nam si vel dimidium Parsa* (vel *parasanga* חצי פרסה Fagius vertit *dimidium passum*) *ingressi fuerint in mare, vocabitur* תוך הים *medium maris*, vel *intra mare.* Sic notat Num. 11. 4. dictum esse, mixtam turbam fuisse *in medio* Israëlis (בקרבו) cum tamen præcisè in medio loco castrorum non fuerit. Atque ad v. 17. ait notum esse, mare rubrum non esse situm inter Ægyptum & terram Israël; nec necesse fuisse, ut Israëlitæ in mare illud intrarent, nisi quòd Deus ita eos facere voluit, ut Ægyptii eos insequentes mergerentur. Notat etiam ab illâ parte maris, quâ ingressi sunt, fuisse desertum Etham, atque ita etiam ab illâ parte, quâ egressi sunt. Vide cap. 13. 20. & Num. 33. 6, 7, 8. Hinc colligit Israëlitas mare rubrum non trajecisse, sed eodem littore, quo intrarunt, exiisse. Similiter Hiskuni (ut eum citat Fagius) לא שעברו בני ישראל את הים דרך רחבו וכו׳ *Non est ita intelligendum, quasi filii Israël totam maris latitudinem transiverint. Nam notum est quod mare non dividit inter terram Ægypti, & terram Canaan. Imò non opus erat, ut mare ingrederentur, nisi ut Pharao eos persequens ingrederetur, atque ita submergeretur.* Josephus autem Antiq. lib. 2. cap. 7. dicit Hebræos in adversum littus evasisse, atque ista sententia à nostris ferè est recepta, qui propterea dicunt ex utràque parte maris fuisse desertum, quod appellatum est Etham.

19. וַיֵּלֶךְ מֵאַחֲרֵיהֶם *Et profectus est post eos.*] R. Sal. ait Angelum ita locum mutasse, ut castra Ægyptiorum à castris Israëlitarum sejungeret; utque Sagittas & jacula (בליסטראות) ab Ægyptiis in Israëlitas missa exciperet. Certe ad protegendos Israëlitas, ne in eos impetum facerent Ægyptii, id factum fuisse versus proxime sequens ostendit. In Pirke Eliezer cap. 42. dicitur, Deum misisse principem magnum Michaël, & factum esse murum ignitum inter Israëlitas & Ægyptios. Itaque Ægyptios voluisse quidem persequi Israëlitas, sed propter ignem interpositum ad eos pervenire non potuisse. Abenezra monet id quod hoc loco dicitur, nempe recessisse angelum Domini, &c. factum fuisse antequàm Deus Mosi dixisset, *Loquere ad filios Israël, & proficiscantur*, v. 15. ac propterea sensum esse, וכבר נסע *Recesserat autem, &c.*

Et columna nubis recessit à facie eorum, & stetit à tergo eorum] Jonathan eandem hujus recessionis nubis rationem reddit, quam de angelo recedente loquens reddit R. Salom. nempe מן בגלל מצראי דהוו פתקין גירין ואבנין לישראל והוה ענגא מקבל יתהון i. *propter Ægyptios, qui projiciebant jacula & lapides in Israëlitas, quæ nubes excepit.* Abenezra indicat nonnullos existimare hanc columnam fuisse angelum Domini, de quo in principio versus fit mentio, ac propterea hic eandem rem diversis verbis repeti. Hos autem refellit, asserens nusquam posse ostendi columnam vocari angelum Domini; nec istiusmodi repetitiones in libris historicis, ubi res gestæ narrantur, esse usitatas.

20. וַיְהִי הֶעָנָן וְהַחֹשֶׁךְ וַיָּאֶר אֶת-הַלָּיְלָה *Et fuit nubes & tenebræ* (scilicet Ægyptiis) *& illuminavit noctem* (nempe Israëlitis) Pro *nubes & tenebræ*, Vulgatus eleganter reddit, *nubes tenebrosa*, ut sit ἓν διὰ δυοῖν. Lyra autem ad istum modum exponit, *Et erat nubes tenebrosa ex parte Ægyptiorum, & illuminans noctem ex parte Hebræorum.* Addit hoc fecisse columnam secundum diversas sui partes, ex sententiâ eorum, qui unam tantùm columnam fuisse existimant. At secundum Hebræos, qui censent duplicem fuisse columnam, adveniente nocte non recessisse columnam nubis, sicut consueverat, sed una cum columnâ ignis remansisse, ita ut ex parte Ægyptiorum esset columna nubis, ex parte autem Hebræorum columna ignis. Ita quidem exponit R. Sal. at Jonathan priorem expositionem amplectitur. Sic enim interpretatur; *Et fuit nubes partim lucida, & partim tenebrosa; ex unâ parte tenebrosa fuit Ægyptiis,*

Digitized by Google

gyptiis, ex alterâ autem lucida Israëlitis, &c. Atque eodem plane modo exponit Hierosolymitanus Paraphrastes. Onkeli verba utrique expositioni accommodari possunt; *Et fuit nubes & tenebra Ægyptiis, Israeli autem illuxit totâ nocte.* Quanquam priori expositioni meliùs videntur convenire; atque eam simpliciorem verioremque censeo. Ex v. 24. unam duntaxat columnam fuisse videtur, quæ ratione diversarum partium columna ignis pariter ac nubis appellatur, etiamsi Abenezra id quod istic dicitur, Dominum prospexisse castra Ægyptiorum בעמוד אש וענן *per columnam ignis & nubis*, exponat, בין שני העמודים *inter duas istas columnas.* Sed id à simplicitate verborum alienum videtur. Fagius mecum sentit, *Columna* (inquit) *illa, quæ erat inter utraque castra, ex parte Israelis noctem illuminabat; ex parte autem Ægyptiorum erat nubes obscura, & tenebrosa.* Ita hunc locum intellexit Symmachus, καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν, *Et erat nubes inde quidem tenebræ, hinc verò lucens.* Quid autem in animo habuerunt Lxx. obscurum est; καὶ ἐγένετο σκότος καὶ γνόφος, καὶ διῆλθεν ἡ νύξ, *Et facta sunt tenebræ, & caligo; & venit nox.* Certe ויאר את הלילה non possunt significare, *& venit nox.* Refert tamen Abenezra R. Marinum exponere ista Hebræa planè in contrarium sensum, והחשיך *& obtenebravit noctem*; ac velle similiter אור tenebras significare, Psal. 139. 11. Sed hoc, ut meritò dicit Abenezra, est lucem cum tenebris confundere.

21. בְּרוּחַ קָדִים עַזָּה *Vento orientali violento*] Ad verb. *robusto.* R. Sal. notat Eurum ventorum esse robustissimum, ac * Deum isto vento solitum esse ultionem de impiis sumere. Citat Jer. cap. 18. 17. Hos. 13. 15. Ezech. 27. 26. &, Isai. 27. 8. Lxx. Psal. 48. 8. pro ברוח קדים habent ἐν πνεύματι βιαίῳ. Hic autem קדים vertunt νότον *austrum.* Vide supra ad cap. 10. 13. Vulgatus hic ut anteà *ventum urentem* interpretatur.

22. *Et venerunt filii Israel* בְּתוֹךְ הַיָּם *in medium maris*] Vide suprà ad v. 16.

24. בְּאַשְׁמֹרֶת הַבֹּקֶר *in † vigiliâ matutinâ*] R. Salomonis ad hunc locum nota hæc est, שלשה חלקי הלילה קרוין אשמורת ואותה שלפני הבקר קורא אשמורת הבקר i. e. *Tres partes noctis vocantur vigiliæ; & ea quæ est (proximè) ante auroram, vocatur vigilia matutina.* Hic videtur R. Sal. sentire non nisi tres noctis vigilias fuisse. Ita apertè sensit Shindlerus in Pentagl. rad. שמר. Ita etiam Drusius ad Judic. 7. 19. uti eum citat ‡ Goodwinus noster, qui tamen istam opinionem rejicit, ac in quatuor vigilias noctem divisam fuisse asserit. Nec (ut videtur) immeritò cùm Matt. 14. 25. de quartâ noctis vigiliâ disertè fiat mentio. Quod igitur Jud. 7. 19. de mediâ vigiliâ legitur, non cum Drusio sic intelligi vult, quasi tres duntaxat vigiliæ fuerint, sed quòd vigilia, quæ istic memoratur, ad mediam usque noctem duravit. At ad istum etiam locum Kimchi ait היו חולקים משמרות הלילה לשלשה חלקים *Dividebant custodias noctis in tres partes.* Et sanè nonnihil violentum videtur ut האשמרת התיכונה *Custodia media* aliter intelligatur quàm de custodiâ quæ inter alias duas custodias posita fuit. Ac propterea verisimile est (ut scribit Shindlerus loco citato) in veteri Testamento noctem non nisi tres vigilias habuisse; in Novo autem Testamento quatuor vigiliarum mentionem fieri, quòd tunc temporis aliam noctis divisionem Romani introduxissent, ut nimirum jam singulæ noctis vigiliæ non, ut anteà, quatuor horis, sed tribus duntaxat constarent.

וַיַּשְׁקֵף יְהוָה *Et prospexit Jehova*] Abenezra per Jehovam hic intelligit angelum Jehovæ, de quo fit mentio v. 19. *Nuntius enim* (inquit) *appellatur nomine ejus, cujus est nuntius.* השליח יקרא בשם המשלח, *Et quandoquidem jussu Domini ita fecit angelus, Dominus ipse ita fecisse dicitur.* At haud puto actiones immanentes (quas vocant) nuntii, usquam ei cujus est nuntius, esse attributas. Potest quidem dici Dominum percussisse Assyrios, ac Herodem, quoniam angelus ejus jussu eos percussit: at Dominum videre, vel prospicere, quia id angelus à Domino missus facit, haud congruè dici videtur.

25. וַיָּסַר אֵת אֹפַן מַרְכְּבֹתָיו *Et dimovit rotas curruum ejus*] Ad verb. *rotam.* Sing. pro plur. Lxx. καὶ συνέδησε *& colligavit.* Quasi legissent ויאסר. Nam אסר est *ligare.* At ויסר est à סור *recedere*, in Hiphil הסיר *removere.* Vulg. *subvertit.* Onk. ואעדי *& removit.* Symmachus, καὶ μετέστησε, *& transtulit.*

וַיְנַהֲגֵהוּ בִּכְבֵדֻת *Et duxerunt eos difficulter.*] Ad verb. *& duxit eum.* Sing. pro plur. Vulg. *ferebanturque in profundum.* Versio ista (etiamsi ab Amâma prætermissa) Hebræo textui parùm videtur consona; neque enim quicquam in Hebræo est quod *profundum* sonet. Sed quoad sensum fortè translatio ista est satis congrua. Steuchus Hebræa vertit; *Et deduxit eas* (sc. rotas) *cum pondere.* Ut sensus sit, Deum eas vehementer impulisse, & præcipitasse in profundum. At affixum in וינהגהו refertur potius ad currus, quàm ad rotas, quæ ablatæ fuerunt, iisque ablatis currus ducebantur בכבדות *cum difficultate*, seu *difficulter.* Lxx. tamen pronomen ad rotas referunt, ac בכבדות aliter interpretantur: Καὶ συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων αὐτῶν, καὶ ἤγαγεν αὐτοὺς (nempe ἄξονας) μετὰ βίας. *Et colligavit axes curruum eorum, & duxit eos* (nempe axes) *cum violentiâ.* Quid sibi voluit Onk. haud satis scio; Vertit enim ומדברין להון, Fagius reddit, *ut eos ducerent.* At להון est *eis*, vel (si reciprocè sumatur) *sibi*; pronomine isto ipsi Ægyptii videntur intelligi. Pro בכבדות habet בתקוף, quod Fagius vertit, *difficulter.* At reddi potest, (a) *cum robore*, vel *cum vehementiâ.* Nam תקוף robur & vehementiam significat, כבדות autem à כבד *grave esse*, denotat gravitatem & pondus: item difficultatem, quia gravia & ponderosa ad movendum sunt difficilia. Ita hoc in loco sumi videtur, בכבדות *cum difficultate*, seu difficulter. Ut sensus sit, Ægyptios currus suos, cum ablatæ essent rotæ, difficulter egisse.

כִּי יְהוָה נִלְחָם לָהֶם בְּמִצְרָיִם *Nam Dominus pugnat pro eis adversus Ægyptios.*] Onk. ארי דא היא גבורתא דיי דעבד להון קרבין במצרים. Fagius vertit, *Quia hæc est potentia Domini, qui fecit pro eis bella in Ægypto.* Potest autem verti, *qui fecit pro eis bella in Ægyptios*, vel *contra Ægyptios.* Ambiguum videtur, utrùm Paraphrastes de præsenti Ægyptiorum impugnatione, an de plagis, quas antea in Israëlitarum gratiam Deus Ægyptiis inflixerat, id quod hic dicitur, intelligat. Verba etiam Hebræa utrumque sensum possunt admittere, priorem nempe, si מצרים Ægyptus pro Ægyptiis ponatur, ut sæpe ponitur, posteriorem, si vox ista propriè sumatur. R. Sal. primò exponit במצרים per במצריים *in Ægyptios*, seu *contra Ægyptios.* Deinde autem & alteram expositionem annectit, ut nimirum במצרים idem sit quod בארץ מצרים *in terrâ Ægypti.* Prior sensus genuinus mihi videtur.

27. *Et revertebatur mare* לְאֵיתָנוֹ *ad robur suum.*] Sic Onk. לתוקפיה *ad fortitudinem suam.* Hoc est (ut Fagius explicat) *Reversæ fuerunt aquæ ad priorem locum suum, habueruntque eum fortem cursum & impetum, ut anteà.* R. Sal. לתקפו הראשון *ad primum suum robur.* Lxx. ἐπὶ χώρας *super locum*, nempe priorem. Vulg. *ad priorem locum.* Aquila, εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτοῦ, *ad pristinum statum*, sive *locum suum.* איתן *Ethan* est *fortis, robustus.* Amos 5. 24. כנחל איתן *sicut torrens fortis* seu *vehemens.* Usurpatur etiam substantivè pro fortitudine & robore. Genes. 49. 24. ותשב באיתן קשתו *Et mansit in robore arcus ejus.* Ibi Lxx. μετὰ κράτους *cum potentiâ.* Vulg. *in forti.*

וּמִצְרַיִם נָסִים לִקְרָאתוֹ *Et Ægyptii fugiebant in occursum ejus.* Onk. לקדמותיה Quod idem sonat; miror igitur Fagium vertisse in contrarium planè sensum, *à facie ejus.* Gen. 33. 4. וירץ עשו לקראתו *& cucurrit Esau obviam ei*, nempe Jacobo. Onkelos ibi pro לקראתו similiter habet לקדמותיה, quod ipse Fagius vertit *obviam* ei. Atque ita etiam vocem illam Chaldaicam vertit Gen. 24. 17. ubi similiter huic Hebrææ voci respondet. Sensus igitur hic est, Ægyptios fugisse, non à facie maris, sed potiùs in faciem maris; in occursum maris, seu obviam mari. Studebant equidem à facie maris fugere, sed contra accidit, ut in occursum ejus fugerent. R. Sal. ait eos fuisse attonitos & perturbatos, atque ita (nescientes scilicet quid agerent) obviam mari fugisse. Ego verò arbitror Mosen id significare velle, aquis in alveum suum revertentibus factum esse, ut quocunque se verterent Ægyptii, aquas sibi occurrentes, ac fugæ suæ obstantes habuerint. Sic Abenezra ad v. 22. ait Ægyptios ad aridam fugere voluisse, muros autem aquarum dissolutos inter ipsos & aridam se objecisse. Rectè Vulgatus, *fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Male Lxx. οἱ δὲ Αἰγύπτιοι ἔφυγον ὑπὸ τὸ ὕδωρ *Ægyptii autem fugiebant sub aquam*; Sed Nobilius notat in Editione Compl. esse ἐπὶ τὸ ὕδωρ *ad aquam*; quæ lectio proculdubiò est germanior.

וַיְנַעֵר יְהוָה אֶת מִצְרַיִם בְּתוֹךְ הַיָּם *Et excussit Dominus Ægyptios in medium maris.*] Onk. ושניק *Et suffocavit Dominus Ægyptios in mari.* R. Sal. exponit, *evertit, quemadmodum quis evertit ollam, ita ut pars superior inferne, inferior autem superne collocetur.* Atque addit vocem Chaldaicam שניק perturbationem & afflictionem denotare; לשון טרוף sed & strictius pro *suffocare, mergere, strangulare* usurpatur. Abenezra exponit וינער per רמה *projecit.* Atque ita sane cap. 15. 1. pro eo quod hic est וינער, est רמה. Lxx. καὶ ἐξετίναξε *& excussit.* Atque ea est usitata significatio verbi נער. Aquila ἀνέβρασε *fervefecit*, seu (ut vertit Nobilius) *suffocavit.* Vulg. *involvit.*

 31. *Et*

* הוא הרוח שהק"בה נפרע בה מן הרשעים. † *Sive* custodiâ à שמר custodire. ‡ *Goodw. in Mos. & Ahar. l. 3. c. 1.*

(a) *Shindler. in Pentagl. rad.* כבד *reddit*, in fortitudine.

31. *Et vidit Israël* וַיַּרְא יִשְׂרָאֵל אֶת־הַיָּד הַגְּדֹלָה אֲשֶׁר עָשָׂה יְהוָה בְּמִצְרַיִם *manum magnam, quam fecit Dominus in Ægyptios.* i. e. opus magnum quod fecit, &c. Onk. *Et vidit Israël potentiam manus magnæ, quam fecit Dominus in Ægyptios.* Jon. *Et vidit Israël potentiamque manûs fortis, quâ Deus fecit miracula in Ægypto.* Mihi simplicissimum videtur, ut per *manum* metonymicè opus intelligatur. Potest autem & *manus* hic potentiam denotare, atque ita עשה *fecit* idem erit quod *exercuit.* Sic R. Salomon את הגבורה הגדולה שעשתה יד של הקב״ה *i. potentiam magnam, quam manus Dei sancti benedicti fecit,* seu *exercuit.*

וַיַּאֲמִינוּ בַּיהוָה וּבְמֹשֶׁה עַבְדּוֹ. *Et crediderunt Domino, & Mosi servo ejus.*] Ad verb. *in Domino, & in Mose servo ejus.* Vel *in Dominum, & in Mosen,* &c. Ex hoc, atque aliis consimilibus Scripturæ locis (nempe Job 15. 15. & 1. Sam. 27. 12. & 2 Par. 20. 20.) * Drusius redarguit eos, qui distinguunt inter *credere Deo,* & *credere in Deum*; & qui negant rectè dici, *credo in homines,* pro illo, *credo hominibus.* Et sanè fateri necesse est in utroque Testamento phrases istas interdum promiscuè usurpari. Vide *Joh.* 2. 23. & 12. 42, 43. Sæpius tamen, opinor, phrasis ista, *credere in aliquem,* idem valet quod *fiduciam in aliquo reponere*; atque isto sanè sensu in hominem credere nefas est. Maledictus enim est, qui fiduciam in homine reponit. *Jer.* 17. 5. Hic autem Onkelos habet, והימינו במימרא דיי ובנבואת משה עבדיה *Et crediderunt verbo Domini, & prophetiæ Mosis servi ejus.* Ad verb. *in verbo Domini, & in prophetia Mosis,* &c.

IDEM.

16. בְּתוֹךְ הַיָּם *in mare*] *Hebræorum sententia est* (inquit Vatablus) *Israëlitas tantum aliquousque per modum circuli ingressos fuisse in mare, donec Pharao cum suo exercitu suffocaretur, quo facto rursum e mari ad idem littus, unde ingressi fuerant, egressos fuisse.*

24. *In vigiliâ matutinâ*] Kimchi in Radice שמר ait, Rabbinos dicere, tres noctis vigilias fuisse; idque ita videri ex illo Judic. 7. 19. *In principio mediæ vigiliæ.*

IDEM.

4. ET *obfirmabo, &c.*] Non incommodè hoc explicat, nempe etiamsi æquum erat, ut Pharao plagis præcedentibus à persequendo populo deterreretur, Deum tamen cor ejus obfirmasse, ut istud faceret, non voluntatem ejus cogendo (לא בכפיית הבחירה) sed robur ac fortitudinem ei impertiendo, unde ille ex seipso pro impietate sua (כפי רשעתו) populum persequeretur.

10. *Clamabant filii Israël* אֶל־יְהוָה † *ad Dominum.*] Redarguit Nahmanidem, qui dicit quosdam ex Israëlitis ad Dominum clamasse, alios autem, utpote incredulos, Mosi obmurmurasse, cum iidem prorsus fuerint, qui clamabant ad Dominum, & Mosi obmurmurabant. Ait igitur verbum *clamandi* hic non orationem, sed murmurationem & fremitum denotare. אין צעק תפלה כי אם צעק תרעומה ותלונה Eo sensu verbum צעק *clamare* notat usurpari c. 51. 5. & nomen צעקה *clamor* Neh. 5. 1.

11. הֲמִבְּלִי אֵין־קְבָרִים וגו׳] Observat hic duplicem esse negationem, nempe בלי & אין, atque ideò refellit eos, qui sic exponunt, הבבלי קברים וכול׳ *An quia non sunt sepulchra in Ægypto, sumpsisti nos, ut moreremur in deserto, ubi abunde soli est pro sepulchris?* In contrarium sensum sic interpretatur, *An putasti, quod in Ægypto mortui, vel occisi, non insepulti fuissemus? quia scilicet Ægyptii ad purgandam terram nos sepelivissent: ac propterea sumpsisti nos, ut moreremur in deserto, ubi nos sepulturæ non tradant? Quare ita morte nostrâ delectatus es, ut nos etiam insepultos esse cupias?* Profectò perspicacissimum hic se expositorem præbuisse, & rem (quod ajunt) acu tetigisse videtur.

23. *Et Ægyptii persequebantur, &c.*] Ait Ægyptios, cum in tenebris essent, nescivisse quò irent, atque id duntaxat spectasse, ut Israëlitarum vestigia premerent, indeque factum, ut imprudentes & præter intentionem suam (מבלי כונה ודיעה) in mare procederent.

27. *Et Ægyptii fugiebant* לִקְרָאתוֹ *in occursum ejus*] Aquis in alveum suum redeuntibus, factum ait, ut aquæ & Ægyptii sibi invicem occurrerent. כאו אלו לקראת אלו

31. וַיַּאֲמִינוּ בַּיהוָה וּבְמֹשֶׁה עַבְדּוֹ *Et credebant, &c.*] Asserit verbum האמין cum ב constructum, promissiones de futuro, cum ל verò præsentem narrationem respicere.

* *Drus. Observ. lib.* 3. *c.* 1. † *Fortè exponi potest* contra Dominum.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

1. TUnc *cantavit*] Ponuntur ferè omnia verba quæ in hoc cantico scribuntur, in futuro tempore: sed quod non rarò fit apud Prophetas, ubi futurum loco præteriti capitur.

2. *Laus*] Vel *carmen.* Quidam etiam legunt cum pronomine Jod. ¶ *Decorabo eum*] K. putat sic exponendum, *hospitio suscipiam eum,* vel *tabernaculum faciam ei.* Scribitur enim hîc in Hiphil, à nomine נוה, quod *habitaculum* significat. A. E. quoque exponit אנוהו pro אשכינהו בנוה, *collocabo eum in habitaculo.*

4. *Electi duces ejus*] Heb. *electio ducum triariorum ejus.* ¶ *In mari rubro*] Jam suprà diximus in Hebræo non esse *mare Rubrum,* sed *mare caricosum,* vel *mare procellosum*: utrumque enim significat dictio סוף. Sapiens R. Abraham exponit אגמון *arundinem,* quæ in littore hujus maris crescere dicitur. Sunt etiam qui per סוף *finem* intelligunt, quasi illud mare finis sit Oceani: sed hi errant.

9. *Ab eis*] Onkelos sic dilucidiorem facit Hebraicum textum, תתמלי מנהון נפשי. ¶ *Perdet eos*] Heb. *miseros faciet eos manus mea.*

10. *Flavisti*] נשב pro נשף, h. e. Beth pro Pe. Ubi audi Gerundensem, si Hebraicè didicisti, אלה שני אותיות בית ופה ישמשו בענין אחד כמו נשיתי טובה נב וגף בגר ופגר. Sed quæ hodie in Grammatica quoque docentur.

11. *Terribilis laudibus*] h. e. terribilis quoque es cùm laudatis, cùm nemo mortalium te satis laudare queat.

17. *Habitaculum*] Onkelos, & post eum K. exponunt אתר מתקן, *locum præparatum,* & A. E. dicit illum esse montem Morija.

20. *Maria*] Heb. *Mirjam,* dissyllabum.

21. *E regione illorum*] Heb. *Et respondit illis Maria,* Mosi scilicet & aliis viris præcinentibus. Ut enim illi dixerunt, *Cantate Domino, quoniam magnifice egit,* sic quoque illa conformiter prorupit in laudem Dei: nam est in Hebræo להם in masc. & non להן in fem.

25. *Et ostendit illi lignum*] Hebræi sic legunt, *& docuit eum de ligno,* h. e. הורה לו טבע העץ, *docuit eum vim & naturam ligni*: sicut & postea Salomonem docuit naturas & proprietates omnium Herbarum, de quibus ille quoque librum scripsit: sed quia is venit in abusum, & multi confidentiam suam magis in herbas posuerunt quàm in Deum, abstulit Ezechias librum illum, ne posteri sui pejus aberrarent, & in infirmitatibus non ad Deum principaliter, sed ad herbas recurrerent. Vide, si libet, autorem libri Zeror Hammor, qui latiùs de hac re disserit. ¶ *Ibi posuit ei statutum*] R. S. dicit, quod Moses populo præscripserit in Mara quasdam leges atque judicia, in quibus exercerentur & probarentur, vel ליסר אותם וללמדם, ut A. E. scribit.

26. *Statuta*] Exponunt Hebræi communiter חקים pro illis statutis quæ non habent שום טעם, i. *ullam rationem* quare Deus illa observanda imposuerit, ut est esus carnis suillæ, vestis ex lana & lino contexta, & similia multa. ¶ *Non ponam super te*] Hic subintelligendum est, *Si autem posuero super te, ecce ego sanator seu medicus tuus sum.*

27. *Manserunt ibi juxta aquas*] Quindecim diebus illic manserunt. Nam fuit aqua illa dulcis: id quod ex palmis illic crescentibus notatur, cùm non crescant in loco ubi sunt aquæ amaræ.

FAGIUS.

2. TImendus *Dominus*] Chaldaica vox דחילא *Dechila, timorem* & *timendum* sive *terribilem* significat. Posset igitur & sic legi, *Canticum meum timor Domini,* q. d. Canam de eo quomodo solus Dominus sit verè & rectè timendus. Vocant autem Chaldæi Deum דחילא à *timore,* qui illi soli debetur.

3. *Victor bellorum*] Expressit Hebraismum, איש מלחמה, *vir belli.* Nam *virum* dici Hebræis ferè laudi tribuitur, pro eo quod est *insignem ac præclarum esse, probeque peritum alicujus rei.* Unde Deus dicitur *vir belli,* i. fortis bellator, & gnarus bellandi. LXX. legunt, συντρίβων πολέμους, i. *Dominus conterens bella.*

4. *In mari Rubro*] Vox Hebraica סוף, quam & Chaldaismus usurpat, non propriè *rubrum* significat, ut LXX. & Vulg. interp. ferè reddunt, sed *caricem* seu *papyrum.* Appellari ergo di-

dicunt Hebræi mare סוף, i. *caricosum* vel *papyrosum*, eò quòd ad ejus littora copiosissima sint carecta & papyriones. Multa super hoc scribit A. E. è quibus aliqua hîc proferre libet, יש אומרים שנקרא כן בעבור שיש סביביו סוף והאחרים אמרו שזה מגזרת סוף בעבור היותו בסוף העולם והוא ים אוקינוס. *Dicunt nonnulli vocari mare eo nomine, quòd per ejus circuitum nascantur papyri. Alii autem existimaverunt ideo vocari mare Soph, quia Soph etiam finem significat: dicuntque hoc mare terminum esse mundi, h. e. ipsum Oceanum.* Hæc ille. Refellitque hanc ultimam opinionem: Non enim sinus Arabicus est mare Oceanus, ut satis compertum est. R. quoque S. hoc ipsum idem sentit, סוף הוא לשון אגם שגדלים בו קנים, *Soph*, inquit, *hoc loco significat Juncum, quo nomine mare illud appellatur, quod calamorum ac papyrorum copia in eo nascatur.* Non ergò ex eadem causa à nobis & Hebræis ei mari inditum est nomen. Nam *rubrum* à Græcis appellatum, Plinio teste, quòd arena ejus rubra sit, & aquæ quasi rubere videantur, sicut omnes propè asserunt. Sunt qui caricem סוף appellatum putent, quòd non diu duret, sed citò evanescat.

11. *Terribilis & laudabilis*] Heb. נורא תהלת, *terribilis laudibus.* Sic dici putant, vel quòd nemo mortalium eum satis laudare possit, vel quòd cum magno timore laudari debeat.

25. *Ostenditque ei Dominus lignum*] Referunt Sapientes Hebræorum, hoc lignum naturâ amarum fuisse, ideoque projectum in aquas illas adhuc amariores eas reddidisse. Contra ergò naturam illius ligni fuisse dicunt quòd aquæ indè dulcoratæ fuerunt. Sed Deum adserunt ità voluisse exercere suam potentiam, ad ostendendum se superiorem naturâ esse, contraque illam quidvis posse. Pulchrè certè ad mysterium hæc applicari possunt. Quid enim hoc aliud significat quàm amaras tribulationes quas pii hîc sustinent, dulces & jucundas fieri fide & cogitatione mortis & passionis Christi, quam pro nobis miseris mortalibus in ligno crucis pertulit? Hinc hæc vox Apostoli, *Gloriamur in afflictionibus*, Rom. 5. 3. Multa certè hujusmodi Hebræi habent, quæ si ad Christum referamus, pulchrè quadrant, & optima sunt: De quibus omnibus lectorem suo in loco admonebimus.

IDEM.

2. זה אלי ואנוהו *Iste est Deus meus, & decorabo eum,*] Variatio est in voce Hebraica ואנוהו, quod alii deducentes à verbo נוה *glorificare*, seu *decorare* exponunt, quod sequuntur nostri Interpretes; alii verò, maximè Hebræi, deducentes à nomine נוה, quod *habitaculum* significat, pro *hospitio suscipere* seu *habitaculum facere* exponunt. Abenezra enim sic explicat, אשכינהו בנוה, i. *collocabo eum in habitaculo.* R. D. Kimhi אעשה לו נוה ומשכן, *faciam ei habitaculum & tabernaculum.* Quam sententiam quòque secutus est Chaldæus suâ Paraphrasi.

8. נצבו כמו נד נזלים *Steterunt quasi cumulus fluida aqua,*] Hunc locum annotavi propter vocem Hebraicam נד, quam Latinus interpres non expressit: significat autem ea propriè *cumulum, acervum*, seu *murum*, ut & Lxx. hîc non malè transtulerunt. Est enim sensus quòd aquæ steterunt instar cumuli sive muri. Hallucinatus est quoque Vulg. interpres in hac dictione & in aliis locis: ut Psal. 33. ubi veritas Hebraica ità habet כנס כנד מי הים *congregans quasi in cumulum aquas maris*, ille vertit, *congregans sicut in utre aquas maris*, deceptus videlicet vocum Hebraicarum similitudine נאד, & נד. Nam נאד *utrum* sive *lagenam* significat, נד verò *cumulum, acervum, molem.* Jam admodum proclive est alterum in alterum depravare, quod Latino interpreti accidit, qui idem fecit & Psal. 78. ubi namque textus Hebraicus habet, *fecitque aquas stare veluti acervum*, ibi ille transtulit, *statuit aquas quasi in utre.* Rursum *Ned* pro *Nod* legens.

14. שמעו עמים ירגזון *Audiverunt populi & contremuerunt,*] Error est in Lat. Vulg. translatione, quòd pro *audiverunt* legitur *ascenderunt*, quod tamen magis scriptoris quàm autoris vitio factum esse videtur. Dein quod legit *& irati sunt*, secutus est Lxx. Est enim verbum Hebraicum רגז ambiguum ad *irasci* & ad *contremiscere*, *expavescere* sive *timere*: Atque hîc magis quadrare videtur *timendi* quàm *irascendi* verbum, *Audiverunt populi & tremuerunt* sive *timuerunt.* Sunt tamen qui hunc locum in futuro potiùs legendum esse dicunt, *Audient populi & contremiscent.*

VATABLUS.

1. TUnc cecinit, אז ישיר] Fut. Heb. quod præter sensum, etiam particula אז indicat vertendum esse per Præt. Singulariter autem dicit *Cecinit*, quòd solus Moses composuerit canticum in laudem Domini, alii autem accinuerunt. ¶ *Jehovæ*, ליהוה] i. in laudem Jehovæ. ¶ *Magnificando magnificatus est*, גאה גאה] Hebraismus, mirum in modum magnificatus est: strenuè admodum egit: magnum & fortem strenuumque se esse ostendit.

2. *Fortitudo mea & laus*, עזי וזמרת] i. Deus est cujus auxilio hostibus superior sui, & qui mihi propterea canticis celebrandus est: tulit enim mihi opem. ¶ *Fuit enim*, ויהי] Ad verb. *& fuit.* ¶ *Propterea tabernaculum faciam ei*: ואנוהו] Ad verb. *& tabernaculum construam ei*: in quo scilicet illum colam: sic mox.

3. *Vir belli*, איש מלחמה] Hebraismus, bellicosus admodum.

4. *Et electi principes ejus*, ומבחר שלשיו] Ad verb. *& delectio principum ejus*, i. optimi quique principes ejus.

5. *Voragines*, תהמת] *Gurgites. Abyssi.* ¶ *Operuerunt*, יכסימו] Fut. Heb. pro Præt.

6. *Magnificata est fortitudine*: נאדרי בכח] Hebraismus; pollet viribus mirabilibus: ornata est viribus, est insignis robore admodum.

7. *Et in multitudine magnificentiæ tuæ*, וברב גאונך] Hebraismus, Magnificentiâ tuâ insigni & multâ, sive, Excellenti tuâ fortitudine.

8. *Et spiritu naris tuæ*, וברוח אפך] i. vento quem immisisti: est enim author flatuum. Alii vertunt, *Et à spiritu furoris tui.*

9. *Explebitur eis anima mea*, תמלאמו נפשי] i. satiabitur divitiis eorum desiderium meum.

10. *Absorpti sunt*, צללו] *demersi sunt: descenderunt in profundum.*

11. *Magnificus*, נאדר] *magnificatus est*: i. præditus est insigni sanctitate. A secunda persona ad tertiam est transitus. ¶ *Terribilis laudibus*, נורא תהלת] Hebraismus, qui cum summa reverentia, vel cum summo timore laudandus est.

12. *Deglutivit eos*, תבלעמו] *devoravit eos*, q. d. non solùm obruti sunt aquis, sed & terra aperuit os suum, & absorpsit eos. Quidam per *terram* aquas significari volunt.

13. *Duces*, נחית] Præt. Heb. pro fut. vel, *Deducas.* Paulò pòst v. 17. Hebraicè futura sunt. ¶ *Redemisti.* גאלת] i. eruisti de servitute. ¶ *Ad habitaculum*, &c. אל נוה וגו'] i. ad montem Sion in quo postea ædificatum fuit templum.

14. *Audient*, שמעו] Præt. Heb. pro futuris. ¶ *Irascentur*, ירגזון] *commovebantur.*

15. *Dissolventur*, נמגו] i. erunt animo dissoluto ac remisso.

16. *Ad magnitudinem brachii tui*, בגדל זרועך] i. ob fortitudinem tuam quam brachio tuo ostendes. Alii vertunt, *per brachium tuum forte*: ut sit inversio, pro בזרועך הגדול. ¶ *Acquisisti*: קנית] *præparasti.*

17. *Introduces*, תבאמו] *Deduces eos. Perduces eos.* ¶ *Loco*, מכון] in *base*, i. sede illâ. Ad verb. *loco ad habitandum te præparasti, ô Jehovah.* Ordo dictionum inversus, pro in *basi quam fecisti ut* illic *sedeas*, i. in qua proposuisti habitare, sive, quam delegisti tibi. ¶ *Firmabunt*, כוננו] Præt. Heb. pro fut. i. ædificabunt & exstruent, q. d. Nam præcipies tibi ædificari templum in sede illa & loco in quo constituisti habitare.

18. *Regnabit*: ימלך] i. semper dicetur Rex & Dominus.

21. *Et respondit eis*, ותען להם] nempe Mosi & aliis viris præcinentibus: ut enim ille dixerat, *Cantabo Jehovæ, quia magnificando*, &c. sic & hæc iisdem verbis prorupit in laudem, *Cantate*, &c. Lxx. verterunt, ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν: *incepit autem illis*, i. præcinuit. Alii volunt להם pro להן feminino esse positum, & vertunt, *Et cecinit illis*; nempe mulieribus, i. præcinebat illis, Agite gratias Jehovæ. Ponitur hic initium tantùm Cantici: verisimile est tamen illis præcinuisse totum Canticum; verùm noluit repetere.

22. *Et proficisci fecit*, ויסע] *Et exire fecit, extraxit.* Hic vocat *desertum Sur* quod Num. 33. 9. dicitur *desertum Etham.*

23. *Vocavit*, קרא] sub. *is qui illi nomen indidit*, i. vocatum fuit.

24. *Propterea murmurabat*, וילנו] Ad verb. *Et murmuraverunt.* Hic ו rectè vertit noster interp. in *Propterea.*

25. *Et docuit illum*, ויורהו] i. ostendit illi, sive monstravit. ¶ *Quod projecit*, וישלך] Ad verb. *& projecit, immisit.* ¶ *Posuit ei statutum & judicium*, שם לו חק ומשפט] Sing. Heb. pro plur. *statuit ei statuta & judicia.* Non hic statuta sive ritus & judicia scripta dedit Deus (nam hoc postea factum legimus) sed pactum refricavit cum Patribus factum: docuitque populum suum Deus per os Mosis, nè scilicet ex servitute liberati, ad libidinem carnis libertate uterentur, ut benè & rectè coram Deo

&

& cum proximo viverent; ut in simplicitate & innocentia (sicut olim Patres) coram Deo ambularent. Apparet & istud, ante Legem ferè servasse Israelitas moribus & consuetudine quæ per Mosen postea sunt scripta in Lege præcepta. ¶ *Tentavit eum*, נסהו] *probavit eum*.

CASTALIO.

1. *Jovam camo*] h. e. *cantamus*: singularis pro plurali, quod sæpe fit etiam in prima persona, non solùm apud Hebræos, sed etiam apud Græcos, præsertim in Tragœdiarum choris; & apud Latinos, ut apud Livium initio lib. 9. decadis 1.

3. *Jova vir bellicosus*] Heb. מלחמה איש, i. *vir belli*. Sed intelligendum est, Hebræos adjectiva à substantivis non habere, qualia habent Latini. Itaque vectem ferreum dicunt *vectem ferri*, & domum ligneam *domum ligni*; ut & Galli, *Maison de bois*. Sic igitur pro *viro bellicoso* dicunt *virum belli*. Quòd autem *virum* vocat, ostendit Jovam esse Jesum Christum, qui & Deus sit & homo: qui etiam Deut. 33. *vir* appellatur, de quo Matth. 1. Deo volente plura scribemus.

CLARIUS.

1. *Carmen hoc*] In Hebræo ponuntur ferè omnia verba quæ in hoc cantico scribuntur in futuro tempore; sed quod non rarò apud Prophetas loco præteriti capitur. Ferunt autem scriptum hoc carmen heroico metro. Totum certè spirat vim poeticam, plenùmque est majestatis & gratiæ.

11. *Terribilis atque laudabilis*] Alii verterunt, *Terribilis laudibus*, h. e. terribilis quoque es cùm laudaris; cùm nemo mortalium te satis laudare queat.

17. *In monte hæreditatis tuæ*] Ipse est mons Sion.

21. *Quibus præcinebat*] Heb. *& respondit illis Maria*, Mosi scilicet atque aliis præcinentibus: ut enim illi dixerunt, *Cantate Domino, gloriosè enim magnificatus est*, sic quoque illa pariter prorupit in laudem.

25. *Ostendit illi lignum*] Hebræi intelligunt, Deum docuisse illum vim & naturam ligni, sicut & postea Salomonem docuit naturas & proprietates omnium herbarum, de quibus ille quoque fertur librum scripsisse. Sed quia is venerat in abusum, & multi fiduciam suam magis in herbas posuerant quam in Deum, abstulit Ezechias librum illum, nè posteri pejùs aberrarent, & in morbis non ad Deum priùs quàm ad herbas recurrerent. ¶ *Ibi constituit ei præcepta*] Moses populo præscribit in Mara quasdam leges atque judicia, in quibus exercerentur & probarentur.

26. *Custodierisque omnia præcepta*] Vel, *statuta*: & exponunt Hebræi communiter pro illis statutis quæ non habent ullam rationem quare Deus illa observanda imposuerit, ut est Esus carnis suillæ, Vestis ex lana & lino contexta, & similia multa. ¶ *Non inducam super te*] Hic subintelligendum est, *Si autem induxero super te, ecce ego sanator & medicus tuus sum.*

27. *Duodecim fontes*] Exercitus Israelitarum adumbrat cœtum fidelium, cujus Dux est Christus, qui duodecim Apostolos & Septuaginta Discipulos elegit, per quos doctrinâ cœlesti omnes nutrirentur, &c.

LUC. BRUGENSIS.

19. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare.*] Sincera est (quod etiam Epanorthotes annotavit) aliorum codicum lectio, *equus Pharao*: ità enim Hebraicè est, ità Græcè, סוס פרעה, ἵππος Φαραώ. Accipitur autem *equus* collectivè: quamobrem Chaldæus vertit, *Ingressa est* סוסות פרעה, *multitudo equorum Pharaonis cum curribus suis & equitibus suis in mare.* F. Magdalius, in suo Bibliorum Correctorio, notat, Equus *legi debet*, *non* eques, *nisi equitem pro ipso jumento cui insidetur accipere velimus. Utrumque enim eques significat, ut refert Aulus Gellius lib.* 18. c. 5. Hæc ille rectè. Rabanus legit ex Græco (nam Græcam translationem quandoque intermiscet) *Intravit equitatus Pharao cum quadrigis & ascensoribus in mare*: ἵππος enim etiam *equitatum* significat.

Testatur insuper Epanorthotes (Auctorem illum ἀνώνυμον intelligo, cujus Correctorium M. N. Hunnæus commodavit) in antiquis suis libris non legi pronomen *ejus*, ut in quibusdam nostris non legitur: & in Græco quidem id non additur; in Hebræo autem & Chaldæo etiam geminatur. Hebraicè est, *cum curru* (i. curribus) *ejus* (vel *suo*) *& cum equitibus ejus* (vel *suis*) *in mare.*

DRUSIUS.

2. Deus habitare nobiscum dicitur, an etiam nos cum Deo? Psal. 140. 13. *Habitabunt recti cum vultu tuo.* Ut ut sit, malè Tremellius hoc in loco, *cum quo habitabo.* Nam ut demus rectè hoc dici, tamen verbum Ebræum eam interpretationem hìc non admittit. Non enim est אנוהו in fonte, quod exponi posset κατ' ἔλλειψιν τῆς προθέσεως, *habitabo cum eo*, sicuti יגורך reddimus, *commorabitur tecum*; sed אנוהו cum (-) sub Aleph, quod arguit vertendum esse, *habitare faciam eum*: & est sensus, Exstruam ei habitaculum sive tabernaculum. Id נוה dicitur: unde ינוה לא, *non habitabit*, Hab. 2. 5. & in Hiphil אנוהו, *collocabo eum in tabernaculo*, vel *faciam ei tabernaculum.* Quo nomine aliquando venit tentorium conventûs, aliquando ipsum templum. Dicitur enim certè habitaculum Dei sacrosanctum. Nec juvat hos interpretes Cajetanus, si eundem errorem erravit, ut profectò erravit. *Nam juxta Ebræum*, inquit, *habetur*, & habitabo eum. *Subintelligi posse dicunt præpositionem, & legi*, habitabo *cum eo. Sensus tamen unus est: quia idem est nos habitare Deum, & cum Deo. Non enim aliter nos habitamus ipsum quàm exsistentes cum ipso mente, votis, affectibus atque operibus.*

4. Quod Latini vocant *mare Rubrum*, id Ebræi appellant *mare Suph*; unde colligit Hieron. *Suph rubrum* significare: malè. Nam vocatur *Rubrum*, quia Græci nuncupant illud ἐρυθραῖον, ab Erythro rege quodam, ut vir doctus memoriæ prodidit, ibidem submerso. Hunc Edom fuisse putant. Qui aquas ejus rubere dicunt, & indè nomen habere, falluntur. Nam nihil differunt colore à cæteris. Disertè Curtius lib. 8. *Mare quo alluitur ne colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro rege conditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt.* Et l. 10. *Rubrum mare non à colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari.* Addit in insula quadam illius maris non procul à continenti columnam eminere Regis illius monumentum literis gentis ejus scriptam. Sunt qui Erythrum ibi regnasse scribunt. In his est Brodæus, quem vide, si placet, Miscell. l. 3. c. 9. *Mare Suph* vocatur non à *fine*, qui *Soph* dicitur, sed ab *alga*, cujus in littore magna copia visitur, ut Japhet Ebræus annotavit. Certè *alga* Ebræis vocatur *Suph.* Quanquam sunt, in queis R. Josua & Abenezra, qui à loco sic appellatum existimant. Locus ille *Suph* dicebatur, unde *mare Suph*, ut *mare Tiberiadis.* Brodæi verba de hoc mari non pigrabor adscribere, *Sæpenumero à multis sciscitatus sum, qui tempestatibus in hoc mare ejecti, quique etiam hoc peregrè in has regiones profecti multos dies contemplati essent, an veritati consentirent quæ de ejus rubra aqua & arena partim vulgò jactarentur, partim à claris hominibus literis mandarentur: Quorum nonnulli infantiam meam mirari, alii stultitiam ridere, qui mihi fucum fieri non sentirem. Neminem porrò adhuc tam stolidum nautam reperi qui mare illud Rubrum appellatum ab Oceano nostro quicquam differre prædicaret.* Subjungam quæ Julius Scaliger de hoc mari literis prodidit, *Erythræo*, inquit, *tantus est æstus ut osores sacrarum literarum temerè mentiti sint, Mosen in sicco transivisse nactus refluxionis occasionem. Quod tamen fieri non potuit propterea quod ad Sires usque, quod intimo in recessu jacet, mare operit littus illud: Neque unquam regrediens ità nudat ut inferiores partes, quà transierunt Ebræi, suâ decessione aperiat.*

IDEM.

4. שלשיו. τριστάτας αὐτοῦ] Hieron. *principes ejus.* Onk. *dynastarum ejus.* Jon. *juvenum dynastarum ejus.* Jerosol. *juvenum & dynastarum ejus.* Sic enim interpretor גבריא sive גבר. Hieron. comment. in Ezech. 23. scribit esse apud Græcos secundi gradûs post Regiam dignitatem. Alii tres fuisse dicunt. Origenes & Gregorius Nyssenus, ὁ μὲν ἡνιόχει, ὁ δὲ ὑπερήσπιζεν, ὁ δὲ ἐμάχετο, *Alius auriga erat*, [*aurigabatur*, vel, *habenas tenebat*] *alius clypeo protegebat, alius pugnabat.* Sequitur in edit. Rom. ἢ τριστάτας λέγει, τοὺς ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπιβεβηκότας· οἱ γὰρ παλαιοὶ ἐν πολέμῳ ἐξιόντες ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐποχοῦντο, *Aut tristatas dicit eos qui tribus equis insidebant. Veteres enim, cum ad bellum proficiscerentur, tribus equis invehebantur*; ἢ τοὺς ἰσχυροὺς καὶ πρὸς τρεῖς δυναμένους ἀντισχεῖν, *aut robustos, & qui tribus valebant resistere*; ἢ τοὺς ἐν τῇ παρατάξει τρίτους ἱσταμένους· τοῦ γὰρ πρώτου πίπτοντος, ἢ κτεινομένου, ὁ τριστάτης ὑπεισήρχετο τὸν ἐκείνου τόπον, *aut eos qui in acie tertii stant, primo*

primo enim cadente, aut fatigato, triſtates ille [vel *triarius*] *in ipſius locum ſuccedebat*; ἢ τὸν τριςὸν, τοῦτ᾽ ἔςι τὸν ἐν τῷ καθέζεσθαι τὸν βασιλέα τρίτον ἱςάμενον, *aut tertii, i. eum qui rege ſedente tertius ſtat*; ἢ τὸν τρίτην ἔχοντα καθέδραν, οἷος ἦν ὁ Δαβὶδ παρὰ τῷ Σαοὺλ, *aut ſedem tertiam occupantem, qualis erat David apud Saulem.* Hæc ferè Græci Patres. Volo nunc interponere judicium meum. Ut משנה למלך vocatur qui à Rege ſecundus eſt; ità, meo judicio (ſalvo tamen aliorum) שליש dicitur qui tertiam obtinet dignitatem, qui tertio à Rege loco eſt. Sic dico, τριςάτης, quando ſtrictè ſumitur, eſt *tertius à Rege*. Nam latè ſumptum quemvis ducem aut principem denotat: itaque in Compendio hiſtoriarum Joſephi, qui Alexandro ſuccedebant, quos alii *duces*, alii *reges* appellant, שלישים vocantur.

8. נערמו. A. Sym. & Th. ἐσωρεύθη, *coacervata ſunt*] ערום σωρεύω. נערום σωρεύομαι, ערמה σωρὸς, σώρευμα. *cumulus, acervus.*

11. מי־כמכה באלם יהוה מי כמכה נאדר בקדש. Sym. οὔτε ἐν δυναςείᾳ, οὔτε ἐν ἁγιασμῷ ἐξισωθῆναι, *neque potentiâ, neque ſanctificatione æquiparari*] Deſunt multa. In Fragm. meis, נאדר בקדש. Sym. δεδοξασμένος ἐν *ſanctificationibus*. Videndum an Græcè hoc fuerit ἐν ἁγιασμοῖς. De hoc loco ampliandum cenſeo.

13. נהלת. Sym. διεβάςασας, *portaſti*] Onk. סוברתא *portaſti eum.* Sic etiam Hieron. ſi modò is autor editionis Lat. quam Vulgatam vocamus. R. S. נהלת *ſignificationem habet Ducendi & Minandi: quanquam Onk. interpretatur in ſignificatione Portandi & Bajulandi*, i. סבל, quod propriè de bajulis dicitur onera portantibus, ut βαςάζω apud autores Græcos.

14. ירגזון. A. ἐκλονήθησαν, *commoti fuerunt.* Schol. ἐταράχθησαν, *turbati fuerunt*] Hinc forteam Heſychius, Κλονεῖται, ταράσσεται, θορυβεῖται. Pſal. 4. 4. רגזו idem Aquila κλονεῖσθε. Eſt autem κλόνος *motus qualis eſt tumultuantium*: unde quidam interpretantur κλονέω, *commoveo tumultuoſè*. Pſal. 2. 1. רגשו. Aquila ἐθορυβήθησαν, *tumultuati ſunt.* Propriè רגז commotionem notat ex affectu quem exprimit vel metus vel triſtitia. Sanè Onk. quoque hoc in loco vertit זעו, *commoti ſunt.*

15. נבהלו.] Alii, ἐθορυβήθησαν, *turbati fuerunt*] Hieron. *conturbati ſunt.* Sic Pſal. 90. 7. נבהלנו. Lxx. ἐταράχθημεν. Hieron. *conturbati ſumus.* Similiter Pſal. 6. 10. יבהלו. Lxx. ταραχθείησαν, ubi A. convertit κατασπουδασθείησαν, ut hic Lxx. ἔσπευσαν. Interpres Euthymii, *tunc feſtinaverunt duces Edom, hoc eſt, tumultuati ſunt, quemadmodum alius interpres reddidit.*

17. מכון לשבתך. Schol. ἕδρασμα εἰς καθέδραν] Pſal. 33. 14. ממכון שבתו. A. ἀπὸ ἑδράσματος καθέδρας αὐτοῦ. Hieron. *de firmiſſimo ſolio ſuo.* Hinc licet colligere ἕδρασμα εἰς καθέδραν Aquilæ eſſe. Interp. vet. *firmiſſimo habitaculo ſuo.*

21. ותען להם. Schol. καὶ κατέλεγεν αὐταῖς, *& recenſuit eis.* Interp. vet. *præcinebat eis*] ענה propriè *reſpondere in cantu*, i. alternis canere, quod ἀμείβεσθαι dicunt. Lxx. ἐξῆρχε δὲ αὐταῖς. Nam de eo etiam dicitur qui exorditur ſermonem aliquem. Quo ſignificatu obvium aliquoties in N. Inſtrumento, ἀπεκρίθη, *reſpondit.*

NOTÆ MAJORES.

1. *TUnc cecinit Moſes & filii Iſrael canticum iſtud DOMINO, dixeruntque dicendo, Canam DOMINO, quia efferendo extulit ſe, equum & vectorem ejus dejecit in mare.*

Tunc cecinit] In Ebræo eſt, *canet* ſive *cantabit*. Sed particula אז fut. in præt. convertit. Ideò reddunt, *tunc cecinit* i. שר. Sic alibi אז יבנה *tunc ædificavit Salomo.* אז ידבר *tunc locutus eſt Joſua.* אז יבדיל *Tunc diviſit Moſes.* Notavit Abenezra, qui etiam adjecit idem obtinere in linguâ Iſmaelitica ſive Arabica. Sic Pſal. 126. 2. אז ימלא tunc implevit. Aliter R. Salomo, *tunc animum ipſius ſubiit ut caneret.* Similiter, *tunc ædificavit*, Sapientes explicant, in animo habuit ædificare, non quod ædificaverit. Sic quum Joſua vidiſſet miraculum, dixit ei cor ut loqueretur, hoc eſt cogitavit loqui, ſive aſcendit in cor ejus ut loqueretur. Idem annotat per Jod non tàm futurum tempus, quam cogitationem ſignificari. Quod an verum ſit aliis dijudicandum relinquo. Abenezræ ſententiam ſtabilit R. David in Michlol ſive in Grammatica ſua, fol. 46. pag. 1. editionis quæ in octavo folium complicat. Pro אז in Chaldaiſmo eſt בכן: quæ particula eo ſignificatu legitur Eſt. 4. 16. ubi noſtra vulgata, *& tunc ingrediar ad regem.* ¶ *Cecinit*] ᾖσε. Hæc Græci legunt in fine capitis decimi quarti. ¶ *Canticum iſtud*] Hieron. *carmen hoc.* Lxx. τὴν ᾠδὴν ταύτην. Jonat. & Jeroſolymitanus, *laudem vel canticum carminis hujus.* ¶ *Moſes & filii Iſrael*] ſimul cecinerunt, aut Moſes cecinit, ceteri accinerunt. ¶ *DOMINO*] In laudem DOMINI. Tres Chaldæi, *coram* DOMINO. Lxx. τῷ θεῷ לאלהים. Origenes hom. 6. *Moris ſanctorum eſt, ubi adverſarius vincitur, tanquam qui ſciant non ſuâ virtute, ſed Dei gratiâ factam victoriam, hymnum Deo gratulationis offerre.* ¶ *Dixerunt*] ſinguli, ſive quod idem, unuſquiſque dixit. ¶ *Canam*] אשירה cantabo. Hieron. *Canemus* נשירה. Sic etiam Lxx. ᾄσωμεν. Sed & Chaldæi ad unum omnes נשבח ſive נשבחא laudes dicemus, vel, cantabimus: aut ſi mavis, canemus. Abenezra, *Moſes ſolus compoſuit hoc carmen. Id ediderunt Iſraelitæ, & unuſquiſque eorum cecinit illud, dixitque, Canam DOMINO &c. Simile, præcepitque Moſes & Senes Iſrael. Nam, Præceptum ſolus Moſes dedit, & ſenes Iſrael detulerunt illud ad omnes.* Hucuſque. ¶ *Extulit ſe*] vel, *elatus eſt.* Hieron. *Glorioſe enim magnificatus eſt.* Lxx. ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται: glorioſè enim glorificatus eſt. Onkelos, *elatus eſt ſupra elatos, & elatio ſive magnificentia ipſius eſt.* Vult dicere, propriè ad eum pertinet. Jonathan & Jeroſolymitanus, *elatus eſt ſupra elatos & omnis qui ſe offert coram eo per ſermonem ſuum ultionem capiet ab eo.* Abenezra, *oſtendit magnificentiam ſuam. Nam equum qui ſe efferre ſolet* &c. *dejecit in mare.* Tremel. *admodum excelluit.* R. Salomo, *elatus eſt ſupra omne canticum, quem laudare non potes, quin plura in eo ſint laude digna.* Secus fit in rege qui caro & ſanguis i. homo ſit, qui ſæpe laudatur, cum tamen nihil habeat laudandum. Obiter noto, *dixerunt dicendo*, quidam enarrant, *dixerunt* i. juſſerunt ut dicerent per ætates. Vide Hiſcuni. ¶ *Equum & vectorem ejus*] *equos & vectores ejus.* Jonathan & Jeroſolym. ¶ *Vectorem ejus*] i. equitem. Hieron. *aſcenſorem ejus.* Lxx. ἀναβάτην. Addit Jeroſolymitanus, *quia extulerunt ſe & perſecuti ſunt populum domus Iſrael.* ¶ *In mare*] Suph vel rubrum. ¶ *Dejecit*] hoc dicit propter celerem ſubmerſionem. Jonathan & Jeroſolymitanus *dejecit & demerſit.* Hoc ultimum alius dixit טבע, alius טמע Beth in Mem verſa. Nam hæ litteræ alternant. Hinc Berodach, Merodach: יבנה, Jamnia & Dibon & Dimon. Vide Quæſtiones meas. Verbum רמה hoc ſenſu uſitatiſſimum eſt apud Chaldæos, qui רמא ſcribunt. R. Levi explicat verbis השליך & ירה jecit, projecit, dejecit.

2. *Fortitudo mea & laus DOMINUS, qui fuit mihi ſaluti: iſte Deus meus, quem collocabo in domicilio, Deus patris mei quem extollam.*

Fortitudo mea & laus DOMINUS] Quidam, *fortitudo & laus DOMINUS.* עזי fortitudo, robur. Hic Jod παρέλκει. paragogicum vocant quale in רבתי multa; videndus R. Levi. Deus fortitudo, ut alibi, eduxit eos manu forti Minus probo. ¶ *Fortitudo mea*] vel, robur meum. Lxx. βοηθὸς i. עזר. In Jonatha תקפי poſſet reddi, robur meum. Sane Onkelos habet תקפי fortitudo mea. Sic אבא pater meus. אמא Mater mea. עזי & עז ſynonyma ſunt. Fallitur autem Rabbenu Samuel qui differre putat. Notum ut (o) & (u) viciſſim permutentur. ¶ *Laus*] vel, *carmen*, pſalmus i. materia carminis. זמרת pro זמרה. Simile eſt עזרת auxilium. Hieron. *laus mea.* Sic Onkelos ותושבחתי eſſet autem זמרתי carmen meum. Hanc ſententiam tuetur ex Ebræis Moſes ſacerdos, quam etiam exemplis firmat, ut cum שנת ponitur pro שנתי & נחלת poſſeſſio mea i. נחלתי. Sic מנת portio mea, quod tamen rectum non videtur. Nam legimus ecce מנת המלך ubi perſpicuè conſtructum eſt. Quidam, *Robur & laus DOMINI fuit mihi ſaluti.* Id valdè improbat Abenezra: & merito. Nam neque Ebræi, neque Arabes ità loquuntur. Neque ſimile eſt; *die tertio ſuſtulit Abraham* וישא, ubi Vau otium agit. Dictus Abenezra repetit עזי ἀπὸ κοινοῦ, hac ſententiâ, robur meum & canticum roboris mei eſt DOMINUS i. יה unum ex nominibus Dei, quod decurtatum putatur ex integro יהוה, quæ ſunt litteræ tetragrammati. Hieron. *octavum Dei nomen eſt Ja, quod in Deo tantum ponitur, & in Allelu-ja extrema quoque ſyllaba ſonat.* Theodotio alibi reddit τὸ ὤν. Nam eſſentiam notat, ut etiam אהיה. Abenezra, *nomen eſt ex tribus nominibus ſubſtantivis,* (השמות *propriis*) *quæ expoſui, & tria illa eandem derivationem habent.* Vide ſequentia. Pro זמרת legerim libentius זמרת יה ut ſenſus ſit, Quia nomen יה notum eſt in linguâ neceſſe fuit ut Joth mutaretur in Vau in nomine honorando. Dicimus enim certè יהוה, quod legebant Javo vel Jave, vel, ſi placet, יהוה. Jonathan hic habet, *metuendus toti mundo DOMINUS &c.* Onkelos, *timendus DOMINUS*, niſi mavis, *timor DOMINI*: quod potius diceretur דחלת ייי. Elegans Dei circumlocutio. Sunt qui זמרת interpretantur in ſenſu exciſionis i. כריתה, hac ſententia, Robur & exciſio DOMINI fuerunt mihi ſaluti. Vult dicere, quâ excidit Ægyptios. Videantur R. Salomo & R. Levi. In margine edit. Venetæ quæ in folio complicat notatum זמרת unum eſſe ex tredecim quæ in regimine habeant cametz, expende. ¶ *Fuit mihi ſaluti*] hoc Hieron. tranſtulit, *factus eſt mihi in ſalutem.* Nempe ex Græco ἐγένετό μοι εἰς σωτηρίαν. Onkelos edidit, *fuit mihi*

mihi redemptor. ¶ *Deus meus*] θεός μου אֵלִי. Hieron. Lxx. Onkelos, *Deus noster.* Jonathan, Jerosolymitanus תקיפי fortis meus. Abenezra. *Deus fortis meus.* Alii. ¶ *Quem collocabo in domicilio*] hoc est, in templo. Vult dicere, cui templum extruam. Ebraicè ואנוהו quod variè redditur. Hieron. *& glorificabo eum.* ואנוהו. Sic Græci καὶ δοξάσω αὐτόν. Onkelos, *ædificabo ei sanctuarium.* Jonathan & Jerosolymitanus, *laudabo eum.* Abenezra נוה אשכינהו collocabo eum in habitaculo. Id R. Levi explicat, extruam ei sanctuarium, in quo divinitas ejus apparebit sive conspicua erit. Santes, *& tabernaculum faciam ei.* Alius, *propterea tabernaculum* &c. Munsterus, *decorabo eum.* Sic etiam Leo Judæ. R. quoque Salomo & partim Ebræorum accipiunt in sing. נו i. pulchritudinis & decoris. Edit. Gal. utrumque conjunxit, *je lui ferai un logis plaisant*: faciam ei domicilium pulchrum vel amœnum. Vide notas marginales. Tremel. *cum quo habitabo* i. *perpetuâ servitute ei addictus, in ejus familia consistam.* Cave sequaris. Nam (-) quod sub Aleph arguit esse conjugationis tertiæ, quam Hiphil vocant. Esset enim certè ינוה habitabit cum eo. Ceterum Habac. 2. 5. ינוה לא Hieron. *Non decorabitur.* Jonathan, *non stabilietur.* Alias, *non durabit, non permanebit.* ¶ *Deus patris mei*] θεὸς τοῦ πατρός μου. Debet autem repeti ex præcedentibus ἀπὸ κοινοῦ, *Iste est Deus* &c. ¶ *Patris mei*] *patris mei Abrahami, quicum fœdus illum.* Edit Gal. *patrum meorum.* Onkelos. *patrum nostrorum.* Jonathan & Jerosolymitanus. *Deus Abraham, Isahac & Jacob.* Abenezra. Deus hic אלהים dicitur, & prius אל vocabatur. De his Hieron. in Epistola ad Marcellam, *Primum nomen Dei* אל *El, quod Lxx.* θεὸν *id est Deum, Aquila* ἐτυμολογίαν *ejus exprimens* ἰσχυρὸν *i. fortem interpretatur. Quartum etiam nomen est Elohe, quod & ipsum Deus dicitur.* ¶ *Extollam illum*] vel, *exaltabo eum*: καὶ ὑψώσω αὐτόν. Onkelos, *& colam illum.* Jonathan & Jerosolymitanus, *extollemus eum.* Pro *colam illum*, Fagius habet, *serviam coram eo.* Nam in Chaldaismo ואפלח. Obiter notabo sententiam Cajetani de verbo ואנוהו, quæ eadem cum Tremellii, *Juxta Ebræum*, inquit, *habetur, & habitabo eum. Subintelligi posse dicunt præpositionem & legi, & habitabo cum eo. Sensus tamen unus est, quia idem est nos habitare Deum & cum Deo. Non enim aliter habitamus ipsum, quam existentes cum ipso mente, votis, affectibus atque operibus.* Non recedo à priori sententiâ.

3. *DOMINUS vir belli, DOMINUS nomen ejus.*

4. *Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare, & delecti principes ejus demersi sunt in mare Suph.*

DOMINUS] יהוה. Hieron. Marcellæ, *Nonum Dei nomen* τετραγράμματον, *quod* ἀνεκφώνητον *i. ineffabile putaverunt, quod his litteris scribitur* י *Jod,* ה *He,* ו *Vau,* ה *He.* Quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis libris reperorunt, *Pipi* legere consueverunt. Hoc ut intelligas sciendum in Exaplis, ubicunque erat tetragrammaton, scriptum fuisse olim in margine Ebraicis litteris יהוה. Id Græci legebant ΠΙΠΙ propter similitudinem quæ inter ה & Π: item inter Vau & Jota. Qui Procopium habent in Jesaiam sciunt me verum dicere. Ibi enim semper in margine habetur ΠΙΠΙ quod legebant *Pipi.* ¶ *Vir belli*] i. bellator aut bellicosus: vel præstans bello. Nam *vir* est nomen ἀρετῆς. Sic איש usurpatur Jud. 7. 14. Quidam, *magnus bellator.* Hieron. *quasi vir pugnator.* Nam מלחמה etiam prælium sive pugnam denotat. Subintelligit autem notam similitudinis, quæ sæpè hoc modo desideratur, ne quis Deum virum esse putaret. Quod crediderunt olim Antropomorphitæ. Meo judicio Ebraismus est, *vir belli* pro bellicosus, vel, si mavis, bellicosissimus, quale illud איש אמונים pro verax, fidus aut fidelis. Ceterum hoc nomen dici reperitur non tantum de Deo, sed etiam de Angelis, ut cum legimus האיש גבריאל vir Gabriel. Dicitur etiam de stellis & de bestiis. Vide Abenezram, qui tradit eo nomine significari עצם הדבר substantiam rei. Idem explicat hoc loco post Salomonem Gallum בעל מלחמה ut R. Levi אדון מלחמה Dominus belli. Lxx. hic habent, Κύριος συντρίβων πολέμους. Quid viderunt cum ita verterent? Onkelos, מרי נצחן קרביא, quod Fagius reddit, *victor bellorum*: ego, *DOMINUS victoria præliorum.* Jonathan, *vir faciens prælia nostra in quavis ætate.* Jerosolymitanus, *qui facit vobis victorias præliorum in omni ætate & ætate, notum faciens potentiam suam populo suo* &c. ¶ *DOMINUS nomen ejus*] Κύριος ὄνομα αὐτῷ. Sic alibi, qui vocat aquas maris DOMINUS nomen ejus. Hier. *omnipotens nomen ejus* i. יי παντοκράτωρ. Jon. *DOMINUS nomen ejus: secundum nomen ejus sic est potentia ejus, sit nomen ejus benedictum in secula seculorum.* ¶ *DOMINUS*] יהוה q. d. per se existens & à quo omnia suam existentiam habent. ¶ *Currus*] ἅρματα. Hieron. Lxx. *quadrigas*: alii. Chaldaicè רתיכין & ארתכין currus. ¶ *Exercitum ejus*] τὴν δύναμιν αὐτοῦ, copias ejus. ¶ *Projecit*] ἔῤῥιψεν. Id Onkelos dixit רמא & Jonathan שדא. Quo verbo usi sunt & supra in רמה dejecit, projecit. Verbum ירה etiam jaculari significat: unde Gal. Edit. *Il a lancé*, jaculatus est sive vibravit. Tremel. *præcipitavit.* Leo, *dejecit.* Lippomanus, *verbum* ירה *& projicere & jaculari signif. unde legi potest, ejaculatus est q. d. tanta facilitate dejecit in mare quadrigas, quanta quis emittere solet sagittas arcu.* Abenezra, *vibravit eum ut sagittam quæ est levis.* ¶ *Delecti principes ejus*] Quidam, *& delectum præfectorum ejus.* sub. projecit in mare. Quod repeti posset ex præcedentibus, nisi obstarent interpretes alii qui potius ista sequentibus jungunt. Quibus favet ratio accentuum in Ebræo: מבחר propriè electio sive delectus. Sensum expressit Hieron. dum verteret, electi principes ejus. Sic מבחר הפנינים selectæ gemmæ i. sententiæ elegantiores. Nomen est libri apud Judæos. Vide sodes Fragmenta Interpr. veterum & nostras in ea notas. Principes autem hic dicuntur שלישים, in quo significatio ternarii. Proinde Senes ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας. De quâ voce fusè dictum est supra. Quibus addo ex Hieron. In Ezechielem, *Electi principes ejus, sive electi ascensores tristata. Pro his Latina simplicitas ternos statores transtulit. Tristata autem nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem: de quibus scriptum est, veruntamen ad tres primos non pervenit. Qui principes equitum peditumque erant & tributorum, quos nos magistratus utriusque militiæ & præfectos annonarii tituli nominamus.* Aliter Euthymius, *Juxta* Lxx. *legitur, lectos ascensores tristatas demersit in mari rubro. Tristatas dicit, eo quod tres in eodem curru considere solebant, & unus quidem currum agebat, habenasque Moderabatur, reliqui autem duo adversus hostes decertabant. Est autem Græca dictio Tristatas.* Vide sis Edit. Rom. ad hunc locum. Abenezra, *quia meminerat exercitus meminit etiam tristatarum, qui præerant toti exercitui.* Onkelos habet *potentes ejus.* Jonathan, *Juvenes potentes (dynastæ) ejus.* Jerosolym. *Juvenes & potentes (dynastæ ejus.)* ¶ *Demersi sunt*] vel, *submersi sunt.* Quod Græcè legitur in editione Rom. κατεποθησαν, absorpti sunt. Ceterum in A. A. L. L. habetur κατεπόντισεν i. demersit, præcipitavit. Jonathan, *projecit, & demersit eos.* Onkelos אטבעו submersi sunt. ¶ *In mare Suph*] i. rubrum. Quod Græcè ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Suph autem vel est nomen urbis, ut vult R. Josua: vel juncum sig. sive calamum aut algam, ut Japheth prodidit: qui etiam scribit circa littus ejus esse copiam algæ. Si nomen loci est Suph, tum vocatur ità ut ים כנרת. Sic *mare Tiberiadis.* Cur rubrum, cur erythræum vocetur hoc mare, diximus alibi. Nolo eadem repetere.

5. *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profunda sicut lapis.*

6. *Dextera tua DOMINE, inclytus es robore, dexterâ tuâ DOMINE frangis hostem.*

Abyssi] Maxima vis aquarum. Senes ediderunt πόντῳ ἐκάλυψεν αὐτούς. Nempe Deus. Pontum autem intellige ipsum mare, ut apud Virg. *ingens à vertice pontus* Æneid. lib. 1. ¶ *Operuerunt eos*] Hic מו pro מ ponitur. Nam esset יכסם. ¶ *Operuerunt*] texerunt. ¶ *Descenderunt*] Jonathan, *descenderunt & submersi sunt.* ¶ *In profunda*] Hieron. *in profundum.* Sic Græci εἰς βυθόν. Jonath. *in profundum ipsius maris.* Onkelos לעומקיא *in profunda.* Abenezra, *aquæ profundæ vocantur* מצולות. R. Levi, *sig. profunditates maris.* ¶ *Sicut lapis*] qui statim fundum petit. Jonathan, *similes lapidi fuerunt.* ¶ *Dexterâ tuâ*] potentia tua. ¶ *Inclytus es robore*] grandis vel magnificus es virtute. Sic Psalm 8. 1. מה אדיר quam grande est. Alias *magnificum est.* Quidam, *inclyta est robore*, nempe dextera tua. Lxx. δεδόξασται ἐν ἰσχύι glorificata est. Hier. *magnificata est in fortitudine.* Onkelos, אדירא היא. Id Fagius reddit, *celebris est.* Jon. & Jerosolymitanus, *quam laudabilis est virtute.* Pro *inclytus es*, malim, *inclytus factus es.* Nam videtur esse participium נאדרי cum Jod paragogico: Vel si nomen est heemantico, quale in אכזרי crudelis. ¶ *Dextera tua*] repetitio non caret emphasi. Sig. enim eum sæpius id facere. Sic alibi, *elevaverunt flumina DOMINE, elevaverunt flumina.* ¶ *Frangis*] vel, *frangit.* Ebraicè תרעץ. Id Hier. reddidit, *percussit.* Lxx. ἔθραυσεν, confregit. Tremel. *confringis.* Santes, *confregit.* Munsterus, *fregit.* Gal. Edit. *a froissé.* Onkelos תברת fregit. Jonathan תמחי excindis. Jonathan, תרעץ ... Puto autem legendum תרעץ confringis, vel certe confringit. R. Salomo תרעץ ותשבר frangit & confringit. Idem verbum occurrit Jud. 10. Porro ימין dextera masculinè invenitur Thren. 2. 4. Videndus Abenezra ad illum locum. Vide quoque quæ R. Levi scripsit hoc in loco. R. David in libro ubi vocum sensa explicat רעץ *fregit, confregit* שבר רצץ.

7. *Et in multitudine excellentiæ tuæ destruis insurgentes in te, immittis furorem tuum, consumit eos ut stipulam.*

Mil

Multitudine] Quidam, *magnitudine*. Sane רב & multum & magnum denotat. ¶ *Excellentiæ tuæ*] Vel, *magnificentiæ tuæ*. Sed ubi legimus, *excellentia Jacobi*, idem nomen est in Ebræo. Lxx. τῆς δόξης σου & Hieron. gloriæ tuæ בגוזך. Onkelos, *fortitudinis tuæ*. Jonathan, גיפותיך quod alibi non lectum mihi. ¶ *Destruis insurgentes in te*] Jonathan, *destruis muros hostium populi tui*. Onkelos, *Fregisti eos propterea quod insurrexerunt contra populum tuum*. Hieron. *deposuisti adversarios*. Lxx. συνέτριψας τοὺς ὑπεναντίους. Alius, *subvertis insurgentes contra te*. Videtur esse translatum ab ædificiis. ¶ *In te*] *Contra populum tuum*, Onkelos. *Furorem tuum*] Iram tuam. חרון proprie ira exardescens, excandescentia. Nam חרה incanduit, exarsit. Videtur tam materiam quam formam iræ significare. Fit enim ira inflammato corde, ideoque ciet ardentissimum humorem, bilem rubram videlicet, qua effusa reliquus sanguis inficitur, præterquam quod alias à spiritibus irati cordis accenditur. Sicut Æneid. 8. de irato Hercule Virgilius canit:

Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor

Ob quam causam Damascenus iram esse dicit sanguinis circum cor accensionem. ¶ *Consumis eos ut stipulam*] Ut ignis stipulam consumit, hoc est quam celerrime & sine ullo negotio. (Similem comparationem habes Jes. 5. 24.) Mens hujus commatis, Deus pro multitudine excellentiæ suæ (nam est supra omnem excelsum) potest facile deponere & subvertere omnes hostes suos. Nec opus ei est armis ferreis: sola ira sua potest id facere, quæ consumit eos, quemadmodum stipula consumitur ante ignem. Sane calor iræ similis est igni. Hæc ferè Abenezra. ¶ *Consumis*] Comedit, devorat. Jonat. *consumit eos ut ignis ardens dominatur in stipulam*.

8. *Et spiritu narium tuarum coacervata sunt aqua, steterunt ut cumulus fluenta, concreverunt abyssi in corde maris.*

Spiritu narium tuarum] Spiritu i. flatu. Quanquam flatus propriè נשמה dicitur. Utrumque simul legitur Psal. 18. 16. *à flatu spiritus naris tuæ*. Idem obvium 2. Sam. 22. 26. Videtur ventum intelligere, aut Dei sermonem, qui non sine spiritu effertur. Sane Onkelos edidit, *sermone oris tui*, vel, si mavis, *per sermonem oris tui*. Jonath. quoque *sermone qui à conspectu tuo* &c. Similis locus Job. 4. 20. *spiritu naris ejus consumuntur*. Quem hic laudant R. Salomo & Abenezra. Cui adjunges, si ita videtur, ex Thren. 4. 20. *spiritus naris nostræ Messias DOMINI*: ubi אף perspicuè nasum denotat, qui est membrum iræ, unde & pro ira sumitur. Quod secuti sunt hoc loco Lxx. & Hieron. Nam illi vertunt διὰ πνεύματος τοῦ θυμοῦ σου: hic habet, *in spiritu furoris tui*. R. Salomo, *per spiritum qui exit ex ambabus naribus*: Et mox, *quum homo irascitur exit spiritus è naribus ejus*. Sic alibi, *ascendit fumus in nasum ejus*. Vide sequentia. ¶ *Coacervata sunt aquæ*] διεστράφη ὕδωρ. Interpretamentum hoc est Aquilæ, Symmachi & Theodotionis. ערם σωρεύω, coacervo. נערמו σωρεύομαι, coacervor. ערמה σωρὸς, σώρευμα, cumulus, acervus. Optima interpretatio. Quam firmant Ebræi. Omitto alios. R. Levi diserte, עמדו כמו ערמה steterunt instar acervi. Sed & Jonathan, *facta sunt aquæ acervi acervi*. Unus Onkelos חכימו מיא, quod Fagius reddit, sapienter congregatæ sunt aquæ. Nam ערום callidus, sapiens. Huic interpretationi adversantur consequa verba. Tamen Hilecuni eam enarrat. Lxx. διέστη τὸ ὕδωρ, divisa est aqua. Hieron. *congregatæ sunt aquæ*. probarem si addidisset, *in acervum*. ¶ *Steterunt ut cumulus fluenta*] Hieron. *stetit unda fluens*. Innuit aquam maris rubri, quæ sic vocatur vel propter undas & fluctus, vel ob accessum & recessum maris. ¶ *Steterunt*] Vel, constiterunt. ¶ *Ut cumulus*] כמו נד velut acervus. נד cumulus, acervus i. σωρός. Sic Theodotio interpretatur. Jos. 3. 13. Onkelos hic habet כשור tanquam murus. Sic etiam Lxx. ὡσεὶ τεῖχος. Sed & Abenezra נד interpretatur dicens esse כמו חומה. Id murum denotat. Jonath. כזיקין tanquam utres. Confundit נד cum נאד. Similiter Lxx. Psal. 33. 7. כנד ὡσεὶ ἀσκὸν, & Sym. Jos. 3. 13. נד אחד ἄσκωμα ἕν. Vide Masium pag. 65. ¶ *Fluenta*] Aquæ fluentes. Chaldaicè אזליא & אזלין מיא. Abenezra, *aqua, quæ natura fluida sunt, steterunt immota tanquam acervus* &c. ¶ *Concreverunt*] Coagulatæ vel potius congelatæ sunt, nempe ut aqua gelu constringi solet. Id קפא dicitur: unde חלב קפוי lac coagulatum, & המים הקפואים aqua congelata. Lxx. ἐπάγη, compacta sunt. Hieron. *congregatæ sunt*. קפאו. ¶ *Abyssi*] Aquæ profundi. Augustinus, *Omnis aqua, omnis humida natura atque substantia circumquaque diffusa per maria, & flumina, & antra, & occulta, simul uno nomine Abyssus vocatur*. ¶ *In corde maris*] Cor maris ita dicitur, ut cor cœli, ut cor terræ, cor voluminis. Sig. autem in medio mari. Nam cor & medium permutantur. Est enim cor in medio animalium. Quanquam in homine magis ad sinistram vergit. Itaque Lxx. ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης: & Hieron. *in medio mari*. Jonathan quoque, *in medio pelagi maris magni*. Mare magnum appellat mare Suph. Communiter ita vocatur mediterraneum. Abenezra, *in corde maris hoc est* באמצע הים *in medio maris, quemadmodum cor est in medio corporis respectu latitudinis ejus*. R. Salomo, *in robore maris*. *Radix rei & robur ejus vocatur cor, ut cor cœli, cor quercus*. Hactenus ille. Non est omittendum תהום. R. Levi enarrat de fundo maris, qui concreverit ita ut Israëlitæ per illum facile incedere potuerint. Idem admonet תהום usurpari de parte terræ ubi est aqua profunda; modo de ipsa aqua dici. Vide illum, si placet.

9. *Dixerat inimicus, Persequar, assequar, dividam spolia, implebitur eis anima mea, evaginabo gladium meum, perdet eos manus mea.*

Inimicus] Hostis Pharao, aut inimici Ægyptii. ¶ *Assequar*] Hieron. *comprehendam*, & Lxx. καταλήψομαι. Onk. אדביק *apprehendam*. Sic Fagius interpretatur. ¶ *Persequar*] *Populum filios Israel*. Jonath. Jerosolymit. ¶ *Dividam spolia*] μεριῶ σκῦλα. ¶ *Implebitur eis anima mea*] תמלאמו נפשי. Hieron. *implebitur anima mea*. Lxx. ἐμπλήσω ψυχήν μου, implebo animam meam. Onkelos, *Saturabitur iis anima mea*. Jerosolymitanus, *implebitur anima mea illis*. מנהון. R. Salomo. תמלא מהם. R. Marinos, *plena erit illorum*. i. מהם. Hi omnes subaudiunt commodam præpositionem, ut fieri solet, quando verba neutra cum affixis componuntur. Sic alibi בני יצאוני filii mei egressi sunt ex me. Quale & illud יגרך habitabit tecum. Quidam sensum petunt ex illo Esther 7. 5. אשר מלאו לבו qui implevit cor suum q. d. audebit anima mea. Sed hoc alienum. Nam habenda ratio pronominis. R. Levi, *excindet eos anima mea*, ut ibi בלא יומו תמלא i. succidetur לשון כריתה. ¶ *Anima mea*] *Voluntas mea*. Nicolaus, *desiderium meum*. Vatablus, רוחי ורצוני spiritus meus & voluntas mea. In Catena patrum, *explebitur eis desiderium meum*. Sic alibi, *in animâ suâ* i. *pro libidine sua*. Nam anima etiam vocatur facultas illa quâ res appetimus. ¶ *Evaginabo*] Educam, exeram. אריק propriè, *evacuabo*. Sic alibi והרק חנית educ lanceam, nempe è Theca sua. Interpretes Chaldæi אשלוף חרבי extraham gladium meum. Vult dicere, educam è vagina. Quod & ensem stringere & explicare, & nudare gladium, & ensem ducere sive exerere & ensem librare vagina, & diripere seu eripere ferrum vagina. Dicunt etiam ferrum expedire. Ubi notabis ferrum pro gladio usurpari. Sic apud Davidem, conteres eos virga ferrea i. gladio, ait R. Salomo. ¶ *Perdet eos*] תורישמו varie redditur. Lxx. κυριεύσει, dominabitur. Cui affine quod in Tremel. *asseret eos in hæreditatem*. Nam quod quisque hæreditate possidet, in illud dominium habet. Hieron. *interficiet eos*. Onkelos, תשיצינון delebit, excindet eos. Jonathan & Jerosoly. *delebo eos*. R. Salomo, *depauperabit eos*. Sic alibi מוריש pauperem faciens: cui opponitur מעשיר ditans. Aben. תכריתם *exterminabis eos, ut ibi* לא תורישם *& si non exterminaveris sive deleveris eum*. Psal. 44. 3. הורשת Hieron. *delevisti*. Lxx. ἐξωλόθρευσας, propriè, expulisti quasi ex hæreditate, detrusisti de possessione. Aliquando sig. hæredem facere. Est ergo ex iis verbis quæ contrariam significationem habent. Hilecuni hoc loco לשון ירושה. *Hoc vult, evacuabo sub. vaginam, gladio meo (nam subaudit* ב *ut sit* בחרבי. *Sane gladius non evacuatur, sed vagina) & captivos abducam eos, faciamque ut populus meus eos hæreditate possideat*. Hæc ille. Addam dictis תורישמו. R. Levi putat exponi etiam posse, *colliget eos anima mea*. *Nam* מלא, inquit, *significationem habet* אסיפה *colligendi*. De subintellecta præpositione pluscula exempla producit R. Salomo: Quale illud נתתה לי *dedisti mihi* i. נתתה לי & illud לא יכלו דברו *non potuerunt loqui cum eo* i. דבר עמו. Similiter אגיד לו *nuntiabo* sive *indicabo ei*, *quod esset* &c. Idem fusè disputat de locutione illâ אריק חרבי cum gladius non evacuetur, sed vagina: quemadmodum legimus מריקים שקיהם *evacuantes saccos suos*: item וכליו יריקו *& vasa ejus evacuabant*. Ideo Hilecuni subaudit ב ante חרבי ut diximus. Sed nihil opus. Nam est figura loquendi, ut cum navis cogitare dicitur de naufragio, quod propriè vectorum est, & cum navigantes impleri dicuntur, licet ipsa navis propriè loquendo impleatur. Plura de hac re alias. ¶ *Manus mea*] *Perdam eos manu meâ dextera*. Jonath. Quod noto, quia in aliis locis manus absolutè sinistram designat. Vide Camium Jes. 48. 13.

10. *Flavisti Spiritu tuo, texit eos mare: subierunt profundum tanquam plumbum in aquis inclytis.*

Flavisti Spiritu tuo] Onkelos, *dixisti per sermonem tuum*: Verbum è verbo, *in sermone tuo*. Quod facit pro veteribus Theologis, qui hunc locum enarrant de Spiritu sancto. Quid dico? Sermo Dei non ipse spiritus, sed filius vocatur. Nihil ergo pro illis facit. Lxx. ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου i. ventum. ¶ *Flavisti*] נשפת. Hieron. *flavit* נשף quod Græci dicerent ἔπνευ-

ἐνυνευσεν. Reperitur & אזל eodem significatu, & Chaldaicè in Jonatha אזל per Aleph in capite. ¶ *Spiritu tuo*] ברוחך in spiritu tuo. Jonathan, *spiritu qui à conspectu tuo*. Sig. ventum, qui sic vocatur vel quod vehemens admodum esset (Deo enim tribuitur quicquid in suo genere excellit) vel quod à Deo immissus ad reducendum mare in pristinam naturam. Quis autem ille ventus fuerit non convenit inter expositores. Alii notum Græcos secuti, alii ventum urentem i. Eurum fuisse censent. R. Levi, *ventus erat oppositus orientali, qui reducebat aquas maris super Ægyptios*. Sunt etiam qui spiritum iræ divinæ significari putant. ¶ *Texit*] Operuit. ¶ *Subierunt profundum*] Vel, *submersi sunt*. Sed in צלל significatio profundi, quod מצולה dicitur; ideo vertimus *subierunt profundum*. Ante Tremel. ediderat, *profundum petierunt*. Hieron. habet, *submersi sunt*. Onkelos, *demersi sunt*. Jonathan, *descenderunt & submersi sunt*. R. Salomo, *demersi sunt in profundum*. Munsterus & Leo Judæ, *demersi sunt*. Santes, *absorpti sunt*. Lxx. ἔδυσαν, quod reddunt *demersi*. ¶ *Tanquam plumbum*] כעופרת. Lxx. ὡσεὶ μόλιβος, dicitur & μόλυβδος & μόλιβδος, propriè plumbum nigrum. Chaldaicè אבָרא quod scriptum אברא in Thargum Onkeli & Jonathæ ad hunc locum. Arabes dicunt Alabar אל אבר. Apud Sylvaticum, *Alababar, Aloboar &c. plumbum nigrum*. Putarim legendum Alabar sive Alabara. R. Salomo עופרת אבר פלומ״ב בלע״ז, *plom, quod nunc scribunt plomb*. Appellatio à terrâ quæ עפר dicitur. pulverem reddunt. Forte quia è terra effodiatur. Abenezra notat sex species metallorum, cum in terra ponuntur, aliquid semper iis decedere post certa tempora, plumbo autem accedere quippiam. Porrò plumbum nigrum gravius albo, unde proverbium, *plumbo gravius*. Nam de nigro hoc intelligi debet, quia album vulgò stannum, & Ebraicè בדיל vocatur. ¶ *In aquis inclytis*] במים אדירים. Hieron. *in aquis vehementibus*. Lxx. ἐν ὕδατι σφοδρῷ, in aqua vehementi. Lex. vetus, σφοδρὸς, *acer, vehemens, retorrens, acerbus, alacris*. In Thes. Stephani, σφοδρὸς, *vehemens, qui impetu fertur, validus, vegetus*. Onkelos, *in aquis validis*. במין תקיפין quod Fagius reddit, *in aquis fortibus*. Quidam, *in aquis magnificis*. Sic Galli. Sed in margine annotarunt, *violentes* i. violentibus. Tremel. habet, *validis*. Ceteri, *violentibus*. Idem nomen Psal. 8. 1. in illo, *Quàm inclytum est nomen tuum:* ubi alii *grande*, alii *magnificum* ediderunt.

11. *Quis sicut tu inter fortes DOMINE? Quis sicut tu, inclytus in sanctitate, timendus laudibus, faciens mirabilia?*

Quis sicut tu] Aut, *similis tui*. Id pro eo habendum ac si dixisset, nemo similis tui est. ¶ *Inter fortes*] Ebraicè est באלים quod etiam R. Salomo interpretatur בחזקים ut Hieron. *in fortibus*. Licet vertere, *inter Deos*. Nam אל Deus. Sic Græci ἐν θεοῖς. Jonathan quoque באלי מרומא *in diis cæli sive celsis*. Abenezra, *Dii sunt angeli superiores sancti, & filii deorum astra*. R. Levi, אלים *sunt intelligentiæ quæ movent causas cælestes*. Unus Hiscuni novè interpretatur, *inter mutos ut sit* אלם pro אלמים quod mihi coactum videtur. Vide lis Fragmenta. Primæ harum vocum litteræ sunt מכבי, quas scriptas olim fabulantur in vexillis Hasmonæorum, unde fit Machabæi nomen. Logi. Nulla enim hujus rei mentio in Historiâ Ebraica. ¶ *Inclytus*] Vel, *magnificus*, nisi mavis, *magnificatus aut inclytus factus*, ut sit participium vocis passivæ, quam Niphal indigetant. Lxx. δεδοξασμένος, *glorificatus*. In notis Vatabli, *magnificatus est i. præditus est insigni sanctitate. A secundâ persona ad tertiam est transitus*. Videtur legisse נאדר cum (·) in ultimâ. Quæ scriptura extat in codice Veneto qui in octavo folium complicat, cui adjuncta paraphrasis Jonathæ, & in alio, qui cusus una cùm commentariis Hiscuni Ebræi. In secunda Veneta aliisque reperitur (ˊ) quomodo etiam legit Autor Catenæ patrum. Editio Gallica, *declaratus magnificus in sanctitate*. Onkelos, *tu magnificus es in sanctitate*. Jonathan הדור i. gloriosus. ¶ *In sanctitate*] *In solio gloriæ*. Abenezra. *in templo sancto* hoc est *in cœlo: aut per sanctitatem* q. d. sanctitas te magnificum reddit, ego. ἐν ἁγίοις. Lxx. Est autem obliquus à recto τὰ ἅγια, quo templum denotatur, item cœlum. Ps. 20. 5. *mittat auxilium tuum è sanctitate* מקדש i. è cœlo. Vulgo legunt, *è sancto*. Rursum Psal. 150. 1. *laudate Deum* בקדשו i. *in loco sancto ejus*. עולם המלאכים hoc ait R. David. ¶ *Timendus laudibus*] Vel, *timendus, laudes*. timendus i. verendus & *laudes*, ut apud Davidem, *laudes Israëlis*, quia videlicet materiam præbet laudes dicendi. Hieron. *terribilis atque laudabilis*. Lxx. θαυμαστὸς ἐν δόξαις: quod latinè legitur apud interpretem Origenis, *mirabilis in majestatibus*. Ceterum editio Complutensis habet θαυμαστῶς, ἐνδόξως, mirabiliter gloriosè. Non est tanti hæc versio ut propterea multa verba sint perdenda. Debemus bonas horas melius collocare. Jonathan, *metuendus in laudibus*. Onkelos, *metuendus laudibus vel laudes*. Nam eadem ambiguitas quæ in Ebræo. Abenezra, *omnes qui laudant Deum, verentur laudare eum. Nam quis potest enuntiare laudem nominis ejus?* R. Salomo, *verentur enarrare laudes tuas, ne infra dignitatem id faciant, & culpa eas deterant aut imminuant ingenii: Ideo legimus, Tibi silentium laus*. R. Levi *vult dicere quod ipse sit terribilis ad laudandum eum, quia nemo vivus potest dicere omnem laudem ejus*. Nicolaus, *terribilis*, Ægyptiis: *Laudabilis*, Ebræis. In notis Vatabli, *qui cum summa reverentiâ, vel cum summo timore laudandus est*. Autor Catenæ, *terribilis es cum laudaris, cum nemo satis te laudare possit. Alii legunt, Deus laudum i. omnibus laudibus dignus*. ¶ *Faciens mirabilia*] עשה פלא faciens mirabile sive mirificus, aut faciens miracula. Sic Græcè legitur ποιῶν τέρατα, faciens prodigia. Onkelos עבד פרישן quod reddunt, *faciens miracula*. Jonathan, *faciens signa & miracula populo suo Israëlitico*. Abenezra, *homines debent laudare nomen ejus quia ipse solus facit miracula*. R. Levi, *Ipse facit miracula & mutat naturam rerum, quod nemo præterea potest facere, ne quidem illi qui movent causas cœlestes*.

12. *Extendisti dexteram tuam, deglutivit eos terra*.

Extendisti] è cœlo. Quidam hoc referunt ad illud Exod. 14. vers. 26. *Et ait DOMINUS ad Moysen, Extende manum tuam super mare ut revertantur aquæ super Ægyptios &c.* Sic virga Dei vocatur etiam virga Mosis & Aharonis. ¶ *Dexteram tuam*] Hieronym. *manum tuam* ידך. eodem redit. Nam manus absolutè dexteram notat, ut in loco quem modo produximus. Sane Moses extendebat manum dexteram non sinistram. Supra vers. 9. *perdet eos manus mea*. Jonathan, *manus dextera*. Nam quum dignior sit quam sinistra, ideo κατ' ἐξοχὴν manus appellatur. ¶ *Deglutivit*] Absorpsit. Lxx. κατέπιεν & Hieron. *devoravit* אכל. ¶ *Terra*] Latè capiendum ut simul mare comprehendat, quod terræ alveo continetur. Augustinus Quæst. 54. *Terra pro aqua non mirum est posita. Tota quippe pars ista extrema & infima mundi, terræ nomine censetur, secundum id quod sæpè dicitur Deus qui fecit cælum & terram* &c. Aut hoc dicit quia mare cadavera Ægyptiorum in littus ejecerat, ubi ab aliis sepulta fuisse creduntur: alii terræ hiatu absorpta putant. Euthymius, *Illi demersi fuerant & postmodum emissi sunt in terram, ut Israëlitæ eos viderent & certiores fierent de miraculo usque ut eos spoliarent. Deinde facto terræ hiatu, ad divinæ iræ demonstrationem absorpti sunt*. R. Salomo, *Hinc eliciunt meritos esse sepulturam eo quod dixissent, DOMINUS justus est*. Priorem sententiam tuetur Cajetanus per hæc verba, *Metaphora tangitur deglutientis. Describitur enim tanquam terra guttur aqua deglutiens Ægyptios, significando id quod primum submersi homines incurrunt, videlicet jacere in fundo maris. Non enim naturaliter natant usquequo crepuerit fel*. Jonathan & Jerosolymitanus, *Mare & terra contendebant inter se. Mare dicebat terræ, Accipe filios tuos: terra dicebat mari, Accipe occisos tuos. Nolebat mare demergere illos, neque terra deglutire eos. Metuebat terra suscipere illos ne abs ea requirerentur in die judicii magni in seculo venturo, quemadmodum requiretur sanguis Habel. E vestigio extendisti manum tuam dexteram, & juramento promisisti te non requisiturum abs eâ in seculo futuro. Tunc aperuit terra os suum & deglutivit eos*.

13. *Duxisti benignitate tuâ populum quem redemisti, deduxisti robore tuo ad habitaculum tuum sacrosanctum*.

Duxisti] i. duces. Futurum pro præterito. Sic mox, deduxisti pro deduces. Hieron. *Dux fuisti populo tuo*. Lxx. ὡδήγησας &c. nempe per columnam ignis & nubis. ¶ *Benignitate tua*] בחסדך misericordia tua. Lxx. τῇ δικαιοσύνῃ σου צדקתך. Scire licet δικαιοσύνην usurpari pro benignitate. Sensus ergo in idem recidit. Onkelos *bonitate tua*. ¶ *Populum quem redemisti*] ז pro אשר: aut verte, *populum hunc quem redemisti*, ut זה subaudiatur. Sic Græci τὸν λαόν σου τοῦτον ὃν ἐλυτρώσω. Prius Hieron. habet. Cum Græcis sentiunt Onkelos & Jonathan. ¶ *Redemisti*] Liberasti. ¶ *Deduxisti*] נהלת leniter duxisti, ut pecudes aquatum ducuntur. Latini agere & irrigare dicunt, & barbari minare. Hieron. *portasti eum*. Ante Sym. ediderat διεβάστασας, & Onkelos סוברתא *bajulasti sive portasti eum*. לשון משא וסבל ait R. Salomo. Horum alterum סבל propriè de bajulis dicitur onera portantibus, ut βαστάζω apud Auctores Græcos. Lxx. παρεκάλεσας advocasti. Jonathan, *possidere fecisti eos*. חלת error in Heth & He. ¶ *Robore tuo*] Tuo non ipsorum robore. ¶ *Ad habitaculum tuum sacrosanctum*] *Ad montem Sinai*. Abenezra. *ad montem Moria*. R. Levi. *ad locum ubi postea fundatum est templum*. Nicolaus. *Jerosolymam usque*. Euthymius. *Ad terram sanctam*. Cajetanus. *promissam*. Tremellius. *ad terram Chanaan*. Edit. Gal. *in Judæam, Jerosolymam & terram Chanaan*. Autor Catenæ. *Ad montem domus sanctuarii*. Jon.

14. An

14. *Audiverunt gentes, commota sunt, dolor apprehendit habitatores Palæstinæ.*

15. *Tunc conturbati sunt duces Edom, Fortes Moab apprehendit eos tremor, dissoluti sunt omnes habitatores Chanaan.*

Gentes] circumvicinæ. ¶ *Commota sunt*] præ terrore, ut Psal. 2. *commovemini & nolite peccare.* Nam idem verbum in Ebræo. Utrobique Senes acceperunt in sig. iræ, quod etiam רגז significat, unde Græcum ὀργή & ὀργίζω. Onkelos זעו & est præt. pro fut. ¶ *Dolor apprehendit*] Hieron. *dolores obtinuerunt.* Lxx. ὠδῖνες ἔλαβον. ¶ *Dolor*] qualis est parturientium. Jonat. רתיתא metus, timor. Nam in Onkelo זיעא. Hoc usitatius est. ¶ *Apprehendit*] corripuit, obtinuit. ¶ *Habitatores*] incolas. ¶ *Palæstinæ*] פלשת. id est terræ Philisthæorum, quam Palæstinam vocant nomine strictius accepto. Male Hieron. *habitatoris Philisthiim.* Nec melius Lxx. κατοικοῦντας Φυλιστιείμ. Onk. *qui habitant in Palæstinâ.* Jon. *terram Philisthæorum.* ¶ *Conturbati sunt*] vide supra. ¶ *Duces*] אלופי ἡγεμόνες. Hier. principes רברבי. ¶ *Edom*] *Idumæorum.* Jon. Alii. Hier. de locis, *Edom terra est in quâ habitavit Esau, in regione Gabalena, quæ ex eo quod Esau pilosus esset & hispidus, Seir etiam nomen accepit. In quibus locis prius habitavit Chorræus, quem interfecit Chodorlaomor.* ¶ *Fortes*] alii *robustos*: alii, *potentes.* Ebraice אילי cum duplici Joth. Proinde Abenezra interpretatur principes ex metaphora arietum, qui gregem præcedunt à singulari איל, Cui firmando edit. Græca, ἄρχοντες μωάβ. Sed in Onk. & Jonat. תקיפי fortes. ¶ *Moab*] Moabitarum. Eusebius de locis, *Moab ab uno filiorum Lot, qui vocabatur Moab, Urbs Arabiæ, quæ nunc Areopolis dicitur. Appellatur autem Moab ex nomine urbis & regio. Porro ipsa civitas quasi proprium vocabulum possidet.* ¶ *Tremor*] τρόμος. Chaldaicè רתיתא. ¶ *Dissoluti sunt*] diffluxerunt. Lxx. ἐτάκησαν, tabuerunt. Hieron. *obriguerunt.* Onkelos, *fracti sunt.* Jonath. *liquefactum est cor eorum in medio eorum.* ¶ *Dissoluti*] vel, *resoluti*, videlicet præ metu. Sic alibi, *Cor populi dissolutum est & abiit in aquam.* Memineris autem per totum hunc versum præterita usurpari pro futuris. ¶ *Chanaan*] terræ Chanaan. Hieron. an Eusebius de locis, *Chanaan filius Cham obtinuit terram à Sidone usque ad Gaza; quam Judæi deinceps possederunt ejectis Chananæis.*

16. *Cadet super eos terra & pavor, magnitudine brachii tui fient immobiles, ut lapis, donec transierit populus tuus DOMINE, donec transierit populus quem acquisivisti.*

Cadet] תִּפֹּל Hieron. *Irruat*, & ante illum Lxx. ἐπιπέσοι: melius sane quam interpretes Chaldæi, qui videntur legisse תַּפִּל Nam vertunt, *cadere faciat.* ¶ *Super eos*] *Idumæos & Moabitas.* Abenezra. *Chananæos.* Alii. ¶ *Terror*] אֵימָתָה terror magnus. Nam terror potius אימה dicitur. Aucto numero litterarum intenditur significatio, ut in ישועתה & similibus. Hieron. *formido.* Alius, *formido magna.* Lxx. τρόμος, tremor זיע. Jonathan, *terror mortis.* ¶ *Pavor*] vel *metus.* Chaldaicè דְּחַלְתָּא & alia forma nominis דַּחֲלָא, quod scribunt דחילא ex forma absoluta דְּחִילָא Sic enim scripserim libentius quam דְּחִלָא. Nam id potius metuendum designat. ¶ *Magnitudine brachii tui*] בגדל זרועך Hieron. *in magnitudine brachii tui.* Lxx. μεγέθει βραχίονός σου. Onkelos, *multitudine roboris tui.* Jonathan, *in robore brachii potentia tua* גדול magnitudo. Nomen ad instar תְּהוֹם Abyssus. Aut est constructum ex absoluto גָּדוֹל. Id si recipimus, erit גָּדוֹל modo adjectivum, modo substantivum. Talia sunt תָּמִים integer & integritas. עד testis & testimonium, צר adversarius & angustia, אל fortis & potestas, aliaque non pauca. Sic ישר rectus & εὐθύτης. ¶ *Brachii tui*] potentiæ tuæ. ¶ *Fient immobiles*] ità Hieron. nisi quod pro *fient* habet *fiant.* Hinc אבן דומם lapis immobilis. Capnio lib. 1. Cabbalæ דוממים vocari scribit quicquid jacet immobile & quiescit, ut lapis & ferrum. R. David Psal. 103. דוממים videtur appellare corpora mista, quæ dividit in lapides, pulverem & metalla. Lxx. ἀπολιθωθήτωσαν, lapidescant. Onkelos ישתקון sileant i. quiescant. Jos. 10. דום A. σιώπα. Sym. παῦσον. Job. 30.27. ולא דמו. Sym. οὐκ ἐπαύσατο. Hier. *absque ulla requie.* Psal. 4. 5. Aquila verbo ἡσυχάζειν reddit. Nunc ad rem. Jonathan, ישתקון. Santes, *tacuerunt.* Arias, *taceant.* Tremel. *conticescent.* Edit. Gal. *fient stupidi.* Leo Judæ, *obstupescant.* Ebraicè ידמו. R. Levi, *præ magnitudine timoris ac metus fient similes lapidi qui quiescit & immobilis est.* ¶ *Donec transierit*] vel, transeat. Onkelos, *donec transeat populus tuus DOMINE, Arnonem; donec transeat populus iste quem liberasti Jordanem.* Jonathan, *usque dum transierit populus tuus DOMINE torrentes Arnonis, usque dum transierit populus tuus iste, quem acquisivisti, vadum Jaboc.* Jerosolymitanus, *donec transierit vadum Jaboc & vadum Jordanis.* Abenezra, *bis dicit donec transierit, quia dies multos insumpserunt dum circuirent montem Seir.* Nicolaus, *donec pertranseat, ad locum ubi fundatum est templum* ¶ *Populus quem*] vel, *populus iste quem.* ¶ *Acquisivisti*] comparasti, ἐκτήσω, possedisti. Sed melius, *acquisivisti.* Nam cum prius Ægyptiis serviissent post liberati ab eo jugo, DOMINO servierunt, qui eos redemit & sibi acquisivit. Sane Onkelos vertit די פרקתא, quem redemisti. alias, *liberasti.* Jerosolym. *quem acquisivisti nomini tuo.*

17. *Introduces eos & plantabis eos in monte possessionis tuæ loco quem ad sedem tuam operatus es DOMINE: sanctuario DOMINE quod firmaverunt manus tuæ.*

18. *DOMINUS regnabit in seculum & æternum.*

Introduces eos] prophetia de futuro. Aut lege, *introducas*, ut sit precatio. Posset etiam verti, Adduces eos, nempe ad terram promissam. ¶ *Plantabis eos*] sig. fixam & stabilem eorum habitationem ibi fore, metaphora ab arboribus accepta, quæ cum in terra altiores radices egerint, non facile inde evelli possunt. Sic dico, innuit firmam & certam sedem, cui opponitur habitatio vaga & incerta, qualis est eorum qui subinde sedem mutant, & de loco in locum migrant. Similem locutionem habes Psal. 44. 3. & 80. 9. Sed & Amos 9. 15. legimus, *plantabo eos in terra ipsorum*, pro, fixas ac stabiles sedes dabo. ¶ *In monte possessionis tuæ*] vel, *hæreditatis tuæ.* Sed Hæreditatis propriè ירשה dicitur. Hic est נחלה in fonte, quæ vox usitatè redditur ab interpretibus *possessio.* Sed quis mons iste? Utrum Moria, in quo templum extructum? An Sion, cujus pars erat Moria? Hoc Euthymius, illud R. Levi annotavit. Abenezra, *capiendum ut Deut. 3. 25. Montem bonum istum & Libanum:* quem locum enarrant de montanis Judææ, aut potius de ipsa Judæa, quæ montibus referta erat. Cajetanus, *terram promissionis à montibus denominat, eo quòd illustrior pars montana est* Jonathan, *in monte domus sanctuarii.* Lippomanus, *Mons hæreditatis DOMINI est mons Sion sive Moria.* Nicolaus, *in terra promissionis quæ est montosa.* Sic etiam Tremel. ¶ *Loco quem ad sedem tuam operatus es*] vel, *basi habitationis tuæ quam operatus es.* Basi i. firmamento aut stabilimento. Doctè Hieron. *firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es.* מכון לשבתך firmamentum habitaculi i. firmissimum habitaculum. Et est genus constructionis ut תפלה למשה oratio Mosis. Lxx. εἰς ἕτοιμον κατοικητήριόν σου, ubi ἕτοιμον malè redditur *paratum*, cum potius significet firmum ac stabile, ut apud Davidem ἕτοιμος ὁ θρόνος σου i. interprete Hieron. *firmum solium tuum.* Hinc ἡτοιμάσθη firmatum aut stabilitum est. Nihil verius. Onkelos, *loco apto ad domum divinitatis tuæ, quem aptasti DOMINE.* Pro loco i. אתר, quod etiam Jonathan habet, Jerosolymitanus substituit מדור habitaculum, mansio. Idem pro *aptasti* i. אתקנת, habet די מתקן לך quod præparatum est tibi. Santes, *loco habitationis tuæ quem operatus es.* Tremel. *loco quem ad habitationem tuam operatus es.* Munsterus, *ubi habitaculum mansionis tuæ fecisti.* Ceterum locus propriè מקום dicitur. מכון autem est basis, aut locus firmus, stabilis. ¶ *Ad sedem tuam*] ad habitationem tuam. ¶ *Operatus es*] id est fecisti. Nam פעל & עשה se mutuo explicant. Sic apud Davidem, *justus quid operatus est* i. fecit. Alii exponunt, *præparasti*, cui firmando editio Chaldaica, quæ ab urbe nomen accepit. Consule versionem quæ Bibliis Vatabli. Sed & Gallica habet, *que tu as apprêté.* Eadem annotat posse locum intelligi de universâ terra Chanaan, peculiariter autem de loco ubi templum fuit extructum. ¶ *Sanctuario*] vel, *sacrario.* מִקְּדָשׁ cum Daghes in Coph, quod ornatus causâ ibi ponitur. Jonath. & Jerosolym. *domo sanctuarii.* Lxx. ἁγίασμα. Posses vertere, *sanctuarium DOMINE firmaverunt* i. firmabunt, *manus tuæ.* Videtur hæc versio commodior esse. Nam certè non plantavit eos in sanctuario, nisi construas, *introduces eos ad sanctuarium quod* &c. expende. ¶ *Firmaverunt*] ἡτοίμασαν. Lxx. *aptarunt*, Onkelos. *fundarunt.* Jon. & Jerosolym. ¶ *Manus tuæ*] *ambæ manus tuæ.* Jerosolymitanus. Mirum autem quid sibi voluerit ille qui in editione Veneta, quæ in octavo folium complicat, annotavit Joth in ידיך redundare. Nam ut sit nomen singulare, id non patitur verbum antecedens. Jonathan habet אידיך. Nam dicimus etiam אידא cum Aleph in capite. ¶ *Regnabit*] vel, *regnat.* Sic Græci βασιλεύων: & Onkelos, *regnum ejus stat* i. stabile est. Hiscuni, *Utinam regnet super nos perpetuo DOMINUS qualis hic est, qui tam benè de nobis meritus est.* ¶ *In seculum & in æternum*] לעלם ועד. Hieron. *In seculum & ultra* i. ועד. Lxx. τὸν αἰῶνα καὶ ἐπ' αἰῶνα καὶ ἔτι, seculum & in seculum & adhuc. Lectio varians, εἰς αἰῶνα καὶ ἐπ' αἰῶνα. Interpres Origenis *in seculum & in seculum.* Sic etiam Euthymius legit. Videndus Origenes apud Lippomanum, hoc est in Catena patrum. Onkelos *in seculum & in secula seculorum.* Cajetanus, *in seculum & usque.* In Græcis putarim duas ver-

versiones coaluisse, quarum una *εἰς αἰῶνα*, altera *ἐπ' αἰῶνα.* Quod novum non est in illis libris. Tremel. *in seculum & seculum i. in omnia secula.* Hoc in textu, illud in margine posuit. Santes, *in seculum & perpetuum.* Munsterus & Leo Judæ, *in seculum & in perpetuum.* Abenezra & Hiscuni putant sermonem brevem esse pro, *in seculum & usque in seculum.* Cui sententiæ repugnat Jes. 26.4. עדי עד quod Hier. interpretatur, *in seculis æternis.* Lxx. *ἕως τοῦ αἰῶνος.* Tremel. *usque in sempiternum.* R. David, *in seculum* aut *in secula seculorum* i. in omnia secula, vel in omnem æternitatem. Idem annotat עד plus temporis includere quam עולם. Ceterum Lxx. vertunt *καὶ ἐπέκεινα* Mich. 4.5. quos secutus videtur Hieron. Job. 20.4. מני עד. Lxx. *ἀπὸ τοῦ ἔτι.* Sym. *ἀπ' αἰῶνος.* Santes *à seculo.* Hieron. *à principio.* Proverb. 29.13. לעד. Aquila *εἰς ἔτι.* Sym. *εἰς ἀεί.* Alius, *εἰς αἰῶνα.* Psal. 104.5. לעולם ועד. Hieron. *in seculum & in seculum.* Lxx. *εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος.* Arias, *in seculum & perpetuo.*

19. *Ingressus est enim equus Pharaonis cum curru ejus & equitibus ejus in mare, & redire fecit DOMINUS super eos aquas maris: Filii autem Israel iverunt per siccum in medio ejus.*

Ingressus est enim] כי בא. Lxx. *ὅτι εἰσῆλθεν.* Versus iste pertinet ad Canticum. R. Salomo, *Quum ingressus esset.* Sic etiam Tremel. *Quum procederet.* Onk. & Jon. *Ingressi enim sunt equi Pharaonis* i. סוסי vel סוסים. In edit. Latinâ vulgata, *Eques Pharao:* quod minus probo. Quanquam סוס pro equite ponitur, nempe vehens pro eo qui vehitur. Sane Jerem. 12.5. את הסוסים. Quidam interp *cum equitibus*, & Syrus habet *ἱππεῦσι.* Contra reperitur *eques quadrupes* pro equo. ¶ *Cum curru*] ad verb. *in curru:* & est sensus, cum curribus. ¶ *Redire fecit*] reduxit. ¶ *Iverunt*] vel, *ibant.*

20. *Et accepit Maria prophetis soror Aharonis tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes fœminæ post eam cum tympanis & cum tibiis.*

21. *Et respondebat eis Maria, Cantate DOMINO quia efferendo elatus est, equum & vectorem ejus projecit in mare.*

Maria] vel, *Mariam*; quod Græcè est *μαριάμ.* Hodie מרים Mirjam. מרים Mariam, ut מגדל Magdal: unde Magdalene. Dialectus Syriaca ita vocales mutat. In Maria abjecta ultima, ut in Golia, Gehenna & similibus. Sic Adæ declinarunt à recto Adam. Appellata, si Ebræis credendum, ab amaritudine. In Chronico majore, quod vocant Seder Olam rabba, *Cur nominatur Maria? Propter amarorem*, quem videlicet eâ ætate senserunt, cum in lucem ederetur. In Libro Nominum, *Maria, stella maris.* emenda, stilla maris. מר stilla ים mare. Emendatio tam certa quam quæ ad Sagram. ¶ *Prophetis*] ἡ προφῆτις. Quidam, *vates.* Hieron. & alii, *prophetissa.* Quod ita dicitur ut *comitissa.* Dubito an Latinum sit. R. Salomo, *Quando prophetavit? Quum esset Soror Aharonis ante natum Mosem dixit Mater mea pariet filium* &c. Hiscuni הנביאה interpretatur בעלת דברי השכה *quo sensu*, inquit, *accipitur in illo, & Aharon frater tuus prophetes.* Sed quin habuerit donum prophetiæ non dubitabit qui adibit ad locum, qui habetur Num. 12.2. *Num per solum Mosem locutus est DOMINUS? Nonne & nobis similiter est locutus?* De etymo nominis Maria ita scribit Lippomanus autor Catenæ, *Hanc Ebræi ideo vocatam asserunt, quia per receptionem quæ Cabbala vocatur ea nata amarum imperium Ægyptiorum super Ebræos acceperunt cœpisse. Nam Marar Ebræ. amarum sonat. Licet enim prius servirent, non tamen usque adeo premebantur.* ¶ *Soror Aharonis*] Hoc adjecit διακρίσεως ἕνεκα. Nam non est dubium quin inter Israelitidas aliæ fuerint ejusdem nominis. Sed cur dicit *Aharonis?* Cajetanus, *soror appellatur Aharon Maria quia prius fuit soror Aharon, quam Moysi, & ideò nomen ejus exprimitur, & tacetur Moysi.* R. Salomo, *Erat soror Aharonis, antequam esset soror Moysis, videlicet ante natum Mosem.* Aliter, *quia tradidit animam suam pro ea, cum leprâ percuteretur; ideò vocatur soror Aharonis.* Quæ Nicolaus his verbis expressit, *quare non dicitur soror Moysi, sicut & soror Aharon? Ebræi assignant duplicem causam. Una est quod ante nativitatem Moysi, cum adhuc non haberet fratrem nisi Aharon, prophetavit matri suæ quæ paritura erat filium qui liberaret Israel. Alia causa est, quia Aharon ostendit se multum zelare pro eâ, quando fuit percussa leprâ, ut habetur Num. 12.* ¶ *Tympanum*] τὸ τύμπανον. Dicitur & τύπανον. Origo nominis ex Ebræo תף typanum & tympanum, inserta littera, ut fit, per epenthesin. Hinc תופף tympanista, τυμπανιστής, tympanotriba. Typani voce usus est Catul. *Manibus leve typanum.* Homerus, ἢ κροτάλων τυπάνων τ' ἰαχὴ σύν τε βρόμος αὐλῶν. Sic Didymi dicebant pro Dindymi. Ceterum tympana pulsabant olim puellæ, unde Psal. 68.26. עלמות תופפות, & interprete Hieron. *puellæ tympanistriæ:* & fœminæ aliæ, ut liquet ex sequentibus. ¶ *Omnes fœminæ*] omnes mulieres, πᾶσαι αἱ γυναῖκες. ¶ *Tibiis*] vel magis, *choris.* Nam tibia propriè חליל dicitur. מחול autem est chorus vel chorea, quæ ad tibiam agebatur: unde nomen. Est autem chorus multitudo canentium aut saltantium. Hieron. ad Dardanum scribit chorum esse musicum instrumentum ex simplici pelle, cum duabus cicutis æreis, quod per primam inspiratur, & per secundam sonus emittitur. Eadem scribit Strabus: Sed addit, *secundum alios vero chorus est multitudo simul canentium, & dicitur chorus quasi coævorum cantus.* Idem de Tympano annotat, *Tympanum secundum aliquos ge[illegible]est tubæ in summis habens fistulam vel fistulam, per quam [illegible] reddit sonoram: secundum alios vero est pellis extensa inter duo ligna.* Jam ad interpretes. Onkelos חנגין. Jonath. חנגא i. chorus. Sic etiam Hieron. Sed & Lxx. *χορῶν.* Santes quoque & Munsterus, Leoque. Quorum hic in margine notavit, *alii tibiis.* Tremel. *fistulis.* Gal. Edit. *fleutes, ou danses.* Erant autem choreæ sanctæ, de quibus 2 Sam. 6.14 & 21. Item 1 Paralip. 15.29. ¶ *Respondebat eis*] Vide supra. ¶ *Eis*] *αὐτοῖς*, videlicet viris. Nam להם in fonte. Aut est enallage generum. Contra in historia Ruth להן ponitur pro להם. ¶ *Elatus est*] vel, *extulit se.* Alii, *magnificando magnificatus est.* Hieron. *gloriose magnificatus est.* Lxx. *ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται.* Onk. *extulit se supra elatos.* ¶ *Vectorem*] ascensorem. ¶ *Projecit*] *projecit ac demersit.* Jonath. *dejecit.* Hieron. *ἔρριψεν.* Lxx.

22. *Et proficisci fecit Moses Israelem à mari Suph, qui egressi sunt versus desertum Sur, iveruntque tribus diebus in deserto illo, & non invenerunt aquam.*

23. *Et venerunt in Mara, nec potuerunt bibere aquam de Mara, quia amaræ erant: ideò vocavit nomen ejus Mara.*

Proficisci fecit] יסע pro ויסע. Thema נסע proficiscor. Chaldaicè אטל παρὰ τὸ נטל ἐπαίρω, vel magis ἀπῆρεν. Hieron. *tulit* ויטל. Videtur sono affini deceptus. Lxx. *ἐξῆρε* fecit ut castra moverent. Novè usurpant *ἐξαίρω*, cum usitatè sig. castra moveo. Interpres malè, *sustulit.* Quæ Nicolaus ad hunc locum annotavit, *dicitur tulit quia cum quadam violentia & importunitate fecit eos inde recedere. Erant enim cupidi, & ideo erant nimis intenti ad spolia Ægyptiorum submersorum colligenda, quia secundum quod dicunt Ebræi, ista spolia fuerunt majora & pretiosiora quam illa quæ asportaverant ex Ægypto per accommodationem, de quibus Cap. XII.* Ea habentur in R. Salomone tantum. Nam Abenezra putat eos inde profectos jussu Dei. R. Levi autem admonet probabile esse ut dicamus partem exercitus ibi hæsisse avidam colligendi si quid mare ejiceret de spoliis Ægyptiorum: aut plerosque ibi libenter mansisse propter signa & miracula quæ ibi Deus ediderat. Porro sciendum ex verbo הסיע non sequi quod illi volunt. Nam exercitus non solent se movere nisi prius imperator jusserit. Ideò quidam vertunt, *Et proficisci jussit Moses.* Nulla enim certe illo verbo coactio denotatur. ¶ *Qui egressi sunt*] melius fortè ad sententiam, *progressi sunt*, vel certè, egressi perrexerunt. ¶ *A mari Suph*] Tremel. *à mari algoso.* Hier. *de mari rubro.* Sic etiam editio Gallica. ¶ *Versus desertum Sur*] אל מדבר שור ad desertum Sur. Hieron. *in desertum Sur.* Et prius Lxx. *εἰς τὴν ἔρημον Σούρ.* Eusebius de locis, *Sur ubi invenit Angelus ancillam Saræ Hagar, inter Cades & Barad. Extenditur autem desertum Sur usque ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit. Porro Cades solitudo est supra urbem Petram. Sed & Scriptura desertum Cades contra faciem Ægypti extendi memorat, ad quod primum venere Ebræi rubro mari transvadato.* Hieron. Fabiolæ, *Egressis de mari rubro occurrit eremus Sur, quæ & solitudo Etham dicitur.* Abenezra, *Desertum Sur est ipsum desertum Etham, vel quod duo nomina haberet, vel quod duæ urbes ibi essent, quæ sic vocarentur.* Ut ut sit, desertum Etham vocatur Num. 33.9. Ebraicè אתם. Quidam Etham longe latèque patuisse scribunt, cujus partem constituunt solitudinem Sur. Vide Paulum Episcopum in Addit. Exod. 14.22. itemque Lyram; Sed & Camium Psalm. 136.13. Onkelos hic habet, *in desertum Hagra.* חגרא. Hagræ mentio apud Plinium. Vide quæ scripsimus Gen. 16.7. ubi שור Onk. & Jon. reddunt Hagra: Jerosolym. vero *Halusa*, ut hic Jonathan למדברא חלוצא versus eremum Halusa. Ergo Sur quatuor nomina habuit, Sur, Etham, Hagra, & Halusa. Usus est voce Hagra interpres & pro ברד i. Barad. Nam ubi legitur, *inter Recam & Barad*, Onkelos, nisi fallor, habet *inter Recam & Hagra.* Erat autem Sur inter Cades & Barad, ut supra ex Eusebio notavimus. De Mari Suph diximus alibi. Id interpres vulgatus perpetuo rubrum vocat, non quod Suph nu-

rubrum sig. ut putavit Hieron. sed quod idem sit mare Suph & rubrum. Græci ἐρυθραῖον dicunt, & hic legimus ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἐρυθρᾶς, quod sonat à mari rubro. Quidam ejus aquas rubere crediderunt, unde nomen. Alii arenam ejus rubram esse ajunt. Utramque opinionem refellit Brodæus Miscel. lib. 3. cap. 9. per hæc verba, *quod Græci mare Erythræum à rege Erythra, qui ibi, ut mea fert opinio, regnavit, vocant, hoc Latini rubrum dixerunt. Alii solis repercussu talem reddi colorem existimantes, Alii ab arena terraque, Alii tali aqua ipsius natura, ut scribit Plinius.* Plura adfert Strabo. Sæpenumero à Nautis sciscitatus sum, qui tempestatibus in hoc ejecti, quique etiam hoc, peregrè in has regiones profecti, multos dies contemplati essent, an veritati consentirent; quæ de ejus rubra aqua & arena partim vulgo jactarentur, partim à claris hominibus litteris mandarentur: quorum nonnulli meam infantiam mirari, Alii stultitiam ridere, qui mihi fucum fieri non sentirem. Neminem porro adhuc tam stolidum Nautam repperi, qui mare illud rubrum appellatum ab oceano nostro quicquam differre prædicaret. Quare explosâ, rejectaque quorundam mentiendi licentia, Curtium, lib. 8. indicantem aliquando amplectamur. *Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret à ceteris, ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere ejus aquas credunt.* Ebræi mare Suph Plinio non repugnante appellant, hoc sylvis refertum esse lib. 13. memoriæ prodente. Quæ in eo arbores nascuntur, docet lib. 4. περὶ φυτῶν Theophrastus. Jonathan quoque meminit vers. 19. hujus capitis, *Filii Israel*, inquit, *iverunt per siccum in medio maris, Ibi ascendebant fontes dulces & arbores edules, & olera, & fructus optimi in fundo maris.* Regem Erythrum, sive, ut alii appellant Erythram, quidam Edom fuisse putant, in quo sig. rubedinis. Finem faciam, si prius addidero quæ Scaliger contra Cardanum de hoc mari litteris prodidit, *In Erythræo*, inquit, *tantum est æstus, ut osores sacrarum litterarum temere mentiti sint, Mosem in sicco transivisse, & nactum refluxionis occasionem. Quod tamen fieri non potuit, propterea quod ad Sues usque, quod intimo in recessu jacet, mare operit littus illud: neque unquam regrediens ita nudat, ut inferiores partes, qua transierunt Ebræi, suâ decessione aperiat.* Vide nunc, si placet, quæ ad hunc locum notarunt Fagius & Steuchus. Fagius in paraphrasin Chaldaicam: Steuchus in recognitione editionis vulgatæ. ¶ *Tribus diebus*] vel, *triduo* Abenezra censet eos tantum interdiu iter fecisse cum neminem metuerent jam Ægyptiis demersis. Erant autem, ut idem annotat, ad montem Sinai profectiones sive mansiones i. מסעות numero sex: & aër optimus neque humidus neque siccus nimium, sic ut sine tabernaculis & columna nubis facile perdurare potuerint. Cum autem venissent ad montem Sinai, tunc primum fecerunt sibi umbracula &c. ¶ *In deserto illo*] per desertum illud. Hinc elicimus grande & latum desertum fuisse. ¶ *In Mara*] מרתה. id est לִמָרָה ut Onk. & Jon. ediderunt. Græci codices, quos vidi, μεῤῥᾶ habent. Latini veteres Marath. Unde liber Nominum, *Marath amara*, & Alius, *Marath, quinta mansio Israelitarum in deserto, ubi Moyses aquas amaras reddidit dulces, conjecto in eas ligno.* Interpres Origenis, *Post transitum maris rubri &c. venitur ad Marath, sive juxta aliam litteram, Myrrham.* Legerim Merram. Sane Codex Romanus ἦλθον εἰς μεῤῥᾶ: & Alius εἰς μεῤῥᾶν. ¶ *Amara*] Marim. ¶ *Ideo vocavit*] Quis? populusne an Moses? Posses reddere, *vocatum fuit.* Hieron. *unde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara i. amaritudinem.* Lxx. διὰ τοῦτο ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου Πικρία. Lectio varians ἐπωνομάσθη, nominatum fuit. Πικρία vero est interpretatio nominis Mara. Obiter noto, apud Augustinum in quæst. super Exodum, perperam legi Mesra pro Merra. Hieron. de locis, *Mara quod interpretatur amaritudo, locus est in quo amaras aquas jactu ligni Moyses in dulcem vertit saporem.*

24. *Et murmuraverunt populus contra Mosen, dicendo, Quid bibemus?*

25. *Clamavitque Moses ad DOMINUM, qui docuit eum lignum, quod projecit in aquas & dulces factæ sunt aquæ: ibi posuit ei statuta, & Judicia, & ibi tentavit eum.*

Et murmuraverunt] וילנו Hieron. *& murmuravit.* Sic Græci διεγόγγυζεν ילן. Sed Onkelos & Jonathan ואתרעמו *& murmurarunt.* Populus enim ex pluribus constat. Ideò sequitur in Lxx. λέγοντες. Sic, *turba ruunt in me luxuriosa proci.* Grammatici hujusmodi nomina collectiva vocant. ¶ *Clamavitque*] Onk. & Jon. *precatus est* sive *oravit.* ¶ *Qui docuit eum*] ויורהו & docuit eum. Quod Onkelos dixit ואחזייה. Fortè naturam & vim ligni, quam Moses ignorabat, ipsum docuit. Hieron. *ostendit ei.* Et Lxx. ἔδειξεν αὐτῷ. Jonathan & Jerosolymitanus *indicavit ei.* Quod alius dixit הורה לי, & Alius הורה לי Psal. 119. 37. הורני doce me. Sym. ὑπόδειξόν μοι Hieron. *ostende mihi.* Similiter Psal. 27. 11. Sed & Exod. 4. 12. והוריתיך. Idem Sym. ὑποδείξω ostendam sive demonstrabo. ¶ *Lignum*] עץ & lignum & arborem signat. Hinc varietas interpretum. Nam Onkelos אעא & Lxx. ξύλον, quæ vox in lingua Hellenistica etiam arborem significat. Hier. & Alii qui eum secuti sunt, *lignum.* Ceterum Jonathan & Jerosolymitanus *Arborem* interpretantur, quam amaram fuisse dicunt & proprio nomine Ardiphne vocant. Verba Jonathæ, *indicavit ei DOMINUS arborem amaram Ardiphne* אילן מריר ארדפני Jerosol. autem, *indicavit ei sermo DOMINI arborem Ardiphne.* Lignum hoc amarum fuisse prodidit & historia Scholastica. Ejus mentio Sirach 38. 5. Lexicon Chaldaicum Eliæ, ארדפני *nomen est arboris quæ flores edit similes liliis, & hi flores amari admodum sunt. Porro codices nonnulli scribunt* הרדפני *cum aspiratione* i. Hardiphne. Gen. 30. 37. ubi in fonte ערמון platanus, Jonathan habet דולב. Forte legendum, אדלפני. Hoc pono, non statuo. Abenezra, *Hoc lignum nescimus quale fuerit. Illud tantum fuisse rem miraculi plenam, & si aqua stabant non aberat medicina. Rectum autem est quod de illo ligno prodiderunt Doctores nostri felicis memoriæ.* R. Levi, *Dixerunt Doctores nostri P. M. in Mechiltha lignum istud fuisse amarum, & ecce hoc dixerunt ut ostenderent miraculo aquas amaras factas fuisse dulces, non vi aut natura ligni.* Quæ sequuntur hanc sententiam continent, Posse fieri ut in ligno illo fuerit vis aliqua quæ aquam amaram dulcem redderet, tamen fontem totum non potuisse dulcem fieri absque miraculo. Idem sentiendum de massa ficuum quæ imposita fuit ulceri Ezechiæ: item de aqua Jordanis, in qua Naaman Syrus septies se lavit. Nam aqua illa sola non potest lepram curare. Nicolaus ad hunc locum, *Dicunt aliqui quod istud lignum de naturâ suâ erat amarum: & sic fuit ibi majus miraculum, in quantum per ejus immissionem dulcorata sunt aquæ & factæ potabiles. Contrarium autem videtur mihi per illud Eccles. 38. a. Nonne à ligno dulcorata est aqua &c. Nam ibi loquitur Scriptura de naturalibus proprietatibus terræ nascentium ad utilitatem hominum.* Augustinus, *Genus ligni erat habens istam vim, an quolibet ligno id facere poterat Deus, qui tanta mirabilia faciebat?* Vide, in ejus operibus librum 1. de Mirabilibus sacræ Scripturæ. Ceterum ne frustra te fatiges, recte facies, meo judicio, si acquiesces in judicio Theodoreti sic scribentis, *Multi quæsierunt quodnam lignum fuerit per quod amara aqua dulces factæ sunt. Supervacaneum atque absurdum est, quæ à Scriptura silentio prætermissa sunt exquirere. Satis abundeque nobis sit didicisse, per lignum amaras aquas in dulces Deum commutasse.* ¶ *Projecit*] vel *injecit* i. ἐνέβαλεν. Onk. ורמא. Jon. טלק. Jerosolym. vero זרק, nisi mendum est pro טלק. ¶ *In aquas*] *in medium aquarum.* Jon. & Jerosolym. ¶ *Dulces factæ sunt*] וימתקו dulcuerunt. Hieron. *in dulcedinem versæ sunt.* Lxx. ἐγλυκάνθη τὸ ὕδωρ. Jonath. *scripsit in eo ligno nomen magnum & pretiosum, & projecit illud in medias aquas, & dulces factæ sunt aquæ.* ¶ *Ibi*] in Mara. ¶ *Posuit*] Ebræo constituit, שם. Sed Onkelos גזר לה decrevit ei. Jerosolym. autem חוי לה, indicavit ei. Fortè *posuit* i. dedit. ut ibi, *Posuit mihi semen pro Habel:* quanquam ibi שת in fonte. ¶ *Statuta & judicia*] Lxx. δικαιώματα καὶ κρίσεις. In verbo est, *statutum & judicium.* Ebraicè autem משפט pn. malè Hieron. *præcepta atque judicia* i. חקים. Onkelos, קים pactum דין & judicium. Jonathan, *decretum Sabbathi & statutum de honorando patre atque matre, & judicia vulneris livorisque & pœnarum quibus puniunt sontes.* Jerosolymitanus, *pacta vel statuta & ordines judiciorum.* R. Salomo, *dedit illis aliquas sectiones legis in quibus sese occuparent & exercerent, Sabbathum & juvencam rufam & judicia.* Quæ fusius persequitur Nicolaus, *Dicit hic R. Salomo quod DOMINUS videns filios Israel occisos, (ne per ocium quod est sentina omnium vitiorum declinarent ad pejora) dedit eis duo præcepta legis ut studerent in eis ad sciendum & ad operandum, scilicet præceptum de observatione Sabbathi quod continet plures observantias: & præceptum de vacca rufa, de cujus cineribus commixtis aqua fiebat aqua lustrationis, per quam purgabantur immundi Num. 19. Tradidit etiam eis aliqua capitula pertinentibus ad judicialia, ut scirent qualiter deberent ad invicem juste ac pacificè conversari.* Abenezra, *DOMINUS posuit Israeli statuta & judicia ad erudiendum & docendum eum.* R. Levi ait Doctores hunc locum communiter declarare de Sabbatho & de judiciis, quorum mentio in sectione, *Hæc sunt judicia.* Quod ipse improbat, scribens nulla præcepta data de judiciis ante decalogum. Id probat ex ipso textu. Idem duas alias interpretationes adfert. Una est, Populus qui murmurabat contra Mosen posuit ibi Deo statutum & judicium.

Nam

Nam in ea opinione erat ut crederet Deum non posse nisi male importare, quemadmodum hucusque fecerat potentiam suam exerendo per plagas; unde Pharao, *videte*, inquit, *quia malum est ante vos.* Nunc ergo eum tentavit an posset etiam bonum conferre, cum siti premeretur. Quâ de re Deus eum securum reddidit per consequa verba. Alia interpretatio. Ibi notum fecit eis se ordinaturum illis statuta, & judicia, in quibus sese exercerent, cum diceret, *si audieris vocem* DOMINI *Dei tui* &c. Vatablus, *Non hic statuta, sive ritus & judicia scripta dedit Deus (nam hoc postea factum legimus) sed pactum refricavit cum patribus factum, docuitque populum suum Deus per os Mosi: ne scilicet ex servitute liberati* &c. Vide, si placet. ¶ *Ibi tentavit eum*] Jonathan addit, *decem tentationibus.* Quæ autem sint illæ decem tentationes non explicat nec mihi adhuc liquet. (De his decem tentationibus, quibus tentati fuerunt Israelitæ, vide Avoth, cap. 33. Ajunt etiam Abrahamum decies tentatum fuisse, quæ 10. tentationes enumerantur à Fagio in notis ad illum librum p. 94.) Tentavit i. probavit, exploravit, nempe per litim. Nam Deus tentat, quem probat. Quidam, *extulit eum*, ut Psal. 4. נסה עלינו attolle super nos. Videndus R. Levi. Nimis coactum hoc. Nam in Ebræo נסה quod tentare, non attollere significat. Adhæc in נסה Samech positum pro Sin, & He pro Aleph. Sunt etiam qui pronomen ad Deum referunt, ut dicat, *ibi populus tentavit Deum.* Quod ut non improbo, ita magis probo primam expositionem, quam veram esse puto. Nam certe probavit & exploravit ioi fidem ac patientiam eorum deducendo in locum ubi non erant aquæ potabiles. Sic alibi, *quia tentat* DOMINUS *Deus vester vos ut sciat an diligatis ipsum.* Vide sis Deut. 8. 2. Huc etiam facit locus qui habetur infra 16. 4. *ut tentem eum utrum ambulet in lege mea an non.* Accedat dictis quod habetur in Paulo de Sancta Maria Burgensi Episcopo, addit. 3. *Antiqui Ebræorum communiter tenent quod præceptum de observatione Sabbathi & quædam judicialia fuerint data populo Israelitico in hoc loco, non autem præceptum de vacca rufa, ut dicit R. Salomo. Quod rationabilius dicitur. Nam de præcepto Sabbathi satis patet, cum infra* XVI. *capite ante dationem legis habeatur, Videte quia* DOMINUS *dedit vobis sabbathum. De judicialibus autem satis videtur necessarium ut eis darentur aliqua judicialia præcepta. Non enim tantus populus potuisset durare usque ad dationem legis nisi habuisset aliquas constitutiones, quibus regerentur in judicialibus. Præceptum autem de vacca rufa erat omnino superfluum & inutile pro tunc, donec tabernaculum fieret* &c.

26. *Et dixit, Si audiendo audieris vocem* DOMINI *Dei tui, & rectum in oculis ejus feceris, & aurem accommodaveris ad præcepta ejus, custodierisque omnia statuta ejus, nullum morbum, quem posui in Ægypto ponam super te, ego enim sum* DOMINUS *sanator tuus.*

27. *Et venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ; & castrametati sunt ibi super aquas.*

Si audiendo audieris vocem] Audire hic est dictis parere. Ideò melius verteretur, *si auscultando auscultaveris voci.* Aben. observat verbum שמע semper hoc significare quando cum ל aut ב construitur. Chaldæi hic legunt, *si recipiendo receperis traditum sermonem* DOMINI. Hinc R. Salomo, *Hæc est Cabbala quam receperunt super se.* In Chaldaismo est אן קבלא תקבל unde Cabbalæ vocabulum. ¶ *Et rectum in oculis ejus feceris*] Hæc sunt præcepta, quæ vocantur, affirmativa. Et nota quod dicit, *in oculis ejus.* Facienda sunt quæ placent Deo, non quæ nobis recta videntur. Lxx. habent τὰ ἀρεςὰ ἐναντίον αὐτῦ. Hieron. *quod rectum est coram eo.* Sic etiam Jonathan, קדמי. ¶ *Aurem accommodaveris*] Vel, *attenderis.* Santes, *obtemperaveris.* Arias, *auscultaveris.* Hieron. *obedieris.* Lxx. ἐνωτίσῃ auribus perceperis. ¶ *Ad præcepta ejus*] Quæ attentionem „ desiderant, sive ea sint affirmantia sive negantia. R. Levi. *negantia tantum.* Abenezra. *inclinaveris aures ad subtiliter indagandum ea.* R. Salomo. Ceterum præcepta hic à Chaldæis פקודין vocantur, quæ vox etiam Ebræis in usu. R. David interpretatur פקודים dicens esse præcepta naturalia cordibus hominum insculpta, adeoque mandata Dei quælibet. Hic est מצות in fonte. ¶ *Custodieris*] Observaveris. Custodit Dei statuta qui in eis ambulat, ut alibi habetur. Contra facit qui transgreditur & violat ea. ¶ *Statuta ejus*] τὰ δικαιώματα αὐτῦ. i. ritus & Ceremonias ejus. Ebraicè חקים & Chaldaice קימין vocantur. Munsterus, *Exponunt Ebræi communiter pro illis statutis, quæ non habent ullam rationem, quare Deus illa observanda imposuerit, ut est esus carnis suillæ, vestis ex lana & lino contexta & similia.* R. Salomo addit, *vaccam rufam.* ex eo Munsterus hæc desumpsit, nisi fallor. Vide sis commentarium ipsius ad hunc locum. Psal. 89. 32. חקתי Hieron. *ceremonias meas.* Lxx. τὰ δικαιώματά μυ. Quo nomine sacri ritus à Deo traditi, totaque adeo lex ceremonialis denotari creditur. ¶ *Nullum morbum*] Vel, *nullam ægritudinem.* מחלה Morbus, ægritudo, infirmitas. Hieron. *languorem* reddit. Lxx. νόσον. ¶ *Quem posui in Ægypto*] Quem imposui sive intuli tibi, cum in Ægypto esses: vel, quem imposui sive importavi Ægyptiis. Sic Græci Lxx. ἣν ἐπήγαγον τοῖς Αἰγυπτίοις: & Jonathan, *quem posui super Ægyptios.* Vide infra 23. 25. Autor Catenæ, *Languorem Ægyptiis impositum, intelligit ærumnas, plagas & vastationes quibus Ægyptum percusserat.* Idem Abenezra. Psal. 104. & non erat in tribubus eorum infirmus. *Intelligendum*, inquit Nicolaus, *de illis qui obediebant Deo: quia rebelles fuerunt a Deo percussi pluries.* ¶ *Quem*] Vel, qualem. ¶ *Ponam super te*] Hieron. *inducam super te.* Quod si induxero, sanabo te, ideò sequitur, ¶ *Sanator tuus*] Vel, *medicus tuus.* Medici officium duplex. Nam & conservat bonam valetudinem, & malè affectam sanat. q. d. non opus erit tibi alio medico. Jonathan, *Immissos in te morbos, si resipueris, removebo a te, quoniam ego sum sanator tuus.* Jerosolymitanus, *Quia ego* DOMINUS *qui per sermonem meum sano te* ני pro אסי ab אסא sano, unde אסיא medicus, qui & אסיא. R. Salomo, *Ego doceo te legem & præcepta quo libereris ab illis, ut medicus qui dicit homini, noli hoc edere ne incidas in hunc vel illum morbum. Sic alibi, sanitas erunt umbilico tuo.* Abenezra, *Meminisse debes quod oculis tuis videris ægritudinem & percussiones & plagas quas posui in Ægypto propterea quod rebellabant in me. Quod si tu custodieris statuta mea liberaberis ex illis, quia non faciam tibi quemadmodum feci eis. Adhac ego ero sanator tuus, qui te curabit ab omni morbo quem decrevi ut esset super terram: Non opus erit tibi medico, quemadmodum sanavi aquas amaras, quod medicus non potest facere.* Vide sequentia. ¶ *In Elim*] Sexta mansio Israelitarum & secunda à mari rubro. Lxx. εἰς Αἰλεὶμ. אילם αἰλὶμ, ut עילם αἰλὰμ. Sic עין גדי Αἰν-Γαδδὶ. Contra factum ירושלם Ἱερουσαλὴμ, in מצרים Αἴγυπτον ἐφραὶμ & similibus. Porro אילם id est אילם, ut in Onkel. & Jonatha. Quanquam in Jerosolymitano לאילמה manifesto pleonasmo, qualis in לאשלה & aliis paucis. Male autem Helim in libris antiquis. R. Abraham autor eos in Mara hæsisse tantum unum diem, in Elim autem viginti dies ob commoditatem fontium. Sane castra ibi metati sunt, ut legimus postea quod 15. mensis secundi discesserint ex Elim. Idem annotat spatio XV. dierum, castra habuisse in quatuor locis, videlicet in deserto Sinai, in Daphca, in Alus & in Raphidim. Nam in principio mensis tertii venerunt in desertum Sinai. Hactenus ille. ¶ *Duodecim fontes*] δώδεκα πηγαὶ. ¶ *Aquarum*] Dulcium. Dulces autem fuisse colligit Aben. ex eo quod sequitur, & Lxx. *palmæ. Nam palmæ*, inquit, *non proveniunt prosperè in terrâ cujus aqua amara est.* Origenes, *in Elim ducitur populus, ubi erant* XII. *fontes aquarum, quibus nil inerat amaritudinis, sed amœnitas plurima ex densitate palmarum.* ¶ *Et Lxx. palmæ*] R. Salomo. *respectu Lxx. Senes.* Nicolaus ex eo, *in signum quod habituri erant Lxx. judices.* Eadem habent Jona. & Jerosoly. Senes autem intellige judices Sanhedrin, qui numero Lxx. erant. Apage tales ineptias. Nam palmæ antea ibi fuerant, nec propter Israelitas creatæ sunt. Consule Abenezram. ¶ *Super aquas*] Juxta aquas.

A M A M A.

8. Ebr. נצבו כמו נד נזלים: Vulg. *Stetit unda fluens.*] Ad verbum, *steterunt sicut acervus fluenta.* Elisit Vulgatus voces duas, *sicut acervus.* Non sic Lxx. qui eas expresserunt, licet diversa significatione τῷ נד attributâ. Sic enim illi, ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα. *sicut murus.* Et Chald. כשור idem. Quin & sequentem vocem קפאו non fideliter satis expressit per *congregata sunt*, in voce enim Ebræa *coagulationis* significatio est. Vide Cajet. & Joh. Benedict.

14. Nec Ebræos nec Græcos codices secutus est dum vertit *ascenderunt.* Ebraice enim est שמעו. Græce, ἤκουσαν audiverunt.

G R O T I U S.

1. *Tunc cecinit*] Est in Hebræo verbum futuri temporis, אז ישיר: sed notat Abenesdra אז particulam, quæ tunc significat, hanc vim apud Arabas habere ut futuri verbum in præteriti significationem convertat: quod & Hebræi interdum sequuntur, ut Deut. IV. 41. Josue. X. 12.

4. *Principes ejus*] Eos intelligi quos Romanæ historiæ posterioris ævi vocant protectores apparet collatis locis II Reg. VII. vers.

verſ. 2. & 12. 25. Sed cur à ternario numero illis nomen? Origenes inde id ortum cenſet, quòd illorum locorum reges in curribus prælia inirent. Erant autem in curru rex, auriga, & protector.

11. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?*] Non diſſimile Heſiodeum illud:

Αὐτὸς γὰρ πάντων βασιλεὺς καὶ κοίρανός ἐστιν
Ἀθανάτων. τῷ δ' οὔτις ἐρήρισαι κράτος ἄλλος.
[*Omnibus ille herus eſt dis immortalibus, & rex.*
Nec quiſquam eſt illi qui vi contendere poſſit.]

22. *Per medium ſicci maris*] Semicirculo in mari facto: non à littore ad littus oppoſitum.

25. *Oſtendit ei lignum*] Amarum, ut Hebræi ajunt, quo magis in effectu contrario virtus Dei appareret.

Conſtituit ibi præcepta & judicia] De ſabbati otio hoc accipiunt Hebræi, & de parentum honore, idque ob verba illa, *ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:* quæ bis reperiuntur Deut. xv. commate 12. & 15. Alii etiam judicia tunc ajunt inſtituta.

26. *Quod rectum eſt coram eo feceris*] Quod per ſe & ubique rectum ipſa docet ſana ratio.

Et obedieris mandatis ejus] Datis Noë, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, in quibus non erat lex de ſacrificiis, quæ ſua ſponte homines invenêre. Reſpicit ad hunc locum Jeremias VII. 22. *Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum & victimarum: ſed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandavi vobis ut bene ſit vobis.* Apparet hæc hinc ſumta. *In die qua eduxi*, interpretare cùm primùm eduxiſſem. Lex de ſacrificiis (excepto Paſchate, quod convivium magis eſt commemorativum quàm ſacrificium legale) data non eſt niſi ex occaſione idololatriæ à populo commiſſæ. Non poterat is morbus ſanari niſi multo rituum, ad victimas maximè pertinentium, onere.

27. *Duodecim fontes*] Pro numero tribuum, ſi Joſephi poſteros in unam conjungas.

Septuaginta palmæ] Pro numero ſeniorum. Eoſdem numeros in miniſtrorum ſuorum delectu ſervavit Chriſtus.

CARTWRIGHTUS.

1. אָז יָשִׁיר־מֹשֶׁה *Tunc cecinit Moſes*] ישיר eſt futuri temporis, ſed hic exponendum eſt ac ſi præteriti temporis eſſet. Abenezra ait, משפט לשון הקדש לומר לשון יחיד תחת עבר עם מלת אז *Mos eſt lingua ſancta, ut cum dictione* אז *az* (*tunc*) *futurum pro præterito uſurpetur.* Ut 1 Reg. 11. v. 7. אז יבנה שלמה *tunc ædificavit Salomon*, & Joſ. 10. 12. אז ידבר יהושע *tunc locutus eſt Joſhua*, & Deuteron. 4. 14. אז יבדיל משה *tunc ſeparavit Moſes.* In hiſce locis, יבנה & ידבר & יבדיל quæ ſunt futura, uſurpantur pro præteritis, nempe pro בנה, & דבר, & הבדיל. Similiter hic ישיר pro השיר ponitur. R. Sal. ita exponit, ac ſi aliquid eſſet ſubintelligendum, nempe עלה בלבו שישיר *aſcendit in cor ejus, ut caneret.* Vel אמר לו לבו שישיר *dixit ei cor ejus, ut caneret.* Ac ſimiliter in aliis locis, ubi eadem loquendi formula uſurpatur; ſed altera expoſitio ſimplicior videtur.

גָאֹה גָּאָה *Admodum magnificè ſe geſſit.*] * Ad verb. *Magnificè ſe gerendo magnificè ſe geſſit.* Jon. *Magnifice ſe gerit adverſus magnifice ſe gerentes, & effert ſe ſuper eos, qui ſe efferunt, quiſquis magnifice ſe gerit*, (*ſeu ſe attollit*, מתגאי) *coram eo, is verbo ſuo de eo ultionem ſumit.* In eundem etiam modum Paraphraſtes Hieroſolymitanus interpretatur. Onkelos breviùs, ſed eodem ſenſu, ארי אתגאי על גיותניא *magnifice ſe exaltavit ſuper elatos.* Atque iſti expoſitioni calculum ſuum apponit R. Sal. כתרגומו *Ita* (*inquit*) *exponendum eſt, prout interpretatus eſt Chaldæus paraphraſtes.* Addit inſuper & alteram expoſitionem, ſed quæ minus ſimplex videtur; nimirum ſenſum eſſe, Deum valde exaltatum eſſe ſupra omnes cantus (ſive laudes) & quæcunque in laudem ejus dicta fuerint, longè ſuperare: nec ſimilem eſſe terrenis regibus, qui ſuprà quàm merentur, laudari ſolent.

2. עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ *Fortitudo mea, & canticum meum* (*eſt*) *Dominus*] R. Sal. vult · in זמרת eſſe paragogicum, ut Pſal. 123. 1. היושבי בשמים pro היושב & Obad. v. 3. שכני בחגוי סלע pro שכן. Ac אבן עזרא vult eſſe in regimine, & cum יה conſtrui, hæc autem cum ſequentibus connectit, ויהי לי לישועה ut יה ſit pro יהוה & ſenſus ſit, *Fortitudo & canticum Domini fuit mihi ſaluti.* Hujus expoſitionis, ejuſque authoris meminit Abenezra († רבינו שלמה הל) ſed minùs probat aſſerens Jod in עזי eſſe כינוי המדבר *pronomen primæ perſonæ* (ad verb. *ſignum ejus qui loquitur*) ac עזי idem eſſe quod עזי *fortitudo mea*; ut infra v. 13. בעזך *in fortitudine tua* pro בעזך. De voce autem זמרת exiſtimat eſſe in ([b]) regimine, ſed ita ut עזי denuò repetatur in hunc modum, עזי וזמרת עזי יה *Fortitudo mea, & canticum fortitudinis meæ* (*eſt*) *Dominus.* Mihi magis placet ſententia R. Moſis ſacerdotis ab eo citata זמרת hic cum cametz eſſe pro זמרתי *canticum meum*, ut Pſal. 16. 6. אף נחלת שפרה עלי *etiam hæreditas* (*mea*) *pulchra eſt mihi.* Ad verb. *ſuper me.* נחלת cum cametz ponitur pro נחלתי. Atque ita Onkelos תוקפי ותושבחתי דחילא יי *fortitudo mea & laus mea eſt timendus Dominus.* Super יה autem ponitur accentus Rebhia, unde apparet ſequentia novam in ſe continere ſententiam, nec cum præcedentibus eſſe connectenda.

ואנוהו *Et parabo ei habitaculum*] Onk. ואבני ליה מקדש *& ædificabo ei ſanctuarium.* Hujus interpretationis meminit R. Sal. ac aliam etiam addit, nempe ut verbum ואנוהו à נוה quod pulchritudinem denotat, ſignificationem ſuam habeat, ac ſenſus ſit אספר נויו ושבחו לבאי עולם *commemorabo pulchritudinem & laudem ejus, eis qui in mundum veniunt.* Ac citat illud Cant. cap. 5. 9. &c. *Quid eſt dilectus tuus præ* (*alio*) *dilecto? Dilectus meus eſt candidus, & rubicundus*, &c. In hunc ſenſum Lxx. καὶ δοξάσω αὐτόν & Vulgat. *Et glorificabo eum.* Sed נוה *Navah* eſt habitare, unde נוה *Naveh* habitatio. v. 13. in Hiphil הנוה *habitare facere, habitationem parare.* Sic Abenezra exponit, אשיבנו בנוה *faciam eum manere in habitaculo.*

3. יְהוָה אִישׁ מִלְחָמָה *Dominus* (*eſt*) *vir belli*] ſeu *vir bellicoſus*, i. e. fortis bellator. *Nam virum dici* (inquit Fagius) *Hebræis fere laudi tribuitur, pro eo quod eſt inſignem ac præclarum eſſe, probeque peritum alicujus rei*, Onk. יי מרי נצחן קרביא *Dominus* (*eſt*) *Dominus victor bellorum.* Fagius vertit, *dominus eſt victor bellorum*; omiſit מרי *Dominus*, quod in Targum (uti docet Buxtorfius in Lexico Chald. magno) Hebræo איש item Hebræo בעל reſpondet. R. Sal. & Abenezra hic exponunt איש מלחמה per בעל מלחמה *Dominus belli*, i. e. bellicoſus. Sic Nah. 1. 2. Deus dicitur בעל חמה *Dominus furoris*, i. e. furioſus. Vulg. *vir pugnator.* Lxx. συντρίβων πολέμους *conterens bella.* Steuchus ait ſe nullâ conjecturâ aſſequi poſſe quare ita verterint, niſi forte putarint abſurdum eſſe apud gentes dicere Deum eſſe virum bellicoſum, atque ideò ei quod ſuum eſſet tribuerint. Mihi autem ſuſpecta eſt iſta lectio πολέμους *bella*, & legendum potius videtur πολεμίους *hoſtes.* Vide v. 7.

יְהוָה שְׁמוֹ *Jehova eſt nomen ejus*] Jon. *Jehova eſt nomen ejus, ſicut nomen ejus, ſic eſt potentia ejus: ſit nomen ejus benedictum in ſecula ſeculorum.* Atque ita etiam Hieroſolymitanus Paraphraſtes, iiſdem planè verbis, niſi quòd pro מברך *benedictum* habeat משבח *laudatum.* R. Sal. vult ſenſum eſſe, Deum non armis, ſed nomine ſuo præliari; & citat illud 1 Sam. 17. 45. *Ego in nomine Domini exercituum ad te venio.* Deinde quia juxta Hebræos nomen יהוה miſericordiam denotat, nomen autem אלהים, judicium, ideò & aliter exponit, nempe Deum, etiam cum præliatur, & de inimicis ſuis ulciſcitur, miſericordiam iis, qui ipſum invocant, exhibere, atque omnibus mortalibus alimentum præbere, contra quàm regibus terræ uſu venit, qui pluribus ſimul negotiis incumbere non poſſunt. Mihi videntur hæc verba, *Jehova eſt nomen ejus*, laudum divinarum ſummam in ſe complecti; q. d. *Quid multis opus eſt? vel quid ſatis pro dignitate ejus dici poteſt? Ipſum nomen indicat eum ſumme excellentem eſſe, omnibus nempe ut ſint largiri, ac proptereà omnes in immenſum ſuperare.* De nomine autem יהוה, etiamſi eorum rationibus me victum fatear, qui *Jehova* genuinam ejus lectionem eſſe negant, ita tamen interdum ſcribere libet; quia ſic uſus obtinuit, ut nomen iſtud ab aliis diſtinguatur. Druſius nimis (ut ego quidem cenſeo) vehementer in eos ſtomachatur; qui nomen iſtud proferunt, ſive ſcribunt Jehova, ac putat Galatinum iſtius lectionis primum fuiſſe authorem. Ego verò antehac (in Annotat. ad Gen. 2. 4.) oſtendi apud Porchetum, authorem Galatino antiquiorem, Jhova & Jhovah extare, fortè (ut dixi) librarii vitio pro Jehova & Jehovah. Atque ita planè ſcriptum reperio apud Marſilium Ficinum, qui & ipſe Galatinum ætate præceſſit. Is enim in libro de Religione Chriſtianâ cap. 30. de nomine iſto tetragrammato loquens ait, *Et quia quatuor ſolum literis conſtat, & illis quidem vocalibus, difficillime omnium pronuntiatur; ſonat autem fermè hunc in modum, Jehovah, id eſt, qui fuit, eſt, erit. Atque hæc major Hebræorum pars opinatur.* Hæc ille; quod autem de majoris Hebræorum partis opinione dicit, non de nominis tetragrammati pronuntiatione, ſed de ejus ſignificatione, opinor, intelligit; non

* Lxx. ἐνδόξως δεδόξασαι glorioſè glorificatus eſt. *Vulg.* glorioſè magnificatus eſt. † *Neſcio an alterum quendam R. Salomonem intellexit, qui ſimiliter expoſuit.*

([b]) *Sic 2 Paral.* 31. 3. מנת המלך portio regis. *ubi vox* מנת *in regimine poſita eſt cum cametz.*

non id (inquam) vult, majorem Hebræorum partem opinari, nomen יהוה sonare *Jehovah*, sed *qui fuit, est, & erit*, significare.

4. *Currus Pharaonis, & exercitum ejus* ירה בים *projecit in mare.*] Verbum ירה *Jarah* est *jaculari, sagittare.* Unde Abenezra notat verbis hisce significari, Deum quam facillimè currus & exercitum Pharaonis projecisse in mare, perindè ac si sagittam ex arcu emisisset.

טבעו *Demersi sunt*] R. Sal. asserit verbum טבע non usurpari nisi de loco lutoso; אין טביעה אלא במקום טיט Et citat Psal. 69. 2. טבעתי ביון מצולה *demersus sum in luto profundo.* Et Jer. 38. 6. ויטבע ירמיהו בטיט *Et demersus est Jeremiah in luto.* Hinc igitur doceri ait, mare factum fuisse lutosum, ut par pari redderetur, nimirum ut Ægyptii luto perirent, quemadmodum Israëlitas luto & lateribus afflixerant. Cap. 1. 14. Sed hic argutiæ potius quàm veritati studuit.

6. *Dextra tua Domine* תרעץ אויב *confringet inimicum.*] Vel *confregit*, ut sit futurum pro præterito. Futura etiam actum continuum quandoque denotant; Unde sic R. Sal. exponit, היא תמיד רוצץ ומשברת האויב *Assiduè confringit & conterit inimicum.* Jonathan autem in hunc modum παραφράζει, *dextera tua Domine excindet adversarios populi tui, qui adversum eos insurgunt, ut eis malefaciant.* Similiter Hierosol. *Dextera tua est Domine, quæ confringet & comminuet muros adversariorum populi tui.*

7. תהרס קמיך *destrues eos, qui adversus te surgunt.*] Onk. תברתנון לדקמו על עמך *confregisti eos, eo quod insurrexerunt contra populum.* Similiter R. Sal. ait eos qui insurgunt contra Israelem (populum Dei,) contra Deum insurgere, ומי הם הקמים כנגדו אלו הקמים על ישראל Atque ad id confirmandum apposite citat illud Psal. 83. 2. 3. *Ecce enim inimici tui tumultuantur*, &c. *Contra populum tuum astute consultaverunt.* Jonathan etiam hic legit, תהרס שורי בעלי דבביהון דעמך *diruet muros inimicorum populi tui.*

Consumet eos (ira tua) tanquam stipulam.] Jon. *sicut fornax ardens supra stipulam dominatur.*

8. וברוח אפיך *Et spiritu narium tuarum*] Onkelos ובמימר פומך *& verbo oris tui.* R. Sal. notat Scripturam de Deo tanquam de homine loqui; cum enim homo irascitur, spiritum è naribus ejus egredi solere. Lxx. διὰ πνεύματος τοῦ θυμοῦ σου, *per spiritum indignationis tuæ.* אף *Naphi* sæpe pro irâ & indignatione ponitur. Χολὴ δ' ἐπὶ ῥινὶ κάθηται *ira naso insidet.* Theoc. Vul. *in spiritu furoris tui.*

נערמו מים *Coacervatæ sunt aquæ*] Rabbi Sal. exponit נערמו ex illo Cant. 7. 2. ערמת חטים *acervus tritici.* Atque ita etiam Abenezra. Onkelos autem interpretatur חכימו מיא *sapientes fuerunt aquæ.* Quasi hic, ut alibi, ערם sapientem seu callidum esse denotaret; quod sanè sensus non patitur, nisi ad metaphoram, quod minimè opus est, confugiamus. Fagius vertit, *sapienter congregatæ fuerunt aquæ*; at certè verbo חכם congregandi significatio non inest. Præterquam autem quod radix ערם sæpe congregationem sive coacervationem denotat, verba proximè sequentia (ut rectè notat R. Sal.) illum hoc in loco sensum esse arguunt. Vulg. *congregatæ sunt aquæ.* Lxx. διέστη τὸ ὕδωρ *divisa est aqua.* Melius Aquila, Symmachus & Theodotio, ἐσωρεύθη, *coacervata est.*

נצבו כמו נד נזלים *Steterunt sicut acervus fluenta.*] Vulg. *Stetit unda fluens.* Ista כמו נד *sicut acervus*, prorsus omisit, quæ tamen non sunt supervacanea. Lxx. autem interpretantur ὡσεὶ τεῖχος. Et similiter * Onkelos כשור *sicut murus.* Quod ad sensum attinet, non male; Hebræum tamen נד acervum significat; פירוש קבוץ inquit R. Mordecai in Concord. Vide Jos. 3. 13. & 16.

קפאו תהמת *Congelatæ sunt abyssi*] Vulg. *congregatæ sunt.* Minùs rectè; nam (ut notat Amama) vox Hebræa † coagulationem, vel congelationem denotat. Lxx. ἐπάγη τὰ κύματα *compacta* (sic Latina interpretatio habet, malim autem *concreta*) *sunt undæ.* Abenezra exponit קפאו per נקרשו *congelata*; vel *condensata sunt.* Similiter Chaldæus Job. 10. 10. pro תקפיאני habet קרשתני. R. Sal. ex illo Jobi loco hunc explicat, atque ait, הקשו ונעשו כאבנים *quod obduruerunt, & facta sunt instar lapidum.*

בלב ים *In corde maris.*] Id est, בתוך הים *in medio maris*, ut exponit Abenezra, qui notat medium rei vocari cor, quòd cor in medio corporis (כנגד רוחב הגוף *respectu latitudinis corporis*) collocetur. Hoc rectius videtur quàm quod dicit R. Sal. Scripturam rei radicem & robur (עקרו ותקפו של דבר) cor ejus appellare; ut *cor cæli.* Deut. 4. 11. *cor quercus.* 2 Sam. 18. 14. Illud autem monendum *cor* non semper præcisè medium rei significare, sed id in corde rei esse dicitur quod in eâ est. Ezech. cap. 27. 4. Tyrus dicitur sita fuisse *in corde maris*, cum tamen, ut vers. 3. habetur, *in introitu maris* sita fuerit. Vide ad cap. 14. 16.

11. מי כמכה באלים יהוה *Quis similis tibi inter deos, Domine?*] Vel, (a) *inter fortes.* Vulg. *in fortibus.* Lxx. ἐν θεοῖς. אל *El* fortem significat, item fortitudinem Mich. 2. 1. In plurali אלים *Elim* fortes denotat; infrà v. 15. Et Psal. 29. 1. Item à fortitudine Deus nomine אל *El* significatur. Onkelos hic habet, *Non est præter te, tu es Deus, Domine.* Ex hisce autem verbis מי כמכה באלים יהוה *Quis similis tibi inter deos, Domine?* ortum dicitur nomen Maccabæorum. Ajunt enim Judam ideò dictum Maccabæum, quòd in vexillo suo inscriptas haberet initiales literas horum verborum, מכבי, quæ inter se conjunctæ, & in dictionem conflatæ sonant *Machi*, und *Machæus*, & *Maccabeus.* Drusius autem in lib. 1. Maccab. ait Judam dictum מכבי *Machi* i. e. *extinctorem*; nam כבה est *extingui*, in Piel & in Hiphil *extinguere.* Et citat (b) compositorem historiæ Judæorum sic scribentem, *Et vocatum ad se Judam Mattathias sic alloquitur, Fili mi Juda, qui Maccabæus cognominaris propter robur tuum.* Fullerus autem loco in margine citato vult מכבי Machi cognomen Judæ ex duabus dictionibus esse compositum, nempe מכה בי *plaga per me* scilicet à Deo infligetur. *Plaga igitur* (inquit) *in Maccabæi nomine per metonymiam effecti, pro fortitudine plagæ effectrice usurpatur.* Istam autem suprà memoratam nominis מכבי *Machi* sive *Maccabæi* originationem refellit, quòd inventum istud (quo nimirum initiales vocum literæ pro integris vocibus usurpantur) recentius sit, quàm ut ad Maccabæorum tempora pertigerit; idque nomen ipsum artis Latinum (נוטריקון *Notarikon* à Latino vocabulo *Nota*, vel *Notarius*) satis ait indicare. Quin & ex 1. Macc. 2. & ex Joseph. Antiq. l. 12. c. 8. colligit Judam, eumque solum, inde ab initio, saltem adultæ ætatis, longè antequam exercitui præesset, Maccabæi cognomen accepisse, ut eo à reliquis fratribus (quorum unicuique suum item erat impositum) distingueretur. Istis sanè locis recensentur filii Mattathæi, ac singulis cognomen quoddam est impositum, Judæ autem cognomen Maccabæi; at quando, aut quare istud habuit, illic non exprimitur. Nec altera ratio satis valida videtur; fieri enim potest, ut istud abbreviatè scribendi artificium nomine illo *Notarikon*, quo significatur, multò fuerit antiquius. Certè nomen Maccabæi ex initialibus hujus hemistichii literis vexillo inscriptis originem sumpsisse asserit Quinquarboreus de Abbreviaturis, item author Abbreviaturarum, quæ Shindleri Pentaglotto sunt adjunctæ; Junius etiam ad Macca. 1. 1. & (qui post Fullerum scripsit, nec ejus tamen rationibus permotus fuit) Buxtorfius in Lexico magno: unde autem autores hi id quod ab ipsis traditum est, habuerint, non invenio.

נורא תהלת *terribilis laudibus*] Vel *mirabilis.* Sic Lxx. interpretantur θαυμαστός. Vulg. *terribilis atque laudabilis.* Onk. דחיל תושבחן, Fagius vertit, *terribilis & laudabilis*; sed rectius à Buxtorfio in Lex. Chald. vertitur *tremendus laudibus.* Sic Fagius ait Hebræa sonare *terribilis laudibus*, idque sic explicari, vel quòd nemo Deum satis laudare possit; vel quòd cum magno timore laudari debeat. Abenezra ad illum modum exponit, *Sensus* (inquit) *horum verborum*, נורא תהלות *terribilis laudibus, est, quod omnes, qui laudant nomen Dei, id laudare metuant; quis enim omnem ejus laudem ebuccinare poterit? Et tamen omnes Deum laudare debent, cum is solus mirabilia faciat.* Ego Lxx. Interpretibus libenter assentior; sic enim sensus erit obvius ac intellectu facilis, si exponatur, *mirabilis laudibus.* Atque eo sensu usurpatur dictio נורא infrà v. 34. 10.

12. תבלעמו ארץ *devoravit eos terra.*] R. Sal. hinc ineptè colligit eos fuisse sepultos; atque isto honore eos dignos habitos esse ait, quòd dixerint, *Dominus est justus.* מכאן שזכו לקבורה בשכר שאמרו יי הצדיק. Per terram hic alveus maris intelligitur. Vide Jon. 2. 6.

13. בחסדך *In misericordia* (seu *benignitate*) *tuâ.*] Lxx. ἐν δικαιοσύνῃ σου *in justitiâ tuâ.* Sic sæpè solent interpretari חסד *Chesed*, quod tamen bonitatem, benignitatem, & misericordiam denotat. Vide si libet Annotationes ad Gen. 19. 19. & 24. 49. & 32. 10.

נחית ‡ *duxisti*] Abenezra notat hic præteritum pro futuro usurpari, quemadmodum in prophetiis fieri solet. Sic in Joel 2. v. 18.

* *Onkelo etiam astipulatur R. Sal.* † *Job* 10. 10. וכגבינה תקפיאני Et sicut caseum me coagulasti.

(*a*) *R. Sal.* בחזקים. (*b*) *Intelligit Josephum Ben Gorion, qui l.* 3. *c.* 9. *docet Judam dictum Maccabæum* על גבורתו propter fortitudinem ejus. *Vide Full. Misc. l.* 2. *c.* 13. ‡ *Vulg.* dux fuisti. *Steuchus vertit* castra duxisti, castrametatus es. *At id potiùs est* חנית *quàm* נחית.

v. 18. ait, דבר עתיד להיות אומרים הנביאים על לשון עבר i. e. *Quod Deus facere decrevit, id prophetæ per tempus præteritum ſolent exprimere.* Similiter R. Sal. ad Iſai. 42. 16. כן לשון הנביאה לדבר על העתיד כאלו עשו *Sic eſt ſermo propheticus, ut de re futura loquatur, quaſi jam facta eſſet.* Kimchi etiam ad Amos 9. 7. ſimilem habet obſervationem, atque iſtius locutionis hanc reddit rationem כי דברי האל יתברך אמת *Nam verba Dei benedicti vera certaque ſunt.* Et ad Mic. 7. 8. כי מה שאמר האל יתברך שיהיה הנה קיים כאלו היה *Quod enim Deus benedictus futurum dixit, id æque certum eſt, ac ſi jam eſſet.*

אל־נוה קדשך *Ad habitationem ſanctitatis tuæ*] Abenezra per hanc habitationem intelligit montem Sinai, ſuper quem divina gloria habitavit. Sed rectiùs proculdubiò de terrâ Canaan exponitur. Vide v. 17. נהלת idem valet quod תנחה *duxiſti*; ac ſimiliter præteritum pro futuro ad rei certitudinem demonſtrandam uſurpatur.

14. שמעו עמים *Audiverunt populi*] Miror quid Vulgato interpreti in mentem venit, ut verteret, *Aſcenderunt populi.* Chald. שמעו, Lxx. ἤκουσαν, *audiverunt.*

ירגזון *Trement*] * Vulg. *irati ſunt.* Lxx. ὠργίσθησαν. Aquila, ἐκλονήθησαν, commoti ſunt. Schol. ἐταράχθησαν turbati ſunt. Sic Steuchus Hebræum verbum interpretatur, *conturbati ſunt, contremuerunt, expaverunt.* Verbum רגז *Ragaz* commotionem ſive corporis, ſive animi, ſive ex metu, ſive ex irâ ſignificat. Hic trepidationem ex pavore ortam denotat.

15. אז נבהלו אלופי אדום *Tunc perterrefacti ſunt duces Edom*] Lxx. τότε ἔσπευσαν ἡγεμόνες Ἐδώμ, *Tunc feſtinaverunt duces Edom.* Scholiaſtes teſtatur alios interpretari, ἐθορυβήθησαν *tumultuati ſunt.* Nobilius aſſerit verbo σπεύδειν interdum etiam trepidationem ſignificari. Idem etiam obſervat ad 1 Sam. 28. v. 20. Ubi Hebræum וימהר pariter ac Græcum ἔσπευσε h. e. *feſtinavit* trepidationem & turbationem ſignificare putat, quia ſequitur, *& cecidit porrectus in terram.* Sed iſtud rectè à Vulgato Interprete redditur, *ſtatimque Saul cecidit, &c.* Nuſquam enim, opinor, Hebræum מהר ſignificat trepidare, ſed duntaxat feſtinare, etiamſi verum ſit ex trepidatione feſtinationem oriri ſolere. Atque ea fortè de causâ בהל in utraque † ſignificatione reperitur; hîc autem trepidationem indicat. Vulg. *Tunc conturbati ſunt principes Edom.* De voce אלוף *dux*, quemadmodum differat à מלך *rege*, nonnihil obſervavi ad Gen. 36. verſ. 15.

נמגו *Diſſoluti ſunt.*] Vel, *liquefacti ſunt*, nempe metu. Onk. אתברו *fracti ſunt*, nempe animo. Fagius vertit, *fracti animo fuerunt.* Vulg. *obriguerunt.* Optimè Lxx. ἐτάκησαν, *tabuerunt.* Hebræum מג diſſolutionem & liquefactionem denotat. פירוש תמוגנה inquit R. Nathan Mordecai in Concord. Amos 9. 13. וכל הגבעות תתמוגגנה *Et omnes colles diſſolventur*, ſeu *liqueſcent.* Sic Steuchus hoc in loco pro *obriguerunt* reponit, *defluxerunt, reſoluti ſunt, pavore extabuerunt.*

16. *Cadet ſuper eos pavor*] Abenezra refert ad Edomæos & Moabitas, non autem ad Canaanæos, quorum tamen immediatè anteà facta eſt mentio. Sic & in aliis ſcripturæ locis ſimilem locutionem uſurpari obſervat. Ut Gen. 20. 17. *Deus autem ſanavit Abimelech, & uxorem ejus, & ancillas ejus, & pariebant*, nempe uxor Abimelech, & ancillæ ejus: Citat etiam illud 1 Reg. 2. 5. *Et ‡ poſuit ſanguinem belli in pace*, quod reſpectu Abneri, non autem reſpectu Amaſæ dictum cenſet. At locus iſte ad rem non facit: nec cauſam video, cur hoc in loco incolæ Canaan unà cum reliquis non comprehendantur. Quod enim ſequitur, *donec tranſeat populus tuus, Domine*, ſatis commode locum habet, ſi pavor in Canaanæos æquè ac Edomæos, & Moabitas caſurus intelligatur:

Donec tranſeat populus tuus Domine, donec tranſeat populus, quem acquiſiviſti.] Onkelos, cui conſentit Rabbi Salomon. ſic interpretatur, *donec tranſeat populus tuus, Domine, Arnon, donec tranſeat populus iſte, quem redemiſti, Jordanem.* Quaſi ſcilicet ob trajectionem duorum fluviorum, nempe Arnon, & Jordanis, illud ſit repetitum, *donec tranſeat, &c.* Abenezra ait ideò verba iſta repetita eſſe, quòd Iſraëlitæ montem Seir per multos dies circumiverint. Mihi autem iſta eorundem verborum repetitio non niſi abundantiam affectus, qualis in cantantibus & triumphantibus eſſe ſolet, exprimere videtur. Sic Pſal. 47. 6. *Pſallite Deo, pſallite; pſallite regi noſtro, pſallite.* Et Pſal. 68. 15. *Mons Dei ut mons Baſhan; mons editus, ut mons Baſhan.* Et Pſal. 75. 1. *Gratias tibi agimus, Deus, gratias agimus.*

17. כוננו ידיך (*quod*) *manus tuæ ſtabiliverunt*] Nimis argutum eſt, quod hîc habet R. Sal. nempe Deum duabus manibus Sanctuarium ſtabiliiſſe, cum unà manu mundum creaverit; quia nimirum dicit Iſai. 48. 13. אף ידי יסדה ארץ *Etiam manus mea fundavit terram.*

18. *Dominus regnabit* לעלם ועד *in æternum*] Ad verb. *in ſeculum, & (in) æternum.* Onk. לעלם ולעלמי עלמיא *in ſeculum, & in ſecula ſeculorum.* Lxx. τὸν αἰῶνα, καὶ ἐπ' αἰῶνα καὶ ἔτι; *ſeculum, & in ſeculum, & ultra.* Nobilius monet Complut. habere εἰς αἰῶνα. Mihi autem redundare hic videtur vel καὶ ἐπ' αἰῶνα vel καὶ ἔτι. D. Sheringamius, vir doctiſſimus in Codicem Joma pag. 65. ait Lxx. Interpretes ubi verba hæc [עולם ועד) occurrunt, aliquando reddere εἰς τὸν αἰῶνα καὶ ἔτι, & *aliquando*, εἰς τὸν αἰῶνα καὶ ἐπέκεινα, *in ſeculum & ulterius*, quaſi ועד eſſet adverbium. Vulg. *in æternum & ultrà.* Lyra aſſerit in Hebræo eſſe, *in ſeculum & ultra*; ſeculum autem propriè ſignificare tempus quinquaginta annorum; quando autem ei additur, *& ultra*, ſignificare æternitatem. At Hebræum עד *Ad* interdum ſignificat *uſque*, vel *uſque ad*, vel *donec*; ubinam autem ſignificet *ultrà*, non reperio; iſta potius eſt ſignificatio vocis עוד *Od*, quæ valet *adhuc, amplius, &c.* Quinetiam עד *Ad*; vel cum ſegol (uti hic ſcribitur) *Ed* æternitatem denotat, ac in eo ſenſu vel cum dictione עולם uſurpatur, ut hoc in loco, vel per ſe, ut *Iſa.* 57. 15. שכן עד *habitans æternitatem.* De vocabulo autem עולם *Olam*, etiamſi interdum quinquaginta annorum ſpatium deſignet, ut Exod. 21. 6. *Serviet ei* לעולם *in ſeculum*, i. e. uſque ad Jubilæum; id tamen, opinor, non ex propriâ vocabuli ſignificatione, ſed ex loci circumſtantiâ oritur. Aliquando æternitatem ſignificat, etiamſi dictio עד non ſit adjuncta. Ut Gen. 21. 33. ויקרא שם בשם יהוה אל עולם *Et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*; ad verbum *Dei æternitatis.* Rab. Sal. iſtic videtur accipere עולם pro mundo; ſed ut ad Gen. 49. 26. annotavi, עולם in eâ ſignificatione frequens quidem eſt apud Rabbinos, at in Scripturâ vix unquam reperitur. Etiamſi igitur aſſentiar Steucho, Lyræ obſervationem eſſe vanam, ac עולם ipſam æternitatem denotare: in eo tamen ab illo diſſentio, quòd dicit עולם aliquando mundum ſignificare; nunquam autem annos quinquaginta. Abenezra ad hunc locum ait לעולם ועד eſſe על דרך קצרה conciſam loquendi formulam, ut ſenſus ſit, לעולם ועד עולם *in ſeculum, & uſque ad ſeculum.* Eandem etiam notam habet (quod & D. Sheringamius obſervavit) ad Pſal. 9. 6. Miror autem R. Sal. qui hic aſſerit vau in ועד eſſe de radice (ועד ■ יעוד) quia ſcilicet eſt cum pathac; at Jer. 29. 23. in ואנכי היודע ועד *Ego ſcio & teſtis ſum*, Vau cum camets literam eſſe ſervilem. Hæc mihi perquam mira videntur; nec enim vel aſſertio, vel aſſertionis ratio quicquam (ſi quid ego intelligo) ſani in ſe habet. Abenezra notat conſuetum eſſe in linguâ S. ut Vau præfixum dictioni à ע incipiente ſub ſe habeat pathac, ut Levit. 7. 23. שור וכשב ועז ubi tamen vau in ועז eſt cum camets, uti in ועד Jer. 29. 23. Sed Abenezra ſub pathac etiam camets complecti videtur.

20. *Miriam propheteſſa ſoror Aharonis*] Lyra refert Hebræos duplicem aſſignare cauſam, quare Miriam Aharonis, non autem Moſis ſoror appelletur, nempe 1. quia antequam Moſes natus eſſet nec fratrem niſi Aharonem haberet, prophetavit matrem ſuam filium habituram, qui Iſraelem è ſervitute liberaret. 2. Quòd Aharon vehementi erga eam amore affectum ſe oſtendit cum leprâ eſſet percuſſa. Num. 12. Atque hæc quidem Lyram non dubito hauſiſſe ex R. Salomone; is tamen priorem potius cauſam aſſignat, quare Miriam vocatur propheteſſa, quam quare vocetur ſoror Aharonis; vel certè iſtam rationem reddit, quare appellatur propheteſſa ſoror Aharonis. Ejus verba ſunt, היכן נתנבאה כשהיא אחות אהרן קודם שנולד משה אמרה עתידה אמי שתלד בן וכו' *Ubi prophetavit* (Miriam) *quando erat ſoror Aharonis?* (i. e. nullius niſi Aharonis ſoror) *Antequam Moſes natus eſſet, dixit, Futurum eſt, ut mater mea filium pariat, &c.* Idem autem in libro Talmudico, qui appellatur *Sota*, haberi indicat. Deinde addit Miriam, ob alteram cauſam à Lyra commemoratam, appellari ſororem Aharonis. Et ſanè ſi ulla hujus appellationis ratio reddi debet, ea ſatis videtur idonea; uti etiam illa, quòd Aharon nondum nato Moſe Miriam ſororem habuit. At Miriam ad iſtum modum prophetaſſe, inter Rabbinorum commenta meritò numeretur. Vide Mic. 6. 4.

23. *Propterea vocatum eſt nomen ejus* מרה *Marah*] Lxx. πικρία, *amaritudo.* Ita ſcilicet ſignificat vox *Marah*; anteà autem habet εἰς μεῤῥᾶ, & ἐκ μεῤῥᾶς. Vulg. *vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem.*

25. *Et oſtendit ei arborem, &c.*] Hieroſolymitanus Paraphraſtes ait arborem iſtam appellatam eſſe ארדפני *Ardiphne.* Lignum iſtius arboris amarum fuiſſe dicunt. Vide Buxtorf. in Lex. Talm.

Ibi poſuit ei ſtatutum] Jonathan & R. Sal. quædam præcepta, quæ

* 1 Sam. 28. 15. למה הרגזתני Lxx. ἵνα τί παρηνώχλησάς με; Quare perturbaſti me? † Timor addidit alas. *Virg.* ‡ וישם *Vulg.* & effudit.

quæ Israëlitis tunc à Deo data existimant, nominatim exprimunt, ac inter alia præceptum de observando sabbato. Lyra refert R. Salomonem dicere, Deum ideò Israëlitis tunc dedisse præcepta, quòd otiosi essent, ac propterea ne otio dissluerent, præceptis quibusdam eos coerceri oporteret. At in R. Sal. de otio nihil invenio: ejus verba sunt, במרה נתן להם מקצת פרשיות של תורה שיתעסקו בהם שבת ופרה אדומה ודינין *In Mara dedit eis Sectiones quasdam legis, in quibus se exercerent, nempe de Sabbatho, & vaccâ rufâ, & de judicialibus.* Ex istis fortè verbis, שיתעסקו בהם *in quibus se exercerent* vel *occupati essent*, colligit Lyra Israëlitas ex sententiâ R. Sal. fuisse otiosos. Burgensis asserit Hebræos communiter tenere observationem Sabbathi tunc fuisse præceptam, ac quædam judicialia, ut dicit R. Sal. non autem ceremoniam vaccæ rufæ, ut idem dicit Rabbinus. R. Sal. etiam ad Deut. 5. 12. *Observa diem Sabbati ad sanctificandum eum, quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus*, ait Deum id in Mara antequam Lex data fuit, præcepisse. במרה קודם מתן תורה. Sed nullâ ratione nititur ista opinio, nec omnibus Hebræis placuisse videtur. Kimchi enim ad titulum Pf. 92. qui inscribitur, מזמור שיר ליום השבת *Psalmus (&) Canticum in diem Sabbathi*, ait Rabbinos antiquiores mysticè seu subtili quadam expositione (בדרש) dixisse, Adamum protoplastum Psalmum istum composuisse pridiè sabbathi (בערב שבת) cum creatus esset, * cumque peccasset, & maledictus esset. Chaldæus etiam Paraphrastes titulum istius Psalmi sic interpretatus est, תושבחא ושירא דאמר אדם קדמאה על יומא דשבתא *Laudatio & canticum, quod posuit Adam primus (homo) de die Sabbathi*; vel *super diem Sabbathi*. Quod autem ad hunc Exodi locum attinet, non opus est, ut longè petatur ejus expositio; nam quid per statutum & judicium, cujus hic fit mentio, intelligatur, ex versu sequenti satis est perspicuum.

26. ושמרת כל חקיו *Et observaveris omnia statuta ejus*] R. Sal. ait dictionem חקים quæ reddi solet *statuta*, denotare ea, quæ ex mero Legislatoris arbitrio proveniunt, ut de induendâ veste ex lanâ pariter ac lino confectâ, de edendâ carne suillâ, de vaccâ rufâ, & similibus. Similia etiam habet R. Sal. ad Gen. c. 26. 5 eique consentit Kimchi ad Psal. 119. in initio, ut ad illum Geneseos locum observavi.

Nam ego Dominus, רופאך *te sano*] Hieros. ארום אנא הוא ייי במימרי אסי לך *qui verbo meo te sano*. R. Sal. mysticè exponit, Deum nempe dicere, se eos sanare, hoc est, legem ac præcepta docere, ut istâ ratione à morbis illis immunes essent; quemadmodum medicus dicere solet, *Ne hoc vel illud comedas, ne in hunc vel illum morbum incidas.* Simplicius est quod ad hæc verba cum præcedentibus concilianda affert † Manasses Ben Israël, nempe medicamenta esse vel *conservativa*, quæ nimirum conservant sanitatem, vel *depulsoria*, quæ morbum scilicet depellunt; sensum igitur hic esse, Deum illis conservaturum sanitatem bonâ temperatione quatuor humorum.

27. *Ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ*] Targ. Hieros. *Ubi erant duodecim fontes aquarum, juxta numerum duodecim tribuum Israelis; & septuaginta palmæ juxta numerum septuaginta seniorum Sanhedrim in Israele.* Similiter R. Sal. ait 12. fontes 12. tribubus, & 70 palmas 70 senioribus respondisse. Abenezra ineptas quorundam de palmis istis opiniones commemorat, easque rejicit, asserens palmas hasce non nunc Israëlitarum causâ fuisse creatas, nec palmarum fructus isto tempore maturos fuisse, sed ideò earum mentionem esse factam, ut intelligatur aquas istas fuisse dulces, contra quàm in Mara accidit, palmas enim haud fœliciter crescere in terra, cujus aquæ sunt amaræ.

IDEM.

2. עזי וזמרת יה *Robur meum, & canticum meum est Dominus*] Eadem verba habentur Psal. 118. 14. ad quem locum Kimchi ait זמרת esse pro זמרתי, propterea quòd est cum cametz, non cum pathac, ut esse debuit, si esset in regimine. Ita בידי pro בידי *in manum meam* reperiri observat, nempe 1 Sam. 26. vers. 23. & quidem 1 Sam. 24. 10. ubi eadem verba occurrunt, est ביד. Addit autem Kimchi, ת in זמרת posse esse pro ה, ut Psal. 60. 11. הבה לנו עזרת מצר Da nobis *auxilium de tribulatione*, עזרת pro עזרה. Sed priorem expositionem præferendam censeo, ut quemadmodum in עזי est affixum, ita etiam זמרת sit pro זמרתי cum affixo. Kimchi in Rad. ait sensum potius, quàm cametz sub מ argumento esse quod זמרת positum sit pro זמרתי, quia interdum nomina fœminina etiam in regimine habent cametz, ut 2 Paral. 31. 3. ומנת המלך *Et portio regis*, pro ומנת.

25. *Et ostendit ei arborem, &c.*] Kimchi in radice ירה obiter de hoc loco agens, refert ex Hebræorum sententiâ [...] cujus hic fit mentio, fuisse amaram ac propterea majus fuisse miraculum, ut amarum lignum aquas ex amaris dulces redderet, eâdem de causâ ait Deum Mosi præcepisse, ut æneum serpentem faceret, cujus in sublime erecti intuitu, qui à serpentibus morsi erant, sanarentur, כנגד מה שהיה לרפואה [...] *Contrà quàm fieri solet, quo majus esset miraculum.* Testatur etiam patrem suum scribere Medicos (חכמי הרפואה) asserere, si quis à serpente morsus æs aspexerit, statim moriturum.

IDEM.

1. אז ישיר *Tunc cecinit, &c.*] Notat particulam אז hic, ut alibi, futurum in præteritum convertere: addit autem ex Mechilta hanc ejus usum non esse perpetuum, sed interdum particulam istam de futuro usurpari; ut Isa. 58. 8. אז יבקע כשחר [...] ita etiam in aliis locis, quæ citat.

Moses & filii Israël] Ait Mosen per se solum singulos Cantici versus cecinisse, populum autem ita ei respondisse, ut primum duntaxat versum, *Cantabo Domino, &c.* nec aliud quicquam de Cantico repeterent.

17. *Et plantabis eos in monte hæreditatis tuæ*] Quia Moses usus est verbo *plantandi*, & optimæ arbores in monte plantari solent, ideò ait totam terram Israël vocari montem hæreditatis Dei.

In sanctuario, Domine, quod, &c.] Dicit inferius sanctuarium respectu superioris (vel, ad instar superioris) sanctuarii fuisse stabilitum, מכוון בית המקדש של מטה כנגד כסא הכבוד של מעלה.

19 *Nam equus Pharaonis, &c.*] Vel, *equites*, &c. Refert nonnullos dicere, Mosen, quòd longum esset Canticum, id in fine repetere, quod initio dixerat: alios verò asserere, hæc verba non esse partem Cantici, sed addita esse, ut quænam Cantici causa esset, intelligatur. Hisce autem opinionibus rejectis, observat morem hominum esse, ut qui alios ab oppressoribus suos liberant, in eos imperium habeant; in quam rem citat, Jud. 8. 22. & 11. 9, 10, 11. Atque ideò ait, hic rationem reddi, quare Deus in perpetuum regnet (uti dicitur vers. 18.) scilicet super populum suum, nempe quia eos è manu Pharaonis, ipso ac copiis ejus funditùs deletis, plenè perfectèque liberavit.

25. *Ibi posuit statutum, &c.*] Rectè mihi videtur hunc locum exponere, nempe Deum Israëlitis statutum & legem posuisse, qua perpetuò dirigerentur, scilicet statutum ac legem istam, quæ vers. 26. exprimitur, *Et erit si auscultando auscultaveris; &c.*

27 *Ubi erant duodecim fontes, &c.*] Hoc ideò dictum ait, ut intelligamus Israëlitas per quadraginta annos, quibus in deserto proficiscebantur, non invenisse aquam, nec arborem fructiferam nisi in Elim.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

1. Quintadecimâ die] Mensis ille fuit Jiar, qui mox sequitur Nisan, primum mensem. Hucusque autem comederunt de פת, i. *pasta*, quam de Ægypto tulerant, quâ deficiente cœperunt murmurare.

4. *Rem diei in die suo*] Hebraismus est, pro, Colligant demensum & quantum suffecerit pro uno die, & die sexto colligant quantum suffecerit pro duobus diebus, nè sabbato exire cogantur. Atque per id voluit Dominus tentare & probare eos, si crederent verbis ejus, & non plus colligerent quàm illis opus esset per singulos dies. Voluit autem illis dare panem, non per singulos menses, sed per singulos dies, ut nullus transiret dies in quo Dei circa se non sentirent beneficium, atque ob id Dei semper essent memores.

8. *Cum dederit Dominus vobis*, &c.] Subaudiendum hic est, Tunc videbitis potentiam Domini, qui etiam in deserto squalido vobis vitæ necessaria ministrare poterit, ubi nec seritur nec metitur. Et vocatur hic manna *panis* more Hebraicæ linguæ, quæ omnem cibum vocat *panem*; unde Hebræi, לחם חמודות לא אכלתי כמו שנאמר לחם של אלהים כמו כל לחם [...] בגון על אשר [...] עוף ולחם כמו [...] בלחם.

13. *Jacuit ros*] Heb. *fuit situs*, vel *stratum*, *roris*. Est enim נוה nomen femininum à verbo *jacuit*. Habuit autem manna illud rorem suprà & infrà, ut Hebræi dicunt: & sabbato in indicio quodam mensæ demonstrant, ponentes scilicet panem inter duo mensalia. Situs autem roris superioris per radios solis tollebatur, & apparere cœperunt infinita quædam granula tenuia

Digitized by Google

nuta & orbicularia. Exponit enim K. מחספס pro עגול, *rotundum*, sicut infrà dicitur, *Erat figura ejus sicut semen coriandri.* Onkelos verò hunc locum sic vertit, *Et cum auferretur descensus roris, ecce super faciem deserti tenuitas quadam denudata in modum calcis, qua quasi gelu jacebat in superficie terra. Id cum vidissent Israëlita dicebant, Man hu, id est, Est hoc Man.* Interpretantur autem Hebræi *man* ut sit idem quod מתנה & חלק, i. *donum* seu *pars*: quod tamen in fem. genere, nempe sic מנה, frequentiùs invenitur. R. S. exponit *præparamentum*. Significat enim verbum מנה uno modo idem quod זמן, *præparavit*: hinc מן quasi הכנה, *præparatio cibi*, seu *præparatus cibus*, vel, ut Sepharadi habet, מזון מוכן כמו עצמו בלא היה צריך תיקון אחר, *cibus in seipso præparatus, quique aliâ ordinatione opus non habuit.* Fuit enim in seipso bonum & esui aptum, nihilominus propter honorem sabbati potuit & in alium usum atque gustum transmutari. Eratque gustus ejus ut mellitus pastillus. Num. 11. 8. verò dicitur quòd *sapor ejus erat quasi sapor pastæ oleatæ.* Et licuit cuique colligere mensuram Omer, ut Hebraismus habet: & hæc mensura, ut infrà dicitur, decimam continet partem Ephi. Qui autem avaritiâ incitatus plus collegit quàm opus habebat pro sua familia, cœpit reservatum manna vermibus scatere, sicut paulo post subditur, וירם. Ubi advertant Hebrææ linguæ candidati, verbum רם hic non esse de quiescentibus in media Vau, sed est ex duplicatis habens רמם pro radice. A. E. de manna loquens, dicit *man* esse nomen Arabicum, asseritque se vidisse in regno [illegible] speciem rei conformem mannæ, sed quæ solùm in mense Nisan & Jiar descendit, & exposita soli non destuit, nec per noctem reservata putrescit, nec est tam dura ut conteratur in mortario, sed super linguam posita liquescit, & usus ejus magis est pro medicina quàm pro cibo.

31. *Coriandri*] Assimilatur *man* coriandro, non in colore, cùm coriandri semina sint nigra, & *man* fuerit album, sed quòd figura *man* fuerit גרגרים דקים כמוהו גרגר הגד, i. *granula subtilia in morem granulorum coriandri.* Sunt etiam qui exponunt גד per חרדל, *sinapi*. A. E. fatetur se ignorare quid sit גד, aut quid significet. Exponunt autem quidam Hebræi, sicut & nos, גד pro קליאנדרי. Proinde צפיחית K. exponit pro רקיק, *crustula quæ cum pinguedine coquitur & melli immergitur.* Jubetur quoque *man* poni *coram testimonio*, h. e. intra arcam, quæ *testimonium* vocatur *Israëlis* propter tabulas fœderis, & quæ mox post acceptam Legem formari jubetur.

FAGIUS.

4. PEr *singulos dies*] Ad literam est, *Rem diei in die suo.* i. Colligant quotidie quantum satis erit pro ipso die. Per hoc autem voluit Dominus tentare & probare eos an crederent verbis ejus, & non plus colligerent quàm illis opus esset per singulos dies. Voluit præterea dare illis cibos, non per singulos menses, sed per singulos dies, ut nullus transiret dies in quo Dei circa se non sentirent beneficium, atque ob id essent semper memores Dei. Ob ipsam causam videtur Christus docuisse nos orare, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

8. *Cùm dederit Dominus vobis*, &c.] Concisus & imperfectus sermo est: subaudiendum est enim, *Videbitis gloriam Domini.* Vel, *Cognoscetis quòd Dominus eduxerit vos de Ægypto, cùm dederit*, &c.

12. *Inter vesperas*] Ad verb. *inter soles.* Intelligit autem tempus illud quod est ab occasu solis donec radii solares non ampliùs apparent in nubibus. De quo nonnihil & supra diximus cap. 12. circa locum de agno paschali qui inter vesperas mactari præcipitur.

13. *Ascendit coturnix*] R. D. K. in Rad. suis de ista ave ità scribit, מין עוף והוא שמן כמו שאומרים שמן שקורין לו בלעז קוליא, *Est genus avis pinguiuscula quam vulgò Qualea vocant.*

14. *Minutum quiddam denudatum*] Tenent Judæi Manna duplici rore tectum fuisse inferiori & superiori: h. e. primum rorem cœlitus descendisse terramque occupasse, postea Manna supervenisse, super quod mox alius ros descenderit, ut Manna in duobus istis roribus tanquam in theca reconditum jacuerit, apparuisse verò quando superior ros ad exorientem solem evanuit. Quam rem Judæi adhuc hodie mensæ suæ quodam indicio repræsentant, ponentes scilicet panem inter duo mensalia. Varietas est in voce Hebraica מחספס *Mechuspas*. Alii עגול *Agul*, *rotundum* exponunt, ut A. E. & R. D. K. quorum sententiam roborare videtur quod infrà dicitur, habuisse figuram seminis coriandri. Alii *decorticatum* sive *denudatum* interpretantur: quam sententiam habet noster Paraph. Quidam *contusum* exponunt, quod secutus est interp. Lat. Vulg. De ratione Grammatica istius verbi si quid præterea nosse desideras, vide librum Compositionis Heliæ Levitæ Judæi nostrâ tempestate in sua lingua non indocti.

15. *Manna est*] Latinus Vulg. interp. hunc locum ex Hebræo ità transtulit, *Cum vidissent filii Israel dixerunt ad invicem, Man hu? quod significat, Quid est hoc? ignorabant enim quid esset*, &c. Is videtur legisse מה הוא *Ma hu* pro מן הוא *Man hu.* Nam מה *Mah* Hebræis interrogantis particula est, *Quid* significans. Quasi *Manhu* pro *Mahu* positum sit, & Nun litera cacophoniæ gratiâ per Paragogen apposita sit. Verùm Hebræi doctiores מן *Man* à מנה *Minah*, quod *partem* & *donum* significat, deducunt; quòd filii Israël, cùm ignorarent quid esset, ideòque certum nomen imponere non possent, *Man*, i. *donum*, appellaverint, q. d. *Donum hoc Dei est; Munus est*; à bonitate scilicet Dei reique novitate ac admiratione nomen huic cibo imponentes. Atque hoc etiam sentit R. D. K. qui ità scribit, לפי שלא ידעו לו שם קראו לו כן כלומר מתנה וחלק מאת השם יתברך, *Quia ignorabant nomen ejus, ideo vocarunt ipsum Man. q. d. Donum & portio est à Domino benedicto.* Verùm quia מנה *Manah* Hebræis etiam *præparare* significat, idcirco quidam hunc cibum *Man* appellatum putant à *præparando*, quòd, ut Sepharadi inquit, מזון מוכן כמו עצמו ולא היה צריך תיקון אחר, *cibus in seipso præparatus fuerit, non indigens aliâ præparatione*, &c. Fuit enim in seipso bonus & esui aptus. Tametsi propter honorem sabbati, & in alium usum atque gustum transmutari potuit. Quibus arridet lectio Vulg. interpretis Lat. qui per, *Quid est hoc?* transtulit, sic intelligunt quasi hæc impatientiæ ac contemptûs verba fuerint, quòd cùm viderent sibi non pistum panem, ut fortè expectaverant, advenire, per contemptum quodammodo dixerant, *Quid est hoc?* sic non solùm non contentos sed & ingratos se exhibentes.

16. *Gomer pro capite*] Teste Hieron. Gomer sunt tres chœnices Atticæ. Josephus quoque de hac mensura inquit, τρεῖς ἡμικοτύλας ἔχει, *Tres continet semicotylas. Pro capite*, i. pro singulo homine sive persona. Vox Hebræa גלגלת *Gylgoleth*, & Chaldaica גלגלתא *Gylgeltha*, *cranium*, *calvariam* & *caput hominis* significat, à *volubilitate* sive *rotunditate* sic denominatum, quòd scilicet sphæricam figuram habeat. Unde & locus Hierosolymis in quo Christus passus fuit, à calvariis hominum ibi jacentibus vulgò *Golgotha* appellatus est. Capitur autem hæc vox synecdochicōs pro *toto homine*. Item pro *summa*; qua in significatione hic quidam accipiunt: unde legunt, *Gomer pro summa numeri animarum vestrarum.*

17. *Et collegerunt alius plus, alius minus*] R. S. hunc locum ità explicat, יש שלקטו הרבה ויש שלקטו מעט וכשבאו לביתם מדדו בעומר איש איש כה שלקטו ומצאו שהמרבה ללקוט לא העדיף על עומר לגלגלת אשר באהלו והממעיט ללקוט לא מצא חסר בעומר לגלגלת והוא נס גדול שנעשה בו, *Alii plus, alii minus collegerunt. Cumque venirent domum ut metirentur quod quisque collegerat, invenerunt ut qui multum collegerat, non habebat plures mensuras Gomer quàm homines tabernaculi sui erant; qui verò parùm collegerat, non pauciores inveniebat quàm homines domûs suæ erant. Atque hoc erat magnum miraculum.* Hæc ille. Verùm juxta simplicem sensum, teste A. E. ità sonat, Quòd alius parùm alius multum collegerit, prout quisque vel copiosam vel paucam habebat familiam.

31. *Quasi placenta mellita*] i. ut R. D. K. interpretatur, Pinsebant ex eo tenues placentas cum pinguedine frixas, quas postea in mel intingebant.

33. *Tolle vas unum*] צנצנת אחת Judæi vulgò exponunt ein glas. R. S. vocem Hebraicam צנצנת *Zinzaneth* interpretatur *vas*, sive *vitrum*, *testaceum*. Extra *vas testaceum*, sive *amnum*, exponit. LXX. verterunt στάμνον χρυσοῦν, *vas aureum*, aut *urnam auream.*

34. *Coram testimonio*] i. Coram arca testimonii, quæ *testimonium Israëlis* vocatur propter tabulas fœderis quæ ibi conservabantur, sicut & A. E. in hunc locum annotavit. Dicuntur autem hæc per anticipationem; nam nondum fabricata erat arca: quod & R. S. observavit, qui in hunc locum ità scribit, לא נאמר מקרא זה עד שנבנה אהל מועד אלא שנכתב כאן בפרשת המן, *Hæc non fuerunt dicta donec extrueretur tabernaculum testimonii. Verùm huc relata sunt propter commemorationem Manna.*

36. *Trium satorum*] Heb. *Gomer autem decima pars Ephah est.* Ephah R. S. ità computat, האיפה שלש סאין והסאה ששה קבין והקב ארבעה לוגין והלוג ששה ביצים נמצא עשירית האיפה ארבעים ושלש ביצים וחומש ביצה והוא שיעור לחלה ולמנחות, *Ephah continet tria sata; Satum autem, sex cabos; Cabus, quatuor sextarios;*

 Sex;

Sextarius, ſex ova: hinc colligitur decimam partem Ephah continere XLIII. *ova; atque tantum accipiebatur pro oblatione placentæ quæ* חלה *Chalia dicitur, & pro ſacrificio cibario.* Hæc ille.

I D E M.

14. ותעל שכבת הטל והנה על פני המדבר דק מחספס דק ככפר על הארץ *Cumque aſcenderet ſitus roris, ecce in ſuperficie deſerti erat tenue quiddam & orbiculare exiguum quaſi pruina jacens ſuper terram*] Variatio in iſto loco potiſſimum eſt in voce Hebraica רק מחספס, quod Lxx. reddiderunt *ſubtile ut coriandrum album*, cùm tamen *Mechuſpas* non ſit nomen ſignificans *coriandrum*, pro quo aliud vocabulum habent Hebræi, nempe גד, quod mox infrà ponitur, ubi dicitur *& erat quaſi ſemen coriandri album*, Hebraicè כזרע גד לבן, ſed participium eſt, quod alii per עגל *rotundum*, exponunt, ut Aben Ezra & Kimhi; quorum ſententiam nonnihil roborare videtur, quòd *Man* dicitur habuiſſe formam ſive figuram ſeminis Coriandri. Alii *decorticatum* ſive *denudatum*, interpretantur; & illi radicem ſive thema ſtatuunt verbum חשף, poſito ſcil. ס loco ש (ſunt enim literæ, ut Hebræorum Grammatici loquuntur, מאחרים permutabiles) quod verbi habetur Gen. 30. ubi dicitur quomodo Jacob decorticaverit virgas ut appareret album, ibi Hebraicè eſt מחשף הלבן *denudans albedinem.* Et hanc expoſitionem ſequitur apud Hebræos R. Salomo; ſimiliter Paraph. Chaldæus. Alii porrò *minutum* ſive *contuſum* reddunt, quos ſecutus eſt Lat. Vulg. interpres, cui & Lxx. accedunt, qui *ſubtile* verterunt. Sequatur pius Lector quod ſibi magis probabile videtur.

15. ויאמרו איש אל אחיו מן הוא כי לא ידעו מה הוא *Dixerunt quiſque ad proximum ſuum, Eſt Man; neſciebant enim quid eſſet,*] Septuaginta interpretes, quos & Lat. interpres ſecutus eſt, vocem Hebraicam מן הוא interpretati ſunt per *quid eſt hoc?* quaſi ſcriptum eſſet מה הוא: Nam מה Hebræis interrogantis vocula eſt, *Quid*, & הוא demonſtrantis eſt, i. *hoc.* Verùm quia non legitur *ma hu* ſed *Man hu*, idcirco doctiores Hebræorum dictionem *Man* hic non pro interrogatione, ſed pro *dono*, *munere* & *parte* accipiunt: quòd ſcilicet filii Iſrael cùm ignorarent quidnam eſſet, ideòque certum nomen indere non poſſent, מן à מנה *donum* appellarunt, quaſi dicerent, donum & portio eſt a Domino. Alii ſic appellatum autumant à מנה i. *præparando*, quòd ſcilicet cibus eſſet paratus ità ut non opus haberet ulteriore præparatione, per ſe enim bonus & ad veſcendum commodus erat. Sed vide de his ampliùs Biblia mea Chaldaica.

V A T A B L U S.

3. U*Tinam mortui fuiſſemus*, מי יתן מותנו] Ad verb. *Quis dabit mortuos nos eſſe?* vel, *nos mori?* Hebraiſmus. ¶ *Juxta ollas carnium*, על סיר הבשר] Sing. Heb. pro plur.

4. *Pluo*, ממטיר] Præſ. Heb. pro fut. i. paratus ſum depluere, q. d. demiſſurus ſum inſtar pluviæ. ¶ *Quantum ſatis*, &c. דבר יום ביומו] *quantum ſatis erit in ſingulos dies.* Ad verb. *rem diei in die ſuo.* Hebraiſmus, qui pro loco ubi legitur aliter atque aliter Latinè reddi debet, ut ſupra c. 5. 13, 19. & Dan. 1. 5. Paulo poſt, v. 16. dicit, *quiſque ſecundum edere ſuum*, ſive quantum edere poſſit. ¶ *Tentem eum*, אנסנו] *Probem eum.* Per hoc voluit Dominus probare eos an crederent verbis ejus, & non plus colligerent quàm illis opus eſſet per ſingulos dies. Voluit præterea dare illis cibos, non per ſingulos menſes, ſed per ſingulos dies; ut nullus præteriret dies in quo circa ſe non ſentirent ipſius beneficium, atque ob id ſemper eſſent illius memores.

5. *Eritque duplum*, והיה משנה] i. die ſexto colligent duplo amplius quàm aliis diebus colligere ſolebant.

6. *Veſperi ſcietis*, ערב וידעתם] Ad verb. *Veſpera* veniet, *& ſcietis*, vel, *cognoſcetis.*

7. *Et mane videbitis*, ובקר וראיתם] Ad verb. *Et manè* appetet, *& videbitis.* ¶ *Gloriam Jehova*, כבוד יהוה De hac gloria vide v. 10. ¶ *Audivit enim*, בשמעו] Ad verb. *in audiendo eum*; i. quum audierit, vel, eo quod audivit. V. 9. dicit כי שמע, *quia audivit.* ¶ *Contra ſe*, על יהוה] Antecedens Heb. pro relat. *contra Jehovam*, pro, *contra ſe.*

8. *Dixit*, inquam, ויאמר] Conciſa eſt oratio: ſubaudiendum eſt enim ex v. 6. & 7. *Videbitis gloriam Jehova:* vel, *Cognoſcetis quod Jehovah eduxerit vos de terra Ægypti, non autem nos, quum dederit Jehovah vobis*, &c. ¶ *Ad ſaturandum*, לשבע] *Ad explendum*, ſub. *deſiderium veſtrum*, i. quo ſaturemini. ¶ *Audivit enim Jehovah*, בשמע יהוה] Ut v. 7. *quum audierit*, vel, *eo quod audierit.* Antecedens pro Relat. *eo quòd ipſe audivit.*

11. *Jam autem dixerat*, וידבר] Nempe ſupra v. 4. tametſi illic non ponuntur verba iſta, *Audivi murmurationes veſtras*, ſed tamen dicta fuiſſe apparet ex v. 7. ubi dicitur, *Audivit enim murmurationes veſtras.*

12. *Murmurationes*, את תלונות] *Expoſtulationes, querelas, querimonias.* ¶ *Inter duas veſperas*, בין הערבים] Vide cap. 12. 6. ¶ *Et ſcietis*, וידעתם] *Ut* hâc ratione *cognoſcatis.*

14. *Et ceſſavit*, ותעל] *Et evanuit*, vel, *diſparuit.* ¶ *Rotundum*, מחספס] Chald. paraph. *decorticatum*, i. album, ut ſunt virgæ decorticatæ. Doctiores inter Hebræos exponunt *Rotundum:* quorum ſententiam probat quòd infrà v. 31. dicitur fuiſſe tanquam ſemen coriandri.

15. *Man*, מן] A מנה, ſignificat *donum:* acſi dicerent, *Donum eſt quod Dominus pollicitus erat ſe daturum nobis.* Significat & *portionem*, ſive *partem:* tanquam dicant, *Portio noſtra eſt quam dedit nobis Dominus.* Ità exponunt doctiores Hebræorum. Vetus interp. legiſſe videtur מה, quod eſt interrogativum Hebræis: & quod mox ſequitur, *Ignorabant quid eſſet*, huic lectioni valde convenit: quaſi hæc impatientiæ ac contemptûs verba fuerint: quòd quum viderent ſibi non piſtum panem (ut fortè exſpectaverant) advenire, per contemptum quodammodò dixerint, *Quid eſt hoc!* ſic non ſolùm non contentos, ſed & ingratos ſe exhibentes. Quidam Hebræorum, quia מנה etiam *præparare* ſignificat, idcirco hunc cibum מן appellatum putant a *præparando*; quòd cibus in ſeipſo præparatus fuerit, non indigens aliâ præparatione: fuit enim in ſeipſo bonus & eſui aptus. ¶ *Dedit*, נתן] Præt. Heb. pro Præſ.

16. *Præcepit*, צוה] Quidam per præſens vertunt, *præcipit.* ¶ *Quantum comedere poſſit*, לפי אכלו] Ad verb. *ſecundum edere ſuum.* Priùs dixerat, v. 4. *quantum ſatis erit eo die.*

17. *Alii plus, alii minus.* המרבה והממעיט] Ad verb. *multiplicans, & minuens*; vel, *qui plus, & qui minus.* Id eſt (ut exponit ex doctioribus Hebræorum alter) alius parùm, alius multum collegit, prout quiſque vel copioſam vel parvam habebat familiam.

18. *Poſtea menſi ſunt in omer: ità ut non ſuperfuerit*, וימדו בעמר ולא וגו'] Ad verb. *& menſi ſunt in omer, & non ſuperabundavit* ei qui *plus: &* ei qui *minus, non defuit.* Verbum *Collegerat* ex præcedentibus vel ſubſequentibus ſubaudiendum fuit. Oſtendit Moſes, tametſi alii aliis fuiſſent agiliores, & quidam pluſquam neceſſe erat in quotidianum uſum collegiſſent, alii minus; neminem tamen ſibi in privatum uſum ſumpſiſſe quam omer: modius enim ille à Domino præſcriptus erat. Quum ità fieret, ſuppetebat omnibus quantum ſufficeret, & nemo eſuriebat. Hunc locum adducit Paulus 2 Cor. 8. 15. confer locum illum cum iſto. ¶ *Quantum comedere poterant*, לפי אכלו] Ad verb. *juxta comedere ſuum*, vel, *cibum ſuum.*

20. *Nam reliquerunt*, ויותרו] Ad verb. *& reliquerunt.*

21. *Quantum comedere poterat*, כפי אכלו] Ad verb. *ſecundùm comedere ſuum*, vel, *juxta cibum ſuum*, ut v. 18.

22. *Et renuntiaverunt*, ויגידו] Sub. *quod collegiſſent panem duplicem.*

23. *Ceſſatiuncula*, שבתון] *Sabbatum*, i. die craſtino ceſſandum eſt vobis in honorem Domini. ¶ *Reſervate*, הניחו] Ad verb. *quieſcere facite*, i. conſervate, vel reponite vobis.

24. *Et reſervarunt*, ויניחו] Ad verb. *& quieſcere fecerunt*, i. repoſuerunt.

25. *Comedite illud*, אכלהו] Subaudiendum aliquid, quale, *Comedite illud ad ſatietatem:* ut ſequatur, *Quicquid autem ſupererit*, &c. ¶ *Sabbatum eſt*, &c. כי שבת וגו'] Ut v. 23.

26. *Non erit*, לא יהיה] Sub. *manna.*

28. *Renuetis* מאנתם] Præt. Heb. pro fut.

29. *Manete*, שבו] *Maneat, ſedeat.* ¶ *Apud ſe*, תחתיו] Ad verb. *ſub ſe*, i. in tabernaculo ſuo. Gallicè, *chez ſoy.* Mox dicitur ממקמו, *de loco ſuo.*

30. *Et ceſſaverunt*, וישבתו] *Et quieverunt.*

31. *Man*, מן] Vide ſupra v. 15. ¶ *Tanquam ſemen coriandri*, כזרע גד] Aſſimilatur man coriandro, non colore, quum ſemina coriandri ſint nigra; ſed figura, quòd man fuerint granula parva in morem granulorum coriandri, ut ait doctus inter Hebræos: quod ſatis intelligitur ex Num. 11. 7. ubi dicitur, *Et man ſicut ſemen coriandri erat: & color ejus ſicut color bedolach*, i. unionis; ſive margarita.

tæ. ¶ *Tanquam conspersionis*, כצפיחת] *Sicut lagani*, vel, *similæ frixæ*.

32. *Dixitque*, ויאמר] Omnia hæc usque ad finem capitis dicuntur per anticipationem, quasi dicerentur post conditum templum & tabernaculum. ¶ *Imple omer*, &c. מלא העמר ממנו] Ad verb. *plenitudo omer ex eo* erit *ad custodiam*. i. quantum mensura omer capere potest, reponetur in custodiam ad futuram rei memoriam in futuras generationes. ¶ *Quo alui vos*, אשר האכלתי אתכם] Ad verb. *quem comedere feci vos*.

33. *Urnam unam*, צנצנת אחת] *Urceolum unum*. Alii, *scutellam unam*. Alii, *vas unum*. ¶ *Plenum omer man*, מלא העמר מן] Ad verb. *plenitudinem omer man*. i. tantum mannæ quantum mensura omer capere potest.

34. *Testimonio*, העדות] i. coram arca testimonii, h. e. fœderis.

CASTALIO.

15. **M***An hu? quid hoc?*] *Man hu* interpretantur Hebræi, *donum est*; sed non bene, meâ quidem sententiâ. Primùm, hoc verbum pro *dono* nusquam alibi ponitur, nisi quòd volunt mutilatum à מתנה, aut מנה Sed hoc ludere est, vel potiùs hallucinari. Nam hâc ratione licebit quodvis verbum de quovis deducere, modò vel unam literam habeat cum illo communem. Præterea non dicerent Hebræi, *donum est*, sed *cibus est*, & quidem cum articulo: non enim donum eis, sed cibum promiserat Deus. Ad hæc, cum dicat Moses, *nesciebant enim quid esset*, oportet in eo esse dubitationem & ignorantiam; quæ nulla esset, si dicerent, *donum est*. Sed bene verterunt Græci, & Hieronymus: *Quid est hoc?* cujus interrogationis ratio subjungitur, *Nesciebant enim quid esset*. Nec obest quòd *man*, non *mah*, legitur. Est enim idem, ut in Psalm. 61. legitur. Eodem modo interpretatur Josephus, τί τοῦτ' ἐστιν, Illud obiter dicam, *manum* veteres Latinos appellasse bonum, teste Varrone: quod verbum videtur à *manna* deductum.

CLARIUS.

1. **Q***Uintadecimâ die*] Nam manserant quindecim diebus in Elim, ubi erat aqua dulcis, id quod ex palmis illic crescentibus notatur, cùm non crescant ubi sunt aquæ amaræ. Hucusque autem comederunt de illa conspersione seu pasta quam tulerant de Ægypto, quâ deficiente cœperunt murmurare.

4. *Ut tentem eum*] Voluit Deus tentare & experiri eos num crederent verbis ejus, & non plus colligerent quam illis opus esset per singulos dies. Voluit autem illis dare panem, non per singulos menses, sed per singulos dies, ut nullus transiret dies in quo Dei circa se non sentirent beneficium, atque ob id semper Dei essent memores.

8. *Panes*] Vocatur hîc Manna *panis* more Hebrææ linguæ, quæ omnem cibum vocat *panem*.

13. *Ros jacuit*] Heb. *fuit situs*, vel *stramentum*, *roris*. Habuit autem Manna illud rorem supra & infrà, ut Hebræi dicunt: situs autem roris superioris per radios solis tollebatur, & apparere cœperunt infinita quædam granula tenuia & orbiculata. *Man* verò quidam etiam exponunt *præparamentum*, ut sit cibus in seipso præparatus, & qui aliâ præparatione opus non habeat. Chaldaicè significat, *quis*, *quæ*, *quid*.

31. *Semen coriandri*] Assimilatur Man coriandro, non ob colorem, cùm coriandri semina sint nigra, & Man fuerit album, sed ob figuram, cùm essent grana subtilia in morem granulorum coriandri.

34. *Coram testimonio*] h. e. intra arcam, quæ *testimonium* vocatur *Israelis* propter tabulas fœderis, & quæ mox post acceptum Legem fieri jubetur.

LUC. BRUGENSIS.

34. **S***Icut præcepit Dominus Moysi.*] Hoc & ad præcedentia referri potest, ut sint Moysis ad Aaron loquentis verba, quomodo Quæst. super Exodum 61. Augustinus se referre significat; & ad sequentia. Alii libri habent, *Sicut præceperat Dominus Moysi*: id quod ad sequentia aptè refertur, sicut & Hebræorum codicum distinctio refert, ut sensus sit, *Sicut præcepit*, aut *præceperat*, (utrumvis enim legi & verti potest) *Dominus Moysi*, *ità posuit illud Aaron in Tabernaculo reservandum*. Phrasis est Hebræis familiaris ad hunc modum copulativam conjunctionem accipere, adverbio similitudinis præcedente.

DRUSIUS.

15. **Q***Uid est hoc?*] De *Manna* nominis etymo Josephus Orig. Jud. l. 3. c. 1. Καλοῦσι δὲ Ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τοῦτο Μάννα. Τὸ γὰρ Μᾶν ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, τί τοῦτ' ἐστιν, ἀνακρίνουσα. Ante Josephum Senes Lxx. hoc loco מן הוא interpretati fuerant, τί ἐστι τοῦτο; quos Hieron. noster secutus transtulit, *quod significat*, *Quid est hoc?* Adhuc quæro in qua lingua מן significet, *Quid?* Nam in lingua Hebraica *quid* מה dicitur; In Chaldaica verò מן interrogat quidem, sed de persona sæpius usurpatur, rariùs de re. Non est autem credibile Israelitas eo tempore usos fuisse linguâ Chaldæorum; licèt originem ducerent ab ea gente. Quocirca quod in Josepho, κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, si de dialecto Hebraica intelligas, falsum est: si de Chaldaica, verum esse potest, si verum eos usos tunc fuisse sermone illo. Mihi non fit verisimile. Quæramus aliud. Hiscuni observat מן in lingua Ægyptiorum idem esse quod מה in lingua Hebræorum. Id Latinè valet, *Quid?* & est particula quæ interrogat de re & qualitate rei. Valde hoc se mihi probat, neque restat nisi ut aliquis ejus linguæ peritus nos in ea sententia planè confirmet. Quod fieri velim vel propter religionis nostræ Antistites, apud quos hæc opinio invaluit. Theodoretus, *Cur Manna vocatum est? Quia cum mox illud conspexissent, se mutuò interrogabant quid esset. Itaque hanc ei appellationem indiderunt. Sic enim Manna interpretatur: Nesciebant enim quid esset. Itaque factum est ut interrogatio vicem nominis habuerit.* Item cæteri Patres: nec dubitatum fuit hucusque. Rei firmandæ sunt consequa verba: primùm illud quod ait, *Nesciebant enim quid esset*; deinde responsum Mosis, *Hic est panis*, &c. Nihil porrò absurdi si dicamus Israelitas, qui tot annos in Ægypto triverant, usos fuisse particulâ ejus linguæ. Jon. hîc habet, ארום מן, *quia nesciebant*, מה הוא *quid esset*. Vide nunc A. M.

34. Multorum opinio est in arca fuisse urnam in qua Manna adservabatur, cujus memoria usurpatur hoc in loco, ubi *coram testimonio* Lippomanus interpretatur *intra testimonium*, eo nomine intelligens arcam, quæ vocatur *testimonium* propter tabulas legis, quæ in ea. Ego sanè *coram* pro *intra* non memini legere. Locus autem Apostoli quem huic interpretationi firmandæ citat, habetur Heb. 9. 4. *In qua urna aurea*, &c. Vide quæ notavimus ad illum. Nam valde controversus est, nec potest conciliari cum alio qui exstat 1 Reg. 8. 9. nisi ἐν ᾗ referas ad τὴν σκηνήν. Id olim fecimus. Pòst alia interpretatio succurrit fortasse commodior, certè minùs coacta. Particula ב, quam reddunt per *in*, aliquando significat *ad*, *prope*, *juxta*, ut Jos. 10. 11. & Jud. 18. 12. Ergò *in qua*, i. *ad* vel *juxta*, *quam*. Nam juxta arcam erat urna Mannæ cum virga Aharonis. Omnia placerent, nisi sequeretur, *tabulæ fœderis*. Nam illæ erant intra arcam. *In* autem duo significare in uno loco non est admodùm probabile. Cave igitur hoc sequaris.

IDEM.

14. ככפר Schol. ὡσεὶ πάχνη, *quasi pruina*] Lex. vet. Πάχνη, *pruina*, *glacies*, *gelu*, *stiria*. Idem sign. puto per גלידא, quod in Onk. & Jonatha. Sed *gelu* potiùs πάγος, quod hîc Lxx. posuerunt. Hieron. *in similitudinem pruinæ*. R. D. in lib. Rad. כפור *quod mane cadit tempore frigido*. R. S. *vernaculè* גלידא *gelede*, i. gelu aut gelicidium. Psal. 147. 16. כפור, Lxx. ὁμίχλη, *nebulas*: ἄλλος, i. alius interpres, δρόσος πεπηγμένη, *ros congelatus*, sive *concretus*. Non malè. Nam ut vapor in aquam mutatus *ros* dicitur, ità conglaciatus, *pruina*, quam proinde vulgus *gelu album* appellat.

20. וירם Alius, ἀνέβρασε, *ebulliit*] Antea erat ἐξέζεσε, & in Vulg. nostra, *scatere cœpit*. Ἐκζέσματα sunt *eruptiones cum fervore*, quæ & ἐκβράσματα. Ut minimum interest inter ἐκζέω & ἐκβράζω. Sanè ἀναζέω exponitur à Stephano, *ebullio*. ירם magis denotat *vermiculor*, i. vermiculos gigno aut produco. Verbum à רמה deductum, quod *vermem* sive *vermiculum* significat. Placeret magis *vermino*, si hoc verbi eo sensu in usu esset. Nam apud Celsum, *nihil est perniciosius pueris dum verminant*, exponunt, *dum vermibus infestantur*. Nihil tamen obstat quin exponamus, *dum vermes generant*, *dum vermibus scatent*. Id Græci dicunt σκωληκιᾶν. Consule Lexica.

21. איש כפי אכלו Alius, ἕκαστος τὸ ἀρκοῦν, *unusquisque quantum sufficiebat*] Interp. noster, *quantum sufficere poterat ad vescendum*. Santes, *quantum sufficiebat sibi ad vescendum*. Plenum esset, τὸ ἀρκοῦν αὐτῷ, *quantum sufficiebat sibi*: & subintelligitur, *in cibum*, sive *ad victum*.

31.

Google

31. כְּזֶרַע גַּד τὸ Σαμαρειτικὸν, ὡς σπέρμα ὀρύζης, *ut semen oryzæ*] i. ארוז, sic Magistri vocant *Oryzam*. Arabes dicunt ארז, teste AbenEzra: qui etiam scribit cibum esse Indorum, qui tritico carent, sanguinemque optimum generare. Hoc scribit in comment. Dan. 1. Glossarius vocum Arabicar. *Ars, seu Arzi, oryza.* גד potiùs est *coriandrum*, i. κόριον, ut Lxx. hic vertunt. Onk. גדא appellat, quod scribendum fortè גרא. Cæteri interpretes Chaldæi כוסבר sive כסבר vocant. Quod etiam Arabicum est. R. D. in libro ubi verborum significata collegit, גד *est Magistrorum* כוסברתא, *& sic vocatur in lingua Arabica* אלכסבר *Alchasbor: barbare verò dicitur Coriandrum.* R. S. גד *est id quod Coriandrum nominatur.* ¶ כצפיחת בדבש A. ἄμυλος ἐξ ἐλαίῳ. Sym. ὡς ἄμυλος ἐν μέλιτι. Alius, μέλι κηρίῳ] Αμυλος ἐξ ἐλαίῳ. In libro Rad. צפיחית *appellantur lagana in oleo cocta & melle tincta.* In margine est, *vulgo* (Italicè) *fritola.* Αμυλος, placentæ genus. Est autem epitheton absque re. Nam subintelligitur πλακοῦς, *placenta*, aut μᾶζα, *maza*. Reperitur etiam ἄμυλος ἄρτος, *panis ex amyla farina.* ¶ Εξ ἐλαίῳ. בשמן. Quis credat Aquilam ità vertisse? ¶ Εν μέλιτι, *cum melle.* ¶ Μέλι κηρίῳ, *mel favi.*

36. עֲשִׂרִית הָאֵיפָה Schol. τὸ δέκατον τοῦ οἰφί, *decima pars Ephi*] Hieron. *decima pars Ephi.* Lxx. τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων. *Decima pars trium mensurarum.* Noster alibi סאתים, *tres modios* reddit. Ergò μέτρον *modius*, nomine generis ad certam speciem restricto. Onk. & Jon. תלת סאין *trium satorum.* Huc accommodanda *modii* vox, quam pro sato usurpant. Est autem *Satum* mensura Hebraica, quam ter continebat Epha.

NOTÆ MAJORES.

1. P*Rofectique de Elim venerunt omnis cœtus filiorum Israël ad desertum Sin, quod inter Elim & Sinai, quinto decimo die mensis secundi, egressionis ipsorum e terra Ægypti.*

Omnis cœtus] πᾶσα συναγωγὴ: universa congregatio. Lxx. On. Jon. ¶ *Ad desertum Sin*] Vel magis, *in desertum Sin.* Græcè est εἰς τὴν ἔρημον σίν. Quod scribunt סין prima Samech. Nam צין Sin prima Sade aliud est. Eusebius de locis, *Sin, desertum inter mare rubrum & solitudinem Sina. Nam de deserto Sin filii Israel venerunt in Raphidim, & a Raphidim in desertum Sina, juxta montem Sina, ubi Moyses tabulas legis accepit. Desertum autem Sin dicit esse Scriptura quod & Cades: sed hoc juxta Ebræos. Ceterum in Lxx. interpretibus non habetur.* Hæc sane intelligenda. Nam duplex desertum Sin. Unum, de quo hic sermo quæ fuit mansio octava Israëlitarum: alterum de quo Num. 20. 1. ubi Cades, & hæc est 33. mansio, scribiturque Ebraicè צין per Saddic. Ceterum inter Elim & desertum Sin erat intermedia mansio juxta Mare Suph, cujus mentio Num. 33. 10. Hieron. Fabiolæ, *Octava hæc mansio, licet juxta ordinem hujus libri septima sit: Nam profecti de Elim castrametati sunt ad mare rubrum, quod Ebraice dicitur Jam Suph. Septima ergo illa, octava hæc mansio. Sed sciendum quod omnis usque ad montem Sinai eremus, Sin vocetur, & ex tota provincia, etiam locus nomen unius mansionis acceperit, sicut Moab tam urbis quam provinciæ nomen est. In hac autem solitudine quinque mansiones sunt, Jam Suph, & eremus Sin, & Daphca & Alus & Raphidim; de quibus loquemur in consequentibus. Sed quæritur quomodo post transitionem maris rubri & fontes Marath & Elim, rursum ad mare rubrum venerit, nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrerit, juxta quem castrametati sunt. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Verbum* ים סוף *apud Ebræos ex mari & rubro compositum est. Suph autem & rubrum & scirpus vocatur. Unde possumus suspicari, quod venerint ad paludem quandam & lacum, qui & carecto & junceis plenus fuerit. Quod autem omnes congregationes aquarum Scriptura sacra mare vocet, nulla dubitatio est. Hæc itaque mansio in Exodo non habetur, sed scriptum est pro ea, quod de mari rubro venerunt ad desertum Sin, quæ est inter Elim & Sinai, quintadecima die mensis secundi egressionis eorum ex Ægypto, id est trigesima prima postquam egressi sunt de Ramesses.* ¶ *Et Sinai*] Ebraicè, & inter Sinai, quod Græcè legitur in editione Lxx. καὶ ἀναμέσον Σινά. Mendum pro σινᾶ. Quale in σαρᾶ pro σαρᾷ. Putarim aliquando scriptum fuisse σινᾷ & σαρᾷ, cum jota subscripto, id quod post omissum fuerit incuria & negligentia exscriptorum. ¶ *Mensis secundi*] Jonathan, *Mensis Jar, qui est mensis secundus*, nempe Nisan, quo egressi sunt ex Ægypto primus erat. Ideò sequitur, *egressionis ipsorum ex Ægypto.* Pro quo Hieron. *postquam egressi sunt: &* Lxx. ἐξεληλυθότων αὐτῶν, *cum ipsi exivissent:* & alius, *ab exitu eorum.* Quod ideò adjecit quia secundus mensis anni veteris erat octavus à Nisan.

2. *Et murmuraverunt omnis cœtus filiorum Israël contra Mosen & Aharonem in deserto illo.*

3. *Dixeruntque ad eos filii Israel, Utinam mortui essemus manu DOMINI in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnis & comedebamus panem ad saturitatem: Nam eduxistis nos in desertum istud ut occideretis omnem cœtum hunc fame.*

Cœtus] Congregatio, synagoga. Jonathan, *In illo die defecit illos massa sive pasta quam extulerant ex Ægypto: ideò murmuraverunt omnes filii Israel, &c.* ¶ *Contra Mosen & Aharonem*] Prius, hoc est in Mara, contra Mosen tantùm: nunc murmurant etiam adversum Aharonem. Hoc primum discrimen: alterum est quia in Mara murmurabat populus, hic murmurat universus cœtus, e quo tamen aliquos exemptos fuisse valde credibile est. Nec obstat dictio (*omnis*) quæ sæpè de majori parte usurpatur. Autor Catenæ, *Omnem congregationem murmurasse quidem scribitur, sed non universaliter intelligendum. Erant enim pii inter eos & sancti, Josue nimirum & Chaleb & similes: sed quod modicum est pro nihilo semper reputari consuevit.* Vide his Lyram. ¶ *In deserto illo*] Quidam, *propter illud desertum.* Nam ב etiam *propter* significat. Hieron. *In solitudine.* Saadias existimat diem 15. mensis, quo venerunt in hoc desertum fuisse diem sabbathi: postridie autem pluisse Manna, qui erat primus hebdomadæ. Idem habetur in tractatu de sabbatho, in opere Thalmudico. Meminit & R. Salomo, qui scribit eos 30. diebus vixisse alimentis quæ secum ex Ægypto attulerant, hoc est refectionibus sive מזון sexaginta & una. Videndus quoque Lyra. ¶ *Utinam mortui essemus*] ὄφελον ἀπεθάνομεν. In Ebræo est ad verbum, Quis det mortuos nos esse, sive ut mortui fuissemus. Nota מי יתן usurpari pro utinam i. לו, pro quo Chaldæi dicunt לְוַי & לְוַי & הַלְוַי. ¶ *Manu DOMINI*] ביד יהוה in manu DOMINI. Onkelos, *coram DOMINO.* Jonathan, *in sermone DOMINI.* Lxx. πληγέντες ὑπὸ Κυρίου. Hieron. *per manum DOMINI.* Nicolaus, *Per plagam ab eo immissam cum primogenitis Ægyptiorum, quia illa mors fuit brevis.* Cajetanus, *More humano naturalem mortem vocant mori manu Dei i. in operatione divinæ dispositionis.* Vide sequentia. Tremel. *manu DOMINI, quâ Ægyptii cæsi sunt.* ¶ *Super ollas*] Juxta ollas. Vide Num. 11. 4. & 5. ¶ *Carnis*] i. carnium, τῶν κρεῶν. ¶ *Occideretis*] Morte afficeretis.

4. *Et dixit DOMINUS ad Mosen, Ecce ego pluo vobis panem è cœlo & egressus populus colligent demensum diei pro die suo, ut tentem eum utrum ambulaturus sit in lege DOMINI an non.*

5. *Die autem sexto parabunt quod intulerunt, & erit duplum cum eo quod colligent quotidie.*

Pluo] Pluviæ in modum dimitto. Pluo i. ὕω. Sic Græci Lxx. & est sensus, jam jam pluam, vel pluam simpliciter, quomodo Hieron. expoluit. Trem. *pluere faciam*, quod minùs se probat mihi. Onk. & Jon. *descendere facio* i. faciam. Quale illud, *Quo ego vado, vos non potestis venire:* item illud, *ecce ego commoveo cœlum & terram.* Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ *Panem è cœlo*] Panem cœlestem: aut *pluam è cœlo* i. ex aëre. Cœlum enim pro aëre ponitur, ut aves cœli. ¶ *Panem*] Cibum, alimentum. Usurpatur de pane propriè dicto, & de carnibus, & de fructibus arborum: item de lacte, ut Proverb. *& lac caprarum pro pane tuo.* Frumentum etiam sig. unde panis conficitur. Ceterum in Lxx. est ἄρτους & in Hieron. *panes.* Unde Augustinus in locutionibus super Exodum, *Amat autem Scriptura pluraliter magis panes, quam panem singulariter dicere.* Contra est apud Ebræos. *Colligent*] Vel, *colligant.* Sic mox, *parent:* &, *sit duplum.* ¶ *Demensum diei pro die suo*] Ebraicè, *rem diei in die suo.* Forte sensus est, colligat in die suo demensum diei i. quantum sufficit pro illo die. Hieron. *colligat quæ sufficiunt per singulos dies.* Lxx. συλλέξουσι τὸ τῆς ἡμέρας εἰς ἡμέραν. Id redditum in edit. Rom. *colligent quod dies in diem:* à Cypriano in libro de Montibus Sina & Sion, *diurnum in diem:* ab Augustino Quæst. 58. *unius diei in diem.* Sic etiam interpres Origenis hom. 7. qui verba paulò post sequentia atque idem significantia exponit τὸ καθ' ἡμέραν εἰς ἡμέραν, *quotidianum in diem.* R. Salomo, *Cibum necessarium diei colligent in die suo, & non colligent hodie quod necessarium ad diem crastinum.* Lippomanus, *colligent quotidie quantum satis erit pro ipso die:* & mox, *summam certam ac demensum, quod sufficiat pro singulis diebus suo die colligat.* ¶ *Tentem*] Probem, explorem. Augustinus, *Tentatio ista probata est, non ad peccatum seductio, nec ideo probatio ut Deus noverit, sed ut ipsis hominibus ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium & agnoscendam Dei gratiam.* Ceterum homo non solùm rebus adversis probatur, sed secundis etiam. Namque ejusdem ignavia

viz est in adversis humilem ac miserabilem fieri, & in prosperis insolenter efferri. Hinc duplex tentatio de quâ Ambrosius Serm. 81. pag. 386. in comment. super Avoth, *Non invenimus tentationis vocabulum nisi de justo, qui tentatur à Deo ut multiplicetur meritum ejus. Nam non explorat figulus iste vasa fracta & contrita, sed integra.* Fagius, *colligant quotidie quantum satis erit pro ipso die. Per hoc autem voluit DOMINUS tentare & probare eos, an crederent verbis ejus, & non plus colligerent, quam illis opus esset per singulos dies.* Vide sequentia. Habentur autem in Annot. ad paraphrasin Chaldaicam Onkeli. Abenezra, *tentabo eum ut indigeat mei per singulos dies.* Vide quæ scripsimus cap. 15. vers. 25. hujus libri. ¶ *Utrum ambulaturus sit in lege mea*] Ambulat in lege Dei, qui vivit ex præscripto ejus, aut vitam instituit secundum præcepta ejus. Jonathan, *Si servabunt præcepta legis meæ, si non.* ¶ *Legis meæ*] Quam ei præscribo. ¶ *Die sexto*] A descensu panis è cœlo sive hebdomadæ, qui est dies Veneris Christianorum. Nam Christiani dies nominarunt à planetis, quas Ebræi המשרתים appellant. Cujus rei meminit Abenezra ità scribens, *Præputiati nomina dierum septimanæ vocant de nominibus planetarum: sed non sic diem sabbathi nominant. Porro in lingua Arabica vocantur quinque dies à numero, primus, secundus &c. Sextus autem dicitur יום אל propter conventus eorum qui eo die habentur. Nam dies iste illis honorabilis est inter dies hebdomadæ, imò sacer, & diem septimum vocant סבת sabbath, Sin littera in Samech conversa: quæ littera apud eos permutantur. Et hoc didicerunt ab Israële. Nam ecce homines Indiæ, qui non confitentur opus creationis principium dierum hebdomadæ habent diem quartum propter planetam illius diei qui est Hamma. i. Sol. Is enim in eos dominatur, ut ipsimet dicunt.* Hactenus Abenezra. ¶ *Parabunt*] Præparabunt ad usum hujus & sequentis diei septimi. Hoc Jonathan dixit, *ad edendum die Sabbatho.* In fonte est ad verbum, *in die in Sabbatho.* ¶ *Duplum*] Duo gomor unicuique. Duplum i. διπλῶν, Ebræi hic dicunt משנה quasi iteratum, Onkelos על חד תרין. Jonathan ויהי להון בכפלא &erit illis in duplo. ¶ *Cum eo quod colligent*] Hieron. *quam colligere solebant.* Lxx. ὃ ἐὰν συναγάγωσι: quodcunque congregaverint. Tremel. *supra quam collegerint.* Malè. Nam supra illud non erat duplum, sed cum eo. Notum ut על pro *cum* accipiatur. Santes, *ad id quod colligent.* Munsterus, *respectu illius quod colligunt.* Gallica editio, *le double de ce qu'ils recueilleront.* Leo Judæ, *hujus respectu quod collegerunt.* ¶ *Quod intulerunt*] In domos. ¶ *Quotidie*] יום יום die die i. quotidie, sive, ut Hieron. *per singulos dies.* Jonathan hîc habet, *die & die*, inserta copula.

6. *Dixitque Moses & Aharon ad omnes filios Israël, Vespere scietis, quod DOMINUS eduxerit vos è terra Ægypti.*

7. *Et mane videbitis gloriam DOMINI, quando audivit ipse murmurationes vestras contra DOMINUM: Nos enim quid sumus, quod murmurastis contra nos?*

Dixitque] καὶ εἶπε. Sic Onk. Jon. & Lxx. Nec aliter est in Ebræo. Latini potius dicerent, *& dixerunt*: idque habetur in Edit. Hieron. ¶ *Vespere scietis*] Vel, *cognoscetis.* In Ebræo est, *vespere & scietis.* redundat ergo copula in Latio. Quidam legunt, *vespera & cognoscetis*, & sub. erit aut veniet. Sic mox, *mane* sub. apperet, *& videbitis.* ¶ *Quod DOMINUS eduxerit vos*] Non ego aut Aharon. Occultè perstringit eos. Dixerant enim supra vers. 3. *quia eduxistis nos*, nempe ex Ægypto, *in desertum istud.* ¶ *Et mane videbitis*] Ordo & constructio, *Tam vespere quam mane cognoscetis DOMINUM eduxisse vos ex Ægypto, videbitisque gloriam DOMINI* &c. Sane illo ipso die viderunt gloriam DOMINI, quæ apparuit ipsis in nube, infra vers. 11. ¶ *Quando audivit ipse*] בשמעו. Hieron. *audivit enim.* alias, *audivi* בשמעי. Lxx. ἐν τῷ εἰσακοῦσαι i. interprete Augustino, dum exaudiet. Ad verb. *in exaudiendo.* Sic alibi בשוב in convertendo i. dum convertet. Onkelos, *quando exauditum est coram me murmur vestrum.* Jonath. *quum exaudita sunt coram me murmurationes vestræ.* Santes, *cum audierit.* Tremel. *quandoquidem audit.* Gal. *d'autant qu'il a oui.* Munsterus, *eo quod audierit.* vers. 9. habetur כי שמע quia vel quum audivit. ¶ *Contra DOMINUM*] Contra se. Nomen loco pronominis. Quale illud, *dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM.* Pro ad me. Consule libellos meos. ¶ *Nos enim quid sumus*] Verbum *sumus*, non habetur in Ebræo. Sic in Onkelo, *nos enim quid?* Jonath. & Jerosol. *nos enim quid æstimati sumus?* Sic etiam R. Salomo. ¶ *Quod murmurastis*] Hieron. *quia mussitastis.* R. Salomo, *murmurare fecistis alios. Nam est* תלינו *in fonte. Sic alibi ubi de exploratoribus, qui missi erant in terram Chanaan,* וילינו עליו את כל העדה *& murmurare fecerunt contra eum universum cœtum.* Abenezra, *Quid in manu nostra ut faciamus? nihil enim fecimus nisi quod jussi sumus.*

8. *Dixitque Moses, Quum dabit DOMINUS vobis vespere carnem ad edendum, & panem ad saturitatem, quando audivit DOMINUS murmurationes vestras, quibus vos murmurastis contra ipsum: & nos quid sumus? non contra nos fuerunt murmurationes vestræ, sed contra DOMINUM.*

Dabit] Vel, dederit. Hic desideratur quippiam, videlicet, *cognoscetis me vos eduxisse ex Ægypto*: aut *me esse DOMINUM*; aut *videbitis gloriam DOMINI.* ¶ *Ad edendum*] Vel, *ut comedatis.* Sic mox, *panem ut saturemini.* ¶ *Carnem*] κρέα. Hieron. *carnes.* Ante illa verba, *Cum dederit*, Lippomanus subaudit, *Tunc videbitis potentiam DOMINI, qui etiam in deserto squalido vobis vitæ necessaria ministrare poterit, ubi nec seritur nec metitur.* ¶ *Quando audivit*] Hieron. *eò quòd audierit* כי שמע Onk. & Jon. *Quum audita fuerint coram eo.* Lxx. διὰ τὸ εἰσακοῦσαι Κύριον. Tremel. *quandoquidem audit.* Ebraicè est בשמע in audiendo. ¶ *Contra nos*] Me & Aharonem. ¶ *Sed*] כי pro כי אם. Id enim valet *sed* i. ἀλλά. Chaldaicè אלהין. ¶ *Contra DOMINUM*] *contra sermonem* DOMINI. Onk. & Jon. κατὰ τοῦ θεοῦ. Lxx. על אלהים. ¶ *Murmurastis*] *Murmurare fecistis alios, qui vos audiunt.* R. Salomo. Idem nos admonet de eo quod ait, *carnem ut edatis, & non ut saturemini*, hoc ideò dici quia homines communiter non saturantur carnibus, sed pane. *Sed cur*, inquit, *descendere fecit panem mane & carnem vespere? quia justiorem causam habuerunt petendi panem, quo hominum vitâ carere non potest.* Vide, si vacas.

9. *Et dixit Moses ad Aharonem, Dic universo cœtui filiorum Israël, Appropinquate coram DOMINO, quia audivit murmurationes vestras.*

10. *Quumque loqueretur Aharon ad universum cœtum, ecce gloria DOMINI apparuit in nube.*

11. *Locutusque est DOMINUS ad Mosen, dicendo.*

12. *Audivi murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos; Inter duas vesperas* (*Antequam dies planè abierit* R. Levi) *comedetis carnem, & mane saturabimini pane: & cognoscetis me esse DOMINUM Deum vestrum.*

Appropinquate] Accedite propius, προσέλθετε. ¶ *Coram DOMINO*] ἐναντίον Κυρίου, ante conspectum DOMINI. Vult dicere, ad locum ubi nubes descendebat. ¶ *Audivit murmurationes vestras*] Exaudivit vos murmurantes. ¶ *Gloria DOMINI*] *Gloria divinitatis DOMINI.* Jonathan. ¶ *In nube*] *In nube gloriosa.* idem. ¶ *Inter duas vesperas*] Hieron. *vespere.* Ad sententiam non malè. Nam idem hoc loco בין הערבים inter duas vesperas, & בערב vesperè, ut etiam Abenezra observat. Lxx. τὸ πρὸς ἑσπέραν, quod reddunt *ad vesperam.* Onk. & Jon. *inter soles.* Cajetanus, *inter duas vesperas, hoc est inter occasum solis, & solem tendentem ad occasum.* De hoc fusè supra 12. 6. ¶ *Locutus est DOMINUS ad Mosen*] Qui ad nubem propius accesserat. ¶ *Cognoscetis*] Experientia magistra. Ceterum illud, *coram DOMINO.* Nicolaus exponit *coram columna nubis, vel secundum alios*, inquit, *coram tabernaculo parva, ubi DOMINUS loquebatur Moysi, antequam factum esset magnum tabernaculum, de quo cap. 33.* Idem ad illud, *& ecce gloria DOMINI*, annotat, *id est quidam fulgor insolitus repræsentativus divinæ præsentiæ, ad arguendum populi murmurationem.*

13. *Fuitque vesperi ut ascenderet coturnix, & operiret castra, mane vero erat accubitus roris circum castra.*

Coturnix] multitudo coturnicum, id est ὀρτύγων πλῆθος, ut habet Josephus Orig. Jud. lib. 3. cap. 1. Posses vertere, *Et ascenderunt coturnices.* Sic *rana* pro ranis invenitur, & *locusta* pro locustis. Sic in Latio *miles* pro militibus. Lxx. καὶ ἀνέβη ὀρτυγομήτρα, & ascendit ortygometra. Id sonat, matrix coturnicum. Matricem Gaza vocat. Est autem diversum genus à coturnice, si non fallit nos Augustinus. Ejus locus habetur Quæst. 62. *Unde & illis ortygometra data est i. aves, quas coturnices multi Latini interpretati sunt: cum sit aliud genus avium ortygometra; quamvis coturnicibus non usquequaque dissimile.* Lexicon Hesychii, Ορτυγόμητρα, ὄρτυξ ὑπερμεγέθης i. supra modum magna coturnix. Rupertus, *Alii ortygometras duces coturnicum esse affirmant, ab Ortygia, in qua abundant, insula nominatas.* Robur addit huic sententiæ Plinius ità scribens, lib. 10. cap. 23. de coturnicibus migrantibus, *Aura vehi volunt propter pondus corporum viresque parvas. Aquilone ergo maxime volant ortygometra duce.* Vide Aristotelem hist. Animalium lib. 8. cap. 12. Porro Coturnix Ebraicè dicitur שלו: Chaldaicè autem סלוי sin in samech versa. Quanquam in nonnullis editionibus Onkeli שלוי. Affinis est vox Arabica סלוי sive אלסלוי, qua usus est ejus linguæ Interpres. Vidi apud Josephum Scaligerum. Liber impressus est Constantinopoli. Arabicæ juncta est editio Persica, in quâ מרגו vel אלמרגו. Usus

fuit

fuit olim Gesnerus, e quo ego hæc habeo. Hesych. τατύρας Φασιανὸς ὄρνις. Bellunensis apud Avicennam *Alsetarugi* Phasianus, perdix vel avis coturnici similis. In Jonatha invenies פסיונין Quo vocabulo utitur interpres Chaldæus & Psalm. 105. 40. Quid פסיון? Elias suspicatur esse pullum columbæ, qui vulgo ab Italis פיפיונ vocatur. Aruch vernaculè פס interpretatur i. Phasianum. Nam is Italicè *fasano* dicitur. Certe vox non abludit. Sed ambigo. Nam idem inter quatuor genera coturnicum recenset פיסיוני Sic enim legendum putarim pro eo quod in vulgatis פיסיוני Quatuor illa genera memorantur in principio Gemara, capite quod incipit, *Dies expiationum.* Sunt autem שכלי & כבלי & פיסיוני & שליו Capite primo, in Cidduschin; *Est qui cibat patrem suum* פיסיוני *coturnicibus an phasianis? & expellit eum e mundo.* De coturnicibus Josephus Orig. lib. 3. cap. 1. *hoc genus avium Arabicus sinus alit, superato interjacente mari longo volatu fessarum, qui alioquin etiam non est sublimis.* Et Diodorus lib. 1. pag. 38. ubi de incolis Rhinocoruræ: ταῦτα δὲ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἱστάντες, τὰς θήρας τῶν ὀρτύγων ἐποιοῦντο (Φέρονται γὰρ οὗτοι κατ᾽ ἀγέλας μείζους ἐκ τοῦ πελάγου) οὓς θηρεύοντες, ἤθροιζον πλῆθος ἱκανὸν εἰς διατροφὴν ἑαυτοῖς. ¶ *Accubitus roris*) Alii, *stratum roris.* i. ros stratus. Hieron. *ros jacebat.* Onkelos, *descendebat ros* vel potius *erat descensus roris.* Sic etiam Jonathan. Nam נחתא descensio. נחתת nomen esse non verbum docet sequens versus. Santes, *descendit ros.* Arias, *cubatio roris.* Gal. *une rosée épandue*, ros expansus. R. Salomo, *Ros jacebat super Man, & in alio loco dicit, cum descenderat ros.* Abenezra, *significationem habet descendendi, ut ibi* מי יורידני *quis descendere faciet? Certe in alio loco scriptum, cum descenderet ros.* ¶ *Vespere*] Illius diei. Nam eodem die id accidit. ¶ *Ascenderet*] *E plaga maris* ἴσως. Abenezra. ¶ *Coturnix*] R. Salomo dicit esse avem pinguem valde. Nicolaus, *Coturnix est avis pinguis & sapida.* Hoc noto, quia in Octaplo Psal. 23. quos interpres פיסיונין dicit (puto legendum פיסיונין) paulo vocat פטימין avés pingues. R. Levi, שליו *est e genere avium.* Forte Deus ascendere fecit eas è mari, quemadmodum dicit Abenezra. ¶ *Accubitus roris*] Idem, *est ros qui descendit mane, & ecce dicit, accubitus roris, quia fit è vapore debili, è quo non descendunt guttæ, sed humidus fit a frigore, qui in fine noctis* &c. Hactenus R. Levi. Nicolaus, *dicitur ascendere coturnix, quia de terra opposita deserto, in qua magna multitudo talium avium invenitur, ascenderunt in aerem, voluntate divina, & volaverunt usque ad castra filiorum Israel, ibique descenderunt ita quod poterant eas capere.* Quæritur hic quare dederit eis carnes vespere, & panes mane diei sequentis. Magis enim conveniens videtur fieri modo contrario. Ad hoc respondetur quod filii Israel conquesti fuerunt primo de defectu carnium, & secundo de defectu panis, dicentes, Utinam mortui essemus quando sedebamus juxta ollas carnium, & comedebamus panem ad saturitatem: & ideò eodem ordine quo petierunt, datus est eis cibus. Alia ratio assignatur ex convenientia rei datæ: quia coturnices ex volatu diurno erant fatigatæ, & ideò circa vesperam erat conveniens tempus ut descenderent ad terram quasi ad requiem. Panis autem qui datus fuit mane fuit Manna, quod decoquebatur & inde formabantur panes. Descendebat autem per modum roris. Hora autem matutina conveniens est tali descensui. Hæc fere Lyra.

14. *Et ascendit accubitus roris, & ecce super faciem deserti tenue rotundum, tenue, inquam, ut pruina super terram.*

Ascendit accubitus roris] Manna tegebatur rore, qui orto sole ascendit, hoc est evanuit & disparuit. Id Græci dicunt καταπαυομένης τῆς δρόσου i. cessante rore. Onkelos, *& ascendit descensio roris* i. ros qui descenderat. Jonathan, *Ascenderunt nubes & descendere fecerunt manna super descensum roris.* Communis opinio Ebræorum est etiam sub manna rorem fuisse. R. Salomo, *Ros descendebat super terram, & manna descendebat super eum: iterum ros descendebat super manna, quod ecce quasi repositum erat in capsa. Orto autem sole ascendebat ros, qui supra manna, quemadmodum ascendere solet ros coram sole. Quod si impleveris putamen ovi rore, occluserisque os ejus, si posueris in sole, ipse ros ascendit inde in aërem. Porro doctores nostri exposuerunt dicentes rorem ascendisse è terrâ in aërem, quumque ascendisset stratus ille ros apparuisse manna, quod viderunt, & ecce erat in superficie terræ.* Idem R. Levi, qui etiam hunc locum interpretatur ותעל שכבת הטל *desiit esse descensus roris.* Tremel. *Quumque elevasset se.* Santes, *Et excisa est descensio roris* i. נכרתה. Munsterus, *quumque abscederet situs roris.* Versio quæ in Bibliis Vatabii, *Et cessavit descensio roris.* Gallica, *Quumque evanuisset* &c. Leo Judæ, *Quo abscedente.* Hiscuni, פסקה *& cessavit, ut ibi, Ne ascendere facias me in medio dierum meorum:* Quod exponunt, ne excindas me. ¶ *Super faciem*] In superficie. ¶ *Tenue*] Minutum, λεπτόν. Chaldaicè דעדק, unde in Epistola quam Rabban Gamliel scripsit ad exules Babylonios, Medos & Græcos אמריא רעדקין pecudes parvæ: & רעדקיא sunt parvuli, juxta Baal Hatturim Num. 23. Gal. Edit. *une petite chose*, res parva: & mox, *menue* i. *minuta.* ¶ *Rotundum*] מחספס. LXX. ὡσεὶ κόριον, tanquam coriandrum. Nam κόριον coriandrum. Dicitur & κορίαννον & κολίανδρον. Illud Aristophanes usurpat, hoc ejus scholiastes, qui sui temporis vocem esse ait. Onkelos מקלף quod Fagius reddit, *denudatum.* Verbum è verbo, *decorticatum.* Jonathan, מסרגל delineatum. Hieron. *quasi pilo tusum.* Abenezra, עגול i. *rotundum.* Ità Santes & alii recentiores. Munsterus, *orbiculare*, quod in idem recidit. R. Levi, *Videtur rectum esse quod interpretatur Chaldæus ut habuerit similitudinem seminis minuti decorticati, vult dicere, unde cortex ablatus fuerat. Nam erat album sicut semen coriandri, ut postea dicitur.* Vide sequentia. Abenezra refutat eos qui putant esse מחספס à חשף quasi denudatum dicas. *Nam hoc modo*, inquit, *litteræ non iterantur.* Vide, si placet. Jonathan author hunc rorem fuisse sanctificatum & paratum in modum mensarum. id est פתורין. Fagii verba huic loco facem præferunt, quæ vide. Ubi mensalia videtur appellare, quæ Jonathan פתורי Sed nihil decerno. R. Salomo, מגולה retectum vel לשון חפיסא quasi in pixide repositum. Nam חפיסא pixis. Sic Aruch interpretatur מחספס בחפיסא Addit R. Salomo גלוסקמא. Id alibi גלוסקמא dicitur & Græcè γλωσσόκομον. Qui *denudatum* interpretantur existimant factum esse ex verbo חשף repetita secunda thematis. Hoc fieri unquam negat Abenezra. Nam *duplicantur*, inquit, *prima & secunda, ut in* יפיפית *perpulcher fuit: secunda & tertia, ut in* ירקרק *subviridis: tertia tantum ut in* כגיר *pluvia. secunda etiam iteratur, sed tantum in quiescentibus Lamed He ut* הגיגי *meditatio mea.* In ceteris Ordinibus insolens omnino hæc repetitio. Quocirca מחספס non potest deduci à חשף denudavit, ne dicam in hoc verbo mediam esse Sin, non Samech. ¶ *Tanquam pruina*] Hieron. *in similitudinem pruinæ.* Vide supra. Ceterum in Onkeli exemplaribus quod legitur גיר, Fagius interpretatur *coacervatum.* Moneo autem in codice Veneto, qui in octavo folium complicat, haberi כגיר quod sonat instar calcis, nisi legendum כגיר ὡς κόριον, tanquam coriandrum. Nam גד in sermone Chaldæorum κορίαννον quod Ebraicè גד dicitur. R. Salomo legit כגיר quod interpretatur כאבני גיר & ait esse genus coloris nigri. Ei nihil respondet in Ebræo. Moses Gerundensis ait esse pulverem album, qui adhæret parietibus, & a calce distinguit. Pro coriandro in Philone milium legitur. Videndi sunt ad hunc locum Nicolaus & Cajetanus. Quod autem Nicolaus ex R. Salomone scribit initio pruinam cecidisse, in eo falli & decipi eum puto. Nam R. Salomo disertè dicit rorem descendisse, & super eum manna, ut vidimus.

15. *Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt alter ad alterum Man hu: nesciebant enim quid esset, dixitque Moses ad eos, Is est panis quem dedit* DOMINUS *vobis ad edendum.*

Alter ad alterum] Ebraicè, vir ad fratrem suum. ¶ *Man hu*] Hieron. addit, *quod significat, Quid est hoc?* Sic Græci τί ἐστι τοῦτο; si rectè, tum addenda nota interrogationis post Manhu? Ab his non dissentit Josephus, cujus verba supra citata. Vide quoque sequentia. Rabbenu Salomo Doctor Ebræus annotat interpretamentum Arabicum מן הוא quid est? esse מה הוא. Id falsi arguit Abenezra. *Nam Arabes*, inquit, *dicunt* מה הו *cum significare volunt, quid est?* מן autem apud eos non interrogat, nisi de persona, ut מי apud Ebræos. Idem *Man* à מנה deducit, quasi cibum præparatum dicas. Alii derivant à מנה quod est donum, munus. Nam à Deo donabatur Israelitis. Qua de re diximus aliquid in Quæstionibus nostris. Onkelos hic habet *Manahu: nesciebant enim quid esset.* R. Salomo, *præparatio cibi est.* ¶ *Is est*] Hieron. *iste est.* ¶ *Ad edendum*] Idem, *ad vescendum.* Sunt qui Manna istud, inter quos Hevæus quidam, asserant esse Man Arabum, quod Persæ תרנגבין appellant: vulgo Manna dicitur, & a Virgilio *mel aërium* i. ἀερόμελι. *Rorem Syriacum* vocat Celsus, quod in Syria maximè proveniat. Vocatur etiam δροσόμελι i. roscidum mel, & ab Hippocrate κέδρινον μέλι, forsan quod cedris insideat. Hoc Manna grani formam itidem habet: verum aliud est ab hoc nostro, vel Abenezra teste. *Primum quia hodie non descendit in deserto Sinai, qui mons notus est*, inquit, *& ego vidi hoc simile τοῦ* מן *in regno Alnasir* (אל נציר) *quod descendebat mensibus Nisan & Ijar, & non aliis mensibus. Præterea si exponatur sol non liquescit, neque etiam noctu putrescit, neque durum est, ut opus sit contusione, quando homo ex eo facit placentas. Adhæc cum imponitur lingua, liquescit: neque satiat hominem, neque gignit bonum sanguinem, sed ejus usus in medicinis. Jam vero Manna Israelitarum die sexto descendebat duplum, die autem septimo quem Sabbathi voce afficiunt, cessabat,*

sabat, Hoc est nullum descendebat; item descendebat in omni loco ubi castra habebant, & transibat cum eis Jordanem, neque cessabat ante medium mensem Nisan. Hæc Abenezra quæ sane digna lectu. Ideò in Latinum ea converti. De rore Syriaco sive manna Arabica, Cardanus Subtilit. lib. 21. *Æstate duplex vapor, pinguis & crassus, ex quo fit ros. Unde rore maxime arva impinguantur, nec ascendit ob crassitiem. Ubi vero melius concoquitur, ut in calidis regionibus, a frigore cogitur super plantas, vocaturque manna. In Tharga deserto Lybiæ vivunt illius usu incolumes, quamvis aer sit pestifer. Tria illius genera: optimum quod in foliis colligitur, mediocre quod in ramis, pessimum quod in terrâ.* Pro clausula, dicimus Manna, mannæ, ut *manna Arabica:* Et, si Nicolao credendum, manna, mannatis. Sed frequentius indeclinabile est hoc manna. Verba Nicolai, *Sciendum autem quod manna aliquando est neutri generis & indeclinabile: aliquando autem invenitur fæmin. gen. & primæ declinationis, scilicet manna, mannæ: aliquando tertiæ declinationis, ut manna, mannatis.* Ceterum quia in hoc pane dando Deus usus est ministerio angelorum, ideò vocatur *panis angelorum*, quasi ὑπὸ τῶν ἀγγέλων χορηγούμενος, non quod eo vescantur angeli. Quanquam vocem Ebraicam אבירים alii de cœlis interpretentur, in queis & R. David. Videndus Lyra in hoc capite ad locum, *Gustusque ejus quasi simila cum melle.* item Paulus de sancta Maria episcopus Burgensis in addit: ad illum locum.

16. *Hoc est verbum quod præcepit DOMINUS, Colligite ex eo quisque pro modo cibi sui, Gomor pro capite, numero animarum vestrarum, singuli pro iis qui sunt in tabernaculo suo sumite.*

17. *Feceruntque sic filii Israel, & collegerunt alii plus alii minus.*

Pro modo cibi sui] vel, *pro ratione cibi sui.* Ebraicè, לפי אכלו, ubi פי non sig. os, ut videtur; sed παρέλκει & est adjectio syllabica, ut כי & די. Hiero. *quantum sufficit ad vescendum.* Lxx. εἰς τοὺς καθήκοντας. On. & Jon. לפום מיכליה. Id Fagius vertit, *quantum sufficit ad vescendum.* Sic etiam Santes verba Ebræa interpretatur, nisi quod in eo *sufficiat* pro sufficit. Munsterus, *pro alimonia sua.* Leo Judæ, *quantum edat.* Alius, *quantum opus erit ad victum.* In textu Bibliorum Vatabli, *quantum comedere possit.* ¶ *Gomor*] γόμορ. Ebraicè עמר quod ritè scribes Omer absque aspiratione. Nam Homer aliud est. Hoc Ebraicè חמר scribitur per He Heth. Infra vers. 36. *Gomor est decima pars Epha.* Epha continet tria sata: satum sex cabos: Cabus quatuor logos. Unde sequitur Gomor habere septem logos & quintam partem logi. Hæc fere R. Levi. In libro nominum *Gomor mensura Atticorum chœnicum trium.* Idem scribit Hiero. Josephus Orig. lib. 3. cap. 1. interpretatur ἀσσαρών, pro quo apud Rufinum ejus interpretem Assarium legitur, & ait τρεῖς ἡμικοτύλους ἔχειν i. tres semicotylas continere. Quod significat Theodoretus Quæst. 30. in Exod. per hæc verba, τὸ δὲ Γομὸρ, μέτρον ἦν Ἑβραϊκὸν διδάσκει δὲ ὁ νομοθέτης ὅτι τὸ δέκατον ἦν τῶν τριῶν μέτρων, ὡς δὲ Γ'ώσηπος ἔφη, τρεῖς ἥμισυ κοτύλας Ἀττικὰς ἔχει. Cotylam Priscianus Heminam interpretatur hoc disticho,

At cotylas quas si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus.

Nicolaus, *Gomor est nomen mensuræ. R. Salomo dicit continere quantitatem XIII. ovorum. Alii autem dicunt quod ex dictis Papiæ & Isidori de mensuris habetur, quod Gomor continet quantum quarta & dimidia Parisiensis.* ¶ *Pro capite*] vel, *in caput* i. in singula capita. Hiero. *per singula capita.* Lxx. κατὰ κεφαλήν. On. & Jon. עומרא לגולגלתא. Est autem גלגלת propriè calva sive cranium quod in Syriaca vulgari גגולתא Gagultha, in Euangelio autem γολγοθᾶ dicitur: de Gomor autor glossæ interlinearis, *Est quinque sextariorum mensura, quam Josephus assarium vocat.* & Rupertus Tuitiensis abbas, *vel mensura Attica duodecim sextarios habens, quæ est decima pars Ephi. Ephi autem & batus una est mensura i. modiorum trium.* ¶ *Numero*] pro numero, vel juxta numerum. ¶ *Animarum*] hominum. Augustinus, *sæpe hoc modo Scriptura animas homines appellat, à parte totum.* Lxx. κατ' ἀριθμὸν ψυχῶν ὑμῶν. ¶ *Pro iis qui sunt in tabernaculo suo*] Jonatha, pro ratione summæ virorum tentorii sui. Lxx. σὺν τοῖς συσκηνίοις ὑμῶν, cum contubernalibus vestris. Lectio varians σὺν τοῖς συσκήνοις ὑμῶν, Et apud Augustinum, *cum commanentibus vobis.* Est etiam ubi scriptum lectum ἐν ταῖς σκηναῖς ὑμῶν, in tabernaculis vestris. σὺν τοῖς συσκηνίοις posset verti, *contubernalibus vestris.* ¶ *Tabernaculo*] Tentorio. ¶ *Sumite*] Accipite, tollite. ¶ *Alii plus, alii minus*] המרבה והממעיט Lxx. ὁ τὸ πολὺ καὶ ὁ τὸ ἔλαττον, hic quidem multum, ille vero minus. Hiero. *alius plus, alius minus.* Tremel. *qui magnam & qui parvam familiam habebat.* R. Levi, *tam is qui multos, quam qui paucos habebat domesticos.* Abenezra, *Qui multum & qui parum colligebant, id faciebant pro numero animarum tentorii sui. Majores autem nostri dicunt hoc miraculo factum, videlicet, ut nemini, vel defuerit quicquam, vel superfuerit.* R. Salomo, *Quidam multum colligebant, alii parum colligebant, quumque domum venissent, metiebantur quod collegerant mensura Omer, deprehenderuntque neque ei qui multum collegerat quicquam superfuisse, neque ei qui parum collegerat quicquam defuisse, & hoc magnum erat miraculum.* Hiscuni, *Quod supererat, is qui multum collegerat, id rejiciebat ad mensuram, & is qui parum collegerat, redibat & colligebat quantum satis erat.* Vide Vatablum.

18. *Et metiebantur mensura Gomor, & non abundavit qui multum collegerat, neque qui minus collegerat, habuit minus: singuli pro modo cibi sui colligebant.*

19. *Dixitque Moses ad eos, Nemo reliquum faciat ex eo usque mane.*

20. *Et non auscultarunt Mosi, sed reliquum fecerunt quidam ex eo usque mane & produxit vermes putruitque: & quasi in spumam efferbuit contra eos DOMINUS.*

Mensura Gomor] בעמר in Omer i. mensura Omer. ¶ *Non abundavit*] Non plus habuit; non superfuit ei. ¶ *Qui multum collegerat*] Vel, *qui multam familiam habebat.* ¶ *Qui minus collegerat*] Vel, qui parvam familiam habebat. ¶ *Habuit minus*] quam Gomor, ei defuit Homer. Jonathan, *non superfuit de mensura ei qui multum collegerat, & qui minus collegerat ei nihil defuit de mensura* &c. ¶ *Usque mane*] עד בקר ἕως πρωΐ. Hiero. *in mane.* & Lxx. εἰς τὸ πρωΐ, On. & Jon. עד צפרא usque ad auroram. Tremel. *usque in crastinum:* עד מחר perperam. Dies enim crastinus incipiebat à vespera, non à mane. Vespere illud comedebant. Mane autem, quia tum novum manna descendebat, ideo noluit Deus aliquid superesse. Quod autem supererat, id extra tentorium, teste Abenezra, projiciebant. ¶ *Quidam*] אנשים viri i. viri quidam. Hiero. *Quidam ex eis.* Lxx. τινες. Jonathan, *Dathan & Abiram viri peccatores.* R. Salomo, *Dathan & Abiram.* Nicolaus, *Isti fuerunt Dathan, & Abiron, ut dicunt Ebræi.* Abenezra, אנשים מעטים היו viri pauci erant. ¶ *Produxit vermes & putruit*] hysteron proteron. Primum enim computruit, deinde vermes produxit, quod Ebræi uno verbo dicunt ויתולע. Quidam interpretantur, *postquam computruisset.* Aditosis ad libellos meos de litteris servilibus. ¶ *Quasi in spumam efferbuit*] i. vehementer succensuit. קצף propriè spuma. Vide Observationes meas. Hiero. *& iratus est.* Sic etiam On. & Jon. Lxx. ἐπικράνθη, quod reddunt, *indignatus est.* Pro eo quod nos posuimus, *produxit vermes*, Hiero. edidit, *scatere cœpit vermibus.* Lxx. ἐξέζεσε σκώληκας. Alius ἀνέβρασε, ebulliit.

21. *Et collegerunt illud quoque mane quisque pro modo cibi sui, & incaluit sol & liquescebat.*

Illud] Manna: vel, *illum* panem. Jonathan, *Et colligebant illum.* Verbum è verbo, *erant colligentes.* Lxx. συνέλεξαν αὐτὸ i. illud. ¶ *Quoque mane*] בבקר בבקר in mane, in mane i. quolibet mane. Id alius transtulit, *singulo mane*, ut Santes, alius, *quovis mane*, ut Tremellius. Alius, *mane per singulos dies*, ut Munsterus & Leo Judæ: alius, *singulis diebus mane.* Vide textum qui in Bibliis Vatabli. Jonathan, *à tempore matutino usque ad quartam horam diei.* Lxx. πρωῒ πρωΐ, mane, mane; ita dicitur ut יום יום die die i. quotidie, singulis diebus. ¶ *Quisque pro modo cibi sui*] Hiero. *singuli quantum sufficere poterat ad vescendum.* Scholion, ἄλλος, ἕκαστος τὸ ἀρκοῦν, unusquisque quantum satis erat: nisi legendum, τὸ ἀρκοῦν αὐτῷ quantum sibi sufficiebat, nempe ad victum. ¶ *Et incaluit & liquescebat*] Postea incalescente sole liquescebat; vel, *cumque incaluisset sol, liquefiebat.* Lxx. ἡνίκα δὲ διεθέρμαινεν ὁ ἥλιος, ἐτήκετο. Onkelos, *Quod remanebat ex eo in superficie agri, quum incaluisset super illud sol, dissolvebatur.* Jonathan, *à quarta hora diei & deinceps incalescebat sol super illud, & liquefiebat, faciebatque fontes aquarum, qui fluebant usque ad mare magnum: tum accedentes serpentes mundi & bestiæ bibebant ex eo: Israel autem venabantur & comedebant eas.* R. Salomo, *Quod reliquum erat in agro ex eo fiebant torrentes, unde bibebant cervi & capræ & nationes mundi venabantur ex illis, & gustabant in illis gustum manna* &c. Nicolaus, *Hora colligendi erat post ortum solis, elevato rore, qui erat super manna, per vapores, ut prædictum est, & durabat usque ad horam sextam, & tunc incipiebat liquefieri ad modum pruinæ: ad ignem vero indurabatur & formabantur inde panes.* Abenezra admonet, *incaluit sol* dictum

esse pro *incaluit dies*. *Nam sol*, inquit, *non incalescit*. Hoc verum est: tamen ipso meridie calidior est nobis, quam mane aut sub vesperam. Soles autem pro diebus etiam Latini poetæ ponunt. Cajetanus, *Mirum est autem, quod non sustineret calorem solis excellentem, & sustineret tum calorem ignis, tum molam & pilum, ut Num. 11. explicatur. Nonnulla tamen humana ratio suffragatur, ut quemadmodum ovum quamdiu est in loco suæ generationis, tenellum habet corticem, qui statim genito ovo exsiccatur & fit durus; ita proportionaliter grana illa in loco in quo formata erant obnoxia erant liquefactioni, segregata autem durescebant adeo ut non essent amplius liquescentis naturæ, ita quod quemadmodum sustinebant postea ignem, sustinuissent etiam solem, si fuissent iterum exposita soli.* Hæc ille. Ego & in hoc & in eo quod computruit in crastinum reservatum divinum opus agnosco, & acquiesco in Judicio Theodoreti, *Manna*, inquit, *in posterum diem servatum corrumpebatur, propterea quod id nihil aliud erat quam legem transgredi. Quum enim eos Deus vitam à curis liberam docere vellet, pollicitus est se per singulos dies cibum qui satis esset illis daturum. At vero illi Deo minimè fidentes, partem quandam collecti manna in posterum diem reservarunt: idcirco computruit. Quod enim id natura ipsius manna non fuerit, testatur Sabbathum, in quo illæsum servabatur, die parasceves collectum: testatur etiam arca, in qua per tot ætates incorruptum integrumque permansit.* Voluit præterea Deus Israelitas industrios & diligentes esse in colligendo manna, quod debebat fieri antequam sol incalesceret. Nam tum liquefactum inutile erat & ad alimoniam ineptum. Quâ de re videndus R. Levi.

22. *Die autem sexto collegerunt panem duplum, duo gomor unicuique, veneruntque omnes principes cœtus & indicarunt Mosi.*

23. *Qui dixit eis, Hoc est quod locutus est DOMINUS, Quies, Sabbatum Sanctum est DOMINO cras, quod coquetis, coquite, & quod elixabitis, elixate, quod autem abundaverit, reponite vobis in custodiam usque mane.*

Die sexto] qui parasceve vocatur i. παρασκευή, & προσάββατον prosabbathum sive antesabbathum. Beda, *Parasceve Græcè, Latine dicitur præparatio, quo nomine Judæi inter gentes morantes, sextam Sabbathi appellabant, eo quod in illa die solebant præparare necessaria Sabbathi.* Dicebatur & cœna pura. Lexicon vetus, *Cœna pura* προσάββατον. Augustinus tract. CXX in Johan. *Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret, quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi Latine usitatius apud nos vocant facere tale aliquid non licebat.* ¶ *Collegerunt panem duplum*] Quum metirentur id quod collegerant, invenerunt Duplum, hoc est duo Gomor unicuique, sive in singula capita. Hinc adagium, *qui non colligit die sexto* &c. de quo suo loco. ¶ *Duplum*] משנה Ex Medras Haggada colligimus lectum aliquando fuisse à veteribus משונה aliis apicibus. Nam interpretantur panem mutatum, qui eo die mutabat & odorem & saporem. Quod notavit R. Salomo. Ceterum Abenezra scribit sexta feria duplo plus descendisse, Deo ita volente providere populo suo in biduum. ¶ *Unicuique*] *homini uni* Jonathan. *Collegerunt cibos duplices, id est duo Gomor per singulos homines*, Hiero. δύο γομὸρ τῷ ἑνί, Lxx. *singulo*: Santes. *in unumquemque* Tremel. *Pro uno*: Munsterus & Leo. *pro singulis*, Editio quæ in Bibliis Vatabli. *pour chacun*, Gallica. Ebraicè est לאחד uni i. unicuique, cujus synonymum לאיש viro. ¶ *Principes cœtus*] נשיאי העדה Lxx. οἱ ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς. Hiero *principes multitudinis*. On. & Jon. *principes congregationis*. Nam כנשתא i. συναγωγὴ congregatio & רברבי principes, qui & רברבני quasi magnates. רב enim magnum sig. Inde רברבן geminatis syllabis. Sic ex בר factum barbarus. ¶ *Indicarunt Mosi*] sunt qui putant miraculum esse in eo quod duplum collegerint. Nam Mosen nihil ea de re præcepisse. Quod verum non videtur. Vide supra versu 5. Alii censent causam tantum ob quam duplum eo die colligi debuerunt, populo ignoratam fuisse: ideò principes congregationis venisse percontatum eam, ut scirent quid duplo pane, quem collegerant, faciendum esset. Videndi sunt Abenezra & R. Levi. Hinc eruit R. Salomo ante non datum fuisse populo præceptum de Sabbatho: quanquam Moses prius de eo monitus fuerat. ¶ *Quies*] שבתון Lxx. σάββατα i. Sabbathum, heterosis numeri. Sic in Euangelio ἐν τοῖς σάββασι i. Sabbatho. Forte legerunt שבתות Quidam putant ità dici Sabbatha, de septimo die, ut apud Latinos dicimus Floralia, Saturnalia, Magnalesia & alia hujusmodi. Hiero. *requies*. Onkelos & Jonathan נייחא i. interprete Fagio, *quies*. Esset autem שבת unde forma emphatica שבתא. Sic γαλία legimus pro γολιαθ. A שבת invenitur pluralis שבתא Sabbatha. Ruth 1. 16. Esth. 2. 19. & alibi. Sunt qui שבתון dicunt esse generale festorum omnium: שבת vero singulare diei Sabbathi. Hoc verum non videtur. Nam שבת ut Sabbathum de ipsa hebdomada usurpatur, ut μία τῶν σαββάτων est prima septimanæ. Ut ut sit, Græci שבתון reddunt σάββατα, & שבת ἀνάπαυσιν. Contra Hiero. & ceteri interpretes, quos vidi. ¶ *Sabbathum sanctum*] Ad verbum, *Sabbatum sanctitatis*. Partim interpretum, *quies Sabbathi sancti*: alii, *quies Sabbathi sancta*. Hoc excusari posset per genus locutionis quale est, *arcus fortium confractorum* pro confractus. Simile, *vox sanguinis clamantis*, pro clamat. Prior sententia verior, meo judicio. Onkelos, קודשא שבתא, quod alii scribunt שבתא nescio quam rectè. Jonath. קודשא שבת Sabbathum sacrosanctum. Hoc nomen in ultima fere ( ) habet. Repperi & cum ( ) unde forte שבתא apud Chaldæos. Nam שבתא ἀνάλογος est à שבת per ( ) Utrumque in usu. Abenezra scribit ת in fine notam esse generis fœmin. quia invenitur שבת יהיה. *Plene scriberetur*, inquit, שבתת. Sic בת dicimus pro בנת. Similiter אחת contractum est ex אחדת De quo dubitare nos facit R. David asserens nomen hoc utroque genere usurpari, & modo masculinum esse, modo vero fœmininum. *Grammatici certant & adhuc sub judice lis est.* ¶ *Cras*] à vespera ad vesperam. Qua de re vide sodes Abenezram. ¶ *Coquetis*] coquere voletis, aut coquendum vobis est. Jon. addit, *cras*: & mox, *coquite hodie*. Sic, *quodcunque velis elixandum esse cras, elixate hodie*, optime ac rectissimè. Onkelos, *quod cocturi estis, coquite: & quod elixaturi estis, elixate*. Quidam, *Quod pinsere volueritis, pinsite*. Hiero. *quodcunque operandum est, facite*. Id אפה non sig. Lxx. ὅσα ἐὰν πέσσητε, πέσσετε. Est autem πέσσω Dorica dialecto idem quod πέπτω coquo. Attici dicunt πέπτω. ¶ *Elixabitis, elixate*] Hiero. *quæ coquenda sunt, coquite*. Nam בשל coquo. Sed quia præcedit אפה ideo interpretes reddunt, elixo. Sic ἕψω apud Græcos & coquere & elixare significat. Ergo Lxx. ὅσα ἐὰν ἕψητε, ἕψετε: quod reddunt, quæcunque elixaveritis, elixate. R. Salomo, *Quod vultis coquere in furno, coquite hodiè, & quod elixandum est aqua elixate hodiè*. Id Galli dicunt *bouillir*. ¶ *Abundaverit*] Superfuerit, reliquum fuerit. ¶ *Reponite*] Relinquite. ¶ *In custodiam*] Custodiendum ad servandum. Jonathan, *Quod reliquum vobis erit ex eo quod edetis hodie, reponite illud, & sit custoditum sive asservatum usque mane.* ¶ *In custodiam*] Lxx. εἰς ἀποθήκην, quod reddunt, *in apotheca*: alii, *in repositionem*.

24. *Et reposuerunt illud usque mane, quemadmodum præceperat Moses, neque putruit, & vermis non fuit in eo.*

25. *Dixitque Moses, Edite illud hodie, quia Sabbathum hodie DOMINO: Hodie non invenietis illud in agro.*

26. *Sex diebus colligetis illud, die autem septimo Sabbathum est, non erit in eo.*

Reposuerunt illud] Lxx κατελίποσαν ἀπ' αὐτοῦ. *reliquerunt de eo.* ¶ *Putruit*] computruit, ἐπώζεσεν. Ebraice הבאיש quod potest reddi *fœtuit*. Id Santes eligit. Uterque Chaldæus habet סרי fœtuit, putruit. ¶ *Vermis non fuit in eo*] Ne unus quidem: aut, *vermes non fuerunt in eo*. Ut, *rana*, pro ranis; *Locusta* pro locustis. Hiero. *neque vermis inventus est in eo*. Quod idem cum illo, *non fuit*. Sic, *non est inventus in ore ejus dolus*. Ceterum vermis Chaldaicè רימתא dicitur, & Græcè σκώληξ. Ebraicum est רמה hoc loco, & alibi תולעה. ¶ *Sabbathum hodie DOMINO*] Dictio *hodie* cum die & noctem comprehendit, non eam quæ sequitur, sed antecedentem. Nam Sabbathum incipiebat à vespera, & durabat usque ad vesperam diei sequentis. Unde alibi nescio ubi, *à vespera ad vesperam Sabbathum celebrabitis*. Dies autem alius civilis est 24. horarum: ex quo illud, *Quo die percussi omnem primogenitum*. Nam id noctu accidit. Videndus Abenezra, qui hîc fusè disputat contra populares quosdam suos existimantes diem Sabbathi ab aurora incepisse, ut apud nos fieri solet. ¶ *Illud*] Manna: vel *illum* panem. ¶ *Sabbathum est*] Jonathan, *qui est Sabbathum*. Lxx. σάββατα, & sub. ἐστι sunt. Quid si, die autem septimo, hoc est *Sabbatho*? ¶ *Non erit in eo*] Rursum Hiero. *non invenietur*. Jonath. autem, *non descendet in eo manna*. Ceterum τὰ σάββατα vocantur singuli dies hebdomadæ, & dies septimus, & ipsa quoque hebdomada sive septimana, ut Matth. 28. 1. De septimo die usurpatur Matth. 12. 1. Marc. 1. 21. Act. 16. 13. item 1. Machab. 2. 38.

27. *Fuit autem die septimo ut egressi fuerint è populo ad colligendum, & non invenerunt.*

28. *Et dixit DOMINUS ad Mosen, Quousque renuitis custodire præcepta mea & leges meas?*

29. *Videte, quia DOMINUS dedit vobis Sabbathum: ideo dat vobis hoc die sexto panem bidui, sedete quisque in loco suo, ne exeat vir è loco suo die septimo.*

30. *Et*

30. *Et quievit populus die septimo.*

Die septimo] à descensu mannæ. ¶ *E populo*] Quidam è populo. Jonathan, *ex improbis è populo.* ¶ *Ad colligendum*] vel quia novum cibum desiderabant, vel quia verbis Dei non plane fidem adhibuerant. Vide Lyram. ¶ *Dixit ad Mosen*] mandavit populo dicenda. ¶ *Quousque renuitis &c.*] peccatum paucorum transfert in omnes, juxta proverbium, *propter folium vapulat caulis.* Hunc morem loquendi concionator in ecclesiâ imitari potest. ¶ *Præcepta mea*] Lxx. τὰς ἐντολάς μου, & Hiero. *mandata mea*, videlicet de Sabbatho & de manna. Andreas quidam octo enumerat. Nicolaus, ,, De observatione Sabbati & de manna fuerunt octo mandata ,, Dei, secundum quod dicit Andreas. Primum ut manna colligerent; secundum colligerent quantum satis esset in singula ,, capita: tertium ut comederent mensuram Gomor & non amplius: quartum ut non relinquerent in crastinum: quintum, ,, ut sexto die colligerent duplum: sextum, ut reservarent unum ,, Gomor pro Sabbatho: septimum ut illud comederent in die ,, Sabbathi: octavum, ut implerent vas continens Gomor ad ,, reservandum in futuras generationes, ut habetur infra. Hæc Nicolaus ille. Abenezra, *præcepta mea* refert ad viros illos qui manna reliquum fecerant in crastinum; *& leges meas*, ad cultum Sabbathi, & quæ ab eo dependent. ¶ *Leges meas*] תורתי τοὺς νόμους μου. Hiero. *legem meam.* Sic etiam Lxx. τὸν νόμον μου. Videntur legisse תורתי aliis vocalibus. Nam olim, cum aberant puncta, ita legi poterat etiam. ¶ *Videte*] Signum quod Deus edidit heri dando panem bidui. Heri hoc est in vespera Sabbathi. Sic enim vocatur etiam τὸ προσάββατον sive parasceve. ¶ *Quia DOMINUS dedit*] Alii, *quod DOMINUS dederit.* Præceptum de Sabbatho plures caussas habuit. Una est quia Deus eo die cessavit ab omni opere creationis: altera commemoratur Deut. 5. 15. tertia habetur hic. Sunt præterea duæ aliæ, quæ recensentur infra 20. 11. ¶ *Dedit*] Præcepit. ¶ *Sabbathum*] Rursum Lxx. τὰ σάββατα. ¶ *Ideo*] ut tum cessaretis ab omni opere. ¶ *Sedete*] Manete. ¶ *In loco suo*] *In tentorio suo.* Abenezra. εἰς τοὺς οἴκους ὑμῶν. Lxx. תחותיו in loco suo. Jonathan. Ceterum in Ebræo est תחתיו, & apud Onkelon תחותוהי, & in Hiero. *apud semetipsum.* Reperitur etiam in quibusdam Græcis παρ' ἑαυτῷ. Munsterus, *apud se* i. domi suæ. Mox se explicat cum ait, *ne exeat vir è loco suo.* R. Salomo, *Hinc sapientes elicuerunt quatuor cubitos concessos ei qui extra terminum egreditur.* Videndus R. Levi. ¶ *Vir*] Quisquam aut quispiam ¶ *E loco suo*] Ad colligendum manna. R. Salomo, *Hi sunt bis mille cubiti à sapientibus definiti.* Jonathan, *manete unusquisque in loco suo, & ne vagemini quoquam de loco in locum, nisi ad quatuor cubitos, neque exeat homo e loco suo, ad prodeambulandum nisi ad duo millia cubitorum in die septimo.* ¶ *Quievit*] cessavit à colligendo, non illo tantum die, sed reliquis etiam Sabbathis, quamdiu manna descendebat. Porro Ebraicè legitur וישבתו & *cessaverunt vel quieverunt* i. נחו, ut vertunt Onkelos & Jonathan Lxx habent ἐσαββάτισεν, & Hiero. *sabbathizavit* i. Sabbathum observavit: Cessavit, inquam, à reliquis operibus, quæ aliis diebus hebdomadæ fieri solent, & eo die prohibita sunt. Verbum sabbathizo legitur 3. Esræ 1. 18. Porro à Sabbatho dictus Sabbatharius, qui Sabbathum agit, & est epitheton hominis Judæi apud Martialem.

31. *Vocaveruntque domus Israel nomen ejus Man, quod erat sicut semen coriandri album, & sapor ejus qualis crustuli cum melle.*

Domus Israel] filii Israel, Israelitæ. ¶ *Man*] Μάν. Jonathan, מנא: unde μαννὰ Græcorum. Quanquam in Onkelo מנא unica Nun. Id in sono *nas* denotat quod scribunt מנא ex absoluto מן ¶ *Sicut semen coriandri*] ὡσεὶ σπέρμα κορίου. Lxx. quasi semen coriandri. Hiero. Samariticum, ὡς σπέρμα ὀρύζης, ut semen oryzæ. Sed oryza אורז dicitur & Arabicè *Arz* sive *Arzi*. Abenezra in comment. Dan. 1. scribit אורז, atque esse cibum valde honoratum, & dulciorem tritico. Addit sanguinem purum efficere & Indos eo cibi loco uti qui tritico carent. Hæc Abenezra. De גד autem scribit quosdam dicere eo nomine significari כסברתא, quod Arabes כזברה vocant. Id sonat coriandrum, quod in Glossis Arabicis Kusbor (perperam *Rusbor*) & *Kasbara* & *Kusbara* nuncupatur. Invenitur & *Kuzibara* eodem significatu. Rei firmandæ sunt Jonathan & autor Jerosolymitanæ, qui ambo interpretantes hoc loco כוסבר posuerunt. Porro in Onkelo est גידא, quod etiam coriandri voce reddunt. R. Salomo, *herba est quæ Coliandri nominatur.* Quidam, teste Abenezra, sinapi esse ajunt. ¶ *Album*] λευκόν. R. Salomo, *semen coriandri rotundum est, non album: Man autem erat album, neque assimilatur semini Coriandri nisi quatenus rotundum est.* Cui subscribit Nicolaus his verbis, *Quasi semen coriandri, quantum ad quantitatem & figuram, non quantum ad colorem: unde subditur album. Semen autem coriandri nigrum est.* Contra R. Levi, *Puto*, inquit, *unum esse ex seminibus parvis albis, cui assimilat Man ratione albedinis, ac si diceret Man album erat sicut semen Gad. Forte ad hunc sensum pertinet in historia Lxx, Venit Gad, ut dicat, obvenit mihi filius candidus sicut Gad.* ¶ *Crustuli in melle*] i. melliti; ut, *latrones in nocte* i. nocturni. Sic, *Leones ad frena, canes ad venandum, aqua ad manus.* Ebraicè כצפיחת בדבש, Græcè ἐγκρὶς ἐν μέλιτι, quod interpretantur, laganum cum melle. Sym. ἄμυλος ἐν μέλιτι. Alius, μέλι κηρίῳ i. mel fani. Hiero. *simila cum melle.* Cajetanus, *fritella in melle.* Vox illa Italica est, *fritola.* R. Salomo, *conspersio quam tingunt in melle, qua lingua Deuterotarum אסקריטין vocatur, quâ voce usus est Onkelos.* certe sanè. Nam in Onkelo est אסקריטון quod scribi malim אסקריטין· Fagius *placentam* transtulit. Cum hac voce affinitatem habet ἐγκρίτης. Est autem panis escharites, super craticula coctus. Jonathan ריקין· Jerosolymitanus ריקין Saadias autor esse מוכה ריקין· Lexicon Santis ריקין *laganum, crustulum, placenta.* Est autem crustulum pemmatium ex oleo, melle insuper addito. Unde Athenæus πεμμάτια ἑψόμενα ἐν ἐλαίῳ καὶ μετὰ τοῦτο μελιττούμενα. Nomenclator Adriani Junii, Crustulum, πεμμάτιον. Santes, *tanquam pasta cum melle.* Arias, *Lagani.* Munsterus, *placenta mellita.* In Bibliis Vatabli, *tanquam conspersionis cum melle* i. בצק· Secutus est ergo autor illius editionis Salomonem Ebræum, qui Jarius cognominatur. Abenezra scribit cum recenter descendisset è cœlo hoc est aere, habuisse saporem crustuli ex melle: coctum vero aut elixatum habuisse saporem qualem habet לשד השמן humor olei. Alii dicunt habuisse varios sapores pro libitu & appetitu cujusque. Hugo de Sancto Victore, *Sapiebat unicuique, ut alii dicunt, quod magis appetebat.* Videndus Lyra ad hunc locum.

32. *Dixitque Moses, Hoc est verbum quod præcepit DOMINUS, plenum Gomor ex eo custodietur in generationes vestras, ut videant panem quo cibavi vos in deserto, cum educerem vos è terrâ Ægypti.*

33. *Et dixit Moses ad Aharonem, Cape urnam unam, & pone ibi plenum Gomor Man, & depone illam coram DOMINO in custodiam in generationes vestras.*

34. *Quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi, deposuit illud Aharon coram testimonio in custodiam.*

Plenum Gomor] מלא העמר plenitudo Omer i. plenum Omer, aut plena mensura Gomor. Nam Gomor an Omer dicas nihil refert. Verbum *erit* desideratur in textu Ebræo, ut etiam in Chaldaicis Onkeli. Jonathan, *ut reponeretur plenum Omer ex eo.* Præcepit אצנעא reponi i ut reponeretur, nempe post extructum tabernaculum. Hiero. *imple Gomor*· מלא imple. Nam מלא impleo, ut Jerem. 23. 24. Nonne cœlum & terram ego impleo dicit DOMINUS? Lxx. πλήσατε, implete מלאו· Prior interpretatio verior, eamque sequentia firmant. ¶ *Custodietur*] Vel, *adservabitur.* Ad verb. *in custodiam* & sub. erit. Sic dicimus, *erit in desolationem*, pro desolabitur: *in vastitatem*, pro vastabitur. Quidam, custodienda est. eodem redit. Hiero. *& custodiatur.* malim, *ut custodiatur.* Lxx. εἰς ἀποθήκην: ut reponatur. ¶ *In generationes vestras*] Alii, *in generationibus vestris*: alii, *pro generationibus vestris*: alii denique *per ætates vestras.* Hiero. *in futuras retro generationes.* Lxx. εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν. ¶ *Ut videant*] Generationes sive ætates. Jonathan, *ætates rebelles.* Hiero. hic habet, *ut noverint panem.* Fortè quia panis ille in arca non videbatur ab ætatibus. Nam solus Pontifex semel in anno ingrediebatur Sanctum sanctorum, ubi erat arca & urna mannæ. Notum autem, ut videre pro intelligere accipiatur: an etiam pro nosse? R. Salomo. *In diebus Jeremiæ quum Jerem. argueret eos dicens Quare vos non exercetis vos in lege? ipsi dicebant, Relinquemus opus nostrum & exercebimus nos in lege. Unde alemur? Produxit illis vasculum manna & dixit, vos videte verbum DOMINI: non dicebat audite, sed videte: hoc cibo pasti fuerunt patres vestri: multi nuntii Deo ad præparandum cibum timentibus se.* ¶ *Quo cibavi*] Idem Hiero. *quo alui.* ¶ *Quum educerem*] Alii, *postquam eduxissem.* ¶ *Urnam*] צנצנת· Hiero. *vas.* Lxx. στάμνον. Est autem στάμνος, urna. Lex. Græco-lat. vet. στάμνος, *matella, urceus, urna.* Rursus Lat. Græcum, *urceus* στάμνος, ut possis vertere, *urceum unum.* Onkelos צלוחית, quod Fagius interpretatur, *vas.* Judæi *vitrum* reddunt. Quod infirmari potest ex Jonatha, in quo חספא צלוחית vas testaceum. Non ergo vitrum hoc loco significat. posses urceum reddere, aut urnam. Nec obstat quod Judæi aliter utantur. Nam vitrum illud, quod in nuptiis frangi solet, צלוחית ab iis vocatur. Vocabulum צנצנת alii phialam, alii

alii pateram, alii denique vasculum interpretantur. Hoc vasculum R. Salomo dicit *testaceum* fuisse: Abenezra addit, *vel aereum*: Apostolus in epistola ad Ebræos, ut hic Lxx. *στάμνον χρυσοῦν, vas aureum.* Potest fieri, ut initio testaceum fuerit aut æneum: post vero aureum. Sic calices Ecclesiæ olim testacei erant, nunc aurei sunt & argentei. ¶ *Plenum Gomor Man*] i. tantùm mannæ, quantum mensura Gomor capiebat. Verbum è verbo, *plenitudinem Gomor*. Nam מלא plenitudo. ¶ *Coram DOMINO*] ante arcam fœderis, quæ in adyto templi, quod Sanctum Sanctorum vocant. Appellat autem arcam DOMINI voce, quia symbolum erat divinæ præsentiæ in terra. Sic alibi, *venit Deus in Castra*, de arca testimonii. ¶ *In custodiam*] Custodiendum. ¶ *Deposuit illud Aharon*] Post extructum tabernaculum. Lyra scribit repositum fuisse primum in tabernaculo parvo, deinde in magno. Vide si placet. ¶ *Coram testimonio*] Coram arca testimonii. Quidam addunt, *& tabulis legis. Sic enim*, inquiunt, *vocantur infra 25. 21. & alibi frequenter.* Hiero. *in tabernaculo.* Lxx. *ἐναντίον τοῦ μαρτυρίου.* On. & Jon. סהדותא קדם · Abenezra, *Coram DOMINO & coram testimonio i. coram arca, quæ vocatur arca testimonii propter tabulas fœderis quæ ibi erant.* Lippomanus, *coram hic ponitur pro intra. Nam intra arcam ponebatur, quæ hic testimonium vocatur.* Sanè Apostolus ait in arcâ testimonii fuisse urnam auream in quâ erat manna & virga Aharonis. Sciendum vero nomine testimonii aliquando tabernaculum designari, quoniam in eo erat arca testimonii. Quo haud dubiè respexit interpres noster, cum verteret, *in tabernaculo.* ¶ *In custodiam*] *εἰς διατήρησιν.* Lxx.

35. *Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitatam: man, inquam, comederunt donec venirent ad extremitatem terræ Chanaan.*

36. *Porro Gomor decima pars est Epha.*

Comederunt Man] *ἔφαγον τὸ μάν*, vescebantur manna. Hîc panis vocatur in Græcis Bibliis *ἄρτος ἀγγέλων.* Cur angelorum? an quia ministerio angelorum datus? In libro de mirabilibus Scripturæ, *Panis angelorum cibus ille dicitur, non quod illo angeli, qui cibo non egent, saturentur: sed quod per angelorum ministerium tale officium, sicut lex & cetera, populo præbebantur.* Nicolaus, *Dicitur panis angelorum, quia in descensu mannæ cooperabantur angeli. Non enim dicitur panis angelorum quia ipso vescerentur, qui non indigent cibo corporali.* Aliter Burgensis episcopus, quem vide, si vis, in Addit. ad hunc locum. Supra monui textum Ebraicum habere אבירים, quod alii reddunt, *fortium*, & cœlos intelligunt. Cœlorum autem panis vocatur, quia ex aere descendit. ¶ *Quadraginta annis*] Vel annos. R. Salomo ait desiderari ad justum numerum triginta dies. *Nam ecce*, inquit, *decima quinta mensis Jar descendit illis Man primum, & decima quinta Nisan desiit, quemadmodum dicitur, & cessavit Man postridie. Indicat placentas quas secum attulerant ex Ægypto saporem Man habuisse.* Jonathan, *comederunt manna 40. annis vivente adhuc Mose, donec pervenissent in terram habitatam, manna comederunt 40. diebus post mortem ejus donec transiissent Jordanem & ingressi fuissent fines terræ Chanaan.* ¶ *In terram habitatam*] Hiero. *in terram habitabilem.* Alius, *in regionem habitabilem.* Notum ut terra pro regione sumatur. Lxx. *εἰς τὴν οἰκουμένην* אל התבל · Prætuli autem *habitatam*, quia habitabilis est etiam illa quæ potest habitari, etiamsi non habitetur. Innuit eos, quamdiu in deserto fuerunt, manna comedisse. Fuerunt autem ibi annos 40. ¶ *Extremitatem*] Extremum, fines, hoc est in Galgal. Vide Jos. 5. 11. ¶ *Terra Chanaan*] Lxx. *εἰς μέρος τῆς Φοινίκης*, in partem Phœnicis, vult dicere, in regionem Phœnicis, hoc est Chananææ sive terræ Chanaan. Sic Exod. 6. 15. הכנענית · Lxx. *ἐκ Φοινίσσης.* Nam Phœnix, ut Scaliger ait, cognomentum est τοῦ Chanaan: inde Phœnice. Vulgo aliter accipitur. Hiero. in locis Act. Apostolorum, *Phœnicia, provincia Syriæ, cujus partes sunt Samaria & Galilæa, & aliæ plurimæ regiones.* August. Quæst. 63. *Tunc illam terram sic credendum est appellatam, modo enim hoc non vocatur nomine. Alia quippe est quæ Phœnice appellatur, regio Tyri & Sidonis.* Et mox, *Quanquam Scriptura potuerit terram Phœnicis appellare, ubi palmarum arbores jam esse cœperant post eremi vastitatem, quoniam palma Græcè sic appellatur.* ¶ *Gomor*] Quo Man metiebatur. ¶ *Decima pars Epha*] Hiero. *decima pars Ephi* &c. Vide supra, quibus adde: R. Salomo, *Epha continet tria sata, satum sex cabos, Cabus quatuor logos, Logus sex ova. Ergo decima pars Epha efficiunt 43. ova & quintam partem ovi, eratque mensura placentæ quæ* חלה *dicitur, & oblationum.* Idem ad locum, *ad extremum terræ Chanaan*, ita scribit, *In principio termini priusquam trajecisset Jordanem, cum essent in Campestribus Moab.* Et mox, *Mortuo Mose in Adar desiit Man descendere, & dubitarunt de Man quod collegerant eo die donec obtulissent Omer, decimo sexto Nisan quemadmodum dicitur, Et comederunt de proventu terræ postridie Paschatis.* Redeo ad Gomor. Nicolaus hic emaculandus erit. *R. Sal.* inquit, *dicit quod continet quantitatem xiii ovorum: Ephi decies tantum* tu rescribe XLIII. & adde, *quintam partem ovi*: quod Nicolaus omisit. Hiero. in Esaiam, cap. 5. *Batus continet tres amphoras, & Ephi, quod Lxx. μέτρα τρία i. tres mensuras interpretati sunt tres modios. Batus autem in liquidis speciebus dicitur, & Ephi sive Epha in aridis.* Vide sequentia. H. Rabanus, *Ephi mensura est trium modiorum, ut in libro Ruth ostenditur. Gomor mensura est Atticorum chœnicum trium &c.*

AMAMA.

14. EBr. : מעל שכבת הטל Vulg. *Cumque operuisset superficiem terræ*] Nihil tale in Ebræo est. Ebræa enim ad verbum sic sonant, *Et ascendit cubatio roris.* i. descensio roris i. cessavit, desiit, evanuit ros. Cajet. vertit, *Et ascendit lectisternium roris. In similitudinem enim lecti stratus est ros.* Hæc ille. Tyrones hic observent עלה duo fere contraria denotare. Ponitur enim aliquando pro *cessare*, *evanescere*, Metaphora sumpta a fumo Ezech. 11. 24. *Ascenditque a me visio* i. periit, evanuit. Sic Jerem. 48. 15. Aliquando *augeri*, *invalescere*, Metaphorâ sumpta a terræ nascentibus ut 2. Reg. 22. 35. *& ascendebat bellum.* Sic Psal. 74. 23. &c.

Versum 23. castigabo verbis Cardinalis Cajet. qui post relata verba Vulgati textus, *quodcunque operandum est facite, & quæ coquenda sunt coquite*, sic ait, *Juxta Ebræum habetur* quodcunque coquetis coquite, quodcunque lixabitis lixate; *nihil hic de operibus præcipitur.*

GROTIUS.

13. A*Scendens coturnix*] Græci, *ὀρτυγομήτρα* [*matrix coturnix*]. Non tamen exploratum satis an ea avis fuerit. Rabbini Salomo & Kimchi contenti sunt dicere avem pinguem. At Jonathan & hîc & in Psal. cv. 40. phasianos interpretatur. Tales autem aves quales hic describuntur, nullas visi ad Arabicum sinum notat Josephus in signum miraculi.

15. *Manhu! quod significat, quid est hoc!*] מן pro מה est Ægyptiacum, ut notat Hiskuni. Ex eo sermone multa adhuc retinebant Hebræi. Sic & Græci interpretantur & Onkelos & Jonathan. Josephus itidem, addens *κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον* [*secundum nostram locutionem*], nempe Hierosolymitanam sui temporis, quæ multum à vicinis gentibus iterùm traxerat.

Ignorabant enim quid esset] Mirabantur, ו litteram ei inscriptam. Sic Hebræi. Auxit posteà miraculum multiplicatio collecti ad satietatem pro quaque familia, corruptio asservati, deliquium ejus in sabbato, sapor minimè vulgaris, Dei haud dubiè opera. Alioqui manna in Arabia reperiri omnes veteres & novi scriptores testantur. Id Isidorus vocat mel in Arabia coagulatum ramis inhærens in similitudinem salis.

23. *Requies sabbati*] Quæ hinc in legem ivit. Anteà observatum sine otio.

31. *Quasi semen coriandri*] Coriander hic in Hebræo גד · [illegible] γοῦ scribitur in Dioscordis Auctuario.

Quasi simila] *ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι* [*ut placenta mellita*] Lxx. Sunt autem *ἐγκρίδες*, teste Athenæo libro XIV. *πεμμάτιον ἑψόμενον ἐν ἐλαίῳ* [*edulium in oleo coctum*]. Aquila πιτας vertit *ἄμυλον* [*non molitum*]. Oryzam malunt alii, quæ vox Arabica ארז · Succi est optimi, ut notat Abenesdra, & norunt qui Orientem lustrarunt.

CARTWRIGHTUS.

1. Q*Uinto decimo die mensis secundi, &c.*] Lxx. Interpretes istud cum sequentibus connectunt, *τῇ δὲ πεντεκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ*, &c. *διεγόγγυζε πᾶσα συναγωγὴ* &c. *Decimo autem quinto die*, &c. *murmuravit universa congregatio*, &c. Fortè locus est depravatus, ac sic legi debet, *τῇ πεντεκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ*, &c. ut ista cum præcedentibus cohæreant; deinde nova inchoetur sententia, *διεγόγγυζε δὲ πᾶσα συναγωγὴ* &c. Chaldæus & Vulgatus cum Hebraicâ veritate concordant.

4. ולקטו דבר יום ביומו *Et colligent quotidie quantum in diem sufficiat.*] Ad verb. *rem diei in die suo.* דבר quod alioqui verbum

bum significat, hìc (ut alibi sæpè) pro re usurpatur. Sensus est, ut explicat R. Sal. צורך אכילת יום ילקטו ביומו ולא ילקטו היום לצורך מחר *Quod in* (*præsenti*) *die comedere opus est, die isto colligent; non autem hodie colligent, quod die crastino est comedendum.* Lxx. καὶ συλλέξουσι τὸ τῆς ἡμέρας εἰς ἡμέραν *& colligent quod diei, in die.* Id est (inquit Nobilius) *quod uni diei sufficit, singulo quoque die.* Vulg. *& colligat* (nempe populus) *quæ sufficiunt per singulos dies.* Eadem locutio occurrit 2 Reg. 25. 39.

Ut * *tentem* (sive *probem*) *eos, utrum ambulabunt in lege mea necne*] R. Sal non incommodè exponit de præceptis circa Mannam observandis, nempe ne eam in crastinum reservarent, néve in Sabbatho ad eam colligendam exirent. Rectè etiam Abenezra hanc tentationem ita intelligit, quòd Israëlitis quotidiè à Deo pendendum esset ועינים אנסנו שיצטרך אלי בכל יום

5. *Et erit duplo plus, quam quod colligent singulis diebus*] Nempe aliis præter diem sextum, uti exponit R. Sal. משנה על שהיו רגיל' ללקוט יום יום של שאר ימות השבוע *Duplo plus, quam soliti erant colligere quotidie, nempe reliquis diebus septimanæ.* Lxx. καὶ ἔςαι διπλοῦν ὃ ἐὰν συναγάγωσι τὸ καθ' ἡμέραν εἰς ἡμέραν, *& erit duplum quod collegerint per diem in die.* Quod adeò obscurum est, ut vix quisquam intelligat. Nobilius ait idem videri valere, ac si diceretur, *duplum ad illud quod colligere soliti sunt singulo quoque die.* Id quidem est quod in Hebræo textu dicitur, והיה משנה על אשר ילקטו יום יום At Græca ista versio ita se habet, ac si Hebraicè esset משנה אשר, Græcè potiùs dicendum esset, διπλοῦν παρ' ὃ, &c. Vulg. *Et fit duplum quàm colligere solebant per singulos dies* i. e. duplo plus quàm, &c.

6. *Et scietis Dominum eduxisse vos è terra Ægypti.*] Israëlitæ dixerant Mosen & Aharonem ipsos eduxisse; Deus igitur (ut observat R. Sal.) ex adverso dicit eis notum fore, quòd non Moses & Aharon, sed ipse illos eduxerat. Similiter & Abenezra observat hæc verba istis, quæ v. 3. habentur, respondere. Atque addit in eum finem, ut Israëlitæ cognoscerent, Deum ipsos eduxisse, duo facta esse miracula, nempe unum vesperi, eo ipso die, quo eos allocutus est Moses; alterum autem proximo mane. Sic igitur in Hebræo legendum aut ערב ובקר וידעתם *Vesperi & mane scietis*, &c. Illud enim ובקר *Et manè* non cohærere cum eo quod sequitur " וראיתם את כבוד *Et videbitis gloriam Domini*; nam eo ipso die vidisse gloriam Domini, uti posteà dicitur, nempe v. 10. Probabilis quidem est ista expositio, ut sensus sit, *Vesperi scietis Dominum eduxisse vos è terra Ægypti: & manè etiam idem scietis; & videbitis* (nempe hodie) *gloriam Domini*, &c.

7. וְנַחְנוּ מָה *Et nos* (vel *nos autem*) *quid sumus?*] מה אנחנו חשובין, *quàm honorabiles sumus? quantam est nostra dignitas?* Ita exponit R. Sal. magis autem placet expositio Abenezræ מה בידנו לעשות לא עשינו רק מה שצונו *Quid possumus nos facere? nos nihil, nisi quod nobis Deus præcepit, fecimus.*

כִּי תַלִּינוּ עָלֵינוּ *Quod murmurastis adversum nos*] Scribitur תלונו, sed in margine notatur legendum תלינו, nempe in Hiphil; ac propterea R. Sal. ait non debere exponi, *murmurastis*, sed *murmurare fecistis*, nempe filios vestros, & uxores, & filias, & ingentem turbam miscellaneam (וערב רב). Sed ista expositio minùs simplex videtur. Onk. אתר עמכון *murmurastis.* Lxx. διαγογγύζετε *obmurmuratis.* Vulg. *mussitastis.* Vel legerunt, תלונו in Kal, vel תלינו in Hiphil, eodem modo ac si esset in Kal acceperunt; quemadmodum sanè non rarò verba conjugationis Hiphil intransitivè usurpantur. Sic v. 8. מלינים in Hiphil ab Onkelo redditur מתרעמין *murmuratis*, & similiter à Lxx. διαγογγύζετε: ita etiam à Vulgato, *murmurati estis.*

12. בֵּין הָעַרְבַּיִם תֹּאכְלוּ *Inter duas vesperas commedetis*] h. e. uti v. 13. exponi notat Abenezra, בערב *vespere*, vide suprà ad cap. 12. v. 6. annotat. 2.

13. וַתַּעַל הַשְּׂלָו *Et ascendit coturnix*] Sic Vulgatus Hebræum שלו interpretatur. Lxx. ὀρτυγομήτρα. *ortygometra.* Augustinus (uti observat Nobilius) ait multos Latinos interpretatos esse *coturnices*, at ortygometræ aliud genus avium esse, etiamsi coturnicibus non usquequaque dissimile. Ortogometræ meminit Aristoteles de histor. Animal. lib. 8. cap. 12. & Plinius nat. hist. lib. 10. cap. 23. Uterque ait ortygometram (quâ voce utitur Plinius, Gaza autem Aristotelis interpres matricem reddit) coturnicibus, dum volant, ducem esse. Kimchi in radicibus (referente Fagio) Hebræam vocem שלו sic exponit, מין עוף והוא שמן מאד ואומרי' שהוא שקורין לו בלעז קוליא *Est genus avis* † *præpinguis, quæ vulgo vocatur qualea.* R. Sal. tantum ait esse מין עוף שמן מאד *ovem quandam præpinguem.*

Et manè היתה שכבת הטל *ros jacuit circum castra*] Ad verb. *fuit cubatio roris.* Onk. הות נחתא טלא *descendebat ros.* Sic Abenezra ait Hebræam vocem descensum significare, כענין ירידה Sic ille verbum שכב exponit, Job. 38. 37. ונבלי שמים מי ישכיב *Et quis efficere potest, ut utres cœli descendant?* Ita etiam ad istum Jobi locum interpretatur ישכיב per יוריד *descendere faciet?* & citat hunc Exodi locum asserens שכבת טל esse descensum roris. At istum Jobi locum alii aliter, ac nonnulli contrario planè sensu exponunt, *Et utres cœli quis quiescere faciet? quis cohibebit? quis efficiet ut non descendant?* Certè aliquid descensu roris posterius significari videtur illis verbis שכבת טל nempe cubatio ejus. Dicitur quidem Num. 11. 9. (uti hic notat Abenezra) ברדת הטל *cum descendebat ros super castra noctu, descendit manna super eam:* illud tamen haud arguit שכבת הטל descensum roris significare. Acutè tamen R. Sal. observat * hoc in loco significari rorem super manna jacuisse, in illo autem numerorum loco è contrà, mannam super rorem jacuisse: hinc colligit mannam inter duos rores tanquam in capsa fuisse repositam והרי הוא כמונח בקופסא

14. וַתַּעַל שִׁכְבַת הַטָּל † *Et ascendit cubatio roris*] i. e. ros, qui cubabat, scilicet super terram. Abenezra putat unicum tantum rorem fuisse, eumque priùs descendisse ad purgandam terram, ac deinde postquam ros iste ascendisset, i. e. evanuisset (eam enim vim hic habet verbum עלה i. *ascendere*, ut rectè notat Abenezra, qui in aliis etiam Scripturæ locis, simili sensu verbum istud usurpari ostendit) mannam descendisse. At profectò locus iste Num. 11. 9. quem ad sententiam suam astruendam citat, ei potius adversari videtur; diserte enim dicitur manna descendisse super rorem ירד המן עליו. Alius igitur ros istic, alius hic (ut anteà ex R. Salomone observatum) intelligi videtur. Vulgatus hic habet, *cumque operuisset superficiem terræ:* at (ut rectè notat Amama) in Hebræo nihil tale habetur.

Et ecce super faciem deserti tenue מְחֻסְפָּס *rotundum*] Vox מחספס *Methuspas* variè exponitur. Onkelos vertit מקלף *decorticatum*, sive (ut Fagius vertit) *denudatum.* Lxx. Interpretes aliud quid vel legisse, vel in animo habuisse videntur, quippe qui sic habent, λεπτὸν ὡσεὶ κόριον λευκόν, *minutum tanquam coriandrum album.* Alibi quidem Manna dicitur similis fuisse coriandri semini, nempe v. 31. & Num. 11. 7. sed istic גד *gad* est coriandrum. Vulgatus vertit מחספס *pilo tusum*, & de suo addit particulam *quasi.* R. Sal. exponit מגולה *revelatum, manifestatum*, eodem sensu quo Onkelos. Steuchus Hebræum מחספס interpretatur, *collectum, aggregatum:* atque ita à R. Salomone exponi asserit, nempe מגולה h. e. (ipso interprete) *aggregatum, involutum*; sed profectò מגולה id quod dixi significat (a) Abenezra ait, מחספס significare עגול i. e. *rotundum*; atque ita etiam Kimchi (teste Fagio) in Rad. exponit. Istam sententiam Fagius inde roborari putat, quod Manna dicitur habuisse figuram seminis coriandri. Vox Hebræa מחספס (uti notat R. Sal. & Abenezra) alibi in Scriptura non occurrit; undè factum est, ut significatio ejus adeò sit incerta. Præter anteà commemoratas expositiones R. Sal. & aliam addit, nempe vocem מחספס sacculum sive peram denotare, לשון חפיסה ודלוסקמא quasi voce istâ significetur, mannam inter duos rores, tanquam in pera, fuisse repositam. הטל שכבות שתי בין והנו

15. *Et dixerunt alii aliis* (אִישׁ אֶל־אָחִיו Ad verb. (*vir fratri suo*) מָן הוּא *est Man, nesciebant enim quid esset.*] Onk. מנא הוא *est Mana.* Inde in N. T. μαννὰ, *Manna.* Jon. *Et mirati sunt, & dixerunt alii aliis*, מן הוא *quid est hoc? non enim sciebant, quid esset.* Lxx. Interpretes etiam vertunt מן הוא, τί ἐςι τοῦτο, *quid est hoc?* (b) Similiter Vulgatus, *dixerunt ad invicem Manhu; quod significat, quid est hoc?* Ista, *quod significat, quid est hoc*, ad explicandum illud *Manhu*, adjecit. At apud Hebræos non מן *man*, Sed מה *mah* significat *quid.* Chaldæis quidem מן seu מאן est *quis*, & *quid* interdum, licet id sit rarius. Sed Israëlitas tunc Chaldaicè locutos esse, nemo facilè probabit, ut meritò censet Buxtorf. in Lexico magno. Idem refert Haskuni scribere מן in linguâ Ægyptiorum idem esse quod מה in lin-

* אנסנו † *Fagius minùs rectè vertit* pinguiuscula.

* *Vide v. 14.* † *Lxx. ista verba planè omiserunt.* (a) *Steuchus ait Abenezram eadem ferè habere cum R. Sal. & Onkelo; quod verum non est. Idem etiam asserit Onkelum interpretari* Mechuspas כגיר *quod vertit*, sicut lapillus. *At istam vocem de suo addidit, ut notat R. Sal. qui etiam legit* כגיר *sed alii* רגיר coacervatum. (b) *Fagius putat Vulgatum Interpretem legisse in Hebræo* מה הוא *sed non opus est istâ conjecturâ, cum etiam inter Hebræos nonnulli interpretati sint* מן *quid. Josephus Antiq. lib. 3. cap. 1. ait* Man *Judæorum linguâ esse vocem percontativam. Sed de linguâ purè Hebraicâ id dici non potest. Abenezra refert nonnullos asserere* man *Arabicè significare quid, sed eos falli dicit;* man *enim Arabicè* quis, *non* quid *denotare. De personâ duntaxat, non autem de re usurpari.*

linguâ Hebræorum. *Quod si verum* (inquit) *probabilius esset, illos Ægyptia linguâ, quam Chaldaâ locutos fuisse.* Sed ne illud quidem mihi satis videtur probabile. Hebræum מן *man* optimè deducitur à verbo מנה *Manah*, quod est parare, seu præparare, ut מן significet cibum præparatum, nempe à Deo. Ita scilicet Israelitæ cibum istum appellabant, quòd proprio aliquo nomine eum exprimere non potuerint. Ad istum modum exponit R. Sal. הכנת מזון הוא כמו וימן להם כלך *Est præparatio cibi, sive præparatus cibus, ut illo* (Dan. 1. 5.) *& præparavit eis rex.* Ita etiam Abenezra ait dictionem מן *man* hic exponendam esse ex illo Dan. 1. 10. אשר מנה את מאכלכם *qui paravit cibum vestrum.* Kimchi apud Fagium exponit, לפי שלא ידעו לו שם קרא לו מן כלומר מתנה וחלק מאת השם יתברך *Quia ignorabant nomen ejus, vocabant ipsum Man; quasi dicant, donum & portio est à Deo benedicto.* Is vocem מן *man* deduxisse videtur à nomine מנה *manah*, quod portionem significat. Nonnulli autem (uti refert Fagius) cibum hunc dictum putant *Man* à verbo *Manah* præparare, q. d. מזון מוכן כבר עצמו ולא היה צריך תיקון אחר *Est cibus in seipso præparatus, non indigens aliâ præparatione.* Fuit nempe cibus iste in seipso bonus, & esui aptus, etiamsi (ut Scriptura indicat) variis modis præparari potuerit. Abenezra ad v. 13. multis rationibus eos refellit, qui sentiunt cibum, de quo hic fit sermo, fuisse istiusmodi mannam, quæ hodiè reperitur, ac hodiernam mannam in multis differre ab illâ Israelitarum ostendit. Quod enim nunc vocatur manna, duobus tantum (a) mensibus dicit descendere; nec liquescere, si in sole collocetur; nec si noctu servetur putrescere; nec adeò firmum esse, ut contundi possit, quò placentæ ex eo fiant; quin & si super linguam positum fuerit, liquescere; non autem saturare, nec bonum sanguinem procreare, sed in medicamentis duntaxat usui esse. Præterea, mannam cujus meminit Scriptura, duplo plus quàm aliis diebus, sexto descendisse, non autem omninò in Sabbatho, &c.

16. עֹמֶר לַגֻּלְגֹּלֶת *Omer pro Capite*] Vulg. *gomor per singula capita.* Pro גלגלת *Gulgoleth* (quod cranium capitis significat, & synecdochicè pro toto homine usurpatur) Chaldæus habet גלגלתא *Gulgaltha.* Hinc in Euangelio γολγοθᾶ *Golgotha*, literâ *l.* euphoniæ causâ extritâ.

18. ולא העדיף המרבה והממעיט לא החסיר *Et non abundavit* (non ei superfuit) *qui multum collegit; nec qui minus collegit, minus habuit*, vel *defectum sensit.*] Id est, ut interpretatur Jonathan, *Qui multum collegit, nihil ultra mensuram* (scilicet Omer pro unaquàque personâ) *habuit; nec quicquam infra mensuram, qui parum collegit.* Quomodo autem istud evenit, R. Sal. ad v. 17. sic explicat; *Alii* (inquit) *plus, alii minus colligebant, cum autem domum venissent, mensurabant singuli id quod collegerant, ac inveniebant eum, qui plus colligebat, non amplius habuisse quàm Omer pro singulis, qui erant in tabernaculo ipsius; item eum qui minus colligebat, non minus quam Omer pro singulis habuisse: atque hoc erat magnum miraculum, quod in re istâ factum est.* Sic Abenezra testatur antiquiores Hebræos dixisse כי הוא דבר פלא *quod istud fuit miraculosum:* ipse autem ait simplicem sensum esse, quòd alii multum, alii parùm colligebant, juxta numerum personarum, quas in tabernaculis suis habebant. Id vult, prout quisque plures vel pauciores in familiâ suâ habuit, ita plus, vel minus collegisse. Sed profectò verba Scripturæ istum sensum (etiamsi eum Fagius amplexus sit) haud pati posse videntur. Nam (ut ex sacro textu apparet) priùs colligebant, ac posteà collectum mensurabant; quomodo autem deditâ operâ tantum singuli colligere potuerunt, ut pro singulis in familiâ suâ personis, cum mensurarent id quod collegerant, Omer invenirent? Deinde quid opus fuit dicere, eum qui plus colligebat, non amplius habuisse, nec eum minus, qui minus colligebat, si in colligendo ita se gesserint, ut pro numero personarum, quas in familiis suis habebant, plus minusve colligerent. Vel igitur cum R. Salomone & priscis Hebræis, miraculum fuisse, dicendum est; vel cum aliis, non singulos id quod colligebant, domum portasse, ac præcisè pro unaquàque personâ familiæ Omer habuisse; quod sine miraculo fieri haud potuit; sed quicquid omnes in universum collegissent, in acervum fuisse congestum, atque inde unicuique (sive plus, sive minus collegerat) pro numero personarum familiæ ipsius fuisse mensuratum; atque ista quidem expositio est simplicissima.

19. *Nemo relinquat ex eâ in auroram*] Non est sensus (uti monet Abenezra) totam, quam habebant, mannam necessariò fuisse comedendam; sed si quid relictum esset, extra tabernaculum fuisse projiciendum. Non enim relinquere debebant in eum finem, ut postridiè comederent, sed in Deo confidere foret, ut crastino die etiam denuò manna decideret.

(a) *Nempe in Nisan sive Martio, & Aijar, sive Aprili.*

20. *Sed reliquerunt quidam, &c.* Ad verbum אנשים viri Jonathan & R. Sal. (quâ authoritate nescio) dicunt istos fuisse Dathan & Abiram.

וַיָּרֻם תּוֹלָעִים וַיִּבְאַשׁ *Scatebat autem vermibus, & fœtebat.*] Vel est ὕστερον πρότερον, uti vult R. Sal. זהו מקרא הפוך Atque ita etiam exponit Abenezra ad v. 15. Priùs enim fœtebat manna, ac deinde vermibus scatebat; Unde v. 24. inverso verborum ordine (uti Rabbini isti observabant) de manna in diem Sabbathi reservatâ dicitur, eam non fœtuisse, nec vermem in eâ fuisse. Vel (quod censet * Constantinus L'Empereur) vau in ויבאש valet *postquam*, ut sensus sit, *scatebat autem vermibus postquam fœtuerat.* Atque ita quidem hunc locum exponit Abrabaneel ad Isai. 64. 5. ubi ait verba Prophetæ אתה קצפת ונחטא sic exponenda esse, אתה קצפת אחר שחטאנו *tu iratus es posteaquam* (*vel propterea quòd*) *nos peccavimus.* Atque ad istum modum literam vau hic accipi vult, וירם תולעים ויבאש אחר שבאש i. e. *postquam fœtuerat.*

22. לָקְטוּ לֶחֶם מִשְׁנֶה *Colligebant panem duplicem*] R. Sal. sic exponit, *Quando mensurabant in tabernaculis suis id quod collegerant, inveniebant duplo plus fuisse quam habere solebant, nempe duas mensuras Omer unicuique personæ.* Sed vide supra ad v. 18. Refert autem R. Sal. nonnullos † lepidè ac subtiliter exponere משנה *mutatum*; Nam שנה est *iterare*, & *mutare*; ut sensus sit, לחם משנה אותו היום נשתנה לשבח בריחו וטעמו *colligebant panem mutatum, isto die mutatus fuit in melius, odore pariter ac sapore.*

Et veniebant principes congregationis, & narrabant Mosi] R. Sal. ait, principes à Mose quæsivisse מה היום מיומים *quid iste dies esset præ aliis?* Atque hinc colligit Mosen nondum eis mandatum de Sabbatho (quod ad collectionem & præparationem Mannæ attinebat) declarasse. At unde factum est, ut populus duplicem Mannæ portionem die sexto colligeret, nisi præceptum de observando Sabbatho ei cognitum fuisset? populum autem id cognovisse quod principes ignorabant, est prorsus improbabile. Dici potest, & ea videtur fuisse sententia R. Salomonis, populum non de industria tantum die sexto collegisse, sed postquam id quod collegerant in tabernacula sua portassent, ac mensurassent, tum demum reperisse duplo plus fuisse, quàm quod aliis diebus colligere solebant, atque hinc principes admiratione perculsos rem Mosi indicasse. Sed quid opus est miracula fingere, cum res absque miraculo fieri potuerit? Vide ad vers. 18. Abenezra observat dictum esse לקטו *collegerunt*, non autem מצאו *invenerunt* scil. duplicem portionem Mannæ, quasi id inopinatò ac præter expectationem populi accidisset. Populum igitur tantum collegisse ait, propterea quòd Moses eis ita facere præceperat; nescisse autem quare id factum fuit (ולא היו יודעים למה) atque ideò principes Mosi nuntiasse, populum, prout ipse mandaverat, fecisse, atque ab eo quæsivisse quid porrò facerent, quomodò nempe Mannam istam, quæ collecta erat, comederent. Atque ea quidem vera videtur ratio quare principes Mosen de eo quod populus fecerat, certiorem fecerunt, nimirum ut quid de duplici ista portione Mannæ faciendum erat pleniùs ab eo instructi essent; id quod ex versu sequenti potest colligi.

23. אֵת אֲשֶׁר־תֹּאפוּ אֵפוּ וְאֵת אֲשֶׁר־תְּבַשְּׁלוּ בַּשֵּׁלוּ *Quod coquetis coquite; & quod elixabitis elixate.*] R. Sal. sic explicat; *Quod in furno coquere vultis, coquite hodie, idque in biduum; & quod necesse habetis aquâ elixare* (מה שאתם צריכים לבשל ממנו במים) *elixate hodie.* Verba Abenezræ ad hunc locum sunt subobscura, nec quid sibi velint, satis assequor; sed immediatè anteà clarè dicit die sabbathi ab omni opere, etiam circa cibum fuisse cessandum. אמר רבי׳ לשבת כדי שלא תעשו מלאכה אפילו אוכל נפש׳

29. *Ne exeat quisquam è loco suo die septimo.*] Jonathan addit, *Ultra bis mille cubitos*; atque ita a doctoribus exponi notat R. Sal. qui tamen addit Scripturam hic loqui de exeundo ad colligendam Mannam ועקרו של מקרא על לוקטי המן נאמר Similiter Abenezra, ואל יצא איש ממקומו ללקוט המן כאשר עשו אנשים פירוש ללקוט *Expositio autem horum verborum, Ne exeat quisquam è loco suo, hæc est, (Ne exeat) ad colligendam Mannam, quemadmodum nonnulli exierunt ad colligendum.* At latius videtur esse hoc præceptum, quàm ut ad Mannæ collectionem restringi debeat; quemadmodum enim ob istam causam, ita & ob aliam aliquam istiusmodi causam exire prohibitos fuisse arbitror. Act. 1. 12. itineris sabbatici fit mentio; ad quem locum Oecumenius ex Origene ait iter Sabbathi fuisse δισχιλίων πηχῶν, bis mille cubitorum, idque propterea quod tabernaculum & arca tanto intervallo à castris Israelitarum distaret

* *Constant. L'Emp. in Midd. cap. 2. sect. 5.* † בדרש אגדה

ſtaret, Iſraëlitis autem è caſtris ſuis ad tabernaculum die Sabbathi accedere liceret, ſeu potiùs neceſſe eſſet. Iſtam etiam rationem ‡ aſſignat R. Sal. ad Joſ. 3. 4. quare inter Iſraëlitas & arcam eſſet ſpatium bis mille cubitorum, שתהיו יכולין לילך ולהתפלל בשבת לפניו *ut poſſitis ire & precari in ſabbatho coram eâ.* Similiter Elias Levita in Thisbi rad. תחם ait, תחום שבת הוא כולך אלפים אמה *Terminus ſabbathi eſt iter * bis mille cubitorum.* Atque addit R. Salomonem ita expoſuiſſe locum illum Joſ. 3. 4. *Veruntamen diſtantia erit inter vos & illam* (nempe arcam) *quaſi bis mille cubitorum*, כדי שתקרבו אליו בשבת *ut ad eam in Sabbatho appropinquetis.* Chaldæus Paraphraſtes, Ruth 1. 16. hæc habet, אתפקדנא למטר שביא ויומי טבא בדיל דלא להלכא בר מתרין אלפין אמין *Juſſi ſumus obſervare Sabbatha, & dies feſtos, ne longius iter faciamus quàm bis mille cubitorum.* Juxta Talmudicos autem (uti oſtendit Seldenus de Jure Nat. &c. lib. 3. cap. 9.) iter Sabbaticum duplex erat; alterum majus, nempe duodecim miliarium; alterum minus, nempe bis mille cubitorum.

31. כְּזֶרַע גַּד *Sicut ſemen coriandri.*] LXX. ὡσεὶ σπέρμα κορίου, *tanquam ſemen coriandri.* Scholiaſtes refert Samariticum habere, ὡς σπέρμα ὀρύζης, *tanquam ſemen oryzæ.* Vulg. *quaſi ſemen coriandri.* Sic Hieroſolymitanus Paraphraſtes, & Jonathan גד interpretantur כוסבר quod *coriandrum* denotat. Buxtorfius in Lexico Syro-Chaldaico teſtatur coriandrum Arabicè אלכוסברה appellari. R. Sal. ait גד eſſe עשב ששמו קליאנדרי *herbam cujus nomen eſt Coliandri.* Abenezra refert nonnullos exponere גד *coriandrum* (כסבר Arabicè כוסברה) alios autem *ſinapi* (חרדל) fatetur autem ſe ignorare quid vox iſta ſignificet, quòd nuſquam in Scriptura niſi ubi de Manna agitur, reperiatur. Aſſerit R. Sal. Mannam non niſi ob rotunditatem comparari ſemini coriandri. Sic etiam ad Num. 11. 7. ait Mannam fuiſſe עגול כגרא זרע קליינדרו *rotundam inſtar ſeminis coriandri.*

וְטַעְמוֹ כְּצַפִּיחִת בִּדְבָשׁ *Et ſapor ejus (fuit) ſicut placenta in melle*] ſive *placenta mellita.* LXX. τὸ δὲ γεῦμα αὐτοῦ ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι, *guſtus autem ejus tanquam laganum in melle.* Aquila (teſte Scholiaſte) ἄμυλος ἐξ ἐλαίου, *bellarium ex oleo.* At in Hebræo nulla eſt mentio olei. Symmachus, ὡς ἄμυλος ἐν μέλιτι, *tanquam bellarium in melle.* Vulg. *guſtuſque ejus quaſi ſimilæ cum melle.* Dictionem צפיחת alibi non reperiri notat Abenezra, ac à R. Saadia exponi רקיק *laganum*, ſive *placentam tenuem.* R. Sal. exponit, בצק שמטגנים אותו בדבש *paſtam melle frixam:* atque addit in Miſna vocari אסקריטין ſicque Onkelum interpretari. Jonathan כאשישין בדבש *ſicut placentarum fixarum cum melle.* Hieroſol. כשפרן quod ſimiliter exponunt; Guido autem (teſtante Buxtorfio in Lexico Syro-Chald.) interpretatur *Saccharum.* Sed id parùm convenit ut ſaccharum in melle, ſive ſaccharum mellitum dicatur. Dicitur autem Num. 11. 8. Mannam ſapore ſimilem fuiſſe oleo recenti: ac propterea Abenezra ait כשאכל כאשר ירד הוא כצפיחת בדבש ואם יבושל יהיה טעמו כלשד השמן *Si comederetur prout deſcendebat, fuit quaſi placenta mellita; ſi autem cocta eſſet, ſaporem recentis olei habere videbatur.* In hunc etiam modum expoſuere R. Saadias, & Abrabaneel, uti refert Manaſſes in concil. quæſt. 23. in Exod. qui tamen addit quaſi ex iſtorum Rabbinorum ſententiâ Mannam cum oleo coctam fuiſſe, atque inde ſcilicet ſaporem olei habuiſſe: at certè de oleo in coquenda Manna adhibito apud Abenezram nihil reperio. Kimchi ad loca iſta concilianda (uti à Fagio citatur) ait Iſraëlitas ex Manna pinſuiſſe tenues placentas cum pinguedine (ſive oleo, nam שמן *shemen* utrumque denotat) frixas, quas poſteà in mel intingebant. Mihi autem omninò videtur ita interpretanda Scriptura cùm hic, tum in illo numerorum loco, ut de Manna, qualis in ſe, nullâ alterius rei mixtione adhibitâ, fuit, intelligatur; alioqui enim non mellis duntaxat & olei, ſed plurium aliarum rerum ſaporem habere potuit, prout eam coquere libuerit. Atque ita Manaſſes ait in Midras tradi, pios mannam, uti cœlitus demiſſa fuit, comediſſe; medios autem (eos nempe, qui non tantâ erant pietate, nec tamen impii) in placentas vertiſſe; luxurioſos denique & impios omnis generis edulia inde paraſſe. At hâc ratione (ut dixi) manna multis aliis rebus æquè ac melli & oleo comparari potuit. Nec magis ad rem facit, etiamſi certum eſſet, quod (eodem referente Manaſſe) dicunt, Mannam varios ſapores habuiſſe; parvulis ſcilicet inſtar olei ſapuiſſe, juvenibus inſtar panis, provectæ ætatis hominibus inſtar placentæ ex melle; imò quemcunque cibum Iſraëlitæ expetebant, ejus ſaporem in manna eos guſtaſſe; quò violenter torquent illud Deut. 2. 7. *His 40. annis, &c. non defuit quicquam.* Commentum iſtud de Manna cujuſvis cibi delectabilis ſaporem in ſe habente, ac uniuſcujuſque deſiderio reſpondente, ſecutus videtur author libri, qui inſcribitur, *Sapientia Salomonis*; nam cap. 16. 20, 21. ſic legitur; *Angelorum eſcâ nutriſti populum tuum, & * paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Subſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes oſtendebas; & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.* Simpliciſſima hujus loci cum illo in Numeris conciliatio eſſe videtur, Mannam dulcem quandam ac delectabilem ſaporem, tanquam vel placentæ mellitæ, vel recentis olei, habuiſſe.

33. קַח צִנְצֶנֶת אַחַת *Sume vas unum*] Sic Vulgatus generali voce interpretatur Hebræum צנצנת. Onk. reddit צלוחית quod & Fagius etiam vertit *Vas*; Buxtorfius autem variis nominibus, nimirùm patinæ, ſcutellæ, lecythi, ampullæ, &c. interpretatur. R. Sal. exponit צנצנת *vas teſtaceum*, צלוחית של חרס. Addit autem צנצנת juxta Chaldæi Paraphraſtæ interpretationem; at Paraphraſtes iſte de teſtaceo vaſis genere nihil dicit. Abenezra monet dictionem צנצנת alibi non occurrere, ac exponit, כלי חרס או נחשת *vas teſtaceum, vel aheneum.* LXX Interpretes vertunt στάμνον χρυσοῦν, *urnam auream* & præterquam quòd iſta interpretatio authoritate Apoſtoli firmatur Heb. 9. 4. ratio ipſa dictat, vas aureum potiùs quàm vel teſtaceum, vel æneum ad reſervandam Mannam fuiſſe adhibitum.

וְהַנַּח אֹתוֹ לִפְנֵי יְהֹוָה *Et pone illud coram Domino*] i. e. coram arcâ, uti exponit R. Sal. qui addit, hoc poſt extructionem Tabernaculi factum fuiſſe, etiamſi hoc in loco, ubi de Mannâ texitur hiſtoria, ſcriptum ſit. Similiter Abenezra ad v. 32. ait, hanc portiunculam Scripturæ poſt commemorationem extructi Tabernaculi fuiſſe collocandam, hoc autem in loco poſitam eſſe, ut miraculum de Mannâ multis ſeculis reſervatâ commodiùs memoriæ traderetur.

34. *Poſuit illud Aharon coram teſtimonio*] Quod v. 33. dictum eſt *coram Domino*, hic dicitur *coram teſtimonio*, ut obſervat Abenezra, qui etiam notat arcam vocari *teſtimonium*, propterea quòd tabulæ fœderis in eâ fuerint.

35. *Et filii Iſraël comedebant Mannam 40. annis*] Non plenè 40. annis, ſed uno menſe minùs; nam menſe ſecundo poſt exitum ex Ægypto, nempe menſe Aijar ſive Aprili, circa medium menſis, Iſraëlitæ primò commedebant Mannam, uti ex hoc ipſo capite eſt manifeſtum; ſtatim autem à celebratione Paſchatis, h. e. circa medium menſis Niſan ſive Martii, ceſſavit Manna, ut ſcribitur Joſ. 5. 10, 11. 12. Inſulſum nimis ac nugatorium eſt, quod hic dicit R. Sal. nempe placentas, quas Iſraëlitæ ex Ægypto ſecum afferebant, ſaporem Mannæ habuiſſe. Iſtius commenti authores Talmudicos laudat Manaſſes Ben Iſraël in Concil. quæſt. 21. in Exod. Quaſi ſcilicet ubicunque in Scriptura anni numerantur, annos integros intelligere ſit neceſſe, quod certè eſt falſiſſimum. Nec minùs ineptam arbitror opinionem R. Eliezer Germani (etiamſi eam Manaſſes ſibi non abſurdam videri aſſerat) Iſraëlitas die ultimo, quo deſcendit Manna, tantam ejus copiam colligere potuiſſe, ut ad integrum poſteà menſem eam comederent. Cum anteà manna ne in craſtinum quidem (niſi Sabbathi causâ) ſervari potuerit, per totum jam menſem ſervatam fuiſſe, idque cum eâ ampliùs opus non eſſet, quis credet? Sobriè igitur ſolidéque R. Bahie (ſeu Bechai, eodem Manaſſe referente) negat opus eſſe, ut dicatur Iſraëlitas 40. integris annis Mannam comediſſe, cum Scriptura numeri minoris rationem ſæpè non habeat; id quod aliorum Rabbinorum teſtimonio, multiſque S. Scripturæ exemplis Manaſſes confirmat. Vide ad cap. 12. 40.

36. *Omer autem eſt decima pars Epha*] LXX. τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων ἦν, *erat decima pars trium menſurarum.* Steuchus ait ſe neſcire, an id rectè exiſtimatum ſit, vel ſatis clarè expoſitum: atque addit Hebræos dicere Epham eſſe id, quod à nobis appellatur modius. Onkelos & Jonathan pro Ephâ habent תלת סאין *tria ſata.* Similiter R. Sal. ait Epham continere שלש סאין tria ſata; ſatum autem continere ſex cabos, cabum verò quatuor logos, logum denique ſex ova; ita ut decima pars Ephæ quadraginta tria ova, & quintam ovi partem contineat. Fagius citat verba R. Salomonis Hebraica, in Latina autem verſione omittit וחומש ביצה *& quintam ovi partem.*

IDEM.

3. *ET erat inſtar Coriandri ſeminis, alba*] Kimchi ſic exponit, † והמן היה לבן והיה גרגרים כזרע גד *Manna erat alba, & ex granis conſtabat inſtar ſeminis coriandri.*

‡ *Ita ait expoſitum eſſe in Midrash Tanchuma.* * *In verſione Fagii mendosè eſt*, mille cubitorum.

* *Iſtic ad etymon vocis Hebrææ* מן *Man, alludi videtur.* † *In radice* זרע

2 36 Omer

36. *Omer autem est decima pars Ephæ*] Iis, quæ supra ad hunc locum sunt annotata, illud est addendum, Lxx. Interpretes pro סאה habere *μέτρον* Gen. 18. 6. & 2 Reg. 7. 1. 16. 18.

IDEM.

14. ET *cum ros*, &c.] Ex hoc loco collato cum Num. 11. 9. Rabbini colligunt, primò rorem descendisse, deinde Mannam super rorem, & postremo alterum rorem super Mannam; atque ideo aiunt in Sabbato Mensam duplici mappa stratam fuisse, & inter mappas panem positum, quemadmodum inter rores Manna jacuit. Ipse autem aliter, idque, opinor, rectiùs, exponendum putat, nempe unum duntaxat rorem fuisse, qui primo descendit, deinde Mannam super rorem descendisse; quod autem dicitur, *Et ascendit ros* (ad verbum, *cubatio roris* שכבת הטל) non intelligendum de ascensione roris à terra, sed de ascensione ejus super terram; ut verbum עלה *ascendit*, non aliud hic designet quàm Numb. 11. 9. verbum ירד *descendit*; hoc enim dici respectu aëris unde ros descendit, illud autem respectu terræ, super quam ascendit. Atque eo certè sensu usurpatur verbum עלה v. 13. ותעל השלו *Et ascendit coturnix*, nempe super terram, etiamsi respectu aëris descendit. Fusè etiam hic disputat Abrabaneel adversus eos, qui volunt Mannam Israelitarum fuisse eandem, quæ hodiè reperitur, ac præter rationes ab Abenezra in contrarium allatas, has etiam affert. 1. Quòd si Manna ista fuisset res naturalis, quorsum Deus jussisset, ut in perpetuam ejus memoriam urna Mannæ servaretur? 2 Quod Moses dixit, * Deum illis ad vescendum Mannam dedisse, quam nec ipsi, nec ipsorum patres cognoverunt. De Mannâ autem quæ apud Doctores habentur, ait se prætermittere, כי רבו כארבה ואין להם מספר *Quod locustas multitudine superent, nec numerari possint.*

12. *Ne relinquat quisquam* &c.] Hinc R. Eliezerem dixisse refert, כל מי שיש לו פת שיאכל היום ואומר מה אוכל למחר הרי זה מקטני אמנה *Quicunque habet quod comedat hodie, & dicit, Quid comedam cras, is certe ex eis est, qui exiguâ fide præditi sunt.* Confer illud cum Matth. 6. v. 26. &c.

22. *Die sexto*, &c.] Refert Doctores dicere, Mosen nondum populo legem de Sabbato dedisse, eosque more solito Mannam collegisse, & cum eam mensuravit, † duplo plus quàm colligere solebant, invenisse, atque ideo principes populi Mosen adiisse, eique rem narrasse. Sed & sic exponi posse putat, Mosen eis anteà dixisse, duplo plus die sexto fuisse colligendum, principes autem eum consuluisse, ut quid eo facturi essent, intelligerent. Hinc autem disci ait, in hoc seculo homines debere animabus suis prospicere, ut comedant in seculo futuro, שכלו שבת *quod totum est sabbatum.* כי מי שטרח בערב שבת יאכל בשבת *Nam qui laboraverit in vespera Sabbati, is comedet in Sabbato.*

31. *Nomen ejus Manna*] Ait hoc aliud esse ab eo quod dictum est suprà v. 15. tunc enim Israelitas vocasse Mannam, quod à Deo data esset; (à מנה *distribuere*) nunc autem quod unicuique portio sua (nempe mensura Omer) assignaretur. (à מנה *portio.*)

Et sapor ejus, &c.] Ait hoc intelligi de Mannâ prout in se erat, absque ullâ præparatione. ר"ל טעמו בעצמו מבלי תקון Quod autem Num. 11. 8. dicitur saporem ejus fuisse quasi recentis olei, id intelligi de Manna ita præparata, ut istic narratur. Alibi autem ([a]) obiter de Manna loquens, refert in Midras Tanchumæ, & in Elle Shemoth Rabba dici, saporem Mannæ unicuique pro ætate ac viribus suis fuisse, nempe pueris fuisse quasi saporem lactis, atque id intelligi per recens oleum, senibus autem quasi placentæ mellitæ saporem fuisse. שכל אחד היה טועם בו כפי כחו כמו הילדים כטעם חלב וזה הוא לשד השמן והזקנים כצפיחית בדבש

35. *Et filii Israël comedebant Mannam*, &c.] Ait nonnullos putare, hoc scriptum fuisse prope mortem Mosis; alios vero existimare, à Josua fuisse insertum; ipse autem vult Mosen hoc כפי הגבורה *ex ore* ([b]) Dei scripsisse, ut & illud, quod de Mosis morte narratur Deut. 34. sed hoc mihi minùs verisimile videtur. Rectè autem dicit, illud hoc in loco scriptum esse, להשלים ספור המן *ut narratio de Mannâ perficeretur.*

* *Deut.* 8. 3. † *Abrabaneel cum aliis Rabbinis putat miraculose factum, ut sive quis plus, sive minus colligeret, pro unoquoque in familiâ mensuram Omer haberet, quasi unicuique de cælo quantum ipsi sufficeret, demensum esset.* (*a*) *Nempe fol.* 171. *col.* 3. (*b*) *Ad verbum*, potentiæ, *sic Rabbini Deum appellant; atque ita δύναμις usurpatur, Matth.* 26. *vers.* 64.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

1. UT *biberet populus*] R. A. S. putat populum non siti laborasse postquam cœpit edere Manna, sed temeritate quâdam cœperunt murmurare adversùs rectores suos. Videtur enim haberi ex Scriptura, quòd manna & saturabat & potum præstabat. Nam cùm caderet super rorem, & tegeretur rore, atque ros ille sole exorto in aquam solveretur, non potuit esse sine liquore, præsertim cum Dominus dicat, *Ecce ego pluo vobis manna de cælis*, pluvia autem non est sine humore.

6. *Sto ante te*] Ut scilicet tibi cooperer in productione aquæ.

8. *In Rephidim*] Putant quidam Hebræorum locum illum sic vocatum propterea quòd *dissoluta essent manus* eorum. Est enim רפידים idem quod רפה ידים, i. *dissolutus manibus.*

9. *Amalec*] Causa belli hujus fuit, quòd timebat Amalec, qui erat de semine Esau, jam implendam benedictionem quam Jacob obtinuit & præripuit ipsi Esau, præsertim cùm in magna potentia venirent Israëlitæ ut promissam occuparent terram. Videns itaque Moses Amalec armatâ occurrere manu, jubet Jehosuam eligere viros justos & fortes, qui cum armis pugnarent contra hostem, ipse verò oratione illum juvare non cessaret, donec hostis sterneretur.

12. *Mansitque manibus suis fidelis*] Heb. *& fuit manibus suis fidelitas*, seu *firmitas*: vel, ut A. E. vertit, *& qualibet manus ejus fuit fidelis*, h. e. fuerunt manus ejus fideliter & firmiter extensæ. Onkelos verò sic vertit, *Et fuerunt manus ejus extentæ in orationem donec occumberet sol.*

15. *Dominus miraculum meum*] h. e. Per miraculum & misericordiam Dei, & non nostro merito, factum est illud. Onkelos sic vertit, *& coluit super ipsum altare Dominum, qui fecit ei mirabilia.* K. verò exponit נס pro *vexillo & exaltatione.*

16. *Quoniam manus super solium Dei*] A. S. sic exponit, *Quia impius ille Amalec voluit ponere manum suam super Jerusalem, quæ est solium Dei, ne exstrueretur, fecit Deus miraculum cum Israël.* Alii verò sic explicant hunc locum, *Juravit Dominus per solium suum, quod pugnaret contra Amalec donec deleret memoriam ejus, pugnans scilicet à generatione in generationem.* Duravit enim memoria ejus usque ad ætatem Ester, cùm Haman fuerit de semine ejus. Et juxta hanc interpretationem נס magis significat דגל i. *vexillum*, quàm *miraculum*; ut sit sensus, Manus cum vexillo erit extenta super solium Domini, ut bellum faciat cum Amalech à generatione in generationem, donec memoria ejus deleatur. Et nota quòd hic scribitur כס pro כסא, deficiente scilicet Aleph, propter nomen Domini יה, quod in eandem coit dictionem cum כסא.

FAGIUS.

1. PEr *profectiones suas*] i. ut A. E. explicat, *A deserto Sin profecti fuerunt in Daphkah, inde in Elusch, & de Elusch in Rephidim*, &c.

16. *Per juramentum dictum est*, &c.] q. d. Non simpliciter locutus est Deus, sed juramento se obstrinxit, &c. In textu Hebraico hæc concisè & nonnihil obscurè dicuntur: sed Paraph. noster omnia pulchrè explanavit. Hebraicè sic legitur, *Quoniam manus super solium Dei, prælium Domini cum Amalek à generatione in generationem:* quæ Hebræis hoc ferè modo exponuntur, Innui per hæc juramentum, jurasse scilicet Dominum per thronum suum sempiternum. *Manus* enim significat juramentum: ut illud, *Levo manum in cælo*; & illud, *Elevavit dexteram suam ac sinistram suam in cælum.* Cujus juramenti rationem esse dicunt, quòd quemadmodum stant cœli, sic firma erit res quam juramus. Sic juravit hoc loco Deus per thronum suum, nimirum rem sempiternam & immutabilem. Hæc omnia expressit Onk. suâ paraphrasi. Quòd autem hæc Dei promissio ac juramentum tandem impletum fuerit in Rege Saule, per quem Deus Amalekitas delevit, 1 Sam. 15. etiam manifestum est ex paraphrasi Hierosol. quæ in hunc locum ità habet, ואמר שבועה נפקת מתחות כורסיה יקרא דרבון כל עלמא מלכא קדמאה דעתיד למיתב על כורסיהון דמלכותיה דבני ישראל והוא שאול בר קיש והוא יסדר סדרי קרבא כל קביל דבית עמלק ויקטול יתהון ומה דמשתייר מנהון ישיצי יתהון מרדכי ואסתר בכדיכריה אמר לישיציא ית דכרניה דעמלק לדרי לדרין : *Et dixit, Juramentum egressum est à solio gloriæ Domini totius mundi, Domini Regis æterni, futurum, ut sedeat*

deat super throno regni filiorum Israël, nempe Saul filius Kis, qui aciem belli instruet contra omnes qui sunt de domo Amalec, occidetque eos. Et qui reliqui fuerint ex eis, hos delebunt Mardochai & Hester. Dominus in verbo suo dixit delendam memoriam ipsius Amalek in generationes & generationes.

IDEM.

15, 16. &c. ויבן משה מזבח ויקרא שמו יהוה נסי Et *ædificavit Moses altare, vocavitque nomen ejus* DOMINUS MIRACULUM MEUM, &c.] Variatio prima est in voce נסי, quæ propter ambiguitatem diversimodè redditur: à Septuaginta *refugium meum*, qui deduxerunt à verbo נוס, quod *fugere & evadere* significat. Vulg. interpres *exaltatio mea* transtulit: nam נסה Hebræis & *exaltare* significat, non simpliciter tamen, sed *sicut vexillum exaltatur*: qua in significatione accipit & R. D. Kimhi, qui legit *Dominus vexillum meum*, sive, *exaltatio mea*. Alii *miraculum* exponunt, quòd vocabulum נס Hebræis aliquando etiam *miraculum* significat; quam sententiam secutus est Paraph. Chaldæus, qui vertit, *& coluit super ipsum altare Dominum, qui fecit ei mirabilia*: q. d. Moses, per miraculum & misericordiam Dei & non nostro merito factum est illud. Dein variatio est in illo כי יד על כס יה *quoniam manus super solium Dei*. Quæ verba periphrasis juramenti divini, q. d. Moyses, quia juravit Dominus per solium suum, &c. quare etiam illud quod antecedit, *Et vocavit nomen ejus*, scil. altaris, יהוה נסי ADONAI NISI, *Dominus exaltatio mea*, potest etiam ad juramentum referri, q. d. Moyses, Dominus est qui exaltavit manum suam, h. e. quòd jurejurando se obstrinxit quòd velit delere memoriam Amalec sub coelo. Non insolens est enim hoc S. Scripturæ ut modus juramenti, h. e. ipsa manûs exaltatio vel elevatio pro re ipsa ponatur, *Levare*, scil. manum, pro Jurare, ut Gen. 14. dicit Abraham ad Melchisedec, *Levo manum meam ad Dominum Deum*, &c. Hoc juro, seu jusjurandum facio. Porrò impletum fuit hoc juramentum Dei sive promissio tempore Saulis Regis jussi à Domino exstirpare Amalekitas 1 Sam. 15. & etiam, ut Hebræi volunt, tempore Mardochæi delentis Haman, quem volunt ex stirpe & familia Amalekitarum fuisse, de quo vide Biblia mea Chaldaica. Lxx. admodum obscurè transtulerunt hunc locum qui legunt *quoniam manu occultâ pugnat Dominus contra Amalek*, &c. Sed non conveniunt hæc cum Hebræis: decepti ergò nimirum sunt voce כס, quam pro כסה, quod *tegere & occultare* aliquando significat, legisse videntur: sed non quadrat huc hoc significatum. Propiùs ergò accessit ad veritatem Hebraicam Lat. Vulg. interpres, qui vertit, *manus solii Domini* &c. tametsi defectiva locutio est. Nam deest præpositio *super* quam habet Hebraismus, *quia manus super solium Domini*, &c. Sed ea scriptoris quàm autoris culpâ potiùs omissa esse videtur.

VATABLUS.

1. PEr *profectiones suas*, למסעיהם] Gallicè dicimus *par leurs journées*: nempe à deserto Sin in Dophca, inde in Alus, & de Alus in Raphidim, ut exponit ex doctioribus Hebræorum alter. ¶ *Ad Præceptum*, על פי] Ad verb. *ad os*, i. de mandato Jehovæ. ¶ *Ubi non*, ואין] Ad verb. *& non*.

2. *Unde jurgatus est*, וירב] Ad verb. *Et rixatus est*, vel *contendit*. ¶ *Jurgamini*, תריבון] Fut. Heb. pro præs. *contenditis, rixamini, expostulatis*. q. d. Vos estis ingrati, & obliviscimini beneficii a Deo accepti: num certò scitis atque creditis Deum esse omnipotentem, & ità non deserturum vos?

3. *Propter aquas*, למים] Ad verb. *ab aquis*, i. penuriâ aquarum, h. e. magnâ siti pressus. ¶ *Ascendere fecisti nos*, העליתנו] *Eduxisti nos*.

4. *Adhuc paululum*, עוד מעט] Hebraismus, si res paulò magis processerit, lapidabunt me.

5. *Transi ante populum*, עבר לפני העם] i. præcede populum.

6. *Stabo*, עומד] Præs. Heb. pro fut.

7. *Massa & Meribah*, מסה ומריבה] i. Tentatio & Contentio, sive Jurgium. ¶ *Estne*, &c. היש וגו'] q. d. Hàc ratione sciemus sitne Jehova inter nos, an non.

9. *Stabo*, נצב] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Et virga Dei*, ומטה האלהים] i. quâ Deus tanta miracula operatus est.

11. *Prævalebat*, וגבר] Ad verb. *& prævalebit*. Hic ו verti non debet: nam tantùm convertit præt. in fut. quod per imperf. vertendum est. Hujus conflictûs cum Amalek meminit Moses Deut. 25. 17.

12. *Graves*, כבדים] i. suâ sponte demittebantur. ¶ *Firma*, אמונה] Ad verb. *stabilitas, firmitas*. Chald. paraph. *fueruntque manus ejus extensæ in orationem*.

13. *In ore gladii*, לפי חרב] *Acie gladii*. Gallicè, *au trenchant de l'espée*.

14. *In libro*, בספר] Sub. *Legis*, vel, *in libro Bellorum Domini*. Per anticipationem dictum. ¶ *Et pone in auribus Jehosua*, ושים באזני יהושע] Hebraismus, pro, inculca ipsi Jehosuæ.

15. *Vexillum meum*: נסי] i. sub cujus vexillo vicimus Amalek. Alii, *exaltatio mea*. Alii, *miraculum meum*. q. d. Miraculo & misericordiâ Domini factum est illud. Chald. paraph. in eam sententiam vertit, *Et cultum exhibuit super eo coram Domino qui fecerat ei mirabilia*.

16. *Quod manu*, &c. כי יד וגו'] Hebraismus, dixit Dominum jurasse per solium suum, quod est coelum stabile & firmum, sibi futurum esse bellum cum Amalek per omnes ætates & in sempiternum. *Manus super thronum Jah*, Hebraismus, pro, *manus Jah super thronum ejus*, inversus ordo: i. juravit Jah per thronum suum. Et; *bellum Jehova*, antecedens pro rel. *bellum sibi*.

CASTALIO.

16. QUia *Jova manus signo admota est*] Ad verbum sic legitur, *Quia manus ad signum Jova: bellum est Jova cum Amalechitis in sempiternum*. Reddit autem rationem nominis aræ, quam יהוה נסי vocavit, à נס quod est *signum*, i. vexillum. Nam quod in Hebræo legitur כס, mendum est, tum quia nominis ratio non redderetur, quia nomen *Jovanissi* non à כס deductum est, sed à נס; tum quia כס nihil significat, quanquam volunt positum pro כסא, i. solio: sed & puncta mutant, & vocem mutilant, & etymologiam atque sensum pervertunt; neque ullum locum habent ubi ita sit positum; nisi hunc, qui cùm sit controversus, testimonio esse non potest. Jam quàm facilè נ in כ degeneraverit, ex figuræ similitudine intelligi potest. Josephus quidem mecum facit, qui dicit Deum à Mose νικαῖον nominatum, nimirum à *victoria*, quæ signa comitatur: nisi fortè à נס νικαῖον dixit, ס in κ mutato, sicut à פסח πάσχα, eâdem literæ mutatione, sed aspiratæ: quæ ratio meæ lectioni consentit. Est autem hic sensus, Jova manum signo admovit, ad Amalechitas delendos in sempiternum.

CLARIUS.

1. DE *deserto Sin*] Omnis eremus usque ad montem Sinai *Sin* vocatur. ¶ *Ad bibendum populo*] Sunt qui putent populum non siti laborasse postea quàm cœpit edere manna, sed temeritate quâdam cœpisse murmurare adversùs rectores suos. Videtur enim haberi ex Scriptura, quòd manna & saturabat & potum præbebat: nam cùm caderet super rorem, & tegeretur rore, atque ros ille sole exorto in aquam solveretur, non potuit esse sine liquore, præsertim cùm Dominus dicat, *Ecce ego pluo vobis manna de cælis*: pluvia autem non est sine humore.

2. *Cur tentatis Dominum?*] Quasi volentes experiri num & potum suppeditare posset. Ubi observa, murmuratores appellari *tentatores Dei*.

9. *Pugna contra Amalech*] Causa hujus belli fuit, quòd timebat Amalech, qui erat de semine Esau, jam implendam benedictionem quam Jacob obtinuit præripueratque ipsi Esau, præsertim cùm in magna potentia venirent Israëlitæ ut promissam occuparent terram. Videns itaque Moses Amalech armatâ occurrere manu, jubet Josue eligere viros justos & fortes, qui armis pugnarent contra hostem, ipse verò precando juvare illum non cessaret donec hostis sterneretur.

11. *Cùm levaret manus Moyses*] Sicut multùm prodest intenta justi precatio, sic obest remissio. Quòd si quando infirmitas carnis deprimit (quod per *manus* Mosis *graves* significatur) innitendum est Petræ, quæ est Christus, cujus nos & virtutes roborant & exempla. Debent & proximi quique nutantibus opitulari, tanquam Aaron & Hur. Invalescit autem Josue in pugna contra Amalech, quando Moses erigit manus suas, ac spiritualiter intelligitur.

12. *Et factum est ut manus illius non lassarentur*] Heb. *Et fuit manibus suis fidelitas*, h. e. fuerunt manus ejus fideliter & firmiter extensæ. Iccirco alius vertit, *Mansitque manibus suis fidelis*.

16. *Quia manus super solium Dei*] Quidam Heb. sic exponit, Quia impius ille Amalech voluit ponere manum suam super Hierusalem, quæ est solium Dei, ne extrueretur, fecit Deus miraculum cum Israël: nam illud, *Dominus exaltatio mea*, quidam

dam vertunt, *Dominus miraculum meum.* Alii sic, *Juravit Dominus per solium suum, quòd pugnaret contra Amalech, donec deleret memoriam ejus, pugnans scilicet à generatione in generationem.* Duravit enim memoria ejus usque ad ætatem Ester, cùm Haman fuerit de semine ejus. Et juxta hanc interpretationem pro *exaltatione*, vel *miraculo*, vertetur *vexillum:* ut sit sensus, Manus cum vexillo erit extensa super solium Domini, ut bellum faciat cum Amalech à generatione in generationem, donec memoria ejus deleatur.

DRUSIUS.

14. S*Cribe hoc in libro*] In fonte בספר, ut si Græcè dicas, ἐν τῷ βιβλίῳ. Videtur liber notus fuisse, in quo hæc scribi jubentur. Abenezra, *Hæc Sectio dicta est anno* 40. *Testis articulus, qui latet in Beth, quod (ˉ) notatur. Nam innuit librum notum, videlicet librum Legis; aut alium, qualis erat liber Bellorum* Domini, *qui nunc intercidit, cum libro Recti, & Medras Iddo, & Verbis dierum Regum Israel & libris Salomonis.* Quæ notanda vel propter eos qui negant ullum ex his libris intercidisse. Quid hoc est aliud quam negare solem lucere in meridie? Si non interciderunt, ubi nunc sunt? Sed libri fuerunt. Quomodo hoc probas? Vox *Sepher* aliquando non *catalogum* denotat. Si aliquando, non tamen semper. Qui credet hoc de libro Recti, aut Bellorum *Domini*; non credet de Verb. dierum Reg. Israel, aut de lib. Sal. Hos libros si quis sacros fuisse dicet, non reclamabo: si canonicos, non laudabo. Nam unde sciri potest canonicos fuisse? An libri qui à Prophetis conscripti omnes canonici fuerunt? Nunquam hoc mihi persuadebitur, qui ex historia didici canonem institutum fuisse ab Ezra & sociis ejus, qui vocantur *viri synagogæ magnæ*, cui interfuerunt prophetæ Haggæus, Zacharias & Malachias, quorum hic *ultimus prophetarum* vocatur, quoniam in eo clausa fuit omnis prophetia propriè dicta. Sic loquendo significo primum gradum prophetiæ, in quo fuerunt illi qui ponuntur in ordine prophetarum, quos appellant: è quorum numero Daniel, David, Job, Salomo eximuntur & excluduntur: nam hi fuerunt prophetæ in secundo gradu. Hoc dicere hodie hæresis est. O tempora, ô mores! O me infelicem qui eò devenerim ubi veritas odio ac senio est, & qui historiæ antiquitatisque peritiam habet, non est Orthodoxus!

NOTÆ MAJORES.

1. D*Einde profecti omnis cœtus filiorum Israel è deserto Sin, per profectiones suas, ad os DOMINI, castrametati sunt in Raphidim, & non erat aqua populo.*

2. *Et jurgatus est populus cum Mose, dixeruntque, Date nobis aquam ut bibamus, & dixit eis Moses, Quid jurgamini mecum? Quid tentatis DOMINUM?*

Per profectiones suas] rectè. Nam è deserto Sin profecti sunt in Daphca: inde in Alus: ab Alus demum venerunt in Raphidim, undecima mansione. Vide Num. 33. 12. & 13. Hiero. Fabiolæ, *Undecima mansio est ista quæ hic ponitur, nona quæ fuit in Daphca, & decima, quæ in Alus, prætermissis, ut in Numerorum libro legitur. Creditur que & hæc in Sin eremo contineri, hoc eodem hic narrante libro, Profecta est omnis multitudo filiorum Israel de eremo Sin per mansiones suas juxta os DOMINI, & venerunt Raphidim. Ex quo perspicuum est plures mansiones ejusdem regionis vocabulo demonstrari.* Lxx. hic habent κατὰ παρεμβολὰς αὐτῶν, nempe *castra* vocant, quæ Hiero. *mansiones.* ¶ *Ad os DOMINI*] *Ad Sermonem DOMINI.* On. & Jonath. *juxta sermonem DOMINI.* Hiero. διὰ ῥήματος Κυρίου, Lxx. *per verbum* DOMINI. Hujus sermonis signum fuisse putant columnam nubis. Cajetanus, *Modus loquendi in proposito erat ipse motus columnæ. Per quietem siquidem columnæ dicebat Deus populo, ut quiescerent: per motum autem & iter columnæ dicebat ut moverentur & sequerentur columnam.* Videsis & Nicolaum. ¶ *Os*] Sermonem, præceptum. Aut os DOMINI erat ipse Moses. Sic prophetæ vocantur os DOMINI. ¶ *E deserto Sin*] ἐκ τῆς ἐρήμου Σίν. Autor Catenæ Patrum, *Omnis itaque eremus, ut ait Hiero. usque ad montem Sinai, Sin vocatur, & ex tota provincia etiam locus unius mansionis nomen accepit.* ¶ *In Raphidim*] Addit Jonathan, *loco ubi cessaverunt manus eorum à præceptis legis: ideò exaruerunt fontes & non erat aqua.* Ebraicè ברפידים. Græcè autem ἐν ῥαφιδίν, in quo mendum quale in ῥαφαεὶν, σεραφεὶν, & aliis multis. Mirum autem Græcos scribere hæc nomina cum N in ultimâ, cum ipsi Chaldæi On. & Jonath. Mem retineant immutatum, רפידים Raphidim, ut רפאים Raphaim. Sic כנען Chanaan. Nunc legunt Rephidim Eusebius de locis, *Raphidim locus in deserto juxta montem Horeb.* In Jonathæ loco citato ידיהון verti *manus eorum:* quod melius scriberetur ידיהון. Siquidem ידא manus. Videtur autem respexisse ad etymon nominis רפידים, quod interpretantur, *remissio manuum*, ac si compositum esset ex רפה & ידים manus. Alii aliter interpretantur. Hiero. in epistola de 42. mansionibus, *Raphidim undecima mansio, quam violenter interpretatam in libro Ebraicorum nominum repperi, vidit os sufficiens ei, aut certe visio oris fortium, sive juxta proprietatem linguæ Syræ, remissio manuum.* ¶ *Jurgatus est*] Contendit. Jonathan, *jurgati sunt.* Mox sequitur, *& dixerunt.* Nomen enim עם populus collectivum est. Minus rectè Lxx. ἐλοιδορεῖτο. Quanquam fieri potest, ut inter jurgandum ei maledixerint conviciatique sint. Hoc quia Scriptura non expressit, temere affirmare non debemus. ¶ *Populus*] *Improbi ex eo:* Jonathan. ¶ *Date*] תנו date, videlicet tu & Aharon. Hiero. *da* לנו. Sic etiam Lxx. δὸς, & Jon. הבו. Aben. *alloquuntur Mosen & Aharonem. Nec est necesse ut faciat mentionem Aharonis. Nam antea dictum est Mosen non locutum fuisse ad populum nisi per Aharonem.* ¶ *Quid jurgamini mecum?*] Idem quem modò nominavi, ait duas in exercitu catervas vel factiones fuisse. Una quæ negabat esse aquam ad bibendum, & hæc jurgabatur cum Mose: altera, quæ aquam attulerat ex Alus, & hæc tentabat DOMINUM; an posset dare aquam in loco siccaneo & siticuloso. ¶ *Quid*] Cur, quare, ad quid. ¶ *Tentatis DOMINUM*] Mox vers. 7. *Eò quòd tentaverint DOMINUM, dicendo, Estne DOMINUS in medio nostri, an non?* Hugo de sancto Victore, *Tentare Deum; est ab eo postulare aliquid ad experiendum an Deus hominem diligat ex aliqua diffidentia.* R. Salomo, *tentant Deum dicendo, Potestne dare aquam in terra siccanea?* Nicolaus, *tentabant Deum in hoc quod experiri volebant utrum Deus posset eos potare in deserto* (Hoc verum non videtur, quia antea ejus rei periculum fecerant) *vel quia volebant experiri utrum ex suis meritis deberet eis dare potum miraculosè.* R. Levi, *Qui non habebant aquam, eam poscebant indecenter: qui vero habebant ex Elim adductam, tentabant Deum an posset etiam ibi aquam dare.* Breviter, tentat Deum qui periculum facit an possit quæ promisit præstare, vel qui minas ipsius aspernatus callidè explorat an seriò loquatur, vel denique qui cum sciat omnia regi providentiâ divina, temerè ac inconsultò se objicit periculo non necessario. Prima tentatio initium habet ex diffidentia promissionum; altera ex contemptu numinis; tertia ex opinione prava, quæ non secundum scientiam.

3. *Et sitivit ibi populus aquam, murmuravitque populus contra Mosen & dixit, Quare ascendere fecisti nos ex Ægypto; ad occidendum me & filios meos & pecora mea siti?*

Populus] non dicit, *omnis populus:* quoniam aliqui, ut dictum est, aquam aliunde attulerant. Hoc pono non statuo. ¶ *Aquam*] Vel, *propter aquam* i. præ aquæ penuriâ, ut explicat Hiero. Ebraicè est למים. Sic etiam Chaldaice in On. & Jon. Lxx. ἐδίψησε ὕδατι, quod reddunt, *propter aquam*, & enarrant, *propter inopiam aquæ.* Vide sis edit. Rom. Gallicè, *inopia aquæ.* Verbum è verbo *ad aquam.* Sic alibi, *sitivit anima mea Deum.* Ebraicè, *ad Deum.* Locus est Psal. 42. 3. ¶ *Quare*] In Ebræo est ad verbum, *Quare hoc.* ¶ *Ascendere fecisti*] propriè. Nam ex Ægypto ascenditur terram Chanaan versus. Hiero. *fecisti exire.* Lxx ἀνεβίβασας. ¶ *Ad occidendum*] Ità Hiero. Lxx. On. & Jonath. Occidere propriè להמית dicitur. Hic est להמית quod alii reddunt, *ad mortem afferendum mihi*, vel certè, *ut morte afficeres me.* ¶ *Me & filios meos*] Dicit *nos* & postea *me.* Nam populus loquitur. Jonathan, *ad occidendum nos & filios nostros & pecudes nostras.* Sic Græci ἀποκτεῖναι ἡμᾶς καὶ τὰ τέκνα ἡμῶν &c. Hiero. quoque, *Nos & liberos nostros* &c. ¶ *Pecora mea*] מקני Lxx. κτήνη & Hiero. *jumenta.* בעירא

4. *Et clamavit Moses ad DOMINUM dicendo, Quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabunt me.*

5. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Transi coram populo, & accipe tecum ex senibus Israel, & virgam tuam, quâ percussisti rivum, accipe manu tua & vade.*

6. *Ecce ego sto coram te ibi super petram in Horeb, percutiesque petram & exibit ex eâ aqua ut bibat populus: fecitque ita Moses coram senibus Israel.*

Clamavit] On. & Jon. *oravit* sive *precatus est.* ¶ *Ad DOMINUM*] *Coram DOMINO*, iidem. ¶ *Adhuc paululum & lapidabunt me*] Q. d. parum abest quin me lapidibus obruant, adeò mihi sunt infensi, propterea quod eduxerim eos ex Ægypto in hoc desertum, ubi nunc aquæ penuriâ laborant & siti conficiuntur. Santes, *adhuc modicum & lapidabunt me.*

Similis

Similis locus Hag. 2. 7. *Adhuc unum modicum, & ego commoveo cœlum & terram.* Est tamen discrimen aliquod. Lxx. ἔτι μικρὸν καὶ καταλιθοβολήσουσί με. Tremel. *Adhuc paulisper* &c. i. *si adhuc paulisper differas eis consulere, metuendum est ne ab eis vocer in discrimen vitæ.* Abenezra, *utitur oratione figurata, multa, inquit, jurgia mecum fecerunt & murmurarunt contra me. Quod si possent, lapidarent me.* Facere jurgia nescio an Latinum sit. repone igitur, *multis jurgiis mecum contenderunt.* Editio Gallica, *statim lapidabunt me.* Onkelos פון זעיר עוד id est interprete Fagio, *adhuc paululum.* Jon. כזעיר קליל תוב adhuc parum modicum: & est παράλληλον. ¶ *Lapidabunt me*] ויסקלוני Hiero. *lapidabit me.* An legit יסקלני? Pluralem interpretantur Lxx. On. & Jon. quorum hic postremus habet, *& ipsi lapidant me.* i. רגמין יתי ¶ *Transi coram populo*] Qui tecum jurgati sunt ut videant te illis aquam dare velle. Hiero. *Antecede populum.* Sic Græci Lxx. προπορεύου τοῦ λαοῦ τούτου: præcede populum hunc. Tremel. *Transi ante populum i. castra moveant Chorebum versus, & tu eos præcedas cum senioribus.* Notum ut transire sumatur pro ire seu proficisci. Gen. 33. 14. *Transeat nunc Dominus meus ante servum suum.* Alii, *transi per medium hunc populum.* Quod minus se probat mihi. ¶ *Accipe*] Cape, sume. ¶ *Ex senibus Israel*] Qui testes sint eorum quæ ibi fient. Ne miraculi fidem elevando dicant, te fontes reperisse in illo loco. Videatur Nicolaus à Lyra. ¶ *Percussisti*] Jussisti ut Aharon percuteret. Vide supra 7. 19. ¶ *Rivum*] Fluvium Ægypti, Nilum. On. & Jon. נהרא, flumen. Lxx. τὸν ποταμόν. Hiero. *fluvium.* Nota *fluvium* absolutè dici de Nilo. Sed tum est היאר in Ebræo. ¶ *Ego sto coram te*] Virtute ac potentiâ. ¶ *Sto*] Hiero. *stabo.* Lxx. ἕστηκα ᾽ποιῶ. ¶ *Coram te*] Vel, *ante te:* quod nonnulli ad tempus referunt q. d. antequam tu ibi esses. Sic Græci Lxx. πρὸ τοῦ σε. alias πρὸ τοῦ ἐκεῖσε σε ἐλθεῖν, priusquam tu illuc venias. Ambrosius, *ego sum hic priusquam tu.* Philo ὧδε ἕστηκα πρὸ τοῦ σε: hic steti priusquam tu: Vide Rom. edit. Aben. Sensus est, *invenies me ibi* &c. ¶ *Super petram*] Hiero. *supra petram.* Lxx. ἐπὶ τῆς πέτρας. Alii, *juxta petram*, quod *super* etiam significat. ¶ *Virgam tuam quâ percussisti* &c.] Ne putent te illâ non posse aliud facere quam plagam infernè. Vide Nicolaum. ¶ *In Horeb*] Lxx. ἐν χωρήβ. Horeb & Choreb, ut Hermon & Chermon. Sic Hebron & Chebron: Rahab & Rachab. Fit hoc in iis nominibus quæ Ebraicè per Heth scribuntur. Petram Horeb sunt qui eandem esse putant cum monte Horeb: Alii diversam arbitrantur, in queis Nicolaus. De Monte Horeb Eusebius in locis, *Choreb mons Dei in regione Madiam, juxta montem Sina supra Arabiam in deserto, cui jungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons nunc Choreb, nunc Sina vocetur.* Cajetanus, *mons Choreb vicinus erat loco Raphidim dicto:* Et mox, *Credibile est quod rupes ista fuerit vicinior loco Raphidim, quam mons Choreb. Sed quia erat in territorio denominato à monte Choreb, ideò nuncupatur petra in Choreb. Non enim solus mons denominatur Choreb, sed etiam solitudo annexa denominatur à Choreb.* Verba Nicolai, *non est intelligendum quod illa petra esset in monte Horeb, qui est idem cum monte Sinai, quia adhuc distabant ab illo loco: sed est alius locus ejusdem nominis.* ¶ *Percutiesque petram*] Ità Hiero. Sic etiam Lxx. καὶ πατάξεις τὴν πέτραν. Cui firmando quod habetur Num. 20. 11. *percussit virgâ suâ petram.* Vide & Psalm. 78. 20. Ceterum in fonte hic est בצור in petrâ sive rupe. R. Salomo, *non dicit super petram, sed in petra sive petra. Hinc discimus virgam fuisse ex re aliqua dura, quæ Sanphirinon nominatur* (Munsterus *adamantem* reddit) *a cujus conspectu fissa est petra.* Onkelos quoque habet בטינרא & Jon. *percuties petrâ virgam tuam:* in quo videtur esse hypallage pro, *percuties virgâ tua petram.* Quale illud, *conjecerunt civitatem in ignem* pro, *ignem in civitatem.* Sic Virg. dixit, *dare classibus austros.* Quid si, *percutias in petrâ*, videlicet, certum aliquem locum? Mihi hic hæret adhuc aqua. Nam *percuties petram* Ebraicè diceretur והכית את הצור ¶ *Senibus*] Hiero. *Senioribus*, ut Græci Lxx. πρεσβυτέροις. ¶ *Fecitque ità*] Vide Tremellium.

7. *Vocavitque nomen loci Massa & Meriba propter jurgium filiorum Israel, & propterea quod tentaverant DOMINUM, dicentes, Estne DOMINUS in medio nostri an non?*

Vocavit] Moses an alius? ¶ *Massa*] id est πειρασμός, tentatio. Quæ interpretationes extant in Hiero. & Lxx. Onkelos quoque habet נסיתא & Jonathan, נסיונ Utrumque tentationem notat. Mirum autem cur non potius retinuerint nomen Ebraicum *Massa.* Ceterum duæ, ut diximus, factiones erant in Castris. Una eorum qui simpliciter contendebant cum Mose: altera eorum qui etiam Deum tentabant. Hi gravius peccabant: unde legimus, *nolite tentare Dominum Deum vestrum, sicut tentavistis in Massa* Deut. 6. 16. A Massa quidam Missam appellatam arbitrantur, sed falso. Nam est nomen Latinum, non Ebraicum. ¶ *Et Meriba*] i. jurgium, contentio. On. & Jon. מצותא Lxx. λοιδόρησις i. maledicentia, nempe quia supra Vers. 2. וירב interpretantur καὶ ἐλοιδορεῖτο. In Hiero. nihil est quod huic voci respondeat. Putarim tamen aliquando fuisse *Tentatio & Jurgium.* Nam sequitur, *propter jurgium filiorum Israel* &c. Ubi notabis prius rationem reddi nominis Meriba, quæ tamen postremo loco memoratur. Quod usitatum esse in his litteris Abenezra alio exemplo probat. Verba sunt, *Mos linguæ sanctæ, quando commemorat duas res, ut semper redeat ad secundam, quæ proxima est, ut, dedi Isahaco Jacobum & Esau; Et mox, & dedi Esau* &c. *Sic hoc loco, Nominavit locum Meriba propter jurgium Israelitarum, & Massa propterea quod tentaverunt ibi DOMINUM. Porro autem factio, quæ DOMINUM tentabat, magis Deum irritabat quam altera.* Hinc *aquæ Meriba* i. contentionis aut jurgii, cujus mentio Num. 20. 13. Psal. 81. 8. & 106. 32. ¶ *Propter jurgium*] Id est ריב cujus synonymum מריבה Meriba. Sed potius ut sit infinitum ריב pro הריב propterea quod jurgati fuerant, sive contenderant. Quod Onkelos dixit על דנצו, & Jonathan בגין דנצו Priorem interpretationem amplexi sunt Hiero. & Santes. Etiam Græci habent διὰ τὴν λοιδορίαν, propter maledicentiam. ¶ *Estne DOMINUS in medio nostri*] Onkelos, *Estne divinitas DOMINI inter nos an non?* Jonathan, *an vere gloria divinitatis DOMINI habitat inter nos, si non?* Aben. addit, לעשות צרכינו ut faciat necessitates nostras. Sensus est, ut det quæ nobis necessaria sunt.

8. *Et venit Amalec pugnavitque cum Israel in Raphidim.*

9. *Et dixit Moses ad Josuam, Elige viros, & egressus* (vel *egredere ad pugnandum.* צא הלחם) *pugna in Amalecitas: cras ego stabo in vertice collis, & virga Dei in manu mea.*

Et venit Amalec] Hoc prelium accidisse putant antequam Moses petram percuteret, cum jam exercitus profecturus esset Horebum versus, ubi petra erat. ¶ *Amalec*] *Gens Amalecitarum, quæ nomen accepit ab Horæo quodam Amalec dicto.* Moses Gerundensis: *ab Amalec filio Eliphaz ex Thamna*, alii. Vide Gen. 36. 12. *Gens hæc austrum incolebat.* Aben. Jonathan. *Gebalitidem regionem & urbem Petram.* Josephus Orig. lib. 3. cap. 2. *inter Idumæas gentes fortissima.* Idem ibid. *Ab eo dicta regio Amalecitis, in deserto ad meridiem Judææ, trans urbem Petram euntibus Ailam.* Euseb. in De locis Ebraicis. *Juxta eum alius populus habitabat, qui & dimicavit contra Israel in deserto.* Idem ibid. ¶ *Pugnavit cum Israel*] *aliquos è postremo agmine, hoc est è domo Dan, occidit.* Jonat. ¶ *Ad Josuam*] Lxx. τῷ Ἰησοῦ i. Jesu, sive ad Jesum. Hiero. *ad Josue.* יהושע Josue, ut יהודה Juda: item ut הושע Hosee. Sic ישוע Sue. τῷ Ἰησοῦ i. ליהושע. Nam Jesus & Josue synonyma sunt. Sane Josue pontifex filius Josedec, etiam Jesus appellatur. Quà de re diximus alibi. Aben. ad hunc locum, *Ipse est filius i. nepos, principis Elisama filii Amihud, qui fuit נושא דגל vexillifer Ephraitarum.* Vide 1. Paralip. 7. 26. & 27. ¶ *Elige*] In fonte & apud interpretes Chaldæos, *elige nobis.* Quod ità dicitur, ut, *manete nobis hic.* Sic, *faciamus nobis.* Græci eleganter ἐπίλεξον ἡμῖν. Dicunt etiam בחר לך elige tibi, ut, *vade tibi* σύγχωρησόν σοι. Senes hic habent, σεαυτῷ, tibi ipsi. R. Salomo לנו *nobis i. mihi & tibi. Hinc dixerunt, Sit gloria discipuli tui chara tibi æque ac tua: & gloria socii tui sicut timor magistri tui. Unde hoc? dixit Aharon ad Mosen, obsecro DOMINE; nonne Aharon major fratre suo erat? & tamen collegam suum habet eo loco quo Magistrum aut principem. Sit timor magistri aut principis tui, sicut timor Dei.* Vide sequentia. ¶ *Viros*] Qui viri sint. Sic alibi, *In loco ubi non sunt viri, ibi virum te præsta.* Nam vir est nomen ἀρετῆς. Adhibe Proverbia mea. Jonathan, *viros robustos & fortes in præceptis & victores præliorum.* Lxx. ἄνδρας δυνατοὺς viros potentes. R. Salomo, *viros fortes timentesque peccatum, qui meritis suis juventur. Aliter, viros qui possunt maleficia abolere. Nam filii Amalec malefici erant.* Abenezra, *viros notos, robustos, bellatores, ut ibi, omnes ipsi viri sunt.* Hujus contrarium, *fœminæ in medio ejus* i. viri effœminati. Tale est, *o Phrygiæ, neque enim Phryges.* Tremel. hic edidit, *Delige nobis homines.* Sic etiam Edit. Gall. R. Levi, *viros proceros aptos ad bellum: aut viros qui miraculi dignitatem habent*, hoc est

qui

qui digni sunt quorum causa fiat miraculum. ¶ *Egressus pugna*] Ad verb. *egredere* (scilicet è castris) *pugna*. R. Salomo, *exi è nube*, & *pugna in eum*. Jon. *e sub nubibus gloriæ*, intelligit autem nubem quæ eos protegebat interdiu. ¶ *In Amalecitas*] Sic locutus est Claudius Quadrigarius, *postquam pugnatum est in Gallos*. ¶ *Amalecitas*] Ebraicè *Amalec*. ¶ *Stabo*] נצב sto i. stabo. Lxx. ἕστηκα. Jona. *sto jejunus*. ¶ *In vertice*] Ebraicè, super caput. Lxx. ἐπὶ τῆς κορυφῆς. ¶ *Collis*] הגבעה τῆ βουνοῦ. Aben. *collis Horeb, qui est mons Sinai*. Chaldaicè, רמתא & גלמתא· Jonath. *stabo merito patrum qui sunt capita populi*, & *merito matrum, qui assimilantur collibus*. ¶ *Virga Dei*] *Baculus quo facta sunt signa a coram DOMINO*. Onkelos, Jonathan.

10. *Et fecit Josue, quemadmodum dixerat ei Moses pugnando in Amalec: Moses autem, Aharon & Hur conscenderunt verticem collis.*

11. *Fuitque cum attolleret Moses manum suam ut prævaleret Israel, & quum remitteret manum suam ut prævaleret Amalec.*

Dixerat] Jusserat. ¶ *Pugnando*] Vel, *ut pugnaret*. Ordo ac sensus, *quemadmodum dixerat ut pugnaret*. Alii, *faciens quemadmodum dixerat Moses pugnavit*. Quæritur autem quibus armis usi sunt in hoc prælio Israelitæ? Nihil absurdi si dicamus eos arma secum attulisse ex Ægypto. Deinde Ægyptiis in mare demersis, eorum corpora una cum armis in littus ejecta sunt. *Hæc Judæi spoliantes*, inquit Theodoretus, *hus in bello utebantur*. Diodorus, *Quinta generatione ascenderunt filii Israel ex Ægypto, Aquilas, armis induti, Sym. armati. Igitur quum ex Ægypto ascenderent, arma habebant, quamvis & eorum qui in Mari rubro submersi sunt, exuvias secum detulerint, quibus gentes expugnare possent.* Addam locum Ruperti qui huc facit, *Sciendum*, inquit, *quia primus ex omnibus gentibus iste Amalec egressum ex Ægypto Dei populum gratis impugnavit. Propterea de illo Balaam in prophetia sua dicit, Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. Num. 24. Porro qualiter eum impugnaverit, ità legitur in libro Deuteronomii cap. 25. Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit. Lassos hic Ebræi immundos secundum legem extra castra manentes intelligunt, quos cecidisse Amalecitæ referuntur, quia sicut ipsi tradunt eorum circumcisionem amputarunt & in subsannationem Dei in cœlum projecerunt.* ¶ *Moses, Aharon & Hur*] R. Salomo, *Hinc mos obtinuit ad Jejunium pertinens, quo tres viri necessario transeunt coram arca, quando in jejunio positi sunt.* ¶ *Hur*] חור in edit. Rom. ὢρ, quod aspirandum ut sit ὣρ Hor: alibi est οὖρ unde Ur, pro quo perperam in Severo (Ur) legitur. Locus est lib. 1. pag. 27. editionis nostræ. Quidam censent eum fuisse filium Chaleb ex Maria sorore Mosis: sed falli eos docet Nicolaus, ad quem te adire volo. Alii, in queis & Josephus, asserunt eum fuisse maritum ipsius Mariæ. Nam qui memoratur 1. Paralip. 2. 19. filius Chaleb ex Ephratha, avus fuit Beseleel architecti & pater Uri. Cajetanus, *Creditur quod iste Hur fuerit maritus sororis Aharon & Moysi, attestante hoc Josepho.* ¶ *Conscenderunt verticem*] Alii, *ascenderunt verticem*. Hiero. *super verticem* על ראש· Lxx. ἀνέβησαν ἐπὶ τὴν κορυφήν. ¶ *Verticem*] Caput, cacumen, summitatem. ¶ *Collis*] *Horeb, qui & mons Sinai*. Abenezra. tu expende. Nam mihi hic aqua hæret. ¶ *Fuitque cum &c.*] Vel, *Cumque attolleret Moses manum suam prævalebat Israel*. Hæc manuum elevatio erat precantis indicium & gestus. Nam qui precantur Deum, solent manus in cœlum sustollere. Alii scribunt fuisse instar vexilli, in quo præliantes respicere consueverunt. Id refutat Abenezra. *Nam si hoc esset*, inquit, *tum Aharon aut Hur manus elevassent*. ¶ *Et quum remitteret manum suam*] וכאשר יניח ידו· Hiero. *sin autem paululum remisisset*. Lxx. ὅταν δὲ καθῆκε τὰς χεῖρας. Santes, *quando demittebat manum suam*. Tremel. *quum vero quieti dabat manum suam*. Munsterus, *demittebat*. Leo, *remittebat*. Gal. *reposoit* i. quieti dabat manum, aut quietem manui. Vult dicere, quando non attollebat eam. Jonathan, *quum erigebat Moses manus suas orando, invalescebant qui erant domus Israel: quum vero remittebat manum suam ne precaretur, invalescebat qui erant domus Amalec*. Jerosolymitanus, *Quum erigeret Moses manum suam in precatione, domus Israel prævalebant; & cum remitteret manum suam a precando domus Amalec prævalebant & cadebant in prælio.* ¶ *Prævaleret*] Fortior esset. Lxx. κατίσχυεν. Hiero. *superabat*.

12. *Manus autem Mosi graves erant, itaque acceperunt lapidem & posuerunt sub eo, seditque super eam: Aharon vero & Hur sustentabant manus ejus hinc unus & illinc alter, fuerunt manus ejus firmæ usque ad occasum solis.*

13. *Fregitque Josue Amalecum & populum ejus in ore gladii.*

Manus Mosi] quas erectas tenebat cum virga. Tremel. arbitratur alternis virgam tenuisse, hoc est, modo dextera, modo sinistra, ut solent qui vexillum portant, quos vexilliferos aut signiferos appellant. ¶ *Graves erant*] Graves i. βαρεῖαι. Chaldaicè יקרן, sive יקירן· Sed in Jerosol. זקפן בצלו erectæ ad precandum. Quia graves, ideò sustentandæ erant. Nam Senex erat admodum: præterea fieri non potest ut homo manus erectas teneat ad integrum diem. Vide Abenezram. ¶ *Mosi*] Ut *Achilli*: vel, *Mosis*. Lxx. μωυσῆ. Reperias & Moseos: quod ità Græca consuetudine declinatum. ¶ *Acceperunt*] Sumpserunt. ¶ *Lapidem*] Vel, saxum. ¶ *Posuerunt sub eo*] Supposuerunt ei. Nam totum corpus grave habebat, nec in pedes stare tamdiu poterat. R. Levi censet eum fuisse magno corpore. Accedebat senectus. Quæ duæ res ad gravitatem faciunt ut quod maximè. Porro saxum supposuerunt ei ut altius sedens de longe conspici posset. Ob quam causam antea erectus steterat, & diutius stetisset, si gravitas corporis id permisisset. ¶ *Hinc illinc*] מזה ומזה i. ab utraque parte, vel potius, ab utraque manu. Nec obstat quod pronomen זה masculinum sit. Nam & manus כבדים i. graves dicuntur eodem genere. Sic alibi, *manus missa ad me*, & *ecce* בו, *in ea*. Consule Abenezram. ¶ *Alter*] Ebraicè, *unus*. ¶ *Manus ejus firma*] אמונה propriè firmitas. Aut est participium generis passivi. Sane Tremel. vertit, *fuitque utraque manus ejus firma*. Quanquam in margine, *firmitas*. *abstractum pro concreto*. Simile, *rectum judicia tua*, quod explicant, unumquodque judiciorum tuorum. Vide Abenezram. Hiero. & *factum est ut manus ejus non lassarentur*: ad sententiam non malè. Onkelos, *erant manus ejus expansæ ad orandum*. Jonathan, *expansæ firmiter ad orandum*. Lxx. ἐστηριγμέναι. Supra תמכו iidem ἐστήριζον, ¶ *Fregitque*] ויחלש & debilitavit. Hiero. *fugavitque* ויברח· Lxx. καὶ ἐτρέψατο. Onkelos ותבר & fregit. Sic etiam Jonathan. Santes, *continuit*. Arias, Munsterus, Leo, *debilitavit*. R. Salomo, *concidit capita fortium ejus, nec reliquit nisi debiles qui inter eos*. Aben. admonet promiscue dici יחלש & יחלוש, quemadmodum יגזל dicimus & יגזול: rapiet: ידור & ידר vovebit. Hoc primum: deinde ait verbum חלש ex iis esse quæ modo transitiva modo neutra sunt: quale & שב rediit & convertit, sive restituit, hoc est redire fecit. Galli hic legunt *desconfit*. i. delevit, profligavit. Videtur esse in hoc verbo figura quam μείωσιν vocant. Nam minus est debilitare quam frangere aut delere. Nicolaus, *In Ebræo habetur, debilitavitque: quod exponunt Ebræi dicentes quod omnes fortes de Amalec fuerunt interfecti in illo bello & non effugerunt nisi timidi & parum valentes*. Cum Ebræos dicit, capiendum præcipuè de Salomone Jario. Nam non omnes hoc dicunt. ¶ *Et populum ejus*] Quis iste populus? Utrum Chananæus de quo alibi, *Amalec autem & Chananæus habitabant in valle*. Eusebius, *Amalec habitabat in terra ad austrum, sed & juxta eum alius Chananæus habitat, qui & dimicavit contra Israel in deserto, de quibus ità scribitur, Amalec autem &c.* Lippomanus, *populum ejus dicit qui venerat ei auxilio qui non erat Amalecites*. R. Levi, *Rectum quod adduxerit secum populum alium ad pugnandum in Israelem*. Forte per Amalec ipsum ducem vel regem intelligit, & per populum ejus, milites, quos secum adduxerat. ¶ *In ore gladii*] Vel, *in acie gladii*. Lxx. ἐν φόνῳ μαχαίρας. Jonathan quoque בקטילת סייפא in occisione gladii. Onkelos לפתגם דחרב i. gladio. Verbum è verbo, *in sermone gladii*. Sermo gladii, ut, *sermo voluptatum*. Sic, *verba Cantici*. Latini authores dicerent, *res voluptatum*. Galli, *au trenchant de l'epée*. Gen. 34. 26. Lxx. ἐν στόματι μαχαίρας.

14. *Et dixit DOMINUS ad Mosen, Scribe hoc monimentum in libro, & pone in auribus Josue, quia delendo delebo memoriam Amalec de sub cœlo.*

15. *Ædificavitque Moses altare, & vocavit nomen ejus, DOMINUS signum meum.*

16. *Et dixit, Quia manus super solium DOMINI, bellum DOMINO in Amalec, de ætate in ætatem.*

Monimentum] Vel, *mnemosynon*. Nam eâ voce etiam Latini autores utuntur. Est autem μνημόσυνον id quo nobis res aliqua in memoriam revocatur, sive quod nos alicujus recordari facit. Interdum ea vox memoriam denotat. Sane Græci hic legunt εἰς μνημόσυνον, quod vertendum putarim, *ad memoriam*, ut Matth. 26. & Marc. 14. Hiero. habet, *ob monimentum*. Trem. *in monimentum*. Munster. *pro memoriali*. Leo, *ad monumentum*. Gallica editio, *pour memoire*, ad memoriam. Lex.

Vet.

Vet. μνημόσυνον, *memorabile*. Forte, *memoriale*. (Nam ità reddi solet à veteribus) μνημόσυνα, *monumenta*. *Singulare non habet.* Ebraice est זִכָּרוֹן & Chaldaicè דוכרנא: unde ספר זכרון liber memoriæ causâ conscriptus, ὑπόμνημα. ¶ *Hoc*] *Quod Amalec primus in deserto Israelem impugnarit.* R. Salomo. ¶ *In libro*] בַּסֵּפֶר εἰς τὸ βιβλίον in certo aliquo libro noto ipsis. Nam articulus non est planè otiosus. Abenezra censet hoc mandatum datum fuisse primum anno quadragesimo. Verba ejus vide supra. R. Levi, *scripsit hoc in libro aliquo noto apud eos, & is est liber monumentorum, aut memoriarum, aut liber bellorum DOMINI, quemadmodum scribit Abenezra. Aut mandat Israeli ut recordentur eorum quæ fecit Amalec, & ut deleant nomen eorum, sicut de eo præceptum est in Lege.* Vide sequentia. ¶ *Pone in auribus Josuæ*] Lxx. δὸς εἰς τὰ ὦτα Ἰησοῦ. Hiero. *trade auribus Josue.* Onkelos, *pone coram Josue.* שׂים da. Contra תן pone. Sic, *posuit semen pro Habel* i. dedit. Verba hæc vicissim permutantur. Jonathan, *Scribe hoc monimentum in libro senum qui ab antiquis temporibus, & pone verba hæc in auditione ipsius Josuæ.* Quidam explicant, *inculca ei, & familiariter indica.* Alii, *infere in aures.* Alii, *fac ut audiat & intelligat Josua.* Porro tacite innuit ab eo populum introductum iri in terram promissam. Abenezra, *Dicit in auribus Josue, quia sciebat ipsum pugnaturum cum regibus Chanaan.* ¶ *Quia*] Vel, *quod.* ¶ *Delendo delebo*] Penitus delebo. ¶ *Amalec*] Gentis Amalecitarum. Supra, *debilitavit Amalec & populum suum*, diximus per Amalec intelligi posse ipsum regem, quemadmodum dicimus Assyrius, Persa, Babylonius de ipsorum regibus. Sic, *Gallus cum populo suo* i. rex Galliæ. Abenezra, *sunt qui dicant Amalec esse nomen regis, propterea quod Scriptura dicit, Amalec & populus ejus: aut populus alius ei associatus fuit.* ¶ *De sub cælo*] Ne sit amplius sub cœlo, hoc est in rerum naturâ. Sic alibi, *excindes eos de sub cælo DOMINI* i. tuo. Videndus Lyra in hunc locum. ¶ *Ædificavitque Moses altare*] *In vertice collis.* R. Levi. *in Horeb.* Abenezra. Supra diximus esse qui nomine הגבעה Horeb intelligerent. ¶ *DOMINUS signum meum*] Aben. repetit *altare* ἀπὸ κοινοῦ, ut dicat, altare DOMINI, qui est signum sive vexillum meum. Lxx. Κύριος καταφυγή μου, tanquam à נס fugio. Hiero. *exaltatio mea.* Sic alibi נסה עלינו attolle super nos. Tremel. *Jehovæ vexilli mei.* Sub. altare. Munsterus, *DOMINUS miraculum meum.* Gal. edit. *Vexillum meum.* Santes ut Hiero. Arias, *vel signum meum.* Onkelos, *coluit super illud DOMINUM, qui fecerat ei miracula.* Jonathan, *Sermo DOMINI ipse est signum meum, quia signum i. miraculum quod fecit hoc loco propter me est.* (Vel magis *Deus* אלהא Deus. Pro eo est המקום in R. Salom.) R. Salomo, *Vocavit nomen ejus altaris. DOMINUS signum meum, Deus laudandus fecit nobis hic signum i. miraculum. Non altare vocatur DOMINUS, sed qui memorat nomen ejus altaris, recordatur signi quod fecit Deus, DOMINUS est miraculum meum.* Hiscuni, R. *Eliezer ex vico Modeim, unde & Hasmonai ortum habent, Deus benedictus nominavit locum* נסי *signum meum* i. vexillum aut miraculum. Nam utrumque eâ voce significatur. Ordo & constructio, Moses extruxit Altare, & DOMINUS illud NISSI i. signum meum. Non admodum se probat mihi. ¶ *Quia manus super solium DOMINI*] Variè exponitur. Quidam sic exponunt, Quoniam Amalec manum sustulit contra solium DOMINI &c. Alii, quia Deus ità juravit. Quod sumptum putant à regibus, qui, cum jurant solemniter, manum super solio ponere solent. Hoc an verum sit nescio. Hiero. *Quia manus solii DOMINI & bellum DOMINI erit contra Amalec* &c. In textu Lyræ, *solius DOMINI.* Idem tamen videtur legisse, *solii.* Nam enarrat, *potestas Throni ejus.* Notum ut manus robur ac potentiam designet. Manus solii יד כסא, vel, si mavis כס יד Non sic est in Ebræo. Lxx. ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ Κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ: *quoniam in manu occulta pugnat DOMINUS contra Amalec.* יד כס tanquam à כסה texit, operuit. Non probo. Onkelos, *Et dixit, Jurejurando dictum est hoc à timore divinitatis ejus in solio gloriæ, fore ut prælium ineatur contra domum Amalec* &c. Jonathan, *Et ait, quia juravit sermo DOMINI per solium gloriæ sive majestatis suæ, quod ipse sermone suo instruet bellum in domum Amalec, & excindet eos in tres ætates, ex ætate seculi hujus, ex ætate Messiæ, & ex ætate seculi venturi.* Jerosolymitanus, *Et dixit, Jurandum exiit à sub solio majestatis Domini totius mundi, DOMINI, inquam, regis antiqui quod sessurus sit super solium regni filiorum Israël Saul filius Cis, qui præliabitur contra Domum Amalec, & occidet eos. Residuos autem ex illis delebunt Mardochæus & Esther. DOMINUS per sermonem suum dixit excisurum se memoriam Amalec in ætates ætatum.* R. Salomo, *Et ait Moses, manus Dei benedicti sublata est ad jurandum per thronum suum, fore sibi bellum & inimicitias in Amalec in æternum. Quid autem sibi vult quod dicit* כס *& non* כסא? *etiam Deus dimidiam partem nominis sui præcidit. Juravit ergo Deus laudandus, non fore nomen suum perfectum, neque solium suum perfectum, donec deleverit nomen Amaleci totum. Quum autem deleverit nomen ejus, erit Deus perfectus, & solium perfectum, quemadmodum dicitur, O hostis, consummata sunt vastitates in perpetuum? iste est Amalec, de quo scribitur, & indignationem suam servat in perpetuum, & urbes destruxisti, periit memoria eorum cum ipsis. Quod vero post dicit, DOMINUS in seculum sedet, ecce nomen perfectum (sive Deus perfectus) stabilit ad judicium solium suum, ecce solium ejus perfectum.* Abenezra, *Manus super solium DOMINI, ut, levo in cælum manum meam, & sensus est, quod Deus posuerit manum suam super solium suum, & hoc est juramentum. Sed R. Jesua dicit manum fortem, hoc est magnam potentiam habiturum illum qui primus sedebit super solium Israel, quemadmodum dicitur de Salomone, super thronum Israël, Et etiam super thronum DOMINI: quod capiendum de Saule.* Hiscuni, *quum erit facultas in manu Israelis ut constituant sibi regem qui sedeat in solio Dei benedicti (simile, Et sedit Salomo super solium DOMINI in regem) tunc erit bellum DOMINO contra Amalec.* יד *i. robur & dominium, ut ibi, venit Saul in Carmel, & constituit sibi manum, & mox, reducere manum suam adversus flumen Euphratis.* כסא *autem sig. habet regni, ut, & exaltabitur solium ejus præ solio tuo. Alia expositio, quia manus ipsius Amalec contra thronum Dei, hoc est, contra Jerosolymam, bellum DOMINO erit* &c. R. Levi, *Accepi à patre meo qui hunc locum ità exponebat, manus quæ est in solio DOMINI hoc est in cælo, ab ea erit bellum Israëlis contra Amalecitas.* Vult dicere, Israël vincet eos auxilio divino, non propriis viribus. Sic Σὺν τῷ θεῷ παλάμῃ i. Dei ope & auxilio. Forte על pro אל positum, ut dicat, manus ad thronum DOMINI, qui gestus est jurantium. Nam per thronum suum Deum jurasse eò minus credibile est, quod Christus dicat Matth. 5. 35. *Nolite jurare per cælum, quia thronus Dei est.* Quomodo enim damnaret formulam, quam Deus in veteri lege usurpasset? Sed hæc aliis expendenda relinquo. Trem. *dicebat enim sic vocandum esse, quia manus super solium Jah i. Deus in ipso solio majestatis sedens manum exertam habet erectumque vexillum ad pugnandum contra Amalecitas in perpetuum.* Cajetanus, *sensus est quia manus divina jurans super sedem ipsius Dei, bellum DOMINO in Amalec* &c. *Et mox, Narratur causa futuri belli contra Amalecitas, divinum juramentum, ad similitudinem regis extendentis manum ad jurandum super solium regni sui, hoc est super quietem regni sui. Quiete enim regnare gratissimum est cuilibet regi.* Autor Catenæ, *manus DOMINI super solium ejus i. juravit DOMINUS per solium suum, quod bellum erit ei contra Amalec in sempiternum.* Et mox, *Hoc Ebræi sic exponunt, DOMINUS per thronum suum juravit qui sempiternus est, cælum sc. cui insidet* &c. *Cujus juramenti rationem esse dicunt, quod quemadmodum stant cæli, sic firma erit res, quam decernit DOMINUS. Sic juravit hoc loco Deus per thronum suum, nimirum rem sempiternam & immutabilem.* Meo judicio rectiùs sentiunt, qui per, *manus in thronum DOMINI*, non ipsum juramentum, sed gestum jurantis innui putant. ¶ *Solium DOMINI*] Hic est יה in fonte, quod amputatum creditur ex tetragrammato. ¶ *In Amalec*] Belli hujus causa, ut diximus, quia primus Amalec ausus est populo Dei bellum inferre, nihil veritus ejus multitudinem aut signa quæ edita fuerant in Ægypto. Videndi sunt Abenezra & R. Levi. ¶ *De ætate in ætatem*] מדר דר Videtur abesse ל ut sit לדר in ætatem. Sic Hiero. *à generatione in generationem:* Et Lxx. ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς. On. מדרי עלמא ab ætatibus seculi i. æternis. Jerosoly. לדרי דריך in ætates ætatum i. in omnes ætates. Vide Lippomanum, sive Catenam Patrum.

AMAMA.

15. EBr.: כי יד על כס יה מלחמה ליהוה בעמלק מדר דר Vulg. *Quia manus solii Domini & bellum Domini erit contra Amalec* &c.] Vetusti codices legebant *solius Domini.* Sic citarunt hunc textum, Lyra, Cajetanus, Steuchus & Johan. Benedictus. Sed optimè correxerunt Sixtus V. & Clemens VIII. *solii.* In Ebr. enim est כס quod idem cum כסא esse volunt Ebræi.

Ebræi. Sed ne sic quidem Ebræa veritas fuit expressa, ipsis Pontificiis judicibus. Ebræa enim sic ad verbum, *quia manus super solium vel thronum Jah* i. Domini, *bellum Domino contra Amalec* &c. Ubi manifeste cærimonia vel gestus jurandi innuitur. Jurasse enim Deum per *thronum*, si *cœlum* interpreteris, eo minus videtur verisimile, quod Salvator Matth. 5. eam jurandi formulam quæ per cœlum fit, * damnet. Verùm si per *solium*, *gloriam Dei* intelligas, *jurare per solium* nihil aliud fuerit quam jurare per semetipsum. At hoc timidè assero. Ut ut sit, alludi ad gestum & cærimoniam jurantium ipsi Papistæ concedunt, quæ hypothesis suffecerit nostro proposito. Nam & illud constat, Deo manum tribui non posse nisi ἀνθρωποπαθῶς. Cajet. *Narratur causa futuri belli contra Amalecitas, divinum sc. juramentum, ad similitudinem Regis extendentis manum ad jurandum super solium regni sui.* Sic & author Catenæ. Et Vatablus, *Dicit DOMINUM jurasse per solium suum, sibi futurum bellum &c. Manus super thronum Jah, Ebraismus, pro manus Jah super thronum ejus, i. juravit Jah per thronum suum.* Hinc Chaldæus locum brevitate sua subobscurum sic explanavit, *Per juramentum dictum est hoc coram Domino timendo, cujus majestas est super gloriæ solium, futurum tandem ut bellum instituatur coram Domino* &c. Sic Onkelos, quin & Paraphrasis quæ ab urbe Jerosolymitana dicitur, sic habet, *Juramentum egressum est a solio gloriæ Domini totius mundi* &c. Sic & Aben. & R. Sal. Alii aliter exponunt. Et quidem appositissime Junius, *Quia manus* subaudi Amalec, *contra solium Domini*, *bellum erit* &c. Sed omnes opiniones accongerere non est nostri instituti. Ex iis quæ dicta sunt illud liquere jam puto, si his verbis juramentum continetur, ut Pontificii volunt (qui & in hac locutione, *Juravit Deus per sanctitatem suam*, † cœlum intelligunt, ubi melius exponas, per sanctitatem suam id est per semetipsum) aut si gestus jurantis innuitur, locum hunc non bene fideliterque redditum. Claudam si illud obiter notavero, R. Sal. argutari in voce כס *cur*, inquit, *dicitur* כס *& non* כסא? Juravit Dominus nomen suum non fore perfectum ut nec thronum perfectum ante deletam hanc progeniem, ideoque vocibus decurtatis & imperfectis יה & כס Mosen hic usum fuisse.

* *Vide & Ebr. 6. 13.* † *Vide Genebr. Psal. 89. 36.*

GROTIUS.

8. *Venit autem Amalec*] Cui populo sedes in Gobolitide & Petra secundùm Josephum.

9. *Egressus pugna contra Amalec*] Prævertendi hostium conatus priusquam invalescant.

10. *Hur*] Is Mariammen duxerat sororem Mosis & Aaronis.

16. *Manus solii Domini*] Id est, manus divinæ potentiæ. Sic כסא θρόνος [*solium*] sumitur Thren. v. 19. Impleverunt hoc Saul 1 Sam. xv. David ibidem cap. xxx. Mardochæus in Hamane.

CARTWRIGHTUS.

1. וַיַּחֲנוּ בִּרְפִידִים *& castra metati sunt in Rephidim*] Abenezra notat proximam Israelitarum mansionem non fuisse in Rephidim, sed à deserto Sin profectos esse ad Dophka, à * Dophka autem ad Alush, & ab Alush ad Rephidim; concisè igitur hic Scripturam eorum mansiones commemorare, idque innui voce illa למסעיהם *juxta profectiones ipsorum*.

2. *Quare contenditis mecum? quare tentatis Dominum*] Abenezra putat alios fuisse, qui cum Mose contendebant, alios autem, qui Dominum tentabant. Asserit enim nonnullis tantùm defuisse aquam, atque eos cum Mose contendisse; quosdam verò è loco, ubi proxime castra metabantur, aquam secum attulisse, eosque Deum, an aquam daturus esset, tentasse. Ac propterea illud in initio versus, *Et contendebat populus cum Mose*, non de toto populo, sed ejus tantùm parte vult intelligi; sed ista nihil in se solidi habere videntur. Lxx. pro וירב *Et contendebat*, habent καὶ ἐλοιδορεῖτο, *& maledicebat*, seu *convitiabatur*. Et similiter pro מריבון λοιδορεῖσθε, *maledicitis*.

4. עוֹד מְעַט וּסְקָלֻנִי *Adhuc modicum, & me lapidabunt*] Id est, *parati sunt me lapidare*; *propè est, ut me lapident*. Rab. Sal. sic explicat, אם אמתין עוד מעט וסקלוני *Si adhuc paululum cunctatus fuero, me lapidabunt*.

5. *Et sume tecum ex senioribus Israël*] Qui nimirùm testes essent miraculi, ut non malè exponit R. Sal. לעדות שיראו על ידך המים יוצאים מן הצור ולא יאמרו מעינות היו שם מימי קדם i. e. *in testimonium, ut videant per te factum esse, ut aquæ è rupe exeant, nec dicere possint jam ab antiquis temporibus fontes ibi fuisse.*

Et baculum tuum, quo percussisti flumen] *Quod Aharon fecit* (inquit Augustinus) *Mosi tributum est; quia & Mosi Deus jubebat, quæ faceret Aharon; & in Mose authoritas, in illo autem ministerium fuit.* R. Sal. (quod & Lyra notavit) ait Israëlitas existimasse, baculum istum non nisi ad plagas inferendas fuisse comparatum, ac propterea Deum ostendere voluisse, ejus etiam in conferendis beneficiis usum esse. Sed id argutius videtur.

6. *Ecce ego stabo coram te, &c.*] Lxx. ὅδε ἐγὼ ἕστηκα, *Ipse ego sto.* Sic reddendum illud ὅδε ἐγὼ dicit Nobilius; qui tamen testatur in aliis editionibus legi ὧδε *hic*, in quibusdam autem ἰδοὺ *ecce*; atque istam lectionem genuinam esse non dubito, cum in Hebræo sit הנני *ecce ego*.

וְהִכִּיתָ בַצּוּר *Et percuties petram*] Quoniam בצור ad verbum sonat *in rupe*, ideò argutatur more suo R. Sal. atque hinc colligi ait, baculum istum fuisse adamantinum, ac petram vi ejus fuisse divisam.

7. *Et vocavit nomen loci istius Massa & Meriba*] Lxx. Καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου, πειρασμὸς καὶ λοιδόρησις. *Et cognominavit nomen loci istius, Tentatio & Maledicentia.* Hebræum מסה *Massa* tentationem sonat, מריבה *Meriba* autem contentionem, jurgium, maledicentiam. Vide ad vers. 2. Vulg. *Et vocavit nomen loci illius Tentatio, propter jurgium, &c.* Sed in margine notatur alia lectio, *Tentatio & lis*, &c.

Propterea quod contendebant filii Israël, & quia tentabant Dominum, &c.] Priùs redditur ratio nominis *Meriba*, deinde nominis Massa. Nam (ut notat Abenezra) mos est linguæ Sanctæ, cum duæ diversæ res vel personæ memorantur, à posteriore priùs incipere, quia nimirùm est proxima מנהג לשון הקדש כאשר יזכיר שני דברים יחל לעולם כאשר שהוא אחרון Ut Jos. 24 vers. 4. *Et dedi Isaaco Jacobum & Esavum; Esavo autem dedi, &c.*

9. *Et baculus Dei (erit) in manu meâ.*] Onk. *Et baculus quo facta sunt miracula à facie Domini* (מן קדם יי ad verb. *ab ante Dominum*) *erit in manu meâ.*

11. *Et factum est, cum Moses elevaret manum suam*] Jon. & Hierosol. *Et factum est, cum Moses erigeret manum suam* בצלו *in oratione.*

12. וַיְהִי יָדָיו אֱמוּנָה *Et factæ sunt manus ejus firmæ*] Sive *Stabiles*. Sic optimè verterunt Lxx. Interpretes, καὶ ἐγένοντο αἱ χεῖρες Μωυσῆ ἐστηριγμέναι. Vulg. *& factum est, ut manus ejus non lassarentur.* Onkelos sensum potiùs quam verba respiciens habet, והוה ידוהי פריסן בצלו *Et fuerunt manus ejus expansæ in oratione.* Vox אמונה significat דבר עומד וקיים *rem stabilem & firmam*, uti eam interpretatur Abenezra; qui etiam notat אמונה esse singulare, quemadmodum etiam est ויהי, cum ידיו sit plurale; q. d. *Et facta est manus ejus* (in plurali) *firma* sive *stabilis*, h. e. unaquæque manuum ejus. Ut Gen. 49. 22. בנות צעדה * *filiæ progressa est*, i. e. unaquæque filiarum. Et Prov. 28. v. 1. וצדיקים ככפיר יבטח *justi autem sicut Leo confidet*; i. e. unusquisque justorum.

14. *Scribe hoc ob monumentum in libro*] Quoniam in Hebræo est בַּסֵּפֶר q. d. *in libro illo*, בספר pro בספר, Abenezra vult hanc sectionem dictam fuisse anno quadragesimo, ac certum aliquem notumque librum intelligi, nempe librum Legis, aut librum aliquem de bellis Domini, qui deperditus est, ut alii multi, nempe liber Justi, & Commentarius Iddo, & Chronica Regum Israël, & libri Salomonis. At si illud בספר ob pathac sub Beth notum aliquem librum designet (quod tamen non adeò firmum videtur) quomodò tamen inde sequatur anno demùm quadragesimo hoc dictum fuisse, non intelligo. † Illud fortè ex eo potius colligi posset, quòd in auribus Josuæ Moses hoc recitare jussus est, quasi jam Josua successor Mosis constitutus fuerit: Id sensisse videtur R. Sal. cujus ad illud, ושים באזני יהושע *Et pone in auribus Josua*, hæc est nota, כאן נרמז לו למשה שיהושע מכניס את ישראל לארץ *Hic subindicatur Mosi Josuam Israëlitas in terram (Canaan) introducturum.*

15. יְהוָה נִסִּי *Jehova Nissi*, i. *Dominus vexillum meum*] Lxx. κύριος καταφυγή μου, *Dominus refugium meum.* Vulg. *Dominus exultatio mea.* Sed in margine pro *exultatio* est *exal-*

* *Vide Num. 33.*

* *Per filias istic rami arboris intelligi videntur. Vide Annotat. ad loc.* † *Vide Num. 27. 15, &c.*

in margine pro *exultatio* est *exaltatio*, quæ lectio proculdubio est sincerior, cum נס *Nes* sit *signum*, *vexillum*, nempe quod exaltare & in altum tolli solet, à נסס *Nasas*, quod elevare & exaltare significat. Onk. sic explicat, ופלח עלוהי קדם יי די עבד ליה נסין *Et cultum exhibuit super illud coram Domino, qui fecerat ei signa sive miracula.* Similiter R. Sal. הק״בה עשה לנו כאן נס *Deus sanctus benedictus fecit hic nobis signum* seu *miraculum*. נס *Nes* Chaldaicè sæpè pro miraculo usurpatur, sed in textu Biblico, istam significationem (quod sciam) nusquam habet; sed plerumque vexillum denotat. Addit autem R. Sal. hunc locum non ita intelligendum esse, ac si nomen Jehova attributum esset altari, sed nomine isto altari imposito significatum fuisse, Dominum miraculum istud fecisse. Abenezra putat nomen מזבח i. *altare* esse repetendum; ut sensus sit, ויבן משה מזבח ויקרא שמו מזבח יהוה נסי *Et ædificavit Moses altare, & vocavit nomen ejus, Altare Jehovæ vexilli mei*, seu *qui est vexillum meum*. Sic nonnulli intelligunt illud Gen. 33. 20. ubi Jacob altare ædificasse dicitur atque appellasse, אל אלהי ישראל *El Elohe Israel*, i. e. *Deus, Deus Israel*; sic inquam, nonnulli exponunt, *& vocavit illud, Altare Dei, Dei Israelis.* Abenezra autem ad istum locum putat simpliciter altare appellatum fuisse *El Elohe Israel*, ac similiter ibidem interpretatur hunc locum, nec non & istum Ezek. 48. 35. *Et nomen urbis a die illo erit, Jehova Shamma*, i. e. *Dominus istic.* Quin & mox ad cap. 18. 3. ait se existimare ipsum altare appellatum esse *Jehova Nissi*, quemadmodum vir quidam dictus est, *Tsurishaddai*, h. e. *Rupes mea Omnipotens.* Mihi (ut ad Gen. 33. 20. annotavi) simplicissimè exponi videtur, *Jehova Nissi*, i. e. *Dominus (est) vexillum meum.* Et *El Elohe Israel*, i. e. *Deus* (sive *Deus fortis*, id quod *El* propriè denotat) *est Deus Israëlis.* Et *Jehova Shamma*, i. e. *Dominus est illic.* Hac nimirùm altaris appellatione indicare voluit Moses, palamque professus est, Dominum populi sui vexillum esse: atque ad istum modum alteros etiam locos, huic non absimiles, intelligendos censeo.

16. ויאמר כי־יד על־כס יה *Et dixit, Nam manus super solium Domini*] Lxx. ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ, &c. *quoniam manu occultâ Dominus pugnat contra Amalec, &c.* Videntur pro * כס יה legisse כסיה, Vulg. *Quia manus solius Domini*; sed in margine pro *solius* ponitur *solii*, atque ita prorsus legendum. Nam כס per apocopen pro כסא thronum, solium, sedem significat. Steuchus notat verba Lxx. Interpretum nihil cum Hebræis convenire; sed nec Hieronymum sensum attigisse, aut textum depravatum esse, ut desit *super*, dicendumque sit, *quia manus super solium Domini*, aut aliquid ejusmodi. Amama observat vetustos codices legere *solius Domini*, atque ita à Lyra, Cajetano, Steucho, & Joanne Benedicto hunc textum citari; optimè autem Sixtum V. & Clementem 8. correxisse *solii*; quanquam ne sic quidem Ebræam veritatem esse expressam, ipsis Pontificiis Judicibus; Ebræa enim sic ad verbum habere, *quia manus super thronum Jah*. i. e. Domini, *bellum Domino contra Amalek, &c. Ubi manifestè* (inquit) *ceremonia vel gestus jurandi innuitur.* Sanè juramentum hisce verbis innui Hebræi omnes (quos legi) consentiunt. Onk. בשבועא אמירא דא כן קדם דחילא דשכינתיה על כורסיה יקרא *per juramentum dictum est hoc coram (Deo) timendo, cujus majestas est super solium gloriæ.* Hierosol. שבועה נפקת מתחות כורסי יקרא דריבון כל עלמא יי מלכא קדמאה *Juramentum egressum est è solio glorioso Domini totius mundi, Jehovæ, regis antiqui.* Jonathan, ארום קיים מימרא דיי בכורסי יקריה *Nam juravit verbum Domini per thronum gloriæ suæ.* Helvicus de Chald. Paraph. cap. 9. vertit, *decrevit verbum Domini, &c.* Sed קים etiam pro *jurare* usurpatur, atque ita hoc in loco interpretari oportet, ut cum ex aliorum Hebræorum expositionibus, tum ex iis verbis, *per thronum gloriæ suæ*, luculenter apparet. R. Sal. ידו של הק״בה הורמה לישבע בכסאו *Manus Dei sancti benedicti elevata est ad jurandum per thronum suum.* † Abenezra ait hoc intelligi debere juxta illud Deut. 32. v. 40. כי אשא אל שמים ידי *Nam attollo manum meam ad cælum*, i. e. juro: ac sensum esse, Deum posuisse manum suam super solium suum idque juramentum denotare. Addit autem R. Jesuam in hunc modum interpretari, *Et dixit, quòd manus valida erit ei, qui primò sedebit super thronum Israëlis*, nempe Sauli. Ut per thronum Jah sive Domini intelligatur thronus Israëlis, quemadmodum Salomon, quia sedit super thronum Israëlis, 1 Reg. 10. 9. propterea super thronum Domini sedisse dicitur, 1. Paral. 29. 23. Sed ista expositio nimis longè petita videtur. Mihi maximè arridet, ut jurantis gestus, uti vult Abenezra, verbis hisce significetur. Atque in eum sensum verba Vulgatæ versionis exponi posse censet ‡ Serarius, *manus solii Domini*, hoc est, ut ille interpretatur, *Est Dei manus in solio ad jurandum collocata.*

* *Quia* כס *contractè ponitur pro* כסא *&* יה *videtur contractum esse pro* יהוה, *ideo R. Sal. more suo argutatur, Deum nec solium suum nec enim perfectum reputasse, usque dum deletus esset Amalek.* † *Pirke Eliezer cap.* 44. Extendit dextram suam, & apprehendit thronum gloriæ, atque juravit, &c. Hinc dicitur, quia manus supra thronum Jah, &c.

‡ Serar in Jos. lib. 1. quæst. 25.

I D E M.

3. E*T sitivit populus illic* למים *propter aquas.*] Sic rectè vertit Pagninus. Vatablus minùs rectè dicit ad verbum esse, *ab aquis*. Vulg. *Præ aquæ penuriâ*, sensu non malè expresso. Lxx. ὕδατι, quod Latinè vertitur, *propter aquam.* Sic cap. 18. vers. 14. לעם ipse Vatablus exponit, *propter populum*, *sive populi causâ.*

I D E M.

5. T*ransi coram populo, &c.*] Ait hoc ideo Deum Mosi dixisse, quod Moses dixisset, propè fuisse, ut eum lapidarent; Q. D. *Ne istud metuas, sed prinsquam eis potum dederis, nunc cum maximè fervet sitis, ac murmur eorum; transi coram eis, & videbis fore, ut nemo te ullo damno afficiat.*

6. *Et percuties petram*, &c.] Refert Doctores dicere, petram hic memoratam esse eam quæ erat in Kadesh, ac una cum Israëlitis ivisse, quamdiu erant in deserto, sed moriente Miriam fontem fuisse absconditum. Hoc autem non ita intelligendum ait, ac si ex doctorum sententia hæc petra non esset diversa ab illa, quæ erat in Kadesh, sed id eos voluisse, Israëlitis ab hoc tempore nunquam defuisse aquam donec venerunt in Kadesh, nec postea quamdiu erant in deserto, ac propterea petram illam, quæ erat in Kadesh, dici eandem cum ea, cujus hic fit mentio, quia erat fons miraculosus, qui comitabatur Israëlitas, quamdiu in deserto fuerunt ובזה הדרך היה הסלע הוא עצמו הצור ר״ל שפיכי הסלע היו אותם שיצאו מן הצור כי היה באר נסי הולך עמהם כל ימי המדבר Nescio an hæc lucem aliquam afferre possint verbis Apostoli 1 Corinth. 10. 4. ubi de petra Israëlitas sequente loquitur.

8. *Tunc venit Amalek*, &c.] Probat id quòd in Midrash dicitur, nempe hoc ideo Israëlitis accidisse, quod cum Mose contendissent, & Dominum tentassent.

9. *Elige nobis viros*, &c.] id est (inquit) *viros justos & bonos, ne operum suorum iniquitate in bello impingant, & corruant.*

Stabo in vertice collis] Probat rationem à R. Levi Ben Gersom allatam, nempe Mosen ibi stetisse, ut Israëlitæ eum in loco edito, ac aperto orantem aspicerent; atque ita intelligerent oratione ejus factum esse, ut victoriam consequerentur. Addit insuper, & alias rationes; nempe hac ratione factum esse, ut Israëlitæ, cum suam ipsorum pravitatem, qui cum Mose contendebant, tum Mosis bonitatem, qui pro ipsis orabat, perspectam haberent, quin & Mosen hoc fecisse, ut Josuæ ac militibus ejus aspectu suo animos adderet.

12. *Et fuerunt manus ejus* אמונה *firmæ*, vel *stabiles*] Notat vocem אמונה rem firmam ac stabilem denotare קים ותקיף יקרא בשם אמונה, ut Isai. 22. 23. ותקעתיו יתד במקום נאמן *Et figam eum* (veluti) *clavum in loco stabili.*

C A P. XVIII.

M U N S T E R U S.

7. I*Nterrogavit alter alterum de pace*] h. e. de vitæ salute atque valetudine.

11. *Quâ insolenter egerunt*] h. e. Remensus est illis eâ mensurâ quâ ipsi mensi fuerunt Israëlitis. Submerserunt parvulos Israël in aqua, & ipsi quoque in aquis perierunt. Sic enim exponit hunc locum A. S. Cui consentit Onkelos, qui sic vertit, *Quoniam in re quâ cogitaverant Ægyptii judicare Israel, in ea judicavit eos Deus.* Alii sic exponunt, *Propterea quod superbè egerunt contra eos, voluit quoque Deus se magnificum ostendere contra Ægyptios.*

15. *Ut consultet Deum*] Onkelos, *ut inquirat instructionem à Deo.*

18. *Lassitudine fatigaris*] Habet Hebræus textus propriè, *marcescendo marcesces*, vel, *deficiendo deficies*; licet Hebræi communiter post Chaldæum interpretem exponant verbum נבל per טרח, *fatigari.* R. S. exponit כמוש, quod significat *pallescere & virorem amittere in morem arborum, cum nimio percutiuntur frigore vel æstu.* Idem sentit A. E.

19. *Respectu Dei*] Sapiens Abraham exponit dictionem מול per מאצת השם, *à parte Dei.*

21. *Viros potentes*] R. S. *interpretatur viros divites & constantes, qui in judicio nec minis nec muneribus à recto deflecti possunt.* A. E. verò exponit אנשי חיל pro *viris robustis & duris, qui laborem sufferre possunt.* ¶ *Tribunos, centuriones*] Hebraica habet, *principes millium, principes centum*, &c.

F A G I U S.

1. *Jithro princeps Midian*] Annotavit hîc R. S. socero Mosis septem fuisse nomina, *Reguel*, *Jather*, *Jithro*, *Hobab*, *Hafer*, *Keni*, & *Putiel*, &c.

2. *Remiserat eam*] Sed ubi remiserat eam? Respondent plerique Hebræorum, Ex diversorio scilicet, quando Dominus Mosi iratus ipsum interficere volebat. Ex eo inquiunt facto, cùm Moses uxorem suam unà cum liberis sibi cùm impedimento in expediendo injuncto à Deo munere, tum damno & periculo esse animadverteret, remisit eos ad socerum suum in Midian. Atque hæc omnino probabiliter dicuntur ab Hebræis. Sunt tamen qui אחר שלוחיה, quod in textu Hebraico habetur, exponunt etiam, *post munera ejus*, h. e. postquam misisset ei munera: nam vox Hebræa שלוחים aliquando & *munera* significat. Atque hi putant Mosen, postquam populum ex Ægypto eduxit, & jam in deserto esset, uxori & liberis suis munera misisse, quò socer suus Jithro princeps Midian eos sibi rursum eò faciliùs adduceret. Verùm Paraph. noster Chald. adstipulatur priori sententiæ. Nam habet בתר דשלחה, i. *postquam dimiserat*, sive *remiserat, eam.* Quæ sententia etiam magis probatur R. D. K. qui eam in Rad. suis sic interpretatur, אחר ששלחה ושבה לבית אביה, *Postquam dimissa & reversa fuerat in domum patris sui.* Sed placet hic etiam referre quæ R. S. in hunc locum habet; כשאמר לו הקב״ה במדין לך שוב מצרים ויקח משה את אשתו ואת בניו וגו׳ ויצא אהרן לקראתו ויפגשהו בהר האלהים אמר לו מי הם הללו אמר לו זו אשתי שנשאתי במדין ואלו בני אמר לו והיכן אתה מוליכן אמר לו למצרים אמר לו על הראשונים אנו מצטערים ואתה בא להוסיף עליהם אמר לה לכי לבית אביך נטלה שני בניה והלכה לה, *Postquam dixit ad eum Deus in Midian, Vade revertere in Ægyptum, accepit Moses uxorem suam, & filios suos, &c. Egressusque est Aharon obviam ei, & occurrit ei in monte Dei, ac dixit ad eum, Qui sunt illi? Respondit ei, Hæc est uxor mea quam duxi in Midian; & isti sunt filii mei. Dixit ad eum, Et quo tu ducis eos? Respondit ei, In Ægyptum. Dixit ei, Nos propter eos qui prius in ea sunt angustias patimur, & tu venis ut addas illis? Quo audito, dixit ad eam; scilicet uxorem suam, Redi ergò in domum patris tui; quæ tollens duos filios suos, abiit.* Hæc ille.

7. *Interrogavissent se mutuò de pace*] Hebraismus est, pro, *Interrogavissent se mutuò, quinam valerent.* Quidam vertunt, *Bene precati essent alter alteri.* Complutensis legit, *Et salutaverunt se mutuo pacificé.*

11. *Quâ enim re cogitaverunt Ægyptii*] Vult dicere, Quemadmodum ipsi pueros Hebræorum aquis submerserunt, sic quoque & ipsi aquis submersi ac suffocati sunt, Deo scilicet eâdem mensurâ remetiente illis quâ ipsi mensi fuerant filiis Israël. In Hebræo hæc sententia breviter & concisè effertur, sic, כי בדבר אשר זדו עליהם, *Quoniam eâdem re qua superbè agebant in eos*, sub. *perdidit eos.*

12. *Coram Domino*] i. non longè ab eo loco ubi Deum consulebant, ante tabernaculum scilicet fœderis, non longè à tabernaculo Moysi. Nam tabernaculum Moysi erat juxta tabernaculum fœderis. Hæc autem dicuntur per anticipationem, quia nondum erat tabernaculum fœderis. Alii *coram Domino* dici sentiunt propter sanctos, pios & divinos homines qui in isto convivio præsentes fuerint, juxta illam veterum Sapientum sententiam, הנהנה מסעודה שתלמידי חכמים מסובין בה כאילו נהנה מזיו שכינה; *Qui fruitur convivio in quo sapientes accumbunt, perinde est ac si fruatur gloriâ Divinæ majestatis.* Alii exponunt, *coram Domino*, i. in honorem Domini. Vel, *coram Domino*; i. tantâ vitæ sanctimoniâ & pietate quasi in conspectu Dei epulati fuerint.

21. *Viros fortes*, &c.] Vox Heb. חיל *Chail*, quia æquivoca est ad multa significata, ad *robur corporis*, *animi*, ad *exercitum*, *multitudinem populi*, & ad *divitias* ac *opulentiam*, ideo & in diverso sensu ab authoribus hic accipitur. Alii enim per *viros fortes* hic intelligunt robustos & duros, qui labores ferre possunt; alii, eos qui sapientiam & peritiam habent regendi multitudinem, q. d. viros cordatos & strenuos, qui digni sunt ut exercitui, i. multis, præficiantur. Alii, divites & opulentos intelligunt, qui in judicio nec minis nec muneribus deflecti possunt. Et hanc sententiam sequitur R. S. qui ità explicat, אנשי חיל עשירים שאין צריכים להחניף ולהכיר פנים, *Viri fortes, sunt divites, quibus non est necesse ut adulentur & accipiant personas.*

I D E M.

2. ויקח יתרו חתן משה את צפרה אשת משה אחר שלוחיה *Tulit igitur Jithro socer Mosi Zipporam uxorem Mosi, postquam dimiserat eam,*] Vulgatus Interpres omisit illud *Socer Mosis*: deinde variatio est apud Commentatores in illo אחר שלוחיה, *postquam remiserat eam.* Sentiunt enim etiam quidam Hebræorum remisisse eam unà cum liberis ex diversorio, in quo Dominus illi in Ægyptum proficiscenti occurrerat, volens eum interficere. Quod alii factum autumant propter infantem circumcisum. Alii quòd uxorem & liberos ad iter secum accepisset, qui sibi in sua vocatione impedimento esse poterant: Vide supra cap. 4. & Biblia quoque Chaldaica. Sunt propterea qui אחר שלוחיה *post munera ejus* exponunt, h. e. postquam misisset ei munera. (*Vide supra*)

11. כי בדבר אשר זדו עליהם *Quoniam in re quâ insolenter egerunt contra illos (perierunt)*] Locus iste in Hebræo admodum concisè dicitur, & non videtur integra esse sententia nisi aliquid addatur: sic enim ad verbum legitur, *quoniam re, quâ superbè* (sive *temere*) *egerunt contra eos*, sub. *perdidit eos*, h. e. ut Hebræi explicant, quemadmodum ipsi pueros Hebræorum aquis submerserunt, sic quoque & ipsi aquis submersi & suffocati sunt; Deo scilicet eâdem mensurâ illis remetiente quâ ipsi mensi fuerant filiis Israel.

18. נבל תבל גם אתה גם העם הזה *Lassitudine fatigaberis, tam tu, quam populus iste,*] Variatio est in verbo Hebraico נבל, quod Vulg. interpres pro *stulto labore consumi* transtulit, quasi sit verbum deductum à nomine נבל quod *stultum* significat, & verbaliter *stultè agere.* Hujus verbi in hac significatione usus est: primò, Sam. 25. ubi Abigail dicit ad David, *Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quia secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo*; ubi Hebraicè est כי כשמו כן הוא נבל שמו ונבלה עמו Aliquando significat hoc verbum Hebræis *marcescere*, *languescere*, *deficere*, sive *pallescere*, *instar arborum cùm amittunt virorem*, affectæ videlicet vel nimio frigore vel æstu, ut Psal. 1. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet*, &c. ibi Hebraicè est, ועלהו לא יבול *& folium ejus non marcescet.* Et in hac significatione fere omnes Hebræorum interpretes hic accipiunt; innuit enim Jethro, quòd si istâ ratione Moses pergere velit, futurum ut non diu agat, sed languescat, concidat ac planè deficiat. Paraph. Chaldæus per *defatigari* reddidit, sed quacunque significatione accipias; sensus quadrat, & omnia ferè in idem recidunt.

21. ואתה תחזה מכל העם אנשי חיל *Providebis quoque ex omni populo viros potentes*, &c.] Hunc locum adducere placuit propter vocem Hebraicam חיל, quæ quia Hebræis æquivoca est ad multa significata, diversimodè à Commentatorib. exponitur: significat enim, *robur*, *potentiam*, *exercitum*, *divitias*, *constantiam*, & *strenuitatem.* Hinc est quòd אנשי חיל ferè vertunt *viros potentes*: potentiam autem illam alii referunt ad robur corporis, intelligentes viros robustos & patientes laborum. Alii ad robur & fortitudinem animi, quia scilicet non sint ignavi sed strenui in expediendis rebus; vel qui sint constantes ut non facilè sinant se moveri & terreri ut deflectant à vero & tramite justitiæ. Alii ad opulentiam, h. e. qui sunt divites, quique propter paupertatem, in judicio nec minis nec muneribus à recto deflectuntur. Alii ad prudentiam & sapientiam referunt, ut scilicet quis ità sapientia, consiliis & dono gubernandi alios valeat; ut exercitui, quem *Chail* etiam significat; h. e. hominum multitudini, prudenter præire possit.

23. אם את הדבר הזה תעשה וצוך אלהים ויכלת עמד *Si verbum hoc feceris & præceperit tibi Deus, poteris sustinere,*] Variatio est in illo *& præceperit tibi Deus*, &c. Hoc est, idque volente Deo, *poteris sufficere* huic labori. Vel, *& imperabit tibi Dominus*, h. e. tum tibi Deus præcipiet quæ populo relaturus sis. Alium sensum secuti sunt Lxx. & Vulg. interpres.

VA-

VATABLUS.

1. I*Thro*, [illegible]] Hic quintò partiuntur Hebræi librum istum, appellantes eam partem, יתרו· ¶ *Sacerdos*, כהן] Vide supra, c. 2. 16.

2. *Post dimissionem ejus*. אחר שלוחיה] *Postquam remiserat eam*, sub. *ex diversorio in domum paternam*, *quando Dominus Mosi iratus*, *interficere eum voluit*. supra c. 4. 25. ità doctus inter Hebræos. Alii, *post dona ejus*, i. posteaquam multa dona misisset Mosi viro suo: vel, postquam Moses misisset ei munera. Putant enim quidam Hebræorum, Mosen, postquam populum ex Ægypto eduxisset, & jam in deserto esset, uxori & liberis suis munera misisse, quò socer suus Jethro princeps Madian eos sibi rursum eò faciliùs adduceret.

3. *Filios ejus*. בניה] Nempe Sephoræ.

5. *Ad montem Dei*. הר האלהים] i. in quo Deus miranda opera designavit. Chald. paraph. *ad montem super quo revelavit se gloria Domini.*

6. *Et dixit ad Moscheh*, ויאמר אל משה] i. significavit adventum suum per nuntios.

7. *Et incurvavit se*, וישתחו] *& adoravit*, i. reverentiæ causâ caput in terram demisit. ¶ *Et interrogaverunt*, &c. וישאלו וגו'] Hebraismus, interrogaverunt se mutuò de sanitate, quomodo valerent. Quidam vertunt, *bene precati sunt alter alteri*. Alii, *salutaverunt se mutuò pacificè*, i. verbis pacificis.

8. *Laborem qui invenisset eos*, התלאה אשר מצאתם] *molestiam quæ invenerat eos*, Hebraismus, molestiam quam sustinuissent & passi fuissent.

11. *Quia eâdem re*, &c. כי בדבר וגו'] Concisa est oratio, unde subaudiendum fuit, *perdidit eos*, aut aliquid simile. Chald. paraph. *Quâ enim re cogitaverunt Ægyptii judicare Israelem*, *eâdem ipsi judicati sunt*: acsi dicat, Quemadmodum ipsi pueros Hebræorum aquis submerserunt, sic quoque & ipsi aquis submersi ac suffocati sunt; Deo scilicet eâdem mensurâ remetiente illis quâ ipsi mensi fuerant filiis Israel.

12. *Deo*, לאלהים] i. quas offerret Deo. ¶ *Ad comedendum panem*, לאכל לחם] i. ut convivium agerent, & epularentur. ¶ *Coram Deo*. לפני האלהים] h. e. non longè ab eo loco ubi Deum consulebant: ante tabernaculum scilicet fœderis, non longè à tabernaculo Mosis. Nam tabernaculum Mosis erat juxta tabernaculum fœderis. Hæc autem dicuntur per anticipationem: quia nondum erat tabernaculum fœderis. Alii, *Coram Deo*, pro, *In honorem Dei*; vel, *Coram Deo*, i. tantâ vitæ sanctimoniâ & pietate quasi in conspectu Dei epulati fuerint.

13. *Postero die*, ממחרת] Ad verb. *in crastinum*. מ pro ב hic positum est: postero die, adventûs scilicet Jethro. Vide Deut. 1. 9. ubi Moses dicit se fuisse conquestum de onere. Simúlque docet quales debeant esse præfecti populi.

14. *Quæcunque ipse* &c. את כל אשר וגו'] i. summum illum laborem quem sustinebat propter populum. ¶ *Populo*, לעם] i. propter populum, sive populi causâ.

15. *Ad quærendum Deum*; לדרש אלהים] *Ut consulat Deum*; vel, *requiras sententiam Dei*. Chald. paraph. *ut quærat doctrinam à facie Domini.*

16. *Notáque facio*, והודעתי] *Doceóque*; vel, *atque indico.*

17. *Non est bonum*, &c. לא טוב וגו'] Ad verb. *Non bona est res quam tu facis*: i. non rectè facis.

18. *Succumbendo succumbes*, נבל תבל] *Deficiendo deficies*, i. Proculdubio deficies. Alii, *Defluendo defines*: aut, *Concidendo concides*, i. omnino aut certissimè sub hoc onere cades. ¶ *Supra vires tuas est*, כבד ממך] Ad verb. *gravior est te*. ¶ *Facere eam*, עשהו] *satisfacere illi.*

19. *Et erit Deus tecum*, ויהי אלהים עמך] i. tibi feret opem. ¶ *Et refer res*, &c והבאת אתה את הדברים] Chald. paraph. præcedentem hujus versûs partem cum ista sic vertit, *Esto tu populo quærens doctrinam à facie Domini*, *atque refer causas eorum coram Domino*. Ad verb. legitur, *& venire fac tu verba ad Deum*. Exponit quod dixerat, *Esto populo coram Deo*: propterea vertendum esset, *tu inquam refer res* [i. controversias] *ad Deum*. q. d. res arduas & difficiles refer ad Deum, & ab illo pete consilium pro populo, ut dixisti te facere, paulò antè, v. 15. & 16. Moses enim erat mediator & sequester inter Deum & homines; non autem in sacrificando, quòd sacerdotum erat officium.

20. *Et doce*, והזהרתה] Fut. Heb. pro Imperat. ¶ *Et opus*, ואת המעשה] Sing. Heb. pro plur. *opera quæ facturi sint.*

21. *Fortes*, חיל] Ad verb. *virtutis*, h. e. strenuos, fortes, magnanimos, qui sint ferendo tanto oneri, patientes laboris. Quidam interpretantur, *viros divites & constantes*, qui in judicio nec minis nec muneribus à recto deflecti possint. ¶ *Et præfice illis*, ושמת עלהם] Ad verb. *& pones super illos*, i. super populum, ut paulo pòst, v. 25. ¶ *Et decanos*, ושרי עשרת] *Decarchos*. Ad verb. *& principes super decem.*

22. *Omnem verò rem*, והיה כל הדבר] Ad verb. *& erit*, *omnem rem*. ¶ *Atque ità leviorem*, &c. והקל וגו'] Infinit. Heb. pro fut. *& ad alleviandum desuper te*, *& ferent tecum*, i. hoc modo alleviabunt tibi sarcinam, quando tecum illam ferent.

23. *Et præceperit tibi Deus*, *poteris stare*, וצוך אלהים ויכלת עמד] i. idque mandato Dei, poteris sufficere huic labori. ¶ *Revertetur*, &c. על מקמו וגו'] Ad verb. *ad locum suum ibit in pace*, i. revertentur ad domos suas in summa tranquillitate, compositis rixis ac litibus.

25. *Fortes*, חיל] Vide v. 21. ¶ *Ac decanos*. ושרי עשרת] Ad verb. *& principes super decem*, ut suprà v. 21.

26. *Ardua*, הדבר הקשה] *Negotium difficile*, *causas difficiles.*

27. *Dimisit autem*, וישלח] i. honoris causâ aliquousque deduxit abeuntem. ¶ *Et abiit*, וילך לו] Ad verb. *& abiit sibi*. Redundat *sibi.*

CLARIUS.

7. S*Alutaverunt se mutuò verbis pacificis*] Heb. *interrogavit quisque alterum de pace*, h. e. de vitæ salute atque valetudine.

11. *Eò quòd superbè egerint contra eos*] Vel, *eò quòd in re quâ superbe & insolenter egerant contra eos*, *Deus illis rependerit*. Submerserant enim parvulos Israel in aqua, & ipsi quoque aquis perierunt. Sic enim exponunt quidam Hebræi.

21. *Viros potentes*] Quidam Hebræorum interpretantur, *viros divites & constantes*, qui in judicio nec minis nec muneribus à recto deflecti possint. Alii, *viros robustos & duros*, qui laborem sufferre possint.

DRUSIUS.

1. חתן· Sym. πενθερός. A. νυμφευτή.

2. אחר שלוחיה] Schol. ἐξ ἀποστολῆς, *à dimissione*. Vult dicere, μετὰ τὴν ἀποστολὴν αὐτῆς, *post dimissionem ejus*, sive, *postquam dimisisset eam.*

5. ויבא יתרו חתן משה· A. καὶ ἦλθεν Ιεθρὼ νυμφευτὴ Μωυσῆ. Quod in Edit. Rom. *Et venit Jethro nupta Mosis*. Sym ἦλθεν οὖν Ιοθὸρ ὁ πενθερὸς Μωυσῆ. *Venit ergò Jothor socer Mosi*. Νυμφευτή. Suspicor Aquilam scripsisse νυμφευτής, vel certè νυμφευτήρ. Illud idem cum παρανυμφίος, qui sponsam deducebat ad domum sponsi: quod fiebat & à socero: unde hic pro *socero* usurpatur. ¶ Ιοθόρ. Idem cum *Jethro*, qui & *Raguel*. Suprà cap. 2. πρὸς Ραγουήλ. Schol. Ιοθόρ. Sunt qui tradunt Raguel fuisse patrem Jethro. Locum autem illum, *ad Raguel patrem suum*, ità interpretantur ut dicant *patrem* ibi pro *avo* usurpari. Sic sanè *filius* aliquando pro *nepote* ponitur. ¶ Πενθερός, *socer*. Idem γαμβρός, quod in editione τῶν ό. Hieron. *cognatus Moysi*. Oncel. חמוהי *socer ejus*. Sic etiam Jon.

11. זדו· Alius, ὑπερηφανεύσαντο] Hieron. *superbè egerint*: sic etiam Santes. Arias; *superbierunt.*

20. והזהרתה· A. διαστελῇ, *mandabis*, aut *patefacies*] Hieron. *ostendes*. Alii, *movebis.*

21. יראי אלהים· Schol. οἱ λοιποὶ, φοβουμένους τὸν Θεὸν, *timentes Deum*] Οἱ λοιποί. A. Sym. Th. ¶ שנאי בצע· Alius, μισοῦντας πλεονεξίαν, *odio habentes avaritiam*. Πλεονεξία propriè *cupiditas plus habendi aliis*. Usi sunt hâc voce in declaratione τοῦ בצע & Lxx. Jud. 5. 19. Psal. 119. 30. Hab. 2. 9. & alibi. Hieron. ferè *avaritiam* reddit.

22. ונשאו אתך· Sym. & Th. καὶ συμβαστάσουσίν σοι, *unà tecum portabunt*] Videlicet ut bajuli onera solent. Nam hoc propriè βαστάζω significat.

26. הדבר הקשה· A & Sym. σκληρόν. Th. τὸ δυσχερές. Schol. τὸ μέγα] Σκληρόν, *durum*. Δυσχερὲς, *arduum*. Τὸ μέγα, הגדל· Quod habet suprà v. 22.

NOTÆ MAJORES.

1. A*Udivit autem Jethro sacerdos Madian socer Mosis omnia quæ fecerat Deus Mosi*, *& Israeli populo suo*, *quod eduxisset DOMINUS Israelem ex Ægypto.*

2. *Accepitque Jethro socer Moses Sepphoram uxorem Mosis post dimissiones ejus.*

Audiens autem Jethro] Quæritur utrum ante an post datam legem Jethro ad Mosen venerit? Priorem sententiam tuetur ex Ebræis R. Saadia, & ex nostris Nicolaus, ad quem te adire volo. *Cum enim*, inquit, *mons Sinai non longe abesset a terrâ Madian, ut patet ex capite 3. hujus libri, non est credibile aut verisimile socerum audita magnificentia generi per annum tardasse venire ad ipsum.* Posteriorem defendit Abenezra scribens eum venisse primum anno secundo post latam legem. Quod probat primum ex verbis illis, quæ habentur vers. 12. *Obtulit ergo Jethro socer Mosis holocausta & hostias Deo.* Deinde quia non legimus Mosen extruxisse novum altare. Postremo quia scriptum vers. 16. *Nota facio præcepta Dei & leges ejus.* ¶ *Jethro*] R. Salomo, *Septem nomina habuit, Raguel, Jether, Jethro, Hobab, Heber, Cinæus, Phutiel. Jether vocatur quia tanta dignitate fuit ut Sectio de eo extet in lege. Jethro autem dictus est postquam proselytus factus est: tunc honoris causâ addita ejus nomini littera. Hobab, quia dilexit legem. Hobab autem & Jethro eundem esse liquet ex illo, E filiis Hobab soceri Mosis. Sunt qui dicant Raguel fuisse patrem Jethro. Quod autem dicitur, & venerunt ad Raguel patrem suum, solent pueri avum suum etiam patrem vocare.* Hactenus R. Salomo. ¶ *Sacerdos Madian*] Id est summus sacerdos aut pontifex quem vocant הכהן הגדול sacerdotem magnum. Sic Act. 5. ἱερεὺς vocatur, qui mox ἀρχιερεὺς. Forte idem princeps erat regionis. Certe Onkelos habet רבא דמדין i. princeps Madian: & Jonathan אנוס מדין tyrannus Madian. Talis erat Melchisedec rex Salem, sed & ethnarchæ Judæorum simul pontificatu fungebantur. Plura de hac voce Exod. 2. 16. ¶ *Socer Mosis*] Hiero. *cognatus Moysi*: Lxx. ὁ γαμβρὸς Μωυσῆ Sym. πενθερός. A. νυμφευτὴς: nisi leg. νυμφευτὴς aut νυμφευτήρ. Cognatus i. affinis, & νυμφευτὴρ sponsus. Sed hic pro socero accipitur. Nam socer filiam deducebat ad domum sponsi, id est, νυμφευτὴς sive παράνυμφος erat. ¶ *Mosi & Israeli populo suo*] Vel *propter Mosen & Israelem populum suum.* ¶ *Populo suo*] Vel, *Populo ejus*, ut pronomen ad Mosen referatur. Ita Santes vertit. ¶ *Deus*] *Elohim, qui notus erat ante Mosen, quem omnes confitebantur.* Aben. ¶ *DOMINUS*] Tetragrammaton, qui & Deus Ebræorum & Deus Mosis vocatur. ¶ *Post dimisiones ejus*] Postquam eam ex itinere domum remisisset. Quidam, *post missilia ejus.* Vult dicere, postquam misisset munera ad Mosen. Alii, *post donationes ejus*, passive, ut dicat, postquam dona & munera a patre vel à Mose accepisset. Hiero. *quam remiserat* אחר שלוחיה Lxx. μετὰ τὴν ἄφεσιν αὐτῆς. Onkelos, בתר תרכותה postquam dimiserat eam. Jonathan, *Postquam remiserat eam à se, quando ibat in Ægyptum.* Abenezra, *postquam fecisset ei licentiam ex diversorio abeundi domum, cum ipse solus rediret in Ægyptum. Et sunt qui exponant, postquam misisset munera ad ipsum.* Nam munera שלוחים vocantur. Vide Fagium ad hunc locum. Sed & Jarium. R. Levi, *postquam remiserat eam domum, quum esset ipsa in diversorio & coacta fuisset circumcidere filium suum, & morari ibi: tunc dixit ei ut rediret ad domum patris sui cum filio suo, nam non poterat illi moram trahere aut expectare dum sanatus esset puer.* R. David, *post dona ejus, vel postquam dimisisset eam & reversa esset in domum paternam.*

3. *Et duos filios ejus, quorum unius nomen Gersom: dixerat enim, Advena fui in terrâ alienâ.*

4. *Et nomen alterius Eliezer, Deus enim, inquit, patris mei auxilio mihi fuit & eruit me e gladio Pharaonis.*

Duos filios ejus] Τοὺς δύο υἱοὺς αὐτῆς, nempe Sepphoræ. ¶ *Gersom*] antiquitas lectionis γηρσάμ i. Gersam. Id sonat *advena ibi*, videlicet in terra aliena. Idem Gersom, quanquam a in o versa. Magis mirum, quod Moses Cain deducit a קנה acquisivit, & Noe a נחם consolatus est. Aliquando litteræ transponuntur, ut in יעבץ qui sic appellatus quod mater eum peperisset בעצב cum dolore. Etiam vocales permutantur Nun & Non. Sic Samuel, de sententia Abenezræ, dictus quasi שם אל posuit eum Deus. Posuit i. dedit. Nam mater eum petierat: unde dicit, שאלתיו postulavi eum. Interdum etiam litteræ eliduntur ישב & מיכא i. Jasub, Micha & Maacha. Vide Aben. ¶ *In terrâ aliena*] Jonathan addit, *non mea.* Innuit autem terram Madian, non Ægyptum, ut quidam existimant. ¶ *Alterius*] אחד unius i. secundi aut alterius i. שני · אחד · Sane Lxx. τῷ δευτέρῳ. Chaldæi eodem sensu usurpant חד · Hiero. *alter.* Abenezra, *Mos linguæ ut dicat modo* שני *secundi, modo* אחד *unius, eodem significatu, ut, nomen unius* בנתין *& nomen unius i. alterius* כלב · Vanum ergo quod Hiscuni notat, *Quamvis secundus fuerit, tamen de eo dicit* אחד *unius, propterea quod vocatus est a re, quæ prius accidit Mosi, & ob quam fugit ex Ægypto* &c. ¶ *Inquit*] Desideratur in fonte [illegible] repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus כי אמר [illegible] enim ¶ *Deus patris mei*] אלהי אבי. ¶ *Auxilio mihi fuit*] Ebraicè, *in auxilio meo*: & sub. *fuit.* Hiero. *adjutor meus.* An legit בעזרי? Sic alibi, DOMINUS *in sustentantibus animam meam* i. sustentator animæ meæ. Senes quoque βοηθός μου. ¶ *Eruit*] Eripuit, liberavit. ¶ *E gladio Pharaonis*] Qui quærebat occidere illum. Supra 2. 22. R. Salomo, *Quum revelasset Dathan & Abiram cædem Ægyptii, & Pharao quæreret occidere Mosen, facta est cervix ejus similis columnæ marmoreæ.* Logi. Traditio est apud Ebræos, Mosen cum decollandus esset, divinitus evasisse. Hoc quia de Scriptura non habet authoritatem, contemnendum est.

5. *Venitque Jethro socer Mosi, & filii ejus & uxor ejus ad Mosen in desertum, ubi ipse castrametabatur ad montem Dei.*

6. *Et dixit Mosi, Ego socer tuus Jethro venio ad te, & uxor tua & duo filii ejus cum illa.*

7. *Et egressus Moses obviam socero suo adoravit & osculatus est eum: cumque interrogassent alter alterum de pace, ingressi sunt tabernaculum.*

Venitque Jethro socer Mosi] Vide supra ¶ *Jothor*] i. יתר quod nunc legunt Jether. id est, יתר, si Ebræis credendum, etiam Rechab dicebatur. Sane Rechabitæ erant filii Jethro. Videndi sunt hoc loco Hiscuni & Abenezra. ¶ *Filii ejus*] Mosis. Nam pronomen in Ebræo masculinum est. ¶ *In desertum*] εἰς τὴν ἔρημον. ¶ *Ad montem Dei*] Repeti debet אל ad, ex præcedentibus. Hiero. *juxta montem Dei.* Lxx. εἰς ὄρος τοῦ θεοῦ, super montem Dei i. prope, juxta. Onkelos, *ad montem super quem revelata est gloria DOMINI.* Jonathan, *prope montem super quem patefacta fuit gloria DOMINI Mosi ab initio.* Ceterum in Ebræo non est Dictio (*ad*) unde quidam legunt, *ibi erat Mons DOMINI.* R. Levi, *Vult dicere, in desertum Sinai, ubi patefecit se ei Deus benedictus. Hinc liquet ista evenisse post datam Legem, quemadmodum scribit sapiens Abenezra.* Vide sequentia. Cajetanus, *Juxta Ebræum habetur, ibi mons Dei: Non ergo in Raphidim existente Mose venit socer ejus, sed postquam castrametatus est juxta montem Sinai. Expresse enim describitur locus castrorum juxta montem Dei, quem perspicuum est esse montem Sinai. Et quia Moses prænarrabat rem post gestam, ideo descripsit locum ne erraretur* &c. *Et hoc clarè patet ex Deut. 1. in quo Moyses refert, se instituisse subjunctos hic judices, postquam in monte Sinai Lex data est.* Lippomanus, *Parvi refert, quod Ebraice est, ibi mons Dei.* Aliter alii interpretes & melius, meo judicio. ¶ *Montem Dei*] Horeb supra 3. 1. ¶ *Dixit Mosi*] Per legatum aut epistolam. Hiero. *mandavit Moysi.* Lxx. ἀνηγγέλη δὲ Μωυσῇ λέγοντες nunciatum est Mosi, dicentes. Id sequentia infirmant. ¶ *Ego socer tuus Jethro*] Jonathan, *Ego socer tuus Jethro venio ad te ut fiam proselytus: quod si non recipis me propter me, recipias me propter uxorem tuam* &c. R. Salomo, *si tu non exis propter me, exi propter uxorem tuam, & si tu non exis propter uxorem tuam, exi propter duos filios ejus.* ¶ *Egressus obviam*] Honoris causâ exiit in occursum ejus. ¶ *Adoravit*] Pronus in faciem procidit more adorantium. Mos iste apud Orientales etiam civilis erat: unde Abraham legitur adorasse populum terræ. Si verum hoc, ut est verissimum, quid causæ esse dicemus, cur Mardochæus noluerit adorare Hamanem impium? Abenezra hic notat Mosen obviam prodiisse socero, non uxori aut filiis, *quia*, inquit, *non est moris, ut vir honoratior exeat in occursum uxoris aut filii.* ¶ *Osculatus est eum*] More congredientium. Supra 4. 27. *Occurrit ei in monte Dei & osculatus est eum.* Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Alter alterum*] Vir socium suum, est in Ebræo. ¶ *Cumque interrogassent de pace*] Ebra. *& interrogaverunt de pace.* Hiero. *salutaverunt se mutuo verbis pacificis.* Lxx. καὶ ἠσπάσαντο ἀλλήλους, salutaverunt se invicem. Quærere de pace alicujus, est eum salutare. Nam salutantes quærunt de bonâ valetudine, quæ hic pacis vocabulo significatur. Eadem locutio obvia Gen. 43. 25. interrogaverunt eos de pace i. qui valerent. Lxx. πῶς ἔχετε. Rursus Gen. 29. 6. *An pax ei est?* i. valet ne, ὑγιαίνει; Hiero. ad locum, *Pax huic domui*, *Occulte*, inquit, *salutationem Ebræi ac Syri sermonis expressit. Quod enim Græcè dicitur χαῖρε, & Latine Have, hoc Ebraico Syroque sermone dicitur Salom Lach sive Slam lach. i. pax tecum.* ¶ *In tabernaculum*] Mosis.

8. *Et narravit Moses socero suo omnia quæ fecerat DOMINUS Pharaoni & Ægyptiis propter Israelem, omnem mole-*

molestiam quæ invenit eos in viâ, unde eruit eos DOMINUS.

9. *Lætatusque est Jethro de omni bono, quod fecerat DOMINUS Israeli, quod eruisset eum è manu Ægyptiorum.*

Narravit] διηγήσατο. ¶ *Pharaoni & Ægyptiis*] Ut, *Mosi & Israeli.* Supra vers. 1. Simile, *e manu omnium hostium suorum & è manu Saulis.* Psal. 18. 1. Eodem pertinet, *dicite discipulis ejus & Petro*: item, *Universa Judæa & Jerusalem.* ¶ *Propter Israelem*] על אודת ישראל· Hiero. *Propter Israel.* Lxx. ἕνεκεν τοῦ Ισραήλ. Onkelos & Jonathan, על עסק ישראל ob negotium Israelis. Editio Gal. *pour l'amour d'Israel.* ¶ *Omnem molestiam quæ invenit eos*] Hiero. *omnem laborem qui accidisset eis.* Lxx. πάντα τὸν μόχθον τὸν γενόμενον αὐτοῖς. Lex. Vet. μόχθος, Lassitudo. Posses vertere, *omnem ærumnam.* Idem Lexicon, μοχθηρός, *ærumnosus.* On. & Jon. *omnem angustiam* i. עקתא. Abenezra, התלאה nomen est à verbo לאה, *& significat angustiam, quam qui suffert aut narrat, delassatur. Innuit autem persecutionem Ægyptiorum ad mare, & impressionem Amalec, & famem cœtus sitimque, è quibus omnibus liberavit eum DOMINUS.* Author Catenæ Patrum, *Dictionem* תלאה, *quæ proprie laborem sig. à verbo Laa, nonnulli hic verterunt molestiam. Nam idem verbum etiam molestè ferre sig. Chaldaica habet, tribulationem.* ¶ *Quæ invenit eos*] Quæ accidit eis. Ebraismus. Quale illud in historia Tobiæ, *invenerunt eam pericula multa.* Simile apud Minographum, *Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.* ¶ *Eruit*] Eripuit, liberavit. ¶ *In via*] In itinere. ¶ *Lætatusque est*] ויחד futurum à חדה lætor, gaudeo; unde חדוה gaudium. Verbum hoc Chaldæis in frequenti usu est. Id usurpant cum interpretantur Ebræum שמח gaudeo. Sane Onkelos hic habet וחדי· Jonathan וחדא & exultavit. Lxx. καὶ ἐξέστη, & obstupuit. In Medras Haggada exponitur, *facta est caro ejus* חדודין חדודין *præ angustia quæ ei fuit ex interitu Ægyptiorum.* Inepta interpretatio. Vide Jarium. ¶ *De omni bono*] *De bono Mannæ, & putei aquarum, & legis.* R. Salomo. ¶ *Quod eruisset eum*] Lætatus etiam est, quod eripuisset eum. ¶ *E manu*] è potestate, dominiove. ¶ *Ægyptiorum*] מצרים Ægypti. R. Salomo, *Huc usque non potuit servus evadere fugiens ex Ægypto, quæ terra clausa erat undique: nunc sexaginta Myriades inde exierunt.*

10. *Dixitque Jethro, Benedictus DOMINUS, qui eruit vos è manu Ægyptiorum & è manu Pharaonis, qui eruit populum hunc de sub manu Ægypti.*

11. *Nunc cognovi quod magnus sit DOMINUS supra omnes Deos, utique in re in qua superbè egerunt contra eos.*

Benedictus] εὐλογητὸς i. laudandus. ¶ *Vos*] Senes, aut alloquitur Mosen & Aharonem. ¶ *E manu Ægyptiorum &c.*] Ut, *è manu inimicorum ejus & è manu Saulis.* ¶ *Populum hunc*] העם τὸν λαὸν i. populum. Hiero. *populum suum.* ¶ *De sub manu Ægypti*] מתחת יד· Hiero. *de manu Ægypti* מיד. Onkelos & Jon. *de sub dominatu Ægytiorum.* Tremel. *à subjectione manus Ægyptiorum.* Vis in hoc sermone ut si diceret, *ab Ægyptiis, sub quorum potestate fuerant.* ¶ *DOMINUS*] Deus Ebræorum. ¶ *Supra omnes Deos*] Gentium. ¶ *Utique in re &c.*] כי בדבר אשר זדו עליהם· Hiero. *eò quod superbe egerint contra illos*, nempe Israelitas. זדו על· Lxx. ὅτι ἐπέθεντο αὐτοῖς. Id vertunt, *quod insectati sunt eos*: alii, *quod imposuerunt eis.* Alius, ὑπερηφανεύσαντο, superbierint. Onkelos, *quoniam ea re qua cogitarunt Ægyptii judicare Israelem, judicati sunt.* Judicare i. punire: &, *judicati sunt, puniti sunt*, nempe per aquam. Jonathan, *quia in re, in qua improbè Ægyptii cogitarunt judicare Israelem per aquam, super eos rediit judicium ut judicati sint per aquam.* R. Salomo, *Juxta Thargum, aqua cogitarunt perdere eos & ipsi perierunt aqua.* Idem זדו interpretatur הרשיעו improbè egerint: & addit, *Doctores nostri exposuerunt in significatione* זיד *& coxit, hac sententia, in ollâ quâ coxerunt, cocti sunt.* Abenezra בדבר interpretatur בעבור דבר *propter rem, quâ superbè egerunt Ægyptii contra Israelem.* R. Levi, *Ægyptii persecuti sunt Israelitas usque ad mare, ubi eos perdere cogitabant. Quid accidit? in illo ipso mari salus parta Israeli & ipsi perierunt.* Sententiam expressi non verba. Porro dissentit ab aliis interpretibus, qui hæc referunt ad infantes Ebræorum in flumen conjectos. Hiscuni, *Nunc cognovi quod magnus sit DOMINUS, quum ostenderit potentiam suam in re, in qua Ægyptii superbè egerunt contra Israelitas.* Tremel. *Nam ea ipsa re qua superbiunt superior illis est.* & in margine, *bifariam hæc exponi possunt: universè, Deum superiorem esse omnibus potestate præditis, & res ipsas de quibus gloriantur, pro arbitrio moderari: vel speciatim de historia Ægypti accipi, ut ex hypothesi ipsa eruatur thesis.* Sic etiam Galli. Fagius in Paraphrasin in Onkeli, *Vult dicere, quemadmodum ipsi pueros Ebræorum aquis submerserunt, sic quoque & ipsi aquis submersi ac suffocati sunt, Deo scil. eadem mensura remetiente illis, qua ipsi mensi fuerant filiis Israel. In Ebræo hæc sententia breviter & concise effertur sic, Quoniam eadem re quâ superbe agebant in eos. Sub. perdidit eos.* Lippomanus, *Quoniam in eadem re qua superbè agebant in eos sub. perdidit eos i. submersit Ægyptios persequentes Israelem, quemadmodum pueros Ebræorum ipsi præceperant submergere cum nascerentur. Alii reddunt, quoniam in re qua insolenter egerunt contra eos. sub. perierunt, hoc est submerserunt parvulos Israel in aqua & ipsi quoque in aqua perierunt. Alii, quoniam in quo superbe egerunt, est super ipsos i. submersi sunt qui alios submergebant, & afflicti qui affligebant. Nonnulli etiam, quoniam ea res qua illi insolescebant super eos scil. irruit. Quidam, eo quod in re, qua superbè & insolenter egerant contra eos supple Deus illis rependerit, unde & Chaldaica habet, Quia eadem re &c. Quod ad suffocationem in aquis pari modo referendum est.* Cajetanus, *Sensus est, quia in illâ re qua studiosi usi sunt ad impie necandos Ebræos, Deus punivit ipsos. Per aquam enim voluerunt perdere pueros, & aquam Deus vertit super ipsos.*

12. *Et accepit Jethro socer Mosis holocaustum & hostias Deo, venitque Aharon & omnes senes Israel ad comedendum panem cum socero Mosis coram Deo.*

Accepit] ἔλαβεν i. accepta obtulit. Sic alibi, *accepit dona in hominibus*, accepta distribuit: *accepit eum in pinnaculum templi*, acceptum transtulit: *accipiat fratrem vestrum*, accipiat & adducat. Reperies &, *capies carbones ignis super caput ejus* pro capies & pones. Sed hic ויקח in Ebræo. Pro *accepit* i. ויקח Hiero. habet, *obtulit* ויקרב· Jonathan similiter וקריב, quod Ebraicè diceretur ויקריב· ¶ *Hostias*] pacificas: quarum una pars comburebatur, altera cedebat sacerdotibus, tertia ab offerentibus comedebatur, unde sequitur, *ad comedendum cum eo.* Sunt qui scribant Jethro sacrificasse, quia sacerdos erat: alii tantum partem accepisse eorum quæ offerebantur. Vide Catenam Patrum. ¶ *Deo*] לאלהים Deo, quem jam incipiebat pro vero Deo agnoscere. ¶ *Venitque Aharon &c.*] In tabernaculum Mosis, ubi hæc fiebant. ¶ *Ad comedendum panem*] Ad epulandum. ¶ *Panem*] Cibum. ¶ *Coram Deo*] *Non longe à tabernaculo conventus, cui contiguum erat tabernaculum Mosis in parte orientali.* Abenezra. *Aut ut Mons Dei vocatur, quod Deus ibi præsens esset, sic Deus perpetuo erat in tabernaculo Mosis: aut coram Deo epulabantur, quia occupati erant circa cultum ejus.* R. Levi. *Forte coram Deo panem comedere dicitur qui hostias Deo oblatas comedit, quod fiebat in hoc convivio.* Vide Vatablum. Augustinus Quæst. 66. super Exodum, *Ante Deum id accipere debemus factum, quod in honorem Dei factum est. Ubi enim non Deus?* Vide Gen. 31. 54. Tremel. *Coram Deo, ut moris erat in sacrificiis eucharisticis. Deut. 12. 7. & 27 7. Nam epulum fuisse sacrum locutio ostendit.* Lippomanus, *Coram Deo edere, est in honorem Dei de sacrificiis manducare Dei, qui mos & apud gentes fuit.* Hiscuni, *De eo quod Deo sacrificaverant. Vult dicere, de hostiis pacificis.* לפני interpretatur ac si esset מלפני· Quidam, *coram Deo, Deum ante oculos habentes, in omni timore Dei.*

13. *Postero autem die sedit Moses ad judicandum populum, stetitque populus juxta Mosen à mane usque ad vesperam.*

14. *Vidensque socer Mosis omnia, quæ ipse faciebat populo, dixit, Quænam est hæc res quam tu facis populo? Quare tu sedes solus & omnis populus stat juxta te, à mane usque ad vesperam?*

Postero die] *Quo advenerat Jethro.* Aben. *à celebrato convivio, de quo supra.* Hiscuni. *postridie festi expiationum.* Jonathan, Alii. *Quum descenderat de monte.* R. Salomo. Lxx. μετὰ τὴν ἐπαύριον, quod reddunt, *post crastinum.* Hiero. *altera die.* Onkelos, *postridiè.* Jonathan, *die qui post diem expiationum.* Gen. 19. 34. Lxx. ἐν τῇ ἐπαύριον. Jonathan בתריה die altero. Onkelos ביומא דבתרוהי die postero. Verbum è verbo, *à crastino.* ¶ *Sedit*] Pro tribunali: vel, *sedebat.* ¶ *Ad judicandum populum*] Ad jus reddendum populo. Porro jus reddi debet in tranquillitate mentis & rationis, cujus indicium est sessio. Videndi sunt Lyra & Lippomanus. ¶ *Stetit*] Vel, *stabat.* Olim stabant litigantes: item advocati; unde, *Dominus stat ad dexteram meam.* Rursum, *Stabat juxta Mosen*, pro *adstabat Mosi.* Id Hiero. dixit,

 assiste-

assistebat. Lxx. παρειστήκει. ¶ *Quanam est hac res, quam*] Vel, *quodnam est hoc quod.* ¶ *Facis populo*] Facis eum stare à mane ad vesperam. ¶ *Sedes solus*] Non adhibitis aliis judicibus, qui te levent hoc onere: & *sedes ad judicandum*, ut Psal. 2. *Qui sedet in cælo.* Sic alibi, *sedes pro tribunali judex justus.* ¶ *Omnis populus stat*] More litigantium. ¶ *A mane ad vesperam*] Per totum diem. Mane verum est, quando sol oritur. Sic vesperam facit occasus solis, quæ vera vespera dicitur. De quâ capiendum, *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Quanquam Sapientes aliquid adjecerint ex die profano. Nam dicunt exitum Sabbathi esse cum stellæ exeunt. Quâ de re videndus is, quem modo nominavi, Abenezra. Erat & aliud mane עַל דרך סקירה cum ascendit columna auroræ, quando incipit conspici lux in nubibus. Sic duplex vespera: de qua alias.

15. *Et dixit Moses Sotero suo, Quia venit ad me populus ad inquirendum (vel requirendum) Deum.*

16. *Quum fuerit illis res venit ad me, & judico inter virum & socium ejus, notaque facio statuta Dei & leges ejus.*

Venit] יָבֹא *veniet* i. בא *venit aut venire solet.* לשון הווה inquit R. Salomo, hoc est *significationem habet temporis præsentis.* Solent alioqui Ebræi per futurum continuum tempus denotare. ¶ *Ad inquirendum Deum*] Hiero. *quærens sententiam Dei.* Lxx. ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ θεοῦ, exquirere judicium à Deo. On. & Jon. *ad quærendum doctrinam a coram DOMINO.* R. Salomo, *postulatum Thalmudi. doctrinam è manu potentiæ.* הגבורה i. Dei. Tremel. *ad consulendum Deum, de rebus tum ad religionem & cultum Dei, tum ad res civiles pertinentibus. Sic* 1. *Sam.* 9. 9. Abenezra. *Respondet Moses ad prius posterius. Primum, inquit, venerunt ad requirendum Deum i. legem ejus: deinde cum est lis inter eos me quoque accedunt judicem eorum.* Vide sequentia. ¶ *Res*] Negotium, lis, contentio. Ebraicè דבר verbum. Hiero. *disceptatio.* Lxx. ἀντιλογία. Onkelos & Jonathan דינא judicium, aut causa. Nota דבר pro contentione poni. Hoc sensu Cicero dixit, *Cum hujusmodi portemo res mihi fuit.* Hinc interpretamentum illud, ποῦ ἡ δίκη σου: pro quo in fonte אהי דבריך ero pestes tuæ. Hinc etiam intelligentiam habet, *Ut justus sis cum tu loqueris* בדברך cum causam ages aut litigabis in judicio. Vulgata editio, *Ut justificeris in sermone tuo.* Sic πρᾶγμα sumitur apud Græcos. ¶ *Venit*] Populus. On. & Jon. *veniunt.* Sic etiam Hiero. & Lxx. ἔλθωσι. ¶ *Et judico*] Hiero. *ut judicem.* Lxx. διακρίνω. Ebraicè ושפטתי Hic vau præt. in fut. convertit. Fut. autem pro Benoni ponitur, quod est participium temporis præsentis. Igitur Onkelos edidit ודאין quod plenè scriberetur ודאינא judico ego. Id Jon. dixit. ודיינא ¶ *Inter virum & socium ejus*] *Inter eos.* Hiero. ἕκαστον. Lxx. *inter utrumque.* Tremel. ¶ *Nota facio*] Hiero. *ostendam.* Lxx. συμβιβάζω. On. & Jon. ומהודענא nota facio. Rectè sanè. Nam est enallage temporum in Ebræo. Si qui litigant, eorum causam dirimo. Si qui Deum consulunt aut requirunt, eos doceo statuta & leges ipsius. Hinc intelliges, quid sit Deum consulere in aliis locis. ¶ *Statuta*] ritus, ceremonias. ¶ *Leges*] Tam quæ ad forum, quam quæ ad mores pertinent.

17. *Dixitque socer Mosis ad eum, Non bona est hac res quam tu facis.*

18. *Deficiendo deficies tam tu quam populus iste qui tecum, Nam gravis est hac res supra te, non poteris facere illam solus.*

Non bona est] i. utilis, expediens: aut *non recta.* Quod Onkelos dixit לא תקין Jonathan autem לא תקין. Lxx. οὐκ ὀρθῶς σὺ ποιεῖς, non rectè tu facis. Addit Abenezra, *in oculis meis.* Hiero. *non bonam rem facis* i. interprete Fagio, *commodam*: aut bonam comparative q. d. Melius faceres aliter. Vide Lyram. ¶ *Deficiendo deficies*] Omnino deficies, hoc est, succumbes huic labori, nec poteris ferre illum diu. *Cades* sub onere. Hujus contrarium *stare* infra vers. 23. non valebis stare i. non sufficies oneri aut labori. Idem populo eveniet qui nunc cogitur tibi adstare à mane ad vesperam. Ebra. est נבל תבל decidendo decides, vel si mavis deflues aut marcesces. Quod ab arboribus sumptum, quæ nimio calore aut frigore debilitantur, adeo ut folia marcida decidant. Ab hoc verbo nomen est, quod stulti vocabulo reddunt, unde Hiero. *stulto labore consumeris.* Onkelos, *laborando laborabis*, aut *lassando lassaberis*, vel, si placet, *defatigaberis.* Nimius enim labor lassitudinem adfert. Lxx. φθορᾷ καταφθαρήσῃ ἀνυπομονήτῳ. Jon. *defluendo deflues*, aut *marcesces.* R. Salomo לשון כמישה vulgo *plêtrir* i. marcescere. Tremel. *omnino decides.* San. *cadendo cades.* Arias, *marcescendo marcesces.* Munsterus, *Lassitudine fatigaris.* Vide Annotationes ipsius. In Bibliis Vatabli, *succumbendo succumbes.* Leo, *omnino marcesces.* ¶ *Hac res*] Hic labor quem sustines. ¶ *Supra te*] Quam ut eum ferre possis diu q. d. Non es ei par aut ferendo. ¶ *Facere illam*] Diu.

19. *Nunc audi vocem meam, consulam tibi, & erit Deus tecum: esto tu pro populo coram Deo, adducitoque res ad Deum.*

20. *Moneteque eos de statutis & legibus, & nota facito illis viam quam incedant & opus quod faciunt.*

Audi vocem meam] Ausculta voci meæ. ¶ *Consulam*] Consilium dabo. ¶ *Esto tu &c.*] Causam populi age & intercede pro eo apud Deum. ¶ *Pro populo*] Vel, *populo.* Ita Hiero. Senes quoque, τῷ λαῷ. Notum ut ל sig. *pro.* Sic alibi יהוה לי i. pro me. ¶ *Coram Deo*] מול האלהים quasi è regione Dei. Id Aben. explicat, *ex parte Dei.* Hiero. *in his quæ ad Deum pertinent.* Senes, τὰ πρὸς τὸν θεόν. On. & Jon. *Quærens doctrinam à Deo.* R. Salomo, *Esto internuntius & interpres inter populum & Deum, & petens judicia ab eo.* Quidam, *vice Dei.* לאלהים ¶ *Erit tecum*] Adjuvabit te. ¶ *Adducito*] Vel, *referto.* Ad verb. *Adduces, referes.* Quidam, *ut tu referas.* ¶ *Res*] Res populi. San. *causas ejus.* Hiero. *quæ dicuntur.* Nam in fonte הדברים את i. verba, τὰ ῥήματα. On. & Jon. *rem* i. פתגמא τὸ πρᾶγμα. Aben. *res, si difficiles fuerint*: R. Salomo, *lites ipsorum.* Ebraicè, *verba litium*, ut *verba fraudum.* Lxx. τοὺς λόγους αὐτῶν i. res ipsorum. Sic apud Sophoclem, πάντα λόγον i. omnem rem: & apud Davidem ἐν τοῖς λόγοις σου, in lite tua. ¶ *Moneto*] Vel, *admoneto*, nempe animum requiri ante omnia. Mone igitur ut Deum ex animo diligant ac revereantur, cor circumcidant, neminem odio prosequantur, non quærant ultionem, nec iræ memoriam servent &c. Ceterum in Ebræo est & *admoneas* sive *commonefacias*, videlicet והזהרת. Id Hiero. exposuit, *ostendas.* Lxx. διαμαρτύρῃ. Alias, διαμαρτύρει. Aquila, διαστελεῖς, mandabis aut patefacies. On. & Jon. ותזהר admoneas. In textu Bibliorum Vatabli, *Doce eos.* Sic etiam Leo Judæ. Munsterus, *docebis eos.* Gallica, *instrue illos.* ¶ *Viam quam incedant*] Rationem & normam vivendi. ¶ *Opus quod*] Opera quæ. ¶ *Faciant*] *Facere debeant.* Hiero. *Hunc versum Jonathan ità παραφράζει, Commonefaciendo Doce eos statuta & leges, & notam fac illis precationem quâ precentur Deum in domo Synagogæ ipsorum, & viam quâ inquirant in maleficos, & quâ dent sepulturæ mortuos, & quâ rependant beneficia & opera ordinemque judicii & quæ faciant intra ordinem illum improbis.* Abenezra, *Hæc sunt præcepta quæ vocantur affirmantia: quorum pleraque non consistunt per se, sed tantum ad recordationem sive memoriam faciunt, ut præceptum de observando Sabbatho, & solennes feriæ, & redemptio filii & dilectio advenæ & phylacteria* &c. Legat, qui otio abundat.

21. *Et tu videto ex omni populo viros strenuos timentes Dei, viros veraces, odio habentes turpe lucrum, & constitue super eos tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos.*

Videto] i. provideto. In Ebræo est תחזה videbis. Id Hiero. bene reddit, *provide.* Nam est futurum pro imperativo. Videre autem hoc significatu sumitur Gen. 22. 8. & 41. 33. & 39. 23. Sic, *in monte DOMINI videbitur* i. providebitur. Cicero quoque dixit, *mea negotia videbis.* Et, *tribunum aliquem censeo videant.* Quæ notata à me alibi. Lxx. hic habent σκέψαι, considera; quod similiter interpretantur *provide.* Jonathan autem ברור elige. Sic Johan. 1. *cum essem sub ficu vidi te.* i. elegi, si non fallunt nos, qui de tropis scripserunt. ¶ *Viros strenuos*] Sic אשת חיל mulier strenua. Hiero. *viros sapientes.* alias, *potentes.* Quæ lectio in omnes partes melior est. Nam etiam Græcè habetur ἄνδρας δυνατούς. חַיִל enim certe δύναμιν sig. i. potentiam, non sapientiam. Onkelos גברין חילא viros fortes. Jonathan ■ גִּבָּרֵי לא quod scribit גיברי Nota formam novam. Dicimus etiam גִּבָּרֵי quod scribunt גברי Dictio חַיִל etiam opes denotat, unde R. Salomo, *viro divites.* Sic איש חיל vir dives opum. Abenezra, *qui possint ferre laborem judicandi.* Hos Moses alibi *viros* vocat i. אנשים, ut, *elige tibi viros*, qui viri sint. Sic in sententiis Magistrorum, *In loco ubi non sunt viri, præsta te virum.* Hiscuni, *qui à viribus firmi sunt, ut possint sustinere molestias.* R. Levi, *qui animi fortitudine præditi sunt.* Eam vocat אבירות לב Vide sis Fagium in Paraphrasin Chaldaicam. Editio Gallica, *d'hommes vertueux*, de viris virtute præditis. Dubito an חיל accipiatur unquam pro virtute, quæ à Græcis ἀρετὴ dicitur. ¶ *Timentes Dei*] Ut, *metuens divum matertera*, apud Persium. Lxx. θεοσεβεῖς, Deum colentes, religiosos. Scholion οἱ λοιποὶ, φοβουμένους τὸν θεόν, *timentes Deum.* Quomodo & Hieron. Abenezra, *viros qui non timeant homines, sed Deum tantum. Ejus*

loco

loco Moses alibi habet, sapientes & intelligentes. Nemo enim Deum veretur in decet qui non idem sapiens sit. Hic locus conferendus est cum aliis qui habentur Exod. 23. 6. Deut. 1. 16. & 16. 18. & 2. Paralip. 19. 7. & Esa. 33. 15. ¶ *Viros veraces*] Ebraicè, *viros veritatis.* Hieron. *in quibus sit veritas.* Lxx. ἄνδρας δικαίους. Nam qui sunt justi, etiam veraces sunt. Tales oderunt mendacium. ¶ *Odio habentes turpe-lucrum*] שנאי בצע Hieron. *qui oderint avaritiam.* Lxx. μισοῦντας ὑπερηφανίαν. Onkelos, *qui oderunt accipere lucrum.* Siquidem ממון lucrum. Fagius *pecuniam* interpretatur. Jonathan ממון שקר lucrum mendax aut fallax. בצע propriè turpe lucrum. Unde בוצע qui talis lucri cupidus est, lucrio. R. Salomo, *Qui oderunt pecuniam suam in judicio.* R. Levi, ממון emolumentum quod ex pecunia: item גזל rapinam, חמס & oppressionem i. opes per oppressionem aliorum acquisitas. Abenezra ממון: unde Mammona in Novo Fœdere. ¶ *Tribunos*] Vel, *chiliarchos.* Hoc Lxx. verterunt, illud Hieron. Nam in Ebræo שרי אלפים principes millium, hoc est mille militum. Latinè, tribuni militum aut militares. In singulari χιλίαρχος seu χιλιάρχης, qui mille viris præest. R. Salomo, *Erant sexcenti tribuni, cum essent in castris sexcenta millia virorum.* Idem observat R. Levi ex Mechiltha & Massecheth Suta. R. Abraham arbitratur significari tribuum præfectos, qui sub potestate habuerint mille servos aut pueros aut mercenarios. Fallitur, meo judicio. ¶ *Centuriones*] ἑκατοντάρχους. ¶ *Quinquagenarios*] Vel, *semicenturiones.* Græcè πεντηκοντάρχους. Hi quinquaginta viris præerant. ¶ *Decanos*] Ità Hieron. & Santes. Lxx. δεκαδάρχους. Interpres, *decuriones.* Lex. vet. δέκαρχος, decanus, δεκάρχης *decurio.* Tremel. *præfectos millenis, centenis, quinquagenis, denis.* Ceterum centuriones erant numero 6000. Quinquagenarii 12000. Decani sive decuriones 60000. Notavit R. Salomo.

22. *Qui judicent populum omni tempore, & omnem rem magnam referant ad te, & omnem rem parvam judicent ipsi: ità levabis à te onus, & ferent tecum.*

Judicent populum] Jus reddant populo. ¶ *Omni tempore*] Semper cum opus erit. ¶ *Rem*] Causam, litem. ¶ *Levabis*] Vel, *levabunt.* Verbum è verbo, *levius reddes* vel certe, *reddent.* הקל infinitum. Sunt qui reddant, *levato.* Nam & imperativè esse potest. Hieron. *levius sit tibi.* Lxx. καὶ κουφιοῦσιν ἀπὸ σοῦ. Sic etiam Onk. & Jon. ¶ *Magnam*] Gravem. ¶ *Parvam*] Levem. ¶ *Et ferent*] Qui vertunt, *leva,* hic legunt, *ut ferant tecum.* Hieron. *partito in alios onere.* ¶ *Ferent*] Portabunt. Lxx. συναντιλήψονταί σοι. Sym. & Theodotio, καὶ συμβαστάσουσί σοι, unà tecum portabunt, videlicet ut bajuli onera solent. Nam hoc propriè βαστάζω significat. ¶ *Et ferent*] Inferiores illi Magistratus, de quibus dictum est.

23. *Si rem hanc feceris & præceperit tibi Deus, poteris stare, & etiam omnis populus iste, in locum suum redibit cum pace.*

24. *Audivitque Moses vocem soceri sui, & fecit omnia quæ dixerat.*

Si rem hanc feceris] Hic (*si*) valet *quum*: ut ibi, *si erit Jubilæus.* Sic accipitur & in illo, *si Deus pro nobis quis contra nos.* ¶ *Et præceperit tibi*] Approbans consilium meum. Non est dubium quin Moses super hac re Deum consuluerit. Nam sine ipsius jussu nihil ausus fuisset facere. Hieron. *implebis imperium Dei.* Lxx. κατισχύσει σε ὁ θεός: *corroborabit te Deus.* Quid legerunt quum ita verterent? ¶ *Poteris*] ויכלת & valebis. Hic copula redundat. Quale est Phe apud Arabes, quod Ismaeliticum appellant. ¶ *Stare*] Subsistere q. d. Non succumbes labori aut oneri. Hieron. *sustentare.* Lxx. καὶ δυνήσῃ παραστῆναι, quod reddunt, poteris consistere. Aben. *Si feceris rem hanc, & Deus tibi potestatem ad hoc concesserit, poteris stare* עמד Lippomanus, *poteris sufficere huic labori.* Onk. & Jon. קיים stare. Huc retulerim, *decidendo decides,* quod alii reddunt, *cadendo cades.* Nam cadit qui succumbit: Stat qui sufficit & par est oneri. Jonath *poteris stare audiendo eos.* ¶ *Omnis populus &c.*] Jonathan, *Etiam Aharon & filii ejus, & omnes Senes populi hujus ad locum domus judicii eorum venient cum pace.* R. Salomo, *Aharon, Nadab, & Abihu & 70. Senes qui nunc tibi juncti sunt.* Abenezra, *omnis populus qui stant coram te à mane ad vesperam.* ¶ *In locum suum*] *In tabernaculum suum.* Aben. *in domum suam & in territorium suum.* Hiscuni. Sic מקומו τόπος θεοῦ i. οἶκος. Exod 10. 23. ממקומו è loco suo. i. domo. Vide Annotationes. ¶ *Redibit*] יבא ibit i. redibit. שוב. Hieron. *revertetur.* Contra שב redeo pro simplici eo ponitur. Lxx. ἥξει veniet. Jonath. quoque יתון venient. Onkelos יהך ibit. Tremel. *redibit.* Santes, *ibit.* בא hoc sensu sumitur Gen. 45. 19. Propriè *venio* sig. Sic Terent. *nisi ego ad mercatum venio* i. eo: deinde revenio, redeo, revertor. Vide Exod. 2. 18. ¶ *Cum pace*] Lite compositâ, & conciliatis partibus inter se. ¶ *Vocem*] Consilium. ¶ *Dixerat*] *Suggesserat.* Hieron.

25. *Elegitque Moses viros strenuos ex omni Israële, & constituit eos principes super populum, tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos.*

26. *Qui judicaverunt populum omni tempore, rem duram adducebant ad Mosen, & omnem rem parvam judicabant ipsi.*

27. *Post dimisit Moses socerum suum, qui abiit in terram suam.*

Viros strenuos] Hieron. *Et electis viris strenuis.* Ex quo firmari poterit lectio quorundam codicum, *viros potentes*, supra vers. 21. Jonathan hic habet גברי חיל potentes robore. Quomodo fortasse legendum & in altero loco ubi גברי scriptum. *Omisit autem* timentes DOMINI, ait *Abenezra, quia tales soli Deo noti sunt. Nam sapientes*, inquit, *esse possunt, etiamsi non timeant Deum.* Nego, si de veris sapientibus loquitur. Nam *timor DOMINI principium sapientiæ.* ¶ *Principes*] ראשים capita, primores. Hinc intelliges quid sit ראשי העם capita populi. Onk. & Jon. רישין. ¶ *Decanos*] Græcorum libri antiqui hic & supra vers. 21. addunt καὶ γραμματοεισαγωγεῖς, quod reddunt & *scribas.* Augustinus, *Quos autem dicit γραμματοεισαγωγεῖς post decuriones, non facile sciri potest, quoniam hoc nomen in nullo usu habemus vel officiorum vel magistrorum* &c. Juvabo hic Augustinum. γραμματοεισαγωγεῖς sunt quos Ebræi שוטרים appellant, eorum alibi meminit Moses. Quos adjunxit Magistratibus supra nominatis, hoc est, judicibus ad exequendum quod ab eis imperatum esset. Abenezra, *Meminit hoc loco consilii Soceri sui Jethro & non meminit consilii sui, quo constituit Soterim super tribus ut facerent quod à judicibus juberentur facere. Nam ità scriptum est, Et Soterim juxta tribus suas. Rursus scriptum est, Judices & Soterim constitues tibi in omnibus portis tuis.* De his alias. ¶ *Rem duram*] Supra, *magnam.* Lxx. ὑπέρογκον, gravem. Scholion, μέγα. Aquila & Sym. σκληρόν, duram. Theodotio, τὸ δυσχερὲς, difficilem. ¶ *Dimisit*] Cum honore. Santes & alii, *Deduxit.* Cave rejicias. Alibi est, *Et Abraham abiit cum eis* לשלחם *ad deducendum eos. Honoris*, inquit, *ergo deduxit eum ad aliquam partem itineris.* ¶ *Abiit*] Tremel. *rediit.* ¶ *In terram suam*] In regionem suam.

GROTIUS.

1. *Cumque audisset Jethro*] Dat nobis egregium exemplum Moses nominandi eos per quos profecimus.

11. *Quod superbè egerint contra illos*] Sic & quidam Græci: ὑπερηφανεύσαντο. Origo alienationem significat, sensus hostilem animum, ut videre est intra XXI. 14. ubi LXX. verbum hoc, ut & hic per ἐπιθέσθαι insidiari exponunt. Translatione ducitur ad eos qui cum Dei contemtu peccant, ut Deut. 1. 43. Jerem. L. 29.

21. *Viros potentes*] חיל opulentos significat: Tales enim & dignitatem tuentur melius, & longiùs absunt ab inhonesti quæstus suspicione.

Tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos] Numerum Hebræi sic ineunt:

Chiliarchæ	600.
Centuriones	6000.
Præfecti quinquaginta	12000.
Decuriones	46000.
	64600.

Horum in locum successêre judices urbani: Synedrium autem in ipsius Mosis locum. Num. XI. 14. 15. 16.

22. *Referant ad te*] Sicut Romani præsides de rebus gravioribus relationem instituebant ad imperatorem.

24. *Quæ illi suggesserat*] Hic Samaritanus codex inserit versus qui intra sunt Deut. 1. & 9. ad 17. pari de causa ei quam suprà in simili additione observavimus. Vetus hoc esse in Samaritano ex Procopio Gazæo ad Deuteronomii locum apparet. Qui autem sequitur hic versus, is in eodem codice omittitur ut non necessarius, quia ex superioribus 21. & 23. sensus idem satis intelligitur: verùm neque additione, neque detractione opus.

CARTWRIGHTUS.

1. וישמע יתרו *Et audivit Jethro*] R. Sal. ait huic septem fuisse nomina, nempe Reüel, Jether, Jethro, Hobab, Heber, Keni, & Putiel. At unde constet unum eundemque hominem omni-

omnibus hisce nominibus appellatum fuisse non video. Jether, Jethro, & Hobab unius ejusdemque hominis nomina fuisse apparet; Reuel autem pater Hobab fuit, Num. 10. 29. nec idem patri simul ac filio nomen fuisse probat id quod suprà legitur c. 2. 18. Vide quæ istic sunt annotata; quin & hic R. Sal. non dissimulat, ex quorundam sententiâ per patrem illic avum intelligi, nec in adversum quicquam objicit. De Heber autem & Keni, occurrunt quidem ista nomina Judic. 4. 11. Sed חבר הקיני *Heber Kinæus* dicitur fuisse מבני חבב חתן משה *ex filiis* seu posteris *Hobab soceri Mosis*. Nomen denique Putiel legitur in hoc libro cap. 6. v. 25. at socerum Mosis nomine isto significatum esse nihil est quod arguat. Miror itaque Fagium hanc de soceri Mosis nominibus R. Salomonis sententiam, nullâ prorsus adhibitâ censurâ, memorasse.

חֹתֵן מֹשֶׁה *Socer Mosis*] Vulg. *cognatus Moysi*; nimis laxè. Lxx. γαμβρὸς; quod interdum idem valet quod πενθερὸς, *socer*. Chal. חמוהי דמשה *socer Mosis*. Vide suprà. c. 2. 18.

כִּי הוֹצִיא יְהוָה אֶת־יִשְׂרָאֵל מִמִּצְרָיִם *quod eduxerat Dominus Israelem ex Ægypto.*] Lxx. ἐξήγαγε γὰρ κύριος, &c. *Eduxit enim Dominus*, &c. At particula כי hic valet ὅτι *quod*. Ut Genes. 22. 12. ידעתי כי ירא אלהים אתה Lxx. ἔγνων ὅτι φοβῇ σὺ τὸν θεὸν, *Novi quod tu times Deum*. Vulgatus hic, & *quod eduxisset Dominus Israël de Ægypto*. Cum in genere dictum esset, Jethro audiisse omnia, quæ Dominus fecisset Mosi & Israeli populo suo, hoc speciatim additur * tanquam præ reliquis omnibus memorabile; quòd eduxisset Israelem ex Ægypto. Simili modo dicitur Psal. 18. in titulo, Deum eripuisse Davidem è manu inimicorum suorum, & è manu Saul. Et Mar. 16. 7. *Dicite discipulis ejus, & Petro.*

2. אַחַר שִׁלּוּחֶיהָ *Postquam eam remiserat.*] i. postquam Moses uxorem suam, quam secum in Ægyptum proficiscens assumpserat; ut c. 4. habetur, cum eam impedimento sibi fuisse animadverterit, ad paternam domum unà cum filiis remisisset. Ita exponit Onkelos, & R. Sal. atque ita à nonnullis expositum esse notat Abenezra; qui tamen & aliter à quibusdam exponi refert; nempe ut sensus sit אחר ששלחה הדורות אליו i. e. *postquam miserat* (uxor Mosis) *dona ei*. Nam שלוחים *missiones* à שלח *misit*, 1 Reg. 9. 16. denotat מתן uti interpretatur Chaldæus Paraphrastes, i. e. *dona* sive munera. Fagius ait nonnullos Hebræorum exponere, *post munera ejus*, eos tamen ita intelligit; ac si de muneribus à Mose uxori suæ missis loquerentur, cùm è contrà ii, quorum meminit Abenezra, de muneribus Mosi ab uxore missis interpretentur. Prior autem expositio multo est simplicior, nempe ut significetur, Mosen uxorem suam ad patrem remisisse, ac propterea Jethro eam nunc secum adduxisse. Vulg. *Tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat.* Lxx. μετὰ τὴν ἄφεσιν αὐτῆς, *post dimissionem ejus.*

5. *Et venit Jethro*, &c.] Abenezra ad v. 1. ait post Legem à Deo traditam hoc accidisse; atque idem ad v. 13. sentit R. Sal. idque ex v. 16. colligit, ubi de statutis ac legibus Dei Moses ad socerum suum loquitur.

אֶל־הַמִּדְבָּר אֲשֶׁר־הוּא חֹנֶה שָׁם הַר הָאֱלֹהִים *In desertum ubi castrametatus est, ad montem Dei.*] Rab. Sal. ait hoc in laudem Jethro dictum esse, eum scilicet tanto Legis desiderio flagrasse, ut ejus discendæ gratiâ in desertum, locum horridum ac inanem (מקום תהו) proficisci non gravaretur. Repetendum autem ἀπὸ τοῦ κοινοῦ אל *ad* ante הר *montem*. Onkel. *ad montem, super quem apparuit gloria Domini.* Jon. *ad montem, super quem apparuit gloria Domini ab initio.* Respexit nimirum ad id, quod legitur cap. 3. 1. &c. at videtur potius mons iste mons Dei nuncupari, propterea quòd in eo Deus Legem dederit.

6. *Et dixit Mosi*, &c.] Nempe per nuntium, ut exponit R. Sal. על ידי שליח, Hunc sensum exprimere voluerunt Lxx. Interpretes, atque ideò formam orationis immutarunt. ἀνηγγέλη δὲ μωυσῇ, λέγοντες, ἰδοὺ ὁ γαμβρός σου παραγίνεται πρός σε, *Et nunciatum fuit Mosi, dicentes, Socer tuus ad te venit.* Sic ad verbum Græca ista sonant, ubi parùm congrua est verborum σύνταξις, neque enim est cum quo illud λέγοντες, *dicentes*, cohæreat.

Ego socer tuus Jethro venio ad te, &c.] Jon. *Ego Socer tuus Jethro venio ad te* לאתגיירא *ut proselytus fiam; & si non suscipies me meâ causâ, suscipies uxoris tuæ gratiâ, ac filiorum tuorum, qui cum ea sunt.*

7. *Et exiit Moses obviam socero suo*, וישתחו *& incurvavit se*] R. Sal. ait se non videre quis cui se incurvavit; at dubium non est, Mosen socero suo se incurvasse, id quod ex serie textûs est satis manifestum.

Et osculatus est eum] Jonathan addit וגיירה *& proselytum eum fecit.* Sic Lyra ad vers. 12. ait Jethro ad fidem & ritum Hebræorum fuisse conversum, quod ex isto loco satis fit verisimile.

Et venerunt in tabernaculum] Jon. *Et venerunt in tabernaculum domûs doctrinæ.*

8. *Et narravit Moses socero suo*, &c. את כל־התלאה *omnem molestiam, quæ eis accidit* (ad verbum, *quæ eos invenit* אשר מצאתם) *in via* &c.] Jon. *omnem molestiam, quæ eis accidit in via juxta mare rubrum, & in Marâ, & in Rephidim, & quemadmodum Amalek adversus ipsos est præliatus.* Abenezra notat תלאה denotare הצרה שלאה אדם לסבלה או להגידה *afflictionem adeò gravem, ut eam vel perferre, vel commemorare hominem tædeat.*

9. וַיִּחַדְּ *Et lætatus est*] Lxx. καὶ ἐξέστη, *& obstupuit*; id autem plus est quàm quod in Hebræo dicitur.

11. כִּי בַדָּבָר אֲשֶׁר זָדוּ עֲלֵיהֶם *Nam in quo superbè egerunt, super eos* (fuit)] Onk. ארי בפתגמא די חשיבו מצראי למדן ית ישראל ביה דנון, *Quâ enim in re cogitaverunt Ægyptii judicare Israelem, in eâ ipsos judicavit.* Fagius sic explicat, *Vult dicere, quemadmodum ipsi pueros Hebræorum aquis submerserunt, sic quoque & ipsi aquis submersi ac suffocati sunt, Deo scilicet eâdem mensura remetiente illis, quâ ipsi mensi fuerant filiis Israël.* In istam sententiam apertè Jonathan, *Nam in quo impiè egerunt, judicantes Israelitas aquâ perdendos* (למדן ית ישראל במיא) *super ipsos reversum est judicium, ut ipsi aquâ perirent.* Similiter R. Sal. במים זמו לאבדם והם נאבדו במים *Prout interpretatus est Chaldæus Paraphrastes, aquis cogitaverunt eos perdere, & ipsi aquis perierunt.* Lxx. ἕνεκεν τούτου ὅτι ἐπέθεντο αὐτοῖς, *propter hoc quod insectati sunt eos.* Vulg. *eo quod superbe egerant contra illos.* Conjunxerunt isti Interpretes עליהם cum זדו, ac ad Israelitas retulerunt, commodius autem videtur, ut post זדו pausa fiat, & עליהם ad Ægyptios referatur, eo sensu quo exposui. Quin & בדבר אשר *in re quâ*, vel *quâ in re*, minùs rectè reddi vertitur vel ἕνεκεν τούτου, vel *eo quòd*, verbum autem זדו quod Lxx. vertunt ἐπέθεντο *insectati sunt*, (sic Latinè vertitur, malim *adorti sunt*, vel *vim intulerunt*) melius Vulgatus reddit, *superbe egerant.* Sic Scholiastes testatur Græcum quendam Interpretem vertere, ὑπερηφανεύσαντο. Rab. Sal. exponit הרשיעו *impie egerunt.* Verbum זוד significat superbè ac præsumptuosè agere. Unde David Psal. 19. v. 13. גם מזדים חשך עבדך *etiam a peccatis ex præsumptione perpetratis cohibe servum tuum.*

12. *Et venit Aharon*, &c.] R. Sal. ita interpretatur, ac si Aharon & Seniores Israël convivati essent cum Jethro, Moses autem ministraret. At multo sanius est, quod dicit Abenezra, nempe haud opus fuisse hic inter eos qui cum Jethro epulati sunt, memorare Mosen, cum in ipsius tabernaculo fuerint. Jonathan tamen cum R. Salom. sentiens dicit, ומשה הוה קאי ומשמש קדמיהון *Moses autem stabat, & ministrabat coram eis.*

Coram Domino] Abenezra ait hoc ideo dictum, quòd tabernaculum Mosis ad orientalem partem tabernaculi conventûs fuerit. Sic Fagius ait, tabernaculum Mosis fuisse juxta tabernaculum fœderis. Addit tamen hæc dici per anticipationem: nondum enim factum fuisse tabernaculum fœderis. Quomodo igitur ei propinquum tunc esse potuit Mosis tabernaculum? Idem refert nonnullos exponere *coram Domino*, propter pios homines, qui convivio isti interfuerunt. Vel *coram Domino*, i. e. * in honorem Domini; vel tantâ pietate, ac si in conspectu Dei epulati fuerint. Mihi maximè probatur, ut propterea coram Domino convivari dicantur, quòd supra Mosis tabernaculum, in quo factum est convivium, nubes, specialis Dei præsentiæ signum, pependit. Vide cap. 33. 7. & 9.

13. וַיְהִי מִמָּחֳרָת *Et fuit postridie*] Jon. והוה ביומא בתר יומא דכפורי *& fuit postridie diei expiationum.* Atque ita etiam exponit R. Sal. sed simplex ac plane genuina est expositio Abenezræ, ויהי ממחרת לביאת יתרו *Et fuit postridie, nempe postquam Jethro advenerat.*

16. כִּי־יִהְיֶה לָהֶם דָּבָר *Quando eis est negotium*] Lxx. ὅταν γὰρ γένηται αὐτοῖς ἀντιλογία. *Nam quando eis contigerit altercatio.* Vulg. *Cumque occiderit eis aliqua disceptatio.* Onk. כד הוי להון דינא *Quando ipsis est judicium*; seu controversia judicio dirimenda. דבר *dabar* est *verbum, res, negotium, causa*, &c. Eodem planè modo usurpatur πρᾶγμα 1 Cor. 6. 1.

18. נָבֹל תִּבֹּל גַּם־אַתָּה גַּם *Prorsus marcesces, tu pariter ac populus iste*, &c.] Jon. *Prorsus marcesces* (seu distluens מתר חתר) *tu pariter ac Aharon, & filii ejus, & seniores populi tui.* At de promiscua multitudine, quæ Mosi controversias dirimenti operam dabat, est intelligendum. Onk. מלאה תלאי *prorsus fatigaberis.* Atque istam interpretationem probat R. Salomon.

* *R. Sal.* גדולה על כלם hoc reliquis omnibus majus fuit.

* *Sic Augustinus exponit.*

mon. sed Hebræum est *ἀμφοτερικώτερον* Nam נבל est marcescere, quemadmodum arboris folium humore destitutum marcescit. Psal. 1. 3. ועלהו לא יבול, *cujus folium non marcescet.* Metaphoricè igitur (ut notat Abenezra) significatur, fore ut Moses si in in instituto isto pergeret, instar folii marcescentis ultro suaque sponte (מעצמו) decideret. Lxx. *Φθορᾷ καταφθαρήσῃ ἀνυπομονήτῳ, Corruptione corrumperis intolerabili.* Vulg. *Stulto labore consumeris.* נבל etiam significat *stultum esse*; & verbale נבל stultum denotat. Unde illud, 1 Sam. 25. 25. כשמו כן הוא נבל שמו ונבלה עמו *Juxta nomen suum sic est; Nabal* (i. Stultus) *est nomen ejus, & stultitia ei præsto est.*

20. *Et ostendes eis viam, in quâ ibunt*] Jon. ותחוי להון ית צלותא דיצלון בבית כנישתהון *Et ostendes eis precationem, quam precabuntur in synagogâ ipsorum.*

21. אנשי חיל *viros fortes*] Ad verb. *viros fortitudinis.* Vulg. *Viros sapientes*; sed in margine est *potentes.* Sic Lxx. *ἄνδρας δυνατούς.* R. Sal. exponit עשירים שאין צריכין להחניף ולהכיר פנים *divites, quibus hypocriticè agendi, ac personas respiciendi nulla incumbit necessitas.* Atque ita quidem חיל interdum divitias significat, sed hic, ut alibi plerumque, animi virtutem ac fortitudinem denotat. Abenezra de corporis robore intelligere videtur אנשי חיל שיש להם כח לסבול הטרח *viros robustos cui oneri sunt ferendo.* Sed etiamsi חיל, cum sit *πολύσημον*, corporis robur quandoque designet; hic tamen, eo quo dixi, modo accipi debet.

שנאי בצע *Odio habentes avaritiam* Onk. דסנן לקבלא ממון *quibus exosum est accipere pecuniam.* Atque ita etiam Jonathan, nisi quod non simpliciter habeat ממון *pecuniam*, sed ממון שקר *pecuniam falsitatis*, sive injustitiæ. Sic Luc. 16. 9. *ἐκ τοῦ μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας* שקר *falsitas, mendacium,* à Lxx. Interpretibus interdum redditur *ἀδικία, injustitia.* Ut Psal. 119. 29. דרך שקר הסר ממני · Lxx. *ὁδὸν ἀδικίας ἀπόστησον ἀπ' ἐμοῦ* Et ibid. v. 104. שנאתי כל ארח שקר Lxx. *ἐμίσησα πᾶσαν ὁδὸν ἀδικίας.* Similiter v. 128. pro ארח שקר habent *ὁδὸν ἄδικον.* Hinc 1 Cor. 13. 6. *τῇ ἀληθείᾳ* opponitur *ἡ ἀδικία.* Lxx. *μισοῦντας ὑπερηφανίαν odio habentes superbiam.* Steuchus asserit Hebræum בצע nusquam significare superbiam. Rectè; Scholiastes notat alium habere *πλεονεξίαν, avaritiam.*

23. *Si hanc rem feceris* וצוך אלהים *Et tibi præceperit Deus*] Nempe ut rem istam facias. Sic R. Sal. idque opinor rectè, ut ויצוך אותך לעשות כן *si præceperit tibi ut ita facias.* † Alio sensu Vulgatus, *si hoc feceris implebis imperium Dei.* Quasi Jethro dicat, hoc quod Mosi suadet, Dei esse mandatum, cum potius consilium suum eâ tantùm conditione Mosi proponat, ut si Deus ita jusserit, id sequatur. Lxx. Interpretes longè ab Hebræo recesserunt, *κατισχύσει σε ὁ Θεός, corroborabit te Deus.*

Atque etiam universus iste populus ad locum suum in pace veniet] Nimirùm (ut explicat Abenezra) quòd hâc ratione lites ac controversiæ eorum citò diremptæ erunt.

25. *Chiliarchos, centuriones, ‡ præfectos quinquagenis, & ‡ decuriones*] Jon. *chiliarchos sexcentos centuriones sexies mille, præfectos quinquagenis duodecies mille, & decuriones sexagies mille.* Nempe quia sexcenta millia erant Israëlitarum. Lyra etiam ex totius populi numero tot in unoquoque ordine fuisse colligit. Lxx. Interpretum versio in quibusdam editionibus (nam in Romana vox ista non habetur) addit *γραμματοεισαγωγεῖς, & scribas*; Augustinus (a) vocem istam hîc legit, quid autem eâ significetur, se nescire fatetur. Serarius ad Jos. 1. 10. notat Lxx. Interpretes alicubi Hebræum שוטרים reddere *γραμματοεισαγωγεῖς*; nempe Deut. 1. 15. (mendosè in Serarii codice legitur 5. inde autem in hunc locum irrepsisse vox ista videtur) & 16. 18. & 29. 10. Quin & de Græcæ istius vocis significatione ibidem disserit.

27. וישלח משה את־חתנו *Et dimisit Moses socerum suum*] Abenezra ait verbum שלח hic honorificam deductionem denotare; ut Gen. 18. 16. ואברהם הלך עמם לשלחם *& Abraham ibat cum eis, ut eos deduceret.*

Et ivit ad terram suam] Jon. *Et ivit ut filios terræ suæ (conterraneos suos) proselytos faceret.* Similiter Rab. Sal. sed paulò restrictiùs, לגייר בני משפחתו *ut filios familiæ suæ proselytos faceret.*

IDEM.

21. **E**T *constitues super eos* שרי אלפים *Chiliarchos, &c.*] Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 15. refert Syrum, Chaldæos, Arabes, Persam, ita vertere, ut quemadmodum in Ebræo, non satis liqueat, utrum obliquo an recto casu numeri, qui שרי *Principes* hic sequuntur, sint numerandi, nempe utrum Principes ipsi essent milleni, centeni, quinquageni, decem, an millenis, centenis, quinquagenis, decem, princeps quilibet præesset. Nec quidem satis ex sacro sermone constare ait, utrum Præfectorum numerus, an subditorum designetur. Neque enim dici in Scripturâ *Principes super mille, Principes super centum,* sed *Principes mille, Principes centum, &c.* quæ in origine, ut in Latinis hisce, diversam etiam habent significationem. Quin & Abarbinelem in hanc sententiam citat, כי לא היה המספר הזה בערם לנשפטים אלא לשופטים *non pependisse numerum ex eis qui præfecturis juridicis suberant, sed ex ipsis qui judiciis præficerentur.* Sed alteram expositionem, ut nimirum per *mille, centum, &c.* subditorum numerus intelligatur, apud Christianos receptissimam esse, quin & Talmudicis pariter ac Josepho arridere fatetur. Atque huic sanè expositioni omninò suffragari videtur vox שרי *Principes*, quæ est in regimine, ac propterea numeri, qui sequuntur, genitivi casûs sunt nisi שרי pro שרים positum esse dicatur. Sed ut 2 Reg. 1. 9. & deinceps, שר חמשים pro eo, qui quinquagenis præesset, apertè ponitur, ita hîc שרי חמשים, ac proinde שרי אלפים &c. similiter intelligendum videtur. Quin & 1 Sam. 22. 7. שרי אלפים & שרי מאות eos, qui millenis, & centenis præficiebantur, designant. Bertramus autem de Repub. Jud. cap. 6. ait Chiliarchos hosce fuisse, qui centum familiis præerant, atque ita Centuriones, quinquagenarios, Decuriones, qui centum, quinquaginta, decem familiis præficiebantur. Eadem sententia, metiam aliis tribuit Seldenus; & videtur sanè omnium commodissima, quippe quæ & Hebræo textui satis congruit, nec adeò immensum Præfectorum numerum facit ac illa Talmudicorum sententia, quæ propterea Abenezræ haud placuit.

IDEM.

13. **D**Ie *crastino*, seu *postridie*, nempe ejus diei, quo venit Jethro. Scripturam hic indicare ait, Mosen adventu soceri, & uxoris, & filiorum suorum, non ita detentum, atque ita occupatum fuisse quin statim die scilicet proximè sequente, publicis negotiis operam suam more solito impenderet.

23. *Si hanc rem feceris, & Deus tibi mandaverit,* &c.] Juxta mentem Abrabaneelis sic vertendum est, *tunc Deus tibi mandabit,* &c. ait enim sensum non esse, *si Deus te hoc facere voluerit*: notum enim fuisse, Mosen non transgressurum fuisse Dei mandatum: sed sic intelligi debere, si Moses istud faceret, tunc otium ei fore, ut cum ipso Deus loqueretur, ac quid facturus esset ei ostenderet. Juxta istam expositionem ו in וצוך idem valebit quod אז *tunc*, uti alii Interpretes accipiunt in verbo sequente, ויכלת *tunc poteris.* Mihi tamen altera expositio magis arridet, ut nimirum Jethro Mosi ita facere suaderet, ea duntaxat conditione, si consilium istud Deo probatum esset. Videtur autem Abrabaneel de honore ac existimatione Moses nimium fuisse sollicitus, atque ideo ait, totum hoc consilium, quod Jethro ei dedit, jam antè in animo ejus fuisse, atque id, quod Jethro suasit, eum utcunque facturum fuisse, sed בזמן הראוי ובאופן *tempore & modo convenienti*, nempe post legem datam, quod antea Israëlitæ provinciæ illi haud essent idonei: Unde etiamsi existimet Jethro antequam Lex data esset ad Mosen venisse, ac consilium istud ei dedisse, (in quam rem multa disputat adversus Abenezram,) Mosen tamen non nisi post legem datam id, quod Jethro suasit, fecisse autumat.

25. שרי אלפים וגו'] Expositionem Abenezræ supra memoratam ea ratione refellit, quod Israëlitæ in Ægypto non erant duces & reges, ut unus quispiam mille vel centum ministros haberet. Illud autem Prov. 28. v. 2. quod adversus alios objecit Abenezra, *Propter transgressionem terræ multi sunt principes ejus*, intelligendum ait de principibus, qui inter se æquales sunt, nec alii aliis subjecti: hîc autem decuriones quinquagenariis, quinquagenarios centurionibus, & centuriones chiliarchis fuisse subjectos. Asserit etiam sic hunc locum posse exponi, ut sensus sit, Judices hosce, quo meliùs suam in populum authoritatem tueri possent, alios sub se habuisse, alios quidem mille, alios autem centum, & alios quinquaginta, alios denique decem. Alias præterea expositiones suo judicio probabiles affert, sed eo tandem venit, ut sibi non dubium esse dicat, (אין ספק אצלי) sic intelligi debere, שרי אלפים hîc esse mille virorum concilium, & שרי מאות concilium centum virorum, & sic in reliquis: hunc enim numerum, nempe *mille, centum,* &c. non de iis, qui Judicibus suberant, sed de Judicibus ipsis intelligendum censet. Nec in adversum objici debere ait, vocem שרי esse in regi-

† *Steuchus ait sensum esse*, tum tibi Deus præcipiet, quæ populo relaturus sis. ‡ *Vulg.* quinquagenarios. ‡ *Vulg.* decanos. (a) *Non istam planè vocem, sed (quod tantundem est) γραμματεῖς εἰσαγωγεῖς.*

regimine, juxta ipsius autem expositionem ita accipi ac si esset absolutum. Sic enim ait R. Salomonem exponere כי Num. 13. 20. ac si esset כימים, Ego vero arbitror כי istic esse in regimine, nec aliter sensisse R. Salomonem, quin & hanc rationem à voce שרי desumptam adversus Abrabanelis expositionem satis esse validam. Vide quæ in prioribus Additamentis ad hunc locum sunt annotata. Addit autem & sic posse exponi, ut שרי sit סמוך *constructum*, seu in regimine, nempe ut per שרי אלפים *principes mille virorum*, intelligantur, שרים סמוך האלפים הסכתים על הדבר המיוחד לאלף *Principes ex numero mille virorum, qui præfecti sunt negotio, quod peculiariter ad mille viros spectat:* Et sic in reliquis. Sed ipse Abrabanel concedit שרי אלפים & שרי מאות hic eodem modo intelligi, quo Numb. 31. v. 14. Et mihi sanè haud dubium videtur, quin Chiliarchi & Centuriones istic intelligantur.

27. *Et dimisit Moses socerum suum, &c.*] Ait hoc anno sequente factum fuisse, hic autem scriptum esse, להשלים הספור, *ut hæc de Jethro narratio perficeretur.*

Cap. XIX.

MUNSTERUS.

1. *Ipsâ die*] h. e. in principio mensis tertii venerunt in desertum Sinai, ut Hebræi hunc locum exponunt.

4. *Super alas aquilarum*] h. e. Portavi vos quasi in humeris, sicut aquila pullos suos portat in alis, præter morem aliarum avium, quæ pullos suos pedibus suis, quò volunt, portant.

5. *Peculium*] Est סגלה idem quod אוצר חביב, *thesaurus prædilectus.* Et sic vocat Dominus populum suum, cui legem suam tradidit, & vivendi formam præscripsit, atque regnum sacerdotale contulit, quod nulli alii fecit nationi.

10. *Sanctifica eos*] Capitur hic *sanctificare* pro הכין, *præparare.*

12. *Præscribes terminum*] Exponitur hic גבול pro קבע גבול, *figere terminum*, sive שום גבול, *metam ponere*, aut *limitem certum constituere.*

13. *Non tangat eum*] A. E. sic exponit, *Qui præscriptum terminum transierit, in hunc nemo injiciat manus, nemo illum sequatur intra constitutos limites, sed projiciant ad eum lapides, aut feriant eum jaculis.* ¶ *Cum prolixius buccina sonuerit*] Heb. *Cum traxerit buccina*, sub. *vocem suam:* prolixior enim sonus signum erat Dominum majestatis montem deseruisse.

17. *In occursum Dei*] Ut scilicet veluti sponsam populum illum Domino copularet. Stabant autem hoc ordine: Primum locum tenebant primogeniti, qui tunc ante Leviticum sacerdotium fuerunt loco sacerdotum; post hos stabant principes tribuum, deinde seniores & præfecti, & post illos cæteri viri Israël, deinde parvuli, deinde mulieres, & ultimo loco proselyti.

19. *Procederet*] h. e. resonaret vel clangeret; vel hic erit sensus, Cùm vox tubæ circumquaque diffunderetur. R. S. tamen juxta primum modum exponit, quòd vox illa non languescebat, sed semper crescebat & intendebatur.

21. *Dissipent*] Significat הרס propriè *diruere ædificium* & *diruptionem facere.* Et quoniam mons Sinai signatus erat, & fortassis sæpe aut ramis ex opposito castrorum interclusus, prohibetur hic nè diruptio per quemcunque fiat hominem.

FAGIUS.

1. *Ipsâ die*] i. ipso die quo recesserunt ex Raphidim. Hoc autem dicit quòd esset magna distantia ex Raphidim ad montem Sinai: q. d. Plus itineris confecerunt eo die quàm aliis diebus.

4. *Tanquam super alas aquilarum*] i. Portavi vos quasi in humeris meis, sicut aquila pullos suos portat in alis, præter morem aliarum avium, quæ pedibus portant. Aquila enim, ut A. E. ibi annotavit, altius volat omnibus avibus; ideo omnes ab ea sibi timent, ipsa verò à nulla. Est porrò & aquilæ natura, ut sensim pullos suos ad volandum excitare & provocare soleat; sicut & infrà Deut. 32. 11. Scriptura ad hanc aquilæ naturam alludit: Ità & Deus quasi more aquilæ populum suum excitavit, quando ex Ægypto eduxit. Fuitque, ut Hebræi quoque dicunt, nubes illa quâ duxit eos, instar expansionis alarum. R. S. hunc locum ità explicat. *Sicut aquila quæ portat pullos suos in alis suis. Omnes enim reliquæ aves pullos suos ponunt inter pedes suos, eo quod timeant sibi ab avibus quæ supra se volitant: Verum aquila non timet sibi nisi ab homine, ne fortè petat eam jaculo. Quia enim nulla avis altiùs ipsâ volet, propterea collocat pullos suos in alis suis, cogitans, Satius est ut in me penetret jaculum quàm in pullos meos. Ità & ego feci, inquit Deus, juxta illud*, Et profectus est angelus Dei, *&c.* & venit inter castra Ægyptiorum, *&c. Cumque Ægyptii mitterent jacula & lapides, ipsa nubes excepit ea.* Hactenus ille.

5. *Dilecti eritis coram me*] Heb. *Et eritis mihi in peculium*, סגלה, *Segulah* Hebræis *rem charam, pretiosam, quæque ab omnibus expetitur* significat: ut est argentum, aurum, gemmæ, aliæque res pretiosæ, cujusmodi Reges in thesauris suis reponunt. Vocat ergò Dominus populum suum *Segulah*, i. thesaurum unicè dilectum, præ cunctis populis, quia tradidit eis legem suam, vivendi formam præscripsit, contulitque eis regale sacerdotium: quod nulli nationi fecit. ¶ *Mea enim est omnis terra*] i. Tametsi omnes populi mei sint, tamen vos præ cunctis elegi, mihique peculiariter adjunxi; ex quo liquet quantum vos præ reliquis amem.

6. *Reges & sacerdotes*] Videtur hoc innui, Quemadmodum apud omnes populos Reges & Sacerdotes summi & præ cæteris honoratiores sunt, sic ego vos ex omnibus gentibus selegi, ut sitis præ omnibus populis præcipui, mihique dedicati. In Hebræo est, ממלכת כהנים *regnum sacerdotum*, vel *sacerdotale.* h. e. regnum non profanum, quod ex opibus & armis, sed quod ex sacerdotibus, rebus sacris & Divinis constat: q. d. Sacrum & Divinum erit hoc regnum. Nemo dubitet Spiritum S. hic potissimùm respexisse ad Christum, qui est verus ille Rex & Sacerdos, qui tandem ex populo Judaico secundùm promissiones Dei proditurus erat. Quandoquidem autem una est Judæorum & Gentium fides, unus Deus, unaque Ecclesia, cùm ad vitæ innocentiam & puritatem Christianum populum hortaretur Petrus, his verbis commodissimè est usus, *Vos*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium, populus qui in lucrum*, &c. q. d. Quemadmodum olim Deus Judæos præ cunctis gentibus sibi elegit ut essent populus peculiaris & gens sancta, ita & vos Christus suo sanguine sibi adquisivit, ut sitis gens sibi dicata & sancta, siquidem in simplicitate & innocentia coram eo ambulaveritis. Concordat cum paraphrasi hac nostra Apocalypsis Johannis cap. 1. 6. ubi sic legitur, *Fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo*, &c. Item cap. 5. 10. *Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram*, &c.

13. *Cùm intendetur tuba*] Sensus est, Dum satis protractus adeoque finitus est sonitus tubarum, tum ascendere potest populus; at præsente Domino nequaquam. Neque enim veto ut in perpetuum non ascendatis. Dum ergò sonitus cornu cessaverit, potestis ascendere. Prolixior sonus signum erat, Dominum majestatis montem deseruisse.

IDEM.

6. ואתם תהיו לי ממלכת כהנים וגוי קדוש *Et vos eritis mihi in regnum, sacerdotium, atque in gentem sanctam.*] Hunc locum propterea adducere volui, non quòd sit in redditione apud Interpretes magna discrepantia, sed quòd in sensu videtur esse diversitas. Lxx. enim ita intellexisse videntur quasi innuat hoc sacerdotium futurum præclarissimum & penè regale; atque ideo verterunt ipsi *regale sacerdotium. Regale* enim dici solet quod præclarum, eximium & magnificum est. Alii verò sic accipiunt, quasi innuat illud ex Sacerdotibus & rebus sacris ac Divinis esse conflandum, ut differat ab eis regnis quæ opibus & armis constabant; at hoc sacrum erat futurum: & hunc sensum Vulg. interpres suâ versione expressit. Sunt qui tria hæc faciunt hoc modo, *Et vos eritis mihi regnum*, (sive *reges*) *sacerdotes, & gens sancta.* Sed vide de hoc ampliùs in Bibliis meis Chaldaicis.

13. במשך היבל המה יעלו בהר *Cùm prolixiùs buccina insonuerit, tunc poterunt ascendere montem*,] Variatio est in verbo Hebraico במשך היבל, i. *cum traxerit buccina*, sub. *vocem suam:* prolixior enim sonus signum erat Dominum Majestatis montem deseruisse. Lxx. sensum potiùs quàm verba exprimere voluerunt, & Vulg. interpres ad principium soni refert; quod alii ad finem referunt; nisi fortè & ille per *clangorem* fortiorem & prolixiorem sonum intelligere quoque voluerit. Videtur enim משך *trahendi* verbum ambiguum esse & ad principium & ad finem soni sive clangoris. Potest & hujus loci is esse sensus, Quòd indicat Dominus per Mosen populo, quo tempore ex castris progredi debeant, & ascendere in montem, h. e. ad eum locum quem Dominus Mosen illis constituere jusserat, juxta illud quod dicitur, *Constituesque terminos populo per circuitum*, &c. Item, *steterunt ad radices montis*, nempe cùm audirent

dirent vocem sive sonitum tubæ, unde habetur in Textu, *Et ecce cœperunt audire tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris; Cúmque eduxis eos Moses de loco castrorum, steterunt ad radices montis*, &c. Et rursum, *Et sonitus buccinæ paulatim crescebat*, in majus & prolixius tendebatur. Ergò vox & sonitus tubæ signum erat præsentiæ Dei, ad cujus sonitum populus è castris prodire debebat, & stare in loco præscripto. Atqui hæc sententia postrema mihi magis probatur, ut quæ Textui proprior sit, quam & Vulg. interpres Latinus secutus esse videtur.

VATABLUS.

1. *Die ipso*, [ביום הזה] i. eo ipso die quo profecti sunt de Raphidim. Hoc ideo dicit quòd esset magna distantia ex Raphidim ad montem Sinai, q. d. Plus itineris confecerunt eo die quàm aliis diebus. Alii referunt ad finem diei mensis, q. d. Primo die mensis tertii venerunt in desertum Sinai.

3. *Ad Deum*, [אל האלהים] Hebræi subaudiunt *montem*, & legunt, *ad montem Dei*: in quo scilicet Deus se manifestavit, & Legem tradidit.

4. *Super alas aquilarum*, [על כנפי נשרים] Chald. paraph. *tanquam super alas aquilarum*, i. portavi vos quasi in humeris meis, sicut aquila portat pullos suos in alis, præter morem aliarum avium, quæ pedibus portant. Quidam Hebræorum magni nominis apud illos sic scribit in illum locum, *Omnes aves præter aquilam pullos suos ponunt inter pedes suos, eò quòd sibi timeant ab avibus quæ supra se volitant: verùm aquila non sibi timet nisi ab homine, ne forte petat eam jaculo, quia nulla avis altius ipsâ volat: propterea collocat pullos suos in alis suis, ità apud se reputans. Satius est ut me penetret jaculum quàm pullos meos. Ità & ego feci, inquit Deus: juxta illud*, Et profectus est Angelus Dei, *&c.* & venit inter castra Ægyptiorum, *&c. quumque Ægyptii mitterent lapides & jacula, ipsa nubes excepit ea.* Ab hujus interpretatione non recedit & ex doctioribus Hebræorum alter, dicens, *Nubes illa quâ duxit Israelitas Deus, fuit instar expansionis alarum.* Deut. 32. 11. scribitur, *Ut aquila quæ excitat nidum suum, super pullos suos cubat, expandit alas suas, accipit eum, portat eum super alas suas.*

5. *Thesaurus dilectus*, [סגלה] Hæc vox Hebræis rem charam ac pretiosam, quæ ab omnibus expetitur, significat: ut est argentum, aurum, gemmæ, aliæque res pretiosæ, cujusmodi Reges in thesauris suis reponunt. Vocat ergò Dominus populum suum סגלה, i. thesaurum unicè dilectum præ cunctis populis; quia tradidit eis Legem suam, vivendi formam præscripsit, contulitque eis regale sacerdotium, quod nulli nationi fecit. ¶ *Quia mea*, &c. [כי לי וגו׳] q. d. Tametsi mei sunt omnes populi, diligam tamen vos unicè, & supra omnes alios populos.

6. *Regnum sacerdotale*, [ממלכת כהנים] Ad verb. *regnum sacerdotum*, h. e. regnum non profanum, quod ex opibus & armis, sed quod ex Sacerdotibus, rebus sacris ac Divinis constat, q. d. Sacrum ac Divinum erit hoc regnum. Vel *sacrum regnum* vocat, quia totus populus quasi regiâ liberalitate præditus erat, & ex ejus corpore electi erant Sacerdotes. Alii exponunt, *Quemadmodum apud omnes populos Reges & Sacerdotes summi, & præ cæteris honoratiores sunt, sic ego vos ex omnibus Gentibus selegi, ut sitis præ omnibus populus præcipui, mihique dedicati.* Petrus epist. 1. c. 2. v. 9. vocat *regale sacerdotium*: quod idem valet. Chald. paraph. vertit, *Reges & Sacerdotes*: cui concordat locus Apocalypsis, 1. 6. & 5. 10. *Et fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram.*

7. *Proposuitque eis*, [וישם לפניהם] Ad verb. *& posuit in conspectu eorum.*

9. *Venio*, [בא] Præs. Heb. pro fut. *mox venturus sum.* ¶ *In densitate nubis*, [בעב הענן] i. in densissima nube. ¶ *Jehova*, [אל יהוה] Dativus. i. dixerat Moses Domino quòd populus non crederet eum esse missum ab ipso Deo, ut eos liberaret.

10. *Et sanctifica eos*, [וקדשתם] i. præpara.

11. *Descendet Jehova*, [ירד יהוה] Hebraismus, tertia persona pro secunda, *descendam.*

13. *Non tanget eum manus*, [לא תגע בו יד] i. nemo consequetur eum qui tetigerit montem, ut eripiat eum, nè lapidetur. ¶ *Lapidando*, &c. [סקל וגו׳] i. lapidibus obruetur, & conficietur jaculis. ¶ *Quum protraxeris buccina*, [במשך היבל] Sub. *vocem.* i. quum prolixiùs insonuerit. *Jobel*, cornu est, aut buccina, aut sonus ipse. Sensus est, Dum satis protractus adeóque finitus fuerit sonitus tubarum, tum ascendere potest populus, at præsente Domino nequaquam: neque enim vero, ut in perpetuum non ascendatis: dum ergò sonitus cornu cessaverit, poteritis ascendere. Prolixior sonus, signum erat Dominum majestatis montem deseruisse.

15. *Uxoribus*, [אל אשה] Sing. Heb. pro plur. i. nè contingatis uxores vestras: abstinebitis triduo ab uxoribus.

16. *Densissima*, [כבד] Ad verb. *gravis.* ¶ *Et clangor*, &c. [וקל וגו׳] Ad verb. *& vox buccinæ* (vel, *tubæ*) *fortis valde.* ¶ *Expavitque*, [ויחרד] *Intremuitque*, vel, *intremere cœpit.* q. d. Nullus fuit qui ad hæc non expaverit.

18. *Fumus ejus*, [עשנו] Sub. montis. ¶ *In igne*, [באש] i. in medio ignis. q. d. circundatus igne. ¶ *Et commotus est*, [ויחרד] *Et intremuit.*

19. *Procedens*, [הולך] i. strepitus tubæ promovebatur, sive augebatur. ¶ *Et invalescebat*, [וחזק] Ad verb. *& se roborans.* Toar vice participii. ¶ *In voce*, [בקול] Sub. *clarâ & exaudibili.*

21. *Contestare populum*, [העד בעם] *Denuntia populo quasi testibus adhibitis.* ¶ *Ne deserant*, &c. [פן יהרסו וגו׳] Ad verb. *ne destruant ad Jehovam.* i. nè statione suâ desertâ, vel destructis ordinibus, ascendant ad Jehovam. V. 24. adjecit verbum quod hic subintelligi debet, quum ait, *Ne diruant, ut ascendant*, &c. ¶ *Ut videant*, [לראות] Sub. *eum*, vel *gloriam ejus.* ¶ *Multitudo*, [רב] *Maxima* pars, vel, *magna.*

22. *Sanctificent sese*, [יתקדשו] *Sanctificentur.* ¶ *Ne fortè dissipet*, &c. [פן יפרץ וגו׳] Ad verb. *nè rupturam faciat in eis Jehova*; vel, *divisionem faciat*, i. vim afferat eis, aut interficiat eos.

23. *Contestatus es nos*, [העדתה בנו] *Denuntiasti nobis.* Vide v. 21.

24. *Nè diruant*, [אל יהרסו] *Nè dissipent.* ¶ *Nè forte dissipet eos*, [פן יפרץ בם] Vide v. 22.

CASTALIO.

23. *Certos ei terminos statuimus*] Ad verbum sic legitur; *Tu nos admonuisti his verbis, Defini montem, eumque lustra.* Atqui non montem Deus definiri & lustrari jusserat paulò antè, sed populum: itaque non הָהָר, sed הָעָם legendum videtur.

CLARIUS.

1. *Mense tertio*] Ex mansione Raphidim ierunt in solitudinem Sinai quadragesima septimâ die post egressionem Israelis de Ægypto, tertio scilicet mense, die primâ: sic enim intelligunt per id quod ait, *in die hac.*

4. *Super alas aquilarum*] h. e. portavi vos quasi in humeris, sicut aquila pullos suos portat in alis, præter morem aliarum avium, quæ pullos suos pedibus suis quò volunt portant.

5. *In peculium*] Alius vertit, *thesaurus prædilectus.* Sic vocat Dominus populum suum cui legem suam tradidit, & vivendi formam præscripsit, ac regnum sacerdotale contulit, cujus loci & Petrus Apostolus fecit mentionem. Diligentissimè autem observandum est, in libris V. Testamenti præceptionibus & minis Legis semper esse permixtas promissiones & consolationes Euangelicas: quemadmodum in ipsâ statim transgressione ipsius Adæ promisit Deus mulieri per diabolum deceptæ Semen quod caput illius contriturum erat, virúsque è faucibus illius erepturum. Atque eæ promissiones interdum habent additas conditiones, ut, *Si obedieritis voci meæ, eritis mihi in peculium*: aliquando liberæ sunt, ut promissio facta Abrahæ. Tanta interim est clementia Dei, ut etiam si conditiones adjectæ non serventur, promissiones tamen Dei non fiant irritæ, sicut ex hoc eodem loco constat, *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale*; quod Petrus de credentibus in Christum interpretatur. Judæi enim non fecerunt quæ promissio illa requirebat: reliquum ergò erat ut gratuitò per Christum contingeret credentibus.

10. *Sanctifica illos*] Capitur hic *sanctificare* pro *præparare.*

13. *Cum prolixius clanxerit buccina*] Prolixior sonus signum erat Dominum majestatis montem deseruisse.

15. *Et nè appropinquetis uxoribus*] Vide ut ei qui versaturus cum Deo sit omnibus, etiam quæ alioqui licitæ sunt, carnis voluptatibus sit abstinendum.

17. *In occursum Dei*] Ut scilicet populum illum veluti sponsam Domino copularet. Stabant autem hoc ordine: Primum locum tenebant primogeniti, qui tunc ante Leviticum sacerdotium fuerunt loco sacerdotum; post hos stabant principes tribuum, deinde seniores, & præfecti, & post illos cæteri viri Israel, deinde parvuli, deinde mulieres, & ultimo loco proselyti.

Digitized by Google

18. *Tremuit universus mons*] Idcirco reperies Testamentum hoc appellatum *terraemotum*.

19. *Crescebat in majus*] Vel, *procedebat*, h. e. resonabat, vel clangebat, neque languescebat, sed semper intendebatur, vel circumquaque diffundebatur.

21. *Transcendere terminos*] Fortasse mons sepe aliquâ aut ramis ex opposito castrorum erat interclusus, iccirco prohibetur hic nè diruptio per quemvis hominum fiat.

23. *Non poterit vulgus ascendere*] Videtur hic esse sensus, Non metuo ne ascendat, cum tu eis fueris interminatus.

D R U S I U S.

1. M*Ense tertio egressionis Israel è terra Ægypti*] Vel, *novilunio tertio*. Nam in fonte חדש, quod propriè *novilunium* denotat. Appellatio ab *innovando*. Nam tunc luna innovatur. *Novilunium tertium* est Novilunium mensis tertii, qui *Sivan* Hebræis, tertius à Nisan, quo mense egressi sunt ex Ægypto. Sensum ergò expresserunt qui verterunt, *In novilunio mensis tertii*. Dico sensum, non verba. Cùm enim in Hebræo sit בחדש, non potest verti, *In mense tertii*. Nam hoc Hebraicè diceretur בחדש cum Scheva sub Beth. Quid igitur? vertendum aut *mense tertio* cum veteribus, aut *novilunio tertio*. Multi putant hunc diem fuisse quadragesimum septimum egressionis ex Ægypto. Qua de re fusè in A. M. Non libet repetere. A *novilunio* integer mensis dictus putatur חדש. Sic à *die septimo*, quem *sabbatum* appellant, tota *septimana* nomen obtinuit. Nam dicimus μία τῶν σαββάτων pro eo quod est *primus dies hebdomadæ*. Id RR. dicunt חד בשבא, *unus in sabbato*, vel אחד בשבת, quod idem cum illo, *primus sabbati*. Notavi aliàs. Nunc observo, quod Tremellius interpretatur, *in novilunio mensis tertii*, non posse excusari nisi eo modo quo dixi. Nam si sensum expressit, tamen verba malè reddit. Quod puncta, quæ nunc in fonte, clarè docent. Nec dubitabit qui vel mediocrem rerum Hebraicarum peritiam habet. Dices, an non Tremellius habuit? Habuit plusquam mediocrem: sed quis non aliquando hallucinatur? Ille olim, ego nunc, & alius post nos. Usque adeò verum est illud, *Nonnunquam bonus dormitat Homerus*.

I D E M.

5. סגלה· Th. ἐξαίρετος, *peculiaris*] In Fragm. meis M M. SS. λαὸς ἐξαίρετος, *populus peculiaris*. Posset etiam reddi *populus eximius*. Sed Hebrææ voci magis quadrat *peculiaris*. Sanè quartum prædicabile סגלה vocant. Hieron. in comment. Mal. 3. סגלה· *Aquila* περιούσιον, *cæteri* περιποίησιν *interpretati sunt*, Cohel. 2. 8. A. οὐσίας. Sym. κειμήλια. Hieron. hoc loco, *eritis mihi peculium*. Lxx. περιούσιον.

10. וקדשתם· Schol. *Cæteri*, ἁγίασον αὐτοὺς, *sanctifica eos*] Æmulatus est Hieron. Priùs erat in Lxx. ἅγνισον αὐτοὺς, *lustra eos*.

12. והגבלת· ὁροθετήσεις, *Terminos constitues*] גבול *terminus*, ὅρος. unde ὁροθέτης, *qui terminos*, vel *limites*, *alicujus regionis aut agri statuit*, *designator terminorum*: & ὁροθετέω, *terminos designo* aut *statuo*. Quis ità vertorit, incertum. Suspicor de Aquila. Forsan alii quoque ità verterunt. Si me non fallit augurium, οἱ λοιποὶ, quod in edit. Rom. ante ἁγίασον, pertinet etiam ad ὁροθετήσεις. Terminos designabis aut statues.

13. ירה יירה· A. ῥοιζήσει. Sym. βέλεσιν. Th. τοξευόμενος] Ῥοιζήσει, *cum magno impetu ac stridore occidetur*. ῥοίζημα, *impetus qualis est sagitta volantis cum stridore*. ¶ Τοξευόμενος, *sagittis ex arcu emissis confixus*.

22. יפרץ· A. διακόψῃ, *dirumpat*, vel *dirimat*. Sym. διαφθείρῃ, *corrumpat*.

N O T Æ M A J O R E S.

1. M*Ense tertio egressionis filiorum Israel è terra Ægypti, in die hac venerunt in desertum Sinai.*

2. *Nam profecti sunt de Raphidim & venerunt in desertum Sinai, castrametatique sunt in deserto illo, ibique Israel castra posuit coram monte.*

In die hac] Jonathan addit, *in prima mensis*. Si verum hoc, tum pervenerunt in solitudinem Sinai ipsis calendis. Tuetur hanc sententiam ex doctoribus Ebræis R. Moses. Cui firmando quod חדש propriè novilunium. Appellatio ab innovando. Nam tunc luna innovatur. Hic dies putatur fuisse 47. egressionis. Rupertus, *Porro hic mensis tertii primus dies, a primi mensis quartadecima die, qua agnus immolatus est, juxta lunarem supputationem quadragesima septima est*. Hiero. Fabiolæ, *ad quem* (montem Sinai videlicet) *quadragesimo septimo die post exitum de Ægypto pervenerunt*. Idem scribit Lippomanus. Aliter paulò Cajetanus, *Crediderim ego*, inquit, *fuisse hanc quadragesimam quintam diem supputatis extremis. Nam quindecim dies primi mensis, & viginti novem secundi, & primus tertii, constituunt* 45. *dies. Menses enim lunares supputantur*. De primo die mensis exponit etiam Nicolaus. Alii, eo ipso die quo egressi sunt q. d. unius diei itinere illo pervenerunt. Tremel. *In novilunio mensis tertii &c. eo ipso die*. Sic etiam editio Gallica. Modo diximus חֹדש sig. propriè novilunium. Etiamne hoc loco? Non videtur. Primum quia in Ebræo est בחדש & non בְּחֹדֶשׁ: deinde quia cæteri omnes interpretes vertunt, *mense tertio*. Sane novilunium tertii mensis Ebra. diceretur חֹדֶשׁ השלישי absque articulo, qui cum nunc sit in fonte, Tremellii illam versionem planè convellit. Neque Abenezra hoc dicit, cujus hæc verba sunt, si Latinè interpretari licet, *Nescimus sensum illius, in die hac, nisi recta expositio R. Mose, in novilunio, ut alibi, cras in novilunio, ubi* חדש *in Ebræo. Meminit autem hujus Scriptura, quia post paucos dies, quam ibi castra posuerunt, data fuit Lex. Fortè die primo ascendit Moyses ad Deum & descendit & locutus est cum Israele: die autem tertio mensis ascendit iterum ad referendum responsum populi, & ibi dictum est ei quod post diem tertium danda esset Lex. Sed hæc omnia conjecturæ tantùm nituntur. Porro traditio habet, Legem datam fuisse die sexto mensis Sivan*. Glossa ordinaria, *In die hac, hoc est* 47. *die, postquam egressi sunt de Ægypto, prima die scilicet Junii pervenerunt ad montem Sina: ibique peractis duobus diebus, quibus sanctificati sunt, tertio, hoc est, quinquagesimo Legem acceperunt, & hæc est Pentecoste*. ¶ *Israel*] *Principes tribuum & Senes populi*. Aben. Alioqui tautologia est in verbis Mosi. *Ibi castrametatus est Israël unanimiter*. Jonathan. *Tanquam vir unus & corde uno*. R. Salomo. *Nam in reliquis fere mansionibus murmuratum fuit*. Idem. ¶ *Coram monte*] Vel, *ante montem*. Hiero. *è regione montis*. Lxx. κατέναντι τοῦ ὄρους, contra montem. Sic etiam Santes. R. Salomo, *Ad orientem ejus*. Idem ait, ubicunque נגד invenitur, orientem innui. Quod refutat Abenezra. Nam legimus sane, *è regione circum tabernaculum conventus castrametati sunt*, nempe à quatuor plagis, prout vexilla proficiscebantur. Viderit ergo Nicolai Studiosus, quid ad hæc ejus verba respondeat, *E regione montis ad partem Orientalem, ut sic adorarent* DOMINUM *descendentem super montem Sinai, quia Judæi adorant versus occidentem: unde & tabernaculum & templum sic fuerunt disposita, ut ingressus esset à parte Orientali, ut ad partem oppositam adorarent sacerdotes, sicut & stellæ cæli ab Oriente moventur in Occidentem quasi adorantes ad partem illam: unde Nehem.* 9. *Exercitus cæli te adorat*. ¶ *Monte*] Sinai, qui à sinu Arabico 600. fere miliaribus Italicis distare dicitur. Quod notavit ad hunc locum Hiero. ab Oleastro Lusitanus, vir sane doctus.

3. *Moses autem ascendit ad Deum, & clamavit ad eum* DOMINUS *è monte, dicendo, Sic dices domui Jacob, & annunciabis filiis Israel.*

4. *Vos vidistis quæ fecerim Ægyptiis, ut sustulerim vos super alas aquilarum, & adduxerim vos ad me.*

5. *Nunc ergo, si audiendo audiveritis vocem meam & custodieritis pactum meum, eritis mihi peculium præ omnibus populis: mea est enim omnis terra.*

Ascendit ad Deum] Non est dubium, quin Deus eum ante vocaverit. Nam non ausus fuisset ascendere invocatus. ¶ *E monte*] è summo monte. Moses enim in aliqua ejus parte erat. Facit ei rei fidem verbum *Ascendit*. Nam non ascendimus nisi in locum altiorem. Vel, ascendit versus cacumen montis, ubi Deus erat: sed priusquam eo venisset audivit Deum clamantem. Jonathan, *Ascendit die secundo in verticem montis*. R. Salomo, *Ascendit die altero & quidem primo mane*. Nam omnis ascensio Mosis matutina erat, juxta illud, *Et surrexit Moses mane mane*. ¶ *Domui Jacob*] *Viris domus Jacob*. Jerosolymitanus. *Fœminis*. Jonathan. *tam præsentibus quam eorum filiis ac nepotibus*. Abenezra, *mox se explicat cum ait, filiis Israel*. R. Levi. *Si fœminæ fuerint loqueris cum eis molliter ac placide* R. Salomo. ¶ *Filiis Israel*] *Domui Israel* Jonathan. *Synagogis filiorum Israel*, Jerosolymitanus. *Senibus*, Abenezra. *Idem aliter*. R. Levi. Qui postquam annotasset חדש sumi pro novilunio & pro mense, quemadmodum Sabbathum & pro hebdomada accipitur, & pro die septimo, postquam, inquam, hoc annotasset, subjicit, Legem datam fuisse circa festum hebdomadarum, videlicet tertio die mensis vel sexto. Nam hoc in dubio relinquit. Deinde addit populum primo castra posuisse in deserto, postea propius accessisse ad montem,

tem, ducente eos columna nubis, quæ præcedebat. Hæc obiter, & quasi ἐν παρόδῳ. Sunt etiam qui exponant, *Ascendit ad* DOMINUM, ad montem DOMINI. Simile, *Ivit ad Pompejum* pro ad domum Pompei. Sic *mons DOMINI* pro mons domus DOMINI. ¶ *Quid fecerim Ægyptiis*] Quas plagas eis intulerim propter vos. ¶ *Ut sustulerim*] Hiero. *quomodo portaverim.* ¶ *Super alas aquilarum*] Vel potius, *alis aquilinis* i. quam velocissimè. Proverbialiter sumptum à natura aquilæ quæ ceteras aves volatu vincit; unde & illud, *Volat ut aquila.* Consule Proverbia mea. Porro fabulosum videtur quod hic R. Salomo annotat, cujus & Nicolaus meminit, *Aquila*, inquit, *portat pullos suos super alas suas, contra ac reliquæ omnes aves quæ filios suos inter pedes ponunt, quia metuunt aves alias supra se volantes. Verum aquila non metuit nisi ab homine sagittandi perito. Nulla enim avis supra eam volat. Ideo ponit pullos suos supra alas suas. Dicit, satius est sagittam penetrare meum corpus, quam pullorum meorum. Similiter ego feci, ait* DOMINUS, *Nam profectus est angelus* DOMINI *&c. & venit inter castra Ægyptiorum &c. Ægyptii autem mittebant sagittas & lapides balistæ, & nubes recipiebat eas.* Consimilia scribit Lippomanus Autor Catenæ Patrum. Sed vide sis Tremel. & Gallicam editionem. Jonathan, *Tuli vos super nubes quasi super alas aquilarum è Pelusio, & adduxi vos ad locum Sanctuarii, ut faceretis ibi Pascha, ea ipsa nocte reduxi vos Pelusium.* Jerosolymitanus, *Portavi vos super nubes leves, ut super alas aquilarum.* ¶ *Ad me*] *Ad cultum meum.* Onkelos. *ad doctrinam Legis meæ.* Jonathan. Jerosolymitanus. *ad montem meum.* Ego. *ut mihi servi sitis meisque legibus vivatis.* Tremel. *Quoniam gloria mea descendit in montem istum, qui est mons Dei Sacrosanctus. Et ecce dicit Moses, Servietis Deo in monte isto, & est habitaculum tuum Sacrosanctum.* Abenezra. ¶ *Audiveritis vocem meam*] *Audientes dicto mihi fueritis.* ¶ *Vocem meam*] *Sermonem meum.* On. & Jon. *vocem Sermonis mei.* Jerosolymitanus. ¶ *Audiendo audiveritis*] *Admittendo admiseritis.* On. Jon. ¶ *Fœdus meum*] *Quod pangam vobiscum de observatione legis*, R. Salomo. *Legem meam.* Nicolaus. *Pactum quod paciscar vobiscum, est pactum illud quod pepigit Moses cum Israele post datam Legem, quum extruxisset altare, quemadmodum dicam suo loco*, Abenezra. *Pactum quod pepigi cum Abraham*, Rupertus. ¶ *Peculium*] Vel magis, *cimelium.* Nam peculium propriè servi est aut filii familias. Lex. vet. Πεκούλιον, ὑσία αὐτεξουσίε ἢ δούλε, *peculium.* Κειμήλιον autem quod in nostra supellectile ceteris pretiosius magna cura recondi solet, idemque sig. quod θησαυρός. Sane סגלה à R. Salomone definitur thesaurus charus, cujusmodi sunt vasa pretiosa & gemmæ aliaque quæ recondi solent: unde סגלת מלכים cimelium regum. Abenezra interpretatur dicens esse rem honoratam & expetibilem. Hiscuni, dilectam & charam. Autores ita interpretandi habet Onkelon & Jonathan: à quibus non dissentit autor Jerosolymitanæ, referens, *eritis mihi dilecti ut cimelium.* Hiero. *in peculium* לסגלה· Lxx. λαὸς περιούσιος. Theodotio ἐξαίρετος electus aut peculiaris. Quod Ebrææ voci magis respondet. Vide Steuchum Deut. 7. cujus hæc sunt, *Peculiarem & proprium populum dicit eum esse, cujus possessio non alium attingat, ejusque unius censeatur, ut proprius ejus sit, tum quod alterius non est, tum quia ipse non habeat alterum.* Ceterum περιουσίαν vocant Græci, quod cum supersit reconditur, à verbo περίειμι, supersum. Sic Geta ille Terentianus peculium suum definit, quod unciatim vix de demenso suo suum defraudans genium comparsit miser. Ejusmodi autem facultates maximè omnium proprias nobis putamus & charissimas, adeò ut vix extremis necessitatibus quicquam ex illis desumatur. Cohel 2. סגלת, A. οὐσίας. Sym. τεκούλια: & alibi, A. εἰς περιούσιον, ceteri, εἰς περιποιησμόν. Sym. ἐξαίρετον. Cum Aquila consentit editio quinta: nec mihi ullum dubium quin huc respexerit Apostolus, cum ita scriberet Tit. 2. καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον i. populum peculiarem. עם סגלה· ¶ *Mea est enim omnis terra*] Vel, *quamvis mea sit omnis terra* i. omnes populi aut nationes terræ. Aben. *particula* (*enim*) *pertinet ad, præ omnibus populis. q. d. mei enim sunt omnes populi terræ.*

6. *Et vos eritis mihi regnum sacerdotum, & gens sancta: Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel.*

Regnum Sacerdotum] i. sacerdotale. Duo genera sacerdotum. Unum eorum, qui publicè sacris operantur: aliud eorum qui privatim se consecrant Deo sanctimonia vitæ: unde sequitur, *gens sancta.* De his 1. Petr. 2. 5. & 9. Senes hic habent βασίλειον ἱεράτευμα: quomodo & Apostolus in loco citato. Est autem venusta inversio verborum Mosis. Obiter observo. Pro λαὸς περιούσιος, qui Ebraicè dicitur סגלה, in Apostolo legi λαὸς εἰς περιποίησιν, quod interpres Vulgatus reddit, *populus acquisitionis.* Alius recentior, *populus quem sibi Deus ut proprium vendicat*, nempe quia סגלה proprium, ut diximus. Nunc ad rem. Hiero. *regnum sacerdotale.* Onkelos, *reges, sacerdotes.* alias, *regnum sacerdotum.* Nam exemplaria variant. Jonathan, *reges coronati.* (ad verbum *vincti coronis*) *& sacerdotes ministrantes.* Jerosolym. *vos eritis nomini meo reges & sacerdotes.* R. Salomo, *regnum principum, ut ibi, & filii David sacerdotes erant i. principes.* Nicolaus, *Regnum maximum, quia nomine sacerdotis aliquando majoritas intelligitur, sicut supra dictum est de Jetro cap. 2. & 2. Reg. 8. dicitur; Filii David sacerdotes erant i. majores & primi post regem.* Locus iste conferendus est cum aliis duobus, qui habentur Apocalyp. 1. 6. & 5. 10. *fecit nos reges & sacerdotes*, ubi Vulgatus interpres, *regnum & sacerdotes.* Quod idem cum illo, *regnum sacerdotale.* Forte sensus est, Quod reges & sacerdotes sunt in repub. id vos eritis mihi. Vult dicere, in maximo honore ac pretio vos habebo? Aliter Cajetanus, *Promittitur*, inquit, *opulentia honorabilis ex speciali cura ipsius Dei perinde ac si universum regnum integraretur ex sacerdotibus. Mos enim erat ut sacerdotibus ex ærario publico provideretur honorabiliter.* Sed adito sis ad illum, si vacas. Lippomanus, *Regnum illud ex sacerdotibus & rebus sacris ac divinis esse constandum innuit, ut differat ab iis regnis quæ opibus ac armis constabant. At hoc sacrum ac divinum erat futurum. Chaldaica vero editio habet, Reges & sacerdotes, ut sit sensus, Ungam vos omnes interius gratia mea & sacerdotes ordinabo spirituales hostias i. orationes offerentes.* R. Levi, *Non faciam vos servire servitutem duram, sed reddam vos ingenuos vel nobiles & honoratos, sic ut futuri sitis regnum sacerdotum & principum.* Vide Vatablum. ¶ *Gens sancta*] ἔθνος ἅγιον. Lxx. & 1. Petr. 2. 9. Sancta i. ad Dei cultum applicata. Vide Nicolaum. Hic duo notanda. Primum gentis vocabulum usurpari de Israelitis: deinde addi epitheton *Sancta*, quo distinguitur ab aliis gentibus profanis. Ut hic *gens Sancta*, sic alibi *Sancti* vocantur pii ac fideles: interdum peculiariter restringitur id nomen ad sacerdotes. On. & Jon. *populus sanctus.* Jerosoly. *natio Sancta.*

7. *Venitque Moses & convocavit Senes populi, & posuit coram eis omnia verba hæc, quæ præceperat ei* DOMINUS.

8. *Et responderunt omnis populus pariter & dixerunt, Omnia quæ locutus est* DOMINUS *faciemus: retulitque Moses verba populi ad* DOMINUM.

Venitque Moses] *Venit in castra illo ipso die.* Aben. Jonath. Hiscu. ¶ *Senes populi*] *Sapientes populi*, Jerosoly. *Majores natu populi.* Hieronymus. τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ. *Seniores populi.* Lxx. ¶ *Posuit coram eis*] Proposuit eis. Sic alibi, *Hæc est lex quam posuit Moses.* Saadias refert ad illud, *pone in ore ipsorum.* ¶ *Posuit*] Hiero. *exposuit.* On. Jon. Jerosoly. סדר ordinavit i. ordine exposuit. Lxx. παρέθηκεν αὐτοῖς, quod reddunt, exposuit eis. ¶ *Omnia verba*] *Neque addidit quicquam, neque detraxit.* R. Salomo. Abenezra hæc intelligenda putat de Lege oretenus tradita, quæ sit explicatio Legis scriptæ. ¶ DOMINUS] *Sermo* DOMINI. Jerosoly. ¶ *Responderunt*] *Corde suo integro ac syncero.* Idem. ¶ *Pariter*] ὁμοθυμαδὸν Lxx. *simul.* Hiero. יחדו· On. Jon. Jerosol. Id ad verbum sonat, *tanquam unus.* Lex. vet. ὁμοθυμαδὸν, *universim, una, pariter, gregatim, simul.* Interpres Romanus, *unanimiter.* ¶ *Retulit*] *Postridie, hoc est, die tertio mensis.* R. Salomo. *Qui erat quartus hebdomadæ.* Hiscuni. וישב μονάζει in hac lingua. *Non enim extat aliud simile, in quo Vau similiter addita*, inquit Abenezra. Ceterum Japheth exponit, teste eodem, *ut vir unicus tantum, quia non erat alter ibi. Alter*, i. משנה secundus. ¶ *Et retulit*] *Cum oratione sive precibus.* Jerosolymitanus.

9. *Et dixit* DOMINUS *ad Mosen, Ecce ego venio ad te in densitate nubis, ut audiant populus quum loquar ego tecum, & etiam in te credant in seculum: nuntiaverat enim Moses verba populi* DOMINO.

10. *Dixitque* DOMINUS *ad Mosen, Ito ad populum & sanctifica eos hodie & cras, laventque vestimenta sua.*

11. *Et sint parati in diem tertium, Nam die tertio descendet* DOMINUS *in oculis totius populi super montem Sinai.*

Et dixit DOMINUS] *Die tertio.* Jonathan. ¶ *Ecce ego venio*] Ecce ego patefacio me, sive appareo tibi. On. Jon. *ecce sermo meus patefit tibi.* Quo sensu Deus dicatur venire ad nos, docet Thomas per hæc verba super Job. cap. 9. Lect. 3. *Deus venire ad hominem dicitur, quando ei sua beneficia largi-*

largitur, *sive intellectum ejus illuminando*, *sive qualitercunque ei benefaciendo.* *Unde Jes.* 35. *Deus noster ipse veniet & salvabit nos.* Et rursum, *Venire Deum in Scripturis metaphoricè dicitur. Sicut enim dicitur sol intrare domum in quantum radius ejus pertingit ad domum: Sic dicitur Deus venire ad nos in quantum percipimus influentiam bonorum ipsius.* Hæc ita rectè quidem dicuntur: Ceterum hoc loco, *veniens ad te*, nihil aliud est quam, *apparebo tibi*, ut rectè Chaldæi explicant. Alibi autem tam favorem, quàm pœnam includit. Favorem, ut ibi, *quando venias ad me.* Pœnam, ut in illo, *& venit ad domum furis.* Locus est Zacha. 5. 4. Huc retulerim quod Nah. 3. 5. *ecce ego ad te, & retegas fimbrias tuas.* sub. veniam. Sic Nah. 2. 13. *ecce ego ad te.* sub. venio, nempe ut pœnas expetam de factis tuis, aut veniam supplicium sumpturus de te. ¶ *Venio*] Veniam aut venturus sum. Illud Hiero. transtulit. Hoc alii, ut Lxx. παραγίγνομαι πρὸς σε. ¶ *In densitate nubis*] In nube densissima. Hiero. *in caligine nubis.* R. Salomo, *in denso nubis*, *& hæc est caligo* i. ערפל· Lxx. ἐν στύλῳ νεφέλης בעבור הענן· Onkelos & Jonathan בעיבא in densitate. עב densus & densitas, ut צר angustus & angustia, עד testis & testimonium, תם integer & integritas. Sic אל potens & potestas. Aut verte, *in denso nubis.* Densum τὸ πυκνόν i. densitas. Sic τὸ πικρὸν, amarum, amaritudo. ¶ *In te credant*] Ebraismus pro, *tibi credant.* Quod Græcè legitur σοι πιστεύσωσιν. Ebraismum retinent Chaldæi: ceteri eum mutant, in queis & Hiero. qui vertit, *Credat tibi.* Tremel. quoque, *etiamque tibi fidant.* ¶ *In seculum*] εἰς τὸν αἰῶνα, in æternum. ¶ *Nuntiaverat*] Indicaverat. Videndus Abenezra. Hiero. *nuntiavit ergo.* Tremel. *cum renuntiasset.* R. Salomo *postridie qui erat quartus dies mensis.* ¶ *Verba populi*] Ex responso colligi potest eos postulasse, ut Deus se patefaceret, vel ut ipsum loquentem audire possent. Quod indicat R. Salomo per hæc verba, *Audivi eos dicentes*, *Cupimus audire ex te. Non perinde est*, *utrum audias aliquid ex ore legati an ex ore ipsius regis. Voluntas nostra est videre regem nostrum.* Idem ad illud, *in te credant*, addit, *& in prophetas qui te sequentur.* Si rectè dicimus ex Ebraismo, *credo in Mosen & in prophetas*, cur non etiam dicere liceat, *credo in ecclesiam* &c? Observant Ebræi verbum ויגד non dici nisi de re novâ, cujus antea nulla facta mentio. Vide hoc loco Abenezram & Hiscuni: quorum ille de Indis & Ægyptiis scribit quod credant hominem, quicum Deus loquitur, non posse vivere. In hac hæresi putat fuisse etiam ex filiis Israel. Cum ergo dubitatio esset eâ de re, fuerunt qui Deum coram audire desiderarent. Ideò ait, *ut audiat populus*, *cum ego loquar tecum*, nempe decem præcepta. Quod autem sequitur, *& credant in te*, pugnare videtur cum illo, *crediderunt in Deum & in Mosen.* Respondeo, plerosque credidisse, non omnes, vel simul lege, *& etiam tibi credant in æternum.* q. d. non nunc tantùm, sed etiam in posterum. Dixi nihil aut parùm referre utrum quis dicat, *credo tibi* an *in te.* Qui hoc negat, cum ego jubeo ἄπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ: non quod ita judicio nostro confidimus, sed quia ut nolumus adversus animi nostri sententiam verum oppugnare, sic adversus quorundam imperitiam illud tueri nullum prorsus periculum esse puto. ¶ *Ito*] I, vade. ¶ *Ad populum*] Sub hoc nomine etiam Senes continentur populi, ad quos Moses verba Dei referebat. ¶ *Sanctifica*] Cura sanctificari per Senes. Onkelos & Jon. *repara.* Sic etiam R. Salomo. Lxx. ἅγνισον, purifica, lustra. Ceteri ἁγίασον, ut Hiero. *sanctifica. Sensus est*, inquit Abenezra, *ut se lavent aquâ*, vel, *in aquâ.* Id firmant consequa verba, *& lavent vestimenta sua.* Etiam Venus hominem polluebat. Ergo is quoque se sanctificat, qui ab eâ abstinet. Vide infra vers. 15. Externi hi ritus figurabant internam munditiem, quam imprimis Deus requirit. Supra, *& eritis mihi gens sancta.* Id exponit R. Levi, *qua non se polluit factis turpibus & inhonestis*, *ut reliquæ gentes.* De his vide sodes Eusebium præfat. in libros Προπαρασκ. Mihi non displicet glossa illa, *sanctifica i. prapara.* Sic interpretantur, *sanctificate jejunium*, præparate populum ad jejunium. Eundem sensum continet, *sanctificate cœtum* Joel. 2. 16. & *sanctificate bellum* 3. 9. i. præparare aut indicite. Adhibe Tremel. hoc loco. ¶ *Hodie*] Die quarto mensis Sivan. ¶ *Cras*] Die quinto. Nam sexto Lex dabatur. Paulò aliter Cajetanus, *Quia* 50. *die datam credimus legem*, *hæc verba dicta fuerunt* 48. *die. Tertius siquidem dies quadragesimo octavo est quinquagesimus.* Vide sequentia. ¶ *Lavent*] On. & Jon. *dealbent.* Nam sordes candidam vestem denigrant. R. Levi locum illum, *ut audiant populus*, interpretatur, *ut videant. Nam*, *sensuum verba*, inquit, *permutantur.* Sane legimus, *& populus videbat voces* i. audiebat: &, *vide odorem filii tui.* Aliam interpretationem adducit, quam etiam magis probat, videlicet, *ut audientes dicto sint*, *ut auscultent tibi.* Idem, *sanctifica eos* exponit, *da operam ut abstineant à congressu Venereo sive à coitu.* Abenezræ explanatio, quam supra produximus, robur accipit ex usu loquendi Ebræorum, qui lotionem manuum ac pedum vocant קדש id est Sanctificationem. Nam totius corporis ablutionem טבילה nuncupant. ¶ *Vestimenta sua*] Nam quæ lota & pura, Deo placent: unde illud Tibulli, *Casta placent superis*, *pura cum veste venito.* Porro candida vestis animi puritatem significabat: ex quo ille, *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Mos erat non solùm ut vestes lavarent, sed etiam ut cum aliis mundioribus permutarent. Exemplum habes Gen. 35. 2. *Mundamini & mutate vestes vestras.* Crediderim hoc obtinuisse in iis qui habebant mutatorias. ¶ *Parati*] ἕτοιμοι. ¶ *Die tertio*] *Qui sextus erat mensis & septimus hebdomada.* Hiscuni. Alii dicunt fuisse sextum hebdomadæ: & rectè, si novilunium erat, cum ad montem venirent. *Forte*, inquit Abenezra, *ea nocte nemo somnum capiebat*, *ut mane audire possent vocem* DOMINI. *Quam consuetudinem retinet summus Sacerdos in die expiationum.* ¶ *In oculis totius populi*] Vidente omni populo. ¶ *Descendet*] On. & Jon. *patefaciet se.*

12. *Et pones terminum populo per circuitum*, *dicendo*, *Cavete vobis ne ascendatis in montem & tangatis extremum ejus*, *omnis qui tetigerit montem*, *morte morietur.*

13. *Non tanget eum manus*, *sed lapidibus obruetur aut jaculis conficietur*, *si bestia sive homo non vivet*: *cum protrahetur buccina*, *ipsi ascendent in montem.*

Pone terminum] Vel, *constitue terminos.* Verbum è verbo, *terminabis populum.* Alibi est, *termina montem* pro eo quod est, pone terminos monti. Lxx. hoc dixerunt, ἀφοριεῖς, determinabis. Determino Ebraicè הגביל & Chaldaicè תחום· Hoc a תחום: illud ab ejus synonymo גבול· Utrumque terminum denotat. R. Salomo, *Designa illis terminos in signum ne appropinquent à termino & ultra.* Abenezra, *Statue terminum in monte*, *ne populus eum prætergrediatur.* Sciendum esse qui Mosen, quanquam immeritò, culpent, quod dixerit, designa terminum monti, cum debuisset dicere, populo. Vide Abenezram. ¶ *Per circuitum*] Circumcirca montem. Jonathan, *& stent in circuitu montis.* ¶ *Cavete vobis*] *Admoniti estote.* Idem. ¶ *Extremum ejus*] Vel, *extremitatem ejus.* On. & Jon. *finem ejus.* In Jonatha pro בסיפיה scribi malim בסייפיה· Nam illud magis valet, *gladium ejus.* Sane gladius סיף dicitur. Hoc vult dicere, ne quidem finem ejus. Hiero. *terminum ejus.* Lxx. καὶ θίγειν τι αὐτοῦ, & ne tangatis quid illius. Ad sententiam non male. ¶ *Montem*] Ipsum corpus montis. ¶ *Non tanget eum*] οὐχ ἅψεται αὐτοῦ. Hiero. Lxx. *Non accedet ad eum.* On. Jon. Jerosolymitanus. ¶ *Eum*] Hominem qui terminum transierit, aut montem tetigerit. Ratio: quia eum tangere nemo poterat, qui non simul terminum aut montem tangeret, ac per consequens Legem violaret. Ideò si prope erat lapidibus obruebatur: si procul, jaculis conficiebatur. ¶ *Manus*] *Manus hominis.* Jerosolymitanus. Tangere hic valet lædere, ut in illo, *Nolite tangere Christos meos.* ¶ *Sed*] כי pro כי אם i. ἀλλὰ, sed. Pro, *eum*, videtur potius vertendum *illud.* Nam intelligi debet tàm de bestia, quàm de homine. Pessimè autem faciunt & errant graviter, qui de monte intelligunt. ¶ *Lapidibus obruetur*] סקל יסקל lapidando lapidabitur. Lxx. ἐν λίθοις λιθοβοληθήσεται. Hiero. *lapidibus opprimetur.* Hiscuni, *Non tanget eum manus*, *vult dicere*, *nemo ascendet ad deturbandum eum de monte: Nam ecce qui secundus ascendit tam admonetur ac is qui primo ascendis*: *sed minister judicum stabit ad pedem montis*, *& ascendens lapidabitur*, *si prope fuerit*, *aut jaculis conficietur*, *si longius abfuerit.* Similiter Abenezra, quem adire potes, si habes, & si intelligis. ¶ *Jaculis conficietur*] ירה יירה sagittando sagittabitur: quod verbum optimæ notæ est, ac ne quis de ejus Latinitate dubitet, patronos assertoresque habet, Curtium lib. 8. Justinum lib. 41. Autor Jerosolymitanæ hoc dixit בגירין יתפשטין quod verbum est ab arcu deformatum. Nam arcu sagittas mittimus, quod Græcis est τοξεύειν. Sed forte ירה ἀκοντίζειν, jaculari, excusso lacerto jaculum emittere, vibrare, intorquere, dirigere. Santes, *jaculando jaculabitur.* Probarem, si uspiam *jaculor* eo significatu extaret. Tremel. *jaculando conficitor.* Munsterus, *jaculis feriatur.* Leo, *telo petatur.* Sed peti aliquis potest telo, qui tamen non occidatur. Lxx. βολίδι κατατοξευθήσεται. Hiero. *confodietur jaculis.* Aquila, ῥοιζηθήσεται, cum magno impetu ac stridore. Sym. βέλεσιν, Missilibus. Theodotio, τοξευόμενος, sagittis ex arcu emissis confixus. Interpres Rom. *telis petitus.* Onkelos, *sagittando sagittabitur*: Jonathan, *sagitta ignita spargentur in eum.* Jerosolymita-

folymitanus, *sagittæ ignitæ sagittabuntur in eum.* Alias, *emittentur.* R. Salomo, *projiciendo projicietur.* Quod refert ad morem antiquum Judæorum, qui lapidandos deturbabant ex loco edito. Vide illum, si placet. Vide sis etiam Hiscuni. ¶ *Si bestia sive homo*] Si pro *sive* etiam Latini autores usurpant. Ennius, *Si vivimus sive morimur.* Plautus, *Si media nox est, sive est prima vespera.* Terent. *Si ista uxor sive amica est.* Idem valet אם repetitum, quod Chaldæi dicunt אן & אי & אם. ¶ *Bestia*] Vel, *jumentum.* Nam vox Ebræa utrumque significat. Lxx. κτῆνος. ¶ *Homo*] איש pro אדם, tam vir quàm mulier. ¶ *Cum protrahetur buccina*] במשך היבל Hieron. *cum cœperit clangere buccina.* Lxx. ὅταν αἱ φωναὶ καὶ αἱ σάλπιγγες καὶ ἡ νεφέλη ἀπέλθῃ ἀπὸ τοῦ ὄρους. *Quum voces & tuba & nubes discesserint à monte.* Onkelos, *quando protrahetur buccina.* Jonathan, *verum quum protrahetur sonus buccinæ.* Vide Fagium. Jerosolymitanus, *in clangore buccinæ,* sive *dum clanget buccina.* Santes, *cum prolixum sonitum dederit buccina.* Vide Vatablum. Gallica, *ubi cornu sonuerit prolixè.* R. Salomo, *Quum traxerit buccina sonum longum: quod signum erit Deum ascendisse & recessisse.* Saadias, *Quum clangeret Moses buccina, tunc fecit illis licentiam ascendendi, & hoc erat postquam descendisset è monte in die expiationum, cum præciperet fieri tabernaculum.* Hiscuni ex Saadia putat hoc accidisse post erectum tabernaculum. Idem aliam interpretationem adfert, *Cum intendetur sonus buccinæ,* aut, *cum cessabit buccina* q. d. cum subtracta fuerit buccina. Nam משך etiam subtrahere sig. Vide Catenam Patrum. ¶ *Buccina*] Vel, *cornu.* Propriè *cornu arietis* i. איל. R. Salomo. Hiscuni. כבש Abenezra. דכרא Saadias. כבש vulgò redditur, *agnus.* Is si annum excesserit איל vocatur. Verba Saadiæ, *Cum irem per Arabiam vocabant arietem* יובל. R. Salomo, יובל *est buccina arietina, quia sic vocant arietem in Arabia, & buccina hæc erat ex cornu arietis Isahac.* Credat hoc Judæus apella, οὐ ἔγωγε. Abenezra, יובל *est aries. Et vocatur ità buccina quia fit ex cornu arietis, si modo* כבש *est aries.* Chaldaicè transfertur hoc loco שופרא & שיפרא, quæ vox propriè cornu sig. i. κερατινή. Hiscuni, *Verum est quod sit cornu arietis, sed non erat buccina, quæ resonabat cum Lex daretur.* R. Levi, יובל *est buccina ex cornu arietis sive* כבש, *Nam aries vocatur Jobel, quemadmodum declaratum est in tractatu Ros Hassana. i. Caput anni.* Idem ירה exponit, projicietur ex alto loco, & nomine בהמה contineri aut etiam חיה feram & per איש fœminam comprehendi. ¶ *Ipsi*] *Aharon, Nadab, Abihu* &c. R. Samuel. *Israelitæ.* R. Levi, alii. ¶ *In montem*] Editio Gallica, *versus montem* i. pedem montis infra vers. 17. ad audiendum Legem. Abenezra, *Ait Rab. Samuel filius Hophni pronomen (ipsi) capiendum esse de Mose, Aharone & Senioribus. Nam Mosi dixit, Ascende ad DOMINUM, tu & Aharon & Nadab & Abihu & 70. ex Senibus Israel; reliquis autem Israelitis non fuit permissum ascendere in montem. Ideo dicit ipsi, & non alii: & verba ejus bona sunt in oculis meis. Nam Deus erat semper in monte, donec factum esset tabernaculum, sicut scriptum est, Et gloria DOMINI replebat tabernaculum. Tunc locutus est cum Mose in tabernaculo conventus. Fortè tunc clangebat Moses buccina & fecit potestatem ascendendi postquam ascendisset Deus.* Vide Nicolaum.

14. *Descenditque Moses è monte ad populum, & sanctificavit populum, qui lavarunt vestimenta sua.*

15. *Et dixit ad populum, Estote parati in tertium diem, & ne accedite ad uxorem.*

Descenditque Moses] *Illo ipso die.* Jonathan. *qui erat quartus mensis, & quintus hebdomadæ.* Hiscuni. ¶ *Ad populum*] *Rectà ad populum in castra neglectis rebus domesticis.* R. Salomo. ¶ *Sanctificavit populum*] *Præparavit eum ad Legem audiendam.* Onk. Jon. Jerosoly. *curavit ut se lavarent.* Sane lotura manuum ac pedum ab Ebræis sanctificatio dicitur. *Monuit eos ad munditiem tam animi quàm corporis.* Cajetanus. Malim, dedit operam ut mundi essent tam animo quàm corpore. Nam admonitio non sufficit, nisi res sequatur. Hiscuni, *Sanctificavit populum, Ab eo die usque ad diem tertium, quamvis satis illis erat lotio vespertina. Verum quia turba miscellanea multa erat, ideo dedit illis tempus multum.* ¶ *In tertium diem*] Verbum è verbo, *in tres dies:* Unde Santes, *ad tres dies;* sed Hieron. *in diem tertium.* Quod firmatur sequenti versu. Quidam, *post tres dies.* R. Salomo, *Post finem trium dierum, qui est dies quartus. Moses enim adjecit diem unum, juxta verba R. Jose. Verum juxta verba ejus, qui dicit Legem datam esse sexto Mensis, non addidit Moses quicquam, & in tres dies, idem cum illo, in diem tertium.* Abenezra, *In dies tres, hoc est in diem tertium, nec addidit diem unum de suo. Quod probatur duobus testimoniis. Unum est Gen. 40. 19. & 20. Alterum Gen. 42. 17. & 18. Quibus in locis per tres dies, tertius dies significatur.* Idem sentit R. Levi. Huc referri potest, quod Amos. 4. 4. ut sensus sit, *In tertium diem vel annum decimas vestras.* ¶ *Ne accedite ad uxorem*] Interea temporis abstinete ab uxore, hoc est, nolite rem habere cum uxoribus vestris. Onkelos, *ne appropinquetis ad latus uxoris.* Jonathan & Jerosolymitanus, *ad usum lecti.* i. ad complexum uxoris. Hieron. *Ne appropinquetis uxoribus vestris.* Lxx. τρεῖς ἡμέρας μὴ προσέλθητε γυναικί: tres dies ne accedite ad uxorem. ¶ *Accedite*] Alii, *appropinquate* תקרבו. Sic honeste coitum circumloquuntur. Dicunt etiam, *ingredi ad uxorem:* item *cognoscere uxorem,* ut Cæsar, *notitiam habere fœminæ.* Gen. 20. 4. *Abimelech non appropinquaverat ad eam.* Hic est קרב in Ebræo.

16. *Fuit autem die tertio, mane existente, ut essent voces & fulgura & nubes gravis supra montem, & vox buccinæ vehemens valde; adeo ut expavesceret omnis populus qui erat in castris.*

17. *Eduxitque Moses populum in occursum Dei è castris, & constiterunt in imo montis.*

Die tertio] *Qui tertius erat à quarto & dies Sabbathi.* Hiscuni, *Quinquagesimus à die quo primum pascha celebratum fuit.* R. Levi, *Tertius tertii mensis ab exitu Israel ex Ægypto.* Augustinus Quæst. 70. super Exodum, *Ex die,* inquit, *quo Pascha fecerunt, qui fuit 14. primi mensis* (imò 15. Vide Nicolaum de Lyra) *usque ad istum quo Lex datur, dies 50. numerantur: Decem & septem scil. primi mensis, reliqui ab ipso quartodecimo, deinde omnes triginta secundi mensis, qui fuit 47. & tertius tertii mensis qui est à solennitate occisi agni 50.* ¶ *Mane existente*] בהית הבקר cum esset mane. Hieron. *Et mane inclaruerat.* Lxx. γενηθέντος πρὸς ὄρθρον, cum ad diluculum vergeret. Tremel. *cum esset i. esse cœpisset,* ut Gen. 1. 32. Onkelos, *cum esset aurora.* Jonathan, *Sexto mensis in temporibus auroræ,* hoc est in aurora. Novè autem עידני pro [illegible] tempora. Notabis *tempora auroræ* pro ipsa aurora, ut *flumina Nili,* pro ipso Nilo. ¶ *Voces*] i. tonitrua. Sic, *populus audiebat voces.* Alibi, *voces Dei.* Nam tonitru à Deo. Jonathan, *voces tonitrui.* Gallicè, *tonnerres.* ¶ *Fulgura*] ἀστραπαί. ¶ *Nubes gravis*] i. densa, magna. Sic gravis fames Gen. 42. 39. Umbra Jes. 32. 2. Vide Nonium. Hic habet *nubes densissima.* Lxx. νεφέλη γνοφώδης, *nubes caliginosa.* Onkelos תקיף valida. Jonathan [illegible] תקיף valida, constricta. ¶ *Supra montem*] Non in ipso monte. Hieron. *operire montem.* ¶ *Vox buccinæ vehemens valdè*] Non dicit buccina, sed vox buccinæ. Nulla enim erat ibi buccina, si credimus Ebræis. Quod ad miraculum facit, ut quam maximè. Sane ante Legem tale miraculum editum nunquam fuit. Usus autem est voce *Sophar,* quam alii cum *Jobel* confundunt, alii distinguunt, ut ferè commentatores Ebræi. Qui confundunt, interpretantur *ipsi ascendent ad montem* de Israelitis, qui ascenderunt ad pedem montis. Qui distinguunt, tenent non licitum fuisse ascendere in montem, antequam extructum esset tabernaculum. Quod autem hic dicitur, *constiterunt in imo,* sive, *ad pedem montis,* explicant intra terminos populo designatos. Hieron. *clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* ¶ *Vehemens valde*] Qualem nunquam ante audiverant. ¶ *Adeò ut expavesceret*] ויחרד & expavit, vel, ut alii, *trepidavit.* Hieron. *tremuit* ויזע. Lxx. ἐπτοήθη, consternatus fuit. Onk. & Jon. *commotus fuit. Jam vero expavit propter sonum buccinæ.* Abenezra. ¶ *In occursum Dei*] Vel, *obviam Deo,* hoc est, versus montem, ubi apparebat, quem recepturi erant in Deum. ¶ *Dei*] *Sermonis Dei,* Onkelos. *Divinitatis,* Jonathan. εἰς συνάντησιν τοῦ θεοῦ Lxx. ¶ *In imo montis*] *Intra terminos tamen qui illis designati erant.* Aben. *Stabant autem primo loco primogeniti, secundo principes tribuum, tertio Senes, quarto Scribæ qui* [illegible] *audiunt, quinto reliqui Israelitæ, sexto parvuli, septimo fœminæ, octavo proselyti. Hi post alios omnes stabant.* Idem. Vide Munsterum. Hieron. *ad radices montis.* R. Salomo, *ad pedes montis.* Onkelos, *In locis humilioribus montis.* Sic Gen. 35. 8. בשפולי מישרא in locis humilioribus campi sive planitiei. Lxx. ὑπὸ τὸ ὄρος, sub monte. Id Jonathan dixit [illegible]. Est autem טורא mons, unde Taurus appellatus. Nam κατ' ἐξοχὴν ità vocatur. Santes, *in infimo montis.* Posses vertere, *in inferiore parte montis.* Versio illa, *sub monte,* occasionem dedit fabulæ, cujus R. Salom. & Jonathan meminerunt. Nam ajunt montem avulsum de loco incurvasse se supra caput eorum instar rupæ.

18. *Porro mons Sinai fumabat totus ipse propterea quod descenderat super eum DOMINUS in igne, ascenditque fumus ut fumus fornacis, & contremiscebat totus mons valde.*

19. *Vox*

19. *Vox autem buccinæ ibat & invalescebat valde, Moses loquebatur, & Deus respondebat ei voce.*

Mons Sinai] Incertum est utrum Sinai, montis nomen sit, an deserti sive solitudinis. Forte locus erat in quo & desertum & mons. Qui montis nomen fuisse contendunt, eos juvant interpretes Græci qui vertunt, τὸ ὄρος τὸ σινᾶ. Aliorum opinionem firmant Chaldæi Onk. & Jon. referentes טוּרָא sive טוּרָא דְסִינַי id est τῦ Σινᾶ. ¶ *Fumabat*] ἐκαπνίζετο. Id Chaldæi dicunt תְּנַן & סְלֵק. Prius habet Jerosolymitanus: alterum Onk. & Jonathan. Dicunt & קְטַר unde קִטְרָא fumus, ὁ καπνός. ¶ *Totus ipse*] Si totus fumabat, ergo ad nullam partem accessio erat Israelitis. Vide quæ notavimus supra ad v. 13. ¶ *Descenderat*] Vel, *descendebat*. Onk. & Jerosoly. *apparebat*. Jonathan, *inclinabat cælum & apparebat supra eum*. ¶ *DOMINUS*] *Gloria divinitatis DOMINI*. Jerosolymitanus. *Descendebat autem*, inquit Nicolaus, *non secundum naturam suam quæ ubique est necessario, & per consequens non potest descendere neque ascendere: sed in effectu ipsum repræsentante*. ¶ *In igne*] Jonathan, *in igne flammante*. Jerosoly. *in flamma ignis*. Thomas in Epistolam ad Ebræos cap. 12. lect. 4. *Sciendum quod ignis iste corporalis erat & palpabilis sensibilisque, & etiam in certo loco, ut ad ipsum posset accedi.* Vide Deut. 4. 36. & 5. 5. Rursum 4. 11. *& mons ardebat igne usque ad cor* i. medium, *cæli*. Ut hic populo in igne, sic Mosi pascenti oves Soceri sui apparuit in rubo ardente. Ad quem locum Steuchus, *Ardere rubus visa est, quia natura divinitatis igni solet in Sacris Litteris comparari, tum propter ejus inter cetera elementa excellentiam, tum quia illa natura lucidissima est, & procul ab omni caligine sequestrata, tum quia ejus operatio igni est simillima, celeriter scilicet omnia conficiens, & alia quidem purgans, alia penitus absumens.* ¶ *Fumus ejus*] עֲשָׁנוֹ. ¶ *Sicut fumus*] כְּעֶשֶׁן. Ecce duplex forma. Prior est cum gemino cametz עָשָׁן fumus. Chaldaice תְּנָנָא & קִטְרָא. ¶ *Fornacis*] Qui è fornace ascendit. Græce est καμίνου, camini. Chaldaice vero אַתּוּנָא. ¶ *Contremiscebat*] Vel, *expavit*. Et est translata locutio. Nam mons non expavescit propriè loquendo. Hieron. *eratque omnis mons terribilis*. Lxx. καὶ ἐξέστη πᾶς ὁ λαός, obstupuit omnis populus. sub. qui propè montem. Onk. & Jon. *commotus fuit totus mons* וְזָע. Santes, *commotus est*. Arias, *expavit*. Tremel. *tremebat*. Munsterus, *tremuit*. Gal. *tremebat*. Fortè sensus est, tremere faciebat videntes. Sic, *pallida mors*, quia homines facit pallidos. Abenezra, *Contra naturam est quod ait, & mons contremiscebat. Nam montes non moventur loco: sed per metaphoram dicit, commovebuntur montes.* Supra vers. 16. *& expavit populus*, idem verbum in fonte. Ad hunc locum Hiscuni, *Non habet significationem timoris* (חרד *metus*) *sed tumultus & commotionis.* ¶ *Vox*] Sonus vel sonitus. ¶ *Buccinæ*] τῆς σάλπιγγος Lxx. i. tubæ. Aliud buccina, aliud tuba. שׁוֹפָר propriè est buccina i. κερατίνη. Sed confundi scias. ¶ *Ibat*] Pergebat, procedebat. Latine hoc diceretur, *magis magisque invalescebat*. Hieron. *paulatim crescebat in majus & prolixius tendebatur*. ¶ *Loquebatur*] Cum Deo. Quid autem locutus sit, Scriptura non dicit. Neque sonitus buccinæ impedimento erat quo minus Moses audiret vocem Dei. ¶ *Voce*] *Voce dulci & decora, verbis suavibus*. Jonathan. Et respondebas non interne ut in aliis Prophetis, sed externa voce. Hoc est quod textus dicit, *Loquebatur cum Deo ore ad os* i. quam familiarissimè. Porro Moses adhuc erat in imo montis. Tremel. ad hunc locum, *Apostolus ad Ebræos exprimit Ebræo. 12. 21. quid sit locutus dicens, adeo fuisse terribile visum, quod apparebat, ut Moses diceret, Expavefactus sum & tremebundus.* Idem *voce* interpretatur *placidis verbis timorem ei eximens eum confirmavit*. In notis Vatabli, *voce sub. clara & exaudibili*.

20. *Et descendit DOMINUS super montem Sinai ad caput montis, & vocavit Mosen ad caput montis, & ascendit Moses.*

21. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Descende, contestare populum, ne destruant terminum ascendendo ad DOMINUM ut videant, & cadant ex eis multi.*

Ad caput montis] Caput i. verticem, cacumen, jugum, summitatem. Hieron. *in ipso montis vertice*. Lxx. ἐπὶ τὴν κορυφὴν τοῦ ὄρους, super verticem montis. Sic etiam Jon. Nota enallage אֶל pro עַל. Onkelos בְּרֵישׁ quod Fagius reddit, *in vertice*. Santes, *super verticem*. Munsterus, *in vertice*. Leo, *in verticem*. ¶ *Ad caput montis*] Nam stabat ad radicem ejus. Ut hic *caput montis*, sic (in Jario Exod. 19. 17.) *pes ejus* dici reperitur, & alibi, *cor maris terræque*, & *manus Jordanis*, & *caput pulverum*, & *os terræ*, & *latera terræ* i. יַרְכְּתֵי אֶרֶץ & *caput terræ*. Sunt qui montis supercilium significari putant, qui est eminentior montis vertex: ὀφρὺς τοῦ ὄρους in Euangelio vocatur. ¶ *Descende*] E jugo aut supercilio montis. ¶ *Ne destruant*] Duo hic notanda. Primum *destruere* poni absolutè pro destruere terminum: deinde unum verbum poni pro duobus, ut alias sæpe. Quod desiderari videbatur, id supplevi. Hieron. *ne forte velit* (alias *velint*) *transcendere terminos ad videndum DOMINUM*. Tremel. *Ne perrumpant terminum ascendendo ad Jehovam videndi animo.* פֶּן יֶהֶרְסוּ. R. Salomo, *Ne destruant stationem suam*. Aben. *locum in quo stant*. ¶ *Ut videant*] Vel, *ad videndum* i. cupiditate videndi. Quod putarent se facere honoris mei causà. ¶ *Contestare populum*] Ne terminos transcendant. ¶ *Et cadant ex eis multi*] Verbum è verbo, *& cadat ex eo multus*. sub. populus, aut multa turba. Jonathan, *Et cadant ex eis multi qui inter eos*. Jerosolymitanus, *Et cadant ex eis turba plurima*. Hieron. *Et pereat ex eis plurima multitudo*. מִמֶּנּוּ רָב. Onkelos, *Et cadat ex eis multus*. sub. populus. Lxx. καὶ πέσωσιν ἐξ αὐτῶν πλῆθος. In Onkelo, דִּלְמָא יִתְקְפוּן vertendum, *ne destruant*. Quanquam in Fagio, *ne forte erumpant*. Id Jonathan dixit יְכַוְּנוּן *intendant curam DOMINO ad contemplandum*.

22. *Et etiam Sacerdotes qui accedunt ad DOMINUM, sanctificentur; ne perrumpat in eos DOMINUS.*

23. *Dixitque Moses ad DOMINUM, Non potest populus ascendere ad montem Sinai, quia tu contestatus es nos dicendo, Pone terminum monti, & sanctifica eum.*

Sacerdotes] Nulli tum adhuc erant instituti Sacerdotes. Utrum ergo anticipatio est? an per sacerdotes intelligit primogenitos, qui ante Legem, testibus Ebræis, sacerdotio fungebantur. Quà de re videndus est ad hunc locum Nicolaus. Abenezra, *Sacerdotes, i. primogeniti qui sancti erant juxta illud, Sanctifica mihi omnem primogenitum* &c. Hiscuni, *Sacerdotes appellat septuaginta Senes qui erant primogeniti.* R. Levi, *Per sacerdotes intelligit filios Aharon, qui potestate erant sacerdotes, non actu.* Tremel. *Sacrorum administri. i. primogeniti quos sibi Dominus consecraverat supra 13. 2.* Idem Galli annotant, quod colligi ajunt ex Exod. 24. 5. & Num. 8. 16. ¶ *Qui accedunt ad DOMINUM*] Onk. & Jon. *ad ministrandum coram DOMINO*. Lxx. οἱ ἐγγίζοντες κυρίῳ τῷ θεῷ. Tremel. *Ne ipsi quidam sacrorum administri, qui ad Jehovam appropinquantes sanctificare se solent.* Abenezra, *Vult dicere, quod ipsi fuerint in principio termini, aut quod obtulerint holocausta super altare quod extruxerat Moses in debilitatione Amalek: etiam ipsi obtulerunt in altari fœderis, quod extruxerat & ordinaverat DOMINUS in imo montis, ubi populus stabat.* Ceterum in Ebræo est הַנִּגָּשִׁים quod videtur potius reddendum *qui se admoverit ad ministrandum DOMINO*. Sed nihil statuo. ¶ *Sanctificentur*] Vel, *Sanctificent se*, nempe ut reliquum vulgus, deinde caveant ne terminos transiliant, aut montem conscendant, cum te & Aharonem videbunt in eum ascendere. Fortè quia sanctificati erant, ideo se putabant non indigere alia sanctificatione, ut propterea seorsim illis Lex ponenda fuerit. R. Salomo explicat, *sint parati ut consistant in statione sua*. ¶ *Perrumpat*] Vel, *irrumpat*. Hieron. *ne percutiat eos*. Santes, *ne divisionem faciat*. Alius, *ne dissipet eos*. Editio Gallica, *ne se rue sur eux*: ne irruat in eos. R. Salomo, *ne faciat in eos irruptionem*. Optima interpretatio. Lxx. μήποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ' αὐτῶν: ne quando interimat ab eis. Aquila, διακόψῃ, dirumpat vel dirimat. Inter. Rom. *discindat*. Sym. διαφθείρῃ, corrumpat, disperdat. Onk. & Jon. *ne occidat in eis*. R. Salomo, פֶּרֶץ בָּהֶם, & mox וַתִּפְרָץ בָּם הַמַּגֵּפָה Psal. 106. 29. *perrupit in eos plaga*. Quidam, *grassata est*. Innuit autem plagam magnam, translatione sumpta ab aquis, quæ aggerem perrumpunt. Gen. 28. 14. וּפָרַצְתָּ & erumpes i. longè lateque fines tuos propagabis, & in multam sobolem excresces. ¶ *Non potest populus ascendere &c.*] Sunt qui hæc legant cum interrogatione, Poteritne quisquam ex populo ascendere in montem Sinai? Saadias autor ipsum exponere legationem priorem, cum altera ei imponeretur, juxta morem regum Persarum. Verba Abenezræ hac de re sunt, *Dicit Saadias se multos annos cogitasse de hoc versu, nec intellexisse sensum ejus, donec vidisset in libro institutionum regum Persidis, non licere legato exponere legationem suam regi priusquam jussus est aliud quippiam facere, tunc dicit regi, quid in priore legatione actum sit. Sed secundum sententiam meam quia dixerat ei DOMINUS, Ne destruant terminum ascendendo ad DOMINUM videndi causa, nesciebat Moses an opus esset eos monere de visu, cum antea eos monuisset de termino quem transire non deberent. Tunc dixit ei Deus, I, descende, quemadmodum dixi tibi, ut contesteris eos. Nam necesse erat, ut iterum eos contestaretur.* Hactenus Abenezra. ¶ *Sanctifica eum*] Hoc est, *Dica illum præsentia mea, reddendo illum mundum ab accessu quorumcunque*. Cajetanus. *Vide ne eum montem contingat tanquam mihi* sa-

sacrum, quem ab eis contingi fas non est. Lippomannus. *Sanctificatum ostende ne non sanctificati accedere præsumant.* Glossa interlinearis.

24. *Dixitque ad eum DOMINUS, I, descende, & ascendes tu & Aharon tecum, sacerdotes autem populusque ne destruant terminos ascendendo ad DOMINUM, ne perrumpat in eos.*

25. *Et descendit Moses ad populum, dixitque eis.*

I] Vade, βάδιζε. ¶ *Ascendes*] Vel, ascende. ¶ *Tu & Aharon*] *Paululum supra limitem designatum, unde ad populum verba facere licet.* Abenezra. ¶ *Sacerdotes*] *Qui futuri sunt sacerdotes filii Aharon.* R. Levi. *Primores ac Seniores tribuum ac familiarum.* Lippomanus. ¶ *Ne destruant*] Hiero. *ne transeant.* Non malè. Nam destruere terminum nihil aliud est quàm eum transire. ¶ *Ne perrumpat*] Occidendo, ne grassetur in eos. ¶ *Dixitque eis*] *Appropinquate, accipite legem cum decem præceptis*, Jonathan. *Accedite, accipite decem verba* i. præcepta. Jerosolymita. Hinc δεκάλογος. R. Salomo, *Bis contestatus est eos. Solent enim hominem monere primum ante opus, deinde in ipso opere*, sive, *in hora operis.*

GROTIUS.

1. V*Enerunt in solitudinem Sinai*] *Montem Synan occupat.* Justinus ex Trogo de Mose. Σιναῖν [*Sinnan*] vocat Strabo libro XVI. Appion Mosem εἰς τὸ μεταξὺ τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Ἀραβίας ὄρος, ὃ καλεῖται Σιναῖον, ἀναβάντα φησὶν ἡμέρας τεσσαράκοντα κρυφθῆναι, [*ait, cum ascendisset in montem qui inter Ægyptum & Arabiam situs Sinai dicitur, occultum ibi fuisse per dies XL.*]. Leges Dei discendæ in deserto, id est, animo purgato ab iis affectibus quos turba gignit ac nutrit, ut Philo notavit.

4. *Ægyptiis*] Sic & Græci & Samaritanus. Quare lectio recepta in Hebræo melior, quàm quæ est in aliis libris במצרים [*in Ægypto*].

Quomodo portaverim vos super alas aquilarum] Nube scilicet, quæ non minùs obtegebat Israëlitas, quàm aquila alis suam pullitiem.

In regnum sacerdotale] Græcè inversâ constructione, βασίλειον ἱεράτευμα [*regale sacerdotium*]: ut 1. Petr. II. 9. In Hebræo, regnum sacerdotum. Chaldæus interpretatur, reges & sacerdotes, ut Apoc. V. 10. quæ idem alibi I. 6. extulit βασιλείαν καὶ ἱερεῖς [*regnum & sacerdotes*]. Omnes Israëlitæ reges aliquatenus ante reges constitutos. Sacerdotes autem in Paschate. Philo tertio de Mose: ἐν τῷ πάσχα σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται [*Paschate tota gens sacerdotio fungitur*]. Christiani, Reges, quòd devicerint carnem, peccatum, mundum, diabolum: Sacerdotes, precibus, eleemosynis, martyrio in re aut proposito.

13. *Sive homo*] In Hebræo איש [*vir*], sed id Chaldæus benè interpretatur per אנשא [*homo*]. Sic & LXX. ἐάν τε ἄνθρωπος [*sive homo*]. Masculinum nomen pro communi usurpare frequens apud omnes gentes.

Ne appropinquaretis uxoribus vestris] In casto esse dicerent Romani. Pars hæc sanctificationis, 1. Sam. XXI. 5. 1. Cor. VII. 5. Chæremon Stoïcus de Ægyptiis sacerdotibus: ἀπείχοντο καὶ ὁμιλίας γυναικείας [*abstinebant & à mulieribus*]. Vide & Servium in Eclogam tertiam, & Porphyrium de Abstinentia secundo.

19. *Sacerdotes quoque*] Id est, primogeniti. Vide Num. III.

24. *Ne transeant terminos, nec ascendant*] Græci: καὶ βιαζέσθωσαν ἀναβῆναι [*ne vim faciant ad ascendendum*]. optimè. Et huc respicit quod legimus Matth. XI. 12. Luc. XVI. 16. Quod olim in montem non licuit, id nunc in cœlum licet. Proprietas vocis הרס est perrumpere.

CARTWRIGHTUS.

1. ביום הזה *In die isto*] Jon. ביומא הדין בחד לירחא *die isto, primo die mensis.* Similiter Lyra, *in die hac, id est, primâ die mensis.* Ita etiam exponit R. Sal. בראש חדש *in principio mensis.* Eodem modo à R. Mose exponi refert Abenezra, ac nisi ista expositio admittatur, se sensum horum verborum nescire fatetur. Addit tamen fortè dictum esse, *die isto*, quòd à Rephidim (ubi anteà novissimè castrametati sunt) usque ad Sinai magna esset distantia. Quasi scilicet eo ipso die, quo à Rephidim profecti sunt, ad Sinai eos venisse significetur. Ita Fagius, *Id est*, (*inquit*) *ipso die, quo recesserunt ex Rephidim. Hoc autem dicit, quod esset magna distantia ex Rephidim ad montem Sinai, quasi dicat, plus itineris confecerint eo die, quàm aliis diebus.* Ego verò malim priorem expositionem amplecti, ut de primo die mensis intelligatur, hoc modo, *Mense tertio* (seu *Novilunio tertio*, nam חדש etiam Novilunium denotat, 1. Sam. 20. 5. & 2. Reg. 4. 23.) *Ex quo egressi sunt Israelitæ ex Ægypto die isto* (nempe novilunii, quando mensis inchoatus est) *venerunt in desertum Sinai.*

2. ויחן־שם ישראל נגד ההר *Et castra metatus est illic Israel è regione montis.*] למזרחו inquit R. Sal. *ad orientalem ejus partem.* Istam expositionem, authoris etiam nomine expresso, (nisi fortè alius fuit R. Sal. qui ita exposuit) citat Abenezra ורבינו שלמה אמר כי נגד ההר כורח *Magister autem noster Salomon dicit, è regione montis orientalem partem denotare.* Notat autem scriptum esse (nempe Num. 2. 2.) מנגד סביב לאהל מועד יחנו *è regione circa tabernaculum Conventûs undiquaque castrametabuntur.* Inde probat מנגד *è regione* omnes quatuor plagas ex æquo interdum designare. Ipse igitur ideò dictum putat, *& castrametatus est Israel*, &c. cum immediatè anteà dictum esset, *& castrametati sunt in deserto*, ut intelligamus capita tribuum, & seniores honoris gratiâ è regione montis castrametatos esse: ac propterea existimat dictum esse in singulari ויחן *& castrametatum est*, quod pauci essent qui ad istum modum castra metati sunt. At nomen *Israel*, cum quo cohæret verbum ויחן *& castrametatus est*, est collectivum, & de universa populi multitudine usurpatur. Quin & Num. 2. 2. de universo populo dicitur, eum è regione undique circa tabernaculum conventûs castra metatum esse; quidni igitur & hoc de omnibus in universum Israelitis dicatur, eos nempe è regione montis castra metatos esse?

3. *Et Moses ascendit ad Deum*] Jon. *Et Moses ascendit die secundo*, &c.

ויקרא אליו יהוה מן־ההר *Et clamavit ei Dominus è monte*] Abenezra exponit וכבר קרא אליו *clamaverat enim ei*; atque hanc rationem reddit cur ita exponi debeat, כי בלא רשות לא עלה *Non enim* (*Moses*) *ascendit nisi potestate sibi* (à Deo) *factâ.* Atque id quidem nullatenus dubitandum; nec tamen sequitur ויקרא hic in plusquam perfecto esse exponendum, cum non ideò Mosen Deus inclamasse dicitur, ut in montem ascenderet, sed ut populum isto, quo præscripsit Deus, modo alloqueretur.

4 *Et adduxit vos ad me*] Onkelos (cui subscribit R. Sal.) *Et adduxi vos*, לפלחני * *ad cultum meum.*

Super alas aquilarum] R. Sal. ait reliquas aves pullos inter pedes suos collocare, propterea quòd metuant ne avis quæpiam desuper volans ipsis sit infesta; aquilam autem cum ab isto metu sit libera, ab homine autem duntaxat metuat, ne forte jacula vel sagittas mittat, super alas pullos suos portare. Similiter Abenezra ait aquilam altiùs, quàm aliæ aves, volare, atque omnes aves ab eâ, ipsam verò à nulla timere. Monet insuper nubem, quâ Deus populum duxit, alas suas quodammodo expandisse. R. Sal. non inscitè notat, non sine singulari Dei providentiâ ac ope factum esse, ut cum Israelitæ ita per terram dispersi essent, omnes tamen brevi temporis spatio ad Rameses convenirent, atque inde iter facerent; c. 12. 37. & 51. Unde super alas aquilarum meritò Deus eos portasse dicatur. Hâc tamen phrasi omnis ea cura, protectio ac providentia, quam miris modis erga Israelitas Deus exhibuit, intelligi videtur. Vide Deut. 32. 11. 12.

5. והייתם לי סגלה מכל־העמים *& eritis mihi peculium præ omnibus populis*] Onkelos pro סגלה habet חביבין *dilecti*; atque ita etiam Jonathan. Hierosolimytanus Paraphrastes vertit, לעם אומה וחביבין היך סגלה *populus peculiaris* (ad verb. *alum*) *& dilecti sicut peculium*, seu pretiosus thesaurus, Vulg. *in peculium.* Lyra ait in Hebræo esse *amicabilitas*, id est, quid excellenter dilectum. Burgensis addit dictionem Hebræam propriè significare rem, quam quis ita diligit, ut eam alteri non daret. R. Sal. exponit סגלה אוצר חביב *Segulla thesaurum dilectum.* Certè ex omnibus locis, in quibus vox *Segulla* reperitur, apparet rem pretiosam, ac charam eâ denotari. Abenezra ait significare, דבר נכבד ונחמד ולא ימצא אחר כמוהו *rem pretiosam & desiderabilem, ac cui similis haud possit inveniri.* Idem ad Eccles. 3. 8. Ubi סגלת מלכים legitur, ait *Segulla* denotare דבר נחמד שיכור להתפאר בו *rem desiderabilem quam quis ideo servat, ut eâ sese efferat*, seu *gloriosum reddat.* LXX. hic habent λαὸς περιούσιος *populus peculiaris*, atque istis vocibus Apostolus utitur, Tit. 2. 14. Interdum autem LXX. Interpretes *Segulla* vertunt περιποίησιν *acquisitionem*, nempe Mal. 3. 17. atque inde etiam in Novo Testamento vox ista usurpatur sc. 1. Pet. 2. 9. Theo-

* Jon. & Hierosl. לאולפן אורייתי *ad doctrinam legis meæ.*

9. Theodotio hic pro עם סגלה habet λαὸς ἐξαίρετος, *populus eximius*, seu *selectus*.

6. ממלכת כהנים *regnum sacerdotum*] Onk. מלכין כהנין *reges sacerdotes*. Fagius interpositâ copulâ vertit, *reges & sacerdotes*: ac cum ista Paraphrasi congruere ait illud Apoc. 1. 6. *Fecit nos reges, & sacerdotes, &c.* Quod autem in Hebræo habetur, *regnum sacerdotum*, exponit *regnum non prophanum, quod ex opibus & armis, sed quod ex sacerdotibus, rebus sacris, & divinis constat, quasi dicat, sacrum & divinum erit hoc regnum.* R. Sal. כהנים *Cohanim* hic non sacerdotes, sed principes vult significare, prout vox ista usurpatur. 2. Sam. 8. 18. sed altera significatio est usitatior, atque huic loco aptior, Lxx. Βασίλειον ἱεράτευμα *regale sacerdotium*, quo elogio ornatur populus Dei, 1. Pet. 2. 9. Steuchus autem putat hoc diversum esse ab eo, quod textus Hebræus habet; at etiamsi hypallage quædam esse videatur, tamen non video quo minùs *regnum sacerdotale*, & *sacerdotium regale* tanquam ἰσοδυναμοῦντα accipiantur.

7. וישם לפניהם *Et posuit coram eis, &c.*] Onk. & Hier. וסדר *& ordinavit* seu *ordine posuit*.

9. *Et dixit Dominus Mosi*] Jon. *Et dixit Dominus Mosi die tertio.* Vide ad v. 3. Sic R. Sal. ad illud v. 8. *& Moses retulit verba populi Domino*, ait id factum במחרת ביום שלישי *postridie, nempe die tertio.*

Et narravit Moses Domino verba populi] Abenezra interpretatur ויגד quasi sit plusquam perfectum וכבר הגיד *jam autem narraverat.* R. Sal. autem ait id factum postridiè, nempe quarto die mensis; sed prius videtur simplicius.

10. *Et dixit Dominus Mosi, &c.*] Jon. *Et dixit Dominus Mosi die quarto*, &c.

11. *In diem tertium*] R. Sal. ait diem istum fuisse sextum diem mensis; eandem etiam esse Jonathæ sententiam ex ejus paraphrasi, v. 10. apparet. Quin & Abenezra ad v. 1. licet fateatur totum hoc esse על דרך הסברא *per modum conjecturæ dictum*, tamen addit se niti velle Kabbalâ sive traditione, nempe sexto die mensis Sivan (sive Maii, qui Israelitis fuit mensis tertius) datam fuisse legem.

12. והגבלת את העם *Constituesque terminos populo*] Sic Vulgatus rectè interpretatur. Lxx. καὶ ἀφοριεῖς, *& separabis.* Sic propriè sonat; in Romana autem editione redditur, *& terminabis*: atque ea quidem interpretatio Hebræi verbi sensum melius exprimit. Quin & Scholiastes exponit ὁροθετήσεις *terminos statues*, quos nimirum transilire non debeat. Sic R. Sal. Hebræum והגבלת explicat, קבע להם תחומין לסימן שלא יקרבו מן הגבול והלאה *Fige* (seu, *firmiter statue*) *eis limites, ut intelligant sibi ulterius appropinquandum non esse.* Abenezra similiter exponit, שים גבול בהר *pone terminum in monte*: ac notat propterea dici (nempe v. 23.) הגבל את ההר *termina montem*, seu monti, vel circa montem terminos constitue. Monet nempe, idem utroque loco significari, de quo non est cur quisquam dubitet: refert tamen nescio quem vesanum (uti meritò appellat, מבינו dicere, Mosen verba Dei posteà mutasse, ac cum voluisset dicere, הגבל את העם *constitue terminos populo*, ex improviso dixisse הגבל את ההר *constitue terminos monti*; quasi scilicet hoc ab illo diversum esset.

13. או ירה יירה *Aut jaculando jaculo transfigetur*) Sensus est, uti eum explicat Abenezra, *Si quis montem tetigerit, neminem debere eum ad montem usque persequi, ut apprehendat*, (sic intelligit illud, לא תגע בו יד *non tanget eum manus*, nempe non montem, sed eum, qui montem tetigerit; de quo v. 12.) *Sed qui eum aspexerint, debere eum statim loco suo manentes lapidare; vel si præ loci distantiâ id non possint, jaculo transfigere.*

במשך היבל *Cum protracta fuerit buccina*] *i. e.* cum protractus fuerit † clangor buccinæ. Vulg. *cum cœperit clangere buccina.* Minùs rectè. Sed Lxx. Interpretes Hebræum textum vix quicquam respexisse videntur: ὅταν αἱ φωναὶ, καὶ σάλπιγγες, καὶ ἡ νεφέλη ἀπέλθῃ ἀπὸ τοῦ ὄρους, *cum voces, & tubæ & nubes à monte discesserint.* Nobilius ait Chaldæum non dissimilem sententiam reddidisse; quod haudquaquam verum. Chaldæus enim habet, במגד שופרא *cum protracta fuerit buccina.* Cum Hebræo planè convenit. ‡ Est tamen & præter Nobilium, qui dicat, Chaldæum & Lxx. Interpretes vertere, *cum cessaverit buccina*; at in Chaldæo certè istiusmodi interpretatio non habetur. Fagius quidem ex Chaldæo vertit, *cum intendetur tuba*; & in Annotationibus ait sensum esse, *dum satis protractus adeoque finitus est sonitus tubarum, tum ascendere poterit populus, &c.*

An ista Fagii explicatio illos in errorem duxit nescio; illud certum, Chaldæum נגד Hebræo משך præcisè respondere, ac utrumque *diduci, extrahi, protrahi, &c.* neutrum verò *cessare* vel *finire* significare. De voce autem יבל *Jobel*, quam Interpretes hic buccinam, vel tubam vertunt, Hebræorum plerique volunt significare buccinam arietinam, sive ex cornu arietino factam. Jos. 6. 4. in Hebræo est שופרות היובלים, Chaldæus habet שופרי דקרן דדכריא *tubas ex cornu arietino.* ‡ R. Sal. etiam ibi היובלים exponit אילים *arietum.* Atque ita etiam Kimchi, qui ex Rabbinis antiquioribus refert R. Akibam dixisse, se cum in Arabiam profectus esset, audivisse arietem appellari *Jobel.* Masius ad Jos. 6. 4. censet buccinas istas ex cornibus arietinis factas non fuisse, quòd cornua arietina sint solida, buccinam autem cavam esse oporteat. Hoc argumento rem confectam putat Fullerus Miscell. lib. 4. c. 8. Sed quidni cum Serario (in Jos. 6. quæst. 4.) respondere liceat, cornu arietinum, etiamsi solidum sit, cavum tamen posse fieri? Certè Josephus (uti notat Serarius) Antiq. lib. 5. c. 8. Gedeonis historiam referens ait, ejus milites in dextris cornu arietinum vice tubæ habuisse. Causam igitur non video, cur in re istiusmodi à sententiâ apud Hebræos adeò receptâ discedere oporteat. Masius existimat vocem *Jobel* à primo musicorum instrumentorum inventore, nempe *Jubal* deductam esse; nec id sanè est inconcinnum. Annum Jubilæum ab istiusmodi tubarum clangore sic appellatum (Hebraicè יבל *Jobel* Levit. 25.) ex Hebræis pariter ac nostris (opinor) plerique sentiunt יובל שמו על שם תקיעת שופר inquit R. Sal. ad Levit. 25. 10. *Jobel est nomen ejus, propter clangorem buccinæ.* Atque istam ob causam ex Rabbinorum suorum sententiâ annum illum ita appellatum testatur Abenezra, etiamsi ipse יבל *Jobel* istic exponat שלוח *missionem, dimissionem, remissionem.* Ita etiam Lxx. ἄφεσιν, i. e. *remissionem* interpretantur. Alii aliam nominis rationem assignant; mihi in illâ R. Salomonis veterumque Rabbinorum sententiâ acquiescendum videtur. Qui plura cupit, consulat Masium in Jos. 6. 4. Fullerum Miscell. lib. 4. cap. 8. Serarium in Jos. 6. quæst. 4. & 5. item in Jos. 13. quæst. 14.

המה יעלו בהר *Illi ascendent in montem*) Abenezra approbat sententiam cujusdam R. Samuelis Ben Hophni, qui intelligit de Aharone, & filiis ejus, nec non septuaginta Senioribus, de quibus fit sermo cap. 24. 1. q. d. הכה ולא אחרים *illi* (sc. ascendent) *& non alii.* At cum in præcedentibus non nisi populi in genere facta sit mentio, de eo omnino intelligendum censeo; id quod etiam ex v. 17. porrò confirmatur.

15. לשלשת ימים *intra tres dies*] R. Sal. ex sententiâ R. Josi exponit, לסוף שלשה ימים הוא יום רביעי *In finem trium dierum, nempe in diem quartum.* At juxta eos qui volunt legem die sexto mensis datam fuisse, ait לשלשת ימים idem esse quod ליום השלישי *in diem tertium.* Ita hunc locum exponi debere probat Abenezra ex eo quòd Gen. 42. 17. Joseph fratres suos in custodia posuisse dicitur שלשת ימים *tribus diebus*; deinde v. 18. sequitur, ויאמר אליהם יוסף ביום השלישי *Dixit autem eis Joseph die tertio*, &c. Notat etiam similiter dictum esse Gen. 40. 13. בעוד שלשת ימים ישא וגו' *Intra tres dies recensebit Pharao*, &c. deinde v. 20. ויהי ביום השלישי *Fuit autem die tertio*, &c. Sed quid opus est è longinquo petere probationes, cum è proximo peti possint? Pro eo quod hic dicitur, היו נכונים לשלשת ימים v. 11. dictum est, והיו נכונים ליום השלישי *& erunt parati in diem tertium.* Quin & hic statim v. 16. sequitur, ויהי ביום השלישי *Fuit autem die tertio, &c.*

16. *Fuit autem die tertio*] Jon. *Fuit autem die tertio, nempe sexto die mensis.* Sic & Lyra ad v. 15. ait hunc tertium diem fuisse sextum diem mensis tertii; atque inde colligit Legem datam fuisse quinquagesimo die exclusivè ex quo egressi sunt ex Ægypto. Duos enim menses juxta Hebræos continere dies quinquaginta novem, quibus si de tertio mense sex dies addideris, fiunt sexaginta quinque; ab istis autem si dempseris quatuordecim primi mensis, qui egressum ex Ægypto præcesserunt, remanent 51. dies. At tertium hunc diem, de quo fit sermo, fuisse sextum diem mensis, non aliter probat quàm quòd R. Sal. dicat quarto die mensis * ista à Mose fuisse dicta; unde autem istud probari possit, haud scio.

17. ויתיצבו בתחתית ההר *Et steterunt sub monte*] Ad verb. *In inferiori parte montis.* Vulg. *ad radices montis.* Rectè autem

† Nomen *Jobel* non buccinam, sed clangorem nonnulli volunt significare; idque ex Jos. 6. 4. videtur probabile. ‡ D. Willetus ad locum.

‡ R. Sal. hic הוא שופר של איל שכן בערביא קורין לדכרא יובלא *est buccina arietina. Sic enim in Arabiâ arietem appellant Jobel.* Onkelos & Jonathan pro יבל tantùm habent שופרא & Hierosolymitanus שופרא i. e. *buccina.* Sic v. 19. pro יבל est שופר in textu Hebræo. * Nempe quæ v. 15. memorantur. Vide ad v. 9. & 10.

tem explicat Abenezra, מחוץ לגבול שנתן להם משה *extra terminum, quem constituit eis Moses.*

21. פֶּן־יֶהֶרְסוּ אֶל־יְהוָה *Ne perrumpant ad Dominum*] R. Sal. exponit, שלא יהרסו את מצבם על ידי שתאוים אל יי *Ne perrumpant stationem suam, dum ad Dominum accedere cupiunt.* Atque addit כל הריסה מפרדת אסיפת הבנין אף המפרדין ממצב האנשים הורסי את המצב *Verbum Haras propriè denotat ædificii partes, à se invicem separare* (ædificii juncturam & compagem dissolvere) *ac propterea de eis usurpatur, qui se à statione suâ separant.*

וְנָפַל מִמֶּנּוּ רָב *Et cadant ex eis multi*] רב hic valet עם רב uti exponit Abenezra, *populus multus.* Similiter Hierosolymitanus Paraphrastes, ויפול מנהון אוכלוסין סגיין *& cadant ex eis turba multa.* Lxx. πλῆθος, *multitudo.* Vulg. *plurima multitudo.* R. Sal. suo more argutatur, כל מה שיפול מהם ואפילו הוא יחיד חשוב לפני רב *Quicquid ex eis ceciderit, etiamsi unicus duntaxat fuerit, coram me multum reputatur.*

22 *Quin & sacerdotes etiam, &c.*] R. Sal. exponit de primogenitis, ad quos tum (Aharone & filiis ejus ad sacerdotale munus nondum electis) pertinebat ministerium. הבכורים שהעבודה בהם Similiter Abenezra ait הם הבכורים *Isti* (nempe Sacerdotes, quorum hic fit mentio) *sunt primogeniti.* Ita etiam Manasses in Concil. in Exod. quæst. 29. *Cum in Scripturâ* (inquit) *jubentur Cohanim* (seu sacerdotes) *se sanctificare, intelligendi sunt primogeniti, qui per id tempus fungebantur munere, quod postea sacerdotum fuit.* Vide Exod. 24. 5. Refert autem nonnullos ex Rabbinis per sacerdotes hic intelligere Aharonis filios, qui potentiâ sacerdotes fuerunt. Atque hanc sententiam ait se verissimam arbitrari, cum in Scripturâ usitatum sit per anticipationem rebus vel personis nomina imponere. Mihi verò expositio ista haud probatur. Nam verba S. textûs, הכהנים הנגשים אל יהוה *Sacerdotes, qui Domino appropinquant*, arguunt eos, de quibus fit hic sermo, jam tum munere isto sacerdotali functos esse. Iisdem etiam verbis refellitur id quod ultimo demùm loco addit Manasses, nempe Hebræum *Cohanim* hic posse non *sacerdotes*, sed *principes* denotare, quemadmodum 2. Sam. 8. 18. vox ista usurpatur. At cum *Cohanim* hic Domino appropinquare dicantur (nempe * ad offerenda sacrificia, ut rectè explicat Abenezra; Vide Levit. 10. 3.) non de principibus, sed de sacerdotibus intelligi debere manifestum est.

24. *Abi, descende*] Nempe ad testificandum populo secundâ vice, uti exponit R. Sal. qui addit מזהירין את האדם קודם מעשה וחוזרין ומזהירין אותו בשעת מעשה *Nam monent hominem ante opus, ac denuò monent eum cum jam opus est agendum.*

25. וַיֹּאמֶר אֲלֵהֶם *Et dixit eis.*] Quid dixit, non exprimitur; atque ideò exponi potest, *Et allocutus est eos*; ut ויאמר idem sit quod וידבר, Ad istum modum usurpatur ויאמר Gen. 4. 8. Vide si libet, quæ ad locum istum annotavi. Sed & in usitatâ significatione licet hic accipere ויאמר *& dixit eis*, nempe quæ à Deo eis dicenda acceperat. R. Salom. ויאמר אליהם התראה זו *Et dixit eis hanc admonitionem*, nempe quæ v. 42. habetur. Hierosl. *Et dixit eis, Appropinquate, & accipite decalogum.* Similiter Jon. *Et dixit eis, Appropinquate, accipite Legem cum decalogo.* Sed R. Salomonis expositio simplicior videtur.

I D E M.

13. סָקוֹל יִסָּקֵל אוֹ־יָרֹה יִיָּרֶה *Lapidando lapidabitur, aut projiciendo projicietur*, seu *dejicietur.*] Ita ad Magistrorum maximorum jurisconsultos agentium mentem versum sonare asserit Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 5. Verba ista à plurimis, Hebræis pariter atque aliis, ita intelliguntur, ut sensus sit, eum qui montem tetigerit vel Lapidibus obruendum, vel jaculis conficiendum fuisse: ac juxta Talmudicos, & Jurisperitos maximos Ebræorum, non nisi forensem Lapidationis, pœnam hic designari testatur vir iste eruditissimus. Nam in constituta post Legem in Sinai datam Repub. Ebræa lapidationis pœnam forensem duplicem fuisse observat, vel saltem dupliciter irrogari solitam; alteram quâ reus ex loco lapidationis, qui altus erat binas hominis staturas, ita pronus in terram lapidibus stratam præcipitabatur, ut mors ejus expectaretur (Hanc דחיה seu *Impulsionem fuisse appellatam*) alteram סקילה magis propriè seu *Lapidationem* dictam, quâ lapidum jactu, testibus præeuntibus obrueretur; quod etiam factum, quoties ex præcipitatione aut impulsione illiusmodi non moreretur. Sic igitur ex Magistrorum maximorum sententia hunc locum intelligendum esse, ac si dictum fuisset, *aut lapidibus petitus † obruatur*, (ex sententia scil. forensi) *aut ita præceps in terram è sublimi detur, detrudatur, projiciatur, ut sic vitâ privetur.* Atque ita sanè hic R. Sal. ait מכאן לנסקלין שהן נדחין למטה מבית שהיה גבוה שתי קומות *Hinc innuitur quod ad lapidandos attinet. Nam illi deorsum detrudebantur ex domo* seu *loco lapidationis, qui altus erat binas hominis staturas* & ירה interpretatur ישלך למטה לארץ *projiciatur deorsum in terram*, quemadmodum 15. 4. dicitur, ירה בים *projecit in mare.* Ita quidem res habet, ירה tum *jaculari*, tum *projicere* significat: sed priorem significationem ei hic interpretes ferè tribuunt, atque illam (sensu superiùs ex Abenezra explicato) convenientiorem esse censeo. Quod ad istam interpretationem stabiliendam afferri posset ex Heb. 12. 20. minus firmum videtur, cum ut πολυμαθέστατος ille vir observat, verba illa ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται (prout hic habent Lxx.) nec à Vulgato interprete lecta fuerint, nec in quibusdam Græcis codicibus reperiantur.

Ibid. בִּמְשֹׁךְ הַיֹּבֵל Kimchi in Rad. ait (ex Rabbinorum sententia) arietem Arabicè vocari יובלא *Jobela*, atque inde ipsam buccinam, utpote arietinam, dictam esse *Jobel*, quin & annum quinquagesimum vocatum esse *Jobel*, (sive *Jubilæum*) quòd tunc buccinâ arietinâ clangere solebant; לפי שהיו תוקעין בו בשופר של איל.

22. *Sacerdotes etiam, &c.*) Kimchi in Rad. ait הכהנים *Sacerdotes* hic non de filiis Aharon, sed de primogenitis, penes quos tunc ministerium erat, esse intelligendos. Atque addit וכל עובד יקרא כהן *Omnis autem minister dicitur Cohen.* Quod sic porrò explicat, ענין עבודה בגדולה כי הכהנים היו עובדי השם וראשי העם *Denotat autem ministerium cum dignitate. Nam Cohanim erant ministri Dei, & principes populi.*

I D E M.

3. ET *ascendit Moses, &c.*] Citatâ opinione Abenezræ, nempe Deum primò vocasse Mosen, ac deinde eum in montem ascendisse, ait exponi posse juxta ordinem verborum, nempe Mosen sua sponte (לרשות) montem conscendisse, ut ibi seorsim ageret, ac sese ad mandata Dei recipienda pararet, non autem ad crassam caliginem, antequam à Deo vocatus esset, accessisse. Addit etiam de ascensione mentis (עלית שכל) posse intelligi, Mosen scilicet mente ad Deum ascendisse, ut animum ac facultates suas ad propheticam influentiam recipiendam paratas haberet: atque ideò observat, non dici, Mosen ascendisse in montem, sed ascendisse ad Deum. Sed expositio Abenezræ simplicior videtur.

5. סְגֻלָּה מִכָּל־הָעַמִּים *peculium* (vel *populus peculiaris*) *præ omnibus populis*] Id sic explicat; Quemadmodum si quis pretiosos aliquos nummos habeat, eos sibi reconditos servabit, nec nisi è reliquis nummis in usus suos depromet; sic Deum eos sibi peculiariter servare voluisse, &c.

Regnum sacerdotum] Istud in hunc modum enarrat; Quemadmodum sacerdotes Deo sancti erant, ac à reliquo populo ad ministrandum separati; sic eos à reliquo mundi populo separatos Deoque sanctos fore. Quin & ideo *regnum sacerdotum* vocari ait, quòd Deo servire, reverâ sit regnare: ac citat Philosophum in Politicis (המדיני) dicentem, Legibus bonis subjectum esse, non servile ac sordidum, sed liberale esse ac honorificum.

13. *Cum protractus fuerit sonitus buccinæ, &c.*] Putat sic intelligendum, quamdiù Divina præsentia (השכינה) in monte erat, eo ascendere non debuisse; sed posteà quando buccina sonabat in signum Libertatis, & veniæ à Deo post peccatum idololatriæ impetratæ, ascendere eis licuisse, quia nimirùm tunc Divina præsentia à monte discedebat; & in tentorio conventûs inter Cherubinos requiescebat.

21. פֶּן־יֶהֶרְסוּ אֶל־יְהוָה לִרְאוֹת *Ne perrumpant ad Dominum, ut aspiciant*] Id est, ut ille explicat, *Ne curiosè contemplentur gloriam illam, quam in monte conspiciunt, & nonnulli eorum imaginentur se videre similitudinem ac notam aliquam corporalem*; quemadmodum ‡ usu venit eis, qui vel è longinquo, vel perterrefacti aliquid aspiciunt, ut ea, quæ revera non sunt, se videre existiment.

24. *Et ascendes tu & Aharon tecum*] Asserit hoc non ita intelligendum, ac si Moses in monte futurus erat, cum Decalogus datus esset, sed quòd posteà in montem ascensurus erat, ut Tabulas acciperet, uti habetur cap. 24. 2. &c. Quin & ideò ait Deum voluisse, ut Moses, cum Lex data fuit, non in monte, sed inter Israelitas esset, (id quod probat ex cap. 20, 19.) ut eò magis constaret, Legem non à Mose, sed à Deo ipso datam fuisse.

* Onkelos דקריבין לשמשא *qui appropinquant ad ministrandum.*
† In codice meo scribitur *petitus*, sed procul dubio mendosè etiamsi inter errata non inveniam.

‡ Scribitur כמו שיקרא sed opinor pro כמו שיקרה.

C A P. XX.

M U N S T E R U S.

2. E*Go Dominus Deus*] Hoc primum est in decem præceptis, videlicet ut unum & verum agnoscamus Deum, illumque solum adoremus; deos verò factitios, & quascunque imagines, quæ à Dei cultu animum avocant, abominemur. Est enim Deus æmulator, qui æquo animo ferre non potest ut ab eo divellamur, & alium quæramus amatorem: id quod justissimè agit, cùm ipse sit qui creavit, redemit & nutrit nos. ¶ *Visitans iniquitatem patrum in filiis*] Intelligendum docet A. E. quando filii sunt paternorum scelerum sectatores, cùm in Ezechiele scriptum sit, *Filius non portabit iniquitatem patris.* ¶ Secundum præceptum; *Non sumes*, seu *non suscipias*, *nomen Domini Dei tui in vanum:* h. e. Non accipias temere nomen Dei tui in os tuum, sine ulla necessitate jurando, aut irrisoriè de Deo loquendo. ¶ Tertium præceptum; *Sanctifices sabbatum.* In Hebræo additur, *recordare*, seu *recordari debes:* est enim hic זכור infinitivi modi, licèt quidam exponant pro imperativo. Scribunt Hebræi mirabilia super hoc præceptum, & seipsos fœdissimè produnt quòd non intelligant quis verus sit sabbatismus. Et ut summariè quædam illorum dicta attingam, aiunt, 1. Sabbato dæmones fugere in montes tenebrosos, donec sabbatum transierit. 2. Sanctificari sabbatum, quando homines aliis utuntur vestibus, & aliter loquuntur, atque aliter edunt quàm in diebus profanis. Nam debent illâ die vesci carnibus, piscibus, atque vino; & prohibitum est jejunare ultra sex horas. Opera verò servilia in universum damnantur, ut etiam non liceat pomum carboni admovere ut assetur, aut vinum super sinapi pulverem mittere, aut allium quod edere velis decorticare: Prohibitum est saltantem pulicem capere, reptilia quæ utrumque sexum habent interficere, nisi tibi infesta fuerint, ut sunt musca, scorpio, crabro, &c. Arborem non licet conscendere, nè ramum frangas. Super herbas caveto gradi, nè calceamento herbam evellas. In cithara aut alio musico instrumento non licet ludere, non licet cantare, nec alium sonum edere, quo vel puerum à fletu coerceas. Intermitto hic infinita alia Judæorum deliramenta, quæ scribunt de sabbati accurata observatione. Sunt tamen quidam inter eos qui sinceriùs de sabbati observatione scribunt, nempe in hunc modum, השבת נתונה להבין מעשי השם ולהגות בתורתו, h. e. *Sabbatum datum est, ut advertas opera Dei, & mediteris in lege ejus.*

12. *Ut prolongentur*] A. E. sic legit, *ut prolongent dies tuos*, scilicet mandata Dei. Scribitur enim hic יאריכון in Hiphil. Inveni apud quendam Rabi tria alia quæ hominis vitam prolongant, nempe המאריך על שולחנו המאריך בתפלתו המאריך בבית הכסא: per ultimum intelligunt sedem purgationi ventris deputatam.

14. *Non mœchaberis*] A. E. dicit hìc quemcunque concubitum, præter legitimum, prohibitum.

15. *Non furaberis*] Multi Hebræorum intelligunt de furto hominum, cùm infrà proprium præceptum detur de furto rerum aliarum.

16. *Non respondebis falsum testimonium*] Hebræi communiter legunt, *Non respondebis, ò testis falsitatis, contra proximum tuum.* Est enim עד *testis*, & עדות *testimonium.*

21. *Caliginem*] Est ערפל, ut K. docet, idem quod חשך עב, *caligo densa.*

24. *Pacifica tua*] Sunt שלמים *sacrificia quæ pro pace & incolumitate offeruntur:* de quibus infrà.

25. *Non uteris*] Heb. *Non ædificabis illos sectos*, vel *politos.* Est enim גזית à גז, quod *tondere* significat. Vocat igitur Scriptura lapidem ferro politum, *lapidem tonsum* vel *rasum*; sicut & *cultrum* usurpat pro quocunque instrumento ferreo.

26. *Per gradus*] Sensus est, Ascensus non erit intercisus per gradus longè distantes, ut cogaris magnos facere passus; sed acclivis & æqualis erit ascensus, nè turpitudo reveletur nimiâ crurium distensione.

F A G I U S.

12. U*T prolongent dies tuos*] Scilicet parentes: est enim *prolongandi* verbum hìc activæ significationis. Sed quomodo parentibus tribuitur quod solius Dei? Propterea quòd parentes sunt quodammodo medium & causa instrumentalis per quos Deus filiis aliquando vitam prorogat. Exaudit enim Deus sæpe preces & benedictiones quibus filiis suis obedientibus ac morigeris benedicunt ac bene precantur; sicut etiam è contrà sæpe & maledictiones & devotiones illorum erga filios, juxta illud Prov. 30. 17. *Oculum qui subsannat patrem & vilipendit doctrinam matris, hunc eruent corvi torrentis, devorabuntque ipsum pulli aquilæ.* Quibus verbis significat Salomo filios immorigeros tandem ignominiosâ morte, laqueo scilicet aut alio supplicio, perituros, atque ità demum escam avibus futuros. R. A. E. hæc verba ità explicat, *ut prolongent dies tuos, scilicet mandata Dei:* sed prior lectio simplicior est.

13. *Non occidas animam*] i. hominem. *Anima* enim pro *homine* schemate Hebraico sæpe accipitur: estque denominatio à parte principaliori. Additur autem hìc *anima* à Paraphraste discriminis causâ, nè quis putet in universum non occidendum quod vitam habet. Non enim tollitur hìc usus gladii in malefactores, sed privata tantùm vindicta & homicidia vetantur.

18. *Vidit voces*, &c.] i. audivit voces: communicatio sensuum est. Quia enim sensus conjuncti quodammodo sunt in uno loco, ut inquit Ezra, ideo alter pro altero usurpatur.

20. *Ante facies vestras*] Hebraismus est, pro *in vobis*, vel *inter vos.*

24. *In omni loco in quo habitare fecero majestatem meam*, &c.] Vulg. interpres hunc locum ex veritate Hebraica ità transtulit, *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi*, &c. quasi scilicet Deus gratum habere velit ubicunque locorum illi pro suo arbitrio sibi cultum instituerent: Cùm certè hoc in Lege prohibitum erat à Domino, ut qui pro ratione temporis, tum in certo loco adorari, sibique cultum prout ipse præscripserat exhiberi volebat. Sed solvitur hìc nodus ex veritate Hebraica & Chaldaica, quæ habet, *In quocunque loco ego fecero memoriam nominis mei, veniam ad te*, &c. q. d. Non ubi vos pro vestra libidine mihi cultum institueritis, sed ubi ego illum vobis præscripsero, &c. Hunc locum observavit quoque Capnio piæ memoriæ. In Rudimentis enim suis Hebraicis, lib. 3. ità scribit. In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei veniam ad te, & benedicam tibi. *Quod non est secundùm linguæ Hebraicæ proprietatem translatum: esset enim contra id quod Christus noster in Evangelio locutus est, Matth. 7. cùm ait,* Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. *sed sic debet interpretari*, In omni loco quo faciam meminisse nominis mei, veniam ad te: *& hic est tractus Patris de quo dicit*, Nisi Pater meus traxerit. *Ponitur enim in textu* אזכיר, *i. faciam meminisse, vel, recordari.*

I D E M.

3. לא יהיה לך אלהים אחרים על פני *Non erunt tibi dii alieni coram facie mea.*] Variatio est in illo על פני, quod ad verb. significat *super faciem meam*, vel *coram facie mea.* LXX. imitati Paraph. Chaldæum transtulerunt *præter me.* Alii legunt *coram me.* Cæterùm doctiores Hebræorum hanc locutionem על פני eam vim habere dicunt ac si diceret, *præsente* vel *vivente me*, q. d. Quamdiu ego sum & vivo, non quæres tibi deos alios præter me. Et pro confirmatione hujus expositionis & sententiæ citant similes locos, ut Gen. 11. *Et mortuus est Haran super faciem Tharach patris sui in terra nativitatis suæ*; ità habet ad literam veritas Hebraica; h. e. Mortuus est Haran, vivente adhuc & præsente patre suo Tharach. Notat ergò *super faciem*, vel *coram facie*, secundùm Hebræos præsentiam vitæque existentiam. R. D. K. in libro Radicum bifariam hunc explicat; Primùm hoc modo, *Non erunt tibi dii alieni coram facie mea*, בעוד שאני קיים והוא לעולם i. *quamdiu ego vivo*, sive *duro, h. e. in æternum. Vel* על פני *idem est quod* לפני i. *coram me*, אפילו בסתר לפני הוא, i. *etiam quod in absconditio fit coram eo est.* Hactenus ille.

24. בכל המקום אשר אזכיר את שמי אבוא אליך וברכתיך *In quocunque loco ubi memoriam fecero nominis mei*,] Variatio est in verbo Hebraico אזכיר, in quo omnis vis hujus loci sita est. autem primitiva radix hujus verbi זכר, i. *meminit*, & in tertia conjugatione activa, quæ *Hiphil* Hebræis dicitur הזכיר i. *fecit meminisse*, & in futuro, אזכיר *faciam meminisse*, sive *faciam memoriam*, & hoc futurum in præsenti loco ponitur. Latinus ergò Vulg. interpres non satis expressit vim & energiam hujus verbi quando transtulit, *in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei*, &c. Non enim consilium Dei erat, quòd ubicunque quisque pro sua voluntate Deo cultum institueret, ibi eum exaudire atque propitius esse vellet; sed hoc potiùs innuebat, quòd ubicunque locorum ipse coli & adorari vellet, in eo, inquam, si ipsum essent invocaturi, se illis adfore pollicetur. Atque hunc pulcrè expressit Paraph. Chaldæus, *in omni loco in quo*

quo habitare fecero majestatem meam, &c. intelligit enim locum ubi erat habitaculum & arca Domini; ibi enim Deus tanquam princeps in regia sua & palatio habitat. Unde Hebræi locum illum præsentiæ Divinæ, à *habitando* & *quiescendo* שכינה i. *quietem* appellant: nos ferè *majestatem* vertere solemus. Hebræa veriùs quoque LXX. extulere; legunt enim, *in omni loco ubi nuncupavero nomen meum*, h. e. ubi invocari fecero nomen meum. Sed vide hunc locum quoque in Bibliis Chaldaicis.

VATABLUS.

2. E *Domo servorum*, מבית עבדים] Vide c. 13. 3. Hæc eadem narrantur à Mose, Deut. 5. 6.

4. *Neque ullam similitudinem*, וכל תמונה] Ad verb. *& omnem imaginem.* Vertere potes, *aut ullam imaginem*, &c. *aut*, eorum *quæ*, &c.

5. *Non incurvabis te eis*, לא תשתחוה להם] *Non adorabis illa.* ¶ *Deus zelotes*, אל קנא] *Fortis zelotes.* Vox קנא non solùm affectum significat qui est inter amantes, & non fert corrivalem, sed & eum quo animus commovetur atque irascitur & suis & suorum contumeliis & injuriis, ità ut paratus sit ad injuriam ulciscendam: ut de Phinees legimus, Num. 25. 11. ubi de eo dicit Dominus, *Phinees avertit furorem meum à filiis Israël*, בקנאו את קנאתי בתוכם, *quum zelatus est zelum meum in medio eorum*, i. ardore quodam animi commotus est (ut solent zelotypi) propter me, videns indigna cultu meo fieri, atque eam injuriam ultus est: quæ significatio huc maximè quadrare videtur. Alii vertunt, *Deus zelotypus*, q. d. qui non possum ferre ut alius ametur colaturve quam ego: fortis sum, qui possim & velim injuriam mihi illatam ulcisci. Vide c. 34. 14. ¶ *Visitans*, פקד] *In memoriam reducens.* Vide hæc eadem c. 34. 7. ¶ *In tertiam*, &c. על שלשים וג'] Ad verb. *in tertianos & quartanos.* ¶ *Odio habentibus me*, לשנאי] Chald. paraph. *in iis scilicet qui odio habent me: quando videlicet filii æmulantur peccata parentum.*

6. *Millibus*, לאלפים] i. usque in perpetuum.

7. *Non assumes*, לא תשא] *Ne usurpes.* Chald. paraph. *Nè jures*, &c. ¶ *In vanum:* לשוא] *Frustra*, sive temerè, q. d. Siquid juraveris te facturum adhibito nomine Jehovæ, illud præstes. ¶ *Insontem habebit*, ינקה] Ad verb. *insontabit*, si Latinè dici posset. Vertere potes, *non habebit pro innocente.*

8. *Recordare diei*, זכור את יום] Deut. 5. 12. dicit, *Custodi* [vel, *Observa*] *diem.* ¶ *Ut sanctifices illum*, לקדשו] *ad sanctificandum illum*, sub. *diem*, vel, *illud*, sub. *sabbatum.* Hebraismus, pro, Da operam ut cesses ab operibus tuis die sabbati.

10. *Jehovæ*, ליהוה] i. in honorem Jehovæ. ¶ *Neque tu, neque filius*, &c. אתה ובנך וג'] Ad verb. *tu & filius tuus & filia tua, servus tuus*, &c. subauditur autem in singulis negatio præcedens: aut ו convertendum in או *aut*, hoc modo, *tu, aut filius tuus, aut filia tua*, &c. ¶ *In portis tuis*, בשעריך] *Intra portas tuas*, i. qui habitat in tua urbe. Moses Deut. 5. 14. addit, *Ut requiescat servus tuus & ancilla tua sicut tu. Et memento quod*, &c.

11. *Benedixit*, &c. ברך יהוה וג'] Quid *benedicere*, quidve *sanctificare* significet, vide Gen. 2. 3. id est, voluit illum nobis esse sacrum & solennem & cultui suo dedicatum.

12. *Ut prolongentur dies tui*, למען יאריכון ימיך] *Ut longi sint dies tui*, i. ut diu te incolumem habeant dies tui, h. e. ut diutissimè vivas: sic doctus inter Hebræos. Ex doctioribus illorum alter transitivè accipit, *prolongent dies tuos:* nempe parentes: i. sint in causa ut prolongentur dies tui. Sic etiam Chald. paraph.

16. *Testimonium mendacii*, עד שקר] *Testimonium falsitatis*, i. mendax & falsum. Ex doctioribus Hebræorum alter vertit, *ò testis false!* vel *mendax.* Alter verò dicit עד aliquando esse nomen substantivum, quamvis ut plurimum sit adjectivum.

17. *Non concupisces uxorem*, לא תחמד אשת] Verbum istud repetivit Moses ut magis seipsum exponeret: nec enim dividitur hoc præceptum in duo. ¶ *Neque servum ejus*, ועבדו] *Aut servum ejus:* & sic in sequentibus.

18. *Videbant*, ראים] *Videbant*, i. audiebant: nam apud Hebræos, quod ad sensus attinet, alter pro altero usurpatur, quòd sensus conjuncti sint quodammodo in uno loco, ut alter ex doctioribus illorum annotat. ¶ *Et lampades*, ואת הלפידים] *Et faces, & flammas.*

20. *Ut tentaret vos*, לבעבור נסות אתכם] *Ut probaret vos.*

23. *Mecum*, אתי] i. unà mecum eos colatis: volo ut me unicum colatis, nolo habere socium.

24. *In quo meminisse*, &c. אשר אזכיר וג'] i. in quo instituam memoriam nominis mei. Istud jungendum est mox sequentibus, q. d. In quocunque loco ego fecero memoriam nomini meo, veniam ad te, h. e. exaudiam te, & felicem reddam.

25. *Eos excisos*, אתהן גזית] *Eos* cum *excisione:* ità ad verbum: vel ut alii, *ex eis* lapide *exciso.* ¶ *Super illum*, &c. עליה חרבך] Relativum refert lapidem. *Gladium*, sive *cultrum*, usurpat pro quocunque instrumento ferreo, i. Si ferreo aliquo instrumento polivveris sive apparaveris illos lapides quibus ædificaturus sis altare, pollueris illos lapides.

26. *Nè detegatur*, &c. אשר לא תגלה ערותך] *Nè reveletur nuditas tua*, i. nè revelentur pudenda tua.

CASTALIO.

4. S*imulacrum ullius rei, quæ exstet*] Ad verb. in Hebræo ità legitur, *Ne facito tibi simulacrum, & ullam figuram quæ sit in cælo.* Sed hoc sensu caret: non enim fit figura quæ est in cœlo, sed fit simulacrum figuræ, i. rei aspectabilis, quæ est in cœlo. Itaque emendatiùs legitur Deut. 5. ubi sine conjunctione ו legitur, לא תעשה לך פסל כל תמונה, *Ne facito tibi simulacrum ullius figuræ*, sive *rei aspectabilis:* cujus verbi vim expressimus verbo *Exstet.* Eodem modo ter loquitur Deut. 4. Nec dissimile est illud Plinii l. 1. c. 3. *Quoniam indè* (scilicet ex cœlo) *deciduis rerum omnium seminibus, innumera, in mari præcipuè, ac plerumque confusis, monstrifica gignantur effigies.* Hæc Plinius, *effigies* vocans animalia ipsa effigies habentia. Quod autem in Hebræo est *Tibi*, supervacaneum est, ut ferè fit: ut cùm sæpe dicitur לך לך, *I tibi*, id est, *I*; quod Galli bene dicunt, *Va t'en.* Hujus autem Hebraismi simile habent Latini, sed in prima persona, ut apud Horatium, *Quid mihi Celsus agit?* nonnunquam & in secunda, ut apud Ciceronem pro Sexto Roscio, *Alter tibi descendit de palatio & ædibus suis.* Igitur, *Ne tibi feceris simulacrum*, dici posset Gallice, *Ne te fay point d'image.*

CLARIUS.

4. N*On facies tibi sculptile*] Ut scilicet adores illud: alioqui Cherubim alata fieri jussit supra Arcam, & picturæ erant variæ in Tabernaculo, & Templo Salomonis.

5. *Deus æmulator*] Qui æquo animo ferre non potest ut ab eo divellamur, & alium quæramus amatorem. *Valde autem velle amari*, ait Chrysostomus, *id ab ingenti amore proficiscitur.* ¶ *Visitans iniquitatem*] Quando scilicet filii sunt paternorum scelerum sectatores; cùm in Ezechiele scriptum sit, *Filius non portabit iniquitatem patris.* Est autem modus loquendi quo significatur, Deum non sinere malos impunitos; interim tamen esse infinities benigniorem in pios & suos quàm est severus in hostes & impios. Vide similem loquendi modum Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor*, &c.

7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*] h. e. temere, sine ulla necessitate jurando, aut irrisoriè de Deo loquendo.

10. *Jumentum tuum*]. Jubet etiam jumentum in sabbato quiescere, non jumenti ipsius gratià, sed ad docendos homines commiserationem.

14. *Non mœchaberis*] Per hoc prohibetur quivis concubitus præter legitimum, & membrorum illorum omnis illegitimus usus: sicut & in verbo, *Non occides*, præcipitur, non verberandum, non mutilandum, non famæ detrahendum, &c.

15. *Non furtum facies*] Multi Hebræorum intelligunt de furto hominum, cùm infrà proprium præceptum detur de furto rerum aliarum.

19. *Non loquatur nobis*] Vide quid faciat servilis timor: aversatur id quod summum est bonorum omnium. At qui in libertatem filiorum Dei vindicatus est, dicit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; &, *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

20. *Ut probaret vos*] Ut hoc experimento agnosceretis, vos nondum exuisse spiritum servorum.

23. *Deos argenteos nec aureos*] Ergò licebit ligneos facere? Idcirco quidam allegoricè dictum putant, Non esse serviendum pecuniæ, neque eam pro Deo habendam, cùm scriptum sit, *Avarum esse idolorum cultorem.*

24. *Altare de terra*] Ut longissimè distarent à moribus idololatrarum, præcipiuntur erigere altare aut ex terra aut ex lapidibus impolitis. ¶ *Pacifica vestra*] Sunt sacrificia quæ pro pace & incolumitate offeruntur.

lized by Google

26. *Per gradus*] Sensus est, Ascensus non erit intercisus per gradus longè distantes, sed acclivis & æqualis erit ascensus, nè turpitudo reveletur nimiâ crurum distensione.

DRUSIUS.

2. D*Omus servorum* vocatur Ægyptus, vel quòd Ægyptii servi essent Pharaonis, vel quod Israelitæ duram servitutem ibi servierant. Quod robur accipit ex illo Deut. 6. 21. *Dices filio tuo, Servi fuimus Pharaonis in Ægypto.* Quidam existimant Mosem respexisse ad maledictum illud, *Servus servorum erit fratribus suis.* Nam licèt in Chanaan directum fuerit, tamen Chamum etiam attigit, à quo Ægyptus *Ham* dicta ætate Hieronymi. *Cham, Ham*, ut *Chebron, Hebron.*

3. Ubi vulgò, *Non erunt tibi dii alii*, puto vertendum, *Non erit tibi Deus alius.* Primùm, quia in Hebræo est verbum singulare: deinde, quia nomen *Elohim*, teste Procopio, iisdem literis eodémque numero & *Deum* significat & *Deos*: tertiò, quia qui dicit, *Non erit tibi Deus alius*, etiam dicit, *Non erunt tibi dii alii*: sed non contrà. Nam potest aliquis unum Deum falsum colere, de quo verè dici nequit quòd colat Deos alios. Non enim plures coit qui unum tantùm. Nec obstat quòd in fonte sit אחרים, ubi habetur ratio terminationis. Sic אלהים חיים Latinè reddi debet *Deus vivus*, & non *dii vivi*; אלהים קדושים *Deus sanctus*, & non *dii sancti.* Cæterùm Deus alius intelligitur à vero, qui sit falsus non verus Deus, quem & *novum Deum* appellant. Cæterùm *dii* vocantur ex opinione hominum, qui eos pro Diis habent. Sic Joseph vocatur *pater Jesu*, non quòd esset revera, sed quòd putaretur esse à vulgo ipsius pater. Similiter Hananias appellatur *prophetes*, quia pro tali habebatur, Jer. 28. *Et Samuel dicit*, 1. Sam. 28. 15. *Quare commovisti me?* nempe ex opinione Saulis, qui eum putabat excitatum esse.

IDEM.

4. פסל· Οἱ λοιποὶ, γλυπτὸν, *cæteri, sculptum*] *Cæteri*: A. Sym. Th. ¶ Γλυπτὸν, *sculptum*; & subintelligitur *idolum*, aut aliquid tale: epitheton absque re. Usi sunt hoc interpretamento LXX. Hab. 2. 18. ubi & verbum פסל reddunt γλύφειν, *sculpere*, sive *scalpere.* ¶ *Sculptum*, Interp. Vulg. *sculptile.*

7. לשוא· A. εἰς εἰκῇ, *temere*] Psal. 139. 30. לשוא· A. εἰς εἰκῇ. Sym. ματαίως. In N. T. aliquoties occurrit εἰκῇ eodem significatu. ¶ *Temere.* Aut, *frustrà.*

23. כי חרבך הנפת עליה· A. ὅτι μάχαιράν σου ἐξῆρες ἐπ' αὐτὸ, *quia gladium tuum extulisti contra illud.* Sym. τὴν γὰρ μάχαιράν σου ἐκίνησας ἐπ' αὐτὸ, *gladium enim tuum agitasti contra illud.* Th. ὅτι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπιβέβληκας ἐπ' αὐτὸ, *quia frameam tuam injecisti in illud*] *Frameam*, i. gladium. Sic usurpant interpretes prisci ævi.

NOTÆ MAJORES.

1. L*Ocutusque est Deus omnia verba ista, dicendo.*

Locutus est] Per vocem in aere formatam. ¶ *Deus*] Elohim i. vindex aut judex, qui punire potest, cum vult, transgressores. ¶ *Omnia*] À principio Decalogi usque ad finem. Quanquam sunt qui Dei verba non extendunt ultra versum sextum, propterea quod in septimo mutetur persona prima in tertiam. ¶ *Verba*] Id est præcepta. LXX. πάντας τοὺς λόγους τούτους: & Hiero. *cunctos sermones hos.* Hinc Decalogi nomen. Græcè δεκάλογος. Dicunt & οἱ δέκα λόγοι. Ebraicè עשרת הדברים & עשרה הדברים. Chaldaicè עשרה דבריא. Reperio & דבריא, & in singulari דבירא קדמאה præceptum primum. Vide Thargum Jonathæ, & illud quod Jerosolymitanum vocatur.

2. *Ego sum DOMINUS Deus tuus, qui eduxi te è terrâ Ægypti, è domo servorum.*

Ego sum &c.] Eadem habentur Deut. 5. 6. & quidem iisdem verbis usque ad illud, *Memento Diei Sabbathi.* Nam ibi est *Observato diem Sabbathi.* Sed & deinceps varietas est, quam suo loco notabimus. Varietas, inquam, in verbis, non in sensu. Verba inventa sunt ad sensum animi significandum. Ea habent rationem corporis, ut sensus animæ, qui in verbis tanquam in vase quodam continetur. Quocirca sapientes de verbis non admodum solliciti fuerunt. Quidam verba similitudinem habere dicunt cum vagina, in qua gladius reconditus. Similiter sensus in verbis latet: unde verborum cognitio imprimis necessaria. Nam rerum cognitio pendet ab eis, ut rectè monet Aristoteles. ¶ *DOMINUS*] יהוה nomen proprium Dei veri, quo distinguitur ab omnibus aliis diis. ¶ *Deus tuus*] Ac proinde tu es meus populus. Notum illud, *Ego ero ei Deus & ipse erit mihi populus.* Et *tuus* per gratuitam electionem. ¶ *E terra Ægypti*] In quâ durissimam serviebas servitutem. Id significat cum ait, ¶ *E domo servorum*] Q. d. ex ergastulo, in quo servi opus faciebatis. Vide quæ scripsimus supra 13. 3. Onkelos, *è domo servitutis.* LXX. ἐξ οἴκου δουλείας: Hiero. *de domo servitutis.* Jonathan, *è domo servitutis servorum.* R. Salomo, *è domo Pharaonis, cujus servi eratis.* Alias, *è domo servorum*, quia erant servi servorum, hoc est Ægyptiorum. Hiscuni, *Melius est ut mihi servias, quam ut servias illis servus*, hoc est Ægyptiis aut potius Pharaoni. Deut. 6. 21. *Dices filio tuo, Servi fuimus Pharaonis in Ægypto, eduxitque nos DOMINUS ex Ægypto manu valida.* Vide sequentia. Abenezra, *Debes mihi servus esse quia eduxi te è domo servorum* &c. Vide. Lippomanus, *De domo servitutis vel servorum. Ebraismus est pro, de loco ubi serviebas*: & mox, *de domo servitutis i. servili. Domus enim conditionem significat.* Quæritur utrum ab hoc versu incipiat primum præceptum. Quidam negant, alii adfirmant. Origenes, *Hic sermo nondum est mandati, sed quis sit, qui mandat, ostendit.* Jonathan, *Verbum* i. præceptum *primum quando egrediebatur ex ore sanctitatis* &c. *clamabat & dicebat, Filii Israel, ego sum Deus vester, qui redemi & eduxi vos redemptos è terrâ Ægyptiorum.*

3. *Non erunt tibi Dii alii ante faciem meam.*

Non erunt] Qui initium Decalogi hic faciunt, separant hunc versum à proximè sequenti, ut primum præceptum sit, *non erunt*: & secundum, *non facies tibi sculptile.* Abenezra præceptum יחוד appellat. ¶ *Dii alii*] Alii à vero: aut alii i. alieni, ignoti, peregrini. R. Salomo, *Qui non sunt Dii, sed homines faciunt eos tales. Aliter, qui sunt alieni à cultoribus suis: clamant & non exaudiunt eos.* Idem, *Non convenit exponere alios præter me, quia dedecori est Altissimo, si quis alium Deum juxta illum nominet.* Nicolaus, *Dii alieni, à rerum naturâ veluti erat Jupiter, cujus imago pingebatur corpore humano & capite arietino.* Vide, si placet. Onkelos, *non erit tibi Deus alius.* Bona interpretatio. Siquidem אלהים tàm Deum quam Deos sonat. אלהים אחרים Deus alius, ut אלהים קדושים Deus sanctus. Sententia quoque bona est. Nam qui dicit *non erit tibi Deus alius*, etiam illud dicit, *non erunt tibi Dii alii*: non contra. Tamen LXX. οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι, & Hiero. *non habebis Deos alienos.* Santes quoque, *Non erunt tibi Dii alii.* Sed Tremel. *Ne esto tibi ullus deorum alienorum.* Scire licet verbum quod in fonte, singulare esse. Sed ullus deorum i. כל אלהים. Procopius in Gen. *Ajunt Ebræos iisdem litteris eodemque numero scribere & Deus & Dii.* Hoc verum est, si de nomine Elohim accipiatur. Nam & de uno Deo dicitur, & de uno vitulo & de uno homine. ¶ *Ante faciem meam*] Verbum è verbo, *ante facies meas.* Novè autem scriptum lectum in codicibus Ebræorum על פני τρισυλλάβως. Quod mysterium continet mihi ignoratum. Inter notas Massoriticas reperio, *Sic est judicium ejus ei qui didicit secretum.* Hiero. *coram me.* LXX. πλὴν ἐμοῦ, præter me, vel absque me. Sic etiam Onkelos בר מני quod Fagius reddidit *præter me.* R. Salomo, *Sensus est, quamdiu ego subsisto*, hoc est in æternum, *ne dicas præceptum tibi datum esse de hac ætate duntaxat.* Coram Deo. Proverbiale, ut alibi, *coram sole.* Vide Proverbia mea. Abenezra, *Ante faciem meam, capiendum ut ibi, Mortuus est Haran ante faciem Thare patris sui. Sensus est, erat ibi præsens & videbat mortem ejus. Sic alibi, Sacerdotio functus est Eleazar & Ithamar ante faciem Aharonis. Et ecce sensus est, quandoquidem ego Deus tuus sum in omni loco semper existens & videns id quod facis, non debes alium Deum mecum copulare.* Idem observat inter negantia præcepta hoc unicum esse tàm cordis quàm oris. *Nam si quis dicat*, inquit, *præsentibus testibus, ego occidam te, nec tamen occiderit, non punitur. Sed si quis dixerit, Eamus & colamus Deos alios, Lex jubet eum occidi.* Ex dictis elicio glossam, *ante faciem meam, hoc est nullo unquam aut loco aut tempore.* Deos autem appellat, teste eodem Abenezra, qui Dii non sunt, nisi opinione hominum, qui eos pro Diis habent. Sic Joseph vocatur pater Jesu, non quod esset revera, sed quia putabatur esse à vulgo ipsius pater. Similiter Hananias appellatur prophetes, quia pro tali habebatur. Jerem. 28. & Samuel dicit 1. Sam. 28. 15. *Quare commovisti me* &c? Nempe ex opinione Saulis, qui eum putabat excitatum esse. Nunc ad rem. Hiscuni על פני i. *loco meo sive pro me. Ebraicè* במקומי. *Simile, Et sacerdotio functus est Eleazar* על פני אהרן *loco Aharonis sive pro Aharone. Alind simile* על פני בן השנואה *loco filii exosæ. Possumus etiam exponere, Si alium pro Deo receperis, hoc*

erit contra faciem meam &c. R. Levi, עַל פָּנָי *contra essentiam sive substantiam meam. Vult dicere, Non debes socium mihi adjungere dando ei partem in divinitate, vel, ne credas, alium esse gubernatorem universi* &c. Nicolaus, *Coram me i. in nullo loco aut tempore, quia præsens sum in omni tempore & loco.* Lippomanus, *Coram facie mea, hoc est coram me i. me inspectante vel vidente. q. d. cum ubique sim, nusquam coles Deos alienos, ne in occulto quidem, cum me nihil latere possit. Alii, super me i. superiores mihi: alii, prope me i. æquales mihi: alii denique adversum me i. mihi contrarios verterunt.*

4. *Non facies tibi sculptile, aut ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, aut eorum quæ sunt in terra deorsum, aut quæ in aqua subter terram.*

Non facies tibi sculptile] Hoc est alterum præceptum de sententia Origenis, Augustini & aliorum. Quidam tamen idem faciunt cum primo. Hi ultimum præceptum in duo partiuntur, ut nonum sit, *Non concupisces domum proximi tui*, & decimum, *Non concupisces uxorem ejus.* Alioqui novem tantùm præcepta essent. ¶ *Sculptile*] i. γλυπτὸν. Sic οἱ λοιποὶ hoc est A. Sym. Th. Prius erat in Lxx. εἴδωλον, idolum. Id latius patet. Nam idolum etiam quod conflatur. Hiero. Habac. 2. *Idolum aliud est sculptile, aliud conflatile: & differunt, quia Sculptura est in lapidibus & marmoribus, conflatura in his metallis intelligitur, quæ solvi possunt atque conflari, verbi gratia, auro, argento, ære, plumbo, stanno.* פסל non solum de latomis, sed etiam de fabris lignariis sive materiariis dicitur; unde פֶּסֶל & quod ex ligno. Sane legimus Deut. 7. 5. *Sculptilia eorum comburetis igni* פסיליהם· Et Jesa. 4. 5. עץ פסלם lignum sculptilis sui: vel dolatum aut fabricatum ab eis lignum. Onkelos hic habet צלם imaginem vel statuam. Jonathan צלם ותמונה imaginem & formam, vel si mavis, statuam & imaginem. Habac. 2. 18. פֶּסֶל Lxx. γλυπτὸν i. imago sculpta. Jonath. צלמא· Lex. vet. εἴδωλον, *simulacrum, larva:* & rursum, *simulacrum*, ἀπεικόνισμα, εἴδωλον ξόανον. *Inter idolum & similitudinem*, inquit Theodoretus, *hoc interest, quod idolum nullam habet subsistentiam*, (οὐδεμίαν ὑπόστασιν ἔχει) *at similitudo rei existentis expressio est.* Consentanea his scribit Origenes, cujus verba invenies in Catena Patrum. Hæc differentia refellitur primum ex vocabulo Ebraico פסל quod à sculpendo sive dolando deducitur; deinde ex usu vocis εἴδωλον, quæ pro quovis simulachro usurpatur. Ecclesiastici autem scriptores usurpant peculiari significatione pro simulachro numen aliquod repræsentante, quod cultu & honore dignamur, si non fallit nos H. Stephanus in voce εἴδωλον. Hiscuni Vau redundare putat ut sit *sculptile ullius similitudinis:* quo nomine comprehendit lapides Marcolis, licet nullam faciem similitudinis habeat. ¶ *Aut ullam similitudinem*] Hiero. *neque omnem similitudinem.* In Hebræo est ad verb. *& omnem similitudinem.* Hic (&) pro aut ponitur. Hoc primum: deinde *omnem* pro ullam usurpatur. Quod tritum in hac lingua. Lxx. οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα: neque cujusquam (sub. rei) similitudinem. Quanquam apud interpretem Origenis, *neque ullam similitudinem*, οὐδὲ πᾶν ὁμοίωμα. B. Augustinus habet, *neque ullum simulachrum*, οὐδὲ πᾶν εἴδωλον. Onkelos וכל דמות aut ullam similitudinem. Sic etiam Jonathan. Nam דמות similitudo. Tremel. *aut ullam imaginem.* In notis Vatabli, *vertere potes, aut ullam imaginem.* Lippomanus, *Imago secundum aliquos similitudo est, quomodocunque conficta, repræsentans astra cœli, aves, pisces, jumenta, pecora, vermes, cete grandia, dracones homines vel figmenta, etiam non extantia.* Ceterum *similitudo* hic ponitur pro rebus similitudine expressis. Cui simile illud Plinii lib. 1. cap. 3. *Quoniam ex cœlo deciduis rerum omnium seminibus innumera in mari præcipuè ac plerumque confusis monstrifica gignantur effigies*, ubi effigies vocat animalia ipsa effigies habentia. In historia creationis Adæ צלם imago redditur, & דמות similitudo, quæ differre inter se alias ostendemus. Nicolaus, *Sculptile fit per dolaturam in ligno vel lapide vel aliis quæ sculpi possunt: similitudo per fusuram vel picturam vel quocunque alio modo.* ¶ *Eorum quæ in cœlo*] R. Salomo, *rei quæ in cœlo.* Sunt autem ibi Sol, Luna, Stellæ; quibus gentes plurimæ divinum cultum exhibuerunt. In cœlo etiam sunt aves. Nam cœlum pro aere ponitur. ¶ *Sursum*] ממעל· Lxx. ἄνω. Hiero. *desuper:* alii, *supra.* Chalda. מלעיל & מלעילא· ¶ *Aut eorum quæ in terra*] Ut sunt animantia terrestria, quæ Ægyptii colebant. R. Levi aves hic ponit, & simul etiam germina sive plantas comprehendi putat i. הצמחים· Abenezra, *Non sunt similitudines in cœlo: tantum 48. figuræ sunt* i. צורות *& sapientes earum faciunt quod rectum non est, quorum opera non longe absunt ab idololatria.* ¶ *Deorsum*] מתחת de sub. Lxx. κάτω. Hiero. & Santes, *deorsum.* Arias, *de subter.* Alius, *infrà.* On. & Jon. מלרע infernè. Hoc adjectum, quoniam terra sub cœlo est: ex quo, *excindes eos de sub cœlo DOMINI* i. è terra. ¶ *Aut quæ in aqua*] Ut sunt pisces, & ea quæ in aquis proveniunt. Piscis formam habuisse creditur Dagon Deus Philisthæorum: item Venus Assyria sive Sidonia piscis specie olim colebatur. ¶ *Subter terram*] Ita Santes. In emendatis ab Aria, *de sub.* Lxx. ὑποκάτω τῆς γῆς, subtus terram. Hiero. *sub terra*, מתחת לארץ· Alius, *infra terram.* Aben. dicit מתחת לארץ *& non dicit* מתחת הארץ *quia mare & terra globus unus sunt.* כדור אחד *sphæra una.* Aut dicit, *subter terram*, secundum apparentiam quia terra extare supereminereque & quasi natare videtur in aqua. Unde descendere dicitur, qui ad mare tendit. Sanè omnis aqua terra tanquam alveo continetur, ut videatur esse alveus aquæ ipsa terra.

5. *Non adorabis ea neque coles ea, quia ego DOMINUS Deus tuus, Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, iis qui oderunt me.*

6. *Et faciens misericordiam in millia diligentibus me & custodientibus præcepta mea.*

Non adorabis ea] Non procumbes sive procides coram eis. Lxx. οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς. Sic etiam On. & Jon. Malè quidam, *non incurvabis te eis.* Nam id potius Ebraicè per verbum כרע exprimeretur. Aben. *non adorabis ea, quemadmodum faciunt domini imaginum* (בעלי הצורות) *qui putant se detrahere posse in hæc inferiora virtutem* (vim) *superiorum ad utilitatem cujuspiam.* Hiscuni, *non adorabis ea, licet ab aliis facta sint.* ¶ *Neque coles ea*] Vel, *neque servies eis.* Idem verbum in illo, *Dominum Deum tuum adorabis & ei servies.* Lxx. οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς. Aben. *Non coles ea, sacrificando, incensum adolendo, memorando, nomen eorum usurpando, vel etiam, si Deo placet, adjurando.* Vide. ¶ *Deus tuus*] אלהיך· ¶ *Deus*] El. Quidam, *Deus fortis.* Nam appellatio à fortitudine. Onkelos אל· Jonathan אלהא· Syri vulgares dicunt *Il:* unde *Ilus* i. θεός. Ergo ἠλεὶ quod in Matthæo, Chaldaicum est aut Ebraicum, non Syrum. Isidorus Orig. lib. 14. cap. 3. de Persia, *Omnes*, inquit, *in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua El dicitur.* Locus suspectus. ¶ *Zelotes*] Vel, *æmulator.* Græcè ζηλωτής. Translatum à marito Zelotypo, qui eam, quam amat uxorem, non patitur cum alio consuetudinem habere: quod si id contingat, gravissimè illam injuriam punit. Quod Deus fortis i. אל potest facere, si velit. Nam ideò אל quia potest vindicare injuriam, nec quisquam ei resistere potest, aut conatum ejus impedire. Porro zelotes Chaldaicè קנא, ut etiam Ebraicè, & קַנָּא dicitur ad instar גַּזָּל raptor. Sic נַקָּם ultor. Utrumque reperitur in Jonatha. Lippomanus, *Deus Zelotypus sive æmulator, q. d. qui non possum ferre ut alius ametur colaturve quam ego; in quo justissime agit, cum ipse sit qui creavit, redemit & nutrit nos. Velle autem valde amari, ut ait Chrysostomus, ab ingenti amore proficiscitur.* ¶ *Visitans iniquitatem patrum &c.*] Quidam hoc restringunt ad iniquitatem idololatriæ, de qua hic sermo. Vide Notas Tremellii. Alii *visitat* interpretantur meminit & recordatur q. d. non punit ante tertiam aut quartam ætatem. Hiero. in Ezecielem cap. 18. *In hoc Dei creatoris clementia demonstratur. Non enim truculentiæ est & severitatis iram tenere usque ad tertiam aut quartam generationem, sed signum misericordiæ pœnam differre peccati. Quando enim dicit, Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ miserationis, & infert, reddens iniquitatem patrum super filios & filios filiorum, hoc indicat, quod tantæ misericordiæ sit, ut non statim puniat, sed sententiam differat puniendi.* Abenezra, *Visitare idem est quod recordari, ut Deus visitavit Saram i. recordatus est eam. Deus enim differt pœnam improbo, si fortè convertatur à peccato suo. Nam in eo perit memoria omnium. Siquidem Deus recordatur id quod fecit pater, & filius & filius filii: propterea non differt iram in quartum.* Hiscuni, *Ne dicas, Obliviscar scelus, quia ego visito iniquitatem patrum in filios, non quod puniam filium ob iniquitatem patris, quisque enim in peccato suo morietur: sed hæc est mensura sive modus puniendi, homo peccat, Deus laudandus differt ei omnibus diebus vitæ ipsius si convertatur. Idem facit filio ejus & nepoti: sed eum qui in quarta ætate, si perstiterit in improbitate patrum suorum, Deus tollit è mundo. Hoc est quod dicit, Visitans iniquitatem patrum* &c. Non alienum ab hac expositione quod alii *visitans*, exponunt animadvertens. Nam etiam recordor eo sensu sumitur apud Davidem in illo, *requirit sanguines, eorum recordatur.* Punit autem iniquitatem patrum in filios & nepotes, quando ipsi etiam improbi sunt & patrum facta imitantur. Quod arguunt verba illa, *in eos qui oderunt me. Tales*, inquit Augustinus contra

tra Adunantum cap. 5. *Non sævitia, sed potius justitia Dei & sua iniquitate puniuntur.* Idem ibidem, *Ex eo quod addidit, qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt.* Eadem scribunt Ebræi. Ex quo & illud, *implere mensuram patrum suorum.* Atque ità conciliabis hunc locum cum alio Ezecielis, ubi habetur *filius non portabit iniquitatem patris*, videlicet si patri quoad mores dissimilis fuerit. Ideò sequitur, *Justitia justi erit super eum.* ¶ *Visitans*] Jonathan מדכר recordans. Sic in illo, *visitavit Saram.* On. & Jon. *recordatus est Saræ.* Nam synonyma hæc sunt. Ideò simul leguntur Psal. 8. *Quid mortalis ut memineris ejus, filius hominis ut visites eum?* Idem aliis verbis. Augustinus in Quæst. N. & V. Testamenti primam expositionem roborat per hæc verba, *Porro autem repromisit Deus reddere se peccata patrum filiis, sed iis qui oderunt eum, hoc est qui in paternis malis versantes serviunt idolis sicut & patres illorum. Ille enim inimicus Dei est qui honorem nominis ejus vendicat creaturæ.* ¶ *In filios*] On. *in filios rebelles.* Sic etiam Jonathan. ¶ *In tertiam & quartam generationem*] על שלשים ועל רבעים Tremel. *in nepotes & in abnepotes.* Nepotes vocantur Ebraicè *filii filiorum*, ut Græcè παῖδες παίδων. Onkelos & Jon. *in ætatem tertiam & in ætatem quartam.* Lxx. ἕως τρίτης καὶ τετάρτης γενεᾶς: usque ad tertiam & quartam generationem עד שלשים וגו׳ Hiero. *in tertiam* &c. optimè & rectissimè. שלשים qui sunt in tertia ætate. Unde בני שלשים filii tertiæ ætatis i. nepotes. Sic רבעים homines quartæ ætatis, non tertii aut quarti, qui potius רביעים & שלישים dicerentur. ¶ *Iis qui oderunt me*] לשנאי odio habentibus me, τοῖς μισοῦσί με: vel, *eorum qui oderunt me.* ita Hiero. Quidam, *in eos qui oderunt me* על שנאי. Addit Onkelos, *quando pergunt filii peccare post parentes* i. parentes imitando. Thomas Aquinas post Gregorium observat de quartâ generatione, eam ideo adjectam esse quod contingat aliquando ut homines abnepotes suos videant. Ceterum inter osores Dei & illi sunt, qui præcepta ejus non custodiunt. ¶ *Faciens misericordiam*] ποιῶν ἔλεος: vel, faciens benignitatem. Id alii referunt, *exercens benignitatem.* Sed חסד vetusta declaratione misericordia. Sic etiam accipitur id nomen in Chronico templi secundi, ubi pharisæi vocantur אנשי חסד i. misericordes, ἐλεήμονες. Porro quicquid à Deo manat aut misericordia est aut benignitas. Misericordia quia nostri miseretur dum benemeretur: benignitas autem fons est omnium bonorum, quæ ab eo percipimus. Hanc interpretationem firmat Onkelos, in quo טיבו bonitas. Sed in Jonatha, *& servans misericordiam benignitatemque.* Bonitas i. benignitas. ¶ *In millia*] εἰς χιλιάδας. Hiero. Lxx. *in mille generationes seu ætates.* Onk. & Jon. *in millesimos à patribus.* Tremel. *millibus.* alii. Probo ut sit, *faciens mille ætatibus*, aut *exercens in mille ætates.* Ebraicè est לאלפים. Eadem vox boves notat. Alibi est לאלף דור eodem sensu. Abenezra explicat, *absque fine, hoc est in seculum & æternum.* Idem admonet in hoc loco duplicem sensum esse. *Unus*, inquit, *est hic, Deus facit ut subsistant animæ ipsorum in æternum, in mille millia ætatum. Alter est, Deus exercet benignitatem in filios ipsorum, qui eorum similes sunt, absque fine. Et sic dicit David, Benignitas DOMINI à seculo usque in seculum erga timentes eum, & justitia ejus erga filios filiorum. Ubi subintelligi debet, qui eum diligunt & ipsius mandata custodiunt.* Hactenus Abenezra. ¶ *Et custodientibus &c.*] Particula (&) hic sumi videtur ἐξηγητικῶς pro id est. Nam Deum amant, qui præcepta ejus custodiunt, & contra. Aut, *his qui diligunt me* i. piis, & *qui custodiunt præcepta mea* i. justis. Sic Aben. & Hiscuni. Sane חסיד definitur, qui plus facit quam jubetur facere: צדיק autem qui jussa Dei exequitur. Vide Camium Psal. 103. 17. Jonathan, *Diligentibus me justis, & custodientibus præcepta mea legemque meam.*

7. *Non assumes nomen DOMINI Dei tui in vanum: quia non insontem habebit DOMINUS eum, qui assumpserit nomen suum in vanum.*

Non assumes nomen &c.] Non jurabis, falsò aut levi de causâ. Falsum jurat & is quoque qui pejerat. Ebræi non falsum jurandum duntaxat, sed aliud quoque vetari putant, videlicet ne quis nomen tetragrammaton temere usurpet: quod solis proferre sacerdotibus concessum erat, cum populo benedicerent. Hoc Nicolaus annotavit. Id firmabis ex libro Liturgiarum. In eo scriptum lectum, *In sanctuario pronuntiant nomen tetragrammaton per scripturam ejus, in urbe autem vel in provincia per cognomen ejus.* Scripturam vocant quatuor litteras Jod, He, Vau, He: cognomen Adonai, Elohim. Onk. edidit, *non jurabis per nomen DOMINI Dei tui frustra.* Jonath. *non jurabit quisquam vestrum per nomen sermonis DOMINI Dei vestri frustra.* Hic est על כן: ibi לשוא. Utrumque sig. *ducedo.* Nam נשא trado. ¶ *Assumes*] Tolles. Huc referri posset, *non tollam nomina eorum labiis meis*, ut dicat, Non jurabo per eos. Alias, *Non assumam*: aut, *non usurpabo.* Alibi enarro, ne quidem nomina eorum usurpabo labiis meis, quod hic non damno. ¶ *Nomen*] Idem fere quod זכר memoria. Est tamen discrimen aliquod. Nam nomen ore tantùm tollitur, memoria etiam animo usurpatur. Aben. ad hunc locum, *Si quis juraverit per caput regis nec ratum habuerit juramentum suum, id ei capitale est.* Hic mos obtinet hodieque in Ægypto. Quod si dederit pondo auri, non liberatur, quia sprevit regem palam. Si sic fit regi, qui est caro & sanguis, cujus initium vanitas, finis vanitas & regnum quoque vanitas: quid fiet Deo, qui millies millesies rege major est? ¶ *In vanum*] לשוא. Lxx. ἐπὶ ματαίῳ, in vano. A. εἰς εἰκῇ, temerè, in cassum. Eo sensu obvium εἰκῇ in N. T. Psal. 139. 20. Sym. ματαίως, vanè. R. Salomo לחנם δωρεὰν, frustra, להבל in vanum. Quidam לשקר falsò. Sic enarrant, *vana loquuti sunt* i. falsa. Aben. censet inter negantia præcepta nullum gravius esse: ideò etiam adjectam habere pœnam, ut & id præceptum quod præcedit. Hiscuni distinguit inter לשוא in vanum & לשקר falsò. Sic enim certè scribit, *In vanum* i. לחנם *temerè, frustrà, ut Chaldæus explicat, Non assuesces, inquit, teipsum, ut tollas nomen ejus* לחנם *frustra, etiam quando verum dicis. Nam ex hac assuefactione venies eo, ut assumas illud falsò, & tunc non evades impunè. Nam non impunitum relinquet DOMINUS eum, qui assumpserit nomen ejus in vanum & falsò.* ¶ *Non insontem habebit*] Non sinet abire impune, non relinquet impunitum. Ex eo quod præcedit id quod sequitur. Nam qui insons est, absolvitur à pœna: saltem debet absolvi. Contra sons punitur. Sic Deus, inquit, puniet eum qui nomen suum frustra temereque usurpaverit. Ceterum, *non habebit insontem*, versio est Hiero. Senes habent, οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ: *non enim purum aut mundum declarabit* i. insontem, innocentem. Onkelos לא יזכי Jonath. *Non habebit purum sive innocentem in die judicii magni.* Tremel. *non relinquet impunem.* Ebraicè, non declarabit innocentem, quod pro eo habendum ac si dixisset, declarabit nocentem i. puniet. Nam pœna est criminis consectaria. Santes, *innocentem indicabit.* Leo, *impunitum dimittet*: Alius. *Sinet.* Gal. Edit. *nocentem* i. sontem declarabit, quem etiam puniet pro merito. ¶ *Qui assumpserit nomen suum*] Qui juraverit per nomen suum · דימי Onk. דישתבע Jonathan. ¶ *Suum*] Vel, *ejus.* ¶ *In vanum*] Onkelos hic habet לשקרא falsò, mendaciter. Hiscuni לחנם inaniter. Melius autem reddunt qui reddunt, *nomen ejus.* Nulla enim hic reciprocatio. Hem, fermè exciderat, *Non habebit insontem*, valet ut si dixisset, puniet gravissime. Simile, *non gaudet stulti pater.* Ejusdem generis est, *non prosunt opes improbitatis.* Nec dissentaneum, *Accipere personam in judicio non est bonum.* Nam vis in eo sermone, ut si diceret, pessimum est. Videtur esse μείωσις, sed non est. Nam quod affirmare volunt Ebræi, id ἐμφατικωτέρως faciunt negando per contrarium.

8. *Memento diem Sabbathi ut sanctifices eum.*

9. *Sex diebus operaberis, faciesque omne opus tuum.*

10. *Die autem septimo Sabbathum DOMINO Deo tuo eris, non facies ullum opus tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, & jumentum tuum & advena tuus qui est in portis tuis.*

11. *Sex enim diebus fecit DOMINUS cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis, quievitque die septimo: idcircò benedixit DOMINUS diei Sabbathi & sanctificavit eum.*

Memento diem] Deut. 5. 11. *Custodi sive observa diem* i. שמור, de quo variæ sunt Ebræorum sententiæ. R. Salomo existimat זכור & שמור uno sermone prolata fuisse in monte Sinai. Saadias arbitratur in una tabula (duæ enim memorantur) fuisse Memento, & in altera, Observato. Id Aben. carpit, qui censet à Deo pronunciatum fuisse catalogum, ut hic habetur. Illum autem, qui in Deuteronimo, à Mose esse, qui sensum, non verba repetiit: plus autem esse Recordare, quam Custodi, quia hoc in illo continetur, non contra. Sic dico, Qui dicit Memento, etiam dicit Custodi. Nam sensus est, Memento quotidie, ut diem septimum hebdomadæ custodias & sanctifices. Idem ait locum memoriæ esse in cerebri parte ultima sive posteriore. Onkelos & Jonathan, *esto memor* seu *estote memores.* Lxx. μνήσθητι. Et est enallage modorum זכור pro זכר hoc est infinitum pro imperativo. ¶ *Diem Sabbathi*] Lxx. ἡμέραν τῶν σαββάτων. Nam τὰ σάββατα i. Sabbathum. Ad verb. diem Sabbathorum plur. pro singulari. Thomas annotat hoc præceptum partim esse morale, partim ceremoniale. Morale quatenus determinat aliquod tempus ad cultum divinum: ceremonia-

le qua-

le quatenus diem Saturni ad hoc peculiariter destinat. Quo circa veteres Christiani in ejus locum primum hebdomadæ substituerunt, hoc est, diem solis sive Dominicum. ¶ *Sanctifices*] Cultui divino consecres. Tunc sacra peragenda, & homo iis vacare debet, ut etiam justitiæ & abstinere ab omnibus operibus malis & vanis. Unde dicit Augustinus, *Minus peccat, qui eo die arat, quam qui ludit.* In Deuteronomio additum, *quemadmodum præcepit tibi DOMINUS Deus tuus.* ¶ *Opus tuum*] Tam servile quam mechanicum. ¶ *Sabbathum DOMINO Deo tuo*] Vel, *DOMINI Dei tui*: & Sabbathum i. cessatio ab opere vel quies. Jonathan, *Sabbathum & quies.* Vult dicere, id est quies. Sabbathum autem appellat שבתא quod factum ex שבת ultima Thau in Aleph versa. Ad hanc consuetudinem referri posset γολία, ut sit גליא pro גלית γολιάθ. ¶ *Ullum opus*] Ad verbum, *omne opus.* Nos Ebraismum mutavimus tollendæ ambiguitati. ¶ *Tu*] Quisquis es, ad quem hoc præceptum pertinet, quem Abenezra *filium præcepti* nuncupat: qui tenetur suos ad hæc observanda cogere. ¶ *Et jumentum tuum*] In Deuteronomio, *& bos tuus & asinus tuus & omne jumentum tuum.* Sensus est, & reliqua jumenta tua, ut sunt equi, cameli &c. Hic subjumenti appellatione etiam bos & asinus continentur. ¶ *Advena*] Peregrinus, proselytus. Chaldaicè גיורא i. γειώρας. ¶ *In portis tuis*] Alii, *intra portas tuas.* Onkelos, *in urbibus tuis.* Jonathan, *advena vester qui in urbibus vestris.* Lxx. καὶ ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοι, & proselytus qui commoratur in te i. in urbe tua. Iidem ex Deuteronomio hic posuerunt ὁ βοῦς σου, καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου καὶ πᾶν κτῆνός σου. ubi notabis חמור reddi ὑποζύγιον. Sic Gen. 26. 24 חמורים Lxx. τὰ ὑποζύγια: & alibi בן אתונה filium unius alicujus asinæ. Lxx. & Matth. 21. υἱὸν ὑποζυγίου. Hoc obiter & quasi in transcursu. Nunc ad propositum. Auctior hic locus in Deuteronomio integro versu, & his verbis, *ut quiescat servus tuus & ancilla tua sicut tu.* Vide Deuter. 5. 15. Portam autem pro urbe, si non esset maximè, notum fieret ex his locis. Psal. 87. 2. *Diligit DOMINUS portas Sion præ omnibus tabernaculis Jacob.* i. urbem Jerosolymam. Deut. 17. 2. *in una portarum tuarum*: & 28. 17. *opprimet te hostis in portis tuis.* Gen. 22. 17. *portam inimicorum suorum possidebit* i. urbes, aut quicquid juris eorum est. Vide & Gen. 24. 60. ¶ *Sex diebus*] Dicunt Ebræi, *Qui operatur die Sabbathi, abnegat opus creationis, non tamen ipsum Deum.* ¶ *In eis*] Cœlo, terra, mari. ¶ *Quievitque die septimo*] Si quievit, ergo non perfecit eo die opus suum. Debet ergo legi *perfecerat*, ubi vulgo, *perfecit opus suum die septimo.* ¶ *Benedixit*] Vide Gen. 2. 3. ¶ *Sanctificavit eum*] Segregavit eum è numero reliquorum dierum ad quietem & cultum divinum. Supra vers. 6. *custodientibus præcepta mea*, hoc quidam restringunt ad idololatriam, nec obstat vox pluralis *præcepta.* Nam qui alium Deum colit à vero idololatra est: item qui sculptile aut simulachrum Dei veri adorat. Ecce duo præcepta. Tertium addunt de colendo uno Deo. Quod continetur in verbis illis, *Ego DOMINUS Deus tuus, qui &c.*

12. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram, quam DOMINUS Deus tuus dat tibi.*

Honora patrem &c.] Honoris vocabulo continetur omne genus officii aut potius pietatis filiorum erga parentes. Hinc Lex de alendis parentibus senio confectis: de qua Jurisprudentes Ebræi, *Debet filius alere parentem pauperem: si nolit judices cogent eum.* Hiero. ad Gerontiam, *Honor vel pro eleemosyna vel pro munere accipitur, ut est illud, presbyteri duplici honore digni habeantur: Et in Evangelio DOMINUS disserit mandatum legis, honora patrem tuum, & matrem tuam; non in verborum sono, qui inopiam parentum cassa potest adulatione frustrare, sed in victus necessariis administrandis debere intelligi &c.* Anselmus Matth. 15. ad locum, *Honora patrem*, ità scribit, (Descripta sunt ex Hiero. Comment. in Matth. cap. 15.) *Honor iste non tantùm in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis & munerum collatione sentitur; unde Apostolus, Honora viduas quæ verè viduæ sunt. Hic honor donum intelligitur: Et alibi, presbyteri duplici honore sunt honorandi. q. d. Non solum officiis sed etiam muneribus sunt donandi.* Eadem habentur apud Zachariam in unum de quatuor. Sirach. 10. 31. *fili, in mansuetudine honorifica animam tuam, & tribue illi honorem prout digna est.* Quæ lucem accipiunt ex illo Salomonis, *Benefacit animæ suæ pius.* Interpres Ecclesiastici vetus *honestatem* posuit pro *divitiis*, & *honestare* pro *ditare.* Sirach. 11. 17. *paupertas & honestas à Deo sunt.* Græcè est πτωχεία καὶ πλοῦτος: & 11. 26. *facile est in oculis Dei subito honestare pauperem* i. πλουτίσαι divitem reddere. Aliquando honor vocatur merces, quæ Medico datur, ex quo illud, *honora medicum antequam ejus indigeas.* Sic Cicero, *ut medico honos haberetur.* ¶ *Patrem*] Quales sunt etiam pastores, præceptores, magistratus, tutores &c. ¶ *Ut prolongentur dies tui*] Seneca, *ut prolongetur tibi dies mortis, nihil proficiet ad felicitatem.* In Ebræo est ad verbum, *ut prolongent dies tuos*: Hiero. *ut sis longævus.* Sententiam expressit, ut Lxx. ἵνα μακροχρόνιος γένῃ. Onk. יוריכון quod est fut Aphel ab ארך, ut אובד perdidit ab אבד periit. Jon. יסגון multiplicent an multiplicentur? Si legas יִסְגּוּן, tum sine dubio sig. multiplicentur: Sunt qui verbum *prolongent* referant ad parentes, qui vitam prolongare dicantur, ut alii servare & recipere in æterna tabernacula. Vide Tremel. (Lxx. auctiores sunt hoc membro ἵνα εὖ σοι γένηται, ut benè tibi sit. Quod sumptum & huc translatum ex Deut. 5. 16. ubi codex Ebræus ולמען ייטב לך.) Posset subaudiri nomen אלהים, quod cum verbis pluralibus interdum construitur: sed tunc vertendum esset Latinè, *ut prolonget*, videlicet *Deus.* Abenezra, *Parentes prolongare dicuntur dies, quia in causa sunt cur dies prolongentur. Nam tu prolongas dies tuos ob mandatum quod facis.* R. Salomo, *Si honoraveris parentes prolongabuntur dies tui: sin, tum decurtabuntur.* Vide sequentia. Nicolaus, *Secundum doctores nostros nomine parentum intelligitur omnis proximus in necessitate positus, cui est providendum. Unde dicit Augustinus, Pasce fame morientem; si non pavisti, occidisti.* Rursum Abenezra, *Qui dicit, Honora patrem &c. idem prohibet, ne quis vilipendat patrem aut ei maledicat. Qui maledicit, in eum pœna mortis statuta. Non sic, si quis vilipendat. Nam id fieri etiam potest clam. Maledicere nemo potest, nisi palam id faciat.* ¶ *Super terram*] In terra. ¶ *Dat*] Dabit, daturus est. Fagius ad paraphrasin Chaldaicam, *Ut prolongent sc. parentes. Sed quomodo parentibus tribuitur quod solius Dei? Parentes sunt quodammodo medium & quasi causa instrumentalis, per quos Deus filiis aliquando vitam prorogat. Exaudit enim Deus sæpè preces & benedictiones, quibus filiis suis obedientibus ac morigeris benedicunt ac benè precantur &c.* Ceterum ab hoc præcepto incipit secunda tabula, quod ideò fortasse vocatur præceptum primum ab Apostolo. Sunt autem primæ tabulæ præcepta quatuor, aut secundum alios tria tantum: atque ità *honora* erit quartum præceptum. Quæ de re videndi sunt Rupertus in Catena patrum; & Augustinus in libro de decem chordis.

13. *Non occides.*

Non occides] Sensus est, ne occidito. Onkelos, *non occides animam.* i. hominem. Id fortè adjecit, ne quis putaret generale præceptum esse ad bestias. Jonathan, *Ne estote homicidæ, neque socii homicidarum*: Et mox, *quoniam propter homicidas gladius exiit in mundum.* קטולין propriè occisores, interfectores. Augustinus in primo de civitate Dei. *Quidam*, inquit, *hoc præceptum etiam in bestias conantur extendere*, (Manichæorum error. Vide de Civitate Dei cap. 20. 21. & 26.) *ut ex hoc nullum etiam eorum liceat occidere. Cur ergo non & herbas, & quicquid humo radicitus alitur ac figitur? Nam & hoc genus rerum, quamvis non sentiat, dicitur tamen vivere, ac per hoc potest & mori.* Et mox, *Restat ergo ut de hominibus intelligamus quod dictum est, Non occides.* Vide, si placet. In hanc legem peccat qui se occidit. Nam is quoque hominem occidit. Non peccat, qui in bello hominem occidit. Nam si bellum licitum, licitum in eo etiam occidere. Idem August. *Quasdam exceptiones eadem ipsa divina fecit authoritas, ut liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculus gladius est utenti. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, qui bella gesserunt Deo autore, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundum ejus leges i. justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt.* Et paulo post: *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Ceterum hominem occidimus manu, auxilio, consensu, odio. Ex quo illud, *Qui fratrem suum odit, homicida est.* Etiam lingua. Aben. *Ne occidito, manu vel lingua testando contra hominem falsum, ità ut occidas eum, aut deferendo aut dando consilium, quo neci detur, aut retinendo arcanum, quod, si reveletur, ipsum a morte liberet.* Hiscuni, *Non occides, manu, lingua, silentio, ut si tu scias consilium homicidæ nec indices.* Idem annotat verbum, רצח non dici nisi de morte injusta: מות vero & הרג tàm de justa quam de injusta usurpari. Secundum hanc sententiam magistratus הרג, non רצח cum supplicio afficit nocen-

nocentem. Sic miles in bello non רוצח sed הורג. Jam vero aliquis occidit corpus tantum, ut homicida: aut animam tantùm, ut falsus doctor, & mendax. Scitum illud, *Os quod mentitur, occidit animam.* Aut corpus & animam simul, ut qui seipsum occidit.

14. *Non mœchaberis.*

Non mœchaberis] Vel, *non committes adulterium.* נאף Mœchor, μοιχεύω. Sic interpretantur Hiero. & Lxx. Onkelos quoque לא תגוף non adulterabis. Sed & Jon. לא תהוון גייורין non eritis adulteri. Nam גייורא adulter. Addit Jonathan, *neque associato te adulteris*: & mox, *Ob peccata adulteri mors exit in mundum.* Tremel. *ne scortator.* Sic etiam editio Gallica postrema. Sed eadem in margine habet, *non committes adulterium.* Priorem interpretationem roborat Abenezra scribens נאף idem esse cum זנה πορνεύω. A quo dissentiunt primum veteres Ebræi. Elias in addit. ad rad. Camii, *Doctores nostri piæ memoriæ dicunt* נאוף *adulterium non committi nisi cum uxore alterius.* Deinde antiqui omnes interpretes, ut vidimus: à quibus temere discedendum non est. Postremo testimonia nonnulla, quale illud, *Morte moriatur* הנואף *adulter* והנואפת & *adultera*: item, *mulier quæ adulterat sub viro suo.* Sed clarius & manifestius in Hosea legimus, *Non animadvertam in filias vestras cum scortabuntur, neque in nurus vestras cum adulterium committent.* Hic est נאף: ibi זנה. Cum veteribus Ebræis sentiunt R. Salomo & Elias ille, quem supra citavi. Quid hæremus? Job. 24. 15. etiam Santes vertit, *oculus adulteri*: & Jerem. 3. 9. *Mœchata est cum lapide & cum ligno.* Nam non magis ibi significat scortari quam mœchari. Quis enim cum lapide scortatur propriè loquendo? Saadias gradus ponit scortationis: Primus est, cum virgine viduaque: secundus est cum uxore cujus menses profluunt: tertius cum uxore alterius: quartus cum extera quæ non sit religionis Judaicæ. Si semen non dederit, debet proselyta fieri, ac tum potest eam ducere: si vero semen dederit, committit idololatriam. Quintus est cum masculo: sextus cum bestia. Infimus horum est cum virgine & vidua: Summus cum bestia. Intermedii sunt quos dixi. Omisit autem in his gradibus concubitum cum matre, sorore & filia & alia quædam. Quæritur utrum hoc mandato prohibeatur etiam scortatio. Hiscuni tamen ait verbo נאף sig. illicitum concubitum. ביאה שהיא בעבירה. Augustinus & cum eo doctores Catholici prohiberi putant omnem illicitum concubitum, qui fit præter legem matrimonii. Sed Ebræi ad μοιχείαν restringunt alios concubitus alibi prohiberi dicentes.

15. *Non furtum facies.*

Non furtum facies] Vel, *ne furator.* Jonathan, *Ne estote fures*: Et mox, *propter peccata furum fames exit in mundum.* Lxx. οὐ κλέψεις, non furaberis. Prohibetur illicita rei alienæ ablatio, detentio, usurpatio; quæ cum clam fit furtum, cum palam & apertè rapina dicitur. Abenezra, *Furtum propriè est ablatio pecuniæ in occulto & est furtum capitale, ut cum quis hominem furatur. Jam vero furtum committitur in supputatione, in mensura, in pondere. Fur quoque dicitur qui alterius cor suffuratur, ut Absalom.* Hactenus Abenezra. R. Salomo, *De fure animarum i. hominum loquitur Scriptura, ut alibi cum ait, Ne furemini, de fure pecuniarum. Aut locus iste intelligendus est de pecuniâ, & ille de hominibus. Sententia nos expediet: Qui occidit, qui mœchatur, reus est mortis. Similiter qui furatur. Ergo de furto hominum duntaxat loquitur.* Nicolaus, *Per illud Non furtum facies, prohibita omnis contractio rei alienæ, vel retentio injusta, secundum quod dicunt Doctores nostri. R. Salomo dicit quod per hoc intelligitur prohibitum furtum hominis tantum, pro quo imponitur pœna mortis, prout habetur cap. sequenti. Pro aliis autem furtis non imponit Lex pœnam mortis, sed restitutionem in duplum, vel aliter secundum quod determinatur judicialibus præceptis.*

16. *Non respondebis contra proximum tuum testimonium falsum.*

Non respondebis &c.] Vel, *non testaberis.* Verbum ענה utrumque sig. Ergo Onkelos לא תסהיד, & Lxx. οὐ ψευδομαρτυρήσεις, non testaberis falsum: Et Jonathan, *non eritis testantes* sive *testificantes.* Hiero. *non loqueris* לא תענה. Alii, *non dices*: quod ענה interdum sig. Ceterum quia testes interrogati respondent ad ea quæ interrogantur, ideò usus sum verbo respondendi. ¶ *Contra proximum tuum*] Vel, *contra socium tuum*: vel, *in amicum tuum.* Hic amicus, socius, proximus denotant alium quemvis, ut in illo, *Dilige proximum tuum* i. τὸν ἕτερον, ut rectè Apostolus explicat. τὸν ἕτερον i. alium quicum tibi res est. Lxx. κατὰ τοῦ πλησίον σου, Onkelos בחברך in socium tuum. Nota (*in*) pro *contra.* Hoc primum: deinde socium sive amicum dici etiam qui est inimicus. Nam absit, ut liceat contra eum falsum testari. ¶ *Testimonium falsum*] Vel, *testis falsus.* Non dices testis falsus idem cum illo, non dices testimonium falsum. Aben. *Multos annos scrutatus sum apud me causam cur dicat* עד *testis & non* עדות *testimonium, & secundum sententiam meam alloquitur ipsum testem, ac si diceret, non respondebis tu cum eris testis falsus.* Videtur in ea opinione fuisse ut existimarit עד tantum testem significare. Nos imbibimus etiam testimonium eo nomine dici. Sane גלעד ab antiquis redditur *cumulus testimonii.* βουνὸς τῆς μαρτυρίας, & Onkelos hic habet סהדותא. Quanquam in Jonatha, *Non testabimini contra socios vestros testes mendacii*, id est סהדין. Hieron. de Quæst. in Genesin, עד *testimonium.* Idem R. David in lib. ubi vocum sensa collegit. Ei simile אל, quod est nomen modo concretum modo abstractum, ut Mich. 2. 1. יש לאל ידם in potestate manus suæ. Ceterum Deut 5. 20. habetur עד שוא testimonium vanum. Diximus autem vanum aliquando per falsum explicari. Quod ex hoc loco robur accipiet. Addit Jonathan de suo, *Quia propter peccata testium falsorum nubes ascendunt, & pluvia non descendit & siccitas venit in mundum.* Porro falsum testimonium dicit & is qui per calumniam interpretatur dictum aliquod contra mentem ejus qui dixit, ut æmuli mei qui ea quæ de polygamia Davidis scripsi, de polygamia Christianorum interpretati sunt, falsum de me testantes, cum etiam Judæis concessus fuerit libellus repudii, neque tamen ex eo sequatur etiam Christianis concessum esse, dicente Christo, *ab initio non fuit sic.* Consuetudo consuetudinem abrogavit, nova veterem, ut omittam pluralitatem uxorum pugnare videri cum prima institutione matrimonii. Tantum polygamiæ duo genera esse docuimus ex Augustino; cujus etiam verbis usi sumus contra nuperam quandam glossam legis illius, *non multiplicabit sibi uxores.* Quæ ibi scripsi vera sunt: non quod ità judicio nostro confidimus, sed quia ut nolumus adversus animi nostri sententiam verum oppugnare, sic adversum imperitorum quorundam somnia illud cum Augustino aliisque doctoribuss catholicis tueri, nullum omnino periculum esse puto.

17. *Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, aut servum ejus, aut ancillam ejus, aut bovem ejus, aut asinum ejus, denique quæcunque proximi tui sunt.*

Hoc præceptum quidam in duo partiuntur. Qua de re videndus Nicolaus ad hunc locum. ¶ *Non concupisces*] Ita ut velis frui eo quod concupiscis. Nam, si Chrysostomo credendum, voluntas debet accedere ad concupiscentiam. Siquidem concupiscere passionis est, velle arbitrii. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. *Si ergo*, inquit, *non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat.* Ceterum in Deut. præcedit, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Quem ordinem hic Lxx. servant, ut primum agat de bono delectabili, deinde de bono utili. Alioqui domus inter res immobiles ponitur: reliqua pertinent ad bona mobilia quæ vocantur. Senes quoque post illud, Non concupisces domum ejus, addunt ex Deut. οὔτε τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, neque agrum ejus. Nam Deut. 5. v. 21. שדהו agrum ejus. Hoc primum: deinde post, *asinum ejus*, addunt de suo, οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ, neque ullum pecus ejus. Jonath. *Non concupiscat unus ex vobis uxorem proximi sui, neque servum ejus &c. quoniam propter peccata concupiscentiæ regnum concitatur in opes hominum ut auferat eas, & divites opum depauperantur, & deportatio venit in mundum.*

18. *Cunctus autem populus videbant voces & lampades, & vocem buccinæ, montemque fumantem, videbat, inquam, populus & moti sunt, steteruntque procul.*

Videbant voces] i. audiebant. Ebraicè רואים videntes fiti erant i. videbant. Quidam explicant *intelligebant*, sed minus rectè. Sane audiebant voces i. tonitrus, & sonum buccinæ. Sed cur dicit *videbant*. Primum quia sequitur *lampades & montem fumantem.* Nam illa videbant, non audiebant. Visus autem in se includit auditum, non contra. Deinde quia videre etiam audire sig. Id probatur aliquot locis Scripturæ. Primus est Deut. 4. 9. *Ne obliviscaris sermonum quos viderunt oculi tui.* Ubi tamen *sermonum* melius exponitur *rerum quæ.* Ideò Santes vertit, *eorum quæ viderunt.* Notum ut דבר pro re usurpetur. Secundus est Gen. 42. 1. *Vidit autem Jacob frumentum esse in Ægypto.* Nos diceremus, *audivit.* Doctè Hieron. *Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto.* Locus iste minimè controversus est. Sic apud Nonium, *Vox illius certè est, idem omnes cernimus* i. audimus. Rursum Deut. 4. 12. *similitudinem non vidistis præter vocem.* Augustinus Locut. lib. 5. *Et similitudinem non vidistis, sed vocem, cum vox non possit videri: sed generaliter hoc verbum posuit* tan-

tanquam ad omnem corporis sensum videre pertineat. Habac. 3. v. 10. *Viderunt te montes & doluerunt. Viderunt*, inquit R. David, i. *audierunt. Nam auditum liquido par habetur viso.* Quin visus omnium sensuum acerrimus est, unde non mirum, si pro aliis sensibus etiam ponatur. Sic apud Græcos *ἰδεῖν* ad omnes sensus pertinet, ut, vidisti quam incondita esset hæc oratio, quam insuave hoc vinum. Sic invisibile posuit Augustinus pro eo quod sub nullum exteriorem cadit sensum. Huc referri posset illud Plauti, *facitote sonitus ungularum appareant* i. audiantur. Rursum Augustinus in Quæst. super Exodum, *Solet quæri, quomodo populus videbat vocem, cum vox non ad visum, sed potius ad auditum pertinere videatur. Sed sicut dicitur, Videatur de omnibus quæ à me dicta sunt, sic videre solet pro generali sensu poni.* Et super Johannem, *Quia vidisti me Thoma credidisti. Non ait tetigisti me, sed vidisti me, quoniam generalis quodammodo sensus est visus. Nam & per alios quatuor sensus nominari solet, velut cum dicimus, Audi & vide quam bene sonet: Olfac & vide quam bene oleat: gusta & vide quam bene sapiat: tange & vide quam bene caleat* &c. ¶ *Voces*] Voces Dei, tonitrua. ¶ *Lampades*] *τὰς λαμπάδας.* Hieron. Lxx. לפיד lampas. Chaldaicè לפידיא & לַמְפַּדַיָּא & בִּרְקַיָּא. Quod ultimum hic habetur in editione Onkeli: medium extat in Novo Fœdere Syro: primum autem in Jerosolymitano. Repetitur & לפידי Exod. 20. 1. in Jonatha. Tremel. *fulgetra.* Nicolaus, *Lampades i. micantia fulgura.* Jonathan, *quomodo egrediebantur e medio lampadum.* i. מִגּוֹא, Ain in Aleph mutata. Cajetanus, *coruscationes.* Lippomanus, *lumina & ignes terribiliter ardentes.* Edit. Gal. *brandons* i. *faces.* Vatablus, *faces & flammas.* Quid[...], *visis fragoribus & fulgetris.* קלות fragores. R. David, *à [...], ac si essent faces ardentes. Nam* לפיד *lignum ardens: item fulgur.* Hoc scribit in Radicibus. ¶ *Vocem*] *Sonitum.* Hieron. ¶ *Buccina*] Alii, *tuba*, *τῆς σάλπιγγος.* ità Lxx. Tremel. *Buccina τῆς δυνάμης.* Tuba propriè חצצרה dicitur, & differunt, quia buccina incurva est, tuba vero recta: item buccina ex cornu fiebat, unde *κερατινὴ* dicitur: tuba ex ære vel argento. Qua de re alias. Chald. שופרא & שיפורא, quod postremum legitur hoc loco in Edit. Jerosolymitana. ¶ *Montem fumantem*] *τὸ ὄρος τὸ καπνίζον.* עָשֵׁן fumans, ut חָפֵץ volens. Quæ potius nomina sunt, quam participia. Chaldaicè תְּנָן. ¶ *Moti sunt*] Moti sunt loco, sive moverunt se loco & retrocesserunt. Cicero, *postquam ille Canisio moverat.* i. decesserat. R. Salomo, *Retrocesserunt 12. milliaribus juxta longitudinem castrorum.* Id Jonathan dixit ותאתון. Lex Chald. Munsteri תאתון reversus est, retrocessit. Onk וזעו commoti sunt, quod ad animum referunt. Hieron. *pavore concussi.* R. Salomo, אין נוע אלא זיע Aben. *quisque recessit à loco in quo stabat & reversus est retrorsum.* Et mox, *Qui interpretantur* וזעו, *non recte interpretantur. Nam si non recesserunt e loco suo, quomodo steterunt procul?* Tremel. *commoti sunt longius à monte recedendo. Accesserant enim ad imum montis supra* 19. 17. ¶ *Procul*] à monte. מרחוק è longinquo, aut à longè, si sic loqui liceret.

19. *Dixeruntque ad Mosen, Loquere tu nobiscum & audiemus, & ne loquatur nobiscum Deus, ne moriamur.*

20. *Et Moses ad populum, Ne timete, inquit, quia ut tentaret vos venit Deus, & ut esset timor ejus ante faciem vestram, ne peccetis.*

Dixerunt] *Per Principes tribuum & seniores.* Deut. 5. 23. *Sacerdotes & principes tribuum, qui erant prope illum.* Aben. ¶ *Audiemus*] Dicto audientes erimus, obtemperabimus tibi. ¶ *Ne moriamur*] Vide Deut. 5. 25. ¶ *Ne timete*] Nam terruerat eos insolita vox Dei. ¶ *Ut tentaret vos*] Sic ore interpretum omnium, quos vidi, Moses loquitur. Sed profecto R. Salomo innuere videtur aliam versionem, ut dicat, *ad magnificandum & extollendum vos in mundo.* לשון הרמה וגדולה. Idem R. Levi tradit, & exponitur in Mechiltha, *ut magnificaret vos venit ad vos Deus*, בשביל לגדל. Sic alibi נְסָה attolle. Non dubito priorem interpretationem veram esse. Nam in textu est נַסּוֹת cum dages in samech. Nota in לבעבור Lamed redundare. ¶ *Venit Deus*] Alibi est, *descendit.* eodem sensu. Onk. & Jon. *revelata sive patefacta est gloria DOMINI.* ¶ *Timor ejus*] Reverentia ejus. ¶ *Ante faciem vestram*] Vel, *coram vobis.* Lxx. *ἐν ὑμῖν.* Et Hieron. *in vobis.* Idem verbum in illo, *non habebis Deum alium coram me.* ¶ *Tentaret*] [...] *probaret.* ¶ *Ne timete*] Lxx. *θαρσεῖτε*, confidite. ¶ *Ne peccetis*] *ἵνα μὴ ἁμαρτάνητε.* Hujus loci est, *In timore DOMINI est recedere à malo* Prov. 16. 6. item illud, 8. 13. *Timor DOMINI odisse malum.* Nam qui Deum veretur, etiam peccare veretur. Vide, si placet, Proverbia mea Sacra.

21. *Stetitque populus procul, Moses autem accessit ad caliginem, ubi erat Deus.*

22. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Sic dices ad filios Israel, Vos vidistis quod è cælo locutus fuerim vobiscum.*

23. *Non facietis mecum Deos argenteos & Deos aureos non facietis vobis.*

Procul] *μακρόθεν.* Id Hieron. dixit, *de longe.* ¶ *Ad caliginem*] *πρὸς τὸν γνόφον.* R. Salomo sig. putat densam nubem, de qua supra, *Ecce ego venio ad te in densitate nubis.* Onk. & Jon. לצית אמיטתא quod Fagius reddit, *ad ipsam caliginem.* Nam אמיטתא caligo, tenebræ, obscuritas. Jonathan usus est Jes. 4. 5. pro eo quod in fonte עָשָׁן i. fumus, nubes densa. ¶ *Ubi*] *In quâ.* Hieron. ¶ *Vos vidistis*] Non audivistis. Nam visus certior est quam auditus. Quæ enim ab aliis audimus, iis non semper fidem adhibemus. ¶ *E cælo*] Si Deus descenderat super montem, quomodo è cœlo loquebatur ad eos? An cœlum posuit pro aëre, qui circum montem? Nicolaus, *Accipitur hic cælum pro cælo aereo, quia in cacumine montis Sinai vox illa formabatur.* Aut e cœlo & è monte, ut si quis capite cœlum attingat & pedes habeat in monte aliquo. Quod in Deo, cujus Majestas ubique est, mirum videri non debet. R. Salomo, *è cælo audire fecit vocem suam, & in terra ostendit tibi ignem suum. Gloria ejus in cælo & ignis ejus potentiaque ejus super terram. Aliter, inclinavit cælum & cælum cæli & stravit eum super montem. Sic enim ipse dicit, Et inclinavit cælum & descendit.* Vide Deut. 4. 36. Nehem. 9. 13. Tremel. *etsi ignis, nubes, fumus & sonus tuba in monte percepta sunt, vox tamen Dei loquentis è cælis edebatur.* Adde jam dictis. ¶ *Ad caliginem*] ערפל *est densitas nubis, in quam descenderat Deus.* R. Levi. ¶ *Ubi erat Deus*] *Ubi expressiora fiebant signa, quibus cognosceretur Deus. Nam quomodo in nebula (caligine) erat, quum cæli cælorum non sufficiant, nisi quemadmodum nusquam non est, qui in nullo loco deest?* Augustinus Quæst. 75. ¶ *Non facietis*] Bis hoc repetit, non tantum elegantiæ causâ, sed etiam ad majorem emphasin. Simile, *non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem ejus.* Satis enim erat, *non concupisces domum aut uxorem.* ¶ *Mecum*] אתי quos una mecum colatis, aut qui sint quasi mediatores inter me & vos. Onk. קדמי coram me. Utrumque legitur in Manuscriptis edit. vulgatæ. Consule Abenezram. Jonathan, *Popule mi filii Israel, non facietis adorandi causâ similitudinem solis aut lunæ aut syderum aut signorum quæ in Zodiaco, aut angelorum, qui ministrant coram me.* R. Salom. *Non facietis similitudinem ministrorum ministrantium ante me in alto.* Tremel. *ne facite quicquam mecum.* In Notis Vatabli, *Volo ut me solum colatis, nolo habere socium.* ¶ *Deos aureos*] Multo minus ligneos aut lapideos. Abenezra, *Sensus est, ego habito in cælo & tamen locutus sum vobiscum sine intermedio. Nam scriptum est, facie ad faciem locutus est vobiscum.* Et mox, *Non facietis figuras quæ recipiant virtutem superiorum, existimantes vos in honorem meum illas facere ac si essent mediatores inter me & vos, cujusmodi erat Vitulus quem fecerunt Israëlitæ. Nam Aharon in honorem Dei eum fecerat, quemadmodum exponam suo loco. Porro quia Deus sciebat populum propensum esse ad hoc, ideò monuit eos in principio ne facerent Deos aureos. Et ecce sensus illius particulæ* אתי *mecum, quod non indigeo mediatoribus mecum* &c. ¶ *Deos argenteos &c.*] Vel, *Deum argenteum & aureum.* R. Salomo admoneri putat ne Cherubini, qui arcam tegebant, ex auro aut argento fierent.

24. *Altare terreum facies mihi, & sacrificabis super illud holocausta tua & pacifica tua, oves tuas & boves tuos, in omni loco, in quo memorari faciam nomen meum, veniam ad te & benedicam tibi.*

25. *Quod si altare lapideum facies mihi, non extrues illud ex cæsis lapidibus: quum cælum tuum extuleris super illum, pollues illum.*

26. *Neque ascendes per gradus ad altare meum, ne retegatur nuditas tua super illud.*

Terreum] E terra sive de terra, *ἐκ γῆς*, ut Hieron. & Lxx. ediderunt. Autor Jerosolymitanæ, *altare constitutum in terra* i. humile. Non se probat mihi. Nam non locum altaris, sed materiam innuit. Hugo de Sancto Victore, *In sequentibus tamen factum est æneum. Sed & illud tantum terra implebatur, quando sacrificia fiebant: Et hæc est sententia Judæorum de altari.* Hiscuni, *altare æneum cavum tabulis, plenum terra.* Idem עמי mecum interpretatur, *cum timore mei.* R. Levi, *mecum* i. in æde mea, & *vobis* i. in domibus vestris. Per deos autem intelligit simulacra eorum qui vocantur Dii, ut sunt Principes & magistratus, item angeli & astra. Non enim prohiberi hic vult idololatriam, sed tantum imagines illustrium vi-

 rorum

rorum, quæ ornatus causâ ponuntur in templis & in domibus. *Nam alioquin*, inquit, *quorsum diceret, mecum aut vobis; item aureos & argenteos, cum omnis idolorum cultus absoluté prohibitus sit.* Abenezra, *Antiqui doctores nostri dixerunt sensum esse de altari aneo, in quo terra posita fuerit: & verum dixerunt. Sic enim certe faciebant: non tamen simplex iste hujus loci sensus est.* Et paulò post, *Dixit Haggaon, controversiam esse de altari. Alii putant extructum fuisse ante latam Legem; alii post. His accedit ipse: illis ego. Et ecce dabo vobis demonstrationem* &c." Vide, si vacas. Idem ait, altare fuisse factum ex terra, de quo scriptum lectum, *& ædificavit ibi altare sub monte:* ubi & illud, *& obtulerunt holocausta & immolarunt hostias pacificas.* ¶ *Mihi*] Onkelos, *coram me*. Jonathan & author Jerosolymitanæ, *nomini meo.* Sic etiam R. Salomo, cujus & illud, *Altare terreum, conjunctum terra, nullis columnis innixum: aliter, altare aneum plenum erat terra.* ¶ *Super illud*] *Juxta illud. Nam immolatio pacificorum fiebat in ostio tabernaculi conventus, non super altare.* R. Levi. *Sanguis fœderis super altare spargebatur & super populum in signum fœderis quo Deo erant obstricti.* Abenezra. *Aut super ipsum altare. Vult dicere, carnem & sanguinem super altare Dei tui: sed non erat immolatio in summo altari.* R. Salomo. ¶ *Pacifica tua*] Hostias tuas sacrosanctas, Onk. Jon. Jerosoly. *Hostia quæ offerebantur pro aliquo beneficio Dei obtento vel obtinendo: quarum una pars incendebatur; altera erat sacerdotum, & alia offerentium, ut comederent coram DOMINO.* Nicolaus. Qui verbum זבח tantum de pacificis usurpari dicunt ex hoc loco refelluntur. Videndus Abenezra. Lxx. hic habent τὰ σωτήριά ὑμῶν, quod reddunt, *salutaria vestra.* ¶ *Terreum*] *Lateritium.* Cajetanus. ¶ *Oves & boves*] Lxx. πρόβατα καὶ μόσχους, quod malè reddunt, *& vitulos.* Nam μόσχος hic bovem denotat. Alii *greges & armenta.* Chaldæi tres, *oves & boves.* Sic etiam Hieron. ¶ *In quo memorari faciam nomen meum*] Vel, *in quo meminisse faciam nominis mei.* Sensus est, in quo celebrari faciam memoriam nominis mei. Onkelos, *in omni loco ubi collocabo divinitatem meam.* Sic etiam Jonathan. Jerosolymitanus, *in omni loco ubi recordabimini nominis mei sacrosancti.* Hieron. *in quo memoria fuerit nominis mei.* Lxx. ἐν παντὶ τόπῳ οὗ ἐὰν ἐπονομάσω τὸ ὄνομά μου ἐκεῖ. Augustinus in Locut. *Quod Græcus habet ἐπονομάσω, supernominavero aut annunciavero expressius dicitur; quod usitatius cognominavero nonnulli interpretati sunt. Sed non habet necessariam significationem cognominavero: propinquius tamen dicitur cognominavero quam nominavero. Nam & hoc aliqui interpretes dixerunt.* R. Salomo, *Ubi faciam vobis licentiam memorandi nomen meum tetragrammaton.* Id enim valet שם המפורש שלי nomen expositum quod mihi est. R. Levi, *Ubi odorem conciliabo nomini meo.* Verbum e verbo, adorari faciam nomen meum. Quod capiendum ut Jes. 11. 3. *Odorari faciet eum in timore DOMINI.* Hinc אזכרה *odor, incensum.* Aut, *in quo Deus memorari faciet nomen suum, hoc est in sanctuario.* Ideo ter in anno tenebantur eò se conferre. Aben. *in omni loco, in quo ponam memoriam nominis mei, ubi gloria mea habitabit, ut in Silo & Nob, ubi arca erat.* Hisceuni, *Divinitas habitavit in multis locis, videlicet in Galgal, in Nob, Gabaon, Silo, Jerusalem: usus ergo est compendio sermonis: unde dicunt, Semper doceat homo discipulum suum viam brevem.* ¶ *Veniam ad te*] Verbum *veniam* & favorem includit & pœnam. Favorem, ut hic: pœnam, ut ibi, *veniet ad domum furis.* Locus est Zach. 5. 4. Vide supra Exod. 19. 9. Thomas super Job cap. 9. *Deus venire ad hominem dicitur, quando ei sua beneficia largitur sive intellectum ejus illuminando, sive qualitercunque ei benefaciendo.* Hujus loci est, *donec venias ad me*, scil. dando regnum quod pollicitus es. Onkelos & Jon. *mittam benedictionem meam tibi.* Jerosolymitanus, *sermo meus patefiet vobis.* In notis Vatabli, *Veniam ad te i. exaudiam te: & benedicam tibi, felicem te reddam.* De loco sacrificii scribit ad hunc locum Nicolaus, *Iste locus sacrificii non poterat esse nisi unus ad vitandum periculum idololatriæ, ad quam populus Judæorum erat pronus, ad quam declinassent de facili, si ubique potuissent sacrificare. Si autem aliqui Sancti sacrificaverunt alibi, hoc fuit ex causa speciali & divina revelatione: sicut David jussu Gad prophetæ in monte Moria, antequam templum ibi fundaretur, propter apparitionem angeli ibi factam, ut habetur 2. Reg. 24. Et Elias in monte Carmeli ad convincendum prophetas Baal, ut habetur 3. Reg. 18. Locus autem deputatus divino sacrificio post ingressum filiorum Israël in terram promissionis primo fuit in Silo, ubi fuit tabernaculum positum & altare holocaustorum: & destructa Silo translatum est in Nobe: & destructa Nobe per Saulem translatum est in Gabaon: postea in Jerusalem ubi fuit fundatum templum.*

Superest difficultas. Nam legimus Jerem. 7. 22. *Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, super verbo holocautomatum & victimarum.* Quæ cum hoc loco pugnare videntur: sed non pugnant. Nam propheta loquitur de sermone DOMINI habito ad populum ore proprio, cum 10. præcepta traderet. Aliter hunc modum solvunt Rupertus & Lippomanus. Vide Catenam Patrum. ¶ *Lapideum*] Ex lapidibus. Jubet fieri altare terreum. Quod si contingat lapideum extrui, ut factum est trans Jordanem ante possessionem terræ. *Sensus ergo est*, inquit Abenezra, *Fac nunc altare terreum, & si contingat te hereditatem terra adire fac lapideum.* Licet vertere, *Quum altare lapideum facies mihi.* Si pro *quum*, ut in illo, *si erit jubilæus.* Sic accipies, *si Deus pro nobis quis contra nos.* R. Salomo, *R. Ismaël dicit omne אם quod in Lege, conditionale esse tribus exceptis, si altare lapideum. Ecce istud (Si) servit pro* כאשר *quum.* Vide sequentia. ¶ *Non extrues*] Non ædificabis. ¶ *Ex casis*] Vel, *sectis.* & sub. lapidibus. Ebraicè, non extrues illos lapides גזית quod enarrant בנין גזית ædificium cæsum aut sectum. Nos sensum expressimus, ut etiam Hieron. qui vertit, *non ædificabis illud de sectis lapidibus.* Lxx. οὐκ οἰκοδομήσεις αὐτοὺς τμητούς. Non ædificabis eos sectos. Id Onkelos dixit פסילן & Jonathan גזירין, ut & author Jerosolymitanus. Fagius Onkelum interpretatur, *non ædificabis illud ex politis lapidibus* אינון eos. Quanquam in Tremel. *ex eis* הנון. Malim, *cum eis*, ut גזית sit excisio vel sectio lapidum, vel lapides secti. Vatablus, *excisione ad verbum, vel, ut alii, lapide exciso.* Hoc vult, *non ædificabis cum eis lapidibus lapidem quadrum casum sive sectum aut dolatum.* Nam id גזית propriè significat. Græci vocant λίθους λαξευομένους. Alibi est, *lapides integros ædificabis* i. impolitos, quemadmodum nascuntur, aut, ut Abenezra loquitur, *creantur.* Hisceuni, *Lathotomi consueverunt facere figuras in lapidibus sectis.* An propterea vetiti hujusmodi lapides? putarim aliam subesse causam nobis ignotam. ¶ *Cælum tuum*] instrumentum ferreum, quo lapides scalpunt. Hieron. *cultrum* appellat. Lxx. ἐγχειρίδιον. A. & Sym. μάχαιραν. Theodotio, ῥομφαίαν i. frameam aut gladium. Onkelos habet חרבא cultrum. Jon. אזמל ferrum. Jerosolymitanus, *ferrum unde factus sit culter sive gladius.* Alibi est, *Non extolles super eos lapides ferrum:* unde liquet instrumentum ferreum fuisse. ¶ *Extuleris*] Agitaveris. ¶ *Super altare meum*] sive terreum fuerit sive lapideum, aut æneum, non refert. ¶ *Ne retegatur nuditas tua*] Ne retegantur pudenda tua. ¶ *Polluet illum*] Lapidem videlicet. Minus rectè alii, *pollues illud cælum.* Pro *nuditas tua*, Hieron. habet, *turpitudo tua.* Lxx. μὴ ἀποκαλύψῃς τὴν ἀσχημοσύνην σου i. תגלה aliis apicibus. Scribit Nicolaus usum fœmoralium tunc nondum fuisse introductum: postea tamen fuisse præceptum, ut ea gestarent inter ministrandum, ut habetur cap. 28. Aliter R. Salomo quem vide, si placet. Addit Nicolaus ut etiam Thomas, in sacris Priapi solitum sacerdotibus detegere pudenda coram universâ plebe: cujus rei fides penes ipsos esto. Non enim usquam id legere memini.

A M A M A.

3. EBr.: לא יהיה לך אלהים אחרים לפני Vulg. *Non habebis Deos alienos coram me*] Duo hic castigabo verbis & periculo aliorum. Primùm, quod vocem אחרים verterit *alienos.* Audiamus Matthæum Galenum Regium quondam in Duacensi Acad. Theol. Professorem. Is in catechesibus suis ab Andrea Croequetio editis, catechesi 50. sic ait, *Quid autem sibi vult nomen alieni? Num quales Rachel erat furata? (nec enim erant proprii) an aliarum gentium dii intelliguntur? Ut non liceat quidem alterius provinciæ Deus invehere, nefas tamen non sit patrios vel cunctis hactenus ignotos colere? Nequaquam. Proinde tametsi velim Interpretis authoritatem illibatam, videtur parum commode redditum. Nec enim est* נכרים *vel* זרים, *quibus quadrat alieni significatio, sed* אחרים *id est alii. Quin ipsi Lxx. gnari suarum vocum non ἀλλοτρίους sed ἑτέρους dixerunt.* Hæc ille, atque illud primum. Alterum exprimam verbis Cajetani, qui sic ait, *Moses non dixit, erunt, sed erit, ne errares intelligendo excludi multos Deos alios, non unum Deum alium.* Et verbis Cl. Drusii, cujus hæc verba sunt, *Puto vertendum esse*, non erit tibi Deus alius. *Primò quia in Ebr. est verbum singulare: Deinde quia τὸ Elohim, teste Procopio, iisdem literis eodemque numero & Deum & Deos significat. Tertio, quia is qui dicit, non erit tibi Deus, etiam dicit, non erunt tibi Dii alii, non contra. Nam potest aliquis unum Deum falsum colere, de quo vere dici nequit, quod colat Deos alios: Non enim plures colit, qui unum tantum. Nec obstat quod in fonte sit* אחרים. *Habetur enim ratio terminationis. Sic* אלהים חיים

חיים *Latine reddi debet*, Deus vivus. אלהים קדשים Deus sanctus. *Non autem*, dii sancti, vivi. Hactenus Cl. Drusius. Quibus hoc liceat mihi addere, etiamsi in Ebræo ad plurale adjectivum אחרים additum fuisset plurale verbum יהיו, nihilominus tamen stare posse versionem singularem. Ecce enim quod Exod. 32. legitur, *Isti sunt Dii tui* qui העלוך, Nehem. 9. 18. sic extat, זה אלהיך אשר העלך, *Iste est Deus tuus qui eduxit te.* Ubi Elohim necessario singulariter accipi debet. Quin hoc ipsum præceptum Psal. 81. 10. sic repetitur לא יהיה בך אל זר *non erit in te Deus extraneus.* Pro me quoque uterque Chaldæus est, non erit tibi אלה Deus alius. Idemque spectasse mihi videntur accuratissimi interpretes nostri Tremell. & Jun. *Ne esto tibi ullus deorum aliorum.* Coronidis loco addam geminam horum verborum על פני (quæ Vulg. vertit *coram me*) expositionem, Tyronibus forte non adeo notam: Priorem habet Hiscuni, ut על פני sit idem quod במקום; *loco meo.* Sic dicitur Eleazar functus sacerdotio על פני patris sui i. loco. Sic על פני *loco* filii exosæ. Posteriorem habet R. Salomo כל זמן שאני קים omni tempore quo ego subsisto i. unquam, non habebis in æternum. Sic Psal. 102. 29. *semen eorum firmabitur coram te.* LXX. εἰς αἰῶνα, optime. Sic Psal. 72. *Timebunt te cum Sole & coram Luna* i. quamdiu erit luna, quod postea dicit עד בלי ירח *usque dum non erit luna.* Et vers. 17. *Nomen ejus* לעולם *in æternum & coram Sole propagabitur.*

4. *Non facies tibi sculptile* &c. Quæ hic ex Theodoreto producit Steuchus, ut probet discrimen inter idolum & similitudinem, prolixe refutata invenies apud Reinold. de Idol. Rom. Eccl. lib. 2.

5. Ebr. *Visitans iniquitates patrum super filios* על שלשים ועל רבעים לשנאי: Vulg. *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.*] Ad verbum, *super tertianos & quartanos.* Id est, juxta Junium, super nepotes & abnepotes, nimirum ab ipsis patribus generationis ducto ordine. Sic enim filii secundani erunt in hoc ordine. Reverendus Piscator corrigit, *pronepotes & abnepotes*, ut ordo a filiis inchoetur, nepotibusque omissis non abnepotes sed pronepotes subsequantur. Sed eo misso videamus quid illud sibi velit in Vulg. *Eorum qui oderunt me!* Vox certe proxime antecedens, vid. רבעים in statu absoluto ponitur. Atqui dices esse constructionem ut תפלה למשה, *Oratio Mosis.* Potest ita esse, nec multùm contradixerim huic versioni, illud solummodo dico, Junium & Tremellium videri mihi ita vertisse hunc locum, ut omni curiosæ quæstioni aditum præcluserint, visitationemque illam divinam adversus omnes carnis tumultuationes rationisque humanæ objectiones munierint, sic enim illi, *In nepotes & abnepotes, in eos qui oderunt me*, ut τὸ odisse ipsis quoque posteris explicite & expresse tribuatur. Et sic ל positum erit pro על, quod tritum in sacris esse vel soli libelli Cl. Drusii de literis Mosche Vecaleb docebunt.

23. *Ne faciatis* אתי *mecum Deos argenteos.* Sic Ebræus textus. Vulgati 3. Ms. quoque legunt, *non facietis mecum.* Unum Ms, *coram me.* At Sixtus V. & Clem. VIII, vocem *mecum* plane exterminarunt. Lucas Brug. in Romana Correct. *Non judicarunt*, inquit, *Romani Correctores addendum* mecum, *etsi legatur Ebraicè.* Quo fine? Non enim de nihilo id factum putarim. Quam hic Bell. justam dabit causam? Sed ad nos prophanos & segreges scilicet nihil attinet in hæc Atticorum Eleusinia inquirere.

24. Ebr. *In quocunque loco* אזכיר *i. memorare fecero*, vel ut Chald. *habitare fecero, nomen meum, veniam ad te.* Vulg. *In omni loco in quo memoria nominis mei fuerit, veniam ad te.*] Ex versione Vulgati illud collegerit aliquis, dicit Fagius, quasi Deus gratum habere velit, ubicunque locorum illi pro suo arbitrio sibi cultum instituerent. Quod tamen ita non esse universa V. T. historia ostendit. Quid ergo? Solvitur difficultas ex veritate Ebraica, quæ teste Cajetano ita habet ut nos vertimus. *Electionem loci sibi reservat*, inquit Cajet. eaque mens Dei est, ac si dixisset, non ubi vos pro vestra libidine sed ubi ego cultum vobis præscripsero. R. Sal. *Ubi fecero vobis licentiam memorandi* &c.

26. Omisit Interpres vocem ultimam עליו, *ne detegantur pudenda tua* עליו *super illud.* Chaldæus certe expressit per עלוהי & LXX. ἐπ' αὐτοῦ.

DE MUIS.

12. **H**Onora *patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus* (vel *ut prolongentur dies tui*) *super terram*, &c.] כל משפטי המדה מדה כנגד מדה, *Par pari semper Lex reponit.* Igitur dici potiùs conveniebat, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut honorent te alii.* Respondetur, Quisquis prorogat dies honore ab aliis afficitur; dicitur enim Lev. 19. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Idcirco hic ait Deus, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies tui*, evadasque senex & honor tibi habeatur. Ità fermè quæstionem proponit ac solvit Isaacus Karus.

GROTIUS.

1. **L***Ocutusque est Dominus*] Per Angelum. Actor. VII. 38. cui alii minores Angeli aderant, unde per Angelos data lex dicitur Josepho: Hebr. I. 1. II. 2.

2. *Qui eduxi te de terra Ægypti*] Magna beneficia auctoritatem conciliare debent præcipienti.

3. *Coram me*] Id est, præter me: πλὴν ἐμοῦ. Quo sensu hic על פני [*ad faciem meam*], eodem alibi עם פני [*cum facie mea*] II Sam. III. 13. & 35. Est autem πλεονασμὸς [*abundans sermo*] Hebræis frequens, ut ἕτερος εἰ μὴ [*alius* [illegible]]. I. Cor III. II.

4. *Sculptile*] Imaginem eminentem.

Neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra] Græci interpretes & Philo hoc ita videntur accepisse, quasi & picturæ animalium vetarentur. At Chaldæus & Judæi ו [*&*] quod in textu est, sumunt ἐξηγητικῶς [*explicative*], nempe ut sensus sit vetari imagines eminentes eas quæ formam habeant animalium, sub quibus Hebræi & astra comprehendunt. Aquæ *sub terra* esse dicuntur, quia Deus terram excavavit, ut ibi aquæ continerentur. Psal. CIV. 6. & ibi Hebræi. Vide Annotata nostra ad librum 1. pro Veritate Religionis Christianæ circa initium.

5. *Non adorabis ea*] Vox Hebræa gestum honoris indicem significat. Etiamsi talia simulacra alius fecerit, nullum, qualicunque tandem animo, honorem ei exhibebis, quod curvato corpore apud Hebræos fieri solebat. Hæ cautiones sunt adversùs contagia ex gentibus.

Neque coles] Victimis, libamine, incenso. Hæc enim ad עבודה [*cultum*] referuntur.

Zelotes] Consortis impatiens, ut mariti.

In tertiam & quartam generationem] Ex filiis posterorum, ut factum in Babylonica deportatione.

6. *In millia*] Non mille, sed multa millia: ita ostenditur quanto largior sit Deus in benefaciendo, quàm in puniendo.

7. *Non assumes*] Nempe in os tuum. Id autem fit non tantùm proprio Dei nomine expresso, sed etiam quovis vocabulo quo Deus intelligitur.

In vanum] Id est, falsò: non pejerabis. Idem enim est שוא [*vanitas, & in vanum*] & שקר [*mendacium*], ut in præcepto nono apparet collato hoc Exodi capite cum altero Deuteronomii, ubi Græci ponunt utroque loco μαρτυρίαν ψευδῆ [*testimonium falsum*].

8. *Sanctifices*] Sanctè colas, gratias agendo Deo, quòd homines & mundum hominum causâ condiderit.

10. *Omne opus*] Famulum, ut suprà diximus, ubi de Paschate agebatur. De hac rigida quiete sabbati Judaïci, vide Dionem Cassium, Senecam apud Augustinum, Poëtas Satyrarum & Epigrammatum, post eos Rutilium.

Filius tuus & filia tua] In ea ætate quæ parentum imperiis gubernatur.

Advena qui est intra portas tuas] Nulli extranei lege istâ otii sabbatici tenentur, nisi ex cohabitatione cum Israelitis: turbasset enim ordinem civilem & damnum attulisset Israelitis, si alii inter ipsos viventes permissi essent opus facere.

11. *Cælum & terram*] Universum hoc, ut initio Geneseos.

Et omnia quæ in eis sunt] Herbas, arbores, animalia.

Iccircò benedixit Dominus diem sabbati, & sanctificavit eum] Ac propterea cùm etiam ad temperandas serviles operas diei alicujus otio opus esset, hic dies, ut ab initio specialiter Deo dicatus, prælatus est aliis. Benè autem convenit otium Heptadi, quæ παρθένος καὶ ἀμήτωρ [*virgo & matre carens*], ut Philo loquitur, & scriptor θεολογουμένων τῆς ἀριθμητικῆς [*Theologicorum ad Arithmeticam pertinentium*]. Vide & Capellam.

Honora] Tum aliis reverentiæ signis, tum ad vitam necessaria illis exhibendo, quod sub voce τιμᾶν [*honorare*] comprehenditur, ut I. Tim. V. 3. 17. Ajunt Hebræi vel in pistrino laborare filium debere, ut subveniat parentibus.

Patrem tuum, & matrem tuam] Ut terrestres deos, à quibus originem trahitis.

12. *Non occides*] Mutatus hic ordo ad ordinem qui in Deutero-

teronomio. Nam Græcos codices adulterii interdictionem ante illam homicidii positam habuisse, & Philo & Tertullianus non uno loco nos docent. Matrimonium totius civilis societatis fundamentum est.

15. *Non loqueris*] In Hebræo: *non respondebis*: quia adjurati & interrogati perhibebant testimonium.

16. *Non concupisces*] In hoc loco Hebraicè תחמד לא, in Deuteronomio תתאוה. Significat ea vox & actus dolosos quibus alienum intervertitur, &, sensu sublimiore, appetitus etiam. Hunc sensum quia fermè negligebant Hebræi, ideò Christus ostendit talem appetitum non modò Deo displicere, sed &, si foveatur, gehennæ obnoxium.

18. *Videbat voces*] Audiebat. De omni enim sensu usurpatur vox videndi.

24. *Altare de terra facietis mihi*] Cespite de viridi, ut Ovidius, Silius & Poëtæ alii loquuntur. Tales aras utpote subitarias struere mos iter facientibus.

25. *Si enim levaveris cultrum super eo, polluetur*] Ferrum à sacris amoveri vetus lex est, quam sequitur in suis legibus Cicero. Hecatæus de Templo Hierosolymitano: *ἐν ᾧ βωμός ἐςι τετράγωνος, οὐκ ἐκ τμητῶν ἀλλ᾽ ἐκ τῶν ἀργῶν λίθων οὕτω συγκείμενος* [*In quo altare est quadratum, non ex sectilibus sed ex rudibus lapidibus fortuito congestum*].

26. *Non ascendes per gradus ad altare meum*] Simile aliquid in jure Pontificio Romano vetere, ex quo Servius hoc adfert ad IV. Æneidos. *Apud veteres scalas plus tribus gradibus, nisi Græcas, scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus crurumve subter conspiceretur, eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem, aut nudare crura. Nam ideò & Græcæ scalæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne adspectum ad corporis aliquam partem admittant.*

IDEM.

Explicatio Decalogi ut Græcè exstat, & quomodo ad Decalogi locos Euangelica præcepta referantur.

1. KΑὶ ἐλάλησε Κύριος, *Locutusque est Dominus.*] Κύριος [*Dominus*], Græcum modo respondet Hebræo אלהים, ut hoc loco, quia ubi ea vox cum singulari construitur est ἐλλειπτικὴ [*defectiva*], pro אלהים אלהי, id est, Deus deorum, ut בהמות ponitur pro בהמה בהמות, id est, fera ferarum, sive excellentissima fera, חכמות pro חכמה חכמות id est doctrinarum præcipua: modo vero nomini proprio veri Dei, quod scribitur יהוה, efferri autem ne olim quidem solebat, nisi in sacerdotali ad populum benedictione, hodie autem efferri non potest, quia vocales ignorantur. Nam quas scripsere Masorethæ, sunt commodatæ ex voce אדני, tantum Patach Schevato mutato in Scheva per compendium, quia & revera vocales Schevatæ nihil aliud sunt quam ipsum Scheva εὐφωνίας [*concinnioris soni*] causa aliquantulum variatum ob difficultatem pronuntiationis, puta sub gutturali, aut ubi duo Scheva concurrunt. Sic quoties præcedit aut sequitur אדני, eadem vox יהוה in textu quo utimur Hebræo vocales commodatas sumit ab אלהים. Idem autem significant aut nomen proprium, aut nomen elatum κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*]: ut Homerus aut Poeta. Cur autem Græci interpretes Κύριος [*Dominus*], in hoc sensu dicere maluerint quam Θεὸς [*Deus*], puto hanc esse causam, quod cum scriberent Græcis, inter quos numerandi & Ægyptii reges Macedonico è sanguine, Hebræis dicti reges Græci, מלכי יון [*reges Græciæ*], apud Græcos autem etiam qui plus sapiebant, ut Platonici, cujus instituti fuere Ptolemæi reges, θεοῦ [*Dei*], appellationem etiam de illis quos ipsi δαίμονας [*dæmones*], Hebræi מלאכים & inde Græci ἀγγέλους [*angelos*] vocant, usurparent, aperte testatum voluerunt se de eo agere, qui ipsis illis dictis diis summo jure imperaret: sicut inter mortales reges rex Persa βασιλεὺς βασιλέων [*rex regum*] vocabatur. Quanquam vero hæc verba quæ sequuntur elocutus dicitur Κύριος, id est, summus ille Deus, tamen pro certo habendum, non id eum fecisse ἀμέσως [*immediate*], sed per Angelum legatum, summi Dei agentem nomine; quod & de aliis visis similibus, quæ viris sanctis evenere, pari ratione debet intelligi. Angelus enim Mosi & populo in Sina locutus est, Actor. VII. 38. Sic & Josephus sensit libro XV. antiquæ historiæ: *ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι᾽ ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ μαθόντων* [*cum nos dogmatum potissima, & sanctissimam legum partem per Angelos à Deo acceperimus*]. Errant graviter qui hic per Angelum intelligunt secundam Dei hypostasin, ob illud nomen יהוה. Variis enim multiplicibusque modis Deus locutus est Patribus: at per Filium ultimis demum temporibus ad nos cœpit loqui, Hebr. I. 1. Lex data per Angelos ministerio internuncii, Mosis scilicet, ut valeret, donec veniret semen promissum, Galat. III. 19. Et ad Hebræos scriptor Euangelium eo præfert legi, quod Euangelium per Dominum Jesum datum est, lex per Angelos tantum, Hebr. II. 2. quibus in locis multitudinis numero Angeli nominantur, cùm Angelum dixerit Stephanus; quia ita mos habet visorum ejusmodi, ut unus sit Angelus Dei personam nomenque sustinens, alii autem ei adsunt velut apparitores. Vide Gen. XVIII. Luc. II. 13. confer I. Thess. IV. 16. cum Matth. XIII. 39. 41. 49. Quomodo igitur is qui legem pronuntiavit Angelus dicit, ego יהוה, ita & alii qui ad res magnas à Deo legati sunt Angeli loquuntur, sicut verba Judicis præco enuntiat, ut ait Augustinus II. de Trinitate, c. II. & simili modo compellari se ferunt. Sic Moses in rubo sibi locutum dicit Deum יהוה Exod. III. 15. & is qui locutus erat se dixerat esse, אהיה אשר [*Qui sum*] quæ vocis יהוה [*Existens*] est explicatio. At Stephanus Actor. VII. 30. visum ait Mosi in flamma rubi Angelum Κυρίου [*Domini*], idque ipso Moso auctore, Exod. III. 2. Athanasius oratione VI. *καὶ ἐκάλεσε Κύριος Μωσῆν ἐκ τῆς βάτου λέγων ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς τοῦ πατρός σου, ὁ θεὸς Ἀβραάμ, καὶ ὁ θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ θεὸς Ἰακώβ. ἀλλ᾽ οὐκ ἦν ὁ ἄγγελος ὁ θεὸς Ἀβραάμ. ἐν δὲ τῷ ἀγγέλῳ λαλῶν ἦν ὁ θεός. καὶ ὁ μὲν φαινόμενος ἦν ἄγγελος, ὁ δὲ θεὸς ἐν αὐτῷ ἐλάλει* [*Et vocavit Dominus Mosem ex rubo, dicens. Ego sum Deus patris tui: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, at Angelus ille non erat Deus Abraham, sed in Angelo loquebatur Deus: & qui conspiciebatur erat Angelus: Deus autem in illo loquebatur.* Vide Riberam in Epistolam ad Hebr. num. 104. Neque aliter Hebræorum doctissimi explicant loca similia, ubi & Angeli apparet nomen, & is tamen Angelus ut יהוה loquitur, & ut יהוה compellatur. vide Genes. XVIII. 13. & 33. collato loco ad Hebr. XIII. 2. Genes. XXII. 15. 17. Jos. V. 14. collato VI. 1. Jud. VI. 11. collato 14. & XIII. 3. collato. 8. II Sam. XXIV. 16. collato 17. Philoni in Decalogi enarratione dicitur Deus locutus non per se, sed *ψυχὴν λογικὴν ἀνάπλεων σαφηνείας καὶ τρανότητος, ἣ τὸν ἀέρα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα, καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν* [*mentem quandam rationalem implens perspicua cognitione, quæ aërem formans atque attenuans velut in ignis flammantis speciem, tanquam spiritus per tubam, vocem edidit distinctam*]. ubi & alia sequuntur ejus argumenti. Vide, si vacat, Josephum Album Fundamentorum libro II. c. 28. aut si Christianum mavis, audi scriptorem responsionum ad Orthodoxos: *τῶν ἀγγέλων ὅσοι ἐν τάξει θεοῦ ὤφθησαν, ἢ ἐλάλησαν τοῖς ἀνθρώποις, ἐσχήκασι καὶ αὐτοὶ τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν, ὡς ὁ λαλήσας τῷ Ἰακὼβ καὶ τῷ Μωσῇ. ἐκλήθησαν δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι θεοί. ἑκατέροις δὲ διὰ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτοῖς χρείαν ἐδόθη τοῦ θεοῦ τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχειν. πληρωθείσης δὲ τῆς χρείας παύονται τοῦ καλεῖσθαι θεοὶ οἱ χρείας τινὸς ἕνεκεν εἰληφότες τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν* [*Angelorum, qui Dei loco visi aut locuti sunt hominibus, Dei vocabulo nominati sunt, ut ille qui Jacobo quique Mosi est locutus. Etiam homines dii vocantur. Utrisque ob officium ipsis injunctum datum est, & Dei vicem & nomen obtinere. Expleto autem officio desinunt vocari dii qui tantum opera alicujus causa id nomen acceperunt*]. Et nominatim legem datam dici per Deum, cùm revera per Angelos data sit, ait Dionysius de Cœlesti hierarchia cap. IV. Sic Phanuel πρόσωπον θεοῦ [*faciem Dei*] exponunt & Josephus, & Gerundensis. Sciendum autem est quæ in Exodo hoc loco habentur verba, per Angelum, Dei nomine, prolata: quæ vero sunt Deuter. 5. esse Mosis eadem memoriter referentis, & quidem ea libertate, ut voces transponat interdum, quasdam cum idem significantibus commutet, omittat quædam satis nota ex prioribus, addat alia interpretamenti vice. Est enim Deuteronomium, sive, ut Philo loquitur, Epinomis, nihil aliud quam lex & historia summatim repetita in eorum gratiam qui promulgationi legis rebusque illis non interfuerant. Par mutandi verba libertas, & aliis in locis sacræ Scripturæ non indiligenti ejus lectori apparet, ut Genes. XVII. 4. collato 7. Genes. XXIV. 17. collato 43. Exod. XI. 4. collato XII. 28. Exod. XXXII. 11. & seqq. collato Deuter. IX. 27. & seqq. Pertinet autem hæc observatio eo, ne in sacris literis superstitiosi simus vocularum aucupes, ut Judæi quidam, qui & illa quæ in Exodo sunt, & quæ in Deuteronomio sunt verba pariter uno eodemque puncto temporis prolata, simulque ubi transpositio est, inverso ordine quæ prius dicta fuerant dicta & posterius, posteriora sensum eundem continentia prius etiam dicta somniant. Satis multa sunt in sacris historiis miracula, ut nova extra necessitatem nullique usui comminisci nihil sit opus.

Πάντας τοὺς λόγους τούτους, λέγων, cunctos sermones hos, dicens:] Hæc ipsa, ne quis posterùm putaret, additum aliquid aut dem-

autdemum. Deuter. v. non reperiuntur ista tam expressa: ideoque sufficit ibi sensum significari, ut modo diximus.

2. Ἐγώ εἰμι ὁ Κύριος ὁ Θεός σου, ὅς τις ἐξήγαγόν σε ἐξ Αἰγύπτου ἐξ οἴκου δουλείας, *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.*] Respondet Κύριος [*Dominus*] Hebræo יהוה, ut plerumque, ob eam quam diximus causam. θεός σου [*Deus tuus*] autem in Hebræo אלהיך. Ubicunque est אלהים in Hebræo, significatur imperium. Est vox attributa & Angelis, ut Psal LXXXII. 2. & magistratibus eximiis, ut Exod XXI. 6. XXII. 26. ita ut in Psal. LXXXII. 1. & CXXXI. 1. dubium sit inter Hebræorum doctissimos, Angeli, an magistratus intelligantur. At quoties cum singulari conjungitur plurale κατὰ πρόσθεσιν [*per appositionem*], sed ἐλλειπτικὴν [*defectivam*], non dubium est eum intelligi, qui & Angelis & Magistratibus cunctis præsidet summo cum imperio. Solet autem ei voci addi sæpe casus possessivus, quo significatur esse summo Deo, præter jus quod in cunctos habet, jus aliquod peculiare in hos aut illos competere per beneficia non communia. Est enim ea beneficiorum natura, ut semper in eum qui beneficium accepit, det aliquid novi juris ei qui beneficium præstitit. Et hæc causa est, cur hic non conditi humani generis fiat mentio, sed earum rerum quæ Jacobi posteros proprie spectabant, & quidem maxime recentium, quorum memoria firmius & efficacius animis inhæret. confer causam servandæ legis, quam parentes tradere filiis jubentur, Deut. XXVI. 20. & sequentibus. Est autem quod hoc loco dicitur, non lex, sed legis præfatio. Seneca non probat legem cum prologo, quod imperare ea nata sit, non suadere. At aliter censuere philosophi, Zaleucus, Charondas, Plato, Philo. media via optima est, ut breve sit quod præmittitur, auctoritatem non disputationem præferens. Numerus denarius gentibus ferme cunctis numerandi finis est. qui enim sequuntur numeri composita habent nomina, aut sono, ut undecim, duodecim, aut significatu, ut centum, mille. Nimirum per digitos numerare mos antiquissimus, qui homini decem. Quare & in his præceptis, quæ supra cætera memoriæ infigenda erant, hunc numerum elegit Deus, in quo omnes numerorum diversitates, omnes ἀναλογίας, omnes quæ ad numeros referuntur figuras geometricas reperiri, late ostendit Philo de decem præceptis. & Martianus Capella: *Decas vero ultra omnes habenda, quæ omnes numeros diversa virtutis ac perfectionis intra se habet.* Neque alia de causa, in decem classes, quæ vulgo categoriæ vocantur, rerum genera Pythagorici & eos secuti Peripatetici retulere. Tum vero non in lege tantum, sed & ante legem Decimæ Deo votæ, qui mos ad gentes etiam transiit. Vide Livii & Plutarchi historiam de Camillo. meminit ejus moris ut antiquissimi & Herodotus. Data autem lex in locis incultis, ut & remotus ab urbium contagio populus, & rebus duris purgatus, & per miracula doctus à Deo non à rebus conditis pendere, ad eam quam Deus moliebatur rempublicam præpararetur. dicit autem lex σου [*tuus*], & deinceps imperans ac vetans unitatis numero singulos alloquitur, ut ostendat non aliam hic esse viri principis, quam minimi de plebe Hebræi conditionem.

Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ [*Non habebis Deos alienos coram me.*] Recte illud על־פני Græci explicuere per πλήν. sic אם לפני II. Reg. III. 13. & 35. est extra quam, nisi: ubi לפני similiter exceptionis vim addit conditionali locutioni. פנים est persona: פני circumlocutio, pro eo quod simpliciter diceremus *me*, על־פני [*super me*]. sic & Latinis super pro præter sumitur. In Græco Deuteronomii non male: πρὸ προσώπου μου [*ante faciem meam*]. Est autem & πλεονασμὸς [*oratio abundans*], *Alius præter me.* nam suffecerat *præter me.* similis locutio ἕτερος εἰ μὴ [*alius nisi*], I. Cor. VIII. 4. & ἄλλον παρὰ [*aliud præter*], I. Cor. III. 11. sensus est: non pro vero Deo substituendos alios, sed nec assumendos ad eum alios, quod multi faciebant, ut II. Reg. XVII. 33. Dii hic vocantur non tantum ii qui in scriptis sacris vocantur אלהים, Angeli & eximii judices, dum suo funguntur munere; verum etiam ii quos eo nomine, quamvis sine causa justa, Gentes appellabant: οἱ λεγόμενοι θεοὶ [*qui dicuntur dii*], I. Cor. VIII. 5. sic Prophetæ dicuntur qui se venditant pro talibus, Jerem. XXVIII. 1. Tale & illud II. Sam. XXVIII. 15. Videamus primum de falsis diis, visuri postea de iis qui dii non sine causa dicuntur. Primos quos homines pro diis venerati sunt, ignes fuisse cœlestes sentiunt doctissimi Hebræorum Abenesdras, Moses Maimonides, alii. Favet huic sententiæ traditio de Abrahamo, qui eum cultum fugiens migrasse dicitur, & historia de Jobo ex temporibus sumta antiquissimis, XXXI. 26. 27. 28. Adde Deut. IV. 19. & XVII. 3. Sunt autem astra falsi dii, non quod non magna ab ipsis bona ad homines perveniant, sed quod neque precum intellectum, neque libertatem huic magis quam illi benefaciendi habeant, quæ duo conjunctim ad implendam nominis istius Dei veram significationem requiruntur, Hebræor. XI. 6. Quare cum dicitur: Deus ista astra חלק, ἀπένειμε [*distribuit*], ut est in Græco, cæteris gentibus, quod Justinus cum Tryphone disputans sic interpretatur, τὸν ἥλιον ὁ θεὸς ἐδεδώκει πρότερον εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτόν [*solem Deus dedit ante adorandum*], interpretandum est sinendi, non approbandi sensu, quomodo dicit Paulus Apostolus, Act. XIV. 16. εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν [*dimisit omnes gentes ingredi vias suas*]. quomodo & Chrysostomus quod est ad Rom. I. 24. παρέδωκεν [*tradidit*], interpretatur εἴασεν εἶναι [*sivit esse*], & ad c. XI. ejusdem epistolæ: τὸ ἔδωκεν ἐνταῦθα μὴ ἐνέργειαν νόμιζε, ἀλλὰ συγχώρησιν [*illud dedit hic non efficaciam interpretare, sed permissum*]; & ad Eph. IV. παρέδωκεν [*dedit*] interpretatur συγκεχώρηκεν [*permisit*]. neque vero simpliciter, sed comparate: quia nimirum postquam primæ illæ veræque notiones malis moribus atque institutis erant obliteratæ, non misit ad eos cum divina auctoritate leges, ac nuntios qui eos ad priora & rectiora retraherent, ac per definitas quasi lineas ducerent. Post astra, imo simul cum astris & in astris, dii vocati, divinisque culti honoribus reges & reginæ, posterorum arte, quo ipsi augustiores apud populos fierent, & eruditorum in eos adulatione: οὕτω γὰρ εἰδωλολατρεῖαι τὴν ἀρχὴν ἐκράτησαν, τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων [*sic enim idolorum cultus primum obtinuerunt, cum homines supra meritum in admirationem venirent*], ait Chrysostomus ad XII. caput secundæ ad Corinthios. Azaeli & Adero regibus divinos honores à Syris habitos narrat Josephus. ab Ægyptiis venisse hunc morem censet Athenæus. sed vetustissima ejus rei memoria apud Sanchuniathonem est, qui nos docet regem Phœnicum קין Κρόνον, in eam stellam quam Græci à Phœnicibus edocti Κρόνου, Latini Saturni vocabant, consecratum. idem est qui per excellentiam מלך, id est rex dictus est, cui Phœnices liberos sacrificabant, qui mos à Tyriis ad Carthaginienses aliosque Africæ populos venit. Sic Astarte consecrata in Veneris stellam. Et aliquanto post apud Ægyptios Osiris in Solem, Isis in Lunam. Sic Hammon in Arietem, Derceto in Piscem. At de Mauris Cyprianus: *Manifeste reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.* Quia autem sidera in animantium figuram pridem ab hominibus formata sunt, ob similitudinem aut unius aut plurium stellarum, aut etiam quia quædam animantia cognationem quandam habere cum sideribus eorumque vim efficacius percipere credita, ideo ea animantia ab Ægyptiis in deos relata. bos dictus Apis, ob Lunam sive Lunum potius: nam masculino nomine magna pars Orientis id sidus appellabat: Phœnix ob Solem: alibi ob eundem lacerta, leo, draco, accipiter. Ibis ob Mercurium: Canis ob Sirium: parique modo cætera animantia, quorum ad formas τοὺς ἀστερισμοὺς [*stellarum congeries*] figuravere aliter Chaldæi, aliter Persæ, Indi rursus aliter. Processit res longius, ut etiam in deos referrentur animantia unde magnæ ad homines utilitates venere, quales recenset Diodorus Siculus apud Eusebium, citatus in præparatione Euangelica: Plinius lib. VIII. cap. XXVII. Philo ad præceptum secundum, & Porphyrius de Abstinentia IV. Vide de his animalium formis Mosem Maimoniden ductore dubitantium parte III. c. XXXII. & Sallustium de Diis, capite quarto. Ægyptii, ut loquitur Arnobius lib. VI. *mutorum animantium formas causis inseruere divinis.* Adde locum Philonis quo mox utemur. Adjuverunt hunc errorem dæmones, hic hujus, ille illius animantis specie se hominibus ostentando, unde alii ὀφιόμορφοι, alii ταυρόμορφοι, alii τραγόμορφοι, ὀρνιθόμορφοι alii, atque ita deinceps. Vide de serpentibus, quos κνήφ vocabant, Eusebium Præparatione, ubi de Taaute, Plutarchum Alexandro, Servium ad Virgilium, & adde Gen. III. 1. de hirco, Esaiæ XXXIV. 14. hac forma Asimam colebant Samaritani: ut Nergalem gallinæ silvestris effigie. De aliis animantium formis vide Jamblichum de mysteriis Ægyptiorum, & Psellum. κυνώδη φάσματα [*spectra canina*] etiam ad Hesiodum Proclus nominat. Vide & Athanasium in vita Antonii. De his animalibus multo magis dicendum quod de stellis diximus, cum ad preces surda sint, neque libertate eligendi sint prædita, falso iis deorum imponi nomen. Non potest idem dici de Angelis, qui & intelligere preces possunt, & beneficia ex animi quadam libertate præstare. Hos ergo qui honore prosequitur aliquo, qui etiam aliquid eorum beneficio se sperat posse consequi, non peccat in hanc legem, sed is demum qui eis ea tribuit quæ summo Deo sunt propria. N[illegible] Dei in hoc præcepto in summitatis sensu sumenda est: exempla rem illustrabunt. Non peccarunt qui Angelos, quoties ipsis conspicui apparuere, venerati sunt procumbendo, ut Josue V. 14. quippe, cùm & Prophetis idem honos exhibitus sit sine peccato; ut ei qui putabatur Samuel, I. Sam. XXVIII. 15. Eliæ, II Reg. I. 13. Danieli, II. 46. qui munus & libamina

vetat,

vetat, reverentiæ signum non vetat, ut ibi notatum ab Josepho Jachiade. Nam quod in Apocalypsi Angelus eum honorem à se amovet, non inde venit, quod in eo esset quid illiciti, sed Apostolum sibi æquat Angelus, quod ambo Christi, jam Angelorum capitis, ministri essent (vide locum Coloss. I. vers. 16. 18.), & Apostolica legatio ad hominum salutem comparata nulla parte Angelica esset inferior. Non solent autem pares inter se ista submissionis signa usurpare. Est autem hæc illius loci explicatio non nova, sed ab Ambrosio & Gregorio Magno tradita. Origenes VIII. adversus Celsum concedit θεραπεύεσθαι [*veneratione honorari*] posse Angelos, si modo repurgetur ejus vocis significatio. Neque peccatum putem, si quis Angeli sibi apparentis commendationem apud Deum imploret, quo Maimonides trahit ea quæ apud Jobum leguntur XXXIII. 23. qui cum consentit quod Philo sæpe ἀγγέλους μεσίτας [*Angelos mediatores*] vocat. Sed in utroque hoc diligenter videndum, ne dæmon malus sit qui sub Angeli specie appareat, quod fieri interdum solere non Paulus tantum Apostolus docet II Cor. XI. 14. sed & Porphyrius, citatus à Cyrillo contra Julianum, & secundo de Abstinentia, ubi hæc habes: ὥσπερ ὑποδύντες τῶν ἄλλων θεῶν πρόσωπα τῆς ἡμετέρας ἀβελίας ἀπολαύουσι [*aliorum deorum velut vultum induti nostra imprudentia fruuntur*]. & Jamblichus de mysteriis Ægyptiorum, lib. III. c. 32. & lib. IV. c. 17. quibus addi potest Arnobii illud IV. adversus Nationes: *si magi haruspicum fratres, suis in actionibus memorant antitheos sæpe obrepere pro veris: esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus spiritus, qui Deos se fingunt.* Pro talibus autem habendi sunt, qui aut à veri Dei cultu homines avocant, aut ei se æquant. Præter hos multis aliis modis in Angelorum honore peccari potest. Primum si ea illis venerationis signa exhibeantur quæ consensus gentium divini cultus esse propria voluit, puta sacrificium, libamen, suffitus. vide Judic. XIII. 16. & confer eum quem modo dixi Danielis locum. deinde si per eos vota aut juramenta faciamus, ab eis ea poscamus quæ à Deo solo, aut in Novo fœdere à Deo & Christo ex Dei mandato, peti debent, qualia sunt remissio peccatorum, Spiritus sanctus, vita æterna. id vero est, ut recte hic ait Philo ἴσα διδόναι ἀνίσοις, οὐκ ἐπὶ τιμῇ τῶν ταπεινοτέρων, ἀλλ' ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ κρείττονος [*æqualia dare inæqualibus, qui non est inferiorum honos, sed superioris depressio*]. Pertinet huc & Origenis locus adversus Celsum lib. I. ἴδωμεν δὲ, τίνα τρόπον συκοφαντεῖ Ἰουδαίους ὁ πάντ' ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι Κέλσος, λέγων αὐτοὺς σέβειν ἀγγέλους καὶ γοητείᾳ προσκεῖσθαι, ἧς ὁ Μωϋσῆς αὐτοῖς γέγονεν ἐξηγητής. ποῦ γὰρ τῶν γραμμάτων Μωϋσέως εὗρε τὸν νομοθέτην παραδιδόντα σέβειν ἀγγέλους, λεγέτω ὁ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι τὰ Χριστιανῶν καὶ Ἰουδαίων [*Videamus autem quomodo calumnietur Judæos is qui omnia se nosse prædicat Celsus, dicens eos Angelorum esse cultores & deditos præstigiis quas à Mose didicerint. Ubi enim in Mosis libris invenit, illum legum conditorem præcepisse Angelos coli? hoc nobis dicat is qui jactat se cuncta nosse & Judæorum & Christianorum*]. Et lib. V. ubi de Angelorum ministerio in precibus offerendis & in beneficiis procurandis disseruerat, addit: τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτοὺς διὰ τὸ θείους εἶναι καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ' οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ θεοῦ σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ [*Hos Angelos ab operibus quæ faciunt nominare assueti, didicimus eos & deos esse & ita in scripturis vocari: non autem imperari nobis, ut eos qui ministrant Deo & ad nos Dei beneficia perferunt, pro Deo colamus atque adoremus*]. Alibi: εὐφημοῦμεν καὶ μακαρίζομεν, ἐγχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ χρήσιμα τῷ γένει ἡμῶν· οὐ μὲν τὴν ὀφειλομένην πρὸς θεὸν τιμὴν τούτοις ἀπονέμομεν [*Laudamus & beatos prædicamus eos quibus Deus commisit illa quæ humano generi sunt utilia: verum debitum Deo honorem ipsis non impedimus*]. Angelici Epiphanio inter hæreticos memorantur, sed eorum quale fuerit institutum ait se nescire. Maxime credibile est tale fuisse quale est Cabalistarum inter Judæos, probatum quibusdam, improbatum Josepho Albo lib. III. Fundamentorum, cap. XVIII. Censent illi, cum Pythagoricis & Platonicis, quorum sententiam nobis Iamblichus exprimit, per Angelos inferiores superioribus, atque ita per multos gradus summis illis homines commendari debere, & illis dant sua nomina, dant officia, & dispensandorum beneficiorum facultatem. Alios statuunt paredros: alios oniropompos, ut Irenæus docet. De his qui talia ex Judaismo in Christianismum inferrent agere videtur Apostolus II. Coloss. 18. mitius enim de eis loquitur quam ut eos intelligat qui Angelos, aut honoris proprie divini signis, aut effectuum mere divinorum expetitione, Deo æquabant. Sic ergo ait, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω nemo vobis honorem auferat, nempe eum qui proprius est Christianorum, ut jus habeant Deum invocandi διὰ τοῦ λόγου [*per Verbum*], ut sæpe notat Origenes, apertissime vero lib. V. οὐ περισπώμενοι πρὸς τῷ θεῷ καὶ ἄλλῳ τινὶ δουλεύειν μετ' αὐτοῦ [*non avocari nos sinentes ut præter Deum & alteri serviamus*], ut ait idem lib. VII. addit Paulus, ἐν ταπεινοφροσύνῃ [*in humilitate*]. Videtur enim esse quædam animi submissio non audere nisi per tot gradus Deum accedere: at tale revera id non est, cum, ut recte ait Origenes, in Dei honore satis comprehendatur honos ipsi ministrantium, neque ex usu sit ita περισπᾶσθαι, & ab eo quod maxime necessarium est avocari. Pergit: καὶ θρησκείᾳ ἀγγέλων [*& cultu Angelorum*], ubi καὶ, ut sæpe, positum est κατ' ἐπεξήγησιν [*ad explicationem*] verborum præcedentium. θρησκεία [*cultus*] vox mediæ est significationis, nam & in bonam partem usurpatur, ut Act. XXVI. 5. Jac. I. 27. & in malam, ut Sap. XI. 16. & IV. 16. & eo sensu qui inter utrumque est, ut Iac. I. 26. & hoc loco. Explicat quod cœpit dicere Apostolus: ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων penetrans in ea quæ non vidit. is enim est sensus vocis ἐμβατεύειν [*penetrare*], ut apparet I Macch. XII. 25. XIII. 20. XV. 31. 40. Nesciunt enim Angelorum, qui non sine causa mitti dicuntur Hebr. I. 14. qui ipsis adsint, aut non adsint: nesciunt quid possint, quid valeant. quod latius etiam sequentibus explicat εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ [*frustra inflatus sensu carnis suæ*], quo loco νοῦς est cogitatio, ut Rom. I. 28. & XIV. 5. Ephes. IV. 17. I. Tim. VI. 5. II Tim. III. 8. Tit. I. 15. illud autem σαρκὸς [*carnis*] opponitur patefactioni divinæ, ut Matth. XVI. 17. Quæ usurpant nomina Angelorum, in Scripturis nusquam posita, qualia multa sunt in libro Enochi falsum nomen præferente: quæ munia ipsis attribuunt, quibus verbis, quoque modo quemque alloqui, quid à quoque poscere debeant: hæc non accepere à Deo aut ab ipsis Angelis, ut certi esse possint, sed ex humanis commentis quorum disciplina sibi placent, seque cæteris præferunt, unde Γνωστικῶν [*Gnosticorum*] nomen. Sequitur, καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ [*& non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei*]: non tenent se Christo, id est, Christi cultum omittunt, aut eum reformidant, qui tamen est caput & coagulum totius Ecclesiæ: unde fit, ut illi homines alii aliis Angelis se velut mancipando, paullatim & ab Ecclesia, specie majoris scientiæ, se subducant, & inter se dividantur, nimirum per gradus quosdam devoluti ad illam εἰδωλολατρείαν [*idololatriam*] quam propter hoc κεκρυμμένην [*occultam*] vocat Laodicena Synodus. Congruunt cum jam dictis ea quæ ad dictum Pauli locum attulere Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. A præsidibus humanæ pacis, quin ea peti possint quæ humanæ sunt opis, dubitandum non est. Neque vero flexo aut prostrato corpore eos honorare illicitum est, ubi mos talis obtinet: fecit id Nathan coram Davide, I Reg. I. 23. Scriptor vitarum illustrium in Conone: *necesse est si in conspectum veneris, venerari te regem quod* προσκυνεῖν *illi vocant.* Græci sæpe pro eo dicunt προσπίπτειν [*procumbere*]. Livius de Legatis Carthaginiensium: *more adorantium (accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant) procubuerunt.* A Phœnicibus intelligit vicinis Hebræorum, quorum morem Phœnissis Euripides sic expressit:

> Γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω
> Σ' ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.
> [*Supplex te, rex, venerans genubus*
> *Patrio advolvor de more tuus.*

Philo in Legatione hoc προσκυνεῖν [*procidere*] vocat βαρβαρικὸν ἔθος [*barbarum ritum*], Josephus de Davide Saulem venerante: προσκυνεῖται πεσὼν πρόσωπον, ὡς ἔθος [*veneratur eum pronus cadens, ut moris est*]: At si qua in gente is gestus tantum in re divina usurpetur, jam eum coram rege usurpare licitum non erit. Ob id Græci quibus prosterni nisi in sacris mos non erat, eo more venerari Persarum regem noluere, ut passim ex historiis discimus. Et Christianus, apud Sozomenum, Persarum regem veneratus, destitit postea, ubi id aliovorsum interpretando trahi videt. Etiam coram imaginibus Imperatorum procumbere non alienum à sua religione arbitrati sunt Christiani. At postquam suis imaginibus falsorum deorum imagines addi jusserat Julianus, prudentiores mala quævis potius toleranda duxere quam ut ibi procumberent. Narrat Gregorius Nazianzenus. Tertullianus ad Scapulam: *colimus ergo Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem.* idem adversus gentes: *Temperans majestatem Cæsaris infra Deum: magis illum commendo Deo, cui soli*

sub.

subjicio: *subjicio autem cui non adæquo.* & mox: *dicam plane imperatorem dominum, sed quando non cogor ut dominum Dei vice dicam.* Hoc præceptum de quo huc usque egimus, & Philo & eum secuti Christiani vocant, τὸ περὶ μοναρχίας [*de unius imperio*], aut etiam καθαίρεσιν τῆς πολυθείας [*destructionem multitudinis deorum*]. Hanc tollere præcipuum legis propositum esse ait Maimonides, non Dei certe, sed hominum causa ut explicat Philo, quorum felicitas in eo sita est, ut ab sensibilibus ad illud insensibile, à rebus aut caducis, aut quæ initium habuere, ad illud æternum deducantur. simul ad foederandum inter se populum nihil utilius; φίλτρον ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς, ἡ τοῦ ἑνὸς θεοῦ τιμὴ [*amatorium vehementissimum, & vinculum insolubile benevolentiæ atque amoris, cultus unius Dei*], ait ille libro de Monarchia primo. Et de fortitudine: αἴτιον τῆς ὁμονοίας τὸ ἀνώτατον καὶ μέγιστον, ἡ περὶ τοῦ ἑνὸς θεοῦ δόξα, ἀφ' ἧς οἷα πηγῆς ἑνωτικὴ καὶ ἀδιάλυτος φιλία κέχρηνται πρὸς ἀλλήλους [*causa concordiæ & summa & maxima, de uno Deo persuasio, à quo velut fonte procedit amicitia firma & insolubilis hominibus inter se*].

4. Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum* [illegible] *sunt in aquis sub terra*]. Pro εἴδωλον [*imago*], alii Græci interpretes habet γλυπτὸν [*sculptile*]: & hi ipsi Deut. v. In Hebræo פסל [*sculptile*], origo est פסל [*dolavit, sculpsit*], quod Græci vertunt λαξεύειν, πελεκᾶν, γλύφειν [*lapidem polire, securi formare, scalpere*]: ipsum nomen quod hic apparet sæpe γλυπτὸν, aut γλύμμα [*sculpturam*], alibi εἴδωλον, ἄγαλμα, εἰκόνα [*simulacrum, statuam, imaginem*] censentque Hebræi significari ea quæ eminentibus figuris expressa sunt. quod autem sequitur οὐδὲ ὁμοίωμα [*neque omnem similitudinem*], videri posset novum esse præceptum, & ita acceptum ab Hebræis Alexandrinis, ut à Philone qui libro de legatione dicit: μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μὴ γραφὴν [*non effigiem, non simulacrum, non picturam*]. & in eod. lib. de legatione: γραφικὴ καὶ πλαστικὴ βλαβεραὶ δημιουργοί [*pictura, & fictura, noxiæ artifices*]. & in libro de Gigantibus: ὁ Μωσῆς τὰς δοκίμους καὶ γλαφυρὰς τέχνας ζωγραφίαν καὶ ἀνδριαντοποιΐαν ἐκ τῆς καθ' αὐτὸν πολιτείας ἐξήλασε [*Moses illas speciosas & magni pretii artes statuariam & picturam ex sua republica exclusit*]. sed, cum ו [*&*] quod Græci per οὐδὲ [*neque*] hic transferunt absit in Deuteronomio, in Chaldæa vero interpretatione etiam hoc loco, eo ivit consensus Hebræorum ut ו hic non novum præceptum inchoet, sed explicationis causa sit additum, ut intelligatur, non omnia sculptilia prohiberi, ut vitem auream quæ in Templo fuit, sed quæ similitudinem animantis alicujus referrent. Primi homines iis quos pro diis habebant monumenta excitabant, arborem, stipitem, saxum. Venerem & Bacchum in quadrato lapide cultos docent Pausanias, Clemens Alexandrinus, Maximus Tyrius. De columnarum ac stipitum usu ad cultum, testimonia sunt ex Philone Byblio apud Eusebium. Cùm nulla natura ad Deum propius homine accedere crederetur, cœpere qui putabantur dii fingi humana effigie, quæ βρέτας dicta & δείκηλον [*statuæ & simulacra*], ut notat Clemens Alexandrinus libro contra Nationes, & ex eo Arnobius, quibuscum in hac re consentit Maximus Tyrius in ea quæ de imaginibus est dissertatione. At Ægyptiis placuere animantium figuræ:

Omnigenumque deûm monstra & latrator Anubis:

nimirum, ut ante diximus, ob siderum similem figurationem aut naturam sideri congruentem, aut utilitatem eximiam. Εἴδωλον Græcis scriptoribus sæpe φάσμα & ostentum aliquod significat. verùm hoc significatu in libris sacris non sumitur, sed idem est, ut modo diximus, εἴδωλον, γλυπτὸν, εἰκὼν [*idolum, sculptile, effigies*]. Hieronymus Esaiæ XLV. פסל vertit idolum, deinde sculptile, deinde imaginem, rursus idolum. II Paral. XXXIII. 19. & 22. ut & Deut. XII. 3. alibi simulacrum. sic vitulus ille in Horeb factus εἴδωλον Lucæ Act VII. 42. qui id venerati sunt Paulo εἰδωλολάτραι [*idololatræ*], 1 Cor. x. 7. Respondetque plane Græca vox εἰδωλολατρεία Hebrææ זרה עבודה quo significatur cultus à lege alienus, non quod εἴδωλον per se mali aliquid significet, ut quidam existimant, sed quod post legem nullum erat piorum & superstitiosorum evidentius discrimen, quam quod hi omnes imagines sculptas haberent, illi non haberent. itaque non vox voci reddita est, sed sensus perspicue satis expressus. Neque vero imagines tantum faciebant οἱ πολύθεοι [*multorum deorum cultores*] diis suis, sed & magico ritu existimabant spiritum quendam ætherium in eas deduci imagines, ut & [illegible] Dialogo Trismegisti, quisquis tandem ille est qui id sibi nomen imposuit, cum Asclepio, & apud Mosem Maimoniden multis locis ductoris dubitantium, & hoc loco apud Abenesdram videre est. Non malo de illis Tertullianus libro de Idololatria: *Rapere ad se dæmonia & omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum.* idem libro de Spectaculis: dæmones ait operari in simulacris. Minutius Felix: *isti impuri spiritus sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt.* Cyprianus de idolorum vanitate: *Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant.* Tales fuisse imagines quæ in Jacobi historia תרפים vocantur censent Abenesdras, Moses Maimonides, & Kimchius, quanquam vox ipsa videatur esse media, & interdum pro Cherubinis sumi, ut Jud. XVII. 5. & Osee III. 5. Vide mira quæ de imaginibus à Thammuzio convocatis scribit idem ille Moses dicti libri parte III. cap. XXIX. Nec dubitant tradere, imagines quasdam locutas: qualium quoque meminit ille Trismegistus. Talem iconculam si non habuit, habere credi voluit Nero, cujus monitione dicebat se futura prænoscere, ut ex Suetonio discimus. Sic Memnonis statua in Ægypto sonora. Locuta simulacra Junonis Monetæ, Fortunæ Muliebris, Silvani, in historiis & apud Valerium Maximum legimus. meminit talium & scriptor responsionum ad Orthodoxos. Et Moses Maimonides parte III. cap. 29. ductoris dubitantium duos sibi libros lectos ait de Imaginibus loquentibus. Et huc pertinet ni fallor locus Zach. x. 2. Ob hanc opinionem inclusi Spiritus divini, Labani, illa quæ modo nominavimus תרפים, vocantur אלהים Dii Labanis: Dii gentium dicuntur esse aurum & argentum, & passim apud Græcos Latinosque scriptores ipsa simulacra dii dicuntur. Arnobius lib. VI. *Quinimo Deos esse sigillaria ipsa censetis, nec præter hæc quicquam vim creditis habere divinam.* quod mox explicat: *ut simulacris præsto sint atque habitant dii suis.* Hinc ejusdem crediti numinis imagines aliæ aliis prælatæ, ut Ephesia Dianæ aliis simulacris & alia ejusmodi. Hæc opinio, quia apud Orientis populos late jam invaluerat, eique pravi dæmones ad fallendos homines abutebantur, Deus edicto hoc suo omnia sculpta animalis alicujus formam habentia inhibuit. facilius enim spiritus capacia illa simulacra videbantur ob recessus abditos. Notandum enim, non tantum Hebræis vetitum eis venerationem exhibere verbis sequentibus, sed ne facere quidem ulla simulacra permitti. Deut. IV. 16. insuper aboleri jubentur Exod. XXXIV. vers. 13. Numer. XXXIII. 52. Deut. VII. 5. Cum Pilatus clupeos in Templo fixisset, Judæi non quievere donec tollerentur; quia in iis erant προτομαὶ [*vultus*] Cæsarum. Et trophæa Herodes cum statuisset, non prius iram populi effugit quam iis nudatis ostendit nullas ibi latere effigies. Aquila etiam aurea supra portam Templi ab Herode posita, tanquam legi repugnans, dejecta est: ut narrat Josephus libro XVII. Neque vero in templo tantum, quod Dioni notatum, sed quovis alio in loco habere sculptas animantium imagines Judæis interdictum. Vide, si libet, Mosem de Kotsi in libro de præceptis jubentibus & negantibus, & Josephum belli Judaici libro II. Tacitus: *nulla simulacra urbibus, nedum templis sunt.* Contra hanc legem, quamdiu mansit legis sanctitas, venire nemini licuit, nisi Deo ipsi, legis conditori, qui sibi ipsi exceptionis potestatem non ademerat. Is suo jure in Templi ipso penetrali locari jussit Cherubinos, alatas humano effigies vultu, eo in loco quo solus Pontifex Maximus semel anno intrabat, gnarus non inesse illis divini aliquid: sed significari aut, ut Philo censet, celerrimas Dei actiones in benefaciendo bonis & in puniendo malos, aut quod Angelorum ad quæcunque vellet paratissimo ministerio Deus uteretur, ut Moses Maimonides aliique censent. Talis exceptio fuit etiam cum serpentis imaginem Deus jussit erigi. *Extraordinario præcepto serpentis similitudinem induxit*, ait Tertullianus de idololatria. Quod vero labro æneo boves & leones adjecit Solomo, id aut Deo fecit præcipiente, aut, si Dei veniam non habuit, initium fuit & gradus quidam ad alia quæ peccavit postea, quæ posterior magis placet Josepho & aliis Hebræis sententia. Animantium sculptas imagines cum dixi vetitas, etiam sidera comprehendo, quia motum suum habent. Non enim orbes, sed in cælo liquido moveri sidera, vetustissima Hebræorum sententia est, ut nos docet Gemara ad initium Genes. גלגל קבוע ומזלות חוזרין [*orbes fixi, sed sidera mobilia*]. Figura autem siderum aut formam exprimebant singularem stellæ, Solis puta, Lunæ, Saturni, Luciferi, Jovis, (vide Act. VII. 43.) aut corpus è pluribus stellis conformatum redactumque ab hominibus in speciem hominis, feræ, serpentis, aliusve animantis. Apparet esse hæc de sculptis deque animantium figuris interdicta ex eorum genere quæ natura sua illicita non sunt, sed quæ ad mali alicujus cautionem prohibentur. At talia esse pleraque in Mosis lege, per se ἀδιάφορα [*indifferentia*], sed opposita directe institutis Ægyptiorum, Phœnicum, Arabum, quo longius ἀπὸ τῆς πολυθείας [*plu-*

[*plurium deorum cultu*] arcerentur Hebræi, notavit prudenter Maimonides. Præter autem cautionem quam dixi, est & alius egregius usus imaginum interdicti, ut eo ipso moneantur homines Deum esse à visu sensibusque nostris remotissimum. *Effugit oculos: cogitatione visendus est*, ait Seneca Nat. quæst. VIII. 30. qua de causa & Antiphanes philosophus dicebat de Deo: *ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, διόπερ αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος οὐδεὶς δύναται* [*oculis non aspicitur: nemini est similis: unde nemo eum ex effigie potest cognoscere*]. Hæc causa legis hujus & à Philone traditur sæpe, ut cum dicit in libro de legatione: *τὸν ἀόρατον εἰκονογραφεῖν ἢ διαπλάττειν οὐχ ὅσιον* [*Eum qui inaspicuus est in simulacro aut fictili opere ostendere nefas*], & ab extraneis etiam scriptoribus non est prætérita. Diodorus Siculus de Mose: *ἄγαλμα οὐ κατεσκεύαζε, διὰ τὸ μὴ νομίζειν ἀνθρωπόμορφον εἶναι τὸν θεόν* [*imaginem statuit nullam, ideo quod non crederet Deum homini esse similem*]. Strabo de eodem: *ἔφη γὰρ ἐκεῖνος καὶ ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῖεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον· οὐδ' οἱ Λίβυες. οὐκ εὖ δ' οὐδ' οἱ Ἕλληνες ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες* [*dixit enim ille, docuitque non recte facere Ægyptios qui feris aut pecudibus assimularent Deum, ut & Libyas: sed nec Græcos recte qui eos facerent hominibus similes*], & quæ ibi sequuntur. Tacitus: *Judæi mente sola unumque numen intelligunt. profanos qui Deûm imagines mortalibus materiis in speciem hominum effingunt.* Dion. lib. XXXVI. *οὐδ' ἄγαλμα οὐδὲν ἐν αὐτοῖς ποτε Ἱεροσολύμοις ἔσχον· ἄρρητον δὲ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι* [*nullam effigiem in Hierosolymis habuere, quod Deum crederent ut ineffabilem ita inaspicuum*], &c. Eandem causam cur Numa simulacra de templis sustulerit reddunt Halicarnassensis & Plutarchus, cujus quidem ea de re hæc verba sunt: *ὡς οὔτε ὅσιον ἀφομοιοῦσθαι τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν, οὔτε ἐφάπτεσθαι θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει* [*quod non sanctum ratus assimulare meliora pejoribus, neque ad Deum accedi aliter posse quam cogitatu*]. Varro scriptum reliquerat Romanos plus quam annos CLXX. deos sine simulacro coluisse, addens, quod si adhuc mansisset, castius dii observarentur, testem etiam proferens sententiæ suæ gentem Judæam; atque ita eum locum concludens, ut diceret, qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse & errorem addidisse. Usum hunc quem indicavimus præcepti hujus non imprudenter animadvertit Augustinus de moribus Eccles. Cath. *Tali etiam amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet esse nisi corpus, aut etiamsi auctoritate commotus fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, & tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infigit. Ad hoc etiam valet quod præcipitur cavendum esse a simulacris.* suppar est illud ejusdem epistola XLIX. *Et idola quidem omnia sensu carere quis dubitet? Veruntamen cum his locantur sedibus, ut a precantibus atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur, accedente præsertim convocatione multitudinis.* mox: *cum eis velut præsentibus preces allegant, victimas immolant, vota persolvunt, sic afficiuntur ut ea sensu carentia putare non audeant.* Ipse Deus quo longius Judæos ab imaginum sculptarum usu retraheret, ait ab eis qui eas venerabantur, se assimulari homini, vitulo, aliisque animantibus, aut etiam materiæ unde effigies fingerentur. Vide Esaiam XL. 18. XLVI. 5. 6. Act. XVII. 29. Rom. I. 23. Justinum Apolog. II. unde non abit Heracliti illud: *ὅμοια ὡς εἴ τις τοῖς δόμοις λεσχηνεύοιτο ποιέουσιν οἱ προσιόντες, ὡς θεοῖς, τοῖς ἀψύχοις* [*qui ad res ratione carentes quasi ad Deos accedunt, pariter faciunt ac si domos alloquerentur*]. Exemplum figuræ cœlestis est astrum Veneris: item, aves, vultur, accipiter: terrestris, vitulus, ichneumon, ovis, canis: aquaticæ, dagon, Phagrus, Mœotes, Oxyrynchus. de quibus vide Clementem Alexandrinum oratione ad gentes. Philo libro de legatione sic loquitur de Ægyptiis: *οἱ κύνας, λύκους, καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία, καὶ ἔνυδρα καὶ χερσαῖα, καὶ πτηνὰ θεοπλαστοῦντες* [*qui canes, lupos, leones, crocodilos aliasque feras, & terrestria, aquatica, volucria animantium Deos faciunt*]. Dicuntur autem Hebræis aquæ esse *ὑποκάτω τῆς γῆς* [*sub terra*], quia cùm natura sua aquæ leviores sint terra, & vi materiæ debuissent supernatare terris, Deus in usum animantium hominisque maximè, ita excavavit alveos mari, circumposuitque montes, & rupes & litora eminentia, ut aquæ iis continerentur, ac sic unum cum terra globum facerent: quod notatum Judæ Levitæ ad Psalm. CIV. 6. sed & ante eum Straboni. estque id indicium veteris sapientiæ non spernendum. Quid ergo dicemus de picturis aut formis incisis animantium, vetitæ sint nec ne? Hoc certè loco, ut jam ex Deuteronomio & Chaldæo interprete ostendimus, credam de iis non agi. Nec omnes picturas fuisse vetitas argumento sint vexilla Hebræorum præferentia hominem, taurum, leonem, aquilam. Sunt tamen quædam vetitæ, sed aliis locis. nimirum omnes illæ quibus idololatræ ad cultum suum utebantur, Levit. XXVI. I. & Num. XXXIII. 52. in Hebræo. quibus accensendas putem illas figuras incisas per quas adhibitis etiam verbis magicis arceri hostes, scorpiones, leones, serpentes credebantur, quarum meminit Maimonides parte III. c. 37. ductoris dubitantium. quam opinionem secuti Græci dixere opera talia *τετελεσμένα* aut *τελέσματα* [*opera perfecta*], ut scriptor responsionum ad orthodoxos inter opera Justini: unde Arabum corrupta vox Talisman. alii *στοιχεῖα* [*principia*] dixere aut *στοιχειώσεις* [*elementorum traditiones*], ut Tatianus. multa eorum mentio in historia Constantinopolitana. Vide & quæ de iis habet Scaliger in posthumis ex Cosmographo Arabe. Ut ad Christianos veniam, illi nec aliis Hebræorum legibus *ταῖς ἐν θέσει* [*indeterminatæ*] obligatos se credidere, nec illa de non habendis formis sculptilibus animantium. Nam & Imperatorum & virorum eruditorum tales imagines passim exstitere. Incisis verò aut pictis figuris, ut quæ nec Hebræis sine discrimine interdictæ erant, usi sunt etiam liberiùs, ut nos docet memorata Tertulliano figura Pastoris in calice. Imò ne Christi quidem figura abstentum, postquam Imperatores Christiani fuere.

> *Christus purpureum gemmanti textus in auro*
> *Signabat labarum, clypeorum insignia Christus*
> *Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.*

ait Prudentius lib. I. contra Symmachum: qui & in monumentis martyrum expressam eorum quæ pertulerant imaginem fuisse in Passione Cassiani nos docet. in Ecclesias tamen diu nec picturas admissas ex Eliberino canone, & decantato illo Epiphanii facto apparet. Imagines exstantes seriùs etiam in Ecclesias admissæ, nec sine multorum renisu, non quasi lege vetitæ, sed quia errori ansam dare existimabantur, quæ ratio manente adhuc paganismo non levis momenti erat.

5. *Οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς*, *Non adorabis ea*] Non satis habuit Deus Israelis populo consulere adversus pravas ejus sæculi sententias & mores, in id tempus quo victuri erant in societate popularium, sed in longum prospiciens, adhibere cautiones voluit etiam illis Hebræorum, qui extra suum populum erant peregrinaturi. Namque ibi, cùm impedire non possent quo minus exstarent sculptæ animantium aut astrorum imagines, remedium aliud adhibendum eis fuit ne pravæ opinionis ac instituti ad eos contagium perveniret: id autem meliùs fieri non potuit quam si prohiberentur gestus cum eis habere communes, quibus error ille nutriebatur. *οὐ προσκυνήσεις* in Hebræo est לא תשתחוה Vox Hebræa שחה [*inclinavit*] satis est generalis: neque verò animi actum designat, sed corporis: sive is fiat caput inclinando, sive inclinando corpus totum, sive curvandis genibus, sive subsidendo in poplites, sive, qui maximus est honos, procumbendo. Græci interpretes per *προσκυνεῖν* [*adorare*] hanc vocem solent vertere: non sine causa. Nam sicut apud Orientis populos, veneratio ostendebatur variis flectendi corporis formis: ita apud Græcos, & nonnullas gentes alias, manum ad os admovendo, quod propriè est *προσκυνεῖν* à *κύω* [*in utero fero*, &, *suavior*], & inde *κυνέω* quod est osculor: Nec aliud significat Latinum adorare, non ab orare, id est precari, factum, ut imperiti homines existimant, sed ab eo quod manus admoveatur ori. Hieronymus Apologia contra Ruffinum priore: *qui adorant solent deosculari manum.* In Glossis: *adorat*, *προσκυνεῖ*. Alibi *προσκύνησις* [*adoratio*, *adveneratio*]. manum ori admovere, aut ad osculum referre, dixerunt Plinius, Tertullianus, Apulejus: idem Apulejus admovere ori dexteram: idque tum Plinius, tum Apulejus vocant adorare. *Φιλῆσαι δεξιὰν* [*manum osculari*] Lucianus *περὶ θυσιῶν* [*de sacrificiis*]. Idem *περὶ ὀρχήσεως* [*de Saltatione*] libro, *κύσας χεῖρα* [*manum osculans*]; idem in Demosthenis encomio apertè quod dixerat osculari manum, mox dixit *προσκυνεῖν*. Eustathius ad V. Od. *προσκυνεῖν παρὰ τὸ κύειν, ὅ ἐστι φιλεῖν* [*ab osculando*]. Quod in epigrammate veteri est:

> *Ingressus scenam populum saltator adorat:*

idem est quod apud Phædrum: *jactat basia tibicen.* Mos hic venerationis quàm sit antiquus ex Jobo apparet XXXI. 26. Sed quod in plerisque vocibus evenit, ut non maneant in sensu originis suæ, quinimo ut adoptivus sensus prævaleat, idem huic Græcæ voci *προσκυνεῖν* accidit. cœpit enim usurpari de quovis gestu reverentiam quandam testante. itaque id quod *προσκυνεῖν* [*adorare*] dixit Matthæi interpres VIII. 2. idem est *πεσεῖν ἐπὶ τὸ πρόσωπον* [*procidere in faciem*] Lucæ V. 12. sic quod apud eundem

dem Matthæi interpretem est *προσκυνεῖν* [*adorare*] xix 18. id Marcus dixit *πίπτειν πρὸς τοὺς πόδας* [*procidere ad pedes*] v. 22. Interdum apertioris significatus causâ alterum altero addito explicatur, ut *πεσόντες προσεκύνησαν* [*procidentes adoraverunt*] Matth. 11. 11. *ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι* [*si cadens adoraveris me*] Matth. iv. 9. *πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας προσεκύνησεν* [*procidens ad pedes ejus adoravit*] Actor. x. 25. *πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ θεῷ* [*cadens in faciem adorabit Deum*] 1. Cor. xiv. 25. Chrysostomus ad cap. v. epistolæ ad Ephesios *προσκυνεῖν* exponit per *κάμπτειν ἑαυτὸν* [*se flectere*]. Sic in historia honorati ab Jacobo Esavi, ubi est in Hebræo וישתחו Josephus & Græci ponunt *προσεκύνησε* [*adoravit*], idemque faciunt in historia umbræ Samuelis quam honore afficiebat Saul. Atque inde factum, re externa ad internam relata, ut interdum, sed rarius, animi actum ea vox significaret, ut voces *θυσία* [*sacrificium*], *προσφορὰ* [*oblatio*], aliæque similes. Vide Joh. Euang. iv. 23. Hoc vero loco haud dubie significatur omnis actus quo honos habitus demonstrari solet. sicut enim alibi vetantur Hebræi nomina usurpare Deorum falsorum, Exod. xxiii. 13. ita etiam imaginibus ullum signum honoris, quocunque tandem animo id fieret, exhibere prohibentur, ut notat Moses de Cotzi præcepto vetante xix. quæ omnes sunt *προφυλακαὶ* [*cautiones*] contra *τὴν πολυθεΐαν* [*deorum multitudinem*]. idem autem valent hæ locutiones, imagini se flectere, aut flectere se coram imagine. itaque quod in Matthæi iv. 9. est *προσκυνήσῃς μοι* [*adoraveris me*], id Lucas dixit iv. 7. *προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου* [*adoraveris coram me*]. Sic quod per dativum exprimitur Jer. xxii. 9. id per לפני [*coram*] enuntiatur, II. Paralip. xxv. 14. & per על quod idem valet, Levit. xxvi. 1. Et quod in dativo est, 1. Reg. xix. 8. & Rom. xi. 4. id Latina interpretatio explicat per præpositionem coram. Cæterum hoc præcepto de non flectendo apud imagines corpore, cùm constituti sit juris, alienigenas quantumvis pios, ut Nahamanem, negant obligatos fuisse Hebræi. Neque vero indistincte se eo obligari credidere Christiani veteres, sed tantum quatenus in testimonio habiti honoris apud imaginem inerat falsi numinis veneratio, quæ per se & omni modo mala est: quod intelligi potest ex loco Jobi modo nobis indicato: ex loco Actor. x. 25. ex ea historia quam de Nazianzeno modo promisimus. In precationum vero locis, an rectum esset in honorem, aut Christi, aut Sanctorum coram eorum imaginibus flectere corpora, quod *σχετικὴν προσκύνησιν*, id est, signum amoris & reverentiæ erga viros sanctimonia eminentes Græci vocant, disputatum diu, nec sine seditionibus in Oriente. Germaniæ & Galliæ diu visum id malo aut mali specie non carere, ut ex Francofurtensi & Parisiensi synodis, quæ Caroli Magni liberorumque ejus temporibus habitæ sunt, apparet. Notandum tamen, in illis synodis tractatos inclementius Græcos, quod occidentales Episcopi sententiam Græcorum expressam in Nicæna synodo secunda, in duriorem partem, quam ipsa per se erat, interpretarentur, decepti scilicet Actis Nicænæ illius Synodi in Latinum sermonem adeo non fideliter versis, ut interdum sensum Græco contrarium exhiberent, quod cùm alibi observari potest, tum vel maxime in iis quæ de imaginibus dixerat Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus. Nam Græca sic habent Actione Synodi tertia: *Κωνσταντῖνος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Κωνσταντείας τῆς Κύπρου εἶπεν· Ἐν μηδενὶ μὲν παραλλάττοντα καὶ τὰ νῦν ἀναγνωσθέντα γράμματα τὰ ἐκ τῆς ἀνατολῆς πεμφθέντα πρὸς Ταράσιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην τοῦ ὑπ' αὐτοῦ προομολογηθέντος ὅρου τῆς πίστεως εὑρὼν κἀγὼ ἀνάξιος, τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας· καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ Τριάδι ἀναπέμπω. καὶ τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας μήτε δοξάζοντας τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐκχωρίζω, καὶ τῷ ἀναθέματι ὑποβάλλω, καὶ τῇ μερίδι τῶν ἀρνουμένων τὴν ἔνσαρκον καὶ σωματικὴν οἰκονομίαν Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ ἡμῶν παραπέμπω* [*Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri urbis dixit: Cum ea scripta quæ ex Oriente missa sunt ad Tarasium sanctissimum Archiepiscopum & universalem Patriarcham, & modo sunt lecta, videam nihil differre à formula fidei, quam ille antehac professus est, ego quoque indignus eisdem consentio & concors sum, suscipiens & cum honore amplectens sanctas & venerabiles imagines: Adorationem vero Latriæ soli supersubstantiali ac vivificæ Trinitati defero: quique non sic sentiunt ac docent ab Ecclesia Catholica & Apostolica excludo & anathemati subjicio, & parti eorum qui negant Christi veri Dei nostri in carne & corporalem adventum accenseo*]. Ea autem sensu plane inverso sic recitantur in Capitulari Caroli Magni Imperatoris de non adorandis imaginibus, lib. iii. c. 17. *Quam præcipitanter, & ut ita dixerim insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, cæteris consentientibus, se suscepturum & amplexurum honorabiliter imagines dixerit, & servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur, eis se redditurum garrierit, non est plurimum nostra disputatione discutiendum: quoniam omnibus qui hoc vel legunt vel audiunt, liquido patet, illum non modici erroris voraginibus immersum: quippe qui servitium soli debitum Creatori exhibere se fatetur creaturis, &, dum cupit favere picturis, reluctatur cunctis sacris scripturis. Quis ergo unquam sani capitis talem absurditatem vel dixerit, vel dicenti consenserit, ut in tanto honore habeatur picturarum varietas, quanto sancta vivificatrix & omnium creatrix Trinitas? & tale impendatur servitium picturæ, quale exhibetur Domino totius creaturæ? aut quis illum talia nauseantem potius quam loquentem pateretur? quoniam quidem perversum est, ut quibuslibet rebus insensatis tale impendatur servitium adorationis, quale Deo omnipotenti, cui non est similis, cui per Solomonem dicitur: Domine non est tibi similis in cælo sursum, nec in terra deorsum. cum qua ergo fronte, ut de cæteris taceam, hoc unum comma divinæ legis audit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, qui hoc spreto non solum creaturis servit, sed earum servitium servitio Dei æquiparare contendit? stet namque Episcopus in Ecclesia & legat: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: & mox ut in conventis sederit, dicat; suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines, & illis servitium adorationis quod consubstantiali & vivificatrici trinitati debetur, impendo.* Periculum non omnino abesse jam suo tempore notavit Augustinus, ubi de Christianis loquens ait: *Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores.* Hodie Græci picturas, quod in iis minus periculi esse existiment, simulacris sculptis præferunt, ut & Abyssini: Armenii utroque abstinere solebant.

Οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, neque coles ea]. Si honorem qui hominibus eminentibus præstari solebat, nullo modo, non jam dicam imaginibus, sed apud imagines exhiberi hac lege non permiserat Deus, multo magis vetandum censuit apud imagines ea fieri, quæ mos gentium propria fecerat divini numinis veri aut crediti talis honori: עבד quod hic est in Hebræo vox quidem est generalis, quæ quoties enuntiatur *πρός τι* [*cum relatione ad aliquid*], verti à Græcis solet, non minus per *δουλεύειν* [*servire*] quam per *λατρεύειν* [*obsequi*]: interdum & per *λειτουργεῖν* [*ministrare*]. Sed quia, ubi de rebus divinis sermo est, frequentiùs iidem interpretes usurpant verbum *λατρεύειν*, inde illud natum est discrimen, quod Latini Christiani magis quam Græci usurpant. Alioqui, si proprietas spectetur, non plus est in voce *λατρεύειν*, quam in voce *δουλεύειν*, ut apparet expensis locis, Psal. ii. 11. 1. Thess. i. 9. in quibus locis est *δουλεύειν* [*servire*], quod Hebr. ix. 4. est *λατρεύειν*. At verò ubi de rebus divinis sive veris, sive ita putatis agitur, עבד [*servivit*] apud Hebræos, & inde deductum nomen עבודה [*servitus*] solet significare illa quæ proprie receptissimo more per Orientem, qui & per Græciam atque inde latiùs manavit, in divini numinis, veri aut crediti, honore usurpari solebant, id est, sacrificia, libamina, suffitus. ut hic notat Abenesdra. de suffitu vide ii. Reg. cap. xviii. 4. Hæc enim sunt quæ quoties non in veri Dei cultum adhibentur Hebræi vocant עבודה זרה, quod ut ante diximus, *εἰδωλολατρείαν* vertunt Judæi Græcè loquentes, & eos secuti tum Apostoli, tum Apostolici viri, ob eam quam modo indicavimus causam. Est autem in Apostolico sensu idololatria, ut cum Tertulliano loquar, *quicquid ultra humani honoris modum ad instar divinæ sublimitatis attollitur.* Ideo autem & ritus de quibus locuti jam sumus, & flexio omnis apud imagines prohibentur Hebræis, quia præceptum de confringendis imaginibus in terris quæ ditionis ipsorum non erant, locum non habebat, ut Hebræorum doctores recte explicant. Videri potest Moses de Cotzi præcepto jubente xiv. quicum convenit illud Concilii Eliberini i. canone lx. *Si quis idola fregerit & ibidem fuerit occisus, quatenus in Euangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.* Chrysostomus circa finem capito vi. prioris ad Corinthios, de tribus adolescentibus in Danielis historia memoratis loquens: *οὔτε κατέστρεψαν τὴν εἰκόνα· τὸν γὰρ ἀνδρεῖον τοιοῦτον εἶναι χρὴ σώφρονα καὶ ἐπιεικῆ, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς κινδύνοις* [*neque destruxerunt imaginem. Virum enim talem qui vere sit fortis decet esse & modestum & lenem, præsertim in periculis*]. Augustinus locum Deut. vii. 5. explicans: *cum acceperitis*, inquit, *potestatem, hæc facite. Ubi non est nobis data potestas, non facimus: ubi data est non prætermittimus. multi pagani habent abominationes istas in fundis suis. Nunquid accedimus & confringimus? Prius enim ut idola in eorum cordibus confringamus. quando & Christiani*

facti

facti sunt ipsi, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos. idem August. II. contra literas Petiliani: *Non enim auferenda idola de terra, quod tanto ante futurum prædictum est, posset quisquam jubere privatus.* idem sensit Africana Synodus sub Honorio & juniore Theodosio, quæ Imperatores orat, ut idolorum per Africam reliquiæ tollantur.

Ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, Θεὸς ζηλωτὴς, *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis zelotes*] Hæc clausula non ad secundum tantùm præceptum, sed & ad primum pertinet, & quidem principaliter: ad secundum quatenus primo inservit. illud κύριος hic ut plerumque est pro Hebræo יהוה [*Dominus*]. θεός σου est, pro יך אלה [*Deus tuus*], id est, qui in te summum jus imperiumque habeo. Alterum θεὸς est pro אל, quod validum, fortem, potentem significat: apposite, quia vindictæ sequitur mentio. קנא ζηλωτὴς proprie est æmuli impatiens, ut apparet in lege de marito zelotypo, Num. v.

Ἀποδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, *visitans iniquitatem patrum in filios*] Pro ἀποδοὺς [*reddens*] in Hebræo est פקד [*visitans*], quod sensu vindicandi solet accipi, & ob id sæpissime verti Græcè per ἐκδικεῖν [*ulcisci*]. Non autem de omnibus peccatis hic agitur, sed de peccato quod admittitur circa falsa numina, id enim & præcedentia & sequentia ostendunt. Hoc ergo peccatum, ut contra suam commissum majestatem, Deus non in ipsis tantùm qui admisere vindicat, sed & in posteris, nempe tradendo illos in miseram servitutem. quod ipse jure dominii, quod in omnes homines habet, facere sine ulla injustitia potest. Interpretationis hujus auctoritatem nobis præstat locus Levitici XXVI. 39. ubi futurum dicitur, ut posteri in peccatis parentum tabescant, in terra hostili. Vide exemplum Thren. v. 6.

Ἕως τρίτης καὶ τετάρτης γενεᾶς, *in tertiam & quartam generationem*] Ad abnepotes usque. Est autem proverbialis locutio. Etiam Plato: εἰς τετάρτην γενεὰν διαβιβάζει τὴν τιμωρίαν [*in quartam generationem vindictam transmittit*]. sic dicunt Poetæ:

> Καὶ παῖδες παίδων, καὶ τοί μετόπισθε γένωνται.
> [*Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.*]

Τοῖς μισοῦσί με, *eorum qui oderunt me*] Quia propriè malum quidem est etiam posteriorum, sed pœna parentum. Chrysostomus Homilia XXIX ad IX. Gen. ἃ λυποῦσα μᾶλλον ἑτέρα κόλασις, ἢ τοὺς ἐξ ἑαυτῶν κακὰ πάσχοντας δι' αὐτοὺς ὁρᾷν [*Nulla pœna plus adfert doloris, quam si quis ex se natos sui causa in malis esse videat*]. Tertullianus: *Duritia populi ad talia remedia compulerat, ut vel posteritatis suæ prospicientes legi divinæ obedirent.* Deum autem odisse, in sacris literis peculiariter illi dicuntur, qui falsos deos colunt: ita ut neget Maimonides alio sensu id loquendi genus reperiri.

6. Καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας, *Et faciens misericordiam in millia*] עשה חסד est benigne facere. Non dixit ad mille usque, sed ad millia, ostendens quanto sit in benefaciendo Deus quàm in puniendo largior. Hoc est quod significant Hebræi, cum ajunt Michaelem una ala volare, Gabrielem duabus. confer Psal. CIII. 17.

Τοῖς ἀγαπῶσί με, *his qui diligunt me*] In his qui me colunt, & ob id vocantur חסידים [*pii*].

Καὶ τοῖς φυλάσσουσι τὰ προστάγματά μου, *& custodiunt præcepta mea.*] Qui attenti sunt ad observanda omnia præcepta, sed illa præcipuè quæ ad arcendas pravas superstitiones pertinent. Hi vocantur צדיקים [*justi*].

7. Οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, *non assumes nomen Domini Dei tui*] In Hebræo: *non feres*, nempe in ore tuo, quod idem est cum illo, non sumes, in os scilicet. Etiam hic pro Κυρίου est יהוה [*Domini*], non quod illud nomen specialiter & solum hic designetur, sed quòd eo optime intelligi detur Dei tremenda majestas. Notandum obiter, mutari hic locutionem. Nam usitata oratio fuisset *nomen meum.* sed frequens hoc Hebræis, ut pro pronomine ponant nomen. vide similem transitionem Exod. XXIII. 18. 19. Talis & Genes. II. 20. IV. 3. XIX. 24. Exod. XXIV. 1. 2. Num. X. 29. Psal. LXXXII. I. I. Sam. XII. I. Zach. I. 16. Lucæ III. 19.

Ἐπὶ ματαίῳ, *in vanum*], Aquila non male εἰς εἰκῇ [*temere*] Hebraice לשוא. Hanc vocem vertere Græci solent per μάταιον, ματαιότητα, μάτην, κενόν: sæpè etiam per vocem ψευδὲς [*mendacii*], ut Deuter. v. 18. Ezech. XII. 24. XIII. 6. 7. 8. 9. 23. Oseæ X. 4. XII. II. Jonæ II. 9. Zach. X. 2. Et sane pro eodem solere sumi שוא quod propriè sonat vanum, & שקר quod propriè sonat mendacium, ostendit præceptum nonum, ubi in Exodo est שקר, in Deuteronomio שוא, pro quo Græci utroque loco posuere μαρτυρίαν ψευδῆ [*testimonium falsum*]. Philo in hujus loci explicatione cum & ipse dixisset μὴ λαμβάνειν ὄνομα θεοῦ ἐπὶ ματαίῳ [*non sumendum nomen Dei in vanum*], explicat μάρτυρα δὲ καλεῖν ἐπὶ ψεύδει θεὸν, ἀνοσιώτατον [*Deum enim testem advocare ad mendacium, res summe impia*]. Nec aliter hic explicat Abenesdra. sic Exodi XXIII. I. pro שוא quod est in Hebræo, Hierosolymitanus interpres habet שקר, ubi Græci interpretes ponunt ἀκοὴν ματαίαν [*vocem vanam*]. Sic & in Psal. XII. 3. שוא ידברו, Græce μάταια ἐλάλησεν ἕκαστος [*vana unusquisque locutus*], id est, mentiti sunt. Sequitur enim χείλη δόλια [*labia dolosa*]. Zach. X. 2. חלמות השוא [*somnia vana*], Græci vertunt ἐνύπνια ψευδῆ [*somnia falsa*]. Sic & Psal. XXIV. in descriptione ejus qui in montem Domini esset ascensurus, cum dixisset, לא נשא לשוא נפשו, οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*qui non accepit in vano animam suam*], (respicitur formula jurisjurandi: ita vivam) id ipsum explicat hoc modo, ולא נשבע למרמה, καὶ οὐκ ὤμοσεν ἐπὶ δόλῳ [*nec juravit in dolo proximo suo*]. Hieronymus etiam Hebræum שוא sæpe vertit voce mendacii. Omnino sensum horum verborum compendio expressum habemus Matth. v. 33. nec dubito quin Christus hæc ipsa legis verba usurpaverit, ubi Syrus posuit לא תדגל במומך, id est, non mentieris in jurejurando tuo. Illud tantùm notandum, non hic propriè agi de testimonio, qua de re præceptum nonum sequetur, sed de juramento promissorio: quod ostendunt sequentia apud Matthæum: ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου [*reddes autem Domino juramenta tua*], desumta ex Num. XXX. 2. Et illa Philonis: τί λέγεις εἴποιμ' ἂν πρὸς τὸν ἐπίορκον [*quid dicas, dicam perjuro*]. Proprie autem, ut Chrysippo notatum, ἐπιορκεῖν est irritum facere quod juraveris: non stare jurato. Ostendit Philo gravitatem criminis, quod qui id faciat aut Deum non credat curare res humanas (πηγὴ δὲ πάντων ait ἀδικημάτων ἀθεότης [*fons omnis injustitiæ, Dei abnegatio*].) aut si id credit, minoris eum faciat quam quemvis probum hominem, quem falsum admittere volens in societatem falsi non auderet vocare. Addit Abenesdra in cæteris delictis spectari commodi aliquid quo abripiantur homines, hic vero commodum sæpe esse nullum: cætera crimina non semper committi posse, hoc semper.

Οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ ὁ Κύριος ὁ Θεός σου τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ, *Nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra*]. Græco more bina negatio, quæ una in Hebræo. Vox ינקה est in Hiphil, cujus generis voces sæpe significant non facere talem, sed tractare quasi talem. Sic dicitur non tantum הצדיק tractare ut justum, sed & הרשיע tractare ut impium. ita hic καθαρίζειν est tanquam insontem transire: sensus est: non eum relinquet impunitum, quæ est λιτότης [*extenuatio*], qualis Matth. XII. 32. & alibi sæpe: pro eo quod diceretur, gravissime puniet. Vide exemplum in Sedecia, & quæ de eo dicit Ezechiel XVII. Hoc & gentibus creditum, severe à Deo vindicari τὰ ἐπιορκήματα [*perjuria*]. Hesiodus:

> Ὅρκος θ' ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
> Πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
> [*Et Juramentum, clades mortalibus unde*
> *Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.*]

Apud Herodotum hoc oraculum refertur:

> Ἀλλ' Ὅρκου πάϊς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες
> Οὐδὲ πόδες. κραιπνὸς δὲ μετέρχεται εἰσόκε πᾶσαν
> Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
> [*At Juramento quædam est sine nomine proles,*
> *Trunca manus & trunca pedes: tamen impete magno*
> *Advenit, atque omnem vastat stirpemque domumque*].

Tibullus: *Ah miser! Et si quis primo perjuria celat,*
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

meritò sanè. est enim juramentum affirmatio religiosa, ut Cicero. μαρτυρία θεοῦ ἐπὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου [*testimonium Dei super re dubia*], ut Philo loquitur. Clementi Alexandrino, ὁμολογία μετὰ προσπαραλήψεως θείας [*affirmatio assumto Deo*]. Dionysio Halicarnassensi, τελευταία πίστις [*fides ultima*]. Procopio ὕστατον καὶ ἐχυρώτατον πίστεως ἐνέχυρον [*ultimum ac certissimum fidei pignus*]. quare etiam ubi excusatio speciosa afferri poterat, veteres omnino religionis suæ duxere quæ jurati promiserant implere. Vide Judic. XXI. 1. I. Sam. XIV. 24. 26. 27. 39. Josu. IX. 15. 19. 20. II. Sam. XXI. 2. 6. 7. 8. Psal. XV. 4. ideo autem Deus falsos deos colentibus aut nomen suum perjurio violantibus pœnas à se minatur, ut norint qui talia committunt, etiamsi homines aut ignorent, aut vindicare negligant, Deum se non effugituros vindicem.

8. Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, *Memento diem sabbati*]. In Deuteronomio, Φύλαξαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων [*observa diem sabbati*]. Similis in Hebræo differentia. hoc loco זכור, in Deuteronomio שמור Moses exposuit quid vox memento significet, nempe attende sabbato. Sic II. Petr.

III.

Digitized

III. 17. I. Johan. V. 21. itaque sæpe שמר vertitur per vocem προσέχειν [*attendere*], addito dandi casu, ut Genes. XXIV. 6. Exod. X. 28. XXIII. 21. XXXIV. 12. Deuter. IV. 9. VI. 12. VIII. 11. XII. 13. 19. XV. 9. XXIV. 8.

Ἁγιάζειν αὐτήν, *ut sanctifices eum*]. In hoc ut eum sanctè colas. id fit læta grataque recordatione Mundi à Deo conditi. Verissima enim sententia est Rabbini Judæ Barbesalhelis & Rabbini Ephraimi in Keli Jacar, aliud hic, aliud sequentibus verbis præcipi. Sanctus ille cultus causam habet mundum conditum. otium quod mox præcipitur, Ægyptiacam servitutem. illud ad genus humanum pertinet, hoc ad Hebræos solos. Exodi XXXI. 13. quæ & Irenæi sententia libro IV. cap. XXX. & Eusebii I. historiæ c. IV. Et sic optimè expones illud Genes. II. εὐλόγησεν ὁ θεὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην καὶ ἡγίασεν αὐτήν [*Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum*], quod quidem Hebræi per πρόληψιν [*anticipationem*] dictum volunt, quasi dicat Moses hanc cessationem à conditu rerum fuisse causam cur postea Mosis tempore Sabbati cultus præceptus fuerit. sed rectior est interpretatio quæ pii cultus præceptum ab otii præcepto distinguit, ut causis, ita temporibus. Et huc respicere videtur in Deuteronomio Moses cùm ad verba, Φύλαξαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτήν [*Observa diem Sabbati, ut sanctifices illum*], addit ὃν τρόπον ἐνετείλατό σοι κύριος ὁ θεός σου [*sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*], nimirum jam olim ab orbis initio. Itaque cùm Justinus apud Tryphonem ait pios ante legem μὴ σαββατίσαντας [*non sabbatizasse*], Deo tamen caros fuisse, per σαββατίζειν, quod sabbatizare eodem sensu vertit Tertullianus, adversus Judæos, ipse Justinus alibi dicit, σάββατα φυλάττειν [*sabbata observare*], intelligit, non laudes Deo perhibere, sed otiari. Alioqui cognitionem aliquam venerationemque sabbati ad alias etiam pervenisse gentes, & per sæcula aliquot mansisse, ostendit Clemens Alexandrinus Strom. V. & in Præparatione Eusebius, Hesiodi versibus in quibus ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ [*septimus sacer dies*] dicitur, suntque Josephi, Philonis, Theophili, Antiocheni, ac Lucani eodem pertinentes loci. quamobrem etiam Christiani, qui à Christo revocata omnia ad initium credebant, ut docet Tertullianus in Monogamia, Sabbatum pie coluere, eoque suos cœtus habuere, quibus in cœtibus lex ipsis prælegebatur, ut patet Actor. XV. 21. qui mos mansit ad tempora Synodi Laodicenæ, cui visum rectius, ut & Euangelia eo die legerentur. Non male Balsamo: παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξισώθησαν διόλου σχεδὸν ταῖς κυριακαῖς τὰ σάββατα [*à sanctis patribus pene per omnia æquati sunt dies Sabbati Dominicis diebus*], quos duos dies fratres vocat Gregorius Nyssenus, & καλὴν τὴν συνωρίδα τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς [*pulchram bigam Sabbati & Dominicæ diei*] Asterius. Liber antiquus constitutionum Clementis lib. VII. cap. XXIV: τὸ σάββατον μέντοι, καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως [*diem Sabbati & diem Dominicam festam habete, quoniam illa creationis, altera resurrectionis memoria dicata est*]. idem libro VIII. ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας. σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας [*Laborent servi dies quinque. Sabbato vero & dominica die vacent doctrinæ ad pietatem facienti in Ecclesia*]. Et hæc est causa cur ab Ecclesia vetustissimè introductus mos fuerit, ne sabbato jejunaretur, quod lætitiæ is esset dies. itaque ἡμέρας τῶν ἑορτῶν [*festos dies*] in canone Apostolico LIII. bene de dominica die & sabbato exponit Zonaras. probatque id ipsum canon LXV. qui vetat jejunari die dominico aut sabbato, uno solo dempto, id est sabbato ante Pascha ob sepulturam Domini luctuoso. In Ignatii epistola ad Philippenses: εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος Χριστοκτόνος ἐστίν [*si quis aut dominica aut sabbato jejunet, excepto uno sabbato, is Christum occidit*]. Tertullianus de jejuniis: *Sabbatum nunquam nisi in Pascha jejunandum est.* Idem adversus Marcionem libro IV. *meminerat enim & ille hoc privilegium donatum sabbato à primordio, quo dies ipse compertus est, veniam jejunii dico.* ubi nota morem hunc, ut lætitiæ consentaneum, ab initio mundi deduci. vide Mosem de Cotzi præcepto jubente XX. Nec aliunde venit quod Constantinus, permissa Christianis sui cultus libertate, simul vetuit eos in jus vocari in sabbatum, non minus quam in dominicum diem, quod ii dies sacris cœtibus dicati essent. Edictum est apud Eusebium. Hæc cognita refellunt eos qui μίαν σαββάτων, id est diem dominicam, surrogatam putant in locum sabbati: nusquam enim ejus rei à Christo, nusquam ab Apostolis facta mentio. Et Apostolus, cùm dicit non damnandos Christianos ob sabbata aut interlunia, Coloss. II. 16. liberos esse eos ostendit ab illa otiandi lege, quæ libertas nihil esset, si manente lege mutatus esset dies. quod ergo diem illum, quo Dominus resurrexerat, non minus quam sabbatum, ad suos cœtus usurpavere Christiani, non ex ullo f[illegible] Dei Apostolorumve præcepto; sed vi datæ sibi libertatis, ex consensu voluntario. vide Justinum Apologetico II. καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται [*& die illo qui Solis dicitur, conventus fit omnium qui in urbibus aut agris habitant*], & confer cum plurimis locis, ubi Christianos iis qui ante legem pii fuere in eo confert quod non sabbatizent. Talem autem consensum, ubi in morem abiit, violare non est socialiter viventium. Sed is mos otium non ultra indixit quam quatenus ad cœtus agendos erat necessarium. Rebus enodatis illud auctarii loco ad voces pertinens adjiciamus: Sabbata apud Græcos vocem esse inter eas, quæ multitudinis numero enuntiatæ sæpe unitatis significatu contentæ sunt. Et sic plerumque hæc vox invenitur in Græco Pentateucho: sic & Math. XII. 1. 5. 10. 11. 12. XXVIII. 1. Marci I. 21. II. 23. 24. III. 2. 4. XVI. 2. Lucæ IV. 16. VI. 2. 9. XIII. 10. contra Johannes ubique singulariter extulit, ut & interpretes Græci librorum extra Pentateuchum. Latini sæpe id quod hic est sequuntur. Horatius:

Sunt hodie tricesima Sabbata.

Juvenalis: *Quidam sortiti metuentem Sabbata patrem.*

9. Ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ, καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου, *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua.*] Hic jam incipit ea constitutio quæ non humano generi est communis, sed Hebræorum propria. Quod autem hic per imperativum, & qui sæpe pro imperativo sumitur, futuro, enuntiatur, sensum tantum sinendi habet. Ne enim nimium modi multiplicarentur, visum est omnibus propè gentibus sinendi sensum, ut & precandi, eodem sono exprimere quo sensum præcipiendi: Talia illa: *I, sequere Italiam ventis*: apud Maronem. *Ubi nos laverimus, si voles, lavato. si placuerit facitote: sexcentas mihi scribito dicas, nihil do*; apud Terentium. apud Græcos similiter, ut in tragœdia vetere.

Πίμπρα, κάταιθε σάρκας,

[*Ure hæc cremaque membra*], & quæ sequuntur citata tum aliis tum Philoni libro, ὅτι πᾶς ὁ σπουδαῖος ἐλεύθερος [*Quod omnis studiosus virtutis, sit liber*]. Ἔργον in Hebræo est מלאכה, ut & Exod. XII. 16. Lev. XXIII. 7. Num. XXVIII. 18. ubi Græci ἔργον λατρευτόν, Cicero dixit famula opera de legib. II. *Feriis jurgia amovento, eaque in famulis operibus patratis habento.* opus servile dixit Tertull. contra Judæos, & Hieron. ad XXVIII. Esa. Explicat Tertull. humanum opus quotidianum, quod quisque ex artificio, vel negotio suo exsequitur.

10. Τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου, *Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est*] Dies est Deo ab initio dicatus. Optimè autem Maimonides & Hebræi alii distinguunt causam cur quies imperata sit, & cur hoc die: prior causa in Deuteronomio aperte exprimitur: nempe quia liberati ope divina ex Ægypto cogitare debebant quàm dura esset servitus, ac proinde servos aliosque suo imperio traditos humane tractare; ut Dido apud Poëtam:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

ita & Abenesdra in præfatione ad Decalogum. Posterior hoc loco, quo significatur, cùm ad quietem quilibet posset sumi dies, hunc à Deo electum, quod ab initio jam dicatus esset gaudio & gratæ de condito orbe memoriæ: atque ipse Deus res hujus mundi condere eo die desiisset: unde sabbato nomen. sic Isaacus Arama, aliique.

Οὐ ποιήσεις ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον, *non facies omne opus in eo*] Multis verbis hoc de sabbato præceptum Deus inculcat, ut perpetua ejus observatione imprimeretur omnium animis firma notitia mundum non ab æterno fuisse, quæ ad impietatem via est, sed à Deo conditum. Quid sit ἔργον [*opus*] jam diximus.

Καὶ ὁ υἱός σου, καὶ ἡ θυγάτηρ σου, *& filius tuus & filia tua*] Intelligit eos qui ob ætatem legis intellectum nondum habent, quos arcere ab operis debent parentes. Nam qui provectioris sunt ætatis pro seipsis lege tenentur. idem in lege circumcisionis.

Ὁ παῖς σου, καὶ ἡ παιδίσκη σου, *servus tuus & ancilla tua*] De servis & ancillis sumendum. Est εὐφημισμὸς [*blandiloquentia*] Græcorum. Sic & Latinis servi dicti pueri, ut Servius notat ad illud Maronis: *Claudite jam rivos pueri.* Hinc nomina antiquorum servorum Marcipor, Quintipor. Simile est quod domini patresfamilias, dominæ matresfamilias vocantur, ut ipso illo nomine admoneantur humanitatis. Epicurus servos amicos vocabat, ut refert Seneca epistola CVII. Contentis aliquot in locis עבד [*servum*], ut hic, παῖδα [*puerum*] verterunt Græci, alibi οἰκέτην, δοῦλον, ὑπηρέτην [*vernam, servum, ministrum*]. Sic & אמה [*ancillam*] παιδίσκην

[*puel-*

[*puellam*] sæpe, interdum δούλην, θεράπαιναν, οἰκέτιδα [*servam, famulam, vernulam*]. Reperitur utraque vox & in Novo Testamento sæpe eo sensu. παιδίσκη & παιδισκάριον etiam in comœdiis frequentia. Obstringit autem hoc præceptum dominos, non modò ne labores sabbato servis ancillisque injungant, verùm etiam ne eos eo die laborare patiantur.

Ὁ βοῦς σου, καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου, καὶ πᾶν κτῆνός σου, *bos tuus & jumentum & omnis bestia tua*] Lex aliquam bonitatem etiam in muta animantia voluit exerceri, quo longius homines à sævitia in homines amoveret. vide simile Deuter. v. 4. Parem causam ἀποχῆς τῶν ζώων [*abstinentiæ ab animatis*] reddit Porphyrius. sic bovem aratorem ne occidere liceret lex fuit Phrygiis, Cypriis, Atticis, Peloponnesiis, Romanis, ut nos docent Nicolaus Damascenus, Varro, Plinius, Columella, Porphyrius, Ælianus, Dion Chrysostomus, Vegetius. Athenienses mulam publico sumtu alendam censuere, quæ ipsa defecta senio, cæteras onera trahentes promto, sed inutili studio, comitabatur. ab iisdem relegatus puer qui aviculis oculos eruebat. ὑποζύγια [*jumenta*] sunt præter boves, asini, mulæ. κτήνη [*bestiæ*] etiam canes aliæque quadrupedes. Sunt autem hæ voces huc à Græcis translatæ ex Deuter. v. nam in Hebræo hoc loco est tantum בהמה generale nomen quo omnia muta animantia significantur. Græci modo κτήνη vertunt, modo τετράποδα [*quadrupedia*]. interdum ex loci sensu θηρία [*feras*].

Καὶ ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοὶ, *& advena qui est intra portas tuas.*] Προσήλυτοι [*advenæ*] sunt duûm generum: alii qui se toti legi subjecere, ut connubiorum honorumque participes fierent: alii, qui cùm externi essent sanguinis, habitare inter Hebræos sinebantur, dum Deum unum colerent, & leges observarent perpetuas omniumque gentium communes, additis legibus de incestis, & de non comedendo sanguine. De posteriori hoc genere hic agi notat Abenesdra. Hi sunt גר תושב Levit. xxv. 47. ubi Chaldæus dixit incolam incircumcisum. ita eam vocem Levitici sumit & interpretatur Maimonides de idololatria c. x. dicens eum esse qui suscepit præcepta filiorum Noæ. iidem dicuntur חסידי אומות in titulis Thalmudicis de lege & Synedrio, quod optimè vertit Lucas σεβομένους ἕλληνας [*colentes Gentiles*] Act. xvii. 4. quia Hebræis Græci vocantur quicunque Hebræi non sunt. Quæri potest cur incola talis, cùm aliis legibus per Mosem datis non teneatur, ut videre est Deut. iv. 21. quietem tamen Sabbati servare teneatur. Causa est, quod si quo die Hebræi otiabantur extraneis promiscue liceret sua agere negotia, quæstum avertissent ab indigenis, quod iniquum erat. παροικῶν proprie est qui Latinis incola, qui in solo non natali sedem figit. Sic παροικεῖς [*peregrinus es*] Lucæ xxiv. 18. & nomen παροικία [*commoratio*] Act. xiii. 17.

11. Ἐν γὰρ ἓξ ἡμέραις ἐποίησε Κύριος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt*] Descriptio universi ut Act. iv. 24. Primum fuit terra rudis & incondita, ἰλὺς [*limus*] Phœnicibus, intermista superfusaque vi aquarum, quæ ἄβυσσος [*vorago*] dicitur: Ex his fecit Deus terram siccam, collegit maria, aerem distinxit in partem inferiorem, & superiorem in qua posuit astra: aeri inferiori, terræ, mari & aquis aliis sua addidit animantia: terræ herbas, arbores, aliaque: deinde fecit hominem. Et hæc sex diebus, cùm citius posset, ut hominibus exemplum daret cuncta consilio agendi, καὶ τῷ σπεύδειν βραδέως [*utque festinarent lente*].

Καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ, *& requievit in die septimo*] Sensus sumtus ex Gen. ii. 2. Irridebant hanc historiam hostes Hebraici nominis. Videre id est ex Rutilii itinerario:

Septima quæque dies turpi damnata veterno
Ut delassati mollis imago Dei.

Ideo Judæi opponentes huic pravæ interpretationi Esaiæ locum xl. 29. qui Deum fatigari negat, ostendunt voces נח [*deposuit*] quæ hic legitur, & שבת [*cessavit*] quæ in Genesi, aliis etiam in locis, sumi ἐλλειπτικῶς [*defective*] cùm significetur aliquis finem imposuisse huic vel illi actioni, ut videre est Job. xxxii. 1. & 1. Sam. xxv. 9. Significatur ergo Deus ab actu illo condendi mundi versus ad operis pulcherrimi contemplationem, ut Philo hic observat. Ad ejus exemplum & Hebræi contemplationi rebusque sacris discendis & commemorandis hunc diem impendere jubebantur. Vide hujus moris testimonium antiquum ii. Reg. iv. 24. Numerus septem ἑπτὰς Græcis, olim σεπτὰς, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι [*à colendo*]: sicut Hebræis נשבע jurare à שבע quod est septem. virginitati sacer numerus, ut Capella notat. Septem planetæ & ad eos significandos septem in Templo lampades. septem Lunæ species: septem ætates. Vide plura de hoc numero apud Philonem περὶ κοσμοποιΐας [*de Creatione mundi*], apud Gellium ex Varronis hebdomadibus, apud Macrobium. Sic in diebus festis & expiatoriis, in victimis quoque sæpissime videas exigi in lege hunc numerum. sic & septimus annus quieti terræ datus, & septies septimus Jubilæus. sic septem columnæ, Prov. ix. 1. septem oculi, Zach. iii. 9. septem panes, Matth. xv. 26. septem Diaconi, Act. vi. 3. septem spiritus Apoc. i. 4. septem stellæ, Apoc. i. 20. septem sigilla, v. 1. septem Angeli, viii. 6. septem tubæ, viii. 2. septem tonitrua x. 3. septem phialæ, xvii. 1. Plura habet Cyprianus de exhortatione martyrii, & libro 1. adversus Judæos cap. xx.

12. Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου, *Honora patrem tuum & matrem tuam*] Proximi Deo sunt parentes, & veluti in terris dii quidam, quorum ministerio Deus usus est, ut nos in hoc pulcherrimum Templum suum introduceret. sic & in aureo carmine post divina, sequitur, τούς τε γονεῖς τίμα [*Parentes honora*]. Ergo & honori Dei secundus est honos qui parentibus debetur, & merito cætera inter homines officia antecedit, ἐν μεθορίῳ [*in confinio*] æternæ mortalisque naturæ positus, ut hic ait Philo. Menandri est illud ab hac re non alienum.

Ὁ λοιδορῶν τὸν πατέρα, δυσφημεῖ λόγῳ,
Τὴν εἰς τὸ θεῖον δὲ μελετᾷ βλασφημίαν.
[*Qui patrem incessit, voce maledicit patri:*
At in hoc se parat ut ipsi maledicat Deo.]

estque totius prope humanæ societatis coagulum hæc lex. Nam qui parentes reveretur amatque, is optimam illis vicem reddit liberos bene educando, is fratres amat ut iisdem ortos parentibus: alios propinquos ob avos proavosque communes, unde tota illa fluit necessitudinum series, eademque antiquissima civitatum ac pagorum origo. Deinde cùm ex multis locis convenere homines, cœpere fieri ad exemplum naturale parentum reges aliique tutores civilis societatis, quibus & patrum nomen veteres indidere. Qua ergo de causa in Romanis aliarumque gentium legibus crimen majestatis ante cætera crimina ponitur, ob eandem & hæc præceptio de venerandis parentibus cæteris edictis humanam societatem spectantibus præponitur. Nominavit Deus, ut naturæ opifex æquissimusque judex matrem non minus quam patrem. Leges à viris factæ ferme solis consulunt patribus, ut Persica memorata Aristoteli, Romana descripta in Digestis ac Institutionibus, Græcis etiam philosophis Epicteto primum, deinde & Simplicio memorata, neque minus Philoni Judæo libro de legatione. At ut patris jus in collisu sit potius ob prævalentiam sexus, propter quam & Deus marito in uxorem imperium dedit, obsequium certe & reverentia, quæ honoris vocabulo hic explicantur, debentur utrique. In eo comprehenditur & gratiæ relatio quantum fieri potest; plene enim nunquam potest, ut & Aristoteli & Philoni notatum. cujus hæc verba sunt egregia: πῶς ἂν ὁ γεννηθεὶς ἀντιγεννῆσαι δύναιτο τοὺς σπείραντας; [*quomodo ab aliquibus genitus eos vicissim generare possit*]? Ac sicut Deus omnium prope virtutum justitiæ, clementiæ, castitatis, fidei, amicitiæ vestigia, non universarum, sed singularum, apparere etiam in mutis voluit animantibus, ita ciconias exemplum dedit hominibus, quæ parentes senes vicissim alunt. Est enim & hoc comprehensum sub verbo τιμᾶν [*honorare*], adeo quidem, ut vel id præcipue sæpe numero eo verbo significetur, ut apparet 1. Tim. v. 3. 17. Itaque id quod in Matthæo est οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα [*non honorificabit patrem suum*], in Marco est οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ [*non dimittitis eum quicquam facere patri suo*]. Et sic Hebræi interpretantur Num. xxii. 17. & xxiv. 11. Cicero offic. 1. ubi de propinquis agit: *Necessaria*, inquit, *præsidia vitæ debentur his maxime.* Hierocles: Γονέας τιμήσομεν ὑπερβαλλόντως, σώματος ὑπηρεσίαν καὶ χρημάτων χορηγίαν αὐτοῖς ὑπέχοντες ὅτι μάλιστα προθυμοτάτην [*Parentes eximie honorabimus, si & corporis ministerium & pecuniæ adminiculum ipsis præstemus quam promptissime*].

Ἵνα εὖ σοι γένηται, *ut bene tibi sit*] Hoc ex Deuteronomio hic additum est, explicationis causa: aut forte adscriptum margini ex loco ad Eph. v. 1. 3. qualia non pauca reperire est.

Καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ, *& ut sis longævus*]. Notat hic Abenesdras solere Deum, ubi quid vetat pœnam addere, ut modo bis: ubi quid imperat præmium, ut hoc loco. Paulus autem Apostolus dicto ad Ephesios hoc amplius notat, hoc primum inveniri præceptum cum promisso. Lex verbis directis felicitatem temporalem promittit tantum, ut notat Hieronymus lib. ii. commentarior. in Epistolam ad Galatas, & 1. Dialogo contra Pelagium: Augustinus epist. cxx. quæst. super Exod. quæst. xcii. Expositione epist. ad Gal. c. iii. x. cap. 6. de civitate Dei x. c. xv. xviii. 6. xi. contra adversarium legis & prophetarum lib. 1. cap.

cap. XVII. & alibi sæpe, ut & alii. Felicitatis autem temporalis præcipuum, & cui superstruuntur cætera, est longævitas. ea generaliter promittitur legem servantibus, ut videre est Levit. XVIII. 5. XXV. 18. Deut. VI. 17. 18. XXI. Ezech. XX. 11. Atque in eo apparet hujus præcepti excellentia quod ei eximie tribuitur, quod generaliter legis præceptis competit. Quidam Hebræa verba exponunt, *ut prolongent dies tuos:* scilicet parentes ipsi suo favore & ad Deum precibus. Sed vereor ne id nimis subtile sit, & rectius Græci aliique interpretes vocem quanquam formæ activæ, sumant in sensu passivo aut reciproco, nimirum *ut prolongentur aut prolongent se dies tui.* quomodo & latine sumi solent verba augere, vertere, geminare, movere, mutare, pascere, præcipitare, tendere, turbare, vehere, volvere & alia similia. Absolomo hoc præceptum violanti curtati sunt dies. Pompeius Pythagoricus: Ὁ'κόταν γὰρ ἀγάλλῃ τις γέρασι καὶ τιμαῖς τὼς γεννήτορας, ἀγαθὰ τίθησι θεός [*Si quis parentes præmiis & honoribus decoret, ei Deus bona proponit*].

Ἐπὶ τῆς γῆς, *super terram*] Vita in exsilio vitalis non est. Ideo pollicetur Deus vitam & longam & in patria. Ezechiel inter causas commeriti exsilii adfert contemtos parentes XXVII. 7.

Τῆς ἀγαθῆς, *bonam*] Hoc additum est ex Deut. VIII. 7. Verè bona terra quam Deus illis largitus est, lacte, melle, frugibus, pomis abundans: sola præterea terrarum balsamum ferens ad Plinii usque tempora, cui id notatum.

Ἧς Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι, *quam Dominus Deus tuus dabit tibi*] Præsens pro futuro. sic ὁ ἐρχόμενος qui veniet, Matth. III. 11. παραδίδοται, tradetur IX. 31. multáque alia ejusmodi. Magnum oportet aliquid sit, quod Deus donat posteris eorum quos maxime dilexit, quibusque id ipsum pollicitus est. Sicut autem magna promittit Deus hoc præceptum observantibus: ita pœnam atrocem lex minatur iis qui in parentes sunt contumeliosi, mortem scilicet ex judicis decreto, si res sit manifesta, Exodi XXI. 15. & 17. si autem in publicam notitiam res non devenerit, iram divinam, Deuter. XXVII. 16.

13. Οὐ μοιχεύσεις, *Non mœchaberis.*] In Hebræo præcedit de non occidendo præceptum, quem ordinem & Græci codices in Deuteronomio nunc habent. cæterum ne quis recens hoc putet, Philo jam suo tempore legit ut hic legimus, ordinatimque progrediens ait de Deo: τὴν ἑτέραν ἀναγραψάμενος (nempe πεντάδα) περιέχουσαν ἀπαγορεύσεις τῶν πρὸς ἀνθρώπους, ἀπὸ μοιχείας ἄρχεται [*secundum numerum quinarium scripturus, continentem ea interdicta quæ ad homines pertinent, initium ab adulterio facit*]. & causam addit: μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτο εἶναι ὑπολαβὼν [*inter injusta facta hoc maximum existimans*], & quæ ibi sequuntur. Et rursum postea cum mala ex adulterio sequentia facundè exposuisset: εἰκότως στυγητὸν καὶ θεομίσητον πρᾶγμα μοιχεία πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγράφη [*meritò Deo hominibusque exosa res adulterium inter crimina ordinem ducit*]. Nec aliter legêre Christiani veteres, qui codices Græcos sequebantur: ut Tertullianus de Pudicitia: *Eo amplius præmittens, Non mœchaberis, adjungit, non occides. onerâvit utique mœchiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque fronte sanctissimæ legis, in primis titulis cœlestis edicti, principalium utique delictorum, proscriptione signata, de loco modum, de ordine statum, de confinio meritum cujusque dignoscas. Est & mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. Pompam quandam atque suggestum adspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii subsequentis. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digne consedit, & per medium eorum, quasi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circumfultam, à cohærentium corpore divellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu?* &c. Quare quotquot veteres alio ordine adducunt hæc præcepta, ex Deuteronomio adducunt, non ex hoc Exodi loco. Exodi Græcum sequuntur Marcus X. 19. Lucas XVIII. 20. Deuteronomii, is qui Matthæum Græcè reddidit XIX. 18. Chrysostomus ad initium capitis V. ad Ephesios, & alii. Contrà, ut mox videbimus, in præscripto ultimo Deus hic domum præposuit uxori, Moses in Deuteronomio uxorem domui. Adeò inter ea quæ pariter interdicta sunt, parum refert qui servetur ordo. Nos, quod sine injuria Masoreticæ diligentiæ fiat, Græcam nunc, quam in manus sumsimus, ἔκδοσιν [*editionem*] sequamur, quæ non vetustate tantùm, sed & ratione probabili defendi potest, quod pudicitiam vitæ multæ Hebræorum mulieres prætulerint, quodque, Aristotele judice, graviora sint crimina quæ ex voluptatis desiderio quam quæ ex ira veniunt. Nec illud Cleanthis spernendum:

> Πόθεν ποτ' ἄρα γίνεται μοιχῶν γένος;
> Ἐκ κριθιῶντος ἀνδρὸς ἐν ἀφροδισίοις.
> [*Adulterorum natio unde nascitur?*
> *Ex luxuriante Venerea libidine.*]

Putat Abenesdra per vocem נאף [*adulteratus est*] omnem Venerem illicitam, etiam scortationem, significari. sed video ubique eam vocem apud Hebræos in solo sensu adulterii sumi; & sic translatum hoc aliisque locis à Græcis, Latinis, aliisque interpretibus. Verum est, In lege Mosis vetari ne scorta sint in populo Hebræo: prohiberi & incestus & conjugia cum falsorum deorum veneratricibus, & quæ Veneris portenta sunt. sed nihil necesse fuit in tam brevi decalogo omnia crimina, quæ post interdicenda erant, memorari, cùm satis esset attingi ea quæ aut pietatem aut societatem humanam maximè læderent. Sic non fit hic mentio inflictorum vulnerum, sed cædis, quod in genere nocumenti corporibus illati maximum est. Comprehenditur ergo propriè his vocibus & uxor quæ alii quàm marito sui usuram dat, & is qui alienam uxorem polluit. Uterque mortis damnantur Levitico XX. 10. quam pœnam in Romanum Imperium introduxere Christiani Principes Constans & Constantius, ut ex Codice Theodosiano apparet. Neque gravior æquo hæc pœna putanda est, si quis consideret ex conjugiis nasci conservarique civitates, earum fundamenta convelli adulterio, conjugalem amorem in odium verti, supponi heredes, domos totas impleri probris atque inimicitiis, quæ sæpe & in perniciem publicam erumpant.

15. Οὐ φονεύσεις, *Non occides.*] Malè in codicibus nostri temporis præponi huic præcepto illud, Μὴ κλέψεις [*non furaberis*] ostendit Philo, ostendit Tertullianus, ostendunt alii. Rectè Philo eum qui homicidium perpetret sacrilegum esse ait, quòd hominem, Dei imaginem, violet: deinde peccare eum atrocissimè in societatem ad quam geniti sunt homines, quæ consistere non possit si innocentum vita in tuto non sit. Cùm cognationem quandam inter nos natura instituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse, ait optime Florentinus. Tum vero civiles leges violat is qui in quamvis nocentem sibi sumit partes, quas lex judici attribuit. cæterum verbo φονεύειν [*occidere*] hic non actus omnis, sed illicitus significatur, qui solet esse significatus vocis Hebrææ רצח [*occidit*]. ideo exemptum est ab hac lege, quod vitæ tutandæ pudicitiæve causâ fit, Exod. XXII. 2. Deut. XXII. vers. 26. Tum & alia quæ lex Mosis permittit, ut interfectio sollicitantis ad deos ignotos cuivis permittitur, Deut. XXV. 6. 7. 8. interfectio homicidæ permittitur propinquis interfecti, de qua re vide quæ diximus ad Num. XXXV. Deuter. XIX. 1. Idem dicendum de iis qui speciale mandatum interficiendi aut populos, aut homines aliquos à Deo accepere. Nulla enim injuria est in eo quod imperat is qui vitæ omnium necisque plenissimum, etiam sine causa, dominium habet.

14. Οὐ κλέψεις, *Non furtum facies*] Hoc nomine comprehenditur alieni subductio, sive ea vi, sive dolo fiat. Societas, ad quam genitos homines jam diximus, constare non potest, nisi possessiones cujusque tutæ sint. quare qui privato aliquid eripit aut subripit, lædit simul rempublicam, ejus vinculum dissolvendo: nec dubium est quin qui id sibi indulget, si posset, omnia omnium sit invasurus, ipsamque rempublicam vi facturus suam. injustitia enim vires nacta maximas, fit tyrannis. ideo tanti mali opprimenda fuere semina, excitandaque singulorum ad labores diligentia, fide ipsis facta retenturos quæ sibi honesta arte pepererint. Furtum naturali lege prohibitum est admittere, ait Paulus Jurisconsultus l. 1. D. de furtis: Et Ulpianus l. Probrum. D. de verborum significatione, furtum, inquit, & adulterium natura turpe est. Euripides:

> Μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν: τὰ κτητὰ [illegible]
> Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐς ἁρπαγάς.
> Ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος, ἄδικος ἄν τις ᾖ.
> Κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσι βροτοῖς
> Καὶ γαῖ', ἐν ᾗ χρὴ δώματ' ἀναπληρουμένους
> Τ' ἀλλότρια μὴ 'χειν μηδ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ.
> [*Namque odit ipse vim Deus: nec divites*
> *Nos esse rapto, sed probe partis cupit.*
> *Spernenda, si non jure veniat, copia est.*
> *Communis æther hominibus, tellus quoque;*
> *In qua ampliare cuique sic fas est domum,*
> *Ut ab alienis rebus ac vi temperet.*]

Et cætera quidem furta pro sui diversitate diversas in lege Mosis pœnas habent. rei autem pretiosissimæ furtum, id est hominis, quod Plagium Latini vocant, ad mortis pervenit pœnam; Exodi XXI. 16. Deuter. XXIV. 7. quod intelligendum de puero aut eo qui fari nequit, notat hic Abenesdra.

16. Οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τὸν πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*]

In

In Hebræo propriè est: *Non respondebis in proximum tuum testis falsimonia.* est autem constructio κατὰ πρόσθεσιν [*per appositionem*], ubi ὢν [*existens*] subauditur, frequens & Græcis & Latinis. Et ubi hic est שקר [*falsum*], in Deuteronomio est שוא [*vanum*], quæ idem valere jam supra annotavimus. Proximus hic est, popularis Israelita, ut apparet expenso loco Exod. II. 13. & Levit. XIX. 18. cui opponitur ὁ ἐχθρὸς hostis scilicet, Matth. V. 43. In Euangelio proximus est homo quivis, ut Lucæ X. 33. ac sequentibus, quomodo & ante Mosis legem Gen. XI. 3. ענה id est respondere, sæpe apud Hebræos quovis modo eloqui significat. itaque verti nonnunquam solet per εἴπω, εἴρω, λαλέω, λέγω, φθέγγομαι [*dico, loquor, vocem edo*] & similia. & eo sensu in sacris scriptis reperitur etiam verbum ἀποκρίνεσθαι [*respondere*]. cæterùm hic melius est sumere in proprio significatu. Solebant enim testes à judice ὁρκίζεσθαι, id est, religione per Dei nomen injecta excitari ad perhibendum testimonium: deinde ei respondere, Levit. V. 1. ubi in Hebræo ושמעה קול אלה [*& audierit vocem adjurationis*], in Græco καὶ ἀκούσῃ φωνὴν ὁρκισμοῦ. Solebat ὁρκίζεσθαι [*adjurari*] & reus, cujus moris exempla habemus Josuæ VII. 19. & Matth. cap. XXVI. 63. Formula interrogandi erat, δὸς δόξαν τῷ θεῷ [*da gloriam Deo*], ut dicto Josuæ loco, & Johan. IX. 24. aut verbis aliis, sensu manente eodem, ὁρκίζω σε ὅπως λαλήσῃς πρὸς ἐμὲ ἀλήθειαν ἐν ὀνόματι Κυρίου [*adjuro te ut loquaris mihi veritatem in nomine Domini*], ut 1 Reg. XXII. 16. Est autem grave & quod hic prohibetur crimen. primùm, quia veritas læditur quæ velut alter sol est inter homines: deinde, quod noxii adjuvantur, læduntur innoxii, contra justitiæ regulas: postremo, quòd judici, Dei vicem gerenti, illudit falsus testis, idem Deo facturus si eum posset fallere. Appositissima autem lege Mosis in fallidicum testem pœna constituta est talio, id est, par malum ei malo quod alter ex testimonio ferre potuerat, ita ut etiam ad mortem, si de eo periclitabatur reus, pœna posset pertingere.

17. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου, οὐκ οἰκίαν τοῦ πλησίον σου, [*Non concupisces uxorem proximi tui, nec domum proximi tui*] Hic est ordo in Hebræo Deuteronomii. At in Hebræo hoc loco præcedit de domo, sequitur de uxore. ordo Exodi naturalis est, juxta illud Hesiodeum:

> Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.
> [*Est tibi habenda domus: tum fœmina: bos quoque arator.*]

At Moses præposuit eam cupiditatem quæ & ardentior esse solet & annis prior: Juventus enim amoribus obnoxia:

> *Conversis studiis ætas animusque viriles.*
> *Quærit opes.*

Quod hic in Græco bis est ἐπιθυμήσεις [*concupisces*], id hic in Hebræo bis est תחמד in Deuteronomio verò loco posteriore תתאוה. utramque vocem non his tantùm locis, sed & alibi per ἐπιθυμεῖν [*desiderare*] solent vertere Græci. Significari autem non raro his vocibus solent non quaslcunque motus animi, φαντασία διεγείρουσα τὴν ψυχὴν [*visum, animum excitans*], ut hic Philo loquitur, sed ipsum πάθος [*ipse animi morbus*], ubi jam homo

> *Vulnus alit venis & cæco carpitur igne.*

Seneca de ira lib. II. cap. 4. illud vocat motum non voluntarium, ictum animi qui ratione effugi non possit. Alterum motum ait judicio nasci, judicio tolli. Hujus quoque duos facit gradus: primum, qui nondum sit contumax: alterum, jam impotentem, quique rationem evicerit. Video autem in veteri fœdere vocibus illis Hebræis quas diximus, plerumque non motus solos, sed permanens studium propositumque significari: vide Michææ II. Imò præter propositum videntur hic actus notari, per quos indirectè uxor aut res aliena appetitur: puto jurgia serendo, unde sequitur divortium, lites intendendo, & quæ alia sunt obtectæ iniquitatis. Ea enim causa esse videtur, cur hoc præceptum exposuerit Marcus per μὴ ἀποστερήσῃς [*ne fraudem feceris*] X. 19. quod & ordo legum ibi memoratarum ostendit, & quia Μὴ κλέψῃς [*Non furtum facies*] jam præcesserat. Quanquam verò hic sensus esse videatur hujus præcepti κατὰ τὸ σαρκικὸν [*modo crassiore*], tamen etiam sine actu proposito peccari rectè sentiunt philosophi meliores. Ælianus ait: οὐ μόνον ὁ ἀδικήσας κακός, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐννοήσας ἀδικῆσαι παρά γε ἐμοὶ κριτῇ [*non solum malus est qui injuriam fecit, sed & qui facere voluit, me quidem judice*]. Ovidius:

> *Quæ quia non licuit non facit, illa facit.*
> *Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est.*

Seneca pater: *incesta est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum.* filius: *non immeritò in numerum peccantium refertur quæ pudicitiam timori præstitit, non sibi.* idem alibi: *omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt.* Alibi: *fecit quisque quantum voluit.* quod Aristophanes sic extulerat: δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν. sic adulterum Tryphoninus Jurisconsultus ait dici ex animi propositione sola, etsi nunquam alienam matrem familias corruperit: & Dioni Prusæensi oratione LXVII. οὐχ ἧττον ὁ φόβῳ τοῦ κλέπτειν ἀπέχεσθαι δοκῶν, ἀλλὰ μὴ μισῶν τὸ πρᾶγμα καὶ καταγινώσκων κλέπτης τῶν ὑφαιρουμένων ἐστί [*Etiam ille rerum fur est qui non odio furti, sed metu aliquo a furto abstinet*]. Porphyrius libro de Abstinentia primo: ἀπόδυσις ἡ μὲν διὰ τῶν φανερῶν, ἡ δὲ διὰ τῶν ἀφανεστέρων· τὸ μὲν γὰρ μὴ φαγεῖν, φέρε, ἢ μὴ λαβεῖν διδόμενα χρήματα, τῶν φανερῶν ἦν καὶ ἐγκείμενον· τὸ δὲ μηδὲ ἐπιθυμεῖν, τῶν ἀφανεστέρων. ὥστε μετὰ τῶν ἔργων ἀποστατέον καὶ τῆς πρὸς αὐτὰ προσπαθείας καὶ τοῦ πάθους· τί γὰρ καὶ ὄφελος τῶν ἔργων ἀφισταμένον, ταῖς αἰτίαις, ἀφ' ὧν καὶ τὰ ἔργα, προσηλοῦσθαι; [*Eximimur malis aut conspicuis aut inconspicuis. Non edere, non accipere oblatas pecunias conspicuorum est, & omnibus patet. At nec concupiscere, inconspicuum est. Postquam autem factis abstinueris, abstinendum & motibus ac maxime ipsis animi morbis. Quid enim prodest factis absistere, si causis unde ea procedunt adstrictus maneas?*] Plus videre hac in parte isti Philosophi, quam Judæorum magistri qui Christi tempore & paullò antè ac post eum fuere: qui ideo, quod pœna nulla cogitationi intervertendæ uxoris reive alienæ apposita est, negant peccari sola voluntate, nisi ubi de falso deorum cultu agitur, quia tali consilio ac proposito pœna dicta est. ita plerisque Hebræis visum notat ad initium Decalogi Abenesdras: & sequitur ita sentientes apertissimè David Kimchi in Ps. LXVI. vers. 18. Josephus ubi de Antiochi cogitato sacrilegio agit: τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον [*Non erat pœna obnoxium consilium sine effectu*]. Sub talibus magistris institutus Paulus non credidisset peccari concupiscendo, nisi exactior & πνευματικωτέρα [*spiritualior*] legis consideratio ei id persuasisset, Rom. VII. 13. Quid verò dicemus Christiani, de iis quæ Christus nobis præscribit verbis recitatis Matth. V. An legem hanc quam nunc tractamus à prava duntaxat interpretatione vindicatam, an etiam additum aliquid, ut in aliis ita in hac parte? Posterius magis credibile est, ut non tantum machinationem aut etiam firmum propositum prohibuerit Christus, sed & præceperit motus simul atque sentiuntur opprimi, vitando occasiones omnes quibus ali possent, quod παραβολικῶς [*parabolice*] pedis, manus, oculi abjectione, id est eorum quæ nobis plurimùm cara sunt damno, significanter admodum explicat. Neque vero quovis modo hæc præcepisse contentus pœnam aliter agentibus addit graviorem, quàm ulla sit in lege veteri prodita, Gehennæ scilicet: cùm talibus delictis nullam pœnam lex Mosis proderet, quod & à magistris notatum. certè perfectius aliquid in Euangelio exigi, quàm de quo lex disertè agit, censuere veteres Christiani. Tertullianus: *Nos ergo soli innocentes? quid mirum, si necesse est. Enimvero necesse est: innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam novimus, ut à perfecto magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab incontemtibili dispectore mandatam.* Exemplo sit illud de femina non appetenda, quod sic explicant veteres. Justinus ad Zenam & Serenum etiam ἐνθυμουμένων ὄρεξιν [*primum appetitus veluti fumum*] ait à Christo nobis interdici. Athenagoras: ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπέχομεν, ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι (*nobis tantum abest talia indifferenter habere, ut ne aspicere quidem nobis ad cupiditatem liceat*). Clemens Alexandrinus: ἐὰν εἰς κάλλος σώματος βλέψῃ τις, ὁ λόγος φησί, καὶ αὐτῷ ἡ σὰρξ εἶναι κατ' ἐπιθυμίαν δόξῃ καλὴ σαρκικῶς, ἰδὼν καὶ ἁμαρτητικῶς δι' ὃ τεθαύμακεν, κρίνεται [*Si quis ad corporis formam respiciat, & ei caro ad appetendum pulchra videatur, is, ut dicit Dei verbum, jam quia videt carnaliter & cum peccato admiratus est, ob id ipsum judicatur*]. Tertullianus de Velandis virginibus: *Christianus salvis oculis feminam videt: animo adversus libidinem cæcus est.* Minutius: *Vos scelera admissa punitis: apud nos & cogitare peccare est.* Lactantius: *Non tantum adulterium esse vitandum præcepit, sed etiam cogitationem, ne quis aspiciat alienam & animo concupiscat.* Adeoque novum simul & grave visum est Judæis hoc præceptum & quæ huic sunt congenera, ut dicere non dubitaverit Justino doctissimus illorum Tryphon: ὑμῶν δὲ καὶ τὰ λεγόμενα ἐν εὐαγγελίῳ παραγγέλματα θαυμαστὰ οὕτως καὶ μεγάλα ἐπίσταμαι εἶναι, ὡς ὑπολαμβάνειν μηδένα δύνασθαι φυλάξαι αὐτά [*Vestra autem illa in Euangelio præcepta adeò scio esse magna & mirabilia, ut putem neminem ea posse observare*]. Nimirum non cogitans παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά ἐστι [*Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt*], Matth. XIX. 26. Vitæ scilicet æternæ certiorem fidem & spiritum

tum multò majorem, quàm datus unquam fuerat, in se credentibus Christus impetravit: tum verò & cruce sua exemplum nobis absolutissimum dedit: nihilque tam durum initio est, quod non exercendo suave fiat, ut plerique veterum notant ad Matth. XII. 30. Hac repugnandi consuetudine fit paullatim, ut motus illi, velut debellati, non audeant resurgere. Hæc est pulchra illa per fidem victoria, de qua agit Johan. epist. cap. V. vers. 4 5.

Οὔτε τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, οὔτε τὸν παῖδα αὐτοῦ, οὔτε τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, οὔτε τοῦ βοὸς αὐτοῦ, οὔτε τοῦ ὑποζυγίου αὐτοῦ, οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ, οὔτε ὅσα τῷ πλησίον σου ἐςί [*neque agrum ejus, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque jumentum ejus, neque omnem bestiam ejus, neque omnia quæ proximi tui sunt*]. illud *ἀγρὸν αὐτοῦ* [*agrum ejus*] ex Deuteronomio huc irrepsit. Deinde est *ἔλλειψις* [*defectus*]: intelligendum enim *τὶ τοῦ βοὸς αὐτοῦ, τὶ ὑποζυγίου αὐτοῦ, τὶ κτήνους αὐτοῦ* [*aliquid de bove, de jumento, de bestia*], ut maneat eadem constructio per accusativum, quanquam alioqui rectè etiam genitivum regat *τὸ ἐπιθυμεῖν* [*concupiscere*]. sed frequens est ut *τὶ* [*aliquid*] & *τινὲς* [*quidam*] subticeatur. Similis locutio Apoc. XVIII. 13. Illud etiam *οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ*, [*neque omnem bestiam ejus*], non est hic in Hebræo, sed additum est ex his quæ supra in sabbati præcepto dicta. Exigui momenti sunt hæ differentiæ. Tertullianus compendio & præcedentia & hæc est elocutus, cùm dixit *alienum non concupisces*, adversus Judæos: item adversus Marcionem secundo, Nec minima excipi debent, nec maxima. minima ne paulatim ad majora fiat gradus. quo illud pertinet in comœdia Græca:

Μηδὲ βελόνης ἐνάμμ' ἐπιθυμῇς Πάμφιλε.
[*Ne acus filum Pamphile concupiveris.*]

Et alibi:

μηδὲ βελόνης
Ὦ φίλτατ' ἐπιθύμησον ἀλλοτρίας ποτέ.
[*ne tu vel ad aciculam*
[*Unquam alienam animum adjexis, mi carissime.*]

in maximis verò maximè elucet justitiæ virtus. Philemon:

Ἀνὴρ δίκαιός ἐςιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅςις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται.
Οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέσχετο,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
Ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
Οὐδ' ὅσγε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
Ἀλλ' ὅς τις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος κ' οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.
[*Non justus, omnis abstinens injuria est,*
Sed qui nocere cum potest, tunc abstinet:
Nec qui recusat parva, sed qui maximis
Tentatus, animi robur invictum gerit:
Nec quisquis ista quolibet præstat modò:
Sed qui dolosi nescius fuci, integra
Probitate, justus esse, non credi studet.]

Aristides interrogatus quid esset *τὸ δίκαιον* [*justum*]? dixit, *τὸ μὴ ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν* [*non concupiscere aliena*]. Quod autem notat Philo, morem fuisse Judæis quæcunque in Mosis lege sunt ad hæc decem capita referre, non quòd illa his verbis inessent, sed quod quæ hic habuimus ad genera quædam actionum pertineant ad quæ referri memoriæ adjuvandæ causa possent cætera, sicut in decem *κατηγορίας* [*prædicamenta*] res omnes à Philosophis digeruntur, idipsum multò pleniùs perfectiusque fecere Christiani, sicut majore donati spiritu, ita & sublimiorum virtutum debitores. itaque ad caput primum quod est *περὶ μοναρχίας* [*de unius imperio*], rediguntur ab eis non modò ea omnia quæ speciem vel minimam præberi probantis falsorum deorum cultus vetant, de quibus vide Act. XV. 20. & 29. 1. Cor. VIII. 10. 1. Joh. V. 21. Tertullianum in Apologetico & Canones veteres: verùm insuper quæ servari Ecclesiæ unitatem jubent, Joh. XVII. 3. 21. 1. Cor. VIII. 6. XII. 2. 18. 19. 25. Eph. IV. 5. Ad secundum quod est de simulacris, ea quibus prohibemur nos mancipare rebus subjectis sensui, & sic illa ipsa Deo præferre aut æquare, Matth. VI. 24. Eph. V. 5. Col. III. 5. Phil. III. 19. Rom. XVI. 17. de quo argumento vide egregia apud Chrysostomum in caput quintum epistolæ ad Ephesios. Ad caput de juramento referunt reverentiam eximiam divini nominis Matth. VI. 9. & tantam, ut ob eam etiam jurejurando omni, extra res ad Deum summè pertinentes, abstineatur, Matth. V. 34. Jac. V. 12. Ad illud de sabbato, spem certam de ventura vita tranquilla Hebr. IV. ab initio ad 11. cujus interim gustus quidam datur in conscientiæ pace, Rom. V. 1. Ad caput de parentibus refertur à Christianis omnis honos & obedientia quæ intra limites divinorum superiorum exhibentur regibus ac ducibus, Rom. XIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 1. Tim. II. 1. 2. 3. 1. Pet. II. 13. dominis, Eph. cap. VI. 5. Coloss. III. 22. maritis, 1. Cor. XI. 3. Eph. V. 22. Coloss. III. 18. 1. Tim. II. 12. Tit. II. 9. 1. Pet. III. 1. 2. & sequentibus. item pastoribus, 1. Tim. V. 17. Heb. XIII. 17. 1. Pet. V. 5. aliisque eximii aliquid habentibus, Rom. XIII. 7. 8. Ad prohibitionem adulterii accensentur non modò libidines *ἄῤῥητοι* [*nefandæ*], sed & scortatio omnis atque impuritas Matth. cap. XV. 19. Marci VII. 21. Actor. XV. 20. Rom. I. 19. 1. Cor. cap. VI. 13. II. Cor. XII. 21. Gal. V. 19. Eph. V. 3. Col. III. 3. 1. Thess. IV. 3. Rom. VI. 10. 1. Thess. II. 3. IV. 7. & divortia extra adulterii causam, Matth. V. 32. XIX. 9. Ad interdictum de homicidio refertur omnis ira atque odium, pugnarum cædiumque semina, Matth. V. 22. 43. 44. 45. 46. 47. Eph. IV. 31. Col. III. 8. 1. Tim. II. 8. Jac. I. 20. 1. Joh. III. 15. Ad caput de furto illa rediguntur præcepta quæ non modò quicquam noceri aliis vetant, sed etiam id omni modo à nobis agi jubent ut prosimus quàm plurimis, 1. Cor. VI. 7. 8. II. Cor. VII. 2. Col. III. 25. Matth. V. 4. Luc. VI. 35. Eph. III. Joh. II. 1. Petri IV. 18. Rom. V. 14. Gal. V. 22. II. Thess. I. 11. Ad illud quod de falso testimonio est, contribuitur in omni sermone mendacii fuga, curaque perpetua veracitatis & optimæ fidei, Joh. VIII. 44. Ephes. IV. 24. 25. 26. 1. Joh. II. 21 Coloss. III. 9. Rom. III. 4. 1. Tim. I. 10. 1. Cor. V. 8. Ultimum autem de non concupiscendo eousque extenditur ut nulla mora concedatur motibus animi ad illicita ducentibus, sed ut ii, simul atque deprehendi possunt, vigili studio exstinguantur, ut apparet tum ex iis quos jam ante adduximus locis, tum Marci IV. 19. Gal. V. 24. 1. Petr. II. 11. Id ipsum vocatur crucifigere, occidere, exuere veterem hominem. Coloss. III. 5. & 9. Rom. VI. 6. Ephes. IV. 22. Hoc est quod ait Lactantius VI. 18. *Prius tamen quàm commotio illa prosiliat ad nocendum, quoad fieri potest maturius sopiatur.* Sunt autem illecebræ illorum motuum tres, voluptas, fastus, opulentia, 1. Joh. cap. II. 16. 17. cui consentiens Philo mala omnia nasci ait, *ἀπὸ μιᾶς πηγῆς, ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων, ἢ δόξης, ἢ ἡδονῆς* [*ab uno fonte, cupiditate scilicet aut pecuniarum, aut honoris, aut voluptatis*]. Summa verò omnis præceptorum, legalium quidem obscuriùs & umbris multis intercedentibus, Euangelicorum autem apertissimè & lucidissimè, huc tendit, ut Deus summè ametur, deinde verò hominum quilibet, Psal. XV. Esai. cap. XXXII. 15. Mich. VI. 8. Matth. XXII. 37. 38. 39. 40. Marci XII. 30. 31. Luc. X. 27. Rom. XIII. 8. 9. 10. 11. 1. Cor. cap. VIII. 3. XIII. 2. Gal. V. 14. 1. Tim. I. 5. 1. Petr. I. 22. Jac. II. 8. 1. Joh. II. 10. III. 17. IV. 7. 8. 9. 11. 12. 20. Per hanc dilectionem fides est *ἐνεργουμένη* [*operans*], Gal. V. 6. *καὶ τετελειωμένη* [*perfecta*], Jac. II. 22. sine ea, ejusque operibus mortua, 20. Hanc det in nobis augeatque Deus, propter Filium suum, per Spiritum sanctum.

C A R T W R I G H T U S.

1. ET *locutus est Deus*] Buxtorfius dissertat. de Decalogo §. 7. testatur, Hebræorum Interpretes ad unum penè omnes sentire, * Deum verba decalogi per se immediatè locutum esse, Dei nempe potentiâ, non autem Angelorum operâ ac ministerio voces in aëre formatas fuisse. Hanc sententiam libens amplecterer, ni remoram mihi injiceret locus iste ad Heb. 2. 2. Istum siquidem aliter quàm de decalogo interpretari, nimis videtur violentum.

Omnia verba hæc] Abenezra refert multos velle, duo prima duntaxat præcepta à Deo fuisse dicta; quia nimirum in eis prima persona usurpatur, † *Ego sum Dominus Deus tuus*; & *Ego Dominus Deus tuus sum Deus zelotes*; in aliis autem non est eadem loquendi forma; in tertio siquidem præcepto dicitur *nomen Domini Dei tui*, non nomen meum; &, *qui sumpserit nomen ejus inaniter.* Similiter in quarto, *Nam sex diebus fecit Dominus, &c.* Et in quinto, *in terrâ, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Sed certum est, omnia decem præcepta æquè Deum locutum esse. Vide Deut. 4. 12, 13. Nec in adversum valet, in quibusdam præceptis de Deo in tertia persona sermonem fieri; id enim in Hebræa lingua inusitatum non est. *Audite vocem meam uxores Lamech*, id est, uxores meæ. Sic enim ipse Lamech uxores suas est allocutus. Gen. 4. 23. Et Esth. 8. 8. *Scribite, &c. in nomine regis*, dixit rex ipse, id est in nomine meo. Vide etiam Jer. 38. 5.

2. *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.*] Lyra ait, Hebræos velle hoc esse primum præceptum; secundum autem esse,

ff *Non*

* *Abenezra ad v.* 23. אני דברתי עמכם לא על יד אמצעי Ego locutus sum vobiscum non per internuntium. † *Vide ad v.* 2.

Non habebis deos alienos, &c. Ut illud sit affirmativum, hoc negativum. Sanè Abenezra vult * primum præceptum hisce verbis contineri, *Ego sum Dominus*, &c. Quæ autem sequuntur, *Non erunt tibi dii alieni coram me: Non facies tibi sculptile*, &c. ad secundum refert. Jonathan etiam, licet illud, *Non facies tibi sculptile*, constituat דבירא תניינא i. præceptum secundum, hoc tamen, *Ego sum Dominus*, &c. ad primum præceptum pertinere censet. Sic enim παραφράζει דבירא קדמאה כד הוה נפיק כן פום קודשא *Præceptum primum, quando egrediebatur ex ore Dei Sancti*, &c. אנא הוא יי *Ego sum Dominus*, &c. Illud autem notandum paraphrasin istorum verborum, *Non erunt tibi dii alieni coram me*, in Jonathane, prout Venetiis in 8. editus est, desiderari Buxtorfius in Gram. Syro-Chald. aitid incuria Typographi accidisse. Sed & ipse Buxtorfius ibi verborum istorum paraphrasin Chaldaicam omisit †, etiamsi dicat se eam, ne quid deesset, supplevisse. In versione quidem Latina habet, *Ne esto vobis Deus alius præter me*; at Chaldaicè in verbis Jonathæ ab ipso citatis, quod Latinis istis respondeat, nihil habetur. In paraphrasi etiam Jonathæ ab Helvico de Chal. Paraph. c. 9. Latinè recitatâ verba ista desunt. Vult autem istic Helvicus Jonathanem primum præceptum vocare, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. præceptum autem secundum ei esse, *Non habebis Deos alienos*, &c. ista enim verba eum comprehendere in iis, quæ de cultu simulachrorum sequuntur, ac omnia pro uno præcepto habere. At multo probabilius est, imò haud dubitandum puto, paraphrasin istorum verborum *Non habebis deos alienos*, &c. casu aliquo intercidisse. Neque enim ullam veri speciem habet, verba ista, quæ summi sunt momenti, ab eo insuper habita fuisse, cum alia longè minoris ponderis, accuratè reddiderit. Ut ut sit, Burgensis rectè solidéque refellit eos, qui hæc verba, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. primum præceptum constituunt, quòd verba ista non sint præceptiva, sed declarativa duntaxat, ac proœmii loco omnibus præceptis præmissa. Eadem ratione sententiam istam inter Hebræos impugnat Abrabanel à ‡ Buxtorfio laudatus; לכה אם כן לא באה מצוה בלשון הצווי ... Si ita sit (quemadmodum alii sentiunt) quare hoc præceptum non enunciatur sermone convenienti? Dicendum enim fuit, crede quod sit Deus judex in terrâ; vel, quod ego sim Deus tuus. Unde concludit, אומר אני שדבור אנכי ... Dico ego, quod sermo ille, *Ego sum Deus tuus*, neque ‡ theoricum, neque practicum sit mandatum, sed præfatio præceptorum, & prohibitionum sequentium.

Qui eduxi te ex Ægypto &c.] Ac propterea (ut benè explicat Abenezra) te mihi servum esse, ac quæ tibi præcipio, facere oportet. Vide Deut. 6. 20, 24. quem locum appositè hic citat Abenezra.

3. לא יהיה לך אלהים אחרים על פני *Non erunt tibi dii alii coram me.*] Adverb. *Non erit*; q. d. ne unus quidem Deus alius, &c. Onkelos in singulari habet, אלהא אחרן *Deus alius*. Illud autem על פני *coram me*, vertit, בר מני ‡ *præter me*. R. Salomon autem sic exponit, כל זמן שאני קיים שלא תאמר לא נצטוו על ע"ז אלא אותו הדור *quamdiu ego sum superstes; ne dicas non nisi istâ generatione prohibitam fuisse idololatriam.* Similiter Kimchi in Radic. (uti ex Fagio olim ad Gen. 11. 28. observavi) *coram me*, i. e. me vivente, & præsente; q. d. quamdiù ego vivo, & non morior. Atque ita hic Abenezra ait sic dictum esse, *Non erunt tibi dii alii* על פני *coram me*, quemadmodum Gen. 11. 28. dicitur Haran obiisse על פני תרח אביו *coram Thare patre suo*; h. e. patre præsente ac vidente. Hic igitur sensum esse, אחר שאני אלהיך ואני נמצא תמיד בכל מקום ואני רואה מה שתעשה אין ראוי שתשתף עמי אלהי' אחרי' *quandoquidem ego sum Deus tuus, & semper ubique existo, ac quid agas video, non oportet te alios deos mecum conjungere.* Amama in Cens. refert Hiskuni interpretari על פני per במקומי *loco meo*; atque addit sic dici Elearzar functum sacerdotio על פני patris sui, i. loco. At Abenezra expositionem suam astruendam illud etiam Num. 3. 4. adducit, ויכהן אלעזר ואיתמר על פני אהרן אביהם *Et sacerdotio functus est Eleazar, & Ithamar (non loco Aharonis patris sui, sed) coram Aharone patre suo.* Sanè isto loco על פני אהרן non est, *loco Aharonis*, sed *coram Aharone* vel *in conspectu Aharonis*, h. e. Aharone adhuc vivente. Rectiùs fortasse altero loco ab Amama citato על פני vertitur *loco*, nempe Deut. 21. 16. על פני בן השנואה *loco filii exosæ*; quanquam & istic altera expositio satis convenit, *in conspectu filii exosæ*, i. e. ipso superstite, uti interpretatur atque explicat Junius.

4. *Non facies tibi sculptile*, &c.] Jonathan hic præmittit, דבירא תניינא *Præceptum secundum.* Similiter Josephus Antiq. l. 3. c. 4. dicit primum præceptum esse, *Deum esse unum, & hunc solum colendum*; secundum autem, *Nullius animalis simulachrum adorandum.* Fagius ad Exod. 32. 15. ait Hebræos hic à nostris discrepare; nostros enim ex illis *Non habebis deos alienos*, &c. Et, *Non facies tibi sculptile*; unum facere præceptum, Hebræos autem ista in duo sequestrare. At nostri pariter ac Hebræi hic inter se divisi sunt. Ex nostris siquidem sunt, qui duo præcepta inde efficiunt; & ex Hebræis, qui pro uno habent, ut ad v. 2. est annotatum. Augustinus Quæst. in Exod. congruentius quidem putat, ut ista, *Non habebis*, &c. Et, *Non facies*, &c. in unum præceptum compingantur, non tamen dissimulat nonnullos ea in duo præcepta dividere; id quod rationi maximè videtur consentaneum. *Nam aliud* (inquit * Buxtorfius) *est, Non habebis Deum alium coram me; quod pertinet ad objectum cultus divini, docens, Quisnam pro vero Deo sit habendus & colendus: aliud est, Non facies tibi sculptile*, &c. *quod pertinet ad modum cultûs divini, docens, Quomodo Deus sit colendus, videlicet non per † imagines & simulachra, sed in spiritu & veritate, ut in verbo suo præcepit. Israelitæ colentes vitulum, in præceptum secundum, non in primum peccarunt; quia per vitulum colebant verum Deum, sed alio quàm præcepit modo.*

Nec ullam similitudinem, &c.] Quantoperè Judæi detestati sunt simulachra, apparet ex eo quod Josephus de Excid. lib. 2. cap. 8. refert, Judæos nempe ingentes turbas concitasse, propterea quod Pilatus Cæsaris imagines in urbem attulisset, ac mori potius paratos fuisse quàm ut imagines istas in urbe permanere paterentur. Sunt etiam qui existiment eos tanto adversus imagines odio flagrasse, ut ne in nummis quidem eas ferre voluerint. *Vellem* (inquit ‡ Lud. Capellus) *Buxtorfium consulere Judæos Doctores, an hoc illi concessuri sint, licuisse tum* (Salomonis tempore) *Judæis, adeoque in usu fuisse inter eos positum vulgo & receptum, ut viri facies & imago in publicâ monetâ imprimeretur, & annon censebant illud esse secundo Decalogi præcepto interdictum.* At contrarium mihi liquere videtur ex Matth. 22. 20. ‡ Waserus quidem asserit nummum istum, de quo in Euangelio fit mentio, Cæsaris vultu & nomine fuisse insignitum, idque ex ipsis Euangelii verbis evidentissimè ostendi; addit tamen eo gravius Judæis fuisse tributum Romanis pendere, quòd ultrà dispendium argenti, Cæsaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeò illi afferre cogerentur, quum memores divinæ Legis omne sculptile omnemque imaginem detestarentur. At mirum mihi videtur, si Judæi nummis imagine Cæsaris insculptis uti, Lege interdictum putassent, eos non adeò indignè istiusmodi nummos tulisse, ac imagines illas Cæsaris, de quibus agit Josephus, tulerunt, quum tamen etiamsi nonnulli quæstionem de tributo pendendo moverent, de Cæsaris imagine nummo impressâ nemini scrupulum fuisse appareat.

5. פקד עון אבות על בנים *Visitans iniquitatem patrum in filios*] Onk. על בנין מרדין *in filios rebelles*, sive immorigeros. Jon. אבהן רשיען על בנין מרדין *patrum impiorum in filios rebelles.* Similiter R. Sal. ad verbum לשונאי id est *eorum, qui me oderunt*, כתרגומו כשאוחזין מעשה אבותיהם בידיהם *Prout interpretatus est Chaldæus Paraphrastes, quando (filii) patribus suis se similes præbent.* Atque)(iisdem planè verbis explicatur in Gemara Sanhed. cap. חלק [illegible], uti apud Coch in Excerptis, reperio. Abenezra etiam cum objecisset Ezechielem dicere, filium non portaturum iniquitatem patris, respondet Ezechielem loqui de filio, qui in patris sui viis non ambulat; hic autem visitationem iniquitatis non nisi ad eos, qui Deum oderunt, se extendere. פקודת העון היא קשורה על שונאי׃

6. ועשה חסד לאלפים *Et exercens misericordiam ergà millenos*] i. e. ut exponit Abenezra, אין קץ והוא לעולם *absque fine, in æternum.* R. Sal. hinc observat Dei bonitatem tantum superare ejus severitatem, quantum quingenta unum superant; quia nimirum severitas ad quatuor generationes restringitur, bonitas autem ad millenas (bis mille minimum) extenditur. [illegible]

* *Istam Talmudicorum & sequioris ætatis Rabbinorum plerorumque sententiam esse refert Buxtorfius Dissert. De Decal. sect. 66:* † *Buxtorf. Dissert. de Decal. sect. 69.* ‡ *Sic interpretatur Buxtorfius, potest verti*, non est præceptum, neque de fide, neque de opere. ‡ *Sic LXX.* πλὴν ἐμοῦ. *At Vulg.* coram me.

* *Buxtorf. Dissert. Decalog. sect. 63.* † *Id est Non qualicunque cultu ab hominibus excogitato.* ‡ *Capell. Diatr. de lit. Ebr. pag. 119.* ‡ *Waser. de Num. Hebr. l. 2. c. 20.*)(*Eadem etiam verba habet Abrabanel ad Isai. 53. quæst. 4.*

מן לארכנא רוחיה וחו לאלפים Eadem etiam habet ad cap. 34. 7.

7. לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*] Onk. לא תימי בשמא דיי אלהך למגנא *Non jurabis per nomen Domini Dei tui inaniter.* Jon. *Popule mi, domus Israel, non jurabit quisquam ex vobis per nomen verbi Domini Dei tui inaniter.* S... Latiùs patet hoc præceptum quàm ut ad juramentum restringi debeat. Abenezra tamen ad perjurium videtur restringere, ac refert in Ægypto ad ipsius usque ætatem moris fuisse, ut si quis per caput regis falsò jurasset, omninò morte plectendus esset, nec ullo quantumvis immenso pretio (etiamsi pondus suum auro æquaret) vitam suam redimere posset. Atque hinc egregiè infert, si is honor habeatur regi terreno, שתחלתו הבל וסופו הבל ומלכותו הבל *Cujus principium est vanitas, & finis vanitas, & regnum vanitas,* infinities magis quis cavere debet, ne eâ injuriâ Deum ipsum afficiat, ut per ejus nomen pejerare audeat. Idem Abenezra ait שוא & שקר (quod falsum denotat) esse בני אב אחד *filios unius patris*; id vult, voces istas esse synonymas, ac unum idemque significare. Ac verum quidem est pro eo quod in hoc capite v. 16. dicitur, *Non feres contra proximum tuum*, עד שקר *testimonium falsum* Deut. 5. 20. esse עד שוא, ubi Onkelos סהדותא דשקרא, veruntamen dictio שוא latioris est significationis, & idem valet (uti hic exponit R. Sal.) quod חנם להבל *frustra, inaniter.* Atque ea est significatio Chaldaicæ vocis, quâ hic ab Onkelo pariter ac Jonathane Hebræum שוא redditur, nempe מגן vel מגנא. Sæpè in Targum usurpatur, pro Hebræo חנם quod significat *gratis*, item *sine causâ, immeritò.* Ut Gen. 29. 15. Exod. 21. 2. Job. 1. 9. Isa. 52. 3. Lxx. hic vertunt ἐπὶ ματαίῳ. Aquila εἰς εἰκῆ *in vanum.* Et sic Vulg.

כִּי לֹא יְנַקֶּה יְהוָה *Non enim innocentem habebit, &c.*] Jon. ארום לא מזכי יי ביום דינא רבא *Non enim justificabit Dominus in die judicii magni, &c.*

8. זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְקַדְּשׁוֹ *Memento diei sabbathi, ut eum sanctifices.*] Pro זכור memento, Deut. 5. 11. est שמור *observa*; sed sensus utrobique idem est, ut monet Abenezra, qui etiam observat, sensus potiùs quàm verborum rationem haberi in Scripturâ. In exemplum affert illud Gen. 27. 4. cum v. 7. collatum; Isaac Esavo dixit, *Ut anima mea tibi benedicat antequam moriar*; Rebecca autem Jacobo retulit Isaacum dixisse, *ut benedicam tibi coram Domino antequam moriar.* Idem Rabbinus ait, אין בעשרת הדברי' רק השבת לבדה שאינה בכלל שקול הדעת *Inter decem præcepta non est nisi illud de Sabbatho, quod non est de dictamine rationis.* Ista in initio explicationis decalogi habet Abenezra. Ad hunc autem locum ait, השבת נתנה להבין במעשי השם ולהגות בתורתו *Sabbathum datum fuit, ut (homo) consideraret opera Dei, & in Lege ejus meditaretur.* In eandem sententiam paulò fusiùs * Manasses Ben Israel, *Notabilis* (inquit) *error est, putare otii ergo sabbathum institutum esse. Etenim cum otium mater sit omnium vitiorum, plus sanè ex Sabbatho mali, quàm boni proveniet. Quare omnino statuere oportet, sabbathum institutum esse, ut homo expeditus, ac sepositis tam animi quàm corporis curis, semet totum Legis studio applicaret, Synagogas, Academias adiret, de gravibus locis S. Scripturæ, de arduis, quas ignorat, quæstionibus suos interrogaret. Unde disertim in Talmud Hierosolymitano dicitur, Sabbatha & dies festos Israelitis non nisi ad meditandum in Lege datos esse. Sabbathum, ut notat R. Josephus Sarfati, ad sanctificandum observari Lex jubet; etiam R. Moses, tradente in glossis suis R. Bahie, ex verbis, dies septimus Sabbathum est Domino Deo tuo, colligit totum hunc diem cultui divino dedicandum, non autem epulis, aut colloquiis, &c.* Idem etiam notat Sabbathum, diem quietis, repræsentare mundum veræ quietis & gaudii, *quem* (inquit) *vocamus* עולם הנשמות *mundum animarum, ubi consummatis miseriis hujus mundi, æternâ felicitate gaudebimus.* Vide Hebr. 4. 9. 11.

12. לְמַעַן יַאֲרִכוּן יָמֶיךָ *Ut prolongentur dies tui, &c.*] Ad verb. *Ut prolongent dies tuos.* Et sic Fagius Chaldaicam Onkeli versionem interpretatur, בדיל דיורכון יומך, atque in Annotationibus ad parentes refert, *propterea quod* (inquit) *parentes sunt quodammodo medium & causa instrumentalis, per quos Deus filiis aliquando vitam prorogat. Exaudit enim sæpe Deus preces & benedictiones, quibus filiis suis obedientibus ac morigeris benedicunt. Sicut etiam è contra sæpe & maledictiones & devotiones illorum erga filios, &c.* Abenezra etiam monet יאריכון esse פועל יוצא *verbum transitivum*; Videtur autem sic intelligere, *ut mandata Dei* (à te nempe observata) *prolongent dies tuos.* Ad istum modum Abenezram intellexit Fagius, qui addit priorem lectionem simpliciorem esse; quòd & mihi sanè videtur. Sed quænam Abenezræ mens fuerit, mihi haud satis constat; tantùm enim ait, ומלת יאריכון פועל יוצא כי הן יהיו הסבה *Verbum autem jaaricun est verbum transitivum; Nam isti (vel ista) erunt causa,* scilicet prolongandi dies tuos. Ambiguum est quo referatur illud הן, utrum ad præcepta (quod censet Fagius, fortè quia est fœminini generis, ut המצות *præcepta*, cum tamen istiusmodi vox in antecedentibus non compareat) an ad parentes, patrem nempe & matrem, quorum in præcepto facta est mentio. Quo minùs parentes intelligantur, non obstat fœmininum הן (cum istiusmodi ἐναλλαγαὶ sint frequentes) non magis certè quàm verbum יהיו *erunt*, quod est masculinum, impedit quo minùs fœmininum המצות *præcepta* intelligatur. Lxx. hic habent, ἵνα εὖ σοι γένηται, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, ἧς κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι. *Ut bene tibi sit, & ut longævus sis super terram bonam, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* Istud ἀγαθῆς de suo addiderunt. Vide Ephes. 6. 3.

13. *Non occides*] Jon. *Popule mi, filii Israel, non eritis occisores, nec socii, neque societatem habentes cum occisoribus.* Atque ita etiam in sequentibus præceptis eadem semper verba addit, לא חברין ולא שותפין *Non socii, neque sodalitium habentes.* In Romanâ editione Lxx. Interpretum post præceptum de honorandis parentibus sequitur, οὐ μοιχεύσεις, *Non mœchaberis*, deinde οὐ κλέψεις, *Non furaberis*, ac deinde οὐ φονεύσεις, *Non occides.* Scholiastes notat ita etiam veteres libros habere; etiamsi in aliis sit, οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, prout in Hebræo textu, in Chaldaicis Paraphrasibus, & in Vulgatâ Latinâ versione habetur. Luc. 18. 26. & Rom. 13. 9. præceptum de non mœchando præponitur præcepto de non occidendo: Sed in iis locis non adeò necesse erat ordinem præceptorum præcisè observare.

13. לֹא תִנְאָף *Non mœchaberis.*] R. Sal. אין ניאוף אלא באשת איש *Verbum* נאף *Naaph non nisi de muliere maritatâ usurpatur.* Abenezra ait multos ita sentire, ipse tamen asserit נאף *Naaph* idem esse quod זנה *Zanah*, quod generalius est, & fornicari significat. At etiamsi omnimodam fornicationem hoc præcepto prohibitam esse certum sit, quantum tamen ex verbi in Scripturâ usu colligere licet, vera videtur illa R. Salomonis observatio. Quod enim Abenezra objicit dictum esse Jer. 3. 9. ותנאף את האבן ואת העץ *& mœchata es cum lapide, & cum ligno*, in adversum non facit, cum non (ut Rabbinus ille intellexisse videtur) ad literam, sed metaphoricè de spirituali adulterio, nempe idololatriâ sit intelligendum.

לֹא תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁקֶר *Non feres contra proximum tuum testimonium falsum*] Dictio עד *Ed* concretum propriè denotat *testem*, non abstractum *testimonium.* Abenezra ait se per multos annos de hac voce, prout in hoc loco usurpatur, cogitasse, quarè nimirum hic sit עד שקר & non potius עדות שקר, quod propriè significat testimonium falsum. Putat autem hic ad testem falsum sermonem dirigi, ut sensus sit, לא תענה אם אתה עד שקר *Non feres testimonium, si sis testis falsus.* Sed quidni concretum pro abstracto positum sit? עד *Ed* pro עדות *Eduth*? Ita intellexisse videtur Onkelos, qui vertit, לא תסהיד בחברך סהדותא דשקרא *Non testaberis adversus socium tuum testimonium falsum.* Sic Gen. 31. 46. עד *Ed* Hebræum, & סהדותא *Sahadutha* Syriacum, quod testimonium in abstracto denotat, tanquam ἰσοδυναμοῦντα usurpantur.

17. *Non concupisces domum proximi tui, &c.*] Etiamsi repetitum sit לא תחמד *non concupisces*, unum tamen duntaxat præceptum hoc versu contineri juxta Hebræos testatur Lyra. Atque hoc ex Jonathanis paraphrasi facile est perspicere. Postquam enim primum ac secundum præceptum apertè distinxisset, dicens, דבירא קדמאה *Præceptum primum*, & דבירא תניינא *Præceptum secundum*, reliquis singillatim præmittit ista verba, *Popule mi, domus Israel*, vel *Popule mi, filii Israel*; ista autem semel tantùm in hoc versu occurrunt, cum septies in præcedentibus sint repetita. Quin & Abenezra in initio explicationis decalogi refert nonnullos concupiscentiam domus proximi ad præceptum nonum, concupiscentiam autem uxoris proximi ad præceptum decimum referre, sed gravi censurâ opinionem istam notat, dicens והם דברי הבל * *Ista sunt verba vanitatis.* Drusius in Miscellan. cent. 1. 19. observat pro eo quod hic dicitur, *Non concupisces domum, &c. Non concupisces uxorem*, &c. Deut. 5. inverso ordine dictum esse, *Non concupisces uxorem*; &c. *Non concupisces domum*, &c. Si igitur duo distincta sunt præcepta, *quid* (inquit) *restat, nisi ut nonum præceptum*

Ff a *sit de-*

* *Manass. Concil. in Exod. qu.* 35.

* *Similiter Abrabaneel*, והנה דרך זו מאד אין ראוי לקבלו Sed est sententia absurda valdè, neque digna quæ recipiatur. *Buxtorf. Dissert. de Decal. sect.* 59.

sit decimum, & contra decimum nonum? Similiter Buxtorfius dissertat. de Decal. §. 56. *Quodnam jam nonum, & quodnam decimum erit praeceptum? Sequemur in ordine Deum ipsum, an Mosen? Vel an Mosen ἀταξίας insimulabimus?* * Abenezra loco citato notat verba hujus praecepti alio ordine hic, alio Deut. 5. esse recitata. Atque ait Deum primò dixisse, *Non concupisces domum*, &c. quòd qui sapiunt, primò domum acquirent, posteà autem uxorem, ac deinde servum & ancillam, item bovem & asinum ad agrum arandum; Mosen autem aliter recitasse, ac primò dixisse, *Non concupisces uxorem*, &c. quòd nimirum juvenes (cupiditatibus suis abrepti) primò desiderent uxorem, ac posteà domum. Sed ista argutiùs quàm solidiùs dicta videntur. Addit etiam Mosen Deut. 5. mentione factà agri, bovem ac asinum, quibus ad arandum opus est, praeposuisse servo & ancillae; at contrario planè ordine locus iste Deut. 5. 21. legitur. Ad hunc autem locum ait multos mirari de hoc praecepto, quomodo scilicet fieri possit, ut quis rem pulchram non desideret; rem igitur similitudine explicat; † *Rusticus* (inquit) *si non sit insipiens, etiamsi regis filiam formosam viderit, non tamen cum eâ concumbere desiderabit; quia novit id non posse fieri*, &c. *Similiter sapiens, qui novit uxorem proximi sui sibi à Deo esse prohibitam, eam non concupiscet, sed ea magis elevata erit in oculis ejus* (יותר היא נשגבה בעיניו) *quam filia regis in corde rustici*, &c.

15. וְכָל־הָעָם רֹאִים אֶת־הַקּוֹלֹת *Et universus populus vidit voces* (sive tonitrua) &c.] Similiter Apoc. 1. 12. καὶ ἐπέστρεψα βλέπειν τὴν φωνὴν & *verti me ut viderem vocem.* Drusius in quaest. 10. ex Nonio Marcello observat Accium sic locutum, *Vox illius certe est; idem omnes cernimus*; id est, interprete Nonio, audimus. At dici potest, *idem cernimus* istic non ad vocem referri, sed ad totam sententiam, *vox illius certe est*; alioqui enim dicendum videtur *eandem* potiùs quàm *idem*. Abenezra hic, uti etiam alibi, vult sensus promiscuè usurpari, propterea quòd in eâdem sede conjuncti sunt. Meliùs autem arridet quod Kimchi ad Zach. 1. 9. scribit, ideò *videre* generaliter poni pro *sentire*, quia visus omnium sensuum est praestantissimus. Vide Annot. ad Gen. 42. 1.

Et steterunt e longinquo] Jon. וקמו תריסר מילין מרחיק *Et steterunt duodecim milliaribus è longinquo.* Et sic etiam v. 21. Vide finem Annotationis ad cap. 16. 29.

16. *Sed ne loquatur nobiscum Dominus*, &c.] Miror ‡ Chamierum sic dicentem, *Populus audivit quidem tonitrua & tubas cum lex dabatur in monte; sed vocem Dei praecepta tradentis nunquam* (fortè *nequaquam*) *quia Moses erat interpres, referens ad eum verba Dei.* At quid planiùs expressiùsque dici potest, quàm quod dicit Moses Deut. 4. 12. *Dominus locutus est vobis e medio ignis; audivistis vocem verborum*, &c. Similiter Deut. 5. 4. *Dominus locutus est vobiscum facie ad faciem*, &c.

17. לְבַעֲבוּר נַסּוֹת אֶתְכֶם *Propterea ut tentet vos*] R. Sal. exponit, לגדל אתכם בעולם *ut magnificet vos in mundo.* Vult enim verbum נסות deductum esse a נס quod signum & vexillum denotat, ac elevationem significare, לשון הרמה At expositionem istam Grammatica respuit, quae claré indicat נסות esse Infinitivum in Piel à radice נסה quod est *tentare.* Lxx. ἕνεκεν γὰρ τοῦ πειράσαι ὑμᾶς. Vulg. *ut enim probaret vos.*

18. *Moses autem appropinquabat* אֶל־הָעֲרָפֶל *ad densam caliginem*] R. Sal. ait ערפל esse עב הענן *nubem* sive *caliginem densam.* Lxx. εἰς τὸν γνόφον, Vulg. *ad caliginem.*

אֲשֶׁר־שָׁם הָאֱלֹהִים *Ubi erat Deus*] Onk. דתמן יקרא דיי *ubi erat gloria Domini.* Jon. דתמן יקר שכינתא דיי *ubi erat gloria praesentiae Domini.*

21. *In omni loco, in quo* אַזְכִּיר אֶת־שְׁמִי *faciam recordationem nominis mei*] Vel, *faciam*, (*vos*) *recordari nomen meum.* Nam הזכיר propriè est *recordari facere.* Onk. *in omni loco* די אשרי שכנתי לתמן *in quo habitare faciam praesentiam meam.* Atque ita Jonathan. At Hierosolymitanus, *in omni loco* דתדכרון ית שמי קדישא *in quo recordabimini nomen meum sanctum.* ‡ R. Sal. בכל מקום אשר אתן לך רשות להזכיר שם המפורש *in omni loco, in quo potestatem tibi fecero recordandi* seu *commemorandi nomen meum explicatum.* Sic vocant tetragrammaton יהוה ac censent non licuisse nomen istud proferre, nisi in Templo, cum populo sacerdos benedixerit. Lxx. ἐπονομάσω τὸ ὄνομά μου: *annominavero nomen meum.* Vulg. *in quo memoria fuerit nominis mei.* Ista interpretatio Fagio (atque ante eum, uti testatur, Capnioni) displicuit, quod inde sequi videtur, Deo gratum fore, ubicunque locorum illi pro suo arbitrio cultum ipsi instituerent; cum non nisi loco, quem Deus ipse praescripsit, eum colere debuerint. Similiter Amama, *Ea mens Dei est, ac si dixisset, Non ubi vos pro vestrâ libidine*, * *sed ubi ego cultum vobis praescripsero*; quae & in Fagio ad verbum habentur.

22. כִּי חַרְבְּךָ הֵנַפְתָּ עָלֶיהָ וַתְּחַלְלֶהָ *Si † ferrum tuum agitaveris super illud, prophanasti illud.*] In codice Talmudico Middoth cap. 3. §. 4. hujus praecepti haec ratio redditur שהברזל נברא לקצר ימיו של אדם והמזבח נברא להאריך ימיו של אדם אינו בדין שיניף המקצר על המאריך *Quia ferrum creatum est ad contrahendum dies hominis, altare autem ad dies protrahendum; nec aequum est, ut quod contrahit, agitetur super id quod protrahit.* Sed hoc allegoricum, ut notat Constantinus L'Empereur, qui ex Deut. 4. 15. 16. collato cum Exod. 20. 22. &c. colligit hunc esse sensum, Quasi dicat Deus, *e caelo locutus sum vobiscum, sed absque imagine; ideoque ne facite deorum argenteorum*, &c. *imagines, & ne sculpatis imagines in altari ullo, ut fieri ab idololatris solet: lapides incultos & rudes adhibete.* Addit Abrabaneelem doctis suis in Exodum Commentariis sic intellexisse, טעם המצוה הזאת לדעת הרב המורה הוא כדי שלא יבואו לעשות באבנים צורות *Ratio istius praecepti haec est ex sententiâ Magistri Doctoris* (*Perplexorum*) *ne eo devenirent, ut in lapidibus formarent imagines.* Ad istum sanè modum exponit Maimonides in More Nebochim part. 3. cap. 45. *Quia* (inquit) *idololatrae tum temporis altaria sua ex lapidibus caesis aedificarunt, ideo interdixit ne assimulemur illis. Et ut omnibus modis id vitemus, praecepit altare fieri ex terrâ, sicut dicitur, altare terreum facies mihi; & siquidem absque lapidibus fieri non possit, ut lapides in formâ suâ naturali maneant, neque caedantur, neque dolentur*, &c. Abenezra rationem istam improbat, quia Tabernaculum primò, ac posteà Templum Cherubinis aliisque figuris pictum ac ornatum erat. Sed id ex speciali Dei mandato factum fuit, assentior tamen ei dicenti, אין לנו לחפש על טעמי המצוות *Non est nostrum scrutari rationes mandatorum.* Curiosi certè ac audaces in hâc re haud esse debemus. R. Sal. rationem à Talmudicis redditam amplectitur; mihi Abrabaneeli ac Maimonidi potiùs assentiendum videtur.

23. *Neque ascendes per gradus*, &c.] *Non te latet* (inquit Maimonides More Neb. part. 3. cap. 45.) *quâ ratione olim idololatricus cultus Pehoris perficiebatur, retectione nempe nuditatis. Hinc praecipit Deus sacerdotibus sibi facere femoralia ad nuditatem suam tegendam, quando cultui divino vacant. Item, ut non ascendant ad altare per gradus, ne detegatur* (*sicut inquit Deus*) *turpitudo tua juxta illud.* Constantinus etiam L'Empereur Annotat. in Middoth. cap. 3. §. ait hoc non tantùm pertinere ad honestatem in sacris praesertim observandam, sed ad vitandam idololatriam; atque in hanc sententiam citat illum Maimonidis locum supra memoratum, atque ait rectè observatum esse, Deum cum idololatriam, & quemvis imaginum cultum prohiberet, etiam speciatim Pehoris idololatriam (quam ‡ in pudendorum retectione constitisse ostendit) abominatum fuisse. In isto autem tractatu Talmudico (nempe Middoth. c. 3. §. 3.) fit menzio ascensûs, quo ad altare ascendebant sacerdotes; atque in Annotationibus suis Constantinus L'Empereur ait Judaeos Doctores dicere in hoc Exodi loco non prohiberi, quo minùs molli & acclivi ascensu pedetentim, & sine magnâ pedum divaricatione paulatim sacerdotes ad altare ascenderent, idque confirmare ex eo quod dicitur, *ut non detegantur pudenda tua*; hoc enim tantummodo fieri, si non aequali & planâ viâ, sed distinctis gradibus ascendatur, quia hoc modo alternatim sublatis ad gradus pedibus diducebantur, & elevabantur vestes. Ad istum modum. R. Sal. כשתעשה בתוה כבש למזבח לא תעשהו מעלות אלא חלק יהיה ומשופע *Cum ascensum ad altare feceris, non facies eum per gradus, sed mollis erit, & acclivus.*

Ne detegatur † nuditas tua super illud] Vel, *juxta illud*, עליו, At quomodo id metuendum, cum sacerdotes ad nuditatem suam

* *Lxx. hic primò habent*, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα, &c. *deinde*, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν, &c. *quemadmodum Deut. 5. habetur.* † איש כפרי ‡ *Chamier tom. 1. lib. 7. cap. 9. sect. 11.* ‡ *Abenezra* בכל מקום אשר אשים זכר לשמי לשמי שכבודי שוכן שם In omni loco, in quo posuero memoriam nominis mei, ut gloria mea ibi habitet.

* Mihi cultum institueritis *ut est apud Fagium.* † *Ad verb.* gladium tuum. *Jon. & Hieros.* ferrum ex quo fit gladius. *Abenezra* שם חלב נופל על כלי ברזל שנעשה לחתוך כו Nomen gladii tribuitur instrumento ferreo, quod ad secandum fit. *Ac notat alibi* (*nempe Deut. 27. 5.*) *dictum esse*, לא תניף עליהן ברזל Non agitabis super eos (*sc. lapides*) ferrum. ‡ *Vide Selden. de diis Syris Syntag. 1. cap. 5.* ‡ *Vel*, turpitudo tua, ערותך.

suam operiendam femoralia linea ex divino mandato habuerint? cap. 28. 42. Sunt qui dicant femoralium usum nondum fuisse introductum; quasi verò tantillo tempori inservivit hoc præceptum, ut post illud de femoralibus, quod mox secutum est, nullus ejus amplius usus esset. Malim igitur (quod & Maimonides sensisse videtur, ut ex verbis ejus paulo anteà memoratis colligitur) ad majorem cautelam utrumque præceptum à Deo datum fuisse; atque ea etiam R. Salomonis sententia fuit, quantum ex commentario ejus possum perspicere; שעל ידי המעלות אתה צריך להרחיב פסיעתך ואף על פי שאינו גלוי ערוה ממש שהרי כתיב ועשה להם מכנסי בד מכל מקום הרחבת הפסיעה קרוב לגלוי ערוה הוא *Quia dum per gradus ascendis, necesse est ut gressus tuos dilates*, (ut pedes diducas atque eleves) *etiamsi autem non sit simpliciter revelatio nuditatis, quum scriptum sit, fac eis femoralia linea, dilatatio tamen gressuum vicina est revelationi nuditatis*, id est, etiamsi non rem ipsam, obstantibus nempe femoralibus, aliquid tamen ei non absimile exhibet. Nescio autem an id sibi voluerit, ex istâ pedum divaricatione dum per gradus subinde ascenditur, sacerdotibus consuetum fore, ut ad istum modum incedant, atque inde eventurum, ut cum induti non sint istis femoralibus, quorum non nisi in Sanctuario usus erat, cap. 28. 43. nuditas ipsorum detegeretur. Atque ex iis quæ apud Rab. Salomonem sequuntur, hæc ipsius mens fuisse videatur; isti autem expositioni repugnat dictio עליו *super illud*, vel, *juxta illud*, nempe altare, unde apparet hac lege cautum esse, ne sacerdotis nuditas, dum ad altare ministrat, detecta esset.

I D E M.

3. NON *erunt tibi dii alii* על פני] Kimchi in Rad. exponit להכעיסני *ut me ad iram provoces* nam פנים hic accipiendum putat eo sensu, quo usurpatur 1. Sam. 1. 18. ופניה לא היו לה עוד *nec ira* (seu *tristitia*) *ipsius ei erat amplius*. לפי שהכעס נראה בפנים נקרא כעס כנם *Quia ira in facie apparet, ideo nomine isto, quod propriè faciem denotat, significatur*.

7. *Non assumes nomen Domini Dei tui* לשוא *in vanum*] Maldonat. in Mat. 5. 33. ait assumere Dei nomen in vanum, esse pejerare, idque confirmat auctoritate R. Abrahæ, seu Abenezræ, cujus expositio anteà in annotat. ad hunc locum est allata. At cum Hebræum שוא, sicut *vanum* apud Latinos, ipso fatente, & quod non necessarium, & quod falsum est significet, ad significandum duntaxat id, quod falsum est hic restringi non debet. Plures ex Hebræis contra Maldonatum sentire supra ostendi: quibus addam R. Davidem Kimchi, qui in Rad. hic לשוא exponit לחנם *frustra, sine causa*: & locum hunc sic porro explicat שלא תשבע בשמי כי אם לצורך, *Non jurabis per nomen meum nisi ubi necesse fuerit*: Atque addit כי מי שנשבע על דבר שוא אע״פ שהוא אמת אחר שהשבועה איננה לצורך אלא נשבע לחנם לוקה משום שבועת שוא *Nam qui jurat ob rem inanem etiamsi verum dixerit, cum juramentum sit minimè necessarium, sed sine causa jurat, ob juramentum inane est verberandus*. Quin & Talmudicum illud citat, הא כאן רמשתבע על תאינה תאנה לוקה משום שבועת שוא *Qui jurat de ficubus, quod sint ficus ob juramentum inane est verberandus*. Maldonatus * asserit Levit. 9. 12. non esse ולא תשבעו בשמי לשקר (*Non jurabis falsò*) sed לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא (*Non assumes nomen Domini Dei tui inaniter*) ut Exod. 20. 7. & Deut. 5. 11. At cum alios locum istum minus animadvertisse dicat, ipse profectò parùm eum animadvertit. Nam luce clarius est, Hebraicè istic sic legi, ולא תשבעו בשמי לשקר *Nec jurabitis per nomen meum falsò*, sive *mendaciter*. Sic Chald. לשקרא, Non mirum igitur si Vulgatus Interpres habet, *Non perjurabis*, &c. Et frustra est Maldonatus, qui vult interpretem istum per sumptionem nominis Dei לשוא *in vanum*, illic perjurium intellexisse, cum nec vocis שוא, nec phraseos istius Dei nomen assumere, ulla istic mentio fiat.

10. *Non facies* כל מלאכה *ullum opus*] Ad verb. *omne opus*; sed, ut Kimchi † notat כל interdum valet *ullus*, ut 2. Sam. 12. 3. ולרש אין כל *Pauperi autem non erat quicquam* seu *res ulla*; כל ibi idem valere monet quod *quicquam aliquid*. Quin & hunc Exodi locum cum aliis citat, ubi כל similiter usurpatur.

17. לבעבור נסות אתכם *ut tentet vos*] Kimchi in Rad. refert in Midrash ita exponi, ac si נסות à נס elevare formatum esset, לגדל ולהרים אתכם *ad magnificandum & exaltandum vos*, &c. Addit autem R. Mosen Maimonidem (quem appellat החכם הגדול והפילוסוף האלהי *Magnum sapientem & divinum Philosophum*) sic exponere *Ne metuatis ob magna illa spectacula, quæ vidistis; nam ideo fuerunt, ut intelligeretis veritatem, & oculis cerneretis, ne cum Deus vos per falsum Prophetam tentaverit à fide vestra deficeretis.*

I D E M.

1. ET *locutum est Deus*, &c.] Notat Decalogi præ reliquis Dei præceptis triplicem fuisse præcellentiam, 1. Quod à Deo per se immediatè datus erat. 2. Idque universo populo Israelitico simul congregato. 3. Quòd in duabus Tabulis Lapideis à Deo ipso scribebatur. Cum autem Doctores dixerint, totum Decalogum unico sermone (בדבור א׳) dictum esse ostendit eos id tantùm voluisse, omnia Decalogi præcepta inter se conjuncta ac unita esse, (מפני התקשר זה בזה) non autem negasse, præcepta Decalogi per pausas & distinctiones (בהפסקות) (ומבולי המאמרים) pronunciata fuisse. Notat insuper tredecim fundamenta (quæ vocant, seu articulos fidei Judæorum) in Decalogo esse comprehensa: † nempe primum fundamentum *de existentiâ Dei* in istis verbis, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Et secundum, *de unitate Dei* in istis, *Non erunt tibi dii alii*, &c. Et tertium *Deum nempe non esse corporeum*, in istis, *Non facies tibi sculptile*, &c. Et quartum, scilicet *Deum esse æternum, & alia omnia esse de novo*, in istis, *Nam sex diebus Dominus fecit*, &c. Et quintum, nempe *Deum esse colendum*, in istis, *qui me amant, & mandata mea custodiunt*. Et sextum, *de Prophetiâ in genere*; Et septimum, *de prophetiâ Mosis*; ea nempe disci ex ipsa statione (מעמד) ad montem Sinai: in hanc rem etiam citat id quod legitur Deut. 5. 24. & Exod. 19. 9. Et octavum, *de perpetuitate Legis*, in istis verbis, *Et exercens misericordiam erga millenos*, &c. Et nonum, nempe *Legem esse de cœlo*; Israelitas enim Deum loquentem audivisse: Et citat v. 22. hujusce capitis. Et decimum, *de scientiâ Dei*; Et undecimum *de providentiâ Dei in remunerando, & puniendo*, cum dicitur, *Quoniam ego sum Deus zalotes*, &c. Et duodecimum, *de adventu Messiæ*, Et decimum tertium, *de resurrectione mortuorum*; hæc siquidem comprehensa etiam esse in iis verbis, *Et exercens misericordiam*, &c. Ista enim (nempe adventum Messiæ, & resurrectionem mortuorum) esse misericordias, quas Deus post millenas generationes (אחרי אלפים מדורות) exhibebit. Ostendit insuper omnia reliqua Dei mandata, quæ hic illic in Scriptura occurrunt, in verbis Decalogi summatim contineri.

2. *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c.] Asserit istam esse præfationem omnium præceptorum. הקדמה לכל הדברות sed etiamsi dicat verba ista nullum in se continere præceptum, ea tamen inter עשרת הדברות *decem verba* recenset. Asserit enim numerum istum denarium non respicere præcepta, sed sermones & pausas, quæ inter singulos sermones fuerunt: & primum sermonem (דבור) comprehensum vult eis verbis, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Secundum autem inchoat ab eis verbis, *Non erunt tibi alii*, &c. Tertium deinde facit, *non sumes nomen Domini*, &c. Et sic in reliquis, uti à nostris præcepta distingui solent. Sed ex Deut. 4. 13. apparet עשרת הדברים *decem verba* totidem præcepta denotare: unde cum ipso Abrabanele fatente, illud *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. præceptum non sit, nec inter *decem verba* numerari debet.

5. *Usque ad tertiam & quartam generationem*] Tamdiu enim idololatram ait posse vivere, ac posteros suos videre, idque etiam à Maimonide observatum refert. Addit hominem post quartam generationem non existimare se ullam cum posteris suis propinquitatem habere. Monet insuper hoc intelligendum vel de parvulis, qui sunt quasi membra hominis, & quasi pars ejus atque ideò ob peccatum ipsius puniri possunt, quod ipse in eis puniatur, vel de adultis, qui cum peccata patrum imitantur, non solum ob sua, verumetiam ob patrum peccata puniuntur. Id autem non nisi in peccato idololatriæ ob summam ejus atrocitatem locum habere vult: in aliis siquidem peccatis, etiamsi filii patrum suorum vestigiis insistant, non tamen nisi ob sua ipsorum peccata puniendos censet. Sed ut idololatria gravissimum sit peccatum, in aliis tamen peccatis comminationem istam vim suam habere, non videtur dubitandum.

8. *Memento diei sabbati*] Ait Deum, primò prohibuisse Epicureismum & atheismum positivum (אפיקורסות והכפירה המפורסמת) nempe v. 2. &c. deinde atheismum privativum (כפירה ההעדרית) idque primò respectu verborum v. 7. deinde respectu factorum. v. 8. 9. 10. Hisce autem verbis, *Memento diei sabbati*, præcipi ait, ne dies septimanæ appellentur nominibus

* *Loco non citato*. † *In radice* כלל.

† *Tredecim fundamenta, seu articuli fidei Judæorum.*

nibus planetarum, sed ut dicatur, *primo sabbati*, *secundo sabbati*, &c. idque à Doctoribus in Mechilta traditum refert. Atque ita sanè Mat. 28. 1. Mar. 16. 2. Luc. 24. 1. Joh. 20. 1. Act. 20. 7. & 1. Cor. 16. 2. primus dies septimanæ appellatur *primus sabbati*, vel *sabbatorum*, & Luc. 18. 12. ipsa septimana vocatur *sabbatum*.

9. *Sex diebus*, &c.] Ait Interpretes velle id per indulgentiam dictum, ut sensus sit, *sex diebus licet tibi pro libitu operari*: ipse autem putat sic exponi posse, ut admonitio sit, ne quis dies observet, utrum scilicet boni an mali (fausti an infausti) sint, sed sex diebus absque ullâ ejusmodi superstitione se operi suo accingat: sed hoc subtilius esse videtur.

Sed septimus dies, &c.] Refert Maimonidem dicere, ideò Israelitas septimo quoque die ab operibus suis cessasse, ut septimam vitæ suæ partem in quiete & deliciis (בִּמְנוּחָה וְתַעֲנוּג) transigerent: *sed convenientius* (inquit) *est dicere, sabbatum fuisse observandum, ut septimâ vitæ parte vacarent, & studio Legis incumberent*. Et citat Rabbinorum dictum, לא נתנו שבתות וימים טובים לישראל אלא ללמוד בהם תורה *Non data erant Israeli sabbata, & dies festi, nisi ut in eis Legem discerent*. Atque addit ideò etiam ab eis dictum esse, שקולה השבת כנגד כל המצות *Præceptum de sabbato esse instar omnium præceptorum*.

12. *Honora patrem*, &c.] Ait videri hoc præceptum ex iis esse, quæ hominum inter se officium spectant, atque ita sensisse Nahmanidem; sed tamen inter ea esse quæ hominis erga Deum officium continent, ac ad primam Tabulam pertinere. Hisce enim verbis, *Honora patrem tuum*, honorem Dei, qui est verus omnium pater, esse comprehensum. Illam etiam vetustiorum Rabbinorum sententiam fuisse indicat: at hoc præceptum ejusdem planè ordinis cum sequentibus esse, ac propterea ad secundam Tabulam pertinere, satis est manifestum.

Ut dies tui, &c.] Sic nimirum ait Deum benedicturum eis, qui huic præcepto obtemperant, ut dum parentes suos, à quibus vitam acceperunt, debito honore prosequuntur, vita diù fruantur; idque non in exilio, in alienam terram deportati, sed in terra sibi a Deo donata, tutò nempe ac quietè in sua ipsorum patria permanentes. Addit etiam futurum, ut qui parentibus suis honorem habuerit, ipse a filiis suis in honore habeatur. כי הנה במדה שאדם מודד בה מודדין לו *Nam ecce quâ mensurâ quis metitur aliis, eâdem & alii vicissim ipsi metientur*. Proverbialis est sententia, & extat in tractatu Talmudico *Sotah*, cap. 1. Vide Mat. 7. 2.

13. *Non occides.*] Hoc præcepto id etiam comprehensum ait, ne eleemosyna pauperi denegetur, nam qui eleemosynam dare renuit, cum pauperes ac egenos interficere. כי המונע את הצדקה הוא הורג נפשות העניים והאביונים

21. *Et Moses appropinquabat*, &c.] Refert Doctores dicere, circa gloriosam Dei præsentiam (סביב הכבוד) fuisse tria sepimenta; (שלש מחיצות) primò nempe fuisse tenebras; deinde nubem; & adhuc interiùs crassam caliginem. Mosen igitur tenebras & nubem pertransiisse, & ad crassam caliginem, ubi erat gloriosa Dei præsentia, accessisse.

23. *Deos argenteos & deos aureos*] Per deos istos ait hic intelligi טלסמאות *telesmata*, seu figuras factas ad deducendum influentias stellarum שפע הכוכבים. Asserit enim hic non prohiberi cultum idolorum, sed ne in orationibus suis mediatores adhiberent, vel figuras facerent, quibus influentiam stellarum ad facultates suas augendas deducerent: Deum enim ipsum iis in omnibus, quæ ab ipso peterent, propinquum fore, ipsum eos auditurum, eisque responsurum, non per angelum aut stellam, aut * alium mediatorem, quemadmodum Deus absque ullo mediatore ipsis locutus fuerat.

24. *Altare terreum*, &c.] *Non ex auro* (inquit) *vel argento sed ex simplici terra*, hoc autem intelligi ait de altari, quod postea faciendum erat, nempe altari holocausti, non incensi; propterea dictum, *Et sacrificabis super illud*, &c. Hoc igitur illud esse, quod facere debebant, non telesmata, ut influentiæ ac benedictionis divinæ capaces essent.

* *Judaica adversus Christum perfidia hic cavenda.*

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

3. CUm *corpore suo*] Est בגפו idem quod בגופו: & est sensus, Si in sola sua persona venerit absque uxore. Potest quoque גף accipi pro כנף, *ala*, seu *veste*, ut K. docet, & erit idem sensus cum priori. Qui enim seipsum vendit, nihil proprii habet præter vestes & uxorem, si quam habet.

6. *In seculum*] i. usque ad jubileum, sive is annus propè fuerit, sive longè abfuerit. Sic enim Hebræi communiter exponunt hunc locum.

8. *Redimet eam*] h. e. facultatem concedat ut sese redimat, & annos quibus servivit à pretio subtrahat: alteri autem vendere eam non potest, præsertim cùm spreverit eam, & non duxit eam. Fuit enim pecunia quam pro ipsa exposuit quasi ערבון, i. *subarratio*, atque ideo despondere eam sibi debuit, quæ desponsatio אירוסין vocatur, & tandem ducere. Habent enim nuptiæ apud Hebræos hos tres gradus, etiamsi duo primi non admodum differant.

9. *Juxta morem filiarum aget cum ea*] Sensus est, Quòd non subtrahat illi victum & amictum atque humiliationem, h. e. concubitum sive debitum conjugale. Differt exitus servi à servitute, & exitus ancillæ à servitute: Nam servus non poterat redimi ante sextum annum; ancilla autem potuit redimi, & residui anni usque ad sextum annum persolvebantur.

13. *Insidiatus*] Significat צדה propriè *venari & insidiari pro fera*; & אנה, *fato quodam tradere*: ut cùm Deus ob certam causam sibi notam aliquem tradit in manus illius hominis, ut occidatur ab eo, qui tamen nunquam cogitavit, etiam in hora cùm eum occidit, ullum hominem occidere, id vocat hic Scriptura אנה, *fato tradere*. Item זד significat *destinatâ malitiâ & non casu aliquid agere*.

18. *Pugno*] Gerundensis dicit אגרוף esse *manum cujus digiti colliguntur intra ipsam*: secundùm alios verò est רגב עפר, *gleba terra*.

19. *Vacationem ejus*] Heb. *sessionem ejus dabit*, h. e. solvet quod interim suo labore neglexit, atque quod in Medicos insumptum est.

22. *Offenderint*] R. S. exponit נגף pro דחף, *impellere*.

24. *Oculum pro oculo*, &c.] Dicunt hic Hebræi communiter, quòd iste locus ad literam non sit intelligendus, sed quod fieri debet ממון תשלומין, *compensatio per bona externa*. Qui enim sic hominem læserit, tenetur ad quinque, ut scilicet compenset damnum, sessionem, dolorem, medicinam, & confusionem: Damnum; ut si amputavit ei manum vel pedem: Sessionem; h. e. quod interim quo decubuit labore suo neglexit: Confusionem; ut si in loco patenti, putà in facie, esset læsus, &c.

30. *Si pretium fuerit ei impositum*] Iste locus non pugnat contra illum ubi dicitur, *Non accipies pretium redemptionis ab homicida*, quia ibi loquitur Scriptura de homicida voluntario, hic verò de eo propter cujus negligentiam homo interiit, cùm bovem ligare & recludere debuerit.

31. *Offenderit*] Scilicet cornibus vel pedibus aut dentibus, licèt boves frequentiùs cornibus in homines irruant & lædant quàm aliquo alio corporis membro.

33. *Foveam*] Aut *cisternam*, quæ scilicet priùs facta & operta, sed quam quis incautè denuò discooperit.

FAGIUS.

6. SErviens ei in seculum] h. e. usque ad jubilæum; sive is annus propè fuerit, sive longè abfuerit: sic communiter Hebræi exponunt hunc locum. Et vox etiam Hebraica לעולם non semper *æternum*, *sempiternum*, *perpetuum & infinitum tempus* significat, sed aliquando *longum & determinatum tempus*, ut in præsenti loco. Et, ut Capnio scribit in suis Rudimentis Hebraicis, hæc dictio significat durationem secundùm materiam subjectam. Qui plura de hac voce scire cupit, legat Galatinum de Arcanis catholicæ veritatis lib. 11. c. 5.

7. *Si vero quis vendiderit filiam suam*, &c.] Locus iste nonnihil obscurus & difficilis est: ideo & quia Vulg. interpres Lat. illum ex veritate Hebraica non per omnia fideliter reddidit, idcirco commentatores nostri in exponendo eo illum secuti, omnes ferè hallucinati sunt: volo hic ergò ex Hebræorum expositione, quæ hic certior est, paucis indicare quæ sit hujus loci sententia: & singula ordine percurram. *Si verò quispiam vendiderit filiam suam*] paupertate scilicet vel aliâ causâ coactus; *Non egrediatur secundum egressionem servorum*] Nam servis ante septimum annum exire non licebat: & in septimo anno si nolebat exire servus, eò quod diligeret dominum suum, perpetuò deinceps usque ad annum jubilæi illi addictus esse cogebatur: Puellæ verò semper locus redimendi sese patebat, imprimis si minorennis vendita jam nubilis esse inciperet. *Si displicuerit domino suo qui desponderat eam*] Eâ enim conditione Hebræorum puellæ vendebantur ut domini, qui eas emerent, simul quoque matrimonio eas sibi copularent. *Liberam faciat eam*] h. e. redimendi sese potestatem faciat. Quæ redemptio ità sese habebat. Si pro sex libris eam emisset dominus, discessura, tot de

ista

Digitized by Google

illa summa decedebant libræ quot annis servierat; quot verò anni usque ad septimum annum adhuc reliqui erant, tot libras domino suo pro redemptione sui numerare tenebatur. *Viro alis non habet potestatem vendendi eam*] fretus scilicet suâ potestate quam se in illam habere putat, etiam Israelitæ: nam gentibus nullo modo licebat vendere puellam Hebræam. *Quod si filio suo desponderit eam*] hoc enim patri licebat, si ipse nollet ducere eam: *Juxta consuetudinem filiorum Israel faciat ei*] h. e. dotem ei det ut moris erat in Israel, nihil videlicet causans quòd serva sit, quódque filio suo eam desponset. *Si aliam quoque acceperit illi*] i. si ultra ipsam aliam quoque superinduxerit quam filio suo matrimonio jungat, non propterea illa viliori loco habeatur; imò quod *alimentum, vestitum & debitum* quoque *conjugale* attinet, *nihil illi subtrahatur. Quòd si tria hæc non fecerit*] h. e. Si non desponsaverit eam sibi, si non dederit redimendi locum, & filio quoque suo eam non desponsaverit, *egrediatur libera sine argento*) h. e. nihil planè pecuniæ tum domino suo pro sui redemptione numerare tenetur. Hactenus simplicem Hebræorum in hunc locum sententiam enarravi. Jam verò & hoc quoque observa; Quòd ubi paraph. noster affirmativè legit, *Qui desponderat eam sibi*, in textu Hebraico negativè legit, אשר לא יעדה, *qui non despondit eam sibi.* Quæ ità conciliant, quòd dicunt לא idem valere quod לו *sibi*, commutato scilicet Vauf in Aleph: sunt enim literæ inter se symbolicæ & permutabiles, ità ut alia in aliam non rarò transeat.

13. *Sed à facie Domini traditus fuerit*] h. e. Si antea non insidiatus est illi, non de industria & datâ operâ illum occidit, sed Dominus voluit illum incidere in manum ejus ob latentem aliquam causam. Quod ferè fieri dicunt Hebræi, dum aliquis peccatum seu flagitium aliquod perpetravit propter quod non est punitus à Magistratu, & tamen tale peccatum est quod כרת, i. *excidium sive exterminium prœmaturæ mortis*, mereatur.

16. *Occidendo occidatur*] i. ut Hebræi exponunt, strangulationis pœnâ afficiatur. Annotat enim R. S. in hunc locum, semper strangulationem in Scripturis intelligi ubi quis simpliciter interfici jubetur, non additâ specie mortis seu supplicii. Verba ejus sunt hæc, כל מיתה האמורה בתורה סתם חנק הוא, *Omnis mors quæ absolutè in lege dicitur, strangulatio est.* Hæc autem hunc in modum fiebat; Immergebant eum qui strangulatione puniendus erat stercori ad genua usque, cujus collum duo mappâ utrinque constringebant donec animam efflaret. Idem quoque R. S. dicit, *Lapidationis semper pœnam intelligi ubi additur in Scriptura de puniendo aliquo* דמיו בו, *& sanguis ejus in eo.* Sed placet hic ex Hebræorum scriptis aliquid referre de quatuor generibus mortis quibus olim flagitiosi in Israel puniebantur. Hebræi sic tradunt, ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה שריפה הרג וחנק, *Quatuor mortes traditæ fuerunt consistorio*, Lapidatio, Combustio, Decollatio, & Strangulatio. De flagitiis autem quæ lapidatione puniebantur Hebræi sic scribunt, ורק כי כל הנסקלין שבתורה יח׳ אלו הן: הבא על האם ועל אשת אב ועל הכלה ועל נערה המאורסה ועל הזכור והשוכב עם הבהמה והאשה המביאה הבהמה עליה והמגדף והעובד עבודה זרה והנותן מזרעו למולך ובעל אוב וידעוני והמחלל את השבת והמקלל אביו ואמו והמסית והמדיח והמכשף ובן סורר ומורה, *Decem & octo genera hominum ex lege lapidatione puniebantur; Videlicet qui rem habebat cum matre, vel cum uxore patris, vel cum nuru, vel cum virgine desponsata, vel cum masculo, vel cum jumento; Mulier item prostituens se jumento; blasphemus; idololatra; qui de semine suo Moloch offerebat; Pythonicus; ariolator; violator sabbati; maledicens Patri & matri; incitans, & impellens ad idololatriam; præstigiator; atque filius protervus, & rebellis.* De loco verò & modo lapidandi sic tradunt, בית הסקילה היה חוץ לבית דין שנאמר הוצא את המקלל אחד עומד על פתח בית דין והסודרין בידו וסוס רחוק ממנו כדי שיהא רואהו אומר אחד יש לי ללמד עליו זכות הלה מניף בסודרין והסוס רץ ומעמידו ואפילו הוא אומר יש לי ללמד על עצמי זכות מחזירין אותו אפילו ארבעה וחמשה פעמים ובלבד שיש ממש בדבריו, *Locus lapidationis extra consistorium fuit, juxta id quod dicitur, Educ blasphemum, &c. Unus autem aliquis stabat ad ostium consistorii tenens linteum in manu, à quo alius quidam cum equo remotius constitutus erat, in eum scilicet usum, ut si quis veniret & diceret; Habeo quod dicam pro liberatione rei, movebat ille linteum, quo viso qui equo insidebat, reum sistere gradum faciebat. Quin & ipse reus si diceret se habere quo se purgaret, rursum ad consistorium reducebatur, idque quater & quinquies, modo non vanum aliquid diceret.* לפיכך מוסרין לו שני תלמידי חכמים שמשמעין את דבריו בדרך אם יש ממש בדבריו מחזירין אותו ואם לא נמצא לו זכות מוציאין אותו וידיו הם הורגין אותו בכל מיתה שיתחייב בה, *Ideo attribuerunt illi duos viros sapientes, qui in via observarent verba ejus; quæ si non vana erant, reducebatur: Sin verò nihil inveniebatur quod faceret ad ejus innocentiam, educebatur ad locum supplicii.* וכרוז יוצא לפניו איש פלוני בן פלוני יוצא להרג במיתה פלונית על שעבר עבירה פלונית בזמן פלוני ובמקום פלוני ופלונים עדיו וכל מי שיודע לו זכות יבוא וילמד, *Et præco antecedebat eum dicens, Vir ille filius istius egreditur ut plectatur tali morte, eo quod tale peccatum admiserit, illo tempore, hoc in loco; & isti sunt testes ejus. Quisquis igitur est qui aliquid novit quod illi bono esse potest, veniat ut indicet.* היה רחוק מבית הסקילה כעשר אמות אומרין לו התודה שכן דרך כל המומתין מתודין שכל המתודה יש לו חלק לעולם הבא שכן מצינו בעכן שאמר לו יהושע בני שים נא כבוד לאלהי ישראל ותן לו תודה ויען עכן את יהושע ויאמר אמנה אנכי חטאתי וכזאת וכזאת עשיתי ומנין שכפר לו וידויו שנאמר ויאמר יהושע מה עכרתנו יעכרך יהוה ביום הזה היום הזה אתה עכור ואי אתה עכור לעולם הבא ואם אינו יודע להתודות אומרין לו אמור תהא מיתתי כפרה על כל עונותי, *Si procul abest à loco lapidationis adhuc aliquot ulnis, dicitur ei, Confitere: sic enim facere solent omnes qui mortis supplicio afficiuntur. Quicunque enim confitetur, partem habet seculi futuri. Ità enim invenimus de Achan, quod Jehoschuah dixit ad eum*, Mi fili, da quæso gloriam Deo Israel & da ei confessionem. *Cui respondit Achan, & dixit*, Utique ego peccavi in Dominum Deum Israel, & sic atque sic feci, *&c. Et ait Jehoschuah*, Quia conturbasti nos, conturbabit te Dominus in die hac, *&c. h. e. Hoc die tu quidem conturbaberis, non autem in seculo futuro. Quod si quis ignorabat rationem confitendi, dicebatur illi, Dic, Sit mors mea expiatio omnium peccatorum meorum.* ואחר שנתודה משקין אותו קורט לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו עליו ויתבלבל שנאמר תנו שכר לאובד ויין למרי נפש ואחר כן יהרג במיתה שהוא חייב בה: ותנא: נשים יקרות שבירושלים היו מתנדבות ומביאות אותן, *Postquam verò confessus est, potatur vino thure confecto, in hoc ut indè ratio ejus turbetur atque vehementiùs inebrietur, secundum illud quod dicitur*, Date siceram perituro, & vinum eis qui amaro sunt animo. *Post illam verò potationem mortem luebat quam commeruerat. Constat quoque ex traditione, honestas matronas Hierosolymis fuisse quæ suâ sponte hoc genus vini suppeditabant.* היה רחוק מבית הסקילה ארבע אמות מפשיטין אותו בגדיו האיש מכסין אותו מלפניו והאשה מלפניה ומלאחריה ואומרין חכמים שהאיש נסקל ערום ואין האשה, *Reo quatuor cubitis à loco lapidationis distanti vestes extrahebantur. Viri quoque pudenda tegebantur; Mulieris verò & anteriora & posteriora. Quidam tamen ex Sapientibus dicunt virum nudum lapidatum fuisse, non autem mulierem*, בית הסקילה היה גבוה שתי קומות העולה שם וידיו אסורות ואחד מן העדים דוחפו על מתניו לנפול על הארץ ואם לא מת מדחיה זו מגביהין העדים אבן שהיתה מונחת שם משא שני בני אדם והאחר משליכה בכח עליו ואם לא מת רגימתו בכל ישראל שנאמר יד העדים תהיה בו בראשונה להמיתו ויד כל העם באחרונה, *Locus lapidationis altitudinem habebat duorum cubitorum; ad quem reus vinctis manibus ascendebat. Illum alter testium præcipitem dabat è sublimi: ex qua præcipitatione si non fuit mortuus, elevabant testes lapidem ibidem jacentem habentem pondus duorum hominum, quem alter testium super eum projiciebat. Quod si nè sic quidem mortuus fuit, tum demum accessit totus Israel; & lapidavit eum*, juxta illud, Manus testium erit in eo primùm ad occidendum eum, deìn manus universi populi. וכי נערה המאורסה שזנתה סוקלין אותה אל פתח בית אביה או פתח שער העיר, *Quando verò puella desponsata scortata est, lapidata fuit ante fores domus patris sui, vel ad fores portæ civitatis.* כל הנסקלין נתלין וחכמים אומרים אינו נתלה אלא המגדף והעובד עבודה זרה האיש תולין אותו פניו כלפי העם והאשה כלפי העץ *Omnes lapidati suspenduntur. Tametsi quidam ex Sapientibus dicunt blasphemum tantum & idololatram suspensos fuisse. Vir ità suspendebatur ut faciem haberet versùs populum, mulier verò versùs stipitem.* כיצד תולין אותו משקיען את הקורה בארץ והעץ יוצא ממנה ומקיף שתי ידיו זו לזו ותולין אותו סמוך לשקיעת החמה ומתירין אותו מיד והעץ שנתלה עליו נקבר עמו *Ad hunc autem modum suspensio fiebat; Trabs immergebatur in terram, cujus pars superior indè eminebat. Conjunctæ erant manus suspensi. Suspendebatur autem sole jam ferè occidente: mox inde rursum auferebatur; simulque cum eo lignum in quo suspensus fuerat sepeliebatur.* Hactenus de supplicio lapidationis. Jam de illis quæ igne punita fuerunt. De istis ità scribunt, כל הנשרפים עשרה ואלו הן בת כהן שזנתה תחת בעלה והבא על בתו ועל בת בתו ועל בת בנו ועל בת אשתו ועל בת בנה ועל בת בתה ועל חמותו ועל אם חמיו והוא שבא עליה בחיי אשתו, *In universum decem erant genera hominum qui igne plectebantur, Nempe hi, Filia sacerdotis quæ fornicata erat sub marito suo, qui rem habuit cum filia sua, vel cum nepte sua, vel cum filia filii sui, vel cum filia uxoris*

uxoris suæ, vel cum filia filii ejus, vel cum filia filiæ ejus, vel cum socru sua, vel cum matre socrûs suæ, vel cum matre soceri sui. Porrò de modo comburendi hæc tradunt, מצות הנשרפין היו משקעין בזבל עד ארכובותיו ונותנין סודר קשה לתוך הרכה וכורך על צוארו זה מושך אצלו עד שפותח את פיו ומדליק את הפתילה וזורקה לתוך פיו ויורדת לתוך מעיו וחומרת את בני מעיו *Præcepta de comburendis hæc sunt: Immergebatur reus in stercus usque ad genua. Dein applicabatur mappa collo ejus, quæ à duobus utrinque trahebatur donec os aperiret, quo aperto, mox incensum ellychnium in illud immittebatur, quod immissum descendebat in viscera ejus, & statim ea comburebat.* אלו הן הנהרגין הרוצח ואנשי עיר הנדחת רוצח שהכה את רעהו באבן או בברזל וכבש עליו לתוך המים או לתוך האור ואינו יכול לעלות משם ומת חייב דחפו לתוך המים או לתוך האור ויכול לעלות משם ומת פטור וגו׳, *Isti sunt qui capite plectuntur; Homicida, & homines civitatis quæ defecit ad idololatriam. Homicida qui percusserit proximum suum lapide aut ferro, & impellit eum in aquas, aut in ignem, unde non queat rursum ascendere, ita ut moriatur, talis reus est. Quod si detrudit eum in aquas, aut in ignem, unde potest egredi rursum, & moritur, talis non est reus, &c.* מצות הנהרגין מתיזין את ראשו בסיף כדרך שהמלכות עושה, *Præceptum de decollandis est, quod gladio præscinditur caput, sicut hodie magistratus faciunt.* אלו הן הנחנקין המכה אביו ואמו וגונב נפש מישראל וזקן ממרא על פי בית דין ונביא השקר והמתנבא בשם עבודה זרה והבא על אשת איש וזוממי בת כהן ובועלה, *Isti sunt qui strangulantur; Qui percusserit patrem suum, & matrem suam; qui furatur animam de Israel; senex qui contradicit consistorio; pseudopropheta, & qui prophetat in nomine idoli; qui rem habet cum uxore alterius; qui traducit filiam sacerdotis, & qui subagitat eam.* מצות הנחנקין היו משקעין אותו בזבל עד ארכובותיו ונותנין סודר קשה לתוך הרכה וכורך על צוארו זה מושך אצלו וזה מושך אצלו עד שנפשו יוצאה, *Præcepta de strangulandis hæc fuerunt; Imponebatur in stercus usque ad genua, injectâ scilicet mappâ in collum ejus, quam duo hinc & hinc ad se trahebant donec ille afflaret animam.* Hactenus de quatuor suppliciis & generibus mortis quorum usus olim fuit in Israel.

18. *Lecto decubuerit ut non possit laborare*] Sensum reddidi; nam ad verbum est, *Et ceciderit in vacationem*, sive *cessationem*, scilicet operis. h. e. si ex ista percussione ità læsus fuerit ut ad tempus decumbere, à laboribus vacare, atque ita temporis jacturam facere cogatur.

20. *Judicando judicabitur*] i. punietur prout judices dijudicaverunt.

IDEM.

3. אם בגפו יבא בגפו יצא *Si cum corpore suo veneris; cum corpore suo egredietur*,] Sunt qui sugillant Vulg. interpretem, quasi hallucinatus sit in eo, quod ubi alii legunt, *si in corpore suo sic veneris*, &c. ipse legat, *cum quali veste intraverit*, &c. Verùm illi nesciunt vocem Hebraicum גף non tam *corpus* sive *personam* quàm & *alam vestimenti* significare, teste R. D. Kimhi, q. d. *si in ala sua venit*, &c. h. e. si solus venit cum ala sui vestimenti tantùm, &c. Et Lyranus legit *si in panno suo venit, in panno suo exeat*, h. e. ut ipse quoque exponit, *si solus venit, sive sine uxore, solus exibit.* Similem locutionem dicit esse hanc, *in baculo meo transivi Jordanem istum*, h. e. *solus transivi.* Et hunc sensum expressit quoque Paraph. Chaldæus; similiter & LXX. Aliis tamen magis placet ut גף pro *corpore* sive *persona* exponatur hoc modo, *si in solo corpore suo*, sive *sola persona sua*, venerit, *absque uxore*, &c. Sed non est quòd de verbis contendamus ubi de sensu constat; sive enim גף *Gaph* pro *corpore* sive pro *veste* accipias idem tamen sensus resultat.

8. 9. 10. 11. &c. אם רעה בעיני אדניה אשר לא יעדה והפדה *Si displicuerit oculis Domini sui, & non despondit eam, redimet eam*, &c.] In quibus LXX. & Vulg. interpres dissentiunt à veritate Hebraica facile est videre illorum versiones cum illa conferenti: quia verò nostri Commentatores verum hujus loci sensum non assecuti esse videntur, cujus causà dissonæ ab Hebraica veritate translationes esse videntur, idcirco ex Hebræis obiter ostendam quis sit hujus loci sensus simplex & genuinus. Primum sic habet Textus, *Si quisquam vendiderit filiam suam*, sub. *paupertate aut necessitate aliquâ coactus, non egrediatur sicut egrediuntur servi:* servis enim ante septimum annum exire non licebat: septimo prætereà anno si exire servus nolebat, eò quòd diligeret dominum suum, usque ad annum Jubilæi posteà servitute domino suo obstrictus erat. Secùs verò cùm puella erat; ea enim semper redimere sese poterat, præsertim si minorennis vendita jam nubilis esse inciperet. Quod sequitur in Textu, *si displicuerit domino suo, & non despondit eam*, &c. noveris eà conditione puellas Hebræas à parentibus suis venditas fuisse, ut domini qui eas emerent sibi easdem desponsarent matrimonióque copularent; quòd si temporis successu domino displiceret, quò minùs cum ea connubia jungeret, potestatem redimendi sese illi facere cogebatur: illa autem redemptio ad hunc modum fiebat, Si puella pro sex libris empta erat, discessura à domino suo, tot de ista summa decedebant libræ quot annis servierat; quot verò anni adhuc usque ad septimum annum reliqui erant, tot libras pro redemptione sui domino numerare cogebatur. Alieno verò viro etiam Israelitæ (nam Gentibus nullo modo puellam Hebræam vendere licebat) non habebat potestatem, si videlicet displiceret ei, & ob id ipse putaret hoc sibi licere quòd prior emisset, indéque in eam nonnihil juris & potestatis haberet. Hoc tamen illi permissum erat ut filio suo eam desponsaret si ipse eam ducere nollet; eà tamen lege ut *juxta morem filiarum Israel* cum ea ageret, h. e. ut dotem illi daret prout moris erat in Israel, nihil scilicet causans quòd serva esset emptitia, quódque filio suo eam traderet: imò si adhuc aliam superinduceret quam simpliciter filio suo matrimonio copularet, illa non propterea eò vilius tractari debet; quin operam dare debet ut in alimento, vestitu, debito denique conjugali nihil illi decedat: quòd si tria ista non fecerit, h. e. si dominus non desponsaverit eam sibi, si non fecerit ei redimendi sese potestatem, si denique filio suo non desponsaverit eam, egredietur libera *sine argento*, h. e. nihil omnino pecuniæ tum domino suo pro sui redemptione numerare tenetur. Hactenus sensum hujus loci ex Hebræis citavimus; jam in quibus nostræ Translationes à veritate Hebraica dissentiant quoque ostendam. Primùm variatio est ibi, *cui tradita fuit*, Hebraicè, *qui non despondit eam.* Secundò, *dimittet eam*, Hebraicè, *faciat redimere eam*, h. e. redimendi sese potestatem illi faciet. Tertiò, *providebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit*, Hebraicè, *victum ejus, vestimentum ejus, & conjugale debitum ejus non imminuet:* שארה Hebræis non *nuptias* significat, ut Vulg. interpres transtulit, sed *cibum* quemvis. Dein עונתה non *pretium pudicitiæ*, sed *debitum conjugale* sive *tempus coitûs* determinatum, ut Hebræi exponunt, significat.

22. ויצאו ילדיה ולא יהיה אסון *Ut egrediantur nati ejus & non fuerit exitium*] Variatio est in illo ולא יהיה אסון, *& non fuerit exitium*, sive *mors*, ut Chaldæus vertit. Hoc autem alii ad *fœtum* sive *abortivum* referunt, ut LXX. hoc sensu, quòd si puer qui ex percussa matre egredietur, non fuerit perfectus & effigiatus, non sit is qui percusserit culpæ obnoxius. Alii verò ad *matrem* referunt, quòd si ipsa supervixerit & non morietur percussa, subjacebit pœnæ juxta petitionem mariti & sententiam arbitrorum. Et hanc posteriorem sententiam sequuntur Hebræi.

VATABLUS.

1. *Judicia*, משפטים] Hæc est sexta hujus libri partitio Hebræis, quam inscribunt משפטים *Judicia*, i. leges quibus lites ortas dirimerent. ¶ *Quæ pones coram eis* אשר תשים לפניהם] *Quæ propones eis*, i. quibus utentur in dirimendis litibus.

2. *Liber*, לחפשי] Quidam Hebræorum annotant ל redundare, & exponunt ut noster interpres vertit. Alii vertunt, *ad liberum*, sub. *locum*, i. ad locum in quo sit liber. q. d. Egredietur è domo domini sui ad domum suam. Alii volunt ל redundare, vertentes, *ad libertatem*; atque sic exponit magni nominis vir apud illos. ¶ *Gratis*, חנם] i. sine argento. Paulò post v. 11. utrumque junxit Moses, חנם אין כסף *gratis sine argento.*

3. *Si cum corpore suo*, &c. אם בגפו וגו׳] Hebraismus, si solus sine uxore venerit in domum tuam, sine uxore exibit. Quidam vertunt, *Si cum veste sua*, &c. verùm non tam rectè, quòd statim sequatur, *si verò uxorem habuerit.*

4. *Cum corpore suo*, בגפו] Hebraismus, ut v. 3. i. liber.

5. *Diligo*, אהבתי] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Non egrediar liber*, לא אצא חפשי] i. nolo donari libertate.

6. *Tunc adducet eum*, והגישו] Ad verb. *Et accedere faciet eum.* ¶ *Adducet eum præterea*, והגישו] *Et appropinquare faciet eum*, vel, *admovebit eum*, vel *applicabit.* ¶ *In seculum*, לעולם] i. longo tempore: h. e. usque ad jubileum, sive is annus propè fuerit, sive longè abfuerit, q. d. legibus non cogetur herus donare illum libertate. Sic exponunt locum istum Hebræi. Etiam vox Hebræa לעולם non semper *æternum*, *sempiternum*, *perpetuum*, & *infinitum tempus* significat; sed aliquando *longum & determinatum tempus*, ut hoc loco.

7. *Quemadmodum* &c. כצאת העבדים] i. non eà lege, sed

potiore.

potiore. Servi enim quando libertate donabantur; nudi & sine præmio egrediebantur: filiæ autem, cum mercede.

8. *Displicuerit hero suo*, אם רעה בעיני אדניה] Ad verb. *mala fuerit in oculis heri sui.* ¶ *Qui jam*, &c. אשר לא יעדה] *Qui non despondit eam.* Scribitur apud Hebræos לא, & legitur לו *sibi.* Hebræi scribunt quindecim esse locos Scripturæ in quibus לא scribitur, & legitur לו, quorum iste est unus. Chald. paraph. atque LXX. legunt לו *sibi.* Legendum igitur, ut vertit noster interp. *qui jam sibi desponsavit eam* vel *despanderat.* [illegible] enim conditione Hebræorum puellæ vendebantur, ut heri, qui eas emerent, simul quoque matrimonio eas sibi copularent. ¶ *Redimere faciet eam*, והפדה] i. dabit pecuniam quâ illa redimatur, aut saltem remittet illi pecuniam servitii: ac perinde quasi pretium pro redemptione ejus accepisset, liberam eam abire permittet. Redemptio ità se habebat; Si pro sex libris eam emisset herus, discessura, tot de ista summa decedebant libræ, quot servierat annis; quot verò anni usque ad septimum annum adhuc reliqui erant, tot libras hero suo pro redemptione sui numerare tenebatur. ¶ *Quum spreverit eam*, בבגדו בה] *Quum spernat eam*; nam est infinit. Heb. Alii, *quum prævaricatus fuerit in eam*, i. si corruperit eam. Id significabit, si legeris, ut vertit interp. *qui sibi desponsavit eam.*

9. *Secundum morem filiarum*, כמשפט הבנות] h. e. dotem ei dabit ut moris est in Israel dare puellis: nihil videlicet causans quòd serva sit, quódque filio suo eam desponset.

10. *Si aliam acceperit illi*, אם אחרת יקח לו] Sub. *pater.* i. si aliam uxorem tradet filio suo. Alii, *Si aliam accipiat sibi*, sub. *filius.* ¶ *Alimentum ejus*, &c. שארה וגו'] i. antequam amittat eam à se, oportet ut provideat illi de victu & vestitu; détque illi integrum præmium pro tempore quo rem habuit cum ea. Doctiores vertunt, *victum ejus*, *vestitum ejus*, & *mercedem pudicitiæ* [i. virginitatis corruptæ] *non negabit illi.* Nam עונה *tempus concubitûs*, vel *concubitum* significat. Gallicè dicimus, *pucelage*; i. providebit illi de victu, vestitu, & præmio ob pudicitiam ejus à se corruptam.

11. *Tria hæc*, שלש אלה] i. si non desponsaverit eam sibi, si non dederit redimendi locum, filio quoque suo non desponsaverit eam. ¶ *Egredietur*, ויצאה] Ad verb. & *egredietur.* ו non est vertendum, quòd tantùm convertat præt. in fut. i. donabitur libertate. ¶ *Absque argento*, אין כסף] Deest ב ante אין, ut sit באין *in non argento*, pro, *sine argento.*

13. *Fuit causa*, &c. אנה לידו] Chald. paraph. *à facie Domini traditus est.* i. sed Dominus voluit illum incidere in manum ejus ob latentem aliquam causam. Quod ferè fieri dicunt Hebræi dum aliquis peccatum seu flagitium aliquod perpetravit, propter quod non est punitus à Magistratu; & tamen tale peccatum est quod excidium sive exterminium prænaturæ mortis mereatur. ¶ *Tunc ponam*, ושמתי] i. tunc designabo. De loco Asyli loquitur.

14. *Superbè egerit*, יזד] *Superbierit*; per superbiam & arrogantiam interfecerit proximum. ¶ *Ab altari meo*, ממזבחי] i. à loco sacro; q. d. Nusquam erit tutus.

15. *Moriendo moriatur*, מות יומת] i. sententiâ Judicum interficiatur.

16. *Et inventus*, &c. ונמצא בידו] Hebraismus, Si convincatur hujus facti vel criminis.

18. *Sed deciderit in lectum*, ונפל למשכב] *Sed decubuerit lecto.*

19. *Super baculum suum*, על משענתו] i. innixus scipioni suo. ¶ *Tum innocens erit*, ונקה] Sub. *à cæde.* Quidam vertunt, *tunc insons reputabitur.* sive, *habebitur pro insonte*, i. non censebitur homicida. ¶ *Cessationem ejus*, שבתו] Sub. *ab opere*, i. jacturam operis quam fecit cessando. ¶ *Et medendo mederi faciet*, ורפא ירפא] *Et curando curabit*, i. impensas in medicos solvet.

20. *Et mortuus*, &c. ומת תחת ידו] Hebraismus, pro *Interfecerit percutiendo manu suâ.* ¶ *Vindicando vindicabitur.* נקם ינקם] i. punietur. Chald. paraph. *judicando judicabitur*, i. criminis reus punietur, prout judicaverint Judices. Paulò pòst v. 22. dicit, *puniendo punietur.*

21. *Persisterit*, *non vindicabitur*, יעמד לא יקם] i. supervixerit, non punietur. ¶ *Pecunia ejus est*, כספו הוא] i. comparatus est pecuniâ ejus.

22. *Ità ut egrediantur*, ויצאו] Ad verb. & *egressi fuerint*, &c. i. & fecerit abortivum. ¶ *Secundùm judices*, בפללים] i. juxta sententiam Judicum. Ad verb. *in judicibus.* q. d. Mulctabitur eâ mulctâ quam imposuerit maritus sententiâ Judicum arbitrorum; i. dabit quantum arbitri censuerint.

23. *Fuerit*, יהיה] *Supervenerit.* ¶ *Tunc dabis*, ונתתה] i. pœnæ talionis subjicieris: ut interfecisti, interficieris: si oculum erueris, eruetur tibi oculus: si dentem alicui fregeris, dens tibi frangetur, &c.

26. *Liberum dimittet eum*, לחפשי ישלחנו] *Manumittet eum*; *donabit illum libertate*; *finet illum*; vel *illam*; *abire propter oculum quem perdidit.*

28. *Lapidando lapidabitur*, סקול יסקל] *Lapidibus obruetur.* ¶ *Erit innocens*, נקי] *Absolvetur*, *habebitur pro insonte*: ut v. 19.

29. *Ab heri & nudiustertius*, מתמול שלשם] Hebraismus; à multo tempore, vel antea. ¶ *Et contestatio*, &c. והועד] *Et adhibitis testibus denuntiatum fuerit.* ¶ *Custodierit eum*, ישמרנו] *Servaverit eum*, *continuerit*; *recluserit.* ¶ *Morietur*, יומת] *Interficietur*, sententiâ Judicum scilicet.

30. *Pretium redemptionis*, כפר] Ad verb. *redemptio.* i. si habeat à Judicibus potestatem redimendi se. ¶ *Redemptionem*, &c. פדיון נפ'] i. pro redemptione vitæ suæ omnino quantum imperatum fuerit illi; h. e. tantam pecuniam quanta imperata fuerit. Ad verb. *redemptionem animæ suæ secundùm omne quod impositum fuerit super eum.*

31. *Sive filium cornupetierit*, או בן יגח] q. d. Hæc lex intelligitur tam de parvulis quàm de magnis: eidem omnes subjacebunt sententiæ sive legi.

32. *Argenti triginta siclos*, כסף שלשים שקלים] *Argentum*, nempe *triginta siclos.* ¶ *Domino ejus*, לאדניו] Sub. *servi*; aut *ancillæ.*

33. *Aperuerit*, יפתח] Intelligit de cisterna priùs effossâ, quam repletam quis emundaverit, & rursum aperuerit: & de cisterna recens effossâ.

34. *Reddet argentum*, כסף ישיב] i. resarciet damnum summâ quadam pecuniæ. ¶ *Et quod mortuum est*, והמת יהיה לו] i. habebit tantùm cadaver.

35. *Et partientur*, וחצו] Ad verb. & *dimidiabunt*: ut & mox.

36. *Ab heri & nudiustertius*; מתמול שלשם] i. à multo tempore: ut v. 29. ¶ *Illius*, לו] Cujus scilicet bos interfecit alterum.

C A S T A L I O.

10. *Si aliam*] Scilicet præter eam. ¶ *Congressû nè fraudato*] Scilicet maritali.

13. *In eum forte fortunâ incurrerit*] Heb. *Deus ejus manui injecerit.* Sed *Deus* pro *fortuna* Hebraicè ideo dicitur, quòd quæ putant homines casu fieri, utpote quæ non præviderint, ea Dei providentiâ fiunt, cui nihil fortuitum esse potest. Græci quoque δαίμονα pro *fortuna* dicunt; indè εὐδαίμων, *felix*, & κακοδαίμων, *infelix*: & Cicero testatur, Deum fortunam vocari.

21. *Quoniam pecunia ejus est*] i. ejus juris est.

36. *Bovem bove pensato*] Vivum vivo.

C L A R I U S.

3. *Cum quali persona*] h. e. Si in sola personâ venerit absque uxore. Potest & accipi pro *veste*, ut quidam Hebræorum docent, & erit idem sensus. Qui enim seipsum vendit, nihil proprii habet præter vestes, & uxorem, siquam habet. At observa, ut post Decalogi & divini cultûs præcepta statim leges de judiciis ferat, quæ erga servos servanda sint, contra miseram mortalium arrogantiam, qui nunquam naturam ipsam sciunt contemplari, in exteriori duntaxat ornatu & specie occupati.

6. *Diis*] Judicibus. Consuevit enim Scriptura quidvis excellens *Divinum* appellare. Et verè hominem in homines jus habere, Divinum quiddam est. ¶ *Servus in sæculum*] h. e. usque ad Jubilæum, sive is annus propè fuerit, sive longè abfuerit. Sic enim Hebræi communiter exponunt hunc locum.

7. *Non egredietur*] Videtur significare, si emptor spem fecerit despondendi sibi eam, vel dandi filio, tunc eam debere esse meliore conditione, si dimittatur, quàm cæteræ ancillæ.

8. *Sinet eam redimi*] Facultatem concedet ut sese redimat.

9. *Juxta morem filiarum*] Sensus est, non subtrahet illi victum & amictum & debitum conjugale.

10. *Et pretium pudicitiæ non negabit*] Alius vertit, & *conjugale debitum non minuet.*

11. *Si tria ista*] h. e. Si neque ipse eam acceperit uxorem, neque filius, neque cognatorum quisquam redemerit eam, potiùs quam alicui eam non suæ gentis vendat, liberam absque pecunia abire sinet.

13. *Deus illum tradidit*] Cùm scilicet quis ab eo occiditur qui tamen nunquam cogitavit, etiam in hora cùm eum occidit, ullum hominem occidere. Id autem vocat Scriptura *fato tradere.*

19. *Operas ejus*] h. e. Compenset damnum vacationis ab opere, quo se alere debebat.

20. *Qui percusserit servum suum*] Hic videtur pœna occisoribus heris posita esse non ob homicidium (cùm mox sequatur, Non plectendum dominum si servus post duos dies moritur) sed ob atrocitatem.

24. *Oculum pro oculo*] Dicunt hic Hebræi communiter hunc locum non esse ad literam intelligendum, sed fieri debere compensationem per bona externa, ut qui sic hominem læserit teneatur ad quinque: ut scilicet compenset Damnum, ut si amputaverit manum vel pedem; Operas, quas interea dum decubuit amisit; Dolorem quoque; & Medicinam; & Confusionem, ut si in loco patenti, puta in facie, esset læsus.

30. *Quòd si pretium fuerit ei impositum*] Iste locus non pugnat cum eo ubi dicitur, *Non accipies pretium redemptionis ab homicida*, quia ibi loquitur Scriptura de homicida voluntario, hic verò de eo propter cujus negligentiam homo interit, cùm bovem ligare & claudere debuerit.

LUC. BRUGENSIS.

16. 17. EO ordine multi codices Latini cum Græcis exemplaribus hos versus legunt, ut eum qui parentum percussorem interficiendum præcipit, is sequatur qui in parentes maledicos mortem decernit, atque hunc is qui plagiarium condemnat: sic nimirum illæ conjunguntur leges quæ in eos qui injuriâ parentes afficiunt latæ sunt, quomodo Rabanus conjunxit explicandi gratiâ. Verùm monet Corrector versus hos, juxta antiquos codices, transponendos esse, nempe, ut decimus sextus sit qui est decimus septimus & è contrà, decimus septimus qui decimus sextus, ut, inter duas leges, quæ parentum contemptores judicant, media sit quæ plagiarium damnat. Hunc ordinem & in quibusdam nostrorum scriptorum atque in Regiis Bibliis vidimus: eundem insinuat Rabanus; itsque Hebraici textûs & Chaldaicæ paraphraseos.

DRUSIUS.

6. ADmovebit eum ad Deos] h. e. ad judices. Codex Hebræus hic habet *Elohim*, in quo sensus judicii. Propriè igitur loquitur; aut ità eos vocat quia Dei munus obeunt in terra. Sic, *Deus in medio deorum*, i. judicum. Vocantur etiam *domus judicii*, ut cùm dicunt, *domus judicii cogunt eum*, i. judices. Cæterùm in judicio includitur & damnatio: unde sæpe pro *damnare* ponitur. Damnat enim judex sontes, & absolvit insontes. Sunt qui Sacerdotes etiam *Deos* dici asserunt. Concedo quatenus judices erant, non quatenus ministri sacrorum, h. e. sacerdotes. Nam domus judicii constabat ex posteris Levi. Non omnes erant Levitæ, sed tamen erant inter eos tam Levitæ quàm sacerdotes. Hi quia judices erant, vocantur propterea *Elohim*, ut ibi, *Diis non maledices*. Christus latiùs id nomen extendit. Nam vocat *deos* omnes *ad quos Dei sermo pervenit*. Hoc non præjudicat sententiæ nostræ. ¶ *Serviet in seculum*] h. e. usque ad Jobilæum. Malè quidam, *annos quinquaginta*. Nam si Jobilæus aure perforatâ instabat, tantùm serviebat tot annos quot adhuc supererant. Si parùm supererat, serviebat paucos annos; si multum, multos. Quidam malunt, *serviet ei quamdiu vivet dominus ejus*. Paulò aliter Horatius,

Serviet æternùm qui parvo nesciet uti.

h. e. quamdiu vivet.

14. Nicolaus de Lyra (natione non Anglus, ut hactenus creditum fuit, sed Belga, ex Lira oppido Brabantiæ ut suspicor, oriundus: unde se *Brabantinum* scribit) hodie à paucis legitur. Olim aliter fuit. Nam ut omittam Theologos, ipse Rex Alphonsus sæpius eum legisse perhibetur (nisi fallor, decies ter) unà cum Glossa ordinaria. Quòd nunc ità negligitur, non est mirum. Nam ipse textus quoque negligitur. Quotusquisque enim est qui de eo intelligendo ità ut oportet laborat? Omnes è commentario sapimus, & ab alieno judicio pendemus. Hoc satis est: hæc meta Theologiæ. Sic verbum Dei enarramus populo, cujus millesimam partem non intelligimus. Ferri hoc posset, si non essemus infesti iis qui nobis facem ad hoc præferunt. Igitur Nicolaus ille, ut Antoninus autor est, ex Judæo Christianus, ut Mercerus testatur, simius R. Salomonis fuit, quem sæpe laudat, & aliquando non optimè intellexit. Locus iste fidem ejus rei faciet. Moses ait Exod. 21. 14. *Cùm quis superbè egerit contra proximum suum occidendo eum per dolum, ab altari meo rapies eum, ut moriatur.* Glossa Nicolai, *etiamsi fuerit sacerdos, ut dicit R. Salomo, nisi inceperit officium ministrandi in altari, in quo casu erat exspectandum complementum ministerii.* Vide sequentia. Conferamus nunc ea cum verbis R. Salomonis, qui ad hunc locum ità scribit, *Si fueris sacerdos, & volueris sacrificare, rapies eum ad mortem.* Hic nulla exceptio. Nam etiam sacris operans ab altari rapiebatur. Quod antiquissimi Hebræorum observarunt. Vide Abenezram. Jonathan Chaldæus paraphrastes, *Etiamsi sacerdos ipse fuerit, & ministraverit ad altare meum, inde rapient eum, & occident gladio.* Autor Jerosolymitanæ, *Licet ipse sacerdos magnus fuerit qui stet & ministret coram me, inde rapient eum, & occident eum.* Quæ clarè docent etiam post cœptum officium ministrandi ab altari raptum sacerdotem, nec exspectatum fuisse complementum ministerii.

17. *Qui maledixerit patri suo aut matri sua morti adjudicator*] Doctores Hebræi locum hunc enarrant de eo qui maledicit per nomen Jod, He, Vau, He; quod appellant *quadriliterum*, & nomen *explicatum* sive *expositum*. Sic quoque Jonathan, qui etiam mortis genus definit lapidationem, ut & R. S. & alii. Cui firmando quod Lev. 20. 9. *sanguis ejus super eum.* Nam hoc non dicitur, inquit R. S. nisi de lapidatione. Verba ejus sunt, *Ubicunque habetur* sanguis ejus super eum, *debet intelligi de lapidatione.* In eadem sententia fuit Hiscuni, qui Exod. 22. 1. colligit eum qui cum jumento concubuerat lapidatum fuisse, quia de hac facti specie legitur *Sanguis eorum super eos*, Lev. 20. 16. Vide si s A. M. ad eum locum.

IDEM.

6. אל האלהים · A. & Sym. πρὸς τοὺς θεούς, *ad deos*] Locus iste plenior exstat in Fragm. meis M. S. אל האלהים · והגישו A. Sym. καὶ ἄξει αὐτὸν πρὸς τοὺς θεούς, *& ducet illum ad deos.* Vide Theodoret. Quæst. 8. in Deut. Hic perspicuè *deos* appellat ipsos Judices. Nec aliter intellexerunt Onc. & Jon. Nam transferunt לקדם דיניא *ante judices*, sive *coram judicibus.* Ita quoque S. explicat לבית דין *ad domum judicii* i. ad ipsos judices. Sic dicunt, *domus judicii cogunt eum*, i. ipsi judices.

7. וכי ימכר איש את בתו לאמה לא תצא · Alius, καὶ ὅταν πωλήσῃ ἀνὴρ τὴν θυγατέρα εἰς οἰκέτις, ἐκ ἐξελεύσεται, *& cum vendiderit quispiam filiam suam in ancillam, non exibit*] In ancillam: ut sit ancilla aut famula domestica, in famulatum. ¶ לא תצא כצאת העבדים Sym. οὐ προσελεύσεται οὐ προσέλευσιν δούλων, *non accedet quomodo servi accedunt.* Th. οὐκ ἐξελεύσεται, ὥσπερ ἐκπορεύονται οἱ δοῦλοι, *Non exibit quemadmodum egrediuntur servi*] *Quomodo servi accedunt.* Ad verb. *accessu servili.* Cæterùm *accedo* potiùs בוא dicitur.

8. אם רעה בעיני אדניה אשר לא יעדה Sym. ἐι μὴ ἀρέσῃ ὀφθαλμοῖς τῷ κυρίῳ αὐτῆς ἡ μὴ καθωμολογημένη, *Si non placueris in oculis domini sui quæ non desponsa fuerit.* Th. ἐι πονηρὰ ἐστιν ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ κυρίου αὐτῆς, ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτήν, *Si mala est in oculis domini sui, qui non desponderit eam*] *Si mala est.* Latinè, *si displicet.* Interp. vet. *si displicuerit.*

13. ואשר לא צדה · A. καὶ ὃς ἐν μεθώδευσεν, *qui non fuerit insidiatus*] Vel, *qui non fraudulenter circumvenerit.* Interp. Vulg. *qui autem non est insidiatus.* Lex. vet. Μεθοδεύω, *convenio.* Malim, *circumvenio.* Nam μεθοδεία, *occulta & fraudulenta circumventio*, *insidia.* Sic Apostolus dixit, Ephes. VI. πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, adversùs insidias diaboli. ¶ אנה Sym. ἀφῆκεν, *dimiserit*] Priùs erat in Lxx. παρέδωκεν, & in Hieron. *tradidit*, & in Onc. מסריה, *& à* DOMINO *traditus fuerit in manum ejus.*

18. יריבן · A. διαμάχωνται] Lex. vet. Διαμάχομαι *dimico*, διαμάχεται *dimicationem facit.* Lex. Stephani, Διαμάχομαι, *depugno*, *acriter pugno.* Alii ex Hebræo vertunt, *Si rixati fuerint*: quomodo & Hieron. Interp. vetus, Onk. & Jon. ינצון *contenderint*, *litigaverint*, *jurgati fuerint.*

NOTÆ MAJORES.

1. HÆc autem sunt judicia quæ pones coram eis.
2. *Si emeris servum Ebræum sex annis serviet, & septimo egredietur liber gratis.*

Hæc autem sunt] Hiero. *hæc sunt.* Omittit copulam. Nam in Ebræo καὶ ταῦτα: *Et hæc.* Quomodo Græci vertunt, & uterque Chaldæus. Abenezræ de hac particula distichon est

אשר נתן לב לפשטים גם בכללים גם בפרטים
אז יתבונן למה נכתב ו״ו עם אלה המשפטים

Qui ponis cor ad simplicem sensum sive universalem sive particularem. Tunc intelliget cur scriptum sit, Vau cum, Hæc sunt judicia. ¶ *Judicia*] Leges forenses, secundum quas jus redditur civibus. Græcè δικαιώματα. Chald. דיניא. Quanquam in Jonatha סדרי דיניא constitutiones judicum, hoc est ad forum pertinentes, sive leges latæ dirimendis litibus. Forte le-

te legendum משפטי ut sit, *ordines judiciorum.* Thomas, *Quadruplex ordo in aliquo præcepto inveniri potest. Unus quidem principum populi ad subditos: alius autem subditorum ad invicem, tertius autem eorum qui sunt de populo ad extraneos, quartus autem ad domesticos, sicut patris ad filium, uxoris ad virum, domini ad servum. Et secundum istos quatuor ordines distingui possunt præcepta judicialia Veteris Legis.* Vide sequentia. Hic quæritur utrum hæc præcepta judicialia obligent Christianos. Et respondetur communiter Non obligare. Posse tamen magistratum Christianum in repub. sua, si velit, ea recipere. Secus judicandum de ceremonialibus, quæ penitus abolita sunt, & quidem ità, ut ea Christianus observare nullo modo possit, dicente Apostolo, *Si circumdamini, Christus nihil vobis proderit.* ¶ *Pones coram eis*] Hoc est, *propones eis*, ut doctè Hiero. interpretatur. Lxx. ἃ παραθήσεις ἐνώπιον αὐτῶν. ¶ *Si emeris*] Addit Jonathan, *in furto suo.* Vult dicere, furti nomine venditum. Vide infra 22. 3. Accidebat quoque interdum, ut aliquis paupertate pressus se aut liberos venderet, infra vers. 7. & Deut. 15. 12. ¶ *Ebræum*] Onkelos & Jon. *Israelitam.* Verbum è verbo *filium Israel.* Nam Chaldaismo בר ישראל Quod firmat Abenezra his verbis, *Antiqui Doctores nostri dixerunt servum Ebræum esse Israelitam*: tum alio testimonio, ubi habetur, *frater tuus Ebræus.* Sic Synonyma sunt, *Deus Israel & Deus Ebræorum.* Quod noto propter eos qui putant generale esse ad omnes filios Abrahæ, in queis & Israelitæ & filii Ceturæ: sed & filii Esau. Ex his soli Idumæi vocantur fratres, non tamen eo modo, quo Israelitæ inter se fratres sunt. Itaque præceptum illud, *non fænerabis fratri tuo*, ad Idumæos extendi non potest. Idem dicendum de aliis præceptis, in quibus mentio fratris. Vide Jerem. 34. 9. ubi nomen Ebræus explicatur per יהודי Judæus. Quis autem unquam Idumæum appellari audivit Judæum? ¶ *Sex annis serviet*] In Hiero. *serviet tibi.* Sic etiam Lxx. δουλεύσει σοι. ¶ *Servum*] Sub hoc nomine etiam ancilla continetur. Liquet ex loco Jeremiæ modo citato. ¶ *Septimo*] Jonathan, *in ingressum septimi*: vult dicere, ineunte septimo, aut in principio septimi. Jerem. 34. 14. habetur, *à fine septem annorum.* Id exponit Abenezra, *in principio anni septimi. Nam finis*, inquit, *aliquando est in principio.* Nostri dicerent, *septimo anno exclusivè.* Nam annus ille excluditur. Sic, *sex annis seres*, nec amplius. Abenezra, *Iste servus est de quo scriptum est*, infra 22. 3. *& vendetur in furto suo. i. propter furtum suum, quem vendebant judices.* Sed locus ille Levit. 25. 39. *Quum attenuatus fuerit frater tuus & venditus fuerit tibi*: de eo debet intelligi qui seipsum vendit. Hic serviebat usque ad Jubilæum. Abenezra autoritatem non defugiet, ei ergo testimonium denuntiabo. *Traditio*, inquit, *est apud nos marem vendi propter furtum, non fœminam.* Hæc traditio pugnare videtur cum iis quæ habentur Jerem. 34. 9. & 14. ¶ *Liber*] ἐλεύθερος. Ebraicè לחפשי in liberum i. liber revera. Sic, *fuit ei in uxorem* i. uxor revera. Posses vertere *pro libero*: sed hoc aliud significat. Ebræi Lamed redundare dicunt, quod potest esse. Nam legimus שלישי לאבשלום pro tertius Absalom. Onkelos & Jonathan לבר חורין filius liberorum i. liber. Chaldaismus. ¶ *Gratis*] Δωρεὰν, sine pretio.

3. *Si cum corpore suo intraverit, cum corpore suo egredietur, si maritus uxoris ipse fuerit, egredietur uxor ejus cum eo.*

Cum corpore suo] Alii, *cum veste sua.* Utro modo legas, debet aliquid subaudiri, videlicet duntaxat vel tantum: aut sola. i. לבד cum veste sola, vel cum corpore solo. Simile, *cum baculo transivi Jordanem*; quod explicant cum baculo solo. Benè igitur Senes ad sensum ἐὰν αὐτὸς μόνος εἰσέλθῃ· Si ipse solus intraverit. Sic etiam On. & Jon. Nam בלחודוהי id est solus ipse. Hiero. *cum quali veste intraverit, cum tali exeat.* גף ala vestis i. כנף· Alii per גוף explicant. Id corpus denotat. Reperitur & גופה· Nam variæ formæ nominum. Sensus eodem redit. גף pro ala tritum est in lingua Chaldæorum, ubi & אגף & in plurali אגפין cum pleonasmo א· R. Salomo, *Cum veste sua i. sine uxore juxta Thargum, solus.* Nicolaus, in Ebræo habetur, *In panno suo venit* &c. *quod exponunt Ebræi, si venit solus id est sine uxore.* Nam servus nihil habet præter vestem & uxorem. ¶ *Cum corpore suo egredietur*] Non ergo poterit ei dare uxorem è qua liberos suscipiat. ¶ *Si maritus uxoris fuerit*] *Si uxorem habuerit filiam Israel.* Jonathan. *Israelitidem.* R. Salomo. ¶ *Egredietur uxor ejus*] Quam ad illud usque tempus dominus alere tenebatur una cum liberis, si quos habebant. Liberi quoque una egrediebantur. Nicolaus, *& eadem ratione liberi. Nam partus matrem sequitur.*

4. *Si dominus ejus dederit ei uxorem quæ pepererit ei filios aut filias, uxor illa cum natis ipsius erit domini ejus, ipse autem exibit cum corpore suo.*

¶ *Dominus ejus*] אדניו voce plurali. Quod aliam caussam non habet, quam usum linguæ. Nulla enim hic honoris ratio. Tria sunt vocabula, quæ hoc modo usurpantur, Elohim, Adonim, Baalim. Sic particulæ formam habent nominum pluralium עליו contra illum, אליו ad illum, עדיו usque ad illum. Id honoris causâ non fieri certum est. Abenezra, *Homines linguæ sanctæ tribuunt honorem nominibus, non verbis: dicunt* אדון *etiam* אדונים *in forma singulari, ut* אדנים קשה *dominus durus, & cum affixis dicunt* אדניו *dominus ipsius, non* אדנו *quod non invenitur. In prima tamen persona dicimus* אדני *dominus meus, non enim certè fas est dicere* אדני *ne commisceatur cum nomine sacro* אדני: *Contra non licet dicere* אדני *de Deo. Sic* אלהם *&* אלה, & אלהיו, *Deus ipsius. Semel occurrit* אלהו quod per contemptum fieri putant. R. Marinos. *Hæc est virtus Dei ejus: dicit* לאלהו *singulariter & non* לאלהיו *pluraliter* דרך בזיון *per contemptum.* ¶ *Uxorem*] *Uxorem ancillam.* Jonathan. *Hinc eruimus potuisse dominum tradere ei uxorem Chananæam, ut ex ea servos gigneret. Dico Chananæam, quia Israelitis libera exibat.* R. Salomo. *Unam de ancillis suis, alterius gentis, quæ est serva simpliciter, non ad tempus.* R. Salomo. *Hæc mulier sive uxor juxta sententiam sapientum nostrorum erat Chananæa, videlicet ex incolis aut proselytis, qui habitabant inter eos. Nam scriptum est, Ex illis emes servum aut ancillam: & sic de omni servo Chananæo. Nam de septem gentibus scriptum est, Non vivificabis ullam animam: Et in Salomone scriptum, de gentibus quas DOMINUS dixit, Ipsæ non venient inter vos neque vos inter eas: Quod intelligendum de mulieribus Sidoniis, Hetthæis: non de Moabitis, Ammonitis.* Abenezra. ¶ *Cum natis ipsius*] Ebraicè, *& nati sive liberi ejus.* Hiero. *mulier & liberi ejus erunt domini sui.* תהיה pro יהיו· Quod novum non est. ¶ *Ejus*] Servi. Hoc vult, Dominus servi retinebit sibi uxorem, quam ei dederat, & liberos quos ex eâ uxore servus genuerat. Observa novum genus repudii, si repudium appellari potest, quod fiebat sine libello, & quandoque ut credibile est, invito marito. Vide ad hunc locum Tremel. & Nicolaum.

5. *Quod si dicendo dixerit servus ille, Diligo dominum meum, uxorem meam & filios meos, non egrediar liber.*

6. *Admovebit eum dominus ejus ad Deos, & admovebit eum ad ostium aut ad postem, perforabitque dominus ejus aurem ejus subula, servietque ei in seculum.*

Si dicendo dixerit] Tremel. *si ingenuè dixerit.* ¶ *Dominum meum*] אדני terminatione singulari, non אדני quia periculum erat, ne cum nomine divino confunderetur, ut diximus. ¶ *Filios meos*] Τὰ τέκνα μου, prolem meam, liberos meos. ¶ *Liber*] חפשי ἐλεύθερος, ut נכרי extraneus. Hinc argumentum petes contra eos qui לחפשי dictum putant pro לחפש in libertatem, ut Jod addita sit quemadmodum in הרבי & similibus. ¶ *Admovebit eum*] והגישו & applicabit sive accedere faciet. Hiero. *offeret eum.* Lxx. προσάξει αὐτὸν adducet eum. On. & Jon. *appropinquare faciet.* ¶ *Ad Deos*] אל האלהים Aquila, & Sym. πρὸς τοὺς θεούς. Hic perspicuè Deos appellat ipsos judices. Vide supra. Nec alia mente Senes verterunt, πρὸς τὸ κριτήριον, ad tribunal. Hesychius, κριτήριον, δικαστήριον, δοκιμαστήριον. Lex. vet. *judicium, examen*: Idem Lex. *tribunal* βῆμα. In Stephani Thesauro, κριτήριον, *locus ubi judicatur, Judicis tribunal.* Theodoretus in Deutero. Quæst. 8. Θεοὺς τοὺς κριτὰς ὀνομάζει· θεοὺς γὰρ φησιν οὐ κακολογήσεις, καὶ ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς· καὶ ἐνταῦθα δὲ εἶπον οἱ ἑβδομήκοντα, ἄξεις αὐτὸν εἰς τὸ κριτήριον: οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀκύλαν καὶ τὸν Σύμμαχον, ἄξεις αὐτὸν πρὸς τοὺς θεοὺς ἡρμήνευσαν, θεοὺς τοὺς κριτὰς ὀνομάσαντες. Idem Quæst. 51. in Exodum, Τοὺς κριτὰς ὀνομάζει θεούς, ὡς κατὰ μίμησιν τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ κρίνειν πεπιστευμένους· Abenezra, אלהים *judicantes* (erigentes, sciscitantes.) *judicium Dei in terra.* Idem Gen. 1. 1. *homines qui se exercent in judicio Dei vocantur sic*: ושם אלהים כמו מלך *& est Elohim idem fere quod rex.* R. Levi, *ad judices.* Tremel. *coram magistratibus ipsis.* Rupertus, *Deos sacerdotes intellige secundum quod dictum est ad Moysen, Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et malè explicat, & malè probat. Nam Moses non tantum sacerdos erat, sed etiam princeps populi. Tamen Lippomanus videtur idem sensisse. Ait enim, *Voce Elohim significari novimus etiam judices ac summos viros seu etiam sacerdotes, quod innuit hic sacer contextus. Consuevit enim Scriptura quidvis excellens divinum appellare. Et vere homines in homines jus habere, divinum quoddam est.* Non persuades, Lippomane, nisi ex alio textu id probes. Nam ut demus ex ju-

ex judicibus sacerdotes fuisse, tamen dii non vocantur quatenus sacerdotes, sed quatenus judices fuerunt. ¶ *Ad ostium*] אל הדלת Tremel. *ad januam suam*, vult dicere, domus suæ. Alii ad fores portæ, in qua judices sedebant, referunt. Sic Abenezra. Nam hoc fiebat coram judicibus. Jon. *Et accipiet ab illis (judicibus) potestatem & applicabit eum ad ostium tabulæ postium.* R. Levi, *Stabit servus juxta ostium aut juxta postem vicinum, ut tanto facilius possit auris perforari.* Nicolaus, *applicabitur ad ostium de mandato judicum.* ¶ *Perforabit aurem ejus subula*] Jonathan, *consuet aurem ejus dextram acu.* Nam מחטא acus, & חיט consuo. ¶ *Perforabit*] Τρυπήσει, pertrudet, perterebrabit. ¶ *Subula*] Τῷ ὀπητίῳ· Instrumentum est quo solum calcei perforant. Forte מחטא in Jonatha est subucula. In Lex. Chaldaico Munsteri חיט sutor. Sutores autem fibula utuntur. Ergo מחט perforabit. Expende. ¶ *Aurem*] *Dexteram*, Jonathan. R. Salomo. Sed vide sis hunc posteriorem. ¶ *Serviet ei*] *Erit ei servum serviens.* On. & Jon. Sic interpretor עבד פלח· Minus bene Fagius, *eritque servus ille serviens ei.* Servus serviens dicitur δουλεύσεως ἕνεκα· Nam erat servus non serviens. ¶ *In seculum*] εἰς τὸν αἰῶνα· Sensum expressit Jonathan, referens עד יובלא usque ad Jubilæum. R. Salomo, *Quinquaginta anni vocantur seculum. Non quod erit servus ejus totis quinquaginta annis, sed serviet ei usque ad Jubilæum sive parum sive multum defuerit.* Nicolaus, *usque ad annum Jubilæum, sive parum distet sive multum.* Hiscuni, *in seculum, quamdiu vivet dominus ejus.* Idem explicat, *serviet ei*, domino, non filio non filiæ. Sic apud Horatium, nisi fallor, *serviet æternum qui parvo nesciet uti* i. quoad vivet. Nam post mortem servire nemo potest. Porro seculum de annis quinquaginta dici probat Hiscuni hoc testimonio, *Hanna mater Samuelis Spiritu prophetico alta dicebat, Sedebit ibi usque in seculum.* Cum adduceret illum, agebat annum ætatis secundum. Anni autem vitæ ipsius 52. Ergo in seculum i. annis 50. Scire licet עלם hic scribi absque Vau, & notat Hiero. *quando id fit, annum quinquagesimum significare, quem illi Jubilæum vocant.* Quod si verum hoc loco, tamen non est perpetuum. Sæpè enim scribitur absque Vau in alio significatu. Lippomanus hanc Hiero. sententiam probare videtur. Idem de ostio ita scribit, *Sunt qui ostium & postes portarum urbis intelligant, ubi judices conveniebant, & causas decernebant, Verisimilius postes domus intelliguntur ejus, cujus servitio deputatur perpetuo.* Cajetanus, *sermo est de ostio seu poste domus propriæ.* Vide Deut. 15. 16. & 17.

7. *Quumque vendiderit aliquis filiam suam in ancillam, non egredietur sicut egrediuntur servi.*

Aliquis] *Israelita.* Jonathan. Ebraicè איש vir i. quispiam: aut ἄνθρωπος, homo. Lxx. τίς. Hiero. *quis* i. aliquis. ¶ *Filiam suam*] *Parvulam.* Jonathan. R. Salomo. Aben. In Notis Nicolai, *Dicit R. Salomo quod lex ista loquitur de filia Ebræi parva, quæ non attigit adhuc 12. annos & diem.* Ubi hoc dicit? ¶ *In ancillam*] Ut sit ancilla. Hiero. *in famulam.* Lxx. οἰκέτιν, *famulam.* Alius, εἰς οἰκέτιν, & Augustinus, *in famulam.* οἰκέτις propriè famula domestica. Locus plenus habetur in Fragm. nondum editis, καὶ ὅταν πωλήσει ἀνήρ τὴν θυγατέρα εἰς οἰκέτιν, οὐκ ἐξελεύσεται· In alio scholio hæc referuntur ex Theodotione. Vide Rom. Edit. Latinam. Vide quoque Fragmenta nostra. ¶ *Non egredietur sicut egrediuntur servi*] Lxx. οὐκ ἀπελεύσεται ὥσπερ ἀποτρέχουσιν αἱ δοῦλαι: non abibit ita ut recedunt ancillæ. Onkelos, *Non egredietur secundum egressionem servorum.* Jonathan, *Non egredietur juxta egressionem servorum Chananæorum, qui libertate donantur cum dente & oculo, sed annis remissionis, & in signis* בסימניא (Intel. signa pubertatis, quæ sunt ortus pilorum & menstruorum) *& in Jubilæo & in morte domini sui, & in redemptione argenti sive pecuniæ.* Nicolaus, *Ancillæ quæ erant de aliena gente non exibant liberæ nisi per fractionem dentis, vel erutionem oculi: quod non habebat locum in ancilla Ebræa. Imo dominus in tali casu redderet oculum pro oculo, dentem pro dente.* ¶ *Egrediuntur*] Egredi consueverunt. ¶ *Servi*] De quibus modo dictum est.

8. *Si mala fuerit in oculis domini ejus qui sibi desponsaverit eam, tum faciet redimi eam: populo extraneo non habebit potestatem vendendi eam, postquam prævaricatus est in eam.*

Mala fuerit] Displicuerit, ità ut nolit eam ducere. Aben. hic notat ad illud, *sicut egrediuntur servi, qui egrediuntur semper post sex annos: etiam ipsa egredietur si advenerint sex anni: verum ante sex annos, quo tempore poterit, egredietur.* Vult dicere, Non expectabit sextum annum, more aliorum servorum. Jam ad propositum. Jonathan, *si non invenit gratiam coram domino suo.* Sic etiam Aben. Lxx. ἐὰν μὴ εὐαρεστήσῃ τῷ κυρίῳ αὐτῆς. R. Salomo, *si non invenerit gratiam in oculis ejus ut habeat rem cum ea.* Nicolaus, *quia non vult eam habere uxorem.* ¶ *Qui sibi desponsaverit eam*] אשר לא יעדה Hiero. *cui tradita fuerit.* Lxx. ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο: quæ ei adnominata sive desponsa sit. Onk. דיקימנה ליה i. interprete Fagio, *qui despondeat eam sibi.* Jon. יזמין יתה quod scribunt יזמינה, cum potius legendum videatur יזמין eam, ut זמן sit despondere. In Lexico Chaldaico Munsteri exponitur *pactum facere, firmare, statuere* i. קיים· R. Salomo, *Qui deberet despondere illam & uxorem sibi adsciscere. Nam pecunia emptionis est pecunia sponsalium ejus.* Scire licet in Scriptura esse לא cum א: & in lectione לו cum Vau. Id annotarunt Critici Ebræorum Massoritæ. Secundum lectionem ergo vertendum, *qui despondit eam sibi* i. despondere debuit, *ut filius honorat patrem*, debet honorare. Abenezra, *quæ desponsa sit ei aut filio. Porro Saadias ait* לא *duplicem sensum habere, ut in illo, Ipse fecit nos & non nos. Ebraicè* לא [illegible] *quod reddi etiam potest, & ejus nos sumus. Et re*[illegible] *in oculis meis quod iste secundus sensus sit verus, & sic de aliis omnibus. Dicit autem R. Juda Grammaticus nos non posse discernere inter* לא *cum Aleph & לו cum Vau; quoad sonum. Sic* לה *cum He sonum eundem habet. Sed sensus omnium horum est secundum lectionem ejus.* R. Levi, *qui debebat eam despondere sibi uxorem.* ¶ *Tum faciet redimi eam*] והפדה & faciet redimi eam i. sinet, permittet. Quidam, *faciat redimi eam*, hac sententia, concedat facultatem ut se redimat, & annos, quibus servivit, à pretio subtrahat. Vide Notas Munsteri ad hunc locum. Hiero. *dimittet eam* ישלחנה· Lxx. ἀπολυτρώσει αὐτήν, redimet eam i. patietur redimi: aut redimet eam pater ipsius ancillæ. Augustinus habet, *remunerabit.* Quidam explicat, *dabit unde redimi possit.* Quod in idem recidit. Jonathan, *redimet eam pater ejus.* Onkelos ויפרקינה quod Fagius reddit, *liberam faciat eam.* R. Salo. *Dabit ei locum ut redimat se & exeat: etiam ipse juvabit redemptionem ejus. Et quis est locus quem dat ei? detrahit de redemptione ipsius juxta numerum annorum, quos fecit apud illum, ac si fuisset mercenaria ibi.* Aben. והפדה *verbum transit in tertium, ut* הצמיח *germinare fecit* האכיל *cibavit. Et ecce procurat redemptionem ejus sive ipsa seipsam redemerit sive parens ejus, sive unus è propinquis. Nam si est vicina sex annis, supputant quot annos servierit & quot anni adhuc desint usque ad septimum, aut usque ad tempus quo sui erit juris: Et secundum hanc supputationem est redemptio.* Vide nunc, si placet, Lippomanum sive Catenam Patrum. ¶ *Populo extraneo non habebit potestatem &c.*] On. & Jon. *viro alii non habet facultatem sive licentiam vendendi eam.* Populo extero interpretantur לגבר אוחרן viro alteri. Quod firmat opinionem Saadiæ scribentis עם & גוי aliquando accipi pro איש· Id refutat Abenezra. Nam utrumque est nomen collectivum, *nec de uno singulari*, inquit, *unquam dicitur.* Probo vehementer. Nam locus ille, *An gentem justam occides?* de tota gente commodè accipi potest, imò debet. Lxx. ἔθνει δὲ ἀλλοτρίῳ οὐ κύριός ἐστι πωλεῖν αὐτήν. Non est dominus i. non habet potestatem. ¶ *Extraneo*] Vel, *extero.* Hiero. *alieno.* Sed differunt זר alienus & נכרי extraneus, ignotus. Siquidem extraneus vocatur qui non est Israelita: alienus verò qui est ex alia familia tribus. Quod notavit Abenezra. R. Levi, *in populo extraneo. Vult dicere, cœtui extraneo aut domui exteræ: Nam in domo congregantur viri domus, ac si diceret, non poterit vendere illam viro alteri.* Tremel. hoc loco habet, *Alicui è populo extero ne jus habeto vendendi eam.* ¶ *Postquam prævaricatus est in eam*] Aut, *perfide egit cum ea.* Ebraicè בבגדו בה· Hiero. *si spreverit eam.* Lxx. ὅτι ἠθέτησεν ἐν αὐτῇ: quod reddunt, *quia sprevit in ea.* Onk. *cum potestate usus sit ipse in eam.* Fagius vertit, *propter potestatem suam in eam.* Jonathan, *eo quod amara fuerit potestas ejus super eam.* מאני מרירו ad verbum, *vasa amaritudinis.* Tremel. *quandoquidem perfidè egit cum ea.* Santes, *cum spreverit eam.* Vide Notas Tremellianas.

9. *Si filio suo desponsaverit eam, juxta morem filiarum faciet ei.*

10. *Si aliam acceperit sibi, alimentum ejus, tegumentum ejus & tempus ejus non diminuet.*

Desponsaverit] Καθομολογήσεται, desponderit. ¶ *Juxta morem*] כמשפט *juxta judicium* i. morem, consuetudinem. Vide Observationes meas. Ita sumitur hoc nomen Psal. 119. 132. R. David ibi exponit חק ומנהג· Tremel. *secundum jus.* ¶ *Filiarum*] Aut, *puellarum.* On. & Jon. *filiarum Israël.* Aben. *puellarum Israëliticarum virginum, quæ non vendebantur.* Vide Nicolaum. ¶ *Faciet ei*] Tàm pater quàm filius, qui

qui acceperit eam. ¶ *Aliam*] *Aliam uxorem.* Jerosolymitanus. *aliam Israelitidem* Jonathan. ¶ *Sibi*] Vel, *ei* i. filio suo. Nam accipit & qui alteri dat. Jonat. addit, *ad eam.* Sic etiam R. Salomo. ¶ *Acceperit*] Duxerit. Abenezra, *alteram ex filiabus Israel venditam vel non venditam.* ¶ *Alimentum ejus*] שארה carnem ejus i. מזונה alimentum ejus. Sic exponunt R. Salomo, R. Levi & Abenezra. Verba hujus, *alimentum ejus quo stabiliat* שארו i. *carnem suam.* יעמד propriè stare faciat. Lxx. τὰ δέοντα αὐτῆς. Hiero. *nuptias.* On. מזונה victum ejus. Jonathan & autor Jerosolymitanæ מזונה alimentum sive nutrimentum ejus. Munsterus, *victum ejus.* Nicolaus, *In Ebræo habetur*, *expensas* i. *victum sufficientem.* R. Salomo, מזונות alimenta. ¶ *Tegumentum ejus*] כסותה Hiero. *& vestimenta.* Lxx. καὶ τὸν ἱματισμὸν, & vestem sive vestitum. On. & Jerosolymitanus, תכשיטיה ornamenta ejus. Mundum muliebrem significat. Santes, *operimentum ejus.* Sic etiam Tremel. & Munsterus. ¶ *Et tempus ejus*] Alii, *& habitationem ejus.* Ebraicè ועונתה quod Hiero. interpretatur, *pretium pudicitiæ.* Lxx. ὁμιλίαν αὐτῆς, conversationem ejus. Onkelos ועונתה quod Fagius vertit, *concubitum ejus.* Jonathan, *introitum ejus.* Jerosolymitanus, *ingressum & egressum ejus ad eam.* R. Salo. תשמיש *concubitum sive congressum venereum.* Aben. *Sunt qui exponant* ועונתה *habitationem ejus: Et secundum sententiam meam* עונה *accipi debet de cubili, quod est tempus amorum. Nam in* עת *desideratur Nun, unde dagesс cum aliquid additur. Dicimus enim certe* עתו *tempus ejus. Plenum esset* ענתו. *Nam est* עת *pro* ענת, *ut* אמת *pro* אמנת *veritas. Sic* עתה *nunc, & alibi* בעתה. Hactenus ille. R. Levi, *vult dicere, statutum ejus quod ei debet ad concubitum.* Editio Gallica, *amorem qui ei debetur:* vel, *id quo convenit*, quod ei promissum in dotem. Tremel. *benevolentiam debitam ei.* *Ebra. tempus vel habitationem ejus i. consortium uxorium.* Nicolaus, *horam suam* i. *tempus reddendi debitum.* Munsterus, *conjugale debitum.* In Notis Vatabli, *mercedem pudicitiæ i. virginitatis corruptæ.* Sane ענה dicitur de iis, qui virginem vitiant ejusque pudorem imminuunt, quod vulgo dicunt *devirginare.* ¶ *Non diminuet*] Non imminuet, nihil de eo subtrahet ei. Hier. *non negabit.* On. Jon. Jerosolymitanus, *non prohibebit ei sive ab ea.* Lxx. οὐκ ἀποστερήσει, non fraudabit.

11. *Quod si tria ista non fecerit ei, tunc exibit gratis absque pecunia.*

Tria ista] Unum ex his tribus, videlicet, si non desponsaverit eam sibi, aut filio, nec redimendi eam potestatem fecerit. Jonathan. R. Salomo. Abenezra. אלה שלש tria horum breviter dictum pro שלש האלה tria ista: quod pro eo habendum ac si dixisset, *unum ex his tribus* אחת משלש אלה. Simile, *si attigerit pollutus anima omnia hæc, an polluetur?* Nam sensus est, unum ex his omnibus. ¶ *Exibit*] Egredietur, ἐξελεύσεται. ¶ *Gratis*] Δωρεάν. ¶ *Absque pecunia*] Additum declarationis gratia. Simile, *morieris tu, & non vives.* hoc est, non vives. (Tale est & illud, *confessus est & non negavit.* Hoc genere sermonis Johan. delectatus videtur. Sic *mendax & veritas non est in eo.*) Sic, *gratis*, hoc est absque pecunia. Quod Græci referunt, ἄνευ ἀργυρίου absque argento. Nam כסף ἀργύριον. Utrumque pro pecunia ponitur. Addit Jon. *verum libellum dimissionis dabit ei* i. גט פטורין.

12. *Qui percusserit virum ut moriatur, morte plectitor.*

Qui percusserit &c.] Lxx. ἐὰν δὲ πατάξῃ τις τινὰ καὶ ἀποθάνῃ, θανάτῳ θανατούσθω. Si percusserit quis aliquem & mortuus fuerit, morte afficiator. איש vertit τινὰ, quempiam. Non male. Hiero. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* איש hominem optimè & rectissimè. Nam hic pro אדם ponitur. *Percusserit* id est occiderit. Unde percussorem vocant Latini qui aliquem occidit. Sic apud Davidem, *Percussit reges magnos.* Vide Lyram. *Volens occidere* animo occidendi. Quid si percusserit nolens occidere? Onkelos, *Qui percusserit hominem & occiderit illum, occidendo occidetur.* Jonathan, *Qui percusserit Israelitam aut Israelitidem, & occiderit eam, occidendo occidetur gladio.* ¶ *Virum*] Hominem. ¶ *Ut moriatur*] Hoc adjecit, quia non omnis, qui aliquem percutit, eum occidit. Sic dico percutere non semper valet occidere. Per *virum* autem Abenezra intelligit Israelitam: quod extendit ad servum Ebræum, etiam ad ancillam Ebræam. Ceterum in Ebræo habetur ad verbum, *& moritur.* Quod si animo occidendi percusserit, nec tamen occiderit, non tenetur hac lege. Ideo apud Hieronymum *percusserit* interpretantur *occiderit.* ¶ *Morte plectitor*] מות יומת moriendo morte afficiatur aut occidatur. Quod Græci significantius dicunt θανατούσθω. Nam המית θανατόω, morte afficio aut mulcto, mortem infero. Sig. etiam θανατῶ, morti adjudico sive addico, capitis damno, ut possis vertere, *morti adjudicator.* Male Santes, *moriendo morietur* i. יומת. Abenezra, *omne* מות יומת *pendet à judicibus uno excepto, quemadmodum mox videbis.*

13. *Sed qui non fuerit insidiatus, sed Deus casu incidere fecerit in manum ejus, constituam tibi locum quo confugiat.*

Sed qui non fuerit insidiatus] ואשר לא צדה. Hiero. *qui autem non est insidiatus.* Onkelos ודלא כמן ליה *qui vero non est insidiatus ei.* Nec aliter Aben. & R. Salomo. Hinc צדיה insidiæ Num. 35. 22. Tremel. *qui non quæsiverit.* R. Levi, *qui non satagerit occidere data opera.* 1. Samuel 24. 12. ואתה צדה את נפשי לקחתה Hiero. *Tu autem insidiaris animæ meæ ut auferas eam.* ¶ *Casu incidere fecerit in manum ejus*] Vel, *forte occurrere fecerit manui ejus.* Sic לא אנה non occidit fortuito. Ebraicè est אנה לידו. Id Senes interpretantur παρέδωκεν εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Hiero. *tradidit in manus ejus.* Onkelos, *à DOMINO traditus est in manum ejus* מסריה. R. Salomo, *non præparaverit.* Santes, *fuit causa ut veniret.* Tremel. *objecerit manui ejus.* R. Levi, הכין ומזמן *Et secundum*, inquit, *quod casu fit, id Deo attribui. Aut sensus, & Deus occasionem dederit, cur inciderit in manum ejus.* Sic etiam Abenezra, qui hoc addit, *Quandoque Deus mortem hoc modo alicui procurat ob facinus abs eo patratum.* Id illustrat R. Salomo exemplo; *Duo commiserunt cædem; alter per errorem, alter data opera. Res clam est, aut probari non potest testibus. Quid fit? Deus facit ut is qui per errorem occidit alterum, conscendat scalas & cadat super eum, qui data opera cædem patravit. Ita hic occiditur, & ille in exilium abit.* ¶ *In manum ejus*] Nam manu percutimus. ¶ *Tibi*] Redundare videtur. ¶ *Locum quo confugiat*] Locum refugii, asylum. R. Salomo scribit asylum in deserto fuisse castra Levitarum: Alii, altare fuisse litteris prodiderunt. Vide sequentia.

14. *Cum vero quis superbe egerit contra proximum suum occidendo eum per dolum, ab altari meo rapies illum ut moriatur.*

De asylis, quæ supra attigi, nunc plenius dicam. Locus perfugii in deserto, ut quidam putant, erat altare. Quod colligunt ex hoc versu. R. Salomo scribit fuisse castra Levitarum. Post constituta sunt asyla, de quibus Num. 35. Deut. 19. Jos. 20. Ratio, ut eò confugere possent, qui longè à magistratu aberant, donec de causâ cognosceretur, ne à vindice opprimerentur. Altera ut ibi cognita causa usque ad mortem summi sacerdotis tuto habitarent. Vide hac de re Masium in Josuam, pag. 303. & deinceps. Ceterum qui per dolum & de industria hominem occiderant, ut Joab Abnerem & Amasam, illis non erat perfugium in asylis. Quod si confugiebant ad asyla, inde detrahebantur. Præcipuum enim asylum erat altare DOMINI. Jam ad rem. ¶ *Superbe egerit*] Superbierit aut arrogaverit. Onkelos & Jonathan, *improbè egerit.* Jerosolymitanus, *machinatus sive molitus fuerit.* Lxx. ἐπιθῆται insidiatus fuerit. Hiero. *per industriam:* alias, *de industria.* ¶ *Superbè*] Aut arroganter. ¶ *Contra proximum suum*] Nicolaus, *Judæum, qui est de lege sua: & ideo de Judæo accidente gentilem non intelligitur lex ista, ut dicit R. Salomo.* Ubi hoc dicit? Nam his diebus cum quærerem, invenire non potui. ¶ *Per dolum*] בערמה per astutiam sive calliditatem i. per dolum. Quod Senes enunciant δόλῳ, dolo. On. & Jon. בנכליו per fraudem. Jerosolymitanus, בכמנא per insidias. Trem. *cum astu.* Gal. Edit. *cauteleusement* i. subdolè, fraudulenter, astutè. Excluduntur ergo ex hac lege, qui licet occidant, bonum tamen intendunt, ut magister puerum verberando, medicus ægrotum curando, pater filium castigando, lictor qui ab Ebræis vocatur שליח בית דין, reum cædendo. Quandoque enim accidit ut ex 40. plagis moriantur. Videndus R. Salomo. ¶ *Ab altari meo*] Etiamsi ad altare meum profugerit. Si ab altari, multo magis ex aliis locis. ¶ *Rapies*] Auferes, detrahes. Ad verbum, *capies eum.* Notum ut *capere* pro rapere accipiatur. ¶ *Ut moriatur*] Sententia judicum damnatus. Antiquissimi Ebræorum extendunt hoc ad sacerdotem qui sacris operatur. Vide supra.

15. *Et qui percusserit patrem suum aut matrem suam, morti adjudicator.*

Percusserit] Verberaverit. Id Jonathan dixit חבל sequente Beth. Magistri quoque ita loquuntur: Dicunt החובל באביו qui verberat patrem suum. Alioquin חבל est noxa, nocumentum, læsio, damnum. ¶ *Aut matrem*] ואמו. Hic perspicuè (&) pro aut sumitur. ¶ *Morti adjudicator*] Vel, *addicitor.* Genus mortis indicant commentatores. R. Salomo, בחנק *per strangulationem.* Strangulabatur ergo: quod amplius firmat Jonathan referens, בשינוקא סודרא suffocatione sudarii

Digitized by Google

sudarii i. per sudarium. Locus iste vulgo intelligitur de percussione minimè levi: unde R. Salomo, *Non est reus filius nisi percussio fuerit cum livore.* Videatur Lyra. Nam quod in eo, *nisi ex percussione fiat effusio sanguinis vel livor, non incurritur pœna mortis*, indiget examine. Nam effusionis sanguinis nulla mentio in Salomone.

16. *Et qui furatus fuerit hominem & vendiderit illum, aut inventus fuerit in manu ejus, morti adjudicator.*

Qui furatus fuerit hominem] Plagiarius. ¶ *Hominem*] איש virum. Hiero. *hominem.* Lxx. τινὰ τῶν υἱῶν Ισραὴλ *quempiam filiorum Israel.* Onkelos & Jonathan, *animam ex filiis Israel.* id est, hominem, *ut Octo animæ fuerunt in arca Noe.* In collatione Mosaicarum & Romanarum legum, *Quicunque plagiaverit quenquam in Israel, & vendiderit eum* &c. ¶ *Et vendiderit*] Sive vendiderit illum, sive deprehensus fuerit in manu ejus, non refert. Aliter de hac lege sentiunt doctores catholici. Vide Nicolaum. ¶ *Inventus fuerit*] Ante venditionem. ¶ *Morti adjudicator*] *Pœna erat* חנק i. *suffocatio aut strangulatio*, ait R. Salomo, qui generalem de hac re canonem sive regulam ponit, *Mortis vocabulum absolutè positum intelligi debet de strangulatione.* Quod verum an falsum sit, aliis dijudicandum relinquo. Abenezra, *Quærit R. Saadias quare posuerit hunc versum inter, Qui percusserit patrem; &, Qui maledixerit ei: & respondet in hanc sententiam, Scriptor non loquitur nisi de re præsenti. Nam parvuli per plagium rapti, dum in terra aliena versantur, facile contingit ut verberent parentes ignotos. Ideo pœna cadit in plagiarium.* Ceterum capitali supplicio tales afficiunt etiam leges Romanæ. Notandum & illud, pro, *& inventus fuerit in manu ejus*, in Hiero. haberi, *convictus noxæ.* Jonathan, *& deprehensus fuerit in potestate ipsius occidetur suffocatione sudarii.* Lippomanus, *Et inventus fuerit in manu ejus*, Ebraismus est pro si convincatur reus illius criminis. Sed vide sis sequentia: item Cajetanum.

17. *Et qui maledixerit patri suo aut matri suæ morti adjudicator.*

Qui maledixerit] Vide R. Levi ad hunc locum. Addit Jonathan, *per nomen explicatum:* quod vocat שמא מפרשא noviter usus מפלשא pro מפרשא Res in Lamed commutata. Ebræi dicunt שם המפרש nomen expositum. Quod hæ litteræ permutabiles sint, docent exempla quæ subjiciam: שרשרת & שלשלת catena, מזלות & מזרות 12. signa Zodiaca. Sic Græcè κλίβανος & κρίβανος: item ἀργαλέος & ἀλγαλέος. Vide Thesbiten Eliæ in שלשל. Abenezra, *Invenitur maledictio cum mentione nominis divini, ut, & maledixerit eis in nomine DOMINI: & sine mentione illius nominis. Sed antiqui doctores nostri acceperunt hunc locum de eo qui simul memoriam nominis usurpat.* ¶ *Morti adjudicator*] Mortis genus erat *lapidatio.* Jon. R. Salomo. Alii. Videndus & R. Levi. Probatur etiam ratione ista. Legimus Levit. 20. 9. *sanguis ejus super eum. Id non dicitur*, inquit R. Salomo, *nisi de lapidatione.* Verba ejus sunt, *Ubicunque habetur, sanguis ejus super eum, debet intelligi de lapidatione.*

18. *Quumque rixati fuerint viri & percusserit unus alterum lapide vel pugno, nec mortuus fuerit, sed ceciderit in lecto.*

19. *Si surrexerit & ambulaverit foris super scipionem suum, innocens erit percussor; tantum cessationem ejus dabit & sanando sanabit.*

Rixati fuerint] ירבון Lxx. λοιδορῶνται, quod reddunt, *jurgati fuerint.* Apud Augustinum quæst. 80. *litigabunt.* Aquila διαμάχωνται, quod etiam habet Complut. In Edit. Ro. redditum est, rixati fuerint. ¶ *Viri*] אנשים Lxx. δύο ἄνδρες, duo viri. Addunt quod in sententia desideratur. Simile, *erunt una caro.* Id in Novo Fœdere lectum, *erunt duo una caro.* ¶ *Unus alterum*] איש את רעהו vir socium suum. Jon. *unus socium suum* i. unus alterum sive quod idem, alter alterum. Hiero. *alter proximum suum.* Lxx. καὶ πατάξῃ τις, & percusserit quis. Quanquam in edit. Rom. καὶ πατάξωσι τὸν πλησίον: & percusserit proximum. Quæ verba aliam sententiam continent. ¶ *Pugno*] Πυγμῇ. Hiero. Lxx. Ebraice באגרף, quod alii aliter interpretantur. Onkelos בכורמיזא id est fuste aut pugno. Extat ea vox hoc significatu in sententiis Ben Siræ. Vide Adagium, *Sapientem nutu & stultum fuste*, aut pugno. Quomodo Fagius hoc loco interpretatus fuit. Jonath. בכורמיזא, quæ vox habetur & in Jerosolymitano. Munst. *pugnum* interpretatur. In Genesi magno (liber est qui Ebraicè Breshith Rabba vocatur) sectione 52. בן חכמים כמורזקן נבר. Thalmud Jerosolymitanum in fine πεπιζόντων רבה לה כורמיזא לבריה. Aruch adducit non tamen explicat. In Abenezra בעלי אגרופין qui manum in pugnum contrahunt. Nam אגרוף in lingua sapientum pugnus, ut apparet. R. David in Libro Radicum, *In verbis doctorum nostrorum videtur* אגרוף *esse manus inflexa sine pollice, quia ita faciunt homines cum aliquem verberare volunt.* Idem tamen hoc loco interpretatur מגרפה עפר frustum terræ. Vide ipsum, si placet. In Notis Munsteri, *Gerundensis dicit esse manum, cujus digiti colliguntur intra ipsam. Secundum alios vero est* רגב עפר *gleba terræ.* Haggaon hoc est Saadias ait esse rem fortem ac duram, ut בעלי אגרופין domini pugnorum: Marinos vero dicit Aleph additum esse, ut in אזרוע brachium, παρὰ τὸ גרף ut quidem accipitur Jud. 5. 21. גרפם quod Hiero. vertit, *traxit cadavera eorum:* Alii, *scopavit eos.* Alii, *devolvit eos.* Sane in Targum *Scopæ* i. יעים vocantur. Chaldaicè מגרופיא. Idem Marinos exponit דבר שיגרוף כחו quam significationem habet, teste Abenezra, in lingua Ismaelitica. Apud Magistros גורפין כותלי רגלי הבהמה i. verrunt. Hiscuni saxum interpretatur, ut etiam Chaldaicum כורמיזא, quod probat ex libro, qui lex sacerdotum vocatur i. תורת כהנים. In Joele תחת מגרפותיהם sub glebis suis. ¶ *Ceciderit in lecto*] Hiero. *jacuerit in lectulo*, nempe ægrotus ex percussione, ut fieri solet. Onkelos, *& ceciderit* לבוטלן ut sit otiosus, ut non possit opus facere. בוטלן otiosus. Mox usurpat pro cessatione ab opere. Unde hic quidam legunt, *in cessationem* scil. operis, sive, *in vacationem.* Jon. למרע in morbum seu infirmitatem, aut, *ut sit ægrotus.* Sic dicimus שכב מרע cubat ægrotus. Scribi posset למרע cum Scheva sub Mem. Lxx. κατακλιθῇ δὲ ἐπὶ τὴν κοίτην, decubuerit autem in cubili sive lecto. Verbum è verbo, *cadat in cubili.* Nam משכב cubile. Sensus est, decumbat in lecto. Lectus alioqui propriè מטה dicitur. Quo intellectu & משכב hic sumi videtur, ut sit lectus in quo decumbit ægrotus. Nam מטה etiam lectus in quo decumbitur. ¶ *Foris*] i. extra domum. Lxx. ἔξω. Jonathan בשוקא in platea, vel in foro. ¶ *Si surrexerit*] *à morbo.* Jonathan. ¶ *Super scipionem suum*] Innixus scipioni suo. Veteres Ebræi exponunt, *innixus sibi ipsi, non aliis, ut solent ægroti.* Vide Abenezram. Onkelos על בוריה. Id est Fagio interprete, *super baculum suum.* Si rectè, tum בוריא erit scipio vel baculus. Quod existimavit in Lexico suo Munsterus. Nam ait lignum esse super quo infirmi se sustentant. Rectè an secus ipse viderit. Nam R. Salomo exponit על בוריו ותקפו super sanitatem suam & robur suum, ut sit deductum à בריא sanus, incolumis. Idem R. Salomo לבטלן enarrat, & decidit in morbum, qui cessare ipsum facit ab opere suo. Jon. על מורניתיה super baculum suum. Alibi מורניתא est lancea, hastave. Hic pro scipione poni videtur. Hiero. *super baculum suum.* Lxx. ἐπὶ ῥάβδου: super baculum, licet non valeat adhuc per se ambulare. ¶ *Innocens erit*] Vel, *insons erit* i. ἀθῷος ἔσται. Vult dicere, immunis erit à pœna mortis זכאין קטול. *Non afficietur capitali supplicio*, Jonathan. *Quod si in carcere erit, inde educetur*, Abenezra. Trem. *Quidam, impunis erit, evadet impune.* ¶ *Cessationem ejus*] שבתו vacationem ejus sive cessationem ab opere. Vult dicere, damnum quod accepit cessando ab opere dum in lecto decubuit. Id Hiero. retulit, *operas ejus.* Lxx. τῆς ἀργίας αὐτοῦ. Onkelos בטליה. Jon. בטלן עבידתיה cessationem operis ejus. Sequitur *& doloris ejus & læsionis ejus* &c. vel, *& dolorem ejus* &c. Ergo aliquid etiam solvebat pro dolore quem senserat. In שבתו potest esse Thau radicalis à שבת cesso: potest etiam esse addititia à ישב sedit, quievit, cessavit. Sic in Ruth זה שבתה הבית מעט. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Dabit*] *Reddet*, ἀποδώσει ¶ *Sanando sanabit*] Quidam, *sanari faciet.* Sensus est, sostrum i. præmium curationis Medico solvet. Quod Græci dicunt ἀποτίνειν τὰ ἰατρεῖα. Hiero. *impensas in medicos restituere.* Tremel. *planam curationem ejus præstare.* Gal. *le fera guerir entierement.* On. & Jon. *mercedem medici persolvet donec sanatus fuerit.* Adhibe sis quæ ad hunc locum scripsere Lyranus & Abenezra.

20. *Et quum percusserit homo servum suum aut ancillam suam virga, & mortuus fuerit sub manu ejus, vindicando vindicabitur.*

21. *Verum si diem aut biduum steterit, non vindicabitur, quia pecunia ejus est.*

Homo] איש vir, quispiam. ¶ *Servum suum*] *Chananæum*, Jonathan: *alienigenam*, Tremel. *etiam Ebræum*, R. Salomo, si rectè illum capio. Quod autem sequitur, *pecunia ipsius est*, dictum putat, quia emptus ab eo usque ad Jubilæum. Abenezra negat de servo Ebræo accipi posse. Primum quia par ratio judiciumque liberi & empti: deinde propter illud, *quia pecunia ejus est.* Nam Israelita non tam servus, quam mercenarius erat. Consentanea his scribit Lyranus, ad quem te remitto. ¶ *Ancillam suam*] *Chananæam.* Idem Jonathan. Nicolaus, *Ista lex loquitur de servo vel ancilla gentilibus.* ¶ *Virga*] Aut baculo quo eum castigare consuevit. Id significantius

ficantius legitur in Ebræo בשבט cum articulo *ἐν τῷ ῥάβδῳ*: quem Græci malè omiserunt. Virgam Onkelos hoc loco vocat חוטרא: Jonathan autem שרביטא, quæ vox usitatior est in hoc quidem sensu. ¶ *Et mortuus fuerit*] *Eo ipso die.* Jonathan. ¶ *Sub manu ejus*] Sic vulgò Galli dicunt *sous ses mains*, & Belgæ, onder syn handen. Lxx. *ὑπὸ τὰς χεῖρας αὐτοῦ.* ¶ *Vindicando vindicabitur*] Onkelos, *judicando judicabitur*: quod Fagius explicat, *punietur prout judices judicaverint.* An ea mens legis? non videtur. Jonathan; *judicabitur judicio gladii*, vel, si mavis, *occisionis gladii* i. gladio percutietur. Hiero. *criminis reus erit.* Cujus criminis? haut dubie homicidii. Lxx. *δίκῃ ἐκδικηθήσεται*: quod reddunt, *pœna punietur.* Malim, *vindicta vindicabitur*, quod idem cum illo, *vindicando vindicabitur.* Et est sensus, pœna abs eo repetetur, punietur. R. Salomo, *vindicabitur morte gladii.* Sic alibi חרב נוקמת gladius vindicans aut ulciscens. R. Levi, *Vindicabitur gladio, quemadmodum exponit ipsa lex inquiens, Qui effuderit sanguinem hominis &c. Nam effusio sanguinis fit gladio, juxta consuetum morem, & invenitur quoque verbum* נקם *de gladio, ut gladius vindicans.* Abenezra, *Patres per traditionem acceperunt hunc locum intelligendum esse ex illo, Gladius ulciscens. Quanquam vindicta fiat & aliis modis.* ¶ *Diem*] Deest אחד ut sit, diem unum. Latini dicerent, *diem unum aut alterum.* Hiero. *uno die vel duobus.* Lxx. *ἡμέραν μίαν ἢ δύο.* Jonathan, *diem unum à tempore in tempus, aut duos dies præcisos.* Per diem autem Ebræi significare dicunt diem naturalem, qui constat 24. horis. ¶ *Aut biduum*] Videtur abundare. Simile, *In ore duorum aut trium testium.* Nam duo sufficiunt. Sic satis est, si unum diem supervixerit. Hoc objici poterit iis qui locum enarrant aliter ab aliis, *punietur minus, si diem unum supervixerit: si biduum, tum nullus punietur.* Nolunt eum hæc intelligi de supplicio capitis. Hos Abenezra hæreticos appellat: ad quem te adire volo. ¶ *Steterit*] Superstiterit sive superstiterit i. supervixerit, superstes fuerit: aut *manserit.* sub. in vita. Lxx. *διαβιώσῃ.* On. & Jon. יתקיים· Nota stare pro superesse, supervivere, *περιγίνεσθαι*, superstitem esse *ἐπιζῆν.* ¶ *Vindicabitur*] יקם idem quod ינקם licet diversæ sit conjugationis. ¶ *Pecunia ejus*] Vel, *argentum ejus.* Jonathan, *pecunia emptionis ejus.* Hoc vult, quia pecunia sua eum emit. Lxx. *τὸ ἀργύριον αὐτοῦ ἐστι.* Vide Nicolaum.

22. *Quumque rixabuntur viri & percusserint mulierem gravidam ita ut egrediantur nati ejus, sed non fuerit mors, puniendo punietur, quemadmodum imponet ei maritus mulieris, aut dabit per judices.*

Rixabuntur] Μάχωνται, contendent, certabunt. Lex. Latino-Græcum vetus, *Rixa, μάχη: rixatur, μάχεται.* Idem Græco-Lat. *μάχη ἡ διὰ χειρῶν, rixa: μάχη, ἡ διὰ λόγων, litigacio, jurgium: μάχη, ἡ ἐν πολέμῳ prælium, pugna.* ¶ *Viri*] *Israelitæ*, Abenezra. ¶ *Et percusserint*] Καὶ πατάξωσι. Id accipies vel de ambobus vel de alterutro illorum. Sane Hiero. vertit, *& percusserit quis.* Simile, *Latrones exprobraverunt ei* pro alteruter latronum. Genus loquendi notatum à me pridem in Quæstionibus. Trem. *& percusserit unus illorum.* ¶ *Mulierem*] *Ebræam.* Aben. ¶ *Gravidam*] Vel, *prægnantem.* Ebraicè הרה· Chal. מעדיא & מעברא· Lxx. *ἐν γαστρὶ ἔχουσαν*, quæ uterum feret. ¶ *Ità ut egrediantur nati ejus*) ויצאו ילדיה Et egredientur nati ejus. Hiero. *& abortivum fecerit.* Lxx. *καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς.* Onkelos, *ità ut exeant liberi ejus.* Jonathan, *ita ut ejiciat natos suos.* Tremel. *ità ut ejiciatur fœtus ejus.* Ut liberi de uno, ita etiam ילדים nati: Quanquam fœmina potest habere plures natos in utero. ¶ *Non fuerit mors*] Tam natorum quam matris. [illegible] mors, inquit, non fuerit subsecuta vel interitus. Ebræi communiter intelligunt de morte mulieris gravidæ. Sic Abenezra & R. Salomo. אסון mors i. מותא Onkelos. Jonathan. Alii. Tremel. *exitium.* Hiero. *sed ipsa vixerit.* Senes novè interpretantur, *μὴ ἐξεικονισμένον* non formatus. *Fœtus non formatus*, qui nondum formam aut effigiem hominis accepit. Sulpitius appellat, *partum non deformatum:* sed in eo hiatus, quem supplebis, si legas, *si quis partum non deformatum mulieri excusserit, mulctabitur: si deformatum, neci dabitur.* Lexicon Suidæ, *ἐξεικονισμένον, μεμορφωμένον.* puta utero jam verminante. Μὴ ἐξεικονισμένον, David Psal. 139. *ἀκατέργαστον* dixit i. imperfectum. ¶ *Puniendo punietur*] De pœna pecuniaria vulgò enarrant; unde in aliis editionibus, *multando multabitur.* Sic Græci, *ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται*, quod reddunt, *multa multabitur.* Similiter exponunt Chaldaicum יתקנס quod in Onkelo. Nam quod in Jonatha מזמון, id vertunt, punietur. R. Salo. *exigent ab eo pecuniam*, [illegible], *multarunt eum centum argenteis.* i. ענשו Hiero. *subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit.* Abenezra hic annotat; *propter natos qui egressi sunt ex ea & obierunt mortem.* ¶ *Quemadmodum imponet ei,*] Vel, *prout ponet super eum.* vult dicere, talem multam solvet, qualem imponet ei. Lxx. *καθότι ἂν ἐπιβάλῃ*: prout indixerit. ¶ *Maritus mulieris*] pater natorum. Quod si inter eum & percussorem non convenerit, tum ad judices refertur. Hoc sig. quum ait, *aut dabit per judices.* Sed in fonte ונתן & dabit. Hiero. *& arbitri judicaverint.* Si rectè, tum פלילים erunt arbitri, non judices. Lxx. *δώσει μετὰ ἀξιώματος*, quod reddunt, dabit cum postulatione: alias, cum honore. Fortasse interventum judicis aut arbitri significat. Vide Rom. edit. Lex. vetus, *ἀξίωμα, dignacio, dignitas, honos; meritum, stipendium.* Quid si, *cum authoritate*, videlicet magistratus & eorum qui honores gerunt. Tales enim certè *ἐν ἀξιώματι* esse dicuntur. Onkelos, *& dabit ex sententiâ judicum*; Jonathan, *juxta sententiam judicum.* Verbum è verbo, *juxta sermonem.* Abenezra, *juxta os domus judicii* i. judicum. פלילים judices i. דיינים. Appellatio à judicando. Nam פלל judico: unde פללו אלהים judicant Dii i. judices aut magistratus. Sic etiam R. Levi. Nec aliter R. Salomo. Edit. Gal. *& dabit juxta id quod constituent judices.* Santes, *ut statuerint judices.* Lyranus, *Non est intelligendum quod hoc sit taxandum ad voluntatem mariti: sed quod ejus rationes audiendæ sunt à judicibus, & secundum allegata hinc & inde taxabunt.* Lippomanus, *Sensus est, multabitur ea multa, quam imposuerit maritus sententia judicum arbitrorum, dabitque quantum arbitri censuerint.* Mihi præ ceteris placuit illud Abenezræ, *Si percussor nolit dare quantum volet pater liberorum, tum dabit quantum judices constituerint*, ità ut sit disjunctiva oratio. Hisce uni, *si conveniet cum eo: si non, dabit per judices.*

23. *Quod si mors erit, tum dabis animam pro anima.*

24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.*

25. *Adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.*

Quod si mors erit] *In ea.* Jonathan. *mors mulieris.* R. Salomo. *mulieri.* Abenezra. *Si mors erit mulieri*, valet, *si mortua fuerit mulier.* Hiero. *Sin autem mors ejus fuerit subsecuta.* sub. mulieris. Tamen Nicolaus, *Mors mulieris vel pueri jam animati: & possit hoc probari cum jam sit in specie humana.* Lxx. *ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ*: si formatum fuerit i. formam hominis habuerit. Nam *εἰκὼν* non quævis imago, sed quæ sit viri instar: unde iconici pictores vulgo qui ad vivum aliquem pingunt. ¶ *Dabis animam pro anima*] Hiero. *reddet animam pro anima*, nempe occisor. Sic Græci, *δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς.* Jon. *judicabitis animam occisoris pro anima mulieris.* Animam dixit pro vita corporis animati. Consule libellos meos. Variant hoc in loco doctores Ebræi. Quidam, teste Salomone Jario, ipsam animam intelligunt: alii pecuniam, non ipsam animam. *Nam qui intendit*, inquit, *occidere hunc & occidit illum, liber est à morte, tantum pendit hæredibus ejus sanguines ejus, ut si venditus fuisset in foro.* Hucusque R. Salomo. Cui consentanea scribit Abenezra, *Sunt qui dicant*, inquit, *quod mori debet percussor. Occiditur autem quia cogitavit occidere fratrem suum. Quod demonstrant ex eo quod de natis dictum sit, multando multabitur, de morte autem mulieris dictum, Dabis animam pro anima. Quod si de multa intelligitur, quid amplius imponitur ei qui occidit fœminam, atque ei qui occidit natos? quod si dixerimus etiam hos multa subjacere, cur Scriptura mutat nunc sermonem, dicendo, Animam pro anima? Alia controversia est eorum qui dicunt eum qui intendit occidere hunc & occidit illum non affici morte. Mutat autem Scriptura sermonem ut dicat animam pro animâ, quoniam mulieris anima major est multo quam puerorum. Id probant consequa verba, Oculum pro oculo: quod intelligi non potest ad literam, sed de redemptione.* Hactenus Abenezra. Videamus nunc quid Nicolaus hac de re scribat, *Reddet animam pro animâ i. morietur. Aliqui vero doctores Ebræi dicunt quod non per hoc intelligitur pœna mortis, eò quod non intendebat percutere mulierem, vel fœtum ejus animatum interficere: sed solum incurret pœnam pecuniæ secundum taxationem judicum. Sed hoc videtur irrationabiliter dictum, cum uxor sit una caro cum viro quem intendebat percutere: & ideò prima expositio videtur melior, quia intelligitur pœna mortis cum dicitur, Reddet animam pro anima.* ¶ *Oculum pro oculo*] Jonathan, *æstimationem oculi pro oculo.* R. Salomo, *Excæcavit oculum socii sui, imponunt ei æstimationem oculi ipsius.* (alias, *pretium oculi.* In verbo est, *sanguines oculi.* Eadem vox pecuniam notat. Unde מי שאין לו דמים אל יעבר בשוק cui non est pecunia ne forum frequentet) *quemadmo-*

modum æstimatur cum aliquis venditur in foro. Et sic de reliquis omnibus. Non enim ablatio membri ipsius intelligenda est, quemadmodum exposuerunt doctores nostri in capite Hobel. Abenezra, *Dicit R. Saadias, Non possumus exponere versum hunc ut sonat, sive ad litteram. Nam si percusserit quis oculum socii sui sic ut recedat tertia pars lucis oculorum ejus, quomodo poterit percuti percussione simili ut neque addatur aliquid neque diminuatur? Forte obscurabitur lux oculorum ejus universa. Plus difficultatis est in adustione, in vulnere & in livore. Quæ si fuerint in loco periculoso, posset fieri ut inde moriatur homo. Ad hæc filius Zita, Nonne scriptum est, quemadmodum dabit maculam in homine, sic dabitur ei? Cui Haggaon, Est ubi ב ponatur pro על, & ecce sensus est, sic imponetur ei mulcta. Sed Ben Zita respondit ei, Sicut fecit sic fiat ei: Cui rursum Haggaon i. Saadias, Ecce Samson dicit, quemadmodum fecerunt mihi, sic faciam illis. Samson autem non accepit uxores eorum, neque dedit eas aliis: sed retributionem eorum retribuit eis i. talionem reddidit. Sed Ben Zita, Si percussor, inquit, pauper erit, quid mulcta nomine dabit? Cui Haggaon respondit, Si cæcus excæcaverit oculum cæci quid fiet ei? Nam pauper potest ditescere ac tum reddere. Sed cæcus non reddet unquam. Summa non possumus exponere leges expositione commoda nisi innixi fuerimus verbis doctorum nostrorum. Nam ut ipsi acceperunt traditam legem à patribus, sic nos accipimus legem oretenus traditam. Non est discrimen ullum. Et ecce sensus erit, Dabit oculum pro oculo nisi redemerit eum.* Lippomanus, *Si oculum eruerit, oculus ei eruetur: Si dentem excusserit, dens ei excutietur. Quamvis dicant Ebræi communiter, hunc locum non esse ad litteram intelligendum, sed fieri debere compensationem per bona externa, ut qui sic hominem læserit, teneatur ad quinque, ut scilicet compenset damnum, ut si amputaverit manum vel pedem, sessionem i. operas quas intereadum decubuit, amisit. Dolorem quoque & medicinam & confusionem, ut si in loco patenti, puta in facie esset læsus* &c. Nicolaus, *Si aliquis eruat oculum proximi sui, debet erui oculus ejus, & ita de aliis mutilationibus.* Et mox, *R. Salomo dicit quod eruenti oculum alterius non est eruendus oculus, ut videntur sonare verba legis: Sed pretium pro oculo impendendum, & eodem modo de aliis læsionibus. Josephus autem dicit medio modo scilicet quod eruendus est oculus ejus si excæcatus voluerit. Sed si magis vult habere pecuniam recipiet secundum taxationem judicum.* ¶ *Dentem pro dente*] Saadias casum ponit, ubi dens parvi æstimatur, ut si excussus fuerit puero. Nam alius in ejus locum crescere potest in illa ætate. ¶ *Manum pro manu*] Meminit manus, quia instrumentum est operandi. ¶ *Pedem pro pede*] Jonathan, *pretium dentis pro dente, pretium manus pro manu, pretium pedis pro pede.* Gravius autem lædit, qui pedem alicui amputat, quam qui manum. Vide Abenezram. ¶ *Adustionem pro adustione*] Jonathan, *pretium doloris ex adustione pro adustione.* ¶ *Vulnus pro vulnere, livor &c.*] Inter vulnus & livorem ita distinguunt, *ut vulnus sit percussio cum effusione sanguinis: livor autem quando sanguis non effunditur, sed intra cutem denigratur.* Hæc Nicolaus: cui assensum præbent ex Ebræis nonnulli, ut mox videbimus. Abenezra, *Sunt qui dicant vulnus esse cum sanguis educitur: Livorem autem esse plagam absque sanguine. Sed Haggaon ait vulnus esse fractionem ossis; livorem vero plagam sanguinis.* Ceterum vulnus Græcè τραῦμα dicitur. Chald. צרדא & צדיא quod factum ex Ebræo צדי Sade, ut fit, in Daleth mutata. R. Salomo, ,, פצע est plaga quæ san-
,, guinem educit, quia vulnerat carnem i. corpus vernaculè נברור
,, *navrer.* Quod si is qui vulnus accepit ex eo vulnere decumbat,
,, tum is qui inflixit solvit vacationem & medicos & pudorem &
,, dolorem. Vide Thalmud in Hobel. ¶ *Livorem pro livore*] Μώλωπα ἀντὶ μώλωπος· Chald. משקופא & משקפן. R. Salomo, חבורה *plaga cujus sanguis ligatus est in ea, nec exit, nisi quod rubescit caro, vernaculè* טקש *macula, Thargum habet* משקופא *in quo significatio* הכאה *verberationis aut percussionis, vernaculè* בטיר כמו *battere.*

26. *Quumque percusserit vir oculum servi sui, aut oculum ancillæ suæ, & corruperit eum, liberum dimittet eum pro oculo ipsius.*

27. *Et si dentem servi sui aut dentem ancillæ suæ excusserit, liberum dimittet eum pro dente ipsius.*

Vir] Quispiam. ¶ *Servi*] *Chananæi.* Jonathan. R. Salomo, *alienigenæ.* Trem. *gentilis.* Lyranus. Nam de servo Ebræo legimus, *Non exibit ut exire solent servi.* ei illatum damnum retaliabatur ex Levit. 24. 19. ¶ *Ancillæ*] Chananææ, ut supra. Chananæam autem vocant, quæ Judæa non erat, hoc est alienigenam aut gentilem. ¶ *Et corruperit eum*] Jonathan, *& excæcaverit eum.* Sic etiam LXX. καὶ ἐκτυφλώσῃ. Hiero. *& luscos eos fecerit.* ¶ *Et si dentem*] Idem censendum de aliis membris 24. principalibus, quæ Judæi vocant ראשי איברים ut sunt digiti manuum & pedum, duæ aures, nasus & membrum virile. R. Salomo, *Hoc ex traditione habere Judæos autor Abenezra:* Meminit & Lyranus per hæc verba, *Dicit hic R. Salomo, quod ista sunt membra ex quorum mutilatione servus gentilis debebat exire liber: decem digiti manuum & 10. pedum, oculus, aures, nasus, virga virilis & dentes: sic intelligendo quod pro uno dente vel digito exibat liber.* Idem Nicolaus, *Lex ista intelligitur de servo gentili & ancilla. Quod si mutilaret servum Ebræum vel ancillam incurreret pœnam talionis prædictam.* ¶ *Excusserit*] יפיל cadere fecerit.

28. *Quum cornu petierit bos virum aut mulierem ità ut moriatur, lapidando lapidabitur bos ille, neque comedetur caro ejus: & dominus bovis innocens erit.*

Cornu petierit] Aut, *cornu ferierit.* Id Jon. dixit יגח & Hiero. *cornu percusserit.* Arias, *conifcaverit.* Quo verbo usus est Lucretius lib. 2. Ad quem locum Gisanius in indice Lucretiano, *Conciscare, arietare, quod lascivi agni & oves faciunt. Virg. Georg.* 2. ut cum pingues in gramine læto Inter se adversis luctantur cornibus agni. *Usurpat hanc vocem & Cicero in Pis. apud Quintil. lib.* 8. Caput opponis cum eo coniscans. *Haud scio tamen an verius ubique legendum sit, coruscare, maximè cum libri veteres aliquot habeant, coruscant, & alii chronifcant: ut & hoc sumpserint Romani à Græcis, apud quos κορύσσειν & κορύττειν, atque etiam κορύπτειν, id sonat quod arietare seu committere. Solent ità Romani, & si deformant interdum. Certè ut hic è coruscant facerent coruscant: ità de petiscit feci petissit.* Hæc Gisanius, quæ adduxi propter interpretationem seu potius correctionem Ariæ: cui, ut videtur, imposuerunt Lexica Latina, in queis *Coruscare, cornu petere.* ¶ *Bos,*] Vel, *taurus.* Sic enim certè Græci ταῦρος: Et interpretes Chaldæi תור, unde taurus. Nam & תורא dicebant. Amat enim dialectus Syriaca mutare *o* in *au* vel *u.* R. Salomo hanc legem extendit ad omnia jumenta, feras & aves, quæ hominem occiderint. Augustinus, Quæst. 81. *Quod de tauro positum est, à parte totum intelligendum est, quicquid de pecoribus usui humano subditum, infestum est hominibus.* ¶ *Virum aut mulierem*] Sub viro etiam fœmina continetur, ut ibi, *qui percusserit virum ità ut moriatur.* Cur ergo addidit hoc loco *aut mulierem?* An explicandi causa? Abenezra locum enarrat de viro Israelita & *fœmina* Ebræa: deinde subjungit, *Non esse morem in quibusdam locis ut mulier exeat foras ubi sunt boves. Si ergo mulier feriretur, dominus bovis posset murmurare, & dicere, Cur contra consuetudinem loci egressa est in agros? cur non domi mansit? Eandem ob causam post dicit, Si filium aut filiam cornu petierit*, vers. 31. Nam dici posset Cur pater non gerit curam eorum. ¶ *Ità ut moriatur*] ומת ut mortuus fuerit. Hiero. *& mortui fuerint.* LXX. καὶ ἀποθάνῃ. ¶ *Neque comedetur caro ejus*] Hoc fiebat in detestationem homicidii & propter horrorem facti: tum etiam ut dominus bovis cautior esset in posterum. Sed ne vendi quidem poterat gentibus. Abenezra, *Antiqui doctores nostri dixerunt, ubicunque legitur, non comedetur caro ejus, etiam prohibitum esse ne quis utilitatem ex eo capiat. Cadaver, quod* נבלה *vocatur, non poterat edi ab Israelitis: sed vendebatur alienigenis, aut abjectum relinquebatur in agro, ubi putrefiebat, aut à carnivoris animalibus vorabatur. Idem fiebat bovi cornupeta qui hominem occidisset, licet sub cadaveris vocabulo non comprehendatur. Cadaver edebatur ab exteris.* Aben. Inquire diligentius. Videndi sunt R. Salomo, Lyranus & Abenezra. ¶ *Innocens*] Insons, immunis à pœnâ. R. Salomo annotat, etiamsi mactatus fuisset, tamen post latam sententiam, non licitum fuisse eo vesci.

29. *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri nudiustertius, & contestatio facta fuerit domino ejus, nec custodierit eum, & interfecerit virum aut mulierem, bos ille lapidabitur & etiam dominus ejus morti adjudicabitur.*

Cornupeta] Petulcus, κερατιστής, נגח· ¶ *Ab heri nudiustertius*] Vel, *heri nudiustertius:* & est proverbiale pro antea. Ab heri ità dicitur, ut *à mane, à pridie.* Plinius, *à pridie Idus Septembris.* LXX. πρὸ τῆς χθὲς καὶ πρὸ τῆς τρίτης, quod vertunt, *ante hesternam & ante nudiustertianam.* Vide Proverbia mea. ¶ *Et contestatio facta fuerit domino ejus*] Vel, *contra dominum ejus.* Nam in Ebræo בבעליו licet etiam vertere, *& testificatio facta fuerit.* לשון התראה ait R. Salomo quæ est contestatio sive demonstratio per testes. Hiero. *& contestati sunt dominum ejus.* Protestationis vox magis Gallica quam Latina est. Ejus loco posuimus, *testificatio.* Nam & Budæus ex

Cice-

Cicerone, *ut sæpè testificor*, vertit, *comme je proteste & declare.* Hoc videtur velle, Si aliquis palam testificatus fuerit apud dominum bovem ipsius cornupetam esse. Tremel. *& quamvis denunciatum fuerit testibus adhibitis domino ejus.* Arias, *& contestatum fuerit in dominum ejus.* Jonathan addit, *tribus vicibus.* Unde colligo contestationem legitimam ter fieri debere, perinde ut hodieque citatio ter fieri solet, nisi peremptoriè aliquis citetur. ¶ *Domino ejus*] Jonathan, *ante faciem domini ejus.* בעליו propriè *dominorum ejus.* Nos sensum expressimus, qui singularis est, licet terminatio pluralis sit. Qui mysterium eliciunt è voce Elohim, quid ad hæc respondebunt? Nam de similibus similiter judicandum est. Sic אדניו dominus ejus, de uno singulari. ¶ *Custodierit*] Vel, *adservaverit.* ¶ *Dominus ejus morti adjudicabitur*] Et hic verbum singulare cum nomine plurali בעליו domini ejus, quod diximus sensum singularem habere. Quale igitur mysterium ibi, *Deus creavit*: tale hic, *dominus ejus morti addicetur.* Locus iste aliquam difficultatem habet. Nam non poterat redimi qui à judicibus morti adjudicatus erat. Sunt qui enarrent, *morte afficietur cœlitus à Deo.* Abenezra, *morte dignus sive mortis reus erit, nisi se redemerit.* Quale & illud, *oculum pro oculo, dentem pro dente* &c. Id colligit ex verbo יומת morti adjudicabitur. *Nam alias*, inquit, *dixisset* ימות morietur.

30. *Si redemptionis pretium impositum ei fuerit, dabit redemptionem animæ suæ, juxta id quod impositum ei fuerit.*

31. *Sive filium cornu petierit, sive filiam cornu petierit, secundum judicium hoc fiet ei.*

Si redemptionis pretium &c.] Hic (*si*) valet, *quum*, ut in illo, *si erit Jubilæus.* Vide Nicolaum à Lyra. Neque pugnat hic locus cum illo, *non accipietis pretium redemptionis*: quia ibi agitur de eo qui absolutè homicidium commisit. Hic tantum punitur ob latam culpam, quod bovem suum non custodierit. R. Salomo ad verba illa, *etiam dominus ejus morti adjudicabitur*, annotat per manum cœli i. Dei. Jonathan, *occidetur morte quæ immittetur ei è cœlo.* Rursum R. Salomo, *& occiderit virum*, interpretatur sive cornu feriendo sive mordendo aut impellendo aut calcitrando. ¶ *Pretium redemptionis*] כפר Hiero. *pretium.* On. ממון pecunia. Jonathan קנסא דממונא pœna pecuniaria. Lxx. λύτρα. Est autem λύτρον pretium redemptionis. Homerus etiam ἄποινον appellat. Lex. vetus λύτρα, *redimia singulare non habet.* Santes, *redemptio.* Arias, *expiatio.* Proverb. 21. 18. A. Sym. Th. ἐξίλασμα, placamen. Sic etiam Lxx. Psal. 49. 8. ubi Hiero. *propitiatio.* ¶ *Redemptionem animæ suæ*] Lxx. λύτρα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, redimia animæ suæ. Hiero. *dabis pro anima sua.* On. & Jon. פורקן redemptionem. Unde Alphurcam, lex Mahomedis. ¶ *Animæ suæ*] Vitæ suæ. ¶ *Quod impositum ei fuerit*] *à judicibus.* Jonathan, *secundum omne id quod imposuerit ei Sanhedrin Israelitarum.* Ceterum פדיון R. Ismael exponit דמי נזק pretium damni: R. Aquiba vero דמי מזיק pretium ejus qui damnum intulit i. bovis. ¶ *Filium*] Parvulum Israelitam. ¶ *Sive filiam*] Quæ parva sit & Israelitis. Aben. *Deus pœnam imposuit domino bovis, quia durum in oculis ejus ut jumentum occidat hominem qui conditus est in imagine Dei: ideo jussit bovem lapidari.* ¶ *Judicium hoc*] Jus hoc, legem hanc. Jonathan, *si filium Israelitam cornu petierit bos ille, sive filiam Israelitidem* &c.

32. *Si servum cornu ferierit bos ille aut ancillam triginta siclos argenteos dabit domino ejus, & bos lapidabitur.*

Servum aut ancillam] Alienigenas. *Servum Chananæum & ancillam Chananæam.* Jonathan. R. Salomo. Vide supra 20. & 26. ¶ *Triginta siclos argenteos*] Vel, *argenti triginta siclos*, vel potius, *argentum 30. siclorum*; quod idem cum illo, 30. *siclos argenteos.* Siclus autem, qui Ebraicè שקל & in linguâ sapientum סלע ex argento puro ponderat 384. grana hordei. R. Levi: *quatuor aureos, qui faciunt ἡμιούγκιον semiunciam pondere justo Coloniensi.* R. Salomo. In libro Præceptorum, *siclus continet quatuor denarios.* Budæus siclum esse ait nummum tetradrachmum, quantum vel stater valet. Sane 1. Sam. 13. 21. Aquila & Symmachus στατῆρα reddunt. Ubi notatum in edit. Rom. *Siclus in pondere valet ἡμιούγκιον: in pecunia viginti obelos.* Munsterus in Euang. Ebraicum Matthæi, *Siclus continet quatuor denarios: denarius 6. obelos: obolus est pondus 16. hordeorum. Habebit igitur denarius sive drachma pondus 96. granorum hordeaceorum. Siclus autem ponderabit grana trecenta octoginta quatuor.* Tremel. 30. *siclos i. septem uncias argenti & quadrantem sive totidem dalleros: siclus enim communis quadrantem unciæ pendebat.* Lxx. ἀργυρίου τριάκοντα δίδραχμα: argenti triginta didrachma. ¶ *Domino ejus*] *Domino servi aut ancillæ.* Jonathan. Hic rursum in fonte, *dominus ejus.* Quod idiotismus aliarum linguarum etiam Chaldaicæ in singularem mutat. Cuique linguæ sua proprietas. Vere secretum profundum est quod sola Ebraica lingua tres illas voces Elohim, Adonim, Baalim usurpet singulariter in terminatione plurali.

33. *Quumque aperuerit quis foveam, aut quum foderit foveam, nec operuerit eam, ceciderit que in eam bos aut asinus,*

34. *Dominus foveæ rependet, argentum reddet domino ejus, quod autem mortuum fuerit, ipsius erit.*

Aperuerit] Retexerit prius effossam aut cavatam & operculum ejus removerit. ¶ *Quis*] Vir, quispiam. ¶ *Foveam*] Λάκκον, cisternam, בור. Id fieri debebat in loco ubi communiter homines aut jumenta versari solent. ¶ *Aut foderit*] Lxx. ἢ λατομήσῃ, aut exciderit. Sic Interpres Romanus. Malim, *aut foderit.* Sic ἐκλατομεῖν sumitur Deut. 6. Alibi est, videlicet Num. 21. ὤρυξαν τὸ Φρέαρ καὶ ἐξελατόμησαν, quod vertunt, *foderunt puteum & lapidibus construxerunt.* Forte melius, *effoderunt*, ut apud Davidem, *fodit foveam & effodit eam.* ¶ *Operuerit*] Operculo texerit. ¶ *In eam*] שמה eo i. in eam. Lxx. ἐκεῖ, illuc. ¶ *Bos aut asinus*] Aut aliud animal humanis usibus deserviens. Augustinus, *à parte totum intelligendum. Non enim si equus ceciderit aut ovis, ideo non reddet quia scriptum non est.* Idem R. Salomo. Videndus Lyra. ¶ *Bos*] Vel, *taurus.* Lxx. μόσχος. Id perperam hoc loco vitulum interpretantur. Nam vox illa etiam bovem denotat. ¶ *Dominus foveæ*] Qui foveam aperuit, aut de novo fodit, etiamsi fovea illa fuerit in loco alieno, non refert. ¶ *Rependet*] ἀποτίσει, restituet damnum, quod dominus bovis aut asini fecit. Mox se explicat cum ait, *argentum reddet domino ejus.* Quodnam argentum? Hiero. *pretium jumentorum*: alius, *pecuniam quanti æstimabitur damnum.* Jonathan, *argentum reddet domino ejus, pretium bovis ejus aut asini ejus.* Abenezra, *pretium jumenti quod in foveam cecidit. Dabit autem pretium viventis, unde detrahetur pretium mortui sive cadaveris.* ¶ *Quod autem mortuum fuerit*] והמת & mortuus, sub. bos aut asinus. Jonathan, *& cadaver.* Lxx. τὸ δὲ τετελευτηκὸς. ¶ *Ipsius erit*] Domini bovis an domini foveæ? Si foveæ, tum nulla fiebat detractio. Nicolaus, *ipsius erit scil. domini cisternæ.* R. Salomo, *ejus qui damnum accepit. Quod qui fecit, tantum rependit pretium damni.*

35. *Quumque percusserit bos alicujus bovem alterius ita ut moriatur, tum vendent bovem vivum & partientur pecuniam ejus, etiamque mortuum partientur.*

Percusserit] *Cornu aut corpore aut etiam dentibus momorderit.* R. Salomo, κερατίσῃ, cornu petierit. Lxx. *vulneraverit.* Hiero. ¶ *Bos alicujus*] Vel, *bos unicus.* In Ebræo est ad verbum, *bos viri.* ¶ *Bovem alterius*] Bovem socii sui i. alterius. Male Ben Zita, *bovem socium. Nam bos non habet socium*, inquit Abenezra, *nisi forte ipsum Ben Zita.* ¶ *Ita ut moriatur*] Et mortuus fuerit. ¶ *Bovem vivum*] Qui altero bove occiso vivus remansit. ¶ *Partientur*] Vel, *partient* i. divident in duas partes, quarum unam accipiet dominus vivi bovis; alteram habebit dominus occisi. Nicolaus, *Dicit R. Salomo, quod lex ista intelligenda est de bobus æqualibus in valore. Aliter enim dominus bovis interficientis alium reportaret inde lucrum aliquando, quod esset contra rationem. Verbi gratia, si corium & carnes bovis interfecti valerent sex libras (quia licet Judæis esset illicitum comedere carnes illas, poterant tamen eas vendere gentilibus ad comedendum, quibus non erant prohibita) & bos interficiens valeret duas, si uterque dominus haberet medietatem utriusque pretii, sequeretur quod ille cujus bos valebat solum duas libras, reportaret quatuor* &c. Vide, si vacas. ¶ *Pecuniam ejus*] *Pretium ejus.* Jonathan. ¶ *Mortuum*] *Pretium mortui.* Idem.

36. *Aut notum fuerit bovem cornupetam fuisse ab heri nudiustertius, & non custodierit eum dominus ejus reddendo reddet bovem pro bove, & quod mortuum fuerit, erit ipsius.*

Aut notum fuerit] Repeti debet ex præcedentibus ἀπὸ κοινοῦ, כי *quum notum fuerit.* Aut desideratur, ut sæpè alias, particula אם si notum fuerit. Et subintellige; *tam domino bovis, quam aliis.* Tremel. *Aut si indicatum est.* Lxx. ἐὰν δὲ γνωρίζηται ὁ ταῦρος: si notus fuerit taurus. Gal. *s'il est notoire*: si est notum & manifestum. probo vehementer. Hiero. *si autem sciebat*, nempe dominus bovis. Abenezra, *Si fuerit indicatum ei testibus adhibitis.* ¶ *Ab heri nudiustertius*] Antea. ¶ *Erit ipsius*] Qui damnum accepit. R. Salomo. *cadaver ejus cum pelle ipsius erit.* Jonathan, *cadaver integrum accipiet.* Hiero. *Reddet bovem pro bove i. valorem bovis occisi dum adhuc erat vivus.* Lyra. *Non dimidiatum sed integrum pro bove occiso vivum bovem aut ejus pretium solvet*:

mortuus autem illius erit, cujus bos interfecit illum bovem. Lippomannus. *Caput sequens inchoant Ebræi à versu qui in editione vulgata secundus est, cujus initium, Si effringens fur domum* &c.

AMAMA.

3.4 Ebr. אם בעל אשה הוא ויצאה אשתו עמו *Si verò maritus uxoris fuerit, uxor ejus egredietur cum eo.* Vulg. *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: Si habens uxorem, & uxor egredietur simul.*] Posterius membrum bene expressit Vulgatus. In priori admodum hallucinatus est. Cajetanus, *Nulla hic vestium mentio.* Et Steuchus qui in præfatione suæ recognitionis illud probandum susceperat hanc versionem nulli esse secundam, & si quid in ea peccatum, id uno apice sarciri posse, ille inquam Steuchus hic erratum agnoscit & Lyram demiratur asserere גף significare pannum, *cum semper*, verba Steuchi, *corpus significet.* Ebræa ad verbum sic habent, *Si cum corpore suo venit, cum corpore suo exibit*, id est, si *solus* venerit. Unde & Lxx. μόνος Chald. בלחודוהי *solus*, verterunt. Quid verbis opus est in re quam ipsa sequentis hemistichii collatio claram & manifestariam facit. Similiter erratum in fine versus sequentis, ad quem idem Steuchus, *Est autem & idem erratum in nostra versione inferius.* Hæc an uno apice resarciri queant, viderint Pontificii. Ego suspicor, ut hoc addam, Vulgatum בגד pro בגפ i. Daleth pro פ legisse.

10. Ebr. *Si aliam acceperit illi*, שארה כסותה ועונתה לא יגרע Vulg. *Si alteram acceperit ei, providebit puellæ nuptias, vestimenta & pretium pudicitiæ non negabit.*] Lyra notat Vulgatam Edit. hoc loco multùm ab Ebr. veritate discrepare. Quin & Cajetanus agnoscit sic esse in Ebræo, *Alimentum ejus, & vestimentum ejus & tempus ejus non minuet.* Et Joh. Bened. *alimentum ejus, vest. ejus & debitum conjugale non minuet.* Et Steuchus, *Alimentum suum & vest. & tempus nuptiarum non auferet.* Mediam ergo solummodo vocem bene expressit Vulgatus, dum *vestimenta* vertit, ad verbum *Tegumentum.* Verùm quid spectarit dum שאר *nuptias* vertit, equidem cogitatione assequi non possum. Vox Ebræa, si κατ' ἀναλογίαν velis reddere, sonat *carnem ejus.* Ea enim inter omnia alimenta maxime nutrit. Ebræi fere omnes מזונה *alimenta ejus.* Sic & Onk. & Jonath. & author Jerosolym. Lxx. paulo laxius, τὰ δέοντα αὐτῆς. Ut ut sit, nunquam demonstrabitur שאר nuptias aut maritum significare. Plane in eundem modum aqua mihi hæret dum vel conjecturam adferre satago cur עונה verterit *pretium pudicitiæ*, ut ut enim ענה aliq. sit *comprimere* quod Vulg. amat dicere *humiliare*, hoc tamen ab alio themate arcessunt Lexicographi. Omnes Chaldæi vertunt *concubitum.* R. David, *tempus destinatum debito.* Aben. *tempus amorum.* R. Salomo, תשמיש *coitum*, alii *habitationem.* Lxx. ὁμιλίαν *conversationem, consuetudinem.* Sic & R. Levi. Solus Vulg. *pretium pudicitiæ.*

11. Ebr. מכה איש ומת מות יומת Vulg. *Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur.*] Hanc versionem flagellant Cajet. & Johan. Bened. Et certe verba Legis aliud sonant. Audiamus eam, *Percutiens virum & mortuus est* (id est, ut moriatur) *morte afficiatur.* Ecce lex dicit effectum percussionis, Vulgatus videtur dicere intentionem, ut etiam non secuta morte, voluntas morte mulctetur. Cui opinioni Lyra contradicit his verb. *Quod si non occideret percutiendo, quantumcunque vellet occidere, non ob id puniretur morte.* At dices Vulgatum quoque ponere effectum si τὸ *percusserit* exponas *occiderit*, ut passim in Scriptura, ut sensus sit, *Qui occiderit virum* non casu sed *volens occidere.* i. ἐκ προαιρέσεως, data opera. Sed quomodo hæc interpretatio vocis *percusserit* aptabitur Ebræo textui? *Qui percusserit* id est occiderit *virum ut moriatur* vel & *mortuus fuerit.* Quæ hæc erit ταυτολογία? Dices sufficere ut Vulgatus sic acceperit ex usu Scripturæ, si non hic, saltem alibi passim obvio. Esto. Sed nihilominus ex hac versione sic accepta videri posset illud sequi, eum qui percusserit alium vel læserit, non quidem animo occidendi sed tantum lædendi, etiamsi mors e vestigio subsequatur, non esse reum mortis, nec teneri homicidii. Quod si ita esset, semper haberent homicidæ impunitatis spem, semper esset quod prætenderent, se non occidendi sed aliquantulum lædendi animo vulnus inflixisse. Et quis hic judex esset? Unde Cajetanus, *Pensat lex effectum secuta mortis ex percussione, non curando an ille percusserit animo occidendi, an vero percutiendi animo duntaxat. Et merito, percussiones enim non mensurantur.* Ut ut sit, ego periculo Cajetani & Benedicti nec non Lyræ locum hunc sine castigatione non duxi prætereundum. Collatio versus sequentis non juvat Vulgatum. Ibi enim non absolvitur homicidii qui percusserit proximum *volens occidere*, sed, *ne quidem percutere aut lædere volens vel intendens.* Sola itaque intentio percutiendi, si mox subsequatur mors, hoc versu quem jam castigavimus morte mulctatur. Lxx. nihil variant a fontibus, ἐὰν δὲ πατάξῃ τις τινὰ καὶ ἀποθάνῃ, θανάτῳ θανατούσθω, ut nec Chaldæus uterque.

21. Ebr. *Si rixati fuerint viri & percusserint mulierem prægnantem* ולא יהיה אסון ענוש יענש *puniendo punietur.* Vulg. *Si rixati fuerint viri & percusserit quis mulierem prægnantem & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno.*] In Ebr. textu est אסון exitium vel mors simpliciter, ut tam ad mortem prolis quam matris referri possit imo debeat, Vulgatus ad solam matrem restringit. Cajetanus, *negatur mors tam matris quam prolis.* Eandem censuram stringit idem Cardinalis in versum sequentem.

22. ואם אסון יהיה *Et si mors ejus fuerit subsecuta.*] Sic enim ille ad hæc, *considerat lex ista de percussore mulieris gravidæ duos casus; primo, si non erit mors sive matris sive prolis, & tunc punietur percussor pœna arbitraria: Alterum, si intervenerit mors & tunc punietur pœna homicidii.* Chaldæus quoque manet in generalibus אם לא יהי מותא *si non fuerit mors*, & postea, ואם מותא יהי si mors fuerit; quod ideo noto ne quis versionem Fagii secutus existimet Chaldæum ad mulierem ea restrinxisse. Sic enim ille vertit, *Ipsa tamen non moriatur.* Et postea, *si autem mortua fuerit.* Qui vel Chaldaice legere didicit, videbit nimium hic sibi indulsisse Fagium. Sed de universo hoc textu ego sic arbitror, si de sola muliere mors intelligatur, legem esse supervacaneam. Occisor enim ejus lege generali tenetur. Vide Lyram & marginalia Benedicti. Uterque enim pro nobis est. Lxx. hic longiùs a verbis Ebr. deviârunt, dum sic vertunt hæc verba, ולא יהיה אסון, μὴ ἐξεικονισμένον, & egressus infans ejus *non fuerit effigiatus.* i. non habuerit figuram hominis. De sensu Physici & Medici viderint. Si enim simulac fœtus effigiatus est, infunditur rationalis anima, sensum non male expressere.

26. Ebr. ושחתה *& corruperit eum sc. oculum.* Vulg. *Et luscos fecerit eos.*] Luscos i. interprete Lyra, ineptos ad videndum. Mira interpretatio. Melius Lxx. καὶ ἐκτυφλώσῃ. Et Chald. Onkelos, ויחבלינה & perdiderit eum. Jonath. *excæcaverit.*

DE MUIS.

2.5.6. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: at in septimo egredietur liber gratis. Quod si dixerit servus ille, Diligo dominum meum, uxorem meam & liberos: non egrediar liber; tunc adducet eum dominus ejus ad Judices, & adducet eum ad ostium, vel ad postem, perforabitque aurem ejus subulâ, & erit ei servus in seculum.*] Lex est in Exod. codice, cap. 21. v. 2. quæ servo Hebræo sponte permanere volenti in servitute aurem jubet perforari. Dubitatur inter Hebræos interpretes quid עברי *Hebræi* voce ibi sit intelligendum. Sunt enim qui per *servum Hebræum* intelligunt eum qui non ex Israelitico genere, seu ex Jacobi posteris esset, sed מזרע אברהם *è prosapia Abrahami* tantummodo, qui *Hebræus* dictus est, Gen. 14. 13. quòd esset ex Heberis posteris, ità ut *Hebræus* quemlibet è gente Ismaelitica, Idumæa, & cæteris quæ ex Abrahamo originem ducebant significarit; ככה תרגם וכל העברים הנקראים אשר בן ודין אשר לכל, *Atque*, inquiunt, *filiæ venditæ à patre, de qua v. 7. & servi, quoties postea fit mentio, eadem ratio est.* Durum quippe illis videtur admittere Israelitæ aurem fuisse perfossam, ex lege quæ illic legitur. Deinde hâc nituntur ratione, quòd iste servus si septimo anno renueret libertatem, *in seculum* seu *perpetuum* dicatur serviturus, (explicant enim לעולם *in seculum*, ut sonat, pro, quamdiu vivet) quod de Israelita dicere haudquaquam illorum opinioni convenit. Alii meliùs sentiunt *Hebræum & Israelitam* pro eodem usurpari. Nam si Hebræus alius est quàm Israelita, cur diceret Scriptura Deut. 15. 12. *Si tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus*, &c. nam ex ejusdem libri cap. 1. v. 16. ubi dicitur, *& quod justum est judicate* בין איש ובין אחיו ובין גרו *inter virum & fratrem ejus, & inter peregrinum ejus*, satis constat per *fratrem* intelligendum esse Israelitam; nihil enim istud aliud sonat quàm Israelitam inter & Israelitam & peregrinum. Unde Latinus interpres vertit, *sive civis sit ille, sive peregrinus.* Idumæos quidem certè S. literæ *fratres* Israelitarum appellant, sed solos Idumæos, quòd Esaum (qui & אדום *Edom*, Gen. 25. 30. unde אדומי *Idumæus*) Idumæorum parentem & Jacobum Israelitarum idem simul clauserit gestarique uterus. Extant loca Deut. 23. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est*, &c. nec non Amos

Amos 1. 11. *eò quòd persecutus est gladio fratrem suum*, nempe Idumæus Israelem. Hebræum & Israelitam pro eodem dici probat, quòd cùm Moyses & Aaron Pharaoni dixissent, Exo. 5. 1. *Hæc dixit Dominus Deus Israel*, interrogati postea quis esset iste Deus, responderint v. 3. *Deus Hebræorum occurrit nobis.* Unde manifestò liquet *Deum Hebræorum* & *Deum Israelitarum* pro eodem dici. Accedit quòd alibi *Hebræus* nunquam vocetur nisi qui è posteris sit Jacobi, ex gr. Gen. 41. 12. *Erat ibi* in carcere *nobiscum puer Hebræus*, nempe Josephus. Exod. 2. 11. *Percutientem quendam Hebræum è fratribus suis.* Adjici item alia possent generis ejusdem quæ brevitatis ergo omittimus. Neque verò prætereundum silentio, Jonam unde & ex qua gente esset rogatum respondisse cap. 1. 9. Hebræum se esse. At si *Hebræus* dici potuisset Ismaelita, Idumæus, aliusve gentis quispiam, interrogationi Jonas non fecisset satis, neque ad rogatum respondisset. Sed illud ad rem pertinet maximè quod scribitur Jer. 34. 9. *Ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum & Hebræam liberos*: ubi quis per *Hebræum* accipiendus sit clarè docet quod mox subjicitur, לבלתי עבד בם ביהודי אחיהו איש, *ut non uteretur eis tanquam servis*, id est, *Judæo fratre suo.* Constat enim Idumæum, Ismaelitam, aut alium ejusmodi *Judæum* dici non posse. Nam quid illis, quæso, cum Juda aut regno Judæ? Ut darem profectò *Hebræos* dici potuisse Ismaelitas, Idumæos, & quicunque ex Abrahamo Hebræo originem ducerent, non tamen *Judæos*, quia nihil ad Judæ tribum aut regnum pertinerent. Cur Abrahamus porrò Israelitæque *Hebræi* dicti sint si quis quærat, respondeo, ità enim mihi videtur Abrahamum *Hebræum* appellatum quòd Hebræam linguam una cum vera religione, cujus ea erat propria, præ cæteris mortalibus tum excoluerit: *Hebræos* quoque eadem de causâ dictos qui sacrosanctam illam linguam unà cum vero Dei cultu conservarunt: id quod ex Abrahami quidem filiis solus Isaacus, ex Isaaci Jacobus, ex Jacobi duodecim Patriarchæ fecerunt. Unde illorum Patriarcharum posteri, penes quos usus ejus linguæ veraque religio constitit, *Hebræi* dicti, quæ vulgo & honorifico magis vocabulo *Israelitæ*. *Hebræa* autem cœpit appellari ea lingua quæ cum communis antea universo hominum generi una fuisset, post linguarum perturbationem & confusionem, quæ turri Babel nomen dedit, ut est Gen. 11. 9. in Heberis (à Semo Noemi filio ortum ducebat) familia ac gente, quanquam non tota, unà cum vera religione mansit, indéque *Hebræa* appellata est. Hinc est cur Semus Heberis proavus dicatur אבי כל בני עבר *pater omnium filiorum Heber*, i. omnium Hebræorum, Gen. 10. 21. Unde refelli ii ex Hebræis & nostris facilè possunt qui Abrahamum עברי quasi עבר נהרי *transfluvialem* brevitatis gratiâ dictum volunt, בעבר שבא מעבר הנהר *propterea quod* à Mesopotamia *trans* Euphratem *fluvium venisset.* Hæc ratio in S. textu non legitur, illa legitur.

22. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore*,] Lex est descripta Exod. 21. ut si quis vehementius cum altero dimicando uterum ferentem mulierem quæ sese, ut fit, dirimendæ pugnæ ingessisset, imprudens ità percussisset uti abortum faceret, at citra mortem, is mariti arbitrio, dicente tamen Senatu, mulctam solveret: sin autem consecuta mors esset, tunc *animam pro anima* penderet, *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*, &c. Non convenit inter Hebræos certè quid *animæ* vocabulo accipiendum sit, cùm dicitur, *reddet animam pro anima.* Sunt enim qui per *animam* vitam, sunt qui mulctam sive pœnam pecuniariam duntaxat intelligant. Qui *animam*, ut sonat, pro vita accipiunt, hâc nituntur ratione, quòd cùm ob fœtum mulieri prægnanti excussum dicatur quis mulctandus duntaxat, de eo qui interfecerit prægnantem mulierem scribatur, *reddet animam pro anima*; quæ verba si nihil aliud quàm mulctam sonarent, non alia interfectæ prægnantis mulieris & non deformati fœtûs excussi fuisset pœna: quod ità si esset, cur de illa muliere interfecta alia usurpasset verba Scriptura atque de excusso fœtu? Qui verò per *animam* hîc volunt intelligi duntaxat pœnam pecuniariam, ereptâ animâ seu vitâ dignam scilicet, hoc potissimum suæ sententiæ adferunt argumentum, quòd ejus qui imprudens mulierem prægnantem interimisset par non videatur neque consentaneum eandem fuisse pœnam atque ejus qui sciens alium occidisset: quanquam non omnino tamen ille immunis à pœna esset, sicuti qui imprudens alium occidisset, quòd vellet tunc saltem illum percutere quicum ei res esset, ideoque dignus esset aliquâ pœnâ. [*Abarbanel.*] Suam sententiam confirmant ex eo quod sequitur mox, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. quod Cabbala docet non esse, ut sonat, accipiendum על נטילת אבר ממש *de ablatione membri præcisè*, sed sic ut si mulier gravida ex illato fortè ab rixantibus ictu non moreretur sed membro tantùm aliquo capta indè evaderet, tum membri duntaxat damnum pœnamve pecuniariam solvere percussor teneretur. Igitur *oculum pro oculo* interpretantur דמי עין *pretium*, sive *æstimationem pecuniariam, oculi*, non autem oculum præcisè, quasi ex lege quadam talionis qui alteri eruisset oculum, dentem revulsisset, manum pedémve amputasset, eadem ille pati debuerit. Nam qui, inquiunt, [*Bechai*] fieri id adeò rigidè potuit? Ac nonne cùm non sit omnium idem robur, si qui oculum alteri effodisset eidem oculus fuisset extorquendus, periculum fuisset interdum nè simul cum oculo vita eriperetur præter talionis legem? Sed extat lex alia Lev. 24. 19, 20. quæ apertiùs videtur inducere talionem. Ejus legis verba sunt hæc, *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Quis primâ fronte non judicet istis verbis talionem præcipi? & tamen negant Hebræi freti Cabbalæ autoritate huic legi posse fieri satis nisi pœnâ pecuniariâ, non autem mutilatione aut sectione membri: siquidem fieri vix ac nè vix quidem possit, uti quis vulnus ab alio acceptum eâdem longitudine, latitudine, & altitudine redhibeat, ut dici possit qui primus vulnus inflixit talione repercussus, idemque ei factum quod alteri fecit. Nam si majus aut minus fuerit vulnus redditum quàm acceptum, non erit certè talio: ac si majus quidem, necesse erit rursum aliquid exigi pœnæ ab eo qui exegit, longo & ridiculo circuitu dum tandem res ad æquilibrium revocetur. אלא ממון שאינו ממש אלא דמים כדי כדי שיעור לא פחות ולא יתר, *Verùm*, inquiunt, *quandoquidem non est hoc accipiendum præcisè, sed de pœna pecuniaria pro ratione illati damni, nec plus nec minus erit*, [*Bechai*] si modò justa ac digna fuerit inflicta mulcta, cujus penès Judices arbitrium, qui rem ex æquo pensatis omnibus æstimare debeant. Sed enim, ajunt, recitata cùm ex Exodo, tum è Levit. verba si, ut sonant, essent accipienda, justane talio dici posset ubi quis volens ac sciens illum læderet qui imprudens læsisset? Ad hoc, quid si qui oculum alteri dextrum exsculpsisset, dextro jam oculo aut utroque etiam orbatus fuisset? Deinde quid si in exsequenda talione paulò altiùs latiùsque imprimendo vulnus, pro vulnere mors inferatur, ut fieri sæpe necesse est, justane atque æqua talio erit? At dicet aliquis, Quid igitur facient Hebræi istis verbis Levit. in cap. cit. *sicut fecit, sic fiet ei?* Respondent nihil aliud iis significari quàm sicuti damnum intulit, ità damno eum esse afficiendum. Simile quid autem proferunt è Jud. codice, cap. 15. v. 11. de Samsone qui ajebat, *Sicut fecerunt mihi, sic feci eis*; quorum verborum non alia mens est quàm, Sicuti à Philistæis malè mihi factum, ità mali quid iis faciam. Non enim simile fuit Philistæorum facto factum Samsonis: his enim illorum agris ac segetibus ignem, nescio quâ usus arte, passim injecit, cùm illi uxorem ejus alii viro tradidissent, aut socer ejus saltem de quorundam è sua gente sententia. Citant & hoc è cap. 1. Abdiæ v. 15. 16. *Sicut fecisti, fiet tibi, retributio tua revertetur in caput tuum, Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter*, &c. Quæ verba talionem seu æqualem omnino retributionem sonare credat nemo. Ità Hebræi sentiunt. Ezra tamen censet talioni fuisse locum si quis eam pœnam pecuniâ nollet redimere, itaque restringit: atque hanc fuisse veterum mentem ac traditionem videtur affirmare; præmittit enim mox istud minimè silentio transeundum, quia pro Traditionibus facit, הכלל לא נוכל לפרש על דרך מצות התורה פירוש שלם אם לא נסמוך על דברי חז"ל כי כאשר קבלנו התורה כן קבלנו תורה שבעל פה אין הפרש ביניהם, *Hæc esto regula; Non possumus, ut par est, modum præceptorum Legis explicare nisi verbis traditionéve Sapientum p. m. nitamur: sicut enim Legem ipsam à majoribus accepimus, ità & legem ore tenus traditam: nihil inter hanc & illam discriminis.* Assentior profectò Ezræ, ac minacem existimo fuisse duntaxat talionis legem, si quis scilicet pacisci de redimenda talione nollet. At quis tam alienus à sana mente qui hoc recusaret? Occurrit aliquis, [*Haggaon apud Ezram*] Quid si adeò pauper esset qui percussisset ut non posset pecuniæ mulctam pendere? Lepidè regerit alter, Quid si qui oculum alteri extorsisset cæcus esset? Nam fieri quidem potest, ac fit sæpe, ut pauper rem augeat subitoque dives evadat: at cæcus acutè viden-

videntis oculi damnum resarcire poterat nunquam. De talione legi potest disceptatio Sexti Cæcilii Jureconsulti & Favorini Philosophi apud Aulum Gellium, Noct. Attic. lib. 20. cap. 1.

I D E M.

25.6. LEx erat in legibus Mosaicis, ut servus Hebræus sive Israeliticæ gentis pretio comparatus sex annos serviturem coleret, postea liber esset: Quòd si, exacto sexennio, heri sui suæque uxoris ac pignorum amore captus libertatem detrectaret, negarétque de heri potestate exire, subulâ ut alteram ei aurem ab ipso hero ad januam aut ad postem pertundi eadem hæc lex jubebat. Sacri textûs hæc verba sunt, Exod. 21. 2, 5, 6. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: at in septimo egredietur liber gratis. Quòd si dixerit servus, Diligo dominum meum, uxorem meam ac liberos, non egrediar liber: Tunc adducet eum dominus ejus*, &c. Idem ferme legere est & Deut. 15. à v. 12.

Quæritur cur isti servo auris perfoderetur, & quidem in ostio vel poste. Baal Hatturim verbo rem expedit, לומר שישמור בית אדוניו, *Ut eo doceretur ritu diligenter sibi custodiendam heri domum*, tanquam si portæ esset affixus. Si hæc causa est, quare tam serò, post sex demum annos, sui muneris admonebatur servus? Nonne statim initio potiùs oportebat? Satis, satis tum illum, præsertim qui herum amaret, admonebat amor, quid hero deberet, ut alio illum pacto admoneri nihil esset necesse. Meliùs igitur Rasi quosdam citans, Bechai, Abarbanel, Isaacus quoque Arama & alii idcirco hoc factum existimant, ut qui, cùm liber esse posset, heri sui, suæque uxoris ac liberorum causâ, (nam illa cum his penès herum remanebant, si servo eam herus dedisset) servire mallet, is notaretur ignominiâ, & quidem in publico, nimirum ad portam Senatûs, in oculis omnium civium, quò isto exemplo alii nè idem facerent deterrerentur. Sed cur notatur ignominiâ qui laude potiùs dignus videri poterat, quòd herum herilémque familiam, (Deut. 15. 16.) uxorem suam ac liberos diligeret? Respondent, quòd Israelitici generis vir præter Dominum dominum haberet neminem, ipso Domino autore, qui Levit. 25. 55. *Mihi enim*, aiebat, *filii Israel servi, servi mei sunt, quos eduxi e terra Ægypti*, &c. ille autem qui se volens cùm liber esse posset homini in servum manciparet, meliorem suam suorúmque conditionem sperans quam si liber abiret, Domini Dei dominium ex parte abdicaret, legisque Divinæ jugum quodammodo excuteret, quò hominis jugum subiret induerétque, ac denique plus in homine spei quàm in Deo poneret. Huc verò pertineret quod in Midras ad hoc, *& adducet eum ad ostium*, &c. legitur, אמר הקב״ה אני פתחתי לו פתח הבירה לצאת חפשי והוא סגר עליו פתח הבירה להיות עבד לפיכך ילקה בפתח, *Ego, dicebat Deus Opt. Max. recluseram illi ostium domus, quod ipse sibi clausit. Idcirco plectatur in ostio.* Neque nocet quòd sponte quis in servitutem dare se posset, & id impunè quidem, atque pacisci cum hero quot annos vellet, plures pauciorésve, ad annum tamen Jubilæi duntaxat, quando de heri potestate exibat, & ad suos unà cum suis liberis revertebatur: qua de re aperta lex exstat Lev. 25. 39. & qui sequuntur. Illic enim in Levit. de eo agitur qui ab se quidem vænire, sed necessitate, quæ nullâ astringitur lege, compulsus tamen: hîc autem de furti reo, qui quòd pœnam pecuniariam pendere non posset ab Senatu vendebatur (Exod. 22. 3.) in sex annos, quibus exactis cùm libertatem si voluisset adipisci posset nolebat. Dico ego hîc quod sentio, non quod Hebræi fortasse, certè omnes. Expendit porrò Abarbanel illud, *Tunc adducet eum dominus ejus*, אל האלהים *ad Judices*, sive, ut ipse vult, *ad Deum*, i. ad locum ubi Dei exercentur judicia; quo modo Deut. 19. 17. *Stabunt ambo quorum causa* seu *lis est*, לפני יהוה *ante Dominum, ante Sacerdotes & Judices qui fuerint in diebus illis:* negat enim Abarbanel אלהים *Judices* significare. Ad rem redeo. Expendens Abarbanel notata verba, *Hoc*, inquit, *tenebatur ipse herus facere, quo purgaret se apud judices de ea re, palámque faceret se nec dolo nec fraude istum hominem adversus legem Divinam retinere quominus liber exiret.* Sic habet Hebraicè, הנה או והגישו אדוניו אל האלהים הנזכר לומר שהגואל סר לפני בית דין ויסכם שאינו תופש האיש הזה אותו מעונש צריך: בו בתשובה ותמורה כנגד המשפט האלהי Paulò aliter Rasi; שימלך במוכרין שמכרוהו לו, *Necesse fuit eos consuleret* de retinendo servo, *à quibus ipsum emerat*. Neque verò herus servum Judicibus sistebat modò, sed ipse etiam suâ manu aurem ei ad januam Senatûs vel postem applicato affixóque subulâ perforabat. Dicitur enim *perforabitque* (*dominus ejus* supple) *aurem ejus subulâ*; & Deut. 15. 17. *Assumes subulam, & pones in aure ejus, & in porta.* Cujus rei hæc forsan causa est, ut qui repudiatâ libertate, eadeò charâ, servitutem quam omnes homines sic tanquam mortem jure ac meritò horrent præoptaret, aliúmque dominum præter æternum illum Dominum sibi quæreret, ab ipsomet quem dominum vellet ac tam impensè diligeret, plecteretur, ac sic major efficeretur poena. Legisse mihi videor, nisi me memoria fallit, ex Hebræis quosdam, qui sic ferme sentiunt, institutum lege Divinâ uti ipse herus servi sui aurem terebraret, ut quia uterque in culpa esset, hic alium sibi dominum præter Dominum quærendo, ille in servum, qui unius Domini servus esset, admittendo, uterque etiam plecteretur, servus poenam ferendo, herus inferendo; quia scilicet hoc herum parùm deceret, præsertim in talem servum, ita ut illa non servi tantùm sed heri etiam videretur poena, idémque pateretur qui supplicii exactor esset. Nam præterquam quod herus gravatè id amanti servo faceret, tum contumeliosum ei accidebat tam indignam rem publicè agere carnificisque fungi officio. Ab hac, credo, sententia non longè abest Bechai, qui cavisse Legem scribit, ut ab hero iste servus poenas ferret, כדי שיאמר כמה כי הוא והאדון שלו שניהם יחד כעבד כאחד מותרים בעבודת האדון העליון יתברך אשר לו כל הממשלה והאדנות לא לבשר ודם, *ut indè manifestum fieret, tam hunc quam illum, simul ambos, servum & herum, admoneri serviendum esse supremo Domino, cujus est omne imperium ac dominium, non cujusquam mortalium.* Cur januæ vel posti auris perforanda admoveretur in promptu causa est, quòd utrumque auri perfodiendæ esset commodum. Nimis enim longè petitum quod Allegorici isti putant, in hoc id factum ut postes & superliminare quibus olim in Ægypto agni Paschalis sanguis, futuræ libertatis signum, illitus fuerat, testes essent ac veluti ejus poenæ spectatores, quam qui libertatem repudiasset sustineret: & ut qui libertatem neglexerat, fuso in postem aut januam, quæ libertatis signum quondam gesserant, sanguine, criminis poenas lueret. Cur subula porrò forandæ auri adhiberetur, nihil necesse, opinor, quærere. Nam quod aptius, quæso, ad id adhiberi potuisset instrumentum? Somniant tamen Allegorici, sed somniant, vocabulum מרצע, quod *subulam* significat, valere 400. quot annos scilicet Israelitæ apud Ægyptios servitutem servierunt, ideóque eo innui, saltem subobscurè, eum qui ad 400. illos Ægyptiacæ servitutis annos aliquid sponte ac volens (nisi fortè coactus necessitate, cui nulla posita lex) adjecisset, subula esse perfodiendum. De hoc ita scribit Baal Hatturim; במרצע עולה כמנין ת״ שנים שגלו אחר ת״ שנה משעבוד מצרים והוא הלך ונשתעבד אחר כן לפיכך ירצע במרצע: Sed quæ tandem istorum vocabulorum sententia, *& erit ei servus in seculum?* Cùm enim quivis servus, volens nolens, Jubilæi recurrente anno, manumitteretur, atque in libertatem assereretur, quemadmodum Hebræorum plerique omnes judicant, qui fieri potuit ut ille servus, de quo loquimur, abdicatâ semel libertate, in seculum seu perpetuum postea servitutem colere teneretur? Abarbanel explicat hoc loco לעולם *in seculum*, pro עד היובל קרוב יהיה בשנים או רחוק שמפני שהמשים שנה הוא זמנו של דור אחד נקרא היובל שנת החמשים בשם עולם, *usque ad Jubilæum, sive propè sive longe abesset: quoniam enim ætatem* (seu *generationem*) *conficiunt anni quinquaginta, Jubilæus, qui annus quinquagesimus est*, seculi *vocabulo appellatur.* Eodem ferme modo Rasi, Bechai veteres laudans, aliique: & Bechai quidem interpretatur לעולם *in seculum* pro לעולמו של יובל *in seculum Jubilæi*; ac testis est in hunc modum exposuisse Talmudistas in Tractatu Kiddusçhin. Esra putat עולם significare longum tempus, explicatque לעולם, pro לזמנו של יובל *in tempus Jubilæi*, שאין זמן מועדי ישראל ארוך ממנו *quo in festis* (sive *solennitatibus*) *Israelitarum nullum longius tempus.* Isaacus Arama accipit לעולם *in seculum* sive *in perpetuum*, ut sonat: כי כתגנו והפחיתות לא יצא ביובל, *siquidem* ejusmodi servus *ob ignominiam & infamiam*, quâ notatus esset, *Jubilæi tempore de heri potestate non exiret.* Næ iste cum paucis sentit. Nam plerique omnes existimant servos omnes, cujuscunque conditionis essent, vellent nollent, Jubilæi anno recurrente, libertate donatos atque manumissos fuisse. Sed dicendi hac de re alter erit fortasse commodior locus.

G R O T I U S.

2. S*I emeris servum Hebræum*] Ex causa furti addictum.

Egredietur liber gratis] In Hebræo: *Si in corpore suo ingressus fuerit, in corpore suo egredietur:* ubi *in corpore suo* benè LXX. interpretantur *solus*. Opponitur enim id ei quod sequitur de habente uxorem & liberos.

4. *Sin verò dominus dederit ei uxorem*] Ex ancillis externeis.

Mulier & liberi erunt domini sui] Serviles enim nuptiæ voluntate domini solvebantur.

6. *Diis*]

6. *Diis*] Sic ab Hebræis vocantur Judices, ut qui divina vice judicia legis exerceant. Et qui pecuniâ dignitatem emissent, vocantur dicterio dii aurei & argentei.

In sæculum] Semisæculum Latinè, id est, annos quinquaginta. Vide Hieronymum ad Galatas I. 4. עולם [*ævum*] durationem significat, quantam fert materia subjecti. Liberari præterea poterat servus talis instrumento manumissionis, aut redemtione. Liberabatur & morte domini, quamvis dominus filium reliquisset.

7. *Si quis vendiderit filiam suam*] Patri id concessum in summa necessitate: non ipsi filiæ. Et intelligitur hoc de filia adhuc impubere. Ipsa pubertas non minus quam manumissio per instrumentum, redemtio, jubilæus, aut mors domini, quamvis & filium haberet, hanc servitutem solvebat: neque auris perforatio ad hanc pertinebat.

Non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt] In Hebræo, *sicut servi exire consueverunt*: id est, non utetur dominus ejus opera extra domum, ut servis fieri solet, sed domi eam honestè pudicéque continebit. Ita scriptor Hiscuni.

8. *Dimittet eam*] In Hebræo: *si nec desponsavit eam* (sibi scilicet, aut filio) *nec redimi eam fecit*. *Et* enim post *non* Hebræis pro *nec* ponitur. Puellæ semper jus erat se redimendi, si facultas esset. Tot sextæ de pretio deducebantur quot annos servierat.

Populo autem alieno vendendi non habebit potestatem] Populus alienus hic intelligitur quilibet qui non sit de domo emtoris. Nam aliis gentibus ne servus quidem Hebræus vendi poterat, ut notat Josephus Antiquæ Historiæ libro XVI. ubi Herodem culpat quòd contrarium statuerit. Pari sensu vox populi sumitur Deuteronomii XVII. 16. Extranei autem vox pro re subjecta diversas habet significationes.

9. *Juxta morem filiarum faciet ei*] Hebraïce: *secundùm tempus filiarum faciet ei.* Nam ita משפט [*mos*] sæpè sumitur. Despondebit eam filio suo eâ ætate quâ patres filiabus de nuptiis prospicere solent, ut nec sit ἄωρος [*acerba*], nec ὑπέρακμος [*exoleta*].

10. *Quod si alteram ei acceperit*] Abundat hic *ei*. Sensus est, si alteram prætereà uxorem duxerit, supple filius. Ita Hebræi & Græci.

Nuptias] Hebraïce, *carnem ejus*, id est, alimenta, ut hic Chaldæus interpretatur. Et hoc Græci volunt, cùm dicunt τὰ δέοντα [*quæ opus*].

Pretium pudicitiæ] Græci rectè τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς [*consuetudinem ejus*]. Sic Abenesdra, Rabbi Levi, Salomo, Kimchi & Moses de Kotzi, quorum quidam adjiciunt, *suis temporibus*. Hesychius: Γόνατα τὸ ὅριον, Φοίνικες [*Gonata, terminus: sic Phœnices*]. quod consuetudo interpretata est, ut in Solonis postea lege positum: τρὶς ἑκάστου μηνός [*ter quolibet mense*]. Ad quam legem Plutarchus in vita Solonis: καὶ γὰρ εἰ μὴ γίγνοιντο παῖδες, ἀλλὰ τιμή τις ἀνδρὸς αὕτη πρὸς σώφρονα γυναῖκα καὶ φιλοφροσύνη, πολλὰ τῶν συλλεγομένων ἑκάστοτε δυσχερῶν ἀφαιροῦσα, καὶ ταῖς διαφοραῖς οὐκ ἐῶσα παντάπασιν ἀποστραφῆναι [*Nam etsi non generent liberos, honos tamen hic qualisqualis à marito castæ mulieri habitus & benevolentia, multas absterget undique collectas acerbitates, nec permittit amorem jurgiis planè exstingui*]. Quod hic φιλοφροσύνην [*comitatem, benevolentiam*] dixit Plutarchus, idem Apostolus εὔνοιαν I. Corinth. VII. 3. Tria hæc expressè debet vir quisque uxori ex lege divina. His adjecêre sapientes non malè, ut ægrotæ curam habeat, liberet si fortè captivam, sepeliat mortuam, viduæ prospiciat de alimentis ac domicilio, & ut ex paternis bonis vivat filia, donec nubat.

11. *Si tria ista non fecerit*] Id est, si eam non desponderit sibi, nec filio, nec redimi sit passus.

Egredietur gratis absque pecunia] Tempore pubertatis, & quidem cum donis ex lege, Deut. XV. 14.

12. *Qui percusserit hominem, volens occidere*] Non addendum *volens occidere*, quod nec in Hebræo est, nec in Græco. Et aliter habet jus Thalmudicum, ut sufficiat voluntas percutiendi cum morte secuta. Nam, ut ait Seneca, *ex toto noluisse debet qui imprudentiâ defenditur*. Cæterùm lex & mos & æquitas exceptiones legi addidêre, si vulneratus aliquo tempore meliùs se habuerit, ut credi possit magis medicorum aut suâ negligentiâ mortuus, quàm ex vulnere, aut si in turba facta sit cædes, nec sciatur certus auctor: in his enim minuitur pœna.

Qui non est insidiatus] Ubi est levis culpa. Fugere non tenetur magistratuum apparitor qui reum resistentem, nec magister qui discipulum, aut pater qui filium castigans occiderit, nec si quis eum qui monitus ad locum, quò accedere ipsi non licebat, accesserit. Incircumcisus advena si quid tale per levem culpam admisisset, à judicibus ad mortem non damnabatur, sed cavendus ei erat vindex sanguinis: asyla enim ei non patebant, nempe si Hebræum occidisset.

14. *Ab altari meo avelles eum*] Ex contrario intelligunt Hebræi altare pro perfugio fuisse iis qui φόνον ἀκούσιον [*cædem inconsultò*] commisissent, ut fermè apud omnes gentes. Verùm apud Hebræos ibi morari non poterant, sed deducendi erant ad urbem perfugii.

15. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur*] Strangulatione.

16. *Et vendiderit eum*] In Hebræo: *sive vendiderit eum, sive apud eum inventus fuerit:* Nam copula ibi, ut sæpè, pro disjunctivâ ponitur. Sensus est, plagium esse capitale, sive plagiarius subreptum alienaverit, sive non. Mortem, ubi sine additamento dicitur, intellige strangulationem: ubi additur, sanguis ejus super ipso, lapidationem.

19. *Ita tamen ut operas ejus & impensas in medicos restituat*] Injuriæ in hominem quinque ab Hebræis genera referuntur: amissio membri, decubitus, dolor, medicatio, contumelia.

22. *Sed ipsa vixerit*] Hebraïce: ולא יהיה אסון, *& non fuerit mors.* Et versu sequente: אם אסון יהיה, *si fuerit mors.* Quod videtur intelligendum si fuerit mors aut matris aut infantis, quanquam de matre tantùm accipiant Hebræorum magistri. At Græci legerunt utroque loco צורה: vertunt enim ἐξεικονισμένον [*figuratum*], distinguúntque inter abortum partus humanam jam figuram habentis, & non habentis, ut ille capital faciat, non verò hic, secuti ea in re Græcorum leges, quæ tunc & in Ægypto vigebant. Aristoteles Politicorum VII. 16. πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωήν, ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν· τὸ γὰρ ὅσιον καὶ τὸ μή, διωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τῷ ζῆν [*antequam sensus & vita adsit, procurandi abortus: nam in hac re fas & nefas vita & sensu distinguitur*]. Sic & Hippocrates sensit: nec aliter hunc locum interpretatur Augustinus quæstione LXXXVI. ad Exodum, At Christianis, ut Tertulliani utar verbis in Apologetico, *etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. homicidii festinatio est prohibere nasci. Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui futurus est: etiam fructus omnis jam in semine est.* Paria habet idem Tertullianus in exhortatione castitatis circa finem, & de Virginibus velandis.

Et arbitri judicaverint] In Hebræo, *in judicibus*, id est, judicum arbitratu.

27. *Similiter dimittet eos liberos*] Hæc lex de libertate, ob membrum ruptum, servis circumcisis proderat, non aliis. Alii ex gentibus nonnisi pretio dato, aut per instrumentum manumissionis liberabantur.

29. *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius*] Bos cornu petere solitus, ut verba habent XII. tabularum relata in Institutiones, tit. Si quadrupes.

Occideritque] Aliud si dente aut pede nocuerit: quæ insolita.

Et contestati sint dominum ejus] Denuntiationem interposuerint damni infecti, ut Romano loquar more: vide l. Qui foveas. §. I. D. ad l. Aquil.

Et Dominum ejus occiderit] In Hebræo: *& dominus ejus moriatur.* culpa lata morte punitur. Sed si heredes velint, permittitur hic redemtio. Ideò non dictum est, *moriendo morietur*, id est, omninò morte afficietur.

32. *Triginta siclos*] Dimidium æstimationis hominis liberi. Vide quæ ad Matth. XXVI. 15.

33. *Si quis aperuerit cisternam & foderit*] Si alius foveam providere non potuerit, ut ait l. Qui foveas. D. ad l. Aquil.

CARTWRIGHTUS.

I. ואלה המשפטים *Hæc autem sunt judicia*] R. Sal. ait כל מקום שנאמר אלה פסל את הראשוני ואלה מוסיף על הראשוני *In quocunque loco dicitur Elle (hæc) imperfectionem arguit præcedentium; ubi dicitur veelle (& hæc, vel, Hæc autem) adjicit præcedentibus.* Sic Latinè vertit Buxtorfius in Lex. Talm. rad. פסל, & citat Jalkut in princip. Exodi. Hinc autem colligit R. Salo. quemadmodum præcedentia, ita hæc etiam è Sinai fuisse tradita. מה הראשונים מסיני אף אלו מסיני

אשר תשים לפניהם *Quæ pones ante eos.*] Onk. & Jon. די תסדר קדמיהון *quæ ordinabis (sive ordine pones) ante eos.* Sic suprà cap. 19. 7. R. Salom. sic explicat, כשלחן לפניהם תשים הערוך ומוכן לאכול האדם *pones ante eos tanquam mensam, quæ ante hominem instructa paratque est, ut comedat.* לפניהם

לִפְנֵיהֶם *ante eos*] ולא לפני עובדי אלילים *Et non coram eis, qui colunt idola*, inquit R. Sal. Id vult, Israelitarum caussas ad Ethnicorum tribunalia non esse deferendas; atque rationem adjicit, cur id fieri haud debeat, שהמביא דיני ישראל לפני נכרים מחלל את השם ומיקר את שם האלילים להשיבם *Quòd qui caussas Israelitarum coram alienigenis affert, ignominiâ afficit Deum, & honorat idola, id agens, quo in pretio habeantur.* Huic doctrinæ (uti ab Ainsworthо ad hunc locum est observatum) affinis est illa Apostoli, 1. Cor. 6. 1. &c. Illud autem notandum, hanc R. Salomonis glossam, quam Editioni Venetæ in 8. acceptam fero, in Editione Buxtorfianâ desiderari.

2. כִּי תִקְנֶה עֶבֶד עִבְרִי *Si emeris servum * Hebræum*] Jon. ארום תזבון בגניבותיה לעבדא לבר ישראל *Si (vel, quando) emeris ob furtum ipsius (venditum) in servum filium Israelis.* Sic & R. Sal. exponit de Israelita à Judicibus vendito, quòd furti sit damnatus, nec restitutionem Lege præceptam facere valeat. Et in hanc rem citat id quod legitur cap. 22. 3. At interdum etiam accidit, ut Israelita paupertate pressus se in servitutem venderet. Levit. 25. 39. De eo autem dicitur ibidem v. 40. fore ut ad Jubilæum usque serviret, ac tum demum libertate suâ frueretur. Unde Abenezra non de Israelita ob paupertatem se vendente, sed de Israelita ob furtum à Judicibus vendito hunc locum intelligendum censet. At mihi mirum videtur, si mitiùs cum fure quam cum paupere ageretur, ut nimirum illi anno septimo, huic autem non ante quinquagesimum annum libertas concederetur. Cum hunc igitur locum, tum illum Levitici de quocunque servo Hebræo accipiendum arbitror, ac quod in Levitico de Jubilæo dicitur, ita intelligendum, ut si non anteà (quemadmodum fieri potuit, servo libertatem sibi anno septimo oblatam respuente, v. 6.) tum saltem liber exiret.

Sex annis serviet, &c. Jer. 34. 14. dicitur מקץ שבע שנים *à fine* (vel *ab extremo*) *septem annorum*, &c. Sed (ut monet Abenezra) unaquæque res duos habet fines, sive duo extrema; atque interdum initium rei appellatur קץ *finis*, sive *extremum*; atque ita illic initium anni septimi intelligi debet.

3. אִם בְּגַפּוֹ יָבֹא *Si venit in corpore suo*] Onk. & Jon. בלחודוהי *solus*. Sic Lxx. μόνος. Vulg. *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat.* Mira interpretatio, & cui refellendæ proximum versus membrum sufficiat. Lyra ait in Hebræo esse, *si in panno suo venit*, &c. At גף corpus potius quam pannum significat, uti agnoscit Steuchus, qui hic Vulgatæ versioni patrocinari noluit, sed fatetur in Hebræo non de veste, sed de corpore sermonem fieri. Amama conjecturam facit Vulgatum Interpretem pro בגפו legisse בגדו, sed id minus videtur verisimile, cum inter פ & ד minima sit similitudo. Sed & R. Sal. etiamsi Chaldæi interpretationem probet, atque exponat, *si calebs sit*; vult tamen בגפו idem esse quod בכנפו *in † alâ suâ*, quasi nimirum גף alam vestis, & synecdochicè vestem significet. Atque ita à quibusdam vocem istam expositam esse refert Abenezra, qui tamen expositioni isti refragatur, atque eis potius assentitur, qui volunt גף idem esse quod גוף i. corpus.

אִם־בַּעַל אִשָּׁה הוּא *Et si uxorem habeat*] Ad verb. *Si Dominus uxoris sit.* Jon. ואין מרי אנתתא בת ישראל הוא *Et si dominus uxoris, filia Israelis, sit.* Sic & R. Sal. de uxore Israelitide interpretatur.

Exibit etiam uxor ejus cum eo] At (inquit R. Sal.) quis eam unà cum marito intrare fecit? וכי מי הכניסה Ait igitur Scripturam hic indicare, eum qui servum Hebræum emit, debuisse etiam uxorem ac liberos ejus sustentare. Atque in eandem sententiam etiam scribit Abenezra.

4. ‡ *Uxor & liberi ejus erunt* לַאדֹנֶיהָ *heri ipsius*] Ipsius nempe uxoris; nam pronomen est fœmininum. Vult autem R. Sal. hoc intelligendum de uxore gentili; (quam & Rabbinorum suorum sententiam esse docet Abenezra) nam si Hebræa esset, anno sexto aut citiùs, cum nimirum signa pubertatis haberet, exire debuisse. R. Levi ad 2. Sam. 13. 13. hunc locum etiam de ancilla Canaanitide exponit, atque ait filios, quos Israelita ex istiusmodi ancilla genuit, non Israelitas, sed instar matris servos fuisse habendos, quin & eandem rationem fuisse filiorum, quos ex gentili fœmina Israelita genuit, eos scilicet inter gentiles fuisse censendos. ‡ Atque istiusmodi ex Rabbinorum sententia ait fuisse matrem Thamar, nempe gentilem, nec dum proselytam factam, cum ex Davide concepisset Thamar, ac propterea Thamar dixisse Amnoni, *Loquere nunc ad regem, non enim me tibi denegabit*; quòd Thamar istâ matre nata Davidis filia non esset. Sed quicquid Hebræi sentiant, hoc Scripturæ pariter ac rationi absonum videtur.

6. וְהִגִּישׁוֹ אֲדֹנָיו אֶל־הָאֱלֹהִים *Tunc adducit eum Dominus ipsius ad judices.*] Onk. & Jon. לקדם דייניא *coram judicibus.* Vulg. *offeret eum Dominus diis* אלהים *elohim* Deum vel Deos significat; item Magistratus & judices; atque ita hoc in loco usurpatur, uti etiam cap. 22. 8. & 28. Lxx. πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ *ad tribunal Dei.* Aquila & Sym. πρὸς τοὺς θεούς, *ad Deos id est* (*inquit* Nobilius) *Judices; nam nomen Hebræum, quod significat Deos, significat etiam judices.*

וַעֲבָדוֹ לְעֹלָם *Et serviet ei in perpetuum.*] Jon. עד יובלא *usque ad Jubilæum.* Atque ita etiam exponit R. Sal. ac expositionem suam confirmat ex Levit. 25. 40. 41. Inde colligit quinquaginta annos vocari עולם *Olam*; atque addit non ita intelligendum, ac si totos quinquaginta annos quis serviturus esset; sed duntaxat ad Jubilæum, sive propè sive procul esset אלא עובד עד היובל בין סמוך בין מופלג Abenezra ait עולם *Olam* in lingua sancta significare זמן *tempus determinatum*; atque hoc in loco ועבדו לעולם *& serviet ei in perpetuum*, idem esse ac לזמן כל היובל שאין זמן מזמני ישראל ארוך כמהו *usque ad statutum ipsius tempus, nempe Jubilæum, quòd inter stata Israelis tempora nullum eo sit diuturnius.* Fagius ait Hebræos communiter exponere hunc locum, *serviet ei* לעולם *in seculum*, i. e. Usque ad Jubilæum, sive is annus propè fuerit, sive longè abfuerit. Atque addit *olam* non semper æternum & infinitum tempus significare, sed aliquando longum & determinatum tempus, ut in præsenti loco; & ut Capnio scribit in suis rudimentis Hebraicis hanc dictionem significare durationem secundum materiam subjectam. Galatinus de Arcan. lib. 11. cap. 5. notat hunc locum in libro Talmudico *Kiddushin*, sic exponi, *& serviet ei in seculum*, i. e. Usque ad seculum Jubilæi, vel usque ad mortem domini sui; scriptum enim esse, *& serviet ei*, non ergò filio ejus. Seldenus etiam de jure Nat. &c. lib. 6. cap. 7. ait juxta Hebræos legem hanc de aure perforanda non pertinere ad eum, qui se vendiderat, sed tantum ad addictum ex sententia fori, eumque, aure ita perforatâ, servum esse desiisse aut Jubilæi, qui proximè sequebatur, adventu, aut morte domini; nam ne ad filium quidem transmissum fuisse ejusmodi servum.

7. *Non exibit quemadmodum servi exeunt*] Vulg. *sicut * ancillæ exire consueverunt.* At in Heb. est עבדים *servi.* Fagius ait hunc locum à vulgato interprete non per omnia fideliter esse redditum, ac propterea commentatores nostros in eo exponendo omnes ferè hallucinatos esse. Sic igitur juxta Hebræos (quorum expositionem certiorem esse ait) explicat, *Non egredietur secundum egressionem servorum. Nam servis ante septimum annum exire non licebat; & in anno septimo, si nolebat exire servus, eò quòd diligeret Dominum suum, perpetuò deinceps usque ad annum Jubilæi, illi addictus cogebatur esse. Puellæ verò semper locus redimendi sese patebat, inprimis si minorennis vendita, jam pubilis esse inciperet.* Jonathan sic παραφράζει *Non exibit quemadmodum exeunt servi Cananæi, qui manumittuntur ob dentem* (nempe fractum) *& ob oculum* (nempe amissum, vide v. 26. & 27.) *sed annis remissionis, & cum signa pubertatis habuerit, & in Jubilæo, & morte Domini sui, & redemptione pecuniæ.* Atque eodem ferè modo exponit R. Sal. Ex illo autem Deut. 15. 12. *Si vendatur tibi frater tuus, Hebræus aut Hebræa, serviet tibi sex annis*, &c. probabilis videtur ista expositio, servos scilicet Cananæos hic esse intelligendos, cum istic in Deuteronomeo de ancilla Hebræa idem quod de servo Hebræo, statutum sit. Manasses quæst. 39. in Exod. refert Abenezram dicere, ancillam Hebræam cum ad pubertatem venisset libertatem recepisse, etiamsi sex anni servitutis completi non essent; atque ideo dici nequaquam exituram ut servi exeunt, quia illi cogebantur pleno sexennio servire; Deuteronomii autem verba ita accipienda, si tam parva vendita esset, ut sex annos servire posset, antequam duodecim annorum & dimidii (tunc siquidem fœminam puberem esse volunt) ætatem attingeret. Isto sanè modo hæc loca inter se haud ineptè possunt conciliari. Idem Manasses testatur R. Mosen Gerundensem velle ideò dictum, servam Hebræam non exituram, ut servi exeunt, quia serva semper in ædibus domini, eam sibi uxorem accipientis, manere debuit. At Scriptura hic videtur innuere eam exituram, etiamsi non eo modo, quo servi exibant.

* עברי Ebræus. *Abenezra ait*, אין ספק כי נקרא אברם העברי שהוא מבני עבר Non est dubium, quin vocatus sit Abram Ebræus (*Gen.* 14) quia fuit ex filiis Eber. *Mox autem addit*, או נקרא עברי בעבור שבא מעבר הנהר Vel dictus est Ebræus, quòd trans fluvium venisset. *Vide Annotat. ad Gen.* 14. 13. † *Chaldaicè* גף *alam denotat, & pro Hebræo* כנף *in Targum usurpatur.* ‡ *Nota plurale* אדונים *hic pro singulari* אדון *usurpari. Ita etiam v. 6. & 8. & 32.*

‡ *Similia etiam ibi scribit R. Sal.* * *Sic Lxx. ai δοῦλαι.*

exibant. R. Levi Ben Gersom (eodem Manasse referente, qui etiam Abrabanelem id approbare ait) exponit, *non exibit ut servi exeunt*, i. e. nequaquam maritata: quod dominus ejus vel ipse eam uxorem ducere, vel filio suo dare debuit. At certè si ita maritata esset, omnino non exiret, nec quantum ex Scripturæ verbis apparet, ulla istiusmodi Lex domino posita fuit, ut ancillam suam ducere, vel filio ducendam tradere necesse haberet. Longissimè autem à scopo aberrare videtur Hiskuni, qui (teste ibidem Manasse) vult sensum esse servam Hebræam domestica tantùm negotia curaturam esse, nec more servorum à domini sui ædibus ad forensia negotia curanda exire debuisse. Hanc expositionem Manasses ait valdè congruam esse verbis Scripturæ; at eam ego valdè alienam esse censeo. Cum enim in verbis proximè præcedentibus de servo ita exeunte, ut libertatem suam consequatur, sermo fit, quis credet hic de exeundo ad ministeria obeunda verba fieri?

8. *Si mala fuerit in oculis heri sui*, אשר לא יעדה *qui sibi desponsavit eam*] sic Masorethæ notant לא legendum לו, atque ita Onk. דיקימה ליה, *qui desponderat eam sibi*. R. Sal. etiam legit לו, sed exponit, שהיה לו ליעדה *qui eam sibi desponsaturus erat*, vel *desponsare debuit*. Lxx. ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο, *quam adnominavit sibi*. Sic Latinè vertitur; fortè igitur legendum ἣν αὐτῷ &c. Scholiastes autem refert Theodotionem habere, ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτήν, *quam non adnominavit eam*. Dicendum potiùs esset, ὃς οὐ, &c. *qui non*, &c. Apparet autem eum legisse prout scriptum est לא *non*. Atque ita etiam legit Symmachus, qui eodem Scholiaste referente, interpretatur ἡ μὴ καθωμολογημένη, *quæ adnominata* (seu desponsata) *non est*. Fagius asserit Hebræorum puellas eâ conditione venditas fuisse, ut domini, qui eas emerent, simul quoque matrimonio eas sibi copularent; at hoc nec ex Scriptura liquere, nec rationi consentaneum esse videtur. Arbitror igitur sensum esse, si posteaquam sibi eam desponsavit (quod tamen suâ sponte, nullâ Legis necessitate coactus fecit) mala in oculis ejus fuerit, ut eam uxoris loco habere noluerit, tunc, &c.

והפדה *Tunc eam redimet*] hoc est, ut exponit R. Sal. יתן לה מקום להפדות ותצא *dabit ei locum* (concedit ei, potestatem ei faciet) *ut redimatur & exeat*. Atque addit id ita fieri debere, ut pro ratione pretii quo empta fuit, & annorum, quibus servivit, de pretio redemptionis detrahatur, ut si verbi gratiâ minâ empta fuerit, & duobus annis servivorit, cum utcunque post sex annos libera esset futura, tertia pars minæ detrahi debet, & duabus tertiis pro redemptione datis ei licebit exire. Similiter Abenezra ait computandum esse quot annos servivit, & quàm longè absit annus septimus, vel illud tempus, quo sui juris est futura, & juxta istam computationem eam esse redimendam.

לעם נכרי לא ימשל למכרה *Populo peregrino non habebit potestatem vendendi eam*] Onk. & Jon. לגבר אחרן *viro alteri*, &c. Similiter R. Sal. אינו רשאי למכרה לאחר *Non licitum est ei vendere eam alteri*. Atque ita Fagius, Hebræorum (uti testatur) sententiam secutus, *Viro alii non habet potestatem vendendi eam, fretus scilicet suâ potestate, quam se in illam habere putat; etiam Israelita, nam gentibus nullo modo licebat vendere puellam Hebræam.* Abenezra autem ait, כל עם שהוא חוץ מישראל יקרא נכרי *Omnis populus præter Israelem, appellatur peregrinus.* Atque hæc quidem expositio verbis, altera autem sententiæ congruentior videtur. Id volo, עם נכרי *populus peregrinus* populum gentilem designare solet, hoc tamen in loco quilibet alius Israelita eis verbis significari videtur, ut sensus sit, non licere domino ancillam istam alteri cuilibet vendere.

בבגדו בה *Cum perfidè in eam se gesserit.*] Masora marginalis ad dictionem בבגדו notat ב׳ כתי׳ וחד id est, bis occurrere (nempe hic, & Gen. 39. 12.) idque duplici significatione. Nam Gen. 39. 12. est à בגד *Beged* vestis; hic autem est à בגד *Bagad*, perfidè agere, seu prævaricari. Buxtorfius de Antiq. punct. lib. 1. cap. 6. refert in Talmude nonnullos ex significatione nominis *Beged* exponere; at quomodo ista expositio huic loco congruere possit, nec ille indicat, nec ego intelligo. Onk. במשלטיה בה ** propter potestatem suam in eam.* Cujus interpretationis ratio mihi obscura est; Videtur tamen Paraphrastes בבגדו ita accipere, ac si esset à nomine בגד *Vestis* ut בבגדו בה exponendum sit, *cum vestis ipsius (sit) super eam*, i. e. cum potestatem super eam habeat. Sed prævaricandi significatio hic multo videtur commodior.

9. *Juxta morem filiarum faciet ei.*] Onkel. & Jon. *juxta ritum filiarum † Israel.* משפט quod alias judicium, hic morem & consuetudinem significat; quemadmodum etiam, 1. Sam. 2. 13. משפט הכהנים docent Lxx. & illic, & hic habent δικαίωμα quod in Latinâ versione ineptè redditur *justificatio*. Quis enim intelligat vel illud, *& justificatio sacerdotum, &c.* vel hoc, *juxta justificationem filiarum, &c.*

10. *Si alteram ‡ sibi acceperit*] Scilicet præter priorem, non dimissam, sed retentam. Sic Hierosl. *si uxorem alteram duxerit super eam.* Et Jon. *Si alteram filiam Israel sibi* (vel *ei* ליה) *acceperit super eam.* Similiter Fagius, *Si aliam quoque acceperit illi, id est, si ultra ipsam aliam quoque superinduxerit, quam filio suo matrimonio jungat, &c.*

Alimentum ejus, operimentum ejus, ועונתה *& benevolentiam ei debitam non detrahet.*] Onkelos Hebræam vocem retinet, ועונתה, Fagius vertit, *& concubitum ejus.* Sic R. Sal. תשמיש *concubitum*. Similiter Abenezra rejectâ eorum sententiâ, qui (uti refert) habitationem voce istâ significari volunt, "ש הדירה concubitum, משכב hic denotari existimat. Innuit autem propriè dictionem עונה significare *tempus*, etiamsi hic עת הדודים *tempus amorum* (uti loquitur) significet. Lxx. καὶ τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς *conversationem* (sive *congressum*) *ejus. Quo nomine* (inquit August. in Quæst.) *intelligitur scriptura honestius appellare concubitum.* Vulg. *& pretium pudicitiæ.* Amama in Cens. ait aquam sibi hærere, dum vel conjecturam adferre satagit, quare Interpres iste ita verterit. Illud tamen vero haud absimile, eum deduxisse עונה à ענה, quod interdum in Scripturâ valet *comprimere*. etiamsi (ut notat Amama) עונה ab alio themate arcessant Lexicographi. Atque ita quidem à Lexicographis radix hujus dictionis statuitur ferè עון, Ludovicus tamen Capellus in Spicilegio suo ad 1. Cor. 7. 3. ait עונה esse à radice ענה quæ *humiliare*, *affligere* significat, & interdum de fœminarum compressione usurpatur. A radice siquidem ענו deductum esse ענו *mansuetus*, *benignus*, & ענוה *mansuetudo*, *benevolentia*; atque inde per metathasin esse עונה εὔνοια, uti ab Apostolo illo ad Corinthios loco appellatur. In hanc sententiam ibi vir eruditus disserit; sed multo facilior commodiorque videtur altera vocis à radice עון deductio.

11. *Et si tria hæc non fecerit ei, &c.*] Fagius juxta Hebræorum sententiam sic exponit, *Si non desponsaverit eam sibi, si non dederit redimendi locum, & filio quoque suo non desponsaverit, egrediatur libera sine argento, hoc est, nihil planè pecuniæ tum domino suo pro sui redemptione numerare tenetur.* ‡ Seldenus noster ait Hebræos interpretari, אם שלש אלה לא יעשה לה לא יעדה לו ולא לבנו ולא גרעון פדיון ויצאה חנם בתוך שנים מסימני נערות *Si hæc tria non fecerit ei, nec sibi ipsi despondeat, nec despondeat filio suo, nec deducto præteritæ servitutis pretio, ut minori redimatur permittat, sed egrediatur (seu nanciscatur libertatem) gratis, quamprimum nempe pubertatis signa comparuerint.* Ego verò arbitror legendum, non *sed egrediatur*, sed *tum egrediatur*, &c. alioqui is verborum sensus erit, ut prohibitum sit, ne vel sibi ipsi despondeat, vel filio suo, &c. At Hebræa procul dubio id sibi volunt; *si hæc tria non fecerit, (nempe si) nec despondeat sibi ipsi, nec filio suo, nec, &c. tum egrediatur &c.* In istam plane sententiam R. Sal. אם אחת משלש אלה לא יעשה לה ומה הן השלש יעדנה לו או לבנו או יגרע מפדיונה ותצא ✕ *Si unum ex hisce tribus non fecerit ei. Et quæ nam sunt hæc tria? ut despondeat eam sibi, vel filio suo, vel (pro numero annorum quibus servivit) diminuat pretium redemptionis ejus, ut exeat.* Ad eundem etiam modum exponit Abenezra, & redarguit eos, qui tria ista, quorum v. 10. fit mentio, nempe alimentum, operimentum, & debitum conjugale, intelligi putant.

Tum exibit gratis, sine pecuniâ] R. Saadiah (uti refert Abenezra) quærit quare cum priùs dictum sit חנם *gratis*, posteà dicatur אין כסף *absque argento*? Et respondet, sensum esse, si ancilla fortè ægrota esset, ac valetudinis ejus recuperandæ gratiâ dominus impensam fecerit, nihil propterea eum ab illa exigere debuisse. Sed multo simplicius est quod ipse dicit Abenezra, nempe post *gratis* additum esse *absque argento* majoris duntaxat evidentiæ & perspicuitatis causâ, הטעם כפול בעבור, Sic enim (uti idem observat) 2. Reg. 20. 1. dictum est Ezechiæ, כי מת אתה ולא תחיה *nam morieris, & non vives.* Quid autem Jonathan sibi velit, nescio, cum post ista, ותפוק מגן *tum exibit gratis, absque argento*, addat, דלא כסף גט פטורין

* *Sic Fagius vertit; postquam verti cùm ei dominatus fuerit.*

† *Sic Abenezra* juxta morem filiarum Israel, virginum nempe, quæ non sunt venditæ. ‡ *Vel, ei*, לו *nempe filio suo.* ‡ *Seld. de Jure Nat.* &c. *lib. 6. cap. 7.* ✕ *Jonathan etiam in eundem sensum interpretatur.*

גם פטורין יהב לה *veruntamen libellum repudii* (seu *dimissionum*) *dabit ei*.

12. *Qui percutit virum*, &c.] Jon. *Qui percutit filium Israel, vel filiam Israel*, &c. Sic Abenezra ait, האיש הזה שהוא מישראל *vir iste, de quo hic fit sermo, est ex Israele*. Quasi (scilicet) hominem gentilem impunè liceret occidere. At vide Gen. 9. 6. & Levit. 24. 17. quem locum hic adducit R. Sal. atque inde (quia in Hebræo dicitur כל נפש אדם) probat eum qui vel fœminam, vel puerum occiderit, pœnâ mortis teneri; nec certè minus inde probatur, eandem pœnam eum mansisse, qui gentilem occideret.

ומת *Ita ut moriatur*] Ad verb. *& moritur*, vel *mortuus est*, scilicet ex istâ percussione. Vulg. *Qui percusserit hominem volens occidere*. Quæ interpretatio meritò displicet, quia ut Lyra (ab Amama citatus) notat, *si non occideret percutiendo, quantumcunque vellet occidere, non ob id puniretur morte*. Similiter R. Sal. אינו חייב אלא בהכאה שיש כדי להמית *Non est reus* (nempe mortis) *nisi ita percusserit, ut occidat*.

מות יומת *Moriendo morte plectetur*] Jon. אתקטלא יתקטל בסייפא *occidendo occidetur gladio*. At Coch in Sanhedrin cap. 7. hanc Hebræorum regulam citat, כל מיתה אמורה בתורה סתם אינה אלא חנק * *Supplicium extremum, si non specificatur, strangulatio est*. Atque addit rationem non absurdam esse videri, כל מקום שנאמר מיתה בתורה סתם אין אתה רשאי למשכה להחמיר עליה אלא להקל עליה † *Ubicunque capitale supplicium non definitur in Lege, non licet tibi ad gravius trahere, sed ad levius*. Ibidem tamen monet Hebræos lapidationem intelligere, licet non specificetur supplicium capitale, quoties additur, דמיהם בם *sanguis eorum super ipsos*. Abenezra ad Levit. 20. 9. ait id de iis dici, qui vel lapidantur, vel strangulantur. Vide ad v. 17.

13. ואשר לא צדה *Qui autem non est insidiatus*] Onc. ודלא כמן, quod idem sonat. ‡ Similiter Rab. Sal. exponit צדה per ארב quod est *insidiari*. Propriè צדה est *venari*, atque inde, quia venatores uti solent insidiis, pro *insidiari* usurpatur. Lxx. ὁ δὲ οὐχ ἑκών; *Qui autem nolens*. Aquila, Καὶ ὃς οὐ μεθώδευσε, *Et qui non de industriâ molitus est*. Id diaboli est ingenium, nempe circumambulare ac quærere quem perdat. 1. Pet. 5. 8. Unde ei attributæ sunt μεθοδεῖαι, *Ephes*. 6. 11.

והאלהים אנה לידו *Sed Deus tradidit in manum ejus*.] R. Sal. & Abenezra ita intelligunt, quasi ob aliquod crimen anteà patratum minimeque à magistratu punitum, Deus hominem ita in manum occidentis traderet. Sed judicia Dei sunt inscrutabilia, atque istiusmodi omnibus ex æquo eveniunt. Inde autem Rabbini isti ansam interpretationis captant, quod מתאנה interdum significet *occasionem adversus aliquem quærere*, ut 2. Reg. 5. 7. מתאנה הוא לי *occasionem quærit adversum me*. Sed hoc in loco idem valet quod מסר *tradidit*. Onk. ומן קדם יי אתמסר לידיה *sed à conspectu Domini traditus est in manum ejus*. Lxx. ἀλλ' ὁ θεὸς παρέδωκεν εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Vulg. *Sed Deus illum tradidit in manus ejus*.

Constituam tibi locum ad quem confugiat.] R. Salom. ait etiam in deserto istiusmodi locum refugii fuisse; nempe castra Levitarum; sed unde istud constet, nescio.

14. וכי יזד איש על רעהו *Quòd si quis præsumptuosè fecerit contra socium suum*.] Onk. & Jon. ירשע *impiè fecerit*. Meliùs Hierosol. יחשב *machinatus fuerit*.

Ab altari meo accipies eum, ut moriatur.] Jon. *Etiamsi sacerdos* (Hierosol. *Sacerdos summus*, כהנא רבא) *sit, & ministret super altare meum, inde eum accipietis, & occidetis eum gladio*. Similiter exponit R. Sal. Atque ita ab antiquis expositum refert Abenezra, ipse tamen de eo interpretatur, qui uti Joab fecisse legitur, ad altare tanquam ad asylum confugeret; hanc expositionem genuinam esse non dubito. Seldenus de Jure Nat. &c. lib. 4. cap. 2. refert Hebræos de altari dicere, אין קולט אלא כהן ועבודה בידו *Non præstat tutelam nisi sacerdoti, eidemque sacra ibidem operanti*. Addit autem, *Si ordinariâ mortis sententiâ liberi, judicium tantùm regium, aut forense illud quod extraordinarium erat, etiam ob homicidium ‡ voluntarium, meritò timentes, ad altare se tutelæ causâ contulissent, sive sacerdotes, sive alii ex circumcisis essent, tuti erant, nec לעקרן מעל גבי המזבח למסרן למיתה divellendi unquam ab altari, ut mortis judicio traderentur. Nec Joabo tutela præstari non debuisset, אם לא היה מחויב מיתה בב"ד nisi ex jure ordinario, supplicio ritè plecti potuisset*. Atque ita quidem de Joabo scribit R. Levi (quem citat Seldenus) ad 1. Reg. 2. 28. ubi etiam ait Joabo non profuisse quòd cornua altaris apprehendit, propterea quòd לא היה כהן ועבודה בידו *non fuit sacerdos, nec sacra operabatur*. At non est verisimile Joabum ad altare tutelæ causâ confugere voluisse, si non nisi sacerdoti, idque sacra operanti tutela inde præstari potuit. Vera igitur causa quare altare nullam Joabo tutelam præstitit, primo statim loco à R. Levi redditur, מפני שהרג נפשות במזיד ובערמה *Propterea quòd homines præsumptuosè* (seu *datâ operâ*) *& per insidias interfecerat*.

15. *Qui percutit patrem suum, * vel matrem suam*] R. Sal. ait non intelligi nisi istiusmodi percussionem, ex quâ vulnus sequitur. אינו חייב אלא בהכאה שיש בה חבורה

Moriendo morte afficiatur] Nempe (ut exponit R. Sal.) Strangulatione; בחנק, vide suprà ad v. 12. Similiter Jon. *occidendo occidetur* בשינוקא דסודרא *strangulatione sudarii*, vel *cum sudario*. Atque eadem etiam verba habet v. 16.

16. וגנב איש *Et qui furatur quempiam*] Ad verb. *virum*. R. Saadiah (uti est apud Abenezram) hanc rationem reddit quare inter præceptum de percutiendis parentibus & præceptum de iis maledicendis, interpositum sit hoc præceptum de homine furando, nempe quòd parvuli solerent furto auferri, atque in alienâ terrâ educari, unde fieri posset, ut cum ignorarent parentes suos, eos percuterent, vel eis maledicerent; hoc igitur casu furem duntaxat esse plectendum יהיה על הגנב. Sed hoc nimis longè petitum videatur.

ונמצא בידו *Vel inventus est in manu ejus*.] Nempe, ut exponit Abenezra, לפני שימכרנו *antequam venditus est*. Vau igitur in ונמצא valet או, *vel*; ut v. 15. in ואמו.

17. *Qui maledixerit patri suo, vel matri suæ*] Jonathan addit, בשמא מפרשא *per nomen expositum*, nempe tetragrammaton יהוה. Atque ita ab antiquis intellectum testatur Abenezra.

Moriendo morti tradetur] Jon. *occidendo occidetur lapidatione*; ad verb. *projectione lapidum*, ברגימת אבנין. Ita etiam R. Sal. exponit, בסקילה *per lapidationem*. Atque addit, בכל מקום שנאמר דמו בו בסקילה *Et ubicunque dicitur, sanguis ejus super ipsum, de lapidatione intelligitur*. Id probat ex Levit. 20. 27. באבן ירגמו אתם דמיהם בם *lapidibus lapidabunt eos, sanguis eorum super eos*. Notat autem Levit. 20. 9. de eo qui patri matrive malediceret, dictum esse, *sanguis ejus super ipsum*; sed probationes istæ infirmæ esse videntur. Vide suprà ad vers. 12.

18. ונפל למשכב *Sed jacuerit in lectulo*] Sic Vulgatus, Interpres reddidit. Onk. ויפל לבוטלן Fagius vertit, *Sed lecto decubuerit, ut non possit laborare*. Monet autem in Annotationibus ad verbum esse, *& ceciderit in vacationem*, sive *cessationem* scilicet operis. Hanc Chaldæi interpretationem probat R. Salom. כתרגומו ויפל לבוטלן לחולי שמבטלו ממלאכתו *Quemadmodum se habet Chaldaica Paraphrasis, sed ceciderit in vacationem, (nempe) in morbum, unde fit, ut ab opere suo cesset*.

19. על משענתו *Baculo suo innixus*] Ad verb. *super † baculum suum*. Rab. Sal. exponit, על בוריו וכחו *super scipione suo, & viribus suis*, i. e. ‡ si absque ope alterius, suo ipsius robore, baculo innixus ambulare foras possit. שען in Niphal נשען *niti, inniti*; inde משענת *baculus, scipio, cui quis innititur*.

רק שבתו יתן *tantum*, vel, *veruntamen cessationem ejus dabit*.] i. e. damnum, quod ex cessatione operis sustinuit, compensabit. Jon. לחוד בוטלן עבידתיה ומחתיה וצעריה יתן *tantum cessationem operis ejus, & afflictionem ejus, & damnum ejus, & dolorem ejus compensabit*. Onkelos duntaxat habet, בטליה ‡ *vacationem* vel *cessationem ejus*. Lxx. πλὴν τῆς ἀργίας αὐτοῦ ἀποτίσει, *veruntamen cessationem ejus solvet*. שבתו (uti notat Abenezra) potest esse vel à שבת *cessare*, vel à ישב *sedere*, in infinitivo שבת, & sic שבתו ad verb. *sedere ejus*, opponitur ei quod præcessit, *si surrexerit & foris ambulaverit*.

ורפא ירפא *Et curabit ut sanitati plenè restituatur*] Onk. ואגר אסיא ישלם *& mercedem medici persolvet* eadem verba habet Jonathan, ac præterea addit עד דמתסי *donec sanetur*. Abenezra hic mire sentit de ope ac opera medicorum; ait enim hic colligi Deum potestatem dedisse medicis sanandi vulnera externa, המכות והפצעים שיראו מחוץ, morbos autem internos qui intra corpus latent כל חולי שהוא בפנים בגוף non nisi à Deo ipso posse curari. Atque huc ineptissimè trahit illud Job 5. 18. Et quod de Asa legitur 2. Par. 16.

20. *Ser-*

* *Ista verba habet R. Sal. ad v. 16. hujus capitis*. † *At vide ad v. 20. & cap. 22. v. 18.* ‡ *Num. 35. 20.* בצדיה Per insidias. 1. *Sam*. 24. 11. ואתה צדה את נפשי לקחתה Et tu venaris animam meam. ‡ *Quomodo homicida voluntarii, ordinariâ mortis sententiâ liberi essent, haud intelligo*.

* *Ad verb*. & matrem suam; *sed Vau hic est disjunctivum*; או זה או זה *inquit R. Sal.* sive illum, sive hanc † Abenezra שלא ישען על אחר כמשפט החולי רק על עצמו Si non, ut ægroti alteri innitatur, sed sibi ipsi. ‡ *Ad verb*. dabit. ‡ *R. Sal*. בטול מלאכת מחמת החלי cessationem operis ex morbo profectam.

Digitized by Google

20. *Servum suum; vel ancillam suam*] Jon. *servum suum Canaanæum, vel ancillam suam Canaanæam.* Similiter exponit R. Sal. idque probat ex eo quod dicitur v. 21. כי כספו הוא *argentum ejus est*, h. e. (uti interpretatur, nec opinor malè, קנין לו עולמית *acquisitus* seu *emptus ei in perpetuum.* Eodem argumento etiam utitur Abenezra, qui ait non dubium esse quin Israëlitarum, sive liberi, sive venditi essent, idem jus fuerit, ac propterea hunc locum de servo Hebræo non posse intelligi.

Et moriatur sub manu ejus] Jon. *Et moriatur die isto sub manu ejus.*

נָקֹם יִנָּקֵם *Vindicando vindicabitur*] Onk. אתדנא יתדן *judicando judicabitur.* Jonath. *judicando judicabitur judicio occisionis gladii.* Sic R. Sal. מיתת סייף *morte* seu *interfectione gladii.* Et probat ex illo Levit. 26. 25. חרב נוקמת נקם ברית *gladium ulciscentem ultionem fœderis.* Sed locus iste ad hoc probandum nihil quicquam facit: istum tamen locum ad hunc explicandum à patribus suis adduci refert Abenezra, qui etiam observat in aliquibus Scripturæ locis verbum נקם *ulcisci*, usurpari, ac mortem designare. Nec ego abnuo mortem hic significari, non tamen præcisè ex vi verbi, cùm ut ipse Abenezra non negat הנקמה על דרכים רבים *ultio multis modis sumi posset.*

22. וְלֹא יִהְיֶה אָסוֹן *Et non fuerit infortunium*] באשה *in muliere* inquit Abenezra pariter ac R. Sal. Onk. ולא יהי מותא * *Et non fuerit mors.* Jon. ולא יהי בה מותא *& non fuerit in ea* (vel ei) *mors.* Atque ita etiam v. 23. אסון interpretantur מותא *mortem*, & ad mulierem iterum disertè refert Jonathan. Ita etiam Vulgatus Interpres, quem propterea Amama perstringit, asserens posse, imò debere referri tam ad mortem prolis, quàm matris, idque à Cajetano ac aliis notatum refert. Monet etiam Fagium in vertendo Onkelo nimium sibi indulsisse, quod cum Onkelos Hebræum textum secutus, generaliter interpretetur, ille speciatim ad mulierem refert. Addit denique, si de sola muliere mors intelligatur, legem esse supervacaneam; occisorem enim ejus lege generali teneri. Sed ratio ista non adeo valida esse videtur, Lex enim hic statuit quid fieri debeat, si mors non sequatur, deinde si mors sequatur; quid in isto casu, aut alio aliquo istiusmodi faciendum sit, docetur. Ex ista nempe occasione generalis lex de interficiendo homicida repetitur & porrò latiùs explicatur. Rectè autem Lxx. Interpretes hîc longiùs ab Hebræo notat Amama deviasse dum sic vertunt, μὴ ἐξεικονισμένον (& egressus infans ejus) *non fuerit effigiatus.* Similiter v. 23. ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ *Si autem effigiatus fuerit.* Augustinus in Quæst. ait hîc de animâ quæstionem solere agitari utrùm quod formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi, &c. Amama ait interpretes istos non malè sensum expressisse si simulac fœtus effigiatus est, infunditur rationalis anima. At miror quomodo hoc ab eo dici possit. Nam si (ut ille asserit) Hebræa ita se habent, ut אסון *exitium* vel *mors*, tam ad mortem prolis quam matris referri possit, imò debeat, haud rectè sensus exprimitur, cum ad prolem duntaxat refertur.

Puniendo punietur, &c.] *Ob fœtum* (inquit Abenezra) *qui exiit, & mortuus est.* בעבור הילדים שיצא ומת Sed si ex percussione fœtus moriatur, percussor morte puniendus videtur.

Quemadmodum imposuit ei maritus mulieris, וְנָתַן בִּפְלִלִים *dabit per judices*, seu † *ex sententiâ judicum.*] Id est, uti interpretatur Abenezra, Si percussor suâ sponte velit facere quod prolis ejectæ pater ab eo postulat, res inter ipsos transigetur; quòd si nolit, ex sententiâ judicum quantum postulatur, persolvet. Illud autem בפלילים *per judices* addi videtur, ut significetur rem non prorsus in arbitrio mariti positam esse, sed ne fortè rationis limites transiliat, ex sententiâ judicum esse moderandam. Vulg. *& arbitri judicaverint.* Lxx. μετ' ἀξιώματος *cum æstimatione*, quod (ut notavit Steuchus) ab Hebræo remotius, & obscurius est.

23. *Et dabis animam pro animâ*] Seu *vitam pro vitâ* נפש *Nephesh anima* sæpè pro *vita* usurpatur. Jon. נפשא דקטולא חולף נפשא דאיתתא *vitam interfectoris pro vitâ mulieris.* At quid ni etiam de fœtu in utero matris interfecto intelligatur? Lyra de morte mulieris, vel fœtûs jam animati interpretatur. R. Salom. ait Rabbinos hic inter se dissentire; quosdam enim vitam simpliciter intelligere; alios autem pecuniam pro vitâ persolutam; quòd qui in animo habuerunt unum interficere, & interfecerunt alium, à mortis supplicio sint immunes, nec nisi pretium interfecti persolvant hæredibus ejus, prout nempe in foro vendi potuisset; שמתכוין להרוג את זה והרג את זה פטור ממיתה ומשלם ליורשיו דמיו כמו שהיה נמכר בשוק Sed quo jure istud nitatur, nescio.

24. *Oculum pro oculo, &c.*] Jon. דמי עינא חולף עינא *pretium oculi pro oculo, &c.* Sic R. Sal. ait juxta Rabbinos sensum esse, pretium oculi esse solvendum, tantum nimirum, quanto quis minoris in foro venderetur, si oculo careat. R. Saadiah etiam adversus Ben Zeta (uti refert Abenezra) contendit hunc locum non posse simpliciter ut sonat intelligi, quòd Lex talionis præcisè observari non possit. Exemplum ponit, si quis alterius oculum percusserit, ita ut tertiam partem visûs destruat; quomodo fieri possit, ut percussori eadem planè pœna infligatur, nec quicquam vel magis, vel minus quàm fecit patiatur? Probabilius tamen videtur; uti illud quod præcedit, *animam pro animâ*, ita & hæc quæ sequuntur, juxta literam esse accipienda, nempe ut quoad fieri posset, talionis pœna infligeretur. Sic etiam inter antiquas Romanorum Leges fuit Lex talionis, contra quam disputat Phavorinus apud Gellium Noct. Attic. lib. 20. c. 1.

25. פֶּצַע *Vulnus*] R. Sal. ait vocem istam significare vulnus, de quo sanguis sequitur. חַבּוּרָה autem quod proximè sequitur, (*livorem* interpretantur) esse, quando sanguis non exit; sed collectus est, ita ut caro rubescat. Abenezra ait nonnullos ita dictiones hasce interpretari, R. Saadiam autem velle פצע fractionem ossis denotare, & חבורה quamvis sanguinolentam percussionem; מכה דם, Ego hic R. Salomoni potiùs assenserim; atque ita voces istas intellexisse videntur Lxx. qui פצע vertunt τραῦμα *vulnus*, חבורה autem μώλωπα *vibicem* interpretantur. Similiter Vulg. *Vulnus pro vulnere, livorem pro livore.*

26. *Si quis percusserit oculum servi sui, &c.*] Jonathan & R. Sal. hoc de servo Canaanæo interpretantur. Abenezra autem non inscitè reddit rationem hujus præcepti, nempe nè Dominus servo suo se crudelem præbeat, cum si vel oculum, vel dentem ejus excuteret, libertatem ei concedere, ac pecuniam, quâ eum emerat, amittere cogeretur.

28. *Et si bos cornu percusserit*, &c.] R. Sal. notat eandem & aliorum animalium rationem esse, sed Scripturam de eo loqui, quòd plerumque solet accidere אחד שור ואחד כל בהמה וחיה ועוף אלא שדבר הכתוב בהווה·

Et Caro ejus non comedetur] Abenezra putat carnem istiusmodi bovis habendam fuisse instar cadaveris, quod peregrinus portæ, vel alienigena comedere potuit, non autem Israëlita. Deut. 14. 21. Addit tamen antiquos velle sensum esse, nullam ex isto bove utilitatem capi potuisse. Atque hoc quidem est verisimilius, nimirum in horrorem facti, bovem istum nullius cujuscunque esui fuisse permissum.

וּבַעַל הַשּׁוֹר נָקִי *Et Dominus bovis erit innocens.*] Vel *immunis*, nempe ut explicat Abenezra, מעונש *à pœnâ.* Jon. ומריה דתורא יהי זכאי מדין קטול ואוף מדמי עבדא ואמתא *Et dominus bovis erit innocens à judicio* (immunis à supplicio) *occisionis, atque etiam à pretio servi, vel ancillæ.* Vide v. 32. Hunc simplicem verborum sensum esse, idque ex versu sequenti constare, fatetur R. Sal. etiamsi (ut refert) nonnulli interpretentur, *Et dominus bovis erit vacuus* (sic enim & נקי interdum significat) vacuus nempe commodo, quod ex bove alioqui percepturus erat.

29. מִתְּמֹל שִׁלְשֹׁם *olim*] Ad verb. *ab heri & nudiustertius*, istâ autem locutione tempus præteritum denotatur. Inde autem Rab. Salom. colligit, שלש נגיחות *tres percussiones* significari.

וְהוּעַד בִּבְעָלָיו *Et testificatum fuit domino ejus.*] Jonathan addit, תלתא זמני *tribus vocibus.* Nota autem plurale בעלים positum esse pro singulari בעל, Sic iterum hoc ipso versu, & v. 34 & v. 36. Vide suprà ad v. 4. in margine.

Et etiam dominus ejus יוּמָת *morte plectetur*] Jonath. יתקטל במותא דמתגרי עלוי מן שמיא *interficietur morte, quæ ei infligetur à cœlo*, i. e. divinitùs. Similiter R. Sal. בידי שמים *per manus cœli.* Ita à veteribus Rabbinis expositum esse refert Manasses quæst. 40. in Exod. & Abenezra ad locum. Sed procul dubio hîc æquè ac in præcedentibus, de morte à Judicibus infligen-

* *Fagius vertit*, ipsa tamen non moriatur, *Et v. 23.* Si autem mortua fuerit; *cum Onkeli verba sint*, ואם מותא יהי Et si mors fuerit. † *Onkelos* על מימר דיינא ex verbo judicum. *Jon.* על מימר דייניא juxta verbum judicum. *R. Sal.* על פי הדיינין juxta os judicum.

fligenda sermo fit; nec quicquam obstat, quòd non יומת מות, ut alibi, sed duntaxat יומת dicatur; Nam יומת idem est quod מות יומת, nisi quòd hoc est ἐμφατικώτερον, atque ideò fortè hic dictum est יומת *morte afficietur*, non autem מות יומת *moriendo* (seu omninò) *morte afficietur*, quia proximo versu Legis hujus rigor mitigatur, nihilò tamen minùs ipsum יומת (ut notat Abenezra) differt à ימות quod est in Kal, & significat *morietur*, cum illud sit in Hophal, & violentam mortem extrinsecus infligendam importet, *morti tradetur*. Ipsa deinque legis hujus mitigatio, quæ proximè sequitur, satis clarè ostendit hoc in loco mortem ex Judicum sententiâ infligendam debere intelligi.

30. אם־כפר יושת עליו *Si pretium redemptionis ei impositum fuerit*] Nempe, ut Abenezra exponit, על פי הדיינין *ex decreto Judicum*. * At Num. 35. 31. præceptum est, ne pretium redemptionis pro ullo homicida acciperetur, quo minùs morte plectendus esset. Abenezra ad hæc inter se concilianda ait, illic sermonem esse de רוצח גמור *homicida perfecto* seu *completo*, hîc autem de eo, qui nullum ipse perpetravit homicidium, sed tantùm paulò negligentiùs custodivit bovem suum, unde secutum est homicidium atque ideò Legem ita temperari, ut ei vitam suam pecuniâ redimere liceat, Hanc Abenezræ expositionem, quæ mihi neutiquam spernenda videtur, etiam Abrabanelem sequi testatur Manasses loco citato.

31. *Sive filium cornu petierit, sive filiam*, &c.] Onkelos & Jonathan de Israëlita, & Israëlitide interpretantur; atque ita etiam Abenezra, quia statim de servo (nempe, ut exponunt, Canaanæo) aliter est statutum. At R. Salomonis glossam hic non gravate prætulerim, nempe per *filium* & *filiam* hic parvulos esse intelligendos, ne quis suspicaretur Legem de grandiusculis duntaxat loqui, cum suprà v. 28. dictum sit, *Si bos cornu petierit virum, vel fœminam*, &c.

32. כסף שלשים שקלים יתן לאדניו *argentum triginta siclorum dabit domino ejus.*] R. Sal. השקל משקל ארבעה זהובים שהם חצי אונקיא למשקל אשר של קולוניא *Siclus habet pondus quatuor † aureorum, qui efficiunt dimidium unciæ juxta pondus Coloniense.* זהובים ‡ idem valet quod זוזים *zuzim*; est autem *zuz* moneta quædam, quæ quartam sicli partem valere dicitur. 1. Sam. 9. 8. רבע שקל *quarta pars sicli.* Chald. זוזא חדא *zuz unus.* Et sic ibidem R. Sal. Quin & Kimchi illius interpretationis rationem reddens ait, כי השקל ארבעה זוזים Nam siclus continet quatuor zuzim.

33. *Et si quis aperuerit puteum*, &c.] Jonathan addit, בשוקא *in plateâ.* Similiter R. Sal. (ut notat Lyra) de puteo effosso in loco quopiam publico interpretatur. Ita etiam Abenezra. Vide ad v. 34.

34. *Dominus putei rependet*, &c.] Abenezra ait, eum qui aperuit, vel effodit puteum, hîc appellari dominum putei אע״פ שהוא ברשות הרבים *etiamsi puteus esset communis*, quia sumn ille usum in opere isto spectavit, כי לצרכו עשה Similia etiam habet R. Sal.

35. *Et divident pecuniam*, &c.] Lyra laudat R. Salomonem dicentem, hoc locum habere, quando uterque bos tantundem valet; aliter enim fieri potuisse, ut dominus bovis interficientis lucrum reportaret. Igitur si boves essent inæquales, *respiciendum* (inquit Lyra) *ad damnum quod accidit*, & *medietas damni debet poni super unum*, & *alia medietas damni super alterum*, *cæteris non mutatis.*

I D E M.

4. UXor & *liberi ejus*, &c.] Cum supra ad hunc locum Hebræorum de Thamar, cujus fit mentio 2. Sam. 13. sententia fuerit memorata, non abs re erit adjicere, quemadmodum Lyra ‡ illic R. Salomonis sententiam recenseat, nempe matrem Thamar à David in bello captam fuisse, & à priore marito concepisse Thamar, quæ propterea cum naturalis filia Davidis non esset, ipsius filio licitè potuit nubere. At profectò Lyra hîc à R. Salomonis mente prorsus aberrat. Nam R. Sal. ad illa verba 2. Sam. 13. 13. *Non enim me tibi denegabit*, sic scribit שמותרת אני לך *quod ego tibi sim licita.* Deinde addit, ut nimirum rationem hujus expositionis reddat, לפי שמעוברת היתה אמה כשהיא נכרית יפת תואר שלקחה דוד במלחמה ומי שיש לו בן או בת מן השפחה אינו בנו לכל דבר *Propterea quod mater ipsius illa esset gravida, cum erat alienigena, formosa, quam David bello cepit, qui autem habet filium, vel filiam ex ancilla, ejus iste nullo modo est filius* (nec ista ejus ullo modo est filia.) Postrema ista verba planè ostendunt R. Salomonem velle Thamar à Davide fuisse genitam, nec tamen ejus filiam reputatam, quòd cum ipsius matre, dum adhuc gentilis, & captiva erat, rem habuerit. R. Levi ad locum istum rem clariùs explicat, *Dicunt* (inquit) *Rabbini nostri b. m. quod Thamar erat filia formosa cujusdam* (*captivæ*) שבאה בגיותה ונתעברה מדוד *quæ dum gentilis esset, à Davide compressa, & gravida facta est, posteà autem proselyta facta ab eo in uxorem ducta est. Et quoniam mater ejus non erat proselyta, cum id esset impregnata, ideò filia Davidis non fuit* כי אין הבן הבא לישראל מן השפחה או מן הגויה קרוי בן לישראל הנה *Nam filius, quem Israelita suscipit ex ancilla, vel ex gentili, non vocatur filius istius Israelitæ.* Atque immediatè post subjungit, ולזה אמר בפרשת אלה המשפטים בבנים שילדו לישראל מן השפחה הכנענית אשר הם עבדים כמוה לא ישראלים & *propterea in Sectione Elle hamishpatim* (nempe in hoc Exodi loco) *sermo est de filiis qui nati sunt Israelitæ ex ancilla Canaanitide, qui instar ipsius* (*matris*) *servi sunt, non Israelitæ.* Vide autem, si libet, quid in hanc rem habet Cl. Seldenus de Jure nat. &c. lib. 5. cap. 12. & cap. 18.

6. ועבדו לעלם *Et serviet ei in perpetuum*] id est, ut Kimchi in Rad. exponit, כל הימים עד היובל *omnibus diebus suis, usque ad Jubilæum.* In Tract. Talm. קדושין cap. 1. dicitur hujusmodi servum, cui auris est perforata, cum adventu Jubilæi, tum morte heri libertatem suam obtinere. הנרצע נקנה במרצע ונקנה את עצמו ביובל ובמיתת האדון

8. אשר־לא יעדה *Qui eam sibi desponsavit*] לא pro לו *sibi.* Capellus in Critica sua * de varia lectione hujus loci agens ait Utrolibet modo legas † parùm ad rem ipsam referre, remque eodem redire; velle nempe Deum eâ lege cavere pudicitiæ puellarum, quæ à patribus venundabantur; jubere ergo ut herus, qui puellam sic emit, eam vel sibi, vel filio desponset, vel si neutri placuerit, sinat eum redimi; interdicere potestate eam alteri hero vendendi, quia scilicet non foret alioqui tuta puellæ (quæ in potestate herili esset) pudicitia. Sic ergò Deum dicere, *Si postquam eam sibi desponsavit, ante nuptias displicere illi coeperit, non licet eam alteri vendere, patietur eam redimi* vel, si postquam emit, non libet eam vel sibi, vel filio desponsare, nuptumque dare patietur redimi, ut nempe sit tuta puellæ pudicitiæ quæ alioqui periclitaretur. Emptionem itaque puellæ fuisse tacitam quandam desponsationem, vel saltem tacito desponsandi consilio conjunctam, pretiumque emptionis fuisse instar dotis, quæ dari solebat patri à genero filiam ambiente. Atque in hanc quidem sententiam hic scribit R. Sal. uti etiam à Capello observatur שהיה לו ליעדה ולהכניסה לו לאשה וכסף קנייתה הוא כסף קדושיה *Debebat nempe eam sibi desponsare, & in uxorem accipere; & pecunia emptionis ejus fuit pecunia sponsaliorum ejus.* Capellus vertit, *ita ut pretium emptionis ejus fuerit pretium dotis ipsius.* At קדושין denotat *sponsalia*, nec de dote hic loqui videtur R. Sal. sed de pecunia, quâ fieri solebat desponsatio. Nam in Misna dicitur ‡ האשה נקנית בשלשה דרכים *Mulier desponsatur tribus modis*; & statim sequitur, נקנית בכסף בשטר ובביאה *Desponsatur pecuniâ, scripto, & concubitu.* Addit autem R. Sal. ולמד לך הכתוב שמצוה ביעוד ורמז לך שאינה צריכה קדושין אחרים *Atque hîc innuit Scriptura, præceptum esse de desponsatione: quin & innuit etiam non opus fuisse aliis ‡ sponsalibus.* At ego nondum video, Lege Dei cautum fuisse, ne quis puellam in ancillam emeret, quin eam sibi desponsare, & in uxorem accipere necesse haberet.

10. ועונתה *Et benevolentiam ei debitam*] Ita in Misna vox עונה explicatur ☓.

14. וכי־יזד איש על־רעהו *Quod si quis præsumptuosè fecerit*, &c.] Kimchi in Rad. ait Rabbinos verbo זוד frequenter uti, & eum מזיד appellare שעושה הדבר ברצון *qui volens*, seu *data opera aliquid agit.* Sic ἑκουσίως ἁμαρτάνειν Heb. 10. 26.

18. או באגרף *Vel pugno*] Kimchi in Rad. exponit רגב *frustum terræ* * והוא החרסית עפר, testatur autem apud Rabbinos voce ista *pugnum* designari; atque ea sanè significatio hic pariter ac Isai 58. 4. congruentior videtur.

31. Sive

* *Jon.* כבל מה דישוון עלוי סנהדרין דישראל juxta omne id, quod ei imposuerint Sanhedrin Israëlis. † זהב unde זהובים *aureum significat.* ‡ *Vide ad cap.* 25. 39. ‡ *Lyra ad* 2. *Sam.* 13. 13.

* *Capel, Crit. S. lib.* 3. *cap.* 10. *Sect.* 10. † *Sive legas* לא non, *sive legas* לו sibi. ‡ *In* Kiddushin *cap.* 1. ‡ *Capell. vertit*, alia dote. ☓ *In* Cethuboth. *cap.* 5. * *In radice* גרף.

31. *Sive filium cornu petierit, sive filiam*] Kimchi in Rad. * ait בן *filius*, & בת *filia*, cùm absolutè usurpantur, nulla patris aut matris mentione factâ, parvulum & parvulam denotare; & citato hoc Exodi loco, בן או בת interpretatur קטן או קטנה *parvulum, vel parvulam.*

IDEM.

2. S*ervum Hebræum*] Hoc intelligi ait de eo, qui ob furtum suum à Judicibus in servitutem traditus fuit: nam si quis seipsum venderet, cum pro arbitrio potuisse annos servitutis suæ præfinire, atque ideò non anno septimo, nec nisi tempore servitutis exacto, libertatem consequi debuisse, nisi fortè vel Jubilæum interveniret, vel herus ipsius moreretur.

4. *Si Dominus ejus dederit ei uxorem*] De ancilla Canaanitide interpretatur: istiusmodi enim uxorem ad procreandos liberos herum servo suo dare potuisse: Atque ex hoc versu ait perspici, versum præcedentem de uxore Israelitide esse intelligendum.

5. ואם־אמר יאמר *Quod si dicendo dixerit*] Sic ad verbum Latinè sonat, id autem sic exponit, *Si non semel, sed sæpius dixerit*, &c.

6. אל־האלהים *Ad Judices*] Asserit Judices non vocari *Elohim* nisi respectu loci judicii (אצל מקום המשפט) quod ibi judicia Dei exerceant; uti dicitur (Deut. 19. 17.) *Et stabunt duo isti, qui litem habent, coram Domino*, &c.

6. לעלם *In seculum*] Ait Jubilæum, seu 50. annorum spatium vocari עולם *seculum*, quod 50. anni sint דור אחד *unum seculum.* Hic pro concesso sumere videtur עולם & דור ejusdem prorsus significationis esse, cum tamen עולם perpetuitatem denotare soleat, non sic autem דור nisi geminetur, דור ודור.

7. *Et si quis filiam suam*, &c.] Sic dictum ait, quòd nec Judices, nec propinqui, nec alii ulli potuerunt ancillam Hebræam vendere; patri autem filiam suam, cum parvula esset, nec dum pubertatis signa haberet, vendere licuit.

Non exibit, &c.] Non sic intelligendum ait, quasi ancilla Hebræa † post sex annos, & in Jubilæo non exitura esset, sed quòd reliqua, quæ de servo Hebræo dicta sunt respectu conjugii, (בענין אישות) in ancilla Hebræa non obtinent. Asserit etiam Legem non permisisse, ut quis filiam suam venderet, nisi ubi probabile erat (אולי במקום שאפשר יכול) emptorem vel eam sibi desponsare, vel filio suo in uxorem dare voluisse. Neque enim solere hominem puellam operis gratiâ emere, cum & mente pariter ac membris sit infirma, sed ut eam ob pulchritudinem in uxorem ducat, vel ob egregia ipsius facta sibi, aut filio suo desponset. Sed ista nec in Scriptura fundamentum habere, nec in se satis solida esse videntur.

8. בבגדו־בה *cum perfide cum ea egerit.*] Monet verbum בגד denotare perfidiam, cum quis fraudulenter agat cum eo, qui in ipso confidit. בגידה בגוים הכוונה שיעשה הדבר לא שיבוא מבטחו.

11. *Si autem hæc tria.* &c.] Id est, si nec sibi, nec filio suo eam desponset, nec redimi faciat. Istam expositionem receptam, ac veram esse dicit; addit tamen juxta seriem verborum, (seu versuum כפי מנין המקראות) intelligi posse tria ista v. 10. memorata, si nempe ex tribus istis quicquam detraxerit, tunc puellam illicò gratis liberam exire debere.

13. *Sed Deus tradiderit in manum ejus*) Hoc dictum ait, ut intelligamus, etiam ea, quæ respectu nostri fortuitò accidunt, à supremâ Dei providentiâ gubernari. להגיד שהמקרים אשר בכוון עם היותם כמקרה והמתון במקרים הנה הם משפטים מאלהים Et citat Rabbinorum dictum, אין אדם נוקף אצבעו מלמטה אלא אם כן מכריזין עליו מלמעלה *Non percutit (seu lædit) homo digitum suum in terrâ, nisi proclametur (seu decretum sit) super ipso in cœlo.* Apophthegma istud etiam Buxtorfius habet in Lex. Talm. in verbo נקף.

14. *Sed si quis præsumptuosè fecerit*, &c.] Hic redarguit eos, qui homicidis ultroneis asyla præbent, nec permittunt, ut istiusmodi facinorosi ab altaribus suis abstrahantur.

19. *Efficiet ut prorsus sanetur.*] Refert ex traditione Doctorum percussorem tria insuper compensare debuisse, nempe צער *afflictionem*, נזק *& damnum*, seu *nocumentum*, בשת *& dedecus*, seu *ignominiam*, nimirùm כפי כבוד הבוש ומשפחתו *juxta honorem ipsius, & honorem familiæ ejus.*

* *In radice* בנה † *At si à judicibus vendi non posset, id quod ad v. 2. de servo Hebræo dixit, etiam hic locum habere videtur.*

24. *Oculum pro oculo*, &c.] Totum istud de pecuniâ redemptionis pretio intelligi vult; etiamsi enim filii regum essent, tamen in hâc re tanquam servos reputari ait, ut quanto minoris ob defectum oculi, vel dentis, &c. vendi poterant, tantum percussor solvere teneretur. Atque argumentatur, non posse hæc, ut sonant, intelligi; aliquando enim futurum, ut si cui oculus effoderetur, vel manus amputaretur, is ex vulnere moreretur, atque ita pro oculo, aut manu, non solùm oculus aut manus, sed vita etiam ipsa insuper amitteretur. Verùm ad hoc responderi potest, Legem non esse sollicitam de eo, quod ex accidenti, & præter intentionem evenit. Id validius esse videtur, quod refert Nahmanidem objicere, nempe si oculus reverà pro oculo, & manus pro manu danda esset, quorsum suprà, v. 19. diceretur, percussori curandum fuisse, ut percussus sanaretur, & jacturam temporis, quo percussus ab opere cessavit, à percussore fuisse compensandum? Sed ad istud etiam fortè respondere licet id quod habetur, v. 19. de istiusmodi percussione intelligi, ex quâ nullius membri amissio, sed duntaxat percussi debilitatio consequeretur.

29. *Et dominus ejus etiam morte afficietur.*] Refert Doctores istud intelligere de morte non à Judicibus, sed à Deo ipso infligendâ: ipse autem ex v. 30. colligit, mortem à Judicibus infligendam hic intelligi; id quod mihi verissimum videtur. Refert autem Nahmanidem de morte cœlitùs infligendâ interpretari, ac quod de pretio redemptionis sequitur, de oblationibus ad placandum Deum adhibitis intelligere: sed id Scripturæ verbis minùs consonum videtur.

34. *Dominus putei*, &c.] Asserit eum sic vocari, qui puteum (anteà fossum, posteà autem obturatum) aperuit, vel (de novo) fodit, etiamsi de publico puteo intelligatur. Monet etiam hanc legem ad omne offendiculum, quod quis publicè posuerit, se extendere. Atque hoc documentum (תורה) tradit, leges hasce, quæ hic occurrunt, non restringi ad ea, quæ memorantur, sed de iis simul ac aliis similibus debere intelligi. Refert autem Doctores dicere, Legem hanc non ad hominem, nec ad supellectilem (כלים) extendi, quòd homo præditus sit intelligentiâ, quâ sibi consulere possit, & supellex ab homine, prout ipsi libuerit, portetur.

35. *Divident pecuniam*, &c.] Hoc absque dubio intelligi ait, cum boves æqualis sint pretii: alioqui enim fieri posse, ut qui damnum dedit, quæstum faciat.

Cap. XXII.

MUNSTERUS.

1. R*eddet quinque boves*] Sed quare jubentur reddi quinque boves, & tantùm quatuor oves? Respondent quidam Hebræi, quòd bos, cùm multò major sit ove, non possit facilè abscondi & abduci nisi à fure furtis assueto. Alii verò dicunt, quod interim dominus bovis labore ejus in agricultura fuerit destitutus, quod damnum hic per quintum bovem sarcitur.

2. *In effossione*] Sensus est, Si fur suffodiens domum in ipsa effractione deprehensus fuerit, & à domino domûs occisus, non erit capitalis actio, neque imputabitur domino homicidium. Præsumitur enim furem animo latrocinandi venisse. Secùs, si clarâ die domum irruperit.

5. *Bonum agri*] Est hic מיטב nomen denominativum, & non est Mem præpositio, sed hæemanthica litera. Et intelligitur bonum illud, nedum de fructu agri vel vineæ, verùm etiam de fundo ipso, quem tenetur dare illi cui nocumentum intulit, si prædium illius omnino devastavit.

7. *Dederit*] Capitur hic *dare* pro *mutuò*, vel *commodatò*, *dare*; itémque, pro *deponere.*

9. *De qua quis dixit*] Heb. *qui dixerit, quia ipse est.* h. e. Si testis dixerit eum esse reum, poteritque id probare coram judicibus, dabit reus duplum. Sin testis falsus deprehensus fuerit, dabit ipse duplum. Sic R. S. exponit.

13. *Adducat ille testem*] Alii sic vertunt, *adducat ipsum raptum in testimonium:* verùm Hebraismus hunc sensum non habet. Potest enim fieri quòd lupus ovem absque ullis reliquiis asportaverit.

15. *Cum conductitium sit*] Ut si equum tibi pro mercede utendum dedero, & is me præsente defecerit, non teneris ad ejus restitutionem.

18. *Maleficam*] Licèt utrique sexui interdicta sit magia, fit tamen hic solùm de muliere mentio, quòd is sexus frequentiùs cum dæmonibus pactum facere soleat.

21. *Expiles*] Heb. *denudes*, seu *extrahas*, h. e. prives bonis suis.

26. *In solis occasu*] R. S. contrarium elicit sensum. Legit enim sic hunc textum, *Cùm abstuleris vestimentum proximi tui in pignus, restitues illi ipsum usque ad occasum solis, præsertim cum aliud non habeat quo interdiu cutem tegat. Serò verò licebit auferre usque mane, si nocte illâ non opus habuerit. Sin nocte quoque loco tegumenti utatur, nunquam licebit auferre.*

28. *Diis non maledices*] Per *deos* intelliguntur judices & sacerdotes legem docentes.

29. *Plenitudinem*] h. e. Cùm impletæ fuerint fruges tuæ, sive cùm ad maturitatem pervenerint, dabis primitias; & deinde, cùm collectæ fuerint intra domum, dabis quoque lacrymam, h. e. vinum & oleum, in vindemia, quæ messem sequitur. Sic K. exponit.

F A G I U S.

2. NOn erit ei sanguis] Hebraismus est, pro, Non fundatur sanguis percussoris propter occisum à se furem. Sensus est, Si fur suffodiens domum in ipsa effractione deprehensus fuerit & à domino domûs occisus, non imputabitur domino homicidium: præsumitur enim furem animo latrocinandi venisse: Secùs, si clarâ die domum irruperit. Quidam putant ad utrumque hæc posse referri, h. e. vel ad percussorem, contrà quem non debeat actio homicidii constitui, vel ad percussum: ut sit sensus, Quòd ejus causâ non constituatur actio homicidii, h. e. **Man läst kein Blut-Gericht über ihn gehen. Man richtet ihn nicht.**

3. *Si oculus testium ceciderit super eum*] Hæc R. S. ità explicat, אם מצאוהו עדים קודם שבא בעל הבית וכשבא בעל הבית התרו בו שלא יהרגהו, *Si invenerint eum testes antequam veniat paterfamilias, & ubi advenerit, admonetur ab eis ne interficiat eum.* Est ergò sensus, Si quis furem domum effringentem præsentibus testibus occiderit, imputabitur ei homicidium, occidatur, & sanguis ejus similiter fundatur. ¶ *Reddendo reddat fur*] Sed quomodo, inquis, restituere potest fur qui à percussore interfectus? Respondent doctiores Hebræi hæc cohærere cum superioribus quæ sunt in initio hujus capitis, ubi de restitutione furti agitur, & per parenthesim interjecta esse quæ de fure diurno & nocturno hic dicuntur; ut illud *reddendo reddat* cohæreat cum illo, *quinque boves reddat pro bove*, &c. atque ita construit A. E. Citant quoque & alios locos ubi per hujusmodi parenthesim sententia interrumpitur, ità ut quæ sequuntur non ad ipsam parenthesim, sed ad ea quæ ante parenthesim sint pertineant: E quibus & istum locum unum proferunt qui est Psal. 51. 4. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris:* quæ non dicunt cohærere cum his quæ mox præcedunt, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, sed cum principio Psalmi, *Miserere mei, Deus*, &c. vel cum his, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, &c. Præsens tamen locus etiam sic potest intelligi, Si exortus fuerit sol super talem furem qui domum effregit, ut habet veritas Hebraica, vel si præsentes fuerint testes, ut noster paraphrastes habet, non debet talis fur à patrefamilias occidi, sed deprehensus ad restitutionem debet cogi. Quòd si paterfamilias eum occiderit, *sanguis erit ei*, h. e. homicidium illi imputetur, & quoque occidatur. Atque hæc lectio videtur mihi omnium simplicissima esse.

5. *Bonum agri sui*, &c.] i. de bonis sui agri & vineæ resarciat damnum illi allatum à jumento suo.

8. *Quod non extenderit manum suam*, &c.] Subaudiendum est aliquid, vel, *ut sciatur quòd non ipse dominus domûs furatus fuerit*, vel, *& jurabit quod non extenderit manum suam*, &c. sicut reddidit interpres Lat. Vulg. Sunt qui particulam אם *Im* interrogativè legunt hoc modo, *ut sciatur annon extenderit manum suam*, &c. h. e. ut sciatur & cognoscatur per judices & magistratus num ipse dominus domûs furatus sit necne. Nota idiotismum, *extendere* seu *mittere manum* pro *surripere*, *furari*.

9. *De omni negotio transgressionis*, &c.] *Omne negotium transgressionis* vocat quodcunque crimen. q. d. Super quacunque prævaricatione, culpa sive crimine fuerit, sive sit de bove, &c. ¶ *Quòd apud illum sit*] Diversa hic lectio est. Quidam legunt, *De qua quis dixerit quòd hoc sit*, i. ea res sit quæ perdita est. Alii, *quòd ipsum sit hoc*. Alii, *quòd apud illum sit*, vel *quia ipse est*; h. e. Si dixerit testis eum esse reum, poteritque id probare coram judicibus, dabit reus duplum. Sin testis falsus deprehensus fuerit, dabit ipse duplum. Sic R. S. exponit.

15. *Præsertim si conductitium sit, & venerit pro mercede*] h. e. si pecuniâ conduxerat eum. Satis fuerat dixisse, *conductitium fuerit*, verùm ampliùs exposuit, cùm addidit, *venitque pro mercede sua*, h. e. quod animal habetur datâ mercede. q. d. Si pro mercede ei locatum est, ultra mercedem nihil dabit. Unde & hic locus ità legi potest, *Si conductitium est, venit pro mercede sua*, i. ut reciperet mercedem suam: vel, *veniat pro mercede sua*, h. e. solvatur pro eo merces pro qua conductum est, & nihil ultrà. Et nos Germani ferè ità loquimur, **wie kombt das!** pro *quanti venditur & emitur? quid solvendum & dandum est pro eo?*

21. *Non vexetis neque affligatis*, &c.] Hebræi verbum ינה *Jonah* bifariam accipiunt, vel ut sit Substantiam alicujus capere, ignoranter aut scienter, vi ac violentiâ, sive emendo, vendendo, aut quacunque aliâ ratione; vel ut significet Verbis vexare & exprobrare: qua in significatione Hebræi hic accipiunt, unde sic explicant, לא יאמר לגר זכור מעשיך הראשונים ואם היה בן גרים לא יאמר לו זכור מעשה אבותיך ואם היה ישראל בעל תשובה לא יאמר לו זכור מעשיך הראשונים, *Non dicat aliquis peregrino, Memento operum tuorum priorum. Et si fuerit filius peregrinorum, non dicat ei, Memento operum patrum tuorum. Et si fuerit Israelita qui pro admisso facinore pœnitentiam egit, ne dicat ad eum, Memento operum tuorum priorum.* Est ergò ינה *Jonah* Hebræis. Aliquem vel verbis vel rebus vexare atque affligere, h. e. vel bonum nomen & famam, vel bona alicujus lædere. Præsentem locum ferè sic exponunt ut prius verbum ינה *Jonah* ad verba referant, posterius לחץ *Lachaz* ad rem, dum scilicet alicui sua bona auferuntur. Et גר, *peregrinum* interpretantur pro eo שבא לקבל עליו דברי התורה, *Qui venit ut recipiat super se verba legis*; quem *proselytum* appellare potes, quem in consortium legis suæ recepissent.

23. *Si affligendo afflixeris eum*] Reticentia est. Nam subaudiendum est, *postea & te affligam.*

25. *Si argentum commodato dederis populo meo*, &c.] Hebræi hunc locum ità explicant, זהו משמעו אם כסף תלוה את עמי תלוהו ולא לנכרי ולאיזה מעמי את העני שעמך לא תהיה לו כנושה לא תתבענו בחזקה אם אתה יודע שאין לו לא תהיה דומה עליו כאילו הלויתו, *Is est simplex sensus ejus, Si argentum mutuò dederis populo meo, non ethnico mutuum dabis. Quòd si rogas, Cui ex populo meo? pauperi, inquam, qui tecum est. Non sis illi tanquam fœnerator, h. e. Non vi extorqueas ab illo, si tu novisti quòd non potest restituere, neque exhibeas te erga illum quasi ethnico accommodatò dederis.* q. d. Non ignominiâ afficias eum. Abenezræ videtur vox Hebraica נושה *fœnerator* ab *elevando* & *extollendo* dicta, q. d. Si mutuum illi dederis, non extollas te supra illum, ut cogatur propter beneficium à te acceptum tibi supplicare, te venerari & colere, &c. Chaldaicè fœnerator dicitur רשיא *Raschia*, ab eo nimirum quòd potestatem quandam jam in eum habere videtur cui mutuum dedit, רשא enim *potuit* Chaldæis significat; hinc רשיא *Raschiah*, *creditor*, *fœnerator*, *exactor*, quasi *facultatem habens.* Atque in hanc sententiam inclinat & author Nehemanides, qui ità exponit, *Ne sis illi tanquam usurarius, qui dominium usurpat in eum qui à se mutuum accipit, juxta illud quod scribitur*, Prov. 22. 7. Qui mutuum accipit servus est illius qui mutuum dat. *Quin potius exhibeas te erga illum in omni re quasi nihil unquam à te mutui acceperit. Neque ponas super eum usuram, nec pecuniæ, nec cibi, sed accommodatò illi des ex pietate, non accipiens ab illo utilitatem gloriæ nec substantiæ.* Hæc ille. Sed & hoc pro studiosis linguæ sanctæ annotare libet, quòd vocabulum נשה *Noscheh*, *fœnerator*, & activè & passivè Hebræis accipitur, h. e. pro eo qui mutuum dat & qui mutuum accipit: constructio autem discernit. Nam cùm adstruitur ad præpositionem Beth, activè significat *eum qui mutuum dat*; sine præpositione verò passivè, *eum qui mutuum accipit*, ut Esa. 24. כנשה כאשר נשא בו, *Sicut debitor, ità & creditor*, sive *exactor*, *ejus.* Quando autem caret constructione Beth, tunc circumstantia sensum ostendit quomodo accipiendum sit. ¶ *Non ponatis super eum usuram*] Observavit A. E. quòd in plurali numero dicitur, *Non ponatis*, ad innuendum quòd non unus tantùm, sed plures peccent & transgrediantur, scilicet ipse creditor, scriba, & testes. Porrò usuram Hebræi aptissimo vocabulo נשך *Naschach* appellant, à *mordendo* scilicet, nam נשך *Naschach* Hebræis *mordere* significat: indè נשך *morsus*: quo nomine incrementum usuræ vocatur, quòd instar morsûs serpentis sese habeat. Qua de re R. S. ità scribit in hunc locum, נשך הוא ריבית שהוא כנשיכת נחש שנושך חבורה קטנה ברגלו ואינו מרגיש ופתאום הוא מבצבץ ונופח עד קדקדו כך ריבית אינו מרגיש ואינו ניכר עד שהריבית עולה ומחסרו ממון הרבה, Incrementum usuræ Naschech dicitur, *quòd habet se instar morsûs serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus, ità ut non sentiat; mox autem serpit & diffundit se venenum donec perve-*

Digitized b

perveniat ad verticem ejus: Sic quoque incrementum usuræ se habet: non enim sentitur neque cognoscitur donec ità augeatur ut totam substantiam alicujus diminuat. Hæc ille. Chaldæis fœnus sive usura חסוליא *Hasuliah* dicitur, à *perdendo* scilicet, חסל enim Chaldæis *corrumpere*, *perdere* & *devastare* significat: hinc usura חסוליא nominatur, q. d. *corruptio*, *perditio*, quòd corrumpit, perdit ac devastat quodammodo hominem.

26. *Usque ad occasum solis reddas eam illi*] Bifariam hæc intelligunt: Vel, quòd vestem pro pignore acceptam interdiu apud se retinere possit, ad noctem verò rursum restituere ei debeat, ut in ea cubare possit: Vel, quòd noctu creditor vestem oppignoratam ad se recipere queat, quam interdiu debitori relinquere debeat, ut eâ se tegere possit: Quem sensum sequitur R. S. legit enim sic, *Cum abstuleris vestimentum proximi tui in pignus, restitues illi ipsi usque ad occasum solis, præsertim cum aliud non habeat quo interdiu cutem tegat. Sero verò licebit auferre usque mane, si nocte illâ non opus habuerit. Sin nocte quoque loco tegumenti utatur, nunquam licebit auferre.* Sed prior lectio videtur textui propinquior esse.

29. *Primitias tuas & lacrymam tuam*, &c.] Heb. *Plenitudinem tuam & lacrymam tuam*, &c. Quod ità intelligunt, Primitias musti tui & primitias olei tui primo quoque tempore offeres. Mustum enim Hebraicè מלאה *Meleah*, i. *plenitudinem*, dici sentiunt, quòd magnâ copiâ è torcularibus defluere soleat; oleum verò *lacrymam*, quòd guttatim defluat cum fit in lacu. R. D. K. tam de vino quàm de oleo dici sentit *lacrymam*, quòd utrumque guttatim è torculari defluat. Idem quoque in Rad. suis hunc locum ità exponit, *Cum impleta fuerint fruges tuæ, sive cùm ad maturitatem pervenerint dabis primitias; & deinde, cùm collectæ fuerint intra domum, dabis quoque lacrymam, h. e. vinum & oleum in vindemia, quæ messem sequitur. Ergò* plenitudo, *sive primitiæ, ad fruges spectat.* Lacryma *verò ad liquamina, vinum scilicet & oleum.* Et Lxx. legunt, ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου, *Primitias areæ tuæ & torcularis tui.*

IDEM.

3. אם זרחה השמש עליו דמים לו שלם ישלם *Si autem sol ortus fuerit super ipsum, sanguis ei (imputabitur,) reddendo reddet (fur,).*] Locus iste nodum habere videtur in eo quòd ad restitutionem adigi jubetur fur occisus orto jam sole: quomodo enim restituere potest si occisus est? Nodum ergò hunc ità solvunt Hebræi, qui dicunt istam particulam, *reddendo reddet*, non cohærere cum proximè antecedente, scilicet דמים לו *sanguis ei imputabitur*, sed cum his quæ in initio capitis ponuntur, ubi de restitutione furti agitur, nempe cum illis, *quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* Jam dicunt subjiciendum illud, שלם ישלם, i. *restituendo restituet.* Similem locum dicunt esse hunc, qui est Psal. 51. *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris*, quæ dicunt non cohærere cum mox præcedentibus, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; sed cum principio Psalmi, *Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam; ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*: jam addendum dicunt, *ut justificeris in sermonibus tuis*, &c. vel dicunt cohærere posse cum illis, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum contra me est semper*, ut scilicet *justificeris in sermonibus tuis.* Verùm omnes illi videntur mihi nodum in scirpo facere: nam omnino simplex & genuinus sensus hujus loci is esse videtur, Quòd Scriptura hic prohibet nè fur orto jam sole, h. e. clarâ die, apprehensus occidatur, sed ad restitutionem adigatur; & si non habet unde restituat, venundetur; quòd si occidetur, teneri homicidii qui illum interficeret. Et hunc sensum expresserunt quoque Lxx. qui legunt, *si autem ortus fuerit sol, reus est*, scilicet occisor, *simul morietur.* Paraph. Chaldæus huc respexit, quòd orto sole potuit accersere homines & adhibere tanquam in testes, ideo transtulit, *si oculus testium ceciderit super eum.*

9. על כל אבדה אשר יאמר כי הוא זה *Propter omnem rem perditam, de qua quis dixerit quod apud illum sit,*] Variatio est in illo כי הוא זה, *quòd hoc sit*, h. e. quòd ea res sit quæ perdita est. Alii vertunt *quòd hoc sit, quia ipse est*, h. e. si dixerit testis eum esse reum, poteritque id probare coram judicibus, dabit reus duplum. Aliud secuti sunt Lxx. & Vulg. Interpres.

13. אם טרף יטרף יבאהו עד הטרפה לא ישלם *Si lacerando laceratum fuerit (à bestia,) adducat ille bestiam, & raptum non restituet,*] Septuaginta & Vulg. Interpres dissentiunt à veritate Hebraica, quòd illud יבאהו עד, *adducat ille testem*, sic intellexerunt quasi dilaniatum à bestia, adducere debet in testimonium: sed quomodo adducere potuit quod bestia sine reliquiis totum asportavit? Non ergò hoc vult textus Hebraicus, sed quòd is cui commissum animal à fera discerptum est testem ejus rei adduceret. Et hunc sensum quoque habet Paraph. Chaldæus. Lxx. translatio corrupta esse videtur: varians enim exemplaria. Quædam habent ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν, *ducet ipsum ad prædam*, pro quo quidam fortè positum fuisse putant ἄξει πρὸς αὐτὸν τὴν θήραν, h. e. *ducet*, aut *apportabit, ad eum prædam.* Alia exemplaria habent ἄξει αὐτὸ ἐπὶ τὴν θύραν, *ducet illud ad ostium*; quod obscurum est quid sibi velit; nisi intelligas ostium judicii, h. e. publicum locum in quo judicia exercebantur, quòd scilicet ad eum locum ducere debeat in conspectum judicis. Sed alium sensum habet veritas Hebraica, ut indicavi.

15. אם שכיר הוא בא בשכרו *Præsertim cum conductitium sit, & venerit pro mercede sua,*] Sensus hujus loci secundùm veritatem is est, Si conductitium est animal, puta equus, asinus vel quodcunque aliud animal, & casu aliquo perierit præsente domino, nihil ampliùs pro eo solvere tenetur quàm mercedem pro qua conduxit.

18. מכשפה לא תחיה *Maleficam non patieris vivere*] Nostri Interpretes sensum hujus loci non male reddiderunt, nisi quòd pluraliter, & in masculino genere extulerunt *maleficos*, quod in Hebræo singulariter & in feminino genere effertur *maleficam.* Sed frequens est in Scripturis ut id quod communius est, & plerumque accidit, intelligatur reliquis simul quoque subintellectis; id quod Hebræi sic efferunt, דבר הכתוב על ההוה, *exprimit Scriptura id quod fere exsistit.* Quia enim veneficium plerumque exercent mulieres, ideo mulierum hic mentio fit potiùs quàm virorum, tametsi viros veneficos præceptum hoc quoque includat. Quare masculinè reddiderunt nostri Interpretes.

26. אם חבל תחבל שלמת רעך עד בא השמש תשיבנו לו *Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, in solis occasu restitues illud ei,*] Variatio est in illo עד בא השמש, quod ad verbum sonat *donec occidit sol*, vel *usquedum occidit sol.* Bifariam autem intelligunt, vel ut sit sensus, Quòd si quis in pignus accipit vestimentum à proximo suo, ad occasum solis ei restituat, quò noctu eo uti possit. Et hanc sententiam sequuntur Lxx. & Vulg. Interpres, qui legunt *ante solis occasum reddes ei.* Vel quod creditor debitori oppignoratam vestem interdum relinquere debeat, quò se tegat, præsertim cùm aliam non habeat; noctu verò rursum recipere possit usque mane: quam sententiam sequitur R. Salomo; cujus verba vide supra. Verùm quia mox sequitur in textu, *Est enim operimentum suum unicum, est vestimentum suum pro cute sua in quo dormit*, &c. idcirco mihi magis probatur sententia nostrorum quàm R. Salomonis. Loquitur enim disertè textus de ea veste in qua dormit.

29. מלאתך ודמעך לא תאחר *Plenitudinem tuam & lacrymam tuam non differes,*] Septuaginta & Vulg. interpres sensum potiùs quàm verba exprimere conati sunt: ad verbum enim in Hebræis sic legitur, *plenitudinem tuam & lacrymam tuam non differes.* Est autem duplex intellectus: Quidam enim per *plenitudinem* intelligunt primitias frugum, & per *lacrymam* intelligunt liquamina, h. e. vinum & oleum; q. d. Cùm impletæ fuerint fruges tuæ, sive cùm ad maturitatem pervenerint, dabis *primitias*, & deinde cùm collectæ fuerint intra domum, dabis quoque *lacrymam*, h. e. vinum & oleum in vindemia quæ messem sequitur. Et hanc sententiam habet quoque R. D. Kimhi, quam etiam nostri interpretes secuti sunt, unà cum Paraph. Chaldæo. Alii *plenitudinem* mustum dici sentiunt, sic dictum quòd magnâ copiâ à torcularibus defluere soleat, *lacrymam* verò oleum quòd guttatim defluat cùm fit in lacu. Cæteri per *lacrymam* utrumque & vinum & oleum dici sentiunt.

VATABLUS.

2. *In effossione*, במחתרת] i. perfodiens domum. ¶ *Non erit*, &c. אין לו דמים] Ad verb. *non illi sanguines*, i. non est reus sanguinis: vel, non fundetur sanguis percussoris propter occisum a se furem: non interficietur.

3. *Super eum*, עליו] Sub. *furem*: i. si interdiu fur conetur perfodere domum. Chald. paraph. *Si oculus testium ceciderit super eum.* Quod magni nominis apud Hebræos vir sic exponit, *Si invenerint eum testes antequam veniat paterfamilias, & ubi advenerit, admoneatur ab eis ne interficiat eum*: i. si quis furem domum effringentem præsentibus testibus occiderit, imputabitur illi homicidium; occidetur. ¶ *Erit morti obnoxius*, דמים לו] Ad verb. *sanguines illi*, percussor occidetur: fur autem reddet quod furto abstulerit: acsi dicat, Furem diurnum non licet occidere. ¶ *Reddendo reddet*: שלם ישלם] Quomodo

modo (inquiunt quidam) restituere potest fur qui est à perussore interfectus? Respondent doctiores Hebræi, hæc cohærere cum superioribus quæ sunt initio hujus capitis, ubi de restitutione furti agitur: & per parenthesin interjecta esse quæ de fure diurno & nocturno hic dicuntur: ut illud, *Reddendo reddet*, cohæreat cum illo, v. 1. *Quatuor pecudes pro pecude.* Atque ità construit ex doctioribus Hebræorum alter. Citant quoque & alios locos, ubi per hujusmodi parenthesin, sententia interrumpitur: ita ut quæ sequuntur, non ad ea quæ inclusa sunt parenthesi, sed ad ea quæ ante parenthesin sunt, pertineant. ¶ quibus & istum locum proferunt qui est Psal. 51.4. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas quum judicaris:* quæ dicunt non cohærere cum his quæ mox præcedunt, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci:* sed cum principio Psalmi, *Miserere mei, Deus*; vel cum his, *Quoniam iniquitatem meam agnosco.* Præsens tamen locus etiam sic potest intelligi, *Si exortus fuerit sol super talem furem qui domum effregit* (ut habet veritas Hebraica) *vel si præsentes fuerint testes* (ut Chald. paraph. habet) *non debet talis fur à patrefamilias occidi, sed deprehensus ad restitutionem debet cogi; quòd si paterfamiliàs eum occiderit, sanguis erit ei*, h. e. homicidium illi imputetur, & ipse quoque occidatur. Hæc lectio videtur omnium simplicissima esse. ¶ *Si non sit ei*, אם אין לו] i. si non habeat unde restituere possit.

4. *Deprehendatur*, המצא תמצא] Ad verb. *inveniendo inveniatur.* ¶ *A bove*, &c. משור 'וגו] Hebraismus, pro, *sive bos fuerit, sive asinus, sive pecus.*

5. *Depasci fecerit*, יבער] Ad verb. *jumentaverit*, à בעיר, quod *jumentum* sive *animal* significat, i. deduxerit jumentum, & ità quidam vertunt. Rectiùs tamen vertisse videtur noster interp. nam quod mox sequitur, interpretatio est illorum verborum; & ו pro *id est* positum erit, hoc modo, *Si depasci fecerit aliquis agrum vel vineam, id est, immiserit jumentum suum, & depaverit agrum alterius.* ¶ *Bonitatem*, &c. מיטב שדהו 'וגו] i. optimum quodque agri sui, & optimum quodque vineæ suæ restituet illi cujus ager aut vinea depasta fuerit.

8. *Tunc applicabitur*, ונקרב] *Tunc adducetur*, i. vocabitur in jus. ¶ *Miserit manum suam*, שלח ידו] i. contrectaverit, h. e. an non retineat apud se rem perditam. Notandus Hebraismus, *mittere manum suam ad rem proximi*, pro *surripere & furari.*

9. *Super omni re prævaricationis*, על כל דבר פשע] *Super omni negotio transgressionis:* sic vocat quamcunque transgressionem & quodcunque crimen, sive fuerit de bove, sive de asino, &c. ¶ *Hoc esse:* כי הוא זה] Sub. *quod perdideris.* Quidam vertunt, *quòd ipsius sit hoc.* Alii, *quòd apud illum sit:* vel, *quia ipsa est:* h. e. si dixerit testis eum esse reum, poteritque id probare coram Judicibus, dabit reus duplum: sin testis deprehensus fuerit falsus, dabit ipse duplum. Sic magni nominis apud Hebræos vir exponit.

10. *Aut quodcunque*, &c. וכל בהמה] Ad verb. *& omne animal.* ¶ *Aut ab hostibus abductum*, או נשבה] *Aut captivum ductum:* in prædam scilicet.

11. *Juramentum*, &c. שבועת יהוה 'וגו] Hebraismus, Jurabit uterque per Jehovam. ¶ *Dominus ejus*, בעליו] Sub. *animalis perditi.* ¶ *Et non reddet:* ולא ישלם] *& non restituet*, i. qui ità juraverit, non tenebitur restituere.

13. *Afferet illi testem*, יבאהו עד] i. partem animalis afferat quæ testetur animal illud fuisse dilaniatum à fera. Alii, *afferet illud testem:* nam est pronomen affixum pro separato. *Illud*, i. partem animalis dilaniati.

14. *Domino ejus absente*, בעליו אין עמו] Ad verb. *& dominus ejus non cum eo.*

15. *Si conductum fuerit*, &c. אם שכיר הוא 'וגו] Sub. *animal.* Chald. paraph. *præsertim si conductitium fit, & venerit pro mercede*, h. e. si pecuniâ conduxerit eum. Satis fuerat dixisse, *si conductum sit:* verùm amplius exposuit quum addidit, *Veniens pro mercede sua*, i. quod animal habetur datâ mercede. q. d. Si pro mercede ei locatum est, ultra mercedem nihil dabit. Potest & sic intelligi hic locus, *Si conductitium est, venit pro mercede sua:* i. ut reciperet mercedem suam: vel, *veniat pro mercede sua:* h. e. solvatur pro eo merces pro qua conductum est, & nihil ultrà.

16. *Dotando dotabit*, &c. מהר ימהרנה 'וגו] Hebraismus, assignabit illi dotem, & accipiet eam sibi in uxorem: vel datâ dote accipiet illam in uxorem.

17. *Juxta dotem virginum:* כמהר הבתולות] i. pro modo dotis quæ assignari solet virginibus.

18. *Maleficam*, מכשפה] Hæc lex intelligitur etiam de malefico: sed quia mulieres ad id vitium proniores sunt, ideo utitur feminino. ¶ *Non sines vivere* לא תחיה] Ad verb. *non vivificabis.*

20. *Immolans*, &c. זבח לאלהים יחרם] Ordo talis est Hebræis, *Qui immolaverit diis, occidetur, præterquam Jehovæ soli*, i. qui adoraverit alium deum quàm Jehovam.

21. *Et peregrino*, &c. וגר לא תונה 'וגו] *Et advenam non opprimes, neque affliges eum.* Alii, *peregrinum non decipies, neque fueris ei molestus.* Hunc locum Hebræi ferè sic exponunt, ut prius verbum ינה ad verba referant; posterius לחץ ad rem, dum scilicet alicui sua bona auferuntur. Et גר peregrinum interpretantur pro eo qui venit ut recipiat super se verba Legis (quem *proselytum* appellare potes) quem in consortium Legis suæ recepissent.

22. *Nullam*, &c. כל אלמנה 'וגו] Ad verb. *Omnem viduam & pupillum non affligetis.*

23. *Si affligendo afflixeris eum:* אם ענה תענה אתו] Aposiopesis sive reticentia est: sub. *te postea affligam:* vel dicitur comminatoriè, sub. *puniam gravissimè.* Singulare autem est pronomen pro plurali, *eos*, nempe viduam & pupillum. ¶ *Si clamando*, &c. אם צעק יצעק] *Si vociferando vociferatus fuerit ad me.* Sing. Heb. pro Plur. *Si vociferati fuerint.* Geminatio verbi assiduam & constantem vociferationem significat.

24. *Irasceturque furor meus*, וחרה אפי] Hebraismus, pro, *Vehementissimè irascar, ità ut vos occidam.*

25. *Pauperi*, את העני] Per expositionem positum: exponit enim quem vocet populum suum, nempe pauperes. ¶ *Sicut usurarius*, כנשה] *Sicut fænerator.* Ex doctioribus Hebræorum alteri videtur hanc vocem נשה ab *elevando & extollendo* esse dictam, acsi dicat, *Si mutuum illi dederis, non extollas te supra illum, ut cogatur propter beneficium à te acceptum tibi supplicare, te venerari & colere.* Alius quidam ex illis in hunc locum sic scribit, *Ne sis illi tanquam usurarius, qui dominium usurpat in eum qui à se mutuum accipit* (*juxta illud*, Prov. 22. 7. *Qui mutuum accipit, servus est illius qui mutuum dat*) *quin potius exhibeas te erga illum in omni re quasi nihil unquam à te mutuò acceperit. Neque ponas super eum usuram, nec pecunia, nec cibi: sed commodato illi des ex pietate, non accipiens ab illo ullam utilitatem gloriæ, nec substantiæ.* Hactenus ille.

26. *Si in pignus acceperis:* אם חבל תחבל] Ad verb. *Si in pignus accipiendo, acceperis in pignus*, &c. ¶ *Antequam occubuerit*, עד בא] Ad verb. *ad occumbere.*

27. *Quia ipsum* &c. כי הוא כסותה לבדה] Ad verb. *Quia est operimentum ejus ipsum solum.* Ordo inversus, i. nihil aliud habet quo se operiat. ¶ *Dormiat:* ישכב] *Cubabit; cubare poterit, cubet.* ¶ *Et erit quum clamaverit*, והיה כי יצעק] *Accidat autem, quum clamaverit*, i. quùmque clamaverit.

29. *Plenitudinem tuam & lacrymam*, מלאתך ודמעך] *Abundantiam tuam & lacrymam tuam*, i. Primitias musti tui, & primitias olei tui primo quoque tempore offeres. Mustum verò *plenitudinem* dici sentiunt, quòd magnâ copiâ è torcularibus defluere soleat; Oleum verò, דמעה *lacrymam*, quòd guttatim destuat quum fit in lacu. Doctus inter Hebræos *lacrymam* tam de vino quàm de oleo dici sentit, quòd utrumque guttatim è torculari destuat. Idem alio loco hunc locum pluribus sic explicat, *Quum impleta fuerint fruges tuæ, sive quum ad maturitatem pervenerint, dabis primitias: & deinde quum collectæ fuerint intra domum, dabis quoque lacrymam, i. vinum & oleum in vindemia quæ messem sequitur. Ergo* plenitudo, *sive primitiæ, ad fruges spectat*; lacryma verò *ad liquamina, vinum scilicet & oleum.* LXX. legunt ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου, *Primitias areæ tuæ & torcularis tui.* Chald. paraph. *Primitias tuas & lacrymam tuam non differas.*

30. *Sic facies*, &c. כן תעשה 'וגו] i. de bobus tuis & ovibus tuis dabis primogenitum.

31. *Raptam*, טרפה] Ad verb. *quæ sit rapina*, i. à fera laniatam.

CASTALIO.

10. **A**Bactum] Scil. ruri, ab abactoribus, aut hostibus.

12. *Furto ablatum*] Scil. domo.

29. *Fruges & liquorem tuum ne avertito*] Heb. *Plenitudinem & lacrymam tuam*, i. fructus siccos & humidos, ut oleum & vinum, quorum prohibet decumas retineri.

CLA-

C L A R I U S.

1. **S**I *quis furatus*] Suprà dictum est, jubente Deo, Nihil esse concupiscendum; & alio loco, Diligendum esse proximum. Quare quæ hic ponuntur, primùm contra legem Dei sunt, deinde contra tranquillitatem reipublicæ, ob quam conservandam constitutæ sunt hæ pœnæ civiles; quatenus verò contra Deum sunt, aliâ indigent expiatione, Christi videlicet. ¶ *Quinque boves*] Sed quare jubentur reddi quinque boves, & tantum quatuor oves? Respondent quidam Hebræi, quòd bos, cùm multò major sit ove, non possit facilè abscondi & abduci nisi à fure furtis assueto; Alii, quòd interim dominus bovis labore ejus in agricultura fuerit destitutus, quod damnum hic per quintum bovem sarcitur. *Ovis* autem nomine pecus domesticum intelligitur, agni, & capræ.

2. *Si effringens*] Si fur suffodiens domum, in ipsa effractione deprehensus fuerit, & à domino domûs occisus, non imputabitur domino homicidium: præsumitur enim furem animo latrocinandi venisse: Secùs, si clarâ die domum irruperit.

3. *Reddendo reddet*] h. e. Ipse fur diurnus non accipiat mortis sententiam, sed reddat, vel venundetur pro suo furto.

4. *Vivum*] Alius retulit illud *vivum* ad res reddendas, & vertit, *vivos duos reddat.*

9. *De quo quis dixerit*] h. e. Si testis dixerit eum esse reum, potueritque id probare coram judicibus, dabit reus duplum: Sin testis falsus deprehensus fuerit, dabit ipse duplum. Sic enim quidam exponunt.

13. *Deferat ad eum quod occisum est*] h. e. Illud raptum adducat in testimonium. Alius vertit, *Adducat ille testem*, scilicet aliquem hominem. Potest enim fieri ut lupus ovem absque ullis reliquiis asportaverit.

15. *Maximè cùm sit conductitium*] Ut si equum tibi pro mercede utendum dedero, & is me præsente defecerit, non teneris ad ejus restitutionem.

18. *Maleficam*] Licet utrique sexui interdicta sit Magia, fit tamen hic solùm de muliere mentio, quòd hic sexus frequentiùs cum dæmonibus pactum facere soleat.

26. *Ante solis occasum*] Vel, *in solis occasu.*

29. *Decimas & primitias*] Heb. *plenitudinem tuam, & lacrymam tuam:* quod sic exponunt, *Cùm impleta fuerint fruges tuæ, sive cùm ad maturitatem pervenerint, dabis primitias; deinde cùm collectæ fuerint intra domum, dabis quoque lacrymam, h. e. vinum & oleum, in vindemia, quæ messem sequitur.*

D R U S I U S.

9. **U**Sque *ad deos veniet causa amborum: quem condemnaverint dii*] Hic per *deos* judices innui notius est quam ut probari debeat. Quocirca minùs rectè Lxx. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, & ὁ ἁλοὺς διὰ τοῦ θεοῦ. Nam in fonte verbum plurale, quia de judicibus sermo. Plures enim judices erant. Ubi plures, quid opus ad unum restringere? An existimarunt de uno judice, qui etiam θεὸς dici potest, sermonem esse? Nam de vero Deo locus intelligi nequit. Contrà factum in illo, *eritis sicut dii*, quod non incommodè verti potuisset, *eritis sicut Deus*. Nec obstat quod mox ait, *sicut unus e nobis.* Nomen enim *Elohim*, quando essentialiter accipitur, includit omnes tres Personas; quarum respectu dixerit, *sicut unus e nobis.* Sic, *Non erunt tibi dii alii*, potest imò debet verti, *Non erit tibi Deus alius.* Rationes antè produximus, quas non itero. Similiter, Exod. cap. 23. 13. pro ὄνομα θεῶν ἑτέρων, est cur malim θεοῦ ἑτέρου, *Dei alius:* ut dicat, Non memorabitis nomen Jovis, aut Martis, aut Saturni, aut alius alicujus Dei falsi. Sic David ait Psal. 16. 4. *Nomina eorum non tollam labiis meis.* Cæterum dubito utrùm à judicibus Deus *Elohim*, an à Deo dicti judices quasi *dii* sive *divi*. Nam Dei munus obeunt in terra. Sic reges antiquitus vocabantur θεοί. unde θεομαχεῖν, ut quidam volunt, & bellum gigantum cum Diis: item θεὸς Ἰούλιος, *Divus Julius*, &c.

20. *Qui sacrificat diis*] Vide num meliùs sit, *Qui sacrificat Deo.* Nam sequitur, *præterquam Domino soli.* Plenum esset *Deo alio. Deus alius* est falsus. Nam alius est à vero. Igitur *qui sacrificat Deo*, i. idolo. Dictio *alius* desiderari notatur cùm alibi tum Gen. 14. 1. & 36. 6. Moneo quoque, ubi legimus *dii Moab, dii filiorum Ammon, dii Accaron* (sic enim interpretes reddunt) posse imò debere nos legere, *Deus Moab, Deus filiorum Ammon*, & *Deus Accaron.* Ratio; Quia unus erat Deus Moabitarum Chamos dictus, & unus filiorum Ammon, Moloch sive Melchom, & unus Accaronitarum, nisi fallor, Dagon. Sic dico, unum Deum falsum colebant hæ gentes, non plures. Quod tamen pono, non statuo.

25. *Populus Dei* latè & angustè dicitur: Latè, cùm significat omnes Israelitas; angustè, cùm significat pios qui inter eos; & angustiùs, cùm significat pauperes, ut hoc loco; *Si mutuò dederis pecuniam populo meo pauperi.* Figura est sermonis quam Appositionem appellant. Sic accipiunt Mich. 2. 9. *Uxores populi mei expellitis*, h. e. Causam datis cur pauperes suas uxores domo expellant, dum eas suspectas ipsis redditis impudicitiæ, domos earum frequentando. Huc referri posset, *Comedunt populum meum ac si comederent panem:* vult dicere tam avidè quam panem; & *populum meum*, h. e. pauperes, quorum bona & facultates absumunt. Simile, *quem assiduè exedunt:* &, *Est qui absumitur absque judicio.* Sensus, cujus bona & facultates absumuntur ob non benè administratam rem familiarem. Locus exstat apud Salomonem in libro Proverbiorum. Porrò pauperes vocantur *populus Dei*, quia Deus peculiarem curam eorum gerit, aut quia pii ferè pauperes sunt, de opibus comparandis non admodum soliciti. R. S. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, non extraneo: & cui e populo meo? pauperi: & cui pauperi? Qui tecum est, i. apud te moratur in eadem urbe aut pago.* Nè sperne.

28. *Principi in populo tuo non maledices.* Hunc locum citat Apostolus Act. 23. 5. *Principi populi tui non dices malè.* Nam etiam Græci hic legunt οὐκ ἐρεῖς κακῶς quod idem cum illo *non maledices*. Id uno verbo dicunt, οὐ κακολογήσεις, & duobus, οὐ κακῶς ἐρεῖς. Hoc primum: Deinde *principi in populo tuo*, idem cum illo τὸν ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου. Sic *princeps in Israel*, i. Israelis. Nec alienum, *Tu es magister in Israel.* Observa summum Sacerdotem vocari *principem*. Quanquam Ebræi locum illum de Rege enarrant: Sacerdotes autem significari putant per membrum quod præcedit, *Diis non maledices:* unde qui colligunt meros sacerdotes *deos* dici; falluntur. Nam sacerdotes Ebræorum non erant meri sacerdotes. Quid igitur? Judices erant; & quatenus judices, vocantur *dii*. Onkelos certè & Jonathan cæterique ad unum omnes Ebræi hic habent, *Judicibus non maledices.* Theodoretus quoque θεοὺς τοὺς κριτὰς interpretatur: Hic tamen exponit *principibus*. Nam principes & reges etiam *dii* nuncupantur. Prius se magis mihi probat. Abenezra, *Hi sunt judices, videlicet sacerdotes filii Levi, penes quos lex erat.* Ex lege judicabant populum. Pontifex quoque juri dicundo præerat. Abraham Davidis in Cabbala sua historica, *Rex educebat homines in bellum, & negotia regni administrabat: sed omnia verba legis & statuta & judicia fiebant per os principis,* נשיא, *qui erat è domo David, & per os summi sacerdotis & Sanhedrim.* Sacerdotes ergò erant & simul judices: Sacerdotes, quatenus Sacris operabantur; Judices, quatenus jus reddebant populo. Alia ratio ministrorum hujus temporis. Nam quia judices non sunt, nisi fortè in rebus ecclesiasticis, ideo non possunt vocari *dii*, nec uspiam ità vocantur, quod sciam. Vide quæ scripsimus Act. 23. 4.

I D E M.

20. יחרם Schol. ἀναθεματισθήσεται αὐτός, *anathematizabitur ipse*] Delebitur & penitus exscindetur. Sensum expresserunt Græci cùm verterent θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται, & interp. noster, qui habet, *occidetur*. Quidam, *ut anathema delebitur*. Nam חרם anathema, exterminium. Hieron. in ea quam ad Algasiam scripsit, Quæst. IX. *Quòd autem Anathema interdum Occisionem sonet, multis Veteris Instrumenti testimoniis probari potest.* Zach. 14. 11. חרם Vulg. *anathema*, Jon. קטלא *cædes*, *occisio*. Lxx. ἀνάθεμα. Jud. 1. 17. ויחרימו אותה. Lxx. ἀνεθεμάτισαν αὐτὴν καὶ ἐξωλόθρευσαν αὐτήν ubi videntur duæ interpretationes esse. Prior Aquilæ esse videtur. Deuteron. 3. 6. ונחרם A. ἀνεθεματίσαμεν. Lxx. ἐξωλοθρεύσαμεν. Sig. aliquem internecione delere, funditus perdere.

N O T Æ   M A J O R E S.

1. **Q**Uum *furatus fuerit quis bovem vel ovem, & mactaverit illum aut vendiderit illum, quinque boves restituet pro uno bove, & quatuor oves pro una ove.*

Furatus fuerit] κλέψῃ. ¶ *Bovem*] μόσχον. Lxx. תורא Onk. & Jon. i. bovem vel taurum, videlicet ex Ebræo שור Sin in Tau versa. ¶ *Vel ovem*] שה ἢ vel pecudem. Lxx. ἢ πρόβατον. Onk. & Jon. אימר Hieron. *ovem*. Tremel. *pecudem parvam*. San. *parvum pecus*. Arias, *agnum*. Gallica editio,

quelque membrées. ¶ *Mactaverit*] σφάξῃ. Hieron. *occiderit.* Santes, *jugulaverit.* ¶ *Illum*] Bovem vel illam ovem. In Ebræo pronomen masculinum est, ut etiam vox quæ ovem significat, aut, juxta quosdam, parvam pecudem. Ceterum ad bovem pertinent majora pecora, ut sunt equi, asini, cameli: ad ovem vero minora, ut sunt capræ &c. Vide Josephum & Nicolaum à Lyra. ¶ *Quinque boves restituet*] Cur gravius punitur furtum bovis quam ovis? Utrum quia bos major est? an quia majus damnum accipit, qui bovem amittit, cessante interea agricultura, quæ sine bobus non fiebat. Nam antiqui bobus arabant. Videndus Lyra. Quidam existimant oves, quia gregatim pascuntur, facilius custodiri: Contra boves facilius abduci. Nam ovis furem non sequitur. Debet eam humeris portare, quod molestum est. Bovem facilius ante se agere potest aut fune ducere. Abenezra, *Dicit R. Jesua, Graviorem statuit pœnam bovis quam ovis, quia bos non potest abscondi ut ovis, neque potest quis furari eum nisi in furandi arte sit admodum exercitatus. Saadias autem dicit hoc fieri quia dominus bovis majus damnum accipit, propterea quod eo utatur in agricultura.* Idem R. Meir censet vetus autor, quem R. Salomo laudat. Thomas, *In pœna furti considerabatur secundum legem id quod frequenter accidere poterat, & ideo pro furto aliarum rerum quæ de facili custodiri possunt à furibus, non reddebat fur, nisi duplum: Oves autem non de facili possunt custodiri a furto, quia pascuntur in agris, & ideo frequentius contingebat, quod oves furto subtraherentur. Unde lex majorem pœnam apposuit, ut scilicet quatuor oves pro una ove redderentur. Adhuc autem boves difficilius custodiuntur, quia habentur in agris & non ita pascuntur gregatim sicut oves, & ideò adhuc hic majorem pœnam apposuit, ut scilicet quinque boves pro uno bove redderentur. Et hoc dico nisi forte idem animal inventum fuerit vivens apud eum, quia tunc solum duplum restituebat, sicut & in ceteris furtis; poterat enim haberi præsumptio quod cogitaret restituere, ex quo vivum conservasset.* Hactenus Thomas. Theodoretus, *Quinque boves pro uno & quatuor oves pro una restitui jubet, quia peccata majora majori multa pœnaque digna sunt.* Strabus, *Quia bos quinque utilitates habet, ovis quatuor. Bos enim immolatur, arat, pascit, lac dat, corium etiam diversis usibus ministrat. Ovis vero immolatur & pascit, lac & lanam tribuit.* Hoc postremum Lyra refutavit. ¶ *Boves*] בקר. Lxx. μόσχους. Sic Hos. cap. 5. 6. μόσχον bovem significare olim Augustinus notavit. ¶ *Pro uno bove*] Sic Jonathan חד תורא. Alii, *pro bove*, videlicet quem furatus est. Ceterum dictio *unus* desideratur & supra 21. 20. *diem aut biduum.* Vide quæ scripsimus ad illum locum. Addit Jonathan, *propterea quod cessare fecerit eum* (dominum bovis) *à suo* sub. opere. ¶ *Pro una ove*] Ebraicè, pro ove vel pecude. Licet vertere, *pro ove illa*, nempe quam furatus erat. Chaldaicum אימר magis agnum denotat. Quid si duas furatus fuisset? tum restituebat octo oves, videlicet pro unaquaque ove quatuor. Si tamen ovis erat occisa aut vendita. Alias tantum duplum reddebat. Verba Jonathæ, *quia non est in ea opus*, hunc sensum continent, quia ejus usus non est in agricultura sive in opere rustico.

2. *Si in effossione deprehensus fur, percussus fuerit ita ut moriatur, percussor non erit reus cædis.*

In effossione] Parietem domus noctu perfodiens. Hieron. *si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus.* Lxx. ἐν τῷ διορύγματι, in ipsa perfossione: Jonathan, במחתרת כותלא in fenestra parietis. R. Salomo, *quum perfoderet parietem.* Abenezra, *Solet paries noctu perfodere non interdiu.* Ideò capiendum de perfossione nocturna. Quod firmant consequa verba. ¶ *Deprehensus*] Inventus. ¶ *Ità ut moriatur*] ומת & mortuus. Hieron. *& accepto vulnere mortuus fuerit.* ¶ *Percussor non erit reus cædis*] Sensum expressi. Nam in Ebræo ad verbum, *non ei sanguines.* Id Hieron. interpretatur, *percussor non erit reus sanguinis.* Lxx. οὐκ ἔστιν αὐτῷ φόνος, non erit ei cædes. Alias, *homicidium,* Vide Rom. edit. Onkelos, *non erit ei sanguis.* Jonathan, *non erit ei reatus effusionis sanguinis innoxii.* R. Salomo, *Non est hoc homicidium* i. רציחה de quo in Decalogo. Abenezra, *Non est contra percussorem ejus effusio sanguinis,* sive actio cædis. Confer hæc cum lege 12. tabularum, quæ omnimodo permittit nocturnum furem occidere, etiam diurnum, si se cum telo defenderit. Vide collationem legum tit. 11.

3. *Si ortus fuerit sol super eum, reus cædis erit, reddendo reddet: si non erit ei (quod reddat) vendetur ob furtum suum.*

Si ortus fuerit sol super eum] Vide Lyram. Si orto sole, hoc est, interdiu parietem perfodere deprehensus fuerit. Hunc Lex 12. tabularum vocat furem diurnum: sed alii aliter hunc locum interpretantur. Onkelos, *Si oculus testium ceciderit super eum.* Vult dicere, si visus fuerit à testibus. Jonathan, *Si res clara & perspicua ut sol non occidendam esse animam.* Sic etiam R. Salomo, qui scribit *esse figuratam locutionem.* ¶ *Super eum*] Furem an percussorem? Quidam ad utrumque referunt. ¶ *Reus cædis erit*] Percussor. In fonte לו דמים sanguines ei. Hieron. *homicidium perpetravit.* Onkelos, *sanguis ei.* Jonath. *si occiderit eum, reatus effusi sanguinis innoxii erit super eum.* R. Salomo, *vita ei erit*; hoc est pro vivo reputabitur, nec occidi poterit. Novè interpretatur דמים vita i. חיים, sed quam rectè, ipse videris. Abenezra id valde improbat. Vide, si placet. ¶ *Reddendo reddet*] *Quadruplum aut quintuplum.* Hiscuni. Est cur malim, *rependendo rependeat.* Nam *reddo* i. שלם. Abenezra, *Versus iste comprehendit quodvis jumentum, licet sapientes traditione edocti saltem quadrupli aut quintupli ad bovem & ovem restrinxerint.* Rab. Salomo, *Reddet pecuniam quam furatus fuerat, nec reus mortis erit.* Quomodo reddet si occisus? Ebræi hæc referunt ad, *reddendo reddet.* quod vers. 1. Vide notas Fagii ad paraphrasin Onkeli. ¶ *Quod reddat*] Hoc lucis causâ adjecimus. Nam non habetur in fonte Ebræo. Legitur tamen in Jonatha מה דמשלם. ¶ *Si non erit ei*] Si non habebit. Jonathan, *Si liberabitur è manu ejus, rependendo rependet, si non erit, quod rependat &c.* ¶ *Vendetur*] *Usque ad annum remissionis.* Jonathan. ¶ *Ob furtum suum*] Lxx. ἀντὶ τοῦ κλέμματος, pro furto. Santes, *propter furtum suum.* ¶ *Vendetur*] Alius, *venundabitur.*

4. *Si inveniendo invenietur in manu ejus res furto ablata, à bove usque ad asinum ad ovem viventes, duplum rependet.*

Invenietur in manu ejus] Non mactaverit aut vendiderit. ¶ *In manu ejus*] In potestate ejus, penes ipsum. ¶ *Res furto ablata*] הגנבה. Lxx. τὸ κλέμμα i. furtum. Hiero. *quod furatus est.* Jonathan, *si per testes invenietur in potestate ipsius furtum.* ¶ *Usque ad asinum*] Docet hic locus legem illam, *Quum furatus fuerit aliquis bovem aut ovem,* generalem esse, & ad alia animalia extendi debere, contra sententiam sapientum, cujus Abenezra meminit. R. Salomo etiam ad inanimata pertinere dicit, ut sunt vestes & alia quæ quis furatus est. ¶ *Viventes*] Si adhuc vixerint. ¶ *Duplum*] שנים duo, videlicet id quod furto abstulit, & aliud ejus generis, vel saltem valorem ejus. R. Salomo, *Non reddet quod mortuum est, sed vivum aut pretium ejus.*

5. *Quum depasci fecerit quis agrum aut vineam, & immiserit pecus suum, quod pascat in agro alterius optimum agri sui & optimum vineæ suæ rependet.*

Depasci fecerit] Vel, *fecerit depascere.* Sub. pecus suum. Mox se explicat cum ait, *immiserit pecus suum, quod pascat in agro,* vel, si mavis, *depascat agrum alterius.* Ebraicè יבער quod Hieron. valet, *læserit.* τοῖς Lxx. καταβοσκήσῃ *depaverit.* Onkelo, *comedi fecerit* i. consumi, depasci. Jonathæ, *liberum fecerit* i. יפקר, quod malè scribunt יפקר in Kal. R. Salomo explicat, *deduxerit jumenta sua in agrum aut vineam socii sui, & damnum intulerit ei alterutro horum videlicet vel immittendo pecus suum, vel depascendo eum. Porro doctores nostri dixerunt per immissionem pecoris damnum significari quod fit cum ager pedibus proteritur & proculcatur. Depastio autem est cum damnum infertur per dentem comedentem & depascentem.* Quid si vertamus, *Quum incenderit agrum aut vineam?* hoc est *læserit damnumve attulerit?* Nicolaus, *Si læserit conculcando cum quadriga, vel pedibus animalium suorum ibi transeuntium vel alio modo.* ¶ *Et immiserit*] Aut immiserit: vel, hoc est immiserit ut Vau sit ἐξηγητικόν. Tum verterem in sequentibus, *aut paverit.* Si læserit agrum aut vineam vel pecus immittendo, vel depascendo. ¶ *Pecus*] Vel, *jumentum.* Hoc Hiero. elegit. A בער factum verbum יבער, lædere ut pecora solent, quum vel pedibus agros proculcant, vel pascendo devastant. ¶ *Quod pascat*] ובער & pascat. Hiero. *ut depascatur aliena.* On. & Jon. וייכול & comedat. Lxx. καταβοσκήσῃ. San. *& pastum fuerit.* ¶ *Optimum*] *Optimos fructus* vel *optimam partem.* Doctè Hiero. *quicquid optimum habebit in agro vel in vineâ pro damni æstimatione restituet.* Quidam, *optimo agri sui & optimo vineæ suæ rependito.* Lxx. τὰ βέλτιστα τοῦ ἀγροῦ &c. On. & Jon. שפר חקליה. ¶ *Rependet*] Reddet pro illo damno. Quod hîc dictum de agro & vinea, debet intelligi etiam de horto, de oliveto &c. Vide Lyranum.

6. *Quum egressus ignis invenerit spinas, & absumptus fuerit acervus frugum aut seges aut ager, reddendo reddet, qui fecit incendium illud.*

Quum egressus ignis] R. Salomo מאליו יצאה etiam à seipso. Nicolaus, *etiam præter intentionem accendentis ipsum.* Vide, si

si placet. ¶ *Inveneris*] Offenderit. vult dicere, inciderit in spinas. Nota verbum מצא etiam inanimatis tribui. ¶ *Spinas*] ἀκάνθας. malè *spicas* in edit. vulgata. putarim esse mendum scribarum. Certè in aliquot manuscriptis *spinas* legitur. Ebraicè קוצים · R. Salomo, *Carduos*. vernaculè *chardons*. Chaldaicè כובין · ¶ *Absumptus*] Propriè *comesus*, *devoratus*. Nam ignis comedere dicitur, quæ absumit: Jonathan, גדיש ויגמר & consumpserit acervum. ¶ *Acervus frugum*] Onkelos, *acervi frugum*. Tremel. *meta frumenti*. Lxx· ἅλωνας· Præcedit aut προσεμπρήσῃ *combusserit areas* i. acervos qui in areâ. ¶ *Aut seges*] Ebraicè קמה · à stando : unde Jonathan, & *quicquid stat*, nempe in agro. Hiero. *stantes segetes in agris*. Lxx. ἢ στάχυς, *aut spica* i. שבולת· Minus benè. Nam קמה comprehendit culmum cum spica. ¶ *Aut ager*] i. fructus agri. Nam ager non absumitur. Figura loquendi, ut cum terra ponitur pro terræ proventu. ¶ *Qui fecit incendium illud*] qui occasionem dederit incendii illius. Ebraicè המבעיר את הבערה qui incenderit incendium. Idem verbum supra reddidimus, *depasci fecerit*. Posset & hic legi, *qui fecerit ut ignis depascat depastionem illam*. Hiero. *reddet damnum qui ignem succenderit*. Sic Græci, ὁ τὸ πῦρ ἐκκαύσας. Onk & Jon. דאדליק ית דליקתא Fagius, *qui succendit istud incendium*. R. Salomo, *Qui in proprio incendium fecerit, si ignis ulterius vagatus fuerit; ita ut vicini rem absumat, tenetur hujusmodi etiam damnum præstare*.

7. *Quum dederit vir socio suo argentum aut vasa ad custodiendum, & furto ablatum fuerit e domo viri illius, si deprehenditur fur, reddet duplum.*

8. *Si non deprehendetur fur, tum applicabitur dominus domus ad Deos, si non extendit manum suam in rem socii sui.*

Dederit] Deposuerit apud illum, non dederit mutuo, aut commodato. Hieron. *commendaverit*. ¶ *Vir*] Quis. ¶ *Socio suo*] Alteri. ¶ *Argentum*] Vel, *pecuniam*. Hoc Hieron. illud Lxx. reddunt ἀργύριον. Solet autem & ἀργύριον pro pecunia poni. ¶ *Vasa*] σκεύη i. vestes aliaque suppellectilia. ¶ *Ad custodiendum*] Addit Jonathan, & *custodierit absque mercede*. Hieron. *in custodiam*. Lxx. φυλάξαι. ¶ *Fuit ablatum*] Surreptum. ¶ *Reddet duplum*] Ipse fur. ¶ *Applicabitur*] נקרב accedere fiet i. adducetur aut admovebitur. Quidam, *sistetur*. ¶ *Dominus domus*] Apud quem res deposita fuerit. ¶ *Ad Deos*] אל האלהים. Onkelos & Jonath. *coram judicibus*. Lxx. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, coram Deo. Nam אלהים etiam Deus. Hic aliter acceperim. Nam & alibi sig. judices i. τοὺς κριτὰς, ut exponit Theodoretus. Dubium autem utrum a judicibus Deus Elohim, an judices à Deo dicti quasi dii sive divi. Nam Dei munus obeunt in terrâ. Sic antiquitus reges vocabantur θεοὶ, unde θεομαχεῖν, & bellum gigantum cum diis, & θεὸς Ἰούλιος, id est divus Julius. Vide libellum meum. De hoc nomine R. Salomo, *Applicabitur ad judices ut ibi contendat cum eo & ut juret, quod non immiserit manum in rem ipsius*. Nicolaus, *ad Deos i. ad judices*. ¶ *Si non extendit* &c.] Hieron. & *jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui*. Onkelos, *Si non extendit manum suam id quod tradit ei socius ejus*. Jonathan, *Et jurabit quod non extenderit manum suam in rem socii sui*. Græcè quoque legitur καὶ ὀμεῖται. Abenezra, *In verbis illis & applicabitur ad Deos, continetur juramentum, quod fiebat coram judicibus*. R. Salomo, *Applicatio nihil aliud est quam juramentum*. Vide sequentia. Nicolaus, *Custos depositi erit liber per juramentum suum, quod non commisit fraudem in illo deposito*. ¶ *Extendit*] שלח immisit. ¶ *In rem socii sui*] במלאכת רעהו in opus socii sui. Vide Gen. 33. 14. Jonathan בקנינא *in rem*. Santes, *in substantiam*. Gal. edit. *sur le bien*, in bona & facultates. Vide infra vers. 11.

9. *De omni re trangressionis, de bove, de asino, de ove, de vestimento, de omni re amissâ, cum dixerit illud ipsum esse, usque ad Deos veniet causa amborum, quem condemnaverint Dii, reddet duplum socio suo.*

De omni re transgressionis] על כל דבר פשע · Santes, *super omni verbo prævaricationis*. Abenezra, *quam prævaricatus est is qui juravit*. Onkelos, *de omni verbo debiti* i. de omni peccato aut delicto criminéve. Hieron. *ad perpetrandum fraudem*. Lxx. κατὰ πᾶν ῥητὸν ἀδίκημα, secundum omnem dictam injustitiam. Tremel. *de omni negotio rerum amotarum*. Gal. *si erit quæstio de aliqua re, in quâ crimen sit*. R. Josua, פשע *est id quod exivit e potestate ipsius* : Cujus? haut dubie *domini*. Leo, *quicquid tandem prævaricationis inciderit propter bovem*. Munsterus, *super omni re iniqua, puta propter bovem*. ¶ *De omni re amissâ*] אבדה amissio pro re amissa, ut deportatio pro ipsis deportatis. Sic captivitas pro captivis. Metonymiâ est abstracti pro concreto. Lev. 6. 1. *invenit amissionem* i. rem amissam. ¶ *Cum dixerit*] Testis. R. Salomo, Abenezra. *ejus dominus* Tremel. Scholion Abenezræ ad hunc locum, פשע *comprehendit omnia quæ post sequuntur, omneque adeo id quod exit e potestate domini, sive surreptum fuerit, sive amissum, sive negaverit illum nec fateatur*. ¶ *Illud ipsum esse*] Quod surreptum sit. Trem. *illum ipsum esse scil. rerum amotarum reum*. Edit. Gal. *quam aliquis dicet esse suam*. ¶ *Usque ad deos*] Idem cum illo, *ad Deos*. עד pro אל · Sic alibi, *Convertimini usque ad* DOMINUM. ¶ *Deos*] Judices, magistratus. Lxx. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *coram Deo* i. judice. Quam interpretationem sequentia evertunt. ¶ *Causa*] Res, judicium i. ἡ κρίσις. ità Lxx. Onkelos quoque & Jonathan דין · Ceterum in fonte est דבר verbum. ¶ *Amborum*] Vel, *utriusque*. Jonath. *Coram judicibus ingredietur causa sive judicium amborum, causa domini domus & causa furis*. ¶ *Quem condemnaverunt dii*] Lxx. ὁ ἁλοὺς διὰ τοῦ θεοῦ, male. Nam in fonte verbum plurale. Hoc primum, deinde ubi plures esse possunt, quid necesse est unum intelligere. ¶ *Dii*] Onk. & Jon. *judices* ¶ *Reddet*] Jonathan, *reddet fur*.

10. *Quum dederit quis socio suo asinum aut bovem aut ovem aut ullum jumentum ad custodiendum, & mortuum fuerit, aut fractum aut captum, nemine vidente.*

11. *Jurandum* DOMINI *erit inter utrumque, si non extendit manum suam in rem socii sui, recipiet dominus ejus & non reddet.*

Quum dederit ad custodiendum] certâ mercede pactus cum eo, ut cum quis oves pastori tradit, aut boves bubulco. Quod Latini dicunt, *ex conducto dare*. Aben. *agit hic de custode mercenario*. R. Salomo, *Sectio prior capienda est de eo qui gratis aliquid custodit: Hæc vero de eo qui mercede id facit*. Vide sis Gen. 31. 39. Nicolaus, *committitur hic res aliena ad custodiendum pro mercede, ut animal pastori*. Hiscuni, *Sectio ista loquitur de custode mercenario. Nam non est moris, ut quis custodiat animalia nisi mercede, propterea quod labore magno educuntur & introducuntur, cibanturque & aquantur*. ¶ *Aut ovem*] Aut pecus. propriè de minore pecore dicitur, ut בהמה de majore. ¶ *Jumentum*] Aut *animal*. ¶ *Ad custodiendum*] Addit Jonathan, כלא אגר נטר *omnia mercede custodit*. Quibus verbis ea firmat quæ supra diximus de custode mercenario. ¶ *Mortuum fuerit*] מגרמה *à seipso* i. sua sponte. Hiscuni. ¶ *Aut fractum*] à fera aliqua. Hieron. *debilitatum*. Sic accipies 1 Reg. 13. 28. *Non fregit asinum*, ut dicat, leo adstans nullum membrum ejus fregit. Jonathan, *fractum à fera*. Sic etiam Hiscuni. ¶ *Captum*] *Ab hostibus aut à Latronibus, quibus ipse resistere non poterat*. Hieron. R. Salomo. Lyranus. ¶ *Nemine vidente*] *Qui de eo testari possit*. Jonathan. ¶ *Jurandum* DOMINI] Pro eo habendum ac si diceret, *jurandum legitimum*. Nam qui jurabat legitimè, per DOMINUM jurabat. Jurabat autem custos se non extendisse manum &c. ¶ *Extendisse*] Vel potius, *immisisse*. Nam ut verbum שלח quandoque *extendere* significet, tamen hîc potius significat *immittere manum in rem alienam*. ¶ *In rem socii sui*] במלאכת רעהו · Hiscuni explicat לשון קנין לרגל המלאכה ונכסים in possessionem & opes socii sui. Sic alibi לרגל המלאכה אשר לפני ad pedem rei quæ ante me est. ¶ *Recipiet*] *Ab eo jurandum*. Jonathan, Onkelos, R. Salo. alii. ¶ *Non reddet*] Neque custos restituet damnum. Hieron. *suscipietque Dominus juramentum, & ille reddere non cogetur*. ¶ *Dominus ejus*] בעליו in numero multitudinis.

12. *Si autem furto surreptum fuerit ab eo, reddet domino ejus.*

13. *Si discerpendo discerptum, adducet illud in testimonium, discerptum non reddet.*

Ab eo] *Apud quem erat merces custodientis*. Jonathan. *quia pro eo accepit mercedem suam*. Abenezra. *Ratio quia pro custodia habet mercedem, & ideo debet restituere quod ablatum est furto : & non est liber per suum juramentum, sicut depositarius*. Lyra. ¶ *Surreptum*] *Ablatum*. Hieron. ¶ *Reddet*] *Restituet damnum*, Idem. ¶ *Domino suo*] לבעליו terminatione plurali. ¶ *Discerptum*] Hieron. *comestum à bestiâ*. Lxx. θηριάλωτον, à bestia captum. Onkelos, *fractum*. Quanquam in Fagio, *laceratum*. Jonathan, *fractum à fera agresti*. San. *raptum*. Nam טרף rapio, discerpo. Jerosolymitanus, *occisum*. R. Sal. *si discerptum fuerit per feram pessimam*. ¶ *Illud*] Aliquid illius. Jerosolymitanus, *ex membris ejus*. Abenezra, *partem ejus quod discerptum est, ut sit ei testimonio*. juxta illud, *quando eripiet pastor ex ore leonis duo crura vel cartilaginem auris*. ¶ *In testimonium*] Vel, *in testem*. Nam עד utrumque sig. Verbum è verbo, *adducet illud testem*. Onkelos, *adducet testes*. Jonathan, *adducet sibi testes; aut pervenire faciet eum* (dominum) *usque ad corpus*. Jerosolymitanus, ad-

adducet sibi testem i. יסהד R. Salomo, *adducet testes quod discerptum fuerit per vim: ità liber erit.* Hieron. *deferat ad eum quod occisum est.* יביא עדי הטרפה Lxx. ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θύραν. Interpres, *adducet illum ad ostium*, τὴν θύραν. Santes, *adducet eum testem.* Nicolaus, *ad eum, scilicet Dominum.* יְבִאֵהוּ עֵד pro יביא אליו Hiscuni, *reliquum quod invenerit ex eo quod discerptum erit, adducet illud ut sit ei pro testimonio quod discerptum fuerit & ut ablatum ab eo. Porro mos est pastorum, ut quærant dum invenerint parum ex eo quod discerptum fuit, quod adducant coram Domino: ut liberi sint.* Sequitur μνημόνικον ἁμάρτημα Hoseas pro Amos. Vide, si habes. ¶ *Discerptum non reddet*] Si probaverit discerptum esse, non cogetur reddere. Jerosoly. *occisum non reddet* טרפה discerptum, res discerpta, ut גנבה res furto ablata. R. Salomo notat in textu esse הטרפה cum articulo, *Non dicit*, inquit, טרפה, *sed* הטרפה *quia est* טרפה *quam reddit, & est* טרפה *quam non reddit. Discerptum à fele sylvestri aut vulpe aut marte reddit: discerptum à lupo, leone aut urso aut serpente non reddit.* Nicolaus, *In Ebræo habetur, adducat testimonium. Et hoc poterat fieri dupliciter. Uno modo, quia adferebat cadaver animalis occisi, vel aliquam partem ejus. Altero modo quod adduceret homines qui vidissent in casu in quo nihil poterat emere de animali occiso. Dicit tamen hic R. Salomo quod si esset occisum ab animali parvo, cui custos poterat resistere, ut a catto vel vulpe vel hujusmodi, tenebatur restituere, nec valebat sibi testimonium. Si autem à leone vel serpente vel hujusmodi, sibi valebat. Et si esset in loco deserto, ubi non poterat habere testimonium hominum, debebat esse liber per juramentum suum, nisi ex indiscretione sua posuisset gregem in tali loco periculoso sine consensu domini.*

14. *Si commodato petierit quis à socio suo, & fractum fuerit aut mortuum, si dominus ejus non erit cum eo, reddendo reddet.*

15. *Si dominus ejus erit cum eo, non reddet: si mercede conductum est, venit pro mercede sua.*

Si commodato petierit] Jonathan addit, *quicquam.* Hiero. *quicquam horum.* Idem vertit, *mutuo postulaverit.* Lxx. αἰτήσῃ postulaverit aut petierit. Sic est etiam in Ebræo, & apud utrumque Chaldæum. ¶ *Fractum fuerit*] Vas. Jonathan. *animal.* Supra vers. 10. Sane Hiero. vertit, *debilitatum.* Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Mortuum*] *Pecus.* Jonathan. Lxx. addunt, ἢ αἰχμάλωτον γένηται, quod sumptum ex vers. 10. ubi נשבה in Ebræo. ¶ *Si dominus ejus non erit cum eo*] Vel, *domino non præsente.* Sed melius ut repetatur ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. ¶ *Dominus ejus*] Animalis, qui videlicet illud commodaverat. Hic rursum בעליו in terminatione & forma plurali. R. Salomo, *Si dominus bovis non est cum eo qui commodato eum petiit in opere ipsius.* ¶ *Cum eo*] Apud eum. ¶ *Si dominus ejus erit cum eo*] Hiero. *quod si in præsentiarum dominus fuerit* i. præsens. Sic locuti sunt Cato, Tacitus & Ulpianus J. C. sed apud alios vix aut raro reperias. R. Salomo, *Si fuerit cum eo in illo ipso opere sive in alio, non refert, hora petitionis. Non enim opus est ut sit cum eo hora fractionis aut mortis.* ¶ *Si mercede conductum est*] שכיר mercede conductum, non tantum de hominibus dicitur, sed etiam de rebus, ut תער השכירה novacula mercede conducta. Sic hoc loco שכיר pecus conductum sive conductitium. Chaldaicè אגירא. Hiero. *maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.* Lxx. ἐὰν δὲ μισθωτὸς ᾖ, ἔςαι αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ: si autem mercenarius fuerit, erit ei pro mercede ipsius. Quidam, *si mercede locavit.* Vide Gal. edit. R. Salomo, *Si bos non est commodato postulatus, sed mercede conductus, venit pro mercede ipsius in manum conducentis, & non per petitionem.* Et mox, *Non explicat utrum teneatur lege custodientis aliquid gratis an mercede. Ideo dissensio est inter sapientes Israel. R. Meir dicit, ut qui custodit aliquid gratis. R. vero Juda, ut qui custodit aliquid mercede.* Videndus Lyra. ¶ *Venit pro mercede sua*] Vel, *veniens pro mercede sua.* Quidam, *ne reddito, venerat pro mercede sua:* alii, *veniat* i. יבוא Jonathan, *venit jactura ejus pro mercede ipsius.* Santes, *venit propter mercedem suam.* Edit. Gal. *veniet pro mercede sua.* Latini codices quidam pro *venerat*, habent *venierat*, quam lectionem notat Hugo de Sancto Victore. Eam refellit Ebræus textus. Nam בוא venio, non veneo. Vide nunc, si commodum est, Notas Vatabli. Videndus & Hiscuni.

16. *Quicunque pellexerit quis virginem, quæ non sit desponsata & concubuerit cum ea, dotando dotabit eam sibi in uxorem.*

17. *Si renuendo renuet pater ejus dare illam ei, argentum appendet juxta dotem virginum.*

Pellexerit] Seduxerit, lactaverit, persuaserit ei ut secum rem habeat. Id Chaldæi dicunt ישדל & ישדיל quasi à שדל ad amorem sui pellexerit. Ebraicè יפתה unde & פתי homo simplex minimèque malus, qui facile se decipi patitur. Lxx. ἀπατήσῃ deceperit. Hiscuni, גונב לב *qui cor alicujus furatur.* R. Salomo, *loquitur ad cor ejus dum audiens dicto ei sit.* Hanc seductionem Abenezra quoque appellat *furtum cordis*, ut Cajetanus *furtum virginitatis.* Ea fit blandis verbis & pollicitationibus magnificis. ¶ *Quæ non sit desponsata*] ἀμνήςευτον, necdum desponsatam. Lxx. Hiero. דלא מאורסא Onkelos. Jon. Nam desponsata pro uxore habetur, & ità vocatur passim. Aben. *Desponsata licet non sit maritata, (subacta) tamen vocatur uxor.* ¶ *Et concubuerit cum ea*] וישכב עמה Jon. & Jerosoly. *dormieritque cum ea.* Hiero. καὶ κοιμηθῇ μετ' αὐτῆς. Lxx. *Et coierit cum ea.* Santes. ¶ *Dotando dotabit eam &c.*] Assignata dote ducet uxorem. Dotare Onkelos per קים reddit, quod propriè *firmare* significat. Jonathan autem & Jerosolymitanus usi sunt verbo פרן, unde Græcis Φερνὴ i. פרנא (Hinc etiam Φερνιεῖ dotabit apud interpretes à Φερνίζω) nisi sane Chaldaicum ex Græco trahit originem. De quo nihil certi adhuc mihi constat. ¶ *Renuendo renuet*] Planè renuet. ¶ *Pater ejus*] *Virginis.* Jonathan, *si non videtur ei, aut non vult pater ejus dare illam ei.* Onkelos, *si volendo non volet.* ¶ *In uxorem*] Hic invenies in Jerosoly. לאיתא in pausa pro לאתא sive לאיתא, quod in Jonatha. ¶ *Argentum appendet*] *Argento 50. siclorum multabitur.* Jon. ¶ *Argentum*] ἀργύριον, pecuniam. ¶ *Appendet*] More veterum. ¶ *Juxta dotem virginum*] Vel, *prout est dos virginum.* Deut. 22. 29. *Dabit vir ille qui concubuerit cum ea patri puellæ 50. siclos.* R. Salomo, *qui concubuerit cum ea per vim.* Abenezra, *hoc dabat, quia pellexerat eam.* Hiero. *reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Vide Lyram. Obiter noto, In Deuteronomio Moses agit de virgine per vim stuprata, quam ducere cogebatur, qui stupraverat. Videndus Hiscuni.

18. *Maleficam non patieris vivere.*

Maleficam] מכשפה San. *maleficam:* Posset reddi *veneficam.* Nam in Græco Φαρμακούς, veneficos, & in sententia illa Hillelis, *Qui multiplicat uxores, multiplicat veneficas.* Ebraicè est מכשפה Hiero. *maleficos* מכשפים Jonathan, *omnem facientem maleficia.* Non est dubium, quin lex generalis sit & ad omnes pertineat. Tamen quia sexus muliebris præ viris veneficia exercet, ideò dixit veneficam. Qua de re alias. Notatum hoc in Scholiis Ebraicis. Tremel. *præstigiatricem.* Gallica edit. *sagam* sive *veneficam*: vel, *incantatricem.* Addunt vocem Ebræam generalem esse ad omnes qui arte magica aliquem incantant. Nicolaus, *In Ebræo habetur, Sortilegam non patieris vivere. Et licet exprimat mulierem tantum, tamen intelligitur etiam de homine sortilego, sicut exprimit translatio nostra. Sed Scriptura exprimit illud quod communius accidit, scilicet quod mulieres sint sortilegæ.* Hoc R. Salomo dixit, *Morti addicentur in curia sive mares sive fœminæ. Sed Scriptura loquitur* בהוה *de præsenti. Nam mulieres ut plurimum in perniuntur malefica sive sortilega.* Idem Aben. notavit, Sortilega, Gallicè *sourciere.* Idem *malefica:* unde maleficas artes dicimus pro incantationibus & veneficiis. Lex. vet. Φαρμακός, *maleficus, veneficus.* Calepinus, *Maleficas mulieres dicimus incantatrices, quæ & Sagæ dicuntur.* ¶ *Non patieris vivere*] Interpretamentum hoc Hiero. est. Nam in Sante, *non sines vivere.* In Ebræo autem habetur, *non vivificabis:* quod nos diceremus, non conservabis in vitâ. Jonathan addit, *sed lapidatione occidetur.* Unde colligas genus mortis quo afficiebatur malefica. Nunc vivæ comburuntur. Lxx. οὐ περιποιήσετε, quod reddunt, *non sinetis incolumes.* Lectio varians, οὐ περιβιώσετε. Περιποιέω in Thesauro exponitur, *servo, conservo.* Malim ego, *non conservetis*, videlicet in vitâ. Vide Levit. 19. 26. & Deut. 18. 10.

19. *Quicunque cubat cum bestia morti adjudicator.*

Quicunque cubat] כל שכב omnis cubans sive concumbens. Doctè Hiero. *omnis qui coierit.* Nam non est necesse ut propter dormiat. Coitus hic prohibetur. Lxx. πᾶν κοιμώμενον. Alias, πάντα κοιμώμενον, omnem dormientem. ¶ *Cum bestia*] Hiero. *cum jumento.* Vox Ebræa utrumque significat. ¶ *Morti adjudicator*] Mortis genus erat סקילה lapidatio, ut observat Hiscuni, quia in sectione Ciddusin de hoc facti genere legitur, *sanguines eorum in eos.* Etiam bestia necabatur. Vide Lyram. Sunt qui putant hic per analogiam prohiberi omnes nefarias libidines. Vide Levit. 18. 22. & 20. 15. יומת propriè, morte afficiator, aut fiat mori, si loqui sic liceret.

20. *Qui sacrificat diis, exterminabitur, præterquam DOMINO soli.*

Sacrificat] Immolat, adolet, offert libat. Quæ omnia con-

contineri verbo גזז, testatur ex Salomone Trecensi Nicolaus. Idem eximit ab hac pœna eum qui verrit, ornat, aquam spargit, amplectitur, deosculatur. Scribit autem Abenezra hanc legem, pertinere peculiariter ad proselytum & advenam, qui ea conditione manebat, inter Israelitas, nec diis quibus consueverat, immolaret. Idem Hiscuni annotat. Ad eundem referunt legem præcedentem, quia in more positum erat apud quosdam populos, puta, Hiscuni mihi autor est, apud Syros, ut cum bestiis rem & consuetudinem haberent. Ceterum Israëli prohibita videtur idololatria per secundum præceptum, *non erunt tibi Dii alii* &c. ¶ *Diis*] Aliis. Ea vis in articulo. Nam Ebraice לאלהים ut si Græcè dicas τοῖς θεοῖς· Vocat autem idola gentium Deos, quia opinione hominum pro diis habentur. Licet etiam vertere, *Deo* i. idolo. Nam אלהים de uno simulachro usurpatur, ut אלהי מואב Deus Moab, qui proprio nomine Chamos vocabatur. Sic, *fac nobis Deos aureos.* alias *Deum aureum.* Nam de uno vitulo sermo est. De hoc nomine peculiarem libellum edidi, ad quem te remitto. Ordo ac sensus, *qui sacrificat Deo alicui*, *præterquam DOMINO soli, exterminabitur.* ¶ *Exterminabitur*] Vel, *occidetur.* Sic Hiero. & Santes. Sed occidetur, id est יומת· R. Salomo, *morte afficiatur* i. יומת· In fonte habetur יחרם, quod Onkelos convertit, *occidetur.* Jonathan, *occidetur gladio, & opes ejus consumentur.* Idem pro *Diis* habet idolis populorum. Sic etiam Onkelos. Lxx. θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται morte exterminabitur. Vide supra. ¶ *DOMINO*] Deo vero. Jonathan, *Ideo non coletis nisi nomen DOMINI solum.*

21. *Et advena non inferes vim neque opprimes eum, quoniam advenæ fuistis in terra Ægypti.*

Advena] Peregrino sive is proselytus fuerit, sive non. R. Salo. *advena est homo qui non est natus in ea urbe* (alias, provincia) *sed venit ex urbe alia ad peregrinandum ibi.* Lxx. προσήλυτον; quod hic latè sumitur, ut & גיורא in utroque Chaldæo: unde γιωρᾶ sive γειώρας. Angusta significatione proselyti vocantur, teste Eucherio, qui ex aliis nationibus progeniti, in fidem & consortium populi Dei per circumcisionem transierunt. ¶ *Non inferes vim*] לא תונה non facies vim. Verbum hoc ינה ab aliis aliter exponitur. Quidam, *advenam non vexabis.* Cajetanus, *non decipies.* Hiero. *non contristabis.* Lxx. οὐ κακώσετε. Quid si, *non lacesses verbis?* Sane Jonat. habet, *non provocabitis verbis.* & R. Salomo vernacule interpretatur *controlier*, ut si quis alicui peregrinitatem exprobret, aut per convicium advenam appellet. Quod Israëlitæ inprimis facere non debebant. Nam ipsi quoque peregrini fuerant. Itaque dictitant מום שבך אל תאמר לחברך *Maculam, qua in te, ne exprobes socio tuo.* Ergo הונאה convicium aut contumeliam dicere. Vide Fagium in paraphrasin Chaldaicam Onkeli. ¶ *Neque opprimes eum*] ולא תלחצנו· Hiero. *neque affliges eum.* Lxx. οὐδὲ μὴ θλίψετε αὐτὸν· Jonathan addit, *adimendo ei facultates ejus.* R. Salomo, *per direptionem pecuniæ.* Exod. 3. 9. לחץ A. ἀποθλιμμὸς vehemens afflictio. Significat etiam *compellere.* ¶ *Advena*] גרים προσήλυτοι· On. & Jon. hic habent גיורין Nicolaus, *Dicitur advena qui aliunde venit ad manendum in regione aliqua.* Abenezra, *Quum advena conditiones acceperit, de qua dictum est, tunc non inferes ei ullam vim, quia ab eo tibi maximum robur.*

22. *Nullam viduam aut pupillum affligetis.*

23. *Si affligendo afflixeris eum* (*nam si clamando clamaverit ad me exaudiendo exaudiam clamorem ejus*)

24. *Tunc excandescet ira mea, & occidam vos gladio, eruntque uxores vestræ viduæ & filii vestri pupilli.*

Nullam viduam] *Omnem viduam non* i. nullam. Licet etiam vertere, *ullam viduam non affligetis* i. שום אלמנה· Sic explicat Hiscuni. Lxx. Ebraismum retinent πᾶσαν χήραν καὶ ὀρφανὸν οὐ κακώσετε. Legem hanc R. Salomo extendit ad alios omnes, quos non debemus vexare aut affligere. *Meminit autem Scriptura*, inquit, *viduæ aut pupilli*, *quia propter debilitatem virium frequentius affliguntur.* Idem Nicolaus observat. ¶ *Si afflixeris*] Aben. scribit inter affligentes computari eum, qui licet videat eos affligi, non adjuvat tamen. Nota enallagen usitatam, quoties de populo aliquo sermo est. Nam dixerat, *non affligetis:* nunc dicit, *si afflixeris*, in numero unitatis. R. Salomo putat *pœnam* reticeri. *Minatur*, inquit, *& non explicat pœnam ejus.* Nos sequentia parenthesi inclusimus, hunc versum cum proximo sequenti connectentes, in quo pœna continetur. ¶ *Eum*] Pupillum. Id ad viduam quoque referri debet. ¶ *Clamaverit*] Pupillus. Nam verbum, quod in Ebræo masculinum est. Idem de vidua dicendum. Si clamaverit, inquit, ad me, tum occidam vos &c. Sed si non clamaverit, tamen puniam vos. Eam pœnam non exprimi hoc loco existimat etiam Hiscuni. ¶ *Uxores vestræ viduæ*] Par pari. Quia viduas afflixistis, ideò uxores vestræ viduæ erunt. Id Hiscuni dicit מדה כנגד מדה mensura pro mensura. Adi sis ad Proverbia mea. ¶ *Gladio*] *Mortis.* Jonathan.

25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi qui tecum est, non eris ei tanquam exactor, non imponetis ei fœnus.*

Si] Vel quum. R. Ismael ait omne (*Si*) quod in lege רשות i. licentiam denotare, tribus exceptis, è quibus hoc unum sit. Notat R. Salomo. ¶ *Mutuam dederis*] Vel, *mutuaveris.* ¶ *Populo meo*] Mox se explicat cum ait, *pauper qui tecum* sive apud te. Nam pauperes peculiariter vocantur populus Dei, quia Deus peculiarem curam eorum gerit, aut quia pii ferè pauperes sunt, de opibus comparandis non admodum solliciti. Sic alibi, *comedunt populum meum, ac si comederent panem.* Et Mich. 2. 9. *uxores populi mei expellitis* i. pauperum. Vide Davidem Josephi ad hunc postremum locum. ¶ *Pauperi*] Figura est quam appositionem vocant. ¶ *Qui tecum est*] Subintelligitur אשר ut sit אשר עמך qui apud te est, qui tecum habitat. Pro eo Jerosolymitanus habet, *qui vobiscum est.* ¶ *Non eris ei exactor*] i. creditor pecuniam exigens & repetens cum rigore. Alii, *fænerator:* alii, *usurarius.* On. & Jon. רשיא durus creditor, dictus ab eo quod quasi potestatem habeat in debitorem. Jerosoly. מזיק כד מרי creditor urgens. Lxx. οὐκ ἔσῃ αὐτὸν κατεπείγων, non eris eum urgens. In Ambrosio de Tobia cap. 14. *non suffocabis eum.* An legit κατεπνίγων? נושה potestatem suam usurpans creditor. Sic נושא qui urget solutionem, nihil de jure suo remittens. Jes. 24. 2. נושא Hiero. *qui repetit.* Edit. Gallica *creditor.* Psal. 109. 11. Lxx. δανειστὴς i. fœnerator. Hiero. *exactor.* Alius, *creditor.* Rursum Jes. 3. 12. נגשיו· A. ἀπαιτοῦντες exactores. Th. δανεισταὶ fœneratores. R. Salomo, *Non eris ei sicut exactor, non repetes ab eo per vim, si noscis eum nihil habere: neque eris similis ei qui mutuum dederit, sed qui non mutuum dederit q. d. noli afficere illum ignominia.* Fagius paulò aliter, quem vide, si vacas, in paraphrasin Chaldaicam ad hunc locum. Abenezra, *Ne sis ei tanquam exactor, ut honores te propter bonitatem tuam.* Huc refer illud Salomonis, *Qui mutuum accipit servus est ejus qui mutuum dat.* נושה ergo creditor à potestate quam habet in debitorem. ¶ *Non imponetis ei fœnus*] Ut supra, *nullam viduam affligetis.* Nam cum de populo agitur tam plurali quam singulari utuntur. Abenezra censet Mosen usum hic numero multitudinis, propter testes & scribam, qui pari in culpa sunt cum creditore. Hiero. hic habet *nec usuris opprimes.* Ac si tantum prohiberet opprimi aliquem usuris. Alia mens legislatoris, si eam rectè capio. Lxx. οὐκ ἐπιθήσεις αὐτῷ τόκον non impones ei usuram. Id nos diceremus, non exiges ab eo usuras aut fœnus. ¶ *Fœnus*] Usuram. Ebraice נשך a mordendo. Nam mordet eum qui dare cogitur, præsertim si pauper sit. Qua de re videndi sunt R. Salomo & Fagius in annot. ad Onkelum. Chaldaicè חבוליא à perdendo. Dicitur etiam רבית quasi augmentum sive incrementum pecuniæ. Hac voce peculiariter Doctores utuntur. In Jerosolymitano רביא videtur candem sententiam habere, ut etiam ריבין quod in Jonatha, ubi & שער æstimationes, quæ fiunt pro usu pecuniæ, & ab usuris distinguuntur. In summa quodlibet pecuniæ augmentum hac lege vetatur. Ac proinde argumentum, quod petunt ab etymo nominis נשך, prorsus invalidum est. Hic quæritur an etiam extero liceat dare ad usuram. Judæi affirmant, Nicolaus negat. Vide illum, si placet, in glossis ad hunc locum. Hem, fermè excidit, כנושה Hiscuni nove interpretatur *tanquam obliviscens.* q. d. Non oblivisceris te mutuo dedisse, ne post aliquot dies usuram ab eo exigas. Non placet.

26. *Si pignerando pigneraveris vestimentum socio tuo, donec occidat sol restitues illud ei.*

27. *Nam ipsum est operimentum ejus solum, ipsum est vestimentum cutis ejus, in quo cubabit? eritque ergo quum clamaverit ad me ut exaudiam, quia clemens ego sum.*

Pigneraveris] Vel, *pigneratus fueris* i. pignori acceperis. R. Salo. annotat חבלה dici propriè de pignore, quod datur non tempore mutuationis, sed quum tempus advenit, quo pecunia mutuo accepta reddi deberet, nec redditur. Quod an verum sit, nescio. Hoc scio, pignus Chaldaicè משכונא dici, unde משכון apud Magistros, Græcè ἐνέχυρον, quod ab Arrabone distinguit Hiero. in epistolam ad Ephesios per hæc verba, *Non id ipsum arrhabo quod pignus sonat. Arrabo enim futuræ emptioni quasi quoddam testimonium & obligamentum datur. Pignus vero pro mutua pecunia opponitur, ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus à creditore reddatur.* ¶ *Vestimentum*] Lxx. τὸ ἱμάτιον· On. & Jon. כסותא operimentum sive tegumentum. Tremel. *vestem.* ¶ *Socii tui*] Alterius. Pro *vestimentum* in Ebræo est שלמה, quod transpositis litteris שמלה etiam

etiam dicitur. Similis transpositio in כשב & כבש ovis. Metathesin appellant. ¶ *Donec occidat sol*] עד בא השמש usque dum occubuerit sol. Videtur hoc velle, usque ad occasum solis sive per totum diem. Nempe si vestimento illo interdiu egebit. Alioqui restituendum erit vespere, si nocte indigebit: deinde repetenda summo mane. Cur hoc? ne vestem eam alteri det in pignus. Hiero. *ante solis occasum* לפני בא השמש· Quod à Græcis accepit. Nam LXX. πρὸς δυσμῶν ἡλίου· Jonathan, *dum non occidat sol.* i. ante solem occasum. Idem dicit cum Hiero. Onkelos, *usque ad occasum solis.* Vide Fagium ad hunc locum. Ceterum hæc restitutio durabat per triginta dies, ut Hiscuni observat, addens tempus hoc à judicibus definitum fuisse. Videndus Lyra. ¶ *Illud*] Pignus, non vestimentum. Nomen enim שלמה fœmininum est, aut est constructio sensu congrua, non voce. Pignus i. החבל· ¶ *Nam ipsum*] Vestimentum. ¶ *Operimentum ejus solum*] Quo solum operitur, cum aliud non habeat. Hiero. *Ipsum enim est solum, quo operitur*: ad sententiam non malè. Ebraicè כסותה· Jonathan, *pallium quo sola tegitur sive operitur.* LXX. περιβόλαιον αὐτοῦ μόνον· Quanquam in edit. Rom. μόνον ad sequentia referatur. Lex. vet. περιβόλαιον, *amictorium, amictus, opertorium.* R. Salomo, טַלִּית i. pallium, superior vestis. Sunt qui legant טַלִּית· In Jonatha est טלת absque Jod. Appellatio à tegendo, ut thema sit טלל· R. Maslia deducit à נטל tollo, levo: quod sit supra omnes vestes. ¶ *Vestimentum cuti ejus*] שמלתו לעורו vestimentum ejus ad cutem ejus sub. tegendam: alias, cuti tegendæ sive operiendæ. Et *cuti* i. corpori. Synecdoche. Hiero. *indumentum carnis ejus.* Idem aliter. Notum ut caro pro corpore ponatur. LXX. τὸ ἱμάτιον ἀσχημοσύνης αὐτοῦ· Videntur legisse ערותו· Onkelos, *operimentum cutis ejus.* Jonath. *interior vestis ejus, quæ accidit cuti ejus.* Quibus verbis haut obscurè notat interulam, quam R. Salomo חלוק indigetat. Verbum è verbo, *interula vestimenti ejus.* Ubi duo notanda. Primum est חלוק interula, indusium. Alterum est גלימא operimentum, vestis, indumentum. Cur ita vocetur vestis, nescio. ¶ *In quo cubabit?*] Jonathan, *Si acceperis stratum lecti ejus, in quo cubabit?* Hiero. *nec habet aliud in quo dormiat.* LXX. ἐν τίνι κοιμηθήσεται; in quo dormiet? Santes, *in quo dormiat.* Scire licet pauperes eadem veste interdiu & noctu uti, corpusque tegere. ¶ *Clemens*] Vel, *misericors.* Ebra. חנון, quod propriè *gratiosum* sonat, & ab eo qui רחום dicitur non nihil variat. Jon. *Deus misericors.* אלהא רחמנא quod scribunt אלקא non sine superstitione. Hiero. *misericors.* LXX. ἐλεήμων· Vide Abenezram. Saadias per excellentiam Haggaon dictus חנון interpretatur gratiosus q. d. Dabo ei pecuniam, quam tibi adimam. Nam חנן largior, gratis do. Mihi hoc durum & coactum videtur: etiam Abenezræ qui רחום interpretatur. Quanquam discrimen inter utrumque ponat. Vide notas ejus in sectionem כי תשא· Ceterum Ebræi notant hic esse dimidium libri hujus.

28. *Diis non maledices, & principem in populo tuo non execraberis.*

Diis non maledices] Hiero. *diis non detrahes.* LXX. θεοὺς οὐ κακολογήσεις Alius, *Deos ne execrator.* ¶ *Diis*] *Judicibus.* Onk. Jon. Ebræi omnes, *principibus.* The. Quæst. 47. in Gen. Alibi τοὺς κριτὰς interpretatur. Aben. *Hi sunt judices, videlicet Sacerdotes filii Levi, apud quos lex erat.* Trem. *magistratuis*: & in notis, *penes quos est administratio civilis vel ecclesiastica, teste Apostolo Act. 23. 5.* Probarem, si penes summum sacerdotem fuisset mera ecclesiastica administratio. Olim Sacerdotes legem enarrabant, & jus populo reddebant. Unde Gregorius, *applicabis eum ad Deos i. Sacerdotes*: &, *Diis non detrahes* i. sacerdotibus. Nam iidem judices erant. Similiter summus pontifex juri dicundo intererat. Abraham filius Davidis Levita, *Rex educebat homines ad bellum & negotia regni administrabat: sed omnia verba legis & statuta & judicia fiebant per os principis qui erat è domo David, & per os summi sacerdotis & Sanhedrin.* ¶ *Principem in populo tuo*] Idem cum illo, *principem populi tui.* Id Græci dixerunt, ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου. Quod laudat Apostolus Act. 23. 5. Innuit autem regem. Ceterum regno extincto princeps erat, qui judicibus, quos Sanhedrin vocabant, præsidebat, quem נשיא appellabant. Hic ex domo David erat: & de illo accipi posset locus ille, *Non recedet sceptrum de Juda, neque legislator de inter pedes ejus* &c. Aben. *Hic princeps est rex, de quo scriptum in Deuterosi legis.* Hiscuni per principem intelligit potentem ac divitem, qui pecuniam suam mutuo dat pauperibus. ¶ *Non execraberis*] Neque clam, neque palam. Ebra. לא תאר· LXX. οὐκ ἐρεῖς κακῶς· Hiero. *non maledices.* Sic etiam Santes & alii doctores, qui Geonim vocantur, distinguunt inter קללה & מארה· Quod annotat Aben. nec tamen indicat, quomodo distinguant hæc vocabula. מארה est κατάρα, dira, imprecatio, execratio. Idem קללה. Japheth homo Ebræus, & Hiscuni rationem reddunt cur post legem de pignore sequatur proximè hæc lex, *Nempe*, inquiunt, *quia si creditor non reddat pignus, facile pauper & ipsi & judici maledicit.* Vide Abenezram. Jonathan hoc loco habet, *Principibus qui constituti sunt duces* (פרנסין) *in populo tuo non maledicens.*

29. *Abundantiam tuam & lacrymam tuam non tardabis (offerre) primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.*

Abundantiam tuam] מלאתך *spica frumento plena.* Lippomanus. *Primitias musti tui.* Vatablus. *Mustum tuum.* Aben. *primitias fructuum tuorum.* Jonathan. *proventus tui.* Hiscuni. *Frugum maturarum.* Tremel. *sementis tuæ, cum fuerint matura.* Santes. *plenitudinem tuam.* Arias. *Decimas tuas.* Hiero. ἀπαρχὰς ἅλωνος. LXX. *primitias tuas.* Onkelos. Vide quæ Fagius in eam annotavit. Ejus hæc sunt, *Mustum Ebraicè* מלאה *i. plenitudinem dici sentiunt, quod magna copia è torcularibus defluere soleat.* Verior opinio eorum qui מלאה ad fruges referunt. Sic alibi, *replebuntur horrea tua saturitate* שבע i. copia frugum. De primitiis traditio Ebræorum est, quam memorat Hiero. in Comment. Ezec. 4. 5. Vide si placet. R. David in libro Radicum, *Cum plenus fuerit proventus tuus & maturus, da ex eo primitias.* ¶ *Lacrymam tuam*] ודמעך Onkelos, *lacrymam tuam.* Jon. *primitias vini torcularis tui.* Siquidem גופא torcular, lacus, in quem vinum decurrit. LXX. ἀπαρχὰς ληνοῦ σου· Hiero. *primitias tuas.* Vellem addidisset, *torcularis tui.* Lex. vet. ληνός, *torcularium, torcular.* R. Salomo, תרומה i. primitias. Nicolaus, *In Ebræo habetur, plenitudinem tuam & lacrymam tuam non tardabis reddere: & secundum quod dicit R. Salomo per plenitudinem intelliguntur primitiæ in aridis, sicut est triticum & hordeum; & per lacrymam in liquidis, sicut est vinum & oleum & hujusmodi.* Hæc in Salomone illo invenire non potui. Abenezra, דמעך *cognomen est olei.* *Et Haggaon Rab. Saadias dicit vocem* מלאה *complecti abundantiam sementis & eam quæ è torculari manat, & dicit quod per* דמעך *nominatur oleum. Nam quum calcatur oliva, descendit guttatim ut lacryma. Pro his alibi habetur, frumentum tuum, mustum tuum, & oleum tuum: ideo cum eo, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. Nam est principium roboris ipsius. Porro Ben Zita per abundantiam conceptum, & lacrymam accubitum seminis cognominari dicit, & hæc est gutta illa quam vir infundit. Sensus ergo est, Non tardabit homo accipere sibi uxorem, ideo post sequitur, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. Sed hæc est insania. Cur meminisset abundantiæ aut lacrymæ? Nam lacryma secundum sententiam ejus est, cum homo infundit semen in mulierem & postea venit conceptus: Adhæc negotium conceptus non est in manu hominis, sed in manu Dei duntaxat.* Hæc Abenezra. R. Levi, *Mustum & oleum sunt lacrymæ olivarum uvarumque. Homo igitur primum separabit Deo* בכורים *primitias, deinde* תרומה *oblationem: postea decimas priores: deinde decimas alteras* &c. Vide præcedentia. ¶ *Non tardabis*] Vel, *differes.* ¶ *Offerre*] In Hiero. *reddere.* Neutrum habetur in Ebræo. ¶ *Primogenitum*] [illegible] est פטר רחם quem certo pretio redimebant. Id non fiebat ante diem octavum. Videndus R. Levi. ¶ *Mihi*] Sacerdoti meo. Sic, *Honora Deum de opibus tuis.* Nam quæ sacerdoti dantur, Deo dantur. Addam pro corollario locum Camii ex libro Radicum, *Lacryma est* תרומה *oblatio, quam segregat homo è proventu oblationum post primitias. Aut forte ait dicit Lacrymam tuam propter vinum quod descendit [illegible] lacryma è torculari.* Hæc ille in rad. דמע· Ceterum redemptio fiebat quinque siclis i. סלעים post trigesimum diem. R. Salomo. *Primogenita hominum redimebantur quinque siclis argenti. Dicit autem hic R. Salomo quod quilibet siclus valet quinque solidos: tamen non dicit cujus moneta, & ideo melius videtur dicendum quod valor determinatus est nobis incertus, quia sicut frequenter dictum est, moneta & pondera auri & argenti multum variantur secundum tempora & varias regiones.* Nicolaus.

30. *Sic facies bove tuo & ove tua: septem diebus erit cum matre sua, die octavo dabis eum mihi.*

Bove tuo & ove tua] *Primogenitis bovis tui & ovis tuæ.* Jonathan. *De bobus quoque & ovibus similiter facies.* Hiero. *bovi tuo, pecori tuo.* Santes. LXX. addunt, καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου i. asino tuo. Nicolaus, *Quod autem hic dicitur de primogenito ovis & bovis, intelligendum est etiam de primogenitis aliorum animalium quæ poterant immolari. Ceterum asini primogenitus redimebatur ove, & alia redimebantur ut dictum est cap. 13.* ¶ *Erit cum matre sua*] *Suget post matrem suam.* Jonathan i. lac maternum. R. Salomo putat hoc membrum propriè ad sacerdotem pertinere, qui non debebat offerre DOMINO bovem aut ovem ante octavum diem. Nam apud dominum bos

bos servabatur dies 30. ovis autem 50. Vide Lyranum. ¶ *Dabis eum mihi*] *Separabis eum coram me.* Onk. & Jon. *a die octavo & ultra.* R. Salomo. *Die octavo poteris eum mihi dare.* Idem.

31. *Et viri sancti eritis mihi, & carnem in agro discerptam non comedetis, canibus projicietis illam.*

Viri sancti] Vel, *homines sancti.* Ad verb. *viri sanctitatis.* Jonathan addit, *homines sancti gustantes profana puré.* R. Salomo, *sancti & separati* מטמאות *ab omnibus abominationibus cadaverum & carnium à feris laniatarum.* Aben. *Quia meminit bovis & ovis, quæ licita sunt, meminit etiam carnium à fera laniatarum, ne pauper ea comederet propter paupertatem suam.* ¶ *Carnem in agro discerptam*] Loquitur de eo quod communiter fit: alioquin etiam in domo aut in urbe discerptam carnem non licebat edere. Vide Abenezram. R. Salom. simile produxit exemplum ex Deut. 22. 27. *quia in agro repperit eam.* Tale est & Deut. 23. 11. *ob accidens nocturnum.* Nam etiam diurnum accidens sub eo nomine continetur. ¶ *Discerptam*] Santes, *raptam.* Hieron. *à bestiis prægustatam.* Onk. *à fera discerptam sive dilaceratam.* Verbum è verbo, *à fera viva.* Id epitheton ei tribuit ob vivacitatem. Jonathan, *discerptam à feris vivis.* Lxx. κρέας θηριάλωτον, *carnem à fera raptam.* ¶ *Canibus*] לכלב τῷ κυνί i. canibus ovium tuarum custodibus aut boum. Sic Abenezra, cui articulus non est otiosus. Moses sacerdos admonet in discerpta hoc modo carne aliquid veneni esse, quod lædit naturam hominis: *ideò non licebat*, inquit, *dare peregrino qui erat intra portas, aut vendere extraneo.* Contrarium Lyra notat ex Salomone Jario: ad quem te adire volo. Hiscuni cum Mose Sacerdote consentire videtur.

A M A M A.

3. EBr. *Si ortus fuerit Sol super eum, erit morti obnoxius; reddendo reddet, si non sit ei, vendetur propter furtum suum.* Vulg. *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit & ipse morietur: si non habuerit quæ pro furto reddat, ipse venundabitur.*] Vides in Vulg. pro שלם ישלם *reddendo reddet* esse *& ipse morietur morte.* Observet hic obiter Tyro, quid respondeant Ebræi Interpretes ad difficultatem quæ moveri solet, quomodo ad restitutionem vel venditionem compelli is queat, qui in primo hemistichio jam videtur interfectus. Sciendum posterius membrum referri ad versum primum, cætera interjecta parenthetica esse; sic Abenezra. Simile Psal. 51. *Ut justificeris in sermonibus & vincas cum disceptas*, quæ referri posse negat ad id quod proxime antecedit, *Tibi soli peccavi* &c. sed ad initium Psalmi, *miserere mei Domine*, vel ad ista, *Quia iniquitatem meam agnosco.* Putat tamen Fagius sic exponi hunc locum posse, Fur diurnus occidi non debet, quin potius restituat, vel vendatur si non habet quod restituat; quod si tamen paterfamilias eum occiderit, homicidii reus esto.

9. Ebr. על כל דבר פשע על שור על כל אבדה אשר יאמר כי הוא זה וגו׳: *Super omni negotio prævaricationis, super bove &c. super omni re amissa, quam dixerit* (aliquis, vel Dominus ejus) *quod ille ipse sit, vel, quod hoc ipsum sit*, quod sc. perdiderat &c. *ad judices utriusque causa deferetur.* Vulg. *Ad perpetrandam fraudem tam in bove quam &c. & quicquid damnum inferre potest, ad Deos utriusque causa perveniet.*] Ecce פשע interpretatur *fraudem*, & אבדה *quod damnum inferre potest.* Cum extra controversiam rem perditam denotet & comprehendat quicquid furto auferri potest, unde & Chald. *de omni perdita.* Et Lxx. καὶ πάσης ἀπωλείας ἐγκαλουμένης: *& de omni amissione accusata.* Sed ne prolixior in hoc sim, quod forte ad textum Ebr. torquebit subtilior aliquis, quomodo excusabitur omissa integra clausula, אשר יאמר כי הוא זה, *de qua quis dixerit, quod hoc ipsum sit.* Lxx. ὅτι οὖν ἂν ᾖ. Benedict. supplet in margine, & Cajet. nequaquam omittendam eam monet.

11. Ebr. *Jusjurandum Domini erit inter utrumque.* Vulg. *Jusjurandum erit in medio.*] Omissum nomen Τετραγράμματον. Lxx. ὅρκος θεοῦ. Chald. מומתא דיי׳ Notârunt id Cajet. & Bened.

18. Ebr. *Maleficam non sines vivere.* Vulg. *Maleficos non sines vivere.*] Non sine causa Moses fœminino מכשפה usus est. Ebræi hanc assignant quod sexus muliebris magis deditus fuerit maleficiis ab omni ævo. Vide Rab. Sal. & Aben. ad hunc locum. Cl. Junius arbitratur quòd hoc ipso Deus ostendere voluerit, ne debiliori quidem sexui hoc casu parcendum esse. Nos id in medio relinquimus. Tantum annotamus sine causa a Vulgato mutatum genus non sine causa à Spirit. sancto positum.

25. Ebr. *Non ponetis super eum* נשך *morsum.* Vulg. *Nec usuris opprimes.*] Quod Ebræus expressit plurali numero תשימון *ponetis*, id Vulg. mutato numero vertit per singulare. Non puto hic admodum peccatum. Cum enim populum alloquuntur Prophetæ, jam singulari, jam plurali utuntur. Sed cur vertit *opprimes*? An solummodo oppressionem per usuras prohibet? Ego doctissimorum piissimorumque virorum authoritate ipsoque adeò Dei verbo fretus opinor, quamvis usuræ impositionem hic districte prohiberi. Prægnantior præterea vox Ebræa est, quàm ut vox usuræ eam exprimat. Usura ab utendo est, q. d. pretium usus. Sed nec Fœnus nec Τόκος eam exprimunt. Τόκος quidam ab Ebr. תך (i. fraus) deducunt, alii a τίκτω pario, quod sit quasi partus pecuniæ, dum nummus nummum parit prodigioso partu, qua ratione & Varro Latinæ linguæ Princeps *fœnus* dictum voluit q. fœtum, quod quasi fœtura esset pecuniæ parientis. At in נשך significatio *morsus* est. R. Salomo, vocatur usura נשך *morsus*, quod sit instar morsus serpentis, qui morsu suo infert primo livorem parvum pedi alicujus ut vix sentiat læsus. Sed ecce repente diffundit se usque ad verticem. Sic quoque usura nec sentitur nec cognoscitur donec ita ascendat ut totam substantiam ejus atterat. Hæc R. Sal. quibus addi possit & morsus conscientiæ, de quo alibi.

D E M U I S.

1. SI *quis furatus fuerit bovem aut ovem, & jugulaverit vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove,*] Quæritur ratio disparitatis, cur nempe in bovis furem quintupli, in ovis verò quadrupli pœna constituitur, præsertim cùm fur ordinarius duplo tantùm plecteretur, Exod. cit. cap. comm. 4. Talmudistæ istius disparitatis duas potissimùm comminiscuntur rationes. Joachanan Zaccæi filius, teste Rasi, putat quòd bos furto subtractus per se incedat, ovis verò in humeros asportetur, quæ res furi est dedecori, idcirco boves quidem quinque pro uno, oves verò duntaxat quatuor pro una restitui. Meir, teste eodem Rasi, censet quòd bos utilis sit labori, ovis verò minimè, id esse causæ quamobrem pro uno subtracto bove plures quàm oves pro subtracta ove restitui Lex jusserit. Rasi porrò sic habet Hebraicè, אר״ יוחנן בן זכאי חס המקום על כבודן של בריות שור שהולך ברגליו ולא נתבזה בו הגנב לנושאו על כתפו משלם חמשה שה שנושאו על כתפו משלם ארבעה הואיל ונתבזה בו אמר רבי מאיר בא וראה כמה גדולה כחה של מלאכה שור שבטלו ממלאכתו חמשה שה שלא בטלו ממלאכתו ארבעה: Meir consentit excellens ille Saadias, auctore Ezrá, atque illius disparitatis causam esse בעבור הנזק שבא לבעל השור יותר מהשה כי בו יחרוש, *majus damnum quod accipitur ex furto bovis quàm ex furto ovis, quòd ille arationi sit utilis.* Non inepta profectò hæc ratio. At meliùs tamen, meo quidem judicio, Nachmanides, qui, auctore Bechai, ità censet: Delictorum sive criminum quæ faciliùs promptiùsque est admitti major debet esse pœna. Inde est quòd Lex, cùm furem dupli solummodo damnet, furi tamen minorum pecudum, quæ quòd in agris ac desertis soleant versari nullo negotio surripi possunt, quadrupli pœnam constituit: majorum autem pecudum furi, quòd hæ quàm illæ item faciliùs abdi possint, ut quas haud ità facilè pastor advertit, auget pœnam, quadruplo unum insuper addens. Eodem planè modo Isaacus Karus. Horum sententiæ palàm suffragatur Jus civile, quod furi nec manifesto dupli, manifesto quadrupli pœnam irrogat, abigeos verò extra ordinem punit, atque in his eum leniùs coercendum statuit qui à stabulo abegit pecus, quàm qui à silva aut à grege, L. 3. ff. de Abigeis, ex restitutione viri incomparabilis Cujacii, Observat. l. 6. c. 8. *Scilicet*, inquit, *quia quò major delinquendi facultas & occasio, eò majore pœnâ quisque in officio continendus est.*

31. *Viri sancti eritis mihi, & carnem in agro raptam non comedetis, sed projicietis canibus,*] Lex est in Exodo, cap. 22. versu postremo, quæ carnem bestiæ, putà bovis aut ovis, à fera in agris raptæ edi vetat. Verba legis mox recitata sunt.

Quæritur quæ istius legis causa sit. Respondent Hebræorum nonnulli, in quibus Moses Sacerdos, Ezrâ teste, כי יש בטרפה כמו סם ויש מזיק תולדות האדם *quòd caro bestiæ à fera raptæ aliquid instar veneni habeat quod hominis naturam lædat*, indéque esse quòd cùm Deut. 41. 21. prohibeantur Israelitæ vesci carne sponte mortuâ, sed eam tamen jubeantur peregrinis secum degentibus dare, aut extraneis vendere, iidem non modò carne bestiæ à fera raptæ jubeantur abstinere, sed etiam illam ad canes projicere, nec permittantur peregrinis dare aut extraneis vendere: כי הטרפה קשה מהנבלה, *siquidem caro bestiæ à fera raptæ quam caro per se mortua majoris momenti magisque noxia sit.*

sit. Non est hoc admodum probabile, nec, opinor, concedent Medici. Puto igitur idcirco vetitos Israëlitas carnem bestiæ à fera discerptæ edere, ut quæ legitimo ritu cum sanguinis missione non esset mactata, sed ab immundo animali, putà leone, urso, lupo, cane dilaniata, ideóque immunda vel hac ex parte jure ac meritò haberi posset. Probat verò nostram sententiam, quòd huic legi præfixa leguntur hæc verba, *Viri sancti eritis mihi:* perinde quasi diceretur, ideóque ab omni immundo cibo, ut qui immunditiæ & vitii aliquid in animis vestris ingeneraret, abstinebitis. Nam cibi, si noxii sunt, corporibus & animis atque adeò moribus plurimùm officiunt. Idem quoque ferme Deut. loco antea notato legi de non edendo morticino, quod immundum habebatur, subjicitur. Quòd autem morticinum peregrinis extraneísque dari aut vendi poterat, carò verò bestiæ à fera discerptæ non, sed jubebatur ad canes projici, hoc indè duntaxat factum autumo quòd ruri, ubi potissimùm bestias à feris dilaniari contingit, semper ad manum sint canes quibus promptum esset ejusmodi carnem projicere. Nimis verò stultè somniant Hebræi, in iis Rasi, hanc fuisse à Deo canibus constitutam mercedem, quòd Ægypto migrantibus Israëlitis minimè allatrarint, sicuti dudum à Mose prædictum fuerat Pharaoni, Exod. 11. 7.

G R O T I U S.

2. S*I effringens fur domum, sive effodiens*] Directarius Latinè.

Et accepto vulnere mortuus fuerit] Vulnerari eum ita demum posse si non fugiat, aut testes haberi non possint, notat Maimonides. Vide quæ nos hac de re lib. II. de Jure belli ac pacis, cap. I. §. XII. & in Annotatis. Si testes adsint, jam diurno furi æquiparatur.

3. *Venundabitur*] Ad servitutem non longiorem sexennio: contractiorem verò si antè operæ ejus tantum valuissent, quantum res furto sublata; nam ob mulctæ debitum in servitute retineri non poterat. Intelligendum hoc de maribus: feminæ enim ob furtum non addicebantur. Josephus libro XVI. Antiquæ Historiæ.

4. *Si inventum fuerit apud eum qui furatus est vivens sive bos, sive asinus, sive ovis*] In Hebræo: *si inveniendo inventum fuerit in manu ejus furtum:* id est, si furtum non ipsius voluntariâ confessione, ut præcipitur Levit. VI. sed alio modo ad notitiam pervenerit. Nam qui se defert, neque occidit, aut vendidit quod furatus est, non tenetur duplione.

6. *Si egressus ignis invenerit spinas*] Si quis in stipulam suam vel in spinam comburendæ ejus causâ ignem immiserit, & ulteriùs evagatus & progressus ignis alienam segetem, vel vineam læserit. Verba sunt l. Qui occidit. §. in hac. D. ad l. Aquiliam.

Reddet damnum qui ignem succenderit] Cùm deberet vel ignem exstinguere, vel ita munire ne evagetur, ait l. Si servus. §. si fornicarius. D. ad l. Aquiliam. In crimine est qui non observavit, ne ignis longiùs procederet, ait l. Qui occidit. §. in hac. D. eo tit.

8. *Ad deos*] Ad tres judices quibus manus imposita.

Quòd non extenderit manum [in] *rem proximi sui*] Extendere manum est arripere.

9. *Ad deos*] Ita vocantur summi Judices, qualis Moses, & eo absente Aaron & Hur. infrà XXIV. 14. Postea Senatores Synedrii, qui olim his de causis judicavêre. Sed crescente litium numero, introductum seriùs, ut tres quibus impositæ à Synedrio manus, judicare de iis possent.

Et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo] Nempe depositarius, si dolus adfuerit: depositor, si iniquam actionem intenderit. Nam de mero casu teneri depositarium iniquum est. Vide Institutiones, Quibus modis re contrahitur obligatio.

Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino] Nempe si lata culpa adfuerit, quæ à dolo non longè abest.

Vel captum ab hostibus] Hostium enim incursus non præstat is qui rem commodatam accepit: nempè si re commodatâ ex præscripto fuerit usus: quod hic addunt Hebræi. Ita & Gajus l. In rebus commodatis. D. commodati. Adde l. Si ut certè. §. quod verò. D. eodem tit. Et Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. 2.

15. *Quòd si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet*] Poterat enim & dominus adhibere diligentiam. Talis est casus communi amico ad cœnam invitato, & in id commodato argento, in d. l. In rebus.

Maximè si conductum venerat pro mercede operis sui] Alia hic sententia in Hebræo: *Si mercenarius ipse venit propter mercedem suam.* Græcè: *ἐὰν δὲ μισθωτὸς ᾖ, ἔςαι αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ* [*si conductus fuerit, erit id ipsi pro mercede sua*]. id est, si is qui custodit rem, pro custodia mercedem sit stipulatus, jam in damnum veniet propter illam mercedem: tenebitur etiam de casu, sive dominus adfuerit, sive non adfuerit. Vide l. 1. §. sæpè evenit. D. depositi. & Mynsingerum ad dictum tit. Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Præterea. & ii.

16. *Si seduxerit*] Pellexerit sine vi: LXX. *ἐὰν ἀπατήσῃ τις παρθένον* [*si quis deceperit virginem*]. Differt enim hæc facti species ab illa quæ est Deuteronomii XXII. 28. 29. ibi matrimonium cum mulcta imponitur: hic patri virginis optio datur mulctæ aut matrimonii.

18. *Maleficos*] LXX. *Φαρμακοὺς* [*veneficos*]. Verùm in Hebræo vox feminina est, non quòd non idem sit puniendum in viris, sed quòd muliebris sexus magis huic crimini obnoxius. Vide Pharmaceutriam tum Theocriti, tum Virgilii, & quæ de Medea ac Circe narrant Poëtæ.

21. *Pecunia illius est*] Possessio.

Pauperi qui habitat tecum] Vox pauperis hîc non restringit legem, sed exempli causâ posita est, quia plerumque ita accidit, ut illi magis egeant opis alienæ.

25. *Nec usuris opprimes*] Hoc præceptum non creditorem tantùm, sed & scribam & fidejussores & testes contractus obligat. Usura autem נשך [*morsus*] dicitur, quia ut morsus serpentis ab initio exiguo in immensum procedit.

26. *Si pignus a proximo tuo acceperis*] Sive ex prima conventione, sive ex pignoriscapione ob moram. Vide Deut. cap. XXIV. 10.

29. *Decimas tuas & primitias tuas*] Plenitudinem & lacrymam tuam: id est, primitias frugis maturescentis, aut rerum liquidarum, ut vini & olei.

C A R T W R I G H T U S.

1. Q*Uinque boves rependet, &c.*] R. Sal. refert R. Joannem rationem assignare quarè furtum bovis quintuplo, ovis autem quadruplo fuit puniendum, quòd qui ovem furatur, necesse habeat eam humero suo portare, atque inde ignominiam suam sibi accersat (בו מצו) non sic autem, qui furatur bovem, quippe qui pedibus suis progreditur. Sed multo melior est ratio, quam assignat (uti idem testatur) R. Meir, nempe habitam esse rationem commodi, quod ex labore bovis, non item ovis, acquiri solet. Similiter R. Saadiah, teste Abenezra, qui etiam ex sententiâ R. Jesuæ ait majorem pœnam ob furtum bovis, quam ovis statui, quòd difficilius sit bovem furto auferre, quàm ovem, ac propterea qui bovem furatur, se in istâ furandi arte exercitatiorem esse ostendit. Sed altera ratio germana esse videtur.

2. *Si effodiens* (domum) *inventus fuerit fur, &c.*] Ad verb. במחתרת *in effossione*. In Codice Sanhedrim cap. 8. ratio hujus legis, redditur, הבא במחתרת נידון על שם סופו *Qui cum perfossorio ingreditur alienam domum, judicatur ob id in quod prolapsurus erat.* Sic Latinè vertit vir doctissimus Coch, qui porro ex Hebræis sic elucidat; * *Certum est neminem hominem de bonis suis concessurum. Iste igitur sic cum animo suo decernit, Si vadam, dominus ædium mihi obsistet, neque sinet me. Si obsistet mihi, occidam eum. Jam Lex ait, Qui te invadit animo cædem faciendi, occupes cædem licet.* הבא להרגך השכם להרגו. Addit Maimonidem monere, quando effractor jam parat abitum, si testes haberi possint, occidi jure non posse, sed ad restitutionem obligari. Benè notat Abenezra ex v. 3. patere hoc intelligi de eo, qui nocte ad effodiendam sive effringendam domum venit. Sic antiquis Romanorum legibus, nocturnum furem occidere licuit, ut est apud Gellium lib. 20. cap. 1.

3. *Si sol exortus fuerit, &c.*] Onk. *Si oculus testium ceciderit super eum.* Jon. *Si res † sole clara fuerit, quòd non ad occidendum ingressus est.* Atque hæc quidem vera videtur ratio, quare nocturnus fur interfici potuit, quod incertum esset, utrum duntaxat ad furandum, an etiam ad cædem faciendam venerit. *Intelligitur* (inquit Augustinus) *tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere. Poterat quippe discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideò non deberet occidi.*

שלם

* *Ad istum modum hic explicat R. Sal.* † *Sic vertendum, si legatur* כשמשא*, nescio autem an legi debeat* כשמשא*, sicut* sol, *vel* instar solis; *atque ita quidem, sed minus rectè, Hebræum textum exponit, R. Sal.*

שַׁלֵּם יְשַׁלֵּם *Rependendo rependet*] Nempe diurnus fur, atque ideo occidi non debet. Miror quid in animo habuit Vulgatus Interpres, cum vertit, *& ipse morietur.*

אִם־אֵין לוֹ וְנִמְכַּר בִּגְנֵבָתוֹ *Si nihil habuerit* (nempe quo restitutionem faciat) *tum ob furtum suum vendetur*] Seldenus ex * Maimonide dicit furti reum, si solvendo non esset, actori in servitutem ex fori sententia addictum fuisse, usque dum ministerium ejus furti pretium duntaxat, non duplum, nedum quaquadruplum quintuplumve æquaret; duplum siquidem, quadruplum aut quintuplum, quorum in legibus de furto, fit mentio, ex hujusmodi servitute non præstanda, sed ex beatiore rei post servitutem fortunâ expectanda fuisse. Ibidem etiam refert Maimonidem ex perpetua majorum traditione dicere, האיש נמכר בגנבתו אבל לא האשה *Vir ob furtum suum venditur, sed non fœmina.* Ita etiam Abenezra hic ad cap. 21. 2. וקבלה היא ביד ישר' כי זכר ימכר בגנבתו ולא נקבה *Traditio autem fuit in manu Israelis, masculum ob furtum suum fuisse vendendum, non autem fœminam.* Et R. Sal. ad Deut. 15. 12. אין האשה נמכרת בגנבתה *Fœmina non venditur ob furtum suum.* Sed infirma planè est probatio, nempe quia hoc in locô dicitur, בגנבתו *ob furtum ejus*, cum pronomine affixo masculino, & non בגנבתה *ob furtum ejus*, cum pronomine affixo fœminino.

3. אִם־הִמָּצֵא תִמָּצֵא בְיָדוֹ הַגְּנֵבָה *Si certo inventum fuerit furtum* (id quod furto ablatum est) *in manu ejus*] Id est (ut exponit R. Sal.) *in potestate ejus, ita ut nec mactaverit, nec vendiderit.*

מִשּׁוֹר עַד־חֲמוֹר עַד־שֶׂה *à bove ad asinum, ad ovem*] Id est, sive sit bos, sive asinus, sive ovis. R. Sal. ait quamcunque rem furto ablatam, sive animatam, sive inanimem † duplo esse reddendam כל דבר בכלל תשלומי כפל בין שיש בו רוח חיים בין שאין בו חיים Abenezra ait hunc versum comprehendere omnem bestiam; atque addit sapientes tradere, Legem de reddendo quadruplo ac quintuplo ad boves atque oves duntaxat pertinere בשור ושה בלבד Illud autem memorandum, quod suprà ad cap. 12. 3. notatum, שה de agno pariter ac hœdo usurpari.

7. אִם־לֹא שָׁלַח יָדוֹ *si non miserit, &c.*] Elleiptica oratio, Jon. ויומי דלא אושיט ידיה *& jurabit se non extendisse manum suam.* Similiter Vulg. *Et jurabit quod non extenderit manum,* &c. Atque ita etiam exponit R. Sal. vide v. 11.

10. וְלָקַח בְּעָלָיו *Et accipiet Dominus ejus*] i. e. dominus rei deperditæ juramentum ab altero præstitum acceptum habebit, eo contentus erit, nec ulteriorem ab illo compensationem expectabit. Onk. & Jon. ויקבל מריה מניה מומתא *Et accipiet Dominus ejus ab eo juramentum.* Vulg. *Suscipietque Dominus juramentum.* Similiter R. Sal. post verba textus ולקח בעליו *& accipiet dominus ejus*, addit explicationis gratia, השבועה, *juramentum illud* nempe de quo in principio versus facta est mentio. Abenezra, ולא יקח ממנו רק השבועה *nec ab eo nisi juramentum illud accipiet.*

11. *Et si prorsus furto ei surreptum fuerit, omnino rependet*] Jonathan hoc interpretatur de re, quam quis mercede conductus pro altero custodit; quod autem præcessit v. 10. & 11. de re gratis custoditâ. At R. Sal. ad v. 10. ait id quod præcessit, (nempe v. 7, &c.) intelligi de eo, qui aliquid sibi traditum gratis custodit, ac propterea si furto ablatum sit, ad restituendum non tenetur: hic autem, versibus nempe 10. 11, 12. de eo agi, qui ob rem custodiendam mercedem accipit, ac proptereà si surreptum fuerit, ab eo restitui debet. Quod si autem ex seipso moriatur vel conteratur, vel per vim à latronibus abducatur, nec sit qui testimonio id comprobare possit, custodem jurare debere, se fraudem non fecisse, &c. Atque hæc quidem expositio verborum serici conformis videtur. Ac posteà ad v. 13. rationem innuit, quare non restituendum sit id quod moritur, vel conteritur, (seu confringitur נשבר) vel per vim abducitur (נשבה) quia nimirum eripiendi potestas non erat, שאין יכול להציל cùm è contra furtum adhibitâ diligentiâ, caveri posset.

12. יְבִאֵהוּ עֵד *Afferet illud testem*] Illud יביאהו potest exponi vel *afferet illud*, nempe quod discerptum est, aliquam scilicet ejus partem, unde de re totâ constare possit; vel *afferet ei*, nempe pecoris discerpti domino, ut יביאהו sit pro יביא אליו Onkelos affixum prætermisit, ייתי סהדין *afferet testes.* ‡ Jon. מייתי ליה סהדין או ימטיניה עד גופא דתביר *afferet ei testes, vel adducet eum usque ad corpus animalis, quod confractum* (seu *discerptum*) *est.* Hierosol. ייתי ליה מן איבריה סהיד *afferet ei ex membris ejus testem*; id est, membrum aliquod animalis discerpti, quod discerptum fuisse testetur. Vide Amos 3. 12. Iste genuinus sensus esse videtur. Atque ita Abenezra, יביא קצת הטרף להעיד לו לעד *Afferet partem animalis discerpti, ut ei testimonium perhibeat.* Vulgatus Interpres sensum potius quam verba secutus, *deferat ad eum, quod occisum est.* Lxx. * ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν, *ducet eum ad prædam.* Latina versio (prout in Romana editione legitur) habet, *ducet illud ad ostium*, quod quid sibi velit, nescio; illud duntaxat suspicor, eos qui ita reddiderunt, vel legisse, vel in animo saltem habuisse θύραν pro θήραν. Videntur autem & ipsi Lxx. Interpretes in Hebræo pro עד *Ed testem*, legisse עד *Ad usque ad*; quanquam fortè hodiernam lectionem secuti, sensum ita reddiderunt; nam & Jonathanis paraphrasis posteriore sui parte ad eundem modum se habet.

הַטְּרֵפָה לֹא יְשַׁלֵּם *Raptum illud non rependet*] R. Sal. observat non dictum esse, טרפה לא ישלם *raptum non rependet*, sed הטרפה *raptum illud*; interdum enim id quod raptum est, restitui debere, interdum autem minimè. Quòd à fele (חתול) raptum est, vel à vulpe (שועל) vel à marte (נמיה) reddendum esse; non autem quod à lupo, leone, urso, & serpente (נחש), nempe quia in his eadem est ratio, ac in illis, quæ v. 10. sunt memorata; ejusmodi nimirum sunt, ut in eis humana diligentia nihil valeat.

13. בְּעָלָיו אֵין־עִמּוֹ *Cum dominus ejus cum eo non sit.*] Si enim cum eo esset, arguere posset eum, qui mutuò accepit, si fortè bestiam suam secùs quam oportuit, tractaverit. Ad istum modum exponere videtur Abenezra, ויכול לטעון על שואל שהעביר על כחכמו.

15. וְכִי־יְפַתֶּה אִישׁ בְּתוּלָה *Et si quis pellexerit virginem*] Abenezra notat post leges de furandis facultatibus subjunctam esse legem de furando corde, quando nempe quis in alterius animum furtim quasi se insinuat, eumque surripit. חשלים לדבר על גנבת כמו התורה ידבר על גניבת הלב.

אֲשֶׁר לֹא־אֹרָשָׂה *Quæ non est desponsata.*] *Quæ enim desponsata est*; (inquit Abenezra) *etiamsi non sit maritata* (אע"פ שלא נבעלה) *alterius uxor appellatur.* Vide Deut. 22, 23, 24.

מָהֹר יִמְהָרֶנָּה לּוֹ לְאִשָּׁה *Dotando dotabit eam sibi in uxorem.*] R. Sal. sic explicat, יפסוק לה מוהר כמשפט איש לאשתו שכותב לה כתובה ונושאה *Constituet ei dotem, prout vir uxori suæ facere solet; qui (nempe) scribit ei instrumentum dotale, eamque in uxorem accipit.*

16. אִם־מָאֵן יְמָאֵן אָבִיהָ לְתִתָּהּ לוֹ *Si prorsus renuerit pater ejus eam illi dare.*] Jon. אם לא תכשר ליה או דלא יצבי אבוהא למתנא ליה *Si non visum fuerit ei, vel si noluerit pater ejus dare eam illi.* Quasi non solum in arbitrio patris situm esset, verùm etiam in ejus arbitrio, qui virginem pellexit, utrùm eam in uxorem duceret, necne; sed hoc est supra id quod scriptum est, sapere.

Argentum pendet juxta dotem virginum] Jon. *argento quinquaginta siclorum multabitur juxta dotes virginum.* הי כמפרני בתולתא Buxtorfii, pater & filius, ille in Lexico magno, hic in Lex. Syro-Chald. legendum censent, כמפרני *sicut dotant virgines.* Similiter autem & R. Sal. ait dotem, de quâ hic fit sermo, determinatam esse, nempe quinquaginta siclos argenti; idque ex Deut. 22. 28, 29. At Lex illa in Deuteronomio aliorsum spectat; nec rationi satis consonum videtur, eandem pariter omnium virginum dotem fuisse. Sensum igitur esse putaverim, hanc dotandam esse, quemadmodum virgines ejusdem cum illâ loci ac dignitatis dotari consueverunt.

18. מְכַשֵּׁפָה לֹא תְחַיֶּה *Præstigiatricem non sines vivere.*] Jon. *Populé mi, filii Israel, quicunque exercet magiam,* (כל דעביד חרשין) *eum non sinetis vivere; projectione lapidum interficietur* † In Gemara Sanhedrin ratio redditur quarè hic in fœminino dictum sit, מכשפה *præstigiatricem*, מפני שרוב נשים מצויות בכשפים *propterea quod plerumque mulieres magiæ deditæ reperiuntur.* Similiter R. Sal. ait eandem rationem, quod hanc rem spectat, esse viri ac fœminæ, utrumque nimirum ex æquo si magiæ convictus fuerit, morte plectendum: sed scripturam fœminino genere hic uti, quia fœminæ magiam magis exercere soleant: atque idem etiam ab Abenezra est observatum. In Gemara autem, ubi suprà, R. Joannes rationem nominis כשפים *præstigiarum*, hanc reddit, שמכחישין פמליא של מעלה *quod irritum reddunt decretum superiorum.* Sic Jo. Coch Latinè vertit; ad verbum autem sonat, *quòd irritam reddunt,* vel

* *Selden. de Jure Nat. &c. lib. 6. cap. 7.* † *Vide v. 7.* ‡ *R. Sal.* יביא עדי' שנטרפה באונס Afferet testes, quòd violenter discerptum fuit.

* *Steuchus putat fortè legendum,* ἄξει πρὸς αὐτὸν τὴν θήραν, afferet ei prædam. *Atque ista quidem lectio commodior videtur.* † *Vulg.* Maleficos non patieris vivere. *Genere pariter ac numero mutato, quod Amama censurâ dignum judicavit.*

vel mendacii arguunt familiam ſuperiorem. Buxtorfius in Lexico magno docet per פמליא של מעלה *familiam ſuperiorem* ſeu *ſupremam*, Angelos & cœlum denotari.

18. *Qui concumbit cum beſtiâ*, &c.] Hujus verſus paraphraſis apud Jonathanem in exemplari, quo uſus ſum, deſideratur.

19. *Qui ſacrificat deo, præterquam Domino ſoli*, יָחֳרָם *exterminabitur.*] Jon. יתקטל בסייפא ונכסוי יתגמרון *occidetur gladio*, & *facultates ejus conſumentur.*

20. וְגֵר לֹא־תוֹנֶה וְלֹא תִלְחָצֶנּוּ *Peregrinum autem non vexabis, nec opprimes eum*, Jon. לא תקסון במלין ולא תעיקון למיסב ליה נכסוי *Non irritabitis verbis, nec affligetis auferendo ei facultates ipſius.* Pro ליה legendum videtur מניה Fagius ait verbum ינה ſignificare vel verbis, vel rebus vexare; vel famam, vel bona alicujus lædere; Hebræos autem præſentem locum ita ferè interpretari, ut תונה ad verba referant, poſterius autem לחץ ad rem, dum ſcilicet alicui bona ipſius auferuntur. Atque ita quidem Jonathan, ut verba ejus indicant. Similiter & R. Sal. וגר לא תונה *& peregrinum non vexabis*, אונאת דברים *vexatione verborum*, ſeu iſtiuſmodi vexatione, quæ ex verbis oritur. ולא תלחצנו *nec opprimes eum*, בגזלת ממון *diripiendo* ſeu *per vim auferendo facultates ejus.* Per peregrinum autem Fagius aſſerit Hebræos intelligere proſelytum, ſeu eum, qui venit ut recipiat ſuper ſe verba Legis, quem in conſortium Legis ſuæ recepiſſent, ac propterea quod ad priorem partem verborum attinet, ſic explicare, לא יאמר לגר זכור מעשיך הראשונים וכן אם היה בן גרים לא יאמר לו זכור מעשה אבותיך *Non dicet peregrino, memento operum tuorum priorum. Et ſi fuerit filius peregrinorum, non dicet ei, memento operum patrum tuorum.* At verba ſequentia, *nam peregrini fuiſtis in terrâ Ægypti*, arguunt גר *peregrinum* hic ſimpliciter eum denotare, qui in alienâ terrâ commoratur, quique ab Hebræis appellatur גר השער *peregrinus portæ*, ſeu גר תושב *peregrinus domicilii*, & à גר צדק *peregrino juſtitiæ*, qui nimirum religionem Iſraëliticam amplectitur, diſtingui ſolet. Atque ita interpretari videtur Abenezra, כאשר יקבל הגר שלא לעבוד ע״ז לא תונהו כארצך בעבור שיש לך כח רב ממנו, *Quando peregrinus in ſe ſuſcipiet, quod non colet idola*, (id ſiquidem ab omnibus requiſitum erat, * qui inter Iſraëlitas commorati ſunt, etiamſi aliàs in ſuo ethniciſmo permanſerint;) *non vexabis eum, eò quod tu illo majorem potentiam habeas.* Quin & R. Sal. ait, כל לשון גר אדם שלא נולד באותה מדינה אלא בא ממדינה אחרת לגור אם *Vox ger* (*peregrinus*) *ſemper ſignificat hominem, qui non natus eſt in iſtâ regione, ſed in alienam regionem venit, ut iſtic commoretur.* Ea quidem eſt propria dictionis iſtius ſignificatio.

21. *Viduam quamcunque & pupillum non affligetis.*] Rectè notat R. Sal. neminem affligi debere, ſed Scripturam hic de eo loqui, quod plerumque uſu venit; viduam enim & pupillum invalidos eſſe, ac propterea injuriis obnoxios. הוא הדין לכל אדם אלא שדבר הכתוב בהווה לפי שהם תשושי כח ודבר מצוי לענותם

22. אִם־עַנֵּה תְעַנֶּה אֹתוֹ *Si affligendo affixeris eum*] R. Sal. notat Scripturam hic conciſè loqui, comminari ſcilicet, ſed pœnam non exprimere. q. d. *futurum tandem eſt*, (a) *ut qualia feceris, patiaris* (כלומר סופך ליטול את שלך כי אם צעק יצעק אלי וגו׳) *Quare? Quia ſi clamando clamaveris ad me*, &c.

24. לֹא־תְשִׂימוּן עָלָיו נֶשֶׁךְ *Non imponetis ei uſuram.*] נשך *Neshec uſura eſt* à נשך *Nashac Mordere.* R. Sal. rationem nominis reddit, שהוא כנשיכת נחש שנושך (b) חבורה קטנה ברגלו ואינו מרגיש ופתאום הוא מבצבץ ונופח עד קדקדו כך רבית אינו מרגיש ואינו ניכר עד שהרבית עולה ומחסרו ממון הרבה *quod ſit inſtar morſus ſerpentis, qui morſu ſuo infert livorem parvum pedi alicujus, ita ut non ſentiat; ſtatim autem diffundit ſe uſque ad verticem ejus. Ita etiam uſura non ſentitur, neque cognoſcitur, donec ita aſcendat, ut magnas alicujus facultates diminuat*, Fagius etiam notat uſuram Chaldaicè appellari חבוליא (eâ voce hic utitur Onkelos) à חבל perdere, vaſtare, quòd hominem quodammodò perdit ac devaſtat.

25. אִם־חָבֹל תַּחְבֹּל שַׂלְמַת רֵעֶךָ *Si pignorando pignoraveris* (ſi pignori acceperis) *veſtimentum ſocii tui.*] R. Sal. aſſerit dictionem חבל non denotare pignus, quod mutuationis tempore datur, ſed quod exigitur ab eo, qui mutuò aliquid accepit, nec tempore præſtituto reddidit. כל לשון חבלה אינו משכון בשעת הלואה אלא שממשכנין את הלוה כשהגיע הזמן ואינו פורע At unde firmetur iſta obſervatio, planè neſcio, nec probabilis eſſe videtur, cum ideò pignus accipi ſoleat, ut cum quis mutuò dat, de reſtitutione ſecurus ſit.

עַד־בֹּא הַשֶּׁמֶשׁ תְּשִׁיבֶנּוּ לוֹ *Ad occaſum ſolis reſtitues id ei.*] Quoniam עד propriè ſignificat *uſque ad*, R. Sal. ait Scripturam hic loqui de veſtimento diurno, quo alicui nocte opus non eſt, ac exponit, *toto die reſtitues id ei uſque ad occaſum ſolis; cum autem ſol occiderit, rurſus id auferes uſque ad auroram ſequentis diei.* כל היום תשיבנו לו עד בוא השמש ובבוא השמש תחזור ותטלנו עד שיבוא בקר של מחר ובכסות יום הכתוב מדבר שאין צריך לה בלילה At ſequens verſus expoſitionem hanc refellit, dum clarè oſtendit de veſtimento ſeu tegumento nocturno hic ſermonem eſſe. Igitur עד בוא השמש hic valet בבוא השמש *cum ſol occidit*, vel כבוא השמש *circa occaſum ſolis.* In hunc ſenſum Interpretes ferè accipiunt; Lxx. πρὸ δυσμῶν ἡλίου ἀποδώσεις αὐτῷ, *ante ſolis occaſum reddes ei.* Atque ita prorſus Vulgatus. Jon. עד לא יטמע שמשא תתבניה ליה *antequam* (ad verb. *uſque dum non*) *ſol occiderit, reddes id ei.* Onkelus præciſè Hebræum textum ſequitur, עד מיעל שמשא תתבניה ליה, Fagius vertit, *Uſque ad occaſum ſolis reddes eam* (veſtem) *illi.* Ac in Annotat. monet bifariam intelligi, ſed hanc, quam ſecutus ſum, lectionem textui propinquiorem eſſe.

27. אֱלֹהִים לֹא תְקַלֵּל *Diis non maledices*] Per *deos* hic uti poſterior pars verſus apertè indicat, Judices ac magiſtratus intelliguntur. Onk. דיינא לא תקיל *Judicibus non maledices.* Jon. עמי בני ישראל דיינכון לא תקילון *Popule mi, filii Iſrael, Judicibus veſtris non maledicetis.* Hanc propriam nominis *Elohim* ſignificationem eſſe volunt Hebræi. אין אלהים בכל מקום אלא דיין inquit R. Sal. ad cap. 14. 19. *Elohim nuſquam non Judicem denotat.* Similiter ad cap. 20. 1. אין אלהים אלא דיין *Elohim non niſi Judicem ſignificat.*

28. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ לֹא תְאַחֵר *Plenitudinem tuam, & lachrymam tuam non tardabis reddere*] Sic ad verbum ſonant iſta Hebræa מלאתך ודמעך· Onk. בכורך ודמעך *Primitias tuas, & lachrymam tuam.* Buxtorfius in Lexico magno interpretatur, *Primitias tuas*, † *& oblationem voluntariam tuam.* Aſſerit enim דמע propriè *lachrymam, liquorem ſtillantem*, ſignificare etiam oblationem voluntariam de liquidis, & in genere oblationem quamvis, quæ poſt primitias datas, deinceps de aridis & liquidis fructibus, aliiſque rebus, ſacerdotibus offerebatur, liberalitate voluntariâ, & Hebraicè dici תרומה *Levationem, rem de alio levatam, ſive ſeparatam*; Chaldaicè אפרשותא Rabbinicè הפרשה *Separationem.* Addit ‡ Rab. Salomonem ad Hebræam ודמעך notare per דמע intelligi oblationem quæ תרומה dicitur, etſi neſciat quid propriè דמע ibi ſignificet: ſed alios Hebræos notare דמע ſignificare lachrymam, & metaphoricè liquorem ſtillantem inſtar lachrymarum, ut faciunt uvæ & olivæ, quando calcantur. Obſervat etiam Deut. 22. 9. cum in Hebræo ſit המלאה הזרע *plenitudo ſeminis*, Onkelum habere דמעת זרעא *oblatio* (*thruma*) *ſeminis. Hîc* (inquit) *dicitur de aridis, unde patet generale eſſe nomen de quavis Thruma* ſive oblatione, Abenezra ait per מלאתך *plenitudinem tuam* intelligi תירוש *muſtum*, & per דמעך *lachrymam tuam* intelligi יצהר *oleum.* Ac refert Rab. Saadiam velle dictionem מלאתך comprehendere plenitudinem ſeminis, (ſeu ex ſemine) pariter ac plenitudinem ex torculari (המלאה ‡ הזרע המלאה מן היקב) at דמעך oleum innuere, quòd cum olivæ calcantur, oleum inſtar lachrimarum guttatim defluat. Fagius teſtatur Kimchium in Rad. hunc locum ſic exponere, ut מלאתך fruges, דמעך autem vinum & oleum ſpectet. Jon. בכורי פירך ובכורי חמר נעווך *Primitias frugum tuarum & primitias vini torcularis tui*, &c. Lxx. Ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου οὐ καθυστερήσεις, *primitias areæ tuæ, & torcularis tui non differes.* Vulg. *Decimas & primitias tuas non tardabis reddere.*

Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi] R. Sal. notat redimendum fuiſſe à ſacerdote quinque ſiclis. Vide Num. 3. 46, 47, 48. Lyra refert R. Salomonem aſſerere ſiclum valere quinque ſolidos, non autem exprimere cujus monetæ; ego verò de valore ſicli apud R. Salomonem hic nihil reperio. Addit autem R. Sal. ideò hoc in loco de primogenito filiorum mentionem fieri, quia ſequitur, *Similiter facies bovi tuo*, &c. nempe quemadmodum primogenitus hominis poſt 30 dies erat redimendus Num. 18. 16. ita & primogenitum beſtiæ poſt 30 dies dandum fuiſſe ſacerdoti. Lyra etiam hoc ex Rab. Salomone refert, ſed 30 dies ad primogenitum bovis reſtringit, ac primogenito ovis 50 dies aſſignat, cum in R. Salomone nihil iſtiuſmodi reperiatur.

29. *Die octavo dabis eum mihi*] Senſus eſt, interprete R. Salomone, tunc dare licuiſſe; alioquin enim ex ejus ſententia (uti annotatione proximè præcedente oſtenſum) oblatio iſta ad diem uſque triceſimum differri potuit.

קשר

* *Atque de iis duntaxat interpretatur Abenezra id, quod v. 20. habetur; ſed ad eos, opinor, reſtringi non debet.*
(a) *Vide v. 24.* (b) Fagius legit שנושך:

* *Ita etiam Buxtorf. F. in Lex. Syro-Chald.* † *Lyra ait R. Salomonem interpretari* מלאתך *de primitiis aridorum &* דמעך *de primitiis liquidorum. Et de* מלאתך *verum eſt,* דמעך *autem tantum exponit* תרומה oblationem, *atque addit* ואיני יודע מהו לשון דמע Neſcio autem quid ſibi velit vox דמע
‡ *Sic ſcriptum reperio; fortè autem ſcribi debet* הזרע מן:

31. ובשר בשדה טרפה לא תאכלו *Et carnem in agro discerptam non comedetis.*] Onk. ובשר תליש מן חיוא חיא atque eadem planè verba habet Jonathan, nisi quòd pro חיוא habet חיותא *Et carnem avulsam ab animante vivo*, &c. R. Sal. & Abenezra monent eandem fuisse rationem carnis in urbe vel in ædibus discerptæ, sed Scripturam id exprimere quod plerumque accidit, ac propterea de carne in agro discerptâ mentionem facere.

Canibus eum projicietis.] At Deut. 14. 21. de נבלה *cadavere* dicitur, eos potuisse peregrino dare, vel alienigenæ, vendere. R. Sal. ait id in animali discerpto multo magis licuisse; קל וחומר לטרפה שמותרת בכל הנאות Unde censet canem hic metaphoricè accipi, nempe pro homine gentili, qui pro cane habetur. אף הוא ככלב Atque addit id quod est ineptius, Scripturam nempe hic docere, Deum nulli creaturæ mercedem suam præripere; cum dictum sit cap. 11. 7. futurum ut adversus Israelitas, ne canis quidem linguam moveret, ideo hic dici discerptum cani esse projiciendum. Abenezra refert R. Mosen sacerdotem dicere כי הטרפה קשה מהנבלה *quod discerptum sit pejus cadavere*; discerptum enim quasi venenatum ac homini noxium esse, atque ideò nec peregrino dare, nec extraneo vendi potuisse. At si morsu venenoso pars quæpiam animalis discerpta fuerit, non propterea statim totius animalis caro infecta erit. Quid igitur sensus sit carnem discerptam cani potius projiciendam fuisse, quàm ut eam comederent.

IDEM.

20. וגר לא־תונה *Et peregrinum non vexabis*] Quæ supra ad hunc locum ex Fagio citata sunt habentur apud Kimchi in Rad. qui præterea addit, *similiter si Israelita fuerit* בעל תשובה *pænitens & conversus non dicetur ei*, זכור מעשיך הראשונים *Memento operum tuorum priorum.* Ista igitur non tam ad hunc locum explicandum, quàm ad vim vobis ostendendum adducta videntur.

28. מלאתך ודמעך וגו׳ Kimchi in radice דלע hunc locum sic exponit כשתתמלא התבואה שלך ותתבשל תן ממנה הבכורים ודמעך הוא התרומה שפורש מן התבואה התרומה אחר הבכורים *Cum completus fuerit proventus tuus, & plenè maturuerit, da ex eo primitias, & oblationem tuam. Nam id denotat vox* ודמעך, *nempe oblationem, quam quis de proventu suo separat post primitias.* Deinde addit ואפשר שאמר ודמעך כנגד היין היורד בדמע מן היקב *Forte autem dicit* ודמעך (*lachrymam tuam*) *ob vinum quod è torculari instar lachrymarum defluit.* In radice autem דמע ait vocem ודמעך hic significare oleum vel vinum, quod instar lachrymarum guttatim è torculari defluit כנוי לשמן או ליין היורד מן הגת טפה טפה ברמע·

IDEM.

1. QUinque boves, &c.] Probat sententiam Maimonidis,[*] ideò graviorem pœnam decerni eis, qui furantur boves, & oves, quàm iis, qui res alias furantur, quòd boves & oves in agris oberrent ac proinde furto faciliùs possint auferri: quo autem faciliùs peccatum perpetrari possit, eò graviùs puniendum, ut ab eo perpetrando homines absterreantur: atque ideò etiam furtum bovis graviore pœna affici quàm furtum ovis, quòd boves sparsim agant, ac proinde minùs facilè custodiri queant, cum oves gregatim incedentes faciliùs à pastore custodiantur. Quod autem dicitur v. 4. *Si furtum in manu ejus, &c.* Id ideò dictum ait, quòd is minùs peccat quàm qui vendidit, vel mactavit: hunc enim longiùs in peccato progressum esse, & peccata peccatis cumulasse; atque ita peccatum Achanis exaggeratum notat Jos. 7. 11. Observat etiam non esse dictum, ה׳ פרים & ד׳ כבשים sed ה׳ בקר & ד׳ צאן propterea dici posse, non nisi duplum restituendum; sed quia inter boves & oves, mares pretiosiores sint fœminis, ideo si boves & oves non solùm furto ablatæ, verum etiam venditæ, vel mactatæ essent, ut utrum mares an fœminæ fuerint, dignosci non posset, tunc quinque boves pro bove, & quatuor oves pro ove restitui debuisse, quia quinque boves fœminæ vix duos boves mares, & quatur oves fœminæ vix duas oves masculas pretio æquarent.

3. *Vendetur ob furtum suum.*] Refert traditionem esse, quòd qui ob furtum vendebatur, non tenebatur ad restitutionem dupli, aut quintupli, aut quadrupli, sed tanti duntaxat quantum furabatur. Illud autem Prov. 6. 31. de restituendo septuplo, dicit non intelligi de pœnâ à Judicibus decretâ, sed de infamiâ & ignominiâ, quâ quis in furto deprehensus afficitur, quamque ut evitaret, libenter septuplum restitueret, imò omnes facultates suas profunderet. Atque hic etiam eos vellicat, qui ob furtum bovis, vel ovis, aut aliarum istiusmodi rerum homines capitali pœnâ afficiunt.

10. *Si quis, &c.*] Refert Doctorum sententiam esse, superiorem legem intelligi de eo, qui gratis, hanc autem de eo, qui ob mercedem aliquid custodit: non enim solere homines pro custodienda pecunia, aut supellectile mercedem accipere, cum ea absque ullo labore, aut sumptu custodiantur; de bestiis autem aliter se rem habere, atque ideò non solere eas gratis custodiri.

14. אם־בעליו אין עמו *Si dominus ejus non fit cum eo*] Id autem sic exponit; *Quandoquidem is, qui commodavit, non consociatus est cum eo, qui commodatò accepit, in percipiendo commodo ex re commodatâ.*

16. *Si quis pellexerit, &c.*] Quia plerumque viri solent adolescentulas ignobiliores, & quas conjugio sibi jungere dedignantur, ad concubitum pellicere, ideò ut à flagitio isto absterrerentur, ait Deum statuisse, ut qui puellam pellexit, eam in uxorem ducat.

17. *Si pater ejus, &c.*] Id sic explicat, Si è contra contingat, ut puella sit honoratior ac nobilior eo, qui ipsam pellexit, atque ideò pater ejus nolit, &c.

18. *Præstigiatricem, &c.*] Hanc legem præcedenti subjunctam putat, quod præstigiatricum operâ ad pelliciendas virgines nonnulli uti soleant. Quin & ex eo, quod de Jezebele legitur, observat scortationes & præstigias conjunctas esse solere.

24. לא תשימון *Non imponetis*] Plurale hic positum dicit, respectu fœneratoris, & testium & scribæ; quin & Judicis, cui etiam præcipitur, ne syngrapham, in qua de usura cautum est, ratam habeat. Hanc etiam legem, etiamsi pauperis mentio fiat, sine dubio tamen de divite quoque intelligi ait; sed ideò pauperis mentionem fieri, quod is potissimum angustiis & pressuris (vel oppressoribus לחצים) sit obnoxius.

25. עד־בא השמש *Cum sol occiderit.*] Scripturam hic loqui ait de veste nocturna, nec diurnæ vestis mentionem facere, quòd eam homines pignori dare non soleant, ita ut nudi incedant. De istiusmodi enim paupere sermonem esse existimat, qui vestes mutatorias non habuerit: atque ideò etiam hanc legem non vult ad divitem extendi, etiamsi priorem de usura divitem æque ac pauperem spectare censeat.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

1. RUmorem vanum] Sive, *auditionem vanam* contra proximum tuum nè suscites, aut fingas ex corde tuo, unde illius fama lædi possit, neque pacisçaris cum impio ut sis testis iniquus.

2. *Non eris post multos*] R. Moses de Coti sic exponit, *Si plures in judicio condemnaverint innocentem, tu sequeris pauciores, qui illum salvare conantur, & non inclines judicium cum multis.* Capitur verò hic הטה pro *curvare*, seu *pervertere, judicium.*

5. *Cessabis dimittere eum*] Verba ista sunt obscura, cùm tamen sensus sit apertus: *Cessabis dimittere*, h. e. Si hactenus deseruisti eum, jam ab hoc cessabis, & non dimittes eum, quin apud illum relinquaris donec opem tuleris. Nec curo quòd K. hîc עזב pro עזר exponit. Deuteron. 22. 4. clarior est sententia. A. E. exponit verbum *cessabis*, pro, *cavebis nè deseras eum*, &c.

8. *Verba justorum*] Onkelos & alii quidam exponunt sic, *Munus pervertit res justas*, vel *causas bonas.*

11. *Liberam dimittes*] h. e. non coles neque seminabis eam, sed deseres eam: & quæ spontè nascuntur, tu non congregabis, sed dimittes pauperibus & bestiis terræ. Est enim septimus annus sabbatum terræ.

14. *Vicibus*] Capitur hic רגלים pro פעמים, ut paulò pòst commutatio fit harum dictionum.

15. *Quo maturescunt*] Est אביב *maturitas frugum*, quæ in Martio apud Jerosolymitanos & Ægyptios contingere solet, h. e. circa æquinoctium vernale, sicut collectio aliorum fructuum in fine anni, h. e. circa æquinoctium autumnale, fieri solet. Incipiunt enim Hebræi annum suum circa æquinoctium autumnale, licèt in sacris ab æquinoctio verno illum jubentur auspicari. Proinde *festum messis* est festum Pentecostes, & *festum collectionis* festum Tabernaculorum. Et in his Deus noluit ut vacui venirent ante conspectum suum. Quod annotare

[*] *In More part. 3. cap. 41.*

tare volui, ne cuipiam hæc nostra translatio imponat, cùm Hebraismum ipsum reddiderimus.

18. *Sanguinem sacrificii mei*] Onkelos clariùs vertit, *sanguinem sacrificii Paschalis*.

19. *Non coques hœdum*] Dicunt Hebræi hoc intelligendum nedum de hœdo, verùm & de ove & vitulo; & quòd eius similiter ut coctio prohibeatur. Unde inferunt, sacrilegium esse comedere in eadem mensa carnem & caseum, nisi post esum carnis os bene mundaveris, & immisso digito reliquias quasque diligenter evacuaveris. An hic Scripturæ hujus sit sensus, aliorum judicio relinquo. Onkelos quidem sic vertit, *Non comedetis carnem cum lacte*, hœdi & coctionis non faciens mentionem. Nostri rectiùs sic intelligunt, Supra de primitiis boum & ovium dictum est, *Septem diebus sit cum matre sua; die octavâ reddes illum mihi*. Hæc lex est utilis, quia consulitur munditiei ciborum, nè vescamur carnibus à ventre matris adhuc recentibus, quæ non solùm sunt abominatio, verùm etiam officiunt hominis sanitati. Dein monet hæc lex ut infirmis parcamus, & imbecillitates eorum patienter feramus. Sicut enim hœdus ante legitimum tempus ablactationis infirmior est quàm ut possit nobis in cibum usui esse, ità multi sunt in fide vel recentes vel infirmi, qui nobis magis oneri quàm usui videntur, & hi tolerandi sunt non opprimendi. Postremò vult etiam hæc lex, ut in animalibus brutis discamus humanitatem quam debemus proximo exhibere.

26. *Abortivum faciens*] Est hic משכלה participium verbi transitivi: ideo non satis expressit vim ejus interpres noster, qui vertit, *Non erit orba*.

28. *Crabronem*] Est species reptilis alati habens venenatum aculeum, haud dissimilis api, ut dicit Gerundensis. Et hæc in magna multitudine infestissima fuit habitatoribus terræ, ut cogerentur cedere.

31. *Fluvium*] Sub. Euphratem, qui ab Oriente terminus est terræ Promissionis, sicut mare Mediterraneum ab Occidente.

FAGIUS.

1. Non suscipias famam falsam] Duplicem potest habere sensum: Prior, Nè sis author falsi rumoris contra proximum tuum, aut fingas in corde tuo unde illius fama lædi possit. Alter, Nè admiseris rumorem falsum: & hunc sensum habet noster Paraphrastes, teste etiam R. Salomone, qui hunc locum secundùm paraphrasim Chaldaicam intelligendum scribit in suo commentario. Admoneri enim dicit hic eum qui assumit falsum rumorem; item Judicem, ut non audiat verba accusatoris, donec veniat adversarius ejus cum quo litem habet. Dicunt Hebræorum Sapientes non minùs peccare eum qui falsò defert aliquem, quàm qui auscultat delatori, unde sic scribunt, כל המספר לשון הרע וכל המקבל לשון הרע וכל המעיד עדות שקר בחברו ראוי להשליכו לכלבים: *Omnis qui malignè traducit aliquem, & quicunque recipit delatorem, omnisque qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est ut canibus projiciatur*, &c. ¶ *Nec ponas manum cum impio*] *Ponere manum*, Hebraismus est pro *adjuvare causam alicujus*, q. d. Non adjuvabis causam improbi falso tuo testimonio. Vel *ponere manum* pro *jurare* accipi potest, q. d. Non jurabis cum impio ut sis testis iniquus: ut alludat ad hoc quòd juraturi olim super librum Legis, aut aliquid tale quod sacrum erat, manum ponere tenebantur; sicut adhuc hodie mos est apud Judæos, qui etiam nullum juramentum alicujus momenti faciunt nisi hoc quod fit impositâ manu super librum Legis, quem habent in Synagogis suis, & vulgò vocant ספר תורה *librum Legis*. Quem oportet etiam, ut illi loquuntur, כשר ולא פסול, i. *dignum, idoneum*, h. e. summâ religione scriptum & paratum, *non vitiatum esse*. Nihili enim vel parvi ducunt juramenta quæ hodie, in causis & litibus quas cum Christianis habent, à judicibus Christianis illis imponuntur: adeò ut in proverbium quasi apud illos abierit, dum Judæo contra Christianum in judicio juramentum imponitur, **Es ist mir auff die** שבועה *Schebuah* **kommen**. q. d. *Bene mecum agitur, vici, actum est de Christiano; juramentum tantum mihi faciendum est*. Usque adeò leve ducunt istam rationem juramenti quæ hodie cum ipsis servatur, ut planè Judæus nullam sibi conscientiam (ut vulgò dicitur) faciat, nihil sibi timeat, etiamsi sciat se falsum jurare. Quare imprudenter, sæpeque cum magno Christianorum malo & injuria, hodie faciunt magistratus Christiani, quòd impiis Judæis in causis forensibus hunc deferunt honorem, eoque loco habent, ut jusjurandum contra Christianos facere illis permittant. Quam perfidiam cùm quædam Respublicæ olim intellexissent, ad nullum jusjurandum faciendum Judæum admiserunt, nisi ex Synagoga illorum adesset liber Legis non vitiatus, ut in illum Judæorum more juramentum præstans manus imponeret. Nam istam jusjurandi rationem tantùm valere coram Deo credunt cæci Judæi. Atque ibi tum demum magna cum gravitate multisque circumstantiis forma juramenti præstandi Judæo proponebatur. Cujus rei adhuc vestigia quædam extant in municipalibus Nornbergensium, in quibus vetus illa ratio jurisjurandi, ut ea olim à Judæis requisita fuit, descripta est. Et istud jusjurandum quod ità fit Judæorum more, adhibito libro Legis, quali in Synagogis suis utuntur, admotaque in illum manu, alicujus tantùm momenti dicunt Judæi, ità ut si cui faciendum sit juramentum, & illi permittatur ut manum non in ipsum librum Legis imponat, sed tantùm coram libro Legis erectâ versùs illum manu jusjurandum præstare liceat, jam putat sibi levius esse, & minùs peccare, etiamsi falsum juret, aut præstitum juramentum violet ac non servet. Hæc propterea huc adjicere placuit, ut sciant Christiani quid sentiendum sit de juramentis Judæorum, quæ illis in judiciis contra Christianos admittuntur. Ego, proh dolor! probè scio quàm iniquè hîc sæpe agatur cum Christianis. Non enim referam hic quàm miri artifices sint in corrumpendo Judice, ità ut hoc primum sit quod diligentissimè Judæus attendit, si illi causa est forensis, Num judex sit בעל השוחד, ut ipsi loquuntur, i. *amator munerum*. Nec exponam etiam hic, quomodo Judæi in magno illo suo festo quod יום הכפורים *Jom hakypurim* vocant, i. *festum expiationis*, à RR. suis ab omnibus votis & juramentis, siqua maligniùs fecerunt, absolvantur: Quæ res etiam unà cum aliis magnam quoque affert illis levitatem, ut minùs anxii & soliciti sint, etiamsi sciant se falsum jurare, aut jurata non fideliter servare. In summa, nemo non Judæus putat sibi licere, quacunque ratione homini Christiano damnum inferre queat. Unde & quidam magnus R. apud illos sic dicit, כשר שבגוים הרוג טוב שבנחשים רצץ מוחו, *Optimus qui inter gentes est, dignus est ut caput illi conteratur tanquam serpenti*.

2. *Non sequaris multos ad malefaciendum*] Iste locus ab Hebræis ferè bifariam exponitur & intelligitur. Primùm, Nè quis in judicio inclinet in sententiam eorum qui innocentem condemnatum volunt, etiamsi viderit illorum plures esse, sed potiùs in eorum inclinet sententiam qui innocentem liberatum & salvatum cupiunt, nihil obstante quòd illorum pauciores sint. Sed quid facias, si accusatus nocens, non innocens sit? Ibi in hunc modum respondent Hebræi, *Si illi qui reum condemnatum volunt uno tantùm voto reliquos superent qui liberatum cupiunt, paucioribus non pluribus te adjungas. Semper enim procliviores esse debemus*, inquiunt, לטובה, *ad benefaciendum, liberandum & salvandum quàm* לרעה, *ad condemnandum. Secus tamen, si in duobus illi vicerint*. Atque hæc est altera hujus loci expositio. ¶ *Sequere multitudinem in ferenda sententia*, &c.] Sensum reddidi: ad literam est, *Post multos perfice judicium*. Et hoc Judæi de ea multitudine intelligendum dicunt non quæ reum condemnare sed liberare cupit. Verùm hujus loci sensus simplex is est, Primùm, non esse sequendam multitudinem in illis quæ malè & impiè judicantur; neque etiam tacendum & connivendum, etsi te tuâ sententiâ nihil obtenturum scias, sicut quidam faciunt, qui, cùm vident se nihil posse obtinere, satis se excusatos & liberatos esse putant si sileant: Imò liberè quòd rectè sentis dicendum & proferendum est. Postremò, multitudinem sequi licet in his quæ bene & rectè judicantur.

5. *Si videris asinum inimici tui*, &c.] In textu Hebraico hic versus obscuris nonnihil verbis dicitur; sed paraphrastes noster pulchrè explicuit, Nihil enim vult aliud quàm nè inimici quidem asinum sub onere jacentem prætereundum esse, sed adjuvandum illum, ut solutis sarcinis asinus se rursum erigere possit. Atque hunc sensum clariùs habes Deut. 22. 4.

7. *A verbo falso*] i. à judicio falso.

8. *Et pervertit causas rectas*] Heb. *pervertit verba justorum. Sed quomodo justi sunt*, rogant quidam Hebræorum, *si se corrumpi & perverti sinant?* Respondent doctiores Hebræorum, legendum esse non *verba justorum*, sed *res*, sive *causas, bonas & justas*. Et hunc sensum habet paraphrastes noster.

9. *Vos enim novistis animam peregrinorum*] *Animam* Hebraismus sæpe pro *animo, voluntate* & *affectu* usurpat. Est ergò sensus, Vos novistis animum peregrinorum; scitis quales sint peregrinorum affectus: satis est id pœnarum quòd peregrini sunt; nè addatis & alias molestias.

11. *In septimo liberam dimittas eam*] Verbum שמט *Schamat*, quod cùm Hebraismus tum Chaldaismus usurpat, *derelinquere, deserere* & *negligere* significat. q. d. Non coles neque semi-

seminabis eam, sed deseres; & quæ sponte nascentur, non congregabis, sed dimittes pauperibus & bestiis terræ.

13. *Nominis idolorum populorum nè memores sitis*, &c.] Hæc quidam sic intelligunt, quasi non sit jurandum in nomine deorum alienorum: quam sententiam secutus est Lat. V. interpres. Verùm alii omnem commemorationem deorum alienorum hic prohibitam sentiunt. q. d. Non tantùm non colatis deos alienos, sed nè ullam quidem eorum mentionem faciatis. Atque hinc est quòd miseri Judæi non legant nec pronunciant salvificum nomen Salvatoris nostri ישוע Jesus. Quòd si fortè à casu illud vel legere vel sonare contingat, se ipsos mulctant, colaphum ori impingentes. Aut si sonant, legunt, vel scribunt, impiissimè dicunt, ישו *Jischu*, quod interpretantur ימח שמו וזכרו, *Deleatur nomen ejus & memoria ejus*: digni certè qui vel ob solam istam suam impietatem in æternum deleantur ac pereant.

14. *Tribus vicibus festum celebrabitis coram me*, &c.] Vox Hebraica רגלים *Regalim*, quam noster Paraph. per זמנין, i. *temporibus*, seu *vicibus*, reddidit, Abenezræ deducta esse videtur à nomine רגל *Regel*, quod *pedem* significat, quòd scilicet major pars populi pedestri itinere ad ista festa migrabat. Erant autem hæc tria festa, festum Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum. Festum Paschæ dicunt celebratum in memoriam liberationis Ægyptiacæ; festum Pentecostes, ut primitias frugum offerant Domino; festum Tabernaculorum, pro collectione omnium fructuum qui per totum annum creverunt. Sic Hebræi sentiunt. Scribunt præterea Hebræi de magnis miraculis quæ contigerunt in Israël quamdiu hæc festa duraverunt, maximè tamen tempore templi Salomonici. Præcipuè autem decem miracula commemorant: I. Tametsi tot millia hominum confluxerunt ad ista festa, tamen omnes potuerunt habere hospitia, neque unquam auditum est ut quis conquereretur sibi non esse locum hospitandi. II. Cùm in templo starent, se mutuò præ angustia compressisse; cùm verò in terram procumberent, adoraturi & confessionem peccatorum suorum, ut moris erat, facturi, omnes satis spatii habebant, quòd, nè alius alium sua delicta Domino confitentem audiret, quatuor cubitorum spatium esse oportebat. III. Ignis ille jugis qui erat in altari in quo sacrificia concremabantur, quod sub dio erat, à pluviis nunquam extinctus fuit. IV. Fumum qui ex holocaustomatis ascendebat, nulli venti utcunque vehementes unquam movere vel impedire potuerunt quò non semper rectà cœlum versùs contenderet. V. Nunquam malus casus aliquis accidit summo sacerdoti in die expiationis. VI. Nullum unquam vitium repertum fuit in Gomer, & duobus illis panibus offerendis, atque in pane propositionum. VII. Nulla unquam gravida mulier abortiit ab odore carnium sanctificatarum. VIII. Nec unquam fœtuit caro illa sanctificata. IX. Nulla musca visa fuit in eo loco ubi mactabantur pecora quæ immolabantur. X. Nemo unquam læsus fuit vel à serpente vel à scorpione. Quòd si quis mavult hæc Hebraicè legere, sic accipiat; עשרה ניסין נעשו בבית המקדש לא אמר אדם לחבירו צר לי המקום· עומדים צפופים ומשתחוים רווחים· מעולם לא כבו גשמים אש של עצי המערכה· ואש המערכה אפילו כל הרוחות שבעולם באות ונושבות בו אין מזיזות אותו ממקומו· ולא ארע קרי לכהן גדול ביום הכפורים· ולא נמצא פסול בעומר ובשתי הלחם ובלחם הפנים· לא הפילה אשה מריח בשר הקדש מעולם· ולא הסריח בשר הקדש מעולם· ולא נראה זבוב בבית המטבחים· ולא הזיק נחש ועקרב בירושלים מעולם·

15. *Nec appareatis vacui coram me*] Hæc quidam sic intelligunt, q. consolationis loco sint à Domino addita, hoc sensu, Nè pigeat vos toties ire Hierosolymam, mihique festivitatem celebrare. Nunquam frustrà venietis: semper aliquid gratiæ reportabitis. Ego, cùm in præsentiam meam veneritis, non dimittam vos vacuos. Non quæretis me sine fructu. Nemo me invocans repulsam patietur. Licèt pia hæc sit expositio, tamen hæc potiùs hujus loci sententia est, Quòd filii Israël non debebant vacui apparere in conspectu Domini. h. e. Semper debebant aliquid offerre coram Domino, quo suam fidem animique gratitudinem erga Dominum testarentur.

18. *Non mactabis super fermento sanguinem Pesach mei*] I. Non immolabis victimam Paschalem donec omne fermentum ex domibus expurgatum sit.

19. *Non comedas carnem cum lacte*] Heb. *Non coquas hædum in lacte matris suæ.* Varia horum verborum est lectio & intellectus. Quidam putant tantùm dici de hœdo Paschali, quòd non sit immolandus dum adhuc in lacte matris nutritur, sed cùm est anniculus. Alii sub nomine *hœdi* intelligunt etiam vitulum & agnum, ac sentiunt hâc lege præcipi ut Israëlitæ nec vescantur hœdis, vitulis & agnis, nec offerant ea ante legitimum tempus ablactationis, juxta illud quod suprà de bobus & ovibus dicitur, *Septem diebus sit cum matre sua: die octavâ reddes illum mihi.* Unde sic legunt, *Non coquas hædum in lacte matris suæ*, h.e. quamdiu sugit lac matris suæ. q.d. Nè offeras mihi hœdum postea coquendum ministerio sacerdotum, nè offeras, inquam, eum dum sugit lac matris. Atque hæc sententia quibusdam præ aliis probabilior esse videtur. Quòd si rogas in quem usum hæc lex lata sit, respondent nostri hæc; Primùm, Dominum eâ consulere voluisse munditiei ciborum, nè vescantur carnibus à ventre matris adhuc recentibus, quæ non solùm sunt abominatio, verùm etiam officiunt hominis sanitati. Dein, ut admoneret quò infirmis parcamus, & imbecillitates eorum patienter feramus. Sicut enim hœdus ante tempus ablactationis infirmior est quàm ut possit nobis in cibum usui esse, ità multi sunt in fide vel recentes vel infirmi qui nobis magis oneri quàm usui videntur: Hi tolerandi sunt, non opprimendi. Postremò, vult etiam hæc lex ut in animantibus brutis discamus humanitatem quam debemus proximo exhibere. Nam mater hœdi toleravit duros dolores in partu: Crudele igitur est si mox à partu hædum à matre auferas, quia adderes calamitatem calamitati. Sic etiam crudelitas est, afflicto addere aliam afflictionem. Unde quidam sic legunt, *Non coquas hædum cum matre lactante.* q. d. Satis tibi sit comedere hœdum, abstineas à matre, hoc enim præ se fert crudelitatem quandam. Sic præcepit pullos avium comprehendere in nido, dimissâ matre, Deut. 22. 6, 7. Alii, nempe Judæi, per *hædum* hic generaliter carnem intelligi putant, quæ non debeat in lacte bulliri, & unà cum lacte comedi. In quam sententiam inclinare videtur Paraph. Chaldaica. Atque ex isto loco Judæi desumpserunt quòd nè caseo quidem, qui ex lacte constat, cum carne vescantur, nec in eadem olla lac & carnes coquant: Eòque stultitiæ venere ut nec eodem cultro carnes & caseum scindere sibi licere putent, sed diversos habent. In observatione hujus ceremoniæ bona pars hodiernæ religionis Judaicæ consistit. Et habent hac de re justos libros; præsertim librum cui nomen est איסור והיתר *Issur veheter*, in quo nihil aliud tractatur quàm quid liceat, quid non liceat in vescenda carne & lacte. Et observa rursum, quæso, Christiane lector, quàm solidum habeat fundamentum etiam hæc ceremonia, cui tantùm tribuit stulta gens Judaica, & in qua observanda tam anxii & soliciti sunt. Nam locus quo nituntur obscurus est, & incertum est an hunc sensum habeat quem Judæi eliciunt. Et multùm certè laborant, sudant & torquent se illorum commentatores ut istum sensum quem ipsi sequuntur, Non esse carnem cum lacte edendam, eruant. Nostrorum utique sententia, qui tenent hic prohiberi nè vel hœdus vel agnus aut vitulus ante justum tempus vel edatur vel offeratur, multò probabilior est. Sed istiusmodi fundamentis & columnis nititur hodie nostrorum Judæorum religio & præcipuæ illorum ceremoniæ, quibus tantum tribuunt: Sicut & suprà indicavi de illorum Tephillin, & modò de hœdo non comedendo in lacte. At digni sunt qui dubiis, incertis & stultis traditionibus à suis RR. excogitatis miserè vexentur & seducantur, qui solidam & æternam veritatem Euangelii Jesu Christi recipere noluerunt.

21. *Quoniam in nomine meo verbum illius est*] Perinde est ac si dicat, Legatus meus est, & quæ dicet, nomine meo dicet.

25. *Benedicet cibo tuo*, &c.] i. Dabit tibi cibum & potum magnâ abundantiâ. Heb. *Benedicet pani tuo & aquis tuis.* Omnem autem cibum & potum Hebræi *panem & aquam* vocant. Id quod Hebraicè sic efferunt, כל מיני מאכל קריין לחם וכל מיני משקין קריין מים·

26. *Non erit abortivum faciens*] משכלה & Chaldaicè מתכלא, teste R. S. dicitur, quæ vel abortivum parit, vel cujus filii ipsâ superstite moriuntur, כשלות נפלים והקוברת את בניה קרויה משכלת inquit. ¶ *Numerum dierum tuorum perficiam*] i. Faciam ut vos vivatis usque ad extremam senectam sine ægritudine.

28. *Mittam crabronem*] i. *crabrones sive vespas*, sing. numerus pro plurali. Crabronem Hebræi sic describunt, צרעה מין שרץ העוף והיתה מכה אותם בעיניהם ומשלכת בהם ארס והם מתים, *Est genus reptilis volatilis, quod percutiebat oculos eorum, immittens venenum ut morerentur.* Chaldaicè vocatur ערעיתא, à verbo ערע *Ara*, i. *occurrendo*, quòd scilicet occurrendo hominibus in facies illorum involabant, lædentes ac impedientes eos ut non possent pugnare.

I D E M.

5. כי תראה חמור שנאך רבץ תחת משאו וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו *Si videris asinum odientis te decumbentem sub onere suo, cessabis dimittere eum, relinquendo relinques cum eo.*] Nostri interpretes non omnia verba appendere, ut Hebraismus ha-

habet, fategerunt; sed sensum exprimere contenti fuere. [illegible] licèt Hebræa nonnihil obscuritatis habere videntur, tamen Paraph. Chaldæus eam removet, qui luculentiùs transtulit. Et infrà Deut. 22. clariùs repetitus est hic locus. Sed placet annotare quàm diversa sit lectio hujus loci etiam apud Hebræos. Quidam sic legunt, *Si videris asinum odientis te jacentem sub onere suo, cavebis ne deseras illi, sed sublevando sublevabis cum illo*, ut scilicet solis onus sublevandum, verùm sublevando sublevabis cum illo, ut scilicet solutis undique vinculis animal faciliùs sese erigat in pedes. Atque ità exponit hunc locum Abenezra. Cæterùm R. Salomo sic legit, *Si forte videris asinum inimici tui jacentem sub onere suo, num desines juvare eum?* q. d. minimè. *Sed adjuvando adjuvabis eum*, scilicet asinum, *cum illo*, scil. inimico tuo. Ubi nota quòd verbum Hebraicum עזב *relinquere*, pro עזר i. *auxiliari* accipit. Similem adducit locum ubi verbum *Asaf* eandem habere significationem contendit, ut Neh. 3. ויעזבו ירושלם עד החומה הרחבה, *& roboraverunt Hierusalem usque ad murum latiorem*.

13. ושם אלהים אחרים לא תזכירו לא ישמע על פיך *Et nomen deorum alienorum non recordabimini, nec audiatur ex ore tuo*,] Variatio est in voce Hebraica תזכירו, quam Vulg. interpres Lat. per *jurabitis* transtulit, Lxx. magis propriè *memorabitis* verterunt. Est enim sensus quòd deos alienos non tantùm non colere debeant, sed nè ullam quidem eorum mentionem facere. Atque hinc est quòd cæci & impii Judæi non legunt nec sonant nec pronunciant [illegible] vificum & verè Divinum nomen Salvatoris nostri ישוע *Jesu*, sed loco ejus per ignominiam dicunt ישו, quod impiè exponunt ימח שמו וזכרו, *deleatur nomen ejus & memoria ejus*; &c. Vide supra.

15. ולא יראו פני ריקם *Et non videbuntur facies meæ inanes*,] Hunc locum annotare placuit propter duplicem sensum quem quidam hinc eliciunt. Prior, ut hæc consolationis loco à Deo dicta fuerit filiis Israël; q. d. Non pigeat vos toties ire Hierosolymam, mihique festivitatem celebrare; &c. Vide supra. Alter sensus, *Non videbuntur facies meæ vacuæ*, h. e. Non venietis vacui in conspectum meum sine muneribus, semper aliquid adferetis & offeretis ad testandam fidem vestram, animique vestri gratitudinem. Ex mea enim benedictione habetis quibuscunque fruimini, &c. Atqui hæc posterior omnino hujus loci sententia esse videtur.

19. לא תבשל גדי בחלב אמו *Non coques hœdum in lacte matris suæ*,] In redditione verborum non est magna diversitas, tametsi Paraph. Chaldæus à reliquis interpretibus dissentiat; sed in sensu est diversitas. Quidam namque sic intelligunt, *in lacte matris suæ*, i. quamdiu sugit lac: h. e. nè offeras mihi hœdum postea coquendum ministerio Sacerdotum, nè offeras, inquam, eum dum lac matris sugit. Alii vertunt, *cum matre lactante*, q. d. Satis tibi sit comedere hœdum, abstineas à matre; hoc enim præ se fert crudelitatem quandam. Sic præcepit pullos avium comprehendere in nido dimissâ matre. Judæi verò omnes sequuntur Paraph. Chaldæum, *non esse comedendas carnes cum lacte*. Hinc eò superstitionis venerunt ut carnes & lac in eadem olla non coquant; lac vel caseum post carnes non edant, nisi os antea abluerint; carnes & lac cum eodem cultro non scindunt, sed diversos habent. Sed de hoc vide in Annotationibus meis super Chaldaica Biblia, ubi hunc locum prolixiùs tractavi.

VATABLUS.

1. NOn *assumes rumorem falsum*, לא תשא וגו׳] Ad verb. *Non suscipies auditionem mendacii*. Duplex est sensus, prior, Nè sis author falsi rumoris contra proximum tuum, aut fingas in corde tuo unde fama ejus lædi possit. Alter, Nè admiseris rumorem falsum; & hunc sensum sequitur etiam Chald. paraph. Attamen prior sensus videtur esse verior propter illud quod mox sequitur, *Ne ponas*, &c. ¶ *Nè ponas manum*, אל תשת וגו׳] Hebraismus, *Ponere manum cum aliquo*, pro *Adjuvare causam ejus*, q. d. Non adjuvabis causam improbi falso tuo testimonio, vel, *Ponere manum* pro *Jurare* accipi potest, q. d. Non jurabis cum impio ut sis testis iniquus: ut alludat ad hoc quòd juraturi olim super librum Legis, aut aliquid tale quod sacrum erat, manum ponere tenebantur. Sicut adhuc hodie mos est apud Judæos, qui etiam nullum juramentum alicujus momenti faciunt nisi hoc quod fit impositâ manu supra librum Legis, quem habent in Synagogis suis, & vulgò vocant ספר תורה *librum Legis*.

2. *Non eris post multos ad mala*, לא תהיה וגו׳] Hebraismus, quem Chald. paraph. sic effert, *Non sequeris multos ad malefaciendum*, vel *multitudinem*, sive *majorem partem*. ¶ *Neque respondebis*, ולא תענה] *Neque loqueris*, i. in lite, nè sequaris plurium sententiam ut pervertas judicium. Si plures in judicio condemnaverint innocentem, tu sequere pauciores qui illum salvare conantur: & ne inclines in judicium cum multis.

3. *Et pauperem non honorabis*, ודל לא תהדר] i. Neque etiam habebis respectum personæ pauperis, ut illi faveas in causa sua, sive controversia. Licèt Deus multo favore ubique prosequatur pauperes, & nolit opprimi, non vult tamen respectu paupertatis judicium corrumpi.

5. *Et desines*, &c. וחדלת וגו׳] *Tunc desines deserere* [sive *derelinquere*] *eum: dimittendo dimittas cum illo*, i. nullo modo deseres eum, sed exonerabis asinum cum eo qui te odio habet. Alii vertunt, *num desines sublevare eum? sublevando sublevabis cum eo*. Nempe onus asini. Chald. paraph. *cave derelinquas eum: relinquendo relinquas id quod habes in corde tuo contra eum, & solvas cum eo*.

6. *Perverteṡ*, תטה] *Declinare facies*, i. non facies cadere causâ pauperem, quòd pauper sit. q. d. Neque faveas, neque adverseris pauperi in causa. ¶ *Pauperis tui*, אבינך] *mendici tui*, i. mendicorum qui sunt apud te.

7. *A sermone*, &c. מדבר שקר תרחק] Ad verb. *A verbo mendacii elongabis te*, i. à judicio falso longissimè absis. Videtur enim Judicem alloqui. ¶ *Neque innocentem*, &c. ונקי וצדיק אל תהרג] Chald. paraph. *& eum qui justificatus fuerit, & exierit justus à judicio, nè occidas*, i. nè sententiâ tuâ morti adjudicaveris. ¶ *Justificabo*, אצדיק] i. absolvam, vel habebo pro justo. q. d. Non sinam talem judicem inultum qui innocentem morti adjudicarit.

8. *Videntes*, פקחים] i. sapientes & prudentes, sive qui videntur esse sapientes. ¶ *Verba*, דברי] *Res*, i. negotia, & causam justorum.

9. *Peregrinum*, וגר] Ad verb. *Et peregrinum*, sive *advenam*. Redundat ו Latinis. ¶ *Affectus*, את נפש] Ad verb. *animam*, i. scitis quales sint peregrinorum affectus: quibus satis est id pœnarum quòd peregrini sunt; nè addatis & alias molestias.

10. *Sex*, ושש] Ad verb. *Et sex*: & hic redundat Latinis ו.

11. *Relinques eam*, תשמטנה] Verbum istud שמט *derelinquere*, *deserere & negligere* significat, q. d. Non coles, neque seminabis eam, sed deseres: & quæ sponte nascentur, non congregabis, sed relinques pauperibus & bestiis terræ. ¶ *Vineæ tua*, לכרמך] i. de vinea tua.

12. *Quiesces*. תשבת] *Cessabis*. Vide cap. 34. 21. ¶ *Et respiret*, וינפש] *Et refrigeretur*, vel *recipiat sese*, aut *recreetur*.

13. *Cauti eritis*. תשמרו] *Cauti estote*, i. magnâ attentione servate. ¶ *Non audietur*, &c. לא ישמע על פיך] q. d. Non tantùm non coletis deos alienos, sed nè ullam quidem mentionem facietis ipsorum.

14. *Festum ages*. תחג] *Festa celebrabis*.

15. *Solennitatem*, את חג] *Festivitatem*, *Celebritatem*. ¶ *Abib*: האביב] Vide c. 13. 4. ¶ *Quia in eo egressus es ex Ægypto*, כי בו יצאת ממצרים] Hebraismus est, pro, In memoriam egressionis vestræ ex Ægypto celebrabitis festum istud: in eoque festo filii Israël non apparebunt coram me vacui & sine muneribus. ¶ *Neque conspicientur coram me vacui*, ולא יראו פני ריקם] Ad verb. *neque videbuntur facies meæ inanes*. i. filii Israël non apparebunt coram arca fœderis, super quam me illis præsentem exhibeo, sine muneribus, quibus testentur gratitudinem animi sui.

16. *Operum tuorum*. מעשיך] *Laborum tuorum*. Festum messis erat festum Pentecostes, in quo primitias frugum offerebant Domino. Vide hæc eadem cap. 34. 22. ¶ *Collectionis*, האסף] Festum erat Tabernaculorum, quo tempore colligebantur omnes fructus qui per totum annum creverant. Mox seipsum declarat, quum dicit, *Quando collegeris opera tua ex agro*.

17. *Coram Domino Jehovah*, אל פני האדן יהוה] i. Ter in anno mares omnes venient ad eum locum ubi ego mei cultum instituero, nempe in Jerusalem: offerentque ibi munera mihi. Vide c. 34. 23.

18. *Non immolabis*, &c. לא תזבח וגו׳] i. Antequam immoles victimam Paschalem removebis fermentum & fermentatum de domo tua. Eadem habes cap. 34. 25. ¶ *Agni mei*, זבחי] *Victimæ meæ*, i. hostiarum quæ mihi occiduntur.

19. *In lacte matris suæ*, בחלב אמו] i. quandiu sugit lac. Hoc est, Nè offeras mihi hœdum postea coquendum ministerio Sacerdotum, nè offeras inquam eum dum matris lac sugit. Alii vertunt, *cum matre lactante*, q. d. Satis tibi sit comedere hœdum, abstine à matre: hoc enim præ se fert crudelitatem quandam.

dam. Sic præcepit pullos avium comprehendere in nido, matre dimissa, Deut. 22. 6. Vide cap. 34. 26.

20. *Mitto*, שלח] Præs. Heb. pro fut. *mittam*, vel *præmittam*.

21. *Cave à facie ejus*, השמר מפניו] i. Cave tibi ab eo, vel, Cave nè coram eo aliquid iniquum designes. ¶ *Nomen meum in medio ejus*, שמי בקרבו] Istud debet referri ad præcedentia, *Cave à facie ejus*, q. d. Cave tibi ab eo, quia Angelus est legatus meus: & quæ dicet, nomine meo dicet.

23. *Et succidam eum.* והכחדתיו] *Et excidam eum*, vel *perdam*, aut *delebo eum*.

25. *Et benedicet*, &c. וברך וגו'] i. dabo tibi cibum & potum in magna abundantia. Mutatio personæ: nam priùs dixerat, *Et succidam eum*.

27. *Terrorem meum*, &c. את אימתי אשלח לפניך] Hebraismus, terrebo omnes adveniente te. ¶ *Cervicem.* ערף] i. qui avertant faciem, & dent terga. q. d. Omnes inimicos tuos vertam ante te in fugam.

28. *Crabronem*, את הצרעה] *Vespam.* Sing. Heb. pro plur.

29. *Desolatio*, שממה) i. desolata.

30. *Paulatim paulatim*, מעט מעט] Gallicè dicimus, *petit a petit.* ¶ *Crescas*, תפרה] *Multipliceris.*

31. *Fluvium.* הנהר] Euphraten intelligit.

32. *Non percuties*, לא תכרת] Per imperativum vertere potes omnia ista futura, *Ne percutias*, vel *Ne ferias*, *Ne habitent*, &c.

CASTALIO.

12. N*Atus ancillæ tuæ*] i. servus tuus. Sicuti *columbâ natus*, i. columbus; *filii hominum*, i. homines.

15. *Azymalia servato*] Sicuti Latini veteres *Agonalia*, *Floralia*, *Liberalia*, &c. dixerunt, ego mihi fas putavi azymorum festum *Azymalia* dicere; messis, *Messalia*; conditionis, *Conditalia*.

CLARIUS.

1. V*Ocem mendacii*] h. e. Rumorem falsum contra proximum tuum nè suscites, aut fingas ex corde tuo unde illius fama lædi possit.

2. *Non sequeris turbam*] Quod quidam sic intelligunt, Si plures in judicio condemnaverint innocentem, tu sequeris pauciores qui illum servare conantur. Sed rectius erit si intelligamus, nos moveri non debere multitudine in suffragiis dandis, sed suspendere sententiam dum veritas agnoscatur atque justitia.

5. *Non pertransibis*] Sensum vertit interpres: sed in Hebræo est, *Cessabis auxiliari ei:* alius tamen vertit, *Cessabis dimittere eum*; sed minùs aptè, opinor, quanquam dictio Hebræa etiam id significet.

8. *Subvertunt verba justorum*] Quidam sic exponunt, *Munera pervertunt res justas*, vel *causas bonas*.

11. *Anno septimo*] Est enim annus septimus sabbatum terræ.

15. *Mensis novorum*] Vel, *mensis quo maturescunt fruges.* Quæ maturitas in Martio apud Hierosolymitanos & Ægyptios contingere solet, h. e. circa æquinoctium vernale; sicut collectio aliorum fructuum in fine anni, h. e. circa æquinoctium autumnale, fieri solet. Incipiunt enim Hebræi annum suum circa æquinoctium autumnale, licèt in sacris ab æquinoctio verno illum jubeantur auspicari. Proinde *festum mensis primitivorum* est festum Pentecostes; & *festum collectionis*, festum Tabernaculorum. Primitivi autem fructus incipiebant septem hebdomadis post diem azymorum, h. e. quinquagesimo die.

19. *Non coques hædum in lacte matris*] Aut etiam, *dum sugit lac & ubera matris*, sic enim quidam interpretantur. Ænigmaticus autem sermo esse videtur, quo significatur, cavendum esse ab omni crudelitate. Dicunt autem Hebræi, hoc non solùm de hœdo intelligendum, verùm & de ove ac vitulo; & quòd esus similiter, ut coctio, prohibeatur: Unde colligunt, sacrilegium esse comedere in eadem mensa carnem & caseum, nisi post esum carnis os bene mundaveris, & immisso digito reliquias quasque diligenter evacuaveris. Miras miserorum superstitiones!

31. *Usque ad fluvium*] Sub. *Euphraten*, qui ab Oriente terminus est terræ Promissionis, sicut mare Mediterraneum ab Occidente. Angustior est autem locus iste quàm ut capere possit omnes homines qui ad Dominum ex toto orbe venturi erant: vide Esa. 49. 18. *Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti*, &c.

DRUSIUS.

8. M*Unus excæcat apertos*] h. e. interprete Hieron. *prudentes*, & Onk. *sapientes*. Nam hi oculos mentis apertos habent. Vident enim quæ alii non vident: Unde dicuntur *oculos habere in capite*. Non quòd alii non habeant, sed quia plus vident quàm illi, ideo dicuntur *oculos habere*, cùm alii cæci sint *in tenebris ambulantes*. *Sapientes* etiam Aquila interpretatur. Nam ubi Lxx. *oculus videntium*, βλεπόντων, ipse transfert σοφῶν, *sapientum*. Tales Ebræis dicuntur פקחים, à verbo פקח, quod *aperire* significat. Sapiens ergò, qui apertos oculos habet; ut contrà stultus, qui videndo non videt. Nam cæca ei mens, quæ sola videt & audit, juxta illud, Ὁ νοῦς ὁρᾷ καὶ ἀκούει· τὰ λοιπὰ τυφλὰ καὶ κωφά, *Mens videt*, *mens audit*; *cætera cæca & surda*. In libro Musar 97. 32. vulpes dicitur פקח *aperta inter animantes*, quia versutissima & astutissima. Nam Astutia & Sapientia magnam inter se cognationem habent: unde illud Salomonis, *Ego sapientia cohabito Astutiæ*. Nam qui versutus est sæpe vocatur *sapiens*, & contrà. Notum illud, *Serpente callidior*, prudentior, sapientior. In eodem lib. 113. 1. *Cur capita Babyloniorum rotunda sunt? Respondet Hillel senex*, *Quia non habent obstetrices apertas*, i sapientes. Item 114. 1. *Judices Israël sunt apertiores cane*; i. prudentiores: &, *Inter omnes animantes non est apertior*, i. prudentior aut sapientior, *cane*. In Michlol *cæci* & *aperti* opponuntur, fol. 16. col. 3.

15. *Non comparebunt coram facie mea vacuè.*] Augustinus explicat, *in tabernaculo meo*, Quæst. l. 2. qu. 159. Si rectè, tunc *facies Dei* erit ipsum tabernaculum. Nec improbo, nec per omnia probo. Nam si *facies Dei* tabernaculum, dixisset, meo animo, *in facie mea*. Nunc cùm dicat, *coram facie mea*, malim exponere, *coram arca fœderis*, quæ Deum repræsentabat, & symbolum præsentiæ ipsius erat in terra. Ideo jure merito vocatur *facies Domini*: Unde qui eam quærebat, dicebatur *quærere faciem Domini*. Vide Psal. 27. 8. & 24. 6. Interdum vocatur *Dominus* nomine tetragrammato: qua de re alias. Sunt qui in Ebræo esse dicunt ad verbum, *Non videbuntur*, sive *conspicientur*, *facies mea vacuè*. Abenezra hoc refellit, dicens יראו referri ad homines, & sub. את, ut sit את פני *cum facie mea*, i. apud faciem meam. Sic, *satias lætitiarum cum vultu tuo*, i. apud te. Vide Notas majores. Infrà v. 17. *Tribus vicibus in anno comparebit omnis masculus tuus* את פני *coram facie* Domini *Jod*, *He*, *Vau*, *He*. *Vacuè*, h. e. sine munere. Quòd si Rex, qui caro & sanguis est, (memoriæ proditum hoc de Regibus Persarum) non adibatur sine muneribus, meliore jure Deus cum iis adeundus est. Hinc lux Psal. 22. 27. *Adoraverunt coram facie tua*, & 29. *Coram facie ipsius genua flectunt*: item Psal. 17. 15. *In justitia videbo faciem tuam*, & Jes. 1. 12. *Cùm veneritis ut compareatis coram facie mea*: ubi quidam, *ut conspiciantur facies mea*. Interdum hoc nomine significatur Divina essentia, quæ videri non potest, unde Exod. 33. 20. *faciem meam non videbis*, h. e. veritatem essentiæ in esse sicut est. Ità Moses Ægyptius explicat in More l. 1. c. 36. Sequitur, *sed posteriora mea videbis*. Significat ergò secundùm alios Deum non cadere sub apodixin, cùm eo nihil sit antiquius, unde & *antiquus-dierum* vocatur. Duplex enim sciendi Methodus, una quæ à natura cognitis & prioribus ad nobis nota & posteriora deducitur, altera quæ eàdem vià ab ultimis ad prima recurrit; è quibus illa ἀπόδειξις, hæc ἐπαγωγῇ colligitur. Plura de his alias.

27. *Numerum dierum complet* Deus & homo. Deus ut prima causa. Nam ab eo plenitudo dierum; *Numerum dierum tuorum implebo*. Homo complevit numerum dierum suorum cùm moritur plenus dierum, quod Græci dicunt πλήρης ἡμερῶν, & Plautus Mercatore, *plenus ætatis*. Ebræi etiam dicunt *satur dierum*, eodem sensu. Sanè Job. 42. 17. *satur dierum*: Hieron. *plenus dierum*: Nec aliter Lxx. Nam saturitas rei est ejus repletio, ut R. D. ait. *Satur dierum* legitur, & Gen. 35. vers. 29. & alibi de Davide, qui ad satietatem usque vixerat. Gen. 25. 8. *Mortuus est Abraham in senectute bona*, *senex & satur*, i. satur dierum; vel, *senex & satur*, i. satur senio. *Numerum dierum* de sententia quorundam *implet* etiam timor *Domini*. Nam qui Deum veretur, diu vivit, juxta illud, *Timor* Domini *adjicit dies*: *anni verò improborum decurtabuntur*. Qui ad extitam ætatem pervenit, implevit numerum dierum suorum: nam plenus dierum moritur. Nusquam tamen, quod sciam, timor Domini dicitur implere dies. Relinquamus hoc igitur in medio. Theodoretus *definitam hominis vitam intelligit*, h. e. *In longam senectutem vitam tuam producam*. *Quemadmodum enim intempestivam mortem non obe*

 diem,

dientibus sibi minatur, *ità obedientibus sibi longam vitam pollicetur.* Porrò spatium vitæ humanæ septuaginta vel octoginta annorum est, ad quod pauci perveniunt, sæpius tamen probi quàm improbi. Nam, ut dictum est, *Anni improborum decurtantur.* Tales moriuntur non in tempore suo, sed ante tempus. Et hoc est quod Salomo Rex dicit, *Quare morieris tempore non tuo?* Vide A. M.

31. Terra sancta, quæ *terra Chanaan*, & *terra promissa*, & *terra septem gentium*, quatuor habet terminos. Primus est mare Suph sive Rubrum, quod terminat Orientem. Secundus est mare Philisthæorum, & quod Magnum & Mediterraneum dicitur, terminus Occidentis. Nam mare illud in Occasu terræ Chanaan. Tertius est flumen Euphratis à Septentrione. Quartus, desertum ab Austro, ubi & finis terræ. Hi termini his verbis memorantur, *Ponam terminum tuum à mari Suph usque ad mare Philisthæorum*, *& à deserto usque ad flumen.* Et paulò aliter, Psal. 72. 8. *Dominabitur à mari usque ad mare*, *& à fluvio usque ad fines terræ.* Sensus, Ab uno mari ad aliud, h. e. à mari Rubro usque ad mare Palæstinum. Est ubi mare Salis, quod Mortuum appellant, terminus ponatur Orientis. Fortè de hoc mari hic loquitur. *Usque ad fines terræ*, h. e. usque ad desertum: Nam ibi finis terræ esse videtur; Saltem terra habitata illic finem accipit. Hiscuni, *Desertum terminus erat Australis*, *& finis terræ illius.* Nicolaus appellat *desertum Suris*, quod Ægyptum spectat: R. D. *desertum Sin*, quod scribunt צין per S. Sade. In eo filii Israël oberrarunt annos quadraginta. Quocirca Arabes illud appellant מדבר התיהה *desertum erroris*, quòd ibi errasse populum crederent. Autor Moses Cordubensis, quem *Ægyptium* cognominant: nam in Ægypto medicinam fecit. Videndus More fol. 180. pag. 1. Ipse vocat *desertum Arabiæ*, & non errasse sed vixisse in eo scribit Israëlitas. Certè non errarunt ex ignoratione viæ.

33. *Peccare* est aberrare. Nam qui aberrat à scopo in quem collimat, *peccare* dicitur Jud. 20. 16. & Job. 5. 24. Puto hanc esse propriam hujus verbi significationem. Indè transfertur ad eos qui legem transgrediuntur. Nam tales aberrant à via quam lex nobis præscripsit. Unde *peccatores* duobus modis dicuntur: I. Ut significet eos qui faciunt quod lex vetat, aut omittunt quod jubet. II. Ut significet homines improbos, in quibus peccatum regnat, & qui velut artem peccandi exercent: quos simili ratione Græci vocant κακῶν ῥεκτῆρας, & τέκτονας κακῶν, & κακούργους. His addunt modum tertium. Nam 1 Reg. 1. 21. videtur significare *errones*: Sanè Jonathan interpretatur מרחקין *ejectos è regno*, seu *expulsos*, *exsules*. Peculiariter autem peccare dicuntur qui Deos falsos colunt: & hujusmodi cultus vocatur *peccatum magnum*, Exod. 32. 21. & simpliciter *peccatum*, quod directè in Deum committitur. Unde de Jeroboamo, qui cultum vitulorum instituit, passim obvium, *peccare fecit Israëlem.* Peccatum ergo κατ᾽ ἐξοχὴν idololatria sive cultus deorum falsorum. Nam non est gravius illo peccatum, aut quod magis Deum à nobis abalienat, aut iram ejus in nos provocat. Sic accipies Exod. 23. 33. *Ne quando peccare faciant te mihi*, *cùm servies diis ipsorum.* Cætera alia peccata in proximum committuntur, hoc propriè Deum spectat: ideo dicit, *Ne quando peccare faciant te mihi*, h. e. in me, aut contra me. Hæc lucem accipient ex illo Sirach. 49. 1. *Præter David & Ezechiam & Josiam omnes peccatum commiserunt.* Loquitur de Regibus Juda, quos dicit omnes idola coluisse præter tres quos ibi nominat, qui ab ea labe immunes fuerunt. Fortè hoc sensu dixit Jeremias Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem*, *propterea in commotionem fuit.* Nam innuit singulare aliquod peccatum, quod tamen non nominat, sed intelligendum relinquit ex aliis locis ubi cultus extraneus *peccatum* vocatur. Cæterùm *peccare* & *peccatum committere* ità dicuntur ut *adulterare* & *adulterium committere.* Qui peccat, committit peccatum, & contra. Sunt enim ἰσοδυναμοῦντα.

I D E M.

3. לא תהדר בריבו. Sym. οὐ τιμήσεις ἐν δίκῃ αὐτοῦ, *non honorabis in lite sua*] Sic & Santes. Arias, *non decorabis.* Nam הדר *decus.* Lxx. ἐλεήσεις. Hieron. *misereberis.* Onkelos תרחם *misereberis.* Jon. *habebis respectum personæ ipsius*, *ut miserearis ejus.*

8. פקחים. A. σοφῶν, *sapientum*] Onk. חכימין. Hieron. *prudentum.* R. S. *legisperitorum.* Sapiens peculiariter dicitur פקח, i. *videns*, aut *apertos oculos habens*, *oculatus*, juxta illud Salomonis, *Sapiens oculos habet in capite.* Contrà stultus videns cœcus est, *& in tenebris ambulat*, ut idem ait, Cohel. cap. 2. 14. Consule Proverbia mea.

11. חית השדה. A. ζῶα τῆς χώρας, *animantia agri*] i. agrestia. Sic χώρα usurpatur Luc. 12. 16. ἀνθρώπου τινὸς πλουσίου εὐφόρησεν ἡ χώρα, i. ager. Alibi *terram* significare videtur, ut Sirach. 43. 3. ἐν μεσημβρίᾳ αὐτοῦ ἀναξηραίνει χώραν.

16. האסף. A. συλλογῆς, *collectæ.* Sym. συγκομιδῆς, *comportationis.* τὸ Σαμαρειτικὸν, συνεισφορᾶς, *collectæ*] *Collectæ*; collectionis frugum. ¶ *Comportationis*, frugum videlicet: unde συγκομιδὴν καρπῶν ποιεῖσθαι, *fruges comportare & colligere.* ¶ Συνεισφορᾶς. Συνεισφορὰ dicitur quando fruges simul inferuntur & in horrea comportantur. Nam συνεισφέρω, *simul infero.* Qui *collectam* exposuerunt arbitrati sunt σὺν in hoc nomine redundare.

19. לא תבשל גדי בחלב אמו. Sym. οὐ συμψήσεις ἔριφον διὰ γάλακτος μητρὸς αὐτοῦ, *non apparabis hædum in lacte matris suæ*] *Apparabis*, coques.

27. אימתי. Schol. τὴν κατάπληξίν μου, *terrorem meum.*

N O T Æ M A J O R E S.

1. Non *suscipies auditionem vanam*, *ne ponas manum tuam cum improbo ut sis testis iniquus.*

Non suscipies auditionem vanam] Id est rumorem vanum. Cave, inquit, calumniatori fidem habeas. Nam tam peccat qui admittit calumniam, quam is qui dicit eam. Judices quoque monentur ne temerè credant accusatori, sed alteram aurem accommodent reo. Hunc sensum expressit Onkelos, *Non accipies rumorem mendacii.* & Jonathan, referens, *non suscipietis verba mendacia à viro qui socium suum calumniatur.* Sed & Lxx. οὐ παραδέξῃ ἀκοὴν ματαίαν. nec aliter intellexit Hiero. qui transfert, *non suscipies vocem mendacii.* Alia sententia erit si legas, *non tolles auditionem vanam.* Nam admonet non debere nos autores esse falsi rumoris, quo lædatur fama proximi, vel etiam tales rumores non esse divulgandos. Sic Psal. 15. 3. *Probrum non tulit contra proximum suum:* ubi idem verbum in Ebræo. Abenezra, *non educes è corde tuo sermonem vanum ad proferendum convicium.* Vide Fagium. ¶ *Auditionem*] Famam, ἀκοὴν, ut in Euangelio, ἀκοὴ τοῦ Ἰησοῦ, fama de Jesu. ¶ *Vanam*] Falsum, mendacem. Sic, *vana locuti sunt.* Lippomanus, *Rumor est sermo sine ullo certo autore dispersus*, *cui malignitas dedit initium*, *credulitas*, *incrementum.* Ut interponam judicium meum, videtur melior interpretatio, *non tolles rumorem.* Nam in fonte לא תשא. Non suscipies potius diceretur תקח לא, ut Psal. 6. D O M I N U S *orationem meam* יקח *suscipiet.* expende fodes. ¶ *Ne ponas manum tuam cum improbo*] Potest sensus esse, ne ponas sive jungas manum tuam cum improbo i. reo sonte, ut fit testis homo violentus. חמס ad verbum, violentia. Et est locutio ut cum *scelus* pro scelesto ponitur, & *dolus* pro doloso. Sic *aviditas* pro avaro. R. Levi explicat חמס איש. Tales intestabiles sunt. Sub hoc nomine comprehendit idem raptores, fraudatores per vim, fures, fœneratores &c. Hiero. *nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium.* Onkelos, *Non pones manum tuam cum reo*, *ut sis ei testis mendax.* Fagius explicat, *non juvabis causam improbi falso tuo testimonio.* Ponere manum, Ebraismus est pro adjurare causam. Accipi etiam potest pro jurare. q. d. non jurabis cum impio ut sis testis iniquus. Nam juraturi ponunt manum super librum Legis. Vide, si placet. Nam multa ibi de juramentis Judæorum, quæ præstant Christianis magistratibus. Ceterum tunc temporis nullus erat liber Legis: sed jurantes ponebant manum super femur alicujus. Hoc modo jurat Joseph patri Jacobo Gen. 47. 29. Mihi non placet ut locus iste de juramento accipiatur. Quid igitur? manus pro auxilio ponitur, ut σὺν τοῦ θεοῦ παλάμῃ cum Dei manu i. ope atque auxilio. Sensus ergo, *ne ponas manum cum improbo*, ne auxilieris improbo. Jonathan, *ne ponas manum tuam cum improbo ut sis testis mendacii.* Abenezra, *ne conjungaris* (in societatem coeas) *cum improbo dicendo testimonium falsum* (Ebra. in testimonio falso.) *ad violentiam inferendam innocenti.* Tremel. *ne apponito manum cum improbo i. ne consociator aut conferto operam cum illo*, *consentiendo aut juvando eum ad malum.* ¶ *Testis iniquus*] Μάρτυς ἄδικος, ità Lxx. Santes, *testis mendax.* Tremel. *injurius.* Pro, *ne ponas manum cum improbo*, Græci legunt, οὐ συγκατάθῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου, quod reddunt, *non consenties*: Alii, *non dispones pactum.* Editio Complut. οὐ συγκαθίσῃ, non simul sedebis. Ceterum חמס עד legitur Deut 19. 16. & עד חמס Psal. 35. 11. Edit. Gal. *ut fis testis violentus*, *à ce que violence soit faite*, ut committatur violentia.

2. *Non eris post multos ad mala*, *neque respondebis de lite declinando post multos ad pervertendum.*

Non eris post multos ad mala] Non sequeris multos tibi malefaciendum, aut aliquis condemnandus erit. Hiero. *Non sequeris*

sequeris turbam ad faciendum malum. Lxx. οὐκ ἔσῃ μετὰ πλειόνων ἐπὶ κακίᾳ: non eris cum multis ad malum. Alias, *in malitia.* Jerosolymitanus, *Non ibis post multos ad malefaciendum, sed ad benefaciendum.* Vide Annotationes Fagii ad paraphrasin Onkeli. Abenezra, *Si videris multos testantes de re quam nescis, ne dicas in corde tuo, Hi non mentiuntur.* Et mox, *Hinc discimus, si plures ad bonum declinaverint, eos sequendos esse.* Tremel. nove interpretatur, *ne insistito vestigiis potentiorum ad mala.* רבים potentiores. Ego scio principes ea voce denotare. Sed & præceptores. Gal edit. *multitudinem.* Quædam ad hunc locum notavit Nicolaus digna legi. Inter alia hoc, *Sapientes Judæorum statuerunt, ut in judicio primum quæratur sententia ab iis, qui sunt minoris autoritatis, ne illi formident recedere à sententia eorum qui sunt majoris autoritatis. Quod observant*, inquit, *in universitate Parisiensi theologi. Nam cum aliqua de re deliberant, incipiunt à minoribus magistris.* Idem in primo membro רבים accipit pro multis, in altero hoc est proximo sequenti, pro magnis sive magistris. Dubito an hoc verum sit. Nam à רב, cum est nomen dignitatis, quidam negant pluraliter dici רבים, inter quos & Mercerus. Quanquam cum affixis dicant רבותינו magistri sive doctores nostri. Qua forma obvium in textu Biblico אבותינו patres nostri. Reperies etiam רבנים, sed à singulari רבן, non à רב magister. ¶ *Ad mala*] לרעות· Quidam, *ad malefaciendum* להרע· Posses vertere, *ut malus sis.* רעות formæ חנות misereri. Thema רע malus fuit. Hinc eruas non esse sequendam multitudinem errantem. Nam malum est error quoque. Verbi gratia. Multi dicunt Jehova esse verum nomen Dei. An ideò verum est? ego verum non esse scio, ac propterea malo sequi paucos rectè sentientes. Idem dicendum est de nomine plurali Elohim. ¶ *Non respondebis de lite*] Vel, *in lite.* Tremel. *non loqueris de lite.* Nam ענה etiam loqui sig. unde מענה sermo. Hiero. *nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à vero devies.* In Onkelo רבעין, Fagius reddit, *quod videtur tibi.* R. Salomo legit המתבעי לך quod quæritur à te, nempe à verbo בעא quæri. Vide ipsum, si vacas. ¶ *Declinando post multos ad pervertendum*] Sub. judicium. Onkelos, *post multos perfice judicium i. sequere multitudinem, dum fers sententiam in judicio.* Ita Fagius explicat. Contrarium sensum interpretantur Jonathan & Jerosolymitanus: quorum ille, *dicendo, Ecce post multos judicium declinat.* Hic habet, *& ne dicatis in corde vestro, Post multos judicium declinat.* Nam innuit non esse in judicio sententiam plurimorum sequendam, sed ex vero judicandum. ¶ *Ad pervertendum*] להטות ad declinare faciendum i. pervertendum, ut alibi, *maledictus qui declinare facit judicium* i. pervertit. Vox *judicii* desideratur hoc loco, ut etiam in illo משפט גר· Vide Abenezram. Lxx. ὥστε ἐκκλεῖσαι κρίσιν, ut excludas judicium. Libri alii ἐκκλῖναι: quam lectionem puto veram esse. Sic Jes. 10. 2. ἐκκλίνοντες κρίσιν πτωχῶν i. pervertentes.

3. *Et tenuem non honorabis in lite ipsius.*

Tenuem] Pauperem. Chaldaicè מסכנא unde Italicum *Meschino*, quo mendicum & pauperem significant. ¶ *Non honorabis*] לא תהדר non decorabis, non afficies decore aut honore. Sym. οὐ τιμήσεις, non honorabis. Honorat autem qui ejus malam causam bonam facit. Hiero. *non misereberis.* Sic etiam Lxx. οὐκ ἐλεήσεις· לא תרחם· Quod in Onkelo Chaldæo: mirari libet. Nam רחם non sig misereri. Jonathan, *Pauperis damnati in judicio suo non accipies faciem ad miserendum ejus: quia non licet accipere faciem in judicio.* Alibi est לא תהדר פני גדול non honorabis faciem magnatis. R. Salomo, *ne tribuas ei honorem ut absolvas eum in judicio, & dicas, Quia pauper est, ideò justificabo eum & honorabo eum.* Vide præcedentia.

4. *Quum occurres bovi hostis tui, aut asino ejus erranti, reducendo reduc eum ad illum.*

Hostis tui] Alterius, licet sit inimicus & hostis tuus. Jon. *Si obvium habebis bovem inimici tui, quem odisti propter delictum aliquod, quod in eo esse solus nosti, aut asinum errantem à via.* ¶ *Quum occurres*] Vel, *si occurreris.* Nam *si* & *quum* se invicem explicant. R. Salomo annotat כי hoc loco sig. אולי fortè, & id unum esse ex quatuor ejus significatis. Onkelos אם, & Jonathan אין, & Lxx. ἐὰν δὲ συναντήσῃς &c. R. Levi hæc restringit ad inimicum Israëlitam transgressorem, quem ob transgressionem oderis, cum eum potius amare deberes, dicente Scriptura, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Ego latius patere censeo. Duo autem bona ex hoc præcepto manant, si observetur. Primum est, quod animal errans in viam reducatur, alioqui fortè devorandum à feris. Alterum quod occasio huic inimico te amandi. Isidorus, *Asinum reduci jubet ut hac ratione odientis animum conciliet. Nam si omnino implacabilis & inexorabilis non fuerit, fieri non potest, quin hac humanitate animus illius non mansuescat.* Sic alibi, *Si esurirei inimicus tuus* &c. ¶ *Reducendo reduc*] Omnino reduc. ¶ *Eum*] Bovem aut asinum aut aliud quodvis jumentum pecusve. ¶ *Ad illum*] Hostem tuum.

5. *Quum videbis asinum inimici tui cubantem sub onere suo, cessabis auxiliari ei? auxiliando auxiliaberis cum illo.*

Quum videbis] Vel, *si videris.* ¶ *Inimici tui*] Osoris tui. Jonathan, *quem odisti propter peccatum, quod in eo esse tu solus nosti.* ¶ *Asinum*] Vel aliud animal onera portans. Asinum hic rursus Lxx. vocant τὸ ὑποζύγιον. Onkelos חמרא· Jon. חמריה· ¶ *Cubantem sub onere suo*] Vel, *oneri succumbentem.* Hieron. *jacere sub onere.* malim, *jacentem.* Chald. רביע nisi leg. רבץ jacentem, decumbentem. Id factum ex Ebraico רבץ Sade, ut fit, in Ain versa. Onus autem Chaldæi מטוליה & contractius מטלא appellant. Græci dicunt ὑπὸ τὸν γόμον αὐτοῦ. Ergo מטלא γόμος. ¶ *Cessabis auxiliari ei?*] Santes, *desines auxiliari ei?* Quod haustum è Salomone Jario. Nam is עזב exponit לשון עזרה ut significet opem & auxilium. Ceterum testimonia, quæ citat ei rei probandæ dubito an satis firma sint. Nam 1 Reg. 21. 21. עזוב ipse Santes interpretatur *derelictum.* Etiam Deut. 32. 36. Et Nehem. 3. 8. ויעזבו Hieron. *dimiserunt.* Arias, *reliquerunt.* Santes, *repararunt.* Sic etiam Nathan Mardochæus. Hieron. hoc loco, *non pertransibis.* לא תעבור· Lxx. οὐ παρελεύσῃ αὐτῷ. Quid viderunt cum ità verterent? Onkelos, *& prohibeberis ne derelinquas eum?* pro quo Fagius, *Cave derelinquas eum.* Jonathan, *cohibebis teipsum ne accedas propius ad eum?* Tremel. *tum desinito ut non relinquas ei.* Sensus, *Desinito ab occupatione tua, neque ei soli onus asini sublevandi relinquito. Sic Levit.* 19. 15. Abenezra, *cave relinquas negotium ei soli, sed solve funes cum eo &c.* Hiscuni, *Cave ne deseras eum cubantem sub onere suo.* Leo Judæ, *Num cessabis & derelinques eum?* תעבור Munsterus, *cessabis dimittere illum*, hac sententia, Si hactenus deseruisti eum jam ab hoc cessabis, & non dimittes eum donec opem tuleris. Vide Vatablum. ¶ *Auxiliando &c.*] Malim, *relinquendo relinques.* sub. quod tibi *cum eo*, inimico tuo. Vel hoc vult, simul cum eo sublevabis asinum. Hoc Hieron. interpretatus est ad sensum, *sed sublevabis cum eo.* Lxx. ἀλλὰ συναρεῖς αὐτὸ μετ' αὐτοῦ, *sed sublevabis eum cum eo.* Lectio varians συνεγερεῖς, simul suscitabis. Onkelos, *relinquendo relinques id quod in corde tuo contra eum & solves* (vincula) *cum eo.* Jonath. *relinquendo relinques in ipsa hora odium quod in corde tuo contra eum & solves, onerabisque cum eo.* Alia expositio, ne deseras eum nisi cum eo i. nisi eum ille deseruerit. In Baba Mesra, *Dicis cum eo, hoc est cum inimico tuo, ne dominus asini otiosus diceret, Tibi incumbit præceptum, si vis, solve illum. Quod si ille reliquerit eum, licet & tibi idem facere.* Vide Hiscuni. Quidam, relinque onus tuum aut negotia tua, & juva eum. Editio Gal. *tu relinques solum cum ipso* i. si ipse reliquerit. Deut. 22. 4. habetur, *non abscondes te ab illis, erigendo eriges cum eo*, & in Jerosolymitano, *Relinquendo relinques id quod in corde tuo contra eum, & solvendo solves cum eo, & onerando onerabis cum eo.* Vide sis Lippomanum.

6. *Non pervertes judicium egeni tui in lite ipsius.*

Non pervertes judicium] Alii, *non declinabis judicium*, Malim, *declinare facies.* Nam in Ebræo non לא· Id Græci dicunt ἐκκλίνειν Jes. 10. 2. Hîc habent οὐ διαστρέψεις, ut Onk. & Jon. לא תצלי quod Fagius vertit, *non declinabis.* ¶ *Judicium*] Ejus. ¶ *Egeni tui*] Vel, pauperis tui. Sed pauper propriè עני dicitur, aut דל· Hic est אביון in fonte, cujus thema אבה aveo. Nam semper avet, qui nihil habet. Cajetanus *misellum* reddit. Ambo Chaldæi מסכנא, quem Itali vulgò *Meschino.* Lxx. πένητος, egeni, quem à πτωχοῦ distinguunt. Dicam alias. Nota pronomen *tui*, quod non est additum de nihilo. Quanquam interpretes nonnulli illud omiserint. Lippomanus, *pauperis tui, emphasin & pondus habet i. qui tecum versatur, quem tu alere debes.* Vel, *pauperis tui, qui sit e populo tuo.* Infra vers. 11. *egenos populi tui.* אביני עמך· Editio Gal. *qui est parmi toi.* R. Salomo, אביון *qui est attenuatus & appetit omne bonum.* Pro *non pervertes*, quidam legunt *non extendes* i. protrahes. perperam. Siquidem id Ebraicè diceretur נטה· Ceterum convertit hic sermonem ad judices, ut alibi cum ait, *Coram DOMINO comedes illud* ad sacerdotes,

7. *A verbo mendacii procul removeas te, & innocentem justumque ne occidas, quia non justificabo impium.*

A verbo mendacii procul removeas te] Vel, *procul removeto te.* Quidam, *procul abesto.* Hieron. *mendacium fugias.* Verbum mendacii pro mendacio, ut *verba fraudum* pro ipsis fraudibus. Sic *verbum cantici.* Cui affine in Plauto, *res volupta.*

luptatum. Ut hic *verbum mendacii*, sic Sirach. 23. 23. *verbum peccati* pro ipso peccato. ¶ *Innocentem*] Hieron. *insontem.* Lxx. ἀθῷον. Jonathan, *qui exiit insons è judicio sed postea repererunt in eo peccatum ejus.* Vult dicere, qui cum absolutus est in judicio, tamen sons deprehenditur. ¶ *Justum*] Idem Jonathan, *qui exiit condemnatus, & deprehensus sit justus.* R. Salomo, *Unde hoc ut eum qui judicio damnatus est si aliquis dixerit se posse docere quod justus sit, unde, inquam, hoc quod eum reducant ad domum judicii? quia scriptum est, innocentem non occides. Quamvis non sit justus, quia non est absolutus in domo judicii, nihilominus insons est à judicio mortis* &c. *Et unde hoc, ut is qui exit e judicio innocens, si quis possit docere in eo crimen esse, non reducatur ad domum judicii? quia scriptum est, Justum non occides. Nam iste justus est quem judices absolverunt.* Dicit innocentem esse, qui sine culpa est, licet damnatus sit à judicibus; justum vero qui culpam habet, licet à judicibus absolutus sit. ¶ *Non justificabo*] Non absolvam. ¶ *Improbum*] Reum sontem q. d. licet insons declaratus sit à judicibus, tamen à me non erit impunitus: ego in illum suo tempore animadvertam prout meretur. Hoc judicium mihi relinquendum erit. Aut improbum judicem, qui justum occiderit, ulla me injuria affecerit. Aben. *Justum in ea re, licet scias injustum esse in alia.* Vide sequentia.

8. *Et munus non accipies, quia munus excæcat oculatos, & subvertit verba justorum.*

Munus] Ne quidem illud, quod datur ab eo, qui causam justam habet. Nam munus accipere ad pervertendum judicium prohibuit antea, cum ait *non pervertes judicium.* Qui enim hoc prohibet, & illud prohibet. ¶ *Oculatos*] פקחים *apertos.* Jonathan, *oculos accipientium illud.* Huc refer illud Salomonis, *sapiens oculos habet in capite.* Contra stultus videns coecus est & in tenebris ambulat. R. Salomo, *etiam sapientem in lege* חכם בתורה i. *legis peritum.* ¶ *Verba*] Res, causas. Sic דבר sumitur in illo, Ad deos veniat verbum amborum i. causa, negotium. Lxx. ῥήματα δίκαια i. דברים צדקים · Sic etiam Onkelos, *verba recta*, & Jonath. quoque, qui addit, *scripta in lege.* R. Salomo, *verba justificata, judicia vera.* Saadias in eadem opinione fuit, quem Abenezra refellit. Quid si dicimus דברי esse pro דברים, ut alibi אחרי pro אחרים? ¶ *Justorum*] Qui justam causam habent. Nam alii sunt justi in lege, qui legis præcepta observant. De his alibi. Jonathan, *commiscet verba justorum in ore ipsorum hora judicii* i. pervertit, perturbat. Hisuni, *argumenta sive rationes justorum, dum in judicio causam dicunt.*

9. *Et peregrinum non vexabis, vos enim novistis animam peregrini, quia peregrini fuistis in terrâ Ægypti.*

Peregrinum] Advenam, προσήλυτον, גיורא· ¶ *Non vexabis*] Non affliges, non opprimes. Hieron. *Non eris molestus.* Nicolaus, *Peregrinus hic dicitur transiens per alienam terram, quem judex non debet molestare retardando facere judicium de injuria ei facta, ut iter suum possit exequi.* Tu latius accipe etiam pro eo qui peregrinus in aliquo loco habitat. Hieron. in Nahum, *Peregrini sunt quibus placet habitare in urbe non suâ.* ¶ *Novistis animum*] Scitis quo sit animo, quomodo sit affectus. Augustinus de vitâ Christiana, *Deus voluit populum suum in externa patria pro tempore peregrinum esse & captivum, ut captivitatis & peregrinationis miseriam disceret & labores, quo facilius postmodum misereri peregrinantibus & laborantibus nosceret, si ipse ante peregrinationis miserias didicisset. Nemo enim tam libenter peregrino & advena miseretur, quam qui peregrinationis exitus novit. Nemo libentius hospitem sine tecto, suo introducit hospitio, nisi qui ante indiguerit alieno* &c. ¶ *Animam*] *Angustiam animi* Jonathan.

10. *Sex annis seminabis terram tuam, & colliges proventus tuos.*

11. *Septimo autem anno dimittes eam & relinques eam, ut comedant egeni è populo tuo, & residuum eorum comedat fera agri. Sic facies vinea tua & oliveto tuo.*

Seminabis] Conseres, σπερεῖς. ¶ *Dimittes eam*] Lxx. ἄφεσιν ποιήσεις, remissionem facies. Unde annus ἀφέσεως ▪ est dimissionis, quando videlicet terra inculta dimittitur. Ebraicè תשמטנה· Jonathan, *dimittes eam à cultu suo* i. incultam. ¶ *Et relinques eam*] Santes, *dimittes eam.* Hiero. *requiescere facies.* Lxx. ἀνήσεις αὐτὴν, quod interpretantur, *requiem dabis ei.* Tremel. *relinquito eam incultam.* Jonathan, *liberos facies fructus ejus.* R. Salomo, *Dimittes eam à cultu: & relinques eam à cibo post tempus excussionis. Alias, dimittes eam à cultu integro, cujusmodi est aratio & satio: & relinques eam à stercoratione & ab ornatu.* Abenezra, *Dimittes eam, ut vocetur* שמטה *remissio, & non conserat unus vir cum socio suo egeno: relinques eam, ne conseratur. Simile, Et relinque annum septimum.* Hic quæstio movetur. Quid ergo ederent pauperes, si nulla satio erat? Respondeo id quod terra sua sponte proferebat. Quanquam Augustinus existimat etiam tunc seminatum fuisse. Cui adversantur Josephus & Ebræi. Vide Lyram. Vide Levit. 25. 3. & 20. 21. & 22. ¶ *Egeni e populo tuo*] Vel, *pauperes populi tui.* Lxx. οἱ πτωχοὶ τοῦ ἔθνους σου. Tremel. *qui tecum & cum tuis communi vivunt jure.* Supra, *judicium egeni tui.* quod hinc intelligentiam accipit. ¶ *Fera agri*] Vel, *bestia agri.* i. agrestis: & est singularis pro plurali. Unde alii, *bestiæ agrestes.* Vide Frag.

12. *Sex diebus facies opera tua, & die septimo cessabis, ut quiescat bos tuus & asinus tuus, & respiret filius ancillæ tuæ & peregrinus.*

Facies opera tua] Etiam anno septimo, licet annus sit remissionis. ¶ *Cessabis*] On. & Jon. *quiesces.* Lxx. ἀνάπαυσις i. *requies erit.* ¶ *Bos tuus*] Ab arando. ¶ *Asinus tuus*] à gestandis oneribus. ¶ *Respiret*] Santes, *requiescat.* Hiero. *refrigeretur.* Ebraice est ינפש, quod On. & Jon. reddunt וינוח & quiescat. Edit. Gal. *reprennent courage:* animum recipiant. ¶ *Filius ancillæ tuæ*] ערלאה i. *præputiatus, incircumcisus*, Jonathan. *De servo incircumciso Scriptura loquitur.* R. Salomo. ¶ *Peregrinus*] *Advena, inquilinus.* R. Salomo. Vide sis Nicolaum a Lyra.

13. *Et in omnibus quæ dixi vobis, cauti eritis, nomenque Dei alieni non memorabitis, neque audietur ex ore tuo.*

Cauti eritis] Cauti estote, vel, cavete vobis. Quidam, *continete vos.* Ebraicè תשמרו & est fut. pro imperativo. Hiero. *omnia quæ dixi vobis custodite.* בכל אשר אמרתי אליכם תשמרו· Sic etiam ol 6. Jes. 7. 4. השמר· Santes, *cave tibi.* ¶ *Dei alieni*] Vel, *deorum alienorum.* Quanquam אחר non tam alienus, quam alius, & sub. alius à vero. Hiero. *deorum externorum.* אלהים נכרים· Lxx. θεῶν ἑτέρων, deorum aliorum. On. & Jon. *idolorum gentium* i. quæ gentes colunt pro diis. Ad verb. *populorum.* Nam עממיא populi. אלהים אחרים Deus alius, ut אלהים קדשים Deus Sanctus, אלהים חיים Deus vivus. Vide libellum nostrum de hoc nomine. ¶ *Non memorabitis*] לא תזכירו Hiero. *non jurabitis.* ad sensum non malè. Aben. *Non recordabimini nomina ipsorum jurando per illos. Neque adjurabitis cultores eorum per illos. Hoc est quod ait, Neque audietur ex ore tuo, adjurando eos per nomina illa. Ne dic genti, Jura per Deum tuum.* Lxx. οὐκ ἀναμνησθήσεσθε, quod vertunt, non rememorabitis. Tremel. *ne recordemini.* לא תדכרון· Jonathan תדכרון: sed puto legendum תדכרון in Aphel, quemadmodum est in Onkelo. ¶ *Ex ore tuo*] Ita Hieron. Alii, *in ore tuo.* Ebraicè על פיך· Lxx. ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. Quod æmulatus est Hieron. i. מפיכם: Id Jonathan dixit in lingua Chaldaica על פומכון· Ad verbum, *super os tuum:* nisi mavis, *super ore tuo.* Quale illud, *super arbore sidunt* pro in arbore.

14. *Tribus vicibus celebrabis mihi festum in anno.*

Tribus vicibus] שלש רגלים vices i. פעמים, quo vocabulo usus est infra vers. 17. Lxx. τρεῖς καιρούς, quod reddunt, *tribus temporibus.* Malim vicibus, ut καιροὶ sint vices temporum. Quo significatu accipitur זמנין apud Chaldæos. ¶ *Celebrabis festum*] תחג ἑορτάσεις. Aben. exponit *sacrificabis.* Nam חג hostia, quæ die festo mactatur. Hoc non admodum se probat mihi. חג propriè festum denotat: inde חגג festum ago aut celebro. Idem רגלים à pedibus dictum existimat. Nam pedes iter faciebant plerique. Interdum ipsa festa eo nomine veniunt. ¶ *Mihi*] Mihi soli, non diis aliis. ¶ *In anno*] בשנה ἐν τῷ ἐνιαυτῷ, quoque anno, quotannis, per singulos annos.

15. *Festum azymorum custodies, septem diebus comedes azyma quemadmodum præcepi tibi, tempore mensis Abib: quia in eo egressus es ex Ægypto: neque comparebunt coram facie mea vacuè.*

Festum] Τὴν ἑορτὴν solennitatem. ¶ *Azymorum*] De hoc festo Josephus, Ant. hist. lib. 3. cap. 10. ad quem te adire volo. Cyrillus annotat diversum esse hoc festum à festo Paschatis, quanquam conjuncta sint. *Nam Pascha, inquit, solus dies appellatur, in quo agnus occiditur: reliqui septem azymorum dies dicuntur.* ¶ *Azyma*] Infermentata. ¶ *Mensis Abib*] Lxx. τοῦ μηνὸς τῶν νέων: & Hieron. *mensis novorum* i. novarum frugum. Onk. & Jon. *mensis Abbiba.* Hic mensis alio nomine *Nisan* vocatur, & est primus in anno Mosaico sive ecclesiastico. Quod autem ait, *septem diebus comedes azyma*, ei simile, *festum tabernaculorum celebrabis septem diebus:* diversum, *sex diebus operaberis.* Abenezra, *Non enim certè opus facere illis diebus omnes tenemur.* ¶ *Tempore*] למועד stato tempore. ¶ *Neque comparebunt coram facie mea vacuè*] ולא יראו פני ריקם· Hieron. *non apparebis in conspectu meo vacuus* לא תחזון· Onk & Jon. *Non comparebunt coram*

me vacui Lxx. οὐκ ὀφθήσῃ ἐνώπιόν μου κενός. Sententia in idem recidit. Quidam, *non videbuntur facies mea vacuè.* i. Sine munere aut dono. Quod Abenezra refellit, asserens τὸ יראו referri debere ad homines, non ad facies. Tremel. *ne ulli comparento coram me vacui.* ¶ *Coram facie mea*] Desideratur את ut sit את פני, quod explicant לפני. Sic alibi ונראה את פני & comparuit coram facie mea. Vide Abenezram. Hiscuni exponit, *facies masculorum, qui ad festum ascendunt. Nam ipsi & filii eorum mei sunt.*

16. *Et festum messis primitiarum operum tuorum, quæ severis in agro, & festum collectionis in exitu anni, quum colliges tu opera tua ex agro.*

Festum messis] *Solemnitatem messis* appellat. Hieron. τὴν ἑορτὴν θερισμοῦ Lxx. Perperam in textu Lyræ, *mensis* pro messis. Hoc festum alio nomine vocatur *Pentecoste* & Ebraico vocabulo *Asartha*, ut Josephus testis est i. עצרתא, quæ forma verbi Chaldaica est, non Ebraica. Celebrabatur elapsis septem septimanis post Pascha, hoc est 49. diebus in memoriam datæ legis in monte Sinai. Vide Lyram & Josephum loco citato. Ceterum messis Chaldaicè חצדא dicitur, vel חצדא· Hoc in Jonatha legitur, [illegible]d in Onkelo habetur. ¶ *Primitiarum operum tuorum*] בכורי מעשיך Hieron. *primitivorum operis tui.* בכורים primitiva, quæ primum omnium maturitatem adepta sunt, etiam suo tempore. Lxx. πρωτογεννημάτων τῶν ἔργων σου; quod interpretantur, *primitivorum operum tuorum.* τὰ γεννήματα, fructus πρωτογεννήματα, primi fructus. Sane בכור in fructibus, quod אב, unde Abib, in frugibus, מורים in pluvia, & בכורים in ovium grege. Τὰ πρωτόγονα reddunt Lxx. Mich. cap. 7. 1. ¶ *Operum tuorum*] Tremel. *laborum tuorum.* An ergo מעשיך labor i. יגע? ¶ *Messis*] Triticeæ. *Inter hanc messem & messem hordeaceam intermedii sunt septem hebdomadæ*, inquit Abenezra. Idem אביב interpretatur בכורי שעורה primitiva hordei. Vide ipsum, si placet. ¶ *Quæ severis*] Vel, *quas severis*, videlicet primitias. Sed præstat ad opera referre, quo vocabulo ipsos fructus denotat. ¶ *Festum collectionis*] Quo fruges colliguntur in horrea. Lxx. ἑορτὴν συντελείας i. consummationis. Quod אסף aliquando significat. Vide supra. Onk. & Jonath. *festum congregationis.* Rab. Salomo, *est festum tabernaculorum.* Vide Deuteronom. 16. 13. Theodoretus, *Scenopegia 40. annorum circulum repræsentabat, quibus in deserto in tabernaculis commorati sunt.* ¶ *In exitu anni*] Nicolaus, *hoc est immediate post exitum anni.* Satis coactè. Nam dixisset potius *in principio anni.* Rabanus, *exitum anni appellat finem æstatis, quando jam fructus totius anni collecti sunt.* Cajetanus, *Quod autem dicitur in exitu anni, nec spectat ad annum inchoatum primo vere (quoniam non in fine talis anni, sed in mense septimo fiebat hoc festum) nec spectat ad annum, ut multi dicunt, apud Ebræos incipientem in autumno, quia dicendum fuisset in principio anni, & non in exitu anni. Nam mensis qui dicitur septimus, est secundum istos initium anni, & festum hoc celebrabatur 15. die mensis septimi. Superest ergo, ut exitus anni referatur ad fructificationem terræ. Nam tunc est ultima pars anni relativè ad fructus terræ.* Lippomanus, *in exitu ejus anni in quo fructus percipiunt. Hic enim exitus anni dicitur tempus quo sol intrat, vel secundum alios libram egreditur.* Abenezra, *Quum exit annus & ingreditur annus alius. Nam incipiunt à septembri serere.* ¶ *Opera tua*] *Fruges tuas.* Hieron. *labores tuos.* Tremel. Ceterum inter festum scenopegiæ & collectam Thomas ità distinguit quod festum collectionis celebraretur demum octavo die festi tabernaculorum.

17. *Tribus vicibus in anno comparebit omnis mas tuus coram facie dominatoris DOMINI.*

Tribus vicibus] Ter. ¶ *In anno*] Quoque anno, quotannis. ¶ *Comparebit*] Hieron. *apparebit.* Lxx. ὀφθήσεται. ¶ *Omnis mas*] Omnes mares. Hos Abenezra vocat בני מצוה filios præcepti. Idem ægrotos ab hac lege excipit. Nam illi non poterant Jerosolymam ascendere sacrorum causa. ¶ *Coram facie dominatoris DOMINI*] Vel, *coram despota DOMINO.* האדון ὁ δεσπότης. Onk. & Jon. *coram domino mundi DOMINO.* Quanquam ה' etiam Deum sonat, & pro אלהים ponitur. Hieron. *Domino Deo* יהוה אדני· Sic etiam videntur legisse Lxx. Possemus vertere, *Dominus Adonai.* Nam cum ante nomen יהוה ponitur האדן, quod appellativum est, legitur per Adonai. Alias cum Adonai præcedit legitur Elohim. Cajetanus, *Lex ista non obligat nisi masculos à vigesimo usque ad quinquagesimum ætatis annum. Et cum hoc intellige exceptionem legitimi impedimenti, quoniam sale discretionis condita sunt leges Divinæ.* ¶ *Omnis mas*] Lxx. πᾶν ἀρσενικὸν, & Hieron. *omne masculinum.*

18. *Non mactabis super infermentato sanguinem hostiæ meæ, neque pernoctabit adeps agni mei usque mane.*

Mactabis] Immolabis, θύσεις. ¶ *Super infermentato*] Quamdiu fermentatum erit domi tuæ. Hieron. *super fermento* על חמץ· Lxx. ἐπὶ ζύμῃ, quod convertunt, *super fermentum.* חמץ magis fermentatum. Chaldaicè חמיע· Jonathan, *donec fermentatum erit in domibus vestris.* Nicolaus, *super fermento i. fermento existente in domo tua.* R. Salomo, *Non mactabis agnum paschalem 14. mensis Nisan, donec conbustum fuerit fermentatum.* ¶ *Sanguinem hostiæ meæ*] Vel, *victimæ meæ.* Quod videtur legisse in Hieron. Nicolaus. Nam ad hunc locum annotat, *Alia littera, sed minus correcta, victimæ tuæ.* Lovanienses observant novem manuscripta habere, *meæ.* Onkelos, *victimam agni mei.* Ad verbum, *Phase mei.* i. agni paschalis. Jonathan, *sanguinem mactati agni mei.* Lxx. αἷμα θυμιάματός μου. Videtur legendum esse θυσιάσματος. Quod in nonnullis codicibus. In aliis est ἁγιάσματος, & in aliis θυμιαμάτων. Sed editio Complutensis habet θύματος i. victimæ aut hostiæ. Aben. *est victima festi paschatis quæ comeditur cum azymis & picridibus.* ¶ *Pernoctabit*] ילין· Hieron. *remanebit.* Lxx. κοιμηθῇ, dormiet. De quo Augustinus in libris locutionum. Melius reddit Sym. Jes. 1. 21. ηὐλίζετο. Unde מלון quod Aquila vertit, αὐλιστήριον. Sym. αὐλισμός, pernoctatio in diversorio. Theodotio κατάλυμα, diversorium. Sed pro manere usurpatur Psal. 49. 13. *homo in honore non pernoctat* i. diu manet. Sic etiam Jes. 1. 21. Salomo Samuelides in libro Synonymorum ait usurpari de iis qui moram in aliquo loco diuturniorem trahunt. R. David scribit esse לשון שקידה ותמידות quæ vigiliam & continuationem sonant. Psal. 55. 8. אלין Lxx. ηὐλίσθην. Hieron. *commorarer.* ¶ *Adeps agni mei*] חגי ad verbum *festi mei*: sed hîc pro agno festi usurpatur. Sic חגא in Onk. qui vertit, *adeps mactati agni.* חרבי adeps i. חלבא· Jonathan pro חגא, in quo א loco Jod pronominis primæ personæ, habet פסחא, quod reddi etiam potest *agni mei.* Ceterum ad verb. *non pernoctabit*, Jonathan addit, *extra altare.* Idem R. Salomo. Cajetanus, *Quamvis carnes victimæ possent servari in diem alterum, adeps tamen incendi debebat eodem die per modum holocausti.* Nicolaus, *Adeps diei sequentis. Poterat tamen cremari super altare tota nocte.*

19. *Principium primitiarum terræ tuæ adduces in domum DOMINI Dei tui: non coques hœdum in lacte matris suæ.*

Principium] Non à quo quid incipit, sed quod primum & præcipuum est in aliqua re. Sic, *principium unguentorum.* Sic quidam enarrant, *principium scientiæ timor DOMINI.* Græcè τὸ ἐξαίρετον. Chaldaicè ריש i. *caput primitivorum.* Quanquam in Jonatha שירו· Tremel. *prima quæque, primitias terræ tuæ* ראשית· Abenezra, *Quum offeres munus primitiarum, offeres quod præstantissimum est.* Lxx. τὰς ἀπαρχὰς τῶν πρωτογεννημάτων τῆς γῆς, *primitias primitivorum terræ tuæ.* Sic etiam Santes. Sic Jerem. 2. 3. ראשית תבואתה *primitiæ proventus* (alias frugum) *ejus.* Sed forte melius, *primas fruges ejus* i. præstantissimas & optimas. ¶ *Primitiarum*] Vel, *primitivorum.* Jonathan, *primitivorum fructuum terræ tuæ.* Nota *terram* poni pro terræ fructibus. Aut fructus vocabulum continetur in nomine בכורים, quod malo. Nam ità vocantur primitivi fructus, vel, si mavis, primitivæ fruges. Vide Nicolaum hoc loco, qui hanc legem restringit ad annum septimum, qui remissionis annus dicebatur. ¶ *In domum*] *In domum Sanctuarii.* Onk. & Jon. ¶ *Non coques hœdum in lacte matris suæ*] Sub hœdi vocabulo R. Salomo vitulum & agnum comprehendi dicit. Idem omnem fœtum tenerum eo nomine significari scribit. Quod confirmat Abenezra Cant. 1. 8. asserens omnem parvulum vocari גדי, ibi autem capellam denotari. Sane legimus גדי עזים quod reddunt, *hœdum caprarum.* Quorsum enim adderetur *caprarum*, si non fœtum aliarum pecudum designaret? Ceterum Onkelos hîc habet, *Non comedes carnem cum lacte matris suæ.* Jonathan, *Popule mi, domus Israël non licet vobis coquere neque comedere carnem & lac mixta simul, ne iratus DOMINUS misceat vobis paleam cum frumento.* Lxx. οὐχ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ. Symmachus, οὐ σκευάσεις ἔριφον διὰ γάλακτος μητρὸς αὐτοῦ: non apparabis i. coques, hœdum in lacte (alii, per lac) matris suæ. Quæ Aben. notat de גדי Cant. 1. ea pugnant cum iis quæ notavit ad hunc locum. Nam ait tantum dici de capris, eandemque significationem habere in lingua Arabica. Idem differre scribit hœdum ab hœdo caprarum, quod hœdus major sit eo qui dicitur hœdus caprarum, qui adhuc inter capras versatur. *Sic variant*, inquit, *hircus & hircus caprarum. Sapientes autem tradiderunt non esse carnem edendam cum lacte materno.* Et mox, *Nemo comedit carnem cum lacte: Nam*

non est cibus suavis. Praeterea caro non coquitur nisi tempore multo secus quam lac. Quin hodieque in terra Ismaël non est moris, ut quis comedat agnum cum lacte, quoniam est in agno succus plurimus perinde ut in lacte. Ideò cibus noxius est. Quia vero caro hœdi caret humore, & cum parvus est, calida est; propterea coquunt eum in lacte. Sed ne mireris quare non consueverint homines horum locorum edere hœdum caprarum. Nam omnes Medici fatentur non esse carnem ei similem, quam etiam ægrotis concedunt, & comedunt eam in Hispania, & in Africa, & in terra Israël, & in Persia & in Babylonia. Et aliquantò post, *Quia moris non est ut comedant carnem crudam, ideo vetitum coquere eam in lacte matris suæ. Porro sunt qui existiment* בשל *tantum igne fieri, cum etiam sig. in aqua quippiam elixare. Neque opus est ut quæramus causam hujus legis, quæ latet intelligentes. Fortassis crudele erat coquere hœdum in lacte materno, juxta illud, Bovem & ovem ipsum cum filio ipsius non mactabitis. Similiter non accipies matrem cum filiis. Porro pauci hominum habent pecudes, sed emunt lac in foro, quod collectum est ex variis pecudibus: unde posset accidere, ut is qui hœdum emit, & nescit ubi sit mater ejus, eum coquat in lacte materno. Ideò sapientes statuerunt ne caro ulla coquatur in lacte. Fatentur autem etiam ipsi Arabes si hœdus coquatur in lacte matris suæ, ob convenientiam naturæ, carnem ejus suaviorem esse.* Quidam explicant, *in lacte matris suæ*, dum matris lac sugit. Alii, *cum matre lactante* q. d. satis tibi sit comedere hœdum, abstine à matre. Nam hoc præ se fert crudelitatem. Vide Deut. 22. 6. & infra 34. 26. Vide, si placet, annotationes Fagii in paraphrasin Onkeli: sed & Nicolai, qui Andream quendam citat, asserentis hoc intelligi debere de carnibus aliorum animalium, quæ nutriuntur lacte: non autem de carnibus avium quæ non nutriuntur lacte: item licet hoc dicatur de lacte matris, tamen intelligitur de omni lacte. Duas autem rationes adfert hujus præcepti. Una est quia crudele admodum coquere hœdum in lacte quo nutritur. Altera quia idololatræ hoc modo carnes coquebant. Andreas iste scripsit in totam Pentateuchum: item in alios libros Veteris instrumenti. Videtur vir doctus fuisse. De primitivis scribit R. Levi fructus illos & è terra Israël & è septem generibus illius terræ fuisse, videlicet tritico, hordeo, vite, ficu, malogranato, oliva, & melle palmarum. Ceterum inter ἀπαρχὰς & πρωτογεννήματα sic distinguit Augustinus Quæst. 22. lib. 4. Quæstionum, Πρωτογεννήματα, inquit, *sunt primi fructus de terra sumpti vel de arbore vel de vite. Primitiæ autem de fructibus quidem, sed jam redactis ab agro: sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.* Quæ differentia ex hoc loco infirmari potest. Nam primitiæ primitivorum nihil aliud sunt quam ראשית בכורי quod selectum & optimum est eorum. Vide R. Levi. ¶ *Terræ tuæ*] Utrum quam tu habitas, an quam tu possides. Hanc posteriorem sententiam tuetur R. Levi his verbis, *nisi fructus cum terra ipsius essent, non offerebat eos.*

20. *Ecce ego mitto angelum ante te, ad custodiendum te in via, & ad introducendum te in locum quem preparavi.*

Mitto] *Mittam.* Hieron. & rectè. Nam est præsens pro præterito. ¶ *Angelum*] *Christum.* Tremel. *Josuam.* Rabbanus. *Mosen.* Cajetanus. *angelum Michaëlem.* Abenezra. *librum legis:* quidam Ebræi. *Arcam fœderis:* alii. Ultimam opinionem ut & penultimam Abenezra merito damnat, & verba ventosa vocat. Rabbani stabilit Hiscuni per hæc verba, *Ecce ego mitto angelum prophetam & nuncium: & de Josua loquitur.* Cajetano adversatur quod mox ait, *ad introducendum te.* Sed respondet eum introducturum fuisse populum, nisi peccasset. Melius ut de angelo accipiatur sive is fuerit magni consilii angelus, sive alius qui præcedebat castra Israëlitarum in deserto. Videndus Lyra. Cui adjunges Abenezram ita scribentem, *Sunt qui dicant angelum esse librum Legis, quia scriptum est, & nomen meum in medio ejus: alii dicunt esse arcam fœderis. Quod autem sequitur, audi vocem ejus, id explicant vocem quæ scripta in eo, & dicunt, Non condonabit Deus scelus vestrum. Sed hæc omnia sunt verba ventosa. Nam Lex & Scriptura plena sunt hoc sensu, Ipse mittet angelum suum secum: Angelus qui redemit me ab omni malo. Sed & Moses dicit, Misit angelum suum & eduxit me ex Ægypto: item, Angelus faciei ejus servavit eos: &, egressus est angelus DOMINI: &, Dixit DOMINUS angelo exterminatori* &c. Et mox, *Nam angelus est Michaël.* R. Levi, *Angelus est propheta. Nam propheta vocatur angelus, quemadmodum diximus in præcedentibus.* Hiscuni, *Omni tempore quo facietis voluntatem meam, ego præcedam vos in columna nubis: sed si aversi fueritis à me, non ego mittam nisi Angelum.* R. Salomo, *Hic nuntiatur illis fore ut peccent, & divinitas dicit illis, certè non ascendam in medio vestri.* ¶ *Ad custodiendum te*] Vel, *ut custodiat te:* ne videlicet aliquid mali tibi accidat. ¶ *In via*] In itinere. ¶ *Ad introducendum*] Vel, *ut introducat.* ¶ *In locum &c.*] In terram promissionis. Lxx. εἰς τὴν γῆν. ¶ *Quem preparavi*] Tibi. Jonathan, *in locum divinitatis meæ* &c. alias, *habitationis meæ.* Nam אתר in Chaldaismo.

21. *Cave tibi à facie ipsius, & audi vocem ejus, ne exacerbes eum, quia non feret scelus vestrum, quamvis nomen meum in medio ejus.*

Cave tibi à facie ipsius] Vel, *ab illo.* Hieron. *Observa eum.* Lxx. πρόσεχε σεαυτῷ. Jonathan, *Admonitus esto à coram eo.* ¶ *A facie ipsius*] Ne illum ad iram provoces. Nam facies pro ira ponitur: unde illud, *facies DOMINI excidit eos:* &, *facies non erant ei amplius.* i. non amplius irata erat. ¶ *Audi vocem ejus*] Vel, *ausculta voci ejus.* ¶ *Exacerbes*] תמר futurum est conjugationis tertiæ, quam vocant Hiphil, & est anomalon pro תמר. Radix מרר, non מרה, ut in margine Bibliorum interlinearium. Ad hoc exemplum invenies ויסב 2. Sam. 20. 12. divertere fecit. In libro Radicum exponitur תמרה. Hieron. *nec contemnendum putes.* Lxx. καὶ μὴ ἀπείθει αὐτῷ, quod reddunt, *ne sis incredulus ei.* Malim, inobediens aut immorigerus, vel, si placet, imparens aut inobsequens: quorum prius legitur in Festo: alterum in Seneca. Licet etiam reddere, *ne sis contumax*, aut *rebellis.* Jonathan, *ne esto contumax contra verba ejus.* ¶ *Feret*] Condonabit. ¶ *Scelus vestrum*] Defectionem vestram. Onk. & Jon. *peccata vestra.* propriè *debita.* i. ὀφειλήματα. Hieron. *cum peccaveris.* Lxx. οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε: quod interpretantur, *non verebitur, non parcet, nihil subtrahet, non deerit tibi.* Vide Rom. Edit. ¶ *Quamvis nomen meum in medio ejus*] כי quamvis, licet i. אף כי. Ità sumitur hæc particula in illo, *condonasti iniquitatem* כי רב הוא quamvis multa sit. Vide Hiscuni. Sic Esth. 1. 20. & alibi. Alii aliter. Hieron. *& est nomen meum in illo* כי שמי. Onkelos, *quoniam in nomine meo sermo ejus.* Sic etiam Jonathan. Lxx. τὸ γὰρ ὄνομά μου ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ: nomen enim meum est in eo. Santes, *quia nomen meum in medio ejus.* Tremel. *quia nomen meum est in eo* i. quia Deus est, & non angelus creatus. Rab. Salomo, *Doctores nostri dixerunt hunc esse Mettatron, cujus nomen est sicut nomen principis ejus. Nam Mettatron in Gematria valet Saddai.* Hiscuni, *Potest dicere, Ego DOMINUS. Ipse est Mettatron, cujus nomen est sicut nomen principis ejus DOMINI: verum vocatur DOMINUS parvus. Et sic eum vocat poeta* בפזמון *in Phazimon* (*genus est carminis*) *AINA, quod canunt in Germania in principio anni.* R. Salomo & Abenezra referunt hoc membrum ad initium capitis, hac sententia, *Cave tibi ab illo, quia nomen meum in medio ejus.* Aben. videtur pronomen referre ad populum, sive quod idem ad castra i. מחנה. Sic alibi, *nam tu DOMINE in medio populi hujus.* Vide, si otium est. *Ut centrum*, inquit, *in medio circuli, sic gloria Dei erat in medio castrorum.* In notis Vatabli, *Cave tibi ab eo, quia quæ dicet nomine meo dicet.* Quod haustum è Fagio, qui verba Onkeli, *in nomine meo erit sermo ejus*, ita enarrat. Rabanus, *Bifarie nomen DOMINI erat in Josue, & quia Israelita, & quia* יהשוע *Latinè sonat DOMINI salus.* Id Græcè legitur apud Eusebium ἰαὼ σωτηρία. *Iao.* i. יהו, quod melius scribitur JAVO. Hugo de Sancto Victore, *Nomen meum in illo est i. gloriam & potentiam meam manifestabo per illum.* Cajetanus, *Nomen meum erit in intimis ejus, ideo non parcet vindicando injurias nominis mei.* בקרבו in medio ejus i. in corde ejus. Expende. Novum non est, ut medium pro corde ponatur. Contra cor pro medio usurpatur. Quod notavi pridem in libellis meis. Aben. notat תמר idem esse cum תמרה, licet diversæ sint radices. Id significat rebellare. De hoc angelo vide, quæ Lippomanus annotavit, cujus expositio cum Aben. sententia quadrat. Rab. Levi, *Quia nomen meum i. verbum meum in eo.* Novum hoc in auribus meis, imo durum & coactum.

22. *Nam si audiendo audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquar, inimicabor cum inimicis tuis, & hostiliter agam cum hostibus tuis.*

Nam si] Vel, *Quod si.* Pro, *si*, licet etiam reponere, *quum.* ¶ *Audiendo &c.*] Onk. *recipiendo receperis sermonem ejus.* Nec aliter Jonathan. Tremel. *Sedulo auscultaveris voci ejus.* optimè & rectissimè. Nam auscultat propriè qui auditis paret. Sequitur, *& feceris omnia quæ loquar.* Nam angeli vox Dei vox est. Abenezra hoc illustrat simili. Luna lucet luce aliena, hoc est, à sole mutuata. Ea lux modo vocatur lux lunæ, modo lux solis. Si ergo Ruben dixerit Hæc est lunæ lux; & Simeon, Hæc est solis lux, uterque verum dicet. Pulchra simi-

militudo. ¶ *Loquar*] Vel, *loquor.* ità Hieron. ¶ *Inimicabor cum inimicis tuis*] Tremel. *Inimicabor inimicos tuos.* Dubito an Latinum sit. Hieron. *Inimicus ero inimicis tuis.* Lxx. ἐχθρεύσω τοῖς ἐχθροῖς σου. On. & Jon. *Odio prosequar osores tuos.* Nam שנא osor. Santes, *odio habebo odio habentes te.* Alius, *tuis perduellibus perduellis ero.* ¶ *Inimicabor*] Inimicitias exercebo, inimicè agam. Cicero hoc significatu usus est. Notum את etiam *cum* significare i. עם. ¶ *Hostiliter agam cum hostibus tuis*] Vel, *adversabor adversariis tuis.* Nam צר & צרר adversarius. Aliter, *premam eos qui te premunt.* Hieron. *Affligam affligentes te.* Lxx. ἀντικείσομαι τοῖς ἀντικειμένοις σοι quod vertunt, *adversabor adversariis tuis.* Onk. ואעיק לדמעיקין לך. Jon. לדמעיקין. Verbum צור sig. etiam obsidere aliquem.

23. *Quum ibit angelus meus ante te, & adducet te ad Emoræum & Hethæum & Pherezæum & Chananæum, Hevæum & Jebusæum, & excindam eum.*

24. *Non adorabis deos ipsorum, neque servies eis, neque facies secundum opera eorum: sed destruendo destrues eos & confringendo confringes statuas eorum.*

Ibit ante te] Præcedet te i. castra tua. ¶ *Adducet*] Vel, *introducet.* ¶ *Ad Emorræum*] In terram Emoræi, &c. Vetus lectio, *ad Amoræum*, quod Græci scribunt Ἀμορραῖον, Amorræum. ¶ *Chananæum*] Græci addunt καὶ γεργεσαῖον: quæ minima erat septem gentium, ut observat Abenezra: ideò non sollicitus fuit de illa memoranda. ¶ *Excindam eum*] Id est unumquemque eorum. Quidam, *excindam eum*, Nempe Gergeſæum, quem è vestigio excidit: reliqui paulatim excisi fuerunt. Vide Abenez. Onk. & Jon. *excindam eos.* Senes quoque καὶ ἐκτρίψω αὐτούς Sed & Hieron. *quos ego conteram.* ¶ *Deos ipsorum*] Onk. & Jon. *Idola ipsorum.* ¶ *Neque servies eis*] Vel, *non coles eos.* Quod in Lxx. οὐδὲ μὴ λατρεύσῃς αὐτοῖς. Colit autem Deum, qui facit ea quæ præcepit, qui amat eum, eique adhæret, qui jurat per nomen ejus, precatur eum & sacrificat, honoratque dando decimas. *Qui hoc facit*, inquit Abenezra, *merces ejus cum eo est.* Sunt autem quatuor in hoc mundo. Primum est, *Benedicet pani tuo & aquæ tuæ.* Secundum, *Amovebo morbum è medio tui.* Tertium, *non erit abortiens aut sterilis in terra tua.* Quartum, *numerum dierum tuorum implebo.* ¶ *Secundum opera eorum*] Quemadmodum illi faciunt. Hieron. *non facies opera eorum.* Idem aliter. Lxx. οὐ ποιήσεις κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. Jon. *Secundum opera ipsorum mala.* ¶ *Destruendo destrues*] Vel, *demoliendo demolieris.* Id Chaldæi תרע & סתר dicunt. Nam hæ litteræ permutantur apud eos. Lxx. καθαιρέσει καθελεῖς, destructione destrues. ¶ *Eos*] *Domum adorationis eorum.* Jonathan. i. delubra eorum, quæ Græci *Idolia* vocant. Nam εἰδωλεῖον fanum idoli. ¶ *Statuas eorum*] מצבתיהם. Lxx. τὰς στήλας αὐτῶν. Est autem στήλη statua. Sulpitius *titulum* appellat. Voce Græca usus est Plinius. Gen. 28. 22. hoc nomine venit lapis erectus à Jacobo. R. Salomo מצבות *sunt lapides erecti adorandi causâ.* Jonathan, *statuas imaginum ipsorum.* Nove autem dixit קמתהון ex absoluto קמא statuæ. Esset autem קמת in regimine.

25. *Et servietis DOMINO Deo vestro, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amovebo morbum è medio tui.*

26. *Non erit abortiens neque sterilis in terrâ tuâ, numerum dierum tuorum implebo.*

Servietis DOMINO Deo tuo] Vel, *coletis DOMINUM Deum tuum.* ¶ *Benedicet pani tuo &c.*] Nam absque Dei benedictione nec panis alere quenquam, nec aqua potest restringere sitim. Ex quo illud, *Comedetis, sed non ad saturitatem.* Sic alibi, *tu comedes, sed non saturaberis.* ¶ *Pani tuo*] *Alimonia cibi tui.* Jonathan. *cibo tuo.* Onkelos. *panibus tuis & aquis.* Hieron. τὸν ἄρτον σου καὶ τὸν οἶνόν σου, καὶ τὸ ὕδωρ σου. Lxx. Adhæc cibus indiget benedictione, quia ex eo plerique morbi. Adeundus Abenezra. ¶ *Aqua tua*] Latè ad quemvis potum extendi debet. Itaque vinum & cerevisia, tum etiam potus ex pomis factitius sub eo nomine continetur. ¶ *Amovebo*] Auferam, removebo. ¶ *Morbum*] מחלה. Hieron. *infirmitatem.* Lxx. μαλακίαν. Lex vetus, μαλακία, *mollicia.* Plerumque de mollitie animi dicitur. Est & stomachi *malacia*, debilitas & languor. Interpres Romanus, *infirmitatem*, hoc loco reddit. Math. 4. 23. pro iis morbis accipitur, quibus correpti, etsi non decumbunt, tamen languent & contabescunt Deuter. 7. חלי Lxx. μαλακία. Hieron. *languor.* Cæterum Jonathan hoc loco habet, *plagam amaram.* Abenezra, *Sunt morbi qui extrinsecus accidunt, puta ex mutatione aëris aut aliunde. Tales*, inquit, *auferam è medio vestri. Sane qui observat legem, non indiget medico cum Deo.* Ideò scriptum est, *Etiam in morbo suo non requisivit DOMINUM, sed Medicos.* ¶ *Abortiens*] משכלה quæ abortit sive abortum facit, abortiens. Chaldaicè מתכלא & תכלא. Etiam orba ita vocatur. R. Salomo, *quæ projicit abortivos fœtus autsepelit filios suos vocatur* משכלה. Sane quidam habent hoc loco, *non erit orba.* Id Munsterus correxit, *non erit abortivum faciens.* Abenezra, *Quisque eorum gignet filios, qui non morientur viventibus patribus eorum.* Hieron. *infœcunda.* Nicolaus, *Dicitur infœcunda quæ parvam prolem habet, & nullius aut modici valoris. Sterilis quæ nullam habet.* Lxx. ἄγονος. Lex. Græco Lat. vetus, Ἄγονος, *sterilis, infertilis, infœcundus.* Ἀγονία, *sterilitas, infertilitas.* ¶ *Sterilis*] στεῖρα. Hoc etiam ad pecudes extendi debet. ¶ *Numerum dierum tuorum implebo*] Nicolaus explicat, *Vita tua non breviabitur infirmitate, peste, fame aut gladio.* Hisce uni, *eris senex & plenus dierum: contra de improbis dicit, Dies improborum decurtabuntur.* Abenezra, *Cuique spatium determinatum & tempus notum, quo potest vivere juxta copiam caloris & humidi nativi. Qui autem Deo adhæret roborat calorem illum & humidum naturale virtute animæ rationalis. Tunc vivit homo ultra tempus determinatum. Sic enim certe scriptum est, Timor DOMINI adjicit dies, anni vero improborum præcidentur. Et alibi, In medio dierum ejus deseret eum. Et ecce qui moritur in bello aut in clade aliqua non moritur die suo tempore definito sive determinato secundum naturam caloris & humidi, quia extrinsecus advenerunt ei accidentia. Et ecce Deus liberat ex his omnibus eum, qui illi adhæret. Sane in Lege habetur, Ne moriatur in bello: Et dicit Salomo, Quare morieris in tempore non tuo?* Est & spacium vitæ humanæ, 70 aut 80 annorum, ad quod pauci perveniunt. Lippomanus, *Impleri numerum dierum, Ebraismus est pro senectutem laudabilem consequi & prolongari in annos vitam absque ulla ægritudine.* Glos. interl. *Ut moriaris, scilicet senex & plenus dierum.* Theodoretus, *Definitam hominibus vitam intelligit, hoc est, in longam senectutem vitam tuam producam: quemadmodum enim intempestivam mortem non obedientibus sibi minatur, ità obedientibus sibi longam vitam pollicetur: neque enim, quod plerique putant, credendum est, Certum quendam atque eundem terminum vivendi omnibus hominibus statutum esse.* Vide sequentia. Habentur autem in Catena Patrum fol. 229. pag. 2. ¶ *Dierum tuorum*] *Dierum vitæ tuæ* Jonathan. ¶ *Implebo*] *Perficiam de die in diem.* Idem.

27. *Terrorem meum mittam ante vos, & conteram omnem populum, ad quos venies, & ponam omnium hostium tuorum ad te cervicem.*

Terrorem meum] Terror Dei i. magnus vel à Deo immissus. Sic *pavor Dei.* Vide Gen. 35. 5. & 1 Sam. 14. 15. Eodem modo sumitur *metus Dei* 2 Paralip. 20. 29. q. d. mittam in animos gentium illarum terrorem, quo perculsi & consternati, non resistent vobis, sed fugam capessent. ¶ *Et conteram*] והמתי & frangam sive conteram. Sed variè redditur. Lxx. ἐκστήσω, amentes faciam, in excessum & pavorem inducam. Hieron. *occidam.* Videtur legisse והמתי. R. Salomo, *Interpres qui vertit* והמתי *& occidam, errat. Nam si esset à verbo* מות *neque He patach haberet, neque Mem Dages, neque sequeretur os plenum* i. Holem. On. & Jon. ואשגש perplexum reddam. Quanquam in nonnullis codicibus Onkeli ואקטול & confringam. Priorem scripturam agnoscit R. Salomo. Tremel. *& fundam quemlibet populum.* Gallica editio, *effrayerai, ou mettrai en route.* Santes, *perdam.* Arias, *frangam.* Munsterus, *tumultuari faciam.* Sic etiam Leo Judæ. Radix המם. Ceterum pro *terrorem meum*, in Lxx. est τὸν φόβον. Sed è Scholio notatum τὴν κατάπληξίν μου, terrorem meum obstupefacientem. Jes. 28. 28. והמם. Hieron. *vexabit.* Santes, *conteret.* Tremel. *quatit.* Kimchi כמו ויהמם Psal. 18. 14 ויהמם & contrivit eos. Tremel. *fundit.* Santes, *perdidit.* Arias, *conturbavit.* Sic etiam Hieron. ac si esset ab הום. Fortè המם idem significat. Esther 9. 24. להמם. Santes, *ut contereret eos.* Exod. 14. 24 ויהם. San. *contrivit.* Lxx. συνετάραξε. Jerosol. *conturbavit.* Gal. *mis en route.* Tremel. *fudit.* Onk. *perplexos reddidit.* ¶ *Populum ad quos*] Constructio sensu congrua, non voce. Nomen enim עם collectivum est. Hieron. elegit *ad quem.* Posses Latine vertere, *quem invades.* ¶ *Ponam omnium hostium tuorum ad te cervicem*] Ad verb. *omnes hostes tuos* q. d. faciam, ut tibi cervicem obvertant. Quod est signum fugientium. Unde Hieron. *Cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Abenezra, *Effectus terroris est, quod ponent tibi cervicem suam: & est sensus, quod fugient te cum videbunt te.* Onk. & Jon. *Daboque omnes hostes tuos ante te vertentes terga.* Alias, *obvertentes cervicem.* ¶ *Ad*

quos

quos venies] Iidem, *ad conserendum prælium.* ¶ *Cervicem*] R. Salomo, *fugient à te, & obvertent tibi cervicem.* Lxx. δώσω πάντας τοὺς ὑπεναντίους σου φυγάδας. Ceterum *ponam* positum videtur pro illo, faciam ut ponant aut dent cervicem versus te. Id aliter dicunt, *cervicem vertere coram hostibus.* Vide Jes. 7. 8. Jerem. 2. 27. item 32. 33. & 48. 39. Cervicem dare 2 Paralip. 29. 6. *Manus tua in cervicem hostium tuorum* Gen. 49. 8. *Hostium meorum dedisti mihi cervicem.* Psal. 18. 41. Id exponunt, fecisti ut mihi cervicem ac tergum obverterent q. d. conjecisti eos in fugam. Aut, *dedisti cervicem, exponis eos mihi necandos & quasi decervicandos.* ¶ *Ad te*] Versus te, ut cervicem tibi obvertant, quemadmodum fugientes solent.

28. *Mittamque crabronem ante te, qui expellet Hevæum & Chananæum & Hetthæum à conspectu tuo.*

Crabronem] הצרעה crabronem i. crabrones aut examen crabronum. Lxx. σφηκίας i. examina vesparum sive crabronum. Nam crabro vespæ similis est. Unde confunduntur. Lex. vetus. σφὴξ grabro, crabro, vespa. Est autem vespa aculeatum insectum, quod vesperi putatur muscas venari in cibum. Chaldaicè עירעיתא & אירעיתא quod infesta homini occurrat, ut quidam volunt. Nam ערע & ארע occurro. Forte עירעיתא factum ex Ebræo צרעה Sade, ut fit, in Ain versa, ut ex pes dicimus per ovis. R. Salomo, *Reptile volucre ejus generis, quod oculos ferit & jacit in eos venenum, unde moriantur homines.* Lippomanus, *Speciem esse dicunt reptilis alati, venenosum aculeum habentis, haud dissimilis api.* Abenezra morbi genus esse putat. Sic enim certè scribit, *Plaga est in corpore, quæ debilitat vires hominis.* Ex derivatione צרעת Lepra. Quidam *assimilantem* subaudiunt ut sit, *tanquam vespa:* cui simile in Latio, *nec excitatur classico miles gravi.* Sensus enim est, *ut miles.* Sic *fuit apud eam alumnus*, tanquam alumnus. Hiscuni opinatur sermonem esse proverbialem q. d. non gladio, non arcu eos expellam, sed re levissima. Dicunt Ebræi vespam non transivisse Jordanem. Vide Jarium. Quod autem scriptum est, *& expellet Hevæum* &c. in Massecheth Suta R. Lacis dicit, *In ripa Jordanis stetit, & sparsit in eos fel.* Rab. Phapha dicit, *Duæ vespæ fuerunt: una Mosis & altera Josuæ. Et Moses quidem non transivit, sed Josue transivit.* Nicolaus, *Crabrones* i. *anxietates animi eos pungentes, sicut aculei. Judæi enim crabrones dicunt ad litteram* i. *muscas de cadaveribus exortas, habentes aculeos venenatos.* ¶ *A conspectu tuo*] Onk. & Jon. *à coram te.* Hieron. *ante quam introeas.* Lxx. ἀπὸ σοῦ: à te.

29. *Non expellam eum à facie tuâ anno uno, ne terra fit desolata, & multa fit supra te fera agri.*

30. *Paulatim expellam eum à facie tua, donec fœtaveris & possederis terram.*

Eum] Quemlibet eorum: vel αὐτοὺς i. eos. ità Lxx. Hier. Onk. & Jon. & sub. *populos.* ¶ *Desolata*] Vacua habitatoribus. Nam pauciores tum erant quam ut regionem tam latam replere potuerint. Onk. & Jon. *vasta.* Hieron. *ne terra in solitudinem redigatur.* Lxx. ἔρημος. R. Salom. ריקן מבני אדם vacua hominibus. ¶ *Multa fit supra te*] Superet te numero. Onk. & Jon. *multiplicetur supra te.* Alias, *contra te.* Quidam, *potentior fit te.* Nam רב etiam *potentem* denotat. Hier. *ne crescant contra te bestiæ.* Lxx. πολλὰ γένηται ἐπὶ σὲ τὰ θηρία τῆς γῆς. Addit Jonathan, *Quando veniunt ad comedendum cadavera sua & lædant te.* ¶ *Paulatim*] מעט מעט parum parum, quod Itali dicunt *poco à poco*, & Galli, *petit à petit.* ¶ *Fœtaveris*] Fœtificaveris, excreveris, auctus fueris numero, multamque sobolem procreaveris. ¶ *Possederis*] Plenè & quietè.

31. *Ponamque terminum tuum à Mari Suph usque ad mare Philisthæorum, & à deserto usque ad flumen; Nam dabo in manum tuam habitatores terræ illius, & expellam eos à facie tua.*

32. *Non percuties cum illis neque cum diis illorum fœdus.*

33. *Non habitent in terra tua, ne quando peccare faciant te mihi, quum servies diis ipsorum, quia erit tibi in scandalum.*

Ponamque] ושתי & ponam ושמתי לשון ait R. Salom. Malè in quibusdam libris ושתתי. Nam thema est שית posuit: & tertia absorbetur in Daghes ob concursum alterius Thau. ¶ *Terminum tuum*] Terminos & limites terræ tuæ. ¶ *A mari Suph*] i. Rubro. Sinum Arabicum appellant; & est terminus terræ Israël ab oriente. Alibi terminus orientis ponitur mare salis, quod mortuum vocant. Vide Num. 34. 3. ¶ *Usque ad mare Philisthæorum*] Hieron. *Mare Palæstinorum* vocat. Vulgo mare mediterraneum dicitur. Vocatur & mare magnum, quia cetera maria terræ Chanaan in ejus comparatione minora sunt. Hinc intelliges quid sit, *Dominabitur à mari ad mare.* Zach. 9. 10. ¶ *A deserto.*] Ægypti. Nicolaus, *Suris, quod Ægyptum spectat.* Tremel. *In quo Israëlitæ oberrarunt 40. annos.* Hiscuni, *Erat autem terminus australis: & finis terræ illius.* Unde intelligentiam habet, *à Fluvio usque ad fines terræ.* Ebraicè מן הנהר. ¶ *Usque ad Flumen*] Euphratis. Hic terminus Aquilonem spectat. Glossa interlinearis de his 4. terminis ita scribit, *Mare rubrum de oriente intellige: mare Palæstinorum, quod est mare Mediterraneum, mare magnum & mare Tyrrhenum, ab occidente. Desertum autem à meridie. Nam post Bethlehem una tantum est civitatula quæ Thecue alias Theone* (lego, Thecoe) *dicitur, & post illam sequitur statim vastitas deserti. Fluvium autem qui est Euphrates à septentrione.* ¶ *Dabo in manum tuam*] Hoc non fuit completum ante Davidem. Causam reddunt οἱ θεολογούμενοι, quia sæpe peccando Deum offenderant. Qua de re videndi sunt Hieron. & Theodoretus. Verba Hier. *Et ego fateor hæc tibi Judæe repromissa, non tradita, si observasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses, si non pro omnipotente Deo coluisses Beelphegor & Baal, Beelzebub & Chamos: quos quia prætulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerunt perdidisti. Et mihi in Evangelio promittuntur regna cœlorum, quæ instrumentum vetus omnino non nominat. Sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me qui promissum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustra cupias quod promissum est.* Theodoretus, *Introduxit ergo Deus illos in terram quam promiserat eis. Quia vero divinam legem observare noluerunt, non universam illis dedit, sed quasdam nationes reliquit, quæ cum Israëlitis continenter bellum gererent, ut bello vexati divinum auxilium implorare cogerentur. Id quod egregiè admodum Judicum historia patefecit. Davidi tamen etiam has gentes subjecit* &c. ¶ *Percuties*] Porriges, inibis, feries. ¶ *Cum diis ipsorum*] Cum idolis ipsorum. ¶ *Fœdus*] Διαθήκην. ¶ *Non habitent in terra tua*] Jonathan, *Ne facias illis habitationes in terra tua.* ¶ *Ne quando*] Hieron. *Ne forte.* ¶ *Peccare faciant te*] Jonathan, *Seducant te & peccare faciant te.* Peccare autem angusta significatione dicitur, qui colit idola, & peccare facere, qui autor est idololatriæ, ut olim Jeroboam, cum erigeret duos vitulos, unum in Dan & alterum in Bethel. Itaque de illo legimus, *Et peccare fecit Israëlem.* Sic de aliis regibus idololatris. ¶ *Mihi*] In me. ¶ *Quum servies*] Vel, *nam servies* &c. Si apud te habitaverint, inducent te ad religionem suam: undè tibi exitium & ruina. R. Salomo annotat כי in hoc membro & in proximo sequenti usurpari pro אשר. Sane Hieron. mox, *quod tibi certè erit in scandalum.* Lxx. ἐὰν γὰρ δουλεύσῃς τοῖς θεοῖς αὐτῶν &c. Augustinus, *Hic Græcus δουλεύσῃς habet, non λατρεύσῃς. Unde intelligitur, quia & δουλεία debetur Deo tanquam DOMINO, λατρεία vero non nisi Deo tanquam Deo.* ¶ *Quia erit tibi in scandalum*] Tremel. *Nam id esset tibi in tendiculam, nimirum fœdus cum illis, affinitas, habitatio communis & conversatio: Sic autem explicatur hic locus Deut. 16.* Nicolaus, *Non inibis cum eis fœdus: per amicitiam vel connubia.* ¶ *In scandalum*] Alii, *in laqueum:* alii, *in offendiculum.* Lxx. οὗτοι ἔσονταί σοι πρόσκομμα i. impactio pedis. Hic finit liber fœderis, qui Ebraicè ספר הברית: quod notavit Abenezra. Idem alibi, *Initium hujus libri continet admonitionem de vitanda idololatria: similiter finis ejus. Sed discrimen est. Nam in principio præcipit ne faciant cum Deo vero Deos argenteos & aureos: in fine autem jubet excindi Deos repertos in terra Chanaan. Nam qui colit idola, perinde facit ac si violaret omnia præcepta negantia. Et non proderunt præcepta affirmativa neque in hoc neque in futuro seculo.* Hactenus Abenezra. Cui consentanea scribit Rupertus, *Quod sermonis*, inquit, *hujus fuit exordium, ipsum medium, ipsum & finis est. In exordio namque dictum est, Non habebis Deos alienos coram me. In medio autem, Qui immolat diis occidetur, præter DOMINO soli. Porro hic in fine dicitur, Non inibis fœdus cum diis eorum &c.* Vide sequentia. Hiscuni, *Sunt qui dicant a verbis illis, Sex annos seminabis, usque ad hoc, Quæ erit tibi scandalum, dictum esse in fine 40. dierum posteriorum. Quod autem scriptum est in sectione הנה, Ecce angelus meus ibit ante te: &, Mittam ante te angelum meum, & Custodi tibi, usque ad In lacte matris suæ, id dictum esse volunt in fine 40. dierum priorum &c.*

A M A M A.

1. **E**br. : לא תשא שמע שוא אל תשת ידך עם רשע להית עד חמס Vulg. *Ne suscipias vocem mendacii nec jungas manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium.*] Ut nihil jam dicam שמע שוא melius reddi, rumorem vanum tollere, proloqui, efferre, proferre, vel authorem esse (sic enim נשא accipitur in similibus, tollere parabolam i. authorem esse parabolæ, tollere lamentum, vocem, convitium, canticum, næniam, prophetiam) quam suscipere i. admittere vocem mendacii, hoc tantum observo, quod ante me Steuchus Vulgatæ Patronus observavit his verbis, *Non puto sic scripsisse Hieronymum, sed potius*, ut cum impio dicas fall. test. *quod esset Ebraicæ veritati consonum, quæ habet sic* אל תשת עם רשע *patetque aliam sententiam esse hanc, & res quidem clara est. Eodem quoque modo habent &* Lxx. οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου : *non consenties cum impio.* Hæc Steuchus. Addo & Chaldæum diserte sic habere. Dicit Steuchus se credere Hieronymum seu Vulgatum non ita scripsisse. Romani correctores tamen nihil mutarunt, sive Hieron. ita scripserit, sive secus, insuper habentes. Nobiscum faciunt Lyra, Bened. & Cajet.

6. Ebr. לא תטה משפט אביונך בריבו *non pervertes judicium pauperis tui in lite ejus.* Vulg. *Non declinabis in judicio pauperis.*] Lippomanus, Pauperis tui] *Emphasin & pondus habet*, tui, i. *qui tecum versatur, quem tu alere debes.* Alii, *tui*, qui est ex populo tuo. Ut ut sit, non sine causa additum affixum ad אביון aut vox בריבו ad versum; quæ duo Vulg. neglexit. Chald. & Lxx. licet affixum neglexerint, alterum tamen expressere. Vide Steuchum hoc loco.

13. Ebr. : שם אלהים אחרים לא תזכירו Vulg. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis.*] Nimis restrinxit Vulgatus textum Ebræum, is enim sic sonat, *nomen aliorum Deorum non memorabitis.* Itaque & sic Benedictus Parisiensis textum Vulgatum correxit, ponit enim in margine, *memorabitis*, atque insuper addit, *non solum jurando sed nec laudando, probando vel obtestando, quæ plus sunt quam jurare.* Et Card. Cajet. *Longe plus prohibetur per hanc legem quam jurare.* Idem Steuchus asseverat. Lxx. etiam nobiscum faciunt, οὐκ ἀναμνησθήσεσθε, Chald. לא תדכרון utrumque, *non memorabitis.*

26. Ebr. *Non erit* משכלה *abortiens aut* עקרה *sterilis in terra tuâ.* Vulg. *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua*] Vulgatus jungit duo Synonyma, *infœcunda* & *sterilis*, cum in Ebræo diversa sint. עקרה extra controversiam est sterilis, infœcunda. At משכלה abortiens. Excute omnia loca, quibus ea vox se offert, excute omnia Lexica. Si esset in part. pass. משכלה posset reddi *orbata*. Hinc Chald. optime reddidit per מתכלא, Lxx. autem ἄτεκνος i. illiberis, improlis, ἄγονος. Non satis probo. Nec tamen ea interpretatio Vulgatum vel hilum juverit, diversa enim & ea sunt. Sic dico, non omnis ἄτεκνος infœcunda est. Potest enim vel maxime fœcunda fieri & mori ἄτεκνος, quales Ebræi dicunt sepelire natos suos. Rem claram facit experientia. Vide jam *Cajet. & Bened. & R. Sal.*

D E M U I S.

19. & 34. 26. (& Deut. 14. 21.) *Non coques hædum in lacte matris suæ*,] Studuit semper Deus omni ratione Israelitas suos ad clementiam & mansuetudinem erudire, nec erga homines modo sed etiam erga bruta animantia, quò scilicet eò magis ad mansuetudinem erga homines informarentur. Nam quorsum, quæso, spectat illa lex Lev. 22. 28. *Bovem autem vel pecus, ipsum & filium ejus non mactabitis die unâ* : & quorsum illa altera, Deut. 22. 6. *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non accipies eam cum filiis*, nisi ut docerentur Israelitæ fugiendam esse omnem crudelitatem, colendam verò mansuetudinem? Haud alia profectò ejus legis quâ cavetur ne hœdus in lacte matris suæ coquatur videtur esse ratio. Quis enim vel paulùm humanior eat inficias crudelitatis aliquam saltem speciem habere, si lac maternum nutricationi à natura datum in diversum adeò usum convertatur, consumendoque pecori adhibeatur? Ità sentiunt Isaacus Arama & alii, qui etiam censent *hædi* nomine intelligendam ovem, & quicquid lac habet. At cur oblationi primarum frugum statim subnectatur hæc lex si quis fortè quærat, responderi potest ex Hebræis, quòd tempore primarum frugum augescant ac recrescant hœdi. Autor est Bechai docere Ramban quòd in more esset apud idolorum cultores ut festos dies agentes carne vescerentur in lacte coctâ idque suis in templis, eam ob rem carnem lacti incoctam Lege interdici : atque ideo postquam Israelitis ut ter in anno festos celebraturi in ædem Domini convenirent præscriptum, subjici mox, bis saltem, (nempe Exod. 23, & 34.) *Non coques, tum* scilicet, *hædum in lacte matris suæ*, sicuti solent idolorum cultores. In eadem ferme sententia est Abarbanel, qui illud fecisse idolorum cultores ait tempore collectionis frugum, sperantes ob id largiorem proventum in posterum, deumque suum scilicet magis propitium. Uterque sanè, & Ramban & Abarbanel, satis se mihi probarent si morem illum probarent, de quo nihil usquam legitur quod sciam. Aliorum sententiæ indignæ sunt quæ referantur, nisi fortè illorum qui censent ejusmodi præceptorum seu statutorum non esse nimis anxiè indagandam rationem : multa quippe sapienter à Deo esse instituta quorum causæ vel sapientissimos mortalium lateant. Nam quid humanæ mentis acies ad immortalis atque æternæ mentis consilium?

G R O T I U S.

3. **P***Auperis quoque non misereberis judicio*] Imponit enim multis falsa species misericordiæ, aut etiam famæ talis aucupatio. Quintilianus XII. 7. *Summovendum verò utrumque est ambitus genus, vel potentibus contra humiles venditandi operam, vel illud etiam jactantius, minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna causas vel justas vel injustas fecit.* Idem IV. 1. *Nam sola rectum quoque judicem inclinat miseratio.* Sunt non pauci Judices, qui, ut Terentianis utar verbis, propter misericordiam addunt pauperi. Propterea Philo requiri hic ait τὸ ἀνένδοτον πρὸς ἱκεσίας καὶ οἴκτους [*animus qui nec precibus nec miseratione vinci se sinat.*]

9. *Scitis enim advenarum animas*] Scitis quomodo animati sint peregrini; ut Dido:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

11. *Anno autem septimo dimittes eam*] Tacitus de Judaicis moribus Hist. V. *Septimum quoque annum ignaviæ datum.* Quod sabbati dies hominibus, hoc annus septimus terræ. Dictum est Philonis.

13. *Per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro*] Ne nomena quidem falsorum deorum pronuntiare ipsis permissum, quò longiùs à veneratione abessent. Itaque pro בעל שמים [*Baalsemin, deus cœli*] dicebant בעל זבוב [*Baalzebub, deus muscarum*], pro בית אל [*Bethel, domus Dei*] dicebant בית און, [*Bethaven, domus vanitatis*], & ita in cæteris. Quomodo in hujus legis explicatione Romanis blanditus sit Josephus monuimus lectores libro III. de Jure belli ac pacis, cap. VI. §. 2.

16. *Quando congregaveris omnes fruges*] Hebræis id חג האסף [*solenne comportationis frugum*], id est, ad verbum ἑορτὴ τῆς συγκομιδῆς, quæ Θαλύσια vocabant Græci. Vide Theocritum in Idyllio θαλυσίων, & ibi eruditos. Hoc apud Hebræos aliter vocatur σκηνοπηγία [*tabernaculorum fixio*]. Vide Levit. cap. XXIII. 33. Num. XXIX. 12. Deut. XVI. 13. & sequentibus, & quæ ibi notata.

19. *Primitias frugum terræ deferes in domum Domini*] Idem fecisse Ægyptios docet nos Diodorus. Plinius de antiquis: *Ne degustabant quidem novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent*, libro XVIII. 20. Tantâ autem religione hoc servatum ab Judæis, ait Josephus, ut etiam in fame illa quæ fuit Claudio Romæ imperante, hæ fruges, aliæque Deo dicatæ intactæ ab omnibus in Templum pervenerint.

Non coques hædum in lacte matris tuæ] Hoc, ut multa alia, vetitum ideò quia ad idolorum honorem id fieri à vicinis solebat.

20. *Mittam Angelum meum*] Meum hic non est in Hebræo, sed infrà, 23. Rectè tamen inde huc translatum, & significat in meo nomine ac potestate, ut jam sequetur. Hunc, ut docet Nehemanides, Deus post cultum vituli ab Israelitis abstulit, & minorem Angelum illis dedit cum potestate merè Angelica. Vide infra XXXIII. 3. & 4.

21. *Ne contemnendum putes*] In Græco μὴ ἀπείθει αὐτῷ [*ne inobsequens ei sis*]. Propriè *ne irrita eum.*

Quia non dimittet cum peccaveris] Nempè contumaciter, qualia nec Deus condonat, Josue XXIV. 19.

Et est nomen meum in illo] In Hebræo : *quia nomen meum in illo.* Sic & Græci. Sensus est : habebit enim in se non longè petendam vindictæ potestatem : nam nomen sæpè ἐξουσίαν [*potestatem*] significat.

22. *Quod si audieris vocem ejus*] Schemo Rabba hic rectè: *Si ab illo acceperitis, à me accipietis.* Vide simile Joh. V. 23.

25. *Panibus tuis & aquis*] Cibo & potui.

26.

26. *Numerum dierum tuorum implebo*] Ad eos annos pervenies quos fert corporis temperatura, quod multum est.

CARTWRIGHTUS.

1. לֹא תִשָּׂא שֵׁמַע שָׁוְא *Non tolles* (vel, *Non recipies*) *rumorem falsum*, vel *vanum*) נשא est *tollere, elevare*; item *accipere*, *suscipere*; & שוא vanitatem simul ac falsitatem significat. Onk. לא תקבל שמע דשקר *Non recipies rumorem falsum*. Jon. *Populе mi, filii Israel*, לא תקבלון כדי שקרא מגברא דיכול קורצין בחבריה קדמך *non recipietis verba mendacia ab eo qui proximum tuum coram te calumniatur*. R. Salom. Onkeli versionem citatam approbat; atque ait hic eum admoneri, qui linguam detrahentem suscipit, seu qui delatori aurem præbet; אזהרה למקבל לשון הרע, Item Judicem admoneri, ne accusatori auscultet, donec reus sui defendendi potestatem habuerit; ולדיין שלא ישמע דברי בעל דין עד שיבא בעל דין חברו Abenezra de proferendo falso rumore interpretatur שלא יוציא מלבו דבר שוא להוציא דבה *Præceptum est, ne quis è corde suo verbum malum educat, ut alteri infamiam aspergat*. Amama putat נשא שמע melius reddi *rumorem tollere, proloqui efferre, proferre*, quàm *suscipere*, i. e. *admittere*; quia ad istum modum in similibus verbum נשא usurpatur, *tollere parabolam* i. e. authorem esse parabolæ; *tollere lamentum, vocem, convitium, canticum, næniam, prophetiam*. Sed cum נשא æquè etiam significet *suscipere* seu *recipere*, ac sensus iste hic non minùs quadret, expositio ista respui haud debet. Vulg. *Non suscipies vocem mendacii* Lxx. οὐ παραδέξῃ ἀκοὴν ματαίαν, *Non suscipies rumorem vanum*; Fagius utriusque expositionis meminit, ac neutram alteri præfert. Cum autem dicat ex Hebræorum sententia, non minùs peccare eum qui falsò defert aliquem, quàm qui auscultat delatori, dicendum videtur, non magis peccare, &c. Vel non minùs peccare eum, qui auscultet delatori, quam qui falsò defert aliquem. Hebræorum autem verba ab ipso citata sic habent כל המספר לשון הרע וכל המקבל לשון הרע וכל המעיד עדות שקר בחברו ראוי להשליכו לכלבים *Quicunque malignè traducit aliquem, & quicunque suscipit delatorem, & quicunque falsum testimonium perhibet de proximo suo, dignus est qui projiciatur canibus.*

Ne ponas manum tuam cum impio, &c.] Fagius ait *ponere manum* Hebraismum esse pro adjuvare causam alicujus, vel *ponere manum* pro jurare accipi posse. Sed prior expositio proculdubio est germana, *Ne ponas manum tuam cum impio*, i. e. Ne adjungas te impio, ne sis ei socius, &c. Lxx. οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου, *Non consenties cum impio*. Nobilius notat in Complutensi editione esse οὐ συγκαθίσῃ, *Non sedebis cum impio*; sed alteram lectionem veriorem arbitror. Vulg. *nec junges manum, ut pro impio dicas falsum testimonium*, Steuchus putat lectionem esse corruptam, ac sic restitui debere, *nec junges manum, ut cum impio dicas falsum testimonium*, quod Hebraicæ veritati consonum fore asserit. Sed magis profectò ei consonum est, ut sic scribatur, *nec junges manum cum impio, ut dicas falsum testimonium*. Abenezra optimè, meo judicio, ait sensum esse, *ne ponas manum tuam cum impio*, nempe להתחבר עמו ניגד חמשוא לעשות חמס לנקי *ut te cum eo conjungas* (seu *consocies*) *in dicendo falso testimonio, quo innocenti fiat injuria.*

2. *Ut inclines post multos*] Vel, *magnos*; nam רבים utrumque significat. Lyra in priore membro ait significare multos, hic autem *magnos*, ac sensum esse, non esse declinandum nec post majorem partem eorum, qui injustè agunt, nec propter eos, qui majoris sunt authoritatis. Atque addit sapientes Judæorum statuisse, ut cum multi essent Judices, ii qui minoris erant authoritatis, primò sententiam ferrent, deinde qui majoris, ne aliàs minores in majorum sententiam, authoritate eorum abrepti temere ac inconsulto irent. Salsè quidam ex senatoribus (uti refert Tacitus) dixit Tiberio, si is primò sententiam diceret, se habiturum, quem sequeretur; alioqui vereri, ne imprudens dissentiret.

3. וְדָל לֹא תֶהְדַּר בְּרִיבוֹ *Et pauperem non respicies* (ad verbum, *non honorabis*) *in causa sua*] דל propriè significat *attenuatum*, seu exhaustum. Onk. *Et pauperis non misereberis in judicio ipsius*. Jon. *Et pauperem qui reus erit in judicio, non respicies, ut miserearis ejus, quia non est respectus personarum habendus in judicio*. R. Sal. sic explicat, *Non habebis ei honorem, ut eum in judicio absolvas, & dicas pauper est, absolvam eum, & honore eum prosequar*. Idem verbum, quòd hic de paupere, alibi (ut notat Abenezra) nempe Levit. 19. 15. de magnate usurpatur, ולא תהדר פני גדול *nec honorabis faciem magnatis*.

4. *Si occurreris bovi* אֹיִבְךָ *inimici tui*] Et v. 5. *Si videris asinum* שֹׂנַאֲךָ *adversarii tui*, vel *ejus, qui te odit*, uti ad verbum sonat. Jonathan utrobique habet, תמנע האיבת מני לדה על חטאה דאיבת ידע כידה *adversarii tui, qui tibi exosus est ob peccatum aliquod, quod ei inesse nosti*. At is potius qui odio habetur, habet, quam qui odio intelligi videtur.

5. וְחָדַלְתָּ מֵעֲזֹב לוֹ *Et cessabis ei opitulari*.] R. Sal. ait verbum עזב quod alioquin est *relinquere*, hic idem quod עזר valere, i. e. *opitulari*. עזיבה זו לשון עזרה, is autem interrogativè & cum admiratione dictum censet (בתמיה) *numquid cessabis ei opitulari?* Asserit etiam עזב similiter usurpari Deut. 32. 36. עצור ועזוב Et Neh. 3. 8. Sed loca ista variè exponuntur. Rab. Nathan in Concordantiis quatuor significationes tribuit verbo עזב, primò *relinquendi*; quæ satis frequens est: secundò *negotiandi*; nam עזבון Ezek. 27. in plurali עזבונים sæpiusculè negotiationes merces, emporia designat. Tertiò *ædificandi*; ita ait significare Neh. 3. 8. Et ex quorundam sententiâ Jer. 49. 25. Quartò denique *onus portandi*, nimirùm hoc in loco, quem præ manibus habemus; cui etiam adjungit, Job 10. 1. אעזבה עלי שיחי, Abenezra usitatam verbi significationem retinet, ac exponit, חדל שתעזב הדבר לו לבדו *cessa (abstine ab eo) ut rem ei soli relinquas*. At tunc haud satis commodè exponi possunt sequentia, עזב תעזב עמו *relinquendo relinques cum eo*; Multò (ut videtur) commodior erit sensus, *num cessabis ei opitulari? opitulando opitulaberis cum eo*, nempe asino sub onere jacenti. Onkelos vertit, המנע מלמשבק ליה משבק תשבק מה דבלבך עלוהי ותפרק עמיה Fagius vertit, *Cave derelinquas eum*; (ad verb. *tunc cessabis ab eo derelinquendo*) *relinquendo relinquas id, quod habes in corde tuo contra eum, & solvas* (vel *liberes*) *cum eo*. Jonath. ותמנע נפשך מלמקרב ליה משבק תשבק בההיא שעתא ית סנא דבלבך עלוי ותפרק ותטען עמיה *Et prohibebis* (vel *num prohibebis*) *animam tuam, ne appropinques ei? relinquendo relinques eâ ipsâ horâ odium, quod est in corde tuo adversus eum, & solves onusque portabis cum eo*. Constantinus L'Empereur in Midd. c. 4. §. 6. ait עזב esse verbum Latissimæ significationis, quolibet modo quod prodest facere, denotare alicui videri posse; atque hâc ratione in hoc Exodi loco de asino inimici suo oneri succumbente præceptum dari עזב תעזב *omninò opitulaberis*. Nam legislatoris menti repugnare, ut hoc *deserendi* notione accipiatur. Itaque Deut. 22. 4. pro עזב תעזב legi הקם תקים *omnino eriges*. Ludovicus autem de Dieu in Annotationibus Posthumis retentâ *relinquendi* significatione primò sic exponit, *abstine ne relinquas (id) ipsi; relinquendo relinque (quod) contra ipsum est*. Ut sensus sit, potiùs quàm relinquas ei, supple onus, sub quo jacet, vel relinquas eum, scilicet sub onere, relinque omninò litem, quæ tibi cum ipso est. Deinde sic, *abstine ne relinquas id ipsi; relinquendone relinqueres cum ipso?* Id est, cave ne asino ejus relinquas onus, sub quo pressum eum vides; adeone immitis esses, ut illud, cui succumbit, cum ipso relinquens perire eum sub eo patereris? Addit & tertiam expositionem, *Desine relinquere (id) ipsi; relinquendo relinque cum ipso*, vel, *apud ipsum*; id est, dum hostis tui asinum vides sub onere fatiscere, cave id illi hoc modo relinquas; operam da, ut sublevetur: sed ubi sublevatus fuerit, ne tu onus illud tibi auferas, quia inimici tui est, sed relinque apud asinum. Sed minimè omnium mihi hæc postrema expositio arridet, nimiumque coacta videtur. Simplicissimum puto, ut עזב idem hic sit quod עזר i. e. *opem ferre*. Lxx. οὐ παρελεύσῃ αὐτὸ, ἀλλὰ συναρεῖς αὐτὸ μετ' αὐτοῦ, *Non præteribis * illud, sed sublevabis illud cum eo*. Scholiastes notat alios libros habere συνεγερεῖς, *unà eriges*. Vulg. *Non pertransibis, sed sublevabis cum eo*.

7. וְנָקִי וְצַדִּיק אַל־תַּהֲרֹג *Item innocentem, & justum non occides*.] Hebræi hic distinguunt, & pro diversis habent *innocentem*, & *justum*; ut per *innocentem* intelligatur is, qui à Judicibus est condemnatus, sed posteà insons esse deprehenditur; per *justum* autem is, qui à Judicibus est absolutus, etiamsi posteà sontem eum esse apparuerit. In hunc modum R. Sal. interpretatur ut sensus sit; Si quis à tribunali discesserit condemnatus, & quispiam dixerit se de ejus innocentiâ testari posse, eum in judicium esse reducendum, ac à sententiâ in eum latâ liberandum, quia dictum est, נקי *innocentem non occides*. Si quis autem absolutus fuerit, & quispiam dixerit, se eum reum posse peragere, eum condemnari non debere, cum dictum sit, צדיק *justum non occides*. Atque hoc est, quod sibi vult Jonathanis paraphrasis, *Qui exierit* זכאי *innocens* (seu justus) *à domo judicii tui* (à tribunali tuo) *& invenerint eum peccata ipsum; & qui exierit reus* (חייב) *& invenerit eum innocentia, non occides*. Videtur autem contra quàm R. Sal. Interpretari נקי *innocentem* de eo, qui in judicio innocens habetur, & posteà nocens

* *Scilicet*, τὸ ὑποζύγιον subjugale, *seu jumentum*.

cens deprehenditur צדיק autem *justum* de eo, qui in judicio condemnatur, ac postea se innocentem esse comprobat. At si voces istæ, נקי *innocens*, & צדיק *justus* sunt distinguendæ, ita ut diversos designent, R. Salomonis sententia potius est sequenda, ac fortasse in Jonathanis paraphrasi * verborum facta est transpositio. Sed utcunque se res habet, istiusmodi harum dictionum distinctio videtur argutior, ac simplicius esse, ut pro synonymis habeantur, atque utrum idemque significent.

כי לא אצדיק רשע *Nam non justificabo improbum.*] † R. Sal. vult rationem hisce verbis contineri, quarè si quis in judicio absolutus sit, condemnari postea non debet, etiamsi de ejus crimine constiterit, quia nimirùm Deus ipse viam inveniet, quâ in eum pro merito animadvertat. Sed potius rationem continent, quarè qui justus est, in judicio condemnari non debeat, quia ita judicare improbi est; improbum autem pro justo habere Deus non vult.

8. כי השחד יעור פקחים *Nam munus excæcabit videntes*] *Etiamsi quis in Lege sapiens fuerit* (inquit R. Sal.) *si tamen munus acceperit, mentem tandem ei auferet, efficietque ut doctrina sua obliviscatur, ac lumine oculi ejus sint destituti.* In tractatu Cethuboth cap. 13. (uti apud Joannem Coch in Excerpt. Gemar. Sanhedr. reperio) non absurdâ allusione vocabuli שוחד i. e. *donum*, explicatur ejus aspernandi ratio, his verbis, מאי טעמא דשוחדא כיון דמקביל שוחד מיניה אקרבה דעתיה לגביה והוי כגופיה ואין אדם רואה חובה לעצמו מאי שוחד שהוא חד *Quæ ratio est interdicti muneris? Quando munus accepit (Judex) ita ad dantem ejus mens accedit, ut quasi idem efficiatur. Jam nemo seipsum damnaverit. Quid enim est Shochad* (i. e. *munus?*) *Shehu chad*, i. e. *quo unus efficitur.*

ויסלף דברי צדיקים *Et pervertet verba justorum*] Lxx. ῥήματα δίκαια, ‡ *verba justa.* Sic Onkelos, cui consentit R. Sal. פתגמין תריצין *verba recta.* Ita etiam R. Saadiam interpretari refert Abenezra, sed hanc interpretationem consistere non posse ait, quod דברי *verba*, sit in regimine, ac propterea צדיקים reddi debeat *justorum*, non *justa*; Addit autem per *justos* hic eos intelligi, qui quoad causam, de quâ agitur, non quoad Legis divinæ observationem sunt justi. Jonathan utramque expositionem inter se permiscet, ומקלקל פתגמי תריצי דכתיבין באורייתא ומערבב מילי זכאין בפומהון בשעת דינא *Et pervertit verba recta, quæ scripta sunt in lege; & confundit verba justorum, quæ tempore judicii* (in sui defensionem) *proferunt.* Fagius notat in Hebræo esse, *verba justorum*; sed quosdam Hebræorum rogare ait, quomodo justi sunt, si se corrumpi, & perverti sinant? Doctiores autem Hebræorum respondere, legendum esse non *verba justorum*, sed res, sive causas bonas & justas. At Abenezra, non indoctus Hebræus, *justos* hic intelligit, non judices, sed eos, quorum causa in judicio ventilatur; atque ita etiam in posteriore paraphraseos suæ parte Jonathan. Quanquam & si de Judicibus interpretemur, facile est respondere, muneribus perverti verba justorum Judicum, *i. e.* eorum, qui justi habiti sunt, quique aliàs justè judicare solebant; quo sensu munera videntes, seu sapientes excæcare dicuntur.

11. *Et comedent pauperes populi tui*] Augustinus ait quæri posse, quid edent pauperes, si septimo anno sic parcatur terræ, ut ne seminetur quidem? Dubitat igitur an sic locus hic intelligi debeat, *ut ad sex annos seminare, & colligere pertineat, ad septimum vero dimittere quod fuerit seminatum.* At Levit. 25. 4. disertè dicitur, anno septimo sementem non esse faciendam: futurum tamen erat, quod pauperes comederent, nempe id quod sponte nasceretur, ut ibidem sequitur, v. 5. &c.

Et quod reliquerint, comedet bestia agri.] R. Sal. hîc paulò argutiis notat cibum pauperum cum cibo bestiæ comparari; atque inde colligit, quemadmodum bestiæ, ita & pauperes absque decimatione comedere debere; ac propterea dici, אין מעשר בשביעית *septimo anno decima non persolvuntur.*

12. *Et die septimo quiesces*] R. Sal. non ineptè existimat præceptum de die septimo observando hic repeti, ne suspicari forsan posset, anno septimo nullam istius sabbathi rationem fuisse habendam, quòd totus annus pro sabbatho habebatur.

Filius ancillæ tuæ] Jon. *filius ancillæ tuæ* ערלאה *præputiatus.* Similiter R. Sal. ait Scripturam hic loqui בעבד ערל *de servo præputiato.* At Gen. 17. 12, 13. cautum est, ne quis ex populo Dei (quod enim Abrahamo istic præcipitur de toto Dei populo, opinor, vim habet) servum præputiatum haberet, sed servum pariter ac filium circumcideret.

13. * *Et nomen deorum aliorum*, לא תזכירו *non memorabitis*] Vulg. *per nomen externorum deorum non jurabitis.* At rectè Cajetanus ab Amama citatus, *Longè plus prohibetur per hanc legem, quàm jurare.* Steuchus etiam fatetur, non tantùm ad juramentum pertinere, sed etiam ad omnem commemorationem, nempe honorificam. Lxx. οὐκ ἀναμνήσεσθε *non commemorabitis.* Similiter Onkelos & Jon. לא תדכרון quod idem sonat. R. Sal. de honorificâ falsorum deorum commemoratione intelligit, quippe qui sic explicat, שלא יאמר לו שמור לי בצד ע"ז פלונית או תעמוד עמי ביום ע"ז פלונית *Ne dicat quis idololatræ, vigila mihi juxta istiusmodi idolum; vel, stabis mecum in die festo istiusmodi idoli.* At Abenezra ad juramentum restringit, sic exponens, *Non commemorabitis nomina eorum, ut per eos juretis, vel cultores eorum per eos adjuretis*, seu jurare faciatis. Seldenus etiam de Jure Nat. &c. lib. 2. cap. 13. ait Magistrorum nonnullos hanc legem de votis ac juramentis falsorum deorum nomine concipiendis ac præstandis interpretari, & de societate, qualis sine juramento mutuo rectè consistere nequeat, cum gentili, dum idololatra est, ineundâ. Atque istos (quorum sententiam receptiorem esse ait) id quod sequitur, *non audietur* (*nomen eorum*) על פיך *ex ore tuo*, interpretari *per te*, seu ex ratione societatis ejusmodi à te initæ. Alios autem refert ne simplicem inter loquendum nominum eorum memoriam admittere, adeò ut nec Chemosh, nec Milcom, &c. memoranda esse doceant, sed cum contumeliâ tantùm designanda, veluti שקוץ או תועבה *Idolum seu abominatio Moabitarum, Ammonitarum, &c.* Ex hisce autem nonnullos legem nihilominùs de diis in Scripturâ memoratis non intelligi velle; ac Maimonidem dicere, halacha ע"ז c. 5. כל ע"ז הכתובה בכתבי הקדש מותר להזכיר שמה כגון פעור ובל וכל׳ *Quodcunque idolum in S. Scripturis legitur, licet memorare, veluti Peor, Bel, &c.* Denique esse etiam inter Magistros testatur, qui volunt tantùm vetari idolorum nomina, quibus tribuitur eis divinitas aliqua, non autem propria nomina, quæ discriminis solùm gratiâ, sine expressâ divinitatis notione, solent usurpari, veluti Moloch, Bel, &c. Atque ita etiam Tertull. de Idolat. cap. 20. Horum expositionem genuinam esse non dubito.

14. שלש רגלים *Tribus vicibus, &c.*] Sic exponitur v. 17. שלש פעמים, atque ita hic Onkel. & Jon. תלת זמנין *tribus temporibus*, seu ter. Sic R. Salom. exponit רגלים per פעמים *vicibus*, ac notat sic usurpari Num. 22. 28. רגלים est plurale à רגל *pes*; ideò autem ad tria ista tempora, de quibus hic fit sermo, denotanda usurpatur juxta Abenezram, כי רובם רגלים הם *quod maxima pars populi pedibus ad festa ista proficiscebatur.* Buxtorfius in Lexico Talmudico ex Hebræis ista citat, *Dicuntur* רגלים, *quia omnes Israëlitæ masculi tenebantur* לעלות ברגליו *ascendere pedibus suis, unde claudus, cui pes, vel pedes abscissi fuerunt, ab isto præcepto exceptus fuit.* Fagius refert Hebræos inter alia miracula hoc commemorare, quod tametsi tot millia hominum confluxerunt ad solennia ista festa, tamen omnes potuerunt habere hospitia, neque unquam auditum est, ut quis conquereretur sibi non esse locum hospitandi.

15. *Mensis Abib.*] Vide supra ad cap. 13. 4.

ולא יראו פני ריקם *Nec apparebunt coram me vacui*] Fagius refert nonnullos sic interpretari, † *Nunquam frustrà venietis, semper aliquid gratiæ reportabitis. Ego cum in præsentiam meam veneritis, non dimittam vos vacuos.* Fatetur piam hanc esse expositionem, hanc tamen potius hujus loci sententiam esse asserit, quòd *semper debebant aliquid afferre coram Domino, quo suam fidem animique gratitudinem erga Dominum testarentur.* Atque ita R. Sal. exponit, כשתבאו לראות פני ברגלים הביאו לי עולות *cum veneritis ad aspiciendam faciem meam, afferte mihi holocausta.* Similiter Abenezra ait, quemadmodum Vasallus domino munus affert, sic Israëlitas cum muneribus suis coram Deo comparere debuisse.

16. *Et festum messis, &c.*] Istud (ut monet R. Sal.) est festum hebdomadarum, prout appellatur Deut. 16. 9. Fullerus ‡ Miscell. lib. 3. cap. 11. ait Pentecosten (sic enim vocatum est etiam hoc festum, quòd quinquaginta diebus à Paschate distabat) vocari *festum messis*, non quòd tum primùm se-go-

* *Idque ex verbis quæ apud Jonathanem sequuntur & mox citata sunt, colligi posse videtur.* † *Idem sensisse videtur Jonathan, qui sic vertit*, Nam non habebo eum innocentem, si sit reus. ‡ *Vulg.* Verba justorum.

* *Ex connexione horum verborum cum præcedentibus R. Salom. acutè observat, præceptum de idololatriâ esse instar omnium præceptorum*, שקולה ע"ז כנגד כל המצות כולן † *Vide infrà ad cap. 34. 20.* ‡ *Ibidem putat veteris culturæ rationem, fuisse posteà abolitam, quod Hieronymus ad Amos 4. 7. scribat, ab extremo mense Aprili usque ad messem frumenti tres menses superesse, Majum, Junium, Julium idque in Palestinâ.*

getes meti inciperent; sed quòd meti desinerent, terique jam inciperent fruges, & in granaria condi. *Est ergò*, inquit, *Pentecoste festum quidem messis sed absoluta, non inchoata. Duobus nempe festis, tanquam terminis conclusa, & definita apud Hebræos messis; Nam ut Pascha principium erat, ita Pentecoste finis. Unde illud manipulus frugum significabat, velut inchoatum quiddam, ac imperfectum, & quasi tumultuarium: hunc panes, & quidem fermentati indicabant, tanquam re tunc demum perfectâ, & compositâ, & ad usus quotidianos paratâ.*

בכורי מעשיך (*Festum*) *primitiarum laborum tuorum*] Fullerus loco citato notat Pentecosten, non *festum messis* simpliciter vocari, sed addi, *primitiarum laborum tuorum, quas severis in agro tuo*; hoc est, festum illud anniversarium, quo offerendæ erant primitiæ frugum, messis jam absolutæ exantlatis laboribus, perceptarum. *Nam repetenda* (inquit) *videtur vox* חג, *id est, festum, & verba posteriora accipienda, ut per ἐπεξήγησιν adjecta.* R. Sal. ait illud tempus intelligi, quando afferebantur primitiæ, nempe duo panes, de quibus Levit. 23. 17. Monet autem Abenezra de primitiis † messis triticeæ hic esse sermonem; primitias enim messis hordaceæ in Paschate fuisse oblatas; inter primitias autem hordei, & primitias tritici septem hebdomadarum intervallum fuisse; prout dicitur (Deut. 16. 9.) *Septem hebdomadas numerabis tibi, &c.*

Et festum collectionis in exitu anni, &c.] Hoc festum mense septimo celebrandum præcipitur, Levit. 23. 39. Rab. Sal. notat hoc esse festum tabernaculorum. Vide Levit. 23. 41, 42, 43. Quod autem hic dicitur *in exitu anni*, Lyra exponit, immediate post exitum anni, *Quia* (inquit) *September est primus mensis simpliciter in anno, licet Martius sit primus quantum ad festa.* Manasses in Concil. Quæst. 11. in Exodum ait dictum esse *in exitu anni*, quia festum tabernaculorum incidit in Septembrem, quo circulus anni absolvitur, & incipit. Similiter Abenezra כאשר השנה תצא מחבם עבור אחרת *cum annus exit, & alius annus ingreditur.* Lxx. hic ἐπ' ἐξόδου τοῦ ἐνιαυτοῦ, *in exitu anni*; at cap. 34. 22. ubi eadem verba in Hebræo textu habentur, μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ. *mediante anno*, uti Latinè vertitur; cujus interpretationis ratio mihi non constat. Vulgat. hic, *in exitu anni*; illic autem, *redeunte anni tempore.* Quomodo autem festum tabernaculorum dicitur *festum collectionis*, quòd tunc nimirùm fruges ex agris essent collectæ, cum diù anteà nimirùm festo Pentecostes messis peracta fuerit? Intelligendum igitur est, festo tabernaculorum omnimodas fruges, non solùm frumentum, verum etiam uvas atque olivas fuisse collectas. Vide Deut. 16. 13.

18. לא תזבח על חמץ דם זבחי *Non sacrificabis* (seu offeres) *cum fermentato sanguinem sacrificii mei.*] Jon. *Popule mi, filii Israël, non offeretis, quandiu panis fermentatus est in ædibus vestris, sanguinem oblationis Paschatis mei.* Similiter R. Sal. exponit, *Non mactabis Pascha die decimo quarto mensis Nisan* (seu Martii) *donec panis fermentatus combustus fuerit.* Abenezra etiam ait intelligi sacrificium festi Paschatis, quòd cum azymis, & amaris herbis comedebatur. Onkelos etiam pro דם זבחי *sanguinem sacrificii mei*, habet דם פסחי *sanguinem Paschatis mei.* Atque hæc interpretatio ex cap. 34. 25. firmari videtur.

Nec pernoctabit adeps festi mei (seu ‡ sacrificii mei חגי) *usque ad auroram*] Jon. *Nec pernoctabit extra altare adeps oblationis paschatis mei usque ad auroram, non ex carne, quam comedetis vesperi.* Onkelos etiam habet בר מן מדבחא & R. Sal. חוץ למזבח *extra altare.* De festo autem Paschatis hunc locum intelligi ex cap. 34. 25. apertum est Const. L'Empereur in Middoth cap. 3. §. 4. notat hic loci, ut & alibi, nomen חג i. e. *festum*, speciatim denotare Pascha, cum alioqui in Misna pariter ac Gemara festum tabernaculorum designare soleat; atque ita accipi monet 1 Reg. 8. 2.

19. *Non coques hædum in lacte matris suæ*] Onk. *Non comedetis carnem cum lacte.* Fagius ait Judæos hìc per *hædum* generaliter carnem intelligere, quæ non debeat in lacte bulliri, & cum lacte comedi, atque in hanc sententiam inclinare videri Onkeli paraphrasin. Quin & eo stultitiæ eos venisse, ut nec eodem cultro carnes & caseum (quia ex lacte fit) scindere sibi licere putent, sed diversos habeant. Jon. * *Popule mi, domus Israël, non licet vobis, neque coquere neque comedere carnem & lac simul inter se commixta, ne invalescat ira mea, & efficiam ut proventus vestri, frumentum & stipula simul maturescant.* Abenezra etiam indicat locum hunc sic à doctoribus exponi. *Sapientes* (inquit) *traditum acceperunt, Israëlem non debere comedere carnem cum lacte.* Ipse autem simpliciter de hœdo in lacte matris suæ coquendo intelligit; atque ait minimè necessarium esse, ut quænam interdicti hujus ratio sit, intelligatur; eam enim à prudentibus esse absconditam: fortasse autem ideò hoc esse prohibitum, quòd crudele sit (אכזריות לב) hœdum in lacte matris suæ coquere; quemadmodum Levit. 22. 28. prohibitum est, ne bos vel ovis unà cum fœtu mactetur; & Deuter. 22. 6. ne mater cum pullis è nido auferatur. Lyra primò ita interpretatur, ac si ad crudelitatem prohibendam hæc lex spectaret, postea autem in detestationem idololatriæ hoc dictum esse, quia nimirùm idololatræ nonnulli sic coquebant carnes idolis immolatas. Sic Maimonides in More Nebochim parte 3. cap. 48. putat aliquam subolere idololatriam, ac fortè idololatras in aliquo cultu deorum suorum ita facere solitos esse. In hac opinione se non parùm confirmari ait ex eo, quòd Lex * bis ejus mentionem faciat post præmissum de tribus anniversariis festis præceptum; q. d. *Quando in festis vestris coram me comparetis, non coquetis cibum vestrum secundum consuetudinem horum N. N. qui ita facere solebant.* Ritum etiam quendam idololatricum hisce verbis prohiberi suspicatus est Abrabaneel (uti eum † citatum invenio; neque enim ejus in Legem Commentarii copiam habeo) היותר נראה בזה שהיה ממעשה עובדי עבודה אלילים כאשר קבצו פירותיהם לעשות כן *Probabile est legem hanc inde ortam esse, quod idololatra cum ‡ fructus suos collegerent, ita facere consueverint.* Idem præterea vir eruditus, ex quo illud Abrabaneelis desumpsi, refert Judæum quendam Karaitam in Commentario manuscripto in Pentateuchum, in istam sententiam paulò fusiùs scribere, nempe antiquorum Ethnicorum consuetudinem fuisse, ut cum fructus suos collegissent, hœdum in lacte matris coquerent, & דרך כשפים ritu quodam magico, arbores, agros, hortos, ac pomaria aspergerent, existimantes inde futurum, ut sequente anno copiosiorem fructum ferant. Fagius putat eorum sententiam præ aliis probabilem esse; qui sub nomine hœdi intelligunt etiam * vitulum & agnum, ac sentiunt hàc lege præcipi, ut Israëlitæ, nec vescantur hœdis, vitulis, & agnis, nec offerant ea ante legitimum tempus ablactationis; juxta illud quod supra de bobus ac ovibus dicitur, *Septem diebus sit cum matre sua; die octava reddes illum mihi*; ut sensus sit, *non coques hædum in lacte matris suæ*, h. e. quamdiu sugit lac matris suæ. Q. d. ne offeras mihi hœdum posteà coquendum ministerio sacerdotum, ne offeras, inquam, eam dum sugit lac matris. Sed minus videtur verisimile id obscuris istiusmodi verbis hic innui, quod clarè aperteque anteà dictum fuerat. Cum igitur nulla horum verborum interpretatio satis idonea, satisque firmo fundamento nixa videatur, in illud Augustini concedo, *Quomodo*, inquit, *intelligatur ad verborum proprietatem, nescio utrum possit reperiri.* & ad cap. 34. 26. *Ecce* (inquit) *dicis iterum, quod quemadmodum intelligi possit, ignoro.*

20. *Ecce mitto angelum, &c.*] Coch in Excerpt. Gem. Sanhed. cap. 4. notat Gerundensem hoc de increato angelo interpretari, atque ita etiam exponi in Shemoth Rabba, parasha 32. Verba Gerundensis à D. Sarsono in 1 Tim. 1. 15. p. 89. citata sunt, nempe hæc, הוא המלאך הגואל אשר השם הגדול בקרבו כי ביה יהוה צור עולמים והוא שאמר אנכי האל בית אל כי דרך המלך לשכון ביתו *Ipse est angelus redemptor, cui nomen magnum in medio ejus*, (scilicet) *quoniam in ‡ illo, Dominus petra seculorum; & is est, qui dixit, ego Deus Bethel* (utpote) *quòd mos sit regis habitare in domo sua.* Masius in Jos. 5. 13. 14. ista Gerundensis verba de angelo, qui Mosi in rubo apparuit, scripta dicit.

21. *Nam nomen meum est in eo.*] Onk. & Jon. *Quoniam in nomine meo est verbum ejus*; quod Fagius sic explicat, Le-

† *Vide cap. 34. 22.* ‡ *Sic* חג *pro victima usurpatur Psal. 118. 27.* אסרו חג Ligate victimam, &c. * *Ita etiam Hierosolimytanus Paraphrastes interpretatur cap. 34. 26.*

* *Nempe hic & cap. 34.* † *Ab E. C. de vera notione Cœnæ Domini.* ‡ *In istum sensum verba illa* כאשר קבצו *à D. Cudwortho sunt reddita, alioqui aliter reddi posse existimassem, nempe* cum sese congregarent. * *R. Salom. vult* גדי *non solum hædum, sed & vitulum & agnum denotare generaliter nempe significare fœtum tenerum, ac propterea distinguendi causâ dici* גדי עזים *hœdus hircorum. At Abenezra negat* גדי *aliud quam hædum designare, perque hœdum hircorum intelligi vult hædum teneriorem, quem cum hircis esse oportet. LXX. vertunt* ἄρνα *agnum.* ‡ *Sic interpretatur D. Sarsonus, alioqui ex Isai. 26. 4. vertissem in Jah.*

gatus meus est, & quæ dicet, nomine meo dicet, Rabbi Salomon. exponit, שמי משותף בו *nomen meum sociatum est in eo*, nomen meum ei commune est. Atque addit Rabbinos dicere, hunc angelum esse *Metatron*, cujus nomen est instar nominis magistri ipsius, *Metatron* enim per Gematriam esse *Shaddai*; eundem nempe numerum ex utriusque nominis literis exurgere, nempe 314. Buxtorfius in Lex Talm. ait idem esse in libro Jalkut in hunc locum, & apud complures alios; patres autem istius traditionis esse Talmudicos in libro Sanhedrim cap. 4. eosque ulterius respexisse videri, ad angelum nempe non creatum, sed increatum, nempe Messiam sive Christum. Camero etiam de Eccles. hunc R. Salomonis locum adducit ad probandum increatum angelum, nempe Christum hic intelligi; sed obstare videtur id quod R. Sal. dicit de רבו magistro ejus. Notat autem Camero Metatron Rabbinis eum esse, quem vocant ספרא רבא *Scribam magnum*; idque eos hausisse putat ex Isai. 9. 6. ubi Christus יועץ *consiliarius*; יועץ enim & ספרא רבא idem esse. Certè Jonathan Paraphrasi in Gen. 5. 24. (uti à Buxtorfio observatum) ait Enoch translatum fuisse, & ascendisse in cœlum verbo Domini, ac nomen ejus vocatum מטטרון ספרא רבא *Metatron Scriba magnus*. Abenezra refutatis eorum deliriis, qui per angelum, de quo hic fit sermo, vel librum legis, vel arcam fœderis intelligunt, asserit hunc angelum esse Michaëlem; per Michaëlem autem creatum quendam angelum se intellexisse ostendit, cum ex nostris multi pro increato habeant, quibus haud gravatè me adjungerem, nisi manum mihi injiceret illud in epistola Judæ, ubi de Michaële dicitur, eum cum diabolo de corpore Mosis disceptantem, non ausum esse maledicam adversus eum accusationem afferre &c. quod de angelo increato, ipso nempe Deo, parùm commodè intelligi posse videtur. Sed quicquid sit de Michaële, Angelum hoc in loco memoratum, increatum esse, ex contextu videtur verisimilius.

23. *Ad Amorrhæum*, &c.] Sex tantùm populi hic recensentur omisso Girgasæo, uti aliis etiam in locis fieri solet, Quod (ut dicit Abenezra) is omnium esset minimus; ולא הזכיר לגרגשי כי הקטן שבכלם Lxx. autem Interpretes more suo etiam Girgazæum exprimunt.

והכחדתיו *Et excindam eum.*] Abenezra primò interpretatur de Girgezæo, quem statim excisum fuisse ait, cum reliqui paulatim essent expulsi. At cum Girgezæorum nulla hic mentio fiat, ad eos referre, prorsus est incongruum. Rectè igitur idem Abenezra postea exponit, *eum*, id est unumquemque eorum, qui antea fuerunt nominati, subintellecto etiam Girgezæo, etiamsi nominatus non fuerit.

26. *Non erit* משכלה *abortiens*] Vulg. *infœcunda*; sed id æquè sequenti voce עקרה *sterilis* significatur. Lxx. ἄγονος, quod etiam est æquè generale ac latinum illud *infœcunda*. In Romana autem editione ἄγονος latinè vertitur *qui non generet*, cum hic, ut Hebræa vox indicat, sit fœmininum. Hebræam vocem R. Sal. sic explicat מפלת נפלים או קוברת בניה קרויה משכלה *Mulier quæ abortit, vel liberos suos sepelit, vocatur meshaccelah*; i. e. vox ista vel mulierem abortientem, vel liberis orbatam denotat.

27. והמותי *Et turbabo*] Vulg. *Et occidam*, quasi esset à מות *mori*, in Hiphil המית *mori facere*, *occidere*, cum sit ab המם, *turbare*, ut ipsa vocis forma indicat. Unde R. Sal. istam interpretationem refellit, atque ait eum errare qui interpretatur והמתי i. e. *& occidam*, nam sic scribendum non המותי sed והמתי uti legitur Hos. 9. 16. Et videtur Latinus Interpres ita hic legisse, cum in Hebræo textu scriptum sit המם, quod æque legi possit והמתי ac והמותי. Sed posterior lectio recepta est, eamque secutus est Onkelos ואשגש *& perturbabo*; quo etiam verbo hic utitur Jonathan, sic & alibi non rarò pro Hebræo המם in Targum est, שגש, Lxx. Interpretes eodem modo legerunt, quippe qui vertunt, καὶ ἐκστήσω *& amentes reddam*. Sic enim ingentem quandam perturbationem, quæ mentem adimit, & consilii inopem reddit, hic intelligi voluerunt.

28. *Et mittam crabrones*] *Non autem legimus factum* (inquit Augustinus) *ac per hoc vespæ istæ aculei timoris intelligenda sunt, quibus agitabantur memoratæ gentes, ut cederent filiis Israël.* Sic Lyra exponit de anxietatibus animi quæ pungunt sicut aculei: addit autem Judæos ad literam crabrones intelligere. R. Sal. ait צרעה (*crabronem*) esse מין שרץ העוף היתה מכה בעיניהם ומטילה בם ארס ומתים *speciem reptilis volatilis, quod percutiebat eorum oculos, & venenum eis immittebat, unde morerentur.*

Et expellet Hivæum, &c.] Quod de tribus hisce nationibus dicitur, de reliquis etiam est intelligendum, ut monet Abenezra; והוא הדין לכלם, Addit tamen, nationes hasce memoratas fortassè præ reliquis plagâ ista fuisse percussas.

31. *Usque ad fluvium.*] Onk. & Jon. *Usque ad Phrath*, i. e. Euphratem. Lxx. ἕως τοῦ μεγάλου ποταμοῦ εὐφράτου *Usque ad magnum fluvium Euphratem.*

I D E M.

5. עזב תעזב עמו *Opitulando, opitulaberis una cum illo*,] Vel, *portando portabis cum illo.* Sic Kimchi in Rad. verbum עזב hic exponit *portare* ענין משיאה.

8. ושחד לא תקח *Munus autem non accipies*] Kimchi in Rad. ait Rabbinos dicere, אין צריך לומר שחד ממון אלא אפילו שחד דברים *Non opus est dicere munus pecuniæ, sed ne verborum quidem munus est accipiendum.*

20. *Ecce ego mitto angelum*, &c.] Genebrardus in Psalm. 43. 7. refert R. Mosen Nahmanidem per angelum de quo hic & cap. 32. 34. fit sermo intelligere angelum fœderis, de quo loquitur Malachias cap. 3. 1. *id est*, inquit, *Christum.*

28. *Et mittam* את הצרעה *crabronem.*] Kimchi in Rad. affert verba R. Salomonis supra ad hunc locum memorata, sed ita ut expositio ista vocis צרעה apud Rabbinos recepta esse videatur. Ait enim אמרו הוא מין שרץ העוף *Dicunt vocem istam denotare speciem reptilis*, &c. Addit autem Abenezram interpretari ex significatione vocis צרעת quæ *lepram* significat.

I D E M.

1. *Non sumes*, &c.] Hoc præceptum dicit respicere actorem (בעל הדין) illud autem testes, *Ne ponas manum*, &c. & quod sequitur ad judicem pertinere, *non sequeris multos*, &c. illud denique patrono (seu advocato, vel causidico, המליץ) dictum, *neque respondebis in causa*, &c.

11. *Septimo autem*, &c.] Quemadmodum servus Hebræus post sex annos servitutis anno septimo libertatem suam habuit, ita ait terram sex annis cultam, anno septimo quasi liberam è domini potestate exire debuisse: & ut septimo die ab opere, ita septimo anno à colenda terra cessandum fuisse.

14. שלש רגלים *Tribus vicibus*] Notat רגלים *pedes* hic idem significare quod פעמים *vices*; ut פעמים idem quod רגלים Cant. 7. 1. מה יפו פעמיך. *Quam pulchri sunt pedes tui!*

16. *In exitu anni*] Id dictum ait, quod à Tisri ad Tisri (à Septembri ad Septembrem) annus numerabant.

17. *Coram Domino Deo*] Hinc observat, ascensionem istam non eo spectasse, ut genio ac lætitiæ indulgerent, sed ut Deo adhærerent, ac coram ipso sese sisterent, quemadmodum servus tempore præstituto hero suo sistit. Quin & istam eos inde utilitatem consecutos ait, ut ad subjiciendum se cultui Dei, ac ad suscipiendum ejus in se imperium, & ad audiendum ex ore Sacerdotum & Levitarum ejus Legem & mandata animas suas assuefacerent.

19. *Principium primitiarum*, &c.] Illud v. 18. respicere ait festum azymorum, hoc autem festum Septimanarum, atque intelligi manipulum, ac duos panes: quin & illud innui, non expectandum fuisse, donec hordeum in locis propè Jerusalem maturesceret, sed ubicunque primò in terra Israël maturesceret, etiam si in locis à Jerusalem remotissimis, inde primitias ad domum Domini fuisse afferendas.

Non coques hœdum, &c.] Hoc festum Tabernaculorum ait respicere, eò autem spectare, ut crudelitas (מדת האכזריות) amoveatur, uti illud Deut. 22. 6, 7. Posteà autem dicit sibi probabilius videri id quod anteà ad hunc locum ex ipso, sed fide alterius, annotavi: atque addit idololatras existimasse, se ritu isto deorum suorum favorem conciliasse; עבודה זרה לאלהיהם. Refert autem in Hispania pastores bis in anno convenire, atque inter se epulari; ac cibum eorum esse carnem ac lac; quin & carnem hœdinam majori apud eos in pretio esse מבשל זה *cum hoc jure*, seu *pulmento*; id velle videtur, si lacte hœdino coquatur: ista autem verba non advertisse videtur * vir quidam eruditissimus, cum de Abrabanelis ad hunc locum commentario verba fecerit. Sed & illud prætereà addit, se pro certo audivisse, etiam in Anglia (בארץ אנגלטירה הנקראת ארץ קצה הארץ) quæ reliquas omnes terras ovium multitudine superat, consuetudinem istam perpetuo observari; sed de consuetudine ista me ni-

* *Gregor. observat. cap.* 19.

nihil quicquam audivisse fateor. Refert autem Doctorem quendam metaphoricè dictum existimare, atque id innuere, quemadmodum hoedus matri ipsum lactanti recalcitrans, dignus est qui lacte matris suæ coquatur, ita qui erga Deum pro beneficiis ejus ingrati sunt, mereri ut benedictiones in maledictiones convertantur. Vide infra ad cap. 34. 26.

22. ואיבתי וגו' *Et inimicus ero, &c.*] Asserit איב & צרר sic inter se differre, quod איב is sit, qui odium adversus aliquem totus in corde gerit, atque ei malefacere cogitat: צרר autem, qui actu aliquem affligit.

24. הרס תהרסם וגו' *Destruendo destrues, &c.*] Sic illico, ושבר תשבר *& confringendo confringes.* Istis verborum geminationibus significari ait, simulachra eorum in minutum pulverem redigenda, ac in auras dispergenda fuisse.

Cap. XXIV.

MUNSTERUS.

2. *PEnetrabit*] Utitur hic Scriptura verbo נגש in transitiva significatione, licèt Onkelos retransitivè ipsum exponat per ינגש, hoc est, *ingeret se tanquam familiaris amicus.*

7. *Librum fœderis*] Quem librum fœderis, cùm Tabulam & Legem nondum de monte attulerit? Respondit R. S. Librum qui scriptus erat de creatione mundi usque ad dationem Legis.

10. *Lapidis*] Heb. *lateris*, vel, ut A. E. exponit, *albi sapphiri.* Onkelos tamen vertit אבן. Et intelligitur per *opus* illud, firmamentum, quod similitudinem habet הקרח *candidæ glaciei.* ¶ *Quasi ipsum cœlum*] Kimchi exponit עצם pro גוף, *quasi corpus cœli.*

11. *In selectos*] Sciendum quòd אצילי sunt majores & præcipui in populo, & ad hos *non misit Deus manum suam*, i. prophetiam, sicut ad Mosen: ideo non viderunt Deum tam clarè: viderunt quidem, sed hâc visione non fuerunt satiati, cùm adhuc comederint & biberint, opusque habuerint corporali refectione. Alii sic exponunt locum istum, *Non misit manum suam Deus ad illos*, h. e. Non occidit eos postquam Deum clarè viderunt, secundùm illud, *Non videbit me homo, & vivet.*

FAGIUS.

10. *QUasi opus lapidis pretiosi*, &c.] Heb. *Quasi opus lateris sapphirini*, &c. Quòd majestatem gloriæ suæ Deus formâ lateris sapphiri colorem præ se ferentis principibus Israël ostendere voluit, dicunt Hebræi ideo factum esse ut illis in memoriam revocaret duram illam servitutem atque molestiam laborum quos perpessi fuerant in Ægypto in conficiendis lateribus, à qua servitute jam liberati essent beneficio Dei, & adserti in libertatem, quæ repræsentetur per visionem sapphiri, qui cœrulei coloris est, & aureis collucere punctis ajunt; ad significandum quòd jam ex populo servili populus liber ac Divinus factus essent, ità ut lutum illud in quo in Ægypto operati fuerant, jam in pretiosissimum lapidem & aurum quodammodo mutatum videretur. Sunt tamen qui Sapphirum candidi coloris esse dicant; unde & לבנה hic pro *candido* exponunt, legentes, *Quasi opus albi Sapphiri*, &c.

11. *Nullum incommodum fuit*] Heb. *Non misit manum suam*, &c. Quid sibi velit iste Hebraismus, expressit Paraphrastes. *Mittere* enim *manum super aliquem*, Hebraicum schema est, pro *lædere, punire & damnum inferre:* quem sensum hic reddidit Chaldæus. Innuitur ergò principes Israël nihil damni accepisse ex eo quòd Deum viderunt, partem scilicet majestatis ac gloriæ illius, cùm tamen scriptum sit, *Non videbit me homo, & vivet.* Alii verò per *missionem manûs* intelligunt afflatum spiritûs prophetici, quasi scilicet Dominus principes Israël non tam largiter afflaverit sicut Mosen, qui tantam vim Dei in se sentiebat ut per XL. dies & noctes nihil ederet ac biberet; illi verò adhuc opus habebant cibo corporali: unde mox additur, *viderunt Deum, & comederunt ac biberunt.* Sed prior sententia probabilior apparet, quòd scilicet ex visione illa Divina nihil læsi fuerunt, cujus argumentum etiam erat quòd edebant ac bibebant, præ se ferentes signa lætitiæ & gaudii. Paraph. tamen noster hunc locum ità transfudit, non quòd principes isti ederint ac biberint, sed quòd ex ista visione, quodque viderent sacrificia sua grata & accepta Domino, tanto gaudio affecti fuerint perinde ac si lautissimo convivio quodam refecti fuissent.

IDEM.

11. ואל אצילי בני ישראל לא שלח ידו ויחזו את האלהים ויאכלו וישתו *Ad principes autem filiorum Israël non misit manum suam: videruntque Deum, & comederunt atque biberunt,*] Hic locus cùm à LXX. tum à Vulg. interprete admodum obscurè versus est ex veritate Hebraica: ubi enim LXX legunt, *Et electorum Israël non dissonuit neque unus*, Hebraicè est, *Et ad principes filiorum Israël non misit manum suam*, h. e. Deus non læsit principes Israël qui illum viderant; *biberunt enim & comederunt*, - - - postea, quod argumentum fuit non fuisse à Deo occisos; cùm tamen scriptum sit, *Non videbit me homo & vivet.* Est igitur *mittere manum super aliquem* Hebraismus pro *lædere*, punire & damnum inferre; sicut & Chald. Paraph. hunc Hebraismum expressit, *Principibus autem Israël nullum incommodum*, sive *damnum*, fuit. Mirum ergò quid LXX. suâ versione voluerint, *Et electorum Israël non dissonuit neque unus.* Dein quod legunt, *Et apparuerunt in loco Dei*, &c. cùm Hebraicè sit, *& viderunt Deum.* Sunt tamen qui per *missionem manûs* intelligunt afflatus Spiritûs Prophetici; quasi scilicet Dominus principes Israël non tam largiter afflaverit sicut ipsum Mosen, qui ex conspectu Dei tantum consortatus ut per 40. dies & noctes nihil ederet aut biberet; illi verò conspectâ gloriâ Dei mox rursum *ederunt & biberunt.* Et hanc hujus Hebraismi expositionem secutus est Vulg. interpres Latinus, *Nec non super eos qui procul recesserant à filiis Israël misit manum suam:* q. d. Non tantum Mosen afflavit, illique gloriam suam ostendit, sed & aliquam partem gloriæ suæ pervenire passus est ad principes & seniores, qui non tam propè ut Moses accesserant, sed remotiùs stabant. Sed prima sententia quam annotavimus est omnium simplicissima; nempe quòd istâ gloriæ Dei conspectione planè nihil fuerint læsi, sed summo gaudio affecti fuerunt, quod gaudium mox instituto convivio repræsentarunt. Paraph. tamen Chaldæus per illud, *comederunt & biberunt*, spirituales delitias & gaudia intelligit; quasi scilicet ex ista Divina visione tantopere exhilarati fuerint acsi lautissimo aliquo convivio refecti fuissent. Vox Hebraica אצילי, *dominos, principes & magnates* significat, deducta à verbo אצל, quod *separare & segregare* significat: hinc אצילים *principes & magistratus* dicti, quasi separati & segregati à reliqua turba hominum, q. d. egregii, selecti: quod secuti sunt LXX. qui *electos* verterunt. Aliam significationem secutus est Vulg. interpres, qui legit *eos qui procul recesserant.*

VATABLUS.

1. *AD Jehovam*, אל יהוה] Antecedens pro relat. *ad me.*

2. *Accedat verò*, &c. ונגש משה וגו'] *Et accessit propius Moseh solus ad Jehovam, illi autem non accesserunt propius, & populus* reliquus *non ascendit cum illo:* nempe Moseh, convocatis illis septuaginta.

4. *Statuas*, מצבה] *Titulos, columnas*, i. stationes.

5. *Qui immolaverunt*, ויזבחו] *Qui obtulerunt.* ¶ *Juvencos:* פרים] *Vitulos*, per appositionem dictum.

6. *Sanguinis*, הדם] Sub. *victimarum illarum.*

7. *In auribus populi:* באזני העם] Hebraismus, *audiente* populo.

8. *Rebus illis:* הדברים האלה] Nempe jam dictis.

10. *Velut opus lapidis sapphirini*, כמעשה לבנת הספיר] *Velut opus lateris sapphirini.* Erat aliquid factum ex sapphiro lato instar lateris. Alii vertunt, *velut opus mensæ sapphirinæ*, i. ex sapphiro lato & complanato in modum lateris & mensæ. Quòd majestatem gloriæ suæ Deus formâ lateris sapphiri colorem præ se ferentis principibus Israël ostendere voluit, dicunt Hebræi ideo factum esse ut illis in memoriam revocaret duram illam servitutem atque molestiam laborum quos perpessi fuerant in Ægypto in conficiendis lateribus; à qua servitute & molestia jam liberati essent beneficio Dei, & asserti in libertatem, quæ repræsentetur per visionem sapphiri, qui cœrulei coloris est; & aureis collucere punctis ajunt, ad significandum quòd jam ex populo servili populus liber ac Divinus factus esset; ita ut lutum illud in quo in Ægypto operati fuerant in pretiosissimum lapidem & aurum quodammodo mutatum videretur. Sunt tamen qui sapphirum candidi coloris esse dicant: unde & לבנה hic pro *candido* exponunt, legentes, *Quasi opus albi sapphiri.* ¶ *Et sicut aspectus*, &c. וכעצם השמים לטהר] *Et velut substantia* [vel *essentia*, sive *corpus*] *cœli in puritate*, vel *præ puritate & munditia.* Non potest sermone humano exprimi thronus ille Dei.

11. *Non misit manum suam:* לא שלח ידו] i. Deus non læsit principes Israel qui illum viderant: biberunt enim & comederunt postea: quod argumentum fuit illos non fuisse à Deo occisos, quum tamen scriptum sit, infrà 33. 20. *Non videbit me homo, & vivet.* Hebraismum istum expressit Chald. paraph. his verbis, *Principibus autem filiorum Israël nullum incommodum fuit, & viderunt gloriam Domini.* Quidam per *missionem manus* intelligunt flatum Spiritûs prophetici; quasi scilicet Dominus principes Israël non tam largiter afflaverit sicut Mosen, qui tantam vim Dei in se sentiebat ut per XL. dies & noctes nihil ederet ac biberet, illi verò adhuc opus habebant cibo corporali: unde mox additur, *Viderunt Deum, & comederunt ac biberunt.* Prior sententia probabilior apparet quòd scilicet ex visione illa Divina nihil læsi fuerint: cujus argumentum etiam erat quòd edebant ac bibebant, præ se ferentes signa lætitiæ & gaudii. ¶ *Et viderunt,* &c. ויחזו את האלהים] i. qui quum vidissent Deum, comederunt & biberunt ut antea, nullo accepto incommodo. Subaudiri potest nonnihil, sic, *& viderunt Deum, sed non sunt mortui, imo postea comederunt,* &c.

12. *Daboque tibi,* ואתנה לך] *Ut dem tibi.* ¶ *Et Legem atque præceptum,* והתורה והמצוה] Sing. Heb. pro plur. *& Leges & præcepta.*

13. *In montem Dei:* אל הר האלהים] i. in quo apparebat gloria majestatis Divinæ.

14. *Manete,* שבו לנו] Ad verb. *Manete nobis.* Redundat *nobis.* Alii, *Sedete,* vel, *Sedentes exspectate nos hic.* ¶ *Quisquis habuerit causas,* מי בעל דברים] Ad verb. *quis dominus verborum:* מי pro כאשר *is qui fuerit dominus verborum,* i. qui causas habuerit loquendi, h. e. qui habuerit lites.

16. *E medio nubis:* מתוך הענן] i. è parte nubis quæ densissima erat.

CLARIUS.

4. *Duodecim titulos*] Duodecim rudes & impolitos lapides erexit: qui & *statuæ* à *consistendo* vocantur.

7. *Volumen fœderis*] Quod volumen, cùm tabulas & Legem nondum de monte attulerit? Respondent Hebræi, librum fuisse qui scriptus erat de creatione mundi usque ad datam Legem.

8. *Hic est sanguis*] Hæc verba allegantur Heb. 9. cùm hæc omnia N. Test. umbra fuerint.

10. *Quasi opus lapidis sapphirini*] Cujusmodi visio etiam Ezechieli facta est. In Hebræo est *lateris:* voluntque significari, duram illam luti & lateris servitutem versam fuisse in pulcherrimam libertatem.

11. *Non misit manum suam*] Ad majores & præcipuos in populo *non misit Deus manum suam,* i. prophetiam, sicut ad Mosen, ideo non viderunt Deum tam claré: Viderunt quidem, sed hâc visione non fuerunt satiati, cùm adhuc comederint & biberint: at Moses quadraginta diebus & noctibus sine cibo perstitit. Alii sic exponunt, *Non misit Deus manum suam in illos,* h. e. non occidit eos postea quàm Deum viderunt, cùm scriptum sit, *Non videbit me homo, & vivet.*

LUC. BRUGENSIS.

11. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël misit manum suam, viderúntque Deum.*] Quidam legi mallet, *Nec super eos qui propiùs accesserant de,* &c. id enim est quod significatur, Deum nihil eos læsisse qui ex filiis Israël, conscenso monte, ei appropinquarant, eumque viderant. Verùm cùm Latini codices, suffragante Rabani textu, constanter legant; *Nec super eos qui procul recesserant* (id enim quod nonnulli habent, *Nec non super eos,* error esse etiam Correctori videtur) hanc germanam Interpretis scripturam esse verosimillimum est. Atque huc facit quòd Hebræa vox quæ hoc loco legitur אצילים, *principes & nobiles* ideo significet, quòd à plebeis sint separati: ità ut videatur Interpres ipsam nominis etymologicam rationem transtulisse cùm dixit, *eos qui procul recesserant.* Simili ferè ratione LXX. verterunt *electos.* Est autem is ipse sensus qui jam dictus est, Deum Principibus qui, conscenso monte, à filiis Israël procul recesserant, etsi ab eis visus esset, nihil nocuisse. Clarissimè locum istum explicat Chaldæa Paraph. ולרברבי בני ישראל לא הוה נזקא וחזו ית יקרא דיי, *& magnatibus filiorum Israël nullum fuit nocumentum, & viderunt gloriam Domini.* Verumenimvero, si Hebraica dictio אצילים ab אצל præpositione *apud* denotante deducta, *propinquos* possit significare (id quod Oleaster annotavit) id priorem illam conjecturam adjuvet.

DRUSIUS.

13. משרתו A. & Sym. ὁ λειτουργὸς αὐτοῦ, *minister ejus*] Sic interp. noster: etiam Santes. LXX. hic, ὁ παρεστηκὼς αὐτῷ sed Jos. 1. 1. ὑπουργὸς, *minister.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et Mosi dixit, Ascende ad DOMINUM, tu & Aharon, Nadab & Abihu, & septuaginta ex Senioribus Israël, & adorabitis è longinquo.*

2. *Et accedat Moses solus ad DOMINUM, & ipsi non accedant, & populus ne ascendat cum eo.*

3. *Venitque Moses & narravit populo omnia verba DOMINI & omnia judicia: & respondit populus una voce, & dixerunt, Omnia verba, quæ locutus est DOMINUS, faciemus.*

Et Mosi dixit] Sectio hæc dicta putatur quarto die mensis Sivan, ut censent Doctores. Vide illos in sectione Jethro. Notavit inde Hiscuni. ¶ *Dixit*] DOMINUS an angelus? Si DOMINUS, tum in eo quod sequitur nomen erit loco pronominis, *Ascende ad DOMINUM,* pro Ascende ad me. De Angelo accipiunt Hiscuni & autor Glossæ interlinearis. Verba Glossæ, *Non hoc DOMINUS dixit, sed angelus, qui in figura Dei cum Mose loquebatur.* Jonathan, *Ad Mosen dixit Michaël princeps sapientiæ, die septimo mensis.* R. Salomo, *Sectio hæc dicta fuit ante decalogum, quarto Sivan dictum fuit ei, Ascende.* ¶ *Septuaginta ex Senioribus*] *Primogeniti sancti.* Abenezra. 70. *Senes, de quibus Eldad & Meldad fuerunt.* Strabus. ¶ *Et accedat Moses solus*] *Ad caliginem.* R. Salomo. *In cacumen montis.* Nicolaus. ¶ *Ipsi non accedant*] Sed in parte montis inferiore maneant. ¶ *Venitque*] E monte in castra Israëlitarum. ¶ *Et narravit populo*] *Eodem die,* R. Salomo. ¶ *Omnia verba*] Omnia præcepta. Sic, *decem verba:* unde & decalogi vocabulum. Abenezra, *præcepta affirmantia & negantia, quæ scripta sunt à verbis illis, Vos vidistis quòd è cœlo: usque ad finem, non erit tibi in scandalum.* ¶ *Judicia*] *Quæ posuit eis, quæ memorantur in hac sectione.* Abenezra. *Comprehensa superioribus quatuor capitibus.* Tremel. *Septem præcepta quæ data sunt filiis Noë & Sabbathum, & honor patris & matris, & vacca rufa, & jura quæ data sunt illis in Mara.* R. Salomo.

4. *Et scripsit Moses omnia verba DOMINI, & surrexit mane mane, & extruxit altare sub monte, & duodecim statuas duodecim tribubus Israël.*

5. *Misitque pueros filiorum Israël, & obtulerunt holocausta, & sacrificaverunt sacrificia pacifica DOMINO Juvencos.*

Et scripsit] *Postquam narrasset omnia verba Dei, præcepta & judicia scripsit ea: & hic est liber fœderis.* Abenezra. *Scripsit à principio Geneseos usque ad datam Legem, & scripsit præcepta, quæ data sunt in Mara.* R. Salomo. ¶ *Surrexit mane*] *Quinto Sivan.* R. Salomo. *die quinto mensis Sivan.* Hiscuni. *Hoc mane, quo surrexit Moses, 50 est dies, ut arbitror ego, quo demum data Lex fuit.* Vide, sodes, Nicolaum. ¶ *Mane mane*] Summo mane. ¶ *Sub monte*] *Ad radices montis.* Hieron. *In loco quo stabat Israel cum Lex daretur.* Abenezra. ¶ *Statuas*] Hieron. *titulos.* LXX. λίθους. Sic etiam edit Gal. Erant autem lapides erecti in statuas sive titulos, quos Græci στήλας appellant. Hiscuni, 12. *lapides statuit in altari ut testaretur omnes eos consensisse in fœdere. Simile quid fecit Elias in monte Carmeli, Et accepit* 12. *lapides juxta numerum filiorum Israël.* Vide Lyram & Cajetanum. ¶ *Duodecim tribubus*] Vel, *secundum* 12. *tribus.* LXX. εἰς τὰς δώδεκα φυλὰς. Tremel. *Pro* 12. *tribubus.* Sic etiam editio Gallica. ¶ *Pueros*] Hieron. *Juvenes.* LXX. τοὺς νεανίσκους. Onk. & Jon. *Primogenitos.* Abenezra, *Sunt juvenes filii senum primogeniti, qui ascenderunt cum Mose.* Hiscuni, *Juvenes qui instituendi erant in præceptis.* Nicolaus, *Dicunt aliqui, quod isti fuerunt Nadab & Abihu filii Aharon, qui futuri erant sacerdotes. Alii autem dicunt quod fuerunt primogeniti XII. principum Israël: & hoc videtur verius: quia usque ad sacerdotium Aharon, quod nondum erat institutum, sacerdotium eo tempore annexum erat primogenituræ, ut dictum fuit Gen.* 14. *&* 27. Lippomanus, *primogeniti ante Leviticæ tribus electionem sacerdotio fungebantur.* ¶ *Et obtulerunt*] Vel, *qui obtulerunt.* Locus iste adversari videtur verbis Amos, *Numquid hostias & sacrificia obtulistis* &c.

Sed

Sed non adversatur. Nam mens prophetæ non fuisse ordinarie sacrificatum in deserto. Aliter respondet Hieron. comment. in Amos, ad quem te adire cupio. ¶ *Juvencos*] פרים· Lxx. μοσχάρια. Hieronym. *Vitulos.* Onk. & Jon. תורין boves. In editione Latina veteri additum, *duodecim.* Lyra suspicatur legendum *duo.* *Nam pluralis*, inquit, *absque determinatione alicujus numeri in Ebræo sig. communiter binarium.* Hoc valde se mihi improbat. Nam in tanto numero comedentium, qui potuissent sufficere duo juvenci? Aben. *cum pacificis mentionem facit juvencorum, quia multi erant comedentes.*

6. *Et accepit Moses dimidium sanguinis posuitque in crateribus, & dimidium sanguinis sparsit super altare.*

7. *Accepitque librum Legis & legit in auribus populi: Et dixerunt, Omnia quæ locutus est DOMINUS faciemus & audiemus.*

8. *Et accepit Moses sanguinem illum, & sparsit super populum, & dixit, Ecce sanguis fœderis, quod percussit DOMINUS vobiscum super cunctis sermonibus his.*

Sanguinis] *Mactatorum animalium.* Jon. *Holocaustorum & pacificorum.* Abenezra. *Duo crateres erant. In uno erat dimidium sanguinis holocaustorum: in altero dimidium sanguinis pacificorum, ad spargendum super populum.* R. Salomo. *Hinc didicerunt Doctores nostri, quod patres sint ingressi fœdus circumcisionis, tinctionis & aspersionis sanguinis. Nam aspersio non fit absque tinctione.* Idem. ¶ *In crateribus*] אגן crater, vas capax & rotundum. Lxx. εἰς κρατῆρας. (*crateras* i. *scyphos magnos habentes ansas*, Nicolaus) Quanquam in nonnullis codicibus εἰς κρατῆρα: quod sequitur Augustinus. Onk. & Jon. *in pelvibus.* Nam מזרק pelvis. Arabicè אגאנה vas rotundum. Videndus Abenezra. Jes. 22. 24. Hieron. *craterarum*: aliis, *craterum.* R. David מזרקים pelvium. Cant. 7. 2. אגן הסהר *crater tornatilis.* Hieron. κρατὴρ τορευτός. Lxx. *crater rotundus.* Santes. Jario est pelvis aquarum limpidarum ad lavandum. ¶ *Et dimidium sanguinis*] *Partem autem residuam.* Hieron. ¶ *Sparsit*] Idem *fudit.* Lxx. προσέχεε. Abenezra repetit ἀπὸ κοινοῦ, *posuit in crateribus, & deinde sparsit super altare.* ¶ *Fœderis*] *Pacti legis.* Jonathan. *Ab initio Geneseως usque ad dationem Legis, & præcepta, quæ data sunt in Mara.* R. Salomo. *A capite 20. usque ad finem capitis 23.* Abenezra quod probo. ¶ *Audiemus*] Auscultabimus, audientes dicto erimus. Nicolaus, *Iste sanguis erat signum receptionis Legis à populo, & fœderis inter ipsum & Deum. Deus autem spiritus est, & ideo loco ejus aspersit altare, ut dicit R. Salomo, & postea populum. Fuit etiam hæc aspersio in signum, quod transgressorum Legis sanguis deberet effundi.* ¶ *Sanguinem illum*] Residuum, hoc est, alteram partem dimidiam. ¶ *Super populum*] *Senes qui populum repræsentabant.* Aben. *sparsit super altare ad expiandum populum.* Jonathan. ¶ *Super cunctis sermonibus his*] Ità Hieron. Alii, *secundum omnia verba hæc.* Lxx. περὶ πάντων τῶν λόγων τούτων, de omnibus &c.

9. *Ascenditque Moses & Aharon, Nadab & Abihu, & septuaginta ex senibus Israël.*

10. *Et viderunt Deum Israël, & sub pedibus ejus velut opus lapidis sapphirini, & sicut corpus cœli in serenitate.*

Ascendit] Concendit montem Sinai. ¶ *Abihu*] Lxx. Ἀβιοὺδ, Abiud. In antiquis Hieron. *Abiu.* ¶ *Viderunt*] In visione prophetica, ut ibi, *Vidi DOMINUM sedentem in solio suo.* Abenezra. *Et erexerunt Nadab & Abihu oculos suos & viderunt gloriam Dei Israël.* Jonathan. *Contemplati sunt & aspexerunt, & rei fuerunt mortis, sed noluit Deus benedictus perturbare gaudium Legis: ideò distulit Nadab & Abihu usque ad diem dedicationis tabernaculi, & senioribus usque ad, Et populus murmurabat, accensusque est in eos ignis DOMINI & comedit partem castrorum & duces qui in castris.* R. Salomo, *Viderunt in visione & in prophetia.* Hiscuni. *Viderunt gloriam Dei*: alias, *majestatem.* Onkelos. *Viderunt eum in specie aliqua corporea.* Alii. Nam Deus in natura sua videri non potest. Unde Johannes Euangelista, *Deum nemo vidit unquam.* Vide Augustinum ad Fortunatianum episcopum, de videndo Deo. Hieron. Jes. 7. & alios in Catena patrum. ¶ *Sub pedibus ejus*] Onkelos, *Sub solio gloriæ ipsius.* Jonath. & Jerosolymitanus, *Sub scabello pedum ejus*: addit Jon. *Quod stratum est sub solio ejus.* Hinc eliciunt Deum apparuisse ipsis in similitudine humana. Vide Lyram. ¶ *Opus lapidis Sapphirini*] לבנת ספיר *lateris sapphir.* Nicolaus, *In Ebræo habetur, quasi opus lateris sapphirini.* Vide sequentia. Hieron. tamen vertit, *lapidis sapphirini.* Onkelos, *ut opus lapidis pretiosi*: Jonathan ut Hieron. In Jerosolymitano legendum fortasse לבן pro לבן i. album. R. Salomo, *Later in memoriam revocabat angustiam Israëlitarum cum servirent in opere lateritio. Cœli serenitas, lucem & lætitiam qui affecti sunt cum redempti fuissent.* Quidam, *ut opus albedinis Sapphir.* Nam ajunt hanc gemmam albam esse. Abenezra, *Dicit Haggaon sapphirum aspectu candidum esse, quod non est ità. Nam est rubeus. Quod si* לבנת *est albedo, cur dicit, sicut opus. Nam dixisset magis, sicut aspectus. Et rectum est ut* לבנת *sit constructum ex* לבנה *later, quemadmodum* חשכה *derivatur ex* חשכה *obscuritas.* Lxx. ὡσεὶ εἶδος πλίνθου σαπφείρου, sicut opus lateris sapphiri. Iidem pro, *viderunt DOMINUM*, habent, εἶδον τὸ τόπον οὗ εἱστήκει ὁ θεός. Notat autem Abenezra laterem Sapphiri esse qui Ezechieli dicitur lapis Sapphiri, quem vidit in visionibus propheticis. Jonathan post, *sicut opus lapidis sapphirini*, addit, *in memoriam servitutis quam servire fecerant Ægyptii filios Israël in luto & lateribus.* In eodem scriptum כמין שמיא cum Res. ¶ *Velut corpus cœli*] כעצם השמים sicut ipsum cœlum. Id malim, quia corpus קוף dicitur, non עצם propriè loquendo. Juvat me Hieron. referens, *quasi cœlum cum serenum est.* Sic עצמי ego ipse, עצמו ille ipse, עצמך tu ipse &c. Lxx. ὡς εἶδος στερεώματος τοῦ οὐρανοῦ: ut species firmamenti cœli. Quid si, *quasi firmitudo cœli* i. soliditas? Onkelos, *sicut aspectus cœli.* Jonathan, *sicut robur pulchritudinis cœli.* Tremel. *velut corpus ipsum cœli.* Santes, *sicut aspectus cœli.* Id Arias emendat, *sicut corpus cœli.* Nicolaus, *Color ejus quasi color cœlestis designat eorum libertatem quam consecuti erant & jucunditatem divinæ apparitionis.* Sunt qui per לבנה, de quo supra, pavimentum significari putant, quod communiter sterni solet lateribus: unde nomen. לבנה ergo later, & pavimentum lateritium, & nomine latius accepto pavimentum. Examina. ¶ *In serenitate*] Vel nitore i. cum serenum est ac nitet, nullis nubibus obfuscatum. Quod innuit Jonathan, referens, *cum sunt puri à nubibus.* לטהר propriè, *in puritate*, ut לטהר in serenitate, ל pro ב accepto: & subintelligitur *aëris.* Puritas aëris est quam nos *serenitatem* vocamus.

11. *Et ad selectos filiorum Israël non misit manum suam, videruntque Deum & comederunt & biberunt.*

Selectos] Alii, *principes*: alii, *magnates.* Rab. Salomo, גדולים· Onkelos רברבי id est principes. Lxx. τῶν ἐπιλέκτων i. electorum sive selectorum. Aben. *Non meminit senum, quia comprehendere voluit cum iis Nadab & Abihu.* R. Salomo, אצילים *sunt Nadab & Abihu & Senes.* ¶ *Non misit manum suam*] Non affecit eos ullo malo. Non occidit eos. Infra 33. 20. *Non videbit me homo & vivet.* Onkelos, *& principibus Israëlitarum non fuit ulla læsio.* Jonathan, *Ad Nadab & Abihu juvenes pulchros non misit plagam suam ea ipsa hora, sed servati sunt in diem octavum* &c. Aben. *Viderunt Deum benedictum & non sunt mortui, quemadmodum exponam in versu, Non videbit me homo & vivet.* Hiscuni, *Non extendit prophetiam suam, quia indiguerunt cibo ac potu: alias, non fuerunt læsi.* Nomine manus spiritum propheticum & alii significari putant. Vide Notas Vatabli & Lippomanum. Rursum R. Salomo quem Pharsaudatha cognominant i. interpretem legis, אצילים *sunt magnates sive megistanes* i. גדולים ut Jesa. 41. 9. ומאציליה, ubi Sym. τῶν ἀγκώνων αὐτῆς, à cubitis ejus. Nam cubiti אצילים vocantur, unius apicis immutatione. ¶ *Deum*] *Gloriam Dei.* Onkelos. *Gloriam divinitatis Dei.* Jonathan. καὶ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ θεοῦ. Lxx. Iidem verterunt pro eo quod nos habemus, *Non misit manum suam*, οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, *non dissonuit ne unus quidem.* Lex. vetus, διαφωνῶ, *discerpo, abhorreo, abhorresco, dissentio, dissono.* Quidam explicant, *nemo accepit detrimentum.* Quid si, *nemo expiravit*? Vide sis Rom. Edit. Latinam. Itemque Thesaurum Stephani, ubi διαφωνῶ redditum *examinor.* ¶ *Comederunt & biberunt*] Onkelos, *Lætabantur de oblationibus suis, quod acceptæ essent cum benevolentia perinde ac si comedissent & bibissent.* Sic etiam Jonathan. R. Salomo ex Medras Thanhuma, *Contemplabantur eum corde etiam cum ederent & biberent.* Abenezra, *Descendebant è monte læti, comedebantque victimas pacificas, quas mactaverant juvenes ipsorum, biberuntque cum gaudio. Ceterum R. Juda Levites addit hoc additum esse propter Mosen, qui 40. dies abstinuit ab omni cibo & potu. Isti enim, inquit, licet vidissent splendorem divinitatis, tamen coacti fuerunt edere & bibere.*

12. *Dixit autem DOMINUS ad Mosen, Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem & præcepta, quæ scripsi ut doceas eos.*

Dixit autem] *Post datam legem.* R. Salomo. ¶ *Ad me*] *Coram me.* Onk. & Jon. ¶ *Esto ibi*] *Mane ibi dies quadraginta.* R. Salomo. Abenezra. ¶ *Dabo tibi*] *Donec dedero tibi.* Abenezra. ¶ *Tabulas lapideas*] Non ligneas. Ebræi, teste Nicolao, putant ex Sapphiro fuisse. Quod tamen in eorum

rum commentariis nondum legere memini. Alibi est לוחות האבנים: Hic scriptum lectum לוחות אבן, ut annotat Abenezra, quia erant ex genere lapideo, non ligneo. Scire licet אבן aliquando pro gemma usurpari. Tremel. *ut dem tibi tabulas lapideas* i. *legem &c.* Saadias per תורה intelligit legem scriptam & per מצוה oretenus traditam quam νόμον ἄγραφον vocant. Non admodum probo. Aben. eo labi videtur ut תורה sit primum & quintum præceptum: מצוה autem reliqua octo. R. Levi, *tabulas lapideas, in quibus scripta decem præcepta scriptura Dei per prodigium* i. *miraculose: & legem* i. תורה שני *narrationes legis & generaliter omnia præcepta* &c. Nescio quid velit R. Salomo, *Sexcenta & tredecim præcepta continentur decalogo.* Id Jonathan dixit שאר פתגמי אורייתא מליכי פקודיא Plenum esset, תרי״ג tredecim. Jonathan, *Daboque vobis tabulas lapideas, quibus innuuntur reliqua verba legis & 613. præcepta &c.* ¶ *Quæ scripsi*] Vel, *quas scripsi*, nempe tabulas lapideas. Nam eas solas scripsit Deus proprio digito. ¶ *Eos*] Vel ea. Sed tum esset להורותן potius. Verus interpres, *ut doceas filios Israël.* Sed verior scriptura, *ut doceas eos:* quæ in editis à Plantino & in textu Lyræ. Prior notata ex aliquot Manuscriptis.

13. *Surrexitque Moses & Josue minister ejus, ascenditque Moses ad montem Dei.*

14. *Et ad Senes dixit, Sedete nobis hic, donec revertamur ad vos, & ecce Aharon & Hur vobiscum sunt, qui habet negotia accedat ad eos.*

Et Josue] Quid ei rei aut negotii hoc loco? An deduxit Mosen usque ad terminum montis? Nam ulterius non licebat progredi. R. Salomo putat eum ibi substitisse totis 40. diebus, donec Moses rediret. Videndus Lyra in hunc locum. Abenezra, *Quantum conjectura possum assequi, Josua egressus est è castris cum Mose, & mansit in imo montis dum descendisset Moses. Nam ecce nesciebat negotium vituli, qui factus erat. Quod si quæras quid ederit aut biberit, respondeo fieri posse ut collegerit Man, quod circum montem decidebat.* Hactenus Abenezra. Idem scribit Hiscuni autor non malus. ¶ *Surrexit*] *è medio senum.* R. Levi. ¶ *Minister ejus*] משרתו Lxx. ὁ παρεστηκὼς αὐτῷ qui adstabat ei. Aquila & Symmachus ὁ λειτουργὸς αὐτοῦ minister ejus. Sic etiam Hieron. Jos. 1. 1. Lxx. habent ὑπουργὸς i. minister, famulus. Onk. & Jon. משומשניה minister ejus. ¶ *Ad montem Dei*] *Ad montem Sinai.* R. Levi. *in montem Dei.* Hieron. *ad montem in quo patefacta fuerat gloria DOMINI.* Onkelos. *Gloria divinitatis DOMINI.* Jon. ¶ *Dixit ad Senes*] *Cum exiret è castris.* R. Salomo. Nicolaus. ¶ *Sedete nobis hic*] Sic est in Ebræo ad verbum. Quidam explicant, *sedentes nos expectate hic.* Quid si stantes id fecissent? Verior interpretatio Hieron. *expectate hic.* Forte לנו redundat, ut sæpe alias: aut vertendum, *expectate nos.* Quod Onkelos dixit אוריכו לנא & Jon. אמתינו לנא. Similis locus Gen. 22. 5. *Sedete vobis hic.* ubi *vobis* otium agit in Latio. Vide Annotat. nostras. Lxx. ἡσυχάζετε, quiescite. R. Salomo המתינו בכאן moram trahite hic una cum reliquo populo in castris, ut sitis parati ad judicandam causam cujusque. Senes autem intelligit eos, qui viderant gloriam Dei Israël supra vers. 9. & 10. ¶ *Nobis*] *Mihi & Josue.* Hiscuni. ¶ *Et Hur*] In Lxx. est Ὤρ, quod scribes Hor. Sed Ebræi cum Hieron. legunt *Hur*, pro quo apud Severum *Ut* legitur: duplici mendo. Nam & abest aspiratio, & ultima r in t mutavit, vitio manus aberrantis in scribendo. Hunc traditio prodit fuisse maritum Mariæ sororis Mosi. Eadem tenet occisum fuisse in negotio vituli, cum populum eo nomine graviter culparet. Nam hic tantùm, & supra cap. 17. ejus mentio fit. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Videndi quoque sunt Nicolaus, R. Salomo, & R. Levi. ¶ *Qui habet negotia*] בעל דברים dominus verborum i. negotiorum aut causarum. Hieron. *si quid natum fuerit quæstionis.* Tremel. *qui habet aliquid dicendum*, & in margine, *sive consilio, sive litis direptione opus sit.* Lxx. ἐάν τινι συμβῇ κρίσις, *si cui acciderit judicium.* Onk. *si cui erit judicium vel causa.* Jonathan, *negotium judicii.* דבר pro negotio & causa sumi notius est quam ut probari debeat. Hinc בדברך in causa tua, ἐν τῇ δικῇ σου. ¶ *Accedat ad eos*] Aharonem & Hur. Nam Jethro primum ad Mosen venit anno secundo. Aut Senes jus reddebant populo. Graviores autem causæ referebantur ad Aharonem & Hur: qui vicem Mosi supplebant. R. Salom. בעל דברים interpretatur מי שיש לו דין cui est judicium aut lis.

15. *Ascenditque Moses ad montem & operuit nubes montem.*

16. *Et habitavit gloria DOMINI super montem Sinai, operuitque eum nubes illa sex diebus, & clamavit ad Mosen die septimo è medio nubis.*

Ad montem] Vel potius, *in montem:* aut, *conscendit montem.* ¶ *Operuit*] Antea operuerat sive obtexerat. ¶ *Nubes*] *Quædam nubes.* Tremel. ¶ *Et habitavit*] *Prius operuerat nubes sexto mensis & antea habitaverat gloria DOMINI. Nam ita scriptum est, Et descendit DOMINUS ad montem Sinai: item, & Moses accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* ¶ *Operuitque eum*] Mosen an montem? Prius Aben. Utrumque habet R. Salomo. Verba Aben. *operuit nubes Mosen, nec homo vidit eum.* ¶ *Clamavit ad Mosen*] Vocavit eum solum in cacumen montis. Vide notas Tremellii.

17. *Aspectus autem gloriæ DOMINI erat sicut ignis vorans in capite montis, in oculis filiorum Israël.*

18. *Ingressusque est Moses medium nubis & ascendit ad montem: fuitque Moses in monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

Aspectus autem &c.] Montem totum tegebat nubes: in cacumine autem erat gloria DOMINI speciem referens ignis qui consumit & vorat obvia quæque. ¶ *Aspectus*] מראה visus, species, τὸ εἶδος. ¶ *Vorans*] Comedens, consumens. Hieron. *ardens.* Sic etiam Jonathan. Sed & Lxx. φλέγον i. ardens, מבעיר. ¶ *Capite*] Cacumine, vertice, summitate. Eo non concessit, nisi vocatus. Admonet nos debere expectare vocationem divinam. ¶ *Ad montem*] Ad caput montis.

A M A M A.

11. EBr. ואל אצילי בני ישראל & *in Magnates filiorum Israël non misit manum suam.* Vulg. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël misit manum suam.*] Procul & hic recessit Interpres. Advocatum do Steuchum, *Tota hæc sententia*, inquit, *male reddita est.* Et paulo post, *Constat itaque non eam esse sententiam quam vertit Hieron.* Idem Cajet. & Benedict. asserunt. Si ita libuisset vertere Interpreti, *Super eos qui prope erant de filiis Isr.* quæri posset aliquod velamentum. Diceret enim aliquis primo, per אצילים *atzilim* intelligi primores, Mosen, Aharonem, Lxx. Seniores, Nadab & Abihu, quos propius ad montem accedere voluerat Deus. Unde R. Sal. ait, *Atzilim* esse Nadab, Abihu & Senes. & Aben. *Non nominat vel non dicit Senes; quia ipsum quoque Nadab & Abihu voluit complecti.* 2. In voce אצל propinquitatis notionem esse. Lxx. ἐπιλέκτους verterunt i. electos, in Themate enim seligendi & segregandi significatio est. Nos eos secuti sumus qui magnates reddidere, qui per Græcum ἐπιλέκτους quoque intelligendi sunt. Chald. רברבי Principes, primores. R. Sal. גדולים magnos, magnates. Vulgatus imposuit Lyræ qui hunc locum de plebe accepit. Videatur ejus Postilla.

G R O T I U S.

1. A*Scende ad Dominum*] Ad Angelum illum Dei potestate armatum.

Titulos] Columnas.

10. *Et viderunt Deum Israël*] Formam quandam valdè lucidam, velut hominis tergum obvertentis. Chaldæus, gloriam Dei: Græcè, τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ θεός [*locum in quo steterat Deus*].

Et sub pedibus ejus] Quasi solum dignum tanto incessore.

11. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël*] Hebræus codex: *super separatos*, id est, electos, ut Græci rectè sumsere, τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ [*eminentium Israëlis*], ut sunt Moses, Aaron, Nadab, Abiu, & Lxx. Ezech. XLI. 6. נאצלו, quod verbum est ejusdem originis, cujus hoc nomen, vertitur ἐξεῖχοντο [*eminebant*].

Misit manum suam] Id est, nihil illis nocuit. Sic eadem locutio sumitur Estheræ 11. 21. In Græco est, οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, id est, nemo eorum desideratus est, ut Num. XXXI. 49. οὐ διαπεφώνηκεν ἀπ' αὐτῶν οὐδὲ εἷς, sensu eodem, alio tamen verbo Hebræo. Et rursus aliud nomen Hebræum est Ezech. cap. XXXVII. 11. διαπεφωνήκαμεν, id est, periimus. Non autem sine causa id additum, quia recepta erat opinio illorum temporum, talia visa non obtingere, nisi jamjam morituris. Vide Judic. XIII. 22.

16. *Tegens illum nube*] Tanquam ministrum suum, ut exponit Maimonides: solent enim in synagoga operiri חזנים [*ministri*], qui Epiphanio Ἀζανῖται, quibus respondent in Ecclesia diaconi, ferentes orarium. Nubes hîc significat imbecillitatem intellectûs nostri circa divina.

CARTWRIGHTUS.

1. ET *Mosi dixit*, &c.] R. Sal. ait id, quod hic narratur, factum fuisse ante promulgationem decalogi, ac quarto die mensis Sivan (sive Maii) Mosen jussum fuisse ascendere. At nullà, quantum video, ratione hoc confirmat; nec cum eo sentit Jonathan, cujus paraphrasis sic habet, *& Mosi dixit Michael, princeps sapientiæ* (סרכן חכמתא) *die septimo mensis, ascende*, &c. Volunt autem Hebræi sexto die mensis decalogum fuisse promulgatum.

והשתחויתם מרחק *Et adorabitis à longinquo*] Lxx. *καὶ προσκυνήσουσι μακρόθεν τῷ κυρίῳ & adorabunt a longinquo Dominum.* Quasi de reliquis præter Mosen intelligeretur, quod ex versu sequenti probabile videatur.

3. *Et venit Moses, & narravit populo* &c.] Lyra refert * Hebræos dicere, hæc quæ hic habentur usque ad v. 12. facta fuisse antequam Deus locutus est decalogum; nostros autem velle hæc post promulgationem decalogi accidisse. Ac nostris hìc potiùs consenserim cum ceremonialia ac judicialia præcepta ante moralia data fuisse minùs sit verisimile. Quæ autem hic usque ad v. 9. habentur, transposita esse apparet.

Omnia verba, quæ locutus est Dominus, faciemus.] Lxx. addunt *καὶ ἀκουσόμεθα, & audiemus*, seu obediemus. Id in Hebræo hic non habetur, sed tantùm v. 7. unde hùc fortè in Græca versione translatum est. Augustinus autem monet ordinem postulare, ut dicatur *audiemus, & faciemus*, potiùs quàm *faciemus, & audiemus*; at *audire* hic idem valet quod *obedire*, ac propterea de verborum ordine non est quod quis se torqueat.

4. *Et scripsit Moses*, &c.] R. Sal. ait Mosen scripsisse à principio Geneseos usque ad Decalogum. Saniùs Abenezra de præceptis & judiciis interpretatur; in libro enim Geneseos præter verba Dei (quæ hic à Mose scripta memorantur) alia plurima continentur. Addit autem Abenezra librum in quo hæc a Mose scripta erant, esse librum fœderis, de quo vers. 7. fit mentio.

5. *Et misit juvenes*, &c.] Jon. *Et misit primogenitos filiorum Israël, nam adhuc ministerium ad primogenitos pertinebat, quia nondum factum fuit Tabernaculum solenne* (משכן זמנא) *nec sacerdotium adhuc in Aharonem fuit collatum.* Onkelos etiam & R. Sal. de primogenitis interpretantur. Abenezra ait hosce fuisse juvenes, sive selectos quosdam (הנערים) filios nempe Seniorum illorum qui cum Mose ascenderunt: illos autem seniores hic pariter, ac ad v. 1. primogenitos fuisse asserit.

פרים (*nempe*) *juvencos*] Vulg. *Vitulos duodecim.* Lyra monet in Hebræo non esse *duodecim.* Sed nec in Græca versione nec in Chaldaicis paraphrasibus vox ista habetur.

6. וישם באגנת *Et posuit in crateribus*] Onk. & Jon. במזרקיא *in phialis.* Abenezra ait אגן esse vas rotundum, idque ex Cant. 7. 2. confirmat, אגן הסהר *phiala rotunda.*

Et sparsit super populum.] Onk. *& sparsit super altare, ad propitiandum pro populo.* Atque ita etiam Jonathan; eamque interpretationem citat R. Sal. nec ullam de ea fert censuram. At rectiùs procul dubio Abenezra, qui ait hanc aspersionem ejusmodi fuisse, qualis Levit. 8. 30. memoratur, ubi Moses Aharonem & vestimenta ejus, filiosque ejus & vestimenta eorum aspersisse legitur. Per populum autem hic non malè intelligit seniores populi, qui omnium Israelitarum loco habebantur; quemadmodum Levit. 4. 15. de juvenco, qui ob peccatum totius congregationis Israeliticæ offerendus erat, dictum est, seniores congregationis ei manus suas imponere debuisse.

10. *Et videbant Deum Israel*] Onk. & Jon. *gloriam Dei Israël.* Abenezra ait eos vidisse Deum במראה הנבואה *in visione prophetica*, quemadmodum Isaias cap. 6. 1. dicit se vidisse Dominum in solio sedentem. Sed quod hoc in loco dicitur, de externa aliqua specie, quâ Deus gloriam suam conspiciendam præbuit, intelligendum videtur; licet etiam Maimonides Mor. Neb. part. 1. cap. 4. de apprehensione intellectus, non autem de visione corporali interpretetur. R. Sal. ait eos curiosè intuitos esse, ac prospectasse (מסתכלו ונזונו) ac propterea mortis reos se fecisse, Deum autem noluisse gaudium istius temporis, quo data est lex (ad verb. *gaudium Legis*, שמחת תורה) perturbare, sed pœnam eorum in posterum distulisse, nempe Nadab & Abihu, usque dum Tabernaculum fuit dedicatum, seniorum autem, donec ob murmurationem populi eos igne consumpsit, uti legitur Num. 11. Similia etiam habet Maimonides Mor. Neb. part. 1. cap. 5. Jonathan etiam de curiosa ac temeraria prospectatione hunc locum intellexisse videtur, sed ad Nadab & Abihu eum restringit sic inquiens, *Et attollebant Nadab & Abihu oculos suos, & videbant gloriam Dei Israel.* Sed hanc visionem Dei ex temeritate ac præsumptione ortam esse, nihil est quod persuadeat; Dei potiùs erga eos favor ac benevolentia, quam eorum adversus Deum temeritas ac præsumptio hic memoratur.

כמעשה לבנת הספיר *Quasi opus lapidis sapphyri*] Onk. כעובד אבן טבא *quasi opus lapidis pretiosi*; ad verb. *lapidis boni.* At ספיר *Sappir* certam quandam speciem pretiosi lapidis *denotat*; atque inde procul dubio Græcum *σάπφειρος* & latinum Sapphirus ortum habent. Vulg. *quasi opus lapidis Sapphirini.* Lxx. *ὡσεὶ ἔργον πλίνθου σαπφείρου, sicut opus lateris Sapphiri.* לבנה propriè laterem significat, unde Hebræi (uti refert Fagius) dicunt hanc visionem Israelitis exhibitam, ut illis in memoriam revocaret duram illam servitutem, quam conficiendis lateribus in Ægypto patiebantur, à qua jam liberati erant Dei beneficio, & asserti in libertatem, ita ut jam lutum illud, in quo operati sunt, in pretiosissimum lapidem, nempe Sapphirum mutaretur. Ad istum sane modum in Paraphrasi suâ Jonathan, *Et sub scabello pedum ejus, quod substratum erat Solio ejus, erat quasi opus lapidis Sapphiri*, כרכר שעבודא דשעבידו מצראי ית בני ישראל בטינא ובלבנין i. *memoriale servitutis, quam Ægyptii fecerunt filios Israel servire in luto & lateribus*, &c. R. Sal. adhuc ineptiùs ait laterem illum Sapphirinum fuisse coram Deo cum Israelitæ Ægyptiaca ista servitute afflicti erant, ut is scilicet in animo retineret quemadmodum illi in laterum confectione laborarent. Quoniam autem לבן album significat, ideò R. Saadiah לבנת הספיר ita exponit, ac si de albo Sapphiro Scriptura hic loqueretur, imo hinc colligit Sapphirum esse album. Ita de eo scribit Abenezra, qui tamen aliter se rem habere asserit, ac לבנת hic esse a לבנה *latere*, hicque lapidem denotare. Certè Plin. lib. 37. cap. 9. dicit Sapphiros esse ceruleas; atque idem, opinor, vult Albertus, qui de rebus metallicis, lib. 2. c. 17. flavum colorem, sed qualis est cœli sereni, sapphiro tribuit.

11. ואל־אצילי בני ישראל *Et in principes filiorum Israël*] Onk. אצילי interpretatur רברבי *principes, magnates.* Lxx. *καὶ τῶν ἐπιλέκτων*, &c. *Et electorum, &c.* Vulg. *nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israël, &c.* Steuchus fatetur id malè versum: אצל *atsal* est *segregare*, unde אצילים *atsilim*, principes, magnates, qui ab aliis segregantur. Isa. 41. 9. מאציליה *ex magnatibus ejus.* Chald. מבמלכותא *e regnis.* R. Sal. מגדולים שבהם *ex magnatibus, qui sunt inter eos.* Similiter & Kimchi מגדולי הארץ ומלכיה *ex magnatibus terræ, & ex regibus ejus.* Lxx. *ἐκ τῶν σκοπιῶν αὐτῆς, ex summitatibus ejus.* Vulg. *a longinquis ejus.* At אצל *Etsel* est *juxta, prope*, non *procul* seu a longinquo. Hic autem per *atsilim, segregatos, principes*, Nadab & Abihu & seniores Israel intelliguntur, uti R. Sal. & Abenezra notant. Jonathan habet, *Et super Nadab & Abihu juvenes pulchros, &c.* Sed cur de iis solis intelligatur, causam non video.

Non misit manum suam] Id est, ut rectè Onkelos, *non læsit eos*; vel ut Jonathan, *plagam eis non immisit.* Sensus est (ut exponit Abenezra) eos Deum vidisse, nec tamen mortuos esse, imo nullo planè incommodo affectos esse. *Mittere manum* (uti observat Fagius) est Hebraismus pro lædere, punire & damnum inferre. *Innuitur ergò* (inquit) *principes Israel nihil damni accepisse ex eo quod Deum viderunt, partem scilicet majestatis ac gloriæ illius, cum tamen scriptum sit, Non videbit me homo, & vivet.* Mirari autem quis possit quid Lxx. Interpretibus in animo fuit, cum sic verterint, οὐ διεφώνησεν οὐδ' εἷς *non dissonuit, ne unus quidem*; Ita Græca ista sonare videntur, atque ita Latinè sunt reddita. Nobilius autem monet posse fortasse verti, *nemo detrimentum accepit*; simili enim notione verbum διαφωνεῖν usurpatum videri 1 Sam. 30. 19. *καὶ οὐ διεφώνησεν αὐτοῖς, &c. Et non dissonuit eis, &c.* i. e. desideratus est. Heb. לא נעדר להם *Non defuit eis.* Et Ezech. cap. 37. 11. *ἀπόλωλεν ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, διαπεφωνήκαμεν, Periit spes nostra, dissonuimus.* Heb. נגזרנו לנו *excisi sumus, quod ad nos attinet.* Ex istis sane locis apparet Lxx. Interpretes ita usurpare verbum διαφωνεῖν, ut huic loco sat rectè conveniat.

*Et * videbant Deum, & edebant, & bibebant*] Onk. *Et videbant gloriam Domini, & gavisi sunt in sacrificiis suis, quæ accepta sunt cum benevolentia, perinde ac si comedissent, & bibissent*; hoc est (uti Fagius explicat) perinde ac si lautissimo con-

* *Abenezra ad v. 4. ostendit se aliter sentire, cum dicat in loco ubi Israëlitæ stabant, cum data est lex, altare fuisse extructum.*

* *Lxx. καὶ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ θεοῦ*, Et apparuerunt in loco Dei.

convivo refecti fuissent. Atque ad istum etiam modum Jonathan interpretatur. Similiter & Abenezra, qui ait sensum esse, eos lætis animis è monte descendisse, ac sacrificia pacifica, quæ juvenes ipsorum obtulerant, comedisse, & cum gaudio bibisse. Ego idem hic innui puto cum eo quod in principio versus dictum est, nempe Deum eis manum suam (ultricem) non immisisse, morte scilicet, vel plagâ aliquâ eos non fuisse percussos, sed edisse ac bibisse, id est, vivos ac incolumes mansisse.

13. *Et Joshua minister ejus*] R. Sal. ait Joshuam comitatum esse Mosen usque ad limites præstitutos, ultrà quos ei non licuit progredi, atque illic tentorium suum ex· ·disse, ac totis quadraginta diebus, quibus Moses in monte , substitisse; idque ex eo, quod scriptum est cap. 32. 17. confirmat. Similiter & Abenezra ait probabile esse (מדרך הסברא) Joshuam è castris Israelis cum Mose profectum, in inferiore parte montis permansisse usque dum Moses descenderit, propereà quòd (uti cap. 32. habetur) id, quod de vitulo factum est, nescivit. Atque addit quærendum non esse quid intereà comederit, cum manna undiquaque circa castra caderet, unde eam quotidiè colligere ac comedere posset.

Et Ascendit Moses] Nempe solus, Joshua ad pedem montis manente, uti R. Sal. & Abenezra interpretantur.

In montem Dei.] Onk. *In montem, super quem gloria Domini revelata est.* Jon. *In montem, super quem gloriosa præsentia Domini revelata est.*

14. ואל־הזקנים אמר *Et senibus dixit.*] Vel, *Senioribus autem dixerat.* Ita enim (ut notat R. Sal.) eos allocutus est antequam è castris egrederetur. Jonathan pro זקנים *Senes*, vel seniores habet חכימיא *sapientes.*

שבו־לנו בזה *Expectate nos hic*] Ad verb. *Sedete nobis hìc.* R. Salom. sic exponit, *Moram hic facite cum reliquo populo in castris, ut ad uniuscujusque causam dijudicandam parati sitis.*

Et Hur] R. Sal. ait Hur fuisse filium Miriam, ac patrem ejus fuisse Caleb filium Jephunne; quia (scilicet) scriptum est (nempe 1 Chron. 2. 19.) *Et accepit sibi Caleb Ephrath, quæ peperit ei Hur*; Ephrath enim esse Miriam, uti in tractatu Talmudico Sota haberi asserit. At quid ista sibi velint, nescio, cùm Caleb, de quo istic est sermo, non filius Jephunne, sed filius Hezron esset, uti ex 1 Chron. 2. est manifestum.

18 *Et ascendit in montem*] Id est, ut interpretatur Abenezra, in summitatem montis, ubi præcipuè Deus gloriam suam manifestavit. אל ראש ההר ששם הכבוד Nam anteà dictum erat Mosen in montem ascendisse, v. 15.

Et fuit Moses in monte, &c.] Jon. *Et fuit Moses in monte discens verba Legis ex ore (Dei) Sancti, sit nomen ejus laudatum, &c.*

I D E M.

7. Q*Uicquid Dominus dixit* נעשה ונשמע *faciemus & obediemus*] Ad verb. *& audiemus.* Unde Kimchi in Rad. non parùm se torquet in hoc loco explicando. Primò ait sensum esse נעשה מה ששמענו ונשמע עוד מה שידבר *faciemus id quod audivimus, & quod dixerit porro audiemus.* Deinde ait sic exponi posse נעשה מצות עשה ומצות לא תעשה שהם נשמעות ומקובלות לנו *Faciemus præcepta affirmativa, & præcepta negativa, quæ non nisi per auditum & traditionem habentur, audiemus.* Sed istæ expositiones coactæ videntur; simplicissimum est ut *audire*, hîc idem valeat quod *obedire.* Sic ipse Kimchi in radice שמע (nam priora illa habet in radice עשה) notat verbum illud interdum significare, *simpliciter audire*, interdum autem *obedire*, vel *observare*, & interdum *intelligere.* כלם ענין שמיעה ויש מהם שמעה לבד ויש מהם שמיעה לקבלה ועוד יש מהם שמיעת הבנה.

10. כמעשה לבנת הספיר *Quasi opus lapidis sapphiri.*] Kimchi in Rad. ait nonnullos interpretari ספיר lapidem pretiosum, quem vocant Sapphirum. האבן היקרה שקורין לה בלע״ז צפי״ר Si autem ita sit, tum non ex colore, sed ex dignitate, & excellentiâ lapidem illum æstimandum esse dicit. Addit juxta Abenezram esse lapidem pretiosum rubicundum, at R. Saadiam velle album esse, & vernaculè dici קרישטל *Chrystall.* In Midrash autem traditum refert, malleum percutiendo hunc lapidem ספיר fuisse contractum, & incudem diffissam, lapidem autem hunc integrum & illæsum mansisse (עמד בעמדו) ex ista hujus lapidis descriptione colligit eum esse adamantem (האבן שקורין לה דיאמנט) quem album & purum esse asserit: sic ille in radice ספר in radice autem לבן ait לבנת hîc esse à לבנה *later*, & לבנת הספיר idem valere quod אבן ספיר *lapidis sapphiri.* Quia autem לבנה propriè denotat *laterem*, ideò refert * mysticè sic exponi, quòd nimirum videbant similitudinem lateris sub pedibus throni gloriæ, ut viderent, & recordarentur quemadmodum Israëlitæ Ægyptiis in conficiendis lateribus serviebant.

I D E M.

8. E*T aspersit eum populo*] Refert Interpretes velle, Seniores populi aspersos fuisse; ipse autem existimat Mosen duodecim statuas, quarum v. 4. fit mentio, sanguine aspersisse, atque populum dici aspersisse, quod statuæ istæ duodecim tribus Israël repræsentabant: sed prior expositio mihi videtur commodior. Posteà autem dicit, sanguinem aspersum fuisse vel super statuas, vel super populum ipsum: sed quomodo tot hominum myriades sanguine aspergi potuerint, non ostendit.

10. כמעשה לבנת הספיר *Sicut opus lapidis sapphiri*] Probat id quod dicit Abenezra, לבנת hic idem esse quod אבן *lapis*; improbat autem id quod dicit, Sapphirum esse rubicundam; nullo enim colore præditam esse dicit, sed omnium colorum capacem. Quod autem Abenezra affert ex Thren. 4. 7. sic intelligendum ait, quod puri erant instar Sapphiri. Notat insuper ideo dictum כמעשה *sicut opus*, quia Sapphirus non splendet, nisi artificis opera poliatur.

12. *Et Dominus dixit Mosi, Ascende, &c.*] Eleganter alludit ad illud quod scribitur in libro Esther, nemini in atrium interius ingredi licuisse, nisi ei rex aureum sceptrum porrigeret; id autem Deum hic Mosi duntaxat præstitisse.

13. *Et Minister ejus Josua*) Dicit Josuam ad pedem montis substitisse, usquedum Moses descenderit: atque hic Doctores illud usurpasse refert; † *Qui custodit ficum, de fructu ejus comedet: sic qui observat dominum suum, honorabitur.*

16. *Et gloria Domini, &c.*] Vide infrà ad cap. 30. v. 35.

* מדרש חזית בשיר השירים. † *Prov.* 27. 18.

C A P. XXV.

M U N S T E R U S.

2. O*Blationem*) Heb. תרומה, quod propriè significat *elevationem.* Et quidem aliquando capitur pro בכור, *primitiis*; aliquando pro ritu quodam oblationis, ut quòd armus & pectusculum in altum coram Domino levabantur, & non in quatuor orbis partes agebantur, qui ritus תנופה vocatur; aliquando pro נדבה, *donatione & voluntaria contributione*, ut in præsenti loco. Unde Hebræi dicunt, תרומה היא הפרשה רצונית מחוץ. Truma *est voluntaria separatio de externis rebus.*

4. *Hyacinthum* interpretantur Hebræi *lanam blavam*, h. e. quæ cæruleum habet colorem. Sunt etiam qui צמר ירוק, *lanam viridem*, interpretantur. ¶ *Purpura* verò rubeum habet colorem. ¶ *Coccinum* à Rabbinis pro עין אדום, *colore rubeo*, exponitur, qui vulgò *carmesinus* vocatur, & est lucidior quàm purpura. ¶ Et quando additur תולעת putant significare *sericum*, quòd à vermiculis netur. Kimchi putat תולעת שני idem esse quod עין יפה; *colorem pulchrum*, ac si dicat Scriptura *rubricatam rubedinem*: significat enim tam תולעת quàm שני, *colorem rubeum.* Porrò Jod in שני est יחוס, i. gentile, sicut à מצרים dicimus מצרי, *Ægyptius.* ¶ Porrò עזים Kimchi exponit pro *lana caprina.*

5. Et תחשים, quod interpres noster *taxorum* vertit, nos verò *thasorum*, Hebraicam scilicet relinquentes vocem, Hebræi putant animal esse mundum & varii coloris, argumentum sumentes ex Chaldæa translatione, quæ habet ססגונא, quasi שש בגונים, i. *gaudens in coloribus.* Ex nostris quidam putant esse melim. ¶ *Sittim*) Autem Kimchi dicit speciem esse, & quidam optimam, cedri.

7. *Lapides qui includantur*] Heb. *lapides plenitudinum*, h. e. qui implent משבצות *capsulas* & loca pro ipsis includendis fabrefacta. Ponebantur autem lapides pretiosi in Ephod ipso atque in pectorali ornamento. ¶ *Ephod* fuit vestis quædam humeralis: & *pectorale*, quod Hebraicè *boschen* vocatur, fuit ornamentum ex serico, auro & pretiosis lapidibus factum, quod summus Sacerdos in pectore suo & super cor suum portabat, in quo erant Urim & Thummim, unde responsa Divina dabantur. Habuerunt enim Hebræi temporum successu triplex

plex Oraculi genus, ut Gerundensis hìc commemorat: videlicet Prophetiam, quam רוח הקדש vocant; Urim & Thummim; & tandem, cùm ista cessassent, usi sunt in Templo secundo בת קול, voce quàdam de cœlo lapsâ, unde futura didicerunt.

17. *Propitiatorium*] Vocatur operculum arcæ *propitiatorium*, in cujus finibus consurgebant duo Cherubin opere מקשה facti, i. *opere ductili*, ut quidam volunt, aut secundùm alios, *opere integro & solido*, ut scilicet tam operculum quàm Cherubim fuerint גוף אחד, *corpus unum*, absque ulla חיבור *compositione* factum. Idem sentiendum de Candelabro & scyphis, floribus, sphærulis atque ramis ejus. Porrò *Cherub* secundùm Hebræos est dictio composita, idem significans quod כמו רביא, *quasi puer*. Habuerunt enim isti Cherubim formam & figuram puerorum. Est tamen רביא magis Chaldaica dictio quàm Hebraica.

22. *Testificabor tibi inde*] Potest & sic reddi hic locus, *Et conveniam te ibi, ut loquar tecum*, h.e. Hunc locum tibi præscribo, ubi tecum sum locuturus.

24. *Coronam auream*] Erat supra mensam quasi sertum quoddam aureum, quod tabulam mensæ (ambiebat. Et infra tabulam alius erat ambitus, velut fimbria quædam, quam Hebraismus *clausuram* appellat: & sub illa in quatuor pedibus mensæ) erant quatuor circuli. Porrò supra mensam ponebantur varia vasorum genera, nempe קערות magnæ & latæ scutellæ, cochlearia formam manûs concavæ habentia, & dimidiatæ fistulæ, (sic enim Kimchi post R. Sal. exponit) quarum officium erat sustentare panes facierum & conservare à putrefactione. Et quoniam longæ erant, mensam excedentes, consurgebant è terra מנקיות, quæ erant quasi פרשילים *furcula* quædam & *fulcra*, quæ dictas fistulas sustinebant. Nos tamen à communi translatione non recedentes, vertimus *cyathos* pro *furculu*, præsertim cùm sequatur יסך verbum *fusionis*. Nec mihi hìc satisfit à R. Sal. qui verbi radicem dicit esse סכך, cùm potiùs sit נסך, nisi malueris in יסך Dages repræsentare alteram similium, & tunc יסך refertur ad mensam, quæ variis quodammodo operiebatur vasis. Ex nostris quidam putant מנקיות accipi pro instrumentis quibus fiunt purgationes.

31. *Candelabrum*] Accipe candelabri rationem sic: Per *latus* ejus intellige basim; per קנה *calamum* intellige medium stipitem. Habuit & alios sex קנים *calamos*, qui sunt rami seu brachia ex medio stipite dextrorsum & sinistrorsum progredientia. In quolibet autem calamo, medio & laterali, erant pro decore ejus facti scyphi, seu calices, ut Onkelos vertit, amygdali habentes figuram: erant & sphærulæ seu nodi, atque rosæ & germina pro decore ejus passim in eo facta. In medio stipite erant tres noduli seu sphærulæ; & supra quamlibet consurgebant utrinque duo calami, in quibus erant fabrefacti flores & scyphi: & in summitate eorum erant lucernæ seu lampades. Et quoniam utrinque tres erant calami, & insuper medius calamus, sequitur septem in sublimi fuisse lampades, quæ repræsentabant septem planetas, sicut & tabernaculum ipsum figurabat opificium cœli & terræ. Fuit & sublimior quædam significatio in hoc candelabro & lucernis ejus, sed cujus explicationem relinquimus doctioribus Theologis.

36. *Et integrum*] Nota quòd מקשה est בלי פירוד וחבור *absque separatione & conjunctione*, h. e. est res integra, & non ex partibus composita. Porrò lucernæ in summitate calamorum ponebantur, erantque receptacula olei & ellychnii. Forcipes autem erant emunctoria; & מחתות, vasa in quibus ponebantur favillæ ellychniorum. Porrò totum opus candelabri erat ex una auri massa, sive ex uno talento, quod Hebraicè *Kikar* vocatur. Continetque vulgare Talentum sexaginta libras: Illud autem quo in templo utebantur duplum erat ad profanum. Et secundùm R. Salom. Libra continet centum aureos Colonienses. Siclus verò habet quatuor aureos: & sexaginta sicli faciunt minam seu libram. Sed de hoc infrà cap. 30. copiosiùs dicemus.

40. *Quæ tibi in monte est demonstrata*] Hebræi paulò aliter habent, nempe sic, *quam tu factus es videre in monte:* sed idem est sensus.

F A G I U S.

2. **C***Oram me separationem*] *Separationem* vocat ea quæ quisque de bonis suis separabat Domino pro exstruendo tabernaculo.

4. *Hyacinthum*] Vocem Hebraicam תכלת *Thecheleth*, Chaldaicè תכלא *Tichla*, nostri interpretes ferè *hyacinthum* interpretantur, quod ex nostris quidam hodie reddunt *flavum colorem*, gehle Seide. Hebræi sic describunt, צמר צבוע בדם חלזון וצבעו ירוק *Lana est tincta sanguine vermiculi cujusdam, cujus tinctura viridis est.* R. D. K. in lib. Rad. ita habet, הוא הצבע שקורין לו בלע״ז בל״ב והוא צבוע בדם חלזון עם סמנים ידועים *Color est quem vulgò vocant flavum. Estque tinctus sanguine vermiculi Halazon, cum signis notis.* Judæi nostrates hodie vulgò *lanam blavam*, h. e. quæ cæruleum habet colorem, exponunt. Et illorum sententiam nonnihil confirmare videtur, quòd Num. 15. 38. præcepit Dominus filiis Israël, *ut vittam hyacinthinam ponerent in fimbriis vestimentorum, ut per eam admonerentur præceptorum Dei.* Sed quid ad eam rem, inquis, conferebat vitta illa? Colore scilicet, ut respondent Hebræi, cæruleo sive aëreo quem habebat, quo admoneri debebant hæc præcepta cœlitus à Deo profecta esse. Tradunt quoque antiqui Scriptores quatuor istos colores, ex quibus omnia tabernaculi confecta fuere, quatuor elementorum proprietates retulisse. Ex aqua enim, inquiunt, Purpura, Byssus è terra nascitur: Hyacinthus autem, qui subobscurus est, assimilatur aëri; Coccus autem igni. Tabernaculum enim totum repræsentat mundum; utque è quatuor elementis is mundus, sic tabernaculum è quatuor coloribus qui elementa quatuor exprimant. ¶ *Coccinum*] Chaldaicè ad literam est *colorem lucidum:* & hunc vulgò *carmesinum* vocant, quòd lucidior sit purpurâ.

5. *Pelles thasorum*] Qualenam hoc animal fuerit, quod alii sequentes vocem Hebraicam *taxum*, alii *thasum* nuncupant, variæ & incertæ sunt Hebræorum opiniones. R. Sal. sic scribit, מין חיה ולא היתה אלא לשעה והרבה גוונים היו לה לכך מתרגם ססגונא ששש ומתפאר בגוונים שלו, *Bestia est quæ solum ea tempestate inveniebatur, quæ plurimas habebat maculas: ideò Chaldaicè vocatur Sasgona, quasi gaudens in coloribus.* Eadem ferè habet R. D. K. in Rad. suis, ubi sic scribit, אמרו ח״ל תחש שהיה בימי משה בריה בפני עצמה היה ואמר חיה ויש לו גוונים הרבה וזהו שתרגם אנקלוס ששגונא שש ושמח בגוונים הרבה שיש לו ובמדרש אמר ששה גוונים יש לו וזהו ששגונא, *Dicunt RR. Thachasch animal tantùm in diebus Mosis fuisse, & mundum, habuisseque multos colores: unde & Onkelus vertit Sasgona, i. lætans & gaudens in multis coloribus suis;* Et in alio commentario, *Sasgona vocatur à sex coloribus quos habet.* A. E. planè diversam ab his habet sententiam; sic enim scribit, ועורות תחשים עור בהמה שהוא עב כי העגל לא יעשה כי אם מעור עב כעור השור ולפי דעתי שהוא שור *Et pelles Thechaschim pelles sunt bestiæ quæ præpinguis est, ut est corium bovis. Ac mea quidem sententia est, hanc belluam esse bovem.* Hæc propterea hìc annotare libuit ut videamus quàm sæpe nihil certi habeant Hebræi in rebus abstrusioribus, ut de naturis animalium, herbarum, gemmarum, colorum, & id genus aliis: quæ rerum ignorantia apud illos nimirum secuta est ex crebris quas sustinuerunt captivitatibus. Antea enim populus erat sapientissimus, rerumque scibilium peritissimus. ¶ *Ligna Schittim*] Discordes quoque Hebræorum sententiæ sunt super hoc ligno. Alii enim Cedrum, alii Piceam, alii Buxum esse dicunt. Kimhi scribit optimam speciem cedri esse. Nec desunt qui sentiunt hoc genus ligni à filiis Israël ex Ægypto in desertum asportatum fuisse. Sed nec hoc certum est. Quare probabilior est sententia A. E. qui conjicit hoc genus ligni circa montem Sinai crevisse. Cui adstipulatur & author Hizkuni, qui scribit in deserto sylvas fuisse in quibus hoc lignum creverit, fuisseque lignum leve & pulchrum, ex quo & filii Israël sua tabernacula fecerint, juxta illud, *Habitavit verò Israël in Shittim*, Num. 25. Lxx. transtulerunt ξύλα ἄσηπτα *ligna imputribilia*, sive *incorrupta*.

7. *Lapides plenitudinis*] Sic vocat gemmas quæ auro & argento includi solent, ut videmus in annulis, quas parabant ad ornandum Superhumerale & Pectorale. *Ephod* vestis quædam fuit humeralis, quæ à cingendo sic fuit appellata: אפד *Aphad* enim Hebræis *cingere* significat. *Pectorale* verò, quod חשן *Hoschen* Hebraicè dicitur, ornamentum fuit ex serico, auro & pretiosis lapidibus factum, quod summus Sacerdos in pectore suo & super cor suum portabat, in quo erant Urim & Thummim.

16. *Testimonium quod dabo tibi*] i. Librum fœderis, tabulas lapideas continentes Decalogum, quæ vobis testantur meam voluntatem.

17. *Propitiatorium ex auro*] Ità reddidi secutus communem nostrorum interpretum versionem: aliàs כפרת *Capporeth* Hebraicè, & Chaldaicè כפורתא *Capurta*, *tegmen* sive *operimentum* aut *velamen* & *cælum* significat. Quòd autem interpretes *propitiatorium* vertunt, magis verbi à quo deducitur rationem habent quàm rei. Nam כפר *placare*, *expiare* & *propitiari* etiam significat. Sed Hebræi כפרת hic simpliciter pro eo-

cooperculo arcæ accipiunt. Lxx per duas voces reddidere, legunt enim ἱλαστήριον ἐπίθεμα, &c. *propitiatorium superpositionem auri puri*, &c.

18. *Duos Cherubim*] *Cherubim* unde dicti, & quæ ratio nominis, habes nonnihil super Gen. 3. 24.

30. *Panem facierum*] Sic dicuntur quod semper essent in facie & conspectu Domini. Unde & mox additur, *Coram me semper.* Huc respexerunt & Lxx, qui vertunt ἄρτους ἐνωπίους, q. d. *panes præsentes & expositos.* Dicunt nonnulli Hebræorum *panem facierum* appellatum quod quatuor angulis esset expressus, quos illi *facies* vocant. Sed prior ratio verior est.

I D E M.

5. ועורת תחשים ועצי שטים, *Et pelles Thasorum atque ligna Sittim.*] Variatio est in voce Hebraica תחשים, qua secundum Lxx & Vulg. interpretem *hyacinthinus color* significatur. Hebræi *animal* esse dicunt *mundum & varii coloris*, ut Paraph. Chaldæus ססגונא vertit, i. *gaudens coloribus*, vel à *sex coloribus*, ut alii volunt; alii *violacei coloris* vertunt. Aben Ezra sentit esse *animal perpingue simile bovi.* Alii propter incertitudinem Hebræam vocem relinquunt, scribentes *thasorum* sive *taxorum.* Sic quoque variatur de voce שטים. Alii *cedrum*, alii *piceam*, alii *buxum* esse dicunt. R. D. Kimhi optimam speciem Cedri esse sentit. Aben Ezra circa montem Sinai crevisse credit, fuisse genus ligni leve & pulcrum, unde etiam filii Israel tabernacula sua confecerunt, juxta illud Num. 25. *Habitavit vero Israel in Sittim.* Alii ex Ægypto à filiis Israel hoc lignum asportatum esse dicunt: sed hoc non certum est.

7. ואבני מלאים לאפוד ולחשן, *Et lapides qui includantur in Ephod & in Pectorali.*] Hunc locum annotavi propter vocem Hebraicam חשן, quæ vestis erat quadrata & duplicata ex serico, auro & pretiosis lapidibus facta, quam summus sacerdos in pectore suo & super cor suum portabat, in qua etiam erant ornamenta Urim & Thummim: atque hinc quidam *pectorale* vocant, Vulg. interpres *rationale* nominat; quod hinc scilicet filiis Israel cognoscere liceret quid factu rationabile esset. Et Hebraice quidam חשן nuncupatum autumant à חוש, i. *sentiendo, intelligendo*, quod inde summus Pontifex sentiebat & intelligebat quid respondendum esset filiis Israel voluntatem Domini ex isto ornamento sciscitantibus. Inde חשן המשפט *pectorale judicis* appellatum fuit secundum R. D. Kimhi, לפי שהיו עליו האורים והתומים שהיו מודיעים משפט האדם כשהיו שואלים בהם, *eo quod erat super Urim & Thummim quæ indicabunt judicia hominum per illa interrogantium.* Lxx non bene vertisse videntur per ποδήρη, quod *talarem* ad talos usque porrigentem significat, cum brevis & quadrata vestis fuerit, quæ pectus Sacerdotis tantum contegebat.

17. ועשית כפרת זהב טהור, *Facies quoque propitiatorium de auro mundo.*] Variationis nonnihil est in voce Hebraica כפרת, quæ proprie *tegmen, coopertorium, operimentum, velamen* & *velum* significat; eratque tabula quæ superponebatur Arcæ. Vox deducta est à verbo כפר, quod *tegere, velare* & *cooperire* significat, quod verbi μεταφορικῶς pro *tegere peccata*, i. expiare, placare & propitiare accipitur. Atque hinc est quod Lxx & Vulg. interpres כפרת per *propitiatorium* magis quam per *coopertorium* transferunt, rationem potius habentes verbi metaphorice sumpti quàm ipsius rei. Vulg. interpres aliquando *oraculum* vertit, ab eventu, quod ibi oracula Dei resonabant.

18. ועשית שנים כרבים זהב מקשה תעשה אתם, *Facies etiam duos Cherubim aureos, integro opere facies eos.*] Variatio est in מקשה, quam alii pro *opere ductili* accipiunt, cum scilicet aurum attenuando in longum quodammodo diducitur; quem sensum nostri fere interpretes sequuntur, quibus adstipulatur & Paraph. Chaldæus cum sua versione: נגיד enim *tractum* sive *protractum* significat, quia percussione mallei trahebant aut protrahebant membra sive partes has & illas. Alii vocem Hebraicam מקשה pro *opere integro & solido* accipiunt, ut scilicet tam operculum quam Cherubim fuerint corpus unum absque ulla compositione factum. Idem sentiendum dicunt de Candelabro.

24, 25. ועשית לו זר זהב סביב ועשית לו מסגרת טפח סביב ועשית זר זהב למסגרתו סביב, *Faciesque ei coronam auream per circuitum, sed & clausuram facies ei palmarem per circuitum, & facies coronam auream clausulæ illi per circuitum.*] Lxx. & Vulg. interpres hunc locum obscure verterunt: quod enim Lxx. *versibiles undulas*, & iste *labium* vertit, Hebraice est זר, i. *corona*; quodque illi rursum *coronam pugilis*, & iste *coronam interrasilem* reddidit, Hebraice est מסגרת *clausura.* Est autem hic sensus, quod super mensam coronam sive sertum quoddam quod tabulam mensæ ambiret facere debebat, & infra tabulam alium ambitum, veluti fimbriam quandam, quam Hebraismus *clausuram* appellat. Et sub illa in quatuor pedibus mensæ erunt quatuor circuli.

29. ועשית קערתיו וכפתיו וקשותיו ומנקיתיו אשר יסך בהן, *Facies quoque scutellas ejus & cochlearia ejus, dimidiatas fistulas ejus, & cyathos ejus quibus libabitur.*] Variatio est in nominibus vasorum: ex Hebraica tamen veritate ita licet dignoscere, ut קערות sint *scutellæ magnæ & amplæ*, unde forte est quod in Germania in quibusdam locis amplior patina Kuar nominatur. Et Lxx *catinos* verterunt. כפות sunt *cochlearia*, sic dicta quod formam manus concavæ habent: כף enim Hebræis *volam manus* significat: in illis aromata offerebantur. Lxx *mortariola* reddiderunt, quasi fuerint vasa in quibus aromata conterebantur. Vulg. editio *phialas* habet, nec desunt qui *scyphos* exponunt. קשות alii *crateres* sive *opercula* esse volunt quibus thus tegebatur, & מנקיות quibus panes propositionum tegebantur, sic dicta à *mundando*, ut conservarent panes ne fierent immundi. Incertus tamen est ordo vasorum istorum, an *Reschoth* thuris, & *Menakioth* panum propositionis opercula fuerint, vel è contra. Quidam enim sentiunt *Reschoth* fuisse calamos vacuos quos ponebant in summitate uniuscujusque panis ut ingrederetur ventus sive aer in ipsos panes ne immundi efficerentur, erantque veluti operimentum ipsis panibus. R. Salomo, & post illum R. D. Kimhi, *Reschioth* pro *dimidiatis fistulis* exponunt, quarum officium erat sustentare panes propositionum, & conservare eos à putrefactione; & quia longe erant mensam excedentes, consurgebant è terra *Menakioth* quæ erant quasi ferculæ quædam & fulcra quæ dictas fistulas sustinebant. Alii tamen pro *vasis libatoriis* exponunt, quam sententiam sequuntur Lxx, & *libatoria* & *cyathos* verterunt; quam sententiam roborare magis videtur quod mox consequitur in Textu, *quibus libabitur.* Etiamsi quidam Hebræorum verbum יסך non à נסך, quod *libare* significat, deducunt sed à סכך, quod *tegere & cooperire* significat, q. d. quibus contegatur sive thus sive panis propositionis.

30. ונתת על השלחן לחם פנים לפני תמיד, *Et pones super mensam panes facierum coram me semper.*] Variatio est in illo לחם פנים, quod alii *panes facierum*, alii *panes propositionis* vertunt. Cur autem sic dicti sint isti panes diversæ sunt sententiæ. Nonnulli Hebræorum *panem facierum* appellatum sentiunt, quod quatuor angulis esset expressus; quos illi *facies* vocant. Alii aliter exponunt. Nam cum Hebraice פנים *faciem* significet, non solum autem ipsam humanam faciem sed & omnem præsentiam & assistentiam & anteriorem partem, propterea appellari *panes facierum* existimant, h. e. panes assistentiæ, panes propositos, qui semper coram Deo reperiuntur; quod certe videtur esse certissimum. Mox enim ubi dixisset *panem facierum*, intulit לפני *coram me*, vel *faciei meæ* vel *præsentiæ meæ*: atque inde videntur appellari, quod semper coram Domino starent positi. Hoc idem sentiunt & Lxx, qui hos panes appellarunt ἐνωπίους, quasi dixeris *præsentes* sive *expositos.*

V A T A B L U S.

1. ET *locutus est*, וידבר] Hic septima est hujus libri apud Hebræos partitio, quam תרומה vocant, i. *Oblatio.*

2. *Oblationem*, תרומה] Hæc dictio quarumcumque rerum munificum & liberale donum significat quod Domino separatur. Chald. paraph. אפרשותא, i. *separationem*, transtulit; intelligens ea quæ quisque de bonis suis separabat Domino pro extruendo tabernaculo. Apud Hebræos autem oblationes non uno tantum ritu offerebantur Domino. Aliquoties enim quod oblatum erat, elevabatur coram Domino in altum. Unde ea oblatio dicta est תרומה, quod *levandam* dicere posses. רום enim est *elevare* sive *exaltare.* Aliquoties quod oblatum erat, movebatur coram Domino ad quatuor fines mundi, scilicet versus Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem; unde ea oblatio dicta est תנופה, quod *movendam* dicere posses, נוף enim est *hinc inde movere*, aut *ventilare.* Prima oblatione significabatur Christi exaltatio in cruce; altera, eam Christi oblationem & expiationem prædicatione spargendam esse in omnes fines terræ.

4. *Hyacinthum*, &c. ותכלת וארגמן ותו'] i. vestes hyacinthinas, sive pannos hyacinthinos & cæruleos; ut Hebræi interpretantur, & pannos purpureos, & sericum coccineum sive cocco tinctum, & byssum, & vestes factas ex pilis caprarum. Hebræi scribunt de תכלת, pro quo *hyacinthum* vulgo vertunt, *Lanam esse tinctam sanguine vermiculi cujusdam, cujus tinctura viridis est.* Doctus inter Hebræos de ea sic scribit, *Color est quem vulgo vocant* כחלי (ut est mare, Gallice *bleu*) *estque tinctus*

ſanguine vermiculi Halazon, arte quadam compoſito. Judæi Germani hodie vulgo *lanam blavam*, h. e. quæ cæruleum habet colorem, exponunt. Et illorum ſententiam nonnihil confirmare videtur quod Num. 15. 38. præcepit Dominus filiis Iſrael ut *vittam hyacinthinam ponerent in fimbriis veſtimentorum*, ut per eam admonerentur præceptorum Dei. Sed quid ad eam (inquis) conferebat vitta illa? Colore ſcilicet (ut reſpondent Hebræi) cæruleo ſive æthereo quem habebat, admoneri debebant, hæc præcepta cœlitus à Deo profecta eſſe. Tradunt quoque antiqui Scriptores, quatuor iſtos colores ex quibus omnia quæ erant tabernaculi confecta fuere, quatuor elementorum proprietates retuliſſe. Ex aqua enim (inquiunt) purpura, byſſus è Terra naſcitur: hyacinthus autem, qui ſubobſcurus eſt, aſſimilatur Aeri; coccus autem, Igni. Tabernaculum enim totum repræſentabat Mundum; utque è quatuor elementis conſtat mundus, ſic tabernaculum è quatuor coloribus qui elementa quatuor exprimunt. Pro *Coccino* Chaldæus paraph. ad verbum habet *colorem lucidum*: & hunc vulgo *carmeſinum* vocant, quod lucidior ſit purpura.

5. *Taxorum*, תחשים] Quidam Hebræorum putant fuiſſe animal mundum varii coloris: unde nonnulli vocem Hebræam relinquunt, ſcribentes *thaſſorum*, quæ Hebraice ſcribitur *thehaſim*. Alii *ianthinas* vertunt, i. *coloris violacei*. Doctus inter Hebræos de hac voce ſic ſcribit, *Dicunt Rabbini* תחש *animal tantum in diebus Moſis fuiſſe, & mundum; habuiſſeque multos colores: unde & Chaldæus paraph. vertit Saſgona*, i. *lætans & gaudens in multis coloribus ſuis*. Item alio loco, *Saſgona vocatur à ſex coloribus quos habet*. Ex doctioribus illorum alter plane diverſam ab eo habet ſententiam: ſic enim ſcribit, *Thehaſim pelles ſunt beſtiæ quæ præpinguis eſt, ſimiles corio bovis. Et juxta opinionem meam* תחש *eſt bellua quæ dicitur Bos.* ¶ *Sittim*, שטים] Cedri eſſe ſpeciem optimam, dicit doctus inter Hebræos. Quidam exiſtimant hoc genus ligni à filiis Iſrael ex Ægypto in deſertum aſportatum fuiſſe. Probabilior eſt alterius ex doctioribus Hebræorum opinio, qui conjicit hoc genus ligni circa montem Sinai creviſſe: cui & adſtipulatur quidam ex illorum doctoribus, qui ſcribit, in deſerto ſylvas fuiſſe in quibus hoc lignum creverit: fuiſſeque lignum leve & pulchrum, ex quo & filii Iſrael ſua tabernacula fecerint, juxta illud Num. 25. 1. *Habitavit vero Iſrael in Sittim.* Lxx verterunt ξύλα ἄσηπτα *ligna imputribilia*, ſive *incorrupta*. Dioſcorides de Sittim loquens, *Alii cedrum*, inquit, *alii piceam, alii buxum eſſe dicunt.*

6. *Aromata*, &c. בשמים לשמן המשחה ולקטרת הסמים] *Aromata ad oleum unctionis, & ad ſuffitum aromatum*, vel, *ſuavium odorum*. Alii, *unguentum odoriferum, & ad ſuffitum odoratum.* Hoc unguento ungebantur Sacerdotes.

7. *Onychinos*, שהם] Lapis eſt pretioſus candorem habens unguis humani. Unde à Græcis dicitur ὄνυξ, quod *unguem* ſignificat. ¶ *Plenitudinum*, מלאים] *Impletionis*. Sic vocat gemmas quæ auro & argento includi ſolent: atque ita replent locum factum in re aliqua argentea, quam *palam* vocant, ut videmus in annulis. ¶ *Ephod*, לאפד] Veſtis quædam fuit humeralis, quæ à *cingendo* ſic fuit appellata. אפד enim Hebræis *cingere* ſignificat. ¶ *Et pro pectorali*, ולחשן] Ornamentum fuit ex ſerico, auro & pretioſis lapidibus facto, quod ſummus Sacerdos in pectore ſuo & ſuper cor ſuum portabat, in quo erant Urim & Thummim. Vide infra 28. 15.

8. *Ut habitem*, &c. ושכנתי בתוכם] Ad verb. *Et habitabo in medio eorum.* q. d. Habebunt me ſemper præſentem. Hæc præcepit Deus ut eos averteret ab idololatria.

9. *Omnino ut ego*, &c. ככל אשר אני מראה אותך] Ad verb. *Secundum omnia quæ videre faciam te.* ¶ *Similitudinem*, את תבנית] *Exemplar.*

11. *Coronam auream*, זר זהב] *Limbum aureum*, ſive, *labium*, aut, *circulum*. i. circundabis eam circulo aureo per circuitum.

14. *Ut illis deferatur arca*, לשאת את הארון בהם] Ad verb. *Ad portandum arcam cum eis.*

15. *Non removebuntur ab ea*, לא יסרו ממנו] *Neque recedent ab ea*, i. perpetuo adhærebunt ei.

16. *Teſtimonium*, את העדת] i. librum fœderis, tabulas lapideas continentes Decalogum; quæ vobis teſtantur meam voluntatem.

17. *Propitiatorium*, כפרת] *Tegmen*, ſive, *operimentum*, aut, *velamen & cœlum*, quale rebus pretioſis ſuperponere ſolemus. Erat autem tabula quæ ſuperponebatur arcæ. Vetus interpres ſecutus Lxx, noſter item interpres, cum vertunt *Propitiatorium*, potius habent rationem verbi à quo deducitur, quam rei: verbum enim כפר, à quo deducitur, aliquando ſignificat *Removit iram, placavit, condonavit iniquitatem & peccatum.* Solebat autem Dominus apparere Iſraelitis ſuper operimentum illud, & illinc eos alloqui, & oſtendere voluntatem ſuam (ut v. 22. dicit) iratuſne eſſet an placatus illis. Unde factum eſt ut quidam verterint *Propitiatorium*: q. d. locum in quo Dominus placatus alloquebatur populum. Vetus interp. etiam pro eo vertit *Oraculum*, propterea quod illinc Dominus oracula ſua edebat. i. Moſi loquebatur, docebatque eum quid populum Iſraeliticum facere vellet. Lxx per duas voces reddidere, ἱλαστήριον ἐπίθεμα, *propitiatorium ſuperpoſitionem.*

18. *Ductiles*, מקשה] *Opere ductili*, & non fuſorio. Alii, *ſolidos*, vel *opere integro & ſolido*: ut ſcilicet tam operculum quam Cherubim fuerint opus unum abſque ulla junctura factum. ¶ *In duabus*, משני] Hic מ pro ב poſitum: vertendumque, *in duabus*, non, *à duabus*: & ſic v. 19. in cujus fine pro ב ponitur על, *ſuper duas extremitates ejus*: ubi noſter interp. vertit, *in duabus*, &c.

19. *Cherub*, כרוב] De hac voce vide cap. 3. 24. ¶ *Ex propitiatorio*, מן הכפרת] i. ex eadem materia qua tectum erat propitiatorium. Alii volunt מן pro ב poſitum, vertentes, *in propitiatorio facies Cherubim.*

20. *Expandentque*, &c. והיו הכרבים פרשי] Ad verb. *Et erunt Cherubim extendentes.* ¶ *Et ſe mutuo aſpicient*, ופניהם איש אל אחיו] Ad verb. *Et facies eorum, viri ad fratrem ſuum*: vel, *facies eorum, unius ad alterum*, i. ita erunt obverſi ut alter alterum reſpicere videatur.

22. *E propitiatorio*, &c. מעל הכפרת מבין] Ad verb. *Deſuper propitiatorium, de inter duos Cherubim.* ¶ *Quod eſt*, אשר] Alii referunt ad Cherubim, vertentes, *qui ſunt.*

24. *Coronam*, זר] Ut v. 11.

25. *Clauſuram*, מסגרת] *Clauſuram* vocat quod Gallice dicimus *ſoubaſſement.* ¶ *Clauſuræ illi*, למסגרתו] Ad verb. *In clauſura ejus.*

27. *Per quos trajiciantur vectes*, לבתים לבדים] Ad verb. *loca vectibus*, vel, *in domos vectibus.*

29. *Scutellas*, קערתיו] Vaſa quædam erant concava admodum, in quibus ponebantur panes. ¶ *Et cochlearia ejus*, וכפתיו] *Et thuribula ejus*, in quibus ponebatur thus: כפות dicta fortaſſe quod *volæ* cavitatem imitarentur. ¶ *Et opercula & crateres quibus tegebatur*, וקשותיו ומנקיתיו אשר יסך] Sub. *thus & panes.* קשות ſignificat opercula quibus thus tegebatur. Qui magni nominis eſt apud Hebræos, dicit hanc vocem ſignificare calamos per medium ſectos, qui panibus ſuperponebantur inter ſingulos panes, ut ingrederetur ventus inter ipſos panes, ne mucidi efficerentur: erantque veluti operimentum ipſis panibus. מנקית ſignificat crateres quibus panes tegebantur. Operculis & crateribus panis tegebatur.

30. *Panem facierum*, לחם פנים] Sic vocabantur panes oblati & ſacrati Deo, quod ſemper eſſent in facie & conſpectu Domini: unde & mox additur, *coram me ſemper.* Huc reſpexerunt & Lxx, qui vertunt ἄρτους ἐνωπίους, q. d. *panes præſentes & expoſitos.*

31. *Ductile fiet*, מקשה תיעשה] *Opere ductili fiet*, q. d. malleo fiet, & contuſione, non fuſione. Alii vertunt, *opere integro fiet*, eodem ſenſu. Volunt enim candelabrum fuiſſe factum non ex diverſis partibus in unum coagmentatis, ſed ex craſſo ſtipite, unde malleis producebantur calami, ſcyphi, &c. ¶ *Haſtile ejus*, ירכה] i. truncus, & craſſus ſtipes. ¶ *Scyphi ejus*, גביעיה] Intelligit partes quaſdam extenſas in ſpeciem calicis. ¶ *Sphærulæ ejus*, כפתריה] *Mala ejus, globuli ejus.* ¶ *Et flores ejus*, ופרחיה] *Et lilia.* ¶ *Ex ipſo erunt*, ממנה יהיו] i. ex eadem materia, & non ex alia: malleo enim ex ipſo trunco formabantur omnia.

33. *In ſpeciem*, &c. משקדים] Ad verb. *amygdalati.* ¶ *Sic de ſex*, כן לששת] Sub. *dicendum eſt.* Alii, *ſic in ſex illis calamis.* ſub. *quemadmodum diximus, fiet.*

34. *Et in candelabro*, ובמנרה] i. in parte inferiore haſtilis ſive trunci candelabri.

35. *Eritque ſphærula*, &c. וכפתר תחת] i. ſub ſingulis duobus calamis erit ſphærula una. h. e. ſphærula prima erit ſub duobus primis calamis qui utrinque ex ipſo ſunt candelabro, i. ex eadem materia candelabri. Deinde, alia ſphærula erit ſub duobus ſecundis calamis qui utrinque ex ipſo ſunt. Poſtremo, ſphærula una erit ſub duobus poſtremis calamis qui utrinque ſint ex ipſo candelabro, ex eademque candelabri materia: atque ita fiet ut ſint ſub ſex calamis de candelabro procedentibus.

36. *Ductile unum*, מקשה אחת] *Opere ductili uno.*

37. *Quas collocabis in ſublimi, ut luceant*, והעלה את נרתיה והאיר] Ad verb. *& aſcendere facies lucernas ejus. & lucere facies*, &c. i. pones ipſas lucernas in cacumine calamorum

rum, ut versus eam partem lumen emittant ad quam versum erit candelabrum.

38. *Et forcipes ipsius*, ומלקחיה] *Et emunctoria ejus.* ¶ *Et receptacula ejus*, ומחתתיה] i. vasa in quibus reponuntur quæ emuncta sunt. Quidam *Acerras* exponunt.

39. *Talento auri*, &c. ככר זהב טהור] *Talentum auri puri faciet illud*, sub. *candelabrum.* i. talentum suppeditabit materiam candelabro faciendo: Talentum vulgare sive profanum continet sexaginta libras: illud autem quo in templo utebantur duplum erat ad profanum.

42. *Vide autem ut facias*, וראה ועשה] Ad verb. *Et vide, & fac.* ¶ *Quæ tibi ostensa est*, אשר אתה מראה] Ad verb. *quam tu factus es videre.*

CASTALIO.

5. L*Igna cedrina*] עצי שטים tradunt nonnulli ligna esse cedrina; & recte, sicut ego judico. Cum sit enim cedrus & odore suavis, & tempore æterna, & cariem nunquam sentiat, non video quo ligno melius hæc fieri potuerint. Græci quoque verterunt ξύλα ἄσηπτα, *ligna imputrefacta*: quod idem secutus est Iosephus: quæ natura nulli magis convenit quam cedro. Sed cum sint ejus duo genera, puto hic de cedro magna dici, quæ *cedrelate* dicitur. Nam altera ארז vocatur.

16. *In ea arca oraculum, quod tibi tradam, ponito*] עד non solum *testari* aut *testificari* significat, sed etiam *monere*, ut est positum supra cap. 19. Hinc διαμαρτύρεσθαι pro *admonere* dicitur, ut 2 Tim. 2. Cum autem de Deo dicitur, significat *oraculum reddere*, quod est Dei monitum & responsum, quomodo & hic, & cap. 29. & 30. ponitur: hinc עדות, quod nos *oraculum* vertimus, i. Dei præcepta, quæ in arca reposita fuerunt; hinc *tabernaculum oraculi*, sive *oraculare.*

17. Propitiatorium est arcæ operculum, ex quo Deus responsa dabat, & se propitium præbebat; unde & *propitiatorium est* appellatum. Quod verbum Iosephus quidem ἐπίθεμα interpretatus est, & nos eum secuti primo transtuleramus *operculum*: sed postea ab amico quodam docto viro moniti, & simul intelligentes ipsi in hoc verbo inesse vim, reposuimus *propitiatorium*: Quod verbum tametsi minus apud Latinos autores usitatum est, ferri tamen debet, cum & necessarium sit, & ea forma dicatur qua apud Latinos *repositorium* & alia multa dicuntur. Erant autem in utroque hujus operculi extremo singuli Cherubi, ex ipso facti: atque ipsum operculum circumdabat corona, quam intelligendum est in limbo factam, qui extra arcæ amplitudinem procurreret, ut posset operculum cingere corona, quod erat pari cum arca longitudine ac latitudine.

30. *Panem apposititium*] פנים *præsentiam* aliquando significat, ut 2 Reg. 17. & Exod. 33. Deum hortatur Moses, ut *ejus facies*, i. ut præsens ipse cum Israelitis eat. Hinc panis appositius, qui præsens semper & præsto erat, & Iovæ appositus: nam eo propter vetustatem sublato, continuo supponebatur alius.

38. *Earumque forcipes*] *Forcipes* voco, quibus emunguntur lucernæ; *foculos*, in quos conjicitur quod emunctum est.

CLARIUS.

2. T*Ollant mihi oblationem*] Dictio Hebræa proprie significat *elevationem*, de qua in sequentibus dicetur. Et quidem aliquando capitur pro *primitiis*, ut verterat interpres; aliquando pro ritu quodam oblationis, ut quod armus & pectusculum in altum coram Domino levabantur; aliquando pro *donatione & contributione*, ut in præsenti loco.

4. *Hyacinthum*] Interpretantur Hebræi *lanam cærulei coloris*; at *purpuram*, *rubri*. *Coccinum* à RR. pro colore rubro exponitur, qui vulgo *carmesinus* vocatur, & est lucidior quam purpura: *pelles Janthina*, violacei coloris; quas alius vertit *pelles thaxorum*, quod animal Hebræi putant esse mundum & varii coloris. *Sittim* ferunt esse speciem optimam cedri.

6. *Aromata in unguentum*] h. e. aromata pro oleo unctionis, & pro incenso suavium odorum.

7. *Ad ornandum Ephod & rationale*] Ponebantur enim lapides, pretiosi in Ephod ipso, atque in Rationali, i. pectorali ornamento. Ephod fuit vestis quædam humeralis: & Pectorale, quod Hebraice *Hoschen* vocatur, fuit ornamentum ex serico, auro & pretiosis lapidibus factum, quod summus Sacerdos in pectore suo & super cor suum portabat. in quo erant Urim & Thummim, unde responsa Divina dabantur. Habuerunt enim Hebræi temporum successu triplex oraculi genus, videlicet Prophetiam, Urim & Thummim, & tandem, cum ista cessassent, usi sunt in Templo secundo Voce quadam è cœlo lapsa, unde futura didicerunt.

17. *Propitiatorium*] Vocatur operculum arcæ *propitiatorium*, in cujus finibus consurgebant duo Cherubim facti opere ductili, aut secundum alios opere integro & solido, ut scilicet tam operculum quam Cherubim fuerint corpus unum absque ulla compositione factum. Idem sentiendum est de candelabro, & scyphis, floribus, sphærulis atque ramis ejus. Porro *Cherub* secundum Hebræos est dictio composita, & significat, *quasi puer*: habuerunt enim illi Cherubim formam & figuram puerorum.

22. *Inde testificabor tibi*] Vel, *& conveniam te ibi, ut loquar tecum*: *h. e.* Hunc locum tibi præscribo ubi tecum sum locuturus.

24. *Coronam auream*] Hic locus in Hebræo sic habet, *Faciesque ei coronam auream per circuitum, & clausuram palmarem facies ei per circuitum, & facies coronam auream clausuræ illi per circuitum.* Et quod infra ait, *Subter coronam*, in Hebræo est, *ex adverso clausuræ.* Erat supra mensam quasi sertum quoddam aureum, quod tabulam mensæ ambiebat: & infra tabulam alius erat ambitus, veluti fimbria quædam, quam Hebraismus *clausuram* appellat: & sub illa in quatuor pedibus mensæ erant quatuor circuli. Porro supra mensam ponebantur varia vasorum genera, nempe magnæ & latæ scutellæ, cochlearia formam manus concavæ habentia, & dimidiatæ fistulæ, quarum officium erat sustentare panes facierum, i. propositionis, & conservare à putrefactione. Et quoniam longe erant mensam excedentes, consurgebant è terra quasi quædam furculæ, quas interpretes vertunt *cyathos*, quæ dictas fistulas sustinebant.

31. *Candelabrum*] Hæc est ratio candelabri: Per *hastile* intellige basim, per *calamum* medium stipitem: ut sit corpus ipsum, quasi statua aurea, scyphis, sphærulis & floribus ornatum; sustinens mediam septem lucernarum: Ex quo utrinque cannæ tres prodeunt, infimis duabus longioribus, mediis duabus mediocribus, supremis duabus brevioribus, in eandem cum quarta lucerna altitudinem sublatis. Qui omnes illi sex calami decentissimo ornatu gestant suos quosque tres scyphos, spærulas & flores, cum sex singulis superpositis lucernis, erantque receptacula olei & ellychnii.

39. *Talentum*] Continet vulgare Talentum sexaginta libras: illud autem quo in templo utebantur duplum erat ad profanum.

DRUSIUS.

16. P*Onesque in arca testimonium*] Quid hic *testimonium*? Non urna Mannæ, non virga Aharonis, ut Rupertus opinatur: sed ipsa Lex, h. e. tabulæ fœderis: nam illæ solæ in arca adservabantur. Quocirca ipsa etiam *testimonium* vocatur Exod. 16. 34. & Num. 17. 4. Tabulæ fœderis vel fractæ erant vel integræ. Fractæ fuerunt quas primo dedit; integræ, quas post dedit, cum priores fractæ fuissent propter cultum vituli. Sunt qui de integris hunc locum accipiant; alii de integris & fractis simul. Nam utrasque putant conservatas fuisse in arca. Utra opinio melior verior sit, non decerno. De integris caret controversia: de fractis colligunt ex illo, *quas dabo tibi*: nam dedit illas quæ postea fractæ fuerunt. Abraham Zachuto in Johasin 95. 2. *Ecce tabulæ & fragmenta tabularum posita fuerunt in arca.* Hoc hausit ex tractatu Thalmudico, qui de sacrificiis, quem vocant Massecheth Zebachin. Sunt qui arbitrantur duas olim arcas fuisse: unam, quæ *Mosis* vocatur, in qua tabulæ fractæ; alteram, quam Beseleel fabricavit, in qua tabulæ integræ. Videndus R. D. Jos. 3. 3. De libro legis duæ opiniones sunt: una eorum qui eum repositum censent fuisse in arca, altera eorum qui repositum opinantur in latere arcæ, ubi & urna Mannæ & virga Aharonis. Hanc opinionem tuetur Abenezra Exod. 25. Firmat eam textus Deut. 31. 26. *Pones eum in latere arcæ fœderis.* Dixi arcam testimonium vocari. Ecce testimonium Exod. 16. 34. *Posuitque illud ante testimonium in custodiam.* Nam sensus, Ante arcam. Sed tabulas innuit Exod. 40. 20. *& posuit testimonium in arcam.* Itaque R. Salom. enarrat הלוחות *tabulas.* *Arca testimonium dicitur*, inquit Abenezra, *propter tabulas fœderis in ea conservatas, ac si litera dua contractus essent inter Deum & homines.*

18. *Duos Cherubos ex auro*] Vel *aureos.* Terminatio Ebraica est *Cherubim.* De his quatuor opiniones sunt. Una est veterum Ebræorum, qui scribunt eos formam habuisse puerorum aut juvenum. Quod ex etymo colligunt argumento admodum infirmo, ut si quis Chaldæos asserat fuisse quasi dæmones, quoniam

ipsa

ipsa vox Ebraica sonat כרובים *tanquam dæmones*. Sic כרובים *tanquam pueri*, aut *juvenes*. Altera est Hiscuni & aliorum quorundam, qui censent angelos fuisse avium formam referentes, unde eis alæ tribuantur. Tertia opinio est Josephi, scribentis animantia fuisse alata, nemini mortalium unquam visa. Verba ejus habentur Originum Judaic. lib. 3. c. 6. τῷ δ' ἐπιθέματι αὐτῆς (de arca loquitur) ἦσαν προσῃρμοσμένοι δύο. χερουβεῖς μὲν αὐτοὺς Ἑβραῖοι καλοῦσι· ζῶα δ' ἐστὶ πετεινά, μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. Μωυσῆς δέ φησι τῷ θρόνῳ τῷ Θεοῦ προσγραφὲν ἑωρακέναι. Quarta est Abenezræ, qui scribit generale nomen esse ad omnes formas. Vide, si placet, Radices Camii Ebræi. Hi Cherubi sive Cherubes à nullo conspiciebantur nisi à solo sacerdote, cum intraret semel in anno.

37. *Lucernas ejus septem*] מזלות vocantur duodecim signa Zodiaci: Unde גלגל מזלות sphæra signorum quæ in Zodiaco: R. D. Psal. 8. 4. *Scribit Abenezra f. m. digitos decem esse, & sphæras totidem: Septem expansa, in quibus septem stella erratica; & sphara signorum; & sphara nona, qua supra spharam signorum; decima & ultima sphæra est sedes gloriæ.* Hic perspicue zodiacum appellat מזלות, qui circulus est in sphæra octava, qui alio nomine *obliquus* dicitur, duodecim continens signa, & ideo vocatur *sphæra signorum*. Eadem vox denotat aliquando planetas, quæ & משרתים vocantur, i. *ministrantes*, & *stellæ erraticæ*, i. כוכבי לכת. Ministrantes vocantur in Abenezra Exod. 16. 1. & in Camianis, Psal. 146. & 1 Sam. 2. 5. *Septem stella ministrantes.* Sed & Kabvenabi sic eos appellat Prov. 29. 22. Quin Gerundensis Moses in Exodum commentans ait Christianos dies hebdomadæ nominare de nominibus ministrantium, i. planetarum, quos diximus etiam מזלות nuncupari. De quo dubitare nos non sinit Hiscuni autor non malus in hunc locum ita scribens, *Septem lucernæ respectu septem dierum hebdomadæ & respectu septem planetarum.* Nam planetas hic MAZZALOTH appellat: Quorum nomina ibi ponit: חמה, qui est Sol, à *calore*; נגה Venus à *splendore*; כוכב *sydus* vel *stella* κατ' ἐξοχὴν, i. Mercurius; לבנה Luna, à *candore*; שבתי Saturnus; צדק Jupiter, ab *æquitate & mansuetudine*; מאדים Mars à *rubore*. Ex his VII. lucernis una erat in extremo scapi sive hastilis: ceteræ in summitate cujusque calami sedem habebant, forma cochlearis, in quarum medio oleum & ellychnium. Cæterum Jovem lingua Cedarena גד dici autor est R. David in lib. Rad. Nomina signorum quæ in Zodiaco, sunt טלה Aries, שור Taurus, תאומים Gemini, סרטן Cancer, אריה Leo, בתולה Virgo, מאזנים Libra, עקרב Scorpio, קשת Sagittarius, גדי Capricornus, דלי Aquarius, דגים Pisces. Quidam קשת scribunt, sed male. Nam id *arcum* significat, non eum qui arcu utitur, quem veteres *arquitem* vocarunt. Festus, *Arquites, arcu præliantes, qui nunc Sagittarii.*

IDEM.

20. פֹּרְשֵׂי כְנָפַיִם. Schol. ἐκπετάζοντες, *expandentes*, sive *extendentes*, aut *explicantes*] LXX ἐκτείνοντες. Hier. *expandentes*. Onk. & Jon. פרסין *extendentes*. ¶ סֹכְכִים. A. συσκιάζοντες, *tegentes*] LXX. συσκιάζοντες. Hieron. *operientes*. Onk. מטלין *obumbrantes*. Thren. 3. 43. סכותה. LXX, ἐπεσκέπασας, *operuisti*. Psal. 42. 5. בסך. A. ἐν σκιᾷ, *in umbroso*. Jonathan מטללין adumbrantes.

22. וְנוֹעַדְתִּי. Cæteri, καὶ συντάξομαι, *& ordinabo*, vel *instruam*, aut *constituam*] *Cæteri*, οἱ λοιποί. ¶ Συντάξομαι. LXX. γνωσθήσομαι, ונודעתי. Hiero. *præcipiam*, ואזמן. Uterque Chaldæus, *preparabo sermonem meum*. Santes, *conveniam*.

25. זֵר זָהָב. Schol. στρεπτὰ κυμάτια χρυσᾶ] Habetur hoc in LXX v. 24. Hic habent στρεπτὸν κυμάτιον. Interp. vet. *coronam aureolam*. Santes, *coronam auream*. Uterque Chaldæus, זיר דדהב. Est autem זר sive זי limbus qui supremam arcæ oram & mensæ clausuram coronæ ad modum circumquaque cingebat, κυμάτιον à LXX dictus, quod sinuoso flexu undas fluctuantes referret; siquidem κυμάτιον *parva unda*. Sed in architectura κυμάτιον vocatur suprema pars epistylii, i. capitelli sive capituli. Usus est hoc eodem nomine Josephus in descriptione τῆς τραπέζης, cujus locum Hesychius laudans τὸ κυμάτιον interpretatur τὰς ἐξοχάς, *prominentias*.

30. לֶחֶם פָּנִים. A. ἄρτος προσώπων, *panes facierum*. Sym. προθέσεως, *propositionis*] *Facierum*. Sic & Santes. Nec aliter Onk. Nam לחם אפיא, *panis facierum*. LXX ἄρτους ἐνωπίους. Dicti sic quod coram *Domino* tota hebdomada in aurea mensa manerent. ¶ *Propositionis*. Ita Hieron. & sic vocantur hi panes Matth. 12. 4. ubi Syrus, *panes mensæ* Domini. Græci aliquando eos appellant ἄρτους προκειμένους. 1 Paral. 23. 29. לחם המערכת, LXX. ἄρτοι προθέσεως. Quidam *panes Appositionis* nuncupant.

33. מְשֻׁקָּדִים. A. ἐξημυγδαλωμένα, quod interpretatur, ἐκτετορνευμένα ἀμύγδαλα] שקד ἀμύγδαλον, *nux Græca*, sive *Thasia*, Jer. 1. 11. מקל שקד. Th. *virgam amygdalinam*. A. Sym. *vigilantem*. Hieron. ad illum locum, *SACED, si varietur accentus, & Nucem sign. & Vigilias*. LXX. βακτηρίαν καρυΐνην. Heracleon Ephesius, Καρύα ἐκάλει καὶ τὰς ἀμυγδάλας· ut possis vertere, *baculum amygdalinum*. Hinc participium ab Aquila effictum ἐξημυγδαλωμένη, cujus Scholion, ut opinor, τορνευόμενα ἀμύγδαλα, *ad instar amygdala tornata*.

34. וּפְרָחֶיהָ. Sym. ἄνθη, *flores*] Prius erat, καὶ τὰ κρίνα αὐτῆς, & in Hieron. *lilia*, & in Onk. ושושנהא *lilia ejus*. Sic habet & Tharg. Jonathæ. Sic variant Psal. 45. 1. in ששנים, quæ alii in *lilia*, Sym. in *flores* transfert. Sane lectum ibi אל ששנים. Sym. ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν. A. & Th. ὑπὲρ τῶν κρίνων· quorum hoc *lilia*, illud *flores* denotat. Forsan ἄνθη in lingua Hellenistarum *lilia* dicuntur, vocabulo angustius accepto.

NOTÆ MAJORES.

1. *Locutusque est DOMINUS ad Mosen, dicendo,*

2. *Loquere ad filios Israel, ut accipiant mihi oblationem, ab omni viro cujus cor sponte obtulerit, accipietis oblationem meam.*

Locutusque est] cum esset apud ipsum in cacumine montis. Sectio hæc vocatur ab Ebræis פרשת תרומה Sectio separationis sive muneris aut oblationis, & ויקחו לי תרומה à verbis quæ habentur in secundo versu, quæ Latine sonant, *Et accipiant mihi oblationem*, si modo תרומה est oblatio: de quo mox. Ceterum jubet in hac sectione sive Pharasa construi tabernaculum, ubi cum Mose posthac locuturus sit, ne montem conscendere semper cogatur. ¶ *Ut accipiant*] Sequens pronomen (mihi) arguit h. l. *accipiant*, positum esse pro *accipiant* & offerant: unum pro duobus. Simile, *Accepit dona in hominibus*, quod explicant, *accepta distribuit*. Alibi *accepit* i. acceptum transtulit, παρελάμβανε. Hujus loci est, *Accipe mihi parum aquæ* pro accipe & da mihi. Abenezra hoc accommodat, סורו אלי q. d. recede ab illo loco in quo es & accede huc ad me. ¶ *Mihi*] in honorem meum, aut nomini meo. i. לשמי. Ita R. Sal. Onk. & Jon. קדמי coram me. ¶ *Oblationem*] תרומה. Appellatio ab elevando. Nam radix רום altus fuit, unde & הרים elevo, attollo. Ebræi הפרשה interpretantur, quod ex pecunia quæ penes nos separaretur. Sic etiam Chaldæi reddunt אפרשותא. LXX. ἀπαρχάς, ut etiam Hieron. *primitias*. Quæ vox angustior est quam ut huic loco conveniat. Siquidem תרומה dicitur quicquid Deo dabatur ad usum sacrum. In quo genere numerantur aurum, argentum, æs, hyacinthus, purpura, coccus dibaphus, byssus, pili caprarum, pelles arietum, itemque taxorum vel melium, ligna Settim, oleum, odoramenta. Vide Hiscuni: qui *aromata comprehendi dicit sub olei appellatione*. Alii superioribus annumerant aromata, lapides onychis & lapides plenitudinis. Sic in universum sedecim res offerebantur. De argento dubitatio est, & putat Abenezra numerari h. l. quemadmodum filius Jacobi Patriarchæ qui nati erant in Mesopotamia, Benjamin annumeratur, qui tamen natus fuit in terra Chanaan. Vide, si placet. Nicol. ad h. l. *In Ebræo habetur separationes, quia oblata separabantur à communibus usibus, quibus non poterant ultra applicari, sed tantum divino cultui.* In mente habuit, ut videtur, הפרשה, quod in R. Sal. interpretamentum τῆς תרומה, quæ vox proprie levationem notat, ut diximus. Ideo vertimus oblationem. Alias notat donum ultro & sponte datum divinis usibus. Aliquando sig. primitias. Interdum etiam denotat oblationem, ut cum armus & pectusculum in altum levabantur. Vide sis Munsterum. Sed & Lippomanum episcopum. ¶ *Viro*] homine. ¶ *Cujus cor sponte &c.*] Verbum è verb. *Quem spontaneum sive ultroneum fecerit ipsum cor ejus.* Quidam, *cujus cor sponte obtuleris eam* i. ידבנו: aut est constructio sensu congrua tantum. Nam ejus synonymum לב nomen est generis mascul. Tremell. *cujus animus sponte voverit eum*. Hieron. *qui offert ultroneus*. LXX. οἷς ἂν δόξῃ τῇ καρδίᾳ. Onkel. & Jonath. *cujus cor voluerit aut voluntarium erit*. ¶ *Cor*] *animus*. ¶ *Oblationem meam*] munera quæ mihi offeruntur.

3. *Hæc autem est oblatio quam accipietis ab eis, aurum & argentum & æs.*

4. *Et hyacinthum & purpuram & coccum bis tinctum & byssum & pilos caprarum.*

Acci-

Accipietis] Tu & seniores. ❡ *Ab eis*] Israëlitis, qui sponte obtulerint. Doctores, teste Iario, tres Therumas esse dixerunt. Unam, cum in singula capita daretur dimidius siclus, unde אדנים i. bases factæ sunt. Altera dicebatur Theruma sive oblatio altaris, & erat dimidius siclus, qui in gazophylacia templi referebatur ad emendum eo oblationes congregationis. Tertia erat Theruma sive oblatio tabernaculi, quam unusquisque sponte dabat ad tabernaculum construendum & vestes sacerdotales conficiendas. Cui rei serviebant tredecim illæ res, quas modo memoraturus est. ❡ *Aurum & argentum*] *Omnia hæc*, ait R. Salomo, *ultro tribuebantur quantum quisque vellet, præter argentum quod ex æquo dabatur, videlicet ab unoquoque dimidius sicli. Nam non invenimus in opere tabernaculi opus fuisse argento alio quam illo de quo dicitur, argentum præfectorum cœtus &c. Dimidium siclum in caput &c. Ex reliquo argento sponte oblato faciebant vasa ministerii. Alias, Reliquum argentum, quod veniebat ex spontanea oblatione, consumebant in vasa ministerii.* Hactenus ille. ❡ *Et æs*] καὶ χαλκόν. Sic etiam Tremellius. Idem tamen eandem vocem alibi *chalybem* reddit: quod non probo. Ceterum incipit ab auro re pretiosa, & desinit in lapides Soham & plenitudinum, qui duntaxat apud principes inveniuntur. Ferri autem nulla hic mentio, quod etiam in extructione primi templi non audiebatur. ❡ *Hyacinthum*] ita Hiero. Sed & Græci ὑάκινθον. On. & Jon. תכלא sive תכלתא. Fagius similiter *hyacinthum* reddit. Nicolaus ait esse *lanam vel sericum talis coloris sicut est lapis hyacinthus, cujus color assimilatur Sapphiro.* R. Salomo, *Est lana tincta sanguine Hallazon coloris viridis.* Quid Hallazon? Idem R. Salomo scribit vermem esse similem filo illo albo, תבלל dicto, quod mediam secat pupillam. Scribit hoc Levit. 21. 20. Avicenna lib. 2. cap. 698. *Limacem* vocat *Halzun.* Porro ex limace seu concha marina fit purpura. Sane Gallici interpretes *purpuram* h. l. reddunt. Sylvaticus ex Serapione *Halzun cochleam* vertit, cap. 324. Cochlea i. κόχλος. ea sanguine caret, nisi cum generaliter posita etiam purpuram complectitur. In schidis meis, *Alzum, concha Avicennæ.* Lexicon Chaldaicum Munsteri, חלזון *est animal vel vermis, piscis habens similitudinem, cujus sanguine fit color hyacinthinus.* In tractatu Thalmudico, qui Avoda Zara nuncupatur חלזון species Hallazon, vernacule לימין fol. 28. pag. 2. Autor libri Aruch, *Sunt qui* חלזון *interpretantur esse* תבלול *i. albuginem.* Thargum Babylonium חליז בעיניה albugo in oculis ejus. Jerosol. חלזוניא. In Sanhedrin Res Gemara, *Ascendit in montem & vidit non esse ibi Hallazun ne unum quidem: sed cum descendunt imbres & repletur totus mons ubique Halzunoth.* Jam ad Thecheleth. Japheth homo Ebræus ait esse *colorem similem nigro; qui sit perfectio omnium colorum. Nos autem*, inquit Abenez. *sequimur Doctores nostros qui dicunt esse colorem viridem & lanam.* R. Levi autor lanam esse quæ referat colorem maris aut cœli. Elias in nomenclaturis exponit Blauw. Id est color cœrulus sive cœruleus. Græci θαλάττιον appellant i. thalassinus & cyniatilis. Dicitur etiam glastinus: nec aliter Judæi accipiunt. David Camius interpretatur vernacule בלב *bleu* i. venetus color. Alibi dicit *Azuro ultra marin*, i. lazurum vel transmarinum. Cui affine quod Hispani venetum colorem vocant *color de la mar* i. colorem marinum. In margine Gallicæ editionis est *bleu celeste.* Num. 4. 9. בגד תכלת. Lxx. ἱμάτιον ὁλοπόρφυρον, & alibi in eodem capite ὑακίνθινον. Hic habent ὑάκινθον vel à floris ὑάκινθος dicti colore, vel certe à lapide ejus nominis: quorum uterque refert colorem cœruleum. Vide nunc, si placet, Paulum Fagium in notis ad Onk. Munsterum, Lippomanum & alios. ❡ *Et purpuram*] ארגמן. Lxx. καὶ πορφύραν. Hiero. *& purpuram.* Ita loquendo fig. lanam purpureo colore infectam: unde recentior interpres *purpuream* habet. Soli Galli vertunt *escarlate*, qui color est coccineus. On. & Jon. ארגונא. Arabicè ארגואן. Reperitur & ארגון 2 Paralip. 2. 7. ubi à כרמיל distinguitur. R. Salo. *lana est infecta colore cujus nomen* ארגמן. ergo est nomen coloris. Alioqui purpura piscis est è turbinatorum genere. Abenez. ארגמן *similitudinem habet cum rubro, & vocatur in Parap.* ארגון (male ארגון cum duplici Nun) *& in Arabica lingua* ארגואן *& iste color non est nisi in lana & serico.* R. Levi, *lana est tincta colore rubeo.* Luc. 16. 19. πορφύραν, Syrus interpres ארגונא. Ezec. 27. Lxx. *stacten, alii omnes purpuram*, ait Hiero. R. David in libro ubi vocum sensa collegit interpretatur dicens *esse colorem rubeum qui vocatur* ברמז i. Carmesinus, quem coccineum appellant. Si modo coccinum & non purpuram significari voluit. Nam purpura sive purpureus color Hispanice redditur, *color de carmesi.* Pergit Rabbinus ille, *Saadias Haggaon dicit* תולעת שני *esse Carmezinum: si recte, tum* ארגמן *erit color rubeus quidam quem dicunt esse eum qui vocatur* לכא *lacca, & Arabice* לכא, *quod scriptum reliquit R. Jona.* Coccus & purpura colore quidem conveniunt, materia tamen plurimum dissident, cum hujus marina sit, illius terrena. Coloris tamen vicinitas facit ut pro eodem sumantur. Itaque Matthæus χλαμύδα κοκκίνην i. coccineam chlamydem appellat, qua Judæi Christum induerunt, quam Marcus & Johannes πορφύραν & ἱμάτιον πορφυροῦν. Sic dico, Matthæus colorem respexit, qui idem est cum purpureo: alii *materiam* expresserunt, ut observat doctissimus Rondeletius. Hanc tamen differentiam ponunt inter coccineum & purpureum, quod iste color magis nigricet: unde Grammatici purpureum aliquando nigrum aut nigro vicinum exponunt. Apud Avicennam legitur *Arginam, purpura* pro *Argevan.* Ceterum lacca genus est tincturæ rubeæ. Ab hac voce ארגמן Gesnerus per Metathesin deducit ἀμόργινον, quod est lini genus tenue ac subtile, purpureo fere colore tingi solitum, ut & amorgen purpuram, & amorgina purpurea quidam sint interpretati. Color purpureus vel coccineus appellatur quoque *blatteus* à *blattis* & vermiculis, qui è Chermes, ut Arabes vocant, & è cocco sanguinei coloris erumpunt. In antiquo Lexico *blattum* explicatur θρόμβος αἵματος τῶν κογχυλίων qui est concretus conchyliorum sanguis, ut sit cruor purpuræ expetitus tingendo velleri. Ex his apparet blattam esse vermiculum, quem Ebræi תולע appellant. Eutropius autor Neronem piscatum retibus aureis, quæ funibus blatteis extrahebat: quod Tranquillus dicit, *Piscatus est reti aurato, purpura coccove funibus nexis.* Autor Catenæ patrum, תכלת *lana est tincta cærulei coloris i. aerei, prout experientia docet. Nam & allatus alias ex Constantinopoli hyacinthus pulcherrimus, penitus cœruleus erat odore laudatissimo. Alii coloris esse volunt crocei sive flavi & pallidi, ut aurum. Purpura autem rubei est coloris sive rutili & subrussi, de sanguine videlicet purpuræ, de quo apud Plinium multa.* ❡ *Coccum bis tinctum*] ita Hiero. convertit, quod in Ebræo תולעת שני. Lxx. κόκκινον διπλοῦν, coccinum duplex. *Coccinea dibapha.* Trem. Alibi Hiero. κόκκινον interpretatur vermiculum, respiciens ad coccum scolecium dictum. On. & Jon. זהורי colorem lucidum aut splendidum. Fagius *coccinum* reddit, & ita vocatum censet quod lucidior sit purpura. Addit à vulgo vocari *carmesinum.* Belgice karmosijn, coccinus vel coccineus, à cocco baphico tinctoriove. Reperitur & שני תולע. Qualia sunt תולעת צור & תולעים צור. Haggaon ait esse קרמז qui est color carmesinus i. coccineus. Nam est rubeus, dissimilis tamen à colore ארגמן purpuræ. *Ceterum quia* תולעת *vermiculum denotat ideo dixerunt multi sericum esse*, i. כם *bombycinum.* Hæc Abenez. R. vero Levi annotat *lanam esse tinctam colore rubeo*, qui vernacule ברנא dicatur (Hispanice, *color de grano* est coccineus color) *Sed non est*, inquit, *rubedo ejus in eo gradu quo est rubor purpuræ.* Jes. 1. obvium תולע pro vermiculo cocci. De his vermiculis mentionem facit Julius Scaliger contra Cardanum pag. 632. *Ajunt*, inquit, *ea granula, quæ in folliculo insunt bapphico, esse animata. Emigrare sponte atque vacuos relinquere parietes. Ex illis autem constare pastillos ad tingendi usum.* Hinc תולעים induti vestibus coccineis. Gesnerus in aquatilibus in historia purpuræ, nisi fallor, *Saxifragam aliqui eandem faciunt cum pimpinella & sanguisorba, e radice, ut ferunt, quibusdam locis vermiculus eruitur: qui curatus sericis præcipue tingendis facit purpuram incomparabilem. Quidam Carmesinum appellant colorem, quod is vermiculus Punica lingua Carmes* כרמז *appelletur, ut & coccus. Chermes nihil aliud est quam coccus Græcorum è frutice ilicis aquifolia pumilo, cujus grana matura vermiculum emittunt, ut existimo, si non ubique & cujusvis, alicubi tamen & speciei alicujus in eodem genere, ut coccus scolecius vel scolecias i. vermicularis appellari mereatur.* Utuntur hodie vermiculis ad cocci tincturam, quos *Concenyles* vocant. Sunt qui ארגמן putant esse colorem obscuriorem & magis nigrescentem: תולעת שני vero coccineum, lucidiorem & splendidiorem, qui ad sanguinis ruborem magis accedat. Observatum purpuræ succo veteres coccum permiscuisse. Plin. lib. 9. 41. *Quin & terrena miscuisse coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret bis hysginum.* Lippomanus, *Coccus bis tinctus, sive vermiculus coccineus, videtur esse lana vel sericum illud cocco tinctum subtilissimum, de vermibus multa diligentia desumi solitum, quod duplicatur, imo duplicatur & contorquetur, ut in fila promoveatur aptissima & subtilissima. Est autem & ipse rubei coloris, qui vulgo carmesinus vocatur, sed lucidior quam purpura. Scribitur autem in Ebræo* תולעת שני, *quæ utraque dictio coccum vermiculumque sig. secundum Ebræos, & mirum est cur ita bis eandem expresserit significationem. Forte melius à* שנה *Sana verbo, quod* ite-

iterare sig. deductum dicere possemus, ut esset sensus, coccum duplicatum sive iteratum. Ex quo interpres noster prudenter bis tinctum verterit. *Vertunt alii vermiculum cocci.* Porro κόκκον colorem coccineum & pannum qui cocco tinctus sit etiam Græci autores appellant. ❡ *Et byssum*] ושש Lxx. καὶ βύσσον κεκλωσμένην, & byssum tortam. Hiero. *& byssum.* Gorionides cap. 82. בוץ אשר שש. In libro nominum, qui vulgo Philoni adscribitur, *Sesac, byssus ciliciis: &, byssus saxeus, sive manus sacci.* corrigo, *byssus sacceus, sive manus, sacci.* Correctio tam certa quam quæ ad Sagram. Est autem byssus lini, non lanæ species in Judæa nascentis, ex qua vestes conficiebantur byssinæ, quæ fulgebant ut aurum. Ergo R. Salo. פשתן interpretatur. On. & Jon. בוץ, à quo βύσσος. De colore non convenit inter omnes. Quidam pro *candido* accipiunt, quod is color byssi sit nativus antequam tingatur. Pausanias prodidit *byssum Judaicam colorem auri referre.* Hesychius *byssinum purpureum* interpretatur. Varrinus *coccinum vel pro bysse usurpatum colorem.* Julius Scaliger *byssinum colorem* sub *flavo* nominat. Tremell. שש est linum xylinum, de quo Plinius lib. 19. cap. 1. Juvat non parum Abenez. ita scribens, *שש est lini genus candidissimum quod tantum in Ægypto invenitur. Saadias autem Arabice vertit שש, & est notum hodie.* R. Levi, *שש est ex linis electissimis cujus filum sexcuplex: unde nomen. Nam שש sex. Alias vocatur בד quod simplex filum denotat. Per se autem linum dicitur* פשתים *&* בוץ. Huc forte respexerunt Senes, cum *byssum tortam* redderent. Nihil affirmo. ❡ *Et pilos caprarum*] ועזים Lxx. καὶ τρίχας αἰγείας. On. & Jon. ומעזי quasi dicat, ex capris. R. Salo. נוצה של עזים pili caprarum. Ideo vertit On. ומעזי quasi de capra veniens, non ipsæ capræ, quas עזי appellat. Abenez. שער עזים pili caprarum. R. Levi, *lana tenera quæ est in capris circum radices pilorum durorum & est in perfectione teneritudinis.* Lippomanus, *Pro pilis caprarum Ebræi* עזים *habent: quarum pili vel etiam pelles sive lana caprina, vel etiam vestes ex hujusmodi pilis confecta in usu fuisse videntur.* Nota caprigenum omne genus i. capras, hædos & hircos עזים dici. Sane Exod. 12. 5. מן העזים Lxx. ἀπὸ τῶν ἐρίφων, de hœdis. Appellatio à robore.

5. *Et pelles arietum rubricatas, & pelles melium & ligna Settim.*

Pelles arietum] Lxx. δέρματα κριῶν. Arietes autem Ebraice אלים & Chald. דכרי vocantur. Abenez. de suo addit גדולים magnorum, qui etiam scribit hoc opificium vigere in terra Algodamas אלגודמאס. *Unde vocatur*, inquit, גודמנשי *Godmansi.* Quæ firmat R. Levi, cum ait, *pelles arietum tincta colore rubro in lingua vernacula vocantur Godamanse* גודאמנשי. ❡ *Rubricatas*] מאדמים Lxx. ἠρυθροδανωμένα, quod reddunt *rubricatas.* Sic etiam Hiero. On. & Jon. מסמקי rubefactas aut rubentes, ut est corium rubicundum & in sanguineum colorem tendens. R. Salo. *tingebantur colore rubro postquam confecta essent.* Nicolao hinc lux aliqua, *Dicit Josephus*, inquit, *quod lana pellium erat tincta rubeo colore. R. autem Salomo dicit quod erant frunita. Gallice, teunees: & ex hoc erant rubea.* Idem, *pilos caprarum de quibus facta sunt saga.* Quære cujus linguæ vox sit frunitus: Deinde adeundus tibi erit Iosephus. Mihi nunc integrum non est. Ceterum rubricatus à rubrica dicitur. Malim igitur rubefactus i. colore rubro imbutus aut infectus. Nam & rubefacio extat apud Silium Italicum. Erat & rubricatus Hispaniæ fluvius. Frunifcor & frunitum prisci dixere pro fruor. Cato, Festus. Infrunitus extat apud interpretem antiquum Ecclesiastici: Sed alio sensu. ❡ *Pelles melium*] ועורת תחשים Santes, *pelles taxorum.* Tremell. *melium.* Munsterus, *thasorum.* Leo quoque, *melium.* Idem in margine notat, *Melis animal quod vulgo taxo vocatur.* Gallice *taisson.* Hadrianus Junius scribit, *Meles, qui officinis*, inquit, *tassus vel taxus.* Prius erat in Hiero. *janthinas*, alias *hyacinthinas.* Quæ lectio firmatur autoritate Græcorum codicum, in quibus δέρματα ὑακίνθινα. Sed in aliis libris ἰάνθινα, & in aliis πεπυρωμένα i. ignitas aut flammantes. Quomodo interpres Romanus. On. & Ion. ססגונא quasi gaudens coloribus. R. Salo. *Genus erat animantis, quæ tantum ad horam h. e. ad tempus durabat* (Fagius mavult, *bestia est, quæ tantum ea tempestate inveniebatur*) *habebatque multos colores: ideo Onk. vocat* ססגונא, *quod gauderet & gloriaretur in coloribus suis.* Nicolaus, *Pellesque hyacinthinas i. tali colore tinctas, secundum Josephum. In Ebræo habetur, pellesque taxorum, ut dicit R. Salo. & sunt animalia habentia pelles varias multis coloribus, & de pellibus dictis factum fuit operimentum tabernaculi.* Abenezra, *Genus bestiæ nota in diebus illis.* R. Levi, *תחשים putarim esse* התישים *hircos* גדולים *magnos; quorum pelles firmiores sunt & duriores & eligibiliores, quam arietum : ideo scriptum est, & calceus tuus meles vel hircus quia potemissimum ad calceos eligitur. Sed nostri doctores ajunt esse speciem animantis habentem pellem varii coloris.* R. David in libro Radicum, *Dixerunt Magistri nostri* תחש *fuisse Mosis ævo creaturam per se mundam & multicolorem. Ideo Thargum Onk. habet* ססגונא *q. gestiens & gaudens de coloribus multis. Alii dicunt habuisse sex colores, indeque* ששגונא *appellatam.* Sed tum hybrida vox esset composita ex Ebræa & Chaldaica. Siquidem Chaldæi non dicunt שש, sed altero Sin in Thau versa שת vel שית sex. Ad hæc ששגונא rectius scribitur cum puncto in sinistro cornu literæ Sin, ac tum sig. gestire gaudio, unde & ששון gaudium. Vide nunc, si vacas, Lippomanum. Si tamen scribendum putabis ששגונא, poteris tueri exemplo ססן, quod in textu Ebraico ששן. Syri enim etiam ש cum ס permutant aliquando. Ezec. 16. 19. *calceavi te* תחש i. *pelle melina.* R. Salo. Gallice interpretatur טישון *taisson* i. meles, quod Lyra probat. Aquila & Sym. ἰάνθινα, vel, ut alii, ἄνθινα, ut calceos notet distinctos floribus. Sed ἰάνθινα sive ἰάνθινον firmat hic locus, cum etiam Græci hic habeant in nonnullis exemplaribus ἰάνθινα. Quod sumptum putarim ex edit. illorum interpretum. Nihil statuo. Hoc tantum, Animalis nomen esse תחש non coloris aut vestis. Num. 4. Arabs דארש Daras, Persa אסתכאך Astchach. Sed *quoniam taxi pellis*, inquit Gesnerus, *nec elegans est nec pretiosa, quærendum an thos forte aut lynx, aut simile animal, cujus pretiosa pellis & colore punctisque varia significetur. Vox quidem* תחש *ad thos accedit, ut etiam ad taxum : sed ex vocum similitudine, nisi res ipsa conveniant, nihil probatur.* Hæc Gesnerus, qui nos plane dubios reddit de meli. Quæramus amplius. Dies diem docebit. Optarim alios quoque huc conferre symbolam suam. Quod studium est proprium theologorum, nisi hodie theologia restringeretur ad doctrinam catecheseos. Unde tanta ubique rerum divinarum apud hoc genus imperitia. Nihil minus intelligunt, quam eum librum quem populo enarrant, & cujus se interpretes esse profitentur. Alibi fortasse domi, hic hospites plane sunt. Hæc dicta esse velim de vulgo theologorum, cum inter eos sint & docti & doctrinæ amantes. ❡ *Ligna Settim*] ועצי שטים Hier. *ligna Setim.* Lxx. ξύλα ἄσηπτα imputribilia. Jon. שטין. Nam Syri ש cum ס permutant. שטים Settim, ut הלל *Hellel.* Hodie Sittin, *Hillel.* De his lignis mira fabulantur. R. Salomo, „Unde illis in deserto hæc ligna? R. Thanchuma dicit Jacobum patriarcham speculatum in Spiritu Sancto quod Israelitæ extructuri essent tabernaculum in deserto : ideo adduxit secum cedros in Ægyptum & plantavit eas, præcepitque filiis suis ut secum eas asportarent, cum ex Ægypto exirent. Nicolaus, „Ligna Setim ad faciendum tabulas tabernaculi & arcæ & mensæ, & aliqua alia, ut videbitur infra. Si quæratur unde in deserto habuerunt ligna Setim; cum ibi non essent tales arbores. Respondet R. Salo. dicens quod Jacob vidit in Spiritu Sancto, quod filii sui erant facturi tabernaculum in deserto post exitum ex Ægypto, & secum portavit in Ægyptum semina & radices talium arborum, & ibi plantavit & nutrivit, præcipiens filiis suis ut exeuntes ex Ægypto secum portarent. R. Levi, „E genere cedrorum, & convenit ut dicamus excisa fuisse ligna illa in loco aliquo ubi operati fuerant ad mensas aut alia ejus generis. Nunc autem qui habebant penes se sponte obtulerunt ea ad usum sacrum, quemadmodum expositum est in sectione ויקהל. Abenezra sive Abenazra, „Sunt è Doctoribus nostris antiquis qui dicant Jacobum patrem nostrum plantasse illa & Israelem eduxisse ex Ægypto mandato Mosis. Cui firmando quod scriptum est, quicquid inventum fuerit apud eum, ut hyacinthus & purpura. Sed mirari licet cur dictum sit, omne quod inventum fuerit apud eum ad necessitatem ejus. Quod si dixerimus hoc rectum esse, mirum cur extulerint arbores Settim. Nam quis usus illis? Adhæc Ægyptii putabant eos ad sacrificandum ituros & postea reversuros : ideo commodato dederunt eis res suas. Cur autem efferrent asseres tam multos, quorum cujusque longitudo decem cubitorum erat, etiam vectes, cum transirent per Ægyptum & quidem per locum regni. Quid vero responderent quærentibus cur hæc ligna secum ferrent, cum irent ad sacrificandum itinere trium dierum? Et ecce nescimus an hoc sit per manus traditum patribus nostris. Quod si conjecturæ locus, dicemus juxta montem Sinai sylvam fuisse quam penitus exciderint. Nam populus multus erat. Exciderunt, inquam, & fecerunt tabernacula. (Hic multa desunt. Vide Venetam alteram.) „Moses autem non locutus est cum eis de tabernaculo nisi post diem Chippurim : ideo scriptum est, Et omne quod inventum fuerit apud eum. Hiscuni, „in deserto erant sylvæ, in quibus crescebant ligna Settim dicta. Nam ita scriptum est, Et sedit Israel in Settim. Erat autem lignum leve & glabrum pulchrumque. Nam ecce 48 asseres cum basibus

„ sibus eorum & vectibus, & omnes columnas atrii & ve„ ctes earum, & novem columnas tabernaculi & vectes ea„ rum & clavos earum, hæc omnia trahebant octo boves „ quos dederant filiis Merari, ut expositum est in sectione „ Numerorum נשא. Quamvis asseres erant trabes magnæ de„ cem cubitorum & latitudine cubiti cum dimidio & crassitudine „ cubiti. Ex quibus liquet fuisse lignum probatum (æstimatum) „ & leve admodum. Horum lignorum mentionem facit historia Ebraica cap. 33. per hæc verba, *Jussu regis Alexandri extructus fuit paries è ligno Settim inter altare & reliquam domum: & ab eo die in posterum prohibitus fuit populus venire in domum, sed foris stantes orabant in atrio templi, solis sacerdotibus domum ingredientibus.* Mich. 6. 5. *vallis Settim*, ubi LXX. σχοίνων i. funium: Sed arbitratur Hiero. legendum esse σχίνων. Sunt autem σχῖνοι lentisci. Jes. 41. שטה Aquila & Sym. *Setta.* Theodotio *spinam*, quem Hiero. ibi secutus est. In commentariis autem ita scribit, *Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem: unde omnia ligna arcæ & tabernaculi facta sunt instrumenta.* Idem in Apologia ad Pammachium, *Qui irrigat torrentem vel funium vel spinarum.* Respexit ad locum qui Joel 3. funium. i. σχοίνων: spinarum i. ἀκανθῶν, quod Theodotio vertit. Alibi est השטים quod LXX. convertunt τὸν τ͂ σχοίνων: Ceteri τὸν Σεττίμ. Legitur & σαττίμ in LXX. Vide Masium in Josuam, pag. 37. Fagium in notis ad Onk. h. l. Addam pro corollario quæ Trem. ad h. l. notavit, *Genus cedri fortasse proprium illius regionis. Nam nusquam alibi quam in hac historia & Deut. 10. 3. legitur.*

6. *Oleum ad luminare, aromata ad oleum unctionis, & ad suffitum aromatum.*

Oleum ad luminare] שמן למאר. Hiero. *oleum ad luminaria concinnanda.* Id Lyra explicat, *comparanda ut possint ardere.* In quibusdam Græcis, καὶ ἔλαιον εἰς τὴν φαῦσιν, & oleum ad illuminationem. Jonathan, *& oleum olivæ ad illuminandum.* R. Salo. *oleum olivæ purum vel mundum, ad accendendum lucernam jugiter.* Quidam *pro luminari.* Santes, *luminari.* Abenezra, *ad usum luminaris juxta morem & consuetudinem.* R. Levi, *oleum olivæ purum contusum pretiosum valde, quod non inveniebatur nisi apud primores.* Lippomanus, *Oleum quoque offerebant pro lucernis in candelabro die noctuque lucentibus.* Posses legere, *ad lumen.* Nam מאור lumen, ut Proverb. 15. *lumen oculorum.* Sic Cic. *lumina* vocat, quæ interpretes Mosis *luminaria*, ut cum ait, *Subter mediam fere regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum.* ¶ *Aromata*] בשמים Hieron. *aromata.* In quibusdam Græcis θυμιάματα. Onkelos & Jonathan, בוסמיא i. aromata. Tremellius, *odoramenta.* Gall. edit. *odeurs aromatiques.* Santes & Munsterus, *aromata.* Leo, *odoramenta.* Exod. 30. 23. Lxx. ἡδύσματα. Aquila ἀρώματα. Sic etiam Hiero. Qui *odoramenta* interpretantur, moti sunt sequenti voce סמים, quæ ipsis aromata sig. Quanquam Chaldæi utramque בוסמיא reddant. Elias in Thesbi sic distinguit inter has voces ut בשמים comprehendat tantum odoramenta quæ comeduntur: סמים autem etiam ea quorum usus in Medicina, quæ in lingua Romana vocantur aromata. Alii aliter discriminant. Nam ajunt סמים tantum dici de odoribus quorum in unguentis & suffumigationibus conficiendis usus est. Porro tria sunt necessaria ut sit aroma, sapor acris ac vehemens, odor jucundus ac vehemens, & ut in minimas partes redactum melius oleat. ¶ *Ad oleum unctionis*] quo ungebantur res consecrandæ, veluti tabernaculum & vasa ejus & sacerdotes. Hiscuni scribit hæc aromata vel odoramenta conjuncta fuisse cum oleo unctionis quo tabernaculum ungebatur more principum, qui domum quam ingressuri sunt, odoramentis suffumigari curant. ¶ *Et ad suffitum aromatum*] vel, *ad suffitum aromata.* i. הסמים. Quidam, *aromata quadam.* Hi בשמים *odoramenta* interpretantur. R. Salo. *Suffitum faciebant quotidie mane ac vespere.* Abenezra, *Dixerunt sapientes ætatis, sensum esse inversum, ut dicat aromata propter suffitum. Si res ita se habet, quare non est dictum similiter, ad oleum unctionis odoramenta: item aroma & oleum ad luminare. Et rectum in oculis meis ut dicamus dictionem בשמים, comprehendere oleum unctionis & odoramenta quæ mixta erant cum aromatibus ad suffitum, & hæc est traditio vera.* Hiscuni, *Et aromata ad suffitum, neque opus est ut dicamus odoramenta ad usum suffitus aromatum. Nam ecce in omni opere suffitus, non erant odoramenta omnino, sed aromata.* Contrarium tenet R. Levi. Nam ait diserte, *Ecce in suffitu aromatum ingrediebantur odoramenta* i. בשמים. Hiero. habet, *Et thymiamata boni odoris.* In nonnullis Græcis καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τοῦ θυμιάματος; ad compositionem thymiamatis. Santes, *& suffimento aromatum.* Vide iis Lippomanum. Ejus hæc sunt, *Dictio* קטרת *sig. suffumigationem, incensum sive thymiama. Sam vero, omne aromatum genus, solumque in plur. numero invenitur, videl.* סמים. *Unde recte verti posset, & in incensum aromatum. Alii legunt, & aromata ad suffitum: alii, & pro incenso suavium odorum: alii, ad suffitum odoratum. Nonnulli vertunt, & pro thymiamate aromatum, ut sensus sit, Accipias & aromata ad componendum unguentum odoriferum & incensum odoratum h. e. thymiama boni odoris.* Ceterum de oleo unctionis infra 30. 23. & de suffimento 30. 34. & de luminari, infra 37. & 27. 20.

7. *Lapides Onychinos & lapides insititios ad ephod & pectorale.*

Lapides onychinos] אבני שהם, lapides Soham. Lxx. λίθους σαρδίου, lapides Sardii: alias, σαρδίους, Sardios. On. אבני בורלא lapides berylli. Lapis berylli, ut *herba lapathi, urbs Roma.* Sic *fluvius Euphratis.* Notavi alias. בורלא Arabicè בלור dicitur. A Fagio redditur *onyx.* Nihil certi habemus. Hoc tantum, affinem esse vocem Latinam Chaldaicæ. Exod. 28. in Lxx. est σμαράγδου: ubi Hiero. onychinum edidit. Hiero. de veste sacerdotali, שהם *à Sym. & Theod. onychini, à Lxx. smaragdi transferuntur. Josephus Sardonychas vocat, cum Ebræo Aquilaque consentiens, ut vel colorem lapidum, vel patriam demonstraret.* Job 28. 16. בשהם. Hiero. *Sardonycho.* Scholion, σαρδονυχίῳ. Quod secutus est hoc in loco Tremellius. Nam vertit, *lapides Sardonyches.* Jonathan, מרגלין ביורלין. Sunt autem ביורלין, si me non fallit augurium berylli, videl. בירולין. Beth in Phe versa. Nam hæ literæ communem familiam habent. Gen. 2. Lxx. λίθος ὁ πράσινος, qui viridis aut porracei est coloris, & uno nomine πρασῖνος appellatur. Sunt etiam qui Exod. 28. invertant dictiones pro βηρύλλιον legentes ὀνύχιον. Meus tamen codex Basileensis præponit βηρύλλιον, quod cum Chaldæo consonat. Beryllus est gemma Smaragdo similis, coloris violacei seu cœrulei. Probatissimæ sunt quæ limpidi maris virorem quam maxime referunt. De onyche Plin. lib. 37. cap. 6. *Onyx in gemmam transit ex lapide Carmaniæ. Sudines dicit in gemma esse candorem unguis humani similitudine: item chrysolithi colorem & sardæ & jaspidis.* Dioscorides onycha cum alabastrite confundit, his verbis, ἀλαβαστρίτης λίθος ὁ καλούμενος ὄνυξ: R. David in libro Radicum שהם *est qui Arabice vocatur* אל בלור. Sed in margine, *onyx.* Hæc scripseram, cum ecce in schidis meis hæc à me olim notata deprehenderem, quæ non putavi omittenda: quanquam eadem fere iteranda, שהם sitne onyx, an sarda, an ex utroque composita Sardonyx nondum satis liquet. Hiero. hæc sunt de veste Sacerdotali, שהם *ab Aquila, Sym. & Th. onychini, à Lxx. Smaragdi transferuntur. Josephus Sardonichas vocat, cum Ebræo Aquilaque consentiens.* Quæ verba suspecta esse possunt iis qui sciunt apud Josephum legi ὄνυξ: adhæc si verum quod ait ab Aquila Soham transferri onychinum, quomodo postea dicit Josephum, qui Sardonicha transtulerit, cum Ebræo Aquilaque consentire? hoc alii anquirent. Interea moneo apud Hiero. fere haberi lapis onychinus. In recenti quadam edit. est *Sardonyx*, quæ gemma ex onyche constat & Sarda, unde ei nomen. Onyx autem vocatur, si non ab ענך anach, at ex eo quod ejus candor similitudinem ad unguem humanum habere soleat. Idem vocatur onychites & lapis onychinus. Multum autem onyx variat colore. Vide Agricolam de natura fossilium Lib. 6. pag. 296. Apud Onkelon in declaratione hujus vocis reperio בורלא, ut etiam Exod. 28. 10. in edit. Græca βηρύλλιον: quæ literis inter se conveniunt illa quidem, sed tamen an בורלא sit βήρυλλος incertum. Nec certius quid habemus de voce Arabica אל בלור, nisi quod suspicamur eam esse gemmam quæ à Chaldæis בורלא nuncupatur, literis inversis. Sardium autem esse Soham eo minus credibile est, quod is lapis alio vocabulo אדם dicatur, in quo significatio rubedinis. Job. 19. 6. legitur cum epitheto יקר onyx pretiosa. ¶ *Lapides insititios*] vel, *insitivos.* Nescio an ita recte vocentur illi lapides, qui Ebræis אבני מלאים lapides repletionum, h. e. qui palas replent. Quod indicat R. Levi per hæc verba, *Vocantur lapides impletionum, quia faciebant in pectorali foveam, & ponebant ibi lapides illos ad implendam foveam sive palam illam.* Cui consentanea scribit R. Salomo, *Nam faciebant illis in auro sedem instar foveæ, ponebantque ibi lapidem ad implendam foveam. Sedes autem illa vocatur* משבצת. Hiscuni, *Lapides onychinos ad Ephod, & lapides insititios ad pectorale.* Hiero. *gemmas* vertit אבני שלמות quod reddunt, *lapides plenitudinis.* Quid si, lapides perfectionis? Jonathan מרגלין דאשלמותא i. gemmæ perfectionis vel impletionis. Lxx. λίθους εἰς τὴν γλυφὴν lapides ad sculpturam. Santes, *Lapides plenitudinum.* Leo, *lapides impletionis i. qui includantur.* ¶ *Ad Ephod*] Hiero. *ad ornandum ephod.* Nicolaus, *in ephod requirebantur duo lapides onychini.*

chini. Perperam *ephot* in libris veteribus. Lxx. εἰς τὴν ἐπωμίδα. On. *ad includendum vel inserendum in Ephod.* Jon. *ad inserendum & infigendum in Ephod.* Est autem אפוד vestis sacerdotalis, quam Aquila ἐπένδυμα vertit. Hiero. Hos. 3. 4. τὸ ἐφὼδ, Ἀκύλας ἐπένδυμα κέκληκε. Theodoretus Quæst. 16. in Judicum. Ἐπένδυμα i. superindumentum. In libro nominum, *Ephod superindumentum, quod Græce dicitur* ἐπένδυμα sive ἐπωμίς. Sed hoc magis sonat superhumerale. Rursum Hier. de veste sacerdotali, *Sextum est vestimentum quod Ebraice dicitur* אפוד: Lxx. ἐπωμίδα *i. superhumerale appellant. Aquila* ἐπίεργμα*: nos ephod suo ponimus nomine.* Vide si placet, sequentia. Pro ἐπίεργμα Erasmus conjicit legendum esse ἐπένδυμα. Cui firmando ea quæ modo à me citata ex eodem Hiero. Nam de ἐπένδυμα certum vel ex interpretatione. Nescio an ἐπίεργμα vocabulum Græcum sit. Si legas ἐπίῤῥαμμα, tum significabit assumentum. Nam ἐπιῤῥάπτω assuo. Id non quadrat huic loco. Quæramus amplius. ❡ *Pectorale*] לחשן Hieron. *rationale.* Lxx. καὶ τὸ ποδήρη, & poderem. Onkelos & Jonathan, חושנא· Senes alibi λόγιον reddunt: unde rationale. De hac veste Hiero. *Pannus erat brevis ex auro & quatuor textus coloribus i. eisdem quibus superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum, ne facile rumpatur. Intexti ei erant 12 lapides per quatuor ordines.* Hæc ille in epist. de veste sacerdotali. R. Salo. *duo lapides necessarii erant ad ephod:* & mox, *lapides onychinos ad ephod, & lapides insititios ad pectorale. Ephod autem & pectorale sunt genera ornamentorum.* In schidis meis, *Pectorale ornamentum erat ex serico, auro & pretiosis lapidibus, quod summus sacerdos in pectore & super cor portabat.* Rursum R. Salo. infra Exod. 27. 21. חשן המשפט כנגד הלב. Ubi & de אפוד multa. Vide, si vacas. Lippomanus, *Ephod fuit vestis quædam superhumeralis, posteriorem partem atque humeros tegens.* Appellatur à cingendo. Nam אפד cingo: & erat quasi cinctus quidam. Vide Radices Camii Ebræi.

8. *Et facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.*

9. *Juxta omnia quæ ego ostendo tibi, exemplar tabernaculi, & exemplar omnium vasorum ejus: ea sic facietis.*

Mihi] *in honorem meum, vel nomini meo.* Sic Jonathan & R. Salo. Nam in Onk. *coram me.* ❡ *Sanctuarium*] vel, *Sacrarium.* Græce est h. l. ἁγίασμα, & alibi τὰ ἅγια. Chald. מקדש. Nam Chaldæi Chirec Ebræorum maxime sub Mem litera heemanthica, mutant in Patach. Sic מגדל turris; unde Maria Magdalene. Ceterum in Jonatha est מקדשא alia forma nominis. R. Salo. בית קדושה appellat i. domum sanctam. Nam appellatio à sanctitate. Abenezra, *Vocatur* מקדש *eo quod sit tabernaculum Dei Sacro-sanctum.* R. Levi, *Tentorium erat aut domus, & vocatur Sanctuarium eo quod sit locus Sanctus. Nam parabatur ad colendum in eo Deum benedictum.* [illegible] nomen postea templo tributum. Erat autem duplex Sacrarium, Interius, Exterius. Interius est illud, quod Sanctum Sanctorum vocatur, ubi arca fœderis & in ea duæ tabulæ lapideæ. Hoc Sacrarium nemo intrabat præter summum pontificem, qui semel in anno ingrediebatur. Bis autem apertum fuit à profanis nono die mensis septimi. Semel per Chaldæos, iterum per Titum Romanum: Gorionides cap. 94. Dicebatur & דביר & Græce ἄδυτον vel ἀνάκτορον. In exteriore versabantur Sacerdotes & מקדש קדשים vocatur, ut interius מקדש הפנימי. Idem nomen de idolio, h. e. templo idolorum usurpatur Jes. 16. 12. ❡ *Et habitabo in medio eorum*] vel, *ut habitem inter eos.* Nam Vau quandoque per ἵνα redditur. Onkelos & Jonathan, *ut collocem divinitatem meam inter eos.* שכינתי Fagius vertit, *majestatem meam.* proprie sonat, *habitationem meam.* Sed pro ipsa divinitate ponitur. Ceterum aliter habitat in cœlo, aliter inter nos. Inter nos habitare dicitur propter templum, quæ domus Dei vocatur propter cultum qui illic exercetur, tum etiam quia olim arca erat in Sanctuario symbolum præsentiæ ipsius in terra. Habitat etiam in cordibus piorum per fidem, quæ charitatem comitem habet. Dicitur etiam habitare in seipso, quia ipse solus se comprehendit: unde Apoc. 21. 22. DOMINUS *enim Deus omnipotens templum illius est.* Quin etiam habitat in omnibus hominibus per potentiam & præsentiam, implens omnia bonitate sua. Ex quo illud, *Cœlum & terram ego impleo.* ❡ *In medio eorum*] Nam sacrarium in medio castrorum erat. R. Levi, *dicit habitabo in medio eorum, sensus est, hic locus erit causa cur divinitas mea sit futura in medio eorum.* ❡ *Ostendo*] δεικνύω. Lxx. *ostendam.* Hiero. *videre facio.* Onkelos & Jonathan. Rursum, *ostendo* visione oculari. Abenezra, *imaginaria.* Nicolaus, *ab hac diversa erant visiones Ezecielis, quas vidit in somnis per spiritum propheticum.* ❡ *Exemplar tabernaculi*] תבנית המשכן Lxx. παράδειγμα τῆς σκηνῆς, exemplar tabernaculi. Hiero. *similitudinem.* Sic etiam Onkel. Nam דמות similitudo. Jonathan, צורת משכנא formam tabernaculi. Gal. ed. *le patron du pavillon* i. exemplar sive exemplum aut forma vel archetypus sive archetypum, prima adumbratio alicujus rei specimen nonnulli vocant. Munsterus & Leo, *exemplar.* Ps. 144. 12. תבנית היכל. Lxx. ὡς ὁμοίωμα ναοῦ. Hiero. *ad similitudinem templi.* Qui structuram vertunt, respexerunt ad etymon nominis, quod habet à בנה struxit, extruxit, ædificavit. ❡ *Exemplar vasorum ejus*] vel, *formam:* aut potius *structuram.* Hoc Trem. secutus est. ❡ *Ea sic facietis*] Ebraice, *& sic facietis.* Quidam dicunt, Vau redundare. Vide Hiscuni, sed & Abenezra. Per vasa autem intelligit instrumenta tabernaculi, in queis & arca. Licet etiam vertere, *quæ sic facietis.* R. Salo. *facietis in ætatibus, si perierit unum ex vasis illis: aut quum facietis mihi domum seculorum i. æternam, veluti mensas, candelabra &c. quæ fecit Salomo secundum exemplar horum facietis ea.* Vide seqq. ❡ *Tabernaculi*] המשכן cum articulo, quasi tabernaculi illius, cujus modo meminit. Nam Sanctuarium idem cum tabernaculo. Videndus Abenezra.

10. *Et faciant arcam è lignis Settim, duorum cubitorum cum dimidio sit longitudo ejus, & cubiti cum dimidio latitudo ejus, & cubiti cum dimidio altitudo ejus.*

Arcam è lignis Settim] Verb. è verbo, *arcam lignorum Settim.* Arca autem ארון dicitur, quam definiunt esse cistam sine pedibus, qualis illa quam ארגז appellant, quæ Gallica voce dicitur עשקריני i. scrinium. Græci κιβωτὸν μαρτυρίου referunt. Nicol. *arca erat quasi scrinium sine pedibus.* ❡ *Duorum cubitorum*] אמתים δύο πηχῶν. Cubitus alius est regius, qui & cubitus viri, alius communis. Erat & geometricus. De communi hic agi putarim. Is sex palmorum erat h. e. digitorum &c. Tamen interpretes hic variant. Rupertus, *Ait Josephus factam esse arcam longitudinis quinque palmorum, latitudinis trium. Unde patet, quod illum designet cubitum, quem duo palmi faciunt. Nec putandum hominem Judæum ingenio præditum, in Scripturis Sanctis & secularibus doctissimum, hoc potuisse latere.* Aloysius Lippomanus, *De cubito docti quidam aliter quam Josephus suspicantur, videl. continere sex palmos i. sesquipedem. Et palmus quatuor habet digitos, digitus autem minima statuitur mensurarum.* ❡ *E lignis Settim*] Rupertus, *De lignis Settim arca fieri præcipitur, quæ sunt imputribilia & spinosa, & æqualitate alba spina non multum distantia.* ❡ *Longitudo ejus*] *nescimus*, inquit Abenezra, *utrum hæc mensura interior an exterior fuerit. Si exterior, tum latus arcæ obducetur intus & extra à duobus lateribus dimidio cubito, & mensura cujusque tabulæ fœderis cubiti erit longitudine & cubiti latitudine.* Vide sequentia. Nam quærit quomodo Moses potuerit portare hujusmodi lapides.

11. *Et obduces eam auro mundo, intrinsecus & extrinsecus obduces eam, & facies super eam limbum aureum circumquaque.*

Obduces] vel, *operies.* Id Chaldæi verbo חפי exprimunt. Hieron. *deaurabis*, nempe Græcos secuti qui vertunt καταχρυσώσεις, 1 Reg. 6. 20. ויצפהו. Lxx. καὶ περιέσχεν αὐτό. Aquila, Theodotio περιέπλασεν αὐτό. Santes, *operuit illud.* Sic etiam Hier. ❡ *Mundo*] vel, *puro puto.* Græci χρυσίον καθαρὸν appellant. ❡ *Intrinsecus & extrinsecus*] מבית ומחוץ ab intus & ab extra. Lxx. ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Hieron. *intus & foris.* Onkel. & Jonath. מגו ומברא. R. Salom. *Tres arcas fecit Beseleel, duas aureas & unam ligneam: quatuor parietes & limbi erant unicuique, & desuper aperta erant. Posuit ligneam in medio aureæ, & auream in medio ligneæ, cujus labium superius obduxit auro: ita obducta fuit intrinsecus & extrinsecus.* Quæ castigatione indigent. Nam duntaxat obducta erat auro. Quod si aurea fuisset, ad quid lignea? An non in auro etiam reponi poterant tabulæ? Notavit Abenezra, *nihil ex solido auro fuisse præter candelabrum:* cetera deaurata erant. ❡ *Limbum aureum*] זר זהב. limbum auri, i. aureum. Cajetanus, *Juxta Ebræum habetur, Et facies super eam limbum auri in circuitu: non ligneum auro vestitum, sed aureum ornamentum hoc erat super thecam* (i. arcam) *circumcirca.* Prius erat in Hieron. *coronam auream.* Hugo de Sancto Victore, *Ista improprie dicitur corona. Non enim erat rotunda, sed ad formam & quantitatem arcæ quædam gyratio (quæ & limbus) fiebat per circuitum in superiori parte arcæ.* Lxx. κυμάτια χρυσᾶ στρεπτά, quod reddunt, *cymatia aurea tortilia.* Apud August. *versatilia.* Ejus verba mox producam. Cymatia quidam undulas vocant. August. Quæst. 104. *Cymatia dixit quæ in quadratura extant per quatuor partes, sicut mensæ quadræ fieri solent. Nec quod ait versatilia, mobilia debemus accipere-*

re. *Fixa sunt enim sicut dixi mensæ habere solitas, sed versatilia dixit tortilia, quæ Græce vocantur σρεπ]ὰ, vel canalibus, sicut sunt columnæ tortiles, vel implicatis duobus virgulis in modum vestis, sicut etiam torques fieri solent.* Κυμάτιον proprie parva unda. Sed in columnis eo nomine vocatur suprema pars epistylii i. capitelli: item Hesychius κυμάτια interpretatur τὰς ὑπεροχὰς, prominentias, καὶ τὰ χείλη i. labia. Quod h. l. significari putarim. Onkel. & Jonath. זיר quod ex Ebræo factum Zain in Daleth conversa. Fagius coronam vertit, ut Jerosolymitanus כליל i. σέφανον. ❡ *Circumquaque*] per circuitum.

12. *Et fundes ei quatuor annulos aureos, quos pones super quatuor angulos ejus: duo annuli erunt in latere ipsius uno, & duo annuli in latere ipsius altero.*

Fundes] ἐλάσεις, duces, quod est fut. ab ἐλαύνω, duco, ductile opus facio. Onkel. & Jonath. ותתיך, quod secutus sum. ❡ *Ei*] arcæ, de cujus limbo sive labro ita scribit R. Salom. זר *habebat speciem coronæ cingentis arcam per circuitum superne in labro ejus, quod faciebat arcam exteriorem altiorem interiori &c. Et erat signum coronæ legis.* Hactenus Rabbinus ille. Quæ adduxi propter Hieron. qui זר *coronam* interpretatur. Nam supremam arcæ oram & mensæ clausuram circumquaque coronæ ad modum cingebat. Porro κυμάτιον dicitur à sinuoso flexu undarum fluctuantium. Nam κῦμα fluctus. Quidam *loricam* reddunt. ❡ *Angulos ejus*] פעמתיו. Lxx. κλίτη, latera. Hieron. *angulos*. Quod nunc secutus sum. Nam & Onkel. habet זוייתיה angulos ejus. Quod R. Salomo ita enarrat, *anguli superiores prope opertorium erant, duo hinc & duo illinc per latitudinem arcæ: vectes autem positi erant in illis &c.* Abenezra, *pedes ejus*; qui etiam censet arcam pedes habuisse. Nam alioqui ponenda fuisset in terra. Quod nimis absurdum ei videtur. Ea repetit Hisc. Judæus recentior. R. Levi negat *pedes habuisse*, ut etiam R. Salomo Nicolausque. Verba Levi, non levia, *Arca habebat pedes ut apparet, & altitudo ipsius sesquicubitum cum extra mensurabatur. Talis erat altitudo mensæ cum pedibus suis. Sed ecce crassitudo ejus ignorata nobis. Quod si longitudo & latitudo fuisset intrinsecus, operculum cecidisset in mediam arcam. Nam ejus longitudo erat ut longitudo arcæ, & latitudo, ut latitudo ejus.* Vide consequa verba. Idem tuetur sententiam R. Salomonis de tribus arcis, *quia lignum*, inquit, *non potest obduci auro, ut argentum obducitur.* Nam non est firma hujusmodi obductio. Sed & פעמתיו exponit טבעותיו annulos ejus. Qui habent, ne graventur consulere ipsum in h. l. ❡ *Quatuor annulos*] Hisc. arbitratur fuisse hos annulos parvos, cui fuerint inserti alii quatuor annuli magni. Adito ad ipsum, si placet. Ceterum pro annulos Lxx. δακτυλίυς, Hieron. autem *circulos* edidit. ❡ *Duo annuli*,] Videndus ad h. l. Nicol. cujus verba brevitatis causa omitto. Hoc tantum, *arcam gestatam fuisse, cum alique portaretur, à quatuor sacerdotibus.*

13. *Et facies vectes è lignis Settim, & obduces eos auro.*

14. *Inducesque vectes illos in annulos ad latera arcæ, ad portandam arcam eis.*

Vectes] ἀναφορεῖς, cujus singularis ἀναφορεὺς, idem videlicet quod ἀνάφορον, vectis. Interpres gestatoria vertit. Apud August. legitur *supportatoria*. Nomen est à verbo ἀναφέρω, in altum erigo. Hesychius, ἀναφορεῖς, οἱ διζυγῖτες, οἱ ἀναβασάζοντες. Ebraice בדים & Chald. אריחיא dicuntur. R. Sal. מוטות interpretatur. Junii Nomenclator, *Vectis*, ἀναφορεὺς, μοχλός. ❡ *E lignis Settim*] Jon. שטין דקיסי. Ita etiam supra vertit. שטין dixit, quod Onkel. שטין. Est autem arbor spinosa. Cordus ait *Acaciam Dioscoridis esse*. Hæc arbor licet infrugifera sit, tamen cæsa utilis est ad fabricam: unde proverbium קציצה מן אלא הנאה לית שׁיטי מן *Ex Sittaja nulla utilitas nisi succidantur.* Forte legendum שְׁטֵי quæ vox etiam stultum denotat. Vide Adagiorum nostrorum Decu. 3. Adag. 4. ❡ *In annulos*] *superiores, ubi semper manebant.* Abenezra. Quidam aliter. Nam existimant inductos fuisse primum in annulos inferiores, deinde cum portaretur in superiores. Qua de re videndus idem quem modo nominavi Abenezra. Vide quoque sequentem versum, qui plane pro Aben. facit. ❡ *Ad latera arcæ*] Hieron. *qui sunt in arcæ lateribus.* Duo annuli erant in uno latere, & duo in altero: per eos vectes tranamittebantur.

15. *In annulis arcæ erunt vectes, non recedent ab ea.*

16. *Ponesque in arca testimonium quod dabo tibi.*

Annulis] *circulis*. Hieron. ❡ *Ab ea*] arca: vel certe, *ab eo loco*. Trem. *ne amoveantur inde*. Hieron. *ab eis*. ממנו. ❡ *Recedent*] amovebuntur. R. Salom. addit, *in seculum*, sive *in æternum*. ❡ *In arca*] אל pro ב. Sane Onkel. vertit, בארונא & Hieron. *in arca*. Lxx. ἐμβαλεῖς εἰς τὴν κιβωτὸν, *Injicies in arcam.* R. Salom. אל הארון idem quod בארון in arca. Jon. *in medio arcæ* i. intra arcam. ❡ *Testimonium*] העדות Lxx. τὰ μαρτύρια. Hieron. *testificationem*. Onkel. & Jonath. סהדותא testimonium. R. Salom. *legem, quæ erit testimonio inter me & vos, quibus præcepta dedi quæ scripta in eo.* Abenezra, *tabulas legis secundas*. Antiqui Ebræi, *fractas*. Rupertus, *urnam auream habentem manna, & virgam Aharon, quæ fronduerat & tabulas testamenti.* Vide Ebr. 9. 4. Nicol. *tabulas scriptas digito Dei, quæ erant testes inter Deum & populum, quod recepisset à Deo illa præcepta.* Idem dicit quod R. Salom. à quo pleraque sua desumsit. Nam per legem intelligit decalogum, h. e. tabulas legis. Siquidem lex, quæ quinque libris Mosis continetur, non fuit posita unquam in arca. Qua de re Abenezra, *Tabulæ*, inquit, *sunt testimonium ac si essent instrumentum scripturæ, & sunt tabulæ fœderis. Testis hujus rei fidus est locus ille, Et scriptum testimonium posuit in arca. Amplius quia Moses scripsit librum legis, qui liber positus fuit à sacerdotibus in latere arcæ fœderis DOMINI extrinsecus. Ad hæc scriptum est non fuisse in arca præter duas tabulas lapideas. Porro controversia est de tabulis. Nam ait, Pones in arca tabulas quas dabo tibi. Rursum scriptum est, & dedit Mosi tabulas illas cum absolvisset loqui cum eo, & ecce fractæ fuerunt, nec implevit præceptum DOMINI. Ad hoc respondere possumus forte, propterea sapientes dixisse in arca fuisse fragmenta tabularum, quos Scriptura non convincit mendacii. Nam tam priores quam posteriores erant tabulæ fœderis. Possumus ergo etiam dicere quod loquatur de tabulis secundis &c.* Post disputat an hæc arca fuerit quam Beseleel fecisset nec ne. Tum etiam ait inferiores annulos ad ornatum additos fuisse tantum. De vectibus autem utrum in longum arcæ, an in latum protensi fuerint disserit Nicol. ad h. l. quem te adire cupio.

17. *Et facies propitiatorium ex auro mundo, duos cubitos cum dimidio longitudinem ejus, & cubitum cum dimidio latitudinem ejus.*

Propitiatorium] כפרת Hieron. *propitiatorium*. Alius recentior, *operculum propitiatorium*. Lxx. ἱλαστήριον ἐπίθεμα, propitiatorium operculum, sive, ut alii, *opertorium*. Non male utrumque conjungunt, cum vox Ebræa utrumque significet. R. Salom. כסוי tegumentum. Nam arca superne patebat. Itaque super eam ponebatur propitiatorium tanquam tabula, quæ ipsam arcam claudebat. Abenezra, *Similitudinem habebat cum מכסה quod opertorium denotat.* Porro Japheth dicit *sumptum esse ex illo* לכפר עליו, *in quo significatio legendi. Nam qui expiat peccata eadem tegit. Meo judicio* כפר *ibi sig. redimere; unde &* כופר *redemptio.* Hæc ille. Beda, *Propitiatorium tabula erat aurea ejusdem mensura cujus arca, sic dicta quia ibi Deus Moysi apparens & cum eo loquens propitiabatur populo.* Idem August. in Quæst. super Exodum, Quæst. 105. Nec dissentit Lippomanus ita scribens, כפרת *erat tegmen sive operimentum, aut velamen & cælum, quale rebus pretiosis supponere solemus. Erat autem tabula quæ supponebatur arcæ. Interpres autem propitiatorium vertens magis habuit rationem verbi à quo deducitur, quam rei.* Et mox, *solebat autem DOMINUS apparere super operimentum illud, & illinc eos alloqui, & ostendere utrum placatus esset illis. Unde factum ut interpres verterit propitiatorium q. d. locus in quo DOMINUS placatus alloquebatur populum. Quandoque etiam pro eo vertit oraculum, propterea quod illinc DOMINUS oracula sua edebat &c.* Vide nunc, si placet, Nicolaum. Autores edit. Gallicæ *Vocatur propitiatorium arcæ* כפורת *à verbo quod etiam operire ac tegere denotat, quia inde significabat Deus peccata populi tecta esse.* ❡ *Longitudinem ejus*] sub. facies. De spissitudine arcæ nulla hic mentio Ebræi tamen dicunt טפח עביה שיהיה quod fuerit densitas ejus palmaris. Unde intelligentiam habet illud Jonathæ,

ופשכה יהי פושכא

Spissitudo ejus erit palmus ejus. Siquidem פושכא palmus i. טֶפַח vel טֹפַח. Est autem palmus quatuor digitorum spatium, Græce παλαιστὴ sive παλαιςής. Hinc etiam eruo פשכה densitas, spissitudo i. עֹבִי. Abenezra לא נזכר הכפרת עובי nulla mentio spissitudinis operculi. Cajetanus, *Tabula hæc erat aurea æqualis tam secundum longitudinem quam secundum latitudinem dictæ thecæ. Et quoniam nihil dicitur quam grossa esset, intelligentiæ humanæ relinquitur, ut sic esset grossa ne tenuitate, flecteretur, hinc & inde tantummodo sustentata.*

18. *Facies quoque duos Cherubim ex auro, ductiles facies eos è duabus extremitatibus propitiatorii.*

Duos Cherubim ex auro] vel, *duos Cherubim aureos.* Lxx. δύο χερυβὶμ χρυσοτορευτά. Usi sunt ea voce genere neutro. Credo

Credo quod τὰ πνεύματα subaudirent. Sic τὰ σεραφεὶμ dicebant. Unde forte, *Cherubim & Seraphim beatae* & Ebraeo. 9. 5. in antiqua Latina, *Cherubim gloriae obumbrantia*. Nam in Graeco κατασκιάζοντα. Alius mallet, *cherubim gloriae obumbrantes*. Sic Hiero. retulit *duos Cherubim aureos*. Nam quod quidam annotat Latinos & Graecos peregrina sexu carentia, praesertim indeclinabilia genere neutro enuntiare, dubito an in his verum sit. Nam quis ferret dicentem *duo Elohim aurea*, cum dicendum sit, *duos Elohim aureos*? De Cherubim eadem ratio. Sed Thalmud & Thargum neutra sunt. Non semper, o bone. Nam apud Galatinum de arcanis Catholicae veritatis lib. 1. cap. 9. *Babylonicus Thalmud anno post Christum natum 477. compactus fuit*. Siquidem liber subintelligitur. Sic τὰ χερουβὶμ sub. ζῶα vel, πνεύματα. Quale illud apud Terentium, *Eunuchum hanc*. Sic *Bresith magnus*. Alias dicendum esset οἱ χερουβὶμ, quod idem cum illo οἱ χερουβεῖς, qui latina declinatione sunt Cherubes aut Cherubi, non Cherubini. Genebrardo aperte contradicit Hiero. in Ezecielem cap. 10. ita scribens, „ Quanquam plerique τὰ χερουβὶμ neutrali genere nu„ meroque plurali dici putent, nos scire debemus singulari nu„ mero esse Cherub generis mascul. & plurali ejusdem generis „ Cherubim, non quo sexus in ministris Dei sit, sed quo u„ numquodque juxta linguae suae proprietatem diversis appel„ letur generibus. Angeli vocantur numero plurali Malachim, „ & Cherubim & Seraphim ejusdem generis ac numeri. Cui consonat venerabilis Beda cap. 5. Ezec. 1. „ Numero, *inquit*, „ singulari Cherub, plur. autem Cherubim dicitur, & est no„ men generis mascul. Sed Graeca consuetudo neutro genere „ Cherubim posuit, M. litera in N. mutata. Verum noster inter„ pres Ebraeum secutus idioma masculino genere posuit, duos „ cherubim aureos, & productiles, non, duo cherubim aurea „ & productilia. Quod scriptorum incuria credimus in ejus „ translatione esse corruptum, ut pro Cherubim, antiquorum „ more scriberetur Cherubin. Omittamus ista. De Cherubim scribit R. Salo, „ quod faciem habuerit qualis infantium aut „ puerorum esse solet. Abenez. „ Dixerunt antiqui Doctores nostri „ Cherubim retulisse formae duorum puerorum aut juve„ num, quod sonat רביא in lingua Aramaea, ut Chaph „ sit litera serviens, cum sit litera thematis, cui probando quod „ alibi legitur הכרובים, ubi articulus praecedit. Postea „ ex Ezeciele probat certas figuras fuisse. Vide, si placet. R. Levi, *Erant figurae hominis parvi diebus i. junioris aetate. Nam parvi diebus vocantur רביא, atque ita erit Chaph in hoc nomine velut Chaph similitudinis, sed eo usi sunt ac si esset litera radicalis*. Hisc. *Similitudinem habebant cujusdam generis avium, ut scriptum est in Ezeciele. Et quamvis praeceperit, Non facies tibi sculptile, aut ullam similitudinem, hic permittit formam cherubim. Nam ecce non facti erant adorandi causa, sed ut collocarentur ibi ad similitudinem Cherubim solii gloriae; Similia multa invenies in lege*. Exod. 35. 2. *quicunque fecerit opus in eo, morietur*. De sabbatho loquitur quo die circumcidebant infantes & alia faciebant, quae ibi memorantur. Vide, si placet. Josephus ait fuisse ζῶα πετεινά, animalia volatilia. Nicol. *Josephus dicit quod habebant similitudinem quarundam avium, quae nunquam visae sunt ab hominibus: Sed Moyses visione imaginaria vidit tales similitudines in sede Dei. R. Salomo & alii Doctores dicunt quod habebant similitudinem puerorum vel juvenum habentium alas*. Forerius comment. in Esaiam Jes. 37. 16. *Ezeciel cap. 28. Tyrum Cherub vocat q. in summum dignitatis fastigium evectam, quae ut Cherub alas suas late extendens protegebat populos multos. Ezec. 4. Duae facies uni Cherub, ubi sane pro imagine usurpatur habente duas facies, alteram hominis, alteram leonis. Et Ezec. 10. quae primo capite חיות i. animalia dixerat cap. 10. Cherubim vocat: & quod primo capite faciem bovis dixerat, cap. 10. faciem Cherub appellat*. Vide seqq. ❡ *Ductiles*] Est cur malim, *opere ductili*. Nam מקשה id quod malleo ducitur, ductile: & opus subintelligitur. Quidam, *continente opere*: alii, *solido*: alii, *integro*: alii denique, in queis Abenez. שוה id est, *aequali*. Sunt etiam qui *ductili auro* referant. Uterque Chaldaeus נגיד i. ducto aut ductili. Lxx. τορευτὰ i. tornatiles. R. Salo. duo hic notat, primum facit pro iis, qui vertunt, *opere continente*: alterum juvat eos qui vertunt, *opere ductili*. In eo מקבת est malleus, קורנס autem martellus i. malleus minor. Vide illum, si otium est. ❡ *E duabus extremitatibus*] On. & Jon. *e duobus lateribus*. Sic etiam Lxx. ἐξ ἀμφοτέρων τῶν κλιτῶν. Hiero. *ex utraque parte*. ❡ *Propitiatorii*] vel, *operculi*. Sed ἱλαστήριον etiam Apostolus appellat in Epist. ad Ebraeos. Hiero. hic habet *oraculi*. Quod usitate pro דביר sumitur. Vide Fagium.

19. *Et facies Cherub unum ab extremitate* [illegible] *Cherub alterum ab extremitate illinc, e propitiatorio* [illegible] *Cherubim super duabus extremitatibus ejus.*

20. *Eruntque illi Cherubim expandentes alas* [illegible] *operientes alis suis propitiatorium, & facies* [illegible] *versus propitiatorium erunt facies Cherubim.* [illegible]

Cherub unum] vel, *Cerubum unum*. Id malo; [illegible] *Cerubinum*. Quanquam vulgo *Cherubinum* usurpent [illegible] *Cherub*. Miror & improbo. De genere hujus nominis [illegible] bit Rupertus, *Unde Apostolus, inquit, duo Cherubim* [illegible] *brantia. Hic quidem neutro genere obumbrantia dictum* [illegible] *Caeterum masculino genere Cherubim enuntiari, ac hoc &* [illegible] *plerisque locis magis patet.* ❡ *Ab extremitate hinc*] [illegible] *mitatem* R. Salo. *caput* appellat; *& extremitates capita* [illegible] קצות. Hiero. h. l. *Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero*. Senes quoque habent, χερούβ ἕνα ἐκ τοῦ κλίτους τούτου &c. genere masculino, ut mox τοὺς δύο χερουβὶμ, &c. οἱ χερουβεὶμ. Peccant ergo in regulam Genebrardi, qui talia nomina neutra in utraque lingua esse contendit. Imperite Suidas, χερουβεὶμ ἐπὶ τοῦ ἑνικοῦ, διὰ διφθόγγου. πληθυντικῶς δὲ διὰ τοῦ ι. Nam utrumque pluralis numeri est, ut σεραφεὶμ & σεραφίμ, ἐλωεὶμ & ἐλωίμ, & alia non pauca. Eundem errorem erravit Moschopulus περὶ σχεδῶν pag. 89. τὸ δὲ χερουβεὶμ καὶ σεραφεὶμ διαφορεῖται. διὸ τὸ χερουβεὶμ καὶ τὸ σεραφεὶμ ἑνικὰ, τὰ δὲ πληθυντικὰ διὰ τοῦ ι. διὸ τὰ χερουβὶμ καὶ τὰ σεραφίμ. Nihil ineptius. Josephus *Cherubes* dicit in num. multitudinis i. χερουβεῖς. R. Salo. *Ne putaremus cuique extremitati duos Cherubim fuisse, ideo coactus est hoc exponere. Caeterum ex ipso operculo stabant Cherubes. Hoc sig. cum ait, opere ductili facies eos. Nam continenter juncti erant operculo*. Abenez. *Cherubim erant in longitudine arcae, & vectes in latitudine*. Vide sequentia. ❡ *Super duabus extremitatibus*] ἐπὶ τὰ δύο κλίτη. Alii, *in duabus extremitatibus*. Super pro *in* sumitur in illo, *super arbore sidunt*. Notavi alias. Hiero. *Utrumque latus propitiatorii tegant*. Quidam existimant propitiatorium non fuisse operculum arcae, sed elevatum altius supra arcam, unde eam operire dicitur. Iidem Cherubes ajunt stetisse in pavimento elatos supra arcam, quam alis suis tegebant. Vide Nicolaum. ❡ *Expandentes alas*] non directe, sed oblique, & sic operiebant aliquo modo propitiatorium. Nicol. *Ac si volaturi essent*. R. Levi. *Alae non jacebant, sed expansae erant in altum juxta capita ipsorum, ut essent decem palmi in concavitate quae inter alas & propitiatorium, ut habetur in Suca*. R. Salomo. ❡ *Propitiatorium*] Hic rursum Hiero. edidit, *oraculum*. Nicolaus, *Propitiatorium dicebatur oraculum quia per orationes impetrabatur divinum responsum quod inde audiebatur*. Lippomanus, *Oraculum vertit interpres operimentum seu caelum, quod supra dixerat propitiatorium, propterea quod ex eo loco DOMINUS loquebatur Mosi, & per orationes distinctum impetrabatur responsum*. ❡ *Sursum versus*] Jon. addit על קבל רישיהון contra capita sua. Vide supra. ❡ *Versus propitiatorium*] vel, *ad propitiatorium*. Id senes expresserunt per ἐπί. On. & Jon. לקבל, quod Fagius interpretatur, *versus propitiatorium*. Japheth Ebraeus, *ad medium propitiatorii*. Sed vide sis Abenez.

21. *Ponesque propitiatorium super arcam superius, & in arca pones testimonium quod dabo tibi.*

Quod fugit, non plane effugit. Supra ubi vertimus, *Facies unius ad alterum*, in Ebraeo est ad verbum, *& facies eorum viri ad fratrem suum*. Inde colligit Cajetanus Cherubim fuisse figura humana. Argumentum plane infirmum. Nam de cortinis legimus, *mulier ad sororem suam*. Ideo Jon. & Onk. *facies eorum unius contra alterum*: & Lxx. τὰ πρόσωπα αὐτῶν εἰς ἄλληλα. Jam ad rem. Idem censet arcam fuisse tanquam scabellum suppedaneum sedenti super propitiatorium, sustentatum à Cherubim. *Qui erant*, inquit, *non habentes pedes super arcam, ut convincitur ex hoc, quod propitiatorium oportuisset esse minus longum quam ipsa arca, tanto minus quantum occupatum fuisset arcae hinc inde à Cherubim: sed stabant super pavimentum juxta posteriores partes laterum arcae, sustentantes propitiatorium, ita quod siquis sedisset in propitiatorio, pedes habuisset super arcam, & alae Cherubim hinc inde extensae & elevatae ad superna, erant velut sponda sedis divinae*. ❡ *Superne*] alii, *desuper*. ❡ *Et in arca pones &c.*] vel, *postquam in arca posueris testimonium, quod dedero tibi*. ואל הארן propriè εἰς τὴν κιβωτόν. Antea notavi אל pro ב. Vide supra v. 16. Sane Onk. habet, בארונא: & Jon. בגו ארונא in medio arcae. Hiero. quoque, *in qua pones testimonium*. ❡ *Testimonium*] *Tabulas foederis*. Ion. 1 Reg. 8. 9. *Nihil erat in arca nisi duae tabulae lapideae, quas Moyses &c*. Ebraeor. 9. 4. *in qua urna aurea habens manna & virga Aaron, quae germinavit, & tabu-*

tabula fœderis. Forte ἐν ᾧ referendum ad τὴν σκήνην, cujus mentio v. 3. Abraham Salmanticensis in Iuchasin fol. 93. pag. 2. *Ecce tabula cum fragmentis tabularum posita erant in arca, ut habetur in tractatu de sacrificiis.* Philo in libris Antiquitatum, si modo Philonis id opus, ait *a Cenez positos fuisse in arca 12. lapides, quibus inscripta nomina 12. tribuum: Et sunt,* inquit, *illi lapides in arca fœderis DOMINI cum tabulis in hodiernum diem.* Quid si Apostoli locum enarremus de arca Salomonis, quæ nonnihil diversa ab arca Mosis? Nihil affirmo. Hoc tantum. In Comment: Cajetani ad hunc locum haberi hæc verba, *Cave ne fallaris ex situ Cherubinorum descripto 3 Reg. 6. quoniam Salomo non fecit Cherubinos illos juxta descriptionem Moysis hic mandatam. Ut convincitur, tum ex eo quod fecit illos ligneos, cum hic præcipiantur aurei, tum ex eo quod inter duos Cherubinos fecit distantiam decem cubitorum, cum tamen propitiatorium duorum cubitorum & dimidii esset, & juxta latera medii propitiatorii esse deberent Cherubini.* Iosephus Gorione natus, cap. 82. fol. 123. col. 3. *Ibi erat arca fœderis, in qua duæ tabulæ lapideæ, tabulæ fœderis, quod ictum fuit cum Israele in Sinai.* Et mox, *etiam ibi erat virga Abaronis, quæ germinavit germen, & produxit florem.* Plura de hac re alias, si Deus permiserit.

22. *Et conveniam te ibi, & loquar tecum è superiore parte propitiatorii, inter duos Cherubim, qui super arcam testimonii, omnia quæ præcipiam tibi ad filios Israel.*

Conveniam te ibi] Alii, *conveniam tecum.* Ebraice est ונועדתי לך. On. & Ion. *illic præparabo tibi sermonem meum.* Nam in verbo significatio מועד, ut R. David annotat. Hiero. *præcipiam.* אצוה. Lxx. γνωσθήσομαί σοι, לך ונודעתי litteris inversis. R. Salomo, *quum constituam tempus tibi ad loquendum tecum, illum locum determinabo ad conventum, eoque veniam ut loquar tecum.* R. Levi, *Ibi conspicietur nubes DOMINI, cum ego loquar ad te, ac si ego loquerer tecum è loco illo.* Vide sequentia. Hinc dictum putatur אהל מועד i. tabernaculum conventus, quod ibi Deus conveniret Mosen, vel quod populus eo conveniret. R. Salomo hic difficultatem monet, ubi nulla est, hoc est, nodum in scirpo quærit. *Nam alibi scriptum est*, inquit, *Et locutus est DOMINUS ad illum e tabernaculo conventus.* Quasi vero hæc duo simul vera esse non possint, cum arca esset in tabernaculo illo. Vide sis Abenezram. ¶ *E superiore parte*] מעל ad verb. *de supra*, ut מתחת de sub. ¶ *Inter duos Cherubim*] De his Cherubim quatuor opiniones sunt. Una est veterum Ebræorum, qui putant eos formam habuisse puerorum aut juvenum. Quod ex etymo colligunt argumento admodum infirmo, ut si quis Chaldæos asserat fuisse dæmones quia ipsa vox Ebraica sonat כשדים tanquam dæmones. Altera est Hiscuni & aliorum quorundam qui censent angelos fuisse avium formam referentes, unde eis alæ tribuuntur. Tertia opinio est Iosephi scribentis animantia fuisse alata, nemini mortalium unquam visa. Quarta est Abenezræ, qui scribit generale nomen esse ad omnes formas. Vide, si placet, Radices Camii. Hi Cherubin a nemine conspiciebantur nisi à solo sacerdote, cum sanctum sanctorum intraret quater uno die in anno. Videndus Hiscuni. ¶ *Qui super arcam*] Iuvatur hoc loco, si ullo alio, R. Salomo, qui censet Cherubin stetisse super arcam. Contra doctores catholici arbitrantur eos pedibus pavimentum contigisse. Qua de re videndus est Lyra noster in glossis ad hunc locum. ¶ *Arcam testimonii*] ita dictam forte quod in ea essent tabulæ fœderis, quas modo testimonium vocari diximus. Græce est τὴν κιβωτὸν τοῦ μαρτυρίου. Cajetanus ad hunc locum, *Quod autem dicitur de Cherubinis qui super arcam, intellige non super arcam habentes pedes, sed supra arcam hoc est eminentiores arca. Imo cum arca esset altitudinis unius cubiti & dimidii duntaxat, crura Cherubinorum cum omnibus superioribus partibus erant supra thecam. Probatum est enim ex ipsa longitudine propitiatorii, quod erat inter Cherubinos non posse intelligi quod haberent pedes supra arcam, & eadem ratione nec genua.* Quæ si vera, vertendum erit, *qui supra arcam testimonii.* ¶ *Omnia quæ præcipiam*] Aben. & R. Salo. legisse videntur, *& omnia quæ præcipiam.* Vide illos, si vacat. ¶ *Ad filios Israel*] Oratio defecta. Plena erit, si legas, *referenda ad filios Israel.* Hiero. sensum expressit, referens, *cuncta quæ mandavero per te filiis Israel.*

23. *Et facies mensam è lignis Settim; duorum cubitorum erit longitudo ejus, & cubiti (unius) latitudo ejus, & cubiti cum dimidio altitudo ejus.*

24. *Obducesque illam auro puro, & facies ei limbum aureum per circuitum.*

Mensam] quæ ponebatur in Sancto, hoc est, in tabernaculo sive sacrario exteriori, quod à solis sacerdotibus frequentabatur. Stabat autem ad dextrum latus ingredienti, quod aquilonare vocabant. ¶ *E lignis Settim*] aut desideratur מן ut Ps. 11. 1. נודי הרכם fuge è monte vestro: aut repeti debet שלחן in regimine, *facies mensam, mensam lignorum Settim.* Quod idem cum illo, *è lignis Settim.* Malim ut sit loquendi genus Ebraicum. Sic infra, *Facies vectes ligna Settim* pro *è lignis Settim* v. 18. ¶ *Duorum cubitorum*] Hoc est, duodecim palmorum. Nam palmus sexta pars cubiti. Quod noto propter Gersomi filium, qui longitudinem mensæ scribit fuisse 12. *palmorum*, & latitudinem *sex palmorum.* i. טפחים. De spissitudine altum silentium. Quidam, ut Nicolaus annotat, dicunt eam fuisse *quatuor digitorum.* ¶ *Altitudo ejus*] *altitudo pedum cum densitate mensæ.* R. Salomo. *Non est dubium quin spissitudo arcæ cum altitudine pedum sit mensura memorata.* Abenezra. *Cubiti cum dimidio erat altitudo ejus cum pedibus*, R. Levi. ¶ *Cubitum cum dimidio*] *Cubitum & semissem*, Hiero. *Cubiti & dimidii.* Ebraice. πήχεος καὶ ἡμίσεος. Lxx. ¶ *Obducesque illam auro puro*] Hiero. *& inaurabis eam auro purissimo.* ¶ *Limbum*] Alii, *labium*: alii, *coronam.* Lxx. στρεπτὸν κυμάτιον. Sed omnia in iis perturbata. Hunc limbum quidam censent sub mensa fuisse, in quies Tremellius, ne videlicet vacillaret, aut de trapezophoro depelleretur. Quæ infirmare videtur R. Levi in Comment. ad h. l. R. Salomo scribit hunc limbum fuisse signum coronæ regni. *Nam mensa*, inquit, *denotat divitias & magnitudinem, ut ibi, mensa regum.* ¶ *Per circuitum*] circumquaque.

25. *Et facies ei clausuram palmi per circuitum, & facies limbum aureum ad clausuram ipsius circumquaque.*

Ei] Mensæ. ¶ *Clausuram*] Ebraice מסגרת à claudendo. Nam סגר claudo. Siquidem mensam undique claudit. Syrus & Josephus στεφάνην appellant, id est, coronam. Hieron. *coronam interrasilem.* Quidam, *limbum*; alii, *fasciam.* Nonnulli etiam *peribolum* aut *peripheriam* i. circumferentiam. Verbo dicam, Innuit oram quæ mensam per circuitum ambiebat & quasi claudebat. Onk. גדנפא appellat: Jon. & Jerosl. גפוף פּוֹם עֵל i. circumplector. ¶ *Palmi*] id est palmarum. Palmus autem est mensura quatuor digitorum, quæ est quarta pars cubiti: Unde tres cubiti efficiunt duodecim palmos. Perperam palmæ in Aria. Chaldaice פשכא dicitur. Sapientes hic diversi abeunt. Sunt qui dicant *hanc coronam supra mensam fuisse*; alii dicunt *infra fuisse ab uno pede ad alium. Tabulam vero mensæ* ajunt *jacuisse super illam coronam.* Hæc R. Salomo. Ceterum pro *palmo*, Hieron. habet, *altam quatuor digitos.* Vide sis Nicolaum, cujus hæc sunt, *dicitur autem opus interrasile, quod habet aliquas sculpturas & spatia intermedia plana, quasi vasa.* Placus in Lexico Biblico, 3 Reg. 7. *Interrasile, quod est interpolatum cælatura seu sculptura & plano. Planum enim inter cælaturas, quasi rasum videtur dictum in Exodo.* In Calepino, *Interrasilis, idem quod interrasus, hoc est per intervalla erasus & exsculptus. Plinius* lib. 12. cap. 19. *Coronas ex cinnamomo interrasili auro inclusas.* Idem, *Interrasum marmor* dixit pro exsculpto & excavato. Abenezra, *facies clausuram superne juxta morem mensarum.* ¶ *Limbum aureum*] De quo supra, ut mirum sit Hieron. hic vertere, *coronam aureolam*, cum prius eandem vocem vertisset, *labium aureum.* Vide sis Nicolaum. Lxx nihil variant. Quanquam in quibusdam codicibus στρεπτὰ κυμάτια χρυσᾶ. Ceterum editio Romana habet στρεπτὸν κυμάτιον. Quidam *loricam* interpretantur. ¶ *Ad clausuram ipsius*] Santes, *clausuræ ipsius.* Hieron. *super illam*, nempe coronam interrasilem. Lxx. τῇ στεφάνῃ.

26. *Et facies ei quatuor annulos aureos, & pones annulos illos in quatuor angulis, qui erunt in quatuor pedibus ejus.*

Ei] Mensæ. ¶ *Annulos*] δακτυλίους, circulos. Lippomanus, *Sunt qui dicant fuisse supra mensam quasi fertum quoddam aureum, quod tabulam mensæ ambiebat, & quod infra tabulam alius erat ambitus, veluti fimbria quadam, quam Ebraismus clausuram appellat, & sub illa in quatuor pedibus mensæ erant quatuor circuli. Porro supra mensam ponebantur varia vasorum genera, nempe magna & lata scutella, cochlearia formam manus concava habentia, & dimidiatæ fistulæ, quarum officium erat sustentare panes facierum i. propositionis, & conservare à putrefactione. Et quoniam longe erant mensam excedentes, consurgebant è terra quasi quædam furculæ, quas interpretes vertunt cyathos, quæ dictas fistulas sustinebant.* ¶ *In quatuor angulis*] vel, *ad quatuor angulos.* Lxx. ἐπὶ τὰ τέσσαρα μέρη. Sunt autem, oriens, occidens, septentrio, meridies. Angulos Chaldæi זוי & זוייא appellant: quorum posterius est in forma emphatica. פאות non tam anguli sunt, quam extrema mundi, quas plagas vocamus Levit. 19. 27. Th. φαάθ. Aq. κλίμα. Amos 3. 12. בפאת מטה Hieron. *in plaga lectuli*: alius, *in angulo lecti.* R. Salomo, Exod. 27. 9. כל רוח קרוי פאה omnis ventus. i. plaga vocatur פאה. Lxx hic

hic habent κλίτος, & Hieron. *latus*, & Onkel. ציטרא & Jon. זוי. Alius γωνία. Sic intelliges Apoc. 7. 1. ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς. Vocantur etiam *cardines*. ¶ *In 4. pedibus*] vel, *ad quatuor pedes*. In Hier. *per singulos pedes*. Onk. & Jon. *qui ad quatuor pedes*. Lxx. τῶν ποδῶν αὐτῆς, pedum ejus.

27. *E regione clausura erunt annuli illi, sedes vectibus ad portandum mensam.*

28. *Faciesque vectes è lignis Settim, & obduces eos auro, ut portetur eis mensa.*

E regione] vel, *ex adverso*. Quod Onkel. dixit לקבל & Jon. כל קבל. Sic alibi, כל עמת ex adverso, è contrario, quemadmodum. Lxx. ὑπὸ τὴν στεφάνην: quod secutus Hiero. vertit, *subter coronam*. Sed Cohel. 7. 15. לעמת contra, id est לנכח aut לנגד è regione. ¶ *Sedes vectibus*] לבתים לבדים in domos pro vectibus. Domus vectium sunt ipsi annuli per quos vectes immittebantur. Onk. & Jon. אתרא i. locum appellant. Lxx. θήκας. Sane apud eos legitur εἰς θήκας: quod reddunt, *in thecas*: alii, *in thecis*. Augustinus explicat tanquam si diceretur *pro thecis*. *Erunt in thecas* ita dictum ut, *erunt in caput*. Sic, *ero ei in patrem & ipse erit mihi in filium*. Latine, *pater & filius*. R. Salom. *annuli illi erunt domus, quibus vectes inserentur*. Idem לבתים interpretatur לצרך בתים in usum domorum. ¶ *Vectibus*] aut, *vectium*: vel certe, *pro vectibus*. Hier. *ut mittantur vectes per eos*: sensum expressit, non verba. Lxx. τοῖς ἀναφορεῦσιν. ¶ *Vectes*] τοὺς ἀναφορεῖς. ¶ *E lignis Settim*] in fonte est ad verb. *Ligna Settim*. Sic ver. 17. *facies propitiatorium aurum purum*: & ver. 23. *facies mensam ligna Settim*. Nos diceremus, *ex auro puro, ex lignis Settim*. Nam cuique linguæ sua proprietas. Supra putavi מן abesse, quod nunc improbo. ¶ *Ut portetur*] ונשא & portabitur. נשא præteritum Niphal. Plenum esset ונשא. Nam dages indicat primam thematis. ¶ *Mensa*] את השלחן ἡ τράπεζα. Onkel. & Jonath. ית פתורא. ut את ita etiam ית articulus est nominativi post verbum passivum. Vide Gen. 4. 18. & Prov. 16. versu ultimo.

29. *Faciesque typos* (lances aut scutellas) *ejus, & acerras ejus, & calamos ejus, & scopulas ejus; quibus tegetur, ex auro puro facies ea.*

Typos ejus] קערה typus. Vulgo *modellam* appellant. Plinius *formam* dixit. Significat autem vasa, in quibus panes coquebantur, quæ ferrea erant: postea panes illi adversabantur in typis aureis, dum in mensa reponebantur. R. Salomo diserte, *Typus hic habebat formam panis, qui similis erat arcæ effractæ utcunque &c. Ceterum erat alius typus aureus & alius ferreus. In ferreo coquebatur panis, quem eductum e furno ponebant in aureo usque ad crastinum Sabbatis: tum ordinabant eum in mensa. Hujusmodi autem typus vocatur* קערה. Scribit eadem fere R. Levi Gallus, קערות, inquit, *sunt typi, in quibus coquebant panem facierum, & relinquebant panes illos in illis typis, dum ordinarentur in mensa*. Hiscuni ait *fuisse vasa, quibus subigebant panem propositionis, qui eis imponebatur*. Hæc Ebræi. Videamus jam aliorum interpretationes. Lxx. τὰ τρύβλια αὐτῆς. Est autem τρύβλιον sive τρύβλιον, catinus, paropsis. In veteribus Lexicis exponitur etiam *patella, acetabulum*. Sane vetus interpres hoc loco edidit, *acetabula*. Ea Græce potius ὀξύβαφα dicuntur, aut ὀξύβαφα. Quanquam autor Glossarii veteris distinguere videtur. Nam ὀξυβάφιον interpretatur *acetabulum*, & ὀξύβαφον, *acetarium*. An recte, viderit. Acetabula fictilia fuisse docet Antiphanes, cum ait, ἐξ ὀξυβαφίων κεραμίων ἐπίνομεν. Sed ex alia quoque materia conficiebantur, quæ bacillo percussa sonum reddebant suavem. Ea vocatur ὀξυβάφων μουσική aut ἁρμονία: de qua capiendum illud Cassiodori Epist. ad Symmachum, *Quid acetabulorum tinnitus? Quid dulcissimi soni referam varia percussione modulamen?* Refero pedem. Onkel. מגיסוהי *magidas ejus*. Est autem magis, lanx, discus. Plinius lib. 33. cap. 11. *Fenestella tympana se juvene dicit appellata patinas & lances, quas antiqui magidas appellaverant*. Forte an ex oriente cum aliis multis in occidentem migravit. Fagius *scutellas* interpretatur. Sic etiam ex Ebræo Santes. Tremellius maluit *scutulas*: cujus diminutivum scutella. Dicunt & *scutea*. Jonath. פילוהי phialas ejus. Alibi est פילן phialæ nisi differre putemus. Reperio & פילא, cujus pluralis פילי. An etiam scutellam denotat? Moschopulus annotat veteres dixisse φιάλην: unde postea Attica dialecto in usu venit φιάλη. Lex. Vetus, φιάλη, *patera, Fiala*. Rursum, *forma*, καλάπους, τύπος, μορφή. Gallica editio hic habet, *les plats* i. catinos, lances, discos, parapsidas. Sunt qui magis interpretentur, *un plat de paticier*. ¶ *Acerras ejus*] i. *thuribula ejus*. Nam acerra thuribulum. Licet Cornutus *pateram* esse dicat in qua libatur. Lex. Vetus, *Acerra*, λιβανωτρίς. Sed λιβανωτρίς, thurea planta. Lxx. τὰς θυίσκας. Hieron. *phialas*. Mox sequitur, *thuribula*. An ergo voces transpositæ? Ebraica vox כפות etiam cochlearia denotat, quæ à Chaldæis בזכין dicuntur. R. Salomo, כפות *sunt bazichin, in quibus thus reponitur. Erant autem hujusmodi cochlearia duo ad duos pugillos thuris*. R. Levi, כפות *sunt cochlearia vel thuribula, in quibus thus reponebant juxta panes propositionis, quemadmodum postea declarabitur*. Videndus & Hiscuni. Is ait *thus poni solitum* בין שני משיכות הלבונה *nempe in thuribulis sive acerris*. Editio Gallica, *ses tasses*. i. scyphos aut pateras, crateresve. Santes, *cochlearia ejus*. Sic etiam Munsterus & Leo Judæ. Τὰς θυίσκας interpres vertit, *thuribula*. In versione Hieron. pro θυίσκη modo *mortariolum*, modo *thuribulum* invenitur. Etiam θυίσκος, quod apud Josephum, exponitur *acerra, thuribulum*. ¶ *Et calamos ejus*] וקשותיו. Santes, *& calamos medios ejus*, videlicet qui ponebantur inter panes ne putrescerent. De his R. Salomo Isahaco patre natus, ut his diebus didici ex libro Juchasin, cujus autor Abraham Zachuth Judæus Salmanticensis, *Similes erant partibus dimidiatis calamorum cavorum, qui fracti sunt in longitudine sua. Tres autem ponebantur sub unoquoque pane: ita panes jacebant super illos calamos, qui dividebant inter panem & panem, quo ingredi posset ventus ne putrescerent. Sane, in lingua Arabica omnis res cava* קנבא *vocatur*. Aliter R. Levi, qui *panes positos fuisse* scribit *super* מנקיות, *quos calamos fuisse* putat, aut potius *frusta calamorum cavorum, qui sustentabantur à ramis arborum in furca formam dolatis. Hos ramos ait à Mose appellari* קשות. Qui habent & intelligunt, possunt eum consulere. Hiscuni autor *fuisse vasa, in quibus aqua ponebatur ad subigendum panem*: & addit *ipso vocabulo* כלי *id est vas denotari*. Infra cap. 37. est אשר יסך בהן הקשות. Qui locus evincit membrum sequens אשר יסך בהן pertinere ad hanc vocem. Quod notavit & Abenezra. Idem adducit exemplum simile ex regio Psalte. Nam postquam dixisset, *Moses & Aharon in sacerdotibus ejus, & Samuel in invocantibus nomen ejus*, subjicit deinde, *in columna nubis locutus est ad eos*: quod de Samuele accipi commode non potest, debet autem referri ad Mosen & Aharonem. Senes hic habent, καὶ τὰ σπονδεῖα. Ergo קשות σπονδεῖα, i. libatoria. Turnebus apud Philonem *capedines* reddit. Polluce teste, σπονδεῖον est vas quo vinum libabant in sacrificiis aut conviviis. Hier. *thuribula*: de quo quid mihi videretur, antea dixi. Nolo iterare. Onkel. נסכא. Jon. נסכין. Interpres Fagius, *cantharos*. Tremel. *scutellas ejus*, & in margine, *scutularum tegmina quibus in coquendo circumcludebantur panes, ut forma eadem essent: unde Num. 4. 7. vocantur scutellæ tegminis: atque ita exponit R Juda antiquissimus Ebræorum scriptor*. Munsterus, *dimidiatas fistulas ejus*. Sic etiam Leo. Lippomanus, קשות *sunt opercula, quibus videlicet thus tegebatur. Licet aliqui pro mediis calidis vacuis accipiant, quos ponebant in summitate cujusque panis, ut ingrederetur ventus sive aër inter ipsos panes, ne mucidi efficerentur, erantque veluti operimentum ipsis panibus. Transferunt ergo hi, medios sive dimidiatos calamos ejus; alii, & dimidiatas fistulas ejus. Nonnulli thuribula esse volunt, quibus Edit. Chald. consonat*. Hæc ille. ¶ *Scopulas ejus*] Lxx. καὶ τοὺς κυάθους: unde Hieron. *cyathos*. Lex. Vet. κύαθος, *cyathus, cotula*. Onk. בכילתה. Id Elias à סכל deducit, cum sit potius à כיל, unde הכיל ferre, sustentare, ut sig. sustentacula sive fulcra calamorum, h. e. stipites sive palos, qui calamos panibus insertos fulciebant ne ponderis gravitate panes frangerentur. Jon. מכלתה, quod in Onkel. Fagius interpretatur, *cyathos ejus*. Verior hominis Judæi sententia, quam attuli, videl. R. Salomonis, cujus hæc verba sunt לשון מכלתה מכלותה כמו נלאיתי הכיל. Idem מנקיות interpretatur כניפין i. palos aut stipites instar clavorum aureorum, qui stant super terram &c. *Hi pali habebant sex furculas quibus calami innitebantur, ne superiores panes pondere suo inferiores nimium gravarent. Sunt tamen ex sapientibus Israel qui hac scribant de voce* קשות *quam sig. putant stipites ita dictos, propterea quod* מקשים *durum reddant panem eumque confirment ne frangi possit. His* מנקיות *sunt calami, qui purum conservabant panem ne mucidus evaderet*. Hæc fere Doctor ille. Quæ firmat R. David in libro Radicum, per hæc verba, *Dissensio est inter doctores nostros. Sunt qui dicant* מנקיות *esse stipites, qui erant similes clavis aureis, & stabant in terra, & altiores erant ipsa mensa furcasque habebant ad sustentandum calamos, quæ* קשות *vocantur, ne frangi possent pondere panis. Sunt alii qui dicant* קשות *esse palos sive stipites, &* מנקיות *calamos, quos ita vocatos censent, quia purgant panem ne mucidus fiat*. Qui *scopulas* interpretantur, ut Trem. quem nunc secuti sumus, volunt esse repurgandæ mensæ instrumenta, ut etymon docet. Siquidem נקה purgare sig. Sed fallax etymologia. Ideo non est nimium

mium insistendum huic opinioni. Tempus certiora nos docebit. Gal. Ed. *ses bassins*. i. crateras aut pelves ejus. Leo Judæ, *instrumenta quibus purgantur*. In tanta varietate quid possumus statuere. Cum enim alius hoc, alius illud asserat, quis sequendus potissimum sit, non facile est discernere. Et si forte in his minutiis tam laborare curiosum nimis esse credideris, sunt alia graviora, quæ non sine damno religionis ignoramus. ❡ *Quibus tegetur*] יסך potest esse à סכך: potest etiam esse à נסך. In hoc potius significatio libandi: unde in nonnullis editionibus, *quibus libabitur*. R. Sal. ait etiam נסך habere sensum tegendi, etiam ubi legimus קשות נסך. Sane Jes. 40. 19. נסך Tremel. vertit, *tegit*. Alteram interpretationem secutus est h. l. Hieron. referens, *in quibus offerenda sunt libamina*. Senes quoque ἐν οἷς σπείσεις ἐν αὐτοῖς. Sed & Onk. יתנסך i. interprete hagio, *libabitur*. In Jon. quærendum quid sit ימזי. Editio Gallic. *quibus fient aspersiones*. Ceterum מנקיות Hisc. ait esse *scopas, quibus furnus purgabatur à cinere, aut mensa priusquam panis in eam poneretur*. Vide, si tibi otium est. In Paralipomenis pro קערת habentur מזרקות pelves, ut & מזלגות pro מנקיות. Notavit Abenezra.

30. *Ponesque super mensam illam panem propositionis ante faciem meam jugiter.*

Panem propositionis] לחם פנים panem faciei, vel, si mavis, facierum. Nam vox Ebraica פנים singul. non habet. Ratio nominis latet in illo, *ante faciem meam*. Nam coram DOMINO tota hebdomada in aurea mensa positi manebant. Post novi apponebantur. Lxx. ἄρτους ἐνωπίους. Nam semper præsentes erant, nec unquam aberant. Ideo Interpres Rom. vertit, *panes præsentes*. Quidam panes appositios nuncupant. Jon. לחמא גואה quasi panis interior. Causam nominis aliam reddunt R. Salom. & R. Levi: ad quos te adire cupio. Videndus & Lyra. ❡ *Ante faciem meam*] vel, *coram me*. Hiero. *in conspectu meo*. Lxx. ἐναντίον μου: quod & ἐνώπιόν μου: unde ἄρτοι ἐνώπιοι, de quibus diximus. ❡ *Panem*] i. panes.

31. *Facies & candelabrum ex auro puro, ductile fiet candelabrum: hastile ipsius, & calami ejus, scyphi ejus, sphærulæ ejus, & flores ejus ex ipso erunt.*

Candelabrum] λυχνίον. Trem. *lychnuchum*. Sic Plin. ea voce utitur l. 34. c. 3. *Placuere & lychnuchi pensiles in delubris aut arborum modo mala ferentium lucentes*. Cic. quoque in Epist. ad Qu. fra. *Hanc scripsi ante lucem ad lychnuchum ligneolum*, ubi aliqui codices habent, *ad lychnum*. Proprie λυχνοῦχος, qui lychnum tenet, fax, lucerna. ❡ *Ex auro puro*] In fonte ad verbum, *auri puri*, sive ut Hiero. *mundissimi*. Nos sensum expressimus. ❡ *Ductile*] opere ductili, non fusorio. Id malleo fiebat. Chaldæi נגיד dicunt. Senes hic habent τορευτὴν i. tornatilem: quod aliud est. Trem. *opere continente*. R. Salo. מקשה dicitur de iis quæ martello percutiuntur, quod vulgo בטי״ץ ut in illo דא לדא נקשן. Verba Ebræa sunt לשון מקשה מכה קורנס. Est autem קורנס malleolus sive martellus, h. e. malleus parvus, quo metallum deducitur. ❡ *Facies*] תיעשה inserta Jod, quod se vidisse scribit Abenezra in codicibus, quod Sapientes Tiberiæ probassent: è quorum senibus quindecim jurejurando affirmarunt se ter vidisse omnem dictionem omneque punctum, item quicquid plenum erat aut deficiens. Tamen in libris Hispanorum & Gallorum, quique trans mare leguntur, olim aberat illud Jod, ut idem ait. Porro antiqui Ebræi scribunt per illud innui decem candelabra, quæ facturus esset suo tempore Salomo rex. Ut ut sit, forma verbi peregrina est, & Jod præter morem inserta redundat. Forte olim lectionem juvabat. Nam sine illa legi etiam potest תעשה facies. Quomodo legisse videtur Chaldæus Jonathan. Sed & Lxx. ποιήσεις, referentes. R. Salo. existimat ideo legi תיעשה quod sponte candelabrum productum sit, cum Moses in eo difficultatem nescio quam causaretur. Id ex Dras sumptum & est mera fabula. Tales sunt homines illi. Cum aliquid occurrit quod non intelligunt, præsto est ἀπὸ μηχανῆς commentum aliquod. Vide Abenezram. ❡ *Hastile*] scapus. Id Græce καυλὸς dicitur. Quo usi sunt h. l. οἱ ὁ. Quidam, *basis ejus*. Ita Jon. בסיס דידה. Nam in Onkelo, שידה, quod interpretantur *hastile ejus*. Edit. Gall. *Sa jambe* tibia vel crus ejus. Vox Ebræa usitate sig. *femur*. R. Salo. ירך *est pes inferior qui factus erat instar arcæ, ex eoque alii tres pedes exibant ab inferiore parte*. R. Levi, *locus est unde exeunt pedes candelabri, & sunt numero tres. Nam non potest stare paucioribus*. Vide Nicolaum. ❡ *Calami ejus*] קנה, ex absoluto קנה canna, calamus, arundo i. κάλαμος. Quanquam in Lxx. καὶ οἱ καλαμίσκοι, qui sunt parvi calami. Tremellius, *rami ejus*, ut etiam edit. Gall. *ses branches*. Sed Ebræi nos docent agi de calamo medio, qui è basi erectus assurgit, in quo lucerna media facta instar cochlearis ad oleum & ellychnium. Hæc fere R. Salo. cui assensum

præbet R. Levi scribens per קנה denotari calamum medium è quo manant reliqui calami totius candelabri. Tamen Hiero. *calamos*, quia videl. ei ירך erat hastile. Eum nos secuti sumus. Nicolaus, *Hastile stipes erat candelabri, qui procedebat in altum inferius habens tres pedes, & sursum habebat sex calamos egredientes de hastili, tres ex uno latere, & tres ex alio tendentes sursum oblique quousque pertingerent ad altitudinem hastilis*. Et mox, *In hastili vero erant quatuor scyphi, & in quolibet sex calamorum erant tres scyphi i. XXII. simul*. Verbum è verbo, *calamus ejus*. ❡ *Scyphi ejus*] vel, *calices ejus*. Ebraice גביעיה. Tremellius, *lances ejus*. Sed גביע *Scyphum* interpretatur Aquila Gen. 44. 2. ubi Hieron. quoque *scyphum*, & Sym. *phiala*, & Lxx. *condy*. Id poculi genus est apud Athenæum decem cotylas capiens. *Hi scyphi labra lata habebant, & limbos breves* ait R. Levi. Edit. Gal. *ses platelets*: catillos ejus aut parvas lances discosve. Onkelos, כלידהא i. calices ejus. Vox hæc desideratur in Jonatha. κόνδυ Hiero. *poculum* reddit. Lxx. hic habent, ἢ οἱ κρατῆρες. Condy poculum Persis proprium fuisse testatur Pollux. Forte quia simile erat vesti quam *candyn* vocabant. Sic מגבעות ejusdem originis vox cum גביע tiaram sig. ❡ *Sphærulæ ejus*] Alii, *mala oblonga ejus*. R. Levi scribit fuisse figura ovi, cujus bina capita acuta sunt. R. Salo. *Instar malorum, quæ פומון vocantur, rotunda undique extantia circum calamum medium, juxta morem candelabrorum, quæ principibus parantur, vocantur vulgo Pomiles*. Figura rotunda fuisse docet amplius interpretatio Chaldaica חיזורין in quo sig. rei teretis ac rotundæ & quasi redeuntis in sese. Lxx. σφαιρωτῆρες, quæ vox in communi usu sig. corrigias calcei: sed hoc in loco sphærulas interpretantur, quæ pilæ in modum rotundæ sunt. Gal. edit. *ses pommeaux*. Nicolaus, *Ubi translatio nostra habet sphærulas, in Ebræo habetur pomellos*. ❡ *Flores ejus*] פרחיה Hieron. *lilia ejus*. Sic Græci τὰ κρίνα, & ambo Chaldæi שושנהא sive שושניא lilia ejus. Infra vers. 34. Sym. ἄνθη i. flores. Vide notata ad illum locum. Trem. *calyculi ejus*.

32. *Et sex calami egredientes è lateribus ejus, tres calami candelabri è latere ipsius uno, & tres calami candelabri è latere ejus altero.*

Calami] καλαμίσκοι. Lxx. Erant autem parvi calami comparati ad magnum calamum, qui ab Abenezra corpus candelabri definitur. Nos scapum eum appellavimus. Ceterum Tremellius habet *rami*, tralatione ab arboribus sumpta. Nam קנה proprie calami sive cavæ aut arundines. Onkelos & Jonathan, קנין. Ceterum assentior potius Hiero. qui scapum ירך dici putat: קנה autem interpretatur calamos, ut hic. Vide quæ notavimus ad versum proxime præcedentem. ❡ *Egredientes è lateribus ejus*] R. Salom. *hinc inde oblique protracti erant & ascendebant ad altitudinem candelabri, h. e. calami medii* (scapum intelligit) *& egrediebantur è medio calami illius medii, hic supra illum. Infimus longus erat: & qui proximus brevis, & qui supra illum adhuc brevior. Altitudo autem capitum ipsorum æquabat altitudinem calami medii i. septimi, è quo exibant reliqui sex*. Hucusque R. Salo. ❡ *Candelabri*] *lychnuchi*. Tremellius. ❡ *Altero*] secundo: ἐκ τοῦ κλίτους τοῦ δευτέρου. ❡ *Calami*] *rotundi, longi, cavi*. Abenezra.

33. *Tres scyphi amygdalæ formam habentes in calamo uno, sphærula & flos: & tres scyphi amygdalæ formam referentes in calamo altero, sphærulaque & flos: similiter in sex calamis qui exeunt è candelabro.*

34. *Et in candelabro ipso quatuor scyphi amygdalæ formam habentes, sphærulæ ipsius & flores ipsius.*

Scyphi] *lances* alii, & alii, *calices*: cui firmando Chaldaicum כלידין, cujus singul. כליד i. calyx, si non fallit me vocum affinitas. Lxx. κρατῆρες, crateres. ❡ *Amygdalæ formam habentes*] משקדים Hiero. *quasi nucis in modum*. Siquidem vocabulum שקד quod alii *amygdalum* reddunt, ipse *nucem* interpretatur. Lxx. ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκους, Libri alii, καρυΐσκοις. Ill referunt, *reddentes formam nucum*. Sane in citato loco Jeremiæ מקל שקד iidem reddunt βακτηρίαν καρυΐνην, baculum nuceum. Sed nux κάρυον dicitur. Hic autem est καρυΐσκοις. An etiam nucem ita vocabant? In Thesauro Græco ex Vet. Lex. καρυΐσκος, *scyphus in nucis modum factus*. Καρυωτὸν pro eodem. Qui ex h. l. id colligunt, errant. Nam hic potius κάρυον sig. videtur. Cogitemus amplius. Nomine κάρυον laxa significatione continetur omne genus ἀκροδρύων, quæ ambitu lignosum putamen habent. Ergo & amygdalæ eo vocabulo veniunt & nuces juglandes. Interdum distinguuntur, ut apud Athenæum κάρυα, καὶ ἀμύγδαλα. Forte an καρυΐσκοι sunt maculæ. Nam vulgo κάρυα nuces juglandes, ut diximus. On. מצירין quod reddunt, figurati, & R. Salo. approbat per hæc verba, *Juxta Thargum figurati erant, quemadmodum faciunt va-*

 sa

sa argentea & aureaque vocantur גביע. Hoc quod sit, Gallis divinandum relinquo. Nam quin Gallicum vocabulum sit, nullus dubito. Jon. משקען בציוריהן cælati secundum figuras suas. Santes, *amygdalati*. Tremellius, *speciem amygdala referentia*. præcedit autem, *lances*: ideo male cohæret hæc constructio. An forte ad sequentia retulit videl. ad sphærulam & florem? Videndus R. Salo. in sequentibus. Abenezra Haggaon dicit in משקדים sig. *esse amygdalarum, quod earum speciem referrent*: mihi autem rectum videtur ut petatur significatio ex illo, לשקד על דלתותי ad vigilandum ante fores meas. Ergo משקדים scyphi diligenter fabrefacti aut cælati. Ceterum ut in שקד ita etiam variant in voce לוז quam alii *nucem*, alii *amygdalum* interpretantur. ❡ *Spherula*] σφαιρωτὴρ. Si Ebræo Levi credimus, ovi speciem habebat. Tremellius vertit, *malum oblongum*. Arias, *pomum*: quo vocabulo usus videtur pro malo, ut Gallice dicimus *pomme*: pro quo in edit. illius gentis hic est *pommeau*. Onkelos habet חזור & Jonathan חזור, quod sphærulam interpretantur. ❡ *Flos*] *lilium*. Onkelos & Jonathan. κρίνον Lxx. *lilia*. Hiero. Scire licet lilium ab Ebræis שושנה dici. Hic est פרח in fonte: quæ vox usitate florem denotat. Videndum ergo an etiam pro lilio usurpetur. Nam Jes. 18. 5. Lxx. ἄνθος reddunt, & Nah. 1. 4. Hiero. *florem*. Tremellius hic *calyculum*, quia amygdalina specie fuisse dicitur. ❡ *E candelabro*] ex hastili sive scapo candelabri. Synecdoche. Sic accipies, *& in candelabro 4 scyphi*. Sane R. Salo exponit בגופה של מנורה in corpore ipsius candelabri. Vide sis Nicolaum.

35. *Et sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso: sex calamis exeuntibus è candelabro.*

Vetus interpres hæc in pauca contraxit. Sic enim vertit, *Sphærula sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fuerunt procedentes de hastili uno.* Fecit idem Leo Juda, in quo hæc habentur, *Eritque semper sub duobus quibusque calamis, qua ex ipso candelabro prodeunt, sphærula una: sunt autem calamorum sex qui ex candelabro prodeunt.* In Lxx. bis legitur, καὶ σφαιρωτὴρ ὑπὸ τοὺς δύο καλαμίσκους ἐξ αὐτῆς. Quanquam in secundo loco edit. Rom. legat τέσσαρας pro δύο. Sciendum præterea in nonnullis codicibus hanc geminationem abesse. Chaldæi cum Ebræis consentiunt. R. Salo. *De sub sphærula protendebantur calami ab utroque latere ipsius hinc inde. Sic docuerunt in opere tabernaculi. Altitudo candelabri erat 18. palmorum &c.* Videndi sunt Cajetanus & Lippom. in Catena patrum. ❡ *Ex ipso*] *candelabro*. ❡ *Sex calamis*] לששת הקנים Quidam vertunt, *nimirum sub sex calamis*.

36. *Sphærula ipsorum & calami eorum ex ipso erunt, totum ipsum ductile unum ex auro puro.*

37. *Facies & lucernas ejus septem, & accendet lucernas ejus, & lucere faciet super latus faciei ejus.*

Ex ipso] candelabro q. d. non addentur ei per commissuram aut plumbaturam: sed ex eodem opere ducentur. Vide Cajetanum & Lippom. ❡ *Ductile unum*] Tremellius, *continentis operis ejusdem*. Onkelos & Jonathan, נגידה חדא quod Fagius reddit, *ex massa una purissimi auri*. Gall. edit. *unum opus malleo ductum*. ❡ *Lucernas ejus septem*] Vide supra. ❡ *Et accendet*] sub. Sacerdos. Quod expressum in Jonatha. Quidam, *& ponet*. Verbum è verbo, *ascendere faciet*. Posses vertere, *accendetur*. Sic edit. Gall. *on illumera*. Onkelos, ותדלק & accendes. Hieron. *& pones eas*. Senes quoque καὶ ἐπιθήσεις. Porro lucerna Chaldaice בוציני vocatur. In Jon. כהנא דמתמני valet, Sacerdos ad hoc constitutus, aut præfectus huic rei. ❡ *Et lucere faciet*] והאיר: Hiero. *ut luceant*. Lxx. similiter καὶ φανοῦσι. Sic Gen. 1. 15. להאיר ad illuminandum. Lxx. ὥστε φαίνειν, ut luceant. Onk. & Jon. ויהון מנהרין quod Fagius convertit, *ut luceant*, cum possit verti, & lucere faciant, nempe ipsas lucernas. Tremellius, *ad lucem præbendum* להאיר. Forte melior interpretatio, *& lucem præbeant*. Sig. etiam accendere, succendere, Zach. 1. 10. Num. 8. 2. Jes. 27. 11. & alibi. ❡ *Super latus faciei ejus*] Sic est in fonte ad verbum. Ebræa sunt על עבר פניה. Id alii aliter exponunt. Hieron. *ex adverso*. Lxx. ἐκ τοῦ ἑνὸς προσώπου, ab una facie. Onkelos, לקבל אפהא, contra faciem ejus. Jonathan קבל אפהא ex adverso ejus. Santes, *contra faciem ejus*. Tremellius, *ab omni parte ejus*: & in margine, Heb. *ad transitum faciei ejus i. ultra citraque se*. Leo Judæ, *è regione*. Munsterus, *partem lateris sui*. Hiscuni, *Accendet lucernas ab eo latere unde calami conspicui sunt, h. e. ad latus facierum candelabri*. R. Salo. *fac sedem vel os lucernarum quod in summitate calamorum exeuntium ex latere ipsius, qui versi erant ad calamum medium &c.* Quorum verborum mentem his verbis expressit Nicolaus, *Sic enim erat dispositum lychnum cujuslibet lucernæ, quod flamma erat ex illa parte lucernæ quæ respiciebat lucernam mediam: & sic flamma trium lucernarum unius lateris respiciebat ex adverso flammam trium lucernarum alterius partis.* Secundum hanc sententiam erit exponendum, *ad latus*, i. versus faciem ejus. sub. candelabri. Per candelabrum autem ipsum scapum intellige. Aut hoc vult, *versus faciem*. i. anteriorem partem, sed quænam pars anterior? An ea quæ occidentem, h. e. Sanctum Sanctorum respiciebat? Videndus R. Levi ad h. l.

38. *Et emunctoria ejus, & receptacula ejus ex auro puro.*

Emunctoria ejus] מלקחיה Hieron. *emunctoria ejus*: quem nunc secutus sum. Nam sig. instrumenta illa, quibus lucernæ emungebantur, Gallice *Mouchoirs*. Onkelos, צבתהא & R. Salo. *sunt* הצבתים i. *forcipes, quibus extrahunt ellychnium è medio olei ut collocent & protrahant in os lucernarum*. Dicuntur autem מלקחים à capiendo, & צבתין, in quo sig. forcipis. Gall. טנליש *tenailles*. Jonathan habet מלקטיהא. Sunt autem מלקטיא in Mose Gerundensi forcipes aut aliquid tale. Quanquam à צבתים distinguere videtur. In Nomenclatura Joh. Isahaci צבת forceps: מלקח idem. De hoc ultimo dubitare licet. Nam ea vox potius captivam vel fauces notat. Forceps forma duali מלקחים dicitur. Gerundensis Moses ait מלקחים dici quod supra os lucernarum videl. lamina aurea, quæ aperitur & clauditur & jacet super os ne cadat in oleo quicquam, quemadmodum faciunt hodie in candelabris regum. Nicolaus, *Emunctoria sunt instrumenta, cum quibus amovebatur illud quod erat combustum de lychno, & residuum lychni aptabatur ad incendendum.* Tremellius, *forcipes ejus*. Cui firmando R. Levi, מלקחים *sunt forcipes ad capiendum iis ellychnia, & ad aptandum ea in lucernis candelabri ut oportet. Vernacule* טנליש. Lxx. hic habent, τὸν ἐπαρυστῆρα αὐτῆς: in quo sig. hauriendi. Nam ἐπαρύω haurio. Sed exponitur in Thesauro, vasculum quo oleum lychno infunditur, idque ex hoc capite Hesychio quoque est ἐλαιοχύτης vas ad affundendum oleum paratum. Quæramus amplius. ❡ *Receptacula ejus*] ומחתתיה verto, *receptacula ejus*. Nam חתה capio, recipio. Ergo etymon expressum. Hieron. *& ubi quæ emuncta sunt extinguantur*. Nicolaus, *vasa erant plena aqua, ubi ponebantur ea quæ erant emuncta ne facerent fumum*. Lxx. τὰ ὑποθέματα αὐτῆς, quod reddunt, *suppositoria ejus*. Alii, *suppositiones ejus* i. vasa quæ supponuntur ad suscipiendum ea quæ sunt emuncta. Sic fere Lippom. Lex. Vet. ὑπόθεμα, suppositorium. In Thes. exponitur, *pedamentum, fundamentum, basis*. Onkel. ומחתיתהא. Jon. מחתיתהא Fagius apud Onk. *thuribula ejus*, nempe quia מחתה etiam hoc significat. Hic aliud esse videtur. Possis vertere, *receptacula ejus*. Nam idem etymon atque in Ebræo. Trem. *trullas ejus*. Leo, *vascula in quibus emuncta excipiuntur*. Munsterus, *vasa pro emunctione*. R. Salo. מחתה *speciem habent cochlearium parvorum, quibus cinis lucernæ mane singulis diebus excipitur, quando purgantur lucernæ à cinere ellychniorum, quæ arserunt per noctem & extincta sunt.* Gall. ויבא וושיר. Forte *pouffiere* aut *pouldriere*. In edit. Gal. *creuseaux*. Id exponunt in margine, *vasa in quibus sordes lampadum reponebantur*. Appellatio à cavitate. Nam *creuser*, cavare, excavare. R. Levi, *formam habebant parvorum cochlearium, ad capiendum cinerem qui in lucerna. Iisdem amovebant oleum relictum in lucerna tempore purgationis lucernarum.* Hic cochlearia vocat כפות: ille autem כפין. Perinde est. ❡ *Ex auro puro*] puro puto & bene defæcato, in quo nihil sit כזב falsi aut adulterini, nullæ scoriæ i. סיגים.

39. *Talento auri puri faciet illud cum omnibus vasis istis.*

40. *Et vide & fac secundum exemplar eorum quæ tibi monstrata sunt in monte.*

Talento] pondere talenti. Ebraice ככר quod talentum reddidimus post Lxx. & Hiero. Quanquam in Hiero. *omne pondus habebit talentum*. Jonathan edidit קנטר, unde forte in Nicolao *Centenarium*. *In Ebræo*, inquit, *habetur centenarium auri*: & mox, *Similiter in sequentibus, ubi translatio nostra habet talentum, Ebræi dicunt, Centenarium.* Sic recentiores, teste Rudolpho Agricola, vocant centum pondo i. centum librarum pondus. Prisca ætas dixit centumpondium, quod vocabulum usurpant pro immani pondere, etiam si centum pondo excedat. De ככר voce, quam Onk. in ככרא mutat, scribit in h. m. R. Salo. *Talentum commune est 60. minarum & sacrum 120, h.e. altero tanto plus. Minam autem voco libram qua appendunt argentum pondere Coloniensi, si modo* קולוניא *est Colonia: suntque centum aurei i.* דינרים, *videl. 25. sicli. Nam siclus efficit 4. aureos.* Hucusque Rabbinus ille. Quæ Nicol. in pauca contraxit, *R. Salo. dicit quod erat pondus centum viginti*

gini librarum; secundum pondus Calentia. Sed hoc incertum esse ait, ob varietatem ponderum. Vitruvio singula talenta pendent pondo CXX. Unde πενταλαντον λίθος lapis sive sapum pondo CCCLX. In lingua sapientum ככר pondera magna, centumpondia. Fagius apud Eliam *talenta* reddit. Robertus Senalis annotat de talento, quod ait duplex fuisse. *Vulgare minus*, inquit, *mille ducenta coronata valebat: majus vero altero tanto plus. Talentum argenti conficiebat coronata* 2400. *de hoc* 3 *Reg.* 20. *Talentum auri valebat coronata* 24. *millia quingenta septuaginta unum, solidos quindecim.* Hæc ille. ¶ *Cum omnibus vasis istis*] quæ annexa sunt candelabro, ut lucernæ ejus, & sex calami, & sphærulæ, floresque. Sane emunctoria & receptacula non sunt ex hoc numero. Quorsum enim hic moneret ut fierent ex auro puro, cum antea ea de re commonefecerit. Videndus R. Levi. Doctores Ebræorum ajunt, *candelabrum fuisse altitudine trium cubitorum. Verum lex non definivit quicquam ea de re, ut nec de crassitudine aut latitudine.* ¶ *Et vide & fac*] vide ut facias: & recte *vide*, quia maxima opus est consideratione ad tale opus continuo ductu ex uno talento conficiendum. Vide sis Abenezram. ¶ *Secundum exemplar eorum &c.*] vel potius, quod tibi monstratum est. Sic Græci, κατὰ τὸν τύπον τὸν δεδειγμένον σοι: & Hiero. *secundum exemplar, quod tibi &c.* Verbum è verbo, *quod tu videre factus es.* Id non nemo explicat, *quod tibi exhibitum est videndum.* Sunt etiam qui pro *exemplar* reposuerunt *structuram*: alii, *similitudinem.* Sane Onkelos דמות. Jonathan, צורת formam, figuram. Cajetanus, *In hac conclusione comprehenditur mandatum reliquorum quæ non sunt scripta, puta de quantitate hastilis secundum longitudinem; de forma lucernarum & capacitate earum, de pede candelabri qui pulcherrimus apparet ductus sub triumpho Titi & cæteris.*

A M A M A.

2. Ebr. *Ut accipiant mihi* תרומה *oblationem.* Vulg. *Ut tollant mihi primitias.*] Cum de auro, argento, ære &c. sermo sit, nimis angusta primitiarum vox hic non quadrat. Quod diserte non solum Steuchus, sed & Cajet. & Benedict. & Lyra testantur. Vulgato errandi occasionem præbuere Lxx Interpretes, qui verterunt ἀπαρχάς. Melius Chal. אפרשותא *separatio.* Quicquid in sacros usus Deo datur תרומה est, & quoniam à profano usu separatur, *separatio* à Rabbinis & Chald. vocitari solet.

19. Ebr. *Cherubum unum ab hac parte & Cherub alterum ab altera parte: ex propitiatorio facietis Cherubos in duabus extremitatibus ejus.* 20. *Expandentque Cherubi duas alas superne, tegentes alis suis propitiatorium & facies eorum erunt viri ad fratrem suum: Ad propitiatorium, inquam, erunt facies Cheruborum.* 21. *Pones autem propitiatorium super arcam superne, & in arca pones testimonium quod dabo tibi.* Vulg. 19. *Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero.* 20. *Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* 21. *In qua pones testimonium quod dabo tibi.*] Mutilum perversumque hunc locum esse vel sola collatio evicerit. Cajet. certe & Benedict. non dissimulant. Sic & seq. versu ונועדתי vertit *præcipiam*, & vocem זר *coronam* vertit *labium.* Sed ea, si cum cæteris conferantur, leviuscula sunt.

25. Ebr. *Facies quoque ei* (*scilicet mensæ*) *clausuram palmi, quatuor digitos latam in circuitu.* Vulg. *Et ipsi labio coronam interrasilem.*] Cajetan. *Nihil hic de corona dicitur, nec de figura aliqua.* Unde ergo somniat de *interrasili*? Ut nihil dicam pronomen לו ei, male ad *labium*, vel ut in Ebr. est, ad *coronam* referri.

29. Ebr. ועשית קערתיו וכפתיו וקשותיו ומנקיתיו אשר יסך בהן: Vulg. *Parabis & acetabula & phialas & thuribula & cyathos in quibus offerenda sunt libamina.*] Cum hanc Vulgati interpretationem à fontibus discrepare ipsi Cajet. & Benedict. confiteantur, nolui & ego hunc locum transmittere silentio. Cajetanus ait duo in fontibus esse certa, & tamen ab iis Vulgatum aberrasse. Primo, quod in Ebræo ad singula addatur pronomen *ejus*, ad significandum omnia hæc vasa ad mensam pertinuisse. 2. In Ebr. pro tertio haberi vocem quæ denotet *calamos medios.* i. vas aureum ad similitudinem dimidiatæ cannæ, scissa grossitudine cannæ in duas partes æquales. Et licet Cardinalis in cæteris se hærere profiteatur, non dubitat tamen concludere hanc interpretationem proxime ad Ebræa accedere, vid. *Et facies scutellas ejus & cochlearia ejus & calamos medios ejus & mundatoria ejus in quibus offerenda sint libamina.* Hæc Cajet.

Phialas] Ebr. וכפתיו. Prius enim illud, quod *acetabula* vertit, non attingemus. Constat inter Ebr. כף *volam* esse. Unde transfertur ad cochlearia propter similitudinem. Constat & illud, eorum usum hunc fuisse ut in iis poneretur thus, unde ad sensum non male *thuribula* vocaverit aliquis. R. Salom. בזיכין שנותנים בהם לבונה. i. cochlearia in quibus ponunt thus. Unde crediderim voces in textu Vulg. esse transpositas. Thuribula enim quæ sequuntur, magis וכפתיו quam וקשותיו respondent.

Et cyathos ejus] ומנקיתיו. Pro Cajet. & Tremellio qui vertit *scopulas*, nec non Tigurinis, qui vertunt, *instrumenta purgatoria*, facit Etymologia vocis. Thema enim in Piel sign. purgare. His cum quoque ait esse scopas, quibus furnus à cinere purgabatur, aut mensa, priusquam ei imponerentur panes.

Obiter noto Num. 4. 7. vocem קשות hic per *acetabula* redditam, expressam per *thuribula.* Ibidem כפות redditum *mortariola*, quæ hic *phiala.* An ergo hæc eadem sunt aut diversas istas notiones admittunt voces Ebrææ? Sed de iis forte superaddemus quædam ad locum Num. prædictum.

In quibus offerenda libamina sunt] Alii, *quibus tegetur.* Ego hoc dicam pro Vulgato יסך יוסך *jussach* magis analogice derivari à נסך quam à סכך. Ab hoc enim esset regulariter יסך *jusach.* Sed non desunt qui etiam יסך נסך assignant tegendi notionem. Unde Num. 4. 7. קשות הנסך R. Salom. explicat *calamos tegminis*, ut habeat לשון כסוי *notionem tectionis.* Quin & Tremell. Jes. 40. 19. vertit in signif. tegendi. Ut ut sit, non est mihi ea fiducia ut Vulgatum carpam in hoc membro. Dices, si admittatur hoc membrum, quomodo stabit vocis proxime antecedentis correctio? Pro *Cyathis* enim substituimus *scopas* seu *mundatoria*, quid ea ad oblationem? Responsionem mihi Abenezra suppetit, qui docte observavit pronomen בהן referri ad קשות, i. phialas, probatque illud ex cap. 37. ubi hæc conjuncta extant non interjecto alio vocabulo. Quomodo & Num. 4. 7. extat קשות הנסך. Addit simile ex Psal. 99. *Moses & Aharon in sacerdotibus ejus, Samuel in invocantibus nomen ejus.* Et, vocabulo uno atque altero interjecto, *In columna nubis loquebatur ad eos.* Ubi pronomen eos necessario ad Mosen & Aharon referendum, Samuele & invocantibus præteritis.

G R O T I U S.

2. UT *tollant mihi primitias*] תרומה hic non sunt primitiæ, sed sponte facta oblatio.

4. *Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum & byssum*] Quatuor colores in velo quatuor elementorum imagines: coccinum ignis, hyacinthus aëris, purpura maris, byssus telluris. Ut enim intimum adytum Mundi supercælestis, ita Templi pars maxima Mundi aspectabilis ferebat imaginem: septem lychni planetarum: duodecim panes Zodiaci symbola. Vide quæ ad Matth. XXVII. 50.

5. *Et ligna Setim*] Σῆτα [*Setta*] Symmacho, Dioscoridi Σήττιος δένδρον [*arbor Zattina*], سنط Arabibus, ut notavit ad Cebetem Salmasius.

8. *Habitabo in medio eorum*] Inde responsa dabo, infra 22.

16. *Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi*] Decalogum. Vide supra XVI. 34. Arca autem vicem præstitit omnium imaginum quas habebant gentes.

18. *Cherubim*] Angelos μοσχομόρφους [*forma vitulina*] sterilitatis & fœcunditatis præsides, idque in Josephi memoriam. Videbit verum esse quod dico qui contulerit Ezech. I. 10. & X. 14. Nam quod illo loco est שור [*bos*], hoc loco est כרוב [*cherub*]. Vide quæ supra Gen. XLIX. 6. Hinc natum quod infra de vitulo habebimus, & in Jerobeami historia, cui origo à Josepho. Hæc præcipua forma: sed videtur ei vultus fuisse hominis, alæ aquilinæ, leonis jubæ, quæ sunt quatuor פנים [*species*], φάσεις Ezechieli, qui compositam illam formam modo חיות [*animalia*], ut I. 5. modo חיה [*animal*] vocat, ut X. 15. Hæ quatuor formæ non aliud significant, quàm quod Deus Mosi visus insidere Cherubinis voce explicat infra XXXIV. 6. esse nimirum celerem se ad benefacta: tardum ad vindictam. Homo bonitatis symbolum: aquila celeritatis: leo vindictæ: pedes bovini tarditatis; unde Græcum βοΐῳ ποδὶ [*bovillo pede*]. Philo non male significari ait Dei ἀγαθότητος καὶ ἐξουσίας [*bonitatem & potestatem*].

23. *Facies & mensam*] Qualis Delphica fuit: unde & aliæ similes mensæ nomen accepere.

31. *Facies*] Sic & Græci, subaudito את [*nota accusativi casus*] ante nomen candelabri: Item Chaldæus, Syrus, Lxx. Hieron. in libris, & Rabbini multi. Ergo littera jod, quæ in hoc verbo secundo loco ponitur, abundat. Puto id natum ex duabus lectionibus, quarum altera habebat תעשה [*facies*], velut

velut ad Mosem loquente Deo, alia יעשה [*facies*], velut de fabro. quomodo infra 39. & XXVI. 31. Nam facit & qui jubet fieri, & qui jussa exsequitur. Candelabri in Templo Hierosolymitano positi meminit Hecatæus apud Josephum contra Appionem 1.

CARTWRIGHTUS.

2. אֲשֶׁר יִדְּבֶנּוּ לִבּוֹ *Cujus cor illum promptum* (seu spontaneum) *reddit.*] Jon. (*a*) דיתרעי לביה ולא באלמותא *cujus cor benevole affectum fuerit, non autem per vim* (seu ab invitis) *accipietis oblationem meam.*

אֶת־תְּרוּמָתִי *Oblationem meam.* LXX. ἀπαρχὰς, *primitias.* Atque ita etiam Vulgatus Interpres. Steuchus fatetur non tam proprie ita verti, sed potius oblationem, anathema, earum videlicet rerum, quæ suspenduntur; proprie enim significare elevationem, suspensionem. Sane (*b*) תרומה à רום *elevari*, *elevationem* significat, non autem suspensionem, nisi quatenus quæ suspenduntur, elevari solent. Onkelos & Jonathan pro תרומה habent אפרשותא, quod proprie sonat *separationem*, uti etiam Fagius Latine vertit, atque in Annotationibus ait sic vocari ea, quæ quisque de bonis suis separabat Domino pro extruendo tabernaculo. Atque ita etiam R. Salom. exponit הפרשה i. e. *separationem.* Similiter & LXX. Interpretes cap. 35. 5. & 21. & 24. 36. 3. vertunt ἀφαίρεμα, quod Latine reddunt *demptionem.*

3. *Et argentum*] R. Salom. ait omnia, quæ hic memorantur, sponte fuisse oblata præter argentum; id autem omnibus ex æquo impositum fuisse, nempe dimidium sicli; neque enim plus argenti in opere Tabernaculi insumptum reperiri. Vide cap. 38. 25. 28. Aben Ezra refert R. Saadiam existimare præter argentum capitatione persolutum, aliud fuisse sponte oblatum, ex quo mensa, & tubæ, & crateres fierent; neque enim aliter fieri potuisse, quin ut mensa esset, super quam res disponerent, scinderent & lavarent. De tubis quidem argenteis legimus Num. 10. 2. at ex argento isto de quo hic fit sermo, factas fuisse non dicitur: de mensa autem & crateribus ex argento factis Scriptura (quantum scio) prorsus silet. Aben Ezra ait istiusmodi divinationem sibi minime videri necessariam; Scripturam enim non sollicitam de abstrahenda una re è sedecim, cum ex iis quindecim essent oblationes spontaneæ. Ita nimirum Genes. 35. 26. dicitur omnes Jacobi filios in Padan Aram fuisse natos, cum tamen Benjamin non illic, sed in terra Canaan natus esset. Similiter Deut. 10. 22. *In septuaginta animabus patres tui descenderunt in Ægyptum*, cum tamen duo filii Josephi, qui numero isto sunt comprehensi, non descenderint in Ægyptum, sed in Ægypto nati fuerint. Sed nescio an hæc responsio acutioribus possit satisfacere; mihi hujus loci ac illorum, quos citat Aben Ezra, non eadem prorsus ratio esse videtur. Probabilius puto argentum etiam sponte oblatum: cumque argentum singulis impositum operi Tabernaculi sufficeret, ut cap. 38. dicitur, hoc quod superfuit in alios usus Tabernaculi fuisse reservatum; ita enim cap. 36. 5. Israelitæ multo plus, quam ad extruendum Tabernaculum opus erat, obtulisse dicuntur.

4. וּתְכֵלֶת *Et hyacinthum*] Sic Vulg. & LXX. ὑάκινθον. Onkelos & Jonathan Hebræam vocem Chaldaice formatam retinent, ותכלא, R. Salom. ait significare, צמר צבוע בדם חלזון וצבעו ירוק *lanam tinctam sanguine vermiculi cujusdam, cujus tinctura est viridis.* Kimchi in Rad. (uti eum citat Fagius) ait vocem Hebræam denotare colorem, qui vernacule dicitur בלו"ב *flavus*, quique sanguine vermiculi Halazon tinctus est, cum signis notis. Sic Fagius illud בלו"ב vertit *flavum*; statim tamen addit nostrates Judæos hodie vulgo lanam blavam, hoc est, quæ cæruleum habet colorem, exponere. Sane בלו"ב ad nostrum *blue* quam proxime accedere videtur. Aben Ezra refert תכלת *techeleth* ex Japhethi sententia subnigrum esse colorem כרמות שחורה *Verum* (inquit) *nos innitemur Rabbinis nostris B. M. qui dixerunt esse lanam viridem.* ואנו נסמוך על רז"ל שאמרו שהוא צמר ירוק והוא צמר.

וְאַרְגָּמָן *Et purpuram*] Ita Vulg. & LXX. καὶ πορφύραν Onk. & Jon. וארגונא vox ea usurpatur Dan. 5. 7. & à LXX. Interpretibus, Vulgato & aliis purpura exponitur. R. Salom. ait ארגמן *argeman* esse lanam tinctam colore quodam, qui appellatur *argeman.* Sed vox æque obscura ac antea. Aben Ezra paulo explicatius dicit *argeman* esse subrufum colorem, כרמות אדום & in Chronicis esse ארגון (sic scribitur, sed debet esse ארגון uti legitur 2 Chron. 2. 7. cum ibidem v. 14. sit ארגמן) & Arabice ארגואן, Addit denique hoc colore non nisi lanam & sericum (שש) tingi posse.

וְתוֹלַעַת שָׁנִי *coccumque bis tinctum*] Sic Vulg. LXX. καὶ κόκκινον διπλοῦν. Onkel. & Jon. nimis laxe, וצבע זהורי *& colorem splendidum.* Fagius vertit *coccinum*, sed in Annotationibus monet ad literam sonare, *colorem lucidum*, & vulgo vocari carmesinum, quod lucidior sit purpura. Aben Ezra ait ob dictionem תולעת quæ vermiculum denotat, multos putare שש i. e. sericum verbis hisce significari. Isai. 1. 18. תולע & שנים divisim posita sunt, sed tanquam ἰσοδυναμοῦντα, & Kimchi ad locum illum ait תולע & תולעת esse שני צבע קרמזין *Colorem carmesinum.* שני est à שנה *iterare*, ac δίβαφον seu bis tinctum designat. Aben Ezra notat interdum dici תולעת שני, ut hoc in loco, interdum inverso verborum ordine שני תולעת ut Levit. 14. 49.

וְשֵׁשׁ *Et byssum*] Ita Vulg. LXX καὶ βύσσον (*c*) κεκλωσμένην *& byssum tortam.* Onk. & Jon. ובוץ *& byssum.* Bootius Animadvers. lib. 2. cap. 1. de hac voce שש fuse pariter ac erudite tractat; Vide quæ ex eo annotavimus ad Genes. 41. 42. R. Sal. ait הוא פשתן *est linum*; atque ita Kimchi in Lexico suo exponit, uti refert Bootius, qui expositionem hanc nimis laxam censet; atque ea etiam ratione perstringit Aben Ezram, quod æque generaliter hic interpretetur בד. *i.* linum, cum certum quoddam lini genus, nempe subtilissimi, candidissimi, & pretiosissimi (uti explicat Mercerus) voce שש (*d*) significetur. At si quis verba Aben Ezræ penitius inspexerit, videbit opinor, eum non ita generali interpretatione usum esse ac existimavit Bootius. Verba ejus ita se habent, שש הוא הבד מין ממיני פשתים יוצא במצרים לבדו רק הוא לבן ואינו צבוע *Shesh est linum, nempe genus quoddam lini, quod in Ægypto duntaxat invenitur, estque candidum minimeque tinctum.* Et citat illud Ezech. 16. 7. שש (*e*) ורקמה ממצרים *Byssus & vestis acu picta ex Ægypto.* Addit præterea R. Saadiam Arabice interpretari שיש, quod Shindlerus in Pentaglotto *byssum* exponit.

וְעִזִּים *Et pilos caprinos*] Ad verbum, *& capros.* Vulg. *pilos caprarum.* LXX. καὶ τρίχας αἰγείας, *& pilos caprinos.* Onk. & Ion. ומעזי quod idem sonat; Fagius autem vertit, *& pelles caprarum*, cum non tota pellis, sed pilus duntaxat significari videtur. Sic Aben Ezra exponit, שער העזים pilum caprinum. Idem etiam intellexit R. Sal. qui interpretatur נוצה שלעזים *plumam* (sic ad verbum sonat, i. e. pilum) *caprarum*, atque istud Chaldæum voce מעזי significare asserit.

5. וְעֹרֹת תְּחָשִׁים *Et pelles taxorum*] LXX. καὶ δέρματα ὑακίνθινα, *& pelles hyacinthinas.* Sed Scholiastes & Nobilius notant alios libros habere ἰάνθινα, in quibusdam autem esse πεπυρωμένα, *ignitas, flammantes.* Vulg. *pellesque janthinas.* Ita in codice meo legitur; Steuchus legit *hyacinthinas*, sed non dubitat legendum *hyanthinas*, q. d. florum similes, quasi floribus distinctas ac varias. Sic ille explicat; Plinius autem *lib.* 21. 6. ait violas quasdam appellari Græco nomine ἴα, & inde janthinam vestem esse appellatam; ibidem etiam cap. 8. de colore janthino mentionem facit. Onk. ומשכי ססגונא, & similiter Ionathan; Fagius vertit, *& pelles Thasorum.* Et in Annotationibus ait, quale hoc animal fuerit, (quod alios sequentes vocem Hebræam taxum, alios Thasum nuncupare asserit) varias & incertas esse Hebræorum opiniones. Citat R. Salomonem dicentem תחש esse bestiam quandam, quæ (*f*) illa duntaxat tempestate reperiebatur, ac multicolorem fuisse; atque inde à Chaldæo vocari ססגונא *Sasgona*, שש ומתפאר בגוונים שלו *quasi gaudentem ac gloriantem coloribus suis.* Similia etiam citat ex Kimchi in Rad. & præterea in quodam commentario dictum ססגונא *Sasgona*, quod haberet ששה גוונים *i. e.* (*g*) sex colores. Aben Ezra tantum ait esse genus animalis, quod illis temporibus notum fuit; & citat Ezech. 16. 10. Fagius refert Aben Ezram dicere עורות תחשים *pelles Tehashim* esse pelles bestiæ quæ præpinguis est, ut est corium bovis. Sic Fagius interpretatur; Hebræa autem ab ipso citata sic se habent, עור בהמה שהוא עב כי הנעל לא יעשה כי אם מעור עב כעור בשר *Pellis est bestiæ, quæ* (nempe pellis) *est crassa; non enim calceus fit nisi ex pelle crassa, qualis est pellis bovis.* Sic Hebræa ista Latine sonant. Addit deinde Aben Ezra, uti à Fagio citatur, ולפי דעתי שהוא שור *Ac mea quidem sententia est, hanc belluam esse bovem.* Totum

(*a*) Lege באלמותא. (*b*) *Quicquid in sacros usus Deo datur,* תרומה *est, & quoniam à profano usu separatur, separatio à Rabbinis & Chaldæo vocitari solet.* Amama.

(*c*) Vox κεκλωσμένην huc ex cap. 26. 1. irrepsisse videtur. (*d*) בד *Vulgare linum est, cum שש byssus exquisitissimi generis sit.* Cunæus de Repub. Hebr. lib. 2. cap. 1. (*e*) Apud Prophetam legitur שש ברקמה. Sed idem valet. (*f*) At istius animalis meminit Ezechiel cap. 16. 10. (*g*) Sed hic ש & ס sibi mutuo non respondent, inquit Buxtorf. Lex. Talm.

Digitized by Goo

tum autem hoc, quod de Aben Ezra refert Fagius, alibi fortasse in ejus commentariis reperitur; ad hunc certe locum in editione Buxtorfiana nihil istiusmodi habetur.

וַעֲצֵי שִׁטִּים *Et ligna Shittim.*] Lxx. καὶ ξύλα ἄσηπτα *& ligna imputribilia.* Fagius ait de hoc ligno inter Hebræos haud convenire; alios enim cedrum, alios piceam, alios buxum esse dicere. R. Sal. quærit unde in deserto Israelitæ istiusmodi ligna habuerint; & refert R. Tanchumam dicere, Iacobum per Spiritum S. vidisse futurum, ut Israelitæ Tabernaculum extruerent in deserto, ac propterea cedros secum portasse in Ægyptum, ac ibi plantasse, filiisque suis præcepisse ut cum ex Ægypto egrederentur eas secum auferrent. Commenti istius meminit etiam Aben Ezra, sed ita ut id sibi minime arrisisse ostenderet; putat igitur juxta montem Sinai fuisse nemus lignis hisce refertum, ac Israelitas ad tabernacula sibi extruenda ea excidisse. Idem etiam & Hiskuni sentire refert Fagius. Ex multis autem Scripturæ locis constat locum quendam fuisse, qui appellatus est Shittim. Vide Num. 25. 1. Ios. 2. 1. & 3. 1. Mic. 6. 5. Ioel. 3. 18. Ibi arbores quasdam ejusdem nominis fuisse videntur. Utrum autem à loco arbores sic dictæ sunt, an ab arboribus locus, dubitari potest; sed hoc posterius videtur verisimilius, propterea quod de arbore Shittah mentio fit Isai. 41. 19. Inde locus appellatus videtur Shittim, quod istic arbores Shittim (sic enim se habet vox Shittah in plurali) nascebantur; atque ita Hieronymus ad locum ait Theodotionem interpretari. *Est autem* (inquit Hieronymus) *genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem; unde omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta sunt instrumenta, quæ appellantur Setim: quod lignum imputribile, & levissimum, omnium lignorum tam in fortitudine, quam in nitore soliditatem superat, & pulchritudinem.* Quomodo autem intelligi debeat, quod dicit, hoc lignum habere similitudinem spinæ albæ, ipse nos docet Hieronymus ad Ioel. 3. 18 Ubi pro valle Shittim habet etiam torrentem spinarum; *Est autem* (inquit) *genus arboris in eremo, spinæ albæ simile, colore & foliis, non magnitudine.*

6. בְּשָׂמִים לְשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה וְלִקְטֹרֶת הַסַּמִּים (*a*) *Aromata in unguentum* (ad verb. *in oleum unctionis*) *& in suffitum odoramenta.*] Onkelos & Ionathan בשמים pariter ac סמים interpretantur בוסמיא *aromata.* Elias in Thisbi ait vocabula ista sic inter se differre, ut בשמים ea tantum aromata designet, quæ eduntur; סמים vero etiam ea quæ in pharmacis adhibentur, & ex quibus incensum conficiebatur. Alii volunt בשמים omnia in universum aromata complecti, סמים autem ea duntaxat, quæ in unguentis, vel suffimentis adhibentur. Buxtorfius in Lex. Talm. refert ab Hebræis dici, *Quicunque operam dat Legi propter ipsam legem, ei fit Lex ejus* סם חיים *aroma vitæ. Qui autem non dat operam Legi propter ipsam Legem, ei fit Lex ejus* סם מות *aroma mortis.* Ac notat similem locutionem Apostoli esse 2 Cor. 2. ὀσμὴ ζωῆς, & ὀσμὴ θανάτου: quin & voces ὀσμὴ & סמא (terminatione Chaldaica) inter se convenire.

7. אַבְנֵי־שֹׁהַם (*b*) *Lapides onychinos*] Lxx. λίθους σαρδίου, *lapides Sardii.* Onk. אבני בורלא Fagius vertit, *lapides onychinos.* Et Buxtorfius in Lexico magno dicit בורלא à nonnullis beryllum, ab aliis autem onychem exponi. Certe vox בורלא *Burla* ad vocem *Beryllus* prope accedit, atque adhuc etiam magis vox בירולין *Beryllin*, prout quandoque legi notat Buxtorfius. Jonathan habet מרגלין דפירולי *Margaritas beryllos.* Ubi פירולין est pro בירולין litera ב in פ ejusdem organi literam mutata. Ipse autem Jonathan cap. 28. 9. una cum Onkelo pro שהם *Shoham* habet בורלא *Burla.* Lxx. Interpretes ibi vertunt σμάραγδον *smaragdum*; at v. 20. istius capitis βηρύλλιον *beryllium.* Vulgatus ubique *onychinum* interpretatur, atque ita fere vocem Hebræam exponi dicit Buxtorfius. Quin & cap. 28. 9. ubi in versione Græca legitur λίθους σμαράγδου, Augustinus (uti observat Nobilius) legit *onychinos.* Hieronymus ad Fabiolam Epist. 128. ait *Soham* ab Aquila, Symmacho, & Theodotione *onychinum* reddi, à Lxx. *smaragdum.* Josephum *sardonychum* vocare, ut vel colorem lapidis, vel patriam demonstraret.

וְאַבְנֵי מִלֻּאִים *Et Lapides insitionum*] Ad verb. *impletionum.* Onk & Jon. אבני אשלמותא *plenitudinis*, uti vertit Fagius, dicens sic vocari gemmas, quæ auro & argento includi solent (ut videmus in annulis,) quas parabant ad ornandum superhumerale & pectorale. R. Sal. ait in auro sedem (מושב) instar foveæ factam fuisse, ac ad eam explendam lapidem quendam pretiosum fuisse inditum; & propterea istiusmodi lapides vocatos esse *lapides impletionum.*

לָאֵפֹד *Propter Ephod*] Hieronymus ad Fabiolam Epist. 128. ait Hebræum אפוד à Lxx. transferri ἐπωμίδα *superhumerale*, ab Aquila ἐπένδυμα, quam vocem Latine non reddit, reddi autem potest *assumentum.* Addit *Ephod* omnem Scripturam testari sacrum quiddam esse, & solis convenire Pontificibus; nec in adversum facere, quod 1 Sam. 2. Samuel, qui Levita fuit, habuisse dicitur אפוד בד *Ephod lineum*, uti & David 2 Sam. 6. (*c*) *Aliud est enim* (inquit) *ex quatuor supradictis coloribus, id est hyacintho, bysso, cocco, purpura, & ex auro habere contextum; aliud in similitudinem sacerdotum simplex & lineum.* Illud nemini, qui Hebraice quicquam novit, ignotum, *Ephod* à cingendo sic dictum esse, nam אפד *Aphad* est cingere.

וּלַחֹשֶׁן *Et propter pectorale*] Vulgatus Interpres reddit *rationale.* Sic & LXX. Interpretes cap. 28. vertunt λογεῖον, hoc autem in loco (*d*) ποδήρη *poderem*, seu talarem. Forte locus est depravatus; nam certe ista interpretatio voci חשן haudquaquam convenit. Hieronymus Epist. 128. ait חשן *Hoshen* Græce λόγιον vocari, nos autem appellare posse *rationale*; ac vestimentum hoc mensura parvum (palmi enim magnitudinem per quadrum habere) sed reliquis omnibus sacratius. Serarius in Jos. lib. 1. cap. 24. dicit minus recte scribi λογεῖον pro λόγιον quod & mihi videtur, ipsum scilicet consulendi locum dici λογεῖον.

8. וְשָׁכַנְתִּי בְּתוֹכָם *Et habitabo in medio eorum.*] Lxx. καὶ ὀφθήσομαι ἐν ὑμῖν, *& apparebo in vobis*; vel *inter vos.* Onk. & Jon. ואשרי שכינתי בניהון *& habitare faciam præsentiam* (vel, ut Fagius vertit, *majestatem*) *meam inter eos.* Elias Levita (uti eum Buxtorfius citat in Lexico magno) notat Hebræum שכן quando ad Deum refertur, à Chaldæo Paraphraste transferri per שרא, sed cum additamento שכינא, ne putetur Deus corporaliter habitare, vel versari cum hominibus. שכינה autem, vel שכינתא (ut ibidem dicit Buxtorfius) cum proprie significet habitationem, in specie dicitur de præsentia, gloria, & majestate divina, aut Divinitate, quando dicitur hominibus esse præsens, aut cum eis conversari, auxilio suo, gratia, & salutari præsentia adesse. Vox שכינה eo sensu apud Rabbinos est frequentissima. Sed & illud notandum verbum שכן proprie esse *habitare in tabernaculo*, indeque Græcum σκηνὴ, & σκηνοῦν ortum videri. Buxtorfius notat Joannem Apoc. 21. 3. eo modo, quo Hebræi שכינה, usurpare nomen σκηνὴ, quando ait, ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, &c. De Verbo etiam incarnato dicitur Joh. 1. 14. ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.

12. *Et pones super quatuor* פַּעֲמֹתָיו *angulos ejus*] vel, *pedes ejus.* Onk. זויתיה *angulos ejus.* Jon. איסתוורוי quod Buxtorfius in Lexico magno similiter exponit, *angulos ejus*: sed monet legendum videri אסתוורי & אסתוורא exponit *gressum, incessum, pedem, talum pedis.* R. Sal. Onkelo adstipulatur, & ad v. 10. ait arcam sine pedibus factam fuisse. At Aben Ezra ait se totam Scripturam perscrutatum esse, nec invenire potuisse פעם pro angulo positum, sed pedem vel gressum denotare; ac propterea se coactum esse ita interpretari, ut arca pedes habuisse intelligatur: quin & ignominiosum fuisse dicit (דרך בזיון) ut arca super terram absque pedibus consisteret. Vulg. *per quatuor arcæ angulos.* Lxx. ἐπὶ τὰ τέσσαρα κλίτη, *super quatuor latera.*

13. *Et facies vectes, &c.*] Hebræum בדים *baddim, vectes*, Lxx. eleganter reddunt ἀναφορεῖς *gestatoria.*

15. לֹא יָסֻרוּ מִמֶּנּוּ *Non recedant ex ea*] Hoc parum convenire videtur cum eo, quod scriptum est Num. 4. 6. ושמו בדיו *& ponent vectes ejus.* Manasses in Concil. quæst. 45 in Exod. ait Aben Ezram existimare, vectes semel impositos, nunquam amotos fuisse; & isto Numerorum loco dici eos non annulis inditos, sed humeris (*e*) sacerdotum impositos, quo arcam portarent. Atque ita quidem Aben Ezra hic ad v. 12. scribit: sed ad istum in Numeris locum dicit הנה יסירום עד שיכסו הארון *Ecce amovebunt eos, donec arcam operiant.* Addit autem י״א שמו בדיו על כתפות הנושאים *Sunt tamen qui dicant* (seu *exponant*) *ponent vectes ejus super humeros portantium.* Ibidem Manasses refert Gerundensem interpretari non *ponent* sed *disponent*, ut sensus sit, Levitas vectes, quippe lon-

(*a*) In Editione Romana versionis Lxx. Interpretum ista sunt omissa, ut & illud quod præcedit, *oleum ad luminare*, sed Scholiastes & Nobilius in aliis libris haberi testantur. (*b*) Sic Vulg.

(*c*) Ita etiam Aben Ezra ad cap. 28. 5. inter Ephod, de quo hic agitur & Ephod lineum, de quo alibi sermo est, distinguit.
(*d*) In Edit. Rom. legitur καὶ τὸν ποδήρη, mendose proculdubio pro ποδήρη, quanquam & id hic mendosum esse videtur. (*e*) Sic Manasses scribit, sed dicere voluit, *Levitarum.* In Aben Ezra est הקהתים *Cohathitarum.*

longos, pro libitu suo aptare ac disponere debuisse; ita tamen, ne unquam eos eximerent annulis suis; atque hoc etiam Abrabaneeli placuisse dicit. At in Numerorum loco citato non de Levitis, sed de Aharone & filiis ejus dicitur, & *ponent* (sic enim proprie significat שמו) *vectes ejus*. Hiskuni (uti refert Manasses) existimat in vectibus fuisse incisuras, quibus annuli firmiter inhærerent, ne arca alioqui huc illuc inter portandum ac deponendum inclinaret. Cum igitur hic dicatur vectes nunquam amovendos, sensum esse, nunquam ex annulis eximi debere; at Num. 4. per positionem vectium intelligi, annulos iis incisuris fuisse aptandos. Nonnulli denique ex Hebræis (eodem authore referente) volunt quatuor arcæ vectes fuisse, quorum duo annulis inserti manerent, duo, cum arca tollenda esset, supponerentur. Sed hoc alienum videtur, cum Scriptura non alios arcæ vectes memoret, quam hosce, quos ex annulis non esse amovendos dicit. Igitur aliqua potius alia ex memoratis expositionibus sequenda est, atque eam ab authore Hiskuni traditam ego haud inconcinnam censeo.

16. *Et pones in arcam testimonium*, &c] i. e. Tabulas Legis, quæ vocantur tabulæ testimonii cap. 31. 18. & 34. 29. R. Sal. dicit (*) Legem vocari testimonium, quia testatur Deum mandasse Israelitis ea quæ in Lege sunt scripta. In eandem sententiam Abrabaneel & Author fasciculi myrrhæ citantur à Buxtorfio Dissertat. de Decal. § 23. Mihi magis placet, ideo Legem sic appellatam, quod Deus in Lege voluntatem suam testatam faciat. Atque ista appellationis ratio à Buxtorfio illic, & à Fagio ad hunc locum, assignatur.

17. *Et facies* כַּפֹּרֶת (*a*) *propitiatorium*.] Ita reddi solet, quia כפר placare, expiare, & propitiari significat. *Sed Hebræi* (inquit Fagius) כפרת *hic simpliciter pro cooperculo arcæ accipiunt*. Lyra refert Rabb. Salomonem & Hebræos dicere illud *Capporeth* fuisse operculum arcæ, quod ejusdem cum arca longitudinis ac latitudinis esset, nec alia ulla de operculo arcæ mentio fiat. Alios tamen existimare, non fuisse arcæ operculum, sed tabulam auream superius elevatam, quasi portaretur à Cherubinis, ita ut esset quasi sedile Dei, & arcæ operculum quasi scabellum pedum ejus, juxta illud Psal. 80. *Qui sedes super Cherubim*, i. e. super propitiatorium à Cherubim sustentatum. Iuxta alteram autem sententiam operculum arcæ fuisse quasi Dei sedem, & tabernaculi pavimentum, quod erat ante arcam, quasi scabellum pedum. Sane Hebræorum sententia longe videtur probabilior, nec aliter nisi coactè id quod sequitur v. 21. intelligi posse videtur. *Propitiatorium* (inquit Augustinus) *ad quid dicat superimponendum super arcam, quæri solet. Sed cum aureum fieri jubeat, ejusque longitudinem, & latitudinem tantam exprimat, quanta & ipsius arca dicta est, proculdubio velut tabulam auream, tanta forma fieri præcepit, quategeretur arca.*

18. *Et facies duos* כְּרֻבִים *Cherubim*] R. Sal. ait *Cherubim* similitudinem vultus pueri habuisse; דמות פרצוף תינוק להם Fagius ad c. 26. 1. ait doctiores Hebræorum exponere Cherubim (*b*) כרביא id est *quasi pueri*, quod puerorum formam habuerint. Hanc veterum Hebræorum sententiam esse refert hic Aben Ezra; monet autem Caph in כרוב esse de radice, quia cum He demonstrativo præfixo legitur הכרובים v. 20. Atque asserit *Cherubim* idem valere quod צורות i. e. *formas* sive figuras: ad quod confirmandum citat illud Ezech. 28. 14. את כרוב ממשח הסוכך *Tu Cherub unctus*, &c. Sed magis ad rem facere videtur id quod addit, nempe Ezechielem cap. 1. 10. dicere animalia, quæ vidit, habuisse faciem bovis; alibi autem, nempe cap. 10, 14. pro facie bovis esse *faciem Cherub*, h. e. inquit הצורה שהזכיר בפעם הראשונה *formam cujus primo meminerat*. Item ibidem v. 20. dictum esse a Propheta de animalibus, quæ viderat, *& novi ea Cherubim esse*: ubi notat omnes quatuor formas, quas cap. 1. 10. recensuerat, vocari *Cherubim*. Ex hisce sane locis non absurde colligi videtur, nomen *Cherub* generale esse, ac quamvis formam denotare. Nec pati posse videntur verba Ezechielis cap. 10. 22. ut horum animalium formæ ab iis, de quibus agit cap. 1. diversæ intelligantur, etiamsi ex nostris pariter ac Hebræis nonnulli ita existiment. Atque inter eos Abrabaneel ad Ezech. 10. 14. ubi asserit Cherubim habere formam humanam, gloriosam, pulchram ac amænam אבל הצורה היא כי פני הכרוב הם פני אדם נכבד מאד יפה אף נעים. Addit etiam Cherubim alatos fuisse, citatque illud Psal. 18. 10. *Et equitavit super cherub & volavit*; & observat hic, ubi de faciendis Cherubim præceptum datur, de alis eorum faciendis mentionem non fieri, sed statim nempe v. 20. præcipi, ut alæ eorum expansæ essent sursum; quasi scilicet in aperto esset, omnes in universum Cherubim alas habere. Sed nescio an satis solide plus hinc inferri possit, quam hosce Cherubim alatos esse debuisse. Cherubim autem, quos Salomon fecit, alas habuisse constat ex 2 Paral. 3.

22. *Et loquar tecum è superiori parte propitiatorii*.] R. Sal. satagit hunc locum conciliare cum illo Levit. 1. 1. ubi dicitur Dominum allocutum esse Mosen è tabernaculo conventus; quasi hæc non satis belle inter se convenirent. Sed rectè meo judicio Aben Ezra, qui ait nulla horum locorum conciliatione opus esse; neque enim ullam inter eos esse repugnantiam, cum tabernaculum conventus propitiatorium in se contineat; ac propterea cum è propitiatorio locutus sit Deus, è tabernaculo isto locutum esse sequatur.

וְנוֹעַדְתִּי לְךָ שָׁם *Et conveniam te illic*.] LXX. καὶ γνωσθήσομαί σοι, (*c*) *& cognitus ero tibi*. Quasi esset ונודעתי: ita sane legisse, vel saltem eam lectionem in animo habuisse videntur isti Interpretes. Onk. & Jon. ואזמן מימרי לך *& parabo verbum meum tibi*. Vulg. *Inde præcipiam*.

23. *Et facies mensam ex lignis Shittim*.] LXX. τράπεζαν χρυσῆν χρυσίου καθαροῦ, *Mensam auream ex auro puro*. Sic in edit. Rom. legitur, sed Scholiastes monet in nonnullis libris esse τράπεζαν ἐκ ξύλων ἀσήπτων, *mensam ex lignis imputribilibus*.

25. וְעָשִׂיתָ זֵר זָהָב לְמִסְגַּרְתּוֹ סָבִיב *Et facies coronam auream clausuræ ejus circumquaque*.] Versu præcedenti dictum est, coronam auream circumquaque faciendam; hic autem (uti notant R. Sal. & Aben Ezra) ostenditur coronam istam super clausuram mensæ undiquaque fieri debuisse.

29. *Et facies* קְעָרֹתָיו *scutellas ejus*] Vulg. (*d*) *acetabula*. LXX. τὰ τρυβλία αὐτῆς, *catinos ejus*. Onk. מגיסוהי Fagius vertit, *scutellas ejus*. Jon. פיילוותיה *phialas ejus*. פיילא deductum est à Græco φιάλη, ut Buxtorfius notat, & res ipsa indicat.

וְכַפֹּתָיו *Et* (*e*) *cochlearia ejus*] כף (ut notat Amama) significat *volam*; atque inde transfertur ad cochlearia propter similitudinem. Ex Num. 17. 14. constat ejus usum fuisse, ut in eo thus poneretur; Unde Amama conjecturam facit in vulgata versione voces esse transpositas, & pro *phialas, thuribula*, legendum esse, *thuribula, phialas*, quod thuribula magis כף quam קערה respondeant. LXX. καὶ τὰς θυΐσκας *& thuribula*. Onkel. ובזיכוהי. Similiter Jon. ובזיכוי, Fagius vertit, *& cochlearia ejus*. Buxtorfius in Lexico magno interpretatur בזך *acerram, phialam thurariam, thuribulum*. Sane locus iste ex Numerorum libro citatus arguit hanc commodiorem esse interpretationem. Rab. Sal. ait כפות esse בזיכין שנותנים בהם לבונה *acerras* (sic malim cum Buxtorfio vertere, quam cum Amama *cochlearia*) *in quibus thus reponebant*.

וּקְשׂוֹתָיו *Et cantharos ejus*] Sic Fagius vertit vocem, qua utitur Onkelos, ומכילתיה. Jonathan etiam similiter habet ומכילתיה. Cajetanus (uti eum citat Amama) ait dictionem Hebræam significare *calamos medios*, i. e. vas aureum ad similitudinem dimidianæ cannæ, scissa grossitudine cannæ in duas æquales partes. Similia hic habet R. Sal. הם כמין חצאי קנים חלולים הנסדקין לארכן והנתכין עשוי של זהב, Aben Ezra refert R. Nathanem, qui est Baal Aruch (*i.* author Lexici Talmudici, quod appellatur Aruch) dicere, קשות cannarum similitudinem habere (דמות קנים) sic enim in lingua Ismaelitica (seu Arabica) cannas esse appellatas, nempe קשות. Addit autem eum, qui id ■ narravit, linguam Arabicam non intellexisse; cannas enim Arabice dici קצב cum Tsade, & Beth, quod sane nimis remotum est à קשה cum Shin & He. Rab. Salom etiam ait, ובלשון ערבי כל דבר חלול קרוי קנצא *Et in lingua Arabica omne cavum vocatur* קנצא *Katsba*. Hoc tamen asserre videtur ad confirmandum id, quod dixerat, nempe קשות esse vasa aurea ad similitudinem cannarum, quæ per longitudinem suam discissæ sunt. LXX. καὶ τὰ σπονδεῖα, *& libatoria*. Vulg. (*f*) *thuribula*; sed vide ad vocem כפות.

(*) Intelligit Legem prout in tabulis scripta habebatur. Aben Ezra ait tabulas istas fuisse quasi שטר כתובה *instrumentum dotale*. (*a*) Lxx. ἱλαστήριον ἐπίθεμα *propitiatorium opertorium*. Forte duplex interpretatio hic, ut alibi interdum, in unam conflata est. (*b*) Buxtorfius in Lex. Talm. ex Talm. citat מאי כרוב כרביא שכן בבבל קורין לינוקא רביא *Quid est Cherub? Idem quod Cherabia (sicut puer) Nam sic in Babylonia puerum vocant rabja*. Istiusmodi etiam habet Kimchi ad Ezech. 10. 14.

(*c*) Scholiastes testatur alios Interpretes habere συντάξομαι, *conveniam*. (*d*) Numb. 4. 7. *Thuribula*. (*e*) Numb. 4. 7. Vulg. pro כפות habet *mortariola*. (*f*) Num. 4. 7. *crateras*. (*g*) Sic Vulgat. hic pariter ac Num. 4. 7. Lxx. καὶ τοὺς κυάθους, *& cyathos*.

Et (*g*)

וּקְשׂוֹתָיו *Et (g) cyathos ejus.*] Ita Fagius interpretatur ex Chaldæo, מכילתיה, ea siquidem voce hic utitur Onkelos, nec non & Jonathan, מכילתי, Sunt autem qui Hebræum מנקיות *scopulas* vertunt, & *instrumenta purgatoria*, atque huic interpretationi (uti notat Amama) vocis etymologia favet, cum נקה *purgare* significet. Quin & Hiskuni author Hebræus (teste Amama) ait esse scopas, quibus fumus à cinere purgabatur, aut mensa, priusquam ei imponerentur panes.

אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן *in quibus libabitur.*] Sic Onk. דיתנסך בהון LXX. ἐν οἷς σπείσεις ἐν αὐτοῖς, *in quibus libabis in eis.* Illud ἐν αὐτοῖς, *in eis*, ex Hebraismo redundat. Vulg. *in quibus offerenda sunt libamina.* Aben Ezra monet hæc verba non referri ad מנקיות, etiamsi id proxime præcessit, sed ad וקשות, idque patere ex Num. 4. 7. ואת קשות הנסך *& cyathos libaminis.* Observat illud Psal. 99. 6, 7. huic esse simile, *Moses & Aharon in sacerdotibus ejus, Samuel in invocantibus nomen ejus, &c. In columna nubis alloquebatur eos;* quod non ad Samuelem, sed ad Mosen & Aharonem refertur. R. Sal. etiam hæc אשר יסך בהן ob istum Numerorum locum ad וקשות refert, sed exponit, אשר יכסה בהן *quibus tegetur;* atque asserit יסך pariter ac נסך tegendi significationem habere, והוא יסך ומסך לשון סכך וכסוי הוא. Sed certe נסך unde יסך *libare* potius quam *tegere* designat.

30. *Et pones super mensam* לֶחֶם פָּנִים לְפָנַי תָּמִיד *panem faciei ante faciem meam jugiter.*] Hic ratio nominis istius insinuatur, quare scilicet panis iste dictus sit *panis faciei* (sic Hebræa ad verbum sonan[t]) nisi quis malit dicere *facierum*, quia פנים est plurale, sed singulariter usurpari solet, nempe ut unam aliquam faciem denotet) nimirum quod ante faciem Domini jugiter positus esset. Sic & Fagius ait *panem facierum* (a) (Onk. לחם אפיא) dictum quod semper esset in facie, & conspectu Domini; atque ideo mox addi, *coram me semper:* sed in Hebræo textu ratio appellationis clarius patet. Addit huc respexisse LXX. Interpretes, qui vertunt, ἄρτους ἐνωπίους q. d. *panes præsentes & expositos.* Aquila (referente Scholiaste) habet ἄρτους προσώπου *panes facierum.* Symmachus προθέσεως, (b) *propositionis.* Ita etiam LXX. cap. 40. 23. eodemque modo panes isti appellantur in Novo Testamento, nempe Mat. 12. 4. Mar. 2. 26. Luc. 6. 4.

33. *Tres scyphi* מְשֻׁקָּדִים *instar amygdalorum facti.*] Onk. מצירין *figurati.* Jon. משקען בציוריהון *depressi in figuris ipsorum*, profunda impressione figurati. R. Sal. etiam exponit מצוירין *figurati*, quemadmodum vasa argentea ac aurea figurari solent. Sed hæc interpretatio generalior esse videtur, cum שקד amygdalum significet. LXX. ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκους (vel ut alios libros habere dicit Nobilius καρυΐσκον) *reddentes formam nucum.* Vulg. *quasi in nucis modum.* Hæc propius ab Hebræo absunt. Aquila habet ἐξημυγδαλωμένην, uti refert Scholiastes, qui interpretatur ἐκτετυπωμένην ἀμυγδαλόν, *sculptum in modum amygdala.* שקד est *amygdalus* & *amygdalum*, arbor & fructus: hic autem fructus potius quam arboris forma designari videtur. Aben Ezra refert R. Saadiam exponere משקדים per כדמות שקדים *juxta similitudinem amygdalorum:* ipse autem asserit deductum esse ex illo Proverb. 3. 34. לשקד על דלתתי *vigilando juxta ostia mea;* quasi משקדים hic vigilandi notionem haberet; cujus expositionis rationem haud assequor.

34. *Et in candelabro erunt quatuor scyphi*] In unoquoque calamo erant tres scyphi, uti dictum est versu præcedente; in ipso autem corpore seu hastili candelabri quatuor scyphi erant, uti ad hunc versum notat R. Sal. qui tamen addit unum duntaxat scyphum fuisse in ea parte hastilis, quæ infra calamos seu ramos ex eo egredientes erat, reliquos autem tres supra eam partem hastilis, ex qua calami egressi sunt fuisse; atque ad istum quidem modum alicubi candelabrum istud depictum reperio; quin & ad formæ candelabri concinnitatem atque elegantiam descriptio ista commodissima esse videtur.

מְשֻׁקָּדִים כַּפְתֹּרֶיהָ וּפְרָחֶיהָ *ad formam Amygdalorum, cum sphærulis ejus, & floribus ejus.*] R. Sal. ait hunc esse unum ex quinque locis Scripturæ; שאין להם הכרע *quibus non est præponderatio*, i. e. qui adeo ambigui sunt, ut in quam potius partem accipi debeant, haud constet; ex eo siquidem, quod hic dicit Scriptura, incertum esse ait, utrum Scyphi, an vero sphærulæ, & flores amygdalorum formam habuerint. Quænam reliqua sunt Scripturæ loca, de quibus loquitur, nec ille exprimit, nec

(a) Aben Ezra ait juxta simplicem verborum expositionem panem hunc dictum esse *panem faciei* ob id quod hic sequitur, nempe quod ante faciem Domini positus esset. (b) Sic etiam Vulg.

ego suspicari possum; quod autem hunc locum spectat, nodum (quod ajunt) in scirpo quærere videtur. Cum enim versu præcedente satis clare, idque bis dictum sit, scyphos fore משקדים *ad formam amygdalorum*, nulla (quod sciam) ratio obtendi potest, cur hic משקדים alio quam ad גביעים i. e. scyphos referatur.

35. *Et erit sphærula sub duobus calamis*, &c.] Hoc est, uti explicat R. Salo. è medio Sphærulæ in utramque partem exibant calami; id quod etiam ex forma candelabri depicta videre est.

37. *Et facies* נֵרֹתֶיהָ *Lucernas ejus septem.*] R. Sal. ait lucernas hasce fuisse כמין בזיכין שנותנים בתוכי השמן והפתילות *Vascula quædam instar Cochlearium* (seu thuribulorum) *in quibus oleum & ellychnia posita fuerunt.*

38. וּמַלְקָחֶיהָ *Et emunctoria ejus.*] Sic Vulg. & LXX. sed in Singulari, καὶ τὸν ἐπαρυστῆρα αὐτῆς, *& emunctorium ejus.* Alii *forcipes* interpretantur; sic Fagius vertit Chaldaicam vocem ואחצבתהא qua Onkelos hic utitur, *& forcipes ejus.* Sed prius malo. R. Sal. notat מלקחים ab accipiendo nomen habere; לקח enim est accipere. Id autem tam emunctorio, quam forcipi satis convenit; quanquam & emunctorium (a) non inepte forceps dici possit. Cum vero dicat R. Sal. (quem, suppresso tamen ejus nomine, secutus est Shindlerus in suo Pentaglotto) instrumentis hisce acceptum fuisse ellychnium ex oleo, & positum in ore lucernarum; quid sibi velit, haud satis capio. Certe descriptio ista emunctoriis haud congruere videtur.

וּמַחְתֹּתֶיהָ *Et receptacula ejus*] Fagius Onkeli vocem, quæ ex Hebræa formatur, ומחתיתהא reddit & *thuribula ejus.* At licet alibi מחתה thuribulum denotet, hoc tamen in loco significatio ista minus quadrat. Quid enim candelabro, de quo hic agitur, cum thuribulo? nisi forte καταχρηστικῶς vox ista usurpetur. Hoc certe in loco per מחתות intelligi videntur vasa quædam, in quæ cineres, & adustæ partes ellychniorum, quæ forcipibus, seu emunctoriis, præcisæ erant, reponebantur. Vulg. *Et ubi quæ emuncta sunt, extinguantur*, LXX. καὶ τὰ ὑποθέματα αὐτῆς, *& suppositoria ejus.* R. Salómo ait מחתות esse כמין בזיכין קטנים שחותה בהן את האפר שבנר *quasi cochlearia parva, quibus excipiebatur cinis qui in lucerna erat.*

39. *Ex talento auri puri*, &c.] Hebræam vocem כִּכָּר *Ciccar* LXX. τάλαντον, Vulgatus & alii *talentum* interpretantur. Onkelos ipsam Hebræam vocem Chaldaice deformatam habet כּכרא quod & Fagius *talentum* vertit. Jonathan autem habet קנטינר *centenarium;* ex hoc latino illud Rabbinicum ortum videtur. Buxtorfius in Lex. Talm. ait קנטנר significare centum pondium, centum libras, centum asses, vel centum siclos pro diversitate materiæ, & tractationis. Lyra asserit Hebræam vocem significare centenarium; quod de Hebræa voce ככר quemadmodum verum sit, nescio. Addit R. Salomonem velle, pondus fuisse 120 librarum; se autem existimare pondus esse incertum, quod pro ratione temporum, ac locorum pondera auri ac argenti multum varientur. R. Sal. autem (b) ait ככר של חול *Ciccar* sive *talentum profanum* fuisse sexaginta minarum, ששים מנה, at *talentum sacrum* sive *talentum sanctuarii*, של קדש duplo plus fuisse, nempe centum & viginti minarum. Addit minam esse libram (והמנה היא ליטרא) qua argentum appenditur juxta pondus Coloniense, continere nempe centum זהובים *zehubim*, nummos quosdam sic dictos, viginti autem & quinque סלעים *siclos;* siclum enim quatuor zehubim continere. Josephus Antiq. lib. 3. cap. 7. ait Hebræum *Cinchares* (sic apud eum scribitur pro *Ciccar*) à Græcis talentum nominatum, esse pondo centum minarum.

(a) Buxtorfius in Lexico magno exponit כּלְבָּא, qua voce hic utitur Jonathan, *forcipem, emunctorium.* (b) Similia etiam habet R. Salomo ad cap. 38. ver. 24. Vide ibid. & ad ver. 23.

I D E M.

4. תְּכֵלֶת *Hyacinthum*] Kimchi in Rad. ait esse colorem, qui vernacule appellatur אזורו אולטרו מרין *azuro ultro marin.* unde colorem hunc non flavum, ut existimavit Fagius, sed cæruleum, vel viridem, qualis nimirum cœli, vel æquoris est, ab eo habitum esse apparet.

5. *Et ligna Shittim.*] Kimchi (a) asserit voce *Shittim* significari lignum cedrinum præstantissimum והוא מין ממיני הארז הטוב שבהם.

17. *Et*

(a) In radice שטה.

17. *Et facies* כַּפֹּרֶת *propitiatorium*] Vel, *operculum*, à כפר *operire*; unde Kimchi in Rad. ait ita sic dictum, *quod arca esset operculum*. [לפי שהיתה כפרה לארון

18. כְּרֻבִים *Cherubim.*] Quidam (*a*) insigniter certe eruditus, sed immenso novitatis, ac curiositatis (ut videtur) studio abreptus, contendit, Cherubinos arcæ operculo impositos, vitulorum formam habuisse; ac propterea Aharonem in deserto ad divinam Majestatem repræsentandam vitulum formasse, quin & Jeroboamum postea in eundem finem vitulos in Dan & Bethel posuisse; sed nec in hac re ab eis peccatum fuisse, sed ab illis duntaxat, qui imagines istas adorabant. Mirari autem profecto satis non possum, non tam assertionem ipsam, quanquam & ea mihi perquam mira videtur, quam rationes ad eam confirmandam allatas. Nusquam legi dicit, Aharonem eo quod vitulum fecisset, à Deo reprehensum fuisse. At vide cap. 32. 21. quin & v. 8. & v. 35. Similiter de Regibus, qui Jeroboamo successerunt, ait eos ob vitulos istos nunquam fuisse reprehensos, cum tamen, ut in libris Regum passim videre est, eo nomine sæpissime reprehendantur, quod à peccato Jeroboami, qui Israelem fecit peccare, sese non avertebant. *Ita enim* (inquit) *de Jehu legimus, eum, quod rectum erat in conspectu Domini, fecisse, nec tamen reliquisse vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan.* Quasi scilicet hoc ipsum, *non reliquisse vitulos istos*, esset rectum in conspectu Domini, cum ea ipsa de causa gravissime sit perstrictus 2 Reg. 10. 29. & 31. Addit deinde, Asam regem Samariæ, (sic eum appellat) in historia sacra valde laudatum esse, nec tamen excelsa, *id est* (inquit) *Vitulos* abstulisse. Atque in hoc argumento, tanquam palmario, & cui (scilicet) responderi non possit, multum triumphat, cum tamen hic, si unquam alias, miserandam humanæ mentis cœcitatem perspicere liceat. Quis enim rem recte secum in animo reputans, non ingemiscat, hominem ea eruditione præditum, ut abstrusissima quæque rimetur, ac in apertum prodat, ea, quæ ante oculos posita, & cuivis obvia sunt, videre non potuisse? Quid enim? an *Asa* fuit rex Samariæ? an ille *Jeroboamo* in regno successit? vel an per *excelsa*, de quibus 1 Reg. 15. 14. & 2 Chron. 15. 14. atque aliis etiam in locis sermo est, vitulos à Jeroboamo factos intelligemus? Hæc sane Libri titulo sat belle congruunt, ac *inaudita* merito dici possunt, cum luce meridiana clarius sit, Asam Judæ regem fuisse, ac in Excelsis Deum absque ulla imagine fuisse adoratum, in eo tamen populum peccasse, quod alibi quam in Templo à Salomone extructo sacrificabat. Vide 1 Reg. 3. 2. ad quem locum Kimchi & R. Levi notant, post destructionem Tabernaculi in Shilo usque ad extructionem Templi Hierosolymitani Excelsa fuisse licita, id quod istic satis innui videtur. Sed quod Gaffarelli opinionem prorsus evertit, de Jehoshaphato Asæ filio scribitur, eum Excelsa è Juda abstulisse, cum tamen vitulos adhuc in Israële mansisse apertum sit. Ridet autem vir iste eruditissimus eorum opinionem, qui Cherubinos puerorum speciem habuisse existimant, quod eam non nisi etymologia è Chaldaica lingua petita niti censeat, nempe כרוב esse quasi כרביא id est *sicut puer*: at si minus commoda sit ista Etymologia, quæ nec (*b*) omnibus Hebræis placuit, non tamen ideo falsa est eorum sententia, qui Cherubinos instar puerorum fuisse putant: Et cum Cherubinos alatos fuisse constet, rationi consentaneum videtur, eos puerorum potius quam vitulorum formam habuisse.

25. *Et facies ei clausuram* טֹפַח *palmarem*] Kimchi in Rad. monet טפח *palmum* differre à זרת *spithama*, quod nimirum זרת sit mensura digitorum manus à se invicem (*c*) distentorum: טפח autem sit mensura quatuor digitorum inter se conjunctorum; ita ut זרת *spithama* continet in se tres טפחים *palmos*.

(*a*) *Gafferellus de inauditis curiositatibus* cap. 7. liber Gallice scriptus, & Anglice translatus est. (*b*) Non Aben Ezræ, ut supra ad hunc locum ostendi. (*c*) מפוזרות Ad verbum *dispersorum*.

I D E M.

2. תְּרוּמָה *Oblationem*] Inter alia observat, Deum noluisse, ut si quis totum quod haberet, profunderet, id ab eo acciperetur; profusionem enim non perfectionem esse, sed defectum. כי המפזר אינו שלמות אבל חסרון Atque ideo forte ait spontaneam oblationem dictam תרומה, quod quinquagesima pars esset; תרי מחמשים eam enim sacræ oblationis proportionem fuisse. Vide Num. 31. 30. & 47. Sed id hoc loco observatum nec ille dicit, nec ego ullo satis probabili argumento probari posse arbitror.

4. תְּכֵלֶת וגו' *Et hyacinthum, &c.*] Refert R. Levi Ben Gerson dicere, ista omnia fuisse lanam, istiusmodi coloribus imbutam: sed id non rectum esse dicit; lanam enim hic vocari עזים *pilos caprinos*. Hæc igitur omnia (*a*) sericum fuisse asserit; & תכלת fuisse sericum marini coloris; ארגמן sericum rubicundum, & תולעת שני sericum sua natura pulchrum; שני: תולדתו At vox שני (à שנה *iterare*) indicare videtur, dibaphum, seu bis tinctum ea significari.

שֵׁשׁ *Et byssum*] Dicit linum fuisse Ægyptiacum, quod erat præstantissimum. Addit vocari שש à שש *sex*, cum filum est sexies duplicatum; item משזר שש cum autem filum est singulare, vocari בד quod singularitatem (היחידה) denotat. Nomen autem פשתה ipsam lini substantiam designare. Sed de hisce vocibus alii aliter censent, ac fortasse rectius, nempe בד linum vulgare esse, (quanquam fortasse linum in genere significat, ut & פשתה) sed שש esse linum tenue, & pretiosum & שש משזר linum istiusmodi contortum.

וְעִזִּים *Et pilos caprinos*] Seu, ut ille interpretatur, *lanam caprinam*. צמר העזים Addit lanam hanc esse molle illud, quod est in capris circa radices pilorum, idque summam habere mollitiem; שהוא בתכלית הרכות. De lana autem ovina, ac agnina nullam hic mentionem fieri ait, quod in Ægypto, & reliquis terris Orientalibus vilis erat, lana autem caprina erat præstantissima.

5. וְעֹרֹת תְּחָשִׁים *Et pelles taxorum.*] Refert R. Levi Ben Gerson scribere תחשים esse תיישים *hircos*, quorum pelles pellibus arietum fuscioduriores, atque ideo ex eis calceos fuisse confectos, uti habetur Ezech. 16. 10.

Et ligna Shittim] Dicit esse ligna [illegible]rina, quæ crassa quidem, sed tamen admodum levia. עבים וקלים מאד putat autem mercatores undequaque ad Israelitarum castra venisse, atque ex eis Israelitas ligna ista, ut & oleum, & aromata emisse.

6. בְּשָׂמִים וגו' *aromata, &c.*] Asserit vocem בשמים comprehendere cibos odoriferos, & aromaticos: ea autem aromata, quæ non comeduntur, vocari סמים, ac hujus distinctionis assertorem laudat Nahmanidem.

7. וְאַבְנֵי מִלֻּאִים *Et lapides impletionum*] Rejicit expositionem R. Salomonis supra ad hunc locum memoratam; item opinionem Nahmanidis, lapides nempe sic dictos, quod integri essent, quales creabantur. Atque observat Lapides istos duos, qui erant in Ephod, non sic appellatos, sed duntaxat lapides istos duodecim, qui erant in Pectorali, quod confertim positi essent, ita ut pectorale totum eis impleretur. Atque hanc rationem nominis astruit ex ipsis Scripturæ verbis cap. 28. 17. Vide infra ad locum istum.

15. *Vectes erunt in annulis, &c.*] Hoc ideo dictum ait, quod ut annuli erant propter vectes, ita vectes eo spectabant, ne qui Arcam portabant, ejus substantiam tangerent. כדי שלא יגעו בעצם הארון

20. *Et Cherubim expandent alas suas*] Monet antea de Cherubinorum alis nihil dictum esse, quod notum esset, Cherubinos esse alatos: ac citat illud, *Et equitavit super Cherubinum, & volavit.*

31. קָנֶה *Et calamum ejus*] Id est, *calamos*; singulare pro plurali. Refellit autem sententiam Aben Ezræ, candelabrum fuisse cavum; calamos enim non nisi cavos esse. Respondet calamos dictos esse, quod exteriore forma calamis essent similes, licet intus non cavi, sed pleni fuerint. Quin & multos calamos reperiri ait, qui pleni sunt, nec ullam vacuitatem in se habent. Urget etiam Candelabrum non potuisse ex una massa fieri, ut mandatum erat, si cavum fuisset.

(*a*) משי.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

1. PLuras] Capitur hic dictio כרובים pro *opere Phrygionum*. Sunt autem Phrygiones, qui vel acu vel textura varias figuras & picturas in aulæa & tapetia introducunt.

4. Porro ללאות fuerunt nexus quidam prominentes, per quos mediantibus uncinis seu fibulis duo magna aulæa conjungebantur. An autem aulæum illud secundum quod ex pilis caprarum fuit contextum, & veluti tectum fuit aulæi primi, ex solis pilis aut ex pellibus pilosis fuerit confectum, non satis constat.

17. *Duopedes*] Heb. *duamanus*: i. de tabula ipsa eminebant duo

duo denticuli seu duæ partes in serratura relictæ, quæ basibus immissæ tabulam erectam continebant.

23. *In angulis*] Est מקצעת idem quod פנה *angulus*, in quo duo concurrunt parietes.

24. *Conjuncta*] Hebr. *erunt geminata.* Continebantur enim tabulæ ad invicem infra per bases, & supra per circulos, uno scilicet circulo duas complectente tabulas, ne à seipsis dissiderent.

26. *Quinque*] Habuit contignatio unius parietis tres ordines vectium, sed superior ordo & similiter inferior constabat duplici vecte, & medius uno, qui tamen in longitudine duobus superioribus æqualis fuit. Fuerunt igitur numero quinque. Et quando dicitur v. 28. *Pertingens*, textus proprie habet, *fugiens.* Vectis enim ab una parte immissus, fugere videtur. Sic R. exponit hunc locum.

33. *Uncinos*] Qui scilicet in superiori aulæo, quod tabernaculum tegebat, duas magnas cortinas una cum laqueolis conjunctas tenebant.

36. *Operimentum*] h. e. *velum*, vel, ut Onkelos habet, *expansorium.*

F A G I U S.

1. **F***iguras Cherubim*] i. Eas cortinas, sive ea aulæa, sparges imaginibus alatis usus opera artificis peritissimi. Et A. E. alicubi scribit, *Cherub* generale nomen esse ad omnem figuram; quorum tamen in Lege mentio fit habere figuram hominis. Et doctiores Hebræorum exponunt *Cherubim* כרביא *Cherabiah*, i. *quasi pueri*, quod puerorum formam habuerint. De hoc nonnihil & in Genesim annotavimus cap. 3. 24.

33. *Distinctionem faciet velum vobis*, &c.] Tabernaculum enim divisum erat in tres partes, in Sanctum sanctorum, in Sanctum, & in Atrium. Sed de his alio in loco fusius dicam, & adferam quædam de hac re ex Hebræorum scriptis.

V A T A B L U S.

1. **E** *Decem cortinis*, עשר יריעת] Ad verb. *decem cortinas*, vel, *decem aulæa.* Eandem descriptionem habes infra c. 36. 8. ¶ *Hyacintho*, תכלת] Intelligit colorem sive pannum infectum colore hyacinthi. ¶ *Et vermiculo cocci*: ותלעת שני] i. serico coccino. Alii, *& cocco bis tincto.* ¶ *Opere Phrygionico*, מעשה חשב] Ad verb. *opere excogitationis*, vel *artificii*, i. opere artificis peritissimi, qui noverit vi ingenii & excogitationis aliquid facere arte & eleganter: ut sunt Phrygiones, qui acu vestimenta & alia auro intexunt, & variis coloribus, q. d. replebis cortinas simulacris illis alatis opere elegantissimo, texturaque artificiosissima factis.

2. *Cubitorum*, באמה] Ad verb. *in cubito*, i. *ratione cubitali*: sive in ratione metiendi per cubitos. ¶ *Et latitudo cortinæ*, &c. ורחב ארבע וגו] Ad verbum, *& latitudo quatuor cubitorum cortinæ unius.* Ordo turbatus, quem reposuit noster interpres.

3. *Altera cum altera*, אשה אל אחתה] Ad verb. *mulier cum sorore sua*: sic in sequentibus. Hebraismus.

4. *Laqueolos*, ללאת] *Ansulas*, *portulas*, *ocellos.* Gallice dicimus, *des lassets.* ¶ *In extremo*, מקצה] *In extremitate*, *In labro*; מ pro ב. ¶ *In conjunctione*, בחברת] i. in ea extremitate quæ conjungenda est alterius cortinæ extremitati. Chaldæus paraph. *Ubi est locus conjunctionis.* ¶ *Extrema*, הקיצונה] i. alterius, sive secundæ, ut habet Chaldæus paraph. Videtur tamen הקיצונה positum pro בקצה quod sequenti versu ponitur, ut idem bis dicat ad majorem expressionem, In ora cortinæ, in extremo inquam ipsius cortinæ quæ secundo loco præcedenti conjungenda est. Et ita de hac secunda cortina idem dicit quod de priore dixerat in principio istius versus, quodque etiam dicit sequenti versu. ¶ *In conjunctione secunda*, במחברת השנית] i. in conjunctione quæ fit cum altera cortina.

5. *In cortina una*, ביריעה האחת] Desunt nonnulla ex præcedenti versu intelligenda, nempe, in extremo in conjunctione. ¶ *Quæ est in conjunctione secunda.* אשר במחברת השנית] i. quæ secundo loco conjungitur priori. Paulo post ver. 10. eodem sensu dicitur, *In ora cortinæ conjunctionis secundæ.* ¶ *Oppositi erant laqueoli*, &c. מקבילת הללאת] Apertius vertit Chald. paraph. his verbis, *respicientibus se mutuo laqueis, ita ut alter alterum respiciat.* Laquei enim primæ partis cortinarum, quæ quinque cortinis constat, respiciunt laqueos secundæ partis, quæ etiam quinque constat cortinis.

6. *Uncinos aureos*, קרסי זהב] *Fibulas aureas.* Gallice, *des agrafes.*

7. *In tentorium*, לאהל] i. *facies tectorium*, sive *tentorium tabernaculo ex pilis caprarum.* Hebraismus. ¶ *Undecim cortinas*, &c. עשתי עשרה יריעת תעשה אתם] Hebraismus, Omnia illa facies ex undecim cortinis.

8. *Et latitudo*, ורחב] Vide v. 2.

9. *E regione faciei tentorii.* אל מול פני האהל] i. in facie, vel ante faciem tabernaculi. Per *faciem tabernaculi* intelligit anteriorem partem tabernaculi.

10. *In extremo*, הקיצנה] Ut v. 4. Videtur הקיצנה positum pro בקצה, & idem significare quod in principio illius quarti versus, & in secunda parte quinti. ¶ *In ora cortinæ conjunctionis secundæ.* על שפת היריעה החברת השנית] Idem vult quod v. 5. *in extremo cortinæ quæ est in conjunctione secunda.*

12. *Tentorii*, האהל] Vide v. 7. ¶ *Dimidium cortinæ redundantis*, חצי היריעה העדפת] *Dimidium cortinæ* vocat dimidiam partem latitudinis cortinarum, i. duos cubitos: nam latæ erant quatuor cubitis. Præterea *dimidium cortinam redundantem*, sive *superfluitatem*, vocat duos illos cubitos excedentes longitudinem cortinarum Cherubinarum, quibus erant longiores cubito uno à parte Septentrionali, & cubito altero à parte Meridionali. ¶ *A tergo tabernaculi.* על אחרי המשכן] *In altera parte tabernaculi.*

13. *Tentorii*, האהל] Vide c. 25. 5. ¶ *Redundabit*, יהיה סרוח] i. extendetur, h. e. longius cubitis duobus extendetur quam cortina prior, quæ XXVIII cubitos habebat: hæc enim XXX cubitos habet. *Posteriora tabernaculi* vocat alteram partem quæ à tergo ejus partis est quam respicis.

14. *Rubefactis.* מאדמים] *Rubricatis.* Alii, *rutilantibus.*

15. *Tabulas*, את הקרשים] *Asseres*: sic in sequentibus.

16. *Tabulæ unius.* הקרש האחד] i. singularum tabularum.

17. *Duo cardines*, &c. שתי ידות לקרש האחד] i. Duos cardines habebit unaquæque tabula, i. duo illi cardines qui erunt in extremitate inferiore tabularum, erunt veluti duo parvi vectes qui præ se ferent figuram graduum scalarum. *Cardines* hic vocat quod nos Galli *Les tenons qui se mettent en une mortaise.*

18. *Ad Austrum.* תימנה] i. quod opponitur Austro: vel, quod spectabit Austrum.

19. *Sub tabula una*, תחת הקרש האחד] Subaudiendum hic aliquid, cujusmodi, *& sic de singulis dicendum est*: alioqui progrediendum esset usque ad quadraginta. Sic v. 21.

22. *Porro in latere*, ולירכתי] Ad verb. *Et in lateribus*, i. in uno laterum, sive ex lateribus;

23. *In latere*, בירכתים] Duale est pro sing. q. d. in altero laterum, nempe Occidentali.

24. Quasi *gemella*, תאמים] i. tam apte conjungentur inter se asseres parte una ut videantur gemelli. ¶ *Erunt* quasi *gemella*, יהיו תמים] Magni nominis apud Hebræos vir dicit hic תמים pro תאמים positum. q. d. tam bene compacti erunt ut gemelli, & ex duobus asseribus unus esse videatur, qui in summitate jungetur circulo uno. Chald. paraph. sic totum versum convertit, *Et erunt conjunctæ* tabulæ *ab inferiori parte, simulque erunt conjunctæ in capite suo ad circulum unum*: *sic erit*, &c. ¶ *De duabus illis*: לשניהם] i. eadem erit ratio inferioris & superioris.

27. *Pro latere*, לירכתים] Duale est pro sing. ut ver. 23.

28. *Per medium tabularum.* בתוך הקרשים] i. per crassitiem tabularum, per totam illam compagem.

29. *Per quos trajicientur vectes*, בתים לבריחם] Ad verb. *loca vectibus*, vel *in domos vectibus*, ut c. 25. 27.

30. *Quæ tibi ostensa est*, אשר הראית] Ad verb. *quam videre factus es*: ut cap. 25. 40.

31. *Ex hyacintho*, &c. תכלת וגו] Vide hæc singula v. 1. ¶ *Faciet*, יעשה] sub. *artifex.*

32. *Uncina earum*, ויויהם] Quidam vertunt, *capitella*: non recte, ut opinor: nam v. 33. de uncinis istis loquens dicit, *Ponesque velum sub* הקרסים, quæ dictio nihil quam uncinos incurvos significat. ¶ *Bases argenteas.* אדני כסף] sub. *erunt collocatæ illæ columnæ.*

33. *Ponesque velum sub uncinis*, ונתתה את הפרכת תחת הקרסים] i. appendes velum uncinis: vel, facies ut pendeat ab uncinis. ¶ *Intra*, מבית] i. *ultra.* ¶ *Dividetque*, והבדילה] *Separabitque*, i. ponet differentiam inter Sanctum & Sanctum Sanctorum: vel, quo velo separabitur sanctuarium à sacrario illo sanctissimo.

34. *Propitiatorium*, את הכפרת] Vide cap. 25. 17.

35. *Mensam illam*, את השלחן] De qua cap. 25. 23.

 36. *Acu-*

36. *Acupictoris.* רקם] *Plumarii*, i. illius qui novit acupingere, seu intexere varia fila, diversorumque colorum.

C L A R I U S.

1. T*Abernaculum*] Tabernaculum, quod & *sanctuarium* dicitur, ita situm erat ut ingressus ejus esset ab Oriente, Sanctum sanctorum vergeret ad Occidentem ut adoraturi versus Occidentem converterentur. Duo ergo latera, Australe & Aquilonare, singula triginta cubitorum habebant longitudinem & decem cubitorum altitudinem. Latus Occidentale octo quibusdam videtur cubitos habuisse, alii decem existimant, secundum latitudinem totius tabernaculi & decem cubitos altitudinis, quam, & non amplius, totum habebat sanctuarium. Latus autem Orientale velo tantum claudebatur appenso ad introitum: sicut & Sanctum sanctorum, decem habens cubitos longitudinis, & octo latitudinis (decem alii existimant) non nisi simili velo distinguebatur ab exteriori parte sanctuarii, quod Sanctum dicebatur. ¶ *Decem cortinas*] Hæ cum simul junctæ erant quadraginta cubitorum spatium complectebantur: his latera tabernaculi vestiebantur. ¶ *Variatas opere plumario*] h. e. opere Phrygio, quod vel acu vel textura varias figuras & picturas effingit. In Hebræo est *Cherubim*: sed interdum capitur pro quibuslibet figuris quæ depictæ fuerunt in cortinis.

12. *Operies tabernaculi posteriora*] Pars ea qua intratur ab ortu solis dicitur *posterior* pars, quia Sanctum sanctorum, quod erat ab occasu, ubi arca Dei constituta erat, dignior erat pars, & jure *anterior* vocabatur. Illud autem *operies*, &c. in Hebræo est, *Extendes etiam in posterioribus tabernaculi.*

14. *De hyanthinis pellibus*] Heb. *de pellibus thasorum.* Tria erant quasi tentoria, alterum alteri superpositum, unum ex pilis caprarum, alterum ex pellibus arietum, tertium ex pellibus hyanthinis, vel thasorum, quæ tecto imponebantur ob defensionem domus & aulæorum ab injuria cœli & imbrium.

17. *Duæ incastraturæ*] Heb *duæ manus.* h. e. de tabula ipsa eminebant duæ partes in serratura relictæ, quæ basibus immissæ tabulam erectam continebant.

24. *Eruntque sibi conjuncta*] Continebantur tabulæ ad invicem infra per bases, & supra per circulos, uno scilicet circulo duas complectente tabulas, ne à seipsis dissiderent.

26. *Quinque*] Habuit contignatio unius parietis tres ordines vectium, sed superior ordo & similiter inferior constabat duplici vecte, & medius uno, qui tamen in longitudine duobus superioribus æqualis fuit: fuerunt igitur numero quinque.

28. *A summo usque ad summum*] Heb. *Ab extremitate usque ad extremitatem*; vel, ut alius vertit, *à fine usque ad finem.*

33. *Inseretur autem velum per uncinos*] Qui scilicet in superiori aulæo, quod tabernaculum tegebat, duas magnas cortinas una cum laqueolis conjunctos tenebant.

36. *Facies & aulæum*] Aulæum sive velum pro foribus tabernaculi, pro quarto scilicet latere tabernaculi, à parte Orientali, qua tantum patebat ingressus. Pendebat autem velum illud ex quinque columnis ligneis deauratis commode stantibus, duabus quidem infixis juxta duos parietes, reliquis tribus æqualiter à se & duabus reliquis distantibus. Simulque ex uncinis velum illud pendebat, & cedebat tantum ingredientibus, non amovebatur, nisi dum loco recedendum erat, Domino jubente: tunc enim omnia à sacerdotibus resolvebantur, & in fasciculos consarcinabantur, à Levitis bajulanda.

D R U S I U S.

1. A*Rtis plumariæ* meminit Hieronymus Exod. 39. 29. ut & *operis plumarii* Exod. 26. 1. & alibi non semel. Idem *plumarium* & *polymitarium* simul nominat Exod. 38. 23. Quid autem eo nomine intellexerit, fateor me ignorare. De voce Græca aut Ebræa non loquor. Lexicon Lat. Græcum vetus, *Plumarius*, πιλοβάφος. *Pluma*, πῖλον, πλῆμμυν. Sunt qui hanc artem hodie in orbe nostro desiisse putant, remanere autem adhuc in orbe Novo, unde allata specimina ex plumis fabrefacta plurimi mortales viderunt. De his Cortesius Narrat. 2. *Ea vero ex plumis talia, quod nec in cera nec in rebus sericis acu pictis mirabiliora fieri possent:* & rursum Narrat. 3. *Ex plumis fabrefacta tam mirabilia habuimus ut scriptis demonstrari non possint, nec eorum excellentia comprehendi videatur.* Quæ habeo, fatebor quod res est, à Nicolao Fullero Anglo viro sane docto, cujus Miscellanea sacra dono accepi his diebus à Constantino L'empereur, doctissimo juvene, rerumque sacrarum studiosissimo. Vide, si placet, cap. 21. lib. 1. Hujus Fulleri diligentiam non possum non laudare. Utinam ad ejus exemplum Theologi alii sua studia conformarent. Haberemus brevi versionem qualem diu desideravimus. Tantum requiro majorem ingenuitatem. Nam cum, ut dubium non est, ex meis libris aliquid profecerit, tamen mei nusquam mentionem facit nisi semel ubi dissentit. Nam l. 3. cap. 7. ubi quærit quisnam sit ille συζητητὴς de quo Apostolus 1 Cor. 1. 20. negat eum esse quem Judæi vocant sapientem Mecar, qui συζητεῖν non חקר sed דרש significat. Imo חקר verbo ἐκζητεῖν reddunt LXX. Psal. 43. 23. & Ezech. 39. 14. Hoc primum. Deinde Apostolus non dicit συζητητὴς simpliciter, sed συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου, *conquisitor seculi hujus.* Quo nomine Physicum innui declarat Hieronymus in epist. ad Galatas ita scribens, *Ubi sapiens, ubi grammateus, ubi caussarum naturalium scrutatores?* Jam vero quod ait Physicam diu post Christum Judæis innotuisse, toto cœlo fallitur. Nam pars est Philosophiæ, quæ in Judæa vigebat sub templo secundo: Quam quia cum Lege permiscebant, ideo Hasmonæi decretum fecerunt, quod memoratur in historia illius temporis, *Maledictus qui docet filium suum philosophiam Græcam.* Non quod philosophia, si quis recte utatur, sit damnanda: sed quod mixtura illa veritati noxia sit, ut ipsa experientia hodie nos docet.

6. *Ut sit tabernaculum unum*] Nicolaus explicat, *ut sit unum operimentum tabernaculi.* Male. Nam est משכן in fonte, non אהל, quod aliquando significat *tectum tabernaculi.* Cur ergo dicit *tabernaculum unum*? An quoniam omnia complectebatur? Nam, ut Abenezra scribit, omnia corpora non sunt res una, duntaxat constant juncta ex unitatibus. Sic *nomen*, inquit, *honorandum, quod est unum comprehendens omnia, ut vocatur Unum sive Unus: Similiter mundus parvus & magnus.* Ubi sic vocatur? Ne longe abeam, ecce Job 31. 15. *Firmavit me in vulva unus.* ubi Thargum, *unus Deus.* Nec aliter Scholia Ebraica. Sic Job. 14. 4. *Quis dabit mundum de immundo? Non unus?* Idem Thargum, *nisi Deus qui unus est, & remittit ei. Non* pro *nonne*: & *unus*, ut Mal. 2. 15. *nonne unus fecit?* Item, *Quid unus quærit?* Zach. 14. 9. *In die illo erit* Dominus *unus, & nomen ejus unum.* Non peccabit qui leget, *& nomen ejus Unus.* Nam inter nomina Dei אחד *Unus*, quod Chaldæi dicunt חד *Had*, & geminata syllaba חדחד, quod scriptum *Adad* apud Macrobium Saturn. l. 1. c. 25. Verba sunt, *Deo quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat Unus.* In Eusebii de Præpar. p. 25. Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν. Scaliger contra Cardanum, pag. 511. *Adad, Sol, Persarum lingua:* Aut legendum, *Ada*, i. אחד. Hesychii λέξις, *Ada, Juno apud Babylonios.* In Crinito lectum *Adab*, quod sonat, si interpreteris, *unus pater*: Sed hoc potius diceretur אב אחד, sive *Abad*, ut Mal. 2. 10. *Nonne pater unus omnium nostrum? Nonne Deus unus creavit nos?* Huc referunt, imo cogunt obtorto collo, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* quod interpretantur, *usque ad unum Christum.* Melior interpretatio, *ne unus quidem.* Nam in fonte ad verbum, *non est etiam unus.* Sic Job 14. 4. *Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem.* Rursum Matth. 19. 17. *Non est bonus, nisi unus, ὁ Θεὸς, videlicet Deus.* Sic quidam. Comment. lib. in Aboth, 542. *Deus benedictus unus nominatur, quia unus est in mundo.* Vide quoque Thanhuma 65. 2.

18. Auster tribus nominibus appellatur, *Darom, Nageb, Theman.* Abenezra his nominibus tria capita Meridiei significari putat: quem vide, si placet, Exod. 27. 9. Vide quoque Notas nostras majores. De *Darom* alias. *Nageb* vocatur à *siccitate.* Nam plaga mundi siccissima est propter æstum solis, qui in ea maxime fervet. *Theman* dicitur à situ hominis qui Orientem respicit: Nam is Austrum habet in dextera. תימן à ימין, unde & ימני, quod δεξιὸν notat; & regnum *Aliman*, i. Austri. Simul hæc nomina leguntur Exod. 26. 18. *ad plagam quæ respicit Austronotum.* Quod ita dicitur ut *Euronotus*, qui ex parte Notum & ex parte Eurum respicit. Sic Austronotus, qui directe Meridiem spectat. Posses etiam vertere, *ad plagam Austri Meridiem versus*, nisi esset נגבה in fonte, cum He in fine, quod fere motum ad locum denotat. פאת autem est *plaga* vel *latus*: unde Hieronymus, *in latere Meridiano, quod vergit ad Austrum.* Forte in נגבה He redundat addita per paragogen. Nam alibi est נגב תימנה *Auster Meridiem versus.* Gallica versio, *ad latus quod respicit recta Meridiem.* Lev. 19. 27. Theodotio habet φααθ, פאת, ubi Aquila κλίμα *clima*, & Sym. περίγυρον *aspectum.*

33. *Sanctum sanctorum*] ἅγιον τῶν ἁγίων. Ebraice dicitur קדש הקדשים. Id ad verbum sonat *Sanctitas sanctitatum.* Dicitur etiam *Sancta sanctorum* ab Hieron. i. τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Sic τὰ ἅγια vocabant ipsum Sanctum, in quo sacerdotes versabantur,

tur, & aliquando ipsum Templum. Reperio & *Sanctuarii sanctuaria* in eodem, Exod. 26. 33. Locus erat interior tabernaculi, in quo arca, unde oracula reddebantur. Proinde דביר appellatur, quod reddunt *Oraculum*. Hieron. in Commentar. Ephes. 1. *Debir, quod nos Oraculum sive Responsum possumus appellare, &, ut contentiosius exprimamus verbum e verbo,* λαλητήριον, *i. Locutorium.* Vocabulo Ebraico δαβίρ usus fuit Theodotio Psal. 28. 2. ubi Hieron. *ad oraculum sanctum tuum*; A. vero & Sym. χρηματιστήριον. Sic A. & Th. interpretantur eandem vocem 1 Reg. 6. 19. Factum hoc nomen à verbo χρηματίζομαι, quod *oraculo admoneri* significat. Quin ejus activum χρηματίζω interpretantur *oraculum reddo* aut *responsum de postulatis aliorum.* Significat etiam *jus reddo*; unde χρηματιστήριον in libris Ezræ *sedes judicii*, vel potius *locus in quo jus redditur.* Verba sunt, ἐκάθισεν ἐν τῷ χρηματιστηρίῳ, quod vulgo transferunt, *sedit in concilio.* Ad rem. Huc quidam referunt ἀνάκτορον, quod laudatur ex editione Symmachi Psal. 26. 6. ubi codex Ebræus מעון habet, *habitaculum.* Sic Templum appellant, quod ἀνάκτορον quoque significat. Nam ἄνακας vocabant Deos, & ἄναξ Deus vel Rex. *Adyti* vocem pro Sancto sanctorum editiones novellæ usurpant, nescio an etiam veteres. Senes pro *loco inaccesso* utuntur 2 Par. 33. 14. qui עפל Ebræis. Ut ut sit, si non ἄδυτον simpliciter, recte tamen vocabitur *adytum templi*, & *adytum Dei sacrosanctum.* Hebr. 9. 7. vocatur σκηνὴ δευτέρα *tabernaculum secundum*, & apud Macarium Ægyptium hom. 47. σκηνὴ ἐσωτέρα *tabernaculum interius*, quod ait Pontificem semel in anno ingressum esse cum sanguine. Verba quibus hoc dicit hæc sunt, Εἰς σκηνὴ ἐσωτέρα καὶ ἐξωτέρα· καὶ εἰς μὲν τὴν πρώτην διὰ παντὸς εἰσήεσαν οἱ ἱερεῖς τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες· εἰς δὲ τὴν δευτέραν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεὺς σὺν αἵματι. Accepit hoc ab Apostolo, qui eadem scribit in epist. ad Ebræos. Doctores Ebræi tradunt quater uno die ingressum esse. Dies ille erat dies Expiationum. Postridie diem bonum faciebat fratribus suis sacerdotibus. Porro exterius tabernaculum *Sanctum* dicebatur, quod velum פרכת dictum dividebat à Sancto sanctorum.

IDEM.

5. מַקְבִּילֹת הַלֻּלָאֹת אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ Τὸ Σαμαρειτικὸν, Διαδεχόμεναι συμβολαὶ μία πρὸς μίαν ἀντιπρόσωποι, ἃ τὸ προσέχειν ἀλλήλαις. Quæ latine leguntur in edit. Rom. *excipientes se commissura una ad unam, facie contra faciem, eo quod sibi invicem cohæreant.*] Διαδεχόμεναι. קבל proprie *accipio per traditionem*, seu *ab alio traditum*, quod Græci dicunt διαδέχομαι, *tanquam per alium transiens accipio veniens ad me.* Sic de Dario Medo legimus in Dan. 6. 1. קבל מלכותא *excepit regnum*, non vi occupavit, sed traditum ab alio accepit. ❡ Συμβολαί. In hoc ipso versu מחברת Lxx συμβολή, i. *junctura, conjunctio, commissura.* ❡ Αντιπρόσωποι, *ita ut altera in alteram versam, sive oppositam, faciem habeat.*

7. יריעת עזים Schol. τρίχινοι καλυπτῆρες, *tegmina*, seu *operimenta, pellicea*] Infra 27. 3. יעי Lxx τὸ καλυπτῆρα αὐτοῦ. Ubi nomen instrumenti cujusdam esse videtur. Sic Num. 4.

17. ידות. Sym. κατοχεῖς] Κατοχή, *retentio, detentio.* Hic instrumentum esse videtur quo aliquid retinetur. Hieron. & Santes, *incastratura.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et tabernaculum facies decem cortinis, è bysso retorta, & hyacintho & purpura, coccoque bistincto, Cherubim opere ingeniosissimo facito ea.*

Tabernaculum] τὴν σκηνήν. ❡ *Decem cortinis*] vel *aulæis*: quod Græce legitur δέκα αὐλαίας. Imperite interpres Origenis, *decem atria.* Non enim αὐλὰς est in Græco textu, sed αὐλαίας. Notavit hoc August. in Quæst. super Exod. q. 137. per hæc verba, *Aulæas quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgo vocant. Non ergo decem atria fieri jussit, sicut quidam negligentes interpretati sunt. Non enim aulas, sed aulæas dixit.* Has cortinas interpres noster infra tentoria vocat: forte quod in modum tentorii tensæ essent. ❡ *E bysso retorta*] שש משזר byssus retorta i. è bysso. Quale illud, *facies mensam ligna Setim*, pro è lignis: item illud, *facies candelabrum aurum purum*, quod nos diceremus, ex auro puro. בוץ byssum etiam Chaldæi reddunt. Nam בוץ βύσσος: à quo byssus. Unus Tremell. *Xylinum nativum.* משזר retorta vel duplicata. i. שזור. Ebræi veteres, quos R. Levi sequitur *retorta sexies.* Cujus explicationis vis latet in שש byssus, quod significationem habet numeri senarii. Quidam; *contortuplicata, ut loquitur Plautus.* Chald. שזיר cujus thema שזר torsit, retorsit. Lxx. κεκλωσμένης. Id reddunt, *torta.* Quidam, *aulæa ex byssino stamine.* R. Salom. *Byssus retorta, & hyacinthus & purpura & coccus dibaphus, ecce quatuor species in quolibet filo lini, & tres lanæ, & quodlibet filum tortum erat sexies: ecce 4. hæ species; retortæ pariter 24. in quoque filo sunt.* ❡ *Cocco bis tincto*] vel, *dibapho.* Sed in Lxx. κοκκίνου κεκλωσμένου i. coccino retorto. Quanquam apud Augustinum, *cocco torto.* ❡ *Cherubim*] figuras cheruborum intelligit, quæ vel hominum erant vel avium. Quidam existimant quasvis figuras eo vocabulo significari. Hiero. ad Marcellam, *In Exodo ceterisque locis ubi describuntur vestes plumaria arte contextæ, opus Cherubim i. varium atque depictum factum esse describitur, ita tamen ut Vau litteram Cherubim non habeant: quia ubicunque cum hac littera scribitur animalia magis quam opera sig.* ❡ *Opere ingeniosissimo*] חשב. artifex ingeniosus. Sane Onkelos & Jonathan habent אומן quod *artificem* denotat, & in bibl. Ebraica pro eo legitur חרש חכם artifex sapiens i. peritus Lib. 6. cap. 55. Lxx. ἐργασίᾳ ὑφάντου opere textoris i. textili. R. Salo. חשב *qui textura artificio aliquid parat, ut est sericarius; qui cingula serica texit, quæ vulgo* ?? *dicuntur.* Idem negat hæc opera fieri acu sive רקמה, cujusmodi sunt quæ phrygionica vocantur: unde רוקם qui acu aliquid pingit. Si recte, peccavit Santes cum verteret, *opere Phrygionico.* Sed pro Sante stat David Camius in libro Radicum, ubi חשב interpretatur dicens significare, *qui velum parat opere phrygionico* (ברקמה) *figuram habens Cheruborum.* ita enim malo dicere quam Cherubinorum. Abenezra distinguit חשב ingeniosum artificem à רוקם polymitario & ארג textore. *Nam opera quæ ab eo fiunt,* inquit, *neque acu fiunt, neque per texturam, sed eo modo quo hodie vestes è serico parantur.* Ceterum sapientes dicunt מעשה חשב esse פנים מיכן פנים & רקם esse פרצוף אחד. Idem ibidem. Hiero. *opere plumario.* Porro plumarium opus acu fit. i. במחט: unde plumarius, qui acu pingit aliquid in pulvinaribus plagis. R. Salo. scribit רקמה esse opus quod acu fit, non textura. Ergo ברקמה i. opere plumario, & convenit interpretis nostri sententia cum expositione Davidis Grammatici, cujus modo mentionem feci. Nec dissentit Santes. Nam phrygionica opera quæ acu fiunt, & phrygiones qui acu pingunt. Phryges enim primi invenere talem artem. Itali *ricamatori* dicunt voce, ut apparet, ab Ebræis mutuata. R. Levi ad Salomonis opinionem magis inclinare videtur, cum ita scribit, *Cherubim opere artificis ingeniosi, vult dicere quod in textura ejus fuerint signata imagines Cheruborum utrinque. Tales enim sunt imagines quæ fiunt textura opere artificis, qui forte חשב vocatur quia excogitat numerum filorum quo signet sive imprimat imaginem in textura sua.*

2. *Longitudo cortinæ unius viginti octo cubitorum erit, & latitudo quatuor cubitorum cortinæ unius: mensura una omnibus cortinis.*

3. *Quinque cortinæ erunt junctæ una ad aliam, & quinque cortinæ erunt junctæ una ad aliam.*

Longitudo] μῆκος. ❡ *Cortinæ unius*] aulæi unius. Hoc membrum mox iteratur, omissum ideo ab interprete vulgato, quia in Latino sermone redundat. Sane abesse potest salva sententia. ❡ *Latitudo quatuor cubitorum*] Hoc totum desideratur in edit. Jonathæ, supplendum ex Onkel. ופתיא ארבע באמין. ❡ *Mensura una*] μέτρον ἓν, sive quod idem τὸ αὐτὸ i. eadem. Hiero. hic habet, *mensura unius fient omnia tentoria*, per tentoria perspicue ipsa aulæa sive cortinas intelligens. Quod & supra notavimus. ❡ *Junctæ*] conjunctæ per suturam. R. Salo. Nicol. alii: *loramentis & ansulis*, de quibus mox. Tremell. ad quem te adire cupio. Pro junctæ sive conjunctæ, in Ebræo est חברת, in Chaldaicis, מלפפן: in Lxx. ἐχόμεναι. Apud Hiero. *quinque cortinæ sibi jungentur mutuo.* Gall. edit. *accouples.* ❡ *Una ad aliam*] vel, *altera ad alteram.* Verbum è verbo, *Mulier ad sororem suam*: quod Ebræi dicunt אשה אל אחתה. Nota genus loquendi. Nam quia יריעה cortina vocabulum fœmininum est, ideo sic loquitur. Alias dixisset, *vir ad fratrem*, vel, *socium suum*, ut alibi, ubi sermo de Cherubis, איש אל אחיו vir ad fratrem suum, i. alter alterum respiciebat. Huc referunt nonnulli *Non duces mulierem ad sororem suam*, ut sensus sit, unam ad alteram. Si recte, tum certe vetita lege polygamia. Quod multi negant, & mihi res adhuc dubia est. Hunc Ebraismum vitavit h. l. Onkelos cum verteret חדא עם חדא una cum alia. Sic etiam Jon. Sed & Lxx. ἡ ἑτέρα ἐκ τῆς ἑτέρας: vel, συνεχόμεναι ἑτέρα τῇ ἑτέρᾳ. ❡ *Quinque cortinæ erunt junctæ &c.*] Docte Hiero. *& aliæ quinque nexu simili cohærebunt.* Jon. *& quinque cortinæ aliæ conjunctæ una cum altera.*

4. Facies

4. *Faciesque laqueolos hyacinthinos in labro cortinæ unius ab extremo in commissura, & sic facies in labro cortinæ exterioris, in commissura secunda.*

Laqueolos] i. parvos laqueos, quos Galli *lassets*, vel, ut alii scribunt, *lacets* appellant. Hic laquei voce intelligo vincula sive loramenta, quibus aliquid connectimus. Ebraice ללאת. Id LXX. reddunt, ἀγκύλας, quod ansas interpretantur. Nam ἀγκύλη ansa jaculorum sive amentum. Hieron. *ansulas* habet. Chaldæi ענובין i. *laqueos*, interprete Fagio. Sed appellatio vocis à ligando quasi ligamina dicas aut vincula. Nam ענב ligavit, & ענובה ligatio. R. Salo. id sig. Gall. voce לשיט״ש i. *lassets*, sive *lacets*. Qua usi sunt h. l. interpretes è Sabaudia. Lex. Chald. Munsteri, ענובין *vitta vel nodi*, *vel*, *ut translatio nostra habet*, *ansulæ*. Quam interpretationem Leo Judæ retinuit. ¶ *In labro cortinæ*] Alibi aliter, hic labium sive labrum oram sig. Nam extremitas cujusque rei Ebræis שפה dicitur, quæ vox *labium* denotat. Usi sunt hac Metaphora LXX. & On. August. *oram summam* interpretatur. Jon. אימרא edidit. Lexicon Munst. אימרא *ora*, *fimbria*. ¶ *Ab extremo*] מקצה ab extremitate. Onkelos & Jonathan, *à latere*. Latus autem vocant סטרא vel סטר. LXX. ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους : ab una parte. Hiero. *in lateribus*. Edit. Gall. *ab ora*. Nam ea est extrema pars aulæi. Sed ora potius שפה dicitur, ut vidimus. ¶ *In commissura*] Sic Tremell. Prius Santes ediderat in conjunctione & LXX. εἰς τὴν συμβολήν. Si recte, tum חברת nomen erit, cum potius videatur esse part. fœm. *in conjuncta* sub. cortina : quod Galli reddunt *de celui qui est accouplé*. Sic supra יריעה חוברת cortinæ conjunctæ. Hiero. *ut possint invicem copulari*. R. Salo. *in ea cortina quæ in fine conjuncturæ, ubi coëunt quinque cortinæ*, & vocatur חוברת. On. *in loco conjunctionis*. Quomodo & Jon. qui conjunctionem לופי vocat, לפף conjunxit, unde מלפפן conjunctæ. Exemplaria Onkeli variant. Nam in aliis בית לופי, & in aliis בית לופי. Forte legendum בבית in loco. Fagius, *ubi locus est conjunctionis*. De commissura cortinarum videndi sunt Nicolaus & Cajetanus. ¶ *In labro*] in ora. ¶ *Exterioris*] vel, *extremæ*. ¶ *Secunda*] altera. ¶ *In commissura*] Hic est מחברת in Ebræo, quod indubitato συμβολῇ i. conjunctionem sive commissuram sig. Quo firmabis interpretationem alteram vocis חוברת, de qua dictum est modo.

5. *Quinquaginta laqueolos facies in cortina una, & quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinæ quæ in commissura secunda, oppositi erunt laqueoli unus ad alium.*

In extremo] Onkelos & Jonathan, *in latere*. LXX. ἐκ μέρους ex parte. ¶ *Oppositi erunt &c.*] מקבילת הללאת אשה אל אחתה. LXX. ἀντιπρόσωποι ἀντιπίπτουσαι ἀλλήλαις εἰς ἑκάστην, quod reddunt *faciem contra faciem concurrentes ad invicem ad unamquamque*. Sic est in editio. Roman. Lat. Quod noto, quia apud August. q. 107. *faciem contra faciem consistentia ex adverso singula*. Et in Catena patrum apud Lippomanum, *contraria cadentes ad invicem unicuique*. Vide supra. מחברת ad cortinas retulit B. Augustinus, cum possit referri etiam ad laqueolos, & melius, meo judicio. Chaldaicum est קבל ante. Ebræi dicerent נגד. Hinc מקבלת, vel Camio teste; qui etiam accipit in significatione קבלה : sed tum potius esset מקבלות excipientes erunt laqueoli alter alterum, vel *unam ad aliam* ut אשה אל אחתה ad cortinas referatur. Sane Arias habet, *suscipientes &c.* & Tremellius, *continentia erunt hæc loramenta unum aulæum cum altero*. Onkelos, *respicientes erunt laqueoli unam cum alia*. Jon. *unum contra aliud*. Ut dicam quod res est, nondum mihi clara lux in h. l. Pro מכוונן in Jario est מכוונן ut כוונה. Quid si, *facientes ut laqueoli exciperent alius alium?* ¶ *Unus ad alium*] Ad verb. *Mulier ad sororem suam* : de quo Ebraismo diximus alibi. Abenezra, מקבלת interpretatur נגד לקבל את unam è regione sive ex adverso alterius. Idem per אשה ait denotare substantiam rei. Sic nomine איש vir : unde, *vir ille Gabriel*, ut si dicas ipse Gabriel.

6. *Et facies quinquaginta uncinos aureos & conjunges cortinas unam ad aliam per uncinos, eritque tabernaculum unum.*

Uncinos] alii, *circulos* : alii, *ansulas*. LXX. κρίκους i. circulos sive annulos : quibus laqueoli inserebantur. Lexicon Vetus, Circulus, κρίκος, qui & κίρκος. Dicitur etiam κίρκος. Vox Ebræa ab incurvando dicta. Nam קרס & כרס synonyma sunt. Utrumque sensum habet incurvandi, quod Ebræi dicunt עין כפיפה. Sane R. David ait *capita horum curva fuisse*, & R. Salo. vernacule interpretatur פירמליש *fermiles*, *quorum capita*, inquit, *intrabant unum in laqueolos qui in commissura hac, & alterum in laqueolos qui in commissura illa*. Hucusque Rabbinus ille. Quibus verbis innuit potius uncinos aut fibulas esse, qui Ebraice קרסים dicuntur, quam annulos aut circulos. Eadem significatio vocabuli פורפין quo usi sunt Onkelos & Jonathan. Itaque Fagius *uncinos* reddit, & Munsterus in Lex. suo, *uncinos*, *fibulas*. Hinc פרף fibulatus i. pallio rectus quod fibula claudatur, & מפרפן כרות Medicæ fœm. fibulatæ quarum videlicet vestes fibulis nexæ sunt. ¶ *Per uncinos*] fibulis illis. Hiero. *quibus cortinarum vela jungenda sunt*. Trem. *inditu loramentis in ansulas illorum*. Nam קרסים ei sunt ansulæ. ¶ *Eritque*] vel, *ut fit*. Hieron. *ut unum tabernaculum fiat*.

7. *Et facies cortinas caprarum ad operiendum quasi tentorio tabernaculum, undecim cortinas facies eas.*

8. *Longitudo cortinæ unius triginta cubitorum & latitudo quatuor cubitorum cortinæ unius : mensura una erit undecim cortinis.*

Vide Nicolaum. Superiore versu ad, *eritque unum tabernaculum*, notat Abenezra, *unum dici quia omnia in se continent. Constabat autem decem cortinis. Ceterum omne corpus non est unum. Sic Deus vocatur אחד i. unus, quia omnia comprehendit : itemque parvus mundus & magnus*. Hæc fere Abenezra. Quod ait Deum אחד dici firmatur autoritate Macrobii, apud quem Adad legitur pro Ada i. אחד. Quæ vox est linguæ Chaldaicæ. Verba sunt Saturnal. lib. 1. cap. 23. *Deo quem summum maximumque venerantur Adad nomen dederunt; ejus nominis interpretatio sig. unus*. Hesychii λέξεις, *Ada apud Babylonios Juno*. Forte geminata voce Adad i. חד חד unus unus. In Crinito lectum Adab i. unus pater. Eusebius Θεοπαράδος. pag. 25. Ἀδαδὸς, βασιλεὺς θεῶν. Scaliger contra Cardanum pag. 511. *Adad Sol Persarum lingua*. ¶ *Cortinas caprarum*] vela caprarum i. è pilis caprarum, aut è lana caprina. Hiero. *Saga cilicia*. Est autem sagum vestis stragulæ genus. Cilicia autem fiebant ex villis hircorum aut caprarum. LXX. δέῤῥεις τριχίνας, quod interpretantur, *vela capillacea*. Ergo δέῤῥις velum. Usitate sig. pellem i. δέρας, corium. In veteribus Lexicis exponitur etiam vestimentum densum è pilis, cilicium. Pro capillacea malim pellicea, vel si mavis, cilicina : ut τρίχινος σάκκος, cilicinus saccus seu ex pilis confectus. Capillaceus i. capilli speciem referens. Schol. τρίχινα καλύμματα è pilis confecta tegumenta vel opercula. On. & Jon. יריעי דמעזי aulæa quæ è capris sive è pilis caprarum. Nam עזים aliquando pili caprarum vel lana caprina. Vide quæ notavimus Exod. 25. 4. Hinc firmabis interpretationem Santis, *è pilis caprarum*. Vox Ebræa etiam Hircos & hædos denotat, h. e. caprigenum omne genus Exod. 12. 5. מן העזים. LXX. ἀπὸ τῶν ἐρίφων. Appellatio à robore. Nam עז robustus, unde & עזה quasi tu dicas, *Valentia*, nomen urbis in Palæstina proprie dicta. ¶ *Unius*] cujusque. ¶ *Cubitorum*] Verbum è verbo, *in cubito*. ¶ *Ad operiendum quasi tentorio*] לאהל in tentorium sive operimentum. Id pro eo habendum ac si dixisset לאהלה ad operiendum quasi tentorio. Nam אהל tentorium sive tabernaculum. Hic sumitur pro tegumento tabernaculi. LXX. σκέπην vocant, cum tabernaculum iisdem σκηνὴ dicatur. Hiero. *ad operiendum tectum tabernaculi*. Onkelos לפרסא, quod Fagius reddit, *ut sint operimentum*. Lex. Munsteri פרסא velamen, operculum. Jonathan, לפרסא ad tegendum sive operiendum, nisi mavis, ad expandendum. Nam פרס pandere, tendere tabernaculum. Vide Gen. 13. 3. In quibusdam Græcis exemplaribus σκέπειν ἐπὶ τῆς σκηνῆς, & apud Augustinum quæst. 108. *operire super tabernaculum*. Vide Rom. edit. Lat. R. Salo. *ad extendendum eas super cortinas inferiores*. Idem עזים exponit נוצה של עזים è pilis caprarum. ¶ *Undecim*] עשתי עשרה ἕνδεκα. Perperam in Jon. legitur תרסר duodecim. Tu emenda ex sequentibus חדסר, quod Onkelos extulit חד עשר undecim. Sane duodecim Ebraicè שנים עשר dicitur. ¶ *Unus*] עשתי Abenezra contractum putat ex אחתי, & recte mea sententia. Nam ejus masculinum est אחד unus. Ceterum vitatus hic fuit concursus duarum litterarum affinium. Nam Daleth & Thau communem familiam habent.

9. *Et conjunges quinque cortinas seorsim, & sex cortinas seorsim, duplicabisque cortinam sextam è regione tentorii.*

10. *Faciesque quinquaginta laqueolos in labro cortinæ unius externæ, in commissura, & quinquaginta laqueolos in labro cortinæ unius commissuræ secundæ.*

Conjunges] συνάψεις. ¶ *Quinque cortinas*] Jonathan addit de suo, *respectu quinque librorum legis*. Hinc Pentateuchus. ¶ *Seorsim*] vel, *seorsum*, ut Zach. 12. 2. Utrobique est לבד & in Chaldaismo לחוד. Minus recte LXX. ἐπὶ τὸ αὐτὸ יחד. ¶ *Sex cortinas*] rursum Jonathan, *respectu sex ordinum Deuteroseos*. Chaldaice שית סדרי מתניתא. Est autem Mathnitha; quæ & Misna, Deuterosis; unde תנאי Deuterota, sive Deuterotæ. Thema תנן quod factum ex Ebræorum שנה Sin, ut fit, in Thau versa. ¶ *E regione tentorii*] Quidam, *e regione anterioris partis*

partis tentorii. Ebraice est פני האהל faciei tentorii. Quæ vox in Latio sæpe redundat. Porro tentorium hic אהל dicitur. Supra, *ut sit tabernaculum unum.* Nicolaus enarrat, *unum operimentum tabernaculi* : male. Nam ibi est משכן in fonte. Hieron. *ita ut sextum sagum in fronte tecti duplicis.* *Tectum* appellat, quod alii, *tentorium*, quia tegmen erat ipsius tabernaculi. Senes supra σκηνὴν vocant. Hic posuerunt τῆς προσώπου τῆς σκηνῆς, nisi mendum in eorum libris : quos à mendo vendicant interpretes Chaldæi משכנא referentes. Tu observa hæc duo vocabula interdum confundi. ¶ *Labro*] ora. Est autem singularis casus ablativi à nominativo, *ora*, *oræ* : Non pluralis ab *os oris*. ¶ *Extrema*] ultimæ. Quidam, *ulterioris.* Vide Tremell. Onkelos & Jonathan, *in latere.* Lxx. τῆς ἀκρῶν, quod est intermedium. ¶ *Commissuræ secundæ*] Lxx. τῆς συναπτούσης τῆς δευτέρας. Nam חברת conjuncta. Jon. *in commissura secunda.* Quidam, *in ora cortinæ secundæ, quæ conjuncta est.* Sic ed. Gall.

11. *Faciesque uncinos aneos quinquaginta & induces uncinos illos in laqueolos : ita conjunges tabernaculum ut sit unum.*

Uncinos aneos] aut, *fibulas æreas.* De voce קרסים diximus vers. 6. ¶ *Induces*] inseres. Quæ futura vim habent imperandi. Proinde in aliis editionibus, *facias & inseras.* ¶ *Laqueolos*] Loramenta. ¶ *Tabernaculum*] *operimentum.* Hiero. ¶ *Ut sit unum*] & erit unum: καὶ ἔσται ἕν.

12. *Et superfluum quod redundat in cortinis tabernaculi, dimidium cortinæ redundantis superfluet versus posteriora tentorii.*

Et superfluum] סרח verti, superfluum i. יתרון : quomodo exponunt Camius & R. Levi. proprie, *superfluitas.* Chalda. שירוא & עודף, quod scribunt שרוא. Extat autem in Jon. & Jerosol. ¶ *In cortinis tabernaculi*] Alius, *in aulæo tentorii.* Hiero. *in sagis quæ parantur tecto.* אהל proprie tectum tabernaculi, quod משכן dicitur. Sic distinguunt diserte R. Salo, inquiens, *Supra cortinas tentorii sive tabernaculi erant cortinæ tecti superiores è pilis caprarum.* Et mox, *Omne* אהל *quod de illo dicitur non habet aliam significationem quam tecti.* Lippomanus, *Dictio* אהל & *tabernaculum & operimentum & tentorium & tectum sig.* R. Levi ad h. l. *Videtur*, inquit, *mensura Sancti Sanctorum in longitudine fuisse* 10. *cubitorum, & totidem in latitudine & altitudine.* Vide sequentia. ¶ *Superfluet*] Quidam, *excedet*: alii, *superfluere facies* sive *extendes.* Nam est תסרח in textu Ebræo. Id si ad hominem referatur, tum est verbum secundæ personæ : si vero referatur ad cortinam, tertiæ, & verbum fœmininum. ¶ *Versus posteriora*] Alius, *In posterioribus.* Sic loquendo intelligit posteriorem partem tabernaculi, ubi erat Sanctum sanctorum, in quo arca fœderis.

13. *Et cubitus hinc, & cubitus illinc ex eo quod redundat in longitudine cortinarum tentorii, erit superfluus versus latera tabernaculi hinc inde ad tegendum illud.*

Et cubitus hinc &c.] Duo ergo cubiti superfluebant. Erant enim cubiti triginta & in cortinis tantum 28. Videndus est ad h. l. venerabilis Beda : cujus verba citantur in Catena patrum. ¶ *Hinc*] ab aquilone. ¶ *Illinc*] à meridie. ¶ *Ex eo quod redundat*] בעדף in eo quod redundat. *In* pro *ex*, ut ibi, *Diliges DOMINUM ex toto corde tuo.* Nam in fonte בכל לבך in toto corde tuo. עדף *nomen est adjectivum*, ait Abenez. R. Salo. hunc locum ita elucidat, *in longitudine cortinarum tentorii sive tecti, quæ superfluunt super longitudinem cortinarum tabernaculi duobus cubitis.* Idem, *posteriora tabernaculi* exponit latus occidentale, *quia*, inquit, *ostium erat in oriente, ubi facies ejus i. pars anterior. Ceterum aquilo & meridies appellantur latera dextram lævamque versus.* Hæc Rabbinus ille.

14. *Et facies operimentum tentorio è pellibus arietum rubefactis, & operimentum è pellibus melium superne.*

Operimentum] κατακάλυμμα, tegmen, operculum, מכסה, cujus pluralis מכסאות *opercula* in R. Salo. Chald. חופאה. ¶ *Tentorio*] tecto. Nam לאהל in fonte. R. Salomo, *ipsi tecto cortinarum, quæ ex pellibus caprinis, aliud insuper tegmen fecit ex pellibus arietum rubefactis.* ¶ *E pellibus arietum*] verb. è verbo, *pelles arietum rubefactas*, quod Græci dicunt δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα. Hiero. *de pellibus arietum rubricatis.* Id in Ebræo legitur מאדמים & Chald. מסמקי. Utrumque sig. *rubefactas pelles.* Nam *rubricatas* nescio an Latinum sit eo sensu. Ut ut sit, utuntur eo participio & alii, quod à rubrica ductum, quæ terra est rubri coloris, & minio proxima, qua Fabri materiarii lineas ducunt. Proprie igitur *rubricatas* i. rubrica notatas. Hic aliter sumitur. Ab Hesychio ἠρυθροδανωμένα exponitur, πυῤῥὰ πυροειδῆ, κόκκινα: alii tincta radice rubiæ, quæ ἐρυθρόδανον dicitur. ¶ *Ex pellibus melium*] quod imponebatur operimento è pellibus arietum rubefactis. R. Salo. *Amplius supra illud erat operimentum è pellibus melium. Porro hæc operimenta non tegebant nisi tectum: longitudo eorum* 30. & *latitudo* 10. *secundum R. Nehemiam. Porro secundum verba R. Juda operimentum unum erat : dimidium ejus constabat ex pellibus arietum, & dimidium alterum ex pellibus melium.* ¶ *Melium*] alii, *taxorum.* Lxx. ὑακίνθινα : unde in quibusdam libris edit. vulgatæ, *hyacinthina.* Sed in aliis, *janthina.* On. habet ססגונא & Jon. ססגונא. De his supra non repeto. Videndus & Lyra ad hunc locum.

15. *Et facies asseres tabernaculo è lignis Settim stantibus.*

16. *Decem cubitorum longitudo asseris & cubiti cum dimidio cubito latitudo asseris unius.*

Asseres] alii, *tabulas.* Sed tabulæ potius לוחות dicuntur. קרשים sunt asseres. Quanquam & Lxx. στύλους columnas. Scire licet columnas dici עמודים. On. habet דפין, & Jon. לוחי pro quo in Jerosol: לוחי, nisi mendum pro לוחי ex absoluto לוחין tabulæ. ¶ *E lignis Settim*] Beda, *ligna Setim, de quibus tabernaculum fiebat, imputribilis sunt naturæ, eximii candoris ac levitatis, & non multum ab alba spina, nisi magnitudine tantum, distantia. Unde & Hiero. nonnunquam in libro Ebræorum nominum & in aliis opusculis suis, Setim absolute spinas interpretatus est. Verbi gratia, Abel Setim, luctus spinarum. Non autem facile hoc genus ligni nisi in desertis Arabiæ, ubi tabernaculum ædificabatur, solet inveniri. Unde Græci vel Latini interpretes nomen ei aliud præter Ebræum ponere nequiverunt, utpote cujus apud eos notitia nulla erat : quamvis quidam qualitatem naturæ ejus exprimere volentes, ligna imputribilia transtulerunt.* Vide supra cap. 25. vers. 5. ¶ *Stantibus*] erectis, arrectariis. Asseres arrectarii in craticio pariete, qui ejecti sunt, sicut transversarii, qui transversum ponuntur. Vitruvio Arrectaria & orthostatæ quævis materia sive lignea sive lapidea, quæ tympana includit, i. ὀρθοστάτας. Jon. addit, *ut in via cippi ipsorum.* נציבין enim sunt cippi aut stelæ: Unde Nisibis dicta. Dicimus autem Nisibis, & Nesibis & Nasibis. Stephanus de urbibus, σημαίνει δὲ ὡς φησι Φίλων νασίβις τὰς στήλας· ὡς δὲ Ουράνιος νασίβις φησὶ σημαίνει τῇ Φοινίκων φωνῇ λίθοι συγκείμενοι συμφορητοί. Vide sis h. l. Lyram. ¶ *Asseris*] i. asserum aut positum pro asseris cujusque. Nam in Ebræo הקרש cum articulo, quem exprimunt hic per cujusque aut uniuscujusque. Quam interpretationem editio Hiero. confirmat, *quæ singula denos cubitos in longitudine habeant.* Lxx. hic habent, τὸν στύλον τὸν ἕνα, columnam unam. Vide sequentia. R. Salomo notat non dici קרשים sed הקרשים quasi asseres illos, nempe qui huic usui proprie destinati erant. Adi sis illum. ¶ *Decem cubitorum*] *quæ altitudo erat*, inquit R. Salo. *tabernaculi.* ¶ *Cubiti cum dimidio*] *longitudo tabernaculi viginti asserum erat triginta cubitorum.* Idem. *De cubito nescire se* ait Abenez. *utrum hi cubiti iidem sint cum cubitis Ezechielis.* Putat autem eosdem fuisse prioris tabernaculi, quia videl. in Paralip. scriptum הראשונה המדה. expende. ¶ *Asseris unius*] Trem. *asseris uniuscujusque.* אחד pro aliquis, quidam, tritum est: pro *cujusque* etiam infra poni videtur vers. 17. Græcus & Chaldæi nihil mutant. Asserum spissitudo à Josepho putatur fuisse quatuor digitorum: ab aliis *unius cubiti.* Qua de re videndus Lyra noster. ¶ *Cubiti cum dimidio*] Hiero. *Singulos cubitos ac semissem.* Semissem vocat dimidium cubitum. Malim, *cubiti cum semicubito.* Nam semissis aliud est. (LXX. πήχεως ἑνὸς καὶ ἡμίσεως : cubiti unius & dimidii) Dicimus tamen, *duos pedes & semissem.* Cur non eodem modo, *duos cubitos & semissem?*

17. *Duæ incrustaturæ sint asseri cuique disposita ut gradus in scalis altera ad alteram: sic facies omnibus asseribus tabernaculi.*

Incrustaturæ] Ita Hiero. & Santes. Alii aliter vertunt. Lxx. ἀγκωνίσκοι. Ea vox proprie cubitulos sig. i. parvos cubitos. Nam ἀγκὼν est cubitus. Quidam ex Vitruvio *commissuras & catenationes* appellant. August. quæst. 109. *Anconicos* (alias anconiscos) *autem dicit, quos vulgo vocamus ancones; Sicut sunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta est autem similitudo verbi à cubitu, ubi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes, qui Græce ἀγκῶνες vocantur.* Hæc ille. Sym. κατοχὰς i. retinacula. Sic edit. Gall. *tenons.* Alii *cardines* i. צירין ut On. & Jon. quos secutus est Trem. alii, *denticuli*, in queis Leo Judæ. Verb. è verbo, *manus.* Munsterus, *pedes.* Sed tralatio à manibus quibus aliquid retinemus. Sic denticuli sive cardi-

cardines isti retinebant asseres suis basibus inserti. ¶ *Asseri cuique*] vel, *tabula uni*. Hic rursus *uni* positum videtur pro cuique. Quod tamen sequentia debilitant. Nam quorsum diceret, sic facies omnibus asseribus. Malim ergo *asseri uni*. ¶ *Disposita ut gradus in scalis*] Nam שלבים gradus scalarum. Inde משלבת quod Trem. reddit, *Scalari forma compositi i. aequaliter distantes ut scalarum gradus aequaliter distant*. R. Salo. *facta instar gradus scalae & distincta una ab alia, quarum capita juncta erant quo ingredi possent foramen basis, ut gradus qui ingrediuntur foramen columnarum scalae*. Alii aliter interpretantur. Hic notabis scalam סלם dici cujus partes שליבה gradus. עמודי הסלם ligna utrinque erecta, quibus gradus immittuntur per foramen quod נקב dicitur. Ex Jario, „ qui etiam ידות ab Onkelo צירין vocari dicit, quod similitudi„ nem habeant cum cardinibus ostii sive januae, qui ingrediuntur „ foramina liminis. Haec ille. ¶ *Altera ad alteram*] vel, *una ad aliam*. Verb. è verb. *Mulier ad sororem suam*. Ebraismus notus. ¶ *Sic facies*] tales videlicet incrustaturas aut cardines vel denticulos. Videndus ad h. l. R. Salo.

18. *Et facies asseres illos tabernaculo, viginti asseres ad plagam australem meridiem versus* (quae respicit austronotum, vel austro meridiem.)

19. *Et quadraginta bases argenteas facies subter viginti asseres, duas bases sub assere uno duabus incrustaturis ejus, & duas bases sub assere altero duabus incrustaturis ejus.*

Ad plagam australem] vel, *ad latus australe*. פאה proprie angulus: hic pro latere sumitur sive plaga i. רוח quomodo Jon. & On. R. Salo. diserte פאה *hic non sig. angulum sed omnis plaga vocatur* פאה *juxta Thargum ejus*, לרוח עבר דרומא *ad plagam lateris australis*, vel, si mavis, *meridionalis*. Docte Hiero. *in latere meridiano, quod vergit ad austrum*. Verbum è verbo, *ad austrum, ad meridiem*: ut si dicas, ad plagam quae austronotum respicit hoc est recta notum. Nam quae euronotum respicit non recta id facit sed oblique. Lev. 19. 27. פאת. A. κλίμα, clima. Sym. προσόψιν, aspectum. Theod. φαὰθ. In נגבה videtur He superare. Unde alibi est נגב תימנה. Sed nihil statuo. ¶ *Meridiem versus*] תימנה ad meridiem. Male Trem. *dextrorsum*. Nam dextera ימין dicitur, unde ימינה dexteram versus. תימן est auster sive meridies. Appellatio à dextera. Nam qui orientem respicit austrum ad dexteram habet. Unde plaga illa תימן appellata. Nihil verius. Gall. edit. *ad latus quod respicit recta meridiem*: & in margine, *ad angulum meridionalem versus ventum australem*. Forte נגב est nomen plagae sive climatis, & תימן venti nomen, qui notus & auster dicitur. expende. Mihi nunc non vacat. ¶ *Bases*] βάσεις. Chaldaice סמכין & חמרין quae vox posterior extat in Jon. & Jerosol. Quidam, *stylobatas argenteos*, cujus singul. stylolabata sive stylobates. Is differt à basi. Nam basis stylobatae imponitur. Est autem ipsa spira, quae scapo subjicitur. ¶ *Incrustaturis*] cardinibus aut denticulis. Lippom. *Per incrustaturas Josephus & eum sequentes cardines intelligunt. Porro secundum alios incastratio tabularum fiebat dum una (ut vulgo dicitur) incavabatur in sua extremitate, & altera attenuabatur, quatenus attenuata infigeretur concavatae & in sua concavitate, & ita Latinus interpres intelligit. Nec desunt qui dicant, quod incastratio erat insertio tabulae in tabulam per medios clavos compacta, quae ideo fiebat, ne rimula aliqua appareret ibi, aut parietis planicies esset inaequalis. Demum nonnulli has incastraturas duos fuisse dicunt prominentes quasi clavos aut pedes in inferiori parte tabulae ex serratura relictos, qui basibus immissis continebant tabulam erectam.*

20. *Et in latere tabernaculi secundo ad plagam aquilonarem viginti asseres.*

21. *Et quadraginta bases eorum argenteas, duae bases sub assere uno, & duae bases sub assere altero.*

22. *Et lateribus tabernaculi mare versus facies sex asseres.*

23. *Et duos asseres facies in angulos tabernaculi, in duobus lateribus.*

In latere] צלע proprie costa. Hic *Latus* denotat, ut recte vertit Hiero. Id Chaldaice dicitur סטר. Senes habent ἐκ τοῦ κλίτους, quod similiter vertunt, *ab latere*. Sic alibi ἀπὸ τοῦ κλίτους τοῦ νότου, à latere meridionali, quod reddunt, *ab inclinatione seu divergentia coeli australi*. Nam κλίτος devexitas, declivitas. Sed aliter Hellenistae usurpant. ¶ *Ad plagam aquilonarem*] πρὸς βοῤῥᾶν. Hiero. *quod vergit ad aquilonem*. Sic Graeci τὸ πρὸς βοῤῥᾶν. Onkelos & Jonathan *ad ventum aquilonarem*. ¶ *Lateribus tabernaculi*] vel, *in lateribus*. Santes, *ad latera*, quae hic ירכתים vocantur, ut Jon. 1. *descendit in latera navis*. Ea vox nunquam sig. angulos quod sciam. Quanquam in Trem. *Angulis vero ipsius tabernaculi*. Sane anguli מקצעת dicuntur, infra vers. 24. R. Salo. ea voce significari putat extrema tabernaculi: quam interpretationem firmat autoritate Onkeli, vertentis לסיפי משכנא. *Et in posterioribus tabernaculi*. Quomodo & Jon. Ut oriens vocatur facies, quia mundi pars anterior: ita occidens dicitur אחור & אחורים. Nam est posterior mundi pars. Quanquam in rotunda figura neque posterius neque anterius. Vide Quaestiones meas. Gall. edit. *pour le fond de pavillon*; quod aliis examinandum relinquo. ¶ *Mare versus*] ימה ad mare. Hic mare occidentem denotat. Vide Observ. meas. Recte igitur Hiero. *ad occidentalem plagam* & Onkelos למערבא & Jonathan למערבא. ¶ *Sex asseres*] *ecce novem cubiti latitudinis*. R. Salo. Nam singuli asseres continebant cubitum cum dimidio. ¶ *In angulos*] למקצעת Hiero. *in angulis*. Quidam, *in antas angulares*. Sed angulos reddunt etiam Onkelos & Jonathan, qui mox זויין alia forma vocantur. Gall. edit. *pour les encoigneures*, propter ancones. R. Salo. *Unus angulus erat aquilonaris occidentalis, & alter occidentalis australis*. Vide seqq. ¶ *In duobus lateribus*] ita Santes: Dictio enim בירכתים dualis numeri est. Unde proprie duo sig. Ergo Trem. *in utroque angulo*. Hiero. *post tergum tabernaculi*. Vide quae supra notavimus de hoc vocabulo. Onkelos, *in extremitate ipsorum*. Jonathan, *in extremitatibus eorum, eorum*, inquam, *non ejus*, ut vertit Fagius. Nam tum esset בסופיה. Si Jario credendum, ירך extremitatem & finem notat. Gall. *aux deux costes du fond*. Vide notas marginales editionis illius.

24. *Eruntque gemelli inferne, & simul erunt gemelli ad caput ejus, cum annulo uno: sic erit ambobus illis, in duos angulos erunt.*

Gemelli] i. conjuncti, ut recte Jonathan exponit. Quidam, *gemellipara* תאמים & תמים gemelli i. תאומים δίδυμοι: unde Thomas, qui & Didymus. Reperitur & תומים pro eodem. In תמים absorpta littera, quae vocem plane ambiguam reddit. Nam sig. etiam consummati sive perfecti à singul. תם, cujus Radix תמם. Unde in epitome Pagnini ex h. l. תמים perfecti. Sed interpretes omnes, quos vidi, cum תאמים confundunt & eodem modo interpretantur, videl. gemini aut geminati, conjuncti, gemelli, ut etiam Gall. edit. quae habet *joints & unis*: conjuncti & uniti. Nec aliud sig. quod in Onkelo מכונין. Itaque Fagius interpretatur *conjuncti*: & recte, meo judicio. Siquidem תאם conjungere. Hiero. *una omnes compago retinebit*. ¶ *Ad caput ejus*] videl. asseris cujusque. Hiero. hoc dicit, *à deorsum ad sursum*. Jonathan, *in capitibus suis*, vel, si mavis, *super capita sua*. Trem. *ad verticem suum*. Verb. è ver. *super caput ejus*. ¶ *Cum annulo uno*] אל pro עם poni notum. Non male vertas, *conjuncti ad caput ejus annulo uno*, ut אל pro ב accipiatur. Cujus enallages exemplum invenies cum alibi, tum Gen. 25. 9. Sane Jonathan hic habet בעזקתא חדא *in annulo uno*: in quo sermone τὸ (כי) redundat. Trem. *inditi annulo uno*. Santes, *ad annulum unum*. Jonathan עזקתא quod Fagius reddit, *ad circulum*. Nicol. *In superiori parte jungebantur uncinis* (i. annulis) *quorum quilibet jungebat duas tabulas simul, intrans summitatem utriusque tabulae. Unde ubi translatio nostra habet, eruntque conjuncta à deorsum usque sursum, & omnes una compago tenebit, in Ebraeo habetur sic, erunt conjuncta super caput uncino uno, sicut scribitur in margine. Hoc excepto quod capita tabularum erant concavata secundum spissitudinem uncinorum: ita quod uncini non excedebant capita tabularum, sed implebant illam concavationem*. Videndus R. Salo. ¶ *Ambobus illis*] asseribus. ¶ *In duos angulos*] alii, *in duobus angulis* לשני.

25. *Et erunt octo asseres, & bases eorum argenteae sedecim bases, duae bases sub assere uno, & duae bases sub assere altero.*

26. *Et facies vectes è lignis Settim, quinque erunt asseribus lateris tabernaculi unius.*

27. *Et quinque vectes asseribus lateris tabernaculi secundi, & quinque vectes asseribus lateris tabernaculi pro duobus lateribus ad mare.*

Octo asseres] de quibus supra vers. 22. & vers. 23. Nam sex & duo faciunt simul octo, qui erant in ordine occiduo sive occidentali. In Jario מעלות sunt gradus, id est, שלבים. Ita R. Nathan interpretatur. Vox in Thalmud reperta. ¶ *Sedecim*] Nam singuli asseres habebant binas bases. In Jonathan שית עשר. Contractum ex שית עשר quod & שית עשרא i. sedecim. Vide Gram. Chaldaicam. ¶ *Vectes*] בריחים. Lxx. μοχλὸς, quod *seras* interpretantur. Est autem sera claustrum ferreum à Graecis κλεῖθρον dictum. In Augustino perperam serras scriptum duplici r. Nam serra i. πρίων huic loco non convenit. Onkelos עברין quod annulis ferreis immissae per eos quasi transeant. Siquidem עבר transeo sig. Jonathan נגרין, quod reddunt *vectes, pessulos*. Usus est eadem voce autor Ierosolym. nisi quod נגרין in eo, aliis apicibus.

apicibus. Admonet nos Elias hunc interpretem usum esse hoc vocabulo in fabrica tabernaculi; cum alias ei trita sit vox נגרין de quo modo diximus. נגרין etiam vocantur fabri lignarii. Nota בריחם vectes scribi unico Jod, non duobus. Quod fieri solet quando duo Jodim hoc modo concurrunt. Nam tunc alterum sæpius eliditur. ¶ *Asseribus*] alii, *tabulis*: quod in idem redit. Sane לוח quod in Jon. *tabulas* denotat, & דפי quod in Onk. *asseres* redditur, vel etiam tabulæ. Usitate tamen לוח est tabula & קרש asser. ¶ *Pro duobus lateribus*] aut, *pro utroque latere*. ירכתים nomen est duale, quod invenitur & Jon. 1. *descendit in latera navis*, vult dicere in alterutrum latus. Onk. hic habet לסופיהון in extremitate ipsorum. Sic etiam Jon. Gal. Edit. *pour le fond*. ¶ *Ad Mare*] versus Mare i. Occidentem. Nam occidens mare vocatur, quia mare magnum erat in occidente terræ Israel. Vide Observ. meas.

28. *Et vectis intermedius in medio asserum transcurrens ab uno extremo ad aliud.*

29. *Asseres autem operies auro, & annulos eorum facies ex auro, domos vectibus, & operies vectes auro.*

Vectis intermedius] הבריח התיכן cum Scheva sub ב. Notabunt juniores discrimen quod inter בְּרִיחַ & בָּרִיחַ cum (.) sub Beth. Prius denotat vectem, qui Græce μοχλὸς & ἀναφορεὺς, & est nomen substantivum. Posterius est adjectivum ut Jes. 27. 1. נחש בָּרִיחַ *serpens de uno loco in alium celeriter transiens* sive transcurrens, quod Ebræis est *fugere*. ¶ *Transcurrens*] celeriter transiens. Nam est מבריח in fonte, quod à ברח fugit, unde & בְּרִיחַ vectis, de quo diximus. Sic מַעְבַּר quod in Onkel. unde עברא vectis, nempe à transeundo, ut dictum est. ¶ *Operies*] teges. ¶ *Ex auro*] aurum est in Ebræo ad verbum. ¶ *Domos vectibus*] Onkel. & Jon. *locum vectibus*. Sensus est, *loca per quæ vectes trajiciantur*, *sedes vectium*. Scribit Josephus, referente Beda, quod singuli asseres annulos habebant aureos, per exteriores frontes eminentes, velut quibusdam radicibus confixos, per ordinem ad invicem per circuitum respicientes, & per eos deaurati vectes immissi, utroque habente magnitudinem cubitorum quinque, erantque ad conjunctiones asserum sive tabularum, intrabatque caput vectis uniuscujusque in alio vectis capite, velut in modum cochleæ. Et post tergum parietum in longitudine positorum erat ordo per tabulas omnes vadens, quo per uncinos utriusque parietis latera continebantur, incastrationibus factis & immissis ad invicem. Ferme exciderat. ver. 28. *ab uno extremo ad aliud*. R. Salom. enarrat, *ab oriente ad occidentem*.

30. *Et eriges tabernaculum juxta exemplar ejus quod tibi ostensum est in monte.*

31. *Et facies velum ex hyacintho & purpura & cocco diphabo & bysso retorta, opere ingeniosissimo facies illud* (figuris) *Cherubim.*

Et eriges] opere completo reliquum erat ut erigeretur. ¶ *Juxta exemplar*] ita Latinus interpres, quod mutari non debuit. Non enim potuit melius h. l. reddi. Græcus habet κατὰ τὸ εἶδος, secundum speciem aut formam. Licet etiam vertere, *juxta rationem quæ tibi monstrata est*. Vox Ebræa communiter exponitur *judicium*. Sed late patet. ¶ *Quod tibi ostensum est*] Verb. è ver. *quod videre factus es*. Nos sensum expressimus. Ceterum exemplar in Chaldæorum Thargumin h. l. תלוותא redditur, quæ vox obvia sæpe in monumentis doctorum. ¶ *Velum*] Velum hoc quasi paries erat intergerinus inter Sanctum & Sanctum sanctorum, quod solus pontifex ingrediebatur semel in anno, & quidem, ut Hisc. observat, quater uno die. Hoc velum à doctoribus Ebræorum פרגוד dicitur, quo vocabulo usus est h. l. Jon. Annotat autem R. Salom. פרגוד in lingua Sapientum dici rem quæ dividit inter regem & populum. Idem ait פרכת habere significationem מחיצה qui est paries intergerinus. ¶ *Ex hyacintho & purpura*] vel hyacinthinum & purpureum. Nam in fonte ad verb. *velum hyacinthi & purpura*. Ebraismus notus. Hic observo duo vela fuisse. Unum quod vocabatur מסך, de quo alias. Alterum quod hic פרכת dicitur & in edit. Lxx. καταπέτασμα. Atque hoc illud est quod Apost. appellat, *velum secundum*. Ebræo. 9. 3. idque male redditum à nupero interprete Beza, *velum medium*. Erat & aliud velum in ostio atrii, cujus respectu velum sancti dici posset velum medium. Nam medium erat inter hæc duo vela. Sed Apostolus duo tantum agnoscere videtur, cum dicat *velum secundum*, ut etiam Nicol. de Lyra Exod. 26. 31. De tertio dicemus, si Deus volet, alias. ¶ *Diphabo*] i. bis tincto. ex eadem materia erat velum quod ante januam atrii. ¶ *Opere ingeniosissimo*] vel, artificiosissimo. Sed חשב qui ingeniose aliquid excogitat. Quidam, *texto*, quod Græce est ὑφαντὸν in Lxx. Hieron. *opere plumario*. Alii, *phrygionico* sive *polymitario*. Onkel. & Jon. *opere artificis* i. artificioso. ¶ Figuris *Cherubim*] Dictio figuris non est in fonte sacro: nos eam adjecimus ex editionibus Chaldaicis. Alii maluerunt, *Cherubinu resspersum aut refertum. Erant autem hæ figuræ* שלברים i. *hominum*, ut ait R. Salom. Quod colligunt ex etymo nominis כרוב, de quo alias. Nam dictos putant Cherubim quasi כרבין quia puerorum aut juvenum formam referebant. רביא enim puer est. Quod tamen non Ebraicum est, sed Chaldaicum. Quis credat Mosen è Chaldæa etymologiam accersivisse. Sanius, meo judicio, de hac re sentit Josephus, quem vide, si vacas.

32. *Ponesque illud super quatuor columnas Settim, obductas auro, unci earum aurei super quatuor bases argenteas.*

33. *Et pones velum sub uncinis, introducesque illuc intra velum arcam testimonii, dividetque velum illud vobis inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.*

Ponesque illud &c.] impones illud velum 4. columnis, vel potius, *appendes ad eas*. ¶ *Settim*] è lignis Settim: de quibus aliquid supra vers. 15. Non itero. Lxx. hic habent ξύλων ἀσήπτων quod sig. columnas imputribiles. Nam ligna Settim non putrescebant. Vide quæ scripsimus ad versum quintum capitis vigesimi quinti, ubi Jon. סטין habet, Sin in Samech versa: Hic edidit שטא, quæ vox legitur & Jes. 41. ubi Aquila & Sym. *Setta*, Th. *Spinam*, quem Hieron. secutus est. Nam spinæ albæ similis erat. Ceterum antiqua lectio est Settim pro Sittim, ut Hellel pro Hillel. ¶ *Unci earum*] vel uncini earum. Ebraice ווים. Est autem ו clavus uncinatus, qui caput habeat incurvum & reflexum. Græci κεφαλίδες. Hieron. *capita vocant*. R. Salom. אנקליות quod est plur. fœm. à singulari אנקלית. In Lexico Chald. Munst. reperio אנקלא absque Jod, & alibi ענקל sive אנקלא. Quæ omnia ducta à Græco ἀγκύλος unde & uncinus, N in L versa. Sunt enim litteræ mutabiles, ut לוז nux, אלגום & אלמנה & ארמלתא vidua. Aleph quoque & Ain sibi invicem cedunt, ut videre est in אונקלוס & ענקלוס Onkelos & Anquilas, qui nobis Aquila sive Aquilas. Sic, ארע & ערע occurrit. ¶ *Bases argenteas*] βάσεις ἀργυραῖ. De his supra vers. 19. Quibus addo pro סמכין quod in Jon. Baal Aruch habere סמכן absque vau. ¶ *Sub uncinis*] vel, subter uncinos. Ita Santes. Hic uncini קרסין vocantur. Alii, *fibulas*: alii, *ansulas* reddunt. Hieron. *circulos*: cujus hæc verba sunt, *inseretur autem velum per circulos*. Lxx. ἐπὶ τῶν στύλων *super columnas*. Male. Nam columnæ עמודים dicuntur, non קרסים. Vide notata ad vers. 6. hujus cap. Hi circuli, vel si mavis ansulæ (nam uncinorum nomen minus placet) velo annexi uncis inserebantur, quæ in columnis, unde vela pendebant. Gall. Ed. non male vocat *des annelets*. ¶ *Arcam testimonii*] in qua urna aurea habens manna, & virga Aharon, quæ germinavit, & tabulæ fœderis. Ebræo. 9. 4. Sed 1 Reg. 8. 9. nihil erat in arca præter duas tabulas lapideas. Gorionides, cap. 82. etiam מטה אהרן i. virgam Aharonis in ea fuisse testatur. Nicetas in Gregorium addit librum legis. Sed hac de re dicemus alias, si Deus voluerit. ¶ *Testimonii*] quod testaretur Deum ibi præsentem esse: unde sæpe Dei vocabulo afficitur: Vel quod quæ in ea conservabantur, testimonium præberent de iis quæ olim gesta & lege sancita fuerant. ¶ *Vobis*] redundat in sermone Latino. ¶ *Inter sanctum*] Locus erat sacerdotum, qui ab atrio velo distinguebatur, ut à sancto sanctorum alio velo, quod פרכת dicebatur, de quo h. l. ¶ *Et sanctum sanctorum*] locus iste varias appellationes habet. Nam & דביר dicitur. i. oraculum, & ἄδυτον & ἀνάκτορον, & χρηματιστήριον, quod ibi responsa redderentur, & σκηνὴ δευτέρα Ebræo. 9. 7. & σκηνὴ ἐσωτέρα. Sic vocatur à Macario, Hom. 47.

34. *Et pones propitiatorium super arcam testimonii, in sancto sanctorum.*

35. *Ponesque mensam extra velum illud, & candelabrum è regione mensæ, in latere tabernaculi australi: mensam autem pones in latere septentrionali.*

Propitiatorium] sub. *operculum*, quod Græci dicunt ἱλαστήριον ἐπίθεμα. Vide quæ notavimus Exod. 25. 17. Operculum erat supra arcam ad instar tabulæ, ait R. Salom. Lxx. hic videntur mihi legisse פרכת inversis litteris pro כפרת. Nam vertunt, καὶ κατακαλύψεις τῷ καταπετάσματι, & operies velo. ¶ *In sancto sanctorum*] ἐν τῷ ἁγίῳ τῶν ἁγίων. ita Lxx. Sed Hieron. *in sancta sanctorum*. τὰ ἅγια pro templo lectum mihi non semel. Versu qui hunc antecedit in eodem Hiero. *Sanctuarii sanctuaria*. Minus se probat mihi. Nam sanctuarium sive sacrarium potius מקדש dicitur. Hic est קדש in fonte, quod è verbo sonat, *Sanctitatem*. Sanctitas sanctitatum, locutio est, ut *Canticum Canticorum*. Nam locus erat sanctissimus omnium eorum qui in templo. ¶ *Mensam*] in qua panis propositionis. ¶ *Extra velum illud*] nempe in Sancto, ubi sacerdotes sacris operabantur. ¶ *E regione*] ex adverso. Hieron. hic habet, *contra mensam*, & Lxx. ἀπέναντι τῆς τραπέζης. ¶ *Tabernaculi*] primi

primi seu exterioris. σκηνὴ ἐξωτέρα appellat Macarius Ægyptius. Nam erat aliud tabernaculum quod secundum & interius dicebatur. ❡ *Australi*] vel Meridiano sive Meridionali. Id Ægyptum respiciebat, & Idumæam, quæ propterea Theman dicitur. Ceterum in fonte habetur תימנה quod valet אל תימן austrum versus. Appellatio à dextera. Nam qui orientem respicit austrum habet à dextera. Vide Quæst. meas. ❡ *Septentrionali*] vel est צפון pro צפונה Septentrionem versus, vel, *in latere Septemtrionis* i. septentrionali, sive, quod idem, aquilonari.

36. *Facies quoque velum ostio tentorii ex hyacintho & purpura & cocco diphabo, & bysso retorta, opere acupictoris.*

37. *Et facies velo quinque columnas è Settim, & obduces eas auro, unci earum aurei, & fundes eis quinque bases æneas.*

Velum] מסך tam velum, quam operimentum sive tegumentum. Hic est velum quod obtenditur ostio aut januæ: quod in Chaldaicis editionibus פרסא dicitur, ὁ פרס obtendit, extendit. Male Hieron. *tentorium*. Nam id potius אהל sig. Quidam *aulæum*, & Gallic. edit. *tapisserie*. Non omnino displicet. Malim tamen *velum*: quod hic Lxx. vocant ἐπίσπαστρον. Vox rara in hoc significatu Levit. 4. 25. pro eo quod in Lxx. κάλυμμα, velum; Samariticum exemplar habet ἐπίσπαστρον. Idem ergo cum προκάλυμμα sive παραπέτασμα. Quanquam ab Augustino exponatur, *adductorium*, & ab aliis ex ed. Lat. *tentorium*. Jam dixi tentorium huic loco non quadrare, ut nec tegumentum. Nam tegumentum est putei, non ostii. Duo ergo vela erant. Unum מסך dicebatur, alterum פרכת, quod Apost. appellat τὸ δεύτερον καταπέτασμα Ebræo. 9. 3. & frustra est vir doctus: qui vertit, *medium velum*. Hoc est vim inferre verbis Græcis. Potest quidem quod secundum est medium esse: veruntamen δεύτερον non sig. unquam medium. Hic locum habet illud Hieronymi, *Melius est in divinis libris transferre quod dictum est, licet non intelligas, quare dictum sit, quam auferre quod nescias: alioqui enim*, inquit, *& multa alia, quæ ineffabilia sunt, & humanus animus capere non potest, hac licentia delebuntur.* ❡ *Tentorii*] vel, *Tabernaculi*. Sed tabernaculum משכן dicitur. Ideo elegi *tentorium*. Quanquam interpretes ista confundant. ❡ *Opere acupictoris*] רקם acupictor, qui & plumarius, unde in vulgata Latina; *opere plumario*: & ποικιλτὴς, qui versicolore ornatu vestes elaborat, qui variat aut acu pingit. Plumarius proprie qui acu pingit in pulvinaribus plagis. Græca vox latius patet. Nam extenditur ad eos qui ποικίλα & πολύμιτα ὑφάσματα texunt. Unde ἔργον ποικιλτοῦ quidam reddunt, *opus polymitum*. Sane variare acu & acu pingere, quod & plumare dicitur, synonyma sunt. Apud Varronem *frugionica vestimenta*, in quibus tramæ diversis modis retortæ & perplexi mæandri sunt. *Ricamata* vocant Itali dictione non Syriaca, sed Ebraica. Vocantur etiam phrygionica & phrygia, & phrigiana: unde hic in Tremel. *opere phrygiano*. Arias emendavit, *opere racamanis*: quod plane barbarum est. In On. צייר acupictor proprie pictor. Sed pro acupictore hic sumitur, qui Jon. dicitur צייר מחט ita enim legendum putarim, non צייר, ut editi Venetiis habent. Gall. ed. *l'ouvrage de broderie*. Nos diceremus Borduur-werck. Sane acupictor Borduurder & Borduur-werker dicitur, qui & phrygio, & limbolarius & barbaricarius & segmentarius. Ps. 45. 15. לרקמות Hier. *in scutulatis*. Nomenclator Eliæ רוקם Phrygio, Seidenstickert Perlenstickert i. gemmarius. Sunt qui רוקם & חושב confundant: alii distinguunt. Abenmelech in Michlal Jophi, *Opus plumarii, est opus vestium quas faciunt è multis coloribus textura vel acu, quod רקמה dicitur. Dixerunt Doctores, Quid est quod scriptum est opere acu pictoris, & opere artificis ingeniosi? Dicit R. Eleazar quod acupingant in loco ubi artifices sunt ingeniosi. Sed in Mathnitha רוקם qui acu operatur, cujus opus tantum unam faciem habet; חושב qui texit aliquid, cujus opus duas facies habet.* Hæc ibi. ❡ *E Settim*] è lignis Settim, de quibus supra. Arbor est arida spinæ albæ similitudine: unde proverbium, *E Satra nulla utilitas nisi præcidatur*. Nam sterilis omnino est, apta duntaxat ad ignem accendendum. Similiter stultus, qui etiam Satja dicitur, nisi cædatur, inutilis est. Vide Adagia Rabbinica. ❡ *Unci earum*] circuli aut ansulæ. Thargum Jerosl. hic habet וויהון uncini: quæ est forma Syriaca pluralis pro ווים quod supra è R. Salomone citavimus.

AMAMA.

1. Ebr. כרבים מעשה חשב תעשה אתם. Vulg. *Variatas opere plumario facies.*] Nisi omnino cæcutio, video vocem *Cherubim* redditam per *variatas* adversus omnes alios Interpp. veteres & recentes, quotquot mihi videre datum est, ne ipsis quidem LXX. exceptis, quorum alias adeo religiose videtur legisse vestigia. Sic enim illi, χερουβὶμ ἐργασίᾳ ὑφάντου ποιήσεις αὐτάς. Chald. Onkelos צורת כרובין עובד אומן תעביד יתהון id est, figuras Cheruborum opere artificis facies eas, id est, *Figuris Cheruborum refertas*, ut doctissime noster Junius. De Cherubis (alii Cherubinos vocant) quorum in historia Tabernaculi mentio fit, opiniones potissimæ quatuor sunt, i. eorum qui existimant eos habuisse formam puerorum, unde *Cherubim* valere volunt tantundem quam *sicut pueri*, forte quia in Chaldaismo רבי & Emphatice רביא *puer*. 2. est Hiscuni & aliorum qui censent fuisse angelos avium formam referentes. 3. Josephi est, fuisse animantia alata, nulli mortalium unquam visa. 4. Abenezræ, esse nomen generale ad omnes formas se extendens. An hoc posterius forte spectavit Interpres? Ego sic arbitror Cherubos propitiatorio superimpositos certam aliquam formam habuisse, eamque in cortinis exprimi jussam, ut nimis laxum interpretamentum sit, *variatas*. Nec enim adeo quemquam depuduisse reor ut τὸ כרבים *Cherubim* participium passivum esse asserturus sit. Concludo itaque vocem Cherubim aut sine ratione exterminatam, aut male per *variatas* redditam.

Opere plumario] quandoquidem non placuit Vulgato interpretamentum generale, *opere artificiosissimo vel ingeniosissimo*, quid periculi si dicerem melius sic converti *opere polymitario*? Haberem & hic pro me Cajetanum. *Nec enim suendo sed texendo*, inquit, *cortinæ istæ factæ sunt*, additque tale texturæ opus à filorum multitudine *polymitarium* Græcis dictum. Haberem & mihi non refragantes Græcos qui verterunt, ἐργασίᾳ ὑφάντου, opere textoris id est textili. Et R. Sal. ait חושב significare eum qui texturæ artificio aliquid parat, ut est sericarius &c. Abenezra licet חושב distinguat ab ארג textore, in eo tamen pro me stat, quod à רקם seu acupictore secernat. Ita enim inquit, *Opera quæ à חושב fiunt neque per acum neque per texturam fiunt, sed eo modo quo hodie vestes è serico parantur.* Santes tamen pro Vulgato συνετῶς opere phrygionico. Dico συνετῶς, quia omnes fere Interpp *opus plumarium* sic intelligunt, ut cum phrygionico seu acupicto confundatur. Lyra ad vocem *plumario*, *quod*, inquit, *figuræ illæ erant acupictæ in cortinis juxta Aug.* Quia denique post alios Grammaticos doctis. (a) Turnebus vocem *plumarius* sic explicat. Alias non ignoro plumarium quibusdam eum esse qui tingendarum multiplici colore plumarum cognitionem habet. Unde in Gloss. veteri, Plumarius, Πτιλοβαφός. Nec me latet quid doctiss. Fullerus Misc. lib. I. cap. 25. de plumaria arte ex Cortesio prodiderit, eam videlicet in nostro orbe desitam in orbe novo adhuc exerceri, proprieque versari circa plumas, quod & ipsa vox suggerit. *Ex plumis*, inquit Cortesius narrat. 3. *tam mirabilia habuimus, ut scriptis demonstrari non possint, nec eorum excellentia comprehendi posse videatur.* Novimus hæc, sed non sic Interpretis Vulgati Interpretes accepere, ex quorum opinione de Vulgati mente conjectamus. Illud obiter & quasi ἐν παρόδῳ notare liceat, ea quæ Cl. Junius in notis hic loci tradit de opere *barbaricario*, aut, ut prisci loquebantur, *biface*, id est, διπρόσωπον, utrinque eandem speciem referente, ea inquam fundata esse in verbo Sapientum, qui dicunt opus חושב esse מעשה שני פרצופים duarum facierum, opus vero רקם esse מעשה פרצוף אחד i. unius faciei.

Claudam ubi illud tantum addidero ipsum Vulgatum Ex. 28. 6. & 36. 8. 35 8. & 35. 35. & 38. 23. eandem hanc vocem חושב reddidisse *polymitarium*, vocemque רקם immediate illic sequentem, *plumarium*. An ergo hæc synonyma sunt, an potius חושב jam hoc jam illud significat?

2. Ebr. *Una mensura erit omnibus* היריעת *cortinis*. Vulg. *Unius mensuræ fient universa tentoria.*] Bene Cajet. *Pro tentoriis dicendum fuisset cortinæ.* Bene Benedictus idem in margine suæ Edit. annotavit. Cum versu præced. eandem vocem bene reddiderit Vulgatus per *cortinas*, mirari satis nequeo, quid eum ad tam alienum Interpretamentum hic adegerit. Nec enim singulæ cortinæ totidem constituebant tentoria. Nec est quod τοῖς LXX. hunc lapsum imputent. Ipsi enim perspicue πάσαις ταῖς αὐλαίαις, omnibus aulæis. Et Chald. לכל יריעתא.

7. Ebr. יריעת עזים Vulg. *Saga cilicia.*] Ebræa sonant ad verbum, *Cortinas caprarum*. Cilicia fiebant ex hircorum & caprarum villis. Sed quid voluit sibi Interpres, dum vocem Ebræam, quam jam ante aliquoties *cortinas* reddiderat, reddit *saga*? Certe Onc. & Jonathan, *aulæa quæ ex capris*. Et Lxx. δέῤῥεις

(a) Adversf. lib. XI. cap. 25.

διφθέραι pelles. Steuchus, *Non adeo proprie superindumentum illud* Sagum *appellatur*.

17. Ebr. שתי ידות לקרש האחד משלבת אשה אל אחותה *duæ manus erunt asseri uni, scalari forma disposita, altera ad alteram.* Vulg. *In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri connectatur.*] ידות LXX. ἀγκωνίσκους reddidere. Symm. κατοχὰς *retinacula*. Onkelos *cardines*, quod Junius & Trem. secuti sunt. Noster *incastraturas*, quod reliquit Santes. Alibi vidi *incrustaturas*, quod puto cubare in mendo. Si quis quærat quid per incastraturam asserum intelligat Interpres, is ex Lippomano discat eam sic fieri solitam; unus asser sua extremitate incavabatur, alterque extenuabatur, attenuatusque ea parte qua attenuatus erat, infigebatur excavato. Additque non deesse qui eam factam putent per insertionem asseris in asserem per medios clavos compactam. Sed mittamus hanc vocem. Illud liceat mihi dicere non assecutum Interpretem vocem משלבת. Significat enim שלבה gradum scalæ, quam Ebræi סלם vocant, quemadmodum עמודים vocantur ligna illa duo arrectaria quibus immittuntur per foramen, quod נקב R. Salomo Iarhi vocat. A. שלבה fit part. pass. Piel משלב *meshullab*, & significat *scalari forma compositum*, ut Jun. & Tremell. vel, *dispositum ut gradus scalæ*, ut Santes & Drusius. Cajetanus aliquid dixit, dum *graduatas* vertit. Ego in re clara verbum non addam.

19. Ubi Ebræus habet *facies*. Vulg. habet *fundes*. Ad quam vocem Cajetanus, *Nulla est in textu Ebræo mentio fusorii operis*.

31. Ebr. *Opere ingeniosissimo faciet illud Cherubim.* Vulg. *Opere plumario, pulcra varietate contextum.*] *Cherubim*] subaudi, *figuris*, figuris Cheruborum, vel ut Pagn. *cum figuris Cheruborum*, vel ut Junius, *Cherubinis refertum*. Noster Interpres hic antiquum obtinet. Vide ad vers. 1. hujus capitis. Cajet. apposite ad hunc locum, *Cum dicitur* pulcra varietate, *intellige Cherubim, id est formas Cherubinorum.* Et addit, *Nescio cur Interpres toties horruit Cherubim.*

36. Ebr. *Facies quoque* מסך *velum ostio tabernaculi.* Vulg. *Facies & tentorium in introitu tabernaculi*] Male מסך velum, aulæum, vertit *tentorium*. Id enim אהל diceretur. Onkelos, פרסא *velum*, ὅτι פרס obtendit, quod obtendatur ostio. LXX. hic habent ἐπίσπαστρον, quod Lev. 4. 25. in Samaritico est pro κάλυμμα, sed vers. ultimo eandem hanc vocem καταπέτασμα reddidere.

37. Ebr. *Et facies velo quinque columnas è Sittim & obduces eas auro; uncini earum aurei & fundes iis quinque bases æneas.* Vulg. *Et V. columnas deaurabis lignorum Settim ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea & bases æneæ.*] Cajetanus, *Ista quatuor verba*, ante quas ducetur tentorium, *in Ebr. non habentur. Et pro*, quarum capita erunt aurea, *in Ebræo est* uncini earum aurei. *nihil hic de capitellis dicitur. Et pro*, bases æneæ, *juxta Ebr. habetur*, & fundes iis V. bases æneas. Hactenus Cajet. Sciendum tamen Vulgatum quatuor istis verbis *ante quas ducetur tentorium* exprimere voluisse, & quasi circumloqui dativum למסך *velo*, quod hic iterum *tentorium* vocat, proculdubio intelligens *velum*, quod *obtenderetur* ostio. Cum vero vox *tentorium* ab ipso hoc interprete passim aliter accipiatur, quis non videt nimium καταχρηστικῶς hic locutum Vulgatum. Dum *uncinos* vocat *capita*, τοὺς LXX. secutus est, qui hic loci habent κεφαλίδες. Cætera plenius & planius à LXX. reddita sunt, καὶ ποιήσεις τῷ καταπετάσματι πέντε στύλους ἀσήπτους καὶ χρυσώσεις αὐτοὺς χρυσίῳ καὶ αἱ κεφαλίδες αὐτῶν χρυσαῖ. Καὶ χωνεύσεις αὐτοῖς πέντε βάσεις χαλκᾶς. Ubi & hoc nota vocem מסך quæ supra per ἐπίσπαστρον ab ipsis reddita erat, hic redditam καταπέτασμα *velum*. Chald. quoque hunc versum ὡς πρόσθεν reddidit. Et licet in Fagio sit *capita eorum*, textus tamen Onkeli habet ווהון.

GROTIUS.

1. VAriatas opere plumario facies] Græci simplicius, ἐργασίᾳ ὑφάντου [*opere textoris*], id est, sicut vestes è serico fiunt, ut Abenesdra loquitur ad hunc locum.

5. *Ita insertas ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari*] Exponit quomodo cortinæ illæ quinæ ubi ab itinere cessabatur, connecti debuerint. Græci: ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους εἰς τὴν συμβολὴν [*ex una parte ad commissuram*]. In Samaritano vetere fuit, ut Græci referunt: Διαδιχόμεναι συμβολαὶ μία πρὸς μίαν ἀντιπροσώπους κατὰ τὸ ἁρμόζειν ἀλλήλαις [*commissura ita ex adverso posita ut altera alteri congruat*], satis perspicue.

17. *Duæ incastraturæ fient*] Id est, cardines, ut hic Chaldæus & Syrus. LXX. dixere ἀγκωνίσκους [*conflexus*], ut ἀγκῶνας II. Paral. IX. 18. At Symmachus κατοχάς.

33. *Quo & Sanctuarium, & Sanctuarii sanctuaria dividentur*] Græce, ἀναμέσον τοῦ ἁγίου καὶ ἀναμέσον τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων [*inter sanctum & sanctum sanctorum*]. Confer Hebr. IX. 23. & quæ dicta ad eum quem modo citavimus, Matthæi locum.

CARTWRIGHTUS.

1. מעשה חשב *Opere artificioso*] Ad verb. *opere artificis*. Sic Onk. & Jon. עובד אומן, quod idem sonat. LXX. ἐργασίᾳ ὑφάντου *opere textoris*. Similiter R. Salom. ait Cherubinos fuisse figuratos in cortinis בארגתן *per texturam earum*, non autem בציור *per picturam acu factam*. Hinc forte Cajetanus ab Amama citatus, *Nec enim suendo, sed texendo cortina ista facta sunt.* Aben Ezra ait *opus* חושב *artificis*, nec esse opus acu pingentis, nec opus textoris, אינו רקם ואינו ארג; sed eo modo fieri, quo hodie vestes sericæ fiunt, בגדי משי. Refert autem Sapientes dicere מעשה חושב *opus artificis* esse שני פנים *duarum facierum*; opus autem רקם *ejus, qui acu pingit*, esse פרצוף אחד *unius faciei*. Hanc sententiam sequitur R. Sal. qui asserit opere artificis per texturam hinc unam, illinc alteram faciem esse; ab una nempe parte aquilam, ab altera autem Leonem esse figuratum. Vulg. (*a*) *opere plumario*. Amama ait omnes fere Interpretes *opus plumarium* sic intelligere, ut cum Phrygionico seu acupicto confundatur. Notat autem Vulgatum Interpretem cap. 28. 6. & 36. 7. & 39. 8. & 35. 24. & 38. 23. eandem vocem reddidisse *polymitarium* (ita, à Græcis sumpto vocabulo, appellatur opus texturæ à multitudine filorum, uti monet Cajetanus) & vocem רקם *plumarium*. Sane *opus* חשב *artificis* generale esse videtur: cum tamen ab opere רקם .i. istiusmodi quod acu pingitur, in Scriptura distingui soleat, non inepte de opere polymitario sive textorio intelligi videtur. LXX. Interpretes cap. 28. v. 6. reddunt ἔργον ὑφαντὸν ποικιλτοῦ, *opus textum variegatum*, seu ut Romana Editio ad verbum habet, *variatoris*.

2. *Una erit mensura* לכל היריעת *omnibus cortinis.*] Vulg. *unius mensuræ fient universa tentoria*. Hoc censura sua dignum non immerito existimavit Amama. *Cum versu præcedente* (inquit) *eandem vocem bene reddiderit vulgatus per Cortinas, mirari satis nequeo, quid eum ad tam alienam Interpretamentum hic adegerit. Nec enim singula cortinæ totidem constituebant tentoria.* Illud quidem in patrocinium Vulgati Interpretis dici possit, אהל tentorium interdum cortinas designare videri, (*b*) ut cap. 40. 19. Vide ad locum. At ista haud idonea ratio est, cur יריעה quod *cortinas* significat, *tentoria* reddatur.

3. אשה אל אחתה *Una ad alteram.*] Ad verb. *fœmina ad sororem suam*. Sed איש *vir*, & אח *frater*, hoc sensu usurpantur; Gen. 26. 31. וישבעו איש לאחיו *Et jurabant alter alteri*; ad ver. *vir fratri suo*. Similiter etiam usurpantur אשה *fœmina*, אחות *soror*. Onk. & Jonathan, חדא עם חדא *una cum una*, seu *altera*. LXX. ἑτέρα τῇ ἑτέρᾳ, *alterum* (nempe aulæum) *alteri*.

5. מקבילת הללאת אשה אל אחתה *Ansulæ sibi mutuo altera alteri ex adverso respondebunt.*] LXX. ἀντιπρόσωποι ἀντιπίπτουσαι ἀλλήλαις εἰς ἑκάστην, *facie contra faciem inter se singula concurrentes*. Sic vertere libuit; nam in Rom. Edit. nimium obscure vertitur, *faciem contra faciem concurrentes ad invicem ad unamquamque*. Vulgatus apposite & eleganter, *ita insertas* (nempe ansulas) *ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit adaptari*. Ad istum modum explicat R. Sal. qui ait voce מקבילות significari, alteram alteri ex adverso respondere debere, והו לשון מקבילות זו כנגד זו Similiter Aben Ezra והלו׳ ומלת מקבילות מגזרת לקבל, Pro Hebræo נגד (ut notat R. Sal.) *contra*, vel, *ex adverso*, in Thargum sive Chaldaica Paraphrasi est לקבל, Aben Ezra refert nonnullos dicere eodem sensu accipi vocem קבל 2 Reg. 15. 10. ויכהו קבל עם *& percussit eum coram populo*. Chald. קדם עמא *coram populo*. R. Salom. לעיני העם *in oculis populi*. Kimchi, נגד העם *contra populum*, vel *ex adverso populi*, seu *in conspectu populi*. Sane קבל aliter istic commode exponi non potest. Vul. *palam*. LXX. Interpretes duas dictiones in unam conflarunt, & pro nomine proprio accepisse videntur, καὶ ἐπάταξαν αὐτὸν Κεβλαάμ, *& percusserunt eum Ceblaam*. Quin & Ezech. 26. 9. (uti etiam notat Aben Ezra) dictio קבל ad istum modum accipi videtur;

(*a*) De opere plumario vide si libet, Full. Miscel. lib. 1. cap. 20. (*b*) Vide etiam ad ver. 7. hujusce capitis, Annotat. 2.

tur; וסוד מגלו יתן כמותך ubi Kimchi exponit מגלו per נגד כנגדו *contra ipsum.* Et R. Salomo ait significari machinam bellicam מכה כנגד .i. *percutientem id quod ipsi est ex adverso.*

6. *Et erit tabernaculum unum*] Jon. *Et tabernaculum conjungetur ut sit unum.*

7. *Et facies* יְרִיעֹת עִזִּים *cortinas caprarum*] i. e. ex *pilis caprinis.* Vulg. *Saga cilicina.* Steuchus (ut notat Amama) fatetur non adeo proprie superindumentum istud appellari *sagum.* LXX. etiam nimis laxe, *δέῤῥεις τριχίνας pelles cilicinas,* seu pilosas. Sic malim reddere, quam ut in Edit. Rom. habetur, *vela capillacea.* R. Sal. recte exponit, מנוצה של עזים *ex pilo caprarum.*

לְאֹהֶל עַל־הַמִּשְׁכָּן *Ut sit tentorio super tabernaculum.*] אהל *Obel* sæpe totam tabernaculi structuram denotat, uti etiam משכן *Mishcan*: hic autem voces istæ distinguuntur, ita ut *Mishcan* denotare videatur postes & tabulas tabernaculi; *Obel* autem operimentum illud, quod iis superponitur. Hoc discrimen inter voces istas, etiam apertius perspici posse videtur ex cap. 40. 19. ויפרש את האהל על המשכן *Et expandit tentorium super tabernaculum.* Onkelos & hic & illic pro *Obel* habet פרסא *aulæum*, seu operimentum, à פרס *expandere* vel *extendere.* Jonathan illic eodem vocabulo utitur, hic autem לפרסא *ad expandendum.* Est enim Infinit. cum ל à verbo פרס, unde nomen פרסא, Aben Ezra paulo inferius, ubi hæ voces occurrunt, exponit *Obel* per מכסה i. e. *operimentum*; atque asserit *Mischan* non nisi cortinas, & asseres designare. R. Sal. ad v. 12. ait superiores cortinas, quæ ex pilis caprinis confectæ erant, vocari *Obel*; atque ad id confirmandum hæc verba citat, לאהל על המשכן Atque id quidem constat de cortinis ex pilo caprino factis hic agi; non tamen inde sequi videtur, istas duntaxat cortinas dictione *Obel*, quando strictiori sensu sumitur, denotari; cum Aben Ezra potius, & Thargumistis malim exponere *operimentum.* Addit autem R. Sal. vocem istam, nempe *Obel*, non nisi גג i. e. *tectum* significare: & cortinas istas sic appellari ait, שמאהילות ומכסות על התחתונות i. e. *quod instar tentorii tegebant inferiores cortinas.* Ergo quæcunque superiores cortinæ ex ipsius R. Salomonis sententia vocabulo *Obel* significari poterunt. LXX. *σκέπην ἐπὶ τῆς σκηνῆς*, *tegmen super tabernaculum.* Vulg. *ad operiendum tectum tabernaculi.*

14. *Et facies* מִכְסֶה לָאֹהֶל *operimentum tentorio.*] Hic *Obel* pro משכן usurpari videtur, cum v. 7. ab eo distinctum, ac pro מכסה usurpatum fuerit. Onk. & Jon. hic pro לאהל habent למשכנא *tabernaculo.* Aben Ezra autem hic etiam interpretatur אהל per מכסה, & ait fuisse מכסה על מכסה *operimentum super operimentum.* Similiter etiam exponit R. Salom. *Ipsi* (inquit) *tecto ex pilis caprinis confecto fecit aliud operimentum ex pellibus arietum rubefactis* (*a*) *atque insuper etiam aliud ex pellibus taxorum.* Addit hæc operimenta non nisi tectum, sive supremam tabernaculi partem operuisse; quod unde constet, haud intelligo; verisimilius videtur ad arcendas pluviarum ac tempestatum injurias, etiam istas ex viliori materia confectas latera tabernaculi texisse, ac ad terram usque pertigisse. Vulgatus Interpres cum Rabbi Salomone sentire videtur, quippe qui sic vertit, *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus, &c.* Ubi *Obel* vertit *tectum*, ac innuere videtur, hoc operimentum una cum sequenti non nisi ad tectum pertinuisse. At LXX. *καὶ ποιήσεις κατακάλυμμα τῇ σκηνῇ. Et facies operimentum tabernaculo.*

16. *Cubitus & dimidium cubiti erit latitudo asseris unius*] Cum igitur in utroque latere Tabernaculi viginti essent asseres v. 18. & 20. sequitur (uti notat R. Sal.) Tabernaculum triginta cubitorum longitudinem habuisse.

17. *Duæ manus* (יָדוֹת) *erunt asseri uni,* מְשֻׁלָּבֹת *scalari forma disposita*] R. Salom. exponit, עשויות כמין שליבת סלם *facta instar gradus scalæ.* Aben Ezra notat similem vocem non reperiri, nisi, 1 Reg. 7. 28. בין השלבים *inter gradus.* Vulg. *inter juncturas.* Al. *inter commissuras.* Kimchi ad locum exponit בריחים כמין חוקי הסלם *vectes instar graduum scalæ.* Buxtorfius in Lexico Talm. legendum putat שיפי quod ea dictio gradus scalæ significet. Vulg. *quibus tabula alteri connectatur.* Amama ait Interpretem non assecutum esse vocem משלבות, Sed haud puto Interpretem ea censura dignum. Nam שלב conjungendi ac connectendi significationem habere in Lexico magno docet Buxtorfius; atque eo sensu usurpatur nomen שלבים, 1 Reg. 7. 28. Ad eundem modum Fagius hic interpretatur שלבין, qua voce utitur Onkelos, *excipientes se mutuo incastraturis.* LXX. *ἀντιπίπτοντας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ, contracadentes unum alteri*; quod in idem recidit.

22. וּלְיַרְכְּתֵי הַמִּשְׁכָּן יָמָּה *Et ad latera Tabernaculi ad occidentem*] Onk. & Jon. ולסייפי *& ad fines, &c.* Sic etiam R. Sal. ait סוף i. *finem* hic significari. Atque addit propterea quod ostium Tabernaculi erat ad orientem, ideo (*b*) orientem vocari פני *faciem* seu *anteriora*, (*c*) occidentem autem אחורי *tergum*, seu *posteriora*, eundemque esse finem (סוף) quod facies sive anterior pars sit à capite, vel ab initio, מן הראש. Similiter v. 27. pro לירכתים Onk. & Jon habent לסטרהון *ad finem eorum.*

Facies sex asseres] Hinc apparet (uti observat R. Sal.) Tabernaculum novem cubitos latum fuisse.

24. וְיִהְיוּ תֹאֲמִם *Et erunt geminati*] Ad verb. *gemelli.* R. Sal. sic explicat, יהיו מחוברים הקרשים זה אצל זה *conjuncti inter se erunt asseres.*

יַחְדָּו יִהְיוּ תַמִּים *Et simul erunt conjuncti*] R. Salo. monet תמים *tammim*, quod alioqui sonat *perfecti*, seu *integri*, hic idem esse quod תאומים *toamim*, quod in principio versus occurrit, h. e. *gemelli*, seu *conjuncti.* Onkelos utrumque interpretatur מכוונין, Jonathan utrumque מזוגין *conjuncti.*

31. *Et facies* פָּרֹכֶת *velum*] R. Sal. ait vocem פרכת significare sepimentum, לשון מחיצה, & à Doctoribus vocari פרגוד: ea voce Jonathan & Hierosolymitanus hic utuntur. Lxx. Interpretes vertunt *καταπέτασμα*, quod à Novi Testamenti Scriptoribus usurpatur.

36. *Et facies* מָסָךְ *velum*] R. Sal. exponit וילון quod plane Latinum est *velum.* Onk. & Ion. פרסא quod etiam velum significat, à פרס expandere, vel extendere. LXX. *ἐπίσπαστρον adductorium.* At v. 37. למסך vertunt *τῷ καταπετάσματι.* Miror Vulgatum Interpretem reddidisse *tentorium.*

מַעֲשֵׂה רֹקֵם *opere acupictoris.*] R. Sal. ait figuras in velo isto acu pictas fuisse, מעשה מחט, ac in utraque veli parte eandem faciem fuisse, כפרצוף של עבר זה כן פרצוף של עבר זה, Aben Ezra ait hoc opus vilius esse opere illo artificioso, cujus v. 1. facta est mentio. מעשה חושב פחות. LXX. *ἔργον ποικιλτοῦ, opus variatoris.* At cap. 27. 16. *τῇ ποικιλίᾳ τοῦ ῥαφιδευτοῦ, varietate acupicti*, nempe, ut exponit Nobilius, operis acupicti.

(*b*) Seu Orientalem partem Tabernaculi. (*c*) Et similiter occidentalem partem.

IDEM.

1. שֵׁשׁ מָשְׁזָר *ex bysso retorta.*] Kimchi in Rad. ait vocem משזר significare *filum contortum.* חוט כפול פתיל ש״רש בלע״ז Atque addit Rabbinos dicere fuisse filum sexies duplicatum.

IDEM.

1. מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב *opere artificis*] seu *artificiose.* Sic vocari ait opus artificiose confectum, ita ut formæ depictæ in utroque latere appareant, cum in מעשה רקם *opere acupictoris*, seu *acupicto* non nisi in uno latere appareant.

15. *Et facies* אֶת־הַקְּרָשִׁים *asseres illos*] Istam vim habet ה in הקרשים, atque ita expressum dicit, quod cum antea sermo habitus fuit de conficiendo Tabernaculo, notum erat asseres ad id fuisse necessarios. Quod autem nonnulli dixerint ideo dictum הקרשים quod asseres isti ex Ægypto erant allati, id merito rejicit tanquam à simplici Scripturæ sensu alienum.

36. *Et facies* מָסָךְ *operimentum &c.*] Notat triplicem fuisse differentiam inter פרכת *velum*, & מסך *operimentum.* 1. Quod *velum* artificiose Cherubinis depictum erat, non sic autem *operimentum.* 2. Quod *velum* quatuor columnis, *operimentum* autem quinque imponebatur. 3. Quod *velum* aureas bases, *operimentum* vero argenteas habebat.

(*a*) Refert ex sententia R. Iudæ unum duntaxat fuisse operimentum, partim ex pellibus arietum, ac partim pellibus taxorum confectum: sed id textui adversum videtur.

CAP. XXVII.

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

E*X seipso*] h.e. Non erunt cornua aliunde assuta. ¶ Proinde יעים sunt instrumenta quibus cinis ab altari removebatur. Quidam interpretantur *scopas.* ¶ Et מזלגות est instrumentum habens dentes recurvos, quo caro ex olla trahitur. ¶ Sed מחתות est patera, seu patens instrumentum, in quo carbones recipiuntur, receptaculum ignis.

5. *Ambitum*] Ab ambitu illo altare adhuc eminebat tribus cubitis. Et quando Scriptura dicit altare in altitudine habuisse tres cubitos, id Hebræi intelligendum ajunt ab ambitu, alioquin ad ambitum ipsum sacerdotes ascendebant, licet non per gradus: unde colligitur altare majorem habuisse altitudinem quam trium cubitorum. Infra hunc ambitum, atque intra altare ipsum, pendebat cribrum seu cancellatum illud rete, cum altare esset vacuum & concavum intra tabulas ipsas.

9. *Cortina pro atrio*] Licet Hebræi exponant קלע per יריעה, dicunt tamen cortinas atrii aliter fuisse contextas quam cortinas tabernaculi. Nam erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingressum, sed aspectum non prohibebant.

10. *Cinctura*] Heb. *complexus earum.* Sic vocantur circuli & alia ornamenta quæ per gyrum ambiebant columnas. A. E. exponit דבוקים, *res columnis adhærentes.*

16. *Earum*] Scilicet cortinarum, ex quibus velum illud erat concinnatum.

18. *Latitudo quinquaginta in quinquaginta*] Erat atrium versus Orientem quadratum, ideo dicit, *quinquaginta in quinquaginta*, cum alteram atrii partem occuparet tabernaculum & spatium quod post illud erat.

20. *Fundas*] Heb. *ut sursum portes.* Alii exponunt *sursum facere* pro *accendere lucernam.*

21. *Testimonii*] Tabernaculum testimonii sic vocatum est, quod illic conveniret cœtus Israel ad orandum & sacrificandum. Significat enim יעד *convenire & contestari.* Sed arca vocatur *arca testimonii*, propter Legem, quæ sæpe עדות vocatur, præsertim in Psal. *Beati immaculati.* Capitur etiam sæpe pro Divina promissione, juxta illud Psal. 19. עדות יהוה נאמנה, *Testimonium Domini fidele*, eo quod lex Domini justus sit testimonium ad vitam, & impiis ad mortem.

FAGIUS.

3. P*Alas quoque ejus*] Quidam pro *palas* vertunt *scopas*, Erat autem instrumentum quo cinis removebatur. *Fuscinula* vero, instrumentum dentes recurvas habens, quo caro ex olla trahebatur. *Thuribulum*, sive *patera*, vas patens erat in quo carbones recipiebantur.

5. *Sub ambitu*] Ab ambitu illo altare adhuc eminebat tribus cubitis. Et quando Scriptura dicit altare in altitudine habuisse tres cubitos, id Hebræi intelligendum ajunt *ab ambitu*, alioquin ad ambitum ipsum sacerdotes ascendebant, licet non per gradus: unde colligitur altare majorem habuisse altitudinem quam trium cubitorum. Infra hunc ambitum atque intra altare ipsum pendebat Cribrum seu cancellatum illud rete, cum altare esset vacuum & concavum intra tabulas ipsas.

9. *Cortina pro atrio*] Hic alia vox ponitur quam supra ubi de cortinis tabernaculi mentio fit. Ponitur enim ibi in textu Hebraico קלעים *Celaim*, & in Chaldaico סרדין *Seradin.* Quas atrii cortinas ita textas fuisse dicunt ut plenæ foraminibus fuerint, arcentes quidem ingressum, sed aspectum non prohibebant. Et סרדא *Serada* etiam Chaldaice *rete*, *cribrum* & *craticulam* significat. Hinc cortinæ atrii *Seradin* dictæ fuerunt, quod retis & cribri formam habuerunt. Alii, quod essent pictæ figuris fundarum. Nam קלע Hebraice & *fundam* significat.

18. *Et latitudo quinquaginta*] Ad literam in textu est, *Quinquaginta in quinquaginta*, i. Latitudo erit per omnia æqualis in utroque latere. Erat atrium versus Orientem quadratum; ideo dicit, *quinquaginta in quinquaginta.*

21. *In tabernaculo fœderis extra velum*] Hebraice ad verbum est, *In tabernaculo conventionis*, sive *congressus*, aut *congregationis.* Chaldaice, *In tabernaculo temporis statuti.* Vox Hebræa מועד deducitur à יעד *Jaad*, à *conveniendo* seu *contestando.* Hinc tabernaculum Hebraice dicitur אהל מועד *Ohel moed*, eo quod Israel illuc conveniret & congregaretur ad certum & statutum tempus, vel quod illuc conveniret Deus ut loqueretur Mosi & successoribus ejus, ut cap. 25.22. Deus ipse exponit quare ita sit appellatum, ait enim, *Et conveniam te illuc*: Pro quo noster interpres vertit, *Inde præcipiam tibi.* Item Num. 17.4. *Coram testimonio, ubi conveniam vobiscum*: Pro quo interpres vertit, *ubi loquar ad te.* Alii vertunt, *In tabernaculo fœderis*: quod illic Deus dabat hominibus responsa. Vulg. interpres fere reddit, *In tabernaculo testimonii.* Quod ita dictum quidam putant propter arcam quæ ibi erat; quæ *arca testimonii* vocatur propter Legem quæ in ea asservabatur; quæ lex עדות, i. *testimonium*, aliquando nominatur, eo quod lex Domini justis testimonium sit ad vitam æternam, impiis vero ad mortem. Porro tabernaculum Hebræis jam משכן *Mischcan*, jam אהל *Ohel* vocatur: *Mischcan* à שכן *Schachan*, *quiescendo*, quod Deus ibi quasi quiescere, habitare & sedem suam habere videbatur; *Ohel* vero, à *tentoriis & cortinis* unde constabat.

VATABLUS.

2. H*Uic facies cornua*, ועשית קרנתיו] Ad verb. *Et facies cornua ejus.* ¶ *Ex ipso erunt*, ממנו תהיין] i. Ex eadem materia.

3. *Et scopas ejus*, ויעיו] *Et forcipes ejus.* Gallice *tenailles.* ¶ *Et tridentes ejus*, ומזלגתיו] *Et fuscinulas ejus*; instrumenta ad extrahendas carnes ex olla. ¶ *Et receptacula ejus*, ומחתתיו] *Et pateras ejus.* Alii, *focos ejus.* Vas erat patens in quo recipiebantur cineres. ¶ *Vasa ejus*, כליו] *Instrumenta ejus.*

4. *Cribrum*: מכבר] *Craticulam.* ¶ *Opere retis*, מעשה רשת] *Opere reticulato*, i. in modum retis facto. ¶ *Extremitatibus ejus*, קצותיו Sub. *retis.*

5. *Sub ambitu*, תחת כרכב] i. Intra ambitum altaris, in parte inferiore ipsius ambitus. Aliquando de sententia doctorum Hebræorum pictum fuit altare in editionibus nostris Bibliorum, in cujus circuitu externo erat ambitus cancellatus. Verum ex ipsa descriptione Mosis aliter rem habere deprehenderunt docti quidam, nempe craticulam fuisse quæ intra ipsum altare, in concavo ipso altaris ponebatur, altam usque ad medium altaris, supra quam ponebatur ignis: & holocaustum, per cujus cancellos cinis decidebat.

8. *Cavum tabulis*, נבוב לחת] i. Tabulato cavato, sive concavo. Aut, *vacuum facies illud.* q. d. non solidum facies, sed cavum. ¶ *Ostendit*, הראה] Sub. *Deus*, i. ego. De se loquitur in tertia persona. ¶ *Facient*, יעשו] Sub. *artifices.*

9. *Ad plagam Meridianam Australem*, לפאת נגב תימנה] *In latere Meridionali* [sub. *ipsius atrii*] *ad Austrum.* ¶ *Cortina* erunt *atrio*, קלעים לחצר] i. Atrium fiet ex cortinis, sive aulæis, aut tapetibus factis ex bysso retorta. ¶ *Cubitorum*, באמה] Ad verb. *in cubito*, i. in mensura cubitali, sive in ratione metiendi per cubitos. ¶ *Longitudo angulo uni*, ארך לפאה האחת] *Longitudo* [sub. *illorum*] *lateri uni*, i. in latere uno ac primo.

10. *Columnæ autem ejus* erunt *viginti*, ועמדיו עשרים] q. d. Singula latera atrii habebunt xx columnas. ¶ *Capitella*, וו] *Epistylia.* Gallicè *les chapiteaux.* ¶ *Et fila earum*, וחשקיהם] *Et zonæ earum*, i. cælaturæ circulares, sive fila quibus quasi cinguntur columnæ.

14. *Lateri*, לכתף] Sub. *frontis & ingressus atrii.*

17. *Cinctæ erunt argento*, מחשקים כסף] i. Cinctæ erunt zonis sive cælaturis argenteis.

18. *Quinquaginta in quinquaginta*, חמשים בחמשים] i. Latitudo erit per omnia æqualis in utroque latere: erat atrium versus Orientem quadratum, ideo dicit *quinquaginta in quinquaginta.* ¶ *Altitudo autem*, וקמה] Sub. *cortinarum.*

19. *In omni ministerio ejus*, בכל עבדתו] *Per omnem cultum ejus.* i. ad quemcunque cultum ejus necessaria sint. ¶ *Paxilli ejus*, יתדתיו] Erant veluti quidam clavi quibus extremitates cortinarum affigebantur, ne à vento dispellerentur.

20. *Tu quoque præcipe*, ואתה תצוה] Hic octavo partiuntur Hebræi librum istum: & istam partem appellant תצוה, quæ secunda est hujus versus dictio, quæ significat *præcipies.* ¶ *Ut accipiant*, ויקחו] i. Ut capiendo afferant. ¶ *Olivæ purum, contusum*, זית זך כתית] Quidam scribunt singulare esse pro plur. pro, *olivarum purarum & contusarum.* ¶ *Pro luminari*, למאור] *Ad lumen*, sub. *fovendum*, vel *accendendum*, vel, *luminis causa.* ¶ *Ut ardere faciant lucernas*, להעלת נר] Sing. Heb. pro plur. *ad accendendas lucernas.*

21. *In tabernaculo ecclesiæ*, באהל מועד] *In tabernaculo congregationis*; *congressus*, aut *conventionis.* Chald. paraph. *In tabernaculo temporis statuti. Tabernaculum congregationis*

sive

sive *conventionis* dicebatur quod Israel illuc conveniret & congregaretur ad certum & statutum tempus : Vel quod illuc conveniret Deus ut loqueretur Mosi & successoribus ejus, ut supra 25.22. Deus ipse exponit, quum dicit, ונועדתי *Conveniamque tecum illuc & loquar tecum.* Et Num. 17. 4. *Coram testimonio ubi conveniam vobiscum.* Alii vertunt, *in tabernaculo fœderis:* quod illic Deus daret responsa. Vetus interp. vocavit *tentorium testimonii*, fortasse propter arcam testimonii quæ illic erat : sic dictum ob Legem quæ in ea asservabatur, quæ Lex dicitur aliquando *testimonium.* Porro tabernaculum Hebræis jam משכן vocatur à שכן *quiescendo*, quod ibi Deus quasi quiescere, habitare & sedem suam habere videbatur : jam אהל, à *tentoriis* & *cortinis* unde constabat. Quando sic vocatum fuerit, vide cap. 33.7. ❡ *Extra*, מחוץ] Ad verb. *deforis*, i. citra. ❡ *Quod est super testimonium*, אשר על העדת] i. Quod oppansum est testimonio, sive arcæ testimonii. ❡ *Illas*, אתו] Sub. *lucernas*, nam אתו singulare refert נר singulare pro plurali, ut dictum est v. 20 ❡ *A filiis Israel*, מאת בני ישראל] Sub. *observandum.* Alii vertunt, *ritu sempiterno per generationes* [*successiones*] *eorum apud filios Israel.* Alii liberius vertunt, *ritus hic perpetuus erit filiis Israel, etiam apud posteros illorum.*

CASTALIO.

1. ET *facies Altare*] Quod in hoc capite dicitur de aræ foco (sic enim vertit Josephus & Lxx מזבח) crates erat ærea, reticulata, quæ intus in altari, quod erat cavum, collocata, exciperet ligna sacrifica : & iis exustis, transmitteret carbones ad terram (ut docet Josephus) & subter aræ contracturam collocata, ad medium aræ pertingeret, h. e. altitudinem haberet dimidiam altitudinis aræ : h. e. esset alta unum cubitum & dimidium.

18. *Latitudo quinquaginta, utrobique*] h. e. & ad Orientem & ad Occidentem, ut paulo ante dictum est. Vide quod ad hunc Hebraismum attinet Ezech. 40.

CLARIUS.

2. EX *ipso erunt*] h. e. Non erunt cornua aliunde assuta.

3. *Forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula*] Alius vertit, *palas, pelves, fuscinulas, pateras.*

5. *Subter ambitum*] Ab ambitu illo altare adhuc eminebat tribus cubitis. Et quando Scriptura dicit altare in altitudine habuisse tres cubitos, id Hebræi intelligunt, ab ambitu : alioquin ad ambitum ipsum sacerdotes ascendebant, licet non per gradus: unde colligitur altare majorem habuisse altitudinem quam trium cubitorum. Infra hunc ambitum atque intra altare ipsum pendebat cribrum seu cancellatum illud rete, cum altare esset vacuum & concavum intra tabulas ipsas.

9. *Facies & atrium*] Totum atrium duplo longius erat quam latitudo ejus esset : centum enim cubitorum erat longitudo atrii, quinquaginta latitudo : Unde sequitur, latitudinem atrii usque ad tabernaculi parietes fuisse circiter viginti cubitorum ad Austrum & Aquilonem; latitudinem vero Orientalem & Occidentalem inter tabernaculum & tentorium, triginta quinque cubitorum (si tabernaculum in medio colloces) præcise fuisse : in cujus Orientali parte, inter ingressum atrii & tabernaculi, altare stabat holocaustorum. Hic autem ingressus in atrium velamine pulcherrimo claudebatur, sicut & velum tabernaculi vario colore & pretiosa materia artificiose confectum, arte acupictoria, &c. ❡ *Erunt cortinæ*] Dicunt Hebræi cortinas atrii aliter fuisse contextas quam cortinas tabernaculi : nam erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingressum, sed aspectum non prohibebant.

10. *Cum cælaturis suis*] Sic vocantur circuli & alia ornamenta, quæ per gyrum ambiebant columnas.

18. *Quinquaginta cum quinquaginta*] Putant quidam ita dictum quod atrium versus Orientem quadratum fuerit, alteram vero atrii partem occupaverit tabernaculum & spatium quod post illud erat.

21. *In tabernaculo testimonii*] *Tabernaculum testimonii* sic vocatum est, quod illuc conveniret cœtus Israel ad orandum & sacrificandum : nam vox Hebræa significat *convenire & contestari.* Sed arca vocatur *arca testimonii*, propter legem, quæ sæpe vocatur *testimonium*, eo quod lex Domini justis sit testimonium ad vitam, impiis ad mortem; aut etiam, quia testetur de Dei voluntate.

DRUSIUS.

9. לפאת Alius, τῇ γωνίᾳ, *angulo*] In margine ad edit. Rom. scriptum erat calamo, ὠμίᾳ pro γωνίᾳ. Hoc quid sibi velit, nescio. γωνία, *angulus* pro *plaga* sumitur hic & alibi, ut Apoc. 7. 1. ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς. Dicitur & κλίμα & κλίτος quo ultimo nunc usi sunt οἱ ὁ. Hieron. *latus.* Ambo Chaldæi רוחא sive רוח, i. *ventus*, *plaga.* R. S. כל רוח קרוי פאה, *Qualibet plaga vocatur* פאה, γωνία. Amos.3.12. בפאת מטה. Hieron. *in plaga lectuli.*

10. ועמדיו Lxx στῦλοι αὐτῶν. Cæteri, *στάθεις*] Vide Theodoret. quæst. 60. in Exod. & edit. Rom.

16. ותולעת שני ושש משזר Edit. aliqua, κόκκῳ κεκλωσμένῳ, καὶ βύσσῳ νενησμένῃ, *cocco torto, & bysso neta.* Vide Rom. edit.

20. שמן זית Schol. ἔλαιον ἐκ σπερμάτων, *oleum ex seminibus*] Lxx ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν. Hieron. *de arboribus olivarum.* Santes, *oleum olea.* Onk. משחא דזיתא, *oleum olivæ.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et facies altare è lignis Settim, quinque cubitorum longitudo, & quinque cubitorum latitudo (quadrum erit altare) & trium cubitorum altitudo ejus.*

2. *Et facies cornua ejus super quatuor angulis ejus, ex ipso erunt cornua ejus, obducesque illud ære.*

3. *Et facies lebetes ejus ad suscipiendum cineres ejus, & scopas ejus, & crateras ejus & fuscinulas ejus, & receptacula ejus: omnia vasa ejus facies ex ære.*

Altare] holocausti, in quo holocautomata cremabantur. Dicitur & altare holocaustorum. ❡ *E lignis Settim*] ad verb. Lignorum Settim, quod Jonathan dixit *Lignorum Setta.* Nam *Setta* ei quæ Onkelos *Settim.* ❡ *Quadrum*] τετράγωνος, videlicet quoad longitudinem & latitudinem. Nam altitudo erat tantum trium cubitorum. ❡ *Cornua ejus*] τὰ κέρατα αὐτοῦ. ❡ *Super quatuor angulis ejus*] nam cum quadratum esset, habebat quatuor angulos. ❡ *Ex ipso erunt*] ex eadem materia cum altari h. e. è lignis Settim, & quidem ex ipso ducentur vel fabricabuntur, non seorsim fient, & postea ei annectentur. ❡ *Cornua ejus*] Lippom. *Cornua in quatuor angulis non intelligenda sunt fuisse ad similitudinem cornuum bovis aut hirci : sed Ebraico more radii quidam elegantes erecti sursum, cum ornamento aliquo pomelli vel lilii, sicut Moses non erat cornutus, sed apparuit radios splendoris effundens de facie.* ❡ *Obducesque illud ære*] ne ligna igni obnoxia consumerentur. ❡ *Lebetes ejus*] quidam *ollas ejus.* סיר olla, lebes. plu. סירות lebetes, & סירים spinæ. Cum terminatione variat significatio. Hiero. *ejus lebetes*, quod retinui. Lxx. τὴν στεφάνην αὐτοῦ, operculum ejus. Quid viderunt cum ita verterent ? An legendum τὸ ψυκτῆρα αὐτοῦ? Id vas est in quo pocula abluuntur & vinum refrigeratur. Appellatio à refrigerando, si modo Græcum est. Nam affinis in Chaldaismo vox פסכתר & פסכר q. ψυκτὴρ, quam interpretantur dicentes significare *ollam* sive *lebetem*, aut operimentum æreum quod igni imponitur. Extat apud Thalmudicos in fine Irubim. Videndus Aruch. Onkelos usus est h. l. פסכתרוהי quod reddunt, *ollas ejus.* In libro qui Pesiktha dicitur, פסכתר *vas magnum continens Letech & est olla, quæ Ebrais סיר dicitur, in edit. Chaldaica.* Elias admonet in nonnullis codicibus scribi קפסכר per Coph. Jonathan & Jerosol. loco ejus ediderunt דודוותיה i. ollas ejus, aut ahena ejus. In libro præceptorum majore פסכתר *erat vas magnum continens aliud vas magnum.* Quod nam illud vas magnum? In Aruch ut & in Pesiktha (supra vidimus) *continens Letech.* Est autem Letech dimidium mensuræ, quæ Homer dicitur & Corus, ut reddi possit ἡμίκορος. i. semicorus. Ejus memoria usurpatur Hos. 3. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Epiphanius confundit cum γόμος. Idem ait *mensuram esse quindecim modiorum.* ❡ *Ad suscipiendum cineres ejus*] vel, *ad excipiendum cineres ejus* In fonte habetur לדשנו, quod alii aliter interpretantur, & quidem contrario sensu. Nam R. Salo. Abenezra & Abenmelech aliique, *ad auferendum cinerem ejus.* Si recte, tum ex iis verbis est quæ contraria significant, ut ברך benedixit & maledixit : Sic דשן in cinerem redegit, & cinerem abstulit. Cujusmodi verba alia recenset h. l. R. Salo. ad quem te adire velim. Sic הוריש hæredem instituit, & hæreditate exturbavit, quod vulgo dicimus, exhæredavit. Sed interpretes communiter transferunt per verbum expello. Sic in Latio *exarmare*, tam adimere arma, quam armis instruere : *enodo* & quod nodis careat, & quod nodolum est : *expers*, ἄπειρος & ἔμπειρος. Vide Observ. lib. 16. cap. 7. Huic expositioni firmandæ

mandæ est Onkelos qui vertit לספא קטמיה ad consumendum cinerem ejus, aut ut Fagius, *ad tollendum cineres ejus*. R. Salo. explicat לעכל הדשן בתוכם ad consumendum cinerem in medio eorum. Jonathan & Jerosol. interpres לְדַדְּאָה, quod scribendum putarim לְדַדְּיָא ut sit infinitum conjugationis quam Pael appellant. Radix דדי & in conjugatione illa דדי excipere vel auferre cinerem, idem videl. cum דשן. ¶ *Et scopas ejus*] ויעיו Santes, *& scopas ejus*, nempe quibus cineres verrebantur in cumulum. יעים certe sunt scopæ. Appellatio à verrendo. Nam יעה verro ut Jes. 28. 17. ויעה & verret, ubi Hiero. *subverret*: quod corruptum à librariis, in *subvertet*. Simile mendum Luc. 15. 8. *& evertit domum*, ubi similiter legendum *everrit*. Nam in Græco σαροῖ. Sed ad rem, Hiero. h. l. *& forcipes*. Addit Gloss. interlinearis *ad emendandum ignem altaris*, nisi legendum *ad emundandum*. Nam etiam מנקית vocantur, quod emundare sig. Quidam, *& palas eius*: Lippom. *Erant autem palæ instrumenta quibus cinis ab altari amovebatur i. scopæ; ut idem sit dicere & palas ejus vel scopas ejus*. In eodem יעה *afferre* (leg. auferre) *sive removere*. Lxx. hic nimium recedunt à veritate Ebraica. Supra pro *lebetes ejus* posueram ex iisdem τὸ καλυμμα αὐτῷ. Male. Nam his verbis potius respondet יעיו quod tamen non bene reddunt, *& operculum ejus*. Quæ præcedunt, καὶ ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ, ea nos ex Ebræo vertimus, *& facies lebetes ejus ad suscipiendum cinerem*. Vide quantum intersit inter hoc & illud. Quis credat Senes habuisse ob oculos codicem Ebræum cum hæc ita transferrent? Miseret me patrum, qui his Bibliis tantum usi sunt. Ex hoc fonte plurimæ halucinationes in scriptis eorum. O ter quaterque felicem, bona si sua norit, hanc ætatem, quæ veritatem ex ipso fonte haurit, non ex lacunis hujusmodi. Onkelos hic habet מגרופיתיה, pro quo in Jonatha est מגרופתיה, quod reddunt, *palas eius*. R. Salo. מגרפות *sunt instrumenta quibus cinis portatur aut tollitur, habens speciem operculi quo ahenum tegitur, cum manubrio. Vernacule* יודיל, *Judel sive Judel*. Hinc liquet cur Græci verterint τὸ καλυμμα αὐτῷ. Nam formam habebat operculi, si non fallit nos Judæus ille. Thargum Jerosol. ויעיו & scopas ejus. integrum esset יעיי, & est vox mere Ebraica. In Glossa Nicolai, *Et forcipes ejus i. tenaculas ad faciendum ignem in altari.* (tenaculæ Gall. *tenailles*) *Ebræi dicunt bacinos, ad recipiendum sanguinem animalium quæ immolabantur.* Gall. edit. *ses racloirs*, radulas ejus, & in margine, *ou ses paesles*, batilla ejus, sive *palas ejus*. In Lippomano, Chaldaica, *& batilla ejus habet*. ¶ *Et crateres ejus*] id est ומזרקותיו & pelves ejus. Nam מזרק pelvis. Huc refer quod supra è Lyrano produximus, *Ebræi dicunt bacinos &c.* Nam in Gall. edit. *ses bassins*: & R. Salo. ad hunc locum, *pelves ejus, ad recipiendum sanguinem victimarum*. Melius, *pelves* redditur, quam crateres. Lxx. καὶ τὰς φιάλας αὐτῷ. Amos 6. 6. במזרקי Hiero. *in phialis*. Lxx. ut est apud Iustinum, ἐν φιάλαις. Vide Rom. edit. Ionathan בפילי. Dicta φιάλη quasi πιεῖν ἅλις περιέχουσα, poculum quod satis largam potionem præbet. Forte vox peregrina est. Nam ea utuntur Chaldæi & Thalmudistæ. Sane autor libri qui vocatur כבר, in quo præcepta legis enarrantur, מזרק *in lingua Thalmudica vocatur* פיילי φιάλη, fol. 235. col. 4. Onkelos מַזְרְקוֹהִי quod exponunt, *pelves ejus*. Scribi mavelim מִזְרְקוֹהִי ut alibi מִגְדָל magdal, unde Maria Magdalene pro מִגְדָל Migol, nisi Ionathan haberet מזרקי. Quanquam in Ierosol. מזרקי. Appellatio à spargendo: unde quidam *aspersoria ejus*: alii, *& pelves ejus sparsorios*. Vide Lippom. In vulgata nostra nihil est quod huic respondeat. ¶ *Fuscinulas ejus*] ita Hiero. quem nos secuti sumus. Lxx. καὶ τὰς κρεάγρας αὐτῷ. Est autem κρεάγρα, fuscina, quæ unci in modum incurva erat, vel δίοδυς, bifurca, vel etiam τριόδους i. tres dentes habens. Unde 1 Sam. 2. מזלג שלש שנים fuscina trium dentium i. τριόδους, tridens. Quomodo Senes ibi referunt. Ceterum est cur malim, *fuscinas ejus*. Nam fuscinula diminutivum est. Onkeli versio ומזרגותיה, quod similiter vertes, *fuscinas ejus*. Quanquam in Fagio, *fuscinulas*. In lingua sapientum vocantur צינוריות teste R. Salo. Unde scripserim libentius צנורין quæ forma nominis Chaldaica est à singulari צנורא. *Hoc instrumento ex aheno sive olla carnem extrahimus, & unci in modum incurvum erat*, ait idem, quem modo nominavi, R. Salo. Vernacule קרוק crochius. Utrum in mente habuit *crochets*? Est autem *crochet*, uncus, harpago. Sane fuscina etiam ἅρπαγη dicitur à rapiendo, quod videl. carnes ex olla rapiat & eximat. Gall. edit. *havets* i. uncos aut hamos. Nam uncus *havet* redditur. Ionathan & is qui ab Urbe cognominatur, ושליחתיה & כשליחתא: quæ vox etiam legitur 1 Sam. 12. 13. Nicol. de Lyra, *fuscinulas ad extrahendum carnes de caldariis, & ad ponendum super altare ea quæ ibi cremabantur.* R. Salo. *Fuscina, in modum unci recurva erant, quibus feriebat car-*nem *&c.* Abenmel. *fuscina instrumentum est dentatum, quo educebant carnem e caldario.* Glos. interlinearis, *batilla erant quibus ignis & carbones ab altari holocausti ad altare thymiamatum transferebantur.* Lippom. *Est autem fuscinula instrumentum dentes recurvos habens, quo caro ex olla extrahebatur. Secundum alios instrumenta sunt ferrea, quibus vel ligna vel carbones aut in igne componebantur, aut de igne altaris extrahebantur.* ¶ *Receptacula ejus*] receptacula ignium intelligit, quæ Græci πυρεῖα & πυρία vocant, alternantibus libris. Nam in edit. Rom. τὸ πυρεῖον αὐτῷ & in Complut. τὸ πυρίον αὐτῷ. Similiter variant editiones 2 Paral. 4. ubi Complut. τὰ πυρεῖα per diphthongum. Hesychius, πυρεῖον, ἀγγεῖον κεραμεοῦν εἰς πῦρ ἔνθεσιν. etiam ex ære conficiebatur. Ebraice מחתות cujus singularis מחתה receptaculum ignis, ὅτι τὸ חתה capio, proprie capio ignem de foco vel pyra, ut שאב aquam haurio è fonte vel puteo: unde in Tremellii, *forcipes ejus*. Nam his utuntur ad eam rem. R. Salo. *Receptaculum erat eis ad tollendum prunas ab altari ad portandum eas ponendumque super altare interius ad suffitum. Vocantur autem* מחתה *à capiendo: quod verbum occurrit in illo, capere ignem e foco: & ibi, An capiet vir ignem in sinu suo?* Nicol. de Lyra, *Ignium receptacula vasa erant in quibus de altari holocausti accipiebantur carbones unci, ut deferrentur intra tabernaculum ad cremandum thymiama mane & vesperi super altare incensi, de quo habetur infra, cap. 30.* Quod interpretes Chaldæos attinet, omnes utuntur vocabulo מחתין quod ab Ebræo deflexum. Id Fagius reddit, *thuribula*. Lippom. מחתה *vas in quo portatur ignis i. thuribulum aut acerra.* 2 Paral. 4. 22. והמחתות καὶ τὰς θυΐσκας. i. acerras 1 Machab. 1. 23. καὶ τὰς θυΐσκας. Josephus 12. 6. καὶ τὰ θυμιατήρια. vulgo perperam τὰ θυσιαστήρια i. altaria. Sunt qui πυρεῖον idem esse dicunt & θυμιατήριον. Gall. edit. *Ses encensoires* i. thuribula ejus. Sed vide sis annotata in margine. ¶ *Omnia vasa ejus*] Admonent Ebræi לכל positum esse h. l. pro את כל, in quo articulus ל redundat. Nam satis erat dixisse כל כליו. Itaque vertimus *Omnia vasa* i. instrumenta ejus. Ex R. Levi, סירות לדשן *Vult dicere ad reponendum in iis cinerem altaris quo inde sic amoveretur. Et ecce forma lebetum nota est.* יעים *sunt scopæ quibus radebatur sive verrebatur cinis ad reponendum eum in lebetibus.* מזרקות *instrumenta sunt notam figuram habentia, quibus accipiebant sanguinem oblationum.* מזלגות *vasa clavos profundos i. magnos, habentia ad vertendum carnem super prunas in altari dispositas, quo sic rite componerentur.* מחתות *similes erant magnis cochlearibus, quibus erat manubrium: capiebant autem illis prunas ignitas ad portandum eas super altare suffitus, quemadmodum declaratum est.* לכל *idem quod* בכל. *Nam* ל *redundat & otium agit.* Hæc R. Levi. Jam ad alia.

4. *Et facies ei cribrum opere reticulato ex ære, & facies super rete illud quatuor annulos æreos, in quatuor extremitatibus ejus.*

5. *Et pones illud subter ambitum altaris inferne, eritque rete illud usque ad medium altaris.*

6. *Et facies vectes altari, vectes è lignis Settim, & obduces eos ære.*

Cribrum opere reticulato ex ære] Ordo verborum inversus. Nam esset, *cribrum ex ære sive æreum opere reticulato*. Quidam, *opere reticulato æreo*, eodem redit. Pro cribrum Hiero. edidit, *craticulam in modum retis æneam*: & Lxx. ἐσχάραν ἔργῳ δικτυωτῷ χαλκῆν: quod vertunt, *craticulam opere reticulato æneam*. Lex. Græc. Lat. vet. Ἐσχάρα, craticula. Idem, מכבר, si credendum his interpretibus. Sed ἐσχάρα in communi usu sermonis est focus. & מכבר exponitur Ebræis per כברה, quæ vox sine ulla dubitatione cribrum denotat. In Abenmelech etiam est נפה quod vernaculo sermone sonare ait קריבא קריבלש pro quo in Jario est *cribles*. Gallicum est *crible* i. cribrum aut incerniculum. Hinc כברי qui cribra facit. נפה aliud esse videtur. Vide comment. super Aboth fol. 62. pag. 2. Chaldaice סרדא quo vocabulo usus fuit Onk. Nam in aliis est קנקל, cujus plurale קנקלין in Aruch exponitur cancelli. Hi cancelli etiam ex lapide fiebant: unde in eodem Aruch, *Lapis erat, in quo multa foramina qui parieti infixus illustrabat domum.* Quod noto, quia cancelli communiter ligna vel ferramenta modicis intervallis in transversum instar retis invicem annexa, quibus fenestræ muniri solent. In schidis meis קנקל *plexum cancellato opere factum.* R. Levi, *facies cribrum ex ære opere reticulato. Sensus est, facies ex ære aliquid simile cribri perforatum instar retis, &c.* ¶ *Opere reticulato*] retis i. reticulato, quod Græce dicitur δικτυωτῷ. Lexic. Hesychii Δίκτυον, *cribri modum, in quo foramina.* ¶ *Super rete illud*] vel, *in reti*. R. Levi, *super rete quatuor erunt annuli ærei, quibus vectes inserebantur ad portandum altare. Nam ecce cribrum illud adhærebat altari sic ut separari abs eo nequiret, quo* sic

sic per vectes commode gestari posset. ¶ *In quatuor extremitatibus ejus*] Hiero. *per quatuor angulos eius.* Lxx. ἐπὶ τὰ τέσσαρα κλίτη, quod reddunt, *ad quatuor latera.* Onk. & Jon. *in quatuor lateribus ejus* : quorum ille latera סטרוי : hic vocat זוריי per Tsade. Gall. edit. *à ses quatre coins.* ¶ *Pones illud*] cribrum videl. ¶ *Subter ambitum*] vel, *sub ambitu.* כרכב ambitus, circuitus i. סובב, quod aliquam rem ambit. Onk. סובבא vocat, & Jonathan סובבי מדבחא numero multitudinis. R. Salo. *Quicquid cingit* (i. circuitu suo ambit) *undique in rotundo vocatur Charchob.* Lxx. ὑπὸ τὴν ἐσχάραν: *sub craticula.* תחת כרכבו. Hiero. *Subter arulam altaris.* Lippom. *Arula est instrumentum seu vas, in quo ponitur ignis: unde in Ieremia habetur quod arula posita fuerit ante Ioachim regem plena prunis.* Hisc. ex tractatu Talmudico de sacrificiis, *Quid Charchob? inter cornu & cornu erat cubitus, & ante illa cornua erat alius. Isti duo cubiti vocantur Charchob.* Aben-Ezra notat alibi non inveniri : fallitur. Nam invenitur infra cap. 38. תחת כרכבו sub ambitu ejus. Hinc verbum apud Ebræorum Doctores לכרכב quod exponunt לסבב במחוגה circulum facere circino, quod uno verbo circinare dicunt. Apud eosdem doctores כוכבים materia informis in ligneo instrumento quæ circulo definita abscinditur. Hujusmodi materia ab iisdem גלמים dicitur : unde & pro stupido ea vox usurpatur. Ceterum duo ambitus erant. Unus, de quo nunc sermo : alter erat ambitus per quem incedebant pedes sacerdotum ne nutarent aut vacillarent cum sacris operarentur in altari. Habentur hæc in libro Radicum Davidis Camii, ubi & illud, *Altitudo altaris erat decem cubitorum. Quod autem dicitur, & trium cubitorum altitudo eius, de illo variant Doctores. R. Iuda dicit verba sumenda esse ut sonant. Nam altitudo ejus tantum trium cubitorum erat. Sed R. Iose dicit hoc intelligendum esse à labio ambitus & supra. Cribrum enim æreum ei suberat & pertingebat ad mediam altitudinem altaris, signumque erat dimidia altitudinis ejus separando inter sanguinem superiorem & inferiorem.* Utut sit, altare quod extruxit Salomo erat decem cubitorum : quem à Dei mandato recessisse non sit mihi verisimile. Quocirca iis assentior qui sentiunt altare ab ambitu eminuisse tribus cubitis, ad quem ambitum ascendebant sacerdotes, licet non per gradus (nam hoc vetitum erat) unde patet altare habuisse majorem altitudinem quam trium cubitorum. Infra hunc ambitum atque intra altare ipsum pendebat cribrum sive cancellatum illud rete. Vide sis Lippomanum. Quæ de sanguine superiore & inferiore supra ex Camio protuli, ea elucidat R. Levi per hæc verba, *& ipsum ponebatur subter ambitum & pertingebat ad medium altitudinis altaris, ut divideret inter sanguines* (cogor hic uti plurali non usitato) *qui positi erant supra, velut erat sanguis hostiæ pro peccato, & sanguines qui positi erant infra, velut sanguis holocausti, & qui similis ei erat.* ¶ *Eritque rete illud*] pertinget rete illud sive craticula illa usque ad altaris medium. Jon. h.l. addit, *Quod si pruna vel carbo ignitus ceciderit de altari supra cancellos, non perveniet ad terram : id accipient sacerdotes de cancellis & reponent super altare.* ¶ *Ære*] *laminis æneis.* Hiero. Ceterum vectes hic vocantur, non בדים, ut supra, sed בדים, ut in Chaldaismo אריחין & in Græcis Bibliis ἀναφορεῖς.

7. *Et inducetur uterque vectium ejus in annulos, eruntque vectes illi in duobus lateribus altaris, cum portabunt illud.*

8. *Cavum è tabulis facies illud, quemadmodum ostensum tibi fuit in monte sic facient.*

Inducetur uterque vectium] Nam duos fuisse liquet vel ex edit. vulg. Latina, *facies & vectes altaris de lignis Settim duos.* Licet etiam vertere, *Inducentur vectes ejus.* Verb. è ver. *Inducetur vectes ejus.* Quod ita ut reddamus Latina lingua non patitur. Sensum ergo expressimus. Onkel. & Jonath. *Et inducet vectes ejus in annulos* ויעל. videl. artifex aut quisquis inducet. Hoc unus dixit יעל & alter, videl. Jon. ינעל cum epenthesi Nun Hieron. *induces*, & ante illum Lxx. καὶ εἰσάξεις והובא. ¶ *Cum portabunt illud*] vel, *cum portabitur illud.* בשאת ad verbum, *in portando*, quod usitatius enuntiant בשאתו. Gallic. edit. *pour le porter* לשאת. Sic etiam Hieron. *ad portandum.* Sed Lxx. melius ἐν τῷ αἴρειν αὐτό. Jonath. *cum portabitur altare.* Notum ut infinitum aliquando passive sumatur. ¶ *Cavum è tabulis facies illud*] In fonte habetur ad verbum, *cavum tabularum* &c. Græci hoc eleganter dixerunt, κοῖλον σανιδωτὸν ποιήσεις αὐτό, quod reddunt, *cavum tabulatum facies illud.* Duo significat, primum, *facies illud è tabulis*: secundum, *facies illud cavum* sive *concavum.* Quorum alterum duntaxat expressit interpres noster, dum verteret, *non solidum, sed inane & concavum intrinsecus facies illud.* Jon. *Cavum è tabulis plenum pulvere facies illud.* Abenmelech, נבוב *idem cum* חלול *cavus. Nam in monumentis Doctorum* חביב *est concavitas*, i. חלול: *& est sensus, facies tabulas e quatuor lateribus ejus, cujus medium erit cavum, nec erat ei tectum sive operculum; implebantque medium ejus terra quo tempore castra ponebant in aliquo loco: & hoc est quod ait, Altare terreum facies mihi. Sed altare aureum habebat tectum, quemadmodum dicitur, tectum ejus & parietes ejus.* Hisc. *Altare cavum erat intrinsecus, & leve ad portandum.* Et mox, *labrum cribri sive craticula pertingebat ad medium altaris, & cum Israelitæ castrametabantur implebant cavitatem tabularum pulvere & offerebant super illum pulverem oblationes. Quum autem proficiscerentur attollebant altare vectibus defixis in labro cribri, pulvis autem cadebat per foramina quæ in limbo cribri quod erat opere quasi reticulato factum, & quum rursum quiescerent, denuo implebant illud.* ¶ *Ostensum tibi fuit*] In fonte, *ostendit* sive *monstravit tibi* : & subintelligitur Deus. Quod ut alia multa, docte vertit noster, *monstratum est.* Simile, *reputavit ei pro justitia* : pro quo in Apostolo, ἐλογίσθη, reputatum fuit. ¶ *Sic facient*] artifices.

9. *Et facies atrium tabernaculi : ad plagam meridionalem austrum versus, cortinas facies atrio ex bysso retorta centum cubitorum longitudo erit plagæ unius.*

9. *Et columnas ejus viginti & bases earum viginti ex ære, unci columnarum & filæ earum erunt argentea.*

Atrium tabernaculi] hoc atrium αὐλὴν Græci, דרתא Chaldæi vocant. Ebræis חצר dicitur. In eo populus versabatur, quod ideo dicitur *atrium Israel* : cujus descriptionem invenies in Nicol. de Lyra h.l. Vide, si vacas. De atrio sacerdotum alias. Atrium populi, quod initio unum erat, posterior ætas distinxit in duo atria: quorum unum dicebatur atrium virorum, & alterum atrium fœminarum. ¶ *Ad plagam meridionalem austrum versus*] vel, *ad plagam australem meridiem versus.* Hieron. *in plaga australi contra meridiem.* Auster & meridies eandem plagam denotant. Sic נגב & תימן. Prius appellationem habet a siccitate: alterum à situ. Nam qui orientem respicit habet in dextera meridiem. Lxx. εἰς τὸ κλίτος τὸ πρὸς λίβα ad latus, quod respicit africum. Nam λίψ africus. Sed notatum in aliis codicibus esse, τὸ πρὸς νότον, quod respicit austrum. λίψ nomen venti. Onkel. & Jon. *ad ventum lateris australis.* Ventum dixerunt ut plagam significarent. Sic, *in quatuor ventos cœli dispersi vos.* פאה definitur extremum cujusque rei & finis ejus. Sic Abenmel. תימן, ut dixi, *auster* : תימנה *austrum versus.* Male quidam *dextrorsum.* Nam dextera ימין dicitur, non תימן. Esset ergo ימינה dextrorsum. תימן etiam regionis nomen est, quæ & דרום, quod unum ex nominibus, quæ austrum denotant. ¶ *Cortinas facies atrio*] vel, *cortina erunt atrio.* Cortinæ hic קלעים vocantur, & ab Onkel. סרדין & à reliquis paraphrastis וילון i. vela. Græci similiter ἱστία, quod perperam interpretantur *tentoria*, potius *vela* significat : Communiter ἱστίον dicitur de navis velo. Sic קלע ספינה videntur esse vela navis, vel potius plexum illud ex funibus, quo navis malum conscendunt nautæ. Utitur R. Salo. cum ait, קלעים *facta esse in modum* קלע ספינה *foraminatim opere* קליעה, *non opere textoris.* Idem annotat in Onk. esse סרדין qui supra cribrum sive craticulam verterat כסרדא *quia*, inquit, *perforata erant ut cribrum.* Abenmel. ait קלעים *esse cortinas* i. וילון *quas ita dici scribit, quia fiebant opere pictorio.* Sic enim interpretor מעשה פתוח. Nam פתח pingere. Eadem habentur in libro Radicum, qui Davidem Camium autorem habet. Fortassean pictæ in iis erant fundæ, quæ קלעים vocantur, & inde nomen adeptæ. Nihil adfirmo. R. Levi, קלעים *habebant similitudinem cortinarum, quæ constabant ex sex tantum filis, fiebantque ex lino tenuissimo, quod שש dicitur.* Vide porro Fagium. Diximus nominibus Negeb, Theman & Darom austrum significari : quæ tamen Abenezra distinguere videtur. Nam ait tria capita meridiei his verbis designari. Sic *Oriens*, inquit, *tria habet capita. Primum respicit punctum quod in capite capricorni, quod extremum est vergentis sive declinantis solis in plagam australem. Secundum respicit lineam æquinoctialem ubi caput arietis & libræ. Tertium respicit caput cancri, quod est extremum vergentis solis ad aquilonem.* Hucusque Abenezra. ¶ *Centum cubitorum longitudo &c.*] vel, *centum cubitorum longitudine in latere uno.* Verb. è ver. *centum in cubito* : quod Onkel. dixit, *in cubitis*, & Jonath. *cubitorum.* Hieron. *centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.* Lxx. μῆκος ἑκατὸν πηχῶν τῷ ἑνὶ κλίτει : longitudo centum cubitorum uni lateri. ¶ *Plaga uni*] vel, *lateri uni.* Idem vocabulum quod supra, *ad plagam australem*, ubi etiam legi posset, *ad latus australe.* Annotant Romanenses in Scholio esse, ἄλλος, τῇ γωνίᾳ i. angulo. Onk. & Jonath. *vento uni* i. plagæ.

i. plagæ. R. Salom. *Omnis ventus vocatur* רוח i. plaga. Hieron. *angulum* vertit supra Exod. 25. 26. Aquila κλίμα Levit. 19. 27. ubi Theodotio φαιὸ. Amos 3. 12. בפאת Hieron. *in plaga lectuli*: alius, *in angulo lecti*. Sane γωνίαι appellantur extrema quæ plagas & cardines vocamus, ut Apoc. 7. 1. ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς: in quatuor angulis terræ. Posses etiam hic legere, *angulo uni*. Nam plaga proprie mundi est, non atrii, in quo latera & anguli. ❡ *Columnas ejus viginti*] vel, *columnæ eius*. sub. erunt. Id Græce diceretur οἱ στῦλοι αὐτῆς. Nam ad aulam (melius ad κλίτος i. latus sive angulum.) refertur, quam nos atrium diximus. Ceterum in Lxx. est αὐτῶν eorum vel earum, ut cortinæ intelligantur. In Augustino modo est *ejus*, modo *eorum*. Sunt qui *ejus* lateris subaudiunt. Pro στῦλοι apud alios interpretes legitur σανίδες, teste Theodoreto: cujus hæc sunt, quæst. 60. in Exodum, σανίδας δὲ τοὺς στύλους ὠνόμασαν οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταί. Et ante, εἴκοσι δὲ σανίδας εἶχε τὸ νότιον μέρος καὶ τοσαύτας τὸ βόρειον. In edit. Rom. perperam σανίδας, tabulas. ❡ *Ejus*] plagæ sive lateris. ❡ *Unci columnarum*] Lxx. οἱ κρίκοι αὐτῶν circuli earum. R. Salom. ווים *sunt uncini facti in modum literæ* ו, *capite recurvo quorum unum caput infixum erat columnæ, velut sunt illa ferramenta, quæ faciunt, ut statuantur fores*, quæ vocant גונצי״ש *gonzis*. Forte in mente habent, *le gond d'une porte*. ❡ *Fila earum*] Quidam, *zona illarum*, Lxx. αἱ ψαλίδες αὐτῶν quod interpretantur, *fornices earum*. ψαλὶς fornix, cujus media veluti fibula nominatur umbilicus seu opus fornicatum & sese forficatim intersecans. Lexic. Hesychii, ψαλίδες, ἁψῖδες τῶν στύλων. Edit. Rom. Lat. *arcus columnarum*: & in notis ad eandem, *in aliis libris est* καὶ αἱ ψαλίδες αὐτῶν: *&* *apud S. Augustinum*, *& arcus earum*. *Alii autem pro circulis & arcubus dixerunt fibulas & forcipes*. Forcipes i. ψαλίδες. Onkel. & Jon. כבישיהון quod reddunt, *cinctura ipsarum*. Vetus editio, *capita cum calaturis*. ווים capita & חשוקיהם cælaturæ. R. Salom. *cinctæ columnæ fuerunt filis argenteis undique*: & mox, *Scio* חשוק *habere significationem* חגור *cinctus vel cincturæ*. *Sane in textu est* חשוקי *de asinis, ubi Thargum habet* חישוקיהון. R. Levi, *Fila argentea adhærebant columnis quibus vinciebantur cortinæ ad columnas ne ventus eas ab illis separaret*. Abenmel. ex Camio, *significationem habet* חשק *conjunctionis &* דבק *adhæsionis, vel si mavis, cohæsionis aut adglutinationis*. *Nam columnis fila quædam erant argentea quæ conjuncta & alligata illis erant circumcirca, ut fieri solet in dolis ligneis quæ circulis junguntur*.

11. *Et sic ad plagam aquilonarem in longitudinem cortinæ centum longitudine: & columnæ ejus viginti, & bases earum viginti ex ære, unci columnarum & fila* (*fila eas cingentia*. Sic Santes) *earum argentea*.

12. *Et in latitudine atrii ad plagam occidentalem, cortinæ quinquaginta cubitorum: columnæ earum decem & bases earum decem*.

13. *Et latitudo atrii ad plagam anteriorem orientem versus quinquaginta cubitorum*.

Ad plagam aquilonarem] Hoc Hieron. dixit, *in latere aquilonis*. Hæc plaga septentrionalis est. Nam aquilo ventus est septentrionalis. In Tremellii, *aquilonalem*. Ut à septentrio septentrionalis, sic ab aquilo aquilonalis. Cicero, *regio aquilonaris*. Ebraice צפון quod abscondita sit à calore solis. LXX. τῷ κλίτει τῷ πρὸς ἀπηλιώτην: lateri quod ad subsolanum. Plin. lib. 2. cap. 47. „Ab oriente æquinoctiali subsolanus, ab oriente „brumali vulturnus. illum apelioten, hunc eurum Græci appel„lant. A. Gellius, lib. 2. cap. 22. „Quo ventus ab oriente „verno i. æquinoctiali venit, nominatur εὖρος, ficto vo„cabulo (ut isti etymologici ajunt) ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέων. Is alio „quoque à Græcis nomine ἀπηλιώτης, à Romanis nauticis „subsolanus cognominatur. Supra notavi ex Abenezra caput orientis tertium respicere caput cancri, quod est extremum vergentis solis ad septentrionem. An eo respexerint interpretes nescio. Hoc scio צפון usitate *septentrionem* denotare, unde plaga septentrionalis, quæ & aquilonalis, sive aquilonaris, sub axe posita, ad septem stellas. Gerundensis in Exodum, *Saphon, quia* צפון *Saphun i. absconditus est, nec sol apparet in eo unquam*. ❡ *In longitudinem*] Hieron. *per longum*. Ebraice בארך. Munsterus, *secundum longum* כארך. Videtur legisse Chaph pro Beth. Gall. *en longeur*. Santes, *in longitudine*. ❡ *Cortinæ centum*] Hieron. *centum cubitorum*. Quam vocem hic etiam subaudit Tremellius. Sed Hieron. omittit *longitudine*. Munsterus, *habebunt cortinæ centum cubitos in longitudine*. ❡ *Unci*] Hieron. *capita*. Munsterus, *capitella*. ❡ *Fila earum*] vel, *cingula earum*. Nec displicet *Zona illarum*. Santes, *fila eas cingentia*. De uncis Abenmelech ex Camio, *clavi erant exeuntes è columnis, qui similitudinem habent litteræ Vau, &* *fiebant* כדי *להפשיט שם הקרבנות ad excoriandum ibi oblationes*. ❡ *Ad plagam occidentalem*] In Ebræo est ad verb. *ad plagam maris*. Notum ut *mare* pro *occidente* ponatur. Plaga occidentis i. occidentalis. Hinc lux editioni Lxx. τὸ κατὰ θάλασσαν, pro quo in Hier. *quod respicit ad occidentem*. Ergo θάλασσα occidens. Apud August. *latitudo atrii, qua est ad mare*. Malim, *quod est ad mare* i. quod occidentem respicit. Sed in Græco exemplari τὸ, quod necessario ad εὖρος refertur. Unde in edit. Rom. Lat. *qua ad mare*. ❡ *Ad plagam anteriorem orientem versus*] לפאת קדמה מזרחה genus constructionis, ut כי טוב. Nam particulæ non impediunt regimen. Alioqui קדמה valet אל קדם ad orientem, idem videlicet quod מזרחה. Sunt qui existimant ה παραγωγικὸν dici קדמה מזרחה ut *lutum cæni*, *terra pulveris*, *cito velociter*, *jam nunc*, & quæ alia Gramm. notarunt. Abenez. censet ex tribus hujus plagæ capitibus, de quibus supra, unum designari, quod מזרח קדם dicitur. Abenmel. ait *alterum additum lucis caussa*. Notius enim esse nomen מזרח quam sit קדם. Utroque oriens designatur, qui קדם dicitur quod is qui orientem spectat, eum ante se habeat. Contra occidens vocatur אחור & mare occidentale הים האחרון mare postremum sive novissimum. In Chaldaicis editio. לרוח קדומא מדינחא: Melius profecto quam in Græca τὸ αὐλῆς τῆς πρὸς νότον: *atrii, quod austrum respicit*. Quis enim nescit austrum נגב dici & תימן & interdum דרום? Oriens autem vocatur ἀνατολὴ, vel pluraliter ἀνατολαί: quomodo hic in quibusdam libris. Notæ ad edit. Rom. *Describuntur quatuor atrii latera per quatuor hujus hemisphærii partes, quæ sunt* λὶψ, ἀπηλιώτης, θάλασσα, νότος, *africus, subsolanus, mare, auster*. In aliis codicibus sunt νότος, βορρᾶς, θάλασσα, ἀνατολαί; *auster, aquilo, mare, oriens*. *Et ita apud S. August. quæst. ultima*.

14. *Et quindecim cubitorum cortinæ erunt in latere* (*uno*), *columnæ earum tres & bases earum tres*.

15. *Et in latere secundo quindecim cortinæ, columnæ earum tres & bases earum tres*.

In latere uno] vel, *lateri uno*, ut est in Lat. Vulg. quod Lxx. dixerunt τῷ κλίτει τῷ ἑνί. Hic notabis ellipsin vocabuli *unus*: quam observo & Exod. 21. 20. Nam ubi vulgo, *diem & biduum*, sensus est, *diem unum*. Sic Exod. 22. 1. חמשה בקר pro uno bove: ארבע צאן pro una ove. ❡ *Et in latere secundo*] ולכתף השנית *& lateri secundo*. כתף latus. Sic interpretantur etiam Chaldæi. Nam עבר latus. Nec aliter Lxx. καὶ τὸ κλίτος τὸ δεύτερον i. latus secundum. Ebraice redditur צד aut פאה, *angulus*. Sic Abenmel. Jes. 11. 14. ubi in fonte כתף, & in Sante, *humerus*. R. David enarrat אל עבר ad latus. Male igitur hic reponunt, *humero secundo*. Nam si alibi humerum denotat, tamen h. l. id non sig. Deinde כתף non tam est humerus, qui שכם dicitur, quam scapula. Adhibe Lexica.

16. *Et portæ atrii velum erit viginti cubitorum ex hyacintho & purpura & cocco diphabo & bysso retorta, opere plumarii: columnæ eorum quatuor & bases earum quatuor*.

17. *Omnes columnæ atrii circumcirca cinctæ erunt filis argenteis: unci earum argentei & bases earum æreæ*.

18. *Longitudo atrii centum cubitorum, & latitudo quinquaginta in quinquaginta, & altitudo quinque cubitorum ex bysso retorta, & bases earum æreæ*.

Et porta atrii &c.] h. e. porta atrii velum habebit. Licet etiam vertere, *in porta atrii velum erit*. ❡ *Velum*] i. פרסא quod in edit. Chaldaicis. Alii, *tegumentum*, quod proprie putei est. Sed tamen hos juvat ed. Græca, κάλυμμα. Nam *tentorium*, quod in vulgata nostra, nimis alienum est. Quidam *aulæum*. Κάλυμμα in edit. Rom. redditum *tegimen*. Santes, *operimentum*, quod in idem recidit. Ebraice מסך & *velum* denotat & *tegumentum*: de qua voce fuse diximus supra. Velum: i. καταπέτασμα, etiam פרכת dicitur. Velum secundum Apostolo est *velum secundi tabernaculi*, quod *Sanctum* vocatur, in quo sacerdotes sacra faciebant. Alioqui tria vela erant, ut diximus. ❡ *Cocco diphabo & bysso retorta*] *diphabo i. bis tincto*. ita Hieron. Quanquam in Lxx. κοκκίνου κεκλωσμένου βύσσου κεκλωσμένης: cocco torto & bysso torta. S. August. habet, *cocco neto & bysso torta*. Notatum autem in edit. Romana, in aliqua edit. esse καὶ βύσσου νενησμένης *& bysso neta*. ❡ *Opere plumarii*] vel *plumario*. Sed *plumarii* habet Hier. i. acupictoris. Est tamen aliqua differentia, ut plumarius dicatur qui patagia, segmenta, scutulas aut tessellas ita aliis alias in veste superassuit, ut plumas avium referant: vel qui sic operatur ut sine assumento acupingendo plumæ avium referantur. Id exemplis probat Turnebus lib. 11. cap. 25. à quo hæc habeo. Lxx. τῇ ποικιλίᾳ τοῦ ῥαφιδευτοῦ, quod reddunt, *acupicti*, cum potius reddi debeat, *acupictoris*. Nam est obliquus à recto ῥαφιδ-

φιδδωτὴς, non à ῥαφιδδωὴς, acu textus : unde τοῖ ὑφαντοῖ ῥαφιδδωτοῖ. Exod. 36. S. Augustinus habet, *varietate acupicta*: Sed paulo post, *varietate acupicti*, & subintelligitur *operis acupicti*. Malim, *acupictoris*, qui & ῥαφιδευτὴς & ποικιλτὴς, à varietate operis. ¶ *Columnæ eorum*] vel, *earum*, sub. cortinarum. Vide Lippoman. h. l. ¶ *Eorum*] cubitorum. ¶ *Circumcirca*] Hieron. *per circuitum*. Lxx. κύκλῳ. Id vertunt, *incircuitu*. Onkel. סחור סחור, circumcirca. Quanquam in Fagio, *per circuitum*. Jon. חזור חזור. Idem aliter. In Lexico Chaldaico Munsteri perperam חזור חזור quod ibi exponitur *circumquaque*. Legitur & Exod. 25. 11. ¶ *Cincta erunt filis argenteis*] כסף מחשקים Hieron. *vestita erunt argenteis laminis*. alius, *redimita zonis argenteis*. Lxx. κατηργυρωμένοι ἀργυρίῳ : deargentatæ argento. Onk. & Jon. מכבשן כסף. Vide quæ scripsimus ad versum undecimum supra in חשקיהם. ¶ *Ærea*] vel, *aenea*. ¶ *Centum cubitorum*] verbum pro verbo, *centum in cubito*. Onkel. habet, *in cubitis*. Jon. autem, *centum cubitorum*: quem nunc secuti sumus. Lxx. ἑκατὸν ἐφ' ἑκατὸν i. מאה מאה. Hieron. *in longitudine occupabit atrium cubitos centum*. ¶ *Quinquaginta in quinquaginta*] חמשים בחמשים. πεντήκοντα ἐπὶ πεντήκοντα. Hoc alii aliter explicant. Jon. *quinquaginta occidentem versus, & quinquaginta orientem versus*. Abenezra, si recte illum capio, בכל צד חמשים ex omni parte quinquaginta. Vide sis Fagium. R. Levi, *quinquaginta in quinquaginta. vult dicere, Antea extitit latitudo atrii quinquaginta cubitorum, in quinquaginta cubitis ex longitudine, quæ erat extra tabernaculum.*

19. *Omnia vasa tabernaculi cum omni servitio ejus, & omnes paxilli ejus & omnes paxilli atrii ex ære.*

Vasa] instrumenta. Lxx. κατασκευὴ i. supellex. In לכל Lamed otium agit. Ante notatum est. ¶ *Cum omni servitio ejus*] בכל עבדתו in omni servitio ejus. Santes, *cum omni ministerio ejus*. Alii, *in omne servitium ejus* : vel, si placet, *ad totum ministerium ejus* אל כל עבודתו. Hiero. *in omnes usus & ceremonias*. Lxx. καὶ πάντα τὰ ἐργαλεῖα : *cuncta instrumenta*. Nam ἐργαλεῖον instrumentum quo utimur ad aliquod opus: ἐργαλεῖα τῆς σκηνῆς quibus in tabernaculo ad sacra facienda utebantur, עבודת משכן opus quod fiebat in tabernaculo. Vide Gerundensem in Leviticum fol. 210. col. 1. & 237. 1. & 2. Quidam, *instrumenta necessaria ad erigendum tabernaculum*. *Paxilli*] πάσσαλοι, qui in lingua Thargum סכין & סיכיא dicuntur. Hi paxilli terræ infixi erant, ne cortinæ à vento elevari possent, quibus alligati erant. Quanquam de eo dubitare videtur R. Salom. Nam suspicatur fieri potuisse ut pondere suo degravarint cortinas. Abenmelech, *paxilli tabernaculi alligati erant funibus ad cortinas tentorii, & paxilli defixi erant in terram in pergula tabernaculi, ne ventus agitaret cortinas. Idem dicendum de cortinis atrii.* R. Levi ad h. l. *Omnia vasa tabernaculi &c. vult dicere, omnia instrumenta necessaria ad erigendum illud vel ad deponendum illud quales erant mallei sive marculi ad feriendum vectes cum annulis inducerentur & cum columnæ educebantur è basibus & paxilli ad educendum vectes è medio annulorum, & ad figendum in fundo in porta atrii : tunc relinquebant cortinas in circuitu eorum, & ponebant ibi columnas & bases, & postea amovebant paxillos illos inde. Et ecce omnia hæc instrumenta erant ex ære, licet instrumenta tabernaculi obducta essent omnia auro aut argento : ecce ministri eorum inferiores esse debebant : ideo facti sunt ex ære.* Hactenus R. Levi. Hinc eruas duo fuisse genera vasorum in tabernaculo. Alia erant ex auro & argento : alia ex ære, quæ aureis & argenteis inserviebant & quasi ministrabant: unde dicitur, *Cuncta vasa tabernaculi ad servitium ejus*. Intelligens intelligit quid velim. Adito nunc, si vis, ad Nicolaum de Lyra : in quo cavillæ videntur esse *clavi*, & *martelli*, *mallei*, & cætera hujusmodi, velut forcipes & ligones, quæ necessaria ad erigendum columnas & cortinas.

20. *Tu autem præcipies filiis Israël ut accipiant deferant ad te oleum olivæ purum tusum pro luminari, ad accendendam lucernam jugiter.*

21. *In tabernaculo conventus extra velum quod vicinum testimonio disponet illud Aharon & filii ejus à vespera usque mane* (includit totum mane i. totum diem) *coram DOMINO : statutum perpetuum ætatibus eorum à filiis Israël.*

Hic incipit nova sectio i. פרשה quæ vocatur ואתה תצוה præcipies, aut plenius ואתה תצוה & tu præcipies. ¶ *Ut accipiant deferant ad te*] vel, *adferant ad te*. In Ebraismo est, *ut accipiant ad te*. Id Hiero. transtulit, *afferant*. Lxx. λαβέτωσάν σοι, *accipiant tibi*. Sic etiam Onkelos & Jonathan. Sed unum pro duobus ponitur, *accipere* pro accipere & afferre. Sic alibi παραλαμβάνειν est acceptum transferre : & in Apostolo *accepit dona* pro accepta dedit. Sic apud Salomonem in Proverbiis, *capies carbones ignis*, pro capies & pones. Nam sequitur, *super caput ejus*. ¶ *Oleum olivæ purum*] vel, *oleum olivæ puræ*. Abenezra, *Mos est in iis locis ubi sunt olivæ, ut eligant olivam puram, h. e. grana quæ nihil habent maculæ aut putoris : item quæ non sunt comesa ex parte : unde faciunt oleum pro cibo regum. Ideo dicit pura, antequam dicat tusa.* ¶ *Oleum olivæ*] Santes, *oleum oleæ*. Sed זית tam *olivam* designat, quam *oleam*. Hiero. *ex arboribus olivarum*. Lxx. ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν, quod reddunt, *oleum ex olivis*. Sed in Scholio, ἐκ σπερμάτων, de seminibus. Quid viderunt, qui hoc modo verterunt? Autor Pesicthæ inter septem species recenset, *olivam olei*, quam interpretatur זית זית *olivam collectam, quia oleum ejus collectum in medio ejus.* ¶ *Purum*] זך cum camets. Huic voci respondent apud Græcos duæ, videl. ἄτρυγον fæce carens, & καθαρὸν i. purum. Forte alterutrum superest ex aliqua alia editione. Novum hoc non est in his libris. Sane R. Salo. *purum* interpretatur בלי שמרים *absque fecibus* i. ἄτρυγον. Contra Hesychius ἄτρυγον exponit καθαρὸν, μὴ ἔχον τρύγα, purum, fæcem non habens. Glossa Nicolai, *purum, sine amurca*. Quid amurca? Græcè ἀμόργη. Plinio, *sanies olei*. Sunt autem sordes olei quæ præcedunt. Nam quæ sequuntur *fæces* vocantur. Polluci etiam τρὺξ dicitur. Ergo ἄτρυγον sine amurca. ¶ *Tusum*] in mortario. R. Salo. *Olivæ tundebantur in mortario, & non molebantur in mola, ne remanerent in iis fæces. Ceterum post eductam guttam primam introducebantur in molam & ibi molebantur. Hoc oleum secundum ineptum erat ad lucernas, & aptum ad sacrificia.* Eadem fere habentur in Abenmelecho ex monumentis Doctorum. Nicolaus de Lyra scribit, *oleum contusum purius esse, quam illud quod teritur inter molas. Molas appellant prela olearia.* Tremellius, *tusum tudicula ut sit purius, non prelo expressum.* Cajetanus, *Juxta Ebræum oliva non molita, sed tusa describitur, ut oleum ex carne olivæ seu pulpa olivæ, & non ex osse ejusdem fieret : molendo enim etiam ossa franguntur, tundendo autem seu premendo sola caro frangitur.* Vetus edit. Lat. *piloque contusum*. Lxx. κεκομμένον. ¶ *Pro luminari*] למאור. Abenezra, *in usum luminis nocturni*. Onk. לאנהרא i. interprete Fagio, *ut luceat*: malim, *ut illuminet*. Nam lucere נהר dicitur. In Aphel אנהר sig. lucem facere, seu illustrare aliquid. Jon. לאנהרא ad illuminandum. Lxx. εἰς φῶς, ad lumen. alias, εἰς φῶς καῦσαι: quod reddunt, *ad lumen accendendum*. Mihi videtur τὸ καῦσαι glossema esse additum à nescio quo. Sed nihil decerno. ¶ *Ad accendendam lucernam jugiter*] Lxx. ἵνα καίηται λύχνος, quod Hiero. vertit *ut ardeat lucerna*. Non hoc dicit Moses: sed, *ad accendendum*. עלה ascendit, העלה ascendere fecit i. accendit. Ut hic de lucerna, sic alibi usurpatur de ira. Notum illud, *verbum durum accendit iram*, ubi יעלה in Ebræo i. ascendere facit. Sic h. l. להעלות ad accendendum; quod Chaldæi dicunt לאדלקא. ¶ *Lucernam*] i. lucernas. Nam septem lucernæ in candelabro erant, ut habetur supra cap. 25. ¶ *Jugiter*] διαπαντὸς, semper i. quot noctibus, quod Abenezra dixit בכל לילה ולילה qualibet nocte sive singulis noctibus. Nam interdiu non lucebant, ut multorum opinio est. (Sic, *à vespera usque mane* i. per totum diem. Nam vespera & mane partes sunt diei civilis vel naturalis. Unde Gen. 1. 2. *Et fuit vesperi &c.*) Qui aliter censent, interpretantur *jugiter, interdiu ac noctu*. Adverbium hoc plus difficultatis habet in illo, *erit in fronte ejus jugiter*, de lamina quæ in cidari pontificis. Sensus est, *semper quum tiara sive cidaris erit in capite, habebit etiam laminam in ea*. Sic Abenezra: à quo non diffidet R. Salo. ad quem te adire velim. Nicolaus de Lyra, *Semper i. qualibet nocte. Josephus autem dicit quod etiam de die tres ardebant, & omnes septem de nocte.* ¶ *In tabernaculo conventus*] vel, *in tentorio conventus*. Nam tabernaculum משכן dicitur : hic est אהל in fonte. Sed confundi scias. Siquidem in edit. Chaldaicis h. l. משכן זמנא in tabernaculo temporis. Innuit autem tempus statutum ad conveniendum. Idem יעד apud Ebræos ... statuto tempore convenire: unde יום מועד dies mortis, h. e. tempus statutum ad moriendum, & בית מועד domus constituti temporis i. sepulchrum. Quæ sumpta ex libro selectarum sententiarum, qui מבחר פנינים vocatur. Interdum מועד vocatur ipsum sacrarium, quod populus universus ter in anno eo confluerent, vel, si mavis, conveniret. Eadem ratione dicitur *tabernaculum conventus*, nisi potius ut appellatum sit, quod Deus ibi Mosen conveniret. Nam legimus supra cap. 25. *conveniam te ibi*. Ut ut sit, Græci referunt, ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου, & Hiero. *in tabernaculo testimonii*, evidenti errore מועד confundentes cum עדות, quod proprie *testimonium* notat. ¶ *Quod vicinum testimonio*] *testimonium* dixit ut *arcam testimonii* significaret, quæ in Sancto sanctorum quod à Sancto separabatur velo פרכת dicto. Vicinum

eorum ergo erat hoc velum arcæ: quod particula על significari præter alios Hiscuni observat qui eam per סמוך interpretatur, ut dubitare de eo nemo debeat. R. Levi exponit per אצל juxta, prope. eodem redit. Ut hic *testimonium*, pro arca testimonii, sic Thren. 1. 4. & Psal. 74. 4. מועד accipi videtur pro אהל מועד tabernaculo conventus. Certe Abenezra in priore loco מקדש i. *sacrarium* interpretatur, & in posteriore R. David *templum*. ¶ *Et filii ejus*] Aut filii ejus, & pro *aut*. nota enallage. Sic alibi, *Qui maledixerit patri & matri*. ¶ *A vespera usque mane*] per totam noctem. Aliter, *usque mane* inclusive. Per mane autem totum diem significat, ut Gen. 1. 2. *Et fuit vespera, & fuit mane dies unus*. Vide sis R. Levi 106. 1. Tantum autem olei adhibebant quantum sufficiebat ad illud tempus. Peculiariter autem notatum à Salomone Jario, mense Tebeth, quando noctes longiores sunt, adhibitum fuisse dimidium logi. Sed Hiscuni autor nunquam plus olei adhibitum fuisse, *quia*, inquit, *pro ratione noctium faciebant ellychnia tenuiora vel crassiora*. Verba quibus hoc dicit, hæc sunt, *Mensuram olei æstimarunt sapientes ad dimidium logi, nec amplius adhibebant quia ecce, quum noctes breves essent faciebant ellychnia crassa*. ¶ *Statutum perpetuum*] Lxx. νόμιμον αἰώνιον, quod interpretantur, *legitimum sempiternum*. Sunt autem τὰ νόμιμα leges & statuta, ut 1 Machab. 1. 15. κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν, secundum statuta gentium. In Ebræo est ad verbum, *statutum seculi*. ¶ *Ætatibus eorum*] vel, *generationibus eorum*. Hiero. *perpetuus erit cultus per successiones eorum*. Licet etiam vertere, *in ætates eorum*: εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν. Sic οἱ ἑβδομήκοντα, nisi quod ὑμῶν in iis pro αὐτῶν. Quidam, *pro ætatibus eorum*. ¶ *A filiis Israël*] observandum scilicet.

A M A M A.

3. Ebr. *Et facies lebetes ejus ad suscipiendos cineres* ויעיו, ומזרקתיו ומזלגתיו ומחתתיו. Vulg. *Faciesque in usus ejus lebetes ad susc. cineres, & forcipes atque fuscinulas atque ignium receptacula.* (*a*)

In duobus extremis *lebetibus* & *receptaculis* litem non movebo Interpreti. Illud mihi hic observa, inter *lebetes* & *receptacula* in fonte Ebr. tria memorari alia, cum Vulgatus duorum solummodo meminerit. Primo vid. יעים in Vulgata respondet vox *forcipes*. Male; יעה extra omne dubium est *verrere*, Jes. 28. 17. Propius ad rem illi qui *palas* reddidere, inter quos sunt Lippom. Jun. & Trem. Lippomani verba hæc sunt, *Erant autem palæ instrumenta quibus cinis ab altari amovebatur i. scopæ, ut idem sit dicere, & palas ejus & scopas ejus*. Lxx. quoque hic exorbitarunt dum τὸ יעיו vertunt καλυπτῆρα *operculum*. Voci secundæ in Vulgato nihil respondet. Illud enim *fuscinulas* quod sequitur, respondet Ebr. מזלגת. Significat autem vox prætermissa *crateras*, *pelves*, Lxx. φιάλας, Cajet. *malluvia*. Instrumentum erat intercipiendo victimarum sanguini destinatum. Quamvis dubitari possit annon potius τὸ *Mizzlegoth* hic sit prætermissum &, *fuscinulas* sit interpretamentum τοῦ *Mizrekoth*. Ecce enim cap. 38. 3. ubi numerus instrumentorum in utroque textu æqualis est, sic legitur, *Et lebetes & forcipes & fuscinulas & uncinos & receptacula*. Quicquid sit, vox alterutra ab interp. neglecta est. Chald. non aliter ac nos hodie מגרפוהי ומזרקוהי ומזלגוהי *palas ejus, pelves ejus & fusc. ejus*.

5. Ebr. *Et pones illud* אתה תחת כרכב המזבח מלמטה *sub ambitu altaris inferne*. Vulg. *Quos (annulos) pones subter arulam altaris*.

Arula est vas, inquit Lyra, *in quo ponitur ignis*. *Quos* procuidubio ad *annulos* referendum. At in Ebr. est אתה sing. & quidem fœmin. quod ad præcedens רשת *rete* refertur. Multum hic exorbitasse Vulgatum Lyra non ignoravit. Eum audire erit operæpretium. Quos pones subter arulam) *Loquitur de quatuor annulis prædictis, quod in altari holocaustorum non ponantur nisi 4. annuli, tam in isto loco quam cap. 38. Isti autem annuli secundum prædicta posita erant in cornibus altaris, quæ erant in summitate ejus. Arula autem erat inferius. Et ideo dicunt aliqui quod textus hic sit corruptus vitio scriptorum, ut dici debeat*, super arulam; *Sed hoc non est verum, quia in libris antiquis & in Ebræo, ubi recurrendum est* (Nota) *pro veritate textus habenda, habetur*, Subter, *& non* super. *Et ideo si quis velit sequi dictam expositionem quam plures expositores sequuntur, oportet dicere quod in altari erant octo annuli, quatuor supra, ex quibus craticula dependebat ex cornibus, & quatuor infra sub arula, in quibus mittebantur vectes ad portandum altare. Sed hoc non bene convenit textui hic & infra cap. 38. ubi dicitur*, Fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates ad immittendum vectes ad portandum altare. *Ex quo patet quod annuli quatuor quibus immittebantur vectes ad portandum altare erant in summitate retiaculi. Et certum est quod retiaculum hic dici non potest secundum translationem nostram nisi craticula ad modum retis facta. Ideo aliter exponit R. Sal. ad cujus intellectum primo ponenda est litera prout est in Ebræo, quæ talis est*, quos pones subter ambitum altaris. Hæc Lyra. Cætera vide in ejus postilla. Et illud nota, non *quos*, sed *quod* esse in Ebræo. Sed putabat motam illam difficultatem satis expeditam, in locum *arulæ* ambitu substituto.

9. Iterum *tentoria* vertit ubi in Ebr. קלעים *cortina*. Græci habent ἱστία *vela*. Synonymum ei est יריעות licet quidam subtilius distinguant. Ajunt enim has cortinas ita fuisse textas, ut plenæ foraminibus essent, arcentes quidem introitum, sed non prohibentes transpectum. R. Salomo notat Onkelon vertisse סרדין qui supra τὸ מכבר (*cribrum*) verterat סרדא eo quod perforatæ essent instar cribri. Atque iste error aliquot versibus iteratur, ut vers. 11. 12. 14. 15. Versu 16. מסך denuo *tentorium* reddit.

18. Ebr. *Latitudo quinquaginta* (*sc. cubitorum*) *in quinquaginta*. Vulg. *In latitudine quinquaginta*.

Non frustra repetitum illud בחמשים. Sensus enim est, *quinquaginta ex omni parte*. Latitudo erat per omnia æqualis ab utroque latere. Ideo Lxx. utrunque expressere, πεντήκοντα ἐπὶ πεντήκοντα.

19. Ebr. *Omnia vasa tabernaculi cum omni servitio ejus*. Vulg. *Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus & cæremonias ejus*.

Optime vocem *cæremonias* obelo confodit Joh. Benedictus. Et Cajet. *In Ebræo nihil habetur de cæremoniis*. Lxx. quoque nil juvant. Sic enim illi, καὶ πάντα ἐργαλεῖα, *& omnia instrumenta*.

G R O T I U S.

1. *Facies & altare*] Locum Hecatæi de hoc altari holocaustorum supra produximus, xx. 25.

3. *Omnia vasa ex ære fabricabis*] Sic & Græci. Abundat ergo hic particula ל [*nota dativi casus*] aut in scriptura, aut in sensu, ut & infra 19.

9. *Tentoria*] In Hebræo *sindas*, id est, cortinas foraminibus distinctas, quæ aditum arcerent, non aspectum. Sic sumsit & Chaldæus.

21. *Ut usque mane luceat*] In Hebræo, *à vespera ad mane*: nam mane exstingebatur. 1 Sam. III. 3. Aliter tamen existimavit Hecatæus, ἐπὶ τούτων, φῶς ἐστιν ἀναπόσβεστον καὶ τὰς νύκτας, καὶ τὰς ἡμέρας [*in his erat lumen quod nec noctibus, nec diebus exstinguebatur*]. Talis fuit lychnus in templo Ammonis, teste Plutarcho, Cur oracula defecerint.

CARTWRIGHTUS.

3. *Et facies* סירתיו לדשנו *lebetes ejus ad suscipiendos cineres ejus.*) Vulgatus, omissis pronominibus, *lebetes ad suscipiendos cineres*. Lxx. nescio quid secuti, καὶ ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ, *Et facies coronam altari*. Onk. פסכתרוהי למסבי קטמיה Fagius vertit *ollas ejus ad tollendum cineres ejus*. (*a*) At Buxtorfius in Lexico magno exponit, *ad colligendos cineres ejus*, atque asserit נסב idem significare quod אסף h. e. colligere. Quin & suspicatur pro למסבי legendum literis transpositis למיסב. Cum סיר ollam sive lebetem significet, melius congruere videtur, ut לדשנו exponatur *ad colligendos* seu potius *suscipiendos cineres, quam ad tollendum cineres*; etiamsi ita exponat R. Sal. להסיר דשנו לתוכם *ad removendos*, seu *auferendos cineres ejus in eos*, nempe lebetes. Sed & utriusque expositionis idem potest esse sensus, modo non intelligatur pala, qua cineres ab altari auferuntur, sed lebes sive olla, in qua cineres ab altari pala ablati sunt positi. Atque id videtur sensisse R. Sal. uti vox ista לתוכם arguit. Idem autem notat in Hebræa lingua quædam verba plane contrarias habere significationes: ut שרש *radicare, radices agere, & eradicare, radicitus evellere*. Et similiter דשן Psalm. 20. 3. *in cineres redigere*; hic autem *cineres auferre* seu *removere*. Aben Ezra etiam hic interpretatur לדשנו per להסיר הדשן *removere cineres*: at Psal. 20. ידשנה per יהפך לדשן *in cineres rediget*.

Et

(*a*) Confer hæc cum iis quæ Num. 4. 14. notavimus.

(*a*) Jon. & Hierosol. לדשנא יתיה *ad decinerandum illud*; uti exponit Buxtorf.

ויעיו *Et palas ejus*] vel *scopas* (*b*) יעה *est verrere*, unde יעים *scopa*, vel *pala*, nempe (ut Fagius, & Amama ex Lippomano explicant) instrumenta, quibus cinis ab altari removebatur. Onk. ומגרפתיה. Et similiter Jon. ומגרפוהי *&* *palas ejus.* Sic Fagius vertit, & Buxtorfius interpretatur מגרפה *everriculum, scopas, palam,* (*c*) *qua cinis removetur ab altari.* LXX. καὶ τὸν καλυπτῆρα αὐτοῦ, *& operculum ejus*] Vulg. *Et forcipes.* Quæ interpretamenta nec dictioni, nec sententiæ congruere videntur.

ומזרקתיו *Et phialas ejus*] Sic LXX. καὶ τὰς φιάλας αὐτοῦ. Vulgatus interpres vel hanc dictionem, vel sequentem omisit. Omnes tres Targumistæ Hebræam vocem Chaldaice deflexam retinent, Onk. ומזרקוהי Hierosol. ומזרקי, Jon. ומזרקי. Fagius vertit, *& pelves ejus.* Instrumentum nempe erat (ut notat Amama) excipiendo victimarum sanguini destinatum. Atque ita exponit R. Sal. לקבל בהם דם הזבחים.

ומזלגתיו *Et fuscinulas ejus.*] Vulgatus post *& forcipes*, quomodo interpretatur, (*d*) יעיו, habet, *Et fuscinulas.* Amama dubitat utrum interpres iste sic reddidit vocem מזרקת an מזלגת, nam alteram harum vocum omisit. Respondet quidem ista interpretatio potius voci מזלגת, sed ex cap. 38. 3. apparet Interpretem istum reddere מזרקת *fuscinulas*, & מזלגת *uncinos.* Fuscinulæ autem & uncini, quatenus instrumenta in usum altaris comparata designant, revera idem valent, ac vocem מזלגת ex æquo interpretantur. Hac enim dictione (uti eam exponit R. Sal.) significantur uncini curvi (אונקלי״ש כפופים) quibus caro percussa è lebete extrahitur. Eo sensu usurpatur מזלג 1 Sam. 2. 14. ubi Vulgatus vertit *fuscinulam.* Lxx. hic pariter ac illic κρεάγρας, qua voce instrumenti hujus usus clare exprimitur. R. Sal. ait hanc vocem מזלגת idem denotare quod apud Doctores צינורות, atque istam vocem hic habet Onkelos, eamque Fagius vertit *fuscinulas*, atque in Annotat. ait fuscinulam esse instrumentum dentes recurvos habens, quo caro ex olla trahebatur. Jonathan & Hierosolymitanus utuntur voce משילייתא, qua etiam istiusmodi fuscinulæ significantur, nempe (ut docet Buxtorfius) à שלה. quod inter alia est *extrahere.*

ומחתתיו *Et receptacula ejus*] Vulg. *& ignium receptacula.* & cap. 38. 3. simpliciter *receptacula.* LXX. καὶ τὸ πυρεῖον αὐτοῦ, *& focum ejus.* Sic Latine vertitur. At fortasse Interpretes isti (*e*) non focum sed vas quoddam, quo carbones è foco desumebantur, voce ista intellexerunt; id certe Hebræa voce significatur. Onk. ומחתיתיה. Atque ita etiam Ion. & Hierosol. Fagius interpretatur, *& thuribula ejus;* & in Annotat. ait thuribulum sive pateram fuisse vas patens, in quo carbones recipiebantur. Similiter R. Sal. ait receptaculum fuisse (בית קבול) quo carbones ab altari desumpti recipiebantur, ut ad altare incensi portarentur; ac vocari מחתה à חתה quod est *ignem sive prunas recipere.* Isai. 30. 14. לחתות אש מיקוד *ad recipiendum ignem è foco.*

5. *Et pones* (*f*) *illud* אתה תחת כרכב המזבח *sub ambitu altaris*] Onkelos pro כרכב habet סובבא, Jon. סובבי. Atque ita etiam R. Sal. exponit סובב *ambitum:* atque asserit omnem rem, quæ alteram undique ambit, vocari כרכב *Carcob.* Aben Ezra duntaxat monet hanc vocem iterum non reperiri. LXX. ὑπὸ τὴν ἐσχάραν τοῦ θυσιαστηρίου, *sub focum altaris.* Vulg. *subter arulam altaris.* Fagius ait ab ambitu isto altare adhuc eminuisse tribus cubitis, atque ita ab Hebræis intelligi id quod dicitur (v. 1.) altare in altitudine tres cubitos habuisse, nempe ab ambitu; alioqui ad ambitum ipsum Sacerdotes ascendisse, etiamsi non per gradus; atque inde colligi, altare majorem altitudinem habuisse quam trium cubitorum. Ita sane R. Sal. ad (*g*) v. 1. ait altare משפת סובב ולמעלה *à labro sive ab extremitate ambitus & sursum* trium cubitorum altitudinem habuisse.

Et erit rete usque ad dimidium altaris.] Ionathan de suo addit, nimirum ut usum istius reticuli ostendat, *& si ceciderit* (*h*) *os, vel pruna ab altari, cadet super reticulum* (sive *cribrum* קנקל) *nec ad terram pertinget; atque id à cribro accipient sacerdotes, & super altare reponent.* In Tractatu Talmudico Middoth cap. 3. dicitur filum coccineum medium altare cinxisse להבדיל בין הדמים העליונים לדמים התחתונים i. e. ad distinguendum inter sanginem superiorem, & sanguinem inferiorem. Tradunt enim Hebræi (ut ad locum istum notat Constantinus L'Empereur) hanc distinctionem fuisse observatam, ut pecudis pro peccato, & avis in holocaustum sanguis supra filum, reliquorum vero infra spargeretur. Quin & ante Salomonis Templum (in quo filum istud in eum finem adhibitum volunt) eidem usui inserviisse putant reticulum, de quo hic agitur, nempe ut inde sacerdotes sanguinem superiorem ab inferiore distinguerent. Ita sane hic R. Sal. ait hoc reticulum in medio altari fuisse, ut ita discerni posset inter sanguinem superiorem & sanguinem inferiorem; ac loco hujus reticuli postea in Templo fuisse quoddam filum coccineum, vel quasi filum coccineum (חוט של סקרא באמצע) in medio altaris. Sed utcunque hocce habet, reticulum in eum usum, de quo loquitur Ionathan, adhibitum fuisse existimo.

8. נבוב לחת תעשה אתו *Cavum* (*ex*) *tabulis facies illud*] Sic Onkelos pro נבוב habet חליל i. e. *cavum.* Atque ita etiam Jonathan, qui præterea dicit altare intrinsecus fuisse מלי עפרא *terra repletum.* Sic R. Sal. ad cap. 20. 24. ait exponi posse id quod istic legitur, *Altare terreum facies mihi*, nempe ut sensus sit, altaris concavum, cum castra metarentur, terra fuisse implendum. Ad hunc autem locum ipse pariter ac Aben Ezra Onkeli interpretationem probant, ut nimirum per נבוב *cavum* significetur. Sic Vulg. *Non solidum sed inane & cavum intrinsecus facies illud.* Similiter LXX. Κοῖλον σανιδωτὸν ποιήσεις αὐτό, *Concavum, tabulatum facies illud.*

9. קלעים *Cortinas*] LXX. ἱστία *vela.* In Rom. Edit. vertitur *tentoria.* Sic Vulgatus Hebræam vocem interpretatur, quod Amama non indignum censura judicavit. קלעים (ut idem notat) est synonymum τῷ יריעה *Cortina*, licet nonnulli subtilius voces istas distinguant; ut nimirum vox קלעים strictius sumatur, & istiusmodi cortinas denotet, quæ plenæ sunt foraminibus, ut introitum quidam arceant, non autem aspectum. Idem etiam à Fagio est observatum. Atque ita quidem hanc vocem קלעים exponit R. Sal. qui etiam notat ab Onkelo reddi סרדין, cum v. 4. Hebræum מכבר *cribrum*, reddiderit סרדא, unde innui putat cortinas hasce instar cribri foraminibus plenas fuisse. לפי שהן מנוקבין ככברה Jonathan pro קלעים habet וילון *vela.*

10. וחשקיהם *Et circuli earum*] Nempe columnarum. R. Sal. ait columnas argenteis filis fuisse redimitas; מוקפין חוטי העמודים כסף סביב. Addit se nescire, utrum columnæ ab omni parte, an in summo, vel medio ita erant redimitæ; illud autem scire, vocem חשק cincturam denotare. לשון חגורה חישוק. Nam Judic. 19. 10. pro חבושים *strati*, Chaldæum habere חשוקין. Atque hoc in loco pro חשוקיהם Onkelos pariter ac Jonathan habent כבשיהון. Fagius reddit *cinctura earum.* Aben Ezra exponit, חשוקיהם per דבוקיהם *adhæsiones earum*, vel *eorum;* videtur enim ad uncinos referre, cum ista subjungat, כי הווים ידבקו אל העמודים *Nam uncini adhærebant columnis.* Deducit igitur à חשק *desiderare;* atque asserit חשקה נפשו *& adhærebat anima ejus*, Gen. 34. 3. idem valere quod חשקה נפשו *Concupivit anima ejus.* Sed Rab. Salomonis sententiam hic potius sequi velim. Vulg. *cum cælaturis suis.* ווים autem, i. *uncinos*, Interpres iste vertit *capita.* LXX. pro ווים habent κρίκοι *circuli*, & pro חשוקים Ψαλίδες *arcus*, sive *fornices.* Sed quid sibi interpretamentum illud velit, haud satis assequor.

13. לפאת קדמה מזרחה *Ad angulum orientalem versus orientem.*] LXX. πρὸς νότον *ad austrum.* Sic antea observatum est Interpretes istos reddere קדים νότον. Sed Scholiastes & Nobilius testantur alios libros hic habere ἀνατολὰς *orientem.*

20. להעלת נר תמיד *ad accendendam lucernam jugiter*] Id est, unaquaque nocte, ut exponit R. Sal. Atque ita etiam Aben Ezra, qui notat vocem תמיד *jugiter* paulo durius usurpari capite sequenti, v. 38. ubi de lamina aurea dicitur, *& erit super frontem ejus* תמיד *jugiter*, id est, quandocunque mitra capiti ejus imponitur.

21. באהל מועד *In tentorio conventus*] LXX. ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου. Et sic Vulg. *in tabernaculo testimonii.* Quasi מועד esset à radice עוד, unde עד *testis &* עדות *testimonium.* Sed radix est יעד uti indicat litera ו, in quam, litera superinducta, Jod mutatur. Verbum autem יעד significat *locum* vel *tempus constituere;* item *loco* vel *tempore constituto præsto esse, convenire.* Hinc מועד aliquando locum, aliquando tempus constitutum significat. Gen. 1. 14. ולמועדים *Et in solennitates*, seu *solennia, stata, constituta tempora.* Psal. 74. 8. *combusserunt* כל מועדי אל *omnia constituta loca, omnes synagogas Dei.* LXX. ibi habent ἑορτὰς *festa;* at verbum שרפו *combusserunt*, nisi improprie sumatur, interpretationi isti repugnat, atque omnino postulat, ut per מועדים non tempora, sed loca constituta intelligantur. Ratio autem nominis, quare nimirum Taber-

(*b*) Lud. de Dieu ait יעה in lingua Æthiopica significare *terere.* (*c*) Sic etiam R. Sal. interpretatur שמסלקין בהם הדשן (*d*) Atque ita etiam cap. 28. 3. (*e*) Focum vocant ἐσχάρας, ut videre est v. 5. (*f*) Vulg. *Quos pones*, nempe annulos; At in Hebræo est אתה *illud* nempe cribrum. Vide Amamam. (*g*) Atque eadem etiam habet ad hunc V. (*h*) גרמא או גומרא Sic legitur, sed pro גומרא legendum censeo גרמא *os*, prout cap. 38. 4. habet לקבלא גומריא וגרמיא דנפלין מן מדבחא *ad excipiendum prunas, & ossa quæ ab altari decidunt.*

Tabernaculum, de quo hic agitur, dictum est אהל מועד *Ohel Moed*, h.e. *Tabernaculum conventus*, ratio (inquam) clare redditur cap. 29. 42, 43. פתח אהל מועד לפני יהוה אשר אועד לכם שמה לדבר אליך שם ונועדתי שמה לבני ישראל *ad ostium Tabernaculi conventus, ubi conveniam vos, ut istic ad te loquar. Et conveniam illic filios Israel.* Atque ita etiam cap. 30. 36. באהל מועד אשר אועד לך שמה *in Tabernaculo conventus, ubi te conveniam.* Onkelos & Jonathan interpretantur משכן זמנא *Tabernaculum temporis* (*a*); quasi sic dictum esset, quod ibi statis temporibus filii Israel convenire solebant. Fagius vertit, *in tabernaculo fœderis*; sed in Annotat. monet ad verbum Chaldaice esse, *in tabernaculo temporis statuti*; Hebraice autem, *in tabernaculo conventionis* sive *congressus*, & congregationis. Atque ait Tabernaculum sic appellatum, quod Israel illuc conveniret, & congregaretur ad certum & statutum tempus. Addit autem, *Vel, quod illuc conveniret Deus, ut loqueretur Mosi & successoribus ejus, ut cap. 25. Deus ipse exponit, quare ita sit appellatum; ait enim, & conveniam te illuc, &c.* Hæc sane vera est nominis ratio, ut ex locis antea citatis clarius patet.

(*a*) *Vel*, temporis constituti.

IDEM.

5. תחת כרכב המזבח *sub ambitu altaris*] Kimchi in Rad. ait כרכב Rabbinis idem esse quod לסבב *circuire*, ac voce לכרכב *circuitum* denotari. Altaris autem circuitum asserit fuisse post tres cubitos ab altitudine; altare enim decem cubitis altum fuisse: quod autem dicitur, ושלש אמות קומתו *Et trium cubitorum erit altitudo ejus*, sic intelligendum esse, quod à labro circuitus istius altitudo erat trium cubitorum. Refert tamen Rabbinos in hoc inter se dissentire: nam R. Jehudam dicere, res ut scriptæ sunt, esse intelligendas; ac propterea altitudinem altaris duntaxat trium cubitorum fuisse: at Rab. Josen dicere, altitudinem altaris interioris (nempe altaris incensi) (*a*) duplo majorem fuisse ejus longitudine: ac propterea quod de altitudine trium cubitorum dicitur, sic intelligi debere, quod à circuitu sursum tanta erat altitudo. Addit cribrum æneum fuisse sub circuitu, & pertigisse usque ad mediam altitudinem altaris, ac mediæ altitudinis ejus signum fuisse, ut sanguinem superius aspergendum à sanguine inferius aspergendo distingueret. Testatur denique Rabbinos velle duos fuisse circuitus, unum nempe jam memoratum, & alterum cui pedes sacerdotum insisterent, ne inter ministrandum laberentur.

8. נבוב לחת וגו׳ *cavum (ex) tabulis, &c.*] Kimchi (*b*) ait quatuor altaris latera ex tabulis fuisse confecta, ita ut intus esset cavum, nec tectum haberet, sed cum castra metarentur terra impleretur, ut super illud offerri posset: atque hoc illud esse quod dicitur, *Altare terreum facies mihi*, cap. 20. 24.

(*a*) *Vide Cap.* 30. 2. (*b*) In Radice נב.

IDEM.

1. *Et facies* את המזבח *altare istud*] Monet ה *demonstrativum* adhiberi, quod omnes Israelitæ id expectabant, ut Deus altare extrui præciperet, super quod oblationes suas offerrent. Q. d. *Altare illud, quod inter vos erit, facies, &c.*

8. *Ut ostensum tibi fuit, &c.*] Notat verba ista de aliquibus rebus ad Tabernaculum spectantibus usurpari, nempe iis, quæ factu erant difficiliores, ut de Candelabro, de Altari hoc, &c. sed de aliis rebus non usurpari, quæ nimirum factu erant faciliores; de iis enim generale istud præceptum cap. 25. 9. sufficisse.

10. *Et viginti columnas ejus*] Non dubium esse ait, quin columnæ istæ erant ex lignis Shittim, etiamsi id non sit expressum. Et in fine hujus Sectionis monet, non esse existimandum, (חלילה ולא עלה בלבך) ea, quæ de Tabernaculo, ac rebus ad id spectantibus scripta sunt, nihil nunc ad nos pertinere. Nam etiamsi res ipsæ cessarint, non ideo tamen earum intelligentiam esse supervacaneam. Atque istud quidem verissime dictum est, etiamsi miseri Judæi, velamine adhuc super corda ipsorum posito, veram istarum rerum intelligentiam assequi nequeant.

20. *Et mandabis, &c.*] Asserit istud hoc in loco, non propter se dictum esse, sed ob id quod sequitur de Aharone filiisque ejus, & eorum vestimentis, q.d. *Quandoquidem precepturus es de accensione lucernarum, quas Aharon & filii ejus quotidie accendent, ideo necesse est, ut eis sacerdotium assignes, eosque vestimentis ad ministerium suum accommodatis induas.* Atque ideo hic dictum ait ואתה תצוה in futuro *mandabis*, non *manda*, uti habetur Levit. 24. 2. ubi mandatum istud propter se intentum, ac loco idoneo recitatum. כי שם באה המצוה בעצמה ובאה במקומה הראוי.

Oleum olivæ] Id expressum ait, ut intelligeretur, nec oleum nucum, (שמן אגוזים) nec oleum sesamorum, (שומשמין) neo oleum piscium, nec ullum aliud oleum præter oleum olivæ, usui isti inservire potuisse.

Tusum] Id nempe (ut explicat) quod ex olivis in mortario tusis primo exprimitur, (הטפה הראשונה) oleum enim ex olivis molendo expressum, (שמן רחיים) ait fæces habere admixtas, atque ideo sacro luminari non fuisse idoneum.

Jugiter] Verum esse ait, quod ab antiquioribus Rabbinis, & à Nahmanide dictum est, nempe Lucernam illam, quæ in medio Candelabri erat, nunquam fuisse extinctam: sed longe potior videtur expositio R. Salomonis, cujus hic meminit Abrabaneel, quæ etiam Aben Ezræ erat; ea autem supra est memorata.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

4. T*Unica inclusos habens lapides*] Heb. *tunica inclusionis*, h. e. quæ fulgebat variis ornamentis, & præsertim inclusis lapidibus & margaritis, quos sepiebant rosulæ, specula & ornamenta ex aureis facta filis. Alii exponunt *tunicam strictam.* Et hæc interior erat vestis, quam tegebat interula, alia vestis linea: & hanc rursus cingebat Ephod; quod cinctorium quoddam erat pectus sub axillis ambiens, atque in duabus humeralibus hærens fimbriis.

9. *Sculpes*] Heb. *aperies.* Onkelos aliquanto dilucidius vertit per גלף, quod *sculpere* & *cælare* significat.

13. *Fibulas*] Heb. *inclusoria.* Erant enim duo ornamenta ex quibus catenulæ aureæ propendebant. Alii vocant *spintra.*

15. *Pectorale*] Heb. *Hoschen*, quod Latinus interpres *Rationale* vertit. Nec constat quid חשן proprie significet. Nos *pectorale* vertimus, quod in pectore summi Sacerdotis portari jussum sit. Et erat summa & dignior inter sacerdotalia indumenta vestis, sicut Arca summa res erat inter tabernaculi vasa: Et utrinque responsa Divina dabantur. Habuitque pectorale illud ornamentum, præter duodecim lapides, & nomina filiorum Israel illis inscripta, Urim & Thummim, quæ *lucem & perfectionem* significant: ex quibus summo Sacerdoti responsa Divina dabantur. Verum quales fuerint res nemini mortalium constat. Quidam Hebræorum putant fuisse scriptum quoddam divinum, aut nomina quædam sacra. Alii putant fuisse lucidissimos lapides, in quibus summus Sacerdos vidit judicium filiorum Israel perfecte. Alii aliud sentiunt, & multa de his rebus retrusis nugantur. Placet mihi quod hic R. S. scribit, nempe quod *nedum de Hoschen pronunciare non possimus qualis fuerit res, verum & Ephod*, חבורו h. e. simulacrum Ephod, *ex contextu non satis dilucide intelligi potest.* Quo fit, ut tam ab Hebræis quam à Latinis expositoribus variæ hic inveniantur opiniones; Ut, quidam dicunt Ephod fuisse vestem humeralem, alii vero cincturam interulæ sub axillis. Dicam tamen infra, c. 39. quomodo R. S. illud imaginandum doceat. De duodecim lapidibus quoque non convenit inter Latinos & Hebræos. Idem fere dissidium est de catenis terminatis vel terminabilibus, vel in extremitate locandis. Nos hæc altius scrutari noluimus, quod & supra captum nostrum sint, nec magnam sciremus ex his eruendam commoditatem, præsertim cum ceremoniæ sint Judæis præscriptæ, atque aliud præ se ferant quam litera ostendat. Sicut enim Aharon adumbrat Christum unicum summum Sacerdotem, ita vestimenta Aharonis & ornatus eorum significant varias virtutes quibus Christus non solum ad suam majestatem, verum etiam ad nostram salutem præditus est. His explicandis Christianus magis incumbere debet quam umbraticis ceremoniis.

32. *Foramen summitatis suæ*] Heb. *os capitis sui*, h. e. foramen per quod caput immittitur. Et hoc foramen labio quodam solidiori erat circundatum, &c.

34. *Sint tintinnabulum*] h. e. Alternatim ponas tintinnabula & mala punica.

37. *Lamina*] Hæc lamina figebatur ad galerum, pertingebatque ab aure ad aurem, & id אל מול פני, ut Hebraismus habet, i. *ex adverso faciei*, non in posteriori parte capitis. Significabat enim remissionem eorum peccatorum quæ inverecunda

da committebantur fronte. Unde R. S. id quod sequitur, *Ut portet Aharon*, sic exponit, *Ut propitietur Aharon iniquitati sanctificatorum, h. e. ut una cum lamina & oblationibus sanctificatis propitiationem adipiscatur*, &c.

39. *Ornabis quoque*] Hæc erat interior vestis sacerdotalis, quæ cuti adhærebat, & propterea à quibusdam *tunica stricta* appellatur, quod stringebatur ad cutem: & jubetur fieri ex lino, picto quidem & ornato variis inclusionibus, h. e. rosulis gemmatis & speculis atque margaritis lucentibus.

41. *Implebis manus eorum*] Capitur hic, sicut & in multis aliis locis, implere pro חנך, *initiari*, & *consecrare*, quod fiebat oblatione & impletione pugillorum.

F A G I U S.

4. *Tunica ocellata*] Opere Phrygionico quibusdam veluti ocellis intexta. Alii legunt, *Tunica inclusionis*, h. e. quæ fulgebat variis ornamentis, & præsertim inclusis lapidibus & margaritis, quos sepiebant rosulæ, specula & ornamenta ex aureis facta filis. Et hæc interior erat vestis; quam tegebat interula, alia vestis linea: & hanc rursus cingebat Ephod; quod cinctorium quoddam erat pectus sub axillis ambiens, atque in duabus humeralibus hærens fimbriis.

8. *Ex ipso erit*] i. Ex eodem panno & ex eadem materia erit.

12. *Lapides memoriales*, &c.] i. Qui revocabunt in memoriam Deo, vel Aharoni, filios Israel. Sequitur enim, *Portabit nomina eorum coram Domino*, *ob recordationem*, vel, *ad memoriam*.

13. *Facias & inclusoria*] Hæc vel ad præcedentia vel ad sequentia referri possunt. Ad præcedentia hoc sensu, ut per ista *inclusoria* intelligantur *palæ* quibus lapilli illi insculpi debebant, ut sit recapitulatio eorum lapidum de quibus jam dixerat. Unde qui hanc sententiam sequuntur, ita legunt, *Facias itaque palas aureas*, sive *inclusoria aurea*. Ad sequentia, ut intelligantur *uncini* sive *fibulæ* quibus affigi debebant catenulæ aureæ pectoralis. Et hæc posterior sententia videtur mihi esse probabilior.

14. *Definita magnitudinis*] Sensum reddidi. Nam ad verbum est, *catenas terminatas*, sive *terminationis*, ut habet veritas Hebraica, שרשרות גבלות. Nam גבול *Gebul* Hebræis *terminum* significat. Unde & lapicidæ in Hebraismo גבלים *Giblim* dicuntur, eo quod, ut inquit R. D. K. dolantes lapides regula & mensura certum terminum mensuræ lapidibus ponant. Vocantur ergo catenulæ istæ aureæ *catenulæ terminationis*, sive *terminatæ*, ut Paraph. noster transtulit, eo quod breves essent, certæ, æqualis & præfinitæ magnitudinis ac longitudinis. Alii sic appellari sentiunt, quod conjunctæ essent termino & extremitate pectoralis. ¶ *Opere intricato*] i. Opere tortili seu complicato instar funium.

15. *Pectorale judicii*] Dicebatur *pectorale judicii* quod sacerdos nunquam dicebat jus in re gravi nisi cum habebat pectorale super pectus collocatum. Quidam dicunt *pectorale judicii* ideo dici quod contineret judicium & sententiam Dei, quæ erat, ut summus Sacerdos esset eruditione summa & doctrina, morumque integritate absolutissima. Hoc enim significabant voces illæ *Urim* & *Thummim* quæ intra pectorale erant. Nam *Urim*, i. *illuminationes*, significabant Doctrinam sanctam, quæ est vitæ nostræ verum lumen; & *Thummim*, *perfectiones*, i. singularem morum Integritatem. Vocem Hebræam חשן *Hoschen* verterunt Lxx λογεῖον, quos secutus Lat. interpres vertit *Rationale*. λογεῖον enim nomen habet ἀπὸ τοῦ λόγου, i. *à ratione*. Videtur autem *Rationale* & Græcis & Latinis ita dictum, quod contineret quæ summa prudentia & exacta ratione consideranda erant à summo Pontifice, nempe Urim & Thummim & nomina filiorum Israel. Sed de hoc mox infra copiosius dicam.

17. *Sardius*] Ita & Lxx & Vulg. interpres transtulere. Hebræi vulgo hanc gemmam *Rubinum* exponunt. Et certe illorum sententiam non parum juvat ipsum nomen Hebraicum אדם *Odem* à *rubedine* scilicet dictum. Nam אדם *Adam rubere* significat: Inde אדם *Odem* lapis à *rubro colore* dictus est. Consentit & Paraph. noster Chaldæus, qui סמקן *Samkan* vertit. ¶ *Topazium*] Hunc lapidem inveniri dicunt in Æthiopia, & viridis esse coloris. Cui sententiæ quoque patrocinatur ipsum nomen Chaldaicum ירקן *Jarkan*. ירק *Jarok* enim Hebræis *virorem* significat. Atque hinc est quod quidam *Smaragdum* interpretantur. ¶ *Carbunculus*] Ita Judæi vulgo exponunt, quorum sententiam roborat cum ipsum nomen Hebraicum ברקת *Bareketh*, tum Chaldaicum ברקן *Barkan*. Nam ברק *Barack* *fulgorem* significat: unde à *fulgore* hæc gemma nomen suum accepisse videtur.

18. *Smaragdus*] Ita habet noster Paraph. איזמרגדין *Smaragdin*. Hebraice hæc gemma נפך *Nophech* dicitur. Et nostri *carbunculum* vertunt. R. D. K. dicit esse gemmam nigri coloris. Ita enim scribit in lib. Rad. אבן מהאבנים יקרות והיא שחורה. ¶ *Saphirus*] De colore hujus gemmæ variant. Quidam enim dicunt esse aerei coloris; alii, rubri; alii, candidi. Unde quidam Hebræorum *Crystallum* vertunt. Nec desunt qui pro eo lapide accipiunt quem vulgo Demant vocant. Sic R. D. K. in Rad. scribit, מעשה נאדם אחד שהלך למכור ספיר ברומי אמר לו הלוקח על מנת לבדקו אקחנו נתנו על גבי הסדן והתחיל מכה עליו בפטיש נבקע הסדן ונחלק הפטיש והספיר עמד במקומו ולפי זה המרגש היא האבן שקורין לה ריאמ'נטי והיא לבנה וזכה, *Accidit ut quispiam proficisceretur Romam gratia vendendi Saphirum. Ad quem dixit is qui emere volebat ut sibi liceret eum prius super incude probare. Cumque cæpisset super eum verberare malleo, scissa est incus, ruptusque est malleus, ipse vero Saphirus integer mansit. Ex quo colligitur eum esse lapidem quem vulgo* Demant *appellant. Estque albi & puri coloris.* Hæc ille, quæ ex commentario quodam Hebraico adduxit. ¶ *Adamas*] Sic vertimus secuti Judæos. Nam A. E. de ista gemma ita scribit, חכם גדול ספרדי אמר כי יהלום הוא הנקרא אלמ"ס שהוא שובר כל האבנים תוקב הבדולח בגזרת הלם חזר נוסף, *Et magnus sapiens Hispanus dicit, Jahalom eum esse lapidem qui alias Almas vocatur, qui frangit omnes lapides, atque etiam Bedellium perforat, deductum nomen à verbo* הלם *Halam, quod percutere & contundere significat. Estque Jod à principio litera adjectitia.* Hæc ille. Nostri interpretes *Jaspis* habent. Sed probabilior est Hebræorum lectio.

19. *Lyncurius*] Judæi vulgo Turkuß & Lyncurer exponunt. De ista gemma scribit Plinius, lib. 37. c. 3. quod è lyncis urina proveniat. ¶ *Achates*] Ita vertunt nostri. R. D. K. scribit ejus colorem declinare ad hyacinthum, i. aereum sive cæruleum colorem. Chaldaice is lapis טרקיא vocatur, quæ vox videtur nonnihil affinitatis habere cum eo quem vulgo Turkuß nominant. ¶ *Amethystus*] Hæc gemma Hebraice אחלמה *Ahalamah* dicitur, à חלום *Halom* scilicet, quod *somnium* significat; quod videlicet is qui hunc lapidem gestat, semper somnia videat. Chaldaice vocatur עין עגלא, quod scilicet formam & similitudinem oculi vitulini præ se ferat: Nam עין *oculum* & עגלא *vitulum* significat.

20. *Chrysolithus*] Sic vertunt Lxx & Vulg. interpres. R. D. K. dicit coloris esse cærulei. Videtur à mari unde provenit nomen suum accepisse: quare & Paraph. Chald. transfert כרום ימא. ¶ *Onychinus*] Ita communiter vertunt nostri interpretes. Candorem dicunt habere hunc lapidem unguis humani, unde *onyx* dictus est. Nam ὄνυξ Græcis *unguem* significat. Paraph. noster fere semper בורלא *Burla* vertit, quæ vox videtur nonnihil affinitatis habere cum eo lapide quem nostri *Beryllum* vocant. ¶ *Jaspis*] Lxx & Vulg. interpres *Beryllus* legunt. Sed nomen Hebraicum ישפה *Jaspha* magis alludere videtur ad *Jaspis* vocabulum. Hæc de nominibus gemmarum annotare libuit, tametsi forte videbuntur alicui non magnum momentum habere. Non dubium est istas gemmas præclaram significationem secundum virtutes suas habuisse, sed de eo nihil est apud Hebræos certi. Estque tanta etiam de nominibus istorum lapidum apud omnes interpretes cum nostros tum Hebræos discrepantia, ut nemo fere quid certi statuere possit. Scribunt Hebræi in unoquoque lapide sex literas insculptas fuisse: quod si totidem non contineret nomen tribus, adjiciebantur plures quæ erant necessariæ ad constituendum numerum senarium, donec scilicet omnes istæ literæ complerent numerum LXXII, totidem enim literas habuisse dicunt nomen illud sacrum quod שם המפורש *Schem Hamphorasch* dicitur, quod in pectorali fuisse dicunt. R. Hiakuni ad hunc modum collocat ordinem lapidum juxta ordinem nativitatis tribuum. Ordo primus, אדם ראובן א' פטדה שמעון ב' ברקת לוי Ordo secundus, נפך יהודה י' ספיר יששכר ז' יהלום זבולן ירחם Ordo tertius, לשם דן ק' יעק' שבו נפתלי כ' אחלמה צבולן ■' Ordo quartus, תרשיש אשר יטו' שהם יוסף דן' גד שבטי' ישפה בניכין.

30. *Ponas quoque in pectorali judicii Urim & Thummim*] Lxx interpretati sunt, *declarationem & veritatem*. Intra pectorale erat scriptura quædam quæ complectebatur nomen Dei tetragrammaton יהוה, quæ dicebatur *Urim & Thummim*. Hoc autem nomen יהוה Trinitatis mysterium continet, ut veteres Judæi qui Christum præcesserunt dixere in suis traditionibus. Nam per י Jod intelligitur Pater, qui est principium & origo omnium rerum; per ה He, Filius, per quem omnia quæ facta sunt esse cœperunt: per ו Vauf, quæ est conjunctio copu-

copulativa, intelligitur Spiritus sanctus, qui est amor & nexus utriusque, qui ab utroque procedit. Geminatur autem ה He propter duplicem naturam quæ est in Christo: Per primum ה natura Divina intelligitur; per ה postremum, natura humana. Hoc nomen יהוה *Adonai* dicebatur. Hebræis שם המפורש *Schem Hamphorasch*, i. *nomen expositum* sive *declaratum*; aut *nomen quod exponitur.* Exponebatur enim ab eis per nomen duodecim literarum אב בן ורוח הקדש, h. e. *Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Item per nomen quadraginta duarum literarum אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה כאחד אחד בשלשה, i. *Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus sanctus Deus est, tres in uno*, h. e. in una substantia, *unum in tribus*, i. una essentia. Hæc autem scriptura nominis Dei יהוה *Adonai* dicebatur *Urim & Thummim*, i. *illuminationes & perfectiones*, quod ex hujusmodi Trinitatis intellectu mens illuminetur & perficiatur. Quidam existimant Urim & Thummim, quæ, ut dictum est, significant *illuminationes & perfectiones*, h. e. summam illuminationem & perfectionem, ideo Dominum jussisse inscribi pectorali, ut admoneretur summus Sacerdos, oportere eum esse summa doctrina præditum, quæ *lumen & illuminatio* sæpe in Scripturis dicitur, & morum summa integritate. Hæc fere nostri scriptores tenent, ex quibus illthæc huc retulimus: de quibus videre etiam potes Galatinum l. 2. c. 12. Sed jam quid Hebræi de Pectorali & Urim ac Thummim sentiant, paulo fusius hic annotabo. Scribit R. S. in hunc locum, Urim & Thummim fuisse scripturam ipsius Schem Hamphorasch, quæ à Mose in ipsa duplicatura pectoralis ex jussu Dei posita fuit, per quam Sacerdos interrogatus sua verba illustrabat, à quo *Urim* dicebatur, simulatque perficiebat; inde *Thummim* vocabatur. Idem quoque tradit Pectorale *pectorale judicii* dictum fuisse à Schem Hamphorasch quod in eo descriptum erat, per ipsum enim dijudicabatur & comprobabatur quidnam tribubus Israel facere liceret in rebus gravibus; unde dicitur, *Et portabit Aharon judicium filiorum Israel super cor suum coram Domino semper.* Item Num. 27. *Et stabit ante Eleazar sacerdotem, qui consulet pro eo judicium Urim coram Domino*, &c. Vel, ut alii sentiunt (referente eodem Salomone ex quodam commentario *Medrasch Agadah* appellato) *Pectorale judicii vocabatur*, quod per ipsum condonabatur si à judicibus quid non recte judicatum erat. A. E. tamen putat sic appellatum propter Dei judicia & decreta quæ inde cognosci debebant. Idem quoque sentit (teste Nehemanide) Urim & Thummim opera artificis, sicut reliqua vasa tabernaculi, elaborata fuisse. Sed refutat istud Nehemanides, approbans magis R. Salomonis sententiam: Quodque non fuerint facta manu artificis, ex eo colligit, quod in parandis vasis Tabernaculi nihil præcipitur de Urim & Thummim, sed tantum dicitur ad Mosen, *Et dabis in rationali judicii Urim & Thummim*, &c. Inde colligit Urim & Thummim opus Divinum fuisse, in hunc usum antea apparatum, & ab ipso Deo Mosi in monte traditum fuisse; vel ab ipso Mose, non ab alio quodam artifice, elaboratum, quemadmodum de eo in monte à Domino edoctus fuerat. Proinde Nehemanides sentit, *Urim* & *Thummim* sacra nomina fuisse; & *Urim* appellata ea quorum virtute literæ quæ sub gemmis erant illustratæ fuerunt; *Thummim* vero ea quorum virtute literæ illæ illustratæ legibiles factæ fuerunt; puta quod Sacerdos potuit eas in dictiones concinnare, atque inde responsum Domini intelligere. Idem quoque refert, revelationem sive responsum datum per Urim & Thummim fuisse מדרגה *Madregah*, i. gradum aliquem Spiritus sancti, inferiorem tamen Prophetia, superiorem vero בת קול *Bath kol*, i. voce cœlitus delapsa, quæ in usu erat tempore secundi Templi, postquam desierat ratio illa prophetica qua aliquid arcani Divini per visiones cognoscebatur, similiter & Urim ac Thummim, attestantibus priscis Hebræis. Porro si roget quispiam quisnam modus & quæ ratio fuerit consulendi Dominum per Urim & Thummim, ex Tractatu Thalmudico qui *Massechtah Jomah* vocatur, cap. 6. sic accipiat: Primum tantum Regi & אב בית דין *Patri consistorii* (sic vocabatur supremus judex) per Urim & Thummim Dominum interrogare ac consulere licebat, idque tantummodo in re gravi & ardua: ut si bellum aliquod contra hostem suscipiendum erat; vel si בית דין *Consistorium*, h. e. judices ordinarii, in aliqua causa non poterant ferre sententiam ac certum statuere. Jam qui interrogabat, puta Rex vel Judex, quique שואל *Schoel*, *interrogans*, dicebatur, faciem suam versus הנשאל *Hanischeal*, *interrogatum*, h. e. Sacerdotem, directam habebat: Sacerdos vero faciem suam versus שכינה *Schechinah*, *Deum*, h. e. versus Urim & Thummim ac Schem Hamphorasch quod in pectorali erat, directam habebat. Vox interrogantis non nimis acuta esse debebat, sed ita moderata ut posset utcunque audiri ac percipi à Sacerdote. Nec licebat duas res simul interrogare, sed unam tantum, nisi cogeret necessitas aliqua. Quod si duo simul interrogabat, ad unum tantum respondebatur, & ad primum. Ad utrumque tamen responsum fuit, necessitate postulante. Cujus rei argumentum habes 1 Sam. 30. de Davide interrogante Abiathar sacerdotem num deberet persequi Amalekitas, & num comprehensurus esset eos. Ibi ad utrumque responsum fuit, *Persequere: quoniam comprehendendo comprehendes, & liberando liberabis.* Ibidem quoque in Thalmud narratur, *Urim* appellata esse ab eo quod illustrarent verba per quæ respondendum erat; *Thummim* vero, quod eadem non fallebant, sed perficiebantur. Si rogas præterea quomodo se literæ habuerunt quæ in pectorali erant, cum ex illis oraculum dari debebat, respondent alii, Eas literas per quas respondendum erat בולטות *Boletoth* fuisse, h. e. ex locis suis prominuisse, ita ut Sacerdos ex illis dictiones concinnare atque respondere posset. Cui sententiæ adstipulatur R. S. Ut cum David interrogaret Dominum 2 Sam. 2. האעלה באחת ערי יהודה, *Num ascendam in unam ex civitatibus Jehudah?* respondit ei Dominus, עלה, *Ascende*: ibi dicunt istas tres literas prominuisse, עלה, Aleh, Ain ex nomine *Shimeon*, Lamed ex nomine *Levi*, & He ex nomine *Jehuda.* Alii dicunt istas literas quæ oraculum repræsentabant, מצטרפות *Miztarphoth* fuisse, h. e. coivisse in dictiones. Tradunt quoque in illa sacra scriptura etiam scripta fuisse nomina Patriarcharum, *Abraham, Isaac & Jacob*, atque שבטי ישרון i. *tribus recti*, scilicet Israelis, & hoc ad constituendum integrum Alphabetum, quod ex reliquis nominibus non poterat totum haberi. Si Sacerdos non erat כשר ראוי לשרות שכינה, i. *idoneus & dignus ad ministerium Divinum*, non movebant sese, nec prominebant illi interroganti literæ, nec dabatur illi responsum. Quo facto, deponebatur sacerdotio. Atque hoc colligunt ex 2 Sam. 15. de Abiathar sacerdote. Vide ibi. Nehemanides author in ea sententia est, rationem faciendi scripturam Schem Hamphorasch cum aliis mysteriis Legis per Cabalam ab ipso Mose præcipuis qui inter sapientes Israel erat traditam fuisse. Non desunt porro qui tenent gemmas illas quæ in pectorali erant *Urim & Thummim* appellatas fuisse. Cæterum R. D. K. in Rad. suis scribit non certo constare hodie quidnam sit Urim & Thummim. Ita enim scribit, ולא נתברר אצלנו מה הם האורים והתומים כי יראה לפי הפסוקים שהם דבר אחר זולתי אבני החשן, *Non constat nobis quid sit Urim & Thummim: nam apparet ex textu quod aliud quiddam fuerit quam lapides pectoralis.* Et mox idem subjicit, רבינו שלמה פירש שהוא כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן שעל ידו היה מאיר את דבריו ומתמם את דבריו ולא נודע האמת, *Magister noster Salomo exponit esse scripturam Schem Hamphorasch, quæ erat in duplicatura pectoralis, per quam Sacerdos illustrabat & absolvebat verba sua: sed non certum est an hoc verum sit.* Hæc ille. Sed placet etiam huc adferre quæ & profani authores de illis rebus habent, maxime Josephus & Suidas. Josephus l. 3. Antiq. c. 12. ita scribit, *Lapides autem quos ferre super humerum prædixi Pontificem, erant Sardonyches. Eorum puto naturam amplius omnium ad humanam notitiam venientium effulgere. Deus ergo & sacrificiis dum adesset, alter qui in dextro humero portabatur micabat, & ex eo splendor ita exsiliebat ut etiam procul positis appareret; cum prius hoc lapidi non inesset. Et hoc utique mirabile est, his tamen qui sapientiam non adjectione Divinorum operum nanciscuntur. Quod vero mirabilius est dicam. Per duodecim enim lapides quos supra pectus Pontifex in Hoschen sutos, i. rationali, portat, victoriam pugnaturis Deus prænuntiabat. Tantus enim splendor fulgebat in eis cum nondum exercitus moveretur, ut omni fieret multitudini manifestum, eorum auxilio adesse Deum. Unde Græci qui nostras solennitates honorant, eo quod nihil in his contradicere valeant, Hoschen* rationale *vocant. Cessavit itaque & Hoschen & Sardonyx splendescere annis ducentis antequam hæc ego conscriberem, cum Deus moleste ferret transgressiones legum.* Hactenus Josephus. Suidas ex incerto quodam authore hæc refert: *Ephod*, inquit, *nomen est Hebraum, quod, si interpreteris, significat Manifestationem, aut Redemptionem.* (Vides autem eum authorem ex quo Suidas hæc exscripsit Hebrææ linguæ ignarum fuisse. *Ephod* enim longe aliud significat. Fortassis pro *Ephod* dicere voluit *Hoschen.*) *Erat autem forma ejus textura palmaris, vario artificio, instar pectoralis, ex aureis filis confecta. Ac in medio habebat quasi stellam omnino auream. Ex utraque autem parte duos Smaragdos, in quorum unoquoque sculpta erant sex nomina, videlicet duodecim nomina tribuum Israël. Porro inter Smaragdos continebat lapidem Adamantem. Cum ergo Sacerdos sciscitaturus erat de re quadam oraculum à Deo, ligabat Ephod in superhumerali ad medium pectoris, & subjiciebat manus suas sub ipsum; quas cum retraheret, deprehendebat eas quasi colore quodam infectas. Petebat autem à Deo responsum, defixis in Ephod oculis. Itaque si Deus annuebat ad id* quod

quod petebatur, confestim micabat lapis Adamas. Si autem negabat, nihil ad pristinum & proprium lapidis fulgorem accedebat. Quod si Deus voluit populum objicere gladio, lapis reddebatur cruentus. Si autem imminebat mors, lapis fiebat niger. Hactenus Suidas. Est præterea alius quidam hac nostra tempestate Scriptor non malus, qui in hunc locum ita scribit, *Urim & Thummim nec fuerunt scriptura nominis tetragrammati, nec fuerunt alii lapides duodecim illis gemmis superadditi; sed fuerunt, ut puto, illæ ipsæ duodecim gemmæ quæ commemoratæ sunt. Quemadmodum cap. 25. vocantur lapides* מלאים *Plenitudinum, quod ipsis impleatur pectorale, & quod in usum pectoralis consecrati fuerint, ita nunc vocantur Urim, propterea quod velut ignis in pectore summi Sacerdotis (ut est natura tot simul conjunctarum gemmarum) splenduerint, ac perspicuam lucem de se projecerint.* אור *Ur enim Ignem significat. Vocantur & Thummim, propterea quod fuerint perfecti & integri, nec ullo vitio notati. Nam* תם *Tham Perfectionem & Integritatem significat. Tametsi enim quidam ex Hebræis interpretibus constanter affirment Urim & Thummim aliud fuisse quam duodecim gemmæ, tamen Scriptura ipsa cap. 39. hujus libri perspicue indicat, per Urim & Thummim nihil aliud significari quam duodecim gemmas. Cum enim in eo loco commemorasset Scriptura Mosen mandato Dei obsecutum esse, ac posuisse duodecim gemmas in pectorale, juxta verbum Domini, ne gry quidem additur de Urim & Thummim; quod certe haudquaquam omissum esset, si Urim & Thummim aliud quam duodecim gemmæ fuissent; præsertim cum alia longe minora & abjectiora diligentissime & magna solicitudine juxta præceptum Dei confecta esse recenseantur. Adhæc cum Moses magna religione in describenda sacrarum vestium materia & forma versetur, quo singula perspicue tradat, profecto paulo pluribus descripsisset Urim & Thummim, si aliud quam duodecim lapides per ea intellexisset. Nam quod dicitur,* Pones in Hoschen judicii Urim & Thummim, ut sint super pectus Aharonis, *non jubet aliquid novi superaddere aut adjicere gemmis, sed est ἀνακεφαλαίωσις repetitio ac inculcatio eorum quæ prius mandata erant, ut quod minime prætereundum aut negligendum erat bis aut ter inculcaretur.* Portabit, *inquit,* Aharon nomina filiorum Israel in Hoschen judicii, quando ingredietur Sanctum, pro memoriali coram Domino semper: *atque adeo ne tu Mose, existimes exigui momenti esse, ac oscitanter facias quod præcipio, iterum repeto, inculco & dico,* Ponas in Hoschen judicii Urim & Thummim, *h. e. duodecim splendidas & integras gemmas habentes duodecim nomina filiorum Israel insculpta,* ut sint super pectus Aharonis quando ingredietur coram Domino, & gestabit judicium filiorum Israel super pectus suum in conspectu Domini semper. *Ex hoc etiam loco vides quam ob causam Hoschen dicatur* Hoschen judicii. *Alii quidem sentiunt sic dictum, quod per Urim & Thummim fiat judicium ac demonstratio, num negotium de quo oraculum quæritur sit faciendum vel non. Alii, quod gestatio Hoschen sit propitiatio Divini judicii & supplicii quod pro iniquitatibus inferendum esset. Sed quia* משפט *Mischpath non Judicium tantum, verum etiam Jus & Statutum significat, & jubentur nomina duodecim tribuum in gemmas insculpi, ut Aharon portet ea pro memoriali super pectus suum coram Domino, manifestum est, pectorale ideo Hoschen judicii vocari, ut hac ceremonia significetur singulas tribus Israel suum habere jus in omnibus promissionibus Dei quæ ad Abraham, Isaac & Jacob dictæ sunt, videlicet quod singulæ tribus sint de numero populi Dei, & quod ad unamquamque tribum pertineat suum hæreditatis jus in terra Canaan, in regno & sacerdotio, quæcunque Patriarchis promissa sunt. Unde dicitur,* Aharon portabit judicium, *h. e. jus,* filiorum Israel super pectus suum, *videlicet ut singulæ tribus, quarum nomina insculpta erant in gemmas, admonerentur sui juris quod haberent in promissionibus Dei. Et hic usus, quod ad externam ceremoniam attinet, Mosaicus seu Israeliticus fuit.* Hactenus ille. Porro quinque res traduntur ab Hebræis non fuisse in Templo secundo, quæ fuerunt in Templo primo; scilicet Arca cum Propitiatorio & Cherubim; Ignis jugis; Præsentia Dei illa quæ se circa Arcam exserebat, quam שכינה *Schechinah* vocant; Prophetia; Urim & Thummim. Non caret autem mysterio quod illa cessaverunt in Templo secundo, & quod tum usus fuerit maxime בת קול *Bath kol*: vocis quæ cœlitus audiebatur. Enumerant enim Hebræi aliquot species seu gradus revelationis Divinæ, nempe hos: נבואה *Nevuah*, i. Prophetia, cum scilicet Deus per quasdam visiones & spectra Prophetis quibusdam sua arcana revelaret; רוח הקדש, i. afflatus Spiritus sancti, qui erat sine visionibus & spectris, ut in Hiobe, Davide, & aliis; Urim & Thummim, quæ erant in Pectorali judicii, ut jam commemoravi; & בת קול *Bathkol*, i. vox quæ cœlitus audiebatur: & illa in usu erat durante Templo secundo, præludium & significatio quædam veræ illius Vocis Divinæ ac cœlestis jamjam orbi imminentis ac revelandæ, quæ scilicet erat Jesus Christus Dominus noster ac Servator; Cui & *Bathkol* vox illa cœlestis testimonium dabat, dicens, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est*, Matth. 3. 17. & 17. 5. Item Joh. 12. 28. *Venit ergo vox de cœlo dicens, Et illustravi, & rursus illustrabo.* Dicebatur autem ille vox Hebraice *Bathkol*, quod ad verbum sonat *filia vocis*, eo quod ipsa non erat vera illa Vox cœlestis, sed typus solummodo, significatio & testimonium veræ illius Vocis, quæ Christus est; quæ jam debet audiri, juxta illud, *Ipsum audite.* Hæc pro illustratione præsentis loci cum ex nostrorum tum Hebræorum scriptis de Urim & Thummim huc adducere libuit. Nam quicquid illa fuerint, tamen de eo non debemus dubitare, per illa adumbratam fuisse doctrinam Euangelii, doctrinam scilicet veri summi Sacerdotis Jesu Christi Domini ac Servatoris nostri, quæ sola clara, manifesta, sincera, integra & incorrupta est: Illam claram & sinceram quoque adferre debent quotquot locum Sacerdotum ac Ministrorum in Ecclesia illius habent, ita ut & vita doctrinæ pulchre respondeat. Unde Lxx huc respicientes *Urim & Thummim* transtulerunt τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν *manifestationem & veritatem.* Et Lat. interpres *doctrinam & veritatem* reddidit.

36. *Facias & laminam*] Hæc lamina, quæ postea נזר הקדש *corona*, seu *diadema sacrum*, vocatur, figebatur ad galerum, pertingebatque ab aure ad aurem, & id quidem in parte capitis anteriore. Significabat enim remissionem eorum peccatorum quæ inverecunda committebantur fronte. Unde R. S. id quod sequitur, *Ut portet Aharon iniquitates sanctificatorum*, &c. sic exponit, *Ut propitietur Aharon iniquitati sanctificatorum, h. e. ut una cum lamina & oblationibus sanctificatis propitiationem adipiscatur.* ¶ *Sanctitas Domini*] Hoc quidam sic accipiunt quasi tantum *Adonai* nomen in ista lamina insculptum fuerit. Sed firmius est ut dicamus ambas istas voces קדש ליהוה *Sanctitas Domini* insculptas fuisse. Est autem sensus, *Sanctitas*, vel, *sanctum*, *Domini*, Sanctitas decet Dominum, h. e. Sancte colendus est Deus. Vel verti potest, *Sanctitas Domino est*, i. Deus sanctissimus est.

38. *Ut portet Aharon iniquitates sanctificatorum* &c.] i. Tollat iniquitatem quam admittere possent Israelitæ in sanctificationibus suis: h. e. In oblationibus suis sanctis, & in omnibus aliis donis, si quid peccent, non ritè offerendo aut ea offerendo quæ offerri non debent, condonabitur eis propter Sacerdotem summum, qui Christum repræsentabat.

41. *Offerasque oblationes eorum*] Hebr. *Et implebis manus eorum.* Quem Hebraismum expressit Paraphrastes. q. d. Suppeditabis illis victimas, & trades in manus eorum, ut eas offerant.

42. *Carnem turpitudinis*] Hebraismus est, pro *pudendis*.

43. *Ut non contrahant peccatum*] i. Ne, si aliter faciant, peccent, ob idque moriantur. ¶ *Statutum perpetuum*; &c.] h. e. Ita induentur, & id observabunt, quotquot fungentur summo sacerdotio.

I D E M.

30. ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים והיו על לב אהרן, *Pones quoque in pectorali judicii Urim & Thummim, eruntque super cor Aharon.*] Variatio est in vocibus Hebraicis *Urim & Thummim*, quas Chaldæus Paraph. integras reliquit: significant autem istæ voces Hebræis proprie *illuminationes & perfectiones.* Quid autem sit *Urim & Thummim* quidam Hebræorum ingenue fatentur se ignorare. R. Salomo, & ante illum alii dicunt fuisse scripturam quandam juxta pectorale quæ complectebatur nomen Dei Tetragrammaton יהוה *Jehova*, sive *Adonai*. Alii gemmas esse dicunt quibus nomina filiorum Israel inscripta erant. Dicunt præterea quidam Hebræorum fuisse opus artificiosum, non ab ipso Mose factum, sed illi à Deo in monte Sinai traditum; ideoque in textu non dici ad Mosen *facias Urim & Thummim*, sicut de aliis rebus dicitur, sed *pones*, sive *dabis*, *Urim & Thummim*, &c. tanquam aliquid quod acceperat à Deo. Cæterum quod Lxx. verterunt *manifestationem & veritatem*, Vulg. Interpres *doctrinam & veritatem*, ad Mysterium quod ista re significatum & adumbratum fuit respexerunt; nempe ut admoneretur Summus sacerdos oportere eum esse summa doctrina præditum, qui *lumen & illuminatio* sæpe in Scripturis dicitur, & mox summa integritate. Locum hunc copiosissime tractavi in Annotationibus super Chaldaica Biblia, ad quæ te remitto.

V A-

VATABLUS.

1. *A Ccerse*, הקרב] Ad verbum, *accedere* [vel, *appropinquare*] *fac*. Quidam, *applica ad te*. Alii, *adhibe tibi*.

2. *Sacras*, קדש] Ad verb. *sanctitatis*. ¶ *In gloriam & decorem* : לכבוד ולתפארת] i. ad ornamentum, aut quibus ornabitur.

3. *Sapientes corde*, חכמי לב] Hebraismus, pro *peritissimis artificibus*. ¶ *Quos replevi*, &c. אשר מלאתיו רוח] Chald. paraph. disjungit hæc, vertendo, *& quoscunque implevi Spiritu sapientiæ*. Scientiam exponunt nonnulli sapientiam istam. Doctus inter Hebræos vult אשר referre cor, *quod replevi*, &c. vel, *quorum cor replevi*. ¶ *Ad sanctificandum eum*, לקדשו] Hebraismus, *ad separandum eum*, sive *sequestrandum*, atque *dedicandum eum*.

4. *Pectorale*, חשן] Ornamenti genus erat quod supra pectus Sacerdotis ponebatur. ¶ *Et ephod*, ואפוד] Lxx. ἐπωμίδα vertunt, quod significat *superhumerale*. Hebræis autem *ephod* est *cinctorium*, seu *pallium*; אפד enim *cingere* aut *constringere* significat. Vestis erat extima brevissima, quæ manicis carebat, & quodam modo arctabat & constringebat laxitatem interiorum vestium. Nec unum tantum genus ephod fuit: Alterum enim erat ephod generale, quod vocarunt *lineum*, quo in faciendis sacris non tantum Sacerdotes & Levitæ, verumetiam qui de aliis tribubus erant, utebantur. De Sacerdotibus scribitur 1 Sam. 22.18. *Trucidavit in die illa octoginta quinque viros portantes ephod lineum*. De Samuele, qui erat Levita, habes 1 Sam. 2.18. *Samuel administrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod lineo*. De Davide autem, qui erat de tribu Juda, scribitur 2 Sam. 6.14. *David saltabat totis viribus ante Dominum, & accinctus erat ephod lineo*. Nam de hoc generali ephod sentiunt Scriptores tam Hebræi quam Latini quod fuerit simplex lineum, & toto candore purissimum. Alterum ephod de quo hic loquitur, fuit particulare, quod contextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto & bysso retorta, soli summo Sacerdoti in sacris faciendis gestare licuit. Hæc ex docto inter Hebræos. ¶ *Et pallium*, ומעיל] *& interulam*. ¶ *Et tunicam ocellatam*, וכתנת תשבץ] i. opere Phrygionico quibusdam velut ocellis intextam. Alii vertunt, *tunicam inclusionis*, h. e. quæ fulgebat variis ornamentis, & præsertim inclusis lapidibus & margaritis, quas sepiebant rosulæ, specula, & ornamenta aureis facta filis. Et hæc interior erat vestis, quam tegebat interior alia vestis linea : & hanc rursus cingebat ephod. ¶ *Sacras*, קדש] Ad verb. *sanctitatis*. Per *vestes* intelligere oportet quæcunque ad vestitum quacunque ratione pertinere videntur.

7. *Duo ora juncta*, שתי כתפת חברת] *Duo latera conjuncta*. Sic dicta (inquit doctus inter Hebræos) quod dependeant ex humeris, vel subjaceant illis : i. in parte anteriore superhumerale erit apertum, latera tamen illa conjungi poterunt, & ita claudetur.

8. *Simile erit textura ipsius*, כמעשהו] Ad verb. *secundum opus ejus* : sub. *ephod*, sive *superhumeralis*. ¶ *Ex ipso*, ממנו] *Ex eodem*, sub. *panno*, vel, *ex eadem materia*.

10. *Secundum generationes eorum* : כתולדתם] i. habita ratione nativitatis & ætatis eorum, ut major natu sit prior.

11. *Opere artificis lapidum, & sculpturis annuli*, מעשה חרש אבן פתוחי חתם] *Artificem lapidum* vocat gemmarium: *sculpturas annuli*, quibus uti solent in annulis, q. d. Curabis ut gemmarius sculptura qua solet uti in annulis, sculpat in illis lapillis nomina filiorum Israel. ¶ *Circumdatos*, &c. מסבת זהב] i. constringes illos lapillos palis aureis, q. d. Curabis affigendas duas palas aureas.

12. *Lapides memoriæ*, אבני זכרן] i. qui revocabunt in memoriam Deo vel Aaron filios Israel : mox enim sequitur, *Portabit nomina eorum coram Domino ob recordationem*. Vide v. 29.

13. *Facies itaque palas aureas* : ועשית משבצת זהב] Hæc vel ad præcedentia vel ad sequentia referri possunt. Ad præcedentia retulit noster interp. ut sit recapitulatio eorum lapidum de quibus jam dixerat. Ad sequentia alii, ut intelligantur uncini sive fibulæ quibus affigi debebant catenulæ aureæ pectoralis. In quo sensu vertendum esset, *Facies & fibulas aureas*, vel *uncinos aureos*.

14. *Terminatas*, מגבלת] *Finita magnitudinis* : גבול Hebræis *terminum* significat. Unde & lapicidæ in Hebraismo *giblim* dicuntur, quod (ut ait doctus inter Hebræos) dolantes lapides regula & mensura, certum terminum mensuræ lapidibus ponant. Vocantur ergo catenulæ istæ aureæ *catenula terminationis*, sive *terminata*, ut Chald. paraph. transtulit, eo quod breves essent, certæ, æqualis & præfinitę magnitudinis ac longitudinis. Alii sic appellari sentiunt, quod conjunctæ essent termino & extremitati pectoralis. Vide v. 22. ¶ *Facies*, תעשה אתם] Ad verb. *facies eos*. Redundat pronomen, & ם pro ן positum. ¶ *Plectili*, עבת] Ad verb. *funium*, i. intorto, tortili, & complicato instar funium.

15. *Pectorale judicii*, חשן משפט] Ita dicebatur, quod Sacerdos nunquam dicebat jus in re gravi nisi quum habebat pectorale super pectus collocatum. Quidam dicunt *pectorale judicii* ideo dici, quod contineret judicium & sententiam Dei, quæ erat, ut summus Sacerdos esset ornatus eruditione summa & doctrina morumque integritate absolutissima: hoc enim significabant voces illæ *Urim & Thummim*, quę intra pectorale erant; nam *Urim*, i. *illuminationes*, significabant doctrinam sanctam, quæ est vitæ nostræ verum lumen : & *Thummim*, *perfectiones*, i. singularem morum integritatem. Vocem Hebræam חשן verterunt Lxx. λογεῖον, quos secutus Vetus interp. vertit *Rationale*, λογεῖον enim nomen habet ἀπὸ τοῦ λόγου, i. *a ratione*. Videtur autem *Rationale* & Græcis & Latinis ita dictum, quod contineret quę summa prudentia & exacta ratione consideranda erant à summo Pontifice, nempe Urim & Thummim, & nomina filiorum Israel. ¶ *Sicut opus*, כמעשה] i. juxta texturam. ¶ *Et bysso retorta* : ושש משזר תעשה אתו] Ad verbum, *& bysso retorta facies illud*. Redundat *Facies illud*, elegans tamen Hebræis repetitio, non Latinis.

16. *Palmus*, זרת] Doctores Hebræorum dicunt esse mediam partem unius cubiti.

17. *In eo*, בו] sub. *pectorali* : i. palas in eo dispositas implebis lapillis. ¶ *Sardius*, אדם] *Sardium* etiam transtulerunt Lxx interpretes. Hebræi vulgo hanc gemmam *Rubinum* exponunt: quorum sententiam non parum juvat ipsum nomen אדם à *rubedine* dictum : nam אדם rubere significat, unde אדם lapis à *rubro colore* dictus est. Consentit & Chald. paraph. qui vertit סמקן è סמק *rubescere*. ¶ *Topazius*, פטדה] Hunc lapidem dicunt inveniri in Æthiopia, & viridis esse coloris : cui sententiæ adstipulatur nomen Chaldaicum ירקן : nam ירק] Hebræis *virorem* significat. Atque hinc est quod quidam *Smaragdum* interpretantur. *Topazius*, Græca vox, à Topazo insula quæ est in Mari rubro. ¶ *Et Carbunculus*, וברקת] Chald. paraph. vocem Hebræam reliquit. A *fulgore* nomen habet Hebræis, qui dicunt lapidem esse pretiosum, flavi coloris ut aurum: sic dictum quod ut aurum splendeat ac fulgeat.

18. *Smaragdus*, נפך] Chald. paraph. habet איזמרגדין. Hebræi *Carbunculum* vocant. Docti inter illos dicunt esse gemmam nigri coloris subatram, aut nigram. Tharg. Jerosl. habet כדכדינא, quod quidam exponunt *Unionem*, sive *margaritam*; alii, *crystallum*. ¶ *Saphirus*, ספיר] De colore hujus gemmæ variant interpretes. Quidam dicunt esse aerei coloris, alii rubri, alii candidi : unde quidam Hebræorum *crystallum* vertunt. Doctus inter Hebræos accipit pro eo lapide quam Latini *Magnetem* vocant, Galli *aimant*, vel *de l'aimant*. ¶ *Et Jaspis* : ויהלם] Ex doctis Hebræorum alter citat quendam ex suis Hispanum, qui dicit fuisse lapidem qui alias vocetur *almas*, i. Adamas, qui frangit omnes lapides, atque etiam bdellium perforat; deductum nomen à verbo הלם, quod *frangere*, *conterere* & *contundere* significat; & י esse literam adjectitiam.

19. *Lyncurius*, לשם] Judæi vulgo Turcuß & lyncurer exponunt. De ista gemma scribit Plinius lib. 37. c. 3. ¶ *Achates*, שבו] Doctus inter Hebræos scribit hujus gemmæ colorem declinare ad Hyacinthum, i. aereum sive cæruleum colorem. Chaldaice is lapis vocatur טרקיא, quę vox nonnihil affinitatis videtur habere cum eo quem vulgo Turcuß nominant. *Achatem* dictum volunt ab Achate Siciliæ fluvio, gemmam versicoribus venulis ita distinctam ut & nemorum & fluminum & montium nonnunquam & jumentorum & curruum speciem referat. ¶ *Et Amethystus*: ואחלמה] Sic vocant Hebræi ab חלום, quod *somnium* significat, quod is qui hunc lapidem gestat semper somnia videat. Chaldaice vocatur עין עגלא, quod scilicet formam & similitudinem oculi vitulini præ se ferat : nam עין *oculum*, עגלא *vitulum* significat. Amethystus gemma est diluto violæ colore, fulgore purpuræ, non prorsus igneo, sed in vini colorem desinente.

20. *Chrysolithus*, תרשיש] Doctus inter Hebræos dicit esse coloris cærulei. Videtur à *mari*, unde provenit, nomen suum accepisse : quare & Chald. paraph. vertit, כרום ימא. ¶ *Onychinus*, שהם] Dicunt hunc lapidem habere candorem unguis humani, propterea *onychem* vertunt fere omnes interpretes : nam ὄνυξ Græcis *unguem* significat. Chald. paraph. fere semper

per

per כרלגא vertit : quæ vox nonnihil affinitatis habere videtur cum eo lapide quam *Beryllum* vulgo vocant. ❡ *Et Beryllus:* תרשיש] Lxx. *beryllum* vocarunt : & est gemma subviridis & transparens, quæ vix alibi quam in India reperitur. Vide Plinium lib. 37. c. 5. Vox tamen Hebræa magis allodere videtur ad *Jaspis.* ❡ *In plenitudinibus suis :* במלואתם] *In repletionibus suis*, i. in palis quas replent & quibus continentur.

21. *Secundum nomina ipsorum*, על שמתם] i. in singulis lapillis erunt singula nomina filiorum Israel : tot erunt lapilli quot sunt nomina Patriarcharum. ❡ *Sculpturis annuli*, פתוחי חותם] i. sculpantur sculptura annuli. Vide v. 11.

22. *Termini*, גבלת] Vide v. 14.

24. *Duas catenas aureas*, את שתי עבתת הזהב] Ad verb. *duos funiculos aureos*, i. catenas illas factas, opere intorto instar funis, ex auro. ❡ *In extremitatibus*, אל קצות] Nempe superioribus.

26. *Intrinsecus :* ביתה] *in parte interna*, quæ scilicet contingit ephod.

27. *Inferne*, מלמטה] *Deorsum*, i. in parte illa quæ subest pectorali. ❡ *A fronte ejus*, ממול פניו] Ad verbum, *e regione faciei ejus*, i. in parte anteriore. ❡ *Conjunctionis ejus*, מחברתו] *Junctura ejus*, quæ scilicet erit in medio. ❡ *Baltheum*, לחשב] *Artificium*, i. cingulum, ita Hebraice dictum quod summa arte fieri soleat illud quo præcingimus nos.

28. *Ita jungent*, וירכסו] Ad verb. *Et jungent.*

29. *In memoriam*, לזכרן] *In recordationem*, i. ut Deus sit memor duodecim Patriarcharum, vel, ut ipse Aaron, quum fuerit coram Domino, sit memor duodecim Patriarcharum. Vide v. 12. Tametsi quibusdam ista interpretatio ridicula videatur, quod his nominibus Aharoni nihil fuerit notius, neque tam obliviosus judicandus sit Deus, ut necesse haberet sculptura gemmarum de hominibus admoneri. Quapropter quum Deus jubet Aharonem portare in ephod super humeros nomina filiorum Israel in duobus lapidibus onychinis insculpta, non facit sibi (inquiunt) tanquam oblivioso memoriale de populo suo : sed vocat universam Ecclesiam ad constantem fidem in Christum. Ostendit autem his gemmis quod Christus tanta cura Ecclesiam suam complectatur, ut quemadmodum Aharon gestat in humeris suis nomina filiorum Israel, ita ipse potentia sua, quæ per Humeros significatur, universam Ecclesiam defendat ac conservet.

30. *Urim & Thummim*, את האורים ואת התמים] Lev. 8. 8. legitur, *Et posuit super eum pectorale, posuitque in pectorali Urim & Thummim.* Quid hæc fuerint, mira est inter interpretes varietas. Doctus inter Hebræos sic scribit, *Non constat nobis quid sit Urim & Thummim : nam apparet ex contextu quod aliud quiddam fuerit quam lapides pectoralis.* Magni nominis apud eos, quem *Magistrum nostrum* vocat ille, dicit fuisse scripturam nominis tetragrammati repositam intra duplicitatem pectoralis sub ordinibus gemmarum. Supra enim v. 16. dictum est pectorale esse duplex. Et addit, hanc scripturam dictam *Urim & Thummim*, quod Dominus per eam clare & perspicue manifestet verbum seu voluntatem suam, ac quod loquitur etiam perficiat. *Urim* enim significat Illuminationes seu Ignes; *Thummim* autem, Perfectiones & Integritates. Idem dicit Urim & Thummim non fuisse facta manu Artificis : quod inde colligit, quia in parandis vasis tabernaculi nihil præcipitur de Urim & Thummim, sed tantum dicitur ad Mosem, *Et pones in rationali judicii Urim & Thummim*, &c. Unde colligit Urim & Thummim opus Divinum fuisse in hunc usum antea apparatum, & ab ipso Deo Mosi in monte traditum fuisse, vel ab ipso Mose non ab alio quodam artifice elaboratum, quemadmodum de eo in monte à Domino edoctus fuerat. Contra hujus opinionem sic doctus quidam scribit, *Urim & Thummim nec fuerunt scriptura nominis tetragrammati, nec fuerunt alii lapides duodecim illis gemmis superadditi : sed fuerunt (ut puto) illæ ipsæ duodecim gemmæ quæ commemoratæ sunt. Quemadmodum supra 25. 7. vocantur lapides Plenitudinum, quod ipsis impleatur pectorale, sive palæ pectoralis, & quod in usum pectoralis consecrati fuerint; ita nunc vocantur Urim, quod velut ignis in pectore summi Sacerdotis (ut est natura tot simul conjunctarum gemmarum) splenduerint: ac perspicuam lucem de se projecerint:* אור *enim Ignem significat. Vocatur & Thummim, quod fuerint perfecti & integri, nec ullo vitio notati. Nam* תם *significat Perfectionem & Integritatem. Tametsi enim quidam ex Hebræis interpretibus constanter affirment Urim & Thummim aliud fuisse quam duodecim gemmas, tamen infra c. 39. 14. perspicue indicatur, per Urim & Thummim nihil aliud significari quam duodecim gemmas. Quum enim in eo loco commemorasset Scriptura, Mosen mandato Dei obsecutum esse, ac posuisse duodecim gemmas in pectorali juxta verbum Domini, ibi ne verbum quidem additur de Urim & Thummim: quod certe haudquaquam omissum esset, si aliud quam duodecim gemmæ fuissent, præsertim quum alia longe minora & abjectiora diligentissime & magna solicitudine juxta præceptum Dei confecta esse recenseantur. Adhæc, quum Moses magna religione in describenda sacrarum vestium materia & forma versetur, quo singula perspicue tradat, profecto paulo pluribus descripsisset Urim & Thummim, si aliud quam duodecim lapides per ea intellexisset. Nam quod dicitur,* Pones in pectorali judicii Urim & Thummim, ut sint super pectus Aharonis, *non jubet aliquid novi superaddere aut adjicere gemmis; sed est repetitio ac inculcatio eorum quæ prius mandata erant : ut quod minime prætereundum aut negligendum erat bis aut ter inculcaretur.* Portabit, *inquit*, Aharon nomina filiorum Israel in pectorali judicii, quando ingredietur Sanctum, pro memoriali coram Domino semper. *Atque adeo ne tu, Mose, existimes exigui momenti esse, ac oscitanter facias quod ego præcipio, iterum repeto, inculco, & dico,* Ponas in pectorali judicii Urim & Thummim, *h. e. duodecim nomina filiorum Israel insculpta*, ut sint super pectus Aharonis quando ingredietur coram Domino : & gestabit judicium filiorum Israel super pectus suum in conspectu Domini semper. *Ex hoc etiam loco vides quam ob causam pectorale dicatur* pectorale judicii. *Alii quidem sentiunt sic dictum quod per Urim & Thummim fiat judicium ac demonstratio num negotium de quo interrogatur Dominus sit faciendum vel non. Alii, quod gestatio pectoralis sit propitiatio Divini judicii & supplicii quod pro iniquitatibus inferendum esset. Sed quia* משפט *non Judicium tantum, verumetiam Jus & Statutum significat, & jubentur nomina duodecim tribuum in gemmas insculpi, ut Aharon portet ea pro memoriali super pectus suum coram Domino, manifestum est pectorale ideo dici* pectorale judicii, *ut hac ceremonia significetur singulas tribus Israel suum habere jus in omnibus promissionibus Dei quæ ad Abraham, Isaac & Jacob dicta sunt; videlicet quod singulæ tribus sint de numero populi Dei, & quod ad unamquamque tribum pertineat suum hereditatis jus in terra Chanaan, in regno & sacerdotio, quæcunque Patriarchis promissa sunt. Unde dicitur,* Aharon portabit judicium, *h. e. jus*, filiorum Israel super pectus suum, *videlicet ut singulæ tribus quarum nomina insculpta erant in gemmas, admonerentur sui juris quod haberent in promissionibus Dei. Et hic usus, quod ad externam ceremoniam attinet, Mosaicus seu Israeliticus fuit. Cæterum quod summi Pontifices in Israel ornatu ephod & pectoralis ad sciscitandam voluntatem Dei, præsertim pro Magistratu & publica salute populi, aliquoties usi fuerint, multa loca Scripturæ testantur, In Numeris enim, cap. 27. 21. ita scribitur de Josua,* Stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui interrogabit eum per judicium Urim, *h. e. organo & ornatu pectoralis in quo inclusæ erant Urim & Thummim, seu duodecim pretiosæ gemmæ. Et 1 Sam. 23. 9. quum David rescisset quod prepararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem,* Applica ephod: *cui scilicet affixum erat pectorale in quo continebantur Urim & Thummim. Et cap. 30. 7.* Confortatus est David in Domino Deo suo, & ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech, Applica ad me Ephod. Et applicuit Abiathar ephod ad David : & consuluit David Dominum, *videlicet per sacerdotem Abiathar indutum ephod cum pectorali, juxta pontificiam consuetudinem. Idem habes cap. 28. 6.* Quum Saul consuluisset Dominum, non respondit ei Dominus neque per somnia, neque per Urim, neque per Prophetas. *Ex his perspicue vides, responsa Dei quæsita esse per pectorale, seu per Urim & Thummim quæ erant in pectorali. Quo autem modo Deus responsa sua dederit aut voluntatem suam significaverit, sive per Angelum, sive per splendorem gemmarum, sive per occultam Spiritus sancti revelationem, sive per aliud quoddam organum, quia nihil certi de hac re vel in Scriptura sacra vel in scriptis interpretum exstat, nec mihi libet divinare. Contenti simus quod Deus per Sacerdotem ornatu pectoralis indutum responsa sua dederit.* Hactenus ille. Cujus verbis hoc tantum respondebo, Urim & Thummim mihi videri cum Hebræis diversum quiddam fuisse à gemmis, hac ratione, quod non jussisset Dominus poni gemmas in pectorali, quæ jam in palis ipsius pectoralis inclusæ erant, & à quo non separabantur, & sine quibus non erat pectorale. Præterea non abs re duplex fuisse dicit, ut intra eam duplicitatem ponerentur Urim & Thummim. De his judicet Ecclesia Domini. Non præter rem fuerit & hic annotare, Ephod & Theraphim fuisse contraria, ut ex Osea 3. 4. apparet: *Ephod* enim, Dei erat, ut dictum est; *Theraphim* autem idolorum, per quæ etiam annuntia-

nuntiabantur futura. LXX. pro *Urim & Thummim* verterunt τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, *manifestationem & veritatem.* ❡ *Judicium*, משפט] i. pectorale judicii: vel memoriale quo negotia Israelitarum revocabantur Deo in memoriam: non tamen quod obliviosus esset, aut illos minus curaret, sed sic voluit quodammodo excitari, vel potius populum suum ut ad se converterentur.

32. *Foramen summæ partis ejus*, פי ראשו] Ad verb. *os capitis ejus.* ❡ *In medio ejus*: בתוכו] Summæ scilicet illius partis, i. in parte summa habebit foramen per quod traducetur caput summi Sacerdotis.

35. *Erit autem super Aharon*, והיה על אהרן] i. induetur illo quotiescunque ministrandum erit. ❡ *Et non morietur*: ולא ימות] i. atque ita impune ingredietur & egredietur Sanctuarium.

36. *Laminam ex auro*, ציץ זהב] Hæc lamina, quæ cap. 29. 6. *corona*, vel *diadema sanctitatis*, sive *sacrum*, dicitur, figebatur ad cidarim, pertingebatque ab aure ad aurem, & id quidem in parte capitis anteriore. ❡ *Sculpturis annuli*, פתוחי חתם] ut v. 21. ❡ *Sanctitas Jehovæ*: קדש ליהוה] i. Sanctitas decet Dominum, q. d. Procul este profani: sancte colendus est, vel, Deus sanctissimus est.

37. *Quam pones*, ושמת אתו] i. quam ligabis vitta hyacinthina. ❡ *Super cidarim*, על המצנפת] *Super galerum.* Hebraice dicitur à צנף, quod *involvere & amicire* significat. *Cidaris*, tegumentum capitis, maxime Regum Persarum. *Galerus*, pileus rotundus, à *galea* similitudine. ❡ *Ex adverso*, &c. אל מול פני] i. à fronte cidaris, sive in parte illa anteriore galeri, sive cidaris.

38. *Feretque Aharon iniquitatem*, &c. ונשא אהרן את עון] *Tolletque Aharon iniquitatem*, &c. i. tollet iniquitatem quam admittere possent Israelitæ in sanctificationibus suis. h. e. In oblationibus suis sanctis, & in omnibus aliis donis siquid peccent non rite offerendo, aut ea offerendo quæ offerri non debent, vel propter non oblata munera, condonabitur eis propter summum Sacerdotem: is Christum repræsentabat. ❡ *In beneplacitum eis*, לרצון להם וגו] Hebraismus, ut conciliet illis favorem & gratiam Dei; sive, ut illos Deo gratos reddat cum muneribus suis.

39. *Et facies opere ocellato*, ושבצת הכתנת שש] Significat Facere aliquid opere Phrygionico, intertextis velut ocellis.

40. *Tunicas*, כתנות] *palliola*: nempe stricta ex bysso. ❡ *Et pileos*, ומגבעות תעשה להם] Ad verb. *& pileos facies illis.* Verbum redundat. ❡ *Ad gloriam*, &c. לכבוד ולתפארת] *In honorem & decorem*, i. ad ornamentum eorum.

41. *Implebisque manum eorum*, ומלאת את ידם] i. suppeditabis illis victimas, & trades in manus eorum, ut eas offerant. In hunc sensum Chald. paraph. *offeresque oblationes eorum.* Alii interpretantur, *tu mittes eos in possessionem Sacerdotii*: nam quum aliquis mittitur in possessionem alicujus rei, traditur ea in manum ejus. Alii exponunt, *consecrabis*: verum mox sequitur, *& sanctificabis eos*, consecrabis. ❡ *Et sanctificabis*, וקדשת] *Et consecrabis.*

42. *Turpitudinis*: ערוה] *Nuditatis*: i. ad tegendas partes pudendas.

43. *Tabernaculum ecclesiæ*, אל אהל מועד] Vide cap. 27. 21. ❡ *In sanctitate*, בקדש] i. In sanctuario. Alii exponunt, *cum sanctimonia*, aut *sancte.* ❡ *Et non ferent iniquitatem*, neque *morientur*, ולא ישאו עון ומתו] i. Non erunt Rei iniquitatis, propterea non morientur. Alii vertunt, *neque sustinebunt iniquitatem*, *neque morientur.* Alii, *ne ferant iniquitatem*, *& moriantur.* Hebraismus, ne si aliter faciant, peccent & moriantur. ❡ *Statutum perpetuum illi*, חקת עולם לו] *Ritus perpetuus illi*, sub. *observandus*, i. ritum istum perpetuo observabit; quotquot etiam postea summo fungentur Sacerdotio.

CLARIUS.

4. RAtionale, *& superhumerale*] h. e. Pectorale, & Ephod. ❡ *Tunicam*, *& lineam strictam*] Alius vertit, *interula*, *& tunica inclusos habens lapides.* Heb. *tunica inclusionis*, h. e. quæ fulgebat variis ornamentis & præsertim inclusis lapidibus & margaritis, quos sepiebant rosulæ, specula & ornamenta ex aureis facta filis. Et hæc interior erat vestis, quam tegebat interula, alia vestis linea: & hanc rursus cingebat Ephod, quod cinctorium quoddam erat pectus sub axillis ambiens, atque in duabus humeralibus hærens fimbriis.

13. *Facies & uncinos*] Vel, *fibulas.* Heb. *inclusoria.* Erant enim duo ornamenta ex quibus catenulæ aureæ propendebant.

15. *Rationale quoque judicii*] Heb. *Hosen.* Pectorale erat quod in pectore summi Sacerdotis portari jussum fuit: & erat summa ac dignior inter sacerdotalia indumenta vestis, sicut Arca summa res erat inter tabernaculi vasa; & utrinque responsa Divina dabantur. Habuitque pectorale illud ornamentum, præter duodecim lapides & nomina filiorum Israel illis inscripta, Urim & Thummim, quæ *lucem & perfectionem* significant, quæ interpres verterat *doctrinam & veritatem*; ex quibus summo sacerdoti responsa Divina dabantur. Verum quales fuerint res, nemini mortalium constat. Neque solum de hoc, sed neque de Ephod ex contextu satis dilucide intelligi potest: quo fit ut tam ab Hebræis quam à Latinis expositoribus variæ hic inveniantur opiniones. De duodecim lapidibus quoque non convenit inter Latinos & Hebræos. Idem fere dissidium est de catenis, quas *terminatas* vel *terminabiles* vocant.

22. *Sibi invicem cohærentes*] Heb. *Quaterminentur*, *facies eas opere intricato*, & adhibebis catenulas illas intricatas ad fibulas inclusas.

31. *Capitium*] Foramen per quod caput immittitur. Et hoc foramen labio quodam solidiori erat circumdatum.

36. *Laminam*] Lamina aurea sacrosancta, in qua scriptum erat ineffabile nomen Domini tetragrammaton, super frontem affigebatur pileolo lineo, pertingebatque ab aure ad aurem. Significabat enim remissionem omnium peccatorum quæ inverecunda committebantur fronte.

38. *Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt*] Vel, *iniquitatem sanctificatorum*: quod quidam sic exponunt, ut una cum lamina & oblationibus sanctificatis propitiationem adipiscatur.

39. *Ornabis quoque*] Hæc erat interior vestis sacerdotalis, quæ cuti adhærebat, & jubetur fieri ex lino picto & ornato variis inclusionibus, h. e. rosulis gemmatis & speculis atque margaritis lucentibus.

DRUSIUS.

3. SApientes corde] Quibus non tam pectus quam cor sapit. Nam pectus sapit etiam perditis hominibus. Scitum illud Comici, *Mulier cui pectus sapit*: *nam cor non potest*, *quod nulla habet.* Sane homines improbi *corde carere* dicuntur: (Legitur hæc phrasis infra 35. 10 & 36. 2. & 31. 6.) unde, *adolescens carens corde*, de impudico qui desipit. Cor sedes est sapientiæ: eo non sapit nisi qui vere sapit. Nam *sapientes sunt ad faciendum malum*, qui corde non sapiunt, sed pectore tantum. Porro *sapientia* dicitur Hebræis quicquid homo discit a præceptore suo: Unde *sapiens* pro *docto & perito* dici reperitur; & *sapiens artifex*, qui artis quam profitetur peritiam habet. Sic apud Apostolum nostrum legimus, *sapiens architectus*: & Homerus fabrum lignarium *sapientem* dicit. Politianus, *Olim apud priscum seculum sapientes appellari consueverunt etiam qui sellularias quasdam callebant artes.* ❡ *Quod implevero spiritu sapientiæ*] Ita vertendum, non, *quos implevero.* Nam Deus implet cor hominis sapientia, quod propria illius sedes. Judæi enim certe collocant sapientiam in corde, non in cerebro, ut Plato philosophus. Possumus etiam legere, *quorum unumquemque implevero spiritu sapientiæ*, ut sit constructio sensu congrua, non voce. Nam pronomen *eum* singulare est, quod in sensu valet *quemlibet eorum.* Constructio tam crebra ut ad eam firmandam exemplis supersedendum mihi putem. Dixi *sapientiam* appellari rei cujusque peritiam. Sane David Rex sapientiam vocat peritiam rei nauticæ, Psal. 107. 27. Jam vero ut *sapientem* dicimus eum qui artis alicujus peritus est, ita *stultum* vocamus hominem indoctum & imperitum. Quod juventus notabit vel propter Serarium, qui hinc mihi calumniam fecit quasi omnes qui sunt indocti stultos esse dixerim, cum is tantum *stultus* vocetur qui eam artem quam profitetur ignorat. Hoc sensu Princeps ineptus ad gubernandum imperium suum stultus dici posset, ut & Serarius disputans de rebus quas non intellexit. Sed parcamus pridem defuncto. Quiescat in pace.

30. Quod nunc *Hosen*, antiqui videntur legisse *Hessen*, cum puncta nondum adscripta essent. Certe Josephus ita legit, si non est mendum in ipsius libris. Id Græce ait sonare λόγιον, quod Latine sonat, *rationale*; Quomodo sane appellat eam vestem Hieronymus. Græci quoque λόγιον eam nuncupant; sed melius, meo animo, περιστήθιον, *pectorale.* Quam interpretationem adjuvat R. S. cum ait *Hosen* esse ornamentum è regione cordis. Nam pectori supra cor applicabatur. Sæpius vocatur *rationale judicii*, τὸ λόγιον τῆς κρίσεως, vel, si mavis, *pectorale judicii.* Cur *judicii*? Abenmelech in Michlol Jophi, *Vocatur Pectorale judicii*, *quia inerant Urim ac Thummim*, *quæ demonstrabant quomodo se gerere deberet homo cum interrogaret*

 per

per ea. Id enim appellant judicium hominis. Jonathan, *Facies pectorale judicii, quo declarabuntur judicia Israelis, quæ abscondita sunt à judicibus, & ordines victoriarum in prœliis ipsorum. Eo etiam expiabantur judices.* R. D. in libro ubi vocum sensa explicat, *Vocatur Pectorale judicii, quia in eo erant Urim ac Thummim, quæ judicabant judicium hominis cum interrogarent ea.* R. S. *Pectorale judicii, quod expiat ob perversitatem judicii. Aliter, Judicium quo declarat verba sua, & securum eum reddit de veritate; Gallicè Dresservent.* Hiscuni, *Pectorale judicii, eo quod indicet judicium Israelitarum, vel quæ eis necessaria.* Habes aliorum sententias. Dicam nunc quid mihi videatur, salvo tamen aliorum judicio. Nam de judicio libera debent esse judicia. משפט significat administrationem rei quà publicæ quà privatæ. De privata domus administratione capiendus locus ille Salomonis, *Est qui absumitur absque judicio*, i. ob non rectè administratam rem familiarem. De publico Ecclesiæ regimine intelligendus Propheta Jes. 42. 3. *Ad veritatem proferet judicium: & Judicium gentibus proferet.* Ergo pectorale judicii, quod nos docet quo pacto nos gerere debeamus tam in bello quam in republica. Hoc fiebat per Urim ac Thummim, cum ea consulerentur, ut tunc moris erat. Dictis lucem adferet locus qui est Exod. 28. 30. *Et pones in pectorali judicii Urim ac Thummim, & erunt supra cor Aharonis, cum ingredietur ipse coram* DOMINO, *portabitque Aharon judicium* (quidam enarrant, *pectorale judicii*; ut *testimonium* pro *arca testimonii*) *filiorum Israel supra cor suum coram* DOMINO *jugiter.* Vide Annot. nostras ad hunc locum. Sunt qui *judicium* hic interpretantur *jus*. Nam hoc etiam vox Hebræa significat. Nos olim interpretati sumus, Portabit & memorabit coram DOMINO id quod Urim ac Thummim in pectorali monstrant. Per Urim ac Thummim sacerdos futura prædicebat: unde ponuntur in gradu tertio post Spiritum sanctum. Nam quatuor gradus Prophetiæ, de quibus alias.

36. Qui existimant in lamina aurea tantum sculptum fuisse nomen tetragrammaton, falluntur. Nam Moses diserte ait, *Sculpes in ea sculpturis sigilli, Sanctitas* DOMINI. Ecce præter tetragrammaton, etiam קדש *Sanctitas* erat in lamina: de quo qui dubitaret ego nondum vidi. Fagius tamen asserit quosdam in alia sententia esse. Quod falsum an verum sit, nescio. Hoc scio, tres opiniones esse de sculptura hujus laminæ. Prima eorum est qui una linea scriptum fuisse putant,

קדש ליהוה

Dicit R. Eleazar filius R. Jose, *Ego vidi eam laminam Romæ: & scriptum erat in ea* קדש ליהוה *una linea.* Secunda eorum est qui censent duabus lineis scriptum fuisse, in ima *Sanctitas*, & in suprema DOMINI, hoc modo,

ליהוה	DOMINI	τῷ Κυρίῳ
קדש	*sanctitas.*	ἁγιότης.

R. Levi, *Si duæ lineæ erant, infra ponebatur* Sanctitas, *& supra* DOMINI, *ad tribuendum honorem Deo extollendo, & ad docendum ipsum esse supremum supra omnia quæ existunt in rerum natura. Quodsi erat una linea, scribebam in ea Sanctitas* DOMINI. Tertia opinio recensetur in libro qui vocatur *Sepher Misvot gadol*, i. *liber Præceptorum magnus*, cujus autor Moses de Kotsi, *Scribebat*, inquit, *in ea duabus lineis*, קדש *&* ל *infra*, & יהוה *supra*, hoc modo,

יהוה	Κυρίῳ	DOMINI
קדש ל	ἁγιότης τῷ	*sanctitas.*

Nisi mavelis, τῷ Κυρίῳ. Sed ego puto ל hic eam vim habere quam habet in תפלה למשה, quod reddunt, *Precatio Mosis.* Sic לדוד מזמור *Psalmus Davidis.* Quanquam in LXX, ψαλμὸς τῷ Δαυίδ.

IDEM.

4. מצנפת. Samariticum, πῖλιον, *pileum*; vel secundum aliam scripturam, μίτραν, *mitram*] *Samariticum*, τὸ Σαμαρειτικόν. Ita loquendo innuunt editionem Pentateuchi Samaritanam, quæ hodieque exstare dicitur in Syria. ¶ Πῖλιον. Lex. vet. πῖλιον, *pileum*. Hesychii, Πίλιον, ὄρος ἐν Θεσσαλίᾳ, καὶ πῖλιον. Vide num legendum sit, καὶ πιλίον; id propriè *pileolum* designat: sed usurpatur pro primitivo πῖλος, i. *pileus* seu *pileum*. ¶ *Vel secundum aliam scripturam*, ἤτοι καθ' ἑτέραν γραφήν. Utrum diversam lectionem an aliam innuit editionem? Sunt sane qui מצנפת *mitram* interpretantur. Idem צניף significat Hieron. in comment. Zach. 3. צניף *Cidaris, vel secundum alios Mitra.* Idem in epistola quam Fabiolæ scripsit de veste Sacerdotali, *Quartum genus*, inquit, *est vestimenti, rotundum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, & pars una ponatur in capite. Hoc Græci & nostri Tiaram, & nonnulli Galerum vocant, Hebræi* מצנפת. *Non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum, & sic fabre opertum linteolo ut nulla acus vestigia extrinsecus appareant.* ¶ אפוד. A. ἐπένδυμα, *superindumentum*] Hieron. de veste sacerdotali, *Ephod, Aquila ἐπίῤῥαμμα vocat*, i. *assumentum.* Puto leg. ἐπένδυμα. Idem Hos. 3. 4. *Ephod, Aquila* ἐπένδυμα *dicitur*, & lib. nominum Hebraic. *Ephod, superindumentum, quod Græce dicitur* ἐπένδυμα. Theodoretus in Judicum, Quæst. 6. τὸ ἐφὼδ (ita Græci scribunt hoc nomen) ὁ Ἀκύλας ἐπένδυμα κέκληκεν, *Ephod Aquila superindumentum appellavit.*

5. שני. A. διάφανον. Sym. δίβαφον] Hier. epistola modo citata, *Coccus igni & atheri, qui Hebraice* SANI *appellatur: quod Aquila* διάφανον, *Symmachus* δίβαφον *interpretatus est. Pro Cocco juxta Latinum eloquium apud Hebræos* תולע; *i. Vermiculus, scribitur.* ¶ Διάφανον, *translucidum*, sive *pellucidum.* ¶ Δίβαφον, *bis tinctum*: ut δίβαφος πορφύρα, *purpura bis tincta.* Vide Plinium lib. 9. cap. 39.

6. ועשו את־האפד זהב תכלת וארגמן תולעת שני ושש משזר. Alius, Καὶ ποιήσουσι τὴν ἐπωμίδα ἐκ χρυσίου, καὶ ὑακίνθου, καὶ πορφύρας, καὶ κοκκίνου, καὶ βύσσου κεκλωσμένης, *Et facient superhumerale ex auro & hyacintho & purpura & cocco neto & bysso retorta*] Νενησμένου, καθὰ τὸ νῆσμα. Dicitur & κεκλωσμένου. *Byssoretorta.* Vel, *ex byssino stamine.* Sic Exod. 26. 1. αὐλαίαι ἐκ βύσσου κεκλωσμένης, *aulæa ex byssino stamine.*

9. אבני שהם. A. *Sardonychas.* Sym. Th. *onychinos*] *Sardonychas.* Colligo ex illis verbis Hieron. in epist. de veste Sacerdotali, *Josephus Sardonychas vocat, cum Hebræo Aquilaque consentiens, ut vel colorem lapidum vel patriam demonstraret.* Plinius lib. 37. cap. 6. *Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur, candore in Sarda, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito, & utroque translucido.* Exod. 25. 7. LXX λίθοι σαρδίου. ¶ *Onychinos.* Rursum Hieron. *Lapides Sohen, ab Aquila, Symmacho & Theodotione Onychini, à LXX Smaragdi transferuntur.* Emendo, *à Sym. & Theodotione*, deleto nomine *Aquila*, qui, ut diximus, *Sardonychas* vertit; nisi sane mendum in verbis illis quæ sequuntur, *Hebræo Aquilaque consentiens.* Nam in altero loco vitium esse tam certum mihi quam bis duo quatuor efficere.

11. תעשה את־שתי האבנים על־שמת בני ישראל מסבת משבצות זהב תעשה אתם. Alius, τοὺς δύο λίθους ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, περικεκυκλωμένους καὶ συνεσφραγισμένους χρυσίῳ ποιήσεις αὐτούς, *Duos illos lapides cum nominibus filiorum Israel circumdatos & consignatos auro facies illos.*

12. ושמת. Idem, καὶ θήσεις, *& pones.*

17. ברקת. Sym. κεραύνιος] Prius erat σμάραγδος in LXX. Hieron. de veste sacerdotali, *Symmachus dissentit in Smaragdo, Ceraunium pro eo transferens.* ¶ Κεραύνιος, sub. λίθος quasi *fulmineum* aut *fulminalem* dicas. Latine, *Ceraunia gemma*, de qua Plinius l. 37. 9. Notum ut ברק sit κεραυνός, *fulmen.*

19. תרשיש. A. χρυσόλιθος. Sym. ὑάκινθος, *hyacinthus*] Χρυσόλιθος. Hieron. in Ezech. 3. *Licet in Hebræo & supra & hic* תרשיש *scriptum sit: quod Aquila Chrysolithum, Symmachus Hyacinthum transtulerunt.* Idem Dan. 10. *Pro Chrysolitho, qui unus est de duodecim lapidibus qui ponitur in logio Pontificis, in Hebræo habetur* תרשיש, *quod Theodotio & Symmachus eodem verbo interpretati sunt Tharsis.* Eudoxius in Danielem, τὸ θαρσὶς χρυσόλιθόν ἐστι. ὁ δὲ Ἑβραῖος κύανον τὸ χρῶμα λέγει. David Camius scribit ejus colorem declinare ad hyacinthum. Quin hodieque vulgares gemmarii chrysolithum *hyacinthum* appellant. Ὑάκινθος, *hyacinthus.* Hier. in Ezech. 1. *Pro Tharsis, Aquila Hyacinthum posuit, qui lapis cœli habet similitudinem.* Cant. 5. 14. בתרשיש Sym. ὑακίνθων. VI. editio χρυσολίθων.

22. מעשה עבת. Sym. Ἔργον βροχωτόν, *opus laqueatum*] Nam βρόχος *laqueus.* Sig. etiam *maculam retis*: ut possis vertere, *opus retis in morem textum.*

35. על־אהרן. A. Sym. ἐπὶ τὸν Ἀαρών. Th. ἐπὶ Ἀαρών, *super Aharon.*

37. על־המצנפת. A. & Th. ἐπὶ τῆς κιδάρεως, *super cidarim.*

39. ושבצת. Οἱ λοιποί, οὐ συσφίγξεις] Rectum est, Καὶ συσφίγξεις, *Et constringes.* Non est dubium quin aliter legerint quam nunc legitur. Psal. 45. 14. ממשבצות זהב. Alius, διασυσφιγκτῶν.

NOTÆ

NOTÆ MAJORES.

1. *Postea tu fac accedere ad te Aharonem fratrem tuum & filios ejus tecum e medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi Aharon, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar filios Aharonis.*

2. *Et facies vestes sacras Aharoni fratri tuo ad gloriam & decus.*

3. *Et tu loqueris ad omnes sapientes corde, quod implevero spiritu sapientiæ, qui facient vestes Aharonis, ad consecrandum eum & ut sacerdotio fungatur mihi.*

Postea] post impletum opus tabernaculi. ❡ *Fac accedere*] vel, *appropinquare.* Hoc Hieron. dixit, *applica ad te*, & Græcus interpres προσαγάγε πρὸς σεαυτόν: adduc sive admove ad teipsum. Hic Abenezra vocat Mosen *sacerdotem sacerdotum.* Recte sane. Nam qui sacerdotem fuisse negant, refelluntur ex illo Davidis, *Moses & Aharon in sacerdotibus ejus.* ❡ *Ut sacerdotio fungatur mihi*] Annotant Ebræi לכהנו positum esse hoc loco pro לכהן Vau redundante per paragogen, ut in וחיתו שדי fera agrestis & בנו בעור filius Beor. Sic Abenezra & Hisc. potest ita esse: tamen quid si legamus, *ut sacerdotio fungatur ipse mihi?* Quod sensisse videtur Abenmelech cum scriberet, *non est van additiuum, sed cadit in patientem, qui idem est cum agente.* לכהנו pro לכהן הוא ut in Chaldaismo ליהוי pro ליהי הוא non est ipse. ❡ *Abihu*] perperam Ἀβιοὺδ in edit. Græca, cum δ in fine i. Abiud. ❡ *Vestes sacras*] בגדי קדש vestes sanctitatis i. sanctas vel sacras, quod Onkel. extulit לבושי קודשא. Ceteri fere usi sunt numero unitatis, ut Jon. qui vertit, *vestem sanctitatis*, & Hieron. in quo *vestem sanctam:* & Lxx. quorum est τὴν στολὴν τὴν ἁγίαν, quod reddunt, *stolam sanctam.* Cum reddi possit, *vestitum sacrum*, vel certe *amictum sacrum.* Sane Sirach. 6. 37. & 45. 10. στολὴ δόξης ἁ. Camerario redditur *amictus gloriosus*, & ab alio, *vestitus nobilis.* Scilicet hoc vocabulo Græcos quodlibet vestis genus significare, ἀπὸ τῦ στέλλεσθαι ab induendo. Apulejus tamen pro veste sacerdotali usurpat, ut h. l. Lxx. ❡ *Sacras*] i. divino cultui devotas & consecratas. Nam iis induebantur cum sacra facerent. Sic *libri sacri*, *vasa sacra*, & alia ejus generis. Nicol. de Lyra, „Vestem sanctam i. ad ministerium divini cultus „deputatam. Sanctum enim in una significatione idem est quod „divino cultui deputatum. Nam non erat licitum sacerdotibus „talibus vestibus uti, nisi in cultu tabernaculi. *Abenezra*, Vo„cantur sacræ vestes propterea quod utuntur illis ad ministerium „in loco sacro: vel secundum illud, & non sanctificabunt po„pulum suis vestibus. Locus iste habetur Ezech. 44. 19. Jon. *non immiscebunt se populo cum vestibus suis.* Qua de re alias, si Deus volet. ❡ *Ad decus*] vel, *ad ornatum.* Vestes enim ornant & decorant hominem, si elegantes fuerint. Omnino vult tales vestes fieri, quæ sacerdotem ornent, non dehonestent. Qualis est vestitus quorundam sacerdotum qui gloriam captant ex sordibus. Vel ad gloriam & decus Dei. Nam Deus honoratur decoris & pulchris vestibus sacerdotum. ❡ *Ad omnes sapientes corde*] cor sedes est sapientiæ. Sed & pectore sapimus. Id dici solet de iis qui sapientes sunt ad malum. Nam qui ad bonum sapiunt, corde sapiunt &c. Vulgo exponunt, *sapientes corde, peritos, artifices:* addi velim, *cordatos* & *ingeniosos.* Notum ut peritum artificem Ebræi *sapientem* i. חכם vocent. Sic Homerus quoque. Nam fabrum lignarium ita nuncupat. ❡ *Quod implevero spiritu sapientiæ*] Verb. pro verbo, *quod implevero illud:* & ad cor refertur. Nam qui vertunt, *quos implevero*, vertunt מלאתים: non autem, ut nunc in fonte, מלאתיו *implevero illud.* Admonuit nos hac de re Abenezra. ❡ *Corde*] τῇ διανοίᾳ. Lxx. Sic Prov. 2. 10. בלבך iidem εἰς τὴν διάνοιαν. Vide quoque Gen. 24. 25. Matth. 22. 37. Simul leguntur ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ καὶ ἐν ὅλῃ διανοίᾳ, vertunt, *tota mente.* Sed mens proprie νοῦς dicitur: διάνοια est ea animæ facultas qua cogitamus & ratiocinamur. ❡ *Spiritu sapientiæ*] *Spiritus sapientiæ, ut spiritus constantiæ, spiritus fidei, spiritus judicii* Jes. 28. 6. qui est motus in animis nostris, vi quadam extrinsecus inpellente, nempe vel à Spiritu Sancto, vel à spiritu malo, ut Spiritus furoris, vertiginis, avaritiæ, formidinis &c. ❡ *Sapientiæ*] ex idiotismo linguæ sapientiam appellat rei cujuscunque peritiam. Quomodo sane David rex *sapientiam* vocat peritiam rei nauticæ Psal. 107 27. ❡ *Ad consecrandum eum*] nam his vestibus inductus Deo consecrabatur. Licet etiam vertere, *ut consecretur ipse.* Sic mox, *ut sacerdotio fungatur ipse.* R. Salom. *ad introducendum eum in sacerdotium per vestes ut ministret mihi. Vox enim Ebræa, quæ sacerdotium notat, habet significationem* שירות *i. ministerii.* R. Levi, *discimus ex eo*, inquit, *quod vestes sacerdotales sanctificant sacerdotem, ut sacerdotio fungatur & ministret Deo laudando. Verum quo tempore non habet vestes sacerdotales, habetur pro extraneo & non sanctificato.* Hactenus R. Levi.

4. *Hæ autem sunt vestes quas facies: Pectorale & Ephod & poderes & tunica ocellata, cidaris & baltheus: facient, inquam, Aharoni fratri tuo & filiis ejus ut sacerdotio fungantur mihi.*

Pectorale] Ebraice חשן quod legunt *Hosen*, sed Josephus olim, cum apices aberant, legit *Hessen.* ita scribendum quod in libris ἐσσὴν Essen. Nam omissa aspiratio incuria librariorum: quæ certe addi debet, cum sit Heth in scriptura Ebraica. In Rufini codice *Essin* legitur, ubi ἦτα per (ι) expressa. Contra fit in Tobith, & Judith, quæ scribunt Τωβὴθ & Ἰουδὴθ, errore nato ex antiqua pronuntiatione illius literæ. Nam non Eta sonabant, sed Ita. Hoc leve. *Hosen* Senes interpretantur h. l. περιστήθιον i. pectorale: quos nunc secuti sumus: Hieronymus *rationale* i. λόγιον. Josephus Antiq. hist. lib. 3. cap. 8. σημαίνει δὲ τῦτο (de *Hessen* loquitur) κατὰ τὴν ἑλλήνων γλῶτταν λόγιον. Vetus interpres Rufinus, *Essin Græca lingua λόγιον, Latina rationale significat.* Theodoretus, Quæst. 60. λόγιον τὴν λογικὴν καλῦσιν καρδίαν. Vide, si placet. Fugit me ratio hujus etymi. Declaramentum περιστήθιον adjuvat R. Salom. cum ait חשן *esse ornamentum* כנגד הלב *respectu* (è regione) *cordis. Nam pectori supra cor applicabatur.* Onkel. & Jonath. habent חושנא, quod argumento est antiquitus lectum fuisse *Hosen* cum holem in prima syllaba, licet in Josepho & alibi sit *Hessen.* Sed non omnes eodem modo legebant. Pro exemplo sit *Ieroboam*, qui aliis *Iaroboam.* Sic Nimrod, Nemrod & Namrod legebatur: unde adhuc remanent Nebrod & Nabrod. De hac veste Hieron. „Pannus erat brevis ex auro & quatuor textus coloribus, i. iis„dem quibus superhumerale, habens magnitudinem palmi per „quadrum, ne facile rumpatur. Intexti sunt ei 12. lapides per „quatuor ordines." In Thanchuma sive Ilmedenu 16. 1. „In eo „lapides erant 12. tribuum nomina insculpta habentes, qui pro „ratione bene aut male factorum splendebant aut obscuri erant. Quod ex auro fuisse dicit, id confirmat autor libri præceptorum, qui inter aureas vestes recenset Hosen & Ephod. Vide illum, si placet, fol. 212. col. 1. Obiter observo, Ubi nos posuimus, *Hæ autem sunt vestes*, Lxx. habere καὶ αὗται αἱ στολαὶ, *stolam* pro *veste* usurpantes, ut antea monuimus. Iidem *Hosen* interpretantur τὸ λόγιον, supra 25. 7. Vide quæ notavimus ad illum locum. ❡ *Ephod*] Hanc vocem Ebraicam retinuit Hiero. supra 25. 7. hic reddidit *superhumerale.* prius in Lxx. erat τὴν ἐπωμίδα quod Latine sonat *superhumerale.* Dicitur & ἐπένδυμα & ἐφεστρίς. Theodoretus quæst. 60. in Exodum ἐπίλδυτον δὲ αὐτὸ καὶ ἐφεστρίδα ᾿Ακύλας ἐκάλεσεν, οἱ δὲ ἑβδομήκοντα ἐπωμίδα ἐκάλεσαν. ἐν δὲ τῶν βασιλειῶν ἀὶ ἐλέσκομεν ἐφοὺδ αὐτὴν κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν ὀνομαζομένην. Ephod Chaldaica forma declinatum extat in Thargum Onkeli & Jonathæ, אפודא Ephoda. Joseph. lib. 3. cap. 8. ἐπὶ δὲ τύτοις τέταρτον ἐνδύεται τὸ λεγόμενον ἐφώδην, ἑλληνικῇ δὲ ἐπωμίδι προσεοικότα. Vide sequentia. Perperam in Rufino *Ephot* cum (*t*) in fine. Pro *superhumerale* apud interpretem Origenis & S. August. legitur *humerale.* R. Salo. *Animus mihi dictat Ephod fuisse cingulum à tergo tam latum quam est latum viri dorsum instar cincturæ, qua vulgo dicitur pourceinct, qua principum uxores equitaturæ succinguntur. Nec dici potest duntaxat cingulum fuisse. Nam ecce legimus, cinxit eum* בחשב האפוד, *in quibus verbis* חשב *est cingulum &* אפוד *aliud ornamentum. Ideo dico ego Ephod esse cingulum inferius, &* חשב *cingulum superius. Adhuc dicit mihi cor meum demonstrari posse Ephod esse indumentum, quod Chaldæus interpres reddit* כרדוט, *qui etiam sic interpretatur* מעיל *pallium.* Quæ produxi ut ostenderem doctorem illum nihil habuisse certi de hac veste. Gerundensis annotat fuisse tales olim vestes regum in oriente. Loquitur autem de pectorali & Ephod aliisque quibus pontifex induebatur non tam ad usum sacrum, quam ad ornatum. Hodie qui sacerdos est, h. e. minister Dei, nisi viles & sordidas induat, contemnitur à plebe, apud quam vivo. Mirabile judicium. Phui τῆς εὐσεβείας ταύτης. Pietatem in sordibus collocare mera insania est. Honestus vestitus decet omnes, sed maxime Dei ministros. Qui aliter censent, digni sunt qui fœno pascantur. Dictum Ephod ἀπὸ τῦ Aphad, cingo, superinduo. Consule Lexicographos. ❡ *Poderes*] מעיל vestis honoratior, quam olim filiæ regum gestabant, ut habetur 2 Sam. 13. & Samuel Propheta 1 Sam. 2. Interpretes varie convertunt. Lxx. h. l. habent καὶ τὸν ποδήρη, quæ vestis est ad ipsos usque talos promissa, unde *talarem* vocant. Hiero. in Comment. Ezec. 9. *Ποδήρης autem quod Lxx. transtulerunt una ex octo vestium est pontificis, quæ Latine dicitur talaris: & ex eo quod ad pedes usque descendat, hoc sortita vocabulum est.* Voce Græca usus est

est interpres Ecclesiastici Sirach. 27. 8. *quasi poderem honoris.* Usus fuit & Apulejus, *poderem tunicam sumens.* Nam est nomen adjectivum. Tunicam poderem i. ad pedes usque dimissam. Quam fortasse in mente habuit interpres noster cum verteret מעיל tunicam. Sane Hiero. de veste Sacerdotali, מעיל inquit, *tunica talaris erat tota hyacinthina ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, & in superiore parte, qua collo inducitur, aperta, quod vulgo capitium vocant, oris firmissimis ex se textis, ne facile rumpantur. In extrema parte i. ad pedes, septuaginta duo sunt tintinnabula, & totidem mala punica, iisdem contexta coloribus, ut supra cingulum, inter duo tintinnabula unum malum est, inter duo mala unum tintinnabulum, ut alterutrum sibi media sint.* Josephus quo in loco hanc vestem describit, videlicet l. 3. c. 8. vocat ἐξ ὑακίνθυ πεποιημένον χιτῶνα: quam talarem fuisse idem docet per hæc verba, ποδήρης δ᾽ ἐστὶ χιτὼν, μεεθὶρ καλεῖται κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶσσαν. In quibus verbis latet ὕπουλον ulcus. Nam μεεθὶρ nihili vox est. Non Ebræus, non Chaldæus intelliget. Suspicor initio scriptum fuisse μεϊλ, vel certe μεγεὶλ, Ain per γ expressa. Viderint, quorum interest. *Meil* Chaldaica forma est *Meila*, quod scribunt מעילא. Onkelos & Jonathan. Santes & post eum Trem. vertunt *pallium* : nescio quam recte. Nam ut מעיל pallium denotat, tamen in lege aliud est. Quod observavit ante me R. David. Jon. pro מעילין alibi posuit כרדוטין. Idem lineum Ephod, quo David accinctus fuit, interpretatur כרדוט דבוץ. Sunt qui prætulerunt *pallium humerale*, vel, si mavis, *superhumerale.* Quod in margine Venetæ edit. ejus libri, in quo R. David vocum sensa collegit. Munsterus *interulam* reddidit, quæ חלוק dicitur. Quod hausit è Salo. Jario, cujus hæc sunt in notis ad h l. מעיל *est instar interulæ sive indusii, & similiter tunica, nisi quod tunica sit vicina carni, Meil autem vocatur interula superior.* Quanquam in Lex. Chald. Munsteri, חלוק *tunica sive chlamys.* Tunica interior Græce dicitur ἐχώτερον χιτώνιον. In qua significatione sumsit R. David, quo in loco גליונים exponit החלוקים הרקים innuens interulas ex lino tenues & subtiles, adeo ut corpus revelent & conspiciendum præbeant. Ceterum quod R. Salo. scribit de חלוק עליון interula sive tunica superiore, id refutat Moses Gerundensis fol. 146. col. 1. dicens מעיל oram habere, eique tribui verbum עטה. 1 Sam. 2. 19. מעיל Hieron. *tunicam* & Lxx. διπλοΐδα : ut alibi ἱμάτιον & Aquila ἐπένδυμα. Vide sis Hiero. Epist. 130. Exod. 29. 5. Sym. ἐπενδύμα, Theodotio ἐπενδύτην. Rursum 1 Sam. 2. 19. Sym. ἐφεσρίδα i. sagum sive chlamydem: Job. 1. 20. מעילו את Aquila ἐφεστρίδα, chlamydem, amiculum. Theodotio τὸ ἐπενδύτην, superindumentum. Lxx. τὰ ἱμάτια. Hiero. *vestimenta sua.* alias, *tunicam suam.* In Lyrano est, *poderes vel hypodysis* : quam describit in glossis ad hunc locum. Hieronymo in epist. ad Marcellam, מעיל est *superior tunica*, & Augustino, quæst. 114. *tunica talaris.* Quæ omnia firmant interpretationem meam מעיל *poderes* sive *talaris*, ut *tunica* subaudiatur : licet in Gallica recentiore sit *roquet* qui est amictus lineus. Vide nunc, si placet, librum qui vocatur סמג i. liber præceptorum magnus f. 212. c. 2. ¶ *Tunica ocellata*] כתנת תשבץ quod nos vertimus, *tunicam ocellatam*, ab aliis aliter vertitur. Lxx. χιτῶνα κοσυμβωτόν. Est autem κοσύμβη sive κόσυμβος, idem cum ἀνάδεσμα : unde οἱ κόσυμβοι τῶν χιτώνων ἐκ βύσσυ, nodi tunicarum ex bysso. Lex. Hesichii κοσυμβωτὸς, κροσωτὸς, fimbriatus. Id non nemo emendat, *nodatus, nodis substrictus.* Sane hanc interpretationem Hiero. in mente habuit, cum verteret, *lineam strictam.* Nam tunicam subintelligit. In Thesauro Stephani, ποδήρη καὶ χιτῶνα κοσυμβωτὸν, Latine redditum, *togam talarem & tunicam nodis substrictam.* Vocem Græcam retinuit interpres editionis Romanæ, ut & Hiero. epist. ad Marcellam, & alii referentes, *tunicam cosymbotam.* Sciendum autem scribi ab Hesychio κοσύμβη & κόσυμβος, cum duplici σ. Augustinus quæst. 114. hujusmodi tunicam vocat interpretans, *tunicam cum cornibus: quod ita honestius, inquit, Latini interpretes putarunt dici, quam si dicerent cum cirris, qui bene dispositi ornamento esse vestibus solent.* Adito sis ad notas edit. Latinæ, quam Romanam indigitant. Diximus in Vulgata nostra esse, *linea stricta*: quod recte capies, si vestem lineam intellexeris. Non enim linea hic est γραμμὴ, sed nomen adjectivum quo linea vestis designatur, sicut *antiquum* dicimus pro *antiquum morem.* Id ampliore indiget illustratione. כתן in lingua Chaldæorum est linum : unde כתונא tunica linea, quæ Ebraice כתנת. Josephus huic rei firmandæ est l. 3. c. 8. ἔπειτα δὲ τούτοις λινοῦν ἔνδυμα διπλῆς φορεῖ σινδόνος βυσσίνης. χεθομένη καλεῖται (imo χεθωνὲθ) λίνεον τοῦτο σημαίνει : χέθον γὰρ τὸ λίνον ἡμεῖς καλοῦμεν. Ecce ait כתונא lineum significare, & ἔνδυμα subintelligit hoc est lineum indumentum. χεθὸν enim linum dici. Quis jam neget Hiero. suam interpretationem hinc mutuatum esse?

Quæ sequuntur referam fide interpretis, *Id indumentum est tunica talaris corpori adstricta, habens manicas circa brachia & ipsas strictas, quæ accingitur circa pectus paulo axillis inferius. Zona lata digitos quatuor intus inanis ita contexta ut serpentis exuvium videri possit &c.* Quæramus nunc rationem & causam interpretationis, *tunica ocellata.* Nam & Chaldaicum quoque כתונא מרמצא ita interpretatur Fagius. R. David & ex eo Abenmelech, *Pro* תשבץ *in versione Arabica sua Saadias posuit* רקם *quod sig. opus phrygionicum sive plumarium, quibusdam veluti ocellis intextum.* Nam שבץ ocellare, quod vulgo Itali dicunt *recamar à occhi.* Aliis שבץ ut etiam רכס est stringere : unde *linea stricta.* Sunt qui per *includo* elucidant, unde in quibusdam edit. *tunica inclusionis*, quod in ea inclusi essent pretiosi lapides. Vide Fagium in annotationibus ad Onkeli paraphrasin. R. Salo. *Fiebant pala ad pulchritudinem & ornatum, & pala illa erant instar fovearum, quæ in ornamentis aureis, ad reponendum in iis gemmas & margaritas. Porro in lingua vulgari sive vernacula vocantur chatonets.* Qui Gallice callent, sciunt *chaton* in ea ligna *palam* denotare. Infra vers. 39. תשבצת Hieron. *& stringes.* recte sane. Nam שבץ, ut diximus, stringo, constringo, συσφίγγω. Lxx. κοσυμβωτοὺς & ceteri αἱ συσφίγξεις i. constrictiones. Rursum Psal. 45. 14. משבצות. Lxx. κροσωτοῖς. Quod noto, quia ex Hesychio supra produximus κοσυμβωτὸς, κροσωτὸς. Non sic depono manum de tabula. Moses Gerundensis in Exod. 144. 1. *Vestes istæ vestes regum erant. , Nam talibus amiciebantur reges tempore legis, quemadmodum legimus de tunica linea, Et fecit ei tunicam polymitam, h. e. acupictam, sive ut barbare loquar, recamatam in similitudinem* פסים *polymitorum : & est tunica stricta vel ocellata, quemadmodum exposuimus. Induit ergo eum sicut filium regum orientalium. Idem dicendum de pallio Meil dicto & de tunica. Nam scriptum est, & super eam erat tunica polymita, sic enim vestiebantur filiæ regis virgines palliis i.* מעילים *quibus se tegebant sive operiebant. Sensus autem est ejus quod ait, super eam tunica polymita, quia mos erat ut vestirent filias regis virgines palliis, eratque tunica polymita super ea pallia vestis superior : ideò dicitur, & tunica polymita quæ super eam.* ¶ *Tunica*] Hiero. de veste Sacerdotali, *Secunda ex lino tunica est* ποδήρης *i. talaris, duplici Sindone quam & ipsam Josephus byssinam vocat, appellaturque* כתנת χιτὼν *quod Ebræo sermone in lineam vertitur. Hæc adhæret corpori, & tam arcta est strictis manibus, ut nulla omnino in veste sit ruga & usque ad crura descendat. Volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato. Solent milites habere lineas quas camisias vocant, sic aptas membris & adstrictas corporibus ut expediti sint &c.* ¶ *Cidaris*] κίδαρις vel κίτταρις; quæ origine ac domo Ebraica sunt. Quippe ex כתר deducta. Hic est מצנפת in fonte: & alibi צניף eodem sensu. Sane צניף in Esaia Jon. כתרין reddit i. κιτάρεις. Quidam vocant διάδημα ἱερατικὸν, diadema sacerdotale. Nam etiam reges suum diadema habebant, quam Jes. 62. 3. vocatur צניף מלוכה diadema regni, ubi Jon. כתר i. *citaris* sive *Cidaris.* Minus se probant mihi qui Latine *infulam* reddunt, quæ fascia erat sacerdotum diadematis ad modum accedens, à qua utrinque vittæ dependebant, teste Servio. מצנפת neque infula erat, neque vitta, neque etiam, ut mihi videtur, diadema. Quid igitur? cidaris, tiara vel galerus aut pileus. Hiero. nobis descripsit, quem supra vide. Onkelos dixit מצנפתא & in plurali qui sub nomine Jonathæ legem interpretatus est מצנפן tiaræ sive cidares : quas Jesaias cap. 3. vers. 23. appellat צניפות ubi Hiero. & Santes *vittas.* Trem. *mitras.* Gall. edit. *tiara.* Arias *calyptias.* Jon. *cidares.* Hic perspicue videmus interpretes hæc vocabula confundere, licet inter cidarim & mitram discrimen sit. Theodoret. quæst. 60. in Exodum μίτραν agnoscit ex Lxx. sed in alia significatione. Nam ait, ἐκάλεσαν δὲ καὶ ταινίαν τὸ μέτωπον, ἣν μίτραν εἰώθασιν οἱ ἑβδομήκοντα. Ecce tæniam, quæ in fronte Sacerdotis, ea voce significatam dicit à Lxx. non cidarim, non tiaram. Obiter observo quod supra prætermissum ab eodem theologo, *Ephod* ἐφεστρίδα dici, quod *chlamydem* interpretantur. Verba ejus sunt, ἐκάλεσεν δὲ αὐτὸ καὶ ἐφεστρίδα ἡγεῖσθαι, ἣν οἱ ἑβδομήκοντα ἐπωμίδα ἐκάλεσαν. ἐν δὲ τῇ Βασιλειῶν βίβλῳ εὑρίσκομεν Ἐφὼδ αὐτὴν κατὰ τὴν τῶν ἑβραίων γλῶτταν ὀνομαζομένην. Et paulo post, ὅτι τῷ φιλεῖ εἶχε τὸ καλούμενον λογεῖον τὴν λογικὴν συγκαλύπτον καρδίαν. Redeamus eo unde digressi sumus. Pro *cidaris* in Munsteri editione habetur *galerus.* Josepho πῖλος dicitur, & Ebraica vox apud eum depravata μασναεμφθὴς Masnaemphthes, cum legendum sit, (ita mihi videtur) *Masnephthes*, quod ita declinatum ex Chaldaico מצנפתא quod leges *Masnephtha* vel *Misnaphtha.* Forte μ inserta ut in Hambacuc, Remphan & similibus. Nihil decerno. Verba Josephi, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἄκωνον, οὐ διηκνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτὴν, ἀλλ᾽ ὀλίγον ὑπερ-

ὑπερ-

γαστροβεβησμένῳ μέσω. καλεῖται μὲν μεσσαβαμαθὴς. τῇ δ' ἡμετέρᾳ ἡ μίτρα ἐστὶν ὡς στεφάνη δοκεῖν, ἐξ ὑφάσματος λιναίου ταινία ἐστὶ πεπηγμένη παχεῖα &c. Habentur autem quo in loco agit de vestitu sacerdotali, lib. 3. cap. 8. Qui habent, possunt consulere. Ego ad alia propero quæ restant adhuc notanda. R. Salo. *Cidaris vel tiara erat velut conus galea, quam vocant* כובע. *Nam ecce alio loco tiara vocantur* מגבעות *quas Chaldaice interpretantes appellant* כובעין *i. galeas.* Hinc discimus cidarim etiam מגבעת dici, pro quo & מצנפת invenitur. Sed autor libri præceptorum distinguit inter utrumque, ut pileus pontificis vocetur מצנפת & sacerdotis idiotæ i. vulgaris מגבעת. Vide illum, si libet, fol. 212. col. 1. Gerundensis ait *cidarim regibus & magnis principibus hodie notam esse, nempe quia non soli pontifices eam gestabant sed etiam reges & magnates.* Hoc nullam habet controversiam. Gallica edit. *la tiare* i. tiara, facta in modum turcici pilei, *turbant* dicti, qui pontifici proprius ac peculiaris erat. *Turbant* sive *tourban*, ab ipsis Turcis *tulbent* vocatur: de quo in hunc modum Bartholomæus Georgioviets, in libro de moribus Turcarum, *Caput illis aggestu pepli in turrim ædificatur, & in pyramidem turbinatur, & talis pileus Tulbent sive Csalma eorum lingua vocatur.* Nicolaus de Lyra, *Cidarim i. mitram cum lamina ei alligata.* Ejus descriptionem invenies apud eundem, ad quem te remitto. R. Levi, *Cidaris circumdabat caput pontificis, & ex bysso erat.* ¶ *Et baltheus*] אבנט & baltheum sive baltheus: quod alii scribunt *balteus* & *balteum*. Lxx. καὶ ζώνην, & *Zonam*, quo vocabulo & Augustinus utitur. Hiero. ad Fabiolam, *nos cingulum vel baltheum vel Zonam possumus dicere.* Describit autem his verbis, *Abnet Babylonii novo vocabulo Hemian vocant. Hoc cingulum in similitudinem pellis colubri, qua exuit senectutem, sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes. Textum est autem subtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi & stamine byssino, ob decorem & fortitudinem: atque ita polymita arte distinctum, ut diversos flores ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam inter umbelicum & pectus hoc stringunt balteo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex una parte ad crura dependens, cum ad sacrificia cursu & expeditione opus est, in lævum humerum retorquetur.* Hucusque Hiero. Apud Isidorum Orig. lib. 19. cap. 21. corrupte scriptum *Aban* & *Abanem* pro *Abanet*, quod ait esse *cingulum sacerdotale rotundum, polymita arte, ex cocco, purpura, hyacinthoque contextum, ita ut flores atque gemmæ in eo videantur esse distinctæ.* Gerundensis in Exodum prodidit *balteum Aharonis fuisse opus acupictoris*, vel si mavis, *plumarium*, balteum autem sacerdotis vulgarii fuisse opus ex bysso. Infra 29. 9. אבנט אהרן. Hiero. *balteo Aharonis.* Lxx. διὰ ζώνης Ἀαρών. Theodotio, ζώνη Ἀαρὼν i. Zona Aharonis. Jes. 22. 21. usurpatur de cingulo Sobnæ præfecti prætorio, quem Hiero. *præpositum templi* nuncupat. Consule Josephum lib. 3. cap. 8. qui a Mose *Abaneth* hoc cingulum dici scribit i. ἀβανὴθ, sed malim *abanet*, cum simplici t, i. ἀβανέτ. *Nos vero*, inquit, *à Babyloniis edocti* ἐμίαν *αὐτὴν καλοῦμεν. Sic enim vocatur ab illis.* Leg. ἑμίαν cum spiritu aspero, ut sit Hemjan, quod Chaldaice scribitur הֶמְיָן. Id absque punctis vocalibus scribunt המין cujus pluralis in On. המינים balthei. Jon. habet קמור à singulari קַמָּר balteus, qui & קִמּוּר sive קָמּוּר, subligar, *subligaculum* Gen. 3. 7. in eodem Jon. Lex. Hesychii, κεμάρια, ζῶναι σφαιρωτοί. Idem *balteus*, unde exponitur *cingulum militare*, & Græce ζωστήρ. Salmanticensis, קמרא *balteus ex auro & margaritis, quo utebantur patres domus judicii coram regibus Persarum*: & alibi, *Capita deportationum consueverunt induere cingula, quæ* קמר *vocantur. Hoc cingulum latum est magis quam Abnet, ex argento & auro, ad standum coram regibus Persiæ.* Significat etiam קמר tegumentum i. כסות. R. Salo. *Abnet est cingulum supra tunicam, & Ephod cingitur supra Meil, quemadmodum invenimus in ordine vestium ipsorum* (sacerdotum videl.) *Et posuit supra eum tunicam & cinxit eum balteo, & induit eum veste Meil dicta, & posuit super eam vestem ipsum Ephod.* Plu. אבנטים baltei. Id R. David interpretatur *cingula subligarium*, sive *braccarum*, Corrupte autem in Abenmelecho editum המכוסים pro המכנסים errore orto ex affinitate, quæ inter Vau & Nun. Videndus h. l. Abenez. Plura, si Deus volet, alias. Nam habeo librum peculiarem de vestitu sacerdotum. Deus det ut eum aliquando edere possim. Non stat per me, sed per typographos, quorum opera hactenus usus sum; quorum unus jam e vivis excessit, alter adhuc superest & aura vescitur ætherea. Utinam diu vescatur cum bono literarum sacrarum, quibus nostra studia consecravimus. Ceterum vestes sacras vel, si mavis, sacerdotales, dividunt Ebræi in tria genera. Primum genus est earum quas sacerdos vulgaris gestabat. Erant autem quatuor, tunica & braccæ sive subligacula, & tiaræ quæ מגבעות dicuntur, & balteus. Secundum genus complectitur vestes aureas, quæ summi sacerdotis erant, ut pectorale, Ephod, Meil & lamina: quæ variabant ab iis quas vulgaris sacerdos portabat. Tertium genus est vestium albarum sive candidarum, quæ item instrumenta sunt quatuor, quibus pontifex utebatur in die expiationum, videlicet tunica, subligacula, cidaris & balteus; erantque omnia candida, & filum eorum duplicatum sexies, & ex lino duntaxat. Sumpta hæc ex ג״ם ubi & alia multa, quæ alias memorabo. Nunc manum de tabula.

5. *Et ipsi accipiant aurum & hyacinthum & purpuram, & coccum diphabum & byssum.*

6. *Et faciant Ephod ex auro, hyacintho, & purpura, cocco diphabo & bysso retorta, opere ingeniosi artificis.*

7. *Duo scapularia conjungentia erunt ei in duabus extremitatibus ejus, quibus conjungetur.*

Ipsi] Sapientes corde, de quibus supra vers. 3. ¶ *Aurum*] quidam, *de auro*; & sic deinceps. ¶ *Coccum diphabum*] *vermiculum cocci.* Santes Pagninus. τὸ κόκκινον Lxx. quod *coccum* interpretantur. Notat autem Hiero. epist. ad Fabiolam pro cocco apud Ebræos scribi vermiculum, & igni ætherique deputari, qui Ebraice *Seni* (hodie *Sani*) appelletur quod Aquila διάφανον, Sym. διάφανον i. perspicuum & dilucidum sit interpretatus. ¶ *Et byssum*] שש byssus. Appellatio à numero filorum quæ in hoc genere lini sex erant ad minimum. Aliud erat linum, quod בד dicitur, ad quod unum filum sufficiebat. Notatum hoc in libro præceptorum magno: ubi est illud, *Sacerdotes ad ministerium sive cultum divinum usos fuisse tantum vestibus ex lana vel lino confectis.* ¶. *Ephod ex auro*] aliud erat Ephod ex lino, quod Ephod *Bad* vocatur, de quo alias. Ephod ex auro, hyacintho &c. vocatur ab Ebræis *Ephod Mosis*, in quo pectorale judicii, & in eo Urim ac Thummim, judices rerum futurarum: de quibus nihil certi apud Ebræos. Vide quæ Abenez. notavit ad h. l. ¶ *Opere ingeniosi artificis*] Vide quæ scripsimus supra c. 26. vers. 31. & 36. Duo sunt opera. Unum quod מעשה רקם dicitur i. opus acupictoris: alterum quod vocatur מעשה חשב opus ingeniosissimi artificis: quæ interpretes fere confundunt. Ceterum Lxx. h. l. habent ἔργον ὑφαντὸν ποικιλτοῦ. Est autem ποικιλτής; qui variat acu i. רקם. Hiero. *opere polymito.* On. & Jon. *opere artificis.* Nos adjecimus, *ingeniosi*: quia artifex אומן dicitur: חשב autem vocatur qui artificiose vel ingeniose aliquid excogitat. De hoc R. Salo. *textura est duorum parietum, quorum latera figura dissimilia sunt.* Vult dicere, quorum unum latus quoad formam vel figuram dissimile est ab altero. Secus est in opere acupictoris. ¶ *Duo scapularia*] כתפות proprie scapulæ. hic fig. *scapulares vestes*, h. e. eas partes vestium, quibus scapulæ teguntur. Quidam *humeralia*. Sed humerus usitate שכם dicitur. Lxx. δύο ἐπωμίδες συνέχουσαι: duo superhumeralia continentia. Hiero. *duas oras junctas*: ad sensum non male. Melius certe quam Lxx. qui Ephod cum scapularis confundunt, quæ si humeralia mavis dicere, non admodum repugnabo. Quanquam humerale aliquando idem quod ἐπωμὶς i. superhumerale. Non sunt hæc inter se confundenda, fateor; sed tamen כתף *humerus* redditur à Hiero. Jes. 70. 6. & ὦμος à Theodotione ibid. Rursum pro *scapula* est *humerus* in eodem Hiero. & ὦμος in Lxx. Job. 31. 22. Unde discimus inter hæc nomina parum discrimen esse. proprie tamen כתף est scapula, cujus loco νῶτον ediderunt οἱ ό Zach. 7. 11. In edit. Symmachi Job. 3. 1. מכתפה ἀκρώμιον quæ est humeri summitas & junctura. *Oram* non male voces cum Hiero. Dixi Ephod in Lxx. scribi *Ephud* i. ἐφούδ. Id asserit S. August. per hæc verba, *Quod enim apud Lxx. scriptum est Ephud, hoc in Ebræo perhibetur dici Ephod.* Similiter variant in σαδὼκ & σαδοὺκ Sadoc & Saduc. In iisdem perperam est *Ephod bar* pro *Ephod bad* i. lineum: quod ab hoc nostro diversum erat. Nam præter sacerdotes, etiam Levitæ utebantur, & qui ex aliis tribubus erant, ut David rex & similes. Hoc tantum gestabat summus sacerdos, cum sacra faceret, aut Deum super aliqua re consuleret. Plura, si Deus volet, alio tempore.

8. *Baltheus autem cinctura ejus, qui super ipsum secundum opus ejus ex ipso erit: ex auro, hyacintho & purpura, & cocco diphabo & bysso retorta.*

9. *Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in iis nomina filiorum Israel.*

10. *Sex è nominibus eorum in lapide uno, & nomina sex reliqua in lapide secundo juxta nativitates eorum.*

Baltheus cinctura ejus] alii, *cingulum superhumeralis ejus.* Sed superhumerale אפוד dicitur: hic autem est חשב in Ebræo, quod

quod alii *cincturam*, alii *amictum* interpretantur. Sane quod Ephod appellant, hinc nomen habere putatur. Diserte Abenmelech ex Davide Camio, *A cingendo vocatur superhumeralis vestitus Ephod.* Ut ut sit, eo labor ut credam ab hoc vocabulo אפוד, inserta Nun per epenthesin, factum esse אפונדה, de quo aliquoties in Thalmud, unde quoque Græcum ἐπενδύτης, nisi me fallit *augurium* i. amiculum. Nam Ephod genus erat amiculi sacri. De *ependyte* alias. Sunt qui חשב *artificium* reddunt. Siquidem qui חשב Ebræis, eum Chaldæi simpliciter *artificem*, nos *ingeniosum artificem* appellavimus interpretantes, qui profecto non aliunde quam à solerti cogitatione nomen accepit. ¶ *Balteus*] vel potius, *cingulum*. Nam balteus supra, qui אבנט Ebræis. Utrumque interpretes Chaldæi המין reddunt. Galli distinguunt. Nam balteum vocant *baudrier*, & cingulum illud *ceinturon exquis.* ¶ *Cinctura ejus*] quo ipse cingitur. Lxx. τῶν ἐπωμίδων. Forte legerunt אפדתו transpositis litteris. On. תקונה i. ornatus ejus. Jon. תכונה, quod in idem ferme recidit. Ab eo סדר i. τάξις ordo. ¶ *Qui super ipsum*] qui in ipso Ephod. ¶ *Secundum opus ejus*] Prout erit opus ejus. vult dicere, ex eadem erit materia. ¶ *Lapides onychinos*] אבני שהם lapides onychis i. *onycinos*, ita Hiero. autor vulgatæ Latinæ. Lxx. λίθους σμαράγδου, lapides smaragdi. Lapis Smaragdi, ut, *herba lapathi*, *urbs Roma*, & quæ alia Grammatici notarunt. Sic, *lapides onychis*. Hiero. ad Fabiolam, ubi de veste sacerdotali, *Qui Ebraice dicitur Soham, ab Aquila, Symmacho & Theodotione onychini, à LXX. Smaragdi transferuntur, Josephus Sardonychas vocat cum Ebræo Aquilaque consentiens, ut vel colorem lapidum, vel patriam demonstraret.* Fumus in oculis meis illa verba, *cum Ebræo Aquilaque consentiens.* Nam si Aquila שהם ὄνυχα, quomodo potest esse Sardonyx? quod nomen est ex Sarda & onyche compositum. An in una edit. posuit *onyx*, & in altera *sardonyx*? duas enim edidit. De voce Soham non omnes idem sentiunt. Job. 18. 16. בשהם Scholion σαρδονυχίῳ. Hiero. *Sardonycho.* On. & Jon. h. l. *duos lapides sive margaritas* בורלא *quod affinitatem habet cum beryllo*, sed interpres Fagius *Onycha* reddit. Usque adeo incerta sunt nomina gemmarum apud Judæos. R. David in libro ubi vocum sensa collegit, שהם *vocatur Arabice Alberol.* Supra Exod. 25. 8. Hiero *onychinum.* Lxx. σάρδιον. Alibi vertunt λίθον πράσινον, qui uno nomine πρασίνης dicitur. Invenio & βηρύλλιον pro ὀνύχιον. Beryllus est gemma Smaragdo similis, coloris violacei vel cærulei. Sunt qui scribunt שהם candorem unguis humani præ se ferre. Si vere, onyx erit, de quo lapide Plin. lib. 37. c. 6. Vide nunc quæ scripsimus in annotationibus nostris Gen. 2. 12. ¶ *Juxta nativitates eorum*] eo ordine quo nati sunt. De hoc ordine alii aliter. R. Salo. *In primo lapide scripta erant hæc nomina, Ruben, Simeon, Levi, Juda, Dan & Naphthali: in secundo, Gad, Aser, Issachar, Zabulon, Josephus & Benjamin.* Rabbenu Moses, cap. 9. pag. 457. in Halachoth vasorum sanctuarii, hoc ordine illa ponit:

Simeon	*Ruben*
Juda	*Levi*
Zabulon	*Issachar*
Dan	*Naphthali*
Asser	*Gad*
Benjamin	*Jehoseph.*

שמעון	ראובן
יהודה	לוי
זבולן	יששכר
דן	נפתלי
אשר	גד
בנימין	יוסף

Hic litteræ sunt in utroque latere viginti quinque. Vide סוטה fol. 212. col. 2. Ceterum in Salomone Jario יסף scriptum absque He, & בניימן cum duplici Jod, nempe ad explendum illum numerum, de quo dixi. In Rabbenu autem Mose, ubi בנימין lectum, litteræ sunt 27. in secundo ordine. Quem numerum revocabis facile ad priorem, si scripseris בְּנִיָמִן & יוֹסֵף.

11. *Opere artificis lapidarii, sculptura sigilli sculpes duos lapides illos cum nominibus filiorum Israel, circumclusos palis aureis facies eos.*

12. *Et pones duos illos lapides super scapularia Ephod, lapides memoriæ pro filiis Israel, portabitque Aharon nomina eorum coram* DOMINO *super duas scapulas suas ad memoriam.*

Opere artificis lapidarii] artifex חרש dicitur. Hic est חרש in Ebræo: unde potius videtur vertendum, *fabri lapidarii* חרש אבן faber qui lapides polit aut scalpit. Lxx. ἔργον λιθουργικῆς τέχνης, quæ est peritia scalpendorum lapidum, quam qui habet λιθουργὸς dicitur. Hiero. *opere sculptoris & cælatura gemmarum.* Ad sensum non male. Nam lapis hoc in loco valet lapis pretiosus i. gemma. Igitur Onk. reddit, *opere artificis gemmarii*, usus vocabulo אומן, quod *artificem* notat. Porro אבן טבא lapis bonus i. pretiosus, gemma. Sic λίθος usurpatur in Hellenismo: unde διάλιθος gemmatus, gemmis distinctus. ¶ *Sculpturis sigilli*] i. exquisitissimis, cujusmodi sunt sculpturæ sigillorum, quibus nihil homini carius. Unde, *ponam te tanquam sigillum*, quod valet, habebo te inter charissimos. Hic Hiero. habet *sculptura gemmarii*, ac si חותם *gemmarium* significaret. Melius Lxx. γλύμμα σφραγῖδος, sculpturam, vel, si mavis, cælaturam sigilli. Onk. *Scriptura distincta vel explicata secundum cælaturam sigilli.* Nam עזקא etiam sigillum. Quanquam in Fagio, *secundum sculpturam quæ fit in annulis.* Jon. *Sculptura impressa & distincta similiter ut sculptura sigilli.* חקק vero, impressit: unde מחוקק impressor, qui & מחוקק typographus. Posses vertere, *cælatura sculpta.* Nam מחוקק sculptor. Vel certe *sculptura cælata.* R. Salo. *incisæ erant litteræ in medio eorum, quemadmodum incidunt sigilla annulorum h. e. annulos sigillatorios, quibus obsignant litteras scriptura nota & explicata.* ¶ *Cum nominibus*] Forte, *super nomina*, ut sit ordo verborum inversus, pro *sculpes nomina filiorum Israel super duos lapides.* Vide notata vers. 14. Hic על valet עם cum, ut infra 35. 22. venerunt viri על הנשים cum mulieribus. Sic Micheæ 5. 3. & alibi. ¶ *Circumclusos*] inclusos, circumdatos, περικεκυκλωμένους: quod ultimum extat in scholio Græco. Nam in edit. τῶν ό Romana hæc omnia desiderantur. ¶ *Palis*] quibus gemmæ includuntur, quas משבצות appellant, nonnulli etiam *fundas.* Vide Plin. lib. 37. cap. 8. Chaldaice מרמצן, si modo ea vox *fundas* notat, h. e. circulos, quo gemmæ ita clauduntur ut præterquam margines nihil amplectatur aurum. Hæc dubitans pono, quia in versione Fagii, *inclusos auro*: quod hausit è vulgata nostra, *inclusos auro & circumdatos.* Græcum quoque Scholion habet συνεσφιγμένους χρυσίῳ, quod exponunt *conclusos auro.* Infra tamen מרמצן דדהב, *pala auri*, tollit omnem omnino ambiguitatem, ubi Fagius, *inclusoria*, minus Latine. ¶ *Duos illos lapides*] i. duas illas gemmas. Jon. מרגלין eas appellat. Id proprie *margaritas* notat. Scire licet Chaldæos usurpare etiam pro lapidibus pretiosis. Nam sardonyches non erant margaritæ, i. uniones, sed gemmæ. ¶ *Scapularia*] vel, *humeralia.* Quidam non ita bene, *super humeros* vel *scapulas.* Siquidem vestis ea pars quæ scapulas tegit, non *scapula* dicitur, sed *scapulare*, vel si mavis, *humerale.* ¶ *Lapides memoriæ*] אבני זכרון, lapides memoriæ i. ad memoriam conservandam. Lxx. λίθοι μνημοσύνου, lapides mnemosyni. Est autem mnemosynum id quo nobis aliquid in memoriam revocatur. Hiero. *memoriale* appellat: alius *monimentum.* Interdum μνημόσυνον idem quod memoria, ut Matth. 26. εἰς μνημόσυνον αὐτῆς, ad memoriam ejus. Sic etiam Mar. 14 ספר זכרון Malach. 3. 16. Lxx. βιβλίον μνημοσύνου, lapis memoriæ caussa conscriptus, ὑπόμνημα. Onk. h. l. אבני דכרנא i. interprete Fagio, *lapides memoriales.* Adi sis annotationes ipsius. Jon. *margaritæ sive gemmæ in memoriam revocantes merita filiorum Israel.* Paulo post, *ad memoriam*, ubi Lxx. μνημόσυνον περὶ αὐτῶν, quod reddunt, *memoriale pro eis*, idem Jon. habet לדכרנא ad recordationem, ut etiam Onk. quod alius dixit, *recordationis ergo*, & R. Salo. explicat, *Ut Deus benedictus videat tribus scriptas ante se, & recordetur justitiæ ipsorum.* Licet etiam vertere *lapides memoriales*, ut & *liber memorialis.* Quod postremum legitur in Suetonio, ut notatum in Lexico quodam Gallico-Latino. ¶ *Duas scapulas*] vel *duos humeros*, vel si placet, *humeralia.*

13. *Et facies palas ex auro.*

14. *Et duas catenas ex auro puro, finitas facies eas, opere tortili, ponesque illas catenas tortiles super palas.*

Palas] aut *fundas*: quæ in Chaldaismo hic vocantur מרמצן. Vide sis utrumque interpretem. Fagius *inclusoria* reddit, quod vocabulum in hoc sensu Latinum non est. Munsterus, *fibulas*; quem secuti sunt interpretes è Sabaudia. Siquidem *crampon*, *fibula.* Supra vers. 3. R. Salo. משבצות vernacule שטונש *chatons.* Est autem *chaton* pala. Vox mere Gallica. Vide notata ad vers. 11. Hiero. h. l. *facies & uncinos ex auro.* Lxx. ἀσπιδίσκας, quam vocem Græcam interpres retinuit. In sono est, *parvos clypeos*, qui & ἀσπιδίσκοι. De vocis etymo disputat August. quæst. 114. ad quem te adire volo. ¶ *Ex auro*] *auri* i. ex auro vel aureas. Senes hic habent ἐκ χρυσίου καθαροῦ: ex auro puro. ¶ *Catenas*] Hiero. *catenulas.* In fonte est שרשרות quod exponitur à R. Salomone שלשלאות catenæ. Nam ל & ר quandoque permutantur. Sic אַלְמָנָה Ebræis, quæ Chaldæis ארמלא

אֵלְמָנָה i. vidua. Reperitur & שרשרות cum unico Res. Simile est ut cum Golgotha dicimus pro Golgoltha. In monumentis doctorum שרשרות catenatim adhærent, idem quod שלשלת. Notatum hoc in Abenmelecho: ubi & illud, *Sculpes duos lapides cum nominibus filiorum Israel*, quod vertendum existimat, *Sculpes duos lapides super nomina filiorum Israel*; & arbitratur ordinem verborum inversum esse pro *Sculpes nomina filiorum Israel super duos lapides.* Quale illud, *eos, erunt civitatem in ignem.* Sed ad propositum. In Lxx. δύο κρόσσωτα, quod interpretantur, *duas catenulas.* Quæramus diligenter. Nam κρωσσός fimbria: unde κροσσωτὸς fimbriatus & τὰ κροσσωτὰ fimbriata: quo significatu usurpant hanc vocem iidem interpretes Psal. 45. 14. ¶ *Finitas*] vel *terminatas* i. finitæ vel terminatæ magnitudinis. Hiero. *sibi invicem coherentes.* Lxx. καταμεμιγμένα ἐν ἄνθεσιν *admixta floribus.* Onk. & Jon. מתחמן quæ vox facta mihi videtur ex תחום terminus, ut מגבלת quod adjectivum esse scribit ex Camio R. Salo. Abenmel. ex גבול finis, terminus. R. Salo. *ad finem termini pectoralis*, sive τοῦ λογίου, *facies eas.* Santes, *conterminas.* Tremell. *æquabiles.* גבל finitus, ut מגבל separatus. Jos. 16. 9. והערים המבדלות urbes separatæ. Quidam, *terminales.* Ceterum *catenas*, quarum modo meminimus, Onk. תכן appellat & Jon. שילשלן, quod etiam in Jerosolymitana. ¶ *Opere tortili*] מעשה עבת. verbum è verbo, *opere funis* i. tortile, nempe ut funes torquentur. עבות proprie funis densus. Lxx. ἔργον πλοκῆς: opere plexo. ad verb. *plicatura*: πλοκὴ etiam exponitur textus vel cincinnus, & πλοκὴ τριχῶν plicatura capillorum 1 Pet. 3. Onk. עובד גדילי quod Fagius reddit, *opere intricato.* Malim, *opere torto sive tortili.* Nam גדל intorquere filum. Jon. עובד קליעא quod in idem recidit. Nam קלע plecto, torqueo, intrico. R. Salo. כעשה קליעת חוטין quando fila intorquentur. Est & קלעת cincinnus i. intortus capillus. ¶ *Catenas tortiles*] τὰ κροσσωτὰ τὰ συμπεπλεγμένα. Lxx. ¶ *Super palas*] in palis. q. d. inseres eas palis, quas Hiscuni תגנו interpretatur quibus capita catenarum inserebantur. Notum על pro ב usurpari. Sic alibi, pones ea על כל in corbe. Similia exempla 54. inveniri notatum in Abenmelecho. recte an secus, videro, cum plus otii habebo. De voce מגבלות consule annotationes Fagii.

15. *Et facies pectorale judicii opere ingeniosi artificis, sicut opus Ephod facies illud, ex auro, hyacintho & purpura, & cocco dibapho & bysso retorta facies illud.*

16. *Quadratum erit duplicatum, palmus longitudo ejus & palmus latitudo ejus.*

Pectorale judicii] Hic Senes habent λογεῖον τῶν κρίσεων, rationale judiciorum: noster interpres, *rationale judicii.* Observa dici ut λόγιον, ita etiam λογεῖον. Paulo post, καὶ θήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως. Pectorale hoc Ebræis *Hosen* dicitur sive *Hesen.* Perperam ergo è Hiero. citatur epist. ad Fabianum, *Rationale etiam dicitur genus vestis, apud Ebræos Sobam, Græce λόγιον: nos rationale possumus appellare.* Puto leg. apud Ebræos *Hessen.* Nam ita vocatur in Josephi antiquitatibus. Qua de re diximus antea. Soham non est λόγιον, sed lapilli genus, quem *onycha* interpretantur, alii *Sardonycha*, ut supra declaravimus. Philo de vita Mosis lib. 3. Cur λόγιον dicatur, indicat his verbis, ὡς συνέχοντος καὶ διοικοῦντος λόγῳ τὰ σύμπαντα, τὸ λόγιον i. rationis universitatem continentis atque temperantis rationale. Sed alii appellatum ita censent quod Dei responsa per id pectorale quærerentur, seu quod Deus per sacerdotem ornatu pectoralis indutum responsa sua daret. Nam λόγιον, oraculum, responsum divinum. Quæramus nunc quare vocatum sit pectorale judicii? Abenmel. in Michlal Jophi vide supra ad vers. 30. R. Levi, *Vocatur pectorale judicii, quia per illud indicabat sacerdos de futuris, quæ interrogabant eum, ut patet.* R. Salo. *Pectorale judicii, quod expiat ob perversitatem judicii. Aliter, judicium quo declarat verba sua & securum eum reddit de veritate, vernacule Dressement. Vox enim judicii tria significat. Primum denotat verba rationum seu argumentorum quæ à judicibus proferuntur. Deinde sig. absolutionem judicis: postremo pœnam quam infligunt judices, sive ea fuerit pœna capitis sive pœna verborum vel plagarum, sive pœna pecuniaria. Hic autem designat declarationem verborum; quando quis explicat & declarat illustrando verba sua.* Hactenus R. Salo. ¶ *Sicut opus Ephod*] vel, *secundum opus Ephod.* Lxx. κατὰ τὸν ῥυθμὸν τῆς ἐπωμίδος, juxta modum superhumeralis. Nam κατὰ ῥυθμὸν fieri dicitur quicquid certo modo, ordine ac proportione fit. Jon. הי כעבד אפודא, ubi הי positum videtur pro כ *quale opus Ephod*: vel, *sicut opus &c.* In Daniele invenio הי eodem sensu, sed tum Chaph sequitur כ הי כפרזלא sicut ferrum. ¶ *Quadratum*] רבוע quod in Chaldaicis מרבע: sed in Lxx. τετράγωνον, & in Hiero. *quadrangulum.* Unde Philo de vita Mosis lib. 3. τὸ δὲ λόγιον τετράγωνον διπλοῦν κατεσκευάζετο. ¶ *Duplicatum*] Hiero. *duplex.* prius erat in Lxx. διπλοῦν. Cajetanus, *non unius telæ erat ut superhumerale, sed ex duabus telis constabat: ideo duplex dicitur.* Nicol. de Lyra, *Duplex i. panno duplicato duplici de causa. Una est ut pondus lapidum ibidem situatorum melius sustineret: altera est secundum R. Salo. ut intra illos duos pannos nomen DOMINI tetragammaton includeretur.* ¶ *Palmus*] capiendum de majore palmo, qui cum spithama idem est. Ideo Lxx. h. l. habent σπιθαμῆς τὸ μῆκος αὐτοῦ i. spithamæ unius longitudo ejus. Quod autem in edit. Rom. *Spithami longitudo ejus*, id factum ex recto *Spithamus*, qui apud Augustinum reperitur. Ait enim certe, *Spithamus autem longitudo & spithamus latitudo. Latini quidam interpretati sunt mensuram extenta palma à fine pollicis usque ad finem digiti minimi.* Quæst. 114. Hinc lucem facies Hiero. qui vertit, *mensuram palmi habebit.* Nam loquitur de majore, non de minore, qui טפח dicitur, & est quatuor digitorum duntaxat. Hunc Græci παλαιστὴν appellant. Majorem Ebræi definiunt חצי אמה dimidium cubitum. Cubitum autem habere duas spithamas colligitur ex Josephi Antiq. l. 3. cap. 6. Nam ubi codex Ebræus, *longitudo arcæ duorum cubitorum erit cum dimidio*, ibi autor ille habet μῆκος μὲν ἦν αὐτῇ πέντε σπιθαμῶν: & postea ubi est אמה וחצי *cubitus & semis*, idem reddit τὸ εὖρος τριῶν σπιθαμῶν, latitudo trium spithamarum. Idem זרתא Chaldæis, quod legitur in Onk. & Jon. Nam in Jerosol. פשך. Id *palmum* quoque sig. & de minore palmo legitur טפח פשכא supra 25 24. Παλαιστὴ & sexta pars cubiti: unde in Elia זרת definitur mensura semicubitalis. Quod autem sequitur של שש טפחים sex palmorum, id capiendum de cubito qui constat sex palmis minoribus, unde sequitur majorem palmum tres tantum minores continere. Sic igitur ea verba enarranda זרת est mensura dimidii cubiti, qui cubitus sex palmorum est: & non, ut Fagius, *quæ mensura semicubitalis constat sex palmis*: quod aperte falsum. Hujus loci meminit Abenmel. per hæc verba, זרת *notum est. Dixerunt autem doctores nostri felicis memoriæ mensuram* זרת, *de qua in lege, continere cubitum cum dimidio, sex palmorum.* Quæ sumpta ex libro Radicum.

17. *Et implebis in eo impletione lapidis quatuor ordines lapidum: Ordo, Sardius, Topazius, Smaragdus, ordo unus erit.*

Implebis in eo] inseres ei, videl. pectorali. ¶ *Impletione lapidis*] i. lapidum. Quidam, *impletionem lapidum* i. lapides impletionis, h. e. insitionis, vel, si mavis, *insititios*, vel *insitivos.* ¶ *Lapidum*] *lapidum pretiosorum.* Onk. & autor Jerosl. *Margaritarum pretiosarum.* Jon. ¶ *Ordo*] Onk. & Jon. *ordo primus, ordo unus erit.* Minus recte. Nam *ordo unus* i. primus. Vide sequentia. ¶ *Sardius*] ita Hieron. à quo temere discedendum non est. Senes quoque σάρδιον ediderunt, quos absque dubio secutus est Hiero. Ebraice אדם, in quo significatio rubedinis. Nam, ut ait Marbodæus, *rubri solet esse coloris.* Qua ratione Chaldaice סמקן dicitur & סמקתא & סמקרכא. Nec alia ratio nominis יורוע, quod Arabicum esse hujus gemmæ nomen testatur R. David Psal. 75. Siquidem חמר rubeo, & vinum proprie rubrum, quod antiquitus in magna æstimatione ac pretio erat. Hisc. explicat שרדנא Sardana. Idem annotat in emendatione haberi אלמנדינא Almandina sive Alamandina, quæ forte Alabandina gemma, rubri coloris, ut Sardius, de qua Plin. lib. 36. cap. 8. & Albertus lib. 3. cap. 1. Marbodæus quoque hanc intellexit, cum ita caneret; *cujus lux æmula Sardi Judicis ambiguum de nomine fallit acumen.* Dicta *Alabandina* à regione Asiæ *Alabanda*, quam Plinius loco citato *Alabandicum* nominat. De gemma loquor non de regione. Alabandina, Alamandina, ut Bethamara & Bethabara. Nam hæ litteræ vicissim permutantur. Vide Quæst. meas. Sic Berodach & Merodach, Iamne & Iabne. Sardium nunc gemmarii *carneolum* appellant quod colore similis sit carni. Laudatissima multum rubet & perspicua est; minus probatur, *cui rubor obscurus aut dilutus.* Plura de Sardio ejusque colore Georgius Agricola de natura Fossilium lib. 6. Hunc lapidem in mente habuit Johannes Apocalyp. 21. 20. ὁ ἕκτος σάρδιος, quod Ebraice diceretur הששי אדם Nec alius ab hoc, ut reor, qui memoratur, ab eodem c. 4. v. 5. ὅμοιος λίθῳ σαρδίνῳ: similis lapidi Sardio, vel potius *Sardino*, (ita interpres vulgatus) ut sit nomen adjectivum Sardinus, quale Sapphirinus. Nihil statuo. Hoc tantum, idem esse λίθος σάρδινος & σάρδιος, qui & Sardo & Sarda dicitur. Sardo i. σαρδὼ, quod invenies apud Lucianum. *Quidam distinguunt inter Sardium & Sardam, ut Sardius, qui impensius nigret mas sit: quæ rubet magis, Sarda, est, fœmina Theophrasto habita.* Hæc Adrianus Iunius. Hanc vetustam interpretationem Trem. ausus fuit immutare, *pyropum* reponendo ut Arias *rubinum.* Est autem pyropus idem cum car-

carbunculo, qui & rubinus, vocabulo barbaro, à colore sic dictō. Nam quia rubet impensè ideo rubinus vocatur. Fallor, si non idem Tremell. בָּרֶקֶת interpretatur *pyropum*. Aut igitur אדם est idem cum ברקת carbunculo: aut si diversa est gemma, & ברקת est pyropus, utique אדם non potest esse pyropus. Nolim hic ab antiquis recedere. Ubi magna causa non est, quæ aliud suadeat, semper valere debet illud, *Ne loco move terminum antiquum, quem tui posuere majores.* Nam quod à colore argumentantur, id nihil est. Adam *rubere* sig. ergo Odem est *pyropus*, qui vulgo *rubinus*. Cur magis pyropus quam Sardius? Nam etiam Sardius rubet. ❡ *Topazius*] ita Hier. prius erat in LXX. τοπάζιον, & apud Josephum τόπαζος, topazus. Gemma est viridi coloris, teste Plin. *Ejus duo genera faciunt prasoidem & chrysopteron, similem chrysoprasio. Ejus enim tota similitudo ad porri succum dirigitur.* Hæc Plin. l. 37. c. 8. ad quem te adire cupio. De notatione nominis alii aliter. Topazon insula est maris rubri. In hac primum repertam tradunt hanc gemmam, & inde nomen accepisse. Sunt qui τόπαζον dictam putant quasi τοπάδιον, & hoc factum ex פטדה inversis sive transpositis litteris. Quod mihi durum & coactum videtur. Glossa interlinearis, *Topazion dicitur quasi topadion i. omnium colorum.* Non capio hanc etymologiam. Davus sum non OEdipus. Apud Davidem ubi liber Ebræus פז, Græca edit. habet τοπάζιον. Inde suspitio mihi de novo etymo. Nam ut τάφος cinis originem habere videtur ex τὸ אפר, pro quo Chaldæi אפרא ἰφρα dicunt: unde τάφος, præposito articulo: sic forte ex nomine Ebræo פז, quod inter gemmarum genera numerat Abenezra, & articulo Græco τὸ, factum τοπάζιον. Hoc ambigens pono, non affirmans. Nam etymologia sæpe fallit, quam ideo *testem fallacem* appellat non nemo. Ludos duntaxat ingeniorum est. Raro juvat nos in vero sensu eruendo. Quare hac omissa pergamus ad alia. Onk. hic edidit ירקן & Jon. cum Jerosolym. ירקתא, quæ *viridem herbam* significant: unde nonnulli *smaragdum* interpretantur, quæ virore suo oculos satiat, quam etiam *viridem lapidem* appellat Poeta Horatius. Sed, ut dixi, fallax etymologia est. Juvatur tamen hæc interpretatio autoritate R. Jonæ qui Arabice זמרד hunc lapidem appellari scribit: quæ vox affinitatem habet cum Smaragdo, qui à Chaldæis אזמרגד vocatur. Videndum an eadem gemma significetur per סמרלדין quod in Hiscuni. Huc facit quod Job 28. 19. פטדת כוש ubi Chaldæus paraphrastes, *gemma viridis quæ ex Æthiopia usque adfertur.* Sane è Smaragdorum genere Æthiopicus est qui acriter viret. Sed & *è Topaziorum genere, Iuba*, teste Plinio, *in Æthiopia gigni tradit, in littoribus amnis, quem Nilum vocant.* Quocirca non recedo à veterum declaratione. Topazius, ut quidam volunt, etiam *chrysolampis* dicitur, quæ gemma, ut Plinius autor est, *in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, & nocte ignei.* Vide nunc, si libet, Georgium Agricolam de natura fossilium pag. 291. ❡ *Smaragdus*] בָּרֶקֶת LXX. σμάραγδος i. *smaragdus.* Sic etiam Hier. & Josephus. Nec mutant interpretes alii. Quanquam Ebræi hic potius *topazium* innui putant. Sane in Hisc. טופזיו est *Topazius*, & in libro Radicum Davidis Camii, *gemma est auri fulgore, sic dicta quod fulgeat sicut fulgur*, quod in hac lingua ברק dicitur; unde ברקת quasi *ceraunium* dicas. Est autem ceraunia fulgore radians, quam in loco fulmine percusso inveniri falso credunt. Ut ut sit, Symmachus interpres vetus Ezech. 29. 13. בָּרֶקֶת, quod alii *Smaragdum* interpretantur, ipse solus *ceraunium* reddidit i. κεραύνιον ex recto κεραύνιος, quod & κεραύνιος dicitur. Id Latine sonat *fulmineus* aut *fulminalis*, & λίθος subintelligitur. i. lapis fulminalis. Plinius autor *cum fulminibus cadere*, ut ombria cum imbribus & brontia cum tonitru. Satis de ceraunio lapide. בָּרֶקֶת Onkel. interpretatur בָּרְקָן & Jonath. ברקתא. Vide Fagium. A Jon. non dissidet autor Jerosolym. Uterque addit de suo, *Super hos lapides sculpta erant nomina tribuum tria, videl. Ruben, Simeon & Levi.* R. Levi, *Ecce scriptum erat in Sardio nomen Ruben, & in Topazio Simeon & in Smaragdo Levi. Quin per traditionem acceperunt doctores nostri supra fuisse nomina patrum, quæ sunt Abraham, Isahac & Iacob: infra vero nomina tribuum.* ❡ *Ordo unus*] i. primus, ut Genes. 1. 2. *dies unus.* Nam etiam ordinem notat. Hinc μιᾷ τῶν σαββάτων primo die hebdomadæ: μιᾷ τοῦ μηνὸς, primo die mensis. Hanc enallagen agnoscunt etiam autores Latini. Cicer. de senectute, *qui uno & octogesimo anno scribens mortuus est.* Huc refer quod Genes. 2. 4. *nomen unius Phison.* Nam sensus est, *nomen primi.* Recte igitur autor Jerosol. *ordo primus.* Quanquam in Jon. *ordo primus ordo unus.* Quod autem in hoc versu טור אבן defecta oratio est, quam plenam efficies si legas טורים אבן ordines, ordines lapidum, vel si mavis, *series lapidum.* Vocem hanc Ebræus David enarrat שורה משורה. Noster autem interpres, *in primo* versu dixit pro *in primo ordine.* Chaldæi paraphrastæ tres סדרא habent, quod etiam *ordinem* interpretantur.

18. *Et ordo secundus, Carbunculus, Sapphirus & Iaspis.*

19. *Et ordo tertius, Ligurius, Achates & Amethystus.*

Ordo secundus] στίχος ὁ δεύτερος. LXX. Id Hieron. *versum* dixit. Nam στίχος ordo, versus. Dicitur & στίξ. Virgilius, *Ille etiam seros in versum distulit ulmos.* i. in ordinem. *Ordines arborum* invenies apud Cicer. ut in epigram. Græcis στίχες φυτῶν i. ordines, versus. ❡ *Carbunculus*] ἄνθραξ. Hier. LXX. & alii. Cui firmando est Hisc. Ebræus qui קרבונקולו interpretatur: & Jon. in quo כדכדנא Chadcherana. Nam videtur mendum esse pro כדכדנא chadchedana, ut sit *carchedonius*, è carbunculorum genere. Nam genera carbunculorum varia sunt: omnes rubent & fulgent: sed alii aliis impensius, ut quos Itali *rubinos* vocant, Græci *pyropos*: at nigrioris aspectus sunt, quos Juniores appellant *granatos*, Veteres *carchedonios.* In Lex. Chald. Eliæ scriptum כדכדנא Cadchedona quod factum ex כַּדְכֹּד i. interprete Sym. *carchedonius* Jes. 54. 12. Carbunculi color carbonibus ardentibus similis, unde nomen. Hanc interpretationem sollicitavit inter primos Onkel. in quo sane אזמרגדין smaragdus, vel certe *smaragdinus*, ad quod exemplum *sardinus* & *sapphirinus* dicimus. Alibi est אזמרגדא & extrita littera Gimel אזמור videlicet ex Arabico זמרד, de quo supra. Quod si נופך smaragdus, certe נֹפֶךְ aliud est. Trem. ex Ebræo vertit, *chrysoprasus*, qui & *chrysoprasius.* Lapis iste ex porraceo virore & auri fulgore mixtum colorem habet, unde ei nomen. ejus mentio Apocal. 21. & apud Plin. lib. 37. cap. 8. Quid autem Tremell. moverit ut ita verteret, aliis inquirendum relinquo. נפך R. David ait esse *nigri coloris.* Id unde hauserit nescio. An ex Arabica Saadiæ? cujus meminit Abenezra, ita scribens, *Saadias Nophech interpretatur dicens esse lapidem qui colorem habeat similem nigro. Nam ubi nos habemus, posuit in stibio suos oculos, Ebraice legitur* בפוך. *Sed non convenit ut* נפך *sit à* פוך. *Nun enim est littera thematis ad instar* אדם; *cujus eadem forma.* Hæc Abenezra. Ceterum אזמרגד obvium h. l. in Jon. quod Lexica *smaragdum* interpretantur. ❡ *Sapphirus*] ita scribendum, non *saphirus.* Nam Græce σάπφειρος, media producta. Chaldaice in Onkel. est שבזיז quod similiter in *sapphirum* transferunt. Jonat. ספירינון Sapphirinon, qui & *Sapphirinus lapis.* In Thargum Jerosolymitano, quod ab urbe nomen habet סמפילינא. puto leg. סמפירינא Samphilina, vel certe סמפירינא Samphirina, in quo Nun per epenthesin educta, & deinde ante litteram Phe in מ mutata. Sapphir, Samphir, ut Sabbecha, Sambucha. Opinionem hanc meam firmat quod in aliis codicibus ספירינא Sapphirina: & in Lex. Eliæ, quod Methurgeman vocat, ספירינא cum Res, non cum Lamed. Scire licet has litteras sibi invicem cedere. Samphirina & Samphilina, ut Margarita & Margalita, quod scribunt מרגלית. Hisc. hic posuit pro declaratione זפיר: quod integre scriberetur שפירא *Sapphira*, vel certe שפירו *sapphiro.* Prius Hispanicum est, & posterius Italicum. Hæc omnia evincunt ספיר *Sapphirum* esse, quod etiam ipsum nomen declarat, cum & Latinum & Græcum ab Ebræo derivetur. Sed & R. David hoc roborat, cum ait *gemmam esse quæ vernacula lingua* זפיר *dicitur* (forte Hispanicum *caphir* i. κύανος colore cæruleo gemma, cyanus. Vulgo *Saphyr*) i. *Sapphir*: cujus colorem *rubeum* esse scribit Abenez. ut Saadias *album.* Uterque fallitur. Nam constat *cæruleum* esse, & alio nomine *Syrtitem* dici. Sic eum nominat Marbodæus ita canens.

Sapphiri species digitis aptissima regum
Egregium fulgens, puroque simillima cœlo
Hic quoque Syrtites lapis à plerisque vocatur
Quod circa Syrtes Lybicis permixtus arenis
Fluctibus expulsis fervente freto reperitur.

Argumenta horum Rabbinorum alias refutabo, videl. in libro de gemmis sacris, quem apud me adfectum habeo. Nam quod in Thargum Esther, *color albus instar Sapphirorum*, id de alio lapide accipi debet. Sane in Medras usurpatur hæc vox pro *adamante.* Vide Radices Camii Ebræi. Saadias quoque *crystallum* eo nomine significari putat, quod absque dubio candidum est. Non est omittendum quod h. l. in Abenezra, qui quinque scribit esse colores oculorum, Album, fulmineum, rubrum, viride & nigrum. Rubrum autem, quia in medio ponitur, in varia genera dividi. Nam & Odem rubere, & alio genere rubedinis Sapphir, ut ipse putat, quem in hunc errorem induxit locus quidam Jeremiæ perperam intellectus, de quo suo loco. ❡ *Iaspis*] יָהֲלֹם LXX. καὶ ἴασπις. Hieron. quoque *Iaspis.* Nec mutat Santes. Paulo post Jaspis יָשְׁפֵה vocatur. Unde sequitur

tur alium esse lapidem, qui שמיר vocatur. In Hisc. exponitur per כרלקיא, quod non intelligo. Ceteri Ebræi *adamantem* hic describunt: quos è Christianis secuti sunt Munster. Trem. & Arias. In notis Abenezræ, *Sapiens magnus Hispanus ait* יהלם *lapidem esse, qui* אלמס *vocatur, & frangit omnes lapides, perforatque bdolach* (nomen lapidis) הלם *tundo. Iod autem litera est heemantica ut in* יצהר *oleum.* Eadem fere habentur in radicibus Davidis Camii, nisi quod mihi dubitare videatur de Jod, *Forte*, inquit, *Iod littera est addititia.* R. Sal. Abenmelech, *Ajunt lapidem pretiosum esse, qui frangit lapides & perforat bdolach.* אלמס, quod cum Aleph scribitur in libro Radicum אלמאס vocabulum est Arabicum, quo *adamantem* significant. Apud interpretem Serapionis *Mas* legitur. Nam אל articulus est in ea lingua. Adamante gemmæ cavantur. Quod innuunt illa verba, *frangit omnes lapides.* De bdolach, quod *bdellium* interpretantur, cum sit lapidis genus, dicemus alias. Restant Chaldæorum paraphrases examinandæ. Igitur Onkel. edidit סבהלום quod Fagius *adamantem* reddit: Munsterus, *jaspidem*, vel *demant* i. adamantem. Elias ponit, non exponit. Jonath. כדכדינון cadchedoninus. Forte *carchedonius*, qui è carbunculorum genere. Sane in Jesaiæ textu Ebraio reperitur כדכד, quod Sym. interpretatur χαλκηδόνιον, à quo diversus chalcedonius. Thargum ab urbe nominatum עין עגלא oculus vituli. Infra אחלמה redditur ab Onk. eodem modo. Gemma est à similitudine vitulini oculi sic appellata, quasi μοσχόφθαλμον dicas. Quid eum prohibet ita loqui, quum & Ægophthalmos Plinio lib. 37. cap. 11. *gemma* vocetur caprino oculo, & *lycophthalmos* à luporum oculis ita vocata sit? Josephus cum Lxx. & Hieron. consentit. Nam ordo in eo perturbatus. Alioqui jaspis τῷ ספיר respondet. Non vacat nunc excutere. Gorionides cap. 11. meminit hujus lapidis יהלום, quem בריליא interpretatur, ubi & ענק memoratur, unde forte *Anachites*, quem idem ואגאת exponit. Quid ואגאת? Utrum unio, an potius ὄνυξ? De eo Serapio, *Est Mas flumen, in quo lapis de Mas. & mox, similis est crystallo, sed parum obscurior, coloris tamen lucidi fulgentis, adeo solidus, ut nec igni nec aliqua re frangatur aut mollescat nisi hyrcino sanguine.* Quod nomina tribuum attinet Jon. hic variat à Jerosol. Nam in eo, *Super hos lapides sculpta & expressa erant nomina trium tribuum, Iuda, Dan & Naphthali.* In Jerosol. autem, *Scriptura exposita super eos erat nominis trium tribuum, Iuda, Issachar & Zabulon.* Sequitur tertius ordo. ❡ *Ligurius*] de hoc lapide nihil usquam. Videtur à *Liguribus* nomen accepisse. Sed nihil statuo. Hieron. ingenue, *Scrutans*, inquit, *eos qui de lapidum naturis & gemmarum scripserunt, Ligurium invenire non potui.* Sic est profecto. Nemo ejus meminit hoc nomine. Quocirca viri quidam docti ejus loco *Lyncurium* substituerunt, quæ ab electri similitudine sic appellata, quod veteres *glessum* vocabant. Id non male convenit cum vocabulo Eliæ לשם lesem, glessum, ut לשן γλῶσσα. Quanquam à Germanico Glaß quod *vitrum* significat, alii derivent; nam vitri in modum pellucet. Relinquamus hoc in medio. Succinum seu electrum significare non potest Lesem, quia gemma erat magni pretii, ut Josephus testatur, nisi forte propter copiam nunc eviluerit. De ligurio sive lyncurio satis. Veniamus ad alias interpretationes. Onk. retulit קנכירין quod in Elia scriptum קנכירין à Fagio exponitur *Lyncurius*, quem à Judæis vulgo exponi scribit Turckis & Lyncuter. Elias plane silet. In Ion. est קנבירינון *Cancherinon*, quod ita dicitur ut *Sapphirinon.* Thargum Jerosol. זוזין zozin, quod Latine declinabis *zozinus.* De quo amplius quærendum censeo. Interpretamen Hiscuni ארמימלס quid sit nondum invenire potui. R. Jona, teste Davide Camio, scribit hunc lapidem Arabice אלנג׳ין dici, in quo אל articulus esse videtur, ut in אלמאס adamas. Tremell. *Cyanus* i. κύανος quæ gemma est cœrulei coloris, quam Hispani *caphir* nuncupant i. ספיר, quod est declaramentum רד׳ חיור, ut supra vidimus. Nam cyanus è sapphyrorum genere. Unde vulgo *Saphyr* vocatur. Glossa interlinearis, *Ligurius hyacinthini coloris esse fertur & invenitur in renibus bovis.* Logi. De Lyncurio, quem ex urina lyncis gigni tradunt, videndi sunt Plinius, Marbodæus & alii. ❡ *Achates*] שבו ἀχάτης. Hic mirus consensus est interpretum. Chaldæos excipio, qui inter se non parvum variant. Nam in Onk. est טרקיא Thracia, quæ gemma cognationem aliquam habet cum achate: ejus meminit Agricola de natura fossilium lib. 6. Fagius *achatem* reddit, & affinitatem habere scribit cum ea gemma quæ Germanice Turkis dicitur. Belgice Turkois i. cranus sive cranos, quæ & Jaspis aerizula. Italos *turchesa ò turchina.* Jonath. edidit טרקין quod non intelligo, nisi leg. טרקין tarquinus ut idem fit cum thracia. Thargum Jerosol. בזליין (in Lex Chald. Eliæ בזליין i. berylli aut beryllinus. Puto mendum esse.) Brizelinus qui videtur à ferro sic appellatus, cujus similitudinem habet lapis qui *Sideritis* vocatur, Plinio memoratus lib. 37. cap. 10. Nomen Hebraicum שבו Hiscuni enarrat ארמאזי. Videtur autem in mente habuisse *amethystum*, quæ violacei coloris gemma est, quam Itali & Hispani *amethisto* vocant, & in hoc ordine legitur apud Josephum, quem tamen puto perturbatum esse. Nam sequens lapis à veteribus exponitur ἀμέθυστος cum hic sit ἀχάτης, ut dictum est. R. David nos juvat Arabica voce אלעכר, quæ cognationem habet cum Hispanica *azanache*, qua achatem designant. Dictus achates ab Achate fluvio Siciliæ, apud quem primum repertus, ut testatur cum Plinio Theophrastus. ❡ *Amethystus*] אחלמה ἀμέθυστος Lxx. Josephus: *amethystus*, Hiero. alii. On. עין עגלא & Jon. עין עגל μοσχόφθαλμος, quod ita dicitur, ut Lycophthalmos, Ægophthalmus, Hyophthalmos, Thriophthalmos. Hujus & supra mentionem fecimus. Quin Beli oculus, quem vulgo *Beloculum* vocant, gemma est Assyriorum Deo sacrata, & oculi effigiem quodammodo exprimens. Redeamus ad Exodum. Thargum Jerosolymitanum זמרגדין Zmadgadinus, sed legendum ex Elia זמרגדין Zmaragdinus, quem eundem puto cum Smaragdo, qui ברקת dicitur, ut Thren. 4. in edit. Chald. *Issachar sculptus est in Smaragdo.* Hiscuni declaramentum גירגוסיא aliis exponendum relinquo. Dictio est linguæ nescio cujus Girgunsa, sive Girgonsa; quam à vulgatis esse non dubito. In חלום significatio somnii. Arabice אלחלמהי sive אלחלמה, in quo eadem significatio. Dictus hoc nomine à naturali facultate qua pollet. Abenezra, *Lapis est quem qui gestat in digito semper videt somnia: Quod mirum*, inquit, *videri non debet, cum alii lapides alias virtutes habeant. Nam magnes ferrum trahit, & alius sanguinem sistit, & est qui fugit acetum.* Eadem habet David Camius in libro ubi vocum sensa collegit. R. Levi, *Dicunt hunc lapidem excitare facultatem imaginativam, ita ut somniet homo multum qui eum gestat.* Quod nomina spectat, quæ sculpta erant in his lapidibus, non omnium eadem opinio est. Jonathan ponit hic *Gad, Aser & Issachar*: cui firmando quod supra ex Thargum alio produximus, *Issachar sculptus erat in Smaragdo.* Nam interpres iste, sicut ostendimus, *Smaragdum* hic innui putavit. Autor Jerosol. habet, *Dan, Naphthali & Gad.* Thargum aliud, *Dan sculptus erat in beryllo*, si modo בורלא est beryllus. Quæ adduxi, ut ostenderem Judæos de his nihil certi habere, tantum conjectura niti, ut mirum non sit, si dissentiant inter se multum.

20. *Et ordo quartus, chrysolithus & onychinus & beryllus, inclusi auro erunt in impletionibus suis.*

Chrysolithus] χρυσόλιθος. Hiero. Lxx. Josephus. Ebraice תרשיש, quod nomen obvium aliquoties in codicibus Græcis θαρσὶς sive θαρσεὶς. Thema רשש & Thau heemanthicum, ut in תלמיד discipulus. Sic תרשיש chrysolithus. Si Hiero. credimus, nomen Tharsis *ipsum mare* denotat. Unde nomen habere creditur à similitudine maris. Quocirca Onkelos & Jerosolymitanus referunt כרום ימא. Jonathan addit רבא, ut mare magnum significaret, quod nobis Mediterraneum. Marbodæus de chrysolitho, quem Plinius scribit aureo colore translucere, *Iste mari similis quiddam viroris adumbrans.* R. David ait, *ejus colorem declinare ad colorem hyacinthi.* Sane Mangones, quanquam falso, chrysolithum hodie *hyacinthum* nominant. In Hiscuni habetur *chrystallum* & in correctione פרסינא, Pharsama sive Phrasina, quod amplius quærendum puto. Pro *chrysolitho* in editione nostra interdum habetur *hyacinthus*, ut Cant. 5. 13. Arias quoque Santem ita emendat Ezech. 28. 13. ❡ *Onychinus*] vel *onyx.* prius Hiero. elegit. Lxx. ὀνύχιον, quod proprie *unguiculum* sig. Hic est gemmæ nomen ut apud Theophrastum, qui ὀνύχιον ait esse λευκὸν καὶ φαιὸν παράλληλα. Hanc Adrianus Junius credit esse *onychem Arabicam* Plinio dictam, vulgo onychel. Onyx ab ungue humana dictus, cujus candorem præfert. Ab eo onychinus, & lapis subintelligitur. Vide quæ scripsimus ad vers. 9. hujus capitis. Onkelos ab eo loco non variat. Nam בורלא interpretatur, quod affinitatem habet cum nostro beryllo. Abenezra, *Soham in lingua Syra vocatur* בורלא *& in lingua Ismaelitica sive Arabica* בלור *belor.* Miror Tremellium, qui eandem vocem in eodem capite reddit *Sardium* & *Sardonycha.* Jonathan retulit בורלוין חלא i. berylli arenæ. forte quod ex arena colligantur. Hoc arbitrarium esse volo, nolo ut sit certum. חלא *arenam* significare notius est quam ut probari debeat. Mirum si hic aliud sig. Edit. Jerosol. בורלוין, qui lapis in textu sacro ברלח dicitur, & à שהם aperte distinguitur Gen. 2. ubi noster interpres *bdellium* vertit. Hiscuni, אוניקלא onicala i. *onychium* qui Belgis onychel / & Italis *onicolo*, lapis è fusco & albo constans. ❡ *Beryllus*] In edit. Lxx. legendum putarim ὀνύχιον, καὶ βηρύλλιον *onychium & beryllium.*

ryllium. Si fallor, tum certe de ipsorum sententia שהם erit βηρύλλιον, quod cum interpretatione Chaldaica concordat, & ישפה ὀνύχιον. Emendationem hanc meam firmat Hieron. qui, ut in his nominibus interpretandis, Lxx. semper secutus est, h. l. legit, *onychinus & beryllus.* Judicent eruditi, & qui judicio valent. In sono Ebræo est *Jasphe*, qui potius *jaspidem* referre videtur quam aut *onychum* aut *beryllum.* Sane Hiscuni exponit ישפי i. Jaspi, & R. David ait *lapidem esse qui Arabice* אליסף *eliasph vocetur, voce cognata.* Mihi non displicet hæc interpretatio, quam etiam elegissem præ illa altera si propositum fuisset discedere ab antiquis. Ceterum Jonathan in hoc ordine ponit, *Zabulon, Joseph & Benjamin:* autor vero Jerosolym. *Aser, Joseph & Benjamin.* Sic etiam Hiscuni, ut paullo post videbimus. ¶ *Inclusi auro*] מְשֻׁבָּצִים זָהָב. Santes, *constructi auro.* Alius, *impacti fundis aureis.* Hiero. *inclusi auro:* quem nunc secutus sum. Ab hoc verbo palæ annulorum משבצות vocantur. ¶ *Impletionibus*] insitionibus, h. e. in loco ubi lapides inferuntur palis.

21. *Et lapides illi erunt cum nominibus filiorum Israel duodecim, secundum nomina eorum, sculpturis sigilli, singuli cum nomine suo erunt pro duodecim tribus Israel.*

Lapides duodecim] Quot erant tribus tot erant lapides: & in unoquoque sculptæ sex litteræ, ut Ebræi tradunt: quæ aliunde sumebantur, videl. ex nominibus patriarcharum Abraham, Isahac & Jacob, si nomen tribus non continebat sex litteras. Quod ex hac tabella, quam ex Hisc. descripsi, planum fiet. Sciendum autem litteras in universum fuisse septuaginta duas, quot videl. erant in nomine Dei proprio explicato, quod *Sem Hammephoras* appellant.

Tabula lapidum cum suis nominibus ex Hiscuni.

בָּרֶקֶת לֵוִי · רחם	פִּטְדָה שמעון ב	אֹדֶם ראובן א	Ordo 1.
יָהֲלֹם זבולן · ח	סַפִּיר יששכר צ	נֹפֶךְ יהודה י	Ordo 2.
אַחְלָמָה גד שבטי	שְׁבוֹ נפתלי כ	לֶשֶׁם דן · קיעק	Ordo 3.
יָשְׁפֵה בִנְיָמִן	שֹׁהַם יוסף ן	תַּרְשִׁישׁ אשר ישר	Ordo 4.

Hic ad nomina patrum adjectum est nomen יְשֻׁרוּן quod *Israëlem* significat; ergo *tribus Jesuron* i. Israel. Sardius ergo habebat insculptum nomen Ruben cum prima littera nominis Abraham: Topazius habebat Simeonem cum secunda littera ejusdem nominis. Smaragdus habebat Levi, cum tribus reliquis litteris nominis Abraham, videl. Res, He, & Mem finale. In secundo ordine erant, Carbunculus, cum nomine Jehuda, & prima nominis Isahac: Sapphirus, cum Issachar & secunda ejusdem nominis: Jaspis, cum Zabulon & tertia ejusdem. Tertius ordo habebat Ligurium cum ultima nominis Isahac & tribus primis nominis Jaacob: Achatem cum Naphthali, & ultima nominis Jacob: Amethystum, cum nomine Gad & dictione integra שבטי quæ tribus designat. Quartus ordo habebat Chrysolithum cum tribus litteris prioribus nominis Jesuron: Onychinum cum nomine Joseph & reliquis duabus ejusdem nominis: Beryllum cum nomine Benjamin. R. Levi scribit traditum fuisse à majoribus supra hos lapides sculpta fuisse nomina patrum Abraham, Isahac & Jacob: infra vero שבטי יה i. *tribus DOMINI.* Vide si placet, & si otium est.

22. *Et facies super pectorali catenas terminatas, opere tortili, ex auro puro.*

23. *Et facies super pectorali duos annulos aureos, & pones duos illos annulos in duabus extremitatibus pectoralis.*

24. *Et pones duas (catenas) tortiles aureas in duobus annulis, ad extremitates pectoralis.*

25. *Et duas* (alias) *extremitates duarum (catenarum) tortilium pones in duabus palis, & pones scapularia Ephod è regione ipsius.*

26. *Et facies duos* (alios) *annulos aureos, ponesque eos in duabus extremitatibus pectoralis in labro ejus quod ad latus Ephod intrinsecus.*

Super pectorali] ut ponantur in pectorali, quod Hiero. dixit *in rationali*, & Lxx. ἐπὶ τοῦ λογείου. Aliter, *pro pectorali.* R. Salo. *propter pectorale ad figendum eas in annulis ipsius.* ¶ *Catenas*] שַׁרְשְׁרֹת catenæ, quæ supra שרשרות vocantur à singul. שרשרת pro quo in Deuterosi שלשלת catena. Nam ל & ר alternant. In שרשרת elisa littera, ut fit, in talibus. Sic *Babel* dicimus pro *Balbel*, & *Golgotha* contractum est ex *golgoltha,* quod Syri enuntiant *gagultha* i. cranium. Facescant ergo R. Sal. qui à radicibus arborum deflectit *Sarsoth*, & Manahemus Seroci filius, qui posterius R. in Sarseroth additum esse scribit, ut Mem additur in שלשם nudiustertius, & in ריקם frustra. ¶ *Terminatas*] malim *terminales.* Vocantur ita quia erant in termino h. e. fine suo extremo pectoralis. Nam terminus extremum cujusque rei. גבלות proprie terminatio, formæ עבדות servitus. ¶ *Super pectorali*] vel, *pro pectorali.* In priore declaratione *super* valet (*in*), ut apud Poëtam, *super arbore sidunt:* quod enarrant *in arbore.* R. Salo. *in usum pectoralis* i. לצורך החשן. Vide, si vacas. ¶ *In duabus extremitatibus pectoralis*] in duabus oris, quæ collum respiciunt ad lævam & dexteram è regione scapularum ipsius Ephod. ¶ *Tortiles*] opere tortili factas. ¶ *In duobus annulis*] vel, *cum duobus annulis.* ¶ *Duarum tortilium*] Supra ubi nos habemus, *opere tortili*, Lxx. ediderunt ἔργον ἁλυσιδωτὸν opus catenatum: Sym. βροχωτὸν, laqueatum. Rursum Lxx. *catenas terminales* exponunt κροσσοὺς συμπεπλεγμένους i. interprete Augustino, *fimbrias complectentes.* Alii vertunt, ut est in edit. Rom. *catenas connexas.* ¶ *In duabus palis*] vel *in duabus fundis*, ut supra. Hiero. hic habet, *duobus copulabis uncinis.* ¶ *Scapularia*] vel, *humeralia.* ¶ *E regione ipsius*] Ephod videl. Quidam *contra faciem ejus.* Facies autem dicitur exterior pars cujusque rei, quæ apparet & videtur. Quod innuit R. Salo. per hæc verba, *Latus quod non videtur non vocatur facies.* ¶ *Extremitatibus*] Hiero. *summitatibus.* Onkelos & Jonathan, *duobus lateribus.* ¶ *In labro ejus*] Jonathan, *in humero ejus.* Alius, *in ora ejus.* Vetus editio, *in oris quæ è regione sunt superhumeralis.* Ceterum חבתו Gallica edit. enarrat *chainettes faictes à cordon.* Sane in Rad. Davidis Camii exponitur ea vox קורדוש *cordons*, cujus pater R. Joseph interpretatur חבל dicens esse funem ex tribus מיתרים constantem i. cordis aut funibus. Vers. 20. מלאת impletiones, plurale est à singulari מלואה, unde מלאת אבן impletio lapidis, quando videlicet palæ implentur lapillis, qui propterea *lapides impletionum* vocantur. i. אבני מלאים. De ביתה quod reddunt *intrinsecus*, & verb. è verb. sonat אל בית *in domum*, videndus Hiscuni.

27. *Et facies duos (alios) annulos aureos, quos pones in duabus scapularibus ipsius Ephod inferne, è regione ipsius, contra commissuram ejus, supra cingulum ipsius Ephod.*

28. *Et attollent pectorale ex annulis suis ad annulos ipsius Ephod, vitta hyacinthina, ut sit super cingulum Ephod & non separetur pectorale ab Ephod.*

29. *Et portabit Aharon nomina filiorum Israel in pectorali judicii supra cor suum cum ingredietur in Sanctum, ad memoriam coram DOMINO jugiter.*

E regione ipsius] ad verbum, *è regione faciei ejus.* vult dicere, *è regione oræ superioris Ephod, quæ est facies ejus.* Sunt qui tradant Ephod Sacerdotis magni fuisse vestem brevem, quam vocant *thoracem.* Gall. קורשיט *corset* sive *corselet.* Vide Hiscuni. ¶ *Commissuram*] vel, *juncturam.* ¶ *Supra cingulum*] supra cingulum exquisitum, quod videl. ab ingenioso artifice confectum: unde quidam hic legunt, *supra artificium.* ¶ *Attollent*] Onk. *jungent.* Sic etiam R. Salo. וירכסו, inquit, *significationem habet conjunctionis.* Sic רכסי איש sunt catervæ junctæ improborum. Similiter רכסים montes conjuncti & vicini sibi invicem adeo ut nemo possit descendere in vallem quæ inter eos, nisi cum summa difficultate. Quidam, *& stringent.* Sane vetus interpres noster, quem *vulgatum* dicimus, *ut stringatur rationale annulis suis.* Nos secuti sumus eos qui verbum Ebræum hic exponunt ירימו levabunt in altum, attollent, qui etiam רכסים interpretantur *montes celsos*, & מֵרֻכְסֵי אִישׁ *à superbiis viri.* ¶ *Vitta hyacinthina*] alii, *fascia hyacinthina:* alii, *filo hyacinthino.* Ebraice פתיל filum, vitta; quod Onkelos reddit חוטא, & Jonathan שזיר חוטא filum tortum. ¶ *Et non separetur*] ולא יזח quod futurum est à זחח. Id exponunt *ne attollatur:* item, *ne recedat, loco moveatur.* Videndus R. David in Radicibus. In lingua doctorum זחוחי הלב elati animo, tumidi, superbi. Quidam, *ne dissolvatur*, quod petitum ex lingua Arabica, ut ex Donesò Labrati filio R. Salomo annotat. Onkelos & Jonathan, יתפרק ולא, quod à Fagio valet, *& non auferatur.* Sed פרק etiam dissolvo, frango, dirumpo. *Separandi* verbo usus est interpres noster, quem nunc secutus sum. ¶ *In pectorali judicii*] admonet R. Levi, *pectorale judicii dictum quod eo usus Sacerdos responsa dabat cum de futuris interrogaretur.* Vide quæ notavimus supra vers. 15. ¶ *Supra cor suum*]

suum] Supra pectus suum. ¶ *In sanctum*] locus erat in templo ubi sacerdotes operabantur sacris, sive sacra faciebant. ¶ *Ad memoriam*] vel, *monimentum*. Græce μνημόσυνον. Hiscuni זכ confundit cum זכר quod hæ literæ inter se permutentur. Idem *pectorale judicii*, vocatum dicit eo quod judicet judicium Israëlitarum & quæ illis necessaria.

30. *Et pones in pectorali judicii Urim & Thummim, & erunt supra cor Aharonis cum ingredietur ipse coram DOMINO, portabitque Aharon judicium filiorum Israel, supra cor suum coram DOMINO jugiter.*

Urim & Thummim] Lxx. τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, quod redditum in edit. Rom. *demonstrationem & veritatem*. Lat. Vet. *doctrinam & veritatem*. On. *Uraja & Thummaja*. Jon. *Uraja quæ illustrant verba eorum* (Israëlitarum) *& manifestant occulta domus Israel; & Thummaja, quæ perfectum reddunt operibus suis summum Sacerdotem, qui quærit doctrinam à DOMINO per illa; in quibus sculptum & expositum nomen magnum & sanctum, in quo creata sunt trecenta & decem secula, sculptumque & expositum in lapide secundo, quo clausit & obsignavit Dominus seculi os abyssi magnæ ab initio: & omnis qui memorat illud nomen sanctum in hora angustiæ liberatur, & occulta revelantur.* De his nihil certi apud Ebræos. Quæ R. Levi scribit, hunc ferme intellectum habent, Lex non declarat quomodo positi fuerint Urim & Thummim in pectorale judicii, quidve fuerint Urim & Thummim, nec meminit quomodo facti sint. Hinc incidit dubium in hac re. Porro Doctores nostri dixerunt lapides illos, in quibus scripta erant nomina filiorum Israël, vocari Urim & Thummim, quia illustrant verba sive negotia eorum & perficiunt opera eorum. Quod si est, cur de Mose legitur Lev. 8. 8. *& posuit in pectorali Urim & Thummim.* Credibilius videtur Urim & Thummim fuisse aliquid quod posuit Moses in pectorali judicii, quemadmodum idem posuit testimonium in arca, juxta id quod dicitur, *& pones in arca testimonium quod dabo tibi.* Apparet ergo Urim & Thummim fuisse quiddam quod à nullo artifice fabricatum erat, præterquam à Mose. Ideo dicunt antiqui fuisse ibi scripturam nominis tetragrammati, quam Moses ipse fecerat. Hoc mihi rectum videtur. Sic dico, Urim ac Thummim erant res scripta, quæ posita erat in pectorali, quod propterea duplicatum erat. Et ecce Urim & Thummim excitabant prophetiam, quum ea dignus esset Sacerdos & contemplaretur in illis: qui non interrogabatur in Urim & Thummim nisi quum resideret in eo Spiritus sanctus, nec consulebant illos de rebus privatis, sed tantum de publicis. Nota vestes, in quibus erant Urim & Thummim, aliquando vocari Urim & Thummim. Multa præterea alia invenies apud Rabbinum illum, quæ brevitatis caussa prætermitto. Abenmelech ex Davide Camio, *Sunt qui dicunt Urim derivatum esse ex Ora i. luce; neque liquet apud nos quid fuerint Urim & Thummim, videtur autem ex textu diversum quid fuisse à lapidibus pectoralis. R. Salo. ait fuisse scripturam nominis tetragrammati quæ posita erat in plicaturis pectoralis, quarum opera* (*Sacerdos*) *illuminabat verba sua & perficiebat verba sua: sed nescitur quid verum sit.* Lev. 8. 8. Aquila, Theodotio vertunt φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις, illuminationes & perfectiones. Senes etiam vocabulo δήλων eosdem significant, ut Num. 27. 21. τὴν κρίσιν τῶν δήλων. Hinc Syrach. 33. 3. ὡς ἐρώτημα δήλων: & 45. 16. λογείῳ κρίσεως δήλοις ἀληθείας. Ezræ 2. 63. *donec staret Sacerdos ad Urim & Thummim*: edit. Græca τοῖς φωτίζουσι καὶ τοῖς τελείοις. Josephi opinio de Urim & Thummim habetur Orig. Judaic. l. 3. c. 9. Ab ea dissentiunt, ut vidimus, recentiores Judæi. Scribit autem fulgorem illum desiisse annis ducentis antequam historiam suam commentaretur, qui natus perhibetur anno Christi trigesimo. Hananeel vero, vel, si mavis, Jaddua pontifex apud Gorionidem ait *eum cessasse in captivitate Babylonica*, quod mihi credibilius videtur. Moses Gerundensis, *Opinatur R. Abraham Abenezra ut se sapientem esse probaret in negotio Urim ac Thummim, dicens fuisse opus artificis ex argento & auro: in qua re admodum prolixus est cogitatione usurpans figuras quas astrologi faciunt ut cognoscant cogitata interrogantis: sed nihil dicit, verum erant juxta R. Salomonem Scriptura nominis tetragrammati posita in plicaturis sive striis pectoralis, quod propterea duplum erat. Hoc inde demonstratur quia nulla penitus mentio fit Urim & Thummim inter opera artificum; Non enim usquam legimus, Et fecit Urim ac Thummim. Quod si fuisset opus periti alicujus artificis prolixior fuisset in iis explicandis quam in ulla re alia, aut si brevis esse voluisset ob profunditatem eorum, dixisset meo judicio, facies Urim & Thummim quemadmodum ostensum est tibi in monte, ex auro puro facies eos, aut ex argento excocto. Amplius notandum quod quum instituatur non proponat articulum, ut cum arcam nominat aut mensam aut candelabrum: duntaxat de tabernaculo dicit,* καὶ τὴν σκηνὴν ποιήσεις, *quoniam antea dixerat, & facite mihi sanctuarium absque articulo. Et ecce de Urim & Thummim dicit, pones in pectorali judicii* את האורים *Urim* ואת התמים *& Thummim, adhibito utrobique articulo He: præterea non memorat eos Scriptura nisi de Mose solo, cui præcipit ut ponat eos in pectorali, & dicit, posuit in pectorali Urim & Thummim: quia non erant operis artificum, neque cœtus sponte quicquam contulerat ad eos: sed erant arcanum traditum Mosi ex ore Dei potentis, qui scripserat eos, erantque opus cœli i. divinum: ideo meminit eorum simpliciter absque articulo, ut cum de cherubinis loquitur, quos collocavit ab oriente horti Eden. Et ecce Moses accepit scripturam Urim & Thummim, & posuit eos ibi, videlicet in pectorali judicii postquam induisset Aharonem vestibus Ephod & pectorali, quemadmodum dicitur. Et posuit super eum Ephod, & cinxit eum balteo Ephod, & posuit super eum pectorale, posuitque in pectorali judicii Urim & Thummim: nam postea posuit eos inter plicaturas pectoralis. Sententia est fuisse nomina Sancta, quorum virtute illuminabantur litteræ lapidum qui in pectorali, spectante sacerdote qui interrogabat de judicio eorum. Exempli caussa, quum interrogarent, Quis ascendit nobis contra Chananæum initio ad pugnandum, sacerdos oculos intentos habebat in nomina quæ Urim dicebantur, & coram oculis ejus litteras quatuor quæ significabant Iehuda* יעלה *i. ascendet, videlicet Jod ex Levi, & Ain ex Simeon & Lamed ex Levi, & He ex Abraham, quod nomen scriptum erat ibi secundum sententiam doctorum nostrorum: aut illustrabat se vice altera coram oculis ejus* [illegible] *ex Jehuda: & ecce quum litteræ hoc modo illustrarent, nondum sacerdos noverat ordinem earum. Siquidem ex litteris, quibus conficiebat* יהודה יעלה*, poterat fieri etiam* [illegible] *& dictiones aliæ multæ: sed erant ibi nomina sacra alia dicta Thummim, quorum virtute cor sacerdotis plene & perfecte intelligebat negotium literarum, quæ illuminabant oculos ejus. Postquam enim intente spectasset nomina Urim, quæ illuminabant, statim redibat & spectabat nomina Thummim, & dum adhuc litteræ illuminarent oculos ejus, veniebat in cor ejus compositionem esse* יהודה יעלה *Jehuda ascendet. Qui gradus major est eo qui dicitur Spiritus Sanctus, & est infra prophetiam, & supra filiam vocis,* (sonus est qui è cœlo aut vox cœlestis) *cujus usus erat sub templo secundo postquam defecisset prophetia & defecissent Urim & Thummim, quemadmodum memorant doctores nostri. Fieri autem potest quod postquam posuisset Moses in pectorali nomina sacra* τῶν *Urim* καὶ τῶν *Thummim erant nota ex traditione magnis sapientibus Israel, quæ tradiderat illis cum arcanis legis: ideo erat in manu Davidis Ephod simile Ephod Mosis, in quo pectorale quale pectorale sacrum, sed videtur fuisse lineum, quemadmodum dicitur de Samuele, puer accinctus Ephod lineo, & alibi, in Nob civitate sacerdotum erant 85. viri portantes Ephod lineum: quo induebant sacerdotem qui ex filiis prophetarum erat, & interrogabant per illud & responsum accipiebant sæpenumero, quemadmodum censet Abenezra, qui si vidisset responsionem Rabbenu Hai non ita dixisset.* Vide nunc, si vis, Fagium ad paraphrasin Onkeli Chaldaicam, in h. l. ¶ *Et portabit Aharon judicium filiorum Israel*] *portabit & memorabit coram DOMINO ad quod pectorale nuntiat* (significat, indicat) *velut, hoc erit judicium sacerdotum ad faciendum judicium servi ejus & judicium populi ejus Israel.* Hiscuni. Forte *judicium* hic valet pectorale judicii, ut alibi, *testimonium* arca testimonii. R. Thanchuma in libro qui Ilmedenu vocatur, *In pectorali erant 12 lapides juxta numerum tribuum, quorum etiam nomina insculpta habebant. Tribus quæ peccabat ejus lapis obscurus erat: ceterorum lapides splendebant.* Hæc ibi fol. 16. cor. 1. Alius quidam vir doctus, [illegible] *non tantum judicium, verum etiam jus & statutum significat. Unde dicitur Aharon portabit judicium i. jus filiorum Israel super pectus suum, videlicet ut singulæ tribus, quarum nomina inscripta erant in gemmis, admonerentur sui juris, quod haberent in promissionibus Dei.* Iterum dico, Vide Fagium.

31. *Et facies pallium Ephod totum hyacinthinum:*

32. *Eritque os capitis ejus in medio ejus, labrum erit ori ejus circum, opere textoris, sicut os loricæ erit ei, non scindetur.*

Pallium Ephod] את מעיל האפוד pallium τοῦ Ephod. Hiero. *tunicam superhumeralis*. מעיל *tunicam* idem reddit Iob 1. 20. ubi Aquila τὴν ἐφεστρίδα, chlamydem. Theodotio τὸν ἐπενδύτην quasi superindumentum. Lxx. h. l. ediderunt ὑποδύτην ποδήρη quod interpretantur *subuculam talarem*. Nam ὑποδύτης subucula seu vestis interior, quæ induitur sub alia veste superiore, qualis est ἐπενδύτης. Nam ὑποδύνω induo sub. Vide quæ scripsimus de hac voce supra vers. 5. ubi Sym. ἐπένδυμα i. superin-

perindumentum, Theodotio ἐπενδύτην. Rurſum 1 Sam. 2. 19. מעיל קטן Sym. καὶ ἐφεστρίδα μικρὰν & ſagum parvum. Onk. מעילא quod Fagius *interulam* reddit. Sic etiam convertit vocem Ebraicam h. l. Munſterus. Jon. ית כנזר מעילא, in quibus verbis illud כנזר me non parum turbat. An legendum כנזר a נזר servo, cuſtodio? ¶ *Totum hyacinthinum*] Jon. *tortum filo hyacinthino*. ¶ *Os capitis ejus*] Lxx. περιστόμιον quaſi os ambiens, quod vulgo *capitium vocant*, inquit Hiero. qui etiam vertit, *in cujus medio ſupra erit capitium* i. apertura per quam intrabat caput ſacerdotis, ut explicat Nicol. de Lyra. In Auguſt. eſt, quæſt. 118. *qua caput ejiciatur*. Santes vocat, *oram capitis*, & Munſterus, *foramen ſummitatis*. On. vero, *os ejus duplicatum* i. interprete Fagio, *foramen ejus*. R. Salom. *os pallii in ſummitate ejus nihil aliud eſt quam apertura* בית הצואר *i. orificii per quod collum inſeritur*. Supra conjeci legendum כנזר, quæ vox extat h. l. in verſione Arabica R. Saadiæ, & eſt genus pallii ſimilitudinem habens cum ſarabara. Vide Abenezram. ¶ *Labrum erit ori ejus*] pro *labro* alii *oram*, alii *limbum* vertunt. Lxx. ὤαν ἔχον quod reddunt, *oram habens*. Hiero. *ora per gyrum ejus*. On. *fimbria circumdabit os ejus*, ſi modo תורא eſt *fimbria*, ut interpretatur Fagius. Jon. *fimbria in labro ejus circumdabit os ejus*. Autor Ieroſ. *Labrum circumdabit os ejus*. ¶ *Circum*] סביב. Lxx. κύκλῳ. Hier. *per gyrum*. alius, *in circuitu*. On. חזור חזור quod Jon. dixit חזור חזור circumcirca. In Lxx. κύκλῳ τὸ περιστόμιον exponunt, *in circuitu periſtomii*. ¶ *Opere textoris*] vel, *opus textoris*: quod in edit. τῶν Lxx. ἔργον ὑφάντου: & in Hiero. *ora textilis*: & in alia edit. nupera, *opere textili*. ¶ *Textoris*] non acupictoris. Textor autem Ebraice dicitur ארג, Chald גַּרְדִי quod male ſcribunt גַּרְדִּי & גַּרְדָאִי Nam abſque punctis eſſet גרדאי. Ceterum in On. eſt גרד quod eſt Benoni à גרד texo. *Texens* pro *textore*, ut *coquens* pro *coquo*. Sic *diſcens* pro *diſcipulo*: λέγων pro *oratore*: אסיא *medicus*, & alia ſexcenta. ¶ *Sicut os loricæ*] *Hinc diſcimus*, inquit R. Salo. *loricas illorum hominum habuiſſe os duplicatum*. Hiero. hic habet, *ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus*. Lxx. τὴν συμβολὴν συνυφασμένην ἐξ αὐτοῦ: commiſſuram contextam ex ipſo. Ceterum lorica uſitate שִׁרְיוֹן dicitur: hic vocatur תחרא in Ebræo: ſed in On. eſt שריין & in Jon. שריא, quod lego שִׁרְיָא pro quo autor Jeroſ. שרו edidit, ש in ס verſa. ¶ *Non ſcindetur*] ne ſcindatur, laceretur, aut rumpatur: quod Græci dixerunt ἵνα μὴ ῥαγῇ. Nota hic לא h. e. *non* pro *ne* poni: & דלא pro כדי לא ut non, ne.

33. *Et facies in fimbriis ejus malogranata ex hyacintho & purpura & cocco diphabo, in fimbriis ejus circumcirca, & tintinnabula aurea in medio eorum circumcirca.*

34. *Tintinnabulum aureum & malogranatum, tintinnabulum aureum & malogranatum, in fimbriis pallii illius circumcirca.*

35. *Et erit ſuper Aharonem ad miniſtrandum, & audietur vox ejus cum ingredietur in ſanctum coram DOMINO & cum egredietur, & non morietur.*

In fimbriis ejus] עַל שׁוּלָיו Lxx. ὑπὸ τὸ λῶμα κάτωθεν: quod reddunt, *ſub margine deorſum*. Malim, *ſub fimbria*. Nam λῶμα, fimbria, inſtita limbus. Licet etiam vertere, *in fimbria* vel, *limbo*. Hiero. *deorſum ad pedes ejus*. Senſum expreſſit non verba. Sed melius alii, *in fimbriis ejus*, ſub. pallii: quæ in urna veſte. On. & Jon. fimbrias שפולין vocant, quo ſignificatur ima pars cujuſque rei. Sane radices montis appellantur שפולי טוריא Exod. 23. 4. & loca humiliora campi ſive planitiei שפולי מישרא Gen. 35. 8. Uſurpatur etiam de limbis cortinarum Exod. 27. 19. ¶ *Malogranata*] vel *mala punica*. Vetus edit. *quaſi mala punica*, adjecit de ſuo, *quaſi*. Ebraice רמון quod olim legebant *remmon*, malum punicum ſive granatum. Hiero. epiſt. 127. manſione XVI. *Remmon phares interpretatur Græco ſermone ῥοιᾶς διαίρεσις, Latine, mali punici diviſio, quod alii malum granatum vocant.* Vide ſis eundem Zacha. 12. in fine capitis. ῥοιά, granatum, malum punicum. Dicitur & ῥοά. Senes h. l. habent ὡσεὶ ἐξανθούσης ῥόας ῥοΐσκους, quod vertunt, *quaſi florentis mali punici mala punica*: Malim, *quaſi florentis mali punici corymbos*. Nam ῥοΐσκοι corymbi à mali punici ſimilitudine ſic dicti. R. Salo. *rotunda erant & cava inſtar malorum punicorum quæ facta ſunt ſicut ova gallinæ*. Hæc mala in Jon. רמונין vocantur. In gloſſis Arabicis *Roman* vel *Ruman*, *malogranatum*. ¶ *Cocco diphabo*] vel bis tincto. Color iſte in On. & Jon. vocatur זהורי צבע coccineus, qui vulgo *carmeſinus*. ¶ *Circumcirca*] סביב circum, κύκλῳ vel περικύκλῳ per circuitum. In Lxx. hic habetur, τὸ αὐτὸ εἶδος ῥοΐσκους χρυσοῦς, *eadem ſpecie mala punica aurea*. Sic edit. Rom. Hinc forte in Theſau. Græco Stephani, ῥοΐσκοι corymbi aurei. perperam. Non enim ex auro fiebant, ſed ex hyacintho, purpura &c. ¶ *Tintinnabula aurea*] פעמנים cujus ſingularis in verſu qui ſequitur פעמן tintinnabulum, nola Germanice ſchel. Belgice ſchelle. Chaldaice זגא & זגין à rotunditate. Reperitur & in eodem ſignificatu Græce κώδων. ¶ *In medio eorum*] inter illa ſc. malogranata quod R. Salo. dixit ביניהם. Nam inter duo malogranata pendebat tintinnabulum unum in fimbriis pallii. ¶ *Malogranatum*] רמון dici putant pro רמון & interpretantur *rotundum* & *cavum* quod factum inſtar malogranati. Vide Radices Davidis Camii, & Abenmel. In Jon. hic eſt זגא & רמונא. Utrum melius ſit, alii viderint. In eodem, *tintinnabulum aureum*, *& malogranatum ex hyacintho & colore coccineo*. Et mox, *ſumma eorum ſeptuaginta & unum*. R. Levi ſcribit malogranata fuiſſe 72. & totidem tintinnabula. *Nam tintinnabula*, inquit, *erant in anteriore latere 36. & in poſteriore totidem. Idem dicendum de malogranatis.* Hæc R. Levi. ¶ *Pallii*] Jon. כנזר מעילא quod firmat conjecturam meam de כִּנְזָר. Nam legendum conjeci כִּנְזָר, quæ vox reperitur & in edit. Arabica R. Saadiæ: unde colligas Arabicam eſſe. Abenez. *Antiqui doctores noſtri dixerunt malogranata fuiſſe in circuitu pallii, & tintinnabulum inter duo malogranata: ſed alii dixerunt tintinnabula [illegible] fuiſſe in medio malogranatorum, ibique ſonum ediderunt.* R. Salo. *& tintinnabulum aureum juxta* (prope) *malum punicum*. ¶ *Et erit ſuper Aharonem ad miniſtrandum*] Superinduetur eo pallio Aharon ut miniſterium obeat aut eo fungatur. Quidam, *quum miniſtrabit*. בשרתו. Docte Hiero. *& veſtietur ea* (tunica) *Aharon in officio miniſterii*. ¶ *Super Aharonem*] Theod. ἐπὶ Ἀαρών. Aquila & Sym. ἐπὶ τοῦ Ἀαρών. ¶ *Ad miniſtrandum*] Lxx. ἐν τῷ λειτουργεῖν, quod reddunt, *dum ſacerdotio fungitur*. Puto ſenſum eſſe, *ut miniſterio fungatur ea indutus*. ¶ *Vox ejus*] Sonus ejus. Hiſc. *ut ſciant tempus cultus divini, atque ita præparent cor ſuum ad patrem ſuum qui eſt in cælo.* Aliter, *& audiatur vox ejus*, *ut cognoſcatur & ſeparetur ab aliis ſacerdotibus ibi miniſtrantibus. Quod in die expiationum non erat neceſſarium, cum nullum miniſterium rectum eſſet niſi quod per eum fiebat.* Hactenus Hiſc. ¶ *In ſanctum*] εἰς τὸ ἅγιον. ¶ *Et non morietur*] morte cœlitus immiſſa, quam incurrebat, qui ſanctum ingrediebatur abſque his veſtibus. Videndus R. Salo. Ion. *& non moriatur igne flammante.*

36. *Et facies laminam ex auro puro, & ſculpes in ea ſculpturis ſigilli SANCTITAS DOMINI.*

37. *Et pones eam cum vitta, hyacinthina ut ſit ſuper cidarim, e regione faciei cidaris erit.*

38. *Eritque in fronte Aharonis, & portabit Aharon iniquitatem conſecrationum quas conſecraverint filii Iſrael, omnibus donis conſecrationum ſuarum: erit, inquam, in fronte ipſius jugiter ut ſit benevolentia illis coram DOMINO.*

Laminam] vel bracteam. Græce πέταλον. Hiero. & Santes, *laminam*. Arias emendat *florem*: non laudo. ציץ quidem denotat *florem*, ſed hoc in loco aliud ſignificat. Sic πέταλον alibi *folium*, hic deſignat *laminam* ſive *bracteam*. Nihil certius. In On. eſt ציצא. Sed in Ion. שזיר זיר filum tortum. Editio Arabica Saadiæ [illegible]. R. Salo. ציץ *ſpeciem habebat lamina aurea latitudine duorum digitorum quæ cingebat frontem ab una aure ad aliam.* Hiſcuni ait *eſſe genus ornamenti, quod lucet & ſplendet* a ציץ, unde יציץ נזרו, ſplendeat diadema ejus. Abenmel. ex Camio exponit per טס, quod *laminam* ſonat. R. Levi, *ecce lamina hæc pertingebat ab una aure ad aliam, neque cingebat caput plene, ſed ligata erat ad vittam hyacinthinam, foraminibus inſertam quæ in cornibus laminæ juxta aurem.* Rabbenu Moſes in יד, *Traditum eſt capite primo tractatus de tabernaculo, & capite, In quo mulier*, ציץ *habuiſſe ſpeciem laminæ aureæ quæ lata duobus digitis cingebat ab una aure ad aliam.* Autor Fagius hanc laminam poſtea vocatam eſſe נזר הקדש *corona ſacra*, vel *diadema ſacrum*. ¶ *Sculpturis ſigilli*] On. *Scriptura explicata*. Latina vetus, *opere cælatoris*. Vide num legendum ſit, *ſigillatoris*. LXX. ἐκτύπωμα σφραγῖδος: expreſſionem ſigilli. Nam ἐκτυπόω, exprimo, effingo. Ion. *ſculpes in ea* (ſcripturam) *expreſſam & explicatam*. Licet etiam ſubaudire, *ſculpturam*. Nam ſæpe hoc modo in verbo latet verbale. Notum illud, *dormire mortem* pro *dormitionem mortis*. ¶ *SANCTITAS DOMINI*] קֹדֶשׁ לַיהוָה Lxx. ἁγίασμα κυρίου, Hiero. *Sanctum DOMINO*. Chaldæi tranſlatores nihil variant ab Ebræo, niſi quod in On. ſit קֹדֶשׁ cum (-) in ultima. Quidam elegerunt, *Sanctitas DOMINO*, ut *eſt* ſubintelligatur, aut aliquid tale. Sanctitas, ἁγιότης i. καθαρότης. Sic accipies in illo, *Eſtote Sancti quia ego Sanctus ſum*. Vide ſupra Fagium &c. ¶ *Cum vitta hyacinthina*] vel, *ſuper vittam hyacinthinam*. Alibi eſt, *& pones ſuper eam vittam hyacinthinam*. Qui duo loci ſe mutuo deſtruere videntur. Sed eos conciliat Rabbenu

Moſes

Moses de Cotsi, fol. 212. col. 3. libri qui ג״סמ vocatur. „Vitta erat media, exterior, inferior. De media loquitur cum ait, „& erit super cidarim: de exteriore quæ פתיל התכלת dicitur, „capiendum illud, Et pones super eam vittam hyacinthinam. „Inferior, quæ פתיל התחתון vocatur, lateri carnis adhærebat, „de qua hic sermo. Hæc ille: quæ eadem fere habentur in Salomone Gallo. Vide, si placet. Pro vitta *filum* alii convertunt i. חוט; alii, *filum tortum*. Ita sane Jon. שזור חוטא & Lxx. ἐπὶ ὑακίνθου κεκλωσμένης: *super hyacinthum tortam.* Ad quæ verba S. Augustinus addit, *duplicem*; Quæst. 120. Abenmel. ex Camio, „Vitta hyacinthina filum erat duplex sive duplicatum & tortum: & sic dixerunt Doctores nostri, quorum memoria fausta sit, Vitta quæ neta est & retorta. Gallica edit. hic habet, *avec un cordon de pourpre*, cum filo purpureo. Male. In margine, *ou, sur un ruban*, super vittam. Jon. h. l. habet, *Et pones eam super tortum filum hyacinthinum ad expiandum pro iis qui sunt impudenti facie.* Vide Fagium. ❡ *Ut sit super cidarim*] vel, *& erit super cidarim*: quod Aquila, Theodotioque dixerunt, ἐπὶ τῆς κιδάρεως. Prius erat in LXX. ἐπὶ τῆς μίτρας. Latina Vulgata, *& erit super tiaram.* Ebraice מצנפת, quem *galerum* alii dicunt, & à cidare i. כתר distinguere videtur Abenez. cum ait, „ponebant laminam super tiaram quæ non erat cidari similis: nam in fronte tantum „gestabatur. Sane proprie ac simpliciter loquendo מגבעות (galeri) dissimiles sunt à מצנפת tiara sive cidari. Nam מגבעות „galeri, similitudinem habent cum tegumento capitis, quod „mares gestant in his terris, quo caput operiunt teguntque, & „sunt גבוהים i. alti." Jon. *eritque in cidari desuper philacterium capitis.* Id vocat תפלה דרישא, quod usitatius in numero multitudinis תפלין phylacteria. ❡ *Faciei cidaris*] faciem appellat partem anteriorem, vel potius exteriorem. Nam rei cujusque superficies exterior facies dicitur, ut *facies cœli, terræ, maris* &c. ❡ *In fronte*] vel, *super frontem*: quod Senes dixerunt ἐπὶ τοῦ μετώπου. Hier. *imminens fronti.* Onkel. *super domum oculorum ejus.* Sic loquendo *frontem* significat, ut recte Fagius interpretatur. Pro *super domum oculorum*, malim, *super locum oculorum.* Nam בית etiam locus i. τόπος. Nam oculi fronti imminent. Ideo vocatur locus oculorum. Jon. *super frontem domus faciei Aharonis.* Frontem autem vocat פדחתא, quæ vox apud Magistros frequens est, ut cum dicunt, פדחת מאירה frons hilaris, exporrecta: פדחת קמוטה מלאה, frons corrugata sive rugosa, μέτωπον ῥυτιδῶδες. Ad ea quæ supra de cidari produxi ex Abenez. omissa quædam fuerunt nunc addenda. Ait igitur dictus Rabbi, מצנפת *esse vestem tenuem longam, quæ caput in circuitu tantum cingit, parum similem ei cidari, quæ in capite fœminarum in his locis. Nam in terra*, inquit, *Ismael, h. e. in Arabia, & in Hispania, & in Africa, Ægypto, Babylonia & Bagadad cidaris est super caput quorundam virorum honoratorum, & non super caput mulierum: magni autem principes faciunt laminam auream super cidarim in loco frontis. Sed antea in memoriam tibi revocavi morem terræ Israel non esse talem qualis est in his locis. Idem dicendum de ornamentis eorum.* Et mox, *Et sensus est* על פתיל *cum vitta i.* עם פתיל σὺν κιδάρει: *quoniam lamina ligata erat ab utroque latere: nec dubium quin facies tiaræ fuerit in loco frontis, non in capite.* Et post, *ecce non invenitur unquam* מצנפת *usurpatum nisi de Aharone solo, &* מגבעות *de filiis ejus.* Et iterum, *ecce lamina vocatur* נזר *i. corona vel diadema.* Hactenus Abenez. Jam ad propositum. ❡ *Portabis*] vel, *auferet.* prius noster elegit: posterius Lxx. ἐξαρεῖ. R. Salom. notat esse לשון סליחה, ut judicas, condonabit: *sed tamen*, inquit, *non egreditur è propria significatione, quoniam Aharon portabit onus iniquitatum quæ ex sanctificationibus.* Simile, *ecce agnus qui portat peccata mundi*: cujus mens, *qui condonat*, sive, *qui aufert.* ❡ *Consecrationum quas consecraverint*] Alii, *sanctarum oblationum quas obtulerint.* Lxx. τῶν ἁγίων i. rerum sacrarum. R. Salom. *ut placetur de sanguine & adipe, quem obtulerint in pollutione.* Vide porro Fagium. Doctores Ebræi multa excipiunt. R. Levi restringit ad immunditiam sive pollutionem ignoratam. Idem ait, *condonabit iniquitatem oblationum, non offerentium.* Vide, si otio abundas. ❡ *Erit in fronte ipsius jugiter*] Hinc eliciunt licuisse sacerdoti sacra facere quotidie, si voluisset. Aut sensus est, Quotiescunque ponetur cidaris in capite sacerdotis, semper una ponetur lamina illa, h. e. diadema sacrum. Aut *jugiter* i. semper cum sacra faciet. ❡ *Ut sit benevolentia illis*] vel, erga illos. Vult dicere, ut sint accepti & grati coram DOMINO: & ejus favorem sibi concilient. Hier. *ut placatus sit eis DOMINUS.*

39. *Stringesque tunicam illam è bysso & facies cidarim è bysso, & balteum facies opere acupicturis.*

Stringesque] ita Hieron. Ebraice est ושבצת, quod Senes reddunt οἱ κοσυμβωτοὶ, aut, ut est in antiquis libris, κοσυμβοι. Forte legerunt שבצות à singulari שבץ, quod repertum mihi 2 Sam. 1. Ceteri (οἱ λοιποὶ i. Aq. Sym. Th.) αἱ συσφίγξεις & constrictiones. Suspicor legendum καὶ συσφίγξεις, & constringes. Cui firmando Hieron. qui hos fere sequitur quando à Lxx. discedit. Onkel. & Jonat. ותרמץ, quod Fagius convertit, *ocellabis quoque.* Est cur malim, *ocellatam facies.* Saadias, teste Abenez. hoc Arabice dixit ותשבץ, *cui similis*, inquit, *forma monetæ quadrata, facta in medio rotundi circuli.* Hæc Abenez. R. Levi, *Tunica hæc fiebat ex lino cujus filum duplicatum erat sexies, & erat stricta sive ocellata; vult dicere facta per domos sive locos, habebatque manicas veluti tunica cui nihil deest.* R. Sal. *fac eam* משבצות משבצות *& tota sit ex bysso.* Vocem illam alii *fundas*, alii *palas* interpretantur, alii גומות *foveas*, quas R. Levi בתים *domos* appellat. Psal. 45. 14. משבצות זהב. Santes, *polymitis aureis.* Arias, *ocellaturis aureis.* Trem. *fundis aureis.* Galli, *d'enchassures d'or* i. inclusionibus aureis. Alius, διὰ συσφιγγμάτων χρυσῶν, constructionibus aureis. Ceterum Trem. hic habet, *Tessellatam facito tunicam illam è nativo xylino.* ❡ *E bysso*] male Santes, *byssi.* Nam vox præcedens ante se articulum habet. שש linum tenuissimum, à filorum numero sic dictum. Nam ejus filum sexies duplicatum erat. Qui *nativum xylinum* vertunt, hanc etymologiam non exprimunt. ❡ *Cidarim è bysso*] vel *byssi* i. byssinam. Sic sane Lxx. καὶ ποιήσεις κίδαριν βυσσίνην: & Hieron. *tiaram byssinam facies.* Jon. *Ocellatam facies tunicam byssinam* (דבוץ) *ad expiandum pro iis qui effundunt sanguinem innoxium, & facies cidarim byssinam ad expiandum pro iis qui superbas & elatas habent cogitationes.* Aliter, *qui elatas reddunt cogitationes suas.* Chaldaismus dicit מגיס רעיונין. expende amplius. Nam mihi nondum clara lux in hoc loco. ❡ *Balteum*] ζώνην, cingulum.

40. *Filiis autem Aharonis facies tunicas, faciesque illis balteos, & tiaras facies eis ad honorem & decus.*

41. *Et indues eis Aharonem fratrem tuum & filios ejus cum eo, jungesque illos & implebis manum eorum, & sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.*

Filii Aharonis] qui vocantur simpliciter sacerdotes, & aliquando sacerdotes idiotæ sive vulgares. Unde dicunt summum sacerdotem, quem כהן גדול vocant, habuisse vestes octo: vulgarem autem quem כהן הדיוט indigetant, quatuor tantum. Sunt autem tunica, baltheus, tiara & subligacula, quæ infra memorantur, vers. 42. ❡ *Tunicas*] χιτῶνας, quæ nihil variabant à tunica pontificis. R. Levi, *Opus earum erat quale opus tunicæ, quam summus sacerdos gestabat, ut liquet ex sectione quæ incipit* אלה פקודי. ❡ *Balteos*] ζώνας, zonas, quibus tunicas cingebant. Hi baltei differebant à balteo pontificis, ut R. Levi conjicit. Nam certi nihil hac de re. *Puto*, inquit, *balteum summi sacerdotis opere pulchriorem fuisse. Et certe in balteo sacerdotis vulgaris non erat nisi una species lanæ.* Hæc ille. ❡ *Tiaras*] Lxx. κιδάρεις. Alii, *pileos*: alii, *mitras.* Tiara & cidaris synonyma sunt. Similiter מצנפת cidaris, & מגבעת tiara. Hoc tantum differunt quod cidaris gestabatur à summo sacerdote, & מגבעת à filiis Aharon duntaxat, h. e. à sacerdote vulgari. R. Salom. *Tiara est cidaris.* Autor libri, qui ס״ם per sigla dicitur, *Pileus summi sacerdotis vocabatur* מצנפת *cidaris, eratque contractior, & sacerdotis vulgaris* מגבעת *tiara, pro quo &* מכבעת *invenitur.* Vide quæ notavimus Exod. 28. 38. & 28. 4. R. Levi, *Tiaræ sunt loco cidaris, quam gestabat pontifex, nisi quod pontificis cidaris involuta erat: vulgarium autem sacerdotum tiaræ ponebantur super caput & galeæ speciem referebant.* Hisc. autor *cidarim minorem fuisse tiara, ut esset locus phylacteriis, quæ inter laminam & cidarim.* Abenez. censet pontificis tunicam fuisse strictam sive ocellatam: aliorum autem minime. Ceterum tiaras h. l. Jonath. appellat כובעין per Caph, & Onkel. קובעין per Coph. ❡ *Ad honorem*] vel, *gloriam.* Lxx. εἰς τιμήν. Hieron. *in gloriam.* ❡ *Et decus*] vel, *ad ornatum.* Onk. & Jon. *ad laudem.* Lxx. εἰς δόξαν. Hieron. *in decorem.* ❡ *Indues eis Aharonem*] Aharonem indues vestibus, quæ conveniunt summo sacerdoti, numero octo, videlicet pectorali, Ephod, pallio, tunica stricta vel ocellata, cidari, balteo, lamina & subligaculis. ❡ *Et filios ejus*] horum vestes erant quatuor, ut supra declaravimus, tunica, balteus, tiara & subligacula. ❡ *Ungesque eos*] oleo unctionis. ❡ *Et implebis manum eorum*] Lxx. καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας. Hieron. *cunctorum consecrabis manus.* Nondum habemus sensum verborum Mosis. Onk. & Jon. *offeres oblationes eorum.* R. Levi, *offeres oblationem eorum, quæ consecrari solent, qui sacerdotium ineunt, ut pla-*

num est ex sequentibus. R. Sal. *Impletio manuum nihil aliud est quam initiatio, quando aliquis aggreditur negotium aliquod ut sit confirmatus in eo ab eo die & ultra, veluti fit in Gallia, quum quispiam præfertur alicui negotio aut muneri, princeps dat ei chirothecam quam Guantam appellant atque ita confirmat eum in negotio illo. Hanc traditionem chirothecæ vocant dynster, & est eadem cum impletione manuum.* ❡ *Sanctificabis eos*] verbo sive sermone. ❡ *Ut sacerdotio fungantur mihi*] vel, *atque ita sacerdotio fungentur mihi.* Prius elegerunt Lxx. ἵνα ἱερατεύωσί μοι.

42. *Et fac eis subligacula linea ad tegendum carnem nuditatis, à lumbis usque ad femora erunt.*

43. *Eruntque super Aharonem & super filios ejus, quum ingredientur tentorium conventus, vel cum accedent ad altare ad ministrandum in sancto, ne portent iniquitatem & moriantur: statutum seculi erit ei, & semini ejus post ipsum.*

Subligacula] femoralia, vel, feminalia. Lxx. περισκελῆ. Jon. מכנסין. Jerosol. ברקסין: unde braccarum nomen, quas & ברקין vocant. De his Hieron. epist. ad Fabiolam, „lineis feminalibus, quæ usque ad genua & poplites veniunt, verenda celantur: & superior pars sub umbilico vehementer adstringitur, „& si quando expediti mactant victimas, tauros & arietes, trahunt portantque onera & in officio ministrandi sunt, etiamsi „lapsi fuerint, & femora revelaverint, non pateat quod opertum „est; vocaturque lingua Ebraica hoc genus vestimenti Mechnese, Græce περισκελῆ, è nostris feminalia seu braccæ usque ad „genua pertingentes. Refert Josephus (nam ætate ejus adhuc „templum stabat, & necdum Vespasianus & Titus Jerosolymam subverterant, & erat ipse de genere sacerdotali: multoque plus intelligitur, quod oculis videtur, quam quod auribus „percipitur) hæc feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solere contexi, & postquam incisa fuerint acu consui. Non „enim posse in tela hujuscemodi fieri. Josephus appellat hoc genus indumenti μαναχασίν, vel ut est apud Rufinum, *Manachasin.* Suspicor aliquando scriptum fuisse *Machasanem*, quod antiquitus ita legebant pro *Machasanaim*, ut *Ephrem* dicebant pro *Ephraim*, & *Mesrem* pro *Mesraim.* Quæ forma nominum est dualium. Abenmel. *Vocatur* מכנסים *numero duali, licet sit una vestis, quia duas habet alas.* Vide Josephum Antiq. hist. lib. 3. cap. 8. ❡ *Linea*] λινᾶ Lxx. In Onkel. & Jonat. דבוץ i. byssina. Nam בוץ byssus. Quod ipsum nomen arguit. Sane ex bysso fuisse hæc subligacula docet Josephus his verbis, διάζωμα δ' ἐστι περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς εἰργασμένον: est autem subligar circa verenda, consutum ex bysso retorta. Etymon vocabuli Ebraici habetur apud eundem Josephum his verbis conceptum, βούλεται δὲ συνακτῆρα μὲν δηλοῦν. Nam כנס συνάγω. Inde Machnasam. ❡ *Carnem nuditatis*] *carnem nudam, verenda, pudenda.* Interdum *caro* absolute hoc sig. Hieron. *carnem turpitudinis suæ.* Lxx. ἀσχημοσύνην χρωτὸς αὐτῶν: quod reddunt, *turpitudinem corporis eorum.* Caro turpitudinis, ut *viriditas herbæ*: quod invertunt *herba viriditatis* i. viridis. Sic *turpitudo carnis.* Notum ut *caro* pro *corpore* ponatur. Onk. & Jonath. בסר ערייא carnem turpitudinis; nisi quod in Jon. בשר per Sin, qua alioqui carent Chaldæi. ❡ *A lumbis*] Jon. *à vinculo baltei lumborum ipsorum.* Hieron. *à renibus.* Sed renes potius כליות dicuntur, ut ibi, *nocte erudierunt me renes mei.* ❡ *Eruntque super Aharonem & filios ejus*] Induentur eis Aharon & filii ejus. Quod de solis femoralibus accipiunt alii, alii de omnibus vestimentis, quorum supra facta mentio, intelligunt. Mihi prior sententia magis placet. ❡ *Quum ingredientur*] ad faciendum suffitum vel ad accendendum lucernas. ❡ *In tentorium conventus*] *in templum & sic in tabernaculum.* R. Salom. εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου. Lxx. *tabernaculum testimonii.* Hieronimus hoc se probat mihi. Nam testimonium עדות dicitur, מועד autem est conventus aut statum tempus. Itaque in Onkel. & Jon. pro eo est זמן tempus. Tentorium vero quod Ebræi dicunt אהל, alii vocant tabernaculum i. משכן. ❡ *Ad ministrandum*] ut ministrent, λειτουργεῖν. ❡ *In sancto*] ἐν τῷ ἁγίῳ: Male in Lxx. πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ ἁγίου: ad altare sancti i. sanctitatis. τὸ ἅγιον idem quod ἁγιότης. Aut *sancti.* i. Dei. ❡ *Ne portent iniquitatem & moriantur*] Docte Hieron. *ne iniquitatis rei moriantur.* Portat iniquitatem & qui committit & qui aufert (vel patrat.) Qui sine his vestibus ministrabat in templo, committebat (sive patrabat) iniquitatem, quam interpretes Chaldæi חובא vocant i. ὀφείλημα, debitum. In Ionath. deest quippiam. Nam vulgo ibi legimus, *ne accipiant debitum sive peccatum in igne flammante*, cum legi debeat, meo judicio, *ne accipiant peccatum & moriantur igne flammante.* Id alii dicunt, *ne moriantur morte quæ fit per manus cœli* i. Dei: sensus est, morte divina vel cœlitus immissa. ❡ *Statutum seculi*] i. perpetuum aut æternum. Id Lxx. extulerunt νόμιμον αἰώνιον & Hieron. *legitimum sempiternum.* ❡ *Et semini ejus*] Onkel. & Ionath. *& filiis ejus.* Edit. Gallic. *posteritate ejus.*

A M A M A.

8. Ebr. וחשב אפדתו *& baltheus superhumeralis ejus*, qui super illud est. Vulg. *Ipsa quoque textura & cuncta operis varietas.*

Varie quidem duæ istæ voces quas posuimus, explicantur, attamen nullum in iis vel texturæ vel varietatis vestigium est, ego Pagnini interpretationem posui. Arias Montanus, *artificium superhumeralis quod* &c. Cajet. *artificium accommodationis ejus.* Alii, *baltheus cinctura ejus.*

14. Ebr. *Et duas catenas ex auro puro* מגבלת *finitas facies opere tortili.* Vulg. *Et duas catenas auri purissimi sibi invicem cohærentes.*

Si מגבלות vertit, *sibi invicem cohærentes*, tunc elisæ manent duæ voces מעשה עבת, quas Cajet. vertit, *opus funis.* Santes, *opere plectili.* Iun. & Drusius, *opere tortili;* Aut si has voces interpretatus est, tunc excidit ipsi vox *Mighaloth*, quam Santes, *conterminas*, Cajet. *terminatas*, alii, *finitas.* i. finitæ & terminatæ alicujus magnitudinis interpretati sunt, גבול terminus, מגבל migbal *terminatus*, ut מבדל mibdal *separatus*, Iof. 16. 9. Duo hæc diversa si forte non bene reddidit, attamen legit Græca Editio, καταμεμιγμένα ἐν ἄνθεσιν, ἔργον πλοκῆς, *commixta floribus, opus plicaturæ.* Et Onkelos, *definita magnitudinis, opere intricato.* Idem παρόραμα admissum est vers. 23. licet ibi pro מגבלות sit גבלות *gabluth.*

30. Ebr. (*De URIM & THUMMIM*) *Et pones in pectorali judicii Urim & Thummim*, id est ad verbum, testibus Cajet. Aria & aliis, *ignes seu illuminationes & perfectiones.* Vulg. *Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem.*

Varias de Urim & Thummim opiniones videbis apud Vatablum & Fagium in Chald. Paraphrasin Onkeli, ex quo libro non tantum hoc sed & pleraque alia desumpta sunt, quæ sub nomine Vatablinarum notarum edita sunt. Multa quoque videbis in magnis Annot. Cl. Drusii, ubi lucem aspexerint, quod brevi speramus fore. Nos impræsentiarum examinemus Vulgati hæc gemina interpretamenta. Urim extra omnem controversiam hactenus creditum fuit descendere ab אור luxit, unde אור ignis & lux. Similiter (*a*) *Thummim* à תמם perfectus fuit. Singulare תם, ut à עז fit עזוז *guezzim*, juxta consuetudinem duplicantium Ain. Provoco ad omnia Lexica Ebræorum, Christianorum, Protestantium & Pontificiorum. Unde Aquila Levit. 8. 8. φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις reddidit, *illuminationes & perfectiones.* Sed res magis clara quam ut tot verbis opus sit. Voluit autem Deus his vocibus illud inculcatum, Pontifici *splendorem* seu lumen scientiæ & *integritatem* vitæ inesse oportere. Sed quomodo has voces interpretatus est Vulgatus? *Doctrinam & veritatem.* Admodum coacte, si spectes themata. Atque hic non possum non deplorare quorundam ex modernis Papistis miseram & plusquam servilem conditionem, quibus ne dubitare quidem de veritate hujus interpretamenti sinit Concilii Tridentini Canon. nec rursus mirari satis possum quorundam impudentiam, qui etiam ineptissima in suum traducere satagunt emolumentum. Ecce enim (*b*) Bellarminus dum in infallibilitate Papæ astruenda laborat, facit quod furibundi homines assolent, quidvis arripit, lapides, faces, ligna, sudesque præustas, furiosus Sedis Romanæ zelus arma ministrat. *Pontifex V. T. inquit, in pectorali habebat doctrinam & veritatem: ergo Pontifex Novi Testamenti, Papa, cum totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Quam bene à Pontifice V. T. ad Pontificem novi procedat argumentatio, Theologi discusserе. Tu illud nota, Lector, si genuina illa interpretamenta, *splendorem & integritatem* sumsisset, sic ipsi inferendum fuisset, *Ergo in Papa splendor cognit. & integritas vitæ est.* At prævidit Bellarminus hæreticos oppositurоs fuisse vitas Pontificum, cottidianam experientiam, ipsamque adeo ipsius Bellarmini confessionem, quam in Præfat. istius Controversiæ

(*a*) *Caiet.* De Urim & Thummim diversi diversa judicant, nec certi aliquid habetur. Scito certum esse quod sint nomina plur. num. & quod alterum lumina, alterum perfectiones significet. *Mart. Delrio Disq. Mag. lib. 4. cap. 1. quæst. 2. Sect. 1.* Urim significat *illuminationes* à radice *Ur. Thummim* sign. *perfectiones à thamam.* (*b*) *De Pontifice lib. 4. cap. 3.*

troversiæ vis veritatis ei extorserat, vid. *plerosque Papas fuisse sceleratissima monstra*. Sed videamus quomodo eam versionem stabiliat Bellarminus. Ea enim si cadat, simul & argumentum satis alias elumbe corruat necesse est. Dicit illuminationem μεταληπτικῶς sumi posse pro doctrina, ut φωτίζω pro doceo. Sed ut hoc tolerabile est, ita illud plane intolerabile quod dicit in progressu, τὸ אורים à ירד descendere, quod in Hiphil הורה docuit, ut & Thummim ab אמן verax fuit. Quis unquam adeo portentosam originationem somniavit? Ego certe cum apud Rainoldum eam primo citatam viderem, in stuporem datus sum, & licet veracissimum in allegationibus Theologum illum semper expertus sim, tamen à me impetrare non potui ut beatæ illi animæ ante ipsum Bell. inspectum fidem adhiberem. Sed in majorem admirationem traxit me Bellarmini argumentum quo versionem Vulgatam constabilitum it. *Plus*, inquit, *credendum est Hieronymo qui* doctrinam *vertit &* veritatem, *& τοῖς Lxx. qui verterunt*, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *quam Judæis & Judaizantibus*. Sed quid respondebis Rainoldo, Bellarmine, roganti te unde δήλωσις descendat? An ea tibi esset fiducia, ea frons, ut diceres à διδάσκω? Certe si tibi ipsi constare velis, deducenda tibi ea vox à διδάσκω est, cur enim & hic non potius Hieronymo credendum qui *doctrinam* vertit, quam Lexicis? Omnem vero impudentiam & ἀναισχυντίαν supergreditur originatio vocis תמים ut sit ab אמן. Ausim ad ipsam Bell. conscientiam ad omnes omnium Pontificiarum Academiarum Professores Ebræos provocare. Augustinus Steuchus Episcopus licet asserat Urim deduci posse ab הורה, tamen non ita frontem posuit, ut Thummim ab Aman deduci posse asseruerit. Ea quam posui originatio Regulis Grammaticis, omniumque Ebræorum & Christianorum Lexicis conformis est, astipulatores habet Papistas ipsos, quotquot ante Conc. Trident. & post illud extra calorem disputationis commentati sunt, conservat in singulis tres radicales, siquidem מ in Thummim ob dages potestate duplex est. At quid tale in sua Originatione monstrabit Cardinalis? in priori ר, in poster. מ. Sic Balbus lib. 2. de Nat. Deor. apud Cicer. deducebat Neptunum à nando unica litera retenta, at hoc in persona Cottæ falsè ridet Cicero atque Balbum magis sibi in ea Originatione visum natasse quam Neptunum. Ad primam respondebit sc. Urim, primam thematis delitescere in vocali longa Shurek, tertiamque He ita solere elidi cum aliquid additur, ut à שנה fit שנים. At quid in voce Thummim consilii? ubi א τοῦ אמן? Quiescit, inquies. At in qua vocali longa? Nulla utique hic contractio est, ut in ילף pro אלף. Et quæ ratio heemanticæ? An unquam vel fando auditum est א compensari per Dages præeunte Kibbuts sub heemantico? Ubi ultima ? Peritille dices ut in אֻמָּה pro אמנה. Esto, sed ea apparet in compensatione simulac aliquid additur, ut in אֻמָּתִי cujus hic nullum vestigium. Sed, inquit, Hieronymus Thummim vertit *veritatem*. Ergo deducenda vox à themate in quo veritatis notio. Et mihi ergo sic liceat argumentari, vocem *Thummim* Deut. 33. 8. Hieron. vertit *perfectio*, Ergo derivanda à themate quod perfectionem significat. At illud est תמם: non semper itaque Hier. *veritatem* vertit. Et quid si semper? Quando Hieronymi Interpretatio Lexicorum norma esse cœpit? Nec eam mentem fuisse Tridentinis, nec hoc ubique admissurum Bellarminum mihi persuadeo. καὶ ταῦτα μὲν δὴ πάντα.

GROTIUS.

1. **C***idarim*] Pileolum Hieronymus ad Zachariam: Sic & Græci quidam πῖλον [*pileum*], alii mitram. Sic *flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga, desuper habens lanæ aliquid, quod cum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere, nefas fuerat*. Ita Servius ad VIII Æneid. Habet ejus aliquid & ad decimum. Notandum vero Pontificis maximi ornamenta fuisse σύστοιχα [*respondentia*] Templi ornamentis. Colores quatuor iidem. Septem vestimenta, si laminam annumeres, pro septem lychnis. Duodecim gemmæ pro duodecim panibus. Cum his autem ornamentis Pontifex ille non procedebat extra urbem, nisi in gravissimo periculo, ut Alexandri Macedonis temporibus.

11. *Cælatura gemmarii*] Lxx. γλύμμα σφραγῖδος [*sculptura sigilli*], id est, eo modo quo gemmæ annulorum signatoriorum scalpi solent. cælare proprie ἐκτυποῦν [*ex ipsis typis formatorum*], scalpere ἐντυποῦν [*impressis vestigiis formatorum*]: sed solent ista confundi. In Hebræo pro γλύμμα est פתוח [*sculptura*] quod Phœnicibus Πάταικος [*Patæcus, idolum*] apud Herodotum, & Hesychium.

18. *Carbunculus*] ἄνθραξ Lxx. quos sequitur Chrysostomus oratione, Veteris & Novi Testamenti unum esse Deum.

19. *Lyncurius*] Hic hyacinthum habet Chrysostomus.

20. *Chrysolitus*] Chrysostomo beryllus.

Jaspis] ὄνυχιον Chrysostomo. In hac lapidum recensione cum Hieronymo congruit Josephus belli Judaici v. 15.

30. *Doctrinam & veritatem*] Δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν [*Manifestationem & veritatem*]. Ad verbum: lumina & integritatem, φωτισμοὺς καὶ τελειότης: quomodo & Aquila & Theodotion. In doctore, qualis esse debebat supra alios summus sacerdos, duo requiruntur, scientia & vitæ puritas. Hinc Ægyptii sumsere morem summo Judici appendendi monile, quod vocabant ἀλήθειαν [*veritatem*]. Id ex gemmis pretiosis admodum fuisse ait Diodorus Siculus, ex Sapphiro Ælianus. Loca attulimus ad I. librum de Veritate Religionis Christianæ. Consulebatur Urim & Thummim à rege aut principe in rebus ad statum publicum maxime pertinentibus, aut à Synedrio in difficillimis de jure controversiis.

Ad pedes ejusdem tunicæ, & per circuitum] In Lxx. ὑπὸ τὸ κράσπεδον ὑποκάτω τὸ λεγόμενον λῶμα [*sub fimbria sacerdotis quod dicitur Loma*]. Neque tantum sic transferunt Lxx. quod hic est שול, sed & פתיל, quod est infra XXXIX. 31. Crediderim & hanc vocem esse Ægyptiacam.

34. *Ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum*] Quorum illud sono, hoc colore tonitrua & fulmen referrent. Ita Josephus.

38. *Portabitque Aaronem iniquitates eorum quæ obtulerunt & sanctificarunt filii Israel*] In Hebræo: *Et portabit Aaron iniquitatem sanctificationum quas sanctificabunt filii Israel in omnibus donis sanctificationum earum*. Quomodo & Græcus. Sensus est, si quid in offerendo aut immolando minus rite factum sit, hoc quoque ab Aarone expiabitur.

40. *Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis*] Sic & Ægyptii sacerdotes vestibus usi lineis intrinsecus & extrinsecus.

42. *Facies & feminalia*] Oppositum & hoc gentibus vicinis, quarum flamines tegendas partes coram Pehore idolo nudabant.

CARTWRIGHTUS.

1. **E***T sume tibi* (Ad verb. *Fac appropinquare tibi*. ואתה הקרב אליך *Aharonem, &c.*] Postquam opus Tabernaculi absolutum erat, hoc à Mose fieri debuit, uti exponit R. Sal. לאחר שתגמר מלאכת המשכן.

לכהנו לי *Ut sacerdotes sint mihi*] Onk. & Jon. לשמשא קדמי *ad ministrandum coram me*. Abenezra monet ו in לכהנו (quemadmodum etiam legitur v. 3. & 4.) esse נוסף i. *addititium*, quemadmodum ו in חיתו שדי Ps. 104. 11. & בנו בעור Numb. 24. 3. pro חית שדי *bestia agri*; & בן בעור *filius Beor*. Posset quidem videri ו in לכהנו affixi locum habere, ac ad Aharonem referri, ita ut כהן hic in Piel (prout verba in ista Conjugatione usurpari solent) sit transitivum, *ad constituendum eum mihi sacerdotem*. Sed sententia Aben Ezræ rectior mihi videtur, tum quod hic de Aharone pariter ac filiis ejus sit sermo; tum quod postea כהן in ista ipsa conjugatione absolute ac intransitive usurpetur; v. 41. וכהנו לי *& sacerdotes sint mihi*. Et cap. 29. 1. לכהן לי *ut sacerdotes sint mihi*. Atque ita etiam ibi v. 44.

4. חשן (*a*) *pectorale*] R. Sal. ait esse תכשיט כנגד הלב *ornamentum, quod è regione cordis positum fuit*. Vide supra ad cap. 25. 7.

ואפוד *Et Ephod*] Vide ad cap. 25. 7.

ומעיל *Et pallium*] Onk. & Jon. (*b*) ומעילא. Fagius vertit, interula, quod minus commodum videtur, cum (ut ipse fatetur) hoc vestimentum tunicæ, de qua proxime fit mentio, superpositum fuerit. Vulg. *tunicam*; sed ea potius est interpretatio vocis sequentis כתנת, *LXX*. καὶ (*c*) ποδήρη, *& talarem*. Hieronymus Epist. 128. ait מעיל (*d*) *Meil* esse tunicam talarem, totam hyacinthinam, ex lateribus ejusdem coloris assutas habentem manicas; & in superiori parte, qua collo induitur, apertam, oris firmissimis ex se textis, ne facile rumpatur.

וכתנת תשבץ *Et tunica ocellata*] Id est (ut Fagius explicat) opere

(*a*) Lxx. περιστήθιον. (*b*) מעיל & כתנת ita differunt, ut χιτὼν & ἱμάτιον, & ut tunica & pallium. Ribera de vest. Sacerd. lib. 3. cap. 9. (*c*) Vide ad cap. 25. 7. (*d*) Apud Josephum Antiquitat. lib. 3. cap. 8. corrupte legitur *Methir*.

opere phrygionico, quibusdam veluti ocellis intexta. Onkel. כיתונא מרמצא, quod similiter interpretantur Fagius & Buxtorfius. Atque ita etiam Jonathan, nisi quod plurali utitur, וכתונין מרמצן; *& tunica ocellata*. *L X X.* καὶ (*a*) χιτῶνα κοσυμβωτόν, *Et tunicam cosymbotam*. Nobilius notat Hieronymum etiam ad Marcellam Græcam dictionem retinere; Augustinum autem q. 114. habere *tunicam cum cornibus*. Addit alios interpretari *strictam & præcinctam*; atque hanc interpretationem videri non ineptam, quod infra in hoc ipso capite cosymboti, vel cosymbi nodos significent. Vulg. *& lineam strictam*. Hieronymus (ubi supra) ait hanc vestem fuisse talarem, ex duplici syndone, & à Josepho etiam appellari byssinam; Hebraice autem dici כתנת *Cethoneth*, quod (inquit) Hebræo sermone in lineam vertitur. Secutus nimirum est Josephum, qui Antiquit. lib. 3. cap. 8. ait Hebræam vocem (*Chetomene*; sic apud eum legitur) significare *lineam*; nam Hebraice linum dici *Cheton*. At id quale sit, fateor me non intelligere. Uterque autem, Josephus pariter ac Hieronymus dicunt hanc tunicam corpori astrictam fuisse, eique arcte adhæsisse. Atque id proprie Hebræo vocabulo תשבץ *tashbets* significari contendit Ribera loco in margine citato, ut nimirum כתנת תשבץ significet *tunicam constrictionis*, sive *ligationis*, i. e. arcte corpus constringentem. Ac ridendos censet istos commentitios (sic appellat) ocellos in tunica, & illam translationem, *oculabis tunicam bysso*, v. 39. ubi in Hebræo est ושבצת כתנת שש, Non enim id significare verbum שבץ, sed constringere & ligare; atque ita etiam chaldaicum רמץ *Ramats*. At præterquam quod viri harum linguarum peritissimi voces istas aliter interpretantur, minus mihi congrua videtur illic ista constringendi significatio, cum in hoc capite non quemadmodum vestimenta indui, corporique aptari, sed quemadmodum confici, ac componi debeant, ostendatur.

9. *Et accipies duos lapides* שהם *onychinos*] De voce שהם *Shoham* vide supra ad cap. 25. 7.

13. *Et facies* משבצת זהב *inclusoria aurea*] Onkelos & Jon. pro משבצות habent מרמצן. Fagius vertit *inclusoria*. In Annotationibus autem ait hæc referri posse vel ad præcedentia, hoc sensu, ut per ista inclusoria intelligantur palæ, quibus lapilli illi insculpi debebant: vel ad sequentia, ut intelligantur uncini, sive fibulæ, quibus affigi debebant catenulæ aureæ pectoralis. Atque hanc posteriorem sententiam probabiliorem existimat. Atque ita sane videtur ex eo, quod versu sequenti habetur, *& pones catenulas tortas* על המשבצת *super fibulas*. Fagius ex Chaldæo vertit, *adhibebisque catenulas illas intricatas ad fibulas inclusas*. Atque hinc (fateor) firmari videtur Riberæ sententia, nempe שבץ constringendi notionem habere. Vulgat. *Facies & uncinos ex auro*. LXX. καὶ ποιήσεις ἀσπιδίσκας, &c. *Et facies aspidiscas*, &c. Nobilius notat Augustinum sic legere, alios autem *uncinos* vertere. At ἀσπιδίσκη quod parvum clypeum proprie sonat, videtur potius palam vel fundam quam fibulam, sive uncinum denotare. Atque isto proculdubio sensu usurpatur Hebræum משבצות v. 11. ambiguæ igitur significationis, ac interdum hoc, interdum illo modo sumi vox ista videtur.

14. *Et duas catenulas auri puri* מִגְבָּלֹת *terminatas.*] Onk. & Jon. מתחמן. Fagius vertit *definita magnitudinis*: notat autem ad verbum esse, *terminatas*; גבול Hebraice, & תחום Chaldaice *terminum* significat, sive *limitem*. Vocari ergo ait catenulas istas *terminatas*, eo quod breves essent, certæ, æqualis & præfinitæ magnitudinis & longitudinis. Addit autem alios sic appellatas velle, quod conjunctæ essent termino, seu extremitati pectoralis. Atque ea quidem commodior videtur expositio; ad istum modum interpretatur R. Salomo, לסוף גבול החשן תעשה אותם *ad finem termini pectoralis facies istas*.

15. *Et facies* חֹשֶׁן מִשְׁפָּט *pectorale judicii*] Ionathan rationem explicat, quare sic dictum esset דביה מחוית דינהון דישראל דאתכסי מן דיינייא סדרי נצחן קרביהון ולכפרא על דיינייא *quod per id ostensum fuit judicium Israelis, quod à judicibus fuit absconditum; item quemadmodum prælia sua (ad verb. victorias præliorum suorum) ordinare deberent; & propitiatio fieret pro judicibus*. R. Salom. primo dicit pectorale sic appellari שמכפר על קלקול הדין *quod propitiationem faceret pro corruptione judicii*. Deinde addit משפט *judicium* hic denotare בירור דברים *rerum manifestationem*; ac pectorale vocatum esse *pectorale judicii*, שמברר ומבטיח דבריו *quod res, de quibus ageretur explicaret, & manifestas faceret*. Ego Fagio assentior, dictum esse *pectorale judicii*, quod sacerdos nunquam dicebat jus in re gravi, nisi cum pectorali indutus esset. Similiter Lyra ait sic dictum, quod eo judicabat summus sacerdos Dominum consulens, quid esset agendum. Hisce suffragatur Sheringamius noster in Ioma pag. 175. *Pectorale judicii* (inquit) *nominatur quia per ipsum Sacerdos magnus divinum responsum accepit, & judicium de bello, & pace, cæterisque ad salutem Republicæ spectantibus, edidit*. Minus placet quod dicit Ribera (*b*) *rationale judicii* (sic vulgatus Interpres vertit, LXX. λογεῖον τῶν κρίσεων) quia per illud Deus docebat quid faciendum esset; Judicium enim dici solere in Scriptura id, quod quisque facere debet. A judicio enim, quod ope illius pectoralis Sacerdos exercuit *pectorale judicii* vocatum puto.

17. אֹדֶם *rubinus*] LXX. σάρδιον, (*c*) *Sardius*; & sic Vulg. Onkelos סמקן, Ion. סמוקתא, Hierosf. סמוקא. Fagius vertit *Sardius*; sed in Annotationibus ait Hebræos hanc gemmam Rubinum exponere; atque horum sententiæ favere nomen Hebræum; nam ab אדם *Adam* rubere, esse אדם *odem* lapidem à rubro (*d*) colore sic appellatum. Quin & Chaldæum consentire, qui vertit סמקם *Samkam*. Certe סמק *rubere*, seu *rubicundum esse* significat. Ingenue autem fatetur Aben Ezra horum lapidum nomina ab ipsis haud satis intelligi. אין לנו דרך גבירו לדעת אבני מלאים.

פִּטְדָה *Topazius*] Sic LXX. Iosephus, & Vulg. Atque ita Chaldaicam vocem, qua utitur Onkelos, interpretatur Fagius, nempe ירקן; cui apud Jonathanem, & Hierosolymitanum est similis ירקא. Chaldaica autem ista vocabula innuunt lapidem viridis coloris nomine isto designari, nam ירק est *viridis*. Hinc nonnullos Smaragdum interpretari refert Fagius. Certe Albertus de Rebus metallicis lib. 2. asserit Smaragdi colorem esse viridissimum, translucentem, ita ut vicinum aërem sua videatur tingere viriditate; topazium autem auri similitudinem prætendere testatur.

וּבָרֶקֶת *Et carbunculus*] Onk. וברקן. Ion. & Hierosf. וברקתא. In versione Fagii verba sunt transposita; nam hoc loco est *Smaragdus*, & proxime sequitur *Carbunculus*, sed ex Annotationibus ejus apparet hic esse legendum *carbunculus*, deinde *smaragdus*. Testatur Iudæos hunc lapidem vulgo exponere carbunculum, eorumque sententiam roborari ait nomine Hebræo pariter ac Chaldæo; nam ברק fulgorem significare, ac à fulgore hanc gemmam nomen suum accepisse videri. Albertus ait carbunculum esse perlucidissimum & rubicundissimum, atque ita se habere ad alios lapides, ut aurum ad cætera metalla; à nonnullis autem rubinum vocari refert. LXX. Iosephus, & Vulgatus Interpres hic *smaragdum* habent.

Ordo primus] Ionathan & Hierosolymitanus dicunt in hoc ordine inscripta fuisse (*e*) nomina tribuum Reuben, Simeon, & Levi. Ordine secundo Hierosolymitanus ait fuisse nomina tribuum Iudah, Issachar, & Zebulun; at Ionathan ei tribuit Iudah, Dan, & Nephthali. Ordine tertio Hierosolymitanus ponit Dan, Nephthali & Gad, Ionathan autem Gad, Asher & Issachar. Ordine quarto Hierosolymitanus vult fuisse Asher, Ioseph, & Benjamin: at Ionathan Zebulum, Ioseph, & Benjamin. Iuxta Hierosolymitanum primo positi erant filii Leæ, deinde filii ancillarum, & postremo filii Rachelis; sed multo commodior est ratio, quam secutus est Ionathan, nempe ut juxta ordinem nativitatis, sive ex liberis, sive ex ancillis nati erant, nomina filiorum Israel posita essent. Ita sentit R. Salom. qui sic scribit, כסדר תולדותם כן סדר האבנים אדם לראובן פטדה לשמעון וכן כלם. *Juxta ordinem nativitatis eorum fuit ordo lapidum; primus Reuben, Secundus Simeon*, & sic in reliquis. Atque eadem etiam fuit sententia Hiscuni, uti à Fagio eum citatum video.

18. נֹפֶךְ *Smaragdus*] Ita Onk. איזמורגדין, quod ex vocabulo *Smaragdus* plane est deformatum. In Ionathane omissa litera ג est איזמורד, Hierosolymitanus autem habet כרכדינא *Chalcedonius*. Nomina enim ista (ut notat Buxtorfius) sunt vicina, *l* in *d* mutato. LXX. ἄνθραξ, Vulg. *Carbunculus*; atque ita Iosephus. Kimchi (ut refert Fagius) dicit Hebræum נפך esse gemmam nigri coloris; ita autem Chalcedonium potius significaret quam vel carbunculum vel smaragdum; Chalcedonius enim (uti testa-

(*a*) *Græcum vocabulum* (χιτὼν) *manifeste ex Hebræo* (*Chethoneth*) *sumptum est*. Ribera de vest. sacerd. lib. 3. cap. 7. Κόσυμβος *nodum significat, sive Subcingulum, &* κοσύμβη, *interprete Suida, est ἀνάδεσμος i. e. vinculum, sive colligatio; aut juxta Hesychium ἐγκόμβωμα ἢ σφίγξωμα i. e. alligatio, sive succingulum*. Ribera ibid.

(*b*) Rib. de vest. Sacerdot. lib. 3. cap. 12. (*c*) A Josepho Antiq. lib. 3. cap. 8. appellatur *Sardonyx*. (*d*) Sardius etiam (teste Alberto) ruborem spissum habet. (*e*) Iosephus Antiquitat. lib. 3. cap. 8. ait lapidibus insculpta fuisse nomina filiorum Iacob, ordine quo singuli nati fuerunt.

testatur Albertus) est pallidus, fuscus, aliquantulum obscurus, cum carbunculus sit rubicundissimus, Smaragdus autem viridissimus.

ספיר *Sapphirus*] De hoc lapide dubitari non potest, cum Græcum σάπφειρος, unde Latinum *Sapphirus* ab Hebræo ספיר *Sappir* derivatum esse satis liquido appareat. LXX. & Vulgatus hic Sapphirum habent. In Iosepho ponitur *Jaspis*, & deinde *Sapphirus*; sed non dubito quin inverso verborum ordine legi debeat, *Sapphirus & Jaspis*, quemadmodum in Græca LXX Interpretum versione, & in Vulgata Latina legitur. Onkelos hic habet שבזיז, quod à Fagio & Buxtorfio exponitur *Sapphirus*. In Jonathane est ספירינון *Sappirinnon*, quod ab Hebræo ספיר *Sappir* deductum est. In Paraphrasi Hierosolymitana legitur סמפליונא *Simpuliana*, sed mendose, uti monet Buxtorfius, pro סמפורינא *Sempurjana*, quod etiam Hebræo nomini *Sappir* aliquantulum est affine, atque ex eo formatum videtur. Albertus dicit Sapphirum esse flavum, instar cœli sereni, sed vincere in eo flavum colorem. Plinius lib. 37. cap. 9. cæruleum colorem, qui etiam cœli sereni est color, Sapphiro tribuit. Fagius autem ait de colore hujus gemmæ varias esse sententias. Quosdam enim velle aerei esse coloris, alios rubri, alios candidi; atque inde quosdam Hebræorum Crystallum interpretari. Sane Aben Ezra refert R. Saadiam vertere Hebræum *Sappir* לבן i. e. *candidum*, cum (inquit) non est nisi אדום *i. rubicundus*. Kimchi in Radic. (cujus verba à Fagio citantur) refert quendam Romam profectum esse ut venderet *Sappir*; eum autem, qui empturus erat, petiisse, ut prius super incude lapidem probaret; cumque cœpisset eum malleo percutere, scissam esse incudem, ac ruptum malleum, lapidem autem integrum permansisse. Hinc colligi ait, hunc lapidem esse quem vulgo *Demant* appellant, eumque albi ac puri esse coloris. Sed nulla cujusquam opinio tanti apud me est, quanti ipsa vocis *Sappir* cum voce *Sapphirus* cognatio.

ויהלם *Et adamas*] Aben Ezra refert insignem quendam Sapientem Hispanum dicere יהלום *Jahalom* esse lapidem qui appellatur אלמאס (a) *almas*, huncque lapidem alios omnes confringere, atque etiam bdellium perforare: nomen autem deductum esse à verbo הלם *Halam*, quod *contundere* significat. Hanc opinionem Fagius, (qui interpretatur Chaldaicum סבהלום, quo utitur Onkelos, *adamas*) probabiliorem putat, quam ut *Jaspis* hic significetur, quod LXX. interpretibus & vulgato Latino visum est. Jonathan hic habet כדכודין *Cadcodin* i. e. Chalcedonius. Hierosolymitanus autem עין עגלא quod apud Onkelum est nomen ultimi lapidis tertii ordinis, de eo igitur mox plura.

19. לשם *Ligurius*] Sic Vulg. Et LXX. λιγύριον, in Iosepho, (de Gelenii versione loquor) est *Lyncurius*, sed (b) Ribera notat Interpretis esse lapsum, cum in Græco sit λιγύριος, & in Ruffini versione *Ligurius*. Apud alios autem pariter (c) *lyncurium* pro *ligurio* positum observat: Albertus inter lapides pretiosos numerat lincurin (sic apud eum legitur) ex urina lyncis factum; & refert Plinium dicere hunc lapidem rubeum esse ac instar carbunculi scintillare: ita quidem Plinius lib. 8. cap. 38. at lib. 37. cap. 3. dicit Lyncurium non gemmam (ut alii sentiunt), sed electrum sive succinum esse. Hieronymus epist. 128. ait se scrutatum esse eos, qui de lapidum & gemmarum scripsere naturis, nec lyncurium invenire potuisse. Ribera putat legendum *ligurium* non *lyncurium*; nam lyncurium multis in locis invenire potuisse Hieronymum apud istiusmodi scriptores, cum Plinius affirmet se eorum pertinacia cogi ad agendum de lyncurio.

שבו (d) *Achates*] Sic vulg. & LXX. ἀχάτης. In Josepho est *amethystus*, & deinde *achates*; sed hic, ut antea, verba transposita esse videntur. Onk. טרקיא Fagius reddit *Achates*: sed vox ipsa indicat eum lapidem, qui dicitur *Turcicus*, designari, Jonathan hic habet טרקין cum ט, at cap. 39. 12. טרקין cum ט, quod rectius videtur. Hierosol. בירלין. Buxtorfius in Lexico magno exponit *topazium*, atque istum lapidem voce Hebræa שבו *Shebo* significari ait ex Iudæorum plerorumque sententia. Guidonem autem refert existimare pro בירלין legendum בירלין *beryllium*, prout in Onkelo (juxta Guidonem) est בירלא: Sed deceptum eum esse dicit prava collatione versuum, cum vox ista apud Onkelum non hic, sed v. 20. habeatur. Ac verum quidem est in eo Guidonem esse deceptum; non tamen fortasse in eo deceptus, quod in Hierosolymitano בירלין potius quam בירלין scribendum censeat.

ואחלמה *Et amethystus*] Sic Vulg. & LXX. ἀμέθυσος. Onk. עין עגלא, atque ita Ionathan עין עגל. Fagius in versione sua habet *amethystus*; sed in annot. monet Chaldaice sic appellari quod similitudinem oculi vitulini præ se ferat; nam עין *oculus*; עגל autem, vel עגלא *vitulum* significat. Dictionem Hebræam אחלמה *Ahalamah* à חלום *Halom*, quod est *somnium*, derivatam dicit, quod nimirum is, qui hunc lapidem gestat, semper somnia videat. Ita quidem scribit Aben Ezra שכל מי שנושא אותו יחלום כמנהגו לעולם יראה חלומות; sed id pro inepto Rabbini commento non immerito habeatur: potius ab (a) arcendo somnio lapidem sic dictum existimarim. In Hierosolymitano hic est זמרגדין *Smaragdi*.

20. תרשיש *Chrysolithus*] Ita LXX. Iosephus & Vulgatus Interpres. Albertus ait Chrysolithum habere tenuem viriditatem lucidam, ac instar stellæ aureæ micare. (b) Plinius aureo colore translucere asserit; ac ab auro Chrysolitum sic appellatum constat. Ribera autem ex Isidoro ait auro similem esse cum marini coloris similitudine; quod & Alberti verbis, & dictioni etiam Hebrææ convenit: nam תרשיש *Tharshish* pro mari usurpatur. Onk. Ion. & Hierosl. כרום ימא ad verbum *fuligo maris*. A Fagio vertitur *Chrysolithus*; à Buxtorfio autem exponitur *Thalassius*, *Turcicus marinus*; atque addit forte amethystum esse. Sunt qui beryllum Hebræo *Tharshish* intelligi autumant.

ושהם *Et onychinus*] Sic Vulg. & Iosephus. In versione LXX. Interpretum (c) hoc loco est βηρύλλιον *beryllium*, & deinde ὀνύχιον *onychinus*: sed puto ordinem istum verborum inverti debere, quo nimirum versio ista cum Iosepho, & vulgato interprete conveniat. Ab humani autem unguis similitudine *onychinum* sic dictum & autores tradunt, & vox ipsa indicat.

וישפה *Et Jaspis*] Vulg. *& beryllus*. Et sic Iosephus, nec non LXX. licet in Romana editione (ut notavi) verborum ordo sit transpositus. Certe Fagius Septuaginta pariter ac Vulgatum hic habere (d) beryllum. Albertus refert beryllum esse pallidum, lucidum, & translucentem. Sed & multorum generum. Plinius etiam lib. 37. c. 5. dicit beryllos poliri sexangula figura artificum ingeniis, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur: aliter enim politas non habere fulgorem eundem; probatissimos autem ex iis esse qui viriditatem puri maris imitantur. Onkelos hic habet פנתירי, à Fagio redditur *Jaspis*. Jonathan utitur voce פנתירין, (e) Buxtorfius notat etiam cum ח scribi פנתרין *Pantherin*, & exponit *Pantherius*, *Jaspis*; addens Pantherium, sive Pantherinum forte Iaspidis variegatæ speciem esse, à Panthere animali maculoso. Fagius notat Hebræum ישפה *Jashpe* alludere ad Iaspidas vocabulum. Sane Græcum ἴασπις, unde Latinum (f) *Jaspis* ab Hebræo *Jashpe* deductum nullus dubito, ut frustra sint, qui aliter interpretantur. De plerisque tamen horum lapidum nominibus cum Fagio sentio, neminem fere quid certi statuere posse. Vide supra ad v. 17. Annot. 1.

24. *Et pones* את שתי העבתת *duas catenas*, &c.] R. Sal. ait עבותת (quod proprie funes, vel catenas complicatas significat, a עבת *complicare*) hic esse שרשרות i. e. *catenas*, quarum antea facta est mentio; antea enim non explicatum fuisse, ubinam infixæ esse deberent: id autem hic exprimi.

30. *Et pones in pectorali judicii* את האורים ואת התמים *Urim & Thummim.*] (g) Dilherus vir eruditus, notat, in horum verborum explicatione non esse majorem scriptorum convenientiam, quam inter horologia. *Longissime autem omnium* (inquit) *jacula à scopo suo jecit Card. Bellarminus, qui* אורים (*Urim*) *&* תמים (*Thummim*) derivat à ירה (*Jarah*) *&* אמן (*aman*) *ut significent doctrinam & veritatem, quod habet Latinus; vel* δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *quod LXX. amplectuntur*

(a) Videtur l poni pro d *almas* pro *admas*, ut in כרכדונא d pro l ponitur *Chadcedana pro Chalcedana*. (b) Ribera de vest. Sacerd. l. 3. c. 11. (c) Onkelos pro לשם habet קנכירי, Ionathan קנכירין, Fagius vertit *Lincurium*. (d) Albertus scribit *agathes*, ac lapidem nigrum cum albis venis esse asserit; sed & quatuor ejus genera recenset. Lud. *de Dieu* putat Achatem dici שבו à שבה *captivari*, quod facillime sculpturas admittat, & sub manu artificis captivetur.

(a) Quemadmodum Amethystus ab arcenda ebrietate nomen habet. (b) Plinius lib. 37. cap. 9. (c) Ita in editione Romana habetur. (d) Onkelos, בורלא *Beryllus*. Jonathan, בורלת חלא *beryllus arenæ*. Hierosolymitan. בדולחא *bdellium*, quod ad Num. 11. ver. 7. R. Salomo dicit esse nomen lapidis pretiosi קריסטל *Crystalli*. (e) Buxtorfius in Lexic. Chaldaic. magno, rad. פנת & פנתר. (f) *Jaspis est lapis multorum colorum, & habet species decem*, &c. Albert. de rebus metal. lib. 2. cap. 8. (g) Dilherus elect. lib. 1 cap. 5.

tur Interpretes: (*a*) *ejusmodi enim derivatio omnia Grammaticorum tribunalia perfringit.* Citat deinde Maimonidem sic explicantem, quæ *Urim* & *Thummim* ratio fuerit; *Sacerdos consistit facie sua ad arcam conversa, consilium vero expetens ipsi stat à tergo, facie sua tergum sacerdotis spectante. Interrogat Sacerdos, Ascendam in prælium? annon ascendam? Tum è vestigio Spiritûs S. afflat Sacerdotem, qui oculis in pectorale conjectis, ibi visione prophetica videt, Ascende, aut, ne ascende; idque in conspectu suo literis è pectorali prominentibus. Itaque Sacerdos illi respondens inquit, Ascende, aut, ne ascende.* Quoniam autem elucentes literæ variè conjungi poterant, adeoque diversa hinc consurgere vocabula, addit ex Constantino L'Empereur Abrabanelem dicere, literas ex Patriarcharum nominibus ea serie, qua conjungendæ erant, promicuisse, & eluxisse. Hac siquidem ratione & ordine pedetentim literas, quæ subsequentibus aliis splendorem amittebant, memoriæ mandasse Sacerdotem, ut de ordine eas conjungendi dubitare nequiret. At ista ratio nimium difficilis & perplexa mihi videtur. Certum est, nec de eo quisquam qui Hebraicarum literarum non est prorsus ignarus dubitare potest אורים *Urim* significare *luces*. Aquila & Theodotio (uti testantur Scholiastes & Nobilius ad Levit. 8. 8.) vertunt φωτισμοὺς: (*b*) תמים *Thummim* vero *perfectiones*, Græci isti Interpretes reddunt τελειώσεις. Quin & ipse vulgatus interpres Deut. 33. 8. pro *Thummim* habet *perfectio*, licet pro *Urim* istic pariter ac alibi habeat *doctrina*. Sed etiamsi vocum harum (*Urim & Thummim*) significatio primæva sit certa, quænam tamen res istæ fuerint, quæ vocibus hisce sunt expressæ, & quis oraculum istud consulendi modus fuerit, plane est incertum; multi quidem multa dicunt, sed istiusmodi sunt, ut de eis nihil certi haberi possit. R. Sal. ait *Urim* & *Thummim* fuisse ipsum Dei nomen tetragrammaton, quod in pectoralis duplicatura insertum fuisse existimat: nomen istud *Urim* ac *Thummim* dictum vult, quod ejus ope res illustratæ perfectæque essent. Jonathan hic etiam multo monstrosius de nomine tetragrammato fabulatur; ejus verba Latine sic sonant, *Et pones in pectorali judicii luces quibus illuminentur verba illorum, & revelentur arcana domus Israel: atque perfectiones, quæ perficiant opera Sacerdotis magni, quando quærit doctrinam à conspectu Domini per ea. Nam in eis sculptum & explicatum* (*c*) *erat nomen illud magnum, & sanctum, quo creati sunt trecenti & decem mundi* (תלת מאה ועשרה עלמיא) *sculptum* (*inquam*) *& explicatum in lapide fundamentali, quo Dominus mundi obsignavit os abyssi magnæ ab initio. Quicunque pronuntiat illud nomen sanctum in hora gemitus* (בשעת עאק) *liberabitur, & abscondita patefient. Hæc erunt super cor Aharonis, quando ingreditur coram Domino.* Skikardus de Jure Reg. cap. 1. hæc Jonathanis verba Chaldaice pariter ac Latine citat, atque asserit se expositionem istam, etiamsi absurda videri possit, nolle contemnere, si cum grano salis, nec Judaice accipiatur. Quomodo autem accipi debeat, ut absurda non sit, nec ille ostendit, nec ego operæ pretium puto inquirere. Quod autem expositionem istam non contemnendam putet, ob reverentiam (ut ait) vetustatis, ego ei assentiri non possum, nempe Targum Jonathæ esse antiquissimum, & à Paulo nostro lectum. Id ille asserit, sed ad id astruendum nihil affert; ego sententiam meam exposui, ac rationes in contrarium adduxi in Præfatione Annotationum in Genesin. De *Urim* autem & *Thummim* Aben Ezra ad v. 5. ingenue ignorantiam suam fatetur, והנה לא ידענו מה הם *Ecce autem non novimus quid sint.* Quin & citata R. Salomonis (cujus etiam nominatim mentionem facit) sententia, ait eum haud ita sensurum fuisse, si responsiones R. Haai vidisset. Similiter autem & Kimchi in Rad. (uti eum citat Fagius) dicit, nec sibi nec suis constare, quid *Urim* & *Thummim* sibi velint, לא נודע אלו מה הם האורים והתמים. Sunt qui existiment *Urim* & *Thummim* non aliud fuisse præter lapides istos pretiosos, qui in pectorali positi erant; eos nempe volunt certa quapiam de causa ita fuisse appellatos. Hanc sententiam tuetur Ribera de vest. Sacerd. lib. 3. cap. 12. Hujus etiam opinionis alios aliquot authores commemorat (*d*) Serarius, eamque ad veritatem propensiorem sibi videri asserit. Atque hæc quidem opinio ex eo probabilis esse videtur, quod nec in hoc capite de faciendo *Urim* & *Thummim* quicquam à Deo Mosi est Præceptum, sed tantum dicitur, *Et pones in pectorali judicii Urim & Thummim*; nec cap. 39. Ubi omnia quæ ad vestes Sacerdotales spectant, recensentur, & juxta Dei præscriptum facta fuisse dicuntur, de *Urim* & *Thummim* ulla fit mentio, sed tantum quatuor ordines lapidum in pectorali positos fuisse narratur. Hinc certe colligi potest *Urim* & *Thummim* non nisi istos ipsos lapides fuisse, quatenus nimirum in certum quendam usum fuerunt comparati. Id plane sensit Josephus, qui Antiq. lib. 3. cap. 8. de ornatu sacerdotali agens, de *Urim* & *Thummim* nullam mentionem facit, sed duodecim istas gemmas sigillatim exprimit, & cap. 9. postquam dixisset ex lapillis, quos Pontifex in humeris gestabat, alterum micare ac magnum fulgorem emittere solitum esse, quoties litatum esset, addit, *Sed mirabilius est, quod nunc dicturus sum: per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas esseni* (id est, pectorali, Hebraice חשן *Hoshen*) *gestat, in bello victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priusquam exercitus se moveret, tantus fulgor ex eis emicabat, ut toti populo facile innotesceret adesse Deum, opemque & auxilium suum invocantibus esse allaturum.* Ex Josephi igitur sententia *Urim* & *Thummim* erant gemmæ istæ, quatenus oraculi vicem supplebant, & futura indicabant. In eadem etiam opinione fuisse videtur Hieronymus; nam epist. 128. cum de veste Sacerdotali accurate tractet, non nisi mysticam quandam explicationem *Urim* & *Thummim* tradit. *Porro* (inquit) *quod dicitur in ipso rationali* δήλωσις *esse &* ἀλήθεια, *id est, manifestatio, atque doctrina, vel veritas, hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit, sed & ipsa veritas multis signis, & argumentis monstretur hominibus, & usque ad mortales veniat.* (*e*) Skikardus quidem dicit *Urim* & *Thummim* non humanæ industriæ, sed divini artificii opus fuisse; idque è textu non male probare Rab. Bechai, nempe quia cum הא הידיעה i. e. *He demonstrativo* dicitur. האורים *Haurim*, & התמים *Hattummim*, cum tamen antea memorata non fuerint; hoc scilicet argumento esse, שלא היו מעשה חרש כי אם מעשה שמים, *quod non erant opus artificis, sed opus Dei*, ad verb. *cœli*. Sed profecto illud *He demonstrativum*, si vim atque emphasin suam hic habet, arguit potius *Urim & Thummim* esse antea memorata, nempe lapides istos duodecim esse: quorum antea facta est mentio. Et si quid ab istis lapidibus distinctum, atque ab ipso Deo facta fuissent *Urim* & *Thummim*, mirum merito videatur hoc Scripturam S. prorsus tacere; cum aperte testetur tabulas fuisse opus Dei, ac quod in eis scriptum erat, ab ipso Deo scriptum fuisse; cap. 32. 16. Illud tamen vehementer obstare videtur, quo minus per *Urim* & *Thummim* gemmæ istæ intelligantur, quod postquam dictum est, gemmas istas in pectorali inferendas fuisse, sequitur, *Et pones, &c. Urim & Thummim*, quod omnino cogere videtur, ut *Urim* & *Thummim* res quædam ab istis gemmis diversæ fuisse intelligantur. Sed non male mihi respondere videtur Serarius, non novam rei fabricam, sed ejusdem, quæ narrata jam esset, novum quasi usum, novaque nomina indicari. Similiter (*f*) Ribera ait antea Dominum jussisse, ut duodecim gemmæ in rationali collocarentur cum nominibus Patriarcharum, deinde multis interpositis hoc repetitum esse, ut ostenderet quam virtutem inesse voluerit in gemmis illis, & nominibus. q. d. *Prius ut lapides tantum poni jussi, nunc jubeo poni tanquam Urim & Thummim, hoc est tanquam oracula, & signa futurorum.* De modo autem, quo per *Urim* & *Thummim* responsa dabantur; Fulgorem istum à Josepho memoratum haud sufficere potuisse, recte mihi sentire videtur (*g*) Serarius, quod interdum responsum ea in se contineret, quæ fulgore gemmarum haud quaquam significari potuerunt. Vide 2 Sam. 5. 23. 24. *Quod lapidum jubar,* (inquit Serar.) *qui radii hæc tam multa, tam non opinata, tam nova, & peregrina loqui potuerunt?* (*h*) Ribera etiam argumentatur ex illo Num. 27. 21. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum, &c.* Cum Dominus respondere dicatur in singulis, voce aliqua hoc fieri oportuisse ait; non enim fulgore gemmarum tot tamque minuta declarari potuisse. Existimat igitur ea, quæ Josephus dicit, vera esse; sed præterea sacerdotem ad præsentiam rationalis, & sacrarum gemmarum Spiritum prophetiæ (non semper, sed prout Domino placuerit) accepisse; atque ita Deum, sacerdote

(*a*) *Jam vero vocem* תמים *ab* תם *derivare, quam adversus omnes Grammaticorum regulas? quam adversus ipsam Bellarmini conscientiam? Originatio hæc adeo monstrosa est, ut sibilis magis quam refutatione digna sit.* Amama in Dissertat. Similia etiam habet in censura ad locum. (*b*) Onkelos voces Hebræas Chaldaice transformatas retinet, ויהי אוריא ויהי תומיא (*c*) Sheringamius in *Joma* cap. 7. ex Gemara Hierosol. citat. למה נקרא שמם אורים ותומים אורים שמאירין לישראל תומים שמתמין לפניהם את הדרך *Quare vocantur Urim? quia illuminabant Israelem; & Thummim? quia coram ipsis perficiebant viam.*

(*d*) Serar. in Jos. lib. 1. cap. 9. quæst. 24. (*e*) Skikde Jure Reg. cap. 1. theorem. 2. p. 11. (*f*) Ribera de vest. Sacerd. lib. 3. cap. 12. (*g*) Serar. in Jos. lib. 1. cap. 9. quæst. 28. (*h*) Ribera ubi supra.

te loquente, ac ſingula explicante, conſulenti reſpondiſſe. Similiter Delrio à (*a*) Serario citatus, atque ab eo dictus (*b*) Syzetetes, notat interrogationes quaſdam per affirmationem negationemve nudam poſſe expediri; quaſdam autem longiorem requirere explicationem. Atque arbitrari ſe ait; ad prius illud genus interrogationum nudo lapidum fulgore fuiſſe reſponſum; ad poſterius autem interrogationum genus quod attinet, auditam fuiſſe à Sacerdote internam quandam, vel externam quandoque locutionem, ſeu oraculum, quod ipſe poſtea interroganti manifeſtaret. Quanquam nec abſurdum ait hic opinari, ad ſplendorem hunc lapidum acceſſiſſe Sacerdoti lumen Propheticum menti ejus à Deo infuſum. Hunc modum dignum, qui ſuſcipiatur, cenſet Serarius; ac mihi etiam præ aliis arridere fateor. Sheringhamius in Codicem *Joma* cap. 7. refert Talmudicos tradere, non ſolum literas gemmis inſcriptas emicuiſſe, verum etiam vocem auditam eſſe, quæ Pontificem docuit inſtituitque ne erraret ex punctorum vocalium defectu. Atque addit, cum ipſæ etiam literæ è pectorali non exierint, ut debito ordine coaleſcerent, ſed in locis ſuis permanſerint, ex iiſdem varia verba confici potuiſſe; ut ſi ו & ע & ל emicuiſſent, ex illis potuiſſe componi עול & לוע & על, & proinde neceſſe fuiſſe, ut Spiritus S. Pontificem erudiret, ne hæreret incertus quale reſponſum redderet; Hincque factum eſſe, ut Deum fruſtra per *Vrim & Thummim* conſuluiſſent, niſi Sacerdos propheta fuiſſet, aut à Deo detentus, cui alloquenti Spiritus S. adeſſe voluiſſet. At certe abſque ulla iſtiuſmodi literarum emicatione, per vocem, ac Spiritus S. inſtinctum res confici potuit: totumque illud de literis emicantibus confictum arbitror, præſertim cum Talmudici ad perficiendum Alphabetum præter duodecim Patriarcharum nomina, etiam Abrahami, Iſaaci & Jacobi nomina, nec non hæc verba כל אלה שבטי ישראל (i. e. *omnes hæ tribus Iſrael*) lapidibus inſcripta fuiſſe velint; quod ipſorum eſſe commentum nemo, opinor, eſt qui non videat. At inquit Sheringhamius, *fruſtra Deus Urim & Thummim pectorali imponi præcepiſſet, ſi huic rei nequicquam inſervire debuiſſent; ſi per ſolam vocem, aut viſionem propheticam reſponſum editum fuiſſet.* Atque id quidem verum eſſe fateor, ſed haud proinde ſequitur opus fuiſſe, ut (quod dicunt Talmudici, quodque maximam probabilitatis ſpeciem habere cenſet) literarum quarundam emicatione reſponſum ederetur. Si enim per *Urim & Thummim* duodecim lapides intelligantur, lapidum autem iſtorum fulgore nonnulla præmonſtrarentur (quod fieri potuiſſe ipſe concedit (*c*) Sheringhamius) nec id ſolum, ſed & neceſſe eſſet, ut pectorali lapidibus iſtis ornato Sacerdos indueretur, quoties reſponſum à Deo haberet, ſatis profecto idonea erat cauſa cur *Urim & Thummim* pectorali imponerentur, etiamſi abſque ulla prorſus iſtiuſmodi literarum emicatione, vel per lapidum fulgorem, vel per vocem duntaxat, ſive externam, ſive internam, Deus Sacerdoti occulta, de quibus quæſitum erat, patefaceret. Talmudici ex defectu literæ ה Hag. 1. 8. in ואכבד pro ואכבדה *& glorificabor*, (uti à Rab. Salomone pariter ac Kimchio ad locum eſt annotatum) innui putant quinque res, quæ in Templo priore fuerunt, in altero defuiſſe, inter quas *Urim & Thummim* recenſent. Joſephus etiam Antiquit. lib. 3. c. 9. dicit fulgorem lapidum ducentis annis antequam libros iſtos ſcriberet, deſiiſſe. Ex ipſa certe ſcriptura apparet poſt redditum è captivitate Babylonica oraculum iſtud ceſſaſſe. Ezr. 2. 63. Neh. 7. 65. R. Sal. ad Ezr. 2. 63. ait ſe non poſſe id exponere quod iſtic dicitur, *donec exiſteret ſacerdos cum Urim & Thummim*, quia in Templo ſecundo ex Talmudicorum ſententia iſta non fuerunt. At tantum abeſt, ut iſte ſcripturæ locus contra ſententiam iſtam quicquam faciat, ut ea potius inde confirmetur: etiamſi enim innuat ſpem fuiſſe, ut *Vrim & Thummim* quandoque reſtituerentur, tunc tamen defuiſſe plane aperteque indicat. Aben Ezra ad iſtum ſcripturæ locum ait *Urim*, quæ Moſes fecerat, abſcondita fuiſſe (גנוז) nec alia adhuc ipſorum loco facta fuiſſe: ac ſenſum ſcripturæ eſſe, donec exiſteret ſacerdos הראוי לאורים ולתומים *dignus, qui per Urim & Thummim conſulentibus reſponderet.* At ſi (quod maxime videtur probabile) lapides in pectorali poſiti *Urim & Thummim* ſunt appellati, quatenus per eos occulta fuerunt manifeſtata; quomodo ab artifice aliquo fieri poſſent *Urim & Thummim*, non intelligo. Etiamſi enim vel primi lapides remanerent, vel alii eis non abſimiles fierent, niſi tamen iſti uſui inſervirent, ut eorum ope ſacerdos reſponſa ederet, haudquaquam *Urim & Thummim* dici deberent. Quid Vulgatus Interpres in animo habuit, haud ſatis ſcio, qui ibi ſic vertit, *donec ſurgeret ſacerdos doctus atque perfectus.* Burgenſis ad hunc Exodi locum aſſerit omnes hiſtorias Hebraicas teſtari, veſtem illam Sacerdotalem, quæ dicitur *rationale* (ſeu *pectorale*) *judicii*, non fuiſſe tempore Templi ſecundi. Ego vero nullos novi Hebræos, qui illud dicant, ſed tantum *Vrim & Thummin* (quæ certe cum veſte iſta confundi non poſſunt) eo tempore non fuiſſe. Imo ad hunc ipſum locum R. S. diſerte teſtatur pectorale iſtud ſub Templo ſecundo extitiſſe; (*a*) nec id ſolum aſſerit, verumetiam rationem affert quare ita eſſet, ובמקדש שני היה החשן מפני שא״א לכהן גדול להיות מחוסר בגדים אבל אותו השם לא היה בתוכו i. e. *Et in Sanctuario ſecundo fuit pectorale, propterea quod fieri non potuit ut ſacerdos magnus ullis ſuarum veſtium eſſet deſtitutus: ſed iſtud nomen* (nempe tetragrammaton, quod ex R. Salomonis ſententia pectorali impoſitum *Vrim* ac *Thummim* eſt appellatum) *in eo non fuit.* Illud ומתו v. 43. *& moriantur*, non tantum ad femoralia ibi memorata refert, ſed etiam ad omnem habitum ſacerdotalem verſibus præcedentibus deſcriptum. Ejus gloſſa ſic habet, הא למדת הכשמש מחוסר בגדים במיתה i. e. *Ecce diſcis eum qui miniſtrabat veſtibus* (*Sacerdotalibus*) *non plene inſtructus, morti fuiſſe obnoxium.* Similia etiam habet ad v. 35. Quod autem *Vrim & Thummim* ſpectat, concludam verbis Fagii, *Quicquid illa fuerint, tamen de eo non debemus dubitare, per illa adumbratam fuiſſe doctrinam Evangelii, doctrinam ſcilicet veri ſummi ſacerdotis Jeſu Chriſti Domini ac Servatoris noſtri, quæ ſola, clara, manifeſta, ſincera, integra, & incorrupta eſt; illam claram quoque & ſinceram adferre debent, quotquot locum Sacerdotum ac miniſtrorum in eccleſia illius habent, ita ut & vita doctrinæ pulchre reſpondeat.*

35. *Et non morietur*] Jon. *Et non morietur igne flammanti.* Similiter etiam v. 43.

36. *Et facies* ציץ *Laminam*, &c.] R. Sal. ait fuiſſe inſtar laminæ auri (כמין טס של זהב) duorum digitorum latitudine, ac frontem ab una aure ad alteram cinxiſſe. Fagius monet hanc laminam poſtea vocari נזר הקדש *coronam ſanctam*, cap. 29. 6. Similiter Seldenus de Succeſſ. in Pontif. cap. 7. ait ita planiſſime capiendum, ut Corona ſit ipſa lamina aurea, quæ vitta hyacinthina tiaræ impoſita, verum erat diadema, & Coronæ ſacræ nomen in Sacris literis alibi ſortitur, nempe Exod. 39. 30. & Levit. 8. 9.

37. והיה על המצנפת *Et erit ſuper mitram*] Jon. *Et erit ſuper mitram, ſuper phylacterium capitis.* Vide ſupra ad cap. 13. 9. Aben Ezra ait מצנפת *Mitſnepheth* mitram ſive tiaram fuiſſe בגד רק ארוך צנוף סביב הראש לבדו *veſtem tenuem, oblongam, quæ capiti duntaxat circumdata fuit.* A circumvolvendo nomen habet; ea enim eſt verbi צנף *Tſanaph* ſignificatio. Hieronymus Epiſt. 128. aſſerit rotundum eſſe pileolum, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite; Græcos ac noſtros *τιάραν*, nonnullos galerum vocare; non habere acumen in ſummo, nec totum uſque ad comam caput tegere, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquere, atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſſe, ut non facile labatur ex capite: eſſe autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia extrinſecus appareant. Sheringamius dicit מצנפת *tiaram* fuiſſe faſciam lineam, quæ multis contorta voluminibus, caput cinxit, & in occipitio redimiculo conſtricta fuit; in arcuatam autem galeæ formam flexam fuiſſe. At hoc cum eo, quod ſcribit Hieronymus, parum convenit, nempe tiaram hanc acumen in ſummo non habuiſſe. Hieronymo autem conſentit Joſephus de Antiq. lib. 3. cap. 8.

38. *Et erit ſuper frontem Aharonis*] Jonath. *Et erit ſuper frontem domus faciei* (i. velaminis) *Aharonis; à temporibus ad tempora pertinget.*

39. אבנט *Et cingulum facies, &c.*] Hieronymus Ep. 128. ait hoc veſtimentum, quod Hebræi אבנט *Abnet* appellant, nos cingulum, vel baltheum, vel zonam poſſe dicere. Addit, hoc cingulum in ſimilitudinem pellis colubri, qua exuit ſenectutem, ſic in rotundum textum eſſe, ut marſupium longius putes. Textum autem eſſe ſubtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino, ob decorem, & fortitudinem; atque ita polymita arte diſtinctum, ut diverſos flores, ac gemmas artificis manu non textas, ſed additas arbitreris. Similia habet Joſephus Antiq. lib. 3. cap. 8. Ubi etiam dicit hanc zonam ſemel atque iterum

(*a*) Serar. ibid. quæſt. 30. (*b*) Quod nimirum in Syzeteſi ſeu Diſquiſitione Magica iſta habet. (*c*) *Loc. cit.*

(*a*) Maimonides apud Seldenum de Succeſſ. in Pontif. lib. 2. cap. 8. dicit ſub Templo ſecundo facta fuiſſe *Vrim & Thummim* כדי להשלים שמונה בגדים *ut ita perfecta redderentur octo indumenta Pontificia.* Addit tamen *Vrim & Thummim*, quæ tunc facta erant, pro oraculo habita non fuiſſe. At totum iſtud de novis *Vrim & Thummim* fictum videtur, etiamſi Seldenus ibidem teſtetur tantundem legi, ex veteribus, apud Moſen Mikkotſi.

iterum circa pectus revolutam ad talos usque defluxisse, tantisper dum sacerdotes à sacris feriabantur; idque ad ornatum conferre visum esse: cum verò sacris esset ministrandum, ne ventilata esset impedimento, super humerum lævum fuisse rejectam. *Hanc zonam* (inquit) *Moses nominavit Abaneth*, (sic apud illum scribitur pro *Abnet*) *nos vocabulo à Babyloniis mutuato Emjan dicimus; sic enim illi nominant.* Hieronymus etiam loc. citat. dicit Babylonios novo vocabulo המינין *Hemejanin* vocare. Atque ista quidem voce v. 40. utitur Onkelos, hic autem in singulari המין *Hemjan*; Jonathan autem hic habet קמר *Kemor*, & v. 40. קמורין *Kemorin*. In Targum קמר *Kemar* est *accingere*, inde קמר. *Kemor* cingulum.

40. וּמִגְבָּעוֹת *Et galeros facies eis*, &c.] LXX. καὶ κιδάρεις *& cidares*. Vulg. *& tiaras*. Onkel. & Jon. כובעין Fagius vertit, *& mitras*, significat autem vox ista proprie *galeas*. R. Sal. ait מגבעת *Migbaoth* & מצנפת *Mitsnepheth* idem esse. At Aben Ezra ad v. 37. asserit hæc diversa esse, nec confundi inter se debere; *Migbaoth* enim istiusmodi esse (galeros,) quales in hisce regionibus mares in capite solent gestare; altos scilicet esse, ac caput tegere; *Mitsnepheth* autem alterius formæ esse, prout antea est expositum. Seldenus etiam ex Rabbinorum sententia dicit Pontificis tiaram (מצנפת) ex tela capiti circumplicata formatam fuisse, sed ita ut capitis ejus involveret partem superiorem in figuram pilei Turcici, quem *Turibantum* vocamus, nec inferius descenderet, ne Laminæ fronti annectendæ loco incommodaret. Cæterorum vero sacerdotum pileos (מגבעה) undiquaque capita galearum instar, plicaturis inclusisse. Josephus loco citato etiam inferiorum Sacerdotum pileum vocat *Masnaemphthes*, quod ex Hebræo *Mitsnepheth* est deformatum. Atque ita in Codice Joma cap. 7. inter vestimenta, quæ gregario sacerdoti cum Pontifice erant communia, numeratur מצנפת *Mitsnepheth* i. e. tiara. Sheringhamius in Annot. non dissimulat, esse qui *Mitsnepheth* solius magni Pontificis tiaram esse contendunt. Atque huic sententiæ, etiamsi contra authoritatem *Misna* pariter ac Josephi sit (uti dicit) scriptura favere videtur, quippe quæ ad exprimendos pileos Pontificis ac gregariorum sacerdotum diversis semper nominibus utitur. Quoniam autem dicitur juxta LXX. Interpretes cap. 29. 9. περιθήσεις αὐτοῖς τὰς κιδάρεις, *circumdabis eis cidares*, (in Hebræo est וחבשת להם מגבעת *ligabis eis pileos*, sive *galeros*) Augustinus putat Cidarim, non esse capitis tegimen; *neque enim* (inquit) *diceret circumdabis eis, nisi tale aliquid esset, quod non capiti, sed corpori usui esset.* At Levit. 21. 10. ubi in Hebræo est, את ראשו לא יפרע *caput suum non nudabit*, LXX habent τὴν κεφαλὴν οὐκ ἀποκιδαρώσει, quod Augustinus legit, *caput non reteget cidari*; atque inde coactus est fateri cidarim esse capitis ornamentum. Scholiastes autem ibi notat alium Interpretem habere ἀπομιτρώσει, *nudabit mitra*.

41. וּמִלֵּאתָ אֶת־יָדָם *Et implebit manum eorum*] *An forte muneribus* (inquit Augustinus) *quæ offerenda sunt Deo?* Onkelos & Jonathan habet, ותקריב ית קורבנהון *Et offeres oblationes eorum*. Fagius ait Hebraismum esse expressum, q. d. *suppeditabis illis victimas, & trades in manus eorum, ut eas offerant.* LXX. ad verbum habent, καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας. Vulg. *& cunctorum consecrabis manus*. R. Salom. notat *impletionem manuum* initiationem, & confirmationem in munere denotare: atque addit, in regione sua natali (in Gallia) morem fuisse, ut cum in munere aliquo, sive præfectura (על פקידת דבר) quis constitutus erat, chirotheca ei daretur, atque ita in munere suo confirmaretur. Vide ad cap. 29. 9.

42. *Et fac eis* מִכְנְסֵי־בָד *femoralia linea*, *&c.*] Scriptura ipsa hic clare indicat cui usui inservirent hæ vestes, nempe לְכַסּוֹת בְּשַׂר עֶרְוָה *ad tegenda verenda*; ad verb. *ad tegendam carnem* (*a*) *nuditatis*: & quæ earum forma esset, cum dicit, מִמָּתְנַיִם וְעַד־יְרֵכַיִם יִהְיוּ *à lumbis usque ad femora* (sive *genua*) *erunt.* Josephus dicit sacerdotem ante omnia indutum fuisse *manachasen* (sic scribitur pro מכנסים *Micnesajim*) quasi dicas (*b*) constrictorium; esse autem subligar circa verenda, consutum è bysso retorta, ac circum ilia constrictum. Hieronymus vocat (*c*) feminalia, vel brachas usque ad genua pertingentes. Dicit autem superiorem partem sub umbilico vehementer fuisse astrictam. Malim supra umbilicum; quod & verbis Scripturæ, & vulgari usui est congruentius. Chaldæus Paraphrastes Ezech. 44. 18. ubi de femoralibus lineis fit mentio, dicit לא יחגרון על חרציהון *Et non cingent circa lumbos suos*, *sed circa corda sua ligabunt*, seu *constringent*. Hebræus textus sic habet, לא יחגרו ביזע מכנסי פשתים יהיו על מתניהם *Et femoralia linea erunt super lumbos eorum*; *non cingent in sudore*, seu in loco sudoris. Kimchi ad locum refert Doctores exponere במקום שמזיעין *in loco, ubi* (*præcipue*) *sudant*. Atque addit, כדתניא כשהן חוגרין אינם חוגרין לא למטה ממתניהם ולא למעלה מאצילי ידיהם אלא כנגד אצילי ידיהם *Quemadmodum se habet traditio*, *Quando accingunt*, *non accingunt nec infra lumbos suos*, *nec supra axillas suas*, *sed juxta axillas.* Sheringhamius dicit totum spatium ab axillis ad coxendicem huic rei liberum fuisse; loca vero, quibus copiosus sudor excurrit (ipsas, nempe axillas, & imum ventrem) prohibita fuisse, ne sacræ vestes, inde attracto sudore, inquinatæ, & maleolentes fierent. Idem etiam testatur per ירכים (quod proprie significat *femora*) Rabbinos hic intelligere *genua*; & citat quendam R. Levi Barcellonium sic scribentem, מכנסים מתחת הטבור עד הירכים ...... אלהם גדולים ... Latinam horum verborum interpretationem omisit; ea autem sic habet; *Femoralium forma nota est ubique; horum autem femoralia ampla erant* (*& pertingebant*) *à lumbis usque ad genua; nam* ירכים *Jarcaim hic significat genua.*

43. *Et erunt super Aharonem*, *& super filios ejus*] h. e. (uti exponit R. Salom.) Aharon vestes ad ipsum pertinentes induet; & filii ejus eas, quæ ad ipsos pertinent. Ad filios autem Aharonis pertinebant [ut idem notat R. Salom. ad v. 40. & 41.] quatuor vestes, nempe כתנת *tunica*, אבנט *cingulum*, מגבעת *pilei*, & מכנסים *femoralia*. Ad Aharonem vero octo, nimirum חשן *pectorale*, אפוד *Ephod*, מעיל *pallium*, כתנת תשבץ *tunica ocellata*, מצנפת *tiara*, אבנט *& cingulum*, ציץ *lamina*, & מכנסים *femoralia*. Sic in tractatu Talmudico *Joma* cap. 7. §. 5. dicitur כהן גדול משמש בשמונה כלים והדיוט בארבעה i. e. *Sacerdos magnus in octo vestibus ministrat*; *gregarius quatuor*. Vestes gregarii Sacerdotis statim recensentur, nempe כתנת *tunica*, מכנסים *femoralia*, מצנפת *tiara*, & אבנט *cingulum*. Sacerdos autem magnus his addidisse dicitur חשן *pectorale*, אפוד *Ephod*, מעיל *pallium*, *&* ציץ *laminam*. Sheringhamius, vir in his literis valde eruditus, in Annotationibus suis monet quatuor vestes primo memoratas Sacerdoti magno cum reliquis Sacerdotibus communes fuisse; quod licet vestes Sacerdotis magni paulo accuratiores molliores que fuerint, licet tiara & baltheus ejus aliquantulum à cæteris discreparent, omnes tamen eisdem nominibus appellentur. Atque ad eundem modum de vestibus sacerdotalibus scribit Hieronymus Epist. 128. quippe qui מצנפת *Mitsnepheth*, seu tiaram Pontifici pariter ac reliquis sacerdotibus communem facit; atque ita etiam Josephus Antiq. lib. 3. c. 8. in scriptura autem tegmina capitum, quibus usi sunt gregarii Sacerdotes, alio nomine nuncupantur, nempe מגבעת *Migbaoth*, i. pilei, sive galeri. Octo hasce vestes Hebræi appellant (*d*) בגדי זהב *vestes aureas*, quod ornatiores splendidiores que essent; nonnulli quatuor tantum ex eis, nempe quæ Pontifici propriæ erant, sic appellatas volunt, sed Maimonidis verba [uti à (*e*) Sheringhamio sunt citata] contrarium aperte asserunt; בגדי זהב הן בגדי כהן גדול והם שמונה כלי הארבע של כל כהן ומעיל ואפוד וחשן וציץ *Vestes aureæ sunt vestes sacerdotis magni*; *& sunt octo*, *nempe quatuor*, *quæ cuivis sacerdoti sunt communes*, *& præterea pallium*, *Ephod*, *pectorale*, *& lamina.* Quatuor autem istæ vestes, quarum fit mentio Levit. 16. 4. nempe tunica linea, femoralia linea, cingulum lineum, & tiara linea, ab Hebræis appellantur בגדי לבן *vestes albæ*, & ab eis, quæ hic memorantur, diversæ reputantur. Quam autem vere in hac re sentiant, vix habeo dicere; neque enim satis intelligo cur vestes istæ in Levitico memoratæ non sint eædem cum iis, de quibus hic fit sermo. (*f*) Seldenus ait vestes hasce non omnino inter se discrepasse, nisi quod istæ de quibus agitur in Levitico, Pontifici tantum propriæ fuerunt, & ex lino purissimo seu bysso conficiendæ erant, cum illæ, quorum hic fit mentio, omnibus sacerdotibus communes essent, & cingulo lana intertexeretur opere phrygionico seu polymito. At vestes istas non nisi ad Pontificem pertinuisse, nondum est ostensum; nec id inde profecto constat, quod in isto Levitici loco Pontifex, cum in Sanctum Sanctorum ingrederetur, eas induere jubetur; id enim nihil impedit, quo minus vestes istæ ei cum aliis sacerdotibus essent communes. De cingulo autem, etiamsi nonnihil lanæ intertextum esset, cum tamen præcipue ex lino fieret, non immerito lineum appellari potuerit. Minus placet quod dicit (*g*) Cunæus, etsi lineæ sunt, quæ

(*a*) Vel, *turpitudinis*. (*b*) At radix כנס *Canas* non est *constringere*, sed *colligere*. (*c*) Sic Vulg. LXX. περισκελῆ. Onkel. מכנסין. Jonath. אוורקסין. Hierosl. אברקסין. Sic in edit. Ven. scribitur; Buxtorfius legit cum ב & ר אברקסין, & monet esse pro ר ו & in altera voce ו pro ב, ac corruptum videri ex *Bracca*.

(*d*) Vide Cunæum de Rep. Hebr. l. 2. c. 1. (*e*) Sheringham. in Cod. *Joma* cap. 3. Selden. de Success. in Pontif. lib. 2. cap. 7. (*f*) Selden. ubi supra. (*g*) Cunæus loc. cit.

quæ utrobique describuntur, tamen בד [qua voce Moses utitur Levit. 16. 4.] vulgare *linum* esse, cum שש [quod vocabulum hic usurpatur] *byssus* exquisitissimi generis sit. Arbitror enim dictionem בד *linum* in genere denotare, atque adeo שש *byssum* sub se complecti. Atque ita sane Onkelos Levit. 16. 4. pro בד quater repetito semper habet בוץ, quod שש proprie respondet, & *byssum* significat. Quin & Seldenus [uti antea notatum] ex Hebræorum mente vestes istas in Levitico memoratas ex bysso seu lino purissimo confecta refert. Re igitur pensitata eo potius propendeo, ut existimem quatuor illa indumenta, quorum in Levitico fit mentio, eadem esse cum eis de quibus in hoc capite agitur. Neque enim verisimile mihi videtur, ea vestimenta hic esse prætermissa, nec ullam eorum factam esse mentionem, quibus Pontifex tam sacro ac solenni fungens officio induebatur.

I D E M.

4. וּכְתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ *Et tunicam ocellatam*] Kimchi (*a*) refert R. Saadiam Arabice vertere עין, idque significare opus ocellatum, seu ocellis refertum; הוא מעשה הנקרא עשוי עינים עינים.

15. *Et facies* חֹשֶׁן מִשְׁפָּט *pectorale judicii*] Kimchi (*b*) asserit sic dictum, quod in se haberet *Urim* & *Thummim* quæ ostendebant judicium hominis (id est, quid homini facto esset opus) cum per ea Deum consulerent, קרא חשן משפט לפי שהיו עליו האורים והתומים שהיו מודיעים משפט האדם כשהיו שואלים בהם.

16. זֶרֶת אָרְכּוֹ וגו׳ *Spithama erit longitudo ejus, &c.*] Kimchi in Rad. testatur Rabbinos dicere, זרת seu spithamam in lege memoratam, esse dimidium cubiti, qui sex palmos in se continet.

28. וְלֹא־יִזַּח הַחֹשֶׁן מֵעַל הָאֵפוֹד *Nec dimovebitur pectorale ab amiculo.*] Kimchi (*c*) exponit לא יגבה *non elevabitur*: q. d. לא יסור ולא יזח מעל האפוד *non recedet, nec movebitur ab amiculo.* Verbum זחח ait apud Rabbinos esse *elevari*: nam זחוחי הלב illis esse גבוהי לב וגסי הרוח *elatos corde, ac superbos.*

(*a*) *In Radice* שבץ. (*b*) *In Radice* חשן. (*c*) *In Radice* זחח.

I D E M.

1. לְכַהֲנוֹ־לִי *ut eos mihi sacerdotes constituas*] Refert Doctores dicere, vocem לכהנו ter usurpari cum litera ו addititia, idque innuere, stante priore Templo octodecim fuisse Pontifices: sed id Cabbalisticum & insulsum nimis videtur.

4. *Hæ autem sunt vestes &c.*] Observat hic *Laminam*, & *subligacula* esse omissa, idque factum dicit, quod ea duntaxat hic memorantur, in quibus conficiendis opus erat sapientia, uti colligit ex v. 3. Addit autem *Laminam* in *Mitra* seu (*a*) *Tiara* esse comprehensam, quod super eam posita erat; atque ideo postea, ubi de singulis vestibus conficiendis peculiaria dantur mandata, nullum peculiare mandatum reperiri de conficienda *Mitra*, sed duntaxat de conficienda *Lamina*, v. 36. Monet insuper *Pectorale* hic primo memorari, quod omnium vestimentorum erat præstantissimum, deinde *Ephod*, quod *Pectorale* ei adjungebatur: reliqua etiam vestimenta pro dignitatis suæ ratione esse recensita.

17. *Et implebis in eo impletiones lapidum*] Dicit sensum esse, *Pectorale* lapidibus adeo conjunctim inter se positis fuisse implendum, ut totum *Pectorale* quasi unus lapis videretur.

Ordinibus quatuor] Asserit quatuor ordines lapidum fuisse, uti quatuor erant vexilla Israelitarum: atque ideo etiam existimat, nomina tribuum non secundum ordinem nativitatis, sed eo ordine, quo in vexillis erant, insculpta fuisse: observat enim non hic dictum esse כתולדתם *juxta nativitatem eorum*, uti dictum est. v. 10.

אֹדֶם *Rubinus*] Sic interpretatur הוא הנקרא רובינו.

פִּטְדָה *Topazius*] Dicit vernacule vocari בלאיו, minusque rubicundum esse, quam Rubinus ac magis ad albedinem & splendorem inclinare הוא יותר נוטה ללובן ולאור.

וּבָרֶקֶת *Et carbunculus*] sic exponit, הקרבונקלו, & præ reliquis splendescere ait, ac fulgurare.

18. נֹפֶךְ *Smaragdus*] Vernacule interpretatur אסמירלדא.

סַפִּיר *Sapphirus*] Sic exponit, הוא הנקרא בלע״ז ספירו.

וְיָהֲלֹם *Et adamas*] Vernacule vocari ait דיאמנט *Diamante*, atque omnium esse robustissimum.

(*a*) מצנפת.

19. לֶשֶׁם *Ligurius*] Ille *Amethystum* exponit אמטיסטה.

שְׁבוֹ *Achates*] *Topazium* esse dicit, טופציו. (*b*)

וְאַחְלָמָה *Et amethystus*] Videtur Smaragdum interpretari. הוא האיסמירלדו.

20. תַּרְשִׁישׁ *Beryllus*] interpretatur *Turcicum* בלע״ז טורקינה. Refert autem gemmam seu *perlam existimari.*

וְשֹׁהַם *Et Onyx*] Chrystallum esse dicit, הוא הקריסטאל.

וְיָשְׁפֵה *Et Jaspius*] Ita interpretatur הוא נקרא בלע״ז גאטה.

30. *Urim & Thummim*] Refert ex Doctoribus nonnullos velle, lapides istos duodecim fuisse *Urim* & *Thummim*, ac sic appellatos, מפני שהיו מאירים את דבריהם ומתמימים תשובותיהם *quod illuminabant verba eorum, & responsa eorum perficiebant.* Sententiam autem istam improbat, quod ex verbis Scripturæ videatur, *Urim* & *Thummim* quiddam fuisse, quod Moses in *Pectorali* posuit, quemadmodum Tabulæ Legis ab eo in Arca positæ erant. Probat igitur Rabbinorum traditionem, nempe *Urim* & *Thummim* fuisse שם המפורש *nomen Dei explicatum*, quod Moses scripsit & inter plicaturas Pectoralis posuit; atque istius nominis beneficio Pontificem prophetico Spiritu imbutum fuisse: sed id pro inani Judæorum commento merito habeatur. Notat autem ex cap. 7. tractatus Talmudici *Ioma*, tres conditiones, quod ad oraculum illud *Urim* & *Thummim* attinet, fuisse requisitas. 1. Respectu interrogantis, eum nempe non nisi regem fuisse, vel synedrium magnum, [בית דין הגדול] vel aliquem, cujus ope ac opera tota congregatio utebatur מי שהצבור צריך אליו. 2. Respectu interrogationis, eam scilicet non de re aliqua privata fuisse, sed quæ universos Israelitas spectabat. 3. Respectu interrogati, eum nempe fuisse sacerdotem magnum, super quem Spiritus S. requievit. De modo autem, quo Pontifex id quod quærebatur, intellexit, consentit eis qui ex literis emicantibus id factum putant. Cum enim Pontifex de re aliqua consultus erat, ait eum primo de sacris nominibus, quæ inter plicaturas Pectoralis posita erant, cogitasse, ac deinde lapides aspexisse, atque inde statim coram oculis ejus literas responsi ipsius emicuisse: sed quia literæ emicantes varie digeri ac componi potuerunt, ita ut diversæ voces inde orirentur, cum nonnulli existiment Pontificem à Spiritu S. edoctum fuisse, quemadmodum literæ inter se conjungi deberent, ipse potius sentit, literas non omnes simul emicuisse, sed eo ordine quo conjungendæ erant. Vult etiam oraculum istud appellatum esse *Urim*, ob emicationem literarum, & *Thummim* ob ejus certitudinem.

33. *Et tintinnabula aurea* בְּתוֹכָם *in medio eorum*] Displicet ei sententia R. Salomonis, nempe inter duo malogranata positum fuisse tintinnabulum aureum; atque asserit malogranata fuisse cava, ac in eis inclusa fuisse tintinnabula aurea, ita ut in medio eorum seu intra ea apparerent: alioqui enim [uti Nahmanidem refert objecisse] malogranata nulli usui inserviisse. Quin & explicandum fuisse, quemadmodum tintinnabula pendere debebant, utrum nempe annuli, ex quibus penderent, faciendi erant.

35. *Et sonitus ejus audietur*] Hic ait ostendi usum malogranatorum, & tintinnabulorum; atque ex sonitu isto Pontificem excitatum, ut ubinam esset, ac quemadmodum sese gerere deberet, consideraret, atque ita mortem, qua alioqui ob negligentiam suam puniendus erat, evaderet. Refert autem Cabbalæ peritos [מקובלים] velle, Pontificem isto sonitu licentiam introeundi adeptum: nam qui regis palatium subito absque venia ingreditur, eum morti esse obnoxium, uti in historia Asueri traditur. Hoc igitur sonitu Pontificem quasi proclamasse, ut omnes istinc exirent, dum ipse ad Deum colendum ingrederetur: sic enim scriptum esse, *Nec erit quisquam in Tabernaculo*, &c. Sed & in exitu etiam Pontificis, sonitum ejus audiendum fuisse, ut reliqui Dei ministri ad eum deducendum præsto essent.

36. *Et facies* ציץ *Laminam*] Sic appellari ait, quia posita erat על מקום הכח המצייר והמציץ *super locum potentiæ imaginativæ & prospectivæ*, nempe super caput: sic enim vocem מציץ usurpari Cant. 2. 9. מציץ מן החרכים *prospiciens per cancellos.*

40. וּמִגְבָּעוֹת *Et galeros*] Monet nullum ex sacerdotibus præter sacerdotem magnum indutum fuisse מצנפת *mitra*, discrimen autem inter *galeros* & *mitram* ostendit, nempe *galeros* absque ulla duplicatione caput circumdedisse, ac instar galearum fuisse: *mitram* autem juxta Doctores sedecim cubitorum longitudinem

(*b*) Refert istum lapidem haberi pro *magnete* אבן שהוא מבר יהמגניטה

tudinem habuisse, & instar tiaræ [צניף] capiti circumvolutam, ac multipliciter complicatam fuisse. כמא על כמ Illud tamen addit, quia *galeri* pariter ac *mitra* capitis tegumenta erant, ideo metaphorice [על דרך העברה] vocari *mitram*. Sic enim Doctores dicere, Sacerdotem magnum octo vestibus ministrasse, vulgarem autem Sacerdotem quatuor, nempe *tunica*, *subligaculis*, *mitra & cingulo*: Sacerdotem magnum præterea habuisse *Pectorale*, *Amiculum*, *Pallium*, & *Laminam*.

42. *Subligacula linea*] Notat hæc non cum reliquis vestimentis, sed seorsim memorari, quod reliqua vestimenta ornatui ac decori inserviebant, uti dicitur v. 40. non sic autem subligacula linea, quæ aspectui non patebant.

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

2. L*Agana*] Est רקיק idem quod לחם רק, *panis tenuis*.

5. *Interulam Ephod*] Vocatur altera vestis *vestis Ephod*, quod Ephod esset cinctorium ejus.

¶ *Pectorale*] Aharon pontificalibus indutus vestibus repræsentabat Tabernaculum & omnia utensilia ejus. Pectorale judicii repræsentabat Arcam: Nam habuit inclusos lapides, ut illa tabulas continebat lapideas; habuit scripturam Urim, ut illa Legem scriptam. Ephod vero repræsentabat Propitiatorium: Habuit enim duos lapides onychinos, sicut illud habuit duos Cherubim. Lamina autem quæ *Sanctitatem Domini* insculptam tenebat, repræsentabat gloriam Domini quæ habitavit in tabernaculo. Interula significabat Velum & sex cortinas, quæ totum interius claudebant tabernaculum. Et sic de reliquis. Omnia autem ista habebant suam significationem spiritualem. Tabernaculum ea significabat quæ pertinent ad Christum & ejus Ecclesiam. Quod enim summus Sacerdos singulis annis eadem sacrificia in Sancto sanctorum repetebat, significavit sua sacrificia non expurgare peccata, sed alium esse futurum Pontificem qui majus & perfectius tabernaculum, non manufactum, neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem, ingressus sit semel in cœlum, summum Dei tabernaculum. ut nos reconciliet cum Patre. Cæterum tres Tabernaculi partes adumbrant totum corpus Christi, quod è Christo & Ecclesia ejus constat. In hoc enim Christus caput est, veluti Sanctum sanctorum. Ecclesia autem membra sunt, inter quæ alius alio dono præditus est: Ac qui administrant Ecclesiam verbo Euangelii adumbrantur per Sanctum; Reliqua turba in Christum credentium significatur per Atrium. Quanquam autem tota Ecclesia in tres ordines divisa sit, omnes tamen sunt unum corpus Christi, sicut & Israelitæ erant unus populus Dei, etiamsi in varios ordines distributi essent. Jubentur hic sacerdotes pro sui consecratione quatuor facere, scilicet induere sacerdotalia vestimenta, ungere caput, implere manus, hoc est offerre sacrificium, & lavare se in aqua.

14. *Sacrificium pro peccato est*] Vocat Hebraismus oblationem pro peccato *peccatum*, בעבור שהיא קרבה לכפר חטאת. Ubi monet R. Menahem de Racanati, Dominum potissimum exigere pro suo sacrificio animalia, & membra illa quæ concupiscentiis subjiciuntur. Non vult habere animal infirmum, aut quod testiculis sit privatum. Requirit renes, qui concupiscentiæ prima sunt officina: Vult habere epar, quod roborat libidinem; & adipes, qui effrænem faciunt concupiscentiam, juxta illud, *Impinguatus est Israel, & recalcitravit*, &c. Hæc omnia Dominus in suo vult habere sacrificio, non quod illum delectent renes aut adipes pecudum, sed quod hæc mystice significent quod homo mortificare debet membra sua super terram.

24. *Ventilabis*] Significat הניף aliquid in sublime porrectum hinc inde ad quatuor mundi plagas movere & quasi ventilare. At תרומה erat oblatio quæ solum sursum & deorsum aliquoties movebatur, & non ad latus.

28. *Statuto perpetuo*] h.e. Quamdiu Lex vetus cursum suum habebat, tamdiu pectus & armum dextrum in sacrificiis pacificis tenebantur Israelitæ dare Aharon & legitimis successoribus ejus.

32. *Juxta ostium*] h.e. In atrio extra tabernaculum.

33. *Alienus autem non vescetur*] Intelligitur per *alienum* homo qui non est de genere sacerdotali.

37. *Qui tetigerit altare sanctus fit*] Sensus est, שלא יגעו בו, *quod immundi non debent accedere*. Et hoc propterea annotamus, quod nostri hunc locum & alia consimilia loca sic verterunt, *qui tetigerit altare, sanctificabitur*.

40. *Decimam partem*] Sub. *Ephi*. Habet autem mensura Ephi tria סאין, i. *sata* seu *modios*. Et decima pars Ephi habet mensuram quadraginta trium ovorum. *Hin* vero est mensura liquidorum, continens duodecim לוגין. *Log* vero est mensura quæ continet sex ova. Porro חומר *homer*, qui & כור *corus*, de quo Levit. 27. est mensura continens decem mensuras Ephi, hoc est, 4320. ova. Hebræi de his mensuris sic scribunt, האיפה ג׳ סאין והסאה ו׳ קבין קב ד׳ לוגין לוג ו׳ ביצים נמצא קפוי ביצים עשרון האיפה מ״ג ביצים וחומש ששר, h. e. *Habet Ephi tria Sata, Satum sex Cabos, Cabus quatuor Logim, Log sex ova.* Hæc si multiplicentur, incipiasque à Log, quæ in aridis & liquidis minima est mensura, continens sex ova gallinacea, invenies Cabum habere 24 ova, Satum 144 ova, & Ephi 432 ova. Decem autem Ephi faciunt חומר *Homer*, quæ mensura etiam כור *Corus* vocatur, continens 4320 ova, quæ maxima est mensura apud Hebræos. Porro Hin, quæ est mensura liquidorum, dicitur continere שנים עשר לוג, *duodecim Log*, i. 72 ova, & sic quarta pars Hin erat mensura 18 ovorum.

41. *Hoc holocaustum*] Vocatur juge illud & perpetuum sacrificium apud Hebræos מנחה, quod putant derivari à verbo נחה *adduxit*: fiebatque in vespera, h. e. cum Sol inciperet declinare. Unde usus apud Hebræos obtinuit ut sæpe tempus vespertinum vocent *Minha*. Et licet Scriptura quoque vocet juge illud sacrificium quod mane fiebat *Minha*, tamen peculiariter adaptatur tempori vespertino & ejus sacrificio.

43. *Testificabor*] Capitur hic, sicut & in multis aliis locis, *testificari* pro *apparere*, *loqui*, *exhortari*, aut *convenire cum eo cum quo loquaris*.

FAGIUS.

1. F*ilium bovis*] Sic vocat Hebraismus juvencum, vitulum, & bovem nondum adultum.

2. *Lagana azyma*] Sunt placentæ tenues: unde & Hebraice à *tenuitate* רקיקים *Rekikim* appellantur.

5. *Et indues Aharonem tunica*, &c.] Aharon pontificalibus vestibus indutus repræsentabat tabernaculum & omnia utensilia ejus. Pectorale judicii repræsentabat Arcam: Nam habuit inclusos lapides, ut illa tabulas continebat lapideas: habuit scripturam Urim, ut illa Legem scriptam. Ephod vero repræsentabat Propitiatorium: Habuit enim duos lapides Onychinos, sicut illud duos habuit Cherubim. Lamina autem quæ *Sanctitatem Domini* insculptam tenebat, repræsentabat gloriam Domini quæ habitavit in Tabernaculo. Interula significabat Velum & sex Cortinas, quæ totum interius claudebant tabernaculum. Et sic de reliquis. Hæc D. S. Munsterus in Bibliis suis Hebraicis super hunc locum annotavit.

6. *Coronam sanctitatis*] i. laminam auream in qua descriptum erat *Sanctitas Domini*, sive *Sanctitas decet Dominum*.

9. *Ut sit ex sacerdotium*, &c.] i. Volo ut sacerdotium perpetuo pertineat ad eos.

14. *Sacrificium pro peccato est*] Sensum reddidimus. Nam ad verbum est, *peccatum est*. Sic Paulus 2 Cor. 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Hic monent Hebræi Dominum potissimum exigere pro suo sacrificio animalia illa & membra quæ concupiscentiis subjiciuntur. Non vult habere animal infirmum, aut quod Testiculis sit privatum. Requirit Renes, qui concupiscentiæ prima sunt officina. Vult habere Hepar, quod roborat libidinem; & Adipes, quæ effrænem faciunt concupiscentiam, juxta illud, *Impinguatus est Israel, & recalcitravit.* Hæc omnia Dominus in suo vult habere sacrificio, non quod illum delectent renes, sed quod hæc significent *mortificanda esse membra nostra supra terram*.

18. *Holocaustum est Domino*, &c.] Heb. *Holocaustum enim est Domino, odor quietis, oblatio ignita est Domino*, i. Oblatio est enim quæ tota igni debet absumi in honorem Dei: estque oblatio quæ quiescere facit iram Dei, h. e. pacatum eum reddit hominibus. Quod autem addit, *oblatio ignita est Domino*, repetitio est verbis paulum immutatis. Dicitur præterea, עולה *Olah* Hebraice, à verbo עלה *Alah*, i. *ascendit*, quod totum illud sacrificium in fumum, ut ita dicam, ascendat & convertatur.

20 *In superiori parte auris*, &c.] Heb. תנוך און *Thenuch* autem diverso modo interpretantur. Alii enim *cartilaginem*, alii *teneritudinem*, alii *extremum* seu *fibram* auris, alii *macerient qua in media aure est*, exponunt. R. D. K. in Rad. suis de ista voce ita scribit, הוא הרך אשר בקצה האזן כל בלעז' ובספרא מפרש שהוא הגדר האמצעי, *Tenerum illud est, quod est in extremitate auris, quod vulgo Mol vocatur. Et in libro Siphra appellato exponitur pro*

maceria qua in media aure est. Et huic postremo adstipulatur & R. S. in suo commentario super hunc locum. Noster Paraphrastes vertit *supremam partem auris.*

26. *Et elevabis ipsum elevatione*, &c.] Dicunt doctores Hebræorum quod in sacrificiis duplex erat elevatio: Altera, quæ sursum ac deorsum movebatur; Et hæc dicebatur Hebraice תרומה *Thrumah*, ab *exaltando*: Altera antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, h. e. ab Oriente in Occidentem, deinde à Septentrione in Meridiem, agitabatur & movebatur; qua agitatione Deum totius esse terræ Dominum significabat: & hæc Hebraice vocabatur תנופה *Thenuphah*, q. d. *Movenda*: & de hac hic agitur. Scribunt quoque Hebræi ista agitatione hujus oblationis *Thenuphah* appellatæ significatum esse, quoscunque homines, qui ex quibuscunque climatibus mundi, quæ Hebræis נפות *Nophoth* dicuntur, Hierosolymam venirent, salvos & incolumes futuros, optimaque aura, quæ ibi temperatissima esset, ut in nullo alio loco universi orbis, fruituros: Alias enim fere fieri ut qui ex uno climate mundi in aliud migrent, facile in morbos incidant propter aeris mutationem: hoc autem non accidisse his qui sub clima terræ Israeliticæ venirent, juxta illud Esa. 33. 24. *Et non dicet habitator, Ægrotavi: sed populus qui habitat in ea, dimissus est ab iniquitate.* Item illud Psal. 48. 3. יפה נוף משוש כל הארץ הר ציון ירכתי צפון קרית מלך רב, *Pulcher locus, sive clima aut regio, & gaudium universæ terræ est mons Zion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Quem locum Hebræi sic explicant, דע כי הבורא יתעלה חלק עולמו לשבעה חלקים והם נקראים אקלימים ובלשון הקדש נפות ובכל נוף ונוף האויר משונה זה מזה ומי שיצא מנוף תולדתו ונכנס בנוף אחר יחלה על הרוב להשתנות האויר מנוף תולדתו אבל ירושלים היתה יפה תנופות בכל מי שבא אליה משאר התנופות יהיה בריא ושלם וזהו שאמר משוש כל הארץ, *Scias quod Creator excelsus divisit mundum suum in septem partes, quæ vocantur Climata, & in lingua sancta נפות Nophoth. Et unumquodque clima aura differt ab alio; ita ut si quis egreditur climate quo natus est, & veniat in aliud clima, plerumque in morbum incidat propter mutationem aeris. Verum Jerusalem pulcherrimum sive optimum clima erat, ita ut quicunque eo venerit ex reliquis climatibus, salvus & incolumis manserit: atque ideo vocatur Gaudium universæ terræ.* Hæc Hebræi: Quæ tu recte dixeris, & intellexeris, si ita accipias, quod nimirum voluerunt veteres illi Hebræi, quicunque ex omnibus populis veniant in Ecclesiam Dei per fidem in Christum, qui per omnia sacrificia adumbratus fuit, quæ Ecclesia, cujus ille Caput est, etiam significata fuit per populum Israeliticum, urbem Hierosolymam & terram Israel, vere demum salvos & beatos futuros: Ad hæc, quod literalem & historicum sensum attinet, corporis quoque sanitatem, temperatam & salubrem auram, omniaque alia quæ ad externam vitæ commoditatem ac felicitatem attinent, inde à Deo nobis suppeditari, si verus Dei cultus apud nos locum habeat, & juxta illius verbum & voluntatem ritè perficiatur. Hujus ceremoniæ adhuc hodie vestigium quoddam exstat apud gentem Judaicam: Cum enim volunt discedere ex Synagoga sua absolutis omnibus precationibus, sic dicunt Hebraice, atque ita absolvunt se, עשה שלום במרומיו הוא יעשה שלום עלינו ועל כל ישראל אמן, *Qui facit pacem in excelsis suis, ipse faciat pacem super nos & super universum Israel. Amen.* Atque hanc orationem cum dicit, tribus passibus retrocedit inclinando se dextrorsum, lævorsum & antrorsum. Tantumque huic precationi tribuunt stulti Judæi ut putent Deum hinc non tantum sibi sed universo orbi benefacere.

28. *Quoniam separatio est*] *Separationem* vocat, eo quod quamdiu Lex vetus cursum suum habebat, tamdiu pectus & armum dextrum in sacrificiis pacificis tenebantur Israelitæ dare Aharoni & legitimis successoribus ejus.

33. *Profanus autem non comedat*] i. qui non est de genere sacerdotali. Atque ita etiam exponit A. E. שאינו מזרע אהרן, *qui non est de semine Aharon.*

37. *Veluti sanctum sanctorum*] h. e. ut quidam exponunt, *sanctissimum erit.* Alii, *unum ex sanctis erit.* ¶ *Sanctus erit*] Sensus est, Non debet ex immundis esse.

40. *Quartam partem Hin*] Hin mensura erat liquidorum continens duodecim לוגין *Login*: Log vero sex ova continebat. Sic enim Hebræi pro suo more mensuræ genera per ova explicant. Testis hujus R. D. K. qui in lib. Rad. ita scribit, והיה המדה שתים עשר לוגין והלוג ששה ביצים ומדת הלח, *Mensura fuit apud eos continens duodecim Login: Log autem sex ova: eratque mensura liquidorum.*

42. *Ante ostium tabernaculi testimonii*] Ubi nos reddidimus *testimonii*, Chaldaice est זמנא, quod *tempus constitutum* significat. Sic enim vocabatur illud, quod Deus ibi Mosen ac populum convenire volebat. Unde mox addit, *ubi constituam verbum meum vobis*, &c.

43. *Et sanctificabor in gloria mea*] i. Tentorium illud sanctificabitur ob meam præsentiam gloriosam.

45. *Ponam præsentiam Divinitatis meæ*] Paraphrasi quadam usus sum ad explicandum vim & energiam vocis Chaldaicæ שכינה *Schechinah*, quam ad verbum *quietem* vertere licet. שכן enim verbum *quiescere* significat. Hinc Hebræi præsentiam Dei quæ sese in tabernaculo circa arcam exserebat, à *quiescendo*, quod ibi videretur quasi quietem & sedem suam habere Deus, *Schechinah* appellant. Nos jam *quietem*, jam *præsentiam Divinitatis*, jam *majestatem* illius reddidimus.

V A T A B L U S.

1. HOc quoque, [וזה הדבר אשר] Ad verbum, *Et hæc est res quam*, &c. i. hac quoque ratione consecrabis illos ut mihi sint Sacerdotes. ¶ *Filium bovis*, [בן בקר] i. vaccæ, q. d. adhuc juvenem, non adultum. ¶ *Immaculatos*, [תמימים] *Integros*, i. tales quales sunt arietes illi qui sanctificari solent, in quibus nihil sit quod reprehendi possit, aptos & idoneos ad sacrificium faciendum.

2. *Ea*, [אתם] i. omnia supra dicta.

3. *Una cum juvenco*, [ואת הפר] Ad verbum, *& juvencum.*

4. *Accedere facies*, [תקריב] *Applicabis.*

5. *Et pallium Ephod*, [ואת מעיל האפד] i. quod subest ipsi ephod: supra quod ponitur ephod. ¶ *Balteo*, [בחשב] *Artificio*, i. balteo sive cingulo ficto in modum & figuram baltei. Vide cap. 28. 27.

6. *Coronam* autem *sanctitatis*, [את נזר הקדש] *Coronam sanctam* vocat, quam cap. 28. 36. *laminam auream* appellavit.

7. *Postremo accipies*, [ולקחת] Ad verbum, *Et accipies.* ¶ *Unctionis*, [המשחה] Quo scilicet ungebantur Reges & Sacerdotes.

8. *Posthac filios ejus accedere facies*, [ואת בניו תקריב] Ad verb. *& filios ejus appropinquare facies*, sub. *ad ostium tabernaculi ecclesiæ*: ut v. 4.

9. *Et aptabis eis*, [וחבשת להם] Ad verb. *& alligabis eis*, vel *arctabis.* ¶ *In statutum perpetuum*, [לחקת עולם] i. fungentur mihi Sacerdotio perpetuo. ¶ *Implebisque manum*, [ומלאת יד] Vide cap. 28. 41.

10. *Et offeres*, [והקרבת] Ad verb. *Et appropinquare facies*: aut, *accedere facies*: vel, *applicabis.*

12. *Reliquum autem sanguinem*, [ואת כל הדם] Ad verb. *& omnem sanguinem.*

13. *Intestina*, [את הקרב] Sing. Heb. pro plur.

14. *Sacrificium pro peccato est*, [חטאת הוא] Ad verb. *peccatum est*, i. sacrificium expiatorium. Sic Paulus 2 Cor 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Hic admonent Hebræi, Dominum potissimum exigere pro suo sacrificio animalia illa & membra quæ concupiscentiis subjiciuntur. Non vult habere animal infirmum, aut quod Testiculis sit privatum. Requirit Renes, qui concupiscentiæ sunt officina. Vult habere Hepar, quod roborat libidinem; & Adipes, qui effrænem faciunt concupiscentiam, juxta illud Deut. 32. 15. *Impinguatus est Israel, dilatatus, & recalcitravit.* Hæc omnia vult Dominus habere in suo sacrificio, non quod illum delectent renes, sed quod hæc significent nobis *mortificanda esse membra nostra super terram*, Col. 3. 5.

16. *Et asperges*, [וזרקת] *Et effundes.*

17. *Super frusta ejus*, [על נתחיו] i. illa intestina & crura superpones frustis illius juvenci in frusta concisi.

18. *Holocaustum est*, &c. [עלה הוא וגו׳] *Holocaustum* enim *est Jehova, odor quietis, oblatio ignita est Jehovæ*; i. Est enim oblatio quæ tota igne absumi debet in honorem Jehovæ: estque oblatio quæ quiescere facit iram Dei, h. e. pacatum eum reddit hominibus. Quod addit, *oblatio ignita est Domino*, repetitio est verbis paulum mutatis: nam holocaustum vocat *oblationem ignitam*, ut & Lev. 1. 9. & 13. 17. At Lev. 3. 5. accipitur pro ea parte sacrificii pacificorum quæ cremabatur in igne holocausti in suavem odorem Domino. Nam in tres partes dividebatur sacrificium illud pacificorum: Una pars (quæ refertur Levit. 3. 3.) tradebatur igni holocausti in suavem odorem Domino, ut dictum est: altera, pectusculum & dexter armus, tradebatur Sacerdoti, ut Lev. 7. 34. legitur, & Deut. 18. 3. Reliqua erant hominis offerentis, quibus ille una cum familia sua vescebatur. Dicitur autem holocaustum עלה à verbo עלה *ascendit*, quod totum illud sacrificium in fumum, ut ita dicam, ascenderet & converteretur.

20. *Super tenerum auris*, [על תנוך אזן] *Super auriculam* : vel, *super ultimam auriculam*, i. in ima parte auris.

22. *Intestina*, [את הקרב] Sing. Heb. pro plur. ❡ *Consecrationum*, [מלואים] Ad verbum, *impletionum*, i. consecrationum. h. e. qui immolabatur in consecratione summi Sacerdotis.

23. *Et tortam*, [וככר] *Et bucellam* : vel, *Et frustulum*. ❡ *Et oleo*, [שמן] Ad verbum, *olei*, i. aspersam oleo olivarum.

24. *Exaltabisque*, &c. [והנפת וגו׳] *Agitabisque illa agitatione*. Sublatam enim hostiam agitabant seu motitabant primum ab Oriente in Occidentem, dein à Septentrione in Meridiem : qua agitatione significabant Deum esse totius terræ Dominum.

25. *In odorem quietis*, [לריח ניחוח] Vide v. 18.

26. *Consecrationum*, &c. [המלואים וגו׳] Ut v. 22. Quidam vertunt, *consecrationis Aaronis*, i. de ariete mactato in consecratione Aaron. ❡ *Et exaltabis*, [והנפת] Vide v. 24. ❡ *In partem*, [למנה] i. erit pars tua.

27. *Sanctificabis itaque*, [וקדשת] i. separabis & consecrabis, neque sines ut his vescatur vulgus, sed soli Sacerdotes Deo consecrati. ❡ *Exaltationis*, [התנופה] *Agitationis*, i. jam exaltatum & agitatum coram Domino. Mox seipsum declarat. ❡ *Elevationis*, [התרומה] *Separationis*. Sic mox, *& qui separatus est*. Gallice dicimus, *qui est enlevé*. ❡ *De ariete consecrationum*, &c. [מאיל המלואים וגו׳] Ad verb. *de ariete consecrationum pro Aarone & filiis ejus*. ❡ *Ipsius Aharon*, &c. [לאהרן מאשר וגו׳] *De quo ipsi Aaron, & de quo filiis ejus*, sub. *fuit consecratio*, i. de ipso ariete qui immolatus fuerit pro consecratione ipsius Aaron & filiorum ejus.

28. *In statutum perpetuum à filiis Israel*, [לחק עולם מאת בני ישראל] i. jure sempiterno accipient Aaron & filii ejus à filiis Israel pectus & armum. ❡ *De sacrificiis*, &c. [מזבחי וגו׳] i. quum pacifica sacrificia sua offerent, pars illa offeretur Domino, & propterea sacerdotes habebunt illam, h. e. armum dextrum cum pectore. Chald. paraphrast. *separatio est, & separatio erit à filiis Israel, de victimis sanctificationum suarum, separatio inquam eorum est coram Domino*. Expositio petenda est ex v. 31.

29. *Ad ungendum*, &c. [למשחה וגו׳] i. ut illis vestiti ungantur & consecrentur. ❡ *Et ad consecrandum*, &c. [ולמלא וגו׳] *Et impleant manum suam cum eis*. Chald. paraph. *& ut offerant in eis oblationes suas*.

30. *Qui ingredietur*, [אשר יבא] *Quando venerit*. ❡ *In sanctificatione*. [בקדש] *In sanctitate*, i. cum omni sanctimonia. Alii, *in sancto*.

33. *Quibus expiatus fuit*, [אשר כפר בהם] Sub. *Aaron & filii ejus*. Ad verb. *quibus expiatus fuit in illis*. Redundat *illis*, & in præcedentibus jungendum, *in quibus expiatus fuit*. ❡ *Sanctificatio*, [קדש] *Sanctitas*, i. res sunt sacræ, sive sacrosanctæ.

34. *Consecrationum*, [המלואים] i. arietis mactati in consecratione Aaron : ut v. 26.

35. *Juxta omnia quæ præcepi*, [ככל אשר צויתי] i. prorsus ut præcepi. ❡ *Consecrabis*, [תמלא] Ad verbum, *implebis*. Vide cap. 28. 41.

36. *Per diem*, [ליום] *In diem*, i. per singulos dies. ❡ *Pro expiationibus*. [על הכפורים] i. ad expiandum altare. ❡ *Expiando illud*, [בכפרך עליו] Ad verbum, *in expiando te illud*, i. dum expiabis, vel purgabis illud. ❡ *Ad sanctificandum ipsum*, [לקדשו] i. ut sanctum sit. Omnia ista intelliguntur de altari holocausti : postea de altari suffimenti loquetur.

37. *Sanctitas sanctitatum*, [קדש קדשים] Hebraismus, erit sanctissimum, ait ut quicunque obtulerit aliquid super illud, fiat sanctum. Vide cap. 30. 39.

38. *Altari*, [על המזבח] *Propter altare, altaris gratia*. Alii, *in altari*.

39. *Inter duas vesperas*, [בין הערבים] i. sub noctem ipsam. Vide cap. 12. 6.

40. *Et decimam partem*, [ועשרן] sub. *ephi*. Habet autem Ephi tria Sata, seu Modios, sive Bocellos, ut vocamus. Decima vero pars ephi tantum continet quantum quadraginta trium ovorum testæ. Hin vero est mensura liquidorum, continens duodecim Login. Log vero mensura est quæ tantum continet quantum sex ovorum testæ. Porro Omer, sive Gomer, qui & *Corus* dicitur, est mensura continens tres mensuras ephi, h. e. quantum mille ducentæ & nonaginta testæ ovorum. ❡ *Mista*, [בלול] *Aspersa*, vel, *conspersa*; aut *aspersam*.

41. *Sicut minha*, &c. [כמנחת וגו׳] *Juxta ritum oblationis matutinæ, & juxta ritum libaminis ejus*. De hoc vide c. 30.
9. ❡ *In odorem quietis*, [לריח ניחוח] Vide v. 18. ❡ *Oblationem*, &c. [אשה ליהוה] *Oblatio ustulata Jehovæ*, i. quæ fit in honorem Jehovæ.

42. *In generationes vestras*, [לדרתיכם] *Per ætates vestras, seculis vestris*.

43. *Gloria mea*. [בכבודי] *Per gloriam meam*, i. præsentia mea.

44. *Sanctificabo inquam tabernaculum*, [וקדשתי את אהל] Exponit superiora.

CASTALIO.

41. UT eo rei divinæ odore Jova deliniatur] Quod *rem divinam* interpretor, in Hebræo est אשה, quod verbum ab *igne* deductum, significat rem divinam sive sacrificium ad quod adhibetur ignis. Sed nos quod idem plane valeat verbum non habemus, nec necesse est *ignis* nominatim facere mentionem, cum in sacrificii descriptione comprehendatur. Alicubi vero *flagrantiam*.

CLARIUS.

5. ET rationali] Aaron pontificalibus indutus vestibus repræsentabat Tabernaculum & omnia utensilia ejus. Pectorale judicii repræsentabat Arcam : nam habuit inclusos lapides, ut illa tabulas continebat lapideas; habuit scripturan Urim, ut illa legem scriptam. Ephod verò repræsentabat Propitiatorium: habuit enim duos lapides onychinos, sicut illud duos habuit Cherubim. Lamina autem quæ *sanctitatem Domini* insculptam tenebat, repræsentabat Gloriam Domini quæ habitavit in tabernaculo. Tunica superhumeralis sive interula Ephod significabat velum & sex cortinas, quæ totum interius claudebant tabernaculum, & sic de reliquis. Jubentur vero hic pro sui consecratione quatuor facere, scilicet induere sacerdotalia vestimenta, ungere caput, offerre sacrificium, & lavare se in aqua.

6. *Et laminam sanctam*] Alius vertit, *& coronam sanctitatis*.

13. *Sumes & adipem*] Pulchrè hunc locum M. Basilius mystice interpretatur, dicens, *Doceri nos à Divina lege in hoc vitulo qui pro sacerdotio offertur, per ea membra quæ comburuntur, qui nobis habendus sit vitæ modus. Jubet enim*, inquit, *reticulum jecoris, non totum jecur, & adipem qui operit intestina, non ipsa intestina, renum vero non adipem solum, sed ipsos etiam renes cum adipe comburi & in holocaustum offerri. Etenim cum jecur instrumentum sic appetitionis, intestina vero alendo animanti necessaria, neque fieri possit ut absque alimentis vivamus, sed neque sine naturali vi appetendi, iccirco admonet Lex, ut servato eo quod secundum naturam est, alimentis & appetitionibus, id abjiciamus quod vitiosum ac superfluum est, quasi adipem intestinorum, & jecoris reticulum, sive*, ut ipse ait, *eam jecoris particulam cui putatur fel esse conjunctum. At vero cum renes neque necessaria instrumenta ad alendum animal, quemadmodum intestina, neque ad appetitiones aptas servando animanti videantur, ut jecur, sed tantum ei parti appetitionis serviant quæ ad viri ac mulieris copulam pertinet, sine qua vivere animal possit, horum non adipem solum, sed ipsos etiam renes igni tradit comburendos, cum possimus sine renibus, h. e. sine conjugio, vivere, & virginalem vitam, quæ pares angelis facit, hic etiam exercere*. Hæc ille.

14. *Sacrificium pro peccato est*] Heb. *Peccatum est*. Vocat enim Hebraismus oblationem pro peccato *peccatum*. Quem morem loquendi & Paulus servavit cum dixit, *Christum factum esse pro nobis peccatum*, h. e. hostiam pro peccato. Observant autem & Hebræi, Dominum potissimum exigere pro suo sacrificio animalia illa & membra illa quæ concupiscentiis subjiciuntur. Non vult habere animal infirmum, aut quod testiculis sit privatum : requirit renes, qui concupiscentiæ prima sunt officina : vult habere epar, quod roborat libidinem; & adipes, qui effrænem faciunt concupiscentiam, juxta illud, *Impinguatus est Israel, & recalcitravit*. Hæc omnia Dominus in suo vult habere sacrificio, non quod illum delectent renes aut adipes pecudum, sed quod hæc mystice significent quod homo mortificare debet membra sua super terram.

24. *Et ventilabis ea*] Significat aliquid in sublime porrectum hinc inde ad quatuor mundi plagas movere & quasi ventilare. Alii censent motum illum fuisse in modum crucis, ut scilicet in altum attolleretur & rursum submitteretur, deinde à sinistra ad dextrum

trum movetetur. Quanquam & prior modus figuram crucis exprimebat. Erat & aliud genus oblationis quod solum sursum & deorsum aliquoties movebatur.

28. *Jure perpetuo*] Vel, *statuto perpetuo* : h. e. Quandiu lex vetus cursum suum habebat, tamdiu pectus & armum dextrum in sacrificiis pacificis tenebantur Israelitæ dare Aaron & legitimis successoribus ejus.

32. *Juxta ostium tabernaculi*] In atrio scilicet extra tabernaculum.

33. *Alienigena non vescetur*] Intelligitur hic per *alienigenam* homo qui non est de genere sacerdotali.

37. *Omnis qui tetigerit illud sanctificabitur*] h. e. sanctus esse debet : Ut doceat immundos non debere accedere.

40. *Decimam partem*] Subaudi *Ephi*.

D R U S I U S.

1. FAcere Latini autores usurpant pro *rem Divinam facere*, h. e. sacrificare. Macrobius Saturn. l. 3. cap. 2. locum illum enarrans, *Cum faciam vitula pro frugibus*, inquit, *Cum faciam rem divinam non ove, non capra, sed vitula: tanquam dicat, Cum vitulam pro frugibus sacrificavero.* Idem lib. eod. c. 11. *Ad diem 12. Calend. Jun. Herculi & Cereri faciunt sue pregnante, panibus, mulso.* Sic proverbio dictitant, *Dii facientes adjuvant*, quod explicant, *rite sacris operantes.* Quin *pontifices* Scævola C. dictos arbitratur tanquam *potifices*, quod *facere possunt*, h. e. *sacrificare.* Hinc forte Augustinus l. 7. quæst. 55. *Facere hædum non solet dici nisi cum fit sacrificium.* Probarem, si dixisset *facere hædo*; nam id est sacrificare. Nunc cum dicat *facere hædum*, non puto verum esse quod dicit. Nam *facere hædum* ita dicitur ut *facere filium bovis*, *juvencum*, *panem*, &c. *Panem facit* qui coquit : sic *juvencum*, qui eum mactat. Exempla id clarum faciunt. Gen. 27. 17. *& panem quem fecerat*, i. ceperat. Sane & Hieron. *& panes quos ceperat.* Gen. 18. 7. *Ad boves cucurrit Abraham, accepitque filium bovis tenerum & bonum, quem dedit puero; qui festinavit facere illum*, i. coquere, apparare. Exod. 12. 47. *Omnis cœtus Israel faciet eum*, de agno Paschali, qui comedebatur, non sacrificabatur. Hinc intelliges quid sit, *facere juvencum* hoc in loco, & *facere boves cum hircis*, Psal. 66. 15. Quæ omnia faciunt adversus Augustini observationem illam, quam tamen firmare videtur locus qui habetur Jud. 13. 15. *Faciemus coram te hædum caprarum.* Non firmat. Nam sunt verba Manoë & uxoris ad Angelum, quem Angelum esse nesciebant. Quid Angelus ad hæc; *Si retinueris me, non comedam de pane tuo: & si feceris holocaustum*, DOMINO *offer illud.* Duo respondet, Si velitis mihi convivium apparare, frustra? non edam de pane vestro : si vero velitis holocaustum offerre, offerte illud *Domino*, non mihi, qui Angelus sum à *Domino* missus, non *Dominus*. Nam soli Deo sacrificandum. *Facit* autem *hædum* & qui eum coquit ad convivium, & qui mactat paratque ad sacrificium.

45. Deus *habitat* in nobis per Spiritum suum; item per Sermonem suum. Uterque ideo שכינה dicitur; quod reddunt *Divinitatem* : sed ipsa vox Ebraica proprie significat *habitationem*. Usi sunt ea Onkelos & Jonathan hoc loco. Nam ubi est in fonte, *Habitabo in medio filiorum Israel*, ipsi transtulerunt, *Collocabo Divinitatem meam in medio filiorum Israel.* Quænam hæc *Divinitas*? An Spiritus sanctus? aut potius Sermo ille de quo legimus, *Sermo caro factus est*, *& habitavit in nobis* : item, *in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*? Duplici ergo de causa potest dici שכינה, vel quia ipse habitabat inter nos, vel quia plenitudo Divinitatis in eo habitat. Quod annotandum duxi propter eos qui legunt scripta Ebræorum, in quibus frequenter occurrit illud, Dominus *& Divinitas ejus*; item, *Stetit Divinitas coram Deo sancto benedicto.* Vide Gerundensem in Pentateuchum 342. 2. Definitur à Nominibono *lux ejus creata*, & *gloria ejus creata extra animam.* Manahemus in Mosen 135. 2. *Non pervenitur ad Deum absque Divinitate* : & 111. 1. *Non licet ingredi ad videndum faciem Regis benedicti absque Divinitate.* Alibi vocatur *Metatron*, & *Angelus Dei*, & *Angelus faciei*, & *Angelus* simpliciter, & *Princeps mundi*, quia mundus regitur per eum. Vide 89. 4. & 90. 1. De Metatron consulendus Elias in Thesbite. Vocatur etiam *domus judicii ejus.* Quo referunt, *Dixit Deus, Faciamus hominem* : quod exponunt, *Dixit ad domum judicii sui*: Non ad Angelos (nam Angeli non crearunt hominem) non ad seipsum; sed ad Filium & Spiritum sanctum, qui cum illo crearunt, judicant & regunt mundum. *Domus* enim *judicii* vocantur ipsi judices, ut cum dicunt, *Domus judicii cogunt eum.* Vide Thesbitem Eliæ.

I D E M.

2. וְחַלֹּת מַצֹּת בְּלוּלֹת Schol. κολλύρας ἀζύμους ἀναμεμιγμένας, *collyras infermentatas mixtas*] Sic Plautus, *Collyra facite ut madeant.* Augustino est *panis subcinericeus*, de Genes. ad lit. lib. 8. cap. 5. *Pro uno*, inquit, *pane subcinericeo, quem alio nomine κολλύραν vocant.* ¶ *Mixtas*, oleo commixtas.

5. אֶת־הַכֻּתֹּנֶת וְאֵת מְעִיל הָאֵפֹד Sym. τὸν χιτῶνα, καὶ τὸ ἐπένδυμα τοῦ ἐπενδύματος, *tunicam & superindumentum superindumenti.* Th. τὸν χιτῶνα, καὶ τὸν ἐπενδύτην τοῦ ἐπωμίδος, *tunicam & superindumentum superhumeralis*] *Superindumentum*, superiorem tunicam. ¶ *Superindumenti* : superioris pallii. Hier. epist. cxxx. quæ ad Marcellam, *Aquila, id quod illi ἱμάτιον dixerunt, ἐπίῤῥαμμα & ἐπένδυμα dixit : quod scilicet tunica est, quodque Ebræo sermone vocatur* מעיל, *superiorem tunicam. ἔνδυμα vero, i. ἐπωμὶς, quod Ebraice dicitur ephod, supernus pallium significat.* ¶ Τοῦ ἐπενδύματος. Ergo etiam Symmacho אפוד est ἐπένδυμα. ¶ Τὸν ἐπενδύτην. Idem quod ἐπένδυμα. Est autem vestis exterior, ut ὑποδύτης interior. Theodoretus in Exod. Quæst. 60. ὑποδύτην καλεῖ τὸν ἐνδότερον χιτωνίσκον, ἐπενδύτην δὲ τὸν χιτῶνα τὸν ἔξωθεν, Job 1. 20. מעלו. Th. τὸν ἐπενδύτην. A. ἐφεστρίδα. Scholia Græca explicant ἔνδυμα.

6. נֵזֶר Sym. ἀφόρισμα. Alius, τὸ ἅγιον, i. *sanctum*] Ἀφόρισμα. Psal. 132. 18. נזרו. Alius, ἀφόρισμα αὐτοῦ. Alius, τὸ ἀφωρισμένον αὐτοῦ. Sym. ὁ ἁγιασμὸς αὐτοῦ. Est autem ἀφόρισμα *separatio*, sive *quod ab aliis separatum est.* Hinc נזירים, q. ἀφωρισμένοι. *ab aliis separati & secreti.* Vulgo *Nazaræi* dicuntur. ¶ Τὸ ἅγιον. Malim τὸ ἁγίασμα· ut Psal. 89. 39. נזרו, Lxx τὸ ἁγίασμα αὐτοῦ. Sic etiam vertunt Psal. 132. 18. ubi Sym. ὁ ἁγιασμὸς αὐτοῦ, si non erratum in nomine : Quod crebrum in editione Romana. Aliud nunc dicam. In Ebræo fonte נזר הקדש, quod Lxx reddunt τὸ πέταλον τὸ ἁγίασμα. Suspicor igitur alium posuisse τὸ πέταλον τὸ ἅγιον, i. *laminam sacram*, aut *sanctam.* Quomodo sane Hieron. *& laminam sanctam super tiaram.* Hodie reddunt, *& diadema sanctum.* Sic dico, alius vertit, τὸ πέταλον τὸ ἅγιον, vel certe, τὸ ἀφόρισμα τὸ ἅγιον. Judicent eruditiores.

9. אַבְנֵט אַהֲרֹן A. διὰ ζώνης, Ἀαρών. Th. ζώνῃ, Ἀαρών, *zona, Aharon*] Hieron. de veste sacerdotali, *Tertium est genus vestimenti quod illi appellant* אבנט, *nos Cingulum, vel Balteum, vel Zonam possumus dicere. Babylonii novo vocabulo* המין *vocant.* Ἀαρών. Plenum est, Ἀαρὼν καὶ τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ· ideo posui comma post διὰ ζώνης. Nam sensus, *Cinges eos balteo*; sive *zona*, *videlicet Aharonem & filios ipsius.* Si hoc displicet, per me licet ut deleatur comma illud, hac sententia, *Cinges eos, videlicet filios Aharon, zona* sive *balteo*, *Aharonis.* Sane nulla est interpunctionis nota in codice Romano, unde hæc descripsimus.

18. רֵיחַ נִיחוֹחַ Ceteri, — εὐαρεστήσεως, *placabilitatis*] Plenum est, ὀσμὴ εὐαρεστήσεως, quod prius legebatur in Lxx. εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Hieron. habet, *odor suavissimus.* Uterque Chaldæus, לאתקבלא ברעוא, *ad accipiendum benevole*, quod Græce significantius diceretur ἐν εὐδοκίᾳ. ¶ *Cæteri*, οἱ λοιποί.

20. בֹּהֶן Schol. τὸν ἀντιδάκτυλον] i. *pollicem.* Ita divino. Divinationi meæ firmandæ est ἀντίχειρ *pollex*, quod toti manui solus æquipolleat. Sic forte ἀντιδάκτυλος, quod reliquis digitis æquipolleat : qua ratione *pollex* dicitur à *pollendo* : aut quod Indici, quem peculiariter & q. per excellentiam δάκτυλον Ebræi vocant, sit oppositus.

22. וְהָאַלְיָה Alius, καὶ τὴν κέρκον, *& caudam*] Hoc in editione τῶν ό. desideratur. ¶ שׁוֹק הַיָּמִין Cæteri, τὴν κνήμην, *tibiam* sive *crus*] Psal. 147. 10. שוקי האיש, *crura*, seu *tibiæ*, *viri.* Lxx. ἐν ταῖς κνήμαις. Hic reddunt, τὸν βραχίονα τὸν δεξιόν, & Hieron. *armum dexterum.* Hinc intelliges quid sit δόσιν βραχιόνων, Sirach. 7. 31.

36. עַל־הַכִּפֻּרִים A. Sym. Th. ἐξιλασμοῦ, *expiationis*] Prius erat τοῦ καθαρισμοῦ. Id etiam Hieron. correxit. Nam transfert, *ad expiandum.* Sic mox.

37. תְּכַפֵּר οἱ λοιποί, ἐξιλάσῃ, *expiabis*] Ut Psal. 78. 38. יכפר, Lxx. ἱλάσεται, *expiabit*, *propitius erit.* Hic vertunt καθαριεῖς *mandabis.* ¶ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים] Schol. ἅγιον τῶν ἁγίων, *Sanctum sanctorum.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et hoc est quod facies illis ad sanctificandum eos, quo sacerdotio fungantur mihi: accipe juvencum unum filium bovis & arietes duos integros.*

Hoc est] In fonte, *hoc est verbum*. Latine, *hæc est res quam facies eis*. Aut *verbum* redundat in Latio. Nam satis erat, *Hoc est quod facies eis*. ¶ *Ad sanctificandum*] vel, *ad consecrandum*. Nam futurus sacerdos certo ritu consecrandus & initiandus erat. ¶ *Quo sacerdotio fungantur mihi*] Docte Græci ἱερατεύειν μοι. Nam כהן ἱερατεύω. Minus recte Chaldæi, *quo ministrent mihi*. Nam id latius patet. Non enim certe omnes qui ministrant sacerdotio defungentur. Quod notius, quam ut probari debeat. ¶ *Accipe*] hic est לקח accipe, ut alibi קח cape: quæ in idem recidunt. Sic לקחת & לקחת. Sine discrimine usurpantur. Vide Jarium. ¶ *Juvencum unum filium bovis*] Hieron. *vitulum de armento*. עגל מבקר. Lxx. μοσχάριον ἐκ βοῶν, quod reddunt, *vitulum de bobus*. μοσχάριον proprie parvus vitulus. Onkelos, *bovem unum filium bovis*, vel certe *boum*. Nam תורין boves. Esset autem תורין. Jonathan addit דלא מעורבין, quo innuere mihi videtur boves, qui non sunt ex diverso semine. Sed ἐπέχω. Vitulus עגל dicitur, & bos שור. Inter hos medius est פר juvencus. Sapientes dicunt vitulum esse duorum annorum, & juvencum trium. Legimus tamen Gen. 15.9. *Vitula triennis*: ubi in fonte עגלה & Hiero. *vaccam* interpretatur. R. David in Comment. Psal. 69.32. *juvencus qui memoratur ad oblationem in lege est filius trium annorum*. In Phesictha, פר *est filius trium annorum, ait R. Simeon*. ספר i. liber præceptorum major, *Juvencus filius duorum: juvencus filius bovis, trium. R. Eliezer dicit, Vitula est filia anni sui, & juvenca duorum: verum Sapientes dicunt vitulam esse duorum annorum, & juvencam trium aut quatuor*. Job. 21.10. פרה Aq. δάμαλις. Lex. Vetus, δάμαλις, *vacca, bucula, juvenca*. Pœne exciderat: μόσχος in edit. Lxx. *bos* aliquando, ut possis exponere μοσχάριον parvum bovem. ¶ *Filium bovis*] vel, *bove natum*. Sic Varro locutus perhibetur. Columella vero etiam *filii* & *nepotis* nomen usurpat de *onagris*. Sed & *patris*. Vide illum de re rustica lib. 6. cap. 36. ¶ *Arietes*] hos Chaldæi דכרין vocant quasi *mares* dicas. ¶ *Integros*] ἀμώμους, absque ullo vitio corporis. Ebræi hoc dicerent בלא מום sine macula. Nam מום macula: unde forte Græcum μῶμος, dedecus, probrum, infamia: item reprehensio, vituperatio. Sic alibi מום לו *id ei macula erit* i. probro, dedecori.

2. *Et panes infermentatos, & placentas infermentatas mixtas oleo, & lagana infermentata lita oleo: farinam triticeam facies ea.*

Panes infermentatos] Sic Græci ἄρτους ἀζύμους: quos Hier. æmulatus est, referens, *panes azymos*. Quid sit מצה alibi dictum est. Ab eo pluralis est מצות quod reddunt ἄζυμα. Ergo לחם מצות panis azymorum; vel, si mavis, *infermentatorum*: quod idem cum illo, *panis infermentatus*. Unde in Onkelo & Jonatha, לחם פטיר. Nam Ebræi & Chaldæi *panem* dicunt, non *panes*. Sic *placentas azymorum*, & *lagana infermentatorum*. Nam utraque vox in regimine. Quorum simile adhuc quæro. ¶ *Placentas infermentatas*] Hiero. *crustulam absque fermento*. Videtur legisse pro חלת pro חלה, quorum hoc plurale, illud autem singulare nomen. Lxx. hic silent. Quod tamen accidisse reor culpa librariorum. Nam in Scholio κολλύρας ἀζύμους: forsan ex alia editione. Nihil affirmo. Hoc tantum 2 Sam. 6.19. חלת לחם à Lxx. reddi κολλυρίδα ἄρτου, & à Hiero. *collyridam panis*. Interpres Rom. h. l. *placentas* exponit. Scribitur & κολύρα, unico λ. *Tortam panis* quidam interpretantur. Lev. 7.12. חלות, alius, κολλυρίδας. Reperitur hæc vox in Plauto, *collyra facite ut madeant*. Videtur fuisse genus panis. Sane August. de Genesi ad litteram, lib. 8. cap. 5. *pro uno pane subcinericio, quem alio nomine κολλύραν vocant*. Si recte, collyra erit panis subcinericius. Hic Ebraice עגה dicitur. Eodem significatu legitur קליר in monumentis Ebræorum. Lexicon Thalmudicum, *Audivimus locum esse in quo panis subcinericius vocatur* קליר: *propterea R. Eliezer appellavit ita panem illum*. A κολλύρα diminutivum est κολλύριον, unde κολλυρίδες, & *panis collyrida*, quod Ælius Antonius Nebrissensis emendat *collyrida*. perperam. Collyrida est κολλυρίς, quod factum ex obliquo κολλυρίδα. Ita mihi videtur. ¶ *Mixtas oleo*] ἀναπεποιημένας. Quod in Scholio repperi. Nam Lxx. πεφυραμένας ἐν ἐλαίῳ, conspersos oleo. Nam ad panes refertur. Hieron. secutus videtur, *quæ conspersa sit oleo*; videlicet crustula absque fermento. Aliud conspergere, aliud miscere. Vox Ebræa sonat ut si dicas *confusa oleo*. Nam in mixtione res confunduntur. Id Chaldæi dicunt דליפן & פתיכן. Nam גריצן placentæ, licet sit foemininum, tamen masculine construitur in Jonathan. Crebrum hoc in ea lingua. Probabo alias. ¶ *Oleo*] *oleo olivarum*. Jonathan. ¶ *Lagana*] λάγανα. Hiero. Lxx. Erat autem genus placentæ ex farina & oleo. forte cum Ol[...]horh. Ebr. רקיקי à *tenuitate*, ut quidam volunt. Onkelos אספוגין, quod non intelligo. In Aruch אספוגין exponitur res parva, valore sicli. Jonathan עירוכין à miscendo. Nam farina cum oleo miscetur. Verto, *mixtiones panis infermentati quæ litæ sunt oleo olivæ*. Sed legendum עירוכין per Chaph. Sane laganum ערך dicitur infra vers. 23. Vide quæ scripsimus ad illum locum. ¶ *Lita*] vel *uncta*. R. Salo. *Post cocta lagana ungunt ea in modum* χ, *quod est Chaph Græcanicum, simile nostro Nun*. erras vehementer: Nam χ Græcum nullam habet similitudinem cum Nun Ebræo. Sed כ habet. Quid hoc ad rem? Chaph literæ figura multum dissimilis est χ Græco. ¶ *Farinam triticeam*] ad verbum, *farinam triticorum*: & est sensus, *ex farina triticea facies ea*. Simile, *aurum facies ea*, quod supra expositum à me fuit, *ex auro*. Recte igitur Hier. *de simila triticea cuncta facies*: Quanquam in Lxx. σεμιδάλεως ἐκ πυρῶν.

3. *Et pones ea in canistro uno, offeresque illa in canistro, & juvencum & duos arietes.*

4. *Et Aharonem filiosque ejus admovebis ad ostium tabernaculi conventus, lavabisque eos aqua.*

5. *Et accipies vestes & indues Aharonem tunica & pallio Ephod & ipse Ephod & pectorali: quod constringes balteo Ephod.*

6. *Et pones tiaram super caput ejus & pones diadema sanctum super tiaram.*

In canistro uno] ἐπὶ κανοῦν ἕν: quod est contractum ex κάνεον. Mox sequitur ἐπὶ τῷ κανῷ, obliquus ex κανόν. Hinc forte apud Hesychium κανεῖν, κανοῦν. Nam contractum in frequentiore usu, præsertim apud prosæ scriptores. Dicitur & κάνασ[...] unde canistrum: Sic Græcum Μιθριδάτης mutatum est à Latinis in Mithridates. Vide notas nostras in historiam sacram Sulpicii. Gen. 40.16. סלים Aquila κόφινοι & Hiero. *cophini*. Sed Sym. κανᾶ i. canistra. In Hesychio κανοῦν cum duplici ν. Chald. סלא. ¶ *Juvencum*] filium bovis, quem perperam interpretantur *subrumum* i. nondum depulsum à lacte. ¶ *Duos arietes*] Jon. addit, *portabunt* in סלא. Id *sellam* interpretantur. Quid autem h. l. sit videndum. Nam סלא i. canistrum significare non potest. Lex. Chald. Munsteri, סלא *sedes in modum parvæ mensæ*. Alibi est *sella familiaris* sive *familiarica*, reddendo alvo deputata. ¶ *Admovebis*] vel, applicabis. ¶ *Ad ostium tabernaculi*] *ad atrium tabernaculi cum erectum erit*. R. Salo. Ceterum tabernaculum משכן dicitur. Hic autem est אהל, quod verti posset, *tentorium*. Quanquam in idem hæc duo recidant. Unde ambo Chaldæi משכן & Lxx. τῆς σκηνῆς, & Hiero. *tabernaculi*. ¶ *Conventus*] Uterque Chaldæus זמנא i. temporis statuti ad conveniendum, quod est מועד proprie. Nam μαρτύριον sive testimonium, quod apud ceteros interpretes potius עדות dicitur. ¶ *Eos*] totum corpus eorum. Id vocatur טבילת כל גוף baptizatio totius corporis. Nam aliquando manus tantum & pedes lavabant. ¶ *Tunica & pallio*] Hiero. *linea & tunica*. כתנת linea. מעיל tunica. Distinguit lineam à tunica, cum כתנת sit tunica, quam χιτῶνα vocant Lxx. Theodotio & Sym. proprie *tunicalinea*. Vide quæ notavimus ad caput præcedens. ¶ *Pallio Ephod*] מעיל האפוד Lxx. τὸν ποδήρη. Theo. τὸν ἐπενδύτην τῆς ἐπωμίδος, pallium superhumeralis, si modo ἐπενδύτης est pallium? Nam aliud significare videtur, videl. *superindumentum*. Sym. καὶ ἐπένδυμα τοῦ ἐπενδύματος: & superindumentum superindumenti. In edit. Ro. *id est tunicam illam hyacinthinam, quæ ad tunicam illam simplicem lineam intimam relata erat superindumentum, sed substernebatur alteri superindumento, nimirum superhumerali.* *Huc videtur spectasse Theodoretus cum dixit* ἐπενδύτην, *in Scriptura vocari poderem, quod ad pedes usque perveniret. Superiori tamen capite vocata est* ὑποδύτης, *quod ut diximus, substerneretur superhumerali.* Hæc ibi. Quæ adduxi ut ostenderem eandem vestem & ἐπενδύτην & ὑποδύτην dici, diverso respectu. Jon. hic rursum edidit מנטר מעיל אפודא. Antea monui legendum videri מנטר qua voce usus est Saadias in Arabicis. Vide Abenez. Exod. 28.31. Hinc forte vulg. *mantelum* i. pallium, quod Italice *mantello*. Belgice Mantel. *Mamar, Mantal & Mantel*. Aut *Mantad*, *Mantal* ut *cassida* & *cassila*. ¶ *Pectorale*] Hiero. *rationale*, videlicet ex Græco τὸ λογεῖον. ¶ *Balteo Ephod*] alii, ad Ephod. Sic Græci πρὸς τὴν ἐπωμίδα. ¶ *Tiaram*] vel, *cidarim*. ¶ *Diadema sanctum*] *hæc est lamina*, inquit R. Salo. i. ציץ. recte.

Ideo

Ideo non male ad sensum Hiero. *& laminam sanctam.* Græci quoque τὸ πέταλον. Quod autem sequitur τὸ ἁγίασμα id alius melius exposuit τὸ ἅγιον. Ceterum נזר proprie diadema sive corona i. כלילא, ut On. edidit. Jon. habet *& coronam in qua sculptum erat nomen sacrosanctum.* Eadem ergo corona cum lamina. ¶ *Super tiaram*] *id fiebat per filum medium & duo fila, quæ tria ad caput ejus ligata erant post cervicem: ipse ponebat illud super cidarim instar galeæ* (aut pilei.) R. Salo. Jarchi. Ceterum nulla in his mentio femoralium quod iis induti essent priusquam ad tabernaculum venirent. Nudi certe non veniebant eo, ut credibile est.

7. *Accipiesque oleum unctionis, quod effundes super caput ejus, ungesque eum.*

8. *Filiosque ejus admovebis & indues eos tunicis.*

9. *Et cinges eos balteo, videlicet Aharonem & filios ejus, & alligabis eis tiaras: eritque illis sacerdotium in statutum seculi, implebisque manum Aharonis & manum filiorum ejus.*

Oleum unctionis] τὸ ἔλαιον τοῦ χρίσματος, quo ungebantur vasa tabernaculi & ipse pontifex, sive summus sacerdos Lev. 8. Vocant oleum sacerdotale, sed & regale. Nam eodem reges ungebantur, ut communis opinio est. ¶ *Super caput ejus*] inde in barbam descendebat, unde Psalmographus Psal. 133. 2. *sicut oleum bonum super caput descendens super barbam, barbam Aharonis, quod descendit super oram vestimentorum ejus.* ¶ *Ungesque eum*] *eum*, non, *eos.* Sic Levit. 8. Hinc dubitatio an etiam ceteri sacerdotes uncti fuerint. Quod affirmat Thomas, sed non probat. Quæramus amplius. Pontificem & regem eodem oleo unctos fuisse docet R. David ad Psalmum citatum his verbis, *Zacharias appellat Zorobabelem principem & Josuam pontificem duos filios olei. Quapropter? quia uncti erant oleo unctionis, hic ad sacerdotium, ille ad regnum.* Fiebat autem hæc unctio decussatim, in speciem litteræ χ, quam vocant כי χῖ quæ forma refert crucem Andreanam sive Burgundicam. R. Salo. *Unctio ista fiebat quasi per decussem instar χῖ. Ponebat oleum super caput & inter cilia oculorum, quæ conjungebat sive comprimebat digito suo.* R. David in comment. ad Psal. 133. *Quum effudisset illud* (oleum) *Moses super caput Aharonis descendit in barbam ejus & oram vestium ejus. Prius induerat eum vestibus sacerdotalibus, & postea effudit oleum super caput ejus unxitque eum illo oleo inter cilia oculorum ejus in speciem Chaph Græcanici. Oleum autem quod effudit super caput ejus descendebat super barbam ejus & super oram vestium ejus sub barba: Nam os vestis est orificium colli: eratque oleum illud à pigmentario aromaticum, bonum & suave.* Hisc. *Fundes oleum illud super caput Aharonis tantum: nam ipse erat sacerdos unctus.* Videtur in ea sententia fuisse ut existimarit alios non fuisse unctos. ¶ *Tunicis*] *tunicis lineis.* Hiero. Quod ut non improbo, ita probare nequeo, quod supra eandem vocem reddit *lineam*, & sequentem proxime כתנת *tunicam.* Lxx. utrobique χιτῶνας i. tunicas. ¶ *Balteo*] i. balteis, sive, ut Græca edit. habet ταῖς ζώναις i. zonis aut cingulis. Quanquam cingulum proprie חגורה dicitur: quod à verbo quo hic usus est חגר. Id Græci reddunt καὶ ζώσεις περὶ τὸ ζώνωμα vel ζωνάν. On. hic edidit המין quod Babylonicum est. Jon. קמור. Mirum autem quod Theodot. verterit *cinges eos.* ζώνη Ααρὼν i. *Zona Aharonis*, cum sequatur, *& filios ejus.* Nam si legas, *& filiorum ejus*, non est commodus sensus. In eundem lapidem impegit Aq. referens διὰ ζώνην Ααρὼν, *per Zonam Aharonis*, si modo ita retulit. Utinam edit. illæ, ut olim, ita nunc etiam extarent. Certius quid afferre possemus. ¶ *Alligabis eis*] vel *circumligabis eis* i. capitibus eorum: & *tiaras* i. κιδάρεις, quas Hiero. *mitras* appellat. *Ea alligabantur capiti cum vitta hyacinthina. Has tiaras alii pileos sive pileolos vocant.* Vide quæ scripsimus ad hanc vocem, ubi de vestitu sacerdotali. ¶ *Sacerdotium*] tam summum, quam vulgare. Nam soli filii Aharon sacerdotes erant. Ceteri Levitæ dicebantur. Sacerdotium autem Græce ἱερωσύνη: hic ἱερατεία dicitur. ¶ *In statutum seculi*] i. perpetuum aut æternum. Hiero. sensum expressit cum verteret, *eruntque sacerdotes mihi religione perpetua.* Lxx. ἕως τὸν αἰῶνα i. usque ad tempus Messiæ. Nam tunc finem accepit cultus Aharonicus, una cum ceteris ritibus. ¶ *Implebisque manum Aharonis &c.*] On. *Offeres oblationem Aharonis & oblationem filiorum ejus.* Sic etiam Jon. Vide quæ notavimus Exod. 28. 41. ad locum, *Et implebis manum eorum.* Accipiendum ut sonat, *Implebis manum eorum oblationibus.* Sic Abenmelech interpretatur.

10. *Et applicabis juvencum illum ante tabernaculum conventus, nitaturque Aharon & filii ejus manibus suis super caput juvenci.*

11. *Et mactabis juvencum coram DOMINO, ante ostium tabernaculi conventus.*

12. *Et accipies è sanguine juvenci, quem pones super cornua altaris digito tuo, & universum sanguinem fundes ad fundamentum altaris.*

Nitaturque] סמך nitetur & quasi sustentabit aut fulciet se. Vide quæ scripsimus ad vers. 16. Lxx. καὶ ἐπιθήσουσι. Hiero. *& imponent*, וסמכו. Videtur tale quid hoc loco significare. Santes, *& jungent.* Veteres editiones mihi præ ceteris probantur, putoque vertendum, *& ponet.* Nam sic usurpant etiam doctores, ut cum dicunt לסמוך את ידיו על איש imponere alicui manus suas. Quod fiebat cum Doctores aut Magistri crearentur. Actio ista סמיכה dicitur quasi impositio manus. Nam creabantur per impositionem manus. Qui hoc faciebat סומך dicebatur: hodie *promotorem* vocant. Creatus autem נסמך vocabatur q. magisterio initiatus per impositionem manus, & סמך. Plenius efferebant נסמך לרבנות creatus magister aut doctor, promotus ad magisterium. In Juchasin fol. 60. סמך אני סומך אותך והרי אתה ego creo te doctorem, esto doctor creatus, vel ego promoveo te, esto promotus. *Et nitetur* potius esset ישם. Quocirca vertendum, *Et ponent Aharon & filii ejus manus suas super caput juvenci.* ¶ *Coram DOMINO*] i. arca, quæ in medio plagæ occidentalis, è regione autem erant altare suffitus & altare holocausti. Vide Abenezram. ¶ *Ad ostium tabernaculi*] *in atrio tabernaculi, quod ante ostium.* R. Salo. Interpretes hic variant. On. *in porta tabernaculi.* Jon. *ad portam.* Lxx. παρὰ τὰς θύρας, quod exponunt, *apud portas.* Hiero. *juxta ostium.* Santes, *ad ostium.* Sic etiam alii. Ego, *ante ostium.* Nam repeto לפני ex præcedentibus. Quod sæpe fit in hac lingua. ¶ *Mactabis*] jugulabis, immolabis. ¶ *Super cornua altaris*] *super altare in ipsis cornibus.* R. Salo. *intellige de altari holocaustorum.* Cajetanus. *super angulos altaris*, Abenmel. Nam *cornua* interpretatur זויות i. angulos. ¶ *Digito tuo*] τῷ δακτύλῳ σου, qui nunc אצבע vocatur in Jon. Tsade in Daleth versa ex dialecto linguæ. Quod quia novum, ideo notandum duxi. Nam in On. אצבע per Tsade. ¶ *Universum sanguinem*] reliquum videlicet, quod expressum in edit. Lxx. τὸ δὲ λοιπὸν πᾶν αἷμα: *reliquum autem omnem sanguinem.* Sic etiam Hiero. nisi quod particulam universalem omisit. In R. Salo. שירי הדם vero *reliquias sanguinis.* ¶ *Ad fundamentum altaris*] basin altaris intelligit ubi fossa erat quæ sanguinem recipiebat. Quod testatur R. Salo. ita scribens, *receptaculum eminens erat circumcirca postquam altare ascendisset cubitum è terra.* Cajetanus opinatur intra ipsum altare terreum relictum fuisse aliquid vacui, in quo recipiebatur sanguis animalium. Minus hoc se probat mihi. ¶ *Ad fundamentum*] Lxx. παρὰ τὴν βάσιν. & Hiero. *juxta basin.* παρὰ interpretatus est *juxta*, etiam versu qui hunc antecedit. In ed. Ro. *ad basin altaris.*

13. *Et accipies totum adipem qui operit intestina, & reticulum* (ex Abenmelecho vertendum *reticulum cum jecore. Nam parum*, inquit, *de jecore sumebat cum reticulo.*) *quod super jecur, & duos renes, adipemque qui super illos, & adolebis super altare.*

14. *Carnem autem juvenci & corium ejus & fimum ejus combures igne extra castra: peccatum est.*

Intestina] קרב & קרבים sunt τὰ ἐντὸς ἀνθρώπου h.e. interna sive intestina, quæ Syrachides ἐντόσθια sive ἐνδόσθια vocat, h.e. quicquid intra hominem. Hiero. *etiam vitalia dicuntur* Psal. 55. 5. Ceterum Lxx. hic ediderunt ἐπὶ τῆς κοιλίας. On. גו i. medium, quod etiam קרב sig. On. על בני גוא super intestina. Verbum è verbo, *super filios medii* i. ventris. R. Salo. *Pellis est quæ supra ventrem quam vocant Tila.* ¶ *Reticulum quod super jecur*] ad verb. *reticulum super jecur* i. interprete Hiero. *reticulum jecoris.* Id Græci appellant τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος. Sunt autem λοβοὶ ἥπατος, *jecinoris fibræ.* Belgice, de lever-aderen. Augustinus *pennam jecoris* vocat, in Levit. quæst. 22. Ceteri περιττὸν reddunt i. superfluum. Nam in יותר significatio superflui. Hinc forte ἧπαρ jecur. In lingua sapientum טרפש reticulum & טרפשא דכבדא, reticulum jecoris, vulgo אי״ל, inquit R. David, pro quo in R. Salom. טי״ל. in On. חצרא per Daleth puto legendum חצרא per Res. Lex. Munst. חצרא reticulum. Jon. *quod reliquum est super reticulo jecoris.* Hic est יתר in fonte. ¶ *Duos renes*] τοὺς δύο νεφρούς. Chald. כליא & כליין renes. Appellatio à concupiscendo. Nam in renibus sedes concupiscentiæ. ¶ *Qui super illos*] qui eis adhæret. ¶ *Adolebis*] incensum facies, sive, ut Hiero. habet, *offeres.* Lxx. ἐπιθήσεις, impones. Jon. ותסדר ordinabis. ¶ *Carnem*] tam capitis quam reliquorum membrorum. *Memorat autem carnem*, inquit Hiscuni, *quia oblatio erat non vulgaris, postea prolatam* com-

comburebat. At de juvenco sacerdotis uncti scriptum, & protulit tostum juvencum, quia protulit eum integrum &c. ❡ *Corium*] τὸ δέρμα, pellem. ❡ *Fimum ejus*] τὴν κόπρον, stercus aut excrementum ejus. Id Chaldæi רעי vocant & אכלה. Nam est cibus excretus. ❡ *Combures igne*] quidam conjiciunt prius hæc omnia lota fuisse. Notavit Abenez. quem adire potes. R. Salo. *Non invenimus peccatum exterius igne combustum fuisse præterquam istud.* Hoc docte refellit Hisc. Vide, si otium est. ❡ *Peccatum est*] Hiero. *eo quod pro peccato sit.* Codices Græci variant. Nam in editis ἁμαρτίας γάρ ἐστι: & in antiquis, ἁμαρτία, peccatum i. oblatio pro peccato. Abenez. *Vocatur peccatum, quia offertur ad expiandum peccatum.* Sic *Christus* legitur *pro nobis factus esse peccatum* i. hostia pro peccato. Ceterum renes concupiscunt & hepar libidinem incendit, & adeps recalcitrare nos facit. Ideo Deus ea requirit præ ceteris membris innuens *ea compescenda & mortificanda esse.*

15. *Et arietem unum accipies, imponentque Aharon & filii ejus manus suas super caput illius arietis.*

16. *Mactabisque arietem illum & accipies sanguinem ejus quem sparges super altare per circuitum.*

17. *Et arietem secabis in frusta, & lavabis intestina ejus & crura ejus, ponesque super frusta ejus & super caput ejus.*

Arietem unum] è duobus quem libuerit. ❡ *Imponentque*] וסמכו & imponent. Supra vers. 10. וסמך & imponet. Quod sic enarrant, Ponet Aharon solus initio: post etiam filii ejus: ponent Aharon & filii ejus simul. Vide Abenez. Ego locutionem esse puto. וסמכו alii vertunt, *jungent*: alii, *fulcient*: alii denique *nitentur*. Vide quæ scripsimus ad versum modo citatum. ❡ *Mactabisque*] hoc Mosi dicitur. Moses ergo illum mactavit. Quod observavit R. Abraham ad vers. 11. hujus capitis. ❡ *Super altare*] non in fundamento aut basi ejus. ❡ *Per circuitum*] סביב circum vel circa. On. & Jon. *circumcirca.* Alius, *circumquaque.* Lxx. κύκλῳ. Videndus h. l. R. Salo. ❡ *Secabis in frusta*] ita Hiero. prius erat in Lxx. διχοτομήσεις κατὰ μέλη dissecabis per membra sive membratim. proprie secabis in duas partes. On. *divides in membra.* Jon. *secabis in segmenta sua.* Sic etiam autor Jerof. בנתחא segmenta, vel sectiones. Santes, *concides in frusta.* ❡ *Et lavabis*] καὶ πλυνεῖς, quòd Syri exprimunt verbis חלל & שזג, quorum postremo usus hic est Jerosol. ❡ *Intestina ejus*] τὰ ἐνδόσθια est in Lxx. קרבו ad verb. *medium ejus.* Sunt autem in medio intestina sive interanea, quæ Jon. & Jerof. interpres בני מעוי vocant. Minus recte Santes, *intestinum ejus.* *Medii* enim vocabulo non unum aliquod intestinum, sed omnia simul significantur. ❡ *Et crura ejus*] καὶ τὰ σκέλη αὐτοῦ. Nam כרעים crura i. σκέλη, ut ipsi Lxx. vertunt Amos. 3. 12. Hic habent τοὺς πόδας, ut Hier. *pedes*, & autor Jerof. ריגלוי pedes ejus. Ceteri ediderunt כרעוהי crura ejus. ❡ *Super frusta ejus*] vel membra ejus. R. Salo. *cum frustis ejus*, quasi dicat, addes reliquis frustis aut membris. Notum ut על pro עם i. *cum* accipitur. Hiero. *super concisas carnes.* Lxx. ἐπὶ τὰ διχοτομήματα, quod Jerosol. interpres dixit על ספור *super segmenta ejus.* Ceteri duo ediderunt, *membra ejus.* ❡ *Et super caput ejus*] Lxx. σὺν τῇ κεφαλῇ, una cum capite.

18. *Et adolebis totum arietem in altari, holocaustum est DOMINO; odor suavissimus, igne absumendum DOMINO est.*

Adolebis] Lxx. ἀνοίσεις, offeres. והקטרת. Hier. *offeres in incensum.* Magis hoc se probat mihi. Nam in fonte והקטרת, unde קטרת incensum, suffitus. ❡ *In altari*] vel, *super altare.* Quod Hiero. edidit, cum prius Lxx. vertissent ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. On. & Jon. למדבחא ad altare. Quanquam in Fagio, *super altare.* Certum est ה in fine pro ל usurpari. An etiam pro על? quærendum est. ❡ *Holocaustum est DOMINO*] quia totum ex more adolebatur DOMINO. In Lxx. ὁλοκαύτωμα quod male redditum in edit. Ro. *holocaustoma.* ❡ *DOMINO*] *coram DOMINO.* Onk. & Jon. ❡ *Odor suavissimus*] ריח ניחח odor quietis i. suavis aut *suavissimus.* Quod postremum Hiero. elegit. Lxx. εἰς ὀσμὴν εὐωδίας i. לריח. εὐωδία est bonus odor. Vertunt, *in odorem suavitatis* i. suavem & fragrantem. Aliter εὐοσμία dicitur. Sed moneo apud alios interpretes esse εὐαρεστήσεως pro εὐωδίας i. acceptationis. Quam interpretationem firmant Chaldaica לאתקבלא ברעוא *ad suscipiendum cum benevolentia*, vel, ut alii, *cum beneplacito.* Posses vertere, *cum acceptatione.* Nam רעוא acceptatio, εὐαρέστησις. R. Salo. *Requies spiritus coram me, qui dixi, Fiat aut facta fuit voluntas mea.* Abenmel. ניחח *est nomen constructum* & נחת *quod ipse acquiescat in eo.* ❡ *Igne absumendum*] Sub. holocaustum: aut, *igne consumenda*, ut *oblatio* subintelligatur. Sic Abenmel. אשה *adjectivum est ad oblationem, quia igne absumebatur. Non qualibet oblatio igne absumebatur, sed tantum ea, quæ holocaustum dicitur. Id totum absumebatur præter sanguinem & pellem. Sanguis fundebatur, & pellis cedebat sacerdoti.* Autor Lyra. Lxx. θυμίαμα κυρίῳ ἐστί: suffimentum DOMINO est. θυμίαμα קטרת dicitur i. suffitus & quasi incensum. Hiero. *victima DOMINI* i. אשה. On. & Jon. *oblatio coram DOMINO.* Chald. קורבן. Santes, *oblatio ignita.* Arias, *ignitio.* In notis ad edit. Ro. *hujusmodi sacrificium Ebræus vocat ignitionem.* Falsum, si אשה est adjectivum. Appellatio ab אש igne. R. Salo. *significationem habet ignis, & est suffitio membrorum, quæ super ignem. Hinc forte* θυμίαμα, *quasi suffitio.*

19. *Et accipies arietem secundum, & imponent Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis.*

20. *Et mactabis arietem illum, accipiesque de sanguine ejus & pones super extremum auris Aharonis, & super extremum auris filiorum ejus dextera, & super pollicem manus eorum dextera, & super pollicem pedis eorum dexteri, & sparges sanguinem super altare per circuitum.*

Secundum] τὸν δεύτερον, alterum. ❡ *Extremum auris*] תנוך *extremum auris.* ita Hiero. nisi quod in eo *auriculæ* pro auris. Lxx. τὸν λοβὸν τοῦ ὠτός: quod exponunt *pennam auris.* Sic supra, τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος, ex Augustino redditur, *pennam hepatis.* Lex. Vetus, λοβὸς ἥπατος, *fibra, fiber*: λοβὸς ὠτός, *lamina.* In Thesauro Stephani, λοβός, *ima auris pars & carnosa, quam Gaza interpretatur fibram apud Aristotelem, histo. animal. lib. 1. cap. 11.* On. רום אודנא *summum* vel *summitas auris.* Jon. חסחוס, pro quo in libro præceptorum magno סחוס per Chaph. Id exponunt interpretantes *extremitatem auris*, alii *durum quod in aure*, h. l. cartilaginem. R. Salom. תנוך *est* הסחוס *i. cartilago media, quæ intra aurem, quam vocant* טנרום *tenrum.* Videtur Gallicum esse *tendron.* Abenez. *Caret socio. Saadias autem dicit esse tenerum illud quod adhæret orbi auris.* R. David in libro Radicum, *Tenerum illud quod in extrema aure, vernacule* מול (*mul* sive *mol.* Forsan, *molle auris*, sive *quod molle in ea*) *In Siphra vero exponitur maceria media.* In libro qui Phesiktha vocatur, תנוך *est maceria media quæ juxta eminentias auris.* Et alibi, *Qui vernacule reddunt dicunt esse id quod vulgo Tenrum appellatur.* ❡ *Dextera*] referri debet tam ad aurem Aharonis, quam ad aurem filiorum ejus. Ideo Hiero. legit, *super extremum auriculæ dextræ Aharon & filiorum ejus.* Nicol. de Lyra, *Extremum auriculæ, quod est molle ac tenerum, non resistens.* ❡ *Super pollicem manus eorum*] Lxx. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς χειρός. Sed in Schol. τὸν ἀντίχειρα i. pollicem, qui & μέγας vocatur, ut Ebraice גודל & ἀντίχειρ, quod manui solus æquipolleat. In fonte est בהן quod de pedis pollice etiam usurpatur. Chaldaice אליון quod scribunt אליון absque punctis: unde forte Latinum *Allux* sive *Hallux*, cujus Festus meminit, quem ideo dictum putat quod in alium insiluisse videatur, ἀπὸ τοῦ ἅλλομαι. R. Salo. *Accipies de sanguine & pones super* תנוך *pollicem in junctura media.* פרק interpretor juncturam. Sic Lyra, *Dicit R. Salo. quod fiebat super juncturam mediam pollicis ad denotandum quod debebant esse prompti & expediti in oblatione sacrificiorum.* Hoc partim verum, partim falsum est. Verum quod ait de junctura media. Falsum, quod subjicit, *ad denotandum &c.* Nam hoc non dicit R. Salo. ❡ *Sanguinem*] *reliquum sanguinis.* Jon.

21. *Et accipies de sanguine, qui super altare, & de oleo unctionis, & asperges Aharonem & vestes ejus, & filios ejus & vestes filiorum ejus cum eo: & sanctus erit ipse & vestes ejus, & filii ejus & vestes filiorum ejus cum ipso.*

Qui super altare] Quod sparsum erat super altare. Quidam existimant ex hoc sanguine, & oleo unctionis mixtionem factam fuisse in memoriam veteris historiæ, in qua legimus Jacob fudisse oleum super lapidem & sanguinem immolatum, cum ex Ægypto egrederentur. Hisc. ad h. l. *Non invenimus uspiam sanguinem collectum fuisse post aspersionem, nisi hoc loco.* Forte quod sanguis in altari consecratus esset. ❡ *Asperges Aharonem*] verb. è ver. *sparges super Aharonem.* *sub vestibus Aharonis* Abenez. & sic in sequentibus. Aspersio autem הזאה dicitur ἀπὸ τοῦ נזה, unde והזית, quod Græce redditur καὶ ῥανεῖς: Chald. autem ותדי. Amant enim Chaldæi & Syri Zain Ebræorum in Daleth vertere. Ergo נדא in ea lingua *sparsit, aspersit.* Quod Lexicis addendum. Legitur & Exod. 12. 22. Paulo ante in verbis illis, *de sanguine, qui super altare*, variant exemplaria Græca. Nam in ed. Rom. ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου: & in aliis, τοῦ ἐπάνω τοῦ θυσιαστηρίου. Quæ scriptura in omnes partes melior est. Nam ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου Ebraice diceretur מהמזבח. Sunt etiam codices in quibus legitur, ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ θυσιαστηρίου,

ad sensum non male. ❡ *Et vestes ejus*] Lxx. ἐπὶ τὴν στολὴν αὐτοῦ, *super stolam ejus*. Malim, ἐπὶ τὰς στολὰς αὐτοῦ, quod idem cum illo, *super vestes ejus*. Nam στολὴ de veste sacerdotali usitatius est, quam ut probari debeat. Sic mox, ἐπὶ τὰς στολὰς τῶν υἱῶν αὐτοῦ, *super stolas filiorum ejus*. Vide Exod. 28. 2. & 4. Dicta παρὰ τὸ στέλλεσθαι ab induendo. Pro *veste sacerdotali* utitur Apulejus, & pro *qualibet veste* Græci autores. In Latio aliud significat. ❡ *Sanctus erit*] Onk. יתקדש & LXX. ἁγιασθήσεται, *sanctificabitur*, sive, ut Hieron. habet, *consecrabitur*. Unde vestes sacræ, quas profano non licebat induere: soli sacerdotes eas induebant.

22. *Et accipies de ariete adipem & caudam & adipem qui operit intestina & reticulum jecoris & duos renes & adipem qui super eos, & armum dextrum, quoniam aries consecrationum est.*

Adipem] R. Salom. *Adeps est intestinorum aut ventriculi*. חרקים vero, *intestina*. In monumentis doctorum, *Venit lupus & abstulit filios viscerum*, בני מעים ait R. David vocantur *membra interiora pulmo* & *cor* & *jecur sive hepar*, חוקין & *intestina*. Usurpant autem hoc nomen in duali propter intestina quæ sunt duplicata & similiter ob hepar, quod habet duas areolas. In his verbis דקין sunt intestina. Si aliter est, fallor egregie. קבה autem à Lexicographis exponitur *ventriculus*. Munsterus in Chaldaicis etiam *stomachum* interpretatur. R. David ait esse *uber animalium* h. e. receptaculum lactis quo fœtus alitur. Scholion Abenez. ad hunc locum, *Iste adeps memoratus est qui super intestina, quemadmodum scriptum est in sectione Vaicra*. ❡ *Et Caudam*] desideratur in Lxx. sed alius addit, credo ex aliis editionibus, καὶ τὴν κέρκον. Quod notatum in edit. Rom. κέρκος, cauda: unde Cercopithecus, simia caudata. Dicitur etiam de pudendo viri. Sic vero & Ebræa vox אליה usurpatur, & Latina quoque apud Horatium, *caudamque salacem demeteret ferro*. ❡ *Et adipem qui operit intestina*] Hic intestina non דקים, ut supra in Davide Camio, sed קרב vocantur, ut etiam in Abenez. in quo significatio *medii*, unde & de *corde* dicitur & de *ventre*, quem Græci κοιλίαν vocant, & de ipsis *visceribus*, quæ מעים Ebræis, & Hieron. h. l. *vitalia* dicuntur. Sic enim certe legimus in antiqua vulgata, *& arvinam quæ operit vitalia*. Hanc arvinam Chaldæi vocant *Tharba*, Arabes *Thirbun*, sic recte scriptum in Pandectis Medicinæ ex Sylvatico, *Thirbun Arab. pinguedo vel panniculus operiens intestina*. Quæ Hieron. hic *vitalia* dicuntur, cujusmodi sunt *cor*, *pulmo*, *lien*, *omniaque interanea*, sine quibus non vivitur. Sic etiam Lucanus eam vocem usurpat. ❡ *Reticulum jecoris*] qui super jecur. ita supra locutus est: ubi tamen quidam legunt, *reticulum cum jecore*. Lxx. λοβὸν τοῦ ἥπατος fibram hepatis. In יותרת significatio superflui: unde Jonath. *quod superfluit* aut *reliquum est super reticulo jecoris*. Vide quæ supra notavimus. ❡ *Armum dextrum*] שוק הימין armum qui dexter est, h. e. dextrum: aut est שוק pro שוק. Lxx. τὸν βραχίονα τὸν δεξιὸν, quod transferunt, *brachium dextrum*: malim, *armum dextrum*. Sic usurpatur ea vox in Levitico, & Sirach. 7. 31. Brachium proprie זרוע. Id in pede est שוק, quod alii reddunt τὴν κνήμην. Est autem κνήμη non *femur*, ut habetur in edit. Rom. sed crus aut tibia. Idem שוק apud Ebræos. Ergo Psal. 147. 10. שוקי האיש Lxx. ἐν ταῖς κνήμαις τοῦ ἀνδρὸς. & Hier. *in tibiis viri*. Liber præceptorum magnus, *Dicit R. Iuda* שוק *est à junctura poplitis usque ad pedem*. In Ebræo ad verb. עד סובך של רגל *usque ad perplexitatem pedis*. Descriptio est cruris. Constat autem crus tibia & sura. Græce σκέλος. Abenez. h. l. *Latus dextrum & pectus sumebantur de ariete consecrationum, crus autem & pectus ab eo die dabantur Aharoni & filiis ejus de victimis pacificis filiorum Israel. Tantummodo pectus de ariete consecrationum comedebat Moses solus. Nam ipse erat sacerdos sacerdotum.* R. Salom. annotat in nullo alio sacrificio inveniri quod adoleverint armum dextrum cum arvinis præterquam in hoc. Nam in aliis armus cedebat sacerdoti. Quod capiendum de armo arietis consecrationum, qui primus adolebatur, cum sacerdotes consecrarentur. Nam aliis diebus consecrationum non adolebatur armus. Vide Hisc. ❡ *Quoniam aries consecrationum est*] causam reddit cur armum adoleverint, qui alias facienti cedebat, h. e. sacris operanti. Aries autem consecrationum Ebraice dicitur איל מלאים *aries impletionum*. Nam implere manum est consecrare, quod Græci dicunt τελειοῦν, unde in hoc ipso capite τελειώσεις τὰς χεῖρας Ἀαρὼν. Id reddunt, *consummabis*. Malim, *consecrabis aut initiabis*. Hinc τελείωσις consecratio, initiatio. Sunt qui χειροτονίαν exponant. Nam consecratio sive designatio sacerdotum fiebat per impositionem manus apud Veteres Christianos. Vulgatus interpres hic habet, *eo quod sit aries consecrationis*. Onkel. & Jon. *nam aries oblationum est*.

Sunt qui מלאים elucidant per שלמים. Diserte Abenmelech, *Impletiones & consummationes fratres sunt. Vocantur autem ita quoniam implent voluntatem omnium. Omnes enim edebant ex eo sacrificio. Sanguis & adipes cedebant altari, pectus & armus sacerdotibus, reliqua vero caro & pellis dominis, h. e. iis qui arietem offerebant.* Consummationes i. τελειώσεις. R. Salom. שלמים *sensum habent consummationis, quia consummatum erat hoc sacrificium in omnibus. Significat scriptura* שלמים *esse à* שלום *quia conciliant pacem altari & facienti opus i. sacris operanti, & dominis. Ideo confirmo ipsum pectus necessario pertinere ad eum qui sacris operatur. Nam ipsius portio erat. Is erat Moses cujus ministerio consecratio hæc peracta. Reliquum edebant Aharon & filii ejus, qui erant domini.*

23. *Et tortam panis unam, & placentam panis ex oleo unam, & laganum unum è canistro infermentatorum, quod coram DOMINO.*

24. *Ponesque omnia super manus Aharonis, & super manus filiorum ejus, & agitabis illa agitatione coram DOMINO.*

Tortam panis] Sic Hier. Ebraice habetur ככר לחם, quod alii reddunt, *tractam panis*. Lexic. Græco-Lat. vetus, *Tortum*, κολλύρα: *tracta*, λαγάνα. Lxx. ἄρτον ἕνα, panem unum: ad sententiam non male. Sic Jud. 8. 5. ככרות לחם iidem ἄρτους, & Hier. *panes*. Nam *torta panis* minus Latine dicitur. Onk. habet פתא דלחם, quod similiter convertunt, *tortam panis*. Nam buccea huic loco non quadrat. Aliquando panem absolute פת vocant. Jon. עגול דלחם nisi punctandum עגול panis orbicularis, vel certe torta panis: proprie torta orbicularis i. rotunda in modum circuli. Lex. Vetus, *Tortula*, τροχίλια. Quidam legunt, *tortam panis unius*. eodem redit. Notat Abenez. tortam panis h. l. dici qui supra vers. 2. *panis infermentatus* i. לחם מצות panis azymorum. ❡ *Placentam panis ex oleo*] Supra, *placenta infermentata mixta oleo*. Vide Hieron. h. l. *crustulam conspersam oleo*: & Jon. *placentam panis permixtam oleo*. Id enim valet פתיך מן πέπτω misceo. גריץ autem est placentæ genus. Quanquam interpres Syrus Matt. 14. 17. גריצן appellat, qui in Græco ἄρτοι, & paulo post לחמים vocantur. ❡ *Ex oleo*] alii, *cum oleo*. In fonte nihil est quam שמן, & in Onk. משח. Sed in ed. Lxx. ἐξ ἐλαίου quanquam præcedentia omissa, quæ suppleri possent ex aliis locis καὶ κολλυρίδα ἄρτου ἐξ ἐλαίου. Vide notata ad vers. 2. hujus capitis. *Panis olei* i. oleo permixtus. ❡ *Et laganum unum*] καὶ λάγανον ἓν. Id Onk. אספוג vocat, de quo alias. Jonath. autem ערך, quod vocabulum extat & in Jerosol. Lev. 2. Hinc medicinam facies huic interpreti supra vers. 2. ubi ערוכין legitur cum Beth. Nam proclivis sane lapsus de ב in כ propter affinitatem harum litterarum. Nihil dico si non Græci plusquam centies in iis errarunt. Mihi multum dubium quin Jon. scripserit ערכין per Chaph. Memorat hoc vocabulum Baal Aruch ex Thargum quod ab urbe nomen accepit. רקיק מצה *Thargum Ierof. vertit* ערכין פטירין *lagana infermentata*, & רקיק אחד *idem Thargum* ערך חד *laganum unum*. ❡ *E canistro infermentatorum*] ἀπὸ τοῦ κανοῦ τῶν ἀζύμων, de canistro azymorum. Supra, *& pones ea in canistro uno & offeres ea in canistro illo vers 3*. ❡ *Quod coram DOMINO*] quod positum coram DOMINO i. ante arcam. Nam licet in Sancto esset, tamen arcam respiciebat. ❡ *Super manus*] aut, *in manibus*. Nam agitatio fiebat simul à sacerdote & ab iis qui offerebant. Hic autem Moses sacerdos erat, & Aharon filiique ipsius offerentes. ❡ *Agitabis agitatione*] Onkel. & Jonat. *elevabis elevatione*. Hier. vero, *Sanctificabis elevans*. Proprie elevatio תרומה dicitur. Hic est תנופה in Ebræo. Hisc. notat hæc duo synonyma esse. Alii dicunt duplicem esse elevationem quarum una תרומה, altera תנופה vocetur. Sic תרומה nomen erit generis interdum, & interdum nomen speciei. Quod novum non est in hac lingua. Sane חרם i. anathema species est excommunicationis, & in genere legimus *anathema Maranatha*. Melius faciunt, meo judicio, qui hæc distinguunt, ut תנופה sit agitatio. Inter hanc, & inter elevationem, quæ תרומה dicitur, hoc interest: Elevatio fiebat sursum ac deorsum: unde dictitant, *Elevatio facit ascendere & descendere*. Agitatio vero fiebat antrorsum & retrorsum: item dextrorsum & lævorsum, h. e. ab oriente in occidentem, & à septentrione in meridiem. Abenmel. *agitationem* appellat הנפה, cujus genus ponit תנועה motionem. *Est autem*, inquit, *quando movemus & agitamus aliquid* מוליך לאחר huc illuc. Unde dicunt הנחה מוליך *Addit R. Salom. Hoc facit ei qui quatuor ventos cœli habet in potestate*, h. e. Deo. Idem, *in hac agitatione occupantur sacerdos & domini. Nam sacerdos ponit manum suam sub manu dominorum, atque ita movet sive*

agitat. Ceterum in hoc ritu Aharon & filii ejus domini erant & Moses Sacerdos. Rursum, *agitatio retardat & abolet pœnas & spiritus malos.* Hæc Rabbinus ille. Adi nunc sis Fagium.

25. *Et accipies ea è manu ipsorum & adolebis in altari super holocaustum, in odorem suavissimum coram DOMINO, igne absumendum erit DOMINO.*

26. *Accipiesque pectus de ariete consecrationum qui Aharonis, & agitabis eum agitatione coram DOMINO, eritque tibi in portionem.*

E manu ipsorum] מידם. alibi est מכפיהם מעל de manibus eorum: quod in idem recidit. *Accipies autem ut homo accipit manu sua donum & dicit, Hoc ego regi oblaturus sum: minister autem aufert & sumit illud.* Hisc. ❡ *Super holocaustum*] *super arietem primum quem obtulisti holocaustum.* R. Salom. *incendes super altare in holocaustum.* Hieron. ἀνοίσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τῆς ὁλοκαυτώσεως. Lxx. על העלה. ❡ *Suavissimum*] ad verb. *quietis*: & ניחח cum duplici Heth: *quod intelligit*, inquit Abenez. *qui secretum animæ humanæ intelligit.* Quam vellem hoc arcanum nobis aperuisset. Onk. & Jon. *ut suscipiatur cum benevolentia coram DOMINO.* Vide notata superius. ❡ *Igne absumendum*] sub. *sacrificium.* Sed Ebræi קרבן subintelligunt. Quod in Onk. & Jon. *oblatio igne comburenda & absumenda.* אשה cum Dages in Schin, & instar עזה ubi tamen nullum Dages propter gutturalem. plenum esset אשה formæ לבנה. Nam radix אשש. Ceterum Græci hic legunt κάρπωμά ἐστι τῷ Κυρίῳ: qui prius idem verbum reddiderant θυμίαμα. Est autem κάρπωμα, interprete Hesychio, προσφορά, oblatio, καὶ θυσία & victima seu hostia. Sic Levit. 1. τὴν κεφαλὴν τοῦ καρπώματος, caput hostiæ. ❡ *Pectus*] Hieron. *pectusculum.* antea Lxx. habebant στηθύνιον, quod in Thesauro scriptum στηθύνιον per ῦ, & in veteribus Lexicis, στηθίδιον. Ebraice חזה est pectus & Chaldaice חדיא Zain in Daleth versa. ❡ *Qui Aharonis*] *quo initiatus est Aharon.* Hieron. Omisit autem, *& filiorum ejus: quoniam Aharon erat radix*, inquit Abenez. ❡ *In portionem*] vel, *in partem* i. portio, pars. Lxx. ἐν μερίδι. Malim, εἰς μερίδα. Hieron. *cedet in partem tuam.* ad sensum non male. מנה portio, חלק pars: quæ se mutuo explicant. Sane in Scholio Abenezræ לחלק, & in Chaldaicis לחולק. *Erit tibi in partem*, nos diceremus, *erit pars tua.* Duplex ergo Ebraismus. Primum *in partem* pro pars: deinde, *erit tibi pars* pro erit pars tua. Notabit juventus literata.

27. *Et sanctificabis pectus agitationis, & armum elevationis, quod agitatum fuerit, & qui elevatus fuerit de ariete consecrationum, ab eo quod erit Aharonis & ab eo qui erit filiorum ejus.*

28. *Eritque Aharonis & filiorum ejus in statutum seculi à filiis Israel, quia elevatio est: & elevatio erit à filiis Israel de victimis eorum pacificis, elevatio eorum DOMINO erit.*

Sanctificabis] ἁγιάσεις, consecrabis. Id fieri debebat ab eo tempore & deinceps. ❡ *Pectus agitationis*] mox se ipsum explicat cum ait, *quod agitatum fuerit.* Quod Thargumistæ hic referunt, *quod elevatum sive exaltatum fuerit.* Nam תנופה, illis est ארמותא elevatio. Quæ Hiscuni etiam confundit. Abenezra vero distinguit, ita scribens, *Non idem est* הונף *agitatum fuerit, atque* הורם *elevatum fuerit. Nam elevatio fit sursum, non item agitatio. Porro elevabant altare pacificorum in honorem Dei.* Græca Ecclesia hic legit στηθύνιον ἀφόρισμα *pectusculum separationem.* Sensus est, pectusculum quod est separatio. Melius noster, *pectusculum consecratum.* Quanquam & hoc non optime. ❡ *Armum elevationis, qui elevatus fuerit*] Uterque Chaldæus, *& armum separationis, qui separatus fuerit.* Quod noto, quia etiam in Hieron. legitur, *& armum quem de ariete separasti.* Qui tamen Chaldæos non est secutus, sed Græcos Lxx. qui hoc loco tibi consulendi sunt. Nam elevando armum separabant & consecrabant eum sacerdoti. ❡ *Ab eo quod erit*] ab eo pectore quod erit Aharonis in posterum: & ab eo armo, qui erit filiorum ejus, hoc qui cedet sacerdotibus post hac. Nunc enim, h. e. in hac prima actione armus adolebatur, & pectus auferebat Moses tanquam sacerdos. Nam erat portio sive pars ejus. ❡ *Eritque Aharonis & filiorum ejus*] cedet Aharoni & filiis ejus. De armo loquitur, qui elevatus fuerat. Ideo sequitur, *quia elevatio est.* Nam propterea etiam vocabatur *armus elevationis.* R. Salom. *Consecrabis pectus agitationis & armum elevationis* &c. Ceterum agitationem Nicol. de Lyra *ventilationem* appellat ex eodem R. Salomone, quem ubique laudat, qui Gallice interpretatur ונטליר *venteler* i. ventilare. *Fiebat autem*, inquit, *per talem modum: Moyses supponebat manus suas manibus Aharon & filiorum ejus tenentium prædicta, elevans primo sursum, postea retrahens deorsum, & deinde deducens versus orientem & versus occidentem ad aquilonem & meridiem, ad designandum quod illa offerebantur Deo, qui dominatur cælo ac terræ & quatuor partibus orbis. Patet etiam quod prædicta deductio seu ventilatio fiebat in modum crucis in quo figurabatur quod Christus futurus erat offerendus in cruce pro mundi salute.* Verba illa אשר לאהרן וגו׳ quidam reddunt, *ex eo quod fuerit pro Aharone & ex eo quod fuerit pro filiis ejus.* Hieron. *quo initiatus est Aharon & filii ejus.* Onk. & Jon. *è manibus Aharonis & è manibus filiorum ejus.* Lxx. ἀπὸ τοῦ Ἀαρὼν καὶ ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτοῦ *ab Aharon & filiis ejus.* Vide nunc catenam patrum. Nam Lippomanus se admodum torquet in hac particula, מאשר ab eo quod. ❡ *In Statutum seculi*] seculi filius, quod durabat usque ad seculum alterum, quod *Messiæ seculum* & aliquando *seculum futurum* vocatur. Lxx. ediderunt, νόμιμον αἰώνιον, quod reddunt, *legitimum sempiternum.* possit etiam reddi, *statutum æternum.* Nam τὰ νόμιμα statuta. peculiariter usurpatur de ritibus & cæremoniis. Hieron. *jure perpetuo.* ❡ *Quia elevatio est*] Onk. *quia separatio est* i. אפרשותא. Sic etiam Lxx. ἐστὶ γὰρ ἀφαίρεμα τοῦτο. Hiero. *quia primitiva sunt.* ❡ *De victimis eorum pacificis*] ita Hiero. In Ebræo est ad verb. *de victimis pacificorum eorum.* Quod Græci dicerent ἀπὸ τῶν θυμάτων τῶν σωτηρίων αὐτῶν. Nam θῦμα, victima, hostia. Σωτήρια, quæ & εἰρηνικὰ, quæ pro pace h.e. salute offeruntur. Hieron. alibi, *victimas pro salute* vocat. Dicuntur etiam θυσίαι εἰρηνικαί, & à Josepho χαριστήρια quasi pro gratiarum actione. In Onkel. & Jon. מנכסת קודשיהון quod reddunt, *de hostiis sanctificationum ipsorum.* Vocantur ita quod solis sanctificatis & mundis iis vesci licitum esset. Quales erant domini, qui eas offerebant, & sacerdotes, qui pectus & armum edebant.

29. *Vestes autem sanctæ, quæ sunt Aharonis, erunt filiorum ejus post eum, ad ungendum in illis & ad implendum in eis manum eorum.*

30. *Septem diebus induet eas qui sacerdos erit pro eo de filiis ejus, qui veniet ad tabernaculum conventus ad ministrandum in sancto.*

Vestes sanctæ] Vestes sanctitatis i. sanctæ aut sacræ. ita vocantur vestes sacerdotum. Sanctum enim quicquid divinis usibus consecratum. In Lxx. ἡ στολὴ τοῦ ἁγίου. Id Hieron. recte vertit, *vestem sanctam.* Nam τὸ ἅγιον idem quod ἡ ἁγιότης. Vis ergo in his verbis ut si dixisset ἡ στολὴ ἡ ἁγία. Alibi ἅγιον vocatur ipsum templum. Sic קדש in Ebraismo. ❡ *Quæ sunt Aharonis*] quibus nunc utitur Aharon. ❡ *Erunt filiorum ejus*] habebunt filii ejus h. e. unus aliquis ex filiis ejus, qui videl. pro eo constituetur pontifex. Non enim certe omnes filii eas induebant, sed tantum is qui patri succedebat in pontificatu. ❡ *Post eum*] post mortem ejus. ❡ *Ad ungendum in illis*] Malim, *ut ungantur cum eis* i. eis vestibus induti. Nam sine vestibus pontificalibus non ungebantur. R. Salom. explicat *ut extollantur eis. Nam est unctio*, inquit, *quæ significationem habet principatus, ut ubi legimus, Tibi dedi eos ad ungendum: & alibi, nolite tangere unctos meos.* Onk. & Jon. לרבאה בהון: *ut purgentur eis*, sive, *ut mundentur.* Fagius tamen, *ut ungantur in eis.* Quærendum amplius. ❡ *Ad implendum in eis &c.*] ut consecrentur in eis, sive cum eis vestibus. Implere manum pro consecrare notum est. Abenmel. explicat, *implere oblationibus.* Sane Onkel. & Jon. *ut offerant in illis oblationes suas.* Hieron. autem, *ut consecrentur manus eorum.* ❡ *Septem diebus*] *continuis.* R. Salom. ❡ *Induet eas*] nove dixit ילבשם pro ילבשם. Sic alibi יאכלם. In utroque est Camets magnum pro parvo, quod nunc Tseri vocitant. ❡ *Qui sacerdos erit*] i. *pontifex*, ut recte Hieron. exponit. Sacerdos pro Sacerdos summus. Sic ἱερεὺς pro ἀρχιερεὺς, & *angelus* pro archangelus. ❡ *Pro eo*] ejus loco. Num. 20. 28. *Cumque Aharonem spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus.* ❡ *Qui veniet ad tabernaculum*] qui tabernaculum ingredietur ministrandi caussa. Vocat autem tabernaculum sive tentorium conventus, quod eo conveniret populus, vel magis, quod Deus ibi Mosen conveniebat. Jon. hic habet, *qui ex filiis ejus & non ex Levitis.* ❡ *Ad ministrandum*] λειτουργεῖν. Lxx. ❡ *In sancto*] in loco qui sanctum dicebatur, ubi sacerdotes rem divinam faciebant. Hic locus nunc à Hieron. *sanctuarium* vocatur, & à Lxx. τὰ ἅγια. Quæ alibi latius patent. Nam τὰ ἅγια vocatur aliquando ipsum templum. Ex h. l. R. Salom. colligit si summus sacerdos filium habebat, eum patri succedere in pontificatu. Quod observatum, quamdiu Judæis legibus suis vivere permissum fuit. Idem verba illa הכהן תחתיו interpretatur, *qui sacerdotio fungetur post eum.* Nam ait כהן verbum esse transitivum.

31. *Et*

31. *Et arietem consecrationum accipies, & coques carnem ejus in loco sancto.*

32. *Comedetque Aharon & filii ejus carnem arietis illius, & panem qui in canistro, in ostio tabernaculi conventus.*

In loco sancto] in atrio tabernaculi conventus, in quo populus versabatur, & offerentes edebant partem suam. Qui locus erat sanctus, non profanus, q. d. non poterunt eum alibi coquere. ¶ *Coques*] jubebis coqui. Simile, *& percuties petram*: item, *& aedificavit Salomo domum.* ¶ *Comedetque*] Latini autores potius dicerent, *Comedentque.* Cuique linguae sua proprietas, suus mos loquendi. ¶ *Panem*] i. panes. ¶ *In ostio tabernaculi*] supra exposuimus, *ante ostium.* Sed R. Salo. notavit כל חצר קרוי כן *totum atrium vocatur ita*, videl. ostium tabernaculi: pro quo in vulgata nostra, *vestibulum tabernaculi.* Ostium ergo quod ante ostium, h. e. ipsum vestibulum: per quod ingressus erat in tabernaculum.

33. *Et comedent ea, quibus expiatum fuerit ad consecrandum manum eorum & ad sanctificandum eos: extraneus non comedet, quia sanctitas sunt.*

34. *Quod si remanserit de carne consecrationum & de pane usque mane, combures residuum igne: non edetur, quia sanctitas est.*

Comedent ea] Aharon & filii ejus, qui domini erant horum, h. e. qui offerebant ea. Videndus R. Salo. ¶ *Pro quibus expiatum fuerit*] oratio defecta, quam plenam facies si legas אשר כפר להם בהם quibus expiatum sive expiatio facta fuerit eis, nempe victimis. Hiscuni haec refert ad historiam vituli, quod peccatum non leve, vel hoc saltem ritu expiandum erat. ¶ *Manum eorum*] quidam, *ministerium eorum.* ¶ *Extraneus*] alienus à genere Aharonis. Onkelos & Jonathan, חלוני profanus aut laicus, vel certe, *externus.* Nam Levitae, qui tamen laici non erant, his non vescebantur. ¶ *Sanctitas*] res Deo consecrata. In Salomone Jario, *sanctitas sanctitatum.* Quod ita dicitur ut *Canticum canticorum*: *vanitas vanitatum &c.* ¶ *Remanserit*] reliquum aut residuum fuerit. ¶ *De carne consecrationum*] *de carnibus consecratis.* Hiero. ¶ *De pane*] de pane illo, vel de panibus. ¶ *Usque mane*] usque ad matutinum tempus. ¶ *Non edetur*] ne quidem ab ipsis Sacerdotibus. Nam, ut est in proverbio, *Praeterit tempus, praeterit oblatio.* Ita certum tempus erat quo hae carnes & hi panes edi debebant. Postea vesci eis nemo poterat.

35. *Et facies Aharoni & filiis ejus sic, secundum omne quod praecepi tibi: septem diebus consecrabis manum eorum.*

36. *Et juvencum pro peccato facies in die propter expiationes, & mundabis altare, postquam expiaveris illud, ungesque illud ad sanctificandum illud.*

Secundum omne quod praecepi tibi] Vult omnia & singula diligenter observari, *quia erant*, ut loquuntur Scholastici, *de necessitate Sacramenti.* Nam siquid ex his omissum fuisset, consecratio erat nulla & ministerium pollutum. ¶ *Tibi*] אֹתָכָה pro אֹתְךָ, quod extra pausam esset אֹתְךָ. Solet autem ה ad finem addi nonnunquam. ¶ *Consecrabis manum eorum*] *offeres oblationes eorum.* Onkelos & Jonathan. ¶ *Juvencum pro peccato*] ita Hiero. ceteri habent, *juvencum peccati*, & sic est in Ebraeo ad verb. *Juvencus peccati*, qui pro peccato immolatur: aut lege, *juvencum peccatum* per appositionem, *qui est peccatum* h. e. hostia pro peccato. ¶ *Facies*] ποιήσεις. Hiero. *offeres*: alii, *parabis*: alii denique, *sacrificabis.* Meo judicio, *facere* in hac lingua non tam *sacrificare* significat, quam *parare* omnia necessaria ad sacrificium. Unde August. Quaest. lib. 7. Quaest. 53. *Facere hadum non solet dici nisi cum fit sacrificium.* Quod tamen non est perpetuum. Nam Gen. 18. 7. *festinavit facere illum* de vitulo. Sensus est, *parare*, *apparare*, *coquere.* Sic Exod. 12. 47. de agno Paschali, *omnis coetus Israel faciet illum.* Similiter Gen. 27. 17. quod in Lxx. ἄρτους οὓς ἐποίησεν. Hiero. vertit ex Ebraeo, *panes quos coxerat.* Nam Senes Ebraismum retinuerunt. Facere igitur est parare. Quanquam Latini autores usurpant pro sacrificare, ex quo illud Virgilii:

Cum faciam vitula pro frugibus.

De quo vide sis Macrobium Satur. lib. 3. cap. 2. Dicunt etiam proverbio, *Dii facientes adjuvant* i. rite sacris operantes. Hinc *pontifices* Scaevola jureconsultus dictos arbitratur, tanquam pontifices qui facere possunt i. sacrificare. ¶ *In die*] ליום per diem i. singulos dies sive quotidie. Quod ita recte accepit Hiero. cum verteret, *per singulos dies*: & R. Salo. cujus Scholion est בכל יום *in omni die.* Id plenius extat apud Abenezram, *omni die ex septem diebus impletionum sive consecrationum.* In omni die i. quotidie: quod etiam dicunt יום יום *die die.* ¶ *Propter expiationes*] i. בשביל הכפרים. Sic R. Salo. explicat. Alii, in queis Abenezra & Hiscuni, *supra expiationes* h. e. duos illos arietes, quos expiandi gratia jussimus offerri. Tremellius, *ad expiationes, Aharonis, filiorum & altaris.* Vide Lippom. ¶ *Et mundabis altare*] vel, *emundabis.* In Ebraeo est ad verb. *super altare.* Nos Hiero. secuti sumus, in quo *mundabisque altare.* Antea fuerat in Lxx. καὶ καθαριεῖς τὸ θυσιαστήριον ut & in Onkelo ותדכי, quod bene vertunt, *emundabis.* Hinc forsan emaculandus Jonathas. Nam edit. Veneta, qua usus sum, ותרבי habet, h. e. *ungesque*: ותמשח. Quod mox sequitur in hoc eodem versu. Tremell. *peccato inspergito altare i. sanguine sacrificii pro peccato Lev.* 8. 15. *Synecdoche.* Scilicet verbum Ebraeum חִטֵּאתָ peccati significationem habere. Nam חָטָא peccavit. Sed in alia conjugatione חִטֵּא peccatum abstulit, ut Ezec. 43. *& emundabunt altare.* Ebraice וחטאו את המזבח q. d. auferent peccatum hominis contractum in ministerio altaris. Sic enim certe R. David enarrat. Santes hic edidit, *& expiabis altare*, ut etiam Levit. 6. 26. *Sacerdos qui expiabit illud* (peccatum) *comedet illud.* Ubi peccatum est hostia pro peccato. Sic accipies in illo, *peccatum populi mei comedunt*: &, *ad peccatum populi mei tollant animam suam.* ¶ *Postquam expiaveris illud*] vel, *cum expiabis illud.* Id ad sequentia pertinere videtur, *Quum expiabis*, inquit, *altare*, *simul etiam unges illud.* Porro unctio sanctificabat altare: unde subjicit, *ad sacrificandum illud.* Expiare & emundare fere in idem recidunt. Quocirca Santes unum per alterum explicat, ut vidimus. In fonte habetur ad verbum, *cum expiabis super illud.* Videndus R. Salo. quem Lyra non recte intellexisse mihi videtur. Nam ait *arietes & panem ad consecrationem sacerdotum, juvencum autem ad emendationem altaris pertinere.* Idem scribit sanguinem qui digito indice, qui & salutaris, imponitur, חטוי dici. Item annotat ex Medras Thorath cohanim, quem Leviticum esse reor, necessariam fuisse expiationem altaris. *Quia forte*, inquit, *aliquis voverat rem raptam in opere tabernaculi aut altaris.* ¶ *Ungesque*] oleo unctionis. R. Salo. *omnis unctio fiebat in modum* χι i. כ quod scriptum ibi כמין כי cum apice, qui sig. aliquid abesse. Chi illud alii vocant *Chaph Graecanicum*, & figuram exprimit crucis Andreanae, quae & Burgundica.

37. *Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis illud, eritque altare sanctitas sanctitatum, omnis qui tetigerit altare sanctificabitur.*

Septem diebus] continuis. ¶ *Expiabis*] Lxx. καθαριεῖς, purificabis, תכפר. Sed in Scholio, οἱ λοιποί, ἐξιλάσεις: expiabis. Sic paulo ante, τῇ ἡμέρᾳ τοῦ καθαρισμοῦ. A. Sym. Th. ἐξιλασμοῦ. Quae omnia firmant opinionem eorum, qui expiare inter & emundare nullum discrimen ponunt: synonyma verba esse putantes. ¶ *Sanctificabis illud*] per unctionem. ¶ *Sanctitas sanctitatum*] i. res sanctissima, ut *Canticum canticorum*, canticum excellentissimum: aut ut una aliqua rerum sanctarum. Sic explicant Abenezra & Hiscuni. Lxx. ἅγιον τοῦ ἁγίου, sanctum sancti. Id in Scholio emendatum τῶν ἁγίων i. sanctorum. Sic Hiero. *& erit Sanctum sanctorum.* Quod de adyto templi frequentius usurpatur. Videndus Lyra. Sed & Lippom. ¶ *Omnis qui tetigerit altare*] vel, *omne quod tetigerit altare.* Nam etiam oblatio polluta sanctificabatur in altari. R Salo. *Etiam oblatio profana, quae ascendebat sive offerebatur super altare, sanctificabatur per altare.* Ceterum ad personas referunt Lxx. Hiero. & Onkelos. Etiam Jonathan, qui hunc locum ita παραφράζει, *omnis qui accesserit ad altare sanctificabitur, è filiis Aharon: verum è reliquo populo nemo poterat accedere ad altare ne forte combureretur igne flammante qui exit à sanctitate.* Abenezra h. l. *Omnis qui tetigerit altare sanctificabitur, ut Levit.* 6. 27. *Omnis qui tetigerit carnem ejus sanctificabitur. Sunt qui dicunt ipsum loqui de solo pane, quem non debebant tangere nisi sancti essent. Et sensus est, non polluetur.* Hiscuni, *Quicunque voluerit tangere illud praeparet se & mundet se prius.* Quae interpretatio si recipitur, vertendum erit, *sanctificetur*; non *sanctificabitur.* q. d. debet se sanctificare qui vult accedere ad altare. Cave spernas.

38. *Et hoc est quod facies super altari, duos agnos anniculos per diem jugiter.*

39. *Agnum unum facies mane, & agnum alterum facies inter duas vesperas.*

Et hoc est quod facies] i. offeres, aut parabis ad oblationem: aut *haec est oblatio quam facies.* Sic Jonathan. Sed & Abenezra qui similem defectum adducit זה יתנו *hoc dabunt* i. hanc mensuram. Vide, si placet. Moses autem hoc faciebat septem primis diebus impletionum: post Aharon & filii ejus in aetates. ¶ *Per diem*] vel, *in die.* Sensus autem est quolibet die, sive quotidie: aut, ut Hiero. vertit, *per singulos dies.* ¶ *Jugiter*] hinc juge sacrificium, quod duplex erat, matutinum, vesper-

vespertinum. De utroque hic locus intelligendus est. Lxx. ἑωθινὸν, καὶ τὸ πρὸς ἑσπέραν. ❡ *Anniculos*] ἐνιαυσίους. Ebræi hoc enuntiant, *filios anni*, & est sensus, *filios anni unius.* Unde in libro præceptorum magno בן שנה *est unius anni.* 215.3. ❡ *Alterum*] τὸ δεύτερον, secundum. ❡ *Inter duas vesperas*] spatium hoc continet horam unam & quartam ejus partem, ab eo tempore quo dies inclinare incipit, usque ad occasum solis, quod est initium noctis. Græce diceretur τῷ ἀπεσπέρῳ. Quanquam Lxx. h. l. τὸ δειλινόν, & Hieron. *vespere.* Quod accipiendum de prima vespera, cujus initium ab oblatione vespertina: nisi fallor, vocatur Exod. 12.6. *Vespera diei.* Nam tum adhuc dies est. Sed hoc pono, non statuo. Imo arbitrarium esse volo. On. & Jon *inter soles.* Quod pro eo habendum ac si dicerent, *inter duos soles.* Non quod duo soles sint revera; sed quod sol, qui nondum plane occidit, alius videatur ab eo qui duas inter vesperas in hemisphærio nostro conspicitur & apparet.

40. *Et decimam partem simila mixta oleo tuso quarta partis Hin* (quantum quarta pars Hin capit) *& libamen quarta Hin vini ad agnum unum.*

41. *Et agnum secundum facies inter duas vesperas ut sacrificium matutinum & ut libamen ejus facies ei in odorem suavissimum oblationem igne absumendam DOMINO.*

Decimam partem simila] vel, *decimum simila*: quod Senes δέκατον interpretantur. Mensura erat quæ continebat decimam partem Ephæ, quam & *Omer* sive *Gomer* appellant, i. עמר, dicitur & עשירית האיפה decima pars Ephæ. Quod est Scholion Jarii & Abenezræ. Si credendum Jario, continet 43. ova, & quintam partem ovi. Ebraice עשרון, quod antiquitus legebant *assaron.* Josephus Ant. hist. lib. 3. cap. 7. Ἀσσαρὼν *capit septem cotylas Atticas.* Hoc nomen Onkelos per Samech scribit עסרונא & Jonathan per Sin עשרונא *Assarona.* Assaron, Assarona; ut Saron, Sarona. Scribi etiam posset *Assaronas*, ut *Saronas*: Sic Satan, Satana, Satanas. ❡ *Simila*] quæ סמידא Chaldæis. Usus est ea voce hoc in loco Jonathan. Semida, Simila; ut Cassida, cassila. Hinc fortean & Græcum σεμίδαλις. ❡ *Oleo*] *olivæ oleum* dicitur Jonathæ, quod זית vocat ab ungendo. Sic etiam Onkelos. ❡ *Tuso*] quod pilo tusum in mortario. Id enim purius habebatur eo quod molis tritum erat. Vide Lyram. ❡ *Quarta partis Hin*] *quod habebat mensuram quartam partem Hin.* Hiero. optime & rectissime. Tantum enim olei olivarum adhibebatur, quantum capiebat quarta pars Hin; quæ mensura erat Ægyptia, ut Abenezra observat. Chaldæi *Hinam* vocant i. הינא, ut possis declinare *Hina*, *Hinæ*; nisi malis ex Ebræo *Hin*, *Hinis.* Græce est τοῦ τετάρτου τοῦ εἶν. De hac mensura R. David in libro ubi vocum sensa collegit, *mensura erat apud eos continens duodecim logos, logus autem capit sex ova: & est mensura liquidorum.* Cui assensum præbet R. Salo. scribens quartam partem Hin continere tres logos. Nam quater tria faciunt duodecim. Tres logi continent ova XVIII. & duodecim logi ova LXXII. Nam sexies duodecim faciunt septuaginta duo. Qui numerus erat interpretum, quos omisso minore numero Lxx. vocant. Nam ex singulis tribubus, quæ duodecim erant, sex missi fuerunt ad Ptolomæum. Sic historia vetus, de qua hodie dubitat non nemo. Redeamus eo unde digressi sumus. Theodoretus Quæst. in Exod. pag. c. τὸ δὲ εἶν μέτρον ἦν παρ' αὐτοῖς, ὃ τὸ ἔχειν κατὰ τὸ Σύρον ἥμισυ. ξέστου ἐχώρει: cujus sexta pars capiebat dimidium sextarii. Idem Ezec. 45. τὸ εἶν ἑβδόμη τοῦ Σύρου ἡμίναν ἔχει. Ergo Hin, hemina. Polychronius, τὸ ἓν ἑβραϊκὸν ὂν σημαίνει τοῦ ξέστου τὸ ὄγδοον quæ est octava pars sextarii. Apollinarius, τὸ ἓν ποιεῖ χόας δύο i. congios duos. Est autem χοεὺς apud Atticos mensura liquidorum capiens sextarios sex, sive cotylas Atticas duodecim. *Nam cotylas (quas, si placeat dixisse licebit Heminas) recipit geminas sextarius unus.* Verba sunt Fannii de mensuris. Papias apud Nicolaum ait esse *duplex Hin.* *Majus*, inquit, *quod continet quasi quatuor quartas Parisienses cum dimidia: & minus quod continet duas quartas.* ❡ *Unum*] i. primum, ut Gen. 1. 3. *dies unus.* Sic, *uno & vigesimo die mortuus est*, pro, vigesimo primo. Notavi alias. ❡ *Libamen quarta Hin vini*] Hiero. *vinum ad libandum ejusdem mensura.* Ad sensum non male. Libatio autem fiebat in simpulis, quemadmodum docetur in tractatu Suta. *Duo*, inquit R. Salo. *simpuli erant argentei in summitate altaris, qui perforati erant instar duarum narium tenuium. In medio eius* (i. utriusque) *ponebatur vinum, quod effluebat & egrediebatur per nasum illum cadebatque super tectum altaris, & inde descendebat ad fundamenta in altari domus æterna & in altari æneo descendebat ab altari in terram.* ❡ *Ut sacrificium matutinum*] ut fieri solet sacrificium matutinum, sive secundum ritum ejus. Quod Græci dixerunt κατὰ τὴν θυσίαν τὴν πρωϊνήν: & Hier. *juxta ritum matutina* *oblationis.* מנחה, quod antiqui legebant μανά, proprie *munus.* Hoc in loco alii reddunt *sacrificium*, & *oblationem* alii. Quæ tamen Lyra distinguit. *Nam sacrificium*, inquit, *proprie dicitur de rebus viventibus: oblatio autem de non viventibus, aridis tamen, ut de pane, simila, & hujusmodi: libamen vero seu libatio de liquidis ut de vino & oleo.* Hæc ille. Quibus hoc subnectit, *Cum agno jugis sacrificii offerebatur simila & vinum, ut dictum est.*

42. *Holocaustum juge in ætates vestras ad ostium tabernaculi conventus coram DOMINO, ubi conveniam vos loquendo tecum ibi.*

43. *Conveniamque ibi filios Israel, & sanctificabitur in gloria mea.*

44. *Et sanctificabo tabernaculum conventus & altare: Aharonem quoque & filios ejus sanctificabo ut sacerdotio fungantur mihi.*

Holocaustum juge] עלת תמיד holocaustum jugiter i. juge; ut *via longe* i. longinqua: aut *holocaustum jugis.* sub. sacrificii. Lxx. θυσίαν ἐνδελεχισμοῦ זבח תמיד Hiero. *oblatione perpetua.* ❡ *In ætates vestras*] vel, *in ætatibus vestris*: sive, ut alii, *in generationibus vestris.* Quum videl. veneritis in terram Chanaan. Nam in deserto juge sacrificium, quod quotidie bis faciendum erat (non enim ullus dies intermittebatur) ob inopiam vini & aliarum rerum ad hoc necessariarum fieri non poterat. Qua de re Abenezra, *Facient hæc quum ingressi fuerint terram Chanaan. Nam non obtulerunt holocausta nisi per quinquaginta dies in deserto Sinai: & hoc erat holocaustum juge, quod fiebat in monte Sinai. Tabernaculum enim positum erat in imo montis illius, in parte extrema exercitus, quia tribus confusæ erant. Nam primo die mensis secundi cœperunt cognoscere numerum singularum tribuum ad faciendum eis vexilla sive signa. Ceterum postquam profecti fuissent itinere trium dierum a monte Sinai, arca proficiscebatur in medio castrorum, & sic quiescebat in medio castrorum. Porro Israëlitæ, uti quidem probabiliter conjicitur, non obtulerunt holocausta & sacrificia nisi in Sinai tantum, & die expiationum anno secundo. Nam ita scriptum est de ministerio Aharonis, Et fecerunt quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi. Similiter scriptum est, An hostias & munus obtulistis mihi domus Israël quadraginta annis in deserto? Nam Israëlitæ manserunt in deserto, in inani solitudine circiter 38. annos: & unde fuisset illis quotidie dimidium Hin olei olivarum, aut vinum? & quomodo adduxissent secum ad quatuor myriades Hin? & unde illis duo agni annuatim quotidie? ut omittam Sabbatha & solemnitates?* Quod si dixeris scriptum esse, *Nos & pecora nostra, respondeo eos tum in Cades fuisse ubi sederunt sive habitarunt.* Eadem fere Hiscuni, *Holocaustum juge in ætates vestras, postquam ingressi fueritis terram. Nam conjectura docet quod non obtulerint oblationem nisi in Sinai tantum, & hoc est holocaustum juge, quod factum fuit in Sinai, & in die expiationum anno secundo. Nam ecce scriptum est, Et fecit quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi: & sic dicit Propheta, An victimas & munus obtulistis mihi, domus Israel, quadraginta annis in deserto? Nam unde illis in deserto vinum & oleum & simila & pecora ad juge holocaustum quod quotidie offerendum erat? præter additiones & Sabbatha & neomenias & solemnitates quadraginta annorum? Nec potest argumentum peti ex illo, Nos & pecora nostra, quia ecce in illo tractu temporis sedebant in Cades, & spoliabant pecudes terra Madian, Sichon & Og.* ❡ *Ubi conveniam vos*] Hinc tabernaculum conventus. Nam dictum ita quod Deus ibi Mosen & populum conveniret. Sunt ex Ebræis doctoribus qui ex h. l. colligunt, *Deum convenisse Mosen à quo tempore erectum fuit tabernaculum ex altari æneo. Sunt alii qui dicunt ex operculo arca, quemadmodum dicitur, Et loquar tecum ex operculo.* Hæc fere R. Salo. ❡ *Vos*] Israëlitas: aut, te & Aharonem. Prior expositio firmatur illo loco, *Et conveniam ibi filios Israel.* Altera Japetum quendam auctorem habet. ❡ *Ibi*] in tentorio conventus. ❡ *Conveniamque ibi filios Israel*] *conveniam eos sermone, ut rex qui determinat locum certum ad loquendum ibi cum servis suis.* R. Salo. ❡ *Et sanctificabitur*] *altare.* Hiero. *tentorium conventus*, Abenezra, alii. *Israël*, Tremellius. ❡ *In gloria mea*] per gloriam meam i. per me: aut *gloriam meam*, quæ apparere solita circa tabernaculum. Gloriam autem dicit majestatem divinam; ut, *Salomo in omni gloria sua.* i. majestate sua. Jonathan, *Sanctificabor in doctoribus eorum propter gloriam meam.* R. Salo. *Ne legas in gloria mea, sed in honoratis meis. Hic innuitur mors filiorum Aharon: & hoc est quod Deus ait apud Mosen, In propinquis meis honorabor. Alia expositio, sanctificabitur tabernaculum gloria mea, quia residebit divinitas mea i. spiritus*

sanctus

sanctus in eo. Ceterum primam personam interpretantur etiam LXX. καὶ ἁγιασθήσομαι ἐν δόξῃ μου. Hiscuni, *Hoc est quod dicitur in sectione Octavus, Et apparuit vobis gloria DOMINI.* ¶ *Et sanctificabo*] per gloriam meam. ¶ *Aharonem quoque & filios ejus*] qui ministri erant altaris, quod ad ostium tabernaculi. Abenezra. De ostio tabernaculi diximus alio loco. Lege, si vacat.

45. *Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque illis in Deum.*

46. *Et cognoscent me esse DOMINUM Deum eorum, qui eduxi eos e terra Ægypti, ad habitandum in medio eorum: ego DOMINUS Deus eorum.*

Et habitabo] per spiritum meum, qui propterea שכינה dicitur, quod in medio suorum habitet. Vulgo divinitatem interpretantur. Unde, *DOMINUS & divinitas ejus* i. spiritus ejus. Abenezra paullo aliter, *Narrat*, inquit, *quomodo habitet gloria in medio filiorum Israel, quum erigerentur vexilla. Nam quatuor vexilla erant in quatuor plagis & paries intergerinus inter castra Levitarum & castra filiorum Israel; quia etiam illa erant ad 4 plagas, & postea paries intergerinus, & ibi tentorium in medio filiorum Israel.* Nec aliter Hiscuni Ebræus, *Habitabo in medio filiorum Israel quum erigentur vexilla. Nam erat paries medius inter vexilla & castra Levitarum, & inter castra Levitarum atque tentorium.* Onkelos & Jonathan, *collocabo divinitatem meam in medio &c.* Sic mox, *ad collocandam divinitatem meam inter eos* שכינתי. ¶ *In Deum*] i. Deus revera. ¶ *Et cognoscent*] per experientiam. ¶ *Ad habitandum*] hac lege & conditione eduxi eos ut ego habitarem inter eos.

AMAMA.

4 Ebr. *Ad ostium tabernaculi vel tentorii conventus* אהל מועד. Vulg. *Ad ostium tabernaculi testimonii.*

Nunquam, ô bone, מועד *testimonium* significat; Thema enim est יעד. Testimonium potius עד vel עדות dicitur, à עוד. Uterque Ch. זמנא habet i. tempus conventui destinatum. Decepit Vulgatum Editio τῶν LXX. quæ hic habet, τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου. Idem error iteratur vers. 30. 32. 42. 44. & cap. 30. 16.

18. Ebr. עלה הוא ליהוה ריח ניחוח אשה ליהוה הוא Vulg. *Oblatio est Domino, odor suavissimus, victima Domini.*

Ebr. ad verbum, *Holocaustum est DOMINO, odor suavissimus vel suavitatis, igne absumendum erit Domino.* Vulgatus vocem אשה vertit *victima.* Fateor si adjectivum est אשה, subintelligi posse nomen masculinum זבח i. sacrificium vel victima, sed bene per *victimam* reddi nego. Lata enim nimis ea vox est, nec assequitur id quod textus intendit. Non quælibet victima erat אשה, sed ea tantum quæ Ebræis dicitur עלה, quod tota ascenderet per ignem, Græcis ὁλοκαύτωμα quod totum combureretur. Santes *oblationem ignitam* vertit, Arias *Ignitionem.* Male, si stabitur judicio Abenmelechi qui ait esse adjectivum. Benedict. emendat, *oblationem ignitam*, Jun. & Drus. *igne absumendum.* R. Salomo etiam testatur inesse אש לשון *notionem ignis.* Atque in hanc sententiam plura possent accongeri, si opus esset. Vers. 25. redditur *oblatio.*

24. Ebr. *Et agitabis ea agitatione coram Domino.* Vulg. *Sanctificabis eos elevans coram Domino.*

Eos] Quos? An Aharonem cum familia? Sic certe videtur Interpres hoc loco accepisse pronomen אתם. Sequenti enim versu recurrens illud אתם vertit neutraliter, *universa illa.* Et quo tum referes illud *elevans*? An ad homines? An vero ad species memoratas? Bis hic videtur peccatum, 1. Pronomen אתם exprimendo per *eos*, cum ad omnia præcedentia, armum, adipes, renes &c. referendum sit. Non enim eum loquendi modum patitur Latinum labium, & facile versionem eam legens de Aharone & filiis ejus pronomen accipiendum esse putaret. 2 Verbum הנפת exponendo per *sanctificabis.* הניף extra omne dubium est *agitare.* Et quidem, si Ebræis credendum, dextrorsum & lævorsum, antrorsum & retrorsum. Alia motionis species erat quæ fiebat sursum deorsum. Eam תרומה vocari ajunt. Sunt qui putant תרומה nomen generis esse, & interdum speciei ut תנופה Alii volunt Theruma & Thenupha esse synonyma. Ut ut sit, vox Ebræa agitationem significat, unde Onk. & Jon. *elevabis elevationem.* Novi equidem hac cærimonia res illas fuisse sanctificatas, non video tamen cur à propria significatione vocum sibi recedendum esse putarit Interpres. Non licet interpreti tam esse diserto. Jam adi Lyram & Cajet. qui hanc diversitatem notarunt. Vide & vers. 26.

43. Ebr. ונעדתי *& conveniam illic cum filiis Israel.* Vulg. *Ibique præcipiam filiis Israel.*

Decepit nostrum Græca λαλήσω, καὶ τάξομαι ἐκεῖ &c. Ego non memini me legere נועד in notione præcipiendi. Significat enim tempus constituere & ad statutum tempus venire & præsto esse. Sic melius versu superiori vertit אועד *euvagned* constituam, scilicet *tempus.*

GROTIUS.

5. *ET superhumerali*] Plus est in Hebræo, nempe *& superinjectum humerali.* quod sic exprimit Theodotio: τὸν ἐπενδύτην τῆς ἐπωμίδος.

6. *Et pones tiaram in capite ejus*] Lanam capiti circumplicatam. Plutarchus IV. Symposiacôn, habitum summi apud Judæos Sacerdotis sic describit: ὁ ἱερεὺς μιτρηφόρος, νεβρίδα χρυσόπαστον ἐνημμένος, χιτῶνα δὲ ποδήρη φορῶν καὶ κοθόρνους· κώδωνες δὲ πολλοὶ κατακρέμανται τῆς ἐσθῆτος. [*Sacerdos mitram ferens, nebrida indutus intertextam auro, præterea tunicam ferens talarem & cothurnos: è veste autem pendebant undique tintinnabula*].

Et laminam sanctam super tiaram] Bene נזר, quod coronam significat, hoc loco laminam explicavit, ex collatione locorum aliorum.

7. *Et oleum unctionis fundes super caput ejus*] Super frontem faciendo decussim, sive χιασμὸν. Ita Rabbini omnes.

16. *Tolles de sanguine ejus, & fundes circa altare*] Sanguinem in ara fundi ait Servius II. Georg. Lucianus libro de Sacrificiis: τὸ αἷμα τῷ βωμῷ προσχέουσι [*sanguinem aræ circumfundens*]. Vide & Levit. 1. 5. XVII. 6.

24. *Et sanctificabis eos*] Imo *ea* oblata scilicet. ἀφοριεῖς αὐτὰ [*definies ea*] LXX. sed vox Hebræa proprie agitationem significat dextrorsum & sinistrorsum; sicut quæ prorsum & retrorsum fit est תרומה [*elatio*]. His motionibus significabatur Dei dominium in omnes mundi partes.

33. *Alienigena*] ὁ ἀλλογενής. Intelligendus hic qui non est ex sanguine Aaronis, ut & infra XXX. 33.

38. *Vespere*] Id est, hora nona, ut explicat Josephus Antiquæ Historiæ lib. XIV. 8. Matutino hoc & vespertino sacrificio agnoscitur Deus noctis & diei creator.

CARTWRIGHTUS.

2. *ET placentas azymas* חַלֹּת מַצֹּת בְּלוּלֹת בַּשֶּׁמֶן *mixtas oleo*] Ex farina oleo mixta conficiendæ erant placentæ istæ, uti exponit R. Sal.

Et lagana azyma רְקִיקֵי מַצּוֹת מְשֻׁחִים בַּשָּׁמֶן *Uncta oleo*] Vox Hebræa רקיקים quod *lagana* exponitur, est à רקק attenuari, & proprie placentas tenues significat. Lyra ex sententia R. Salomonis ait figuram quandam similem Caph Græco super lagana digito oleo tincto fuisse exaratam. Verba R. Salomonis sunt, אחר אפייתן מושחן כמין כ׳ כ״ף יונית שהיא עשויה כנ״ן שלנו כזה hoc est, *postquam* (*lagana*) *cocta* (vel *pista*) *erant, uncta fuerunt quasi figura Chi Chaph* (vel *Ch*) *Græco, quod sit instar Nun nostri in hunc modum.* Forma autem omissa est, nempe Græcæ literæ X, quod & in Maimonide accidisse notat Skikardus de Jure Regio cap. 1. theorem. 4. Sed nec illud intelligo, quomodo Chi Græcum χ, Hebræo Nun, נ, dici possit simile. Vide infra ad v. 7.

4. *Et lavabis eos aqua*] R. Sal. ait eos totius corporis immersione (טבילת כל הגוף) fuisse lavandos.

6. *Et pones* אֶת־נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ *coronam sanctam super tiaram*] Jon. *Et pones coronam, in qua insculptum est nomen sanctum, super tiaram.* Innuit coronam hanc esse laminam auream, in qua scriptum erat, *Sanctitas Jehovæ*, atque idem etiam notat R. Sal. Similiter & Seldenus de Success. in Pontif. lib. 2. cap. 7. *Ita* (inquit) *planissime capiendum, ut Corona sit ipsa lamina aurea, quæ vitta hyacinthina tiaræ imposita, verum erat diadema, & corona sacra nomen in sacris literis alibi* (præterquam in hoc loco, quem citaverat) *sortitur. Exod.* 39 30. *Et fecerunt* את ציץ נזר הקדש זהב טהור *Laminam, coronam sanctam ex auro puro. Sic etiam habetur Levit.* 8. 9. *Nec dubitant Magistri in locis hisce semper coronam pro ipsa Lamina sumere.* Ego sane non video quomodo aliter sumi possit.

7. *Et unges eum*] R. Sal. ait etiam hanc unctionem fuisse in formam Chi, nempe Græcæ literæ sic appellatæ; כ׳ כמין משיחה ושל Skikardus (loco antea citato) in hanc rem etiam citat locum Talmudicum, & Maimonidem; à Seldeno etiam (ubi supra) in eandem sententiam citantur Moses Mikkotsi, & Obadias Bartenorius. Kimchi ad Psal. 133. 2. ait Sacerdotem fuso super caput oleo inter palpebras unctum fuisse כמין כ״ף יונית *in formam*

formam Caph Græci. Skikardus dicit mendum istic esse; pro כף *Caph* nimirum legendum putat כי *Chi*; addit tamen neutrum Caph, nec minusculum κ, nec majusculum Κ, ab hac figura multum abludere. Similiter Seldenus miratur tam *Chi* quam *Caph* simul à Rab. Salomone memorari ad v. 2. hic vero tantum *Chi*; & merito suspicandum fuisse ait illud quod (ad v. 2.) de *Caph* & *Nun* inseritur, interpolantis alicujus glossema fuisse, nisi & aliorum etiam, qui inter Ebræos celeberrimi fuere, eandem fuisse sententiam comperiremus. Deinde citat Abarbinelem scribentem, memoriæ proditum esse à sapientibus, Pontifices ita ungi solitos esse, ut eis fuerit כמין כף יונית *figura τῦ Caph Græcanici.* Jubet etiam videre Davidem Kimchium ad Psal. 133. cujus verba antea sunt adducta. Dicit autem in ratione Abarbinelis nugas esse perquam ridiculas; existimat nempe Abarbinel, ideo unctione figuram literæ Caph Græci fuisse expressam, ut ita indicaretur eum, qui ita unctus erat, in Pontificem à Deo fuisse electum, quod Caph sit prima litera vocis כהן *Cohen*, quæ Sacerdotem significat. Ita enim insigne fuisse dignitatis Pontificiæ, ut corona Regiæ. Dicunt namque Rabbini unctionem regis ab unctione sacerdotis ita discrepasse, ut hæc in formam *Chi* vel *Caph* Græcanici, illa autem in formam coronæ facta esset. At *Caph seu Cappa Græcanicum* (inquit Seldenus) *primo τῦ* כהן *elemento est dissimillimum. Et si figura ejusmodi esset, ut primum τῦ* כהן *elementum præ se ferret, quamobrem, imo qui fieri cum ratione potuit, ut è Græcia peteretur ad Ebraicum vocabulum denotandum?* Ego sane in ista Abarbinelis ratione nihil solidi esse fateor: in eo tamen virum hunc clarissimum una cum Skikardo (qui & ipse erat eruditissimus) falli arbitror, quod existiment per כף יונית *Caph Græcum* literam *Cappa* denotari, cum mea sententia litera (*a*) *Chi* intelligatur. Vocant enim Rabbini Chi Chaph, quod Græcum Chi, Hebræo Caph, non forma, sed virtute respondeat. Unde videmus in Græcis Bibliis Hebræum Caph per Græcum Chi exprimi. Jos. 7. 1. כרמי χαρμί. Et ibid. עכן Ἀχάρ. Similiter כלב Græce scribitur χάλεβ, Num. 14. 6.

Et implebis manum Aharonis, & manum filiorum ejus] Onk. & Jon. *Et offeres oblationem Aharonis, & oblationem filiorum ejus.* LXX. hic habent, καὶ τελειώσεις, &c. *Et consummabis manus Aharonis*, &c. Augustinus quærit quid hoc sibi velit; *Quid est* (inquit) *consummabis manus Aaron*, &c. *An per manus potestatem significavit, ut aliquid etiam ipsi consecrare possint?* Mirum est virum acutissimum non animadvertisse *consummare manus* hic apud LXX. Interpretes idem esse quod *implere manus*, quemadmodum Interpretes isti (prout in Hebræo utrobique est) habent cap. 28. 41. Phrasis ista (*b*) *implere manum* pro *consecrare* ideo usurpari videtur, quod consecrationis tempore partes quædam Sacrificii in manum Sacerdotis traditæ fuerunt. Aben Ezra autem observat cap. 32. 29. phrasin hanc usurpari, ubi de sacrificio, nisi figurate forte accepto, non agitur.

11. *Ad ostium Tabernaculi conventus*] R. Sal. exponit, *in atrio tabernaculi, quod est ante ostium.* Et ad vers. 32. ait totum atrium appellari ostium tabernaculi conventus.

12. אֶל־יְסוֹד הַמִּזְבֵּחַ *ad fundamentum altaris*] Fundamentum altaris R. Sal. sic describit, כמין כליפה בית קבול עשוי לו סביב סביב לאחר שעלה אמה מן הארץ *erat prominentia quadam receptaculi facti circumcirca (altare,) postquam ad cubiti altitudinem à terra ascenderat.*

13. וְאֵת הַיֹּתֶרֶת *Et reticulum*] R. Sal. ait היא טרפשא דכבדא *est reticulum jecoris.* Similiter & R. Nathan in Concordantiis exponit יותרת per טרפש: Buxtorfius autem in Lexico magno interpretatur טרפש *reticulum, membranam tenuissimam*, & ex Talmude citat טרפשא דלבא *reticulum cordis*; & טרפשא דכבדא *reticulum hepatis.* Notat etiam טרפש & טרפשא esse Græcum τράπεζα *mensa*, ac partem eam hepatis sic vocari, quæ latior est instar mensulæ. Fullerus (ad quem Lectorem remittit Buxtorfius) Miscell. lib. 5. cap. 14. notat יותרת hic à R. Salomone exponi טרפשא, ac Kimchium voce Hispanica interpretari אב״רש *Hebras*, Latinos *fibras* dicere, Græcos autem λοβὸς appellare, eodemque vocabulo LXX. Interpretes nomen Hebræum reddere. Asserit autem aliud omnino esse טרפשא, nimirum Græcum τράπεζα i. e. mensa, eamque aruspices jecori assignasse, ac ejus partem quandam statuisse. Veruntamen τράπεζαν jecoris non fuisse λοβὸν, constare ex Nicandri Theriacis, ubi λοβὸς h. e. fibra ἐκ τῆς τραπέζης i. e. è mensa nasci dicitur. Citat deinde Stephanum dicentem hepatis partem eam, quæ latior est instar mensulæ, τράπεζαν nominari: quænam autem ista latior pars sit, haud satis liquere indicat. Concludit denique sibi valde probari Vulgatam Versionem, qua *reticulum jecoris* redditur. Hic enim omnia perbelle congruere ait. Nam & unum esse solummodo, & super jecur, quemadmodum hic dicitur היתרת על־הכבד. Quin & Græcam vocem λοβοι hic perinde valere arbitratur, atque cum de leguminibus dicitur. Quemadmodum enim siliqua, sive folliculus, in quo semen continetur, vocatur λοβὸς: ita reticulum, quod tanquam folliculus quidam jecur inclusum comprehendit, merito λοβὸν nuncupatum existimari. Atque ita vocem istam LXX. Interpretes intellexisse videri, qui τὸν λοβὸν τῦ ἥπατος vel τὸν λοβὸν τὸν ἐπὶ τῦ ἥπατος ubique transferunt.

Et duos renes] Aben Ezra ait ex nonnullorum sententia renes Hebraice dictos esse כליות à כלה *consumi* nempe desiderio, quemadmodum verbum istud usurpatur Psal. 84. 2. quod concupiscentia venerea (כח התאוה לבשר) in renibus sita sit.

17. *Et arietem* תְּנַתֵּחַ לִנְתָחָיו *concides in frusta ipsum*] LXX. διχοτομήσεις κατὰ μέλη: *scindes membratim.* Διχοτομεῖν ibi simpliciter est, *scindere* seu *dissecare*; atque ita sumi videtur Mat. 24. 51.

18. רֵיחַ נִיחוֹחַ *odor suavissimus*] Sic Vulg. LXX. εἰς ὀσμὴν (*c*) εὐωδίας, *in odorem suavitatis*, seu suaveolentiæ. Phrasin istam mutuatur Apostolus, eaque utitur Ephes. 5. 2. & Phil. 4. 18. Onk. & Jon. לאתקבלא ברעוא *ut suscipiatur cum benevolentia.* Ad verbum est, *odor quietis*; nam ניחוח est *quies*, à נוח *quiescere.* R. Sal. ait ita appellari, quod Dei spiritum quiescere faciat, cum id quod jussit, impletum sit. נחת רוח לפני שאמרתי ונעשה רצוני. Quod habita ratione veri sacrificii mortis Christi per ἀνθρωποπάθειαν de Deo verissime dictum est. Ad eundem autem modum exponit etiam ad v. 25.

אִשֶּׁה לַיהוָה הוּא *Oblatio ignita* (*d*) *est Domino*] אשה derivatum videtur ab אש quod *ignem* significat. Unde Amama in censura notat Vulgatum Interpretem nimis laxe reddere אשה *victimam* hic & v. 25. *oblationem*, cum non quælibet victima seu oblatio fuerit אשה, sed ea tantum quæ Ebræis dicitur עולה quod tota ascenderet per ignem (à עלה *ascendere*) Græcis ὁλοκαύτωμα, quod totum combureretur. Onkelos tamen & Jonathan simpliciter vertunt קורבנא *oblatio.* Sed R. Salom. ad vocis originationem respiciens exponit הקטרת איברים שעל־האש i. e. *ustionem membrorum super ignem.* Ac diserte dicit לשון אש i. e. *notionem ignis* voci אשה inesse.

20. *Et pones* עַל־תְּנוּךְ אֹזֶן *Super extremum auriculæ*, &c.] Sic Vulg. LXX. ἐπὶ τὸν λοβὸν τοῦ ὠτὸς, *super pennam auris.* Sic Latine vertitur & supra v. 13. τὸν λοβὸν τῦ ἥπατος, *pennam jecoris.* At Theodorus Gaza superiorem partem auris vocat pinnam; λοβὸν autem facit inferiorem partem, ac *fibram* interpretatur. Sic enim ille verba Aristotelis de hist. Animal. lib. 1. c. 11. Latine reddit, *Auris pars exterior, cui nomen auricula parte constat superiore, Pinna; inferiore, Fibra.* Græca autem sic habent, ὠτὸς ἡ μέρος τὸ μὲν ἀνώνυμον· τὸ δὲ, λοβός. Quæ ad verbum sic sonant, *Auris autem pars, hæc quidem nomine caret; illa autem* λοβὸς (*fibra*) appellatur. Aben Ezra refert R. Saadiam interpretari Hebræam vocem *tenuch* הרך הדבק בעגול האזן *molliculam carnem, quæ orbiculæ auris adjungitur.* Quod cum interpretatione Græci vocabuli λοβὸς à Gaza tradita, nec non cum Vulgata versione convenit. R. Salomon autem exponit הסחוס האמצעי שבתוך האזן *Cartilaginem mediam, quæ est in aure.* Kimchi in Rad. (referente Fagio) de hac voce תנוך agens ait, הוא הרך אשר בקצה האזן בלע״ז הספרא כפירש שהוא הגדר האמצעי *Est tenerum illud, quod est in extremitate auris, quod vulgo Mol vocatur. Et in Siphra* (libro sic appellato) *exponitur maceries, quæ est in medio* sc. auris. Prior expositio cum R. Saadia, posterior cum R. Salomone conspirat. De priore autem (*e*) plurium videtur esse consensus, ac propterea eam potius sequendam censeo. Miror autem Bithnerum, qui in Clave Linguæ S. primo verbis Kimchi (ejus nomine suppresso) dicit תנוך esse הרך בקצה האזן *teneriorem partem in extremitate auris*: deinde autem addit, per inversionem hinc esse χόνδρος *cartilago.* Hæc certe inter se haud conveniunt, cum cartilago auris ejus tenerior pars non sit.

וְעַל־בֹּהֶן *Et super pollicem*] R. Sal. exponit, הגודל i. e. *pollicem*;

(*a*) R. Sal. ad v. 36. ait omnem unctionem esse in formam *Caph.* & ad cap. 30. v. 26. ait omnem unctionem fuisse in formam *Chi*, præter regalem, quæ erat in formam coronæ. Hinc apparet eum *Caph*, & *Chi* promiscue usurpare. (*b*) Vide Goodwin in Mose & Aharon lib. 1. c. 5.

(*c*) Scholiastes notat alios Interpretes habere εὐαρεστήσεως, *acceptationis*, vel *complacentiæ.* (*d*) LXX. θυμίαμα κυρίῳ ἐστὶ, *Incensum Domino est.* Nobilius testatur in aliis libris esse θυσίασμα *Sacrificium.* (*e*) Jonathan etiam interpretatur חסחוס *cartilaginem.* At Onkelos רום אודנא *Superiorem partem auris.*

licem; atque ait sanguinem super medium pollicis articulum (בגודל האמצעי) fuisse ponendum.

22. וְהָאַלְיָה *Et caudam*] Onkelos & Jonathan voce Hebræa in Chaldaicam formam mutata utuntur אליתא. LXX. Interpretes vocem istam omiserunt; Scholiastes autem monet alios Interpretes ex Hebræo addere καὶ τὸν κέρκον, *& caudam*. Atque ita habet Vulgatus. R. Salom. exponit partem, quæ à renibus deorsum protenditur, מן הכליות ולמטה. Notat etiam in bove & capra hoc non fuisse præceptum, ut האליה *cauda* combureretur. Idem etiam observat Aben Ezra ad v. 13.

וְאֵת שׁוֹק הַיָּמִין *Et armum dextrum*] R. Salom. ait non nisi in hoc (*a*) Sacrificio reperiri, quod armus dexter comburi debuit. לא מצינו הקטרה בשוק הימין עם האמורים אלא זו בלבד.

24. וְהֵנַפְתָּ אֹתָם תְּנוּפָה *Et agitabis ea agitatione*] Vulgat. Et *sanctificabis eos elevans*, *&c*. At אותם hic non ad Aharonem ejusque filios, sed ad res antea memoratas refertur; nec verbum הניף proprie est *sanctificare*, sed *agitare*: unde non injuria bis hic ab Interprete peccatum censet Amama. Lyra ait in Hebræo esse, *& ventilabis*. Addit etiam R. Salomonem dicere, Ventilationem istam ita factam, ut Moses manus suas manibus Aharonis, & filiorum ejus prædicta tenentium supponeret, easque primo elevaret sursum, deinde retraheret deorsum; ac postea ad orientem, & occidentem, aquilonem & meridiem deduceret, ad designandum quod ea offerebant Deo, qui cœlo & terræ, & quatuor orbis partibus dominatur. Atque istiusmodi quidem habet R. Sal. Onkelos & Jonathan interpretantur ותרים יתהון ארמא *& elevabis ea elevatione*. At Aben Ezra ad v. 27. ait, אין תנופה כמו תרומה כי תרום למעלה ולא תניף *Agitatio non est idem quod elevatio: Nam elevatio est sursum; non autem agitatio*. Certe in isto versu תנופה *agitatio*, & תרומה *elevatio*, distincta esse videntur. LXX. καὶ ἀφοριεῖς αὐτὰ ἀφόρισμα, *& separabis ea separationem*. Scholiastes refert alios libros habere αὐτοὺς, *eos*, quos (licet minus sinceros) Vulgatus Interpres secutus videtur. Similiter v. 27. LXX. Interpretes vertunt תנופה ἀφόρισμα, *separationem*, & תרומה ἀφαίρεμα, *demptionem*: unde apparet eos voces istas tanquam synonymas accepisse. Vulgatus illic חזה התנופה interpretatur *pectusculum consecratum*; & שוק התרומה *armum separatum*. Proprias vocum significationes nec hic nec illic expresserunt. Sed & Onkel. pariter ac Jonathan pro תנופה habent ארמותא *elevationem*, & pro תרומה habent אפרשותא *separationem*.

29. *Et vestes sacræ, quæ sunt Aharonis, erunt filiorum ejus post eum*] Ejus nempe ex filiis, qui Aharoni in dignitate sacerdotali (*b*) successerit, ut recte exponit R. Salom. Similiter Aben Ezra, *filii ejus, qui ipsius loco unctus fuerit*. אחריו *post eum* (ut idem notat) hic idem valet quod כמותו *cum mortuus fuerit*.

33. וְזָר לֹא־יֹאכַל *Extraneus autem non comedet*] Id est, qui non est ex semine Aharonis, ut interpretatur Aben Ezra.

35. *Implebis manum eorum*] Onkelos & Jonathan hic, ut alibi semper, *offeres oblationem eorum*. Lyra ait hanc impletionem referri ad ea, quæ posita erant super manus Aharonis & filiorum ejus, ut ventilarentur coram Deo. Vide supra ad v. 24. & ad v. 9.

37. *Et erit altare* קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *sanctissimum*] Ad verb. *Sanctitas sanctitatum*, Aben Ezra exponit קדש כאחד הקדשים *Sanctum, ut alia aliqua res est sancta*. Sed Hebræa phrasis eminentem quandam sanctitatem innuere videtur.

Quisquis tetigerit altare, sanctificabitur.] Jonat. *Quisquis appropinquabit altari* (vel *offeret in altari*, כל דיקרב במדבחא) *sanctificabitur ex filiis Aharonis; sed ex reliquo populo non licet cuiquam appropinquare* (למקרב) *ne comburantur igne flammanti, qui egreditur à* (*Deo*) *sanctissimo*; ad verbum, *à sanctitatibus*, מן קודשיא. Plenius autem sensum hujus loci exponere videtur Lyra, sacerdotes, qui altari ad ministrandum accedunt, prius mundari, ac sanctificari debere. Alienior est expositio R. Salomonis, altare adeo sanctum fuisse, ut si forte corruptum esset sacrificium, altari tamen impositum, ex ejus contactu sanctum redderetur.

40. וְעִשָּׂרֹן סֹלֶת *Et decimam partem simila*] R. Salom. exponit decimam partem Ephæ, quadraginta tria ova, & quintam partem ovi.

רְבִעִית הַהִין *Quartam partem Hin*] R. Salom. ait esse שלשה לוגים *tres Logim*. (*c*) Log autem sex ova continere dicitur. Aben Ezra existimat *Hin* esse mensuram Ægyptiacam; sed id mihi minus videtur verisimile. Quorsum enim in eis, quæ perpetuum Dei cultum spectabant, Ægyptiacis potius quam Hebraicis nominibus uterentur?

42. אֲשֶׁר אִוָּעֵד לָכֶם שָׁמָּה *Ubi vos conveniam*] Onk. & Jon. דאזמן מימרי לכון תמן *Ubi constituam verbum meum vobis*. R. Sal. ait nonnullos ex Rabbinis hoc ita intelligere, ac si post erectum Tabernaculum à superiori parte altaris ænei Deus cum Mose loqui solitus esset: alios autem velle id à superiori parte propitiatorii factum fuisse. Atque id quidem clarum est ex cap. 25. ac proinde recte R. Salom. dicit hæc verba non respicere altare, sed Tabernaculum conventus, cujus immediate antea facta est mentio. LXX. ἐν οἷς γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖθεν, *in quibus innotescam tibi inde*. Pro לכם *vobis* videntur legisse לך *tibi*; vel ita de industria exposuerunt, propterea quod sequatur לדבר אליך שם *ut loquar tibi illic*. Hic etiam, ut alibi, pro אועד vel legisse, vel in animo habuisse videntur אודע *cognitus ero*. At v. 43. ubi in Hebræo est, ונעדתי שמה לבני ישראל veram lectionem secuti habent, Καὶ τάξομαι ἐκεῖ τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, *& præcipiam* (vel *constituam*) *illic filiis Israel*. Vulg. *Ubi constituam, ut loquar ad te. Ibique præcipiam filiis Israel*. Vide supra ad cap. 27. 21.

46. לְשָׁכְנִי בְתוֹכָם *Ut habitem inter eos*] Vulg. *ut manerem inter illos*. Onkelos & Jonathan, לאשראה שכינתי ביניהון *ut faciam præsentiam meam habitare inter eos*. LXX. Interpretes, quid secuti nescio, vertunt, ἐπικληθῆναι αὐτοῖς, *ut invocer illis*.

I D E M.

2. *Et panes infermentatos*, *&c*.] Ex traditione haberi ait, de unoquoque genere (nempe ex panibus, placentis, & laganis) fuisse decem, ita ut in universum essent triginta.

5. *Et accipies vestimenta*, *&c*.] Notat nullam hic mentionem fieri subligaculorum, quod ea antea verecundiæ causa (מפני צניעות) ipsi induissent.

7. *Et accipies oleum unctionis*, *&c*.] Refert Nahmanidem dicere, mitram ita capiti circumplicatam fuisse, ut medium capitis apertum esset, ac supra illud oleum fuisse effusum: sed secundum R. Salomonis sententiam, nempe totum caput oleo perfusum fuisse, dicendum ait cum Aben Ezra, prius unctionem peractam, ac deinde Mitram fuisse impositam.

9. *Et alligabis eis* מִגְבָּעֹת *galeros*] Sic appellari dicit, quod essent instar duorum גבעות *collium*, valle interjacente. Juxta istam descriptionem מגבעות *mitra* potius quam *galeri* dicerentur, ut & מצנפת *tiara* potius quam *mitra* reddendum videtur.

Et implebis manum, &c.] Sic explicat, ut sensus sit, Mosen isto opere perfecturum fuisse manum, ac potentiam eorum, ut ministerium suum obirent.

13. וְהִקְטַרְתָּ *Et adolebis*, &c.] Notat non dictum esse, ושרפת *& combures*, quod adeps totus in fumum ascenderit, quasi esset (*a*) suffitus aromatum.

20. *Et panes super*, &c.] Istis ceremoniis innui ait, sacerdotes debuisse Legi Dei auscultare, Deoque cultum exhibere, & in mandatis ejus ambulare.

21. *Et ex oleo unctionis*, &c.] Aharonem bis unctum dicit, nempe primo ut ipse quamdiu viveret, sacerdos magnus esset: deinde ut non solum ipse, & filii ejus, sed & posteri eorum in perpetuum sacerdotio fungerentur.

(*a*) Verbum קטר proprie de adolendo suffitu usurpatur; atque inde nomen קטרת *suffitus* ortum habet.

CAP. XXX.

M U N S T E R U S.

6. A*Nte velum*,] h. e. מחוץ, *extra velum*, quod Sanctum sanctorum à Sancto disjungebat.

7. *Bene ordinaverit*] Hebr. *bonum faciet*: h. e. Quicquid noctu immunditiarum oleum & ellychnium contraxerint, removebit & repurgabit.

8. *Fecerit ascendere lucernas*] Intellige flammam in lucernis.

12. *Propitiationem*] h. e. munus aliquod pro propitiatione animæ suæ.

13. *Dimidium sicli*] Indicavimus supra, *levationem*, quæ Hebraice *Thruma* vocatur, esse munus quoddam voluntario datum corde, sive contributionem pro ministerio sancto factam.

(*a*) Nempe quando partes duntaxat aliquæ comburendæ erant. (*b*) Vide v. 30. (*c*) Ita Kimchi à Fagio citatus testatur.

ctam. Habent proinde Hebræi in ponderibus hos gradus. Siclus, quem ipsi *schakel* vocant, continet grana hordeacea 384. Mina vero, quam & ליטרא vocant, i. *libram*, habet 60 siclos, h. e. grana hordeacea 23040. At Kikar, quod nostri *talentum* vertunt, habet 60 libras, grana scilicet 1382400. Ego autem hæc pondera exigens ad pondus Gallici Coronati, inveni uni Scutato Gallico respondere grana hordeacea 75. atque in hunc modum Siclum continere Coronatos quinque & præterea grana hordeacea 9. Quod pondus per 60 multiplicatum consurgit ad 307 Coronatos atque 15 grana hordeacea. Tantum valuit Libra aurea apud Hebræos, si non est error in positione fundamenti, & grana ubique sunt paria & æqualis ponderis. Si rursum multiplices Libram per sexaginta, habebis pondus Talenti, nempe Coronatos 18432. quod tamen est intelligendum de ככר החול, i. *talento vulgari*. Talentum autem sanctuarii fuit duplum ad profanum, habens scilicet secundum priorem supputationem Coronatos 36864. Et tantum fuit pondus auri unde fabrefactum fuit candelabrum cum suis ornamentis & instrumentis. Non convenit inter Hebræos de Libra. D. K. dicit illum continere 60 siclos; R. S. vero scribit infra cap. 38. illam continere 25 siclos. Et fortasse nascitur hæc dissensio à gemina libra, profana scilicet & sancta.

18. *Labrum aneum*] Est כיור *concha* seu *lavacrum*, quod fistulas multas habet per quas emittitur aqua.

23. *Myrrha purissima*] Sic Onkelos exponit. K. vero dicit דרור idem esse quod מובחר, i. *exquisitum*.

32. *In illa compositione*] Est מתכונתו idem quod חשבון *summa*, vel *proportio*. Onkelos vero vertit בדמותה, *similitudinem*.

34. *Guttam*] K. interpretatur *balsamum*; R. S. צרי, *resinam*. Et idem dicit *unguem* esse radicem quandam aromaticam חלק, tersam & candentem in morem unguis. *Galbanum* vero, quod Hebræi *Halbanam* vocant, est species aromatica mali odoris, similis melli nigro, ut dicit K. ¶ *In æquali pondere erunt*] Hebr. *solum cum solo erit*: est enim בד idem quod לבד, ut K. exponit: & est sensus, *singula seorsum in pulverem redigentur*, vel ut alii exponunt, *Singula seorsum pondera sua habebunt*, vel, *Pondus istius erit sicut pondus hujus*.

FAGIUS.

2. EX *ipso erunt cornua ejus*] i. ex eodem ligno, non aliunde affixa & compacta.

6. *Super testimonium*] i. super arcam testimonii, quæ sic vocatur quod in ea testimonium Divinæ voluntatis duabus tabulis comprehensum ponebatur.

7. *Mane mane*] i. singulo mane. Est enim dialectos linguæ sanctæ, ut geminatio substantivi ultra principale significatum includat distributivum: ut איש איש *vir vir*, i. *singuli viri*, vel *unusquisque*; בשנה בשנה *in anno in anno*, i. *per singulos annos*. Ita & in præsenti loco. ¶ *Adornaverit lucernas*] h. e. Cum quicquid immunditiarum oleum & ellychnium contraxerint, removerit & repurgarit.

9. *Et oblationem*] Vox Hebræa מנחה *Minhah* varie ab interpretibus redditur, jam *munus*, jam *oblatio*, jam *sacrificium*. Hoc autem nomine vocatur juge illud & perpetuum sacrificium. Et Hebræi derivari putant à verbo נחה *Nahah*, i. *adduxit*. Fiebatque in vespera, h. e. cum Sol inciperet declinare. Unde usus apud eos obtinuit ut sæpe tempus vespertinum vocent *Minhah*. Et licet Scriptura quoque vocet juge illud sacrificium quod mane fiebat *Minhah*, tamen peculiariter adaptatur tempori vespertino & ejus sacrificio.

10. *Sanctum sanctorum est*] Hebraismus est, pro, Sanctissimum est coram Domino. q. d. Tanquam res Deo dicata sanctissimum erit vobis. Alii sic accipiunt, Tanquam unum ex rebus sacrosanctis erit.

12. *Quando capies summam*, &c.] i. Quando recensere voles filios Israel, qui veniunt in numerum: non enim omnes numerabantur: Nam qui vicesimum annum nondum attigerant, rejiciebantur ab eo numero. ¶ *Redemptionem animæ suæ*, &c.] Oblationem intelligit qua redimebant vitam suam. Nam alioqui Deus interficiebat eos, ut fecit temporibus David.

13. *Juxta siclum sanctuarii*] h. e. quo utebantur in templo sive sanctuario. Nam Siclus templi, ut ajunt Hebræi, consentiente Josepho, habebat quatuor Drachmas; & quælibet Drachma quinque Obolos: Quare eveniebat ut Siclus templi viginti caperet Obolos. Idem eveniebat in Talento. Nam Talentum templi capiebat centum & viginti Libras: profanum vero, quo vulgo utebantur, sexaginta tantum, i. dimidium. Ita & siclus vulgaris capiebat duas drachmas, i. didrachmon, & decem Obolos. Viginti obolorum erat siclus. Alii hæc sic tradunt, Alius fuit siclus vulgaris, alius Ecclesiasticus, quem Scriptura *siclum sanctuarii* vocat: & is fuit duplus ad vulgarem siclum. Porro vulgaris siclus continet duas drachmas, seu duos denarios, qui valent fere quarta parte aurei Rhenani. Ecclesiasticus continet quatuor denarios, h. e. dimidiam partem aurei Rhenani. Scriptura hoc loco, similiter Num. 3. 47. & Ezech. 45. 12. dicit Ecclesiasticum siclum continere viginti גרה *Gerah*, quod Chaldæus interpretatur מעין *Main*, Græcus ὀβολὸν. Ac Hebræi sentiunt מעה, h. e. *obolum*, continere pondus sedecim granorum hordeaceorum. Cum igitur singuli Israelitæ jubentur in sumptum Sanctuarii conferre singulos dimidios siclos Ecclesiasticos, quorum totus duplus est ad vulgarem, manifestum est ab unoquoque quartam fere partem aurei Rhenani exigi. Dicitur autem, ut & hoc addam, שקל, i. *siclus*, Hebræis à שקל *Schakal*, i. *appendendo* seu *ponderando*, eo quod olim appendebatur argentum, ut hodie numeratur. ¶ *Separatio coram Domino*] i. munus sive oblatio separationis coram Domino. Sic vocabatur, quod à profano usu ad sacrum separabatur.

16. *In memoriale coram Domino*] i. ut causa sit quamobrem recorder filiorum Israel. Hebraismus: de se loquitur in tertia persona.

18. *Ad sanctificandum*] Hebr. *ad lavandum*. Vocat ergo Chaldaismus lotionem manuum & pedum *sanctificationem*.

23. *Aromata præcipua*, &c.] Ad verb. *Aromata capitis*. Sic vocat aromata præcipua, primæ notæ, & optima. Unde mox addit, *myrrhæ purissimæ*, pro quo textus Hebraicus habet, מר דרור, i. *myrrha liberæ*, h. e. non adulteratæ: solet enim frequenter adulterari, ut tradit Plinius.

33. *Super profanum*] Hebr. על זר, *super alienum*. Varie hoc intelligitur. Quidam enim non tantum ad personas, sed ad alias quoque res referendum putant, q. d. Non solum ad usum hominum sive indigenarum sive alienigenarum adhibeatur hæc unctio, sed ne ad alias quidem res. Alii per *alienum* intelligunt eum qui non est de filiis Israel. Alii, eum qui non est de familia Aharonis: atque hæc postrema sententia videtur esse vera & genuina; quam & A. E. approbat.

34. *Stacten*] Ita legunt Lxx & Vulg. interp. Latinus. Est autem *Stacte* vox Græca deducta à verbo στάζω, *stillo*, hinc στακτὴ *Stacte*, i. *gutta*, aromatis genus. Et hoc proprie vox Hebraica נטף quoque significat. Nam verbum נטף *stillare* significat: hinc nomen נטף *stilla*, *gutta*, & Græce *Stacte*: de quo scribit Dioscorides lib. 1. quod sit recens myrrhæ pinguedo incisæ, & quodam instrumento cum aqua modica detritæ, maximeque odorifera; fitque unguentum. De eo & R. D. K. in lib. Rad. ita scribit, אמרו שהוא צרי ונקרא כן על שם שנוטף מעצי הקטף כמו שאמרו רז״ל צרי אינו אלא שרף הנוטף מעצי הקטף כלומר כל״ע, *Dicunt quod* נטף *Nataph sit* צרי *Zari*, *h. e. gutta sive stacte, sic appellata, quod stillet ex arboribus Ketaph. Sicut dixerunt R. R. nostri b. m. Zari nihil aliud est nisi succus qui stillat ex arboribus Ketaph*, (i. quæ incisæ destillant: nam קטף *incidere* significat) *vulgo Balsamum*. Hæc ille. ¶ *Onycham*] De hoc idem R. D. K. ita scribit, הוא הסם הנקרא בלשון המשנה צפורן והוא חלק ומזהיר כצפורן וכן אמר התרגום ושחלא, *Aroma est quod vocatur in Mischnah* (sic vocant textum Thalmudicum) *Zipporen*: (i. onyx, sive unguis: & est lene & lucens ut unguis.) *Atque ita etiam reddidit Paraph. Chald. Tuphra*, i. onycha. Eadem habet & R. S. ¶ *Galbanum*] De hoc K. ita scribit, סם שריחו רע והוא שרף אילן הנמצא בערי יון והוא כמו דבש שחור ובערבי מאב, *Aroma est cujus odor malus est, & est succus arboris quæ invenitur in urbibus Græciæ: & est, ut mel, nigrum. Et in Arabico dicitur Miab*. ¶ *Pondus in pondere erit*] i. Æqualis ponderis erunt. Et hunc sensum habent Lxx & vulg. edit. Latina. Vel, ut alii accipiunt, sensus est, Uniuscujusque pondus sit seorsum. Hebraice ad literam est בד בבד יהיה, *solum cum solo erit*; est enim בד *Bad* idem quod לבד *Lebad*: & est sensus, Singula seorsum in pulverem redigantur; Vel, ut alii exponunt, Singula seorsum sua pondera habebunt; vel, Pondus istius erit sicut pondus hujus. Dicunt Hebræi uniuscujusque horum aromatum libras 70. Moysen accepisse.

IDEM.

34. בד בבד יהיה, *In æquali pondere erunt*,] Vox Hebraica בד, quia æquivoca ad multa significata, ideo diverso modo hic ab interpretibus accipitur. Primo, quia בד idem significare potest quod לבד vel בדד, i. *solum*. Idcirco quidam sic legunt *solum cum solo erit*, h. e. singula seorsim in pulverem contundentur; sicut exponit R. D. Kimhi; vel ut alii accipiunt, singula

singula seorsim pondera sua habebunt. Alii בד pro *æqualitate* interpretantur, quam lectionem secuti sunt LXX, *æquale æquali erit*. Alii *pondus* exponunt, & legunt, *pondus in pondere erit*, sicut Paraph. Chaldæus transtulit; i. pondus istius erit sicut pondus hujus, h. e. æqualis ponderis erunt: quam sententiam Vulg. interpres Lat. expressit, quæ & mihi probatur, & videtur hujus loci esse genuina. Eundem Hebraismum & supra habes cap. 27. ubi de spatio atrii sic loquitur Scriptura, *longitudo atrii erit centum cubitorum, & latitudo quinquaginta in quinquaginta*, i. latitudo erit per omnia æqualis in utroque latere.

VATABLUS.

1. *Incensi thymiamatis*, מקטר קטרת] Ad verb. *suffimenti suffitus*. i. in quo incendes thymiamata, h. e. aromata. v. 7. dicit, *adolebit incensum aromatum*.

2. *Ex ipso*, ממנו] i. ex eodem ligno, non aliunde affixa & impacta.

3. *Tectum ejus & parietes ejus*, את גגו ואת קירתיו] i. tabulam illam superiorem & latera ejus. ¶ *Coronam*, זר] Vide cap. 25. 11.

4. *Et per illos trajicientur vectes*, והיה לבתים לבדים] Ad verbum, *& erit in loca* [vel, *domos*] *vectibus*. Ut cap. 25. 27.

6. *Arcam testimonii*, ארון העדות] *Arcam testimonii* vocat, in qua Lex testimonium Divinæ voluntatis, duabus tabulis comprehensum, ponebatur. Vide supra 7. 21. ¶ *Quod est super testimonium*, אשר על העדות] i. quod oppansum est testimonio, sive arcæ testimonii. Sic supra 7. 21.

7. *Suffimentum*, קטרת] *Suffitum, incensum*. ¶ *Singulis matutinis*: בבקר בבקר] Ad verbum, *in mane in mane*. Geminatio substantivi Hebræis ultra proprium significatum includit distributivum; ut איש איש *vir vir*, i. singuli viri, vel unusquisque. ¶ *Quando aptabit*, בהיטיבו] Ad verbum, *in bonificando ipsum*: vel, *quum ipse bona fecerit*, i. quum quicquid immunditiarum oleum & ellychnium contraxerint noctu, removerit & repurgarit.

9. *Alienum*, זרה] i. aliud quam quod describetur postea. ¶ *Neque minham*, ומנחה] Hæc vox varie ab interpretibus redditur, jam *munus*, jam *oblatio*, jam *sacrificium*. Hoc autem nomine vocatur juge illud & perpetuum sacrificium. Et Hebræi derivari putant à verbo נחה *adduxit*. Fiebatque in vespera, h. e. quum Sol inciperet declinare. Unde usus apud eos obtinuit ut sæpe tempus vespertinum vocent מנחה. Et licet Scriptura quoque vocet juge illud sacrificium quod mane fiebat *minha*, tamen peculiariter adaptatur tempori vespertino & ejus sacrificio.

10. *Et expiabit*, וכפר] *Et placabit, remobit*, sub. *iniquitatem & peccatum*, i. (ut exponit doctus inter Hebræos) quum posuerit sanguinem super cornua altaris, removebit iniquitates Israel, quia placet coram me locus. ¶ *In anno*, בשנה] i. singulis annis. ¶ *Expiationum*, הכפרים] i. quod fiet die expiationum. ¶ *Sanctitas*, &c. קדש וגו'] Hebraismus, tanquam sacrum, sive sacratum: aut dedicatum est Jehovæ: vel, tanquam res Deo dicata, sanctissimum erit vobis.

12. *Capies summam*, &c. כי תשא את ראש וגו'] i. Quando recensere voles filios Israel qui veniunt in numerum: non enim omnes numerabantur: nam qui vicesimum annum nondum attigerant, rejiciebantur ab eo numero. Ad verb. legitur, *Quum sumes caput filiorum Israel*. Hic nona est apud Hebræos hujus libri partitio, quam denominant à secunda hujus versus dictione תשא *Capies*. ¶ *Redemptionem animæ suæ*, כפר נפשו] Oblationem intelligit qua redimebant vitam suam: alioqui Deus interficiebat eos, ut fecit temporibus David.

13. *Omnis transiens ad numeratos*, כל העבר על הפקדים] Hebraismus, Omnis qui numerabitur. ¶ *Secundum siclum sanctitatis*, בשקל הקדש] *Ad pondus sacrum*, h. e. quo utebantur in templo sive sanctuario. Nam Siclus templi (ut ajunt Hebræi, consentiente Josepho) habebat quatuor Drachmas: & quælibet Drachma quinque Obolos. Quare accidebat ut Siclus templi 20 caperet Obolos. Idem eveniebat in Talento: nam Talentum templi capiebat 120 Libras: profanum vero, quo vulgo utebantur, 60 tantum, i. dimidium. Ita & Siclus vulgaris capiebat duas Drachmas, i. didrachmum, & decem Obolos. Viginti Obolorum erat Siclus. Alii hæc dilucidius sic tradunt, Alius fuit Siclus vulgaris, alius Ecclesiasticus, quem Scriptura *Siclum Sanctuarii* vocat: & is fuit duplus ad vulgarem Siclum. Porro vulgaris Siclus continet duas Drachmas, seu septem Duodenos nostros Turonicos, aut paulo plus: Ecclesiasticus vero continet quatuor Drachmas, h. e. quindecim Duodenos plus minus. Scriptura hoc loco, & Num. 3. 47. & Ezech. 45. 12, dicit Ecclesiasticum Siclum continere 20 גרה *gerah*, quod Chaldæus paraph. interpretatur מעין *main*, Græcus ὀβολούς. Ac Hebræi sentiunt, מעה h. e. obolum, continere pondus sedecim granorum hordeaceorum. Quum igitur singuli Israelitæ jubentur in sumptum Sanctuarii conferre singulos dimidios Siclos Ecclesiasticos, quorum totus duplus est ad vulgarem, manifestum est ab unoquoque quartam fere partem triginta Duodenorum nostrorum Turonicorum, aut paulo amplius, exigi. Dicitur autem שקל *siclus* Hebræis à שקל *appendendo* seu *ponderando*, eo quod olim appendebatur argentum, ut hodie numeratur. ¶ *Obolorum*; גרה] LXX transtulerunt ὀβολούς, ut præcedenti annotatione dictum est.

15. *Augebit*, ירבה] i. plus dabit. ¶ *Ad expiandas*, &c. לכפר וגו'] *Ad placandum* Jehovam *propter animas vestras*; vel *animabus vestris*, i. ne interficiat vos.

16. *Ad memoriam*, לזכרון] *In memoriale*; *in monimentum*, i. ut causa sit quamobrem recordet filiorum Israel. Hebraismus: de se loquitur in tertia persona. ¶ *Ad expiandum*, &c. לכפר וגו'] Ut v. 15.

18. *Concham*, כיור] *Labrum, labium, pelvim*. ¶ *Altare*, המזבח] sub. *holocausti*.

20. *Et non morientur*: ולא ימתו] Hebraismus, ne moriantur. ¶ *Ut incendant*, להקטיר] Declarat quod præcessit, *ut ministrent*.

21. *Eritque illis statutum perpetuum*, והיתה להם חק עולם] Hebraismus, Quamdiu vivent, perpetuo observabitur ab illis hæc lotio. ¶ *Illi*, לו] Nempe Aaroni.

23. *Aromata optima*, בשמים ראש] Ad verb. *aromata capitis*, i. capitalia, primæ notæ, præcipua & optima. ¶ *Liberæ fluentis*, דרור] Ad verb. *libertatis*, i. liberæ, expertis vitii, non adulteratæ, h. e. electæ & optimæ. Solent enim frequenter adulterari, ut tradit Plinius. Chald. paraph. *myrrha purissima*. ¶ *Ducentos & quinquaginta* חמשים ומאתים] Ad verbum, *quinquaginta & ducentos*. Declarat quod dixit, *Dimidium*.

25. *Ex eo*, אתו] Ad verbum *illud*, i. ex toto illo, h. e. ex omnibus illis aromatibus. ¶ *Sanctitatis*, קדש] i. sanctæ. ¶ *Unguentum unguenti*, רקח משחת] Hebraismus, suavissimum & optimum; per appositionem dictum. ¶ *Opus unguentarii*, רקח מעשה] *Opus aromatarii*. Per appositionem etiam dictum; i. unguentum compositum & confectum opere unguentarii.

27. *Vasa ipsius*, כליו] i. utensilia.

29. *Sanctificabitur*, יקדש] *Erit sanctum*: ut cap. 30. 37. q. d. ea re quæ tetigerit sanctificata, non licebit uti in rebus privatis, sed tantum in sacris.

32. *Non unget*, לא ייסך] Sub. *is qui ungit corpora*. Oratio defectiva, ut annotat doctus inter Hebræos, q. d. Ungens unguento carnem suam, non unget se isto unguento. ¶ *Sanctum erit vobis*, קדש יהיה לכם] i. pro sancto habebitis illud: h. e. non utemini eo ad alios usus quam meos: nempe quum ungetis sacerdotes meos.

33. *Super extraneum*, על זר] *Super alienum*, i. qui non fuerit sacerdos, aut ex genere sacerdotali. Sic exponunt doctiores Hebræi: & hæc videtur esse genuina expositio hujus loci. Alii non tantum ad personas, sed ad alias quoque res referendum putant: acsi dicat, Non solum ad usum hominum sive indigenarum sive alienigenarum non adhibeatur hæc unctio, sed ne ad alias quidem res. Alii per *alienum* intelligunt eum qui non est de filiis Israel. ¶ *E populis suis*, מעמיו] i. de populo Dei, populo Israelitico.

34. *Stacten*, נטף] *Stacte* vox Græca à verbo στάζω *stillo*, unde σταγὼν *gutta*, aromatis genus: & hoc quoque proprie significat נטף, nempe *stillam* sive *guttam*. Doctus inter Hebræos de hac dictione sic scribit, נטף צרי *gutta*: *sic appellata quod* נוטף *stillet de arbore incisa, myrrha recentis incisæ pinguedo*. *Dicunt doctores*, inquit idem, צרי *nihil aliud esse quam* שרף *succum e ligno inciso, qui vulgo vocatur* בלסמי *balsamum, sive succus balsami*. Quidam magni nominis apud illos idem dicit, addens, lingua barbara dici *gummi*, & תריאקה *theriacam*. ¶ *Et onycham*, ושחלת] De hoc sic doctus inter Hebræos, שחלת *aroma est quod vocatur in Misnah* (sic vocant textum Thalmudicum) צפורן *siphoren*, i. onyx sive unguis: & est leve & lucens ut unguis; atque ita reddidit Chaldæus paraph. Eadem dicit & magni nominis apud illos. ¶ *Et galbanum*, וחלבנה] Doctus inter Hebræos scribit, חלבנה *aroma esse cujus odor est malus*: *& est radix arboris quæ invenitur in urbibus Græciæ, similis melli nigro, quæ & in Arabico dicitur* מיעה. Dioscorides l. 3. c. 97. docet galbanum liquorem esse ferulæ in Syria nascentis. ¶ *Æquale pondus erit*, בד בבד יהיה] Ad verb. *pondus in pondere erit*. Significat id quod vertit noster interpres

pres & Lxx. Alii exponunt, *singula seorsum sua pondera habebunt* : vel, *pondus istius erit sicut pondus hujus.* Quidam vertunt, *solum cum solo erit* : nam בד בד idem est quod לבד, i. singula seorsum in pulverem redigentur. Dicunt Hebræi, uniuscujusque horum aromatum libras Lxx Mosen accepisse.

35. *Ex eo*, אתה] Ad verb. *illud*, ut v. 25. ❡ *Suffimentum aromaticum*, קטרת רקח] *Confectionem aromaticam.* ❡ *Opus aromatarii*, &c. מעשה רוקח וגו׳] Hebraismus, i. opere & industria aromatarii : & omnia ista miscebis diligenter cum summa puritate & sanctimonia.

36. *Ex eo*, ממנה] *Ex ea compositione aromatica, ex eo suffimento.* ❡ *Comminuendo*, הדק] *Et comminues.* ❡ *Ex eo*, ממנה] i. Partem aliquam compositionis hujus aromaticæ. ❡ *Sanctitas sanctitatum*, קדש קדשים] Erit vobis sacrosancta hæc compositio, & hoc thymiama.

37. *Suffimentum quod*, &c. והקטרת וגו׳] Inversa verba Hebræis, quæ sic Latine ordinabis ; *Non facietis vobis suffimentum juxta compositionem illam quam facies.* ❡ *Sanctitas*, &c. קדש תהיה וגו׳] i. Hæc compositio sacrabitur à te Domino Deo.

38. *Simile*, כמוה] Ad verbum, *sicut ipsum*, sub. *suffimentum*, i. similem compositionem, ut odore illius perfruatur.

C A S T A L I O.

9. N*Eve solido sacrificio, aut ferto fieri, néve vinum prolibari*] עלה *holocaustum* est, Græce ita dictum quod tota victima ureretur. Itaque nos fere *solidum sacrificium* interpretamur : sed ponitur sæpe pro hostia seu victima. Itaque pro ratione sententiæ sumus interpretati. זבח autem *sacrificium* significat, in quo victima pollucebatur, i. comedebatur. מנחה munus erat dapale, à *ducendo* sive *ferendo* denominatum, sicut Latine à *ferendo fertum*, quo Persius utitur, & Cato de Re rustica : unde *ferto facere*, aut *dapem facere*, *fertum obmovere.* Aliquando Significat *munus*, sive id Deo fiat, ut Gen. 4. sive homini, ut Gen. 33. Nos, ut postulat sententia, ita vertimus.

13. *Jovæ honorarium*] רום proprie *attollere* est, sed aliquando *excipere* & *seponere*, ut etiam Gallice *lever* : ut positum est Ezech. 45. & 48. ubi terræ pars Deo excepta vocatur Jovæ תרומה, h. e. *honorarium*, ut nos hic vertimus. Neque enim regio attollebatur, ne quis fore contendat verbum hoc vertendum esse superstitiosus per *attollo* aut *effero.* Atque eodem modo positum est & Prov. 29. Hinc pectusculum *exceptitium* : hinc *Exceptitia* dicta sunt quæ Deo destinabantur atque excipiebantur.

24. *Iris quingentos*] קדה *casiam* interpretantur. Sed casiam Hebræi eodem nomine quo Latini appellant, ut est in Psalmo 45. Itaque malui hic Josephum imitari.

C L A R I U S.

6. A*Nte velum*] Nempe extra velum quod Sanctum sanctorum à sancto distinguebat.

7. *Quando componet lucernas*] h. e. Quicquid noctu immunditiarum oleum & ellychnium contraxerint, removebit & repurgabit.

10. *Semel per annum*] Præter illud indeficiens incensum mane & vespere, semel per annum summus Sacerdos solenniter incensum offerebat, & deprecabatur in die expiationis, quæ decima erat in mense vel lunatione Septembris, & deliniebat cornua altaris ex sanguine oblato pro peccato : Quanquam & eo die ingrederetur in Sancta sanctorum, non quod ibidem staret altare aureum & incensi, sed quia ante arcam Domini deprecabatur pro peccato populi. Ex hoc loco intelligitur Zachariæ patris Joannis Baptistæ functio sacerdotalis, de quo Lucas meminit. Licet fieri potuit, & verisimile est, tunc, h. e. tempore secundi templi, loco arcæ fœderis stetisse in Sancto sanctorum altare incensi aureum. Nam Judæi testantur eo tempore nec arcam Domini, nec propitiatorium, nec tabulas testamenti ibi fuisse. Videtur & hinc acceptum, quod dicitur Heb. 9. 7. *Pontificem semel in anno ingredi in sancta sanctorum*, &c.

12. *Et non erit plaga*] Sicut fuit sub David, qui præter hanc legem numeravit per Joab populum.

15. *Dives non addet*] Ut certior hominum numerus haberetur.

16. *Pecuniam propitiationum*] Ita appellabatur, quia misericordiam allecuti fuissent ut in tantam crescerent multitudinem. Ubi notandum, fideles non integrum siclum sed dimidium offerre : nam fides & charitas imperfecta est dum peregrinamur in hoc seculo, perficienda autem in cœlo.

18. *Labium*] Est concha, seu lavacrum, fistulas multas habens, per quas emittitur aqua.

34. *Thus lucidissimum*] Vel, *thus mundum.*

D R U S I U S.

10. הַכִּפֻּרִים. A. τοῦ ἐξιλασμοῦ, *placationis*, seu *placabilitatis.*

12. כֹּפֶר Alius, ἐξίλασμα, *placamen*, sive *placamentum*] Prius erat λύτρον, & in Hieron. *pretium.* Proprie λύτρον *pretium redemptionis.* Est ubi ἄλλαγμα reddunt. Onk. פרקן *redemptio.* ἐξίλασμα, *id quod datur ad placandum Deum.* Sic apud Salomonem quod adulter dat ad placandum maritum כפר appellatur. Ἐξιλασμός, *ipsa actio propitiandi, placatio, propitiatio.* In notis ad edit. Rom. λύτρον τῆς ψυχῆς. Schol. ἐξιλασμόν.

13. הָעֹבֵר עַל־הַפְּקֻדִים. Schol. ὁ παραπορευόμενος ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, *qui transit in numeris*] Vel, *ad numeros.* Sic Santes. Ambo quoque Chaldæi, *qui transit ad numeros*, על מנינא.

14. כֹּל הָעֹבֵר עַל־הַפְּקֻדִים. Alius, πᾶς ὁ παραπορευόμενος ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, *omnis qui transit in numeris.*

23. בְּשָׂמִים. A. ἀρώματα, *aromata.*

37. לֹא תַעֲשׂוּ οἱ λοιποί, οὐ ποιηθήσεται, *non fiet*] Impersonaliter. Sic alibi ויחשבה καὶ ἐλογίσθη, *reputatum fuit.* Nam ἐν αὐτολέξει, *non facietis*, οὐ ποιήσετε quod in Hieron. & Lxx.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et facies altare, suffimentum suffitus : è lignis Settim facies illud.*

2. *Cubitus longitudo ejus & cubitus latitudo ejus, quadratum erit, & duo cubiti altitudo ejus : ex ipso cornua ejus.*

3. *Et obduces illud auro puro tectum ejus & parietes ejus circum, & cornua ejus : faciesque ei coronam auream circum.*

Suffimentum suffitus] vel, *thymiama suffitus.* Innuit autem altare, in quo suffitio fiebat ex bonis odoribus seu aromatibus. R. David in Radicib. מקטר *nomen est ad altare, in quo suffitum faciebant.* Melius ut exponamus להקטיר ad suffiendum suffitum, ut sit nomen pro infinito. Nam contra infinitum etiam pro nomine ponitur. Cui firmando primum Hieron. referens, *ad adolendum thymiama* : deinde uterque Chaldæus, quorum unus edidit, *ad suffiendum super illud suffitum aromatum* : alter, qui Jon. vocatur, *ut ascendere facias super illud suffitum aromatum.* Sic etiam R. Salo. Quod autem in Sante, *altare suffimenti suffitus*, id eo minus placet quod in קְטֹרֶת forma sit status absoluti. Nam in regimine scriberetur קְטֹרֶת Superest interpretamentum Trem. *thymiaterium suffitus* : quod ideo displicuit, quia θυμιατήριον est acerra sive thuribulum. Quanquam in veteribus Lexicis, *Locus aut ara in qua fit suffitus.* Viderint qui sic interpretantur. Lex. Vet. θυμιατήριον, *thuribulum, acerra. Virg. l. 5. Farre pio & plena supplex veneratur acerra.* ❡ *E lignis Settim*] Lxx. ἐκ ξύλων ἀσήπτων. Onkelos & Jonathan, *lignorum Settim.* In Ebræo ad verb. *ligna Settim* : & est locutio, ut *aurum facies ea* pro ex auro. ❡ *Altitudo ejus*] altius erat mensa sive eminebat supra eam dimidio cubito. *Forte*, inquit Abenezra, *altius erat etiam candelabro, e regione Cheruborum, qui expandebant alas suas sursum.* ❡ *Cornua ejus ex eo*] i. *anguli ejus.* Sic Abenmelech. De his cornibus alia Christianorum, alia Ebræorum opinio. Vide Nicol. de Lyra ad h. l. Lippom. *Cornua intelliguntur radii cum pomellis erecti ad decorem & pulchrum ornatum.* Jonathan, *ex ipso erunt cornua ejus erecta.* ❡ *Obduces illud auro*] Ideo vocabatur *altare aureum.* ❡ *Tectum ejus*] Cur hic meminit tecti & non in altari æneo? Quia videl. illud altare non habebat tectum. R. Salo. *Hoc altare tectum habebat, altare vero holocausti non habebat tectum, sed replebant cavum ejus terra quotiescunque castra in aliquo loco ponebant.* Hoc tectum Chaldæi אגריה vocant. Lxx. ἐσχάραν : Hiero. autem *craticulam.* ❡ *Circum*] κύκλῳ, per circuitum, circumcirca, quod Chaldæi dicunt סחור סחור. ❡ *Coronam auream*] זר זהב Lxx. στρεπτὴν στεφάνην χρυσῆν. Hiero. *coronam aureolam.* Quidam, *limbum aureum.* Græca interpretantur, *coronam auream.* Sed corona στέφανος. Hic est στεφάνη, quo nomine significatur proprie limbus in orbem

bem ductus. Quod huic loco melius quadrat. Usurpatur de limbo arcæ, & de limbo mensæ, qui eam coronæ in modum cingebat. Chaldaice זיר.

4. *Et duos annulos aureos facies ei sub corona ejus, ad duos angulos ejus facies in duobus lateribus ejus, eruntque in domos vectibus ad portandum illud eis.*

5. *Et facies vectes ex lignis Settim, obducesque illos auro.*

Sub corona ejus] ad verb. *de sub:* & est sensus, infra coronam sive limbum ejus. ¶ *Ad duos angulos ejus*] Santes verbum è verbo reddit, *super duabus costis ejus.* Nam צלע costa, quæ proprie in animatis. Ab his transfertur ad inanimata. Posses vertere, *ad latera ejus.* Nam צלע in metaphora *latus.* Quam interpretationem probare videtur Abenezra. Nam ait, *lucis caussa adjectum.* Græci quoque εἰς τὰ δύο κλίτη. Sed Onkelos & Jonathan, *super duobus angulis:* quod nunc secutus sum. R. Salo. *Costa hic habent significationem angulorum, ut innuat duos angulos qui sunt in duobus lateribus ejus.* Ezec. 41. צלעות הבית Davidi Camio sunt *mutuli* qui trabem sustentant, ut costa corpus hominis. ¶ *In duobus lateribus*] ἐν τοῖς δυσὶ πλευροῖς. ¶ *In domos vectibus*] vel, *domus vectium,* quibus videlicet vectes inserentur. Onkelos & Jonathan, לאתרא in locum i. locus. Nam domus & locus se mutuo explicant. Hiero. *ut mittantur in eos vectes:* ad sensum non male. Lxx. καὶ ἔσονται ψαλίδες τῶν σκυτάλαις: quod translatum invenio, *& erunt arcus amitibus.* Alii, teste Augustino, maluerunt dicere, *& erunt thecæ amitibus.* Supra 27. αἱ ψαλίδες τῶν στύλων, fornices columnarum. Alii, *capita columnarum.* Sig. eadem vox *forcipes* sive *forfices.* σκυτάλη autem & σκυταλὶς est vectis. Ergo τῶν σκυτάλαις i. vectibus, qui & ἀναφορεῖς. *Phalangas* quidam appellant. Per hos vectes trajiciebantur annuli, quos κρίκους Josephus vocat, cum portandum esset hoc altare. Vide nunc Edit. Rom. Latinam & Lippom. ¶ *Eis*] vectibus. In בָּהֵמָּה He additum videtur per paragogen, ut in לַיְלָה. Nam utrobique accentus in penultima. ¶ *Obduces auro*] teges auro, inaurabis. Sic vectes, quibus arca portabatur, deaurati erant.

6. *Et pones illud ante velum quod juxta arcam testimonii ante propitiatorium quod super testimonium, ubi conveniam te.*

7. *Adolebitque in eo Aharon suffitum aromatum mane mane, quando componet lucernas, adoleat illum.*

Ante velum] *in medio templi.* Hiscuni Ebræus. *foris ante propitiatorium, ut habeat illud è regione.* Abenezra. ¶ *Juxta arcam*] alii, *ante arcam.* Sed עַל prope, juxta, secus. Frequens est hoc significatu. Sic *super* in Latio. Hoc velum dirimebat Sanctum, in quo sacerdotes rem divinam faciebant, à Sancto sanctorum, in quo arca erat. ¶ *Ante propitiatorium*] operculum erat, quod arcam tegebat; unde sequitur, *quod super testimonium.* Id Hiero. elucidat, *quo tegitur testimonium* i. arca testimonii. Est enim brevis sermo μαρτύριον, pro ἡ κιβωτὸς τοῦ μαρτυρίου. Græci etiam τὰ μαρτύρια dicunt eodem sensu. Unde in quibusdam manuscriptis τοῦ ἱλαστηρίου ἱλαστήριον, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῶν μαρτυρίων: ante propitiatorium, quod est super testimonia i. ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ τῶν μαρτυρίων. ¶ *Ubi conveniam te*] Nam ex operculo illo respondebat Mosi. ¶ *Aromatum*] סמים aromata, quæ & בשמים. Sed discrimen est, si credimus Eliæ. *Nam* בשמים *quæ in cibis & bonis odoribus:* סמים *vero quæ in medicina.* Hæc ille in Scholiis ad Librum Radicum. In Thisbi paulo aliter, בשמים *non comprehendit nisi bonos odores qui oduntur:* סמים *autem etiam eos comprehendit quibus utuntur in medicina, & vocantur in lingua Romana sive Latina, Aromata, cujusmodi sunt* סממני הקטרת *aromata suffitus, ut stacte, onyx sive ungula, & similia his.* Hactenus Elias. Doctores dicunt etiam סממנים cum augmento literæ Nun: & in sing. סם, unde Chaldaicum סמא aroma, pharmacum. Pro *pharmaco* sæpissime utuntur, ut cum dicunt סם פלוני נאה pharmacum N. pulchrum est: & סם פלוני רע pharmacum N. malum est. Dicunt etiam סם המות pharmacum mortiferum. Quæ periphrasis est veneni. Hiero. hic edidit, *suave fragrans,* & Lxx. σύνθεσιν λεπτὴν compositum tenue vel subtile. Videntur non intellexisse vocem Ebræam. On. & Jon. בוסמין i. aromata. Quæ interpretatio labefactat nonnihil differentiam quam ex Elia supra posuimus, notavimus. ¶ *Mane mane*] i. quolibet mane, ut *die die,* quolibet die, quotidie. Licet etiam exponere, singulis mane, ut *die die* singulis diebus. ¶ *Quando componet*] Sic interpres vetus. Malim, *cum aptaverit sive composuerit.* Nam prius componendæ erant lucernæ. Verbum è verb. *benefecerit.* Id alii aliter explicant. Abenezra, *ubi composuerit lucernas imponendo ellychnium & oleum,* quod faciebat unoquoque mane. R. Salo. *purgando cochlearia candelabri à cinere ellychniorum quæ nocte arserunt.* Id sequendo verti deberet, *purgaverit.* Abenmelech, *auferendo cinerem ellychniorum, quem capiebat forcipe matutino tempore atque ita componebat lucernas & purgabat eas quolibet mane.* Lxx. ὅταν ἐπισκευάζῃ τοὺς λύχνους. Id reddunt, *quum accendet lucernas* ¶ *Adoleat*] vel, *adolebit* q. d. incendet odores ejus. Hinc eruunt non Aharonem solum suffitum fecisse, sed etiam sacerdotem vulgarem, ad cujus munus spectabat proprie purgare & aptare lucernas.

8. *Et cum accenderit Aharon lucernas inter duas vesperas adolebit illum, thymiama juge coram* DOMINO *in ætates vestras.*

9. *Non offeretis super eo suffitum extraneum, aut holocaustum aut oblationem, neque libamen libabitis super eo.*

Cum accenderit] ad verb. *ascendere fecerit.* Nam flamma lucernæ ascendit in altum cum accenditur. Transfertur inde ad iram: unde in Proverbiis, *Verbum durum accendit iram.* R. Salo. ad h. l. יעלה הוא לשון הדלקה quibus verbis innuit verbum העלה, quod sig. proprie *ascendere facio,* habere significationem *accendendi.* In eodem hoc scholion habetur, *quum accenderit eas ascendere faciendo flammam earum.* Abenezra, *Utitur verbo* תעלה *ascendere facio, quoniam flamma ellychnii ascendit.* ¶ *Adolebit illum*] vel, *suffiet illum:* & sub. suffitum. ¶ *Thymiama juge*] vel, *incensum juge:* aut, si placet, *suffitus jugis.* Sunt qui thymiama inter & incensum distinguant. Vide Lyram. ¶ *Non offeretis super eo*] Idem verbum supra vertimus, *cum accenderit eas.* Sig. ergo & accendere & offerre. Sane Hiero. hic legit, *Non offeretis.* Nam qui offert aliquid, ascendere facit id quod offert. A Hiero. nihil dissentiunt interpretes Chaldæi, ut nec Lxx. in queis, οὐκ ἀνοίσετε. Chaldæi autem ediderunt לא תסקון, cum prius usi fuissent alio verbo, videl. באדלקות cum accenderit Aharon. Liceret tamen hic vertere, *Non incendetis super eo incensum,* si modo incensum & suffitus idem significant. ¶ *Suffitum extraneum*] qui non est confectus ita ut oportet. Conficiebatur autem ex quatuor speciebus aromaticis, de quibus infra. Aut qui non veniebat de communitate. Hiscuni Ebræus, *Omnis suffitus qui non veniebat* משל צבור *de eo quod congregationis sive communitatis erat, etiamsi venisset à sacerdote, vocatur suffitus alienus sive extraneus: qualem fecerunt Nadab & Abihu, qui propterea puniti fuerunt.* On. & Jon. *Non offeretis super eo suffitum aromatum extraneorum.* Hiero. *Thymiama compositionis alterius.* Quod Senes dixerunt θυμίαμα ἕτερον i. קטורת זרה. Sic Dii alii & Dii extranei. ¶ *Aut holocaustum*] עלה & holocaustum. Nota & pro *aut.* Eadem enallage in illo, *Qui percusserit patrem aut matrem.* Nam in fonte ואמו. ¶ *Aut oblationem*] ומנחה & munus, quod sæpe *sacrificium* reddunt. Usurpatur autem de sacrificio jugi tam matutino quam vespertino. Sæpius tamen de vespertino dicitur; unde usus obtinuit apud Judæos ut vespertinum tempus מנחה vocent. Autor Fagius in notis ad Onkelum. Ceterum vocem עלה Lxx. h. l. κάρπωμα reddunt, & Hieron. *oblationem:* מנחה autem θυσίαν & Hiero. *victimam.* Quod eo minus probo quia victima mactabatur: unde Nicol. *& victimam, de animalibus vel de avibus.* recte profecto: sed non recte interpretes illi מנחה θυσίαν convertunt. Nam מנחה oblatio erat incruenta, non ex animalibus, sed ex farina quæ oleo miscebatur. R. Sal. עֹלָה *holocaustum ex bestiis & avibus:* מנחה *oblatio ex pane.* Idem annotat ad יקטירנה *adolebit illum: Quotidie, demensum adolebat mane, & demensum adolebat inter duas vesperas.* Sic interpretor quod in Ebræo פרס σαμψίτειον, de quo in Sectis meis. De מנחה alias plura. Nam tres habuit species. Pro *inter duas vesperas* in versione Græca habetur ὀψὲ i. sero, & in Hiero. *ad vesperum.* August. in locutionibus annotat ὀψὲ ibi positum esse pro vespere.

10. *Et expiabit Aharon super cornua ejus semel in anno, de sanguine peccati expiationum semel in anno expiabit super eo in ætates vestras: Sanctitas sanctitatum est* DOMINO.

Expiabit] ἐξιλάσεται, expiationem faciet. Perperam Hier. *deprecabitur.* ¶ *Super cornua ejus*] Lyra explicat, *tinniens cornibus ejus, vel extendendo manus super cornua.* ¶ *Semel in anno*] decimo mensis septimi, qui respondet ex parte Septembri nostro. In אחת sub. פעם vice una i. semel. Hoc Jon. dixit זמנא חדא. ¶ *De sanguine peccati*] sanguine aspergebantur cornua non semel, sed cum hoc fiebat in die Kippurim, *expiatio* dicebatur. Videndus Hisc. ¶ *Peccati*] sacrificii pro peccato. ¶ *Expiationum*] diei expiationum. R. Salom. *Sunt juvencus & hircus diei expiationum qui expiabant immunditiam sanctuarii & sanctitatum ejus.* Abenez. *Sensus expiationum de sanguine juvenci & hirci ad quem obligati erant quotannis, cum sanguis juvenci sacerdotis uncti & congregationis certis duntaxat temporum tractibus adhiberetur.* Vide nunc Nicol. de Lyra.

11. *Postea*

11. *Postea locutus est DOMINUS ad Mosen, dicendo.*

12. *Quum levabis caput filiorum Israel, secundum numeratos eorum dabunt unusquisque redemptionem animæ suæ, cum numerabis eos: nec erit in eis strages cum numerabis eos.*

13. *Hoc dabunt, omnis qui transit in numeratis, dimidium sicli in siclo sancto (viginti obolorum est siclus) dimidium sicli oblatio est DOMINO.*

14. *Omnis qui transit in numeratis à filio viginti annorum & supra dabit oblationem DOMINI.*

15. *Dives non augebit, & tenuis non diminuet de dimidio sicli, dando oblationem DOMINI, ad expiandum pro animabus vestris.*

Quum levabis caput] quum recensebis summam. Hæc recensio non fiebat per capita, sed unusquisque dabat dimidium sicli, h. e. didrachmum, qui deinde numerabantur, atque ita ex numero didrachmorum cognoscebant numerum civium. Diserte R. Salomo, *Quum voles inire summam filiorum Israel ut scias quot numero sint, non numerabis eos per capita, sed unusquisque dabit dimidium siclum, postea numerabis siclos, atque ita scies numerum ipsorum.* Pro *levabis* legi etiam posset *tolles.* Sic Hiero. *quando tuleris summam.* Quanquam uterque Chaldæus, etiam is qui ab urbe nomen habet, *quum accipies.* Sic etiam R. Salo. Sed & Nicol. de Lyra. Caput autem iidem interpretantur חושבן, ut Lxx. ἐὰν λάβῃς τὸν συλλογισμὸν, nisi quod in Jerosol. ריש חושבן סכומהון caput summæ numeri ipsorum. Quamvis חושבן non tam summa vel numerus, quam computatio qua subductis calculis summa colligitur i. συλλογισμὸς. Hisc. annotat hanc numerationem factam anno secundo exitus ex Ægypto post extructum tabernaculum conventus. Quod probat partim ex Num. 1. 1. & 2. partim ex vers. 16. hujus capitis. Qui si non fallit nos, tum certe numeratio facta per capita. Nam diserte ibi לגלגלתם per capita sua. ¶ *Secundum numeratos eorum*] Hiero. *juxta numerum*: & Santes, *secundum numerum eorum.* Sic etiam Chaldæi. Nam in utroque לִמִנְיָנֵיהוֹן, quod sonat, *juxta numeros eorum.* Lxx. ἐν τῇ ἐπισκοπῇ αὐτῶν, *in visitatione ipsorum.* Hæc interpretatio non indiget refutationis. Nam פקד hoc in loco non sig. *visitare*; sed *numerare* i. unde פקודים numerati. Est enim participium generis passivi. Quocirca non recte, meo judicio, interpretantur *numeros* aut *numerum.* Judicent eruditi. ¶ *Unusquisque*] malim, *singuli.* Sic Hiero. ¶ *Redemptionem animæ suæ*] pretium quo rediment animam suam DOMINO. Quod Senes dixerunt λύτρα redemptiones i. pretium pro redemptione. Sed August. videtur legisse λύτρον. Nam in Locutionibus vertit, *dabunt singuli redemptionem.* Alius interpres ἐξίλασμα sive ἐξιλασμὸν (Nam codices variant) expiationem. Ambo Chaldæi, *dabunt singuli redemptionem animæ suæ coram DOMINO* i. פרקן. Unde Alphurcan. Sic vocatur lex Mahumeti, quæ & *Alcoran* à legendo. ¶ *Animæ suæ*] vitæ suæ. Nam pœnam à Deo mortis incurrebant, qui non dabant. Ab hac pœna immunes erant qui nondum vigesimum annum attigerant. Nam illi non numerabantur. Hisc. *Dabunt redemptionem animæ suæ in usum oblationum per quos expiatio fiebat, quemadmodum exposuit R. Salo.* ¶ *Strages*] נגף. Lxx. πτῶσις, casus, ruina. Hiero. *plaga* i. מכה. On. *mors* i. pestilentia. Jon. נזק דמותא noxa sive læsio mortis. Vox Ebræa sig. etiam *offensionem* sive *offendiculum*, unde אבן נגף lapis offendiculi. Strages autem alia forma nominis מגפה dicitur, quod *plagam* reddunt. ¶ *Non erit in eis strages*] vel, *ne sit in eis strages.* Abenez. *Sunt qui opinantur stragem editam fuisse in diebus Davidis propterea quod non dedissent redemptionem animæ suæ.* R. Sal. *Si in numero dominabatur oculus malus veniebat contra eos pestilentia, ut Davidis ævo.* Japhet ait, *nisi dederint redemptionem pro anima sua cum ad bellum proficiscentur, cadent in prælio coram hoste.* Sic etiam Hisc. in quo & illud, *Redemptio prohibet stragem.* ¶ *Cum numerabis eos*] Hiero. *cum fuerint recensiti.* Hoc supra dixit, *Levare caput*: ubi caput est summa numeri. Quod inde sumptum putat Abenez. quia calculatores in more habent ut summam scribant in capite librorum suorum, videl. supra numeros particulares. Nos infra id facere solemus. ¶ *Qui transit*] vel, *transibit.* Nam est Benoni, quod sæpe futuri vim obtinet. *Mos numerantium*, inquit R. Salo. *ut faciant transire numeratos ante se.* Hisc. *Quo tempore is qui transit egreditur per viam ostii, additur numeratis qui foris sunt.* Abenez. *Qui transierunt annum vigesimum ætatis.* ¶ *In numeratis*] *inter numeratos.* In edit. vulgata legitur *ad nomen* pro eo quod in aliquibus manuscriptis *ad numerum.* Quam lectionem germanam esse docent præcedentia: tum etiam Chaldæorum paraphrases, in quibus, *ad numeros.* ¶ *Dimidium sicli*] vel, *dimidium siclum.* Erat autem siclus sacer tetradrachmus: cujus dimidium didrachmus. Tantum pendebant Romanis vectigalis nomine. *censum* vocant. Perperam ergo in Lxx. τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου. Nam, ut ex Josepho notat Nicol. de Lyra, siclus quo utebantur in templo quatuor drachmas habebat, & qualibet drachma quinque obolos. Siclum Chaldæi סלעא vocant, quo vocabulo etiam Rabbini utuntur. Dicunt enim סלע, quem Elias ait *valere quatuor* זוזים *Zuzim.* Ergo Zuz drachma Josephi. Idem scribit Zuz & Dinar synonyma esse. Dinar videtur esse Denarius. Proprie Zuz in argento & Dinar in auro. 1 Sam. 9. *quarta pars sicli argentei.* Thargum Jonathæ, *Zuza una argentea.* ¶ *In siclo sancto*] בשקל הקדש in siclo sanctitatis i. sancto sive sacro. Nam alius erat communis sive vulgaris & profanus. Licet etiam vertere, *in siclo sanctuarii.* Siquidem קדש sanctuarium. Hiero. *juxta mensuram templi.* Maluissem, *juxta siclum templi.* Nam mensura משקל dicitur. קדש templum. Sic Græci τὸ ἅγιον usurpant, & sæpius τὰ ἅγια dicunt pro templo. Senes hic habent κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον. Videntur legisse Chaph pro Beth. On. *in siclo sanctuarii.* Quanquam in Fagio, *juxta siclum sanctuarii.* Jon. *in siclo monetæ sacræ aut sanctuarii*, si modo טבעא est moneta i. מטבע, de quo amplius quærendum censeo. Non enim mihi hoc liquet. R. Sal. *Secundum pondus sicli quod constitui tibi ut appenderes in eo siclos sanctuarii sive sacros.* Hisc. *Dimidius siclus dabatur ad expiandum crimen quod commiserant medio die.* Vide nunc, si placet, Annotationes Fagii ad Onk. Nam Lippom. inde sua descripsit magna ex parte. ¶ *Viginti obolorum est siclus*] Hoc Hiero. extulit, *Siclus viginti obolos habet*: & Lxx. εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον, ubi tamen legendum τὸ τετράδραχμον. Scire licet eos didrachmon pro siclo ponere. Quod in vulgari siclo verum est. Sacer duplo major erat. Obolus autem גרה dicitur, & à Chaldæis מעא, cujus plurali מעין, pro quo in Jon. מנין legitur: dubito an recte. Nam מנין vasa: item pluralis est à מנה mina. In emphasi מנא minæ. ¶ *Dimidium sicli*] vel, *dimidius siclus*, vel, *media pars sicli.* Quod postremum habetur nunc in Hiero. Vide, si placet. ¶ *Oblatio*] תרומה q. elevatio, quam Chaldæi *separationem* appellant. Senes retulerunt εἰσφορὰ i. illatio, collatio. Sed interpres *oblationem* reddit. ¶ *A filio viginti annorum*] à nato viginti annos, ab eo qui vigesimum annum agit. Qui confecit ad tres hebdomadas annorum. *Tunc homo*, inquit Abenez. *integra mente est, nec procerior evadit.* ¶ *Oblationem DOMINI*] prius erat. *oblatio DOMINO.* Eodem redit. Tres autem oblationes fuisse docet ad hunc locum R. Salo. Prima erat oblatio אדנים i. basium: quoniam ex ea bases conficiebantur. Secunda fiebat prima mensis secundi, anno secundo, ad emendum oblationes, quas קרבנות vocant. Tertia erat oblatio tabernaculi, in qua quisque sponte offerebat quantum volebat. Vide, si placet. ¶ *Non augebit*] non plus dabit. ¶ *Diminuet*] minus dabit, quam dimidium siclum, qui habebat viginti obolos h. e. quatuor denarios, quos *Zuzim* appellant. *Denarius initio valebat quinque obolos: post addiderunt ei sextam partem, ita ut effecerit sex obolos argenteos*, ait R. Salo. Qui etiam ad locum, *à filio 20. annorum* annotat, *Minor viginti annis non exit in militiam nec inter viros recensetur.* ¶ *Ad expiandum pro animabus vestris*] quibus periculum erat si quis plus minusve dedisset. Aut hoc dicit quoniam hac pecunia emebant hostias offerendas quotannis ad expiandum pro animabus. R. Salo. recenset h. l. tres Therumas. Una quæ dicebatur תרומת אדנים, in qua unusquisque conferebat dimidium siclum: qui simul omnes conficiebant centum talenta, unde bases fiebant. Secunda data fuit cum erigeretur tabernaculum, vel magis cum erectum esset, ad hostiarum emptionem. In hac omnes æquales erant: Dives non plus dabat quam pauper, nec pauper minus conferebat quam dives. Tertia erat תרומת המשכן i. tabernaculi, in qua unusquisque dabat quantum volebat. Hisc. summam colligit hujus pecuniæ, quem nescio an bene intelligam. *Sexaginta homines*, inquit, *conferebant quotannis sexaginta dimidios siclos: qui faciunt minam vulgarem sive profanam. Deme viginti de LXX. annis vitæ humanæ, remanent quinquaginta. Singuli ergo in vita sua conferebant sexaginta minas. Erant autem, cum ex Ægypto egrederentur, sexaginta myriades, qui propterea simul omnes dabant decem millia talentorum intra vitæ spatium.* Quæ profecto admodum incerta sunt, cum numerus capitum in deserto valde incertus esset.

16. *Et accipies pecuniam expiationum à filiis Israel, & pones eam ad opus tabernaculi conventus, eritque filiis Israel in monimentum coram DOMINO ad expiandum pro animabus vestris.*

Pecuniam expiationum] *pecuniam quæ collata est à filiis Israel.* Hier. τὸ ἀργύριον τῆς εἰσφορᾶς. Lxx. quod transferunt, *argentum*

argentum oblationis. εἰσφορὰ proprie illatio. Sed & collatio εἰσφορὰ dicitur. Nam εἰσφέρω, confero. Itaque posses vertere, *argentum collationis* i. pecuniam collatam. Sig. etiam *pensionem* sive *pensitationem*. Notabis ἀργύριον pro pecunia sumi. Sic כסף quod proprie *argentum*. Dicitur autem pecunia expiationum quia eo fine conferebant eam ut expiationem facerent pro animabus suis. Lippoman. *Quando sine dimidii sicli collectione numerabatur populus, prorsus infausta erat numeratio & perniciosa. Ideo ea pecunia dicebatur pretium propitiationis qua redimebatur plaga alioqui recidenda in populum universum. Ut factum legimus sub Davide per Joab populum præter hanc legem numerante.* ¶ *Ad opus*] ad usum sive ministerium. *Tabernaculum enim*, inquit Abenez. *non stabat nisi per hanc pecuniam.* Lxx. εἰς τὸ κάτεργον, quod exponitur *ad opus*, εἰς τὸ ἔργον. ¶ *In monimentum*] Lxx. μνημόσυνον. Jon. *in bonam recordationem*, sive *ad faustam memoriam.* ¶ *Ad expiandum*] pro peccato quod commiserant in cultu vituli. Notatum in Jario numerationem hanc factam post cladem illam quam populus acceperat ob illud peccatum, *veluti*, inquit, *si quis oves charas habet, post insignem pestilentiam, dicat pastori, Obsecro numera oves meas ut sciam quot remanserint superstites. Quo indicat sibi oves illas curæ esse.*

17. *Locutusque est DOMINUS ad Mosen dicendo,*

18. *Et facies labrum æneum & basin ejus æneam ad lavandum: ponesque illud inter tentorium conventus & inter altare, & pones illic aquam.*

19. *Et lavabunt Aharon & filii ejus ex eo manus suas & pedes suos.*

20. *Quando ingressuri sunt tentorium conventus, lavabunt se aqua & non morientur, aut cum accedent ad altare ministrandi caussa, ut adoleant igne comburendum DOMINO.*

21. *Lavabuntque manus suas & pedes suos & non morientur, & erit illis statutum seculi, ipsi & semini ejus in ætates eorum.*

Labrum] λουτῆρα Lxx. Alii *concham*. Hiero. *labium*. Malim, *labrum*. Lex. Vet. λουτὴρ, *labrum*. Ebra. כיור, de quo hunc in modum R. Salo. *Speciem habet magna ollæ, in qua sunt papillæ sive fistulæ ore suo aquam effundentes.* Et autor libri qui per sigla vocatur ס״ס, *velut cacabus magnus, aut ahenum magnum habens 12. fistulas aquam ore reddentes.* Et Abenmel. *vas erat jugiter aquam continens simile illi quod Concham appellant vernacule.* Et mox, *Habebat autem ora per quæ egrediebantur aquæ cum sacerdotes lavarent manus & pedes ex eo. Et dicunt Doctores nostri quod simul lavabant manus & pedes ponendo manum dexteram supra pedem dexterum & manum sinistram supra pedem sinistrum: ita lavabant* בבת אחת *vice una i. semel & simul & quasi momento temporis.* Porro fistulas illas, per quas aqua exibat, Ebræi vocant דדין i. papillas: Græci vero θηλάσματα. Dicuntur & siphunculi. ¶ *Basin ejus*] βάσιν αὐτοῦ. Quanquam in Lxx. αὐτῷ, non αὐτοῦ. Basis autem ex iis est de quibus dubites an ex Oriente ad nos pervenerit. Nam Chaldæis in usu בסיס & בסיסא. Quod Onk. & Jon. nunc usurpant בסיס βάσις, ut כיור λουτήρ. Ebraice est כן, quod interpretantur מושב מתוקן לכיור & מכונה sedes apta labro. *Instrumenta hæc non portabantur vectibus, sed plaustro vehebantur*, ait Hisc. Ebræus. ¶ *Ad lavandum*] Uterque Chaldæus לקדשא quod sonat, *ad sanctificationem*. Sensus autem est, *ad lotionem*. Quod idem cum illo, *ad lavandum*. Sanctificare enim inter alia & *lavare* sign. Obiter noto in Lyra legendum *& dicit R. Salomo*, pro, *ut dicit*. Simile mendum in historia Sulpiciana, *Ut plaga mortis ejus curata est*, quod nos primi emendavimus, *Et plaga &c.* Hoc leve. Idem Nicol. דדי vertit *mamillam*, pessime. Nam mamilli דד dicitur absque Vau. Ad hæc דודים reddit *canales*, & de suo addit, *duas*, cum in Ebræo tantum sit דודים *mamillas* sive *papillas*. ¶ *Et altare*] *holocausti, quod ante ostium tabernaculi conventus, vergens paululum versus austrum.* R. Salom. *Altare non erat contiguum ostio tabernaculi, sed propinquum, videl. in medio e regione altaris suffitus. Labrum vero quod inter tentorium & altare declinabat in alterum latus. Quale autem illud fuerit scriptura non dicit.* Abenez. *Labrum extra tabernaculum erat ut puri intrarent ad faciendum opus ministerii.* Hisc. *Non directe inter tentorium & altare holocaustorum, sed aliquantulum ad latus.* Lyra. ¶ *Illic*] in labro illo. ¶ *Lavabunt*] hic rursum Chaldæi posuerunt, *sanctificabunt*, nempe quia sanctificare est mundare & per consequens lavare. Mundat enim manus qui lavat. Hoc significatu etiam Rabbini utuntur verbo קדש, ut R. Salom. ad hunc locum, *Una vice* i. semel, *sanctificabat manus & pedes, quemadmodum traditum est in Zebachim. Quum esset sanctificatio manuum & pedum, ponebat manum suam dexteram super pedem suum dexterum & manum suam sinistram super pedem suum sinistrum, atque ita lavabat.* ¶ *Ex eo*] non in eo, aut in medio ejus. Hinc discimus fistulas aut canales fuisse per quas aqua effluxerit. ¶ *Manus*] Nam iis opus faciebant. Sed quare pedes lavabant? An quia nudis pedibus locum sanctum ingressuri erant? videtur. Nam & Moses in deserto jubetur calceos exuere & additur ratio, *Quia locus sanctus est.* ¶ *Quando ingressuri sunt*] Mane & inter duas vesperas ad suffitum faciendum aut ad spargendum de sanguine juvenci &c. ¶ *Et non morientur*] vel, ne moriantur. Nam Deus nolebat sacra sua illotis manibus & pedibus, h. e. ab impuris hominibus tractari, mortis pœna proposita transgressoribus. Quod probatur exemplo Nadab & Abihu. Vide Levit. X. ¶ *Morientur*] tam prima quam secunda morte. Quanquam de secunda morte dubitari posset. *Non enim Deus punit bis in idipsum*, ut ita loquar cum interprete nostro. Jon. *Et non morientur igne flammante.* ¶ *Igne comburendum*] sub. *sacrificium*: aut *igne comburendam oblationem.* ¶ *Statutum seculi*] i. perpetuum aut sempiternum, videl. usque ad tempus Messiæ. Tunc enim cessabunt, ipsis Rabbinis testibus, omnia sacrificia excepto eo quod *sacrificium laudis* sive *gratiarum actionis* vocatur. Qua de re alias. Hieron. hic habet *legitimum sempiternum*, nempe expressit illud Græcorum νόμιμον αἰώνιον. Nam τὰ νόμιμα illis interpretibus sunt statuta legis h. e. ritus ac cæremoniæ. Id Latine sonat, *legitima.* ¶ *Ipsi*] Aharoni.

22. *Et locutus est DOMINUS ad Mosen, dicendo.*

23. *Tu autem cape tibi aromata prima myrrhæ liberæ quingenta & cinnamomi aromatici dimidium ejus ducenta quinquaginta, & calami aromatici ducenta quinquaginta.*

24. *Et casiæ quinquaginta in pondere sanctuarii, & olei olivæ Hinam.*

Cape] accipe, sume. ¶ *Tibi*] redundat in Latio. *Cape tibi* locutio est ut, *Vade tibi*. Sic *Capite vobis oves.* Quo pertinent & illa, *Fac tibi serpentem, Sculpe tibi, Faciamus nobis lateres &c.* Huc referunt nonnulli, *excisus est & non sibi.* Sed vide, num melius, *& non propter se*, ut sit לו pro בעבורו. Qua de re diximus in notis ad Sulpicium. ¶ *Aromata prima*] בשמים ראש *aromata caput* i. prima & præcipua. Nam caput præcipuum membrum in corpore humano. Forte sermo brevis est, pro בשמים בשמי ראש aromata aromata capitis. Aut est status absolutus pro constructo. *Aromata capitis* idem cum illo, *caput aromatum*, quod videl. præstantissimum est in eo genere. Nam inter aromata aliud alio præstantius. Quod præcipuum, vocatur ראש i. caput aromatum. R. Salom. explicat חשובים i. præ ceteris æstimata. Eodem recidit. Abenez. *Cape de aromatibus caput*, id est, quod præcipuum est. Non displicet. R. David, *Accipe aromata & quidem quod primum ac præcipuum est in eis.* Sic inter homines, qui ceteris præstat, ראש i. caput vocatur. Jon. *cape tibi aromata in principio.* Hisc. *in numero* sive *ad numerum.* Caput i. חשבון. Supra, *tolle caput filiorum Israel* i. summam. Nam summa caput numeri, quia in capite libri scribi solita. *In principio* quod Chaldaice dicitur בשירויא, videtur pertinere ad sequentia, ut dicat, primum omnium accipe myrrham &c. Hoc loco Hisc. discrimen ponit inter בשמים & סמים ita scribens, בשמים *sunt genera vel species arborum quæ proveniunt e terra:* סמים *vero sunt species liquorum, nec radices habent in fundo crescentes.* Alii aliter. Vide Thesbitem Eliæ. ¶ *Aromata*] Lxx. ἡδύσματα. Aquilas, ἀρώματα. Sic etiam Hier. ¶ *Prima*] Hieron. ad sequentia refert *caput myrrhæ liberæ.* Nam vertit, *prima myrrhæ & electæ.* Sic etiam Lxx. τὸ ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς, florem myrrhæ electæ. ¶ *Myrrhæ liberæ*] מר דרור myrrhæ liberæ i. *libere fluentis.* Sic interpretatur Santes. Alii aliter. Jonat. *myrrha lecta.* Sic etiam Hieron. nisi quod in eo *electa.* perinde est. Nec aliter Lxx. ut vidimus. On. *myrrha pura.* Vocat autem myrrham מירא, licet in Jon. sit מר. Sic Ebraice quoque vocatur. Vide Fagium. R. David in libro ubi vocum significata collegit, *myrrha libera est myrrha optima quæ libera & immunis est ab adulteratione & mixtione.* ¶ *Myrrhæ*] מר interpretes uno ore *myrrham* reddunt, cui firmando quod in lingua Chaldæorum מירא. Nam inde *myrrha* dicta videtur. Ego vix dubito quin ex iis nominibus sit quæ ex oriente in occidentem venerunt: quale & *Casia* & *Cinnamomum*. Grammatici Ebræi disputant de hac voce, sed frustra. Abenezra difficilem esse scribit. Saadias, eodem attestante, *muscum* reddit. *Sed non est arbor*, inquit, *quamvis reddat bonum odorem. Forte ideo Scriptura distinxit eam ab aromatibus, cum ait, Suffivi myrrham meam cum aromate meo. Et ecce colligitur. Qui adferunt Mar, dicunt illud fieri in gutture capreæ: & ecce scriptum est, Manus meæ stillarunt myrrham. Forte ita se res habet. Nam est humidum sive liquidum.*

dum. Hactenus Abenez. R. David addit, *si* מור *esset muscus, non diceret, Suffivi myrrham meam. Nam muscus non est germen quo suffitus fieri soleat. Ipse autem* (Abenezram intelligit) *ait esse plantæ genus quod colligitur. Porro Rabbenu Hai scribit esse succum arboris odoratæ, quæ vocatur Arabice* לבני אל רהבאן : *& secundum hanc expositionem recte dicitur, Suffivi myrrham meam.* Idem laudat ex Medras רבה : *Quid Mor istud? caput erat omnium aromatum, etiam Abraham pater noster caput est omnium justorum. Quid Mor istud? quicunque colligit illud manus ejus amaræ fiunt: sic Abraham pater noster amaritudine afficiebat seipsum. Quid Mor istud? non efflat odorem nisi in igne: sic Abraham pater noster non fecit nota opera sua nisi in fornace ignis.* Hæc ille. Quæ adduxi ut ostenderem antiquissimos Ebræos nihil ab interpretibus discordare. ¶ *Quingenta*] sub. pondo. Hieron. *quingentos siclos.* Sic etiam Lxx. πεντακοσίους σίκλους. Nam siclus à ponderando: unde & *pondo* sig. Onk. *ponderis quingentorum.* Deest quippiam. Id supplet Jon. referens, *ponderis quingentarum minarum*, si modo מנין sunt minæ. Autor Jerosol. *Tu autem cape tibi capita aromatum bonorum, myrrham electam pondere quingentorum siclorum.* ¶ *Cinnamomi aromatici*] cinnamomum aroma est: Cur ergo adjecit aromaticum? An significare voluit cinnamomum in suo genere præstans & eximium? R. Salom. notat *cinnamomum esse corticem arboris: & alium quidem bonum odorem ac gustum habere, alium duntaxat lignum esse: ideo coactum fuisse dicere cinnamon aromatis, ut optimum in eo genere denotaret.* In Lxx. est κινναμώμου εὐώδους, cinnamomi bene olentis aut odoriferi. Quod epitheton Hieron. omisit. Vide Lyram. ¶ *Calami aromatici*] קנה בשם cannæ aromatis i. aromaticæ: vulgo *calamus aromaticus.* Nam est alius non aromaticus. A קנה originem ducit Latinum *canna.* Aromaticus autem hodie à Medicis & Seplasiariis cum *acoro* confunditur. Lxx. καλάμου εὐώδους, calami odoriferi. Gerundensis ait esse corticem qui Arabice vocetur דרציני, quæ vox & in Gemara reperitur. Baal Aruch scribit דרציני, & Cinnamon interpretatur. In Libro præceptorum magno קנה quam vocant קילוף vernacula i. casia. ¶ *Ducenta quinquaginta*] Dicunt Ebræi *pondus omnium æquale fuisse. Quod ut cabbalam*, inquit Abenez. *recipimus.* Vide sis illum. Sed & R. Salomonem & Nicol. de Lyra. Ad ea quæ de myrrha notavimus addendum ex Nicolao, qui scribit, *duplicem myrrham esse, Primam, Secundam. Primam esse guttam quæ sponte sudat de arbore, quam ait meliorem esse. Secundam quæ ex incisione manat, quæ minus bona sit.* ¶ *Casiæ*] קדה *casia.* Sic Hieron. Nec dissentiunt Ebræi. Nam ajunt in lingua sapientum קציעה dici, quæ vox Chaldæis & Arabibus *casiam* sonat. Abenez. *ex traditione accipimus* קדה *esse casiam, quæ Græcis* κασσία, & κασία. Vulgo, Canel. Chaldæi dicunt קציעתא & קציעתא. Seorsim ab aliis Lxx. interpretati sunt h. l. ἴρεως i. iridis. R. Salom. scribit קדה radicem arboris esse, cum potius cortex sit. Pro ἴρεως etiam ἴριδος dicimus & ἴρεως à recto ἶρις. Est autem herba aromatica, unde unguentum quod ἴρινον vocatur & ἴρινον ἔλαιον i. oleum irinum. Vide Dioscoridem lib. 1. cap. 1. Sed & Theophrastum. ¶ *In pondere sanctuarii*] Nam קדש sanctuarium aliquando, proprie *sanctitas*, ut possis reddere, *in pondere sanctitatis* i. sancto aut sacro. Et melius sacro quam sancto. Nam id Latinius est. Quidam, *secundum pondus sacrum.* Chaph pro Beth. Quod legit etiam Fagius in Onk. ubi libri editi *in siclis sacris.* Jon. *pondere quingentarum minarum siclorum in siclis sacris.* Lxx. πεντακοσίους σίκλους ἁγίου. שקל & numi genus & pondus, proprie *pondus.* Nam siclus à ponderando. ¶ *Hinam*] à recto Hina. *Est autem mensura liquidorum continens duodecim logos*, teste R. Salom. unde in Jon. *Olei olivarum plenum sextarium, cujus æquipondium duodecim logi unicuique tribui per duodecim tribus.* Sextarium vocat קסטא, forte an ex Græco ξέστης. Quanquam in Tractatu de cultu idolorum, קסטא *mensura vini quæ in urbe Casteris.* Sextarii mentio Matth. 7. 4. continet duas Heminas. De Hin plura superius. Ut duplex siclus, ita pondus duplex erat sacrum & commune sive profanum & vulgare. Oleum etiam varii generis erat. Ideo dicit olei olivarum. Nam reliqua genera, quale est oleum nucum, non ingrediebantur hanc mixtionem, vel, si mavis, confectionem olei unctionis.

25. *Et facies ex eo oleum unctionis sacræ, unguentum unguentariæ confectum opere unguentarii: oleum unctionis sacræ erit.*

Ex eo] אתו verti *ex eo*, ac si esset ממנו, non quod מן ibi desideretur, sed quia sic loqui amant Ebræi. Dicunt enim, *fecit vas illud aurum* pro *ex auro.* Supra notatum hoc non semel. ¶ *Oleum unctionis sacræ*] Hieron. *unctionis oleum sanctum.* Ad sensum non male. Nam oleum sacrum erat, & ipsa quoque unctio. Nos Ebræa expressimus ut sonant. ¶ *Unguentum unguentariæ*] sub. rei vel artis. R. Salom. *Omnis res mixta cum alia donec hic ab illo ablatus sive sapor fuerit sive odor, vocatur* רקחות. Licet vertere, *pigmentum pigmentariæ*: & mox, *opere pigmentarii*, qui רקח Ebræis. Aut verte, *pigmentum pigmentatum* i. pigmentaria confectum arte, Idem sensus erit. Sed *pigmentatum* i. מרקח. Onkel. *Aroma confectum arte aromataria.* Jonath. *aroma aromataris opere aromatarii aromata miscentis.* Hieron. *unguentum compositum opere unguentarii.* Lxx. μύρον μυρεψικὸν τέχνῃ μυρεψοῦ: unguentum unguentarium arte unguentarii.

26. *Et unges eo tentorium conventus & arcam testimonii.*

27. *Et mensam & omnia vasa ejus, & candelabrum & vasa ejus, & altare suffitus.*

28. *Et altare holocausti & omnia vasa ejus, & labrum & basin ejus.*

29. *Sanctificabisque illa & erunt sanctitas sanctitatum, omnis qui tetigerit ea sanctificabitur.*

Et unges eo] R. Salom. ad h. l. *Omnis unctio erat in modum* χι, *præter unctionem regum, quæ fiebat in modum coronæ.* Hinc discimus diversam fuisse unctionem sacerdotum ab unctione regum. Quomodo sacerdotes ungebantur, eodem ungebantur & alia hic memorata. Nicol. de Lyra, *Tabernaculum & alia non erant ungenda per totum, quia quantitas prædicti unguenti non sufficeret ad vigesimam partem: sed in quolibet angulo cum digito intincto fiebat quædam figura ad modum Chaph Græci*: ubi perperam *Taph* pro *Chaph.* Chaph Græcum est χι: quod R. Salomo scribit כי. Alibi est כי cum apice: & in alio exemplari כף pro כי. Nam cum utuntur eo nomine, dicunt כמין כף יונית ad modum Chaph Græcanici. ¶ *Tentorium conventus*) *sub hoc nomine comprehendit totum tabernaculum: postea memorat quod honorificentissimum in eo*, videl. *arcam.* Abenez. ¶ *Vasa*) *instrumenta.* Hieron. etiam *utensilia* reddit, ut mox, *candelabrum & utensilia ejus.* ¶ *Sanctificabisque illa*] *per oleum unctionis.* Abenez. Hisc. Unctio ista sanctificabat ea ut essent sanctitas sanctitatum. Quænam autem sanctificatio hæc? Quicunque tangebat ea sanctus erat. Sic sane caro sancta si tangebat panem aut pulmentum aut vinum aut oleum aut ullum alium cibum, omnia illa sancta reddebantur. Quod clarum ex Haggæo propheta. Paulo ante ubi nos vertimus, *altare suffitus & altare holocausti & omnia vasa ejus*, Hieron. habet, *altaria thymiamatis & holocausti & omnem supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.* Notat hic R. Salo. Chaldæos usos fuisse verbo רבי, quoties sermo est de unctione tabernaculi aut sacerdotum aut regum: alias, ut cum de unctione laganorum agitur, ut verbo Ebraico משח. Quod verum an falsum sit, aliis disquirendum relinquo. Nicol. hunc locum aliter enarrat. Sic enim certe scribit, *ministri tangentes prædicta debent prius sanctificari.*

30. *Et Aharonem filiosque ejus unges, & sanctificabis eos ut sacerdotio fungantur mihi.*

Filiosque ejus] *solos, non alios*, inquit Abenez. Quibus verbis innuere videtur pontificem h. e. summum sacerdotem unctum fuisse, alios sacerdotes non item: exceptis filiis Aharon qui uncti quidem fuerunt initio à Mose, sed ea consuetudo ad posteros eorum non transiit. Nemo enim postea ungebatur præter solum pontificem. Cui sententiæ adversatur communis opinio de unctione sacerdotum, quæ neminem excipit. Juvat eam quod passim obvium *sacerdos unctus*: tum etiam locus ex hoc libro, *unges eum.* Nam dicit *eum*, i. pontificem, non *eos* i. sacerdotes. Nicol. ad h. l. „ Aliter Aharon, aliter filii ejus ungebantur. Aharon ungebatur in capite & manibus: filii ejus in „manibus tantum, ut dicunt aliqui. Alii vero dicunt quod „manus sacerdotum minorum non ungebantur, sed tantum „quadam mixtione facta de oleo unctionis & sanguine arietis con„secrationum ipsi & vestes eorum aspergebantur, ut habetur supra „xxix. cap. & Levit. viii. Et isti videntur probabilius dicere. ¶ *Sanctificabis eos*] per unctionem olei sacri. ¶ *Ut sacerdotio fungantur mihi*] *ad ministrandum mihi.* Onk. & Jon. ἱερατεύειν μοι. Lxx. Verba Nicolai ad cap. xxix. superius citatum, hæc sunt, „ Alii sacerdotes inferiores non ungebantur in „capite, sed solum summus sacerdos, ad denotandum quod po„testas offerendi ab ipso derivabatur ad alios. Dicunt tamen ali„qui quod manus eorum ungebantur: sed hoc non habetur in „textu, & patet in seqq. nec est verisimile quod non fuisset expres„sum hic vel Levit. viii. ubi ponitur executio consecrationis sa„cerdotum, quæ hic prædicitur fieri, cum talis unctio esset quid „notabile: sed circa eos de unctione non fit aliqua mentio hic vel „Levit. viii. nisi quod de oleo unctionis & sanguine hostiæ

„fiebat

„ fiebat quædam mixtio, qua ipsi & vestes eorum aspergebantur: „ & si alicubi dicantur ungi, potest de hac aspersione exponi.

31. *Et ad filios Israel loqueris, dicendo, Oleum unctionis sacra erit hoc mihi in ætates vestras.*

32. *Super carnem hominis non fiet unctio, & secundum compositionem ejus non facietis ei simile: sanctitas est, sanctitas erit vobis.*

33. *Vir qui unguentum confecerit ei simile, & posuerit ex eo super extraneum, excindetur e populis suis.*

Hoc] quod eo modo confectum quo dixi. R. Salom. nugatur cum ait, זה *in Gematria significare* 12. *loges*. Quin 12. sig. nullum omnino dubium est. Siquidem quinque & septem efficiunt duodecim. Sed si alio argumento non potest probare, quæ de 12. logis memoriæ prodidit, campas loquitur. Hujusmodi probationes magis risum merentur, quam refutationem. ¶ *In ætates vestras*] hinc doctores colligunt rata hæc omnia esse debere futuro tempore. Quod illis largior, si per futurum tempus intellexerunt ævum illud, quod Mosis ætatem secutum est usque ad tempus Messiæ. Nam & hoc olim futurum dicebatur, ut nunc quod post hanc vitam aut post resurrectionem. ¶ *Super carnem hominis non fiet unctio*] vel, *non ungetur*: quod Græci dixerunt οὐ χρισθήσεται. Hieron. maluit, *caro hominis non ungetur eo*. Et fortasse melius esset, *Carnem hominis non unget* sub. qui ungit. Quod idem cum illo, *caro non ungetur*. Hoc vult dicere, si quis unget carnem aut corpus suum non utetur eo oleo. Solens id fiebat à populo veteri tam à feminis quam à viris. Nam cum se ad festivitatem componerent ungebant se oleo boni odoris, ut Juditha olim ad Holofernem profectura. Paulo aliter Abenezra, *Mos ungendi apud antiquos*, inquit, *perusitatus erat. Eo modo non ungebatur sacerdos, multo minus alii sic ungi poterant. Quid igitur? Oleum unctionis fundebatur super caput sacerdotis. Id sacra littera exprimunt verbo* יצק. *Hic est aliud in fonte, videl.* סך aut יסך. Nescio an recte illum perceperim. ¶ *Carnem*] corpus, ut, *erunt duo caro una* i. corpus unum. Notavi alias. ¶ *Hominis*] cujusquam. ¶ *Non fiet unctio*] לא ייסך non unget. sub. qui uncturus est. Sic לא ישים non ponet. sub. qui positurus est. Verbum personale sine agente. Crebrum hoc in sacris. Thema יסך. Forte יסך ungetur, ut ייטב benefiet. R. Marinos arbitratur positum esse pro יוסך ungetur ut יסך. Sic ישם ponetur ut שם posuit. Nam Jod & Vau communem familiam habent. ¶ *Secundum compositionem ejus*] Verb. è ver. *in dispositione ejus*. Significat autem confectionem sive confecturam ejus, quæ fiebat aromatibus supra memoratis certo pondere. Unde quidam hic, *secundum pondus ejus*; alii, *summam ejus* i. סכום, quod in scholiis Jarii Ebræi, unde Santes accepit. Onk. *in similitudine*. Jon. *secundum similitudinem ejus*. Lxx. κατὰ τὴν σύνθεσιν ταύτην. Hiero. *juxta compositionem hanc*. ¶ *Posuerit super extraneum*] fuderit super caput extranei, quemadmodum fundi solebat super caput pontificis. ¶ *Ex eo*] *quod Moses fecit*. Japheth, R. Sal. alii. Id refutat Abenez. *Nam scriptum est*, inquit, *Oleum unctionis sacra hoc erit vobis in ætates vestras*. Probo rationem. Nam bona est, cui contradici nequit. ¶ *Extraneum*] alienum à familia Aharonis. Perperam Japheth, *super eum qui non est Israelita*. Nam ecce, *extraneus qui appropinquaverit morietur*. Sensus est, qui non fuerit sacerdos. Utrobique זר in fonte. Onk. *super profanum aut Laicum*. Jon. *super laicum qui non fuerit ex filiis Aharon*. i. sacerdos. Hiero. *& dederit ex eo alieno*. Similiter Lxx. nisi quod in iis ἀλλογενεῖ, *alienigena*. R. Salo. *super eum qui non debet esse sacerdos aut rex*. Nam hoc eodem unguento unctus fuit Salomo rex, qui certe non erat ex familia Aharonica. Ebræi tradunt eos qui ex familia Davidis unctos fuisse oleo unctionis: ceteros oleo balsaminino. Quod si verum, ergo non soli sacerdotes eo ungebantur. De Salomone certum ex historia. Abenez. Saadias ait, *Cabbalam esse in manu Israelis quæ tradit Davidem & semen ejus unctos fuisse oleo unctionis, non reges alios. Hoc dixit quia Sadoc accepit de oleo unctionis è tabernaculo conventus, & unxit eo Salomonem*. Et mox, *Non est discrimen inter oleum unctionis quod fecit Moses & illud quod postea fecerunt alii: nec nisi de familia Davidis hoc scriptum est. Censeo autem omnia præcepta vera esse lata in ætates, quale illud de non offerendo holocausto nisi in loco electo: & ecce Gedeon, itemque Samuel & Elias obtulerunt holocausta alibi, ut in monte Carmeli. Memini autem Gedeonis quia non erat sacerdos & tamen obtulit holocaustum. Similiter Samuel non erat sacerdos licet fuerit ex filiis Core. Et ecce omnia* הוראת שעה *quoniam hora, h. e. tempus ita poscebat. Sic possumus dicere de Salomone quod* נמשח *unctus fuerit per Nathan prophetam aut Gad oleo unctionis*. ¶ *E populis suis*] è popularibus suis. Sic alibi, *collectus fuit ad populos suos*: ad populares suos. Lxx. Hiero. Onk. & Jon. *e populo suo*. Idem aliter. Nam etiam legimus, *collectus fuit ad populum suum*. Pro *excindetur*, in iisdem est, *exterminabitur*: quod Græci dicunt ἐξολοθρευθήσεται.

34. *Dixitque DOMINUS Mosi, Cape tibi aromata; stacten & onychen & galbanum, aromata (hæc) & thus purum: pondus cum pondere erit.*

35. *Et facies ex eo suffitum, unguentum opus unguentarii; salitum, purum, sanctum.*

Aromata] סמים Lxx. ἡδύσματα, quod reddunt *suavitates*. Quid si *hedysmata*? de quibus Plinius & alii. Onk. בוסמין ἀρώματα, quæ supra בשמים appellavit. Notavimus alibi discrimen quod inter has voces. Doctores dicunt undecim species esse aromatum, quæ & סמים vocant. Sunt autem resina, onyx, galbanum, thus, myrrha, casia, spica nardi, crocus, costus, calamus, qui vulgo *canella* & *cinnamomum*. In scholiis Jarii קילופה והקנה & cortex & calamus. Quod accipio ac si esset, cortex qui calamus dicitur, ut Vau sit ἐξηγητικόν. Nam קילופה Gerundensis interpretatur dicens significare, *calamum aromaticum*, qui Arabice & in Gemara ייגאני. Quod si diversum genus aromatis est קילופה, tum non essent undecim aromata, sed duodecim. Octo enim & quatuor faciunt duodecim. Exemplaria, quæ vidi, nihil variant. ¶ *Stacten*] στακτήν. Hiero. Lxx. alii. Sunt qui *guttam* interpretantur. נטף enim stillare sig. à quo נטף humor qui stillat ex arboribus קטף i. balsami. Sed variant admodum Ebræi, ut alibi semper, sic etiam nunc cum judicio legendi. R. Salo. נטף est צרי i. *resina*: *& quia succus est distillans ex arboribus* קטף, *vocatur* נטף, *vernacule* גומא *guma, resina vero vocatur Theriaca*. Hæc ille, quæ certe censura indigent. Sed pergo ad alios. R. David in Libro Radicum, *Dicunt esse resinam, vocarique ita quia stillat ex arboribus* הקטף, *prout dixerunt doctores nostri felicis memoriæ. Resina* צרי *nihil est aliud quam succus qui distillat ex arboribus* הקטף. *balsamo vernacule*. Ergo קטף balsamum, & שרף הקטף lacryma quæ stillat ex arbore illa, opobalsamum, quod & קטף, qua voce usi sunt h. l. Jon. & autor Jerosol. Nam Onk. נטופא retulit. Gen. 37. 25. צרי ex Onk. Fagius *resinam* convertit. Autor libri qui vocatur [illegible] fol 211. col. 2. נטף *in lege sunt arbores* קטף, *unde exit* צרי *resina*. *Arabice* שרף פלסין. Lege locum. Nam in eo agit ex professo de confectione hujus thymiamatis. Mihi non vacat eum exscribere. ¶ *Onychen*] ὄνυχα Lxx. *onycha* Hiero. i. unguem aromaticum aut odoratum. *Blattas Byzantias* pharmacopœi vocant. In lingua sapientum dicitur צפורן, quod exponunt *ungula aromatica*. Chaldaice טופרא in quo similiter significatio unguis. Extat hoc loco in editione Onk. Nam in Jonathæ est כשרה, quod *costum* interpretantur. Thargum Jerosol. habet שבולת מרירא, quarum dictionum prior sig. *spicam*. מרירא autem quid sit adhuc quæro. Est autem ὄνυξ testa sive operculum conchylii Indici, nardum redolens, quod ejus frutex in India pascatur. Si ergo שבולת *nardum* significaret, verti posset *spica nardi*. Sed nihil statuo. R. Salo. ait שחלת *esse radicem aromatis quod leve sive lene sit & splendeat instar unguis*. R. David, *Aroma est quod in Deuterosi vocatur unguis; Nam est leve splendetque instar unguis. Chaldaice* טופרא. A quo non abludit nomen Arabicum אצפאר טיב, quod in ב״ס. Sonat autem, ut si dicas, unguis bonus i. odoratus. Apud Serapionem lib. 91. de simplicibus, *Athphar atheb ungula aromatica*. Dicitur & אצפאר Heth in Chaph versa, Arabum more. ¶ *Galbanum*] χαλβάνην. Græca vox ex Ebræa est. Nam Ebræi dicunt חלבנה. Nec aliter Chaldæi. Ex Græca deinde manavit *Galbanum*, χ in g. versa. Quod insolens non est in linguis. R. Salo. חלבנה *aroma est malum odorem habens, quod vocant* גלבנה *Galbena. Id numerat Moses inter aromata suffitus, ut doceat nos in jejuniis & precibus cum bonis numerandos esse etiam sceleratos & apostatas Israelis: quod certe non debet esse vile in oculis nostris*. Arabica vox est מיעה quæ exstat in ב״ס: tum in libro Radicum. Verba Camii, חלבנה *aroma est mali odoris, & est lacryma arboris quæ invenitur in urbibus Græciæ, instar nigri mellis. Arab.* מיעה, Miga. ¶ *Aromata hæc*] Hoc vult dicere, Sumes aromata ista & simul cum illis thus mundum sive purum. Et, *aromata hæc*, quæ modo memorata. Puto hunc sensum genuinum esse. Nam quod quidam interpretantur *nardi folia*, prorsus coactum est. Nec placet quod in Salomone Trecense, *aromata alia*. ¶ *Pondus cum pondere*] pondus in pondere i. æquale pondus. Quod usitatius dicunt, *pondus & pondus*. Sane Hiero. retulit, *æqualis ponderis erunt omnia*. Lxx. ἴσον ἴσῳ ἔσται, quod reddunt, *æquale æquali erit*. Onk. & Jon. *pondus in pondere erit* i. æquale pondus. R. Salo. *Hæ quatuor species æquales erunt in pondere. Quale pondus unius, tale erit pondus alterius. Sic tradiderunt doctores nostri, Stacte, onyx, galbanum*

banum & thus pondus habebant Lxx. minarum. Videtur autem mihi quod בר *habeat significationem* יחד *q. d. erit unum ut alterum.* Abenez. *unumquodque per se pigmentabitur & deinde miscebitur.* ❡ *Thus purum*] Hiero. *Thus lucidissimum.* Quod à Græcis sumpsit: qui vertunt, λίβανον διαφανῆ, thus pellucidum. Thus autem Ebraice dicitur לבונה & Arabice לבן ab albedine. Dicitur & *Conder* in lingua Arabum. Scal. contra Cardan. *Thus Conder etiam nunc vocant Arabes sicut & prisci.* ❡ *Unguentum opus unguentarii*] vel, *pigmentum opere vel operis pigmentarii* Hier. *compositum opere unguentarii.* Lxx. θυμίαμα μυρεψικὸν ἔργον μυρεψοῦ: thymiama unguentarium opus unguentarii. Ion. *opus miscentis.* רוקח qui miscet aromata. Quod pro eo habendum ac si dixisset, *aromatarii.* ❡ *Salitum*] *sale Sodomeno.* Abenez. Hiero. *mistum diligenter.* Mistum cum sale. Nam adhibebant quartam partem cabi è sale Sodomeno. Notatum in Libro Præceptorum magno. Græci quoque vertunt μεμιγμένον. Sed & ambo Chaldæi מערב mixtum. Moses de Cotsi etiam exponit מערב. Nec aliter R. Salomo. *Nam miscebatur*, inquit, *quod contusum erat, quam pulcherrime una species cum alia. Et ego dico quod sit tralatio à nautis quos* מלחים *vocant, qui remis suis vertunt aquam, dum navim regunt, velut homo qui quod vult miscere vertit sive agitat illud cochleari aut digito pulchre pulchre i. pulcherrime.* ❡ *Sanctum*] ad verb. *Sanctitas*: quod Hiero. enarrat, *Sanctificatione dignissimum.* Lxx. habent simpliciter ἅγιον.

36. *Et contundes ex eo comminuendo, & pones ex eo coram arca testimonii in tentorio conventus, ubi conveniam te: sanctitas sanctitatum erit vobis.*

37. *Suffitum autem quem facies, secundum compositionem ejus non facietis vobis: sanctitas erit tibi DOMINO.*

38. *Vir qui fecerit ei simile ad odorandum illud excindetur è populis suis.*

Contundes ex eo comminuendo] vel, minutim. Singulæ species seorsim contundi debebant. Quod sig. Moses de Cotsi per hæc verba, *Stactes, onychis, galbani aromatum & thuris puri aquali pondere mina 70. myrrhæ, casiæ, spica nardi, croci, de unoquoque 16. mina, costi 12. cinnamomi novem, corticis i. calami aromatici tres mina: simul 368 mina: novem cabi* בורית כרשינה *quo tundebat onychem ut eo pulcrior esset, postea ponebat onychem in 21. cabis vini fortis, & contundebat unumquodque aroma per se. Quum autem tunderet dicebat, Bene comminue, comminue bene, & miscebat omnia, & hoc est quod dicitur in lege* ממלח *quod valet* מערב *mistum sive mixtum.* Vide sequentia. ❡ *Pones ex eo*] Hic erat suffitus qui quotidie fiebat in altari thymiamatis, quod R. Salo. vocat *altare interius* (nam erat in tentorio conventus) Abenez. & Moses de Cotsi vocant *altare aureum. Ad finem anni remanebant mina tres, quas contundebant minutim pridie diei expiationum, donec educerent plenam volam ad adolendum postridie.* Hæc Moses ille, quem modo nominavi. Suffitum autem hunc Abenez. vocat קטרת תמיד suffitum jugem: quia videl. quotidie adolebatur. Nam ita dicitur juge sacrificium. ❡ *Quem facies*] tu Moses. ❡ *Non facietis*] vos Israelitæ. Hoc vult dicere, si contingat vos facere suffitum aut pigmentum, non facietis secundum confecturam quam tu Moses facies ex præscripto meo. ❡ *Secundum compositionem ejus*] verb. è ver. *in dispositione ejus*: & est sensus, juxta confectionem aut compositionem ejus. R. Salo. explicat, *In numero aromatum ejus.* Onk. & Ion. *in similitudine ejus.* Quod firmant sequentia, *Vir qui fecerit ei simile.* ❡ *Non facietis*] οὐ ποιήσετε: ita Lxx. ceteri ediderunt, οὐ ποιηθήσεται, non fiet. לא תעשו. Mirari libet. ❡ *Vobis*] Lxx. ὑμῖν ἑαυτοῖς, vobisipsis. Hiero. *in usus vestros.* ❡ *Sanctitas erit tibi*] *Sacerdoti, aut universo Israeli.* Abenez. ❡ *DOMINO*] innuit non debere fieri hoc unguentum nisi ad usum divinum. Quod R. Salo. sig. inquiens, *Non facietis nisi nomini meo.* ❡ *Ad odorandum illud*] להריח בה Lxx. ὥστε ὀσφραίνεσθαι ἐν αὐτῷ, ut olfaciat in eo. Hiero. *ut odore illius perfruatur.* Hoc præceptum non violat qui conficit unguentum eo modo ad vendendum universitati. Satis si non conferat in usus profanos. Vide R. Salo.

A M A M A.

3. EBr. *Teges illud auro puro,* גגו *& tectum ejus.* Vulg. *Vestiesque illud auro purissimo tam craticulam ejus* &c. (*a*) Lyra, (*b*) Bened. (*c*) Cajet. (*d*) Steuchus recte hic notarunt in textu Ebr. esse *tectum ejus.* גג enim extra controversiam tectum significat. Sed nullus eorum id Romanis correctoribus persuasit. Fagius quoque ex Chald. tectum vertit. LXX. ἐσχάραν habent, atque illud Vulgatum in hunc errorem induxit. Supra aliquoties ut cap. 27. 4. & 5. occurrit eadem vox *craticula*, sed interpretamentum vocis מכבר cribrum, ubi Græci ἐσχάρα. Jam vero duo illa גג & מכבר non ita erant confundenda.

10. וכפר rursus vertitur, *Et deprecabitur*, ubi Lxx. optime ἐξιλάσεται, expiabit.

15. In fine hæc desidero, *dando oblationem Domino ad expiandum pro animabus vestris.* Et miror ea à Vulgato neglecta quæ tam studiose Græci converterant. Vide Cajet. & Benedict.

18. Ebr. —— *& pones ibi aquam,* 19. *Et lavabunt Aharon* &c. 20. *Quando introibunt tent. conv. lavabunt se aqua & non morientur, aut cum accedent ad altare ministrandi causa, ut adoleant* אשה *Domino.* 21. *Lavabuntque manus suas & pedes suos & non morientur* &c. Vulg. 18. —— *& missa aqua,* 19. *Lavabunt in ea Aharon* &c. 20. *Quando ingressuri sunt tabernac. test. & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino.* 21. *Ne morte moriantur.*

Ut supra cap. 29. vers. 27. & 28. nimium sibi indulsit Interpres (quæ tamen non libuit ponere) ita & hic multa prætervectus est quæ judicavit esse superflua; non sic putarunt Lxx. qui singula retinuere, non sic Onk. non sic alii religiosi Interpretes. Præterea ubi textus Ebræus habet, *Et pones ibi aquam*, noster convertit, *Et missa aqua.* Diu hæsi num rescribendum esset, *& immissa aqua*, quia & Græci sic habent ἐκχεεῖς εἰς αὐτὸν ὕδωρ *& infundes ei aquam.* Certe hoc propius ad fontem accederet. Sed cum Romani nihil hic correxerint, suspicor eos sic intellexisse Vulgatum, non in ipso labro sed ex aqua per fistulam ex labro missa & fluente lotionem præcipi. Quam interpretationem in suo Commentario suppeditat (*e*) Cajetanus. Potest ita esse, illud ajo in fonte nihil tale innui. Notetur & illud אשה non hic per θυμίαμα redditum.

23. Ebr. *Sume tibi aromata caput, Myrrha libertatis* 500 (*pondo*) *& cinnamomi aromatis, dimidium ejus,* 250 pondo; *& calami aromatis* 250 pondo. Vulg. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ* 500 *siclos, & cinnamomi medium .i.* 250 *siclos, calami similiter* 250.

Primum lapsum Interpretis hunc pono, quod nomen ראש jungat cum Myrrha, cum debeat referri ad aromata, quod & accentus suadet. Purus putus Ebraismus. Ut enim caput præcipuum in corpore humano membrum, ita quod præstantissimum in genere suo est, nomine ראש & ראשית insignitur. Sic Amos 6. ראשית שמנים *præcipuum unguentorum.* Sic contra אחרית pro abjectissimo, ut Jer. 50. 12. אחרית גוים abjectissima Gens. Cui contrarium est ראשית גוים *principium gentium*, de Amalec. De ראש exemplum extat Iezech. 27. 22. בראש כל בשם *in capite omnis aromatis* .i. interprete Pagnino, præcipuo inter universa aromata. Sic Cant. 4 כל ראשי בשמים *cum omnibus capitibus aromatum* .i. præstantissimis aromatis. Geminum plane illud est quod jam tractamus, nisi quod vocum inversio sit, quæ etiam observatur Psal. 141. 4. שמן ראש *oleum capitis*, per hypallagen, pro, *caput olei* .i. præstantissimum oleum. Evincit hoc forma vocis בשמים. Nisi quis mavelit esse sermonem concisum בשמים ראש .i. בשמים בשמי ראש aromata, aromata, inquam, capitis, ut אלהים צבאות pro אלהים אלהי צבאות. Abenezra subintelligit קח hoc modo, cape קח בשמים de aromatibus caput, id est quod præcipuum est. R. Sal. ראש interpretatur חשובים reputata, præ cæteris æstimata, vides ut omnia adversus Vulgatum militent.

Myrrha electa] sic Vulgatus expressit Ebræa מר דרור myrrham libertatis .i. liberæ, libere fluentis. Nam nego illam lectissimam esse atque optimam, sed ajo non satis expressam esse vocem Ebræam, qua innuitur quænam myrrha pro lectissima habenda sit. Sed secutus est τοὺς LXX. Onkelos habet *pura*: Id Fagius vertit, *libera*, atque ex Kimchio interpretatur, liberæ & immunis ab adulteratione & mixtione. Versionem primam (libere fluentis) firmat Lyra, duplicem myrrham esse scribens. primam & secundam, Primam esse guttam quæ sponte sudat de arbore, eamque esse optimam: Secundam esse quæ ex incisione manat eamque minus bonam esse.

Cinnamomi] In Ebr. additum בשם quod præteriit Vulgatus. Credemusne vocem eam frustra additam? Non credidere οἱ Lxx.

(*a*) *In Ebræo*, inquit, *habetur tectum ejus i. partem superiorem. Et dicitur hoc ad differentiam altaris holocausti, quod non habebat tectum.* (*b*) Vide ejus marginalia. (*c*) Cajet. *Nulla est mentio craticula, sed tecti.* (*d*) Steuchus, *amovenda craticula & loco ejus tectum reponendum.*

(*e*) *Insinuatur*, inquit, *quod per fistulam qua claudi poterat & aperiri, fluebat aqua ex concha ad abluendum manus & pedes.*

by Google

οἱ LXX. qui habent *κινναμώμου εὐώδους*. Nec etiam Onkelos, qui habet קנמן בשם. Sed dices, nunquid omne cinnamomum aroma est? Est certe. Sed aliud alio præstantius est, præstantissimumque ea adjectione denotari volunt: Quin & Lyra ex R. Sal. notat cinnamomum duplex esse, unum quod parum vel nihil habeat de odore, aliud totum esse aromaticum, atque ideo *διαφορότητος ἕνεκα* additum fuisse *aromaticum*. Sed esto Epitheton perpetuum; An liberum Interpreti erit ea pro suo libitu vel retinere vel transmittere?

Idem negligentiæ crimen admissum in seq. aromate. Certe & hic non frustra putant vocem *aromaticum* additam, cum sit & calamus non aromaticus.

25. Desiderantur hæc verba שמן משחת קדש יהיה, *Oleum unctionis sanctitatis erit.* Quæ expressit Onkelos ἔσται & LXX.

28. Ebr. *Et altare holocausti & omnia vasa ejus & labrum & basin ejus.* Vulg. *Et holocausti (sc. altare) & omnem supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.*

Labrum & basin forte comprehendit sub istis verbis, *quæ ad cultum eorum pertinent.* Sed cum cætera speciatim ex Ebræo recensuerit, quid commiserat labrum quominus cum sua basi in cæterorum censum admitteretur? Nec certe compendium quæsitum fuit. Onkelos quoque non tantum, sed & LXX. ea legerunt, *τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ*. Cum itaque codices Ebræi eorum quoque sæculo ea verba legerint, quid obstitit quominus correctores Romani hunc locum ad fontes conformarint?

35. Ebr. *Salitum, purum, sanctitatem (i. rem sanctam.)* Vulg. *Mixtum diligenter & purum & sanctificatione dignissimum.*

Tria in Ebr. Epitheta sunt suffitus seu unguenti, cujus compositionem ipse Deus hic præscripsit. 1. est ממֻלָּח id est extra controversiam, *salitum* מלוח Sal. Uterque Chaldæus quidem habet מְעָרַב mixtum, LXX. *μεμιγμένον* & subintellexere forte, *Sale*, *Salire* enim & *miscere sale* unum idemque sunt, ajo tamen non eo modo vocem Ebr. expressam quo debebat quove poterat. Quis enim quæso te, ex hac versione odoretur mixturam hanc salis fuisse? Posterius est *Sanctitas* .i. res sancta, vel si quid Emphaseos est in abstracto, *res sanctissima*. Quis vero sensus hujus *ἁγιοφόρητος*, *sanctificatione dignissimum*. Miror tam liberalem subinde esse Vulgatum, qui alibi tam parcus est. LXX. *ἔργον ἅγιον*, Chaldæus, קודשא.

D E M U I S

Ex D. Isaaci Abarbanelis Commentariis ad Cap. 30. Exodi, Sectione תשא.

וידבר יי' אל משה ואתה קח לך בשמים ראש וגו' עד ויאמר יי' אל משה קח לך: ראוי שתתעורר על מה שנאמ' בשמן המשחה ואתה קח לך ולא נכתפק לומר ומשחת כמש"' בכיור וכנו ובשאר כלי המשכן: או קח לך כמש"' בקטרת: אבל הוסיף לומר ואתה קח לך: והיה בלא ספק מעיד על אמיתת מה שאמרו חז"ל שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת שעשאו משה רבינו בידיו ולא יעשה עוד בעתיד אמרו במסכת הוריות ר' יהודה אומר אותו שמן המשחה שעשה משה במדבר כמה ניסים נעשו בו מתחלתו ועד סוף בתחלה לא היה אלא יב"' לוג ראה כמה יורה בולעת וכמה עיקרין בולעין וכמה האור שורף ובו נמשחו המשכן וכל כליו: ואהרן ובניו כל שבעת ימי המלואים וכהנים גדולים ומלכים ואפי' כה"' בן כה"' עוד אמרו שם ואותו שמן קיים לעתיד לבא שנאמר שמן משחת קדש יהיה זה לי לדורותיכם זה בגמטריא תריסר הוו ועוד אמרו שם כשנגנז הארון נגנז עמו צלוחית שמן המשחה וצנצנת המן ומקלו של אהרן שקדיה ופרחיה וארגז ששלחו פלשתים דורון לאלהי ישראל: ומה שחלק הראב"ע על זה כבר השיבו הרמב"ן והוכיח אמתת דעתם ז"ל מאשר לא אמ' הכתו' שמן משחת קדש יהיה זה לאהרן ולבניו לדורותם כמש"' בבגדים: אבל אמר יהיה לי לדורותיכם: מורה שהיה השמן העשוי ההוא מתמיד למשוח בו לכל הדורות: ולכן נאמר מצאתי דוד עבדי בשמן קדשי משחתיו כי שמן קדש הוא אשר נעשה במדבר על ידי אדון הנביאים בקדושה ובטהרה: ולזה נתכבד דוד המלך בקראו עצמו משיח אלהי יעקב להיותו נמשח באותו שמן האלהי הקדוש ונראה לי להוסיף על טענות הרמב"ן טענה אחרת לקיום דעת חז"ל והיא מה שנאמ' כאן בשמן המשחה ובמתכנתו לא תעשו כמוהו קדש הוא קדש יהיה לכם: איש אשר ירקח כמוהו וגו' ואם בא הכתו' לצוות שיעשו שמן המשחה תמיד בזה התואר היה ראוי שתאמר התורה שלא נעשה כמוהו לצרכנו כמו שאמרה בענין הקטרת והקטרת אשר תעשה במתכנתה לא תעשו לכם ולא אמרה כן בשמן המשחה אלא שלא נעשהו כלל ואמר בכלל איש אשר ירקח כמוהו והנה לומר לא ליי' ולא לכם כי היא אזהרה מוחלטת והיא לאות שכוונת התורה שלא יעשה בכלל שמן המשחה אלא בשום דור מהדורות: ועוד אני עושה על זה טענה שלישית והיא שאם היתה כוונת התורה שיעשו שמן המשחה פעמי' אחרות לא היה ראוי לכתוב כמות הסמים בלבד שלא יהיה ההרכבה כמו שאמרה בקטרת בד בבד יהיה ולא ביארה המשקל שיקח מכל א' מהם לפי שפעמים יעשו יותר ופעמים פחות אבל כוון ההרכבה ויחס המשקלים הנכנסים בה ושיהיה שמור תמיד בכל עת

Ocutusque est Dominus ad Moysem dicens, *Tu autem sume tibi aromata præcipua*, &c. Exod. 30. 23. Usque ad *Dixitque Dominus ad Moysem, Sume tibi aromata*, &c. Ibid. 34. Necesse est admoneri te, de unctionis oleo dici, *Tu autem sume tibi*; nec satis fuisse si diceretur, *Unges*, [Exod. 40. 11. ubi nempe usus ipsius olei traditur, non autem ratio ejus conficiendi, ut hic,] sicut dictum est de concha, basi ac plerisque vasis Sanctuarii, aut *Sume tibi*, ut de thymiamate sive suffimento: sed dicitur, *Tu sume tibi*, superaddito *tu* pronomine. Atque hoc certe probat verum esse quod Sapientes nostri *μακαρῖται* ponunt, oleum unctionis semel tantum fuisse confectum, ut quod Moses Doctor noster suis ipse manibus confecerit, nec deinceps conficiendum fuerit amplius. Dixerunt in Tractatu Horajoth, *Rabbi Judas dicit, In oleo unctionis quod Moses confecit in deserto, quot facta sunt miracula à principio ad finem? Initio fuerunt duntaxat duodecim logi. Quantum vero absorpsit ahenum, quantum radices, quantum vi ignis exustum? Eo autem unctum tabernaculum, vasaque ejus, Aaron ejusque liberi ipsis diebus initiationis suæ, præter Sacerdotes magnos, Reges, atque etiam Sacerdotem magnum Sacerdotis magni filium*, &c. Dicitur præterea ibi, *Istudque oleum duraturum est in posterum, quia dictum est*, Oleum unctionis sanctum erit hoc mihi in generationes vestras: זה vers. 31. quod sonat *hoc*, in numeris valet 12. Additur deinde ibidem, *Cum recondita fuit arca, una etiam reconditus fuit olei unctorii lecythus, urna qua manna continebatur, Aharonis virga, hujusque amygdala, ac flores, & capsula, quam Philistini dono miserant Israelitarum Deo.* Sapiens autem R. Abben Ezra, qui repugnat, confutatus est à R. Mose Nachmanide, qui Magistrorum sententiam ex eo probat quod non dicat Scriptura, *Oleum unctionis sanctum erit hoc Aharon & filiis ejus in generationes eorum*, uti dictum de vestibus, sed *erit mihi in generationes vestras*; id quod arguit oleum istud à Mose confectum perenne futurum, omniumque ætatum inunctionibus inserviturum. Propterea dicitur, Psal. 89. ver. 21. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Oleum quippe Dei sanctum illud est, quod in deserto confectum fuit sancte ac pure ipsius Mosis Prophetarum Domini manibus. Et vero de hoc gloriatur David Rex, seipsum vocans 2 Sam. 23. v. 1. *unctum Dei Jacob*, quod nempe inunctus esset Divino illo & sancto oleo. Visum est mihi porro ad confirmandam Magistrorum sententiam rationibus R. Mosis Nachmanidis aliam addere, nimirum, illud quod hic dicitur de oleo unctorio, *& juxta compositionem ejus non facietis simile: sanctum est, sanctum erit vobis*, vers. 32. *Homo quicunque tale composuerit*, &c. *exterminabitur de populis suis*, vers. 33. Quod si voluisset Scriptura modum concinnandi semper imposterum olei unctorii præscribere, debuisset eadem certe prohibere ne aliud concinnaremus unquam ad ejus exemplum in usus nostros, sicuti fecit de suffitu, his verbis, *Talem thymiamatis*, sive *suffimenti*, *compositionem non faciatis vobis*, sive *in usus vestros*, &c. nihil autem simile usurpavit Scriptura de unctionis oleo, sed plane vetuit ne usquam eadem confectura oleum faceremus, præciseque dixit, *Homo quicunque tale composuerit*, aliudque ad ejus exemplum concinnaverit, perinde quasi diceret, neque Deo, neque vobis esse aliud concinnandum: est enim inhibitio plana sive absoluta: hocque argumento est voluisse Legem ac vetuisse ne ullo unquam tempore aliud unctionis unguentum præter illud prorsus conficeretur. Addo his præterea tertiam rationem, quia si mens Legis fuisset ut alias concinnari posset oleum unctionis, non debuerat præscribere quantitatem aromatum tantummodo. [Sensus, non debebat Lex præscribere aromatum quantitatem, nisi etiam adderet servandam esse proportionem, si plus minus ponderis adhiberetur, sicuti fecit, &c.] Nullam quippe proportionis in illius compositione rationem habendam monuit, sicuti fecit in suffimenti confectura, de qua ait, *solum cum solo erit*, i. unumquodque seorsum confundetur,

שיעשו אותו וכבר זכר זה הרלב"ג וכל זה מוכיח שקבלת חז"ל היא האמת שלא היה שם שמן משחה אחר אלא אותו שעשה משה במדבר: ומפני זה המצא שלא היה כהן משיח בבית שני לפי שכבר היה נגנז שמן המשחה שגנזו יאשיהו עם שאר הדברים הקדושים ולא היה להם רשות לעשותו: ומפני זה נאמר כאן למשה במצות שמן המשחה ואתה קח לך רוצה לומר אתה בעצמך תקח לך הדברים האלה ותעשה שמן המשחה ולא יעשה אותו אדם אחר עוד כל ימי הארץ והיה כבת זה רוצה לומר שיצוה יתברך שיהיה שמן המשחה נצחי ועומד לעד ולא עשה כן לקטורת לפי שהקדוש ברוך הוא נתן בישראל שתי הנהגות: והם הנהגה אנושית כפי המעלה שתאות למלכים שהם המנהיגים היותר עליונים שבעם: והנהגה אחרת כפי הקדוש ועבודה שהוא לכהנים משרתי י"י ולפי ששני המנהיגים האלה ראוי שינהגו וינהיגו את העם כפי התורה והמצוה כמו שאמר כי שפתי כהן ישמרו דעת ותורה יבקשו מפיהו ובמלך נאמר ולבלתי סור מן המצוה ימין ושמאל: לכן צוה יתברך למשה שיעשה שמן המשחה מרוקח כראוי ושימשח בעצמו משה את הכהני' ואותו שמן ישמר לדורות למשוח בו המלכים והכהני' הגדולים תמיד כדי שכלם יהיו נמשחים על ידי משה רבינו מהשמן אשר הוא עשה: ולכן היה משה רבינו כג' בשכן י"י בראשונה שבעת ימי המלואים: והוא היה המלך הראשון שמלך על ישראל כמו שאמר ויהי בישורון מלך כדי שיהיו הכהני' והמלכים כלם דוגמתו נמשכים כמנו והולכים בדרכו: ובאלו היה השמן ההוא טבעתו על אדון הנביאי' לחתום בו מלך וכהן נאמן שיהיו כלם תלמידיו ומעשה ידיו להתפאר: ולכן היתה משיחת המלכים תמיד על ידי נביא שהוא כתלמידיו של משה רבינו: כאלו המשיחה והמושח יאמרו לכל מלך כהמשחו זכרו תורת משה והלכתם בדרכיו אחרי שאתם משוחי' בשמן הטוב אשר עשה ואתם הלכם במקומו: ולזה היתה צלוחית השמן האלהי הזה מונחת תמיד אצל ארון האלהים ונגנזה עמו בעת החרבן להיות השמן הקדוש ההוא דבר מצרכי תורת האלהים ושניהם ניתנו על ידי משה רבינו עליו השלום: ואמנם איך יתכן שיהיה נשאר השמן ההוא שעשה משה במדבר זמן כל כך הרבה הוא דבר מתמיה מאוד: וצדק הרלב"ג בכה שכתב שכבר יתכן שיעשה השם מופת על ידי הנביא גם אחרי מותו כי כן ראינו שלא סר המן במות משה כמו שיתבאר בספר יהושע כי הנביא ביד אלהיו הטובה עליו נותן לדברים טבע שימצא בהם ההתמדה והנצחיות ולכן היה המן אשר בצנצנת עומד קיים קרוב לאלף שני' בבית י"י עם היותו התולעות המן שהיה נבאש ונשאר ממנו אחרי יומו ונמס השמש תמס אבל משה נתן בו על דרך המופת כח טבעי אלהי שלא יתפעל מהדבר אשר מחוץ ולכן נשאר קיים גם אחרי מות הנביא: וכן היה הענין בשמן המשחה הזה שנתן משה בו כח על דרך המופת להתקיים ולהתמיד ולשנות מה שידבק בו מהאויר המקיף ולהשיבו אל טבעו והנה תמצא שיש לשמן הוראות כח לקבל זה הכח ההתמדי כי הוא מכל המשקים יותר עומד עד שכבר יעברו עליו אלפים מן השנים ולא יפסד ואמרו עליו חכמי' שכאשר יתישן לא יחסר כלום אבל יתוסף שיעור כחו לפי שיתדקדק יותר ואולי הסמים שנכנסו בזאת ההרכבה הן עוזרי' גם כן אליו כי המופתי' כשיעשה אותם השם יבקש להם סבות היותר נאותות ולכן אחז"ל בראש כריתות שזה הענין היה בשמן המשחה על דרך פלא: ועוד לזה גם כן שמן השמן הקדש ההוא לא התנאו אז כמות רב לאותה משיחה שנעשית לשעתה במדבר כי חלק מעט היה מושח כל א' ואנשים מועטי' נמשחו שמה: ואמנם אחר כן מזמן לזמן רב היו מושחין כג' או מלך ולכן לא היה מהפלא מספיק שיספיק השמן ההוא אלפים שנה:

והנני עתיד לבאר בענין שמן המשחה דיניה ותנאיה ואתן טבותיה כפי הסברא הנשומרת ופרושי הענין כפי מה שהורונו הכתובים ודברי חכמינו ז"ל ואני כבר הרחבתי הדבור בדרוש הזה בפירושי לספר מלכים בענין משיחת שלמה ואספרהו פעם שנית:

detur; ubi non præscripsit singulorum pondus ex quibus suffimentum esset componendum, propterea quod in majore interdum copia illud essent confecturi, interdum in minore, sed rationem compositionis edixit simpliciumque quæ illam essent ingressura proportionem, quique eorum ordo esset observandus, quandocunque concinnare illud vellent. Hoc jam observarat R. Levi Ben Gersom. Ex his autem palam fit Sapientum nostrorum μακαριτῶν cabbalam veritati esse consonam, nimirum non fuisse oleum unctionis aliud quam quod à Mose confectum est in deserto. Et vero exploratum habes, non fuisse inunctum Sacerdotem exsistente domo secunda, propterea quod jam fuerat reconditum oleum unctionis, siquidem ipsum reconditerat Josias una cum reliquis rebus sacris, nec facultas illis erat aliud concinnandi. Inde est quod hoc loco Mosi dicitur, cum agitur de oleo unctorio, *Tu autem sume tibi*, perinde quasi diceretur, Tu, tu ipse accipito res has, & conficito oleum unctorium, nec alius quisquam mortalis quamdiu terra erit audeat illud conficere. Hujus autem causa, nempe cur voluerit Deus oleum unctionis esse perpetuum atque æternum duraturum, neque idem voluerit de suffitu, est, quoniam Deus Opt. Max. apud Israelitas constituit regimen duplex, humanum, Regum videlicet, qui supremi sunt inter populi gubernatores; alterum divinum, quod est Sacerdotum Dei Ministrorum. Quoniam autem utrosque istos, rectores sive gubernatores regi oportet ac regere populum ad normam legis ac præceptorum, quemadmodum dicitur de Sacerdote quidem, *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus*, Mal. 2. ver. 7. Deuter. 17. ver. 20. de Rege vero, *neque declinet à præcepto in partem dextram vel sinistram*; idcirco præcepit Deus Mosi ut faceret oleum unctorium riteque condiret, utque ipse per se Sacerdotes inungeret, ipsumque oleum in futuras ætates reservaretur, eoque Reges & Sacerdotes inungerentur semper, quo hi omnes ipsius Mosis manibus oleoque ab ipso confecto inuncti censerentur. Ac propterea Moses Magister noster Sacerdotis magni officio primus functus est apud Tabernaculum Domini septem diebus initiationis idemque primus Israelitarum Rex fuit, juxta illud, *Fuitque*, supp. Moses, *in Israele Rex congregatis principibus populi cum Tribubus Israel*, Deuteron. 33. vers. 5. quo essent Sacerdotes ac Reges omnes ex eo veluti expressum exemplar ejusque vestigiis insisterent: perinde ac si oleum istud annulus ac sigillum fuerit Mosis Prophetarum principis, quo obsignandi essent Rex & Sacerdos, adeo ut vi illius efficerentur ejus discipuli, gloriarique possent se opus esse manuum ejus. Indeque factum ut Regum inunctio semper peracta sit per manus Prophetæ qui esset è discipulis Mosis Magistri nostri, ac si unctio & ungens admonerent ipsum Regem, cum inungeretur, ut memor esset legis Mosis ejusque vestigiis incederet, postquam unctus esset oleo optimo ab illo confecto, inque ejus locum suffectus. Ea causa est quamobrem olei hujus divini lecythus semper reposita fuerit in Arca Dei, reconditaque una cum ea tempore vastatæ urbis ac templi: siquidem sanctum istud oleum ex iis sit rebus quæ opus sunt legi Divinæ, atque utrumque (nempe oleum & arca) per manus Mosis Magistri nostri μακαρίτη datum sit. Verum qui fieri potuerit ut tamdiu perdurarit oleum à Mose confectum in deserto, res est sane admiratione digna. Rabbi Levi Gersomi filius qui id fieri potuerit declarat dum scribit, par esse ut faciat Deus miraculum per manus Prophetæ, etiam postquam vita cessit: compertum quippe nobis est non desiisse Mannam, mortuo Mose, sicuti explicatum in libro Josuæ. Siquidem Propheta Dei sui ope adjutus eam rebus tribuit naturam ut perennitatem atque æternitatem obtineant. Manna igitur quæ urna continebatur, mansit salva atque incolumis tantum non mille annos in domo Dei, licet cito ac facile ea corrumpi posset, ut quæ, si quis ex ea reliquum faceret in crastinum, putrescebat, & incalescente sole liquescebat. Ast Moses ei indiderat modo quodam supra naturam naturalem quandam virtutem, ut affici non posset à rebus externis, propterea que mansit salva etiam post mortem Prophetæ. Idem est judicium de oleo unctionis hoc, cui Deus indidit virtutem præter naturæ vim ut perduraret & perennaret, converteretque aerem ambientem in naturam suam. Porro autem oleo quædam insunt signa, per quæ redditur idoneum recipiendæ isti virtuti pepetuanti (*sive* perennitatis:) est enim omnium lignorum maxime diuturnum, adeo ut per millia annorum perseveret incorruptum. Dixeruntque Sapientes oleo senescenti nihil detrahi, quin addi aliquid, siquidem subtilius in dies evadit. Adde quod forsan aromata quæ ingressa sunt ejus olei unctorii compositionem, ad hoc etiam juverunt. Deus enim cum patrat miracula, accommodat aptatque causas (nempe *aptationem causarum*) quam fieri potest convenientes. Propterea dictum à sapientibus initio Tractat. Cerithuth, eam rem in oleo unctionis admirabiliter eluxisse. Ad hæc accedit, quod non magna copia istius olei sancti adhibita à Mose fuit ad inunctionem, quæ tunc ab eo facta in deserto: parum enim olei fuit satis ad inungendum unumquemque; pauci autem ibi inuncti sunt. Deinde vero nonnisi per longa intervalla inunctus fuit Summus sacerdos aut Rex. Itaque non adeo mirum videri debet potuisse sufficere oleum istud per mille annos. *Deinde post nonnulla quæ interserit ad grammaticam vocum & commatum interpretationem potissimum pertinentia, quæque tædii vitandi gratia omitto, subjicit hæc quæ sequuntur*, Hujus autem loci est exponere quæ pertinent ad sacræ unctionis unguentum, ejus rationes & conditiones, quarum causas dabo probabiles, necnon præcipua rei capita, secundum ea quæ docent nos tum S. literæ tum sapientes nostri μακαρῖται. Jam autem copiose pertractavi hoc argumentum (*sive* quæstionem) in commentario meo ad librum Regum, ubi agitur de Salomonis unctione, iterumque hic pertractabo.

CAP. I. Primum Caput est de necessitate inunctionis vasorum Sanctuarii, Sacerdotum ac Regum. Dico igitur duas ob causas præcepisse Deum eam unctionem. Primo, ut esset signum electionis Divinæ. Quam enim rem aut hominem Deus selegisset præ cæteris rebus aut hominibus ad peculiare quid, in ea re aut homine conveniebat fieri aliquid operis per quod ab aliis discernerentur, & cognoscerentur à Deo esse selecta eique proprie addicta atque unita: perinde ac si illa unctio fuerit signum notaque rei addictæ Deo. Atque idcirco unctus fuit Sacerdos magnus quo innotesceret eum fuisse delectum ad istam dignitatem præ reliquis fratribus suis Sacerdotibus. Unctus fuit Rex quoque, quod ex ore Divino esset ejus electio. Secunda causa est, ut idoneus efficeretur is qui ungeretur ad recipiendum influxum Divinum: per illam siquidem unctionem providentia Divina uncto firmius adhærescebat. Ac sic dictum est in Misna, *Sacerdoti magno consulenti Urim & Thummim incubuisse Divinam majestatem.* Idem de regibus perspicuum est. Saul namque statim atque unctus fuit, Domini spiritu correptus vaticinatus est, & in alium virum mutatus, 1 Sam. 10. hocque virtute ac merito unctionis. De Davide dictum est, *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus est spiritus Domini à die illa in David*; & deinceps 1 Sam. 16.

העיקר הא' הוא בידיעת הצורך שיש במשיחה לכלי המקדש לכהנים ולמלכים ואומר אני כי לשלש תכליות צוה השם יתברך זאת המשיחה : הראשונה כדי שתהיה אות הבחירה האלהית : כי הנה הדבר או האיש אשר יבחר י"י בו להבדילו ליחוד משאר הדברים או האנשים היה ראוי שיעשה פועל בו ייוחד ויבדל והוא יהיה הסימן על היותו נבחר מאת האלהים כאלו אותה משיחה היתה אות וסימן על הבדלתו לגבוה : ולכן היה נמשח הכה' להורות שהוא נבחר לסגלה תחלה משאר אחיו הכהנים : והיה נמשח המלך להיות בחירתו על פי י"י : והתכלית הב' הוא כדי להכין המשוח לקבל השפע האלהי שע"י אותה משיחה תדבק בו ההשגחה העליונה : וכן אמרו במשנה שהכה"ג הנשאל באורים ותומים היתה שכינה שורה עליו וכן הוא מבואר בענין המלכים : כי הנה שאול מיד שנמשח צלחה עליו רוח י"י והתנבא ונהפך לאיש אחר והיה זה לסבת המשיחה : ובדוד נאמר וימשח אותו בקרב אחיו ותצלח רוח י"י אל דוד מהיום ההוא ומעלה :

CAP. II. Quod inunctio, cujus mentio est, perficiatur oleo, non autem vino, aut alio liquore. Lex ait, *Faciesque oleum unctionis sanctæ.* De unctione Regum dicitur, ac de Saulis quidem, *Tulit autem lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum*, &c. De Davidis vero mandatum est Samueli, his verbis, *Imple cornu tuum oleo*, &c. unctiones quippe omnes peragebantur oleo. Cujus quidem rei, meo judicio, duæ sunt causæ: prima, quod oleum ex omnibus liquoribus præcipue gloriam atque excellentiam designet. Nonne enim Joatham Jerobaalis filius in fabula sive apologo, quo arbores facit aliquando convenisse ad ungendum sibi Regem, primo loco oleam nominat, eamque, rogatam scilicet ut regnum vellet capessere, inducit loquentem ad hunc modum, Judic. 9. v. 6. *Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua per me honorificant Deum & homines*, &c? ubi quidem gloriam sive honorem oleæ adscribit. Atque eam ob rem oleam primo loco nominavit, quod olearia oliva ex omnibus arboribus regno magis esset idonea, quippe cunctis honoratior ac præstantior: indeque est quod reliquis liquoribus oleum supernatat. Olei dignitatem commendat hoc Psaltis, Psal. 133. v. 2. *Sicut oleum optimum super caput*, &c. neque non illud Salomonis, Eccl. 9. v. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum super caput tuum non deficiat.* Cum igitur vasa sive instrumenta Sanctuarii, Sacerdotesque præ reliquo populo [ad verbum, *de inter reliquum populum*] & Reges inter cæteros Israelitas [*de medio Israelitarum*] peculiari quodam honore ac dignitate fulgerent ac præstarent, certe quidem oleum ceu signum electionis & consecrationis illorum fuit adhibendum. Secunda causa, propterea quod oleum præ omnibus liquoribus longiore temporis spatio durat incorruptum. Quoniam autem sanctitas in vasis Sanctuarii & Sacerdotibus erat perpetua, neque unquam abolenda, itidemque regia potestas in Regibus ad illos eorumque posteros, si viis Dei incederent, pertinebat, quemadmodum dictum est Deut. 17. 20. *ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus in medio Israel*, idcirco inunctio illorum peracta fuit oleo ad designandum æternitatem illam excellentiæ, & sanctitatis.

העיקר הב' שהמשיחה הנזכרת תהיה בשמן ולא ביין ושאר המשקי' אמרה תורה שמן משחת קדש ובמשיחת המלכים נאמר אם בשאול ויקח שמואל את פך השמן ויצק על ראשו : ובדוד נאמר לשמואל מלא קרנך שמן לפי שבשמן היו כל המשיחות : ויש בזה אצלי שתי סבות : האחת לפי שהשמן מבין שאר המשקים הוא המורה יותר על הכבוד והמעלה הלא תראה בדברי יותם בן ירובעל כשנשא משלו הלוך הלכו העצים למשוח עליהם מלך זכר ראשונה הזית : ואמר עליה החדלתי את דשני אשר בי יכבדו אלהים ואנשים ונזכר שיחס הכבוד לשמן : ולזה זכר הזית בראשונה כי היה זית השמן מבין כל העצים יותר נאות למלוכה להיותו יותר נכבד מכלם ולכן השמן עולה למעלה על כל המשקים : ולמעלתו אמר המשורר כשמן הטוב על הראש : ושלמה אמר ושמן על ראשך אל יחסר : ולהיות כלי המקדש והכהנים מבין שאר העם והמלכים מקרב ישראל מיוחדים בכבוד ובמעלה היה אות בחירתם ויחודם בשמן המורה עליו : והסבה הב' היא מפני שהשמן הוא היותר מתמיד זמן ארוך מכל המשקי' מבלי הפסד ולפי שהקדושה בכלי המקדש ובכהנים היתה עד עולם ועד ולא תמוש וכן המלוכה במלכים היתה מתמדת להם ולזרעם אחריהם אם ילכו בדרכי השם וכמש' למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל : לכן היתה משיחתם בשמן להורות על נצחות המעלה והקדושה ההיא :

CAP. III. Quod oleum istud haud aptum esset inunctioni, nisi certis quibusdam aromatibus conditum; & unoquoque ad definitum quantitatis modum cui nihil addi ac detrahi posset. Similiter causa danda est cur solum oleum ad accensionem candelabri sufficeret, ad unctionem vero non, nisi esset admixtum aromatibus ex quadam proportionis ratione. Causa hujus rei est, quia aromata bonum nomen designant & actiones laudabiles, quæ natura in lucem emanant. Sicuti enim aromatum odor longe diffunditur, ita & bonum nomen: quo illud pertinet, Cant. 1. 3. *Ad odorem unguentorum tuorum optimorum, oleum effusum nomen tuum.* Quando igitur gloriam oleum designat, sicuti à me observatum, debuit ipsum aromatibus condiri ad monendum ac docendum coronam gloriæ & excellentiæ esse bonum nomen. Quo sensu ait David, Psal. 141. vers. 5. *Contundat me justus, (erit) misericordia, & increpet me, (erit) oleum præcipuum; non franget caput meum.* Accedit illud Salomonis, Eccl. 7. 2. *Melius est nomen bonum quam oleum bonum:* esse siquidem debet olei boni, unde petitur similitudo, cum nomine analogia: per oleum autem bonum intellige illud quod est aromatibus conditum. (*Ex quo consequitur oleo aromatibus condito bonum nomen designari.*) Scripsit porro philosophus, debere hominem dare operam ut edat laudabiles actiones, quo comparat bonum nomen atque existimationem, sed non adeo ut ad hoc omnes vires conferat nihilque aliud spectet. Quia igitur id mediocriter prudenterque agere homo debet, idcirco ad hoc significandum jussit Deus admisceri aromata certo modo ac proportione cui nihil posset addi, ad docendum non licere plus æquo propagando nomini studere, ac nihil detrahi, ad docendum ab edendis laudabilibus actionibus comparandi nominis ergo nunquam esse desistendum, sed id convenienti modo esse faciendum. Quandoquidem autem excellentia ac perfectio convenit Dei Sacerdotibus ejusque populi Regibus, idcirco inuncti sunt oleo condito, quemadmodum dictum est.

העיקר הג' שהשמן לא יאות למשיחה אלא בהיותו מרוקח בבשמי' ידועי' וכל אחד מהם בשיעור ידוע עליו אין להוסיף וממנו אין לגרוע : וראוי לתת גם כן הסבה בזה לסבת הספיק השמן לבדו להדלקת המנורה ולא הספיק למשיחה מבלי עירוב הבשמים בערך ההוא : והסבה בו היא שהבשמים מורים על השם הטוב ועל פעולות המעלה שיצא טבעם בעולם : כי כמו שהבשמים ריחם הולך למרחוק כן הוא השם הטוב וזה הוא לריח שמניך טובים שמן תורק שמך : ולפי שהשמן מורה על הכבוד כמו שזכרתי היה ראוי שיתבשם להעיר על שהשם הטוב הוא עטרת הכבוד והמעלה : וכמו שאמר יהלמני צדיק חסד ויוכיחני שמן ראש אל יניא ראשי ואמר שלמה טוב שם משמן טוב כי הוא המשל הזוכר אליו ושמן טוב הוא המבושם וכבר כתב הפלוסוף שראוי לאדם שיעשה פעולות המעלה כדי שיקנה השם טוב : אבל לא ישים כל תכליתו וכוונתו על קנין השם : ולפי שראוי שזה יעשה האדם בכוונה וכפי השכל : לכן להעיר על זה צוה ית' שיהיו הבשמים בערך ידוע עליו אין להוסיף להשתדל ית' ראוי לפרסם שמו וממנו אין לגרוע בחדול מעשות פעולות המעלה לקנותו אלא שיהיה בשיעור הראוי ולפי שהמעלה והשלמות ראוי לכהני י"י ולמלכי עמו : לכן היו משוחים בשמן מבושם כמו שנזכר :

CAP. IV. Quod Sacerdotum & Regum inunctio super caput fieret, vasorum vero Sanctuarii omnium in quavis sui parte. Lex ait, Levitic. 8. vers. 12. *Fudit etiam ex oleo unctionis super caput Aharon*, &c. Similiter, quod ad

העיקר הד' שהמשיחה תהיה לכהנים ולמלכים על הראש ולכל כלי המקדש תהיה המשיחה בכל זה מקום מגופם אמרה תורה ויצק השמן המשחה

על ראש אהרן: וכן נאמר במשיחת המלכים ויצוק שמן על ראשו ובגמרא אמרו כשהוא מושחו מציק לו שמן על ראשו: ואמנם בכלי המשכן לא נזכר מקום ידוע למשיחה וראוי לחקור למה לא היו הכהנים והמלכים נמשחים בכל אבר מגופם ככל כלי המקדש: אבל הסבה בזה מבואר לפי שהאנשים יסוד כחותיהם הוא במוח ומשם יפרדו ויתפשטו ההשגות והחושי' כלם פנימיים וחיצוני' והעצבים לכל הגוף ולכן נקרא ראש כי הוא ראשית לכל האברי' והיותר מעולה שבהם ומפני זה נתנו המלכי' כתר העטרה והנזר על הראש: ובמאמר הנביא ישימו הצניף הטהור על ראשו וגם חכמי העמים כשסומכים את חכמיהם נוהגים לשום על ראשיהם בירת ראש הנקרא בונט"י לרמוז שהוא ראוי לתת נזר ועטרת החכמה על ראשו: ועל זה עצמו צוה יתברך שישים הכה"ג ציץ הזהב על ראשו שהיה קדש לי"י: ולהיות הראש מקום החכמה והתבונה ומקור המעלה היה ראוי שימשחו הכהנים מורי התורה והמלכים מנהיגי העם על ראשם: אמנם כלי המקדש מפני שלא היה בהם ראש כי היו מתדמי החלקים במעלתם היתה משיחתם בכל מקום מהם והוא על דרך מה שכתב הפילוסוף שהחיים שיש להם לב החיות תלויה בו והשרצים מפני שאין להם לב החיות מתפשט בכל גופם:

Regum unctionem pertinet, dictum 2 Reg. 9. 6. *& fudit oleum super caput ejus.* In Gemara, *Cum ungeret illum, oleo caput ejus perfundebant.* At quod spectat ad vasa Sanctuarii, nullus certus assignatus fuit locus unctioni: Itaque jure ac merito quæritur, cur non itidem Sacerdotes ac Reges in quovis sui corporis membro fuerint uncti, ut vasa Sanctuarii omnia. Hujus rei ratio manifesta est, propterea quod hominibus facultatum fundamentum in cerebro positum sit, indeque per universum corpus dividantur, ac distribuantur apprehensiones sensusque omnes tum interiores tum exteriores ac nervi. Atque ideo caput ראש appellatur quod ראשית *principium* sit omnium membrorum eorumque præstantissimum. Ac propter hoc solent Reges coronam & diadema capiti imponere, juxta illud Prophetæ, Zachar. 3. v. 5. *Imponant cidarim mundam super caput ejus.* Et vero Sapientes populorum, cum Sapientes sive doctores suos promovent, pileum solent capitibus illorum imponere, volentes innuere eum qui promovetur dignum esse qui diadema & coronam Sapientiæ gerat in capite. Eadem hæc causa, quamobrem jusserit Deus ut Sacerdos magnus capiti imponeret laminam auream, cui hoc esset insculptum, *Sanctitas Domino.* Porro etiam quoniam caput Sapientiæ atque intelligentiæ sedes est, fonsque dignitatis, par erat certe Sacerdotes qui legis sunt Doctores, Regesque qui populi ductores, ungi in capite. Verum Sanctuarii vasa, quod carerent capite, siquidem similibus constarent partibus, parisque inter se dignitatis, ungebantur in quolibet sui loco: idque haud præter illud quod scriptum reliquit Philosophus, Animalium quæ cor habent, vivendi facultatem in corde sitam esse, ast reptilium, quia corde destituantur, per universum illorum corpus diffusam.

העיקר הה' שהכהנים והמלכי' צריכים משיחה ויציקה ובכלי המקדש משיחה בלבד: אמרו בגמרא כשהוא מושחו מציקין לו על ראשו ואחר כך נותנין לו שמן בין ריסי עיניו ואחר כך מציקין לו שמן על ראשו תנאי היא איכא דאמרי משיחה עדיפא ואיכא דאמרי יציקה בכלי עדיפא מאי טעמא דמאן דאמר יציקה עדיפא דכתיב ויצוק משמן המשחה על ראש אהרן וימשח אותו לקדשו: ומאן דאמר משיחה עדיפא סבר שכן נתרבית אצל כלי שרת ויצוק שמן המשחה על ראש אהרן וימשח אותו לקדשו בתחלה יצוק ובסוף ימשח והכי קאמר מאי טעמא הוצק משום דמשח: וראוי שנדע למה הוצרכה יציקה ומשיחה בכהנ"ים ובמלכים ולא נסתפקו באחת מהן כמו שהיה בכלי המקדש שהיו לבד ביציקה או במשיחה: האמת בתשובת זה שהיציקה והמשיחה יתחלפו לדעת חכמי' היציקה היא נתינת השמן על הראש ויציקתו שם מהכלי אשר הוא בו: אמנם המשיחה היא בצורת הנזר שהיו עושין מאותו שמן המשחה. בו את אהל מועד ונאמר ואת אהרן ואת בניו תמשח וגו' ולא נזכרה היציקה אלא במעשה שנאמר ויצוק משמן המשחה על ראש אהרן וימשח אותו לקדשו: ובמלכים פעמים יזכור משיחה ופעמים יזכור יציקה ונראה שהיו היציקה והמשיחה שתיהן דבר אחד ושנוי השמות הוא כפי הבחינות כי כאשר נעריך השמן אל הכלי אשר בו היה וממנו ישפכוהו תקרא יציקה וכשנעריכהו אל הנמשח המקבל אותו תקרא משיחה: ואמנם כפי קבלת חכמי' שהיתה היציקה זולת המשיחה נראה לומר בסבתו כי בעבור שהיתה המשיחה בכהנים ובמלכי' לשתי תכליות כמו שביארתי בעקר הראשון: אחד ליחד הנמשח לגבוה ושני להכינו לקבל השפע האלהי: לכן בכהנים ובמלכים מפני יחודם ומפני הכנתם לקבל השפע העליון אם הכהן גדול בחול עליו רוח הקדש ואם במלך בהצלחת מעשיו: הוצרכו שתי פעולות יציקה ומשיחה כנגד שתי התכליות ההמה אבל בכלי המקדש שלא יפול בהם אלא ההבדלה והיחוד בלבד היה מספיק בהם אחת מהפעולות והיא המשיחה כי הכלים לא יקבלו רוח הקדש כבהני' ולא הצלחת גבורת כמלכים:

Cap. 5. Quod Sacerdotibus & Regibus necessaria fuit inunctio & effusio, vasis autem Sanctuarii inunctio duntaxat. In Gemara dicitur, *Cum ungit eum, affundunt ei super caput, deinde oleum inter oculorum palpebras ponunt, ac denique oleum affundunt ejus capiti: illud est Doctorum Mesnicorum. Nonnulli unctionem potiorem esse ajunt; quidam vero, ad vas quod attinet, affusionem. Qua ratione nititur qui censet affusionem esse potiorem? quod scriptum sit,* & fudit ex oleo unctionis super caput Aharon, unxitque eum ut consecraret eum. *Qui vero censuit inunctionem esse potiorem, existimavit peractam fuisse illam unctionem juxta vas ministerii,* nempe quo continebatur oleum. Et fudit oleum unctionis super caput Aharon, unxitque eum ut consecraret eum. *Fudit primum, deinde unxit* [nimirum primo loco fundendum ex vase oleum fuit, ut perageretur deinde unctio,] *quippe sic dixit autor posterioris sententiæ, cur fudit, & quia unxit.* Haud abs re erit cognoscere cur opus fuerit affusione & unctione in Sacerdotibus & Regibus, nec alterutra fuerit satis, quemadmodum in vasis Sanctuarii sola affusio solave unctio fuit satis. Respondeo affusionem & unctionem distingui ex mente Sapientum nostrorum μακαριτῶν, siquidem affusio sit olei adhibitio super caput, ejusque super eodem è vase ubi erat effusio: unctio autem fiebat in coronæ formam, quam ex illo describebant oleo. *Et unges eo Tabernaculum Ecclesiæ, & arcam testimonii,* &c. *Aaron præterea & filios ejus unges, sanctificabisque eos ut sacerdotio fungantur mihi*, Exod. 30. Neque vero affusionis usquam mentio nisi in ipso opere, cumque ipsa peragitur inunctio: dictum est quippe Levit. 8. vers. 12. *Et fudit ex oleo unctionis super caput Aaron, unxitque eum ut consecraret.* Quod ad Reges attinet, interdum mentio fit unctionis, interdum affusionis. Ac videntur unctio & affusio idem esse re, ac nomine solummodo differre pro diversa ratione. Nam si oleum considerabitur qua respectum habet ad vas in quo fuit & unde effunditur, vocabitur affusio; si vero qua ad unctum qui illud recipit sive eo perfunditur, unctio. Verum juxta traditionem Sapientum nostrorum μακαριτῶν affusio aliud est quam unctio. Igitur ut propositæ satisfiat quæstioni, videtur dicendum propterea quod Sacerdotum & Regum unctio duas ob causas fuit, sicut exposui in capite primo, 1. ad uniendum peculiaremque Deo faciendum eum qui ungitur; deinde quo ille disponeretur ad recipiendum Divinum influxum: idcirco in Sacerdotibus & Regibus propter illorum cum Deo unitionem, ac propter eorundem præparationem ad recipiendum supremum influxum, nimirum quod ad summum Sacerdotem attinet, dum in illum Spiritus sanctus insiliebat, quod ad Regem vero, dum prospere ac feliciter agebat; idcirco, inquam, in illis necessariæ fuerunt actiones duæ, affusio & inunctio, respectu duarum istarum causarum. Ast in vasis Sanctuarii, in quæ non cadebat nisi separatio & addictio, una istarum actionum satis erat, nempe unctio; vasa siquidem non recipiebant Spiritum sanctum [i. e. ex mente autoris, influxum Divinum] ut Sacerdotes, neque illis felix aut prospera potestatis administratio competebat ut Regibus.

העיקר הו' שצורת המשיחה בכהן גדול אחרת בצורתה במלכים עם היות היציקה שוה בשניהם: אמרו בגמרא תנו רבנן כיצד מושחין את המלכים כמין נזר ואת הכהנים כמין כף' אמר רב מנשיא בר גדא כמין כף' יונית: וראוי לחקור אם היו הכהנים הגדולים והמלכים משותפים ביציקה ובמשיחה ובאותו שמן עצמו וכלם נמשחו על הראש למה זה התחלפו בצורת המשיחה כי הנה עם היות צורת הנזר נאותה למלכים הנה הכף' היונית מה היחס אשר לה עם הכהן גדול ואומר שצורת המשיחה היא המבדלת המבדיל המלך מן הכהן: לפי שהמלך היו מושחין אותו בין ריסי עיניו כמין נזר לרמוז שבחרו הקדוש ברוך הוא מקרב ישראל לתת נזר המלכות ועטרת הגדולה על ראשו ולכן

Cap. 6. Quod forma inunctionis Sacerdotis magni alia erat quam Regum, etsi affusio utrisque esset communis, dixerunt in Gemara, docuerunt Magistri, quomodo ungunt Reges in modum coronæ, Sacerdotes vero in modum Caph. Doctor Manassias Geræ filius in formam Caph Græci, ait. Igitur jure ac merito quæritur postquam Sacerdotibus & Regibus æqualis fuit communisque affusio & unctio, necnon ipsum idem oleum, & in capite utrique uncti sunt, cur non itidem eadem utrorumque fuit unctionis forma? namque ut Reges deceat coronæ forma, quid tandem Caph Græco cum Sacerdote magno? Dico ego in unctionis forma discrimen esse quod distinguat Regem ab Sacerdote. Rex quippe ungebatur inter oculorum palpebras in formam coronæ, ut innueretur eum selegisse Deum è medio Israelitarum cujus capiti diadema regium & coronam celsitudinis imponeret; atque eam ob rem forma illius unctionis instar coronæ fuit, quæ regiam potestatem designat. Verum forma unctionis Sacerdotis instar fuit Caph, quo innueretur ipsum esse Sacer-

Sacerdotem, & à Deo qui staret ad ministrandum in ipsius Sanctuario. Caph enim כהן i. Sacerdotem designat, est quippe prima ejus nominis litera. כהן autem nihil aliud sonat quam Dei ministrum: ac propterea inunctio hæc facta in formam istius literæ quæ Sacerdotis erga Deum officium doceret. Fieri etiam potest ut figura literæ Caph in ungendo Sacerdote fuerit adhibita, ad docendum ipsius esse Deo manibus servire (כף enim Hebræis *manum* sonat.) Rex siquidem recta administratione Deo servit; Sacerdos vero manibus rem Divinam facit. Porro autem Doctor Manassias vult literam Caph Græcam fuisse adhibitam, quod ea in scriptura Græca omnium literarum sit elegantissima, suaque figura ac specie maxime insignis.

והיה צורת משיחתו כהן נזר תמורת על המלכות: אבל צורת משיחת הכהן היתה כמין כף' לרמוז שהוא כהן ויהיו הקדוש ברוך הוא לעמוד לשרת בקדשו: כי הכף' ירמוז אל הכהן שהיא האות הראשונה משמו וענין כהן הוא משרת האל: ולכן היתה המשיחה ההיא בצורתה תורה על כוונתו לאל עליון: ואפשר שהיתה צורת הכף' גם כן במשיחת הכהן להורות שהוא יעבוד את אלהיו בידיו ובכפיו: כי המלך יעבוד בהנהגתו: והכהן יעבוד בכפיו ובידיו: והנה רב מנשא אמר שהיתה כמין כף' יונית לפי שאות הכף' בכתיבה היונית הוא יותר יפה ויותר נרשמת בצורתם:

Verum forma unctionis Sacerdotis instar fuit Caph: at non idem sentit Rasi, cujus est hoc, Omnes inunctiones fiebant in formam *chi* exceptis regum inunctionibus, quæ fiebant coronæ in modum. *Alii, quorum Moses Maimonides in Tractat.* Celim, *commentator Rasi, Elias orientalis, Levi Ben Gerson non simpliciter dicunt* כי״ *sed* כי יוני״, *& quidem Elias orientalis ad illud Rasi* in formam chi *scribit*, In capite primo Cerithuth, quid, *inquiunt*, in modum chi? in modum chi Græci, *ait Doctor Manassias. Sed Abarbanel hoc in capite diserte affirmat eundem Manassiam sentire literam caph Græcam in unctione fuisse adhibitam. Deinde etiam David Kimhi ad Psal.* 133. *comma* 2. *& Bechai, literæ caph Græcæ mentionem faciunt. Utram igitur dicemus caph, an chi? Videtur posse conciliari illud dissidium si per caph Græcum intelligemus chi non cappa: quidni vero litera chi appelletur caph Græcum, si Græcis ejusdem potestatis sit* χ *atque Hebræis caph lene, ideoque caph Græcum aut Græcorum dici haud incommode possit, siquidem revera* χ *sit caph Græcorum, i. Græcis sit pro caph, utpote, uti jam dictum, ejusdem soni & potestatis apud Græcos atque caph lene apud Hebræos? Repugnat tamen Elias Levita, qui in Tisbi observat Magistros dicere, inunctum fuisse Pontificem, sive summum Sacerdotem,* כמין גם יוני״ instar Gam Græci, *id est*, *Gamma. Nam etiam hinc colligitur si Gam Græcum est Gamma, Caph Græcum est Cappa.*

Cap. 7. Quod vulgares Sacerdotes inuncti sunt solummodo in deserto ad conferendum ipsis sanctitatem; verum illorum filii minime inuncti sunt post eos. Vi enim primæ illius inunctionis qua semel delibuti fuerant patres, sanctitatem adepti sunt. Non sic est de summis Sacerdotibus: nam etiam Sacerdoti magno Sacerdotis magni filio opus erat unctione. Lex ait, *Pontifex*, i. *Sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum fuerit unctionis oleum*, &c. quo sensu dixerunt in tractatu Horaioth, Mar, sive Doctor, ait, etiam Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius opus habuit unctione. Et in Tractat. Cerituth dixerunt, Sacerdos autem unctus in locum ejus. Quid unctus? inde diximus, eum qui ex ejus filiis esset unctus, summum fuisse Sacerdotem, si non esset unctus non fuisse summum Sacerdotem. At enim reliqui Israelitarum Gubernatores, Judices, Synedriales, Millenarii, Centenarii haud uncti fuerunt, sed Reges duntaxat. Itaque in hoc capite duo quæri possunt: 1. quare omnium ætatum ac temporum vulgares Sacerdotes, cum munus ministrandi in Sanctuario aggrediebantur non ungebantur, sicut omnium ætatum Sacerdotes; aut certe Sacerdoti magno unctio Sacerdotis magni parentis sui debuit esse satis, quemadmodum res se habuit in minoribus Sacerdotibus: 2. quare non se habuit res in administratione Israelitarum politica, sicut in procuratione sive administratione Sanctuarii, ut sicuti vulgares Sacerdotes in deserto inuncti fuere, etsi majoribus Sacerdotibus subjacerent, ita etiam inungendi fuerint Judices sive Duces Synedriales, & principes qui essent sub Regum potestate. Causa totius rei meo judicio est, quod cum unctionis dubio procul beneficio sicuti jam memini, tam Sacerdos quam Rex addicerentur peculiari officio, præque aliis secernerentur, utrorumque sane posteri ejusdem vi unctionis manebant secreti, eademque unctione censebantur delibuti, propterea quod in ea nascebantur, nec quicquam postea novi illis accidebat. Ast quod summus Sacerdos proprium quandam ac peculiarem sortiretur dignitatem inter reliquos Sacerdotes, idcirco opus statuit unctione, dum summi Sacerdotis munus atque officium capesseret. Inde est quod vulgares omnium ætatum Sacerdotes minime uncti sunt, quod inter cæteros fratres suos nihil haberent peculiare, nec quicquam novæ dignitatis ad eam in qua nati erant accederet. Ungebatur vero summus Sacerdos summi Sacerdotis socius, siquidem summi Sacerdotis prærogativam nec natalibus deberet, nec paterna hereditate nancisceretur, sed eam fratrum Sacerdotum suffragiis assequeretur, merito perfectionis ac virtutis suæ: conveniebat igitur ungi illum in signum electionis, & principatus illius quo inter fratres emineret. Judices autem Israelitarum & cæteri principes non fuerunt inuncti, siquidem inunctio continuitatem & perpetuitatem inducit. Sacerdotes enim statim atque fuere uncti, eorum filii ac posteri Sanctuarii ministerio addicti sunt: Postquam etiam Reges uncti fuerunt, regnum ad illos eorumque posteros jure hereditario pertinuit: in quam sententiam dictum est, *ut prolonges dies in regno suo, ipse & filii ejus in medio Israel.* Similiter in Tractat. Sanhedrim, & in Tractat. Horaioth meminerunt regnum ad filios hereditario jure pertinere. Si ita est, unctio perpetuitatem arguit. Hoc causæ est quamobrem neque Judices sive Duces, neque Synedriales, neque Principes uncti sunt, siquidem illorum administratio non fuit perpetua, neque ad eorum filios jure hereditario pertinuit, quemadmodum dixi.

העיקר הז״ הוא שהכהנים ההדיוטים נמשחו לפי שעה במדבר בקדושתם: אבל בניהם לא היו נמשחים אחריהם: כי כבר נתקדשו מאותה משיחה הראשונה שנמשחו האבות: ולא כן הכהנים הגדולים: שאפי׳ היה כג״ בן כג״ טעון משיחה: אמרה תורה והכהן הגדול מאחיו אשר יוצק על ראשו שמן המשחה: וכן אמרו במס׳ הוריות אמ״ מר אפילו כג״ בן כג״ היה משיחה: ובמסכת כריתות אמרו והכהן המשיח תחתיו מאי משיח הקמל״ דמבניו הוא המשיח הוי כג׳ ואי לא משיח לא הוי כג״: ואמנם בשאר מנהיגי ישראל שופטים וסנהדרין שרי אלפים ושרי מאות לא היו נמשחים אלא המלכים בלבד: וראוי אם כן לחקור בעקר הזה בשני דברים האי למה לא היו נמשחים הכהנים ההדיוטים שבכל דור ודור כשבאים לשרת במקדש כמו שהיו נמשחים הכהנים הגדולים כלם לדורותיהם: או יהיה הכג״ נסמך על משיחת הכג״ אביו ככהנים הדיוטים: והב״ למה בהנהגת ישראל בממשלה לא היא הענין דומה להנהגת המקדש ונצרך לומר שכמו שנמשחו הכהנים הדיוטים במדבר בהיותם תחת הכהנים הגדולים ככה ימשחו השופטים והסנהדרין והשרים אשר הם תחת ידי המלכים וסבת כל זה אצלי היא שהמשיחה אין ספק שתעשה יחוד והבדלה כמו שזכרתי ובהיות הכהן נמשח לשרת לפני יי״ והמלך גם כן היו בניהם נסמכי״ על אותה המשיחה ונמשחים עמה לפי שכבר נולדו בה ולא נתחדש בהם דבר: אבל בהיות הכג״ מיוחד במעלתו מבין שאר הכהנים: אה״ גלתי: לכן היה טעון משיחה בהכנסו לשמש כהונה גדולה: עכ״: ולכן לא היו מושחים את הכהנים ההדיוטים בכל דור לפי שלא נעשה בהם יחוד והבדלה מבין שאר אחיהם ולא נתחדשה בהם מעלה יותר מבית שנולדו בה: והיו מושחים הכג״ בן הכג״ לפי שהיותו כג״ לא נולד עמו ולא ירשו מאביו: אבל כנוהו אחיו הכהנים מפני שלמותו: והיה ראוי שימשח לאות המנוי והשררה ההיא שהיתה נוחל׳ כאחיו כסגולה: ואמנם שופטי ישראל ושאר השרים לא היו נמשחים: לפי שהמשיחה תגזור התמורה והנצחיות שהכהני״ מיד שנמשחו היו כל בניהם וזרעם משרתי מקדש יי״ והמלכי״ גם כן אחרי משיחתם היתה המלכות ירושה להם ולבניהם וכמו שאמר למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל: וכן זכרו במסכת סנהדרין ובמס״ הוריות שהמלכות ירושה לבניהם אם כן המשיחה תורה על הנצחיות: ולכן לא נמשחו השופטים ולא הסנהדרין ולא השרים לפי שלא היתה ממשלתם נצחית ולא ירושה לבניהם כמו שאמרתי:

Cap. VIII. Quod par sit licet præceptum inungendorum Sacerdotum ac Regum, unctusque fuerit Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius, ut cui non sufficeret unctio patris, non tamen Rex: Rex enim qui succedebat patri non ungebatur. Dixerunt in Gemara, *Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius opus habuit unctione: Rex vero Regis filius non ungebatur. Cur igitur unxerunt Salomonem? Propter contentionem sive seditionem ab Adonia concitatam. Joas quoque ob seditionem ab Athalia commotam. Neque non Joachaz propter Joasimum*

העקר הח״ שעם היות מצות המשיחה שוה בכהני׳ ובמלכים והיה כג״ בן כג׳ נמשח ולא יסמך על משיחת אביו הנה המלך אינו כן כי המלך שימלוך תחת אביו לא ימשח אמרו בגמרא כג׳ בן כג׳ טעון משיחה ואין מושחין מלך בן מלך ומפני מה משחו את שלמה מפני מחלוקת אדוניהו ויואש מפני מחלוקת עתליהו: ואת יהואחז מפני יהויקים

יהויקים אשר היה גדול ממנו שתי שנים וראוי אם כן שנחקור למה לא היה בן הכג"ג שהיו שניהם מלך וכג"ג נמשחים אף על פי שיהיו בן מלך ובן כג"ג או לא יהיה אחד מהם נמשח לא מלך ולא כג"ג : אבל הסבה בזה מבוארת היא שהמלכות להיותו כפי הדין ירושה לבן הבכור אם היה ראוי אליו ולא יהיה בו מונע עצמי לכן כשימלוך תחת אביו מבלי קטטה ומחלוקת לא היה צריך למשיחה חדשה כי היה נסמך על משיחת אביו כשמלך מחדש בהיותו יורש מלכותו כפי הדין הישר אמנם בהיות במלכות קטטה ומחלוקת יצטרך המולך בו למשיחה לאות לבני מרי שהוא הנבחר למלכות ולא יתחלקו עליו : אמנם הכג"ג שלא יירש הכהונה גדולה מאביו כי אינה ירושה לבניו לרשת אותה הבן הבכור כמלכות אבל הוא ממונה מיד אחיו הכהנים להיות כג"ג בעבור היותו יותר הגון לאותה מעלה מצד עצמו כמו שאמר והכהן הגדול מאחיו ואחז"ל גדול בנוי גדול בעושר גדול בכח : היה ראוי שיהיה נמשח כדי שמתוך אותה המשיחה יודע שהוא המכונה לכג"ג מכל שאר אחיו :

biennio grandiorem. 1 Reg. 1. 39. & 1 Paral. 29. v. 22. & 2 Paral. 23. 2 Reg. 23. & 2 Paral. 36. Si ita est, quæri jure ac merito potest, cur non eadem fuerit ratio Sacerdotis magni & Regis, ut nempe ambo Rex & Sacerdos magnus ungendi fuerint, etiamsi essent, ille Regis filius, hic vero Sacerdotis magni, aut illorum neuter ungendus fuerit, neque Rex neque Sacerdos magnus. Verum causa hujus rei manifesta est, quod regnum debeatur jure hereditario filio natu majori, si ad illud idoneus sit, nec sit in eo impedimentum essentiale. Idcirco quando paternum regnum obtinebat filius sine dissensione & contentione, haud opus habuit nova inunctione; siquidem patris sui, qui primus regnum adeptus esset, unctione niteretur, adeundo regni paterni hereditatem recto atque æquo jure. At de regno si oriretur dissensio & contentio, opus habuit qui inibat illud unctione, quæ commonefaceret rebelles illum esse delectum ad regnum, neque esse ipsi obsistendum. Verum quandoquidem summum Sacerdotium non adipiscebatur summus Sacerdos jure hereditatis paternæ, quæ natu grandiori filio deberetur, ut regnum, sed præficiebatur à fratribus suis Sacerdotibus, qui esset summus Sacerdos, quod ad eam dignitatem aptior per se magisque idoneus esset, quo sensu dicitur, *Pontifex*, i. *Sacerdos maximus inter fratres suos*, Levit. 21. 10. necnon à Sapientibus nostris *μακαρίταις*, *major pulcritudine*, *major opibus*, *major robore*; ea causa est quamobrem par esset illum oleo perfundi, ut istiusmodi inunctionis beneficio palam fieret illum è reliquis fratribus in summum Sacerdotem fuisse constitutum.

העיקר הט' שאין המשיחה כוללת לכל המלכי' אמרו בגמרא מלכי בית דוד נמשחים מלכי בית ישראל אינם נמשחים מנא לן אמר רבא קום משחהו כי זה הוא זה טעון משיחה ואין אחר טעון משיחה והקשו שם מיהוא בן נמשי שנמשח והשיבו שזה היה מפני מחלוקת יורם בן אחאב והקשו עוד וכי מפני מחלוקתו של יורם נמעול בשמן המשחה והשיבו שהאמורה הוא כדעת רב פפא שנמשח בשמן אפרסמון : הנה ביארו שכפי הדין אין מושחין למלכי ישר' ואם יביא ההכרח אליו מפני המחלוקת אז לא ימשח בשמן המשחה אלא בשמן אפרסמון : וראוי גם כן לתת הסבה בזה רל' בהבדלת מלכי בית דוד ממלכי ישראל ובהבדל' שמן המשחה משמן אפרסמון : ואומר ששאול נמשח על יד שמואל הנביא משמן המשחה להיות משיחתו ישרה ומלכותו נכונת לו ולזרעו עד עולם אם לא היה חוטא וכמו שאמר הנביא כי עתה הכין יי' את ממלכתך על ישראל עד עולם : וכאשר חטא שאול הוסרה המלכות ממנו ונתנה לדוד ולזרעו ולכן אמר הקדוש ברוך הוא לנביא קום משחהו כי זה הוא רוצה לומר זה הוא הראוי למשיחה הוא וזרעו לא שאול ותלמוד דרשו זה טעון משיחה ואין אחר טעון משיחה כלומר שלא ימלוך בישראל בהסתעפות ישר' כי אם מזרעו : ולכן נמשח בשמן המשחה שעשה משה במדבר כמו שנמשח אהרן ובניו לכהונ' עולם להודיע שנתנה המלכו' לדוד ולזרעו עדי עד כמו שנתנה הכהונה לאהרן ולבניו לנצח : ולפי ששאר המלכים אשר מלכו בישראל אחרי חלוק המלכות לא היתה מלכותם ישרה ונכונת ולא מלכו כי אם בפשע בית דוד לכן לא היו נמשחים להעיר שלא היו הם נבחרים למלכות ולא היתה המלכתם מאת יי' מן השמים כי אם להעניש את זרע דוד וכאשר הביא ההכרח למשוח את יהוא בן נמשי לא נמשח בשמן המשחה מפני שמלכותו לא היתה נצחיי ולא התקדש לשם יי' שהם הדברים שתורה עליהם המשיחה בשמן המשחה : ונמשח בשמן אפרסמון להעיר שהיתה מלכותו בלתי אמתי כמו שמן אפרסמון עם היותו שמן יקר הוא בלתי אמתי למשיחה כשמן שעשה משה :

Cap. IX. Quod inunctio non est quorumvis, neque etiam Regum omnium. Dicitur in Gemara, *Reges Domus* (seu *familia*) *Davidis uncti fuerunt*, *Reges autem Domus Israel minime*, 1 Sam. 16. 12. *Unde hoc nobis constat?* *Rabba ait*, Surge, unge eum : ipse est enim, *i. ipse opus habet unctione*, *alius vero non*, 2 Reg. 9. Proferunt illis Jehu filium Namsi, quem oleo constat fuisse delibutum, cum tamen Israelitarum Rex fuerit, Ibid. Respondetur fuisse id factum propter Joram Achabi filium, qui jus regni Israelitici sibi asserebat. Movent deinde difficultatem : Quid autem? Ideone oleo unctionis sacræ in ungendo extraneo principe abutemur? Respondent veritati esse consentaneum juxta mentem Doctoris Papæi unctum illum fuisse oleo Balsamino. Statuunt igitur non fuisse oleo perfundendos Israelitarum Reges, sed si necessitas id interdum postularet propter controversiam de Regno, tunc oleo Balsami non autem oleo unctionis sacro peractam fuisse unctionem. Hujus quoque rei reddenda ratio est, nempe discriminis Regum Davidicæ familiæ & Regum Israel, necnon olei unctionis & olei Balsamini. Dico igitur inunctum fuisse Saulem ab Samuele propheta oleo unctionis, quod ejus inunctio recta esset ac legitima, ejusque regnum ipsi ac posteris perpetuum fuisset permansurum, si non peccasset : quomodo ajebat Sauli Samuel Propheta, *quia nunc stabilierat Dominus Regnum tuum super Israelem usque in seculum : nunc autem regnum tuum non stabit.* Posteaquam autem peccasset Saul, adempta est illi regia potestas dataque Davidi ejusque posteris. Illud est quod ajebat Deus prophetæ, *Surge, unge eum : ipse est enim*; perinde ac si diceret, ipse dignus est unctione, ipse ejusque posteri, non autem Saul. Quod quidem Magistri liberius sive argutius interpretati sunt, *ipse opus habet unctione, alius vero non*; quasi diceretur, neminem regnaturum in Israele jure natalium atque ortus, nisi qui sit ex ejus posteris : eam ob rem inunctus fuit oleo unctionis ab ipso Mose confecto in deserto, eodem, inquam, quo Aharon ejusque filii inuncti fuerant in Sacerdotium perpetuum, quo significaretur datum fuisse regnum Davidi ejusque posteris in sempiternum, sicuti æternum Sacerdotium datum fuerat Aharoni ejusque filiis. Quandoquidem autem cæterorum Regum, qui regnum Israelitarum obtinuerunt post regnorum divisionem, non fuit regnum legitimum, neque stabile aut diuturnum, nec illi regnandi potestatem obtinuerunt nisi ob peccata Davidicæ familiæ, inde est quod non fuerunt inuncti, ad docendum non fuisse eos ad regnum delectos, neque fuisse Divinitus constitutos, nisi in pœnam Davidis posterorum. Cum vero postulavit necessitas ungi Jehu filium Namsi, minime par fuit inungi illum oleo unctionis sacro, siquidem ejus regnum non esset perpetuum, neque Dei nomini consecratum, quæ quidem duæ res sunt, quas inunctio per oleum unctionis designat. Inunctus fuit autem oleo Balsamino, ut per hoc daretur intelligi regnum illius non fuisse verum aut legitimum : oleum Balsaminum, etiamsi per se sit pretiosum, non tamen verum est ac legitimum ad inunctionem; sicuti illud quod confecit Moyses.

העיקר הי' במושח שלא יהיה אלא נביא התבאר זה בתורה שמשה רבן של נביאים משח בעצמו את הכהנים וכלי המקדש וכן מצאנו במלכי' שהיו נביאים מושחים אותם כי שמואל הרואה משח את שאול והוא עצמו משח את דוד : ונתן הנביא משח את שלמה : ואף יהוא בן נמשי ע' נביא נמשח ואחז"ל שהיה יונה בן אמתי : והסבה בזה מבוארת ממה שזכרתי שאחרי היות המשיחה אות על הבחירה האלהית היה ראוי שתהיה ע' נביא כי מי עמד בסוד יי' לדעת האיש אשר יבחר בו למלוך על ישראל ויראה וישמע את דברו ורצונו לאמר זה יעצור בעמי כי אם הנביא : וגם הכג"ג היה ראוי שיהיה נבחר ע' נביא כמו שבחר אדון הנביאים באלעזר הכהן לכג"ג אחרי מות אהרן אביו עם היות שפעמים הכהנים גדולי' היו ממונים במאמר המלכים בזמן בית שני אשר לא כדת :

Cap. X. De inungente, quod alius quam propheta esse non debeat. Hoc manifestum est ex lege; Moses enim Prophetarum magister unxit per se Sacerdotes, & vasa Sanctuarii. Similiter liquet inunctos fuisse Reges à Prophetis, 2 Reg. 9. Samuel enim qui fuit Videns, inunxit Saulem & Davidem. Nathan item Propheta Salomonem. Jehu quoque filius Namsi à Propheta unctus fuit, quem Sapientes nostri *μακαρίται* putant fuisse Jonam filium Amithi. Causa hujus rei est manifesta ex eo quod à me observatum. Postquam enim unctio signum est electionis Divinæ, decuit eam peragi per manus Prophetæ: *Quis enim affuit in consilio Domini*, Jer. 23. v. 18. ut eum scire possit quem elegerit in Regem super Israelem, *& vidit, & audivit sermonem ejus*, ibid. voluntatemque cum diceret, *Iste dominabitur populo meo*; 1 Sam. 9. v. 10. quis, inquam, scire potest præter Prophetam? Sacerdotem quoque magnum conveniebat à Propheta eligi, sicuti Eleazarum Sacerdotem, Aharone ejus patre vita functo, in summum Sacerdotem elegit Dominus Prophetarum Moses, etsi interdum summi Sacerdotes fuerint constituti Regum jussu tempore domus secundæ, quod fuit præter jus.

Cap. XI.

Digitized by Google

CAP. XI. De loco ubi inungerentur Reges. Dixerunt in Gemara, *Illud est Doctorum*, *Non ungunt Reges nisi juxta fontem*, boni scilicet ominis ergo, *quo* instar perennis aquæ *proferatur ac prolatetur eorum regnum. Dictum est enim*, 1 Reg. 1. ver. 33, & 34. Et dixit eis Rex, Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & deducite eum in Githon.: & ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Natham Propheta in Regem super Israel, *&c.* Porro autem causa quamobrem uncti fuerint Reges apud fontem jam allata est per modum expositionis allegoricæ, quo scilicet proferatur aut protendatur eorum regnum. Sed restant duo consideranda; Unum, quare non etiam in unctione summorum Sacerdotum adhibita ab illis Magistris est ea conditio, ut perageretur apud fontem, quo proferretur eorum dignitas. Alterum, Qui in hoc negotio extructa ab iisdem est generalis lex sive regula aut principium ex eo quod circa Salomonem est gestum, postquam non idem reperire est neque de Saule, neque de Davide, neque de cæteris Regibus, nempe fuisse unctos illos juxta fontem. Ad primum respondeo, Propterea quod summi Sacerdotis dignitas non transibat ad posteros, nec ad filios jure hereditario pertinebat, uti dictum. Quandoquidem enim unctio apud fontem non fiebat, nisi ut esset signum propagatum iri regnum ad filios, neque defiturum, idcirco haud observata fuit ea conditio in summis Sacerdotibus, sed in Regibus tantum, quoniam regnum hereditarium est, propterque ejus continuam ac perennem successionem Regum, inunctio semper apud fontem peracta est. Ad secundum vero respondeo ex mente Sapientum nostrorum μακαριτῶν præcepisse Regem Davidem ungi filium Salomonem juxta fontem, ut signum esset ejus regnum æternum duraturum ac propagandum. Quoniam autem id signum fuit boni ominis, censuerunt Sapientes inducendum hoc in morem, ut cæteri itidem Reges omnes inungerentur apud fontem, quo illorum imperium foret perfectum instar imperii Salomonis, paxque & fides temporibus eorum vigerent, sicut ejusdem temporibus, quando opum, gloriæ & sapientiæ amplius fuit quam retro, & post sub Regum nomine. Ut igitur signum daretur aliquod tale futurum exterorum imperium, censuerunt ungendos omnes juxta fontem, non quod hæc conditio è statutis regni sit, sed quoniam ex eo quod factum est in inauguratione Salomonis, didicerunt illam esse boni ominis. Dici præterea potest, propterea quod Saulis filius natu major patri non successit in regnum, atque etiam Davidis filii grandiores misere perierunt [ad verbum *defecerunt; consumpti sunt à terroribus*, ex Psal. 73. ver. 19.] neque paternum adierunt regnum, sed iis natu minor Salomo, id causæ esse quamobrem neque à Saule neque à Davide signum omenve perennitatis fuerit repetitum, sed ab Salomone, in cujus solio major natu filius sedit, inque regnum successit; & exinde ac deinceps in Davidica familia regnum semper obtinuit filius major.

העקר הי״א במקום אשר ימשחו שמה המלכי׳ אמרו בגמרא תנו רבנן אין מושחין את המלכים אלא על המעין כדי שתמשך מלכותם כמאמ״ ויאמר המלך להם קחו את עבדי אדוניכם והרכבת׳ את שלמה בני על הפרדה אשר לי והורדתם אותו אל גיחון ומשח אותו שם וגו׳ : והנה הסבה למה היו נמשחים על המעין כבר זכרוה על צד הדרש כדי שתמשך מלכותם : אבל נשאר לחקור בזה שני דברים : האחד למה לא התנו בזה במשיחת הכהנים הגדולים שתהיה גם כן על המעין כדי שתמשך גדולתם : והשני איך עשו בנין אב בזה מענין שלמה כיון שלא מצאנו כן בשאול ולא בדוד ולא בשאר המלכים רוצה לומר שיהיו נמשחים על המעין : לפי שלא היתה נמשכת כהונתם הגדולה לזרעם אחריהם ואינה ירושה לבניהם כמו שאמרתי : וכיון שהמשיחה על המעין אינה אלא לסימן שתמשך הגדולה ההיא לבניהם ולא תחדל : לכן לא נעשתה בכהנים הגדולים אלא במלכים שהמלכות תהיה ירושה לבניהם כי מנהג התפארת והמשכתה תמיד היתה נעשית שם : ולשני אומר שכפי מה שדרשו הז״ל צוה המלך דוד שימשחו את שלמה בנו על המעין כדי להיות סימן ושתמשך מלכותו לנצח : ולפי שהיה זה הסימן לקח לשם ברכה ראו חכמים לתקן אליו המנהג לשאר המלכי׳ שימשחום תמיד על המעין כדי שתהיה מלכותם שלם כמלכות שלמה ושלום ואמת יהי׳ בימיהם כאשר היה בימי שלמה שנמצא בו העושר והכבוד והחכמה יותר ממה שהיו לפניו ולאחריו מהמלכים ולתת סימן שכן תהיה מלכותם אמרו שיהיו נמשחים כלם על המעין : לא שיהיה התנאי הזה מחקי המלוכה אלא שלמדוהו מדרך סימן טוב כמה שנעשה לשלמה בהמלכתו : ואפשר לומר עוד בזה כי בעבור ששאול לא ישב בנו הבכור על כסא מלכותו וגם דוד בניו הגדולים ספו תמו מן להיות ולא ירשו מלכותו וירשו שלמה הקטן מהם : לכן לא עשו סימן ההמשכה משאול ולא מדוד ועשו אותה משלמה שבנו הגדול ישב על כסאו וירש מלכותו וכן משם והלאה היה מלך בבית דוד תמיד הבן גדול :

CAP. XII. De inunctionis tempore, quod fieri debuerit de die, non autem de nocte: quomodo legimus inunctos fuisse omnes tum Sacerdotes tum Reges diu, non noctu. Causa hujus rei manifesta est signum boni ominis, nempe quo id regnum eaque dignitas pura exsisteret ac lucida, sine tenebris & anxietate sive angustia. Atque hoc sensu dixit David, cum novissima verba habuit, *Et sicut lux auroræ*, sive *mane oriente sole, mane absque nubibus à splendore, & à pluvia herba de terra. Non enim sic domus mea cum Deo, quia pactum æternum iniit mecum, ordinatum per omnia atque custoditum.*

העקר הי״ב במנין המשיחה שתהיה ביום ולא בלילה וכמו שמצינו במשיחת הכהנים ובמשיחת המלכים שהיו מושחים את כלם ביום ולא בלילה : והנה זה מבואר שהוא לסימן ברכה וטובה שתהיה המלכות והגדולה ההיא זכה ומאירה מבלי חשך ולא צרה ואל רמז זה אמר דוד בדבריו אחרונים : וכאור בקר יזרח שמש בקר לא עבות מנגה וממטר דשא מארץ ואמר כי לא כן ביתי עם אל כי ברית עולם שם לי ערוכה בכל ושמורה :

CAP. XIII. De eo quod jam à me supra observatum, quod confectum sit oleum unctionis duntaxat semel, nempe in deserto, idque per manus Mosis Magistri nostri, nec aliud conficiendum sit præterea imposterum, sed Deus postquam advenerit Messias restituturus sit populo suo oleum unctionis à Mose confectum, quod una cum arca fuit reconditum: quo quidem oleo inungendi sint Reges ejus ætatis. Hactenus capita sive radices tredecim magni momenti de gravi hac quæstione sive argumento exposui Legi congruenter, & Cabbalæ Sapientum nostrorum μακαριτῶν, causasque attuli haud ineptas pro ingenii mei imbecillitate.

העקר הי״ג הוא מה שכבר זכרתי למעלה שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת במדבר ועל ידי משה רבינו ולא יעשה עוד בעתיד שמן משחה אחר ולעתיד לבוא בימות המשיח עתיד הקדוש ברוך הוא להחזיר לעמו אותו שמן המשחה שעשה משה שנגנז עם הארון ובו ימשחו המלכים והכהנים הגדולים בימים ההם : הנה בארתי בדרוש הנכבד הזה י״ג עקרים יקרים כפי התורה וקבלת חכמינו זכרונם לברכה ונתתי בהם סבות נאותות לפי חולשת דעתי :

GROTIUS.

1. F*Acies quoque altare ad adolendum thymiama*] Hujus quoque altaris aurati meminit Hecatæus. Suffitum autem adhibere sacris mos gentium ferme omnium, ut solebant cuncta hominibus grata in divino honore usurpari. ob id θυμιάματα [*aromata*] dicta ἀπὸ τοῦ θυμιᾶσθαι [*à precibus*]. & θύειν [*sacrificare*] primo significatu fuisse suffire notavit Porphyrius; & inde thus Latinum. Sed & usus aderat aliquis ad discutiendum nidorem ex animantibus; purgandumque aërem. Mystica significatio est, sursum habenda corda.

5. *Tam craticulam ejus*] Græci ἐσχάραν [*focum*]. At Hebræa vox tectum significat, quod hic convenientius, id est, σκιάδειον [*umbellam*], quali tegebatur altare suffituum: alterum autem holocautomatum, sine tecto erat.

10. *Semel per annum*] Castimonia & sobrietate septem dierum præparatus. Modum expiandi vide Levit. XVI.

12. *Pretium pro animabus suis*] Optime. Sic & LXX. λύτρα ψυχῆς [*redemtionem animi*]. Ea capitatione testabantur Israelitæ se à Deo redemtos. Faciendum autem quoties census agebatur populi, quod à Davide omissum magno ei stetit, II Reg. XXIV.

19. *Lavabant in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes*] Etiam gentibus mos lavandi ante sacrum. Meminere Hesiodus, Homerus, Plautus Rudente. In id posita labra ante Templum, de quibus Vitruvius libro II. Cincius dicebat delubrum esse locum ante Templum, ubi aqua currit, à diluendo; ut nos docet Servius ad II Æneidos. Hanc lotionem etiam sanctificationem Hebræi vocant.

23. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ*] Rectius ex Hebræo vertas: *Sume tibi aromata præcipua, nempe myrrhæ non adulteratæ quingentos siclos*, &c. Nam מר דרור est myrrha libera à mixtura, scilicet ἑτερογενῶν [*rerum generis alterius*].

Cinnamomi] Sic & Græci, & vox Hebræa plane idem sonat. Attamen Kimchi Aloen interpretatur, ut & Rabbi Salomo, qui additum ait בשם [*aromatis*] ut notetur Aloe non illa medica, sed aromatica, εὐώδης [*odorata*] Oribasio. At eadem Aloe à קנמן [*cinnamomo*] manifeste distinguitur, suoque nomine appella-

pellatur Cant. IV. 14. Quare non est quod serioribus illis Rabbinis in gemmarum, herbarum, arborum interpretamentis nimium fidamus. Quæ ad jus pertinent, librorum quadam successione satis bene servata sunt: de physicis intercidit per tot sæcula traditio. ideoque conjecturas sequuntur; non mirum, si interdum aberrantes.

34. *Stacten & onycha, galbanum boni odoris & thus*] Philo stacten ad aquam refert, onycha ad terram, galbanum ad aërem, thus ad ignem.

Æquales ponderis erunt omnia] ἴσον ἴσῳ ἔσται [*æquale æquali erit*], Græci. Hebraice: *solum cum solo*, id est, seorsim quæque ponderabuntur, ut sint æqualia.

CARTWRIGHTUS.

3. *ET obduces illud auro puro*] Aben Ezra notat hinc altare illud dictum esse *altare aureum*. Ita nimirum appellatur, Num. 4. 11. & Apoc. 8. 3.

גַּגּוֹ *Tectum ejus*] Onk. & Jon. איגריה ית quod Fagius & Buxtorfius itidem interpretantur *tectum ejus*. Lxx. τὴν ἐσχάραν *Craticulam* (seu focum) *ejus*. Amama legit (a) ἐσχαρίδα, quod idem valet. Vulgatus etiam habet *craticulam ejus*. Certum est גג *gag* significare *tectum*; ac propterea Lyra monet in Hebræo haberi *tectum ejus*, i. e. partem superiorem; atque hoc dictum ait ad differentiam altaris holocausti, quod non habebat tectum. Steuchus etiam existimat altare thymiamatis non habuisse craticulam, ut altare holocausti; illi enim craticulam fuisse necessariam, huic autem minime: *Quare* (inquit) *amovenda craticula est, & loco ejus tectum reponendum.*

4. וְהָיָה לְבָתִּים לְבַדִּים *Et erunt loca vectibus.*] Ad verb. *Et* (b) *erit in domos, &c.* Hebræi בית *domum* pro quovis receptaculo usurpant. Onkel. & Jon. לאתרא *in locum*. Vulg. *ut mittantur in eos vectes*. Lxx. καὶ ἔσονται ψαλίδες ταῖς σκυτάλαις, *Et erunt arcus amitibus*. Augustinus (annotante Nobilio) observat annulos hic dici arcus. *Et quid* (inquit) *est aliud annulus, vel circulus, nisi undique arcus?* Nota autem Lxx. Interpretes hic, & v. 5. vocare בדים σκυτάλας, cum antea verterint ἀναφορεῖς *gestatoria*. Lexicographi notant σκυτάλην interdum pro clava vel fuste accipi.

6. *Et pones illud ante velum, &c.*] Lyra refert Augustinum velle hoc altare fuisse in sancto sanctorum; juxta Hieronymum autem & Hebræos in exteriore parte, quæ dicebatur Sanctum, fuisse. Atque hoc ex capite ultimo constare arbitratur, thuribulum autem illud, de quo Hebr. 9. 4. ab hoc altari distinctum fuisse asserit. Et ad v. 10. refellit eos, qui (c) Augustinum sequentes, putant altare incensi fuisse intra Sanctum Sanctorum, asserens Levit. 16. haberi, summum sacerdotem sanguinem posuisse in cornibus altaris incensi, postquam è Sancto Sanctorum exiisset. Sane (ut Burgensis etiam fatetur) ex textu S. Scripturæ liquido constat altare incensi non fuisse in Sancto Sanctorum, in quod non nisi summo sacerdoti, idque semel in anno, intrare licuit, cum super altare istud inferiores sacerdotes bis quotidie incensum offerrent. Aliter igitur, sed frustra interpretari conatur Augustinum Burgensis, ac si altare illud tantum secundum dignitatem sanctum sanctorum appellari voluisset. Rab. Salom. & Aben Ezra diserte monent hoc altare fuisse בחוץ in exteriori parte Tabernaculi.

7. קְטֹרֶת סַמִּים *Suffitum aromaticum*] Lxx. θυμίαμα σύνθετον λεπτὸν, *incensum compositum subtile*. Steuchus notat hoc penitus aliud esse ab eo, quod in Hebræo dicitur. Idem tamen refert Hebræos dicere pulverem tenuissimum odoris fragrantissimi voce סמים significari. De voce ista supra est annotatum. Vulg. *incensum suave fragrans*.

9. *Non offeretis* (ad verb. *ascendere facietis* תעלו) *super illud* קְטֹרֶת זָרָה *incensum extraneum*] Onk. קטרת בוסמין נוכראין *incensum aromatum extraneorum*; i. e. ex aliis aromatibus; quam quæ præscripta sunt, confectum. Jon. קטרת בוסמין דעממין נוכראין *incensum aromatum populorum extraneorum*. R. Sal. exponit שום קטרת של נדבה *ullum incensum spontaneum*, i. e. non præscriptum; ἐθελοθυμίαμα, ut ἐθελοθρησκεία Coloss. 2. 23. Atque addit כלן זרות לו חוץ מזו (d) *Omnia præter hoc* (nempe quod Deus præscripsit) *sunt extranea*. Similiter Aben Ezra incensum extraneum interpretatur שאיננה כמשפטה *id quod juxta præscriptum* (seu *ordinationem*) *ipsum non est*.

(a) Ita etiam Steuchus; sed in Edit. Roman. est ἐσχάραν. (b) Rab. Salom. והיה הטבעות האלה *Et erit, nempe opus horum annulorum*. (c) Vide Riberam de Templo lib. 2. cap. 8. (d) LXX. θυμίαμα ἕτερον, *incensum aliud*. Vulg. *thymiama compositionis alterius*.

וּמִנְחָה *Et holocaustum*] LXX. καὶ κάρπωμα, *& oblationem*; sic Latine vertitur. Alibi isto vocabulo interpretantur Hebræum אשה, quod oblationem igne penitus consumptam denotat. Hinc autem colligi posse videtur Interpretes illos non aliam secutos esse lectionem, quam quæ in Hebræis codicibus hodiernis habetur, Hos. 14. 3. ubi pro שפתינו פרים *vitulos labiorum nostrorum*, (ut vertit Vulgatus) habent καρπὸν χειλέων ἡμῶν, *fructum labiorum nostrorum*; quam versionem secutus est author Epistolæ ad Hebræos cap. 13. 15. Existimatur eos legisse פרי *fructum*, pro פרים *vitulos*; sed quidni legere potuerunt פרים *vitulos* (seu potius *juvencos*) ac interpretari καρπὸν, ut hic atque alibi oblationem vocant κάρπωμα.

10. *Semel in anno propitiationem faciet super illud.*] Jon. *Semel in anno propitiationem faciet super illud in die propitiationum.* Similiter R. Salom. *Hoc est in die expiationum.* Aben Ezra, *die decimo mensis septimi*. Vide Lev. 23. 27. Augustinus ait non intelligi debere semel duntaxat in anno intrasse sacerdotem in Sanctum Sanctorum, sed semel in anno cum sanguine, quotidie autem sine sanguine causa imponendi incensi. Sed hoc ex falsa hypothesi dixit nempe altare incensi in sancto sanctorum fuisse. Vide supra ad v. 6.

קֹדֶשׁ־קָדָשִׁים הוּא לַיהוָה *Sanctum sanctorum*, (i. e. sanctissimum) *est Domino.*] Hoc est (interprete R. Salomone) *Hoc altare sanctificatum est rebus hisce, nec ulli alii cultui.*

12. כִּי תִשָּׂא אֶת־רֹאשׁ בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל *Cum elevaveris caput filiorum Israel*] Sic Hebræa ad verbum sonant; sensus autem est, Cum recensueris, vel numeraveris filios Israel. Onkel. & Jon. ארי תקביל ית חושבן בני ישראל (e) *Cum acceperis summam filiorum Israel.* R. Salom. sic explicat, *Cum volueris accipere summam numeri eorum, ut scias quot sint, ne numeres eos capitatim* (seu *viritim* לגלגלת) *sed dabunt tibi unusquisque dimidium sicli, unde numeratis siclis numerum eorum cognosces.* De Hebræa autem phrasi quæ hic usurpatur, vide Annotationes meas (si libet) ad Gen. 40. 13.

13. זֶה יִתְּנוּ *Hoc dabunt*] Jon. *Hæc taxatio* (דין שיעורא) *ostensa fuit Mosi in monte, instar denarii ignei* (הי כדינרא דאשא) *& sic dixit ei, Juxta hanc* (*taxationem*) *dabunt, &c.* Similiter R. Salom. ait Deum ostendisse Mosi formam monetæ igneæ, quæ dimidium sicli valebat, ac dixisse Israelitas ejusmodi monetam daturos. Sed hoc argutius est; simplex sensus est, *Hoc dabunt*, nempe (ut statim sequitur) *Dimidium sicli juxta siclum sanctuarii.* Sic Genes. 42. 18. *Hoc facite, & vivite*; quid autem facerent, verbis proxime sequentibus explicatur.

כָּל־הָעֹבֵר עַל־הַפְּקֻדִים *Unusquisque qui transit inter eos, qui recensentur.*] Sic etiam v. 14. R. Salom. ait moris esse, ut qui numerant, eos, qui numerantur, alios post alios transire faciant; in hanc rem citat Levit. 27. 32. & Jerem. 33. 13. Ex iis certe locis istiusmodi numerandi rationem in usu fuisse videtur.

מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל *dimidium sicli.*] LXX. τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου, *dimidium didrachmæ*. Vide notam proxime sequentem, & quæ notata sunt ad Gen. 24. 22. Quod autem Neh. 10. 32. de tertia parte sicli legitur, Aben Ezra ad locum istum ait, eam dimidio sicli, de quo hic agitur, additam fuisse tanquam ob ea, quæ ibi memorantur necessarium. Gerundensis autem (uti refert Manasses Ben Israel in Exod. quæst. 47.) istum sicli trientem ex legis obligatione datum putat; ac causam, quare tunc trientem darent, fuisse, quod siclus tempore Mosis viginti tantum granorum, ætate Nehemiæ ad triginta ascendisset; ac proinde illius ævi trientem æqualem fuisse Mosaici sicli dimidio. Sed ista nullo (quod sciam) fundamento nituntur, nec verisimilia videntur, proindeque Aben Ezræ sententiam sequendam potius censeo.

Juxta siclum sanctuarii] vel *sacrum*, בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ R. Salom. exponit, במשקל השקל שקבעתי לך לשקול בו שקלי הקדש *juxta pondus sicli, quem constitui tibi, ut eo siclos sacros ponderes.* (f) LXX. κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον *juxta didrachmum sacrum*. Constantinus L'Empereur (in Middoth cap. 2. sect. 1.) ait LXX. Interpretes auxisse pretium τοῦ διδράχμου. Nam

(e) Vulg. *Quando tuleris summam filiorum Israel.* LXX. Ἐὰν λάβῃς τὸν συλλογισμὸν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *Si acceperis computationem filiorum Israel.* (f) Serarius ad Jos. 7. quæst. 9. sect. 12. putat LXX. scripsisse δ. δραχμῶν, vel δ δραχμὸν & inde Librarios fecisse δίδραχμον. At quid sit δ. δραχμῶν, fateor me nescire. Addit eo loco & tempore quo scripserunt LXX. drachmam unam parem Atticis duabus fuisse, sicque idem esse δίδραχμον apud ipsos, quod postea fuit τετράδραχμον. Sed hæc parum solida esse videntur.

Nam (inquit) *cum reddere vellent siclum sacrum, τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον posuerunt, quamvis siclus sacer valeret quatuor drachmas; quia crescente sicli (qui est τὸ δίδραχμον) valore idem nihilominus nomen, quo communiter exprimebatur, retinendum autumarunt.* Waserus (de nummis Hebr. lib. 2. c. 3.) ex Josepho citat, ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus, Hebræorum nummus, continet quatuor drachmas Atticas.* Refert etiam Hesychium appellare ejusmodi siclum sacrum τετράδραχμον Ἀττικὸν νόμισμα *nummum Atticum tetradrachmum.* Quin & laudat Hieronymum in Ezech. 4. asserentem sicium sacrum esse staterem, hoc est, Atticas drachmas quatuor valere. Moneta vero Germanica Imperiali dicit semissem argentei uncialis sive (*a*) Thaleri, constituere hunc siclum, ac binos istiusmodi siclos Thalerum efficere integrum, hoc est, argenti unciam, quum justum pondus unciale sit. Siclum autem sacrum ait lege à Deo fuisse institutum ad res sacras, sive Ecclesiasticas, videlicet ad Tabernaculi vel Templi structuram, & ornatum, ad sacri ministerii apparatum & perfectionem, ad Numinis propitiationem, & suicujusque redempturam. Et cap. 5. de siclo communi agens, *Is* (inquit) *& ante & post latam legem fuit in usu, atque res duntaxat civiles & politicas adhibitus, in quo à siclo sacro differt, qui non nisi ad usum Templi, & ex consequenti ad cultum Dei adhibebatur.* Atque hæc quidem plurimorum tum ex nostris, tum ex Pontificiis est sententia, qui etiam existimant siclum sacrum communi duplo fuisse majorem. Atque hoc quidem concedit Lud. Capellus diatr. de lit. Ebr. pag. 112. distinctionem autem sacri & communis sicli negat eo pertinere, quod sacrorum siclorum usus in solo esset Tabernaculo atque Templo, extra illud vero nullus; utriusque enim tum sacri, tum communis promiscuum, & popularem apud Judæos usum fuisse arbitratur. Sed Arias Montanus lib. de siclo, distinctionem istam omnino tollit, atque omnem siclum, sacrum, sive sanctuarii esse vult. Quod autem in Scriptura de siclo sacro sive sanctuarii dicitur, tantum ait valere, ac si diceretur, mensura bona, & justo pondere. Huic etiam opinioni favere videtur Serarius in Jos. 7. quæst. 5. sect. 10. ubi asserit authoribus alterius sententiæ nullam esse rationem, nisi quod dicant idcirco addi alicubi, *siclum sanctuarii*, ut ab altero distinguatur. Verum id jam expositum esse dicit; atque addit nonnullos tradere, fuisse in sanctuario conservatum siclum unum ad quem, si controversiæ quid accideret, examinarentur alii omnes tanquam ad Lydium Lapidem, quemadmodum Romæ servabatur pes. Atque ista quidem non improbabiliter dicta esse fateor, veruntamen à communiori sententia ægrè possum divelli; nec commodiorem conciliandi LXX. Interpretes cum Josepho ac Hieronymo rationem video, quorum illi siclum duarum drachmarum, hi autem quatuor constituunt, quam ut illi de siclo communi, hi autem de sacro locuti esse intelligantur. Quod enim LXX. etiam sacrum siclum appellant δίδραχμον, ejus ratio antea ex Constantino L'Empereur est allata; quæ autem à Serario de hac re dicta sunt, minus placent.

עֶשְׂרִים גֵּרָה הַשָּׁקֶל *Viginti oboli sunt siclus*] Vulg. *Siclus viginti obolos habet.* LXX. εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον. Onkelos pro גרה habet מעין, quod interpretantur etiam *obolos.* In Jonathane est מנין, sed mendose (*b*) opinor) pro מעין, nam מנה est *mina.* Vox autem Hebræa גרה *gerah*, (quæ hic, & Levit. 27. 25. Num. 3. 47. & 18. 16. Et Ezek. 45. 12. occurrit) designat nummulum argenteum, qui tantum pendebat, quantum sedecim grana hordei, sive semen siliquæ communis, quæ ab Hebræis חרוב *Charob*, Arabice autem אלחרוב *Alcharob*, & ab Hispanis, *Algarova* appellatur. Ita tradit Waserus de Num. Heb. lib. 2. cap. 13. ubi etiam Græcum κεράτιον ab Hebræo *gerah* converso *g* in κ, ut à גמל *gamal* κάμηλος, ortum putat. Asserit autem istum computum ab omnibus Hebræorum Doctoribus summo consensu confirmari. Ac nominatim in hanc sententiam citat R. Levi ad hunc locum, & Gedaliam in Shalsheleth. Addit denique ex Hebræa voce *gerah* deductum videri Græcam χοῦ, qua non solum sordes, seu rem vilissimam, & vocem suillam, sed & minutulum quendam nummum significari docet ex Hesychio, cujus hæc citat verba. χοῦ εἶδός ἐστι τοῦ μικροῦ νομίσματος, *Gry est species exigui nummi.* Aben Ezra dicit גרה *gerah* esse גרעינת חרוב *grana charob*, seu *siliquas.*

14. *A viginti annos nato, & supra*] Ad verb. *à filio viginti annorum, & supra*, מִבֶּן עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמָעְלָה *Non omnes cujusvis ætatis* (inquit (*c*) Waserus) *vel sexus Judæi ad recensionem illam admittebantur, ac proinde capitationem præstare debebant; sed mares tantum & quidem vicenarii, ac majores 20. annis usque ad annum quinquagesimum; quia videlicet ejus ætatis beneficio validi militiæ, ad hanc communiter egrediebantur, ac tum demum à nece se liberare poterant. Unde annum vicesimum nondum ingressi, aut quinquagesimum egressi, tanquam ad bellum, sicque proinde defensionem inepti, à tributo isto immunes habebantur. Quæ causa cur Dominus noster Jesus Christus, ad quem oblationis hujus negotium mystice respiciebat, nec ante vicesimum, nec post quinquagesimum ætatis annum, sed præcise in medio eorum annorum redempturam corporis sui cujus semisiclus iste typus fuit, pro nobis præstare voluerit.* Hæc ille: at post quinquagesimum ætatis annum tributum, hoc non fuisse pendendum, nondum video.

15. לָתֵת אֶת־תְּרוּמַת יְהוָה לְכַפֵּר עַל־נַפְשֹׁתֵיכֶם *ad dandum oblationem Domino ad propitiandum pro animabus vestris*] Hæc in vulgata versione sunt prætermissa; in Græcis autem Bibliis pariter ac Chaldaicis Paraphrasibus habentur.

20. יִרְחֲצוּ־מַיִם *Lavabunt (se) aqua.*] מים pro במים. Onk. יתקדשון מיא *sanctificabunt se aqua.* Jon. יקדשון מוי *sanctificabunt aquam.* Forte legendum, ut in Onkelo, יתקדשון, in Hithpael, *sanctificabunt se* & מוי erit pro במוי *aqua*: vel יִקָּדְשׁוּ in Kal *sanctificabuntur*, non יְקַדְּשׁוּ in Piel *sanctificabunt*, ut in editione Veneta legitur. In codice *Joma* cap. 3. §. 3. dicitur neminem atrium intrasse ad peragendum ministerium, etiamsi mundus esset, antequam laverat אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אפילו טהור עד שיטבול. Sheringamius ait Sacerdotes Tabernaculum ingressuros manus ac pedes, sed ingressuros Templum totum corpus lavisse. Addit ceremoniam istam, sacrum Baptisma præfigurasse, ejusque typos & figuras cæteras populi Judaici lotiones fuisse. Atque hoc quidem illi cum multis est commune; ego vero cum eis sentio, qui Judaicis ceremoniis proprie loquendo non nostra Sacramenta, sed res ipsas, quæ eis significantur, præfiguratas fuisse existimant.

23. *Sume tibi* בְּשָׂמִים *aromata*] LXX. ἡδύσματα *suavitates.* Sic Latine vertitur. Aquila, ἀρώματα, Vulg. *aromata.* Vox, *hedysmata* à Plinio usurpatur Nat. hist. lib. 13. cap. 1. Comarius dicit stymmata olim vocata aromata, quibus in unguentorum compositione oleum spissabant; hedysmata vero ea, quibus spissatum oleum suavi odore imbuebant, & perfundebant. LXX. autem Interpretes per hedysmata generaliter aromata intelligere videntur v. 34 pro סמים etiam habent ἡδύσματα.

מָר־דְּרוֹר *Myrrha pura*] Onk. מירא דכיא quod idem valet. Jon. & Hierosol. מיר בחיר *myrrha electa.* Vulg. *primæ myrrhæ & electæ.* LXX. τὸ ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς, *florem myrrhæ electæ.* Conjunxerunt nimirum vocem ראש (quæ significat *caput*, item *principium* seu *principale*) cum sequentibus, cum præcedenti voci potius adjungi debeat, בשמים ראש *aromata principalia*, licet בשמים (*d*) formam habeat absolutam pro constructa בשמי, quod & alibi interdum in Scriptura usu venit. R. Salom. בשמים ראש interpretatur חשובים *aromata pretiosa*, quæ in honore habentur. Similiter Aben Ezra ait sensum istorum verborum esse שיוקח הראש מכל בשם *ut ex unoquoque aromate caput* (seu *principium primum*) *accipiatur.* Atque addit, כי הוא הנבחר מאשר באחרונה *Nam id pretiosius est eo, quod post* (vel *in extremo*) *relinquitur.* De voce מר *Mor* inter Hebræos haud convenit. Aben Ezra ait esse vocem difficilem explicatu (מלת מור קשה) ac refert R. Saadiam interpretari מוֹשְׂק Muscum. Ita autem & Maimonides vocem *Mor* exponit (teste Shikardo de jure Regio cap. 1. Theor. 4.) Nempe ut significet muscum. Verba ejus à Shikardo citata sic habent המור הוא הדם הנצור בחיה בהודו שבחו ידוע לכל שמתבשמים בו בני אדם בכל מקום (*e*) *Mor est sanguis concretus in bestia quadam India, notus omnibus; quia eo condiunt se homines ubique locorum.* Addit autem Shikardus hoc ab alio quodam Rabbino recte refelli quod non verisimile sit compositionem sacram ingredi sanguinem ullius feræ, nedum immundæ. Sed ratio ista mihi haud tanti esse videtur. Illud plus roboris habere arbitror, quod sequitur, nempe Cant. 5. 1. scriptum esse, *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, decerpsi Mor meum cum aromate meo*; hinc siquidem videri *Mor* esse de specie fruticis alicujus, seu arboris, cujus odor est fragrans: Kimchi in Rad. (uti ibidem refert Shikardus) eorum opinionem commendat, qui *Mor* thuris speciem esse existimant. Mihi vox ipsa indicare videtur *Mor* esse myrrham, uti

(*a*) Ibid. cap. 5. ait communem siclum æstimari 15. denariis Anglicis. (*b*) Ita etiam censet Buxtorfius in Lexico Syro Chaldaico. (*c*) Waser. de Num. Hebr. lib. 2. cap. 6.

(*d*) Amama putat ראש בשמים esse per inversionem pro בשמים ראש vel concise dictum esse pro בשמים בשמי ראש.
(*e*) Buxtorfius in Lexic. Talmud. refert quosdam ex Talmudicis interpretari *Mor* muscum; ipse autem myrrham interpretatur.

uti antiquis pariter ac recentioribus interpretibus placuit. Vox autem דרור *deror* libertatem significat, unde מר דרור *mor deror* est *myrrha libertatis*, seu liberæ, hoc est libere fluentis, uti exponit Amama, qui etiam refert Lyram scribere duplicem esse myrrham primam & secundam; primam esse guttam, quæ sponte sudat de arbore, eamque esse optimam; secundam vero, quæ ex incisione manat, eamque minus bonam esse. Probabilis quidem est ista expositio; sed nec illam à Fagio traditam improbandam censeo, ut nimirum per myrrham liberam myrrha minime adulterata intelligatur.

חֲמֵשׁ מֵאוֹת *Pondo quingentorum*] Sic Onkelos מתקל חמש מאה pro quod idem plane sonat, nec quodnam sit pondus exprimit, etiamsi Fagius vertit, *nempe quingentos siclos in pondere*, secutus forte Hierosolymitanum Paraphrasten, qui habet מתקל חמש מאון דסלעין *Pondus quingentorum siclorum* Jonathan habet מתקל חמש מאה מנין *pondus quingentarum librarum*. Sed altera expositio cum in se considerata est probabilior, tum firmatur ex versu sequenti, ubi dicitur, *& Cassiæ quingentos (siclos)* בשקל הקדש *in siclo sancto*. Jonathan ibi חמש מאה מנין בסלעין בסלעי קודשא *quingentas minas, siclos in siclis (vel juxta siclos) sanctos*. Vox מנין *minas* (seu *libras*) expungenda videtur, alioqui quid ista sibi velint me nescire fateor.

וְקִנְּמָן בֶּשֶׂם *Et cinnamomi aromatici*, &c.] LXX. καὶ κινναμώμου εὐώδους, *& cinnamomi bene olentis*. Vulgatus illud בשם omisit, ac simpliciter vertit *& cinnamomi medium*, quod Amama non immerito visum est censura dignum. R. Salomon ait, necesse fuisse dicere קנמן בשם, ut optimum cinnamomum intelligatur, cum cinnamomum aliquod istiusmodi sit שאינו אלא כעץ *quod non est nisi instar ligni*, i.e. nihil fere à vulgari ligno differt, parum aut nihil odoris habet. Mox itidem sequitur, וּקְנֵה בֹשֶׂם *Et calami aromatici*, &c. Ubi etiam Vulgatus epithetum insuper habet:(*a*)LXX. autem exprimunt, καὶ καλάμου εὐώδους.

24. וְקִדָּה *Et Cassia*, &c.] R. Sal. ait קדה *Kiddah* esse nomen radicis herbæ, ac à sapientibus vocari קציעה i.e. *Cassiam*. Sic & Aben Ezra asserit ex traditione notum haberi *Cassiam* voce ista significari. Ita quidem Onkelos & Jonathan pro קדה habent וקציעתא h. e. *& Cassia*. Similiter Vulgatus, *Casia autem*, &c. LXX. vero ἴρεως *iridis*.

25. רֹקַח מִרְקַחַת מַעֲשֵׂה רֹקֵחַ *Pigmentum pigmentationis, opus pigmentarii*] vel *opere pigmentarii*, ut מעשה sit pro כמעשה vel במעשה i.e. *juxta opus*. Onk. בוסם מבסם עובד בוסם *aroma aromatizans opere aromatarii*. Sic Shindlerus in Pentaglotto ad verbum interpretatur: Fagius autem vertit, *aromatibus confectum, opere apothecarii*. Vulgat. *unguentum compositum opere unguentarii*. LXX. μύρον μυρεψικὸν τέχνῃ μυρεψοῦ, *unguentum unguentarium, arte unguentarii*. רקח *rokack*, *&* מרקחת *mirkachath* fere idem valent, nempe pigmentum ex diversis aromatibus confectum. רוקח *rokeach* autem designat pigmentarium, artificem nempe, qui istiusmodi pigmentum conficit. R. Sal. dicit omnem rem, quæ cum altera miscetur, usque dum altera alterius odorem, vel saporem attraxerit, vocari *mirkachath*. כל דבר המערב בחבירו עד שזה קבל ריח או טעם מזה. Ezech. 24. 10. מרקחה *merkacha* usurpatur de mixtura aromatum, quæ ad carnes condiendas adhibetur.

שֶׁמֶן מִשְׁחַת־קֹדֶשׁ יִהְיֶה *oleum unctionis sancta* (ad verb. *sanctitatis*) erit.] Ista Vulgatus Interpres omisit, *LXX.* autem pariter ac Chaldæi Paraphrastæ expresserunt.

29. *Quisquis tetigerit ea, sanctus erit.*] Onk. *Quisquis appropinquaverit, sese sanctificabit*. כל דיקרב בהון יתקדש Fagius vertit, *omnis qui ea contigerit, sanctus erit*. Jon. *Quisquis eis appropinquaverit ex sacerdotibus, sanctificabit se; reliqua autem tribus comburentur igne flammanti coram Domino*. Vide supra ad cap. 29. 37.

30. *Et Aharonem filiosque ejus unges*] Lyra primo ait Aharonem unctum fuisse capite ac manibus; filios autem ejus non nisi manibus. Deinde addit juxta nonnullos, sacerdotes minores non fuisse unctos, sed tantum oleo unctionis & sanguine arietis consecrationis inter se commixtis fuisse aspersos: atque hoc illi videtur probabilius ob id quod cap. 29. 21. habetur; sed præterquam quod locus iste de Aharone pariter ac de filiis ejus loquitur, aspersio ista ab hac unctione diversa esse videtur. Ex sacro textu maxime videtur probabile, in ipsa sacerdotii institutione, qua sacrati Aharon posterique ejus, non solum ipsum sed & filios ejus unctos fuisse, id quod asserit Seldenus de success. in Pontif. lib. 2. cap. 9. Etiamsi postea gregarii sacerdotes uncti non essent uti Hebræi (Seldeno ibidem testante) sentiunt. Levit. 6. 15. vel 6. 22. scriptum est, *Sacerdos ex filiis ejus unctus in ejus locum, faciet eam*. Unde non male colligere videntur, eum, qui in Pontificatum successit, ungendum fuisse; de gregariis autem sacerdotibus id minus videtur verisimile.

33. *Super extraneum*] Jon. (*b*) *super extraneum qui non est ex filiis Aharonis*. Similiter exponit Aben Ezra improbans opinionem Japhethi, qui per extraneum intelligit eum qui non est ex filiis Israel. Refert autem R. Saadiam dicere traditionem fuisse apud Israelitas, hoc oleo Davidem ejusque posteros, non autem alios reges fuisse ungendos. Id ab eo dictum ait, propterea quod scriptum sit 1 Reg. 1. 39. Tsadocum oleum è Tabernaculo accepisse, eoque unxisse Salomonem; ipse autem existimat id non nisi ex occasione, seu speciali aliqua de causa tunc factum fuisse, quemadmodum Samuelem, atque alios interdum alibi quam in loco ad id constitutum sacrificasse legitur. R. Levi, Ben. Gersom ad istum Scripturæ locum (uti etiam Seldenus loco supra citato annotavit) ait non opus fuisse, ut Salomon ungeretur אלא מפני מחלוקת אדוניה *nisi ob controversiam, qualis cum Adonia (de regno) erat*; nam cum David unctus fuit, simul etiam omnes ex ejus semine, qui ei successuri erant, unctos fuisse; quemadmodum cum Aharon & filii ejus uncti fuerunt, omnes eorum successores uncti erant, ut essent sacerdotes; ac propterea deinceps opus non fuisse, ut quisquam ex sacerdotibus præter Pontificem ungeretur. Similiter Shikardus de Iure Regio cap. 1. theor. 4. refert Rabbinos existimare unicam unctionem toti prosapiæ sufficisse, nec opus fuisse, ut repeteretur, nisi quando legitimus successor ob machinationes æmulorum periclitaretur. Et ex Maimonide inter alia hoc citat, אין מושחין מלך בן מלך שהמלכות ירושה i.e. *Non ungunt regem, filium regis quod regnum sit hæreditarium*. Addit Maimonides, si orta esset dissensio, istiusmodi etiam regem unctum fuisse, ut tollerentur æmulationes, ac omnibus notum fieret, quisnam duntaxat pro vero rege habetur. Sic nimirum Solomonem propter Adoniæ factionem unctum fuisse; item Ioasum propter Athaliam, 2 Paral. 23. & Iehoachazum propter Iehojakimum fratrem ejus. Legitur quidem 2 Reg. 23. 30. occiso Iosia, populum accepisse filium ejus Iehoachazum, eumque unxisse, ac patris loco regem constituisse; controversiam autem inter illum, & Iehojakimum de regno fuisse, in Scriptura nusquam (quod sciam) reperitur. Id tamen ex Scriptura colligi posse videtur, cum Iehojakimum natu seniorem, ac propterea regni legitimum hæredem fuisse constet ex 2 Reg. 23. 31. cum 36. & 2 Paral. 36. 2. cum 5. collato. Videtur igitur populus ideo unxisse Iehoachazum, quod etiamsi jure ei regnum non deberetur, eum tamen pro rege habendum vellent. Ad istum modum Rabbini, nempe R. Salomon, Kimchi & R. Levi in Commentariis suis locum istum explicant. Shikardus, (ubi supra) Talmudicos doctores secutus, ait unguentum de quo hic agitur, semel tantum, nempe à Mose, fuisse confectum, ac in posteritatis usum asservatum. Non enim licuisse unguentum aliud, hoc deficiente, conficere, colligit ex v. 32. & 33. hujusce capitis. Propterea Talmudici (ipso referente) non sine miraculo accidisse volunt, ut unguentum hoc semel confectum tot per omnia secula unctionibus sufficeret. Ego vero non video quemadmodum sententia ista fundamento satis firmo nitatur. Quod enim hic v. 32. & 33. prohibentur istiusmodi unguentum conficere non ita intelligendum arbitror, ac si nullo unquam tempore, etiamsi hoc plane deficeret, aliud huic simile confici deberet, sed in privatum ac profanum usum nunquam fuisse conficiendum. Id innuunt verba ista v. 31. *Oleum unctionis sancta erit hoc mihi in generationibus vestris*. Et ver. 32. *Sanctum* (ad verb. *Sanctitas*) *est, sanctum erit vobis*, i.e. in sanctum duntaxat usum à Deo fuit institutum, ac ab eis usurpari debuit. Similiter de thymiamate sacro dicitur v. 37. Eos tibi ipsis istiusmodi conficere non debuisse, i.e. in usum proprium, ut recte vulgatus, *Talem compositionem non facietis in usus vestros; quia sanctum est Domino*. Atque hæc Aben Ezræ sententia esse videtur, qui refert nonnullos id, quod hic dicitur, unguentum hoc super extraneum non fuisse ponendum, de unguento à Mose confecto intelligere; (atque ita quidem interpretatur R. Sal. על אותו שעשה משה *de eo, quod Moses fecit*)

(*a*) LXX. πεντακοσίους σίκλους *quingentos siclos* & sic Vulgatus.

(*b*) Heb. על זר Ionathan על חילוני, & sic Onkelos, Fagius vertit *super prophanum*, & eorum sententiam genuinam putat, qui de eo, qui non est ex familia Aharonis, interpretantur Num. 18. 4. in Hebræo textu זר & in Targum חילוני de eo qui non est ex genere Levitico usurpatur. R. Sal. in hoc Exodi loco זר extraneum exponit שאינו צריך כהן ומלכי *eum ad quem non pertinet sacerdotium & regnum*. At cum regnum nondum esset institutum, intempestivum videtur hic ejus mentionem facere, etiamsi postea reges (saltem nonnulli) hoc oleo uncti essent; quod quidem ex 1 Reg. 1. 39. videtur probabile.

rit) ſed id ſibi haud placere aſſerit, ac dicit, והנה אין הפרש בין שמן המשחה שעשה משה ובין הנעשה אחר כמוהו id eſt, *Et ecce, non eſt diſcrimen inter oleum unctionis, quod fecit Moſes, & id, quod ei ſimile poſtea factum eſt.* Quin & Shikardus ipſum Maimonidem citat aſſerentem eum duntaxat lege condemnari, qui unguentum, de quo hic eſt ſermo, conficeret שיומשח בו *ut eo ungeretur*; licuiſſe autem alicui id conficere להתלמד בו ללמד לאחרים *Ut ipſe* (*modum ejus conficiendi*) *diſceret, vel alios doceret.* At quorſum (miror) quis iſtud vel diſceret ipſe, vel alios doceret, ſi unguentum ita confectum nulli omnino, ne ſacro quidem, uſui inſerviret.

34. נטף *ſtacten*] Sic Vulgatus; & ſimiliter LXX. στακτήν. Onkelos Hebræam vocem paululum immutatam retinet, נטופא, Fagius *guttam* interpretatur, נטף verbum eſt *ſtillare* ſeu *guttatim fluere*; atque eadem Græci verbi στάζειν, unde στακτή, eſt ſignificatio. Eſt humor ex arboribus quibuſdam ſtillans; unde in eum finem arbores incidi ſolent, quanquam Plinius lib. 12. cap. 15. dicit nullam ſtacten ei præferri, quam arbores ſua ſponte, priusquam incidantur, ſudant; quod ſatis quidem eſt veriſimile. R. Sal. interpretatur נטף per צרי *reſinam*; ſic enim vox iſta videtur ſignificare, etiamſi id etiam ſit incertum, uti olim ad Gen. 37. 25. annotavi. Jonathan & Hieroſolymitanus pro נטף hic habent קטף, quo vocabulo ad interpretandum Hebræum צרי Onkelos & Jonathan Gen. 37. 25. utuntur. Verbum autem קטף eſt *incidere*; atque inde ſuccus iſtiuſmodi vocatur קטף, quod ex arboribus inciſis plerumque ſoleat defluere.

ושחלת *Et onycha*] Ita LXX. & Vulgatus vocem iſtam interpretantur. Similiter R. Sal. ait eſſe שורש בשם חלק ומצהיר כצפורן i. e. *radicem aromaticam levem, & ſplendentem inſtar unguis.* Atque addit in Miſna vocari צפורן i. e. *onycha.* Eadem plane etiam ex Kimchii Radicibus citat in Lex Talm. Buxtorfius. Quin & idem voce ab Onkelo uſurpata וטופרא ſignificari Rabbini iſti obſervant. טופרא Chaldaice reſpondet Hebræo צפורן, & *unguem* denotat Deut. 21 12.

וחלבנה *& galbanum*] Sic Vulg. & LXX. χαλβάνην quod propius ad Hebræam *Chelbenah* accedit. R. Sal. ita etiam dictionem iſtam interpretatur, aſſerens vocari גלבנה *galbanum.* Dicit autem aromatis iſtius odorem eſſe malum, ac inter aromata, ex quibus factum eſt thymiama, recenſeri, ne in cœtibus ſuis jejunii ac precationis cauſa inſtitutis dedignarentur ſeſe adjungere prævaricatoribus, qui inter Iſraelitas numerantur: ejus verba ſic habent, מנאה הכתוב בין סמני הקטורת ללמדנו שלא יקל בעינינו לצרף עמנו באגודת תעניותינו ותפלותינו את פושעי ישראל שיהו נמנים עמנו

סמים (*Hæc erunt*) *aromata*] Ad iſtum modum exponit Aben Ezra, אלה סמים *Iſta aromata*, ſc. erunt adhibita. LXX. Interpretes vocem iſtam cum præcedenti conjungunt, χαλβάνην ἡδυσμοῦ: atque ita etiam Vulgatus *galbanum boni odoris.* Sed præterquam quod tum debuit eſſe חלבנת in forma conſtructa, eſt accentus Rebia ſuper חלבנה unde dictionem iſtam à ſequenti ſejunctam eſſe apparet. Fagius etiam ita Onkelum interpretatur, *& galbanum aromaticum*; ſed verba ejus ſunt חלבני בוסמין בוסמין quæ Hebræa ad verbum exprimunt. Non tamen diffiteor (*a*) expoſitionem iſtam valde commodam videri, etiamſi verbis Hebræis minus congruat. Sed nec rationes iſtæ à forma vocis, & ab accentu deſumptæ tanti forte ſunt momenti, ut propterea interpretatio iſta rejici debeat, cum alibi non raro forma abſoluta pro conſtructa uſurpetur, nec accentus iſtiuſmodi vim ſuam diſtinguendi ſemper habeant.

ולבנה זכה *Et thus purum*] Quatuor duntaxat aromata ad thymiama ſacrum conficiendum hic memorantur. Aben Ezra autem refert antiquiores Hebræos tradidiſſe undecim aromatum ſpecies ad hanc rem fuiſſe adhibitas. R. Sal. nominatim eas recenſet, nempe הצרי *reſinam*, הצפורן *onycha* (in Sacro textu ſpecies iſtæ vocantur נטף & שחלת) החלבנה *galbanum* הלבונה *thus*, מור *myrrham*, קציעה *Caſiam*. שבלת נרד *ſpicam nardi*, כרכום *crocum*, הקושט *coſtum*, הקלופה *corticem* (*odoratum*) הקנה *calamum* (*odoratum*) קנמון *& cinnamomum.* Quin & ex ipſis Scripturæ verbis (uti hic docet R. Sal.) Hebræi putant ſe poſſe colligere tot aromatum ſpecies adhiberi debuiſſe. Quia enim hic primo dicitur סמים *aromata* indefinite, quod minimum eſt, pluralis numeri volunt intelligi, nempe duo: deinde recenſentur *ſtacte*, *onyx* & *galbanum*; hic igitur quinque dicunt eſſe aromata. Poſtea iterum ſequitur סמים *aromata* indefinite; unde tot intelligi cenſent, quot antea fuerunt deſignata, nempe (ex eorum ſententia) quinque. Ultimo deinde loco adjicitur thus purum; atque ita mirabili arte, cum Scriptura quatuor duntaxat ſpecies memoret, illi undecim ex ipſa colligunt. Iſtud Hebræorum commentum videre eſt etiam apud Buxtorfium in Lex. Talm. rad. קטף.

בד בבד יהיה *Solum in ſolo erit*] LXX. ἴσον ἴσῳ ἔσται *æquale æquali erit.* Vulg. *æqualis ponderis erunt omnia.* Similiter Onkelos & Jonathan מתקל במתקל יהי *pondus in pondere erit*, quod Fagius ſic explicat, æqualis ponderis erunt. Alios autem ſic accipere ait, ut ſenſus ſit, uniuſcujuſque pondus ſit ſeorſum. Aben Ezra autem Hebræa verba ſic exponit כל אחד לבד יודק ואחר כך יערב *unumquodque* (*aromatum*) *ſeorſim contundetur, & poſtea* (*cum reliquis*) *miſcebitur.* Vide Junium, cujus expoſitio nulli poſtponenda videtur.

35. *Et facies illud*, &c. ממולח *ſalitum*] Vulg. *mixtum diligenter.* LXX. μεμιγμένον, *mixtum.* Ita etiam Onk. & Jon. מערב *mixtum* מלח *melach* eſt Sal. inde ממולח *memullach* ſalitum. Amama dicit hoc eſſe extra controverſiam; atque ideo putat Interpretes iſtos forte ſubintellexiſſe, *ſale*, cum *ſalire*, & *miſcere ſale* idem ſint. Cenſet tamen Ebræam vocem, non recte expreſſam, quod ex iſta interpretatione nemo intelligere poſſit mixturam hanc ſalis fuiſſe. At R. Sal. expoſitionem iſtam approbat, כתרגומו *prout interpretatus eſt Chaldæus Paraphraſtes ita eſt intelligendum.* Atque ſic porro explicat, ut ſenſus ſit, aromata contuſa diligenter & accurate (יפה יפה) inter ſe miſceri debere. Addit huic ſimile eſſe illud Jon. 1. 5. וייראו המלחים *& timuerunt nautæ.* Nautas enim dictos ait מלחים *mallachim* à miſcendo, quod remis ſuis aquas vertere ac miſcere ſoleant: Quæ enim quis optime miſcere velit, ea digito vel cochleari (כבך) vertere ſeu agitare (כחוש) ſolere.

IDEM.

12. *Cum acceperis ſummam filiorum Iſrael, &c.*] Ad verba *Cum elevaveris caput, &c.* Phraſeos iſtius (*elevare caput pro numerare*) hanc rationem reddit, quod qui numerantur, capita ſua attollere ſoleant. Dicit autem ideo hoc præceptum hic datum, quod Iſraelitæ reliqua quidem, quæ ad opus Tabernaculi requiſita erant, copioſe offerebant, ſed argentum parcius, cum eo ad res à mercatoribus emendas opus haberent: cum igitur baſibus, uncinis, & aliis inſtrumentis efficiendis argentum ſponte oblatum non ſufficeret, Deum Moſi mandaſſe, ut hac ratione argentum copioſius acciperet. Atque iſta quidem ſententia, ex cap. 38. 27. 28. mihi nunc non improbabilis eſse videtur. Recte etiam ſentire videtur, mandatum iſtud temporarium fuiſſe, nec poſtea obſervatum, ut quoties populi recenſio fieret, dimidium ſicli perſolverent.

13. *Dimidium ſicli*] Aſserit Iſraelitas non niſi ſiclos habuiſſe, atque ideo ſiclum in duas partes diviſiſse, ac dimidiam partem dediſse: hinc cap. 38. 26. dimidium ſicli vocari בקע à בקע *findere*, quod ſiclus in duas partes fiſsus erat. Addit ſe ſiclum ſacrum habuiſse, ac pondus ejus fuiſse ſemunciæ, (חצי אונקיא) niſi quod diuturnitate temporis, ut fieri ſolet, nonnihil ponderis diminutum eſset. Refert etiam Nahmanidem idem de ſiclis à ſe repertis teſtatum eſse, cum antea R. Salomonis hac in re ſententiam impugnaſset.

15. *Dives non plus dabit*, &c.] Hujus interdicti hanc rationem aſſignat, quod omnes quoad vitam ſuam æquales ſint. Addit, ideo etiam fortaſse hoc à Deo mandatum ne quis præ aliis deſpicabilis eſse videretur, eo quod minus dare potuerit, cum contingere poſset, ut viles opibus abundarent, & honoratiores rei familiaris inopia laborarent: ſed prior ratio germanior eſse videtur.

18. כיור *Labrum*] Dicit vas fuiſse factum inſtar fiſtulæ (כצנור) ac multum aquæ recepiſſe: quin & epiſtomium (ברז) habuiſſe, quo aperto, aqua in manus ac pedes effluxit. Ideo autem pedes lavandos fuiſse ait, quod diſcalceati miniſtrarent.

23. *Et tu ſume*, &c.] Quia ſic ſignanter dictum eſt, ideo verum eſſe ait, quod Doctores dicunt oleum unctionis non niſi ſemel factum fuiſse, nempe cum Moſes id ſuis manibus fecerit, idque per multa ſecula duraſſe: Sed commentum iſtud nimis levi fundamento nititur, ſaniorem hic ſe præbuit, (*b*) Aben Ezra, ut ut ei à Nahmanide reſponſum eſse dicat Abrabaneel. Quod autem Nahmanidem Doctorum ſententiam confirmare ait ex v. 31. *Hoc erit oleum unctionis ſacræ mihi per generationes veſtras*, nihil eſt, cum de ſpecie æque ac de individuo iſtiuſmodi locutio intelligi poſſit: Nec magis ad rem facit, quod ipſe objicit, Deum prohibuiſse v. 32. 33. ne iſtiuſmodi oleum omnino conficeretur, alioqui enim dicendum fuiſse, *Ne faciatis vobis*, ut de ſuffitu dictum eſt. v. 37. ſi id duntaxat voluiſset, in privatum uſum non fuiſse conficiendum. Nihil enim obſtat, quo minus ita intelligi debeat, etiamſi non ita clare hic ut illic, ſit expreſsum.

(*a*) *Haud tamen ſcio an iſtiuſmodi galbanum quod boni ſit odoris, reperiatur.*

(*b*) *Vide ſupra ad hunc locum.*

pressum. Iterum autem objicit aromatum, ex quibus conficiendum erat unguentum, pondera esse præscripta, quod semel duntaxat confici deberet, cum aromatum ex quibus conficiendus erat suffitus, pondera non sint præscripta, quod aliquando plus, aliquando minus aromatum adhibendum esset. Sed etiamsi forte commoda ratio reddi nequeat, cur non utrobique pariter aromatum pondera præscripta fuerint, non ideo tamen sequitur veram rationem ab Abrabaneele esse redditam. Quod denique addit, propterea non reperiri Sacerdotem sub Templo secundo unctum, quod oleum unctionis à Mose confectum una cum aliis quibusdam rebus absconditum esset, nec aliud ei simile conficere liceret, certe nec de omnibus sacerdotibus, qui sub Templo priore fuerunt, in Scriptura reperitur eos unctos fuisse, sed non ita argumentari oportet, ut quia non narratur, ideo non factum concludatur.

נטף] Dicit esse *muscum*; & improbat sententiam Nahmanidis, qui interpretatur מירא *myrrham*, quod tamen ut receptius est, ita & rectius esse videtur.

34. שחלת] Dicit esse *Masticben*. מסטיך

שחלת] Ait radicem esse aromaticam, levem, ac instar unguis splendescere; in Misna etiam appellari צפורן id est, (*) *unguem*.

וחלבנה] Asserit aroma esse mali odoris, & appellari חלבנה *galbanum*.

בד בבד] Refellit eorum opinionem, qui sensum esse volunt, omnia æquali futura fuisse pondere, quod in Misna dicatur, nonnullorum aromatum plus, aliorum autem minus in conditura ista fuisse. Propterea sequendam ait expositionem Aben Ezræ, unumquodque aromatum seorsim comminuendum, ac postea omnia inter se miscenda fuisse: idque ideo factum dicit, quod ex aromatibus quædam facilius, quædam autem difficilius comminuantur.

35. ממלח *Temperatum*] Ad verbum, *salitum*. Dicit sic exponi posse, ut sensus sit, suffitum istum fore instar tenuis pulveris, quasi esset Sal contusus, ut super prunas dispersus cito in fumum ascenderet.

(*) *Sic Græci vertunt*, ὄνυχα.

CAP. XXXI.

MUNSTERUS.

5. IN omni arte] Capiuntur מלאכת מחשבת fere pro eodem, nempe pro מעשה, *artificio* & *ingenioso* seu *artificioso opere*.

10. *Vestimenta ministerii*] Exponunt Hebræi dictionem שרד pro עבודה, nec invenitur alibi quam in hoc loco. Significanturque per eam ea potissimum vestimenta quibus arca, mensa, candelabrum, & reliqua vasa involvebantur, quando tabernaculum deponebatur.

14. *Eradicabitur*] *Eradicationem* seu *excisionem* vocant Hebræi præmaturam mortem quæ homini accidit inter quinquagesimum & sexagesimum annum: sed non extenditur ad posteritatem, ut *orbatio*. Unde qui testibus convictus est quod violavit sabbatum, interficietur: qui autem convinci non potest, & tamen profanavit sabbatum, is eradicabitur, eo modo sicut jam dictum est.

17. *Atque recreatus est*] Scilicet post laborem: ubi A. E. sic scribit, דברה תורה בלשון בני אדם, *Loquitur lex more filiorum hominum, ut audientes quod scribitur facilius capiant*. Eundem habet sensum quod sequitur, *Scriptas cum digito Dei*] Sic Deus habet oculos, quibus aspicit egenos; habet aures, quibus audit orantes. Unde quidam non damnant Anthropomorphitas, quod dixerint Deum habere manus, pedes, oculos, cor, aures, &c. credentes interim illum esse Deum omnipotentem & salvatorem.

FAGIUS.

2. VOcavi ex nomine] Hebraismus est, pro, Præ aliis delegi, ita ut non habeat similem ad faciendum tabernaculum.

3. *In sapientia, in prudentia*] R. S. inter Sapientiam, Prudentiam & Scientiam ita distinguit; Ut Sapientia sit, quæ quis ab aliis audit & discit; Prudentia, cum quis ex suo pectore aliquid prudenter excogitat; Scientia vero, quæ afflatu Spiritus sancti addiscuntur.

5. *Ad includendum*] i. replendas palas lapillis pretiosis.

8. *Candelabrum purum*] Sed cur hoc potius quam reliqua vasa tabernaculi *purum* vocatur; Respondit author Hebræus Hazkuni, Candelabrum & Mensam præ aliis vasis tabernaculi munda vocari eò quod nihil sanguinis in illis fundebatur.

10. *Vestes ministerii*] *Vestimenta ministerii* hoc loco vocat ea vestimenta quibus arca, mensa, candelabrum & reliqua vasa involvebantur quando tabernaculum deponebatur.

13. *Verumtamen dies sabbatorum meorum, &c.*] Eclipsis est, q.d. Faciant quidem omnia illa quæ jussi: tamen nolo ea fieri diebus festis. Itaque *sabbata mea*, i. mihi dicata, *servate*, *agnoscendo me Dominum esse qui sanctificaverim vos*. ❡ *In generationibus vestris*] i. Per ætates vestras, quamdiu vixeritis.

15. *Sabbatum quietis est, &c.*] Repetitio vocis, שבת שבתון, vel שבת שבתא, ut Chaldæus habet, emphasim habet. Innuit enim die septimo maxime sabbatum esse, & plane nihil operis in eo faciendum. q. d. In die septimo omnino vobis cessandum est; est enim is Domino Deo sacer sive consecratus. Quidam Hebræorum inter שבת, *Scabbath* & שבתון *Schabbaton* ita distinguunt, ut שבת significet *quietem* sive *cessationem*, quæ incipit à vespera unius diei & desinit in vesperam sequentis diei; שבתון vero esse nomen diminutivum, q. d. *Sabbatulum*, & per ipsum significari illud modicum temporis quod Judæi de suo ad Sabbatum adjiciunt, h. e. ut ipsi loquuntur מחול אל הקדש, i. *à profano ad sacrum*. Quod ita intelligas; Judæi, quia nesciunt, ut ipsi dicunt, momentum illud quo Sabbatum incipit, jam quo illi satisfaciant, horam unam citius illud auspicantur, & horam unam tardius desinunt; & hoc tempusculum vocant תוספת מחול על הקדש, *additionem de profano ad sacrum*: Et hoc ipsum additamentum significari ajunt per vocem שבתון *Sabbaton*, quæ formam habet nominis diminutivi, quæ apud Hebræos constituitur per adjectionem syllabæ *on* in fine dictionum, ut איש *Isch vir*, אישון *Ischon virunculus*, ita & שבת *Sabbatum*, שבתון *Sabbatulum*. Hæc quidem dicunt & scribunt authores Hebræi, sed quam firma sint judicium esto penes lectorem. Mihi prima ratio magis probatur. Est enim frequens in Hebraismo, ut quæ maxime & studiose fieri volumus per hujusmodi vocum repetitionem efferantur.

18. *Duas tabulas testimonii*] i. Duas tabulas in quibus decem præcepta erant scripta, quibus testabatur Israelitis suam voluntatem, quicquid eos in posterum facere vellet.

VATABLUS.

2. VIde, ראה] q.d. Scito. ❡ *Ex nomine*, בשם] *De nomine*, i. nominatim, q.d. Præ omnibus, inter alios delegi illum. Vide Esa 43. 1. & 45. 1.

3. *Dei*, אלהים] Antecedens pro relativo, *meo*. Mox declarat quid vocet *Spiritum Dei*, nempe *sapientiam*, &c. ❡ *Arte*, מלאכה] Ad verb. *opere*, i. arte ad facienda quæcunque opera.

4. *Ad excogitandum, &c.* לחשב מחשבת לעשות בזהב] Ad verb. *Ad excogitandum cogitationes ad operandum in auro.*

5. *Gemmaria ad replendum*, אבן למלאת] Ad verb. *lapidis ad replendum*, vel, *ad replendas*, nempe palas, lapillis pretiosis.

6. *Dedi cum eo*, נתתי אתו] i. Adjunxi illi. ❡ *Sapientis cordis*. חכם לב] *Sapientem corde* vocat ingeniosum & industrium, cujus cor Dominus donavit sapientia ut aliquid ingeniose excogitare possit, & perficere quod excogitaverit.

7. *Et propitiatorium*, ואת הכפרת] Vide cap. 25. 17. ❡ *Et omnia vasa tabernaculi*: ואת כל כלי האהל] *Et omnem suppellectilem ejus.*

8. *Mundum*, הטהרה] Ita dicebatur quod ex auro purissimo esset factum.

10. *Et vestes ministerii*, ואת בגדי השרד] *Et vestimenta ministerii*. Infra 35. 19. vocat *vestes ministerii ad ministrandum in Sanctuario*. Ea vestimenta significat quibus arca, mensa, candelabrum & omnia vasa involvebantur quando tabernaculum deponebatur.

11. *Pro Sanctuario*. לקדש] i. Confectum in usum Sanctuarii. ❡ *Iuxta omnia quæ præcepi*, ככל אשר צויתך] i. prorsus ut præcepi tibi.

13. *Verumtamen*, אך] Est eclipsis, q.d. Facient quidem omnia illa quæ jussi: nolo tamen ea fieri diebus festis. Itaque *sabbatha mea*, i. mihi dicata, *servate*. ❡ *In generationibus vestris*: לדרתיכם] *Per generationes vestras*, i. temporibus vestris. ❡ *Sum Iehovah sanctificans vos*, אני יהוה מקדשכם] Supra 16. 23. & 20. 8. de sabbatho præceperat; hoc autem loco iterum illius meminit ut authoritatem ejus confirmet, & ut exponat sabbathum eadem sacramenti ratione institutum esse qua taberna-

bernaculum & totus Divinus cultus qui jam commemoratus est. Eadem ratio quæ hic habetur repetitur & in Ezechiele, 20. 12. *Sabbatha mea* (inquit) *dedi eis ut essent signum inter me & eos, & scirent quod ego Iehovah sanctificans eos.* Nam quemadmodum tabernaculum & cultus ejus Divinus in Israel instituta fuerunt, non ut operibus horum cultuum ira Dei placaretur, & peccata expiarentur, sed ut essent sacramenta quibus certo cognoscerent Deum Israelitis favere, qui his signis Christum velut absentem nondum incarnatum illis adumbrabat, & illos exercebat ad fidem in ipsum Christum Salvatorem & Expiatorem solum, ut ex fide justificati salutem consequerentur; ita institutum est etiam sabbathum, non ut Israelitæ externo otio mererentur favorem Dei & remissionem peccatorum, sed ut esset sacramentum quo agnoscerent Deum velle eos sanctificare per verbum suum, quod sabbatho ut publice, ita maxime omnium tractandum erat. Non enim est sanctificatio nisi à Deo per Filium suum, quem nobis sanctificatorem & justitiam proponit per prædicationem verbi sui. Quare quum Deus Sabbathum, in quo præcipue verbum ejus tractandum est, instituit, perspicue significat se eum solum esse qui per verbum suum credentes sanctificet, & à quo solo per Filium suum omnis sanctificatio petenda sit. Quapropter non abs re otium sabbathi tanta severitate exigit, ut conservet authoritatem ecclesiastici ministerii, ut ostendat quanta sit necessitas audiendi verbi Dei quod sabbatho tractandum est, utque perspicuum faciat quam necessarium sit, ut ab ipso solo per verbum suum sanctificationem & justitiam exspectemus, quam prædicatione Euangelii sui nobis in Christo suo manifestat & donat, quotquot illi fidem habemus, & ab eo toti pendemus, aliunde non exspectantes sanctitatem & justitiam.

14. *Sanctitas*, קדש] Sanctum, sive sacrosanctum. ¶ *Quisquis profanaverit illud*, מחלליה] Ad verb. *profanatores illius.*

15. *Sabbathum cessationis*, שבת שבתון] Ad verb. *sabbathum sabbathi*, vel *quies quietis.* Frequens est Hebræis ut quæ maxime & studiose fieri volunt, per hujusmodi vocum repetitionem efferant: acsi dicat Dominus, At in die septimo omnino vobis cessandum est: dies enim is mihi sacer est & consecratus. ¶ *Quicunque fecerit* כל העשה] Ad verb. *omnis faciens.*

16. *Observando ipsum*, לעשות את השבת] Ad verb. *ut faciant sabbathum.*

17. *Et requievit*, וינפש] *Et recreatus est*, vel *quievit animo.* Hic & alibi Scriptura humano more de Deo loquitur acsi homo esset, qui post laborem recrearetur.

CLARIUS.

6. IN *corde cujuslibet ingeniosi*] Certis ut & qui ingenio præditi sunt, referre accepta debent, siqua pulchrè excogitaverunt, non suo ingenio, sed Deo?

10. *Vestes ministerii*] Significantur ea potissimum vestimenta quibus arca, mensa, candelabrum & reliqua vasa involvebantur quando tabernaculum deponebatur.

14. *Peribit anima illius*] Vel eradicabitur. *Eradicationem* vocant Hebræi præmaturam mortem quæ homini accidit inter quinquagesimum & sexagesimum annum: sed non extenditur ad posteritatem, ut orbatio. Unde qui testibus convictus est violasse sabbatum, interficietur; qui autem convinci non potest, & tamen profanavit sabbatum, is eradicabitur quo dictum est modo.

17. *Et requievit*] More hominum Scriptura loquitur; sicut & illud quod sequitur, *Scriptos digito Dei.*

DRUSIUS.

13. SAbbatha mea custodietis] h. e. Interprete Hieronymo, *sabbathum meum.* Nam τὰ σάββατα dicunt de uno sabbatho, unde τῇ σαββάτων, i. *sabbatho*, Matth. 12. 1. Chaldæi eo sensu dicunt שבתא, à singulari שבת *sabbathum*, quod ita dicitur pro שבת, unde pluralis שבתות *sabbatha.* Eo usus fuit hoc loco Moses. Sunt qui plura sabbatha hic significari autumant. Nam erat *sabbathum annorum*, quod custodiri etiam voluit. Septimo enim quoque anno quiescebat terra, nec arabatur nec serebatur. Hoc notum doctis. Ego non recedo à priori sententia, quam firmat Iosephus Orig. Iudaic. l. 1. c. 2. ὅθεν κἀ ἡμεῖς σχολὴν πόνων κατ' ἐκείνην ἄγομεν τὴν ἡμέραν, προσαγορεύοντες αὐτὴν σάββατα. Ut τὰ σάββατα dicebant cum septimum diem significarent; sic τὰ ἅγια, cum Sanctum aut Templum innuerent. Similiter τὰς δεξιάς, cum una tantum sit dextera: unde *Sede à dexteris meis*; quod idem cum illo, *ad dexteram meam.* Sic Exod. 31. 14. *exscindetur anima illa è medio populorum suorum*; & alibi, *collectus fuit ad populos suos.* Quis neget idem valere ejusque synonymum esse, *è medio populi sui*, *ad populum suum*? Nam sic etiam loquuntur. Forte populos dicit tribus, quæ & *gentes*, i. גוים. & *nationes* vocantur, i. לאמים. Qua de re alias, si Deus voluerit. Alia ratio cum legimus Exod. 32. 1, & 4. *Fac nobis Deos qui præcedant nos*: &, *Hi sunt dii tui, o Israel, qui ascendere fecerunt te è terra Ægypti.* Nam verti potest, *Fac nobis Deum qui præcedat nos*: &, *Hic est Deus tuus qui ascendere fecit te*, &c. Nomen enim *Elohim* communis numeri est, ut diximus; & de uno vitulo loquitur, non de multis.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et locutus est DOMINUS ad Mosen, dicendo.*

2. *Vide, vocavi nominatim Beseleel filium Uri filii Hur tribus Juda.*

3. *Et implevi eum spiritu Dei, sapientia & prudentia & scientia & omni opificio.*

4. *Ad cogitandum cogitationes, ad faciendum in auro & in argento & in ære.*

5. *Et in artificio gemmario ad inferendum, & in artificio lignario ad faciendum in omni opificio.*

Vide] ἰδὲ, *ecce.* Sic explicant LXX. & Hiero. & bene ita explicant. Nam ראה hic valet הנה. Sic in lingua Chaldæorum חזי & הא. ¶ *Vocavi*] delegi eum ad hoc. Nam qui aliquem deligit ad aliquod negotium, vocat eum ad se. ¶ *Nominatim*] בשם in nomine i. nominatim. Hiero. *ex nomine.* LXX. ἐξ ὀνόματος. Ion. & Ierosol. *in nomine bono.* Alibi est, *R. Jannai in nomine R. Meir*: quod rectius vertas, *de nomine*, aut *nomine.* Hæc posterior interpretatio Fagii Serarium in errorem induxit. Nam interpretatus est, *nomine alio.* Qua de re in Sectis meis. Vide si habes. *Vocavi* autem è Chaldæis alius reddit רביתי, alius videl. Ion. רביתי. Ierosol. vero utrumque simul posuit. אנא hoc sign. rarum est, sed tamen reperitur alibi. ¶ *Beseleel*] cur hunc præ ceteris? An quia arte sua ceteros antecellebat verum videtur. Nam quod Saadias adfert, merum nugamentum est. Non enim Beseleel ædem extruxit, sed tabernaculum. Vide Abenez. ¶ *Tribu Juda*] ex tribu Juda. ¶ *Filii Hur*] υἱὲ ὢρ, quod olim legerunt ὢρ Hor: nunc leniter scribunt ὢρ Or. Sic Biblia quæ vidi. Sulpicius tamen, qui Græcos sequi amat, legit *Ur*, quod corruptum ibi in *Ur.* Verba sunt histo. lib. 1. *Aaaron & Ur speculator.* Nos correximus, *& Ur speculator.* Hic Mariam sororem Mosis in matrimonio habuit. ¶ *Implevi eum spiritu Dei*] πνεύμα θεῖον habent Græci i. spiritu divino, eodem recidit. Jon. & On. *Implevi cum eo*, si modo ואשלים significat implere, de quo dubito. In On. *spiritu prophetico a coram DOMINO.* Non placet. Nam quid spiritus ille ad hanc artem? Melius Jon. *Spiritu Sancto à coram DOMINO.* Nam ita vocant dona spiritus, quæ Græci vocant χαρίσματα τοῦ πνεύματος. Omne autem donum à Deo est & ab ejus spiritu. Excidit supra quod nunc notabo ex Hiscuni, *Hur erat* בן *i. avus Beseleelis: ejus meminit h. l. quia occisus fuit propter cultum vituli. Tabernaculum enim extructum fuit ad expiandum illam iniquitatem.* ¶ *Sapientia, prudentia & scientia*] Ebraice, *in sapientia & in prudentia & in scientia.* Id quidam exposuerunt, *quod ad sapientiam &c.* Meo judicio, *Spiritus Dei cum* vel *in sapientia*, idem cum illo, *Spiritum sapientiæ.* Sic, *Spiritus prudentiæ & scientiæ.* Quæ vocabula R. Salo. ita distinguit, ut sapientia sit id quod homo audit ab aliis ac discit: prudentia quod per se intelligit & ex ingenio suo ex iis quæ didicit: *Scientia vero*, inquit, *est spiritus sanctus.* Sic ille. R. Abraham aliter & subtilius Sapientiam ait esse *figuras sive formas coacervatas in occiput sive in ultima parte cerebri: Prudentiam vero, quæ & intelligentia dicitur* i. בינה, *formam quæ inter formam scientiæ & formam sapientiæ e regione foraminis medii in cerebro vel medulla capitis. Nam sapientia*, inquit, *est è regione foraminis ultimi, & scientia, quæ juncta est foraminibus cerebri, prope frontem &c.* Idem firmat sententiam meam de spiritu Dei, quem ait esse spiritum sapientiæ & intelligentiæ. Id probat exemplo Josuæ ducis, qui dicitur fuisse *plenum spiritu sapientiæ*, & alibi legimus, *Quievit super eum spiritus DOMINI*: unde colligit spiritum DOMINI nihil aliud esse quam spiritum sapientiæ & intelligentiæ. Ceterum sapientia in lingua Ismaelitica vocatur חכמה vocabulo Ebraico, & prudentia אלפהם & scientia אלעקל. Ismaeliticam intelligo quam alii *Arabicam* appellant. ¶ *Et in omni opificio*] opificium dicit artem opifici. Id alii *opus* interpretati sunt, ut LXX. ἐν παντὶ ἔργῳ. Sed opus מעשה dicitur, מלאכה autem est opificium vel τέχνη, ut Ion. 1. מה מלאכתך quodnam est opificium tuum? quam

quam artem exerces? Superabat ergo Beseleel reliquos omnes homines sui temporis. Nam inter sapientes corde sunt qui vix unum opificium probe norunt: iste in omnibus exercitatus erat. *Noverat enim*, teste Abenez. *artem numerandi & mensurandi, & proportiones & astrologiam & physicam & arcanum animæ.* Hæc Abenez. quem vide, si placet. ¶ *Ad cogitandum cogitationes*] R. Salo. *ad excogitandam texturam operis industrii & ingeniosi, quod* חשב *vocant.* Alius, *ad excogitandum cogitationes i. res industrie inventas.* Onk. *ad docendum artifices opus facere in auro &c.* Jon. *Ad excogitandum in suis cogitationibus quomodo sit operandum in auro &c.* Hiero. *ad excogitandum quicquid fabrefieri potest.* Abenez. *in omni opere ad excogitandum cogitationes.* ¶ *Ad faciendum*] ad faciendum opus sive ad operandum. Facio & operor se invicem explicant. Facio i. עשה, quod Græci ποιεῖν dicunt, unde in Euangelio, *Fecerunt unam horam.* Operor i. פעל, quod Græcis est ἐργάζω opus facio. Sed pro עשה sumitur in illo Davidis, *Justus quid fecit?* ¶ *In artificio gemmario*] בחרשת אבן. in artificio lapidis i. gemmæ. Nam lapis hic valet *lapis pretiosus*, sive ut Onk. vertit, אבן טבא lapis bonus. Sic Exod. 28. 11. חרש אבן gemmarius. Hujus ars חרשת dicitur quod nunc *artificium* vertimus. Non tamen improbo, *in arte gemmaria.* Nam lapidaria ars eo minus se probat mihi, quod sequatur *ad inserendum.* Nam gemmæ palis inserebantur non lapides alii. Jon. *in sculptura margaritarum* i. lapidum pretiosorum. Amat enim interpres ille gemmas *margaritas* vocare. R. Salo. חרשת *habet significationem* אומנות *artificii, ut cum dicimus* חרש חכם *artifex sapiens i. peritus.* On. *variat nonnihil. Nam gemmarium vocat* אומן *& materiarium sive lignarium appellat* נגר. Hactenus R. Salo. ¶ *Ad inserendum*] Verb. è ver. *ad implendum:* Unde *lapides impletionum*, qui palis inserebantur, quas מלואים appellant: cujus singularis מלואה. Id explicant מושב האבן sedes gemmæ. On. & Jon. לאשלמא, quod similiter verti potest, *ad implendum.* Quanquam in Fagio, *ad includendum*, quod exponit *ad replendas palas lapillis pretiosis.* ¶ *Lignario*] vel, *materiario.* Lignum On. אעא vocat & Jon. קיסא, unde קיסי יבשי ligna arida. חרש עץ artifex aut faber materiarius. ¶ *Ad faciendum*] ad operandum.

6. *Et ego ecce dedi ei socium Oholiab filium Achisamach tribus Dan, & in corde omnis sapientis posui sapientiam ut faciant omne quod præcepi tibi.*

Dedi ei socium] ita Hiero. In Ebræo est ad verb. *dedi cum eo*, quod quidam reddunt, *addidi ei:* alii, *dedi similem ei, in opificiis, non in arte opificis fabrilis.* Sic Abenez. Lxx. ἔδωκα αὐτῷ καὶ τὸν Ἐλιάβ. interpretatur ואת: deinde subaudit copulantem, quæ nulla in Ebræo. Jon. *ego constitui cum eo Oboliabum* &c. ¶ *Oholiab*] male scribunt *Ooliab* sine aspiratione, & pejus *Aholiab.* Nam est camets breve in prima. Sic *Oholibama*, non *Aholibama.* In talibus Santes erravit fere semper. Nam ignoravit discrimen quod inter camets longum & breve. Santem secuti sunt reliqui Grammatici. Nos errorem olim deteximus. In edit. Rom. Ἐλιάβ. putarim emendandum Ὀλιάβ, ut sit contractio nominis *Oliab* pro *Oholiab.* Quod novum non est in antiquitate. ¶ *Achisamach*] Ἀχισαμὰχ, quod olim ita recte legerunt Lxx. Nam & critici Ebræorum ita legunt, Hiero. nisi mendosi codices, legit, *Achisamech.* ¶ *Tribus Dan*] ex tribu Dan. ¶ *In corde*] nam sapientiam in corde collocant Ebræi, non in cerebro, ut Plato & alii. Hinc *sapientes corde.* Sed & *cor* pro *sapientia* ponitur; unde corde carere dicitur qui desipit. ¶ *Omnis*] cujuslibet, cujusque. ¶ *Sapientis*] periti artificis. Antiqui sapientes vocabant etiam ipsos artifices, unde σοφὸς ἀρχιτέκτων apud Homerum. Tales nunc *peritos* vocamus. ¶ *Posui*] dedi. q. d. indidi eis. ¶ *Sapientiam*] peritiam artis quam profitentur. Ut sapiens, peritus dicitur: ita sapientia est cujusque rei peritia, quod videlicet quis ab alio didicit. Unde & pro *arte* ponitur, ut cum dicimus חכמת מספר ars numerandi, arithmetica. Jon. *spiritus sapientiæ.* ¶ *Ut faciant*] Ebræus dicit, *& facient.*

7. *Tentorium conventus, & arcam testimonii, & operculum quod super eam, & omnia vasa tentorii.*

8. *Et mensam & vasa ejus & candelabrum purum & omnia vasa ejus, & altare suffitus.*

9. *Et altare holocausti, & omnia vasa ejus, & labrum & basin ejus.*

10. *Et vestes ministerii, & vestes sacras Aharonis sacerdotis, & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio.*

11. *Et oleum unctionis, & suffitum aromatum in sanctuario, juxta omnia quæ præcepi tibi facient.*

Tentorium conventus] meminit primo loco tentorii, quia reliqua omnia eo continebantur. Id Hiero. vocat *tabernaculum fœderis.* Et Lxx. τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου, tabernaculum testimonii. ¶ *Et arcam testimonii*] Sic Hiero. & Jon. In Ebræo est, *ad testimonium.* Id explicant, *ad usum tabularum testimonii.* Nam hæ tabulæ in arca recondebantur. Unde Trem. *pro testimonio.* Nam continebant testimonium i. tabulas testimonii. Vide supra 25. 16. ¶ *Operculum*] propitiatorium, τὸ ἱλαστήριον. ¶ *Vasa tentorii*] instrumenta tentorii, qualia erant, velum quod פרכת dicitur & aliud velum, quod מסך vocant & asseres & vectes. ¶ *Et mensam*] qua nihil majus in tentorio, cujus instrumenta plurima erant: ideo sequitur, *& vasa ejus.* ¶ *Candelabrum purum*] ex auro puro. ¶ *Suffitus*] *aromatum.* On. & Jon. ¶ *Et vestes ministerii*] את בגדי השרד. Lxx. καὶ τὰς στολὰς τὰς λειτουργικάς: & vestes ministratorias. On. & Jon. *& vestes ministerii.* Abenezra, *Vestes profectionis, quibus tegebant arcam & mensam & altare & candelabrum: & ecce dictio* שרד *sumpta est a nomine* שריד *quod significat residuum.* R. Salomo, *Sunt qui dicunt habere significationem cultus & ministerii, juxta Thargum ejus, nec habet simile in Scriptura: & ego dico Nomen Aramæum esse quoniam cum interpretantur* מכבר *aut* קלעים *quia erant acu texta plena foraminibus, vernacule* לצי״ר ברן. Idem paulo ante, *Vestes ministerii sunt vestes hyacinthi & purpuræ & cocci diphabi, quæ memorantur in sectione* מסעות *i. profectionum.* Vide sequentia. Hiscuni, *In* שרד *significatio residui. Quod reliquum erat ex opere cortinarum tabernaculi & vestium sacerdotalium & ex aulæa & velo faciebant vestes ad tegendam arcam testimonii & mensam & candelabrum & altaria, quemadmodum expositum est in Sectione Numeratorum.* ¶ *Sacerdotis*] pontificis, qui & summus sacerdos. Si ἱερεὺς pro ἀρχιερεύς. ¶ *Ad fungendum sacerdotio*] *ut fungantur officio suo in sacris.* Hiero. *ad ministrandum.* On. Jon. ¶ *In sanctuario*] Sic Hier. qui לקדש interpretatur, ac si esset בקדש in sancto, h. e. in ea parte templi quod Sanctum dicebatur. Alii, *pro sanctuario.* R. Salomo, *in usum suffitus templi, quod vocatur sanctuarium aut sanctum.* Abenez. *ad usum necessarium Sancti*, sive *Sanctuarii.* Sic etiam Hisc. qui ad illud, *& mensam puram*, annotat, *Hoc epitheton non tribuitur ulli instrumento tabernaculi præterquam candelabro & mensæ in sectione Dic. Ratio est quia non ponebatur super his ullus sanguis.* Vide quæ Fagius annotat ad Onkel. paraphrasten.

12. *Dixitque* DOMINUS *Mosi, dicendo.*

13. *Tu vero loquere ad filios Israel dicendo, Utique sabbatha mea custodietis, quia signum est inter me & inter vos: in ætates vestras ut sciatis me* DOMINUM *sanctificare vos.*

14. *Custodietis ergo sabbathum, quia sanctitas est vobis, qui polluerit illud morte afficietur, omnis qui fecerit in eo opus, excindetur anima illa e medio populorum suorum.*

Tu vero loquere ad filios Israel] Nam licet præceptum acceperint de fabricatione tabernaculi, quod opus sacrum videtur, tamen nolo ut propterea violent sabbathum. ¶ *Utique*] vel, *duntaxat:* aut potius, *veruntamen.* Onk. & Jon. ברם verum q. d. Faciant quidem omnia quæ præcepi, verum nolo ea fieri quando sabbathum est. Lxx. ὁρᾶτε & Hiero. *videte* i. ראו. Quid viderunt cum ita verterent? ¶ *Sabbatha mea*] Hiero. *sabbathum meum.* perinde est. Nam sabbatha dicunt pro sabbathum. Sic Matth. 12. 1. & alibi τοῖς σάββασι i. sabbatho. Pluralem numerum retinuerunt h. l. Lxx. τὰ σάββατά μου, ut etiam Chaldæi translatores, *dies sabbathorum meorum* i. שבתי quod est plurale à singulari שבת sabbathum. Id pro שבת usurpant. 1. Macchab. 1. 32. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, in die sabbathorum. Quod pro eo habendum ac si dixisset, in sabbatho aut die sabbathi. Cum autem unicum duntaxat Dei sabbathum sit, quærit sapiens quidam ex sapientibus magnis cur dicat, *sabbatha mea?* Et respondet Abenezra, *quoniam plura sunt sabbatha. Nam est sabbathum dierum & aliud annorum & sabbathum perpetuum post sex mille annos.* Vide ipsum, si placet. ¶ *Mea*] ad cultum meum instituta. R. Abraham ad h. l. *Dies expiationum*, inquit, *vocatur etiam sabbathum, duntaxat Israelis non Dei.* ¶ *Signum est inter me & inter vos*] Idem dicitur de circumcisione. *Nam ut ex circumcisione cognoscimus aliquem Judæum esse, sic etiam ex observatione sabbathi. Ex circumcisione*, inquam, *quæ fit* בפריעה *per dilacerationem. Nam etiam Ismaelitæ circumciduntur, sed alio modo quam Judæi. Non enim præputium eorum ita dilaceratur.* Sic Hagaon Saadias. Rectius, meo judicio, Observatio sabbathorum meorum signum est vos esse meum populum qui eo die quiescitis, quo & ego quievi ab operibus creationis. Unde dicit Abenez. „Qui facit opus in sabbatho negat opera creationis. Ad hæc quia sanctificavi hunc diem, etiam vos debetis „eum sanctificare, cultui meo & rebus divinis applicando consecrandoque. Ita signum est hic dies inter me creatorem & sanctifican-

ficantem, & inter vos qui creati & sanctificati estis à me. Hoc significat cum ait, *ut sciatis quod ego DOMINUS sanctifico vos.* ❡ *Sanctificare*] ἁγιάζων i. sanctos & puros facere. Hisc. *Dicis inter me & inter vos, & non, inter me & inter nationes: quia cum cessabitis in eo sicut ego, agnoscet mundus vos esse populum meum.* Pro *ut sciatis*, legi potest, *ut sciant*, gentes videl. ❡ *Sanctitas est*] i. res sancta. Quod alius dixit, *Sanctum est vobis.* Quale illud, *triste lupus stabulis.* i. res tristis. In Ebræo est *sanctitas ipsa: ipsa*, inquam, *non ipsum*, & ipsa observatio sabbathi, non ipsum sabbathum. Aut שבתון est nomen fœmininum, & contractum ex שבתה formæ קטלה, elisa tertia thematis. Sed masculine construitur aliquando. Hoc verum est, ac tum habetur ratio sensus. Nam יום. i. dies subintelligitur. Aut communis est generis, hoc est modo masculini modo fœminini. ❡ *Pollueris*] palam ac publice. ❡ *Morte afficietur*] si testibus convictus fuerit. Quod R. Sal. dicit, *Si adfuerint testes & probatio.* Lyra, *Si fuerint testes eum convincentes.* In vulgata nostra, *morte morietur.* Lxx. θανάτῳ θανατωθήσεται, morte mulctabitur, aut morti adjudicabitur. Ambo Chaldæi, *occidendo occidetur.* Morietur i. יומת. Hic est יומת in fonte passivum ab המית θανατόω, mortem infero, morte afficio, capitis damno, morti addico, neci do. ❡ *Omnis qui fecerit in eo opus*] clam de quo non potest convinci testibus, aut, ut R. Sal. habet בלא התראה absque probatione. ❡ *Excindetur*] morte aut pœna cœlitus immissa. ❡ *Anima illa*] *homo ille.* Onk. & Jon. ❡ *Populorum*] vel populi, vel popularium. Ut sabbatha dicimus & sabbatum promiscue, sic populus & populi. Quocirca in plerisque versionibus est, *e medio populi sui.* Jon. *e populo suo.* Lxx. ἐκ μέσου τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.

15. *Sex diebus facies opus, & in die septimo sabbathum erit cessationis, sanctitas DOMINO: omnis qui fecerit opus in die sabbathi morte afficietur.*

16. *Et custodiant filii Israel Sabbathum, faciendo sabbathum in ætates suas fœdere seculi.*

17. *Inter me & filios Israel signum erit in seculum, quia sex diebus fecit Deus cælum & terram, & die septimo cessavit & respiravit.*

Sabbathum cessationis] in quo cessabitur ab omni opere servili aut mechanico. Nam excluduntur opera pietatis, ut quæ in templo fiunt, & misericordiæ: & alia quædam. Posses vertere, *sabbathum sabbathi*, aut sabbathum requietis. Nam שבתון Exod. 16. 23. interprete Hieron. *requies.* Græci vero ibi habent σάββατα, & ambo Paraphrastæ, *sabbathum.* Notabis autem שַׁבַּת h. l. habere patach in ultima: ideo verti *sabbathum cessationis*, & non, ut alii, *sabbathum, requies.* R. Salom. explicat, *quies quietissima*, non quies exigua vel modica. Lxx. σάββατα ἀνάπαυσις. Gerundensis & alii quidam arbitrantur Nun in hoc nomine diminuere ut שבתון sit sabbathulum, sive parvum sabbathum, quod videl. ex profano sacro additur. Nam quia præcise nesciunt quando sabbathum incipiat & quando desinat, ideo duas horas ei adjiciunt, unam videl. in principio sabbathi & alteram in fine. Id modicum temporis שבתון vocari ajunt: quam vere ipsi viderint. Vocant etiam additamentum ex profano ad sacrum. Autor ejus libri qui Pesictha vocatur scribit *quædam festa dici* שבת, *alia* שבתון *& alia* שבת שבתון *i. sabbathum cessationis aut requietis.* Qua de re alias. Nunc non vacat locum inspicere. ❡ *Qui fecerit opus*] plenum est *ullum opus*: quod debet fieri בפרהסיא ἐν παρρησίᾳ i. palam, φανερῶς. Ita sumitur hæc vox in Epist. ad Coloss. cap. 2. vers. 15. sed & Marc. 8. 32. ❡ *Faciendo sabbathum*] i. parando necessaria ad sabbathum. Sic alibi, *festinavit facere illum.* i. parare, coquere. ❡ *Fœdere seculi*] i. sempiterno aut perpetuo. Etiam circumcisio fœdus vocatur. ❡ *Inter me*] *inter sermonem meum.* Onkel. & Jon. ❡ *Et filios Israel*] non gentes aut nationes. Quando autem cessabitis sicut ego, tum gentes cognoscent vos esse populum meum. ❡ *Cessavit*] ab omni opere creationis. ❡ *Et respiravit*] recreavit sive refecit se ut solent qui opus aliquod molestum absolverunt. Quod humanitus dictum. Nam Deus non lassatur neque fatigatur ullo opere, neque opera ejus fiunt cum motu, sed verbo ejus. Si corpora honoratiora, cujusmodi sunt cœlestia, non lassantur perpetuo suo motu, multo minus spiritus corporis expertes, ipseque adeo creator spirituum Deus.

18. *Et dedit Mosi, quum complevisset loqui cum eo in monte Sinai, duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei.*

Dedit Mosi] *accidit hoc in ascensu aurora decimo septimo mensis Thammuz.* Hisc. *Decimo septimo Thammuz fractæ fuerunt tabulæ.* R. Salom. ❡ *Duas tabulas*] Doctores Catholici tradunt in una tabula scripta fuisse tria præcepta & in altera septem: Ebræi vero tenent in utraque quinque fuisse. ❡ *Testimonii*] i. legis. Vocatur autem lex testimonium, quia testatur de Dei voluntate, aut quia per eam violatoribus adempta omnis excusatio. Et quia hæ tabulæ in arca, ideo ipsa arca vocatur arca testimonii. Sed & tabernaculum testimonii dicitur quod in eo arca, in qua lex. Dicuntur etiam tabulæ fœderis. Sed vide Albo. Serm. 3. cap. 21. ❡ *Lapideas*] quæ non putrescunt & ætatem ferunt. Jon. *tabulas lapidis Saphirinon e solio gloriæ: pondus earum quadraginta sata.* ❡ *Digito Dei*] humano more loquitur. Nam qui scribunt digitis id faciunt. Significat has tabulas à Deo profectas, non ab ullo homine. Digitus autem Dei alibi vocatur virtus Dei, & alibi spiritus sanctus. Legimus quoque opera digitorum tuorum, quod idem cum illo manuum tuarum. Ceterum Onkel. putavit esse rem creatam. Vide More part. 1. cap. 66.

A M A M A.

5. EBr. ובחרשת אבן למלאת. Vulg. *Et marmore & gemmis.*

Id est, *in artificio lapidis seu gemmæ*, id est gemmario, *ad (a) implendum.* Nihil in textu est quod *marmor* significet. Siquidem τὸ אבן per *gemmas* expressit. Marmor lapis quidem est, at cur ea species præ cæteris exprimitur? Deinde τὸ לְמַלֹּאת plane elisum est. Quam ejus rei rationem habuerit Interpres, fateor, quæ mea παχύτης est, me ignorare.

17. Ebr. *Et in die septimo cessavit* וינפש *& respiravit.* Vulg. *Et in septimo ab opere cessavit.*

Iterum omissionis peccatum. Nec enim de nihilo addita vox וינפש. Lxx. ἐπαύσατο καὶ κατέπαυσεν, & Onk. ונח שבת.

(a) *Id est inferendum.*

G R O T I V S.

4. ET *ære*] Plus hic est in Græco, quam in Hebræo, vel Latino: καὶ τὴν ὑάκινθον, καὶ τὴν πορφύραν, καὶ τὸ κόκκινον τὸ νηστὸν [*& hyacinthum, & purpuram, & coccinum netum*]: addunt quidam codices, καὶ τὴν βύσσον τὴν κεκλωσμένην [*& byssum glomeratam*]. Confer supra xxv. 4. ubi eadem in Græco verba, nisi quod διπλοῦν [*duplex*] pro νηστὸν [*netum*].

8. *Candelabrum purissimum*] Mundum à sanguine, quod ἐπίθετον [*epithetum*] & ad mensam, & ad vasa utriusque pertinet.

CARTWRIGHTUS.

3. בְּחָכְמָה וּבִתְבוּנָה וּבְדַעַת *Sapientia, & intelligentia, & scientia*] (a) R. Salo. inter hæc ita distinguit, ut חכמה *sapientia* sit מה ששומע מאחרים ולמד *id, quod quis ab aliis audit, ac discit.* תבונה vero *intelligentia* quando quis מבין דבר מלבו מתוך דברים שלמד *rem aliquam ex corde suo* (vel *ex sese*) intelligit, ope *eorum, quæ didicit.* דעת denique *scientia* sit earum rerum, quæ afflatu spiritus Sancti addiscuntur. Sic cum Fagio visum est verba R. Salomonis interpretari, qui concise (ut sæpe solet) loquens tantum habet, דעת רוח הקדש i.e. ad verb. *scientia, spiritus sanctus.* Sed nec nominibus ipsis (quantum video) ista convenit distinctio, nec huic certe loco congruere videtur, cum quicquid vel sapientiæ vel intelligentiæ, vel scientiæ Bezaleel habuerit, ex singulari spiritus sancti afflatu habuisse appareat. Sic enim in initio versus dicitur, *& implebo eum Spiritu Dei*, deinde sequitur *sapientia*, &c. Alii aliter nomina ista distinguunt, sed nullo satis firmo fundamento niti videntur eorum distinctiones, ac propterea malim pro synonymis accipere, ut nimirum per istiusmodi verborum congeriem maxima dotum, quibus à Deo ad opus Tabernaculi instructus fuit Bezaleel, copia significetur.

4. לַחְשֹׁב מַחֲשָׁבֹת *ad excogitandum excogitationes*] LXX. διανοεῖσθαι καὶ ἀρχιτεκτονῆσαι, *excogitare, & architectonari.* Onk. לאלפא אומנין *ad docendum artifices.* Jon. למחשבא בריו היך *ad excogitandum in cogitationibus suis quemadmodum operentur*, &c. Vulg. *ad excogitandum quicquid fabrefieri potest*, &c. Conjunxerunt nempe hæc cum sequentibus; sed ex Hebræo texto res diversas significatas esse apparet, nempe primò excogitare ac deinde quod excogitatum est, exequi, & efficere. Ver-

(a) D. Willettus ad hunc locum R. Salomonis sententiam aliter sed perperam recitat.

Verbum חשב est cogitare, מחשבת *cogitatio*; hic autem est *solerter excogitare*, & מחשבת *solers excogitatio*, seu *res solerter excogitata*. Ita etiam vocabula ista usurpantur Jer. 18. 18. & Dan. 11. 24, 25. In illis autem locis in malam partem accipiuntur, ad insidiosam scilicet machinationem denotandam, quemadmodum Græca vox νοήματα, quæ Hebrææ voci מחשבת respondet, usurpatur 2 Cor. 2. 11.

5. וּבַחֲרֹשֶׁת אֶבֶן לְמַלֹּאת *Et in artificio*, (seu *sculptura*) (*a*) *lapidis ad implendum*, vel *inserendum*] Vulg. *Marmore & gemmis*; quam versionem Amama merito miratur, cum de marmore speciatim nulla fiat mentio in Hebræo textu, nisi forte vocem אבן *lapidis* duabus istis vocibus *marmore & gemmis* exprimere voluit Interpres; ut ut sit, voces ובחרשת *& in artificio*, & למלאת *ad implendum*, prætermisit, Græca Biblia, hic adeo sunt vitiata, ut quod in eis habeatur, referre pigeat.

Et candelabrum purum] sic nimirum appellatur, ut monet R. Sal. quod ex auro puro confectum esset. Ista ratio mihi magis arridet, quam quæ apud Fagium ab Hisfuni redditur, nempe mensam & candelabrum præ aliis Tabernaculi instrumentis pura appellari, quod nihil sanguinis in illis fundebatur. Ego assentior R. Salomoni, qui etiam ad Levit. 24. 6. mensam sic dictam vult, quod auro puro obducta esset; quæ ratio etiam Aben Ezræ est probata.

10. וְאֵת בִּגְדֵי הַשְּׂרָד *Et vestes ministrationis*] Sic Onk. & Jon. לבושי שמושא, quod idem valet. R. Sal. etiam refert nonnullos ita interpretari, ut שרד cultum & ministerium denotet, לשון לעבודת השירות, ipse autem vult esse dictionem Syriacam, לשון ארמי ac in Targum seu Chaldaica Paraphrasi respondere Hebræo קלעים & מכבר. Atque ita quidem in Targum pro cribro (Hebr. מכבר) est סרדא, & pro cortinis (Hebr. קלעים) est סרדין, Literæ autem ש & ס tantundem valent: istiusmodi tamen significationes huic loco non conveniunt, ac propterea eis assentior, qui שרד & שרת promiscue usurpari sentiunt. LXX. καὶ τὰς στολὰς τὰς λειτουργικὰς Ἀαρὼν, &c. *Et stolas ministratorias Aaron*, &c. Vulg. *Vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti*, &c. Vestes hasce cum iis, quæ sequuntur confuderunt ואת בגדי הקדש וגו' *& vestes sanctas Aharon*, *&c.* At hæ ab illis distinctæ esse videntur, ut observat R. Sal. qui etiam probat non intelligi hic vestes sacerdotales, sed eas, quibus vasa Tabernaculi quandoque involvi solebant; Vide Num. 4. 7. & 13. quia nimirum infra cap. 39. dicitur hasce vestes ex hyacintho, purpura & coccino fuisse factas, nulla byssi mentione facta, cum ex vestibus sacerdotalibus nulla ex purpura aut coccino absque bysso fuerit. Aben Ezra etiam vestes hasce à sacerdotalibus distinguit, ac eas intelligit vestes quibus profectionis tempore, arca, mensa, altare, & candelabrum operta erant, uti scriptum habetur Num. 4. Similia etiam habet ad cap. 39. 1. Vide ibid.

13. *Veruntamen Sabbatha mea observabitis*] R. Salomo in hunc modum exponit, quasi Deus Mosi sic diceret, *Etiamsi autem constitui te, ut eis de opere Tabernaculi præcipias, ne tamen leve sit in oculis tuis ob opus istud Sabbathum pellere* (לדחות את השבת) hoc est, Sabbathi observationem omittere, quemadmodum solent dicere, *Circumcisio pellit sabbathum*. Similiter Aben Ezra ait ideo hoc in loco præceptum de observando sabbatho repetitum esse, quod fortasse Israelitæ existimarent opus Tabernaculi etiam in sabbatho fuisse faciendum. Vide infra ad cap. 35. 2.

15. שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן *Sabbathum sabbathi*, sive *quietis*] R. Sal. exponit מנוחת מרגוע ולא מנוחת עראי *requiem determinatam*, *& non requiem fortuito contingentem*. Fagius refert Hebræorum nonnullos inter שבת *Shabbath* & שבתון *Shabbathon* sic distinguere, ut per *Shabbath* intelligatur quies illa, quæ incipit à vespera unius diei, & desinit in vesperam sequentis diei; *Shabbathon* vero esse diminutivum, q. d. *sabbathulum*, ac denotare modicum illud tempus, quod Judæi de suo ad Sabbathum adjiciunt, nempe (ut ipsi loquuntur) מחול אל הקדש *à profano ad sacrum*. Quia enim (ut ajunt) momentum illud nesciunt, quo sabbathum incipit, ac desinit, ideo horam unam ejus initio pariter ac fini addunt, atque additamentum istud voce *Shabbathon* significari putant nonnulli. Sed ista nihil in se solidi habere censeo; id multo firmius videtur (quod & Fagius sibi magis probari dicit) repetitionem vocis (licet non plane ejusdem) emphasin habere, ac innuere die septimo maxime sabbathum esse, & plane nihil operis in eo faciendum. Sic Lud. De Dieu ait phrasi Hebræa sabbathum maximum designari, & ab Hebræis vocari השבת החמורה *sabbathum grave*, præ quo nimirum alia sabbatha leve quid esse videantur.

Qui fecerit opus in sabbatho, *omnino morte plectetur*] Jon. *omnino interficietur projectione lapidum*. R. Sal. ait eum morte plectendum, si testes essent & התראה *præmonitio*. Ad illud autem v. 14. *excindetur anima ista*, &c. dicit בלא התראה *sine præmonitione*, i.e. etiamsi non fuerit præmonitio, unde apparet eum hanc excisionem animæ non pro pœna capitali à magistratu, sed pro pœna cœlitus infligenda accipere; atque istam quidem Talmudicorum esse sententiam ostensum est supra ad cap. 2. 15. annot. 3. Mihi vero hic ipse locus arguere videtur, animæ excisionem, de qua sæpius in lege fit sermo, pœnam mortis ab homine infligendam denotare; cum morte plecti, atque animæ excisionem pati, quasi ἐν παραλλήλῳ posita esse videantur.

16. לַעֲשׂוֹת אֶת־הַשַּׁבָּת *ad observandum sabbathum*] Jonath. למעבד תפנוקי שבתא *ad observandas delitias sabbathi*. Forte respexit ad locum Isai. 58. 13.

17. וַיִּנָּפַשׁ *Et respiravit*] Seu *refocillatus est*. (*c*) Onkel. ונח *& quievit*; atque isti interpretationi calculum suum apponit R. Sal. ונח כתרגומו *quemadmodum interpretatio Chaldaica se habet*, *& quievit*. Aben Ezra ait Scripturam de Deo humanitus loqui, ut facilius id quod dictum est intelligatur (והתורה דברה בלשון בני אדם להבין השומעים) Deum enim non fatiscere neque lassari. Creaturas siquidem ejus, nempe corpora cœlestia continuo motu circumferri; multo magis creaturas spirituales indefatigabiles esse; tantum abesse, ut refocillatione opus habeat is, qui creavit omnia, quique omnia absque motione solo verbo suo effecit.

(*a*) *Onk.* באבן טבא lapidis pretiosi. *Jon.* מרגליתא Margaritæ *seu* gemmæ. (*b*) *Aben Ezra deducit* שרד *à* שריד residuo, *quod mihi parum placet.*

(*c*) *LXX.* καὶ ἐπαύσατο & cessavit. *Vulgatus verbum istud penitus prætermisit.*

I D E M.

13. אַךְ אֶת־שַׁבְּתֹתַי וגו' *Veruntamen sabbata mea*, *&c.*] Id sic explicat; *Etiamsi opus Tabernaculi sit sanctum & honorabile in conspectu meo*, *non ideo tamen pelletis sabbatum*, *sed illud observabitis*. Nec in adversum valere ait, quod objicit Nahmanides, particulam אך semper diminuere id, cum quo conjungitur: neque enim negari posse, voculam istam in Scriptura diminuere, id quod præcessit, atque hunc ejus proprium usum esse, ut Gen. 9. 4. אך בשר וגו' *veruntamen carnem cum sanguine*, *&c.* Et Gen. 34. 22. אך בזאת וגו' *Veruntamen in hoc* (id est, non nisi hac conditione) *consentient nobis viri*. Addit plurale שבתתי hic usurpari, quod Sabbatum non solum memoriale esset creationis hujus mundi, verum etiam symbolum mundi spiritualis, ubi quies & hæreditas vera reperietur, & ab omnibus operibus ac negotiis corporalibus vere cessabitur: quietem autem istam operis perfectionem esse, atque ideo Sabbatum istud à Doctoribus appellari שבת הגדול *Sabbatum magnum*; ac de eo dictum esse, *Qui laborat in vespera Sabbati*, *comedet in Sabbato*: quin & ideo Doctores dicere, *Præceptum de Sabbato esse instar omnium præceptorum*, quia omnia præcepta eo spectant, ut ad futurum illud sabbatum perveniatur.

14. *Omnino morti tradetur.*] Notat à Doctoribus dici, דלא יליף קטלא חייב *Qui non discet*, *occidi debet*. Atque istius dicti pariter ac divinæ hoc in loco sanctionis hanc rationem reddit, כי בלתי לומד תורה לך חיים *Nam absque doctrina quorsum vivit?* Cum igitur sabbatum ideo datum fuerit, ut studio Legis Dei homines incumberent, eum, qui sabbatum profanaret, merito occidendum. Cum enim se jam spiritualiter mortuum ostenderit, vitam corporalem ei inanem fore ac supervacaneam.

Anima ista excindetur] Asserit ubicunque dicatur animam cujusquam è populo suo excindendam, de excisione ac perditione animæ esse intelligendum: (מורה על כרת הנפש מנשמתו) non sic autem, ubi dicitur animam excindendam esse ex Israele. Sed ut hoc aliud ab illo designet, nulla ratione niti videtur.

CAP.

tized by Google

CAP. XXXII.

MUNSTERUS.

1. MOram faceret] בשש proprie significat *confusionem facere.* Confusio autem est in populo, quando destituitur מנהיג, *gubernatore.* Exponit tamen Onkelos אוחר, *moram fecit*, sicut & A.E. התעכב.

2. *Rumpite*] Seu *decerpite.* Nullum non movit lapidem Aharon quo negotium illud differret in adventum Mosis. Jubet primo abrumpere jocalia & ornamenta de capitibus mulierum & puerorum; quod tamen non putabat futurum : deinde sculpit in metallo cum stylo : tertio projicit universam massam in ignem, & egreditur vitulus, non virtute ignis & artis, ut Hebræi dicunt, sed quod in illo populo magna esset colluvies Ægyptiorum; inter quos erant magi, qui sua arte, &, ut ipsi dicunt, בכח כישוף id egerunt ut præter omnium exspectationem egrederetur vitulus. Hebræi patres suos excusantes, omnem fere culpam hujus tantæ prævaricationis rejiciunt in mixturam illam proselytorum qui eos secuti fuerant ex Ægypto. Quod si verum est, cur dicit Dominus, *Populus ille duræ cervicis est; dimitte me, ut consumat eos furor meus?* Sed & quare dicunt Magistri eorum quod in hodiernum usque diem non sit satis expiatum facinus illud? & ut invenio apud Mosen Gerundensem, אין לך ישראל פורענות שאין בה אוקיא מעון העגל, *Non accidit tibi, ô Israel, ultio aliqua in qua non sit vel uncia de iniquitate vituli.* Verum ajunt bonos per malos incitatos, ut non nisi persuasione illorum jugum Domini à se rejecerint; imo totam religionem, Deum & Legem suam negarint, atque omnem pudorem prostituerint. Nam crapulæ studentes, meretricum quoque amplexibus sese addixerunt, ut nihil esset in quo gentibus non conformes, imo pejores essent, qui crapula & lusu mulierum deos suos venerabantur.

18. *Quæ resonet fortitudinem*] Hebr. *quæ respondeat fortitudinem.* In bello audiuntur duæ diversæ voces: una est מענותם *eorum qui victi sunt*; & hæc vox est calamitosa & tristitiæ plena: alia est ענותם *eorum qui victoriam adepti sunt*; & illi jubilant pro sua fortitudine. In castris autem Israel audiebatur vox gaudentium, ludentium atque cantantium. Unde Onk. exponit verbum ענות pro *ridere*, K. vero, pro *elevare vocem in cantico.* Invenitur autem & in aliis locis pro *cantare*, sed in conjugatione dagessata. Cæterum movent hic Hebræi quæstionem, Cur Moses fregerit tabulas digito Dei scriptas? Et respondent quidam, Quod amiserint literas suas postquam Moses eas portaverat ad locum immundum. Alii dicunt, Quod Moses videns vitulum, adeo perturbatus fuerit ut nihil virium in eo remanserint, etiam portandi tabulas. Tertii dicunt, Quod volens fregerit eas, quo cor Israelitarum commoveret. Videntes enim legem Dei è cœlo allatam, & in lapide sapphirino digito Dei scriptam, propter sua autem peccata tabulas illas cœlestes confractas, merito confundi & commoveri poterant.

25. *In ignominiam*] Est שמץ idem quod קלס; *infamia, vituperium.* Erat enim dedecus & magna confusio Israelitis coram hostibus eorum, ut deserto Deo cœli, qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorum, & pro utilitate eorum, jam eligerent alium Deum cum magno dispendio auri & argenti sui. Denudavit igitur Aharon populum illum, primo quod innotescere fecit toti mundo qualem habuerunt animum, & deinde denudavit eum jocalibus suis, &c. Et quando paulo post dicitur quod filii Levi magnam fecerint stragem in populo, videtur quod populus jam ex zelo Mosi pœnituerit; alioquin quomodo tam pauci potuissent sexcenta millia (tot enim egressi sunt de Ægypto) humiliare? Ostenditur quoque hic magnus zelus Levitarum, qui etiam propriis filiis & fratribus non pepercerunt ob injuriam Domino factam. Sed quomodo potuerunt filii Levi discernere reos ab innocentibus? Respondet A.E. quod omnes biberunt de aqua in quam cineres vituli combusti missi fuerant; & qui Rei erant; illorum ventres inflati sunt, aut facies eorum immutatæ, ut facile ab innocentibus discerni potuerint.

32 *De Libro tuo*] De libro scilicet vitæ : vel, ut Sepharadi exponit, *De libro legis dele nomen meum, ne memoria nominis mei habeatur in eo.*

FAGIUS.

1. QUod moram faceret] In textu Hebraico ad literam est, כי בשש משה, *Quod confusionem faceret Moses.* Confusio enim est populo quando destituitur מנהיג *gubernatore.* Sed

noster Paraphrastes sensum expressit, quem secutus est & Lat. Vulg. interpres.

2. *Rumpite inaures aureas*, &c.] Hebræorum quidam multum hic se torquent & sudant, ut excusent peccatum populi Israelitici de facto vitulo aureo, etiam ipsum Aharonem; Quem ita excusant : Quod restiterit primum petitioni populi, & nullum non lapidem moverit quo differret negotium in adventum Mosis, ideoque jusserit ut populus rumperet inaures aureas de auribus suis, sperans fore ut populus illud non facile faceret, atque ita negotium impediretur. Eadem de causa quoque dicunt eum vitulum in metallo cum stylo sculpsisse, totamque massam illam auri collectam in ignem projecisse, si fortassis videntes auri sui dispendium, pœnitudine moti, à proposito desisterent. His quoque addunt, vitulum non virtute ignis aut arte Aharonis provenisse, sed magorum arte, quorum in populo Israelitico multi erant, qui eos ex Ægypto comitati fuerant, effectum fuisse ut ex massa illa auri in ignem projecta vitulus aureus præter omnem exspectationem Aharonis prodierit. Quod maxime colligunt ex ipsis verbis Aharonis dicentis infra ad Mosen, *Et dixi ad eos, Qui habent aurum rumpant a se, & dent mihi : & projeci illud in ignem; & egressus est vitulus iste.* Populum quoque ita defendunt, ut omnem culpam rejiciant in illam colluviem Ægyptiorum & mixturam proselytorum qui eos secuti fuerant ex Ægypto : Quibus & omnia reliqua peccata quæ populus in deserto commisisse dicitur adscribunt. Verum cum Scriptura severissime hoc factum reprehendat tam in Aharone quam in populo, non video quomodo illi justam aliquam excusationem huic peccato prætexere possint. Ad Mosen dicit Dominus, *Vade, descende : quoniam corruptus est populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti. Declinaverunt cito de via quam præcepi eis: fecerunt enim sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt ipsum,* &c. Item, *Vidi populum istum, & ecce populus duræ cervicis est. Et nunc dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos,* &c. Ad Aharonem dicit Moses, *Quid fecit tibi hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* Et Deut. 9. 20. dicit, *Adversum Aharon quoque indignatus est Dominus valde, volens delere eum; & oravi etiam pro Aharone in tempore illo. Peccatum autem vestrum quod perpetrastis*, &c. Ex his locis manifestissime liquet gravissime cum Aharonem tum populum deliquisse in conficiendo vitulo aureo, ut nihil sit id quo quidam illos excusare conantur. Sunt tamen etiam inter Hebræos qui hoc peccatum populi Israelitici maxime fuisse agnoscunt, & tam grande peccatum ut in hodiernum usque diem nondum sit satis expiatum. Unde Moses Gerundensis scribit, אין לך ישראל פורענות שאין בה אוקיא מעון העגל, *Non accidit tibi, ô Israel, ultio aliqua in qua non sit vel uncia de iniquitate vituli.* Porro inaures aureæ pro more ejus gentis ab auribus matronarum & ingenuorum liberorum suspendebantur. De his Plinius ita scribit l. 11. cap. 37. *Nec in alia parte feminis majus impendium, margaritis dependentibus. In Oriente quidem & viris aurum gestare eo loci decus existimatur.*

4. *Et formavit ipsum cum stylo*] Hæc bifariam interpretantur. Quidam enim sic intelligunt, ut *stylus* ille fuerit formula & typus in quem projecerit Aharon aurum, quod fusum expresserit vituli similitudinem : sequitur enim, *fecit ex eo vitulum conflatilem.* Alii vero per *stylum* scalpellum intelligunt, h.e. instrumentum Artificum deaurantium, quo deaurant & exsculpunt, sicut qui scribunt literas in tabulis. Atque ita dicunt vitulus effectus est, non quod in fornacem sit conjectus, & imago in igne coaluerit, ut quidam existimant, sed conflarunt totum aurum in fornace per ignem in unam massam, & eam rudem materiam scalpello postea formarunt, expresseruntque vituli imaginem. Quod fit ab his qui sigilla & aurea vasa exsculpunt. Et hanc sententiam sequitur R. S. confirmatque eam ex Chaldæo.

6. *Et surrexerunt ad ludendum*] Quia verbum Hebraicum צחק, *Zachak*, quod Interpretes communiter per *ludere* vertunt, in Scripturis usurpatur alicubi ubi vel de idololatria vel de scortatione vel de homicidiis agitur, ideo quidam Hebræorum omnia hæc tria hic significari putant, quod scilicet idololatriam exercuerint cum vitulo, quod scortati fuerint, quodque etiam sanguinem humanum fuderint : sentiunt enim Hur à populo interfectum fuisse, eo quod illos ab idololatria vituli aurei avocare contenderit : sed Scriptura hoc non meminit. Alii per istum *ludum* intelligunt choros & cantilenas quas in honorem vituli erecti habebant. Quæ sententia hujus loci genuina esse videtur : nam & postea dicitur, *Et audiens Iehosuah vocem jubilantis, dixit*, &c. *Et respondit Moses, Non est vox fortium prævalentium in bello*, &c. *vocem ludentium ego audio*, &c.

8. *Isti sunt dii tui*, &c.] Chaldaice ad literam est, *Isti sunt timor tuus.* q.d. Isti sunt quos timere & colere debes. Deum *timorem* vocat Chaldaismus, eo quod solus sit timendus & colendus.

10. *Teque faciam in populum magnum*] Bifariam exponunt: i. Efficiam ut ex te gens oriatur magna: vel, Præficiam te alii genti multo majori.

12. *Maligne eduxit eos*] Ad verb. *In malo eduxit eos.* Quod quidam ita accipiunt, q. d. Moses, *Cur dicant Ægyptii, Malo sidere eduxit eos!* Ægyptii enim omnia tribuunt sideribus. Alii vertunt, *Malitiose*, sive *callide, eduxit eos*: quos & nos secuti sumus.

Tabulæ scriptæ in duabus superficiebus] Duæ hic à quibusdam quæstiones moventur: I. An decem illa præcepta in una tantum parte tabularum, an in utraque exarata fuerint? II. Quot præcepta in unaquaque tabula descripta fuerint? Ad primam quæstionem respondent quidam Hebræorum, Verba in una tantum parte scripta fuisse, at in altera quoque parte legi potuisse, idque miraculo quodam accidisse. Alii sentiunt eadem verba in utraque parte scripta fuisse, ita ut utrinque in tabulis exstiterint præcepta Dei. Verum si verba textus penitius introspiciamus, omnino videtur tabulas Decalogi ex utraque parte exaratas & repletas fuisse scriptura decem præceptorum. Hebraice enim ad verbum legitur; *Et fuerunt tabulæ illæ scriptæ in duabus superficiebus suis; hinc & hinc erant scriptæ.* Idem sensisse videtur & author Lat. Vulg. editionis, quæ habet, *Et reversus est Moses de Monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte*, &c. Jam si rogas quænam & quot præcepta quæque tabula continuerit, variant authorum sententiæ. Hebræorum doctores tenent in unaquaque tabula quinque præcepta fuisse: In prima tabula hæcquinque; *Ego Dominus Deus tuus*, &c. *Non habebis deos alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Honora patrem & matrem tuam. Non occides.* In secunda tabula hæc; *Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum. Non concupisces domum proximi tui. Non concupisces uxorem proximi tui.* His adstipulatur & Fl. Josephus, nam lib. 3. Antiq. Judaic. sic scribit de Mose, *Et cum hoc dixisset, duas tabulas ostendit eis, habentes scripta illa decem verba, in utraque quina.* Verum secundum Augustinum in una tabula tantum tria præcepta fuerunt, quæ *prima tabulæ præcepta* dicuntur, eo quod ordinant hominem ad Deum: In altera autem tabula erant septem alia, quæ ordinantur ad proximum, ideoque dicuntur *præcepta secundæ tabulæ.* Discrepant porro & Hebræi à nostris in divisione præceptorum. Nostri enim ex illis, *Non habebis deos alienos coram me*, &, *Non facies tibi sculptile*, &c. unum faciunt præceptum; Hebræi vero in duo sequestrant. Et quæ de Concupiscentia sonant, *Non concupisces domum proximi tui, Nec desiderabis uxorem ejus*, &c. nostri pro duobus præceptis habent, Hebræi vero pro uno. Josephus quoque in prædicto loco sequitur Hebræorum divisionem. Sic enim distribuit. *Docet itaque nos primus sermo quod Deus est unus, & hic solummodo colendus. Secundus autem jubet nullius animalis factam Imaginem penitus adorandam. Tertius vero, ut per Deum in nulla re aliquis debeat frustra jurare. Quartus, Servandas septimanas, cum ab omni forent opere cessaturi. Quintus vero, Parentes honorandos. Sextus, Abstinendum à cæde. Septimus vero, Non adulterandum. Octavus autem, Furtum non faciendum. Nonus, Falsum testimonium non dicendum. Decimus autem, Nullius alienæ rei habendam esse concupiscentiam.* Hæc ille.

18. *Non est vox fortium prævalentium bello*] Hebr. *Non est vociferatio fortitudinis, neque est clamor vociferationis debilitatis*, h. e. victorum, i. Non est strepitus qualis esse solet vincentium, neque eorum qui vincuntur. In bello audiuntur duæ diversæ voces: una eorum qui victi sunt; & hæc est vox calamitosa & tristitiæ plena: altera est eorum qui victoriam adepti sunt: & illi jubilant pro fortitudine sua. In castris autem Israel audiebatur vox gaudentium, ludentium atque cantantium.

22. *Quod pronus sit ad malum*] Ad verb. *quod sit in malo.* Hebraismus est, pro, *quod omnino malus sit.* Hebraismum hunc habet & Apostolus Johannes in sua canonica priori cap. 5. *Scimus quod ex Deo sumus, & mundus totus in malo constitutus est.* Lxx. Σὺ γὰρ οἶδας τοῦ λαοῦ τούτου τὸ ὅρμημα, *Tu enim nosti hujus populi impetum, voluntatem, aviditatem, studium, propensionem.*

25. *Et videns Moses populum quod inutilis factus esset*] Hebr. *Quod nudatus esset; nudaverat enim eum Aharon ad ignominiam inter hostes eorum.* i. Cum vidisset Moses quod detecta esset malitia populi ipsius ad ignominiam ejus inter adversarios. Erat enim magnum dedecus & magna confusio Israelitis coram hostibus, ut deserto Deo cœli, qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorum & pro utilitate eorum, eligerent alium deum, etiam cum magno dispendio auri & argenti sui. Denudavit ergo Aharon populum illum; primum, quod innotescere fecerit universo mundo qualem haberent animum, cum illis fabricavit vitulum quem adoraverunt; præterea denudavit eum ornamentis suis aureis. R. D. K. in Rad. hunc locum ita exponit, מגלוי מעשיו הרעים, *quod manifestatus esset ex operibus suis malis.*

I D E M.

1. וירא העם כי בשש משה לרדת מן ההר *Et videns populus quod moram faceret Moses descendendi de monte.*] Vox Hebraica בשש proprie *confusionem* significat, q. d. *videns autem populus quod confusionem faceret Moses.* Hæc autem confusio erat, quod populus destitutus erat duce & gubernatore. Tum enim maxime confunditur populus, quando non habet rectorem & gubernatorem. Hebræorum interpretes communiter per *tardare & moram facere* exponunt, quos & nostri secuti sunt interpretes.

4. ויצר אתו בחרט ויעשהו עגל מסכה *Figuravit illud (aurum) stylo, & fecit ex ipso vitulum conflatilem*]. Variatio est in illo, ויצר אתו בחרט *formavit illud*, scil. aurum, *cum stylo*; h. e. conflarunt totum aurum in fornace per ignem in totam massam, & eam rudem materiam scalpello postea formarunt, expresseruntque vituli imaginem, quod fit ab his qui sigilla & aurea vasa exsculpunt. Et R. Salomo scribit חרט *instrumentum esse artificum deaurantium, quo deaurant & exsculpunt, sicut qui scribunt literas in tabulis*, scalpellum scilicet innuendo. Et hunc Sensum expresserunt Lxx. & Paraph. Chaldæus. Vulg. interpres aliud spectavit, qui vertit, *formavit opere fusorio*: quasi scilicet formula quædam seu typus fuerit, in quem projiceret Aaron aurum, quod fusum expresserit vituli similitudinem: cui sententiæ adstipulantur & quidam Hebræorum, qui sentiunt aurum in ignem conjectum, ibi sua sponte mox in imaginem vituli coaluisse: quod factum dicitur magica arte ariolorum Ægyptiacorum qui inter filios Israel erant. Et ad confirmandam istam sententiam citant, quod postea ab Aarone ad Mosen dicitur, *& projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* Unde colligunt quasi è se ipso vitulus iste ex igne prodiret. Potest quoque & locus iste sic intelligi, quasi Aaron vituli imaginem prius stylo depinxerit ac figuraverit, quam formam ubi populo non displicere sensit, postea igne fundendo aurum expressit. Sed prima sententia videtur omnium simplicissima.

6. וישב העם לאכל ושתו ויקמו לצחק *Seditque populus ut manducaret & biberet, & surrexerunt ut luderent.*] Hunc locum adduxi propter verbum Hebraicum לצחק, quod licet Interpretes communiter omnes per *ludere* exponunt, tamen quis fuerit iste ludus variant inter se Hebræi: quidam enim ad idololatriam referunt, alii ad scortationem, alii ad sanguinis effusionem, eo quod illud verbum צחק ad omnia ista alicubi in Scriptura refertur. Sentiunt ergo omnia ista mala simul designasse, vitulum adoravisse, scortatos fuisse & sanguinem fudisse, occidendo scilicet hunc qui eos ab idololatria revocare conatus fuerit. Sic tenet Judæorum opinio, tametsi textus hoc non exprimat. Alii vero referunt ad choreas, cantilenas, & ad alias res ludicras, quas exercuerunt: atque hæc videtur omnino genuina hujus loci esse sententia. Nam & postea dicitur, *& audiens Jehova vocem jubilantis, dixit*, &c. *Et respondit, Non est vox fortium præliantium in bello*, &c. *vocem ludentium ego audio.* Et verbum etiam Chaldaicum חייך *ridere, jocari & ludere* significat.

15. ושני לחות העדות בידו לחות כתובים משני עבריהם מזה ומזה *Erantque duæ tabulæ testimonii in manu ejus, & fuerunt tabulæ illæ scriptæ in duabus superficiebus suis hinc & hinc.*] Quod versionem attinet omnia pulcre correspondent; sed quod sensum attinet dissensio est. Nostri enim commentatores sic intelligunt quasi istæ tabulæ in una tantum parte, h. e. in superficie intrinseca, scriptæ fuerint, & quod altera tabula tria tantum præcepta habuerit, altera vero septem. Verum Hebræi sentiunt, nempe in utraque superficie tabularum scripturam fuisse, & utramque tabulam quina præcepta habuisse. Sed de hac re vide Chaldaica Biblia mea, ubi copiosius hunc locum tractavi. Mihi probatur sententia Hebræorum: videtur enim magis concordare cum Textu.

18. אין קול ענות גבורה ואין קול ענות חלושה קול ענות אנכי שמע *Non est vox quæ resonet fortitudinem, nec est vox quæ resonet debilitatem, sed vocem cantantium ego audio.*] Interpretes sensum potius quam verba ex Hebræo reddere contenti fuerunt. Nam Hebraice ad verbum legitur; *Non est vox respondentium*, sive *clamantium*, aut *vociferantium, fortitudinem; neque vox est clamantium debilitatem; vocem cantantium ego audio*: h. e. ut R. D. Kimhi exponit, Non est clamor eorum

eorum qui vincunt in prælio, neque clamor eorum qui vincuntur; ſed vocem cantantium ego audio. Atque hunc etiam ſenſum expreſſit Paraph. Chaldæus.

25. וירא משה את העם כי פרע הוא כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם *Vidit ergo Moſes populum, quod denudatus eſſet, quodque denudaſſet eum Aaron in ignominiam inter hoſtes eorum,*] Variatio eſt in voce פרע, quæ proprie *denudationem* ſignificat, ſicut & Vulg. interpres tranſtulit: referunt autem *denudationem* ad duo; vel quod denudata & deleta eſſet malitia populi ipſius ad ignominiam ejus apud adverſarios; &c. vel ad denudationem ornamentorum quibus ſeſe ſpoliaverant ut inde conflaretur vitulus. &c. Lxx. ſua verſione ad ſenſum magis quam ad verba reſpexerunt, ὅτι διεσκέδασται *quod diſperſus erat*; h.e. quod ubique diffamatus erat, & male audiret, ludibrioque eſſet hoſtibus ſuis.

V A T A B L U S.

1. TArdaret, בשש] Ad verb. *confuſionem faceret.* Confuſio enim eſt populo quando deſtituitur gubernatore. Chald. paraph. ſenſum expreſſit, quum vertit, *quod moram faceret Moſes.* Sic & doctus inter Hebræos exponit hanc dictionem.

2. *Separate*, פרקו] *Seponite.*

3. *Separaverunt ſe igitur*, ויתפרקו] i. Privaverunt ſe inauribus ſuis, vel detraxerunt inaures ab auribus. q. d. ſponte & ultro obtulerunt.

4. *Illud*, ויצר] i. Illas omnes inaures. ¶ *Stylo*, בחרט] *Scalpello.* Conflarunt enim totum aurum in igne in unam maſſam, & eam rudem materiam ſcalpello poſtea formarunt, expreſſeruntque vituli imaginem quod fit ab iis qui ſigilla & aurea vaſa exſculpunt. Ita exponit magni nominis apud Hebræos, cum Chaldæo paraph. & docto inter illos. Alii vertunt, *in formula*, vel *typo*, ſive *modulo*, in quem ſcilicet Aaron projecit aurum, quod fuſum expreſſit vituli ſimilitudinem. Gallice dicimus, *Il le jecta en moſle:* ſequitur enim, *Fecit ex eo vitulum conflatilem.* ¶ *Fuſilem*, מסכה] Ad verb. *fuſionis*, vel, *conflationis*, i. conflatilem.

5. *Coram eo*, לפניו] Sub. *vitulo.*

6. *Poſtea ſurrexerunt*, ויקמו] Ad verbum, *& ſurrexerunt.*

9. *Vidi*, ראיתי] *Contemplatus ſum. Conſideravi.* ¶ *Et ecce*, והנה] *Et certe*, vel, *ſane.*

10. *Dimitte me*, הניחה לי] *Dimitte me in pace.* Gallice dicimus, *Laiſſe moy en paix.* Chald. paraph. *Dimitte deprecationem tuam quam habes coram me.* ¶ *Te autem* &c. ואעשה וגו'] i. efficiam ut ex te gens oriatur magna: vel præficiam te genti multo majori.

12. *Ut quid dicent*, למה יאמרו] q. d. Ne committas ut Ægyptii dicant, &c. ¶ *Malitioſe*, ברעה] Ad verb. *in malo.* Quidam, *callide.* Alii, *infelici ſidere:* quod Ægyptii omnia tribuant ſideribus. ¶ *Utque conſumeret eos*, ולכלותם] *Utque deleret eos.* ¶ *Et pæniteat te*, &c. והנחם על וגו'] Hebraiſmus, Muta ſententiam de malo quod facere propoſuiſti populo tuo. Quædam ſubaudienda eſſe oſtendit v. 14. in quo plena locutio legitur.

15. *Et converſus eſt*, ויפן] i. avertit faciem ſuam à Deo.

17. *In vociferatione ejus*, ברעה] i. vociferantis, vel dum vociferaretur. ¶ *Strepitus pugnæ*, קול מלחמה] Ad verb. *Vox pugnæ*, vel *belli*, i. audio tanquam ſtrepitum pugnæ.

18. *Non eſt clamor*, &c. אין קול ענות וגו'] Hebraiſmus, Non eſt ſtrepitus qualis eſſe ſolet vincentium, neque eorum qui vincuntur. In bello audiuntur duæ diverſæ voces: una eorum qui victi ſunt; & hæc eſt vox calamitoſa & triſtitiæ plena: altera eſt eorum qui victoriam adepti ſunt; & illi jubilant pro fortitudine ſua. In caſtris autem Iſrael audiebatur vox gaudentium, ludentium atque cantantium. Chald. paraph. *Non eſt vox fortium prævalentium in bello: neque etiam eſt vox imbecillium qui ſuperantur.*

19. *Sub monte:* תחת ההר] i. ad radices montis.

20. *Poſtea ſparſit*, ויזר] Ad verb. *& ſparſit.* Hoc fecit ut cum aqua abſorberent cineres Dei ſui.

21. *Induxiſti*, &c. הבאת וגו'] i. quod impuleris eum in tantum peccatum: ſive quod eum peccare feceris tam graviter. Hebraiſmus.

22. *Reſpondit*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit.* ¶ *Ne iraſcatur*, &c. אל יחר וגו'] Hebraiſmus, Ne indigneris mihi, domine. ¶ *In malo ſit*, ברע הוא] Hebraiſmus, Quod omnino malus ſit.

24. *Separate vos:* התפרקו] Ut v. 3. i. private vos auro inaurium veſtrarum. Subaudiendum nonnihil, quale eſt, *& afferte ad me:* quod & fecerunt. ¶ *Egreſſuſque*, ויצא] i. formatus eſt.

25. *Quod diſcoopertus eſſet*, &c. כי פרע וגו'] *Quod nudatus eſſet (nudaverat enim eum Aaron, &c.)* i. quum vidiſſet Moſes quod detecta & nota facta eſſet malitia populi ipſius ad ignominiam ejus apud adverſarios. Erat enim magnum dedecus & magna confuſio Iſraelitis coram hoſtibus, ut deſerto Deo cœli, qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorum & pro utilitate eorum, eligerent alium Deum, etiam cum magno diſpendio auri & argenti ſui. Denudavit igitur Aaron populum illum, primum quod innoteſcere fecerit univerſo mundo qualem haberent animum quum illis fabricavit vitulum quem adoraverunt. Præterea denudavit eum ornamentis ſuis aureis. Doctus inter Hebræos exponit, *quod manifeſtatus eſſet ex operibus ſuis malis.*

26. *Quis eſt Jehovæ?* מי ליהוה] *Quis eſt pro Jehovah?* i. Quis ſtat à parte Jehovæ, & illum colit?

27. *Sic dixit*, כה אמר] i. hæc præcepit.

29. *Conſecraſtis*, &c. מלאו ידכם היום ליהוה] Imperat. Heb. pro præt. ut quidam Hebræorum exponunt, quos ſecutus eſt noſter interpres, i. reputatur vobis occiſio illorum perinde acſi obtuliſſetis oblationem Domino. Alii vertunt per præt. imperfectum & per imperativum, ſic, *Jam ante dixerat Moſes, Implete [Conſecrate] manus veſtras hodie Jehovæ: nam quiſque in filio ſuo & in fratre ſuo:* ſub. *conſecrabit manus ſuas.* Debebat hic verſus præcedere: hoc enim dixerat antequam interficerent eos, q. d. Hoc agite quod vobis dicam: quod factum perinde reputabitur à Domino acſi obtuleritis ei dona & oblationes: tanquam enim ſacrificium reputabit Dominus ſiquis filium ſuum idololatram interfecerit. Chald. paraph. *Et dixit Moſes, offerte manibus veſtris oblationem hodie coram Domino, unuſquiſque pro filio ſuo & pro fratre ſuo: & ut adducantur ſuper vos hodie benedictiones.* ¶ *Ut det vobis*, ולתת עליכם] Ad verb. *& ad ponendum* [vel, *ut ponat*] *ſuper vos.* Redundat ו hoc loco, i. ut benedicat vobis.

31. *Obſecro*, אנא] *Profecto. Certe. Utique.* Alii, *Fateor.*

32. *Si remittas peccatum eorum:* אם תשא חטאתם] Oratio defectiva, in qua multa ſunt ſubaudienda, acſi dicat, ſi tantum peccatum remiſeris eis, quid ſentient de te Gentes? quanta apparebit miſericordia tua? quibus te laudibus efferent? ¶ *Quem ſcripſiſti:* אשר כתבת] i. in quo ſcripſiſti omnes electos tuos ab æterno, q. d. Ne ſim de numero electorum tuorum.

34. *In die autem viſitationis meæ*, &c. וביום פקדי וגו'] i. quo tempore puniam peccata, puniam & iſtud peccatum.

C A S T A L I O.

29. EXpiate hodie manus] Talis expiatio fit Num. 31. etiam poſt interfectos eos quos Deus juſſerat interfici.

35. *Ita cladem intulit populo*] Ut narratum eſt paulo ante, v. 27. 28.

C L A R I U S.

2. DEcerpite inaures] Nullum non movit lapidem Aaron quo negotium illud differret in adventum Moſis. Jubet primo decerpere jocalia & ornamenta de capitibus mulierum & puerorum; quod tamen non putabat futurum: deinde ſculpit in metallo cum ſtylo: tertio projicit univerſam maſſam in ignem, & egreditur vitulus, non virtute ignis & artis, ut Hebræi dicunt, ſed quod in illo populo magna eſſet colluvies Ægyptiorum inter quos erant Magi, qui ſua arte id egerunt ut præter omnium expectationem egrederetur vitulus. Nam celebris erat apud Ægyptios cultus ejus bovis quem Apim appellabant.

10. *Dimitte me*] Atqui id erat magis provocare Moſen ad precandum attentius pro populo. Quocirca & hic & in frequentiſſimo uſu Scripturæ obſervandi ſunt loquendi modi. Simul illud obſerva, quanti apud Deum ſint viri boni, quorum tantam ipſe rationem habeat.

15. *Scriptas ex utraque parte*] Ex utraque parte, *propter id quod apparet, atque id quod deliteſcit in Lege; illud quidem multitudini expoſitum, hoc vero paucis & celſioribus*, ait Theologus Nazianzenus.

18. *Non eſt clamor adhortantium*] In bello enim audiuntur duæ diverſæ voces; una eorum qui victi ſunt calamitoſa & triſtitiæ plena; altera eorum qui adepti ſunt victoriam, alacris & jubilans.

jubilans. In castris autem Israel audiebatur vox ludentium & cantantium.

19. *Confregit eas*] *Judicabat vir Dei*, ait Magnus Basilius, *indignum esse ut temulentus populus tanto munere donaretur quod tot dierum jejunio acquisierat.*

20. *Dedit ex eo potum filiis Israel*] Idolum suum vorare coguntur ad facti ignominiam, & memoriam, & ad testandum idoli imbecillitatem, quod totum redactum viderent in cineres.

21. *Quid tibi fecit hic populus*] Sacerdoti ascribitur peccatum populi, quod non omni conatu restiterit. Neque ait, *Quid fecisti?* sed, *Quid tibi fecit hic populus?* perinde quasi in hoc facto se ultus fuerit; atque maximum genus sui ulciscendi sit, non prohibere subjectos ne peccent.

25. *Ad ignominiam*] Erat enim magnum dedecus Israelitis coram hostibus eorum, ut deserto Deo cœli, qui tot tantaque miracula fecerat in oculis eorum, jam eligerent alium Deum cum magno dispendio auri & argenti sui.

28. *Feceruntque filii Levi*] Videtur pœnituisse jam populum ob zelum Mosis: alioqui quomodo tam pauci potuissent sexcenta millia (tot enim egressi sunt de Ægypto) humiliare? Ostenditur quoque hic magnus zelus Levitarum, qui etiam propriis filiis & fratribus non pepercerunt ob causam Domini. Sed quomodo potuerunt filii Levi discernere reos ab innocentibus? Respondent quidam Hebræi, Omnes bibisse ex ea aqua in quam cineres vituli combusti missi fuerant; & eorum qui rei erant ventres inflatos esse, aut facies immutatas, ut facile ab innocentibus discerni potuerint.

32. *Dele me de libro tuo*] Sic & Paulus anathema esse optat se à Christo pro fratribus suis.

DRUSIUS.

7. P*Opulus tuus*, &c.) Deus quandoque, quod ipsi proprium est, communicat cum servis & ministris suis. Nam qua est bonitate, tribuit eis quæ sibi soli arrogare jure merito potest: Qualia sunt *servare*, *redimere*, *educere ex Ægypto*. Quis *Servator* proprie loquendo? nonne Deus, qui nos servavit per Filium suum, qui propterea *Jesus*, i. ὁ σωτήρ, appellatus fuit? Ideo legimus Hos. 13. 4. *Non est Servator præter me.* Tamen qui Euangelium annuntiant *servatores* vocantur Abd. v. 21. Sed aliter Deus servat, & aliter Euangelii præcones: Nam quia per Euangelium servantur homines, idcirco *servatores* dicuntur. Quo sensu Apostolus dixit se *homines servare*; & Timotheum alloquens, *Hoc faciens*, inquit, *& teipsum servabis & eos qui te audiunt*, 1 Tim. 4. 16. Sic proprie Deus redemit populum ex Ægypto, & nihilominus Moses λυτρωτὴς, *redemptor*, appellatur Act. 7. 35. Idem dicitur Israelem eduxisse ex Ægypto, cum solus Deus id fecerit proprie loquendo. Verba Dei sunt ad Mosen hoc in loco, *Corrupit se populus tuus quem ascendere fecisti è terra Ægypti.* Quamobrem alibi vocatur משה עמו *extrahens populum suum*, sive *extractor populi sui.* Nam sicut ipse ex aqua extractus fuit, unde etiam nomen accepit, ita populum extraxit, h. e. eduxit, aut ascendere fecit, ex Ægypto.

15. Tabulæ Legis, quæ & *tabulæ fœderis*, vocantur *tabulæ testimonii* Exod. 32. 15. quod idem cum illo, *tabulæ legis*: Nam *testimonium* & *lex* ἰσοδυναμοῦσι. Quæstio hic movetur de hisce tabulis, Scriptæne fuerint charactere Assyrio, qui nunc obtinet, an alio? Et credibile est scriptas fuisse charactere Samaritico, qui antiquus est character Ebræorum, quem postea Ezras in deportatione Babylonica, vel postquam Judæi è Chaldæa in terram patriam postliminio reversi fuissent, mutavit in Assyrium. Quod si probavero, non puto fore qui de hac re dubitaturus sit, nisi forte alter Carneades, qui de rebus omnibus dubitare solebat. Igitur Hieronymus pro hac sententia primus testimonium dicet, quod subterfugere non potest, cum in Prologo galeato ita scripserit, *Certum est Ezram scribam legisque doctorem post captam Jerosolymam & instaurationem templi sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc utimur: cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Ebræorum characteres fuerint.* Scio Picum Mirandulam & Mithridatem Judæum in alia sententia fuisse: Sed profecto doctiores Judæi ab Hieronymo stant, in queis Joseph Albo Soriensis, & Moses Gerundensis, ambo Hispani: quorum ille in libro Articulorum fidei, fol. 81. pag. 2. *Vocatur*, inquit, *scriptura Assyria, quoniam ascendit cum eis ex Assyria. Veteres enim characteres Ebraicos reliquerunt idiotæ, h. e. Samaritanis.* In sequentibus perperam scriptum lectum רמבם cum Mem in fine, pro רמב׳ן cum Nun. Nam illud significat Mosem Ægyptium Maimonidem, hoc Mosem Gerundensem Nahmanidem, qui in extremo commentarii sui quem composuit in quinque libros Mosis (hoc Albo significat cum ait, בסוף פירוש *in fine expositionis ejus*) ita scribit, *Veni Acem*, h. e. Ptolemaida, *& inveni in manu senum terræ illius monetam argenteam, quam ostenderunt Samaritanis, qui statim legerunt eam. Nam scriptura erat Ebraica, quæ relicta fuit Samaritanis, quemadmodum proditum est in tractatu Sanhedrim.* Ecce testimonium à Thalmudistis, h. e. ab antiquissimis Judæis. Quid igitur amplius hæsitamus?

25. Nondum satis constat quid sit בקמיהם. Nam vulgo exponitur *inter hostes eorum.* Siquidem qui surgunt adversus aliquem, sunt hostes aut inimici ejus. Sic David ait Psal. 3. 1. *Multi surgunt contra me*: quod alii reddunt, *insurgunt.* Scire licet in Ebræo esse *surgentes eorum*, & non *contra eos.* Id exponi etiam potest, *surgentes pro eis*: ut Num. 32. 14. *Surrexistis pro patribus vestris*: quod exponunt, *exorti estis in locum eorum, successistis eis.* Sic hoc in loco, *inter illos qui eis succedent*, aut *post eos exorientur* aut *exsistent.* Nam id *surgere* aliquando significat; ut cum dicimus, *surrexit rex novus*, aut *sacerdos novus*, i. exstitit, exortus est. Sic, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* Hoc pono tantum, & arbitrarium esse volo: non decerno, non statuo. Cogitent amplius quibus hæc studia curæ. Deberent autem esse imprimis omnibus τοῖς θεολογουμένοις.

IDEM.

1. ויקהל Alius συνηθροίσθη, ἢ ἐπανέστη, *congregatus est, aut insurrexit adversus*] Ἐπανέστη, i. ἐπανέστη. Nam ἐπὶ quandoque idem cum ἐξ. Consule Thesaurum Henrici Stephani.

4. בחרט Alius, ἐν τέχνῃ, *arte*] *Artificiose, scite.* Hoc elegantius dicunt σὺν τέχνῃ, vel ἐκ τέχνης, aut etiam διὰ τέχνης.

18. אין קול ענות גבורה ואין קול ענות חלושה קול ענות אנכי שמע Τὸ Σαμαρειτικὸν, Οὐκ ἔστι φωνὴ ἐξαρχόντων ἀνδρείας, οὐχ ἔστιν φωνὴ ἐξαρχόντων ἥττης, ἀλλὰ φωνὴν ἁμαρτιῶν ἐγὼ ἀκούω] Ἁμαρτιῶν suspectum. Hieron. *cantantium.* ענות proprie *alternis canere.* Thargum Onk. חייכין, *ridentium*, sive *ludentium.* Jonath. *colentium cultum externum & ludentium.* Jerosol. *celebrantium cultum extraneum.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et vidit populus quod tardaret Moses descendere è monte, congregatusque est populus contra Aharonem, & dixerunt ei, Surge, fac nobis Deos qui eant ante nos; nam Moses ille vir qui eduxit nos è terra Ægypti nescimus quid factum sit ei.*

Et vidit populus] quidam putant hæc accidisse priusquam de extruendo tabernaculo Mosi præcepta data essent quæ superioribus capitibus exposita sunt: alii censent omnia gesta eo ordine quo narrantur. Grammatici certant & adhuc sub judice lis est. ¶ *Populus*] aliqua pars populi. Sic in furto solus Achan legimus, *peccavit Israel*: item, *transgressi sunt, furtum fecerunt, mentiti sunt, posuerunt in vasis suis.* Videndus Abenez. ¶ *Tardaret descendere*] tardius descenderet, differret descensum, *moram faceret descendendi.* Ita Hieron. In edit. Græca κεχρόνικε καταβῆναι cunctatus est descendere. Sic Matth. 24. χρονίζει ἐλθεῖν venire cunctatur. ¶ *Congregatus est*] συνηθροίσθη. Notant Ebræi verbum נקהל quod hic in fonte, quando post se habet על adversus, contra, in vitio poni: quum vero habet post se אל ad, tum in laude poni, ut ibi, *congregati fuerunt ad Salomonem regem.* ¶ *Deos qui eant ante nos*] vel, *Deum qui eat ante nos* sive, qui præcedat nos: & *Deum* i. ducem aut principem, qualis Moses fuit, quem vixisse (mortuum esse) credebant eo quod absque cibo tamdiu nemo vivere possit. Huic interpretationi obstare videtur verbum plurale: non obstat. Nam habetur ratio terminationis, non sensus. Cui simile ut cum dicunt אלהים קדושים pro Deus sanctus. ¶ *Moses iste*] vel hic. Nove dixit *iste* de absente. Simile, *Vide hoc inveni, dicit Cohelet.* ¶ *Vir*] nomen ἀξιώσεως, ut Exod. 11. 3. והאיש משה *vir ille Moses*: ubi *ille* honorifice positum, q. d. vir ille insignis. Sic alibi, *Nonne tu vir es?* &, *in loco ubi non sunt viri, virum te præsta.* ¶ *Quid factum sit ei*] quid acciderit ei.

2. *Et dixit eis Aharon, Abrumpite inaures aureas, quæ in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorum & filiarum vestrarum & adferte mihi.*

3. *Et abruperunt omnis populus inaures aureas quæ in auribus eorum & attulerunt ad Aharonem.*

4. Et

4. *Et accepit è manu eorum & formavit illud stylo, fecitque ex eo vitulum fusilem: & dixerunt, Hi sunt Dii tui Israel qui ascendere fecerunt te è terra Ægypti.*

Abrumpite] abruptas deponite aut detrahite. Hiero. *tollite* פרקו. ❡ *Inaures*] ἐνώτια. Vox Ebræa sig. etiam *ornamenta narium*, quæ Græci ἐμπίσια vocant. Morem gestandi inaures usitatum fuisse tam apud Ægyptios, quam apud Madianitas, qui Ismaelitæ fuerunt, notavit Abenez. quem te adire cupio. ❡ *Abruperunt*] ויתפרקו videtur positum esse pro ויפרקו & abruperunt: aut verte abruperunt sive separarunt se ab inauribus suis, ut את hic vim eandem habeat cum מאת, veluti cum dicimus יצא את העיר egressus est urbem, quod idem cum illo, *ex urbe*. Sic arbor decidua foliis, cujus folia deciderunt. Sic exutus vestibus, qui vestes suas exuit. R. David in libro Radicum, *Abrupti fuerunt vel separati ab inauribus aureis quæ in auribus eorum: propterea usus est verbo Hithpael, quia libentissime hoc faciebant & volebant separari ab inauribus suis ne amplius eas haberent.* Sic etiam R. Salo. ❡ *Quæ in auribus eorum*] improprie loquitur. Nam eorum inaures vocat, quæ uxorum erant & filiorum & filiarum. Discimus hinc uxorem & liberos nihil habere quod non sit mariti & parentum. ❡ *Accepit è manu eorum*] illis dantibus. Nam manu damus. Etiam accipimus manu, unde latinum *capio*, ut quidam volunt, ex Ebræo כף quod *volam* denotat. ❡ *Illud*] aurum donativum. ❡ *Stylo*] בחרט Lxx. ἐν τῇ γραφίδι i. stylo. Est autem instrumentum quo in auro aliquid sculpitur. Onk. בזיפא vocat. Item instrumentum quo in pugillaribus scribitur חרט dicitur & Græce γραφίς. Alii est חרט i. forma, modulus, typus. Forte rectius. Nam sequitur, *fecit ex eo vitulum fusilem.* Si fundebatur, ad quid stylus sive scalprum aut scalpellum? expende. In Scholio Græco est, *alius*, ἐν τέχνῃ i. *arte.* Verbum חרט non est in usu. Affinitatem habet cum חרת, quod *sculpere* sive *sculpere* significat. Nam hæ litteræ permutantur. Sic תרגם & חרטם erravit. Abenez. scribit חרט habere significationem צורה. Id *similitudinem* notat. R. Salo. nove interpretatur, *ligavit illud in marsupio* vel sudario. Nam marsupia חריטים apud Jesaiam. Arab. חרט. Siquidem Heth Ebræorum in multis est Chaph Arabum. ❡ *Ex eo*] *Illud* est in fonte. Ebraismus notus. Lxx. αὐτὰ, videlicet ἐνώτια. Hiero. *ex eis.* Idem מסכה interpretatur, *opere fusorio.* ❡ *Vitulum fusilem*] Hiero. *conflatilem*: quod a Græcis accepit, qui hic legunt μόσχον χωνευτὸν. Est autem χωνευτὸν quod à conflatore seu fusore conflatum. Verbum è verbo *vitulum fusionis.* Ebraice מסכה, quod à Thargumistis redditur מתכא. Sic etiam exponunt R. Salo. & Abenez. Hunc vitulum David *bovem* appellavit. Sane Apis apud Ægyptios in forma bovis olim cultus fuit. Erat autem bos vivus, de quo in notis nostris ad historiam sacram Sulpicii Severi. ❡ *Dixerunt*] aliqui, non omnes. R. Salo. censet hæc dicta esse à miscellaneo populo, qui cum illis ex Ægypto ascenderat. ❡ *Hi sunt Dii tui &c.*] vel, *Hic est Deus tuus, qui ascendere fecit te.* Nam אלהים tam Deus quam Dii.

5. *Et vidit Aharon & extruxit altare coram eo, & clamavit Aharon & dixit, Festum DOMINI cras.*

6. *Et surrexerunt mane postridie, & obtulerunt holocausta, & admoverunt hostias pro salute, seditque populus edere & bibere & surrexerunt ludere.*

Vidit] intellexit eos vitulo divinos honores exhibere velle. ❡ *Extruxit altare*] curavit extrui, quomodo Salomo dicitur ædificasse templum. Nam non ipse templum ædificavit sed per alios id fecit. ❡ *Coram eo*] vitulo. Jon. & autor Jerof. *Vidit Aharon mactatum Hur ante se & timuit & ædificavit altare coram eo.* Fabula de Hur occiso habetur & in Vaicra Rabba, cujus R. Salo. meminit per hæc verba, *Vidit Aharon Hur filium sororis suæ occisum à populo propterea quod reprehendisset eum.* Josephus & alii scribunt fuisse *virum Mariæ.* ❡ *Et clamavit*] per præconem sive vocem præconis. Jon. *clamavit* בקל עצי *voce lachrymabili* sive *amara.* ❡ *Festum DOMINI*] vel *DOMINO.* Nam est ליהוה in fonte. Scilicet Lamed aliquando exprimitur per casum generandi. On. & Jon. *festum coram DOMINO.* ❡ *DOMINO*] usus fuit Tetragrammato quia in mente habuit, ut credibile, Deum verum. ❡ *Cras*] non hodie, sed cras, vel quia tum serius erat, vel quia interea Mosen expectabat. ❡ *Et surrexerunt mane*] Vide populi, ut ita dicam, pronitatem ad idololatriam. Non dicit *surrexerunt* simpliciter, sed *mane surrexerunt*: aut potius usus est verbo, quod mane aliquid agere significat. Græci hoc eleganter exprimunt verbo ὀρθρίζειν, quo usi sunt & Euangelistæ non semel. ❡ *Postridie*] postero die, τῇ ἐπαύριον: Jonath. *post diem unum.* Sed fallor. Nam in eo est ממחרת non מחרת. Ego reddi debet, *post diem alterum*, ut sit ממחרת pro מחרת. Dies hic erat decimus septimus mensis Thammuz, ut Hisc. observat. ❡ *Hostias pro salute*] vel, *hostias pacificas.* ita Hiero. Prius erat in Lxx. θυσίαν σωτηρίου. Maluissem θυσίας. Vocantur etiam θυσίαι εἰρηνικαί. Ebr. שלמים. ❡ *Admoverunt*] ad altare. Quod idem cum illo, *obtulerunt*, προσήνεγκαν. ❡ *Et sedit populus edere & bibere*], vel potius, *ad edendum & bibendum.* Nam *sedit edere* nescio an Latinum sit. Græci dicunt ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν, quod Hiero. retulit, *sedit manducare & bibere.* Hic notabis morem sedendi ad mensam perantiquum. Sic Heroes apud Homerum sedent non accumbunt. ❡ *Surrexerunt ludere*] ἀνέστησαν παίζειν, quem Hellenismum retinuit vetus interpres, referens *surrexerunt ludere.* Ex Ebræo melius redditur, *ad ludendum.* Quid hic ludere? An pugnam ludicram pugnare, quam vulgo *hastiludium* vocamus? Quidam serium certamen fuisse putant, in quo Hur occubuerit. Vide 2 Sam. 2. 14. ubi צחק in Ebræo. Aut *ludere* dixit pro *choreas agere* & aliis ludicris se oblectare, ut fieri solet diebus festis. Sunt qui exponunt, *coire.* Sic ludere dicimus canes, cum coëunt. Huc refer illud Sardanapali, σὺ δ', ὦ ξεῖνε, ἔσθιε καὶ πῖνε καὶ παῖζε, *tu vero, ò hospes, ede bibe, & lude.* Arrianus lib. 2. pag. 32. *Illud vero, lude*, inquit, *molliore lasciviorque Assyrio vocabulo expressum ajebant.* Id putarim esse חדך quo nunc usus fuit Onk. vel certe חדי quod in Jon. unde Belgicum gecken. Sig. etiam ludere in honorem Deorum falsorum. Quam significationem expresserunt Jon. & autor Jerof. referentes, *Et surrexerunt sibi ad ludendum* (Jerosol. *ludentes*) *in cultu extraneo.*

7. *Tunc locutus est DOMINUS ad Mosen, Ito, descende quia corrupit se populus tuus, quem eduxisti è terra Ægypti.*

8. *Recesserunt cito à via quam præcepi eis, fecerunt sibi vitulum fusilem & adorarunt eum & sacrificarunt ei, dixeruntque, Hi sunt Dii tui qui ascendere fecerunt te è terra Ægypti.*

Locutus est DOMINUS ad Mosen] desideratur לאמר dicendo. Quod Hiero. & Lxx. reddiderunt, λέγων, *dicens.* ❡ *Ad Mosen*] *cum Mose.* Onk. Jon. ❡ *Ito*] aut *vade* i. agedum. Sic, *Venite faciamus nobis lateres*: ubi verbum idem in Ebræo. Lxx. βάδιζε τὸ τάχος: vade celeriter. ❡ *Descende*] *de monte, non de dignitate tua*, ut R. Salo. nugatur. ❡ *Corrupit se*] שחת corrupit. subintelligitur autem, *viam suam*, aut, *mores suos.* Sic השחיתו corruperunt. Psal. 14. Jon. *corruperunt opera sua.* Nam est verbum transitivum. Aut intransitive capiendum, ut in Latio, *mutavit* pro *mutatus fuit.* Sic h. l. *corrupit* pro *corruptus est*, aut *corrupte egit.* Sicut dicimus, *inique egit.* Quod in Græcis ἠνόμησεν. ❡ *Populus tuus*] non jam amplius, *meus*, quoniam alium Deum sibi fecerunt: aut *tuus*, quia eum eduxisti è terra Ægypti. Quod cum dicit exprobrat tacite ingratitudinem populi, quia Mosi tribuit quod erat Dei proprium. Non enim Moses eos eduxit, sed Deus per Mosen. Nihilominus dicunt supra vers. 1. *Moses vir iste qui ascendere fecit nos è terra Ægypti.* Unde David, *Quid homo ut memor sis ejus?* homo, inquam, qui tuorum beneficiorum tam cito, tamque facile obliviscitur. ❡ *A via, quam præcepi eis*] pro eo habendum ac si dixisset *à via mea.* Nam *via DOMINI*, quam DOMINUS præcepit, hoc est ipsa lex, cujus primarium præceptum, *Non erunt tibi Dii alii coram me.* Vide sequentia Exod. 20. 4. Thargum Jonathæ, *recesserunt celeriter à via quam præcepisti eis in Sinai dicendo, Non facietis vobis imaginem aut figuram aut ullam similitudinem.* ❡ *Fecerunt sibi vitulum*] Supra de Aharone, *& fecit ex eo vitulum.* Utrumque simul verum esse potest. Nam Aharon eum fecit ita poscente ac volente populo. Ideo etiam populus eum fecisse dicitur. ❡ *Sibi*] redundat in Latio: aut *sibi* i. in usum suum. ❡ *Fusilem*] abest ab Edit. Græca. Fusilem autem dicit quia in fusoria fornace conflatus erat. ❡ *Adoraverunt eum*] procubuerunt coram eo in terram prostrati. Qui honor in divinis soli Deo tribuitur. ❡ *Et sacrificarunt ei*] non contenti adoratione, quæ aliquando civilis est, etiam sacrificia ei obtulerunt, hostiasque immolarunt. ❡ *Dixeruntque*] Jon. *proclamarunt coram eo.* Videtur in ea sententia fuisse ut putaris præconis voce hæc promulgata. Quod ex textu liquido probari non potest. Vide præcedentia. ❡ *Hi sunt Dii tui*] In Onk. & Jon. דחלתך non sig. *timor tuus*, ut Fagius vertit: sed *timores tui.* Sequitur enim ecce, *qui eduxerunt te.* דחלין timores, Dii. *Nam*, ut inquit Servius, *primus in orbe Deos fecit timor.* Unde quidam ἐτυμολογίαν θεός quasi δέος i. timor. דחלתך timores tui, ut עבדך servi tui. Quæ etiam singularia esse possunt, *timor tuus*, *servus*

servus tuus. Hoc tamen loco pluralia sunt. ¶ *Ascendere fecerunt*] Nam ex Ægypto ascendit, qui Judæam versus proficiscitur. Contra descendere dicitur, qui ex Judæa in Ægyptum tendit. Nam terra Israel altior est reliquis terris.

9. *Dixitque DOMINUS Mosi, Vidi populum istum & ecce populus duræ cervicis est.*

10. *Nunc igitur Sine me ut excandescat ira mea & consumam eos, faciamque te in gentem magnam.*

Vidi populum istum] novi eum à multis annis. Jon. *Nota mihi superbia hujus populi.* Quidam, *Video ecce populum istum populum duræ cervicis esse.* Non omnino displicet. ¶ *Duræ cervicis*] vel, *dura cervice.* Proverbiale de iis qui non audiunt monentem nec flectunt ei cervicem si prætereuntes ad se vocet. Quod illi, qui duram cervicem habent, facere nequeunt. ¶*Sine me*] ἔασόν με. Hiero. *dimitte me.* Onk. & Jon. *Sine me, obsecro te.* Hæc ante mortem repetiit Moses, sed aliis verbis. Sic dico, Verba mutavit, sensa eorum retinuit. Quæ explicata fuse invenies in Abenez. Lege, si potes. ¶ *Ut incandescat*] vel, *ut exardescat.* In Ebræo est ad verb. *& incandescet.* *Et* ergo pro *ίνα* ponitur, ut sæpe in hac lingua. Hiero. *ut irascatur furor meus.* Nimis licenter אף *furorem* interpretatur. Quamvis apud poetam, *ira sit furor brevis.* Onk. *ut vehementer exardescat ira mea in eos.* Jon. *ut ebulliat ira mea ignea vehemens in eos.* ¶ *Consumam*] deleam, exterminem. ¶ *In gentem magnam*] vel potius, *gentem magnam.* Faciam, inquit, ut ex te gens magna prodeat, vel ut evadas in gentem magnam. ¶ *Magnam*] *multam.* Onk. Jon. i. copiosam & numerosam.

11 *Et deprecatus est Moses faciem DOMINI Dei sui, dixitque Cur DOMINE excandescat ira tua in populum tuum, quem eduxisti è terra Ægypti, virtute magna & manu forti?*

12. *Cur dicent Ægyptii dicendo, In malum eduxit eos ad occidendum eos in montibus & ad consumendum eos à facie terræ? redi ab excandescentia iræ tuæ & pœniteat te de malo quod cogitas facere populo tuo.*

Deprecatus est faciem DOMINI] multi putant hanc deprecationem habitam fuisse post combustum vitulum & stragem populi quæ mox secuta est, in qua tria millia perierunt. Nam *quomodo*, inquiunt, *precaretur pro populo idololatra, qui nondum ob crimen illud expiatus fuerat?* ¶ *Deprecatus est*] ἐδεήθη. Alii, *precatus est, oravit.* Sic Onk. Jon. & Hieron. Quod Ebraice potius diceretur התחלל. Hic est ויחל in fonte. Sig. autem deprecor & valde precor & precibus contendo ne quid fiat. Sic deprecamur mala, pœnam, supplicium. Moses ergo deprecabatur faciem i. iram Dei. Nam facies & pro *ira* ponitur, quæ in facie potissimum apparet. Notum illud, *& facies non erant ei amplius*: quod exponunt, non amplius irata erat. Sic alibi, nisi fallor, apud Davidem, *facies DOMINI excidit eos* i. ira DOMINI aut DOMINUS iratus. ¶ *Faciem DOMINI*] את פני יהוה Lxx. ἔναντι Κυρίου. Sic etiam Onk. & Jon. יי קדם *ante DOMINUM.* לפני יהוה. Hiero. *oravit DOMINUM* את יהוה. Tremel. *faciem iratam.* את אף פני יהוה. ¶ *Cur excandescat ira tua?*] cum effectu videl. ut eum perdas & internecione deleas. Nam hoc salvo honore tuo facere non potes. ¶*Populum tuum*] emphasis est in pronomine *tuum*, & in eo quod sequitur, *quem eduxisti ex Ægypto.* Nemo enim sua libenter perdit, nemo merita seu beneficia, quæ in alium contulit, perire vult. ¶ *Virtute magna*] בכח גדול in robore magno. Quod Græci dixerunt ἐν ἰσχύι μεγάλῃ. Hiero. *in fortitudine magna.* Onk. & Jon. בחיל רב *in potentia magna*, ἐν δυνάμει μεγάλῃ. Quod etiam sonat, *cum exercitu magno.* Nam חיל exercitus. Sic δύναμις. Sed & virtus, apud interpretes: unde *DOMINUS virtutum* i. exercituum. Hinc intelligentiam habet illud, *Ibunt de virtute in virtutem.* ¶ *Manu forti*] ביד חזקה manu robusta. Idem aliter. Nam manus, potentia, ut Exod. 14. *& vidit Israel manum magnam, quam fecerat DOMINUS in Ægypto* i. interprete Jano, *potentiam magnam.* Quanquam sunt qui exponant, *plagam magnam.* Nam manus etiam plaga, quam manu inferimus. Quin *exercitum* denotat, ut cum dicimus, μεγάλην χεῖρα ἔχει ὁ βασιλεύς. Sic Græci. Quid Latini? Cic. *magna manus ex Piceno & Gallia expectatur.* Etiamne Ebræi? dubito. *In manu forti* proverbiale est ab hominibus mutuo sumptum, qui quod agunt, manu agunt. Manus enim instrumentum est omnium actionum. Miror Lxx. qui vertunt ἐν τῷ βραχίονί σου τῷ ὑψηλῷ. Nam ut concedamus manum aliquando brachium dici, tamen חזקה nunquam denotat excelsum sive celsam. ¶ *In malum eduxit eos*] valet ut si dicas, malo eorum eduxit eos, quod idem cum illo, in perniciem eorum. Hiero. *callide eduxit eos.* Quid vidit cum ita transferret? רעה etiam est malitia. ea vox in Latio sig. *versutiam, calliditatem.* Sane Lxx. h. l. habent μετὰ πονηρίας, quod è verbo sonat, *cum malitia*, i. callide. Nam malitia certi vitii nomen, ut diximus. ¶ *Ægyptii*] hostes tui. Argumentum ab honore Dei. Jon. *Ægyptii qui relicti sunt.* Vult dicere, qui non fuerunt in mari rubro submersi, non perierunt ibi. ¶ *In montibus*] inter montes. Nam plures erant in deserto. Aut inter montes Sinai & Horeb. Jon. *inter montes Thabor & Hermon & Sarion & Sinai.* ¶ *A facie*] à superficie. ¶ *Redi*] vel *quiesce.* Nam utrumque verbum Ebræum significat. Hoc elegerunt Lxx. & Hiero. illud Onk. & Jon. Nam שב redi, revertere. Quod adverbialiter usurpant pro iterum. Thalmudici etiam תו dicunt. Lxx. παῦσαι τῆς ὀργῆς τοῦ θυμοῦ σου. Hiero. *quiescat ira tua.* ¶ *Et pœniteat te*] vel, *muta sententiam.* Humano more loquitur de Deo. Alibi habetur, *Non est Deus, quem pœniteat.* Quod capiendum de pœnitentia quæ comitem habet recordationem delicti. Nam Deus non delinquit. Lxx. hic habent, καὶ ἵλεως γενοῦ ἐπὶ τῇ κακίᾳ τοῦ λαοῦ σου. i. propitius esto. Hiero. *& esto placabilis super nequitia populi tui.* Jon. *Sit inane aut irritum coram te de malo quod locutus es facere populo tuo.* Onk. *pœnitentia ducaris de malo quod cogitasti facere populo tuo.* ¶ *Quod cogitas facere*] totum hoc abest à textu Ebræo, ut possis vertere cum Hiero. & Lxx. *de malo populi tui.* sensus est, quem nos expressimus. Vide infra vers. 14. Nam oratio ibi plena, quæ hic defecta.

13. *Recordare Abrahami, Isahaci & Israelis servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum & locutus es ad eos, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & omnem terram hanc, quam dixi, dabo semini vestro, possidendam in seculum.*

14. *Et pœnituit DOMINUM de malo quod dixerat se facturum populo suo.*

Recordare] memento, μνήσθητι. ¶ *Abrahami*] qui pater fuit credentium. ¶ *Israelis*] Jacobi patris Israelitarum. ¶ *Servorum tuorum*] τῶν σῶν οἰκετῶν. Lxx. Vult dicere, *cultorum tuorum.* Nam servi Dei, qui eum colunt. Servire enim & colere significat. ¶ *Quibus jurasti per temetipsum*] ita fieri solet. Deus cum non habeat majorem se, jurat per seipsum, aut, quod idem, per animam suam. Ejus jurandum non mutatur, quia ipse immutabilis. Argumentatur ergo à natura Dei, quasi dicat, natura immutabilis es, ergo debes præstare quod interposito jurejurando promisisti. ¶ *Locutus es ad eos*] dicendo videl. quod hic & alibi desideratur. ¶ *Semen vestrum*] progeniem vestram. ¶ *Sicut stellas cœli*] quæ innumerabiles sunt. Quod autem astrologi certum numerum stellarum ponant, id capiendum de iis quæ sub aspectum nostrum cadunt, cum multo plures sint, quæ illum fugiant. ¶ *Quam dixi*] i. promisi. Sic, *dixi dare*, quod enarrant, promisi me daturum. ¶ *Semini vestro*] *filiis vestris.* Onk. & Jon. ¶ *Possidendam*] sensum expressi. Nam in Ebræo, *& possidebunt.* Posses vertere, *ut possideant.* ¶ *In seculum*] Lxx. εἰς τὸν αἰῶνα. Hiero. *semper.* Alius, *in sempiternum.* ¶ *Pœnituit DOMINUM*] Onk. *conversus est DOMINUS à malo* i. mutavit propositum de inferendo malo. Ion. *Erat thohu*, i. inane, irritum, *coram DOMINO de malo quod cogitaverat facere populo suo.* Hiero. *Placatusque est DOMINUS ne faceret malum &c.* Lxx. καὶ ἱλάσθη Κύριος, *propitiatus est DOMINUS.* Ergo *pœnituit eum*, his interpretibus valet, propitius ei fuit. August. de civit. Dei. lib. 17. cap. 7. *Ubi legitur quod pœniteat Deum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente divina. Ubi ergo non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur.* Tertull. adversus Marcionem l. 2. p. 187. *Pœnitentia in Deo nihil aliud est quam mutatio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti in homine, nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa.* Alioqui pœnitentia ex recordatione delicti non cadit in Deum, ut nec delictum ipsum. Vide sis Eucherium in libros Regum, pag. 26. & 28. & in de Quæst. Vet. instrum. p. 257. ¶ *Quod dixerat se facturum*] In Ebræo est ad verb. *quod locutus fuerat ad faciendum.* Nos sensum reddidimus. Loquor enim & Dico se mutuo explicant. Hiero. *Quod locutus fuerat adversus populum suum.*

15. *Et reflexit se descenditque Moses è monte, & duæ tabulæ testimonii in manu ejus, tabulæ scriptæ à duobus lateribus suis, hinc inde illæ scriptæ erant.*

16. *Et tabulæ opus Dei erant, & scriptura scriptura Dei erat incisa in tabulis.*

Reflexit se] ut solent qui ab aliquo discedunt. Flectunt se in aliam partem. Ebra. ויפן quod vulgo interpretantur, *& revertens* sive *reversus*, Græce ἐπιστρέψας i. שב. Nam שב revertit. פנה est flectere faciem aut cervicem. Sig. etiam *aspexit*

sive

Digitize

sive *respexit*. Quod Santes elegit & Abenez. probare videtur. Nam simul ac Deum placasset considerans quid sibi porro agendum esset, expedire judicabat ut statim è monte descenderet. ❡ *Tabulæ testimonii*] i. legis, quæ & tabulæ fœderis. ❡ *In manu ejus*] Abenez. exponit, *in potestate ipsius*, ut ibi, *& accipies in manu tua decem viros*. Nam cum lapideæ essent, commode portare una manu non potuit. Forte *in manu ejus*. i. in manibus ejus. Sic Græci ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ. Sunt etiam qui putant hunc decalogum sculptum fuisse in lapide pretioso, quem *Sapphirinum* appellant. Alii conjiciunt fuisse ex iis lapidibus, quales in pectorali, qui penitus pellucidi erant adeo ut in una parte legi potuerit quod scriptum erat in altera. ❡ *A duobus lateribus suis*] non dicit scriptæ erant ab uno latere & videbantur ab altero: sed scriptæ erant à duobus lateribus suis, quod Græci referunt ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν αὐτῶν: & Hiero. *ex utraque parte*: & Trem. *à binis paginis suis*. Ceterum pagina est utraque pars folii: עבר magis est latus, quod Ion. מעברא vocat. ❡ *Hinc inde*] מזה ומזה hinc & hinc. Græce ἔνθεν καὶ ἔνθεν. Id Chaldæi dicunt מכא ומכא, quod minus recte scriptum in Ion. מיכא. ❡ *Opus Dei*] quia à Deo factæ: aut lege, *opus divinum*. i. eximium. Nam quicquid in suo genere præstat & excellit, divinum dicitur. Sic, *divinum opus Alcimedontis*. ❡ *Scriptura Dei*] nam manu Dei exarata erat: aut *Dei* i. divina. Erat enim elegantissima. Utrumque verum esse potest. ❡ *Incisa*] vel *sculpta*. Hoc Græcus dicit κεκολαμμένη: Chaldæus autem חקיק. Quanquam in Onk. מפרש explicata. R. Salo. annotat חרות & חרת synonyma esse, utrumque autem significationem habere incisionis, quod vernacule dicitur אנטליר *entailler*. Caret socio. Quidam interpretantur, teste Abenez. חרות exarata: alii autem חרות quasi *effossam* dicas. *Forte*, inquit, *idem quod* פתוחה *sculpta*.

17. *Et audivit Josue vocem populi dum vociferaretur ipse, & dixit ad Mosen, Vox prælii in castris.*

18. *Et dixit, Non est vox clamoris fortis, neque vox clamoris debilis: vocem cantantium ego audio.*

Josue] qui remanserat in imo montis. ❡ *Vocem*] alii *sonum*, alii *tumultum*. Lxx. τῆς φωνῆς. ❡ *Dum vociferaretur ipse*] ברעה accipio ac si esset בהריעו dum jubilaret ipse, ut sit infinitum tertiæ conjugationis, quam vocant Hiphil. Sic Michæ 4. למה תריעי רע cur jubilatis jubilando? plenum esset הריע. Sed quia Tseri rarum cum pronominibus affixis, forte nomen est רֵעַ vociferatio, jubilum. Abenezra à רוע deducit, ut רֵעַ dicimus à רעה. Alii radicem ponunt רעע, quibus ego potius assentior. Nam & תרועה ab eadem radice. Sensum expressit Hieron. referens, *tumultum populi vociferantis*: & Lxx. τοῦ λαοῦ κραζόντων, ubi alius mallet κράζοντος. Scire licet λαὸς nomen collectivum esse, unde cum participio plurali construitur. Quale illud, *Turba ruunt in me luxuriosa proci*. Onkelos & Jonathan, *vocem populi quum jubilant*. Quod Chaldaice dicunt כד מיבבין. ❡ *Vox prælii*] docte Hiero. *ululatus pugnæ*. Cæsar de bello Gall. *tum vero suo more victoriam conclamant atque ululatum tollunt*. *Barritum* appellat Vegetius. Nam *vox prælii* aliud nihil quam clamor ille militum, quem edunt dum acies inter se concurrunt. Lxx. φωνὴ πολέμου, vox belli. מלחמה tam bellum quam prælium. Hic sig. *prælium* i. קרבא, ut Onk. recte interpretatur. Græcis μάχη dicitur. Malim ergo φωνὴ τῆς μάχης, vox pugnæ. Nam bellum esse potest absque prælio. ❡ *In castris*] ἐν τῇ παρεμβολῇ. Ebræi & Chaldæi usurpant etiam nomen singulare. ❡ *Et dixit*] non Josue, ut Saadias opinatur, sed Moses. Docent sequentia. ❡ *Non est vox clamoris fortis*] In Ebræo est ad verb. *Non est vox clamare fortitudinis*. Sic mox, *non est vox clamare debilitatis*. In his locis verbum infinitum nominis vim habet. Quale illud, *scire tuum nihil est* pro scientia tua. Vox clamoris fortis est ululatus quem suo more tollunt milites victoriam conclamantes. Hoc sig. R. David, cum ait, *esse vociferationem vincentium in prælio*. Quidam, *Non est vox clamoris fortis, quo fortes & strenui clamant*. Minus hoc se probat mihi. Hiero. *Non est clamor adhortantium ad pugnam*. Onkelos & Jonathan, *Non est vox militum vincentium in pugna*. Lxx. οὐκ ἔστι φωνὴ ἐξαρχόντων κατ' ἰσχὺν: non est vox præcinentium secundum fortitudinem. Nam ἐξάρχω cantum incipio, præeo, auspicor. In Scholio habetur, ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἔστι φωνὴ νικώντων. Samariticum, οὐκέτι φωνὴ ὑποκρίσεως ἀνδρείας: *Non jam vox responsionis fortitudinis*. vult dicere, quæ præ se ferat fortitudinem. ❡ *Neque vox clamoris debilis*] i. fugientium aut eorum qui victi & adverso prælio usi sunt. In scholio Græco τῶν φευγόντων, & in Davide Camio חלושה. Onkelos, *eorum qui cladem accipiunt*: & Jonathan, *eorum qui vincuntur ab hostibus in prælio*. Hieron. *Neque vociferatio compellentium ad fugam*. Omnes idem dicunt. Samariticum οὐκέτι φωνὴ ὑποκρίσεως ἥττης: *non jam vox responsionis cladis*: quæ præ se ferat cladem. Tremellius, *non est sonus quo debiles clamant*. ❡ *Cantantium*] canentium alternis, quod proprie ענות significat. Sed hic est ענות in altera conjugatione. Sic לענות cantare Psal. 88. & ענו לה *concinerunt ei* Jes. 27. Vertendum ergo *vox cantus*, sive *cantionum*. Nam infinitum in nomen transit, ejusque vim habet, *vox cantare* i. cantionis. Hoc est quod supra dixit *& surrexerunt ludere*, ut *ludere* hic sit cantare & choreas ducere: quarum paulo post mentio fit. Samariticum φωνὴν ἁμαρτιῶν ἡ עונות quod nunc ענות litteris inversis. Gallica edit. nupera, *vocem cantionum*, quam alternis canunt, cum alter alteri in cantu respondet.

19. *Fuit autem quum appropinquaret ad castra, vidissetque vitulum & choream ut excandesceret ira Mosis: qui projecit de manibus suis tabulas & fregit eas sub monte.*

20. *Arripiensque vitulum quem fecerant combussit* (eum) *igne, & contrivit usque dum minutum esset, spargensque super faciem aquæ bibere fecit filios Israel.*

Et choreas] hic locus firmat sententiam eorum, qui *ludere* interpretantur choreas ducere. Hisc. *& fistulas* sive *tibias*. Nam מחול etiam fistula, i. חליל, ut apud Davidem, *Laudate DOMINUM tympano & fistula*: ubi tamen alii, *& choro*. Sic Græci h. l. καὶ τοὺς χορούς: etiam Hiero. *& choros*. ❡ *De manibus suis*] scriptum, *de manu sua*, quod Hiero. secutus est, & lectum, *de manibus suis*. Id convertunt Lxx. Onkelos & Jonathan. Supra vers 15. *& duæ tabulæ testimonii in manu ejus*. ❡ *Sub monte*] ad pedem montis. ❡ *Arripiensque*] ויקח *& accepit* i. *arripuit*. Sic Hiero. Notum ut *capio* pro *rapio* ponatur. ❡ *Combussit igne*] aurum non comburitur, sed in auro aliquid est quod in ignem conjectum nigrescit, nec unquam ad naturam auri redit. id verum & probatum esse scribit Abenezra. Vide & Hiscuni, si habes. ❡ *Contrivit usque dum minutum esset*] Hiero. *contrivit usque ad pulverem*. Lxx. κατήλεσεν αὐτὸν λεπτὸν, contrivit eum minutum. Sic edit. Rom. Lat. דק minutum: item *pulvis*: ut possis vertere, *dum pulvis esset*, ac tum היה subintelligetur. Nam *usque ad pulverem* Ebraice diceretur עד דק absque relativo אשר. expende. Onkelos & Jonathan defectum hunc supplent, vertentes עד דהוה דקיק *dum esset minutum*. ❡ *Contrivit*] ויטחן & moluit sive commoluit i. *comminuit lima*. Sic R. David exponit. ❡ *Super faciem aquæ*] innuit superficiem aquæ torrentis, qui è monte descendebat. Sed cur hoc fecit? an quia nolebat materiam illam, unde vitulus conflatus erat, in alios usus converti? aut potius ex hujus aquæ potu venter idololatrarum intumescebat, aut alia nota comparebat, qua discerni possent à ceteris, qui extra culpam erant, si modo aliqui extra culpam fuerunt. Forte pœna erat vituli cultoribus qui sic Deos suos epotabant. ❡ *Bibere fecit*] illam aquam. Hiero. *potum dedit ex eo*, videl. pulvere. Jonathan addit, *Omnibus qui aurum contulerant exibat signum in facie ipsorum*. Lxx. ἐπότισεν αὐτὸ τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ: potandum præbuit illam filiis Israel. αὐτό, τὸ ὕδωρ δηλονότι.

21. *Dixitque Moses ad Aharon, Quid fecit tibi populus iste, quod induxeris super eum peccatum magnum?*

22. *Et dixit Aharon Ne incandescat ira domini mei: tu nosti populum hunc in malo esse.*

23. *Et dixerunt mihi, Fac nobis Deos qui eant ante nos: quia Moses iste vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, Nescimus quid factum sit ei.*

24. *Et dixi eis, Qui habent aurum abrumpant & dent mihi: & projeci illud in ignem, egressusque est vitulus iste.*

Quid fecit tibi &c.] caussam quærit ob quam coactus fuerit vitulum conflare, populumque ad nefariæ mentis piaculum adducere. ❡ *Quod induxeris super eum peccatum magnum*] vel, *ut induceres sive adduceres super eum peccatum maximum*. ita loquendo sig. peccatum quod committit qui Deum falsum colit, h. e. alium à vero. Quod simpliciter aliquando *peccatum* dicitur: unde *peccare* pro *idola colere*, *& peccare fecit Israelem* pro ad cultum vitulorum eum adduxit. Nota hæc iis qui sacras litteras vel à limine salutarunt. ❡ *Peccatum magnum*] Lxx. ἁμαρτίαν μεγάλην. Onkelos & Jonathan, *debitum magnum*: quod Græce ὀφείλημα; & idem cum ἁμάρτημα. Sic in oratione legitima, *remitte nobis debita nostra*, alius dixit, *peccata nostra*. Syriace חובא. Diximus cultum idolorum simpliciter peccatum appellari. Hoc modo sumitur id nomen Thren. 1. 8. *peccatum peccavit Jerusalem, ideo in commotionem fuit*: & apud Syrachidem 49. ver. 5. ubi ait, *præter David, Ezeciam & Josiam, omnes reges Juda peccatum commisisse* i. Deos falsos coluisse. Sic enim idololatria vocatur κατ' ἐξοχήν.

Nam

Nam inter peccata nullum gravius aut quod Deum magis offendat. Quocirca in hist. sacra Sulpicii vocatur *flagitium & piaculum & sacrilegium.* Nam honorem Deo debitum legit i. furatur, & ad alios transfert. ❡ *Ne incandescat ira Domini mei*] idem cum illo, *Ne irascaris domine mi*, aut *ne irascatur dominus meus.* Prius in Lxx. legitur μὴ ὀργίζου κύριε absque pronomine: posterius in Hier. extat *ne indignetur dominus meus.* ❡ *Domini mei*] Nam dignitate Aharon minor erat, licet ætate major esset. Ideo fere semper Moses ei præponitur. Ceterum in fonte est *Adoni*, unde *donni* apud Plautum, quod melius redditur, *domine mi. Havo donni*, salve domine mi. Locus habetur in Pœnulo & est Punica vox, qua hodieque Hispani utuntur. Dicunt enim certe *don* pro *domino.* Ebraice *Adon.* Uterque Chaldæus edidit *ribboni*, pro quo in Euangelio *rabboni*, domine mi. Hoc noto, quia Caninius observat hoc nomen tantum de Deo usurpari. fallitur, fallitur. ❡ *In malo*] *in via mala.* R. Salo. *pronus ad malum.* Hiero. *tu nosti populum hunc esse filios justorum* (Sic loquendo intelligit patres Abraham, Isahac, & Jacob.) *verum figmentum malum est quod errare fecit eos.* Jonathan. Malum ergo : i. indoles eorum mala, quam vocant יצרא בישא & יצר הרע h. e. peccatum originis, quæ est natura hominis ad malum prona semper & propensa. Quid si, *in malo proposito?* q. d. nihil boni cogitat aut sibi propositum habet. expende. ❡ *Qui eant ante nos*] qui præcedant nos. ❡ *Abrumpant & dent mihi*] alii, *abrumpite & date mihi.* probarem si esset unus & detis. In Ebræo est, *abrumpant se*, eo auro videl. q. d. detrahant sibi rumpentes illud. Vide præcedentia. Hiero. *Quis vestrum habet aurum? tulerunt & dederunt mihi.* Pro *tulerunt* repone, *abruperunt*, & placebit, scio. Lxx. εἴ τινι ὑπάρχει χρυσία; quæ sunt ornamenta ex auro, περιέλεσθε καὶ ἔδωκάν μοι : auferte & dederunt mihi. Sic interpres Romanus, qui χρυσία, *aurea* interpretatur, *ornamenta* subintelligendo. Sic usus est ea voce Apostolus Petrus Epist. 1. cap. 3. χρυσίων περιθέσεως, *aurea ornamenta* quæ sibi circumponunt mulieres.

25. *Et vidit Moses populum quod nudatus esset, quia nudaverat eum Aharon ad infamiam inter hostes eorum.*

Quod nudatus esset] *pretiosis ornamentis suis* Lyra. *quod nudata & patefacta esset infamia ejus.* R. Salo. *patefactus per opera sua mala.* R. David. *nudatus gratia & præsidio Dei, quem adeo graviter offenderat.* Tremellius. *quod nudati essent.* Jonathan & Jerosolymitanus. *vacans esset.* Onkelos. ὅτι διεσκέδασται quod esset dissipatus. Lxx. Idem verbum in illo, *Absque visione dissipatur populus.* Vide Abenezram. *vacans à præceptis creatoris sui.* Hiscuni. Cui firmando, *Cur vacare facitis populum ab operibus suis?* Nam in fonte פרעה. ❡ *Nudaverat*] Lxx. διεσκέδασεν *dissipaverat.* Hiero. *spoliaverat.* Onkelos, *vacantem aut otiosum fecerat.* Jonathan, *nudaverant per Aharonem coronam sanctam, quæ in capitibus eorum, in qua nomen magnum & pretiosum sculptum & expositum erat.* Jerosol. *quia nudaverant coronam auream quæ in capitibus eorum, super quibus nomen expositum aut separatum sculptum erat à monte Horeb.* ❡ *Ad infamiam*] לשמצה Lxx. ἐπίχαρμα. Id sig. *gaudium* : item ludibrium, irrisio, insultatio. Gaudium dico quod quis ex inimicorum calamitatibus percipit : Sirach. 18. ποιήσει σε ἐπίχαρμα τῶν ἐχθρῶν σου, faciet ut sis gaudio inimicis tuis, ut malis tuis insultent. Aharon ergo ita nudavit eos ut jam hostibus ludibrio sint. Hiero. *propter ignominiam sordis* i. sordidi cultus. Onkelos, *contaminando eos nomine pessimo.* Jonathan, *exivit fama eorum mala in populos terræ & compararunt sibi nomen malum.* R. Salo. *ut esset illis hæc res vituperio in ore omnium, qui insurgunt contra eos.* Abenezra, לשמצה *nomen adjectivum pro nomine verbi i. infinitivo, ut sint infamia & impulsio probrosa & convicium.* R. David, *convicium & nomen malum.* Ebraice דבה quæ est falsa & in odium alterius conficta criminatio. Nam דבב odio habuit, unde אשה דבובה mulier exosa sive invisa. ❡ *Inter hostes eorum*] בקמיהם in eis qui insurgunt contra eos, ac si esset בקמים עליהם Sic David ait רבים קמים עלי *insurgunt in me*, sive, *contra me.* Lxx. τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν, inimicis sive adversariis eorum. Onkelos & Jonathan, *in ætates eorum.* Quid viderunt cum ita verterent? Ætates surgunt pro patribus, h. e. eis succedunt & in locum eorum veniunt, juxta illud Num. 32. 14. *Et ecce surrexistis pro patribus vestris.* Videntur mihi eo respexisse. Nam est קמיהם in textu Ebræo. Hoc modo vertendum erit, *in surgentes eorum* i. post eos.

26. *Et stetit Moses in porta castrorum, & dixit, Quis DOMINI est, ad me: & collecti fuerunt ad eum omnes filii Levi.*

27. *Quibus dixit, Sic ait DOMINUS Deus Israel, Ponite quisque gladium suum super femur suum, transite & redite à porta ad portam in castris & occidite quisque fratrem suum & quisque socium suum, & quisque proximum suum.*

28. *Et fecerunt filii Levi secundum verbum Mosis & ceciderunt è populo in die illo circiter tria millia virorum.*

In porta castrorum] nam castra vallo muniebantur, in quo portæ. Quæ ratio castrorum hodieque durat. ❡ *DOMINI*] partium DOMINI. ❡ *Ad me*] sub. veniat, aut aliquid tale. Hiero. *jungatur mihi.* Lxx. ἴτω πρός με, veniat ad me. Onkelos & Jonathan, *veniant ad me.* Abenezra, *Veniat aut accedat aut appropinquet ad me : vel sane colligatur ad me.* ❡ *Omnes filii Levi*] qui ex tribu aut familia Levi. Hinc eliciunt universam tribum rectam h. e. extra culpam fuisse. Quod tamen certum non est. Nam ipse Aharon princeps eorum culpam habebat. Vide Deut. 9. 20. ❡ *Deus Israel*] qui verus erat Deus Israel, non vitulus de quo dixerant supra vers. 5. *Hi sunt dii tui, Israel, qui te ascendere fecerunt ex Ægypto.* ❡ *Transite & redite*] per castra ab una porta ad aliam. ❡ *A porta ad portam*] Jonathan, *a porta Sanhedrin ad portam domus judicii.* Nam olim in portis conventus judicum erat. Sic supra idem transfert, *Et stetit Moses in porta Sanhedrin castrorum.* Non se probat mihi per omnia. ❡ *Occidite quisque fratrem suum*] ad verb. *vir fratrem suum.* Quod Abenezra enarrat, *etiamsi fuerit frater suus.* Meo judicio, locutio est ut *vir socium suum*, τὸν πλησίον, & *vir proximum suum* τὸν ἔγγιστα. Jonathan, *petite a DOMINO ut condonet vobis delictum hoc & ultionem sumite de improbis idololatris & occidite etiam quisque fratrem suum &c.* Sunt qui opinantur signa fuisse quibus rei sontes ab aliis discernebantur. Autor glossæ ordinariæ, *Tradunt Ebræi quod filii Israel bibentes aquam vituli pulvere infectam, qui commiserant idololatriam, in barbis pulverem auri præferebant, quo signo vel rei immunes sceleris apparebant vel rei sontes interficiebantur.* Lege Lyram ad locum illum, *Et dedit ex eo potum.* ❡ *Fecerunt filii Levi*] *non omnes filii Levi.* Abenezra. Supra, *& collecti fuerunt ad eum omnes filii Levi.* Tremellius annotat, *non omnes Levitæ, sed omnes qui aggregati sunt Levitæ erant.* Vide sequentia. ❡ *Secundum verbum Mosis*] prout jusserat Moses. Verbum pro jussu tritum est. ❡ *Ceciderunt*] *occisione gladii.* Jonathan. ❡ *E populo*] *qui signum in facie habebant.* Idem. ❡ *Circiter tria millia virorum*] Lxx. εἰς τρισχιλίους ἄνδρας, *ad tria millia virorum.* Latina exemplaria mirandum in modum hic variant. Nam in plerisque, *quasi triginta tria millia hominum* : & in aliis paucis, *tria millia* : & in textu Lyræ, *viginti tria.* Chaldæi consentiunt cum Ebræis. ❡ *Virorum*] minus recte Hieron. *hominum* i. אנשים, quæ vox etiam fœminas comprehendit. Supra, *vir proximum suum*, ambo Chaldæi convertunt אנש, cum antea usi fuissent vocabulo גבר vir. Quid movit eos ad hoc faciendum?

29. *Dixerat enim Moses, Consecrate manum vestram hodie DOMINO, quia quisque fuit contra filium suum & contra fratrem suum, & ad ponendum super vos hodie benedictionem.*

Consecrate manum vestram hodie DOMINO] Onk. *Offerte manu vestra oblationem hodie coram DOMINO.* Jon. *Offerte oblationem vestram ob effusum sanguinem qui in manu vestra, & expiatio fiet vobis coram DOMINO.* ❡ *Consecrate*] vel, *consecrastis.* Nam מלאו tam potest esse præteritum, quam imperandi modus. Verbum è ver. *implete*, vel, si placet, *implevistis*: quod Lxx. dixerunt, ἐπληρώσατε. ❡ *Quisque fuit contra &c.*] Verb. è ver. *quisque in filio suo & in fratre suo.* R. Salo. sub. *consecret manum suam.* Sic etiam Hiero. nisi quod legit *consecrastis.* Idem omisit particulam, *quia.* Jon. *quia percussistis unusquisque filium suum & fratrem suum.* Ceterum filii Levitarum etiam Levitæ erant. Non igitur omnes Levitæ se aggregarunt ad Mosen. & si aliqui occisi, etiam aliqui culpabiles fuerunt. ita mihi videtur. Porro novum non est ut *omnes* de majori parte dicatur. Id alias probavi. Hisc. ad h. l. *Consecravistis manus vestras: antea consecratæ fuerunt manus uniuscujusque vestrum ut essetis ministri Dei benedicti : Nam ecce quisque in filium suum & in fratrem suum immisistis manus vestras propter nomen Dei : & non licet dicere, consecrate manus vestras in futurum. Nam ecce antea fecerant juxta verbum Mosis.* ❡ *Contra fratrem suum*] fratris vocabulum late hic sumit ut etiam socium & proximum contineat. Alioqui frater est cognatus & qui ex eadem tribu aut gente : socius qui amicus, & proximus alius quilibet. Interdum socius & proximus synonyma sunt. Abenez. *Et dixit Moses, jam antea dixerat.* Cui simile, *Et formavit DOMINUS Deus. Nam antea formaverat. Sunt alia exempla quæ brevitatis*

causa

caussa omitto. Verbum autem מלא *peregrinum est in grammatica. Nam est modo transitivum & modo intransitivum & conjugationis Kal. Sensus autem quisque in filio & fratre suo, etiamsi fuerit idololatra filius aut frater occidet eum. Merces hujus quia ponet super vos benedictionem: & hoc est quod ait, In tempore illo separavit DOMINUS tribum Levi.* Vide sequentia. ❡ *Ad ponendum*] ut ponat, scil. Deus. vel, *ut ponatur super vos benedictio.* Hier. *ut detur vobis.* לתת לכם. On. *ut adducat super vos hodie benedictiones.* Consimiliter & Jon. Lxx. δοθῆναι ἐφ' ὑμᾶς εὐλογίαν, ut detur i. ponatur super vos benedictio. Nam δοῦναι & τίθεσθαι se invicem explicant. Vide nunc, si placet, Nicol. de Lyra ad hunc vers.

30. *Postridie autem dixit Moses populo, Vos peccastis peccatum magnum: nunc igitur ascendam ad DOMINUM, fortean expiationem faciam pro peccato vestro.*

31. *Reversusque est Moses ad DOMINUM & dixit, Obsecro, peccavit populus iste peccatum magnum, feceruntque sibi Deos aureos.*

32. *Et nunc si condonabis peccatum eorum (condona): & si non, dele me nunc de libro tuo, quem scripsisti.*

Postridie autem dixit] In Ebræo est ויהי ממחרת, *& fuit postridie & dixit.* Id Hiero. retulit, *Facto autem altero die locutus est Moses ad populum.* Lxx. καὶ ἐγένετο μετὰ τὴν αὔριον εἶπε Μωυσῆς: *& factum est sive fuit post crastinum dixit Moses.* ❡ *Postridie*] quum descenderat è monte h. e. 18. Mensis Thammuz. Ad verb. *de postridie.* Talia sunt, *de post, de longe: de supra.* Sic in Latio *in ante*, & quæ alia Gram. notarunt. ❡ *Peccatum peccastis*] nam peccat & qui peccanti assensum præbet, & qui, cum potest, non impedit eum. Peccare etiam populus dicitur, quando aliqui eorum peccant. Unde peccatum paucorum sæpe omnibus imputatur, totique communitati, ut ita loquar, attribuitur. Vide Lyram. ❡ *Magnum*] quo nullum majus. Ideo Hiero. vertit *maximum.* ❡ *Ascendam ad DOMINUM*] in montem ubi DOMINUS, quem pro vobis deprecabor: forte dabit tabulas alias, quæ sint tanquam instrumentum testimoniale icti fœderis inter illum & vos. Nam fractis tabulis prioribus, pactum quod cum populo inierat, dissolutum videbatur. ❡ *Fortean expiationem faciam*] Lxx. ἵνα ἐξιλάσωμαι: *ut expiem*, sive, ut est in edit. Rom. *depropitiem.* Hiero. *si quomodo quivero eum deprecari.* אולי vertit, *si quomodo*: quod dubitantis est. Onk. מאים quid si expiavero: forte *expiabo.* Jon. הלואי utinam. Dubito an etiam forte significet. Nam eo sensu usus videtur Gen. 32. 20. Senes alibi ἴσως, alibi ἄρα reddunt, quæ particula dubitationem designat cum spe conjunctam. Sic אולי dubitantis est, idem videl. quod אם. Mosen autem dubitasse aliquo modo docent consequa illa verba, *Si condonabis &c.* ❡ *Expiationem faciam pro peccato vestro*] reddendo Deum propitium ne vos pro merito puniat. ❡ *Reversus est ad DOMINUM*] ubi rursum quadraginta diebus & totidem noctibus jejunus mansit, intercedens pro populo, cui Deum iratum esse sciebat. Vide Deut. 9. 18. ❡ *Obsecro*] אנא quæso, obsecro. interjectio culpam confitentis, aut deprecantis pro se aut alio. Quidam vocem compositam esse putant ex אל & נא q. d. ne quæso fac hoc. Nam aliquid abesse videtur. Consule Abenez. Lxx. δέομαι κύριε *precor DOMINE.* Hiero. *obsecro.* On. quoque בבעו quod reddunt *obsecro.* Jon. בבעו מן *obsecro te.* Hinc forte Græcum ἀνα quod obsecrantis est apud poëtas. Lxx. alibi reddunt ὦ, & Aquila ceterique ὦ δή. Hiero. Jon. 4. *interjectio est deprecantis, quæ sig. blandientis affectum.* ❡ *Reversus est*] *eodem die, videl.* 18. *Thammuz.* Hisc. ❡ *Si condonabis peccatum eorum*] Hiero. *aut dimitte eis hanc noxam.* אם reddit *aut* i. או. Jon. *si remittes peccata eorum, remitte.* Supplevit, quod abesse videbatur. Sic etiam Græci Lxx. καὶ νῦν εἰ μὲν ἀφεῖς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, ἄφες: Si remittis eis peccatum eorum, remitte. R. Sal. *Si remittis peccatum eorum, bene est, non dico tibi dele me.* Quidam, *Si remittes*, i. an remittes? ut *si* pro *an* sumatur. Sic in Latio, *Si domi est rogas*? Sed in Ebraismo fere semper præcedit ה nota interrogandi. Notatur locus ex Proverb. 20. 11. *si purum & si rectum*: ubi si interrogat, licet non antecedat ה cum cateph patach. אם pro *sive* familiare Rabbinis præsertim repetitum. Sic Ennius, *Si vivimus sive morimur.* Plautus, *Si media nox est sive est prima vespera.* Terent. *Si ista uxor sive amica est.* Licet etiam vertere, *utique vel certe condonabis.* Nam אם valet אמנם vere, certe, utique. Notum hoc pueris. ❡ *Dele me nunc de libro tuo quem scripsisti*] Jon. *dele me nunc e libro justorum, in cujus medio scripsisti nomen meum.* Videtur librum legis innuere, quem nonnulli hic significari putant perperam. R. Salo. *è libro tuo, hoc est è tota lege ne dicant de me quod non fui sufficiens ad deprecandum pro illis.* Id refellit Hisc. hoc argumento, *liber legis, qui & liber justorum, tunc nondum scriptus erat: ergo non potest accipi de illo libro.* recte sane. Idem per librum Dei intelligit librum vitæ, in quo scripti homines. *Quod initio anni fieri* proditum in tractatu Thalmudico de principio anni. Pro *librum vitæ* potes legere, *librum viventium.* Vitam autem intellige cum hanc præsentem, tum eam quæ futura & æterna vocatur. Cupit ergo deleri è numero viventium aut eorum quos Deus ad vitam æternam prædestinavit. Sic Paulus optat esse *anathema à Christo pro fratribus suis* Rom. 9. 3. Hic quæri solet, An possit aliquis deleri è libro prædestinatorum? nam quem Deus prædestinavit ad vitam æternam, excidere non potest. Respondent quidam locutionem hyperbolicam esse ex nimio affectu Mosis in suos profectam. Alii scribunt ad vitam æternam prædestinari aliquem duplici modo. Uno modo simpliciter, & alio modo ut in gratia existens, è qua excidere potest atque ita deleri. Sed hæc theologis relinquamus. Lege Lyram h. l. & Paulum Episcopum. Verba Jon. *dele me è libro justorum*, melius enarrantur de libro Dei, in quo scripta nomina justorum, qui & *liber viventium*, & *liber memoriæ coram DOMINO.* Meminit ejus hymnographus Psal. 69. 29. *deleantur e libro viventium & cum justis ne scribantur*: ubi posses legere, *e libro vitæ.* Nam חיים vita & viventes. Sic *fons vitæ* & *fons viventium.* Sub. aquarum. ❡ *Quem scripsisti*] in quo scripsisti nomina justorum, & cum his etiam meum. Quidam, *e libro in quo tuos scripsisti, qui est liber ecclesiæ Dei, in quo tam mali quam boni.*

33. *Et dixit DOMINUS ad Mosen, Qui peccaverit mihi, delebo eum è libro meo.*

34. *Nunc igitur vade, duc populum istum, quo locutus sum tibi, ecce angelus meus ibit ante faciem tuam: & in die visitationis meæ, visitabo contra eos peccatum ipsorum.*

35. *Percussit ergo DOMINUS populum eo quod fecissent vitulum, quem fecerat Aharon.*

Et dixit DOMINUS ad Mosen] Ion. *dixitque DOMINUS Mosi, Non convenit ut deleam nomen tuum: sed qui peccaverit coram me &c.* ❡ *Mihi*] Lxx. ἐνώπιόν μου. Sic etiam On. & Ion. ❡ *Vade*] βάδιζε. Senes addunt κατάβηθι, descende. hoc de suo addunt. ❡ *Duc populum istum*] esto dux populi hujus, ut hactenus fuisti. ❡ *Quo locutus sum tibi*] versus terram Chananæam patribus vestris promissam. ❡ *Angelus meus*] non ego. ❡ *Ibit ante faciem tuam*] præcedet te. ❡ *In die visitationis meæ*] quo ego visitaturus sum i. cum animadvertam in scelera ipsorum, quæ patrabunt. ❡ *Visitabo contra eos*] puniam. ❡ *Peccatum ipsorum*] quod nunc commiserunt. Unde dictitant, *nullum peccatum Israelis punitur, quin admixta sit particula hujus peccati.* Hanc sententiam refutat Paulus episcopus Burgensis. Vide, si placet. ❡ *Eo quod fecissent vitulum*] On. *eo quod servissent vitulo.* Hiero. *pro reatu vituli.* Jon. *eo quod adorassent vitulum.* Gall. edit. *eo quod fuissent autores vituli.* Trem. *propter id quod fecit vitulo illi*, i. לעגל. Lxx. περὶ τῆς ποιήσεως τὸν μόσχον. Facere vitulum est conflare. Sic Aharon eum fecerat. Et colere sive divinum honorem ei exhibere. Hoc sensu populus eum fecit. Sic, qui fecit Mosen & Aharonem i. auxit, evexit, amplificavit, ad honores promovit. Vel populus fecit vitulum quia autores fuerunt Aharoni ut eum faceret.

A M A M A.

4. Ebr. *Et formavit illud* בחרט. Vulg. *Formavit opere fusorie.*

חרט extra dubium *stylus.* Unde Lxx. καὶ ἔπλασεν αὐτὸ ἐν τῇ γραφίδι. Vide St. & Caj.

22. Ebr. *Tu nosti populum hunc in malo* sc. esse, jacere. Vulg. *Tu nosti populum istum quod pronus ad malum sit.*

Plus dicit Ebræus textus quam Vulgatus expressit; videtur locus geminus esse isti qui 1. Ioh. 5. 19. *Mundus in malo positus est.* Probarem, si in textu esset לרע ad malum. Certe ipse Hieron. vertit, *quod populus iste in malo sit.* Vide Steuchum.

28. Ebr. *Ceciderunt circiter tria millia virorum.* Vulg. *Quasi viginti tria millia virorum.*

Ebræa sunt sine ulla lectionis varietate כשלשת אלפי איש *quasi trium millium virorum.* Concinit uterque Chaldæus, & Lxx. εἰς τρισχιλίους ἄνδρας. Codices Vulgatæ Edit. variant, quidam, *triginta millia.* In textu Lyræ, *viginti millia.* In paucis erat *tria millia.* In Antverp. anni 1583. *triginta tria millia*, notantque Lovanienses Theologi in margine, *viginti tria* O. qua notula monent eam lectionem non adeo magni momenti

menti esse. Eam tamen pessimam Clemens 8. authenticam interposita papali authoritate pronunciavit. Cajet. non dubitat asserere hic corruptam esse editionem. Nec puduit Benedictum locum ad fontes corrigere. In Steucho altum silentium. Lucas Brug. in locis insignioribus, *In quibusdam legitur tria millia, quibus favent Ebraea, Chald. & Graeca.* Quid autem sibi de hoc loco videatur, in altero libello manifestius prodidit. Vide Appendicem: si ergo codices aliquot Latini sic legunt, si isti lectioni favent fontes, Chald. & Graecae versiones, cur dubitarunt Romani correctores eam lectionem restituere? Cur elegere pessimam ex variantibus? Certe ubi lectionum varietas est in interpretatione aliqua, solent docti eam eligere, quae fontes, & si fieri id simul potest, pluralitatem exemplarium habet faventem. Eo casu à correctioribus codicibus recedere furor & insania est. Sed haec surdis, correctorum enim non sic ἀνδάνει θυμῷ. Plura notari hic possent, sed nimium jam excrevit secundus hic nostrae commentatiunculae libellus.

DE MUIS.

Primi octo versus è 32. cap. Exodi breviter declarati. Item aliud è primi Reg. 12. per occasionem explicatur.

In Sina monte, quo leges accepturus Deo jubente conscenderat, cum moram faceret Moyses, Israelitae desperato ejus reditu, jam enim diu aberat, Aaronem frequentes convenerunt, rogantes uti Deum qui sibi deinceps praeiret faceret: nescire enim se quid Moyse factum esset. Aaron igitur etsi primo, ut credibile est, tergiversatus, coactus tamen tandem assiduis atque importunis nimis precibus cedere, ut ad se mulierum, juvenum, puellarumque aureae inaures afferrentur imperavit. Nec mora: simul universi inaures ad ipsum Aaronem certatim conferre, ex quibus in massam conflatis vitulum caelo exsculpsit, quem cernens stolida Israelitarum gens pro Deo à quo ex Aegypto esset educta agnovit. Quod animadvertens non sine stupore Aaron aram coram vitulo excitat, simulque diem Domino festum edicit in posterum diem. Postridie igitur cum prima luce Israelitae ad altare cito confluere, non exspectato Aarone, ibique vitulo ceu cuipiam numini rem Divinam facere variasque victimas offerre, totum deinde diem agitare inter se convivia aut ludere. Versus quibus hoc describitur exstant Exod. 32. initio, in haec ferme verba;

I. *Videns autem populus quod moram faceret descendendi è monte Moyses, congregatus adversus Aaron dixit, Surge, fac nobis Deum qui nos praecedat: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit è terra Aegypti, ignoramus quid acciderit ei.* II. *Dixitque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* III. *Sustulerunt itaque omnis populus inaures aureas, quae erant in auribus eorum, (suis,) & detulerunt ad Aaron.* IV. *Quas cum ille accepisset, formavit stylo, & fecit ex eis vitulum conflatilem: dixeruntque, Iste est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Aegypti.* V. *Quod cum vidisset Aaron, aedificavit altare coram eo, & clamavit dicens, Cras solennitas Domini est.* VI. *Surgentesque mane obtulerunt holocausta & hostias pacificas: seditque populus ut manducaret & biberet, & surrexerunt ut luderent.* VII. *Locutus est autem Dominus ad Moysem, Vade, descende, quia corrupit populus tuus, quem eduxisti è terra Aegypti.* VIII. *Recesserunt cito de via, quam praecepi eis, fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias dixerunt, Iste est Deus tuus, Israel, qui eduxit te è terra Aegypti.* Si cui mirum videatur, quod in primo v. אלהים *Deum* reddo, ubi vulgo reddunt *deos*, & in v. 4. *Deus tuus*, ubi vulgo *dii tui*, adeat ipse Gen. 20. 13. necnon 35. 7. & 2 Sam, 7. 23. quibus in locis exstant exempla quae ostendunt de uno Deo honoris ergo pluralem numerum cum in nomine tum in verbo, ut hic, è consuetudine linguae Hebraicae usurpari. Sed ut sic verterem, fecit praesertim v. 18. cap. 9. Nehemiae, sive libri 2 Esdrae, ubi Hebraice in numero singulari, זה אלהיך אשר העלך וגו': Adi sis locum.

Circa hos versus porro quaeritur, Anne tam insani Israelitae fuerint ut Deum facere posse Aaronem, ac vitulum hominis exsculptum manu aeternum atque immortale Numen esse crederent? Deinde qui Aaron vir pius juxta ac sapiens adduci potuit ut vitulum Dei vice colendum populo exhiberet? Utrumque enim à ratione longe videtur alienum.

Non meum est profecto tam implicitos nodos evolvere. Ea tantum nunc referre animus est quae è variis Hebraeorum Magistrorum (quanquam Abarbanel praecipuus autor fuit) Commentariis hinc inde decerpsimus, nonnulla tamen interdum correctione adhibita, ex quibus & propositi versus explicari, & propositae circa illos quaestiones, si non plane, certe non omnino inepte solvi posse videntur. Haec sunt videlicet.

Absit, absit, ut Israelitae sibi idolum fieri postularint, nedum construxerit Aaron. Nam quod ad Israelitas attinet, ii Aegyptiorum quibuscum diu vitam egerant scientiis ac superstitionibus imbuti, qui Aegyptii arte quadam imagines seu figuras, טלסמאות *Talismanas* vocabant, ita effingebant, mira agendi vis iis ut inesset, ex influxu scilicet è superioribus corporibus virtute, quod putarent Moysem fato functum in Sina monte, sive sponte sive potius à flammis devoratum, aut aliquo terrarum vi numinis delatum, Deum sibi praeiturum ut facerent, Aaronem rogabant, גשם כבד חמרי בצורת גויה, *hoc est*, (audis Ezram) *corpoream aliquam imaginem* (seu *figuram*) *in qua Deus resideret*; cujus figurae quidem beneficio deinceps ducerentur regerenturve: nolebant enim quempiam mortalium aut humano satum genere ducem, ac ne Aaronem quidem ipsum, quod vererentur ne quid humanitus illi contingeret, sicuti sibi persuadebant Moysi accidisse; sed aliquid volebant quod nec mori unquam nec etiam loco per se migrare posset, quales figurae aut imagines sunt ex aere aliove metallo conflatae: quo pertinet illud, *qui nos praecedat*, quasi dicerent, qui nobis praeeat perpetuo, nec deserat unquam sicuti fecit Moyses. Hac de re porro adierunt Aaronem, quod ipsum crederent conflandarum ejusmodi imaginum seu figurarum peritum, ut qui Moysis frater esset, à quo figurae cujusdam opera, ubi Divini vis numinis lateret, eductos se ex Aegypto caeteraque alia edita miracula ac portenta interpretarentur. Atque hinc fuit quod Israelitarum minus quidem sana pars, vulgus scilicet, aureum vitulum quem Aaron exsculpserat cernens dixerit, *Hic est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Aegypti.* Hoc scilicet illi solum volebant: In hac figura Deus est, sicut in illa cujus virtute Moyses tot patravit miracula. Quanquam ex eo quod non dicatur hic, *Deus noster*, sed *Deus tuus, o Israel*, nonnulli etiam colligunt Israelitarum haec non fuisse, sed promiscuae cujusdam ac vilis turbae, quae, ut fit, Israelitas Aegypto abeuntes comitata sit, ut est Exod. 12. 38. At hoc refelli ex v. 8. cap. 32. Exod. nullo negotio potest, ubi ista verba palam Israelitis tribuuntur. Sed enim Aaronis neutiquam consilium fuit figuram fabricari quam pro Deo Israelitae colerent; absit: nunquam, nunquam id ab eo Israelitae obtinere potuissent, potiusque ille quosvis cruciatus & quodvis mortis genus subiisset: sed posteaquam diu multumque Deum, i. ejusmodi aliquam imaginem quam diximus, ab eo Israelitae flagitassent, tandem victus, maxime propter Hur in illo tumultu interfectum, uti ex Cabbala constat, excogitavit rationem qui diem ex die duceret dum tandem Moyses è monte descenderet. Primum enim ab Israelitis postulavit ut mulierum, juvenum, puellarumque inaures aureae ad se afferrentur, unde scilicet imago, qualem optabant, solida, immotaque ac digna quae in se Deum aut ejus virtutem admitteret, conflari posset. Hoc nimirum tentavit, ratus nunquam fore ut mulieres, juvenes ac puellae à se inaures paterentur avelli discerpive. Nec falsus Aaron opinione fuit: apparet enim ex versu 3. ubi dicitur, *Sustulerunt itaque omnis populus inaures aureas, quae erant* באזניהם *in auribus suis*, sive *eorum* non *earum*, minime mulieres fuisse sed viros qui inaures ab auribus detractas Aaroni obtulerint. Atque ita censet Isaacus Arama, inter paucos Hebraeorum eruditus atque acutus; & Cabbalistae scripserunt mulieres idcirco hanc mercedem tulisse à Deo, ut in novilunio vacarent à labore, viris offerentibus hircum ad expiationem. Ad rem revertor. Quid Aaron postquam inaures accepisset? Vitulum noluit ex proplasmate effingere, sed quo lentius opus procederet nec prius absolveretur quàm Moyses reversus esset, inaures in ignem seu fornacem conjecit omnes, juxta illud cap. 32. Exod. v. 24. *& projeci illud* aurum *in ignem*, &c. èque conflata inde massa vitulum caelo expressit: interea vero in eo elaborando opere nihil artis aut industriae omissum, ut eo magis Israelitarum stupiditas coargui convincique posset, postquam cernerent in imagine tanta arte laboreque perfecta virtutis inesse nihil, adeo ut culpa non in autorem seu artificem, sed in ipsammet imaginem conferenda esset. Ac sic Eliam legimus gessisse erga Baalis prophetas, quibus dicebat in hunc modum, *Eligite vobis juvencum unum, & facite primi*, seu *primum*, *quia vos plures estis*, &c. 1 Reg. 18. 25. Non defuerunt tamen ex Israelitis, ita amens & furiosa erat illa gens, qui capti tum artis elegantia tum materiae pulcritudine vitulum illum statim adorarint, antequam ullam ejus virtutem essent experti; judicarintque simili aliqua figura in educendo ex Aegypto populo usum Moysem, sic ut dixerint, *Hic est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Aegypti.* Cum autem animadverteret Aaron tantam dementiam, excitavit altare, edixitque diem Domino

mino festum in posterum diem; cogitabat enim Moysem de omnibus ut acta erant tandem à Deo edocendum, ideoque cito venturum nec cessaturum amplius. Sed illi Aaronis mentem aliorsum atque erat accipientes, insequente die non exspectato Aarone, primo mane, vitulo ut in quo (sic enim quidam existimare possent) Deum latere fortassis sibi persuadebant, (etsi vitulum ceu idolum tunc Israelitarum quosdam saltem coluisse vulgo Hebræi putent) in altari illo fecerunt, non sine profusa hilaritate: ita ut non minus apte quam vere dici possit, היה דבר הזה תחלתו שגג וסופו זדון *Initium istius rei fuit incogitantia, finis vero arrogantia* (seu *malitia*) *peccatum.* Nam in isto vituli cultu, quocunque accipiatur modo, & quæ illi cunque obducatur species, non potuit non esse extremum scelus summaque impietas, præsertim nulla adhuc ejus experta virtute. Et quoniam recta Aaronis mens fuerat, idcirco in eum à Deo haud animadversum: & Moyses, qui Levitas in quemque noxæ reum nullo sanguinis aut amicitiæ discrimine districto gladio ferri imperavit, ne inultum tantum scelus abiret, Aaroni, initio tamen leviter objurgato, pepercit, nunquam facturus si in culpa eum esse cognovisset: is enim erat qui nihil gratiæ concederet. Neque vero Deus de Aarone apud Moysem conquestus est, sed de populo tantum, ac neque etiam universo, dum ait v. 7. toties notati capitis, *Vade, descende: quia* viam suam *corrupit populus tuus*, (*populus tuus* tantum inquit, non omnis populus tuus) *quem eduxisti è terra Ægypti.* Nihil obstat quod Deut. 9. 20. scribitur Deus in Aaronem etiam iratus fuisse vehementer ea de causa ita ut vellet illum perdere. Hoc enim nihil aliud significatur quam gravitas istius peccati tanta, ut non satis esset eos perdi quorum mala mens fuerat, nisi etiam Aaron cujus manu vitulus fuerat fabricatus perderetur, etsi rectum ejus consilium fuisset, בעבור שאירע התקלה על ידו, *propterea quod ejus opera causa mali exstitisset.* E Rabbinis sunt qui expendant cur dictum sit, *ædificavit* Aaron *altare coram eo.* Nempe ajunt, Haud dubium quin una cum illo ii quoque voluerint exstruere altare: sed non sivit ipse, admonens altaris dignitatem non ferre ut alius quam ipse operam commodaret. Aaronis autem hic quoque non aliud consilium fuit quam ut dum sic negotium opusve in dies proferebatur, interea temporis Moyses è monte descenderet. Sibi autem ipsi, inquiunt, altare exstruebat. Expendunt item Rabbinorum nonnulli, allegoricorum præsertim, versum 6. ubi Israelitæ sacrificia duntaxat obtulisse dicuntur; cui vero, Deo an vitulo, non exprimitur. Volunt hi igitur Deo non vitulo fecisse Israelitas. Nam versum 8. ubi vitulo dicuntur oblata sacrificia, non de Israelitis, sed de extraneis qui se illis miscuerant, interpretantur, deque his hoc usurpant vetus verbum, קשים גרים לישראל כספחת בבשר חי, *Id sunt Israelitis extranei, quod scabies carni vivæ*: quod hi suo exemplo non paucos ex Israelitis in idem scelus pertraxerint. Verum istos dum majorum suorum causam nimis pie accurateque defendunt, vim textui sacro facere palam omnibus fiet qui locum adire voluerint. Certum enim est ex contextu versuum 6, & 8. de Israelitis esse accipiendos. Ridicule porro isti Allegorici enarratores conjiciunt ex eo quod scribitur, *Locutus est autem Dominus ad Moysem, Vade, descende; quia corrupit*, nempe viam suam, *populus tuus, quem eduxisti*, &c. non autem *populus meus, quem eduxi*, &c. non queri Deum nisi de extraneis illis quos diximus: perinde ac si diceret Deus, Populus tuus isti sunt, non meus. Tibi dixeram, *Educam exercitus meos, populum meum, filios Israel*, &c. tibi vero visum est admittere extraneos: isti igitur tui sint, non mei. Quam levis & jejuna sit hæc conjectura quivis per se satis intelligit; modo ne Rabbinico prorsus ingenio sit, i. solerti & acuto in nugis: etsi tamen non omnes Rabbini sic sunt. Alii ex Hebræis paulo aliter rem totam explicant. Nempe volunt nihil aliud postulasse ab Aarone Israelitas nisi ut imaginem conderet aliquam per quam deinceps ducerentur regerenturve. Ajunt enim hi etiam calluisse Ægyptios artem quandam fabricandarum seu conflandarum imaginum quæ vim à superioribus corporibus summam acciperent, miraque adeo inter mortales efficerent. Quod igitur Israelitarum plerique, aut nonnulli saltem, ejusmodi aliqua usum imagine Moysem in patrandis hactenus prodigiis ac miraculis crederent, serio suspicarentur certe, cum Moysem abesse viderent, nunquam enim coram Moyse tale quicquam ausuros fuisse, occasione utendum ratos, Aaronem adiisse rogasseque uti imaginem seu signum conderet aliquod per quod deinceps res futuras possent cognoscere, prodigiosa facere, ac denique in illo vastissimo deserto duci ac regi. Non enim illos dubitasse quin Aaron ejusmodi fabricandarum imaginum peritus esset non minus quam frater. Sane vero suam hi sententiam confirmant quod non dictum ab Israelitis sit, *fac nobis Deum*, quem colamus, sed *qui nos præcedat.* Non ergo, inquiunt, quicquam de idololatria tum cogitabant, præsertim cum in vicem absentis Moysis peterent quicquid illud esset quod peterent: dicebant enim, *Moysi enim huic viro qui nos eduxit è terra Ægypti, ignoramus quid acciderit ei*; quod aliud nihil est quam, periit enim nobis Moyses dux noster. Unde ducem ac rectorem tantummodo seu aliquid cujus beneficio ducerentur, non Deum Israelitas petiisse concludunt, quod nunquam Moysem pro Deo illi habuerint. Deinde ajunt quoque tergiversatum diu Aaronem, & quas potuit operi moras nexuisse, dum adveniens Moyses seditionem pro sua sapientia atque autoritate compesceret. Non potuisse autem illum facere quin Israelitarum nonnulli viri male sani atque à mente prorsus alieni, aureum vituli signum tandem perfectum, nulla adhuc experta ejus virtute, sola materiæ artisque elegantia capti statim adorarint exclamarintque, *Hic est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Ægypti*: qui hoc solum vellent, Hæc figura est aut similis aliqua cujus beneficio Moyses nos ex Ægypto eduxit. Nolebant, inquiunt, hoc profecto, vitulum suis ex inauribus conflatum Deum illum esse qui causa est causarum ac rerum omnium principium; sed ita sentiebant, non Dominum Deum fuisse qui tot tantaque hactenus perpetrasset, sed Moysem ipsum beneficio similis cujusdam signi aut imaginis, quam forte (ego hoc dico) Ægyptiorum more Deum vocarent atque adorarent. Deinde addunt, Aaronem cum animadverteret tantam quorundam insaniam qui pauxillo auri cultum exhibuissent, altare erexisse atque diem Domino festum in crastinum diem edixisse, quo scilicet idololatriam averteret: sed longe aliter cecidisse ac putarat Aaron; illos enim primo mane vitulo non Deo in altari illo fecisse. Hæc è variorum Rabbinorum commentariis fere excerpsimus, nonnulla interdum ubi visum est emendantes, deque nostro addentes supplentesque: quæ ego omnia neque affirmo neque nego. Ea sunt mehercule, quibus tot incommodis absurdisve quæ propositi versus prima fronte objiciunt, non omninò inepte occurri possit. His igitur nihil adjicerem nisi me hujus vituli facta mentio ut de duobus ab Hieroboamo Rege populo ad colendum propositis breviter saltem dicerem admoneret. Res sic habet; Salomone extincto, quia filius Roboamus ejus in imperio successor populi rogantis remitti laxarive vectigalia, quæ Salomon gravissima imposuerat, justas preces de suorum æqualium sententia superbe acerbeque rejecerat, regnum Israeliticum jam Salomonis vitiis labans scissum est in duo, sic ut Roboamo tribus duæ duntaxat, Judæa & Benjaminia, Hieroboamo vero qui in Salomonis servis aliquamdiu fuerat reliquæ decem ex Dei nutu & voluntate cesserint. Sed veritus Hieroboamus ne si populus Hierosolymam quæ in parte duarum tribuum erat ad statos festos ex Legis præscripto adiret, tandem à se ad veterem dominum ac regem deficeret, statuit suorum animos superstitione implicare, quo rebus & saluti suæ consuleret. Itaque duas ex auro vitulorum effigies erexit, Bethele & Dane, quibus deinceps populus litaret, ne amplius sacrorum causa Hierosolymam proficisceretur. Exstruxit quoque fana editis in locis, sacerdotesque instituit etiam ex infima plebe, omissa tribu Levitica. Historia hæc copiose describitur 1 Reg. 12. Circa quam nunc quæritur potissimum, qui sperare potuit Hieroboamus persuasurum se populo vitulos ut coleret, & qui in hoc negotio se gessit, præsertim cum non nescirent omnes quam non bene vitulus ab Aarone erectus majoribus olim vertisset. Vult Kimhi ipsum Hieroboamum hac ferme oratione aggressum Israelitas; Numquid scitis Israelitarum Regnum Dei nutu ac voluntate distractum in duo, sicuti mihi dudum ab Achia Silonite, Propheta, prædictum fuerat? [1 Reg. 11.] Si ita est, non delectatur amplius Deus regno Davidis, nec adeo Hierosolyma ejus regni sede. Quid igitur faciendum nunc nisi ut quamprimum statuatur alter locus quo veniatis sacrificatum? Cum autem Aaron in vicem absentis Moysis statuerit olim majoribus vestris vitulum in quo Divina majestas resideret, idem putatote vobis esse faciendum, proque domicilio quod Deus antea habebat Hierosolymis ponite vobis vitulum ubi Deus habitet. Addit Kimhi, Atque hæc causa, quamobrem Hieroboamus de vitulis à se conflatis eadem usurpaverit verba quæ Israelitæ in deserto, *Hic est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit e terra Ægypti*, 1 Reg. 12. 28. neque enim ejus consilium fuit idolum colendum proponere. Pergit; Cur autem duos Hieroboamus erexit vitulos? Ne nimis fatigarentur Israelitæ, si illis in unum locum esset veniendum. Ita ferme Kimhi, ac satis commode profecto, qui, ut ego quidem arbitror, non est existimandus sensisse vitulum populo exhibuisse Aaronem ut in eo Deum haberet coleretque; sed hoc tantum, ita suasisse ac persuasisse suis Hieroboamum, ut eos ad suorum vitulorum cultum adduceret, licet fortasse aliam prorsus fuisse ipsius Aaronis mentem ipsi constaret. Verum Kimhi minime docet quid iis responderit Hieroboamus,

boamus, qui dicerent, aut certe dicere potuissent, male & infeliciter cessisse olim vituli cultum majoribus, ideoque se vitulos illos quos erexisset nolle venerari, nec iis cultum deferre ullum. Dicam igitur de hoc, quod sentio ipse, nempe Hieroboamum dixisse, vituli cultu olim offensum Deum, quod tum saltem minus sanæ mentis homines non tam Deum in vitulo quam ipsum met vitulum coluissent. Oportet sane ita locutum Hieroboamum, aut nihil effecisset suadendo suorum vitulorum cultum exemplo vituli ab Aarone fabricati, &, ut ipse quidem asseverabat, ad Deum in eo colendum propositi. Quasi vero utile ad suadendum potuisset esse illud exemplum, quod singulare justitiæ Divinæ exemplum conjunctum habens omnium potius animos longe avertisset.

20. *Arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex ea potum filiis Israel.*] E Sina monte, ubi quadraginta ipsos dies totidemque noctes una cum Deo egerat, tabulasque lapideas ejus manu exaratas acceperat, postquam descendisset Moyses, ubi ad castra propius pervenit, vitulum, quem Israelitæ colebant, choreasque conspexit. Tum vero ira percitus tabulas primum è manibus excutere, subque montis radicibus perfringere: deinde arreptum vitulum, igniqué exustum in minutum pulverem contundere, exque pulvere aquam torrentis è monte defluentis conspergere, utque ex ea omnes Israelitæ biberent imperare. Hæc historia describitur Exod. 32. ubi inter cætera hic versus, *Arripiensque Moyses vitulum quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex ea potum filiis Israel.*

Quæritur quid causæ sit, quamobrem Israelitas ejusmodi aquam bibere voluerit Moyses. Ezra & alii idcirco hoc putant à Moyse factum, ut de iis constaret qui vitulum coluissent: aquæ enim illius beneficio aut impressam sacrilegis notam in vultu, aut intumuisse eorum ventrem, cum eam alii, omnes enim bibere jussi sunt, impune potarent. Nam absque hoc fuisset, nunquam Levitas, quibus postea præcepit Moyses ut districtis gladiis sacrilegii reos cæderent, eos agnoscere potuisse. Volunt hi nimirum ejusdem fuisse virtutis eam aquam pulvere è contuso illo vitulo conspersam, atque illam quæ pulvisculo è Tabernaculi solo permixta potaque mulieri, quæ viro fecisset quod minus castæ solent, femur decutiebat ventremque distendebat, Num. 5. Fuisse istius aquæ potationem in pœnam argumento esse volunt nonnulli ex Hebræis, quod Deut. 9. 21. Moyses ejus non meminit, sicut nec trium millium [Numerat Vulgata 23. millia] virorum cædis, quia ibi scilicet pœnas silere vellet. Tantum illic ait, *projeci pulverem ejus vituli in torrentem, qui descendebat è monte illo.* Nihil addit præterea. Abarbanel sibi ait videri fecisse erga vitulum Moysem quicquid in ejus contemptum vertere poterat. Ex. gr. hic, ne pro æterno Deo crederetur, palam fecisse omnibus quàm non esset à corruptione alienus, resolvendo illum in quatuor elementa: illum enim primo exussisse; deinde ita minutim contudisse commolutumque, totus ut in pulverem abierit; pulverem postea per aera dispersum in aquam effudisse: nempe ut inde daretur intelligi, nihil Divinitatis illum habuisse, nihiloque plus virtutis quàm quæ quatuor ex elementis constant. Jussisse autem ut ex aqua pulvere illo conspersa Israelitæ omnes biberent, כדי שיצא בתשמיש הרגר נתעב תאלה, *quo tandem illa aqua cum urina, re putida fœtidaque egereretur;* sicque omnibus nihil Divini vitulum illum habuisse liquido constaret. Bechai verbo rem expedit, הם שותו כתם השקה אותם דרך כדי שיוציאו דרך הנקבים, i. *Ex aqua quam conspersisset bibere eos voluit contemptus ergo, quo nimirum eam egererent per meatus.* [Ita D. Hieron. ad Fabiolam.] Huc refert illud Esai. 30. 22. de idolis, *Et contaminabitis operimentum sculptilium argenti tui, & amictum conflatilis auri tui; disperges ea sicut immunditiam menstruatæ: Egredere,* vel juxta alios, *Sordes estis, dices ei.* Eodem propemodo & Ramban, teste Isaaco Arama, qui ipse aliud sentit, & subtiliter sane, nimirum intuere voluisse Moysem, cogendo Israelitas ex aqua pulvere è contuso vitulo conspersa bibere, per ea quæ fecerat, (nimirum exurendo, & comminuendo vitulum in pulverem) illos imbui velle Intellectus sa utari disciplina, quæ instar aquæ interiora pervaderet, ossa irrigaret, animæque medicina esset adversus imminentem perniciem; h. e. docere se illos eo ritu voluisse, hancque animis veluti instillare salutarem doctrinam, vitulum illum nihil fuisse nisi meram vituli imaginem: quæ doctrina ad propulsandam imminentem à Deo calamitatem iis utilis futura esset. Huc enim denique redit omnis ejus oratio, quæ à me referetur Hebraice, ut omnium qui Hebraice sciunt sit judicium. Sic habet; יש לומר שירמז כי במעשה הזה שעשה השקם מוסר השכל במדיני שיתחו הבא כמים בקרבכם ושקו לעצמותם ותשאר לנפשותם להחלים משארת תחלה שבקשה לפגע בם: Quæri item potest circa propositam historiam, quo consilio perfregerit Moyses tabulas Divino digito inscriptas. Melius sane fuisset si eas apud montem reliquisset: neque enim tum primum cognoscebat de vitulo; Deus quippe ei rem, ut erat, jam patefecerat. Qui legatum agit, si fortasse ii ad quos mittitur minus illum audiant, non debet propterea domini sui literas concerpere. Sunt in iis Bechai qui dicant, כי כבוא משה אל גבול טומאת העגל שפרחה הכתיבה מן הלוחות ונשארו אבנים: *Cum pervenisset Moyses ad terminum immunditiæ* (seu *impuritatis*) *vituli, avolasse scripturam à tabulis, reliquosque duntaxat fuisse lapides.* Addunt deinde eos lapides Divina scriptura destitutos perinde fuisse atque corpus sine anima, ideoque tum Moysi prægraves visos, ita ut eos statim è manibus excusserit, præsertim cum nihil Divinæ manus retinerent, nullique amplius usui esse possent. Huc pertinere volunt illud quod Mystici observant, cum notati capitis Exod v. 15. legatur Moyses duas illas tabulas בְּיָדוֹ *in manu sua* habuisse, hic nempe v. 19. dici eas abjecisse מִיָּדָיו *è manibus suis*, ut quas tum ob gravitatem utraque etiam manu sustinere non posset. Perinde autem leves fuisse ajunt lapideas illas tabulas Divina scriptura impressas ac ferri candentem laminam, quæ igne lumineve, ceu anima, veluti suffulcitur, easdem vero scriptura destitutas pristinum pondus recepisse, non secus ac facit lamina ubi frigus induit. Sunt, autore Abrahamo Seba, in lib. cui titulus, *Fasciculus myrrhæ*, (Commentarius est in Legem celebris) qui dicant, השם הראיה בלב גדול מהשמיעה וזהו אמר ו וירא את העגל ומחולות ומעל דעת וכאב לבו לא יכול לסבול את הלוחות ושבר אותם תחת ההר על שלא נשאר לו כח לסבלם, *visu magis animum affici quam auditu; ideoque ut conspexisset Moyses vitulum choreasque præ dolore non potuisse ferre tabulas, illasque perfregisse sub monte, quod ad eas ferendas amplius illi non suppeterent vires.* Alii existimant consulto dataque opera perfregisse eas tabulas Moysem, quo Israelitarum animis dolorem inureret, cum viderent sua se culpa legem Dei digito exsculptam amisisse. Ita sentit Abarbanel, qui sic scribit, לא הניח את הלוחות במקום שנתנו לו אבל הביאם בידו כדי שיראו ישראל ויחושו אברתם כאשר ישברם לעיניהם *Non reliquit tabulas in loco ubi data illi fuerant, ast secum ipse manibus deferebat, ut eas cernerent Israelitæ sentirentque quid damni facerent quando illas coram iis confringeret.* Satis vero placet hæc sententia.

GROTIUS.

1. *Videns autem populus*] Tota hæc historiæ pars abest à Josepho, verito, credo, Romanos offendere, qui & serpentem pro Æsculapio coluere, & Apidos cultum in Ægypto probabant ac tutabantur.

5. *Quod cum vidisset Aaron*]. Addunt Rabbini: & Hurem coram se jugulatum.

Solennitas Domini est] Sperabant Dei quem colebant spiritum in eam imaginem venturum, sicut de astrorum spiritibus gentes aliæ sentiebant.

6. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*] Ludere hic est saltare, Virgilius Sileno:

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere.

Est autem quod hic describitur *εὐθυμία* [*plena lætitia*], qualem actam Ægyptiis in Apidis honorem Suidas nos docet. Vide infra 18.

18. *Vocem cantantium*] Recte ex Hebræo. Minus rectè Samaritani codices ענות, quod Græci Scholiastæ vertunt φωνὴν ἀμαρτιῶν [*vocem delictorum*].

20. *Quem sparsit in aquam*] Projecit in torrentem, Deuter. IX. 21. quod Apide fieri solebat per superstitionem, id comminoto fecit in pœnam. Papinius propemptico Metii Celeris:

—— aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

22. *Quod pronus sit in malum*] In Hebræo: *nosti populum quod in malo est.* ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται [*in malo positus est*]. 1 Joh. v. 19.

25. *Nudatus*] Inermis.

33. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*] Mihi, id est, adversum me, me contemto, quod Græci bene exprimunt ἐνώπιόν μου [*coram me*].

CARTWRIGHTUS.

1. *Et vidit populus* כי בשש משה *quod Moses cunctatus est.*] LXX. κεχρόνικε *tardavit.* Vulg. *Moram faceret*: Similiter

ter Onkel. אחר, *tardavit*, seu *moram fecit*. Atque id etiam R. Salomoni probatur, qui citat Jud. 5. 28. בשש רכבו *moram facit currus ejus*. Fagius ait hic in textu Hebræo ad literam esse, *quod confusionem faceret Moses*; confusionem enim esse populo, quando destituitur מנהג. i. *gubernatore*. At etiamsi בוש sit *confundi*, (sive à בוש, sive à בשש) est *cunctari*, seu *moram facere*, uti ex illo Judicum loco est manifestum, ubi בשש & אחר idem valent. Jonathan hic habet ארום אשתהי *moratus est*; atque addit populum vidisse דעבר זמנא דקבע להון *quod præterierat tempus, quod* (*Moses*) *ipsis præfinivit*. R. Salom. ait Mosen Israelitis dixisse, se post 40 dies rediturum. Eos autem deceptos fuisse, quod diem quo Moses in montem ascendit, numero isto comprehensum putabant, cum is quadraginta integros dies intellexisset. At hæc nihil probabilitatis habent, neque enim verisimile est, vel Mosen intellexisse, nedum indicasse, quamdiu in monte moraturus esset; vel Israelitas unius diei morulam adeo impatienter ferre voluisse. Lyra refert R. Salomonem dicere, Satanam die 39. quem Israelitæ putabant esse quadragesimum, turbasse eos & ostendisse similitudinem feretri, dicentem Mosen esse mortuum. Sed ego in R. Salomone de feretro nihil reperio. Hic quidem dicit Satanam die tricesimo nono turbasse mundum (ערבב את העולם) & ostendisse similitudinem tenebrarum, caliginis, & confusionis (חשך ואפלה וערבוביא) ac dixisse, *Certe Moses est mortuus ac propterea in mundum venit confusio*. Deinde mox ad illa verba, *Nam iste vir Moses*, ait Satan eis ostendisse similitudinem Mosis, quasi per aerem veheretur.

וַיִּקָּהֵל הָעָם עַל־אַהֲרֹן *Et congregatus est populus adversus Aharonem*] Aben Ezra ait verbum קהל *congregari*, sequente על *contra*, in deteriorem partem, (לגנאי) tum, sequente autem אל *ad* in partem meliorem (לשבח) Conatur autem sedulo Aharonem pariter ac populum ab idololatriæ crimine excusare, quasi scilicet nec Aharon, nec populus de idolo fabricando cogitavit, sed duntaxat in honorem Dei vitulum fecit; fuisse autem in populo nonnullos adeo fatuos, ut vitulum in idolum verterent, dicentes *Hi sunt dii tui*, &c. Sed futilia plane sunt ista, ac inepta, cum ex textu luculenter appareat maximam populi partem idololatriæ ream fuisse; neque exemplum Achanis hic quadrare, uti vult Aben Ezra, quasi nimirum hic (v. 7.) dictum sit, *populus tuus*, &c. cum non nisi pauci ex populo crimine isto tenerentur, quemadmodum Achane duntaxat peccante, Israelem peccasse dicitur, Josh. 7.

Nam iste Moses, &c. *nescimus*, &c.] Jon. ארום משה אתוקד בטורא באשתא מצלהבא מן קדם ײ *Combustus est in monte igne flammanti à conspectu Domini*. Puto legendum בשלהבא alioqui vertendum est, *in monte ignis flammantis*; sed infra v. 23. ubi eadem verba repetuntur, legitur באשא *in igne*.

2. *Abrumpite* (פָּרְקוּ) *inaures aureas*, &c.] R. Sal. non improbabiliter ait, (*a*) Aharonem existimasse, mulieres & pueros ornamentis suis haud libenter carere voluisse; ac interea dum res protraheretur, Mosen adventurum fuisse; eos autem confestim, nulla interposita mora, ornamenta sua abrupisse.

3. *Et abrupit universus populus*, &c.] Jon. *Et renuerunt* (וסריבו) *mulieres tradere ornamenta sua viris suis, ac protinus universus populus abrupit monilia quæ erant in auribus suis* (בצידניהון) *Et attulit Aharoni*. Sed mulieres istud renuisse, nihil est quod persuadeat.

4. *Et formavit eum* בַּחֶרֶט *cœlo*] Onk. בזיפא quod idem sonat. L x x. ἐν τῇ γραφίδι, *stylo*: Miror quid secutus sit Vulgatus Interpres, qui vertit, *opere fusorio*. Amama ait חרט extra dubium esse *stylum*. Isto quidem sensu usurpatur Isai. 8. 1. atque ita istic ab ipso vulgato Interprete exponitur. R. Nathan in Concordantiis cum in isto Isaiæ, tum in hoc Exodi loco interpretatur עט i. e. *stylum*. Lyra ait in Hebræo hic esse, *in stylo*. Atque addit R. Salomonem exponere in hunc modum, quod Aharon primo in tabula stylo depinxit formam vituli, deinde artificibus tradidit, ut ad similitudinem ejus vitulum facerent. R. Salomon ait hæc verba ויצר אתו בחרט bifariam posse exponi, nempe primo ut ויצר significet, *& ligavit* [לשון קשירה] & בחרט idem sit quod בחריט *sudario* seu *velo*, vel *linteo*. Atque in hunc sensum exponit Jonathan, וצר יתהון בשושיפא; Deinde ut ויצר significet, *& formavit* [לשון צורה] & חרט sculpendi instrumentum denotet, quo nempe artifices formas solent in auro exsculpere, quemadmodum stylo scriptorio in tabulis & pugillaribus literæ exarantur כלי אומנות הצורפין שחורצין וחורטין בו צורות בזהב כאדם הכותב אותיות בלוחות ופנקס Hæc posterior expositio, sive rem ipsam, sive verba spectemus, multo videtur commodior. Neque enim satis intelligo quid sibi velit, si dicatur, *& ligavit sudario*; חרט autem sculpendi scribendive est instrumentum, ut ostensum est, nec cum חריט confundi debet, quod in plurali occurrit 2 Reg. 5. 23. & Isai. 3. 22: etiamsi in istis locis sudarii sive veli significatio haud conveniat; sed in altero loco per חריטים Marsupia, in altero autem instrumenta, quæ ad crispandos crines adhibentur significari videntur; ויצר denique est à צור, quod primo & propriè est *premere*, *arctare*, &c. deinde autem idem quod יצר i. e. *formare*. Vide Shindlerum in Pentaglotto. Aben Ezra exponit חרט per תבנית i. e. *similitudinem*. Hinc [opinor] Fagius dicit nonnullos sic intelligere, ut stylus ille fuerit formula & typus, in quem projecerat Aharon aurum, quod fusum expresserit vituli similitudinem: quia sequitur, *& fecit eum vitulum conflatilem*. Ego vero alteram expositionem potiorem duco, ut nimirum per חרט sive *stylum* sculpendi instrumentum intelligatur, vitulus autem sic effectus fuerit, non quod in fornacem sit conjectus, & imago in igne coaluerit, sed conflarunt totum aurum in fornace per ignem in unam massam, & eam rudem materiam scalpello postea formarunt, expresseruntque vituli imaginem; quod fit ab his qui sigilla & aurea vasa exculpunt. In hunc modum Fagius refert nonnullos hunc locum intelligere; atque ita eum interpretatur Steuchus, qui hic me sibi facile consentientem habet. Sic & Seldenus de diis Syri Syntag. 1. cap. 4. testatur Ebræorum nonnullos velle rudem massam imprimis conflatam, atque inde vituli figura, scalpelli seu styli opera donatam. Hoc simplicius mihi videtur, quam quod idem Vir Claris. suspicatur, notas Apidis [unde cultum vituli Israelitas traxisse multi non immerito existimant] stylo fuisse insculptas.

אֵלֶּה אֱלֹהֶיךָ וגו׳ *Hi sunt dii tui*, &c.] Quia non dicitur אלהינו *dii nostri*, sed אלהיך *dii tui*, R. Salom. hinc colligit mixtam illam turbam, quæ una cum Israelitis ex Ægypto exierunt, eos fuisse, qui adversus Aharonem se congregabant; eosque vituli faciendi authores fuisse, ac postea Israelitas ad ejus cultum traduxisse: sed collectio ista parum firmo fundamento nititur. [*b*] Onkelos & Jonathan hic habent, אילין דחלתך Fagius vertit, *hi sunt dii tui*; ad verbum est, *timores tui*, vel *timor tuus*. Eo sensu דחלא i. *timor* in Targum sæpe usurpatur. Ita etiam in Ebræo textu *timor Isaaci* pro Deo Isaaci ponitur Genes. 31. 42. & 53. Illud addo, etiamsi verba Hebræa אלה אלהיך sint pluralia, & ad verbum sonent, *Hi* [*sunt*] *dii tui*, prout habet Vulgatus interpres, & similiter LXX. οὗτοι οἱ θεοί σου, rectius tamen vertendum videri, *hic est Deus tuus*, cum unus duntaxat vitulus, ad unum verum Deum repræsentandum factus fuerit. Nec obstat vox אלה, pronomen plurale: quia enim אלהים terminationem habet pluralem, ideo interdum etiam cum sensu sit singulare, cum verbo vel adjectivo, vel pronomine plurali conjungitur. Vide Gen. 20. 13. & quæ ad locum illum à me sunt annotata.

5. חַג לַיהוָה מָחָר *Festum Domino cras*] R. Sal. ait Aharonem non dixisse, *hodie*, sed *cras*, quod existimaret Mosen forte antequam cultum exhiberent, adventurum. Atque asserit eum, cum dixit, *Festum Domino*, de Deo vero cogitasse; sperasse enim fore ut Moses veniret, atque ita populus non idolum, sed Deum coleret. Sed ista non nisi ad Aharonis peccatum excusandum conficta sunt.

6. Et surrexerunt לְצַחֵק *ad ludendum*] Jon. למגחכא בפולחנא נוכראה *ad ludendum cultu alieno*, seu *idololatria*. Similiter etiam Hierosolymitanus. Sane lusus ipse fuit idololatria, cum in honorem vituli luserint, ac convivati fuerint. Ad istum autem modum (uti loco citato notat Seldenus) Ægyptii Apim repertum publico gaudio, ac convivio celebrare solebant.

Et surrexerunt mane] R. Sal. bene notat Satanam eos currentes (quod ajunt) ad peccandum incitasse; השטן זרזם כדי שיחטאו.

7. *Vade, descende*] Jonathan, *descende de amplitudine gloriæ tuæ*. Similiter R. Salomo. Quod etiamsi à simplici ac genuino sensu loci sit alienum, tamen vere dici possit Mosen ob peccatum populi etiam eo sensu descendisse. Vide 2 Cor. 12. ver. 21.

Nam populus tuus corrupte egit] R. Sal. hic ad excusandos Israelitas Mosi se iniquiorem præbet; sic enim explicat; *Non dictum est, populus corrupte egit, sed populus tuus, nempe mixta illa turba, quam tu ultro congregasti, & proselytos fecisti, nec me consuluisti, sed dixisti, bonum est, ut proselyti divinæ Majestati se adjungant* (שדבק גרים בשכינה) *illi corrupte egerunt, & alios corruperunt*. (הם שחתו והשחיתו) Dicit quidem

(*a*) *Non absurde intelligi difficilia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret*. Aug.

[*a*] Ad eundem plane modum locutus est de vitulis suis Jeroboam 1 Reg. 12. 28.

dem R. Sal. ad vers. 19. universum Israelem apostatasse, כל ישראל משמרים; e stimat autem (ut supra ad vers. 4. est observatum) eum à mixta illa turba ad peccandum fuisse pertractum.

9. *Vidi populum hunc*] Jon. *revelata est coram me, superbia populi hujus.*

Est populus קְשֵׁה־עֹרֶף *dura cervicis*] R. Sal. non male explicat, *cervicis suæ duritiem obvertunt eis, qui ipsos redarguunt, ac audire recusant.* Aben Ezra ait esse Metaphoram sumptam ab homine, qui in cursu suo pergit, nec cervicem reflectit, cum quis ipsum inclamat. In versione LXX. Interpretum (de edit. Rom. loquor) totus hic versus desideratur.

10. *Et nunc* הַנִּיחָה לִּי *dimitte me*] Ad verb. *mihi*; q. d. Iram ac indignationem meam mihi dimitte. Onk. *Dimitte orationem tuam à conspectu meo.* Jon. *Dimitte orationem tuam, nec clames pro eis coram me.* Non contemnenda hic est R. Salomonis glossa; *Non* (inquit) *hactenus audivimus Mosen pro eis interpellasse; ille autem ait, dimitte* (vel *sine*) *me; hic nempe ostium ei aperit* (ansam ei præbet) *atque ei indicat, rem ab ipso pendere, adeo ut si pro eis interpellaverit, eos non perdat.*

Et te faciam לְגוֹי גָּדוֹל *in gentem magnam*] Fagius ait bifariam exponi; vel, efficiam ut ex te gens magna oriatur; vel, præficiam te alii genti multo majori. Sed prior expositio Hebrææ phrasi multo est accommodatior. Nam facere in gentem magnam, idem est, ac facere gentem magnam. Ut Gen. 2. 24. *erunt* לבשר אחד *in carnem unam*, i. e. caro una.

11. *Et oravit Moses*, &c.] Aben Ezra putat ordinem rerum gestarum hic, ut alibi sæpe in Scriptura, non observari, orationem nempe hanc non suo loco positam esse, sed post v. 31. collocari debuisse. Quorsum enim (inquit) dixisset Moses Israelitis, v. 30. *fortasse propitiationem faciam pro peccato vestro*, si jam antea oratione ipsius Deus placatus fuisset? sed non video quo minus dici possit, Mosen antequam è monte descendisset, Dei iram deprecatum esse, nihilotamen minus cum horrendum populi peccatum aspexisset, ei adeo metuisse, ut iterum multoque instantius sibi orandum esse judicaret.

12. *Quare loquentur Ægyptii, dicentes,* בְּרָעָה *propter malum eduxit eos*, &c.] Litera ב in ברעה idem valet quod בעבור *propter*; ut Gen. 18. 28. *Num perdet* בחמשה *propter quinque*, &c. בחמשה recte ibi exponit Aben Ezra בעבור חמשה. Hic autem veteres Hebræi (referente Aben Ezra) acceperunt ב in usitata Significatione, ברעה *in malo*, atque ita exposuerunt, *Quare loquentur Ægyptii, dicentes, in malo eduxit eos*, &c. i. e. in malo Sidere (במזל רע) exierunt ex Ægypto, nec vim sideris istius Deus superare potuit, ut eos, qui sibi adhærent, eriperet, ac propterea eos occidit. Sed expositio ista argutior merito censetur.

13. זְכֹר לְאַבְרָהָם לְיִצְחָק וּלְיַעֲקֹב עֲבָדֶיךָ *Memento Abrahamo, Isaaco, & Jacobo servis tuis*] Sic exponendum videtur ob literam ל, uti monet Aben Ezra, asserens propterea non ita exponi debere ac illud Psal. 74. 2. זכור עדתך קנית קדם *Memento congregationis, quam olim acquisivisti*; Sed sensum esse, שתזכור להם שבועתך, *Memento ejus juramenti tui.* Iste sane genuinus est verborum sensus, ut Deus juramenti sui Abrahamo, Isaaco ac Jacobo præstiti recordetur. R. Salomonis commentatio hic adeo est inepta, ut recitatione indignam censeam.

14. וַיִּנָּחֶם יְהוָה *Et pœnituit Dominum*, &c.] Recte Aben Ezra, דברה תורה כלשון בני אדם *Lex* (sive *Scriptura*) *loquitur juxta linguam filiorum hominum*, i. e. more humano; nam proprie Deum pœnitere est impossibile, prout dicitur, 1 Sam. 15. 29.

15. *Tabulæ erant scriptæ* מִשְּׁנֵי עֶבְרֵיהֶם *ex utroque latere suo*] Vulg. *ex utraque parte.* LXX. ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν αὐτῶν, *ex utrisque partibus suis.* Talmudici, & ex recentioribus Rabbinis nonnulli (teste Buxtorfio in dissertat. de Decalogo §. 30.) volunt sculpturam literarum in Tabulis istiusmodi fuisse, ut lapides penetraret, & tamen singulari quodam miraculo literas & lineas recte & ordine ab utraque parte legi potuisse. In hac etiam sententia fuisse videtur R. Salomon, qui ad hæc verba, משני עבריהם *ab utrisque lateribus suis*, habet hanc glossam, היו האותיות נקראות ומעשה נסים הוא *literæ legebantur; & opus miraculosum hoc erat.* Sed hæc interpretatio merito displicuit Aben Ezræ, qui bene observat non dictum esse literas ab utraque parte visas esse, sed Tabulas ab utraque parte scriptas esse. Alii per utrumque Tabularum latus intelligunt dextrum & sinistrum, ita ut in anterioribus duntaxat Tabularum partibus Decalogus esset scriptus. In hanc sententiam ex Hebræis quosdam citat Buxtorfius, eamque cum plerisque nostrorum interpretum placuisse, tum sibi verisimillimam videri asserit. Mihi autem (fateor) minus arridet ista expositio; Nam si in duabus Tabulis omnino scriptus sit decalogus fieri non potuit quin ad illum modum ab utraque Tabularum parte scriberetur, ut istud tanto præsertim verborum apparatu admonere prorsus supervacaneum fuerit. Sed nec intelligo quemadmodum juxta istam interpretationem vere proprieque dici possit Tabulas משני עבריהם מזה ומזה *ab utrisque lateribus suis, hinc & inde scriptas esse*, cum revera, si ista obtineat sententia, non nisi ab uno duntaxat latere scriptæ fuerint. Ego igitur eis omnino assentiendum censeo, qui dicunt Decalogum in adversa pariter ac aversa Tabularum parte scriptum fuisse; nec video quemadmodum verba Scripturæ in alium sensum commode trahi possint, quam ut משני עבריהם *ab utrisque lateribus suis* hic idem si quod Ezech. 2. 10. פנים ואחור *ante & retro*, seu *intus & in tergo* ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν uti de libro quodam dicitur, Apoc. 5. 1.

16. *Et Tabulæ erant opus Dei.*] Nempe à Deo ipso creatæ, ut exponit Aben Ezra, qui etiam notat hoc ideo memoratum, quod alteræ Tabulæ à Mose erant dolatæ. Sic etiam R. Sal. ait Deum Tabulas hasce fecisse בכבודו *gloria* (h. e. gloriosa potentia) *sua.*

חָרוּת עַל־הַלֻּחֹת *Exaratam super Tabulas*] LXX. κεκολαμμένη *sculpta*; atque ita Vulg. Onk. מפרש *explicata.* Jonath. חקיק ומפרש *sculpta & explicata*, seu *explicate scripta.* R. Sal. deducit à חרת litera ת in ט mutata, ut חרט sit celo seu stylo sculpere. Aben Ezra indicat nonnullos velle חרות, idem esse quod חרש, quod est *exarare*, Jerem. 17. 1. על לוח לבם חרושה *exaratam super tabulam cordis ipsorum.* Atque hoc mihi maxime probatur, cum ש in ת in Chaldaica præsertim Dialecto frequenter mutetur. Dictio hæc (uti notat Aben Ezra) alibi in Scriptura non occurrit. Buxtorfius loc. cit. §. 28. ait, Hebræos communiter explicare per חקק *sculpsit*, quod fit per incisionem & excavationem.

17. *Et audivit Joshua vocem populi* בְּרֵעֹה *cum vociferaretur.*] ad verbum, *in vociferatione ejus.* ה in ברעה est loco ו, ut Genes 49. 11. עירה & סותה pro עירו & סותו. Onkelos, כד מיבבין *quando vociferabatur.* Jonathan, כד מיבבין בחדוא קדם עגלא *quando vociferabatur præ gaudio coram vitulo.*

18. *Et dixit, &c.*] Aben Ezra refert R. Saadiam velle hæc etiam esse verba Josuæ; ipse autem ea Mosi potius tribuenda censet, quod de eo statim dicatur vers. 19. *Et factum est cum appropinquaret*, &c. atque hoc quidem longe videtur probabilius.

אֵין קוֹל עֲנוֹת גְּבוּרָה וְאֵין קוֹל עֲנוֹת חֲלוּשָׁה קוֹל עַנּוֹת אָנֹכִי שֹׁמֵעַ *Non est vox eorum, qui vincunt, nec vox eorum, qui victi sunt; sed vocem cantandi ego audio.*] Ad verbum, *Non est vox* (a) *clamandi fortitudinem*, seu *potentiam*, *nec vox clamandi debilitatem, &c.* LXX. οὐκ ἔστι φωνὴ ἐξαρχόντων κατ' ἰσχὺν, οὐδὲ φωνὴ ἐξαρχόντων τροπῆς, ἀλλὰ φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου ἐγὼ ἀκούω. *Non est vox præcinentium secundum fortitudinem, neque vox præcinentium fugam; sed vocem præcinentium vinum ego audio.* Scholiastes explicat, οὔτε νικώντων, οὔτε φευγόντων, *neque vincentium, neque fugientium.* Atque addit Samariticum habere, οὐκ ἔτι φωνὴ ἀποκρίσεως ἀνδρείας, οὐκ ἔτι φωνὴ ἀποκρίσεως ἥττης ἀλλὰ φωνὴ ἁμαρτιῶν ἐγὼ ἀκούω, *Non jam vox responsionis fortitudinis* (i. e. ut interpretatur Nobilius, respondens, ac præ se ferens fortitudinem) *nec jam vox responsionis cladis; sed vocem delictorum ego audio.* In Hebræo autem nihil est, quod vel vinum, vel delicta denotet. Vulg. *Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio.* Onkelos, לא קל גברין דנצחין בקרבא ואף לא קל חלשין דמתברין קל דמחכין אנא שמע *Non est vox fortium prævalentium in prælio; nec est vox debilium, qui superantur; sed vocem ludentium ego audio.* Jonathan, *Non est vox fortium, qui in acie vincunt, nec est vox debilium qui ab adversariis suis in acie vincuntur; vocem eorum qui colunt idolum, & coram eo ludunt, ego audio.* Hierosolym. *vocem eorum qui cantant* (ad verbum *laudant*, מקלסין) *in cultu alieno.* Q. d. Vocem eorum, qui in honorem idoli cantant, qui laudem idoli celebrant. Aben Ezra ait hoc id respicere, quod dictum est v. 6. Israelitas nempe ad ludendum surrexisse.

19. *Et projecit Tabulas è manibus suis*, &c.] R. Salom. ait Mosen secum reputasse, quemadmodum prohibitum fuit, nec quis alienus Pascham, quod unum duntaxat præceptum fuit, observaret; multo igitur minus æquum fuisse, ut tota Lex Israelitis, cum jam apostatassent, traderetur. (b) Sunt qui aliud quiddam de R. Salomone referunt, nempe eum fabulari, quod

(a) Vel clamoris fortitudinis, &c. (b) D. Willet, ad locum.

quod in Tabulis scriptum fuit, subito fuisse deletum, ac propterea Mosen, cum videret Tabulas nulli deinceps usui esse, eas confregisse. Sed unde ista habuerunt, ipsi viderint; ego sane id duntaxat, quod memoravi, in R. Salomone reperio.

20. *Et combussit igne*] Aben Ezra ait nonnullos interpretari, *& liquefecit igne* (וישרף באש) addit autem istam interpretationem haud esse necessariam; rem enim quandam esse, quæ si cum auro in ignem ponatur efficiat ut aurum comburatur & nigrescat, nec unquam ad auri naturam redeat (לא ישלם לאין שב אל) idque probatum ac certum esse. Videtur sane aureus iste vitulus in ignem fuisse conjectus, ut comburendo fieret friabilis, atque ita commolendo in pulverem redigeretur.

Et potare fecit filios Israel] (a) R. Sal. ait hoc ideo factum, ut ita Israelitæ probarentur, utrum cultus idololatrici rei essent, nec ne; si enim crimine isto tenerentur, aquam epotam effecisse, ut ventres ipsorum intumescerent, (שבדקום המים ונבו בטניהם) Lyra etiam hoc ex R. Salomone notat, atque addit alios Doctores (Hebræos, opinor, intelligit) dicere, colorem auri circa eorum ora remansisse, atque ita ab aliis fuisse distinctos. Aben Ezra priori sententiæ accedit, nempe ventrem eorum, qui in culpa erant, epota aqua intumuisse, atque inde filios Levi perspectum habuisse quinam idololatræ fuerint. Hoc autem (ut ipse non dissimulat) ideo suspicatur, quod existimet non nisi paucos aliquot è populo vitulum adorasse. At hoc (quantum ex sacro textu licet judicare) neutiquam videtur probabile; nec videtur Moses aliud sibi hac in re propositum habuisse, quam ut facinoris perpetrati detestationem ostenderet, ac in populum, qui universim deliquisset, vindictam quandam exerceret.

22. *Tu nosti hunc populum, quod* ברע הוא *in malo est*] LXX σὺ γὰρ οἶδας τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ τούτου, *tu enim nosti impetum populi hujus*. i. e. quanto impetu ad malum feratur. Vulg. *quod pronus sit ad malum*; quod nimis molle est, ac dilutum; Hebræa phrasis est emphatica, ac (ut bene observat Amama) videtur hic locus genuinus esse isti 1 Joh. 5. 19. καὶ ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, *& totus mundus in malo positus est*. Onkelos Hebræa ad verbum reddit, ארי בביש הוא, Fagius vertit, *quod pronus sit ad malum*; sed in Annot. monet ad verbum esse, *quod sit in malo*, ac Hebraismum esse, pro, quod omnino malus sit. Quin & addit Joannem Hebraismum hunc habere loco antea citato. Jonathan sic ... *Tu nosti populum hunc, quod filii justorum sunt, veruntamen concupiscentia prava est, quæ eos seduxit*. Sed hoc ad extenuandum populi peccatum, contra Scripturæ mentem dictum videtur. Ludovicus *de Dieu* vult ב in ברע hic nominativum designare, *quod malus sit* (sic ille exponit) atque asserit id in Arabismo, pariter ac Hebraismo usitatissimum esse, multosque Scripturæ locos accumulat, ad quos Lectorem remittit. Istorum autem locorum nonnulli ad rem minus faciunt, in aliis etiam litera ב vulgarem suum usum satis commode retinere potest, nempe ut ablativo inserviat, ac significet *in*; & ut alibi fortasse observatio ista locum habeat; hic certe eo confugere opus non est, cum Hebræis verbis, prout simpliciter accepta sonant, emphasin quandam inesse appareat.

24. *Et exiit vitulus iste.*] Jonathan, *Et intravit Satan in eum, & exiit ex eo similitudo vituli hujus*. Vel *hæc similitudo vituli*. ונפק דמות עגלא הדין Lyra refert nonnullos dicere, Aharonem projecisse aurum in ignem ut periret, sed diaboli opera inde formatum esse vitulum. Ita quidem R. Salomon hæc intelligit, ac si Aharon diceret præter intentionem suam accidisse, ut fieret vitulus, ולא ידעתי שיצא העגל הזה ויצא, *nec sciebam fore, ut exiret vitulus iste, sed exiit*. Burgensis etiam addit. 3. dæmonum ope mirabilia quædam in vitulo isto apparuisse, unde populus eum pro Deo habuerit: atque ad hoc facere ait id quod dicitur, *egressus est vitulus iste*. Et Addit. 6. ait in vitulo operatione diaboli similitudines quasdam operum vitæ apparuisse, quasi nimirum horum verborum sensus esset, vitulum sua sponte ex igne egressum esse. Sed hæc ego nimium inepta, ac à mente Aharonis (etiamsi & is remissius de peccato suo locutus videtur) longe remota arbitror. Augustinus hic quærit, an Aharon sui excusandi causa mentitus sit, quasi nimirum is in ignem aurum periturum projecerit, atque ipso non id agente forma vituli exierit. Hoc autem credendum non censet, sed potius Aharonem compendio esse locutum. Atque hoc quidem est multo verisimilius, etiamsi de industria ad iram Mosis mitigandam sic locutus videatur.

25. *Et vidit Moses populum* כי פרע הוא *quod nudatus esset.*] R. Sal. exponit, פרע per מגולה i. *retectus, nudatus*, ut sensus sit נתגלה שמצו וקלונו *revelata fuit infamia, & ignominia ejus*. Notat insuper verbum פרע ea significatione usurpari Num. 5. 18. ופרע את ראש האשה *& nudabit caput mulieris*. Eo sensu alibi non raro in Scriptura verbum istud reperitur. Jonathan & Hierosolymitanus Paraphrastes Hebræam vocem Chaldaice flexam retinent, פריען, Onkelos habet בטיל *vacuus, inanis, otiosus*, & (ut Fagius vertit) *inutilis*. Isto quidem sensu quandoque פרע usurpatur, ut supra 5. 4. *Quare Moses & Aharon* תפריעו את העם ממעשיו *cessare facitis populum ab operibus suis?* Et Prov. 1. 25. ותפרעו כל עצתי *& rejecistis (inane seu inutile reddidistis) omne consilium meum*. LXX. ὅτι διεσκέδασται, *quod dissipatus esset*. Ad istum verbi usum respexisse videntur. Vulg. *quod esset nudatus*. Atque huic quidem loco ista significatio congruentior videtur, quod statim sequatur, כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם *Nam nudaverat eos Aharon ad infamiam inter adversarios ipsorum*. Quanquam & alterum sensum non male congruere fateor.

לשמצה בקמיהם *In ignominiam inter adversarios ipsorum*] h. e. ut explicat R. Sal. להיות להם הדבר הזה לגנות בפי כל הקמים עליהם *ut res ista eis sit vituperio in ore omnium qui adversus eos insurgunt*. Sic Psal. 18. 39. תכריע קמי תחתי *incurvasti sub me eos, qui contra me insurgunt*, adversarios meos; קמי pro קמים עלי uti plenius exprimitur Psal. 3. 1. Est enim (ut notat Aben Ezra) concisa locutio, דרך קצרה. Onkelos autem (ut idem observat) alio sensu accipit vocem בקמיהם, nempe juxta illud Num. 32. 14. והנה קמתם תחת אבתיכם *Et ecce surrexistis loco patrum vestrorum*. Sic enim interpretatur לאסבותהון שום ביש בדריהון *ad contaminandum eos nomine malo in generationes suas*. Quasi בקמיהם exponendum sit, *inter eos qui ex ipsis exsurgent*. Sed alteram expositionem præferendam censeo, *inter eos, qui adversus ipsos insurgunt*. Ad istum modum LXX. τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν *adversariis ipsorum*. Et Vulg. *inter hostes*. De voce autem שמצה Aben Ezra eam exponit per דופי & דבה i. e. *opprobrium* & *infamiam*. Eo sensu etiam omnes (quos vidi) Interpretes acceperunt præter LXX. qui vertunt ἐπίχαρμα, *gaudium*; quanquam nec istud interpretamentum ab eo sensu est alienum. Totum versum Jonathan sic vertit, *& vidit Moses populum, quod nudati essent; nam per Aharonem* (vel *opera Aharonis* על ידי אהרן) *nudati erant corona sancta, quæ fuit in capite eorum, quæque nomen magnum & gloriosum in se insculptum, & explicatum* (seu *explicate scriptum* מפרש) *habuit & exivit fama eorum mala inter populos terræ, & acquirebant sibi nomen malum in generationes suas*.

26. *Et congregati sunt ad eum omnes filii Levi*] R. Salom. hinc colligit totam Tribum Levi ab adoratione vituli fuisse immunem. Sed contrarium patet ex Deut. 33. v. 9. Conatur quidem R. Sal. ad locum istum verba Mosis in alienum sensum detorquere, quasi per fratres ibi memoratos Israelitæ duntaxat intelligantur, non autem ii qui de tribu Levi erant, idque propterea quod hic dicatur, omnes filios Levi ad Mosen fuisse congregatos. Sed quid ni hic, ut alibi quandoque in Scriptura, id quod maximæ parti competit, in universum omnibus tribuatur?

28. *Et ceciderunt ex populo*, &c.] Jon. *Et ceciderunt ex populo in cujus facie erat signum*, &c. Nam (ut supra ad v. 20. notavi) censet eos, qui aurum ad fabricandum vitulum dederant, (כל מאן דיהב תמן כל מאנא דדהבא) epoto vituli pulvere, notam quandam statim in facie emergentem habuisse. נפקא בגונא סומא.

29. ויאמר משה *Nam dixerat Moses*] Aben Ezra bene monet ויאמר hic valere וכבר אמר *Nam jam antea dixerat*.

מלאו ידכם היום ליהוה *Consecrate vos hodie Domino*] Ad verb. *Implete manum vestram*, &c. Onkelos, *Offerte manu vestra oblationem hodie coram Domino, unusquisque pro filio suo, & pro fratre suo*, &c. Jonathan, *Offerte oblationem vestram pro effusione sanguinis, qui est in manibus vestris, & propitiatio erit vobis coram Domino; nam percussistis unusquisque filium suum, & fratrem suum*, &c. Sed iste sensus est valde alienus, uti ego quidem arbitror. R. Salomon veram ac genuinam verborum expositionem assecutus videtur; אתם ההורגים אותם בדבר זה תתחנכו להיות כהנים למקום *Vos qui interficitis illos in hac causa, initiabitis vosmet ipsos, ut sitis sacerdotes Deo*. Id Moses videtur voluisse, interfectionem istam idololatrarum quasi oblationem Deo gratissimam esse, ac Levitas ministerio isto Deo fore consecratos. Vulgat. *Consecrastis manus vestras hodie Domino*. Miror hunc locum ab Amama prætermissum; nam certe

(a) Jonathan ait ex aquæ istius potatione factum esse ut in eorum, qui deliquerant, facie signum quoddam existeret. Vide infra ad v. 28.

te מלאו est imperativum, *Consecrate* (ad verb. *implete*) nec ullo modo significare potest *consecrastis*, quod est מלאתם, LXX. ἐπληρώσατε τὰς χεῖρας ὑμῶν, &c. *Implevistis manus vestras*, &c. Sed suspicor corruptam esse lectionem pro πληρώσατε, *implete*.

כי איש בבנו ובאחיו *Etiam quisque in filio suo, & in fratre suo.*] Aben Ezra recte mihi videtur exponere, ut sensus sit ואפילו יהיה העבד כנו או אחיו שיהרגנו *etiamsi cultor ille* (*vituli*) *sit filius, vel frater ipsius, eum tamen interficiat.*

32. *Dele me e libro tuo, quem scripsisti*] Jonathan, *Dele me nunc è libro justorum, in quo nomen meum scripsisti.* R. Salomon inepte de libro Legis interpretatur; quasi (scilicet) Moses voluerit, ut è tota Lege nomen ipsius deleretur, ne quis unquam diceret, eum non potuisse Israelitis à Deo veniam impetrare.

33. *Eum delebo è libro meo*] Vide Psal. 69. 28. ubi deleri è libro viventium, & non scribi in libro justorum, idem valent. Quos igitur in libro vitæ nequaquam scriptos esse apparet, ii è libro isto deleti esse dicuntur.

34. *Cum autem visitavero, visitabo super eos peccatum ipsorum*] Non male mihi videtur R. Sal. hunc locum exponere, quasi dicat Deus, *Nunc tibi auscultavi, ne eos simul ac semel consumam* (מלכלותם יחד) *sed quotiescunque visitavero super eos iniquitates ipsorum, visitabo etiam super eos nonnihil de hac iniquitate cum iniquitatibus reliquis.* Atque addit, ואין פורענות באה על ישראל שאין בה קצת מפרעון עון העגל, *Nec ulla pœna fuit Israeli quin pars ejus aliqua fuit ob pœnam iniquitatis vituli.* Similiter R. Moses Gerundensis (uti refert Fagius ad v. 2. hujusce capitis, & Seldenus de diis Syris Syntag. 1. cap. 4.) ait, אין לך ישראל פורענות שאין בה אונקיא משן העגל, *Non accidit tibi, O Israel, ultio aliqua, in qua non sit uncia de iniquitate vituli.*

35. *Propterea quod fecerunt vitulum, quem fecit Aharon.*] Jonathan, *propterea quod incurvaverunt se vitulo, quem fecit Aharon.* Sed illi recte dicuntur fecisse vitulum, quod in causa fuerunt, ut eum Aharon faceret.

IDEM.

1. *Quod Moses tardavit*] Ait Mosen non præscisse, nedum præfinisse quando è monte descenderet: cum igitur diutius solito abesset, populum ad Aharonem accessisse, eumque impulisse, ut Vitulum faceret.

Surge, fac nobis, &c.] Ait se minime dubitare, eos non uno aut altero die, sed per multos dies continuos id ab Aharone postulasse: quod sane non videtur improbabile.

4. *Et formavit illud cælo*] Sentit cum R. Levi Ben Gersom, Aharonem non formasse Vitulum בדפוס *typo*, sed aurum in unam massam conflasse, atque ex massa ista formam pusilli bovis, seu vituli cælo fecisse. Atque istud ab eo propterea factum vult, ut tempus protraheretur, ac Moses antequam opus esset perfectum, adveniret.

5. *Et extruxit altare, &c.*] Antiquorum Rabbinorum sententiam secutus dicit, Aharonem noluisse permittere, ut alii extruendo altari una secum operam suam impenderent, sed ipsum per se solum id extruxisse, idque in eum finem, ut interea dum in opere isto versabatur, Moses adveniret. Sed Abrabaneel una cum reliquis Rabbinis undiquaque occasiones quærit excusandi Aharonis, quasi is (scilicet) in hoc negotio non peccasset.

8. *Cito aversi sunt, &c.*] Tanquam sponsa, (inquit) quæ in ipso thalamo nuptiali scortata est.

10. *Nunc ergo dimitte me, &c.*] A simplici Scripturæ sensu alienum putat, quod Doctores dicunt, Deum hisce verbis Mosen ad interpellandum pro populo excitasse: mihi autem de glossa ista aliter sentiendum videtur.

19. *Et fregit eas, &c.*] Ait Mosen etiamsi cum in monte esset, peccatum populi cognoverit, non tamen illic, sed postquam è monte descendisset, Tabulas ante oculos eorum (uti dicitur Deut. 9. 17.) fregisse, ut earum jactura eos magis afficeret: ita enim comparatum esse, ut homines iis quæ vident, magis quam iis quæ audiunt, afficiantur.

CAP. XXXIII.

MUNSTERUS.

6. *JUxta montem Horeb*] Heb. *à monte Horeb*, subaudi, *& ultra.* Nugantur hic quidam Hebræi, singulis in susceptione Legis per Angelos Domini binas impositas coronas, quas Dominus deponi jussit posteaquam vitulum fecerunt. Sunt etiam qui post Chaldæum interpretem exponunt, כלי זינם וחרבם, *arma bellica, ut sunt gladius, arcus*, & similia, quæ jubentur deponere, ut his denudati, in quemcunque hostilem occursum præcipites ferantur, non formidantes etiam mortem, modo crimen perfidiæ diluant. Vide de hoc latius, si libet, autorem Fasciculi myrrhæ.

7. *Vocavit ipsum Tabernaculum testimonii*] Malunt alii legere, *Tabernaculum conventionis*, seu *constitutionis*, quod constituisset Dominus convenissetque cum Mose, se illic visibili signo affuturum responsaque daturum.

11. *Puer*] Quomodo fuit Jehosua puer, qui, ut supra dicitur, dux fuit exercitus contra Amalec? Respondet Gerundensis, Morem esse Scripturæ atque linguæ sacræ, ut vocet כל משרת נער, i. *omnem ministrum, puerum*: ut 2 Sam. 2. 14. legitur, *Surgant pueri, & ludant coram nobis.*

13. *Viam tuam*] Scilicet per quam ducam populum tuum, præsertim cum tu te elongaveris à populo, & Angelum ductorem non destinaris. Aspice igitur piis oculis in populum tuum, qui te ductore opus habet, qui clemens & misericors es. Exaudito autem Mose, respondet Dominus, Ibit igitur facies mea vobiscum; & ego ipse ducam vos, quo tibi major sit quies. Ait Moses, Et hoc est quod petimus: alioquin si non ierit facies tua nobiscum, per neminem alium hinc ducemur. Est textus hic aliquantum obscurus, ideo volui eum ex Hebræorum commentariis clariorem reddere.

17. *Novi te ex nomine*] Dicunt Hebræi, verbum illud magnam præ se ferre Divinæ majestatis dignationem: id quod & ex Euangelico illo discitur verbo, *Non novi vos; discedite à me operarii iniquitatis.*

18. *Ostende mihi gloriam tuam*] Dicit hic R. A. S. Mosen nullum non movisse lapidem quo populum Domino iterum reconciliaret. Postulat, ut Dominus dux sit itineris, ut populum suum clementer aspiciat, ut gloriam nominis sui ostendat, &c.

19. *Vocabo in nomine Domini*] Seu, *exclamando exprimam nomen Domini.* Sensus est secundum Racanati, *Cum transiero, clamabo, Dominus magnus, quem tu videre non poteris: clamabo etiam, Ego miserebor cui miserebor*, &c.

20. *Non videbit me homo, & vivet*] Colligunt Hebræi ex hoc loco, Deum nulli mortalium apparere citra mortis discrimen: & hinc esse ajunt quod Manoah dicebat, *Morte moriemur*, &c. Sic Jacob pro magna gratia habuit quod *vidisset Deum facie ad faciem, & liberata esset anima ejus.* Alii tamen hunc locum sic intelligunt, Non videbit me homo qui vivat in æternum. Moses enim vidit, & tamen mortuus est. Alii sic, Nulli hominum licebit in hoc corporali seculo essentiam majestatis Divinæ sensibiliter & perfecte cognoscere. Futurum est aliud seculum in quo ab hominibus cognoscetur. In hoc corporali seculo cognoscimus illum tantum ex parte, & per speculum in ænigmate. Sufficit nobis hic cognoscere voluntatem ejus, in futuro vero seculo cognoscemus essentiam ejus, intuebimurque facie ad faciem.

FAGIUS.

3. *FAcientem lac & mel,*] i. plenam omnibus suavibus rebus. Per *lac* enim *& mel* intelligit Scriptura omnes res necessarias ad victum. ¶ *Non enim auferam majestatem meam de medio tui*] Sic ad verbum habet exemplar Venetianum. Verum exemplar Compl. aliter habet, nempe sic, ארי לא אסיק שכינתי בינך, *Non enim ascendere faciam majestatem meam inter te*, vel *in medio tui*: quæ est plane contraria sententia cum ea quæ legitur in Bibliis Venetianis, at convenit cum veritate Hebraica, quæ habet, כי לא אעלה בקרבך, *quia non ascendam in medio tui*, quare & mihi magis probatur hæc lectio: & facile fieri potuit ut ex אסיק *Assek*, quod *ascendere faciam* significat, factum sit אסליק *Essalek*, *auferam.* Significat autem Dominus ipsi Mosi hoc sermone, seipsum non ambulaturum inter eos,

sed

sed Angelum suum se missurum, qui deducat eos. Causam mox addit, *Quia populus duræ cervicis es*, &c. Lectionem etiam Compl. confirmant quæ mox sequuntur, *Et audivit populus verbum malum istud*, nempe quod Dominus comminatus fuerat se non ambulaturum cum ipsis, eo quod violaverant fœdus, erigendo sibi vitulum conflatilem.

4. *Ornatum armorum suorum super se*] Hebr. *Nec posuit ullus ornamentum suum super se*: h. e. utebantur tantum vestibus lugubribus, in signum animi vere dolentis & resipiscentis de admisso peccato. Hunc sensum non male expressit Lat. Vulg. interpres, *Et nullus ex more indutus est cultu suo*. Lxx. tantum habent, κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς, *luxerunt*, sive *defleverunt*, *in lugubribus*, scilicet vestibus. Atque hoc modo intelligunt eos nullo solenni inditos ornamento, sed pullis amictos flevisse. Paraph. noster Chald. per *ornamenta* ista intelligit arma bellica, ut sunt gladius, arcus & similia, quæ mox deponere jubentur, ut his denudati in quemcunque hostilem impetum præcipites ferantur, non formidantes etiam mortem, modo crimen perfidiæ diluant. Nec desunt inter Hebræos qui per ista *ornamenta* intelligant nescio quas coronas, quas singulis Judæis, in susceptione Legis, binas per Angelos impositas fuisse somniant: Et illas à Domino deponere jussos fuisse postquam vitulum fecerant. Cui opinioni adstipulatur etiam Author paraphrasis Hierof. qui ubi supra dicitur, *Et vidit Moses quod populus denudatus esset*, &c. sic scribit, וחמא משה ית עמא ארום פריען אינון ארום פריע כלילא דדהבא דהוה ברישיהון דהוה שמא רבא וקדישא מפרש עלוהון מן טוורא דחורב: *Et vidit Moses populum quod denudatus esset: denudati enim erant corona aurea quæ fuerat in capitibus eorum, in quibus & nomen Hamphorasch insculptum fuerat, in monte Horeb*. Hæc ille.

5. *Hora una auferam*, &c.] Hebr. *momento uno*, i. semel, ut vertit Lat. Vulg. interpres. Vel, *uno impetu*, sive *brevi tempore*. Lxx. omnino aliam sententiam habent, nam legunt, ὁρᾶτε μὴ πληγὴν ἄλλην ἐγὼ ἐπάγω ἐφ' ὑμᾶς, *Cavete ne plagam alteram infligam vobis*.

7. *Tollens autem Moses tabernaculum*, &c.] Istud per occupationem dictum est. Tabernaculum enim nondum factum erat: vel forte factum quidem erat, verum quo modo factum sit, Moyses nondum dixit. ¶ *Tabernaculum domus doctrinæ*, &c.] Sic vocat illud paraphrasis, quod ibi à Deo docerentur in negotiis & causis suis, ob quas quærebant, h. e. consulebant Dominum.

11. *Verbo ad verbum*] Ad literam est, *Et locutus est Dominus cum Mose verbum cum verbo*, vel *sermonem cum sermone*, scilicet commutando: h. e. familiarissime cum eo locutus est: quod declaratur verbis continuò sequentibus, *Quemadmodum loquitur vir cum proximo suo*, i. sicut alter cum altero, homo cum homine loqui solet.

12. *Vocavi te ex nomine*] Hebraismus est, pro, *vocavi te nominatim*, i. præ cæteris te elegi.

14. *Requiescere te faciam*] i. ego ipse vobiscum ibo, atque ita efficiam ut sis bono, tranquillo & securo animo.

19. *Transire faciam omne bonum meum*, &c.] i. ostendam tibi vestigia aliqua bonorum meorum, quæ sunt infinita, h. e. ostendam tibi tantum de bonis meis quantum mens humana capere & cognoscere potest. ¶ *Et vocabo in nomine Domini coram te*] i. Vocabo coram te nominatim, *Dominus est qui præterit*: idque faciam pro misericordia mea qua utor erga eos quibus mihi placet. Alii tamen sic intelligunt, q. d. *Clamabo etiam*, *Ego miserebor cui miserebor*.

20. *Non enim videbit me homo*, & *vivet*] Hebraismus est, pro, *Nemo vivens videbit me*. *Non videbit*, non assequetur Divinitatem meam quisquam, *quamdiu vivet*. Nemo homo vivens hanc vitam temporariam & caducam poterit assequi meam essentiam, quid sim ego: sic quidam interpretantur. Alii colligunt ex hoc loco Deum nulli mortalium apparere in sua essentia citra mortis discrimen; atque hinc esse quod Manoah dicebat Jud. 13. *Morte moriemur*. Sic Jacob pro magna gratia habuit quod *vidisset Deum facie ad faciem*, & *liberata esset anima ejus*. Alii tamen hunc locum sic intelligunt, *Non videbit me homo qui vivat in æternum*. Moses enim vidit, & tamen mortuus est.

23. *Et auferam conditionem gloriæ meæ*] Vox Chaldaica דברי *rationem*, *conditionem* & *verbum* significare potest, sicut & Compl. editio habet, *Et auferam verbum meum*. q. d. Cum abstulero verbum meum gloriosum, h. e. cum cessavero loqui & vocare ad te, cum scilicet præterierit ratio & conditio illa gloriæ & Divinitatis meæ quæ per *faciem* & *anteriora Dei* intelligitur, tum *videbis posteriora mea*, &c.

IDEM.

4. ולא שתו איש עדיו עליו *Nec posuit ullus ornamentum suum supra se*] Variatio est in voce Hebraica עדי, quam alii ad ornatum vestium referunt, quasi scil. filii Israel sua sponte deposuerint vestes cultiores atque induerint vestes lugubres, in signum animi vere dolentis ac resipiscentis de admisso peccato. Atque hunc sensum secutus est & Vulg. interpres. Lxx. plane omiserunt: legunt enim tantum κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς, *luxerunt in luctibus*. Alii ad ornatum armorum retulere, nempe Paraph. Chaldæus, ut scilicet his denudati in quemcunque hostilem impetum præcipites ferantur, non formidantes etiam mortem, modo crimen perfidiæ diluant. Alii aliud quiddam intelligunt, de quo vide Biblia mea Chaldaica, ubi copiosius hunc locum tractavi.

5. רגע אחד אעלה בקרבך וכליתיך *Uno momento ascendam in medium tui*, & *perdam te*] Hunc locum annotare libuit, maxime propter Lxx, qui plane aliam à veritate Hebraica sententiam habent. Videntur autem illi pro רגע, quod *momentum* significat, נגע, i. *plagam* legisse, & pro אחד, *unum*, אחר, i. *aliud* legisse decepti literarum similitudine; & quod mox sequitur, *Jam nunc depone ornatum tuum*, &c. illi legunt, *Nunc igitur deponite vestes gloriarum vestrarum* & *ornatum*, &c. Et rursum, *deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum à monte Oreb*, illi legunt, *Et deposuerunt filii Israel ornatum suum* & *vestem à monte Oreb*.

13. הודעני נא את דרכך *Ostende mihi quæso viam tuam*] Hallucinati sunt Lxx & Vulg. interpres, quod pro *viam tuam* transtulerunt *faciem tuam*, sive *teipsum*. Non enim postulat Moses videre faciem Dei, aut substantiam illius, sed ut ostenderet viam qua ituri essent, ne in aliquem miserabilem errorem inciderent.

VATABLUS.

1. Vade, *ascende*, לך עלה] i. Hinc descendendo vade, & ascendas, quia pars Septentrionalis est editior Meridionali.

3. *Ad terram*, &c. אל ארץ זבת חלב ודבש] Hebraismus, affluentem omnibus bonis suavibus & necessariis victui humano. Per *lac* enim intelligit omnes res necessarias ad victum, ut per *mel* delicatas quasque. Similem ubertatem describit & Joel, 3. 18. ubi pro *melle* habet *mustum*. ¶ *Consumam te*, אכלך] *Perdam te*, *deleam*.

4. *Ornamentum suum*, עדיו] i. Vestes pretiosas, torques, &c. q. d. Abstinuerunt singuli ab ornatu suo quo ornari solebant: utebantur tantum vestibus lugubribus in signum animi vere dolentis & resipiscentis de admisso peccato. Hunc sensum non malè expressit V. interp. *Et nullus ex more indutus est cultu suo*. Lxx. tantùm habent, *Luxerunt* [sive *defleverunt*] *in lugubribus*, sub. *vestibus*: atque hoc modo intelligunt, eos nullo solenni indutos ornamento, sed pullis amictos flevisse. Chald. paraph. per *ornamenta* intelligit arma bellica, quæ mox deponere jubentur, ut facilius præcipites in hostilem impetum ruant.

5. *Dixit præterea*, ויאמר] *Jam enim dixerat*. Ordo historiæ non est requirendus in Scriptura. ¶ *Momento uno*, רגע אחד] *Brevi tempore*. Alii, *uno impetu*, i. si minimum temporis *ascendero tecum*, *consumam te*. ¶ *Depone*, הורד] Ad verb. *descendere fac*; in signum scilicet animi resipiscentis & dolentis de peccato admisso: & *considerabo quid faciam tibi*.

7. *Procul*, הרחק] Ad verb. *elongando*, sub. *illud*. ¶ *Tabernaculum ecclesiæ*, אהל מועד] *Tabernaculum conventus*, aut *congregationis*. Vide supra 27. 21. ¶ *Et quicunque requirebat Jehovam*, והיה כל מבקש יהוה] Ad verb. & *fuit*, *omnis qui requirebat Jehovam*, i. qui volebat consulere Jehovam.

8. *Præterea*, והיה] Ad verb. *Et fuit*. Quidam vertunt, *Accidebat autem*, vel, *Cum autem egrederetur*, sub. *è castris ut iret ad tabernaculum*. ¶ *Et aspiciebant post Mosen* והביטו אחרי משה] i. Observabant Mosen abeuntem.

9. *Et loquebatur*, ודבר] Nempe Moses.

11. *Facie ad faciem*, פנים אל פנים] Hebraismus, pro, *familiarissime* & *amicissime loquebatur cum Mose*. Non enim potest intelligi Deum posuisse Mosi ob oculos essentiam suam corporali specie: sed intelligendum est de familiaritate colloquii. *Facies* enim *Dei* hoc loco significat favorem, gratiam & amicitiam Dei.

12. *Vide*, ראה, i. Attende ad ea quæ dicturus sum. ¶ *Quem missurus sis mecum*, את אשר תשלח עמי] h. e. Non osten-

ostendisti mihi auxilia quorum virtute hostes vincam, & populum meum servem. ¶ *Novi te ex nomine*, וידעתיך בשם] *Novi te nominatim*, i. præ cæteris te elegi.

13. *Viam tuam*, דרכך] i. Modum & rationem qua velis populum tuum inter tot rerum discrimina servare.

14. *Facies mea*, &c. פני ילכו] Ad verb. *facies meæ ibunt*, i. ego te præcedam. q.d. Ego ipse vobiscum ibo, ego ipse adero vobis favore meo præsens & auxiliator, atque ita efficiam ut sis bono, tranquillo & securo animo.

15. *Cui respondit*, ויאמר אליו] Sub. *Moses*. Ad verb. *Et dixit ad eum*. ¶ *Nisi facies tua*, אם אין פניך] i. Si non vis revelare mihi viam & modum servandi populi inter hostes.

16. *Ab omni populo*, &c. מכל העם אשר על פני האדמה] i. Ab aliis gentibus quæ habitant super terram.

17. *Et novi te ex nomine*, ואדעך בשם] i. Tu mihi curæ es ut te conservem in ea vocatione.

18. *Adjecitque*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit*, sub. *Moses ad Dominum*. ¶ *Gloriam tuam*, את כבודך] Hic Moses idem agit quod supra 3. 13. *Si dixerint, Quod est nomen ejus? quid dicam eis?* Cum enim non potuerit impetrare à Deo revelationem futurarum rerum de via & ratione qua Israelitæ conserventur in adversis, expetit nunc revelationem præsentis majestatis Dei, *Ostende*, inquiens, *mihi gloriam tuam*; h.e. Rogo, majestatem tuam ita reveles ut possim eam extrinsecus sentire & palpare, ac populo visibilem & palpabilem obtrudere, nam quod Israel paulo ante tam fœde à verbo tuo defecerit, hinc adeo accidisse mihi videtur quod hactenus non viderunt substantiam tuam externa & manifesta majestate. Quare utilissimum fuerit ut nobis ob oculos ponas majestatem tuam sicut reipsa est, externo sensu comprehensibilem, quo Israelitæ non audiant tantum verbum tuum, sed etiam teipsum sensibiliter videant, ac majestatem tuam manibus (ut ita dicam) palpent. Tametsi enim sæpenumero inculcem eis quod sit Deus, quod Deo curæ simus, quod præsto nobis adsit in omnibus afflictionibus, quod servaturus nos sit in omnibus adversis, quod ducturus nos sit incolumes ad terram Patribus promissam, atque adeo quod quæ verba tuo mandato loquor, Dei verba sint; & affirmem hæc omnia confirmari & certificari per stupenda tua miracula, quæ partim in Ægypto & in Mari rubro, partim in deserto edidisti; tamen tanta est cæcitas eorum, ut quia te non videant ac palpent externo sensu, quemadmodum subditus Regem suum, aut filius parentem suum videt, existiment vanissima esse quæ de ■ prædicantur. Quod hic Moses vocat *Gloriam Dei*, Dominus ipse respondens Mosi, v. 20. vocat *faciem suam*: unde videmus *gloria* & *facie Dei* idem significari.

19. *Qui respondit*, ויאמר] Sub. *Jehovah*. Ad verb. *Et dixit*. ¶ *Præterire faciam*, &c. אני אעביר כל טובי על פניך] i. Ostendam tibi vestigia aliqua bonorum meorum quæ sunt infinita: h.e. tantum ostendam tibi de bonis meis, quantum mens humana capere & cognoscere potest, vel (ut alii exponunt clarius) revelabo tibi omnem bonam meam voluntatem qua erga homines afficior: & manifestabo tibi cognomina mea (quod c. 34. 5,6. facit) ex quibus perspicue intelliges quam ego voluntatem, quem animum, quos affectus erga vos homines geram; quid item vobis de me & animo meo polliceri debeatis. ¶ *Et vocabo*, &c. וקראתי בשם ה'] Hæc forma loquendi significat Deus Mosi, se, audiente ipso, commemoraturum & recitaturum cognomina sua, è quibus intelligere possit quæ ad salutem bona & necessaria sunt. *Vocabo* (inquit) *ex nomine Jehovæ*, i. nomine meo. q.d. Ego ipse dicam tibi quodnam illud sit bonum quod volo te rescire, illud indicat c. 34. 6. Similem loquendi formam habes supra 31. 2. & infra 35. 30. ubi significatur Deum nominatim elegisse ac nomine suo designasse Beseleel in artificem tabernaculi. Sic Esa. 43. 1. *Dominus dicit ad Israelem, Vocavi te in nomine tuo.* Similiter cap. 45. 1. ad Cyrum ait, *Ego Dominus qui voco in nomine tuo.* Alii vertunt, *& invocabo nomen Iehovæ coram te*, nescio quo sensu. Alii rectius, (ut respondeat præcedenti verbo, *Præterire faciam*) sic vertunt, *Clamabo nominatim*, *Jehovah*, , i. dum prætereo, dicam alta voce, *Jehovah*, sub. *præterit*. Vide cap. 34. 5. ¶ *Et miserebor*, &c. ורחמתי וג'] Exponit quodnam sit illud bonum suum omne: acsi dicat, Revelabo tibi omnem bonam voluntatem meam qua erga homines afficior: quæ est (ut summatim dicam) *Miserebor*, &c. h. e. ita affectus sum ut non sim nisi ipsa misericordia & clementia, qua etiam complector quemcunque visum mihi fuerit: salus hominis ex sola mea misericordia pendet: nemini mortalium sum debitor, gratuitæ beneficentiæ est quicquid illis benefacio. Paulus ad Rom. 9. 15. citans hunc locum, probat ex eo, electionem ad salutem constare in sola Dei misericordia. Vide locum.

20. *Faciem meam*, את פני] *Facies Dei* hoc loco significat imperscrutabilem Dei essentiam & majestatem. *Faciem suam* vocat quod Moses *gloriam Dei* v. 18. vocaverat.

21. *Dixit postremo*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit*. ¶ *Apud me*, אתי] i. Habeo locum paratum in hac rupe in qua soleo tibi apparere.

23. *Posteriora mea*, את אחרי] i. Partem posteriorem, h.e. manifesta & visibilia Dei opera. Unde & vulgus cognitionem ab effectibus vocat *cognitionem à posteriori*. Et Paulus dicit Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei cognosci ex creatione mundi per opera.* Et Act. 14. 17. *Deus non expertem testimonii seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret, de cælo dans nobis pluvias ac tempora fructifera, implens cibo ac lætitia corda nostra.* Quomodo autem Deus revelet sese à posteriori, seu à tergo, sequenti capite audiemus quum recitabit nomina sua coram Mose.

C A S T A L I O.

14. EGomet præsens ibo] פנים significare *præsentiam*, jam supra notatum est. Hinc dicit Deus, *faciem suam ituram unà*, i. semetipsum: hinc Mosem alloquitur פנים אל פנים, i. coram, & præsens præsentem.

C L A R I U S.

3. NOn enim ascendam tecum] Pollicetur se missurum Angelum, ipse non iturus, *ne forte consumam te*, inquit, *in via*. Hîc mihi videtur pulchre significari, nostrum genus fuisse omni interitu dignum, sed per magni consilii Angelum nos ab interitu vindicatos ad promissam fidelibus viventium terram deduci. *Esse* autem *Deum*, ait Augustinus, *cum dura cervicis hominibus, nihil est aliud quam vindicando adesse atque puniendo*, unde cum eo modo malis non adest, parcendo facit: quod pertinet ad illud quod dicitur, *Averte faciem tuam à peccatis meis*.

5. *Uno momento*] Hoc impletum est cum Euangelii prædicatio ad Gentes transiit, relicto illo rebelli populo, atque ob ejus incredulitatem abjecto. ¶ *Ut sciam quid faciam tibi*] More irati Ducis, qui postea quam ponere arma milites jusserit, decernit quid eis pœnæ infligat. Sunt enim qui pro *ornamento* exponant *arma bellica*; quæ jubentur deponere, ut iis nudati in quemcunque hostilem occursum præcipites ferantur, ut crimen perfidiæ diluant.

6. *A monte Horeb*] Subaudi, *& ultrà*.

7. *Tollens tabernaculum*] Non hic loquitur de illo Tabernaculo vel Sancto sanctorum, quæ nondum exstructa erant, sed de tabernaculo ipsius Mosis, quod seorsum ab aliis fixit, ut commodius versaretur cum Deo; cui rei consuetudo multitudinis esset impedimento. Quod autem ait, *tabernaculum cœtus*, & *tabernaculum testimonii*, vox Hebræa utrumque significat. Interpres vertit, *fœderis*.

11. *Facie ad faciem*] h. e. Non per somnia, aut visiones imaginarias. ¶ *Puer*] Minister. Mos enim est Scripturæ ut vocet omnem ministrum *puerum*. Sic & in Euangelio, *Pueri, num pulmentum habetis?* & in libris Regum, *Surgant pueri, & ludant coram nobis*.

13. *Viam tuam*] Scilicet per quam ducam populum tuum, præsertim cum tu te elongaveris à populo, & Angelum ductorem non destinaris. Aspice igitur piis oculis in populum tuum, qui te ductore opus habet, qui & clemens & misericors es. Exaudito autem Mose respondet Dominus, Ibit igitur facies mea vobiscum, & ego ipse ducam vos, quo tibi major sit quies. Ait Moses, Et hoc est quod petimus: alioqui si non ierit facies tua nobiscum, per neminem alium hinc ducemur. Est enim alioqui textus subobscurus.

17. *Novi te ex nomine*] Dicunt Hebræi verbum illud magnam præ se ferre Divinæ majestatis dignationem: id quod ex Euangelico illo discitur verbo, sed opposito tamen sensu, *Non novi vos: discedite à me operarii iniquitatis*.

18. *Ostende mihi gloriam tuam*] Omnia tentat Moses quo populum Domino iterum reconciliet: postulat ut Dominus dux sit itineris, ut populum suum clementer aspiciat, ut gloriam nominis sui ostendat, &c.

19. *Ego transire faciam omne bonum meum in conspectu tuo*] Quid est aliud *omne bonum* quam ipse Deus, ac Dei Filius? quem Pater non stare sed *transire* fecit per mysterium incarnationis: qui & ipse Mosi in monte transfiguratus apparuit. ¶ *Vocabo in nomine Domini*] Sunt qui ita interpretentur hunc locum, Cum transiero, clamabo, *Dominus magnus*, quem tu videre non poteris. Clamabo etiam, *Ego miserebor cui miserebor*, &c. Locus est autem admodum difficilis, & qui etiam Paulo visus est admi-

admirabilis: qui ad Romanos scribens videtur ea verba in hunc sensum interpretari, ut dicat, Non in geminis tantum infantibus id accidit, sed in tota Israelitica simul gente, qui cum omnes peccavissent, cum Divinos honores vitulo exhibuissent, aliqui tamen seorsum misericordiam sunt consecuti. Neque hoc injustitiæ Dei acceptum referimus; sed ejus infinitæ sapientiæ, *qui corda novit; qui finxit* (ait) *sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*; atque idcirco solus sine errore tribuit cuique quod suum est. Neque nostrum cum illius judicio concordare potest, propterea quod imperiti nimium sumus recte judicandi, & tanquam ignari alicujus artis, ut cognoscendorum lapidum aut equorum, eos plerumque probamus aut eligimus quos periti in primis damnavissent ac rejecissent. Itaque qui digni sint, quive indigni, solus Deus novit, non quisquam hominum, etiamsi multum sibi se aliquid scire persuadeant: sed eos sua sæpius fallit sententia. At qui arcana mentis & cogitationis intelligit, ipse tuto dijudicat qui honore aut qui pœna digni sint, & propterea multos qui hominibus probi haberentur rejicit, contraque, qui mali existimabantur, hos honore suo est dignatus: ut significatio fieret, hanc selectionem debere non ex servorum suffragiis sed Domini ipsius sententia proficisci.

20. *Non videbit me homo, & vivet*] Colligunt Hebræi ex hoc loco, Deum nulli mortalium apparere citra mortis discrimen: & hinc esse ajunt quod Manoeh dicebat, *Moriemur, quia vidimus Dominum.* Sic Jacob pro magna gratia habuit, quod *vidisset Deum facie ad faciem, & liberata esset anima ejus*, nempe à morte. Alii tamen hunc locum sic intelligunt, *Non videbit me homo qui vivat in æternum:* Moses enim vidit, & tamen mortuus est.

22. *Ponam te in foramine petræ*] Intuetur Moses gloriam Dei innixus petræ. *Petra* autem, ait Paulus, *erat Christus: nemo* autem *venit ad Patrem nisi per filium.* Simulacrum vero aliquod Divinæ præsentiæ præmisit etiam tunc Dominus fideli servo Mosi, sed mysteriorum plenum, & eorum quæ ventura erant figuram secum ferens. Pertransiit enim gloria Domini Judæos, cujus posteriora tantum videbunt: quia *cum plenitudo Gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit.* Interea vero Petra, qua protectus est Moses, facta est Judæis, ipsorum tamen vitio, *lapis offensionis & petra scandali.*

LUCAS BRUGEN.

19. E*Go ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te.*] Legendum non esse *vocabor* docent auctor Correctorii & Dominus Hentenius; nec sine ratione, cum exemplaria emendatiora *vocabo* legant, suffragantibus Hebræis, Chaldæis & Græcis codicibus. Docet autem D. Augustinus in quæst. super Exodum c. 154. *Vocabo, genere locutionis inusitato, pro vocabor* positum, ad Dei gratiam commendandam: locum enim hunc hoc modo intelligit, Ego faciam ut omnes gentes Dominum me vocent atque agnoscant in conspectu tuo (h.e. Israelitici populi, cujus hæc audiens typum geris) dum per universum terrarum orbem dispersus erit. Quidam istius loci hunc sensum reddunt, *Ego, te audiente, recensebo nomina mea, ex quibus gloriam & bonitatem meam intelligere queas.*

DRUSIUS.

11. E*T minister ejus Josue filius Nun puer non recedebat è medio tentorii*] Hic aliqua quædam difficultas. Nam quomodo *puer* qui tunc agebat annum, ut quidam volunt, 53. ut alii, 55. ut Abenezra, 56. Josuæ annum 55. agentis, qui *puer* vocetur, meminit autor More Nevoch. fol. 112. pag. 1. De Jeroboamo etiam dicitur cum ageret annum 41. ait Gerundensis Gen. 37. v. 3. Sunt qui *puerum* hic dici putant servum. Nam vox Ebræa hoc etiam significat. *Minister puer*, ut *rete jaculum, arvus ager, ancile scutum, lapis silex, pœna multa* sive *mulcta.* Grammatici *παρέλκον* appellant. Sic Esth. 2. 2. *Dixerunt pueri regis ministri ejus. Minister puer* & *puer Minister* in idem recidunt. *Puer* tribus modis dicitur, imo quatuor: Uno, cum servum significamus, ut *Jacob puer tuus:* Altero, cum *puerum* contrario nomine *puellæ* dicimus, marem denotantes: Tertio, cum ætatem puerilem intelligimus. His adde, si placet & si vis, puerum sensu & intelligentia. Sic accipitur in illo Salomonis Prov. 1. 4. *Ad dandum puero scientiam*, nisi potius ut ibi sit nomen ætatis. Sententia Abenezræ superius memorata hoc modo defendi potest. Septem annis, ut Ebræi tradunt, occupatus fuit in subigenda terra. & totidem in dividunda: His adde 40. quibus oberravit in deserto, simul efficiunt annos 54. Quibus si addideris annos 56. en numerum annorum vitæ ipsius 110. Sed expende. Nam hæc acciderunt cum aliquamdiu fuissent in deserto.

13. *Notifica mihi vias tuas*] Hunc locum Tremellius enarrat, *vias tuas per quas ducturus es nos.* Sed melius Hiscuni, *vias tuas*, i. *proprietates tuas*, quas Ebræi דרכים vocant, cujus singularis דרך *proprietas*; &, quando de hominibus dicitur, *mos*, unde דרך סדום *mos Sodomitanus* sive *Sodomenus*, ut *sal Sodomenum* apud Galenum. *Mores Sodomiticos colit*, sicuti dicimus, *Mores Massilienses colit.* Huc respexit David regius propheta Psal. 103. 7. *Notas fecit vias suas Mosi:* quod similiter R. D. ibi exponit, *proprietates suas.* Sed quid intelligit per *vias*, h. e. *proprietates, Domini?* An consiliorum & factorum ejus rationes? ut Rom. 11. 33. Sic Hos. 14. 9. *quia recta sunt viæ* Domini, *justi ambulant in eis, scelerati impingunt in eis.* Hic *vias* Domini appellat judicia ejus. Sic hæc sunt *viæ* Dei, non tamen *proprietates* ejus. Quid igitur vocat *proprietates Dei?* Docet nos Hymnographus in loco citato. Nam cum dixisset, *Notas fecit Mosi vias suas*, subjicit, *Miserator & misericors* Dominus, *tardus ad iram, & multa benignitate, non in perpetuum contendit, nec in seculum servat*, & quæ sequuntur. *Viæ* igitur *Domini* sunt Misericordia, Clementia, Longanimitas, Justitia, Æquitas, Pax, Concordia, Pietas, omnisque adeo Integritas. Hinc scies quid sit *ambulare in viis* Domini: à quibus *deflexisse* dicuntur sacerdotes Mal. 2. 8, 9. Qui in his viis ambulat, etiam *cum* Domino *ambulat*, quod poeta Latinus dicit *cum Deo vivere*, dicitur etiam *ambulare post* Dominum. In libro Musar, qui est liber Ethicus, fol. 120. pag. 1. *Viæ Dei sunt proprietates ejus, ut vestire nudos, visitare ægrotos, consolari lugentes, sepelire mortuos.* Hæc diligenter notabunt, qui verbum Dei populo enarrant. Nam misere sapit qui tantum ex commentario sapit. Sæpenumero dicunt quod non intelligunt. *Scire*, inquit Aristoteles, *est per caussas scire.* Caussas nescit, qui rationes, quas ex linguis petunt docti commentatores, non intelligunt. Quod iis accidit qui linguas ignorant. Cur ergo eas negligimus, ne dicam spernimus?

14. Inter ea nomina quæ singularem non habent, sunt פנים *facies*, & חיים *vita*; non quod plures sint facies aut vitæ, sed quia sic obtinet usus & proprietas linguæ. Neque enim omnia pluralia multitudinem significant. Sunt pro exemplis אלהים *Deus*, & אדנים *Dominus.* Nam quando usurpantur de uno, sensum habent singularem. Sic פנים *facies*, quod modo construitur cum verbo singulari, ut ibi, *facies* Domini *dimisit eos*, ac tum habetur ratio sensus; modo cum verbo plurali, ut Exod. 33. 14. *Facies mea ibunt*, ac tunc habetur ratio terminationis tantum. Neque enim Deus plures facies habuit, neque plures Dii sunt, quia legimus, *Errare fecerunt me Dii*; quod verti potest, imo debet, si de uno Deo loquitur, *Errare fecit me Deus.* Quod iterum notandum duxi vel propter eos qui sæpius ea de re moniti tamen intelligere hæc aut nolunt ob pertinaciam, aut non possunt ob stupiditatem. Semel sapiendum est. Non est turpe aliquid nescire, sed nolle discere cum occasio est. O si quis me ista docuisset cum adolescens essem! Aut animam ei dedissem, aut si quid est anima carius! Quanquam de adolescentibus non queror, tantum de istis qui quod semel male didicerunt dediscere nolunt. Omitto quod nihil discere volunt à Grammatico, Theologi cum sint: nam id eis dedecori esset. Phui phui τῆς εὐλαβείας ταύτης.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et locutus est DOMINUS ad Mosen, dicendo, Vade, ascende hinc tu & populus quem ascendere fecisti è terra Ægypti, ad terram quam juravi Abrahamo, Isahaco & Jacobo, dicendo, Semini tuo dabo eam.*

2. *Et mittam ante faciem tuam angelum, & expellam Chananæum, Amorrhæum & Hethæum & Pherezæum & Hevæum & Jebusæum.*

3. *Ad terram fluentem lacte & melle: non enim ascendam in medio tui, quia populus duræ cervicis tu es, ne quando consumam te in via.*

Dicendo] hoc in textu Ebræo desideratur. ❡ *Vade, ascende*] πορεύου, ἀνάβηθι. Nam terra Israel altior Ægypto & terra deserti, in qua erant. R. Sal. *reliquis omnibus terris.* Abenez. *Qui septentrionem versus tendit, quæ plaga mundi sinistra vocatur, dicitur ascendere: contra qui Austrum versus pergit, descendere.* Sic, *Abraham descendit in Ægyptum.* Nam Ægyptus in austro sive meridie. Addit R. Salom. *Deus iratus dixerat, Vade, descende: nunc placatus dicit, Vade, ascende.* ❡ *Hinc*] ex hoc loco, in quo vitulum adorastis. ❡ *Et populus*] non *populus tuus*, ut antea: nec *populus meus*: sed

populus

populus aut populus iste simpliciter. Quanquam in Hieron. *populus tuus*, & in Lxx. ὁ λαός σου. scil. aliquando articulum vim pronominis habere. ¶ *Quam juravi*] quam interposito jurejurando promisi patribus vestris. Hinc terra promissa vocatur. ¶ *Ascendere fecisti*] eduxisti: & recte ascendere fecisti. Nam Ægyptus in Austro sita. Hisc. *Omnis qui se movet ab austro septentrionem versus, dicitur ascendere.* Vide quæ notavimus ad locum, *Vade, ascende.* Nam & in Assyriam ascendimus. ¶ *Dicendo*] singulis. ¶ *Semini tuo.*] Lxx. τῷ σπέρματι ὑμῶν: Semini vestro. ¶ *Ante faciem tuam*] Onk. & Jon. *ante te.* Abenez. *qui tibi auxilio sit.* ¶ *Angelum*] מלאך sine articulo. Male igitur Græci τὸν ἄγγελόν μου. ¶ *Expellam*] vel *ejiciam.* Jon. addit, *opera ejus.* sub. angeli, sive, *per ipsum:* quod Chaldaice dicit *per manus ipsius* על ידי ¶ *Chananæum, &c.*] sex tantum recenset cum septem essent. An quia Gergesæi sponte cesserant? ita R. Salom. opinatur. ¶ *Fluentem*] abundantem, hyperbole. Onkel. & Jonath. *facientem lac & mel.* ¶ *Non ascendam in medio tui*] non ego, sed angelus meus, quem putant Michaelem fuisse. Aut hoc vult, non ponam tabernaculum meum in medio tui, h. e. in medio castrorum. Non enim certe in castris erat, sed extra castra. Onk. *non auferam divinitatem meam e medio tui.* אסלק auferam. potest etiam verti, *ascendere faciam.* Quod in alia edit. est אסק. Sed in eadem בינך in medio tuo, non מבינך è medio tui. Utramque lectionem expressit Jon. per hæc verba, *Fieri nequit ut auferam divinitatem meam gloriosam è medio vestri, verum non erit gloria mea habitans in habitaculo castrorum.* i. intra castra. Abenez. *Non fiet tabernaculum quia non habitabo in medio filiorum Israel.* Quid sibi velit nescio. ¶ *Consumam*] perdam, deleam. Hoc videtur velle. si adhuc semel ita peccabitis ego penitus vos delebo. ¶ *In via*] in itinere.

4. *Et audivit populus verbum malum istud & luxerunt & nemo posuit ornamentum suum supra se.*

5. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Dic ad filios Israel, Vos estis populus duræ cervice, momento uno ascendam & consumam te: nunc ergo depone ornamentum tuum à te, & sciam quid facturus sim tibi.*

6. *Et spoliaverunt se filii Israel ornamento suo à monte Horeb.*

Verbum malum istud] τὸ ῥῆμα τὸ πονηρὸν τοῦτο, quod Hiero. dixit *sermonem hunc pessimum.* Quod nam istud verbum? An illud quod præcedit, *Non ascendam in medio vestri?* An potius quod sequitur, *Momento uno consumam vos?* Ego utrumque innui putârim. ¶ *Luxerunt*] in Luctu fuerunt, quem etiam externo cultu demonstrarunt. Hoc significat, cum ait, ¶ *Nemo posuit ornamentum suum &c.*] nemo induit cultiores & honestiores vestes, aut auro argentove se ornavit, sed illis omnibus exutis induerunt lugubres, h. e. saccum sive cilicium aut centonem. Id Ebræus aperte non dicit, sed Græci haud obscure innuunt, cum interpretantur, κατεπένθησεν ἐν πενθικοῖς, luxit in lugubribus. ¶ *Ornamentum suum*] Hiero. *cultum suum.* Sed sensum expressit. Nam vertit *nullus ex more indutus est cultu suo.* Onk. *Ornatum armorum suorum:* nisi malis, *vestium suarum.* Nam זיינא interpretamentum est כלי quod *vas, instrumentum & vestem* denotat. Jon. addit satis audacter, *qui datus fuit illis in Sinai, in quo nomen magnum & sacrosanctum sculptum & expositum erat.* Vide Fagium. Abenez. *Sunt vestes decoræ & ornamenta muliebria, cujusmodi sunt inaures & annuli.* Hisc. *vasa aurea & argentea & vestes cultiores, quas secum tulerant ex Ægypto.* Vasa i. instrumenta, vel si mavis, ornamenta. ¶ *Momento uno ascendam*] hoc videtur velle, si talia committeretis posthac & ego ascenderem vobiscum in signo aspectabili, momento uno delerem & perderem vos. Et dicit, *momento* quoniam ira Dei non durat ultra momentum. Quod sig. David, cum ait, *vita in benevolentia ejus, momentum in ira ejus:* & alius qui dixit, *Absconde te quasi momento usque dum transierit æstus.* Nam innuit æstum iræ divinæ. ¶ *Ascendam*] simile, *Ipsi ædificabunt & ego destruam.* Nam est sensus, si ædificaverint. ¶ *Depone ornamentum tuum*] age pœnitentiam ex animo, eamque testare cultu externo. tunc videbo quid mihi sit agendum. ¶ *Depone* הורד descendere fac. Onk. & Jon. *amove.* Hiero. *depone.* Lxx. ἀφέλεσθε, auferte. ¶ *Ornamentum tuum*] ornamenta tua. Lxx. τὰς στολὰς τῶν δοξῶν ὑμῶν καὶ τὸν κόσμον: stolas vestras gloriosas sive honoratas & mundum muliebrem. Onk. & Jon. ut supra. ¶ *Et sciam*] vel, *ut sciam.* R. Salo. *Scio quid apud me statuerim facere, cum visitabo reliquam tuam iniquitatem.* ¶ *Dura cervice*] σκληροτράχηλος. ¶ *Spoliaverunt se ornamento suo*] i. Ornamentis suis & spoliaverunt se eis i. detraxerunt ea, sive, ut Hiero. vertit, *deposuerunt*, & Lxx. περιείλαντο, & Onk. *removerunt*, & Jon. *evacuarunt se*, seu *exinaniverunt.* Omnes idem dicunt, non tamen omnes etymon aut vim verbi Ebraici exprimunt. ¶ *A monte Horeb*] Trem. *procul a monte Horeb.* Vide si placet. Quæ gestaverant ab eo tempore quo à monte Horeb discesserant. Ebræi fabulantur ibi datas eis fuisse coronas, cum legem recepissent, quas nunc deposuerunt. Videndus Jon. ad h. l. R. Salo. *à monte Horeb coronas habuerunt, quæ datæ illis fuerunt in Horeb cum dixissent Faciemus & audiemus.* In his scriptum ajunt fuisse nomen Dei magnum, quod *Tetragrammaton* vocant.

7. *Moses autem accepit tentorium & tetendit illud extra castra procul à castris, vocavitque illud Tentorium conventus, omnis autem qui requirebat DOMINUM exibat ad tentorium conventus quod erat extra castra.*

Accepit] יקח fut. pro præterito. Sic alibi, *fecerunt sibi vitulum in Horeb.* ubi יעשו in fonte i. facient. R. Salo. scribit esse לשון הווה hoc est temporis præsentis, neque male vertet, meo judicio, qui vertet, *Accipiens tentorium tetendit illud.* Ceteri commentatores, ut Abenez. & Hisc. prius magis probant. Addit Hisc. *hæc gesta esse postquam secundas tabulas descendens secum attulisset e monte.* R. Salo. notat, *Mosen dixisse cum tenderet procul a castris* מנודה לרב מנודה לתלמיד *qui excommunicatus est à præceptore, excommunicatus est a discipulo.* De quo dicto alias. ¶ *Tentorium*] tentorium suum. Nam tabernaculum tunc nondum extructum erat. Cœperunt enim post extruere illud. Interea ad Mosis tentorium conveniebat populus, quod ideo tentorium conventus vocatur. Sed quare extra castra tetendit? Non est discipulus supra magistrum. Deus noluit in castris esse, nec Moses igitur. Nam si in castris mansisset carendum ei fuisset Dei præsentia & familiari colloquio. Abenez. *tetendit tentorium suum*, ut ibi, *& venerunt ad tentorium. Et ecce Moses divisus fuit ab Israele propter Deum qui cum illo loquebatur: hoc autem fuit cum è monte detulisset tabulas alteras scriptas. Tum inceperunt facere tabernaculum. Vocat autem tentorium suum tentorium conventus quia Deus ibi cum conveniebat usque ad extructum tabernaculum, nec est hysteron proteron in lege. Porro sunt qui dicant istud esse tentorium tabernaculi. Narrare autem Scripturam ubi fuisset tabernaculum quinquaginta diebus antequam erexissent vexilla.* Hactenus Abenez. ¶ *Procul à castris*] bis mille cubitis: quantum spatii sabbathi iter continere perhibetur. R. Salo. id probat ex alio quodam loco, in quo scriptum lectum, *Duntaxat intervallum erit inter vos & ipsum circiter bis mille cubitorum in mensura.* Pro *intervallum erit* in Ebræo est *procul erit.* Nos sensum expressimus. Jon. *Removit se à castris populi, qui excommunicati erant, duobus millibus cubitorum.* ¶ *Tentorium conventus*] Lxx. σκηνὴ μαρτυρίου. Hiero. *tabernaculum fœderis* prius Ebraice diceretur אהל העדות: posterius אהל הבריה. Onk. *tabernaculum domus doctrinæ.* Sic etiam Jon. Sed idem paulo ante, *Accepit ornatum illum & abscondit in tabernaculo suo doctrinæ legis.* Vocat hoc tabernaculum tabernaculum Mosis, quia nondum erectum erat Dei tabernaculum: & tabernaculum doctrinæ legis, quia ibi lex docebatur, & doctrinæ simpliciter quia ibi populus edocebatur de voluntate Dei. R. Salo. *erat domus ubi conveniebant quærentes legis*, sive legem. ¶ *Omnis qui requirebat DOMINUM*] Onk. *omnis qui quærebat doctrinam à DOMINO.* Jon. *omnis qui convertebatur per pœnitentiam corde integro coram DOMINO exibat ad tabernaculum domus doctrinæ, quod extra castra, confitens peccatum suum & orans pro eo, orans, inquam, erat & remittebatur ei.* Hiero. *omnis populus qui habebat aliquam quæstionem.* Lxx. πᾶς ὁ ζητῶν κύριον: *omnis qui quærebat DOMINUM.*

8 *Fuit autem cum egrederetur Moses ad tentorium ut surgerent universus populus & starent quisque in ostio tentorii sui, & intuerentur post Mosen donec ingrederetur tentorium.*

9. *Cumque ingressus esset Moses tentorium, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium tentorii & loquebatur cum Mose.*

10. *Et vidit omnis populus columnam nubis stantem ad ostium tentorii, & stabat omnis populus & adorabat quisque in ostio tentorii sui.*

Cum egrederetur] è castris ad tentorium tendens, quod extra castra. ¶ *Ut surgerent*] reverentiæ causa, quia sciebant gloriam DOMINI descensuram supra tabernaculum. ¶ *Et starent*] q. d. nemo sedebat interea. tantum honoris deferebant Mosi. ¶ *Omnis populus*] *universa plebs.* Hiero. *omnes improbi qui in populo.* Jon. ¶ *Intuerentur post Mosen*] *aspiciebant tergum Mosis.* Hiero. *considerabant oculo malo post Mosen.* Jon. κατενοοῦσαν ἀπιόντος Μωυσῆ: *considerabant seu aspiciebant abeuntem Mosen.* Lxx. *Hoc ad laudem ejus pertinet. Nam dicebant*

cebant Beatus natus mulieris, qui certus est divinitatem ingressuram post ipsum in ostium tentorii ejus. R. Salomo Jarchi. ¶ *Columna nubis*] aspectabile signum præsentiæ divinæ. ¶ *Ad ostium*] ἐπὶ τῆς θύρας. Onk. & Jon. *in ostio.* Idem, *columna nubis gloriosæ.* Vide, si placet. ¶ *Et loquebatur*] non ipsa columna, sed Deus in columna, aut, ut Jon. habet, *sermo* DOMINI. ¶ *Et vidit*] Consule Abenez. ¶ *Ad ostium tentorii*] abest à Hiero. Idem supra pro tentorio *papilionem* posuit, videl. vers. 8. ¶ *Adorabant*] *divinitatem.* R. Salo. *Versus tabernaculum, cum staret unusquisque pro foribus tabernaculi sui.* Jon.

11. *Et loquebatur* DOMINUS *ad Mosen facie ad faciem, quemadmodum loquitur vir ad proximum suum, revertebaturque ad castra & minister ejus Iosue filius Nun puer non recedebat è medio tentorii.*

Loquebatur ad Mosen] alloquebatur Mosen, vel, loquebatur cum Mose. Nam & אל pro עם ponitur, ut Gen. 49. 29. Thren. 3. 41. & alibi. Sane Onk. & Jon. ita h. l. interpretantur. Nec aliter R. Salo. ¶ *Facie ad faciem*] quam familiarissime. Alibi est, *ore ad os*, eodem sensu. Vide Proverbia mea. Onk. *sermone cum sermone.* Sermonem autem ממלל vocat, quod potius *loquelam* sonat i. λαλιάν. Nam sermo potius מימר dicitur. Jon. addit de suo, *Vocem locutionis audiebat, verum splendorem faciei non videbat.* Idem (*ad*) exponit per קבל, quod *coram* sig. Ea particula docet præsentem cum præsente coram collocutum esse. ¶ *Vir ad proximum suum*] alter cum altero. ¶ *Revertebaturque ad castra*] postquam cum Deo locutus fuisset. R. Salo. addit, *& docebat Senes id quod didicerat. Quod continuabat Moses à die expiationum usque dum erectum fuit tabernaculum, nec amplius id faciebat. Nam ecce 17. Thammuz fracta sunt tabulæ, 18. vero combussit vitulum, & judicavit peccatores, & 19 ascendit juxta id quod legitur, Et fuit postridie ut diceret Moses populo &c. fecit ibi quadraginta dies. Calendis autem Elul ei dictum est Ascende mane in montem Sinai ad accipiendum tabulas posteriores, fecitque ibi alios quadraginta dies, de quibus dicitur, Et ego steti in monte sicut in diebus prioribus &c. Decima Thesri reconciliatus fuit Deus benedictus Israeli cum gaudio & corde integro, dixitque Mosi Condonavi, & tradidit ei tabulas posteriores & descendit & cœpit præcipere ei de opere tabernaculi, quod fecit usque ad primam Nisan. Quo erecto non locutus est cum eo amplius, nisi ex tentorio conventus.* Hæc ille: qui tamen alibi scribit *Mosen ascendisse.* ¶ *Minister ejus*] ὁ θεράπων αὐτοῦ. ¶ *Filius Nun*] υἱὸς Ναυῆ est in Lxx. quod corruptum putarim ex ναῦν. Nun, Naun, ut Uz, Auz. Crebrum hoc in antiquitate. ¶ *Puer*] נער tam *adolescentem*, quam *puerum*, denotat: etiam *juvenem* sign. Unde varietas apud interpretes. Nam Hiero. *puer.* Sic etiam Jon. Siquidem טלי puer. Autor Jerosol. *puer parvus.* Quod aperte falsum. Nam *agebat tum annum*, ut Abenez. observat, *quinquagesimum sextum.* Vixit enim certe annos centum decem. Sapientes autem tradunt ipsum occupatum fuisse in subigenda terra ann. VII. & in dividenda totidem. Vide illum, si placet. Tremell. annotat natum tunc fuisse annos 53. Quod alias expendemus. Nunc ad interpretes. Onk. עולימא adolescens aut juvenis. Lxx. νέος i. juvenis. Sed quomodo puer aut juvenis, si tam provectus erat? Non ætate puer erat, sed famulitio. Notum ut puer pro famulo ponatur etiam apud autores Latinos. Abenez. sic hunc locum enarrat, *& ministrabat ei Iosue filius Nun, puer.* i. servus aut famulus. Posset etiam exponi *puer*, tanquam puer. Nam ministri etiam Sacerdotes vocantur. Ab eorum ministerio diversum erat ministerium pueri i. servi; vel, si placet, servile. *Ministrabat puer*, ut alibi, *Eram apud eum alumnus.* plenum est, *ut alumnus.* Sic, *nec excitatur classico miles gravis*, tanquam miles. ¶ *Non recedebat è medio tentorii*] non veniebat in castra, sed perpetuo apud Mosen hærebat extra castra in tentorio ejus.

12. *Dixitque Moses ad* DOMINUM, *Vide, tu dicis mihi Ascendere fac populum istum, nec tu notum fecisti mihi quem missurus sis mecum: tu tamen dixisti, Novi te de nomine, & etiam invenisti gratiam in oculis meis.*

13. *Nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis notas fac mihi nunc vias tuas & cognoscam te, ut inveniam gratiam in oculis tuis: vide igitur, quia populus tuus gens ista est.*

Vide, tu mihi dicis] Lxx. ἰδοὺ σύ μοι λέγεις: ecce tu mihi dicis. Vide pro ecce supra notatum fuit. Onk. & Jon. *Vide quod tu mihi dicis.* R. Salo. *pone oculos & cor ad verba tua, quæ videl. mihi dixisti.* Abenez. *Vide vexationem, in qua ego perduro.* A Hiero. abest illud, *Vide.* ¶ *Ascendere fac*] העל. Quidam, *educ* הוצא. Tremell. *deduc.* Lxx. ἀνάγαγε. Hiero. *præcipis ut educam.* ¶ *Notum fecisti*] indicasti. Hoc in falso cubare videtur. Nam dixerat antea, *Ecce ego mitto angelum &c.* Respondet Cajetanus; Qui dicit *mitto angelum*, non dicit, quem angelum missurus sit. R. Salo. ait *non esse indicationem quia non placebat Mosi.* Quid sibi velit nondum bene scio. ¶ *Quem missurus sis mecum.*] Tremell. nove vertit, *quæ missurus eras mecum.* Quod enarrat de columna ignis & nubis, aut de tabernaculo. Idem superiore versu verba illa, *non recedebat è medio tentorii* ad Deum refert. Quæ autem præcedunt, ea connectit cum præcedentibus *Revertebatur Moses cum ministro suo* &c. Recte an secus, videbo alias. ¶ *Novi te de nomine*] vel, *ex nomine* i. nominatim. Quod idem cum illo, *novi te familiariter.* Nam quos ita novimus, eorum nomen etiam notum habemus. Verbum è ver. *in nomine*: sed præpositio in Latio redundat. Satis enim erat, *nomine.* Simile, *R. Ianai nomine R. Meier.* Sensus est, *de nomine.* Onk. רביתך בשום quod reddunt, *vocavi te nominatim*: & exponunt, *præ ceteris elegi.* Quid si, *constitui te principem*? Nam רב princeps. Sane Jon. *præfeci te cum nomine bono.* Ad verb. *in nomine bono.* R. Salo. *cognovi te præ ceteris hominibus ex nomine pretioso seu æstimato. Nam ecce dixisti mihi, En ego venio ad te in nube densa: &c. etiam dixisti, in te credent perpetuo; vel, tibi credent in seculum.* Tremell. *Agnosco te nominatim i. approbo & habeo rationem tui.* Nosse pro approbare tritum est. Sed cur adjecit *nominatim*? Videtur aliud in mente habuisse. Saadias, *novi te i. honoravi te.* Quod non admodum se probat mihi. Nam ecce post ait, *cognovi te, quia cognovisti me.* Quanquam alibi, *honorantes me honoro.* Sed videbimus. Hisc. ad locum illum, *Tu interea indicasti mihi* &c. hæc annotat, *quia ecce dixisti, & sciam quid facturus sim tibi, & non revelasti mihi si missurus sis angelum, aut ipse iturus una.* ¶ *Gratiam*] *miserationes.* Onk. & Jon. ¶ *In oculis meis*] *apud me.* Ebraismus. ¶ *Notas fac mihi vias tuas*] Hieron. *ostende mihi faciem tuam.* alias, *viam tuam.* Nam est דרכך in textu Ebræo sine Jod, quod tam legi potest דַּרְכְּךָ quam, ut nunc legitur, דְּרָכֶךָ vias tuas. In glossis Nicolai perperam *manum tuam*, pro viam tuam. Emenda ex h. l. Lxx. ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν, *ostende mihi teipsum.* Libri antiqui δεῖξόν μοι τὴν σεαυτοῦ δόξαν, & apud Augustinum, *ostende mihi gloriam tuam.* Quæ omnia in idem recidunt. Nam gloria DOMINI est ipse DOMINUS. hoc primum: deinde qui DOMINUM novit, novit vias ejus, & contra. In eadem edit. legimus οἶδά σε παρὰ πάντας: novi te præ omnibus: ubi nos habemus, *novi te nominatim.* Quod notandum duxi propter ea quæ mihi observata ad illum locum. Onk. hic edidit, *ostende mihi nunc viam bonitatis tuæ.* Quibus Jon. adjecit de suo, *ut cognoscam gratiam sive clementiam tuam, quomodo tu ducas filios hominum: justis accidat quod peccatoribus & contra peccatoribus quod justis: & rursum justis accidat secundum merita eorum & peccatoribus secundum peccata eorum.* R. Salo. *notas fac mihi vias tuas, quodnam videl. præmium à te dandum sit iis qui gratiam invenerunt in conspectu tuo.* Hisc. *ostende mihi vias tuas i. proprietates tuas, quas מדות vocant, unde cognoscam expediatne te nobiscum ire an non.* Tremell. *ostende te nobis ducem. Vias tuas, per quas ducturus es nos.* Lippom. ex Ebræo reddit *viam tuam.* Nec aliter Cajetanus, qui etiam *viam* DOMINI exponit ordinem gubernandi populum: quem duplicem esse statuit. Unum secundum merita cujusque, & alium secundum Dei providentiam, quam proprie viam DOMINI vocari scribit. Vide, si placet. ¶ *Et cognoscam te*] vel, *ut cognoscam te.* Deus non potest cognosci in essentia sive natura sua ut est: cognoscitur tamen per vias suas h. e. opera sua, vel certe proprietates suas, ut cum vocatur *justus*, ex eo cognoscimus *justum esse*: misericors, ex eo cognoscimus misericordem esse. Similiter cum pius dicitur & tardus ad iram & servans hostibus suis &c. ¶ *Ut inveniam*] *eo quod invenero.* Trem. *propter quod inveniam.* Cajetanus למען ἵνα ut. Sic alibi למען תצדק ut justificeris. ¶ *Vide igitur*] וראה & vide. Hiero. *respice populum* עמך וראה. Lxx. καὶ ἵνα γνῶ ארע למען. Onk. & Jon. *Revelatum est coram te.* i. notum ac manifestum est tibi. R. Salo. *Ne dicas, Faciam te in gentem magnam & istos deseras; vide quia populus tuus sunt ab antiquo. Quod si eos rejeceris, non confido fore ut qui ex lumbis meis egredientur superstites maneant. Quocirca complementum mercedis meæ erga populum hunc ostende mihi.* ¶ *Gens ista*] *populus iste.* Onk. & Jon.

14. *Et dixit Facies mea veniet, & quietem dabo tibi.*

15. *Et dixit, Nisi facies tua venerit, ne ascendere facias nos hinc.*

16. *In quo enim scietur nunc quod invenerim gratiam in oculis tuis ego & populus tuus? nonne quum venies tu nobiscum?*

ita segregabimur ego & populus tuus ab omni populo qui super faciem terræ.

Et dixit] DOMINUS. ¶ *Facies mea veniet*] vel, *ibit*: & subintelligitur, *vobiscum*. Mox ait, *quum veneris* seu *ibis tu nobiscum*. Hiero. *facies mea præcedet te*, ילכו לפניך. Onk. *divinitas mea ibit*. Jon. *expectabo dum abierit facies iratæ*. Saadias, *facies mea* i. יחמי excandescentia mea. Sic alibi, *& facies non erant ei amplius*. Sensus est, *non amplius irata erat*. Hanc interpretationem sequentia infirmant. Quamvis ibi Jon. *Si non abierit facies à nobis*. Vide, si placet. Lxx. προπορεύσομαί σου: antecedam te. Hos Hiero. secutus mihi videtur. ¶ *Facies mea veniet*] ego ipsemet veniam q.d. non amplius mittam angelum, sed ego ipse vobiscum ibo. Sic, *& facies tua ambulat in medio*. Simile apud Ennium, *quem credidit esse meum cor*, pro, quem ego credidi. Aut *facies mea* i. præsentia mea. eodem redit. Licet etiam exponere, *facies mea*, favor meus, benevolentia mea. q.d. respiciam vos &c. Nam quem odimus, ab eo faciem avertimus. Augustinus interpretatur, *facies mea*, cognitio sive notitia divinitatis meæ. Sic etiam Gregorius in XVIII. Moralium. ¶ *Veniet*] ילכו venient. Hic habetur ratio terminationis. Nam פנים facies plurale nomen est. הלך autem tam *venio* sig. quam *eo*. proprie *eo*. Nam venio בוא dicitur. Sed hæc duo se invicem explicant. Nam & בוא *eo* denotat. הלך per *venio* redditur in illo, *Venite, faciamus nobis lateres*. Dico הלך, quod sua tempora sumit ab inusitato ילך, unde futurum ילך ibit. ¶ *Quietem dabo tibi*] ab hostibus tuis. Hisc. *Ibo tecum ad subigendam terram donec quietem dedero tibi ab omnibus inimicis tuis: quemadmodum scriptum est, Quum quietem dederis tibi DOMINUS ab omnibus inimicis tuis circumquaque*. Lxx. καὶ καταπαύσω σε. Hiero. *& requiem dabo tibi*. On. *& requiescere faciam te*. Fagius explicat, *efficiam ut sis bono tranquillo & securo animo*, nempe quia vos comitabor. Jon. *& postea quiescere faciam te*. Quidam per quietem intelligunt *vitam æternam*, quod alienum videtur. Alii significari putant terram promissam, juxta illud, *Si introibunt in requiem meam*, q. d. introducam eos in terram illam. ¶ *Nisi facies tua venerit*] nisi tu ipse nobiscum veneris, vel potius iveris. Nam id proprie significat, ut diximus. Hiero. *Nisi tu ipse præcedas*. firmat expositionem Abenez. *facies tua* i. tu ipse. Lxx. εἰ μὴ αὐτὸς σὺ συμπορεύῃ: si non tu ipse simul veneris. In quibusdam libris additur, μεθ᾽ ἡμῶν, nobiscum, videl. ex sequentibus. Sic etiam Augustin. *nisi tu ipse simul veneris nobiscum*. On. *nisi divinitas tua ambulaverit inter nos*. שכינה divinitas. alii, *majestas*. proprie *habitatio*. Sic loquendo innuunt spiritum sanctum qui habitat in nobis, sive per quem Deus habitat in nobis. Unde dictitant, *DOMINUS & divinitas ejus*. Jon. *nisi facies abierit à nobis* i. ira tua. Sic alibi, *facies DOMINI excindet eos* i. DOMINUS iratus. Id sequentia convellunt. Nam ibi est *nobiscum*, non, *à nobis*. R. Salo. *Hoc mihi placet quod per manum angeli non ascendere facies nos hinc*. ¶ *Hinc*] ex hoc loco. Pro *ascendere facias*, Hiero. habet *educas*, & Lxx. ἀναγάγῃς. Quidam è recentioribus, *jubeto discedere*. Senes quoque videntur mihi legisse Jod pro Vau, videlicet תעלני. Jon. addit ex sensu suo, *ne ascendere facias me hinc vultu irato*. Vult dicere, quamdiu nobis succenses aut iratus es. ¶ *In quo scietur nunc?*] qua re cognoscetur nunc. Hier. *in quo scire poterimus?* נוכל לדעת vel certe ידע. Lxx. πῶς γνωστὸν ἔσται ἀληθῶς; quomodo notum erit vere? אפוא interpretantur ἀληθῶς, quod Hiero. omisit. On. הכא reddit i. hic: Ion. כדון nunc i. עתה. R. David עתה quem secuti sumus. Sic Hos. 13. 10. Ion. כען nunc, modo. Hiero. *maxime nunc*. Habet alia significata. Nam interdum *ubi* denotat, & aliquando *igitur*. Scribitur autem decies איפה cum He, & quater איפו cum Vau tantum. In ceteris locis est אפוא cum Vau & Aleph. ¶ *Quod invenerim*] ὅτι εὕρηκα. Alius mallet, *quod invenerimus*. Nam sequitur, *ego & populus tuus*. Hiero. certe, *invenisse nos*. ¶ *Quum venies tu*] vel magis, *cum ibis tu*. Vult dicere, cum una ibis, nosque comitaberis aut duces. Hiero. *nisi ambulaveris nobiscum*. Lxx. ἀλλ᾽ ἢ συμπορευομένου σου μεθ᾽ ἡμῶν: nisi incedente te nobiscum. On. *nisi divinitas tua incesserit nobiscum*. Ion. vero, *locuta fuerit*. ¶ *Ita segregabimur*] ונפלינו *& segregabimur*. Radix פלה de quiescentibus Lamed He. Sic alibi, *Segregavit DOMINUS pium sibi* הפלה. Locus est in Odis Davidicis. Hiero. *ut glorificemur* נכבד. Quod à Græcis mutuatus est, qui hic legunt καὶ ἐνδοξασθήσομαι. Quale illud quod supra, *invenerim gratiam ego & populus tuus*. Vox Ebræa etiam sig. *mirificum reddere*, imo *miracula edere*. Unde On. *ita fient nobis mirabilia, mihi videlicet & populo tuo, diversis* (male Fagius, *& mirificemur*) *ab omni populo qui est in superficie terræ*. Vide Jon. & R. Sal.

17. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Etiam rem hanc quam locutus es faciam: quia invenisti gratiam in oculis meis, cognovi enim te de nomine.*

Rem hanc quam locutus es faciam] *Faciam id quod à me petiisti dicendo, Ostende mihi vias tuas*. Hisc. *Non amplius habitare faciam divinitatem meam super nationes mundi*. R. Salo. Sic edit. Veneta, quæ in folio complicat. In alia est על ע"ז quod legi posset, *super populum alium*: nisi magis ut legatur *super cultum alium* i. super gentem quæ alium Deum colit. Nam id abbreviatura illa communiter significat. ¶ *Rem hanc*] verbum istud, τοῦτον τὸν λόγον, videl. Ego ipse ibo vobiscum: aut, *ostende mihi vias tuas*. Quod postremum firmatur membro illo, *quam locutus es*. Videtur tamen illud alterum etiam petiisse quanquam non disertis verbis. Nam votum ipsius erat ut Deus ipse populum comitaretur, non per angelum eum duceret, quemadmodum dixerat. ¶ *Quam locutus es*] Lxx. ὃν εἴρηκας *sermonem quem dixisti* אשר דברת. ¶ *Cognovi enim te de nomine*] seu *ex nomine*. Sic Hiero. Lxx. autem habent καὶ οἶδά σε παρὰ πάντας: & novi te supra omnes, sive, præ omnibus. Jon. *præfeci te cum nomine bono*. On. *vocavi te de nomine* i. nominatim. Si modo רביתך sig. h. l. *vocavi te*, & non potius, *constitui te*. Sed vide sis notata ad vers. 12. ¶ *Invenisti gratiam*] q. d. non populi caussa hoc faciam, sed tua, qui apud me in gratia es, si quis alius.

18. *Et dixit, Ostende mihi nunc gloriam tuam.*

19. *Et dixit, Ego transire faciam omnem bonitatem meam ante faciem tuam, & inclamabo nomen DOMINI ante te: & gratiam faciam, cui gratiam fecero, & miserebor cujus misertus fuero.*

Et dixit] Moses. ¶ *Ostende mihi nunc gloriam tuam*] i. te ipsum. Nam gloria DOMINI est ipse DOMINUS. Abenez. *aspectum gloriæ tuæ*. R. Salo. cujus hæc sunt, *Videbat Moses tempus esse beneplaciti & verba sua grata acceptaque esse: itaque adjecit petere ut ostenderet sibi aspectum gloriæ ipsius*. Hisc. *fac ut videam ipsammet divinitatem*. Nicol. de Lyra, *te ipsum, sicut videris in gloria tua*. Trem. *ipsissimam majestatem tuam ab imaginibus nudam, ad majorem mei confirmationem*. Vide Lippom. ¶ *Ostende*] fac videre sive, ut videam. ¶ *Nunc*] in hac præsenti vita. ¶ *Ego*] Jon. & Jeros. *ecce ego*: quod unus scribit הא אנא divisim & duabus dictionibus: alter האנא conjunctim & unica dictione. ¶ *Transire faciam*] אעביר. Hiero. *ostendam tibi*. Lxx. παρελεύσομαι. אעבור. error in Joth & Vau, qui frequens apud interpretes illos. ¶ *Omnem bonitatem meam*] כל טובי Hiero. *omne bonum*. omisit pronomen. Lxx. τῇ δόξῃ μου. בכבודי. Jon. & autor Jerosol. *omnem mensuram bonitatis meæ*, si modo מכילא est mensura i. μέτρον, ut certe est. Nam R. Salo. Ebraice id expressit מדת טובי *mensuram boni mei*, vel *proprietatem bonitatis meæ*. טוב bonum, τὸ ἀγαθὸν, ut τὸ ἅγιον, sanctum i. sanctitas. Hisc. *omnem mensuram boni mei sive erga justos sive erga improbos*. Idem אעביר transire faciam exponit, proclamabo sive promulgabo, ut cum legimus, & transire fecerunt vocem in castris. *Per gloriam* autem *significari* ait, *ipsam visionem divinitatis*. Addit, *alios aliter accipere. Nam sunt*, inquit, *qui non ipsammet gloriam innui putant, sed fœdus reconciliationis, ejusque quod petierat, quod cum Deo percuti volebat*. ¶ *Ante faciem tuam*] על פניך coram facie tua. Jon. & Jeros. *coram te*. Hier. *tibi* לך. Lxx. ἔμπροσθέν σου, prior te. S. Augustin. *ante te*. Nicol. de Lyra, *ego faciam transire omne bonum ante te: & refertur ad illud, quod postea subditur, cum transierit gloria mea, secundum R. Salomonem*. Verba R. Salo. ad h. l. hæc sunt, *Attigit hora qua videbis de gloria mea id quod poteris videre, me licentiam faciente. Volo enim & opus est ut doceam te seriem precationis, ut cum cogeris quærere miserationes pro Israele, recorderis merita patrum &c.* ¶ *Inclamabo nomen DOMINI*] i. meum. Simile, *Dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM*, pro ad me. Quidam, *clamabo in nomine* i. nominatim יהוה DOMINUS. Hieron. *vocabo in nomine DOMINI coram te*. Lxx. καὶ καλέσω τῷ ὀνόματί μου, κύριος ἐναντίον σου: & vocabo nomine meo DOMINUS ante te. Lectio alia τῷ ὀνόματι κυρίου ἐναντίον σου: nomine DOMINI in conspectu tuo. Compluten. editio, ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, κύριος ἐναντίον σου. On. *& inclamabo nomen DOMINI coram te*. Jon. *& inclamabo nomen sermonis DOMINI ante te*. Jerosol. *nomen bonum DOMINI*. Abenez. *Invocare & inclamare nomen DOMINI diversa sunt: Nam prius homines faciunt, posterius ipse Deus*. R. Salom. *Si deficient merita patrum, fac quod me vides facere. Voca me misericordem, gratiosum, aliisque nominibus tredecim, quibus proprietates meas expressi*. Sed vide Hisc. ad h. l. ¶ *Gratiam faciam cui gratiam fecero*] Hiero. *miserebor cui voluero*.

fuero. Lxx. ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ: miserebor, cui misertus ero. On. nihil variat à textu Ebræo, quem tamen Fagius interpretatur, *miserebor cui miserebor.* Jon. & autor Jeros. *parcam cui parcendum erit*; vel potius, cui videbitur parcendum esse, itaque conveniet. R. Salom. *Cum gratiam faciam, faciam cui voluero.* ❡ *Miserebor cujus misertus fuero*] vel, *intime diligam quem intime diligam.* Sic רחמתי quidam reddunt, *non dilectam*, οὐκ ἠγαπημένην. Malim οὐκ ἐλεημένην, quæ non consecuta sit misericordiam. Sic רחם melius redditur, *miserebor*, quam *intime diligam.* Nam id potius diceretur ארחמך in prima conjugatione, ut Psal. 18. ארחמך intime diligam te. Hiero. *clemens ero in quem mihi placuerit.* Nam non est volentis, neque currentis: sed miserentis Dei. Qui tamen semper justus est. Quod si nulli misereretur, non esset propterea injustus. Lxx. οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω: *miserabor quem miserabor.* Jon. & Jerosol. *miserebor cujus conveniet misereri.* Id enim sonat דחזי ליה לרחמא. Hisc. *non potuit placari penitus. Ideo dicit, miserebor cujus miserebor. q. d. liberum hoc mihi relinqui volo, ut gratia sit si cujus misertus fuero, non meriti.* R. Sal. *Hactenus misertus sum aliquando, & aliquando non sum misertus, nunc certi sunt ex fœdere quod tecum pepigi quod cum gratiam meam quærent, nunquam redibunt vacui.* Nicol. de Lyra, *ac si dicat, Non defecerunt pietates meæ: imo sicut fuerunt ad Abraham & ad alios patres, ita erunt ad te & ad populum istum: ita quod non indigebis allegare merita ipsorum patrum, sicut prius allegasti.* Idem pro & *vocabo* in alia littera haberi ait, & *legam in nomine DOMINI. Dictio enim Ebraica*, inquit, *quæ ibi est, æquivoca est ad legere & ad vocare. Dicit igitur R. Sal. quod in transitu gloriæ, quæ hic exprimitur, intelligitur apparitio Dei facta Moysi sub similitudine hominis quem Moses vidit tantum à parte posteriori: & vidit ibi scripturam, in qua continebantur tredecim modi impetrandi pietates* (intelligit מדות proprietates) *divinas absque allegatione meritorum Abrææ & aliorum patrum. Est igitur sensus secundum ipsum, Et legam i. legere faciam. Sicut Gen. 22. dixit DOMINUS, nunc cognovi i. cognoscere feci. In nomine DOMINI coram te i. habebis recursum ad impetrandum Dei pietatem, absque meritis patrum.*

20. *Et dixit, Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo & vivet.*

Non poteris videre faciem meam] non poteris comprehendere sensu essentiam meam, quæ incomprehensibilis est & sub intellectum humanum non cadit. Quidam per faciem Dei significari putant anteriora sive priora Dei, quæ διότι colliguntur. Innuit ergo Deum non cadere sub διότι, quia nihil eo prius aut antiquius. Vide notas meas in historiam sacram Sulpitii, pag. 129. Onkel. *non posses videre faciem divinitatis meæ*, sive, ut Fagius edidit, *Non poteris videre faciem majestatis meæ.* Jon. *impossibile est tibi ut videas aspectum faciei meæ.* R. Salom. *Etiam cum transire faciam omne bonum meum ante faciem tuam, non facturus sum tibi licentiam videndi faciem meam.* Nicol. de Lyra, *in apparitione qua apparebo tibi non dabo tibi licentiam videndi faciem meam.* ❡ *Quia non videbit me homo & vivet*] hinc opinio veterum, qui credebant se morituros, si quando Deum vidissent. Jud. 13. 22. *morte moriemur quia vidimus Deum.* Quidam enarrant, *dum vivit* i. quamdiu est in hac mortali vita. Quo accommodant illud Johannis Apostoli, *Deum nemo vidit unquam*, nempe ut est in sua natura vel propria essentia. Quam hoc in loco *faciem* appellat. Alioqui Deus videri potest aliquo modo, & Moses locutus est cum eo facie ad faciem i. familiariter. Jesaias quoque vidit Dominum Sabaoth seu exercituum, non ut est, sed ut voluit se videri aut ut à propheta videri potuit. Quod non intelligentes Judæi ipsum propterea interemerunt, serra dissectum, ut proditum litterarum monumentis. Vide Hieron. in epist. quæ ad Damascum, de verbis Esaiæ, *Vidi DOMINUM.* Alienum est quod in Scholiis Ebraicis, *non videbit me homo, sed vivet* q. d. cum videbit me, vivet in æternum. Æque coactum, *non videbit me homo, neque vivus sive vivens. i. angelus. Nam angeli semper vivunt. Sunt enim immortales.* Hujus sententiæ autor Simeon Themanites. Videndus Hisc. qui angelos appellat חיות הקדש animalia sancta. Idem ait, *Deum visum ab Esaia non in speculari lucido, sed in speculari medio.* Videndus Lyra h. l.

21. *Dixitque DOMINUS, Ecce locus est apud me, & stabis super petram.*

22. *Eritque cum transibit gloria mea ut ponam te in foramine petræ, & obtegam manu mea te donec transiero.*

23. *Post amovebo manum meam & videbis posteriora mea: facies autem mea non videbitur.*

Ecce locus est apud me] *in hoc monte in quo ego loquor tecum jugiter est locus paratus mihi ad necessitatem tuam in quo abscondam te ne lædaris, & inde videbis quod videbis. Hic est simplex sensus: subtilior autem expositio est, Divinitas ibi loquitur & ait, Locus ecce apud me, & non dicit, Ego sum in loco, quia Deus benedictus locus est ipsius mundi; & non mundus ejus est locus ejus.* Hæc R. Salom. Quæ adduxi cum ob alia, tum quia locus inter epitheta Dei. Nam מקום dicitur. Vide Quæstiones meas. Onk. & Jon. *ecce locus aptus coram me.* Nicol. de Lyra, *nempe in monte Sinai, ubi tibi consuevi loqui. Dicebatur enim mons ille mons Dei, ut dictum est supra tertio capitulo.* ❡ *Apud me*] אתי mecum i. apud me, non coram me. Quamvis qui coram aliquo est, etiam apud eum esse dici potest. Sic alibi apud Davidem, *Satias lætitiarum cum vultu tuo.* i. apud vultum tuum. Alioqui *apud* proprie אצל dicitur. ❡ *Super petram*] vel, *super hanc rupem.* Hisc. nove & præter alios, *stabis* interpretatur *tardabis*, *moram facies* לשון עכבה. Idem *super petram* exponit, super verticem montis. *Nam ecce scriptum est*, inquit, *& stabis mihi illic super cacumen montis.* ❡ *Quum transibit gloria mea*] quum ego transibo ante te in gloria mea. Jonath. hic habet, *cum transibit gloria divinitatis meæ.* Lyra, *Cum transibit gloria mea i. species gloriosa. Divina enim essentia non competit transitus.* ❡ *In foramine petræ*] Sic Hieron. Prius erat in Lxx. εἰς ὀπὴν τῆς πέτρας: quod reddunt, *in caverna petræ*, cum potius sonet, *in foramen petræ.* S. Augustin. *Munimen firmissimum significat. Alii autem interpretati sunt in spelunca petræ. Sed Græcus habet ὀπήν. hoc enim foramen vel cavernam rectius interpretamur.* Onk. *in spelunca petræ.* Nec aliter Jon. Siquidem מערתא, quod in Lexicis אספלידא per Daleth, spelunca. Quidam, *in cavitate ipsa rupis.* Nicol. *in caverna rupis. Sic ait habetur in Ebræo.* Fagius ex Onkel. *in scissura petræ.* R. Salom. *in cavitate seu effossione rupis.* נקר enim est cavare seu effodere. Quod Scripturæ testimoniis ibi confirmat. ❡ *Obtegam*] שכתי idem quod סכתי per Samech. thema סכך. Lxx. σκεπάσω ἐπὶ σέ. Hieron. *protegam.* Sic etiam Onk. & Jon. Nam אגין protegam à גן vel גנן protexit: unde & מגן clypeus, quo corpus protegimus. Santes, *operiam.* alius, *tegam*: eodem redit. ❡ *Manu mea*] τῇ χειρί μου, Lxx. *Dextera mea.* Hieron. *Vola mea*, Santes. Nam כף proprie *vola.* appellatur à curvitate. Dextera proprie ימין dicitur. Sed novum non est ut יד ad manum dexteram restringatur. Sic forte etiam כף Chaph, unde capio. Nam manu capimus. Sunt qui referant, *nube mea.* Nam כף nubes parva in modum volæ humanæ. Sic mox, *amovebo nubem meam.* Cave recedas à priore sententia. Onkel. & Jonat. *Sermone meo. Sic honoris causa*, inquit R. Salom. *loquuntur de Deo, qui proprie loquendo non habet manum.* ❡ *Amovebo manum meam*] Lxx. ἀφελῶ τὴν χεῖρα, auferam manum. Hieron. *tollam manum meam.* Jerosol. interpres אעדי ית ידי tollam manus meas. Idem addit, & *transire faciam catervas angelorum qui stantes ministrant mihi.* Quod etiam in Jon. legitur. Onkel. ואעדי ית דברת יקרי amovebo ductum gloriæ meæ i. interprete Salomone Jario כבודי מחנות. Minus recte Fagius, & *auferam conditionem gloriæ meæ.* Sed vide sis notas ejus in Onkelon ad h. l. ❡ *Et videbis*] τότε ὄψῃ, tunc videbis. ❡ *Posteriora mea*] τὰ ὀπίσω μου, posteriora mea, sive id quod post me. Quod Onkel. dixit ית דבתרי hoc est, Hisc. exponente, *lucem & splendorem qui adhuc splendebit quum transiero.* Quæ omnia innuunt cognitionem Dei imperfectam ut cum videmus aliquem à tergo. Videndus Lyra h. l. Burgensis Episcopus per posteriora denotari putat effectus divinæ providentiæ in creaturis, quia effectus est posterior sua caussa. Quod firmat Lippom. ita scribens, *Posteriora ejus dicuntur manifesta & visibilia opera Dei. Unde & vulgus cognitionem ab effectibus vocat cognitionem à posteriori.* Et mox, *Quod igitur facies Dei non videtur & posteriora videntur, hoc indicare voluit quod ipsa divina essentia conspici à nobis viatoribus non potest, divinæ autem providentiæ effectus in creaturis, qui sunt proprie via DOMINI, quoniam effectus omnis caussa est posterior, videri possunt.* Hæc ille. ❡ *Facies mea non videbitur*] aliud est videre faciem DOMINI, & aliud videre Deum facie ad faciem. Faciem DOMINI nemo videre potest. Deum facie ad faciem vidit olim Jacob Patriarcha, quia vidit angelum Dei, aut quia vidit eum familiariter ut quando Moses locutus esse dicitur cum Deo facie ad faciem nullo angelo intermedio. Onk. hic habet, *quod ante me non videbitur*, vel potius, *quæ ante me non videbuntur.* Jonath. *faciem gloriæ divinitatis meæ non poteris videre.* Hanc faciem Sulpicius *formam* appellat: quam ajunt significare *veritatem essentiæ*, quam nemo assequi potuit. Idem videre gloriam DOMINI, exposuit videre DOMINUM in majestate propria. Vide comment. meum p. 128. Hisc. *lucem quæ*

ante

ante me quæ prævalet magis magisque, non poteris videre. Alii *faciem* interpretantur *ipsissimam divinitatem* quæ humanis oculis videri nequit: alii *majestatem Dei retectam.* Quæ omnia eodem recidunt. Quidam, *videbis posteriora mea* i. tergum meum. Sic εἰς τὰ ὀπίσω τῆς πόλεως, à tergo urbis. Vide notas in historiam sacram pag. 137. Sapientes autem & ex eorum sententia R. Salom. ad h. l. *Ostendit ei Deus* inquit, *ligamen phylacteriorum:* in quo arcanum profundum esse scribit Abenezra, eos reprehendens qui hoc ad litteram intelligunt.

A M A M A.

7. **E**Br. אהל מועד Vulg. *Tabernaculum fœderis.* Hactenus Interp. מועד vertit *testimonium*, jam *fœdus.* Græci more suo, σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου.

13. Ebr. *Notifica mihi vias tuas.* Vulg. *Ostende mihi faciem tuam.*

Steuchi censuram apponam. *Non hoc postulat Moses sed aliud, ostende mihi vias tuas. Ecce, non postulat videre faciem ejus aut substantiam, sed ut ostenderet viam qua ituri essent, ne in aliquem miserabilem errorem inciderent. Sed pejus transtulere Lxx. & majorem errandi occasionem præbuere* &c. Hæc Steuchus, pejus, inquit, Lxx. Male ergo Vulgatus. Vide & Cajet. & Benedict.

D E M U I S.

11. **L***Oquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.*] Non minus bene quam breviter illud explicat Abarbanel, ad hunc modum, רוצה לומר שהשי"ת בעצמו ובכבודו היה מדבר מבלי אמצעי למשה כאשר ידבר איש אל רעהו, *Nihil aliud vult hoc dicere, quam Deum per se & in sua Majestate egisse cum Mose, absque internuncio, non secus ac quispiam agit cum amico.* Quippe volunt Hebræi cum aliis Prophetis egisse Deum per Angelos interpretes; cum Mose verò non, sed per seipsum absque interprete, non aliter atque ut amici familiariter inter se confabulari solent: quæ res certe ad Mosis prophetiæ excellentiam commendandam vehementer pertineat. Neque vero Moysis gloriam ac dignitatem elevat, quod Deut. 5. 4. legatur etiam Deus populum Israeliticum universum allocutus coram ac præsens præsentem, h. e. absque interprete; cum nimirum Legem tulit in Sinæ monte. Sic habet versus Deut. *Facie ad faciem locutus est vobiscum in monte de medio ignis.* Namque ut observat Abarbanel, discriminis multum est inter Moysen & populum: populo enim semel tantum concessum fuit Dei loquentis verba audire; ast Moysi quotidie. Deinde, quod multo majus atque excellentius est, non modo immortalem Dei vocem audivit Moyses, sed spiritu prophetico præterea mens ejus afflata est: populo vero aliud nihil datum, quanquam & hæc singularis gratia fuit, quàm ut vocem aliquam ex immortalis Dei ore exeuntem auribus perciperet. Quod ad Jacobum attinet, qui ipse testis est vidisse se coram Deum, Gen. 32. 31. his verbis, *Vidi Deum facie ad faciem*, alia res est. Nam ibi per *Deum* Dei angelum Interpretes intelligendum esse haud injuria docent: & Chaldæus Targumista interpretatus est מלאכא דיי *Angelum Domini.* Instabit aliquis non posse oculis corporeis cerni Deum, ut dici Moyses possit collocutus cum Deo *ore ad os*, seu *facie ad faciem.* Respondeo non esse τὸ *facie ad faciem* accipiendum ut sonat, quasi tunc Deum, sicuti à beatis mentibus cernitur, suis oculis viderit Moyses adhuc mortalis: sed quod cum æterno Deo absque interprete, ut à nobis paulo est ante dictum, collocutus sit. Nam cur, quæso, si Dei faciem in eo jam colloquio vidisset Moyses, illi postea cupienti ac poscenti videre Deum, diceret Deus, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet:* necnon, *& videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris?* cap. cit. Exod. v. 20, 23.

G R O T I U S.

7. **M***Oses quoque tollens tabernaculum extendit*] *Sibi*, addit textus Hebræus. Tentorium Mosis intellige; quod vice fuit sacri Tentorii nondum facti.

12. *Novi te nomine*] Novi te nominatim, id est, eximie, παρὰ πάντας [*super omnia*] ut hic Græci.

13. *Ostende mihi faciem tuam*] Id est, δόξαν [*gloriam*], ut quidam Græci: sed in Hebræo est: *Fac mihi notam viam tuam:* quod Rabbini de proprietatibus divinis interpretantur, quas מדות vocant: sed locus ostendit agi hic de modo quo Deus cuncta gubernat, quem imitari volebat Moses. Plutarch. vitâ Dionis: ὅπως διαμορφωθεὶς τὸ ἦθος εἰς ἀρετὴν λόγῳ, καὶ πρὸς τὸ θειότατον ἀφομοιωθεὶς παράδειγμα τῶν ὄντων καὶ κάλλιστον, ᾧ τὸ πᾶν ἡγουμένῳ πειθόμενον, ἐξ ἀκοσμίας κόσμος ἐστί, πολλὴν μὲν εὐδαιμονίαν ἑαυτῷ μηχανήσεται, πολλὴν δὲ τοῖς πολίταις [*ut sermonibus mores excultus ad virtutem, & effictus ad illud rerum divinum exemplar, & pulchrum illud per quod hoc universum imperatori suo obediens ex rudi mole Mundus existit, multam sibi beatitudinem, multam item civibus pararet*].

18. *Ostende mihi gloriam tuam*] Splendorem vultus tui: cui opponitur mox tergum. Significat autem vultus & partes priores, causas ac rationes, secundum quas Deus beneficia sua dispensat, tergum ipsa beneficia. Hæc sentimus, illas magna ex parte nos nunc ignoramus, Rom. XI. 33. 34. 35. multo pauciora autem norant veteres, Rom. XVI. 25. 26. Hunc sensum monstrant quæ sequuntur.

19. *Ostendam omne bonum tibi*] Bona quæ populo Israelis facturus sum.

Vocabo in nomine Domini coram te] Locutio Hebræa, pro qua dicere liceat: Clamabo nomen meum יהוה pronuntiando, quo magis scilicet certus sis constantem me fore in promissis implendis, quod nomine יהוה significatur. Vide supra VI. 3.

Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit] Peccata quædam condonabo, quædam non condonabo: & eadem peccata his condonabo, non illis, ob causas latentes hominibus, mihi cognitas. Bene autem Latinus transtulit: *miserebor cujus miserebor*, pro *miserebor cui voluero.* Nam, ut Servius ait ad initium III Æneidos: *Quotiescumque ratio vel judicium non apparet*, Sic visum *interponitur.* Habet idem Donatus ad Terentium, & Abarbaniel ad Esaiæ LIII. hanc significationem esse dicit in voce רצון [*placiti*]. Proverbium est Hebræorum: *Non est curiose quærendum post opera Dei: omnia enim sapienter fecit, tametsi abscondita sunt ab oculis sapientum.* Origenes contra Celsum: εἰσὶ γάρ τινες εἱρμοὶ καὶ ἀκολουθίαι ἄφατοι καὶ ἀνεκδιήγητοι περὶ τὰς κατὰ τὰς ἀνθρωπίνας ψυχὰς διαφόρου οἰκονομίας [*Sunt enim nexus quidam & cohærentiæ ineffabiles atque inexplicabiles variæ dispensationis circa hominum animos*]. Arnobius libro II. *Neque enim promptum est cuiquam Dei videre mentem, aut quibus modis ordinarit res suas, homo animal cæcum, & ipse se nesciens ullis potest rationibus consequi. Quid oporteat fieri, quando, vel quo genere, ipse cunctarum rerum pater, moderator & Dominus scit solus.* Salvianus: *Non ideo non justum est quod divinitas agit, quia capere vim divinæ justitiæ homo non valet. Sicut plus est Deus, quam humana ratio: sic mihi plus esse debet quam ratio, quod à Deo agi cuncta cognosco.*

20. *Non enim videbit me homo & vivet*] Confer Jud. VI. 23. & XXIII. 22. Pausanias Phocide: τὸ ἔπος ἔοικεν ἀληθὲς εἶναι τὸ Ὁμήρου, ὡς ἰδεῖν αἰνὸν τοὺς θεοὺς τῷ φωτὶ τῶν ἀνθρώπων ἐναργεῖς ὀφθῆναι [*Videtur ergo verum esse dictum Homeri, nullo cum bono Deos clare ab hominibus conspici*]. Callimachus:

> Κρόνιοι δ' ὧδε λέγουσι νόμοι,
> Ὅς κε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
> Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.
> [*Saturni scita vetusta jubent,*
> *Ne quem cœlicolûm damno sine cernere quisquam*
> *Possit homo, nisi quem legerit ipse Deus.*]

21. *Est locus apud me*] Locus propinquus viso.

22. *Cumque transibit gloria mea*] Pars prior ejus quod apparet. Credunt autem Hebræi eandem formam apparuisse hic Mosi, Esaiæ cap. VI. Ezechieli c. I. & X.

Protegam dextra mea] Potestas divina in nos curiositatem inhibet. quis prior dedit illi? Rom. XI. 35.

23. *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*] Persuasum id gentibus cunctis. Homerus Iliados Ν.

> Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων
> Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος.
> [*Nam divina pedûm vidi vestigia retro*
> *Et crurum cum jam discederet.*]

Servius ad illud X Æneid. *Pone sequens. Hoc quidam ideo dictum tradunt, quod adversa videri nolunt: unde Ecloga* VIII. *Ne respexeris.* Idem in Fuldensi codice ad II Æneidos: *Abscessu plerumque numina demonstrantur fuisse, cum subito apparere desierint.*

CART-

CARTWRIGHTUS.

1. V*Ade, ascende hinc*] Jonathan addit, *ne invalescat fervor indignationis meæ adversus populum.* R. Salom. ait ideo dictum *ascende*, quod terra Israelitica omnibus terris esset altior. Apparet certe terram istam Ægypto fuisse altiorem, quod qui inde in Ægyptum proficiscerentur, descendere dicantur; Gen. 46. 3. & 45. 18. & 42. 2. è contra autem ii dicantur ascendere, qui ex Ægypto in terram istam proficiscerentur; ut hoc in loco, & v. 12. & v. 15. Addit autem R. Sal. supra dictum fuisse cum Deus iratus esset, *vade, descende.* cap. 32. 7. Nunc autem Deo placato dictum esse, *vade, descende.* Sed id non tam solidum est, quam argutum; nam ex iis, quæ sequuntur, Deum nondum placatum fuisse apparet.

2. *Et expellam Cananæum*, &c.] Jon. *Et expellam per manum ejus*, nempe Angeli, de quo facta est mentio.

Cananæum, Amorrhæum, &c.] LXX. hic ut sæpe alibi etiam Girgasæum memorant, cum in Hebræo sit prætermissus. Vide supra ad cap. 3. 8.

Non enim ascendam in medio tui] Onkelos contrario plane sensu, ארי לא אסלק שכינתי מבינך *Non enim auferam præsentiam meam è medio tui.* Ita in Editione Veneta, & Buxtorfiana habetur; sed Complutensis Editio (teste Fagio) habet, ארי לא אסק שכינתי בינך *non enim ascendere faciam præsentiam meam in medio tui:* quod Hebræo textui est conforme. Jonathan utrumque sensum, etiamsi prorsus sibi invicem repugnantem, in unum conflare conatur. Sic enim habet; *Non enim fieri potest, ut auferam præsentiam gloriæ meæ è medio vestri; veruntamen non habitabit gloria mea in habitaculo castrorum.* Ex v. 9. colligi potest, Deum ob peccatum populi columnam nubis, præsentiæ suæ signum, removisse; atque hoc illud esse videtur, quod hic dicit se nolle in medio populi ascendere, i. e. nolle gloriosam suam præsentiam eo modo, quo antea, ipsis conspiciendam præbere.

3. *Nam populus es* קְשֵׁה־עֹרֶף *duræ cervicis.*] LXX. Eleganter uno verbo exprimunt, σκληροτράχηλον· atque isto vocabulo utitur Lucas Act. 7. 51.

4. *Lugebant, nec ornatum suum*, אִישׁ *quisquam sibi induebat*] LXX. breviter, sed non incommode reddunt, κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς, *lugebant in lugubribus*; nisi quod vestimenta quædam luctui peculiariter destinata hoc innuere videantur. Vulg. *luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo.* Vide ad v. 5.

5. רֶגַע אֶחָד אֶעֱלֶה *Momento uno ascendam*] Onk. *hora una auferam præsentiam è medio tui*: atque ad eundem etiam modum Jonathan. Vulg. *semel ascendam*, &c. LXX. ὁρᾶτε μὴ πληγὴν ἄλλην ἐπάξω ἐφ' ὑμᾶς, *Vide ne plagam aliam inducam super vos.* Nescio an pro רגע *momento* legerint נגע *plagam.* Fagius monet eos omnino aliam sententiam ab ea, quæ in Hebræo habetur, habere.

Et nunc depone עֶדְיְךָ *ornatum tuum à te*] Lyra ait ex sententia R. Salomonis per *ornatum* non intelligi pretiosa vestimenta, quæ jam deposuerant, sed coronas, quas principes populi sibi imposuerant eo die, quo lex data fuit. At R. Sal. hunc ornatum non distinguit ab eo, cujus v. 4. facta est mentio. Nam ad v. 4. ornatum istum interpretatur, כתרים שנתנו להם בחורב i. e. *coronas*, (a) *quas sibi imposuerunt in Horeb, quando dixerunt, faciemus, & obsequentes erimus*, vide cap. 24. 7. Ad hunc autem locum duntaxat ait, פרענות זו חלק שתורה כתר ערכבם עליכם i. *hac pœna plectemini quod è vestigio à vobis ornamenta vestra deponetis.* Burgensis istud de coronis tanquam fictitium rejicit; nec sane immerito, si nude & ad literam accipiatur. Forte autem Hebræi mystice intellexerunt, nempe promptam illam obedientiam, quam professi sunt cap. 24. 7. illis quasi coronam fuisse, hanc autem coronam jam eos, cum contra quam promiserant, rebelles facti essent; perdidisse; Ita quidem Jonathan cap. 32. 25. (ut supra notatum est) dicit populum idololatria sua nudatum esse corona sancta, quæ in capite suo fuerat, atque ad eundem etiam modum ibi Hierosolymitanus Paraphrastes. Hic Jonathan habet תקן זינך *ornamentum armorum tuorum*, atque ita etiam Onkelos, qui etiam v. 4. habet תקן זיניה *ornamentum armorum suorum.* Unde Fagius putat eum per ornamenta ista intelligere arma bellica, ut sunt gladius, arcus, & similia, *quæ mox* (inquit, nempe hoc v.) *deponere jubentur, ut his denudati, in quemcunque hostilem impetum præcipites ferantur, non formidantes etiam mortem, modo crimen perfidiæ diluant.* Hæc ille, quæ opinor, non scripsisset, si Jonathanis Paraphrasin cognitam habuisset: Ea autem v. 4. sic habet, *nec induebat quisquam ornamentum armorum suorum, quod datum ipsis fuit in Sinai, quodque nomen magnum, & sanctum in se insculptum; & explicatum habuit.* Hinc clare patet Jonathanem per תקן זין *ornatum armorum* (quæ verba ab Onkelo mutuatus videtur) non nisi coronam illam intelligere, de qua cap. 32. 25. locutus est.

ואודעה *Et sciam quid faciam tibi.*] LXX. καὶ δείξω, &c. *Et ostendam.* Forte legerant ואורשה, Vulg. *Ut sciam*, &c.

7. *Et accepit Moses Tabernaculum*] Aben Ezra refert nonnullos hoc de Tabernaculo Domini interpretari, de quo postea agitur: ipse autem vult ipsius Mosis Tabernaculum fuisse, atque appellatum *Tabernaculum conventus*, quod ibi donec alterum Tabernaculum extructum esset, Dominus eum conveniret. Sane nisi totius historiæ series sit confusa, & perturbata, solenne illud Tabernaculum, quippe quod nondum extitit, intelligi non potest. Sunt autem qui nec istud, nec Mosis Tabernaculum intelligendum censent, sed aliud quoddam Tabernaculum, quod pro tempore sacris usibus fuit à Mose erectum. Sed præter ipsius Mosis Tabernaculum ullum istiusmodi fuisse, nec Scriptura (quod sciam) indicat, nec videtur verisimile. Arbitror potius cum Aben Ezra hic idem Tabernaculum intelligi de quo fit mentio cap. 18. 7. quod etiamsi Jonathan (ut ibidem notavi) vocet *Tabernaculum domus doctrinæ.* (quemadmodum hoc Tabernaculum ab eo pariter ac Onkelo appellatur) Mosis tamen Tabernaculum fuisse haud dubium videtur. Vult quæ illic ad ver. 12. nempe ad verba *coram Domino* sunt notata.

Procul à castris] Jonathan ait Tabernaculum istud bis mille cubitorum spatio à castris Israeliticis fuisse remotum, atque ita etiam R. Sal. id quod astruere conatur ex Jos. 3. 4. Vide supra ad cap. 16. 29.

Et vocavit illud אֹהֶל מוֹעֵד *Tabernaculum conventus*] Onkelos & Jonathan, משכן בית אולפנא *Tabernaculum domus Doctrinæ.* R. Sal. similiter exponit בית ועד לבקשי תורה *domum conventus* (seu *Synagogam*) *iis, qui quærebant Legem.* LXX. σκηνὴ μαρτυρίου, *Tabernaculum testimonii*; quasi scilicet מועד esset à radice עוד cum ipsa dictionis forma ostendat radicem esse יעד. Vulg. *Tabernaculum fœderis*; cujus interpretationis rationem non assequor. Vide Annotationes ad cap. 27. 21.

Et factum est, ut quisque quærebat Dominum, exiret ad Tabernaculum conventus] R. Salom. ait etiam cum Angeli Dominum quærerent, eis à sociis suis dictum esse, illum in Tabernaculo Mosis fuisse. Non inepta prorsus sententia, si sobrie intelligatur, nempe juxta illud Apostoli Ephes. 3. vers. 10.

8. *Surrexit omnis populus & stetit*, &c.] Jon. *Surrexerunt omnes impii in populo, & steterunt quisque in porta tentorii sui, & respexerunt oculo maligno post Mosen, usque dum ingressus est in Tabernaculum.* Sed istam non esse hujus loci sensum ex v. 10. apparet.

11. *Et locutus est Dominus ad Mosen* פנים אל פנים *facie ad faciem*] Onk. ממלל עם ממלל *sermonem cum sermone.* Fagius vertit, *verbo, ad verbum*; & in Annotationibus *verbum cum verbo*, vel *sermonem cum sermone* scilicet commutando. Sensus autem est (ut idem notat) Deum familiarissime cum Mose locutum esse, prout statim exponitur, *quemadmodum quis loquitur cum socio suo.* Jonathan, ממלל קבל ממלל קל דבורא הוה שמע ברם זו אפין לא הוה חמי *sermone pro sermone: vocem sermonis audivit, sed splendorem vultus non vidit.* Sic Manasses in concil. quæst. 48. in Exod. ait, Onkelum interpretatione sua significasse, sermonem Mosis ad Deum, & Dei ad Mosen æqualem fuisse, quia inter se loquebantur: *at* (inquit) *visus inæqualis erat; nam Deus quidem Mosis naturam, at non item Moses divinam perspectam habebat. LXX.* ἐνώπιος ἐνωπίῳ, *præsens præsenti*; Sic cap. 25. 30. vertunt לחם פנים ἄρτους ἐνωπίους, *panes præsentes*; sic ibi latine vertitur. Hic autem Græca ista vertuntur; *facie ad faciem*: atque ita habet vulgata versio. Hoc autem idem est cum eo 2 Joh. 12. στόμα πρὸς στόμα.

Et reversus est in castra] Jonathan, *Et quando ablata fuit vox sermonis, reversus est in castra, & indicavit verba ista cœtui.*

Et minister ejus Ieshua filius Nun נַעַר *juvenis*] Ab. Ez. notat Josuam annis 110 vixisse, uti Scriptura tradit Josh. 24. 29. ex Hebræorum autem sententia septem annos terram Canaan subjugando, ac toti-

(a) Vel, *quæ data eis fuerunt.*

(b) Similia etiam habet Jonathan v. 6.

totidem eam distribuendo consumpsisse: unde colligit eum, jam 56. annorum fuisse, ac propterea non ætatis, sed ministerii ratione dictum esse נער *juvenem seu adolescentem*, vel *puerum*. Sic enim vox ista significat; atque ita quidem παῖς quandoque pro servo usurpatur Matt. 8. 6. & 13. Luc. 7. 17. cum 2. & 3. & 10. Cum autem hic etiam vocetur משרתו *minister ejus*, nonnulli non absurde putant eum comparate ad Mosen qui multo erat senior, appellatum esse juvenem.

12. ידעתיך בשם *Novi te de nomine*] Vulg. *ex nomine*. LXX. οἶδά σε παρὰ πάντας *scio te præ omnibus*. Atque ita etiam interpretantur v. 17.

13. *Ostende mihi* דרכך *viam tuam*] vel *vias tuas*, דרכיך pro דרכך, ut velle videntur Masorethæ. Vulg. (*a*) *faciem tuam*; at דרך est *via*, non *facies*. Lyra ait in Hebræo esse, *ostende mihi manum tuam*. At certum est דרך nec manum, nec faciem, sed viam duntaxat significare. LXX. ἐμφάνισόν μοι σεαυτὸν *ostende mihi te ipsum*. Scholiastes refert alios libros habere δεῖξόν μοι τὴν σεαυτοῦ δόξαν, *ostende mihi gloriam tuam*: sed id ex v. 18. huc translatum videtur. Onkelos hic habet הודעני כען ית אורח טובך *Notam fac mihi viam bonitatis tuæ*. Jonathan eadem verba habet, sed alia insuper addit, unde apparet eum de via providentiæ interpretari, quasi Moses à Deo petiit rationem sibi reddi, quare justis similiter ac peccatoribus, & peccatoribus similiter ac justis eveniat, & rursus justis juxta ipsorum justitiam, & peccatoribus juxta ipsorum peccata. Simplicissimum videtur, ut quemadmodum sese Deus erga Israelitas gerere vellet; utrum nimirum, ut antea fecerat, aspectabile quoddam præsentiæ suæ signum eis porro exhiberet Moses quærere intelligatur.

וראה כי עמך הגוי הזה *Et vide quod populus tuus est gens ista*] Seu *cogita, considera*, quemadmodum verbum ראה usurpatur Eccles. 7. 14. LXX. καὶ ἵνα γνῶ ὅτι λαός σου τὸ ἔθνος τὸ μέγα τοῦτο *& ut sciam quod populus tuus est gens hæc magna*. Sed id aliud est ab eo quod in Hebræo textu dicitur. Scholiastes notat in aliis libris deesse τὸ μέγα, nec ab Augustino in quæst. legi. Vulg. *respice populum tuum, gentem hanc*; quasi in Hebræo esset וראה עמך הגוי הזה, Vocula כי plane est prætermissa.

14. פני ילכו *Facies mea ibit.*] Huic interpretationi subscribit R. Salomon, qui porro sic explicat, *Nec amplius mittam Angelum, sed ego ipse ibo.* Ad eundem etiam modum exponit Aben Ezra, rejecta expositione R. Saadiæ, qui פני interpretatur חמתי *ira mea*. Eo autem sensu vocem istam hic recipit Jonathan, quippe qui sic vertit, *Morabor donec transeat vultus indignationis, & tunc postea dabo tibi requiem.* Sed altera expositio, rei pariter ac verborum habita ratione, est præferenda.

15. *Nisi facies tua vadat, ne facias nos hinc ascendere.*] Onkel. *nisi præsentia tua eat inter nos*, &c. Jonath. *nisi ira* (רגז, vel *irata facies tua*) *recedat à nobis ne facias nos hinc ascendere vultu irato.*

16. ונפלינו *Et separati erimus.*] Sic R. Salomon, ונבדלנו ... מכל & citat illud cap. 9. ver. 4. והפלה יהוה בין מקנה ישראל ובין מקנה מצרים *& separavit Dominus inter pecus Ægyptiorum*, &c. quem locum ad hunc elucidandum affert etiam Aben Ezra. Onkelos & Jonathan, ויתעבדן לנא פרישן *& fient nobis mirabilia* פלא *separari*, *&* פלא *mirabile esse*, cum voce, tum significatione sunt inter se cognata; quæ enim sunt mirabilia, ea à communi rerum ordine sunt separata, unde & Chaldæis פרש utrumque denotat. LXX. καὶ ἐνδοξασθήσομαι *& glorificabor*, Vulg. *ut glorificemur*.

18. *Ostende mihi quæso gloriam tuam*] *LXX.* ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν, *ostende mihi teipsum*, ut ver. 13. ubi interpretatio ista minus convenit. Nobilius autem testatur alios libros habere δεῖξόν μοι τὴν σεαυτοῦ δόξαν, *ostende mihi gloriam tuam*; atque ita Augustinum legere. Maimonides in More part. 7. cap. 64. ait per gloriam Dei hic intelligi ejus essentiam, idque ex ver 20. non inscite probat. Similiter, ibidem cap. 54. ait Mosen postquam à Deo petiisset cognitionem attributorum Dei, & ut populo propitius esse velit responsumque à Deo de gratia populo exhibenda accepisset, ver. 13. &c. ulterius progressum esse, & petiisse etiam apprehensionem essentiæ Dei, nempe his verbis, *ostende mihi quæso gloriam tuam.*

19. וקראתי בשם יהוה לפניך *Et proclamabo nomen Domini coram te.*] Fagius ex Chaldæo, qui cum Hebræo prorsus convenit, ad verbum reddit, *& vocabo in nomine Domini coram te.* Sic autem explicat, *vocabo coram te nominatim. Dominus est qui præterit.* Ludovicus de Dieu vertit, *Et clamabo nomen Jehovæ est ante te q. d. ne te incogitantem, & non advertentem transeam, monebo te clamore meo, nomen meum esse coram te.* Asserit ב hic in בשם nominativum designare, atque ita in aliis etiam Scripturæ locis usurpari. Sed quemadmodum supra ad cap. 32. 22. de observatione ista censui, ita hic etiam arbitror eam minime esse necessariam, cum verbum קרא *vocare*, vel *clamare*, sequente ב construi solet. *LXX.* καὶ καλέσω τῷ ὀνόματί μου, κύριος ἐναντίον σου, *& vocabo in nomine meo, Dominus ante te.* Sed Nobilius monet, in aliqua editione haberi τῷ ὀνόματι κυρίου ἐναντίον σου, & sic Augustinum legere, *& vocabo in nomine Domini in conspectu tuo*; atque hoc Hebræo textui est consentaneum. Vulg. *Et vocabor in nomine Domini coram te.* Sed in margine pro *vocabor* legitur *vocabo*.

21. *Ecce locus est* אתי *mecum*] Vel, (*b*) *juxta me*. Onk. & Jon. מתקן קדמי *paratus coram me.*

23. *Et removebo manus meas*] Onk. *& auferam conditionem gloriæ meæ.* Jon. & Hierosol. *Et transire faciam cœtus angelorum, qui stant ac ministrant coram me.*

Et videbis את אחרי *posteriora mea*] Manasses quæst. 48. in Exod. vertit *humeros meos*. Sed altera interpretatio Hebrææ voci exacte respondet.

(*a*) In quibusdam codicibus marginalis lectio habet *viam*.

(*b*) Vulg. *apud me*.

IDEM.

7. *Et accepit Moses, &c.*] Recte mihi videtur hoc factum Mosis comparare cum dicto Jeremiæ, *Jer.* 9. 2.

11. *Et reversus est in castra*] Hoc ita exponi posse ait, ut eo indicetur Mosis præcellentia, quod etiamsi facie ad faciem cum ipso Deus locutus fuisset, potuit tamen nihilominus corporalibus negotiis se statim immiscere; cum in aliis prophetis aliter se res habuerit: atque ideo etiam de Josua hic dictum esse, eum in Tabernaculo mansisse, non potuisse scilicet statim rebus castrensibus operam dare. Atque hinc ait Doctores comparare Mosen soli, qui ex utraque parte, Josuam autem Lunæ, quæ ab una duntaxat parte fulget.

14. *Facies mea ibit, &c.*] Putat vocem פנים *facies*, hic & in sequentibus iram denotare, q. d. *Ira mea abibit*, seu *cessabit*, *&c.* sed rectius videtur, præsentiam Divinæ Majestatis voce ista significari, id quod ex ver. 16. confirmatur.

18. *Ostende mihi gloriam tuam*] Improbat sententiam Maimonidis, per *gloriam Dei hic* essentiam ac quidditatem ejus intelligi: id enim ex se impossibile esse dicit, (דבר נמנע מצד עצמו) ut quis Dei quidditatem comprehendat, atque ideo Mosen id haudquaquam petere voluisse. (*a*) Existimat igitur Mosen id à Deo petiisse, ut in visione prophetica omnia entia, cum inferiora, tum superiora (הנמצאים כלם התחתונים והעליונים) ipsi ostenderet: ea enim, utpote à Deo creata, ejus gloriam esse. Sed id à mente Mosis tam remotum, quam quod remotissimum, mihi videtur.

(*a*) *Vide infra ad cap. 40. v. 35.*

CAP. XXXIV.

MUNSTERUS.

5. VOcavitque in nomine Domini] Ut supra dixerat, *Cum transiero, vocabo in nomine Domini*, sic hic nomen suum magnificum exprimens dicit, *Dominus, Dominus*, quod in Hebræo tetragrammaton illud sacrum nomen est. Et omnia quæ sequuntur sunt verba Dei, & non Mosis, ut Latini hactenus intellexerunt. Ut enim supra dixerat, *Cum transiero, clamabo, Miserebor cui miserebor*, sic hic idem dicit, *Deus misericors* q. d. Ego sum Dominus ille & Deus misericors quem tu Moses rogasti pro populo, &c. prædicans scilicet de se tredecim verba, quæ Hebræi vocant tredecim מדות, *proprietates*, seu *epitheta*, *Dei*. Et multa de his scribunt. Prima est, *Ego Dominus*, & summa illa Majestas: Secunda, *Deus*, & est אל idem quod תקיף, *fortis*: Tertia, רחום, *misericors*, præservans scilicet à lapsu: Quarta, חנון, *clemens*, erigens lapsum: Quinta, *longanimis*, non illico condemnans impium: Sexta, *abundans pietate*, vel *multæ pietatis*, super justum & impium: Septima, *multæ veritatis*, implens promissa:

missa: Octava, *custodiens misericordiam in mille*: Nona, *remittens perversitatem*: Decima, *remittens* פשע, *transgressionem*: Undecima, *remittens* חטאה; *peccatum*: Duodecima, *innocentem non condemnans*: Decimatertia, *Visitans iniquitatem patrum*, &c. Sunt tamen qui hæc duo ultima non annumerant proprietatibus Dei, sed ea tantum quæ clementiam & beneficentiam præ se ferunt: & illi penultimam sic interpretantur, Licet Deus sit clemens, misericors, abundans bonitate, remittens omnis generis peccata, puta quæ fiunt vel ex infirmitate vel ex certa malitia, purificando tamen neminem in hac mortali vita sic purificat, qui non dicere possit, *Invenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

7. *In tertios*] h.e. על דור שלש, *in tertiam generationem*; quando scilicet filii paternorum scelerum sunt sectatores, ut supra quoque cap. 20. indicavimus.

10. *Mirabilia*] Hæc sunt illa mirabilia opera quæ fecit in deserto, ut sunt Eductio aquæ de petra, Locutio asinæ, & similia. ¶ *Videbunt opus terribile quod faciam tecum*] Intelligendum dicunt de cornuta facie Mosi; aut, ut alii putant, de seditione Corah & sociorum ejus.

15. *Vocent te*] Heb. *vocet te*: nam est familiare Hebraismo, ut de populo promiscuo loquatur numero. Idem plerumque fit in nominibus specierum animalium.

18. *Maturescentis frugis*] Est אביב tempus, בישול התבואה, *decoctionis frugum.*

19. *Masculinum*] Hebr. *Omne pecus tuum quod fit*, vel *nascitur, masculinum*; uno verbo scilicet sententiam hanc exprimens.

20. *Vacua*] Hebraismum hic reddidi; sed nemo est qui non intelligat absque munere & oblatione non comparendum ante conspectum Domini.

22. *Festum hebdomadarum*] Intelligitur festum Pentecostes, in quo duo panes de primitiis tritici afferri debebant, sicut in Pascha jubetur afferri עמר *de hordeo*, quod citius maturescit quam triticum. Porro per *festum collectionis* intelligitur festum Tabernaculorum, quod semper est in initio anni, h.e. in Septembri nostro. ¶ *De hœdo non coquendo in lacte matris suæ* jam supra cap. 23. diximus.

28. *Decem verba*] Hæc *decem verba* Decalogus est.

29. *In modum cornu*] Dicit Steuchus, Judæos male habere quod Christiani pingunt Mosen cum cornibus. Nescio si id verum sit, cum & R. S. atque K. dicant verbum קרן à *cornu* descendere, quodque radii in modum cornu micuerint ex facie Mosis, sicut & radii à Sole derivati speciem cornu præ se ferunt. Id verum est, quod tota facies Mosi sic rutilavit & micuit ut Israelitæ non potuerint intendere in eam. Exponunt ergo Hebræi verbum קרן per זהר *splenduit*: & R. Sal. vocat radios illos קרני הוד, *cornua magnificentiæ.* Ut cooperuit autem Moses faciem suam cum loqueretur ad filios Israel, quo cum majori loqueretur autoritate, sic quando cum Deo loquebatur, amovit velamen, quod indignum esset loqui cum Rege facie cooperta, ut Sepharadi dicit.

FAGIUS.

6. *Clamavitque, Dominus Dominus Deus*] i. clamavit Dominus ad Mosen; alta voce denuntiavit ei hanc vocem, *Dominus est.* Ut cap. præcedenti dixerat, *Vocabo in nomine Domini coram te*, sic nomen suum magnificum exprimens, hic dicit, *Dominus est.* Omnia quæ sequuntur Dei sunt verba, non Mosis. Ut enim supra dixerat, *Clamabo nominatim, Dominus est. Miserebor*, &c. ita & hic idem dicit, *Deus misericors*; q.d. Ego sum Dominus ille & Deus misericors quem tu rogasti pro populo, &c. Author Vulg. edit. Lat. hunc locum sic transtulit quasi Moses clamaverit & dixerit, *Domine Deus*, &c. Ad hunc modum enim habet, *Stetit Moses cum eo, invocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo ait, Dominator Domine Deus, misericors & clemens*, &c. Sed prior lectio solidior est, ut teneas hæc verba Dei fuisse, qui ad Mosen clamaverit, ut supra. Habet tamen Vulg. Lat. editio suæ lectionis adstipulatorem Thargum Hierosol. quod ita legit, ועברת יקר שכינתיה דיי קדמוי וצלי משה ואמר יי יי אלהא רחמנא וחנן, *Et cum transiret gloria majestatis Domini coram eo, oravit Moses & dixit, Domine Domine Deus misericors*, &c. Quæ propterea annoto, ut non temere mox damnemus Lat. illam Vulg. editionem, si quando à veritate Hebraica nobis discrepare videtur: habet enim quos secuta est, ut hic etiam vides. Sed placet hic commemorare quomodo Hebræi hæc Dei epitheta, quæ sibi ipsemet Deus attribuit, exponant atque enarrent. I. Quod bis dicitur, *Adonai, Adonai*, eo significari dicunt duplicem in Deo misericordiam, alteram qua præservat hominem à peccato, alteram qua remittit ei qui peccavit delictum. II. Vocat se אל *El*, i. *Deus fortis*, quo innuitur potentia Dei qua potest succurrere suis utcunque oppressis. III. *Misericors* est, præservans scilicet à lapsu. IV. *Clemens* est, erigens scilicet lapsum. V. *Longanimus* est: non statim punit homines atque peccant, sed differt pœnam, quia *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* VI. *Multæ pietatis*, sive *misericordiæ*, est, erga eos scilicet qui indigent & non habent merita. VII. *Multæ* quoque *veritatis* est, in præstandis scilicet promissis. VIII. *Custodit pietatem*, sive *bonitatem*, *in mille generationes.* Punit enim peccata parentum in filiis in tertiam & quartam usque generationem, misericordiam vero ac bonitatem suam protendit in mille generationes, ita ut misericordia ejus major & amplior sit ira ejus: id quod Hebræorum sapientes ita efferunt, מרובה מדה טובה ממדת פורענות, *Major est proprietas bonitatis Dei quam proprietas ultionis.* IX. *Remittit* omnis generis peccata; *Iniquitatem*, h.e. ea peccata quæ temere & cum quadam præsumptione admittuntur; *Transgressionem*, h.e. defectionem & apostasiam, quod Hebræis est פשע *Pasche*; manifesta quoque & publica *peccata*, quæ veniunt appellatione חטאה *Chataah*; tametsi quidam חטאה dici volunt peccata quæ in pueritia maxime; non pleno rationis usu, fiunt. X. Non est *respector personarum*: *non* enim *innocentem habet eum qui nocens est.* XI. *Visitat iniquitatem patrum super filios*; si scilicet filii imitentur facta & scelera parentum: alias non portabunt filii iniquitatem parentum. Hactenus Hebræi: quæ bona ex parte leguntur & apud R. S. Et Hebræi hæc Dei epitheta sive elogia sic dividunt ut ex ipsis faciant שלש עשרה מדות השם *tredecim proprietates Dei.*

7. *Propitius est his qui convertunt se ad legem ejus*, &c.] Hæc sententia in veritate Hebraica valde concise effertur, ideo diversimode redditur & intelligitur. Hebraice sic legitur, ונקה לא ינקה *Venakeh lo-jenakeh.* Quod Vulg. editio Lat. ita legit, *Nullusque apud te per se innocens est*, q.d. & innocens non erit sine piaculo. LXX. καὶ τὸν ἔνοχον οὐ καθαριεῖ, *& noxium non habebit pro innocente.* Et hos ex recentioribus hodie quidam sequuntur, qui ex Hebræo sic legunt, *Et nocentem innocentem non faciens.* Hebræi bifariam fere explicant, nempe hoc modo, לא ינקה את האדם מן העון בכל וכל אף על פי שהוא נושא עון אלא יענש את האדם מעט כדי ליסרו ולהשיבו לדרך טובה *Non absolvit hominem ab iniquitate in universum, tametsi remittat iniquitatem, sed punit hominem paulatim, in hoc ut castiget eum, & reducat in viam bonam.* Vel, מנקה הוא לשבים ואינו מנקה לשאינם שבים, *Absolvit eos qui resipiscunt, non autem absolvit eos qui non resipiscunt.* Atque ita veteres Hebræi intellexere, quos secutus est Paraph. noster Chald. sua versione. Porro quod ipsas voces attinet, verba sunt secundæ conjugationis activæ apud Hebræos, & נקה *Nakeh* est infinitivus, & ינקה est futurum: unde & sic redditur, *Et innocentando non innocentabit*; vel, *absolvendo non absolvet.* Paraph. Hierosol. ita habet, ומזכי לא יזכי יי ית חייביא ביום דינא רבא, *Et justificando non justificabit Dominus reos in die judicii magni.* Est ex recentioribus Theologis nostri temporis qui hunc locum fusius explicat, cujus verba huc adscribere minime piget. Nullum faciens innocentem: *Hoc vulgo ita exponitur, quod nullus sit per se coram Deo innocens. Quod vere quidem dicitur, sed non videtur genuinum hujus epitheti sensum explicare. Hebræus ita habet*, ונקה לא ינקה, *h.e.* dimittit impunem, non dimittit impunem. *Et quomodo hoc intelligendum sit Chaldæus paraphrastice sic ita exposuit*, שביק לדתייבין לאוריתיה ודלא תייבין לא מזכי, parcens iis qui convertuntur ad legem ejus; & eos qui non convertuntur, non justificans. *Hoc ergo epitheto significat Deus quod non sit ut victor tyrannus & crudelis, sed ut victor clemens ac moderatus. Tyranni enim victores urbium solent ferro suo in victos omnes dedititios indiscriminatim grassari, nec cuiquam vel sexui vel ætati parcere: Clementes autem victores non sæviunt in quosvis, sed recipiunt victos dedititios in gratiam & vindictam, in veniam & pœnam, videlicet ut parcant quibus velint, & puniant quos libet. Nam cum omnes victi morti obnoxii sunt, clementes tamen victores non omnes trucidant, sed hos quidem servant, illos autem, adeoque paucissimos, occidunt. Sic & Dominus Deus noster non est ut tyrannus victor, qui quosvis indiscriminatim conculcet & perdat, sed est ut clemens victor, qui victos partim in gratiam recipiat. Tametsi enim omnes homines meriti sunt extremam internecionem propter peccata, Dominus tamen Deus noster tam clemens est ut non omnes extrema internecione perdat, sed alios quidem, nimirum impœnitentes, perire sinat, alios autem, videlicet pœnitentes, in gratiam recipiat & perpetua felicitate donet.* Hæc ille.

21. *Tam à seminando quam à metendo*] Ita communiter

hunc

hunc locum vertunt interpretes. Vulg. editio, *die septimo cessabis arare & metere.* Lxx. τῷ σπόρῳ καὶ τῷ ἀμήτῳ καταπαύσεις, *A semine & messe cessabis.* Heb. ad verb. *In agricultura & in messe.* Chald. *In semente & in messe*, h. e. In tempore sementis & in tempore messis quiescas, ut Compl. editio habet. Vult autem dicere, Etiamsi maxima tibi operandi videbitur esse necessitas, ut est tempus sementis & messis, non tamen violabis Sabbatum, sed quiescas. Atque hæc videtur omnino genuina hujus loci esse lectio ac sententia, q. d. Etiam tempore sementis & messis, quo maxime laborandum esse videbitur, servabis sabbata tua.

22. *In primitiis messis triticeæ*] i. Quando offeres primitias in messe triticea.

25. *Non mactabis super fermento*, &c.] Sensus est, Antequam immoles victimam Paschalem, removebis fermentatum de domo tua. Non enim jugulari debet agnus Paschalis quando adhuc fermentum est in domo. Habes de hoc & supra 23. 18.

29. *Quod multus esset splendor gloriæ ejus*] Heb. ומשה לא ידע כי קרן עור פניו בדברו אתו, *Et Moses ignorabat quod in modum cornu radiaret cutis facies sua dum ipse loqueretur cum eo.* Non est ergo putandum quod cornua ex facie Mosis egressa fuerint, ut aliquis forte ex Lat. Vulg. edit. divinare posset, quæ habet, *Et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Unde nimirum & prava consuetudo vulgi nata est, pingere Mosen duobus cornibus. Sed sensus est, quod frons, nasus, os & mentum, totaque facies Mosis splenduerit, atque radios in modum cornu ejaculata fuerit. Vocabulum Hebraicum קרן *Karen* proprie *cornu* significat. Hinc verbum קרן *Karan*, *splendere, fulgere, radiare.* Quod scilicet, ut R. D. K. inquit, cum homo Solem aut quamvis aliam lucem intente intuetur, jam videtur illi quodammodo cornuum instar splendorem ac radios emittere. Veritatem Hebraicam plenius expresserunt Lxx, qui legunt, Καὶ Μωυσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *Et Moses ignorabat quod glorificatus esset aspectus cutis faciei suæ.* Hunc sensum quoque secutus est Apostolus 2 Cor. 3. 7. *Quod si administratio mortis in literis, deformata in saxis, fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus quæ aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria?*

33. *Et posuit super faciem suam velamen*] Ad literam est, בית אפי, *domum faciei:* sic vocat Chaldaismus velamen. Usurpat enim *domus* vocabulum pro quolibet instrumento, vase & receptaculo in quo aliquid retinetur, reconditur & conservatur.

I D E M.

5. ויקרא בשם יהוה *Vocavitque in nomine Domini,*] Hallucinatus est Latinus interpres, qui sic transtulit quasi Moses invocaverit nomen Domini, cum hoc ipsum referendum sit ad Deum, qui scilicet clamavit nominatim, *Dominus est*, h. e. clamavit Dominus ad Mosen, alta voce enunciavit ei hanc vocem *Dominus est*, & cap. præcedenti dixerat *vocabo in nomine Domini coram te*, sic nomen suum magnificum exprimens, hic dicit, *Dominus est.* Omnia autem quæ sequuntur Dei sunt verba non Moysis: ut enim supra dixerat, *clamabo* nominatim, *Dominus est*, *miserebor*, &c. ita & hic idem dicit *Deus misericors*, quem tu rogasti pro populo. Ambigua est versio Septuaginta: potest enim ad utrum referre. Quod scilicet Deus vocaverit, vel ipse Moses.

7. ונקה לא ינקה *Et nocentem innocentem non facies.*] Hic locus diverso modo tum à nostris tum ab Hebræis interpretibus redditur & intelligitur. Occasio diversitatis fuit, quod Hebræa concise admodum efferuntur. Hebræi bifariam fere explicant, ut supra. Alii ex Hebræo sic reddunt, *& absolvendo non absolvit*, i. nocentem non pronuntiat innocentem sed punit. Atqui hunc sensum expresserunt Lxx. Sed Vulg. interpres propius accessisse videtur, quod sensum attinet, ad veritatem Hebraicam, qui sic transtulit, *Nullusque apud te per se innocens est.* Omnino enim hoc Hebraismus velle videtur, ונקה לא ינקה, i. *& mundando non mundabit*, q. d. neminem per se pro mundo & innocente habet, sed quos mundat, absolvit & justificat, ex sola sua gratia & misericordia justificat. Est ergo נקה infinitivus *mundare, purificare, absolvere, innocentem facere*, non nomen. Tametsi raro infinitivus Hebræis nominaliter capiatur; quod forte respexerunt qui נקה nominaliter verterunt. Porro repetitio verbi emphasim & auxesim habet. Sunt enim frequentes hujusmodi repetitiones in Hebræo. Idem Hebraismus exstat Jer. 30. ubi Dominus per Prophetam sic loquitur ad populum suum, כי אתך אני נאם יהוה להושיעך כי אעשה כלה בכל הגוים אשר הפצותיך שם אך אתך לא אעשה כלה ויסרתיך למשפט ונקה לא אנקך, *Quoniam ego tecum sum, dicit Dominus, ut salvem te, quoniam faciam consummationem in omnibus gentibus ad quas dispersi te; veruntamen te non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio & innocentando innocentabo te*, h. e. non plane te pro innocente habebo, sed castigabo te, tolerabiliter tamen.

21. ששת ימים תעבד וביום השביעי תשבת בחריש ובקציר, *Sex diebus operaberis, & in die septimo quiesces, tam ab agricultura quam a messe quiesces.*] Nostri interpretes hunc locum fere sic intellexisse videntur, quasi præcipiat die Sabbati ab arando & metendo abstinendum, & sic ab omnibus aliis operibus, ut sit denominatio à principaliori: si tamen ab eo opere, quod tamen necessitas vitæ maxime requirere videtur, abstinendum est, quanto magis ab aliis? Verum Hebræa hoc maxime innuere videntur, non tantum illis temporibus, quo non multum laboris & operis est observandum esse diem Sabbati, sed & illis temporibus quo necessitas & utilitas maxime labores hominum requirere videtur, ut est tempus arationis, sementis & messis: q. d. etiam tempore quo arandum, seminandum, & quo segetes demetendæ sunt, volo diligenter omnia observari sabbata mea, tametsi vos alia docet privata utilitas vel arandi vel segetes demetendi. Atque hunc sensum ex Chaldæo vertit Autor Complutensis editionis, qui legit, *in seminationis tempore & messis quiesces.*

29. ומשה לא ידע כי קרן עור פניו בדברו אתו, *Et Moses nesciebat quod in modum Cornu radiaret cutis faciei suæ, dum ipse loqueretur coram eo.*] Vulgatus Interpres Latinus hallucinatus est in voce Hebraica קרן, quæ cum ambigua est ad *cornu*, quod significat קרן, & ad *radiare, splendere, fulgere, & in modum cornu radios emittere.* Cum enim homo intente solem aut lucidum aliquid intuetur, inquit R. D. Kimhi, jam videtur illi quodammodo radios קרן istos emittere: ille pro *cornutum esse* reddidit, quasi verbum *karan* quod hic ponitur deductum sit à nomine קרן, cum *radiare & splendere* hic potius significet. Non est ergo putandum quasi cornua ex facie Mosis egressa fuerint, sed quod frons, nasus, os & mentum radiaverunt. Rectius ergo transtulerunt Lxx per *glorificatus fuerat aspectus cutis faciei suæ*, &c. Et in officio transfigurationis Salvatoris canitur, *Glorificata est facies Moysi*, quod ex editione τῶν Lxx sumptum est, quæ olim apud Ecclesias in usu fuit antequam Vulgata illa editio recepta fuit, quæ Hieronymi esse dicitur. Ex versione error ille natus esse videtur, quod Moses in templis nostris cornuta facie depingitur. Quod autem verbum Hebraicum קרן non *cornutum esse* sed *radiare* sive *splendere* significat, etiam colligitur ex verbis Apostoli, qui 2 Cor. 4. ad præsentem locum alludit.

35. והשיב משה את המסוה על פניו עד באו לדבר אתו, *Et reduxit Moses velamen super faciem suam donec ingrederetur ad loquendum cum eo.*] Hallucinatus est interpres Vulg. quod istud *donec ingrederetur ad loquendum cum eo*, transtulit, *si quando loquebatur ad eos.* Est enim sensus hujus loci, quod Moses obvelaverit faciem suam quando loquebatur populo; rursum vero amoverit velamen quando ingressus est Tabernaculum ut loqueretur cum Deo: quod indignum esset loqui cum Rege facie cooperta, ut inquiunt Hebræi.

V A T A B L U S.

1. DOla, פסל] *Præcide.*

2. *Mihi*, לי] i. Propter me, vel exspectans me. Chald. paraph. *coram me.*

3. *Nemo autem ascendat*, ואיש לא יעלה] Ad verb. *Et vir non ascendat*, q. d. Tu solus ascende.

5. *Et vocavit ex nomine Jehova*, ויקרא בשם יהוה] *Et clamavit nominatim, Jehovah est*, i. Dominus clamavit ad Mosen, atque alta voce ei denuntiavit hanc vocem, *Iehovah est*, ut cap. 33. 19. dixerat, *Exclamabo nomen Iehovæ coram te*: sive, *clamabo nominatim, Iehovah est coram te.*

6. *Fortis*, אל] *Deus.* ¶ *Et miserator*, ורחום] *Et clemens.* Hæc omnia verba Dei sunt, non Mosis, ostendentis Mosi bonum illud quod promiserat se ostensurum cap. 33. 19. Ut enim supra dixerat, *Clamabo nominatim, Iehovah est; & miserebor*, &c. ita & hic idem dicit, *Deus*, vel *fortis*, *misericors*, q. d. Ego sum Dominus ille & Deus misericors quem tu rogasti pro populo, &c. ¶ *Tardus ad iram*, ארך אפים] Ad verb. *longus irarum*, i. longanimis. ¶ *Multus misericordia*, &c. ורב חסד ואמת] i. Clementissimus & veracissimus in promissis suis.

7. *Auferens iniquitatem*, נשא עון] *Remittens* [*condonans*] *iniquitatem.* ¶ *Et qui absolvendo*, &c. ונקה לא ינקה] Ad verb. *& qui innocentem faciendo non innocentem faciet.* Alii, *& qui mundando non mundabit*, i. qui nocentem non judicat innocentem. ¶ *Visitans iniquitatem patrum*, &c. פקד עון אבות]

[illegible]] Vide hæc eadem supra 20. 5. Ad verb. *Qui visitat iniquitatem patrum in filiis filiorum, in tertianis & in quartanis*, i. in nepotibus tertii & quarti gradus, si imitentur mores majorum.

9. *Si quæso*, אם נא] *Si nunc.* ❡ *Et parte*, ונחלתנו] Fut. Heb. pro imperat. ut & mox, *& possidenos.*

10. *Percussurus sum*, כרת] Præs. Heb. pro fut. *percutiam.* ❡ *Facta sunt*, נבראו] Ad verb. *creata sunt.* ❡ *In cujus medio es*, אשר אתה בקרבו] Ad verb. *cujus tu in medio ejus.* Redundat *Ejus* : & præpositio ב præponenda, *in cujus medio es*, i. quem ducis. Hebraismus. ❡ *Iehova*, יהוה] i. Divinum, sive meum. ❡ *Facturus sum*, עשה] Præs. Heb. pro fut.

11. *Custodi tibi*, שמר לך] i. Diligenter observa. ❡ *Ejiciam*, גרש] *Expellam.* Præs. pro fut.

12. *Cum habitatoribus ejus regionis*, ליושב הארץ] Singul. Heb. pro plur. *cum incolis ejus regionis.* Mox præs. Heb. pro fut. *ingrederis*, pro *ingredieris.* ❡ *In laqueum in medio tui.* למוקש בקרבך] *In offendiculum in medio tui* : i. ne tibi sint causæ ruinæ, quum habitabunt tecum : fiet enim ut te inducant in idololatriam; ut postea declaratur.

14. *Incurvabis*, &c. תשתחוה לאל אחר] *Adorabis deum alienum.* ❡ *Zelotes*, קנא] *Zelotypus*, vel *æmulus*, i. Dominus dicitur zelotypus, h. e. non patitur ut alius deus secum colatur : solus pro Deo amari & coli vult. Vide supra 20. 5.

15. *Ne forte percutias fœdus*, פן תכרת ברית] sub. *Hoc jubeo, ne forte*, &c. ❡ *Vocet autem*, וקרא לך ואכלת מזבחו] Confusio numerorum, à pluralibus ad sing. ut & v. 16. Hac de causa reprehendebat Christianos quosdam Paulus qui comedebant idolothyta, 1 Cor. 8. 10.

18. *Abib.* האביב] Vide supra 13. 4.

19. *Quicquid aperit vulvam*, כל פטר רחם] Ad verb. *Omnis apertio* [vel *emissio*] *vulvæ*, i. omne primogenitum. ❡ *Et omne pecus tuum*, &c. וכל מקנך תזכר פטר שור ושה] *Et omne pecus tuum recensebitur, primogenitum* tam in *armento* quam in *pecore*, i. Omnia primogenita tam boum quam ovium recensebuntur, & mea erunt. Chald. paraph. *omniaque pecora tua masculina sanctificabis, primogenitum bovis & ovis.*

20. *Conspicientur*; יראו] *Apparebunt*, sub. *filii tui.*

21. *In aratione*, &c. בחריש ובקציר תשבת] i. Etiam tempore quo arandum est, & quo segetes demetendæ sunt, volo diligenter observari sabbatha mea : tametsi vos alio vocet privata utilitas vel arandi vel segetes demetendi. Chald. paraph. *Tam à seminando quam à metendo quiescas.*

22. *Et solennitatem hebdomadarum*, וחג שבעת] i. Festum Pentecostes. De hac solennitate vide Lev. 23. 15. & 25. 8. vide & supra 23. 16. ❡ *Et festum collectionis*, וחג האסף] i. Festum Tabernaculorum. De hoc festo vide supra 23. 16. & Lev. 23. 34. *Collectionis* festum vocabatur, quod celebraretur eo tempore quo omnia bona terræ condebantur, mense Septembri. ❡ *In revolutione anni*, תקופת השנה] Quando redeunte anno omnia conduntur.

23. *Conspicietur omnis masculus tuus*, יראה כל זכורך] *Apparebit omne masculinum tuum.* Ad verb. (si Latine dici posset) *omnis masculinitas tua*, i. omnes mares tui. Vide supra 23. 17.

24. *Terminum tuum*, את גבולך] i. Regionem tuam quam tibi daturus sum.

25. *Super fermentatum*, על חמץ] i. Quum fuerit fermentatum apud te. Vide eadem supra 23. 18.

26. *Principium*, &c. ראשית בכורי וגו׳] Versum istum habes cap. 23. 19.

27. *Secundum verba ista*, על פי הדברים האלה] i. Hac ratione & conditione. Decem verba intelligit, ut declarat. v. 28.

28. *Et scripsit* ויכתב] sub. *Jehovah.*

29. *Factumque est*, &c. ויהי ברדת וגו׳] Ad verb. sic habet iste versus, *Et fuit, quum descenderet Mose e monte Sinai, & duæ tabulæ testimonii in manu Mose, quum descenderet de monte; & Mose non cognovit quod*, &c. ❡ *Testimonii* העדת] *Tabulæ testimonii* dicebantur decalogus, quod testaretur Deus voluntatem suam in illis, seque Deum esse Israelis, & Israelem esse populum suum. ❡ *Resplenderet* קרן] Ad verb. *resplenduisset*, vel, *in modum cornu radiasset.* Præt. Hebr. pro præs. קרן *Keren* proprie *cornu* significat. Unde verbum קרן *caran, splendere, fulgere, radiare* : quod scilicet quum homo (ait doctus inter Hebræos) Solem aut quamvis aliam lucem intente intuetur, jam videtur illi quodammodo cornuum instar splendorem ac radios emittere. Ex falsa aut male intellecta V. interpretis versione, quæ sic habet, *Ignorabat quod cornuta esset facies sua*, imperiti linguarum imposuerunt populo, Mosen habuisse duo cornua in capite, quod falsissimum esse nemo non videt. Lxx plenius veritatem Hebraicam expresserunt, qui legunt, καὶ Μωϋσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. *Et Moses ignorabat quod glorificatus esset aspectus faciei suæ.* Hunc sensum quoque secutus est Apostolus, 2 Cor. 3. 7. *Quod si administratio mortis in literis deformata in saxis, fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intendere filii Israel in faciem Mosis, propter gloriam vultus ejus quæ aboletur; cur non potius administratio spiritus erit in gloria?* ❡ *Cum eo*, אתו] Nempe Deo, vel, *quum loqueretur cum eo*, nempe Deus.

30. *Resplendebat* קרן] *Splendida* [vel *fulgida*] *erat*, ut v. 29. Præt. Hebr. quod per imperf. vertitur. ❡ *Timueruntque* ויראו] i. Non audebant accedere ad eum.

31. *Synagogæ* : בעדה] *Congregationis.* Ad verb. qui erant *in congregatione.*

34. *Rursum quum ingrederetur*, ובבא משה] Ad verb. *& quando veniebat.*

35. *Resplenderet*, קרן] Vide v. 29.

CASTALIO.

6. AD *auxilium propensus*] אמת *fidem* significat. Jam *fides* etiam Latine pro auxilio & tuitione dicitur, cum dicimus, *implorare fidem alicujus*; &, *fidem tuam obsecro*; &, *in fide alicujus esse*, i. in tutela.

CLARIUS.

5. I*Nvocans nomen Domini*] Alius vertit, *vocavitque in nomine Domini.* Ut enim supra dixerat, *Cum transiero, vocabo in nomine Domini*, sic hoc loco exprimens nomen suum magnificum dicit, *Dominus, Dominus*; quod in Hebræo tetragrammaton illud sacrum nomen est; ut omnia quæ sequuntur sint verba Dei, & non Mosis, ut nostri hactenus intellexerunt. Hoc etiam apertius est Num. 14. 17, 18. Ut etiam supra dixerat, *cum transiero clamabo, Miserebor cui miserebor*, sic idem hic dicit, *Deus misericors* : q. d. Ego sum Dominus ille & Deus misericors quem tu Moses rogasti pro populo, &c. Prædicans scilicet de se tredecim verba, quæ Hebræi vocant *tredecim proprietates Dei*, & multa de his scribunt.

6. *Et innocentem*] h. e. Apud Deum nullus, quamvis bonus, est innocens. Et interpres recte verterat sic, *Nullusque apud te per se innocens est*, sed mutavimus orationem, ut totus sermo sit Dei, & non Mosis. Alius tamen vertit, *& nocentem innocentem non faciens.* ❡ *In tertiam & quartam progeniem*] Quando scilicet filii paternorum scelerum sunt sectatores, ut supra dictum est cap. 20. 5.

20. *Si autem non redemeris, occidetur*] Alii verterunt, *decervicabis*, h. e. cervicem illi truncabis.

22. *Solennitatem hebdomadarum*] Intelligitur festum Pentecostes institutum à Mose in memoriam datæ Legis in monte Sinai. Eodem festo gratiæ agebantur pro novis frugibus, quarum primitiæ tunc offerebantur. Nobis hæc solennitas est ob Spiritum sanctum ipso die missum in Apostolos, cum Lex nova data est, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.

22. *Quando ad revolutionem anni cuncta conduntur*] Appellant Hebræi *festum collectionis* : per quod intelligitur festum Tabernaculorum, quod semper est in initio anni, h. e. in Septembri nostro, nam in illa solennitate desinebat prior annus, & inchoabatur novus.

28. *Verba fœderis decem*] Nempe Decalogum.

29. *Quod radians quasi cornuta esset facies sua*] Nam radii à Sole derivati speciem cornu præ se ferunt. Quod vera tota facies Mosis sic rutilaverit & micuerit ut Israelitæ non potuerint oculos intendere in eam, etiam Paulus ad Corinthios scribens meminit, docens, multo clariorem esse debere lucem Euangelicam, cujus illa Mosis umbra fuerit. Sed ad hanc spectandam aperiendi sunt oculi mentis.

DRUSIUS.

MUltum refert *Sabat* dicas cum unico *b* & *t* simplici, an *Sabbath* cum duplici *b* & *t* aspirato. Nam *Sabat* est nomen mensis, quem Ebræi scribunt שבט. Ejus meminit Jonathan Deut. 1. 3. *Mense undecimo, ipse est mensis Sabat.* Mensis iste ex parte respondet Januario nostro. Nam ubi Martius primus est, ibi Januarius est undecimus. *Sabbath* autem est Sabbathum, de quo intelligendus Hiscuni Exod. 34. 29. Ubi scribit

Mosen

Mosen descendisse è monte die tertio in Sabbatho. Nam cum descenderet erat dies Expiationum, ut R. S. annotat, qui erat decimus mensis Thesri, cui September ex parte respondet, & est septimus à Nisan. Siquidem, ut idem Hiscuni ait, in monte fuerat quadraginta dies ac totidem noctes, à quo ascendebat aurora vigesimi noni mensis Ab, qui ex parte Julio respondet, usque ad ascensum auroræ decimi mensis Thesri. Quo die Pontifex intrabat Sanctum sanctorum, h. e. adytum templi. Quod faciebat semel in anno tantum, non sæpius. Judæi scribunt quater eo die ingressum esse: quod adversatur Apostolo, qui eum semel tantum intrasse asserit. Semel tantum, ergo non quater. Sed hac de re alias, si Deus volet.

I D E M.

29. ומשה לא ידע כי קרן עור פניו. A. *Et Moses nesciebat, quia cornuta erat species vultûs ejus*] Hieron. in Amos 6. circa finem, *Unde & in Exodo juxta Ebraicum & Aquilæ editionem legimus*, & Moses nesciebat quia cornuta erat species vultus ejus, *qui vere dicere poterat, In te inimicos meos cornu ventilo.* Æmulatus est interpres noster, qui vertit, *ignorabat quod cornuta esset facies sua.* Et mox, v. 35. *Qui videbant faciem egredientis Mosis esse cornutam.* Hinc mos inolevit pingendi Mosen cum duobus cornibus. Mos abolendus, vel propter Judæos, qui nos falsè rident imo exsecrantur quando Mosen vident in templis nostris cornutum, quasi nos eum diabolum aut ejus uxorem adulteram fuisse putemus. Nam qui uxorem impudicam habent, iis solent affingi duo cornua, ut videre est in Apologis Ebraicis. Aliquid hac de re in Quæstionibus nostris, lib. 1. quæst. 1. Vide, si placet, & si otium est. ¶ *Cornuta erat*] Ut cornu splendebat, radiabatque aut coruscabat. Cave aliter accipias. Potest fieri ut Græcè fuerit *κερατώδης ἦν.* ¶ *Species*] Rectius alii, *cutis.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et dixit DOMINUS ad Mosen, Sculpe tibi duas tabulas lapideas sicut priores, & scribam super tabulas illas ea verba quæ fuerunt in tabulis prioribus quas confregisti.*

2. *Et esto paratus mane ut ascendas mane in montem Sinai, & stes mihi illic in vertice montis.*

3. *Et nemo ascendat tecum & etiam ne quis conspiciatur in toto monte: etiam oves & boves ne pascantur e regione montis illius.*

Sculpe] λάξευσον, incide. Diomedes admonet dicendum potius *scalpe. Nam scalpere gemmam*, inquit, *dicimus, non sculpere.* Tamen פסל redditur *sculptile* i. γλυπτόν. Sunt qui malunt, *dola.* Sane λαξευτήριον *dolatorium* dici posse docet Hieron. in epist. ad Suniam. λάξευσον ergo dola. In Augustino est *excide*, & apud Hier. h. l. *præcide.* ¶ *Tibi*] otium agit in Latio. Sic, *Vade tibi: cape tibi: faciamus nobis lapides.* Lyra tamen, *In Ebræo habetur, dola tibi i. in utilitatem tuam.* Idem fabulam recenset ex R. Salo. *de lapidibus Sapphiri, ex quarum dolaturis superfluis Moses admodum ditatus sit.* Has dolaturas R. Salom. vocat פסולת. *Sapphirum* idem appellat סנפירינון si modo Saniphirinon ibi est Sapphirus. ¶ *Duas tabulas lapideas sicut priores*] Disputant Ebræi de præstantia harum tabularum, & Saadias existimat posteriores in majore pretio ac honore fuisse, quia videl. datæ fuerunt in die sacro & in die expiationum, cum priores datæ in Thammuz & die profano: quem ita sentientem redarguit Abenez. & merito. Nam licet ambo scripturam Dei continerent, priores tamen fuerunt opus Dei & posteriores opus Mosis, h. e. à Mose scalptæ, non à Deo. ¶ *Sicut priores*] *instar priorum.* Hieron. *in materia & quantitate.* Lyra. *juxta mensuram earum.* Abenez. Hiscuni annotat hæc dicta fuisse Mosi de nocte, 27. mensis Ab. ¶ *Paratus*] ἕτοιμος i. מזומן. Sic R. Salom. exponit. Dictio Ebræa נכון etiam *firmum* ac *stabilem* denotat: unde, *paratum solium tuum* i. firmum, & ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία αὐτοῦ i. stabile fuit. ¶ *Ut ascendas*] ועלית & ascendes. Ter conscendit montem Sinai, fuitque ibi singulis vicibus 40. dies & totidem noctes. Nunc autem tertia vice ascendit. ¶ *Et stes mihi*] ונצבת לי & stabis mihi. Quidam, *ut sistaris mihi.* Onk. *& sistas te coram me.* Jonath. *& transeas ante me.* Hieron. *stabisque mecum.* Lxx. καὶ στήσῃ μοι. Videtur לי positum esse pro לפני ante me: aut est ל pro על juxta me. ¶ *Et nemo ascendat tecum*] quia nemo dignus est: fœtent enim & rejecti sunt à me ob peccatum eorum. Sane cum primo ascenderet comites habuit Aharonem fratrem, Nadab & Abihu cum Lxx. ex Senioribus Israel. Vide Hisc. ¶ *Conspiciatur*] videatur, appareat, ὀφθήτω. Onk. & Jon. *se videndum præbeat.* ¶ *In toto monte*] per totum montem. ¶ *Oves & boves*] τὰ πρόβατα καὶ βόες. Quidam, *pecudes & armenta.* צאן tam de capris quam de ovibus dicitur. ¶ *E regione montis illius*] Lxx. πλησίον τοῦ ὄρους ἐκείνου: prope montem illum. Hier. *e contra.*

4. *Et sculpsit duas tabulas lapideas sicut priores; & surrexit Moses mane & ascendit in montem Sinai, quemadmodum præceperat DOMINUS ei, & accepit manu sua duas tabulas lapideas.*

5. *Descenditque DOMINUS in nube, & constitit cum eo ibi, & inclamavit nomen DOMINI.*

6. *Transivitque DOMINUS ante faciem ejus, & clamavit DOMINUS DOMINUS, Deus, misericors & gratiosus, tardus ad iram & multa benignitatis & veritatis.*

7. *Servans benignitatem in millia, condonans iniquitatem & scelus & peccatum, & absolvendo non absolvens nocentem, visitans iniquitatem patrum contra filios & contra filios filiorum, in tertiam & quartam progeniem.*

Et sculpsit] incidit, dolavit, vel certe scalpsit. Nam lapides scalpuntur: unde γλυπτὸν in Lexico veteri exponitur *scalptum*, quod nos *sculptile* dicimus. ¶ *Surrexit mane*] *in ipsa aurora, decimo nono mensis Ab.* Hisc. וישכם non tam surgere sig. quam mane surgere, aut mane aliquid agere. Proinde pleonasmus est in oratione Ebraica, ut si quis dicat, *manicavit mane.* ¶ *Accepit manu sua*] acceptas portavit secum manu sua. Sic in Matthæo παρέλαβεν, acceptum transtulit: & alibi, *accepit dona in hominibus* pro accepta dedit aut distribuit. ¶ *Duas tabulas lapideas*] ex elegantiis linguæ sanctæ. Nos diceremus, *duas tabulas illas.* Simile, *& pluit DOMINUS à DOMINO* pro eo quod nos diceremus *à se.* Videndus Abenez. ¶ *Descenditque DOMINUS in nube*] On. *patefecit se DOMINUS in nube.* Siquidem nubes eum tegebat & simul prodebat. Nam erat aspectabile signum præsentiæ ipsius. Quod autem sequitur, *& constitit cum eo*, id quidam ad nubem referunt, ut possis vertere, *quæ stetit cum eo* i. apud eum, videl. Mosen. Contra Hiero. *& stetit Moses cum eo* i. apud eum DOMINUM, vel certe, *juxta eum.* Sic etiam Ion. qui præcedentia sic retulit, *Et patefactus fuit DOMINUS in nubibus gloriæ divinitatis suæ.* Qui superiora ad nubem referunt, hac ratione nituntur quia videl. Deus non stabat, sed transibat ante Mosen. ¶ *Et inclamavit nomen DOMINI*] Quis? Moses ne an Deus? Abenez. *Deus est qui clamavit.* Hisc. quoque, *notum fecit ei nomen quo iturus esset cum eo.* At Ion. *& invocavit Moses nomen sermonis DOMINI.* Sic etiam Hiero. *stetit Moses cum eo, invocans nomen DOMINI.* Græca editio habet ἐκάλεσεν pro quo Eusebius legisse videtur ἐλάλησεν, locutus est in nomine DOMINI. ¶ *Transivit DOMINUS ante faciem ejus*] On. *transire fecit DOMINUS divinitatem suam ante faciem ejus.* Sic etiam Ion. nisi vertendum in eo, *& transivit DOMINI divinitas coram eo.* DOMINUS divinitas ejus. Ebraismus est notus pro *DOMINI divinitas.* Autor Jerosol. *Et transivit gloria divinitatis ipsius DOMINI coram eo.* ¶ *Et clamavit*] *Moses.* Hiero. autor Jerosol. Nam in eo, *precatus est Moses & dixit: DOMINUS.* Saadias, Abenez. Hisc. alii. Hæc sententia potior est. Saadias legit, *Et clamavit DOMINUS:* prius nomen ad præcedentia referendo, ut posterius ad sequentia. Qui accentus addiderunt videntur fuisse in alia opinione. Abenez. quoque simul legit, *DOMINUS DOMINUS*, ut alibi, *Abraham, Abraham: Jacob, Jacob: Moses, Moses.* Cui assensum præbent interpretes nostri, ut mox videbimus. Hisc. Ebræus, *clamavit id, quod scriptum est postea. Supra enim dixerat, Et inclamabo nomen DOMINI ante te. Videtur autem accentus esse pausans inter duo tetragrammata*, quæ ipse תיבות vocat. Vide libellum meum de hoc nomine. ¶ *DOMINUS, DOMINUS*] יהוה יהוה nomen tetragrammatum iteratum: præter morem autem servat suas vocales quia in medio accentus פסק ita dictus à pausando. Nam non dictiones tantum dividit, sed etiam sententiam. Interpretes Chaldæi tres יי יי i. Adonai Adonai. Nihil dissident in lectione à Massoritis, h. e. ab iis qui apices addiderunt. Hier. *Dominator, DOMINE.* יהוה שליט. Lxx. κύριος ὁ θεός. An legerunt יהוה יהוה DOMINUS Deus? Aut certe omiserunt alterum κύριος, & ὁ θεός respondet τῷ אל, quod tamen potius diceretur האל cum articulo. In AA. LL. κύριος κύριος & in Eusebio κύριε, κύριε. Saadias censet prius esse nomen honorandum, & posterius nomen commune אדון, quo *Dominus* denotatur. Sed hunc litteræ convincunt. Nam יהוה quomodocunque legatur nunquam est nomen commune, sed *agnominationem* significat. Abenez. scribit *hoc nomen aliquando esse adjectivum, & aliquando proprium sive quod proprietatem denotat.*

tat. Arbitratur autem hic duo nomina diversa esse. Alioqui non essent proprietates tredecim, quas tamen hinc eliciunt sapientes. Tertia enim proprietas est Deus fortis, & quarta misericors & quinta gratiosus, & sexta longanimis sive tardus ad iram, & septima multus benignitate, & octava multus veritate, & nona servans benignitatem, sive ut veteres editiones habent, *misericordiam*, & decima condonans iniquitatem, & undecima condonans scelus, & duodecima condonans peccatum, & decima tertia, absolvendo non absolvens nocentem sive sontem. Has proprietates hoc modo numerat Abenez. Omisit autem (quare nescio) *visitans iniquitatem patrum contra filios & filios filiorum in tertiam & quartam progeniem.* Forte melius ut *DOMINUS, DOMINUS*, sit una proprietas, & secunda Deus fortis & ita deinceps. Sic *visitans iniquitatem patrum* erit decima tertia & ultima. Significat autem יהוה *proprietatem misericordiæ* sive *miserationum*, ut אלהים *proprietatem judicii. Miserandi proprietas*, teste R. Salomone, *duplex est. Prior antequam homo peccavit, posterior postquam peccavit & pœnituit eum. Ideo*, inquit, *bis repetit DOMINUS, DOMINUS. Nam ante peccatum est cogitatio de peccando, ut verbi gratia priusquam vitulum adorarent de eo adorando serio cogitabant. Quæ cogitatio non caret peccato. Ideo indiget miseratione. Alioqui ubi non est cogitatio mala, ibi non habet locum proprietas miserandi.* ❡ *Deus*] אל Deus. appellatio à fortitudine. Unde in quibusdam editionibus *Deus fortis.* Rectè Abenez. אל idem quod תקיף i. fortis. Sane ab Aquila Psal. 22. redditur ἰσχυρὸς, & ab aliis δυνατὸς i. potens. Hisc. confundit אל cum אלהים. Nam דין judex, דיינים καὶ κριταί. Cui firmando adducit locum illum, *Ad Deos veniet caussa amborum*: ubi tamen אלהים in fonte, non אלים. Scio quosdam Elohim ab El deducere, sed falluntur, meo judicio. Vide libellum meum, de hoc nomine. Vide Fagium. R. Abraham ait *alterutrum horum nominum inter proprietates recenseri eo modo quo הציץ lamina recensetur inter septem vestes sacerdotum, & Ephraim ac Manasse inter 70. animas quæ descenderunt in Ægyptum, cum nati fuerint ibi.* Sic legimus, Hi sunt filii Jacob qui nati sunt ei in Mesopotamia, inter quos & Benjamin, qui tamen natus fuit in terra Chanaan. Vide si placet. Idem, *visitans iniquitatem patrum*, ait etiam *esse* מדת הרחמים *qua proprietate affectus miserandi significatur.* Forte propterea omissa fuit ab eo. Nihil temere statuendum. Dies certiora nos docebit. Pergamus nunc ad alia. Prius ex Salomone Trecensi notabimus, qui scribit etiam אל denotare *proprietatem miserandi.* Nam legimus *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me? Non enim*, inquit, *diceret, Quare deseruisti me? de proprietate judicii.* Quod *se invenisse* scribit in Mechiltha: Liber est ejus nominis. Ceterum אל ab On. & Jerosol. redditur אלהא, pro quo in Jon. est אלקא, quod etiam *Deum* sonat. Quam lectionem superstitio invexit. Abenez. אל *est fortis quia facit rectum in sapientia* i. sapienter. ❡ *Misericors*] רחום Lxx. οἰκτίρμων. Hiero. *misericors.* On. & Jon. nec non autor Jerosol. רחמנא. Hoc epitheton Deo tribuitur quia libenter miseretur suorum, juxta illud Davidis, *sicut pater miseretur filiorum*, quos etiam custodit ne corruant. Sic dico, pronus est ad misericordiam, imo re ipsa miseretur piorum quoties rebus adversis premuntur. Fagius, *misericors, præservans scil. à lapsu.* Nicol. de Lyra, *misericors, miseriis hominum compatiendo.* Hisc. *qui miseretur pauperum & divitum & opprimentium.* Nescio quid velit. Hæc proprietas vocatur מדת רחמים proprietas misericordiæ. Ipsum autem nomen רחמנא usurpant de Deo, ut cum dicunt, רחמנא לבא בעי misericors cor requirit. ❡ *Gratiosus*] חנון gratiam faciens delinquenti libenter. In Chaldaicis editionibus est חננא sive חנא. Senes habent ἐλεήμων, & Hiero. *clemens.* Fagius, *quarto, clemens, erigens scil. lapsum.* Abenez. *ut si diceret, clemens ego sum ad servandum eos qui ceciderunt, nec possunt surgere.* Nicol. *clemens, offensas remittendo.* Hisc. *hoc epitheton convenit etiam divitibus. Nam dicitur, Justus gratificatur & donat.* Vide seqq. ❡ *Tardus ad iram*] ארך אפים Lxx. μακρόθυμος q. d. longanimis. Nam θυμὸς animus, ut apud Horatium, *animum rege* i. τὸν θυμόν. Ebræa sonant ut si dicas, *longus irarum*: si modo אפים hic sig. *iram*, & non potius *nares*: è quibus ira cognoscitur. Unde qui longas nares habet, idem lenis ac patiens esse dicitur: contra cui breves nares, iracundus esse creditur. Hiero. *patiens.* On. *procul faciens iram*, qui iram differt & cohibere novit, patienti animo tolerans injuriam vel adversa. Jon. *longus spiritu.* Id oppositum τοῦ *brevis spiritu*, qui Græce ὀξύθυμος, qui facile & cito irascitur, pronus ad iram, iracundus. Unde Ben Zoma, *Quis fortis? qui cohibet spiritum suum* i. animum suum, iram suam, τὸν θυμὸν αὐτοῦ. R. Salo. *differens iram suam & qui non cito irascitur, si forte homo agat pœnitentiam.* Hisc. *expectans & differens ultionem.* Abenez. *qui non cito irascitur aut succenset improbo.* Lyra, *patiens, emendationem peccantium expectando.* ❡ *Multa benignitatis & veritatis*] vel, *multus benignitate ac veritate.* On. *multiplicans facere bona & veritatem.* Quanquam in Fagio, *multus ad faciendam bonitatem & veritatem.* Jon. & Jerosol. *multiplicans facere benignitatem & veritatem.* Hiero. *multæ miserationis & verax.* Verbum è ver. *& veritas.* Simile ut cum *aviditas* pro *avaro* ponitur, & *dolus* pro *doloso.* Lxx. καὶ πολυέλεος καὶ ἀληθινός: & multæ misericordiæ & verax. Nam חסד antiqua declaratione *misericordia* i. ἔλεος. R. Salo. *multum benignitate in eos qui indigent benignitate nec merentur eam: & veritate, reddendo præmium bonum facientibus voluntatem meam.* Abenez. „Multus benignitate tam erga improbum quam erga justum: & multus veritate, „quia implet & stabilit verbum suum, videl. id quod promisit. Videndus Lyra. Hisc. *verum hoc est certum & ratum habet id quod promisit.* Idem ad ארך אפים annotat, *Non ego festino ultionem capere de improbis: forte convertentur à se ipsis i. sponte sua. Justis autem ego differo iram meam ad ultionem sumendam de illis, & magnifico iram meam contra eos i. multum illis irascor, quo sic mereantur vitam æternam venturam. Alia expositio, longus irarum sum quia quovis tempore, cum mihi libet sumo vindictam: verum homo non est longus irarum, sed properat ipse ulcisci dolorem suum, quia si hodie est hic, cras est in sepulchro.* Hactenus Hisc. Minus se probat mihi illud Nicol. *verax i. justus.* Nam aliud veritas h. e. constantia in servandis promissis, & aliud justitia, quæ in his libris צדקה dicitur. ❡ *Servans benignitatem*] On. & Jerosol. *bonitatem.* Jon. *benignitatem & bonitatem*, ubi (&) potest esse ἐξηγητικὸν i. bonitatem. Hiero. *qui custodit misericordiam* i. חסד. Lxx. καὶ δικαιοσύνην διατηρῶν καὶ ἔλεος. Lectio varians καὶ ποιῶν ἔλεος, & faciens misericordiam. R. Salo. *Servat benignitatem quam homo facit ante ipsum.* Abenez. *servans benignitatem patrum in filios si fuerint boni.* ❡ *In millia*] Tres Chaldæi, *in mille generationes* seu ætates. Lxx. εἰς χιλιάδας: quod transferunt, *in millia.* Et est numerus certus pro incerto. Nicol. de Lyra, *reddendo bona non solum operantibus, sed etiam descendentibus ex eis absque numero.* R. Salo. *in duo millia ætatum.* ❡ *Condonans iniquitatem*] Lxx. ἀφαιρῶν ἀνομίας. Hiero. *qui aufers iniquitatem.* Onk. *remittens iniquitates.* Jon. & Jerosol. *remittens debita.* R. Salo. *iniquitates ista sunt superbia* i. peccata per superbiam commissa, de quibus David, *à superbiis cohibe servum tuum.* Abenez. נשא עון duobus modis dicitur. Uno modo quando Deus portat iniquitatem i. tollit & condonat: altero quando quis portat iniquitatem suam, cujus pœna expiatur, non ipsum peccatum. Sic, *tulit iniquitatem ejus.* Nam removit pœnam ab ea, quam in se recepit. Simile, *esto in virum.* Nonne vir erat? sensus est virum strenuum. Rursum, *senior sum quam ut sim viro* i. ut nubam viro. Nam fœmina erat. Similiter, *& veniam ad eam* i. concumbam sive congrediar cum ea. Aliter, *Et venerunt ad eum noctu.* Nam hic de viro sermo est: ibi de muliere. Hæc melius intelliges, si נשא עון referes, *portans iniquitatem.* Sic, *agnus Dei portans peccata mundi.* q. d. pœnam eorum in se recipiens: alii, *tollens, auferens, condonans.* Hiscuni, *suscipiens faciem eorum qui convertuntur & pœnitentiam agunt.* ❡ *Et scelus*] LXX. καὶ ἀδικίας, & injustitias. Hiero. *& scelera.* Onkel. *& rebellionem* sive *transgressionem*, h. e. interprete Fagio, *defectionem & apostasiam.* Jerosolym. interpres סורחנין, quæ vox crimina & peccata sig. eo quod foetere faciant homines, & forte respondet τῷ סרחון. Jon. *transire faciens*, vel certe, *transiens super rebelliones* i. condonans eas. R. Salo. *Hæ sunt rebelliones quas homo facit ad irritandum.* Abenez. *Scelus gravius est iniquitate, ac si deficeret à dominio, ut, tunc defecit Edom à sub manu Juda: ubi verbum idem in Ebræo. Et ecce iniquitas minor eo est, quæ fit per superbiam.* Nicolaus de Lyra, *Scelera sunt peccata contra Deum facta.* ❡ *Et peccatum*] וחטאה Lxx. καὶ ἁμαρτίας. Hier. *atque peccata.* On. *& debita.* Sic in oratione Dominica quod unus ἁμαρτήματα ἡμῶν, alius dixit, ὀφειλήματα ἡμῶν. Jonath. *& expians peccata.* R. Abraham, חטאה *idem est quod* חטאת, *& est nomen verbi. i. substantivum. Alibi adjectivum est ut ubi legimus* הממלכה החטאה *regnum peccatis obnoxium.* Amos 9.8. *Ceterum dictio hæc comprehendit omnem cogitationem & omnem errorem in opere. Nam iniquitas est in opere aut in lingua.* Notum ut peccare dicatur qui Deos falsos colit: ex quo illud, *peccare fecit Israelem.* Hinc peccatum, idololatria. Vide an h. l. ita accipi possit, ut gradus sint in his nominibus qui se invicem excedant: primum iniquitas, deinde scelus, postremo peccatum i. cultus deorum falsorum. Condonat enim peccata gravia simul & levia. Hoc ambigens pono, non adfirmo. Aut peccata vocat

quæ

quæ ad mortem, cujusmodi sunt quæ mortalia peccata nuncupantur. ¶ *Visitans iniquitatem patrum contra filios*] animadvertens in filios & nepotes ob iniquitatem patrum, si videlicet ipsi perseveraverint in ea & patrum vestigiis institerint. Hiero. *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus.* Lxx. καὶ ἐπάγων ἀνομίας πατέρων ἐπὶ τέκνα καὶ ἐπὶ τέκνα τέκνων: inducens iniquitates patrum super filios & super filios filiorum. Autor Jerosl. *recordans debita patrum improborum contra filios rebelles.* R. Salo. *quum tenent opera patrum suorum manu sua.* Hiscuni, *onus grave unius facilius portant duo, & duorum facilius portant tres. Nam si homo vapularet propter iniquitatem suam, mundus non consisteret. Sed ipse vapulat ex parte & semen ejus ex parte. Porro hæc est proprietas decima tertia.* ¶ *Contra filios*] Jonathan addit *rebelles.* Sic etiam Jerosolymitan. ¶ *Filios filiorum*] i. nepotes, eorumque filios. Nepotes enim sunt in tertia ætate, & filii eorum in quarta. Ideo sequitur, ¶ *In tertiam & quartam progeniem*] Sic Hiero. Lxx. ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεάν: in tertiam & quartam generationem. Onkelos & ceteri duo, *in tertiam ætatem & in quartam ætatem.* Tremellius, *in nepotes & abnepotes.* Gall. edit. *usque ad tertiam & quartam generationem.* ¶ *Absolvendo non absolvens nocentem*] vel, *sontem.* Hiero. *nullus apud te per se innocens est.* Lxx. καὶ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον: & non purificabit reum i. insontem declarabit. Onk. *Condonans his qui convertuntur ad legem ejus: & hos qui non convertuntur non justificat.* Jonathan addit, *in die judicii magni.* Jerosol. *& insontem declarans, non insontem declarans*, sive pronuntians. R. Salo. *non dissolvit iniquitatem penitus, sed punit eam paulatim. Doctores autem nostri exposuerunt, insontes pronuntiat ipse conversos* (pœnitentes), *eos autem qui non convertuntur non pronuntiat insontes.* Hiscuni, *absolvendo non absolvit sontes, totaliter, nisi ad meliorem frugem redierint.* Verbum è verbo, *nisi bene fecerint studia sua.* Abenezra, *Et absolvit* ונקה *est proprietas per se. Simplicius tamen ut dicamus, absolvendo non absolvit sontem esse proprietatem unam. Siquidem* ונקה *est nomen verbi, hoc est infinitum.* Fagius qui undecim tantum proprietates enumerat, hanc decimam ponit, & ita enarrat, *Non est respector personarum. Non enim innocentem habet eum qui nocens est.*

8. *Et festinavit Moses, inclinatoque vertice in terram adoravit.*

9. *Et dixit, Si nunc inveni gratiam in oculis tuis Domine gradiatur nunc DOMINUS in medio nostri: nam populus duræ cervicis est ipse, & condonasti iniquitatem nostram & peccatum nostrum & possedisti nos.*

Festinavit Moses &c.] vel, *Et festinans Moses inclinavit verticem in terram & adoravit.* R. Salo. *Quum vidisset Moses divinitatem transeuntem & audivisset vocem clamoris statim adoravit.* Hiscuni, *Quia timebat ne diceret quantam progeniem. Et sunt qui exponant, Quia vidit Deum transeuntem & euntem ante se, volebat precari coram eo priusquam absconderetur. Et sic dixerunt doctores nostri quorum fausta memoria, Quando aliquis petet necessaria sibi à rege? dum adhuc rex est coram illo.* Abenezra, *Vacui cerebro dixerunt quod festinavit Moses cum Deus dixisset in quartam progeniem, ne adderet in quintam: & hic est error magnus. Non enim ausus fuisset interrumpere verba Dei. Nam fuisset filius mortis ea ipsa hora, si hoc fecisset. Quid igitur? Cum cessasset vox Dei, statim Moses festinavit orare &c.* ¶ *Inclinatoque vertice*] ויקד & inclinavit verticem. Thema קדד, unde & קדקד vertex. Onk. וסגיד & incurvavit sese. Plus dicit quam Ebræus. Nam incurvamus etiam genua. Jon. וגחן inclinavit, sive incurvavit se, idem videlicet quod כרע. Vide Gen. 43. 27. Sed idem interpres utitur pro *adorare* Gen. 27. 29. quod qui facit totum corpus in terram prosternit. Verbo קדד significatur *humiliatio cervicis & depressio ejus*, ut R. David annotat. Hieron. *curvatus est pronus in terram*, nulla mentio in hac versione *cervicis.* Lxx. κύψας ἐπὶ τὴν γῆν, quod transferunt, *procumbens in terram.* Lexicon Vetus κύπτω, *vergo, cernuo, inclino.* In Thesauro exponitur, pronus sum, inclino me vel caput. Unde homo dicitur ὀρθὸς, at cetera animala κύπτειν. Sæpius dicunt κύπτειν εἰς τὴν γῆν vel κάτω. Ovidius, *Pronaque cum spectent animantia cetera terram Os homini sublime dedit &c.* Ceterum assentior iis qui יקד ponunt in futuro Niphal, ut ישבו cujus pluralis ישבו cum Scheva sub Thau. Sic ויקדו *& incurvaverunt cervicem.* Gen. 43. Consule Grammaticos. ¶ *Adoravit*] προσεκύνησε, quod Chaldæi dicunt סגיד, & plus est quam verticem inclinare. Nam qui adorat, toto corpore in terram procumbit. Non ergo caput duntaxat incurvavit, sed etiam totum corpus in terram prostravit. Ideo malim *Festinans Moses inclinavit verticem & adoravit.* ¶ *Si nunc inveni*] נא On. h. l. reddit כען nunc, & Jon. בבעו quæso, obsecro i. בבקשה: Ceteri fere omittunt. ¶ *Domine*] Adonai. nomen Aleph Daleth. ¶ *Gradiatur*] eat vel ambulet. ¶ *Nunc*] Jon. hic habet כדון i. nunc: Trem. autem *quæso.* Sæpe ita variant interpretes in hac particula. ¶ *DOMINUS*] *divinitas gloriæ tuæ Domine.* Jon. *divinitas Domini.* Onkelos. Hic rursum Adonai, hoc est nomen Aleph, Daleth, & nota in utroque Thargum pro eo scriptum esse ׳׳׳, ut etiam in quibusdam editionibus commentariorum R. Salo. Dico in quibusdam libris; Nam in aliis est ה׳: quod valet השם nomen, & pro tetragrammato communiter usurpatur. ¶ *In medio nostri*] *inter nos.* Onk. & Jon. ¶ *Nam populus duræ cervicis*] nam confiteor ego populum duræ cervicis esse. Quidam, *quum populus* &c. R. Salo. *est ubi* כי *ponitur pro* אם *si. Sic vertendum, Si populus*, &c. Alii, *Quamvis populus.* Abenezra, *juxta sententiam R. Marinos sensus est, licet populus* i. עם עלי. Sic alibi, *Sana animam meam* כי חטאתי לך *quamvis peccaverim tibi. Et secundum opinionem meam sensus est, Sana me quia ego confiteor quod peccaverim tibi, & propter peccatum meum in hunc morbum inciderim. Sic h. l. Ego fateor populum duræ cervicis esse, sed tu condonabis ei.* Hiscuni, *Quamvis populus &c.* Simile, *Condonabis iniquitatem meam, quia multa est.* Psal. 25. Sensus est, *licet multa sit.* Sunt qui putant tres caussas allegari ob quas velit Deum cum populo ire. Una est quia populus σκληροτράχηλος est: altera est à natura Dei, quæ prona ad condonanda peccata: tertia à fœdere quo Israëlem in populum sibi ascivit hæreditarium. Videndus ad h. l. R. Salomo. ¶ *Condonasti*] vel, *condonabis*; ut Vau mutet præt. in futur. Sic mox, *& possidebis nos.* Hieron. *& auferas iniquitates nostras atque peccata nosque possideas.* Onk. *& remittes debitum nostrum & peccatum nostrum: & possidebis nos.* Sic etiam Jon. nisi quod in eo, *& possidere facies nos terram quam jurasti patribus nostris quod non permutaturus sis nos in populum alium.* ¶ *Et possedisti nos*] melius, ut diximus, *& possidebis nos.* Lxx. καὶ ἐσόμεθά σοι: erimus tibi i. tui. Ad sensum non male. Sic לי הזהב meum est aurum. Hiscuni, *& possidere facies nos.* Sic alibi ינחל pro ינחיל possidere facient. Vide, si otium. q. d. in possessionem terræ mittes eos.

10. *Dixitque, Ecce ego ferio fœdus coram omni populo tuo, faciam mirabilia, quæ non creata sunt in omni terra & in omnibus gentibus: & videbit omnis populus, in cujus medio tu es, opus DOMINI terribile esse, quod ego facio tecum.*

Ecce ego ferio fœdus] *quod iturus sum cum populo tuo.* Hisc. *fœdus novum, cujus conditiones mox sequuntur.* Abenezra, & ex eo Hiscuni memoratus. *fœdus amicitiæ vobiscum* Lyra ¶ *Ferio*] pango, percutio, ineo, גזר decerno, τίθημι pono. Quod in Græca editione positum videtur pro διατίθημι, unde διαθήκη, fœdus pactum i. συνθήκη. ¶ *Coram omni populo tuo*] ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ σου i. interprete Hieron. *videntibus cunctis*, aut, *omnibus popularibus tuis.* Hoc membrum alii ad sequentia referunt, & melius, meo judicio, *coram omni populo tuo faciam mirabilia.* Sic Onkelos & Jonathan, quorum posterior præcedentia ita convertit, *ecce ego ineo fœdus quod non sim mutaturus populum hunc in populum alium, verum ex te egredientur turba justorum.* Notabis populum Israel hic dici *populum Mosis*, ut supra 37. 7. *corrupit se populus tuus quem ascendere fecisti è terra Ægypti.* ¶ *Quæ non sunt creata*] Sic etiam Onkelos. Hieron. *quæ nunquam visa sunt.* Lxx. ἃ οὐ γέγονεν. Tremellius, „quæ non fuerunt patrata. Abenezra, „faciam tecum mirabilia quæ mirabuntur videntes te & cognoscent quod posuerim decus super te, quod non feci à die quo „creavi cœlum ac terram. Et hæc est cornuta facies: & ecce „scriptum est de morte ipsius, Non caligavit oculus ejus nec „fugit humidum ejus, contra naturam omnium senum. Sen„sus autem, quæ non creata sunt in omni terra non fuit, auditum „hoc in gentibus. Saadias exponit, in omni terra Ægypti è qua „egressi estis, & in omnibus gentibus. Ceterum mirabilia Hiero. *signa* reddit & Græci ἔνδοξα. Signa vero Nicol. exponit ut quando terra Datham & Abiron deglutivit, & Jordanis exsiccatus est & Jericho subversa sonantibus tubis. ¶ *Creata*] facta. Nam creare & facere se mutuo explicant. Sic malum & tenebras creare. Nam creare est ex eo quod non est facere ut sit. Sic mirabilia sive miracula creat, qui facit ut sint, quæ prius non erant. ¶ *In omni terra*] vel, *in ulla terra* i. regione. Quidam, *in universa terra.* Jon. *in omnibus habitatoribus sive incolis terræ.* ¶ *Et in omnibus gentibus*] Hiero. *nec in ullis gentibus.* Onk. & Jon. *populis.* Lxx. ἐν παντὶ ἔθνει: in omni gente sive natione. R. Salo. *Hoc modo segregabimini ab omnibus populis Deos falsos colentibus, quod non habitabit divinitas mea* i. Spiritus Sanctus, *super illos.* ¶ *Omnis populus, in*

cujus

medio tu es] Satis erat, *omnis populus tuus.* Sed uti maluit periphraſi. Jon. *inter quos tu habitas.* ❡ *Terribile eſſe*] vel, *quia terribile eſt.* Lxx. θαυμαςὸν i. admirabile. Onkelos & Jon. דחיל metuendum. Hiſcuni, *Innuit ſplendorem vultus ejus inſtar cornu, de quo dicitur, & timebant accedere ad illum.* Vide quæ ſupra notavimus ex Abenez.

11. *Cuſtodi tibi id quod ego præcipio tibi hodie, ecce ego ejicio à facie tua Amorræum & Chananæum & Hethæum, & Pherezæum & Hevæum & Jebuſæum.*

12. *Cave tibi ne quando feras fœdus cum habitatore terræ illius, ad quam tu venturus es, ne quando ſit in laqueum in medio tui.*

13. *Sed aras eorum diruetis & ſtatuas eorum confringetis, & lucos ejus excindetis.*

Cuſtodi tibi] *hactenus condonavi peccatum populi tui: vide ut poſthac diligentius obſervent præcepta mea tibi data.* Hiſc. *Cum Moſe loquitur, cui mandat ut hæc obſervet & cuſtodiat, eaque narret filiis Iſrael: & quidem initio dicat eis, DOMINI verbis, Ecce ego ejicio ſeu expello &c.* Abenezra. ❡ *Tibi*] redundat in Latio. In codicibus Græcis pro πρόσεχε σὺ, legi mavelim σοι: attende tibi. (Paulo poſt πρόσεχε σεαυτῷ cave tibi.) Nam ſic loquuntur etiam: dicunt γράψον σοι, ſcribe tibi: συγχώρησόν σοι, concede tibi. ❡ *Quod præcipio tibi hodie*] h. e. novum fœdus quod cum illis pangit, vetere abrogato. ❡ *Ecce ego ejicio*] mox ejecturus ſum. Quale illud, *ecce ego commoveo cœlum & terram.* Nec diſſimile, *Quo ego vado vos non poteſtis venire.* Exemplorum talium pleni ſunt libri. ❡ *Ejicio*] ἐκβάλλω, expello. ❡ *A facie tua*] מפניך à conſpectu tuo. Paullo aliter Græci: πρὸ προσώπου ὑμῶν: & Hiero. *ante faciem tuam* לפניך. ❡ *Amorræum &c.*] ſex tantum recenſet, cum ſeptem eſſent. Omiſit ergo unam gentem, videl. Gergeſæum. Quapropter? An quia gens illa reliquit Chananæam ante adventum Iſraelitarum? Sic Lyra opinatur. R. Salo. *Sex*, inquit, *hic ſunt nationes, quia Gergeſæus ſtetit & flexit ſe à facie ipſorum.* ❡ *Cave tibi*] Lxx. πρόσεχε σεαυτῷ. Hiero. *cave.* Nam *tibi* ſupereſt in Latio. ❡ *Ne quando*] μήποτε. Hier. *ne*, & Onkelos דילמא. Sic etiam Jon. ❡ *Ferias fœdus*] Hiero. *jungas amicitias.* Lxx. θῇς διαθήκην: ineas fœdus. Onk. & Jon. *decernas pactum. Vis in his verbis,* inquit Abenezra, *ut ſi diceret, Non adorabis Deos ipſorum.* ❡ *Cum habitatore*] cum incola terræ Chanaan. Nam ita vocatur terra illa, quæ & terra ſeptem gentium. ❡ *Ad quam venturus es*] ſive, *quam ingreſſurus es.* Quid ſi, *contra quam iturus es.* Nam eſt עַל in fonte, & על aliquando *eo* ſig. ❡ *Laqueum*] ruinam, ſcandalum, πρόσκομμα. ❡ *Aras eorum diruetis*] vel, *deſtruetis.* Sic alibi, *deſtruendo deſtrues eas*: ubi tamen תתצו in fonte. Et *aras eorum* i. βωμοὺς αὐτῶν: quas demoliri vult, ne memoria vel monumentum ullum falſi cultus remaneat. On. & Jon. *confringetis.* ❡ *Statuas eorum*] τὰς στήλας αὐτῶν. Lex. vet. στήλη, *cippus, titulus.* Interpres Romanus, *ſtatuas eorum.* Idem Lexicon, *ſtatua*, ἀνδριάς, στήλη. מצבה ſtatua. à נצב unde & *Niſibis* ſive *Neſebis*, aut *Naſebis.* Alias notavimus. ❡ *Confringetis*] συντρίψετε, conteretis. ❡ *Lucos ejus*] habitatoris terræ videl. Lxx. τὰ ἄλση αὐτῶν, *lucos eorum*, eodem redit. Sic etiam Onkelos & Jonathan. ❡ *Excindetis*] excidetis, ſuccidetis: quod Senes dixerunt ἐκκόψετε. אשרה, inquit R. Salo. *eſt arbor quam colunt.* Imo, ſi lucus eſt, non arborem unam denotat, ſed plures in nemore Deo conſecrato.

14. *Nam non adorabis Deum alium, quia DOMINUS Zelotes nomen ejus, Deus Zelotes ipſe eſt.*

Nam non adorabis] vel, *certe non adorabis.* Jon. *non eſt tibi licentia ſive facultas adorandi.* Quidam, *Non convenit te adorare.* Ante hæc verba Græci legunt, καὶ τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν αὐτῶν κατακαύσετε ἐν πυρί: & ſculptilia deorum ipſorum combures igne. Quæ abſunt & ab Hebræo & à Latina vulgata. ❡ *Non adorabis*] male quidam, *non incurvabis te.* Nam incurvat ſe & qui caput incurvat, & qui genua. Adorare aliud eſt. ❡ *Deum alium*] Hieron. *Deum alienum.* Lxx. θεοῖς ἑτέροις. Onk. *idolis populorum.* proprie, *erroribus eorum.* Nam טעו erravit. Jon. *Deo alteri.* ❡ *Alium*] à vero. Nam unus tantum verus Deus: alii ab eo omnes Dii falſi ſunt. Ergo qui alium à vero adorat, Deum falſum adorat. ❡ *DOMINUS Zelotes nomen ejus*] Ebraiſmus, quem Latine reddas, *DOMINI nomen Zelotes.* Sic enim vocatur in Decalogo. ❡ *Zelotes nomen ejus*] Lxx. ζηλωτὸν ὄνομα, quod reddunt *Zelans nomen.* Sed in helleniſmo ζηλωτὸς, æmulatione dignus: item beatus. Auguſt. quæſt. 158. *id ipſum nomen quod DOMINUS Deus dicitur, Zelans eſt, quia Deus Zelator eſt.* In uno codice ζηλωτὸν ὄνομα αὐτοῦ. Id verſum in edit. Rom. *zeli plenum nomen ejus.* Jon. *Zelator & ultor ſive vindex.* ❡ *Zelotes*] qui zelo vel zelotypia ducitur. Cur Deus Zelotes dicatur diximus alibi. non repeto. ❡ *Ipſe eſt*] q. d. non ſolum nomine Zelotes eſt, ſed etiam reipſa. Ut audit; ita eſt Zelotes revera.

15. *Ne ferias fœdus cum habitatore terræ illius, ne cum ſcortabuntur poſt Deos ſuos & ſacrificabunt Diis ſuis, vocet te & veſcaris de victima ejus.*

16. *Et accipias de filiabus ejus filiis tuis, & ſcortentur filiæ ejus poſt Deos ſuos, ſcortarique faciant filios tuos poſt Deos ſuos.*

17. *Deos fuſiles non facies tibi.*

Non ferias fœdus] Hieron. *ne ineas pactum.* פן ne i. דילמא. Sic Abenez. & ante illum R. Jonas antiquus Grammaticus. Moſes Gerundenſis ait *quoſdam exponere per* שמא, quod interpretantur דילמא *ne quando*, μήποτε *ne forte.* Hanc ſignificationem retinuit, qui ex præcedentibus repetit, *Cave tibi ne* &c. ❡ *Ne cum ſcortabuntur*] פן non eſt hic in textu Ebræo; ſed repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus. Quod ante me Hieron. fecit. ❡ *Scortabuntur poſt Deos ſuos*] *errabunt poſt idola ſua.* Onk. & Jon. Scortari ergo errare. Errat in religione qui à vero Deo deficit. Alibi eſt, *ſcortari de poſt DOMINUM* i. deſerto DOMINO. Scortatio hæc, quæ ſpiritualis eſt, proprie idololatria dicitur. ❡ *Vocet te*] invitet te ad convivium, quod poſt peractum ſacrificium fiebat, in quo carnibus immolatis veſcebantur. ❡ *Veſcaris de victima ejus*] vel, *comedas de ſacrificio ejus.* Hieron. *de immolatis.* Onkel. *de ſacrificiis eorum.* Jon. *de ſacrificiis idolorum ipſorum.* Lxx. καὶ φάγῃς τῶν θυμάτων αὐτῶν. Lectio varians, τῶν θυσιῶν αὐτῶν. R. Sal. „putas forte non eſſe pœnam ſi comedas: at ego pro eo habeo ac „ſi cultum eorum approbares. Nam hinc eo devenis ut accipias „filias ejus filiis tuis. ❡ *Scortarique faciant filios tuos*] Onk. & Jon. *errare faciant filios tuos.* Lxx. καὶ ἐκπορνεύσωσιν οἱ υἱοί σου. Sed in aliis libris τοὺς υἱούς σου i. fornicari faciant filios tuos. ἐκπορνεύω ergo meretricor & meretricari facio. Prius Ebræi זנו dicunt, poſterius autem הזנו, quod nunc in Ebræo. ❡ *Deos fuſiles*] qualis fuit vitulus. Debet autem extendi ad alios omnes Deos gentium, etiam ſculptiles, vel, ſi mavis, ſcalptiles. Sane in Lex. vet. γλυπτὸν, *ſcalptum.*

18. *Feſtum azymorum cuſtodies; ſeptem diebus comedes azyma, quæ præcepi tibi tempore menſis Abib: Nam in menſe Abib egreſſus es ex Ægypto.*

Azymorum] ἀζύμων i. infermentatorum panum, quæ videl. fermento carent. ❡ *Quæ præcepi tibi*] vel, *quemadmodum præcepi tibi*, ut ſit אשר pro כאשר. Sic Onk. Jon. & Hieron. Sed & Lxx. καθάπερ interpretantur, nihil à reliquis diſſidentes. ❡ *Tempore*] Hier. *in tempore.* Lxx. εἰς καιρὸν. Onkel. & Jon. זמן. proprie מועד tempus conſtitutum. Thema יעד. ❡ *Menſis Abib*] Onkel. *menſis Abiba.* Jon. *in menſe Abiba.* Lxx. ἐν μηνὶ τῶν νέων. Hier. *menſis novorum.* alii, *novarum frugum.* Sic vocatur menſis primus, quem poſterior ætas *Niſan* dixit, qui & *menſis florum* i. ἀνθῶν apud Macarium Ægyptium. Vocatur etiam חדש הבכור i. menſis primitivorum, quia tunc proventus primitivi ſunt in maturitate ſua. Videndus h. l. R. Sal. Hiſc. „Feſtum Azymorum & omnem aperturam vulvæ & in die „ſeptimo, & feſtum hebdomadarum, & feſtum collectionis, prin„cipium primitivorum terræ tuæ, omnia hæc præcepta ſigna „ſunt nos eſſe ſervos Dei benedicti, quia nos venimus coram eo „tempore ſtatuto & adducimus munera quemadmodum faciunt „regibus. Ideo meminit horum mandatorum in fœdere quod „pangebat. ❡ *Egreſſus es ex Ægypto*] *exiviſtis redempti ex Ægypto.* Jon.

19. *Omne quod aperit vulvam meum erit, & omne pecus maſculinum ſeparabitur, primogenitum bovis & ovis.*

20. *Et primogenitum aſini redimes ove, quod ſi non redemeris, amputabis ei cervicem: omnem primogenitum filiorum tuorum redimes, & non videbitur facies mea vacue.*

Omne quod aperit vulvam] πᾶν διανοῖγον μήτραν i. omne primogenitum. Nam primogenitum quod aperit vulvam, etiamſi nullus deinde ſequatur. Dicitur & פטר quod mox redditur πᾶν πρωτότοκον. Quid hinc diſcimus? Licet Chriſtus primogenitus appelletur, non tamen ex eo ſequi Mariam matrem ejus plures liberos habuiſſe. Quod olim Hier. annotavit, & verum eſt. Primogenitus dicitur quicunque vulvam aperit. Onk. & Jon. eum vocant פתח ולדא. recte ſane. Nam פטר habet ſignificationem aperiendi. Sic פוטר מים *qui aperit aquam.* Verb. è ver. *omnis apertura vulvæ.* In Jeroſol. פתח ולדא: quod mihi ſuſpectum de vitio, & eo labor ut credam aliquando ſcriptum fuiſſe פתחי aperientes. Sed ἐπέχω. ❡ *Meum erit*] לי mihi i. meum. Onk. & Jon. דילי הוא meum eſt. Senes cum ſequentibus connectunt ἐμοὶ ἀρσενικά, ut videantur mihi legiſſe לי זכר meum eſt maſculinum

culinum

culinum genus. ¶ *Et omne pecus masculum separabitur*] vel, *omne pecus masculinum separabitur.* i. masculini generis: quod Hier. hic posuit. Nota מקנך pecus h. l. fœminine construi. Nam תזכר verbum est fœmininum. Quod autem R. Sal. illud ad ילדה parientem refert, alienum est, ne dicam coactum. Quidam, *omne pecus quod nascetur masculum.* R. David in libro radicum, „Venit h. l. מקנך in genere fœminino, ac si di„ceret, masculabitur, h. e. separabuntur mares ex eo pecore. Nec „est verbum transitivum, ut scripsit R. Jona: non enim uspiam „invenitur conjugatio Niphal ut sit transitiva, sed neutra. “ On. „omnia pecora tua mascula sanctificabis “ i. separabis. Jon. *ex omni pecore tuo separabis mares.* Verbum è ver. *sanctificabis.* Jerosol. *separabitis nomini meo omnia primogenita vestra mascula sive masculina.* ¶ *Primogenitum bovis & ovis*] פטר proprie apertura, & est breviter dictum pro apertura vulvæ, quod Jerosol. iterum extulit פטר ולדא, ut non error esse videatur, sed constans scriptura. Lxx. πρωτότοκον μόσχου καὶ πρωτότοκον προβάτου. optime & rectissime. Nam πρωτότοκον, quod aperit vulvam. Sic Hellenistæ usurpant eam vocem. Quocirca in Onk. hic habetur בכור תור ואמרא primogenitum bovis aut ovis. Supra μόσχου verti *bovis*, haud nescius in edit. Rom. esse *vituli.* Nam sic Hellenistæ utebantur olim hac voce. Vide notas Exod. 22. 1. Certe quem vitulum appellat Moses i. עגל, David *bovem* nuncupat, cum ait, *mutarunt gloriam Dei in similitudinem bovis.* ¶ *Primogenitum asini*] nam asinus non immolabatur, utpote animal immundum: ideo redimendus erat ove, h. e. ejus loco ovis immolabatur. פטר h. l. interpretes Chaldæi בוכרא reddunt, quod sonat πρωτότοκον. Asinus autem in Lxx. vocatur ὑποζύγιον subjugale. Sic enim certe Augustinus locut. 131. *primitivum subjugalis redimes ove.* proprie jumentum subjuge. Sed Hellenistæ ad asinum restringunt. ¶ *Amputabis ei cervicem*] וערפתו tunc decervicabis eum. Ut à collo decollare, sic à cervice quid vetat dicere decervicare? Nam & à jugulo Latini autores dicunt *jugulare* pro *jugulum ferire.* On. h. l. usus est verbo נקף quod idem valet. Nam exponunt, *amputare caput.* Unde נוקפין qui bubus caput amputant. Quem morem abolevit Johannes sacerdos pater Matthathiæ Hasmonæi. Nam ordinavit annulos quibus mactandi boves ad oblationem in terram prosternebantur. Jonat. addit בקופיץ i. copide, qui est gladius magnus & latus, vel leviter incurvus, falci similis. Utitur Curtius lib. 8. Hier. *occidetur.* Sic Jes. 66. 3. *decollans canem.* Abenez. enarrat חותך occidens. Senes quoque ἀποκτενεῖ τὸν κύνα. Hoc loco habent τιμὴν δώσεις, pretium dabis. Forte post occisum asinum pretium ejus dabatur DOMINO. Paullo ante ubi nos habemus, *si non redemeris*, Hieron. edidit, *si autem nec pretium pro eo dederis.* Sed ibi sensus, *si non redemeris ove.* Obiter noto. Exod. 13. 13. ubi verbum idem in Ebræo, Aquila reddit τενοντώσεις decervicabis. Sym. ἀποκτενεῖς interficies. Theod. τενοντώσεις αὐτό, decollabis illud. Vide quæ scripsimus ad illum locum. R. Sal. „Primogenitum asini, & non re„liquorum jumentorum immundorum: redimes ove, dabis ovem „sacerdoti, quæ in manibus ejus erat חולין: licebat autem domino „asini uti primogenito illo ad opus: amputabis ei cervicem, co„pide. Ipse perdidit pecuniam sacerdotis, ideo perditur ipsius „pecunia. ¶ *Omnem primogenitum filiorum tuorum redimes*] Idem Rabbi, *quinque siclis* (סלעים) *redemptio ejus determinata est*, sicut dicitur, *& redemtio ejus: à filio quinque annorum redimes.* Dabat autem pro unoquoque anno סלע i. siclum communem, qui facit dimidium sicli sacri. ita conjicio. ¶ *Non videbitur facies mea vacue*] Verb. è ver. *non videbuntur* sive *conspicientur facies mea vacue.* Sensus autem est, non comparebis coram me (id fiebat in anno ter) sine aliquo munere. Onk. *Non apparebunt sive conspicientur coram me vacui*, vel, si mavis, *inanes.* Sic etiam Jon. Sed autor Jerosol. *popule mi, domus Israel, Non licet vobis videre DOMINUM Deum vestrum vacuis omni præcepto.* Licet etiam vertere, *non potestis videre vacui &c.* R. Sal. „Juxta simplicem sensum hæc non „pertinent ad primogenitos, sed est præceptum per se q. d. „Quum ascendetis ad festa, quæ רגלים vocantur, ad viden„dum faciem meam, non conspicietur facies mea vacuè: præ„ceptum vobis offerre holocaustum &c.“ Imo pertinent ad primogenitos, qui sacerdoti dabantur in templo, ubi arca erat, symbolum præsentiæ Dei in terra. Quod autem sacerdoti dabatur, Deo dari dicitur, ut ibi, *Da ei de suo, quia tu & omnia tua illius sunt.* Nam sermo est de decimis sacerdotibus dandis. ¶ *Vacue*] κενῶς. Adverbium esse videtur. Sic Ruth. 1. *vacue reduxit me DOMINUS* i. sine filiis & marito. Quanquam Lxx. κενός, & Hiero. *vacuus.* ריקם vacue ut אמנם vere, חנם gratis. Qualia sunt in Latio, *palam*, *donicum.*

21. *Sex diebus facies opus, die autem septimo cessabis: in aratione & messe cessabis.*

22. *Et festum hebdomadarum facies tibi, in primitiis messis triticorum: & festum collectionis in revolutione anni.*

Facies opus] Lxx. ἔργα. Hier. *Operaberis.* Onkel. & Jon. תפלחון. Hinc forte פטר ולדא q. facientes opus vulvæ h. e. aperientes vulvam. ¶ *Cessabis*] ab omni opere, unde sabbathum appellatum. Lxx. καταπαύσεις. Onkel. & Jonath. *quiesces* תנוח. ¶ *In aratione & messe cessabis*] Onkelos, *in satione & messe quiesces.* Id Fagius convertit, *tam à seminando quam à metendo quiescas.* Lxx. τῷ σπόρῳ καὶ τῷ ἀμήτῳ καταπαύσεις. aliàs, καταπαύσεις. Quæ lectio in omnes partes melior est, ut dicat, *in satione & messe quiesces.* Hieron. *cessabis arare & metere.* Arare dicitur interdum de coitu, ut ibi, *nisi aravissetis vitula mea.* Sic Plautus, *fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.* Quorsum hæc? dicam: Anan Saducæus, vel magis Caræus (nam Caræi hodierni a Saducæis diversi sunt) hunc locum interpretatur præter alios omnes, *cessabis ab aratione* q d. non arabis eo die fundum uxoris tuæ, aut alium quemcunque. Ferri posset nisi sequeretur, *& à messe.* Audiatur super hac re Abenez. cujus rythmos non pigrabor describere & Latinos facere.

אמר ענן ימחה שמו כענן
כי זה על משכב האשה
והלא חכם הוא בושה
כי אם אמרו כי ביד הגבר החריש
והלא במלת קציר יחריש:

Dicit Anan, deleatur nomen ejus ut nubes
Hoc intelligendum esse de concubitu fœmina.
Et nonne operuit eum pudor?
Nam si dixerimus, eo quo vir est aravit
Nonne in dictione Messis obmutescet?

Porro non meminit in hac sectione anni remissionis sive semita, quia dies notus integer est quando movetur Sphæra suprema ab oriente in occidentem, spatio 24. horarum. Dies autem solis est trecentorum & sexaginta quinque dierum, & circiter quartam partem diei. Nam est revolutio solis ab initio occidentis donec reversus fuerit ad locum suum. Quæ nota & comperta Astrologis. Hucusque sapiens ille. R. Salo. „Cur „hic memoratur aratio & messis? Sunt ex doctoribus nostris qui „dicunt hæc intelligenda esse de aratione vesperæ septimi, qui „septimum annum ingreditur, & de messe septimi, quæ exit in „exitu septimi anni, ut doceant te quod addant de profano ad „sacrum. Hoc ergo dicit, Sex diebus operaberis & in septimo „cessabis: præter opus sex dierum quod permisi tibi est annus „quo aratro & messis vetita. Nec est opus dicere aratio & messis „anni septimi, quia ecce ante dictum est, Agrum tuum non se„res &c. Sunt qui dicunt ipsum non loqui nisi de sabbatho. „Quod autem mentio in eo arationis & messis, vult dicere tibi, „Ut facultas est arandi, sic etiam facultas est metendi: exit in messe „manipulus, quod præceptum & impellit sabbathum.„ Hæc quia non intelligo bene, ideo bene vertere non potui. ¶ *Festum hebdomadarum facies tibi*] Lxx. ἑορτὴν ἑβδομάδων ποιήσεις μοι. An mendum est pro σοι? Hoc pronomen in Latio redundat. Facere festum, ut facere diem bonum. Nos diceremus, *agere aut celebrare festum.* Græci etiam dicunt ἑορτάζειν ἑορτήν. Quod ita dicitur ut, *gaudere gaudium, pugnare pugnam.* ¶ *In primitiis messis triticorum*] eo tempore quo messis triticea primum peragetur. Jon. hoc dixit, *In tempore primitivorum messis triticeæ.* Hier. *in primitiis frugum messis tuæ triticeæ.* Lxx. ἀρχὴν θερισμοῦ πυρῶν. Sed in aliis codicibus ἀρχὴ πρωτογεννημάτων principium primorum fructuum. R. Salom. „Messis triticeæ, in qua tu adducis duos „panes triticeos: & primitiæ, quia est prima oblatio ex novo „tritico in sanctuarium. Nam oblatio manipuli, quæ in Pascha„te, ex hordeo est.„ Vide, si placet. ¶ *Festum collectionis*] *quo tempore tu colligis proventum tuum ex agro in domum.* האסף *collectio habet hic significationem introducendi in domum, ut ibi, & colliges illud in mediam domum tuam.* R. Sal. ἑορτὴν συναγωγῆς. Lxx. *Solennitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Hier. ¶ *In revolutione anni*] Lxx. μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, mediante anno. Hier. *redeunte anni tempore.* Onk. & Ion. *exeunte anno*; sive, *in exitu anni*: aut, *cum exit annus.* R. Sal. *quando redit annus in principio anni venientis.* Erat autem duplex annus: antiquus, novus. Antiquus à Thesri incipiebat: novus à Nisan. Quorsum ista? nempe ut doceam medium anni veteris initium esse novi. Forsan eo Lxx. respexerunt. Abenez. „Semel adhuc legitur, festum collectionis, & „ibi additum, quum exit annus. Nam finis anni unius est ini„tium anni alterius: & hoc in signum quod sol ingreditur signum „libræ prope diem decimum & non retardatur donec exierit Suc„choth i. tabernacula quin ingrediatur annus alter. Ideo scri„ptum est, in revolutione anni. Ceterum ne innitaris Thecu„phæ Samuelis, sed Thecuphæ Rab Ada: quamvis indigeat „duabus correctionibus. Una est quia iter solis modo longum

„est

„est & modo breve. Hæc mutatio non est in itinere solis, qui „æqualis est semper, sed est è regione sive ex adverso aspectus „puncti in sphæra zodiacorum. Correctio autem secunda propter modum sphæræ minoris in capite arietis. Hactenus Aben Ezra. Ceterum pro תקופת, quod hoc in loco, alibi habetur תשובת *in reditu*, videl. 1 Reg 20. Lippomanus, „Solennitas „hebdomadarum celebrabatur quinquagesima die post primam „azymorum, proxima die post exactas septem septimanas. Hoc „festum nobis dicitur Pentecoste. Solennitas autem collectæ in „fine anni tertia celebranda jubetur pro jam susceptis omnibus terræ nascentibus in horrea mense septimo, qui respondet Septembri nostro. Includebat autem hæc solennitas etiam festum tabernaculorum, quod per dies septem continuos ante celebrabatur. In hoc vero die festo desinebat prior annus, & inchoabat „novus, juxta supputationem antiquorum, licet ob exitum de „Ægypto ex tunc annus secundum solennitates legales novus „inciperet in mense Nisan.

23. *Tribus vicibus in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino DOMINO Deo Israel.*

24. *Nam expellam gentes à facie tua, & dilatabo terminum tuum, neque concupiscet quisquam terram tuam quum ascendes ut compareas coram DOMINO Deo tuo tribus vicibus in anno.*

Tribus vicibus] *tribus temporibus* Onk. Jon. & Hiero. τρεῖς καιρὺς. Lxx. *vere, æstate & autumno.* Glossa interlinearis. „Ter „per annum apparere debebat omne generis masculini coram DOMINO Deo nostro. Prima festivitas est azymorum Phase, „quod apud nos Græco Latinoque sermone Pascha dicitur. Secunda Pentecostes post septem hebdomadas, in qua panes propositionis de novis frugibus offeruntur. Tertia in mense septimo tubarum, propitiationis & tabernaculorum i. σκηνοπηγίας, cujus extrema dies egressionis appellatur & terminus. Hiero. in Zachariam. ❡ *Omne masculinum tuum*] *omnes mares qui in te*, h. e. *in republica tua.* Secutus nunc sum Hiero. Qui autoribus Lxx. ita vertit. Nam in iis, πᾶν ἀρσενικόν σου. Ceteri, *omnis masculus sive mas tuus.* eodem recidit. Hic est זכור in fonte, quod Chaldæi referunt דכור. R. Sal. *multa præcepta in lege iterantur ter quaterve ad condemnandum puniendumque hominem de numero tam eorum quæ negantia vocantur quam affirmantia.* ❡ *Coram Domino*] hic est Adon in Ebræo. את פני verto *coram* ut idem sit quod לפני. Nam ל & את sibi invicem cedunt mutuasque operas præstant. Judicium meum roborant primum interpretes Chaldæi: deinde Græci: postremo Hiero. Siquidem קדם ἐνώπιον & in conspectu idem dicunt. Pro האדן in Chaldaicis est רבון עלמא & in Hiero. *omnipotens.* רבון עלמא dominus mundi, vel seculi quod Jon. dixit עלמיא seculorum. Doctores רבונו של עולם domine ipsius mundi, mundipotens domine. ❡ *DOMINO*] יהוה. tetragrammaton. ❡ *Deo Israel*] hoc adjecit propter vitulum, qui erat Deus Ægyptiorum. ❡ *Expellam*] ejiciam, ἐκβαλῶ. R. Salo. scribit esse לשון גירוש ut alibi ויורש את האמרי & expulit Emoræum. *Tu, inquit, procul abes à domo electa, & non potes comparere coram facie mea semper: ideo ego statuo & determino tibi tua festa ista quæ רגלים vocantur.* ❡ *Dilatabo terminum tuum*] ultra id quod promisi Abrahamo patri vestro, dabo vobis etiam terram Sehon & Og regum. Dico Abrahamo patri vestro, cui tantum promisi quicquid à Jordane & ulterius, h. e. quicquid cis Jordanem. ❡ *Neque concupiscet quispiam &c.*] „Tantum terrorem immittam vicinis „ut ne quidem sint expetituri terram tuam, licet ascenderit in „cor ipsorum ad faciendum bellum.“ Abenez. „Nemo concupiscet terram tuam quam dilatavi tibi trans Jordanem, „etiamsi trajeceris eum fluvium ad festum רגל & urbes remaneant absque habitatore. Nam dicent Ecce si Deus expulit priores incolas qui fortissimi erant, quomodo poterimus „nunc expellere illos aut subigere terram illorum, postquam se „occupant & exercent in præceptis ejus. Hisc. ❡ *Quisquam*] איש vir i. quisquam.

25. *Non immolabis cum fermentato sanguinem hostiæ meæ: neque pernoctabit usque mane sacrificium festi Paschatis.*

26. *Primitias primitivorum terræ tuæ adduces in domum DOMINI Dei tui: non coques hœdum in lacte matris suæ.*

Non immolabis] Lxx. ὀ σφάξεις: non mactabis. Augustinus in Locut. *alia littera habet, non occides i. occidendo effundes.* Quidam, *non jugulabis i. jugulando fundes.* ❡ *Cum fermentato*] quamdiu erit fermentatum in domo tua. על חמץ Lxx. ἐπὶ ζύμῃ. Hiero. *super fermento.* חמץ potius fermentatum. Nam est nomen adjectivum, ut R. David observat. hoc primum: deinde על super hic valet עם cum, ut sæpe alias. Docte Jon. *antequam abolitum fuerit fermentatum.* R. Sal. *non immolabis pascha i. agnum paschalem, dum adhuc fermentatum durat. Admonitio est quæ pertinet ad immolantem & fundentem, aut ad unum ex filiis societatis.* Cui firmando quod in cap. Jugiter, *Qui mactat pascha cum fermentato transgreditur in præceptum negativum.* Vide Hisc. & Fagium ❡ *Sanguinem hostiæ meæ*] In Lxx. ex quibusdam libris legendum θυμάτων pro θυμιαμάτων i. incensorum, aut, ut est in AA. LL. θυσιασμάτων, sacrificiorum. Vide sequentia. Esset autem θυσιάσματός μου, vel, si placet, θύματός μου. Onk. *sanguinem paschatis mei* i. agni mei paschalis. Jon. *Non mactabitis victimam paschatis mei.* Jerosol. *sanguinem hostiæ paschatis mei*, ut sit פסחי pro זבחי. ❡ *Non pernoctabit*] non remanebit totam noctem. Lxx. ὀ κοιμηθήσεται, non dormiet. August. Locut. 133. *non dormiet dixit pro non manebit. Nam caro pecudis occisæ & coctæ quomodo dormiet? Quod ergo dicitur Quare obdormis DOMINE? hoc genere locutionis dicitur & intelligitur, Quare cessas i. non vindicas?* Hiero. *neque residebit.* Autor Jerosol. *non pernoctabit de carne quam immolabitis in nocte diei boni ante Pascha.* Vide sequentia. ❡ *Usque mane*] לבקר in mane. Lxx. εἰς τὸ πρωΐ. Jerosol. *à vespera usque mane.* Hiero. *mane.* ❡ *Sacrificium festi paschatis*] Hiero. *de victima solennitatis phase.* Quædam exemplaria *de victimis.* Lxx. θύματα ἑορτῆς τοῦ πάσχα: non dormient sacrificia festi paschatis. Aliter θῦμα quod legit August. in Locut. & Quæst. 163. θῦμα ergo sacrificium, quod supra legendum diximus pro θυμίαμα. In Augustino, *immolatio solennitatis pascha* i. θῦμα. Onk. *non pernoctabunt in mane adipes victimæ festi paschalis.* Jon. *non pernoctabunt in mane præterquam in altari adipes hostiæ paschalis.* In nonnullis editionibus Onk. repperi etiam בר מדבחא extra altare. R. Salo. *nihil pernoctatio prodest in capite altaris & non est pernoctatio nisi cum stat aurora.* Sacrificium festi paschalis i. *adipes ejus. hinc documentum capis de omni suffitu adipum & membrorum.* Hisc. *supra in sectione Iudicia, monui de adipibus: hic autem nos admonet de ipsa carne.* ❡ *Primitias primitivorum terræ tuæ*] Hiero. *primitias frugum terræ tuæ.* Lxx. τὰ πρωτογεννήματα τῆς γῆς σου. In Ebræo est ad verbum ראשית quod *principium* sonat, & aliquando notat id quod primum & optimum est in re quaque. Unde quidam, *prima quæque primitias terræ tuæ.* Sic *principium aromatum*, quod præcipuum in aromatibus. R. Salo. *principium primitivorum terræ tuæ, ex septem speciebus memoratis in laude telluris tuæ, cum dicitur Terra tritici & hordei, vitium & mellis &c. Sic. autem mel palmarum.* ❡ *Terra tua*] non ארץ est in fonte sed אדמה, quæ proprie *terra culta*: unde Adam, ut homo ab humo. ❡ *In domum DOMINI*] *in domum sanctuarii DOMINI.* Onk. Jon. & Jerosol. ❡ *Non coques hœdum in lacte matris suæ*] i. dum adhuc lac matris sugit: vel, hœdum una cum matre, quod crudelitatem præ se fert. Onk. *non comedetis carnem in lacte* i. cum lacte. Jon. *Non potestis neque coquere neque comedere carnem & lac ambo simul mixta, ne irascatur ira mea in vos &c.* Eadem habentur in Jerosol. nisi quod ibi sit פֻּשְׁרִין pro קֻשְׁרִין R. Salo. „Admonitio est de carne cum lacte: & ter hoc scriptum est in lege: „Unum est de edendo, & unum de utilitatem capiendo, & unum vetat coctionem seu elixationem.“ Hiscum „non relinques eum dum absoluta fuerit educatio ejus in lacte matris ejus, sed in principio educationis adduces eum. Exemplum, Principium primitivorum telluris „tuæ adduces &c. Sensus est, ab eo tempore quo primitivum „esse cœpit adduces illud, nec differes, dum maturuerint „fructus. בשל habet significationem גמר perfectionis & maturitatis. ❡ *Non coques*] οὐχ ἑψήσεις. Cajetanus, *juxta Ebræum non elixabis.* Sane Exod. 16. 27. manifeste distinguitur ab אפה coxit: itaque interpretes ibi reddunt *elixo* & Lxx. ἕψω. Videndus R. Salo. ❡ *Hœdum*] Lxx. ἄρνα i. agnum. R. Salo. *omnis fœtus tener simpliciter vocatur* גדי: *etiam de vitulo dicitur & agno prout locus postulat. Sane legimus, hœdum caprarum quia videl.* גדי *absolute usurpatur de omnibus lactentibus.* Ubi posuimus, *fœtus tener*, in Ebræo est ולד רך quod proprie *natum* sonat. *Porro avis, quia lacte caret, non est vetita ex lege, tantum ex verbis scribarum.* autor R. Salo.

27. *Dixitque DOMINUS ad Mosen, Scribe tibi verba hæc: Nam juxta verba hæc pepigi tecum fœdus & cum Israele.*

28. *Fuitque ibi cum DOMINO quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis, videl. decem præcepta.*

Scribe tibi] γράψον σεαυτῷ. Lxx. Quamvis antea fuerunt scripta, scribe nunc iterum cum dialogo, sive cum decem præceptis. Vide sequentia. ❡ *Juxta verba*] על פי הדברים Lxx. ἐπὶ τῶν λόγων, super sermonibus. Hiero. *quibus & tecum* &c. Onk. & Jon. *secundum sermonem verborum.* Alius *ex præscripto*,

scripto, sive *præstituto horum verborum*. Verb. è ver. *secundum os*. ¶ *Cum DOMINO*] coram DOMINO. Onk. & Jon. ἐναντίον κυρίου. Lxx. ¶ *Quadraginta dies*] alios à prioribus. Falluntur vero qui putant eum ibi octoginta dies continuos fuisse. Vide Abenezram. ¶ *Panem*] nullum omnino cibum. ¶ *Aquam*] nec ullum potum. ¶ *Et scripsit*] Moses an Deus? Abenez. *Deus scripsit ea. Sic enim legimus, Et scribam in tabulis illis verba quæ fuerunt in tabulis prioribus quas fregisti*. A Mose stant verba præcedentia, *Scribe tibi &c*. Etiam August. Quæst. 166. „De Moyse dictum est „quod ipse scripserit, cui etiam Deus paullo ante dixerat Scribe „tibi verba hæc. Cum vero primum legem accepit, cujus tabulas abjecit & fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas, nec ei dictum est ut scriberet, sicut ei modo dicitur, „nec eas ipse scripsisse narratur, sicut modo narrat Scriptura & „dicit, Scripsit in tabulis testamenti decem verba.“ Quid hic statuendum? Omnino Deum scripsisse in his tabulis: quod evincit caput decimum Deuteronomii, ad quod te adire volo. Nam ex eo nullus dubitationis locus. Quod autem ait, *Scribe tibi verba hæc*, quidam accipiunt de volumine legis: alii aliter interpretantur. Vide Glossas Lyræ ad h. l. Rursum Augustinus, *Panem non comedit & aquam non bibit, intelligitur jejunavit, à parte totum i. nomine panis omnem cibum & nomine aquæ omnem potum significante Scriptura*. De quadragenario autem numero, quod jejunio & pœnitentiæ conveniat, vide Hiero. in Ezecielem cap. 29. & Jonam cap. 3. ¶ *Decem præcepta*] decem verba i. præcepta. Jon. *decem verba quæ scripta erant in tabulis prioribus*. Antequam manum de h. l. prius notabo quod tamen arbitrarium esse volo, non certum. כתב quod vertimus, *scribe*, posset esse verbum infinitum. Id si admittimus, erit vertendum *Scribam tibi*. Nam modus ille sæpe pro futuro ponitur. Tale est Psal. 23. *sedere meum in domo DOMINI* pro sedebo. Ita nulla erit difficultas in h. l. expende.

29. *Cumque descenderet Moses è monte Sinai, duæ tabulæ testimonii erant in manu ejus, cum descenderet è monte: Moses autem nesciebat splendere instar cornu cutem faciei suæ, quum loqueretur cum eo.*

30. *Viditque Aharon & omnes filii Israel Mosen & ecce splendebat instar cornu cutis faciei ejus: itaque timuerunt accedere ad illum.*

31. *Vocavitque eos Moses & reversi sunt ad ipsum Aharon & omnes principes in cœtu: & locutus est Moses ad eos.*

Cumque descenderet Moses è monte] descendit decimo mensis Thesri. Siquidem, ut Hisc. notat, *fuerat ibi 40 dies & totidem noctes, à quo ascendebat aurora. 29 Mensis Ab usque ad ascensum auroræ decimi mensis Thesri*. Idem tamen ait *eum descendisse tertio die mensis Sebath*, nisi legendum *in Sabbatho*. Nam Ebraice est בשבת quod ambiguum est *ad mensem undecimum & diem sabbathi*. Alias expendam accuratius. ¶ *Duæ tabulæ*] posteriores. *Descendit autem in die Cipphurim* i. expiationum. R. Salo. ¶ *Splendere instar cornu &c.*] Hiero. *quod cornuta esset facies sua*. Lxx. ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος (alias χρωτὸς) τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Onk. *quod multus esset splendor gloriæ faciei suæ*. Jon. *quod glorificatus esset splendor aspectus faciei suæ, qui erat ei à splendore gloriæ divinitatis DOMINI, quo tempore loquebatur cum eo*. אזהרו potest reddi etiam, *illustrior evasisset*. Jerosol. *quod laudabiliores essent splendores faciei suæ*. Quæ omnia in idem recidunt. Vide Apostolum 2 Cor. 3. R. Salo. „Lux splendet eminetque ut „cornu sive in modum cornu. Sed unde meruit ut ita splenderet facies ejus? Doctores nostri dixerunt, è spelunca ubi „posuerat Deus laudandus manum super illum, prout dicitur, „Et obtegam te manu mea.“ Abenez. „Moses nesciebat in modum cornu splendere faciem suam, cum loqueretur cum eo. „Sensus est, cum loqueretur cum eo Deus. Et hoc quia visa „fuit gloria in facie ipsius: ideo splendere fecit ipsum ut „splendor cœli. Porro verbum קרן ex derivatione קרנים ut „sumitur in Habacuc, Cornua è manu ejus ei. Nam ita scriptum est initio, & splendor sicut lux erit: & ecce dicit postea, cornua è manu ejus ei, estque sensus duplicatus juxta „morem. Comminuntur ossa Hevæi scelerati qui dicit Mosen, „quia non ederat panem, arida facie fuisse siccaque instar cornu. Quod autem ait, & timuerunt ab eo, sensus est, quia „vultus ejus erat fœdus. Et quomodo non aperit iste perversus oculos suos. Nam non timet homo accedere ad alium „nisi propter rem aliquam admirabilem, quæ immutata sit in „eo, cui similem nunquam viderit. Nemo enim est qui *cum* non „viderit unquam faciem mortui, tamen vereatur accedere ad „eam. Adhæc si res ita se habebat quare non erat jugiter velamen super facies ejus? & quare amovebat eam semper cum „loqueretur cum Israele? Nonne intellexit cum ageret annum „vigesimum supra centesimum neque caligasse oculum ejus, „neque fugisse humorem ejus? quanto minus cum tantum ageret annum octogesimum.“ Hucusque Abenez. Hisc. „Quia „Deus posuerat manum suam super os speluncæ, ideo meruit „hunc splendorem.“ Aliter, „Quia volebant constituere ducem „alium, ostendit Deus benedictus Mosen fuisse plenum splendore divinitatis suæ ne constituerent alium ejus loco.“ Lippom. „Quidam hunc locum ita vertunt, Et Moyses nesciebat quod „in modum cornuum radiaret cutis faciei suæ: & ita interpretem exponunt, dum dicit hic & paullo infra, quod cornuta „esset faciei suæ cutis. Non, inquam, quod in facie cornua „haberet (nam ita sentire fatuitas esset) sed quod radii splendoris clari ac fulgidi ex facie ejus prodeuntes in modum cornuum „micuerint, sicut & radii à sole derivati speciem cornu præ se „ferunt. Id etiam ex lucerna apud te accensa facile deprehendere potes. Rutilans enim ex ea flamma in modum cornu „se exerit. Unde R. Salo. radios illos cornua magnificentiæ appellat. ¶ *Viditque Aharon*] qui erat reliquorum caput & princeps. ¶ *Et omnes filii Israel*] *innuit principes, quos Moses solitus est alloqui*, inquit Abenez. ¶ *Timuerunt accedere ad illum*] *initio cum viderent eum timebant accedere quia putabant angelum aliquem esse*. Hisc. „Veni & vide quanta sit vis ipsius transgressionis. Antequam extendissent manus suas ad eam quid ipse dicit? & aspectus gloriæ DOMINI sicut ignis devorans in summitate montis in oculis omnium Israelitarum & non timebant, neque commovebantur: „sed ex quo fecerunt vitulum etiam à cornibus majestatis ipsius „Mosis retrocedebant & commovebantur. R. Salo. „Præ nimio metu retrocedebant. id significant consequa verba. Abenez. ¶ *Vocavitque eos Moses*] cum vocaret eos & agnoscerent eum de voce ipsius tunc redierunt ad eum. ¶ *Principes in cœtu*] i. principes cœtus i. נשיאי העדה Jon. *Omnes magnates qui constituti erant duces sive principes in cœtum*. Hiero. *principes Synagogæ*. Sic etiam Lxx. οἱ ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς. Onk. *principes in Synagoga*. ¶ *Reversi sunt*] ex hoc verbo colligunt eos prius retrocessisse. Quod mihi quoque credibile videtur.

32. *Et postea accesserunt ad eum omnes filii Israel, quibus præcepit omnia quæ locutus fuerat DOMINUS secum in monte Sinai.*

33. *Quum autem complevisset Moses loqui cum eis posuit super faciem suam velamen.*

34. *Quumque ingrederetur Moses coram DOMINO ad loquendum cum eo auferebat velamen illud, donec exiret ipse: egressus autem loquebatur ad filios Israel quæ præcepta acceperat.*

35. *Videbantque filii Israel faciem Mosis quod splenderet cutis faciei Mosis: & reduxit Moses velamen illud super faciem suam donec ingrederetur ad loquendum cum eo.*

Postea] postquam senes accessissent & Moses cum eis locutus fuisset. ¶ *Omnes filii Israel*] qui stabant ad pedem montis. R. Salo. „Postquam docuisset senes redit & docuit sectionem aut Halacha Israelem. Dixerunt doctores Quum ordinaret Deuterosin, quam à Deo didicerat, ingressus est Aharon quem docuit caput suum. Subduxit se Aharon & sedit ad „lævam Mosis: ingressi sunt filii ejus quos docuit caput suum. „Discesserunt illi. Sedit Eleazar ad dexteram Mosis & Ithamar „ad lævam Aharonis. Ingressi sunt senes: docuit eos Moses caput „suum. Accesserunt senes, sederunt ad latera: post ingressus „est omnis populus. Docuit eos caput suum. Deprehensum „fuit in manu populi unum, in manu senum duo, in manu filiorum Aharon tria, in manu Aharonis quatuor, prout habetur in Irubim.“ ¶ *Omnia quæ locutus fuerat &c.*] Hisc. „Omnia præcepta quæ dicta sunt 40. diebus prioribus & 40. „diebus posterioribus omniaque alia quæ præcepta sunt Israeli „dicta sunt à mense Nisan quo egressi sunt ex Ægypto, usque „ad vigesimum diem Jar anni secundi. Verum lex data est in „volumine. Moses enim omnia quæ audierat ex ore Dei scribebat in volumine, & cum jam moriturus esset ordinavit librum „legis & determinavit sectiones usque in hodiernum diem cum „Semuchin qui eis conveniunt &c. ¶ *Velamen*] מסוה Lxx. κάλυμμα & Hiero. *velamen*. On. בית אפי, domum faciei. Id *velamen* interpretantur. Quod mirabitur, qui in Jon. leget בית אפי pro ipsa facie. Idem velamen hoc סודרא *Sudara* vocat: unde *Sudarii* vox, ut quidam volunt. Sic etiam autor Jerosol. nisi quod in eo סודְרָא cum scheva sub Daleth. R. Salom. „Velamen dicitur בית אפי in lingua Aramæa, ut in Gemara כסוי לבא est velamen cordis, & amplius in Chethuboth „i. hagiographis מסוה לאפה velamen faciei ejus, per quod „speculabatur sive videbat בלשון תרגום. Sic hoc in loco מסוה est „vestis sive pannus, qui ponitur ex adverso vultus & do„mus

„ mus oculorum. Ceterum propter cornua magnificentiæ ponebat velamen super faciem & auferebat illud quando loquebatur cum Israele & quando Deus loquebatur cum „ illo donec exiret, cum autem exiret, exibat absque velamine. “ Abenez. „ מסוה similitudinem habet cum כסות quod „ operimentum denotat, & sunt qui dicunt ei simile esse Gen. „ 49. 11. סותה tegumentum ejus, licet ibi Vau quiescat. Talia „ sunt שלמה & שמלה iniquitas על יסים & שלים : item „ חוך & תוך medium. Sunt etiam qui affirmant lumen innovatum fuisse in facie Mosis quocunque tempore ibat ad tentorium conventus & loquebatur cum Deo. Cum autem „ egrederetur lux illa manebat omni tempore quo loquebatur cum „ filiis Israel verba Dei: sed cum finivisset loqui ponebat velamen super faciem quia sciebat recedere lucem illam & faciem „ redire in eum statum quo prius fuerat. Nam fuisset diminutio capitis ipsius si vidissent Israelitæ faciem ejus absque luce: „ ideo ponebat velamen, & cum veniret ad loquendum cum „ Deo ponebat etiam velamen ad recipiendam lucem. Porro „ Saadias ait lumen non recessisse ab eo usque ad diem mortis „ ejus: propterea non caligavit oculus ejus, & hoc rectum est. „ Duntaxat dicit quod velamen ponebat ne metuerent Israelitæ litigantes alter cum altero. Et secundum sententiam meam „ posuit velamen super faciem suam propter gloriam luminis, „ quo innovaverat Deus faciem ejus, ne viderent ipsum Israelitæ quovis momento, sed tantum quum loqueretur ad eos „ verba Dei, removebat autem velamen cum ingrederetur tentorium conventus ut loqui posset cum Deo facie ad faciem. Et hic „ est sensus illius, Et cum ingrederetur Moses.“ Hactenus Abenez. Hisc. „ Quum sermo erat Dei cum Mose, aut cum Moses ipse „ loquebatur cum Israelitis non ponebat velamen super faciem „ suam. Sed cum non stabat ante Sanctum benedictum, & cum „ non loquebatur cum Israelitis, tunc ponebat velamen, quemadmodum scriptum est, & reduxit Moses velamen, ne viderent jugiter sanctificationem splendoris faciei ejus, quæ instar „ cornu radiabat, & ne videretur eis profanus esse. Ad hæc ne „ pascerent oculos suos splendore divinitatis. מסוה autem est ex „ derivatione סות. „ R. David in libro ubi vocum significata collegit interpretatur צעיף המצנף peplum. ¶ *Loquebatur ad filios Israel*] *Qui videbant cornua magnificentiæ cum loquebatur ad eos; cum autem ascenderet ab eis reducebat velamen illud.* R. Salo. *Hoc faciebat usque ad diem mortis suæ, h. e. dum Deus eum ad se collegisset, cujus sepulchrum ignoratur in hodiernum diem.* Abenez.

ברוך יהוה אשר בחר בו
ושם רוח הקדש בקרבו

Benedictus DOMINUS qui elegit eum, Et posuit spiritum sanctum in medio ejus. ¶ *Reduxit*] vel potius, *reducebat*: sive, ut alia interpretatio habet, *reponebat*. ¶ *Super faciem suam*] Hic rursum Jon. *Super domum faciei suæ.* ¶ *Donec ingrederetur ad loquendum cum eo*] cum tentorium conventus ingrederetur, auferebat velamen illud à facie sua.

A M A M A.

4. **E**br. וישכם בבקר: Vulg. *De nocte consurgens.* Id est, *mane surrexit mane.* (*a*) Pleonasmus, השכים per se *manicare*, mane surgere, q. d. diluculare. Græci ὀρθρίζειν πρωΐ. Masius ad Jos. 3. 1. *Cur illud* בקר *Latinus verterit* de nocte, *non satis intelligo* &c. Chald. quoque noctis non meminit, ואקדים משה בצפרא & prævenit in aurora.

7. Ubi in Ebr. est נקה לא ינקה i. *nocentem judicando non judicabit innocentem* (sunt enim verba transitiva in Piel) Vulg. vertit, *Nullus per se apud te innocens est.* Steuchus hic frustra se torquet.

Ibidem vox Ebr. פקד visitans, Vulg. reddidit, *reddis* i. משלם, pereunte insigni Metaphora.

15. Ubi in Ebr. & Græco & Chaldæo est, *sacrificabunt*, Vulg. reddidit, *adoraverint.*

20. Ebr. *Et si non redemeris*, וערפתו decervicabis eum. Vulg. *Sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur.*

Non loquitur textus de alia redemptione quam quæ per commutationem ovis fiebat. Vulgatus vero aliud videtur innuere,

(*a*) *Sic verbum* סג *in Niphal usurpatum passim cum* אחור *retrò jungitur, cum verbum Ebr. per se retrocedere, retroagi significet*, Pf. 44. 19. non retrocessit retro cor nostrum. *Jes.* 42. 17. *Gemina plane illa sunt apud Plautum, adversari contra, reverti rursus, suppilare clam, assimilare similiter, quod posterius aliquam affinitatem habet cum loco Rom.* 9. 29. assimilati fuissemus sicut Gomorrha, *sic & Job.* 30. 19. *& Ps.* 49. assimilatur sicut bestiis.

secutus hic ex parte τῶν LXX. qui hic plane deviarunt, ἐὰν δὲ μὴ λυτρώσῃ, τιμὴν δώσεις αὐτοῦ: *si non redemeris, pretium ejus dabis.* an ערך *pretium do* ? Deinde laxum nimis interpretamentum est *occidetur*, nec enim modum occisionis indicat. Ut à collum, decollare Latini, ita à ערף cervix, ערף decervicare dicunt Ebræi. Aquila Exod. 13. 13. idem hoc verbum reddidit τενοντώσεις i. *decervicare*. Symm. per νωτοκοπήσεις. Vide Fragm. Cl. Drusii ad istum locum.

29. 30. 35. Ebr. *Et ignorabat Moses quod* קרן *cutis faciei suæ.* Vulg. *Et ignorabat Moses quod cornuta esset facies sua.*

Vox Ebræa קרן significat radios cornuum instar emittere. Unde Lxx. apposite, ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Ad quam versionem Apostolus 2 Cor. 3. allusit. Onkelos, *quod multus esset splendor gloriæ faciei suæ.* Jonathan tanquam interpres τῶν LXX. *quod glorificatus esset splendor aspectus faciei suæ.* Hieron. secutus Aquilam qui ante verterat, κερατώδης ἦν, vertit, *cornuta esset.* Jam audiamus Steuchum Episcopum Kisamensem, *Vox ambigua fecit in Editione errorem. Non enim habetur in contextu Ebr. faciem Mosis fuisse cornutam, sed radiantem fuisse cutem. Ex hoc ergo potest emendari prava consuetudo, qua duobus cornibus pingunt Mosen; non enim cornua è fronte egrediebantur, sed & frons & nasus & os & mentum radiabant. Et mirum quod Hieron. non considerata veritate Ebraica non adverterat etiam quid LXX. transtulissent, qui bene hunc locum transtulerunt. Rident itaque nos & execrantur Judæi, quoties Mosen in templis nostris cornuta facie depictum vident, quasi nos eum Diabolum quendam* (Drusius addit, *aut uxorem ejus adulteram*, ei enim qui uxorem adulteram habet, affingi solere duo cornua ex Apologis Ebraicis probat) *esse putemus.* Hæc Steuchus. Cajet. vertit *cornificavit*, & addit, *Emissio radiorum metaphorice appellatur cornificatio, eo quod tanquam emissio cornuum sit emissio radiorum.* Vide & Benedict. & (*a*) Senensem. Vide & Ferum & Oleastrium in hunc locum. Nec dissentit (*b*) Bellarminus. Et (*c*) Thomas non dubitat asserere, faciem Mosis melius dici splendidam quam cornutam, maleque ipsi appingi cornua e facie egredientia. Cur igitur illud sibi sumere non fuère ausi Pontifices, ut pro *cornuta* reponerent *splendida*? Mirari & illud lubet Pontifices Sixtum & Clementem in novis suis Bibliis approbasse vulgi à tot doctis damnatam consuetudinem, qua Mosi appicti radii non è tota facie micantes, sed duorum instar cornuum è capite ascendentes. Utrum hoc factum sit ad Vulgatam Edit. statuminandam, an vero ad defendendas Episcoporum bicornes (*d*) mitras, an ad utrumque, merito quærit Rainoldus.

(*a*) *Biblioth. lib.* 5. *annot.* 116. (*b*) *De Eccl. triumph.* 2. 4. (*c*) *In Epist.* 2. *ad Cor. cap.* 3. *lect.* 2. (*d*) *Vide Polyd. Virgil. de Invent. libr.* 4. *cap.* 7.

G R O T I U S.

5. **S***Tetit Moses cum eo invocavit nomen Domini*] Melius in Hebræo: *Descendit Dominus in nube, & ibi stetit cum eo, & clamavit in nomine* יהוה, ut & stetit, & clamavit, de Deo dicantur congruenter iis quæ supra xxxiv. 19. Sic & Lxx.

6. *Quo transeunte coram eo ait*] Coram, hic non conspectum, sed sensum significat. Transitum enim visi illius percipiebat Moses ex obumbratione sibi prædicta, supra xxxiii. 22. Sic על פני [*ad faciem* vel *coram*] etiam de auditu dicitur Gen. xix. 13. & de olfactu Exod. xxx. 8. Cæterum & hic rectius Hebræi codices: *Et transivit Deus coram eo, & clamavit, Dominus, Dominus.* Ut & hæc quæ sequuntur à Deo clamata sint: quomodo & Lxx.

Dominator Domine Deus] Rectius, ut dixi, in nominativo: *Dominus Dominus Deus.*

7. *Misericors & clemens, patiens & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, scelera atque peccata*] In Hebræo, *custodit* & *aufert*: multis autem verbis exprimuntur proprietates Dei beneficæ, quod illæ in Deo multum prævaleant: Jac. ii. 13. Ideo dicunt Hebræi מדות, sive proprietates Dei esse xiii. in quibus una tantum sit vindicativa.

Nullusque apud te per se innocens est] Græcum: καὶ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον [*& non purificabit sontem*] In Hebræo: purificando non purificabit, id est, non parcet, ut hic Chaldæus, nempe contumaci. Tertullianus ii. adversus Marcionem: *Deus mitior pro rebus edomitis, qui retro austerior pro indomitis.*

In tertiam & quartam progeniem] Non in omnibus crimi-

tibus, sed in iis quæ in Dei majestatem directe feruntur. qualia sunt imprimis, defectio à Deo, & cultus falsorum deorum. In iis enim puniendis Deus non illo tantum judiciali, sed & dominico in posteros jure utitur. Vide quæ supra XX. 5. & quæ diximus de Iure belli ac pacis libro II. cap. XIII. §. I. & XXI. §. 14. Adde Plutarchum in Pericle, non longe à fine.

10. *Quæ nunquam visa sunt super terram*] Græci: ἃ οὐ γέγονεν ἐν πάσῃ τῇ γῇ [*quæ non facta sunt in ulla terra*]. In Hebræo: *quæ non creata sunt in omni terra.* Miracula enim divina velut creationes quædam sunt.

13. *Aras eorum destrue: confringe statuas*] Nempe in locis quæ vestræ erunt ditionis, ut Moses de Kotzi explicat, ac Augustinus ad Deuteron. VII. 5.

14. *Confringe statuas*] Columnas seorsim extra ædificia positas.

26. *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui*] Feres in ædem sacram, succollando in memoriam servitutis Ægyptiæ. Ita factum notat Maimonides. Adde Deut. XXVI. 2.

29. *Cumque descenderet Moses de monte Sinai*] Citat hunc locum Græce Chrysostomus ad II Cor. III.

Ignorabat quod cornuta esset facies sua] LXX. ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ [*quod clarificatus esset conspectus coloris faciei suæ*]. Et mox: ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ [*erat clarificatus conspectus coloris faciei ejus*]. quia vox קרן, unde קרן cornu, radiare etiam significat. Favet huic Græcæ interpretationi Paulus II Cor. III. 8. & sequentibus, ubi δόξαν προσώπου [*gloriam vultus*] nominat, & ad eam tegendam velo usum Mosem ostendit. Nihil tamen est quod vetet credere, radios illos surrexisse in cornuum speciem, indeque factum ut Mneves, qui apud Ægyptios cum cornubus colebatur, ipsi Abenesdræ ad caput Exodi II. credatur esse non alius à Mose, sicut & Justinus Martyr, aut quisquis est scriptor Admonitionis ad Græcos, ubi in Diodoro Siculo est Μνεύην [*Mneven*], posuit Mosen. quo in loco idem scriptor pro ἀγράφοις [*non scriptis*] habet ἐγγράφους [*scriptis*], & pro κοινότατον [*communissimum*] habet ἱκανώτατον [*maxime idoneum*], sensu meliore. Nimirum Moses alter erat Josephus populi pastor. Josephus autem, ut diximus, bovis nomine ac figura significatus. Videtur autem Deus, cum in Mose hoc præstitit, respexisse ad Vituli cultum, quasi diceret: Vultis aliquid ταυρόμορφον [*tauro simile*]. Habete, & experimini an ferre possitis. Apud Macrobium primo Saturnalium, c. 21. *apud Heliopolim taurum Soli consecratum, quem Noton cognominant.* Lege *Mnevin.*

CARTWRIGHTUS.

1. פְּסָל־לְךָ *Dola tibi*] R. Sal. vult ideo Mosen à Deo jussum, Secundas hasce Tabulas dolare, quod is primas fregisset; וזהו אשרך ששברת הראשונות אתה פסל לך אחרות *Tu fregisti priores, tu dola tibi alteras.* Quasi scilicet Deo, istud Mosis factum displicuisset; quod nec Scripturæ authoritate, nec ulla rationis probabilitate nititur. Abrabaneel (referente Buxtorfio in Dissertat. de Decal. §. 17.) putat pronomen לך *tibi* singularem quandam Emphasin hic habere, ac innuere, ab ipso Mose, non ab alio quoquam Tabulas fuisse dolandas: sed simplicius est, ut ornatui tantum inserviat, ut (*a*) Gen. 12. 1. לך לך *ito tibi*; quanquam R. Sal. (ut ad locum istum annotavi) etiam illic לך *tibi* emphaticum esse velit, *tibi*, i. e. (ut ipse exponit) tuo commodo. Similiter etiam hoc in loco pronomen istud exponere videtur; ait enim Deum Mosi ostendisse lapidicinam (*b*) ex Sapphiro, atque ei dixisse ipsum fragmenta habiturum; inde autem Mosen valde fuisse ditatum. Sed hoc nihil aliud est quam ludere in re seria, imo nugari in re sacra.

Tabulas lapideas] Ad indicandam Legis perpetuitatem, uti ex Hebræis Abrabaneel exponit apud Buxtorfium ubi supra §. 21. כדי שתקיים תמיד מבלי הפסד והוא מורה על נצחיות התורה לעולם *ut permanerent semper incorrupta; & hoc docet de perpetuitate Legis.*

Et scribam &c.] Hebræi omnes (teste Buxtorfio loco citato §. 25.) sentiunt Decalogum Tabulis secundis etiam à Deo ipso immediate, nullo adhibito instrumento, fuisse inscriptum. Vide infra ad v. 27. & 28.

5. וַיִּקְרָא בְשֵׁם יְהוָה *Et proclamavit nomen Domini*] Vide ad cap. 33. 19. Aliter autem hæc Phrasis hisce in locis usurpatur, quam Pf. 116. 13. & 17. ubi *invocare nomen Domini*, significat; quanquam eo sensu (*c*) Hierosolymitanus Paraphrastes hic accipere videtur; Vide Annotationem sequentem.

6. *Et clamavit Dominus, Dominus*, &c.] Hierosolymitanus hæc ad Mosen refert, inquiens צלי משה ואמר ״ ״ *Et oravit Moses, & dixit Domine, Domine*, &c. Verum hæc non à Mose, sed ab ipso Deo dicta fuisse certum est ex cap. 33. 19. & Num. 14. 17. 18. Vulgatus etiam interpres ita hæc vertit, ac si Domino à Mose dicta essent, *Dominator Domine Deus*, &c. *Qui aufers iniquitatem*, &c. Sed Burgensis, adversus quem frustra insurgit Doring recte monet, hæc non Mosis Deo supplicantis, sed Dei sese Mosi monstrantis verba esse. Fagius notat vulgatam versionem hic sibi assentientem habere Hierosolymitanam Paraphrasin, ac propterea ait non temere esse damnandam. At certe absque ulla temeritate cum hæc Paraphrasis, tum ista versio damnatur, cum utraque à vero loci sensu manifeste aberret: atque alteram lectionem ipse Fagius solidiorem esse fatetur. Vulgatam autem versionem nulla hic censura ab Amama fuisse notatam mirum videtur.

אֶרֶךְ אַפַּיִם *Tardus ira*; seu *ad iram*] Onk. מרחיק רגז *elongans iram*: Jon. מרחיק רוח וקריב רחמין *longus* (seu *tardus*) *spiritu, & propinquus misericordia.* Hierof. רחיק רגז וקריב רחמין *remotus ab ira & propinquus misericordia.* R. Salomon optime explicat, מאריך אפו ואינו ממהר ליפרע שמא יעשה תשובה *differens iram, nec ad ulciscendum festinans, sed expectans si quis resipiscet.* Similiter Aben Ezra ait Deum sic appellatum, שלא ימהר להעניש על הרשע *quod non cito adversus improbum irascatur.* Vide Rom. 9. 22. & 2 Petr. 3. 9. LXX. μακρόθυμος quæ vox, ut & μακροθυμία sæpe in Novo Testamento usurpatur.

7. נֹשֵׂא עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה *condonans iniquitatem & transgressionem, & peccatum*] Aben Ezra inter hæc tria vocabula sic distinguit, ut חטאה *peccatum* complectatur id quod in cogitatione, & per ignorantiam admissum est; עון *iniquitas* sit in sermone, vel in opere: פשע *transgressio*, gravius quiddam denotet, nempe rebellionem; quemadmodum verbum פשע est *rebellare* 2 Reg. 1. 1. R. Salom. ait עון esse זדונות *iniquitates præsumptuose perpetratas*; פשעים autem esse מרדים שאדם עושה להכעיס *rebelliones ideo ab homine factas ut ad iram provocet.* Certe ex perpetuo Scripturæ usu vox פשע graviorem transgressionem importat; עון autem & חטאה iniquitatem & peccatum in genere designare videntur. Nam עון proprie *curvitatem* seu *perversitatem*, חטאה autem *aberrationem* sonat.

וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *Et justificando non justificabit*] Onk. *propitius est eis qui convertuntur ad Legem ejus; eos autem qui non convertuntur*, לא מזכי *non justificat.* Atque eodem plane modo Ionathan, nisi quod addit ביום דינא רבא *in die judicii magni.* Hierof. *& justificando non justificabit Dominus peccatores in die judicii magni.* LXX. καὶ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον, *& reum non purificabit* seu *justificabit.* Vulg. *nullusque apud te per se innocens est*; quod ab Hebræorum verborum sensu multum discrepat. Steuchus reprehendit versionem LXX. Interpretum qui tamen multo melius assecuti sunt sensum Hebræi textus, quam vel Vulgatus Interpres, vel ipse Steuchus, qui vertit, *& innocens non erit sine piaculo*, quod quemadmodum Hebræa verba significent, plane nescio. Lud. de Dieu vertit, *& evacuando non evacuabit.* Ac notat verbi נקה primariam significationem esse *vacuum esse*; atque inde significare 1. Vacuum esse à crimine seu innocentem esse; unde דם נקי *sanguis hominis innocentis.* 2. Vacuum esse à pœna, seu impunem esse. Ier. 25. 29. 3. Vacuum esse à damno, seu illæsum esse. Num. 5. 19. 4. Vacuum esse à sordibus, seu mundum esse Ioel 4. 13. 5. Vacuum esse ab obligatione, seu liberum esse, & immunem Gen. 20. 5. 6. Vacuum (*d*) esse à militia, i. e. exemptum esse à militandi necessitate. Deut. 24. 5. 7. Vacuum esse à labore, i. e. inde eximi. 1 Reg. 15. 22. 8. Vacuum esse à cibo. Amos 4. 6. 9. Vacuum esse à viris, incolis, opibus, vita, omnique bono, i. e. vastari & succidi. Isai. 3. 25. & Zach. 5. 3. Atque in hac ultima significatione hic sumit, ut non ad justitiam Dei punientem, sed ad ejus misericordiam parcentem hoc membrum, prout præcedentia, spectet. Quasi dicat, *Tanta est ejus misericordia, ut etiam quando succenset, & punit, non tamen prorsus succidat; visitat quidem peccata patrum in filios, sed in tertiam solummodo, & quartam progeniem.* Hanc interpretationem ait tanto magis allubescere, quod Num. 14. 18. Moses hæc ipsa verba irato Deo opponat, ut eum bonitatis suæ, quam ipse Deus sibi ad-

(*a*) Sic v. 11. hujusce capitis, שמר לך *Observa tibi.* (*b*) סנפירינון Buxtorfius interpretatur *adamantem.*

(*c*) Atque ita plane Vulg. Interpres. (*d*) Istud distinctionis membrum cum priori coincidere videtur; atque ita etiam id quod proxime sequitur.

adscripserat, commonefaceret. Atque in hunc modum interpretatur loca parallela, Ierem. 30. 11. & 46. 28. ubi notat ונקה לא אנקך à Pagnino exponi, *& succidendo non succidam te*; à Vatablo, *non tollam te prorsus à medio*; à Chaldæo ושיצאה לא אשיצינך *& perdendo non perdam te*. Atque hæc quidem à viro clarissimo erudite observata fateor; non video tamen quin altera expositio hic bellè congruat, nempe ut נקה in Piel sit vacuum à crimine; seu innocentem habere. Nec obstat iste numerorum locus, cum Moses illic citet etiam ea verba, quæ absque controversia ad justitiam Dei punientem spectant, nempe, *iniquitatem patrum in filios*, &c.

Super filios] Onkel. Jon. & Hierosol. *Super filios rebellantes*. R. Salom. similiter exponit de filiis qui patrum vestigiis insistunt, ac eorum impietatem imitantur. Atque asserit ita supra expositum fuisse cap. v. 20. ubi diserte dicitur לשנאי, *qui me oderunt*; quod non ad parentes, sed ad filios referendum censet: sed id mihi minus rectum videtur.

Usque ad tertiam & quartam generationem] vide supra ad c. 20. 5.

8. *Et festinavit Moses*] Nempe ad incurvandum se Deo, & ad adorandum eum, ut sequentia indicant. Aben Ezra merito nonnullos redarguit, eosque cerebro vacuos appellat (ריקי מוח) qui dixerunt Mosen ideo festinasse, cum Deus quartam generationem memorasset, ne insuper adderet quintam; quasi scilicet Moses Deum adhuc loquentem interpellare ausus fuisset; quod insanum est cogitare.

9. כי עם קשה ערף הוא *Nam populus est duræ cervicis*] Particula כי fere significat *nam* vel *quia*: hic autem R. Salom. vult valere idem quod אם *si*, ac sic exponit; *Vadat, quæso, Dominus meus inter nos; & si populus iste sit duræ cervicis, propitius eris iniquitati nostræ*. Malim hic כי interpretari (*a*) *etiamsi*, quemadmodum interdum significat; *Vadat quæso Dominus meus inter nos etiamsi populus sit duræ cervicis; & propitius sis iniquitati nostræ*. Sed usitata voculæ istius significatio hic retineri potest. Ea enim ipsa de causa, quod populus iste cervicosus esset, Moses merito Deum precatus est, ut inter ipsos se præsentem ostenderet, quo nimirum populum melius in officio retineret, ac Mosi ad regendum commodiorem redderet.

ונחלתנו *Et pro hæreditate nos accipias*] Jonathan transitive accipit, *& facias nos hæreditare terram, quam promisisti patribus nostris, ut nos non permutes populo altero*. Quanquam postremis hisce verbis alterum sensum exprimere videtur. R. Sal. breviter ac dilucide תננו לך לנחלה מיוחדת, *Constitue nos tibi in hæreditatem propriam* seu *peculiarem*. LXX. *καὶ ἐσόμεθά σοι, & erimus tibi*. Vulg. *Nosque possideas*.

10. *Ecce fœdus ego ferio*, &c.] Jon. *Ecce ego ferio fœdus, fore, ut non permutem populum hunc populo altero*. Sic R. Sal. explicandi causa addit, על זאת *de hac re*, nempe quam Moses à Deo petierat. Aben Ezra ad sequentia refert, dicens fœdus hoc initum esse juxta conditiones positas ab initio istorum verborum, שמר לך *Observa tibi*, &c. v. 11. Atque ista quidem expositio (ut idem observat) ex v. 27. confirmatur.

כי נורא הוא *Nam terribile est*] i. e. mirabile. Sic enim populo ante dictum est נפלאות אעשה *faciam mirabilia*, Lxx. in plurali, ὅτι θαυμαστὰ ἐστι, *quod mirabilia sint*. Sic cap. 15. 11. נורא *terribilis* idem est quod נפלא *mirabilis*.

18. חדש האביב *Mense Abib*] R. Salom. exponit, חדש הבכור שהתבואה מבכרת בבישולה *Mense primitiarum cum primum fruges ad maturitatem perveniunt*. Vide supra cap. 13. 4.

20. ואם לא תפדה וערפתו *Et si non redemeris collum ei franges*] Jon. ותנקפיה בקופין *securi eum decollabis*, vel *malleo cervicem ei confringes*. LXX. ἐὰν δὲ μὴ λυτρώσῃ αὐτὸ τιμὴν δώσεις. *Si autem non redemeris illud pretium dabis*. Quæ interpretatio ab Hebræo prorsus recedit, nec alioqui in se quicquam sani habere videtur. Vulg. *Sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur*. Vim verbi Hebræi non expressit. ערף est *cervix*; inde ערף *decervicare, cervicem frangere*. Vide supra ad cap. 13. 13

ולא יראו פני ריקם *Et non apparebunt coram me vacui*.] פני pro לפני *ante faciem meam*, seu *coram me*. Sic Onk. קדמי, *coram me*: atque ita etiam Jonathan. Lxx. mutata orationis forma sed sensu integro, οὐκ ὀφθήσῃ ἐνώπιόν μου κενός, *non apparebis in conspectu meo vacuus*. Ad eundem quoque modum Vulgatus. Hierosol. *Populemi, domus Israel, non licet vobis videre Dominum Deum vestrum* ריקנין מכל מצוה *Vacuis ab ullo* *præcepto*; i. e. ita ut ullum ejus præceptum insuper habeatis. Vide supra ad cap. 23. 15.

22. *Et festum Hebdomadarum facias tibi*; בכורי קציר חטים *primitiarum messis triticeæ*] Ut חג *festum* ἀπὸ κοινοῦ repetatur; vel, *primitias messis triticeæ*, scil. *facias*, vel *observes*. Onkeli Paraphrasis ad verbum Hebræo textui respondet; Fagius autem vertit, *in primitiis messis triticeæ*, & in Annotat. explicat. *Quando offeres primitias in messe triticea*. Atque ita Jonathan, בזמן בכורי חצד חטין *in tempore primitiarum messis triticeæ*. Similiter etiam R. Sal. שאתה מביא בו שתי הלחם מן החטים i. *cum offeres duos panes ex tritico*, nempe illo quod tunc metitur. Atque addit primitias istas esse primam oblationem, quæ ex novo tritico affertur ad sanctuarium: oblationem enim manipuli in Paschate ex hordeo fuisse. LXX. *Καὶ ἑορτὴν ἑβδομάδων ποιήσεις μοι, ἀρχὴν θερισμοῦ πυροῦ. Et festum hebdomadum facies mihi, principium messis triticeæ*. Scholiastes testatur alios libros habere, ἀρχὴν τῶν πρωτογενημάτων *principium primorum fructuum*. Forte pro ἀρχὴν, *principio*. Vulg. *in primitiis frugum messis tuæ triticeæ*.

וחג האסיף *Et festum collectionis*] Nempe frugum, h. e. (ut explicat R. Salom.) cum fruges ex agris in horrea colliguntur.

תקופת השנה *In revolutione anni*] R. Sal. exponit, בחזרת השנה בתחלת השנה הבאה *in reditu anni, in principio anni sequentis*. Alii finem anni præsentis intelligunt; sed utraque expositio in idem redit. Nam ut ait Aben Ezra, סוף השנה היא תחלת השנה האחרת *finis unius anni principium est alterius*. Vide supra ad cap. 23. 16.

23. את פני האדן *Coram Domino*] Onkel. קדם רבון עלמא *coram Domino mundi*. Atque ita Jonathan, nisi quod in plurali habeat, עלמיא *mundorum seu seculorum*.

27. *Scribe tu verba hæc*, &c.] At v. 1. *Ego scribam*. Lyra refert nonnullos sic conciliare, quod Deus scripsit authoritative dictando, Moses autem ministerialiter figurando. Id autem minus probat, quod Mosi instrumenta ad sculpendum in Tabulis lapideis defuisse existimet; quæ ratio mihi minus firma videtur. Ipse autem hoc de Lege non in Tabulis, sed in libro scribenda interpretatur. At contra istam expositionem objici potest id quod sequitur v. 28. *Et scripsit super Tabulas*, &c. nisi forte (*b*) non de eadem utrobique scriptione agatur. Addit denique Lyra, posse dici, Mosen manum suam Tabulis apposuisse, Deum autem literas miraculose efformasse, quemadmodum ad impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus. At appositio manus Mosis ad Tabulas, hic plane videtur otiosa, cum impositionis manuum Apostolorum satis aperta esset ratio. Vide Annotat. sequent.

28. *Et scripsit super Tabulas*, &c.] Aben Ezra de Deo hoc intelligit, citatque illud v. 1. *Et scribam*, &c. Sic Lyra ait hoc referri ad Dominum; At profecto ex serie textus ad Mosen potius referendum videtur. Addit Lyra, si ad Mosen referatur, exponendum esse prout immediate antea ostenderat, nempe Mosen duntaxat manum Tabulis apposuisse, literas autem à Deo ipso fuisse exaratas; at commentum istud frivolum ac ineptum censeo. Refert denique nonnullos exponere, *scripsit* i e. scriptas à Domino accepit; quod nimis durum ac coactum videtur. Augustinus in Quæst. ad Mosen refert; *De Mose* (inquit) *dictum est quod ipse scripserit, cui etiam Deus paulo ante dixerat, scribe tibi verba hæc*. Hæc quidem Expositio cum Sacri textus serie (ut dixi) maxime videtur congruere, nec video quid in ea sit incommodi. Quod enim v. 1. à Deo dicitur se scripturum, quidni ita exponi possit, quemadmodum Aben Ezra exponit, (& recte quidem) illud cap. 14. 6. *Et ligavit (Pharao) currum suum*, nempe מצוה *mandato*, i. e. mandavit, ac mandato suo effecit ut ligaretur? Sic Solomon dicitur ædificasse domum Domini, quia fecit ut ædificaretur. Pari ratione licet interpretari, *& scribam*, i. e. & efficiam ut scribas.

Et fuit ibi cum Domino 40. dies, &c.] Aben Ezra vult Mosen ter 40. dies, totidemque noctes cum Deo in monte commoratum esse. Primo nempe cum priores Tabulas accepit cap. 24. 18. & Deut. 9. 9. Secundo cum ad impetrandam populo veniam sese Domino prostravit eique supplicavit. Deut. 9. 18. Tertio cum Dei jussu novas Tabulas dolasset, ac Deo in montem attulisset, uti hic memoratur. Atque hæc quidem sententia, etiamsi nonnulli dissentiant, mihi ex istis Scripturæ locis satis fit verisimilis.

עשרת הדברים *Decem verba*] Ita hic & alibi in Scriptura, nempe Deut. 4. 13. & 10. 4. decem præcepta appellantur. Sic Eccles. 8. 4. דבר מלך *verbum regis*, idem valet quod מצות מלך man-

(*a*) Sic R. Marinus (teste Aben Ezra) אף כי עם קשה ערף הוא *etiamsi sit populus duræ cervicis*. Ipse autem Aben Ezra mavult interpretari, *ego confiteor populum esse duræ cervicis, tu autem propitius eris*.

(*b*) Ita sentit Manasses in Concil. quæst. 49. in Exod.

mandatum regis. Buxtorfius Differt. de Decal. §. 34. ex libro Zohar citat, תרי עשר אמרין דאורייתא אינון כללא דכל פקודי אורייתא *Hæc decem verba* (seu *præcepta*) *Legis sunt summa omnium præceptorum Legis.* Refert etiam R. Jehudam in libro Cosri asserere hæc decem præcepta esse אמות התורה ושרשיו *matres legum, & radices* (seu *fundamenta*) *earum.* Similia etiam & ex aliis Rabbinis affert.

29. כי קרן עור פניו *quod radiavit cutis faciei ipsius*] קרן est *cornu* (vox latina, ut & Græca κέρας ab Hebræo *Keren* deducta videtur) inde קרן *radiare*, seu *radios instar cornuum emittere.* Onkel. ארי סגי זיו יקרא דאפוהי *quod multus erat splendor gloriæ vultus ejus.* Ion. *quod splendebat splendor formæ vultus ejus; quod ei accidit ex splendore gloriosæ præsentiæ Domini, quando loquebatur cum eo.* Aben Ezra in nescio quem irruit, quod hunc locum in contrarium plane sensum detorqueat, nempe Mosen quadraginta dierum, totidemque noctium jejunio adeo macilentum esse factum, ut facies ejus instar cornu, prorsus arida, & exsucca fuerit. LXX. ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *quod glorificatus est* (i.e. gloriose splenduit) *aspectus* (*a*) *cutis faciei ejus.* Vulg. *quod cornuta esset facies sua.* Quæ interpretatio, utpote saltem obscura & ambigua, multis merito displicuit. Certe Steuchus, qui alioqui vulgatam versionem excusare & defendere solet, hic eum reprehendit. *Vox* [inquit] *ambigua* [nempe vox Hebræa קרן] *fecit in editione errorem. Non habetur in contextu Hebraico faciem Mosis fuisse cornutam, sed radiantem. Ex hoc ergo potest emendari, prava vulgi consuetudo, qui duobus cornibus pingunt Mosen.* Addit, mirum esse, Hieronymum non advertisse etiam quid LXX. transtulissent, qui bene hunc locum verterunt. *Rident itaque* [inquit] *nos, & execrantur Judæi quoties Mosen in nostris Templis cornuta facie depictum aspiciunt, quasi nos eum diabolum quendam, ut ipsi stulte interpretantur, esse putemus.* Drusius in quæst. & Resp. quæst. 1. refert in libro Ebræo, qui dicitur *Masal Cadmoni*, cap. 26. hæc verba, quæ in Ebræo textu habentur, *Caran or Phanau*, de eo dici, cujus uxor erat adultera, prout vulgo dici solet, *cornua qui faciunt ne cornua ferre recusent.* Sed id ad hujus loci expositionem nihil quicquam facit, cum eadem verba in alium sensum abusive sint translata.

30. *Et timebant ei appropinquare*] R. Salom. jubet hinc observare quantam vim transgressio habeat: prius enim quam transgressi erant Israelitæ, eos absque metu ac trepidatione gloriam Domini instar ignis devastantis in fastigio montis vidisse; cap. 24. 17. nunc autem post adoratum vitulum etiam ad aspectum radiantis faciei Mosis territos fuisse, ac trepidasse.

33. ויכל משה וגו׳ *Et* [*dum*] *consummasset Moses loqui cum eis, posuit super faciem suam velamen.*] Ad sensum clarius explicandum verbum ויכל reddendum est, *Et dum consummasset*: alioqui si ad verbum reddatur, *& consummavit*, &c. sensus erit, Mosen tum demum velamen faciei suæ imposuisse cum Israelitas alloqui cessasset; quum revera ideo velamen faciei suæ imposuerit, ut ipsum sese alloquentem ferre possent. Miror igitur Fagium verba Onk. [quæ ut & Ionathan. Hebræis plane respondent] sic interpretari, *Cumque cessavisset, Moses loqui cum eis, posuit super faciem suam velamen.* Similiter autem & LXX. interpretes vertunt, Καὶ ἐπειδὴ κατέπαυσε λαλῶν πρὸς αὐτοὺς ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ κάλυμμα, *& postquam cessavit loqui ad eos, imposuit super faciem suam velamen.* In eundem etiam sensum Vulgatus, *Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam.* Ex versibus sequentibus [uti etiam ex Apostolo 2 Cor. 3. 13.] satis constat Mosen non nisi Israelitarum gratia, ut commodius cum eis loqui posset, velamen faciei suæ imposuisse. Atque hoc à R. Salomone est observatum, ונושא בשעה שהיה מדבר עם ישראל *Et gestabat illud* [velamen] *cum ad Israelem loquebatur.*

Et posuit super faciem suam מסוה *Velamen*] Onk. בית אפי *domum faciei*; sic ad verbum sonat, i. e. tegumentum faciei. Nam ut Fagius notat, בית *domus* in Chaldaismo usurpatur pro quolibet vase, instrumento & receptaculo, in quo aliquid retinetur, reconditur, & conservatur. R. Salom. ait מסוה hic esse בגד הניתן כנגד הפרצוף ובית העינים *vestem positam super faciem, & domum* [i. velamen] *oculorum.* Ionathan & Hierosol. interpretantur סודרא *sudarium.*

(*a*) Vel *coloris.*

IDEM.

7. ונקה לא ינקה *Et excindendo non excindet.*] Sic exponendum ex mente Maimonidis, quem refert hoc etiam ad Dei misericordiam referre, ut sensus sit, Deum nolle peccatorem ob peccatum ipsius excindere. שלא יכרית חוטא על חטאו, Sed de verbis hisce vide supra ad hunc locum.

9. כי עם קשה עורף *Nam est populus duræ cervicis*] Hoc sic dictum ait, quemadmodum illud, *Sana animam meam; nam in te peccavi*; quod sic explicat, *Ego à te animæ meæ sanationem peto: ea enim valde mihi opus est, quandoquidem in te peccavi.*

10. *Ecce ego fœdus ferio*] sensum esse ait, Deum fœdus ferire, ac jurare, se id facturum, quod Moses petierat, nempe se in medio eorum profecturum.

17. *Non facies tibi deos fusiles.*] Hic prohiberi ait, ne simulachra ad ipsos de Deo vero commonefaciendos facerent. שלא יעשו צורה לזכרון אלוהות המורא יתברך.

26. *Non coques hædum, &c.*] Hic, ut antea ad cap. 23. 19. ait, gentes, cum conventus suos agerent, solitas fuisse hædum lacte coctum comedere: imo & hodie pastores ita facere, cum ad res suas disponendas inter se conveniant (בעשותם קבוצי התנוחתם) atque ideo Deum Israelitis præcepisse, ne ritum istum observarent. Sed quod addit, mirum videatur; כי אכלת הבשר עם החלב או עם הגבינה היא ממנהג עובדי ע״ז *Nam esus carnis cum caseo, vel cum lacte, ex idololatrarum consuetudine ortus est.*

28. *Quadraginta diebus, &c.*] Asserit antiquos Doctores recte dicere, etiamsi ex recentioribus nonnulli dissentiant, Mosen ter in monte quadraginta diebus totidemque noctibus fuisse; idque ex Deuteronomio astruere conatur. Nempe Deut. 9. v. 9. primam mansionem memoratam dicit: secundam autem ibidem v. 18. & 25. tertiam denique, Deut. 10. 10. at locum istum etiam de secunda mansione intelligi videtur.

Et scripsit super Tabulas, &c.] Refert nonnullos hoc ad Mosen referre, sed errore manifesto. הוא משה מבואר. Illud enim ver. 27. *Scribe tu, &c.* de præceptis ibi memoratis dictum esse, non de Decalogo: atque ideo dictum ait (ver. 29.) *cum descenderit è monte* ut intelligatur, Mosen non accepisse Tabulas, nisi cum è monte descenderit, atque ideo Decalogum in eis non scripsisse.

29. *Quod cutis faciei ipsius radiabat.*] Notat hoc ingens fuisse miraculum, cum naturaliter usu venire soleat, ut vultus hominis cibo ac potu reddatur nitidus, ac è contra fame nigrescat: atque in hanc rem citat, Psal. 104. 15. & Thren. 4. 5. 7. 8. Sed hinc perspici ait, hominem non ex solo pane vivere, nec Deo quicquam obstare, quo minus hominem terrenum etiam splendore corporali cœlis cœlorum similem reddat.

Nesciebat Moses, &c.] Hinc colligit, non reliquas corporis partes sed duntaxat faciem Mosis radiasse.

בדברו אתו *Quando loquebatur cum eo*] Vel, *quia loquebatur cum eo.* Sic enim hic litera ב vult causam denotare; כי מסבה. Vult etiam rationem hic reddi, non quare vultus Mosis radiavit, sed quare Moses non sensit vultum suum radiare, nempe quia Deo arcte adhærebat, eique soli intentus erat. מפני היותו מחובר ודבק בו. Probat autem (Quæst. 6.) non posse exponi בדברו *quando loquebatur*, quia non tunc solum, verum etiam postea vultus Mosis radiabat: sed respondere licet, ita nihilominus exponi posse, quia ex eo quod Moses cum Deo colloquium habuit, vultûs ejus radiatio orta est, etiamsi finito colloquio statim non cessaverit.

33. *Posuit velum, &c.*] Dicit Mosen absque velo & cum Deo ad recipienda ejus mandata, & cum Israelitis ad eos instruendos locutum esse: Velum autem sibi imposuisse, cum cibo ac potu, & somno se reficeret, vel cum uxore loqueretur, & quæ ad Legem non spectabant, ageret. Vult nimirum Mosen, cum intelligeret faciem suam instar corporum cœlestium splendere, imitatum esse corpora cœlestia, quorum motus atque operationes omnes ait in eum finem esse, vel ut à (*a*) motoribus suis influentiam recipiant, vel ut in inferiora influentiam suam demittant: ita scilicet Mosen cum vel à Deo instrueretur, vel populum instrueret, aperta facie, aliàs autem velatum fuisse. Videtur tamen sibi non constare; nam disputans adversus Aben Ezram, qui putat faciem Mosis non radiasse nisi quando cum Deo loquebatur, ac velum sibi imposuisse, ne Israelitarum nonnulli existimarent dignitatem ejus diminutam, cum vultum ejus ad pristinam formam redactum aspexerint, ait velum non excogitatum שלא יראו העם העדר האור כי אם שלא יראו האור עצמו *Ne populus defectum lucis, sed ne lucem ipsam aspicerent.* Sed quicquid hac in re sensit, nos certiorem habemus Interpretem, nempe Apostolum 2 Cor. 3. 12. 13, 14, 15. Illud tamen fateor, He-

(*a*) Sentit cum Philosopho cœlos ab intelligentiis moveri.

Hebræum textum hic esse subobscurum, ut minus mirum sit, eos qui Novi Testamenti lucem respuunt, non solum rei mysterium, sed & ejus corticem minus clare perspicere. In fine hujus Sectionis Abrabaneel eam vocat *magnam & profundam*; הסוד הגדול והעמוק. O si Judæi ejus magnitudinem & profunditatem perspectam haberent!

CAP. XXXV.

MUNSTERUS.

3. **N**On accendetis ignem] Judæi hoc præceptum ad literam servandum putant: ideo conductitiis Christianis utuntur sabbato, qui illis ignem foveant; non advertentes, sacerdotibus licuisse ignem instruere pro jugi sacrificio die sabbati. Sensus igitur est, Sabbato nullum accendendum ignem unde lucrum aliquod sperari posset, ut ex fornace in qua lateres vel ollæ aut calx decoquuntur, aut etiam si succendatur fornax ad coquendos panes.

5. *Munus levationis*] Jam sæpe diximus, per תרומה significari id quod à populo per modum contributionis levatur.

11. *Habitaculum*] Secundum Hebræos משכן sunt inferiores cortinæ quæ intra tabernaculum videri poterant. Sed אהל erant cortinæ quæ ex pilis caprinis contextæ erant; & erant veluti tectum tabernaculi. At מכסה, h. e. *operimentum*, erant pelles arietum rubricatæ, quæ supremum erant tegumentum.

19. *Vestimenta ministerii*] Diximus jam supra, & iterum jam dicimus, per hæc significari ea indumenta in quibus candelabrum & altare incensi atque arca involvebantur, cum castra transferebantur. Nam nostri hunc locum nonnihil confundunt.

22. *Fibulas*] R. S. exponit *armillas*, seu *ornamenta brachiorum*. Et כומז tam ipse quam K. exponunt pro דפוס של בית הרחם, *ornamento pudibundorum muliebrium*. ¶ *Omnis qui sublevandam deferebat auri oblationem*] Hunc habet sensum, Qui voluntario erant corde, attulerunt jocalia aurea, & elevabant ea coram Domino, atque ventilabant in sublimi: Qui ritus quidam erat offerendi, sicut & alius ritus erat levandi sursum & deorsum aliquot vicibus. Primus Hebraice vocatur תנופה, secundus תרומה. Et hæc in textu clare reddi non possunt nisi multa uteremur periphrasi. Porro A. E. exponit חח pro *ornamento aurium*, & נזם pro *monili narium*, טבעת pro *annulo digiti*, & כומז pro *armilla brachii*.

34. *Ut instruere possit*] Hoc dicitur propter vulgares artifices, qui non nisi difficulter suam artem aliis communicant.

35. *Acupictoris*] Est רקם proprie qui opus aliquod facit per מחט, i. *acum*; sed חשב est qui ingeniosum opus facit per ארג, *texturam*.

FAGIUS.

21. **E**T *quemcunque impleverat spiritus ejus*] i. Quicunque præditus erat animo liberali ac prono ad dandum.

22. *Dextralia*] Ita habet Vulg. editio Lat. post LXX. Apud Hebræos est variatio in voce כומז *Chumas*, quæ ponitur in textu Hebraico. A. E. habet pro ornamento quod in brachiis ponebatur; & in hoc sentit cum nostris interpretibus. Alii pro ornamento muliebri quod circa pudenda ponebatur accipiunt; quibus adstipulantur R. Sal. & D.K. Noster paraph. per vocabulum מחוך *Mahoch* reddidit, quod *subligaculum* exponunt. LXX. totum hunc locum sic transtulere, ἤνεγκαν σφραγῖδας, καὶ ἐνώτια, καὶ δακτυλίους, καὶ ἐμπλόκια, καὶ περιδέξια, *Obtulerunt sigilla, & inaures, & annulos, & torques, & dextralia.* Aben Ezra inter quatuor isthæc ornamenta quæ ibi commemorantur ita discernit, ut primum sit ornamentum aurium, alterum narium, tertium digitorum, quartum brachiorum.

32. *Ut doceat artifices*] Innuit ipsum non tantum per se sapientem, ingeniosum, industrium & peritum esse, sed talem quoque qui etiam alios possit docere & instruere, & quidem quadam animi promptitudine & facilitate, præter morem aliorum vulgarium artificum, qui non nisi difficulter artem suam aliis communicant.

VATABLUS.

1. **D**Ein congregavit, &c. ויקהל וגו'] Ad verb. *Et congregavit Mose universum cœtum*, vel *universam synagogam & congregationem*, i. jussit congregari. Ab hoc capite incipiunt Hebræi decimam hujus libri partitionem, denominantes eam à primo vocabulo ויקהל.

2. *Faciet opus*: תעשה מלאכה] *Fiet opus*, sub. *tabernaculi*. ¶ *Sanctitas*, קדש] i. Dies septima erit vobis sacrosancta, in qua omnino ab operibus cessabitis. ¶ *Morietur*, יומת] *Moriatur*, vel, *occidatur*, i. sententia Judicum condemnetur.

3. *Non accendetis*, &c. לא תבערו אש] Sensus hujus loci est, Nullum esse accendendum ignem sabbatho unde lucrum aliquod sperari possit; ut ex fornace, in qua lateres vel ollæ aut calx decoquitur; aut si succenderetur fornax ad coquendos panes, q.d. Ne cibum quidem eo die præparabitis ubicunque habitaveritis.

5. *A vobis*, מאתכם] i. De facultatibus vestris: de his quæ apud vos sunt, quod offeratis Jehovæ. ¶ *Spontaneus corde suo*, נדיב לבו] *Liberalis* [*voluntarius*] *corde suo*, i. quicunque animo est liberali & prono ad dandum. Hic versus cum quatuor sequentibus legitur supra 25. 2. vide illic annotationes.

10. *Et omnes sapientes corde*, וכל חכם לב] Singul. Heb. pro plur. *Sapientes corde* vocat (ut supra cap. 28. 3.) peritissimos artifices & ingeniosissimos.

11. *Tabernaculum*, את המשכן] Vide & istud supra cap. 26. vers. 1.

12. *Arcam*, &c. את הארן ואת בדיו] Constructionem arcæ & propitiatorii vide supra 25. 10, 17. ¶ *Et velum tentorii*: ואת פרכת המסך] *Et velum aulæ*, i. quod oppandebatur propitiatorio, ne videretur. Quale esset hoc velum, vide supra 26. 31.

13. *Mensam*, &c. את השלחן] Structura hujus mensæ describitur supra 25. 23. ubi vasorum sive utensilium ejus fit etiam mentio, & panum facierum.

14. *Et candelabrum luminaris*, ואת מנרת המאור] *Candelabrum luminaris* vocat, in quo erant luminaria. Forma hujus candelabri describitur supra 25. 31. ¶ *Luminaris*: המאור] i. Quo luminaria fovebantur.

15. *Et altare suffimenti*, ואת מזבח הקטרת] *Et altare thymiamatis*, vel, *incensi*. De hoc altari vide cap. 30. 1.

16. *Altare holocausti*, את מזבח העלה] Describitur illud altare cap. 27. 1. ¶ *Et cribrum ejus aneum*, ואת מכבר הנחשת אשר לו] Ad verbum, & *cribrum æreum quod erat ei*.

17. *Cortinas ipsius atrii*, את קלעי החצר] Vide cap. 27. 9.

18. *Paxillos*, את יתדת] De his vide cap. 27. 19.

19. *Vestes ministerii*, את בגדי השרד] Vide cap. 31. 10.

21. *Elevavit ipsum*, נשאו] i. Excitavit ipsum. Simile habes cap. 36. 2. ¶ *Et omnis cujus*, &c. וכל אשר נדבה רוחו אתו] i. Quotquot præditi erant animo liberali & prono ad offerendum. ¶ *Jehovæ*, יהוה] i. Quam offerrent Jehovæ. ¶ *Sanctitatis*, הקדש] i. Sanctas.

22. *Omnis spontaneus corde*, כל נדיב לב] i. Quotquot erant animo liberali & spontaneo, ut v. 5. ¶ *Fibulas* חח] Ornamentum cinguli ad vestem subligandam. Gallice dicimus *Agrafe*, vel *boucle*. Alii *uncinum* exponunt, quo nectunt duas oras vestis sub gutture. Alii *spinulam* interpretantur, sive *aciculam*. Gallice *Espingle*. Singularia sunt omnia Hebr. pro plur. ¶ *Et dextralia*, וכומז] Ornamenta erant brachiorum, ut ex doctioribus Hebræorum alter exponit: ita & LXX. Doctus inter Hebræos accipit pro ornamento muliebri quod circa pudenda ponebatur, sic & magni nominis apud illos vir. Chald. paraph. pro *subligaculo* accipit.

24. *Ad omne opus ministerii*, לכל מלאכת העבודה] i. Pro opere illo faciendo.

25. *Sapiens corde*, חכמת לב] i. Industria & peritia, sive ingeniosa, h. e. quæ optime nere noverat.

26. *Quarum cor*, &c. אשר נשא לבן אתנה בחכמה] Hebraismus, quem Chald. paraph. aut qui Latine illum convertit, sic reddit, *mulieres industriæ quibus animus erat*. Quidam non observantes aut negligentes distinctionem Hebræorum, qui dictioni בחכמה supponunt Atnah, conjungunt illud *in sapientia* sequentibus, hoc modo, *quarum cor extulit illas, in sapientia ne-*

d by Google

neverunt; hoc sensu, Mulieres excitatæ in cordibus suis peritissime neverunt caprarum pilos.

27. *Plenitudinum*, המלואים] *Repletionum*, i. qui includi solent palis, & palas replent.

29. *Quorum spontaneum erat cor apud eos ad offerendum*, אשר נדב לבם אתם להביא] Hebraismus, qui voluntario ac spontaneo animo offerebant. ❡ *Per manum Moseh*, ביד משה] sub. *præceperat inquam*, i. quod Moseh internuntio præceperat. Chald. paraph. aliter intellexit, *quod præceperat Dominus fieri per manum Mosis*. ❡ *Filii Israel*, בני ישראל] i. Illi qui erant ex filiis Israel.

30. *Vocavit Iehovah*, &c. קרא יהוה בשם בצלאל] Vide cap. 31. 2.

31. *Dei*, אלהים] Antecedens pro relat. *Spiritu suo*. ❡ *Arte*, מלאכה] *Arte mechanica*. Ad verb. *opere*.

32. *Ad cogitandas cogitationes*, &c. ולחשב מחשבת] i. Ad excogitandas novas quasdam adinventiones operandi ex auro, &c.

33. *Et in arte lapidaria*: ובחרשת אבן] Ad verb. *Et in fabricatione* [*sculptura, artificio*] *lapidis*, i. in arte gemmaria, sub. *replevit inquam Spiritu Dei, sapientia*, &c. *Ut docte scalperet gemmas quas palis aureis includat*. ❡ *Arte cogitationis*, מלאכת מחשבת] i. Arte plena industriæ & ingenii, sive ingeniosa & industria.

34. *Dedit insuper*, &c. ולהורת נתן בלבו] Chald. paraph. *Simulque ut alios doceat, dedit in corde ejus*, i. Reddidit eum facilem, pronum & proclivem ad docendum alios. Ad verb. *Et ad docendum dedit in corde ipsius*.

35. *Sapientia cordis*, חכמת לב] *Sapientiam cordis* vocat peritiam artis & industriam, sive ingeniositatem, ut ita loquar. ❡ *Et Phrygionis*, ורקם] Vide cap. 26. 1. ❡ *Et acupictoris*, ורקם] Vide cap. 26. 36. ❡ *Facientes omnem*, &c. עשי כל מלאכה וחשבי] i. Reddidit eos peritos lignarios, phrygiones, acupictores vel plumarios, & textores; breviter, ita peritos ut quodvis opus excogitare possent & facere. Alii vertunt, *facientium omne opus, & excogitantium cogitationes*: ut hic genitivus plur. referat genitivos superiores, *artificis, phrygionis*, &c. *facientium*, &c.

CASTALIO.

3. *Ignem in universum ne incenditote*] Scilicet ad opera facienda. Nam cibum quidem parare licere supra docuit.

CLARIUS.

3. *Non succendetis ignem*] Judæi hoc præceptum ad literam servandum putant, ideo conductitiis Christianis utuntur sabbato, qui illis ignem foveant; non advertentes, sacerdotibus licuisse ignem instruere pro jugi sacrificio die sabbati. Sensus igitur est, Sabbato nullum accendendum ignem unde lucrum aliquod sperari posset; ut ex fornace, in qua lateres, vel ollæ, aut calx coquuntur, aut etiam si succendatur fornax ad coquendos panes.

5. *Separate apud vos oblationem*] Intelligit, quod à populo per modum contributionis offerebatur.

11. *Tabernaculum scilicet*] Per *tabernaculum* intelligunt inferiores cortinas, quæ intra tabernaculum videri poterant; per *tectum*, cortinas quæ ex pilis caprarum contextæ erant, & erant veluti tectum tabernaculi: per *operimentum* intelligunt pelles arietum rubricatas, quæ supremum erant tegumentum.

19. *Vestimenta, quorum usus est*] Significantur, ut superius diximus, ea indumenta in quibus candelabrum & altare incensi atque arca involvebantur cum castra transferebantur.

34. *Ut instruere possit*] Hoc dicitur propter vulgares artifices, qui non nisi difficulter suam artem aliis communicant.

DRUSIUS.

11. ואת־מכסהו Οἱ λαιμοὶ, τὴν σκέπην αὐτῶν, *tegumentum eorum*] Vel *operimentum*, quod & κάλυμμα. Sane in Lxx, ἢ τὰ καλύμματα, & in Hieron. *atque operimentum*. Appellatio à כסה σκέπω, *tego, operio*. ❡ *Eorum*,] nisi legendum αὐτῆς, videlicet τῆς σκηνῆς. Chaldaicum pronomen est חופאה, pro quo aliquando & dicunt חופיהון *tegmen eorum*.

21. אשר נדבה רוחו Alius, ἑκάστῳ καρδίαν, *spontaneum*, seu *voluntarium cor*. Lxx, ὅσοις ἔδοξε τῇ ψυχῇ αὐτῶν) Hieron. *mente promptissima atque devota*.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et congregavit Moses omnem coetum filiorum Israel, dixitque ad eos, Hæc sunt quæ præcepit* DOMINUS *facere*.

2. *Sex diebus fiet opus, & die septimo erit vobis sanctitas, Sabbathum quietis* DOMINO: *omnis qui fecerit in eo opus morte multabitur*.

3. *Non accendetis ignem in ullis habitationibus vestris, die Sabbathi*.

Sectio hæc vocatur à prima voce ויקהל & congregavit, in qua de extructione tabernaculi & vasorum ejus. Obiter autem infert, vel potius repetit, præceptum de observando Sabbatho ne quis existimaret propter opus tam sacrum & necessarium, quietem Sabbathi violari posse aut debere. ❡ *Congregavit*] vel magis, *congregari fecit*. Nam est verbum in conjugatione tertia, quam vocant Hiphil, & Moses non eos ipse congregavit, sed jussit ut congregarentur & convenirent in unum. *Id fiebat*, si Salomoni Ebræo credimus, *postridie Chippurim* i expiationum, *cum ex monte descendisset*. Ceterum Græcus interpres hic habet συνήθροισε & uterque Chaldæus וכנש. Quanquam in R. Salom. ex Thargum ואכנש, quod in nullis adhuc exemplaribus legere memini. ❡ *Omnem cœtum*] Lxx. cum duobus Chaldæis, *omnem Synagogam*. Hier. *omni turba*. Sed turba potius ὄχλος vocatur. Cœtus qui עדה dicitur, debet constare ad minimum ex decem hominibus. Alioqui Synagoga קהל dicitur à congregando, & קהלה unde pluralis קהלות. Erant autem antiquitus in Synagoga Judaica quatuor קהלות i. ecclesiæ, videl. Sacerdotum, Levitarum, Israelitarum & proselytorum. Unde discimus veteres discrimen posuisse inter Israelitam & proselytum. Sic sane Antipater pater Herodis magni proselytus erat, non Israelita: Hyrcanus rex contra Israelita erat & non proselytus. ❡ *Facere*] ut faciatis. ❡ *Fiet opus*] Lxx. ποιήσεις ἔργα. legerunt תעשה pro תעשה fiet. Hiero. *facietis opus*. ❡ *Sanctitas*] plus dicit quam quod in Hiero. *Sanctus*. Lxx. ἅγια σάββατα Sancta Sabbatha. Præcedit autem ἀνάπαυσις. Unde mihi videntur plures edit. coaluisse. ❡ *Sabbathum quietis*] explicatum alibi. Hieron. *Sabbathum & requies*. Onkelos & Jonathan, *Sabbathum, requies*. Sabbathum vocant שבא versa Thau in Aleph. Requiem autem dicunt נייח, quæ Græcis est ἀνάπαυσις. ❡ *Morte multabitur*] יומת. Hiero. *occidetur*. Sic etiam Onk. Lxx. τελευτάτω יומת. Jon. *accidendo occidetur sublatione lapidum*. Innuit lapidationem, quæ una erat ex quatuor mortibus i. suppliciis domus judicii. Sane qui Sabbathum temerabat, lapidabatur. Quod ita notum ut nihil magis. ❡ *Non accendetis ignem &c.*] aut, *succendetis*. præceptum hoc in aliis locis non habetur. Id nunc adjectum, quia multi negant ignem succendere opus esse. Dicit autem *in habitationibus vestris*, & non, *in habitatione mea*. Nam in templo licitum erat accendere ignem altaris in sabbatho. Porro judices habebant suas quoque habitationes: ideo non poterant ignem accendere in Sabbatho ad comburendum eos quos eo supplicio dignos judicabant. Videndus R. Levi. Quidam explicant, *Non succendetis ignem ad coquendum* aut *ad conficienda vasa tabernaculi*. Videndus quoque Hiscuni. Sunt ex Doctoribus Ebræis qui putant succensionem ignis non comprehendi sub illo generali præcepto, *Non facies ullum opus in Sabbatho*. R. Jose scribit *si quis ignem accendat, non propterea incurrere pœnam excidii aut mortis*. R. Nathan autor *inter partes operum esse* הבערה *succensionem*. Innuit autem opera quæ fiunt in tabernaculo.

4. *Dixitque Moses ad omnem coetum filiorum Israel, dicendo, Hoc est quod præcepit* DOMINUS *dicendo*.

5. *Accipite ex eo quod vobiscum est oblationem* DOMINO, *omnis ultroneus corde suo adducet illud cum oblatione* DOMINI, *aurum & argentum & æs*.

6. *Hyacinthum & purpuram & coccum bis tinctum & byssum & pilos caprarum*.

7. *Et pelles arietum rubefactas, & pelles melium, & ligna Settim*.

Quod præcepit] quod mihi præcepit ut vobis dicerem. ❡ *Vobiscum*] penes vos. Sic את sumitur in illo, *Satias lætitiarum cum vultu tuo*. Nam sensus est, *apud vultum tuum*. Hieron. certe *separate apud vos*: & Lxx. λάβετε παρ' ὑμῶν αὐτῶν: Sumite à vobis ipsis. Licet etiam vertere, *Sumite à vobis*. Sic Onkelos & Jonathan. ❡ *Oblationem*] *separationem*. iidem. ἀφαίρεμα. Lxx. *primitias*. Hiero. ❡ *Ultroneus corde suo*] vel, *spontaneus*. Vult dicere, qui ultro & prono promptoque animo aliquid offerre vult. Nemo enim cogebatur. Onkelos & Jonathan, *cujus animo placuerit vel libitum fuerit*: vel certe, *quicunque voluntario est corde*. Hoc modo Fagius inter-

terpretatur. Lxx. ὁ καταδεχόμενος τῇ καρδίᾳ : quod non intelligo. Abenezra, *cujuscunque cor sponte moverit eum*: quam ait *esse locutionem peregrinam*. Idem annotat *verbum* לקח *in opposito habere* נתן *dedit* : *sed cum præpositio* מן *sequitur*, inquit, *tum habet significationem dandi*, ut, *Accipe mihi parum aquæ*. sensus est *accipe & da*. Quibus addo, *Accepit dona in hominibus* pro accepta dedit. לי autem interpretatur בעבורי propter me. Ceterum R. Josua dicit Vau in לבו paragogicum esse ut in חיתו fera, & similibus. Rursum Abenezra, *non succendetis ignem*, ad coquendum panem aut carnem. Nam ignis necessarius ad omnem cibum. Porro R. Saadia excellens ille doctor composuit librum honorabilem, in quo respondet iis qui contendunt cum antiquis de lucerna quæ in Sabbatho succendebatur. Licet etiam legere, *cujus cor est voluntarium* sive, spontaneum aut ultroneum אשר לבו נדיב ut sit ordo verborum inversus. Sume זרועך הגדול pro in brachio tuo, quod magnum est : recordatus est רב טובך bonitatis tuæ quæ magna est. Consule dictum Abenezram. Nam ab eo hæc habeo. ¶ *Cum oblatione DOMINI*] vel, *oblationem DOMINI*: quod se magis probat mihi. Quidam, *adducet eam oblationem DOMINI*. Nam pronomen fœmininum est in textu Ebræo. Abenezra, postquam dixisset, *adducet eam*, *addit declarationis caussa*, *oblationem DOMINI*, *& talia multa sunt*. Hanc figuram loquendi Grammatici *appositionem* vocant, nisi fallor. ¶ *Argentum & æs*] Abenezra, *Sunt qui dicant argentum* כסף *appellari eo quod concupiscibile (desiderium oculorum) sit oculis*, ἀπὸ τοῦ כסף unde נכספה *expetita*, *concupita* : *æs autem* נחשת *dictum putant quod mulieres ære augurentur*. Sane auguria fiebant adhibito æneo lituo. ¶ *Coccum bis tinctum*] aut *vermiculum cocci*. Nam שני coccus, qui & שנים, ut ibi, *Si fuerint peccata vestra* כשנים tanquam coccus i. coccinea. Quæ forma est nominum pluralium masculinorum. שני ad verb. *iteratum* i. bis tinctum, dibaphum. Plura de hoc nomine alias. ¶ *Pilos caprarum*] τρίχας αἰγείας, pilos caprinos. Prius Hieron. edidit : posterius Lxx. Vide quæ scripsimus Exod. 25.4. & 26.7. עזים caprigenum omne genus. Nam & *hircos* & *hædos* ita vocant Ebræi. Appellatio à robore. Sic כבשים oves, quod facile subigantur. Hinc Græcum αἴξ, capra, ἀπὸ τοῦ αἴξ, ut עז, αἴν. ¶ *Settim*] à Setta singulari. Sic חטים, cujus singularis חטה triticum: נשים uxores, fœminæ, mulieres, ab אשה. Jon. habet *ligna Setta*. ¶ *Rubefactas*] Hieron. *rubricatas*. Lxx. δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα, quod vertunt, *pelles arietum* (דכרי Chaldæis) *rubricatas*.

8. *Et oleum ad luminare & aromata ad oleum unctionis, & ad suffitum aromatum.*

9. *Et lapides onychinos & lapides impletionum ad Ephod & pectorale.*

10. *Et omnis sapiens corde in vobis veniat & faciat omne quod præcepit DOMINUS.*

Oleum ad luminare] Hiero. *oleum ad luminaria concinnanda*. Hoc oleum fiebat ex oliva pura. Supra 25. 6. *oleum ad luminare concinnandum*. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Nam eadem verba, quæ hic, ibi quoque habentur. Nota luminare tam de candelabro dici, quam de cœlo : in quo duo luminaria magna, videl. Sol & Luna. Infra vers. 14. *candelabrum luminaris*. Hiero. *ad luminaria sustentanda*. ¶ *Suffitum aromatum*] Hiero. *thymiama suavissimum*. Tremellius, *ad suffitum aromata illa*. Idem בשמים vertit, *odoramenta*. ¶ *Onychinos*] *Sardonychas*. idem. ¶ *Lapides impletionum*] qui palas implebant, quos pectorali includebant inserebantque. Unde *lapides insitivos* non nemo eos appellat. ¶ *Ad Ephod &c.*] Hiero. *ad ornamentum superhumeralis & rationalis*. Superhumerale vocat, quod Græci τὴν ἐπωμίδα. *Rationale* autem est λογίον sive λογεῖον, quod ex eo responsa redderentur. Onkelos & Jonathan, *ut includantur Ephodo & pectorali*. Verbum è verbo, *in Ephod &c.* ¶ *Omnis sapiens &c.*] vel, *omnes sapientes*. Nam verba Ebræa, quæ mox sequuntur, pluralia sunt, *veniant & faciant*. ¶ *Sapiens corde*] cui cor sapit in arte, quam profitetur. Sapit etiam pectus, unde apud Comicum, *mulierem cui pectus sapiat* : *nam cor non potest quod nulla habet*. Abenezra, *sapientes corde* interpretatur בקיאים במלאכתם *qui sunt experti in artificio*, sive in arte sua. optime sane ac rectissime. Notum ut *sapiens* pro *perito* ponatur. Sic quælibet ars vocatur *sapientia*.

11. *Tabernaculum, tentorium ejus, & operimentum ejus, & circulos ejus & asseres ejus, vectes ejus, columnas ejus & bases ejus.*

12. *Arcam & vectes ejus, propitiatorium & velum tegumenti.*

Tabernaculum] R. Salomo, *cortinæ inferiores, quæ videntur in medio ejus, vocantur tabernaculum*. Gallica editio, *le pavillon* i. papilio. ¶ *Tentorium ejus*] Hieron. *tectum ejus*. Abenezra, *Tabernaculum reliqua omnia continet*, *&* אהל *est tegmen super illud* עליו מכסה. *erant enim duo tegmina sive operimenta*. Nota tentorium à tabernaculo distingui. Onkelos & Jonathan, פרסיה *operimentum ejus*. Quanquam in Fagio, *tentorium ejus*. Nam פרסא velamen, operculum. Autor Jerosol. ית משכנה *tabernaculum ejus*. Sic etiam Gall. edit. *son tabernacle*. ¶ *Operimentum ejus*) מכסהו tegmen ejus vel operimentum ejus. Hoc postremum Hier. elegit. Lxx. אהל convertunt παραρρύματα, quod interpretantur, *propugnacula*. Sed Hesychio sunt δέῤῥεις i. pelles, & Suidæ, qui scribit παραῤῥύματα, cum duplici ρ, etiam σκεπάσματα i. tegumenta. Non dubito quin in mente habuerint hunc locum. Abenezra, מכסהו *comprehendit duo tegumenta*. ¶ *Circulos ejus*] vel *annulos ejus*; qui Græcis κρίκοι & διάκρινα. Sane Hesychius διάκρινα interpretatur κρίκους. Vide Exod. 26. 6. Omnes Chaldæi, *fibulas ejus*. Hier. *annulos*. ¶ *Asseres*] Hiero. *tabulata*. Onkel. דפוהי quod alii dixerunt לוחיו *tabulas ejus*. Sed דף etiam asser. ¶ *Vectes ejus*] σὺν μοχλοῖς Lxx. *cum vectibus*. Hieron. *transtilla ejus*. Trem. *Vectes* Onkelos hoc in loco עברוהי appellat, ut Jonathan & autor Jerosol. נגרוי. ¶ *Columnas*] Sic & ceteri omnes præter unum Hiero. qui hic vertit, *paxillos*. perperam. ¶ *Vectes ejus*] quibus arca portabatur. Græci σὺν ἀναφορεῦσιν αὐτῆς. Similiter vectes, quibus portabatur altare, בדים appellantur. Sunt autem proprie rami crassiores arborum, unde vectes fiunt. ¶ *Propitiatorium*] operculum propitiatorium ipsius arcæ, quod Græci vocant τὸ ἱλαστήριον αὐτῆς. ¶ *Velum tegumenti*] quo tegebatur ingressus sanctuarii. Docte Hiero. *velum quod ante illud oppanditur*. R. Salo. פרוכת המסך & *tentorium ejus*. Innuit tentorium cortinarum quæ ex caprinis pellibus quod pro tecto serviebat. *Operimentum ejus*, tegumentum quod ex pellibus arietum & melium. *Velum operimenti*. velum medium. Omne quod vel supra vel ex adverso tegit vocatur מסך & סכך. Abenezra, *Circulos ejus*. circulos sive annulos tabernaculi & tentorii. *Columnas ejus*. columnas veli & operimenti.

13. *Mensam & vectes ejus & omnia vasa ejus & panem facies.*

14. *Et candelabrum luminaris & vasa ejus & lucernas ejus & oleum luminaris.*

15. *Et altare suffitus & vectes ejus, & oleum unctionis & suffitum aromatum & operimentum ostii ad ostium tabernaculi.*

16. *Altare holocausti & cribrum æneum quod ei est, vectes ejus & omnia vasa ejus, labrum & basin ejus.*

Vectes ejus] quibus portabatur. ¶ *Et panem faciei*] vel potius *facierum*. Nam habebat duas facies. כמין תבה פרוצה *instar arcæ fractæ*, ait R. Sal. Hier. *panes propositionis* : quos Euangelistæ vocant τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως. de quo alias. Onkelos & Jonathan, *panem facierum*. Panem i. panes. enallage numeri. Ob hos panes mensa potissimum parabatur. ¶ *Candelabrum luminaris*] *ad luminaria sustentanda*. Hiero. Lxx. τοῦ φωτὸς i. luminis. Lumen & luminare differunt, quod luminare proprie sit corpus luminis, ut Sol, Luna, stellæ. Hic pro ipso lumine sumi videtur. Malim ergo, *candelabrum luminis*. ¶ *Et vasa ejus*] forfices ac thuribula. ¶ *Lucernas ejus*] *quasi scyphi erant aut cochlearia, in quibus oleum & ellychnia*. R. Salom. ¶ *Oleum luminaris*] vel potius luminis. vult dicere quo lumen nutriebatur. Hieron. *oleum ad nutrimenta ignium*. Per ignes innuit lumen lucernarum. R. Salom. *Ad hoc oleum necessarii sapientes corde quia diversum erat ab aliis, ut proditum in Manaboth. De grano ejus in vertice olea, eratque tusum & purum*. Hactenus ille. Abenezra, *meminit olei luminaris, quia propter illud factum fuit candelabrum*. ¶ *Altare suffitus*] *altare suffitus aromatum*. Onkelos & Jonathan, *altare thymiamatis*. Hiero. ¶ *Operimentum ostii &c.*] On. *velum portæ ad portam tabernaculi*. Sic etiam Jonathan nisi quod in eo, *tabernaculi conventus*. R. Salom. *Velum quod ante orientem in quo neque asseres neque cortinæ*. Jonathan, *velum portæ atrii*, si modo משכנא hic est atrium. ¶ *Cribrum æneum &c.*] Hiero. *craticulam ejus æneam*. non male. Nam אשר לו *quæ ei est*, idem quod *ejus*. ¶ *Labrum*] vel, *concham*. Labrum cum basi non habebat vectes. forte plaustris portabatur.

17. *Cortinas atrii, columnas ejus & bases ejus & aulæum portæ atrii.*

18. *Paxillos tabernaculi & paxillos atrii & funes eorum.*

19. *Vestes ministerii ad ministrandum in sancto: vestes sanctas Aharonis sacerdotis & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio.*

Cortinas atrii] Lxx. τὰ ἱστία τῆς αὐλῆς, quod reddunt *tentoria atrii*. Malim, *vela atrii*. Nam ἱστίον velum navis. Sic etiam

קלע usurpatur. Hic textum denotat quod atrio obtendebatur. Jonathan וילון i. velum, unde plu. וילון vela, quæ Onkelos סרדין appellat. Id interpretantur *cortinas, vela.* In lingua sapientum velum dicitur וילון, qua voce usus fuit non semel R. Salo. ¶ *Atrii*] חצר hoc in loco tam fœminine quam masculine construitur. Nam dicit עמודיו columnas ejus, & postea חצר τῆς βάσεις αὐτῆς. Sic alibi רוח גדולה וחזק ventus magnus & fortis: item ... in quo testimonio nomen ita construitur. Hiscuni Ebræus, *Omnis res, in qua non est spiritus vitæ modo masculine modo fœminine construitur.* Id fit etiam in re quæ habet spiritum vitæ, ut ... Lege, si otium. ¶ *Aulæum portæ atrii*] quod obtendebatur ostio atrii. Id non nemo *tegmen*, alius *tegumentum* appellat. Onkelos & Jonathan פרסא velum, operimentum, καλυμμα. Porro atrium duplex: sacerdotum & laicorum. Sacerdotum atrium proprie חצר dicitur. Atrium laicorum sive populi rursum duplex, virorum, fœminarum. Nam hæc atria distincta erant. R. Salom. ad h.l. *Significat velum expansum in latere orientali sive ad latus orientale, 20 cubitorum mediorum latitudinis atrii, quod habebat 50 cubitos in latitudine.* Vide sequentia. ¶ *Paxillos*] quibus figebant & annectebant extrema cortinarum in terra ne vento moverentur, *clavos* quidam appellant: Chaldæi סכי & ... quorum hoc usus est Jon. illo autem On. ὁ πάσσαλος. ¶ *Funes*] qui nunc מיתרים, alibi חבלים dicuntur: à Chaldæis autem אטונין vocantur, unde fortean Græcum ὀθόνιον. R. Salom. *funes ad vinciendum.* alii, *funiculos.* ¶ *Vestes ministeriis*] non quibus sacerdotes ministrabant, sed quibus utebantur cum castra moverent & aliquo proficiscerentur. Nam his vestibus tegebant arcam & mensam & candelabrum & altare. Hiero. *vestimenta quorum usus in ministerio sanctuarii*, ad sensum non male: imo quam optime. ¶ *Ad ministrandum*] Lxx. ἐν αἷς λειτουργήσουσιν ἐν αὐταῖς: in quibus ministrabant in eis. Pleonasmus Ebraica. ¶ *In sancto*] ἐν τῷ ἁγίῳ i. in sanctuario. ¶ *Sacerdotis*] pontificis, qui Ebræis כהן הגדול. à summus sacerdos. Sic *angelus* pro *archangelus.* ¶ *Filiorum ejus*] reliquorum sacerdotum, qui filii Aharon & Aharonitæ vocantur eo quod genus ac familiam ducerent ab Aharone. ¶ *Ad fungendum sacerdotio*] quas induent, quum sacerdotio mihi fungentur.

20. *Et exiverunt omnis cœtus filiorum Israel à conspectu DOMINI.*

21. *Et venerunt omnis vir quem extulit cor ejus, & omnis quem sponte moverat spiritus ejus adduxerunt oblationem DOMINI ad opus tentorii conventus & ad omnem cultum ejus & ad vestes sanctas.*

Exiverunt] vel *egressi sunt.* Nam venerant catervatim ad tentorium conventus, ubi Moses erat. ¶ *Omnis cœtus*] Hieron. *Omnis multitudo.* Onkel. & Jon. *omnis congregatio.* Lxx. πᾶσα συναγωγή. ¶ *A conspectu DOMINI*] מלפני יהוה à coram DOMINO. Hieron. *de conspectu Mosis.* Lxx. ἀπὸ Μωσῆ, à Mose. Santes, *à facie Mosis.* Quod eo minus probo quia aliud מפני à facie & aliud מלפני à coram sive à conspectu. Sane Ionas fugit à conspectu DOMINI, & David ait, *A facie tua quo fugiam?* ¶ *Venerunt*] reversi sunt. בוא pro שוב. Contra שוב revertor pro בוא venio positum invenitur. Notavi exemplum ad historiam Ruth. ¶ *Quem extulit cor ejus*] Nam cui cor altum etiam liberalis est in dando. Onk. & Ion. *cujus cor voluntarium erat.* Trem. *extulit i. excitavit ut non coacte, sed liberaliter id faceret.* Gall. edit. *quisquis excitatus fuit in corde suo.* Hieron. *mente promptissima.* Lxx. ὧν ἔφερεν ἡ καρδία αὐτῶν, quorum ferebat cor eorum. Ubi pronomen eorum redundat. Abenez. *Innuit sapientes corde, & est sensus, cujus cor est altum* i. רם. ¶ *Quem sponte moverit spiritus ejus*] vel, *quem ultroneum* [spontaneum, voluntarium] *fecerit spiritus ejus.* Sic Psal. 51.14. *spiritu spontaneo sustenta me.* Aliter, *spiritus ultroneus sustentet me.* Innui putant spiritum prophetiæ qui sponte Deo laudes offert. Onkel. *quemcunque impleverit spiritus ejus.* Ion. addit, *in prophetia quæ penes ipsum.* ¶ *Ad omnem cultum ejus*] Sic Onk. & Ion. Alii, in queis Pagninus, *ad omne opus ejus.* Trem. *ad totum ministerium ejus i. vasa & instrumenta sacra.* Hieron. *Quicquid ad cultum necessarium erat.* Lxx. εἰς πάντα τὰ κατεργα αὐτῆς: quod in Latinum convertunt, *ad omnia ministeria ejus.* Malim, ad omnem cultum ejus. Nam κάτεργον, cultus, excultus: & κάτεργα τῆς σκηνῆς, exponitur opus tabernaculi. ¶ *Vestes sanctas*] בגדי הקדש vestes sanctitatis i. sanctas, nisi mavelis, *vestes sanctuarii:* quod Senes dicunt τὰς στολὰς τοῦ ἁγίου.

22. *Et venerunt viri cum mulieribus, omnis ultroneus corde, attulerunt fibulas & inaures & annulos & dextralia, omnia instrumenta aurea, & omnis vir qui offerebat oblationem auri DOMINO.*

Viri cum mulieribus] hic על exponitur עם i. *cum.* Sic Hieron. Abenez. Santes & alii. Sed & R. Salom. עם נשים ... *cum fœminis & qui eis conjuncti erant.* Ionath. quoque interpres Chaldæus עם נשיא *cum mulieribus.* Soli Lxx. παρὰ τῶν γυναικῶν, quod redditum in edit. Rom. *ab uxoribus.* Hisc. *contra uxores, quas spoliare volebant ornamentis suis ad faciendum opus tabernaculi.* Idem tamen annotat aliter verti posse, *cum uxoribus.* Onk. גבריא על נשיא quod Fagius reddit, *tam viri quam mulieres.* Ad sensum non male. ¶ *Fibulas*] חח fibulam i. fibulas, ut alibi *rana* i. ranas, & *locusta* i. locustas. Singul. pro plur. R. David in libro ubi vocum significata explicat, חח *de sententia mea est instar acus* [uncum malim] *quo vestes sub gutture connectuntur.* Vernacule, *Ago de pomillo.* Sed alii aliter explicant. Lxx. σφραγῖδας i. sigilla. Hieron. *armillas.* R. Salom. *ornamentum est aureum rotundum quod ponunt supra brachium, & est* צמיד *i. armilla sive brachiale.* Abenez. Hiscuni, נזם in aure. An ergo inauris. Quid נזם? quod in naribus. Græci ἐνώτιον appellant. Sic iidem. Certum est נזם etiam *inaurem* denotare. Sed & ornamentum est nasi. R. Iona vetus grammatista, חח est ... quod vocant, *ornamenti dierechia.* Videtur *inaurem* designare. ¶ *Inaures*] נזם pro נזמים, quæ vox etiam ἐνώτιον denotat, quæ sunt ornamenta narium, ut diximus. Onk. hic habet שבבין quod vertunt *inaures*, pro quo in Ion. שירין Beth in Vau mutata. In uno codice inveni שבכין per Chaph. Iidem in præcedenti voce ponunt שירין, catenulas, armillas, brachialia. Lxx. ἐνώτια. ¶ *Annulos*] δακτυλίους, qui in utroque Thargum עזקן vocantur. ¶ *Dextralia*] Sic Hiero. In Lxx. h.l. duæ voces habentur ἐμπλόκια καὶ περιδέξια, quæ convertunt, *torques & dextralia.* Sed in Lexicis περιδέξιον etiam *armilla* exponitur i. brachiale. Forte dextrum brachium eo circundabatur ut propterea dictum sit περιδέξιον, dextrale. Abenez. & ex eo Hisc. כומז עגול i. ornamentum circulare brachii. Non dissentiunt à nostris interpretibus. R. Salom. dissentit. Nam interpretatur dicens significare *vas aureum quod ponitur è regione loci illius in muliere.* Videtur mihi pudendum innuere & cingula mulierum, quæ pudenda obtegunt. Hinc forte Trem. *cingula pendula:* & Arias, *subligacula:* quæ tamen virorum sunt. Idem R. Salo. *Doctores nostri*, ait, *exposuerunt nomen* כומז *h. l.* כאן מקום *locum pudendum aut flagitiosum.* R. David in libro radicum, *Doctores nostri interpretati sunt* כומז *typum loci vulvæ ipsius.* Onk. מחוך & Ionath. מחוכין quæ *subligacula* nonnulli, alii *dextralia* reddunt. ¶ *Offerebat oblationem*] oblationem nunc appellat תנופה quam supra תרומה vocaverat: quorum hoc sig. proprie *elevationem*, illud *agitationem.* De quo alias. ¶ *Auri*] ex auro, vel, auream.

23. *Et omnis vir, apud quem inveniebatur, hyacinthum & purpuram, & coccum diphabum & byssum & lanam caprarum: & pelles arietum rubefactas: & pelles melium adduxerunt.*

24. *Omnis qui offerebat oblationem argenti & æris, adduxerunt oblationem DOMINI, & omnis, apud quem inveniebatur, ligna Settim ad omne opus cultus adduxerunt.*

Omnis vir] aut mulier, omnis homo. Siquidem vir & homo se invicem explicant. Videndus Abenez. ¶ *Inveniebatur*] erat. Sic Esth. 1.5. *qui inveniebantur in Susan castro* i. erant. Malach. 2.6. *iniquitas non fuit inventa in labiis ejus.* & alibi, *Non est inventus in ore ejus dolus.* Proprie invenimus quod quærimus. Hieron. *Si quis habebat.* Sic alibi, *Dedit ei quicquid manum ejus inveniebat* i. quicquid habebat. ¶ *Lanam caprarum*] Hieron. *pilos caprarum.* Licet etiam vertere, *pelles caprarum.* עזים proprie *capras* denotat. ¶ *Oblationem argenti*] hic est תרומה in fonte, & paulo ante, *qui offerebat* מרים in quo sensus extollendi. Nam quæ offerebant ea offerebant vel per elevationem vel per agitationem. Aut est Synecdoche speciei pro genere. ¶ *Apud quem inveniebatur*] *penes quem præsto erant.* Trem. אתו ad verb. *cum eo.* Sic *cum vultu tuo*, apud vultum tuum. ¶ *Ad omne opus cultus*] cultus divini videl. Santes, *ad omne opus ministerii.* Arias, *ad omne functionem servitii.* Trem. *pro toto opere illius ministerii.* Lxx. εἰς πάντα τὰ ἔργα τῆς κατασκευῆς: ad omnia opera præparationis. In edit. Rom. est, *fabricationis.* expendam alias.

25. *Et omnes fœminæ sapientes corde manibus suis neverunt, & adduxerunt netum hyacinthum & purpuram & coccum diphabum & byssum.*

26. *Et omnes mulieres, quas extulerat cor ipsarum neverunt lanam caprarum.*

Et omnes fœminæ &c.] Verb. è verbo, *Et omnis fœmina sapiens.*

piens corde. Nos numerum immutavimus propter sequens verbum plurale, *neverunt.* Cujus rei gratia meminit hoc loco fœminarum, licet, ut diximus, sub viri nomine etiam fœminæ comprehendantur. Nam vult significare quæ oblata etiam neta fuisse ab illis. ita mihi videtur. ¶ *Sapientes corde*] quibus non pectus, sed cor sapiebat in arte nendi. ita loquendo significat eas peritas fuisse illius artis. ¶ *Manibus suis*] propriis, non ancillarum suarum aut mulierum aliarum, quæ divitibus operam suam in eo opificio locant & victum inde quæritant. ¶ *Netum*] LXX. νενησμένα, neta. Hieron. *quæ neverant.* Onk. *quum nevissent.* Jon. *omne netum.* ¶ *Quas extulerat cor ipsarum*] Nam cor altum excitat & animat hominem ad opera laudabilia. ¶ *Lanam caprarum*] vel, *pilos caprarum.*

27. *Et principes attulerunt lapides onychinos, & lapides impletionum ad Ephod & pectorale.*

28. *Et aromata & oleum ad luminaria & ad oleum unctionis & ad suffitum aromatum.*

Principes] ἄρχοντες. Scriptum הנשאם] cum defectu utriusque Jod. Videtur innuere principes tribuum. Alioqui rex etiam נשיא vocatur, & notant Ebræi, *qui princeps est in lege, eum regem esse.* Sed & caput Sanhedrim dicitur princeps, cui assidebat pater domus judicii. Abenez. *Quum exirent ex Ægypto & spoliarent eos, omnes postulabant pro dignitate sua.* Hisc. *Quum ascenderent Israelitæ ex Ægypto unusquisque petebat secundum dignitatem suam.* Vult dicere, petebat commodato ab Ægyptiis. Nihil ergo mirum si habuerint onychas sive sardonyches & alios lapides pretiosos. Nam magnis magna conveniunt. R. Salom. *Dicit R. Nathan, Quid viderunt principes quod initio in dedicatione altaris spontanei fuerunt, & in opere tabernaculi non fuerunt spontanei principio? nisi quod dixerunt, sponte offerat universitas id quod offerent, & id quod deerit nos supplebimus. Postquam compleverunt filii Israel omnia, dixerunt principes Quid nobis faciendum est? Attulerunt lapides onychinos &c. Et quia pigriores fuerunt initio desideratur littera in nomine ipsorum & scriptum est* הנשאם. Hucusque R. Salom. ¶ *Lapides onychinos*] duos hujusmodi lapides simul omnes principes attulerunt, in quibus scripta erant nomina omnium tribuum. Hi lapides inserti erant τῷ Ephod. ¶ *Et lapides impletionum*] qui ponebantur in pectorali, vel potius inserebantur ei, unde *lapides insititii* vocantur, vel, ut alii, *insitivi.* Singuli autem principum adferebant lapides singulos, ad signandum in eis nomina tribuum suarum. Jon. lusit in ambiguo נשיאים quod etiam *nubes* denotat. Nam ait, *Et nubes cœli abierunt ad Phison amnem & inde devolverunt lapides beryllos fortes & lapides impletionum ad includendum in Ephod & in pectorali, & deturbarunt eos in superficiem deserti: venerunt principes Israel & attulerunt eos ad usum cultus.* Quis hæc legens non pelvim poscat? ¶ *Oleum ad luminaria*] *Res magna est*, inquit Abenez. *repertum fuisse oleum ad luminaria in manu principum post tot mensium spatium quo egressi fuerant ex Ægypto.* Jon. suo more, *Et redierunt nubes cœli & abierunt in hortum Eden, & acceperunt inde aroma electum & oleum olivarum ad luminaria.* ¶ *Et ad oleum unctionis*] Hieron. *ad præparandum unguentum.* In המשחה, quod *unctionis* reddimus, Hisc. ait *esse significationem* גדולה i. magnitudinis ac dignitatis, quia eo ungebant reges & pontifices. Jon. *& balsamum purum ad oleum unctionis.* Id vocat אפרסמא. Alibi est קטרת. ¶ *Ad suffitum aromatum*] *qui fiebat in altari aureo, & quem suffiebant coram me* לפני. Hisc.

29. *Et omnes viri mulieresque quorum cor sponte moverat eos ut adducerent ad omne opus quod præceperat DOMINUS fieri per Mosen, adduxerunt filii Israel voluntariam oblationem DOMINO.*

Omnes viri mulieresque] Jon. *omnes viri Israelitæ & omnes fœminæ Israeliticæ.* Verbum è verbo, *Omnis vir filius Israel & omnis mulier filia Israel.* ¶ *Quorum cor &c.*] vel, *quos ultroneos fecerat cor eorum.* ¶ *Adducerent*] vel potius, adferrent. ¶ *Fieri per Mosen*] ad verb. *facere per manum Mosis.* Quod ita capiendum ut si quis diceret, Templum ædificatum fuisse per manum Salomonis. Nam quia Moses jusserat ea fieri, ideo ejus opera facta dicuntur. ¶ *Adduxerunt*] *attulerunt*, ut supra. ¶ *Filii Israel*] tam fœminæ quam viri.

30. *Dixitque DOMINUS filiis Israel, Videte, vocavit DOMINUS de nomine Beseleelem filium Uri filii Hur ex tribu Juda.*

31. *Et implevit eum spiritu Dei in sapientia, in prudentia & in scientia & in omni artificio.*

32. *Ad excogitandum cogitationes & ad faciendum (opus) in auro & in argento & in ære.*

33. *Et in artificio lapidario ad implendum, & in artificio lignario ad faciendum [opus] in omni artificio industrie excogitato.*

Videte] ἰδὲ, *ecce.* LXX. Hieron. ¶ *Vocavit*] *constituit.* Jon. ¶ *De nomine*] בשם in nomine. i. nomine vel de nomine. LXX. ἐξ ὀνόματος. Hieron. *ex nomine.* Jon. *de nomine bono.* Trem. *nominatim.* ¶ *Beseleelem*] Critici Ebræorum legerunt *Besalel*; vel, si placet, *Betsalel.* Hoc Beseleele in Judæis nemo erat artifex peritior aut sapientior. Ideo ejus nominatim meminit. Sane caput & princeps erat omnium artificum: qui non in una aliqua singulari arte excellebat, sed in omnibus. ¶ *Uri*] τὸν τοῦ Οὐρίου. LXX. i. filium Urii aut Uriæ. ¶ *Hur*] *qui erat filius Mariæ.* R. Salom. *Maritus ejus.* Josephus, alii. In Vaicra rabba; *Vidit Aharon Hur filium sororis suæ.* Sunt qui putant fuisse filium Chaleb ex Maria, sed falli eos docet Nicol. de Lyra Exod. 17. 10. ¶ *Ex tribu Juda*] vel, *tribus Juda.* Nam in fonte למטה. Sed LXX. ἐκ τῆς φυλῆς. & Hieron. *de tribu.* ל ergo eandem vim habet cum מן *è, ex.* Ceterum tribus hic מטה dicitur, in quo significatio *baculi* aut *virgæ.* Idem שבט denotat, quo usi sunt Onk. & Jon. Notatum nescio ubi, *tribuum præfectos olim virgam manu gestasse:* unde ipsæ *tribus* nomen acceperunt. ¶ *Spiritu Dei*] Onk. & Jon. *spiritu prophetico à conspectu DOMINI.* Iidem legerunt עם pro את: Nam vertunt עמיה cum eo. Aut את acceperunt pro עם. Quod novum aut insolens non est. ¶ *In sapientia &c.*] Quidam, *quoad sapientiam.* Hieron. *sapientia & intelligentia &c.* ut dicat, *spiritu Dei*, h. e. sapientia &c. Nam qui hic dicitur *spiritus Dei*, alibi vocatur *spiritus sapientiæ, prudentiæ* &c. Est enim spiritus sapientiæ aliud nihil quam donum sapientiæ per Spiritum sanctum. Sapientiam autem vocant peritiam artium etiam mechanicarum. Unde peritus architectus h. l. & apud Apostolum *sapiens* vocatur. ¶ *In prudentia & in scientia*] Nam non est sapientia sine prudentia & scientia. Sic dico, Quod perite fit, debet etiam intelligenter & scienter fieri. ¶ *In omni artificio*] alii, *in omni opere:* & alii, *in omni opificio.* ¶ *Ad excogitandum cogitationes*] solertes & ingeniosas. Quod est periti artificis, qui præter artem, quam callet, etiam ingenio valet. Beseleel certe nemini ulla in arte cedebat. Nam in omnibus perfectus erat. Quod paucis datum. Qui artifex est in auro, non est in argento: qui in lapide, non est in ligno. Non omnibus omnia concessa. ¶ *Lapidario*] i. gemmario. Nam אבן lapis etiam *gemmam* designat. Sic λίθος Theophrasto. Itaque Onk. *in artificio lapidis boni i. pretiosi:* & Jon. *in sculptura margaritarum bonarum.* LXX. καὶ λιθουργῆσαι τὸν λίθον. Hieron. *Sculpendisque lapidibus.* ¶ *Ad implendum*] ad inserendum aut includendum. Docet hoc verbum מלא hic sumi de gemmis sive lapidibus pretiosis: qui propterea *lapides impletionum* dicuntur. ¶ *In opificio lignario*] Hieron. *opere carpentario.* LXX. καὶ κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα. Quidam, *in arte lignaria* sive materiaria. Ad verb. *ligni* i. lignorum. ¶ *Ad faciendum*] ad operandum. Notavi alias facere pro, facere opus. Id עשה dicunt Ebræi. Contra פעל operor pro *facio* usurpatur. Sic dico, duo hæc verba se mutuo explicant. ¶ *In omni opificio*] vel, in omni opere. ¶ *Industrie*] ingeniose, ac artificiose. Hieron. *quicquid fabre adinveniri potest.* Onkel. *in omni opere artificioso.*

34. *Et docendi facultatem indidit cordi ejus: ipsi & Oholiab filio Achisamech è tribu Dan.*

35. *Implevit eos sapientia cordis ad faciendum opus fabri & ingeniosi artificis & acupictoris in hyacintho & in purpura & cocco dibapho & bysso, & textoris: facientium omne opificium & excogitantium ingeniosas cogitationes.*

Docendi facultatem indidit] ut doceret dedit sive posuit in corde ipsius. Sensus est, *ut docere posset alios.* Nam sunt artifices periti, qui tamen docere alios nequeunt quæ ipsi sciunt. Jon. *Et ad docendum artes reliquos artifices indidit scientiam cordi eorum.* ¶ *Ipsi & Oholiab filio &c.*] Ad verb. *Ipse & & Aholiab filius.* Videtur aliquid abesse. ¶ *Oholiab*] Minus recte in edit. vulgata, *Ooliab.* Quod autem in Græca Ἐλιάβ mendum esse videtur pro *Oliab*, quod contractum ex *Oholiab.* Sed nihil decerno. Per *Oholiab* firmatur sententia nostra de sono hujus Camets quod breve sive parvum esse statuimus contra Santem & alios, qui legunt *Naomi* pro *Noomi* & *Aholibama* pro *Oholibama.* R. Salom. *Oholiab erat ex tribu Dan ex infimis inter tribus, è filiis ancillarum: Deus tamen parem eum fecit Beseleeli in opere tabernaculi, qui erat ex maximis tribuum, ad stabiliendum id quod dicitur* ולא נכר שוע לפני דל *neque agnoscitur nobilis coram tenui.* Hactenus doctor ille. Abenez. *Et ecce Oholiab socius erat Beseleelis in omnibus opificiis etiam ad docendum non in sapientia: ideo dicit de ambobus, facientium omne opificium sive opus &c.* ¶ *Achisamech*] est

 cur

cur malim *Achisamach.* Nam præter codicem Ebræum etiam LXX. habent Ἀχισαμάχ. Hieron. videtur legisse אחיסמך quod in antiquitate *Achisamech.* ¶ *Eos*] tam Oholiabum quam Beseleelem. ¶ *Sapientia cordis*] nomen *cordis* additum videtur ex superfluo. Nam sedes sapientiæ in corde secundum Ebræos; unde corde carere dicitur qui desipit. Trem. *implevit eos industria animi.* Non laudo. Nam sapientia hic potius *peritiam* denotat, quam *industriam.* Hieron. *ambos erudivit sapientia.* LXX. ἐνέπλησεν αὐτὰς σοφίας, συνέσεως, διανοίας. i. sapientia, intellectu, mente. Videntur duæ interpretationes in unam coaluisse. Prior est σοφίας συνέσεως: altera σοφίας διανοίας i. cordis. Nam διάνοια cor, in illa editione. ¶ *Opus fabri*] i. fabrile. Hieron. *ut faciant opera abietarii.* Quid abietarius? In Calepino exponitur *faber lignarius.* Hi & *materiarii* dicuntur. Festus, *Abietaria negotia dicebantur, quam nunc materiam dicimus, ab abietibus coëmendis.* Onkel. & Jonath. נגר quod *carpentarium* reddunt. LXX. τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου. erratum in Res & Daleth. Etiam in Heth peccatum. Nam legerunt קדש pro חרש i. faber. ¶ *Omne opificium*] vel, *omne opus.*

AMAMA.

8. UBi Ebr. *Et aromata ad oleum unctionis*, ut & Ch. & LXX. Vulgatus habet, *Et ut conficiatur unguentum.*

11. עמדיו *columnas ejus.* Vulgatus seorsim ab aliis vertit, *paxillos ejus.*

15. *Velum* vocatur *operimentum* in textu. Vulg. more suo iterum *tentorium* appellat. Quis non adhibito fonte Vulgatum sic loquentem intelligeret? Idem vers. 17. admissum est, ubi easdem tenebras Lectoribus suis offundit. Atque hic obiter nota eandem vocem quam vers. 11. *paxillos* reddidit, hic redditam *columnas.* Idque optime. Paxillos enim יתדות vocant Ebræi, ut vers. 18. videre est.

21. Ebr. *Et venit omnis vir quem extulit cor ejus & omnis quem sponte moverat spiritus ejus, adduxerunt oblationem Domini.* Vulg. *Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino.*

Longe diversi sunt hi textus. Confer hunc versum Vulgatæ cum vers. 20. & putabis de omnibus dici, cunctisque tribui mentem promptissimam & devotam. Textus Ebræus restrictior est. Eum expressere Onkel. & Jonath. Vide St. & Ben. Ad vers. 22. ubi nonnulla quoque prætermissa sunt, eosdem vide & consule.

GROTIUS.

3. NOn succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati] Hinc ducto argumento à levi ad grave, id est à minori ad majus, docuere Hebræorum magistri, pœnas publicas in sabbatis non exercendas.

21. *Mente promtissima atque devota*] In Hebræo: *quem extulit cor suum, quem spontaneum fecit* (Chaldæus, *implevit*) *spiritus ejus.* Celsi corde & pleni spiritu dicuntur liberales.

22. *Dextralia*] כומז, si Hebræis credimus, neque dextrale est, neque, ut alibi Latinus vertit, murænula, sed subligar muliebre auro plerumque & gemmis ornatum.

CARTWRIGHTUS.

2. QUisquis in eo opus fecerit יומת *morte plectetur.*] Jonat. *interficiendo interficietur projectione lapidum.* Aben Ezra etiam ait eum, qui transgrederetur præceptum de Sabbatho coram testibus, à Judicibus morte fuisse puniendum; ac alio loco indicari eum fuisse lapidandum. Intelligit opinor locum illum Num. 15. 35, 36. Notat autem hoc in loco Mosen Israelitas de Sabbathi observatione commonefacere, ut intelligerent, etiamsi facturi essent opus cœleste (seu divinum, vel opus Dei מעשה שמים) cavendum tamen ipsis fuisse, ne in Sabbatho operarentur. Similiter R. Salom. ait Mosen antequam de opere Tabernaculi præciperet, de Sabbatho observando admonuisse, ac indicasse, שאין מלאכת המשכן דוחה את השבת, *opus istud haudquaquam Sabbathum pellere*, i. e. ob opus istud Sabbathum minime esse violandum. Vide supra ad cap. 31. 13.

3. *Non accendetis ignem*] Nempe ad coquendum panem, vel carnem, ut exponit Aben Ezra; qui etiam observat in hoc Sabbathi observationem strictiorem fuisse quam primi atque ultimi diei festi Azymorum, in quibus etiamsi alias ab opere cessandum esset, ea tamen, quæ ad esum spectabant, parare licuit; ut supra videre est cap. 12. 16.

11. את המשכן את אהלו *Tabernaculum, tentorium ejus*] R. Sal. per משכן *Tabernaculum*, intelligit cortinas interiores, quæ intra Tabernaculum conspiciebantur: Et per אהל *tentorium*, cortinas ex pilis caprinis confectas, quæ alteras tegebant. Vide & cap. 36. 14.

ואת מכסהו *Et tegumentum ejus*] i. e. (interprete R. Salomone) pelles arietum & melium. Vide cap. 36. 19.

ואת עמדיו *Columnas ejus*] Vulg. *Et paxillos.* At (ut notat Amama) paxilli Hebræis dicuntur יתדות, ut v. 18. videre est; עמודים autem sunt columnæ, à firmitate sua sic dictæ, quod nimirum firmiter stent; radix enim est עמד *stetit.* Ipse Vulgatus Interpres v. 17. *Columnas* vertit.

22. *Et venerunt viri* על הנשים *super mulieres.*] i. e. *Cum mulieribus.* על *super* pro עם *cum* hic usurpatur, uti exponit R. Salom. atque ita etiam Aben Ezra, qui notat sæpe sic usurpari.

הביאו חח *attulerunt armillas*] R. Sal. ait חח significare ornamentum aureum, rotundum, brachio impositum; atque addit, והוא צמיד *Et est armilla.*

וכומז *Et cingulum*] Vulg. (*a*) *dextralia.* Shindlerus exponit ornamentum pudendorum muliebrium. Secutus nempe est Hebræos; sic enim R. Sal. ait esse כלי זהב נתון כנגד אותו מקום לאשה *instrumentum aureum positum ex adverso istius loci* (pudendorum) *mulieris.* Atque addit multos interpretari כומז quasi sit, כאן מקום זמה *hic est locus libidinis.* Sic Hebræa ista Latinè reddit Buxtorfius in Lex. Talmud. ubi ea ex Talmude citat; quin & illa ibidem haberi refert, כומז דפוס של בית הרחם *Cumaz est figura, typus, seu ornamentum uteri.* Fagius testatur. R. Davidem eodem modo interpretari quo R. Salom. Onkelos vertit מחוך, & similiter Jonathan in plurali, מחוכין Fagius reddit *dextralia*, sed in Annotat. ait exponi *Subligaculum.* Aben Ezra quatuor vocabula, quæ hic occurrunt, sic explicat, ut חח sit ornamentum auris, נזם ornamentum nasi, טבעת ornamentum digiti, & כומז ornamentum brachii.

27. *Et principes attulerunt Lapides onychinos, &c.*] R. Sal. ait R. Nathanem quæsivisse, quare principes in dedicatione altaris primi offerrent, non item in extructione Tabernaculi; ac rationem hanc reddidisse, quod cum Tabernaculum esset extruendum, principes cogitabant ea perficere, in quibus congregatio deficeret. Cum autem congregatio omnia perfecisset, ac satis superque obtulisset, nihil principibus relictum fuisse, quod offerrent, nisi lapides istos pretiosos quorum hic fit mentio; ac propterea cum altare dedicaretur, eos omnium primos obtulisse. Addit נשאם hic defective scribi pro נשיאים (*principes*) quod tardi essent ad offerendum; לפי שנתעצלו מתחלה נחסרה אות משמם *Sed* hæc argutiora merito videantur.

30. *Filius Hur*] R. Salomon qua authoritate, vel ratione fretus nescio, dicit Hur fuisse בנה של מרים *filium Miriam.*

34. *Et ad docendum, &c.*] Hoc peculiare donum est, ut quis sit διδακτικός. Nam (ut notat Aben Ezra) multi sunt docti, nec tamen ad docendum idonei. כי יש חכמים רבים שאינם קשים להורות אחרים.

(*a*) LXX. ψέλλια.

IDEM.

2. *Sex diebus, &c.*] Ait Moses id præfatum esse, ut intelligerent opus Tabernaculi non pulsurum fuisse Sabbatum.

3. *Non accendetis ignem, &c.*] Non solum alia opera in Sabbato prohibita dicit, verum etiam ea, quæ ad cibos parandos spectant; אבל גם מלאכת אוכל נפש אסורה בו, ignem siquidem ad panes aut carnes coquendas non fuisse accendendum. Sed id parum congruere videtur cum Luc. 14. 1. & 7. si de hebdomadario sabbato locus iste intelligatur.

In omnibus habitationibus vestris] Hoc additum dicit, quod etiam extra terram Canaan ubicunque habitarent, id erat observandum: & quia in Sanctuario ignis super altare accendi debebat etiam in Sabbato.

19. *Vestes ministerii, &c.*] Ait intelligi posse juxta expositionem R. Salomonis, quam supra memoravi; sed rectius sibi videri, vestes hic significari, quibus vasa Tabernaculi mundabantur: atque ideo semper vestes hasce post vasa Tabernaculi ante vestes Sacerdotales esse memoratas. Nullam autem harum vestium mentionem factam dicit, vel ubi Dei de Tabernaculo ac rebus ad id pertinentibus mandatum recitatur, vel ubi de opere Tabernaculi confecto agitur, quod vestes hæ non, ut alia ad Tabernaculum spectantia, aliquid in se mysterii habebant, sed usui duntaxat Tabernaculi inserviebant.

22. Et

22. *Et venerunt* הָאֲנָשִׁים עַל הַנָּשִׁים *viri cum fœminis*] Ad verbum, *super fœminas*; ac phrasi ista significari ait, fœminas primo venisse, ac ornamenta sua obtulisse, deinde autem viros iis sese in opere isto adjunxisse. Postea autem ex verbis hisce probat, mulieres non permisisse, ut mariti ipsarum primo offerrent, sed omnes promiscue (בערבוביא) venisse. Utraque expositio & in se probabilis, & verbis sat congrua esse videtur.

תְּנוּפַת זָהָב *oblationem auri*] Refert Nahmanidem discrimen facere inter תנופה & תרומה, quasi scilicet תנופה præstantiorem oblationem designet, uti hic de auro usurpatur : sed putat voces istas unum idemque significare, atque observat etiam תנופה de ære usurpari, cap. 38. 29.

29. *Afferebant spontaneam oblationem Domino*] Hoc non ex abundanti & superfluo dictum ait, sed ut intelligatur eos ex obsequio erga Deum, non ex ostentatione & superbia id fecisse. לעבוד השם ולקיים מצותו לא להתגלות ולהראות תפארת הרוח.

CAP. XXXVI.

MUNSTERUS.

1. EXcitavit] Heb. *quem levavit cor suum*; sed idem est. Quem enim levat cor, hunc excitat. Onkelos vertit, דאתרעי לביה, *quem voluntarium fecit cor suum*.

5. *Excedit*] Hebr. *Multiplicant populus ad offerendum plusquam opus sit pro cultu futuri operis*.

6. *Fecerunt transire vocem*] Hebraismus est, pro *divulgaverunt*.

8. *Pictas*] Heb. *Cherubim*; quod Onk. interpretatur דמות כרובין, *figuras Cherubim*.

13. *Habitaculum unum*] Capitur hic *habitaculum* pro tentorio infimo ex decem conjunctis cortinis confecto.

18. *Fecit*] Scribitur fere ubique *fecit*, in singulari, cum tamen plures artifices operi incumberent. Sed refertur verbum *fecit* ad Mosen, veluti ad architectum, juxta cujus instructionem sapientes omnia fecerunt. Omnia autem quæ in hoc & sequenti capite scribuntur, repetitio sunt eorum quæ ante dicta sunt, ut neque voces neque res variant à prius dictis.

VATABLUS.

1. SApiens corde, חכם לב] Vide c. 35. 25. significat quemcunque ingeniosum. ¶ *Quibus dederat Jehovah sapientiam & intelligentiam*, אשר נתן יהוה חכמה ותבונה] i. quos Jehovah reddiderat ingeniosos.

2. *Elevaverat ipsum*, נשאו] i. excitaverat ipsum : sic cap. 35. v. 21.

3. *Ad opus*, למלאכת] *Pro opere*. ¶ *Porro illi afferebant*, והם הביאו] significat filios Israel. Præt. Heb. quod per imperf. tempus Latine reddi debet. ¶ *Oblationem spontaneam*, נדבה] Ad verbum *votum* : singul. pro plur. vocat oblationes spontaneas *vota*. ¶ *Quotidie*, בבקר בבקר] Ad verbum *in mane in mane*.

4. *Ab opere suo*, ממלאכתו] i. relicto opere suo.

5. *Plus affert*, &c. מרבים העם להביא וגו'] Ad verb. *Multiplicans est populus ad opus quod*, &c. ¶ *Fieri* : לעשות אתה] Ad verb. *ad faciendum illud*.

6. *Ut proclamarent*, ויעבירו קול] Ad verb. *& transire fecerunt vocem*. Hebraismus. ¶ *Vir & mulier*, &c. איש ואשה וגו'] Hebraismus, Nemo posthac aliquid offerat pro sanctuario.

7. *Et substantia erat sufficiens*, והמלאכה היתה דים] Ad verbum, *Et substantia erat sufficientia illorum* : i. materia præparata ad opus faciendum sufficiebat artificibus. ¶ *Et superabundabat* : והותר] Infinit. Hebr. pro præt. quod per præter. imperf. vertendum est, *& redundabat*, i. ita ut redundaret.

8. *Omnis sapiens corde*, כל חכם לב] i. quotquot erant ingeniosi & industrii. ¶ *Cherubim*, &c. כרובים וגו'] i. Beseleel sparsit eas cortinas imaginibus alatis, qualia esse Cherubim pinguntur. Vide eandem descriptionem tabernaculi cap. 26. ver. 1.

11. *In extremo, in conjunctione* : בקצה במחברת] *in extremitate, in connexione*, vide cap. 26. 4.

12. *In conjunctione*, במחברת] *In connexione* : vel, *copula*. ¶ *Oppositi*, &c. מקבילת הללאת וגו'] *Sese invicem respiciebant ansulæ* [*laqueoli*] *altera alteram*, i. ita dispositæ erant ut responderent altera alteri : & sic per singulas connexiones.

14. *Undecim cortinas* : עשתי עשרה יריעת עשה אתם] Ad verb. *undecim cortinas fecit illas* : i. fecit operimentum ex undecim cortinis : vide cap. 26. 14.

17. *In conjunctione*, במחברת] i. in ea parte in qua cortina debet copulari cum alia cortina. ¶ *Cortinæ*, &c. היריעה וגו'] i. in ora cortinæ secundæ quæ sese jungit cum tertia : sive, per quam secunda cortina conjungitur cum tertia.

21. *Tabula alterius* : הקרש האחד] i. singularum tabularum.

22. *Duo cardines* : שתי ידת] *Duæ incastraturæ*.

24. *In castraturis ejus*, ידתיו] *Cardinibus ejus*.

27. *In latere autem*, ולירכתי] Ad verbum, *In lateribus vero* : i. in altero laterum. ¶ *Ad Occidentem*, ימה] Ad verb. *ad Mare*, sub. *Mediterraneum*, quod respectu Jerusalem est ad Occidentem.

29. *Et erant quasi gemella*, והיו תואמם] Ad verb. *Et erant gemellizantes*, i. ita conjunctæ ut ex duabus tabulis videretur facta unica. ¶ *In circulum unum* : אל הטבעת האחת] i. detinebantur circulo uno, vel annulo, sicque constringebantur ut disjungi non possent.

31. *Unius* : האחד] Hanc dictionem postremo loco positam Hebraice, priore loco reddidit noster interp. ut amphiboliam vitaret.

34. *Per quos trajicerentur vectes*, בתים לבריחם] Ad verb. *loca vectibus*, vel *domos*, ut supra cap. 25. 27. 30. 4.

35. *Fecit illud*, &c. עשה אתה כרבים] i. opere Phrygionico replevit ac sparsit velum illud Cherubimis.

36. *Uncini autem earum*, וויהם] Vide supra 26, 32.

38. *Et filatas cingentia*, וחשוקיהם] *Fila* vocat cælaturas quibus columnæ cælabantur.

CLARIUS.

13. FEcit unum tabernaculum] Capitur hic *tabernaculum* pro tentorio infimo ex decem conjunctis cortinis confecto.

14. *Fecit & saga*] h. e. cortinas. Et illud *fecit* scribitur ubique fere in singulari, cum tamen plures artifices operi incumberent. Sed refertur ad Moysen, veluti ad architectum, juxta cujus instructionem sapientes omnia fecerunt. Omnia autem quæ in hoc & sequenti capite scribuntur repetitio sunt eorum quæ ante sunt dicta, ut neque voces neque res variant à prius dictis.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et fecit Beseleel & Ooliab & omnis vir sapiens corde, quibus indiderat DOMINUS sapientiam & prudentiam ad sciendum & ad faciendum, omne opus cultus sanctuaris, secundum omnia quæ præceperat DOMINUS.*

2. *Vocavitque Moses Beseleelem & Ooliabum & omnem virum sapientem corde, cujus cordi DOMINUS indiderat sapientiam, quemcunque extulerat cor ejus ut accederet ad opus ad faciendum illud.*

3. *Et acceperunt è conspectu Mosis omnem oblationem quam attulerant filii Israel ad opus cultus sanctuarii ad faciendum illud : & ipsi attulerunt adhuc spontaneam oblationem mane mane.*

Et fecit Beseleel] Quidam, *Facito hæc Beseleel*. Quid eos movit ut ita verterent? Nam est עָשָׂה fecit in fonte, non עֲשֵׂה *fac*. Jam vero nulla ratio grammatica evincit hunc versum ad præcedentia magis pertinere, quam ad sequentia. Fallor, si aliter est. Fortean, *fecit* hic valet *recepit se facturum*. Aut præterito in futurum verso legendum. *Et faciat Beseleel* : vel, *Faciat ergo* &c. ¶ *Opus cultus*] quidam, *opus ministeriale* מלאכת עבודת. Alius, *omnem functionem servitii*. Santes, *opus ministerii*. Sic etiam Fagius ex Chaldaicis Onkeli, cum פולחן *cultum* potius denotet. Opus autem cultus dicit quod servit cultui divino : cujusmodi erant omnia instrumenta tabernaculi. Unde Hiero. *ut scirent fabre operari quæ in usus sanctuarii necessaria sunt*. Ad sensum non male. ¶ *Sanctuarii*] קדש proprie *sanctitas*. Sed pro *sanctuario* usurpatur, itaque legunt h. l. Hiero. ceterique interpretes Latini. ¶ *Secundum omnia*] לכל verto *secundum omnia*, ac si esset ככל. Sic Gen. 1. למינו interpretes reddunt, *secundum speciem suam*, quod Græce est κατὰ. Simile, *eritque domus Esau in stipulam* : quod idem cum illo, *tanquam stipula*. Quo pertinet *evangelium secundum Matthæum* למתי : cujus autor, vel potius scriptor, Matthæus, ut *Psalmus* לדוד τοῦ *david* i. Davidis, vel qui authorem habet Davidem. Quanquam & Psalmorum & Euan-

& Euangelii autor Deus proprie loquendo. ❡ *Vocavitque*] prius vocaverat quam faceret ullum opus, ut verti possit, *Antea vocaverat, acceperant &c.* Scire licet præteritum Ebræorum, si sententia poscat, per plusquamperfectum commode reddi posse, atque adeo debere. Sic apud Mosen Gen. 2. ויצר *& formaverat antea.* ❡ *Et acceperunt*] vel, *Qui acceperunt.* ❡ *A conspectu Mosis &c.*] omnia donaria quæ posita erant in conspectu Mosis, acceperunt ab eo. ❡ *Mane mane*] locutio est ut *die die:* quod valet *quotidie.* Sic *mane mane*, singulo quoque mane. Hiero. *quotidie mane.*

4. *Et venerunt omnes sapientes qui faciebant omne opus sanctuarii, quisque ab opere suo quod ipsi faciebant.*

5. *Et dixerunt Mosi, dicendo, Multum populus adfert: plusquam satis est cultus ad opus quod præcepit DOMINUS facere.*

6. *Et præcepit Moses ut transire facerent vocem per castra dicendo, Vir & mulier ne faciant amplius opus ad oblationem sanctuarii: ita cohibitus fuit populus ab offerendo.*

Omnes sapientes] Hiero. *artifices.* Malim, *periti artifices.* Nam ὁ σοφὸς peritus. Sic legimus apud Apostolum, *sapiens architectus.* ❡ *Et venerunt*] ad tentorium Mosis. ❡ *Qui faciebant omne opus*] quorum præcipui erant Beseleel & Oholiab. Beseleel ipse faciebat quod alii non poterant facere. Idem cum Oholiabo docebat ceteros artifices. ❡ *Multum populus adfert*] verbum è verbo, *multiplicat populus adferre*, vel, si mavis, *offerre.* Hiero. *plus offert populus quam necessarium est.* Licet etiam vertere, *nimium adfert.* Sic, *ne esto sapiens multum* i. nimium. Hinc sapientes colligunt in eleemosyna modum servandum esse ne quid ultra vires demus: tum etiam ne plus quam indigeat is cui damus eleemosynam. ❡ *Plusquam satis est cultus*] vel, *satis est cultus*, vel, ut alii, *servitii*, aut, *administrationis.* Intelligit autem donaria quæ dabantur ad cultum divinum. Abenez. & Hisc. putant מן præpositionem in מדי redundare. Quod firmant On. & Jon. referentes מסת פולחנא id est, sufficientia cultus. Aliter R. Salo. cujus hæc glossa est, *plus quam necessarium erat ad cultum*, sive, *servitium.* ❡ *Transire fecerunt vocem*] proclamarunt aut promulgarunt per præconem. ❡ *Vocem*] On. & Jon. *præconem.* Hiero. *jussit Moses præconis voce cantari.* Nam præcones aliquando cantant. Lxx. προσέταξεν Μωυσῆς καὶ ἐκήρυξεν præcepit Moses & per præconem denuntiavit. Hisc. הכרוז per præconem promulgarunt. Vide, si placet. ❡ *Cohibitus fuit*] vel, *prohibitus fuit.* לשון מניעה ait R. Salo. ❡ *Ab offerendo*] vel, *ab adferendo.* מהביא ne adferrent, donaria videl. Ex h. l. sapientes eruunt הבאה i. oblationem opus esse. Nam præcedit, *Ne faciant amplius opus* i. מלאכה. Ceterum הבאה proprie *allatio:* quod nescio an usitatum sit. Hiero. ad sensum eleganter, *sicque cessatum est à muneribus offerendis.*

7. *Et operis illius erat sufficientia illis pro omni opere ad faciendum illud, & supererat.*

8. *Et fecerunt omnes sapientes corde inter facientes opus tabernaculum, decem cortinas è bysso retorta & hyacintho & purpura & cocco bis tincto, cherubos, opere ingeniosi artificis fecit ea.*

Operis illius] quod adferebant. Id R. Salo. vocat מלאכת ההבאה opus adductionis. Quanquam Abenez. *opus quod fiebat.* ❡ *Illis*] artificibus. Abenez. *pronomen, quod in* להם *redit ad omnes sapientes.* R. Salo. *facientibus tabernaculum.* eodem recidit. ❡ *Pro omni opere*] tabernaculi. ❡ *Et supererat*] aut *residuum fecerunt*, ut sit הותר pro הותירו, trita enallage. Nam est infinitum quod nomen verbi vocant. Hiero. *eo quod oblata sufficerent & superabundarent.* On. ויתיר quod Fagius transfert, *& superabundabat.* Jon. *verum residuum fecerunt.* Lxx. προσκατέλιπον, insuper reliquerunt. firmat sententiam meam de הותר modo adductam. Trem. *adeoque supererat.* ❡ *Omnes sapientes corde*] In fonte ad verb. *Omnis sapiens corde.* Quod autem ait, *fecerunt*, ejus rei caussa est particula universalis, in qua vis numeri quem *pluralem* appellant. ita mihi videtur. ❡ *Decem cortinas*] Hisc. „ Principio fecerunt decem cortinas tentorii, dein ædi-„ficium ad ponendum in eo quod præ ceteris charum erat, post „omnia ornamenta sanctuarii. Quod charum erat præcedebat. „Postremo fecerunt parietes intergerinos, qui in circuitu atrii „domus« Abenez. quædam adfert de constructione numerorum apud Ebræos, Chaldæos & Ismaelitas, quæ quia mere grammatica sunt, inserenda huic operi non putavi. Qui scire desiderat, consulat Grammaticos de numeris. Idem annotat עשר *in lingua Ismaelitica significare* ארך *longitudinem.* Quod verum an falsum sit, sciunt illi qui eam linguam probe callent. Quidam, *è decem cortinis.* ❡ *Cherubos opere ingeniosi artificis*] Hisc. „ De decem cortinis quæ apparebant è medio fo-„raminis tabernaculi scriptum est, Cherubos opere ingeniosi ar-„tificis facies eos: sed in undecim quæ non videbantur superius „propter tegmen arietum & non inferius propter decem corti-„nas non fecerunt ullas figuras. ❡ *Fecit ea*] vel, *fecit eos*, videl. Cherubos. Pro ingeniosi artificis, qui חשב Ebræis, Onk. & Jonath. אומן artificis. Lxx. ἔργον ὑφαντόν, opus textile.

9. *Longitudo cortinæ unius viginti octo cubitorum, & latitudo quatuor cubitorum cortinæ unius: mensura una omnibus cortinis.*

10. *Et conjunxit quinque cortinas unam ad alteram & quinque cortinas conjunxit unam ad alteram.*

11. *Et fecit laqueolos hyacinthinos in ora cortinæ unius ab extremitate in conjunctura: similiter fecit in ora cortinæ exterioris in conjunctura secunda.*

Cortinæ unius] Trem. *aulæi uniuscujusque.* Sic האחת interpretatur supra 26. 16. & 17. non possum non improbare. Primum quia dictio illa in communi usu significat *unum:* deinde quia ratio nulla cur hic à recepta significatione discedamus. At unaquæque cortina eam longitudinem habebat. Hoc verum est, quod significant consequa verba, *Mensura una omnibus cortinis.* Qui hinc colligit idem אחת denotare, meo judicio, valde halucinatur. ❡ *Cubitorum*] באמה in cubito. *Forte*, inquit Abenez. *erat mensura nota & potest fieri ut eadem fuerit cum mensura domus primæ, quæ erat* אגודלין i. ἀγκὼν *sive cubitus.* ❡ *Mensura una*] tam latitudinis quam longitudinis. ❡ *Laqueolos*] alii, *ansulas:* alii *loramenta:* alii, *laqueos.* Ebra: ללאת *quod in statu absoluto* ללאות *à singulari* לולה, ait Abenez. He igitur in Aleph mutata. ❡ *In ora cortinæ*] oram hic Ebræi שפה i. *labrum* vocant. Sic etiam Chaldæi paraphrastæ. ❡ *Ab extremitate in conjunctura*] vel, ab extremo in commissura. On. & Jon. *à latere commissuræ*, quam vocant בית לופי qui locus erat ubi cortinæ conjungebantur. Hiero. *ex utroque latere.* Trem. *ad extremitatem in commissura.*

12. *Quinquaginta laqueolos fecit in cortina una, & quinquaginta laqueolos fecit in extremitate cortinæ quæ in conjunctura secunda: positi erant laqueoli unius è regione alterius.*

13. *Et fecit quinquaginta circulos aureos & conjunxit cortinas unam ad aliam circulis: fuitque tabernaculum unum.*

14. *Fecitque cortinas è pilis caprarum ad tentorium supra tabernaculum: undecim cortinas fecit illas.*

15. *Longitudo cortinæ unius triginta cubitorum, & quatuor cubitorum latitudo cortinæ unius: mensura una undecim cortinis.*

Positi erant è regione] מקבילת oppositi erant, sive ex opposito unus alterum respiciebat. Hiero. *Ut contra se invicem venirent ansæ.* Significatio hæc petita ex lingua Chaldæorum, in qua לקבל sign. *ex opposito, è regione, contra.* Ceterum in lingua Ebræorum קבל est per traditionem accipere: unde quidam hic legunt, *prehenderunt sive continuerunt hi laqueoli cortinas unam cum altera.* Vide quæ notavimus Exod. 26. 5. ❡ *Circulos*] κρίκους. alii, *ansulas*: alii, *uncinos*: alii, *fibulas.* i. פורפין. Sic Onk. & Jon. Sign. autem capita incurva quæ laqueolos prehendebant. ❡ *E pilis caprarum*] vel, *è lana caprina.* Ad verb. fecit cortinas capras pro è capris i. e è pilis caprarum. Onk & Jon. *quæ ex capris.* Nam id sonat עזים. nihil certius. ❡ *Ad tentorium*] ut sit tentorium, quod in Scholio Abenezræ לאהל אהל. Hiero. *ad operiendum tectum tabernaculi.* אהל ergo *tectum.* Sæpe pro ipso tabernaculo sumitur. Onk. & Jon. לפרסא *in operculum sive tegumentum:* quod Latinè diceretur *pro tegumento.* Sed Fagius elegit, *pro tentorio.* פרסא velum, καταπέτασμα, velamen, operculum. ❡ *Undecim cortinis*] vel, *cortinarum.* Id Onk. extulit, לחדא עסר. Sed Hiero. *omnium cortinarum:* & quod mirum in Jon. *duodecim cortinarum.* Nam תריסר sonat *duodecim:* in quo elisa littera. Nam plenum esset תרי עסר. Quod in lingua Aramæa ita frequens ut nihil magis.

16. *Conjunxitque quinque cortinas seorsim, & sex cortinas seorsim.*

17. *Et fecit laqueolos quinquaginta in ora cortinæ extremæ in conjunctura: & quinquaginta laqueolos fecit in ora cortinæ conjungentis secundæ.*

18. *Et fecit circulos æreos quinquaginta ad conjungendum tentorium ut esset unum.*

19. *Et fecit operculum tentorio è pellibus arietum rubefactorum, & operculum è pellibus melium desuper.*

Seorsim] vel, *seorsum.* Hiero. h. l. edidit *separatim.* ❡ *Extremæ in conjunctura*] Onk. *in latere commissuræ sive conjunctura.* Sic etiam Jon. nisi quod בציפא scribit pro בסיפא, Samech in Sade versa. Licet etiam legere, *in ora cortinæ extremæ.* Quidam emendavit, *ulteriori.* ❡ *Conjungentis secundæ*] vel,

vel, conjungente secunda, ut ad oram referatur. Alius, *commissura secunda.* putavit חֹבֶרֶת idem esse cum מַחְבֶּרֶת conjunctura, commissura. ¶ *Circulos areos*] Hiero. hic habet, *fibulas aneas.* Sic etiam Onk. & Jon. ¶ *Ad conjungendum tentorium*] idem, *quibus necteretur tectum.* hic rursum אהל vertit *tectum.* Nam tegebat tabernaculum. ¶ *Operculum*] Hiero. *velamentum.* Onk. חופאה *operimentum.* Jon. *pelles susgona ad obumbrandum* (לטללא) *de super.* ¶ *E pellibus melium*] Hiero. *de pellibus ianthinis.* alias *iacinthinis.* Sic textus Nicolai de Lyra.

20. *Et fecit asseres tabernaculo, ex lignis Settim, stantes.*

21. *Decem cubitorum erat longitudo asseris, & unum & semis cubitum habebat latitudo asseris unius.*

22. *Duæ manus asseri uni scalariter conjuncta una ad aliam: sic fecit omnibus asseribus tabernaculi.*

Asseres] vel, *tabulas.* Quod reddunt præter Hiero. etiam Jon. & Onk. Sed tabula proprie לוח: asser קרש dicitur. דף & asser & tabula. Hac voce usus fuit Onk. ¶ *Tabernaculo*] vel, *tabernaculi*, ut sit constructio qualis in תפלה למשה precatio Mosis. ¶ *Stantes*] erectos. Tremell. *arrectarios.* ¶ *Unum & semis cubitum habebat*] vel, *unius cubiti & dimidii cubiti erat.* ¶ *Duæ manus*] vel, *bina manus.* Manus autem dicit cardines i. צירין, ut Onk. & Jon. vertunt: aut *incrustaturas*, ut vulgatus noster. ¶ *Scalariter*] instar scalæ, aut forma scalari. ¶ *Conjuncta*] compositæ. Jon. *directa latere unius in medio lateris alterius.*

23. *Sic fecit asseres tabernaculo, viginti asseres ad plagam meridianam austrum versus.*

24. *Et quadraginta bases argenteas fecit sub viginti asseribus, duas bases sub assere uno ad duas manus ejus, & duas bases sub assere altero ad duas manus ejus.*

25. *Et in latere tabernaculi secundo ad plagam septentrionalem fecit viginti asseres.*

26. *Et quadraginta bases eorum argenteas: duas bases sub assere uno, & duas bases sub assere altero.*

27. *Et in lateribus tabernaculi versus mare fecit sex asseres.*

Tabernaculo] vel, *tabernaculi*, vel certe, *pro tabernaculo.* ¶ *Austrum versus*] תימנה ad austrum. Hiero. *contra austrum.* Vocatur ita auster quod sit ad dexteram hominis solem respicientis. Male quidam, *dextrorsum.* Nam תימן nunquam dextera, licet auster ita dictus sit à dextera. Probarem si esset ימינה in fonte. Nam ימין tam *auster* quam *dextera.* proprie dextera, δεξιά. ¶ *Bases*] alius, *stylobatas.* ¶ *Ad duas manus*] ad binos cardines, vel, si mavis, *ad duas incrustaturas.* Hiero. *ubi incrustatura laterum in angulos terminantur.* ¶ *Septentrionalem*] vel, *aquilonalem.* Hiero. *qua respicit aquilonem.* Septentrio autem Ebraice צפון dicitur quod magna ex parte lateat & abscondita sit propter frigus. Abscondita dico nobis quia inhabitata & inculta. ¶ *In lateribus*] Onk. & Jon. לסטרי, quod Fagius reddit, *ad latus.* Non laudo. ¶ *Versus mare*] i. occidentem. Hiero. *contra occidentem vero i. ad eam partem tabernaculi, qua occidentem respicit.* On. & Jon. *tabernaculi occidentalis.* Innuunt partem illam quam Hiero. interpretatus est. Porro mare erat in occidente terræ Chanaan: mare, inquam, magnum, quod nos Mediterraneum dicimus. Unde pro occidente usurpatur.

28. *Et duos asseres fecit ad angulos tabernaculi in lateribus.*

29. *Erantque gemini inferne & pariter erant gemini ad caput suum per annulum unum: sic fecit ambobus illis in duobus angulis.*

30. *Et erant octo asseres, & bases eorum argenteæ, sedecim bases: duæ bases duæ bases sub assere uno.*

31. *Et fecit vectes è lignis Settim, quinque pro asseribus lateris tabernaculi unius.*

32. *Et quinque vectes pro asseribus lateris tabernaculi secundi: & quinque vectes pro asseribus tabernaculi ad latera mare versus.*

33. *Fecitque vectem medium, ad transcurrendum per medios asseres ab extremo ad extremum.*

34. *Et asseres obduxit auro, & annulos eorum fecit ex auro, domos vectium & obduxit vectes auro.*

Ad angulos] Tremell. *ad antas angulares.* Vide quæ notavimus Exod. 26. 23. ¶ *In lateribus*] בירכתים in duobus lateribus, sive, *in utroque latere*, pro quo perperam in Tremell. *in utroque angulo.* Scire licet nomina dualia vim habere multitudinis. Sane שמים non de duobus tantum coelis, sed de pluribus quoque usurpatur. Res notior est quam ut probari debeat. Sic עשר עינים decem oculi. Nam quæ natura bina sunt in duali pluralitatem quandoque denotant. ¶ *Gemini*] vel, *gemelli.* Quidam *geminati*: alii, *gemellipara.* Onk. *directi.* Jon. *juncti sive conjuncti* i. מזוגין, quomodo etiam Fagius interpretatur Onkeli מכוונין. ¶ *Inferne*] vel *deorsum.* Id Ebræi dicunt מלמטה: Chaldæi Onk. & Jon. מלרע unde mutuo sumpserunt Grammatici vocem *Milra*, qua significant dictionem habentem accentum in ultima. ¶ *Et pariter erant gemini*] hic non est תאומים in fonte, unde *Thoma* nomen, quod *Didymum* interpretantur; sed תמים, quæ vox potius *perfectos* notat. Sane Arias Santem corrigens, qui verterat *geminata*, hoc loco habet, *consummata*, & observant Massoritæ sexies hoc nomen legi cum (-) & semel cum (·). Trem. tamen ut antea *gemellipara.* Onk. quoque & Jon. nihil variant, ut suspicio sit תאמים hic positum esse pro תמים Holem in (-) & Dages versa. Sed nihil definio. Rabbini nihil hic nos juvant. Quid si pro *gemini* legamus *conjuncti*? ita certe Jon. Cogitemus amplius. ¶ *Ad caput suum*] superne vel sursum. ¶ *Per annulum unum*] quod Onk. & Jon extulerunt, *in annulo uno.* Licet etiam vertere, *cum annulo uno.* Trem. *inditi annulo uno.* Santes, *ad annulum unum.* Sic est in Ebræo ad verb. ¶ *Ambobus illis*] asseribus. Quidam *utrique illorum.* Hiero. *ex utraque parte.* ¶ *Duæ bases, duæ bases*] Id Hiero. non male interpretatur, *bina bases.* Sic *duo duo* i. bini. ¶ *Pro asseribus lateris* &c.] Idem Hiero. *ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi.* Paulo post, *ad alterius lateris coaptandas tabulas.* ¶ *Mare versus*] occidentem versus. Hiero. *ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare.* ¶ *Vectem medium*] Quidam, *transtillum medianum.* ¶ *Ad transcurrendum*] לברח ad fugiendum i. transeundum aut transcurrendum, unde & vectes nomen acceperunt. Nam בריחים appellantur. Quidam *ad penetrandum*, quod mihi se minus probat. Abenez. censet לברח *positum esse pro* להבריח, *aut saltem eundem significatum habere.* Quod & in aliis verbis usitatum. ¶ *Per medios asseres*] vel, *per medium asserum.* Hiero. *per medias tabulas.* ¶ *Ab extremo ad extremum*] vel, *ab extremo uno ad aliud.* Hiero. *ab angulo ad angulum.* Porro (nam hoc exciderat) Abenezræ sententiam de לברח, quam supra produximus, firmat Onk. interpres referens לעברא *ad transire faciendum.* In Jon. quid sit לשלבשא quærant alii. An est לבש pro שלבש. Nam ש aliquando accedit ad caput verbi. Sic etiam Samech, ut in סגלגל. Quod dico verum esse docet verbum שעבר. Nam ejus origo עבר. Minus intelligo quod in Jerosol. לברוח, nisi legendum לבריח per Beth. Quæramus amplius. ¶ *Obduxit auro*] vel, *texit auro* i. *deauravit.* Quod in Hiero. ¶ *Domos vectium*] qui essent *domus* i. loca vel sedes vectibus, sive *per quos vectes induci possent, quos & ipsos laminis aureis operuit*, ait Hiero. Idem asseres reddit *tabulata*, & annulos, *circulos*: Vide, si placet.

35. *Et fecit velum ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, & bysso retorta: opere ingeniosi artificis fecit illud, cherubis.*

36. *Et fecit ei quatuor columnas e lignis Settim, & obduxit eas auro, clavi eorum aurei, & fudit illis quatuor bases argenteas.*

37. *Fecitque velum ostio tentorii ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto & bysso retorta, opere phrygionarii.*

38. *Et columnas ejus quinque & clavos earum & obduxit capitella earum & cincturas earum auro, & bases earum quinque æneas.*

Velum] quod sanctum sanctorum à sancto dividebat. Id Ebræi vocant *Pharocheth*, Chaldæi Onkelos, *Pharuchtha*, Jon. *Phargoda.* ¶ *Ingeniosi artificis*] Hiero. *polymitario.* Santes, *acupictorio.* Alius, *artificiosissimo.* ¶ *Cherubis*] Cherubis distinctum aut refertum. Hiero. *varium atque distinctum.* ¶ *Fecitque velum*] velum aliud quod *Masach* appellant. Id alii *aulæum*, alii *tectum*, alii denique *tegumentum* seu *operimentum* vocant. Hiero. *tentorium.* Onk. פרסא velamen aut velamentum. Jon. וילון i. velum. ¶ *Opere phrygionarii*] prius erat in Hiero. *opere plumarii.* Licet etiam vertere, *opere phrygionico.* Onk. & Jon. *acupictoris.* Arias voce barbara, *recamantis*, quæ cum Ebraica רוקם magnam affinitatem habet. ¶ *Capitella*] Hiero. *capita.* Alius *epistylia.* ¶ *Cincturas*] Zonas aut fila eas cingentia.

A M A M A.

(*)CAjetanus, *In hoc* (*a*) *capitulo multa essent corrigenda. Tria tantum monebimus. Quum de propitiatorio agitur, nomine*

(*) Hæc quoque ad seq. caput notat Amama. (*a*) Nota Cajetanum sub hoc capitulo etiam caput 37. comprehendere.

Digitized by Google

nomine summitatis *intellige* extremitatem. *Cum de mensa propositionis, per* coronam auream interrasilem *intellige* clausuram, *nec legas,* ipsi labio, *sed,* ipsi mensæ, *nec,* alteram coronam super, *sed* limbum clausuræ, *ut supra correctum est. Et similiter corrige quæ de vasis hujus mensæ subjunguntur. Et cum de altari thymiamatis agitur, tolle,* craticulam, *& pone,* tectum. Hæc Cajet. Sunt alia præterea hoc capite commissa, quæ in superioribus annotata sunt. Est enim totum hoc caput quasi ἀνακεφαλαίωσις eorum quæ supra præcepta sunt. Sic dico, quæ supra jussit Deus fieri, hic Moses narrat facta. Sunt præter ea & alia de novo admissa incuriæ errata, quæ si persequerer singula, hic quem mihi proposui, libellus in crassum exiret volumen.

GROTIUS.

1. *UT scirent fabrè operari quæ in usus sanctuarii necessaria sunt*] In Hebræo: *ad opus ministerii sanctimoniæ.* LXX. πάντα τὰ ἔργα κὶ ἅγια καθήκοντα. ubi rectius legas: πάντα τὰ ἔργα ἅγια κὶ τὰ καθήκοντα [*omnia opera sancta ita ut oportet*]. præsertim cum tres postremas voces, sed omisso ἅγια [*sancta*], habeant libri aliqui.

6. *Nec vir nec mulier quicquam offerat ultra in opere sanctuarii*] Fecit Moses quod sapientis erat principis, modum imponendo rerum consecrationi.

8. *Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi*] Est hic transpositio in Græco: sequuntur enim hic illa quæ in Hebræo & Latino faciunt caput XXXIX. usque ad versum 30. Deinde porro ea quæ in Hebræo ac Latino hic habemus ad versum 37. Postea additamenta quædam & versus 21. cap. XXXVIII. Inde caput XXXVII. ubi in initio quædam desunt in Græco. Fini ejus capitis addita labri mentio. Post id ea quæ sunt nobis capite XXXVIII. 24. ad finem. Deinde, post additamenta quædam, sequuntur ea quæ habemus XXXIX. 31. ad finem usque. Caput vero libri ultimum in Græcis est, ut in Hebræis & Latinis. Præterea in harum partium particulis mira discrepantia.

CARTWRIGHTUS.

6. (a) ויעבירו קול *Et fecerunt transire vocem*] Onk. ... Similiter Jonathan, ... id est κήρυκα *praconem.* Vulg. *Jussit ergo Moses praconis voce cantari.*

8. *Decem cortinas,* &c.] LXX. (prout in Romana Editione habetur) hîc longe alio ordine recensent opera ab artificibus confecta: sed Nobilius monet in Complutensi Editione eodem ordine recenseri, quo in Vulgata Latina versione, quæ Hebræo textui est conformis.

14. *Et fecit cortinas ex pilis caprinis* יריעת עזים לאהל *in tentorium super Tabernaculum.*] Hinc illa R. Salomonis distinctio supra (b) memorata inter משכן & אהל firmari videtur, uti etiam id quod de ... ibidem ait ex v. 19. hujus capitis aperte astruitur.

עשתי עשרה יריעת *Undecim cortinas.*] Sic Onk. ... At Jonathan quid secutus nescio, ... *duodecim cortinas.* Atque ita etiam v. 15. ... cum in Hebræo ... Et similiter in Onk. Quin & supra etiam c. 26. 7. Jonathan pro *undecim* habet ... *duodecim.* Ipsa erroris constantia arguit lectionem non esse à librariis depravatam. Ipse tamen Jonathan & istic v. 9. & hic v. 16. *quinque cortinas,* & *sex cortinas* habet uti in Hebræo habetur; quod rursus argumento est pro ... legendum esse ... vel ... id est, pro *duodecim* legendum esse *undecim.*

24. *Duas bases sub uno assere*] Jon. ... *duas tabulas sub basi una.* Sic in Editione Veneta legitur, sed mendose; debet enim esse, ... *duas bases sub una tabula,* ut postea sæpius in ipsa Jonathanis Paraphrasi habetur.

(a) *De hoc capite quod ad Vulgatum Interpretem attinet, vide Amamam in Censura.* (b) *Ad cap.* 35. 11.

IDEM.

5, 6, 7. *Et loquebantur, &c.*] Quæ versibus istis continentur, facere ait ad laudem populi, qui adeo munificus, & ad laudem artificum, qui adeo fideles fuerunt: ad laudem denique Mosis, qui non, ut alii rectores, opibus alienis inhiabat, sed tantum studebat, ut quod Deus mandaverat, plene perfecteque ageretur.

CAP. XXXVII.

MUNSTERUS.

2. EST זר idem quod סביב, *ambitus,* aræ decoris gratia adhibitus.

12. *Clausuram palmarem*] h. e. ambitum qui latitudinem habuit quatuor conjunctorum digitorum. Ut enim apud Latinos duplex est palmi mensura, una minor quæ quatuor transversales continet digitos, & alia major, quæ duodecim habet transversales digitos, h. e. integram manus distensionem; sic apud Hebræos טפח est mensura quatuor digitorum, & זרת est maxima extensio quam quis cum digitis facere potest: & illa mensura continet ter palmum minorem.

VATABLUS.

1. *ARcam,* [את הארן] De ista arca vide supra 25. 10.

7. *Ductiles,* [מקשה] *Opere ductili.* Vide supra 25. 18.

8. *Ex propitiatorio,* [מן הכפרת] i. ex eadem massa de qua factum fuerat propitiatorium.

9. *Cherubim.* [הכרבים] Antecedens pro Relativo *Ipsorum.*

10. *Mensam,* [את השלחן] Confer hæc cum iis quæ jam dicta sunt, cap. 25. 23.

16. *Et crateras ejus, & opercula,* [את קערתיו ואת כפתיו] Supra 25. 29. legitur, *& opercula & crateras:* ubi & de his annotavimus quæ annotanda visa sunt.

17. *Candelabrum,* [את המנרה] De hoc habes & supra 25. 31. ubi annotavimus quæ hic repeti debent: sunt enim similia fere omnia. ¶ *Et calamus ejus,* [וקנה] q. d. corpus ejus.

20. *Et in candelabro;* [ובמנרה] in trunco candelabri.

21. *Ex ipso,* [ממנה] sub. *procedentibus.*

22. *Ex ipso,* [ממנה] Nempe candelabro, i. ex eadem massa. ¶ *Ductile unum,* [מקשה אחת] *opere ductili uno,* i. ex una massa.

23. *Et forcipes ejus,* &c. [מלקחיה ומחתתיה] *Et emunctoria ejus, & vasa ejus:* in quibus scilicet reponebant quæ emuncta erant.

25. *Incensi,* [הקטרת] *Suffitus, thymiamatis.* De hoc altari vide supra 30. 1. ¶ *Ex ipso,* [ממנו] i. ex eadem materia. *Cornua* vocat cælaturas quasdam factas in angulis ejus.

27. *Per quos trajicerentur vectes,* [לבתים לבדים] Ad verb. *loca vectibus.*

29. *Oleum unctionis,* [את שמן המשחה] Hujus olei compositionem habes supra 30. 23, 24, 25. ¶ *Sanctitatem,* [קדש] i. quod erat sacrosanctum; per appositionem dictum.

CLARIUS.

8. *IN summitate*] h. e. In extremitate. ¶ *Duos Cherubim ut in singulis summitatibus propitiatorii*] Alius vertit, *De ipso propitiatorio fecit ipsos Cherubim, in extremitatibus scilicet ejus.*

16. *Acetabula*] Alius vertit, *parapsides, cochlearia, dimidiatas fistulas & cyathos.*

20. *In ipso autem vecte*] h. e. candelabro, vel trunco candelabri, ac medio hastili.

25. *Per quadrum*] h. e. longitudo & latitudo: quod idem accipe in principio sequentis capitis.

DRUSIUS.

29. *PAtres* Ebraice אבות vocantur terminatione feminina, & *feminæ* נשים terminatione masculina: Tamen illud masculine construitur Ezec. 5. 10. אבות יאכלו *patres comedent;* & hoc feminine, Jud. 8. 30. נשים רבות *femina vel uxores multa.* Utrobique habetur ratio sensus, ut si quis dicat, *Scelestus Catilina.* Nam est nomen proprium viri, licet ipsa terminatio feminina sit. Sic legimus in Genesi לפתח חטאת רבץ *peccatum cubans,* ubi nomen est femininum & participium masculinum: quæ oratio sensu congrua est, non voce. Qualis hoc in loco, in קטרת סמים טהור *suffitus purus.* Nam קטרת substantivum est femineum, טהור *purus* adjectivum masculeum. Jesuita Serarius solœcismos appellat. Si recte, profecto linguæ sanctæ

Digitized by Google

ctæ autor non admodum metuit ferulam ejus, in quem hoc exstat distichon sub nomine Heliodori,

Cum mihi spermologus mentem subit Heliodorus,
Nostra solæcismos illico lingua timet.

Ego in hujusinodi locutionibus nihil solœcum animadverto: nam habetur sensus ratio, non vocis. Ut ut sit, talis constructio crebra est in Ebraismo. Si nomen num femininum est, tamen aliud est ejusdem significationis masculinum, videlicet חטאת *peccatum*. Sic in קשה אדנים *dominus durus* nullus est solœcismus, ut nec in ברא אלהים *creavit Deus*. Ita mihi videtur.

I D E M.

1. [ארון] A. γλωσσόκομον] Hoc notatum habetur in edit. Rom. ad cap. 28. Olim erat in LXX. ἡ κιβωτὸν, *arcam*: quod etiam vox Ebræa significat: Ergo γλωσσόκομον, *arca*. Dicitur & γλωττόκομον. Gorræus ex Galeno de glossocomo instrumento tradens, scribit significare arculam in qua homines recondunt res pretiosas, & quam multi iter facientes portant; esseque oblongam & angustam. Notavit hoc Stephanus in Thesauro. Quandoque usurpatur pro loculo mortuorum, ut in Jerosolymitana. Gen. 50. Vide, si vacas, Quæstiones meas, l. 2. quæst. 74. Elias in eo libro ubi vocum Chaldaicarum sensa collegit, *In lingua Græca vocant arcam* (ארון) γλωσσόκομον.

NOTÆ MAJORES.

1. *Et fecit Beseleel arcam de lignis Settim, duorum cubitorum & dimidii longitudo ejus, & cubiti cum dimidio latitudo ejus, & cubiti (unius) cum dimidio altitudo ejus.*

2. *Obduxitque eam auro puro intus & foris, & fecit ei coronam auream circumcirca.*

3. *Et fudit ei quatuor annulos aureos in quatuor angulis ejus: & duos annulos in latere ipsius uno, & duos annulos in latere ipsius altero.*

Et fecit Beseleel] *quoniam applicabat animum ad hoc opus magis quam ceteri sapientes, ideo solus hic nominatur*, ait R. Salo. Sed Abenez. id fieri censet propter honorem arcæ. *Idem*, inquit, *fecit omnia vasa sacra: & ecce meminit tabernaculi & tentorii & velorum duorum, quorum unum Pharocheth, alterum Masach dicitur, quia omnium eadem ratio: postea memorat vasa sacra & memorat etiam oleum unctionis cum suffitu aromatum. Nam* בשמים *sunt aromata in oleo unctionis, etiam in suffitu aromatum* i. סמים. In margine illius editionis quæ una cum Thargum Jonathæ in octavo folium complicat, *Non memorat Beseleelem nisi propter arcam, ac si diceret, erit in umbra Dei qui novit arcanum sive mysterium arcæ & quadrigæ. Siquidem arca habet respectum ad solium gloriæ.* Hæc ibi. ¶ *Duorum*] vel, *duum*. ¶ *Cubiti*] desideratur aliquid ut dicat, *cubiti unius*: quod Hiero. expressit in sequentibus, & nos quoque illum secuti. Defectus iste frequens est. Supra 21. 20. *diem aut biduum* plenum esset, *diem unum*. Sic alibi, pro *bove* legitur pro eo quod est, *pro uno bove*. ¶ *Cum dimidio*] & dimidii, pro quo in Trem. *dimidiati*. Hiero. *cubitum & semissem*. Idem supra edidit, *habentem duos semis cubitos in longitudine*. Sensus est, duos cubitos & semissem i. dimidium. ¶ *Obduxit eam*] Hiero. *vestivit eam*. ¶ *Puro*] Idem, *purissimo*. Licet etiam vertere, *auro mundo*. ¶ *Coronam auream*] alius, *limbum aureum*. Hanc coronam Chaldæi זיר vocant, z in d versa. ¶ *Circumquaque*] in circuitu sive per circuitum: pro quo in vulgata nostra, *per gyrum*. On. & Jon. *circumcirca*. Id ille dixit סחור סחור & hic חזור חזור. ¶ *In quatuor angulis ejus*] פעמתיו verto *angulos*, Hieronymum secutus, cujus interpretationem roborat On. interpres Chaldæus. Sed & R. David in Libro Radicum. Trem. *tamen impages*, & Jon. איזרוי. ¶ *Altero*] secundo.

4. *Et fecit vectes è lignis Settim, & obduxit eos auro.*

5. *Et induxit vectes illos in annulos (qui) in lateribus arcæ ad portandum arcam.*

6. *Et fecit propitiatorium ex auro puro, duum cubitorum & dimidii longitudo ejus, & cubiti cum dimidio latitudo ejus.*

Vectes è lignis Settim] In Ebræo est ad verb. *vectes lignorum Settim*. Vectes autem hic בדים appellantur, ut alibi בריחים à fugiendo sive transcurrendo. In Chaldæorum editionibus utrobique אריחי. ¶ *Qui in lateribus*] relativum (*qui*) desideratur in fonte, quod ideo parenthesi circumclusimus. ¶ *Propitiatorium*] operculum propitiatorium. ¶ *Cubiti cum dimidio*] cubiti unius & dimidii cubiti i. sesquicubiti: quod Hiero. dixit *cubiti & semis*.

7. *Et fecit duos Cherubos ex auro; opere ductili fecit eos è duabus extremitatibus propitiatorii.*

8. *Cherub unum ab extremo (uno) hinc; & Cherub unum ab extremo (altero) illinc; è propitiatorio fecit Cherubos e duabus extremitatibus ejus.*

9. *Et erant Cherubi pandentes alas desuper, obtegentes alis suis propitiatorium, & vultus eorum unius ad alterum, versus propitiatorium erant vultus Cheruborum.*

Cherubos] alii, *cherubinos*. Sed à *Cherub* non potest esse *cherubinus*, nisi forte ut ab *Augusto* est *Augustinus*, quæ sunt nomina plane diversa. ¶ *Ex auro*] *ex auro puro*. Jon. ¶ *Opere ductili*] Trem. *continente opere*. Sig. autem opus quod malleo ducitur; quod vocant *ductile*. ¶ *E duobus extremitatibus*] *è duobus lateribus*. On. & Jon. ¶ *Cherub unum*] vel, *Cherubum unum*. Nomen hoc Græci efferunt neutro genere τὸ χερουβὶμ, ubi πνεύματα subintelligunt, unde *Beata Seraphim*. Non tamen semper hoc faciunt. Nam hic legimus τοὺς δύο χερουβὶμ, & mox χερουβ ἕνα; Cherub unum. sub. fecit. Quæ in illa editione habentur infra cap. 38. ¶ *Ab extremo*] *à latere*. On. & Jon. מסטרא alii reddunt, *ab extremitate*: Hiero. *in summitate*. Quod Græci dicunt ἐπ' ἄκρου. Hinc & illinc idem Hiero. *unius partis & alterius partis*. ¶ *De super*] vel, *sursum*. ¶ *Vultus eorum*] vel, *facies eorum*. ¶ *Obtegentes*] On. & Jon. *Obumbrantes*. Sic etiam LXX. Vide, si otium.

10. *Et fecit mensam è lignis Settim, duorum cubitorum longitudo ejus, & cubiti (unius) latitudo ejus & cubiti & dimidii altitudo ejus.*

11. *Et obduxit eam auro puro, fecitque ei coronam auream in circuitu.*

12. *Et fecit ei clausuram palmi per circuitum, & fecit coronam auream clausuræ per circuitum.*

13. *Et fudit ei quatuor annulos aureos, & indidit annulos quatuor angulis qui erant in quatuor pedibus ejus.*

14. *E regione clausuræ erant annuli, domus vectibus ad portandum mensam.*

15. *Fecitque vectes è lignis Settim, & obduxit eos auro ad portandum mensam.*

Cubiti & dimidii altitudo ejus] Hiero. *habebat in altitudine cubitum & semissem*. ¶ *Clausuram palmi*] i. palmarem: Plenum esset, *palmi unius*. Clausuram autem dicit oram quæ mensam claudebat ab omni parte. *Lumbum* non nemo interpretatur. Vide quæ notavimus Exo. 25. 25. Hiero. *coronam interrasilem*. ¶ *Coronam auream*] Idem, *labrum aureum*. ¶ *Annulos*] *circulos*. idem. ¶ *Indidit quatuor angulis*] vel, posuit in quatuor angulis. Verb. è verb. *super quatuor angulis*. Ita sumes, *super arbore sidunt*. ¶ *Domus vectibus*] aut vectium i. loca quibus vectes inserebantur.

16. *Fecit quoque vasa quæ in mensa, typos ejus & acerras ejus & scapulas ejus & calamos ejus, quibus libaretur ex auro puro.*

17. *Et fecit candelabrum ex auro puro, ductile fecit candelabrum, scapum ejus, calamum ejus, scyphos ejus, sphærulas ejus & flores ejus: ex ipso erant.*

Vasa] instrumenta. ¶ *Quæ in mensa*] quæ super mensam, & sub. reponebantur. Hieron. *ad diversos usus mensæ*. LXX. τὰ σκεύη τῆς τραπέζης i. vasa mensæ. ¶ *Typos ejus*] LXX. τὰ τρύβλια, quod reddunt, *catinos*: alii, *patinas*. Hieron. *acetabula*. Onkel. *lances ejus*, quas *Magidas* vocat. Fagius, *paropsides* reddit. Jon. *phialas ejus*. Trem. *scutulas ejus*. San. *scutellas*. Gall. edit. *les plats* i. patinas. Vide nunc quæ de hac voce & aliis sequentibus notata mihi Ex. 25. 30. ¶ *Acerras ejus*] כפותיו. LXX. τὰς θυΐσκας, quod interpretantur *mortariola*. In veteribus Lexicis θυΐσκος ex Josepho exponitur, *acerra, thuribulum*. Hieron. alibi θυΐσκη *thuribulum* reddit. Hic ex Ebræo vertit *phialas*. Onk. *cochlearia*. Quanquam in Fagio, *calami*. Jon. nihil dissidet ab Onkelo, nisi quod in eo בזיכו absque He. Santes, *cochlearia ejus*. Gall. edit. *ses tasses* i. scyphos, pateras, crateres. ¶ *Scopulas ejus*] מנקיותיו LXX. τοὺς κυάθους i. cyathos. Sic etiam Hieron. Onkel. & Jonat. מכילתיה, quod reddunt, *scyphi ejus*. In Lexico Munsteri מכילתא *mensura Ephi: item genus vasis, scyphus, modius*. Santes, *cyathos ejus*. Gall. edit. *ses bassins*. Vide notationes ad Exod. 25. 30. ¶ *Calamos ejus*] קשותיו LXX. τὰ σπονδεῖα i. libatoria. Hieron. *thuribula*. Trem. *scutellas ejus*. Santes, *calamos, modios*. Onk. קסותיה i. interprete Fagio, *cantharos ejus*. Id Jon. edidit מכילתא Sin in Samech versa. Gall. edit. *ses gobelets*, calices aut acetabula ejus, vel pocula ejus. ¶ *Quibus libaretur*] דיתנסך בהון quibus libabatur in illis. Ideo Græci credo, σπονδεῖα exposuerunt. Thema נסך unde & נסך libamen. Hieron. *in quibus offerenda sunt libamina*. LXX. ἐν οἷς σπείσει ἐν αὐτοῖς, in quibus libabit sub. sacerdos aut aliquid tale. Quod idem

idem cum illo, *in quibus libabitur.* Porro ἐν αὐτοῖς otium agit ex Ebraismo. Nove Trem. *quibus tegeretur*, ac si esset passivum in Hophal ex נסך. expende. Mihi nunc non vacat. Onkel. דמנסכין בהון quibus libant. Jon. דמחפין בהון quibus tegunt. Facit pro Trem. Gall. edit. *avec lesquels on devoit faire les aspersions.* Fagius, *in quibus libandum erat.* § *Puro*] vel *mundissimo.* § *Scapum ejus, calamum &c.*] vel magis, *scapus ejus, calamus ejus, scyphi ejus, sphærula ejus & lilia ejus ex ipso erant.* § *Scapus ejus*] ירכה Santes, *hastile ejus.* Onk. שדה i. Fagio interpretante, *stipes ejus.* Sic Græci Lxx. τὸν καυλὸν. Hieron. *de cujus vecte.* Vox Ebræa proprie *femur* notat. Jon. בסיס דידה basis ejus. Gall. edit. *sa jambe*, tibia ejus. Hæc tamen idem valet quod scapus ejus per metaphoram. Ut Gallis translate *jambe* est *stipes* aut *scapus*: ita Ebræis ירך femur. § *Calamus ejus*] קנהּ ex absoluto קנה calamus, canna. Lxx. τοὺς καλαμίσκους. Hieron. *calami.* Onk. *calamus ejus.* Jon. קנהא. Gallic. *ses branches.* Videtur esse enallage numeri. § *Scyphi ejus*] גביעיה Hieron. *scyphi.* Santes, *calices ejus.* Trem. *lances ejus.* Gallic. *ses plats.* Onk. & Jon. כלידהא quod exponunt *scyphi ejus.* כלידא videtur esse *calix*, quod eo caldum bibatur. § *Sphærula ejus*] Onkel. & Jon. *poma ejus.* Nam תפוח pomum à rotunditate: item quicquid sphæricam figuram habet. Hieron. *sphærula.* Sic etiam Santes: sed in correctione Ariæ, *poma ejus.* Significat autem mala, quæ Galli vocant *pommes.* Nam pomum in Latio latius patet. Trem. *mala oblonga.* Unde didicit כפתר esse malum oblongum? Gall. edit. *ses pommeaux.* § *Flores ejus*] vel, *lilia ejus.* Sic Hier. Etiam Onk. in quo שושנהא. Nec aliter Jonath. Hinc *Susanna* nomen & τὰ σοῦσα, quæ interpretantur ἄνθη vel λείρια i. flores aut lilia. Qua de re alias. Trem. *calyculi ejus.* Gall. edit. *ses fleurs.* i. flores ejus.

18. *Et sex calamos exeuntes à lateribus ejus, tres calami candelabri è latere uno & tres calami candelabri è latere secundo.*

19. *Tres scyphi amygdalæ formam habentes in calamo uno, sphærula & lilium: & tres scyphi amygdalæ formam habentes in calamo altero, sphærula & lilium: similiter sex calamis qui exibant è candelabro.*

20. *Et in candelabro erant quatuor scyphi, amygdalæ formam habentes, sphærulæ ejus & flores ejus.*

21. *Et sphærula sub duobus calamis ex ipso erat, & sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso, sex calamis qui exibant ex eo.*

22. *Sphærulæ eorum & calami eorum ex ipso erant, totum ipsum erat ductile unum ex auro puro.*

Sex calamos] hos calamos quidam *ramos* appellant. Subintelligitur autem *fecit* ex præcedentibus. § *E lateribus ejus*] *Ex utroque latere.* Hiero. recte. Nam duo tantum latera erant. § *Amygdalæ formam habentia*] vel, *amygdalæ speciem referentia.* Tales scyphi à Græcis καρυΐσκοι vocantur & καρυωτοὶ; qua voce hic usi sunt Lxx. Quos Hieron. æmulatus est referens, *in nucis modum.* Ergo scyphus καρυωτὸς in nucis modum factus. Minus probo quod in Onk. מצירין figuris distincti, quod Jon. dixit משקדין בציוריהון. Sed profecto שקד amygdalus, tam arbor quam fructus: unde melius redditur *amygdalæ in modum.* § *Sphærula*] *malum.* Onk. & Ion. § *Lilium*] vel, *flos.* Quomodo supra hanc vocem exposuimus. Quod autem nunc variamus, in caussa sunt interpretes antiqui, qui plerique omnes *lilium* interpretantur. § *Similiter sex calamis*] subintelligitur *fecit.* Calamos autem Galli reddunt *branches* i. ramos. Hieron. h. l. *Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. Stipitem* vocat quem nos supra *scapum* diximus. § *In candelabro*] in scapo candelabri. § *Quatuor scyphi*] hic est Athnach in fonte, qui accentus unus est ex majoribus distinguentibus. Unde quod sequitur, *amygdalæ formam habentes*, quidam ad sequentia referunt, videl. ad sphærulas & flores sive lilia. Non admodum se probat mihi. Nam flores in modum amygdalæ factos fuisse non putarim, ut nec sphærulas, cujus loco illi posuerunt *poma oblonga.* Sed ampliemus. § *Sex calamis*] quidam, *sub sex calamis.* Hieron. hunc locum in pauca contraxit ita referens, *Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno.* § *Totum ipsum*] candelabrum. § *Ductile unum*] malleo ita ducebatur ut ex uno corpore vel una massa omnia fierent. § *Puro*] Hieron. *purissimo.*

23. *Fecit & lucernas ejus septem & forcipes ejus & receptacula ejus ex auro puro.*

24. *Talento auri puri fecit illud & omnia vasa ejus.*

Forcipes ejus] Hieron. *emunctoria.* Vox Ebræa à capiendo dicta. Sed Chaldæi variant. Nam in Ion. est צבתיה, nisi fallor, ex absoluto צבתא, quam Gerundensis Moses מלקחים appellat, & à מחתות distinguere videtur, quam vocem hic usurpat in Chaldaica forma Onk. proselytus. Vide quæ scripsimus Exod. 25.38. § *Receptacula ejus*] ומחתתיה à חתה vel חתת, capio, recipio. Trem. *trullas ejus.* Hieron. *vasa ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur.* Onkel. & Ion. מחתיה i. interprete Fagio, *vasa emunctionis.* § *Talento auri &c.*] Hieron. *Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.* De talento auri diximus aliquid Exod. 25.39. Lyra *centenarium* appellat. Quare nescio. Talentum duplex, sacrum, profanum. Sacrum duplo majus erat: profanum sive commune pendebat libras Lx. Libra auri æstimatur coronatis aureis centum. Talentum plumbi memoratur Zach. 5.7. ubi non nemo, *massa plumbi.* Plura de auri talento Robertus Cenalis, ad quem te adire cupio. § *Vasa*] instrumenta.

25. *Et fecit altare suffitus è lignis Settim, cubiti (unius) longitudo ejus, & cubiti (unius) latitudo ejus, quadratum & duum cubitorum altitudo ejus: ex ipso erant cornua ejus.*

26. *Obduxitque illud auro puro tectum ejus & parietes ejus circum & cornua ejus: & fecit ei coronam auream circumcirca.*

27. *Et duos annulos aureos fecit ei de sub corona ejus in duobus angulis ejus, in duobus lateribus ejus, ut essent domus vectibus ad portandum illud eis.*

28. *Fecit quoque vectes è lignis Settim & obduxit eos auro.*

29. *Fecit & oleum unctionis sanctum, & suffitum aromatum purum opere pigmentarii.*

Suffitus] Onk. & Jon. *suffitus aromatum.* Hier. *thymiamatis.* § *E lignis Settim*] Verbum è verbo, *ligna Settim.* Onk. *lignorum Settim.* Jon. *è lignis Setta.* Nam *Setta* ei quod aliis *Settim.* § *Cubiti unius*] dictio *unius* deerat ad plenam sententiam, de qua ellipsi dictum est supra. Sic dictio *solus* desideratur in illo, *Deum tuum adorabis, & ei servies.* Nam sensus est, ei soli servies. § *Cornua ejus*] Jon. addit זקיפין h. e. *erecta.* Hieron. autem hic habet, *è cujus angulis procedebant cornua.* § *Obduxit auro puro*] Hieron. *vestivit auro purissimo.* § *Tectum ejus*] Idem, *cum craticula.* § *Et parietes ejus circum*] Quidam, *lateraque ejus circumquaque.* § *Coronam auream circumcirca*] Hieron. *coronam aureolam per gyrum.* Alius, *limbum aureum circumquaque.* § *De sub corona ejus*] vel, *sub corona ejus.* Quidam, *infra limbum ejus.* מתחת proprie *de sub.* Ita Florus Livii epitomator locutus fuit. § *In duobus angulos ejus*] על שתי צלעתיו in duabus costis ejus. Notum ut צלע pro latere sumatur. Hic *angulum* reddo, quia mox sequitur על שני צדיו in duobus lateribus ejus. Ante me hoc fecit Santes & alii. Hier. *per singula latera.* Duo membra per unum expressit. Onkel. & Jon. *in duobus angulis ejus* i. זויתיה. Gall. edit. *à duobus lateribus ejus qui posuit in duobus angulis ejus.* § *Ut essent domus vectibus*] לבתים ad verb. *in domos.* Nam per annulos illos vectes transmittebantur ad portandam arcam. Pro domus quidam elegit *sedes*: & alius *loca.* § *Illud*] altare. § *Eis*] vectibus. § *Obduxit eos auro*] Hieron. *operuit eos laminis aureis.* § *Oleum unctionis sanctum*] Videtur hoc velle, fecit oleum unctionis ut esset קדש sanctitas i. sanctum sive res sancta, vel si mavis, sanctissima. Trem. *oleum ipsum unctionis sancta.* i. קדש משחת. Hieron. *composuit & oleum ad sanctificationis unguentum.* Santes, *& fecit oleum unctionis sanctificationem.* prætulerim, *sanctitatem.* Nam קדש sanctitas, non sanctificatio. § *Purum*] oratio sensu congrua non voce. Nam טהור adjectivum est masculinum & קטרת substantivum fœmininum. Simile רבה חטאה peccatum cubat. Tales solœcismos qui nescit crebros esse in lingua sancta, nihil scit. § *Opere pigmentarii*] In Onk. & Jon. עובד בוסם. melius redditur, *opere aromatario*, quam, ut est in Fagio, *aromataris.* Quanquam in fonte רקח pigmentarii.

CARTWRIGHTUS.

1. Et fecit Bezaleel arcam, &c.] In LXX. Interpretum versione editionis Romanæ caput hoc inchoatur illis verbis, καὶ ἐποίησαν τῇ σκηνῇ δέκα αὐλαίας, &c. *Et fecerunt Tabernaculo decem aulæa, &c.* quæ in Hebræo codice habentur, cap 36.8. &c. Atque ita etiam habet Vulgata versio, quin & ipsa LXX. Interpretum editio Complutensis, uti notat Nobilius.

8. *Ex propitiatorio fecit Cherubim, &c.*] Jonathan, *ductiles, & adhærentes erant Cherubim, nec separati à propitiatorio. Nam per sapientiam spiritus prophetiæ fecit Cherubim ex duobus lateribus ejus.*

17.

17. ופרחיה *Et flores ejus*] Onkelos & Jonathan hic, & in sequentibus pro פרח *flore* habent שושן *lilium*.

25. *Ex ipso erant cornua ejus*] Jon. *ex ipso erant cornua ejus* זקיפן *erecta*. Et cap. 38. 2. *Ex ipso erant cornua ejus* זקיפן לעיל *erecta sursum*.

CAP XXXVIII.

MUNSTERUS.

8. E X *speculis*] Onk. hunc locum sic vertit, *ex speculis mulierum quæ veniebant ut orarent in ostio tabernaculi*. Idem fere sentit K. nisi quod צבא exponit pro קבץ, *congregare* vel *convenire*. Vocantur proinde specula illa ex quibus conflatum est lavacrum illud æneum, *specula mulierum*, quod hæ peculiariter pro capitum suorum compositione iis uti solebant, sicut & Isa. 3. luxus ille filiabus Sion improperatur. Mulieres vero, quæ à se seculi vanitatem rejecerant, & soli Deo placere studebant, portabant hujusmodi specula, & in ministerium Domini offerebant; & per singulos dies certo tempore veniebant ad tabernaculum, Dominum adoraturæ. Hæc A. E.

10. *Capitella*] Non explicuimus supra 27. cap. hanc dictionem, idcirco rationem ejus hic signabimus obiter. Dicunt Hebræi ו esse clavum prominentem, qui literæ Vau habet figuram, & in quo aliquid suspendi potest; qualis est uncinus, qui caput habet retortum. In singulis autem columnis atrii erant infixi juxta cælaturas columnas cingentes uncini quidam, in quos suspendebantur pecudes offerendæ, postquam excoriatæ erant: & isti hic vocantur ווים, *clavi* seu *uncini*, qui memorantur columnis infixi.

21. *Supputationes*] Omnes Hebræi exponunt hic מספר pro מספרים, ut nos vertimus. Annotatur enim summa auri & argenti quæ insumpta fuerunt in fabrefactione tabernaculi & vasorum atque instrumentorum ejus.

24. *Talenta*] Diximus supra cap. 30. Talentum continere 70 usuales, & 120 libras sanctuarii. Et Libra habet 25 siclos. Talentum autem habet tria millia siclorum, ut R. Salom. hic scribit.

25. *Pro sexcentis millibus*] Sive, *à sexcentis & tribus millibus hominum qui in numerum transibant cum aliis quingentis quinquaginta*: quorum quilibet dimidium sicli offerebat: unde tantum argenti pondus consurgebat.

F A G I U S.

8. E X *speculis mulierum*, &c.] A. E. in hunc locum scribit, כי משפט כל נשים להתיפות לראות פניהם במראות בכל בקר ...
Mos erat omnium mulierum ut decorarent suam faciem singulo mane in speculis aneis aut vitreis, atque ita adaptarent tiaras quas in capitibus suis habebant: quarum & in libro Esaia mentio fit. Nam mos Israelitarum erat, sicut est mos Ismaelitarum in hunc usque diem. Et ecce in Israel mulieres erant Deum colentes, quæ spreta mundi vanitate sua specula Domino sponte offerebant. Non enim illis amplius opus habebant ut odornarent sese: Sed veniebant per singulos dies ad ostium tabernaculi, ut orarent & audirent præcepta. Et hoc est quod dicitur, אשר צבאו פתח אהל מועד, *Quæ militabant*, sive congregabant se, *instar scilicet exercitus*, ad ostium tabernaculi: *nam plures erant*. Hactenus ille. His adstipulatur & R. D. K. qui in lib. Rad. ita scribit, ...
Congregabantur filiæ Israel ad fores tabernaculi testimonii, afferentes manibus suis etiam specula sua pro munere spontaneo tabernaculi. Eadem & R. S. habet, בנות ישראל היו בידן מראות ...
Filiæ Israel habebant specula, quæ inspiciebant cum se ornarent: atque etiam ea adferre in munus tabernaculi non tardaverunt. Lxx legunt, ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς, *de speculis mulierum jejunantium*, (sive *vigilantium*, ut quidam legunt) *quæ jejunaverunt apud ostia tabernaculi*, &c. Illiusmodi mulierum etiam mentio fit 1 Sam. 2. 22. ubi dicitur, *Eli autem erat valde senex, & audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli, & quod dormirent cum mulieribus* הצבאות, i. *quæ excubabant*, sive *congregabantur*, *ad ostium tabernaculi testimonii*. Ubi iterum Thargum habet, *Quæ veniebant ut orarent*, &c. Ex illis nimirum piis mulieribus una fuit & Anna prophetissa illa de qua legimus Lucæ 2. 37. *Quæ non discedebat à templo jejuniis ac deprecationibus serviens nocte ac die*, &c.

10. *Capita vero columnarum*, &c.] Per ista *Capitella* Hebræi intelligunt clavos & uncinos columnis infixos, unde suspendebantur pecudes offerendæ postquam excoriatæ erant. Sic enim scribit R. D. K. in Rad. suis, ווי העמודים ...
Vavin, h. e. capitella columnarum, clavi erant qui prominebant in columnis, præ se ferentes figuram Vaf litera: erantque in hoc facti ut in ipsis excoriarent pecudes offerendas.

26. *Pro sexcentis & tribus millibus*, &c.] Potest etiam legi, *à sexcentis & tribus millibus*, &c. scilicet hominum qui in numerum transibant.

V A T A B L U S.

1. A *Ltare holocausti*, את מזבח העלה] Vide eadem supra 27. v. 1.

3. *Omnia vasa*, את כל כלי] *Omnia instrumenta*. ¶ *Et scopas*, את היעים] *Et forcipes*. ¶ *Et receptacula*: את המחתת] Sub. *ignium*.

5. *In quos inducerentur vectes*: בתים לבדים] Ad verbum, *loca* (vel *domos*) *vectibus*.

7. *Vacuum tabularum fecit illud*, נבוב לחת עשה אתו] i. fecit illud ex tabulis concavum, & non solidum: replebatur enim terra.

8. *Concham æneam*, את הכיור נחשת] *Labrum ex ære, pelvim æneam*. De hoc labro sive labio vide supra 30. 18. ¶ *Ex speculis* mulierum *convenientium*, במראת הצבאת] Chaldæus paraph. *ex speculis mulierum quæ veniebant ut orarent in ostio tabernaculi fœderis*. Doctus inter Hebræos scribit, *Congregabantur filiæ Israel ad fores tabernaculi testimonii, afferentes manibus suis etiam specula sua pro munere spontaneo tabernaculi*. Alter vero etiam inter eos doctus in hunc locum sic ait, *Mos erat omnium mulierum ut decorarent faciem suam singulis matutinis in speculis aneis aut vitreis, atque ita adaptarent tiaras quas in capitibus suis habebant, quarum & in libro Esaiæ, cap. 3. 20. mentio fit: qui mos Israelitarum erat, sicut est mos Ismaelitarum in hunc usque diem. Ecce autem in Israel erant mulieres Deum colentes, quæ spreta mundi vanitate sua specula Domino sponte offerebant: non enim illis amplius opus habebant ut adornarent sese: sed veniebant per singulos dies ad ostium tabernaculi ut orarent & audirent præcepta. Et hoc est quod dicitur* הצבאת, i. quæ militabant, *sive* congregabant sese, *instar scilicet exercitus*, ad ostium tabernaculi: *nam plures erant*. Hactenus ille. Istiusmodi mulierum mentio fit 1 Sam. 2. 22. ubi dicitur, *Eli autem erat valde senex, & audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli, & quod dormirent cum mulieribus*, הצבאות, i. *quæ excubabant*, sive *congregabantur, ad ostium tabernaculi testimonii*. Ubi iterum Chald. paraph. habet, *Quæ veniebant ut orarent*, &c. Ex illis nimirum piis mulieribus una fuit & Anna prophetissa illa de qua legimus Luc. 2. 37. *Quæ non discedebat è templo, jejuniis ac deprecationibus serviens nocte ac die*, &c.

9. *Fecit postremo atrium*, ויעש את החצר] Ad verbum, *Et fecit atrium*. Atrii istius structuram habes & supra 27. 9. ¶ *Austri ad Meridiem*, נגב תימנה] *Meridianam ad Austrum*.

10. *Et filaeos cingentia*, וחשקיהם] *Et zonæ earum*, i. cælaturæ quibus illæ cingebantur.

15. *Hinc & inde porta atrii*, מזה ומזה לשער החצר] i. Ex utraque parte ostii, sive januæ.

18. *In latitudine*, ברחב] i. Quæ sumitur per latitudinem. ¶ Ad *cortinas atrii*, לעמת קלעי החצר] i. juxta rationem cortinarum atrii, sive observata proportione ad cortinas atrii.

19. *Uncini*, וויהם] *Calatura earum*, factæ scilicet in modum literæ ו. ¶ *Et fila eas cingentia*, וחשוקיהם] Vide v. 10.

20. *Clavi*, היתדת] *Paxilli*. *Clavos* sive *paxillos* vocat quos vocamus Gallice *Afiches*, quibus retinebantur in terra cortinæ sive tapetia, ne facile à vento deturbarentur.

21. *Ista sunt numerata*, אלה פקודי] i. Hæ sunt partes & instrumenta tabernaculi quæ numerata sunt, & numero tradita ac commissa Levitis. Hæ per anticipationem dicuntur, quod ex principio libri Numerorum intelligitur. Hic Hebræi undecimam hujus libri sectionem incipiunt, quam vocant פקודי *Numerata*. ¶ *Quæ numerata sunt ad jussum Mosch*, אשר פקד על פי

על פי משה] Ad verb. *quod numeratum fuit ad os Mose*, i. de mandato & jussu Mosis. ¶ In *ministerium Levitarum*, &c. עבדת הלוים וגו] Ordinem turbatum reposuit noster interp. sic enim legitur Hebraice, *ad jussum Moseh*, in *ministerium Levitarum, per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis. Per manum Ithamar*, i. operâ Ithamar.

23. *Artifex*, חרש] *Faber lignarius.*

24. *Insumptum*, העשוי] Ad verb. *factum*. ¶ *Oblationis*, התנופה] i. Sponte oblatum in donariis. ¶ *Secundum*, &c. בשקל הקדש] *Ad siclum sanctum*, vel, *in siclo* [aut *pondere*] *sancto.*

25. *Numeratorum Synagogæ*, פקודי העדה] i. Eorum qui ex congregatione in numerum venerant.

26. *Semissis*, בקע] Ad verb. *Fragmentum*. Quidam vertunt, *drachma*. Alii, *Dimidium pondus*. ¶ *Omnibus transeuntibus ad numeratos*, לכל העבר על הפקדים] Sing. Heb. pro plur. i. omnibus qui numerati fuerant. ¶ *Ab eo qui natus*, &c. מבן עשרים שנה] Ad verb. *à filio viginti annorum.*

27. *Centum bases*, &c. מאת אדנים למאת וגו] Declarat proxime præcedens: acsi dicat, Singula talenta insumpta fuerunt singulis basibus; vel, Singulæ bases pendebant talentum unum.

28. *Capita ipsarum*, ראשיהם] *Capitella ipsarum*; nempe columnarum. ¶ *Et cinxit*, וחשק] Sub. *calaturis quibusdam ex argento factis.*

30. *Et cribrum*, ואת מכבר הנחשת אשר לו] *Et craticulam ejus aream*. Ad verb. *& craticulam quæ erat illi*, sub. *altari aneo.*

CASTALIO.

19. C*Olumna eorum*] Scilicet velorum ex quibus constabat aulæum.

CLARIUS.

8. D*E speculis mulierum quæ excubabant*] Mulieres quæ à se seculi vanitatem rejecerant, & soli Deo placere studebant, portabant hujusmodi specula, & in ministerium Domini offerebant, & per singulos dies certo tempore veniebant ad tabernaculum Dominum adoraturæ.

9. *Tentoria*] Intellige cortinas.

10. *Capita columnarum*] Alii verterunt *capitella*, vel *uncinos*, & in hoc capite aliquoties, & supra cap. 27. dicunt Hebræi significari clavum prominentem qui literæ Vau habet figuram, & in quo aliquid suspendi potest, qualis est uncinus, qui caput habet retortum. In singulis autem columnis atrii erant infixi juxta cælaturas columnas cingentes uncini quidam, in quos suspendebantur pecudes offerendæ postquam excoriatæ erant.

14. *E quibus quindecim cubitos*] Sensus est, Erant cortinæ quindecim cubitorum ex uno latere introitus, cum columnis tribus & basibus tribus; & ex alio similiter latere, in medio introitum atrii fecit.

24. *Talentorum*] Talentum continet sexaginta Libras usuales, & centum atque viginti Libras sanctuarii. Et Libra habet viginti quinque Siclos: Talentum autem habet tria millia Siclorum.

25. *Argentum vero recensitorum*] Non refertur numeratio populi ad aurum, sed ad argentum, cum solveret quilibet numerandus Israelita dimidium siclum. Si igitur adnumeres argenti summam numero virorum, invenies correspondentiam. Unus enim centenarius valet tria millia siclorum; centum centenarii faciunt trecenta millia siclorum integrorum, & ideo sexcenta millia dimidiatorum. Item mille septingenti septuaginta quinque integri sicli constant tria millia quingenta quinquaginta dimidiatorum: unde resultat numerus sexcentorum trium millium & quingentorum quinquaginta.

DRUSIUS.

27. U*Bi nos habemus centum talenta*, Jonathan edidit *centum* קנטרין, quod plurale est à singulari קנטר *Cantinar*. Hoc quid esset quæsitum aliquando ex me fuit. Qui quærebat adolescens erat non è multis. Nam tales libros hodie pauci terunt. Rari enim sunt & ab omnibus non intelliguntur. Non enim omnibus datur adire Corinthum. Sed ad rem. Videtur mihi *Cantinar* esse id quod Nicolaus appellat *Centenarium*. Ea voce utitur pro eo quod Hebræi dicunt ככר, quod *Talentum* reddunt. Ait enim certe unum Centenarium valere tria millia siclorum. Quod idem de talento asserit R. S. Rodolphus Agricola nos admonet de hac voce, quam recentiores usurpare scribit pro *centum pondo*. Verba Nicolai, *Pro viginti novem Talentorum, in Hebræo habetur, viginti novem Centenariorum. Dicit autem R. S. quod Centenarius continet sexaginta Mnas. Mna vero Sanctuarii duplex erat respectu communis: & sic Centenarius continebat centum viginti Mnas, & Mna viginti quinque Siclos: & sic Centenarius Sanctuarii continebat tria millia Siclorum.* In eodem Jonatha vers. 24. & 29. est קנטרין, quod vocabulum Fagius apud Thesbitem *talenta* interpretatur. *Cantinar* obvium quoque Exod. 25. 39. ubi similiter ככר in fonte sacro. Loquor de Thargum Jonathæ. Nam alium qui usus sit, non novi. Mercerus Gen. 23. 15. *Hebræi Siclos in Lege volunt esse qui* כלעים *dicantur*, i. *Nummuli, in Prophetis esse* לטרין *Libras, in Hagiographis autem* קנטרין, *Centenarios, quomodo etiam sicli Ephronis soli in Lege sunt sumendi, quod maximi ponderis fuerint, quasi qui ubique recipi possent inter mercatores in quavis provincia, ut mox dicet*, transeuntis ad mercatores. Vocat *Centenarios* quos Fagius, ut diximus, *Talenta* nuncupat, nempe Talentum cum centenario confundens. In schedis meis קנטרין *magna pondera* שקלים גדולים, *Gallice* צנטנירש *centeners. Centupondium, centum librarum pondus.* Libet nunc consequa verba Nicolai subnectere, *Centum Centenarii valent trecenta millia Siclorum integrorum, & per consequens valent sexcenta millia dimidiatorum. Item 1775. integri valent 3550. dimidios.*

NOTÆ MAJORES.

1. *Et fecit altare holocausti è lignis Settim, quinque cubitorum longitudo ejus, & quinque cubitorum latitudo ejus, quadratum, & trium cubitorum altitudo ejus.*

2. *Fecitque cornua ejus in quatuor angulis ejus, ex ipso erant cornua ejus: obduxitque illud ære.*

3. *Fecit quoque omnia vasa altaris, lebetes & scopas & pelves & fuscinulas & receptacula: omnia vasa ejus fecit ex ære.*

4. *Et fecit altari cribrum opere retis ex ære, subter ambitum ejus inferne ad usque medium ejus.*

5. *Et fudit quatuor annulos in quatuor extremitatibus cribri anei, (ut essent) domus vectibus.*

Altare holocausti] quod & altare holocaustorum. ¶ *Ære*] *laminis aneis*. Hiero. ¶ *Lebetes*] ita Hiero. alii, *ollas*. Nam סיר olla. Vasa erant in quibus cinis reponebatur. Onk. פסכתרותא quasi dicas ψυκτῆρες, quæ nomen habent à refrigerando. Legitur & קספא ψυκτὴρ per Coph. Significatio diversa. Jon. דודותא i. ollas aut ahena. ¶ *Scopas*] יעים quibus cinerem amovebant ab altari, ἀπὸ τοῦ יעה amoveo, removeo. Onk. & Jon. מגרופיתא, quod à גרף deducunt. Id *verrere* significat. Ergo מגרופיתא scopæ, cujus singularis מגרופתא qua domum aut altare verrimus. Fagius *palas* interpretatur. Sic etiam Tremell. ex Ebræo. Hiero. *forfices*. Vide quæ notavimus ad cap. 27. hujus libri. Edit. Gall. *les racloirs* i. radulas. Nam *racler*, radere, abradere. ¶ *Pelves*] מזרקת appellatio à spargendo. Unde *sparsorias pelves* interpretatur Arias. Alii, *crateras*. Hiero. *fuscinulas*. Gall. *les bassins*. i. pelves. Lege notas in cap. 27. ¶ *Fuscinulas*] Hiero. *uncinos*. Onk. צנורין quod reddunt, *fuscinulas*. Sed in Lexico Munsteri, צנורא uncinus, tridens, fuscinula. Confundit ea quæ Hiero. distinguit. In lingua sapientum צנורות fuscinulæ unci in modum incurvæ, κρεάγρα. Jon. משילייא tridentes, fuscinæ quibus caro ex olla extrahitur. Legitur & משליא absque altero Jod. Gall. *les havets* i. unci sive uncini. ¶ *Receptacula*] Hiero. *ignium receptacula*. Tremell. *forcipes*. Fagius, *pateras*. Gall. *les encensoirs*. Sed vide sis Exod. 27. 3. ¶ *Cribrum*] מכבר, unde כבר qui cribra facit. Hiero. *craticulam*. Onk. סרדא, quod *cribrum* redditur. Jon. קנקל cancellatum opus. Cribrum vocatur quod cribri in modum factum esset. Id sig. cum ait, *opere retis sive reticulato*. Unde forte in Lex. Munst. קנקל *rete*, ex Thargum Jerosol. Quod ex Aruch descripsit, in quo tamen קנקל non exponitur *rete*. Quid igitur? *cribrum opere retis, Thargum Jerosol.* inquit, *interpretatur, Cancal opere retis, & sic interpretatur* מכבר in sectione ויקהל. Quæ firmant opinionem meam de Thargum Jonathæ. Nam suspicor esse Thargum Jerosolymitanum, erroremque natum ex abbreviatura ת״י, tum etiam quia Typographus quæstum majorem speravit ex nomine Jonathæ, quod magnum est apud Judæos. In eodem Lexico קנקלין exponitur vernacule קצלי cancelli; qui fiunt ex ferro, ære aut lapide. Unde in eodem Lexico, *lapis est in quo multa fenestræ, qui defigitur in pariete ad illuminandam domum.* Ibidem קנקל לכלים est vas in quo ponunt ignem & sulphur ad infumandum vestes quæ super illud. Dicit R. Levi, *Auris est corpori quod cancal* לכלים *i. vestibus. Quid cancellus*

cellus iste? quum plenus est vestibus tu firmum facis sub eo, & omnes sentiunt: sic inclinate aurem vestram & venite ad me, audite & vivet cor vestrum, & pangam vobiscum fœdus æternum, benignitates Davidis fideles. Hucusque. ❡ *Subter ambitum ejus &c.*] Hiero. *& subter eam* (sub. fecit) *in altaris medio arulam.* eam videl. craticulam, quam nos *cribrum* reddidimus. ❡ *In quatuor extremitatibus &c.*] Hiero. *per totidem retiaculi summitates.* Nove מכבר interpretatur *retiaculum.* forte quia in modum retis factum erat. ❡ *Cribri ænei*] vel potius, *cribro æneo*, ut referatur ad verbum *fudit.* Trem. *è regione cribri ænei.* ❡ *Ut essent domus*] i. sedes aut locus i. אתרא. Sic Onk. & Jon. Hieron. *ad immittendos vectes ad portandum.*

6. *Et fecit vectes è lignis Settim, obduxitque illos ære.*

7. *Et induxit vectes in annulos in lateribus altaris, ad portandum illud eis: cavum tabularum fecit illud.*

8. *Fecit & labrum æneum, & basin ejus æneam de speculis exercitus mulierum quæ in modum exercitus conveniebant ad ostium tentorii conventus.*

In lateribus altaris] על צלעת המזבח è verbo sonat, *super costas altaris.* Nam צלע costa. Sed pro latere sumitur i. סטרא. Qua voce usi sunt h. l. Jon. & Onk. Nos supra vertimus, *in duobus angulis ejus*, nempe quia sequebatur, *in duobus lateribus ejus.* Idem aliter, ut possis legere, *in duobus angulis ejus*, h. e. in duobus lateribus ejus. Hisc. annotat כפל מלת הוא duplicatum esse sensum aliis verbis. ❡ *Cavum tabularum*] נבוב לחת Hiero. *sed cavum ex tabulatis*: & alius, *cavum ex tabulis.* Santes, *cum vacuo inter tabulas.* Ad sensum non male. R. Salo. נבוב interpretatur dicens *esse idem quod* חלול *cavum, vacuum, perforatum.* Idem Rabbi, *Tabula*, inquit, *erant è lignis Settim ab omni parte, & foramen sive cavitas in medio.* i. חלול. Jon. *cavum tabularum plenum terra fecit illud.* ❡ *Labrum æneum*] vel, *concham æream.* Melior interpretatio, *fecit labrum ex ære.* Nam est נחשת in textu sacro. Sic mox, *& fecit basin ejus ex ære.* Verbum è verbo, *fecit æs.* Sic alibi, *fecit aurum* pro ex auro. ❡ *Basin ejus*] pro כנו בסיסיה quod in Onk. & Jon. In Jerosolym. est בסיס דידה, eadem sententia. Porro incertum utrum Græci hanc vocem à Chaldæis acceperint, an contra Chaldæi à Græcis. Grammatici certant & adhuc sub judice lis est. ❡ *E speculis exercitus mulierum*] vel, *è speculis mulierum per exercitus*, quod alius dixit, *turmatim sive per turmas, convenientium.* Videtur innuere fœminas quæ pietatis studio certatim accurrebant ad offerendum Deo specula sua, quæ ex ære facta penes se habebant. Sed operæ pretium est audire aliorum interpretum de hoc loco sententias & opiniones, quæ fere in idem recidunt. Onk. *ex speculis mulierum quæ veniebant ad precandum in ostio tabernaculi conventus.* Jonat. *è specularibus æneis mulierum &c.* Jerosol. *è speculis mulierum verecundarum* (aut *pudicarum*, devotarum) *quæ verecunde se gerebant in porta tabernaculi conventus.* Hiero. *de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Ceterum in dubio est utrum hæ fœminæ venerint orandi caussa, an tantum ad offerendum munera sua. R. David in Lib. Radicum „Filiæ Israel congregabantur ante ostium tentorii conventus, afferentes manibus suis etiam specula sua spontaneum munus pro tabernaculo." Abenez. „qui σοφὸς cognominatur. Consuetudo mulierum erat cum se ornarent, ut specula ærea aut vitrea inspicerent quotidie mane, ad quæ concinnabant & aptabant capitis tegumenta quorum mentio in Jesaia. Similis mos obtinet hodieque apud Ismaelitas. Et ecce erant inter Israelitas fœminæ servientes Deo, quæ valedixerant cupiditatibus hujus seculi. Hæ dabant specula sua munus ultroneum Deo. Nam non indigebant eis ad ornandum se, quia veniebant quotidie ad ostium tentorii conventus orandi gratia & ad audiendum præcepta: & quia multæ erant, ideo dicit הצבאות per turmas convenientium sive per exercitus." R. Salo. „Filiæ Israel habebant specula quæ inspiciebant cum se ornarent, etiam illa non tardarunt adferre munus voluntarium pro tabernaculo. Initio Moses recusabat ea nolebatque accipere propterea quod facta essent in usum figmenti mali. Dixit Deus benedictus, Cape tradita. Nam hæc chariora mihi sunt quam omnia alia quæ in manu ipsorum." Hactenus R. Salo. Quæ eo libentius adduxi quod sciam esse quosdam inter Christianos qui abhorrent omnia quæ contrariæ religiones in cultu divino adhibuerunt. Nam etiam vestes eorum abominantur, licet forma vestium sit inter ea quæ Theologi vocant adiaphora. Hisc. מראות *significationem habet videndi. Nam locus erat inter tentorium conventus & altare, unde mulieres turmatim convenientes prospiciebant meminentes inde pœnam præberi fœminis impudicis quas סוטות appellant.* Secundum hanc sententiam & expositionem vertendum erit, *in speculis mulierum per turmas convenientium &c.* LXX. ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου: ex speculis (obliquus à recto specula: non à speculo.) jejunantium, quæ jejunaverant apud ostia tabernaculi testimonii. Mirari libet cur verterunt הצבאות νηστευσασῶν. An legerunt הצומות? Hujusmodi mulierum, quæ etiam הצבאות vocantur, mentio 1 Sam. 2. 22. cum quibus filii Eli rem & consuetudinem habebant. Credibile autem fuisse mulieres devotas quæ se Deo consecraverant, perpetuo in ejus æde orationibus & jejuniis vacantes. Quale testimonium de Hanna prophetissa perhibet Euangelista Luc. 2. 37. ❡ *E speculis*] במראת. Notant Ebræi ב hoc loco positum esse loco מן, quod & alias fieri observatum, ut in illo, *quod residuum est in carne & in pane.* Nam sensus est, de carne & de pane. Sic quod Moses dixit, *in toto corde tuo*, Marcus Euangelista reddidit ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου. Similiter, *justus fide vivet*, quod Ebraice dicitur באמונתו, Apostolo interpretante valet, *ex fide.* Ceterum specula מראות vocantur quod faciem ostendant ac repræsentent. Nam הראה ostendo; unde participium מַרְאֶה ostendens, & in gen. fœm. מַרְאָה & in plurali מראות ostendentes. ❡ *Tentorii conventus*] tabernaculi Mosis, in quo Deus ipsum conveniebat. *Ejus ostium*, teste Abenez. *orientem respiciebat*, ad quem te adire cupio. Conchæ autem sive labri mensuram hic non expressit, quemadmodum Salomo fecit. Obiter noto, In Salomone Jario *specula* reddi vernacule מירוריש quod corruptum videtur. Nam fallor aut in mente habuit Gallicum *miroirs* i. specula, quæ Chaldaice scribit dici מחזין à videndo, & in Jesa. גליונים.

9. *Et fecit atrium: ad plagam australem meridiem versus, vela atrii ex bysso retorta centum cubitorum.*

10. *Columnæ eorum viginti, & bases eorum viginti ex ære: clavi columnarum & cinctura earum ex argento.*

Ad plagam australem] vel *in plaga meridiana.* נגב auster, meridies, à siccitate. ❡ *Meridiem versus*] תימנה austrum versus. Quod male reddunt *dextrorsum.* Nam תימן non sig. dexteram, licet à dextera sic appellata sit plaga illa. Nam qui orientem respicit austrum habet à dextera. Notavi alias. ❡ *Vela atrii*] vel, *cortina atrii.* Sic alibi Hiero. Hic habet *tentoria atrii*, quod Santes retinuit. Mihi *cortinarum* interpretatio magis arridet. Quanquam cortinæ יריעת dicantur. Sunt qui eas קלעים appellatos arbitrantur eo quod in iis essent figuræ fundarum: Nam קלע funda. Alii dicunt *foraminibus reticulato opere plena fuisse.* Ut ut sit, præter Senes qui *ista* reddunt, etiam Jon. *vela* interpretatur, ut alius, *tapetes ocellatos.* Vide quæ scripsimus Exo. 27. 9. & 35. 17. Abenmelech, *cortinæ vocantur* קלעים *quod facta essent opere aperto*, מעשה מנקב i. ocellato. ❡ *Centum cubitorum*] sensum expressimus. Nam in fonte ad verbum, *centum in cubito.* ❡ *Eorum*] velorum. ❡ *Ex ære*] vel, *ænea.* Sub. autem, erant. Quod si ad verbum *fecit* placet referre, tum vertendum erit, Columnas eorum 20. & bases eorum 20. ex ære sive æreæ. ❡ *Clavi columnarum*] vel, *unci*, aut *uncini.* Hiero. *capita columnarum.* ❡ *Cinctura earum*] חשוקיהם Hiero. *tota operis calatura.* Santes, *fila eas cingentia.* Trem. *Zonas earum.* Quæ alias notavi, non repeto. ❡ *Ex argento*] vel, *argentea.*

11. *Et ad plagam septentrionalem centum cubitorum, columnæ eorum viginti & bases earum viginti: clavi columnarum & cinctura earum ex argento.*

12. *Et ad plagam maris vela quinquaginta cubitorum, columnæ eorum decem & bases earum decem: clavi columnarum & cinctura earum ex argento.*

13. *Et ad plagam orientalem ortum versus quinquaginta cubitorum.*

14 *Vela quindecim cubitorum ad latus, columnæ eorum tres & bases earum tres.*

Septentrionalem] *aquilonalem*, vel, si mavis, *aquilonarem.* ❡ *Bases earum*] columnarum videl. ❡ *Ex argento*] vel, *argentea* ut supra. ❡ *Maris*] i. occiduam sive occidentalem. Intelligit autem mare magnum, quod in occidente terræ Israel. Abenez. *Quoniam ostium tentorii conventus respiciebat orientem, quæ est veluti facies, ideo vocat plagam occidentalem* ירכים *i. latera.* ❡ *Orientalem*] quidam, *anteriorem.* Nam oriens ante nos. Habetur enim ratio hominis solem intuentis. Sed קדם oriens, & מקדם ab oriente. Sic אחור occidens, qui post nos h. e. à tergo ejus qui orientem respicit. Aliquis putaret קדמה positum esse pro קדם ob præcedentem vocem, quæ in regimine. Alioqui קדמה sonat *orientem versus*, ut & מזרחה, quod additum lucis caussa. Notior enim oriens מזרח, quam oriens קדם. Sic alibi נגבה תימנה austrum versus, meridiem versus. ❡ *Ad latus*] אל הכתף. Videtur aliquid abesse

abeſſe ut ſit *ad latus unum*, vel, *in latere uno.* Hiero. certe, *unum latus tenebant.* De ellipſi ejus vocis diximus antea, quæ non repeto. כתף proprie *ſcapula.* Sed *latus* interpretantur etiam On. & Jon. Scholion eſt Abenez. circa hunc locum, *Vocat vicina oſtio* (tentorii conventus) כתפים *ſcapularia* (aut lateralia) *tralatione ſumpta à ſcapulis viri.*

15. *Et in latere ſecundo hinc inde ad portam atrii vela quinque cubitorum: columnæ eorum tres, & baſes earum tres.*

16. *Omnia vela atrii circumcirca è byſſo retorta.*

17. *Et baſes columnarum ex ære, clavi columnarum & cinctura earum ex argento, & obductio capitum earum ex argento, & ipſæ cinctæ erant argento omnes columnæ atrii.*

In latere ſecundo] vel, à latere ſecundo. Locus hic evincit ſupra legendum eſſe, *in latere uno.* Hiero. *in parte altera.* ¶ *Hinc inde*] ab utraque parte. ¶ *Circumcirca*] vel, circumquaque aut per circuitum. ¶ *E byſſo retorta*] Hiero. *byſſus retorta texuerat.* ¶ *Ex ære*] vel, *ænea.* ¶ *Clavi columnarum*] Hiero. *capita columnarum.* alius, *unci* &c. ¶ *Obductio capitum &c*] Hiero. *capita autem earum cum cunctis cælaturis ſuis argentea.* בחשוקיהון vertit, *cum cælaturis ſuis.* ¶ *Argento*] cincturis aut circulis argenteis. Hiero. *ſed & ipſas columnas atrii veſtivit argento.* Jon. *cingebantur cincturis argenteis quemadmodum facta erant omnes columnæ atrii.* R. David in lib. Radicum, *Clavi ſive unci columnarum* (*capitella* nonnulli) *clavi erant qui exibant è columnis facti in modum litteræ Vau ad ſuſpendendum in eis pecudes offerendas poſtquam excoriatæ erant.* Verbum e verbo, *ut excoriarent oblationes ibi.* ¶ *Omnes columnæ atrii*] omnes columnæ cinctæ erant circulis argenteis: vel, omnia capita cincta erant hujuſmodi circulis ut omnes columnæ atrii. Notum ut Chaph nota ſimilitudinis interdum deſideretur.

18. *Et velum portæ atrii opere phrygionis ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto & byſſo retorta: viginti cubitorum longitudinis, & altitudo in latitudine quinque cubitorum è regione velorum atrii.*

19. *Et columnæ eorum quatuor & baſes earum quatuor ex ære, clavi eorum ex argento & obductio capitum earum cincturæque earum ex argento.*

20. *Omnes paxilli tabernaculi & atrii circumquaque ex argento erant.*

Velum] aulæum, tegumentum. ¶ *Opere phrygionis*] i. phrygionico. Licet etiam vertere, *opere acupictoris.* In edit. Hiero. *opere plumarii.* ¶ *E regione velorum atrii*] Hiero. *juxta menſuram quam cuncta atrii tentoria habebant.* Cui firmando quod in Salomone Jario, *juxta menſuram velorum atrii.* Id enim certe ſignificat cum ait. כמדת קלעי החצר. Vide, ſi otium. ¶ *Columnæ eorum*] vel, *columnas eorum.* ſub. fecit. Sic in ſequentibus. Hiero. hic de ſuo adjecit *in ingreſſu.* Supra, *velum portæ atrii*, idem, *in introitu ejus fecit tentorium.* ¶ *Obductio capitum &c*] Hiero. *capitaque earum & cælatura argentea.* ¶ *Circumquaque*] *per gyrum.* idem. *Paxillos*, inquit, *tabernaculi per gyrum fecit æneos.*

21. *Hæc ſunt numerata* (*inſtrumenta*) *tabernaculi, tabernaculi teſtimonii, quæ numerata ſunt juxta os Moſis in miniſterium Levitarum per manum Ithamar filii Aharonis ſacerdotis.*

22. *Et Beſeleel filius Uri filii Hur ex tribu Juda fecit omnia quæ præceperat* DOMINUS *Moſi.*

23. *Et cum eo Ooliab filius Achiſamech ex tribu Dan, faber & artifex ingenioſus & phrygio in hyacintho & in purpura & in cocco bis tincto & in byſſo.*

Hæc ſunt numerata] nova ſectio, quæ vocatur אלה פקודי. *Hæc ſunt numerata, in qua numerantur*, ait R. Salom. *pondera ſponte oblatorum tabernaculo in argento, & auro & ære: numerantur quoque in ea omnia inſtrumenta ad omnem cultum ejus ſervientia.* ¶ *Numerata* (*inſtrumenta*)] In פקודי ſignificatio recenſendi aut numerandi, quod præter alios, interpretes Chaldæi On. & Jon. atteſtantur. Nam uterque vertit מנין i. numeri, pro quo in Fagio *ſumma rerum.* Hier. maluit, *Hæc ſunt inſtrumenta*, quam interpretationem roborat Abenez. ita ſcribens, *Numerata, ſenſus eſt* הכלים i. *vaſa ſive inſtrumenta.* Quæ tamen R. Salo. diſtinguere videtur. Nam ait, *numerata tabernaculi & vaſa ejus*, niſi ſenſus, h. e. vaſa ejus. Lxx. *Hæc eſt conſtructio* (σύνταξις) *tabernaculi.* ¶ *Tabernaculi*] in quo omnia hæc inſtrumenta. Vocatur autem משכן propter arcam ἀπὸ τοῦ שכן habito, & *tabernaculum teſtimonii*, quoniam in arca tabulæ teſtimonii. Porro in arca divinitas quaſi habitabat: unde R. Salo. *collocavit divinitatem ſuam inter eos.* Quod argumento eſt Deum ipſis reconciliatum fuiſſe qui propter cultum vituli decreverat ſe ab illis ſubducere. *Bis autem repetendo tabernaculi tabernaculi, innuit binas deſtructiones ejus, quæ acciderunt ob peccata populi*, ait R. Salo. Sub tabernaculi vocabulo etiam ipſum templum comprehendo. Hiſc. arbitratur additum fuiſſe *tabernaculum teſtimonii*, ne quis aberraret animo præſumens aliud tabernaculum, cujuſmodi plurima erant in caſtris Iſraelitarum, veluti tabernaculum Core & ſimilia. *Nunc*, inquit, *dico tibi eſſe tabernaculum teſtimonii, in quo habitant tabulæ fœderis.* Nicolaus de Lyra, „Pro, Hæc ſunt „inſtrumenta, in Ebræo habetur, Hi ſunt computi ſive nu„meri: & videtur hoc melius dictum, ut patet ex littera ſe„quenti, qua nominantur & etiam numerantur pondera metal„lorum, de quibus facta ſunt opera tabernaculi." R. Levi, אלה פקודי „Senſus eſt, Hæc eſt ſumma numeri ponderis eorum „quæ facta ſunt in tabernaculo ex auro, argento & ære: quo„rum aurum & æs ſuppetebant ex donatione ſpontanea ſeu ul„tronea: argentum vero ex dimidio ſiclo qui per capita ſolve„batur. ¶ *Tabernaculi teſtimonii*] *vocatur tabernaculum teſtimonii*, eodem autore, *quia in eo erat arca teſtimonii, inſtrumentum honoratiſſimum eorum quæ in tabernaculo.* Abenez. cenſet, *arcam teſtimonii appellationem habere à tabulis teſtimonialibus, quæ in ea digito Dei conſcriptæ erant.* ¶ *Quæ numerata ſunt juxta os Moſis*] Nam Moſes ita fieri præceperat. Os autem dicit *juſſum*, *præceptum.* Certe in Hiero. *juxta præceptum*, & in On. *juxta ſermonem:* & in Jona. *juxta os ſermonis.* Paullo aliter Græci καθὰ συνετάγη μωυσῇ: ſicut præceptum fuerat Moyſi. ¶ *In miniſterium Levitarum*] עבודת alibi *cultus*, hic melius redditur *ſervitium aut miniſterium.* Nam עבד ſervio. Quidam, *pro miniſterio Levitarum.* Jon. *ſed miniſterium Levitarum erit.* Hiero. *in ceræmoniis* (alias, *ceræmoniis*) *Levitarum.* Lxx. τὴν λειτουργίαν εἶναι τῶν Λευιτῶν, ut miniſterium eſſet Levitarum. ¶ *Levitarum*] R. Salo. „Numerata tabernaculi & vaſa ejus erat miniſterium quod tra„ditum fuerat Levitis in deſerto ad portandum & deponendum „& erigendum. Quod unuſquiſque faciebat ſecundum onus „quod ei fuerat mandatum." Abenez. „Levitæ portabant „tabernaculum & omnia inſtrumenta ejus, quibus præe„rat Ithamar. Nam Gerſonitæ & Meraritæ Levitæ erant „per manum Ithamar, qui numerabat nominatim inſtru„menta oneris ipſorum." Nicolaus de Lyra, „In ceræ„moniis Levitarum i. in obſequiis eorum, quia ad eos perti„nebat portare tabulas tabernaculi & baſes & operimen„ta & plura alia: ſimiliter deponere tabernaculum in mo„tione caſtrorum & erigere ipſum in loco poſitionis caſtrorum. ¶ *Per manum Ithamar*] i. opera & ductu Ithamaris. Nam ipſe erat præfectus eorum, qui unicuique præſcribebat quid ipſi faciendum eſſet. Quidam legunt, *Miniſterium Levitarum erat in manu Ithamaris &c.* Nicol. *per manum* interpretatur, *ſecundum ordinationem & præceptum.* Gall. edit. *ſous la conduite de Ithamar:* i. auſpiciis Ithamaris. Videnda ſunt quæ ad h. l. notavit R. Levi, qui præter alia ſcribit *Ithamarum huic negotio præfuiſſe, & Levitis quibus vellet imperaſſe ut numerarent & annotarent omnia quæ inferebantur ex auro, argento, & ære* &c. ¶ *Sacerdotis*] nam filii Aharon ſacerdotes erant. Quod ſi ad Aharonem placet referre, non repugno: tantum obſervo ſacerdotem tum ſignificare *pontificem*, qui Ebræis *ſacerdos magnus* i. כהן גדול. ¶ *Beſeleel filius Uri &c.*] ridiculum eſt quod in Salomone Jario, *Scriptum*, inquit, *non quod præcepit ei Moſes, ſed quod Deus præceperat Moſi, dum eſſet in monte Sinai. Quippe Moſes præcepit ut faceret primum vaſa, deinde tabernaculum. Dixit ei Beſeleel, Conſuetudo mundi eſt facere primum domum & poſtea ponere ſupellectilem in medio ejus. Cui Moſes, Sic audivi ex ore Dei benedicti: Rurſum dixit ei, In umbra ſeu protectione Dei fuiſti, quia pro certo ita præcepit mihi Deus benedictus. Fecit ergo tabernaculum initio, & poſtea fecit inſtrumenta ejus.* ¶ *Phrygio*] vel, *acupictor.* ¶ *Fecit Beſeleel &c.*] Hiſc. *etiam res*, teſte R. Salo. *quas non dixerat ei præceptor ejus* (Moſes) *veluti erat obductio capitis columnarum.*

24. *Omne aurum quod factum ad opus in omni opere ſanctuarii: fuitque aurum oblationis viginti novem talentorum, & ſeptingentorum triginta ſiclorum, ſiclo ſanctuarii.*

25. *Et argentum numeratorum cœtus centum talentorum: & mille ſeptingentorum & ſeptuaginta quinque ſiclorum, ſiclo ſanctuarii.*

Quod factum] i. expenſum ſive impenſum. Sic alibi (locus eſt in Hoſea, niſi fallor) *aurum quod fecerunt in Baal* i. impenderunt. Vide lectiones noſtras. ¶ *In omni opere ſanctuarii*] vel, *in toto opere.* קדש *ſanctuarium.* ita Hier. & alii. Græce τὸ ἅγιον. proprie *ſanctitas*, ut poſſis vertere, *in opere ſanctitatis.* i. ſacro. ¶ *Aurum oblationis*] ver. à ver. *aurum agitationis.* Nam qui voluntate

voluntarie offerebat, agitabat illud cum daret thesaurario. Hier. *quod oblatum est in donariis.* Jonath. *summa auri elevationis.* Aliud elevatio, aliud agitatio. Diximus antea. Vide, si otium est. ¶ *Viginti novem*] hunc ordinem servant Chaldæi, copula interposita, *viginti & novem:* sed Ebræi eum invertunt, dicendo, *novem & viginti:* Nam minorem numerum præponunt. ¶ *Talentorum*] ita Hieron. ככר ergo talentum. Jon. קנטרין quod reddunt *centenariorum.* Rodolphus Agricola nos admonet de centenario, quod *recentiores usurpare* scribit *pro centum pondo.* Vide quæ notavimus Gen. 23. 15. Nicol. Brabantin. „pro viginti novem talentorum in Ebræo habetur viginti „novem centenariorum. Dicit autem R. Sal. quod centenarius „continet sexaginta mnas. Mna autem Sanctuarii duplex erat „respectu communis: & sic centenarius continebat centum viginti mnas, & mna viginti quinque siclos. Et sic centenarius „sanctuarii continebat tria millia siclos.“ Verba Salomonis illius ex Ebræo sermone versa sonant Latine, *Talentum continet sexaginta mnas. Mna autem sanctuarii duplex erat: ecce talentum facit centum viginti mnas, & mna viginti quinque siclos.* (סלעים) *Ecce talentum sanctuarii trium millium siclorum erat: ideo recensuit particulariter omnes siclos* (שקלים) *infra numerum trium millium, qui non pertingebant ad talentum.* Hiscum. „Qui hæc pulchre considerabit, inveniet summam totius operis „sanctuarii ascendere ad mille quadringentas quinquaginta sex „libras & viginti denarios ex denariis auri.“ *Denarios* voco cum Elia, quos ipse פשיטים appellat. Erant autem nummi simplices & vulgares, unde adjective legitur פשוטי אסטירי stateres vulgares, in Juchas. 70. 2. Liber est apud Ebræos commentarius in Exodum, qui vocatur אלה שמות רבה i. Exodus major. In eo scriptum lectum, *Dicunt Doctores nostri talentum continere* 120. *mnas: quod vel ideo verum est*, inquit R. Levi, *quia mna continet* 25. *siclos.* Sed vide, si placet, quæ ad hunc locum annotavit. Nam sententiam hanc firmat ex ipso textu. Abenezra, *talentum habet ter mille siclos.* Idem paullo ante, „Dicit Haggaon Cur meminit ejus quod factum est ex argento & „non meminit ejus quod factum est ex auro, quod vocant, oblationis? Et respondet, Quia candelabrum habebat talentum au„ri, similiter propitiatorium & aurum arcæ & altare suffitus. „Sed non est hoc rectum, quia candelabrum totum erat aureum, „non sic arca, quæ tantum obducta erat auro intrinsecus & ex„trinsecus: similiter altare suffitus & mensa & rami & asseres & „vectes obducti erant auro omnes, sed propitiatorium erat totum „ex auro, & secundum id quod per traditionem accepimus à „majoribus nostris, talentum unum erat, cujus longitudo & la„titudo magna. Porro secundum sententiam meam meminit, „ejus quod factum erat ex argento, quod argentum erat expia„tionum. Ecce autem meminit quia argento debito stabat ta„bernaculum, quod continebat omnia instrumenta, & hoc ad „memoriam filiorum Israel: & quis poterit æstimare aurum quo „vestita sive obducta fuerunt instrumenta tabernaculi.“ Hactenus ille. ¶ *Siclo sanctuarii*] vel, *sacro.* Nam קדש sanctitas, ut diximus. *Siclus sanctitatis* i. sanctus aut sacer, qui duplo major erat profano, quem *communem* appellitant. Hiero. hic habet, *ad mensuram sanctuarii.* Malim, *ad pondus sanctuarii.* Alius, *juxta siclum sanctuarii:* alius, *prout est siclus sacer.* Jonat. *in siclis sanctuarii h.e. aurum oblationis, quod obtulerunt filii Israel unusquisque quantum placebat animo ipsius offerre.* ¶ *Argentum numeratorum cœtus*] Hiero. *oblatum autem ab his qui transierunt ad numerum à viginti annis & supra, de sexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta, armatorum.* Hæc habentur versu qui mox sequitur. Nam quædam omisit. Jon. „Argentum numeratorum ex filiis Israel „quod dederunt eo tempore quo constituit Moses unicuique re„demptionem animæ suæ.“ Nicol. In Ebræo habetur sic, *Argentum autem numerationis populi centum centenariorum & mille septingenti & LXXV. sicli ad pondus sanctuarii.* Hisc. „Exponit Scriptura quid factum sit argento & ære, quoniam ar„gentum erat expiatorium, & super basin stabat sanctuarium: „præterea multa instrumenta facta sunt ex argento & ex ære. Ve„rum de auro quid actum sit non dicit, quia non fuit factum ex „eo ullum instrumentum integrum, tantum candelabrum & „propitiatorium: verum vestierunt eo velum asseres & arcam & „altare interius & mensam & vectes sive ramos.“ Abenez. „Ec„ce hinc cognoscimus numerum. Nam talentum erat trium „millium siclorum: quod attestantur hæc verba, Argentum nu„meratorum cœtus.“ ¶ *Siclo sanctuarii*] vel, *pondere sanctuarii.* Nam שקל utrumque significat.

26. *Didrachma in singula capita, dimidium sicli, siclo sanctuarii, omnis transeuntis in numeratis à filio viginti annorum & supra, videlicet sexcentorum millium cum tribus millibus & quingentis quinquaginta.*

Didrachma] Sic ante me & alii. Rectius fortasse reddideris, *Semissem.* Nam בקע pars sicli dimidia, quam *semissem* appellant. Appellatio à scindendo sive findendo. Nam si siclum in duas partes æquales diffideris, utraque quæ remanet, בקע dicitur quasi *fissio* aut *scissio* h. e. pars discissa à siclo. Tantum de nomine. R. Salom. ait *esse genus ponderis dimidiati sicli.* Sane Onk. תקלא convertit, quod proprie *pondus* denotat. Talis ambiguitas est in voce שקל. Nam & *pondus* designat & *siclum.* Olim enim pecunia ponderabatur. Jon. hoc loco דרכמון Darchemon habet, quod licet originem habere videatur ex Græco, tamen aliud *Drachma*, & aliud *Drachmon.* Videtur idem valuisse quod *didrachma.* Quod tamen non affirmo. Hoc tantum quod Gerundensis Moses annotat in Exod. fol. 150. col. 1. *Judæos videl. e deportatione Babylonica reversos pependisse* דרכמון. Debet autem hic locus intelligi de siclo sanctuarii sive sacro, qui *tetradrachmus* erat. Unde & illud sequitur ejus dimidium didrachma fuisse. Quantum Augusti tempore pendebant Romanis. ¶ *In singula capita*] לגלגלת in caput: quod Græcè significantius efferas per articulum, cujus ea vis ut si diceret, *in unumquodque caput*, sive quod idem, *in singula capita.* Capita i. homines. Quale illud, *Quot capita tot sententiæ:* quod alius dixit, *Quot homines tot sententiæ.* גלגלת proprie *cranium, calva* sive *calvaria*, τὸ κρανίον: unde mons Calvariæ in Euangelio corrupte vocatur *Golgatha*, littera una elisa ut fit in talibus. Qua de re alias. In Syro fœdere legitur *Gugultha.* ¶ *Siclo Sanctuarii*] vel, *siclo sacro.* Nam קדש usitate *sanctitas.* *Siclus sanctitatis* i. sanctus aut sacer. Qua appellatione distinguebatur à prophano. ¶ *Omnis transeuntis*] vel, *omnium transeuntium.* Nam qui numerabantur, transibant ante illos qui eos numerabant. Quidam, *pro omni transeunte.* ¶ *A filio viginti annorum*] *ab eo qui natus est annos viginti*, aut *agit annum vigesimum.* Ebraismus. ¶ *Sexcentorum millium &c.*] vel, *de sexcentis & tribus millibus* &c. ita vetus interpres. R. Salom. ad hunc locum, „Sic ascendebat numerus fi„liorum Israel post erectum tabernaculum: etiam nunc in spon„tanea oblatione ad tabernaculi fabricam. Numerus autem di„midiatorum siclorum sive didrachmorum sexcentorum millium „assurgit in centum talenta, unoquoque talento valente tria „millia siclorum. Proinde sexcenta millia dimidiatorum ecce „sunt tria millia integrorum: ecce centum talenta. Tria vero „millia & quingenta & quinquaginta dimidiati sicli faciunt mille „septingentos & septuaginta quinque siclos.

27. *Et fuerunt centum talenta argenti ad fundendum bases sanctuarii, & bases veli: centum bases centum talentis, talentum in basem.*

28. *Milleque & septingentos septuaginta quinque fecit uncinos columnis: obduxitque capita earum, & cinxit eas.*

29. *Et æs oblationis septuaginta talentorum, & duorum millium & quadringentorum siclorum.*

Centum talenta] In Jonat. est קנטירין cujus singularis קנטר apud eundem. Videtur *centenarium* innuere. Quod vocabulum & Lyra usurpat *pro talento.* Ait enim certe, *Unum centenarium valere tria millia siclorum.* Quod idem *de talento* asserit R. Salom. Sed libet consequa ejus verba subnectere, *per consequens centum centenarii valent trecenta millia siclorum integrorum & sexcenta millia dimidiatorum. Item mille septingenti septuaginta quinque integri valent tria millia quingentos quinquaginta dimidios.* Hactenus Lyra. ¶ *Ad fundendum bases*] לצקת explicant per Chaldaicum לאתכא, quod in utroque Thargum. radix יצק fundo. Bases autem erant centum numero, videlicet 96. asserum tabernaculi & quatuor veli ejus quod פרכת dicitur. Nam plura vela erant. Id significat R. Sal. per hæc verba, *Sig. bases asserum tabernaculi, qui erant 48. habebantque bases 96. & bases veli erant quatuor, ecce centum bases.* Sed & Hisc. sic scribens, *Bases erant centum. Siquidem ad quadraginta octo asseres qui in tabernaculo, necessariæ erant nonaginta sex bases. Quilibet enim asser habebat duas bases, & velum quatuor: ecce centum bases. Stylobatas alii vocant.* ¶ *Centum bases &c.*] Hieron. *centum bases factæ sunt de talentis centum.* Quod sic explicat Nicol. de Lyra, „Quadragin„ta enim erant in latere aquilonari & totidem in australi: & sede„cim in occidentali sub tabulis tabernaculi: & quatuor sub qua„tuor columnis, in quibus appendebat velum dividens sanctum „& sanctum sanctorum.“ ¶ *Capita earum*] columnarum: quarum aliquæ cincturas habebant argenteas. Nam scriptum est, *obduxit capita earum & cincturæ earum argenteæ.* ¶ *Cinxit eas*] redimivit eas zonis. In vulgata nostra, *quas & vestivit argento.* ¶ *Et æs oblationis*] i. oblatum. Sensus est, oblata sunt æris 70. talenta, &c. h. e. interprete Hiscuni, *octies mille quingenta & nonaginta duæ minæ profanæ sive communes aut vulgares*, quas *Marcas* appellant.

30. *Et fecit ex eo bases ostii tentorii conventus, & altare aneum, & cribrum aneum, quod ei erat, & omnia vasa altaris.*

31. *Et bases atrii per circuitum, & bases porta atrii, & omnes uncinos tabernaculi, & omnes uncinos atrii per circuitum.*

Ex eo] ære: vel, ex ea, *oblatione.* Notat Hisc. בה hic positum pro בתנופה. Quæ enallage interpretibus nota est. Nam Euangelista Matthæus, nisi fallor, *in toto corde tuo.* Græce reddit ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σε, ex toto corde tuo. Quis reprehendat. Sic alibi in hoc libro במראת redditum, *ex speculis.* Obiter noto, quod fere exciderat. Dixi supra Lyram *centenarium* usurpare pro *talento.* Sic enim certe interpretatur Ebraicum ככר quod *talentum* reddunt. Itaque ad vers. 27. annotat, pro de centum talentis, quod in vulgata nostra, in Ebræo haberi, de centum centenariis. Idem paulo post ait, *columnas atrii fuisse sexaginta.* Vide sequentia. ¶ *Bases ostii tabernaculi conventus*] *ex sexaginta quinque talentis æris fecerunt 65. bases aneas, cuique atrio per circuitum, & velo janua tabernaculi, talentum in basin, & ex quinque talentis reliquis & mille & quadringentis siclis fecerunt altare aneum & instrumenta ejus & uncinos tabernaculi & atrii.* Hisc. Idem post aliquanto, „Ne ascendat in cor hominis ut dicat quod „sponte non obtulerint aurum, argentum & æs præter id quod „scriptum est. Nam multo plus quam scriptum est obtulerunt. „Sed Moses tantum scripsit id quod necessarium erat ad opus ta„bernaculi: residuum autem reposuerunt in thesaurum ad usum „necessarium tabernaculi & cœtus, vel, si mavis, universitatis. Nec „possumus dicere quod numeraverit filios 19. annorum, aut sexa„ginta & unius aut septuaginta vel octoginta, qui non erant in „numero sexaginta myriadum, nec sponte obtulerunt &c." Vide quæ deinceps sequuntur. Ceterum bases Jonathan hic appellat סמו, quomodo alibi *paxillos* idem reddit, & portam vocat תרע quæ usitate תרע dicitur ex Ebræo שער inversis litteris, & Sin in Thau versa. expende per otium. ¶ *Vasa*] instrumenta. ¶ *Uncinos*] clavos, paxillos. ¶ *Per circuitum*] Hier. *per gyrum.*

A M A M A.

3. EBr. *Lebetes & scopas & crateras & fuscinulas & receptacula.* Vulg. *Lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos & ignium receptacula.* Supra cap. 27. 3. ubi hæc præcipiuntur fieri, loco V. instrumentorum Vulgatus tantummodo posuit IV. secundumque vid. יעים, itidem ut hic, per *forcipes* reddidit. Hic vero quintum à Vulgato additum est, *uncinos:* sed cui Ebraicæ ea vox respondeat equidem non video. Conjectavimus supra vocem Ebræam מזרקת à Vulgato Interprete prætermissam, judicavimusque τὸ *fuscinulas* respondere Ebræo מזלגת, quam vocem sic redditam invenio alibi. Jam vero videtur τὸ מזרקת per *fuscinulas* expressisse, subjicit enim *uncinos*, ut ea vox τῷ *Mizlegoth* respondeat. Quæ si ejus mens fuit loco supra citato, dicendum ibi vocem *Mizlegoth* ab authore prætermissam. Sed vide quæ ibi notavimus & cum his confer, si otium.

8. Ebr. *E speculis* הצבאת אשר צבאו *ad ostium tabernaculi conventus.* Vulg. *E speculis mulierum qua excubabant in ostio tabernaculi.* Eadem vox הצבאות extat 1 Sam. 2. 22. ubi vertit Vulg. *qua observabant.* Nomen צבא significat exercitum & turmam militum. (a) Unde optime reddas, *e speculis mulierum turmatim convenientium, qua turmatim conveniebant ad ostium tabernaculi Conventus*, vel *qua circum exercituabant tabernaculum*, ut ex Gloss. veteri citat Cl. Casaub. Alii simpl. vertunt, *convenientium.* Vulgatus, *excubabant*, quod interpretamentum occasionem Papistis dedit locum hunc adducendi ad probandam hanc thesin, in V. T. fœminas voto religionis astrictas fuisse, quæ in cellis circa templum habitantes inde nunquam recesserint. De quo somnio prolixe Casaub. Exerc. 1. cap. 23. cujus scrinia non compilabo. Est enim aut saltem debebat istud opus in omnium manibus esse. Num. 4. 23. de Gersonitis usurpatur idem verbi, quos tamen expleto ministerii tempore sibi invicem successisse atque à tabernaculo recessisse certo certius est.

25. Totus in spongiam nescio quo suo merito incubuit. Sic enim habent Ebræa ad verbum, *Et argentum numeratorum cœtus centum talenta & mille septingenti, septuaginta quinque sicli in siclo sanctitatis.* Steuchus ingenue, *deest hoc loco in nostris codicibus tota Periodus, quod certe mirum est quia non deest is sensus in Lxx. &c.* Addo Onkelon quoque hæc fideliter reddidisse. Cajetanus, *valde manca est litera ista. Nam in Ebræo post explicatam summam auri subjungitur summa argenti, dicendo*, Et argentum &c. Et ad differentiam argenti aliter oblati dicitur argentum numeratorum Synagogæ, quia de argento duntaxat est sermo quod oblatum fuerat à numeratis. Lyra quoque & Benedict. hunc hiatum notarunt.

26. Ebr. בקע i. *Didrachma vel semissis in singula capita, dimidium sicli, siclo sanctuarii omnis transeuntis in numeratis à filio 20. annorum & supra, videlicet sexcentorum millium cum tribus millibus & 550.* Vulg. *Oblatum est autem ab his qui transiere ad numerum à 20. annis & supra de sexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta armatorum.*] Steuchus agnoscit hoc versu in Vulg. deesse clausulam quæ maxime erat necessaria. Vulgatus enim reticet quantum quisque obtulerit. Clara sunt Ebræa, dum Moses ponit בקע, mox se ipsum explicat dum ponit, *dimidium sicli.* LXX. δραχμὴ, Male. Siclus enim sacer erat τετράδραχμος, ut בקע sive ejus dimidium fuerit δίδραχμος. Vide quæ Gen. 24. 22. notavimus.

30. Ebr. *Ærisque oblationis septuaginta* כִּכָּר *talenta: & duo millia & 400. sicli.* Vulg. *Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia & quadringenti supra sicli.*] Notaverat jam Steuchus hunc versum in Vulg. sic esse interpungendum, ut post *septuaginta* ponatur distinctio, hoc modo, *talenta septuaginta : duo millia & 400. sicli.* Alias enim, inquit Steuchus, maximus error orirετur. Idem Cajetanus ait, scribisque imputat quod simul lectum fuerit, *septuaginta duo millia.* Idem Ben. aliique notarunt: & certe res clara, in voce enim כִּכָּר accentus est distinctivus unus è maximis, Athnach dictus, qui valet duo puncta Latinorum, unde & LXX. satis dilucide, ἑβδομήκοντα τάλαντα καὶ δισχίλιοι τετρακόσιοι σίκλοι, ut & Chald. Onkelos: his tamen non obstantibus Biblia Clementina in meo exemplari quod Lutetiæ 1618. excusum, sic legunt, *Talenta septuaginta duo millia.* Eoque minus videtur mihi esse Typographi sphalma, quod apud Lucam Brugensem in Romanarum correctionum Catalogo altum hujus rei silentium. Si enim hic locus à Romanis correctoribus fuisset restitutus, haud dubie illud notasset qui in minimis adeo fuit religiosus.

G R O T I U S.

8. QUa *excubabant in ostio tabernaculi*]. Nempe per vices, non eædem perpetuo: ut & viri, Num. III. 25. Hæ mulieres abdicata cultus sui cura, instrumenta sua in sacros usus adferebant. Vide quæ ad Lucam II. 37.

10. *Capita columnarum*] Unci ad quos pecudibus cutis detrahebatur, dicti ווים [*vavim*] à figura simili ejus nominis literæ.

CARTWRIGHTUS.

1. ET *fecit altare holocausti, &c.*] In editione Romana τῶν LXX. cap. 38. incipit καὶ ἐποίησε Βεσελεὴλ τὴν κιβωτὸν, &c. *Et fecit Beseleel arcam, &c.* Quod in Hebræo est initium capitis, 37. uti etiam in vulgata versione, nec non ipsorum LXX (teste Nobilio) in editione Complutensi.

4. *Et fecit altari cribrum, &c.*] Jonathan hic, ut antea cap. 27. 5. usum hujus cribri exponit, משל לקבלא גומריא וגרמיא דנפלין מן מדבחא *Ut reciperet prunas, & ossa, qua caderent ab altari.*

7. נָבוּב לֻחֹת עָשָׂה אֹתוֹ *Cavum tabulis fecit illud*] R. Sal sic explicat, הלוחות של עצי שטים לכל רוח והחלל באמצע, *tabula lignorum Shittim ex omni parte fuerunt, & cavitas erat in medio.*

8. בְּמַרְאֹת הַצֹּבְאֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד *de speculis mulierum (a) congregatarum, qua congregata erant ad ostium Tentorii conventus.*] Onk. במחזית נשיא דאתין לצלאה בתרע משכן זמנא *de speculis mulierum, qua veniebant ad orandum in porta (seu ostio) Tabernaculi conventus.* Hierosol. *de speculis mulierum verecundarum, qua collocata erant* (נשיא צניעתא דקיימין צניען) *in ostio Tabernaculi conventus.* Jon. *Ex speculis æreis mulierum verecundarum qua quando veniebant ad orandum in ostio Tabernaculi conventus, stabant juxta oblationem (b) eorum* (affixum est masculinum על קרבן ארמותהון) *& laudabant, & gratias agebant, & reversa ad maritos suos parie-*

(a) Cajet. significat mulieres instar exercitus exercituantes quæ exercituaverunt portam tabernaculi. Concursus siquidem mulierum ad portam tabernaculi describitur instar exercitus.

(a) *Vel*, turmatim convenientium *seu* quæ turmatim conveniebant, *&c.* à צבא turmæ exercitus. (b) *Vel* suam *ut sit enallage generis.*

pariebant filios justos, cum purificatæ essent à pollutionibus sanguinis sui. Lyra ait nostros Expositores dicere, istas fuisse mulieres devotas, quæ frequenter ad ostium Tabernaculi veniebant cultus divini gratia; & ut testatum facerent se nolle deinceps ornatui sui operam dare, specula sua offerebant, quorum capsæ erant æreæ; ac de illis factum esse labrum. Ex R. Salomone autem duplici modo exponit. Primo sic, *de speculis mulierum exercituantium* (צבא est *exercitus*) h. e. mulieres Hebræas, quando Pharao impedire voluit multiplicationem Israelitarum, atque ideo eos laboribus afflixit, ne uxorum suarum amplexibus sese darent, ad specula sua se composuisse, ut viros suos ad se amplexandas incitarent, & sic procreasse exercitum filiorum Israel quorum principes ad ostium Tabernaculi consistebant, ubi manebant Moses & Aharon, ut cum eis de negotiis populi agerent. Alio autem modo sic *de speculis mulierum* (c) *circumeuntium ad ostium Tabernaculi*, i. e. de speculis mulierum devotarum, quæ manebant in castris circa latera, & à tergo Tabernaculi, quas oportebat circumire, ut ad ostium Tabernaculi oblationis faciendæ gratia venirent. Addit denique Lyra, nonnullos Doctores exponere quod circa labrum æneum erant specula affixa, ut sacerdotes viderent maculas abluendas, ac specula ista à mulieribus devotis fuisse oblata. Atque ita *facere* hic idem esse quod *aptare* seu *ornare*. Burgensis hanc expositionem reliquis præferendam censet, asserens ex Hebræo haberi, *fecit labrum æneum cum basi sua, cum speculis mulierum*, vel, *in speculis mulierum*, &c. Sane במראות est ad verbum *in speculis*, sed ב pro מן *de*, vel *ex* positum videtur, uti interpretatur Jonathan, מן מחזיא *ex speculis*. Atque hoc diserte notat Aben Ezra, בית בבמראות תחת מם *Beth autem in* במראות *pro Mem.* Ita literam Beth usurpari observat Levit. 8. 32. והנותר בבשר ובלחם *& quod reliquum est in carne, & in pane*, i. e. ex carne, & ex pane, בבשר & בלחם pro מבשר & מלחם, uti exprimitur Levit. 7. 17. והנותר מבשר הזבח Ita etiam ב pro מן ponitur Levit. 14. 18. והנותר בשמן *quod reliquum est in oleo*, i. e. מן השמן *ex oleo*; uti habetur ibidem v. 29. Idem autem Aben Ezra exponens ista verba, אשר צבאו וגו׳ *quæ congregata erant*, &c. ait in Israele fuisse mulieres pias, ac devotas, quæ mundi hujus concupiscentiæ renuntiabant, ac specula sua offerebant, quod eis amplius ad sese ornandas opus non haberent, sed quotidie venirent ad ostium Tabernaculi conventus ad orandum, atque audiendum verba præceptorum: ideo autem verbum צבא usurpatum esse, quod multæ essent mulieres, quæ ita se exercebant. LXX. ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας, &c. *ex speculis mulierum* (d) *jejunantium, quæ jejunabant ad fores*, Vulg. &c. *de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi.* Eadem vox quæ hic habetur, nempe הצבאות, eodem etiam sensu occurrit, 1 Sam. 2. 22. ubi dicitur filios Eli concubuisse cum mulieribus הצבאות פתח אהל מועד, ubi Chaldæus, *quæ veniebant ad orandum*, &c. R. David in Commentariis ad istum locum ait dictionem הצבאות esse usurpatam, quod mulieres istæ (instar exercitus, צבא) magno numero hinc inde ad Tabernaculum essent congregatæ. Vulg. *Cum mulieribus, quæ observabant*, &c. Casaubonus Exercit. 1. §. 23. ait Glossam veterem barbare quidem, sed apte exprimere, *circumexercituare Tabernaculum* hoc est, turmatim convenire ad portam Tabernaculi.

10. ווי העמודים *Uncini columnarum*] R. David in Radic. (uti à Fagio citatur) dicit uncinos hosce fuisse clavos, qui in columnis prominebant, præ se ferentes figuram literæ Vau, & in hoc factos fuisse, ut in ipsis excoriarent pecudes offerendas.

21. אלה פקודי המשכן *Hæ sunt recensiones Tabernaculi*] On. אלין מנייני משכנא *Hæ sunt numerationes* (vel *Hi sunt numeri*) *Tabernaculi.* Fagius vertit, *Hæc est summa* (*rerum*) *Tabernaculi.* Jon. אלין מניני מתקלין ומכוחין דמשכנא *hæ sunt numerationes ponderum Tabernaculi* (i. e. metallorum ex quibus res ad Tabernaculum pertinentes factæ sunt) *Et summa eorum.* In hac sectione (ut notat R. Sal.) pondera argenti, & auri, & æris, quæ ad opus Tabernaculi spontaneè oblata erant, & omnia vasa Tabernaculi recensentur.

עבודת הלוים וגו׳ *cultus Levitarum*, &c.] Onkelos similiter פולחן ליואי. Fagius autem vertit, *pro ministerio Levitarum*; atque ita alii ex Hebræo interpretantur, ut עבודת sit pro לעבודת, Vulg. *in ceremoniis Levitarum*, quasi esset בעבודת. At Jonathan hæc à præcedentibus separat, uti in Hebræo per Athnac in dictione משה *Mosis*, separata esse videntur ברם פולחן ליואי הות בידא דאיתמר *sed ministerium Levitarum fuit per manum Ithamaris.*

(c) *Ego in R. Salomone de circumeundo nihil reperio, nec video quemadmodum verbum* צבא *significet circumire.* (d) *Steuchus ait* νηστεύειν *illic esse, vigilare, non jejunare.*

24. *Omne datum*, &c.] Jonathan addit, *hoc est aurum oblationis, quod offerebant filii Israel, unusquisque cujus cor promptum fuit ad offerendum.*

Viginti novem talentorum] Sic Hebræum ככר *Ciccar* redditur, nempe *talentum*, ut supra notatum ad cap. 25. 39. Vide ibid. Vox autem ista *Ciccar* significat etiam *planitiem* Gen. 13. 12. & *frustum panis* sive *placentam*, Prov. 6. 26. Hinc putatur denotare *talentum*, quasi ponderis speciem planam & extensam instar placentæ. Ita Arias Montanus hanc vocem explicat, teste (e) Wasero, qui addit alios deducere à *Cor* per geminationem literæ *Caph*, quod ut *Corus* maxima mensura erat in aridis, ita maximum pondus fuerit *Ciccar* talentum.

25. *Centum talentorum*, &c.] Waserus (f) ex hoc versu & sequenti colligit *Ciccar* sive talentum ter mille siclos continere. Cum enim collata summa fuerit 603550. siclorum didrachmorum (sive siclorum communium) à totidem Hebræis tunc numeratis, sicli sacri, sive tetradrachmi erant 301775. Hæc autem summa à Mose dicitur fuisse centum *Ciccarin*, sive talentorum, & siclorum præterea 1775. in Waseri codice perperam scribitur 1075. Aben Ezra etiam notat ex hoc loco constare, *Ciccar* sive talentum ter mille siclos in se complecti. הנה ידענו מזה המספר כי הככר ג׳ אלפים שקלים

וכסף פקודי העדה *Et argentum recensionum congregationis*] vel *eorum qui ex congregatione* (*Israelitarum*) *recensiti erant.* Jon. *Et argentum numerationum filiorum Israel*, (seu *filiorum Israel qui numerati erant* וכסף מנייני דבני ישראל) *qui cum numeravit eos Moses, dederunt quisque redemptionem animæ suæ*, &c. Totus hic versus in vulgata versione desideratur, quod à Steucho, Cajetano, Lyra & Benedicto notatum refert Amama.

26. בקע לגלגלת *Beka in singula capita*] בקע *Beka*, ut verba immediate sequentia indicant, est מחצית השקל *dimidium sicli*, à בקע *Baka*, *findere*, *dividere*. Vide si libet Annotationes meas ad Gen. 24. 22. Jonathan illo pariter ac hoc loco habet דרכונא i. *drachma*; similiter LXX. δραχμή, quod in hisce Interpretibus Amama hic reprehendit: LXX. (inquit) δραχμή, *male. Siclus enim sacer erat* τετράδραχμος, *ut* בקע *sive ejus dimidium fuerit* δίδραχμος. Sed (g) antea observatum est LXX. Interpretes etiam pro siclo sacro habere δίδραχμον, etiamsi siclus sacer ex plurimorum sententia communi, qui duas continebant drachmas, duplo major fuerit. Magis mirum videtur Onkelum utrobique pro בקע habere תקלא *siclum.* Sic Fagius Gen. 24. 22. vertit, & recte quidem; hic autem *dimidium pondus*, cum in voce ista nihil sit quod *dimidium* denotet. Buxtorfius in Lexico Chaldaico magno dicit תקלא significare siclum communem, qualis scil. ante Legem in usu fuit. Atque ita quidem defendi potest Onkeli hoc in loco interpretatio, cum dimidium sicli sacri, de quo hic agitur, totum siclum communem valere censeatur. At quare, Gen. 24. 22. בקע i. *dimidium sicli* verteret תקלא i. *siclum*, cum de siclo sacro, qui ante Legem plane inusitatus, & incognitus videtur, locus iste intelligi non possit. Dici forte potest Mosen, habita ratione sui temporis, cum jam sacer siclus institutus esset, usurpasse vocem בקע *Beka*; eamque recte redditam תקלא *siclum* nempe communem, cum *Beka* ex hoc loco sicli sacri dimidium significare appareat. Ita quidem sentire videtur Buxtorfius: mihi autem id nulla ratione niti videtur, ut *Beka* sacri potius quam communis sicli dimidium designet, cum à fissione seu divisione (ut dixi) nomen habeat ac quemlibet siclum in duas partes quasi fissum & divisum, ex æquo possit denotare. In vulgata autem versione etiam hæc verba sunt prætermissa, una cum eis, quæ sequantur מחצית השקל בשקל הקדש *dimidium sicli in siclo* (vel *juxta siclum*) *sanctuarii*; ita ut quantum quisque offerebat, ex ista versione innotescere non possit. Non immerito igitur Steuchus queritur hanc clausulam deesse, quæ maxime erat necessaria.

(e) *Waser. de Num. Heb. lib. 2. c. 17.* (f) *Waser. ibid.* (g) *Vide supra ad cap. 30. 13. Annot. 3.*

IDEM.

8. אשר צבאו וגו׳ *Quæ turmatim conveniebant*,] &c. Id ἐξηγητικῶς addit ait, ad explicandam vocem צובאות, q. d. *quæ congregata erant magno exercitu* (חיל חגא גדול) *ad ostium Tabernaculi conventus Mosis*, (פתח אהל מועד של משה) *ut eo spontaneas oblationes suas afferrent.* Atque iste quidem simplex ac genuinus istorum verborum sensus esse videtur.

21. *Tabernaculi testimonii*] Sic appellatum ait totum Tabernaculum, quia in ejus parte sacratissima Arca testimonii posita erat. Nota autem in Hebræo, hic non esse אהל מועד, quod LXX vertere solent σκηνὴν μαρτυρίου, & Vulgatus *Tabernaculum testimonii*,

ſtimonii, ſed מועד משכן, quod ab altero diverſum eſt, cum מועד *conventum* denotet, à יעד *convenire*, vel *tempus aut locum conveniendi præſtituere*; עדות autem à עוד *teſtari* ſit *teſtimonium*.

24. *Viginti & novem talentorum*] Dicit juxta R. Salomonis æſtimationem ſicli, quam ipſe ſuis oculis veram deprehendit, talentum in Lege memoratum eſſe 12300 ducatos (דוקטי) monetæ Italicæ. Vide ſupra ex Abrabaneele ad cap. 30. 13.

25. *Et argentum, &c.*] Ait hic nullam argenti ſponte oblati mentionem fieri, quod ex eo nulla ex vaſis ſupra memoratis, ſed omnia ex argento ab Iſraelitis capitatim recenſitis accepto facta eſſent. Addit autem, abſque dubio ex argento ſponte oblato, prout ſcripſit R. Salomon, vaſa (vel inſtrumenta) miniſterialia (כלי השרת) facta fuiſſe.

29. *Et æs, &c.*] Monet in Ægypto, ac in omni regione Orientali, æs magni fuiſſe æſtimatum.

IDEM.

10. ווי העמודים *Uncinos columnarum*] Kimchi in Rad. ait uncinos formam literæ ו habuiſſe (עשוים כצורת ו״ו) ac columnis affixos fuiſſe, ut ex iis victimæ excoriandæ penderent.

CAP. XXXIX.

MUNSTERUS.

4. DUas oras] quidam exponunt כתפות pro *humero*, & pro *his quæ humero adhærent*; alii pro צד *latere*, & quod locus conjunctionis non fuerit in humeris ſed in lateribus. R. S. putat Ephod figuram habuiſſe tunicæ muliebris, quæ duobus labiis, vel, ut ipſe dicit, duobus loris hæret in humeris mulieris, anguſta quidem in pectore, utpote quæ tergum & pectus cinxit, ſed quæ deorſum ad talos uſque deſcendit. Opus vero ingenioſum fuit in ſummitate Ephod, ſub axillis ſcilicet portantis, & illi conjunctæ erant à tergo humerales illæ fimbriæ, una in dextra, & altera in ſiniſtra, à ſe invicem tantum diſtantes quantum humeri à tergo deferentis à ſe diſtabant: quarum extremitates per humeros ductæ, in pectore Sacerdotis iterum contingebant ſuperiorem partem Ephod, habentes infixos lapides onychinos & incluſoria aurea.

9. *Palmum*] h. e. Menſuram palmi majoris, quanta ſcilicet eſt intercapedo extremorum digitorum quando à ſe invicem diſtenduntur: & menſuram illam habuit tam exterior quam interior duplicati pectoralis pars.

28. *Linea*] Eſt בד in hoc loco idem quod פשתן, ſicut & שש pro *lino* ab Hebræis ponitur.

FAGIUS.

1. VEſtes miniſterii, &c.] Intelligit eas veſtes quibus involvebantur vaſa tabernaculi cum transferretur. Porro ſi explicationem quis deſideret eorum quæ forte in hoc capite difficultatem aut obſcuritatem aliquam habere videntur, ſupra videat cap. 28. & 35. &c. ubi explicuimus.

VATABLUS.

1. VEſtes miniſterii, בגדי שרד] Vide ſupra 31. 10. & 35. 19.

2. *Ephod*, את האפד] De hoc vide cap. 28. 6.

3. *Extenderuntque*, וירקעו] *Extenuaveruntque*. ¶ *Et inciderunt*, &c. וקצץ וגו׳] Ad verb. *& incidit fila ut facerent*, i. ut intexerent aurum illud vel fila illa hyacintho.

4. *Oras*, &c. כתפות וגו׳] *Latera fecerunt illi quæ ſeſe conjungerent*, vel, *quæ copularentur inter ſe*. Vide annot. cap. 28. 6.

5. *Ex ipſo erat*, ממנו הוא] i. Ex eadem materia; ſeipſum declarat mox, quum dicit, *ex auro*, &c. ¶ *Juxta opus ſuum*, כמעשהו] i. Similis texturæ.

6. *Sculptos ſculpturis annuli*, מפתחת פתוחי חותם] Vide cap. 28. 11.

7. *Illos*, אתם] Sub. *lapides*, vel *lapillos*. ¶ *Memoriæ*, זכרון] *In memoriam*. Vide cap. 28. 29.

9. *Duplicatum*, כפול] i. Et ita erat duplex.

10. *Lapidum*, אבן] Sing. Heb. pro plur. *lapillorum pretioſorum*. De lapillis iſtis dictum eſt cap. 28. 18.

14. *Juxta nomina filiorum Iſrael*, על שמות בני ישראל] i. Æquabant nomina filiorum Iſrael. ¶ *Juxta nomina eorum*, על שמתם] i. Quot erant filii Iſrael. ¶ *Sculptura ſigilli*, פתוחי חותם] *Sculptura annuli*. Per appoſitionem dictum, q. d. Lapides iſti, ſive gemmæ iſtæ erant ſculptæ ſculptura annuli, h. e. expreſſa, & quæ legi poſſet.

17. *Catenas aureas*, עבתות זהב] Ad verb. *funes auri*, i. catenas aureas in modum funis intortas.

18. *A fronte ipſius*, אל מול פניו] Ad verb. *contra faciem ejus*, vel, *è regione faciei ipſius*, i. in parte anteriore ipſius Ephod.

25. *In medio malogranatorum*, בתוך הרמונים] i. Inter malogranata.

26. *Ad miniſtrandum*, לשרת] Iſtud exponitur cap. 28. 35.

28. *Et decora galerorum*, ואת פארי המגבעות] *Et ornamenta galerorum*, i. galeros elegantes ac pulchros, in formam galeæ.

30. *Corona ſanctificationis*, נזר הקדש] *Coronam ſanctam*.

31. *Et inſeruerunt in eam*, ויתנו עליו] Ad verb. *Et dederunt ſuper eam*, ſub. *ex utraque parte*.

32. *Tabernaculi, tabernaculi eccleſiæ*, משכן אהל מועד] *Tabernaculi* quod alio nomine dicitur *tabernaculum eccleſiæ*, vel *fœderis*. De hoc vide cap. 27. 21.

33. *Circulos ejus*, קרסיו] *Uncinos ejus*, vel *fibulas*.

34. *Et velum tentorii*, ואת פרכת המסך] Vide c. 35. 12.

37. *Ordinationis*, המערכה] *Diſpoſitionis*, i. quæ quotidie bis, mane & veſperi, aptabantur. ¶ *Luminaris*, המאור] i. Quo fovebatur lumen lucernarum.

39. *Ejus*, אשר לו] Ad verb. *quod erat illi*.

43. *Videns vero Moſes*, &c. וירא משה וגו׳] Ad verb. *Et vidit Moſe univerſum opus, & ecce fecerant illud: quemadmodum præceperat Jehovah, ſic fecerant: & benedixit illis Moſeh.*

CLARIUS.

4. DUas oras] Quidam exponunt vocem Hebræam pro *humero & iis quæ humero adhærent*; alii, pro *latere*, & quod locus conjunctionis non fuerit in humeris ſed in lateribus. Sunt qui putent Ephod, quod vertunt *ſuperhumerale*, figuram habuiſſe tunicæ muliebris, quæ duobus labiis hæret in humeris mulieris, anguſta quidem in pectore, utpote quæ tergum & pectus cinxit, ſed quæ deorſum ad talos uſque deſcendit. Opus vero ingenioſum fuit in ſummitate Ephod, ſub axillis ſcilicet portantis, & illi conjunctæ erant à tergo humerales illæ fimbriæ, una in dextra, & altera in ſiniſtra, à ſe invicem tantum diſtantes quantum humeri à tergo deferentis à ſe diſtabant, quarum extremitates per humeros ductæ in pectore ſacerdotis iterum contingebant ſuperiorem partem Ephod, habentes infixos lapides onychinos & incluſoria aurea.

9. *Palmum*] Nempe majus, h. e. 12. tranſverſorum digitorum, quanta ſcilicet eſt intercapedo extremorum digitorum quando à ſe invicem diſtenduntur. Et menſuram illam habuit tam exterior quam interior duplicati pectoralis pars. Menſura autem palmi minoris 4. tranſverſales continet digitos.

19. *Fecerunt & duos annulos*] Hunc locum uſque ad illud, *Feceruntque tunicam ſuperhumeralis*, &c. interpres breviter comprehendens ita verterat. *Hæc & ante & retro ita conveniebant ſibi ut ſuperhumerale & rationale mutuo necterentur, ſtricta ad balteum & annulis fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & à ſe invicem moverentur: ſicut præcepit Dominus Moſi.*

DRUSII
NOTÆ MAJORES.

1. *Ex hyacintho autem & purpura & cocco bis tincto fecerunt veſtes miniſterii ad miniſtrandum in ſancto: fecerunt inquam, veſtes ſacras Aharonis, quemadmodum præceperat DOMINUS Moſi.*

2. *Fecitque Ephod ex auro, hyacintho & cocco bis tincto & byſſo retorta.*

Purpura &c.] omiſit byſſum: unde R. Salom. colligit *hic agi non de veſtibus Sacerdotum, quæ byſſum continebant, ſed de aliis, quibus ſacra ſupellex involvebatur, cum aliquo proficiſcerentur. Nam in his nulla erat byſſus.* Hiſcuni plenius, *Qualibet veſtis*, inquit, *ex una ſpecie erat. Arca ſacra & menſa facierum & candelabrum & altare aureum, reliquaque inſtrumenta miniſterii, quæ in ſanctuario: unumquodque ex illis habebat veſtem ex hyacintho, altare vero holocauſti ex purpura, panis autem facierum ſive propoſitionis & alia inſtrumenta*

menta mensa ex cocco bis tincto, quemadmodum expositum est in sectione במדבר. *Quod sonat Latine, in deserto.* ¶ *Ephod*] de *Ephod* & *Heseb*, quod scribunt חשב per Heth, vide quæ notata in editione Veneta ea quæ in octavo folium complicat ad finem hujus libri secundi, quem Exodum indigitant. Quo in loco סינר est cinctus vel cingulum quo mulieres equitaturæ utuntur.

3. *Et diduxerunt bracteas aureas, & inciderunt fila ad faciendum in medio hyacinthi, & in medio purpura, & in medio cocci bis tincti & in medio byssi, opere ingeniosi artificis.*

4. *Scapularia fecerunt ei conjungentia in duabus extremitatibus ejus conjungebantur.*

5. *Et balteus cinctura ejus, qui super illud, ex ipso est, secundum opus ejus ex auro, hyacintho & purpura & cocco dibapho & bysso retorta, quemadmodum præcepit DOMINUS Mosi.*

Diduxerunt bracteas aureas] vel, extenderunt וירקעו. unde רקיע expansum, & legimus apud prophetam *ei qui expandit terram* לרקע in prima conjugatione. Gallice *estendre*, ut cum bracteas malleo extendimus & diducimus, quas פחי appellant & Chaldæi טסין, pro quo perperam פסין legitur in Jonatha. Diducere autem dicunt רדיד, unde vocabulum רדידין de quo alias. R. Salom. „Discimus hinc quomodo neverint aurum filis dedu„centes bracteas tenues & incidentes ab illis torta filamenta in „longitudinem bracteæ ad faciendum ea filamenta mixta cum „qualibet specie in pectorali & Ephodo, juxta id quod legimus, „in illis aurum: filum unum aureum cum sex filis hyacinthi, „& ita cum qualibet specie. Nam omnes species habebant fila „duplicata sexies & aurum filum erat septimum cum unoquoque. Hucusque. ¶ *Fila*] vel, *filamenta*, quæ fere torta erant, atque ita à חוטין distinguitur, quæ vox proprie *fila* notat. ¶ *Ad faciendum*] ad ornandum sive aptandum. לשון תקון ait Hiscuni. *Facere* hoc significatu idem accipit in illo, *Et festinavit facere illum.* Aptius exemplum, *Qui fecit Mosen & Aharonem* i. ornavit, auxit, evexit, amplificavit. Licet etiam exponere, *ad operandum.* Nam *facere*, pro *facere opus* tritum est. Sane *facio* & *operor* se mutuo explicant. *Justus quid operatus est* i. fecit. Contra facere unam horam pro facere opus. Quod obvium in Euangelio. ¶ *In medio hyacinthi*] inter hyacinthina. ¶ *Opere ingeniosi artificis*] Hiero. *opere polymitario.* חשב ergo polymitarius. ¶ *Balteus cinctura ejus*] balteus quo cingebatur, aut verius, constringebatur. Ebraice חשב ab ingenio & solerti cogitatione artificis. Babylonii *Hemjan* appellant i. המין cujus & Hiero. meminit in epist. de vestitu sacerdotali. De hoc balteo videnda est editio Veneta in octavo folium complicans ad finem Exodi, ubi & de scapularibus & de lapidibus Soham.

6. *Et fecerunt lapides Soham circumclusos palis aureis, calatos calaturis sigilli cum nominibus filiorum Israel.*

7. *Et posuit illos in scapularibus Ephod, lapides memoriales filiis Israel, quemadmodum præcepit DOMINUS Mosi.*

Et fecerunt] i. aptarunt, exornarunt, sculpserunt. Facere lapides, ut facere ungues. Facit ungues qui præsecat: lapides, qui eos aptat. ¶ *Lapides Soham*] i. onychinos, aut sardonychas. Qua de re alias: non lubet imo non vacat repetere. Onk. *lapides burla*, in quo significatio *berylli*: Fagius tamen *onychinos* reddit. Jon. מרגלין דבורלא חלא. Ubi duo notanda. Siquidem lapides interpretatur מרגלין i. margaritas vel potius *gemmas*. Nam videntur mihi usurpare pro quovis lapide pretioso. Hoc primum: deinde *Soham* reddit בורלא חלא; quod non bene intelligo. ¶ *Circumclusos*] circumdatos. ¶ *Calatos calaturis*] vel, *insculptos sculpturis.* Sigilli autem i. cujusmodi sigilla sculpi solent. Quidam, *tanquam sigilli.* Onk. *sculptos scriptura declarata.* Jon. *scriptura expressa declarata.* ¶ *Lapides memoriales*] verbum è verbo, *lapides memoria.* Quidam, *lapides monumenti*: alii, *ad memoriam.* Hiero. *in monimentum filiorum Israel.*

8. *Et fecit pectorale opere ingeniosi artificis secundum opus Ephodi, ex auro, hyacintho & purpura & cocco dibapho & bysso retorta.*

9. *Quadrum fuit, duplum fecerunt pectorale: palmus longitudo ejus & palmus latitudo ejus, duplum.*

Quadrum] vel, *quadratum.* In Hiero. est, *quadrangulum.* ¶ *Duplum*] duplex, duplicatum. ¶ *Palmus*] mensura est quæ in Thargum Jerosol. זרת dicitur, cum alibi זרתא inveniatur, & in Onk. זרתא. Sic etiam Jonathan.

10. *Et inseruerunt in eo quatuor ordines lapidum: ordo sardius, topazius, smaragdus ordo primus.*

11. *Et ordo secundus carbunculus & sapphirus & adamas.*

12. *Et ordo tertius, ligurius, achates & amethystus.*

13. *Et ordo quartus chrysolithus, onychinus & Jaspis: circumclusi palis aureis in insitionibus suis.*

14. *Lapides autem cum nominibus filiorum Israel erant duodecim cum nominibus eorum, sculpturis sigilli quisque cum nomine suo secundum duodecim tribus.*

Inseruerunt in eo] vel, ei, pectorali videl. Hoc Ebræus dicit, *impleverunt*: unde *lapides impletionum*, de quibus alias. ¶ *Sardius, topazius &c.*] Sunt interpretationes vetusti vulgatique interpretis nostri, quas hic & ubi retinuimus ob certas causas. Excipio יהלום ubi *adamantem* reposuimus pro *Jaspide.* Sed & ישפה *jaspidem* interpretati sumus, cum prius esset in libris *beryllus.* Quod à nobis factum neque temere; neque sine exemplo. Judicent qui harum rerum intelligentiam habent. Vide caput hujus libri 28. Thargum Jonathæ, *Et consummarunt in eo quatuor ordines lapidum pretiosorum respectu quatuor trigonum mundi. Ordo primus &c. habebat insculpta & expressa nomina trium tribuum, Ruben, Simeon & Levi. Ordo secundus habebat Juda, Dan, Naphthali. In tertio erat Gad, Aser, Isachar, & in quarto Zabulen, Joseph & Benjamin.* ¶ *Cum nominibus eorum*] alius, *de nominibus eorum.* Sed eadem particula in fonte. ¶ *Sculpturis sigilli*] vel, *calaturis.* Onkel. *scriptura expressa & declarata qualis est sculptura sigilli.* Jon. *Scriptura sculpta, expressa & declarata veluti sculptura sigilli.* ¶ *Duodecim tribus*] hæ tribus nunc aliter: aliquando ita computantur ut ex earum numero excludatur Levi, & pro uno Joseph duæ sint, videlicet Ephraim & Manasse. Sane Levi non habebat sortem in divisione terræ. Erat enim sors i. κλῆρος ὁ κυρίου: unde *clerici* vocabulum apud Christianos. In quibusdam MS. editionis Latinæ additum hoc loco ex cap. 28. *sex nomina in lapide uno & sex in altero juxta ordinem nativitatis.*

15. *Et fecerunt in pectorali catenulas terminatas, opere tortili ex auro puro.*

16. *Et fecerunt duas palas aureas, & duos annulos aureos; & posuerunt duos annulos illos in duabus extremitatibus pectoralis.*

17. *Et posuerunt duas catenulas tortiles aureas super duos annulos in extremitatibus pectoralis.*

18. *Et duas extremitates duarum catenularum tortilium posuerunt in palis illis, quas posuerunt in scapulis Ephod è regione faciei ejus.*

19. *Et fecerunt duos annulos aureos quos posuerunt in duabus extremitatibus pectoralis in ora ejus quæ ad latus Ephod intrinsecus.*

Catenulas terminatas] Hiero. *sibi invicem cohærentes.* On. תיכן מתחן quod reddunt *breves*, cum à termino ita dictæ sint, qui Chaldæis תחום dicitur. Idem participium legitur in Jonatha, qui catenas שלשלן vocat, ר in ל versa. Gall. edit. *chainettes à bouts.* Trem. *æquabiles.* Plura de his alias. ¶ *Duas palas*] Hiero. *duos uncinos.* alius, *duas fundas*: alius, *duas ocellaturas ex auro.* ¶ *In duabus extremitatibus*] Rursum Hiero. *in utroque latere.* Latera vocant (Sic etiam Onkelos & Jonathan) extremas partes pectoralis, quæ duæ erant, licet Hisc. ad versum sequentem annotet ג׳ ת׳ quod non intelligo. Nam videtur innuere tres fuisse. Sed forte aliud in mente habuit. ¶ *Posuerunt super duos annulos*] inseruerunt duobus annulis. Quid si, *posuerunt duas catenulas ex auro cum duobus annulis?* ¶ *Catenulas tortiles*] עבתת proprie funes densi & intorti. Quidam funes reddunt simpliciter. Onkelos גדילן quod in idem recidit. Quanquam Fagius *catenas* eam vocem exponat. Jon. קליען i. vela. ¶ *Super duos annulos*] malim, *in duobus annulis.* Quid si, *cum duobus annulis?* Nam על etiam עם i. *cum* denotat. Notum hoc vel ex libellis meis. ¶ *In scapulis Ephod*] Santes, *in oris Ephod*: alius, *in humeralibus Ephod.* ¶ *E regione faciei ejus*] quod alius maluit, *contra faciem ejus*; alius elegit potius, *ante faciem ejus.* Onk. *in parte anteriore.* Faciem vocant cujusque rei superficiem. ¶ *In ora ejus*] על שפתו super labium ejus. *Labium vestis* aliud nihil est quam ora ejus. Sic *labium cortina* i. *summa ora*, ut quidem B. Augustinus explicat. ¶ *Intrinsecus*] ביתה in domum i. intrinsecus. On. & Jon. לגו in medio, vel si mavis, in parte interiore. עיברא sive עברא perperam, meo judicio. Fagius *superficiem* vertit. Nam *latus* significat. Sed & pro *cis* aut *trans* usurpatur de utraque ripa fluminis videlicet aut lacus. Ebraice עבר.

20. *Et fecerunt duos annulos aureos & posuerunt eos in duobus scapularibus Ephodi deorsum e regione faciei ejus contra conjuncturam ejus desuper supra balteum Ephodi.*

21. *Et sustulerunt pectorale ab annulis suis ad annulos Ephod filo hyacinthino ut esset supra balteum Ephod nec recederet pectorale ab Ephod, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Deorsum] vel, infrne. ¶ *Et posuerunt eos*] Jonathan, *& ordinarunt eos.* Nam id sonat וסדרונון unde & סדר ordo. ¶ *Sustulerunt*] Onkelos, *conjunxerunt*: alii, *strinxerunt.* Jonath. וכביש quod à Græco πήξις originem habere videtur. Adito sis ad annotationes nostras Exod. 28. 27. ¶ *Filo hyacinthino*] vel, *vitta hyacinthina.* ¶ *Ephod*] alii, *superhumerale*: alii *amiculum* reddunt. Qua de re alibi.

22. *Et fecit pallium Ephod opere textoris, totum hyacinthinum.*

23. *Et os pallii in medio ejus sicut os loricæ, labrum ori ejus circumquaque ne scinderetur.*

24. *Et fecerunt in fimbriis pallii malogranata ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, retorto.*

Opere textoris] i. textili. ¶ *Totum hyacinthinum*] כליל תכלת Abenezra explicat כלו תכלת quem nunc secuti sumus cum aliis interpretibus. Idem ait כליל *nomen constructum esse.* In Onkelo est גמיר תכלא quod similiter interpretantur, *totum hyacinthinum.* Jonathan שזיר תכלא quod sonat ac si dicas, *ex hyacintho retorto.* ¶ *Os pallii*] Jonathan, פום מנטר מעילא. De מנטר diximus alias. ¶ *In medio ejus*] Onkelos & Jonathan, *duplicatum in medio ejus.* ¶ *Sicut os loricæ*] Lorica hic in Jonatha vocatur שִׁרְיָא, quod scribi malim שִׁרְיָא, pro quo in Onkelo שִׁרְיָן, videl. ex Ebræo שִׁרְיוֹן, quamvis h. l. sit תחרא lorica. ¶ *Labrum*] i. limbus vel ora. ¶ *Ori ejus*] orificio ejus. ¶ *Circumcirca*] in circuitu, circumquaque. ¶ *Scinderetur*] laceraretur, rumperetur. Pro *ori ejus* in Onkelo est תורא מקף לפומיה quod Fagius reddit, *labiumque erat foramini ejus.* In quadam editione legitur תורא, & in Jonatha, תורא כשפתה מקף לפומיה. Ego, ut ingenue fatear, quid תורא sit nondum intelligo. מקף i. cingens, circumdans. ¶ *Retorto*] Santes, *bysso retorta.* Trem. *filis internexis.* Sic etiam Gallica edit. *à fils retors.* Onkelos & Jonathan nihil dissident ab Ebræo. In margine Venetæ edit. *non amplius extat, deficit autem שש byssus.* Quod si recte notatum à Massoritis, recte vertit Santes, *bysso retorta.* Mirum Chaldæos interpretes defectum non supplevisse.

25. *Feceruntque tintinnabula ex auro puro, & posuerunt tintinnabula illa inter malogranata in fimbriis pallii circumcirca inter malogranata.*

26. *Tintinnabulum & malogranatum, tintinnabulum & malogranatum in fimbriis pallii per circuitum ad ministrandum, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Ex auro puro] ad verb. *auri puri*: & est idiotismus Ebraicus. ¶ *Inter malogranata*] vel, *in medio malogranatorum.* Malogranatum autem Chaldaice רמון dicitur & רמונא à rotunditate. hoc Jon. usurpat, illud Onkelos. ¶ *Tintinnabulum & malogranatum*] addit Jonathan, *omnia hæc septuaginta fuisse.* Si recte, erant 35. tintinnabula & totidem malogranata. expende per otium.

27. *Et fecerunt tunicas è bysso, opere textili, Aharoni & filiis ejus.*

28. *Et cidarim è bysso & ornamenta mitrarum è bysso & femoralia linea è bysso retorta.*

29. *Et balteum è bysso retorta & hyacintho & purpura & cocco bis tincto opere phrygionico, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Opere textili] Santes habet, *textorio*: sed malim, *textili.* Ad verb. *textoris.* Sic *textilia* Ebraice dicerentur, *opera textoris*, quæ videlicet à textore facta. ¶ *Cidarim è bysso*] On. & Jon. *cidarim byssinam.* מצנפת proprie pileus summi sacerdotis, qui contractior erat, quam מגבעת pileus sacerdotis vulgaris sive idiotæ, quod Ebraice dicunt הדיוט. Vide notata Exod. 28. 4. & 38. & 40. ¶ *Ornamenta mitrarum*] vel *tiararum.* Nam מגבעת tiara vel mitra, pileus, ut dixi, sacerdotis vulgaris, qui & מצנפת, idem fere cum מצנפת, pileo summi sacerdotis, quem Exod. 28. 4. LXX. κίδαριν reddunt, & edit. Rom. notatum, τὸ σημαντικὸν πῖλον, ἔτι κατ' ἰταλὰν γραφὴν μίτραν. Consule Hiero. de veste sacerdotali. De voce פאר qua φαρος significari videntur, diximus in Quæstion. nostris. Santes hic habet *pileos galerorum*, cui פארים sunt pilei. Onkelos interprete Fagio, *& mitras decoras è bysso.* שבח proprie *laus*, & שבח קבעיא tiaræ laudatæ h. e. elegantes & preciosæ. Jon. ית ברזין סכבעיא quod alibi nusquam legere memini. De ברזין loquor. Nam סכבעיא idem quod קבעיא immutatione unius literæ. Abenezra ad hunc locum annotat cidarim fuisse gestamen Aharonis, tiaras autem sive mitras filiorum ejus. *Nec eadem ratio*, inquit, *cidaris & mitra.* A quo Gerundensis dissentire videtur qui hæc duo vocabula synonyma facit. Ego quæ modo notavi non revoco. Sumpta sunt ex libro Præceptorum majore, cujus autor Moses de Kotsi. Rab Hai Gaon teste Hiscuni, ait *hæc ornamenta habuisse speciem* כפתור *in summitate cidaris. Chaphthor* autem alii *malogranatum*, alii *superius limen*, alii aliter interpretantur. R. Salo. פארי המגבעות *ornatus tiararum sive mitrarum. Tiaræ autem ita ornabantur ad imponendum cidari superne sive desuper, & per fila collocabant ea super cidarim ad instar כתר, unde Græcum κίταρις.* Lege sequentia. Ubi & de ציץ lamina, in qua nomen Jod, He, Vau, He. ¶ *Femoralia*] *feminalia*, quod postremum Hiero. adhibuit. Jonathan אוורקסין subligacula, braccæ. Vide Annotat. Exod. 28. 42.

30. *Et fecerunt laminam diadematis sacri ex auro puro, & scripserunt in ea scripturam sculpturis sigilli SANCTITAS DOMINI.*

31. *Et indiderunt ei vittam hyacinthinam quam posuerunt in cidari superne, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

32. *Sic absolutum fuit omne opus tabernaculi tentorii conventus: feceruntque filii Israel, secundum omnia quæ præceperat DOMINUS Mosi sic fecerunt.*

Laminam] alii, *bracteam.* ¶ *Diadematis sacri*] vel, *sancti.* Quidam, *coronæ sanctitatis*; Hiero. *sacræ venerationis.* alius, *coronamenti sancti.* Fagius ex Onkelo, *fecerunt laminam, coronam sanctitatis* i. sacrosanctam. Chaldaice כלילא corona: נזר tam *corona* quam *diadema.* ¶ *Scripserunt scripturam*] *inscripserunt inscriptionem.* ¶ *Sculpturis*] vel, *cælaturis.* Hiero. *opere gemmario.* Nam gemmarii sigilla sculpunt. ¶ *Sigilli*] *tanquam sigilli.* Trem. ¶ *SANCTITAS DOMINI*] Hieron. *Sanctum DOMINI.* Licet etiam vertere, *Sanctitas DOMINO.* Hæc scripta erant litteris Samaritanis. Nam antiqui characteres Ebræorum iidem erant cum iis, quibus nunc Samaritani utuntur. Quod ostendunt prisca numismata & imprimis siclus sacer, cujus Gerundensis meminit in fine commentarii sui super Pentateuchum. ¶ *Vittam hyacinthinam*] vel potius, *filum hyacinthinum.* פתיל proprie *filum tortum*, unde Jonathan reddit חוטא שזיר. ¶ *Superne*] Idem Jonathan, *supra phylacterium capitis*, quod vocat תפלא, & addit *capitis*, quia etiam phylacterium erat in manu. ¶ *Sic absolutum fuit &c.*] 25. mensis Chasleu, quod & Poëta firmat in carmine quod קרבן פורים vocatur. In edit. Veneta quæ in octavo folium complicat, *perfectum fuit omne opus 25. Chasleu.* Porro כסלו ita dicitur à כלה absolvit, ut מרבה à רבה multus fuit. Adito sis ad Abenezram. ¶ *Tabernaculi tentorii conventus*] De discrimine horum vocabulorum diximus alias.

33. *Et adduxerunt tabernaculum ad Mosen, tentorium & omnia vasa ejus, uncinos ejus & asseres ejus, vectes ejus & columnas ejus & bases ejus.*

34. *Et operimentum è pellibus arietum rubefactis, & operimentum è pellibus melium, & velum tegumenti.*

35. *Arcam testimonii & vectes ejus & propitiatorium.*

36. *Mensam, omnia vasa ejus & panem facierum.*

Tentorium] Hiero. *tectum.* non male. Nam tentorium, quod *Ohel* vocant, erat tectum tabernaculi. ¶ *Et omnia vasa ejus*] Hiero. *& universam supellectilem.* ¶ *Vasa*] instrumenta. ¶ *Uncinos*] Hiero. *annulos.* alius, *ansulas.* ¶ *Asseres*] *tabulas.* Idem Hiero. ¶ *Adduxerunt*] Idem, *obtulerunt* ויביאו. melius, *adduxerunt.* Verb. è verb. *venire fecerunt.* R. Salo. *Quia non poterant erigere illud, adduxerunt ad Mosen, cui hoc Deus permisit soli.* Logi, & nugæ meræ. ¶ *Ad Mosen*] *ad scholam ejus, in qua sedebant Moses & Aharon & filii ejus, quibus enodabat seriem sacerdotii. Item ibi sedebant Senes Israel qui indicabant ei tabernaculum & instrumenta ejus.* Jon. ¶ *Melium*] vel, *taxorum.* ¶ *Velum tegumenti*] פרכת velum, & מסך tegumentum. De his vocibus dictum antea. Tria enim vela erant primum, medium, ultimum: quæ distincta nomina habent apud Ebræos. Loquor de primo & medio. ¶ *Propitiatorium*] Addit Jon. de suo, *& Cherubos qui ex eo prodibant unus hinc & alter illinc.* ¶ *Panem facierum*] quem ἄρτους προθέσεως appellant i. panem propositionis.

37. *Et candelabrum purum & lucernas ejus lucernas instructas, & omnia vasa ejus & oleum luminaris.*

38. *Et altare aureum, & oleum unctionis, & suffitum aromatum, & tegumentum januæ tentorii.*

Purum] *quod ex auro puro puto.* Ita quidam. Hisc. *purum dici scribit quia non spargebant super illud ullum sanguinem.* Ceteri tacent. ¶ *Instructas*] ordinatas, aptatas. Ad verb. *instructionis* vel ordinationis. מערכה ordinatio, ערך ordino, instruo, ut ibi, *ordinabit illud Aharon & filii ejus.* *Aut quia illuminabant ordinationem panum propositionis*, ait Hisc. On. *lucernas ordinis* i. ordinatas. Fagius edidit, *lucernas dispositionis* i. rite dispositas. Jon. *lucernas ordinatas*,

quæ

quae ordinant sive disponunt contra septem sydera &c. ¶ *Vasis ejus*] Hiero. *utensilia ejus.* ¶ *Oleum luminaris*] quod ad luminare adhibebatur. Sic alibi, *oleum ad luminare.* Id מאור dicitur, lumen autem sive lux אור. Luminare corpus erat in quo oleum ad lumen alendum fovendumque. ¶ *Tegumentum*] *aulaeum* alii. ¶ *Janua*] ostii. Appellatio ἀπὸ τοῦ פתח aperio. proprie igitur *apertura januae.*

39. *Et altare aeneum & cribrum aeneum, quod ei est, vectes ejus & omnia vasa ejus, labrum & basin ejus.*

40. *Cortinas atrii, columnas ejus & bases ejus, tegumentum portae atrii, funes ejus, & paxillos ejus, & omnia vasa ministerii tabernaculi pro tentorio conventus.*

41. *Vestes ministerii ad ministrandum in sancto: vestes sacras Aharonis sacerdotis, & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio.*

42. *Secundum omnia quae praeceperat DOMINUS Mosi, sic fecerunt filii Israel omne illud opus.*

43. *Viditque Moses omne opus & ecce fecerant illud, quemadmodum praeceperat DOMINUS sic fecerant: & benedixit eis DOMINUS.*

Cribrum aeneum] *retiaculum.* Hiero. ¶ *Quod ei est*] vel, *quod in eo erat.* ¶ *Labrum*] concham. Sed Hiero. hic *labrum* edidit, quem nunc secutus sum. ¶ *Basin ejus*] ita Hiero. & Santes. alii, *scapum ejus.* ¶ *Cortinas*] alii *vela* i. ἱστία: alii *fundas.* Nam קלע funda. alii denique, *tapetes ocellatos.* Vide quae notavimus Exod. 35. 17. ¶ *Tegumentum portae*] aulaeum sive velum quod portam tegebat, imo claudebat. Hiero. *tentorium in introitu atrii.* Idem קלעי החצר tentoria atrii vertit. ¶ *Pro tentorio*] alii, *in tentorio* i. לאהל. Hiskuni ad h. l. *Tradiderunt Deuterotae in tractatu Sota, Ex quo extructa fuit domus sanctuarii prior reconditum fuit tentorium conventus cum instrumentis suis, & ubi reconditum fuit. Dicit Rab Abimi, dicit Rab Hesda sub cavernis templi.* ¶ *Vestes ministerii*] de quibus supra cap. nisi fallor 31. vs. 10. ¶ *In Sancto*] in sanctuario. ¶ *Sacerdotis*] pontificis, summi sacerdotis. ¶ *Omne illud opus*] vel, *totum illud opus.* ¶ *Benedixit eis*] Jon. *Benedixit eis Moses & dixit, Habitet divinitas DOMINI in operibus manuum vestrarum.* R. Salo. *Dixit eis, Velit Deus ut habitet divinitas in opere manuum vestrarum, & sit amoenitas (jocunditas) DOMINI Dei nostri super vos &c. Qui sunt undecim Psalmi quorum initium Precatio Mosis.*

AMAMA.

1. Ebr. *Ex hyacintho autem & purpura & cocco dibapho fecerunt vestes ministerii ad ministrandum in sancto: fecerunt vestes sacras Aharonis &c.* Vulg. *De hyacintho vero & purpura, vermiculo & bysso fecit vestes quibus indueretur Aharon, quando ministrabat in sanctis.*

Primo hic interpolavit Vulgatus vocem *byssi*, quam non sine causa hic omisit Moses. Hinc enim colligunt R. Salomo, aliique, non agi in his prioribus de vestibus sacerdotum, quae byssum continebant, sed de aliis, quibus sacra supellex involvenda erat, cum aliquo erat proficiscendum. In iis enim nulla erat byssus. Et nota in Ebraeo non esse בגדי שרד sed בגדי שרד, de qua voce videndi R. Sal. aliique ad Exod. 31. 10. Ut ut sit, in Ebraeo non est byssus. Deinde ferruminavit Vulgatus ea quae distinxit Moses, nimirum vestes ministerii ad ministrandum, cum vestibus quibus indueretur Aharon. An ergo praeter Aharonicas nullae erant vestes sacrae? Chaldaeus hic κατὰ πόδα secutus est Ebraeos fontes, quod & Vulgato non fuisset difficile, si ea religione, qua par erat, hos libros tractasset. Non concoquo satis verba Steuchi quae ad hoc caput notavit, *Omissa hic sunt multa à LXX. & forte non abs re. Nam sermo Ebraeus in eo plerunque peccat quod inculcat eadem sine ulla necessitate.* An quia nos necessitatem non videmus ideo Ebraeum sermonem sic depreciare decet? *Nihil est*, inquit Basil. *quod non sit magni momenti in sacris, ut ut nobis nihil aut parum videatur.* Sed in hoc videtur mihi versari totius rei cardo, ut mundus non fert duos soles, ita Ecclesiam duas adeo diversas tabulas authenticas ferre non posse, belle viderunt. Ut ergo maneret Vulgato novum illud aestimium, strenue fontibus convitiandum erat.

2. 3. 5. 9. Redundant illa otiumque agunt, *opere polymitario.* Versus quoque tertius nimis contractus est, nec non quintus. Ubi illud miror, quod haec omnia, aurum, hyacinthum, purpuram, coccum dibaphum & byssum retortam sub una *colorum* voce complexus sit: nonus quoque nimis astrictus est, ut ex collatione liquebit.

Ebr. *Quadratum erit, duplicatum fecerunt pectorale: palmus longitudo ejus, palmusque latitudo ejus; duplicatum.* Vulg. *Quadrangulum, duplex, mensura palmi.*

Sic & 18. 19. 20. quos in paucula tantum redegit verba: si ideo omissa à Vulgato sunt, quod antea ea praecepta fuerint, cur integrum caput non praeterit? Vers. 33. אהל vertit *tectum*, & 38. מסך *tentorium*, ut & vocem קלעי vers. 40. Caetera quivis facile agnoscet vel ex sola vulgati cum aliqua translatione fideliori collatione. Claudam hoc caput ubi illud addidero, Bened. in margine suorum Bibliorum pro jaspide Vulgati reponere Adamantem, & contra pro Beryllo jaspidem, & Cajetanum inter caetera id monere Lectorem, ne fallatur, primo, legendo de tunica hyacinthina vers. 24. *deorsum autem ad pedes*, quoniam in Ebraeo, inquit, nulla mentio est pedum. 2. Ne tibi ingerat mitras coronatas vers. 28. quoniam in Ebraeo habetur, inquit, *Et mitras ex bysso & glorias galerorum.* Haec Cajet.

GROTIUS.

29. *Scripseruntque in ea opere gemmario*] Qualia solent esse ἔκτυπα [*impressa*]. quam ob causam hic in LXX. Vir maxime lectionis Salmasius legendum putat, non ἐκτετυπωμένα [*expressa*], sed ἐντετυπωμένα [*impressa*].

CARTWRIGHTUS.

1. *Et ex hyacintho, &c. fecerunt* בגדי־שרד לשרת בקדש *Vestes ministerii ad ministrandum in sanctuario*] R. Salom. notat (a) byssum hic non memorari, atque inde colligit בגדי שרד *vestes ministerii*, seu *ministeriales* non fuisse בגדי כהנה *vestes sacerdotii*, seu *sacerdotales*, quod in vestibus sacerdotalibus byssus esset. Vestes igitur hasce ministeriales, ait eas fuisse, quibus operta erant vasa Tabernaculi, quando castra movenda erant. Similiter Aben Ezra hic intelligit vestes, quae profectionis tempore ad tegenda vasa Tabernaculi adhibebantur. Vide supra ad cap. 31. 8o. Vulgatus Interpres de vestibus sacerdotalibus exponit, *De hyacintho vero, &c. fecit vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis.* Similiter LXX. ἐποίησαν στολὰς λειτουργικὰς Ἀαρὼν ὥστε λειτουργεῖν ἐν αὐταῖς ἐν τῷ ἁγίῳ *fecerunt vestes ministratorias Aaron ad ministrandum in eis in Sancto.* In Hebraeo autem textu post mentionem vestium harum ministerialium sequitur, *Et fecerunt vestes sanctos, quae ad Aharonem pertinebant, sicut praecepit Dominus Mosi.* Atque isto plane modo in Onkeli pariter ac Jonathanis Paraphrasi legitur; unde vestes istae ministeriales à vestibus Aharonicis distinctae fuisse videntur.

6. ויעשו את־אבני השהם *Et fecerunt lapides onychinos*] i. e. *Et disposuerunt*, &c. *Facere* hic est idem quod *disponere* seu *ordinare*, vel *parare*, ut monet Aben Ezra inquiens hoc dici כדרך תקון *per modum dispositionis* seu *aptationis.* Vulg. *Paravit & duos lapides onychinos.*

22. כליל תכלת *totam hyacinthinam*] ita vulgatus interpres, qui מעיל vertit *tunicam.* Aben Ezra etiam similiter exponit, כלו תכלת *tota (fuit) hyacinthina.*

23. לא יקרע *Non lacerabitur*] Sic ad verbum sonat: sensus autem est, ut interpretatur Onkelos, ולא יתבזע & Jonathan, מטול דלא יתבזע *ut non laceraretur.*

28. ואת המצנפת *Et mitram*] nempe Aharoni, ut exponit Aben Ezra.

ואת־פארי המגבעת *Et splendidos, seu gloriosos galeros*] Ad verb. *& splendores, seu glorias galerorum.* Nimirum (ut etiam explicat Aben Ezra) filiis Aharonis. Vulg. *& mitras cum coronulis suis.* Cajetanus (referente Amama) monet de mitris coronatis nihil hic dici, sed in Hebraeo sic haberi, *& mitras* (in Hebraeo autem est in singulari, *& mitram*) *ex bysso, & glorias galerorum.* R. Salom. autem opinari videtur galeros, instar coronae, mitrae fuisse superpositos. המגבעות המשמרין לתרח על המצנפת שלנלדה נעל ידי התחלים היה משכן על המצנפת כמין כתר. Sed quid istud sibi velit, ego haud satis assequor. Ex cap. 28. apparet Aben Ezrae expositionem esse verissimam, nempe mitram ad Aharonem, galeros autem ad ejus filios pertinuisse.

33. *Et attulerunt Tabernaculum Mosi*] Jon. *& attulerunt Tabernaculum Mosi in gymnasium ipsius* (לבית מדרשה) *ubi sederunt Moses & Aharon, & filii ejus; ubi eis (Moses) ordi-*

(a) Vulgatus Interpres hic de suo addit, *ac bysso*, cum nec in Hebraeo textu, nec in Chaldaicis paraphrasibus, nec in Graeca versione de bysso ulla hic fiat mentio.

ordinem sacerdotii docuit, ubi etiam sederunt seniores Israel; & ostenderunt ei Tabernaculum.

37. *Lucernas ejus* נֵרֹת הַמַּעֲרָכָה *Lucernas ordinatas,*] Ad verb. *ordinationis.* Jon. *Lucernas ejus, lucernas ordinatas, quæ ordinatæ sunt ratione septem stellarum* vel *respondentes septem stellis* (כל קבל שבעתי כוכביא) *quæ positæ sunt in ordinibus suis in firmamento die ac nocte.* Vel *quæ in ordinibus suis in firmamento præsunt diei ac nocti.* דנהרין בסדריהון ברקיעא ביממא ובליליא.

43. *Et benedixit eis Moses*] Jonathan addit, ואמר תשרי שכינתא די בעובדי ידיכון *& dixit, habitet præsentia Domini in operibus manuum vestrarum.* Similiter & R. Sal. ait Mosen eis dixisse יהי רצון שתשרה שכינה במעשה ידיכם ויהי נועם יהוה אלהינו עלינו *Sit beneplacitum (Dei) ut divina præsentia habitet in opere manuum vestrarum; & sit amœnitas Domini Dei nostri super nos,* prout habetur, Psal. 90. 17. qui Psalmus inscribitur *Oratio Mosis.*

IDEM.

5. *Quemadmodum Dominus præcepit Mosi*] Id sæpe in hoc capite repetitum dicit, ut intelligatur, etiamsi res hic contractius narrentur, omnia tamen juxta Dei præscriptum facta fuisse.

CAP. XL.

MUNSTERUS.

2. M*Ensis primi*] h. e. Prima die mensis Nisan. Ascendit enim Moses altera vice montem Sinai, ut autor Seder Olam scribit, vigesima nona die mensis Ab, & descendit iterum de monte decima die mensis Tisri, qui fuit dies Propitiationis: fuitque per totum mensem Elul, & per decem dies mensis Tisri in monte, quadraginta scilicet diebus ac noctibus. Et mox, ut descendit, præcepit ut insisterent operi tabernaculi perficiendo: Consummaveruntque universum opus ab autumno usque ad principium mensis Paschalis; qui jam erat secundus annus, incipiens scilicet, ab egressu de Ægypto.

17. *Opertorium*] h. e. Cortinas caprinas, & pelles arietum.

18. *Testimonium*] Per *testimonium* intellige tabulas legis.

27. *Oblationem*] Hebr. *Minha:* & fiebat de liquidis atque farina similaginea conspersa oleo. Unde à nostris vocatur *cibarium sacrificium.*

36. *Ignis*] Onk. sic habet, *visio ignis.*

FAGIUS.

38. E*T visio ignis per noctem in ea erat*] i. in nube noctu ignis apparebat. Atque ita etiam Lxx intellexerunt, qui legunt, καὶ πῦρ ἦν ἐπ' αὐτῆς, νυκτός, *Et ignis erat in ipsa* (scilicet nube) *noctu.* Innuit enim quod eadem nubes quæ interdiu sese ostendebat, noctu in ignis speciem vertebatur, & illucebat Hebræis. Non erat ergo alia nubes; quod & de columna dicendum. Habet & hunc sensum paraphrasis Hierosol. ארום ענן יקר שכינתיה דיי הוה מטל על משכנא ביממא ואשתא הוה סהרא עלוי כל לילייא חמיין כל בית ישראל בכל מטלניהון *Quoniam gloria majestatis Domini obumbrabat tabernaculum interdiu, & ignis illuminabat super ipsum tota nocte, vidente tota domo Israel in cunctis profectionibus suis.* ¶ *Per omnes profectiones suas*] Alii legunt, *per omnes turmas suas:* Quasi is sensus sit, quod hoc nubis spectaculum viderint omnes filii Israel per universa castra sua; vel, quod hoc viderint quoties proficiscebantur: & hic videtur esse genuinus sensus hujus loci.

VATABLUS.

2. D*Ie quadam,* &c. ביום החדש וגו׳] Ad verb. *In die mensis primi, una mensis,* i. prima die mensis Nisan. Ascendit enim Moses altera vice montem Sinai, vicesima nona mensis Ab, i. Julii: & descendit iterum de monte decima die mensis Thisri, i. Septembris, qui fuit dies propitiationis: fuitque per totum mensem Elul, & per decem dies mensis Thisri in monte, 40 scilicet diebus ac noctibus. Et mox ut descendit, præcepit ut insisterent operi tabernaculi perficiendo: Absolveruntque universum opus ab autumno usque ad principium mensis Paschalis, qui jam erat secundus annus (incipiens scilicet) ab egressu de Ægypto. ¶ *Tabernaculum ecclesiæ,* אהל מועד] i. tabernaculum quod alio nomine dicitur *tabernaculum ecclesiæ,* sive *fœderis,* ut cap. 39. 32.

4. *Ordinationem ejus,* את ערכו] *Dispositionem ejus,* i. dispones rite panes super illam.

5. *Ad suffimentum,* לקטרת] *Pro suffitu.* De altari thymiamatis loquitur. ¶ *Aulæum ostii tabernaculi,* את מסך וגו׳] i. pones in ostio tabernaculi aulæum illius, vel, pones tabernaculo aulæum ostii ejus.

7. *In qua pones aquam,* ונתת שם מים] *Et pones illic aquam.*

10. *Sacrosanctum,* קדש קדשים] Ad verb. *sanctitas sanctitatum:* vel, *sanctificatio sanctificationum.*

12. *Tunc appropinquare facies,* והקרבת] *Et accedere facies, applicabis.*

15. *Eritque,* &c. והיתה וגו׳] Ad verb. *& erit ut sit eis in sacerdotium,* &c. Ordo turbatus, i. hac unctione futuri sunt mihi sacerdotes perpetui per sua secula.

18. *Erexit igitur,* ויקם] i. erigendum curavit. ¶ *Et tabulas ejus,* וישם את קרשיו] Ad verb. *& posuit tabulas ejus:* sic in sequentibus, verbum in singulis repetitur quod Latinis auribus molestum est: ideo omisit noster interpres.

19. *Tentorium,* את האהל] Quod scilicet factum erat ex pellibus caprarum. Hæc dictio aliquando accipitur pro *tabernaculo:* aliquando pro *cortinis tegentibus tabernaculum,* ut hoc loco, & supra 36. 14, 19.

20. *Tulitque,* &c. ויקח וגו׳] *Testimonium* vocat tabulas testimonii lapideas, nempe decalogum scriptum in tabulis lapideis: de quibus vide c. 31. 18, & 34. 29. Dilucidius sic, *Tulitque testimonium, & posuit.* ¶ *Super arcam,* על הארן] i. traduxit vectes per annulos qui erant in ipsa arca.

21. *Velum tentorii,* את פרכת המסך] Vide cap. 35. 12.

23. *Et ordinavit,* &c. ויערך עליו וגו׳] i. in ea rite ordinavit panem.

28. *Aulæum,* &c. את מסך וגו׳] i. oppandit ostio tabernaculi aulæum.

29. *Et Minham,* ואת המנחה] *Et munus.* Vide cap. 30. 9.

31. *Et lavabant,* ורחצו] Præt. Hebr. pro imperf.

32. *Lavabant se,* ירחצו] Fut. Heb. pro præt. imperf.

34. *Replevit,* מלא] *Replebat.*

35. *Habitabat,* שכן] i. incubabat ei.

38. *In eo,* בו] Sub. *tabernaculo.* Alii vertunt, *in ea,* scilicet nube, q. d. In nube noctu ignis apparebat. Atque ita Lxx intellexerunt, qui legunt, καὶ πῦρ ἦν ἐπ' αὐτῆς, νυκτός, *& ignis erat in ipsa* [nempe nube] *noctu.* Volunt enim eandem fuisse nubem quæ interdiu sese ostendebat, noctu vero in ignis speciem vertebatur, & illucebat Hebræis; non erat ergo alia nubes: quod & de columna dicendum. Chaldæa paraphrasis Hierosol. habet, *Quoniam gloria majestatis Domini obumbrabat tabernaculum interdiu, & ignis illuminabat super ipsum tota nocte, vidente tota domo Israel in cunctis profectionibus suis.* ¶ *In oculis,* &c. לעיני כל בית ישראל וגו׳] i. videntibus cunctis Israelitis, quoties proficiscebantur. Quidam exponunt, *in oculis omnium filiorum Israel per omnes turmas suas:* quasi is sit sensus, quod hoc nubis spectaculum viderint omnes filii Israel per universa castra. Prior expositio doctioribus magis placet.

CLARIUS.

19. O*Perimento*] Intelligit cortinas caprinas & pelles arietum.

20. *Posuit & testimonium*] h. e. tabulas Legis.

29. *Et sacrificia*] Hebr. *Minha.* Et fiebat de liquidis atque farina similaginea conspersa oleo. Hanc vocem reperies Baruch 1. 10. *Facite Minha:* quod Scriptores corruperant, ut legeretur *manna.*

35. *Nec poterat Moyses ingredi*] Moses, qui in illam in monte caliginem penetravit, non potuit hanc ingredi nubem. Personam ergo Judæorum refert, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo quadam veluti nube tegitur, nondum est intellecta.

DRUSII

tized by Goo

DRUSII

NOTÆ MAJORES.

1. *Postea locutus fuit DOMINUS ad Mosen, dicendo:*
2. *In die mensis primi, primo mensis, eriges tabernaculum tentorii conventus.*
3. *Ponesque ibi arcam testimonii, & obsepies arcam velo.*

Mensis primi] qui *Nisan* vocatur. Sunt qui tradunt hunc diem fuisse octavum impletionum i. המלואים. Qua de re videndus Abenez. Porro de Nisan hunc locum intelligendum esse docet inter alios Jon. ita scribens, *In die mensis primi qui est mensis Nisan.* ¶ *Primo Mensis*] in Ebraismo est *uno mensis.* Unus pro primo notum jam lippis ac tonsoribus. Hunc Ebraismum retinent Chaldæi. ¶ *Eriges tabernaculum*] non Moses erexit illud, (nam unius hominis opera id fieri nequit) sed Levitæ jussu ipsius: qui primum bases statuerunt, deinde asseres, postea vectes, & mox columnas propter velum tegumentumque ostii quod in tentorio: post expanderunt ipsum tentorium, & posuerunt super illud operculum sive tegmen, tum posuerunt arcam in plaga occidentali: item posuit juxta eam vectes & super eam operculum propitiatorium & mensam in qua disposuit panes facierum. ¶ *Ibi*] in eo tabernaculo. ¶ *Obsepies arcam velo*] vel potius, *obsepies juxta arcam velum* i. obtendes quasi sepem & intergerinum parietem. Nam ea vis verbi Ebraici. Innuit autem velum quod inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, ubi arca erat. Id quasi obsepiebat, vel, ut alii vertunt, *obtegebat arcam*, ne ab ullo mortalium videri posset. Sed obtegere סכות dicitur: hic est aliud verbum in fonte, quod Hiscuni scribit esse לשון סכוך ומחיצה ut in illo, *ecce ego obsepio viam tuam.* R. Salom. annotat לשון הגנה, in quo significatio protegendi. *Nam ecce paries*, inquit, *intergerinus erat.* Onk. & Jon. usi sunt verbo quod ab umbra derivatum. ¶ *Velo*] velum hoc proprie פרכת dicitur & Chaldaice פרוכתא, pro quo perperam in Jon. פרתכא editum litteris transpositis. Id propitiatorium sonat, non velum.

4. *Et inferes mensam & instrues res in ea instruendas, inferes quoque candelabrum & accendes lucernas ejus.*
5. *Et pones altare aureum ad suffitum coram arca testimonii, & pones velum ostii tabernaculo.*
6. *Et pones altare holocausti ante ostium tabernaculi tentorii conventus.*
7. *Et pones labrum inter tentorium conventus & altare, & impones ibi aquam.*
8. *Ponesque atrium circumcirca, imponesque velum portæ atrii.*

Inferes] vel introduces. ¶ *Mensam*] *in latere aquilonari, quoniam inde suppeditantur divitiæ: Nam inde stillat rorans pluvia serior super herbas, ad alendum iis habitatores mundi.* Jon. ¶ *Res in ea instruendas*] ad verb. *instructionem ejus*, vel, si mavis, *ordinationem aut dispositionem.* Innuit autem duos ordines panum propositionis. Jon. *Ordinabis ordines, duos ordines panis interioris, sex rotundos panes in ordine respectu tribuum ipsius Jacobi.* ¶ *Et inferes candelabrum*] *in latere meridionali, quia inde sunt semitæ solis & lunæ & inde via sive strata luminum, & inde gazæ sive thesauri sapientiæ, qui assimilantur luminibus.* Idem Jon. ¶ *Accendes*] והעלית & ascendere facies i. accendes. Siquidem flamma sursum ascendit. Hinc apud Salomonem in libro Proverbiorum, qui à nonnullis vocatur *liber sapientiæ*, *verbum durum* יעלה *accendit iram.* Recte igitur ambo Chaldæi ידלק. ¶ *Lucernas ejus*] *Lucernas septem respectu septem planetarum, quibus assimilantur justi mundum meritis suis illustrantes.* Jon. ¶ *Ad suffitum*] Jonath. *ad suffitum aromatum coram arca testimonii propter sapientes qui occupantur in lege & quorum odor fragrat ut suffitus aromatum.* ¶ *Tegumentum*] velum, aulæum. ¶ *Tabernaculo*] *propter justos qui protegunt meritis suis populum domus Israel.* Idem Jonath. ¶ *Tabernaculum holocausti &c.*] Idem qui supra, *propter divites qui instruunt mensam ante portas suas & alunt pauperes, remittunturque eis debita ipsorum, ac si offerrent holocaustum super altare.* ¶ *Ibi*] in eo labro. Hieron. sensum expressit, referens, *quod implebis aqua.* Addit. Jon. *propter juvenes qui in viam redeunt per pœnitentiam & effundunt perversitatem suam sicut aquam.* ¶ *Atrium circumcirca*] Rursum Jon. *propter merita patrum seculi, qui circumdant populum domus Israel.* ¶ *Tegumentum portæ atrii*] *propter merita matrum seculi* (alias mundi) *quasi porta Gehennæ ne ingrediantur illum locum animæ puerorum populi Israel.* Idem qui supra.

9. *Et accipes oleum unctionis ungesque tabernaculum & omne quod in eo, & sanctificabis illud omniaque vasa ejus ut sit sanctum.*
10. *Et unges altare holocausti & omnia vasa ejus & sanctificabis altare, & erit altare sanctum sanctorum.*
11. *Et unges labrum & basin ejus & sanctificabis illud.*

Sanctificabis] vel, *consecrabis.* Jonathan, *propter coronam regni domus David & regem Messiam qui redempturus est Israelem in fine dierum.* ¶ *Ut sit sanctum*] Verbum è verbo, *& erit sanctitas.* Hier. *ut sanctificentur.* Mox utitur verbo consecrandi, *omnia*, inquit, *unctionis oleo consecrabis.* Sacrum autem quod ad usum sacrum adhibetur, in cujus opposito est profanum. ¶ *Sanctum sanctorum*] *propter coronam sacerdotii Aharonis & filiorum ejus & Eliæ sacerdotis magni, qui mittendus est in fine deportationis.* Jonat. Hiero. hæc ita vertit *ut non solum altare holocausti sit Sanctum sanctorum, sed etiam labrum cum basi sua.* Vide sodes. Nota de altari hic legi, *& erit* sive *ut sit sanctum sanctorum.* Qui proprie locus est interior templi, in quo arca. Qua de re Gerundensis Moses, *Non vocatur sanctum sanctorum nisi locus tabernaculi, in quo arca: & convenit ut dicat de altari Sanctum Sanctorum quia sanctificabat, juxta illud, Qui tetigerit altare sanctificabitur:* Paullo ante, *Et erit sanctum sanctorum. Quia offerebant in eo, dicitur sanctum sanctorum, quamvis fuerit in atrio.* ¶ *Sanctificabis illud*] labrum videlicet. Jon. *propter Josuam ministrum tuum principem judicum Sanhedrin populi sui, cujus opera terra Israel dividetur, & ex quo exibit Messias filius Ephraim cujusque manibus domus Israel vincent Gog & societatem ejus in fine dierum.* Hucusque.

12. *Et applicabis Aharonem & filios ejus ad ostium tentorii conventus, & lavabis eos aqua.*
13. *Induesque Aharonem vestibus sacris, & unges eum & sanctificabis eum ut sacerdotio mihi fungatur.*
14. *Sed & filios ejus applicabis & indues eos tunicis.*
15. *Ungesque eos quemadmodum unxisti patrem eorum ut sacerdotio fungantur mihi, omninoque erit iis unctio eorum in sacerdotium seculi in ætatibus eorum.*
16. *Et fecit Moses secundum omnia quæ præceperat ei DOMINUS, sic fecit.*

Applicabis] accedere sive appropinquare facies. Quidam, *Et admovebis* והקרבת. Verbum Ebræum sig. etiam *offerre*, unde & Corban *oblatio, donum.* ¶ *Lavabis eos aqua*] nisi loti non sanctificabantur, unde sanctificare manus pro lavare. ¶ *Ungesque eos &c.*] ergo etiam sacerdotes ungebantur, de quo aliquando dubitavi. Sane qui solum Aharonem unctum fuisse putat, ex hoc loco aperte convincitur. ¶ *In sacerdotium seculi*] i. sempiternum. Quod tamen ita capiendum ut non extendatur ultra tempora Messiæ. Nam tunc cessavit sacerdotium Aharonicum. Sic alibi, *in seculum* tantundem valet ac si diceret, usque ad Messiam, præsertim ubi de ritibus & ceremoniis sermo. ¶ *In ætatibus eorum*] etiam posteri eorum ungentur per omnes ætates.

17. *Igitur mense primo, in anno secundo, primo mensis erectum est tabernaculum.*
18. *Erexit enim Moses tabernaculum & posuit bases ejus & apposuit asseres ejus & posuit vectes ejus & erexit columnas ejus.*
19. *Et expandit tentorium super tabernaculum, & posuit opertorium tentorii super illud desuper, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Igitur mense primo] In Ebræo est ad verbum, *Et fuit mense primo &c.* deinde sequitur, *erectum sive collocatum est* absque ulla copulante. ¶ *In anno secundo*] ab exitu, cujus mensis primus Nisan, qui partim Martio nostro, partim Aprili respondet. Erat alius annus mundi à Thesri incipiens. Videndus Hiscuni h. l. ¶ *Erexit eum &c.*] opera Levitarum usus. Nam solus id facere non potuit. ¶ *Apposuit*] hoc loco est שם in fonte, ut in ceteris נתן dedit, posuit. ¶ *Tentorium*] *tectum.* Hiero. *id constabat e cortinis caprarum.* R. Salomon. ¶ *Opertorium*] tegmen sive tegumentum. ¶ *Desuper*] superne. Jonat. ad vers. 17. *Et fuit in mense primo, qui est mensis Nisan.* Quod & superius ab eo interpretatum.

20. *Et accepit & posuit testimonium in arca, & posuit vectes super arcam & posuit propitiatorium super arcam desuper.*
21. *Et intulit arcam in tabernaculum & posuit velum tegumenti & obsepivit arcam testimonii, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Testimonium] Tabulas. Hinc *arca testimonii*, in qua tabulæ legis. Jon. *Et accepit duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, quæ datæ fuerant ei in Horeb & stabant in signum in domo doctrinæ:*

na : hæ sunt tabulæ testimonii, fragmina vero tabularum erant in arca. ❡ *Super arcam*] vel *juxta arcam*. Sic *super Numicum amnem* i. secus, prope, juxta. Tremellius, *apposuit arcæ*. Hieron. *subditis infra vectibus*. ❡ *Propitiatorium*] Hieron. *oraculum* i. דבור. Nam inde oracula reddebantur. Jonathan, *propitiatorium cum Cherubis qui exeunt ex eo*. ❡ *Desuper*] superne. Hoc adjecit quia על etiam *juxta* significat. Græca exemplaria hic variant. Nam in aliis ἐπάνω τῆς κιβωτοῦ, & in aliis ἐπέθηκε τῆς κιβωτῷ, quod vertes in Latinum, *imposuit arcæ*. Nam præcedit ἐπέθηκε, cum in aliis sit ἐπέθηκεν. ❡ *Intulit*] εἰσήνεγκεν, introduxit. ❡*Velum tegumenti*] τὸ κατακάλυμμα τοῦ καταπετάσματος. Lxx. ❡ *Posuit*] appendit. ❡ *Obseprvit*] vel, *obsepsit*. Sensus est, obtendit ut sepem ne arca videri à sacerdotibus, qui in sancto versabantur, posset : aut ne ingredi possent locum illum. Lxx. ἐσκέπασε texit, obtexit. Onkelos, אטיל quod reddunt, *obvelavit*. Jonathan, ואטליל obumbravit. Nam טל umbra. Sequitur in Hiero. *ut expleret DOMINI jussionem*.

22. *Et posuit mensam in tentorio conventus ad latus tabernaculi aquilonem versus extra velum.*

23. *Et instruxit super eam instructionem panis coram DOMINO, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Aquilonem versus] צפונה ad septentrionem. Hieronym. *ad plagam septentrionalem*. Lxx. τὰ πρὸς βοῤῥᾶν. R. Salom. *in medio lateris aquilonalis, qua latum est templum*. ❡ *Velum*] quod dividebat sanctum à sancto sanctorum. Erat ergo mensa in sancto, h. e. in sanctuario. ❡ *Instruxit super eam &c.*] vel, *ordinavit super eam ordines panum*. Sic Onkelos & Jonathan. ❡ *Instructionem panis*] panem rite instructum, ordinatum, dispositum. Et *panem* dixit ut *panes* denotaret. Plures enim erant. Lxx. προέθηκεν ἐπ' αὐτῆς ἄρτους τῆς προθέσεως : apposuit in ea panes propositionis. Hiero. *ordinatis coram propositionis panibus*.

24. *Et posuit candelabrum in tentorio conventus contra mensam, ad latus tabernaculi australe.*

25. *Et accendit lucernas coram DOMINO, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Contra] è regione. ❡ *Australe*] melius, *austrum versus*. נגבה enim pro eo habendum ac si dixisset אל הנגב. Lxx. τὸ πρὸς νότον, quod ad meridiem. ❡ *Accendit*] ואדליק Onkelos & Jon. Minus recte Hiero. *locatis per ordinem lucernis*. Quod è Græcis haustum. Vide Rom. edit.

26. *Et posuit altare aureum in tentorio conventus, ante velum.*

27. *Et suffivit in eo suffitum aromatum, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

28. *Et apposuit integumentum ostii tabernaculo.*

29. *Et altare holocausti posuit ad ostium in tabernaculo tentorii conventus, & obtulit in eo holocaustum & munus, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Ante velum] quod arcæ obtendebatur & sanctum à sancto sanctorum dividebat. Id Ebræi פרכת vocant, & Chaldæi פרכתא vel פרוכתא. Quod fugit, non plane effugit. Supra ירך verti *latus*. proprie *femur* denotat : inde ad latus transfertur quia femur est in latere hominis. Chaldaice שדא dicitur, quod esset צדא ex Ebræo צד latus. Hic notabis צ in ש verti. hoc primum : deinde pro שדא quod in utroque Thargum, apud R. Salo. ex Onk. צדא citari. ❡ *Suffivit*] adolevit, incendit. *Suffire suffitum* ita dicitur ut *gaudere gaudium*, *pugnare pugnam*, ἑορτάζειν ἑορτήν, & quæ alia Grammatici notarunt. Adolevit autem suffitum mane & vesperi. Videndus R. Salo. ❡ *Suffivit in eo suffitum*] ἐθυμίασεν ἐπ' αὐτοῦ θυμίαμα. Lxx. locutionem mutavit Ion. Nam pro קטרת posuit קטר. ❡ *Altare holocausti*] τὸ θυσιαστήριον τῶν καρπωμάτων. Lxx. quod reddunt, *altare holocaustorum*. ergo κάρπωμα, holocaustum. ❡ *Ad ostium*] Onkelos & Ion. *in porta*. Tremellius quoque *ad portam*. Sed porta proprie שער dicitur, פתח autem est *ostium* vel *janua*. Licet etiam vertere, *in ostio tabernaculi tentorii conventus* : quod genus vocant constructum ad constructum. ❡ *Et munus*] alii, *sacrificium*. Sed מנחה proprie *munus*, & est genus sacrificii, de quo alias. In antiquis editionibus Græcis pro eo μαναὰ legitur. ❡ *Quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi*] sæpius hoc iterat ac repetit. Quæ repetitio docet nihil faciendum esse in sacris & rebus divinis absque præcepto divino. *Frustra colunt me*, inquit propheta, *docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum*.

30. *Et posuit labrum inter tentorium conventus & altare, & posuit ibi aquam ad lavandum.*

31. *Et laverunt ex eo Moses & Aharon & filii ejus manus suas & pedes suos.*

32. *Quum venirent ad tentorium conventus, & quum accederent ad altare lavabant, quemadmodum præceperat DOMINUS Mosi.*

Et posuit labrum] *super basin suam*. Jon. Hic aliqua quædam addenda ex R. Salomone. Ad locum qui vers. 29. *& obtulit holocaustum*, annotatum in eo, *holocaustum juge*. Rursum ad illud, *& munus*, idem scribit, *Munus libaminum juge sacrificii, quemadmodum dicitur, Decimam farinæ mixtæ oleo*. Et paullo ante, *Etiam die octavo impletionum, qui est dies quo erectum fuit tabernaculum, ministravit Moses & obtulit oblationes universitatis præter eas, de quibus præceptum ei erat in die quo dictum est, Appropinqua ad altare &c.* Jam ad alia. ❡ *Et laverunt ex eo*] *die octavo impletionum omnes ad sacerdotium æquati fuerunt*. R. Salo. In Onk. & Jon. pro ורחצו & lavabant, habetur ומקדשין & sanctificabant; nempe quia sanctificare manus & pedes idem est atque lavare. Sic enim doctores loquuntur. ❡ *Ex eo*] labro. ❡ *Quum venirent ad tentorium*] vel, *Quum ingrederentur tentorium*. Hic rursum pro *tentorio* Hiero. *tectum* edidit. Pro ובקרבתם quod hoc loco, alibi est בקרבם quod explicant כשקרבו quum appropinquarent.

33. *Et erexit atrium circumcirca tabernaculo & altari, & posuit integumentum portæ atrii : ita perfecit Moses opus.*

34. *Et obtexit nubes tentorium conventus, & gloria DOMINI replevit tabernaculum.*

35. *Et non potuit Moses ingredi tentorium conventus, quia manebat super illud nubes & gloria DOMINI replebat tabernaculum.*

Circumcirca tabernaculo & altari] vel, *circum tabernaculum & altare*; quod Hiero. dixit, *per gyrum tabernaculi & altaris* : & Lxx. κύκλῳ τῆς σκηνῆς καὶ τοῦ θυσιαστηρίου. ❡ *Circumcirca*] Id On. dixit סחור סחור, & Jon. חזור חזור. ❡ *Perfecit*] absolvit, finivit. ❡ *Et non potuit Moses ingredi tentorium conventus*] quamdiu nubes erat super illud : ea recedente ingrediebatur & loquebatur cum Deo. Nam ecce alibi legimus, *Quum ingressus esset Moses tentorium conventus*. ❡ *Ingredi tentorium*] לבוא אל אהל venire ad tentorium. Pro *non potuit Moses*, quod etiam Onk. habet, in Jon. est *non erat possibile Mosi*. ❡ *Mansit*] שכן proprie *habitavit*, unde Græcum σκηνόω. Pro manere autem accipitur cum alibi, tum in illo proverbiorum, *in domo non habitant pedes ejus*. Nam sensus est, *non diu manent*. Adhibe Quæstiones meas. Hisc. ad hunc versum, *Quo tempore erexit ipse tabernaculum, incubuit ei nubes e vestigio : post ascendebat nubes a medio tentorii & manebat super arcam : tunc ingressus est Moses. Sic legimus de domo* (seculorum) *æterna* (i. templo) *Non potuerunt sacerdotes stare ad ministrandum propter nubem. Nam implebat gloria DOMINI domum DOMINI, quo tempore opus templi perfectum fuit, Deus laudandus sanctificabat illud nube : post contrahebat divinitatem suam ponendo eam super arcam inter vectes*. Scire licet Mosen ingressum fuisse tabernaculum cum in eo arcam poneret priusquam videlicet à nube tegeretur. Qua de re videndus Abenezra. ❡ *Nubes*] *nubes gloriæ*. Jon. ❡ *Gloria DOMINI*] *gloria divinitatis DOMINI*. Idem. ❡ *Replebat tabernaculum*] מלא repleo, impleo; ut Jerem. 23. 24. Esther. 7. 5. & alibi. Senes tamen vertunt ἐνεπλήσθη, implebatur, ἡ σκηνὴ tabernaculum. Sic etiam Onk. & Jon. Quod verbum Ebræum in communi usu significat.

36. *Quum autem sustolleretur nubes à tabernaculo proficiscebantur filii Israel in omnibus profectionibus suis.*

37. *Et si non sustollebatur nubes non proficiscebantur usque ad diem quo sustollebatur.*

38. *Nubes enim DOMINI erat supra tabernaculum interdiu, & ignis erat nocte in ea, in oculis totius domus Israel, in omnibus profectionibus eorum.*

Quum sustolleretur] vel, *sublevaretur*. ובהעלות gerundium est in Niphal à עלה ascendit : unde quidam, *quum ascenderet*. Quod in Græcis editionibus ἡνίκα δ' ἂν ἀνέβη. בעלות. Aliud in Niphal significat. Hiero. *Si quando nubes tabernaculum deserebat*. Santes, *quando recedebat* ובה. On. ובאסתלקות quod vertunt, *Quum sublevaretur*. Jon. ובעידן אסתלקות. Quod inter particulas reponendum, si probum est. ❡ *In omnibus profectionibus suis*] מסע profectio. ab aliis חניה dicitur i. castrametatio. Nam ex uno loco profecti in alio castra locabant. Hiero. *mansiones* appellat : unde epistola de 42. mansionibus. Ebraice hoc diceretur מסעות. Benjamin Tudelensis itinerarium suum hoc modo inscripsit מסעות ר' בנימין profectiones R. Benjamin. In edit. Lxx. ἀνεζεύγνυσαν σὺν τῇ ἀπαρτίᾳ αὐτῶν : quod reddunt, *disjungebant* : ego, *movebant castra*. Unde ἀναζυγή, castrorum motio idem videl. quod ἀνάζευξις. Mox sequitur in

eadem

eadem edit. ἐν πάσαις ταῖς ἀναζυγαῖς αὐτῶν : pro quo hic ediderunt σὺν τῇ ἀπαρτίᾳ αὐτῶν, quod interpretantur, *cum omnibus sarcinis suis*, vel, *cum omnibus impedimentis suis*. Nam ἀπαρτία vasa quæ secum ferunt qui aliquo proficiscuntur. Nihil tale in Ebræo habetur. Ceterum profectiones istæ Chaldaice מטלין vocantur. ¶ *Ignis*] *visio sive aspectus ignis*. Onk. *columna ignis*. Jon. Cui firmando quod alibi legitur, *In columna nubis tu ambulas ante eos interdiu & in columna ignis nocte*. Videndus Abenezra. ¶ *In ea*] nube. Sic LXX. πῦρ ἦν ἐπ' αὐτῆς νυκτός : ignis erat in ea nocte. Vult dicere, nubes illa quæ tegebat tabernaculum interdiu, in ignis speciem vertebatur nocte. Alii tamen malunt, *in eo* sub. tabernaculo. Quem sensum Hiero. expressit, referens, *Nubes quippe incubabat tabernaculo per diem & ignis in nocte*. Quidam, *ibidem*, ac si esset, *in eo loco*. ¶ *In omnibus profectionibus eorum*] Hiero. *per cunctas mansiones suas*. Prius ediderat, *Per turmas suas*.

F I N I S.

Summa versuum hujus libri 1209. ordinum, quos סדרים vocant 29. & sectionum 11. Medium autem libri est, *Deo* vel *Diis non maledices*.

A M A M A.

Et hic multa essent corrigenda si omnia excutere esset prolubium. Vers. 4. *stabit candelabrum cum lucernis suis*, Ebr. *Introduces candelabrum & accendes lucernas ejus*. Vers. 5. מסך iterum vertit *tentorium*. Ea quæ à vers. 9. usque ad 12. involvit, inquit Cajet. Istis enim verbis, prout in Ebræo jacent, triplicem sanctitatis gradum indicari ait, concha enim unctione sanctificatur, sed de ea non dicitur *& erit sanctum* : Tabernaculum vero unctione & sanctificatur & est sanctum : Altare autem holocaustorum unctione sanctificatur & erit sanctum sanctorum, utpote alia sanctificans.

Vers. 13. vox *proficiat* addita obscuravit sententiam, inquit Steuchus. Vers. 14. & 15. plane omisit. Nec refert quod vers. 12. mentio facta sit filiorum ejus. Eadem enim in Ebræo memoratio est. Vers. 20. *subditis infra vectibus*, Ebræus habet, *Et posuit vectes super arcam*.

29. Ebr. *Munus* מִנְחָה Vulg. *Sacrificia*. Cajet. in Ebræo est, *Et munus*. *Sonat autem Ebraice oblationem ex flore farina*. Plura de hac voce, Deo volente, ad Dan. 2. contra vel potius cum Bellarmino.

G R O T I U S.

13. Et *unctio eorum in sacerdotium æternum proficiat*] Satis est illos fuisse unctos, ut opus non sit & posteros ungi: quibus sufficiebat esse ἀπὸ τοῦ γένους τῶν χριστῶν ἱερέων [*ex genere unctorum sacerdotum*]. II. Macc. I. 10. Aliud in summis Sacerdotibus supra XXIX. 29. XXX. 30. Levit. IV. 3. & XXI. 10. Excipe & eum sacerdotem, qui castra comitabatur, hortator ad virtutem. Eum enim ad hoc ipsum ungi mos habuit. sed & has unctiones fieri desiisse stante Templo secundo, docet nos Josephus, nimirum quia oleum illud primitivum, unde unctio fieri debebat, interciderat. Ex eo duæ ex antiquo restitere cæremoniæ, per quas summi sacerdotes inaugurarentur, septenis diebus vestium indutus, & sacrificium ei rei dicatum.

36. *Et ignis in nocte*] Eadem nubes nocte ignescebat. Nubes protectio contra ardorem : ignis auxilium contra tenebras. Nubes vehiculum Dei Psal. CIV. 3. & apud Hesiodum ἠέρα ἑσσάμενοι [*induti nebulam*]. Ignis naturæ divinæ symbolum, teste Porphyrio.

C A R T W R I G H T U S.

2. Mensis primi] Jonathan addit ניסן ירחא הוא *is, est mensis Nisan*. Atque ita etiam vers. 17. vide supra ad cap. 12. 2.

3. וְסַכֹּתָ עַל־הָאָרֹן אֶת־הַפָּרֹכֶת *Et pro tegumento pones velum juxta arcam*] Jonathan, ית פרגודא ותטליל על ארונא *& teges super arcam propitiatorium*. Videtur pro הפרכת *happarocheth*. i. Velum, vel legisse, vel in animo habuisse הכפרת *haccaporeth*, i. e. propitiatorium. Forte autem in Paraphrasi ista est mendum, & librarii culpa scribitur כפורתא *Capportha* i. propitiatorium pro פרוכתא *paructha*. i. velum, quo vocabulo hic Onkelos utitur. Illud tamen observo, Jonathanem, pro Hebræo פרכת *parocheth* habere, solere, פרגודא *pargoda*, ut hoc ipso capite vers. 21. & cap. 26. 31. & alibi, cum Onkelos ubique habeat, פרוכתא *paructa*.

4. *Et afferes mensam*, *Et dispones dispositiones ejus*] Jonath. *Et inferes mensam in latus Septentrionale*, *quod inde dentur divitiæ*; *nam inde defluunt guttæ pluviarum super herbas*, *quibus pascuntur incolæ mundi*. *Et ordinabis ordines ejus*, *duos ordines panis interioris* (תרין סדרי לחמא גוואה) *sex globulos*, (seu *rotundos panes* שית עגולין) *in ordine*, *pro ratione tribuum Jacob*.

Et afferes candelabrum] Jonath. *Et inferes candelabrum in latus australe*, *quod inde sint semitæ solis*, *& lunæ*; *& inde semitæ fluviorum*; *atque illic thesauri sapientiæ*, *qui fluviis sunt similes*.

Et accendes lucernas ejus] Jonath. *Et accendes lucernas ejus septem pro ratione stellarum*, *quæ similes sunt justis* (דמתילין לצדיקיא) *qui mundo justitia sua lucem exhibent*.

5. *Et pones altare aureum incensi coram arca testimonii*] Jon. *Et pones altare aureum ad incendendum aromata* (לקטרת בוסמין) *coram arca testimonii propter sapientes* (בגלל חכימיא) *qui exercentur in Lege*, *quorumque odor fragrat instar suffitus aromatum*.

Et pones velum ad ostium Tabernaculi] In Hebræo ad verbum est *velum ostii ad Tabernaculum*. את מסך הפתח למשכן, Jonathan addit *respectu justorum*, *qui justitia sua populum* (*a*) *domus Israel tegunt*, seu *protegunt* בגלל צדיקיא דמגינין בזכותהון על עמא בית ישראל.

6. *Et pones altare holocausti*, &c.] LXX. τὸ θυσιαστήριον τῶν καρπωμάτων. Sic vers. 10. (*b*) Jonathan hic suo more mystice exponit, *respectu divitum*, *qui disponunt mensam ante portas suas*, *& pascunt pauperes*; *& remittuntur eis peccata ipsorum perinde ac si afferrent holocausta super altare*.

7. *Et pones labrum*, &c.] Jon. addit *respectu peccatorum*, *qui revertuntur per resipiscentiam*, *& effundunt pravitatem suam* (ושדין עקמומיתהון) *quasi aquam*. Quæ in hoc versu continentur prætermissa sunt in LXX. Interpretum versione Editionis Romanæ; Nobilius autem testatur Complutensem editionem Vulgatæ versioni, quæ Hebræo textui respondet, esse conformem.

8. *Et pones atrium circumcirca*] Jonathan addit, *respectu justitiæ patrum mundi* (בגלל זכות אבהת עלמא) *qui undiquaque circumdant populum* (*c*) *domus Israel*.

9. *Et unges Tabernaculum*, &c.] Jonathan *respectu domus Juda*, *& regis Messiæ*, *qui redempturus est Israelem in fine dierum*.

10. *Et unges altare Holocausti*, &c.] Jonath. *respectu coronæ sacerdotii Aharonis*, *& filiorum ejus*, *& Eliæ sacerdotis summi* (ואליהו כהנא רבא) *qui mittendus est in fine captivitatis*.

11. *Et unges labrum*, &c.] Jon. *respectu Josuæ ministri tui*, *principis synedrii populi sui*; *per cujus manus* (i. e. cujus opera) *terra Israel est dividenda*; *& ex quo egreditur Messias filius Ephraim*, *per quem Israel superabit Gog*; *& cætum ejus in fine dierum*. Nota Judæos duplicem constituere Messiam, unum nempe filium David ex tribu Juda, alterum autem filium Joseph ex tribu Ephraim. Utriusque hujus Messiæ meminit. Chaldæus Paraphrastes meminit Cant. 4. 5. תרין פריקך דעתידין למפרקך משיח בר דוד ומשיח בר אפרים *Duo Redemptores tui*, *qui te redempturi sunt*, *Messias filius David*; *& Messias filius Ephraim*. Tradunt insuper Judæi Messiam filium Joseph occidendum esse, at Messiam filium David gloriosum futurum. *Quo velut cortice* (inquit Mercerus ad Obad. v. 18.) *forsan tegere voluerunt*, *& adumbrare utramque Christi naturam*, *quod & sese demissurus esset*, *atque objecturus usque ad mortem*, *& rursus evecturus in sublime*, *& majus nostro captu fastigium*. Porchetus adversus Judæos part. 1. cap. 11. ex Bereshith Rabba, & Mi-

(*a*) Vel *domum* per appositionem. (*b*) Et v. 29. (*c*) Vel *domum* ut supra.

Midras Tehillim ostendit veteres Judæos Messiam filium David, & Messiam filium Joseph, quos recentiores Judæi duos à se invicem distinctos faciunt, pro uno eodemque Messia habuisse. *Porro* (inquit) *Dominus noster Jesus Christus uterque fuit; fuit quippe filius Joseph, filius sponsi matris suæ, non quidem carne, sed educatione & nutritione,* &c. *filius quoque David fuit secundum carnem,* &c.

19. וַיִּפְרֹשׂ אֶת־הָאֹהֶל עַל־הַמִּשְׁכָּן *Et extendit tentorium super Tabernaculum*] R. Sal. monet per *tentorium* hic intelligi יריעות עזים *cortinas ex pilis caprinis confectas.*

20. *Et accepit, & posuit* אֶת־הָעֵדֻת אֶל־הָאָרֹן *testimonium in arcam*] i. e. ut interpretatur R. Sal. הלוחות את העדות *testimonium (nempe) Tabulas*, scil. Legis. Jonathan tum de Tabulis, quas secundo Deus Mosi dedit, tum de priorum Tabularum fragmentis exponere videtur; sic enim se habet ipsius Paraphrasis; *Et accepit duas Tabulas lapideas, Tabulas fœderis, quæ datæ fuerunt ei in Horeb, & manserunt pro signo in domo doctrinæ* (והוו קיימין על) (אוריתא בבית את *hæ sunt Tabulæ testimonii; & fragmenta Tabularum (posuit) in Arca.* Sed de istis Tabularum fragmentis quamobrem hic locus intelligi debeat, non video.

23. וַיַּעֲרֹךְ עָלָיו עֵרֶךְ לֶחֶם לִפְנֵי יְהוָה *Et ordinavit super eam ordine panes coram Domino*] vel *ordinem panum*, seu *ordines*, ut singulare positum sit pro plurali; duobus enim ordinibus positi erunt panes super mensam. Levit. 24. 6. Atque ita Onkelos pariter ac Jonathan וסדר עלוהי סדרין דלחם *Et ordinavit super eam ordines panum.* Hierosolymitanus Paraphrastes verba invertit, sensu tamen parum læso, וסדר עלוהי לחם סדר אפיא קדם י״י *Et ordinavit super eam panes ordinis (seu ordinatos) (nempe panes) faciei coram Domino.* Forte autem locus est depravatus, & pro סדר לחם *ordinem panum*, legitur לחם סדר *panes ordinis.* Ita sane melius cohæret vox אפיא *faciei*, vel *facierum*; est enim plurale, ut Hebræum פנים, quod tamen singulariter usurpari solet. Hic autem in Hebræo est simpliciter לחם, non (ut alibi sæpe) לחם הפנים. *LXX.* tamen similiter, ἄρτους τῆς προθέσεως, *panes propositionis*: dictionem ערך *ordine* omiserunt, & ויערך nimis dilute reddiderunt καὶ προσέθηκεν *Et posuit*, cum sit ἐμφατικώτερον, *Et ordinavit* seu *disposuit.* Vulg. *ordinatis coram propositionis panibus.* Post *coram* deesse videtur vox *Domino. LXX.* ἔναντι κυρίου, *coram Domino*, prout in Hebræo habetur.

30. *Et posuit illic aquam ad lavandum*] Jonathan addit sed qua authoritate nescio, ולא פסקין ולא סריין כל יומיא *& non defecit (scil. aqua) nec fœtuit omnibus diebus.* Hoc si verum, certe ingens fuit miraculum.

34. *Et gloria Domini implevit Tabernaculum*] Jon. *Et gloria præsentiæ Domini, &c.* Lyra ait *gloriam Domini* hic esse nubem gloriosam; quæ erat signum præsentiæ ejus. Maimonides in More parte 1. cap. 64. vult *gloriam Domini* hoc in loco significare splendorem quendam creatum, quem Deus ad magnificentiam suam ostendendam miraculose creavit. Ita etiam intelligit illud cap. 24. 16. *Et gloria Domini mansit super montem Sinai.* Ex isto autem loco Lyræ expositio (quæ tamen ab hac Maimonidis non multum est diversa) confirmari videtur; nam post ea, quæ citata sunt, verba sequitur, idque (ut videtur) exegetice, *Et nubes obtexit eum, &c.* Similiter & in priori parte hujus versus dicitur, *Et obtexit nubes tentorium conventus*; unde per *gloriam Domini* non nisi *nubem* gloriosæ Domini præsentiæ signum intelligi licet colligere.

35. *Nec potuit Moses ingredi tentorium conventus &c.*] At cap. 24. 18. dicitur Mosen in medium nubis ingressum esse; quare igitur ob nubem non potuisse ingredi tentorium hic dicatur? Hanc quæstionem movet Manasses in Concil. quæst. 44. in Exod. Et primo refert nonnullos ex Rabbinis dicere Mosen naturali ratione per nubem ire nequivisse, atque ita locum hunc esse intelligendum; alterius autem loci sensum esse, Mosen à Deo benedicto tractum, ac intra nubem perductum esse. Deinde (quod tamen in idem fere redit) ex aliis quibusdam respondet, Mosen, ob gloriam Domini in nube quiescentem, sine permissu Dei tentorium intrare nequivisse, at illo concedente intrasse. Hanc conciliationem valde commodam censet, propterea quod cap. 24. 16. dicatur Mosen à Domino vocatum fuisse priusquam in montem ascenderet, & in nubem intraret.

36. וּבְהֵעָלוֹת הֶעָנָן מֵעַל *Et cum elevata fuit nubes* (ad verb. *cum facta fuit ascendere*) *&c.*] Vulg. *Si quando nubes Tabernaculum deserebat.* Quam interpretationem Steuchus haud probat; *At* (inquit) *profecturis filiis Israel, non nubes deserebat Tabernaculum sed elevabatur super ipsum, & præibat.* LXX. Ἡνίκα δ' ἂν ἀνέβη ἡ νεφέλη ἀπὸ τῆς σκηνῆς. *Quando autem ascendebat nubes à Tabernaculo.*

38. *Nam nubes Domini erat super Tabernaculum interdiu*] Onk. & Jon. *Nubes gloriæ Domini.* Hierosol. *nubes gloriæ præsentiæ* (seu *gloriosæ præsentiæ*) *Domini.* Hinc Lyræ expositio supra memorata v. 34. robur accipit.

Et ignis fuit noctu (*a*) *super illud*] Jon. *Et columna ignis lucem nocte præbebat.* Hierosl. *Et ignis lucem præbebat super illud omni nocte.* Onk. *Et aspectus ignis* (Fagius vertit, *& visio ignis*, וחיזו אישתא) *erat nocte in eo*; Fagius interpretatur *in ea*, nempe in nube. *Innuit enim* (inquit) quod *eadem nubes, quæ interdiu sese ostendebat, noctu in ignis speciem vertebatur, & illucebat Hebræis. Non erat ergo alia nubes, quod & de columna dicendum.* Hæc autem à Steucho mutuatus videtur apud quem eadem plane verba habentur; cuique propterea minus placet vulgata versio, *Et ignis in nocte*, nempe incubabat Tabernaculo. Nec diffiteor sensum illum videri probabilem; quo minus tamen aliter hic locus intelligatur, non perspicio. Certe perperam (opinor) eo LXX. Interpretum versionem trahit Fagius, nec non & Hierosolymitanam Paraphrasin, cum utraque isti expositioni potius adversari, videatur. LXX. Interpretum versio, sic habet, Νεφέλη γὰρ ἦν ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἡμέρας, καὶ πῦρ ἦν ἐπ' αὐτῆς νυκτός. *Nubes enim erat super Tabernaculum die; & ignis erat super ipsum nocte.* Ita Latine in Edit Rom. vertitur, & recte quidem; Fagius autem vertit, *& ignis erat in ipsa* (scil. nube) *noctu*; cum pronomen αὐτῆς referatur ad σκηνῆς, non ad νεφέλη & ἐπ' αὐτῆς sit *super ipsum*, nempe Tabernaculum, ut ἐπὶ τῆς σκηνῆς *super Tabernaculum*, non *in ipsa*, scil. nube. Aperte etiam istum sensum præ se fert Hierosolymitana Paraphrasis, cujus verba integra citat Fagius, ארום ענן יקר שכינתיה די״י הוה מטל על משכנא ביממא (*b*) ועמוד אשתא הוה מנהרא עלוהי כל לילייא חמיין כל בית ישראל בכל מטלניהון (*c*) *Nam nubes gloriosæ præsentiæ Domini obumbrabat Tabernaculum interdiu; & ignis splendebat* (*d*) *super illud* (nempe Tabernaculum) *omni nocte* (vel, ut Fagius, *tota nocte*) *videnti tota domo Israel in cunctis profectionibus suis.*

בְּכָל־מַסְעֵיהֶם *in omnibus profectionibus suis*] R. Sal. sic explicat, *In unaquaque profectione, quam proficiscebantur, nubes istic mansit, ubi castrametarentur.* Atque asserit locum metationis castrorum vocari מסע *profectionem*, quod à loco isto, in quo castra metabantur, novam inchoabant profectionem. Videntur sane hæc verba aliter hic intelligi, quam v. 36. ubi itidem occurrunt. Istam autem dictionem מסע, quæ proprie significat *profectionem*, pro termino profectionis sumi vult R. Sal. Gen. 13. 3. & Num. 33. 1.

(*a*) בו *in eo* scil. Tabernaculo; vel *in ea* scil. nube. Hierosl. עלוהי *super illud.* LXX. similiter ἐπ' αὐτῆς. (*b*) Fagius legit ועמודא (*c*) Fagius legit לעיני (*d*) Sic ipse Fagius vertit *super ipsum*, nec aliter verti potest.

I D E M.

19. *Et expandit tentorium, &c.*] Per אהל *tentorium* hic intelligit cortinas ex pilis caprinis factas; & מכסה האהל *operimentum tentorii* exponit de pellibus arietum, & taxorum.

Prout Dominus mandavit Mosi.] Id hic & in sequentibus dictum ait, quod non eodem ordine Tabernaculum erectum, ac instrumenta in eo disposita erant, quo facta fuerant: ne igitur Moses ordinem pervertisse videretur, id sæpius expressum, Mosen in erigendo Tabernaculo, ac instrumentis ejus disponendis, ordinem à Deo præscriptum observasse.

25. *Et accendit lucernas, &c.*] Hoc, uti etiam illud, v. 27. *Et incendit suffitum, &c.* notatum ait, quod Moses per septem dies Consecrationum sacerdotis magni officio functus est. Addit ex Nahmanide, nullam hic mentionem fieri unctionis Tabernaculi, & instrumentorum ejus, nec unctionis Aharonis, & filiorum ejus, nec oblationum consecratoriarum, quia ista non nisi post erectionem Tabernaculi facta erant, cum Moses denuo de iis mandatum accepit, uti traditur Levit. 8. 1. &c.

35. *Et Moses non potuit intrare, &c.*] Sensum esse ait, Mosi non licuisse intrare, donec Deus licentiam concessisset, utque intraret præcepisset, ut cap. 24. 16. dicitur Deum vocasse

casse Mosen, &c. atque ita etiam Levit. 1. v. 1. Refert autem nonnullos hic, & v. 34. per אהל מועד *tentorium conventus* intelligere tentorium Mosis, ut sensus sit, jam non nisi nubem texisse istud tentorium, gloriam autem Domini inde recessisse, ac in Tabernaculo Dei mansisse: atque ideo Mosen tentorium suum insuper habuisse, nec in illud ut antea, intrare voluisse. Sed expositionem istam rejicit, ac refellit, quod nubes & gloria Domini inter se conjuncta erant: & v. 36. & 38. dicitur, nubem fuisse על המשכן *super Tabernaculum*, nempe Domini. Hinc colligit אהל מועד & משכן v. 34. non à se invicem distingui, sed unum atque idem designare.

Et gloria Domini, &c.] Per *gloriam Domini* hic intelligi ait lucem illam, quæ intra nubem apparebat, eamque appellatam esse ignem. In hanc rem citat cap. 24. 16. 17. unde colligit, gloriam Domini non fuisse nubem, sed rem quandam luce & splendore igni similem, quæ nube circumdata erat, quemadmodum lampades igneæ (הלפידים האשים) è medio nubium apparere solent; sic nimirum gloriam Domini instar ignis è medio nubis, & densæ caliginis apparuisse. Atque ideo ait, illud cap. 24. 16. *Et nubes tegebat, &c.* nec ad montem, nec ad Mosen referri, juxta opiniones duorum Doctorum in Gemara de hac re dissentientium, sed ad ignem: ac sensum esse, per sex dies ignem nube tectum fuisse, nec Israelitis, ut postea, apparuisse. Hic (a) iterum adversus Maimonidem disputat, ac contendit, gloriam Dei cap. 33. 18. non esse מהותו ועצמותו *quidditatem ac essentiam ejus*; eam enim non nisi à Deo ipso comprehendi posse. Probabilius igitur putat per gloriam Dei illic intelligi העלול הראשון *primum causatum*; atque id à Doctoribus appellari שכינה (*Divinæ majestatis præsentiam*) non lucem aliquam creatam, ut sensit Maimonides, nec ut Nahmanides, Dei essentiam ac quidditatem. Hic etiam multis philosophatur de luce, & rationes quasdam reddit quare in Scriptura Deus Lux vocetur. Nimirum quod ut lux res visibiles facit, cum absque luce quasi non esse videantur; sic Dei beneficio res existant. Et quemadmodum lucem solis nemo penitus intueri potest, etiamsi ejus ope res alias intueamur, sed oculi nimis in eam defixi caligabunt, ita ut pristinam videndi facultatem amittant, sic intellectus humanus Deum comprehendere nequeat, & si plus æquo id satagat, confundatur, vel homo moriatur, ut Ben Azai, הציץ ונפגע *qui respexit* [*versus Divinam Majestatem*] *& mente captus est.* Lucem autem hanc, quæ *gloria Domini* appellatur, putat eam esse, quæ in principio mundi creata fuit: istam enim lucem non (ut putavit Nahmanides) evanuisse post creationem solis, sed absconditam fuisse dicit, ac reservatam, ut ea Deus, quoties ipsi visum esset, in piorum commodum ac solatium uteretur. Atque ideo de luce illa non, ut de rebus aliis, dictum esse, ויהי כן *& fuit sic*, quia usus ejus non duravit, sed intra sepimentum suum se abscondidit; נסתר בגנזיו. Sed & nubem, de qua hic agitur, existimat etiam tunc creatam, & voce tenebrarum designari, Gen. 1. 2. 4. Sed hæc, & alia, quæ de *luce ac nube* ista habet, nimis longe petita, ac à simplici scripturæ sensu remota videntur.

38. *Et ignis erat super illud noctu,*] Non dubitandum ait, quin nubes pariter ac ignis perpetuo esset super Tabernaculum: sed hoc ideo dictum, quod interdiu nubes ignem circumdans, noctu autem ignis duntaxat, non autem nubes, quia tenebrosa erat, apparebat.

(a) *Vide ex Abrabanele ad cap. 33. 18.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google